

John Quincy Adams.

to 5

The Library of the Town of Quincy

ADAMS 160.10

J. Q. Adams.

AMSTELODAMI, Apud Ludovicum et Danielem Elzevirios.
LUGD. BATAVORVM, Apud Franciſcum Hackium. A°. 1661.

* ADAMS 160.10

CELSISSIMO
AC
REGII SANGUINIS
PRINCIPI,
GULIELMO III.
D.G. ARAUSIONENSIUM PRINCIPI, COMITI NASSOVIÆ, CATTENELLEBOCII, VIANDÆ, DIETSIÆ, LINGIÆ, MEURSÆ, BURÆ, LEERDAMI, &c. UNICO NASSOVIORUM HÆREDI, VINDICI, ASSERTORI ET STATORI PATRIÆ ET AVITÆ LIBERTATIS.

QUotieſcunq; vernantem tuum ſereniſſimumque vultum intueor, CELSISSIME PRINCEPS, ſimul tot magnorum Principum Regumque ſobolem ac imaginem auguſtam intueri videor. Verum inprimis GULIELMUM I. Arauſionenſium Principem, unicum hujus Reipu-

 blicæ

blicæ Statorem; Mauritium ac Fridericum, duo fulmina belli; & glorioſiſſimum Genitorem tuum, intenſo amore venerantur Belgæ: & conglobatæ totius terrarum orbis gentes ſuſpiciunt & colunt. Sub auſpiciis namque tantorum Principum, in hoc angulo, imò ſpithama terræ, quæ mari paſſim cingitur exediturque; attonitus adhuc hæret orbis, concuſſam Hiſpanicæ dominationis potentiam; Orientis atque Occidentis opes flagellatas; totam fermè Europam in belli partes tractam, quaſi de imperio univerſi ageretur: neque minus Fœderatos domeſticis victoriis nobiles, ſui ſecuros, in ipſam Hiſpaniam, Aſiam, Africam, & Americam, tempeſtatem bellicam, claſſibus ſuis effudiſſe: ad extremum extortam Regi potentiſſimo, Libertatis noſtræ confeſſionem & glorioſiſſimam pacem fuiſſe. Horum infractam virtutem, conſtantiam, fortitudinem, prudentiam, omniumque virtutum auguſtiſſimam coronam imitandi Tibi publica neceſſitas impoſita, Celsissime Princeps. Naſci magnis Principibus fortuitum; natalium ſplendori & purpuræ virtutis jungere purpuram, excelſum & inæſtimabile eſt. Et jam incurrit in omnium oculos vividus tuus vultus,

radiis

radiis ſuis veluti fulgens; ingenium & judicium ſuprà ætatem, nonniſi maxima quæque pollicetur. Innutritur jam ingens tuus animus illis artibus, quæ domi militiæque aliquando Reip. profuturæ; Auriacæque arboris flagrantes flores, in ipſo flore ætatis oſtentant, qui maturos ſuo tempore fructus edituri ſunt. Quum autem illos, qui in excelſo ætatem agunt maxima quæque capiant; Tibi CELSISSIME PRINCEPS, Principem Romanæ Eloquentiæ M. Tullium Ciceronem offerre, ſubmiſſa quadam & humili verecundia ſuſtinui. Cujus Auctoris ingenio, uti nihil majus invenitur; ita Tuo ingenio dignum mihi illud munus videbatur. Heic non tantum admirari poteris compoſitos verborum numeros, dicendi vigorem & elegantiam; ſed Sapientia quoque civili, imbuere pectus, imò ſatiare: in primis aureos de Officiis libros legiſſe nunquam pænitebit. Ad extremum CELSISSIME PRINCEPS, quia longiores hic ſermones ſerere Veneratio Tua non permittit; nihil antiquius Tibi ſit, quam excitare & promovere litteras; honorem habere ac dignitatem literatis; eo ſane ſucceſſu, ut artes humaniores, Tuis demum auſpiciis ita niteant, ita floreant, ut nihil

hil felicitati earum accedere poſſit, niſi ut perpetua ſit. Faxit Deus, ut quantum accreſcit ætas, tantum accedat & honeſtæ eruditioni & morum integritati. Accipe ergò PRINCEPS CELSISSIME, hoc qualecunque Venerationis & obſequii mei teſtimonium, literarium ſcilicet hoc munuſculum, virtutibus tuis debitum, & in lucem publico bono protractum; quod cum debita animi dimiſſi reverentia, TUAE CELSITUDINI dedico; ſuppliciter orans, ut benigno vultu intueri digneris. DEUS Opt. Max. T. C. & totam Illuſtriſſimam Domum NASSOVICAM omnibus felicitatis humanæ partibus exornet, & perpetuo florentem conſervet: ac eximium iſtum ætatis Tuæ florem, ad publicos ſalutareſque Patriæ uſus, ad ornamentum ſæculi, ad decus illuſtris Familiæ Tuæ, copioſiſſima fruge jubeat matureſcere. Quod vovet & auguratur,

Veſtræ Celſitudinis humillimus
Cultor

CORN. SCHREVELIUS.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

QUi Latini ſermonis elegantiore copia delectantur, ii ſe plus uni Ciceroni, quam cæteris omnibus debere fateantur neceſſe eſt. Pauci enim in uno ſcribendi genere, ille in omnibus excelluit: ut, cum liberalium diſciplinarum gloriam Græcis concedere cogamur; in hac tamen ornatè ſcribendi laude, non dicam equidem illos vincere, ſed certè dubia cum illis palma certare videatur. Nec verò Latinam linguam verbis tantum Cicero locupletavit; ſed rebus etiam vel ingenio quæſitis, vel à doctrina ſumptis, vehementer auxit, & ut alia prætermittam, ita ſcripta, ut unus maxime de iis, qui Romanam eloquentiam colunt, meritus optime ſit: ille ſummum oratorem: ille præſtantem civem: ille optimum virum libris ſuis formavit, atque finxit. Non ſine ratione ergo acriter invehitur Eraſmus in ſtolidos illos, qui in Cicerone nihil præclarum eſſe dictitant, præter verborum phaleras. Faciunt næ intelligendo ut nihil intelligant. Quam varia enim & egregia conſcripſit volumina: quanta vis, quanta copia ſalubrium ac ſanctiſſimorum præceptorum? quanta cognitio, quantaque memoria priſcarum ſimul & recentium hiſtoriarum? Tum autem, quam altæ cogitationes de vera hominis felicitate? quæ planè declarant illum hoc egiſſe, quod docebat. Jam verò in explicandis rebus procul à communi ſenſu ac ſermone populari ſemotis, quaſque multi deſperabant Romana lingua tractari poſſe: quæ perſpicuitas, qui candor, quæ facilitas, quæ copia, quæ denique feſtivitas? Philoſophiam, quæ primum in rerum naturalium contemplatione occupata, procul aberat à vita communi; Socrates primus in terras atque etiam in domos deduxiſſe legitur: Plato & Ariſtoteles conati ſunt eam & in aulas regum & in ſenatum & in ipſa tribunalia producere: M. verò Tullius mihi videtur eam etiam in proſcenium perduxiſſe; cujus opera ſic loqui didicit, ut promiſcuum etiam vulgus poſſit applaudere. Atque hujus generis tam multos libros ſcripſit vir ille difficillimis temporibus, ſummoque Reipublicæ tumultu; quoſdam etiam rebus in ſummam deſperationem adductis. Ita ut merito nos Chriſtiani pudore ſuffundamur, quum videamus homines ethnicos tam ſanctis commentationibus, otium, quod dabat Reipub. calamitas, tranſegiſſe: nec ab ineptis voluptatibus quæſiviſſe mentis avocamenta; ſed à ſanctiſſimis philoſophiæ præceptis petiiſſe remedium? Quid aliis accidat, neſcio: me legentem ſic afficere ſolet M. Tullius; præſertim ubi de bene vivendo diſſerit, ut dubitare non poſſim, quin illud pectus, unde iſta prodierunt, aliqua divinitas occuparit. Nulli enim dubium eſſe poteſt, quin crediderit aliquod eſſe numen, quo nihil eſſe poſſet neque majus, neque melius. Porrò quid ſenſerit de animorum immortalitate, quid de diverſa ſorte præmiiſque vitæ futuræ; tum quanta fuerit ſinceræ conſcientiæ fiducia; ſi non ſatis declarant tot ejus libri, certè vel una illa epiſtola ſatis arguit, quam ad Octavium ſcribit, jam ut apparet, morte deſtinata. Verum hac de re liberum eſto ſuum cuique judicium. Ad illos craſſos redeo, qui præter inanem verborum tinnitum, nihil magni credunt eſſe in libris Ciceronis. Quî fieri poteſt, ut tot res eruditas, tam dilucidè, tam doctè, tanto cum affectu explicet, niſi penitus intelligat quod ſcribit? Quis autem ſumpſit hujuſmodi libros in manus, quin ſurrexerit animo ſedatiore? Quis tam acceſſit mærens, qui non abierit hilarior? Geri videtur quod legis; nec ſecus afflat animum tuum quidam orationis ἐνθουσιασμὸς, quam ſi ex vivo ipſius pectore, ac feliciſſimo illo ore manantem audires. Quid ergò felicius, quam cum eloquentiſſimo ſimul ac ſanctiſſimo viro, quoties libitum eſt confabulari: neque minus habere perſpectum illius, qui ante tot annos vixit, ingenium, mores, cogitationes ſtudia, facta, quam ſi multis annis egiſſes cum illo conſuetudinem? Nunquam mihi ſatis probatum illud

Quinti-

Quintiliani: Ille ſciat ſe profeciſſe, cui Cicero valde placere ceperit. *Itaque non dubitem hortari juventutem, ut in hujus libris evolvendis atque etiam ediſcendis bonas horas collocent potius, quam in rixoſis ac maledicis libellis, quibus nunc undique ſcatent omnia.*

En ergo Tibi, Tullium, concinnatum à Cl. Grutero, ex magna quidem annotationum farragine, ejuſque potiſſimum judicio collectum; quod tamen pendere voluit ab auctoritate codicum Bibliothecæ Palatinæ. Nam cum ejuſdem cura illi commiſſa eſſet à florentiſſimo Principum FREDERICO VI. *Electore primario, nihil prius habuit, nihil antiquius, quam recenſere Guilielmiana ad membranas ſuas, exque eis porro ſupplere, quæ ipſis deerant. Quare cum Chirographi illi libri præſtiterunt, nunc lapidem Lydium, nunc virgulam Mercurii, iidemque pro Helice illi fuerint ac Cynoſura, iiſdem auctoribus admodum multa, ſcabie prius atque ulceribus fœda, in priſtinum reſtituit nitorem: adminiculantibus præterea editionibus ævi vetuſtiſſimi; quas ærumnabili labore frequentiſſimè conſuluit. Interim ferè ſemper illi fuit pro regula, editio Petri Victorii; omnium profectò ante hanc & caſtiſſima & caſtigatiſſima. Nam Lambiniana ſane nimium ſibi indulſerat: & ſic tamen nonnunquam lectioni earum impreſſionum adhæſit; tunc ſcilicet cum retro vulgatæ nihil ſubeſſet gratiæ, nihil venuſtatis; neque ei ullum veniret à manuſcriptis ſubſidium. Ita ut de ſe gloriari ſoleat, quod optimum Romanæ linguæ auctorem mille amplius locis illuſtrarit, correxerit, auxerit: ubi antea, doctis juxtà atque indoctis, meræ erant tenebræ, mera vulnera, meri obices, ita ut opera Arpinatis noſtri, jam vultu vividiora eſſe, membriſque omnibus lætiora, quam prius; fatebuntur ultrò omnes, quorum ſcripta, quorum ſpiritum animumque non obſidet aut livoris peſtis, aut inſcitiæ venenum. Nam plane fallor, aut nobis gratulabuntur, poſt tot manuſcriptorum exemplarium fluctus ac ſcopulos, tot diverſarum ſententiarum ventos ac procellas, Ciceronem demum conſtitutum in qualicunque vado ſalutis.*

De catenatis illius Viri laboribus, quid optimo Scriptori acceſſerit; dicere ſuperſedeo; ejuſque cenſuram relinquo Senatui Populoque Critico; hoc ſcio, hoc ſpondeo, prodire nunc tandem M. Tullium longè ornatiorem, expolitiorem, pleniorem, quam antea nunquam planè, mille aliquot non nævis modò ac verrucis, ſed vulneribus, ſed vomicis, leviorem eſſe; aut ultrò fatebitur; aut certè intra conſcientiam ſuam ſentiet, quiſquis evolverit; addidimus inſuper præter Gruteri notas, paucas Variorum notas, ut Salmaſii, Gronovii; ſed in ſuum locum digeſtas. Indices illos vaſtiſſimos & diverſiſſimos in unum contraximus, ac collegimus, ne materiarum verborumque diverſitas, lectorem turbaret, confunderet: & tamen ut credimus, ſine diſpendio Lectoris. Græcorum vocabulorum Indicem, cum expoſitione eorundem ſeorſim addidimus. Ita ut nihil in magna illa Editione Gruteri contineatur, quod non huic nitidiſſimæ correctiſſimæque Editioni inſertum ſit & additum.

Quæ omnia quæ potuit à nobis fieri diligentia, in tuam utilitatem emiſſa, quæſo te, humaniſſime Lector, ita accipias, ut noſtra hactenus conſueviſti: noſque Tuis ac bonorum omnium commodis addictos, eo animo complectaris, quo ſoles, qui literarum literatorumque cauſſa tot labores ſuſcipiunt. Vale.

INDEX AUCTORUM
Paſſim in Operibus M. T. Ciceronis citatorum.

Accius *Poëta.*
Afranius.
Aratus.
Ariſtophanes.
Ariſtoteles.
Attius.
Atilius.
Æſchylus.
Cæcilius.
Callimachus.
Ennius.
Epicurus.
Epicharmus.
Euripides.
Heſiodus.
Homerus.
Hymnides.
Lucilius.
Nævius.
Pacuvius.
Pindarus.
Plato.
Plautus.
Rhynto, (*poëta comicus Tarentinus Græcus.*)
Simonides.
Sophocles.
Statius.
Terentius.
Thucydides.
Trabea.
Xenophon.

M. TULLII CICERONIS HISTORIA, PER CONSULES DESCRIPTA, ET IN ANNOS LXIV. DISTINCTA, PER FRANC. FABRICIUM, MARCODURANUM.

M. TULLIUS. M. F. M. N. COR. CICERO.

HOc modo Orator noſter, cujus hiſtoriam deſcripturi ſumus, Romanorum more nominatur, atque hæc ſingula primùm explicabimus. M. id eſt MARCUS, prænomen ejus eſt, quod à patre, maximus natu filius de more habuit. TULLIUS, proprium & gentile ejuſdem nomen eſt: fuit enim è Tullia gente antiquiſſima, libro 2. de legibus. Patrem Ciceronis ex regio Volſcorum genere fuiſſe, in Euſebii Chronicis legimus. Et Plutarchus ſcribit, nonnullos ejus genus referre ad Tullum Attium, nobilem Volſcorum regem. Hinc Silius Italicus libro octavo:

Tullius æratas raptabat in agmina turmas,
Regia progenies, & Tullo ſanguis ab alto:
Indole proh quanta juvenis, quantumque daturus
Auſoniæ populis ventura in ſæcula civem:
Ille ſuper Gangem, ſuperexauditus & Indos
Implebit terras voce; & furialia bella
Fulmine compeſcet linguæ, nec deinde relinquet
Par decus eloquii cuiquam ſperare nepotum.

M. F. Marci filius. habuit enim Cicero noſter patrem M. Tullium, qui cùm eſſet infirma valetudine, in Arpinati villa ferè ætatem egit in litteris, libr. 2. de legibus. Eum fulloniam feciſſe, ac vites oleaſque ſemper coluiſſe, Q. Calenus in maledica oratione apud Dionem lib. 46. ait. Patrem hunc Cicero in petitione conſulatus, annos jam natus XLIII. amiſit, ut Aſconius ſcribit. vide epiſt. 5. lib. 1. Att.

M. N. Marci nepos. nam & avus ejus M. Tullius Cicero nominatus fuit, eoque vivo ſe natum ait, libr. 2. de legibus. De eodem lib. 3. ita ſcribit, Et avus quidem noſter ſingulari virtute in hoc municipio quoad vixit, reſtitit M. Gratidio, cujus in matrimonio ſororem, aviam noſtram habebat, ferenti legem tabellariam. Is quoque eſt, de quo Cæſar libr. 2. de Oratore, M. Cicero, inquit, ſenex, hujus viri optimi, noſtri familiaris pater, noſtros homines ſimiles eſſe Syrorum venalium dicebat: ut quiſque optimè Græcè ſciret, ita eſſe nequiſſimum. COR. Cornelia nomen eſt tribus, ablativi caſus, ut ſit, ex Cornelia. ex tribubus autem XXXV. aliquam neceſſe erat, cujuſcunque ordinis eſſet, civis Romanus obtineret. atque à tribu, in qua cenſebantur, cives etiam ſignificabantur, Aſconius in Verrinam ſecundam. Cicero autem cum reliquis Arpinatibus in tribu Cornelia cenſebatur. Livius lib. 38.

CICERO. Cicerones à cicere appellatos fuiſſe ſatis conſtat: itaque dictum eſſe illum, qui primus hoc nomen invenit, à naſi figura, auctor eſt Plutarchus. Apud Priſcianum quoque Grammaticum libro 2. legitur, eum qui primus hoc nomen habuit, ab habitu faciei nominatum eſſe. Plinius vero lib. 18. cap. 3. ait, Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum cognomina prima inde eſſe, ut quiſque aliquod optime genus ſereret.

Anno poſt Romam conditam DCXLVII, *ante Chriſtum natum* CIII. *Conſules fuerunt,*

Q. SERVILIUS CÆPIO, C. ATILIUS SERRANUS.

HIs Conſulibus ante diem III. Nonas Januarii M. Cicero natus eſt, Gellius lib. 15. cap. 28. His quoque Conſulibus, quibus L. Craſſus legem Serviliam ſuaſerit, ſe natum eſſe, ipſe Cicero in Bruto ſcribit. Idem III. Non. Januar. natalem ſuam vocat, epiſt. 5. libr. 7. & epiſt. 41. libr. 13. ad Atticum. Verba Plutarchi ſine cauſa in dubium vocantur: qui de Ciceronis natali ita ſcribit, τεχθῆναι δὲ Κικέρωνα λέγουσιν ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν νεῶν καλανδῶν, id eſt, editum in lucem Ciceronem ferunt tertio die Calendarum novarum, ſive, poſt diem tertium Kal. Januarii. quo genere loquendi non quartus, ſed tertius dies Januar. ſignificatur, ut ſit tertio die poſt Kalendas, connumeratis ipſis Kalendis. Sic Livius libr. 30. ait. Hannibalem poſt ſextum decimum annum ex Italia deceſſiſſe: qui venit in Italiam anno, ut Livius numerat,

numerat, ab U. C. DXXXII. deceſſit anno DXLVII. Recte igitur Paullus Juriſcon. in L. Anniculus. D. de verb. ſignif. Ante diem decimum Kalendarum poſt diem decimum Kalendarum, neutro inquit ſermone undecim dies ſignificantur. Sic enim legendum ex Pandectis Florentinis, non, utroque ſermone: ut perperam Alciatus, Budæus, Valla & Corradus legerunt. Apud Plutarchum omnem dubitationem tollit id quod ſequitur: ἐν ᾗ νῦν οἱ ἄρχοντες εὔχονται, καὶ θύουσιν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος, id eſt, quo die nunc magiſtratus pro Principe faciunt, & vota nuncupant. de quo die Cajus in L. Si calvitur. D. de verb. ſignif. Poſt Kalendas Januarias die tertio pro ſalute Principis vota ſuſcipiuntur. ubi tertium diem Januarii intelligendum eſſe hæc verba Capitolini in Pertinace oſtendunt: Denique ante tertium Nonarum diem, Votis ipſis, milites Maternum Laſcivium, ſenatorem nobilem, ducere in Caſtra voluerunt. Votis ipſis, id eſt, ipſo votorum die, quomodo ludis gladiatoribus, & ſimilia, à Latinis dicuntur. De iiſdem votis Spartianus in Hadriano: Ingraveſcente valetudine per ſomnium periit ipſis Kal Januariis. Quare ab Hadriano votorum cauſa eſt lugeri vetitus. & Vopiſcus in Tacito, Divorum templum fieri juſſit, in quo eſſent ſtatuæ principum bonorum, ita, ut iiſdem Natalibus ſuis, Parilibus, Kalendis Januariis, & Votis libamina ponerentur.

Mater Ciceronis, quæ ipſum, ut Plutarchus ſcribit, ſine ullo dolore peperit, fuit Helvia, ut ab Euſebio & Paullo Diacono in ſupplementis Eutropianis rectè nominatur: nam apud Plutarchum Ὀλβίαν mendoſe eſt pro Ἑλβίαν, quod nomen in ejuſdem Quæſtionibus Romanis emendatè legitur. quo de in Annotationibus in Oroſii libr. cap. 15. Habuit mater Ciceronis ſororem, quæ C. Aculeoni equiti R. nupſit: quem L. Craſſus dilexit ex omnibus plurimum, ut eſt libro 2. de Oratore, ubi Aculeonem Craſſus apud M. Perpernam judicem contra Gratidianum defendiſſe dicitur. de eodem ipſe Craſſus lib. 1. Nonne, inquit, videtis equitem R. hominem acutiſſimo omnium ingenio, ſed minimè ceteris artibus eruditum, C. Aculeonem, qui mecum vivit, ſemperque vixit, ita tenere jus civile, uti, cum ab hoc diſceſſeris, nemo de iis, qui peritiſſimi ſunt, anteponatur? Hujus igitur Aculeonis filii Ciceronis conſobrini fuerunt, quibuſcum ſe in pueritia bonis diſciplinis operam dediſſe, ipſe teſtatur initio libr. 2. de Orat. Ex his fuit C. Viſellius Varro, vir doctus in primis: qui juris civilis à patre Aculeone traditam tenuit diſciplinam, in Bruto. De eodem in Orat. De provinciis Cos. Antequam ad ſequentem annum tranſeo, admonebo adoleſcentes ſtudioſos, his conſulibus natum eſſe Cn. Pompejum pridie Kal. Octobris, quod Velleius libr. 2. & Plinius lib. 37. cap. 2. diſerte ſcribunt: cujus rei obſervatione facillimè dijudicari poteſt, quot annos natus Pompejus res ſingulas geſſerit, honoreſve conſecutus ſit. id quod tam varie ab auctoribus ſcriptum eſt, ut major diſcrepantia vix inveniatur.

Anno urbis DCXLIIX. *Ciceronis* II. Coss. *fuerunt*,

P. RUTILIUS RUFUS, CN. MALLIUS.

HIc eſt P. Rutilius Stoicus, homo doctiſſimus, & Panætii auditor, de quo Cicero in Bruto, lib. 3. de Officiis, & nos inferius. Alterum Conſulem Cn. Mallium voco, quoniam ſic quoque appellatur in antiquo marmore Neapoli: unde Georgius Fabricius legem ædificantium deſcripſit, de quo Cic. pro Plancio, populus R. Q. Catulo in ſumma familia nato, ſapientiſſimo & ſanctiſſimo viro præpoſuit Cn. Mallium non ſolum ignobilem, verum ſine virtute, ſine ingenio, vita etiam contempta. Idem ſcribit pro Murena. Sed apud hiſtoricos, qui hunc conſulem victum à Cimbris ſcribunt, magna varietas in nomine & prænomine invenitur. de qua Sigonius in Faſtis. Hoc anno Q. Servilio Cæpioni proconſuli imperium rogatione C. Norbani Tribuni pl. abrogatum eſt, qua de cauſa ſeditio in urbe excitata fuit. de qua Cicero lib. de Orat. unde L. Cottam & T. Didium Norbani collegas fuiſſe, cognoſcimus. Sed Cæpio damnatus eſt, ejuſque bona publicata ſunt. Livius libr. 63. & Aſconius in Cornelianam, ubi mendoſè impreſſum eſt, Tulerat autem eam maxime, propter ſimultates cum Q. Cæcilio. eſt enim legendum, cum Q. Servilio, vel cum Q. Cæpione.

Anno urbis DCXLIX. *Ciceronis* III. Coss. *fuerunt*,

C. MARIUS II, C. FLAVIUS FIMBRIA.

C. Marius iterum Conſul Kalendis Januarii de Jugurtha triumphavit, Plutar. in Mario, Salluſtius in Jugurthino. C. Fimbriam Cicero pro Plancio inter eos numerat, qui cum Tribuni pleb. eſſe non potuiſſent, Conſules facti ſunt. De ejus eloquentia idem in Bruto. His conſulibus C. Caſſius L. F. Longinus Tribunus pleb. plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, ut quem populus damnaſſet, cuive imperium abrogaſſet, in Senatu ne eſſet, Aſconius in Cornelianam. Hoc anno C. Lucius Tribunus milit. Marii ſorore natus, pudicitiam cum eriperet Trebonio, ſive C. Plotio militi, interfectus ab eo eſt, cui vim afferebat. quem cum Marius ſcelere ſolutum periculo liberaſſet ac coronaſſet, non parum adjumenti ea res illi ad tertium Conſulatum attulit. auctor Plutarchus in Mario, & Apophthegmatis. Cicero pro Milone, Valerius lib. 6. cap. 1. Quintilianus lib. 3. cap. ult.

Anno urbis DCL. *Ciceronis* IV. Coss. *fuerunt*,

C. MARIUS III. L. AURELIUS ORESTES.

MArius hunc Conſulatum in apparatu belli Cimbrici (quod Cicero de provinciis Coss. Gallicum vocat & Mario extra ordinem decretum fuiſſe ait) conſumſit, ut ſcribit Velleius lib. 2. ubi

addit his Coſs. Cn. Domitium Tribunum pleb. legem tuliſſe, ut ſacerdotes, quos antea collegæ ſufficiebant, populus crearet. cujus meminit Suetonius in Nerone, & Cicero Agraria ſecunda his verbis: de ſacerdotiis Cn. Domitius Tribunus plebis vir clariſſimus tulit, quod populus per religionem ſacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur: ab ea parte qui eſſet factus, is à collegio cooptaretur. de eadem lege Domitia idem in Corneliana apud Aſconium, ubi illud quoque legimus, Domitium tribunum M. Silanum conſularem hominem vexaviſſe. Oreſtes in magiſtratu mortuus fuit. Itaque Marius è Gallia Romam profectus comitia conſularia habuit, quibus ipſe conſul quartùm creatus eſt, Plutarchus in Mario.

Anno urbis DCLI. *Ciceronis* V. Coſs. *fuerunt*,

C. MARIUS IV. Q. LUTATIUS CATULUS.

HOc anno Marius Teutonos & Ambronas ad aquas Sextias prope Maſſiliam delevit, Strabo lib. 4. Oroſius libr. 5. cap. 16. ut alios mittam, de quibus in Oroſium ſcripſi. Q. Catulus pater eſt; de cujus dicendi genere multa Cicero in Bruto. Interfectus eſt à Marianis anno DCLXVI. Eodem anno M. Antonius Orator, qui triennio poſt, ſuo nimirum anno, conſul fuit, prætor maritimos prædones in Ciliciam perſecutus fuit, ut eſt in epitoma Liviana libro 68. Atque hanc rem ipſe Antonius intelligens, libr. 1. de Oratore inquit, Cum proconſule in Ciliciam proficiſcens Athenas veniſſem, complures tum ibi dies ſum propter navigandi difficultatem commoratus. Corradus non animadvertens, proconſule dici etiam, qui ante conſulatum cum imperio conſulari in provinciam mittitur, ſcripſit M. Antonium poſt conſulatum in Ciliciam profectum. Tu lege commentarium noſtrum in Ligarianam. Atque hic eſt Antonius ille triumphalis vir, cujus filiam à prædonibus captam fuiſſe, Plutarchus in Pompejo tradit. unde Cicero pro lege Manilia: An ignoratis ex Miſeno ejus ipſius libros, qui cum prædonibus antea ibi bellum geſſerat, à prædonibus eſſe ſublatos? in cujus loci interpretatione doctiſſimus Hotomanus perperam hunc Antonium cum ejus filio, qui curator oræ maritimæ fuit, ut infra demonſtrabimus, confundit. His conſulibus Archiam poëtam Romam veniſſe, Cicero in oratione pro eo habita ſcribit: & addit, illum ſibi à prima pueritia principem ad ſuſcipiendam & ad ingrediendam rationem ſuorum ſtudiorum extitiſſe. Uſus enim fuit Cicero puer Græcis doctoribus, quod ipſe in epiſt. ad M. Titinnium referente Suetonio de claris Rhetoribus ita ſcripſit: Equidem memoria teneo pueris nobis primum Latine docere cœpiſſe L. Plotium quendam: ad quem cum fieret concurſus, quod ſtudioſiſſimus quiſque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctiſſimorum hominum auctoritate, qui exiſtimabant Græcis exercitationibus ali melius ingenia poſſe.

Anno urbis DCLII. *Ciceronis* VI. Coſs. *fuerunt*,

C. MARIUS V. M. AQUILLIUS.

MArii in quinto Conſulatu Collega fuit Manius Aquillius. Hinc Antonius apud Ciceronem libro 2. de Oratore ait, ſe in Aquillii cauſa Marium crebro appellando collegam ei ſuum commendaſſe. Aquillium Marii in quinto conſulatu collegam adverſus fugitivos in Siciliam miſſum, bellumque ſervile, Athenione duce interfecto, confeciſſe, Diodorus Siculus libro 36. ſcripſit, in cujus excerpta hiſtoria ab Henrico Stephano Latine edita hic Conſul C. Acilius per mendum vocatur. apud Ciceronem quoque Agraria 2. male ſcriptum eſt, Siciliæ civitatibus bello fugitivorum M. Atilius etiam mutuum frumentum dedit, ubi M'. Aquillius ſcribendum. ut initio Verrinæ ſeptimæ, Nos poſt id bellum, quod M. Aquillius confecit, ſic accepimus: Nullum in Sicilia bellum fugitivorum fuiſſe. Aquillius deinde cauſam de pecuniis repetundis dixit: eumque M. Antonius acriter defendit, ut Livius libro 70. Cicero lib. 2. de Oratore, & Verrina ſeptima teſtantur. Idem pro Flacco: M'. Aquillium patres noſtri multis avaritiæ criminibus, teſtimoniiſque convictum, quia cum fugitivis fortiter bellum geſſerat, judicio liberaverunt. Eodem pertinet illud pro Fonteio: Quam multa M. Aquillius audivit in ſuo judicio? accuſavit Aquillium L. Fufius, ut Cicero in Bruto ſcribit. itaque recte nunc libro 2. de Officiis legitur: in accuſando etiam M'. Aquillio L. Fufii cognita induſtria eſt. Ubi prius Manlio, corrupte ſcriptum erat. C. Marius Cos. V. & Q. Lutatius procos. Cimbros in Venetia ad Atheſim Veronæ fluvium vicerunt, de qua victoria Oroſius noſter lib. 5. c. 16. Sic Marius influentes in Italiam Gallorum maximas copias repreſſit: ut ait Cicero de provinciis Coſs. atque Italiam obſidione liberavit. Idem poſt redit. ad Quirites. Meminit pro Rabirio, & in Catilin. 4. Q. Catulus de manubiis Cimbricis porticum in palatio in area M. Fulvii Flacci fecit, Cicero pro domo.

Anno urbis DCLIII. *Ciceronis* VII. Coſs. *fuerunt*,

C. MARIUS VI. L. VALERIUS FLACCUS.

HOrum conſulum frequens eſt mentio apud Ciceronem pro Rabirio, in Bruto, in Catilinam, & in Antonium. Quibus L. Appulejus Saturninus ſeditionem movit: is enim cum anno ſuperiore Tribunatus competitorem, A. Nonium (de quo nomine vide Annotationes noſtras in cap. 17. lib. 5. Oroſii) adjuvante C. Mario occidiſſet, eaque ratione Tribunus pleb. iterum factus, legem Agrariam per vim tuliſſet, in quam à ſingulis ſenatoribus jurari voluit, Q. Metello Numidico, qui unus in eam jurare noluit, diem dixit. Metellus autem, cui patriæ ſalus dulcior, quam conſpectus erat, de civitate maluit, quàm de ſententia dimoveri: & C. Mario ſextum conſuli, & ejus invictis legionibus, ne armis confligeret, cedendum eſſe duxit, Cicero

pro Balbo, pro Sextio, & in Piſonem. Sed cum idem Saturninus C. Memmium candidatum conſulatus interfeciſſet, operamque daret, ut C. Servilius Glaucia prætor conſul fieret: S. C. factum eſt, ut conſules viderent, ne quid reſpublica detrimenti caperet. Itaque Saturninus & Glaucia ſtatim ſunt interfecti, Cicero pro Rabirio, in Catilin. I. Philip. 8. & in Bruto. Saturnini caput Rabirium quendam Senatorem per convivia circumtuliſſe, auctor de viris illuſtribus ſcribit. Quare poſtea Cicerone conſule C. Rabirius accuſatus fuit à T. Labieno, cujus patruus Qu. Labienus cum Saturnino occiſus fuerat, Cicero pro Rabirio, Oroſius lib. 5. cap. 17. A Saturnino latæ ſunt leges Appuleiæ: in quibus fuit illa, qua Saturninus C. Mario tulit, ut in ſingulas colonias ternos civeis Romanos facere poſſet, de qua Cicero pro Balbo.

Anno urbis DCLIV. *Ciceronis* IIX. COSS. *fuerunt*,

M. ANTONIUS, A. POSTUMIUS ALBINUS.

DE his Cicero in Orat. poſt reditum ad Quirites: Nunquam de Q. Metello C. Marius, qui erat inimicus, ſed ne is quidem, qui ſecutus eſt, M. Antonius homo eloquentiſſimus cum A. Albino collega Senatum aut populum eſt cohortatus. Hoc tamen anno Metellus unius tribuni pl. rogatione ab exilio revocatus eſt epiſt. 9. libr. I. Famil. Tribunus fuit Qu. Calidius, auctore Valerio lib. 5. cap. 2. Calidii lege Q. Metellum in civitatem reſtitutum fuiſſe, Cicero quoque pro Plancio ait. Eodem anno Tribunus pl. fuit Sext. Titius, homo ſeditioſus & turbulentus: Cui Antonius Conſul reſtitit, ut ipſe narrat lib. 2. de Oratore, ubi de teſtimonio ſuo in Titium reum agit. fuit enim hic Titius accuſatus & condemnatus, quod L. Saturnini imaginem domi ſuæ habuiſſet, ut ſcribit Cicero pro C. Rabirio, & Valerius lib. 8. cap. I. qui ait, eum lege Agraria gratioſum fuiſſe. eſt ergo is, de quo obſequens in Antonii & Albini Conſulatu hæc ſcribit, Sex. Titius (Sextius in Obſequente mendoſe legitur) tribunus pleb. de agris dividendis populo, cum repugnantibus collegis, pertinaciter legem ferret, corvi duo numero in alto volantes, ita pugnaverunt ſupra concionem, ut roſtris unguibuſque lacerarentur. Haruſpices ſacra Apollinis litanda, & de lege, quæ ferebatur, ſuperſedendum pronuntiarunt. Unde emendandus eſt locus Ciceronis lib. 2. de legibus corruptus adhuc in omnibus libris, etiam Manutianis poſtremis. Sic enim legitur: quid religioſius, quàm cum populo, cum plebe agendi jus aut dare, aut non dare? quid, leges non jure rogatas tollere, aut etiam decreto collegii, ut Livias conſilio Philippi conſulis & auguris? in codice manuſcripto pro, *ut etiam*, legitur, *uttetiam*, tu, *ut Titiam*, repone. nam in eodem libro, *Levias* pro *Livias* ſcriptum eſt. His conſulibus C. Claudium Pulchrum eum, qui ſeptimo anno poſt conſul fuit, ædilem curulem fuiſſe, ex Plinii lib. 8. cap. 7. cognoſcimus. Eum magnificentiſſima ædilitate functum eſſe, Cicero lib. 2. de offic. ait. De eodem in Verrem 6. C. Claudius, cujus ædilitatem magnificentiſſimam ſcimus fuiſſe, uſus eſt hoc Cupidine tam diu, dum forum Diis immortalibus, populoque Romano habuit ornatum.

Anno urbis DCLV. *Ciceronis* IX. COSS. *fuerunt*,

Q. CÆCILIUS METELLUS NEPOS, T. DIDIUS.

AB his Conſulibus lata eſt lex Cæcilia Didia, ab utriuſque nomine dicta. cujus meminit Cicero pro domo, Philip. 5. epiſt. 9. libr. 2. Attic. ubi vulgo Cœliam Didiam, ſicut pro Sextio, Aciliam Didiam mendoſe legitur. Hujus legis duo capita fuerunt: Unum, ne diverſis de rebus lex ferretur: Alterum, ut leges trinundino promulgarentur, auctor Cicero locis jam citatis. Manutius in libro de legibus, duas leges Cæcilias Didias fuiſſe affirmat, quem lege. Hoc ex Aſconio addendum, Hujus Metelli conſulis filium fuiſſe Metellum Nepotem eum, qui cum Cicerone inimicitias geſſit. quem Herbeſtus neſcio quis, errore non ferendo, eundem cum patre facit.

Anno urbis DCLVI. *Ciceronis* X. COSS. *fuerunt*,

C. CORNELIUS LENTULUS, P. LICINIUS CRASSUS.

P. Craſſus, pater eſt M. Craſſi, de cujus cenſura ad annum DCLXIV. de interitu ad ann. DCLXVI. infra dicemus. Ejus fuit domus Ciceronis, ut eſt in Saluſtii invectiva. Eodem anno Cenſores in Tabulis Capitolinis inveniuntur, L. Valerius Flaccus, & M. Antonius, de quibus Valerius Max. lib. 2. c. 4. Cicero initio libri tertii de Oratore ſcribit, Antonium Cenſorem imperatoris manubiis roſtra ornaſſe.

Anno urbis DCLVII. *Ciceronis* XI. COSS. *fuerunt*,

CN. DOMITIUS AHENOBARBUS, C. CASSIUS LONGINUS.

DE hoc Domitio Cicero pro Domo, Cn. Domitium, inquit, nos pueri Conſulem, Cenſorem, Pontificem Max. vidimus. De ejus Tribunatu dixi ad annum DCL. Cenſor fuit anno DCLXI. poſt Tribunatum pontifex maximus populi ſuffragio creatus fuit, ut eſt in epitoma Liviana lib. 67. De eodem Cicero in Bruto, Hoc, inquit, loco ipſum Domitium non relinquo. nam etſi non fuit in oratorum numero, tamen pono ſatis in eo fuiſſe orationis atque ingenii, quo & magiſtratus perſonam, & conſularem dignitatem tueretur. His Conſulibus Ptolomæum regem Cyrenarum, cui cognomen Apioni fuit, mortuum teſtamento heredem populum Romanum reliquiſſe, Obſequens & Caſſiodorus ſcribunt: Cicero contra Rullum 2. Aſſcribit idem auctioni Corinthios agros opimos & fertiles, & Cyrenenſes, qui Apionis fuerunt.

Anno

Anno urbis DCLIIX. *Ciceronis* XII. COSS. *fuerunt*,

L. LICINIUS CRASSUS, Q. MUCIUS SCÆVULA.

DE his Cic. Verr. 4. Haleſini pro multis & magnis ſuis, majorumque ſuorum in rempublicam noſtram meritis atque beneficiis, ſuo jure nuper L. Licinio, Q. Mucio coss. cum haberent inter ſe controverſias de ſenatu cooptando, leges ab ſenatu noſtro petiverunt. Idem lib. 3. de Officiis, Eſſe pro cive qui non ſit civis, rectum eſt non licere. quam tulerunt legem ſapientiſſimi Conſules Craſſus & Scævula. Hanc legem Liciniam & Muciam vocat in Bruto. qua acerrimam de civitate quæſtionem veniſſe, ait pro Balbo, de eadem pro Cornelio majeſtatis reo: Legem Liciniam & Muciam de civibus regundis duo Conſules omnium, quos vidimus, ſapientiſſimi tulerunt. in quem locum Aſconius plura ſcribit. Craſſo Gallia provincia obvenit, in eaque rem geſſit, de qua Cicero lib. I. de Inventione, & in Piſonem. Q. Mutius in Aſia legatum habuit P. Rutilium Rufum, qui Conſul fuerat anno DCXLIIX. & quia publicanis nihil agere in Aſia permiſerat, eorum conſpiratione in judicium vocatus ab equitibus, qui tum judicabant, damnatus eſt, ut ſcripſi in cap. 17. lib. 5. Oroſii. Meminit ejus Cicero paſſim, lib. I. de Oratore, in Bruto, pro Fonteio, in Piſonem, lib. 3. de Natura Deor. & alibi. His Conſulibus Prætor fuit, ſuo anno C. Claudius Ap. F. Pulcher, ut eſt in Verrina 4.

Anno urbis DCLIX. *Ciceronis* XIII. COSS. *fuerunt*,

C. COELIUS CALDUS, L. DOMITIUS AHENOBARBUS.

COELIUM hunc inter novos homines numerat Cicero pro Murena. Eundem non mediocribus inimicitiis ac laboribus contendiſſe, ut ad ſummos honores perveniret, ait in Ver. 7. De eodem Craſſus libr. I. de Orat. Quis non videat, C. Cœlio æquali meo magno honori fuiſſe homini novo illam ipſam, quamcunque habuit in dicendo mediocritatem? Hac de cauſa meminit ejus in Bruto. Eundem clariſſimum ac fortiſſimum adoleſcentem Quæſtorem non eſſe factum, ait pro Plancio. ubi male, Q. Cœlius legitur. L. Domitius prætor Siciliam obtinuerat, atq; ſeveritatis exemplum in paſtorem, qui aprum venabulo percuſſerat, ediderat. quod ex Ciceronis Verr. 7. Valerius in cap. 3. lib. 6. tranſtulit.

Anno urbis DCLX. *Ciceronis* XIV. COSS. *fuerunt*,

C. VALERIUS FLACCUS, M. HERENNIUS.

M. Herennius is eſt, qui in conſulatus petitione L. Philippum ſuperavit. de quo Cicero in Bruto: Eodem tempore M. Herennius in mediocribus oratoribus Latine & diligenter loquentibus, numeratus eſt: qui tamen ſumma nobilitate hominem, cognatione, ſodalitate, collegio, ſumma etiam eloquentia L. Philippum in conſulatus petitione ſuperavit: & pro Murena: Quis L. Philippum, ſummo ingenio, opera, gratia, nobilitate, à M. Herennio ſuperari poſſe arbitratus eſt? Totum annum domi foriſque tranquillum fuiſſe, Obſequens ſcribit.

Anno urbis DCLXI. *Ciceronis* XV. COSS. *fuerunt*,

C. CLAUDIUS PULCHER, M. PERPERNA.

HIc. C. Claudius Ap. F. dicitur à Cicerone Verrina 4. Alii non male C. F. appellare videntur: ut ſit P. Clodii patruus, quem conſulem fuiſſe, Cicero in Cœliana oſtendit. Claudii collega in fragmentis Capitolinorum Faſtorum M. Perperna vocatur. Περπέρνας, idem nominatur à Dione libr. 41. ubi de ipſius morte ſcribit. Hoc anno Cenſor cum Cn. Domitio fuit L. Craſſus; cujus cenſuræ Cicero in libris de Oratore aliquoties mentionem facit. Hoc etiam tempore clariſſima illa M. Curii & M. Coponii cauſa apud Centumviros à duobus conſularibus atque æqualibus L. Craſſo & Q. Scævula defenſa eſt, paullo ante quam Cicero in forum venit, ut teſtatur ipſe pro Cæcina. Meminit ejuſdem lib. I. & 2. de Oratore, & in Bruto. unde cauſam talem fuiſſe cognoſcimus. Coponius in Teſtamento poſtumum hæredem ſcripſerat: eique, ſi ante quàm in tutelam ſuam veniret, mortuus eſſet, Manium Curium ſubſtituerat. cum poſtumus natus non eſſet, M. Coponius heres legitimus ad ſe hereditatem pertinere contendit, negavitque Scævula Coponii patronus, niſi poſtumus, & natus & antequam in ſuam tutelam veniret, eſſet mortuus, heredem eum eſſe poſſe, qui poſtumo & nato & mortuo, eſſet ſubſtitutus. Craſſus, qui Curium defendebat, contendit, teſtatorem hac mente fuiſſe, ut ſi filius non eſſet qui in tutelam veniret, Curius heres eſſet, idque omnibus probavit.

Anno urbis DCLXII. *Ciceronis* XVI. COSS. *fuerunt*,

L. MARCIUS PHILIPPUS, SEX. JULIUS CÆSAR.

L. Philippus is eſt, quem à M. Herennio prius ſuperatum fuiſſe, diximus. de eodem Cicero lib. 3. de Officiis: L. Philippus Q. F. magno vir ingenio, inprimiſque clarus gloriari ſolebat, ſe ſine ullo munere adeptum eſſe omnia, quæ haberentur ampliſſima. Hic annus decimus ſextus terminus eſt pueritiæ Ciceronis: in qua, ut Plutarchus ſcribit, cum eas artes, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, diſceret, ingenium ejus ita eluxit, tantumque nominis & gloriæ inter pueros habuit, ut eorum parentes, viſendi Ciceronis cognoſcendæque celebratæ celeritatis in diſcendo gratia, ad ludum venirent. Pueri quoque honoris gratia Ciceronem medium deducebant. de quo honore Plutarchus in Præceptis civilibus, & Ovidius lib. 5. Faſtorum:

Et medius juvenum, non indignantibus ipſis
Ibat: & interior, ſi comes unus erat.

Laudat etiam Plutarchus indolem Ciceronis, ac plane ipſum ejuſmodi natura fuiſſe ait, qualem Plato lib. 5. de Rep. in Philoſopho & homine docili requirit. ubi Socrates ita concludit, ἐοικὸν καὶ τὸν φιλόσοφον σοφίας

σοφίας φήσομὲν ἐπιθυμητὴν εἶναι, οὐ τῆς μὲν, τῆς δ' οὔ, ἀλλὰ πάσης, id eſt, Igitur & Philoſophum dicemus ſapientiæ amatorem eſſe, non unius alicujus, ſed univerſæ. Puer Cicero, cum poëſi inprimis delectaretur, Pontium Glaucum tetrametris compoſuit, quem ſua etiamnum ætate exſtitiſſe Plutarchus ait. Æſchylus ἐν τῷ Ποντίῳ Γλαύκῳ à Strabone, Athenæo & aliis citatur.

Hoc anno tribunus pleb. M. Livius Druſus, cum ſenatui priſcum reſtituere cuperet decus, & judicia ab equitibus, qui tum lege Sempronia judicabant, ad eum transferre ordinem, in iis ipſis, quæ pro ſenatu moliebatur, ſenatum habuit adverſarium, inquit Velleius lib.2. Cùm igitur vehementius invcheretur in cauſam Principum conſul Philippus, Druſique tribunatus, pro ſenatus auctoritate ſuſceptus, infringi jam ac debilitari videretur, ludorum Romanorum diebus, quos à pridie Non. uſque ad Idus Septemb. fuiſſe, ex veteri Kalendario cognoſcitur, Craſſus ſe cum C. Cotta & P. Sulpicio in Tuſculanum contulit. quo cum primum Q. Scævula & M. Antonius, deinde Q. Catulus & C. Julius Cæſar veniſſent, habita fuit diſputatio de Oratore, quam Cicero poſtea tribus libris complexus eſt, ſeque tum adhuc puerum fuiſſe, ait lib. 13. Att. Idibus Septembris ſenatus frequens vocatu Druſi in Curiam venit, ibique permulta vehementiſſima contentione animi, ingenii, virium à L. Craſſo dicta ſunt: dicenti latus condoluit, ſudorque multus conſecutus eſt: ex quo cùm cohorruiſſet, cum febri domum rediit, dieque ſeptimo eſt lateris dolore conſumtus, Cicero lib. 1. & 3. de Oratore. Druſus quoque, ſociis & Italicis populis ſpe civitatis Roman. ſollicitatis, cùm è foro cinctus immenſa multitudine revertiſſet, in atrio domus ſuæ cultello percuſſus, qui affixus lateri ejus relictus eſt, intra paucas horas deceſſit, Vellejus, & Livius libr. 70. Cicero quoque libr. 3. de Natura ait, Druſum domi ſuæ ferro à Q. Vario interfectum eſſe. & pro Milone, Tribunus pleb. M. Druſus occiſus eſt: nihil de ejus morte populus conſultus, nulla quæſtio decreta à ſenatu eſt. Petiit eodem tempore tribunatum pl. C. Cotta is, qui anno poſt Rom. cond. DCLXXVIII. Conſul cum L. Octavio fuit. ſed paucis diebus poſt mortem Craſſi depulſus per invidiam Tribunatu, non multis ab eo tempore menſibus ejectus eſt è civitate, lib. 3. de Oratore. Reus enim lege Varia factus, venit in judicium: cumque res ſuas extuliſſet, & equites palam inſectatus eſſet, antequam ſententiæ de ipſo ferrentur, urbe ceſſit, Appianus lib. 1. Craſſo mortuo, Cotta pulſo Cicero in forum venit ut ipſe teſtatur in Bruto. Unde cognoſcitur, M. Tullium anno ſequente, cùm judicia bello Italico intermiſſa eſſent, ſumpta virili toga in forum veniſſe. Deducebantur enim tum in forum adoleſcentes à patre, vel à propinquis, ut eſſent fori auditores, & ſectatores judiciorum, qua de re Tacitus in Dialogo de Oratoribus. meminit Cicero pro Cœlio. & ep. 10. libr. 13. Famil. Filius etiam, qui togam virilem ſumebat, à patre & propinquis in forum deducebatur, ut Plutarchus in Bruto de Caſſii filio ſcribit, & togam virilem ἀνδρεῖον ἱμάτιον appellat Dio lib. 45. eandem ἐσθῆτα ἀνδρικὴν vocat. Hanc togam Latini etiam puram, & Græci λευκὴν (?) nominant. Dabant etiam ſuis liberis Romani decimo ſexto fere anno. Sic enim Suetonius in Auguſto. Quadrimus patrem amiſit: duodecimum annum agens, aviam Juliam defunctam pro concione laudavit: quadriennio poſt, virili toga ſumpta, militarib. donis triumpho Cæſaris Africano donatus eſt, quanquam expers belli propter ætatem. ſic M. Tullius ſuo filio, quo auctus fuit Cæſare & Figulo coſs. anno DCLXXXIX. togam puram dedit Lentulo & Marcello coſs. Anno DCCIV. ep. 1. lib. 1. & ep. 20. lib. 9. ad Att. Adoleſcentes eo ipſo die, quo togam virilem ſumebant, in Capitolium aſcendiſſe, argumento eſt, quod Valerius libri quinti cap. 4. de M. Cotta ſcribit, de quo Dio libr. 36. Hoc anno multis prodigiis bellum Italicum ſignificatum fuit, quæ Siſenna initio belli Marſici expoſuit, auctore Cicerone, libr. 1. de Divinat. Eadem referuntur ab Obſequente, & Oroſio libro 5. cap. 18. Tum Haruſpices Italici belli funeſta illa principia non obſcurè prædixerunt, Cicero de haruſp. reſp.

Anno urbis DCLXIII. *Ciceronis* XVII. COSS. *fuerunt*,

L. JULIUS CÆSAR, P. RUTILIUS LUPUS.

HORUM Conſulum Cicero lib. 1. de Divinat. his verbis meminit: Quin etiam memoria noſtra templum Junonis Soſpitæ L. Julius, qui cum P. Rutilio Conſul fuit, de ſenatus ſententia refecit ex Cæciliæ Balearici filiæ ſomnio. & paulo poſt, Cæciliæ Q. filiæ ſomnio modo, Marſico bello, templum eſt à ſenatu Junoni Soſpitæ reſtitutum. Nam his conſulibus, ut Paterculus ſcribit, ortum eſt bellum, quod, quia à Marſis primum commotum fuit, Marſicum eſt dictum, ut Strabo lib. 5. ſcribit, atque ita vocatur à Cicerone etiam Phil. 8. & orat. 2. contra Rullum. ubi idem, ſicut & Verrina quarta, pro Cluentio, pro Archia, & de Haruſpicum reſp. Italicum nominatur. Idem à Cicerone pro Fonteio, Sociale à Diodoro, Plutarcho, & Appiano, Μαρσικὸς & συμμαχικὸς πόλεμος dicitur. Defecerunt eo bello finitimi ac vicini, ut Cicero pro Sulla ait. Tu vide Oroſium noſtrum cap. 18. lib. 5. Geſtum eſt hoc anno & proximo ſequente ab ipſis Conſulibus. Hinc Cicero pro Fontejo, Recordamini quos legatos nuper in bello L. Julius, quos P. Rutilius, quos L. Cato, quos Cn. Pompejus habuerit. Atque de his duobus annis intelligendum, quod Cicero in Bruto ſcribit, Erat Hortenſius in bello primo anno miles, altero tribunus militum. Hoc tempore, ut ibidem Cicero ait, judicium exercebatur una lege Varia. Tulerat eam Q. Varius adverſus interceſſionem collegarum annitentibus equitibus, ut quæreretur de iis, quorum opera conſiliove ſocii contra populum R. arma ſumſiſſent, Aſconius in orat. pro Scauro, Valerius lib. 8. c. 6. Appianus lib. 1. cujus libri mendoſe Κόιντον ὐαλέριον pro Qu. Vario edunt. Sed cum multi Varia lege inique damnarentur, crebreque defectiones Italicorum nuntiarentur, tunc ob ejus triſtitiæ occaſionem ſenatus decrevit, ne judicia, dum tumultu Italicus

licus

licus eſſet,exercerentur,inquit Aſconius pro Cornelio. Tum Cicero, ut ipſe in Bruto ait, quotidie & ſcribens & legens & commentans, oratoriis tamen exercitationibus contentus non erat. Quare, cum idem auctore Quintiliano lib. 10. cap.3. in diſputationibus de Oratore judicium ſuum cum Craſſi auctoritate conjunxerit; non dubium eſt, quin ipſe Tullius ſuas exercitationes lib. 1. de Oratore ſub Craſſi perſona ita ſignificaverit: In quotidianis cogitationibus equidem mihi adoleſcentulus proponere ſolebam, illam exercitationem maximè, ut aut verſibus propoſitis quam maximè gravibus,aut oratione aliqua lecta ad eum finem,quem memoria poſſem comprehendere,eam rem ipſam,quam legiſſem, verbis aliis quam maximè poſſem lectis pronuntiarem.Poſtea mihi placuit,eoque ſum uſus adoleſcens, ut ſummorum oratorum Græcas orationes explicarem: quibus lectis hoc aſſequebar, ut cum ea quæ legerem græce, latinè redderem, non ſolum optimis verbis uterer, & tamē uſitatis,ſed etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ nova noſtris eſſent, dummodo eſſent idonea. Tum igitur Cicero admodum adoleſcentulus,ut eſt lib.2. de natura Deorum, Arati carmina de cælo ſtelliſque convertit, quorum fragmenta exſtant. Marium quoque illis temporibus,cum Scævula viveret, qui de eo dixit, Caneſcit ſæclis innumerabilibus, ſcripſit. cujus à ſe ſcripti meminit lib.1. de legib. lib.1. de Divinat. & lib.12. ad Att. De Mario aliter Corradus: quem lib. 1. de legibus refellit. Extremo hoc anno L. Julius Cæſar cos. legem Juliam de civitate tulit: qua lege civitas eſt ſociis & Latinis data, ut Cicero pro Balbo ait.

Anno urbis DCLXIV. *Ciceronis* XVIII. Coss. *fuerunt.*

C. POMPEJUS STRABO, L. PORCIUS CATO.

HOc anno primum ſenatores cum equitib. Ro. lege Plotia judicarunt, cujus Cicero pro Cornelio meminit, & Aſconius eum locum interpretans,ſcribit his conſulibus M. Plautium Silvanum tribunum pl. eam legem tuliſſe. Tulit idem legem Plotiam de vi,de qua Cicero pro Milone,de Haruſp, reſp. & alibi. De eodem hoc anno Cicero in Bruto, Jam conſequente anno Q. Varius ſua lege damnatus, exceſſerat. ego autem juris civilis ſtudio multum operæ dabam Q. Scævulæ P. F. qui quanquam nemini ſe ad docendum dabat,tamen conſulentibus reſpondendo ſtudioſos audiendi dicebat. Atque hic eſt Q. Mucius Augur, ad quem ſumpta virili toga Cicero à patre ita erat deductus, ut quoad poſſet, & liceret, à ſenis latere nunquam diſcederet; quod ipſe in Lælio ſcribit. Sed cum Q. Scævula Augur, qui cum L. Metello Conſul fuit Anno urbis DCXXXVI. in monumentis antiquis Q. F. dicatur, videndum, an patris prænomen in Ciceronis libris ſit depravatum. nam Scævulam Pontificem, quem Corradus & alii viri docti ſignificari putant, intelligi non poſſe, inde conſtat, quòd Cicero ſe ad Pontificem, non niſi Augure mortuo contulit. Augur autem non ſolum hoc, verum etiam ſequente anno ſuperſtes fuit, ac tum Ciceroni ſermonem Lælii de amicitia expoſuit, ut è Lælio M. Tullii perſpicuum eſt. De eodem Augure Cicero hæc Philippica VIII. Ego Q. Scævulam Augurem memoria teneo bello Marſico, cùm eſſet ſumma ſenectute & perdita valetudine, quotidie ſimulatque luceret, facere omnibus conveniendi ſui poteſtatem, neque eum quiſquam illo bello vidit in lecto: ſenexque & debilis primus veniebat in curiam. Plutarchus ſcribit, Ciceronem bello Marſico aliquandiu ſub Sulla militaſſe. Apud Sullam legatum ſe fuiſſe, cum ille hoc anno ante oppidum Nolam florentiſſima Samnitium caſtra cepit, ipſe Cicero lib. 1. de Divinatione ſcribit de hac ſua militia: etiam Philipp. 12. hæc memoriæ prodidit: C. Compejus Sex. F. conſul me præſente, cùm eſſem tiro in ejus exercitu,cum P. Vettio Catone duce Marſorum inter bina caſtra collocutus eſt. Hoc anno cenſores fuerunt P. Licilius Craſſus, & L. Julius Cæſar. quibus cenſoribus nullam populi partem eſſe cenſam, Cicero ait pro Archia.

Anno urbis DCLXV. *Ciceronis* XIX. COSS. *fuerunt,*

L. CORNELIUS SULLA, Q. POMPEJUS RUFUS.

DE hoc anno Cicero in Bruto. Atque huic anno proximus Sulla conſule, & Pompejo fuit. tum P. Sulpicii in Tribunatu quotidie concionantis, totum genus dicendi penitus cognovimus. Sulpitium ab optima cauſa profectum, Cajoque Julio conſulatum contra leges petenti reſiſtentem,longius, quàm voluit, popularis aura provexit. ait idem de Reſp. Haruſp. Diſſidebat enim capitali odio à Q. Pompejo conſule, quicum conjunctiſſime & amantiſſime vixerat,in Lælio: cumque auctore Mario pernicioſas leges (quas per vim latas, Sulla dicebat, ut eſt Philipp. 8.) promulgaret, ac Pompeji conſulis filium, Sullæ generum occidiſſet, Sulla cum exercitu in urbem venit, ex eaque Sulpicii & Marii factionem expulit Livius libro 77. & alii. tum Sulla P. Sulpicium oppreſſit, eique ferro erepta vita eſt, Cicero in Catilin. 3. & lib. 3. de Oratore. Marius primo ſenile corpus paludibus demerſus, occultavit: deinde ad infimorum ac tenuiſſimorum hominum Minturnis miſericordiam confugit: inde navigio perparvo, cum omnes portus terraſque fugeret, in oras Africæ deſertiſſimas pervenit, ait Cicero pro Sextio. Hiſtoriam pleniorem apud Plutarchum,Appianum, Vellejum, & in Epitoma Livii invenies. De eodem Cicero poſt reditum ad Quirites: C. Marium egomet dicere audivi, tum ſe fuiſſe miſerum, cum careret patria,quam obſidione liberaviſſet:cum ſua bona poſſideri ab inimicis,ac diripi,audiret: cum adoleſcentem filium videret ejuſdem ſocium calamitatis: cum in paludibus demerſus concurſu ac miſericordia Minturnenſium corpus ac vitam ſuam conſervaſſet:cum parva navicula trajectus in Africam,quibus regna ipſe dederat,ad eos inops ſupplexque veniſſet.& in Piſonem:C. Marium Italia ſervata ab illo demerſum in Minturnenſium paludibus Africa devicta, ab eodem expulſum & naufragum vidit.

Dum

Dum hæc in Italia geruntur, interim Mithridates rex Ponti, Ariobarzane & Nicomede amicis populi Rom. exactis Cappadocia atque Bithynia, Aſiam intravit, unaque die tota Aſia tot in civitatibus, uno nuncio, atq; una litterarum ſignificatione cives Roman. necandos trucidandoſque denotavit, inquit Cicero in Maniliana, ſcribit Livius lib. 78. Valerius lib. 9. cap. 2. Plutarchus in Sulla, Appianus in Mithridatico. Atque hæc eſt illa univerſorum civium Romanorum per tot urbes uno puncto temporis miſera crudeliſque cædes, quam Cic. pro Flacco nominat. Hanc vero crudelitatem Mithridatis in togatos P. Rutilius Rufus, cùm à rege Mitylenis oppreſſus eſſet, veſtis mutatione vitavit, ut eſt in orat. pro Rabirio Poſtumo. Idem in Maniliana ait. Mithridatem tum legatum populi Rom. conſularem vinculis ac verberibus, atque omni ſupplicio excruciatum necaſſe. Intelligit autem M. Aquillium conſulem anni DCLII de quo præter Appianum Juſtinus lib. 38. & Athenæus lib. 5. Dipnoſoph. Cicero etiam hac de cauſa M. Aquillii mentionem facit Tuſcul. 3. Urbs Rhodus ſola tum in fide manſit, atque oppugnata fuit, ut eſt in epitoma Livii lib. 78. Unde Cicero in Verr. 4. ait Rhodios prope ſolos bellum illud ſuperius cum Mithridate geſſiſſe, omneſque ejus copias, acerrimumque impetum mœnibus, littoribus, claſſibuſque ſuis excepiſſe. Eodem tempore, cum princeps Academiæ Philo cum Athenienſium optimatibus Mithridatico bello domo profugiſſet, Romamque veniſſet, totum ei ſe Cicero tradidit, admirabili quodam ad philoſophiam ſtudio concitatus, ut ipſe in Bruto ait. Hinc Plutarchus ſcribit, Ciceronem, cùm è pueris exceſſiſſet, Philonem Academicum audiviſſe: quem inter Clitomachi diſcipulos Romani inprimis & propter doctrinam admirabantur, & propter morum manſuetudinem diligebant. Philonem igitur Cicero lib. 1. de Natura Deor. inter eos philoſophos numerat, à quibus inſtitutus fuit. de eodem in Lucullo, Jam Clitomacho Philo noſter operam multos annos dedit. Philone autem vivo patrocinium Academiæ non defuit. Phædrus quoque Ciceroni, cum puer eſſet antequam Philonem cognoviſſet, valde ut philoſophus, probatus fuit, epiſt. 1. lib. 13. Famil. Merito igitur lib. 1. de Natura ſcripſit, non mediocrem ſe à primo tempore ætatis in philoſophiæ ſtudio operam curamque conſumpſiſſe, in quo hoc etiam commorabatur attentius, quod ſublata jam eſſe in perpetuum ratio judiciorum videbatur, ut ait in Bruto. Hoc etiam anno ut jam retulimus: Q. Mucius Augur Lælii de amicitia ſermonem habitum, ab illo paucis diebus poſt mortem Africani Aquillio & Tuditano conſulibus anno DCXXIV Ciceroni expoſuit. Augure mortuo Cicero ſe ad Qu Scævulam pontificem contulit: cui Reip. & ſenatus principi cum operam daret, peritus juris evaſit, ut Plutarchus ſcribit. Unde Attic. lib. 1. de leg. Tullium his verbis affatur: Nam à primo tempore ætatis juri ſtudere te memini, cum ipſe etiam ad Scævulam ventitarem: neque unquam mihi viſus es ita te ad dicendum dediſſe, ut jus civile contemneres. & Brutus de claris, Orat. Tu mihi videris tantum juris civilis ſcire voluiſſe, quantum ſatis eſſet Oratori. Qu. Scævula pontifex, ſeu, ut Appianus eum nominat, *Μούκιος Σκαιόλας ὁ τὴν μεγίστην Ρωμαίοις ἱερωσύνην ἱερώμενος*, id eſt, quem ſupra conſulem cum L. Craſſo fuiſſe anno ab V. C. DCLVIII. ſcripſimus, de cujus morte dicemus ad annum DCLXXI.

Anno urbis DCLXVI. *Ciceronis* XX. COSS. *fuerunt.*

CN. OCTAVIUS, L. CORNELIUS CINNA.

HOc anno Cinna conſul. cum pernicioſas leges per vim ferret, urbe à Cn. Octavio collega pulſus eſt, Livius lib. 79. unde Cicero in Catil. 3. Cn. Octavius conſul armis ex urbe collegam ſuum expulit. omnis hic locus acervis corporum, & civium ſanguine redundavit, atque ita bellum Octavianum commotum eſt: cujus meminit Cicero l. 1. de divinat. & li. 2. de Natura Deorum, Tum, inquit, ſtellis iis, quas Græci cometas, noſtri crinitas vocant, quæ nuper bello Octaviano magnarum fuerunt calamitatum prænuntiæ. vide Plinium lib. 2. cap. 25. Diſſenſionis inter Octavium & Cinnam meminit Cicero etiam de haruſpicum reſp. Cinna urbe pulſus, corruptum App. Claudii exercitum in poteſtatem ſuam redegit, ut Livius lib. 79. ſcripſit, Ap. Claudio, P. Clodii patri, imperium hoc tempore abrogatum fuiſſe, Cicero pro domo ait. Tum Marius cum reliquis exſulibus ex Africa accerſitus, cum in urbem recepti eſſent, eam velut captam cædibus & rapinis vaſtarunt, qua de re Oroſius lib. 5. c. 19. & ego in eum locum. Hinc Cicero poſt red. in ſenatu ait, C. Marium reditu ſuo ſenatum cunctum pæne deleviſſe. Tum Q. Catulus, M. Antonius. C. Julius trium ætatum oratores tres ſunt crudeliſſime interfecti, Cicero in Bruto. Et Marius quidem Cimbricæ victoriæ gloriam cum collega Catulo communicavit: poſtea vero civili bello victor iratus, neceſſariis Q. Catuli deprecantibus non ſemel reſpondit, moriatur. Idem Tuſcul. 5. & Cotta lib. 3. de Natura Deor. Cur tot civitatis principes à Cinna interempti? cur omnium perfidioſiſſimus C. Marius Q. Catulum præſtantiſſima dignitate virum mori potuit jubere? M. Antonii in iis ipſis roſtris in quibus ille Remp. conſtantiſſime conſul defenderat, quæque cenſor imperatoriis manubiis ornarat, poſitum caput illud fuit, à quo erant multorum civium capita conſervata, lib. 3. de Orat. & Tuſcul. 5. Cinna collegæ ſui conſulis Cn. Octavii præcidi caput juſſit, P. Craſſi, L. Cæſaris nobiliſſimorum hominum, quorum virtus fuerat domi militiæque cognita, M. Antonii omnium eloquentiſſimi quos audierim, C. Cæſaris, in quo mihi videtur fuiſſe ſpecimen humanitatis, ſalis, ſuavitatis, leporis. de his omnib. vide procemium l. 3. de Orat. de P. Craſſo Cicero pro Sextio, In qua civitate ipſe meminiſſem patrem hujus M. Craſſi, fortiſſimum virum, ne videret victorem vivus inimicum, eadem ſibi manu vitam exhauſiſſe, qua mortem ſæpe hoſtibus obtuliſſet. de eodem pro Scauro, & ibi Aſconius. Hoc anno M. Tullius Moloni Rho-

dio

dio Romæ dedit operam, & actori ſummo cauſarum, & magiſtro, ut ait in Bruto. de quo Molone Plutarchus in Cic. & Cæſare, Strabo lib. 14. Quintilianus lib. 3. c. 1. & Suetonius in Julio Cæſare. Molonem Rhetorem ſtudia M. Ciceronis acuiſſe, ait etiam Valerius Max. l. 2. c. 1. Circa hoc tempus Cicero adoleſcens commentarios Rhetoricos de Inventione inchoatos & rudes edidit. quod ipſe initio lib. 1. de Oratore, & Quintilianus lib. 3. ſignificant.

Poſt hunc annum triennium fere urbem ſine armis fuiſſe, Cicero in Bruto ait, quo Sulla bellum Mithridaticum gerente, de quo Plutarchus & Appianus, Cinnanæ Marianæque partes Italiam obſederunt. ut ſcribit Vellejus.

Anno igitur ab V. C. DCLXVII. *Ciceronis* XXI. Coss. *fuerunt,*

C. MARIUS VII. L. CORNELIUS CINNA II.

MARIUS, quem Cicero pro Plancio, duabus ædilitatis acceptis repulſis, ſepties conſulem eſſe factum ait, editis multis ſceleribus Idibus Januarii deceſſit, Livius lib. 80. de ejus morte ſic Cic. lib. 3. de Natura Deor. Cur Marius tam feliciter ſeptimum conſul domi ſuæ ſenex eſt mortuus? Mario ſuffectus eſt L. Valerius Flaccus, pater illius Flacci, pro quo Ciceronis oratio exſtat. Huic cùm à Cinna miſſus, ut Sullæ ad bellum Mithridaticum ſuccederet, in Aſiam trajeciſſet, conſuli portas tota Aſia clauſit, Cicero pro Flacco. Anno ſequente idem à C. Fimbria legato ſuo conſularis interfectus eſt, Velleius lib. 2. Livius 82. Strabo 13. Hoc anno cenſores in tabulis Capitolinis inveniuntur, L. Marcius Philippus, M. Perperna. quorum Verrina tertia in lege Verris mentio fit ita: Qui de L. Marcio, M. Perperna cenſoribus redemerit, eum ſocium ne ei admittito. de Marcio item Cicero pro domo ait, L. Philippus cenſor avunculum ſuum præteriit in recitando ſenatu: nihil enim poterat dicere, quare rata non eſſent, quæ erant acta in ea Rep. in qua ſe illis ipſis temporibus cenſorem eſſe voluiſſet. Hi ſunt ſuperiores illi cenſores, quibus Archiam cum L. Lucullo quæſtore fuiſſe in Aſia, Cic. pro Archia ait. Lucullus enim hoc tempore quæſtor in Aſia permultos annos admirabili quadam laude provinciæ præfuit, ut Cic. in Luculli principio ſcribit. Lucullum verò in Græcia fuiſſe ante, quàm Sulla eo veniret, ex Plutarchi Sulla cognoſcitur. Sulla quoque ex Aſia decedente Lucullus ibi manſit, ut infra dicemus.

Proximo biennio, quo comprehenditur annus urbis DCLXIIX. *&* DCLXIX. *Ciceronis* XXII. *&* XXIII. *Conſules à ſe creati Remp. tenuerunt,*

L. CORNELIUS CINNA, CN. PAPIRIUS CARBO.

QUA ratione M. Tullius hoc triennium quo urbs fere ſine armis fuit, traduxerit, ipſe in Bruto his verbis exponit; Ego, inquit hoc tempore omni nocteis & dies in omnium doctrinarum meditatione verſabar, eram cum Stoico Diodoto: qui cum habitaviſſet apud me, mecumque vixiſſet, nuper eſt domi meæ mortuus, à quo cum in aliis rebus tum ſtudioſiſſime in Dialectica exercebar: quæ quaſi contracta & aſtricta eloquentia putanda eſt: ſine qua etiam tu Brute, judicaviſti, te illam juſtam eloquentiam, quam dialecticam dilatatam eſſe putant, conſequi non poſſe. hactenus Cic. qui hunc Diodotum lib. 1. de nat. Deor. primo loco numerat inter eos Philoſophos, à quibus inſtitutus fuit. de eodem in Lucullo; Diodoto quid faciam Stoico? quem à puero audivi, qui mecum vivit tot annos, qui habitat apud me, quem & admiror, & diligo, & ep. 16. l. 13. Fam. Domi meæ cum Diodoto, Stoico homine, meo judicio, eruditiſſimo, multum à puero fuit. ejuſdem meminit ep. 4. l. 9. Fam. de quo loco etſi Adriani Turnebi, & Petri Rami, præceptorum meorum, quos ut ipſorum dignitas poſcit, honoris gratia nomino, ſententiæ aliquando nonnihil diſcreparunt: res tamen ipſa ex vera hujus nominis ſcriptura, quam Victorius, Manutius, & Lambinus, viri doctiſſimi è vetuſtis libris ediderunt, jam extra controverſiam eſt. De eodem Cicero Tuſcul. 5. Diodotus Stoicus cæcus multos annos noſtræ domi vixit. is vero, quod credibile vix eſſet, cum in philoſophia multo etiam magis aſſiduè, quàm antea verſaretur; & cùm fidibus Pythagoreorum more uteretur; cumque ei libri noctes & dies legerentur (quibus in ſtudiis oculis non egebat) tum, quod ſine oculis fieri poſſe vix videtur, Geometriæ munus tuebatur, verbis præcipiens diſcentibus, unde, quo, quamque lineam ducerent. Mortuus fuit Cæſare & Bibulo Coss anno ab V. C. DCXCIV. Cornelius Tacitus in dialogo de Oratorib. ait, Ciceronem apud Philonem Academicum, apud Diodotum Stoicum omnes Philoſophiæ partes penitus hauſiſſe. Addit Cicero in Bruto: Huic ego doctori, & ejus artibus variis atque multis ita eram tamen deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus eſſet. commentabar declamitans ſæpe cum M. Piſone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie, idque faciebam multum etiam latine, ſed græce ſæpius: vel quod græca oratio plura ornamenta ſuppeditans conſuetudinem ſimiliter latine dicendi afferebat: vel quòd à græcis ſummis doctoribus, niſi græce dicerem, neque corrigi poſſem, neque doceri. Ciceronem ad Præturam uſque græce declamaſſe, auctor eſt Suetonius de claris Rhetoribus. Circa hoc tempus Cicero, cum Aratum jam Romanum hexametris verſibus edidiſſet, in Xenophontis Oeconomico luſit, ut ſcribit Hieronymus in præfatione in Euſeb. Chron. Ipſe Cicero ſecundo libro extremo de officiis ad filium, viginti annos natum ita ſcribit: Has res commodiſſime Xenophon Socraticus perſecutus eſt in eo libro, qui Oeconomicus inſcribitur: quem nos iſta fere ætate cùm eſſemus, qua es tu nunc, è græco in latinum convertimus. Diviſit autem Cicero unum Xenophontis librum in tres, ut Servius in primum Georgicorum teſtatur. Quin etiam libros Platonis Cicero hoc genere tralatos edidit, inquit Fabius lib. 10. cap. 5. Timæi pars cum maximo bono ſtudioſorum utriuſque linguæ exſtat. Protagoram

ab eo converſum fuiſſe, Hieronymi, Priſciani & Donati teſtimoniis tantummodo ſcimus. Id tamen Ciceronem potius extremo tempore ætatis quàm hoc feciſſe, putamus. Carbonis in ſecundo conſulatu Quæſtor fuit C. Verres, Cic. Verrina 3. Tum Sulla pace cum Mithridate facta, Aſiam in quadraginta quatuor regiones diſtribuit, auctore Caſſiodoro. Cum autem Sulla omnes Aſiæ civitates pro portione in provincias deſcripſiſſet, vectigal quoque iis, quod æqualiter penderent, deſcripſit, Cic. pro Flacco, & ep. 1. lib. 1. ad Qu. fratrem. Sed Sullam in Italiam revocavit Reſp. ait pro lege Manilia.

Anno urbis DCLXX. *Ciceronis* XXIV. COSS. *fuerunt,*

L. CORNELIUS SCIPIO ASIATICUS. C. NORBANUS FLACCUS.

HOrum Conſulum meminit Cic. pro Quintio. ubi etiam C. Valerium Flaccum imperatorem hoc anno in Gallia ulteriore fuiſſe ait. cujus Flacci mentionem Cæſar lib. 1. de bello Gallico facit. Scipionis Quæſtorem M. Piſonem de quo paullo ante, fuiſſe, ex Verrina tertia cognoſcitur. Hoc tempore tumultus ille pro recuperanda Rep. ortus eſt, de quo Cic. in Bruto. Nam Sulla compoſitis transmarinis rebus in Italiam venit, & C. Norbanum prælio vicit, de quo diximus in c. 20. lib. 5. Oroſii. tum Cn. Pompejus adoleſcentulus privatus, exercitum difficili Reip. tempore confecit, eique præfuit, & rem optime ductu ſuo geſſit, Cic. in Maniliana. eodem pertinet illud in Phil. 5. Pompejus ad L. Sullæ Maximum imperium, victoremque exercitum acceſſit; vide Plutarchum & alios. Sulla vero cum Scipione inter Cales & Theanum, cum alter nobilitatis florem, alter belli ſocios adhibuiſſet, de auctoritate ſenatus, de ſuffragiis populi, & de jure civitatis, legis inter ſe conditiones contulerunt, inquit Cicero Phil. 12. ſed cum res convenire non poſſet, & Sulla Scipionis caſtra oppugnaturus eſſet, univerſus exercitus conſulis ſigna ad Sullam tranſtulit, Scipio, cum interimi poſſet, dimiſſus eſt. hæc Livius lib. 85. Itaq; Scipio fluctibus Reip. expulſus Maſſiliæ poſtea in exilio vixit, Cic. pro Sextio. Hoc anno Capitolium incenſum fuit, cujus meminit Cic. in Catil. 3. & Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 4. Tu lege Plutarchum in Sulla, & Auguſt. cap. 24. lib. 2. de Civit. Dei.

Anno urbis DCLXXI. *Ciceronis* XXV. COSS. *fuerunt,*

CN. PAPIRIUS CARBO III. C. MARIUS C. F.

HORUM conſulum mentio eſt apud Ciceronem contra Rullum. Hoc anno, cum à Marianis urbs etiamnum teneretur, L. Damaſippus prætor ex voluntate C. Marii, conſulis, cum Senatum contraxiſſet, omnem, quæ in urbe erat, nobilitatem trucidavit, Livius libr. 86. Tunc interfectus fuit C. Carbo conſulis frater, de quo Cicero epiſt. 21. lib. 9. Famil. Periit tum quoque P. Antiſtius Cn. Pompeji ſocer, de quo Cicero in Bruto, & Qu. Scævula pontifex maximus, quem Livius l. 86. ſcribit in veſtibulo ædis Veſtæ occiſum fuiſſe. Hinc Cicero libr. 3. de Natura deor. Temperantiæ, prudentiæque ſpecimen ante ſimulacrum Veſtæ pontifex max. eſt Qu. Scævula trucidatus. meminit ejuſdem li. 3. de Orat. Tandem Sulla, fuſo Carbonis exercitu, in urbem venit, eoque tempore ejus immanis crudelitas in cives exſtitit, de qua Cicero lib. 2. de officiis, & Oroſius libr. 5. cap. 21. Tum Cn. Pompejus in Siciliam cum imperio à Senatu miſſus Carbonem conſulem captum interfecit, Livius libr. 89. Plutarchus in Pompejo, & alii, de quo Cicero epiſt. 21. lib. 9. Fam. Hoc vero, qui Lilybæi à Pompejo noſtro eſt interfectus, improbior nemo, meo judicio, fuit. atque ita Pompejus Siciliam multis undique cinctam periculis, non terore belli, ſed celeritate conſilii explicavit, Cicero in Maniliana. Eodem tempore L. Licinius Murena, pater ejus quem Cicero defendit, à Sulla cum duabus legionibus in Aſia relictus, bellum Mithridaticum renovavit: de quo Appianus in Mithridatico. Murena vero Mithridatem vehementiſſime vigilantiſſimeque vexatum, repreſſum magna ex parte, non oppreſſum reliquit, ut ait Cic. pro Murena. & addit filium viro fortiſſimo parenti ſuo magno adjumento in periculis, ſolatio in laboribus, gratulationi in victoria fuiſſe. Lucullum autem quæſturæ diuturnum tempus, Murena bellum in Ponto gerente, in Aſiæ pace conſumſiſſe, idem in Lucullo ſcribit. Extremo hoc anno Sulla effecit, ab Interrege ut dictator diceretur, ait Cicero ep. 18. l. 9. ad Att. quomodo id effecerit, copioſe Appianus, & Plutarchus ſcribunt. Interrex fuit L. Valerius Flaccus, de quo Cic. orat. 3. contra Rullum, omnium legum iniquiſſimam, diſſimillimamque legis eſſe arbitror eam, quam L. Flaccus Interrex de Sulla tulit, ut omnia, quæcunque ille feciſſet, eſſent rata. de eadem lege libr. 1. de legibus. Nihilo credo magis illa juſta eſt, quam Interrex noſter tulit, ut Dictator, quem vellet civium, indicta cauſa impune poſſet occidere. Itaque Sulla Dictator, qui tum ſine dubio habuit regalem poteſtatem, ut eſt in orat. de Haruſ. reſp. omnes, quos oderat morte multabat, pro Ligario. De proſcriptione Sullana Oroſius noſter cap. 21. lib. 5. Etſi autem Sulla dictator poſt Cn. Marium & Cn. Papirium fuit, ut ait Cicero orat. 3. contra Rullum: conſules tamen creari permiſit.

Anno urbis DCLXXII. *Ciceronis* XXVI. COSS. *fuerunt,*

M. TULLIUS DECULA, CN. CORNELIUS DOLABELLA.

DE his conſulibus Cicero orat. 2. contra Rullum. De quibus vendendis S. C. facta ſunt M. Tullio, Cn. Cornelio coss. Sulla Dictator hoc tempore rebus novis Reip. ſtatum confirmavit, ut eſt in epitoma Liviana 89. Recuperata Rep. & legibus atque judiciis conſtitutis, Cicero ad cauſas & privatas & publicas adire cœpit, in Bruto. Itaque his conſulibus, ut Gellius l. 15. c. 28. ſcribit, M. Cicero cauſam privatam pro Quintio apud Aquillium Gallum judicem

cem dixit. Præterea in Euſebii Chronico ita legitur: XXVI. anno ætatis Cic. Quintium defendit. Idem cognoſcitur ex ipſa cauſæ expoſitione, quæ talis eſt. Sex. Nævius ante biennium, Scipione & Norbano coss. cum P. Quintius prid. K. Febr. in Galliam profectus eſſet, à P. Burrieno prætore poſſeſſionem bonorum Quintii, à quo ſibi pecuniam deberi, & vadimonium deſertum dicebat, ex edicto poſtulavit, miſſus in poſſeſſionem Nævius, cùm bona abſentis Quintii dies XXX. poſſediſſet, ea præſcribi juſſit. Tum Sex. Alphenus procurator Quintii auctionem impedire conatur, ſeque paratum eſſe judicio abſenten defendere profitetur. Nævius poſtulat, ut Alphenus judicatum ſolvi ſatiſdet, quod cùm ille recuſaret, eoque nomine Tribunos appellaſſet, convenit, ut Idibus Septem. Quintium ſiſti Alphenus promitteret. Venit Romam Quintius ad vadimonium. Nævius annum & ſex menſes, hoc eſt ab Idibus Septem. Scipione & Norbano coss. uſque ad Idus Martias hujus anni, nihil petit. Tum demum in jus ventum ad P. Dolabellam Prætorem. ibi Nævius petiit, ut Quintius judicatum ſolvi ſatiſdaret, quod cùm is recuſaret, Dolabella decrevit, ut Quintius aut ſatiſdaret, aut ſponſionem faceret, Ni bona ſua ex edicto poſſeſſa non eſſent. Sponſione facta, C. Aquillius Judex datus eſt, apud quem Cicero contendit, Quintii bona ex edicto à Nævio poſſeſſa non eſſe. Vides igitur aperte Quintii cauſam hoc anno à M. Tullio defenſam eſſe poſt Idus Martias, nam quod Cicero ait rem jacuiſſe in controverſiis biennium: Oratorum more elate dictum eſt, & ſi quis velit calumniis Nævii rem in biennium ductam fuiſſe, hoc quidem certè omnes fateri neceſſe eſt, poſt idus Sep. quæ hoc anno, non quæ Sulla & Metello coss. anno inſequente fuerunt [ut Corradus res neſcio quas agens ſcripſit] hanc cauſam actam eſſe. Quod vero & Corradus opinatur, & non nemo affirmat, Quintium defenſum poſt Dictatorem Sullam, eo quod Cicero dicat, Emiſti bona Sex. Alpheni L. Sulla Dictatore vendente, leve admodum eſt. cur enim in judicio privato hoc eloqui auſus non fuiſſet? aut quis præſtabit, ab Oratoribus omnia dicta, vel eo modo acta fuiſſe, quo poſtea ſcripta ſunt & edita?

Sulla dictatore Cicero iterum ſe Moloni, qui legatus ad ſenatum de Rhodiorum præmiis venerat, operam dediſſe, ait in Bruto. Hoc quoque tempore Cn. Pompejus, bello in Africa maximo confecto, victorem exercitum deportavit, ut ait Cicero pro lege Manilia. intelligit autem bellum geſtum cum Domitio, & Hierta Numidiæ rege, quo de Oroſius libro 5. cap. 21. atque ex Africa Pompejus adhuc eques triumphavit. Miror autem Eutropium ſcribere Pompejum tunc quartum & vigeſimum annum egiſſe, cùm M. Tullii æqualis fuerit, ut ex Ciceronis Bruto & Vellejo notum eſt, & nos ſupra admonuimus. Eodem tempore L. Sulla Murenam ex Aſia revocavit, ut ait Cic. in Maniliana. Murena reverſus ampliſſimè atque honeſtiſſimè ex prætura triumphavit, in Orat. pro Murena.

Anno urbis DCLXXIII. *Ciceronis* XXVII. COSS. *fuerunt,*

L. CORNELIUS SULLA FELIX II.
Q. CÆCILIUS METELLUS PIUS.

HORUM Conſulum meminit Cicero Verrina tertia, & Gellius lib. 15 cap. 28. ubi ſcribit, Ciceronem his conſulibus Sex. Roſcium parricidii reum defendiſſe. & addit, Feneſtellæ errorem notatum fuiſſe à Pædiano, quod ſcripſiſſet Ciceronem ſexto & vigeſimo ætatis anno pro Sex. Roſcio dixiſſe. Quem Feneſtellæ errorem Corradum, alioſque viros doctos potius amplecti, quam Aſconii & Gellii auctoritatem ſequi, equidem miror: cùm præſertim Quintilianus libro 12. cap. 6. ſcribat, Ciceronem ſex & XX. annos natum pro Sex. Roſcio dixiſſe, eos vero ante III. nonas Januarii hujus anni natus non fuit. Egit tamen opinor hanc cauſam in principio anni. Nam, ut ex oratione ipſa intelligitur, in lege de proſcriptione erat, ut anno ſuperiore ad Kal. Junias proſcriptiones venditioneſque fierent: Roſcius autem pater aliquot poſt menſes Romæ occiſus eſt: eaque res quatriduo ad Chryſogonum in caſtra Sullæ Volaterras (quod oppidum obſeſſum Sulla in deditionem accepit. Livius libr. 89.) delata eſt. Bona Roſcii tanquam proſcripti, ideoque occiſi, ut Plutarchus tradit, Sulla haſtæ ſubjecit, & Chryſogonus ejus libertus duobus millibus nummûm emit, cum jam proſcriptionis mentio nulla fieret, cùm etiam, qui antea metuerant, redirent, ac jam defunctos ſeſe periculis arbitrarentur. Sed cum filius idemque heres Roſcii bona patris ita vendita eſſe ægre ferret, eaque ſexagies eſſe demonſtraret, Sulla coargui ſe graviter tulit, & Roſcii filii nomen opera Chryſogoni de parricidio deferendum curavit. Cum Roſcii patrocinium ob Sullæ metum nemo ſuſciperet, adoleſcens ab omnibus deſertus, ad Cic. confugit: quem amici quoque ad reum defendendum cohortabantur, cum aliud ſplendidius aut præclarius gloriæ initium habere non poſſet. Cic. igitur adoleſcens contra L. Sullæ dominantis opes Sex. Roſcium Amerinum defendit, libr. 2. de Offic. Defenſionis capita tria ſunt: in primo parricidii crimen falſo objectum fuiſſe Roſcio, multis argumentis convincit: ſecundum eſt de audacia duorum Roſciorum, Capitonis & Magni. in quos crimen ita confert, ut eos multis ſuſpicionibus arguat. tertium eſt de Chryſogoni potentia, quam invidioſè inſectatur. Victor in cauſa, magna in admiratione fuit, ut Plutarchus ait: ipſe verò in Bruto ſic ſcribit: itaque prima cauſa publ. pro Sex. Roſcio dicta tantum commendationis habuit, ut non ulla eſſet, quæ non noſtro digna patrocinio videretur. Roſcio contra Chryſogonum defenſo Ciceronem Athenas ſeceſſiſſe, atque inde poſt triennium Romam revertiſſe, in Euſebii Chronico ſcriptum eſt. unde illud Caleni apud Dionem lib. 46. manaſſe videtur, *καίτοι τρία ἐν Ἀθήναις ἔτη κατατρίψας*: quibus verbis ſignificat, M. Tullium eloquentiæ gratia triennium Athenis

vixiſſe, & certe ſi Roſcio defenſo ſtatim in Græciam profectus eſſet, quod Plutarchus quoque putavit, triennium ibi vixiſſet. Jam verò, cum ſecus ipſe in Bruto ſcribat, nos etiam hæc temporibus aliter dividemus.

Mitylenas hoc tempore in Aſia expugnatas fuiſſe in Liviana epitoma lib. 89. ſcriptum eſt. expugnavit eas M. Thermus: in qua expugnatione Julius Cæſar, auctore Suetonio, corona civica donatus eſt. Atque ita urbs, & natura, & ſitu, & deſcriptione ædificiorum & pulchritudine in primis nobilis, belli lege ac victoriæ jure populi Romani facta eſt, Cicero Orat. 2. contra Rullum.

Anno urbis DCLXXIV. *Ciceronis* XXIIX. Coſs. *fuerunt*,

P. SERVILIUS VATIA ISAURICUS, AP. CLAUDIUS PULCHER.

HOs Conſules in hunc annum Sulla contra voluntatem populi, qui ipſum creabat, renuntiandos curavit, & Dictatura ſe abdicavit, Appianus lib. 1. Oroſius lib. 5. c. 22. Ap. Claudius P. Clodii inimici Ciceronis pater fuit, unde in Orat. de haruſp. reſpon. P. Servilius collega patris ejus nominatur. Hoc tempore Cicero antequam in Græciam profectus fuit, Arretinæ mulieris libertatem contra Cottam hominem diſertiſſimum defendit, Sulla adhuc vivo, ut ait pro Cæcina. Erat eo tempore in Cicerone ſumma gracilitas, & infirmitas corporis, procerum & tenue collum: qui habitus, & quæ figura non procul abeſſe putatur à vitæ periculo, ſi accedit labor, & laterum magna contentio. eoque magis, ut ipſe in Bruto ſcribit, hoc eos, quibus erat carus, commovebat, quod omnia ſine remiſſione, ſine varietate, vi ſumma vocis, & totius corporis contentione dicebat. itaque cum eum & amici & medici hortarentur, ut cauſas agere deſiſteret, ipſe autem quodvis periculum adire, quàm à ſperata dicendi gloria diſcedere, mallet: cenſeret tamen remiſſione & moderatione vocis & commutato genere dicendi ſe & periculum vitare poſſe, & temperatius dicere, ut conſuetudinem dicendi mutaret, eam ſibi cauſam in Græciam proficiſcendi fuiſſe ait in Bruto. itaque cum eſſet biennium verſatus in cauſis, Roma eſt profectus hujus anni æſtate, ut ex ſequentibus cognoſcetur. Cum veniſſet Athenas, ſex menſeis cum Antiocho veteris Academiæ nobiliſſimo & prudentiſſimo philoſopho fuit: ſtudiumque philoſophiæ nunquam intermiſſum à primaque adoleſcentia cultum, & ſemper auctum, hoc rurſus ſummo auctore & doctore renovavit, ut ipſe in Bruto teſtatur. ideoque lib. 1. de Natura Deor. Antiochum inter eos philoſophos numerat, à quibus inſtitutus fuit. de eodem lib. 1. de legibus: Vir iſte fuit prudens, & acutus, & in ſuo genere perfectus, mihique ut ſcis, familiaris. Plutarchus quoque in Cicerone à nobis converſo, ita ſcribit, Cum Athenas veniſſet, Antiocho Aſcalonitæ operam dedit: ejuſque copia quidem & lepore dicendi delectabatur: ſed quæ ab ipſo in philoſophia novabantur, ea minime probabat. jam enim Antiochus à nova Academia defecerat; & relicta Carneadis ſecta, commutatoque inſtituto, vel evidentia & ſenſibus victus, vel, ut nonnulli ajunt, ambitione & contentione cum Philonis & Clitomachi diſcipulis adductus, Stoicorum decreta ferè defendebat. Antiochus igitur, ut Cicero in Lucullo teſtatur, appellabatur quidem academicus, ſed erat, ſi perpauca mutaviſſet, germaniſſimus Stoicus. Didicerat apud Philonem tamdiu, ut conſtaret diutius didiciſſe neminem: & ſcripſerat de Academica ſecta acutiſſimè, eamque non acrius accuſavit in ſenectute, quàm antea defenſitaverat. Plura in Lucullo Ciceronis, & Plutarchi. Athenis Cicero Epicureos quoque, Phædrum & Zenonem frequenter cum Attico audivit, ut ait lib. 2. de finib. Meminit Tuſcul. 3 & Acad. 1. Hic annus XX. eſt poſt M. Antonii & A. Poſthumii conſulatum: ad quem Lucullorum ædilitas à Plinio lib. 8. cap. 7. refertur. eam verò magnificentiſſimam fuiſſe Cic. l. 2. de Officiis ſcribit. Hac ego conjectura ductus, L. Luculli magiſtratus, quos Cic. initio Luculli recenſet, ita conſtituo, ut hoc anno ædilis, Bruto & Mamerco Coſs. prætor fuerit, ſequenti Africam obtinuerit, atque inde Octavio & Cotta Coſs. ad conſulatus petitionem redierit.

Anno urbis DCLXXV. *Ciceronis* XXIX. Coſs. *fuerunt*,

M. ÆMILIUS LEPIDUS, Q. LUTATIUS CATULUS.

HIS conſulibus Sulla in agro Cumano mortuus, ac Romam perlatus cum magna pompa in Campo Martio ſepultus eſt, quod præter ceteros Appianus lib. 1. copioſè narrat. Primus autem è patriciis Corneliis Sulla igni voluit cremari, lib. 2. de legibus. Poſt Sullæ mortem diſſenſio inter conſules orta eſt, cùm Lepidus Sullæ acta reſcindere tentaret, & Catulus ei reſiſteret. vide Oroſium noſtrum l. 5. c. 22. Hinc Cicero in Catil. 3. Diſſenſit M. Lepidus à clariſſimo & fortiſſimo viro Q. Catulo. attulit non tam ipſius interitus reip. luctum, quam ceterorum. Ubi verò M. Tullio de Sullæ morte Athenas allatum eſt, ut Plutarchus ſcribit, cum jam corpus ejus exercitationibus confirmatum meliore habitu eſſe cœpiſſet, & vox ita conformata eſſet, ut cum auditu ſuavis ac plena, tum ad corporis conſtitutionem moderate accommodata eſſet, motus & precibus litteriſque amicorum, quæ Roma frequentes ad ipſum afferebantur, & cohortatione Antiochi, ut rempubl. capeſſeret, dicendi vim ceu inſtrumentum rurſus excoluit, civilemque facultatem excitavit. Itaque primum, ut ipſe in Bruto ſcribit, Athenis apud Demetrium Syrum, veterem & non ignobilem dicendi magiſtrum ſtudioſe exercebatur. poſt totam Aſiam peragravit cum ſummis oratoribus, quibuſcum exercebatur ipſis lubentibus: quorum erat princeps Menippus Stratonicenſis quem Plutarchus Menippum Carem nominat, Cic. eum tota Aſia illis temporibus diſertiſſimum fuiſſe judicat. unde Strabo

lib. 14. κἀνταῦθα δ' ἀνὴρ ἀξιόλογος γεγένηται ῥήτωρ Μένιππος κατὰ τοὺς πατέρας ἡμῶν, Κατόκας ἐπικαλούμενος. ὃν μάλιστα ἐπαινεῖ τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν ῥητόρων, ὧν ἠκροάσατο Κικέρων, ὥς φησιν ἔν τινι γραφῇ αὐτοῦ συγκρίνων Ξενοκλεῖ, καὶ τοῖς καθ' ἐκεῖνον ἀκμάζουσι. id eſt, Fuit tibi patrum noſtrorum memoria nobilis magiſter dicendi Menippus cognomento Catocas: quem Cicero ex Aſiaticis oratoribus, quos audivit, maxime laudat, ut eſt in quodam ipſius libro, ubi eum cum Xenocle, atque illius ætatis oratoribus comparat. de Xenocle, Adramytteno, cui Cic. quoque operam dedit, idem Strabo lib. 13. Erat cum Cicerone tum etiam Æſchylus Cnidius, aſſiduiſſime autem Dionyſius Magnes. quibus non contentus, Rhodum venit, ſeque ad eundem, quem Romæ audiverat, Molonem applicavit, cum actorem in veris cauſis, ſcriptoremque præſtantem, tum in notandis animadvertendiſque vitiis, & inſtituendo docendoque prudentiſſimum. is dedit operam, ut nimis redundantem Oratorem noſtrum, & ſuperfluentem juvenili quadam dicendi impunitate & licentia reprimeret, & quaſi extra ripas diffluentem coërceret, auctor ipſe in Bruto. De Apollonio Molone inquit Plutarchus, traditum eſt memoriæ, eum Latinæ linguæ rudem rogaſſe Cic. ut græce declamaret, in quo cum ideò illi obtemperaſſet, quod putaret, ſe ita melius corrigi poſſe; ceteri omnes admiratione obſtupefacti, certatim de Cicerone, aliuſque alio glorioſius prædicabat: Apollonius neque orante Cicerone lætitiam præ ſe tulit, & cum peroraſſet, defixus in cogitatione diu ſedit, quod ubi Ciceronem ægre ferre ſenſit, hæc ejus vox erupit: Te equidem, M. Tulli, collaudo & admiror: ſed me Græcorum fortunæ miſeret, cum videam doctrinæ & eloquentiæ laudem, quæ ſola nobis reliqua erat, per te ad Romanos tranſlatam eſſe. Rhodi Cic. Poſidonium Philoſophum etiam audivit, ut Plutarchus ſcribit. Poſidonius enim cum eſſet Apamienſis è Syria, Rhodi vixit, teſte Strabone lib. 14. Hunc familiarem ſuum vocat Cic. lib. 1. de Finib. Eundem lib. 1. de Natura inter eos numerat, à quibus in Philoſophia inſtitutus fuit. Præterea in libro de Fato ita ſcribit: Quædam etiam Poſidonius (pace magiſtri dixerim) comminiſci videtur.

Anno urbis DCLXXVI. *Ciceronis* XXX. COSS. *fuerunt*,

D. JUNIUS BRUTUS, MAM. ÆMILIUS LEPIDUS LIVIANUS.

HOS Conſules ex interregno iniiſſe, argumento eſt oratio Philippi apud Salluſtium, de quibus Cicero in Bruto. Iiſdem fere temporibus D. Brutus, is qui conſul cum Mamerco fuit, homo & Græcis doctus literis & Latinis. Mamerci Æmilii Lepidi conſulis meminit Valerius l. 7. c. 7. Hoc anno, cum duo conſules clariſſimi fortiſſimique eſſent, Pompejus adhuc eques contra Sertorium ad bellum maximum formidoloſiſſimumque ſuaſu L. Philippi pro conſule miſſus eſt: quo quidem tempore cum eſſet non nemo in Senatu, qui diceret, non oportere mitti hominem privatum pro conſule, Philippus dixiſſe dicitur, Non ſe illum ſua ſententia pro conſule, ſed pro conſulibus mittere, ait Cicero in Maniliana. Idem Philip. 11. Pompejo Sertorianum bellum à Senatu privato datum eſt: cum L. Philippus pro conſulibus ſe eum mittere dixit, non pro conſule. Scribit idem Plutarchus in Pompejo: Comparato exercitu, hoſteis in cervicibus jam Italiæ agenteis ab Alpibus in Hiſpaniam ſubmovit, Galliamque recepit, ut ipſe apud Salluſtium ad Senatum ſcribit. Unde Cicero in Maniliana ait, Pompejum per Galliam legionibus Romanis in Hiſpaniam iter Gallorum internecione pateſeciſſe.

Hoc quoque anno M. Tullius ſe recepit è Græcia, biennio poſt quam eo profectus erat, non modo exercitatior, ſed prope mutatus. nam & contentio nimia vocis reſederat, & quaſi deferbuerat oratio, lateribuſque vires, & corporis mediocris habitus acceſſerat, ut ipſe in Bruto teſtatur. Cum autem Cicero, auctore Plutarcho, magna ſpe erectus, ad remp. ſummo ſtudio raperetur, ardor ejus oraculo quodam repreſſus eſt. Nam cum Delphos profectus Apollinem conſuluiſſet, quanam via ad ſummam gloriam pervenire poſſet, oraculum editum eſt, Suam naturam, non multitudinis opinionem ducem vitæ ſequeretur. Quapropter Romam reverſus primo timide dixit, & dubitanter ad honores acceſſit, nec ullo in numero habitus, ſed Græculus atque otioſus appellatus fuit: quæ nomina infimis & ſordidis hominibus in promptu eſſe, atque in ore conſueverunt. Ut verò & innata honorum cupiditate ductus, & patris atque amicorum cohortatione incitatus, ſe totum patrociniis tradidit, non jam pedetentim principem locum petiit, ſed ſtatim eluxit, ceteriſque oratoribus longe præſtitit. Hactenus Plutarchus, ut à me ante annos octo converſus fuit, ubi quod Græculum atque otioſum dixi, qui Plutarcho eſt Γραικὸς καὶ σχολαστικὸς, ſecutus ſum auctoritatem noſtri oratoris, qui pro Sextio inquit, Græculum ſe atque otioſum putari voluit: ſtudio literarum ſe ſubitò dedit. Solent autem Romani uti appellatione Græci probri loco, cum ignobilitatem objiciunt, ut Zonaras ſcribit.

Anno urbis DCLXXVII. *Ciceronis* XXXI. COSS. *fuerunt*,

CN. OCTAVIUS, C. SCRIBONIUS CURIO.

DE his Cicero in Bruto: Cn. Sicinius, cùm tribunus pl. Curionem & Octavium conſules produxiſſet, Curioque multa dixiſſet, ſedente Cn. Octavio collega, qui devinctus erat faſciis, & multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus: nunquam inquit, Octavi, collegæ tuo gratiam referes; qui niſi ſe ſuo more jactaviſſet, hodie te iſtic muſcæ comediſſent. Videntur autem conſules à Sicinio producti fuiſſe, cum id egit, ut tribunitia poteſtas populo redderetur, Aſconius in Divinat. in Verrem. Cn. Octavium M. filium optimum atque humaniſſimum virum, familiarem ſuum, nominat Cic. lib. 2.

 de finib.

de finib. His conſulibus Cicero, ut ipſe in eodem Bruto oſtendit, cum unum annum reverſus ex Aſia, cauſas nobileis egiſſet, Quæſturam petiit, cum C. Cotta, qui anno inſequenti conſul fuit, conſulatum, Hortenſius Ædilitatem peteret. Quæſtoriis comitiis, quæ Tributa fuiſſe epiſt. 31. libro 7. Famil. cognoſcitur, Cicero quæſtor in primis cunctis ſuffragiis eſt factus. in Orat. in Piſonem. Idem Verrina ſeptima ait, ſe ita quæſtorem factum fuiſſe, ut ſibi honorem illum tum non ſolum datum, ſed etiam creditum, ac commiſſum putaret. In cauſis iis, quas Cicero ex Aſia reverſus, ante Quæſturam egit, numero orationem pro Q Roſcio Comœdo, id quod propoſita conſtitutione cauſæ planum faciam. Res igitur, ut ex orationis fragmento colligitur, ita ſe habet. C. Fannius Chærea ſervum ſuum Panurgum communem cum Roſcio ea lege fecit, ut is à Roſcio arte hiſtrionica inſtitueretur, quæſtuſque inter eos communis eſſet. Inſtitutum artificio comico Panurgum Q. Flavius Tarquinienſis quidam interfecit. In hanc rem Fannius cognitor à Roſcio datus fuit, qui Flavium judicio DAMNI INJURIA DATI Roſcii nomine perſequeretur, non ſecus atque ſi res ſua eſſet. Lite conteſtata, Roſcius ſine Fannio cum Flavio decidit H-S. centum millibus. Deinde C. Piſone teſte & arbitro, Roſcius Fannio pro opera, pro labore, quòd cognitor fuiſſet, quòd vadimonia obiiſſet, certam pecuniam dedit hac conditione, ut ſi quid Fannius pro ſua parte ſervi interempti à Flavio exegiſſet, partem ejus dimidiam Roſcio diſſolveret. Poſt triennium Fannius, qui diceret ſe à Flavio nihil abſtuliſſe, Roſcium cum eo de tota re pro ſocietate decidiſſe Roſcium in jus vocavit, & H-S. quinquaginta millia, dimidiam ſcilicet partem ejus pecuniæ, quam Roſcius à Flavio abſtulerat, petiit, & ſponſione Roſcium laceſſivit, Ni ſibi ille H-S. IↃↃↃ. deberet. Datus igitur Judex à Prætore fuit C. Piſo cum hac formula, Si paret Roſcium Fannio H-S. IↃↃↃ. debere. quod Cic. enumeratione cauſarum debitionis falſum eſſe docet: neque ſocietatis nomine quidquam à Roſcio peti poſſe probat. Corradus Ciceronem hanc cauſam egiſſe Cn. Pompejo & M. Craſſo coss. anno poſt hanc ſexto inde putat, quod tum C. Piſo prætor fuerit. ſed fallitur, qui ex Judice privato prætorem facit. Falluntur quoque illi, qui Roſcium Comœdum ante Amerinum defenſum inde putant, quod poſt Amerini defenſionem Cicero in Græciam ſtatim fuerit profectus. Hoc tempore Qu. Roſcium fuiſſe defenſum, ex oratione cognoſcitur, in qua Roſcium Sullano tempore cum Flavio decidiſſe, & quadriennio poſt cauſam actam eſſe apertè ſignificatur. Hoc anno in Hiſpania adverſus Sertorium acerrima illa prælia & maxima Sucronenſe & Durienſe commiſſa ſunt, quorum meminit Cicero pro Balbo, tu vide Plutarchum in Pompejo.

Anno urbis DCLXXVIII. *Ciceronis* XXXII. COSS. *fuerunt,*

L. OCTAVIUS, C. AURELIUS COTTA.

DE his Cicero in Verrem 3. cum L. Octavius, C. Aurelius coss. ædes ſacras locaviſſent, neque potuiſſent omnia ſarta tecta exigere, neque ii prætores, quibus erat negotium datum, C. Sacerdos, M. Cæſius: factum eſt S. C. quibus de ſartis tectis cognitum & judicatum non eſſet, uti C. Verres, P. Cælius prætores cognoſcerent, & judicarent. ubi vides, C. Sacerdotem, cui Verres in prætura urbana & Sicilienſi ſucceſſit, hoc anno prætorem urbanum fuiſſe, qui cum ſequenti Siciliam obtinuerit, & Cicero ante Verrem Quæſtor in Sicilia fuerit, prætore Sex. Peducæo, ſuſpicionem Corradi, qui Ciceronem hoc anno Quæſtorem urbanum & inſequenti in Sicilia fuiſſe putavit, falſam eſſe omnes vident. Hic eſt igitur Sicilienſis annus, qui M. Tullium quæſtorem excepit, ut ipſe in Bruto ſcribit. Cum autem bini quæſtores in Sicilia ſingulis prætoribus eſſent, Lilybætanus & Syracuſanus: Cicero Lilybætanus quæſtor fuit, ut Aſconius ſcribit, & Cicero ipſe pro Plancio oſtendit. Idem Aſconius ſcribit, Ciceronem Quæſtorem in Sicilia fuiſſe prætore Sex. Peducæo. ipſe vero in orat. poſt reditum in Senatu ait, ſe patri M. Curtii quæſtorem fuiſſe. Accidebat autem ſæpè, ut unus quæſtor duorum prætorum eſſet, ut Gruchius libr. 2. de Comitiis docet. De Quæſtura Ciceronis Plutarchus ita ſcribit, Quæſtor creatus & ſortitus provinciam Siciliam, cùm in difficultate annonæ, atque inopia rei frumentariæ magnus frumenti numerus Romam eſſet mittendus, Siculos initio offendit: poſt, ubi diligentiam, juſtitiam & comitatem ejus experti fuerunt, majores illi honores, quàm ulli unquam prætori tribuerunt. De eadem ipſe in oratione pro Plancio. Non vereor, ne quis audeat dicere, ullius in Sicilia quæſturam aut gratiorem, aut clariorem fuiſſe: frumenti in ſumma caritate maximum numerum miſeram: negotiatoribus comis, mercatoribus juſtus, municipibus liberalis, ſociis abſtinens, omnibus eram viſus in omni officio diligentiſſimus, excogitati quidam erant à Siculis honores inauditi. & in Verr. 7. Sic obtinui quæſturam in provincia Sicilia, ut omnium oculos in me unum conjectos arbitrarer; ut me, quæſturamque meam quaſi in aliquo orbis terræ theatro, verſari exiſtimarem: ut omnia ſemper, quæ jucunda videntur eſſe, non modo his extraordinariis cupiditatibus, ſed etiam ipſi naturæ ac neceſſitati denegarem. Idem Verrina 2. ait, Siculos, in quæſtura ſuæ innocentiæ, abſtinentiæque periculum feciſſe. Eo tempore, ut Plutarchus ſcribit, multi Romani adoleſcentes, claris parentibus atque honeſto loco nati, apud Siciliæ prætorem accuſati ſunt intemperantiæ, & neglectæ diſciplinæ militaris, quos Cicero magna commendatione defendit & conſervavit.

Anno urbis DCLXXIX. *Ciceronis* XXXIII. COSS. *fuerunt,*

L. LICINIUS LUCULLUS, M. AURELIUS COTTA.

HIs Conſulibus Cicero, annuo munere quæſturæ expleto, è Sicilia provincia deceſſit. Habuit tum orationem Lilybæi, in qua Siculis multa benigne

nigne promiſit, ut Aſconius ſcribit. Decedebat autem ea ſpe, ut ſibi populumRom ultro omnia delaturum putaret. ac cùm caſu diebus iis itineris faciendi cauſa, Puteolos veniſſet, concidit pæne, cùm ex eo quidam quæſiſſet, quo die Roma exiſſet, & numquid in ea eſſet novi, quod ipſe pro Plancio narrat, & Plutarchus in vita ſcribit. Cùm è Sicilia ſe recepiſſet, jam videbatur facultas illa dicendi eſſe perfecta, & habere maturitatem quandam ſuam, ut ait in Bruto. Fuit hoc anno Tribunus pleb. L. Quintius, homo maxime popularis, & ad inflammandos animos multitudinis accommodatus: qui conciones quotidie ſeditioſas & turbulentas habebat, Cicero pro Cluentio. Hunc acta Sullæ reſcindere, ac reipublicæ ſtatum movere & perturbare conantem, Lucullus conſul ab incepto deduxit, auctore Plutarcho in Lucullo. Hinc Macer apud Salluſtium: Lucullus quantis animis ierit in L. Quintium, vidiſtis. Idem Quintius patronus fuit Oppianici, qui hoc anno, Verre prætore urbano, condemnatus eſt, Cicero pro Cluentio, & Aſconius in Verrin. 2. Verrem his conſulibus prætorem urbanum fuiſſe, cognoſcitur etiam Verrina ſeptima, ubi Cicero inquit: Nemo tam ruſticanus homo L. Lucullo & M. Cotta coss. Romam ex ullo municipio vadimonii cauſa venit, quin ſciret, jura omnia populi Romani nutu atque arbitrio Chelidonis meretriculæ gubernari.

Hoc etiam tempore M. Antonius gratia Cottæ conſulis & Cethegi factione in ſenatu, curationem nactus totius oræ maritimæ, Siciliam & provincias omnes depopulatus eſt, & ad extremum inferens Cretenſibus bellum, re male geſta, morbo interiit, Aſconius in Verr. Livius libr. 97. Florus libro 3. capite 7. Meminit Vellejus & Cicero Verr. 4. Ubi M. Antonii infinitum imperium dicit. Hic Antonius pater fuit M. Antonii Triumviri, qui in Plutarchi Antonio χρητικὸς mendoſe pro Κρητικὸς nominatur. Tum quoque Metellus & Pompejus in Hiſpania ab obſidione Calagurii oppidi depulſi, coacti fuerunt diverſas regiones petere, Metellus ulteriorem Hiſpaniam, Pompejus Galliam, auctore Livio libr. 93. Itaque tum exercitus Pompeii hyemavit in Gallia, cùm M. Fontejus prætor eam provinciam obtineret, ut Cicero pro Fontejo oſtendit.

Anno urbis DCLXXX. *Ciceronis* XXXIV. COSS. *fuerunt*,

M. TERENTIUS VARRO LUCULLUS, C. CASSIUS VARUS.

DE his Cicero pro Cluentio: Sed quæro à vobis, num iſtam legem ex iſto S.C.L. Lucullus conſul, homo ſapientiſſimus tulerit? num anno poſt M. Lucullus & C. Caſſius? Eoſdem: Verrina tertia, M. Terentium & C. Caſſium nominat, à quibus lex frumentaria Terentia & Caſſia lata fuit, de qua Cicero Verrina quinta, & ſeptima. fuit enim M. Lucullus, frater L. Luculli, in Terentiorum familiam adoptatus. Eidem Macedoniam eveniſſe, Eutropius lib 6. ſcribit. Hinc Cicero in Verr. 4. Dixit hoc idem M. Lucullus, ſe de his Dionis incommodis pro hoſpitio, quod ſibi cum eo eſſet, jam ante cognoſſe. Quid Lucullus qui tum in Macedonia fuit, melius hæc cognovit, quam tu Hortenſi, qui Romæ fuiſti? Hoc anno bellum in Italia à gladiatoribus duce Spartaco excitatum eſt, quod Cicero in Maniliana Servile vocat. de quo ſcripſi in ult. cap. lib. 5. Oroſii. Eodem tempore L. Lucullus, qui conſul anno ſuperiore contra Mithridatem profectus erat, ad Cyzicum urbem exercitum ejus fame ferroque delevit, auctore Livio libr. 9. Nam cum totius impetus belli ad Cyzicenorum mœnia conſtitiſſet, eamque urbem ſibi Mithridates Aſiæ januam fore putaviſſet, qua effracta & revulſa, tota pateret provincia; perfecta ab Lucullo hæc ſunt omnia, ut urbs fideliſſimorum ſociorum defenderetur, ut omnes copiæ regis diuturnitate obſidionis conſumerentur, ait Cicero pro Murena. eandem rem pro lege Manilia & pro Archia commemorat.

Anno urbis DCLXXXI. *Ciceronis* XXXV. COSS. *fuerunt*,

L. GELLIUS POPLICULA, CN. CORNELIUS LENTULUS CLODIANUS.

DE his Cicero in Verr. 4. Itaque in Senatu continuo Cn. Lentulus, & L. Gellius [*Lucullus* impreſſi libri Ciceronis mendoſe habent, cùm, *L. Gellius* in vetuſtis recte legatur] Conſules faciunt mentionem, placere ſtatui, ſi Patribus conſcriptis videretur, ne abſentes homines in provinciis rei fierent rerum capitalium. Iidem in orat. pro Balbo aliquoties nominantur. In quarta vero in Verrem: M. Lollium Palicanum Tribunumpleb. hoc anno fuiſſe, cognoſcimus. quem laboraſſe, ut Tribunitia poteſtas populo reſtitueretur, Aſconius in Verrinam primam ſcribit. De eodem Cicero in Bruto. Aptior, inquit, etiam Palicanus auribus imperitorum. Hoc anno Lucullus Mithridatem in Pontum perſecutus, eum legionibus Romanis patefecit, qui ante populo Rom. ex omni aditu clauſus fuerat, ut ait Cicero pro lege Manilia, & pro Archia.

Anno urbis DCLXXXII. *Ciceronis* XXXVI. COSS. *fuerunt*,

C. AUFIDIUS ORESTES, P. CORNELIUS LENTULUS SURA.

ORESTES gentis Aureliæ cognomen eſt: ſed hic Oreſtes à Cn. Aufidio adoptatus, ut Cicero pro domo ait, Cn. Aufidius Oreſtes dictus fuit. Cn. Oreſten, cum Tribunus pleb. eſſe non potuiſſet, conſulem factum, ait Cicero pro Plancio. Idem prætor urbanus fuit anno urbis DCLXXVI. ut ex Valerio lib. 7. cap. 7. apparet. P. Lentulus cum Catilina conjuravit, atque à Cicerone Conſule in carcere ſtrangulatus fuit, ut inferius dicemus. Unde Suræ cognomen invenerit, Plutarchus in Cicerone hoc modo exponit: Cum Sullanis temporibus quæſtor magnam vim pecuniæ publicæ conſumſiſſet atque perdidiſſet, Sulla id ægre ferens, rationem ab eo in

Senatu

Senatu exegit. tum ille negligenter & cum contemtu progreſſus, rationem ſe redditurum negavit, ſuram autem præbiturum, ita ut pueri conſueſſent, cum in pilæ luſione deliquiſſent. Hinc Sura cognominatus fuit. ſura enim Romanis eſt ea, quæ Græcis κνήμη dicitur. Hactenus Plutarchus. Bellum ſervile jam tertium annum cum Spartaco gerebatur cum M. Craſſo prætori id mandatum, & ſex menſibus confectum fuit, ut Appianus libro primo extremo ſcribit. itaque Craſſo tum permiſſum Plutarchus ait, ut ovans urbem iniret.Hinc Cicero in Piſonem: Craſſe pudet me tui. quid eſt, quod confecto formidoloſiſſimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris à ſenatu? Exercitum eodem tempore ex Hiſpania in Italiam Pompejus reduxit & quinque millia fugitivorum, qui è prælio aufugerant, interfecit, atque ad ſenatum, auctore Plutarcho, ſcripſit, Craſſum acie gladiatores fudiſſe, ſe bellum radicitus ſuſtuliſſe. Hinc Cicero in Maniliana: Teſtis eſt iterum, & ſæpius Italia, quæ cum ſervili bello tetro periculoſoque premeretur, ab hoc auxilium abſente expetivit: quod bellum exſpectatione Pompeii attenuatum atque imminutum eſt, adventu ſublatum ac ſepultum. Hujus belli confecti gloriam Cicero pro Sextio quoque ad Pompejum his verbis transfert: Qui etiam ſervitia virtute victoriaque domuiſſet. Ultimo hujus anni die pridie, quam conſulatum iniret, Pompejus etiamnum eques Romanus ex Hiſpania procos. triumphavit, ut Vellejus libro 2. ſcribit, de quo triumpho Cicero pro lege Manilia: Quid tam incredibile, quam ut iterum eques Romanus ex Senatuſconſulto triumpharet?

Anno urbis DCLXXXIII. *Ciceronis* XXXVII. COSS. *fuerunt,*

M. LICINIUS CRASSUS, CN. POMPEIUS MAGNUS.

POMPEJUM ex S. C. legibus ſolutum conſulem ante factum, quam ullum alium magiſtratum per leges capere licuiſſet, Cicero in Maniliana teſtatur. Numerus de ætate Pompeii apud Appianum, mendo caret: reſpicit enim tempus anni ſuperioris. quo Pompejus ante natalem ſuum conſulatum petivit. M. Tullius jam poſt quæſturam in plurimis cauſis, & in principibus patronis quinquennium fere verſatus erat, ut ipſe in Bruto ſcribit, fuitque in admiratione, quod ab iis, quorum cauſas agebat, nulla dona aut munera, auctore Plutarcho, accipiebat. In iis cauſis fortaſſe fuerunt M. Tullii, & L. Vareni, quas Cic. ſcriptas edidiſſe teſtimonio Quintiliani & Priſciani cognoſcitur. In primis autem, ut Plutarchus ait, Cic. enituit, cum C. Verrem hoc anno in judicium vocavit. nam in patrocinio Siculienſi maximè in certamen venit deſignatus Ædilis, cum deſignato conſule Hortenſio, quod ipſe in Bruto ſcribit. Tenuerat Verres ex prætura Siciliam provinciam per triennium, atque in ea fuerat libidinoſe, avare, crudeliterque verſatus. quare cum tandem hoc anno L. Metellus ei ſuccederet, repetundarum reus à Siculis poſtulatus eſt: qui omnes, præter Syracuſanos & Mamertinos, M. Tullium, illo tempore florentem defenſionibus amicorum ad accuſandum deſcendere compulerunt, jam pridem illis neceſſitudine copulatum, quod quæſtor in Sicilia fuiſſet, & decedens multa iis benigne promiſiſſet, ut Aſconius ait. Natus jam erat Cicero annos XXXVI. quod tempus legitimum erat ædilitatis petendæ. Certè P. Scipio Africanus minor, cum annos natus XXXVI. ædilitatem peteret, conſul à populo dictus eſt, Livius lib. 50. Vellejus 2. Ædilitatem igitur ſuo anno petens Cicero, prior deſignatus eſt cunctis ſuffragiis populi, in Orat. in Piſonem. Suſcepto patrocinio Sicilienſi, exſtitit Q. Cæcilius Niger, domo Siculus, ut Aſconius ſcribit, Plutarchus ait,hominem libertinum fuiſſe, & judaicæ religioni obnoxium, unde Cicero in eum dixit, Quid Judæo cum Verre? Romani autem porcum non caſtratum, Verrem nominant. in Plutarchi libris, in quibus legitur, Βέῤῥην οἱ Ῥωμαῖοι τὸν ἐκτετμημένον χοῖρον καλοῦσι, negatio deeſt, & reſtitui debet, τὸν μὴ ἐκτετμημένον. alioqui falſum eſſet, quod Plutarchus ſcribit, idque duos interpretes viros doctiſſimos, non animadvertiſſe miror. Cæcilius igitur contendebat ſe potius accuſatorem conſtitui oportere, has afferens cauſas: unam, quod à Verre læſus, jure illi inimicus eſſet: altera, quod cum quæſtor ejus fuiſſet, crimina ſciret: tertiam quod Siculus pro Siculis ageret. Hinc, quia in publicis quæſtionibus, ut eſt libr. 1. ad Herennium, legibus cavetur, ut ante ſi reo commodum ſit, judicium de accuſatore fiat, utrum illi liceat accuſare, necne: divinatio accuſatorum Ciceronis & Cæcilii facta eſt, tum Cicero primam Verrinam de accuſatore conſtituendo dixit: in qua hac uſus eſt diviſione. ſpectandum, à quo maxime agi velint ii, quorum de ultione quæritur, à quo minime velit is, qui accuſatur, auctor Quintilianus lib. 7. cap. 5. Victo Cæcilio, & accuſatione ad ſe delata, Cicero, cum inquiſitionis tempus in Siciliam poſtulaſſet dies CX. & cum L. Tullio fratre Patruele totam provinciam colligendis literis in Verrem, & denuntiandis teſtimoniis peragraſſet diebus quinquaginta; Romam reverſus, cum videret id agi, ut à M. Glabrione prætore, & ab iis judicibus, qui tunc erant, ad alium annum aliumque prætorem res tota tranſiret, eripereturque ſibi reus patrocinio Hortenſii ac Metelli, qui tunc Conſules futuri erant, hoc commentus eſt rationis, ut orationem longam prætermitteret, neque in criminibus declamatione cumulandis tempus abſumeret, ſed tantummodo citaret teſtes ad unumquodque crimen expoſitum, & eos Hortenſio interrogandos daret, inquit Aſconius. Unde Quintilianus libr. 6. cap. 6. Cicero ſummo conſilio videtur in Verrem vel contrahere tempora dicendi maluiſſe; quàm in eum annum quo erat Q. Hortenſius conſul futurus, incidere. Conſilium ſuum ipſe Cicero Verrina ſecunda copioſe exponit. quæ præterea exhortationem continet judicum ad vere judicandum: minæ quoque in adverſarios diriguntur, omnia tentantes ad corrumpendum judicium.qua oratione ipſe Verrina

rina tertia hoc ſe aſſecutum fuiſſe ait, ut una hora, qua cœpit dicere, reo ſpem judicii corrumpendi præcideret. primo autem die magno teſtium numero citato, alter dies amicis Verris & defenſoribus non modo ſpem victoriæ, ſed etiam voluntatem defenſionis abſtulit. nam, ut Aſconius ſcribit, arte Ciceronis ita eſt fatigatus Hortenſius, ut nihil contra quod diceret, inveniret. Itaque nobis, ut Cicero in Oratore, pro familiari reo ſummus orator non reſpondit Hortenſius. dicendi enim facultatem Cicero Hortenſio nullam dedit nihil ipſe dicendo, ait Aſconius & Plutarchus, τοῦτον εἷλεν οὐκ εἰπών, ἀλλ᾽ ἐξ αὐτοῦ τρόπον τινὰ τὸ μὴ εἰπεῖν, ubi aliquando ἐξ αὐτοῦ corruptum eſſe, atque pro eo ἐξεδρῶν commodius legi poſſe putavi. ſed Adrianus Turnebus (cujus nomen, ut magiſtri de me optime meriti, mihi nunquam niſi honoris cauſa uſurpandum eſt) anno ſuperiore literis ſignificavit, τρόπον τινὰ ἐξ αὐτοῦ τὸ μὴ εἰπεῖν, eſſe quodam modo abdicata eloquentia. Hæc prima actio, cujus quaſi procœmium tantum literis mandatum eſt, quæ Verrina ſecunda numeratur, novem diebus tranſacta eſt, Verrina tertia: eaque Verres convictus ſua ſponte in exſulium deceſſit, Aſconius: in quo exſulio illum conſenuiſſe, donec à Triumviris poſt Cic. mortem proſcriptus periit, auctor eſt Lactantius li. 2. cap. 4. & Seneca in Suaſoriis libr. 1. Proſcriptum Verrem ab Antonio traditur, quod Corinthiis ſe ei ceſſurum negaviſſet, Plin. lib. 34. cap. 2. Reliquas Verrinas quinque Cicero non dixit: ſed, cùm vellet omnem vim & rationem accuſandi in uno reo oſtendere, quinque hos libros domi ſcriptos edidit: quos pro qualitate criminum dividens, anteactis unum dedit, crimini repetundarum quatuor, unum de jure dicundo, alterum de re frumentaria, tertium de ſignis, quartum de ſuppliciis, Aſconius. Hi ſunt quinque contra Verrem ſecundæ actionis libri, de quibus Fabius li. 11. cap. 2. & Tacitus in dialogo de Oratoribus Cicero etiam in Oratore Verrin. 6. quartum Accuſationis appellat. Itaque in primo accuſationis libro, quæ eſt Verrina tertia, Cicero anteacta, id eſt ea crimina, quæ Verres ante præturam Sicilienſem in quæſtura, legatione, & prætura urbana commiſit, exponit. In ſecundo Accuſationis libro quæ eſt Verrina quarta, explicantur crimina in Sicilia, in jure dicundo commiſſa. Tertius liber eſt de frumenti criminibus, eaque oratio frumentaria à veteribus Grammaticis nominatur. Quartus liber, ſeu Verrina ſexta, eſt de ſignis. Quintus & ultimus de ſuppliciis. Verre damnato, ut Plutarchus tradit, cum Cicero litem ei tricies H-S. æſtimaſſet, male audivit, quaſi pecunia accepta, de multa remiſiſſet. Apud Plutarchum ἑβδομήκοντα πέντε μυριάδες, eſt tricies ſeſtertium: ſiquidem εἴκοσι πέντε μυριάδες eſt, decies H-S. ut idem in Antonio teſtatur. Verùm Budæus in libris de Aſſe & in Commentariis cenſet in Plutarchi libris verbum τριακοσίων, aut aliud deeſſe. Seſtertium quadringenties à Verre tantum repetitum eſſe, Aſconius ſcribit. His coss. tribuniciam poteſtatem reſtitutam eſſe, Salluſtius in Catil. ſcribit, idem eſt in epitoma lib. 97. apud Vellejum li. 2. & Plutarchum in Pompejo. Hinc Q. Cicero lib. 3. de legibus ait, Pompejum noſtrum ceteris rebus omnibus ſemper ampliſſimis ſummiſque effero laudibus: de tribunicia poteſtate taceo: nec enim reprehendere libet, nec laudare poſſum. Poſt judicia à Sulla conſtituta, ſenatus jam ex lege Cornelia per decem annos turpiter judicaverat, ita ut judiciorum levitate ordo quoque alius ad res judicandas poſtularetur. hoc igitur anno L. Aurelius Cotta prætor legem ad populum tulit, ut ſenatores cum equitibus & tribunis ærariis judicarent. Cicero Verrina prima, & Aſconius in eandem. Livius li. 97. & Vellejus 2. Eodem anno Cenſores fuerunt Gellius Poplicola, & Cn. Cornelius Lentulus. de quibus Cicero pro Cluentio. Lentuli cenſoris meminit etiam Verrina ſeptima, pro Flacco, & pro domo.

Anno urbis DCLXXXIV. *Ciceronis* XXXVIII. COSS. *fuerunt,*

Q. HORTENSIUS, Q. CÆCILIUS METELLUS CRETICUS.

DE his conſulibus Cicero pro Cluentio: Tum interim Hortenſio Metello coss. ut hunc Oppianicum aliud agentem, ac nihil ejuſmodi cogitantem ad hanc accuſationem detraheret, invito deſpondit ei filiam ſuam. Hoc anno Cicero ædilis curulis fuit. ædiles autem ἀφ᾽ ἑνὸς ὧν πράττουσιν ἔργων, ἱερῶν τόπων ἐπιμεληταὶ καλοῦνται, id eſt, ab una parte ſui muneris quaſi curatores ædium dicti ſunt, Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 6. ubi addit eos à Græcis ἀγορανόμους dici, quod magnam illis partem ſimiles ſunt. de ædilitate ſua Cicero Verrina ſeptima ita ſcribit: Nunc ſum deſignatus ædilis: habeo rationem, quid à populo Rom. acceperim: mihi ludos ſanctiſſimos maxima cum cæremonia Cereri, Libero, Liberæque faciendos, mihi Floram matrem populo plebique Rom. ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquiſſimos, qui primi Romani ſunt nominati, maxima cum dignitate ac religione Jovi, Junoni, Minervæque eſſe faciundos: mihi ſacrarum ædium procurationem, mihi totam urbem tuendam eſſe commiſſam: ob earum rerum laborem & ſolicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in ſenatu ſententiæ dicendæ locum, togam prætextam, ſellam curulem, jus imaginis ad memoriam poſteritatemque prodendam. hinc etiam pro Murena, ſe ædilem trinos ludos feciſſe, ait. Idem libro 2. de officiis, pro amplitudine honorum, quos cunctis ſuffragiis adeptus eſſet ſuo anno, exiguum ſumptum ædilitatis ſuæ fuiſſe tradit. Advexerunt tum & attulerunt Siculi multa ex inſula ad Ciceronem ædilem. quorum ille nihil in ſuum quæſtum contulit: tantum liberalitate hominum ad annonam levandam uſus eſt, auctore Plutarcho. Collega Ciceronis in ædilitate fuit M. Cæſonius, ut ipſe Verrina ſecunda, & Aſconius teſtantur. Scio Paullum Manutium in Aſconium ſcribere, hunc magiſtratum cum Tullio non Cæſonium, ſed C. Antonium geſſiſſe. verum unde id didicerit, equidem ignoro. Hoc anno Lucullus urbem ex Tigranis regno cepit, cujus meminit in

Maniliana Cicero. Cùm enim pridie nonas Octobris magnum numerum hoſtium exigua manu ad Tigranocertam viciſſet, deinde urbem cepit. Plutarchus in Lucullo. Dio libro 35. eodem anno M. Puppius Piſo de Hiſpaniis triumphavit. Cicero in Piſonem, & Aſconius. His quoque conſulibus templum Jovis in Capitolio, quod incendio conſumtum ac refectum erat, à Q. Catulo dedicatum eſt, Caſſiodorus & Livius lib. 98. Tacitus lib. 19. Plinius lib. 7. cap. 43. Cicero etiam Verrina ſexta, Q. Catulum appellans, Capitolium magnificentius eſſe reſtitutum, quam fuerit, ait. Circa idem tempus M. Tullius pro Fontejo dixiſſe videtur. Tenuerat is provinciam Galliam prætor per triennium, ut ſupra ad annum DCLXXIX. annotavi. Reverſus autem Romam repetundarum reus factus eſt à Gallis, quòd Fontejo prætore oppreſſa ære alieno provincia fuiſſet: quæſtum ipſe ex viarum munitione feciſſet, & portorium vini inſtituiſſet. Accuſavit eum M. Plætorius, ſubſcriptore M. Fabio. defendit M. Cicero circa hoc tempus, cùm jam equites cum ſenatoribus ex lege Aurelia judicarent, quod orationis verba oſtendunt. Sequitur oratio pro A. Cæcina: cujus tempus incertum, argumentum verò tale eſt: M. Fulcinius Tarquinienſis Ceſenniæ uxori moriens, uſumfructum omnium bonorum ſuorum legavit, ut frueretur una cum filio herede inſtituto. Filio mortuo, & auctione bonorum conſtituta, Ceſennia fundum ex iis bonis emere de ſententia amicorum conſtituit. Idque negotium Sex. Æbutio dedit. cui fundus, pecunia Ceſenniæ emptus, fuit addictus. Ceſennia cùm non multò poſt A. Cæcinæ nupſiſſet, eumque heredem feciſſet, deceſſit. Tum Æbutius fundum illum, quem mandato Ceſenniæ emerat, ſuum eſſe dixit. Itaque conſtitutum fuit, quo die in rem præſentem veniretur, ut cùm Cæcina de fundo eſſet dejectus, interdictum à prætore poſtularet. Verum Æbutius fundo occupato, Cæcinam in eum ingredi conantem, coactis armatisque hominibus per vim aditu ingreſſuque prohibuit. Repulſus Cæcina interdictum de armatis hominibus à Dolabella prætore impetravit, ut unde dejectus eſſet, eò reſtitueretur. Æbutius reſtituiſſe ſe dixit: in eamque rem ſponſio facta eſt. de qua Recuperatores a prætore dati, cognoverunt. Tota quæſtio definitionis eſt, An interdicto de vi teneatur etiam is, qui non dejecit de fundo, ſed ab ejus ingreſſu prohibuit? de qua re Cicero in Oratore: Tota mihi cauſa pro Cæcina de verbis interdicti fuit: res involutas definiendo explicavimus, jus civile laudavimus, verba ambigua diſtinximus.

Anno urbis DCLXXXV. *Ciceronis* XXXIX. COSS. *fuerunt,*

L. CÆCILIUS METELLUS, Q. MARCIUS REX.

DE his conſulibus Cicero in Piſonem: Aude nunc ô furia de tuo dicere, cujus fuit initium ludi compitalitii, tum primum facti poſt L. Metellum & Q. Marcium coſs. contra auctoritatem hujus ordinis. Ita enim rectè Paulus Manutius nomina mendoſa reſtituit. Idem Manutius hoc anno epiſtolam 4. libri 1. ad Atticum ſcriptam putat: in qua de L. Ciceronis morte agit. Hoc anno P. Clodius Luculli exercitum in Niſibis urbis obſidione ſollicitavit, auctore Dione lib. 35. unde Cicero de Haruſpicum reſp. Poſt exercitu L. Luculli ſollicitato, fugit illinc.

Anno urbis DCLXXXVI. *Ciceronis* XL. COSS. *fuerunt,*

C. CALPURNIUS PISO, M. ACILIUS GLABRIO.

HI conſules nominantur à Cicerone lib. 12. ad Att. & Philippica ſecunda, quibus C. Triarius, legatus Luculli à Mithridate victus fuit, ut Dio, Plutarchus & Appianus ſcribunt, qui addunt, cecidiſſe tum centuriones CL. tribunos XXIV. & caſtra Romanorum à Mithridate capta fuiſſe. Hæc eſt illa calamitas, quam Cicero in Maniliana tantam fuiſſe ait, ut eam ad aures L. Luculli imperatoris non ex prælio nuncius, ſed ex ſermone rumor afferret. hic in ipſo illo malo, graviſſimaque belli offenſione L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi fortaſſe potuiſſet, veſtro juſſu coactus, quod imperii diuturnitati modum ſtatuendum veteri exemplo putaviſtis, partem militum, qui jam ſtipendiis confectis erant, dimiſit, partem Glabrioni tradidit. hactenus Cicero. Confectis ſtipendiis erant milites Valeriani, οὐαλέριοι οἱ τῆς στρατείας ἀφεθέντες, ut Dio loquitur, qui addit, turbam etiam tum factam, cum milites Acilium conſulem, qui ut Lucullo ſuccederet, miſſus erat, adventare audiverunt. atque Acilius Glabrio eſt, quem Cicero in Maniliana Lucullo ſucceſſiſſe ait. Huc pertinent verba illa Salluſtii, quæ ex lib. 5. hiſtor. apud Priſcianum lib. 18. leguntur: Legiones Valerianæ, comperto lege Gabinia Bithyniam & Pontum conſuli datam, ſe miſſos eſſe. Fuit enim hoc anno tribunus pl. A. Gabinius: qui, cùm piratæ non ſolum maria, verum etiam oras maritimas ſuis latrociniis infeſtas redderent, ut præter hiſtoricos Cicero in Maniliana ait, de uno imperatore contra prædones conſtituendo legem initio ſui tribunatus promulgavit. unde idem poſt reditum in ſenatu de Gabinio inquit, Qui in magiſtratu niſi rogationem de piratico bello tuliſſet, profectò & egeſtate & improbitate coactus, piraticam ipſe feciſſet. Tum Hortenſius in ſenatu contra Gabinium graviter, ornateque dixit. Q. Catulus cum ex populo Rom. quæreret, ſi in uno Pompejo omnia ponerent, ſi quid eo factum eſſet, in quo ſpem eſſent habituri, cœpit magnum ſuæ virtutis fructum ac dignitatis, cum omnes una prope voce, in eo ipſo ſe ſpem habituros eſſe dixerunt. hæc Cicero pro lege Manilia. ubi ait etiam, Pompejum hoc bellum piraticum, quod ipſe cum Salluſtio maritimum nominat, extrema hyeme apparaſſe, ineunte vere ſuſcepiſſe, media æſtate confeciſſe. Inter Gabinii collegas fuit L. Roſcius Otho, quem Cicero pro Murena ait reſtituiſſe equeſtri ordini non ſolum dignitatem, ſed etiam voluptatem. Tulit enim hoc anno tribunus pleb. legem,

gem, ut equitibus Rom. in theatro quatuordecim gradus proximi aſſignarentur, auctor Livius l. 99. & Dio libro 36. de eadem lege Aſconius in Cornelianam ita ſcribit: Roſcia eſt, qua L. Roſcius Otho biennio ante confirmavit, ut in theatro equitibus Romanis XIV. ordines ſpectandi gratia darentur. Meminit ejuſdem Tacitus libr. 15. Horatius in Epodo, & epiſt. 1. lib. 1. & Juvenalis Satyr. 3. Tu vide Xylandrum in Annotationibus in Plutarchi Ciceronem, in quas ea tranſtulit, quæ ante biennium ad ipſum pro noſtra amicitia miſeram. Eodem anno, cum magnus ambitus eſſet, C. Cornelius tribunus pleb. is, qui biennio poſt majeſtatis reus à Cicerone defenſus eſt, legem de ambitu tulit: in qua graviſſimis pœnis crimen hoc ſanxit, quare ſenatus conſulibus mandavit, ut huic rei moderarentur, qui tum legem tulerunt, auctore Dione, ut eorum, qui ambitus convicti eſſent, nemini aut magiſtratum gerere, aut in ſenatu eſſe liceret, addita etiam multa pecuniaria. Hæc eſt lex Calpurnia de ambitu, quam ſeveriſſimè ſcriptam fuiſſe, Cicero pro Murena ait. Indicta erant tum comitia, ante quæ, ut Dio ſcribit, nihil ſciſcere licebat: ſed cùm interim candidati multa nefaria facerent, cædeſque fierent, ſenatus decrevit, ut antequam lex de ambitu lata eſſet, comitia ne haberentur, & conſulibus præſidium daretur. excitavit etiam turbas Cornelius, ut Dio & Aſconius ſcribunt, ob quas cum dilata comitia eſſent, Cicero ter prætor primus centuriis cunctis renunciatus eſt, ut ipſe in Maniliana teſtatur. Licebat autem ei præturam petere hoc tempore biennio poſt ædilitatem. vide epiſt. 25. lib. 10. Fam. in præturæ petitione competitores illuſtres multos cum haberet, prætor primus deſignatus eſt, auctore Plutarcho. ipſe prætereà in Bruto, ſe & prætorem primum & incredibili populi voluntate eſſe factum ait. idem in Piſonem confirmat. Cicero igitur prætor primus, id eſt primo loco factus fuit ex octo illis qui tum fiebant. Prætores cum Cicerone deſignati ſeptem hi fuerunt, Q. Voconius Naſo, M. Plætorius, C. Flamminius, C. Orchinius, C. Aquillius Gallus, P. Caſſius, & C. Antonius, Cicero pro Cluentio, & Aſconius. De comitiis prætoriis agit Cicero epiſtola 8. & 9. lib. 1. Att. quæ hoc anno ſcriptæ fuerunt. in nona, candidatos omnibus iniquitatibus exercitos fuiſſe teſtatur. Extremo hujus anni menſe, a. d. IV. Id. Decem. (quem diem Trib. pleb. ineundo magiſtratui ſollennem fuiſſe, ex Livio & Dionyſio patet) C. Manilius tribunatu inito, poſt pauculos dies ſubnixus libertinorum & ſervorum manu legem tulit, ut libertinis in omnibus tribubus ſuffragium eſſet, auctor Aſconius in Cornelianam & Milonianam atque hoc Dio lib. 36. ita ſcribit τῷ ἔθνει τῷ τῶν ἀπελευθέρων ἔν τε ἐσχάτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ, καὶ πρὸς ἑσπέραν, παρασκευάσας τινὰς ἐκ τοῦ ὁμίλου, ψηφίσασθαι μετὰ τῶν ἐξελευθερωσάντων σφᾶς ἔδωκεν. quorum verborum ſententia, à docto interprete non ſatis bene expreſſa, hæc eſt, Manilius libertinis extremo anni die ſub veſperam comparatis nonnullis è multitudine, lege lata dedit, ut cum patronis ſuis ſuffragia ferrent.

Anno urbis DCLXXXVIII. *Ciceronis* XLI. COSS. *fuerunt,*

M. ÆMILIUS LEPIDUS, L. VOLCATIUS TULLUS.

HOS conſules nominat Cicero in Catil. 1. & pro Sulla, quibus ipſe Kal. Januarii præturam iniit, quam hoc anno geſſit. Indicat Aſconius in Cornelianam. Sequenti, inquiens, anno M. Lepido L. Volcatio coss. quo anno prætor Cicero fuit, reum Cornelium duo fratres Cominii lege Cornelia de majeſtate fecerunt. Indicat idem Cicero pro Cœlio: Fuit aſſiduus mecum prætore me: non noverat Catilinam: Africam tum prætor ille obtinebat, ſecutus eſt annus cauſam de pecuniis repetundis. Quare ſi Catilina cauſam de pecuniis repetundis anno ſequente Cotta & Torquato coss. dixit, ut ex Aſconio, & oratione pro Sulla cognoſcitur: hoc anno, quo ille Africam obtinuit, Cicero prætor Romæ fuit. quod Dio exponens res geſtas hujus anni diſertè ſcribit, Prætor Cicero quæſtioni de pecuniis repetundis præfuit, ut ipſe pro Rabirio Poſtumo ita confitetur: Accuſavi de pecuniis repetundis, judex ſedi, prætor quæſivi. & pro Cornelio: Poſtulatur apud me prætorem primum de pecuniis repetundis. Idem oſtendit pro Cluentio: ubi quæſtionem de pecuniis repetundis ſuam vocat. Judicia Cicero, ut Plutarchus ſcribit, viſus fuit caſtè integreque exercere. De Licinio Macro idem memoriæ proditum ait, eum, qui & ipſe multum in civitate poterat, & Craſſo patrono utebatur, cùm de pecuniis repetundis apud Ciceronem prætorem accuſatus eſſet, & judices adhuc ſententias ferrent, fretum ſua potentia & ſtudio amicorum domum abiiſſe, & caput ſtatim totondiſſe, ſumptaque veſte pura tanquam victorem in forum revertiſſe. ſed cùm Craſſus in veſtibulo occurrens, eum omnibus ſententiis damnatum eſſe, dixiſſet, reverſum decubuiſſe, atque ita deceſſiſſe, ajunt. quæ res Ciceroni, ut qui judicia magna cum diligentia exerceret, gloriam peperit. hactenus Plutarchus. Valerius Maximus l. 9. c. 12. rem paulo aliter narrat. Cicero autem ep. 3. l. 1. Att. quam hoc anno prætor ſcripſit. Nos, inquit, hic incredibili ac ſingulari populi voluntate de C. Marco tranſegimus: cui cùm æqui fuiſſemus: tamen multo majorem fructum ex populi exiſtimatione illo damnato cepimus, quam ex ipſius, ſi abſolutus eſſet, gratia cepiſſemus. Meminit in eadem epiſtola comitiorum Q. Fratris quibus ille ædilitatem petiiſſe videtur. Kal. Jan. hujus anni C. Manilii lex de libertinis S. C. damnata fuit, auctore Dion. Tum Manilius, ut Pompeii gratiam colligeret, legem promulgavit, ut Pompejo, qui tum in Cilicia belli maritimi reliquias perſequebatur, Bithynia, Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchis, Armenia minor cum omni apparatu belli piratici, & copiis omnibus, quæ ſub Lucullo meruerant bellumque Mithridaticum, quod Lucullus jam annis ſeptem geſſerat, committeretur, Plutarchus in Pompejo, Appianus in Mithridatico, Dio lib. 36. Hanc legem promulgatam Q. Catulus & Hortenſius viri conſulares de more diſſuaſerunt, Cicero prætor ſuaſit

oratione, quæ pro lege Manilia exſtat, qua bellum Mithridaticum & genere neceſſarium, & magnitudine periculoſum Cn. Pompejo, in quo ſumma eſſet ſcientia rei militaris, virtus, autoritas, & felicitas, tranſmittendum eſſe perſuaſit. Eodem anno A. Cluentius Avitus veneficii à T. Atio accuſatus, à Cicerone prætore apud Q. Voconium defenſus fuit. Veneno ſuſtuliſſe cum alios nonnullos, tum Oppianicum vitricum ſuum arguebatur. ſed Cicero antequam ad hoc crimen veniat, Cluentium longa defenſione primum de falſa infamia purgat. Cùm enim Oppianicus ante annos octo Lucullo & Cotta coss. ut ſupra demonſtravimus, à Cluentio accuſatus & condemnatus eſſet, defenſor ejus L. Quintius rem in invidiam adduxit cùm diceret, pecuniam in judicio fuiſſe verſatam: & cum incertum eſſet ex qua parte eſſet profecta, populus Rom. non credidit ab Oppianico datam, quia damnatus erat, & errore multorum in falſo crimine Cluentius fuit, ut ſcribit Aſconius in Verr. 2. Hoc tempore Ciceronem etiam pro M. Fundanio, & Q. Gallio dixiſſe, Carolus Sigonius in Fragmentis Ciceronis annotavit: ſed de oratione pro Gallio diſſentio. M. Ciceronem etiam, cùm prætura fungeretur, ſcholam M. Antonii Gniphonis frequentaſſe, Tranquillus de illuſtribus Grammaticis auctor eſt. Cùm P. Vatinius, patronus aſper, & magiſtratuum contemptor, ſtrumis oppletum collum haberet, ac coram à Cicerone prætore aliquid peteret, idque ille non concederet, ſed diu deliberaret, dixit; ea de re ſe, ſi prætor eſſet, nihil dubitaturum. cui Cicero. At ego tantas cervices non habeo. Extremo menſe hujus anni, cum Ciceroni jam biduum aut triduum præturæ ſupereſſet, Manilium quidam furti apud ipſum poſtulavit. Studebat Manilio populus, quod propter Pompejum, cui amicus erat, accuſari videretur. cùm igitur Manilius unum diem petiiſſet, ac Cicero tantum inſequentem dediſſet, populus indigne tulit: quod mos eſſet ut decem minimum dies prætores reis darent. quare productus in concionem à tribunispleb. ibique accuſatus, cum rogaſſet, ut audirent dixit, Se, qui in reos ſemper quantum leges permitterent, comis & humanus fuiſſet, indignum judicaſſe, non eundem ſe Manilio præſtare, itaque ei diem, quem unum prætor in ſua poteſtate haberet, dedita opera præfiniviſſe: cùm non ſit ejus, qui rei cauſam adjuvare velit, ad alium magiſtratum judicium rejicere. hac oratione animi populi ita commutati ſunt, ut Ciceronem lætis acclamationibus proſecuti, rogarent, ut Manilii patrocinium ſuſciperet, quod ille præſertim ob Pompejum abſentem cupide recepit. magnaque vi orationis in ſtudioſos potentiæ paucorum & Pompeii invidos invectus eſt. Hactenus Plutarchus. Dio autem de eadem re in hanc ſententiam ſcribit: Cum homines nobiles Manilio accuſationem comparaſſent. iſque in hoc incumberet, ut dies ſibi prorogaretur, Cicero prætor, & quæſtionis judex præter alia, quæ contra Manilium fecit, vix in poſterum diem judicium diſtulit anni & præturæ exitum prætexens, quod cum multitudo indigne ferret, in concionem venit. coactus à tribunispleb. ſenatumque inſectatus, Manilii cauſam defenſurum ſe promiſit. Sed quo minus hoc judicium fieret, Dio tumultum in cauſa fuiſſe ait. quem brevi expediam. Comitia conſularia hoc anno habente L. Volcatio Tullo, conſules deſignati fuerunt P. Antronius Pætus, & P. Cornelius Sulla. deſignatosq; jam L. Cotta, & L. Torquatus lege Calpurnia de ambitu, de qua diximus; accuſarunt & damnarunt, atque ad ſe magiſtratum tranſtulerunt, ut Cic. in orat. in toga candida, Aſconius, Salluſtius & Dio teſtantur. Cicero quoque lib. 2. de Finib. ait, L. Torquatum adoleſcentulum eripuiſſe P. Sullæ conſulatum, & ad patrem ſuum retuliſſe. Eodem tempore Catilina, cum de provincia Africa deceſſiſſet petiturus conſulatum, pecuniarum repetundarum reus factus, prohibitus fuit petere, auctore Salluſtio & Aſconio. Tum contra Remp. conjuraverunt pauci, in quibus à Salluſtio P. Autronius, L. Catilina & Cn. Piſo numerantur. Dio & Suetonius illis addunt P. Sullam, nec diſſentit Livius lib. 101. quo nomine Sulla poſt annos quatuor à L. Torquato accuſatus, ab Hortenſio & Cicerone defenſus fuit. Hi circiter nonas Decemb. conſilio communicato, parabant in Capitolio Kalen. Jan. Cottam & Torquatum coss. interficere. ea re cognita, in nonas Februar. conſilium cædis tranſtulerunt. ſed neque tum cædes facta eſt, quod Catilina ſignum conjuratis prius, quàm parati eſſent, dederit, Salluſt. & Aſconius.

Anno urbis DCLXXXVIII. *Ciceronis* XLII. COSS. *fuerunt*,

L. AURELIUS COTTA, L. MANLIUS TORQUATUS

HORUM conſulum meminit Cicero Agraria ſecunda, & in Catil. 3. his verbis: Memoria tenetis, Cotta & Torquato coss. complures in Capitolio turres de cœlo eſſe percuſſas, cùm & ſimulacra Deorum immortalium depulſa ſunt, & ſtatuæ veterum hominum dejectæ, & legum æra liquefacta. tactus eſt etiam ille, qui hanc urbem condidit, Romulus, &c. Eadem prodigia Cicero in ſecundo de conſulatu Uraniam Muſam narrantem fecit verſibus elegantiſſimis, qui exſtant l. 1. de Divinat. de iiſdem Obſequens, & Dio l. 37. M. Tullius ex prætura in provinciam ire noluit, ut ipſe pro Murena teſtatur: ſed cum anno ſequente conſulatum petere cogitaret, hoc tempore prenſabat. qua de re ait in ep. 1. l. 1. ad Att. quam hoc anno ante comitia conſularia Attico ſcripſit. His conſulibus Cicero C. Cornelium de majeſtate apud Q. Gallium prætorem quatriduo defendit, quas actiones in duas orationes collatas edidit, auctore Aſconio, apud quem reliquiæ orationum exſtant. Eodem anno, ut Dio lib. 37. ſcribit, C. Papius tribunuspleb. legem tulit, ne quis peregrinus in urbe eſſet. Hinc Cicero lib. 3. de Officiis: Male etiam qui peregrinos urbibus prohibent, eoſque exterminant, ut Pennus apud patres noſtros, Papius nuper. hanc legem Papiam nominat idem pro Archia. eandem intelligit in Agraria prima, cum inquit: Simillime atque in illa lege, qua peregrini

grini Roma ejiciuntur, Glaucippus excipitur. Hoc quoque anno Catilina accuſatus eſt repetundarum à P. Clodio adoleſcente, Cicero pro Cœlio, & Aſconius. Reo de pecuniis repetundis, Catilinæ advocatus fuit Torquatus conſul, pro Sulla. Clodius accuſator à Catilina pecuniam accepit, ut turpiſſime prævaricaretur. de Haruſp. reſp.

Anno urbis DCLXXXIX. *Ciceronis* XLIII. Coss. *fuerunt,*

L. JULIUS CÆSAR, C. MARCIUS FIGULUS.

HOS conſules nominat Cicero pro Sulla. iiſdem ſe filiolo auctum ſcribit lib. 1 ad Att. Quia vero annus XLIII. legibus Romanis conſularis fuit, ut Cicero Philip. 5. oſtendit, ideo Cicero hoc anno conſulatum petivit, de quo pro Cœlio inquit: Deinceps fuit annus, quo ego conſulatum petivi. In conſulatus petitione ſex competitores Cicero habuit, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam, C. Antonium, L. Caſſium Longinum, Q. Cornificium, & C. Licinium Sacerdotem. de quibus Aſconius in orat. in tog. cand. & Q. Cicero de petitione conſ. in his patritii duo fuerunt, P. Galba, & L. Catilina. de quibus Cicero pro Murena: Etenim mihi ipſi accidit, ut cum duobus patriciis, altero improbiſſimo atque audaciſſimo, altero modeſtiſſimo atque optimo viro peterem, ſuperavi tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam. Cum autem in dies licentia ambitus augeretur propter præcipuam Catilinæ & Antonii audaciam, cenſuerat ſenatus, ut lex ambitus aucta etiam cum pœna ferretur. cui rei cùm Qu. Mucius Oreſtinus tribunuspl. interceſſiſſet, graviter ſenatu interceſſionem ferente, Cicero ſurrexit, atque in coitionem Catilinæ & Antonii invectus eſt, habita oratione in toga candida. Utebatur enim hoc tempore magiſtratum petens candida toga quam Polybius l. 10. τήβενναν λαμπρὰν nominat. Eam orationem, cujus fragmenta apud Aſconium exſtant Quintilian. l. 3. c. 9. vocat librum in competitores, quem vituperationem continere ait, & tamen in ſenatu eſſe habitum loco ſententiæ. Catilina jam convocatis iis, quibus maxima neceſſitudo, & plurimum audaciæ inerat, conſilium ſuum expoſuerat, quod per Fulviam in vulgus prolatum, in primis ſtudia hominum accendit ad conſulatum mandandum M. Tullio Ciceroni, ut Salluſt. ſcribit. itaque, ait Aſconius, Cicero conſul omnium conſenſu factus eſt, Antonius pauculis centuriis Catilinam ſuperavit. & ipſe in Piſonem: Me cuncta Italia, me omnes ordines, me univerſa civitas non prius tabella, quàm voce priorem conſulem declaravit. Item Agraria ſecunda. Eſt illud ampliſſimum, quod hoc honore ex novis hominibus primum me multis poſthabitis affeciſtis, quod prima petitione, quòd anno meo, ſed tamen magnificentius atque ornatius eſſe illo nihil poteſt, quod meis comitiis non tabellam vindicem tacitæ libertatis, ſed vocem vivam præ vobis indicem veſtrarum erga me voluntatum ac ſtudiorum tuliſtis. itaque me non extrema tribus ſuffragiorum, ſed primi illi veſtri concurſus, neque ſingulæ voces præconum, ſed una voce univerſus pop. R. conſulem declaravit. Hoc anno Ciceronem Q. Gallium de ambitu defendiſſe ut putem, Aſconius facit: qui in orat. in toga candida ſcribit, poſtea defenſum eſſe Gallium. Prætor fuerat anno ſuperiore: hoc verò tempore de ambitu accuſatus fuit, quod præturæ candidatus cùm eſſet, gladiatorium dediſſet, auctor Aſconius. Eodem anno illud memoria dignum accidiſſe Dio ſcribit quod is, qui Sullæ juſſu Lucretium occiderat, & alius, qui multos proſcriptos interfecerat, rei inter ſicarios facti & condemnati ſunt, auctore in primis Julio Cæſare, ubi L. Bellienum, & L. Luſcium ſignificari, ex Aſconio in orat. pro Ligario ſcripſi. ubi Cicero ait, Sullanam crudelitatem à C. Cæſare eſſe vindicatam. Cæſar enim hoc anno in exercenda de ſicariis quæſtione eos quoque ſicariorum numero habuit, qui proſcriptione ob relata civium Romanorum capita pecunias ex ærario acceperant, auctore Suetonio. Eas verò pecunias M. Catonem quæſtorem anno ſuperiore, Cotta & Torquato coss. etiam exegiſſe, Plutarchus in Catone ſcribit. Neque ſolum hoc præter opinionem multitudinis accidiſſe Dio ait, verum etiam quod Catilina, qui permultos à Sulla proſcriptos occiderat, in judicium adductus & abſolutus fuit. atque hoc eſt illud judicium, in quo Catilinæ Torquatum non adfuiſſe, cùm adeſſent ceteri, Cicero pro Sulla dicit. Catilinam à L. Lucullo reum inter ſicarios factum poſt repulſam, Aſconius ſcribit. Fuit hoc anno cenſor L. Aurelius Cotta, ut Plutarchus in Cicerone oſtendit. itaque L. Cotta homo cenſorius dicitur, pro domo ſua. Extremo hujus anni menſe P. Servilius Rullus tribunuspl. inito magiſtratu legem agrariam promulgavit, ut decemviri ſummo cum imperio crearentur, qui in ſua poteſtate Italiam totam, Syriam univerſam, eaque omnia, quæ virtute Pompeii recens imperio Romano adjecta erant, haberent; venderent quidquid publicum populi Rom. eſſet; judicarent de omnibus, de quibus ipſi vellent, exſules ejicerent, colonias deducerent, pecuniam ex ærario caperent, milites, quod opus haberent, conſcriberent, & alerent. Hæc capita legis agrariæ Plutarchus in Cicerone recenſet: ipſe in Orationibus plura habet, ſed quæ ad hæc pertineant.

Anno urbis DCXC. *Ciceronis* XLIV. COSS. *fuerunt,*

M. TULLIUS CICERO, C. ANTONIUS.

KAL. Januarii Cicero ſe Rempubl. accepiſſe plenam ſolicitudinis, plenam timoris, in qua nihil eſſet mali, nihil adverſi, quod non boni metuerent, improbi exſpectarent, ait Agrar. 2. Nam tribunipl. ut Dio ſcribit, nacti Antonium cos. moribus ſibi ſimillimum; partim liberos eorum, qui à Sulla proſcripti, honorum petitione privati erant, ad magiſtratus adducebant, partim P. Pæto, & Cornelio Sullæ, qui cum ipſo damnatus fuerat, ſenatoriam dignitatem reſtituebant, atque ut magiſtratus gerere poſſent, permittebant: alii novas tabulas pro-

proponebant, alii legem ferebant de agris dividendis per Italiam, & ditiones, quæ pop. Rom. imperio parebant. Hactenus Dio. Multa Antonius, collega Ciceronis, in Repub. moliebatur, favebat legi agrariæ, & Catilinæ familiaris ab ejus conſiliis non erat alienus. quod Cicero pro Sextio & in Piſonem, Salluſtius, Plutarchus & Dio ſignificant. erat enim inflatus Catilina Antonii promiſſis, pro Murena. Hunc igitur Cicero patientia & obſequio ſuo primum mitigavit, atque ita de lege agraria cœpit agere. Kalendis Januarii inito conſulatu ſenatum & bonos omnes legis agrariæ, maximarumque largitionum metu liberavit, ut ipſe in Piſonem ait. Tum primam orationem conſularem habuit in ſenatu epiſt. 1. lib. 2. ad Att. atque hæc eſt oratio prima contra Rullum, cujus pars exſtat, in qua diſputat contra venditionem rerum publicarum, emtionem agrorum, & deductionem coloniarum. Hac oratione, Plutarchus, auctores legis ita perterritos fuiſſe, ait, ut nihil contra dixerint. cùm deinde iidem conſules in concionem vocarent, Cicero populo Rom. diſceptatore uti non dubitavit: ſed, cum ſenatum ſe ſequi juſſiſſet, progreſſus, ſecundam orationem conſularem ad populum de lege Agraria dixit, in qua legem Serviliam antiquandam eſſe ſuadet, quòd per eam Rullus ſimulatione largitionis tyrannidem conſtituat: cùm & decemviris creandis libertatem populo eripiat, & in agrorum venditione atque emptione, coloniarumque deductione tyrannicam poteſtatem ipſis permittat. Hac oratione Plutarchus ait, Ciceronem non modo legem ejeciſſe, verum etiam tribunos in deſperationem reliquorum, quæ moliebantur, conjeciſſe. Huc acceſſerunt duæ orationes breves, quaſi ἀποσπασμάτια legis Agrariæ, ut ſcribit ad Atticum ep. 1. lib. 2. harum una, quæ contra Rullum ad populum tertia legitur, breviſſima extat. qua ſe defendit contra accuſationem tribunorum, qui Ciceronem gratificantem Sullanarum aſſignationum poſſeſſoribus, Agrariæ legi obſiſtere criminati erant. Ita factum eſt, ut Cicerone dicente, legem agrariam, hoc eſt, alimenta ſua abdicaverint tribus, ut Plinius lib. 7. cap. 30. ait. Quanta vis dicendi & eloquentia in Cicerone fuerit, Plutarchus in eo quoque declaratum fuiſſe ait, quod in illius conſulatu circa ſpectacula evenit, L. Roſcius Otho legem Theatralem Piſone & Glabrione coss. tulerat, ut ſupra demonſtravimus. quam plebs ad ignominiam ſuam pertinere cenſuit: ideoque Roſcium in theatro ſibilis conſectata eſt, cùm equites contra illum plauſu exceperunt, ſublato deinde majore hinc ſibilo, inde plauſu, convicia, & tumultus tota cavea conſecutus eſt. quo audito, M. Tullius in theatrum venit, & populum in ædem Bellonæ evocatum reprehendendo & admonendo caſtigavit. Hanc orationem conſularem tertiam de Othone appellat lib. 2. ad Att. qua effectum eſt, ut Roſcio theatralis auctori legis plebs ignoverit, & notatam ſe diſcrimine ſedis æquo animo tulerit, ut Plinius lib. 7. cap. 30. teſtatur: Plutarchus vero ſcribit plebem ex æde Bellonæ in theatrum reverſam, Othoni magnum plauſum dediſſe, & de ornando viro equeſtri ordine nihil conceſſiſſe. Quarta oratio conſularis pro Rabirio exſtat, ſed imperfecta. Unde orta hæc cauſa fuerit, diximus ſupra ad annum DCLIII. quo Saturninus occiſus fuit. hoc vero tempore C. Julius Cæſar T. Labienum ſubornavit, qui C. Rabirio perduellionis diem diceret, ut Suetonius ſcribit, & Dio pluribus verbis libro 37. Eſt autem perduellio ſummum imminutæ majeſtatis crimen. de quo Duumviri à populo creati, quærere ſolebant. quod vetus lex apud Livium libro 1. oſtendit. Itaque C. & L. Cæſares Duumviri in hac cauſa creati, non à populo, ut moris erat; ſed à prætore, quod non licebat, Rabirium condemnarunt, ut Dio ſcribit. C. Cæſar, auctore Suetonio, ſorte judex in reum ductum tam cupide condemnavit, ut ad populum provocanti nihil æque ac judicis acerbitas profuerit. Populo appellato, comitia centuriata, quibus de perduellione judicari ſolebat, in campo Martio habita ſunt: ubi conſul Cicero C. Rabirium defendit, tum quod ſenatus imperio paruiſſet, tum quod fidem publicam non violaſſet, quam Marius ſine S. C. dare non potuiſſet. De hac cauſa in Piſonem hæc dixit: Ego in C. Rabirio perduellionis reo XL. annis ante me conſulem interpoſitam ſenatus auctoritatem ſuſtinui contra invidiam, atque defendi. de eadem in Oratore: Jus omne retinendæ majeſtatis Rabirii cauſa continebatur, ergo in omni genere amplificationis exarſimus. Quinta oratio conſularis fuit de proſcriptorum filiis. hi ſunt, quos Plutarchus in Cic. ſcribit, lege Cornelia honoribus excluſos, cùm neque infirmi, neque pauci eſſent, populum concitaſſe: ac juſte quidem Sullæ tyrannidem accuſaſſe, verum alieno tempore remp. perturbaſſe. Dictator enim Sulla non ſolum inimicos ſuos proſcripſit, ſed eorum etiam filios petendorum honorum jure lege lata privavit, auctores ſunt Plutarchus in Sulla, Paterculus lib. 2. & Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 8. qui addit illis etiam aditum in ſenatum obſtructum fuiſſe, itaque petentibus illis, ut lege Cornelia abrogata, capeſſendorum honorum poteſtas ſibi fieret, Cicero conſul reſtitit, qua de re Quintilianus lib. 11. cap 1. & Cicero in Piſonem: Ego adoleſcentes bonos & fortes, ſed uſos ea conditione fortunæ, ut ſi eſſent magiſtratus adepti reip. ſtatum convulſuri viderentur, meis inimicitiis, nulla ſenatus mala gratia, comitiorum ratione privavi. Hinc Plinius Ciceronem appellans, Te orante, inquit, proſcriptorum liberos honores petere puduit. Sextam orationem conſularem M. Tullius ad Atticum numerat, quam habuit, cùm provinciam in concione depoſuit. Provincias ſenatus conſulibus lege Sempronia decreverat Macedoniam & Galliam ciſalpinam. Macedoniam ut Dio ſcribit, Cicero, Galliam Antonius erat ſortitus. commutatis deinde provinciis, Cicero pro illa hanc recepit, acceptamque in concione depoſuit. hinc in Piſonem, Ego inquit, provinciam Galliam ſenatus auctoritate, exercitu, & pecunia inſtructam, & ornatam, & quam cum Antonio communicavi [commutavi fortaſſe rectius] quod ita exiſtimabam tempora reip. ferre, in concione

cione

cione depoſui, reclamante populo Rom. Interim L. Sergius Catilina arma per Italiam locis opportunis parabat, pecuniam ſua aut amicorum fide ſumptam mutuam, Fæſulas ad C. Manlium centurionem portabat. denique plurimos cujuſque generis homines adſciſcebat, & in proximum annum conſulatum petebat, ut Salluſtius ſcribit, cùm omnia, ut conſul deſignaretur, Catilina moliretur, nihilque intentatum relinqueret. M. Tullio referente placuit ſenatui, ut ad pœnam quæ ambitus crimini conſtituta erat, decem annorum exſulium lege ad populum lata, adderetur. hæc Dio. Legem de ambitu ſe conſulem tuliſſe, Cicero quoque pro Murena aliquoties ſignificat. item in Vatinium: Atque illud etiam audire à te cupio, quare cùm ego legem de ambitu ex S. C. tulerim ſine vi tulerim, ſalvis auſpiciis tulerim, ſalva lege Ælia & Fufia, tu eam eſſe legem non putes? vetabat eadem lex biennio, quo quis peteret, petiturusve eſſet gladiatores dare, niſi ex teſtamento præſtituta die, ut ibidem & pro Sextio ait. Cum Catilina, ut Dio tradit, hanc legem Tulliam contra ſe ex S. C. latam putaret, manum quandam comparavit, & Ciceronem cum aliis nonnullis principibus in campo comitiis interficere conatus eſt, ut ipſe confeſtim deſignaretur. Edicta comitia conſularia fuiſſe videntur in ante diem XII. Kal. Novemb. qui nominatur in Catil. I. ſed, cùm pridie ejus diei Cicero Catilinæ conſilia ad ſenatum detuliſſet, factum eſt S. C. ne poſtero die comitia haberentur, ut de iis rebus in ſenatu agi poſſet. Itaque poſtridie, inquit Cicero pro Murena, frequenti ſenatu Catilinam excitavi, atque eum de iis rebus juſſi, ſi quid vellet, quæ ad me allatæ eſſent, dicere. atque ille, ut ſemper fuit apertiſſimus, non ſe purgavit, ſed indicavit, atque induit, tum enim dixit, duo corpora eſſe Reip. unum debile infirmo capite, alterum firmum ſine capite: huic, cùm ita de ſe meritum eſſet, caput ſe vivo non defuturum. Hactenus Cicero. idem eſt apud Plutarchum. Eo die, id eſt, decimooctavo ante, quam primam Catilinariam Cicero dixit, ut Aſconius in Orat. in Piſonem, ſcribit, factum eſt S. C. ut viderent conſules, ne quid reſpub. detrimenti caperet. de quo Salluſtius, & Plutarchus, qui addit, hoc S. C. facto, Ciceronem res externas Q. Metello commiſiſſe, ipſi urbem curæ fuiſſe, idem Cicero ep. 2. lib. 5. Famil. ſignificat. Comitiis, quod homines jam tum conjuratos, ut pro Murena teſtatur, in campum deduci ſciebat, deſcendit in campum cum firmiſſimo præſidio fortiſſimorum virorum, & cum illa lata inſignique lorica, ut omnes boni animadverterent, & cum in metu & periculo conſulem viderent, id quod eſt factum, ad opem præſidiumque ejus concurrerent. Tectus igitur præſidio firmo amicorum, Catilinæ tum, & Autronii copias & conatum repreſſit, ut ait pro Sulla & in Catil. I. Cùm proximis comitiis conſularibus me conſulem in campo, & competitores tuos interficere voluiſti, compreſſi tuos nefarios conatus amicorum præſidio & copiis, nullo tumultu publicè concitato. Loricæ qua tectus Cicero in campum deſcendit, meminerunt Plutarchus, & Dio. His comitiis Catilina repulſam iterum tulit: conſules declarati ſunt, D. Junius Silanus, & L. Licinius Murena. Cùm igitur nihil, inquit Dio, Catilinæ procederet, juſſit conjuratos noctu in domum quandam convenire. Fuit ea domus M. Porcii Leccæ, in quam conjuratos nocte ea, quæ conſecuta eſt poſterum diem nonarum Novembr. Catilinæ denunciatione conveniſſe, Cicero pro Sulla ait, tum Catilinæ dies exeundi, tum ceteris manendi conditio, tum deſcriptio totam per urbem cædis atque incendiorum conſtituta eſt. quod à Cic. Orat. I. & 2. in Catil. & à Salluſtio explicatur. Dixit ibi Catilina, paullulum eſſe ſibi etiam tum moræ, quòd Cicero viveret, reperti ſunt duo equites Romani, qui ſeſe illa ipſa nocte paullò ante lucem Ciceronem in ſuo lectulo interfecturos pollicerentur. Orat. I. in Catil. Alter eorum C. Cornelius à Salluſtio & Cicerone pro Sulla nominatur. ei Salluſtius L. Vargunteium addit, qui ſenator non eques fuit. Plutarchi libri Marcium & Cethegum habent. Dio neutrius nomen expreſſit. Cùm autem Cicero per Fulviam de dolo, qui parabatur, vixdum etiam cœtu illo dimiſſo, certior factus eſſet, domum ſuam majoribus præſidiis munivit atque firmavit: excluſit eos, quos Catilina mane ad ipſum ſalutatum miſerat, Cic. in Catil. I. Salluſtius, Plutarchus, Appianus & Dio. VI. Idus Novemb. Cicero ſenatum in Jovis Statoris ædem, quæ erat initio viæ Sacræ, qua ad Palatium aſcenditur, convocavit. Venit eodem Catilina, eique nullus ſenator aſſidere voluit, ut Plutarchus ſcribit. Cicero in Catil. I. & 2. ait principes ordinis ſenatorii partem illam ſubſelliorum ad quam ille acceſſerat, nudam atque inanem reliquiſſe. Tum M. Tullius conſul ſive præſentiam ejus timens, ſive ira commotus, orationem habuit luculentam, atque utilem reipubl. quam poſtea ſcriptam edidit, ait Salluſtius. Hæc eſt prima Oratio in Catilinam, & ſeptima conſularis, qua Catilinam emiſit, epiſt. I. lib. 2. ad Att. Ego, inquit in Piſonem, L. Catilinam, cædem ſenatus, interitum urbis non obſcurè, ſed palam molientem; egredi ex urbe juſſi: ut à quo legibus non poteramus, mœnibus tuti eſſe poſſemus. Plutarchus; Cicero eum urbe exire juſſit: oportere enim inter ſe, qui verbis; & illum, qui armis rempub. gereret, murum intereſſe. Catilina igitur nocte intempeſta cum trecentis armatis, lictoribus & faſcibus imperii inſignibus adhibitis, ex urbe in Manliana caſtra profectus eſt. Poſtridie, quam Catilina profugit, Cicero orationem ad populum habuit, quam octavam conſularem numerat epiſt. I. lib. 2. ad Att. & eſt ſecunda Catilinaria, in qua Orator gratulatur populo & reipub. quod Catilina ex urbe ſit profectus: atque ad confirmandos animos bonorum civium, & infringendos conjuratos utriuſque partis copias inter ſe comparat. Poſtquam Romæ compertum fuit, Catilinam in caſtra Manliana profectum eſſe, ſenatus Catilinam & Manlium hoſtes judicavit. decrevit præterea, ubi conſules delectum haberent, Antonius cum exercitu Catilinam perſequi maturaret, Cicero urbi præſidio eſſet, auctore Salluſtio. Catilina

tilina jam bellum gerente, cum ejus ſocii in urbe relicti nondum eſſent deprehenſi, Cicero Murenam conſulem deſignatum defendit, ut ex ipſa oratione & pro Flacco apparet. Accuſarunt eum de ambitu Ser. Sulpicius, M.Porcius Cato, & Cn. Poſtumius. Sulpicius competitor ejus fuerat, & repulſam tulerat. Catonem Plutarchus in ejus vita ſcribit juraſſe, accuſaturum ſe quemcunque pecuniam populo dare cognoviſſet: ideoque Murenæ nomen ab eo delatum eſſe, quod is pecunia effeciſſet, ut conſul cum Silano deſignaretur. Defenderunt Murenam Q.Hortenſius, M.Craſſus, & M.Cic. qui, cùm Hortenſium eloquentiæ laude tum florentem ſuperare contenderet, nullam partem noctis conquievit, uſque eò ut nimiis curis & vigiliis afflictus, inferior, quàm ille, in actione viſus fuerit. hæc Plutarchus in Cicerone, ut ego jampridem converteram, ubi quod alii μὴ addunt, alii αὐτοῦ pro αὐτοῦ legunt, nullo modo probare poſſum. Interim P. Lentulus Sura legatos Allobrogum, qui Romam queſtum de avaritia magiſtratuum venerant, ſollicitavit, eoſque in Galliam ad ſuos cives cum litteris miſit. Cicero omni re, opera Q.Fabii Sangæ patroni civitatis Allobrogum cognita, L. Valerio Flacco & C.Pomptinio prætoribus imperavit, ut in ponte Mulvio per inſidias Allobrogum comitatus deprehenderent. Igitur IV. Nonas Decembr. cum adveſperaſceret occultè eò profecti, tertia ferè vigilia exacta, Allobroges cum comitatu & litteris comprehenderunt, atque ad Ciceronem, cùm jam diluceſceret, deduxerunt. III. Nonas Cicero principes conjurationis ad ſe venire juſſit, & ſenatum in ædem Concordiæ vocavit. Ibi T. Vulturcii, & Allobrogum indiciis conjuratio omnis patefacta eſt. Introductis in Senatum indicibus, Cicero conſtituit C.Coſconium, M.Meſſalam, P.Nigidium, Ap. Claudium, qui omnia indicum dicta, interrogata, reſponſa perſcriberent. quod ipſe pro Sulla refert. Tum Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinius, & Cæparius ex S.C. in cuſtodiam ſunt traditi. quæ Cicero in Catilin. 3. Salluſtius, Plutarchus, Appianus & Dio pluribus verbis exponunt. Eo die ſenatus Ciceroni togato, non ut multis, bene geſtæ, ſed ut nemini, conſervatæ reipub. teſtimonium dedit, & ſingulari genere ſupplicationis Deorum immortalium templa patefecit, in Orat. in Piſonem. ejuſdem ſupplicationis mentio eſt Catilin. 3. & 4. Philip.2. & 14. pro Sulla, & epiſt.4. lib.15. Famil. Sub noctem progreſſus in concionem Cicero, populo, qui frequens aderat, quidquid in Senatu actum erat, expoſuit ea oratione; quæ tertia in Catilinam exſtat, & nona Conſularis numeratur, epiſt. 17. lib.2. ad Att. E concione Cicero, ut Plutarchus ſcribit, in domum vicini à populo deductus fuit, eo quòd domi ejus in operto ſacra Bonæ deæ à mulieribus & Veſtalibus fierent. ibi tum peracto ſacrificio, cum ignis in ara jam exſtinctus putaretur, magna flamma è cineribus in altum ſublata fuit. quo oſtento aliarum mentes perculſæ fuerunt. Veſtales Terentiam Ciceronis conjugem maritum adire, atque dicere juſſerunt, quæ de patriæ ſalute agere inſtituiſſet, ea exſequi ne dubitaret. Oſtenti hujus mentio eſt quoque in Dionis hiſtoria libro 37. Poſtero die nonas Decembr. indicibus præmia conſtituta fuerunt, ut Cicero in Catilin.4. indicat. Nonis Decembr. cum Cicero conſul intelligeret, paratos eſſe, qui Lentulum & Cethegum eriperent, diſpoſitis præſidiis, & ſenatu convocato retulit, quid de iis fieri placeret, qui in cuſtodiam traditi erant. Primus D.Junius Silanus, quia conſul deſignatus erat, ſententiam rogatus, extremum ſupplicium in eos decrevit. ei aſſenſi ſunt deinceps multi, donec ad Ti. Neronem ſententiæ dictio pervenit. hunc cenſuiſſe Appianus ait, ut comprehenſi in vinculis haberentur, quoad Catilina bello profligatus eſſet. Cæſar deinde prætor deſignatus cenſuit, eos publicatis bonis in vinculis per municipia habendos. Huic ſententiæ, ait Plutarchus, cùm & æquitatis plena, & ab homine eloquentiſſimo dicta eſſet, momenti Cicero non parum addidit: ſurrexit enim, atque in utranque partem diſſeruit, partim illam Silani, partim hanc Cæſaris ſententiam defendens. quibus verbis ſummam quartæ orationis in Catilinam comprehendit. in qua Cicero de duabus ſententiis contrariis ita diſputat, ut non obſcurè in ſeveriorem Silani inclinet. atque hæc eſt decima oratio Conſularis: quam in ſenatu nonis Decembr. habitam fuiſſe, ipſe epiſt. 1. libr. 2. ad Att. ſcribit, ut ſatis mirari nequeam, Silvium & Curionem affirmare, illam orationem VII. Idus dictam fuiſſe. Cæſari deinceps omnes aſſenſos eſſe uſque ad Catonem, Appianus & Dio tradunt. Plutarchus ait, Q. Lutatium Catulum primum contradixiſſe. Inde M. Porcius Cato tribunuspl. deſignatus, adhuc admodum adoleſcens, pæne inter ultimos rogatus ſententiam, tanta vi animi atque ingenii invectus eſt in conjurationem, ut ardore oris orationem omnium lenitatem ſuadentium ſocietate conſilii ſuſpectam fecerit, ſic impendentia ex ruinis incendiiſque urbis, & commutatione ſtatus publici pericula expoſuit, ita conſulis virtutem amplificavit, ut univerſus ſenatus in ejus ſententiam tranſiret. hæc Vellejus. tu lege Ciceronem pro Sextio. Facto igitur S.C. in Catonis ſententiam, ſupplicium de Lentulo, Cethego, Statilio, Gabinio, Cæpario in carcere ſumptum eſt. Atque ita M.Cicero ſuis conſiliis, ſuis laboribus, ſui capitis periculis, ſine tumultu, ſine delectu, ſine armis, ſine exercitu, quinque hominibus comprehenſis, atque confeſſis, incenſione urbem, internecione cives, vaſtitate Italiam, interitu rempubl. liberavit, in orat. pro Sulla. Ad veſperum, cum Cicero, ut Plutarchus ſcribit, per forum ſe domum ſuam reciperet, non jam ſilentio cives, neque ordine illum deducebant; ſed quocunque acceſſerat, omnes eum vocibus & plauſu excipiebant, & ſervatorem ac conditorem patriæ appellabant, in foribus lampades & faces accenſæ vicos, & angiportus clariſſima luce colluſtrabant, pro tectis mulieres ſtabant, ut eum virum honorarent & ſpectarent, qui clariſſimis viris comitatus tanto ſplendore per forum aſcenderet. atque hæc facta ſunt nonis Decembr. quas Cicero

ſemper

ſemper in ore habebat, ut ſcribit Brutus ad Att. Vide epiſt. 9. lib. 1. Fam. epiſt. 16. lib. 1. & epiſt. 1. lib. 10. ad Att. In conſulatu M. Tullius legem quoque de legationibus liberis tulit, ne ſicut antea, infinitum, ſed annuum tempus earum eſſet lib. 3. de legibus. Quæſtor Ciceronis, cos. fuit T. Fadius. poſt red. in ſenatu. Antonii quæſtor fuit, P. Sextius, pro Sextio. Eodem anno Cicero conſul L. Luculli currum triumphalem pæne in urbem introduxit, in Lucullo. itaque Murenæ conſulatum petenti exercitus totus Luculli, qui ad triumphum per eos dies venerat, præſtò affuit, pro Murena. Eodem conſule referente, primum decem dierum eſt ſupplicatio decreta Cn. Pompejo Mithridate interfecto, confectoque Mithridatico bello in orat. de provinciis Coss. Hactenus conſulatum Ciceronis deſcripſimus. de quo M. Craſſus ita dixit, Se, quòd eſſet ſenator, quòd civis, quòd liber, quod viveret, Ciceroni acceptum referre. quoties conjugem, quoties domum, quoties patriam videret, toties ſe beneficium ejus videre, epiſt. 11. lib. 1. ad Att. Maximè verò conſulatum hunc Cn. Pompejus probavit, qui, ut Ciceronem primum decedens ex Syria vidit, complexus & gratulans, ejus beneficio patriam ſe viſurum eſſe dixit, Philip. 2. idem vir abundans bellicis laudibus Ciceroni multis audientibus hoc tribuit, ut diceret; fruſtra ſe tertium triumphum deportaturum fuiſſe, niſi ejus in rempubl. beneficio, ubi triumpharet, eſſet habiturus, lib. 1. de Officiis. Ciceronem præterea Q. Catulus princeps ſenatus, & auctor publici conſilii frequentiſſimo ſenatu parentem patriæ nominavit, in Piſonem. Neque ſolum Catulus, verum etiam multi alii ſæpe in ſenatu Ciceronem patrem patriæ nominarunt, ut ipſe teſtatur pro Sextio. in his Plutarchus numerat Catonem. de quo Appianus: Cùm Cato Ciceronem patrem patriæ appellaſſet, populus acclamavit: atque, ut quibuſdam placet, hæc appellatio primum Ciceroni tributa, inde ad Imperatores pervenit. Hinc Juvenalis Satyra 8. Roma parentem, Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit. & Plinius lib. 7. cap. 10. M. Tullium ſic affatur: Salve primus omnium parens patriæ appellate. De Cicerone L. Gellius vir clariſſimus in concione dixit, ſi ille conſul, cum fuit, non fuiſſet, rempubl. funditus interituram fuiſſe, poſt red. ad Quirites. Idem civicam coronam Ciceroni deberi à republ. dixit, in Piſonem, vide Gellium lib. 5. cap. 6. Cùm extremis diebus anni hujus novi tribuni pleb. quia a. d. IV. Id. Decembr. magiſtratum inibant (ut ſupra ad annum DCLXXXVI. demonſtravimus) res eas, quas Cicero conſul geſſerat, vexare cuperent, ille P. Sextium Capua accerſivit cum eo exercitu, quem tum ſecum habebat: cujus adventu tribunorum conatus ſunt retardati, Cicero pro Sextio. Hos tribunos Plutarchus Metellum, & Beſtiam nominat: ſed L. Calpurnius Beſtia tribunatu jam V. Id. abierat, quod Manutius & Corradus ex Salluſtio monuerunt. Quintus autem Metellus Nepos novus tribunus pridie Kalend. Januarii Ciceronem conſulem abeuntem magiſtratu concionis habendæ poteſtate privavit. cujus injuria Ciceroni tamen honori ſummo fuit. nam cum ille nihil ei, niſi ut juraret permitteret, magna voce juravit veriſſimum pulcherrimumque jusjurandum: quod populus item magna voce ipſum verè juraſſe juravit, epiſt. 3. lib. 5. Famil. Juravit autem ſe patriam conſervaſſe, ut Plutarchus & Dio ſcribunt. & ipſe Cicero in Piſonem. Ego, inquit, cùm in concione abiens magiſtratu dicere, à tribuno plebis prohiberer, quæ conſtitueram, cumque is mihi tantummodò, ut jurarem permitteret; ſine ulla dubitatione juravi; rempublicam atque hanc urbem mea unius opera eſſe ſalvam, mihi populus Romanus univerſus illa in concione non unius diei gratulationem, ſed æternitatem immortalitatemque donavit, cùm meum jusjurandum tale atque tantum juratus ipſe una voce & conſenſu approbavit, quo quidem tempore is meus domum fuit è foro reditus, ut nemo niſi qui mecum eſſet, civium eſſe in numero videretur. hujus frequentiæ, qua abiens conſulatu domum fuit reductus, mentio eſt in epiſt. 13. lib. 1. ad Att.

Anno urbis DCXCI. *Ciceronis* XLV. COSS. *fuerunt,*

D. JUNIUS SILLANUS, L. LICINIUS MURENA.

AB his Conſulibus lata fuit lex Junia Licinia, qua, ut leges trinundino die promulgarentur, pœna adjecta cavebatur, Cic. Philip. 4. Ubi lex Cæcilia & Didia? ubi promulgatio trinundinum? ubi pœnæ recenti lege Junia & Licinia? ejuſdem legis meminit in Vatinium, & ad Atticum epiſt. 9. lib. 2. & epiſt. 15. lib. 4. Initio hujus anni Catilina in agro Piſtorienſi à C. Antonio proconſule cum exercitu cæſus eſt, Salluſtius, Dio lib. 37. Livius lib. 103. Vicit eum prælio M. Petreius legatus Antonii. de quo Cicero pro Sextio. Victo Catilina Antonius laureatos faſces, ut Obſequens ſcribit, in Macedoniam provinciam tulit, cui per triennium deinde præfuit. Quia verò Antonius in faſcibus inſignia laureæ præferebat, imperator appellatus erat. qua de re ſcripſi in Ligarianam. Itaque Cic. epiſt. 5, lib. 5. Famil. qua Antonio T. Pomponium Atticum in Græciam proficiſcentem hoc anno commendavit, Imperatori adſcribit, quod Paulus Manutius ſine cauſa miratur. nam & Dio lib. 37. apertè tradit, Antonium ob victoriam de Catilina, quamquam cæſorum numerus infra legitimum eſſet, Imperatorem appellatum fuiſſe. Metellus tribunus pleb. ad III. non Januar. ut eſt epiſt. 2. lib. 5. Famil. cum agere cæpiſſet, non in ſenatu, ut vir doctus annotavit, ſed ad populum. ἐν τῷ ὁμίλῳ, ut Dio loquitur (fuiſſe autem diem comitialem vetus Kal. oſtendit) tertio quoque verbo orationis ſuæ Ciceronem appellabat, cùm clamaret, non licuiſſe ei, Lentulum, Cethegum, & reliquos cives indicta cauſa necare. atque hoc crimen verbo Ciceroni, re ſenatui intendebatur, auctore Dione. Cicero Metello forti animo reſtitit, & orationem Metellinam contra concionem Metelli ſcripſit, cum

ille prior ſcripſiſſet, epiſt. 10. libr. 1. & epiſt. 12. lib. 3. ad Att. Meminit Quintilian. lib. 9. cap. 3. Gellius lib. 18. cap. 17. Priſcianus lib 9. & 10. Tunc etiam Metellus Celer, qui Galliam provinciam pro conſule obtinebat, ad Ciceronem miſit epiſt. 1. lib. 5. Famil. querens nepotem fratrem ſuum ab eo oppugnatum, cui Cicero epiſtola ſecunda reſpondet. Hoc anno ex indicio L. Vettii equitis Rom. qui de Catilinæ ſociis in urbe remanſerant, partim præſentes, partim cum citati non reſpondiſſent, damnati ſunt, ut Dio ſcribit. in his fuerunt P. Autronius, Ser. Sulla, L. Varguntejus, M. Porcius Læca, C. Cornelius, quos Cicero in orat. pro Sulla nominat, damnati ſunt lege Lutatia de vi publica. quod indicant hæc verba Ciceronis pro Cœlio: *Quam legem Q. Catulus armata diſſenſione civium, reip. extremis pænè temporibus tulit: quæque lex, ſedata illa flamma conſulatus mei, fumantes reliquias conjurationis exſtinxit.* Tum L. Torquatus, qui P. Cornelio Sullæ conſulatum ante triennium eripuerat, ejuſdem nomen de duplici conjuratione detulit. de priore, quæ L. Tullo, M. Lepido coss. inita fuit, Q. Hortenſius; de poſteriore Cicero, qui illam anno ſuperiore oppreſſerat, defendit oratione illa, quæ pro P. Sulla exſtat. quam hoc tempore, condemnatis aliis conjuratis, habitam eſſe, illa verba argumento ſunt: *Severitatem judiciorum, quæ per hos menſes in homines audaciſſimos facta eſt, lenitate ac miſericordia mitigate.* Huc accedit, quòd homines docti tribunum illum, quem Cicero ad lugendos conjuratos ex illis relictum videri ait, Metellum nepotem eſſe non ſine cauſa putant. Eodem tempore, cum Sulla reus eſſet, domum Cicero in palatio emit, ut Gell. ſcribit lib. 12. cap. 12. Domus emptæ à ſe meminit epiſt. 10 lib. 1 ad Att. quam ſcripſit menſe Januario anni ſequentis, quare non dubito, quin extremo hujus anni menſe, cum Q. Fufius Calenus tribunatum pleb. iniviſſet, Cicero ſcripſerit epiſt. 6. lib. 5. Famil. ad P. Sextium, qui, cùm anno ſuperiore C. Antonii conſulis quæſtor fuiſſet, hoc anno pro quæſtore cum eodem in Macedonia erat. vidè Orat. pro Sextio. Cn. Pompejus, confecto jam bello Mithridatico, litteras publicè miſerat: in quibus, quod gratulationem de rebus à ſe in urbe geſtis prætermiſerat, Cicero cum eo expoſtulat epiſt. 7. libr. 5. Famil. P. Clodius Ap. F. adoleſcens audax & inſolens Pompejæ uxoris C. Cæſaris amore captus, extremo hoc anno cùm Bonæ deæ in domo Cæſaris pro populo fieret, in opertum cum veſte muliebri venit; ſperans ſe, quod imberbis eſſet, clam ingreſſum, ad Pompejam perventurum. Sed dum in amplis & laxis ædibus oberrat, ab Aureliæ matris Cæſaris ancilla conſpicitur, nomenque rogatus, cùm ſe Auram pediſequam Pompejæ quærere dixiſſet, ex voce agnoſcitur, & à mulieribus in cubiculo ancillæ, cum qua domum ingreſſus erat, deprehenditur, atque foras ejicitur, ut Plutarchus in Cicerone & Cæſare ſcribit. Cicero in Orat. de haruſp. reſponſ. ait illum ancillarum beneficio emiſſum eſſe, tu vide epiſt. 10. & ſequentes lib. 1. ad Atticum.

Anno urbis DCXCII. *Ciceronis* XLVI. COSS. *fuerunt,*

M. PUPIUS PISO, M. VALERIUS MESSALA.

P. Clodii facinore patefacto, à Virginibus & Pontificibus id nefas eſt decretum: Cæſar deinde uxori nuntium remiſit, & Clodium tribunus pleb. accuſavit, auctore Plutarcho in Cæſare. Accuſatorem Clodii Cicero de haruſp. reſp. Lentulum nominat. Clodium inceſti crimine à tribus Lentulis accuſatum fuiſſe, Valerius libr. 4. cap. 2. tradit. De Clodii judicio vide epiſt. 13. lib. 1. ad Att. in eo M. Tullius teſtis productus, cùm Clodius crimen ita refelleret, ut diceret, ſe illa nocte non Romæ, ſed longe ab urbe Interamnæ apud Caſſinium Scholam fuiſſe, Cicero contra pro teſtimonio dixit; illum ad ſe domum veniſſe, & de quibuſdam rebus egiſſe, id quod verum erat. Plutarchus, Cicero pro domo, & Milone, ibidemque Aſconius, Quintilianus lib. 4. cap. 2. Valerius libr. 8. cap. 5. Abſoluto Clodio Cicero cum eo idibus Maii in ſenatu contendit. epiſt. 13. libr. 1. ad Att. Hoc anno Q. Tullius Cicero M. frater prætor fuit: cumque prætores provincias ſortirentur, Q. Ciceroni Aſia obtigit, epiſt. 12 libr. 1. ad Attic. Obtinuit eam provinciam per triennium cùm L. Valerio Flacco ſucceſſiſſet, ut ex orat. pro Flacco intelligitur. Eodem anno cenſores creatos fuiſſe, & luſtrum condidiſſe, ex lib. 1. ad Att. & Dionis lib. 7. ſatis notum eſt. Hi Onuphrio ſunt, P. Servilius Iſauricus, & Mam. Æmilius Lepidus. Ante hos Cenſores Ciceronem pro Archia dixiſſe, hæc orationis, quæ ex tanto numero interpretum nemo adhuc expoſuit, arguunt. Eſt enim obſcurum, proximis cenſoribus hunc cum clariſſimo imperatore L. Lucullo apud exercitum fuiſſe, ſuperioribus cum eodem quæſtore fuiſſe in Aſia, primis Julio & Craſſo nullam populi partem eſſe cenſam. L. Julium Cæſarem, & P. Licinium Craſſum cenſores fuiſſe primos poſt datam civitatem Archiæ, anno DCLIV. diximus. Tertio anno pòſt, L. Marcius Philippus, & M. Perperna cenſores luſtrum LXVI. fecerunt, quo tempore Archias in Aſia fuit cum Lucullo quæſtore, qui per multos annos admirabili quadam laude provinciæ præfuit, Cicero in Lucullo. Cenſura deinde intermiſſa fuit uſque ad annum urbis DCLXXXIII. quo L. Gellius, Cn. Lentulus luſtrum LXVII. fecerunt, cùm Lucullus in Aſia bellum contra Mithridatem adminiſtraret. atque hi Cenſores proximi ante Ciceronis conſulatum cenſum egerunt. Nam qui Cotta & Torquato coss. creati fuerunt, propter diſſenſionem abdicarunt: illi autem, qui anno inſequenti iis ſucceſſerunt, intercedentibus tribunis pleb. nihil agere potuerunt, auctor Dio lib. 37. Itaque M. Tullius poſt conſulatum ante cenſores, qui hoc anno creati fuerunt. A. Licinium Archiam, cui Gracchus quidam civitatis controverſiam moverat, defendit illa oratione, quæ exſtat, in qua primo, eum civem eſſe, probat: deinde reliqua oratione ornat, ut civitate Romana dignum eſſe demonſtret. Corradus ex epiſt.

ex epiſt. 13. lib. 1. ad Attic. putat, Ciceronem pro Archia dixiſſe Metello & Afranio coss. ſed qui, quod inchoavit, nondum perfecit, nihil ſcripſiſſe videri poteſt. Hoc anno Pompejus tertium triumphum de Mithridate, Tigrane, plurimiſque regibus, ac gentibus per biduum III. & prid. Kal. Octob. ut eſt in Faſtis Capitol. egit. trium triumphorum Pompeii mentio eſt lib. 2. de Divinat. de iiſdem Cicero pro Balbo. Cujus tres triumphi teſtes eſſent, totum orbem terrarum noſtro imperio teneri. Eodem anno C. Cæſar, cùm eſſet in Hiſpania prætor, populum Gaditanum ſummis ornamentis affecit, controverſias ſedavit, jura ipſorum permiſſu ſtatuit: & inveteratam quondam barbariam ex Gaditanorum moribus diſciplinaque delevit, ut Cicero in eadem oratione teſtatur. Tum quoque C. Pomptinius, qui anno ſuperiore in Galliam ulteriorem ex prætura miſſus erat, Allobrogas domuit, ut copioſe Dio l. 37. narrat. Meminit Cicero in orat. de provinciis cos. & Livius libro 103. nonis Decemb. Cicero ad Att. ſcripſit epiſt. 14. lib. 1.

Anno urbis DCXCIII. *Ciceronis* XLVII. COSS. *fuerunt,*

Q. CÆCILIUS METELLUS CELER, L. AFRANIUS.

De his conſulibus Cicero libro 1. ad Att. Primis hujus anni menſibus Tullius in urbe fuit, ep. 15. & 16. lib. 1. ad Att. effecitque ne Qu. fratri in Aſia ſuccederetur epiſt. 1. lib. 1. ad fratr. L. Flavius tribunus pl. legem Agrariam auctore Pompejo promulgavit de agris dividendis militibus Pompeii, & plebi, de qua Cicero lib. 1. ad Att. & Dio lib. 37. qui ſcribit Metellum conſulem tum à Flavio in carcerem ductum fuiſſe, unde Cicero epiſt. 1. libr. 1. ad Atticum. nunc conſule in carcere incluſo, P. Clodius, ut idem Dio ſcribit, tribunatus cupidus primum tribunos quoſdam ſubmiſit, qui legem ferrent, ut patriciis quoque ejus magiſtratus capiundi poteſtas eſſet. quod ubi non perſuaſit, patritiatum ejuravit, atque in concionem progreſſus, ad plebem tranſiit. In hanc ſententiam Dio. Cicero vero ep. 15. libri primi ad Atticum ita ſcribit: C. Herennius tribunus pleb. ad plebem P. Clodium traducit: idemque fert, ut univerſus populus in campo Martio ſuffragium de re Clodii ferat. addit Dio: Clodius tribunatum ſtatim petiit: ſed creatus non eſt, Metello ei reſiſtente: qui & propinquus Clodii erat, & ea, quæ ille agebat, non probabat. prætendebat vero adoptionem more majorum non eſſe factam: quia plebejus, niſi lege Curiata, fieri nemo poſſet, apud Dionem ἐν τῇ εἰσφορᾷ τοῦ ϛρατιωτικοῦ νόμου, mendoſe eſt pro τοῦ φρατριακοῦ, quod ex lib. 39. cognoſcitur. ubi, τὴν ἐσφορὰν τοῦ φρατριακοῦ de Clodii adoptione agens dicit. Clodio igitur tum frater Metellus, & concors ſenatus principi Cn. Pompejo ſententiam dicenti acerrime una voce ac mente reſtitit: Cicero de haruſ. reſp. Metellus etiam conſul incipientem furere Clodium atque conantem, ſua ſe manu interfecturum, audiente ſenatu dixit, pro Cœlio. Idibus Martiis hujus anni Cicero Commentarium conſulatus ſui Græce compoſitum ad Atticum miſit, epiſt. 16. libr. 1. Miſit eundem Rhodum ad Poſidonium, ut ornatius de iiſdem rebus ſcriberet. ille vero reſcripſit, ſe illud ὑπόμνημα cùm legeret, non modo non excitatum eſſe ad ſcribendum, ſed etiam plane perterritum, epiſt. 1. lib. 2. ad Att. Ciceronem ἐν τῷ περὶ τῆς ὑπατείας Plutarchus in Cæſare adducit. Scripſit etiam Cicero de conſulatu ſuo verſibus tres libros. Tertium poëma exſpectato, inquit epiſt. 16. l. 1. ad Att. & epiſt. 3. li. 2. Sed me κατακλεὶς mea illa commovet, quæ eſt in libro tertio. Libro etiam primo de Divin. Q. frater plures verſus ab Vrania Muſa in ſecundo de conſulatu pronuntiatos commemorat, quorum tres ex libris conſulatus Ciceronis Lactantius adducit lib. 3. cap. 17. De Prognoſticis. quæ Atticum propediem exſpectare jubet, ep. 1. lib. 2. quid dicam non habeo. Certe quæ lib. 1. de Divin. ex Ciceronis prognoſticis adducuntur, Aratea ſunt, atque Διοσημείοις Græce exſtant. Priſcianus quoque lib. 10. 16. & 18. Ciceronem in Prognoſticis citat. verum, quos adducit verſus, ex Arato expreſſi ſunt. Poſt Idus Martii hujus anni Cicero aliquandiu ruri fuit. Romam autem è Pompejano ſe recepit a. d. IV. Id. Maii, epiſt. ult. lib. 1. ad Att. Kal. Jun. Antium profectus fuit, ep. 1. lib. 2. ad Att. Hoc anno Qu. Metellus Nepos prætor portoria Italiæ lege lata ſuſtulit, auctore Dione. de portoriis Italiæ ſublatis, Cicero epiſt. 16. lib. 2. ad Att. Sub idem tempus, ut Dio ſcribit, Fauſtus Sullæ F. in honorem patris munus gladiatorium, & magnificum epulum populo dedit: balneas etiam cum oleo gratuito præbuit. Hoc munus Fauſtum teſtamento patris debuiſſe, Cicero pro Sulla ait. Hoc eſt Fauſti adoleſcentis nobiliſſimi epulum magnificentiſſimum, ex quo Vatinium famem ſuam expleſſe, Cicero in interrogatione ait. Hoc anno conſpiratio inter tres principes civitatis facta eſt, Cn. Pompejum, M. Craſſum, & C. Cæſarem, de qua Cicero libro ſecundo ad Atticum.

Anno urbis DCXCIV. *Ciceronis* XLVIII. COSS. *fuerunt,*

C. JULIUS CÆSAR, M. CALPURNIUS BIBULUS.

Cum C. Antonio C. Octavius in Macedonia anno ſuperiore ſucceſſiſſet: ut cognoſcitur epiſt. 1. libr. 2. ad Att. Antonius hoc anno lege Lutatia de vi accuſatus eſt à M. Cœlio, ut eſt in Orat. pro Cœlio. Antonium apud Cn. Lentulum Claudianum (ſic lego ex libris [olim impreſſis) reum factum eſſe à Qu. Fabio maximo, Cicero in Vatinium demonſtrat, ſed, an de eodem crimine Cœlius & Maximus accuſarint, mihi non conſtat. Hoc Dio lib. 38. ſcribit, Antonium de Catilinæ conjuratione in judicium adductum, propter male adminiſtratam provinciam condemnatum fuiſſe. Cicero vero pro Cœlio ait, Antonio nocuiſſe opinionem maleficii cogitati. Antonius condemnatus in Cephallenia exſulavit, auctore Strabone lib. 10. nec à M. Antonio fratris filio

cum aliis exſulibus reſtitutus fuit. Philippi 2. De ſua defenſione Cic. pro domo ita inquit: Hora fortaſſe ſexta diei queſtus ſum in judicio cum C. Antonium collegam meum defenderem, quædam de republ quæ mihi viſa ſunt, ad illius miſeri cauſam pertinere; hæc homines improbi ad quoſdam viros fortes longe aliter, atque à me dicta erant, detulerunt: hora nona, illo ipſo die, tu es adoptatus. Hinc Suetonius in Julio: Cicerone in judicio quodam deplorante temporum ſtatum, P. Clodium inimicum ejus fruſtra jampridem à patribus ad plebem tranſire nitentem, eodem die, horaque nona traduxit. Tranſiit Clodius ad plebem adoptione, quæ arrogatio dicitur. adoptatus fuit à P. Fontejo. contra quam adoptionem Cicero pro domo ſua diſputat. de eadem Suetonius in Tiberio: P. Clodius ob expellendum urbe Ciceronem plebejo homini, atque etiam natu minori in adoptionem ſe dedit. In hac adoptione Cæſar legem Curiatam tulit, Pompejus in auſpicio fuit, epiſt. 7. & 12. lib. 2. ad Att. de haruſp. reſp. Tullius menſe Aprili & Majo extra urbem Antii, in Pompejano, Formiano, & Arpinati in literis vixit: ibique epiſt. quartam & ſequentes uſque ad 18. lib. 2. ad Atticum miſit. Attico deinde in Epirum profecto, Cicero ſe Romam recepit, & ea, quæ in ſequentibus epiſtolis leguntur, ad Atticum ſcripſit. Conſiliis publicis nullis, ut eſt ep. 23. intererat, totumque ſe ad forenſem operam laboremque contulerat. Tum A. Thermus bis Cicerone defendente abſolutus eſt, pro Flacco. Tum quoque L. Valerius Flaccus, qui ex prætura, quam Cicerone conſule geſſerat, Aſiam provinciam obtinuerat, à D. Lælio repetundarum accuſatus, à Q. Hortenſio & M. Cicerone defenſus eſt. Ciceronis oratio exſtat: de Hortenſii defenſione vide epiſt. ult lib. 2 ad Att. Hoc anno P. Vatinius, qui in Dionis libris Πέπλιος Α'τίνιος non ſine mendo nominatur, tribunus pl. Cæſari conſuli in omni re obſcurus eſt, eaque geſſit, quæ à Cicerone in interrogatione in Vatinium reprehenduntur. Lege Vatinia Cæſari data in quinquennium fuit Gallia citerior cum Illyrico: & tribus legionibus, quibus Senatus Galliam ulteriorem cum alia legione adjecit, Dio lib. 38. Plutarchus, Suetonius, & Oroſius l. 6. c. 7. In hoc imperio Cæſar Ciceronem ſibi legatum eſſe volebat, lib. 2. ad Atticum epiſt. 19. & epiſt. 18. A Cæſare, inquit, valde liberaliter invitor in legationem illam, ſibi ut ſim legatus. & de provinciis cos. Me, ut ſibi eſſem legatus, non ſolum ſuaſit, verum etiam rogavit. Conſul Cæſar leges multas tulit, quæ ab ipſo Juliæ ſunt appellatæ. de quibus Dio lib. 38. & Cicero de haruſ. reſp. Tum, leges Julias contra auſpicia latas, & hic & in concionibus dicere. Tulit præterea, ut ager Campanus iis, qui ternos pluresve liberos haberent, divideretur, Suetonius & Vellejus. Curatores etiam, qui agros dividerent, conſtituit Vigintiviros ex iis, qui plurimos honores geſſiſſent, atque ad eam rem quam maxime idonei eſſent, auctore Dione initio libri 38. Suetonius quoque in Auguſto XX viros agrum Campanum plebi Julia lege diviſiſſe, ait. In his fuit Coſconius. quo mortuo Cicero in ejus locum invitatus fuit, epiſt. 19. lib. 2. ad Att. in iiſdem fuit Cn. Tremellius Scrofa, quo de Varro lib. 1. de ruſt. cap. 2. nominat eoſdem Frontinus & Plinius lib. 7. cap 52. Sed Cicero XX viratum repudiavit, quod Quinctilianus lib. 12. cap. 1. ſcribit, & ipſe ep. 2. lib. 9. ad Atticum de Cæſare inquit, Repudiari ſe totum, magis etiam quàm olim in XXviratu putabit; ac ſolet, cum ſe purgat, in me conferre omnem illorum temporum culpam: ita me ſibi fuiſſe inimicum, ut ne honorem quidem à ſe accipere vellem. Paterculus quoque in commemoratione exſulii Ciceronis addit: Hoc ſibi contraxiſſe videbatur Cicero, quod inter XXviros dividendo agro Campano eſſe noluiſſet. Hic ſcrupulum injicit oratio de provinciis Cos. in qua Cicero ait, ſe à Cæſare fuiſſe rogatum, ut quinqueviratum acciperet, eumque ſe obſtinatione quadam ſententiæ repudiaſſe. præterea quinqueviri nominantur epiſt. 7. lib. 2. ad Att. Sunt viri doctiſſimi, in rebus Romanis cognoſcendis diu multumque verſati, qui ſcribunt Cæſarem ad æſtimationem agri Campani XXviros creaſſe. ac præterea quinque, qui æſtimatum dividerent. Dant illi quidem teſtem in hanc rem Dionem: ſed verba, quibus hoc demonſtretur, in Græca ejus hiſtoria invenire equidem adhuc, nulla potui. Comitiis tribunitiis P. Clodius Pulcher tribunus pl. factus fuit opera Cæſaris, ut ſcribit Dio, & Plutarchus in Cæſare. Etſi autem Pompejus Clodium omni cautione, fœdere, execratione devinxerat, nihil in tribunatu contra Ciceronem eſſe facturum, ut eſt pro Sextio: ille tamen in fide non manſit: ſed tribunus pl. factus, continuo ſe in Ciceronem convertit. qua de re dicemus, ſi prius illud admonuerimus, hunc tertium fuiſſe annum imperii Qu. Ciceronis in Aſia. quo ad duos priores adjuncto, M. Cicero epiſtolam illam pulcherrimam, quæ eſt prima lib. 1. ad Fratrem, miſit, in qua omnia præcepta bene adminiſtrandæ provinciæ ita perſequitur, ut amplius nihil requiri poſſit. Ejuſdem anni ultimis menſibus ſcripſit epiſtolam ſecundam ad Fratrem, ut ex ipſa cognoſcitur.

Anno urbis DCXCV. *Ciceronis* XLIX. Coſs. *fuerunt,*

L. CALPURNIUS PISO CÆSONINUS, A. GABINIUS.

PRÆTORES hujus anni à Suetonio in Julio nominantur duo, C. Memmius, & L. Domitius. C. Memmium prætorem ex lege Licinia & Junia edixiſſe, ut Vatinius adeſſet die triceſimo, Cicero in Vatinium ait: Piſo, & Gabinius ſunt duo funeſti, non conſules, ſed latrones atque everſores reip. quos ſuis coloribus Cicero multis locis depinxit: ut in orat. poſt reditum, pro domo, pro Sextio, de provinciis Cos. in Piſonem, & alibi. His conſulibus ſedentibus, inſpectantibus, atque adeo adjuvantibus M. Tullius conſervator patriæ à ſceleratiſſimo tribuno pleb. in exſulium ejectus eſt. Clodius enim, ut Dio lib. 38. ſcribit, ſperans, facile ſe Ciceronem oppreſſurum, ſi prius ſenatum, equites & plebem ſibi

ſibi conciliaſſet. quatuor leges, populares illas quidem, ſed reipubl. pernicioſas, initio hujus anni, quod Cicero in Piſonem ſignificat, tulit: unam ut frumentum populo gratis daretur: alterum, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo ſervaret: tertiam de collegiis reſtituendis, noviſque inſtituendis: quartam, ne quem Cenſores in ſenatu legendo præterirent, neve qua ignominia afficerent, niſi qui apud eos accuſatus, & utriuſque Cenſoris ſententia damnatus eſſet. hæc Aſconius in Piſonianam, Dio lib. 38. & Cicero paſſim. Alias deinde rogationes idem Clodius uno eodemque tempore promulgavit, unam de provinciis conſulum nominatim, alteram de Ciceronis pernicie, ut ait pro Sextio. Pactus enim cum conſulibus, Gabinio Syriam, Babylonem, Perſas; Piſoni Achaiam, Theſſaliam, Græciam, Macedoniam, omnemque Bœotiam dedit. Cicero De provinciis, & in aliis Orationibus. Ad Ciceronis perniciem lex illa pertinebat, qua tulit, Qui civem Rom. indemnatum interemiſſet, ei aqua & igni interdiceretur: cujus verbis etſi non nominabatur Cicero, tamen ſolus petebatur, inquit Paterculus lib. 2. idemque ſcribit Dio lib. 38. atque iccirco Tullius hoc privilegium appellat, vide Orat. pro domo. Reus igitur Cicero, ut Plutarchus ſcribit, veſtem mutavit, & ſordidatus populo ſupplicavit. Tum Clodius illi omnibus vicis occurrebat ſtipatus hominibus contumelioſis & temerariis: qui petulanter mutationem veſtis, & habitum Ciceronis exagitantes, multiſque locis luto & lapidibus in eum conjectis, ſupplicationes impediebant. Cum Cicerone tamen primum omnis fere ordo equeſter veſtem mutavit: eumque nobiliſſimi adoleſcentes numero ad XX. millia ſordidati deprecatores ejus ſalutis, comitabantur. Deinde cum ſenatus frequens conveniſſet, ut veſtem tanquam in publico luctu mutandam cenſeret, idque conſules vetarent, & Clodius cum armis ad curiam verſaretur, ſenatores non pauci è ſenatu, veſtibus diſciſſis & clamore ſublato, ſe proripuerunt. Hactenus Plutarchus. Dio lib. 38. tradit, equites in Capitolium tunc conveniſſe, atque ad conſules & ſenatum miſiſſe legatos non ſolùm è ſuo ordine, verum etiam ſenatores duos, Q. Hortenſium, & C. Curionem, qui pro Cicerone deprecarentur. Unde Cicero pro Sextio ait, Cùm incredibilis in Capitolium multitudo ex tota urbe, cunctaque Italia conveniſſet, veſtem mutandam omnes meque omni ratione defendendum putarunt, erat tum ſenatus in æde Concordiæ, & Gabinium conſulem, Piſone abſente, orabat. equites quoque Rom. & omnes boni veſte mutata ſe pro Ciceronis capite ad pedes Gabinii projecerunt, quorum precibus ab illo repudiatis, vir incredibili fide, magnitudine animi, conſtantia, L. Mummius ad ſenatum de rep. retulit, ſenatuſque frequens veſtem pro Ciceronis ſalute mutandam cenſuit, pro Sextio. Dio hunc Mummium vocat L. Ninnium Quadratum, & ſcribit, eum populo auctorem fuiſſe ut tanquam in aliqua publica calamitate veſtem pro ſalute Ciceronis mutaret. Pro me, inquit Cicero poſt reditum ad Quir. ſenatus, hominumque præterea viginti millia veſtem mutaverunt. Sed conſules edixerunt, ut ad ſuum veſtitum ſenatores redirent. vide orationes poſt reditum, pro domo, pro Sextio, & in Piſonem. Tum Gabinius L. Ælium Lamiam equeſtris ordinis principem relegavit, quod Dio lib. 38. dicit, ἐκ τῆς πολιτείας ἐξήλασε. meminit Cicero poſt redit. in ſenatu, pro Sextio, in Piſonem. & epiſt. 16. lib. 11. Famil. Itaque Cicero non ſolum à conſulibus, verum etiam à Cn. Pompejo proditus, & derelictus, maluit urbe cedere, quam bonorum vitam ſervis armatis objicere, quod ipſe in orationibus non ſemel teſtatur. Habebat domi ſuæ Minervæ ſignum, idque longo tempore religioſiſſimè coluerat. Cum autem ex urbe diſceſſurus eſſet, hoc ſignum in Capitolium delatum ibi dedicavit, & ſubſcripſit, MINERVÆ CUSTODI URBIS, Plutarchus & Dio. Hæc eſt illa Minerva cuſtos urbis: de qua Cicero epiſt. 25. lib. 12. famil. & lib. 2. de legibus. Dio lib. 45. Α᾽θηνᾶν φυλακίδα nominat. Diſcedentem M. Tullium omnes boni flentes proſecuti ſunt, ut ipſe pro domo ait. Ceſſiſſe urbe Ciceronem puto menſe Martio extremo. nam, ut ex Plutarchi Cæſare, & primo Commentario de bello Gallico intelligitur, cum Helvetios a.d. V. Kal. Apr. de finibus ſuis exire conſtituiſſe, Cæſar cognoviſſet, maturavit ab urbe proficiſci. atque octavo die ad Rhodanum pervenit, neque tamen prius Cæſar ad exercitum abiit, quàm Ciceronem per Clodium Italia expuliſſet, auctore Plutarcho. Ubi compertum fuit Ciceronem diſceſſiſſe, Clodius de exſulio ejus ad populum tulit, atque edictum propoſuit, ut illi aqua & igni interdiceretur, ne intra quingenta millia paſſuum ab Italia tecto reciperetur. Hæc Plutarchus in Cicerone, quibus gemina ſcribit Dio lib. 38. in eo tamen diſſentit, quod Ciceroni lege Clodia irrogatum fuiſſe ait, ne intra ſtadiûm tria millia ſeptingenta quinquaginta, id eſt millia paſſuum CCC LXIX. fere, ab urbe illi eſſe liceret. Cicero epiſt. 4. lib. 3. ad Att. in lege hoc correctum fuiſſe ait, ut ſibi ultra quadringinta millia liceret eſſe. Dio hoc quoque legi adjectum fuiſſe tradit, ut ſi Tullius intra ſpatium definitum viſus fuiſſet, & ipſe, & qui eum recepiſſent, impune interficerentur. hinc Cicero pro domo: Pœna eſt, qui receperit: quam omnes neglexerunt. Pœnam neglectam fuiſſe, omnibus reverentibus M. Tullium, comiterque excipientibus & proſequentibus, Plutarchus quoque ſcribit. Clodius præterea villas Ciceronis ejecti inflammavit, & domum in palatio incendit, atque in area templum libertatis extruxit, Plutarchus, Dio & Cicero pro domo. Bona diripiebantur, atque ad conſules deferebantur. columnæ marmoreæ ex ædibus ad ſocrum Piſonis portabantur: in fundum autem Gabinii vicini conſulis, non modo inſtrumentum aut ornamenta villæ Tuſculanæ, ſed, etiam arbores transferebantur. hæc Cicero pro domo, poſt reditum in ſenatu pro Sextio, & in Piſonem. templum Libertatis, ναὸν ἐλευθερίας, Cicero lib. 2. de legib. templum Licentiæ vocat. Pulſum M. Tullium pedibus iter per Lucaniam Siciliam verſus feciſſe, Plutarchus ſcribit.

ſcribit. Naryce Locridis fuit VI. Idus Aprilis, ibique ſcripſit epiſtolam ſecundam lib. 3. ad Att. Inde Cicero Vibonem venit, quod eſt oppidum Lucaniæ ad fretum, & à Locris conditum prius Hipponium appellatum fuit, Strabo lib. 6. Cæſar 3. de bello Civili. Ibi, ut Plutarchus ſcribit, Vibius homo Siculus, qui cum alia multa commoda ex Ciceronis amicitia perceperat, tum eo conſule præfectus fabrûm fuerat, illum in ædes quidem non recepit, ſed fundum ſe ipſi adſignaturum denunciavit. Sic illa Plutarchi verba, χωρίον δὲ, καταγράψειν ἐπηγγέλλετο, ego jam pridem converteram: cùm præſertim alibi quoque verbum καταγράφειν pro attribuere & aſſignare uſurpatum notaſſem, ut περὶ φιλαδελφίας: ἕτεροι δὲ, παλλακίσι καὶ πόρναις οἰκίας καὶ ἀγροὺς καταγράφοντες, ὑπὲρ οἰκοπέδου καὶ γωνίας πρὸς ἀδελφοὺς διαμονομαχοῦσι. Merito igitur Xylander noſter à Bocchii & Corradi falſis interpretationibus diſceſſit. Cicero ſe ad Vibonem in fundo Sicæ fuiſſe, ad Atticum ſcribit, epiſt. 2. & 4. lib. 1. Siciliam, quam Cicero petebat, eo tempore obtinebat C. Virgilius (Γάϊος Οὐεργίνιος eſt apud Plutarchum) prætor is Ciceroni ſcripſit, ne in Siciliam veniret. quare conſilio repente mutato, iterum à Vibone Brunduſium terra petere contendit, ut ipſe pro Plancio narrat. In eo itinere III. Idus April. Thurii ſcripſit epiſt. 5. lib. 3. ad Att. & XIV. Kal. Maii Tarenti, ſequentem. eodemque die ſe Brunduſium veniſſe, epiſtola 7. ejuſdem libri ſcribit. urbem ipſam ingreſſus non eſt: ſed in hortos M. Lenii Flacci, ſe contulit, pro Plancio, meminit etiam in Sextiana. Apud M. Lenium dies XIII. fuit epiſt. 4. lib. 14. Famil. Pridie Kal. Maii, cum Brunduſio proficiſcens Dyrrhachium vento ſecundo tranſmitteret atque adverſus ex alto reflaſſet, rejectus eſt: deinde iterum in altum profectus, Dyrrhachium pervenit. ubi, cùm è navi in terram egreſſurus eſſet, terræ motum & maris convulſionem exſtitiſſe ferunt, unde haruſpices conjiciebant, illius exſulium non fore diuturnum, quod hæc mutationis ſigna eſſent. Hæc Plutarchus. Dyrrhachio aliquorum dierum viam in Macedoniam, ad Planciumque perrexit, & cum eo Theſſalonicam X. Kalend. Junii venit, pro Plancio, & epiſt. 8. lib. 3. ad Att. Theſſalonicæ Cn. Plancius ſua liberalitate Ciceronem per menſes ſeptem retinuit. quo tempore plures epiſtolas ad Atticum ſcripſit, quæ lib. 3. ab octava uſque ad XXII. leguntur. Interim Q. Cicero cum jam Aſiam per triennium obtinuiſſet, de provincia ante Kal. Maii deceſſit, ep. 9. l. 3. ad Att. Fratrem aliquanto poſt ſuum diſceſſum ex provincia veniſſe ait pro domo. meminit quoque in Sextiana. Itaque M. Cicero, Idibus Junii ad eum miſit epiſt. 3. lib. 1. & deinceps ſequentem. Tertio Non. Octob. Theſſalonica ad Terentiam uxorem miſit epiſt. 2. lib. 14. Famil. Redeamus nunc ad acta urbana. Cicerone expulſo, Clodius legem promulgavit de Ptolemæo rege Cypri, ut bona ejus publicarentur, & regnum in provinciæ formam redigeretur: idque negotium M. Catoni mandatum eſt, quo de Cicero ſæpe, Plutarchus in Catone, Appianus lib. 2. Dio lib. 38. Kal. Junii, ut eſt in orat. pro Sextio, decrevit Senatus frequens de Ciceronis reditu, diſſentiente nullo, referente L. Mummio tribuno pleb. interceſſit Ælius Ligus. Pompejus quoque illo tempore ſe accuſans, ut Plutarchus ſcribit, quod Ciceronem prodidiſſet, de illius reditu, amicorum opera adjutus, agere cœpit. Reſiſtente Clodio, placuit Senatui, nihil in rep. decernere, nulla de re agere, niſi Cicero ab exilio revocaretur. Hinc Cicero pro Sextio: Omnia ſenatus rejiciebat, niſi de me primùm conſules retuliſſent. & in Piſonem: An tum eratis conſules, cùm quacunque de re verbum facere cœperatis, aut referre ad ſenatum, cunctus ordo reclamabat: oſtendebatque, nihil eſſe vos acturos, niſi prius de me retuliſſetis? de eadem re vide epiſt. 24. lib. 3. ad Att. Initur deinde conſilium de interitu Cn. Pompeii, ait Cicero pro Sextio. quam rem Aſconius in Milonianam ſic exponit: Cum III. Idus Sext. Pompejus in ſenatum veniſſet, dicitur ſervo P. Clodii ſicam excidiſſe, eaque ad Gabinium conſulem delata, dictum eſt, ſervo imperatum à P. Clodio, ut Pompejus occideretur. Pompejus ſtatim domum rediit, ex eo domi tenus. & Cicero pro Milone: Comprehenſus eſt in templo Caſtoris ſervus P. Clodii, quem ille ad C. Pompejum interficiendum collocarat. extorta eſt confitenti ſica de manibus, caruit foro Pompejus poſtea, caruit ſenatu, caruit publico. Huc pertinet illud paradoxon 4. Ante ſenatum tua ſica deprehenſa eſt. & in Piſonem: Deprehenſus cum ferro ad ſenatum is, quem ad Cn. Pompejum interimendum collocatum fuiſſe conſtabat. Meminit etiam pro domo. Quarto Kalend. Novembris octo tribuni pleb. de Ciceronis reditu legem promulgarunt: iiſdemque referentibus P. Lentulus cos. deſignatus, præſtantiſſimam de Cicerone ſententiam dixit, pro Sextio, poſt red. in ſenatu, & epiſt 23. lib. 3. ad Att. Theſſalonica Cicero ſe Dyrrhachium recepit: ibique VI. Kal. Decembr. ſcripſit ad Terentiam epiſt. 1. lib. 14. famil. & partem epiſtolæ 22. lib. 3. ad Att. pridie Kal. Decemb. inde miſit ad Terentiam epiſt. 3. lib. 14 & ad Atticum epiſt. 23. lib. 3. & deinceps quatuor reliquas ejuſdem libri. Exierunt deinde paludati in provincias conſules, Piſo in Macedoniam, Gabinius in Syriam, Cicero pro Sextio. IV. Idus Decemb. novi tribuni pleb. T. Annius Milo, P. Sextius, C. Seſtilius, M. Ciſpius, T. Fadius, M. Curtius, C. Meſſinius, Q. Fabricius, Sex. Atilius Serranus, & Numerius Quintius, magiſtratum inierunt, pro Sextio, & poſt reditum in ſenatu.

Anno urbis DCXCVI. *Ciceronis* L. COSS. *fuerunt*,

P. CORNELIUS LENTULUS SPINTHER, Q. CÆCILIUS METELLUS NEPOS.

PRÆTORES eodem anno fuerunt L. Cæcilius, M. Calidius, C. Septimius, Q. Valerius, P. Craſſus, Sex. Quintilius, C. Cornutus, & Ap. Claudius Pulcher, Cicero poſt reditum in Senatu Kalendis Januarii. P. Lentulus ſimulac de ſolenni religione retulerat,

tulerat, nihil humanarum rerum ſibi prius, quam de Cicerone agendum judicavit. cùm princeps rogatus ſententiam L. Cotta dixit, nihil de Cicerone actum eſſe jure, nihil more majorum, nihil legibus: proptereaque lege illi opus non eſſe: verùm Pompejus cenſuit, ut ad ſenatus auctoritatem populi beneficium adjungeretur. atque eo die confecta res eſſet, niſi Sex. Atilius tribunus pleb. non auſus intercedere, noctem ſibi ad deliberandum poſtulaſſet. Hæc Cicero poſt redit. ad Quirites, pro domo, pro Sextio, & lib. 3. de legibus. Poſtea res acta eſt in ſenatu alia nulla, & cùm variis rationibus impediretur, voluntate tamen perſpecta ſenatus, cauſa ad populum VIII. Kal. Febr. fuit delata, quo die Clodiani, cæde in foro maxima facta, flumine ſanguinis reditum Ciceronis intercludendum putaverunt, poſt reditum ad Quirites. & pro Sextio. Clodius enim, ut Dio lib. 39. ſcribit, illo die, cùm lex ad populum ferretur, acceptis à fratre Appio gladiatoribus, quos ille in funere Marci propinqui ſui daturus erat, impetu in multitudinem facto, multos vulneravit, multoſque occidit. Tum in foro tribuni pleb. vulnerati fuerunt, & Q. Cicero inter cadavera tanquam occiſus jacuit, Plutarchus, & Cicero pro Sextio. Crudeliſſimæ cædis eo tempore in foro factæ, mentio eſt etiam in Miloniana. Clodium Milo tum de vi poſtulavit: ſed in judicium non adduxiſſe Dio ſcribit, quod nondum creati eſſent Quæſtores, per quos judicum ſortitionem fieri oporteret, Nepoſque Prætori edixiſſet, ne quod judicium, ante quam judices ſorte deligerentur, fieri pateretur. Quæſtores autem, niſi habitis prius comitiis ædilitiis, quibus hac de cauſa mora potiſſimum afferebatur, creari non poterant. In hanc ſententiam Dio: Cicero verò in Sextiana ait, conſulem, prætorem, tribunum pleb. nova novi generis edicta propoſuiſſe: ne reus adeſſet, ne citaretur, ne quæreretur, ne mentionem omnino cuiquam judicum, aut judiciorum facere liceret. quo pertinet illud de haruſp. reſponſ. Reſtiterunt etiam, ne cauſam diceret. Quare, cùm Milo videret judicia eſſe ſublata, ne Clodius omnia vi poſſet efficere, curavit, inquit idem poſt redit. in ſenatu. Emit enim gladiatores, ut Dio ſcribit. de quibus Cicero lib. 2. de officiis: Sed honori ſummo nuper noſtro Miloni fuit, quod gladiatoribus emptis reipub. cauſa, quæ ſalute noſtra continebatur, omnes P. Clodii conatus furoreſque compreſſit. Senatus autem multo ante, quàm lex de Ciceronis reditu fuit lata, gratias agendas cenſuit civitatibus iis, quæ M. Tullium civem optimè de rep. meritum recepiſſent, pro domo, in Piſonem, Parad. 4. & Plutarchus. Idem decrevit, ut qui provincias cum imperio obtinerent, qui quæſtores legatique eſſent, ſalutem & vitam Ciceronis cuſtodirent, pro Sextio. Idem ad M. Tullii ſalutem auxilium omnium civium cuncta ex Italia, qui remp. ſalvam eſſe vellent, imploravit, in Piſonem. Factum enim S. C. fuit, ut literis conſularibus cuncta ex Italia omnes, qui rempub. ſalvam vellent, convocarentur. pro Sextio. poſt redit. in ſenatu, & pro domo. Cum igitur Ciceronis capitis ſervandi cauſa Romam uno tempore quaſi ſigno dato Italia tota conveniſſet, Lentulus conſul ſenatum frequentiſſimum in Capitolium convocavit, in Piſonem, & poſt redit. in ſenatu. Ibi tum in templo Jovis opt. max. Q. Metellus Nepos cos. qui Ciceroni vel maximè ex magnis contentionibus reipub. fuerat inimicus, permotus cum auctoritate ſenatus, tum P. Servilii incredibili gravitate dicendi, abiens cum M. Tullio rediit in gratiam, poſt red. in ſenatu, pro Sextio, & de provinciis cos. hic cum mitiſſimam orationem in ſenatu habuiſſet, Cicero ad eum miſit epiſt. 4. lib. 5. Famil. in qua ſtudium & auxilium ejus implorat. Illo vero die, cum CCCCX. ſenatores, magiſtratuſque omnes in Capitolio adeſſent, Cn. Pompejus de ſcripto ſententia dicta, uni Ciceroni patriæ conſervatæ teſtimonium dedit: cujus ſententiam frequentiſſimus ſenatus, uno P. Clodio diſſentiente, ſecutus, M. Tullium ab exſulio revocavit, poſt redit. in ſenatu, pro Sextio & pro Milone. de hoc S.C. in æde Jovis Mariana facto, Cic. lib. 1. de Divinat. & Valerius lib. 1. cap. 7. Faciebat eodem die ludos in theatro conſul, quo cùm ipſe & ſenatores ſpectatum è ſenatu veniſſent, S. C. illud de Ciceronis reditu factum frequentiſſimo theatro, incredibili clamore & plauſu comprobatum eſt, pro Sextio, & lib. 1. de Divinat. Poſtridie de Ciceronis ſalute P. Lentuli conſulis, Cn. Pompeii ceterorumque principum, in his P. Servilii, & L. Gellii celeberrimæ & graviſſimæ conciones fuerunt, poſt redit. ad Quirites, & in ſenatu, pro Sextio, in Piſonem. Eodemque die decretum in Curia fuit, populi ipſius Rom. & eorum, qui ex municipiis convenerant, admonitu; ne quis de cœlo ſervaret; ne quis moram ullam afferret. ſi quis aliter feciſſet, eum planè everſorem Reip. fore, idque ſenatum graviſſime laturum: & ut ſtatim de ejus facto referretur, addidit etiam ſenatus illud: niſi diebus quinque, quibus agi de Cicerone potuiſſet, eſſet actum, rediret in patriam dignitate omni recuperata. decrevit eodem tempore ſenatus, ut iis, qui ex tota Italia ſalutis M. Tullii cauſa convenerant, agerentur gratiæ, atque ut iidem ad res redeuntes, ut venirent, rogarentur, pro Sextio, poſt red. in ſenatu, & in Piſonem. Legem deinde omnes magiſtratus, præter Appium prætorem, duoſque tribunos pleb. N. Quintium & Sex. Atilium, ex S. C. promulgarunt, in Piſonem. Cùm ferendæ legis dies, qui fuit pridie Non. Sextil. veniſſet, & Lentulus conſul, idemque lator legis comitia centuriata in campo Martio haberet, P. Clodius legem de more diſſuaſit, quod Dio libro 39. planè ſcribit, & Cicero pro domo ita ſignificat, illa fuit pulchritudo populi Rom. illa forma, quam in campo vidiſti tum, cùm etiam tibi contra ſenatus totiuſque Italiæ auctoritatem & ſtudium dicendi poteſtas fuit. & in Sextiana: Cedo nunc ejuſdem illius inimici mei de me, eodem ad verum populum in campo Martio concionem. Verùm, cùm & alii, & Pompejus in primis legem ſuaderet, ut Dio ſcribit, ſummo conſenſu omnium centuriarum accepta fuit, cùm nemini civi ulla quo minus adeſſet, juſta excuſatio eſſet viſa,

viſa, nullis comitiis, unquam multitudo hominum tanta, neque ſplendidior fuiſſet, in Piſonem. Conſtat enim, ut idem pro domo ſua ait, nullis unquam comitiis Campum Martium tanta celebritate, tanto ſplendore omnis generis hominum, ætatum, ordinum floruiſſe, idem eſt in orat. poſt reditum. Pridiè Non. Sextil. ipſo illo die, quo lex eſt lata, Cicero Dyrrhachio profectus, Brunduſium venit Non. Sext. epiſt. lib. 4. Att. Advenienti Ciceroni tanquam totius Italiæ atque ipſius patriæ dexteram porrexerunt Brunduſini; cùm ipſis Nonis Sextil. idem dies adventus M. Tullii fuiſſet, qui natalis idem Tulliæ filiæ, quæ ibi patri fuit præſtò, idem etiam ipſius coloniæ Brunduſinæ, idem Salutis, quæ res animadverſa à multitudine, ſumma Brunduſinorum gratulatione celebrata eſt, pro Sextio & libr. 4. ad Att. epiſt. 1. Brunduſii cùm eſſet in domo optimorum & doctiſſimorum virorum Lenii Flacci, & patris & fratris ejus, ante diem VI. Id. Sextil. cognovit litteris Quinti fratris, mirifico ſtudio omnium ætatum, atque ordinum, incredibili concurſu Italiæ, legem comitiis centuriatis eſſe perlatam, ibidem. Inde à Brunduſinis honeſtiſſimis ornatus, iter via Appia Romam verſus fecit. In itinere XXIV. dies conſumſiſſe videtur, cùm Sextilis tum XXIX. dierum eſſet Brunduſio profectus Neapolim, inde Capuam, Sinueſſam, Minturnas, Formias, Terracinam, & demum Ariciam, pridie Non. Septembr. Romam venit, epiſt. 1. li. 4. ad Att. Toto autem illo itinere à Brunduſio uſque Romam agmen perpetuum totius Italiæ vidit. neque enim regio fuit ulla, neque municipium, neque præfectura aut colonia, ex qua non publicè ad Ciceronem venerint gratulatum. magnæ erant effuſiones hominum ex oppidis, maximi concurſus ex agris patrumfamilias cum conjugibus ac liberis. cumque viæ multitudine legatorum undique miſſorum celebrarentur: urbes Italiæ feſtos dies agere adventus ejus videbantur, in Piſonem, & pro Sextio. Ad urbem ita venit, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, quin ipſi obviam non venerit, epiſt. 1. li. 4. ad Att. itaque in Piſonem ait, Unus ille dies mihi quidem immortalitatis inſtar fuit, quo in patriam redii: cùm ſenatum egreſſum vidi, populumque Rom. univerſum: cùm mihi ipſa Roma prope convulſa ſedibus ſuis ad complectendum conſervatorem ſuum procedere viſa eſt. Cùm veniſſet ad portam Capenam, qua via Appia ducit in urbem, gradus templorum (in quibus fuit Martis & Camœnarum) ab infima plebe completi erant, à qua plauſu maximo cùm eſſet Ciceroni gratulatio ſignificata, ſimilis & frequentia, & plauſus eum uſque ad Capitolium celebravit, in foro & in ipſo Capitolio miranda multitudo fuit, epiſt. 1. li. 4. ad Att. Itaque ille unus dies, ait pro domo, quo die me popul. Rom. à porta in Capitolium, atque in domum ſua celebritate, lætitiaque comitatum honeſtavit, tantæ mihi jucunditati fuit, ut tua mihi conſcelerata illa vis non modo non propulſanda, ſed etiam emenda fuiſſe videatur. Plutarchus ſcribit, revertenti Ciceroni tanta lætitia civitates, tanto ſtudio homines obviam veniſſe, ut infra veritatem ſit. quod poſtea dixit, ſe humeris Italiæ Romam reportatum fuiſſe. dixit autem hoc in extrema oratione poſt reditum in ſenatu. Poſtridie in ſenatu, qui fuit dies Non. Septemb. ſenatui gratias egit ea oratione, quæ, poſt reditum in ſenatu inſcripta, exſtat. egit etiam populo Rom. gratias, altera oratione, quæ poſt reditum ad Quirites inſcribitur. De utraque Dio ita ſcribit: κατῆλθε-τε οὖν ὁ Κικέρων, καὶ χάριν τῇ τε βουλῇ, καὶ τῷ δήμῳ παρασχόντων αὐτῷ τῶν ὑπάτων, καὶ κατὰ τὸ συνέδριον, καὶ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν ἔγνω, id eſt, Rediit igitur Cicero, & gratias tum Senatui, tum populo, concione à Conſulib. data, in ſenatu & in concione egit. Eo biduo, cum eſſet annonæ ſumma caritas, homines primo ad theatrum venerunt: ubi L. Cæcilio Rufo prætore ludos Apollinares faciente, ita infima concitata multitudo annonæ caritate tumultuata eſt, ut omnes, qui in theatro ſpectandi cauſa conſederant, pellerentur: deinde iidem ad Capitolium, ubi tum ſenatus habebatur, concurrerunt, cumque cædem & incenſionem Capitolii ſenatorib. minarentur, atque iccirco per eos dies, quibus ſenatus de annona habebatur, conſulares plerique abeſſent, quod tuto ſe negarent, poſſe ſententiam dicere, in Ciceronis ſententiam factum eſt S. C. atque ex eo lex promulgata, ut Pompejo per quinquennium omnis poteſtas rei frumentariæ toto orbe terrarum daretur, Cicero pro domo & epiſt. 1. lib. 4. ad Att. Aſconius in Milonianam, Plutarchus in Pompejo & Dio li. 39. Secuta eſt deinde magna contentio de domo Ciceronis, quam Clodius Libertati conſecraverat. populus eam comitiis centuriatis eodem jure eſſe juſſerat, quo fuiſſet. verum ſenatus decreverat, ut de ejus religione ad Pontificum collegium referretur, ut eſt in orat. de haruſp. reſ. Apud pontifices pridie Kal. Octobr. Cicero pro domo, dixit eam orationem, quæ exſtat; in qua primum reſpondet Clodio, qui actionem ejus de poteſtate rei frumentariæ Pompejo danda reprehenderat, deinde ſuam domum propter Clodii conſecrationem ſacram non eſſe, ſed ab omni religione vacuam atque puram docet. Nam, ut Dio lib. 39. ſcribit, lationem legis Curiatæ, qua è patriciis ad plebem Clodius tranſierat, criminans, quòd ex inſtituto majorum per trinundinum promulgata non fuiſſet, omnem ejus tribunatum, in quo de domo Ciceronis etiam conſtituerat, evertit; affirmans, nihil ab eo tribuno pleb. jure fieri potuiſſe, qui ipſe contra omne jus plebejus factus eſſet. atque ita pontificibus perſuaſit, ut ſibi aream, quæ ab omni religione vacua & pura eſſet, reſtituerent. Hactenus Dio. Itaque Cicero in Piſonem ait; Me conſequentibus diebus in ea ipſa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, Pontifices, Conſules, P. C. collocaverunt: mihique quod ante me nemini, pecunia publica ædificandam domum cenſuerunt, in quem locum Aſconius legendus. Superficiem ædium conſules de conſilii ſententia æſtimarunt H-S. vicies, Tuſculanam villam H-S. quingentis millibus, Formianum H-S. ducentis quinquaginta millibus, ep. 2. l. 4. ad Att. Eodem anno Ptolemæus

rex

rex Ægypti, cum, ingenti pecunia conſumpta, ut rex atque ſocius populi Rom. appellaretur, eam vi ab Ægyptiis extorqueret, & cum hoc nomine, tum quod Cyprum à Romanis repetere, aut amicitiam eis renunciare nollet, apud ſuos offendiſſet, regno pulſus, Romam venit, P. Lentulo etiam tum conſule, cui Cilicia obtigerat, petens, ut in regnum reſtitueretur. Ægyptii quoque legatos, qui Regis crimina purgarent, miſerunt. de quibus Dio & Cicero de haruſp. reſponſ. Ante diem tertium Non. Novemb. expulſi fuerunt fabri de area Ciceronis. Quinti fratris domus primo fracta conjectu lapidum ex area Marci, deinde inflammata juſſu Clodii, epiſt. 3. lib. 4. ad Att. hæc eſt vis illa nefaria, qua ſe cum fratre domum expulſum fuiſſe, ad Lentulum ſcribit. Cùm autem Clodius ſaxis, & ignibus, & ferro vaſtitatem ædibus Ciceronis intuliſſet, decrevit ſenatus, eos, qui id feciſſent, lege de vi, quæ eſt in eos qui univerſam Remp. oppugnaſſent, teneri in orat. de haruſp. reſponſis. Quæ deinde, uſque ad VIII. Kal. Decemb. acta ſunt, vide ep. 3. l. 4. ad Att. IV. Idus Decem. novi trib. pl. magiſtratum inierunt, è quibus à Cicerone l. 1. Fam. l. 2. ad Fratrem; & Dione l. 39. hi nominantur, P. Rutilius Lupus, C. Porcius Cato, C. Caninius, L. Racilius, Cn. Plancius, A. Plautius, Sex. Antiſtius Verus, & Caſſius. Cùm tribuni magiſtratum iniſſent, C. Cato turbulentus adoleſcens, nec imparatus ad dicendum, concionibus aſſiduis invidiam & Ptolemæo ſimul, qui jam profectus ex urbe erat, & P. Lentulo conſuli paranti jam iter, concitare, ſecundo quidem populi rumore, cœpit. quod ex l. XXII. Annal. Feneſtellæ Nonius Marcellus refert. In quindecim legatis, quos Pompejus ſibi rei frumentariæ cauſa legaverat, fuit Q. Cicero, qui cum eſſet in Sardinia, M. Cicero ad eum ſcripſit, quæ extremo hujus anni menſe in ſenatu acta fuerunt, ep. 1. l. 2. ad Frat.

Anno urbis DCXCVII. *Ciceronis* LI. COSS. *fuerunt,*

CN. CORNELIUS LENTULUS MARCELLINUS, L. MARCIUS PHILIPPUS.

IN collegio prætorum hujus anni fuerunt, Cn. Domitius, Qu. Ancharius, & C. Claudius Pulcher, ut pro Sex. l. 2. ad Frat. & in Cicerone Plutarchi cognoſcitur. M. Tullius initio hujus anni omni ſtudio in id incubuit, ut P. Lentulo, qui Ciliciam pro conſule obtinebat, Ptolemæi regis reductio decerneretur. Argumento ſunt epiſtolæ, quæ hoc tempore ad Lentulum miſſæ lib. 1. Fam. exſtant. Tum quoque orationem de rege Ptolemæo, cujus apud Aquilam, & Fortunatianum mentio eſt, habuiſſe videtur, cum regis Alexandrini reſtitutionem Lentulo ſua ſententia decerneret. XIV. Kalend. Feb. Cicero ſcripſit ad Qu. Fratrem ep. 2. l. 2. ubi ait, Comitia ædilitia, quibus Clodius ædilitatem petebat, edicta eſſe a. d. XI. Kal. Feb. Clodius ædilis factus, Miloni diem dixit, & de vi ad populum accuſavit pro Sextio, in Vatinium, & lib. 2. ad Frat. qua de re Dio ita ſcribit: Clodius ſimulatque ædilitatem Marcellino, & Philippo coss. iniit, Miloni diem dixit, quod gladiatoribus rempub. obſediſſet: quæ enim ipſe commiſerat, quorumque nomine reus erat, ea illi crimini dabat; non quòd Milonem condemnatum iri ſperaret, qui patronos magnos, in iis Pompejum & Ciceronem, habebat; ſed ut per hanc cauſam & Milonem oppugnaret, & patronos ejus vexaret. IV. Non. Febr. Milo affuit: ei Pompejus advocatus venit: producta dies eſt in VIII. Idus: quo die Pompejus, cùm pro Milone apud populum diceret, clamore, convicioque jactatus eſt, Clodiuſque diem in Quirinalia, id eſt XIII. Kal. Mart. produxit: epiſt. 3. l. 2. ad Frat. & ep. 5. l. 1. Fam. Cicero autem jam ante diem tertium Kal. Feb. ad Atticum ex Epiro in Italiam reverſum miſerat ep. 4. l. 4. A. d. IV. Id. Feb. P. Sextius à M. Tullio Albinovano lege Lutatia de vi poſtulatus fuit, propter cædem, quam anno ſuperiore, VIII. Kal. Feb. cùm de Ciceronis reditu ageretur, in foro factam diximus. defenſus fuit cum ab aliis tum à Q. Hortenſio, & M. Cicerone: cujus oratio pro Sextio exſtat. Sextius abſolutus fuit a. d. II. Id. Mart. ep. 4. l. 2. ad Frat. Oppugnaverat Sextium maxime P. Vatinius, qui etiam teſtimonium in illum dixerat. itaque Cicero Vatinium teſtem perpetua interrogatione accuſavit, quæ oratio ſeparatim edita exſtat, de qua Fabius l. 5. c. 7. Cicero ep. 9. l. 1. Famil. Tota vero interrogatio mea (orationem in Vatinium ſic appellat) nihil habuit aliud, niſi reprehenſionem illius tribunatus: in quo omnia dicta ſunt libertate, animoque maximo de vi, de auſpiciis, de donatione regnorum. III. Id. Feb. Cicero dixit pro Beſtia de ambitu, apud prætorem Cn. Domitium, in foro medio, maximo conventu. Prid. Id. T. Pomponius Atticus Pilia uxore ducta nuptias celebravit, in quibus Cicero cœnavit, ep. 3 lib. 2. ad Frat. Tulliam filiam Cicero anno proximo ante conſulatum ſuum deſponderat C. Piſoni L. F. Frugi ep. 2. l. 1. ad Att. ejus amor, virtus, pietas in Ciceronem exſulantem, tanta fuit, ut ſupra nihil poſſet, ep. 1. & 3. l. 14. ad Fam. & in orat. poſt redit. Ei vero fructum pietatis ſuæ ferre non licuit: deceſſit enim anno ſuperiore ut ex Sextiana & orat. in Vatinium cognoſcitur. Quem cùm Tullia hoc anno eluxiſſet, Cicero pridie Non. Apr. eam Furio Craſſipedi deſpondit, eique VIII. Idus ſponſalia præbuit: lib. 2. ad Frat. ep. 5. ut Manutius nunc diſtinxit. Unde ſcribit ad Attic. lib. 4. ep. 5. Viaticum Craſſipes præripit. De hac conjunctione gratulatus quoque Lentulus Ciceroni fuit: cui Cicero reſpondet ep. 7. lib. 1. ad Fam. Non. April. factum fuit S. C. in Ciceronis ſententiam ut de agro Campano frequenti ſenatu Idibus Maii referretur, ep. 9. l. 1. Fam. Cum autem Miloni dies in Nonas Maii prodita eſſet, Cicero Roma exivit, villaſque luſtravit ep. 5. & 6. l. 2. ad Frat. Prodigia interim facta, ut Dio l. 39. ſcribit. Nam & in Albano monte ſacellum Junonis, quod in menſa dedicatum orientem ſolem ſpectabat, ad ſeptentriones converſum eſt. fax à meridie ad Aquilonem porrigi viſa, lupus urbem intravit, terra movit, cives quidam fulmine icti ſunt, & in agro Latinienſi auditus

fuit ſtrepitus ſub terra cum fremitu, quæ cùm haruſpices expiari vellent, iratos Deos eſſe, quod loca ſacra & religioſa profana haberentur, reſponderunt. Hanc occaſionem arripiens Clodius ædilis, habuit concionem de ſacris & religionibus; atque Ciceronis domum inter ea loca eſſe dixit, quæ conſecrata profana haberentur. itaque poſtridie Cicero defendens ſe in ſenatu, qui ex haruſpicum reſponſo decreverat, ut de locis ſacris & religioſis conſules ad ſenatum referrent, orationem habuit de haruſpicum reſponſis, quæ exſtat, in qua haruſpicum reſponſa contra Clodium interpretatur. Tum quoque Cicero, ut Dio ſcribit, Milone & quibuſdam trib. pl. adhibitis, in Capitolium venit, & tabulas de exſulio ſuo à Clodio trib. pl. fixas dejecit. ſed Clodius cum fratre Cajo, qui Prætor erat, interveniens, eas tum eripuit. poſtea vero obſervata Clodii abſentia, rurſus in Capitolium aſcendit & tabulas inde ablatas, domum ſuam aſportavit. quod factum à Clodio reprehenſum cum Tullius in ſenatu, ut Plutarchus narrat, ſic defenderet, ut diceret Clodium contra leges è patriciis ad plebem tranſiiſſe, ideoque nihil eorum, quæ geſſiſſet, ratum habendum eſſe; Cato indignatus illi contradixit: non quod Clodium laudaret, cujus acta oderat: ſed grave & violentum eſſe confirmabat, tot decreta, & res geſtas ſenatuſconſulto tolli; in quibus eſſent etiam ea, quæ ipſe in Cypro & Byzantii geſſiſſet. de quibus rebus præter hiſtoricos Cicero pro domo, in Sextiana, & alibi. Hoc etiam tempore actum in ſenatu fuit de ſtipendio exercitus Cæſaris. idque Cicero ſe non ſolum decreviſſe, ſed etiam, ut alii decernerent, laboraſſe ait in orat. de provinciis cos. ſtipendii decreti meminit ep. 7. l. 1. Fam. ubi & de decem legatis. de quibus ſic in oratione de provinciis: Actum eſt de decem legatis; quos alii omnino non dabant: alii exempla quærebant: alii tempus differebant, alii ſine ullis verborum ornamentis dabant, in ea quoque re ſic ſum locutus, ut omnes intelligerent, me id, quod reip. cauſa ſentirem, facere uberius propter ipſius Cæſaris dignitatem. & pro Balbo. Idem in anguſtiis ærarii victorem exercitum ſtipendio affecit: Imperatori decem legatos decrevit. Hos decem legatos à Dione intelligi puto, cum de honoribus Cæſari habitis inquit, *ὥς τε καὶ ἐκ τῆς βουλῆς ἄνδρας, ὡς καὶ ἐπὶ δεδουλωμένοις παντελῶς τοῖς Γαλάταις ἀποστεῖλαι*. Nam re bene geſta, diſpenſandæ cohoneſtandæque victoriæ, ut Manilius apud Livium l. 38. ait, Imperatoribus decem legati decernebantur, A. Gabinius, qui Syriam pro cos. tenebat, in Palæſtina re bene geſta contra Ariſtobuli filium Alexandrum, ipſumque Ariſtobulum, ut Joſephus l. 14. Antiquitatum ſcribit, literas Romam miſit, quibus & rem bene geſtam in bello nuntiavit, & ſupplicationem à ſenatu poſtulavit. Idibus Maii ſenatus frequens ſupplicationem Gabinio denegavit, ep. 7. l. 2. ad Fratrem, de provinciis cos. & in Piſonem. Deinde, cùm provinciæ conſulares futuris conſulibus lege Sempronia eſſent decernendæ, ut in argumento orat. de provinciis ſcripſi, & de quatuor provinciis ſententiæ dictæ eſſent, de Syria, Macedonia, & duabus Galliis: M. Tullius rogatus ſententiam, orationem, quæ de provinciis conſularibus exſtat, in Senatu habuit, in qua ſuadet, ut Syria & Macedonia futuris conſulibus decernantur, & Galliæ Cæſari non adimantur. Ante orationem de provinciis in libris Ciceronis legitur Corneliana pro L. Cornelio Balbo, quam hoc anno à M. Tullio dictam eſſe ex eo ſuſpicor, quod de ſupplicatione, ſtipendio & decem legatis extrema fere oratione dicitur. ea enim hoc anno Cæſari decreta eſſe, non ſolum oratio de provinciis docet, verum etiam ep. 7. l. 1. ad Lentulum, quam tametſi docti quidam ad ſecundum Conſulatum Pompeii & Craſſi referant, tamen hoc anno ſcriptam eſſe arguit, quod L. Racilius inter magiſtratus nominatur, quem Marcellino & Philippo coss. trib. pl. fuiſſe ſupra diximus. Igitur Balbus, cùm eſſet Gadibus in Hiſpania natus, ac bello Sertoriano Imperatoribus Romanis probatus, bello confecto à Cn. Pompeio civitate Romana donatus, & quia per L. Cornelium hoc beneficium conſecutus fuit, L. Cornelius Balbus vocatus eſt. Et inimici Cæſaris & Pompeii accuſatorem compararunt, qui Balbo hoc tempore civitatis controverſiam movit: negans eum jure & recte civitate donatum, cùm ex fœderato populo, quo in numero Gaditanus erat, nemo poſſet, niſi is populus factus eſſet fundus, id eſt, auctor obſtringendi ſe jure civium Romanorum, in civitatem venire. Defenderunt Balbum Marcus Craſſus, Cn. Pompejus & Marcus Cicero. De Planciana, quæ ſuo loco non legitur, dicemus infra. Nunc de Cœliana dicendum. Hoc anno Ciceronem pro Marco Cœlio apud Cn. Domitium Prætorem dixiſſe Corradus ſcribit. Manutius cùm in Commentario in epiſtolam quintam libri ſecundi ad Fratrem orationem pro Cœlio habitam, Marcellino & Philippo coss. ſcripſiſſet, exponens deinde epiſtolam duodecimam ejuſdem libri, diem illi in biennium prodit, atque L. Domitio & Appio Claudio coss. Cœlium de vi accuſatum, & defenſum à M. Tullio facit. Res eſt non levis, quæ & tanti viri animum in ſcribendo diſtraxerit, & aliis ancipitem curam cogitandi afferre poſſit. quare, an certi quid eruere queamus, experiamur. Quæſtionem illam Cn. Domitium exercuiſſe, ipſa oratio demonſtrat. Fuit autem Cneius Domitius prætor hoc anno, apud quem Ciceronem pro Beſtia dixiſſe, indicavimus. Fuit quoque alius Domitius Prætor biennio poſt, apud quem Cœlius cauſam dicere debebat, epiſtola duodecima, libri ſecundi ad Fratrem. Cur autem Cœlium lege Lutatia de vi reum factum apud Domitium, qui his COSS. non eum, qui biennio poſt præturam geſſit, putem, illa me cauſa maximè movet, quòd Marcus Craſſus una cum Tullio Cœlium defendit. (nam interpretum inſcitia, qui Craſſum Cœlii accuſatorem faciunt, ridenda, ſeu miſeranda potius, quàm refutanda) Caſſius verò cùm anno inſequenti conſul paludatus exierit, Appio & Domitio coss. ne Romæ quidem fuit, nedum cauſas ibi orare potuit. Huc accedit, quòd Alexandrinæ legationis princeps Dio Academicus, cujus interficiendi cauſa Cœlium aurum à Clodia ſumpſiſſe

adverſarii

adverſarii arguebant, anno ſuperiore fuerit occiſus, auctore Dione lib. 39. & Strabone in 17. nec veriſimile ſit, accuſatores hujus cædis crimen & accuſationem in annos plures diſtuliſſe. Si quis objiciet, Cn. Domitium, hujus anni prætorem de ambitu quæſiviſſe; Cœlium de vi accuſatum fuiſſe: is ſi probaverit ſingulos prætores tantummodo uni quæſtioni præfuiſſe, magnum fecerit. Nec me movet, quod Cœlius Appio & Domitio coss. reus invenitur. quid enim obſtat quæſo, quo minus hoc tempore abſolutus, à gente Clodia in judicium retrahi potuerit? Quod Latomus putat, hanc orationem Appio & Domitio coss. ideo habitam quod Cn. Domitius, qui poſt illos Conſul fuit, in eorum conſulatu præturam geſſiſſe videatur, tempori, quo iſta ſcripſit, attribuito. Hoc ergo maneat, Cœlium lege Lutatia de vi propter ſeditiones Neapolitanas, & alia crimina accuſatum; de ſeditionibus Neapolitanis, & Alexandrinorum pulſatione Puteolana à M. Craſſo, de auro, quod à Clodia ſumpſiſſe, & veneno, quod ejuſdem Clodiæ necandæ cauſa paraſſe dicebatur, à M. Cicerone hoc tempore eſſe defenſum. Qu. Metellus Nepos ex Conſulatu in Hiſpaniam profectus, eam provinciam hoc tempore pro conſule obtinebat, unde τῆς Ἰβηρίας ἀνθύπατος à Plutarcho in Cæſare nominatur. videturque ex Hiſpania ad Ciceronem miſiſſe ep. 3. l. 5. Famil. in qua de contumelioſis concionibus Clodii ædilis conqueritur. Clodius frater Nepotis appellatur etiam in orat. poſt redit. in ſenatu, & pro domo, non propter affinitatem, ut vulgò interpretes ſibi perſuaſerunt, verum quia ἐν γένει αὐτοῦ ὢν, ut Dio de Metello Celere ait, quem etiam Cicero de haruſpicum reſponſ. & pro Cœlio Clodii fratrem nominat. Fuerunt autem fratres patrueles, ſeu ut Juriſconſulti vocant, amitini. Cæcilia enim mater Clodii Metellorum amita fuit. Metellum Nepotem hoc tempore in Hiſpania deceſſiſſe, eumque a Cicerone intelligi ep. 9. l. 4. ad Att. viri docti putant. quod ſi verum eſſet, Dionem l. 39. ubi res ab eo in provincia geſtas, exponit, prætermiſſurum fuiſſe non arbitror. Immo ſi jam in Hiſpania periit, eſt quòd Pediano gratiam referat, qui illum mortuum in vitam reduxit, atque in choro novem conſularium, qui biennio pòſt Scaurum reum laudaverunt, collocavit. Ut ut ſit, M. Tullius quinque epiſtolas libri quarti ad Att. nempe quartam, quintam, ſextam, ſeptimam, & octavam his conſulibus ſcripſit. In ſexta meminit epiſtolæ ad Lucceium miſſæ, quæ eſt 12. l. 5. Famil. qua ut res à ſe in conſulatu geſtas ſcribat, eum rogat. C. Julius Cæſar, geſtis hoc anno rebus illis, quas l. 3. commentariorum perſcripſit, exercituque in Aulercis Lexobiiſque, reliquis item civitatibus quæ proximè bellum fecerant in hibernis collocato, diſcedens in Italiam Lucæ hiemavit, auctore Plutarcho in Pompejo, Cæſare, & Catone. eoque Pompejum & Craſſum extractos compulit, ut detrudendi L. Domitii cauſa, qui palam minabatur, conſulem ſe effecturum, quod prætor nequiſſet, ademptumque Cæſari exercitus, conſulatum alterum peterent, Suetonius in Julio. Ita factum, ut Domitius, qui tot annos, quod habebat, deſignatus conſul fuerat, conſul fieri non potuerit, epiſt. 8. li. 4. ad Att. Cum autem Pompejus & Craſſus intra legitimum tempus profeſſi non eſſent, effecerunt cum per alios, tum per C. Catonem trib. pl. ne eo anno comitia haberentur: ut cùm res ad interregnum rediſſet, legitimè conſulatum & peterent & capeſſerent, Dio lib. 39.

Anno urbis DCXCVIII. *Ciceronis* LII. COSS. *fuerunt*,

CN. POMPEJUS MAGNUS II. M. LICINIUS CRASSUS II.

CONSULATUM ex interregno inierunt, Dio l. 39 reliquoſque magiſtratus ſuo arbitratu crearunt, quo tempore M. Cato in præturæ petitione repulſam tulit, & P. Vatinius in locum ejus creatus eſt, Plutarchus & Dio. Cicero menſe Aprili fuit ruri, ibique ſcripſit ep. 9. lib. 4. ad Att. cum Puteolis magnus eſſet rumor, Ptolemæum eſſe in regno. Eum A. Gabinius hoc anno juſſu Pompeii in regnum reſtituit, Plutarchus in Pompejo, Dio lib. 30. Strabo lib. 12. & 17. Meminit Cicero in Piſonem, quam orationem his conſulibus dixit, auctore Aſconio, cùm Piſo revocatus è Macedonia ſententia Ciceronis, quam anno ſuperiore de provinciis conſularibus dixerat, de inſectatione ejus in ſenatu conqueſtus, atque in eum invectus eſſet. Piſoni Cicero reſpondit oratione illa quæ exſtat, & continet Piſonis vituperationem, quamvis in ſenatu ſit habita loco ſententiæ, ut teſtatur Quintil. l. 3. c. 9. Dicta fuit oratio, auctore Aſconio, ante paucos dies, quam Cn. Pompejus ludos faceret, quibus theatrum à ſe factum dedicavit. magnificentiſſima verò Pompeii munera ſecundo conſulatu fuerunt, ait Cicero l. 2. de Officiis, & demonſtrat ep. 1. lib. 7. Famil. ad Marium. De theatro & ludis Pompeii, Plutarchus in ejus vita, Dio l. 39. Tacitus l. 14. Plinius l. 8. c. 7. Hoc anno Cicero ad Quintum fratrem ſcripſit epiſt. 8. 9. & 10. l. 2 ad Atticum, ep. 9. 10. 11. & 12. l. 4. In duodecima facit mentionem profectionis Craſſi in Syriam, antequam verò paludatus exiret, cœnavit apud Ciceronem in hortis Craſſipedis generi, ep. 9. l. 1. Fam. Proficiſcentem Atejus Capito tribunus pl. diris cum omnibus retinere conatus eſt, ille verò dirarum obnunciatione neglecta, in Syriam contendit. atque exercitu deleto trans Euphratem cum ignominia & dedecore periit. Cicero l. 1. & 2. de Divinat. Plutarchus, Appianus, Dio, Vellejus, & alii. Cicero etiam hoc tempore ſcripſit tres libros de Oratore, de quibus ſic ad Att. ep. 12. l. 4. de libris oratoriis factum eſt à me diligenter: diu multumque in manibus fuerunt, deſcribas licet. vide quoque prooemium lib. 2. de Orat.

Anno urbis DCXCIX. *Ciceronis* LIII. COSS. *fuerunt*,

L. DOMITIUS AHENOBARBUS, AP. CLAUDIUS PULCHER.

CUM Craſſus hoc tempore in Syriam iter haberet, Cicero ejus abſentis cauſam in ſenatu de-

fendit, & cum conſulibus atque conſularibus magna contentione decertavit, ut ſcribit ipſe ad Lentulum epiſt. 9. lib. 1. & ad Craſſum epiſt. 8. lib. 5. Famil. Quæ initio hujus anni menſe Februario in ſenatu acta ſunt, Cicero ad Fratrem ſcribit lib. 2. epiſt. 11. & 12. ut in libris Manutianis diſtinguuntur. Miſit deinde in Galliam ad Cæſarem pro cos. C. Trebatium Teſtam Juriſconſultum cum literis, quibus eum ſtudioſiſſimè commendat, epiſt. 5. lib. 7. Famil. Tum etiam Q. Tullius Cicero legatus Cæſari in Galliam profectus eſt, de quo Cæſar lib. 5. Comment. M. Cicero item Roma profectus, ruri ſcripſit ad Atticum, epiſt. 13. lib. 4. Fuit autem in Cumano & Pompejano: atque in Cumano inſtituit ſcribere πολιτικὰ, de optimo ſtatu civitatis, & de optimo cive, epiſt. 13. lib. 2. & 5. lib. 3. ad Fratr. & epiſt. 13. lib. 4. ad Att. IV. Non. Junii Cicero Romam rediit, epiſt. 14. lib. 2. Ad Fratr. IV. Non. Quintil. Suffenus & Cato abſoluti ſunt. epiſt. 14. libro 4. ad Att. de C. Catone abſoluto Aſconius pro Scauro. His rebus actis Cicero à Reatinis in eorum agrum eductus, apud Ap. Claudium conſulem, & decem legatos Reatinorum cauſam contra Interamnates egit, epiſt. 14. libro 4. ad Attic. Varro de re ruſt. lib. 3. cap. 2. VII. Id. Romam rediit. eoque tempore ſe à cauſis & judiciis diſtrictiſſimum fuiſſe, ait ep. 15. lib. 2. ad Fratr. defendit tum Meſſium, item Druſum, de quibus epiſt. 14. lib. 4. ad Attic. ubi hoc quoque ſcribit, ſe ex Quinti fratris literis ſuſpicari, jam eum eſſe in Britannia. Illo tempore ad Trebatium ſcripſit epiſt. 6. 7. 8. 9. & 10. lib. 7. Fam. Ex Britannia Quintus ad Marcum literas miſit, quibus ille menſe Sextili reſpondit eodem die, quo P. Vatinium defendit, epiſt. ult. lib. 2. ad Fratr. de Vatinio in gratiam recepto & defenſo ſcribit epiſtola longa ad Lentulum. Pro Vatinio Ciceronem dixiſſe L. Domitio, Ap. Clodio coss. Aſconius teſtatur. Valerius quoque lib. 4. cap. 2. ſcribit M. Ciceronem P. Vatinium dignitati ſuæ ſemper infeſtum duobus publicis judiciis tutatum eſſe. itaque Vatinius ſe clientem Ciceronis appellat, epiſt. 9. lib. 5. Famil. M. Æmilius Scaurus à C. Triario repetundarum poſtulatus apud M. Catonem prætorem à M. Tullio defenſus eſt a. d. IV. Nonas Septembr. vide Aſconium. Hanc orationem una cum Planciana menſe Septembri ſe abſolviſſe ſcribit, epiſt. 1. lib. 3. ad Fratr. Plancium his coss. à M. Juventio Laterenſe accuſatum, & a Cicerone defenſum eſſe, Latomus & Corradus putant, recte meo quidem judicio. Fuerat enim Plancius tribunus plebis biennio ante, ut diximus, atque in hunc annum ædilitatem recte petiit. Quod autem Silvius per Conſulem, quem Cicero comitia ædilitia habuiſſe ait, M. Craſſum intelligit, nulla probabili ratione nititur. nec potuit Plancius in tribunatu ædilitatem petere. huc accedit, quod hunc fuiſſe legitimum annum ædilitatis Laterenſis, ex prætura ejus perſpicuum fit: quam triennio poſt, Ser. Sulpicio, M. Marcello coss. geſſit, ep. 7. lib. 8. Famil. Illud autem, quod Corradus pro certiſſimo argumento affert. quod C. Alfius, qui præturam hoc anno geſſit, quæſitor in cauſa Planciana fuerit, nullum eſt. nam primum ex peroratione cognoſcitur, non C. Alfium, ſed C. Flavium quæſitorem fuiſſe, quem eundem præturam tum geſſiſſe, affirmare non auſim: arbitror enim tam quæſitorem, quam conſilium, edititium fuiſſe: editos autem fuiſſe ab accuſatore, quæ poteſtas ſi rei fuiſſet, ait Cicero, eum ſine dubitatione C. Alfium tribulem ſuum quæſitorem, atque è Terentina, & Voltinia tribubus judices fuiſſe editurum. Pridie Nonas Septemb. ludi Romani, qui per novem continuos dies fiebant, commiſſi ſunt. Ludorum diebus Cicero in Arpinati fuit, & XIII. Kalend. Octob. Romam venit, epiſt. 1. lib. 3. ad Fratr. a. d. VI. Kalend. Octobris: cùm æquinoctium ſubeſſet, Cæſar exercitum Britannia reportavit, Cicero epiſt. 15. lib. 4. ad Att. & Cæſar lib. 5. Comment. cum Cæſar Britanniam peragraret, audivit diſceſſiſſe filiam, Seneca de Conſolatione ad Marciam. Hinc Cæſaris luctus epiſt. 1. lib. 3. ad Fratr. de morte Juliæ, quæ Pompejo nupta erat, Dio lib. 39. Plutarchus in Pompejo, & Cæſare. Cum M. Craſſus A. Gabinio in Syria ſucceſſiſſet, ille in Italiam reverſus XII. Kal. Octob. ad urbem acceſſit, & IV. Kal. urbem noctu intravit, & de majeſtate accuſatus eſt, epiſt. 1. lib. 3. ad Fratr. In eo judicio Ciceronem Gabinium graviſſimè accuſaſſe, Dio lib. 39. auctor eſt: ſed Cicero ſe teſtimonium ſecundum fidem & religionem, graviſſimè in eum dixiſſe, teſtatur ep. 4. l. 3. ad Frat. Gabinio abſoluto, M. Tullius VIII. Kal. Novemb. in Tuſculanum profectus fuit. Ita extremis menſibus hujus anni Cicero omnes epiſtolas l. 3. ad Frat. & poſtremas l. 4. ad Att. & longam ad Lentulum ſcripſit. Gabinius de majeſtate abſolutus, de repetundis accuſatus & condemnatus fuit, quamvis Tullius rogatu Pompeii eum defendiſſet, Dio libro 39. Valerius libro 4. cap. 2. Sed hujuſce generis humanitas etiam in M. Cicerone præcipua apparuit: A. namque Gabinium repetundarum reum ſummo ſtudio defendit, qui eum in conſulatu ſuo urbe expulerat. Cicero pro Rabirio Poſtumo, ait ſibi cauſam defendendi Gabinii fuiſſe reconciliationem gratiæ. ibidem teſtatur, ſe Gabinium ex maximis inimicitiis receptum in gratiam, ſummo ſtudio defendiſſe. Meminit hujus defenſionis D. Hieronymus in Apologia adverſus Rufinum. Gabinio condemnato C. Memmius lege Julia de repetundis accuſavit C. Rabirium Poſtumum, qui, cùm poſt mortem patris ſui C. Curtii natus eſſet, à C. Rabirio avunculo adoptatus, C. Rabirius Poſtumus dictus fuit. defendit eum Cicero hiberno tempore, ut oratio indicat. Claudius Cæſar apud Suetonium refert, Rabirio Poſtumo Ptolemæum Alexandriam crediti ſervandi cauſa ſecuto crimen majeſtatis apud Judices motum fuiſſe. Hoc ad extremum admonebo quatuor prætores hujus anni à Cicerone in epiſtolis nominari, M. Catonem, Domitium, Servilium, & C. Alfium, quibus Dio addit Ser. Sulpicium Galbam. tribuni pleb. apud Ciceronem ſunt, Q. Mucius Scævola, Terentius, & C. Memmius, his apud Valerium lib. 8. cap. 1. additur Lælius.

Anno

Anno urbis DCC. *Ciceronis* LIIII. COSS. *fuerunt,*

CN. DOMITIUS CALVINUS, M. VALERIUS MESSALA.

HI conſules non ſtatim initio, ut moris erat, ſed ſeptimo tandem menſe magiſtratum inierunt, auctore Dione lib.40. Cùm enim anno ſuperiore comitiorum conſularium ſinguli dies obnuntiationibus ſublati eſſent, ut ſcribit Cicero epiſt. 3. l.3. ad Frat. & ob id menſe Januario nulli dum Conſules eſſent, Interreges de more proditi fuerunt, qui rempublicam per ſex menſes adminiſtrarunt: cum quod propter auſpicia, quæ ſecunda Interregibus non eveniebant, comitia habere non poſſent, tum quod tribuni pl. qui remp. tractabant, ne magiſtratus crearentur, impedirent, ut Dio ſcribit. Plura igitur hoc tempore interregna fuerunt: de quibus Cicero ep.1. l.7. Famil. quam hoc tempore ſcriptam eſſe res ipſa indicat, ſicut & ſequentes. quarum decima tertia data eſt III. Nonas Mart. decima octava VI. Idus Apr. Sed, cùm Tribuni pl. comitia omni ratione impedirent, ac primum ut tribuni milit. pro conſulibus, deinde ut Pompejus Dictator crearetur, ad populum ferrent, M. Catonis cohortatione adductus, Pompejus effecit, ut Cn. Domitius,& M. Meſſalla coss. tandem fuerint creati, Plutarchus in Pompejo & Dio l. 40. His coss. M. Craſſus interfecto P. filio exercituque deleto, trans Euphratem cum ignominia & dedecore periit, ait Cicero l. 2. de Divinat. & ſcribit præter alios Oroſius noſter lib. 6. cap. 13. Periiſſe Craſſum menſe Junio Ovidius lib.6. Faſtorum indicat. In locum P. Craſſi M. F. Cicero Augur factus fuit, ut Plutarchus ſcribit. In Auguratus petitione competitorem habuit C. Hirrum. de quo lib.2. & 8. Fam. Sed M. Tullium augurem à toto collegio expetitum Cn. Pompejus, & Q. Hortenſius nominaverunt, Philip.2. Ab Hortenſio ſe cooptatum in collegium, & inauguratum, ait in Bruto. Quo tempore Cicero Augur factus eſt, C. Scribonius Curio filius in Italia non fuit, ut ipſe ait Philip.2. erat autem in Aſia, eoque Cicero ad illum miſit ſex primas epiſtolas lib. 2. Famil.

Anno urbis DCCI. *Ciceronis* LV. *Conſul fuit,*

CN. POMPEJUS MAGNUS III. SINE COLLEGA.

PETEBANT in hunc annum Conſulatum ſummis contentionibus T. Annius Milo, P. Plautius Hypſæus, & Q. Metellus Scipio. Petebat in eundem annum præturam P. Clodius, cui ſummæ inimicitiæ cum Milone intercedebant. itaque a. d. XIII. Kalend. Feb. cum Milo Lanuvium proficiſceretur, & Clodius Aricia rediens ei occurriſſet, rixa & pugna forte commiſſa, Clodius interfectus fuit, quod Aſconius in argumento orat. pro Milone pluribus verbis narrat. Pompejus deinde ab interrege Ser. Sulpicio V. Kal. Martii conſul creatus eſt, ſtatimque conſulatum iniit, & novas leges tulit: duas ex S. C. alteram de vi, qua nominatim cædem Appia via factam, & incendium Curiæ, & domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit: alteram de ambitu, pœna graviore, & forma judiciorum breviore propoſita. utraque enim lex prius teſtes dari per triduum, deinde uno die atque eodem & ab accuſatore, & ab reo perorari jubebat, ita ut duæ horæ accuſatori, tres reo darentur, auctore Aſconio. hinc Tacitus in dialogo de Oratoribus ait Pompejum primum adſtrinxiſſe, & impoſuiſſe veluti frænos eloquentiæ. de hac lege Pompeii Cicero in Bruto, Maximè, inquit (de ſe & Hortenſio agens) perſpecta eſt utriuſque noſtrum exercitatio paullo ante, cum lege Pompeja ternis horis ad dicendum datis, ad cauſas ſimillimas inter ſe, vel potius eaſdem novi veniebamus quotidie. & initio l.4. de Finibus. Ain' tandem, cum eo de hac nova lege videam, eodem die accuſatori reſpondere, & tribus horis perorare, in hac me cauſa tempus dilaturum putas? Perlata lege Pompeii, & L. Domitio Ahenobarbo Quæſitore ſuffragio populi creato, Milo de vi, & de ambitu, & de ſodalitiis poſtulatus fuit. Accuſarunt de vi Milonem III. Idus Ap. Appius major, M. Antonius, & P. Valerius Nepos, reſpondit illis unus M. Cicero. qui cùm inciperet dicere, exceptus eſt acclamatione Clodianorum, ita, ut non ea, qua ſolitus erat, conſtantia diceret. ſed oratio illa quoque excepta fuit, ut Aſconius ſcribit. Meminit Quintilianus l.4.c.3. Eam verò, quam nos habemus, Cicero poſtea ſcripſit, cùm Milo eſſet Maſſiliæ, quò condemnatus, in exſulium intra pauciſſimos dies profectus fuit. Aſconius, & Dio lib. 40. Accuſatus deinde M. Saufejus, defendente Cicerone, & M. Cœlio, abſolutus fuit. Sex. autem Clodius magno conſenſu damnatus eſt. Aſconius. Pompejus in hoc conſulatu Corneliam Q. Metelli Scipionis filiam uxorem duxit & ſocerum ſibi in quinque menſes extremos collegam ſubrogavit. Plutarchus in Pompejo, Dio lib. 40. Appianus lib. 2. eundem Scipionem Cenſoriam poteſtatem, quam Clodius imminuerat, lege reſtituiſſe, Dio ſcribit. Hoc anno fingitur habitus ſermo de finibus bonorum & malorum, quem Cicero libris quinque poſtea perſcripſit. argumento ſunt verba illa, quæ de libro quarto modò adduxi, & illa lib. 2. Ut M. Craſſus fuit: qui tamen ſolebat uti ſuo bono: ut hodie eſt noſter Pompejus: cui rectè facienti gratia eſt habenda. Extremo hujus anni menſe, cùm T. Munacius Plancus Burſa magiſtratu abiiſſet, à Cicerone accuſatus, & Cn. Pompejo defenſus, condemnatus fuit, Dio lib. 40. & Cicero epiſt. 2. lib. 7. Fam. quam hoc tempore ſcripſit. Plancus omnibus ſententiis, maximo populi plauſu condemnatus fuit, quòd Curiam incendiſſet, Philippica 6. & 13.

Anno urbis DCCII. *Ciceronis* LVI. COSS. *fuerunt,*

SER. SULPICIUS RUFUS, M. CLAUDIUS MARCELLUS.

HOc tempore, certe pòſt Clodii cædem M. Tullius de Legibus ſcripſit, ut ex lib.2. cognoſcitur.

tur. Cùm autem plures libros de Legibus ſcripſiſſet, ad nos tres tantum, iique mutilati pervenerunt. Factum anno ſuperiore ſenatuſconſultum erat, ne quis prætorius aut conſularis intra quinquennium in provinciam ire poſſet, ut Dio lib. 40. ſcribit. Hoc S. C. ire in provincias coacti ſunt, qui in eas ex prætura, aut ex conſulatu non iverant. in his erat M. Tullius: cujus ſors cùm dejecta eſſet, Cilicia provincia conſularis cum exercitu peditum XII. mil. equitum duûm mil. DC. ei obvenit, auctore Plutarcho. Cicero ſe nomen tantum duarum legionum habuiſſe, ait epiſt. 15. lib. 5. ad Att. & ep. 6. lib. 3. Fam. ait in tanta militum paucitate abfuiſſe tres cohortes. Tenuit Cicero pro cos. etiam Cyprum inſulam Ciliciæ oppoſitam, & præterea tres diœceſes Aſiaticas, Cibyraticam, Synnadenſem, & Apameenſem, ut lib. 5. & 6. ad Att. perſpicitur. itaque lib. 1. de Divinat. ait, ſe nationibus Cilicum, Piſidarum, & Pamphyliæ præfuiſſe. Succeſſit M. Tullius Ap. Claudio, quem de ſucceſſione certiorem facit epiſt. 2. lib. 3. Famil. cùm epiſtolam primam prius ad ipſum in Ciliciam miſiſſet. Legatos habuit Cicero, Q. Tullium fratrem, C. Pomptinium, L. Tullium, & M. Annejum: Quæſtorem L. Meſſinium, cui C. Cœlius poſtea ſucceſſit. Profectus Cicero ex urbe menſe Majo, Nonis cum Attico in Tuſculano fuit, inde Arpino, Arcano, Aquino, Cumamano, Pompejano, & Trebulano peragratis, Beneventum venit V. Id. Maii. Tarentum XV. Kal. Jun. & triduum cum Pompejo, & apud Pompejum fuit, epiſt. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. lib. 5. ad Att. Brundiſium venit a. d. XI. Kalend. Jun. epiſt. 3. lib. 3. Famil. ibi plures dies manſit. pridie non. Junii ſe etiam tum Brundiſii fuiſſe ſcribit ad Appium epiſt. 4. lib. 3. Fam. interim M. Cœlius ad eum miſit, epiſt. 1. libr. 8. cui Athenis reſcripſit epiſt. 8. lib. 2. Famil. Brundiſio profectus Actium venit XVII. Kalend. Athenas VII. Kalend. Quintil. epiſt. 9 & 10. lib. 5. ad Att. Exulabat tum Athenis C. Memmius de ambitu condemnatus, epiſt. 2. lib. 3. ad Frat. & epiſt. 19. lib. 13. Fam. & Appianus lib. 2. is pridie, quam Cicero Athenas venit, Mitylenas profectus erat, ep. 11. lib. 5. ad Att. tum Cicero ad eum miſit epiſt. 1. & ſeq. ut videtur, lib. 13. Famil. Cum Athenis decem ipſos dies fuiſſet, pridie Non. Quintil. inde profectus Epheſum venit ad XI. Kal. Quintil. epiſt. 11. 12. & 13. lib. 5. ad Att. & epiſt. 8. lib. 2. Famil. Tralles venit a. d. VI. Kal. Sextil. atque ad Appium miſit epiſt 5. lib. 3. Famil. Laodiceam in provinciam venit pridie Kalendar. Sextil. epiſt. 15. 20. & ult. lib 5. ad Att. epiſt. 2. & 4. lib. 15. Fam M. Cœlius interim ad Ciceronem plures epiſtolas ſcripſit, quæ lib. 8. Famil. exſtant. in quarta Kal. Sextil. data meminit C. Marcelli cos. deſignati: habita ergo comitia conſularia fuerunt ante Sextilem, quibus creati conſules ſunt, L. Paulus & C Marcellus, qua re cognita, Cicero non ſolum ipſis, verum etiam C. Marcello patri, & M. Marcello fratri patrueli C. Marcelli cos. deſ. gratulatus eſt, epiſt. 7. 8. 9. & 12. lib. 15. Famil. Triduum moratus Loadiceæ, triduum Apameæ, totidem dies Synnade VII. Kalend. Septemb. in Lycaoniam ad Iconium in caſtra venit, epiſt. 16. & ſequentibus lib. 5. ad Attic. & epiſt. 4. libr. 15 Fam. C. Caſſius, qui quæſtor M. Craſſi fuerat, atque ex clade, quæ ad Carrhas accepta erat, cum parte exercitus ſe in Syriam receperat eo tempore, quo Cicero in Ciciliam venit, Antiochia tenebatur: Parthoſque cedentes ab oppido inſecutus rem bene geſſit, Oſace duce occiſo, Cicero epiſt. 10. lib. 2. Famil. & epiſt. 20. lib. 5. ad Atticum, Dio lib. 40. Juſtinus 42. Unde Cicero Philipp. II. de Caſſio: Magnas ille res geſſit ante Bibuli ſummi viri adventum, cum Parthorum nobiliſſimos duces, maximaſque copias fudit, Syriamque immani Parthorum impetu liberavit. In caſtra Ciceronis ad Iconium ante diem III. Kalendar. Septemb venerunt legati miſſi ab Antiocho Commageno, iique nuntiarunt, Parthorum magnas copias Euphratem tranſire cœpiſſe, ut ſcribit epiſt. 1. & 3. lib. 15. Famil. Pridie Kalend. Septemb. Cicero caſtra ab Iconio movit, iterque per Cappadociam in Ciliciam faciens, in Cappadocia extrema non longe à Tauro apud oppidum Cybiſtra caſtra poſuit, epiſt. 6. lib. 3. & epiſt. 2. & 4. lib. 15. Fam. & epiſt. 18. lib. 5. ad Att. ibi cùm dies quinque eſſet commoratus, regem Ariobarzanem, cujus ſalutem à ſenatu commendatam habebat, præſentibus inſidiis liberavit, ut ſcribit ad Catonem, & copioſe exponit magiſtratibus epiſt. 2. & 4. lib. 15. Famil. inde confeſtim iter in Ciliciam fecit per Tauripylas, & Tarſum venit a. d. III. Non. Octobr. epiſt. 20. lib. 5. ad Att. Non. Octobr. in ſenatu recitatæ ſunt Ciceronis literæ, quas publice de Parthico tumultu miſerat, epiſt 1. lib. 15. Famil. & epiſt. ult. lib. 5. ad Att. eodemque die Cicero Tarſo Amanum verſus profectus eſt, epiſt. 8. lib. 3. Famil. qui mons erat hoſtium plenus ſempiternorum. hic a. d. III. Id. Octob. magnum numerum hoſtium cecîdit, caſtella munitiſſima cepit, incendit, imperatorque appellatus eſt, epiſt 20. lib. 5. ad Att epiſt. 10. lib. 2. & 4 lib. 15. Famil. vide quoque Commentarium noſtrum in Ligarianam. His rebus ita geſtis, caſtra in radicibus Amani habuit, ea ipſa, quæ contra Darium habuerat apud Iſſum Alexander, ut eſt locis jam citatis. inde Pindeniſſum oppidum munitiſſimum Eleutherocilicum diu omnibus machinis oppugnatum ſeptimo & quinquageſimo die cepit, Saturnalibus mane, epiſt. 20. lib. 5. ad Att. & epiſt. 4. lib 15. Famil. Pindeniſſo capto exercitum in hiberna dimiſit, iiſque Quintum fratrem præpoſuit, epiſt. 4. lib. 15. Extremo hoc anno Cicero ad Curionem miſit ep. 7. lib. 2. Fam. in qua illi de tribunatu pleb. gratulatur, quem ad IV. Id. Decemb. iniit.

Anno urbis DCCIII. *Ciceronis* LVII. COSS. *fuerunt*,

L. ÆMILIUS PAULLUS, C. CLAUDIUS MARCELLUS.

AD hos conſules exſtant Ciceronis literæ: quibus petit, ut quàm honorificentiſſimum S. C de rebus à ſe geſtis faciendum curent. epiſt. 10. & 13. lib. 15.

lib. 15. Famil. hac de re ſcripſit etiam ad Catonem epiſt. 4. ejuſdem libri; tum Ciceroni pro re bene geſta ſupplicationes ſunt decretæ, epiſt. 11. lib. 8. Famil. & epiſt. 1. lib. 7. ad Attic. pro quibus Marcello cos. gratias agit ep. 11. lib. 15. Famil. Nonis Jan. Cicero Tarſo profectus fuit in Aſiam, ut ibi ſuarum diœceſium hominibus jus diceret, epiſt. ult. lib. 5. ad Att. quam Idibus Febr. ſe dediſſe ait. Quo tempore Cicero Ciliciam, & M. Bibulus Syriam obtinuerunt, eodem tempore Qu. Thermus pro prætore in Aſia, & P. Silius in Bithynia, ut videtur, fuerunt, indicat ep. 1. lib. 6. ad Att. Itaque è Cilicia Cicero ad Thermum & Silium miſit epiſt. 53. & alias, quæ deinceps lib. 13. Fam. leguntur. Laodiceæ M. Tullius ex Idibus Februarii ad Kalend. Maii forum egit omnium diœceſium Aſiaticarum, ep. 1. & 2. lib. 6. ad Attic. Eo venit M. Fabius commendatus ei à C. Caſſio. commendat eundem ipſe Cœlio, Pœto, & Curtio, ep. 14. l. 2. ep. 25. l. 9. ep. 59. l. 13. & ep. 14. l. 15. Famil. eodem tempore Cicero aliquot epiſtolas ad Cœlium & Appium miſit, quæ lib. 2. & 3. leguntur. in quibus cùm de aliis rebus, tum de Appii accuſatione, & Tulliæ nuptiis agitur. Accuſavit Appium reverſum è provincia P. Cornelius Dolabella: eidemque Tullia M. Ciceronis filia hoc tempore nupſit. de affinitate hac gratulatur Ciceroni Cœlius ep. 13. l. 8. Fuit quoque Appius hoc anno, ut Dio ſcribit, cenſor cum L. Piſone. Appii cenſuræ meminit Cic. in epiſtolis ad ipſum, epiſt. 10. 11. & ult. lib. 3. de eadem Q. frater l. 1. de Div. in quo: Appius collega tuus, bonus augur, ut ex te audire ſoleo, non ſatis ſcienter, virum bonum, & civem egregium, cenſor P. Atejum notavit, quod ementitum auſpicia ſubſcripſerit. Ex Aſia Cicero in Ciliciam Nonis Maii profectus ep. 13. lib. 2. Famil. & ep. 2. lib. 6. ad Att. Tarſum venit Nonis Jun. ep. 4. l. 6. ad Att. Ciceroni interim Quæſtor C. Cœlius obtigit, ad quem ſcribit epiſt. ult. lib. 2. Fam. eundemque de provincia decedens III. Kal. Sextil. provinciæ præfecit, ep. 6. l. 6. ad Att. ep. 15. lib. 2. Famil. & ep. 14. lib. 3. Epheſo proficiſcens Kal. Octob. Athenas venit pridie Idus, epiſt. 8. & 9. lib. 6. ad Att. & ep. 5. l. 14. Fam. Athenis Ciceronem libenter commoratum eſſe, πόθῳ τῆς πόλεως διατρίβων, Plutarchus ſcribit. Athenis imperatorem ſe apud Ariſtonem diverſatum eſſe Tuſ. 5. ait. Tironem libertum Cicero è Cilicia in Italiam revertens Patris ægrum reliquit, ep. 2. l. 7. ad Att. ad eumque plures ex itinere epiſtolas miſit, quæ l. 16. Fam. leguntur, & totius itineris rationem continent. Brundiſium venit VII. Kal. Decemb. eodemque tempore uxor Terentia ad portam Brundiſinam acceſſit, quo Tullius in portum, ep. 1. l. 7. ad Att. & ep. 9. l. 16. Fam. Inde Romam verſus proficiſcens, ex itinere ſcripſit ad Atticum ep. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. l. 7.

Anno urbis DCCIV. *Ciceronis* LVIII. COSS. *fuerunt*,

L. CLAUDIUS MARCELLUS, L. CORNELIUS LENTULUS CRUS.

HIS conſulibus M. Tullio pridie Non. Januar. ad urbem accedenti ſic eſt obviam proditum, ut nihil fieri potuerit honoratius, epiſt. 10. lib. 16. Famil. ubi addit, ſe incidiſſe in ipſam flammam civilis diſcordiæ, vel potius belli. quod etiam Plutarchus ſcribit. Nam Kalend. Januar. cum in Qu. Metelli Scipionis ſententiam S. C. fieret, uti ante certam diem Cæſar exercitum dimitteret; ſi non faceret, eum adverſus remp. facturum videri: eique S. C. M. Antonius & Q. Caſſius tribuni pleb. interceſiſſent: Senatus conſulibus, prætoribus, tribunis pleb. & iis, qui pro conſulibus ad urbem erant, negotium dedit, ut curarent, ne quid reſp. detrimenti caperet. Tum Antonius & Caſſius ad Cæſarem ex urbe cum Curione profugiunt, Cæſar l. 1. de Bello civili, Cicero ep. 10. l. 16. Fam. & Philip. 2. Cicero ut venit ad urbem, non deſtitit omnia & ſentire, & dicere, & facere, quæ ad concordiam pertinerent, epiſt. 11. lib. 16. Famil. fuitque ſemper auctor pacis, ut teſtatur in orationibus pro Marcello, Ligario, & Dejotaro. item, ep. 6. l. 6. & ep. 3. l. 7. Famil. eaque de re, ut Plutarchus tradit, privatim multa ad Cæſarem ſcripſit, & Pompejum coram precatus eſt, utrumque placans & deliniens. Sed mirus invaſerat furor non ſolum improbis, ſed etiam iis, qui boni habebantur, Cicerone clamante, nihil eſſe bello civili miſerius, ep. 11. l. 16. Famil. Itaque Italiæ regiones deſcriptæ fuerunt, quam quiſque partem tueretur. Cicero Capuam ſumpſit, quod pridie Idus Januar. ad Tironem ſcripſit ep. 10. lib. 16. Cum interim Cæſar, trajecto Rubicone, Ariminum, Piſaurum, Auconam, Aretium occupaſſet, urbem conſules, atque optimates omnes reliquerunt. Cicero ep. 11. l. 16. Famil. Dio l. 41. & alii. M. Tullius tum quoque ab urbe diſceſſit. ep. 9. & ſequent. l. 7. ad Att. Diſceſſiſſe eum XIV. Kal. Feb. cognoſcitur. ep. 12. l. 9. ad Att. Fuit Cicero ἐπίσκοπος totius oræ maritimæ à Formiis, ep. 11. lib. 16. Famil. & ep. 10. lib. 7. ad Att. VIII. Kal. Februarii Cicero Minturnis fuit ep. 12. lib. 7. ad Att. Reliquerat uxorem Terentiam & filiam Tulliam Romæ. ep. 11. lib. 16. Famil. quarum curam ſæpius Attico mandat. ipſas quoque de hac re monet ep. 14. & 18. l. 14. Famil. VI. Kal. Feb. Cicero Calibus Capuam proficiſcens ad Atticum miſit. epiſt. 13. libr. 7. & poſtridie ſequentem. IV. Kalend. Capua ad Tironem dedit ep. 11. lib. 16. Famil. Capua profectus eſt Formias ad III. Kalend. eo quarto Non. Febr. Tullia & Terentia venerunt. M. Tullius poſtridie cum fratre Capuam verſus profectus eſt, ep. 15. & 16. lib. 7. & ep. 13. lib. 8. ad Att. Capuæ cum triduum fuiſſet, VII. Id. Feb. inde diſcedens ſe Formias recepit ep. 19. l. 7. & 13. l. 8. ad Att. Formiis quotidie fere literas ad Att. dedit, quæ extremo libro ſeptimo, & primo octavo leguntur. Reddita interim Ciceroni eſt à Pompejo epiſt. 12. lib. 8. ad Attic. qua in Apuliam evocatur, eam ſe XV. Kal. Mart. Formiis accepiſſe, Pompejo reſcribens ait, ep. 13. l. 8. ad Attic. meminit epiſt. 1. ejuſdem lib. Profectus deinde ad Pompejum cum Theanum Sidicinum veniſſet, ex C. Meſſio, aliiſque compluribus cognovit, in iis locis eſſe Cæſarem, ut tuto ad Pompejum venire non poſſet. itaque Cales progreſſus ibi conſtitit. & cùm eſſet incertum iter

iter Cæſaris, Leptam ad Pompejum miſit, & literas: ipſe Formias revertit, ep. 3. & 15. l. 8. ad Attic. Ibi aliquamdiu manens plures epiſtolas ad Atticum miſit, quæ l. 8. & 9. exſtant. VIII. Kal. Mart. Pompejus Canuſio Brundiſium profectus fuit, ep. 1. lib. 9. ad Att. eo Ciceronem vocavit miſſa ep. 14. lib. 8. ad Att. quam Cicero accepit III Kal. epiſt. ſeq. & manſit in Formiano. A. d. VII. Id. Mar. Cæſar Brundiſium cum legionibus ſex pervenit, atque ad murum caſtra poſuit, cùm jam conſules Dyrrachium profecti cum magna parte exercitus eſſent, & Pompejus Brundiſii cum cohortibus XX. remaneret, ep. 16. l. 9. ad Att. & l. 1. de bello civili. Cicero illo tempore etiam ad Tironem ſcripſit ep. 13. 14. & 15. lib. 16. Famil. Pompejus XVI. Kal. April. Brundiſio cum omnibus copiis, quas habuerat, profectus eſt: Cæſar poſtero die oppidum ingreſſus, & concionatus Romam contendit, ep. 18. lib. 9. Att. Eo itinere M. Cicero illum convenit, & quid egerit, Attico ſcribit ep. 21. lib. 9. Cicero deinde Arpinum profectus, ibi Tullio filio ſuo togam puram dedit, ep. 21. & ult. lib. 9. ad Att. manſitque in villis menſe Aprili & Majo, atque ad Att. miſit epiſtolas, quæ lib. 10. exſtant. VII. Idus Junii ad Pompejum in Græciam proficiſcens navim conſcendit, ep. 7. lib. 14. Famil. Suſcepto bello, Cæſar, geſto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, judicio meo, ac voluntate ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumta contra te, ait ipſe pro Ligario, & nos in Commentario expoſuimus. Adventus ejus, ut Plutarchus ſcribit, ceteris gratus fuit; Cato autem illum conſpicatus multis verbis reprehendit, quod Pompejum ſecutus eſſet. nam ſe non potuiſſe honeſte eam ſectam deſerere, quam ab initio in rep. delegiſſet, illum, qui magis prodeſſe patriæ & amicis potuerit, ſi in Italia manſiſſet, & æqualiter ſe ad eventum comparaſſet, nulla ratione & abſque neceſſitate hoſtem Cæſari factum eſſe, atque in tanti periculi ſocietatem veniſſe. Cum hæc verba Ciceronis animum flexerunt, tum quod nulla magna in re Pompejus illius opera utebatur, in cauſa erat ipſe non negans, ſe facti ſui pœnitere. Hactenus Plutarchus. ipſe quoque ep. 3. lib. 7. Famil. ait: Cujus me mei facti pœnituit, non tam propter periculum meum, quàm propter vitia multa, quæ ibi offendi, quòd veneram Cæſar in Hiſpaniam profectus, ea potitus eſt, & Dictator à M. Lepido prætore dictus comitia habuit, quibus ipſe cum P. Servilio conſul creatus eſt, ut ſcribit lib. 3. de bello civili.

Anno urbis DCCV. *Ciceronis* LIX. COSS. *fuerunt,*

C. JULIUS CÆSAR II. P. SERVILIUS VATIA ISAURICUS.

HIS conſulibus pridie nonas Jan. Cæſar Brundiſio in Epirum contra Pompejum trajecit, l. 3. de bello civili poſt Nonas Febr. Cicero è Græcia ad Atticum dedit ep. 2. l. 11. Obſeſſo à Cæſare & circumvallato Pompejo apud Dyrrhachium, P. Dolabella ad Ciceronem miſit ep. 9. lib. 9. Famil. nonis Junii in caſtris fuit: e quibus ad Atticum dedit ep. 3. lib. 11. & ſequentem: in qua ſcribit ſe confici ſolicitudine, ex qua etiam ſumma infirmitas corporis conſecuta ſit. Itaque cum Pompejus, tranſlato in Theſſaliam bello, apud Pharſaliam media æſtate, ut Plutarchus in Bruto tradit à Cæſare victus eſt, Cicero in acie non fuit, ut ſcribit ad Pætum ep. 18. lib. 9. Famil. ſed remanſit in caſtris, ut Livius lib. 3. ſcripſit: unde Plutarchus in Cicerone ait, τῆ μάχης ἐ μετέχε δι' ἀῤῥωςίαν, id eſt, prœlio propter infirmitatem corporis non interfuit. Erant cum Cicerone M. Varro, & M. Cato, lib. 1. de Divinat. Catonem Dyrrhachii, ut impedimentis præſidio eſſet, cum XV. cohortibus à Pompejo relictum fuiſſe, Plutarchus in Pompejo, & Catone auctor eſt. Victo Pompejo, Cato (inquit Plutarchus in Cicerone) qui copias magnas, claſſemque magnam Dyrrhachii habebat, ad M. Tullium, qui & lege & dignitate conſulari præſtaret, imperium deferebat. quod cùm ille recuſaret militiamque ſubterfugeret, propius factum eſt nihil, quàm ut occideretur, cùm & Pompejus filius, & amici eum proditorem appellarent, gladioſque ſtringerent; ſed Cato reſiſtens vix illum cædi eripuit, & ex caſtris removit atque ablegavit. Hæc Plutarchus. Q. Cicero lib. 1. de Divinat. refert Labienum ex Pharſalica fuga in caſtra veniſſe, interitumque exercitus nuntiaviſſe, atque ita ipſos ſubito perterritos metu naves conſcendiſſe. Victoriam igitur Cæſaris Cicero belli finem ſibi fecit. nec putavit, cùm integri pares non fuiſſent, fractos ſuperiores fore, epiſtol. 3. libr. 7. Famil. Dio lib. 42. ſcribit Ciceronem cum nonnullis aliis ſenatoribus continuo Romam profectos eſſe: ipſe epiſt. 6. lib. 11. ad Att. ait, ſe in Italiam veniſſe non accerſitum. Terentiæ uxori, quæ ipſi de adventu gratulata erat, pridie Non. Novemb. Brundiſio reſcripſit, epiſt. 12. lib. 14. Famil. Brundiſii Cicero diu moratus eſt Cæſarem exſpectans, dum is poſt prælium Pharſalicum in Ægyptum profectus bellum Alexandrinum geſſit. & Pharnacem in Ponto ſuperavit. Brundiſium quoque M. Antonius poſt victoriam cum legionibus venit, & Ciceroni pepercit. quod beneficium Cicero Philippica ſecunda agnoſcit. Scripſit tum Cæſar ad Antonium, prohiberi omnes Italia, niſi quorum ipſe cauſam cognoviſſet. quare, cùm Antonius petiiſſet à Cicerone per literas, ut ſibi ignoſceret: facere ſe non poſſe, quin Cæſaris litteris pareret: miſit Cicero ad eum L. Lamiam, qui demonſtraret, Cæſarem Dolabellæ dixiſſe, ut ad Ciceronem ſcriberet, ut in Italiam quam primùm veniret. Itaque Antonius edixit ita, ut M. Tullium exciperet nominatim. hoc XIV. Kalend. Januar. Cicero ad Atticum ſcripſit epiſt. 7. lib. 11. Affligebat Ciceronem eodem tempore Tulliæ morbus: cujus meminit epiſtol. 7. lib. 11. ad Att. de eodem ſcribit ad Terentiam epiſt. 39. lib. 14. Famil. ſcribit etiam per Leptam & Trebatium epiſt. 17. ejuſdem lib. vide epiſt. 8. lib. 11. ad Atticum.

Anno

Anno urbis DCCVI. *Ciceronis* LX.

C. JULIUS CÆSAR, II. DICTATOR FUIT.

M. ANTONIUS MAG. EQUIT.

HAnc Dictaturam Cæſar extra Italiam iniit, auctore Dione l. 42. De Antonio magiſtro equitum Cicero Philipp. 2. Acceſſit, ut Cæſare ignaro, cum eſſet ille Alexandriæ, beneficio amicorum ejus magiſter equitum conſtitueretur. III. Non. Jan. die natali ſuo M. Tullius ad Att. dedit epiſt. 9. lib. 11. & ſequentem XII. Kal. Feb. VIII. Id. Martii ad eundem ſcripſit epiſt. 11. & 12. Romæ illo tempore ſeditiones à P. Cornelio Dolabella trib. pl. & Tulliæ marito, legem ferente de novis tabulis, excitatæ ſunt. de quibus Livius lib. 113. Dio lib. 42. Hæ ſunt generi actiones, de quibus Cicero epiſt. 12. 14. 15. & 23. lib. 11. ad Attic. Pridie Idus Maii Cicero ad Atticum dedit epiſt. 15. & III. Nonas Junii ſequentem ejuſdem libri. Pridie Idus Jun. Tullia ad patrem Brundiſium venit, epiſt. 11. & 15. lib. 14. Famil. & epiſt. 17. lib. 11. ad Atticum. Conſtituerat eo tempore M. Tullius Ciceronem filium cum Cn. Salluſtio obviam Cæſari mittere: ſed cum de ejus adventu nihil afferretur; conſilium mutavit, epiſt. 17. & 18. lib. 11. ad Att. & epiſt. 11. & 15. lib. 14. Famil. Pridie Idus Sextil. Cicero accepit literas Cæſaris, quas ille ex Ægypto ad eum miſerat, ut eſſet idem, qui fuiſſet, epiſt. ult. lib. 14. Famil. & pro Ligario. ubi C. Panſam nuntium de conceſſis faſcibus pertuliſſe, ait. Dedit tum Cicero ad Att. epiſtolas, quæ extremo libro undecimo exſtant. Cum Cæſar ad Kal. Sept. Athenis fore diceretur, Cicero propter moras Aſiaticas ſecus putabat epiſt. 21. lib. 11. ad Att. Venit tamen in Italiam celerius omnium opinione, ut Hirtius auctor eſt. Ubi ad Ciceronem allatum eſt, eum Tarentum navibus appuliſſe, atque inde Brundiſium pedibus contendere, obviam illi proceſſit, non equidem valde diffidens, ſed tamen veritus in tanta multitudine hoſtis & victoris periculum facere. Verum non fuit opus quicquam dicere aut facere præter dignitatem. Cæſar enim, ut eum longe ante alios occurrere vidit, deſcendit & ſalutavit, cumque eo ſolo colloquens multa ſtadia proceſſit. hæc Plutarchus in Cicerone Kal. Octob. Cicero ad Terentiam de Venuſino dedit epiſt. 20. lib. 14. Fam. mandans, ut in Tuſculano omnia eſſent parata ad hoſpites excipiendos. deinde in urbem venit, & rediit cum libris in gratiam epiſt. 1. lib. 9. Fam. Extremo anno Q. Fufius Calenus, & P. Vatinius coss. fuerunt, Dio lib. 42.

Anno urbis DCCVII. *Ciceronis* LXI. COSS. *fuerunt,*

C. JULIUS CÆSAR III. M. ÆMILIUS LEPIDUS.

CÆſar cum à ſummo haruſpice moneretur, ne in Africam ante brumam tranſmitteret, ut Cicero lib. 2. de Divinat. ait, VI. Kal. Jan. Lilybæi conſcendit, ac poſt diem quartum in conſpectum Africæ venit, ibique hoc anno bellum Africanum adverſus P. Scipionem, & Jubam Mauritaniæ regem adminiſtravit, de quo Hirtius, & alii. Obtinebat eo tempore Siciliam Allienus prætor, ut Hirtius ſcribit. Miſit tum ad eum in provinciam Cicero epiſtol. penult. & ult. lib. 13. Famil. Cæſar, cùm ad bellum Africanum proficiſceretur, M. Brutum Galliæ Ciſalpinæ præfecit, auctor Appianus lib. 2. & Cicero epiſt. 6. lib. 6. Famil. eo tempore Cicero ad illum ſcripſit quinque epiſtolas, quæ lib. 13. Fam. leguntur. Græciæ idem Cæſar præfecit Ser. Sulpicium; epiſt. 4. lib. 4 item 1. & 6. lib. 6. Fam. Ad eum quoque plures Ciceronis epiſtolæ exſtant lib. 13. Fam. Erat autem M. Tullius tempore belli Africani Romæ, nec ferè exibat, propter varias hominum ſuſpiciones, quas Varroni exponit epiſt. 2. lib. 9. Fam. Fuit etiam ruri in villis, epiſt. 1. libri 12. ad Att. ubi Hirtii & Balbi Cæſarianorum meminit, qui hoc bello Africano Romæ fuerunt, ut permultæ epiſtolæ ad familiares tum ſcriptæ oſtendunt. in quibus ſunt ad Varronem & Pætum pleræque lib. 9. Famil. Conquieſcebat M. Tullius in ſtudiis epiſt. 6. libri 9. Famil. Scripſiſſe illum eo tempore Partitiones Oratorias Corradus putat. & de Bruto, qui eſt de claris Oratoribus verè affirmat, eum vivo adhuc Catone ſcriptum eſſe, quamvis proœmium, anno ſequenti editum fuiſſe, oſtendat. Cæſar initio menſis Aprilis, ut Hirtius ſcribit, Jubam & Scipionem vicit: ac paucis diebus pòſt M. Cato ſibi Uticæ mortem conſcivit. Cato autem ſic abiit è vita, ut cauſam moriendi nactum ſe eſſe gauderet, ait Cicero Tuſculan. 1. Africano bello confecto, Cæſar Idibus Jun. claſſem conſcendit, & poſt diem tertium in Sardiniam pervenit. inde a. d. III. Kalend. Quint. naves conſcendens duodetrigeſimo die ad urbem Romam venit, Hirtius. Fuerat cum Cæſare in Africa P. Dolabella, ut docet Cicero Philip. 2. qui cum Cæſarem ab Africano bello redeuntem antecederet, epiſt. 7. lib. 9. ad Famil. Cicero ei Tironem obviam miſit epiſt. 5. lib. 12. ad Att. Cæſari ſenatus multos honores decrevit; in iis, ut præfectus moribus, τῶν τρόπων ἐπιστάτης per triennium eſſet. Dio lib. 43. meminit Cicero epiſt. 15. lib. 9. Famil. Erat Cicero in urbe, atque à Cæſare, ut Plutarchus ſcribit, honore afficiebatur, adeò ut laudi Catonis à Cicerone ſcriptæ reſpondens orationem ejus & vitam, ceu Periclis & Theramenis maxime geminam, collaudaret. Atque Ciceronis liber Cato, Cæſaris Anticato inſcribitur. Cicero anno ſequente ad Atticum, ut epiſt. 15. lib. 12. ita ſcripſit: Qualis futura ſit Cæſaris vituperatio contra laudationem meam, perſpexi ex eo libro quem Hirtius ad me miſit: in quo colligit vitia Catonis, ſed cum maximis laudibus meis. Tribus ſtatibus uſum C. Cæſarem in vituperando Catone, eſt apud Quintilian. lib. 3. cap. 9. Cæſarem in Anticatone citat Gellius lib. 4. cap. 16. C. Cæſar in Anticatone priore adducitur à Priſciano lib. 13. Juvenalis Satyra 6. Duo Cæſaris Anticatones. Cicero ſub finem lib. 13. ad Att. Cæſaris libros contra Catonem, nominat. Cremutius Cordus apud Tacitum lib. 4. M. Ciceronis libro, quo Catonem cœlo

æquavit, quid aliud Dictator Cæſar, quam reſcripta oratione velut apud Judices reſpondit? Gellius libro 13. cap. 18. M. Cato nepos pater fuit M. Catonis prætorii viri, qui bello civili Uticæ necem ſibi gladio manu ſua conſcivit: de cujus vita liber eſt M. Ciceronis, qui inſcribitur, Laus M. Catonis. Cæſarem laudationem à Cicerone ſcriptam non ægre tuliſſe, ſed librum, ſive βιβλίον τι, ſcripſiſſe, ὃ καὶ Ἀντικάτωνα ἐκάλεσεν, ait Dio l. 43. Catone abſoluto Cicero ſtatim eſt aggreſſus Oratorem, ut ipſe in oratore ad M. Brutum ' qui tum Galliæ præerat, ſcribit. De Oratore lege ep. 19. l. 6. Fam. M. Claudius Marcellus, qui ante annos quinque in conſulatu Cæſarem palam oppugnaverat bello civili partes Pompeii ſecutus, eo victo Cæſarem veterem ſuum inimicum metuens Mitylenas conceſſit, ibique in ſtudio bonarum artium hoc tempore beatiſſimè, quantum modò natura hominis patitur, vivebat, ut ex Bruto refert Seneca in Conſolatione ad Albinam: tum M. Tullius ad eum dedit ep. 7. & 8. l. 4. Fam. hortans illum, ut Cæſari ſe ſummitteret. cum autem in ſenatu à L. Piſone mentio eſſet facta de Marcello, & cum C. Marcellus ſe ad Cæſaris pedes abjeciſſet, cunctus ſenatus conſurrexit, & ad Cæſarem ſupplex acceſſit. tum Cæſar accuſata acerbitate Marcelli, repentè præter ſpem dixit, ſe ſenatui roganti de Marcello ne ominis quidem cauſa negaturum. Itaque, cùm omnes ante M. Tullium rogati gratias Cæſari præter L. Volcatium Tullum egiſſent, Cicero qui ſtatuerat in perpetuum tacere, ſententiam rogatus pluribus verbis egit Cæſari gratias, quæ oratio pro Marcello exſtat. vide ep. 4. lib. 4. Fam. Cicero quoque Marcello perſuaſit, ut Romam redire vellet, epiſt. 9. 10. & 11. ejuſdem libri. Hoc anno, ut Dio teſtatur, Cæſar faſtos correxit, annumque ad curſum Solis accommodavit, ut CCCLXV. dierum eſſet, & intercalario menſe ſublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur. quo autem magis in poſterum ex Kalend. Januar. temporum ratio congrueret, inter Novembrem ac Decembrem menſem interjecit duos alios: fuitque hic annus XV. menſium cum intercalario, qui ex conſuetudine in eum annum inciderat. hæc Suetonius. lege præterea Macrobium, Plinium, Dionem & Plutarchum. Prid. Kal. intercalares priores Tullius rogatu fratrum Q. Ligarii, qui poſt victos in Africa Pompejanos vita à Cæſare impetrata extra Italiam in exſulio vivebat, mane ad Cæſarem venit: cumque fratres & propinqui Ligarii jacerent ad pedes, Cicero ea eſt locutus, quæ cauſa, quæ tempus poſtulabat, epiſt. 15. lib. 6. Fam. Ligarius deinde à Q. Ælio Tuberone reus factus eſt, ejuſque patrocinium Cicero ſuſcepit. tum Cæſarem dixiſſe ferunt: Quid eſt cauſæ, cur Ciceronem orantem aliquamdiu non audiamus? nam reum quidem hominem improbum & hoſtem eſſe jampridem certum eſt. Ubi vero Cicero ingreſſus dicere, mirificos motus concitavit, & oratio progreſſa cùm affectibus varia, tum venuſtate admirabilis fuit, perſpicuè cognitum ajunt, varios colores Cæſaris vultum ſubire, ejuſque animum omnibus modis commutari: ac tandem, cum Pharſalici prœlii mentionem facere Orator cœpiſſet, immodicis perturbationibus incitatum corpore contremuiſſe, & libellos quoſdam è manu ejeciſſe. Victus igitur Cæſar orationis vi, Ligarium crimine liberavit. Ita nos locum Plutarchi de hac cauſa à nobis converſum in fine Commentarii Ligariani ad Ornatiſſ. virum Gerhardum Juliacenſem jam dudum edidimus. Confecto bello Africano, T. Quintius Scapula novum in Hiſpania commovit: cujus meminit Cicero ep. 13. lib. 9. Famil. Tu lege Dionem lib. 43. ubi Cn. Pompejum Magni filium Hiſpaniæ partes pleraſque in ſuam ditionem redegiſſe tradit. Cæſar igitur extremo hoc anno ad bellum Hiſpanienſe profectus, XXVII. diebus in Hiſpaniam pervenit, ut Appianus libro 2. ſcribit. Hoc anno M. Tullius cum Terentia uxore divortium fecit, quæ Vibio Rufo deinde nupta fuit, auctore Dione lib. 57. atque tertium & centeſimum explevit annum, ut ſcribit Val. Max. lib. 8. cap. 13.

Anno urbis DCCVIII. *Ciceronis* LXII.

C. JULIUS CÆSAR III.
DICTATOR FUIT.

M. ÆMILIUS LEPIDUS
MAG. EQUIT.

Eodem anno

C. JULIUS CÆSAR IV.
COS. SINE COLLEGA FUIT.

HÆc ex Capitolinis lapidibus rectè à viris doctis probantur, vide Faſtos Sigonii & Onuphrii. Cicero Terentia dimiſſa, virginem uxorem duxit; ut quidem Terentia dictitabat, formæ gratia, ut autem Tiro Ciceronis libertus ſcripſit, divitiis ejus adductus, ut æs alienum diſſolveret. erat enim puella dives, & bona ejus Cicero fideicommiſſarius heres relictus cuſtodiebat. quare cum permagnum æs alienum haberet, amicorum & familiarium impulſu puellam uxorem præter ætatem duxit, ut illius facultatibus creditoribus ſatisfaceret. Hæc Plutarchus, ut quidem nos convertimus, aliis interpretibus nihil præjudicantes, è quibus verba illa Plutarchi, καὶ τὴν οὐσίαν αὐτῆς Κικέρων ἐν πίστει κληρονόμος ἀπολειφθεὶς διεφύλαττεν, quæ nos vertimus. Et bona ejus Cicero fideicommiſſarius heres relictus cuſtodiebat: Bocchius ſic expreſſit, Et ejus ſubſtantias ſub tutoris fide ſervabat: Xylander noſter: Ejuſque bona fidei ſuæ commiſſa Cicero heres ab ea ſcriptus ſervabat. Corradus, Et ejus facultates Cicero ſuæ fidei commiſſas, ut heres relictus, ſervabat. Non erat Cicero ut heres relictus, neque ſecundus heres, ut Corradus ſcribit: ſed Publilius, ſive Popillius moriens Ciceronem heredem inſtituerat, & rogaverat, ut hereditatem redderet ſuæ filiæ. Hujuſmodi heredem fideicommiſſarium dici à Juriſconſultis, etiam in Græcis Juſtiniani Conſtitutionibus, notum eſt iis, qui libros illos non aſpernantur. Sic P. Sextilius Rufus heres à Q. Fabio Gallo ſcriptus, rogatus fuit, ut, omnis hereditas ad filiam perveniret, ut eſt lib. 2. de Finibus. Verum ad inſtitu-

inſtitutum. Calenus apud Dionem lib. 46. ait, M. Tullium exacta ætate virginem duxiſſe, ἵνα ἐκ τῆς οὐσίας δανεισμάτων ἀπολύσῃ, ut illius facultatibus ſe ære alieno liberaret. Quintilianus lib.6.cap.4. Cicero objurgantibus, quod ſexagenarius Popilliam virginem duxiſſet, Cras mulier erit, inquit lib. 12. ad Att. epiſt. 27. Publilia nominatur, quam ſecundam Ciceronis uxorem fuiſſe homines docti affirmant. De his nuptiis cùm Ciceroni Cn. Plancius gratulatus eſſet, Cicero ita reſpondit, epiſt.14. lib. 4. Famil. Quod mihi de eo, quod egerim, gratularis: te ita velle certò ſcio: ſed ego tam miſero tempore nihil novi conſilii cepiſſem, niſi in reditu meo nihilo meliores res domeſticas, quam rempub. offendiſſem. &c. Non ita multò pòſt, quàm Cicero Publiliam duxerat, Tullia filia apud Lentulum pariens deceſſit, ut Plutarchus ſcribit. Aſconius quoque in Piſonem, filiam Ciceronis apud P. Lentulum ex partu deceſſiſſe, ait. Propter Tulliæ partum Cicero ſe Romæ teneri initio belli Hiſpanienſis ſcribit ad Leptam epiſt.19. lib.6. Famil. Lentulus apud quem Tullia deceſſit, eſt P.Cornelius Dolabella, qui cum Cæſare in Hiſpania erat, ut Cicero Philip. 2. & epiſtolarum ad Atticum lib. 13. oſtendit. Itaque deplorans Tulliæ mortem ad illum ſcripſit epiſt. 11. lib.9. Famil. Quanto dolore propter interitum filiæ cariſſimæ exarſerit, ipſe oſtendit in epiſtolis, quas tum ad Atticum miſit, & exſtant lib. 12. & 13. ad Attic. Undique tum philoſophos ad Ciceronem conſolandi gratia conveniſſe, Plutarchus auctor eſt. Miſit ad Tullium conſolatorias literas M.Brutus, epiſt.8.lib.12. ad Att.in Bruto, & epiſt.9. ad M.Brutum. Ser. Sulpicii conſolatio exſtat, epiſt. 5. lib. 4. Famil. cui Cicero epiſt. ſequenti reſpondet. L. quoque Luccejus Ciceronem per literas conſolatus fuit. eique reſpondet epiſt.13. lib.5. Famil. Præterea Cæſar litteras conſolatorias pridie Kal. Maii Hiſpali dedit, epiſt.19. lib.13. ad Att. ſed, cùm omnem conſolationem vinceret dolor, ſe ipſe per litteras conſolatus eſt, ſcripſitque librum, quem conſolationem, vel de luctu minuendo inſcripſit lib. 12. & 13. ad Att. Ex hoc lib. Lactantius lib. 1. & 3. multa adducit. Conſolationis ſuæ meminit etiam Cicero in Tuſculanis aliquoties. & in ſecundo de Divinat. ſic: Nam quid ego de Conſolatione dicam? quæ mihi quidem ipſi ſanè aliquantum medetur, ceteris item multum profuturam puto. Plutarchus addit, Ciceronem Publiliæ nuntium remiſiſſe, quod viſa eſſet Tulliæ morte lætari. Unde negotium, quod cum Publilio habuit, de ſolutione dotis fuiſſe videtur lib.13. & 16. ad Att. Poſt Tulliæ mortem Cicèro domo abfuit, & Aſturæ atque in ceteris villis maximam partem anni in philoſophiæ ſtudiis conſumpſit. Cum enim dominatu unius omnia tenerentur, ad philoſophiam, cui multum adoleſcens diſcendi cauſa temporis tribuerat, ſe retulit, & ſapientiæ ſtudium longo intervallo intermiſſum revocavit, Tuſcul.1. & de Offic. 2. Quare cùm, quæ à Græcis ſummis auctoribus memoriæ prodita erant, ea Latinis litteris illuſtrare vellet: Hortenſium ſcripſit, quo in libro philoſophiam ab Hortenſio accuſatam & vituperatam, ipſe defendit, & collaudavit, ut teſtatur primo de Finibus. ejuſdem mentio eſt Tuſcul. 3. & lib. 2. de Divinat. his verbis: Cohortati ſumus, ut maxime potuimus, ad philoſophiæ ſtudium in eo libro, qui eſt inſcriptus Hortenſius. hujus libri lectione D. Auguſtinus ſe ad veræ, hoc eſt, Chriſtianæ philoſophiæ contemplationem incenſum fuiſſe, aliquot locis fatetur. Deinde, ut eſt ſecundo de Divin. quod genus philoſophandi minimè arrogans, maximeque & conſtans & elegans arbitraretur, quatuor Academicis libris oſtendit. Scripſerat autem primum duos libros Academicos, & unum Catulum, alterum Lucullum appellavit. quorum poſterior adhuc exſtat: de quo Plutarchus in vita Luculli. deinde quia περὶ τὸ πρέπον videbatur, quòd erat hominibus non ignota, non illa quidem ἀπαιδευσία, ſed in iis rebus ἀτεχνία, eoſdem illos ſermones ad Catonem Brutumque tranſtulit. ſed admonitus ab Attico totam illam Academicen σύνταξιν ab hominibus nobiliſſimis abſtulit, tranſtulitque ad M.Varronem, & ex duobus libris contulit in quatuor, lib.13. ad Att. epiſt. 12. 13. & 15. atque ex his quatuor libris primi tantum particula exſtat. Scripſit tum etiam ut ex iiſdem epiſtolis cognoſcitur, de finibus. cumque fundamentum eſſet philoſophiæ poſitum in finibus bonorum & malorum, perpurgatus eſt is locus quinque libris, ut quid à quoque & quid contra quemque Philoſophum diceretur, intelligi poſſet, lib.2. de Divinat. Ita autem confecit quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L.Torquato, Stoica M.Catoni, περιπατητικὰ M. Piſoni daret, epiſt.18. lib.13. ad Att. Scripſit eodem tempore Laudationem Porciæ, ſororis M. Catonis, & uxoris L. Domitii Ahenobarbi, epiſt. 36. & 47. lib. 13. ad Att. Jam à ſcriptis aliò tranſeamus. Poſt Tulliæ mortem Tullius M. F. Athenas cum L. Tullio Montano profectus eſt. in fine lib. 12. ad Attic. Serv. Sulpicius adhuc Achaiæ præerat, atque pridie Kalend. Jun. Athenis ad Ciceronem dedit epiſt.12. lib.4. Fam. in qua eum certiorem facit de M.Marcello, qui à P.Magio Chilone occiſus erat, Livius lib. 115. Cicero epiſt. 10. & 11. lib. 13. ad Attic. A. Torquatus eo tempore Athenis exſulabat, ad quem ſunt Ciceronis epiſtolæ lib.6. Famil. In quarta epiſt. Servius Athenis diſceſſiſſe dicitur. Cæſar interim liberos Pompeii in Hiſpania vicit: è quibus Sextus profugit, Cneus prid. Id. April. interfectus eſt auctore Hirtio. Dolabella inde in Italiam profectus, ad Ciceronem Majo menſe venit, epiſt. 8. lib. 13. ad Att. Cæſar deinde in urbem menſe Octobri revertit, ut Paterculus lib.2. ſcribit. Initio ejus menſis eum revertiſſe, ex iis, quæ ſequuntur, diſces. In triumphalibus fragmentis tabularum Capitolinarum ſcriptum eſt, Q. Fabium Maximum cos. anno DCCVIII. ex Hiſpania III. Id. Octob. triumphaſſe. Fabius autem conſul non fuit, niſi poſt Cæſaris reditum ex Hiſpania. Cæſar enim in urbem reverſus conſulatu ſe abdicavit, & in reliquum anni Q.Fabium, & C.Trebonium ſuffecit, auctore Dione lib. 43. atque hi ſunt Conſules, quos Cæſarem in quarto Conſulatu ſibi inter-

internos noviſſimos menſes ſubſtituiſſe, Suetonius ait. Jam Cæſarem ante Q. Fabium triumphaſſe, non modo ex Dionis hiſtoria cognoſcitur, ſed & à Quintiliano lib. 6. cap. 6. diſertè ſcribitur. Quæ cum ita ſint, conſiderandum, quomodo Cæſar ex Hiſpania revertens à Cicerone tertii Saturnalibus potuerit hoſpitio accipi, ut videtur ſignificari epiſtol. ultim. lib. 12. ad Att. Poſt reditum Cæſaris ex Hiſpania Cicero apud eum dixit pro Dejotaro, quæ oratio exſtat. Fuerat is tetrarcha Gallogræciæ pænè totius, & Armeniæ minoris rex à ſenatu conſtitutus. Sed quia bello civili Pompeii partes ſecutus fuerat, Cæſar, Pharnace devicto, eum parte tetrarchiæ multaverat, Armeniamque abſtulerat, Cicero Philip. 2. Hirtius de bello Alexandrino. Cùm deinde Cæſar litteris Tarracone datis eum bene ſperare, & bono animo eſſe juſſiſſet; hoc tempore Caſtor nepos Dejotari ex filia Philippum medicum, ſervum regis corruptum præmiis ad accuſandum dominum Dejotarum impulit. Crimini dedit, regem domi ſuæ Cæſarem interficere voluiſſe. Accuſatum domi Cæſaris Cicero hoſpes ejus defendit, cauſamque licet tenuem, & inopem, tamen ſcripſit, atque ad Dolabellam miſit, epiſt. 12. lib. 9. Famil. Extremo hujus anni die, Q. Fabio Maximo, conſule mortuo, C. Caninius Rebilus conſul hora ſeptima renuntiatus eſt, qui uſque ad Kalend. Jan. eſſet, quæ erant futuræ mane poſtridie. Itaque Cicero dixit, eum mirifica vigilantia fuiſſe, qui ſuo toto conſulatu ſomnum non viderit, epiſt. 30. lib. 7. Famil. Macrobius lib. 3. & 7. Pollio in libro de xxx. tyrannis. Plinius lib. 7. cap. 53. Plutarchus in Cæſare & Dio lib. 43.

Anno urbis DCCXI. *Ciceronis* LXIII. Coss. *fuerunt*,

C. JULIUS CÆSAR V.
M. ANTONIUS.

EOdem anno, ut monumenta vetuſta oſtendunt, C. Julius Cæſar dictator IV. fuit, & M. Æmilius Lepidus Magiſter equitum. Cicero poſt libros quinque de Finibus totidem Tuſculanarum quæſtionum ſive diſputationum edidit, iiſque res ad beate vivendum maxime neceſſarias aperuit: primus enim eſt de contemnenda morte, ſecundus de tolerando dolore, de ægritudine lenienda tertius, quartus de reliquis animi perturbationibus, quintus eum locum complexus eſt, qui totam philoſophiam maxime illuſtrat: docet enim ad beate vivendum virtutem ſe ipſa contentam, libr. 2. de Divinat. Utrum verò hi libri ad hunc, an ſuperiorem annum referendi ſint nondum decerno, nec multum refert. De reliquis philoſophicis libris deinceps dicemus, ſi prius acta urbana expoſuerimus. Initio hujus anni M. Tullius Romæ fuit Kalend. quidem Januarii affuit in ſenatu, cùm Cæſar P. Cornelium Dolabellam ſubrogare ſibi, reſiſtente Antonio, voluit, ut cognoſcitur Philip. 2. vide Plutarchum in Antonio. Lupercalibus, id eſt, XV. Kalend. Martii, cum Cæſar in Roſtris ſedens in ſella aurea, amictus toga purpurea, ſpectaret Lupercos, Antonius unus e Lupercis ad ſellam acceſſit & capiti ejus diadema impoſuit: quod Cæſar cum plauſu populi rejecit, Cicero Philipp. 2. 3. & 13. Plutarchus, Appianus, Dio, & alii. Idibus Mart. Cæſar à conjuratis in Pompeii curia tribus & XX. plagis confoſſus eſt. ejus conjurationis, ut Plutarchus ſcribit, Cicero particeps non fuit, quamvis M. Bruto familiariſſime uteretur. verum, quia Cæſare interfecto, ſtatim cruentum alte extollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamavit, atque ei recuperatam libertatem eſt gratulatus; Antonius, Ciceronis conſilio Cæſarem interfectum, poſtea in ſenatu dixit, Phil. 2. Dio lib. 44. ait percuſſores Cæſaris, cùm è curia in forum ſe conferrent, crebro Ciceronem exclamaſſe. Receperunt illi ſe è foro in Capitolium, eoque Cicero etiam cum aliis permultis aſcendit, neque tamen adduci potuit, ut ad Antonium iret, atque ad defendendam remp. hortaretur: ſed, cùm cæteri conſulares irent, redirent, ipſe in ſententia manſit, neque Antonium illo die neque poſtero vidit, ut ipſe in ſecunda Philipp. teſtatur: nec verum eſt, quod Plutarchus, Appianus, Dio, & interpretes Philippicarum ſcribunt, poſtridie Idus ſenatum in æde Telluris habitum fuiſſe, nam & in ſecunda Philip. ſe poſt diem tertium in ædem Telluris veniſſe ait, & epiſt. 11. & 16. lib. 14. ad Atticum id Liberalibus factum fuiſſe oſtendit, id eſt, a. d. XVI. Kal. April. Eo die M. Tullius, quantum in ipſo fuit, jecit fundamenta pacis, Athenienſiumque renovavit vetus exemplum: Græcum etiam verbum uſurpavit, quo tum in ſedandis diſcordiis uſa erat civitas illa; atque omnem memoriam diſcordiarum oblivione ſempiterna delendam cenſuit. Philip. 1. Plura ſcripſi in cap. 2. lib. 12. Oroſii. Habuit ibi Antonius quoque orationem de concordia, ejuſque parvus filius in Capitolium miſſus, pacis obſes fuit, Philipp. 1. & 2. itaque interfectores, ut Plutarchus in Bruto ſcribit, è Capitolio deſcenderunt, & Brutus apud Lepidum, Caſſius apud Antonium, ceteri apud alios cœnarunt. poſtero die provinciæ iiſdem in ſenatu decretæ fuerunt; Bruto Creta: Caſſio Africa: Trebonio Aſia: Cimbro Bithynia, D. Bruto Gallia citerior. Sed, cùm Cæſar funere elatus, & à M. Antonio laudatus eſſet, plebs cum facibus ad domum Bruti, Caſſii, & aliorum tetendit, atque ægre vi manuque repulſa fuit. quod hiſtorici prope omnes ſcribunt, & cum illis Cicero libro 14. ad Attic. & Philipp. 2. Tum M. Brutus, & Caſſius urbem reliquerunt, & Antium atque Lanuvium profecti, diu ibi otioſi fuerunt, ut lib. 14. & 15. ad Atticum videmus. Cicero quoque initio Aprilis ex urbe rus profectus villas ſuas luſtravit, ut indicant epiſtolæ illæ, quæ initio lib. 14. ad Att. hoc tempore ſcriptæ leguntur: nec quidquam eo tempore malebat, quam ruſticari, epiſt. 23. lib. 16. Famil. Hæc autem ruſticatio nobis dedit tres libros de Natura Deorum, & duos de Divinatione, & præterea dialogum de ſenectute, ut puto, quamvis enim ante libros de Divinatione ſit ſcriptus, ut procœmium

lib. 2.

lib. 2. oſtendit: tamen hoc anno eum ad Atticum miſſum arbitror, cum is timidior πανικοῖς quibuſdam commoveretur, & Cicero ſenectutem contemneret, epiſt. 23. lib. 16. Famil. Ante Idus Maii ſcriptum fuiſſe, cognoſcitur extremo libr. XIV. epiſtol. ad Attic. Eodem tempore Cicero, cum omnes cogitationes ſuas in concordia civium defixas haberet, atque omnium, etiam Antonii amicitiam retinere vellet, epiſtol. 23. lib. 16. Famil. ſcripſit Lælium, ſive de amicitia. Romæ interim à conſulibus M. Antonio, & P. Dolabella, qui Cæſaris locum ceperat, uncus impactus eſt fugitivo illi, qui in C. Marii nomen invaſerat, & in Liviana epitoma lib. 116. Chamaces, ab Appiano lib. 3. ἀμάτιος ὁ ψευδομάριος, à Valerio Max. lib. 9. cap. 16. Herophilus equarius medicus dicitur. De hujus ſupplicio Attici literas Cicero accepit XVII. Kalend. Maii. epiſt. 8. lib. 14. ad Attic. Menſe Aprili & Majo Antonius Italiam percurſavit, Dolabella, abſente collega, buſtum in foro evertit, Philipp. 2. Plebs enim ſolidam columnam prope XX. pedum lapidis Numidici in foro in buſto Cæſaris ſtatuerat, & inſcripſerat, PARENTI PATRIÆ: atque apud eandem ſacrificabat, vota ſuſcipiebat & controverſias quaſdam interpoſito per Cæſarem jurejurando diſtrahebat, ut Suetonius ſcribit. Dio lib. 44. βωμὸν fuiſſe ait, ad quam Cæſari plebs ſacrificia fecerit. Ara nominatur quoque epiſt. 2. lib. 11. Famil. Cicero columnam vocat, quam Dolabella ſuſtulit, & homines ſeditioſos, quia illam everſionem indigne ferebant, partim in crucem egit, alios de ſaxo dejecit epiſt. 17. lib. 14. ad Attic. & Philip. 1. Meminit ejuſdem rei Lactantius lib. 1. cap. 15. ubi ait, Dolabellam Cæſaris columnam, id eſt, titulum, evertiſſe. De hoc facto gratulatur Cicero Dolabellæ conſuli, epiſtol. 14. lib. 9. Famil. C. Octavius, qui deinceps imperium tenuit, & Auguſtus dictus eſt, cùm Cæſar, ejus avunculus magnus, Romæ interficeretur, Apolloniæ erat. Factus autem certior de Cæſaris cæde in Italiam tranſiit & Neapolim venit XIV. Kalend. Maii, epiſt. 10. lib. 14. ad Attic. fuit etiam ruri cum Cicerone perhonorifice & amice, epiſt. 12. ejuſdem lib. Romam cùm veniſſet, ab Antonio COS. ſuperbe exceptus eſt. Adiit tum invidioſam Cæſaris hæreditatem, quamvis id neque Attiæ matri, neque L. Marcio Philippo vitrico placeret. quod cum aliis hiſtoricis Vellejus & Suetonius ſcribunt. Adita hæreditate Cæſaris, nomen quoque ejus tulit, cumque prius C. Octavius nominaretur, deinceps C. Julius Cæſar Octavianus de more dictus eſt. quamquam lex curiata de adoptione ejus anno demum ſequente, cùm jam conſul eſſet, perlata fuerit, auctore Dione lib. 46. itaque Cicero eum modo Octavianum modo Octavium nominat. Deinde aperte (inquit Vellejus) Antonii ac Dolabellæ Conſulum erupit furor. ſeſtertium ſepties millies depoſitum à C. Cæſare ad ædem Opis occupatum eſt ab Antonio. Hinc Cicero in Philipp. 2. ubi eſt millies ſeſtertium, quod in tabulis, quæ ſunt ad Opis, patebat? Mentionem ejuſdem pecuniæ facit Philippica 1. & 5. & epiſt. 16. lib. 14. ad Attic. Rapinas, inquit, ſcribis ad Opis fieri. Quibus in villis & locis M. Cicero menſem Aprilem & Majum ruſticando poſuerit, epiſtolæ lib. 14. ad Att. demonſtrant, quas illis menſibus ſcripſit. Hoc quoque ex iiſdem, & ex epiſt. 1. lib. 15. cognoſcitur, A. Hirtium COS. deſignatum menſe Majo cum Cicerone in Puteolano fuiſſe. Ibi tum ſermonem de Fato habitum fuiſſe, ipſe initio libri de Fato teſtatur. De Timæo Platonis, qui liber de Univerſitate inſcribitur, certò ſciri non poteſt, quo tempore ſcriptus fuerit: quare in Corradi conjecturam, cui liber ille temporibus hiſce videtur converſus, non invitus deſcendo: cùm præſertim conſtet, Ciceronem, niſi extremo hoc tempore, græcos ſcriptores, non vertiſſe. vide prooemium lib. 1. de fin. Extremo menſe Majo Tullius Romam verſus proficiſcens, ut Kalend. Junii in ſenatu, ſicut Antonius edixerat, adeſſet, ſcripſit epiſtolas, quæ initio lib. 15. ad Atticum leguntur. Kalendis, cum Antonius Romam ſe, peragratis veteranorum coloniis, ſtipatum armis retuliſſet; ſenatores metu perterriti repente diffugerunt, Philipp. 2. IV. Nonas igitur Cicero ab urbe abfuit, epiſt. 8. libr. 15. ad Att. nec in urbem rediiſſe, niſi pridie Kalend. Septemb. videtur. Eo tempore de Officiis ſcribere aggreſſus eſt, epiſt. 13. lib. 15. ad Att. ſed poſt reditum è curſu Achaico abſolvit. hoc verò tempore, cùm haberet jus legationis liberæ, ea mente iter in Græciam ingreſſus eſt, ut Romæ adeſſet Kalend. Januariis, quibus Hirtius & Panſa conſulatum erant ituri, Philipp. 1. & in Cicerone Plutarchus. VI. Nonas Quintil. ex Arpinati ſcribens Attico epiſtola 26. libr. 15. ait, ſe itinera ſic compoſuiſſe, ut Nonis Puteolis eſſet, ſicut fuit epiſt 1. libr. 16. ad Att. Cùm autem Brundiſium, iterque illud, quod tritum in Græciam eſt, Cicero vitaret, ut ait Philip. 1. Veliæ fuit XIII. Kal. Sext. epiſt. 20. lib. 7. Famil. eumque diem ibi conſtitit. epiſt. 6. lib. 16. ad Att. Velia proficiſcens Topica ad Trebatium, cùm ſecum libros non haberet, memoria repetita. in ipſa navigatione conſcripſit, & Regio librum ad Trebatium miſit. V. Kal. Sext. epiſt. 19. lib. 7. Fam. & in prooemio Topicorum. Miſerat etiam paulo ante ad Atticum duos libros de Gloria, epiſt. 28. lib. 15. & 6. lib. 16. ad Att. Meminit horum librorum ipſe lib. 2. de Officiis, & Gellius lib. 15. cap. 6. Scribit in epiſtolis Franciſcus Petrarcha, ſe hos libros habuiſſe, qui jam nuſquam apparent. Cicero deinde in Siciliam tranſgreſſus Kal. Sext. venit Syracuſas. Cùm autem poſtero die venti ipſum ex Sicilia ad Leucopetram, quod eſt promontorium agri Rhegini, detuliſſent; ab eo loco conſcendit, ut tranſmitteret; & ſtadia circiter CCC. provectus, rejectus Auſtro vehementi eſt ad eandem Leucopetram: cumque intempeſta nox eſſet, manſiſſetque in Villa P. Valerii comitis & familiaris ſui, poſtridieque apud eundem ventum exſpectans maneret, Rhegini quidam illuſtres eo venerunt Roma, qui ſummam ſpem nuntiabant, fore, ut Antonius cederet, res conveniret, Cæſaris interfectores Romam redirent. Addebant etiam, Ciceronem deſiderari, & ſubaccu-

ſari. quæ cùm audiſſet, ſine ulla dubitatione abjecit conſilium profectionis. itaque celeriter Veliam devectus, convenit Brutum, qui cedens Italia cum ſuis navibus erat apud Haletem fluvium circa Veliam, Philippica prima, & epiſt. 7. lib. 16. ad Att. Inde ventis remiſque in patriam omni feſtinatione properavit, epiſt. 25. lib. 12. Famil. Accedenti ad urbem tanta multitudo, ut Plutarchus ſcribit, obviam proceſſit, ut dum ad portas ingredientem excipiunt, adventumque gratulantur, dies fere conſumtus fuerit. Videtur autem veriſimilius eum pridie Kalend. Septemb. Romam revertiſſe, quod Plutarchi narratio oſtendit, quàm Kalendis, ut ipſe ſignificare videtur epiſt. 25. lib. 12. Famil. Kalendis Septemb. Antonius ſenatum habuit de ſupplicationibus Cæſari decernendis, & Ciceronem in Curiam vocavit. qui cum è via langueret, & ſibimet diſpliceret, miſit pro amicitia qui hoc ei diceret, Philipp. 1. & 5. Plutarchus ait, Ciceronem languoris cauſam oppoſuiſſe, cùm re inſidias metuere ex quadam ſuſpicione, & indicio, quod inter viam ei factum erat, videretur. Antonius id ægre ferens, palam in ſenatu, niſi veniret, fabros ſe miſſurum & domum ejus diſturbaturum dixit Philip. 1. & 5. Plutarchus ſcribit, Antonium milites miſiſſe, quos Ciceronem adducere vel domum ejus incendere juſſerit: ſed, cum multi intercederent, & deprecarentur, pignoribus captis quieviſſe. Venit poſtridie in ſenatum Cicero, cùm Antonius non veniſſet, locutumque ſe de rep. minus quidem libere, quam ſua conſuetudo; liberius tamen, quam pericula minæque poſtulabant, ait Philippica 5. ad Att. epiſt. 25. lib. 12. Famil. ſcribit, ſe poſtridie in ſumma reliquorum ſervitute liberum unum fuiſſe. Habuit tum in ſenatu primam orationem Philippicam, in qua primum itionis & reditionis ſuæ cauſam exponit: deinde de Antonii injuria, & Cæſaris actis diſputat, ad extremum Antonium & Dolabellam COSS. ad remp. moderate regendam cohortatur. Tum Antonius ira incenſus, inimicitias Ciceroni denuntiavit, atque adeſſe in ſenatu juſſit XIII. Kal. Octob. ipſe interea ſeptendecim dies de Cicerone in Tiburtino Scipionis declamavit, & XIII. Kalend. agmine quadrato in ædem Concordiæ venit, atque in Ciceronem abſentem orationem ex ore impuriſſimo evomuit, omnibuſque viſus fuit ſuo more vomere, non dicere. Ciceroni autem cupienti in ſenatum venire per amicos, non licuit. eo quod Antonius à Cicerone cædis initium quæreret, facturuſque putaretur, Philip. 3. & 5. & epiſt. 25. lib. 12 Famil. Antonio M. Tullius reſpondit ſcripta nobili & divina, ut Juvenalis ait, Philippica ſecunda, in qua primum crimina ſibi objecta refutat, & deinde totam Antonii vitam à pueritia exorſus reprehendit. Nec verum eſt, quod interpretes ad unum omnes putarunt, Ciceronem illam orationem in ſenatu præſente Antonio habuiſſe, ſed ita Cicero eam ſcripſit, quaſi in præſentem Antonium XIII. Kal. Octob. habita eſſet. argumento ſunt verba illa: Quæro deinceps num hodiernus dies qui ſit, ignores: neſcis heri quartum in circo diem ludorum Romanorum fuiſſe? quartum diem ludorum Rom. in circo fuiſſe XIV. Kalend. Octob. ex Kalendario vetere notum eſt. Antonius deinde obviam profectus eſt legionibus quatuor quæ in Macedoniam à Cæſare miſſæ; poſt ejus cædem in Italiam reverterunt, ut eas pecunia ſibi conciliaret, & ad urbem vel potius in urbem adduceret: Brundiſiumque venit VII. Idus Octob. epiſt. 23. lib. 12. Famil. & Philip. 5. Profecto Antonio, Octavianus primum à Calatia, mox à Caſilino veteranos paternos excivit: quorum exemplum ſecuti alii brevi in formam juſti exercitus coiere, Vellejus lib. 2. Cicero epiſt. 8. lib. 16. ad Attic. Cum autem Antonius Brundiſii militibus centenas drachmas promitteret, fortiſſimæ legiones ejus promiſſis reclamarunt, & congiarium hoc accipere noluerunt. itaque centuriones domum ad ſe venire juſſit, eoſque ante pedes ſuos, uxoriſque ſuæ jugulari coëgit, Cicero Philipp. 3. 5. & 13. & epiſt. 8. lib. 16. ad Att. Dio lib. 45. Appianus 3. Cicero tum ruſticabatur, atque libros de officiis perficiebat, ut cognoſcitur epiſt. 8. & ſequentibus lib. 16. ad Att. Sunt etiam, qui eo tempore paradoxa ſcripta fuiſſe exiſtiment, quod ſecundo parodoxo in Antonium invehi videatur: quamvis in prooemio de Catone quaſi vivo loquatur. Antonius, cùm edixiſſet, ut adeſſet ſenatus frequens a. d. VIII. Kalend. Decemb. eumque diem obire neglexiſſet, in ante diem quartum Kalend. diſtulit, adeſſe in Capitolio juſſit, quo cum de legione Martia & Quarta, quæ relicto Antonio ad Cæſarem Octavianum tranſierant, nuntius eſſet allatus, mente concidit. & paludatus in Galliam citeriorem, quam à populo obtinuerat, cùm ea D. Bruti provincia eſſet, properavit. Dio, Appianus, Vellejus, Cicero ipſe Philippica tertia & ſequentibus. Sed Antonium Brutus provincia excluſit, atque exercitu obſiſtens edictum propoſuit, quo promittebat, ſe provinciam Galliam retenturum in ſenatus populique Rom. poteſtate Philip. 3. Quare cum Cicero V. Idus Decemb. Romam veniſſet, ut ſcribit epiſt. 5. lib. 11. Famil. tribuni pleb. edixerunt, ut ſenatus adeſſet a. d. XIV. Kal. Jan. Statuerat Cicero ante Kalendas Januar. in ſenatum non venire: ſed cum eo die ipſo edictum D. Bruti propoſitum eſſet, mane in ſenatum venit. quod ubi eſt animadverſum, frequentiſſimi ſenatores convenerunt, epiſt. 6. lib. 11. Famil. Retulerunt tribuni pleb. ad ſenatum de præſidio conſulum deſ. Panſæ & Hirtii, ut ſenatus Kalendis Januarii tuto haberi, ſententiæque de ſumma repub. libere dici poſſent. Tum M. Tullius rogatus ſententiam cenſuit, ut & præſidium decerneretur, & quæ Octavianus Cæſar egiſſet, publica auctoritate confirmarentur, & milites, qui ab Antonio ad Cæſarem tranſiſſent, præmiis afficerentur; item ut D. Brutus, ceterique provincias ſuas retinerent, neque cuiquam traderent, niſi qui ex S. C. ſucceſſiſſet. quam ſententiam Cicero Philipp. tertia complexus eſt, factoque S. C. in ejus ſententiam, progreſſus in concionem, quid in ſenatu actum eſſet, populo expoſuit quæ eſt Philippica quarta. Hujus S. C. meminit etiam Dio lib. 45.

Anno

Anno urbis DCCXX. *Ciceronis* LXIV. COSS. *fuerunt*,

C. VIBIUS PANSA,
A HIRTIUS.

KAlendis Januarii conſules ſtatim poſt ſollemnem religionem ſenatum in Capitolio de Antonio, qui tum Mutinam circumſedebat, & D. Brutum oppugnabat, habuerunt; ut Appianus lib. 3. ſcribit. Ibi L. Piſo & alii nonnulli mitiorem ſententiam de Antonio dixerunt, legatoſque ad eum mittendos cenſuerunt. Cicero cum ſuis id egit, ut hoſtis Antonius judicaretur. Habuit tum Cicero in ſenatu quintam Philipp. in qua non modo legationem diſſuadet, verum etiam bello Antonium perſequendum eſſe cenſet: agit etiam de honoribus decernendis iis, qui rempubl. adverſus Antonium defendant. Eo die nihil in ſenatu confectum eſt: ſed, controverſia uſque ad noctem ducta, ſenatum eſſe dimiſſum, Appianus ſcribit. Poſtridie Antonius hoſtis, ita ut Tullius cenſuerat, judicatus fuiſſet, niſi Salvius tribunus pleb. interceſſiſſet, decrevit tamen ſenatus, ut D. Brutus laudaretur, quòd Galliam Antonio non conceſſiſſet: item, ut Cæſar una cum Hirtio & Panſa exercitu illo, quem haberet, bellum adminiſtraret, atque ſtatua illi poneretur, ut ſententiam loco conſulari diceret, conſulatumque decem annis prius, quam leges permitterent, illi petere liceret: quantamque pecuniam militibus earum legionum, quæ Antonium reliquiſſent, parta victoria pollicitus eſſet, tanta publice daretur. Hæc Appianus lib. 3. ubi addit, in ſequenti die fuiſſe decretos legatos ad Antonium cum mandatis, quæ Ciceronem ſcribere ſenatus voluerit. Dio lib. 45. & 46. eadem fere narrat & ſenatum à Kalendis Januar. per triduum habitum, ſententiaſque dictas, & tandem legationem ad Antonium miſſam fuiſſe ait. Itaque pridie Nonas Januar. factum Senatuſconſultum fuit, ut Serv. Sulpicius. L. Piſo, & L. Philippus cum mandatis ad Antonium proficiſcerentur. quam rem M. Tullius eodem die in concione expoſuit habita oratione, quam ſexta Philippica comprehendit. de legatis vide epiſt. 8. lib. 11. 4. & 24. libri 12. Famil. Cùm legati ad Antonium miſſi exſpectarentur, ejuſque amici reſponſa illius confingerent, M. Tullius metuens, ne ſenatorum animi ad pacem inclinarent, habuit in ſenatu Philippicam ſeptimam, in qua pacem tribus de cauſis diſſuadet: Primùm, quia ſit turpis, deinde, quia periculoſa: poſtremo, quia eſſe non poſſit. In legatione Ser. Sulpitius mortem obiit. Piſo & Philippus Romam reverſi ab Antonio ad ſenatum intolerabilia poſtulata retulerunt, ep. 4. lib. 12. Famil. Dio lib. 46. Tumultus interim à ſenatu fuit decretus, cùm belli nomen in ſententia poni quibuſdam non placeret. id quod Cicero Philippica octava reprehendit. quam ante Idus Martias in ſenatu dixit, graviter invehens in Q. Fufium Calenum, qui Antonio ſtudebat. Deinde, cum de ornando Serv. Sulpitio in ſenatu ageretur, Cicero nonam Philippicam dixit; ſuadens, ut Sulpitio ſtatua pedeſtris ænea in roſtris poneretur. quam ſua ætate pro roſtris Auguſti exſtitiſſe, Pomponius de Origine juris teſtatur. M. Brutus anno ſuperiore ex Italia in Græciam profectus, cùm Athenas veniſſet, adoleſcentes nobiles Romanos, quorum magna multitudo illic bonarum artium cauſa erat, ſibi adjunxit. in his fuit M. Ciceronis filius: quem Brutus, ut Plutarchus ſcribit, ſummis laudibus efferebat, inquiens, ſe illum ſive vigilaret, ſive dormiret, admirari, quod animus in eo tam generoſus tantumque odium tyrannorum eſſet, Brutus inde in Macedoniam tranſgreſſus, Ciceronem filium ſecum duxit, eoque legato uſus multa feliciter geſſit, ut Plutarchus in Bruto teſtatur, & Brutus in epiſtola ad Ciceronem patrem, quæ nunc eſt quarta libri, qui ad Brutum exſtat, ita ſcribit: Cicero filius tuus ſic mihi ſe probat induſtria, patientia, labore, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorſus nunquam dimittere videatur cogitationem, cujus ſit filius. Ut vel hinc eorum imperitia (ne quid gravius dicam) arguatur, qui verum eſſe non putant, quod Cicero lib. 2. de Officiis ait, filium bello civili à Pompejo alæ alteri præfectum, magnam laudem & à ſummo viro, & ab exercitu conſecutum fuiſſe equitando, jaculando, omniaque militari labore tolerando. Sed ad propoſitum. Venit M. Brutus in Macedoniam, cùm Q. Hortenſio decedenti C. Antonius Marci frater ſuccederet. Sed Hortenſius exercitum, quem delectu habito conſcripſerat, Bruto tradidit. legio etiam, quam L. Piſo legatus Antonii ducebat, Ciceroni filio ſe tradidit. equitatus, qui in Syriam ducebatur bipertitò, alter eum quæſtorem, à quo ducebatur, reliquit in Theſſalia, ſeſeque ad Brutum contulit: alterum in Macedonia Cneus Domitius adoleſcens à legato Syriaco, qui à Plutarcho Cinna vocatur, abduxit. P. Vatinius, qui Dyrrhachium occupaverat portas Bruto aperuit, & exercitum tradidit. C. Antonius ſe Apolloniam recepit, Cicero Philipp. 10. Plutarchus in Bruto, & Dio lib. 47. His de rebus Brutus litteras publice miſit, quas C. Panſa conſul coacto ſenatu recitavit, & Brutum oratione ſua ornavit. Sed Q. Fufius rogatus ſententiam, Brutum oppugnavit. contra quem Cicero tum Philippicam decimam dixit, quam Brutus epiſt. 4. de litteris habitam eſſe contra Calenum, ait. Erat Apolloniæ adhuc C. Antonius cum ſeptem cohortibus Philippica 10. Inde Buthrotum contendens in itinere primum tres cohortes amiſit, quas Brutus concidit: deinde prœlio cum Cicerone filio ad Byllidem commiſſo, victus in Bruti poteſtatem venit, ut Plutarchus in Bruto ſcribit. Antonium Brutus ſecum diu honorifice habuit, uſque eo, ut magiſtratus inſignia illi non adimeret. quam ejus clementiam Cicero in epiſtolis ad eum ſcriptis ſæpe accuſat. Sed, cùm Antonius Apolloniam teneret, ante Kalend. Aprilis Romam allatum fuit de morte C. Trebonii, quem P. Dolabella Smyrnæ, verberibus ac tormentis quæſtione publicæ pecuniæ per biduum habita, interfecit, Cicero Philipp. undecima, & Dio 47. Itaque Dolabella à ſenatu hoſtis judicatus fuit: Poſtridie, cum

cum in ſenatu ageretur de Imperatore deligendo, qui bello Dolabellam perſequeretur, L. Cæſar cenſuit, P. Servilio hoc bellum extra ordinem mandandum eſſe: aliis nonnullis placuit, ut conſules Dolabellæ perſequendi cauſa Aſiam & Syriam ſortirentur. Cicero ſententiam rogatus Philippicam undecimam dixit. in qua primum Trebonii caſum deplorans, Dolabellæ & Antonii crudelitatem accuſat: deinde duabus illis ſententiis refutatis, cenſet, ut Dolabellam C. Caſſius bello perſequatur. quam ſententiam ſe repugnante & iraſcente Panſa dixiſſe, ad Brutum ſcribit epiſt. 5. ea ſententia dicta, quæ facile valuiſſet, niſi Panſa vehementer obſtitiſſet. productus fuit in concionem à tribuno pleb. M. Servilio eandemque rem ad populum ſumma contentione egit, epiſt. 7. lib. 12. Famil. Extremo anno ſuperiore turbinis vi ſimulacrum, quod M. Cicero ante cellam Minervæ pridie, quam in exſulium iret, poſuerat, diſſipatum membris pronum jacuit fractis humeris, brachiis, capite, mortem Ciceroni portendens, ut Obſequens & Dio lib. 45. ſcribunt. Quinquatribus, id eſt XIV. Kal. Apr. ſenatus decrevit, ut hæc Ciceronis Minerva, cuſtos urbis reſtitueretur, epiſt. 25. lib. 12. Famil. Deinde illata pacis mentione ab Antonii amicis, ſenatus legatos ad eum decrevit M. Ciceronem, & P. Servilium. Sed, cùm eam legationem fruſtra fore Cicero videret, habuit in ſenatu Philippicam duodecimam. in qua legationem diſſuadet, ſeque ad eam obeundam idoneum non eſſe demonſtrat. Meminit hujus legationis Dio quoque lib. 46. Panſa deinde initio menſis Aprilis, ut arbitror, ad bellum profecto, M. Æmilius Lepidus (qui, auctore Paterculo, pontifex Max. in C. Cæſaris locum furto creatus, decreta ſibi Hiſpania, adhuc in Gallia morabatur) Romam ad ſenatum miſit, ad pacem cum Antonio faciendam cohortans. ea de re cùm in ſenatu ageretur, multi pacem ſuaſerunt, quòd incertus exitus belli eſſet, & quòd Lepidus ad pacem hortaretur, qui exercitu cogere poſſet. tum M. Tullius rogatus ſententiam, Philippicam 13. in ſenatu dixit. in qua adverſariorum rationes confutans, pacem cum Antonio & Antonianis eſſe non poſſe docet: & Antonii animum ex litteris ad Hirtium & Octavianum miſſis declarat. Cicero tum quoque ad Lepidum miſit epiſt. 27. lib. 10. Famil. in qua illum, ne ſe in iſtam pacificationem interponat, hortatur. Poſt profectionem Panſæ conſulis turbulentiſſimum tempus fuit, cum D. Brutus Mutinæ vix jam ſuſtineret. itaque cum triſtis à Mutina fama manaret, omneſque aut fœdiſſimam mortem, aut miſerabilem fugam cogitarent, inflati lætitia atque inſolentia impii cives famam diſſipaverunt, Ciceronem pridie Vinalia cum faſcibus deſcenſurum eſſe. Interim XVII. Kalend. Maii, ut Galba ad Ciceronem ſcribit epiſt. 30. lib. 10. Famil. ſeu, ut Ovidius lib. 4. Faſt. indicat, XVIII. Kalend. Maii, Antonius prælio ad Mutinam ſuperatus eſt. Habuit paucis diebus pòſt concionem Romæ P. Appulejus tribunus pleb. in qua cum liberare Ciceronem ſuſpicione faſcium vellet, una voce cuncta concio declaravit, nihil eſſe à M. Tullio umquam de republica, niſi optimè cogitatum. Duabus tribuſve horis pòſt optatiſſimi nuntii & litteræ de Victoria Mutinenſi venerunt, quo tempore tantæ multitudinis, quantam urbs capiebat ad Ciceronem concurſus eſt factus, à qua ille maximo clamore atque plauſu in Capitolium deductus, & in roſtris collocatus domum inde reductus eſt. Hæc ſunt apud Ciceronem Philip. 14. epiſt. 2. 6. & 7. ad Brut. & epiſt. 30. lib. 10. & 6. lib. 12. Famil. Pridie Vinalia, id eſt X. Kalend. Maii, Cicero habuit Philippicam decimam quartam. in qua ſupplicationem dierum quinquaginta, trium Imperatorum Panſæ, Hirtii, & Cæſaris nomine ob Antonium hoſtem ſuperatum decernit: atque ad extremum eos, qui in prælio ceciderant, laudat, eorumque proximos conſolatur. de ſupplicatione L. dierum vide Appianum lib. 3. Cùm Hirtius in prœlio cecidiſſet, & Panſa ex vulneribus paucis diebus poſt Bononiæ mortuus eſſet, rumor percrebruit, Ciceronem cos. factum eſſe, epiſt. 8. ad Brut. Plutarchus & Appianus ſcribunt, M. Tullium ab Octaviano ad conſulatus petitionem inductum fuiſſe. V. Kalend. Maii ſenatus habitus fuit de iis, qui hoſtes judicati erant, bello perſequendis, epiſt. 9. ad Brut. Dedit eo tempore Cicero plures litteras ad D. Brutum, & L. Plancum, ut fuſum Antonium perſequerentur. quæ lib. 10. & 11. Famil. exſtant. Interim Antonius fuga tranſgreſſus Alpes primo ſpe colloquii repulſus à M. Lepido; mox ſæpius in conſpectum veniens militum, per averſa caſtrorum proruto vallo à militibus receptus eſt, Paterculus lib. 2. Plutarchus in Antonio, Appianus lib. 3. Lepiduſſe cum Antonio conjunxit. a. d. IV. Kalend. Jun. epiſt. 23. lib. 10. Famil. Pridie Kalend. Quintil. Lepidus ſententiis omnibus hoſtis à ſenatu judicatus eſt. ceterique qui unà cum illo à republ. defecerant. quibus tamen ad ſanitatem redeundi ante Kalend. Septemb. poteſtas facta fuit, epiſt. 10. lib. 12. Famil. epiſt. 16. & 19. ad Brut. & Dio lib. 46. Octavianus Cæſar, ut cognovit Antonium à Lepido receptum, ceteroſque duces & exercitus conſentire pro partibus, cauſam optimatium ſine cunctatione deſeruit, ad prætextum mutatæ voluntatis, dicta factaque quorundam calumniatus, quaſi alii ſe puerum, alii ornandum tollendumque jactaſſent, Suetonius in Auguſto, Paterculus lib. 2. Brutus epiſt. 20. lib. 11. Famil. Tum inter eum & Antonium commercia epiſtolarum, & conditionum facta mentio, quod Paterculus ſcribit. cumque effeciſſet, ut milites inter ſe jurejurando ſancirent, cum nullo exercitu, qui C. Cæſaris fuiſſet, bellum ſe geſturos; quadringentos milites Romam ad ſenatum miſit, qui conſulatum ſibi nomine exercitus depoſcerent: cùm quidem cunctante ſenatu, Cornelius centurio, princeps legationis, rejecto ſagulo oſtendens gladii capulum, non dubitaſſet in curia dicere: Hic faciet, ſi non feceritis vos, Suetonius, & Dio libro 46. ubi addit, Ciceronem ſubjeciſſe: Si ita conſulatum petieritis, eum accipiet. Militibus re infecta ad Octavianum reverſis, Antonium & Lepidum in Italiam accerſivit, atque

atque ipſe legiones ad urbem hoſtiliter admovit, Suetonius, Dio & Appianus: qui ſcribit Ciceronem tum ad Octavianum veniſſe, ac paullo poſt lectica ex urbe fugiſſe. C. autem Cæſar Octavianus conſul cum Q. Pedio ſtatim factus eſt, ut omnes annales teſtantur. Conſulatum Cæſarem iniiſſe pridie, quàm xx. annos impleret, x. Kalend. Octobris, Paterculus auctor eſt. In Liviana epitoma lib. 119. legitur, Cæſarem conſulem creatum eſſe, cum annos xix. haberet. Plutarchus in Bruto ex Octaviani commentariis refert, ipſum vigeſimum annum egiſſe, cum conſul primum eſt factus. Eutropius initio lib. 7. ait, Cæſarem Romam cum exercitu profectum extorſiſſe, ut ſibi vigeſimo anno conſulatus daretur. Suetonius in Auguſto ſcribit, eum in ordinatione anni Sextilem menſem è ſuo cognomine nuncupaſſe, quod eo ſibi & primus conſulatus, & inſignes victoriæ obtigiſſent. Similiter Dio lib. 56. tradit Octavianum xix. die Auguſti, eodem, quo primum conſulatum ceperat, deceſſiſſe. Cæſar Octavianus COS. legem tulit de quæſtione habenda in eos, quorum opera pater occiſus eſſet, Livius lib. 120. Appianus lib. 3. Dio lib. 46. Auctor legis fuit Octavianus, tulit Q. Pedius collega: unde lex Pedia nominatur; eaque omnibus, qui Julium Cæſarem interfecerant, aqua ignique interdictum eſt, Vellejus lib. 2. Suetonius in Nerone. Conſul factus Octavianus Ciceronem, ut Plutarchus in ejus vita ſcribit, valere juſſit, & pace cum Antonio Lepidoque facta, copias omnes in unum locum contraxerunt, ibique imperium Rom. quaſi poſſeſſionem aliquam inter ſe diviſerunt. Partiti ſunt autem provincias inter ſe hoc modo, ut Cæſar utramque Africam cum Sicilia, & Sardinia; Lepidus Hiſpanias & Galliam Narbonenſem; Antonius reliquas Gallias haberet, Appianus lib. 4. Dio lib. 46. Inter hos etiam convenit, ut ipſi triumviri reipubl. conſtituendæ per quinquennium eſſent, & ut ſuos quiſque inimicos proſcriberet. in qua proſcriptione plurimi equites, cxxx ſenatorum nomina fuerunt, ut eſt in epitoma libr. 120. Tu vide Oroſium noſtrum lib. 6. cap. 18. Cæſarem reſtitiſſe aliquamdiu collegis, ne qua fieret proſcriptio, ſed inceptam utroque acerbius exercuiſſe, Tranquillus ait. Maximam verò contentionem, inquit Plutarchus, Ciceronis proſcriptio præbuit, cùm Antonius nullam conditionem acciperet, niſi primus ille interficeretur, Lepidus Antonio aſſentiretur, & Cæſar utrique repugnaret. Congreſſus horum trium occultus in triduum fuit apud Bononiam, in loco remoto à caſtris, & flumine circumfuſo, ut Plutarchus non ſolum in Cicerone, ſed & in Antonio tradit. Dio quoque lib. 46. ſcribit, triumviros conveniſſe in parva inſula fluminis, quod Bononiam præterlabitur. Appianus initio libri quarti ait, eos congreſſos eſſe ad Mutinam in Lavinii fluvii inſula. Sed trium virûm copias ad Bononiam contractas fuiſſe, Suetonius etiam in Auguſto auctor eſt & Florus cap. 5. lib. 4. tradit, pacem inter tres duces factam apud confluentes inter Peruſiam & Bononiam. Ibi ajunt Cæſarem primis diebus, ut Plutarchus narrat, pro Ciceronis ſalute cum aliis concertaſſe, ac tertio die conceſſiſſe, ejuſque vitam prodidiſſe, fuitque permutatio ita facta: Ciceronem Cæſar, L. Paullum fratrem Lepidus, L. Cæſarem avunculum Antonius proſcribi permiſit. Sed nihil, ait Paterculus, tam indignum illo tempore fuit, quam quod aut Cæſar aliquem proſcribere coactus eſt, & ab illo Cicero proſcriptus eſt. Ceſſerat ille ſub adventum III. virorum urbe, ut ex Livio Seneca lib. 1. Suaſoriarum refert, pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi ſe, quam Cæſari Caſſium & Brutum poſſe. Primò in Tuſculanum fugerat: inde tranſverſis itineribus in Formianum, ut Cajeta navim conſcenſurus, proficiſceretur. unde aliquoties in altum provectum cum modò venti adverſi retuliſſent, modò ipſe jactationem navis cœco volvente fluctu pati non poſſet, tædium tandem eum & fugæ & vitæ cepit: regreſſuſque ad ſuperiorem villam, quæ paullò plus mille paſſibus à mari abeſt, Moriar, inquit, in patria ſæpe ſervata. Hactenus Livius; Plutarchus verò ita: Erat Cicero in Tuſculano cum Quinto fratre. Cognita verò proſcriptione, Aſturam in maritimum Ciceronis fundum proficiſci, atque inde in Macedoniam ad M. Brutum, de cujus victoria læti rumores afferebantur, tranſire conſtituerunt. Ferebantur lecticis confecti mœrore, atque in itinere ſubſiſtentes, junctis lecticis inter ſe caſum ſuum deplorabant. Quintus verò magis angebatur animo, atque inopiæ illi in mentem veniebat: nihil enim ſecum ſe domo extuliſſe dicebat: Marco etiam perexiguum viaticum erat: ſatius igitur eſſe affirmabat, Marcum fuga antecedere, convaſatum domum recurrere. Hoc conſilio probato, complexi inter ſe, multiſque lacrymis profuſis digreſſi ſunt. Quintus non ita multis diebus pòſt à ſervis proditus inquiſitoribus unà cum filio ſuo interfectus eſt. Ita quidem de Q. Cicerone Plutarchus: Appianus in hanc ſententiam: Q. Cicero cum filio comprehenſus percuſſores orabat, ut ſe ante filium necarent. quod cùm filius contrà fieri obſecraret, illi ſe eorum controverſiam compoſituros dixerunt. itaque alii hunc, alii illum arripientes eodem ſigno ambos ſimul occiderunt. Dio lib. 47. ita: Q. Ciceronem M. fratrem filius de medio removit, &, quantum in ipſo fuit, ſervavit. nam & patrem occultavit, ut inveniri non poſſet, & ea de cauſa tormentis omnibus excruciatus indicium nullum fecit. ſed pater, re intellecta, cùm admiratione filii, tum miſericordia adductus ultro prodiit, ſeque ipſe percuſſoribus tradidit. Redeamus nunc ad Plutarchum. Cicero, inquit ille, Aſturam delatus, navem, quam nactus fuit, ſubitò conſcendit, & oram legens Circæum uſque vento pervenit. Inde ſolvere gubernatores cùm pararent, vel maris metu permotus; vel Cæſaris fidem non plane deſperans, in terram egreſſus eſt: & millia paſſuum XIII. fere pedibus Romam verſus progreſſus, animi pendere cœpit, ſententiaque mutata rurſus ad mare deſcendit, ibique noctem gravibus & incertis cogitationibus traduxit: adeò, ut in animo ha-

mo ha-

mo haberet, Cæſaris domum clam ingredi ſibique ante lares ejus manus inferre, atque ita furiales intemperias illi impingere. Sed ab ea ratione cruciatus metu depulſus, alia rurſus tumultuoſa conſilia in pectus inſtituit. & ſervis ſe ad Cajetam deportandum navigio commiſit, ubi prædia habebat, & blandum æſtate Eteſiarum diebus perfugium. eſt ibidem ſupra mare ſacellum Apollinis: unde corvi cum clangore ad Ciceronis navem, quæ ad litus appellebatur, confertim advolarunt, atque ex utraque parte antennæ inſidentes partim crocitarunt, partim rudentum capita roſtris tutuderunt: idque ſignum omnibus infauſtum eſt viſum. Cicero tamen egreſſus in villam ſe recepit, & quieti dedit. ibi corvorum magna pars triſti voce ad feneſtram aſſedit: unus in lectum devolavit, & roſtro veſtem, qua Cicero tectus erat, paulatim ab ore ipſius removit. De eadem re Valerius lib. I. cap. 4. M. Ciceroni mors imminens auſpicio prædicta eſt: cùm enim in villa Cajetana eſſet, corvus in conſpectu ejus horologii ferrum loco motum excuſſit, & protinus ad ipſum tetendit, ac laciniam togæ eò uſque morſu tenuit, donec ſervus, ad occidendum eum milites veniſſe, nuntiaret. hactenus Valerius: ex quo perſpicuè cognoſcitur apud Plutarchum ἐς καπίτας mendoſe non pro Capua, ſed Cajeta legi. quamvis Appianus Capuam nominet, ad quam fuerit hæc Ciceronis villa, in qua adventantibus inquiſitoribus à corvis è ſomno excitatus ſit. Sequitur in Plutarcho: Servi hæc aſpicientes ſuam ipſi ignaviam damnarunt, ſi herilis cædis ſpectatores eſſe ſuſtinerent; cumque beſtias domino opem ferre ac pro indigno ejus caſu ſolicitas eſſe viderent, ipſi eum non defenderent; partim precibus, partim vi impoſitum lecticæ ad mare detulerunt. Interim percuſſores cum miniſtris ſuperveniunt, Herennius centurio, & Popillius tribunus militum, quem parricidii reum Cicero olim defenderat.

De Popillio hoc multa Seneca in Declamationibus & Suaſoriis. de eodem Valerius lib. 5. cap. 3. M. Cicero C. Popillium Lænatem Picenæ regionis, rogatu M. Cœlii, non minore cura, quàm eloquentia defendit: eumque cauſa admodum dubia fluctuantem, ſalvum ad penates ſuos remiſit. hic Popillius poſtea nec re, nec verbo à Cicerone læſus, ultro M. Antonium rogavit, ut ad illum proſcriptum perſequendum & jugulandum mitteretur: impetratiſque deteſtabilis miniſterii partibus, gaudio exultans Cajetam cucurrit, & virum, omitto quòd ampliſſimæ dignitatis, certè ſalubri ſtudio (ita lego è manuſcriptis) præſtantis officii privatim ſibi venerandum, jugulum præbere juſſit: ac protinus caput Romanæ eloquentiæ, & pacis clariſſimam dexteram per ſummum & ſecurum otium amputavit: eaque ſarcina, tanquam opimis ſpoliis, alacer in urbem reverſus eſt. neque ei ſceleſtum portanti onus ſuccurrit, illud ſe caput ferre, quod pro capite ejus quondam peroraverat.

Sequitur apud Plutarchum: Percuſſores cum fores clauſas inveniſſent, eas effregerunt: cumque Cicero non appareret, & ii, qui intus erant, ſcire ſe, ubi eſſet, negaſſent, ajunt adoleſcentem quendam, à Cicerone in bonis literis & diſciplinis educatum, Quinti fratris libertum, Philologum nomine, tribuno dixiſſe, lecticam per ſilveſtres & opacas ambulationes ad mare deferri. Tribunus igitur cum paucis comitibus circum ambulationes ad exitum cucurrit: Herennius recta per eaſdem accurrit: quod ubi Cicero animadvertit, ſervos lecticam ibi deponere juſſit. Satis, inquit Livius, conſtat, ſervos fortiter fideliterque paratos fuiſſe ad dimicandum: ipſum deponi lecticam, & quietos pati, quod ſors iniqua cogeret, juſſiſſe. Appianus ſcribit, multos diſcurriſſe quærentes, num alicubi Cicero viſus eſſet: cumque alii benevolentia & miſericordia permoti, eum in alto eſſe dixiſſent, clientem Clodii acerrimi inimici Ciceronis, Popillio Lænati tribuno militum indicaſſe viam, qua lectica deportabatur, eo illum irrupiſſe, & cum ſervos longe plures, quàm ipſe ſecum habebat, ad dimicandum paratos vidiſſet, callide exclamaſſe, Tribuni, qui in extremo agmine ſunt, ingrediantur: tum ſervos majorem multitudinem exſpectantes perterritos fuiſſe. Cicero, ait Aufidius Baſſus apud Senecam, paullum remoto velo, poſtquam armatos vidit, Ego vero conſiſto, ait: accede veterane, &, ſi hoc ſaltem potes rectè facere, incide cervicem. trementi, deinde dubitantique. Quid ſi ad me, inquit, primum veniſſetis: Butridius Niger apud eundem: Elapſus interim altera parte villæ Cicero lectica per agros ferebatur. ſed ut vidit appropinquare notum ſibi militem Popillium nomine, memor defenſum à ſe, lætiore vultu aſpexit; at ille, victoribus idipſum imputaturus occupat facinus, caputque deciſum, nihil in ultimo fine vitæ facientis, quod alterutram in partem poſſet notari, Antonio portat, oblitus ſe paulo ante defenſum ab illo. Prominenti, inquit Livius, ex lectica, præbentique immotam cervicem, caput præciſum eſt, nec ſatis ſtolidæ crudelitati militum fuit, manus quoque, ſcripſiſſe aliquid in Antonium exprobrantes, præciderunt. Plutarchus: Cicero mentum, ita ut conſueverat, tangens, in percuſſoribus oculos conſtanter fixit ſqualoris plenus, & capillo demiſſo, macieque ob ſolicitudines confectus, uſque eo ut plurimi Herennio eum jugulante capita obnuberent. Occiſus eſt præbens cervicem extra lecticam, cum annum jam LXIV. ageret. Præcidit illi juſſu Antonii caput & manus, quibus Philippicas ſcripſerat. Vixit, ait Livius tres & LX. annos: ut, ſi vis abfuiſſet, ne immatura quidem mors videri poſſit. Euſebius: Cicero in Formiano ſuo ab Herennio, & Popillio occiditur LXIV. ætatis ſuæ anno. Appianus: Occiſo Cicerone quidam equis, alii navigiis incitatis properabant Antonio hunc nuntium perferre, eique in foro ſedenti Lænas caput & manum eminus oſtendit, quo ille maxime lætatus, tribunum militum coronavit, & H-S. decies centena millia ei pro maximo præmio dedit, quod ſummum & infenſiſſimum ſuum inimicum occidiſſet. Plutarchus: Cum membra Ciceronis Romam perlata eſſent, Antonius, qui tum fortè comitia habebat, iis viſis exclamavit,

mavit, Proſcriptionem jam peractam eſſe: caput autem & manus pro roſtris poni juſſit, ſpectaculum horrendum Romanis, qui ſe non Ciceronis vultum, ſed imaginem animi Antonii videre putabant. Dio lib. 47. Ubi Ciceronis caput allatum fuit, Antonius multis & gravibus probris illatis, illud pro roſtris, loco præ aliis conſpicuo poni juſſit, ut unde in ipſum verba faciens auditus fuerat, ibi caput ejus cum manu dextra, quæ ſimul præciſa fuerat, conſpiceretur. Fulvia vero caput antequam auferretur, in manus ſumpſit, atque atrocibus verbis illudens & conſpuens genibus ſuis impoſuit, & linguam ex ore extractam acubus, quibus ad capitis ornatum utebatur, compunxit, additis multis iiſque execrandis opprobriis. Livius: Ita relatum caput ad Antonium, juſſuque ejus inter duas manus in roſtris poſitum, ubi ille Conſul, ubi ſæpe conſularis, ubi eo ipſo anno adverſus Antonium, quanta nulla unquam humana vox, cum admiratione eloquentiæ auditus fuerat: vix attollentes lachrymis oculos homines intueri trucidata membra ejus poterant. Cremutius Cordus: Præcipue tamen ſolvit pectora omnium in lacrymas gemituſque viſa ad caput ejus deligata manus dextra, divinæ eloquentiæ miniſtra: ceterorumque cædes privatos luctus excitaverunt, illa una communem. Mortem Ciceronis verſibus elegantiſſimis deploravit Cornelius Severus: in quibus ſunt, qui ſequuntur:

Abſtulit una dies ævi decus, ictaque luctu
Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ,
Unica ſollicitis quondam tutela, ſaluſque,
Egregium ſemper patriæ caput: ille Senatus
Vindex, ille fori, legum, rituſque togæque.
Publica vox ſævis æternum obmutuit armis,
Informes vultus, ſparſamque cruore nefando
Caniciem, ſacraſque manus, operumque miniſtras
Tantorum, pedibus civis projecta ſuperbis
Proculcavit ovans, nec lubrica fata Deoſque
Reſpexit: nullo luet hoc Antonius ævo.

Paterculus poſt narratam cædem M. Tullii, in hæc verba erumpit: Nihil tamen egiſti, M. Antoni, mercedem cæleſtiſſimi oris & clariſſimi capitis abſciſi numerando, auctoramentoque funebri ad conſervatoris quondam reip. tantique conſulis irritando necem. Rapuiſti tu M. Ciceroni lucem ſollicitam, & ætatem ſenilem, & vitam miſeriorem te principe, quam ſub te triumviro mortem: famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abſtuliſti, ut auxeris. Vivit, vivetque per omnem ſæculorum memoriam: dumque hoc vel forte, vel providentia, vel utcunque conſtitutum rerum naturæ corpus, quod ille pæne ſolus Romanorum animo vidit, ingenio complexus eſt, eloquentia illuminavit, manebit incolume, comitem ævi ſui laudem Ciceronis trahet: omniſque poſteritas illius in te ſcripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur: citiuſque in mundo genus hominum, quam hujus nomen, cadet. Ciceronem hoc anno VII. Idus occiſum eſſe, teſtimonio Tironis liberti ſcribit Tacitus in dialogo de Oratoribus. intelligo autem Idus Decembr. quoniam triumviri inierunt V. Kal. Decembris, ut eſt in lapide Colotiano. Vixit igitur Cicero annos LXIII. menſes XI. dies V. ſive annos LXIV. minus XXVI. diebus.

Nunc ad extremum illud addam, quod Deſiderius Lignamineus Patavinus ante annos ſedecim divulgavit. Cum anno Chriſti M.D.XLIV. Kalend. Decemb. Angulus Apulus Minorita in Zacyntho inſula Venetorum, quæ in mari Ionio Epiro adjacet, apud ſacellum D. Mariæ Gratioſæ, non longe à littore maris, Cœnobii fundamenta ageret, ſepulchrum antiquiſſimum reperit hac inſcriptione: M. TULLI CICERO HAVE, ET TU TEPTIA ANTΩNIA. in eodem ſepulcro inventæ ſunt duæ urnæ vitreæ, una major cinerum, altera minor lacrimarum, ut volunt; in majoris fundo, erat vitro inſcriptum: AVE MAR. TUL. Hoc monumentum ibi in ſacrario templi adſervatur, & Ciceronis noſtri eſſe putatur. Verum in hujuſmodi rebus mihi Epicharmi cantilenam illam μέμνασο ἀπιστεῖν ad aurem utramque inſuſurrari facile patior: cùm præſertim in Epitaphio quodam, quod in libro manuſcripto ἀδέσποτον ſubjicitur, Arpinatem Ciceronem lapide extra Cajetam ſervari, inveniam, quem Lignamineus à ſervis crematum, & in Zacynthum delatum fuiſſe putat.

FINIS HISTORIÆ M. T. CICERON.

CL. ALIQUOT VIRORUM
E L O G I A
D E
JANO GULIELMIO.

Franciscus Modius Jano Gulielmio suo S. Coloniam Agrippinam. Epiſtolâ Novantiquarum lect. cxxxi.

S*It ſane ita,* Gulielmi; *Magnus in his Studiis vir fuerit D. Lambinus; ideo licere quidvis homini in optimum & doctiſſimum quemque putabimus? Victorium, Langium, alios, ut ſemidoctos, &, ſi Diis placet, barbaros, ac Latinæ linguæ ignaros, paſſim traducit. cum tamen hi ſint illi, à quibus tantum in Ciceronis recognitione adjutum fuiſſe conſtat, quantum haud ſcio an ab ullis omnino aliis. ſed quid de iſtis queror; quorum Italum alterum, alterum Belgam ipſe Gallus ſuo quodammodo jure, ut alienigenas contemnere potuit; cùm etiam non pepercerit ſuis? de quibus, ut Muretum, & infinitos alios mittam; an non auſus eſt Turnebum; illum inquam, Turnebum, quo doctiorem Gallia non vidit, plagii accuſare? ſed benè quod nemo credit. non magis quàm cùm diſſimulare ſtudet noſtrorum hominum (& jam non de Langio, ſed aliis quam plurimis loquor) in Ciceronem laboribus meritiſque quidquam deberi. quorum quantum ille ipſe Lambinus cùm judicio, tum libris, diligentiaque in hoc ſcriptore adjutus fuerit; qui videre volet, is poſtremam ejus editionem cum prioribus contendere ne gravetur. Cetera ut ſpero tibi curæ erunt. dico in quibus pluſculum ſibi etiam contra libros omnes idem Lambinus licere voluit. eſt tibi certè facultas cernendæ hujus tantæ, quantam ex alio ſcriptorum fruſtra ſperes, gloriæ; ad quam ut accedat etiam voluntas, præter eam quam dixi laudem, movere te debet doctiſſimorum hominum per Belgicam & Germaniam exſpectatio; quos omnes hac ſpe implevi, futurum brevi, ut per te hunc auctorem omnium optimum, & ad uſum vitæ maximè neceſſarium, quam emendatiſſimum habeamus. ego promiſi. tu vide ne amicum vanitatis accuſari patiare.*

Justus Lipsius Libro II. Electorum, cap. 16.

I*Ta vivam ipſe & valeam, ut peracerba nuper mihi accidit* Jani Gulielmi *mors, ſive potius raptus. Subita enim fuit: & vix Biturigas venerat, cum febris eum occupavit, & in paucis diebus extremus ille dies. Sanè amabam adoleſcentem inſigni indole, magnâ ſpe: nec facile ingenium videram (juvenile quidem) magis mihi ad guſtum Libelli judicio meo teſtes. quos in Critico iſto genere paucos edidit; ſed probos doctoſque & quos haud temerè Invidiæ dens atteret aut lima labentis ævi. Sed peracerba mihi tamen hæc mors, non nova. Quæ enim alia vitæ Lex? Vt lignum uri natum eſt, ariſta ſecari: ſic homines mori. Ite mei juvenes, & animis fidite aut annis. una nempe morbi aura eſt, quæ adurit & exſtinguit hunc omnem vitæ florem. Quin & venti cùm vehementiſſimè perflant, ponunt ferè & deſinunt: ſic mortales, cùm grandia maximè ſpirant & ſperant. Ego ipſe, qui iſta loquor, quamdiu hîc ſum? Fallor: aut ſtrictum jam in me quoque fatale hoc ferrum, & ſequor te, mi Gulielmi, imò calcem premo calce. Ita lentus difficiliſque morbus hic ſuadet: qui ut hedera quædam ſerpens, implicat & enecat me longo tractu. Sed hoc quidem fiet cùm Deo meo viſum: intereà judicii mei de te & amoris monumentum hoc poſitum eſto. non æternum, ſcio, (ſtulti qui ab his ſcriptis id ſperant,) ſed longævum fortaſſe: ſi tamen, ut cum Pindaro dicam,*

——— Σὺν τινι μοιριδίῳ παλάμᾳ
Ἐξαίρετον Χαρίτων νέμομαι
——— Κᾶπον

Jacobus Augustus Thuanus fine Hiſtoriarum lib. lxxx.

E*Odem menſe Quintili* cIɔ Iɔ xxciv. Janus Gulielmius, *adoleſcens cultiſſimi ingenii Lubecæ natus, Avarici Biturigum, quò ad magnum Cujacium audiendum profectus fuerat, contracto ex nimiis caloribus morbo, vix ſalutata urbe deceſſit, cùm nondum* xxx *vitæ annum attigiſſet; eo magis deploranda morte, quod multa, & inter ea novam Ciceronis operum ad M.S. exemplaria diligentiſſime collatorum & amplius ſexcentis clauſulis ſuppletorum editionem paratam haberet; quam & ego Lutetiæ, dum is ad me familiariter ventitaret, vidi, hactenus magna rei literariæ jactura aut diſperditam aut ſuppreſſam.*

Hiero-

HIERONYMUS GROSLOTIUS LISLÆUS JACOBO LECTIO JC. parte epiſtolæ, editæ Anno 1610.

VOlebam hîc interjungere, ni me ulterius provehi incitaſſet, qui eſt juſtiſſimus, & meritò obſtinatus dolor meus, quem contraxi ex obitu C.M. juvenis amiciſſimi quondam mei, quem, ut ita dicam, mi Lecti, dulce-acidum mihi eſt in ſinu tuo deflere. Is fuit, JANUS GULIELMIUS, *quo juvene, non me redarguet ipſa Veritas, nihil tulit Germania doctius aut verius: nihil vidit Sol ipſe amabilius aut melius. juraſſes factum illum à Gratiis, eductum edoctum à Muſis. Nam illi quanta probitas in ore? quanta in ſermone ſimplicitas? quanta urbanitas, quis candor, qui ſales? quam pari lance gravitas comitaſque? quanta in omni vita pietas? & quod rariſſimum in illa gente, quanta in omni victu abſtinentia? denique quo ille ſtudiorum amore flagrabat? quantum legit? quantum etiam ſcripſit? quæ nunc maximam partem cum ipſo, ſine fructu poſteritatis, abierunt. Superſunt tamen in manibus hominum non obſcura tanti ingenii monumenta, quæ etſi fuerint edita ab admodum adoleſcente, &, ut ipſe ſum oculatus teſtis, nimio impetu præcipitata, tamen æternum (ſi æterna, quod auguror, erunt) teſtificabuntur, quo fuerit in his literis acumine & judicio, ſimulque quantum virum daturus fuiſſet, ſi virtutes ejus maturuiſſent. Angor ipſius caſu, qui acerbo & planè immaturo interitu primo ætatis flore extinctus eſt: dignus (ô fata!) vivere ætatem trium Neſtorum. Sed illud fortean utcumque tolerabile, quia commune cum multis. hoc verò mihi non triſte ſolum, verùm etiam luctuoſum videtur, quod reliquit imperfectum præclariſſimum opus, quod abſolvi non minus fuiſſet è re publica, quàm ex ipſius ſua, qui ſibi inde comparaſſet nominis immortale decus. Enim parabat emittere in vulgus optimum linguæ Romanæ parentem M. Tullium Ciceronem quam caſtigatiſſimum & nitidiſſimum: & jam propè adfecta res erat, niſi tam alieno, & pœnè dicam, tam non ſuo tempore, fato fuiſſet oppreſſus. Verùm ſi poſteritatem ſpectemus, quidquid non abſolutum, habetur pro non inchoato. Memini, & memini non abſque lacrimis, audiviſſe ipſum ſæpius prædicantem, non vana oſtentatione, ut ſolet, à qua ſanè plurimum abhorrebat emendatiſſima indoles ejus, ſe in Cicerone quà ex libris, quà ex conjecturâ aut emendaſſe certo judicio, aut explicaſſe nunc primum, ad ter mille locos maximi momenti. Levioris enim habebat* ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε. *At iſta omni immortalitate digniſſima præmatura ejus morte nunc jacent; & verendum ne malâ operâ eorum, in quorum manus devenere, idem quod ille, fatum ſentiant. quod invidiſſe illi tantam gloriam, & nobis atque ipſis, quas colimus, literis, tantum bonum, quis vel imbutus humanitate aliqua non miſereatur, non doleat? M. Tulli, ſi quis tibi etiam adhuc manet ſenſus, agnoſce & defle ſeriò maximè capitale fatum tuum, quo tibi præreptus eſt ille Æſculapius tuus, qui vitam dum tibi reparat (ah nimis invidioſum opus!) exitium paravit ſibi ipſe. fatum tibi tanto calamitoſius illo, quo præciſum divinæ eloquentiæ caput, amputatæ fortiſſimæ manus; quanto tibi gratior eſſe vita debet, quàm mors; quæ, puto, jucunda tum fuit, everſâ penitus Repub. quam conſervaveras. Ita mihi, ô, ſemper pateant abditiores & jam vetuſtate fallentes ſenſus tui, mi Arpinas homo, angor acerbiſſimè tuo nomine: angor tamen publico magis, cujus maximo malo denatus eſt tam ingenti tot literarum, tot virtutum flumine inundatus juvenis: cui quemadmodum propè unico ævi hujus noſtri, dixero Invidia audiente indignante, facultas erat tantum ſcriptorem emaculatiſſimum publicandi, ita doctiſſimorum judicio feliciſſimè, cum proſam ſcriberet, prorſus exprimendi, accerſitis tamen ex Plauto, aliiſque ſimilibus, id eſt, optimæ notæ ſcriptoribus lepidiſſimis, & jocis urbanioribus. Iam verò cum ſe demittebat ad carmen, edebat,* DEUS *bone! quàm terſum, quàm amœnum, quàm acutum, & verbo dicam, omnino ſanitatis antiquæ: ita proximè effingebat veteres illos, Horatium dico, Catullum, Propertium, & ceteros auguſtioris famæ. Teſtor illius Divos Manes, Lecti, nequicquam do amicitiæ: quicquid hîc ſcribo, extorquet à me ipſiſſima veritas: ſi non eum deſtinaſſet hæc mortalis vita in tam ſecundo ad ſupremam humanæ laudis metam curſu, ſe probaſſet proculdubio Muſarum alumnis ſcriptorem eloquentiſſimum, ſummum Poëtam, maximum Criticum. Denique angit me ſuper iſta multò graviſſima jactura mea, ſi jactura dicenda eſt, tanti viri, tanti amici amiſſio; amici, cui propè unico volebam patere intimas cogitationes meas. Accedit mærori meo, quod abſens & impendentis mali neſcius, pariter ægrum, pariter exceſſiſſe cognovi, ut in tanto infortunio meo privatus fuerim tantilla felicitate adverſus illum fungendi noviſſimis, quæ debemus, officiis. Paulo enim ante, quàm veniſſem Avaricum (quæ urbs funeſta ejus morte, honorata ſepulchro) Deo reddiderat optimè de literis, deque amicis nobis meritum ſpiritum, &c.*

IN NOVAM EDITIONEM
OPERUM
M. TULLII CICERONIS,

Ex accuratiſſimâ recenſione

Clariſſimi VIRI,

D. CORNELI SCHREVELI, Med. Doct.

Illuſtris Gymnaſii Lugd.-Bat. Rectoris celeberrimi.

NOn jam, ROMA, Tibi Linguæ Facundia ſoli
Eſt propria, ac tantis càpis arma invicta lacertis
Antonî contra gladios. Sua præmia laudi
Inde etiam noſtri pulchrè meruêre BATAVI:
Una omnis jurata manus, genſque obvia factis
Et ſceleri, Catilina, tuo. Qui protinus omne
In vitium armati, divino fulmine Suadæ
Rem gerimus, tonitruque pio per aperta volantes
Sternimus audaces hoc ORATORE Cethegos.
Salve Romulidæ Decus indelebile Gentis,
Arpinas generoſe! Tuo qui munere fandi
Straviſti tot caſtra Ducum, forteſque manîplos
Auſonii per regna fori. Quo Vindice ſolo
Gaudet Libertas ſe purâ in luce renaſci,
Ut cedant ſic arma Togæ. Victorque Senatus,
Jam dudum belli furias exoſus & iras,
Finitimos latè Populos in Pace gubernet.
Haud potuit noſtro majora SCHREVELIUS orbi
Scribere, quàm ſummum SCRIPTOREM reddere Luci
Majeſtate ſuâ. Et Gothicas damnare tenebras
Eloquii ſplendore novo Veterum Quiritûm
Conſilia, ac tantæ miracula prodita genti
Ad ſeros etiam Batavûm transferre nepotes.

REINERUS NEUHUSIUS, JC.
Gymnaſii Alcm. Rector.

M. TUL-

MARCI TULLII CICERONIS OPERUM

TOMUS PRIMUS,

QUO

OMNES EJUS LIBRI ORATORII CONTINENTUR.

COMPLECTITUR

HIC

PRIMUS TOMUS

Incerti auctoris, ſeu, ut doctis quibuſdam videtur, Cornificii, Rhetoricorum ad C. Herennium libros IV. *quorum*
- I. Pag. 1
- II. Pag. 6
- III. Pag. 14
- IV. Pag. 20

Rhetorica, ſeu de inventione Rhetorica libri II. *quorum*
- I. Pag. 35
- II. Pag. 50

Dialogos tres de Oratore ad Q. Fratrem, quorum
- I. Pag. 67
- II. Pag. 86
- III. Pag. 112

De claris Oratoribus librum, qui dicitur Brutus. Pag. 129

Oratorem ad M. Brutum. Pag. 153

Topica ad C. Trebatium. Pag. 171

De partitione Oratoria Dialogum. Pag. 177

De optimo genere Oratorum. Pag. 187

INCERTI

INCERTI AUCTORIS,
SEU,
Ut Doctis quibuſdam videtur,
CORNIFICII,
Rhetoricorum ad C. HERENNIUM,
LIBER PRIMUS.

1 ETſi negotiis familiaribus impediti, [1] vix ſatis otium ſtudio ſuppeditare poſſumus, & idipſum, quod datur otii, libentiùs in philoſophia conſumere conſuevimus: tamen tua nos C. Herenni, voluntas commovit, ut de ratione dicendi conſcriberemus: ne aut tua cauſa noluiſſe nos, aut fugiſſe laborem putares. Et eo ſtudioſiùs hoc negotium ſuſcepimus, quòd te non ſine cauſa velle [2] cognoſcere artem rhetoricam intelligebamus. Non enim parum habet in ſe *fructus* copia dicendi, & commoditas orationis, ſi recta intelligentia, & definita moderatione animi gubernetur. Quas ob res illa, quæ Græci ſcriptores [3] inanis arrogantiæ cauſa ſibi aſſumſerunt, reliquimus. Nam illi, ne parum multa ſciſſe viderentur, ea conquiſiverunt, [4] quæ nihil attinebant, ut ars difficilior cognitu putaretur: nos autem ea, quæ videbantur ad rationem dicendi pertinere, ſumſimus. non enim ſpe quæſtus, aut gloria commoti venimus ad ſcribendum, quemadmodum ceteri: ſed ut induſtria noſtra tuæ morem geramus voluntati. Nunc, ne nimiùm longa ſumatur oratio, de re dicere incipiemus: ſi te unum illud monuerimus, ARTEM ſine aſſiduitate dicendi non multùm juvare: ut intelligas hanc rationem præceptio-
2 nis ad exercitationem accommodari oportere. ORATORIS officium eſt, de his rebus poſſe dicere, quæ res ad uſum civilem moribus ac legibus conſtitutæ ſunt, cum aſſenſione auditorum, quoad ejus fieri poterit. Tria ſunt genera cauſarum, quæ recipere debet orator: demonſtrativum, deliberativum, judiciale. Demonſtrativum eſt, quod tribuitur in alicujus certæ perſonæ laudem, vel vituperationem. [5] Deliberativum eſt, quod in conſultatione poſitum, habet in ſe ſuaſionem, & diſſuaſionem. Judiciale eſt, quod poſitum in controverſia, habet accuſationem, aut petitionem cum defenſione. Nunc, quas res oratorem *habere* oporteat, docebimus: deinde quo modo has cauſas tractari conveniat, oſtendemus. Oportet igitur eſſe in oratore inventionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, & pronuntiationem. Inventio, eſt excogitatio rerum verarum, aut veriſimilium, quæ cauſam probabilem reddant. Diſpoſitio eſt ordo, & diſtributio rerum; quæ demonſtrat, quid quibus in locis ſit collocandum. Elocutio, eſt idoneorum verborum, & ſententiarum ad inventionem accommodatio. Memoria, eſt firma animi rerum & verborum, & diſpoſitionis perceptio. Pronuntiatio, eſt vocis, vultus, geſtus moderatio cum venuſtate. Hæc omnia tribus rebus aſſequi poterimus, arte, imitatione, exercitatione. Ars, eſt præceptio, quæ dat certam viam, rationemque dicendi. Imitatio eſt, qua [6] impellimur cum diligenti ratione, ut aliquorum ſimiles in dicendo velimus eſſe. Exercitatio, eſt aſſiduus uſus, conſuetudoque dicendi. [7] Quoniam igitur demonſtratum eſt, quas cauſas oratorem recipere, quaſque res habere conveniret, nunc, [8] quemadmodum ad orationem poſſint oratoris officia accommodari, dicendum videtur. INVENTIO in ſex 3
parteis orationis conſumitur, exordium, narrationem, diviſionem, confirmationem, confutationem, concluſionem. Exordium, eſt principium orationis, per quod animus auditoris, aut judicis [9] conſtituitur, vel apparatur ad audiendum.

---

1. V*Ix ſatis otium ſtudio ſuppeditare poſſumus.*] Pal. quartus notæ optimæ liber, non agnoſcit illud *ſtudio*; aberatque item à membranis Franciſci Fabricii, quibus uſus fuit Gulielmius.

2. *Cognoſcere artem rhetoricam.*] Nullus è ſex Pall. admiſit voculam *artem*: pro ea tamen contra Lambinum pugnat Gulielmius.

3. *Inanis arrogantiæ cauſa.*] Pall. omnes & Gulielmiani hoc loco retinent illud *inanis*, quod Lambinus adjungit infra voci *gloriæ*.

4. *Quæ nihil attinebant.*] Ejecimus binas dictiones *ad rem*, quæ in nullo comparebant Palatinorum. nam primus, earum loco habebat, *ad propoſitum*.

5. *Deliberativum eſt, quod in conſultatione poſitum, habet in ſe, &c.*] Adblanditur mihi ſcriptura Pal. quarti: *Deliberativum, eſt in conſultatione, quod habet in ſe.*

6. *Impellimur cum diligenti ratione.*] Gembl. & Bruil. item Pal. quart. *dicendi.* forte fuit *diligendi ratione*, pro *deligendi*, veteribus enim *dilectus*, quod nobis hodie *delectus*. diligendi ergo ratio, eſſet delectus, quo non aliud magis in imitatione neceſſarium.

7. *Quoniam igitur demonſtratum eſt, &c.*] Tota hæc clauſula eſt ab interpretibus; aut potius, liber iſte in epitomen redactus eſt ab aliquo. quid enim abſurdius hac recapitulatione, cum tribus punctis ſua omnia vix ſignarit, nedum demonſtrarit? Sic & infra ubi eſt: *Nunc quoniam unà, &c.* Nihil odioſius eſt tali inſinuatione, hoc in breviculo.

8. *Quemadmodum ad orationem poſſint.*] Ita editio Victorii, neque aliter Pall. aliquot. ceteri *rationem*, niſi quod primus, *ad inventionem poſſint.*

9. *Conſtituitur vel apparatur ad audiendum.*] Monet Gulielmius exſtare in Colonienſi & *app.* quomodo & tres Pall. poſteriores; itaque habet illud *vel*, tanquam inſigne gloſſematis.

1. *Quid*

dum. Narratio, eſt rerum geſtarum, aut perinde ut geſtarum, expoſitio. Diviſio, eſt per quam aperimus [1] quid conveniat, quid in controverſia ſit: & per quam exponimus quibus de rebus [2] ſimus dicturi. Confirmatio eſt noſtrorum argumentorum expoſitio cum aſſeveratione. Confutatio, eſt contrariorum locorum diſſolutio. Concluſio eſt [3] artificioſus terminus orationis. Nunc quoniam unà cum oratoris officiis, quo res cognitu facilior eſſet, producti ſumus, ut de orationis partibus loqueremur, & eas ad inventionis rationem accommodaremus: de exordio primùm dicendum videtur. Cauſa poſita, quo commodiùs exordiri poſſimus, genus cauſæ conſiderandum eſt. Genera cauſarum ſunt quattuor, honeſtum, turpe, dubium, humile. Honeſtum cauſæ genus putatur, cùm aut id defendimus, [4] quod ab omnibus defendendum videtur: aut id oppugnamus, quod ab omnibus videtur oppugnari debere: ut *pro viro forti* contra parricidam. Turpe genus intelligitur, cùm aut honeſta res oppugnatur, aut defenditur turpis. Dubium genus eſt, cùm habet in ſe cauſa & honeſtatis, & turpitudinis partem. Humile genus eſt, quum
4 contemta res affertur. Cùm hæc ita ſint, conveniet exordiorum rationem ad genus cauſæ accommodari. Exordiorum duo ſunt genera, Principium, quod Græcè προοίμιον appellatur: & inſinuatio, quæ [5] ἔφοδος nominatur. Principium, eſt quum ſtatim auditoris animum nobis idoneum reddimus *ad audiendum*. id ita ſumitur, ut attentos, ut docileis, ut benivolos auditores habere poſſimus. Si genus cauſæ dubium habebimus, à benivolentia principium conſtituemus, nequid illa turpitudinis pars nobis obeſſe poſſit. Sin humile erit genus cauſæ, faciemus attentos. Sin turpe cauſæ genus erit, inſinuatione utendum eſt, de qua poſteriùs dicemus, niſi quid nacti fuerimus, quare adverſarios criminando, benivolentiam captare poſſimus. Sin honeſtum cauſæ genus erit, licebit rectè vel uti, vel non uti principio. Si uti volemus, aut id oportebit oſtendere, quare cauſa ſit honeſta, aut breviter, quibus de rebus ſimus dicturi, exponere. Si principio uti nolemus, à lege, à ſcriptura, aut ab aliquo firmiſſimo noſtræ cauſæ *adjumento* principium capere oportebit. Quoniam igitur docilem, benivolum, attentum habere auditorem volumus, quomodo quidque confici poſſit, aperiemus. Docileis auditores habere poterimus, ſi ſummam cauſæ breviter exponemus, & ſi attentos eos faciemus. nam *docilis* eſt is, qui attentè vult audire. Attentos habebimus, ſi pollicebimur, nos de rebus magnis, novis, inuſitatis verba facturos, aut de iis rebus, quæ ad remp. pertinent, aut ad eos ipſos, qui audient, aut ad Deorum [6] immortalium *religionem*: & ſi rogabimus, ut attentè audiant: [7] & ſi numero exponemus res, de quibus dicturi ſumus. Benivolos auditores facere quattuor modis poſſumus, à noſtra, ab adverſariorum, ab
5 auditorum perſona, & à rebus ipſis. [8] A noſtra perſona benivolentiam contrahemus, ſi noſtrum officium *ſine arrogantia* laudabimus, aut in remp. quales fuerimus, aut in parentes, aut in amicos, aut in eos ipſos [9] qui audiunt, vel omnes, vel aliquos referemus, dummodo hæc omnia ad eam ipſam rem, de qua agitur, ſint accommodata. Item ſi noſtra *incommoda* proferemus, inopiam, ſolitudinem, calamitatem: & ſi orabimus, ut nobis ſint auxilio; ſimul oſtendemus, nos in aliis ſpem noluiſſe habere. Ab adverſariorum perſona benivolentia captabitur, ſi eos in *odium*, in *invidiam*, in *contemtionem* adducemus. In odium rapiemus, ſi quod eorum ſpurcè, ſuperbè, perfidioſè, crudeliter, confidenter, malitioſè, flagitioſè factum proferemus. In invidiam trahemus, ſi vim, ſi potentiam, factionem, divitias, incontinentiam, nobilitatem, clientelas, [10] hoſpitium, ſodalitatem, affinitates adverſariorum proferemus, & his adjumentis magis, [11] quàm veritate eos confidere aperiemus. In contemtionem adducemus, ſi inertiam, ignaviam, deſidiam, luxuriam eorum proferemus. Ab auditorum perſona benevolentia colligetur, ſi res eorum fortiter, ſapienter, manſuetè, magnificè judicatas proferemus: & ſi, quæ de iis exiſtimatio, quæ judicii exſpectatio ſit, aperiemus. A rebus ipſis benevolum efficiemus auditorem, ſi noſtram cauſam laudando extollemus, adverſariorum per contemtionem deprimemus.
[12] Deinceps de inſinuatione aperiundum eſt. Tria ſunt 6
tempora, quibus principio uti non poſſumus: quæ diligenter ſunt conſideranda: aut cùm *turpem cauſam* habemus, hoc eſt, cùm ipſa res animum auditoris à nobis alienat: aut cùm animus auditoris perſuaſus videtur eſſe ab iis, qui antè contrà dixerunt: aut cùm defeſſus eſt eos audiendo, qui antè dixerunt. Si cauſa turpitudinem habebit, exordiri poterimus his rationibus: rem, non *hominem*: aut hominem, [13] non rem, ſpectari oportere: non placere nobis ipſis, quæ facta dicantur ab adverſariis, & eſſe indigna, aut nefaria. Deinde cùm diu rem auxerimus, nihil ſimile à nobis factum oſtendemus; aut aliquorum judicium de ſimili cauſa, aut de eadem, aut de minore, aut de majore proferemus. Deinde ad noſtram cauſam pedetentim accedemus, & ſimilitudinem conferemus. Item ſi negabimus, nos de adverſariis, [14] aut de aliqua re dicturos, & tamen occultè dicemus interjectione verborum. Si perſuaſus auditor fuerit, id eſt, ſi oratio adverſariorum auditoribus fidem fecerit: (neque enim non facilè ſcire poterimus, quoniam non ſumus neſcii, quibus rebus *fides fieri* ſoleat) ergo ſi fidem factam putabimus, his nos rebus inſinuabimus ad cauſam: de eo, quod adverſarii *firmiſſimum* ſibi adjumentum putaverunt, primùm nos dicturos pollicebimur: aut ab adverſarii dicto exordiemur, & ab eo maximè, quod ille nuperrimè dixerit: aut dubitatione utemur, quid potiſſimùm dicamus, aut cui loco primùm reſpondeamus cum admiratione. Si defeſſi erunt audiendo: ab aliqua re, quæ *riſum* movere poſſit, exordiemur, ab apologo, à fabula veriſimili, imitatione, depravatione, inverſione, ambiguo, ſuſpicione, irriſione, ſtultitia, exſuperatione, [15] collatione, abjectione, adjectione, litterarum mutatione: præterea exſpectatione, ſimilitudine, novitate, hiſtoria, verſu: aut ab alicujus [16] interpellatione, aut arriſione, & ſi

1. *Quid conveniat, quid in controverſia ſit.*] Hanc lectionem ſervant Pal. [illegible], nam quo quodque exemplar eſt recentius, hoc [illegible] eſt quiſquis exſcriptorum: unde ſec. *quid [illegible]*, &c.

2. *Simus dicturi.*] Gulielmio placebat *acturi*, ſed cum parum interſit, & [illegible] Pall. retineo lectionem receptam.

3. *Artificioſus terminus orationis.*] Pall. tres priores, ex Italia ad nos delati [illegible], *terminus orationis*. Quæ dictio otioſa videri non poſſet, [illegible] totidem Pall. in Germania forte deſcriptis.

4. *Quod ab omnibus defendendum.*] Gulielmius, & hîc, & ſtatim infra [illegible] vocabulum *ab* [illegible] librorum juſſu, hæret id ſane in ſex Palatinis, & vetuſtè editis.

5. *Ἔφοδος.*] Mallet Gulielmius ἔφοδος; ut Latinis expreſſere literis duo mſſ. eius, & Pall. omn. tralatio tunc ducta eſſet ab [illegible], ſed longius petita videtur.

6. *Immortalium religionem*, &c.] Secutus ſum Victorium & Manutium. Pall. & quinque, item Fabr. nam retrò vulgati verboſius: [illegible], *aut ad religionem*, &c. Nihil.

7. *Et ſi numero exponemus res*, &c.] Pleraque mſſ. *quibus de rebus dicturi*, at videatur id admittendum, ſed prius expuncta ſyllaba *res*.

8. *A noſtra perſona benivolentiam contrahemus.*] Alii *corrademus*; vel *comparabimus*.

9. *Qui audiunt, vel omnes, vel aliquos, referemus.*] Lambinus. nam noſtri [illegible], *qui audiunt aliquid referentur*.

10. *Hoſpitium, ſodalitatem*, &c.] Arbitratur Gulielmius corrigendum *hoſpitia, ſodalitates*.

11. *Quàm veritate eos confidere.*] Sic Pal. ſec. quart. ſextus item Bruil.

12. *Deinceps de inſinuatione aperiundum eſt.*] Pal. quartus non habet, *aperiundum eſt*.

13. *Non rem ſpectari oportere.*] Judicat Gulielmius reſtare in Bruil. *exſpectare*; quod & mihi repertum in Pal. pr. ſec. quarto, ſexto.

14. *Aut de aliqua re dicturos.*] Hactenus impreſſi interjectum habebant, *re enim dici*. perperam.

15. *Collatione, abjectione, adjectione literarum.*] Et ſic editio Roberti Stephani. & interpres antiquus Palat. qui etiam explicat *collocatione*. Lambinus interponit tertiam voculam *aut*, quæ in nullo mſſ. Poſſet etiam legi *collectione* cum Bruil. ac Fabr.

16. *Interpellatione aut arriſione.*] Lambinus *irriſione*, malè.

1. *Apertis*

& ſi promiſerimus, aliter, ac parati fuerimus, nos eſſe dicturos: nos non eodem modo, ut ceteri ſoleant, verba facturos: quid alii ſoleant, quid nos facturi ſimus, breviter exponemus. Inter inſinuationem, & principium hoc
7 intereſt, quòd principium, hujuſmodi debet eſſe, ut ſtatim [1] apertis rationibus, quibus præſcripſimus, aut benevolum, aut attentum, aut docilem faciamus auditorem. at *inſinuatio* ejuſmodi debet eſſe, ut occultè per diſſimulationem, eadem illa omnia conficiamus, ut ad eandem commoditatem in dicendo pervenire poſſimus. Verùm hæ tres utilitates tametſi in tota oratione ſunt comparandæ, hoc eſt, ut auditores ſeſe perpetuò nobis attentos, dociles, benivolos præbeant: tamen id per exordium cauſæ maximè comparandum eſt. Nunc, ne quando vitioſo exordio utamur, quæ vitia vitanda ſunt, docebo. In exordienda cauſa ſervandum eſt, ut lenis ſit *ſermo*, & uſitata verborum conſuetudo, ut non apparata oratio eſſe videatur. Vitioſum exordium eſt, quod in plureis cauſas poteſt accommodari, quod vulgare dicitur. item vitioſum eſt, quo nihilo minus adverſarius poteſt uti, quod commune appellatur. item illud, quo leviter commutato adverſarius poterit uti ex contrario. item vitioſum eſt, quod nimiùm apparatis verbis compoſitum eſt, aut nimis longum eſt, & quod non ex ipſa cauſa natum videtur, (quod *ſeparatum* vocatur; in quo etiam *tranſlatum* includitur) [2] ut propriè cohæreat cum narratione: & quod neque benevolum, neque docilem, neque attentum facit auditorem. De exordio ſatis dictum eſt: deinceps ad narrationem tranſeamus.
8 NARRATIONUM tria ſunt genera. Unum, quo exponimus rem geſtam, & unumquodque trahimus ad *utilitatem* noſtram, vincendi cauſa: quod pertinet ad eas cauſas, de quibus judicium futurum eſt. Alterum genus narrationis eſt, quod intercurrit nonnumquam aut fidei, aut criminationis, aut tranſitionis, aut alicujus apparationis, vel laudationis cauſa. Tertium genus eſt id, quod à cauſa civili remotum eſt: in quo tamen exerceri convenit, quò commodiùs illas ſuperiores narrationes in cauſis tractare poſſimus. Ejus narrationis duo ſunt genera: unum, quod in negotiis: alterum, quod in perſonis poſitum eſt. Id quod in negotiorum expoſitione poſitum eſt, treis habet parteis, fabulam, hiſtoriam, argumentum. *Fabula* eſt, quæ neque veras, neque veriſimileis continet res, ut hæ quæ tragœdiis traditæ ſunt. *Hiſtoria*, eſt res geſta, ſed ab ætatis noſtræ memoria remota. *Argumentum*, eſt ficta res, quæ tamen fieri potuit, velut argumenta comœdiarum. Illud genus narrationis, quod in perſonis poſitum eſt, debet habere ſermonis feſtivitatem, animorum diſſimilitudinem, gravitatem, lenitatem, ſpem, metum, ſuſpicionem, deſiderium, [3] diſſimulationem, errorem, miſericordiam, rerum varietates, fortunæ commutationem, inſperatum incommodum, ſubitam lætitiam, jucundum exitum rerum. Verùm hæc in *exercendo* tranſigentur. illud, quod ad veritatem pertinet, quomodo tractari
9 conveniat, aperiemus. Treis convenit res habere narrationem, ut brevis, ut dilucida, ut veriſimilis ſit: quæ quoniam fieri oportere ſcimus, quemadmodum faciamus, cognoſcendum eſt. Rem breviter narrare poterimus, ſi inde incipiemus narrare, unde neceſſe erit, & ſi non [4] ab ultimo initio repetere volemus: & ſi ſummatim, non particulatim narrabimus: & ſi non ad extremum, ſed uſque eò, quò opus erit, proſequemur: & ſi tranſitionibus nullis utemur, & ſi non deerrabimus ab eo, quod cœperimus exponere, & ſi exitus rerum ita exponemus, ut antè quoque quæ facta ſunt, ſciri poſſint, tametſi nos reticuerimus. Quod genus, ſi dicam, *me ex provincia rediiſſe*, profectum quoque in provinciam intelligatur. Et omnino non modò id, quod obeſt: ſed etiam id, quod neque obeſt, neque adjuvat, ſatius eſt *præterire*. Et ne bis, aut ſæpius idem dicamus, cavendum eſt: etiam ne id, quod ſemel ſuprà diximus, deinceps dicamus, hoc modo:

Athenis Megaram veſperi advenit Simo:
Ubi advenit Megaram, [5] inſidias fecit virgini:
Inſidias poſtquam fecit: vim in loco attulit.

Rem dilucidè narrabimus, ſi, ut quidque primùm geſtum erit, ita primùm exponemus, & rerum ac temporum ordinem conſervabimus, ut geſtæ res erunt, aut ut potuiſſe geri videbuntur. Hìc erit conſiderandum, nequid perturbatè, nequid contortè, nequid ambiguè, ne quid novè dicamus, ne quam in aliam rem tranſeamus, ne ab ultimo repetamus, ne longè perſequamur, ne quid, quod ad rem pertineat, prætereamus; & ſi ſequemur ea, quæ de brevitate præcepta ſunt. nam quo brevior, eo dilucidior, & cognitu facilior narratio fiet. *Veriſimilis* narratio erit, ſi ut mos, ut opinio, ut natura poſtulat, dicemus: ſi ſpatia temporum, perſonarum dignitates, conſiliorum rationes, locorum opportunitates conſtabunt. [6] ne refelli poſſit, aut temporis parum fuiſſe, aut cauſam nullam, aut locum idoneum non fuiſſe, aut homines ipſos facere, aut pati non potuiſſe. Si vera res erit, nihilominus hæc omnia narrando conſervanda ſunt. nam ſæpe veritas, niſi hæc ſervata ſint, fidem facere non poteſt. Sin erit ficta, eò magis erunt conſervanda. De iis rebus cautè confligendum eſt, quibus in rebus tabulæ, aut alicujus firma *auctoritas* videbitur interfuiſſe. Adhuc quæ dicta ſunt arbitror mihi conſtare cum ceteris artis ſcriptoribus, [7] niſi quia de inſinuationibus nova excogitavimus, quòd eas ſoli, præter ceteros, in tria tempora diviſimus, ut planè certam viam, & perſpicuam rationem exordiorum haberemus. Nunc, 10
quod reliquum eſt, quoniam de rerum inventione diſputandum eſt, in qua ſingulare conſumitur oratoris officium, dabimus operam, ut nihilo minus induſtriæ, quàm rei utilitas poſtulabit, quæſiviſſe videamur, ſi priùs pauca de cauſarum diviſione dixerimus. CAUSARUM diviſio in duas parteis diſtributa eſt. Primùm perorata narratione debemus aperire, quid nobis conveniat cum adverſariis: ſi ea, quæ nobis utilia erunt, convenient, quid in controverſia relinquatur, hoc modo: *Interfectam eſſe matrem* ab Oreſte convenit mihi cum adverſariis: jure fecerit, & licueritne facere, id eſt in controverſia. Item è contrario, *Agamemnonem* eſſe à Clytæmneſtra occiſum confitentur: cùm id ita ſit, me ulciſci parentem negant oportuiſſe. Deinde quum hoc fecerimus, diſtributione uti debemus. Ea dividitur in duas parteis, enumerationem, & expoſitionem. Enumeratione utemur, cùm dicemus numero, quot de rebus dicturi ſumus. [8] Eam plus, quàm trium partium numero eſſe non oportet. nam & periculoſum eſt, nequando plus, minuſve dicamus, & ſuſpicionem affert auditori meditationis, & artificii: quæ res *fidem abrogat* oratori. Expoſitio eſt, [9] cum res, de quibus dicturi ſumus, exponimus breviter & abſolutè. Nunc ad confirmationem tranſeamus. TOTA ſpes vincendi, ratioque perſuadendi poſita eſt in confirmatione, & confutatione. nam cùm adjumenta noſtra expoſuerimus, contrariaque diſſolverimus, abſolutè nimirum munus oratorium confecerimus. Utrumque igitur facere poterimus, ſi con- 11
ſtitutionem

1. *Apertis rationibus, quibus præſcripſimus.*] Pall. noſtri, & alii, *quas præſcripſimus*. Gulielmius monuit abeſſe Fabr. *apertis*, ac probat.

2. *Ut propriè cohæreat.*] Revocavi veterem ſcripturam à Lambino fœde ejectam.

3. *Diſſimulationem, miſericordiam.*] Interſerunt recentiores, *errores*. ſed male.

4. *Ab ultimo initio repetere.*] Habuerim vocabulum *initio*, pro gloſſatoris emblemate.

5. *Inſidias fecit virgini.*] Lambinus, *inſidiatur virgini*, contra Pall. & Gull. neque verſus labat. abſorbetur enim prima ſyllaba a ſine antecedentis.

6. *Ne refelli poſſit, &c.*] Aptum huic loco verbum alii leg. [illegible], ſed non inferendum in contextum.

7. *Niſi quia de inſinuationibus nova excogitavimus, quod eas ſoli, &c.*] Alii, *in inſinuatione*, item *eam*. Gulielmius emendaverat, *niſi quia de inſinuatione nova excogitavimus, eam ſoli nos, &c.*

8. *Eam plus quam trium partium numero eſſe non oportet.*] Sic Pal. pr. ac ſec. at tertius & quint. *numero contineri non op.* quartus. *ea plus quam trium partium uti non oportet.*

9. *Cum res de quibus dicturi ſumus.*] Ita etiam plerique Pall. non ut prius editi, *cum res quibus de rebus dic.*

ſtitutionem cauſæ cognoverimus. Cauſarum conſtitutiones alii quattuor fecerunt: [1] noſter doctor Hermetes treis putavit eſſe. non ut de illorum quicquam detraheret inventione, ſed ut oſtenderet, id, quod oportuiſſet ſimpliciter, ac ſingulari modo docere, illos diſtribuiſſe dupliciter & bipertitò. Conſtitutio eſt prima deprecatio defenſoris cum accuſatoris inſimulatione conjuncta. Conſtitutiones itaque ut ante diximus, tres ſunt, conjecturalis, legitima, juridicialis. Conjecturalis, eſt cùm de facto controverſia eſt, hoc modo: *Ajax in ſilva*, poſtquàm reſcivit, quæ feciſſet per inſaniam, gladio incubuit. Ulyſſes intervenit: occiſum conſpicatur: è corpore telum cruentum educit. Teucer intervenit; cùm fratrem occiſum, & inimicum fratris cum gladio cruento videt, capitis arceſſit. Hic, quoniam conjectura verum quæritur, de facto erit controverſia, & ex eo conſtitutio cauſæ conjecturalis nominatur. Legitima conſtitutio, eſt cùm in ſcripto, aut ex ſcripto aliquid controverſiæ naſcitur. Ea dividitur in parteis ſex, ſcriptum & ſententiam, contrarias leges, ambiguum, definitionem, tranſlationem, ratiocinationem. Ex ſcripto & ſententia naſcitur controverſia, cùm videtur ſcriptoris *voluntas* cum ſcripto ipſo diſſentire, hoc modo: Sit lex, quæ jubeat, *eos*, *qui* propter tempeſtatem navim reliquerint, omnia perdere: eorum navim, ceteraque eſſe, ſi navis conſervata ſit, qui remanſerint in navi. magnitudine tempeſtatis omnes perterriti navim reliquerunt, [2] ſcapham conſcenderant, præter unum ægrotum. is propter morbum, exire, & fugere non potuit. caſu & fortuitu navis in portum incolumis delata eſt. illam ægrotus poſſidet. navim petit ille, cujus fuerat. Hæc conſtitutio legitima eſt ex ſcripto & ſententia. Ex contrariis legibus controverſia conſtat, cùm alia lex jubet, aut permittit, alia vetat quippiam fieri, hoc modo: Lex vetat, *eum*, *qui* de pecuniis repetundis damnatus ſit, in concione orationem habere. Altera lex jubet, *augurem*, in demortui locum qui petat, in concione nominare. Augur quidam damnatus de pecuniis repetundis, [3] in demortui locum nominavit. petitur ab eo mulcta. Conſtitutio hæc legitima eſt ex contrariis legibus. Ex ambiguo controverſia naſcitur, quum ſcriptum duas, aut plureis ſententias ſignificat, hoc modo: Paterfamiliâs quum filium heredem faceret, teſtamento vaſa argentea uxori [4] legavit, hoc modo: *Tullius heres meus*, Terentiæ uxori meæ xxx. pondo vaſorum argenteorum dato quæ volet. Poſt mortem ejus vaſa pretioſa & celata [5] magnificè, petit mulier. Tullius ſe, quæ ipſe volet in xxx. pondo ei debere
12 dicit. Conſtitutio eſt legitima ex ambiguo. Ex definitione conſtat cauſa, [6] cùm inde controverſia eſt, quo nomine factum appelletur. ea eſt hujuſmodi. *Cum L. Saturninus* legem frumentariam de ſemiſſibus & trientibus laturus eſſet, Cæpio, qui per id temporis quæſtor urbanus erat, docuit ſenatum, ærarium pati non poſſe largitionem tantam. Senatus decrevit, ſi eam legem ad populum ferat, adverſus remp. videri eum facere. Saturninus ferre cæpit. Collegæ intercedere. ille nihilominus [7] ciſtellam detulit. Cæpio, ut illum contra S. C. intercedentibus collegis adverſus remp. vidit ferre, cum viris bonis impetum facit, [8] ponteis diſturbat, ciſtas dejicit; impedimento eſt, quo ſeciùs feratur lex: arceſſitur Cæpio majeſtatis. Conſtitutio eſt legitima ex definitione. Vocabulum enim definitur ipſum, cùm quæritur, quid ſit *minuere majeſtatem*. Ex tranſlatione controverſia naſcitur, cùm aut tempus differendum, aut accuſatorem mutandum, aut judices mutandos reus dicit. Hac parte conſtitutionis, Græci in judiciis, nos in jure civili plerumque utimur. in hac parte nos juris civilis ſcientia maxime adjuvabit. In judiciis tamen nonnihil ea [9] utimur, hoc modo: *Siquis* peculatus accuſatur, quòd vaſa argentea publica de loco privato dicatur ſuſtuliſſe, poſſit dicere, cùm definitione ſit uſus, quid ſit furtum, quid peculatus: *ſecum* furti agi, non peculatus oportere. Hæc partitio legitimæ conſtitutionis his de cauſis raro venit in judicium, quòd & in privata actione prætoriæ exceptiones ſunt, & cauſa cadit is, qui non, quemadmodum oportet, egerit: & in publicis quæſtionibus cavetur legibus, ut antè, ſi reo commodum ſit, judicium de accuſatore fiat, utrùm illi liceat accuſare, necne.
Ex ratiocinatione controverſia conſtat, cùm res ſine propria 13
lege venit in judicium, quæ tamen ab aliis legibus ſimilitudinem quandam aucupatur. ea eſt hujuſmodi: lex eſt, *Si furioſus exſiſtit*, [10] agnatûm, gentiliumque in eo, pecuniaque ejus poteſtas eſto. & Lex, Qui parentem necaſſe judicatus erit, [11] is obvolutus & obligatus corio, devehatur in profluentem. & Lex, *Paterfamilias* uti ſuper familia, pecuniave ſua legaverit, ita jus eſto. & Lex, Si *Paterfamilias* inteſtatus moritur, familia, pecuniaque ejus agnatûm, gentiliumque eſto. Malleolus judicatus eſt matrem necaſſe. ei damnato ſtatim folliculo lupino os obvolutum eſt, & [12] ſoleæ ligneæ pedibus inductæ ſunt, & in carcerem ductus eſt. Qui defendebant eum, tabulas in carcerem afferunt: teſtamentum ipſo præſente conſcribunt: teſtes ritè affuerunt: de illo ſupplicium paullo pòſt ſumitur. ii, qui heredes erant teſtamento, hereditatem adeunt. Frater minor Malleoli, [13] qui eum oppugnaverat in ejus periculo, ſuam vocat hereditatem *lege agnationis*. Hîc certa lex in rem nulla affertur, & tamen multæ afferuntur, è quibus ratiocinatio naſcitur, quare potuerit, aut non potuerit jure teſtamentum facere.
Conſtitutio legitima eſt ex ratiocinatione. Cujuſmodi par- 14
tes eſſent legitimæ conſtitutionis oſtendimus: nunc de juridiciali conſtitutione dicamus. JURIDICIALIS conſtitutio eſt, cùm factum convenit, ſed *jure, an injuria* factum ſit, quæritur. Ejus conſtitutionis partes ſunt duæ, quarum una abſoluta, altera aſſumtiva nominatur. Abſoluta eſt, cùm id ipſum, quod factum eſt, ut aliud nihil foris aſſumatur, rectè factum eſſe dicemus. ea eſt hujuſmodi: *Mimus* quidam nominatim Accium poëtam [14] compellavit in ſcena. cum eò Accius injuriarum agit. hic nihil aliud defendit, niſi licere nominari eum, cujus nomine ſcripta dentur agenda. Aſſumtiva pars eſt, cùm per ſe defenſio infirma eſt, [15] ſed aſſumta extraria re, comprobatur. Aſſumtivæ partes ſunt quattuor: conceſſio, remotio criminis, tranſlatio criminis, comparatio. Conceſſio eſt, cùm reus poſtulat *ſibi ignoſci*. ea dividitur

1. *Noſter doctor Hermetes.*] Haud aliter Victorius, & alludunt Pall. in quib. fere *Hermeſtes*, aut *Hermes*; Lambinus repoſuit *Hermagoras*. Gulielmius mallet nihil adeſſe, quam nomen falſum.

2. *Scapham conſcenderant.*] Eſt Pall. quarto & ſexto, & *in ſcapham conſcenderunt*. Lambinus repoſuit, ex optimis, ut loquitur, membranis, & *in ſcapham deſcenderunt*. ex quo putabat Gulielmius faciendum *eſcenderant*.

3. *Inde mortui locum nominavit.*] Sic lego auctoritate Pall. pr. ſec. quart. ſexti & Bruilerenſis.

4. *Legavit, hoc modo.*] Pal. quartus non habet illud *hoc modo*, & non videtur eſſe auctoris.

5. *Magnificè petit mulier. Tullius ſe quæ ipſe volet in xxx. pondo, &c.*] Sic omnino Pall. plerique & Gulielmiani. prius editi *magnificè illa petit. Tullius ſe quæ velit ipſe xxx. pondo, &c.*

6. *Cum inde controverſia.*] Ita Pal. pr. quart. Bruil. & Fabr. non *in*, ut antea vulgati.

7. *Ciſtellam detulit.*] Sic vulgarii omnes & Pall. ad unum. Lambinus ex ſuis maluit *ſitellam*.

8. *Ponteis diſturbat, ciſtas dejicit.*] Haud ſecus Pall. noſtri, niſi quod ſec. *gradus pontis diſturbat, ciſtam deicit.*

9. *Utimur hoc modo.*] Pal. quar. & Bruil. *utimur ut hoc modo.* quis non videt, *hoc modo*, delendum, retento *ut*.

10. *Agnatûm gentiliumque.*] Caſus gignendi antiquus, pro *agnatorum*, neque aliter Pal. quar. ſextus, Fabr.

11. *Is obvolutus & obligatus corio devehatur.*] Sic mſſ. noſtri omnes, niſi quod Lilienſis, *os obvolutus*. Stephanus pater publicavit *culeo*, quod & retinuit Manutius, ut & *dejiciatur in profl.*

12. *Soleæ ligneæ pedibus inductæ.*] Bruil. *ferreæ in pedibus.* quod *in* reſtat etiam in Pal. pr. quar. ſext.

13. *Qui eum oppugnaverat in ejus periculo.*] Tria verba poſtrema, reſipiunt gloſſam interpretis.

14. *Compellavit in ſcena.*] Debetur Bechichemo. ſcripti enim noſtri omnes, *in cænaculo*, placuitque Gulielmio.

15. *Sed aſſumpta extraria re.*] Sic ferè omnes libri noſtri; niſi quod quidam *ex contraria*.

1. *Et*

dividitur in purgationem, & deprecationem. Purgatio eſt, cùm conſultò ſe negat reus feciſſe. Ea dividitur in fortunam, imprudentiam, neceſſitatem. Fortunam, *ut Capio*, ad tribunos pl. de amiſſione exercitus. Imprudentiam, *ut ille*, qui de eo ſervo, qui dominum occiderat, ſupplicium ſumſit, cui frater eſſet, antequàm tabulas teſtamenti aperuit, cùm is ſervus manumiſſus teſtamento eſſet. Neceſſitudinem, *ut ille*, qui ad diem commeatus non venit, quòd eum aquæ intercluſiſſent. Deprecatio eſt, cùm & peccaſſe ſe, [1] & conſultò feciſſe reus confitetur, & tamen poſtulat ut ſui miſereantur. hoc in judicio ferè non poteſt uſu venire, niſi quando pro eo dicimus, [2] cujus multa rectè facta conſtant. Hoc modo in loco communi per amplificationem injiciemus; *Quod ſi hoc feciſſet*, tamen ei pro priſtinis beneficiis ignoſci conveniret: verùm nihil poſtulat ignoſci. Ergo in judicium non venit: at in Senatum, aut ante Imperatorem,
15 [3] & in conſilium talis cauſa poteſt venire. Ex tranſlatione criminis cauſa conſtat, cùm feciſſe nos non negamus, ſed aliorum peccatis coactos feciſſe dicimus: *ut Oreſtes* cùm ſe defendit, in matrem confert crimen. Ex remotione criminis cauſa conſtat, cùm à nobis non crimen, ſed culpam ipſam amovemus, & vel in hominem transferimus, [4] vel in rem quampiam conferimus. In hominem transfertur: *ut ſi* accuſetur is, qui P. Sulpicium ſe fateatur occidiſſe, [5] & id juſſu Conſulum defendat: & eos dicat non modò imperaſſe, ſed rationem quoque oſtendiſſe, quare id facere liceret. In rem confertur, *ut ſi quis* ex teſtamento, quod facere juſſus ſit, ex plebiſcito vetetur. [6] Ex comparatione criminis cauſa conſtat, cum dicimus *neceſſe* fuiſſe alterutrum facere, & id, quod fecerimus ſatius fuiſſe facere. Ea cauſa hujuſmodi eſt: *C. Popillius*, cùm à Gallis obſideretur, neque effugere ullo modo poſſet, venit cum hoſtium ducibus in collocutionem: ita diſceſſit, ut impedimenta relinqueret, exercitum educeret: ſatius eſſe duxit amittere impedimenta, quàm exercitum. [7] exercitum eduxit, impedimenta re-
16 liquit: arceſſitur majeſtatis. Quæ conſtitutiones, & quæ conſtitutionum partes ſint, ſatis videor oſtendiſſe. [8] Nunc quo modo eas, & qua via tractari conveniat, demonſtrandum eſt, ſi priùs aperuerimus, quid oporteat ab ambobus in cauſa deſtinari, quò ratio omnis totius orationis conferatur. [9] Conſtitutione igitur reperta, ſtatim quærenda eſt ratio. ratio eſt, quæ cauſam facit, & continet defenſionem, hoc modo, (ut docendi cauſa in hac potiſſimum conſiſtamus:) *Oreſtes*, *cùm confiteatur* ſe occidiſſe matrem, niſi attulerit facti rationem, [10] perverterit defenſionem. ergo affert eam: quæ niſi intercederet, ne cauſa quidem eſſet. *illa* enim, inquit, patrem meum occiderat. Ergo (ut oſtendi) ratio ea eſt, quæ continet defenſionem, ſine qua ne parva quidem dubitatio poteſt remorari damnationem. Inventa ratione, [11] firmamentum quærendum eſt: id eſt, quod continet accuſationem, quod affertur contra rationem defenſionis, de qua antè dictum eſt. Id conſtituetur hoc modo: Cùm uſus fuerit Oreſtes ratione, hoc pacto, *Iure occidi*; illa enim patrem meum occiderat: utetur accuſator firmamento, hoc modo: [12] *Sed non* abs te tamen occidi, neque indemnatam pœnas pendere oportuit. Ex ratione defenſionis, & ex firmamento accuſationis, judicii quæſtio naſcatur oportet: quam nos *judicationem*, Græci *κρινόμενον* appellant. Ea conſtituitur ex conjunctione firmamenti, & rationis defenſione, hoc modo: *Cùm dicat* Oreſtes, ſe patris ulciſcendi cauſa matrem occidiſſe, rectúmne fuerit à filio ſine judicio Clytæmneſtram occidi. Ergo hac ratione judicationem reperire convenit. reperta judicatione, omnem orationem totius orationis eò conferri oportebit. In omnibus conſtitutioni- 17
bus, & partibus conſtitutionum hac via judicationes reperientur, præterquàm in conjecturali conſtitutione. ea nec ratio quæritur, quare fecerit; feciſſe enim negatur: nec firmamentum exquiritur: quoniam non ſubeſt ratio. Quare ex intentione, & infitiatione judicatio conſtituitur, hoc modo: Intentio eſt, *Occidiſti Ajacem*. Infitiatio, Non occidi. Judicatio, occideritne. Ratio omnis utriuſque orationis, ut ante dictum eſt, ad hanc judicationem conferenda eſt. Si plureis erunt conſtitutiones, aut partes conſtitutionum, judicationes quoque plures erunt in una cauſa, ſed omnes ſimili ratione reperientur. Sedulò dedimus operam, ut breviter, & dilucidè, quibus de rebus adhuc dicendum fuit, diceremus. Nunc quoniam ſatis hujus voluminis magnitudo crevit, commodius eſt in altero libro de ceteris rebus deinceps exponere: nequa [13] propter multitudinem litterarum poſſit animum tuum defatigatio retardare. [14] Sed ſi quo hæc tardiùs, quàm ſtudes, abſolventur, cùm rerum magnitudini, tum noſtris quoque occupationibus aſſignare debebis. Verumtamen maturabimus, &, quod negotio diminutum fuerit, exæquabimus induſtria: ut pro tuo in nos officio, & noſtro in te ſtudio munus hoc accumulatiſſimè tuæ largiamur voluntati.

RHETO-

---

1. *Et conſultò feciſſe reus confitetur.*] Voculam *reus* reduxi ſuaſu Pall. trium & primarum editionum. ſolum Pall. pr. habet alio poſitu; *& conſultò feciſſe & ſe peccaſſe reus confitetur.*

2. *Cujus multa rectè facta conſtant.*] Hoc eſt, *in medio ſunt*, & *nota omnibus*. Eam vim verbi *conſtare* non vidit Lambinus.

3. *Aut in conſilium, &c.*] Vulgo *concilium*, contra libros, & ſententia nulla. *Conſilia* conſulum intelligit aliorumque magiſtratuum.

4. *Vel in rem quampiam conferimus.*] Verbum ultimum eſt a gloſſatore, ſubintelligiturque *transferimus*. vel ejus loco *inferimus*.

5. *Et id juſſu Conſulum defendat.*] Sic Pall. & olim impreſſi, niſi quod Pall. pr non habeat voculam *id*. tert. vero ejus loco *ſe*.

6. *Ex comparatione criminis cauſſa conſtat.*] Dubito de voce *criminis*, an ſit legitima: invexit primum Victorius.

7. *Exercitum eduxit, impedimenta reliquit.*] Quadriga horum verborum nata mihi videtur à gloſſa marginali. ſi retinenda, tunc certe expungenda venient illa, *ſatius eſſe duxit impedimenta quam exercitum.*

8. *Nunc quo modo eas, &c.*] Legendum eſt voce diviſa, non unita.

9. *Conſtitutione igitur reperta.*] Sic Pall. ſic Bruil. ſic antiquitus cuſi.

10. *Perverterit defenſionem.*] Pall. tres *pervertit*, ut & lectio vulgata. Bruil. & Pal. tertius, quart. ſext. *perverterit*; quod Gulielmio non diſplicuiſſe videtur, ideoque admiſimus.

11. *Firmamentum quærendum eſt: id eſt quod continet, &c.*] Melius Pal. pr. & Bruil. item Lilienſis collegii liber, *firmamentum quærendum eſt id quod, &c.*

12. *Sed non abs te tamen.*] Sane *ſed*, non exſtat in Pal. pr. quarto, ſexto: ejuſque loco habet tert. quint. *At non abs te*, ſine dictione *tamen*.

13. *Propter multitudinem literarum.*] Voces eæ tres videntur à gloſſa. erat in Pal. quarto *altitudinem*.

14. *Sed ſi quo hæc tardius.*] Eſt à plerifque Pall. item Fabr. & Br. aliæ edd. *Sed ſi quidem hæc tardius.*

RHETORICORUM AD C. HERENNIUM, LIBER SECUNDUS.

1 IN primo libro, Herenni, breviter expoſuimus, quas cauſas recipere oratorem oporteret, [1] & in quibus officiis artis elaborare conveniret, & ea officia, qua ratione facillimè conſequi poſſet. [2] Verùm quia neque de omnibus rebus ſimul dici poterat, & de *maximis* primùm ſcribendum fuit, quò cetera tibi faciliora cognitu viderentur; ita nobis placitum eſt, ut ea, quæ difficillima eſſent, potiſſimùm ſcriberemus. CAUSARUM tria ſunt genera: demonſtrativum, deliberativum, judiciale: multo difficillimum eſt judiciale. ergo id primùm abſolvemus. [3] Hoc & priore libro egimus, [4] cùm de quinque oratoris officiis tractaremus, quorum inventio & prima, & difficillima eſt: ea quoque nobis erit hoc in libro propemodum abſoluta, & parvam partem ejus in tertium volumen transferemus. [5] De ſex partibus orationis primùm ſcribere incepimus. in primo libro loquuti ſumus de exordio, narratione, diviſione, nec pluribus verbis, quàm neceſſe fuit, nec minus dilucidè, quàm te velle exiſtimabamus. deinde conjunctim de confirmatione & confutatione dicendum fuit. quare genera conſtitutionum, & earum parteis aperuimus: ex quo ſimul oſtendebatur, quomodo conſtitutionem, & parteis conſtitutionis, cauſa poſita, reperiri oporteret. deinde docuimus, judicationem quemadmodum quæri conveniret: qua inventa, curandum, ut omnis ratio totius orationis ad eam conferatur. poſtea admonuimus, eſſe cauſas complureis, quibus plures conſtitutiones, aut partes conſtitutionum accommodarentur.
2 Reliquum videbatur eſſe, ut oſtenderemus, quæ ratio poſſet inventiones ad unamquamque conſtitutionem, aut partem conſtitutionis accommodare. & item quales argumentationes, quas Græci ἐπιχειρήματα appellant, ſequi, & qualeis vitari oporteret: quorum utrumque pertinet ad confirmationem, & confutationem. Deinde ad extremum docebimus, cujuſmodi concluſionibus orationum uti oporteat: qui locus erat extremus de ſex partibus orationis. Primùm ergo quæremus, quemadmodum quamque cauſam tractari conveniat. [6] & nimirum conjecturalem, quæ prima, & difficillima eſt, potiſſimum conſideremus. IN CAUSA conjecturali, narratio accuſatoris ſuſpiciones interjectas, & diſperſas habere debet, ut nihil actum, nihil dictum, nuſquam ventum, aut abitum, nihil denique factum *ſine cauſa* putetur. Defenſoris narratio ſimplicem, & dilucidam expoſitionem debet habere, cum attenuatione ſuſpicionis. Hujus conſtitutionis ratio in ſex parteis eſt diſtributa: probabile, collationem, ſignum, argumentum, conſecutionem, approbationem. horum unumquidque quid valeat, aperiemus. Probabile eſt, per quod probatur, *expediſſe* reo peccare, & à ſimili turpitudine hominem nunquam abfuiſſe. Id dividitur in cauſam, & in vitam. Cauſa eſt ea, quæ induxit ad maleficium, commodorum ſpe, aut incommodorum vitatione: ut cùm quæritur, num quod commodum [7] maleficio appetierit; *num honorem*, num pecuniam, num dominationem, num aliquam cupiditatem amoris, aut hujuſmodi libidinis voluerit explere. Aut num quod incommodum vitarit, inimicitias, infamiam, dolorem, ſupplicium. Hic accuſator in ſpe commodi [8] cupiditatem o- 3
ſtendet adverſarii, in vitatione incommodi formidinem augebit. Defenſor autem negabit fuiſſe cauſam, ſi poterit, aut eam vehementer extenuabit. deinde *iniquum eſſe* dicet, omneis, ad quos aliquid emolumenti ex aliqua re pervenerit, in ſuſpicionem maleficii devocari. Deinde *vita* hominis ex antè factis ſpectabitur. In quo primò conſiderabit accuſator, num quando ſimile quid fecerit. Si id non reperiet, quæret, num quando venerit in ſimilem ſuſpicionem: & in eo debebit eſſe occupatus, ut ad eam cauſam peccati, quam paullò antè expoſuerit, vita hominis poſſit accommodari, hoc modo. Si dicet pecuniæ cauſa feciſſe, oſtendet eum ſemper *avarum* fuiſſe: ſi honoris, *ambitioſum*: ita poterit animi vitium cum cauſa peccati conglutinare. Si non poterit par animi vitium cum cauſa reperire, reperiat diſpar. [9] Si non poterit avarum demonſtrare, demonſtret [10] *corruptorem*, vel *perfidioſum*, ſi quo modo poterit: denique aliquo, aut quàm plurimis vitiis contaminabit perſonam: deinde qui illud fecerit tam nequiter, eundem hunc tam perperam feciſſe non eſſe mirandum. Si vehementer caſtus, & integer exiſtimabitur adverſarius, dicet *facta*, non *famam* ſpectari oportere: illum antè occultaſſe ſua flagitia, ſe planum facturum, ab eo maleficium non abeſſe. [11] Defenſor primùm demonſtrabit vitam integram, ſi poterit: id ſi non poterit, confugiet ad imprudentiam, ſtultitiam, adoleſcentiam, vim, perſuaſionem: quibus de rebus vituperatio eorum, quæ extra id crimen erunt, non debeat aſſignari. [12] Sin vehementer hominis turpitudine impedietur, & infamia, priùs

1. ET *in quibus officiis artis elaborare.*] Delet *artis* Lambinus. ego non auſim. ſunt qui leg. *partibus artis*, quod etiam ipſum non diſplicet.

2. *Verum quia neque de omnibus rebus, &c.*] Sic Pall. & vett. edd. niſi quod Pall. pr. non addit *rebus*.

3. *Hoc & priore libro egimus.*] Sic Gulielmiani, ſic Pall. ſic edd. vett. nam recentes præpoſita vocula: *De hoc, &c.*

4. *Cum de quinque oratoris officiis tractaremus.*] Haud ſecus Pall. Gul. vett. edd. nam mediæ ætatis, *cum de oratoris officiis tractabamus.*

5. *De ſex partibus, &c.*] Enumeratio iſthæc tam prolixa, valdè inepta: nam certe paucula admodum de his ſupra dixit.

6. *Et nimirum conjecturalem, quæ prima & difficillima eſt.*] Pall. pr. *conjecturalem earum quæ eſt difficillima.* omiſſis ceteris; nam ſec. *conject. ea quæ difficill. eſt.* Bruderenſis, *nimirum quæque difficill. eſt*: quod & in quarto, præterquam quod is *quæ*, non *quæque*, omiſſo prorſus illo *conjecturalem.* vett. edd. *conject. quæ prima quæque diff. eſt.*

7. *Maleficio appetierit.*] Haud aliter manuſcripti & noſtri & Gulielmii, item edd. antiquæ. poſteriores, *acquiſierit.* longè deterius.

8. *Cupiditatem oſtendet adverſarii, in vitatione incommodi formidinem augebit.*] Robuſtiora omnia forent, expuncto illo *oſtendet*; ut ad *augebit* & prius membrum referretur.

9. *Si non poterit avarum demonſtrare, demonſtret, &c.*] Lambinus addidit ex Mss. *quem pecuniæ cauſa dicat maleficium fuiſſe.* quod nec invenit Gulielmius in ſuis, nec ego in Pall. aut vetuſtiſſimis edd.

10. *Corruptorem vel perfidioſum.*] *Corruptores* è Cicerone noti. *Perfidioſi*, qui per fidem decipiunt eos quicum contraxerunt, ut in re privata, qui ſocios fallunt; in publica, qui depeculantur ærarium.

11. *Defenſor primum demonſtrabit vitam integram.*] Palatinus primus, *famam integram.*

12. *Sin vehementer hominis turpitudine impedietur.*] Lambinus legit, unde *vita hominis.* Gulielmius tamen inſit: Probo veteris libri ſcripturam, quam Lambinus fruſtra mutavit. *Vita impeditur turpitudine & infamia*, quæ vitiis & flagitiis cooperta eſt. *Impedire* enim interdum eſt *polluere.*

1. *Semper*

priùs dabit operam, ut falſos rumores diſſipatos eſſe dicat de innocente: & utetur loco communi, *rumoribus* credi non oportere. Sin nihil horum fieri poterit, utatur extrema defenſione, & dicat, non ſe de moribus ejus apud cenſores,
4 ſed de criminibus adverſariorum apud judices dicere. Collatio eſt, quum accuſator id, quod adverſarium feciſſe criminatur, alii nemini, niſi reo, bono fuiſſe demonſtrat: aut alium neminem potuiſſe perficere, niſi adverſarium: aut eum ipſum aliis rationibus aut non potuiſſe, aut non æquè commodè potuiſſe, aut eum effugiſſe alias rationes commodiores propter cupiditatem. Hoc loco defenſor, demonſtret, oportet, aut aliis quoque bono fuiſſe, aut alios quoque id, quod ipſe ſimuletur, facere potuiſſe. Signum, eſt per quod oſtenditur idonea perficiendi *facultas* eſſe quæſita, id dividitur in parteis ſex: locum, tempus, ſpatium, occaſionem, ſpem perficiendi, ſpem celandi. *Locus* quæritur, celebris, an deſertus: [1] ſemper deſertus, an tum, cùm id factum ſit, fuerit in eo loco ſolitudo: ſacer, an profanus: publicus, an privatus fuerit: cujuſmodi loci attingant: num, qui eſt paſſus, perſpectus, aut exauditus eſſe poſſit. Horum quid reo, quid accuſatori conveniat, perſcribere non gravaremur, niſi facilè quivis, cauſa poſita, poſſet judicare. initia enim inventionis ab arte debent proficiſci: cetera facilè comparabit exercitatio. *Tempus* ita quæritur, qua parte anni, [2] qua hora: noctu, an interdiu: qua diei, qua noctis hora factum eſſe dicatur, [3] & cur ejuſmodi temporibus. Spatium ita conſideratur, ſatiſne longum fuerit ad eam rem tranſigendam, & potueritne ſcire, ſatis ad id perficiendum ſpatii futurum. Nam parvi refert ſatis ſpatii fuiſſe ad id perficiendum, ſi id antè ſciri, & ratione provideri non potuit. *Occaſio* quæritur, [4] idoneane fuerit ad rem adoriendam, an alia melior, quæ, aut præterita ſit, aut non exſpectata. *Spes* perficiendi quæ fuerit, ſpectabitur hoc modo: ſi, quæ ſuprà dicta ſunt ſigna, concurrerint: ſi præterea ex altera parte vires, pecunia, conſilium, [5] ſcientia, apparatio videbitur fuiſſe: ex altera parte imbecillitas, inopia, ſtultitia, imprudentia, inapparatio demonſtrabitur fuiſſe: [6] quare ſcire potuerit, utrùm diffidendum, an confidendum fuerit. *Spes celandi* quæ fuerit; quæritur ex conſciis, arbitris, adjutoribus, liberis, aut
5 ſervis, aut utriſque. Argumentum, eſt per quod res coarguitur certioribus argumentis, & magis firma ſuſpicione. Id dividitur in tempora tria: præteritum, inſtans, conſequens. In *præterito tempore* oportet conſiderare, ubi fuerit, ubi viſus ſit, quocum viſus ſit; num quid apparârit, num quem convenerit, num quid dixerit, num quem habuerit de conſciis, [7] de adjutoribus, de adjumentis: [8] num quo in loco præter conſuetudinem fuerit, aut alieno tempore. [9] In *inſtanti tempore* quæritur, num viſus ſit, cùm faciebat, num qui ſtrepitus, clamor, crepitus exauditus ſit, [10] aut denique num quid aliquo ſenſu perceptum ſit, aſpectu, auditu, tactu, odoratu, guſtatu. nam quivis horum ſenſus poteſt conflare ſuſpicionem. In *conſequenti tempore* ſpectabitur, num quid re tranſacta relictum ſit, quod indicet aut factum eſſe maleficium, aut à quo ſit factum. Factum eſſe, hoc modo: ſi tumore, & livore decoloratum eſt corpus mortui, ſignificat eum veneno necatum. A quo factum ſit, hoc modo: ſi telum, ſi veſtimentum, ſiquid ejuſmodi relictum ſit, [11] aut veſtigium repertum fuerit, [12] ſi cruor in veſtimentis; ſi in eo loco comprehenſus, aut viſus tranſacto negotio, quo in loco res geſta dicitur. *Conſecutio* eſt, cùm quæritur, quæ ſigna nocentis, & innocentis conſequi ſoleant. Accuſator dicet, ſi poterit, adverſarium, cùm ad eum ventum ſit, [13] erubuiſſe, expalluiſſe, titubaſſe, inconſtanter locutum eſſe, concidiſſe, pollicitum eſſe aliquid: quæ ſigna conſcientiæ ſunt. Si reus horum nihil fecerit, accuſator dicet, eum uſque adeò *præmeditatum* fuiſſe, quid ſibi eſſet uſu venturum, ut confidentiſſimè reſiſtens reſponderet: quæ ſigna confidentiæ, non innocentiæ ſunt. Defenſor, ſi pertimuerit, magnitudine periculi, non conſcientia peccati ſe commotum eſſe dicet. Si non pertimuerit, fretum innocentia negabit eſſe commotum. *Approbatio* eſt, qua utimur ad ex- 6
tremum, confirmata ſuſpicione. ea habet locos proprios, atque communeis. Proprii ſunt ii, quibus, niſi accuſator, & ii, quibus niſi defenſor nemo poteſt uti. Communes ſunt, qui alia in cauſa ab reo, alia ab accuſatore tractantur. In cauſa conjecturali proprius locus accuſatoris eſt, cùm dicit *malorum* miſereri non oportere, & cùm auget peccati atrocitatem. Defenſoris proprius locus eſt, cùm miſericordiam captat, & cùm accuſatorem calumniari criminatur. Communes loci ſunt cùm accuſatoris, tùm defenſoris, à teſtibus, contra teſteis; à quæſtionibus, contra quæſtiones; ab argumentis, contra argumenta; à rumoribus, contra rumores. A *teſtibus* dicemus ſecundum auctoritatem, & vitam teſtium, & conſtantiam teſtimoniorum. Contra teſteis, vitæ turpitudinem, teſtimoniorum inconſtantiam: ſi aut fieri non potuiſſe dicemus, aut non factum eſſe quod dicant, aut ſcire illos non potuiſſe, [14] aut cupidè dicere, & argumentari. hæc & ad improbationem, & approbationem teſtium pertinebunt. A *quæſtionibus* dicemus, cùm demon- 7
ſtrabimus, majores noſtros veri inveniendi cauſa tormentis & cruciatibus voluiſſe quæri, & ſummo dolore homines cogi, ut quicquid ſciant, dicant. Et præterea confirmatior hæc erit diſputatio, ſi quæ dicta erunt argumentando, iiſdem viis, quibus omnibus conjectura tractatur, trahemus ad veriſimilem ſuſpicionem: idemque hoc in teſtimoniis facere oportebit. Contra quæſtiones hoc modo dicemus: primùm majores noſtros voluiſſe certis in rebus interponi quæſtiones. [15] cùm, quæ verè dicerentur, ſciri, quæ falsò in quæſtione pronuntiarentur, refelli poſſent, hoc modo: *Quo in loco* quid poſitum ſit, & ſiquid eſſet ſimile, quòd videri, aut aliquo ſimili ſigno percipi poſſet: deinde, *dolori* credi non oportere, [16] quòd alius alio recentior ſit in dolore, quòd ingenioſior

1. *Semper deſertus, an tum, &c.*] Inſerui verbum *deſertus*, ſuadentibus cunctis ad unum manuſcriptis & edd. vett. primum removit puto Victorius.

2. *Qua hora. noctu an interdiu: qua diei, qua noctis hora factum.*] Lambinus concinnius quidem hæc omnia edidit, ſed an verius, dubites.

3. *Et cur ejuſmodi temporibus.*] Elegans emendatio, quam eruit quidem è Fabriciano Gulielmius. Sed ego nunc etiam firmo auctoritate Pal. pr. & tert. neque abludit ſec. quart. ſext. niſi quod ii, *& cum ejuſmodi.*

4. *Idonea ne fuerit ad rem adoriendam.*] Libri recentioris editionis, *idonea ne ſatis fuerit.*

5. *Scientia, apparatio, videbitur fuiſſe.*] Adjeci duas voces, *videbitur fuiſſe*; eas enim agnoſcunt ſex membranæ quas conſuluit Gulielmius, ſex Pall. & editiones primæ.

6. *Quare ſcire potuerit utrum.*] Et hæc quoque ſunt à triplici librorum noſtrorum fide: Pro quibus mediæ ætatis editiones, *per quas res ſcire potuerimus, utrum.*

7. *De adjutoribus, de adjumentis.*] Adjutores ſunt quibus anima; adjumenta quæ ea carent; inſtrumenta ſcilicet armaque rebus expediundis idonea.

8. *Num quo in loco præter conſuetudinem fuerit, aut alieno tempore.*] Sic Victorii editio. eà priores, *num quid in loco præter conſ. fecerit, &c.*

9. *In inſtanti tempore quæritur.*] Pall. duo *In ſtanti tempore.* & vero unus ex iis; primus ſcilicet, ſuprà quoque habebat, *aſtans* non *inſtans*, ut forte aliquid adhuc ſubſit mendoſi.

10. *Aut denique numquid aliquo ſenſu perceptum ſit.*] Blanditur mihi quod eſt in Palat. pr. *aut denique aliquid ſenſu*, omiſſis ceteris.

11. *Aut veſtigium repertum fuerit.*] Alii, *aut ſi veſtigium repertum*, ſine illo *fuerit.* Victorius edidit, *aut ſi veſtigium res fuerit*; omiſſo illo *repertum.*

12. *Si cruor in veſtimentis.*] Et iſta eſt antiquiſſimæ editionis ſcriptura: ſequentes præpoſuerunt *aut*, quod quidem retinuit Lambinus, ſed rejecit *ſi.* Pal. pr. loco vocis *cruor*, habet *nota*, quod non arbitror de nihilo.

13. *Erubuiſſe, expalluiſſe.*] Sic omnino omnes noſtri.

14. *Aut cupide dicere, & argumentari.*] Janus Wouverius annotavit, malle ſe *putide dicere.* à quo diſſentio.

15. *Cum quæ verè dicerentur ſciri.*] Sic & edd. primæ, à quibus tamen recedunt membranæ vett. in iis enim partim *ſervari*, quod Victorio placitum & Manutio, partim *probari*, partim *ſeu.*

16. *Quod alius alio recentior ſit in dolore.*] Sic noſtri ſcripti, & antiquitus impreſſi, probatque Gulielmius; ſed tamen non omnino diſplicet mihi aliorum *reticentior.*

genioſior ad comminiſcendum, quòd denique ſæpe ſcire, aut ſuſpicari poſſit, quid quæſitor velit audire: quod cùm dixerit, intelligat ſibi finem doloris futurum. Hæc diſputatio comprobabitur, ſi refellemus, quæ in quæſtionibus erunt dicta probabili argumentatione: idque partibus conjecturæ, quas ante expoſuimus, facere oportebit. Ab argumentis, & ſignis, & ceteris locis, quibus augetur ſuſpicio, dicere, hoc modo convenit: *cùm multa concurrant* argumenta, & ſigna, quæ inter ſe conſentiant, rem perſpicuam, non ſuſpicioſam videri oportere. item plus oportere ſignis, & argumentis credi, quam teſtibus. hæc enim [1] eo modo exponi, quo re vera ſint geſta: teſteis corrumpi poſſe vel *pretio*, vel gratia, vel metu, vel ſimultate. Contra argumenta, & ſigna, & ceteras ſuſpiciones dicemus hoc modo: ſi demonſtrabimus, nullam rem eſſe, quam non ſuſpicionibus quivis poſſit criminari: deinde, unamquamque ſuſpicionem extenuabimus, & dabimus operam, ut oſtendamus, nihilo magis in nos eam, quàm in alium quempiam convenire: [2] indignum eſſe facinus, ſine teſtibus conjecturam, [3] &

8 ſuſpicionem firmamenti ſatis habere. A rumoribus dicemus: ſi negabimus temere *famam* naſci ſolere, quin ſubſit aliquid: & ſi dicemus cauſam non fuiſſe, quare quiſpiam confingeret, & comminiſceretur. Et præterea ſi ceteri falſi ſoleant eſſe, argumentabimur hunc eſſe verum. Contra rumores dicemus primùm, ſi docebimus multos eſſe falſos rumores, & exemplis utemur, de quibus falſa fama fuerit: & aut inimicos noſtros, aut homines natura malevolos, & maledicos confinxiſſe dicemus: & aut aliquam fictam fabulam in adverſarios afferemus, quàm dicamus omnibus in ore eſſe: aut verum rumorem proferemus, qui illis aliquid turpitudinis afferat, neque tamen ei rumori nos fidem habere dicemus; ideo quòd *quivis homo* poſſit quemvis turpem de quolibet rumorem proferre, & confictam fabulam diſſipare. Veruntamen ſi rumor vehementer probabilis eſſe videbitur, argumentando famæ fidem poterimus abrogare. Quòd & difficillima tractatu eſt conſtitutio conjecturalis, & in veris cauſis ſæpiſſimè tractanda eſt, eo diligentiùs omneis ejus parteis perſcrutati ſumus; ut ne parvula quidem titubatione, aut offenſione impediremur, ſi ad hanc rationem præceptionis, aſſiduitatem exercitationis accommodaremus. Nunc ad legitimæ conſtitutionis parteis transeamus.

9 CUM voluntas ſcriptoris cum ſcripto diſſidere videbitur, ſi à ſcripto dicemus [4] his locis utemur, ſecundum narrationem: Primùm ſcriptoris collaudatione: deinde ſcripti recitatione: deinde percunctatione, ſcirentne adverſarii id ſcriptum fuiſſe in lege, aut in teſtamento, aut in ſtipulatione, aut in quolibet ſcripto, quod ad eandem rem pertineat: Deinde collatione, quid ſcriptum ſit, quid adverſarii ſe feciſſe dicant: quid judicem ſequi conveniat, utrum id, quod diligenter perſcriptum ſit, an id, quod acutè ſit excogitatum: deinde ea ſententia, quæ ab adverſariis ſit excogitata, & ſcripto attributa, contemnetur, & infirmabitur. Deinde quæretur, quid ei obfuerit, [5] ſi id voluiſſet adſcribere, num non potuerit præſcribi. Deinde à nobis ſententia reperietur, & cauſa proferetur, quare id ſcriptor ſenſerit, quod perſcripſit: & demonſtrabitur ſcriptum illud eſſe dilucidè, breviter, commodè, perfectè, certa cum ratione. Deinde exempla proferentur, quæ res, cùm ab adverſariis ſententia redderetur, & voluntas afferretur, à ſcripto potius judicatæ ſint: Deinde oſtendetur, quàm periculoſum ſit à ſcripto recedere. Locus communis eſt contra eum, qui, cùm fateatur, ſe contra id, quod legibus ſancitum, aut teſtamento perſcriptum ſit, feciſſe, tamen facti quærat defen-

ſionem. *A ſententia* ſic dicemus. Primùm laudabimus 10

ſcriptoris commoditatem, atque brevitatem, quòd tantùm ſcripſerit, quod neceſſe fuerit: illud, quod ſine ſcripto intelligi potuerit, non neceſſario ſcribendum putarit. Deinde dicemus calumniatoris eſſe officium, verba & litteras ſequi, negligere voluntatem. Deinde id, quod ſcriptum ſit, aut non poſſe fieri, aut non lege, non more, non natura, [6] non æquo & bono poſſe fieri: quæ omnia ſcriptorem voluiſſe quàm rectiſſimè fieri nemo dubitet: at ea, quæ à nobis facta ſint, juſtiſſimè facta. Deinde contrariam ſententiam aut nullam eſſe, aut ſtultam, aut injuſtam, aut non poſſe fieri, aut non conſtare cum ſuperioribus & inferioribus ſententiis, aut cum jure communi, aut cum aliis legibus communibus, aut cum rebus judicatis diſſentire. Deinde exemplorum à voluntate, & [7] contra ſcriptum judicatorum enumeratione utemur: deinde legum & ſtipulationum [8] breviter excerptarum, in quibus intelligatur ſcriptorum voluntas & expoſitio. Locus communis contra eum, qui ſcriptum recitet, & ſcriptoris voluntatem non interpretetur. *Cùm duæ leges inter* ſe diſcrepant, videndum eſt primùm, num qua obrogatio, aut derogatio ſit. Deinde utrùm leges ita diſſentiant, ut altera jubeat, altera vetet: an ita, ut altera cogat, altera permittat. Infirma enim erit ejus defenſio, qui negabit [9] ſe feciſſe quod cogeretur, cùm altera lex permitteret. PLUS enim valet ſanctio permiſſione. Item illa defenſio tenuis eſt, cùm oſtenditur id factum eſſe, quod ea lex ſanciat, cui legi obrogatum, vel derogatum ſit: id, quod poſteriori lege ſancitum ſit, eſſe neglectum. Cùm hæc erunt conſiderata, ſtatim noſtræ legis expoſitione, recitatione, collaudatione utemur. Deinde contrariæ legis enodabimus voluntatem, & eam trahemus ad noſtræ cauſæ commodum. Deinde de juridiciali abſoluta ſumemus rationem juris, & quæremus partem juris, utrùm cum ea faciat: de qua

parte poſteriùs diſſeremus. [10] SI AMBIGUUM eſt ſcriptum, 11

ut puta quod in duas, aut plureis ſententias trahi poſſit, hoc modo tractandum eſt. primùm, ſitne *ambiguum*, quærendum eſt. Deinde, quomodo ſcriptum eſſet, ſi id, quod adverſarii interpretantur, ſcriptor fieri voluiſſet, oſtendendum eſt. Deinde id, quod nos interpretemur, & fieri poſſe, & honeſtè, rectè, lege, more, natura, bono & æquo fieri poſſe, quod adverſarii interpretentur, è contrario: nec eſſe ambiguè ſcriptum, cùm intelligatur, utra ſententia vera ſit. Sunt qui arbitrantur ad hanc cauſam tractandam vehementer pertinere cognitionem *amphiboliarum* eam, quæ à dialecticis profertur. Nos verò arbitramur, non modò nullo adjumento eſſe, ſed potius maximo impedimento. omneis enim illi amphibolias aucupantur, eas etiam, quæ [11] ex altera parte ſententiam nullam poſſunt interpretari. Itaque & alieni ſermonis moleſti interpellatores, & ſcripti tum odioſi, tum obſcuri interpretes ſunt: & dum cautè, & expeditè loqui volunt, infantiſſimi reperiuntur. Ita dum metuunt, in dicendo nequid ambiguum dicant, nomen ſuum pronuntiare non poſſunt. Verùm horum puerileis opiniones, rectiſſimis

1. *Eo modo exponi quo re vera ſint geſta.*] Sic Pall. meliores, ſine repetitione vocis *modo* quæ extat in retrò editis.

2. *Indignum eſſe facinus.*] Miror cur Lambino diſplicuerit vox *facinus*.

3. *Suſpicionem firmamenti ſatis habere.*] Verbum *firmamenti* non eſt in Pal. pr. diſpiciant otioſiores.

4. *His locis utemur ſecundum narrationem.*] Bruilerenſis & Fabricianus non agnoſcunt illud *ſecundum narrationem*. Extat tamen in Palatinis & edd. primis.

5. *Si id voluiſſet adſcribere, num non potuerit præſcribi.*] Ita ſcripſit è manuſcriptis ſuis ſex Gulielmius. vulgo corrupti ſunt omnes libri. & certe variant valde Pall.

6. *Non æquo & bono poſſe fieri.*] Poſtremæ duæ voces non comparent in Palatin. pr. & profectò ſunt ſuperfluæ.

7. *Contra ſcriptum judicatorum enumeratio. Deinde.*] Sic ferè mſſ. noſtri aliarumque item edd. principes, excludentes nimirum vocem *utemur*. quæ in retro impreſſis, hac forma, *enumeratione utemur*. Membranæ quædam habent *enumerationem*, quædam *enumeratione*, quod & in edd. primis.

8. *Breviter excerptarum.*] Liquido in Gemblacenſi, Colonienſi, Fabriciano fuit, *excerptarum*, ut Lambinus recte conjecit.

9. *Se feciſſe quod cogeretur cum altera, &c.*] Addit Fabricianus, *ab altera*. Pal. quartus *altera, cui altera*, quod item in ſexto.

10. *Si ambiguum eſt ſcriptum, ut puta quod.*] Repoſuit iſtud Gulielmius; nec abit editio Stephani; imò ſic quoque vetuſtiſſima, niſi quod voce amplius; *Si ambiguum eſſe ſcriptum putabitur, ut puta quod.*

11. *Ex altera parte ſententiam nullam, &c.*] Lambinus interſeruit, *parte in ſenten.*

1. *In præ-*

ctiſſimis rationibus, cum voles, refellemus. [1] In præſentiarum hoc interdicere non alienum fuit, ut hujus infantiæ
12 garrulam diſciplinam contemneremus. Cùm definitione utemur, primùm afferemus brevem vocabuli definitionem, hoc modo: *Majeſtatem is minuit*, [2] qui ea tollit, ex quibus rebus civitatis amplitudo conſtat: [3] quæ ſunt ea? quæ capiunt ſuffragia populi, & magiſtratus conſilia. Nempe igitur tu & populum ſuffragio, & magiſtratum conſilio privaſti, cùm ponteis diſturbaſti. Item ex contrario, *Majeſtatem* is minuit, qui amplitudinem civitatis detrimento afficit. Ego non affeci, ſed prohibui detrimento: ærarium enim conſervavi, libidini malorum reſtiti, majeſtatem omnem interire non paſſus ſum. Primùm igitur vocabuli ſententia breviter, & ad utilitatem cauſæ accommodatè deſcribetur. Deinde factum noſtrum cum verbi deſcriptione conjungetur. deinde, contrariæ deſcriptionis ratio refelletur, ſi aut falſa erit, aut inutilis, aut turpis, aut injurioſa. id quoque ex juris partibus ſumetur, de juridiciali abſoluta, de qua jam loquemur. Quæritur in *tranſlationibus*, primùm, num aliquis ejus rei [4] actionem, per petitionem, aut perſecutionem habeat, quem non oporteat: [5] num alio modo, tempore, loco, num alia lege, [6] num alio quærente, aut agente. Hæc legibus, moribus, æquo & bono reperientur, de quibus dicetur in juridiciali abſoluta. In cauſa *rationali* primùm quæretur, ecquid in rebus majoribus, aut minoribus, aut ſimilibus, ſimiliter ſcriptum aut judicatum ſit. deinde, utrum ea res ſimilis ſit ei rei, qua de agitur, an diſſimilis. deinde utrùm conſultò de ea re ſcriptum non ſit, quòd noluerit cavere, an quòd ſatis cautum putarit, propter ceterorum ſcriptorum [7] ſimilitudinem. De partibus legitimæ conſtitutionis ſatis dictum eſt, nunc ad juridicialem revertamur.
13 ABSOLUTA Juridiciali conſtitutione utemur, cùm ipſam rem, quam nos feciſſe confitemur, *jure factam* dicemus, ſine ulla aſſumtione extrariæ defenſionis. In ea quæri convenit, [8] juréne factum ſit. de eo cauſa poſita dicere poterimus, ſi, ex quibus partibus jus conſtet, cognoverimus. Conſtat igitur ex his partibus: natura, lege, conſuetudine, judicato, æquo & bono, pacto. *Natura* jus eſt, quod cognationis, aut pietatis cauſa obſervatur: quo jure parentes à liberis, & à parentibus liberi coluntur. *Lege* jus eſt id, quod populi juſſu ſancitum eſt: quod genus, UT IN JUS EAS, QUUM VOCERIS. *Conſuetudine* jus eſt id, quod ſine lege æquè ac ſi legitimum ſit, uſitatum eſt: quod genus, id: [9] QUOD ARGENTARIO OBTULERIS EXPENSUM, A SOCIO EJUS RECTE REPETERE POSSIS. *Judicatum* eſt id: de quo ſententia lata eſt, aut decretum interpoſitum. ea ſæpe diverſa ſunt, ut aliud alii judici, aut prætori, aut conſuli, aut tribuno plebis placitum ſit: & fit, ut de eadem re ſæpe alius aliud decreverit, aut judicaverit: quod genus, *M. Druſus*, prætor urbanus, quod cum herede mandati ageretur, judicium reddidit, Sextus Julius non reddidit, Item, C. Cælius judex abſolvit injuriarum eum, qui Lucilium poëtam in ſcena nominatim læſerat: P. Mucius eum, qui L. Accium poëtam nominaverat, condemnavit. Ergo quia poſſunt res ſimili de cauſa *diſſimiliter* judicatæ proferri, cùm id uſu venerit, judicem cum judice, tempus cum tempore, [10] numerum cum numero judiciorum proferemus. Ex æquo & bono jus conſtat, quod ad veritatem & utilitatem communem videtur pertinere: quod genus, UT MAJOR ANNIS LX, [11] ET CUI MORBUS CAUSA EST, COGNITOREM DET. [12] Ex eo vel novum jus conſtitui convenit ex tempore, & hominis dignitate. Ex pacto jus eſt, SIQUI INTER SE PEPIGERUNT, SIQUID INTER QUOS CONVENIT. Pacta ſunt, quæ legibus obſervanda ſunt, hoc modo, [13] REM UBI PAGUNT, ORATO, NI PAGUNT, IN COMITIO, AUT IN FORO ANTE MERIDIEM CAUSAM CONDICITO. Sunt item pacta, quæ ſine legibus obſervantur [14] ex conventu, quæ *juri præſtare* dicuntur. His igitur partibus injuriam demonſtrari, jus confirmari convenit, idque in abſoluta juridiciali faciendum videtur.

CUM ex comparatione quæretur, utrùm ſatius fuerit agere id, quod reus dicat ſe feciſſe, an id, quod 14
accuſator dicat *oportuiſſe* fieri: primùm quæri convenit, utrum fuerit utilius ex contentione, hoc eſt, [15] utrum venuſtius, facilius, conducibilius. Deinde oportebit quæri, ipſumne oportuerit judicare, utrum fuerit utilius, an aliorum fuerit ſtatuendi poteſtas. Deinde interponetur ab accuſatore ſuſpicio ex conſtitutione conjecturali, quare putetur non ea ratione factum eſſe, quo melius deteriori anteponeretur, ſed dolo malo negotium geſtum. Deinde quæretur, potueritne vitari, ne in eum locum veniretur. Ab defenſore contrà refelletur argumentatio conjecturalis, aliqua probabili cauſa, de qua antè dictum eſt. His locis ita tractatis, accuſator utetur loco communi in eum, qui inutile utili præpoſuerit, cùm ſtatuendi non habuerit poteſtatem. Defenſor contra eos, qui æquum cenſeant, rem pernicioſam utili præponi, utetur loco communi per conqueſtionem, & ſimul quæret ab accuſatoribus, & ab judicibus ipſis, quid facturi eſſent, ſi *in eo loco fuiſſent*: & tempus, locum, rem, deliberationem ſuam ponet ante oculos. Tranſlatio 15
criminis eſt, cùm ab reo facti cauſa in aliorum peccatum transfertur. In qua primùm quærendum eſt, juréne in alium crimen transferatur. Deinde ſpectandum eſt, an æquè magnum ſit illud peccatum, quod in alium transferatur, atque illud, quod reus ſuſcepiſſe ſe fateatur. Deinde *oportueritne* in ea re peccare, in qua alius antè peccarit. Deinde oportueritne judicium antè fieri. Deinde, cùm factum judicium non ſit de illo crimine, quod in alium transferatur, oporteatne de ea re judicium fieri, quæ res in judicium non venerit. Locus communis accuſatoris, contra eum, qui plus cenſeat vim, quam judicia valere oportere, & ab adverſariis percunctabitur accuſator, quid futurum ſit, ſi idem ceteri faciant, ut de indemnatis ſupplicia ſumant, quod eos idem feciſſe dicant. Quid ſi ipſe accuſator idem facere voluiſſet? Defenſor eorum, peccati *atrocitatem* proferet, in quos crimen

1. *In præſentiarum hoc interdicere non alienum.*] Sic vett. edd. Sic ferè Pal. & Guilielmiani. *interdicere* poſitum pro *interfari, interloqui*. Stephaniana: *In præſentia hæc interim dicere non alienum*.

2. *Qui ea tollit ex quibus rebus.*] Vox *rebus* non conſpicitur in Palat. prim. aut ſexto, neque eâ opus erat.

3. *Quæ ſunt ea? quæ capiunt.*] Interrogationis nota eſt à Lambino, hæretque in Pal. quarto. primæ edd. *hæc ſunt ea quæ capiunt*, ſicque Pal. pr. nec improbem.

4. *Actionem per petitionem aut perſecutionem habeat.*] Sic Palat. quartus & ſextus. vulgata, *actionem aut executionem*. Stephaniana, *act. aut perſecutionem*.

5. *Num alio modo, tempore, loco.*] Pall. aliquot: *num alio modo, num alio tempore*, *num alio loco*. neque aliter Fabrician. at enim quartus & ſextus ſolum agnoſcit, *num alio tempore*, excluſo *modo* & *loco*.

6. *Num alio quærente aut agente.*] In Pall. ſec. non habetur quidem illud *aut agente*, niſi à manu aliena ac recenti.

7. *Similitudinem.*] Lambinus ſubtexuit, *an in conſulto*. Biga enim iſthæc verborum, in nullo viſitur manuſcripto, in nullo edito.

8. *Jure ne factum ſit.*] Lambinus amplius, *jure an injuria factum ſit*, præter mſſ. omnes,

9. *Quod argentario obtuleris expenſum.*] Pal. ſec. ac Bruilerenſis, *tuleris expenſum*, nihilo pejus, ſi non melius.

10. *Numerum cum numero judiciorum proferemus.*] Lambinus edidit *conferemus*; forte melius, ſi niteretur fide membranarum aliquarum.

11. *Et cui morbus cauſa eſt.*] Retinuit XII. tabularum formulam: *Cui morbus ævitaſve cauſa oſcit*.

12. *Ex eo vel novum jus conſtitui.*] Particula *vel* nunc primum è tenebris venit in lucem. eam deprehendi in Pall. tribus & Fabriciano; multumque in ipſa energiæ.

13. *Rem ubi pagunt orato, ni pagunt, in comitio.*] Sic Lambinus ex certiſſima conjectura Boſii: itaque heic locum ſuum dedi: tanto quidem magis, quod nihil idonei eſſet ſenſus in prius editis: nam primitus: *Rem ubi pangunt orationem pangunt in comitio, &c.* quomodo etiam eſt in Pall. tribus prioribus.

14. *Ex conventu, quæ juri præſtare dicuntur.*] Divinat Gulielmius, *ex convento*, indicatque Fabricianum habere *quæ ex jure*. at Pall. pr. ac ſec. *de jure*, tert. *jure*, quomodo & edd. primæ. quart. *qui jura*. quint. & ſext. *quæ jure*.

15. *Utrum venuſtius, facilius, &c.*] Editi à Lambino *utrum honeſtius*, ſed præter mſſ. editoſque omnes.

men transferetur: rem, locum, tempus ante oculos ponet,
ut ii, qui audient, exiſtiment aut non potuiſſe, aut non fuiſ-
16 ſe utile rem in judicium venire. Conceſſio eſt, per quam
nobis ignoſci poſtulamus. ea dividitur in purgationem, &
deprecationem. Purgatio eſt, cùm conſultò à nobis factum
negamus. Ea dividitur in neceſſitudinem, fortunam, im-
prudentiam. de his primùm partibus oſtendendum eſt:
deinde ad deprecationem revertendum videtur. Primùm,
conſiderandum eſt, utrum *per culpam* ventum ſit in neceſſi-
tudinem, num culpam veniendi neceſſitudo fecerit. Dein-
de quærendum eſt, ecquo modo vis illa vitari potuerit, ac
levari. Deinde is, qui in neceſſitudinem cauſam conferet,
expertuſne ſit, quid contrà facere, aut excogitare poſſet.
Deinde, num quæ ſuſpiciones ex conjecturali conſtitutio-
ne trahi poſſint, quæ ſignificent, id *conſultò* factum eſſe,
quod neceſſariò accidiſſe dicitur. Deinde, ſi maximè ne-
ceſſitudo quæpiam fuerit, [1] conveniatne eam ſatis idoneam
cauſam putari. Si autem *imprudentia* reus ſe peccaſſe dicet,
primùm quæretur, utrùm potuerit ſcire, an non potuerit.
Deinde, utrùm data ſit opera, ut ſciretur, an non. Deinde,
utrùm caſu neſcierit, an culpa. nam QUI SE PROPTER VI-
num, aut amorem, aut iracundiam fugiſſe rationem dicet,
is animi vitio videbitur neſciſſe, non imprudentia. quare
non imprudentia ſe defendet, [2] ſed culpa contaminabit.
Deinde conjecturali conſtitutione quæretur, utrùm ſcierit,
an ignoraverit; & conſiderabitur, ſatiſne *imprudentia* præſi-
dii debeat eſſe, [3] cùm factum eſſe conſtet imprudenter.
Cùm in *fortunam* cauſa conferetur, & ea re defenſor igno-
ſci reo dicet oportere, eadem omnia videntur conſideranda,
quæ de neceſſitudine præſcripta ſunt. [4] Etenim omnes hæ
tres partes purgationis inter ſe finitimæ ſunt, ut in omneis
eadem ferè poſſint accommodari. Loci communes in his
cauſis: Accuſatoris contra eum, qui, cùm ſe peccaſſe confi-
teatur, tamen oratione judices demoretur. Defenſoris, de
humanitate, miſericordia: VOLUNTATEM in omnibus re-
bus ſpectari convenire, & quæ conſultò facta non ſint, [5] ea
17 fraudi eſſe non oportere. Deprecatione utemur, cùm fate-
bimur nos peccaſſe, neque id imprudenter, aut fortuitu, aut
neceſſariò feciſſe dicemus, & tamen ignoſci nobis poſtula-
bimus. Hìc ignoſcendi ratio quæritur ex iis locis, ſi plura,
aut majora *officia*, quàm maleficia, videbuntur conſtare:
ſiqua virtus, aut nobilitas erit in eo, qui ſupplicabit: ſi qua
ſpes erit, uſui futurum, ſi ſine ſupplicio diſceſſerit: ſi ipſe
ille ſupplex, manſuetus, & miſericors in poteſtatibus oſten-
detur fuiſſe: ſi ea, quæ peccavit, non odio, neque crudeli-
tate, ſed *officio* & recto ſtudio commotus fecit: ſi tali de
cauſa aliis quoque ignotum eſt: ſi nihil ab eo periculi nobis
futurum videbitur, ſi eum miſſum fecerimus: ſi nulla aut
à noſtris civibus, aut ab aliqua alia civitate vituperatio ex
ea re ſuſcipietur. Loci communes, de humanitate, fortuna,
miſericordia, rerum commutatione. His locis omnibus ex
contrario utetur is, qui contrà dicet, cum amplificatione,
& enumeratione omnium peccatorum. Hæc cauſa, judicia-
lis fieri non poteſt, ut in primo libro oſtendimus: ſed quòd
poteſt vel ad ſenatum, vel ad conſilium venire, non viſa eſt
ſuperſedenda. Cum à nobis crimen removere volemus, aut
in *rem*, aut in *hominem* noſtri peccati cauſam conferemus.
Si cauſa in hominem conferetur, quærendum erit primùm,
potueritne tantum, quantum reus demonſtrabit, is, in quem
cauſa conferetur, & ecquonam modo aut honeſtè, aut ſine
periculo potuerit obſiſti: ſi maximè ita ſit, num ea re con-
cedi reo conveniat, quod alieno inductu fecerit. deinde in
conjecturalem trahetur controverſiam, [6] & ediſſeretur,
num conſultò factum ſit. Si cauſa in rem quandam confe-
retur, & hæc eadem ferè, & omnia, quæ de neceſſitudine
præcepimus, conſideranda erunt. QUONIAM ſatis oſten- 18
diſſe videmur, quibus argumentationibus in unoquoque
genere cauſæ judicialis uti conveniret; conſequi videtur,
ut doceamus, quemadmodum ipſas argumentationes orna-
tè, & abſolutè tractare poſſimus. nam ferè non difficilè eſt
invenire, quid ſit cauſæ adjumento: difficillimum verò eſt,
inventum *expolire*, & expeditè pronuntiare. hæc enim res
facit, ut neque diutius, quàm ſatis ſit, in eiſdem locis com-
moremur, neque eodem identidem revolvamur, neque in-
choatam argumentationem relinquamus, neque incommo-
dè ad aliam deinceps tranſeamus. Itaque hac ratione & ipſi
meminiſſe poterimus, quid quoquo loco dixerimus, & au-
ditor cùm totius cauſæ, tum uniuſcujuſque argumentatio-
nis diſtributionem percipere, & meminiſſe poterit. Ergo
abſolutiſſima, & perfectiſſima argumentatio eſt ea, quæ in
quinque parteis eſt diſtributa, propoſitionem, rationem,
rationis confirmationem, exornationem, complexionem.
Propoſitio eſt, per quam oſtendimus ſummatim, quid ſit,
quod probare volumus. Ratio, eſt cauſa, quæ demonſtrat,
verum eſſe id quod intendimus, brevi ſubjectione. Ratio-
nis confirmatio eſt ea, quæ pluribus *argumentis* corroborat
breviter expoſitam rationem. Exornatio eſt, qua utimur
rei honeſtandæ, & collocupletandæ cauſa, confirmata ar-
gumentatione. Complexio eſt, quæ concludit breviter, col-
ligens parteis argumentationis. Hiſce igitur quinque par- 19
tibus, ut abſolutiſſimè utamur, hoc modo tractabimus ar-
gumentationem. *Cauſam oſtendemus* Ulyſſi fuiſſe, quare in-
terfecerit Ajacem: inimicum enim acerrimum de medio
tollere volebat: à quo ſibi non injuria ſummum periculum
metuebat: videbat illo incolumi, ſe incolumem non futu-
rum: ſperabat illius morte ſe ſalutem ſibi comparare. con-
ſueverat, ſi jure non poterat, quavis injuria inimico exitium
machinari: cui rei [7] mors indigna Palamedis teſtimonium
dat. Ergo & metus periculi hortabatur eum interimere, à
quo ſupplicium verebatur: & conſuetudo peccandi, male-
ficii ſuſcipiendi removebat dubitationem. OMNES enim
cùm minima peccata cum cauſa ſuſcipiunt, tum verò illa,
quæ multo maxima ſunt maleficia, aliquo certo emolumen-
to ducti ſuſcipere conantur. Si multos induxit in peccatum
pecuniæ ſpes, ſi complures ſcelere ſe contaminaverunt im-
perii cupiditate, ſi multi *leve compendium* fraude maxima
commutaverunt: cui mirum videbitur, [8] iſtum à maleficio
propter acerrimam formidinem non temperaſſe? Virum
fortiſſimum, integerrimum, inimicitiarum perſequentiſſi-
mum, injuria laceſſitum, ira excitatum, homo timidus, no-
cens, conſcius ſui peccati, [9] inſidioſus, inimicum incolu-
mem eſſe noluit: cui tandem hoc mirum videbitur? Nam
cùm *feras beſtias* videamus alacreis, & erectas vadere, ut al-
teri beſtiæ noceant, non eſt incredibile putandum, iſtius
quoque animum, ferum, crudelem, atque inhumanum,
[10] cupidè ad inimici perniciem profectum: præſertim cùm
in beſtiis

---

1. *Conveniatne eam ſatis idoneam cauſam putari.*] Ita Pall. tres priores & quint. & Fabricianus; neque ſecus edd. primæ. illud *cauſam* non comparet in Pall. quart. aut ſexto.

2. *Sed culpa contaminabit.*] Addunt Pall. tres & Fabricianus, *perſonam*, quomodo tamen nulli editi, in quibus *contaminabitur*.

3. *Cum factum eſſe conſtet imprudenter.*] Addidi ex Fabriciano *imprudenter*, quæ vox excidiſſe videtur, neque eſt præter rem. *Gulielmius.*

4. *Etenim omnes hæ tres partes purgationis.*] Vocem *omnes* recepi in contextum, quia diſertim exſtaret in Pall. in Gulielmianis & edd. primis.

5. *Ea fraudi eſſe non oportere.*] Pall. noſtri omnes, *in iis fraudem eſſe non oportere.* quod non improbem ob editionem Victorii, in qua item viſitur.

6. *Et ediſſeretur, num conſulto, &c.*] Sic omnes libri ſcripti. *ediſſerere*, argumentatione diſquirere.

7. *Mors indigna Palamedis teſtimonium dat.*] Vox ultima non influit ſuaviter in aureis: eſtque in Pal. pr. *teſtimonium præbet.* forſan utraque eſt à librariis.

8. *Iſtum à maleficio, &c. temperaſſe.*] Maluit *iſtum maleficio*, Gulielmi.

9. *Inſidioſus, inimicum eſſe incolumem noluit.*] Hæc perturbata immutatione duarum vocum, ſic legas: *invidioſus inimicus.* Reſpondent enim illis ſupra poſitis, *injuria laceſſitum, ira excitatum.* ſi quis tamen mavult *inſidioſus*, liceto, dum hoc maneat, ſcribendum eſſe *inimicus.* ſic Gulielmius.

10. *Cupide ad inimici perniciem profectum.*] Convenit hoc cum eo verbo quod in [illegible] eſt, *vadere*, malim tamen *provectum.* provehitur enim animus ira aut cupiditate, non proficiſcitur.

1. *Quæ*

in beſtiis nullam neque bonam, neque malam rationem eſſe videamus: in iſto plurimas & peſſimas rationes ſemper fuiſſe intelligamus. Si ergo pollicitus ſum, me daturum cauſam, qua inductus Ulyſſes acceſſerit ad maleficium, &, ſi inimicitiarum acerrimam rationem, & periculi metum interceſſiſſe demonſtravi: non eſt dubium, quin confiteatur cauſam maleficii fuiſſe. Ergo abſolutiſſima eſt argumentatio ea, quæ ex quinque partibus conſtat: ſed ea non ſemper neceſſe eſt uti. Tum enim complexione ſuperſedendum eſt, ſi res brevis eſt, ut facile memoria comprehendatur: tum exornatio prætermittenda eſt, ſi parum locuples ad amplificandum, & exornandum res videtur eſſe. Sin & brevis erit argumentatio, & res tenuis, aut humilis: tum & exornatione, & complexione ſuperſedendum eſt. In omni argumentatione de duabus partibus poſtremis, hæc, quam expoſui, ratio eſt habenda. Ergo ampliſſima eſt argumentatio quinquepartita: breviſſima eſt tripartita: mediocris, ſublata aut exornatione, aut complexione, quadripar-
20 tita. Duo genera ſunt vitioſarum argumentationum: unum, quod ab adverſario reprehendi poteſt, idque pertinet ad cauſam: alterum, quod tametſi nugatorium eſt, tamen non indiget reprehenſione. Quæ ſint, quæ reprehenſione confutari conveniat, quæ tacitè contemni, atque vitari ſine reprehenſione, ſi exempla ſubjecero, intelligere dilucidè poteris. Hæc cognitio vitioſarum argumentationum duplicem utilitatem afferet. nam & vitare in argumentatione vitium admonebit, & ab aliis non vitatum commodè reprehendere docebit. Quoniam igitur oſtendimus, perfectam & plenam argumentationem ex quinque partibus conſtare, in unaquaque parte argumentationis [1] quæ vitia vitanda ſunt, conſideremus: ut & ipſi ab his vitiis recedere, & adverſariorum argumentationes hac præceptione in omnibus partibus tentare, & ab aliqua parte labefactare poſſimus. Expoſitio vitioſa eſt, cùm ab aliqua, aut à majore parte ad omneis confertur id, quod non neceſſariò eſt omnibus attributum: ut ſi quis hoc modo exponat, *Omnes qui in paupertate ſunt*, malunt maleficio parare divitias, quàm officio paupertatem tueri. Si quis hoc modo expoſuerit argumentationem, ut non curet quærere, qualis ratio, aut rationis confirmatio ſit, ipſam facilè reprehendemus expoſitionem, cùm oſtendemus, id quod in aliquo paupere improbo ſit, in omneis pauperes falsò & injuria conferri. Item vitioſa expoſitio eſt, cùm id, quod rarò fit, fieri omnino negatur, hoc modo: *Nemo poteſt* uno aſpectu, neque præteriens, in amorem incidere. nam cùm non nemo devenerit in amorem uno aſpectu, & cùm ille *neminem* dixerit omnino, nihil differt rarò id fieri, dummodò aliquando fieri, aut poſſe fieri intel-
21 ligatur. Item vitioſa expoſitio eſt, cùm omneis res oſtendimus nos collegiſſe, & aliquam rem idoneam præterimus, hoc modo, Quoniam igitur *hominem occiſum* conſtat eſſe, neceſſe eſt aut à prædonibus, aut ab inimicis occiſum eſſe, aut abs te, quem ille heredem teſtamento ex parte faciebat. prædones illo loco nunquam ſunt viſi: inimicum nullum habebat. relinquitur, ſi neque à prædonibus, neque ab inimicis occiſus eſt, quoniam alteri non erant, alteros non habebat, ut abs te ſit interemtus. Nam in hujuſcemodi expoſitione, reprehenſione utemur, ſiquos præter eos, quos ille dixerit, potuiſſe ſuſcipere maleficium oſtenderimus: velut in hoc exemplo, cùm dixerit neceſſe eſſe aut à prædonibus, aut ab inimicis, aut à nobis occiſum eſſe: dicemus potuiſſe vel à *familia*, vel à *coheredibus* noſtris. Cùm hoc modo illorum collectionem diſturbaverimus, nobis latiorem locum defendendi relinquemus. Ergo hoc quoque vitandum eſt in expoſitione, nequando, cùm omnia collegiſſe videamur, aliquam idoneam partem reliquerimus. Item vitioſa expoſitio eſt, quæ conſtat ex falſa enumeratione: ut ſi, cùm plura ſunt, pauciora dicamus, hoc modo, Duæ res ſunt, judices, quæ omneis ad maleficium impellunt, *luxuries & avaritia*. Quid amor? inquiet quiſpiam. quid ambitio? [2] quid religio? quid metus mortis? quid imperii cupiditas? quid denique alia permulta? Item falſa enumeratio eſt, cùm pauciora ſunt, & plura dicimus, hoc modo, Tres res ſunt, quæ omneis homineis ſollicitant, metus, cupiditas, ægritudo. Satis enim fuerat dixiſſe *metum & cupiditatem*? quoniam ægritudinem cum utraque re conjunctam eſſe neceſſe eſt.
Item vitioſa expoſitio eſt, quæ nimium longè repetitur, hoc 22
modo, *Omnium* malorum ſtultitia eſt mater, quæ parit immenſas cupiditates: immenſæ porrò cupiditates infinitæ & immoderatæ ſunt. hæ pariunt avaritiam: avaritia porrò hominem ad quodvis maleficium impellit. Igitur *avaritia* inducti adverſarii noſtri, hoc in ſe facinus admiſerunt. Hic id, quod extremum dictum eſt, ſatis fuit exponere, ne Ennium, & ceteros poëtas imitemur, quibus hoc modo loqui conceſſum eſt,

Utinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes:
Neve inde navis inchoandæ exordium
Cœpiſſet, quæ nunc nominatur nomine
Argo, qua vecti Argivi delecti viri,
Petebant illam pellem inauratam arietis,
Colchis, imperio regis Peliæ per dolum:
[3] *Nam nunquam hera errans mea, domo efferret pedem*
Medea, animo ægra, amore ſævo ſaucia.

Nam hîc ſatis erat dicere ([4] ſi id modò, quod eſſet ſatis, curaſſet poëta)

Utinam ne hera errans mea, domo efferret pedem
[5] *Medea.*

Ergo hac quoque ab ultimo repetitione in expoſitionibus magnopere ſuperſedendum eſt. [6] Non enim reprehenſione, ſicut aliæ complures, [7] ſed ſua ſponte vitioſa eſt. VITIO- 23
SA ratio eſt, quæ ad expoſitionem non eſt accommodata, vel propter infirmitatem, vel propter vanitatem. Infirma ratio eſt, quæ non neceſſariò oſtendit ita eſſe, quemadmodum expoſitum eſt: velut apud Plautum,

Amicum caſtigare, ob meritam noxiam,
Immane eſt facinus: verùm in ætate utile,
Et conducibile.

Hæc expoſitio eſt. videamus, quæ ratio afferatur:

Nam ego amicum hodie meum
[8] *Concaſtigabo pro commerita noxia.*

Ex eo, quod ipſe facturus eſt, non ex eo, quod fieri convenit, utile quid ſit, ratiocinatur. Vana ratio eſt, quæ ex falſa cauſa conſtat, hoc modo: *Amor* fugiendus non eſt. nam ex eo veriſſima naſcitur amicitia. Aut hoc modo; *Philoſophia* vitanda eſt. affert enim ſecordiam, atque deſidiam. Nam hæ rationes niſi falſæ eſſent, expoſitiones quoque earum veras

1. *Quæ vitia vitanda ſunt.*] Sic libri omnes olim editi, niſi quod Pal. pr. deſtituatur illo *vitia*; & abeſſe poteſt. Stephanus atque Manutius, *vitia evitanda.*

2. *Quid religio.*] Pal. ſec. *irreligio.* item Fabricianus editioque princeps, inclinatque in hanc lectio. item Gulielmius. at cum & in pluribus mſſ. inveniatur alterum, ei adquieverim. eſt enim verbum ambiguum *religio.*

3. *Nam nunquam hera errans mea domo efferret pedem, &c.*] Fortean rectius; *Nam nuſquam.* noti ſcriptorum loci, ubi hæc copulantur in re eadem, *nuſquam domo*, & *nuſquam pedem.* Gulielmius.

4. *Si id modo quod eſſet ſatis curaſſet poëta.*] Arridet animo meo ſcriptura Palatina; *ſi id modo quod ſatis eſſet curarent poëtæ.* ita enim codex numero primus, quartus, ſextus.

5. *Medea. Ergo.*] Ita expreſſi, ſecutus Pall. ſex, qui heic quidem habebant, *animo ægro, amore ſævo ſaucia*, non etiam ſuperius. at ibi propriè habere locum, non etiam heic, nemo non videt, ideoque etiam non habet Victoriana.

6. *Non enim reprehenſione, ſicut aliæ complures, &c.*] Editi poſteriores *reprehenſione eget, ſicut, &c.* ſed verbum illud *eget* non habemus in edd. primis, in Pall. aut Bruilerenſi; eſtque magiſtelli alicujus.

7. *Sed ſua ſponte vitioſa eſt.*] Vocula *ſed* non extat in Pal. pr. neque requiſiverim.

8. *Concaſtigabo pro commerita noxia.*] Libri veteres pro *commiſſa*, non rectè, & aliter in Plauto ipſo. adde quod verbum *commerendi*, habitat in re mala & flagitio.

 1. *Inſtare*

veras eſſe confiteremur. Item infirma ratio eſt, quæ non neceſſariam cauſam affert expoſitionis: velut Pacuvius,

Fortunam inſanam eſſe & cæcam & brutam perhibent Philoſophi,
Saxoque illam [1] inſtare globoſo prædicant volubilem:
Ideo, quò ſaxum impulerit fors, cadere eò fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem eſſe iterant, quia nihil cernat, quò ſeſe applicet.
Inſanam autem ajunt, quia atrox, incerta, inſtabiliſque ſit.
Brutam, quia dignum, atq; indignum nequeat internoſcere.
Sunt autem alii Philoſophi, qui contra fortunam negant
[2] Miſeriam eſſe ullam, ſed temeritate omnia regi. id magis
Veriſimile ajunt; quod uſus reapſe experiundo edocet.
Velut Oreſtes modo fuit Rex, modo mendicus factus eſt:
[3] Naufragio res contigit: Nempe ergo haud fortuna obtigit.

Nam hic Pacuvius infirma ratione utitur, cùm ait, verius eſſe temeritate, quàm fortuna res regi. nam utraque opinione philoſophorum fieri potuit, ut is, qui rex fuiſſet, mendicus factus eſſet.
24 Item infirma ratio eſt, quæ videtur pro ratione afferri, ſed idem dicit, quod in expoſitione dictum eſt, hoc modo: *Magno malo* eſt hominibus avaritia, idcircò quod homines magnis & multis incommodis conflictantur propter immenſam pecuniæ cupiditatem. Nam hîc aliis verbis idem per rationem dicitur, quod dictum eſt per expoſitionem. Item infirma ratio eſt, quæ minus idoneam, quàm res poſtulat, cauſam ſubjicit expoſitionis, hoc modo: *Utilis eſt* ſapientia, propterea quòd qui ſapientes ſunt, pietatem colere conſueverunt. Item, *utile eſt* amicos veros habere. habes enim quibuſcum jocari poſſis. Nam hujuſmodi in rationibus non univerſa, neque abſoluta, ſed extenuata ratione expoſitio confirmatur. Item infirma ratio eſt, quæ vel alii expoſitioni poteſt accommodari, ut facit Pacuvius, qui eandem affert rationem, quare cæca: eandem, quare bruta fortuna dicatur. In confirmatione rationis, multa & vitanda in noſtra, & obſervanda in adverſariorum ratione ſunt vitia, proptereaque diligentiùs conſideranda ſunt; quòd accurata confirmatio rationis totam vehementiſſimè comprobat argumentationem. Utuntur igitur ſtudioſè in confirmanda ratione duplici concluſione, hoc modo:

Injuria abs te afficior indigna, pater.
Nam, ſi improbum Chreſphontem exiſtimaveras,
Cur me huic locabas nuptiis? ſin eſt probus,
Cur talem invitam invitum cogis linquere?

Quæ hoc modo concludentur, aut ex contrario convertentur, aut ex ſimplici parte reprehendentur. Ex contrario hoc modo:

Nulla te indigna, nata, afficio injuria.
Si probus eſt, bene locavi: ſin autem improbus,
Divortio te liberabo incommodis.

Ex ſimplici parte reprehendentur, ſi ex duplici concluſione alterutra pars diluitur, hoc modo:

Nam ſi improbum Chreſphontem exiſtimaveras,
Cur me huic locabas nuptiis? Duxi probum.
Erravi: poſt cognovi, & fugio cognitum.

Ergo reprehenſio hujus concluſionis duplex eſt: acutior illa ſuperior, facilior hæc poſterior ad excogitandum.
25 Item vitioſa eſt confirmatio rationis, cùm ea re, quæ plura ſignificat, abutimur pro certo unius rei ſigno, hoc modo: *Neceſſe eſt*, quoniam pallet; ægrotaſſe: aut *neceſſe eſt* peperiſſe, quoniam ſuſtinet puerum infantem. Nam hæc ſua ſponte certa ſigna non habent, ſi non cetera quoque ſimilia concurrant. quod ſi concurrerint, nonnihil hujuſmodi ſigna adaugent ſuſpicionem. Item vitioſum eſt, cùm vel in alium, vel in eum ipſum, qui dicit, id, quod in adverſarium dicitur, poteſt convenire, hoc modo:

Miſeri ſunt, qui uxores ducunt: at tu duxiſti alteram.

Item vitioſum eſt id, quod vulgarem habet defenſionem, hoc modo: *Iracundia* inductus peccavit, aut adoleſcentia, aut amore. Hujuſcemodi enim deprecationes ſi probabuntur, impunè maxima peccata dilabentur. Item vitioſum eſt, cùm id pro certo ſumitur, quod inter omneis non conſtat, quia etiam nunc in controverſia eſt, hoc modo:

Eho tu, dii, quibus eſt poteſtas motus ſuperûm, atq; inferûm,
Pacem inter ſe conciliant, conferunt concordiam.

Nam ita pro ſuo jure hoc exemplo uſum Chreſphontem Ennius induxit, quaſi jam ſatis certis rationibus ita eſſe demonſtraſſet. Item vitioſum eſt, quod jam quaſi ſerò, atque acto negotiò dici videtur, hoc modo: *In mentem* mihi ſi veniſſet, Quirites, non commiſiſſem, ut hunc in locum res veniret: nam hoc, aut hoc feciſſem: ſed me tum hæc ratio fugit. Item vitioſum eſt, cùm id, quod in aperto delicto poſitum eſt, tamen aliqua levi tegitur defenſione, hoc modo:

[4] Cum te expetebant omnes, florentiſſimo
Regno reliqui: nunc deſertum ab omnibus,
Summo periclo ſola ut reſtituam paro.

Item vitioſum eſt, quod in aliam partem, ac dictum ſit, poteſt accipi. 26
Id eſt hujuſmodi, ut, ſi quis potens, ac factioſus in concione dixerit, [5] *Satius eſt* uti regibus, quam malis legibus. nam & hoc tametſi [6] rei arguendæ cauſa poteſt ſine malitia dici, tamen propter potentiam ejus, qui dicit, non dicitur ſine atroci ſuſpicione. Item vitioſum eſt, falſis, aut vulgaribus definitionibus uti. Falſæ ſunt hujuſmodi, ſi quis dicat *injuriam* eſſe nullam, niſi quæ ex pulſatione, aut convicio conſtet. Vulgares ſunt, quæ nihilominus in aliam rem transferri poſſunt: ut ſi quis dicat, *quadruplator*, ut breviter deſcribam, *capitalis eſt*. eſt enim improbus, & peſtifer civis. Nam nihilo magis quadruplatoris, quàm furis, quàm ſicarii, aut proditoris attulit definitionem. Item vitioſum eſt pro argumento ſumere, quod in diſquiſitione poſitum eſt: ut ſi quis, quem furti arguat, dicat, *eum eſſe* hominem improbum, avarum, fraudulentum: ei rei teſtimonium eſſe, quòd ſibi furtum fecerit. Item vitioſum eſt, controverſiam controverſia diſſolvere, hoc modo: *Non convenit*, Cenſores, iſtum vobis ſatisfacere ex eo, quòd ait, ſe non potuiſſe adeſſe, ita ut juratus fuerat. quòd ſi ad exercitum non veniſſet, idne tribuno militum diceret? Hoc ideo vitioſum eſt, quia non expedita, aut judicata res, ſed impedita, & in ſimili controverſia poſita, exempli loco perfertur. Item vitioſum eſt, cùm id, de quo ſumma controverſia eſt, parùm expeditur, & quaſi tranſactum ſit, relinquitur, hoc modo:

[7] Apertè fatur dictio, ſi intelligas,
Tali dari arma, qualis qui geſſit, fuit,
Iubet, potiri ſi ſtudeamus Pergamo:
Quæ ego profiteor eſſe mea. me æquum eſt frui
[8] Fraternis armis, mihique adjudicarier,
Vel quod propinquus, vel quod virtutis æmulus.

Item

1. *Inſtare globoſo prædicant volubilem.*] Malè & contra libros, qui reſcribunt *volubili*: nam alterum illud epitheton fortunæ proprium. interim mirandum eſt manuſcriptos omnes habere, *Saxique inſtar globoſi eſſe volubilem.*

2. *Miſeriam eſſe ullam, ſed temeritate omnia regi.*] Sic editi à Victorio, niſi quod habeat priore verſu *fortunam*; quod modo item eſt in omnibus membranis noſtris; quarum antiquiores planè præferunt, *Ullam eſſe miſeritatem aut humanitatem, ſed temeritate omnia regi.* quæ lectio ſane contemnenda minime videtur: imò amplectenda venit.

3. *Naufragio res contigit nempe ergo haud fortuna obtigit.*] Pal. quart. *factus eſt mendicus modo. Naufragos nempe res iſta contigit. ergo id non forte neque fortuna obtigit.* Gulielmius è varietate ſuorum iſtud eruebat: *Naufragio contigit. ergo id non forte aut fortuna obtigit.* ut det *contingere* temeritati, fortunæ *obtingere.*

4. *Cum te expetebant, &c.*] Meliores ſcripti, *exſpectabant*, quod longè verius judicabat Gulielmius.

5. *Satius eſt uti regibus.*] Hoc malo, quam Lambinianum, *bonis regibus.* ſic enim nulli mſſ. noſtri; ſolum aliqui, *malis regibus.*

6. *Rei arguendæ cauſa.*] Libri ferè calamo exarati *augendæ*, placuitque Lambino. nam Gulielmius reſcribi voluit *agendæ.*

7. *Apertè fatur dictio, &c.*] Ingenioſe quidem Memmius *Apertæ*, id eſt, *Apollinis*. ſed quia in nullis libb. ita legi video, recipere dubitavi.

8. *Fraternis armis.*] Non variant noſtri; ideoque admittere non auſus ſum Aurati conjecturam *Paternis*. potuit enim illa heic petere Ajax Telamonius, Achilli patruelis.

1. *Timore*

Item vitioſum eſt, ipſum ſibi in ſua oratione diſſentire, & contra ea, quæ antè dixerit, dicere, hoc modo:

Quare accuſem hunc, neque exputando evolvere.
Nam ſi veretur, quid eum accuſem, qui eſt probus?
Sin inverecundum animi ingenium poſſidet,
Quid eum accuſem, qui id parvi auditu exiſtimet?

27 Non incommoda ratione videtur ſibi oſtendiſſe, quare non accuſaret. Quid quod poſtea ait?

Nunc ego te ab ſummo jam detexam exordio.

Item vitioſum eſt, quod dicitur contra judicis voluntatem, aut eorum, qui audiunt, ſi aut partes, quibus illi ſtudent, aut homines, quos illi caros habent, lædantur, aut aliquo hujuſmodi vitio lædatur auditoris voluntas. Item vitioſum eſt, non omneis res confirmare, quas pollicitus ſis in expoſitione. Item verendum eſt, ne de alia re dicatur, cùm alia de re controverſia ſit: inque hujuſmodi vitio conſiderandum eſt, ne aut ad rem addatur quid, aut quippiam de re detrahatur: aut tota cauſa mutata in aliam cauſam derivetur. Uti apud Pacuvium Zethus cum Amphione, quorum controverſia cùm *de muſica* inducta ſit, diſputatio in ſapientiæ rationem, & virtutis utilitatem conſumitur. Item conſiderandum eſt, ne aliud accuſatoris criminatio contineat, aliud defenſoris ratio purget: quod ſæpe conſultò multi ab reo faciunt, anguſtiis cauſæ coacti. Uti ſi quis cùm accuſetur, *ambitu* magiſtratum petiſſe, ab imperatoribus ſæpenumerò ſe apud exercitum donatum eſſe dicat. Hoc ſi diligenter in adverſariorum oratione obſervaverimus, ſæpe deprehendemus, & in hujuſmodi deprehenſione oſtendemus, eos, de ea re quid dicant, non habere. Item vitioſum eſt, *artem*, aut ſcientiam aut ſtudium quodpiam vituperare propter eorum vitia, qui in eo ſtudio ſunt: veluti, qui rhetoricam vituperant, propter alicujus oratoris vituperandam vitam. Item vitioſum eſt, ex eo, quòd perperam factum eſſe conſtat, putare oſtendi à quo homine factum eſt, hoc modo: *Mortuum* deformatum, [1] tumore præditum, coloratum fuiſſe conſtat. ergo veneno necatus eſt. Deinde, [2] ſi ſit uſque in eo occupatus (ut multi faciunt) *venenum datum*, vitio non mediocri conflictetur. Non enim factumne ſit, quæ-
28 ritur, ſed à quo factum ſit. Item vitioſum eſt, in comparandis rebus alteram rem efferre, de altera mentionem non facere, aut negligentiùs diſputare: ut ſi comparetur, *utrùm* ſatius ſit populum frumentum accipere, an non? quæ commoda ſint in altera re, curet enumerare: quæ in altera incommoda ſint, velut depreſſa prætereat: aut ea, quæ minima ſunt, dicat. Item vitioſum eſt, in rebus comparandis neceſſe putare alteram rem vituperari, cùm alteram laudes. Quod genus, ſi quæratur, utris major honor habendus ſit, Albenſibus, [3] an Venuſinis, quod reipub. & populo Romano profuerunt, & is, qui dicit alteris, alteros lædat. non enim neceſſe eſt, ſi alteros præponas, alteros vituperare. Fieri enim poteſt, ut, cùm alteros magis laudaris, aliquam alteris laudis partem attribuas, ne cupidè pugnaſſe contra veritatem puteris. Item vitioſum eſt, de nomine & vocabulo ejus rei controverſiam ſtruere, quam rem conſuetudo poteſt optimè judicare. Velut Sulpicius, qui interceſſerat, ne exules, quibus cauſam dicere non licuiſſet, reducerentur, idem poſterius immutata voluntate, cùm eandem legem ferret, aliam ſeſe ferre dicebat propter nominum commutationem: nam non *exules*, ſed *vi ejectos* ſe reducere ajebat: perinde quaſi id fuiſſet in controverſia, quo illi nomine appellarentur à populo Romano, aut perinde quaſi non omnes, quibus aqua & igni interdictum eſt, *exules* appellentur. Verùm illi fortaſſe ignoſcimus, ſi cum cauſa fecit: nos tamen intelligamus, vitioſum eſſe intendere con-
troverſiam propter nominum mutationem. QUONIAM 29
exornatio conſtat ex ſimilibus, & exemplis, & amplificationibus, ex judicatis, & ceteris rebus, quæ pertinent ad exaggerandam & collocupletandam argumentationem, quæ ſint iis rebus vitia, conſideremus. *Simile* vitioſum eſt, quod ex aliqua parte diſſimile eſt, nec habet parem rationem comparationis, aut ſibi ipſi obeſt qui affert. *Exemplum* vitioſum eſt, ſi aut falſum eſt, ut reprehendatur: aut ſi improbum, ut non ſit imitandum: aut majus, aut minus, quàm res poſtulabit. *Res judicata* vitioſe profertur, ſi aut diſſimili de re proferatur: aut de ea re, de qua controverſia non eſt: aut ſi improba, aut ejuſmodi, ut aut plures, aut magis idoneæ res judicatæ ab adverſariis proferri poſſint. Item vitioſum eſt id, quod adverſarii factum eſſe confiteantur, de eo argumentari, & planum facere factum eſſe. nam id tantùm augeri oportet. Item vitioſum eſt, id augere, quod convenit doceri, hoc modo: *Ut ſi quis* quem arguat hominem occidiſſe, & ante quàm ſatis idoneas argumentationes attulerit, augeat peccatum, & dicat, nihil indignius eſſe, quàm hominem occidere. non enim, utrùm indignum ſit, an non, ſed factumne ſit, quæritur. Complexio vitioſa eſt, quæ non, ut quidque primùm dictum eſt, primùm complectitur, & quæ non breviter concludit, & quæ non ex enumeratione certum & conſtans aliquid relinquit, ut intelligatur, quid propoſitum in argumentatione ſit, quid deinde ratione, quid confirmatione, quid tota argumenta-
tione demonſtratum. CONCLUSIONES, quæ apud Græcos 30
ἐπίλογοι nominantur, tripertitæ ſunt. nam conſtant ex enumeratione, amplificatione, & commiſeratione. In quattuor locis uti poſſumus concluſionibus. in principio, ſecundùm narrationem; ſecundùm firmiſſimam argumentationem, in concluſione. Enumeratio, eſt per quam colligimus & commonemus, quibus de rebus verba fecerimus, breviter: *ut renovetur*, non redintegretur oratio: & ordine, quidquid erit dictum, referamus, ut auditor, ſi memoriæ mandaverit, ad id, quod ipſe meminerit, reducatur. Item curandum eſt, ne aut ab exordio, aut à narratione repetatur orationis enumeratio. ficta enim, & dedita opera comparata oratio videbitur eſſe, aut artificii ſignificandi, aut ingenii venditandi, aut memoriæ oſtentandæ cauſa. Quapropter initium enumerationis ſumendum eſt à diviſione. deinde ordine breviter exponendæ ſunt res, quæ tractatæ erunt in confirmatione, & confutatione. Amplificatio eſt res, quæ per locum communem inſtigationis auditorum cauſa ſumitur. Loci communes ex decem præceptis commodiſſimè ſumuntur adaugendi criminis cauſa. Primus locus ſumitur ab auctoritate, cùm commemoramus, *quantæ curæ* ea res fuerit diis immortalibus, aut majoribus noſtris, regibus, civitatibus, nationibus, hominibus ſapientiſſimis, ſenatui. Item maximè quo modo de his rebus legibus ſancitum ſit. Secundus locus eſt, cum conſideramus, illæ res, de quibus criminamur, ad quos pertineant: utrùm *ad omnes*, quod atrociſſimum eſt, an ad ſuperiores, (quod genus ii ſunt, a quibus auctoritatis locus communis ſumitur,) an ad pareis, hoc eſt in eiſdem partibus animi, corporis, fortunarum poſitos: an ad inferiores, qui omnibus his rebus antecelluntur. Tertius locus eſt, quo percunctamur, quid ſit eventurum, ſi omnibus idem *concedatur*: & ea re neglecta, oſtendemus, quid periculorum, aut incommodorum conſequatur. Quartus locus eſt, quo demonſtratur, ſi huic ſit *remiſſum*, multos alacriores ad maleficia futuros, quos adhuc exſpectatio judicii remoratur. Quintus locus eſt, per quem oſtendimus, ſi ſemel aliter judicatum ſit, nullam rem fore, quæ incommodo mederi, aut erratum judicum corrigere poſſit.

---

1. *Tumere præditum, coloratum.*] Sic Bruil. ſic Pal. quart. ac ſextus. antea cuſi, *præditum corpore decoloratum.*

2. *Si ſit uſque in eo occupatus.*] Ita libri noſtri antiquiores, ſine illo *adeo*; quod recte abjecit Lambinus, ſed perperam alia illa ſua inculcavit.

3. *An Venuſinis, quod, &c.*] Pall. pr. *Veſetinis.* ſec. *Vecetinis an Penenſibus, quod, &c.* quart. *Venuſſinis an Pennenſibus, quod, &c.* uti & videtur fuiſſe a manu prima in ſexto. & vero *Pennenſes* hos agnoſcit Bruilerianum quoque exemplar, & videtur poſtliminio inferendum hiſce noſtris libris. nam ponuntur iidem à Plinio ſub Regione IV. Italiæ, ſed ibidem ſcribitur *Pinnenſes.*

1. Ex

poſſit. Quo in loco non incommodum erit uti ceterarum rerum comparatione, ut oſtendamus, alias res poſſe aut vetuſtate ſedari, aut conſilio corrigi: hujus rei aut leniendæ, aut corrigendæ nullam rem adjumento futuram. Sextus locus eſt, cùm oſtendemus [1] ex conſulto factum, & dicemus VOLUNTARIO facinori nullam excuſationem; imprudentiæ juſtam deprecationem paratam. Septimus locus eſt, quo oſtendemus tætrum facinus, crudele, nefarium, tyrannicum eſſe: quod genus, injuriæ mulierum, aut earum rerum aliquid, quarum rerum cauſa *bella* ſuſcipiuntur, & cum hoſtibus de vita dimicatur. Octavus locus eſt, quo oſtendimus, non vulgare, ſed ſingulare eſſe maleficium, ſpurcum, nefarium, inuſitatum, quo *maturiùs*, & atrociùs vindicandum ſit. Nonus locus conſtat ex peccatorum comparatione, quaſi cùm dicemus, majus eſſe maleficium ſtuprare ingenuam, quàm ſacrum legere: quòd propter egeſtatem alterum, alterum [2] propter imperantem ſuperbiam fiat. Decimus locus eſt, per quem omnia, quæ in negotio gerundo acta ſunt, quæque rem conſequi ſolent, exponemus acriter, & criminosè, & diligenter, ut agi res, & geri negotium videatur,
31 rerum conſequentium enumeratione. *Miſericordia* commovebitur auditoris animus, ſi variam fortunarum commutationem dicemus: ſi oſtendemus, in quibus commodis fuimus, quibuſque incommodis ſimus, comparatione. Si, quæ nobis futura ſint, niſi cauſam obtinuerimus, enumerabimus, & oſtendemus. Si ſupplicabimus, & nos ſub eorum, quorum miſericordiam captabimus, poteſtatem ſubjiciemus. Si, quid noſtris parentibus, liberis, ceteris neceſſariis caſurum ſit propter noſtras calamitates, aperiemus, & ſimul oſtendemus, *illorum* nos ſolitudine & miſeria, non noſtris incommodis dolere. Si de clementia, humanitate, miſericordia noſtra, qua *in alios* uſi ſumus, aperiemus. Si nos ſemper, aut diu in malis fuiſſe oſtendemus. Si noſtrum fatum, aut fortunam conqueremur. Si animum noſtrum fortem, patientem incommodorum oſtendemus futurum. Commiſerationem brevem eſſe oportet. NIHIL enim lacryma citiùs areſcit. Ferè locos obſcuriſſimos totius artificii tractavimus in hoc libro. quapropter huic volumini modus hic ſit. Reliquas præceptiones, quoad videbitur in tertium librum transferemus. Hæc ſi, ut conquiſitè conſcripſimus, ita tu diligenter fueris conſecutus, & nos induſtriæ fructus ex tua ſcientia capiemus, & tute noſtram diligentiam laudabis, tuaque perceptione lætabere: tu ſcientior eris præceptorum artificio, nos alacriores ad reliquum perſolvendum. Verùm hæc futura ſatis ſcio. te enim non ignoro. nos deinceps ad cetera præcepta tranſeamus, ut, quod libentiſſimè facimus, tuæ voluntati rectiſſimæ morem geramus.

RHETORICORUM AD C. HERENNIUM, LIBER TERTIUS.

1 AD omnem judicialem cauſam quemadmodum conveniret inventionem rerum accommodari, ſatis abundanter, ut arbitror, ſuperioribus libris demonſtratum eſt. Nunc earum rationem rerum inveniendarum, quæ pertinebant ad cauſas deliberativas, & demonſtrativas, in hunc librum tranſtulimus, ut omnis inveniundi præceptio tibi quamprimùm perſolveretur. Reliquæ quattuor partes erant artificii. De tribus partibus in hoc libro dicemus, diſpoſitione, pronunciatione, memoria. De elocutione, quia plura dicenda videbantur, in quarto libro conſcribere maluimus: quem, ut arbitror, tibi librum celeriter abſolutum mittemus, nequid tibi rhetoricæ artis deeſſe poſſit. Interea prima quæque & nobiſcum, cùm voles, & interdum ſine nobis legendo conſequêre; nequid impediare, quin ad hanc utilitatem pariter nobiſcum progredi poſſis. Nunc tu fac attentum te præ-
2 beas: [1] nos proficiſci ad inſtituta pergemus. DELIBERATIONES partim ſunt hujuſmodi, ut quæratur, utrum potius faciendum ſit: partim hujuſmodi, uti, quid potiſſimùm faciendum ſit, conſideretur. Utrum potius, hoc modo: [2] *Carthago tollenda*, an relinquenda videatur. Quid potiſſimùm, hoc pacto: *ut ſi* Hannibal conſultet, cùm ex Italia Karthaginem arceſſitur, in Italia remaneat; an domum redeat; an in Ægyptum profectus occupet Alexandriam. Item deliberationes partim ipſæ propter ſe conſultandæ ſunt: ut ſi deliberet ſenatus, *captivos* ab hoſtibus redimat, an non? partim propter aliquam extraneam cauſam veniunt in deliberationem & conſultationem: ut ſi deliberet ſenatus, *bello* Italico ſolvatne legibus Scipionem, ut eum liceat ante tempus Cos. fieri: partim & propter ſe ſunt deliberandæ, & magis propter extraneam cauſam veniunt in conſultationem: ut ſi deliberet Senatus, *bello* Italico ſociis civitatem det, an non. In quibus cauſis rei natura faciet deliberationem, omnis ratio ad ipſam rem accommodabitur. In quibus extranea cauſa conficiet deliberationem, in his ea ipſa cauſa erit adaugenda, aut deprimenda. Omnem rationem eorum, qui ſententiam dicent, *finem* ſibi conveniet utilitatis proponere, ut omnis eò totius orationis ratio conferatur. Utilitas in duas parteis in civili conſultatione dividitur, tutam, & honeſtam. Tuta eſt, quæ conficit inſtantis, aut conſequentis periculi vitationem qualibet ratione. Hæc diſtribuitur in vim, & dolum: quorum aut alterum ſeparatim, aut utrumque ſumemus conjunctim. [3] Vis decernitur per exercitus, claſſeis, arma, tormenta, evocationes hominum, & alias hujuſmodi res. Dolus conſumitur in pecunia, pollicitatione, diſſimulatione, maturatione, mentione, & ceteris rebus, de quibus magis idoneo tempore loquemur, ſi quando de re militari, aut de adminiſtratione reipublicæ ſcribere velimus. Honeſta res dividitur in rectum, & lauda-

1. *Ex conſulto factum.*] Sic Pall. omnes. Lambinus ſuppoſuit, *ex conſilio*. non video quare, *ex conſulto*, ut *de induſtria*.

2. *Propter imperantem ſuperbiam.*] Iſtud admiſi fide Palatini quarti, neque aliter Bruil. prius cuſi *intemperantem*. ſupra etiam repoſui, *ſacrum legere*, ex Pall. ſec. ac Fabr. alludebatque quintus. in quo, *ſacrum legem*. ſed & præterea reſcribendum *ſtuprare ingenuum*, è quarto Pal. & neſcio quo Gulielmiano, mox ſcripſi *ſollitudine* pro *ſolicitudine*, volentibus Palat. pr. ſec. quinto.

1. NOs *proficiſci ad inſtituta pergemus.*] Vox *proficiſci* ſalva ſententia auferri poterat.

2. *Carthago tollenda.*] Apage illud Lambini commentum *delenda*.

3. *Vis decernitur.*] Sic Pall. & Bruil. maluit Lambinus *diſcernitur*, quàm bene, ipſe viderit. Vulgo erat *ſecernitur*.

laudabile. *Rectum* eſt, quod cum virtute & officio fit. Id dividitur in prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, modeſtiam. Prudentia eſt calliditas, quæ ratione quadam poteſt delectum habere bonorum & malorum. dicitur item prudentia, ſcientia cujuſdam artificii. item appellatur prudentia, multarum rerum memoria, & uſus complurium negotiorum. Juſtitia eſt æquitas, jus unicuique tribuens pro dignitate cujuſque. Fortitudo eſt rerum magnarum appetitio, & rerum humilium contemtio, & laboris cum utilitatis ratione perpeſſio. Modeſtia, eſt in animo continens moderatio cupiditatum.

3 Prudentiæ partibus utemur in dicendo, ſi commoda cum incommodis conferemus, cùm alterum ſequi, vitare alterum cohortabimur: Aut ſi quam ad rem cohortabimur aliquem, cujus rei aliquam diſciplinabilem ſcientiam poterimus habere: & quo modo, aut qua quidque ratione fieri oporteat, oſtendemus: Aut ſi ſuadebimus quippiam, cujus rei geſtæ aut præſentem, aut auditam memoriam poterimus habere: qua in re facilè id, quod velimus, *exemplo allato* perſuadere poſſimus. Juſtitiæ partibus utemur, ſi aut innocentum, aut ſupplicum dicemus miſereri oportere: ſi oſtendemus benè merentibus gratiam referri convenire: ſi demonſtrabimus ulciſci malè meritos oportere: ſi fidem magnopere cenſebimus conſervandam: ſi leges & mores civitatis egregiè dicemus ſervari oportere: ſi ſocietates, atque amicitias ſtudioſè dicemus coli convenire: ſi, quod jus in parenteis, deos, patriam natura comparavit, id religioſè colendum demonſtrabimus: ſi hoſpitia, clientelas, cognationes, affinitates caſtè colendas eſſe dicemus: ſi nec prece, nec pretio, nec gratia, nec periculo, nec ſimultate à via recta oſtendemus deduci oportere: ſi dicemus in omnibus jus æquabile ſtatui convenire. His atque hujuſmodi partibus juſtitiæ ſi quam rem in concione, aut in concilio faciendam cenſebimus, juſtam eſſe oſtendemus: contrariis, injuſtam. Ita fiet, ut eiſdem locis & ad ſuadendum, & ad diſſuadendum ſimus parati. Sin *fortitudinis* retinendæ cauſa faciendum quid eſſe dicemus, oſtendemus, res magnas, & celſas ſequi, & appeti oportere, & item res humileis, & indignas viris fortibus, [1] vel viros fortes propterea contemnere oportere, nec idoneas dignitate ſua judicare. Item à nulla re honeſta, periculi, aut laboris magnitudine deduci oportere: ANTIQUIOREM mortem turpitudine haberi: nullo dolore cogi, ut ab officio recedatur: nullius pro rei veritate metuere inimicitias: quodlibet pro patria, parentibus, hoſpitibus, amicis, & iis rebus, quas juſtitia colere cogit, adire periculum, & quemlibet ſuſcipere laborem. *Modeſtiæ* partibus utemur, ſi nimias libidines honoris, pecuniæ, ſimiliumque rerum vituperabimus. Si unamquamque rem certo naturæ termino definiemus. [2] Si quoad cuique ſatis ſit, oſtendemus, & nimium progredi diſſuadebimus, & modum unicuique rei ſtatuemus. Hujuſmodi partes ſunt virtutis, amplificandæ, ſi ſuadebimus: attenuandæ, ſi ab his dehortabimur, ut hæc attenuentur, quæ ſuprà demonſtravi. Nam nemo erit, qui cenſeat à virtute recedendum: verùm aut res non [3] hujuſmodi dicatur eſſe, ut virtutem poſſimus egregiam experiri, aut in contrariis potius rebus, quàm in his, virtus conſtare oſtendatur. Item ſi quo pacto poterimus, quam is qui contrà dicet, *juſtitiam* vocarit, nos demonſtrabimus ignaviam eſſe, & inertiam, ac pravam libertatem: quam *prudentiam* appellarit, ineptam, & garrulam, & odioſam ſcientiam eſſe dicemus: quam ille *modeſtiam* dicet eſſe, eam nos inertiam, & diſſolutam negligentiam dicemus: quam ille *fortitudinem* nominarit, eam nos gladiatoriam, & inconſideratam appellabimus temeritatem. Laudabile eſt, quod conficit honeſtam & præſentem, & ſequentem commemorationem. 4 Hoc nos eò à recto ſeparavimus, non quòd hæ quattuor partes, quæ ſubjiciuntur ſub vocabulo recti, hanc honeſtatis commemorationem dare non ſoleant: ſed quamquam ex recto laudabile naſcatur, tamen in dicendo ſeorſum tractandum eſt hoc ab illo. Neque enim ſolùm *laudis cauſa* rectum ſequi convenit, ſed ſi laus conſequitur, duplicatur recti appetendi voluntas. [4] Cùm igitur erit demonſtrandum rectum, laudabile eſſe demonſtrabimus aut ab *idoneis* hominibus, ut ſi qua res honeſtiori ordini placeat, quæ à deteriore ordine improbetur: aut ab aliquibus ſociis, aut omnibus civibus, exteris nationibus, poſteriſque noſtris. Cùm hujuſmodi locorum diviſio ſit in conſultatione, breviter aperienda eſt totius tractatio cauſæ. Exordiri licebit, vel à principio, vel ab inſinuatione, vel iiſdem rationibus, quibus in judiciali cauſa. Si cujus rei narratio incidet, eadem ratione narrare oportebit. Quoniam in hujuſmodi cauſis finis eſt utilitas, & ea dividitur in rationem tutam atque honeſtam: ſi utrumque poterimus oſtendere, utrumque pollicebimur nos in dicendo demonſtraturos eſſe: ſin alterum demonſtraturi erimus, ſimpliciter, quòd dicturi ſumus, oſtendemus. At ſi noſtram rationem tutam eſſe dicemus, diviſione utemur in vim, & conſilium. Nam, quod in docendo rei dilucidandæ cauſa *dolum* appellavimus, id in dicendo honeſtius *conſilium* appellabimus. Si rationis noſtræ ſententiam rectam eſſe dicemus, & omnes partes recti incident: quadripartita diviſione utemur. ſi non incident, quot erunt, tot exponemus in dicendo. In confirmatione, & confutatione utemur locis, quos ante oſtendimus, noſtris confirmandis, contrariis confutandis. Argumentationis artificioſæ tractandæ ratio de ſecundo libro petetur. 5

Sed ſi acciderit, ut in conſultatione alteri ab tuta ratione, alteri ab honeſta, ſententia ſit, ut in deliberatione eorum, qui à Pœnis circumſeſſi deliberant quid agant: qui tutam rationem ſequi ſuadebit, his locis utetur: *Nullam rem utiliorem* eſſe incolumitate: virtutibus uti neminem poſſe, qui ſuas rationes in tuto non collocarit: ne deos quidem eſſe auxilio iis, qui ſe inconſultò in periculum mittant: honeſtum nihil oportere exiſtimari, quod non ſalutem pariat. Qui tutæ rei præponet rationem honeſtam, his locis utetur: *virtutem* nullo tempore relinquendam. vel dolorem, ſi is timeatur: vel mortem, ſi ea formidetur, dedecore, & infamia leviorem eſſe: conſiderare, quæ ſit turpitudo conſecutura. At non immortalitatem, neque æternam incolumitatem conſequi: nec eſſe exploratum, illo vitato periculo, nullum in aliud periculum venturos: virtute vel ultrò ad mortem proficiſci, eſſe præclarum: FORTITUDINI fortunam quoque eſſe adjumento ſolere: eum tutè vivere, qui honeſtè vivat, non qui in præſentia incolumis ſit: & eum, qui turpiter vivat, incolumem in perpetuum eſſe non poſſe. Concluſionibus ferè ſimilibus in his, & judicialibus cauſis uti ſolemus, niſi quòd in his maximè conducit quamplurima rerum antè geſtarum exempla proferre. Nunc ad demonſtrativum genus cauſæ tranſeamus.

QUONIAM hæc cauſa dividitur in laudem, & vituperationem, 6 quibus ex rebus laudem conſtituerimus, ex contrariis rebus erit vituperatio comparanda. Laus igitur poteſt eſſe rerum externarum, & corporis, & animi. Rerum externarum ſunt ea, quæ caſu, aut fortuna ſecunda, aut adverſa, accidere poſſunt: ut genus, educatio, divitiæ, poteſtates, [5] gloriæ, civitas, amicitiæ, & quæ hujuſmodi ſunt, & ea, quæ his ſunt contraria. Corporis ſunt ea, quæ natura corpori attribuit commoda, aut incommoda: ut velocitas, vires, dignitas,

1. *Vel viros fortes propterea, &c.*] Addidi è Pal. quarto ſyllabam *vel*; quod *propterea* illud inveniſſem in pluribus Palatinis, quod alioquin Gulielmio tollendum videbatur: vel mutet *propterea* in *præterea*, fide Pal. pr. ac quinti.

2. *Si quoad cuique ſatis, &c.*] Vulgo, *Si denique quid cuique ſatis, &c.* ſed nos vetuſtum loquendi genus repoſuimus, repertum in Pal. tert. quinto, ſexto, item Fabr. & Colonienſi. Plautus Menæchmis: *Verum eſt modus tamen, quoad pati uxorem oportet.*

3. *Hujuſmodi non dicatur eſſe.*] Pal. tert. quar. quin. *dicantur*, quod ferri item queat.

4. *Cum igitur erit demonſtrandum.*] Ita Pal. quart. & ſextus præter Toſanum, Gembl. & Colon. prius cuſi, *demonſtratum.*

5. *Gloriæ, civitas, amicitiæ.*] Sic Pall. omnes item Bruil. & Fabr. recte. nemo enim duarum civitatum eſſe poteſt jure naturæ. & de datione civitatis Romanæ loqui apparet. vulgata, *civitates.*

1. *Anoſtra*

gnitas, valetudo, & quæ contraria ſunt. Animi ſunt ea, quæ conſilio, & cogitatione noſtra conſtant: ut prudentia, juſtitia, fortitudo, modeſtia, & quæ contraria ſunt. Erit igitur hæc confirmatio, & confutatio nobis. In hujuſmodi igitur cauſa principium ſumetur aut à noſtra, aut ab ejus, de quo loquemur, aut ab eorum, qui audient, perſona, aut ab re. [1] A noſtra, ſi laudabimus, dicemus aut *officio* facere, quòd cauſa neceſſitudinis intercedat: aut ſtudio, quòd ejuſmodi virtutis ſit, ut omnes commemorare debeant velle: [2] aut quòd rectum ſit ex aliorum laude oſtendere, qualis noſter animus ſit. Si vituperabimus, aut meritò facere, quòd ita tractati ſimus: aut ſtudio, quòd utile putemus eſſe, ab omnibus unicam malitiam, atque nequitiam cognoſci: aut quòd placeat oſtendi, quid nobis diſpliceat, ex aliorum vituperatione. Ab ejus perſona, de quo loquemur, ſi laudabimus, [3] *vereri* nos dicemus, ut illius facta verbis conſequi poſſimus: omneis homines illius virtutes prædicare oportere: ipſa facta omnium laudatorum eloquentiam anteire. Si vituperabimus; ea, quæ videbimus contraria, paucis verbis commutatis, dici poſſe, dicemus: ut paullò antè exempli cauſa, demonſtratum eſt. Ab auditorum perſona, ſi laudabimus, *quoniam* non apud ignotos laudemus, nos monendi cauſa pauca eſſe dicturos: aut ſi erunt ignoti, ut talem virum velint cognoſcere, petemus: quoniam in eodem virtutis ſtudio ſint, apud quos laudemus, [4] quo ille, qui laudatur, fuerit, aut ſit, ſperare nos facile iis, quibus velimus, hujus facta probaturos. Contraria vituperatio: *quoniam* norint, pauca de nequitia ejus nos eſſe dicturos: quòd ſi ignorent, petemus ut cognoſcant, uti malitiam vitare poſſint: quoniam diſſimiles ſint, qui audiunt atque ille, qui vituperatur, nos ſperare illius vitam vehementer improbaturos. Ab rebus ipſis, *incertos* eſſe, quid potiſſimùm laudemus vereri nos, ne, cùm multa dixerimus, plura prætereamus, & quæ ſimileis ſententias habebunt: quibus ſententiis contra-
7 ria ſumuntur à vituperatione. [5] Principio tractato ab aliqua harum, quas ante commemoravimus, rationum, narratio non erit ulla, quæ neceſſariò conſequatur: ſed ſiqua inciderit, cùm aliquod factum ejus, de quo loquemur, nobis narrandum ſit cum laude, aut vituperatione, præceptio narrandi de primo libro repetetur. Diviſione hac utemur; Primò exponemus, quas res laudaturi ſumus, aut vituperaturi. Deinde ut quæque, quove tempore res erit geſta, ordine dicemus, ut, quid, quamque tutè, cauteque egerit, intelligatur. Sed exponere oportebit animi virtutes, aut vitia. deinde commoda, aut incommoda corporis, aut rerum externarum, quomodo ab animo tractata ſint, demonſtrare. Ordinem hunc adhibere in demonſtranda vita debemus. Ab externis rebus: genus in laude, quibus majoribus natus ſit: *ſi bono genere*, parem, aut excelſiorem fuiſſe: ſi humili genere, ipſum in ſuis, non in majorum virtutibus habuiſſe præſidium. In vituperatione, *ſi bono* genere, dedecori majoribus fuiſſe: ſi malo, tamen his ipſis detrimento fuiſſe. Educatio, in laude, *bene*, & honeſtè, in bonis diſciplinis per omnem pueritiam educatum eſſe: in vituperatione, è contrario. Deinde tranſire oportet ad corporis commoda. A natura, in laude: ſi ſit dignitas, atque forma, laudi fuiſſe eam; non quemadmodum ceteris, detrimento, atque dedecori: ſi vires, atque velocitas egregia; honeſtis exercitationibus, & induſtriis dicemus comparata: [6] ſi valetudo perpetua; diligentia, & temperantia cupiditatum. In vituperatione, ſi erunt hæc corporis commoda, malè his uſum dicemus, quæ caſu & natura, tanquam quilibet gladiator habuerit; ſi non erunt præter formam, omnia ipſius *culpa*, [7] & intemperantia non fuiſſe dicemus. Deinde revertemur ad extraneas res, & in his, animi virtutes, aut vitia quæ fuerint, conſiderabimus: divitiæ, an paupertas fuerit, & quæ poteſtates, quæ gloriæ, quæ amicitiæ, quæ inimicitiæ, & quid fortiter in inimicitiis gerendis fecerit; cujus cauſa ſuſceperit inimicitias, qua fide, benevolentia, officio geſſerit amicitias. In divitiis qualis, aut in paupertate cujuſmodi fuerit: quemadmodum habuerit in poteſtatibus gerendis animum. Si interierit, cujuſmodi *mors* ejus fuerit, cujuſmodi res mortem ejus ſit conſecuta. Ad omneis autem res, 8
in quibus animus hominis maximè conſideratur, illæ quattuor animi virtutes erunt accommodandæ: ut, ſi laudemus, aliud juſtè, aliud fortiter, aliud modeſtè, aliud prudenter factum eſſe dicamus: ſin vituperemus, è contrario, aliud injuſtè, aliud ignavè, aliud immodeſtè, aliud ſtultè factum eſſe dicamus. Perſpicuum eſt jam nimirum ex hac diſpoſitione, quemadmodum ſit tractanda tripartita diviſio laudis & vituperationis, ſi illud etiam aſſumſerimus; non neceſſe eſſe nos omneis has parteis in laudem, aut vituperationem transferre, [8] propterea quòd ſæpe ne incidunt quidem: ſæpè ita tenuiter incidunt, ut non ſint neceſſariæ dictu. quapropter eas parteis, quæ firmiſſimæ videbuntur, legere oportebit. Concluſionibus brevibus utemur, enumeratione ad exitum cauſæ: in ipſa cauſa crebras & breves amplificationes interponemus per locos communeis. Nec hoc genus cauſæ, eò quod rarò accidit in vita, [9] negligentius conſiderandum eſt. NEQUE ENIM id, quod poteſt accidere, ut faciendum ſit aliquando, non oportet velle quam accommodatiſſimè poſſe facere. Et, ſi ſeparatim hæc cauſa minus ſæpe tractatur: at in judicialibus, & in deliberativis cauſis ſæpe magnæ partes verſantur laudis, aut vituperationis. quare in hoc quoque genere cauſæ [10] nonnihil induſtriæ conſummandum putamus. Nunc, abſoluta nobis difficillima parte rhetoricæ, hoc eſt, inventione perpolita, atque ad omne cauſæ genus accommodata, tempus eſt ad ceteras parteis proficiſci. Deinceps igitur de diſpoſitione dicemus. QUO- 9
NIAM diſpoſitio eſt, per quam illa, quæ invenimus, in ordinem redigimus, ut certo quicque loco pronuntietur: videndum eſt, cujuſmodi rationem in diſponendo habere conveniat. Genera diſpoſitionis ſunt duo: unum ab inſtitutione artis profectum: alterum ad caſum temporis accommodatum, Ex inſtitutione *artis* diſponemus, cùm ſequemur eam præceptionem, quam in primo libro expoſuimus,

---

1. *A noſtra ſi laudabimus, dicemus.*] Illud *dicemus* non adeſt in Pall. pleriſque Gulielmianis; poteratque abeſſe ſine ſententiæ incommodo.

2. *Aut quod rectum ſit, ex aliorum laude, &c.*] Pall. omnes rejiciunt hanc poſitionem, habentque *velle quod rectum ſit; aut ex aliorum.* neque aliter Suffridi codd. item Br. ac Fabr.

3. *Vereri nos dicemus, ut illius facta verbis conſequi poſſimus.*] Pal. tert. quart. ſext. Bruil. non agnoſcunt illud *dicemus.* quo carere poſſumus, omnes ii tamen ceterique præter ſecundum, exhibebant *conſequi non poſſimus*, quod Latine dici poſſe hac ſignificatione, ſtrenue negat Lambinus.

4. *Ille qui laudatur, fuerit aut ſit.*] Eſt à Pal. ſec. & Suffridi noſtri libris, quod attinet ad *laudatur.* nam Pall. ceteri omnes inculcant illud *aut ſit*. hactenus libris publicatis ignoratum.

5. *Principio tractato ab aliqua harum quas antea, &c.*] Ita Lambinus, neque aliter Bruil. aut Pal. ſec. quippe ceteri ſpernunt adhuc à ſe illud *ab*: vulgo erat, *Princ. tractato tum ab re, tum ab aliqua harum.*

6. *Si valetudo perpetua, diligentia & temp. cupid.*] Eſt à Pal. quarto & ſexto, neque aliter Beerchenio, codd. quam quod ii præterea *ſi valetudo eſt perp.* inepte huc uſque impreſſi: *ſi valetudo, ex perpetua dilig. &c.* nam *perpetua valetudo*, eadem eſt cum *conſtante*, cui opponitur *varia.*

7. *Et intemperantia non fuiſſe.*] Pall. veriores ignorant negativam. ſecundus vero habet, *& intemp. accidiſſe.* ut videatur reſcribendum, *afuiſſe*, hoc eſt, *abſuiſſe.*

8. *Propterea quod ſæpè ne incidunt quidem. ſæpè ita tenuiter incidunt, ut non ſint neceſſariæ dictu.*] Habentur iſta quidem omnia in Pall. quatuor numero. ſed quartus & ſextus ſolum habent: *propterea quod ſæpe ſe indicant, ut non ſint neceſſaria dictu*, quomodo item fuit in *Bruil.* & verò malim præ vulgatis.

9. *Negligentius conſiderandum eſt.*] Vox penultima alia eſt in Pal. in tert. & quart. item Br. & Fabr. *commendandum.* Gulielmius formabat, *commentandum.*

10. *Nonnihil induſtriæ conſummandum putamus.*] Ita erat in Br. in Pal. pr. & ſexto; cui ultimo ſuperſcriptum, id eſt, *conferendum*, quod deinde irrepſit in contextum. Gulielmius malebat *conſumendum*, uti erat in Fabr. firmatque Pal. tert. Vulgata *putavimus*, poteſt quidem tolerari; dum norint lectores, auctorem de oratoriæ ſtudioſis loqui, non de ipſo ſe, ut hactenus perperam explicarunt.

mus, hoc eſt, ut utamur principio, narratione, diviſione, confirmatione, confutatione, concluſione: & hunc ordinem, quemadmodum præceptum eſt antè, in dicendo ſequemur. Item ex inſtitutione artis, non modò totas cauſas per orationem, ſed per ſingulas quoque argumentationis parteis diſponemus, quemadmodum in ſecundo libro docuimus, id eſt, expoſitionem, rationem, confirmationem rationis, exornationem, complexionem. Hæc igitur duplex diſpoſitio eſt, [1] una per orationes, altera per argumentationes, ab inſtitutione artis profecta. Eſt autem & alia diſpoſitio, quæ, cùm ab ordine artificioſo recedendum eſt, oratoris judicio *ad tempus* accommodatur: ut ſi à narratione dicere incipiamus, aut ab aliqua firmiſſima argumentatione, aut à litterarum aliquarum recitatione: aut ſi ſecundum principium confirmatione utamur: deinde narratione: aut, ſi quam hujuſmodi permutationem ordinis faciamus: quorum nihil, niſi cauſa poſtulet fieri oportebit. Nam ſi vehementer aures auditorum obtuſæ videbuntur, atque animi defatigati ab adverſariis multitudine verborum, commodè poterimus principio ſuperſedere, & exordiri cauſam aut à narratione, aut ab aliqua firma argumentatione. deinde, ſi commodum erit, quia non ſemper neceſſe eſt, ad principii
10 ſententiam reverti licebit. Si cauſa noſtra magnam difficultatem videbitur habere, ut nemo *æquo animo* principium poſſit audire: à narratione cùm inceperimus, ad principii ſententiam revertamur licebit. Si narratio parùm probabilis eſt, exordiemur ab aliqua firma argumentatione. His commutationibus, & tranſlationibus partium ſæpè uti neceſſe eſt, cùm ipſa res artificioſam diſpoſitionem artificiosè commutare cogit. In confirmatione, & confutatione argumentationum diſpoſitiones hujuſmodi convenit habere: firmiſſimas argumentationes *in primis & poſtremis* cauſæ partibus collocare: mediocreis, & neque inutileis ad dicendum, neque neceſſarias ad probandum, quæ ſi ſeparatim ac ſingulæ dicantur, infirmæ ſint, cum ceteris conjunctæ, firmæ, & probabiles fiant, interponi, & in medio collocari oportet. nam re narrata, ſtatim exſpectat animus auditoris, ex qua re cauſa confirmari poſſit. Quapropter continuò firmam aliquam oportet inferre argumentationem. Et quoniam *nuperrimè* dictum facilè memoriæ mandatur, utile eſt, cùm dicere deſinamus, recentem aliquam relinquere in animis auditorum bene firmam argumentationem. Hæc diſpoſitio locorum, tanquam *inſtructio militum*, facillimè in dicendo,
11 ſicut illa in pugnando, parare poterit victoriam. PRONUNTIATIONEM multi maximè utilem oratori dixerunt eſſe, & ad perſuadendum plurimùm valere. [2] nos quidem unum de quinque rebus plurimùm poſſe non facilè dixerimus; [3] nec egregiè magnam eſſe utilitatem in pronuntiatione, audacter confirmaverimus. nam commodæ inventiones, & concinnæ verborum elocutiones, & partium cauſæ artificioſæ diſpoſitiones, & horum omnium diligens memoria, ſine pronuntiatione, non plus, quàm ſine his rebus pronuntiatio ſola valere poterit. Quare, quia nemo de ea re diligenter ſcripſit (nam omnes vix poſſe putarunt de voce, & vultu, & geſtu dilucidè ſcribi, cùm hæ res ad ſenſus noſtros pertinerent) & quia magnopere ea pars à nobis ad dicendum comparanda eſt, non negligenter videtur tota res conſideranda. Dividitur igitur pronuntiatio in *vocis figuram*, & *corporis motum*. Figura vocis, eſt quæ ſuum quemdam poſſidet habitum ratione, & induſtria comparatum. Ea dividitur in treis parteis, magnitudinem, firmitudinem, mollitudinem. Magnitudinem vocis maximè comparat natura, nonnihil hanc auget, ſed maximè conſervat cura. Firmitudinem vocis maximè natura comparat, nonnihil adauget, & maximè conſervat [4] exercitatio declamationis. Mollitudinem vocis, hoc eſt, ut eam *torquere* in dicendo pro noſtro commodo poſſimus, maximè faciet exercitatio declamationis. Quapropter de magnitudine vocis, & firmitudinis parte, quoniam altera natura, altera cura comparatur, nihil ad nos attinet commonere, niſi ut ab iis, qui non inſcii ſunt ejus artificii, ratio curandæ vocis petatur. De ea 12
parte firmitudinis, quæ conſervatur ratione declamationis, & de mollitudine vocis, quæ maximè neceſſaria eſt oratori, quoniam ea quoque moderatione declamationis comparatur, dicendum videtur. Firmam igitur maximè poterimus in dicendo vocem conſervare, ſi quàm maximè ſedata & depreſſa voce principia dicemus. nam læduntur arteriæ, ſi antequàm leni voce permulſæ ſunt, acri clamore compleantur. Etiam intervallis longioribus uti conveniet. recreatur enim vox ſpiritu, & arteriæ reticendo acquieſcunt. Et continuum clamorem remittere, & ad ſermonem tranſire oportet: (*commutationes* enim faciunt, ut [5] nullo genere vocis effuſo in omni voce integri ſimus,) & acutas vocis [6] exclamationes vitare. ictus enim fit, & vulnerantur arteriæ acuta, atque attenuata nimis acclamatione, & ſiquis ſplendor eſt vocis, conſumitur uno clamore univerſus. Et uno ſpiritu continenter multa dicere in extrema convenit oratione. fauces enim calefiunt, & arteriæ complentur, & vox, quæ variè tractata eſt, reducitur in quendam ſonum æquabilem atque conſtantem. Sæpe *rerum* naturæ, gratia quædam jure debetur, velut accidit in hac re. nam quæ diximus ad vocem ſervandam prodeſſe, [7] eadem attinent ad ſuavitatem pronunciationis: ut, quod noſtræ voci proſit, idem voluptate auditoris probetur. Utile eſt ad firmitudinem vocis, ſedata vox in principio. quid inſuavius, quàm clamor in exordio cauſæ? Intervalla vocem confirmant: eadem ſententias concinniores diviſione reddunt, & auditori ſpatium cogitandi relinquunt. Conſervat vocem continui clamoris remiſſio. Et auditorem quidem *varietas* maximè delectat; cùm ſermone animum ejus retinet, aut exſuſcitat clamore. Acuta exclamatio vocem, & fauceis vulnerat: eadem lædit auditorem. habet enim quiddam illiberale, & ad muliebrem potiùs vociferationem, quàm ad virilem dignitatem in dicendo accommodatum. In extrema oratione continens vox remedio eſt voci. quid? hæc eadem nonne animum vehementiſſimè calefacit auditoris, in totius concluſione cauſæ? Quoniam igitur res eædem vocis firmitudini, & pronuntiationis ſuavitudini proſunt, de utraque re ſimul erit in præſentia dictum, [8] de firmitudine quæ viſa ſunt, de ſuavitate, quæ conjuncta fuerunt: cætera ſuo loco paullo poſt dicemus. Mollitudo igitur vocis, quoniam omnis ad 13
rhetoris præceptionem pertinet, diligentiùs nobis conſideranda eſt. Eam dividimus in ſermonem, contentionem, amplificationem. Sermo eſt oratio remiſſa, & finitima quotidianæ locutioni. Contentio eſt oratio acris, & ad confirmandum, & confutandum accomodata. Amplificatio, eſt oratio, quæ aut ad iracundiam inducit, aut ad miſericordiam *trahit* auditoris animum. Sermo dividitur in parteis quat-

1. *Una per orationes, altera per argumentationes.*] Sic Palatini omnes præter ſecundum, in quo, *orationis, altera per argumentationis partes*. Suffridus noſter ait fuiſſe in ſuis *orationem* & *argumentationem*; quod verius eſſe, ex ſuperioribus planum putabat Gulielmius.

2. *Nos quidem unum de quinque rebus plurimum poſſe, non, &c.*] Secuti ſumus auctoritatem Pal. quarti, ſexti, & Bruil. nam recepta lectio: *Nos quid unum, &c. plurimum proſit, non, &c.*

3. *Nec egregie magnam.*] Videtur illa negativa adverſari periodo ſubſervienti. & verò Pal. quartus ſervat, *& egregiè*, ut videatur retrahenda adhuc litera à voce præcedenti, quò fieret *ſed*; aut reſcribendum, *at*.

4. *Exercitatio declamationis.*] Palat. ſec. quart. ſext. *exercitatio imitationis.* quod fere malim; imò omnino. nam *exercitatio declamationis*, ſervit magis *mollitudini vocis*, quæ mox ſequitur.

5. *Nullo genere vocis effuſo.*] Hoc ait, ſi neque contentione, neque ſermone exhauriantur vires, in omni vocis genere integros nos fore, & ab uno ad alterum poſſe tranſire: hæc Gulielmius.

6. *Exclamationes vitare.*] Hoc modo erat in Pal. quarto, ſexto, Bruil. nonnulliſque Lambini, ſubintelligiturque ſuperius *oportet*. vulgata addidit, *vitare debemus*.

7. *Eadem attinent ad ſuavitatem pronuntiationis.*] Bruil. & Pal. quart. *eadem etiam oſtentatione fit*, neque aliter ſextus, niſi quod is, *item attinent*.

8. *De firmitudine quæ viſa ſunt.*] Lambinus delet tres poſtremas dictiones; ſed libris invitis, neque favente orationis contextu.

quattuor, dignitatem, demonſtrationem, narrationem, jocationem. Dignitas, eſt oratio cum aliqua gravitate, & vocis remiſſione. Demonſtratio, eſt quæ docet remiſſa voce, quomodo quid fieri potuerit, aut non potuerit. Narratio, eſt rerum geſtarum, aut perinde ut geſtarum, expoſitio. Jocatio, eſt oratio, [1] quæ ex aliqua re *riſum* pudentem, & liberalem poteſt comparare. Contentio dividitur in continuationem, & diſtributionem. Continuatio, eſt orationis enuntiandæ acceleratio clamoſa. Diſtributio, eſt in contentione oratio frequens, cum raris, & brevibus intervallis, acri vociferatione. Amplificatio dividitur in cohortationem, & conqueſtionem. Cohortatio eſt, quæ aliquod peccatum amplificans, auditorem ad *iracundiam* adducit. Conqueſtio eſt oratio, quæ incommodorum amplificatione animum auditoris ad miſericordiam perducit. Quoniam igitur mollitudo vocis in treis parteis diviſa eſt, & hæ partes ipſæ in octo parteis alias diſtributæ, harum octo partium quæ cujuſque
14 idonea pronuntiatio ſit, demonſtrandum videtur. Sermo,
cùm eſt in dignitate, plenis faucibus quàm ſedatiſſima, & depreſſiſſima voce uti conveniet: ita tamen, ut ne ab oratoria conſuetudine ad tragicam tranſeamus. Cùm autem eſt in demonſtratione, voce paullulum attenuata, crebris intervallis, & diviſionibus uti oportebit: ut ipſa pronuntiatione eas res, quas demonſtrabimus, [2] inſerere, atque interſecare videamur in animis auditorum. Cùm autem ſermo in narratione eſt, tum vocum *varietate* opus eſt, ut, quo quidque pacto geſtum ſit, ita narrari videatur. Strenuè quod volumus oſtendere factum, celeriuſculè dicemus: [3] at aliud otioſè, retardabimus. Deinde modò acriter, tum clementer, mæſtè, hilariter in omneis parteis commutabimus, ut verba, ita pronuntiationem. Siqua inciderint in narratione dicta, rogata, reſponſa, ſi quæ admirationes, de quibus nos narrabimus: diligenter animum advertemus, ut omnium *perſonarum* ſenſus, atque animos voce exprimamus. Sin erit ſermo in jocatione, leniter tremebunda voce, cum parva ſignificatione riſus, [4] ſine ulla ſuſpicione mimæ cachinnationis leniter oportebit à ſermone ſerio torquere ad liberalem jocum vocem. Cùm autem contendere oportebit, quoniam id aut per continuationem, aut per diſtributionem faciendum eſt, in continuatione, adaucto mediocriter ſono vocis, verbis continuandis, vocem quoque adaugere oportebit, & torquere ſonum, & celeriter cum clamore verba conficere, ut vim volubilem orationis vociferatio conſequi poſſit. In diſtributione vocem ab imis faucibus exclamatione quàm clariſſima adhibere oportet: & quantum ſpatii per ſingulas exclamationes ſumſerimus, tantum in ſingula intervalla ſpatii conſumere jubemur. In amplificationibus, cum cohortatione utemur [5] voce *attenuatiſſima*, clamore leni, ſono æquali, commutationibus crebris, maxima celeritate. In conqueſtione utemur voce depreſſa, inclinato ſono, crebris intervallis, longis ſpatiis, magnis
15 commutationibus. De figura vocis ſatis dictum eſt: nunc
de corporis motu dicendum videtur. *Motus* eſt corporis geſtus, & vultus moderatio quædam, quæ pronuntianti convenit, & probabiliora reddit ea, quæ pronuntiantur. Convenit igitur in vultu pudorem & acrimoniam eſſe: In geſtu nec venuſtatem conſpicuam, nec turpitudinem eſſe, ne aut hiſtriones, aut operarii videamur eſſe. Ad eaſdem igitur parteis, in quas vox eſt diſtributa, motus quoque corporis ratio videtur eſſe accommodanda. Nam ſi erit ſermo cum dignitate, ſtanteis in veſtigio, levi dexteræ motu loqui oportebit, hilaritate, triſtitia, mediocritate vultus ad ſermonis ſententias accommodata. Sin erit in demonſtratione, ſermo, paullulum corpus à cervicibus demittemus. Nam hoc eſt à natura datum, ut quàm proximè tum vultum admoveamus *ad auditores*, ſi quam rem docere eos, & vehementer inſtigare velimus. Sin erit in narratione ſermo; idem motus poterit idoneus eſſe, qui paullo antè demonſtrabatur in dignitate. Sin in jocatione; vultu quandam debebimus hilaritatem ſignificare, ſine commutatione geſtus. Si contendemus per continuationem, brachio celeri, mobili vultu, acri aſpectu utemur. Sin contentio fiet per diſtributionem, celeri porrectione brachii, inambulatione, pedis dextri rara ſupplauſione, acri, & defixo aſpectu uti oportebit. Sin utemur amplificatione per cohortationem, paullo tardiore & conſideratiore geſtu conveniet uti, ſimilibus ceteris rebus, atque in contentione per continuationem. Sin utemur amplificatione per conqueſtionem, fœmineo plangore, & capitis ictu, nonnunquam ſedato & conſtanti geſtu, mæſto, & conturbato vultu uti oportebit. Non ſum neſcius, quantum ſuſceperim negotii, qui motus corporis exprimere verbis, imitari ſcriptura conatus ſim voces. Verum nec hoc confiſus ſum poſſe fieri, ut de his rebus ſatis commodè ſcribi poſſet: nec, ſi id fieri non poſſet, hoc, quod feci, fore inutile putabam, propterea quòd hîc admonere voluimus, quod oporteret: reliqua trademus exercitationi. Hoc ſcire tamen oportet pronuntiationem bonam id perficere, ut res *ex animo* agi videatur. Nunc ad theſaurum inventorum, atque omnium partium rhetoricæ cuſtodem,
memoriam tranſeamus. MEMORIA utrùm habeat [6] quid- 16
quam artificioſi, an omnis à natura proficiſcatur, aliud dicendi tempus magis idoneum dabitur. Nunc perinde atque conſtet in hac re multùm valere artem & præceptionem, ita ea de re loquemur. placet enim nobis [7] eſſe artificium memoriæ: quare placeat, alias oſtendemus: in præſentia cujuſmodi ea ſit, aperiemus. Sunt igitur duæ memoriæ: una naturalis, altera artificioſa. Naturalis eſt ea, quæ noſtris animis inſita eſt, [8] & ſimul cum cogitatione nata. Artificioſa eſt ea, quam confirmat inductio quædam, & ratio præceptionis. Sed quia in ceteris rebus INGENII bonitas imitatur ſæpè doctrinam, ars porrò, naturæ commoda confirmat & auget: ita fit in hac re, ut nonnunquam naturalis memoria, ſi cui data eſt egregia, ſimilis ſit huic artificioſæ. Porrò hæc artificioſa, naturæ commoda retinet, & amplificat ratione doctrinæ. Quapropter & naturalis memoria præceptione confirmanda eſt, ut ſit egregia: & hæc, quæ doctrina datur, indiget ingenii. Nec hoc magis, aut minus in hac re, quàm in ceteris artibus fit, [9] ut *ingenio, doctrina*; præceptione, natura niteſcat. Quare & illis, qui natura memores ſunt, utilis hæc erit inſtitutio: quod tute paullo poſt poteris intelligere. Quòd ſi illi freti ingenio noſtra præceptione non indigerent, tamen juſta cauſa daretur, quare iis, qui minus ingenii habent, adjumento velimus eſſe. Nunc de *artificioſa memoria* loquemur. Conſtat igitur artificioſa memoria ex locis & imaginibus. Locos appellamus eos, qui breviter, perfectè, inſignitè, aut natura, aut manu ſunt abſoluti,

1. *Quæ ex aliqua re riſum.*] Pal. quart. ſext. Bruil. *re veriſimili riſum.* qui libri nihil temere addunt.

2. *Inſerere atque interſecare.*] Ita libri noſtri, præter quàm quod in quibuſdam *inſecare*, vel *interſetare*. Gulielmius maluit *inſectare*. etiam legi poſſet *interjectare*, argutius forſan & Latinius.

3. *At aliud otioſe, retardabimus.*] Diſtinctio eſt à Gulielmio. *Strenue*; eſt celeriter, induſtrie: contra *otioſe*, ſecurè, negligenter. nec aliter Plautus aut Terentius.

4. *Sine ulla ſuſpicione animæ cachinnationis.*] Manuſcripti noſtri ita ſcripti ſunt, ut videri poſſit *nimiæ*, quemadmodum vulgatum hactenus. aut adeo *mimæ*, uti erat diſerte in Fabriciano, & heic propriè quadrat.

5. *Voce attenuatiſſima.*] Palat. quart. & ſext. *attentiſſima*; neque aliter Bruilerienſe exemplar.

6. *Quiddam artificioſi.*] Sic Pal. quart. ſext. Gemb. Br. & Lilienſis, *artificioſum*, quod ex arte factum; cui contrarium naturale. vulgata *artificii*.

7. *Eſſe artificium memoriæ.*] Ita iidem ſcripti, nec non Pal. ſec. alii tamen *memoriam*, quod exhibet editio Victorii.

8. *Et ſimul cum cogitatione nata.*] Pal. quart. Bruil. Gembl. item margo Liliani & Toſani, *& ſine multa concitatione*. ſed non abeo a vulgata quæ & ipſa commoda eſt.

9. *Ut ingenio doctrina, præceptione natura niteſcat.*] Ita omnes mſſ. noſtri. ſententia eſt; ut in omnibus artibus, ita & in hac memoriæ, niteſcere doctrinam, ſi ſortita ſit ingenium docile, & naturam vel optimam magis exſplendeſcere, ſi præceptionum adhibita ſit ratio.

3. Quod

ſoluti; ut eos facilè naturali memoria comprehendere & amplecti queamus, ut ædes, intercolumnium, angulum, fornicem, & alia, quæ his ſimilia ſunt. Imagines, ſunt formæ quædam, & notæ, & ſimulacra ejus rei, quam meminiſſe volumus: quod genus, equi, leones, aquilæ, quorum memoriam ſi volemus habere, imagines eorum certis in locis collocare nos oportebit. Nunc, cujuſmodi locos invenire, & quo pacto reperire, & in locis imagines conſtituere
17 oporteat, oſtendemus. Quemadmodum igitur qui *litteras* ſciunt, poſſunt id, [1] quod dictatum eſt, ſcribere, & recitare quod ſcripſerunt: ita qui μνημονικὰ didicerunt, poſſunt, quæ audierunt, in locis collocare, & ex his memoriter pronuntiare. Loci enim ceræ, aut chartæ ſimillimi ſunt: imagines, litteris: diſpoſitio & collocatio imaginum, ſcripturæ: pronuntiatio, lectioni. Oportet igitur, ſi volumus multa meminiſſe, multos nobis locos comparare, ut in multis locis multas imagines collocare poſſimus. Item putamus oportere ex ordine hos locos habere, nequando perturbatione ordinis impediamur, quo ſecius quoto, quoque loco libebit, vel à ſuperiore, vel ab inferiore, vel à media parte imagines ſequi, ut ea, quæ mandata locis erunt, [2] edere, &
18 proferre poſſimus. Nam ut, ſi in ordine ſtanteis notos complureis viderimus, nihil noſtra interſit, utrùm à ſummo, an ab imo, an ab medio nomina eorum dicere incipiamus: item in locis ex ordine collocatis eveniet, ut in quamlibet partem quoto, quoque loco libebit, imaginibus commoniti dicere poſſimus id, quod locis mandaverimus. Quare, placet & ex ordine locos comparare; & locos, quos aſſumſerimus, egregiè [3] commeditari oportebit, ut perpetuò nobis hærere poſſint. nam imagines, ſicut *litteræ*, delentur, ubi nihil illis utimur: loci, tanquam *cera*, remanere debent. Et, ne fortè in numero locorum falli poſſimus, quintum quemque locum placet notari: quod genus, ſi in quinto loco manum auream collocemus, & ſi in decimo aliquem notum, cui prænomen ſit *Decimo*: deinde facile erit ſimi-
19 leis notas quinto quoque loco collocare. Item commodius eſt in derelicta, quam in celebri regione locos comparare: propterea quòd frequentia, & obambulatio hominum conturbat, & infirmat imaginum notas: ſolitudo conſervat integras ſimulacrorum figuras. [4] Præterea diſſimiles forma, atque natura loci comparandi ſunt, ut diſtinctè interlucere poſſint. nam ſiquis multa intercolumnia ſumſerit, *conturbabitur* ſimilitudine locorum, ut ignoret, quid quoquo in loco collocarit. [5] Et magnitudine modica, & mediocreis locos habere oportet. nam & præter modum ampli, vagas imagines reddunt, & nimis anguſti, ſæpe non videntur poſſe capere imaginum collocationem. Tum nec nimis illuſtreis, nec vehementer obſcuros locos haberi oportet, ne obcæcentur tenebris imagines, aut ſplendore præfulgeant. Intervalla locorum mediocria eſſe placet, ferè paulo plus, aut minus [6] pedum tricenûm. Nam ut *aſpectus*, ita cogitatio minus valet, ſive nimis procul removeris, ſive vehementer propè admoveris id, quod oportet videri. Sed quanquam facile eſt ei, qui paullo plura exploraverit, quamvis multos, & idoneos locos comparare: tamen ſiquis ad iſta ſatis idoneos invenire ſe non putabit, ipſe ſibi conſtituat quàm volet multos licebit. Cogitatio enim quamvis regionem poteſt amplecti, & in ea ſitum loci cujuſdam ad ſuum arbitrium fabricari & architectari. Quare licebit, ſi hac prompta copia contenti non erimus, noſmetipſos nobis cogitatione noſtra regionem conſtituere, & idoneorum locorum commodiſſimam diſtinctionem comparare. De locis ſatis dictum eſt: nunc ad imaginum rationem tranſea-
mus. Quoniam ergo rerum ſimileis imagines eſſe opor- 20
tet, & ex omnibus verbis notas nobis ſimilitudines eligere debemus, duplices ſimilitudines eſſe debent: unæ *rerum*, alteræ *verborum*. Rerum ſimilitudines exprimuntur, cùm ſummatim ipſorum negotiorum imagines comparamus. Verborum ſimilitudines conſtituuntur, cùm uniuſcujuſque nominis, & vocabuli memoria imagine notatur. Rei totius memoriam ſæpe una nota, & imagine ſimplici comprehendemus, hoc modo: Ut, ſi accuſator dixerit, *ab reo* hominem veneno necatum: & hereditatis cauſa factum arguerit, & ejus rei multos dixerit teſteis, & conſcios eſſe: ſi hoc primùm, ut ad defendendum nobis expeditum ſit, meminiſſe volemus: in primo loco rei totius imaginem conformabimus: ægrotum in lecto cubantem faciemus ipſum illum, de quo agetur, ſi formam ejus detinebimus. [7] ſi eum non agnoverimus: aliquem ægrotum [8] non de minimo loco ſumemus, ut citò in mentem venire poſſit, & reum ad lectum ejus adſtituemus, dextra poculum, ſiniſtra tabulas, medico teſticulos arietinos tenentem. Hoc modo & teſtium & hereditatis, & veneno necati memoriam habere poterimus. Item deinceps cetera crimina ex ordine in locis ponemus: &, quotieſcumque rem meminiſſe volemus, ſi formarum diſpoſitione, & imaginum diligenti notatione utemur, facilè ea, quæ volemus, memoria conſequemur.
Cum *verborum ſimilitudines* imaginibus exprimere vole- 21
mus, plus negotii ſuſcipiemus, & magis ingenium noſtrum exercebimus. Id nos hoc modo facere oportebit. [9] *Jam domuitionem reges Atridæ parant.* In loco conſtituere oportet manus ad cœlum tollentem Domitium, cùm à regibus Martiis loris cædatur. Hoc erit, *Jam domuitionem reges.* In altero loco Æſopum & Cimbrum [10] ſubornare Iphigeniam, Agamemnonem & Menelaum: hoc erit, *Atridæ parant*, hoc modo omnia verba erunt expreſſa. Sed hæc imaginum conformatio tum valet, ſi naturalem memoriam exſuſcitaverimus hac notatione, ut, verſu poſito, ipſi nobiſcum primùm tranſeamus bis, aut ter eum verſum, deinde cum imaginibus verba exprimamus. hoc modo naturæ ſuppeditabit doctrina. [11] nam utraque altera ſeparata minus erit firma: ita tamen ut multo plus in doctrina atque arte præſidii ſit. Quod docere non gravaremur, ni metueremus, ne, cùm ab inſtituto noſtro receſſiſſemus, minùs commodè ſervaretur hæc dilucida brevitas præceptionis. Nunc, quoniam ſolet accidere, ut imagines partim firmæ, & ad monendum idoneæ ſint, partim imbecilles, & infirmæ, quæ vix memoriam poſſint excitare: qua de cauſa utrumque fiat, conſiderandum eſt, ut, cognita cauſa, quas vitemus, & quas ſe-
quamur imagines, ſcire poſſimus. Docet igitur nos ipſa 22
natura,

1. *Quod dictatum eſt ſcribere.*] Edidi *dictatum*, ejecto vulgari *dictum* è Pal. ſec. quart. ſexto, &c. notum enim *dictatores* fuiſſe, qui ſcribis ſuggererent quod exciperent; vel ex joco Cæſaris apud Suetonium, negantis *Sullam ſciviſſe literas*, quod depoſuiſſet Dictaturam.

2. *Edere & proferre poſſimus.*] Apparet loco vocis primæ fuiſſe aliquid, librariis minus cognitum. nam vacuum relictum eſt in Palat. ſec. primus verò habet *dicere.* quintus *videre.* an fuit *educere?*

3. *Commeditari oportebit.*] Magis placebat Gulielmio quod in ſuis invenerat Suffridus, *commoditerque notare.* & vero ita quoque erat in Palat. quarto, ſexto, Colonienſi, ſed ſine enclitica.

4. *Præterea diſſimiles forma atque natura.*] Palat. ſec. quart. ſext. *propterea*, quidam etiam *diſſimili.*

5. *Et magnitudine modica, & mediocreis locos, &c.*] Fabricianus: *id eſt mediocres*: adeo ut Gulielmius habeat *& mediocres* pro gloſſemate. erat in Pal. quinto, *ex magn. modica.* quod excutient quibus otium eſt, quo careo.

6. *Pedum tricenum.*] Palat ſecundus *trigenum*, pr. *tricencium.* Delbenius legendum cenſet, *trinum pedum.* Pal. pr. ait eſſe qui legant *triginta.*

7. *Si eum non agnoverimus.*] Palat. quartus & ſextus excludunt, *agnoverimus*; probem, ſi & tolleretur una, *eum.* Gulielmius maluiſſet *cognoverimus.*

8. *Non de minimo loco.*] Pall. iidem non agnoſcunt negativam.

9. *Jam domuitionem reges Atridæ parant.*] Eſt à Victoriana. nam prius impreſſi, *domi uitionem*, quod ſervant Pall. omnes; etiam Bruil. & Fabr. nec non ii quos excuſſit Petrejus. eique ſcripturæ patrocinatur Gulielmius.

10. *Subornare Iphigeniam, Agamemnonem & Menelaum.*] Quot excuſſi Palat. totidem inveni lectiones variantes. meliores tamen inclinabant, in *ſubornari ut ad Iphigeniam in Agamemnonem & Menelaum.*

11. *Nam utraque altera ſeparata minus erit firma.*] Pall. meliores: *nam cum ex utraque altera eſt parata, magis erit firma.* Toſ. Gembl. Br. *nam cum ex utraque ab altera eſt parata, minus erit infirma.*

natura, quid oporteat fieri. nam ſi quas res in vita videmus parvas, uſitatas, quotidianas, eas meminiſſe non ſolemus: propterea quod NULLA NISI nova, aut admirabili re commovetur animus. at ſi quid videmus, aut audimus egregiè turpe, aut honeſtum, inuſitatum, magnum, [1] incredibile, ridiculum, id diu meminiſſe conſuevimus. Itemque quas res ante ora videmus, aut audimus, obliviſcimur plerumque: quæ acciderunt in *pueritia*, meminimus optime ſæpe: nec hoc alia de cauſa poteſt accidere, niſi quòd uſitatæ res facilè è memoria elabuntur, inſignes, & novæ manent diutius. SOLIS exortus, curſus, occaſus nemo admiratur, propterea quod quotidie fiunt: at eclipſeis ſolis mirantur, quia raro accidunt: & ſolis eclipſeis magis mirantur, quàm lunæ, quoniam hæ crebriores ſunt. Docet ergo ſe natura, vulgari, & uſitata re non exſuſcitari: novitate verò, & inſigni quodam negotio commoveri. Imitetur igitur ars naturam, & quod ea deſiderat, inveniat: quod oſtendit, ſequatur. NIHIL eſt enim, quod aut natura extremum invenerit, aut doctrina primum: ſed rerum principia ab ingenio profecta ſunt, & exitus diſciplina comparantur. Imagines igitur nos in eo genere conſtituere oportebit, quod genus manere in memoria diutiſſimè poteſt. id accidet, ſi quàm maximè notas ſimilitudines conſtituemus: ſi non mutas, nec vagas, ſed aliquid notum agenteis imagines ponemus: ſi egregiam pulchritudinem, aut unicam turpitudinem eis attribuemus: ſi aliqua re exornabimus, ut ſi coronis, aut veſte purpurea, [2] quo nobis notatior ſit ſimilitudo: aut ſiqua re deformabimus, ut ſi cruentam, aut cœno oblitam, aut rubrica delibutam inducemus, quo magis inſignita ſit forma: aut ſi ridiculas res aliquas imaginibus attribuemus. nam ea res quoque faciet, ut facilius meminiſſe poſſimus. Nam, quas res veras facilè meminimus, eaſdem fictas, & diligenter notatas meminiſſe non eſt difficile. Sed illud facere oportebit, ut identidem primos quoſque locos imaginum renovandarum cauſa celeriter animo percurramus.
23 Scio, pleroſque Græcos, qui de memoria ſcripſerunt, feciſſe, ut multorum verborum imagines conſcriberent, uti, qui eas ediſcere vellent, paratas haberent, nequid in quærendo operæ conſumerent: quorum rationem aliquot de cauſis improbamus: primùm, quòd in verborum innumerabilium multitudine ridiculum ſit mille verborum imagines comparare. Quantulum enim poterunt hæc valere, cùm ex infinita verborum copia, modò aliud, modò aliud nos verbum meminiſſe oportebit? Deinde cur volumus ab induſtria quemquam removere, ut nequid ipſe quærat, cùm illi omnia parata, quæſitaque tradamus? Præterea ſimilitudine alia alius magis commovetur. Nam ut ſæpè formam ſiquam ſimilem cuipiam dixerimus eſſe, non omneis habemus *aſſenſores*, quòd alii videtur aliud: ita fit in imaginibus, ut, quæ nobis diligenter notæ ſint, eæ parum videantur inſignes aliis. Quare ſibi quemque ſuo commodo convenit imagines comparare. Poſtremò præceptoris eſt docere, quemadmodum quæri quidque conveniat, & unum aliquod, aut alterum, non omnia, quæ ejus generis erunt, exempli cauſa ſubjicere, quo res poſſit eſſe dilucidior. ut cùm de proœmiis quærendis diſputamus, rationem damus quærendi, non mille proœmiorum genera conſcribimus: ita arbitramur de imaginibus fieri convenire. Nunc, ne 24
forte verborum memoriam, aut nimis difficilem, aut parum utilem arbitreris, & ipſarum memoria rerum contentus ſis, quòd & utiliores ſint, & plus habeant facilitatis: admonendus es, quare verborum memoriam non improbemus. Nam putamus oportere, eos, qui velint res faciliores ſine labore, & moleſtia facilè meminiſſe, in rebus difficilioribus eſſe antè exercitatos. Nec nos hanc verborum memoriam inducimus, ut verſus meminiſſe poſſimus, ſed ut hac exercitatione, illa rerum memoria, quæ pertinet ad utilitatem, confirmetur: ut ab hac difficili conſuetudine ſine labore ad illam facilitatem tranſire poſſimus. Sed cùm IN OMNI diſciplina infirma eſt artis præceptio ſine ſumma aſſiduitate exercitationis, tum verò in μνημονικοῖς minimùm valet doctrina, niſi induſtria, ſtudio, labore, diligentia comprobetur. Quàm plurimos locos ut habeas, & quàm maximè ad præcepta accommodatos, curare debebis. In imaginibus collocandis exerceri quotidie conveniet. Non enim ſicut à ceteris ſtudiis abducimur nonnunquam occupatione, ita ab hac re nos poteſt cauſa deducere aliqua. Nunquam eſt enim, quin aliquid memoriæ tradere velimus, & tum maxime, cùm aliquo majore negotio detinemur. Quare cùm ſit utile, facilè meminiſſe, non te fallit, quod tantopere utile ſit, quanto labore ſit appetendum: quod poteris exiſtimare, utilitate cognita. Pluribus verbis ad eam te hortari non eſt ſententia, ne aut tu noſtro, aut nos [3] tuo ſtudio diffiſi; aut minus, quàm res poſtulat, dixiſſe videamur. De quinta parte rhetoricæ deinceps dicemus: tu primas quaſque parteis in animo frequenta, &, quòd maximè neceſſe eſt, exercitatione confirma.

RHETORICORUM
AD
C. HERENNIUM,
LIBER QUARTUS.

1 QUONIAM in hoc libro, C. Herenni, de elocutione conſcripſimus, & quibus in rebus opus fuit exemplis uti, noſtris exemplis uſi ſumus: & id fecimus præter conſuetudinem Græcorum, qui de hac re ſcripſerunt: neceſſariò faciendum eſt, ut paucis rationem noſtri conſilii demus. Atque hoc nos neceſſitudine facere, non ſtudio, ſatis erit ſigni, quod in ſuperioribus libris nihil neque ante rem, neque præter rem locuti ſumus. Nunc, ſi pauca, quæ res poſtulat, dixerimus, tibi id, quod reliquum eſt artis, ita, ut inſtituimus, perſolvemus. Sed faciliùs noſtram rationem intelliges, ſi priùs, quid illi dicant, cognoveris. Compluribus de cauſis putant oportere, cùm ipſi præceperint, quo pacto oporteat ornare elocutionem, uniuſcujuſque generis ab oratore, aut poëta probato ſumtum ponere *exemplum*. Et primùm

1. *Incredibile, ridiculum, id diu, &c.*] Pal. quintus ſubjicit *periculoſum.* ſed primus id poſitam habet in vicem *ridiculum.* neque aliter Fabr. & mſſ. Suffridi: veriuſque putabat Guliel. nam *periculi* ſane tenaciſſima eſt memoria; & de *ridiculo* infra agit; ita ut ſimul innuat ſe de ea antea non meminiſſe.

2. *Quo nobis notatior ſit.*] Ita Br. & tres e Pall. vulgata *notior*, Pal. ſec. *notabilior* præfert.

3. *Tuo ſtudio diffiſi.*] Haud aliter Pall. aut quos conſuluit Suffridus. poſterius cuſi, *diffidere.* minus recte; pendent enim iſthæc ab ſubſequenti *videamur.*

1. *Juli-*

mùm ſe id modeſtia commotos facere dicunt, propterea quòd videatur eſſe oſtentatio quædam, non ſatis habere præcipere de artificio, ſed ipſos etiam videri velle artificiosè gignere exempla: hoc eſt, inquiunt, oſtentare ſe, non oſtendere artem. Quare pudor in primis eſt ad eam rem impedimento, ne nos ſolos probare, nos amare, alios contemnere, & deridere videamur. Etenim cùm poſſimus ab Ennio ſumtum, aut à Graccho ponere exemplum, videtur eſſe arrogantia, illa relinquere, & ad ſua devenire. Præterea EXEMPLA teſtimoniorum locum obtinent. Id enim, quod admonuerit, & leviter fecerit præceptio, exemplo, ſicut teſtimonio comprobatur. Non igitur ridiculus ſit, ſiquis in lite, aut in [1] judicio, domeſticis teſtimoniis pugnet, & ſui ipſius abutatur exemplo? Ut enim teſtimonium, ſic exemplum, rei confirmandæ cauſa ſumitur. Non ergo oportet hoc, niſi à probatiſſimo ſumi, ne quod aliud confirmare debeat, egeat ipſum confirmationis. Etenim neceſſe eſt aut ſe omnibus anteponant, & ſua maximè probent: aut negent optima eſſe exempla, quæ à probatiſſimis oratoribus, aut poëtis ſumta ſunt. Si ſe omnibus anteponant, intolerabili arrogantia ſunt; ſiquos ſibi præponant, & eorum exempla ſuis exemplis non putent præſtare: non poſſunt dicere,
2 quare ſibi illos anteponant. Quid igitur ipſa *auctoritas antiquorum*? nam cùm res, probabiliores, tum hominum ſtudia, ad imitandum alacriora reddit: immò erigit omnium cupiditates, & acuit induſtriam, cùm ſpes injecta eſt, poſſe imitando, Gracchi, aut Craſſi conſequi facultatem. Poſtremò hoc ipſum eſt ſummum artificium, res varias, & diſpareis in tot poëmatibus, & orationibus ſparſas, & vagè disjectas, ita diligenter eligere, ut unumquodque genus exemplorum ſub ſingulos artis locos ſubjicere poſſis. Hoc ſi induſtria ſolùm fieri poſſet, tamen eſſemus laudandi, cùm talem laborem non fugiſſemus: nunc verò ſine ſummo artificio non poteſt fieri. Quis eſt enim, qui non, cùm ſummè teneat artem, poſſit ea, quæ jubeat ars, de tanta, & tam diffuſa ſcriptura notare, & ſeparare? Ceteri, cùm legunt orationes bonas, aut poëmata, probant oratores, & poëtas, neque intelligunt, qua re commoti probent: quòd ſcire non poſſunt, ubi ſit, nec quid ſit, nec quo modo factum ſit id, quod eos maximè delectet. At is, qui & hæc omnia intelligit, & idonea maximè eligit, & omnia in arte maximè ſcribenda, redigit in ſingulas rationes præceptionis, neceſſe eſt ejus rei ſummus artifex ſit. Hoc igitur ipſum maximum artificium eſt, in arte ſua poſſe & *alienis exemplis* uti. Hæc illi cùm dicunt, magis nos auctoritate ſua commovent, quàm veritate diſputationis. Illud enim veremur: necui ſatis ſit ad contrariam rationem probandam, [2] quod ab ea parte ſteterint ii, qui & inventores hujus artificii fuerunt, & *vetuſtate* jam ſatis omnibus probati ſunt. Quòd ſi, illorum auctoritate remota, res omneis volent cum re comparare: intelligent, NON OMNIA eſſe concedenda antiquita-
3 ti. Primùm igitur, quod ab eis de modeſtia dicitur, videamus, [3] ne nimiùm pueriliter proferatur. Nam ſi tacere, & nihil ſcribere modeſtia eſt, cur quicquam ſcribunt, aut loquuntur? Sin aliquid ſuum ſcribunt: cur, quo ſecius omnia ſcribant, impediuntur modeſtia? Quaſi ſi quis ad Olympiacum venerit curſum, & ſteterit, ut mittatur, impudenteiſque illos dicat eſſe, qui currere cœperint, ipſe intra carceres ſtet, & narret aliis, quomodo [4] Ladas, aut Bojuſcus Sicyonius curſitarint: Sic iſti, cùm in artis curriculum deſcenderunt, illos, qui in eo, quod eſt artificii elaborent, ajunt facere immodeſtè: ipſi aliquem antiquum oratorem, aut poëtam laudant, aut ſcripturam, ſic ut in ſtadium artis rhetoricæ prodire non audeant. Non auſim dicere, ſed tamen vereor, ne qua in re laudem modeſtiæ venentur, in ea ipſa re ſint impudentes. Quid enim tibi vis? aliquis inquiet. artem tuam ſcribis: gignis nobis novas præceptiones: eas ipſe confirmare non potes: ab aliis exempla ſumis. vide ne facias impudenter, qui tuo nomini velis *ex aliorum laboribus* libare laudem. Nam ſi eorum volumina prehenderint antiqui oratores, & poëtæ, & ſuum quiſque de libris ſuſtulerit; nihil iſtis, quod ſuum velint, relinquetur. At exempla, quoniam teſtimoniorum ſimilia ſunt, item convenit, ut teſtimonia, ab hominibus *probatiſſimis* ſumi. Primùm omnium exempla ponuntur hîc non confirmandi, neque teſtificandi cauſa, ſed demonſtrandi. Non enim cùm dicimus eſſe exornationem, quæ verbi cauſa, conſtet ex ſimiliter deſinentibus verbis, & ponimus hoc exemplum à Craſſo, *quibus poſſumus, & debemus,* [5] non teſtimonium collocamus, ſed exemplum. Hoc igitur intereſt inter exemplum, & teſtimonium: *Exemplo* demonſtratur id, quod dicimus, cujuſmodi ſit: *Teſtimonio*, eſſe illud ita, ut nos dicimus, confirmatur. Præterea oportet teſtimonium cum re convenire. aliter enim rem non poteſt confirmare. at id, quod illi faciunt, cum re non convenit. Quid ita? quia pollicentur artem ſe ſcribere, & exempla proferunt ab iis plerumque, qui artem neſcierunt. Tum quis eſt, qui poſſit id, quod de arte ſcripſerit, comprobare, niſi aliquid ſcribat ex arte? Contraque faciunt, quàm polliceri videntur. nam cùm ſcribere artem inſtituunt, videntur dicere ſe excogitaſſe, quod alios docerent: cùm verò ſcribunt, oſtendunt nobis, quid alii excogitarint. At hoc ipſum difficile 4
eſt, inquiunt, *eligere* de multis. Quid dicitis difficile? utrùm laborioſum, an artificioſum? SI LABORIOSUM non ſtatim præclarum. ſunt enim multa laborioſa, quæ ſi faciatis, non continuò gloriemini, niſi fortè etiam, ſi veſtra manu fabulas, aut orationes totas tranſcripſiſſetis, glorioſum putaretis. Sin autem iſtud artificium egregium dicitis: videte, ne inſueti rerum majorum videamini, ſi vos parva res, ſicuti magna delectat. Nam iſto modo eligere rudis quidem nemo poteſt, ſed ſine ſummo artificio multi. Quiſquis enim audierit de arte paullo plus, in elocutione præſertim, omnia videre poterit, quæ ex arte dicuntur: facere nemo poterit, niſi eruditus. ita ut, ſi de tragœdiis Ennii velis ſententias eligere, aut de Pacuvianis periodos: quia planè rudis id facere nemo poterit, cùm feceris, te litteratiſſimum putes, ineptus ſis, propterea quòd id facilè faciat quivis mediocriter litteratus: item ſi, cùm ex orationibus, aut poëmatis elegeris exempla, quæ certis ſignis artificii notata ſunt, quia rudis id nemo facere poſſit, artificioſiſſimè te feciſſe putes, erres: propterea quòd iſto ſigno videmus te nonnihil ejus ſcire: [6] aliis ſignis, multa ſcire intelligimus. Quòd ſi artificioſum eſt intelligere quæ ſunt ex arte ſcripta, multo eſt artificioſius, ipſum *ſcribere ex arte* Qui enim ſcribit artificiosè, ab aliis commodè ſcripta facilè intelligere poterit: qui eliget facilè, non continuò ipſe commodè ſcribit. Et, ſi eſt maximè artificioſum: alio tempore utantur ea facultate, non tum, cùm parere ipſi, & gignere, & proferre debent. Poſtremò, in eo vim artificii conſumant, ut ipſi ab aliis potius eligendi, quàm aliorum boni electores exiſtimentur. Contra ea, quæ ab iis dicuntur, qui dicunt alienis ſe exemplis uti oportere, ſatis eſt dictum.
Nunc, quæ ſeparatim dici poſſunt, conſideremus. Dici- 5
mus ergo, eos omneis, ideò quòd alienis utantur, peccare, tum

1. *Judicio domeſticis teſtimoniis pugnet, & ſui ipſius abutatur exemplo.*] Secutus ſum auctoritatem Pal. primi. quibus ſuffragantur & alii, niſi quod ii, *teſtimonio abutatur*. Victorii editio invexit, *judicio domeſtico pugnet, & ſui ipſius teſtimonio abutatur*. at velim doceri quid ſit illud *judicium domeſticum*.

2. *Quod ab ea parte.*] Additum illud *parte*, è Pall. pleriſque, item Suffr di ſcriptis & Fabriciano.

3. *Nimium pueriliter proferatur.*] Vulgati addiderant *inutiliter &*, quod rejeci, fide quatuor Pall. & Bruil.

4. *Ladas aut Boiſcus Sicyonius curſitarint.*] Videatur ſuper hac emendatione, Turnebus lib. xx. Adverſ. cap. 25.

5. *Non teſtimonium collocamus.*] Negativam addidi, ſuaſu Pal. quarti ac quinti, nec aliter Bruil.

6. *Aliis ſignis multa ſcire intelligemus.*] Iſtud malui cum Pal. pr. quarto: quam vulgatum *te ſcire multa intelligimus*. libri heic valde ſunt mendoſi; nulli tamen accedebant illi Lambiniano, *aliis ſignis multa neſcire intelligimus*.

tum etiam magis delinquere, quòd à multis exempla ſumant. ſed de eo, quod poſtea diximus, antè videamus. Si concederem, aliena oportere aſſumere exempla, vincerem unius oportere: primum, quòd contra hoc nulla ſtaret eorum ratio. liceret enim eligerent, & probarent quemlibet, qui ſibi in omneis res ſuppeditaret exempla, vel poëtam, vel oratorem, cujus auctoritate niterentur. Deinde intereſt magni ejus, qui diſcere vult, [1] utrùm *unum omnia*, an omnia neminem, ſed aliud alium putet conſequi poſſe. Si enim putabit poſſe omnia penes unum conſiſtere: ipſe quoque ad omnium nitetur facultatem. ſin id deſperabit, in paucis ſe exercebit. ipſis enim contentus erit. nec mirum, cùm ipſe præceptor artis omnia penes unum reperire non potuerit. Allatis igitur exemplis à Catone, à Gracchis, à Lælio, à Scipione, Galba, Porcina, Craſſo, Antonio, ceteriſque: item ſumtis aliis à poëtis, & hiſtoriarum ſcriptoribus, neceſſe erit, eum, qui diſcet, ab omnibus putare omnia, ab uno pauca vix potuiſſe ſumi. Quare ſi unius alicujus eſſe ſimilem ſatis habebit, omnia, quæ omnes habuerint, ſolum habere ſe poſſe diffidet. ergo inutile eſt ei, qui diſcere vult, [2] *non putare unum poſſe omnia*. Igitur nemo in hanc incidet opinionem, ſi ab uno exempla ſumſiſſent. nunc hoc ſigni eſt, ipſos artis ſcriptores non putaſſe unum potuiſſe in omnibus elocutionis partibus enitere, quoniam neque ſua protulerunt, neque unius alicujus, aut denique duorum, ſed ab omnibus oratoribus & poëtis exempla ſumſerunt. Deinde, ſi quis velit artem demonſtrare, nihil prodeſſe ad diſcendum, non malè utatur hoc adjumento, quòd *unus* omneis artis parteis conſequi nemo potuerit. Quod igitur juvat eorum rationem, qui omninò improbent artem, id non ridiculum eſt, ipſum ſcriptorem artis ſuo judicio comprobare? Ergo ab uno ſumenda fuiſſe docuimus exempla,
6 ſi ſemper aliunde ſumerentur. Nunc omninò aliunde ſic intelligimus ſumenda non fuiſſe. Primùm omnium, quòd ab artis ſcriptore affertur exemplum, de ejus artificio debet eſſe, non ut ſi quis purpuram, aut aliud quippiam vendens, dicat, *Sume à me*, ſed hujus exemplum aliunde rogabo, tibique oſtendam. Si merces ipſi qui venditant, aliunde exemplum quæritent aliud mercis: ut ſi acervos ſe dicant tritici habere, & eorum exemplum pugno non habeant, quod oſtendant: ſi Triptolemus, cùm hominibus ſemen largiretur, ipſe ab aliis id hominibus mutuaretur: aut ſi Prometheus, cùm mortalibus ignem dividere vellet, ipſe à vicinis cum teſta ambulans, carbunculos corrogaret, non ridiculus videretur? Iſti magiſtri, omnium dicendi præceptores, non videntur ſibi ridiculè facere, cùm id, quod aliis pollicentur ab aliis quærunt. Si, qui ſe fonteis maximos, penitus abſconditos, aperuiſſe dicat, & hoc, ſitiens quàm maximè, loquatur, neque habeat [3] quî ſitim ſedet, non rideatur? Iſti cùm non modò dominos ſe fontium, ſed *ſeipſos fonteis* eſſe dicant, & omnium rigare debeant ingenia, non putant fore ridiculum, ſi, cùm id polliceantur aliis, areſcant ipſi ſiccitate. Chares à Lyſippo ſtatuas facere non iſto modo didicit, ut Lyſippus caput oſtenderet Myronis, brachia Praxitelis, pectus Polycleti: ſed omnia coràm magiſtrum facientem videbat, ceterorum opera vel ſua
7 ſponte conſiderare poterat. Iſti credunt, eos, qui hæc velint diſcere, alia ratione doceri poſſe commodius. Præterea ne poſſunt quidem ea, quæ ſumuntur ab aliis exempla, tam eſſe accommodata ad artem, quàm propria, propterea quòd in dicendo leviter unuſquiſque locus plerumque tangitur, ne ars appareat. in præcipiendo expreſſe conſcripta ponere oportet exempla, ut in artis formam convenire poſſint: & poſt in dicendo, ne poſſit *ars eminere*, & ab omnibus videri, facultate oratoris occultatur. Ergo etiam ut magis ars cognoſcatur, ſuis exemplis melius eſt uti. Poſtremò hæc quoque res nos duxit ad hanc rationem, quòd nomina rerum Græca, quæ convertimus, [4] ea remota ſunt à conſuetudine. quæ enim res apud noſtros non erant, earum rerum *nomina* non poterant eſſe uſitata. Ergo hæc aſperiora primò videantur neceſſe eſt, idque fiet rei, non noſtra difficultate. Reliquum ſcripturæ conſumetur in exemplis. hæc aliena ſi poſuiſſemus, factum eſſet, ut, quod commodius eſſet in hoc libro, id noſtrum non eſſet: quod aſperius, & inuſitatum, id propriè nobis attribueretur. Ergo hanc quoque incommoditatem fugimus. His de cauſis, cùm artis inventionem Græcorum probaſſemus, exemplorum rationem ſecuti non ſumus. Nunc tempus poſtulat, ut ad elocutionis præcepta transeamus. Bipertita erit igitur nobis elocutionis præceptio. Primùm dicemus, quibus in generibus ſemper omnis oratoria elocutio debeat eſſe. Deinde oſtendemus, quas res
ſemper habere debeat. SUNT igitur tria genera, quæ nos 8
figuras appellamus, in quibus omnis oratio non vitioſa conſumitur: unam gravem, alteram mediocrem, tertiam extenuatam vocamus. Gravis eſt, quæ conſtat ex verborum gravium [5] lævi & ornata conſtructione. Mediocris eſt, quæ conſtat ex humiliore, neque tamen ex infima, & pervulgatiſſima [6] verborum dignitate. Attenuata eſt, quæ demiſſa eſt uſque ad uſitatiſſimam puri ſermonis conſuetudinem. [7] In gravi figura conſumetur oratio, ſi quæ cujuſque rei poterunt ornatiſſima verba reperiri, ſive propria, ſive tranſlata, ſive extranea, ad unamquamque rem accommodabuntur: &, ſi graves ſententiæ, in amplificatione, & quæ commiſeratione tractantur eligentur: &, ſi exornationes ſententiarum, aut verborum, quæ gravitatem habebunt, de quibus poſt dicemus, adhibebuntur. In hoc genere figuræ erit hoc exemplum: NAM QUIS EST VESTRUM, judices, qui ſatis idoneam poſſit in eum pœnam excogitare, qui prodere hoſtibus patriam cogitarit? quod maleficium cum hoc ſcelere comparari: quod huic maleficio dignum ſupplicium poteſt inveniri? In iis, qui violaſſent ingenuum, matremfamilias conſtupraſſent, pulſaſſent aliquem, aut poſtremò necaſſent, maxima ſupplicia majores noſtri conſumſerunt: huic truculentiſſimo, ac nefario facinori ſingularem pœnam non reliquerunt: Atque in aliis maleficiis ad ſingulos, aut ad paucos ex alieno peccato injuria pervenit: hujus ſceleris qui ſunt affines, uno conſilio univerſis civibus atrociſſimas calamitates machinantur. O feros animos! ô crudeleis cogitationes! ô derelictos homines ab humanitate! qui agere auſi ſunt, aut cogitare potuerunt. quo pacto hoſtes, revulſis majorum ſepulcris, dejectis mœnibus, ovantes irruerunt in civitatem: quomodo deûm templis ſpoliatis, optimatibus trucidatis, aliis arreptis in ſervitutem, [8] matribus familias, & ingenuis ſub hoſtilem libidinem ſubjectis, urbs acerbiſſimo concidat incendio conflagrata: qui ſe non putant, id, quod voluerint, ad exitum perduxiſſe, niſi ſanctiſſimæ patriæ miſerandum ſcelerati viderent cinerem. Nequeo verbis conſequi, judices, indignitatem rei: ſed negligentiùs id fero, quia vos mei non indigetis. Veſter enim vos animus amantiſſimus reip. facilè edocet, ut eum, qui fortunas omnium voluerit prodere, præcipitem perturbetis ex ea civitate, quam ipſe ſpurciſſimorum hoſtium dominatu nefario volue-

1. *Utrum unum omnia, &c.*] Pall. aliquot & Petreji noſtri, item Bruil. præferunt: *utrum ab uno omnia, an omnia à nemine. an aliud ab alio.* quod an de veritate concertet cum vulgato, perpendat otioſior me.

2. *Non putare unum omnia poſſe.*] Sic quidam Pall. alii, *putare à nemine omnia poſſe.* Gembl. & Br. *putare neminem omnia poſſe.* quod forte melius recepto.

3. *Qui ſitim ſedet.*] Eſt à Pall. pleriſque & Gulielmianis. ſupra quoque repoſui *non ridiculus*, iiſdem libris auctoribus.

4. *Remota ſunt à conſuetudine.*] Berichemii codices ſcripti adjiciunt *Latina.* quod tamen in nullo noſtrorum.

5. *Lævi & ornata.*] Ita Pal. quart. ſext. Bruil. nam tert. *leni*, vulgò *magna & ornata.*

6. *Verborum dignitate.*] Aut Gulielmius, aut ſanè Wouverius, contra libros ſcribendam cenſebat *indignitate.*

7. *In gravi figura conſumetur oratio.*] Ita plerique è noſtris, item Gulielmiani, niſi quod Bruilerienſis, *conſummabitur.*

8. *Matribus familias & ingenuis.*] Præpoſuit Lambinus *virginibus*, ſuperflue. nam latet ea vox ſub illo *ingenuis*: quo intelliguntur & pueri ſimul & puellæ.

1. *Par-*

9 voluerit obruere. In mediocri figura verſabitur oratio, ſi hæc, ut ante aliquantulum demiſerimus, neque tamen ad infimum deſcenderimus, ſic: QUIBUS CUM BELLUM GERIMUS, judices, videtis: cum ſociis, qui pro nobis pugnare, & imperium noſtrum nobiſcum ſimul virtute & induſtria conſervare ſoliti ſunt. Hi cùm ſe, & opes ſuas, & copiam neceſſariorum norunt; tum verò nihilominus propter propinquitatem, & omnium rerum ſocietatem, quid in omnibus rebus populus R. poſſet, ſcire, & æſtimare poterant. Hi, cùm deliberaſſent nobiſcum bellum gerere, quæſo, quæ res erat, qua *freti* bellum ſuſcipere conarentur, cùm multo maximam ſociorum partem in officio manere intelligerent? cùm ſibi non multitudinem militum, non idoneos imperatores, non pecuniam publicam præſtò eſſe viderent? non denique ullam rem, quæ pertineat ad bellum adminiſtrandum? Si cum finitimis de finibus bellum gererent: ſi totum certamen in uno prœlio poſitum putarent: tamen omnibus rebus inſtructiores, ac paratiores venirent; nedum illud imperium orbis terræ, cui imperio omnes gentes, reges, nationes, partim vi, [1] partim *voluntate* conſenſerunt, cùm aut *armis*, aut liberalitate à populo Romano ſuperati eſſent, ad ſe transferre tantulis viribus conarentur. Quæret aliquis, Quid Fregellani, non ſua ſponte conati ſunt? Eo quidem minus iſti facilè conarentur, quo, illi quemadmodum deſciſſent, videbant. Nam RERUM IMPERITI, qui uniuſcujuſque rei de rebus antè geſtis exempla petere non poſſunt, ii per imprudentiam facillimè deducuntur in fraudem. at ii, qui ſciunt, quid aliis acciderit, facilè ex aliorum eventu, ſuis rationibus poſſunt providere. Nulla igitur re inducti, nulla ſpe freti arma ſuſtulerunt? Quis hoc credat, tantam amentiam quemquam tenuiſſe, ut imperium populi Romani tentare auderet, nullis copiis fretus? Ergo aliquid fuiſſe neceſſe eſt. quid aliud, niſi id, quod dico, poteſt eſſe? In attenuato figuræ genere, quod ad infimum, & quotidianum ſermonem demiſſum eſt, hoc erit exemplum: NAM UT FORTE HIC in balneas venit, cœpit,
10 poſtquàm perfuſus eſt, defricari. Deinde, ubi viſum eſt ut in alveum deſcenderet, ecce ibi iſte de tranſverſo, Heus, inquit, adoleſcens, pueri tui modò me pulſaverunt: ſatisfacias oportet. Hic, qui id ætatis ab ignoto præter conſuetudinem appellatus eſſet, erubuit. Iſte clariùs eadem, & alia dicere cœpit. Hic vix tandem inquit, Sine me conſiderare. Tum verò iſte cœpit clamare voce iſta, quæ vel facilè cuivis [2] rubores elicere poſſet: Ita petulans es, atque acer, [3] ut ne ad ſolarium quidem idoneus, ut mihi videtur, ſed ponè ſcenam, & in ejuſmodi locis exercitatus ſis. Conturbatus eſt adoleſcens: nec mirum, cui etiam nunc pædagogi lites ad auriculas verſarentur, imperito ejuſmodi conviciorum. Ubi enim iſte vidiſſet *ſcurram* exhauſto rubore, qui ſe putaret nihil habere, quod de exiſtimatione perderet, ut omnia ſine famæ detrimento facere poſſet? Igitur genera figurarum ex ipſis exemplis intelligi poterunt. Erit enim & attenuata verborum conſtructio quædam, & item alia in gravitate, alia poſita in mediocritate. Eſt autem cavendum, ne, dum hæc genera conſectamur, in finitima, & propinqua vitia veniamus. Nam gravi figuræ, quæ laudanda eſt, propinqua eſt ea, quæ fugienda eſt, quæ rectè videbitur appellari, ſi *ſufflata* nominabitur. Nam ut corporis bonam habitudinem tumor imitatur ſæpe, ita gravis oratio ſæpè imperitis videtur ea, quæ turget, & inflata eſt, cùm aut novis, aut priſcis verbis, aut duriter aliunde tranſlatis, aut gravioribus, quàm res poſtulat, aliquid dicitur, hoc modo: NAM QUI PERDUELLIONIBUS venditat patriam, non ſatis ſupplicii dederit, ſi præceps in Neptunias depultus erit lacunas. Pœnitet igitur iſtum, qui monteis belli fabricatus eſt, campos ſuſtulit pacis. In hoc genus plerique cum declinaſſent, & ab eo, quò profecti ſunt, aberraverunt, & ſpecie gravitatis falluntur, nec proſpicere poſſunt orationis tumorem.
Qui in mediocre genus orationis profecti ſunt, ſi pervenire 11
eò non poterunt, errantes perveniunt [4] ad confine genus ejus generis, [5] quod appellamus *fluctuans*, & diſſolutum: eò quòd ſine nervis, & articulis fluctuat huc & illuc, [6] nec poteſt confirmatè, neque viriliter ſeſe expedire. Id eſt hujuſmodi: SOCII NOSTRI cùm belligerare nobiſcum vellent, profectò ratiocinati eſſent etiam atque etiam, quid poſſent facere, ſi quidem ſua ſponte facerent, & non haberent hìc adjutores multos, & malos homines, & audaceis. Solent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia volunt agere. Non poteſt hujuſmodi ſermo tenere attentum auditorem. diffluit enim totus, neque quicquam comprehendens perfectis verbis amplectitur. Qui non poſſunt in illa facetiſſima verborum attenuatione commodè verſari, veniunt ad aridum, & exſangue genus orationis, quod non alienum eſt *exile* nominari, cujuſmodi eſt hoc: NAM ISTIC ille ad balneas acceſſit: ad hunc poſtea dicit, hic tuus ſervus me pulſavit. Poſtea dicit hic illi, conſiderabo. Poſt ille huic convicium fecit, & magis, magiſque præſentibus multis clamavit. Frivolus hic quidem jam, & illiberalis eſt ſermo. Non enim adeptus eſt id, quod habet attenuata figura, puris verbis, & electis, compoſitam orationem. Omne genus orationis, & grave, & mediocre, & attenuatum, dignitate afficiunt exornationes, de quibus poſt loquemur; quæ ſi raræ diſponentur, diſtinctam, ſicuti *coloribus*: ſi crebræ collocabuntur, oblitam reddunt orationem. Sed figuram in dicendo commutari oportet, ut gravem mediocris, mediocrem excipiat attenuata. Deinde identidem commutentur, ut facile ſatietas varietate vitetur.
QUONIAM, quibus in 12
generibus elocutio verſari debeat, dictum eſt, videamus nunc, quas res debeat habere elocutio commoda, & perfecta. Quæ maximè admodum oratori accommodata eſt, treis res in ſe debet habere, elegantiam, compoſitionem, dignitatem. Elegantia eſt, quæ facit, ut unumquidque purè, & apertè dici videatur. hæc diſtribuitur in Latinitatem, & explanationem. Latinitas eſt, quæ ſermonem purum conſervat, ab omni vitio remotum. Vitia in ſermone, quo minus is Latinus ſit, duo poſſunt eſſe: Solœciſmus, & Barbariſmus. Solœciſmus eſt, cùm verbis pluribus conſequens verbum ſuperiori non accommodatur. Barbariſmus eſt, cùm verbum aliquod vitioſe effertur. Hæc qua ratione vitare poſſimus, in arte Grammatica [7] dilucidè diſcemus. Explanatio eſt, quæ reddit apertam, & dilucidam orationem. Ea comparatur duabus rebus, uſitatis verbis, & propriis. Uſitata ſunt ea, quæ verſantur in ſermone, & conſuetudine quotidiana. Propria, quæ ejus rei verba ſunt, aut eſſe poſſunt, qua de loquemur. COMPOSITIO, eſt verborum conſtructio, quæ facit omneis parteis orationis æquabiliter perpolitas Ea conſervabitur, ſi fugiemus crebras vocalium concurſiones, quæ vaſtam, atque hiantem orationem reddunt, ut hoc eſt: *Baccæ æneæ* amœniſſimæ impendebant, & ſi vitabimus ejuſdem litteræ nimiam aſſiduitatem: cui vitio verſus hic erit exemplo. nam hìc nihil prohibet in vitiis, alienis exemplis uti: „ *O Tite, tute Tati, tibi tanta tyranne tuliſti.* Et hic

1. *Partim voluntate conſenſerunt.*] Lambiniana *conceſſerunt*, quod & in Suffridi noſtri libris, & melius videtur.

2. *Rubores elicere.*] Eſt à conjectura Ranconeti, cum perſtaret in manuſc. omnibus *ejicere.* neque devertunt Pall. Suffridi tamen præ ſe ferunt, *injicere.* quod placuit Gulielmio.

3. *Ut ne ad ſolarium quidem, &c. ſed ponè ſcenam & hujuſmodi.*] Hæc eſt ſcriptura meliorum Pall. niſi quod quartus adhuc habeat *exercitate;* ubi vulgo *exercitatus ſis.* Eratque in Br. *penes.*

4. *Ad confine genus ejus generis.*] Palat. pr. & tert. non habent illud *genus*, exſtatque in Bruil. *ad confineum ejus generis;* quod pronum eſt mutare cum Gulielmio in *confinium.*

5. *Quod appellamus fluctuans & diſſolutum.*] Palat. quint. & Fabr. reſpuunt *fluctuans*, *&c.* ceteri verò Pall. excludunt, *& diſſolutum*, retento illo *fluctuans.* & malim ſanè primum.

6. *Nec poteſt confirmatè, neque viriliter.*] Scripſi ita cum Pal. quarto & Bruil. ac Fabr. vulgata; *nec poteſt confirmare, nec viriliter.*

7. *Dilucidè diſcemus.*] Pall. tres *dicemus.* exemplaria examinata Suffrido noſtro, item Fabr. & Br. *dicimus.* rectè putabat emendari Gulielmius *diſcimus.*

1. *Bonis*

hic ejuſdem poëtæ : ,, *Quidquam quiſquam cuiquam quod*
conveniat, neget. Et, ſi ejuſdem verbi aſſiduitatem nimiam
fugiemus, ea eſt hujuſmodi : *Nam cujus* rationis ratio non
exſtet, ei rationi ratio non eſt fidem habere. Et, ſi non ute-
mur continenter ſimiliter cadentibus verbis, hoc modo :
,, *Flentes, plorantes, lacrymantes, obteſtantes*. Et, ſi verborum
transjectionem vitabimus, niſi quæ erit concinna, qua de re
poſterius loquemur, quo in vitio eſt Lucilius aſſiduus ; ut
hoc eſt in priore libro : ,, *Has res ad te ſcriptas, Luci, miſi-*
mus, Æli. Item, fugere oportet longam verborum conti-
nuationem, quæ & auditoris aureis, & oratoris ſpiritum
lædit. His vitiis in compoſitione vitatis, reliquum operis
13 conſumendum eſt in dignitate. DIGNITAS eſt, quæ reddit
ornatam orationem varietate diſtinguens. Hæc in verbo-
rum, & ſententiarum exornationem dividitur. Verborum
exornatio eſt, quæ ipſius ſermonis inſignita continetur per-
politione. Sententiarum exornatio eſt, quæ non in verbis,
ſed in ipſis rebus quandam habet dignitatem. REPETITIO
eſt, cùm continenter ab uno, atque eodem verbo in rebus
ſimilibus & diverſis principia ſumuntur, hoc modo : *Vobis*
iſtud attribuendum eſt, vobis gratia habenda, vobis res iſta
erit honori. Item, *Scipio Numantiam* ſuſtulit, Scipio Kar-
thaginem delevit, Scipio pacem peperit, Scipio civitatem
ſervavit. Item, *Tu in forum* prodire, tu lucem conſpicere,
tu in horum conſpectum venire conaris? *Audes* verbum
facere? audes quidquam ab iſtis petere? audes ſupplicium
deprecari? *Quid eſt*, quod poſſis defendere? quid eſt, quod
audeas poſtulare? quid eſt, quod tibi putes concedi oporte-
re? *Non jusjurandum* reliquiſti? non amicos prodidiſti?
non parenti manus intuliſti? non denique in omni dede-
core volutatus es? Hæc exornatio, cùm multum venuſtatis
habet, tum gravitatis, & acrimoniæ plurimum. Quare vi-
detur eſſe adhibenda & ad ornandam, & ad augendam ora-
tionem. Converſio eſt, per quam non, ut ante, primum re-
petimus verbum, ſed ad poſtremum continenter reverti-
mur, hoc modo : *Pœnos populus* Romanus juſtitia vicit, ar-
mis vicit, liberalitate vicit. Item ex quo tempore concordia
de civitate ſublata eſt, libertas ſublata eſt, fides ſublata eſt,
amicitia ſublata eſt, reſpub. ſublata eſt. Item, *C. Lælius*, ho-
mo navus erat, ingenioſus erat, doctus erat, [1] bonis viris &
ſtudioſis amicus erat. ergo in civitate primus erat. Item,
Nam cùm iſtos, ut abſolvant te, rogas : ut pejerent, rogas :
ut exiſtimationem negligant, rogas : ut leges populi Rom.
14 tuæ libidini largiantur, rogas. Complexio eſt, quæ utram-
que complectitur exornationem, & hanc, & quam antè ex-
poſuimus, ut & repetatur idem primum verbum ſæpius, &
crebrò ad idem poſtremum revertamur, hoc modo, *Qui*
ſunt, qui fœdera ſæpe ruperunt? Karthaginienſes. Qui ſunt,
qui crudele bellum in Italia geſſerunt? Karthaginienſes.
Qui ſunt, qui Italiam deformaverunt? Karthaginienſes. Qui
ſunt, qui ſibi poſtulant ignoſci? Karthaginienſes. Videte er-
go, quid conveniat eos impetrare. Item, *Quem ſenatus* da-
mnarit, quem populus Rom. damnarit, quem omnium exi-
ſtimatio damnarit, eum vos ſententiis veſtris abſolvetis?
Traductio eſt, quæ facit, ut, cùm idem verbum crebrius po-
natur, non modò non offendat animum, ſed etiam concin-
niorem orationem reddat, hoc pacto : QUI NIHIL habet
in vita jucundius vita, is cum virtute vitam non poteſt co-
lere. Item, EUM TU hominem appellas, qui ſi fuiſſet ho-
mo, numquam tam crudeliter vitam hominis petiiſſet. At
erat inimicus. ergo inimicum ſic ulciſci voluit, ut ipſe ſibi
reperiretur inimicus? Item, DIVITIAS ſine divitum eſſe :
tu verò virtutem præter divitias. nam ſi voles divitias cum
virtute comparare, vix ſatis idoneæ tibi videbuntur divitiæ,
quæ virtutis pediſequæ ſint. Ex eodem genere exornationis
eſt, cùm idem verbum modò ponitur in hac, modò in altera
re, hoc modo : *Cur eam* rem tam ſtudioſe curas, quæ multas
tibi dabit curas? Item, [2] AMARI jucundum ſit, ſi curetur,
nequid inſit amari. Item, *Veniam* ad vos, ſi mihi ſenatus
det veniam. In his quattuor generibus exornationum, quæ
adhuc propoſitæ ſunt, non inopia verborum fit, ut ad idem
verbum redeatur ſæpius : ſed ineſt feſtivitas quædam, quæ
facilius auribus dijudicari, quàm verbis demonſtrari poteſt.
Contentio eſt, cùm ex contrariis verbis, aut rebus oratio 15
conficitur, hoc pacto : HABET aſſentatio jucunda princi-
pia, eadem exitus amariſſimos affert. Item, *Inimicus* te pla-
cabilem, amicis inexorabilem præbes. Item, *In otio* tumul-
tuaris, in tumultu ſolus es otioſus. In re frigidiſſima cales,
in ferventiſſima friges. *Tacito* cùm opus eſt, clamas : ubi
loqui convenit, obmuteſcis. Ades? abeſſe vis : abes? reverti
cupis. In pace bellum quæritas : in bello pacem deſideras.
In concione de virtute loqueris, in prœlio præ ignavia tubæ
ſonitum perferre non potes. Hoc genere ſi diſtinguemus
orationem, & ornati, & graves poterimus eſſe. Exclamatio
eſt, quæ conficit ſignificationem doloris, aut indignationis
alicujus, per hominis, aut urbis, aut loci, aut rei cujuſpiam
compellationem, hoc modo : *Te nunc* alloquor, Africane,
cujus mortui quoque nomen ſplendori, ac dedecori eſt ci-
vitati. Tui clariſſimi nepotes ſuo ſanguine aluerunt inimi-
corum crudelitatem. Item, *O perfidioſæ* Fregellæ, quàm fa-
cilè ſcelere veſtro contabuiſtis! ut, cujus nitor urbis Ita-
liam nuper illuſtravit, ejus nunc vix fundamentorum reli-
quiæ maneant. Item, *Bonorum* inſidiatores latrocinio vitam
innocentiſſimi cujuſque petiſtis : tantamne ex iniquitate
judiciorum veſtris calumniis aſſumitis facultatem? Hac ex-
clamatione ſi loco utemur, & raro, & cùm rei magnitudo
poſtulare videbitur : ad quam volemus indignationem, ani-
mum auditoris adducemus. Interrogatio non omnis gravis
eſt, neque concinna, ſed hæc, quæ, cùm enumerata ſunt ea,
quæ obſunt cauſæ adverſariorum, confirmat ſuperiorem
orationem, hoc pacto : *Cùm igitur* hæc omnia faceres, di-
ceres, adminiſtrares, utrùm animos ſociorum ab repub. re-
movebas, & alienabas, an non? & : utrumne aliquem ex-
ornari oportuit, qui iſta prohiberet, ac fieri non ſineret, an
non? Ratiocinatio eſt, per quam ipſi à nobis rationem po- 16
ſcimus, quare quidque dicamus, & crebrò noſmet à nobis
petimus uniuſcujuſque propoſitionis explanationem. Ea
eſt hujuſmodi : MAJORES noſtri ſiquam unius peccati mu-
lierem damnabant : ſimplici judicio multorum maleficio-
rum convictam putabant, quo pacto? quoniam, quam im-
pudicam judicarant, eam veneficii quoque dammatam exi-
ſtimabant. Quid ita? quia neceſſe eſt, eam, quæ ſuum cor-
pus addixerit turpiſſimæ cupiditati, timere permultos. Quos
iſtos? virum, parenteis, ceteros, ad quos videt ſui dedecoris
infamiam pertinere. Quid poſtea? quos tantopere timeat,
eos neceſſe eſt, ut, quoquo modo poſſit, veneficio petat.
Cur? quia nulla poteſt honeſta ratio retinere eam, quam
magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem,
natura muliebris inconſideratam. Quid veneficii damna-
tam? quid? putabant impudicam quoque neceſſario. Qua-
re? quia nulla facilius ad id maleficium cauſa, quàm turpis
amor, & intemperans libido commovere potuit : cùm,
cujus animus mulieris eſſet corruptus, ejus corpus caſtum
eſſe non putaverunt. Quid in viris? idemne hoc obſerva-
bant? minime. Quid ita? quia viros ad unumquodque ma-
leficium ſingulæ cupiditates impellunt : Mulieres ad omnia
maleficia cupiditas una ducit. Item, BENE MAJORES no-
ſtri hoc comparaverunt, ut neminem regem, quem armis
cepiſſent, vita privarent. Quid ita? quia, quam nobis facul-
tatem fortuna dediſſet, iniquum erat in eorum ſupplicio
conſumere, quos eadem fortuna paullo antè in ampliſſimo
ſtatu collocarat. Quid quòd exercitum contrà duxit? deſino
meminiſſe. Quid ita? quia VIRI FORTIS eſt, qui de vi-
ctoria contendant, eos hoſteis putare : quia victi ſunt, eos
homi-

1. *Bonis viris & ſtudioſis.*] Palatin. quart. ſext. item Bruil. & Fabric. *ſtudiis.* quam varietatem peperit inſolentia verbi. rarius enim *ſtudioſum* pro bono & probo dici. Cicero pro Ligario : *Niſi tu eum ſtudioſum & bonum virum judicares.*

2. *Amari jucundum ſit.*] Sic Pal. quart. & ſext. alluditque Br. in quo *Amare juc. ſit.* vulgo erat, *amari jucundum eſt.* minus efficaciter.

1. *Ani-*

hominès judicare, ut poſſit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere. At ille, ſi viciſſet, num idem feciſſet? non profectò tam ſapiens fuiſſet. Quid igitur ei parcis? quia talem ſtultitiam contemnere, *non imitari* conſuevi. Hæc exornatio ad ſermonem vehementer accommodata eſt, [1] & animum auditoris retinet attentum, tum venuſtate
17 ſermonis, tum rationum exſpectatione. Sententia, eſt oratio ſumta de vita, quæ aut quid ſit, aut quid eſſe oporteat in vita, breviter oſtendit, hoc modo: [2] DIFFICILE eſt primùm virtutes revereri, qui ſemper ſecunda fortuna ſit uſus. Item, LIBER is eſt exiſtimandus, qui nulli turpitudini ſervit. Item, EGENS æquè eſt is, qui non ſatis habet, & is, cui nihil ſatis poteſt eſſe. Item, OPTIMA vivendi ratio eſt eligenda. eam jucundam conſuetudo reddet. Hujuſmodi ſententiæ ſimplices, non ſunt improbandæ, propterea quòd habet brevis expoſitio, ſi rationis nullius indiget, magnam delectationem. Sed illud quoque probandum eſt genus ſententiæ, quod confirmatur ſubjectione rationis, hoc modo: OMNES bene vivendi rationes in virtute ſunt collocandæ, propterea quod ſola virtus in ſua poteſtate eſt: omnia præter eam ſubjecta ſunt fortunæ dominationi. Item, QUI FORTUNIS alicujus inducti amicitiam ejus ſecuti ſunt, hi, ſimul ac fortuna dilapſa eſt, devolant omnes. Cùm enim receſſit ea res, quæ fuit conſuetudinis cauſa, nihil ſupereſt, quare poſſint in amicitia retineri. Sunt item ſententiæ, quæ dupliciter efferuntur, [3] ſine ratione, & cum ratione. hoc modo ſine ratione: ERRANT, qui in proſperis rebus omneis impetus fortunæ ſe putant fugiſſe. Sapienter cogitant, qui temporibus ſecundis caſus adverſos reformidant. Cum ratione, hoc pacto: QUI ADOLESCENTIUM peccatis ignoſci putant oportere, falluntur, propterea quòd ætas illa non eſt impedimento bonis ſtudiis. at hi ſapienter faciunt, qui adoleſcenteis maximè caſtigant, ut, quibus virtutibus omnem vitam tueri poſſunt, eas in ætate maturiſſima velint comparare. Sententias interponi raró convenit, ut rei actores, non vivendi præceptores eſſe videamur. cùm ita interponentur, multum afferent ornamenti. Nam neceſſe eſt animo eam comprobet tacitus auditor, cùm ad cauſam videat accommodari rem certam, ex vita & moribus ſumtam.
18 Contrarium, idem ferè eſt, quod contentio. Contrarium eſt, quod ex rebus diverſis duabus, alteram breviter, & facilè confirmat, hoc pacto: NAM, QUI SUIS rationibus inimicus fuerit ſemper, eum quomodo alienis rebus amicum fore ſperes? Et item, NAM, QUEM in amicitia perfidioſum cognoveris, eum quare putes inimicitias cum fide habere poſſe? Et, QUI PRIVATUS intolerabili ſuperbia fuerit, eum commodum, & ſui cognoſcentem videre in poteſtate quis ſperet? Et, QUI IN ſermonibus, & conventu amicorum verum dixerit numquam, eum ſibi in concionibus credis à mendacio temperaturum? Item, *Quos ex* collibus dejecimus, cum iis in campo metuimus dimicare? Qui cùm plures erant, paucis nobis exæquari non poterant: hi poſtquàm pauciores ſunt, metuimus, ne ſint ſuperiores? Hoc exornationis genus, brevibus & continuatis verbis perfectum eſſe debet, & cùm commodum eſt auditu, propter brevem & abſolutam concluſionem: tum verò vehementer, id, quod opus eſt oratori, comprobat contraria re, & ex eo, quod dubium non eſt, expedit illud, quod dubium eſt, ut aut dilui non poſſit, aut multo difficillimè poſſit.
19 Membrum orationis appellatur res breviter abſoluta ſine totius ſententiæ demonſtratione, quæ denuo alio membro orationis excipitur, hoc modo: *Et inimico* proderas. id eſt unum, quod appellatur membrum: deinde hoc excipiatur oportet ab altero, *Et amicum* lædebas. Ex duobus membris hæc exornatio poteſt conſtare: ſed commodiſſima & abſolutiſſima eſt, quæ ex tribus conſtat, hoc pacto: *Et inimico* proderas, & amicum lædebas, & tibi ipſi non conſulebas. Item, *Nec reipublicæ* conſuluiſti, nec amicis profuiſti, nec inimicis reſtitiſti. Articulus dicitur, cùm ſingula verba intervallis diſtinguuntur cæſa oratione, hoc modo: *Acrimonia*, voce, vultu adverſarios perterruiſti. item, *Inimicos* invidia, injuriis, potentia, perfidia ſuſtuliſti. Inter hujus generis, & illius ſuperioris vehementiam hoc intereſt, quòd illud tardius, & rarius venit, hoc crebrius & celerius pervenit. Itaque in illo genere, ex remotione brachii, & contortione dexteræ gladius ad corpus afferri: in hoc autem crebro, & celeri vulnere corpus conſauciari videtur. Continuatio, eſt denſa, & continens frequentatio verborum cum abſolutione ſententiarum. Ea utemur commodiſſimè tripertitò: in ſententia, in contrario, in concluſione. In ſententia, hoc pacto: EI NON multùm poteſt obeſſe fortuna, qui ſibi firmius in virtute, quàm in caſu, præſidium collocavit. In contrario, hoc modo: NAM SI quis ſpei non multùm collocarit in caſu, quid eſt, quòd ei magnopere caſus obeſſe poſſit? In concluſione, hoc pacto: QUOD ſi in eos plurimùm fortuna poteſt, qui ſuas rationes omneis in caſum contulerunt: non ſunt omnia committenda fortunæ, ne magnam nimis in nos habeat dominationem. In his tribus generibus ad continuationis vim adeò frequentatio eſt neceſſaria, ut infirma facultas oratoris videatur, niſi ſententiam, & contrarium, & concluſionem frequentibus efferat verbis. Sed & alias quoque nonnunquam non alienum eſt, tametſi neceſſe non eſt, eloqui res aliquas per hujuſcemodi
continuationes. Compar appellatur, quod habet in ſe mem- 20
bra orationis, de quibus antè diximus, quæ conſtant ex pari ferè numero ſyllabarum. Hoc non de enumeratione noſtra fiet: (nam id quidem puerile eſt,) ſed tantum affert uſus, & exercitatio facultatis, ut animi quodam ſenſu par membrum ſuperiori referre poſſimus, hoc modo: *In prælio* mortem pater oppetebat, domi filius nuptias comparabat: hæc omnia graveis caſus adminiſtrabant. Item, [4] *Alii fortunæ* felicitatem dedit, huic induſtria virtutem comparavit. In hoc genere ſæpe fieri poteſt, ut non planè par ſit numerus ſyllabarum, & tamen eſſe videatur, ſi una aut etiam altera ſyllaba eſt alterum brevius: aut ſi, cùm in altero plures ſunt, in altero longior, aut longiores, plenior, aut pleniores ſyllabæ erunt: ut longitudo, aut plenitudo harum, multitudinem alterius aſſequatur & exæquet. Similiter cadens, exornatio dicitur, cùm in eadem conſtructione verborum, duo aut plura ſunt verba, quæ ſimiliter iiſdem caſibus efferuntur, hoc modo: *Hominem* laudas egentem virtutis, abundantem felicitatis. Item, CUJUS omnis in pecunia ſpes eſt, ejus à ſapientia eſt animus remotus. Diligentia comparat divitias, negligentia corrumpit animum: & tamen cùm ita vivit, neminem præ ſe ducit hominem. Similiter deſinens eſt, cùm, tametſi caſus non inſunt in verbis, tamen ſimiles exitus ſunt, hoc pacto: *Turpiter* audes facere, nequiter ſtudes dicere. Vivis invidioſe, delinquis ſtudioſe, loqueris odioſe. Item, *Audacter* territas, humiliter placas. Hæc duo genera, quorum alterum in exitus, alterum in caſus ſimilitudine verſatur, inter ſe vehementer conveniunt: & ea re, qui his bene utuntur, plerumque ſimul ea collocant in iiſdem partibus orationis. Id hoc pacto facere oportet: PERDITISSIMA ratio eſt amorem petere, pudorem fugere: diligere formam, negligere famam. Hîc & ea verba, quæ caſus habent, ad caſus ſimileis: & illa, quæ non habent, ad
ſimileis exitus veniunt. Annominatio eſt, cùm ad idem 21
verbum, & idem nomen acceditur commutatione unius litteræ,

1. *Animum auditoris retinet attentum.*] Ita plures Pall. & Br. nam Fabr. *continet.* prius cuſi *reddit.*

2. *Difficile eſt primum virtutes revereri.*] Eſt hoc à Gulielmianis omnibus ac Pal. pr. tert. quint. antea cuſi *virtutem;* niſi quod Lambinus adhæſerit conjecturæ Ranconeti *plurimum virtutem.* non neceſſario; nam *primum* notat heic *in primis*, *ante omnia.*

3. *Sine ratione, & cum ratione.*] Verba iſthæc addidi ex auctoritate Pal. pr. ac tertii. reliquis exciderunt, ob repetitionem vocum ſimilium.

4. *Alii fortuna felicitatem.*] Haud aliter Pal. ſec. quar. quin. ſextus, & Bruil. hactenus impreſſi, *Illi fortuna.*

litteræ, aut litterarum, ſyllabæ, aut ſyllabarum: aut ad res diſſimileis ſimilia verba accommodantur. Ea multis, & variis rationibus conficitur. Attenuatione, aut complexione ejuſdem litteræ, ſic: *Hic*, *qui* ſe magnificè jactat, atque oſtentat, veniit à te antè, quàm Romam venit. Ex contrario: *Hic*, [1] *quos* homines alea vincit, eos ferro ſtatim vincit. Productione ejuſdem litteræ, hoc modo: *Hunc avium* dulcedo ducit ad avium. Brevitate ejuſdem litteræ, hoc modo: *Hic tametſi* videtur eſſe honoris cupidus, tamen non tantum curiam diligit, quantùm Curiam. Addendis litteris, hoc pacto: *Hic ſibi* poſſet temperare, niſi amori mallet obtemperare. Demendis litteris, ſic: *Si lenones*, tanquam leones vitaſſet, vitæ ſe tradidiſſet. Transferendis litteris ſic: *Videte*, judices, utrùm homini navo, an vano credere malitis. Item, *Nolo* eſſe laudator, ne videar adulator. Commutandis hoc modo: DELIGERE oportet, quem velis diligere. Hæ ſunt annominationes, quæ in litteratura, [2] brevi commutatione, aut productione, aut tranſlatione, aut aliquo hujuſ-
22 modi genere verſantur. Sunt autem aliæ quæ non habent tam propinquam in verbis ſimilitudinem, & tamen diſſimiles non ſunt: quibus de generibus unum eſt hujuſmodi, *Quid veniam*, qui ſim, quare veniam, quem inſimulem, cui proſim, quem poſtulem, brevi cognoſcetis. Nam hîc eſt in quibuſdam verbis quædam ſimilitudo non tam affectanda, quàm illæ ſuperiores, ſed tamen adhibenda nonnunquam. Alterum genus hujuſmodi: *Demus* operam, Quirites, ne omnino Patres conſcripti circumſcripti putentur. Hæc annominatio accedit magis ad ſimilitudinem, quàm ſuperior: ſed minus, quàm illæ ſuperiores: propterea quòd non ſolùm additæ, ſed uno tempore demtæ quoque litteræ ſunt. Tertium genus eſt, quod verſatur in caſuum commutatione, aut unius, aut plurium nominum. Unius nominis, hoc modo: *Alexander* Macedo ſummo labore animum ad virtutes à pueritia confirmavit. Alexandri virtutes per orbem terræ [3] cum laude & gloria ſunt. Alexandrum omnes, ut maximè metuerunt, item plurimùm dilexerunt. Alexandro ſi vita longior data eſſet, [4] Oceanum manus Macedonum tranſvolaſſet. Variè hîc unum nomen in commutatione caſuum volutatum eſt. Plura nomina caſibus commutatis, hoc modo faciunt annominationem: *Ti. Gracchum* rempub. adminiſtrantem indigna prohibuit nex diutius in ea commorari. [5] C. Graccho ſimiliter occiſio oblata eſt, quæ virum reipub. amantiſſimum ſubitò de ſinu civitatis eripuit. Saturninum [6] fide captum malorum, perfidiæ ſcelus vita privavit. Tuus, ô Druſe, ſanguis domeſticos parietes, & vultum parentis aſperſit. Sulpicium, cui paullo antè omnia concedebant, eum brevi ſpatio non modò vivere, ſed etiam ſepeliri prohibuerunt. Hæc tria genera proxima exornationum, quorum unum in ſimiliter cadentibus, alterum in ſimiliter deſinentibus verbis, tertium in annominationibus poſitum eſt, perrarò ſumenda ſunt, cùm in veritate dicemus: propterea quòd non hæc videntur reperiri poſſe
23 ſine elaboratione & conſumtione operæ. Ejuſmodi autem ſtudia ad delectationem, quàm ad veritatem videntur, accommodatiora. Quare fides, & gravitas, & *ſeveritas oratoria* minuitur his exornationibus frequenter collocatis: & non modò tollitur auctoritas dicendi, ſed offenditur quoque in ejuſmodi oratione auditor; propterea quòd eſt in his lepos & feſtivitas, non dignitas, neque pulchritudo. Quare QUÆ SUNT ampla & pulchra, diu placere poſſunt: quæ lepida & concinna, [7] citò ſatietate afficiunt aurium ſenſum faſtidioſiſſimum. Quo modo igitur, ſi crebrò his generibus utemur, puerili videbimur elocutione delectari: ita ſi rarò has interſeremus exornationes, & in cauſa tota variè diſpergemus, commodè luminibus diſtinctis illuſtrabimus orationem. Subjectio eſt, cùm interrogamus adverſarios, aut quærimus ipſi, quid ab illis, aut quid contra nos dici poſſit: deinde ſubjicimus id, quod dici oportet, aut quod non oportet, aut nobis adjumento futurum ſit, aut offuturum illis è contrario, hoc modo: *Quæro igitur*, unde iſte tam pecunioſus ſit factus. Amplum patrimonium relictum eſt? at patris bona venierunt. Hereditas aliqua obvenit? non poteſt dici, ſed etiam à neceſſariis omnibus exheredatus eſt. Præmium aliquod ex lite, aut judicio cepit? non modò id non fecit, ſed etiam inſuper ipſe grandi ſponſione victus eſt. Ergo ſi his rationibus locupletatus non eſt, ſicut omnes videtis: aut iſti *domi naſcitur aurum*, aut, unde
licitum non eſt, pecunias accepit. Item, *Sæpe, judices*, anim- 24
adverti, multos aliqua ex honeſta re, quam ne inimici quidem criminari poſſint, ſibi præſidium petere: quorum nihil poteſt adverſarius facere. Nam utrùm ad patris virtutem confugiet? at eum vos jurati capite damnaſtis. An ad ſuam revertetur antiquam vitam, alicubi honeſtè tractatam? at hic quidem ante oculos veſtros quomodo vixerit, ſcitis omnes. An cognatos ſuos enumerabit, quibus vos conveniat commoveri? at hi quidem nulli ſunt. Amicos proferet? at nemo eſt, qui ſibi non putet turpe, iſtius amicum nominari. Item, *Credo*, inimicum, quem nocentem putabas, in judicium adduxiſti: non. nam indemnatum necaſti. Leges, quæ id facere prohibent, veritus es? at ne ſcriptas quidem judicaſti. Cùm ipſe te veteris amicitiæ commonefaceret, commotus es? at nihilo minus, ſed etiam ſtudioſius occidiſti. Quid? cùm tibi pueri ad pedes volutarentur, miſericordia motus es? at eorum patrem crudeliſſimè ſepultura quoque prohibuiſti. Multùm ineſt acrimoniæ, & gravitatis in hac exornatione, propterea quòd, cùm quæſitum eſt, quid oporteat, ſubjicitur id non eſſe factum. Quare facillimè fit, ut augeatur indignitas negotii. Ex eodem genere, ut ad noſtram quoque perſonam referamus ſubjectionem, ſic: *Nam quid me* facere conveniret, cùm à tanta Gallorum multitudine circumſederer? an dimicarem? at cùm parva manu tum prodiremus, locum quoque inimiciſſimum habebamus. Sederem in caſtris? at neque ſubſidium, quod exſpectarem, habebamus, neque erat quo vitam produceremus. Caſtra relinquerem? at obſidebamur. vitam militum negligerem? at ea videbar eos accepiſſe conditione, ut, quoad poſſem, incolumeis patriæ & parentibus conſervarem. Hoſtium conditionem repudiarem? at SALUS antiquior eſt militum, quàm impedimentorum. Hujuſmodi conſequuntur identidem ſubjectiones, ut ex omnibus oſtendi videatur, nihil potius, quàm, quod factum ſit, faciendum fuiſſe. Gradatio eſt, in qua non antè ad conſe- 25
quens verbum deſcenditur, quàm ad ſuperius conſcenſum eſt, hoc modo: *Nam quæ* reliqua ſpes manet libertatis, ſi illis, & quod libet, licet: & quod licet, poſſunt: & quod poſſunt, audent: & quod audent, faciunt: & quod faciunt, vobis moleſtum non eſt? Item, Non ſenſi hoc & non ſuaſi: neque ſuaſi, & non ipſe ſtatim facere cœpi: neque facere cœpi,

1. *Quos homines alea vicit.*] Sequor Pall. & Bru. ac Fabr. nam vulgati, *vincit.*

2. *Brevi commutatione aut productione.*] Revocavi ſcripturam editionum antiquatarum Pall. confirmatam libris, item Br. & Fabr. nam Victorius maluerat, *commutatione, brevitate, aut productione.*

3. *Cum laude & gloria ſunt.*] Libuit ſequi auctoritatem Pal. quarti ac ſexti, confirmatam fide Gemblacenſis libri & Bruilerenſis. vulgata habebat amplius, *gloria vulgatæ ſunt*; quæ vox in quatuor illis nulla eſt.

4. *Oceanum manus Macedonum tranſvolaſſet.*] Et hoc noſtrum eſt facinus; ad quod induxit Palatinorum ſenio. quorum pr. quart. ſextus tantum repræſentabant, *Oceanum Macedonum tranſvolaſſet.* quintus vero *Oceanum fama Macedonum tranſ.* ſec. vero ac tert. ſervabant illud *manus*: vere. legatur modo Suaſoria I. Senecæ patris.

5. *C. Graccho ſimiliter occiſio oblata eſt, quæ virum reip. amantiſſimum, &c.*] Ita quidem nonnulli è Pall. ſed plerique tamen oggerunt *occiſo, ablata eſt reſpubl. quæ virtutis amantiſſimum.* Aldus Nepos expreſſit, *occaſio oblata eſt, quæ virum, &c.* nec omnino diſplicet.

6. *Fide captum malorum, perfidiæ ſcelus vita, &c.*] Placuit iſtud Gulielmio, ex Bruil. & ſic quoque reperi in Pal. quarto & ſexto. nam ceteri ſubſcribebant vulgato, *fide captum, malorum perfidia per ſcelus vita, &c.*

7. *Citò ſatietate afficiunt.*] Recte Bruilerianus liber *cita ſatietate.*

1. *In*

œcepi, & non perfeci : neque perfeci, & non probavi. Item, *Africano* induſtria virtutem, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit. Item, *Imperium* Græciæ fuit apud Athenienſeis, Athenienſium potiti ſunt Spartiatæ, Spartiatas ſuperavere Thebani, Thebanos Macedones vicerunt, qui ad imperium Græciæ brevi tempore adjunxerunt Aſiam bello ſubactam. Habet in ſe quendam leporem ſuperioris cujuſque crebra repetitio verbi, quæ propria eſt hujus exornationis. Definitio eſt, quæ rei alicujus proprias amplectitur poteſtates breviter & abſolutè, hoc modo: *Majeſtas* reipublicæ eſt, in qua continetur dignitas & amplitudo civitatis. Item, *Injuriæ* ſunt, quæ aut pulſatione corpus, aut convicio aureis, aut aliqua turpitudine vitam cujuſpiam violant. Item, *Non eſt* iſta diligentia, ſed avaritia: ideo quòd diligentia, eſt accurata conſervatio ſuorum: avaritia, injurioſa appetitio alienorum. Item, *Non eſt* iſta fortitudo, ſed temeritas: propterea quòd fortitudo eſt contemtio laboris, & periculi cum ratione utilitatis, & compenſatione commodorum: temeritas eſt cum inconſiderata laborum perpeſſione gladiatoria periculorum ſuſceptio. Hæc ideò commoda putatur exornatio, quòd omnem rei cujuſpiam vim, & poteſtatem ita dilucidè proponit, & breviter explicat, ut neque pluribus verbis oportuiſſe dici videatur, neque lucidius po-

26 tuiſſe dici putetur. Tranſitio vocatur, quæ cùm oſtendit breviter, quid dictum ſit, proponit item brevi quid ſequatur, hoc modo: [1] *In patriam* cujuſmodi fuerit, habetis: nunc in parenteis qualis exſtiterit, conſiderate. Item, *Mea* in iſtum beneficia cognoſcitis: nunc, quomodo iſte mihi gratiam retulerit, accipite. Proficit hæc aliquantum exornatio ad duas res. nam & quid dixerit commonet, & ad reliquum comparat auditorem. Correctio eſt, quæ tollit id, quod dictum eſt, & pro eo id, quod magis idoneum videtur, reponit, hoc pacto: *Quòd ſi iſte* ſuos hoſpites rogaſſet, [2] immò innuiſſet modò: hoc facilè perfici poſſet. Item, *Nam poſtquàm* iſti vicerunt, atque adeo victi ſunt, eam quomodo victoriam appellem, quæ victoribus plus calamitatis, quàm boni dederit? O virtutis comes invidia, quæ bonos inſequeris plerumque, atque adeò inſectaris! Commovetur hoc genere animus auditoris. Res enim communi verbo elata, tantummodo dicta videtur: [3] aſt ea poſt ipſius oratoris correctionem magis idonea fit pronuntiatione. Non igitur ſatius eſſet, dicet aliquis ab initio, præſertim cùm ſcribas, ad optimum, & electiſſimum verbum devenire? Eſt cùm non eſt ſatius, ſi commutatio verbi id erit demonſtratura, ejuſmodi rem eſſe, ut, cùm eam communi verbo appellaris, levius dixiſſe videaris: cùm ad electius verbum accedas, inſigniorem rem facias. quòd ſi continuò veniſſes ad id ver-

27 bum: nec rei, nec verbi gratia animadverſa eſſet. Occupatio eſt, cùm dicimus, nos præterire, aut non ſcire, aut nolle dicere id, quod tunc maximè dicimus, hoc modo: *Nam de pueritia* quidem tua, quam tu omni intemperantiæ addixiſti, dicerem, ſi hoc tempus idoneum putarem: nunc conſultò relinquo. *Et illud* prætereo, [4] quòd te tribuni rei militaris infrequentem tradiderunt. Deinde quòd injuriarum ſatisfeciſti L. Labeoni, nihil ad rem pertinere puto. Horum nihil dico: revertor ad illud, de quo judicium eſt. Item, *Non dico* te ab ſociis pecunias accepiſſe: non ſum in eo occupatus, quòd civitates, regna, domos omnium depeculatus es: furta, rapinas tuas omneis omitto. Hæc utilis eſt exornatio, ſi aut rem, quam non pertineat aliis oſtendere, occultè admonuiſſe prodeſt, aut ſi longum eſt, aut ignobile, aut planum, aut non poteſt fieri, aut facilè poteſt reprehendi: ut utilius ſit occultè feciſſe ſuſpicionem, quàm hujuſmodi intendiſſe orationem, quæ redarguatur. Disjunctio eſt, cùm eorum de quibus dicimus, aut utrunque, aut unum quodque certo concluditur verbo, ſic: *Populus* Romanus Numantiam delevit, Karthaginem ſuſtulit, Corinthum disjecit, Fregellas evertit. Nihil Numantinis vires corporis auxiliatæ ſunt; nihil Karthaginienſibus ſcientia rei militaris adjumento fuit; nihil Corinthiis erudita calliditas præſidii tulit; nihil Fregellanis morum & ſermonis ſocietas opitulata eſt. Item, FORMÆ DIGNITAS aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate exſtinguitur. Hìc utrumque, & in ſuperiore exemplo unamquamque rem certo verbo concludi videmus. Conjunctio eſt, cùm interpoſitione verbi & ſuperiores orationis partes comprehenduntur, & inferiores, hoc modo: FORMÆ dignitas aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate. Adjunctio eſt, cùm verbum, quo res comprehenditur, non interponimus, ſed aut primum, aut poſtremum collocamus. Primum, hoc pacto: DEFLORESCIT formæ dignitas aut morbo, aut vetuſtate. Poſtremum ſic: AUT MORBO, aut vetuſtate formæ dignitas defloreſcit. Ad feſtivitatem disjunctio eſt appoſita; quare rarius utemur ea, ne ſatietatem pariat: ad brevitatem conjunctio; quare ſæpius adhibenda eſt. Hæ tres exornationes de ſimplici genere 28
manant. Conduplicatio eſt, cum ratione amplificationis, aut commiſerationis, ejuſdem unius, aut plurium verborum iteratio, hoc modo: *Tumultus* C. Gracchi, tumultus domeſticos & inteſtinos comparat. Item, *Commotus* non es, cùm tibi mater pedes amplexaretur, non es commotus. Item, *Nunc etiam* audes in horum conſpectum venire, proditor patriæ, proditor, inquam, patriæ, venire audes in horum conſpectum? Vehementer auditorem commovet ejuſdem redintegratio verbi, & vulnus majùs efficit, in contrario cauſæ; quaſi aliquod telum ſæpius perveniat in eandem partem corporis. Interpretatio eſt, quæ non iterans idem redintegrat verbum, ſed id commutat, quod poſitum eſt, alio verbo, quod idem valeat, hoc modo: *Remp.* radicitus evertiſti, civitatem funditus dejeciſti. Item, *Patrem* nefariè verberaſti, parenti manus ſceleratè intuliſti. Neceſſe eſt ejus, qui audit, animum commoveri, cùm gravitas prioris dicti renovatur interpretatione verborum. Commutatio eſt, cum duæ ſententiæ inter ſe diſcrepantes ex transjectione ita efferuntur, ut à priore poſterior, contraria priori, proficiſcatur, hoc modo: ESSE oportet, ut vivas: non vivere, ut edas. Item, *Ea re* poëmata non facio: quia cujuſmodi volo, non poſſum: cujuſmodi poſſum, nolo. Item, quæ de illo dicuntur, dici non poſſunt, quæ dici poſſunt, non dicuntur. Item, *Si poëma* loquens pictura eſt: pictura tacitum poëma debet eſſe. Item, *Quia ſtultus* es, ea re taces: non tamen, quia taces, ea re ſtultus es. Non poteſt dici, quin commodè fiat, cùm contrariæ ſententiæ tranſlatione, verba quoque convertantur. Plura ſubjecimus exempla, ut, quoniam difficile eſt hoc genus exornationis inventu, dilucidum eſſet, ut, cùm benè eſſet intellectum, facilius in di-
cendo inveniretur. Permiſſio eſt, cùm oſtendimus in di- 29
cendo nos aliquam rem totam tradere & concedere alicujus voluntati, ſic: *Quoniam* [5] omnibus rebus ereptis, ſupereſt animus & corpus, hæc ipſa, quæ mihi de multis ſola relicta ſunt, vobis & veſtræ condono poteſtati. Vos me, quo pacto vobis videbitur, utamini, atque [6] abutamini licebit, impunè: in me, quicquid libet, ſtatuite: dicite, atque obtemperabo. Hoc genus tametſi alias quoque nonnunquam tractandum eſt, tamen ad miſericordiam commovendam vehementiſſimè eſt accommodatum. Dubitatio eſt, cùm quærere videtur orator, utrum de duobus potius, aut quid de plu-

1. *In patriam cujuſmodi, &c.*] Si libros noſtros mſſ. ſequimur, vox addenda eſt una, altera tranſponenda. Pall. enim omnes & Bruil. hoc pacto: *Modo in patriam, &c.*

2. *Imò innuiſſet modo.*] Fatuè editi à Lambino *ſi invenïſſet.*

3. *Aſt ea poſt ipſius, &c.*] Repoſui illud *aſt* volente Palat. ſec. ac ſexto, item Gembl. & Lilienſi. nam Pal. tert. ac quint. *at ea.*

4. *Quod te tribuni rei militaris infrequentem tradiderunt.*] Emendatio hujus loci nata è Pal. pr. alluduntque ferè ceteri: ſed totidem literis. Ita quoque concepta eſt iſthæc lectio in Br. in Gembl. Lil. item Fabr. & Perſini in hunc diem legimus, *quod rei militaris te infrequentem reddidiſti.*

5. *Omnibus ereptis, ſupereſt, &c.*] Secutus ſum Palat. quart. & ſext. quibus ſecundas faciebat Bruil. additum hactenus, *omnibus ereptis ſolum mihi ſupereſt.* planè ſuperfluè.

6. *Abutamini licebit impunè.*] Pal. quart. ſext. Bruil. habent *impunitè.*

 1. Quæro

de pluribus potiſſimùm dicat, hoc modo: *Obfuit eo* tempore plurimùm reipublicæ conſulum ſive ſtultitiam, ſive malitiam dicere oportet, ſive utrumque. Item, *Tu iſtud* auſus es dicere, homo omnium mortalium? [1] quæro, quonam te digno moribus tuis appellem nomine. Expeditio eſt, cùm rationibus compluribus enumeratis, quibus aliqua res aut fieri, aut non fieri potuerit, ceteræ tolluntur, una relinquitur, quam nos intendimus, hoc modo: *Neceſſe eſt,* cùm conſtet iſtum noſtrum fundum fuiſſe, oſtendas, te aut vacuum poſſediſſe, aut uſu tuum feciſſe, aut emiſſe, aut hereditate tibi veniſſe. Vacuum, cùm ego adeſſem, poſſidere non potuiſti. tuum uſu feciſſe etiamnum non potes: emtio nulla profertur. hereditate tibi, me vivo mea pecunia venire non potuit. Relinquitur ergo, ut me vi de meo fundo dejeceris. Hæc exornatio plurimùm juvabit conjecturaleis argumentationes, ſed non erit, tanquam in pleriſque, ut, cùm velimus, ea poſſimus uti. nam facere id non pote-
30 rimus, niſi nobis ipſa negotii natura dabit facultatem. Diſſolutio eſt, quæ conjunctionibus verborum è medio ſublatis, partibus ſeparatis effertur, hoc modo: GERE MOREM parenti, pare cognatis, obſequere amicis, obtempera legibus. Item, *Deſcende in* integram defenſionem: noli quidquam recuſare: da ſervos in quæſtionem: ſtude verum invenire. Hoc genus & acrimoniam habet in ſe, & vehementiſſimum eſt, & ad brevitatem accommodatum. Præciſio eſt, cùm, dictis quibuſdam, reliquum, [2] quod cœptum eſt dici, relinquitur in audientum judicio, ſic: *Mihi tecum* præcertatio non eſt, ideo quòd populus Romanus me, nolo dicere, necui fortè arrogans videar: te autem ſæpe ignominia dignum putavit. Item, *Tu iſta* nunc audes dicere, qui nuper alienæ domui? non auſim dicere, ne, cùm te digna dixero, me indignum quippiam dixiſſe videar. Hîc atrocior tacita ſuſpicio, quàm diſerta explanatio facta eſt. Concluſio eſt, quæ brevi argumentatione ex iis, quæ antè dicta ſunt, aut facta, conficit id, quod neceſſariò conſequatur, hoc modo: *Quòd ſi* Danais datum erat oraculum, non poſſe capi Trojam ſine Philoctetæ ſagittis, hæ autem nihil
31 aliud fecerunt, niſi Alexandrum perculerunt: hunc exſtinguere, id nimirum capi fuit Trojam. RESTANT etiam decem exornationes verborum, quas idcircò non vagè diſperſimus, ſed à ſuperioribus ſeparavimus, quòd omnes in uno genere poſitæ ſunt. Nam earum omnium hoc proprium eſt, ut ab uſitata verborum poteſtate recedatur, atque in aliam rationem cum quadam venuſtate oratio conferatur. De quibus exornationibus nominatio eſt prima, quæ nos admonet, ut, cui rei nomen aut non ſit, aut ſatis idoneum non ſit, eam noſmet idoneo verbo nominemus, aut imitationis, aut ſignificationis cauſa. Imitationis, hoc modo, ut majores rudere, & vagire, & mugire, & murmurare, & ſibilare appellaverunt. Significandæ rei cauſa, ſic: *Poſtquam* iſte in rempublicam fecit impetum, fragor civitatis in primis eſt auditus. Hoc genere rarò utendum eſt, ne novi verbi aſſiduitas odium pariat: ſed ſi commodè quis eo utatur, & rarò, non modò non offendet novitate, ſed exornabit etiam orationem. Pronominatio eſt, quæ ſicuti cognomine quodam extraneo demonſtrat id, quod ſuo nomine appellari non poteſt, ut, ſiquis, cum loquatur de Gracchis: *At non* Africani nepotes, inquiet, iſtiuſmodi fuerunt. Item, ſiquis, de adverſario dicat: *Videte* nunc, inquit, judices, quemadmodum me [3] Plagioſippus iſte tractarit. Hoc pacto non inornatè poterimus & in laudando, & in lædendo, aut in corpore, aut in animo, aut in extraneis rebus dicere, ſicuti cognomen, quod pro certo nomine collocamus. Denomina- 32
tio eſt, quæ à propinquis & finitimis rebus trahit orationem, qua poſſit intelligi res, quæ non ſuo vocabulo ſit appellata. Id aut ab inventore conficitur, ut ſi quis de Tarpejo loquens, eum *Capitolinum* nominet: aut ab invento, ut ſi quis pro *Libero* vinum, pro *Cerere* frugem appellet: Aut ab inſtrumento dominum, ut ſi quis Macedonas appellarit, hoc modo: *Non tam* cito Sariſſæ Græcia potitæ ſunt: Aut idem Gallos ſignificans dicat, *Nec tam* facilè ex Italia materis tranſalpina depulſa eſt: Aut id, quod fit, ab eo, qui facit, ut, ſiquis cùm bello velit oſtendere aliquid quempiam feciſſe, dicat: *Mars* iſtud te facere neceſſariò coëgit: Aut ſi, quod facit, ab eo, quod fit, ut, cùm *deſidioſam artem* dicemus, quia deſidioſos facit: & *frigus pigrum*, quia pigros facit. ab eo, quod continet, id, quod continetur, hoc modo denominabitur: *Armis* Italia non poteſt vinci, nec Græcia diſciplinis. nam hîc pro Græcis & Italis, quæ continent, notata ſunt. Ab eo, quod continetur, id, quod continet, ut, ſi quis *aurum*, vel *argentum*, aut *ebur* nominet, cùm *divitias* velit nominare. Harum omnium denominationum magis in præcipiendo diviſio, quàm in quærendo difficilis inventio eſt, ideò quòd plena conſuetudo eſt non modò poëtarum & oratorum, ſed etiam quotidiani ſermonis, hujuſmodi denominationum. Circuitio, eſt oratio rem ſimplicem aſſumtam circumſcribens elocutione, hoc pacto: *Scipionis* providentia Karthaginis opes fregit. Nam hic, niſi ornandi ratio quædam eſſet habita, Scipio potuit, & Karthago ſimpliciter appellari. Tranſgreſſio eſt, quæ verborum perturbat ordinem perverſione, aut transjectione. Perverſione ſic: *Hoc vobis* deos immortaleis arbitror [4] dediſſe pietate pro veſtra. Transjectione hoc modo: *Inſtabilis* in iſtum plurimùm fortuna valuit. Item, *Omneis* invidioſe eripuit tibi bene vivendi caſus facultates. Hujuſmodi transjectio, quæ rem non reddit obſcuram, multum proderit ad continuationes, de quibus antè dictum eſt: in quibus [5] oportet verba, ſicut à poëtis, in quendam exſtruere numerum, ut perfectè & per-
politiſſimè poſſint eſſe abſolutæ. Superlatio, eſt oratio ſu- 33
perans veritatem, alicujus augendi, minuendive cauſa. Hæc ſumitur ſeparatim, aut cum comparatione. Separatim ſic: QUOD SI [6] concordiam retinebimus, imperii magnitudinem ſolis ortu atque occaſu metiemur. Cum comparatione, aut à ſimilitudine, aut à præſtantia ſuperlatio ſumitur: A ſimilitudine ſic: *Corpore* niveum candorem, aſpectu igneum ardorem aſſequebatur. A præſtantia hoc modo: *Cujus* ore ſermo melle dulcior profluebat. Eodem genere hoc eſt, *Tantus* erat in armis ſplendor, ut ſolis fulgor obſcurior videretur. Intellectio eſt, cùm res tota parva de parte cognoſcitur, aut de toto pars. De parte totum ſic intelligitur: *Non illæ* te nuptiales tibiæ ejus matrimonii commonebant? Nam hîc omnis ſanctimonia nuptiarum, uno ſigno tibiarum intelligitur. De toto pars, ut ſiquis ei, qui veſtitum, aut ornatum ſumtuoſum oſtentet, dicat, *Oſtentas* mihi divitias, & locupleteis copias jactas. Ab uno plura intelliguntur, hoc modo: *Pœno* fuit Hiſpanus auxilio, fuit immanis ille tranſalpinus: in Italia quoque idem non nemo togatus ſenſit. A pluribus unum ſic intelligitur: *Atrox* calamitas pectora mœrore pulſabat. Itaque anhelans ex imis pulmonibus præ cura ſpiritus ducebatur. Nam in ſuperioribus plures Hiſpani, & Galli, & togati, hîc unum pectus, & unus pulmo intelligitur: & erit illic diminutus numerus feſtivitatis, hîc adauctus gravitatis gratia. Abuſio eſt, quæ verbo ſimili, & propinquo, pro certo & proprio abutitur,

1. *Quero quonam te digno, &c.*] Palat. quartus: *quæro jam quo te digno, &c.* ſed magis placet quod inveni in ſec. & tertio: *homo omnium mortalium? nam quo te digno, &c.* ſine voce *quæro*.

2. *Quod ceptum eſt dici, relinquitur in audientium judicio, ſic mihi.*] Pall. aliquot, item Toſanus, Br. Fabr. *relinquitur inchoatum, ſic mihi tecum.* non probem.

3. *Plagioſippus iſte.*] Ita maxima pars Pall. quippe unus atque alter *Plagioxyppus*, quomodo Br. & Petreiani, ſed unico per Fabr. *Plagioxiphus.*

4. *Dediſſe pietate pro veſtra.*] Sic Pal. pr. & ſec. neque aliter Fabr. aut libri Suffridi. frequens id verbum apud Comicos. vulgo erat *virtute pro veſtra.*

5. *Oportet verba, ſicut à poëtis, in quendam exſtruere numerum.*] Gulielmius malebat cum Lambino, *ſicut ad poëticum.* & vero in Pal. ſec. & Fabr. erat, *ſint ad poëticum quendam exſtructa numerum*, quod maluerim; ſi modo quid venit mutandum.

6. *Concordiam retinebimus.*] Libri publicati adjiciunt, *in civitate:* quod excluſi, quod abeſſet Pal. quart. ſexto, item Br. ac Fab.

1. *Exa-*

tur, hoc modo: *Vires* hominis breves ſunt, aut parva ſtatura, aut longum in homine conſilium, aut oratio magna, aut uti pauco ſermone. Nam hìc facilè eſt intellectu, finitima verba rerum diſſimilium, ratione abuſionis, eſſe tradu-
34 cta. Tranſlatio eſt, cùm verbum in quandam rem transferatur ex alia re, quod propter ſimilitudinem rectè videtur poſſe transferri. Ea utimur rei ante oculos ponendæ cauſa, ſic: *Hic Italiam* tumultus expergefecit terrore ſubito. Brevitatis cauſa, ſic: *Recens* adventus exercitus ſubitò civitatem exſtinxit. Obſcœnitatis vitandæ cauſa, ſic: *Cujus* mater quotidianis nuptiis delectatur. Augendi cauſa, ſic: *Nullius* mœror, & calamitas iſtius explere inimicitias, & nefariam ſaturare crudelitatem potuit. Minuendi cauſa, ſic: *Magno* ſe prædicat auxilio fuiſſe, quia paullulum in rebus difficillimis aſpiravit. Ornandi cauſa, ſic: *Aliquando* reip. rationes, quæ malitia nocentum [1] exaruerant, virtute optimatium reviruere. Tranſlationem dicunt pudentem eſſe oportere, ut cum ratione in conſimilem rem tranſeat, ne ſine delectu temerè & cupidè videatur in diſſimilem tranſcurriſſe. Permutatio, eſt oratio, aliud verbis, aliud ſententia demonſtrans. Ea dividitur in treis parteis, ſimilitudinem, argumentum, contrarium. Per ſimilitudinem ſumitur, cùm tranſlationes, una, aut plures frequenter ponuntur à ſimplici ratione ductæ, ſic: Nam CUM CANES funguntur officiis luporum, [2] cui præſidio pecua credemus? Per argumentum tractatur, cùm à perſona, aut à loco, aut à re aliqua, ſimilitudo, augendi, aut minuendi cauſa, dicitur: [3] ut ſiquis Druſum, Gracchum, *nitorem obſoletum* dicat. Ex contrario ducitur ſic, ut ſiquis hominem prodigum, & luxurioſum illudens, *parcum*, & *diligentem* appellet. Et in hoc poſtremo, quod ex contrario ſumitur: & in illo primo, quod à ſimilitudine ducitur, per tranſlationem argumento poterimus uti. Per ſimilitudinem, ſic: *Quid ait* hic rex, atque Agamemnon noſter, ſive, ut crudelitas eſt, potius Atreus? Ex contrario, ſi quem impium, qui patrem verberaverit, *Æneam* vocemus: intemperantem & adulterum, *Hippolytum* nominemus. Hæc ſunt ferè, quæ dicenda videbantur de verborum exornationibus. Nunc res ipſa monet, ut deinceps ad ſen-
35 tentiarum exornationes tranſeamus. DISTRIBUTIO eſt, cùm in plureis res, aut perſonas certas negotia quædam diſpertiuntur, hoc modo: *Qui veſtrûm*, judices, nomen ſenatus diligit, hunc oderit neceſſe eſt. petulantiſſimè enim ſemper iſte oppugnavit ſenatum. Qui equeſtrem locum, ſplendidiſſimum cupit eſſe in civitate, [4] is oportet iſtum maximas pœnas dediſſe velit, ne iſte ſua turpitudine ordini honeſtiſſimo, maculæ atque dedecori ſit. Qui parenteis habetis, oſtendite iſtius ſupplicio, vobis homines impios non placere. Quibus liberi ſunt, ſtatuite exemplum, quantæ pœnæ in civitate ſint hominibus hujuſmodi comparatæ. Item, SENATUS officium eſt, conſilio civitatem juvare. Magiſtratus officium eſt, opera & diligentia conſequi voluntatem ſenatus. Populi officium eſt, res optimas, & homines idoneos maximè ſuis ſententiis eligere, & probare. Accuſatoris officium eſt, inferre crimina: Defenſoris, diluere & propulſare: Teſtis eſt, dicere, quæ ſcierit, aut audierit: Quæſitoris eſt, unumquemque horum in officio ſuo continere. Quare, L. Caſſi, ſi teſtem, præterquam quod ſciat, aut audierit, argumentari, & conjectura proſequi patieris: jus accuſatoris cum jure teſtimonii commiſcebis, teſtis improbi cupiditatem confirmabis, reo duplicem defenſionem parabis. Eſt hæc exornatio copioſa. Comprehendit enim brevi multa, & ſuum cuique [5] tribuens officium, ſeparatim res dividit plureis. Licentia eſt, cùm apud eos, 36
quos aut vereri, aut metuere debemus, tamen aliquid pro jure noſtro dicimus, quod eos minimè offendat, aut quos ii diligunt, cùm in aliquo errato verè reprehendi poſſe videantur, hoc modo: *Miramini*, Quirites, quòd ab omnibus veſtræ rationes deſerantur? quòd cauſam veſtram nemo ſuſcipiat? quòd ſe nemo veſtri defenſorem profiteatur? id tribuite veſtræ culpæ; atque deſinite mirari. Quid enim eſt, quare non omneis iſtam rem fugere, ac vitare debeant? Recordamini, quos habueritis defenſores, ſtudia eorum vobis ante oculos ponite: deinde exitus omnium conſiderate. tum vobis veniet in mentem, ut verè dicam, negligentia veſtra, ſive ignavia potius, illos omneis ante oculos veſtros trucidatos eſſe, inimicos eorum veſtris ſuffragiis in ampliſſimum locum perveniſſe. Item, *Nam quid* fuit, judices, quare in ſententiis ferendis dubitaveritis, aut iſtum hominem nefarium ampliaveritis? non apertiſſimæ res erant crimini datæ? non omnes hæ teſtibus comprobatæ? non contrà tenuiter, & nugatoriè reſponſum? Hìc vos veriti eſtis, [6] ſi primo cœtu condemnaſſetis, ne crudeles exiſtimaremini. Dum eam vitaſtis vituperationem, quæ longè à vobis erat abfutura, eam inveniſtis, ut timidi atque ignavi putaremini. Maximas, & privatas, & publicas calamitates accepiſtis: cùm etiam majores impendere videantur, ſedetis, & oſcitamini. Luce noctem, nocte lucem exſpectatis. Aliquid quotidie acerbi, atque incommodi nuntiatur, & eum, cujus opera vobis hæc accidunt, remoramini diutius, & alitis; [7] ac reip. perniciem retinetis, quoad poteſtis, in civitate. Ejuſmodi licentia ſi nimium videbitur acrimoniæ habere, multis mitigationibus lenietur. nam continuò aliquid 37
hujuſmodi licebit inferre. *Hic ego* virtutem veſtram quæro, ſapientiam deſidero, veterem conſuetudinem requiro, ut quod erit commotum licentia, id laude mitigetur, ut altera res ab iracundia & moleſtia removeat, altera ab errato deterreat. Hæc res, ſicut in amicitia, ita in dicendo, ſi *loco* fit, maximè facit, [8] ut & illi, qui audiunt, à culpa abſint, & nos, qui dicimus, amici eorum, & veritatis eſſe videamur. Eſt autem quoddam genus licentiæ in dicendo, quod aſtutiore ratione comparatur: cùm aut ita objurgamus eos, qui audiunt, qyomodo ipſi ſe cupiunt objurgari: aut id, quod ſcimus facilè omneis audituros, dicimus nos timere quomodo accipiant: ſed tamen veritate commoveri, ut nihilo ſecius dicamus. Horum amborum generum exempla ſubjiciemus. Prioris, hujuſmodi: *Nimium*, Quirites, animis eſtis ſimplicibus, & manſuetis, nimiùm creditis unicuique. exiſtimatis unumquemque eniti, ut perficiat, quæ vobis pollicitus ſit: erratis, & fruſtra falſa ſpe jam diu detinemini: STULTITIA veſtra eſt, [9] qui, quod erat in veſtra poteſtate, ab aliis petere, quàm ipſi ſumere maluiſtis. Poſterioris licentiæ hoc erit exemplum: *Mihi* cum iſto, judices, fuit amicitia, ſed iſta tamen amicitia, tametſi vereor quo-

---

1. *Exaruerant, virtute optimatium reviruere.*] Eſt à Pal. quart. & ſexto: neque recedit Br. quam quod is, *reviruerunt*.

2. *Cui præſidio pecua credemus.*] Ita apertè Pal. quartus, niſi quod is adhuc *quo præſidio*, ſext. habet *peculia*. reliqui *pecuaria*, ut vulgata. ſcripſi etiam *funguntur*, fide quarti & primi. nam ſextus *fungerentur*. Bruil. *fungentur*; non, ut editi prius, *fungantur*.

3. *Ut ſi quis Druſum, Gracchum, nitorem obſoletum dicat.*] Repræſentavi quod repereram in Pal. quarto; reſtabatque item in Bruilerienſi, quippe Pal. ſext. *mitiorem nitor obſoletus*, dicitur, quemadmodum, *Eſt honeſta turpitudo pro bona cauſa mori* apud P. Syrum. Turnebus lib. xx. cap. 25. legendum credidit, *munitoremque obſoletum*. recepta lectio, *Numitorem obſoletum*.

4. *Is oportet iſtum maximas pœnas dediſſe velit.*] Vox *velit* non eſt in Pal. quarto aut ſexto, mutatque *oportet* in *optet*: neque ſecus Bruil. forſan melius.

5. *Tribuens officium, ſeparatim, &c.*] Eſt à Pall. iiſdem & Br. quibus acceſſit & Pal. quintus, hactenus impreſſi *ſeparat & res, &c.*

6. *Primo cœtu.*] Bene interpretatur Turnebus lib. xx. Adverſ. cap. 25. qui adeatur.

7. *Ac reip. perniciem, &c.*] Libri illi noſtri tres, *ad reip. pern.* quod ſatisfaciebat Gulielmio.

8. *Ut & illi qui, &c. dicimus, amici eorum & veritatis eſſe videamur.*] Suffridus ait exſtare in Erfurdienſi *veritatis adſertores eſſe videamur*; quod & à manu recenti in Pal. ſexto. prius enim ſcriptum in illo; *ut & illi qui, &c. dicimus, tamen tam ſententia eorum qui dicunt, quam de quibus dicitur vera habeatur*: quomodo item reſtat in quarto & Bruil. qui ultimus ſuperſcriptum habet; *tamen tam ipſos veriti eſſe videamur, quam, &c.*

9. *Qui quod erat in veſtra pot. &c.*] Ita Pall. aliquot & Bru. vulgata enim, *quia quod*.

quomodo accepturi ſitis, vos me privaſtis. Quid ita? quia ut vobis eſſem probatus, eum, qui vos oppugnabat, inimicum, quàm amicum habere malui. Ergo hæc exornatio, cui licentiæ nomen eſt, ſicuti demonſtravimus, duplici ratione tractabitur: acrimonia, quæ ſi nimiùm fuerit aſpera, mitigabitur laude: & aſſimulatione, de qua poſterius diximus, quæ non indiget mitigationis, propterea quod imitatur licentiam, & ſua ſponte ad animum auditoris ſe ac-
38 commodat. Deminutio eſt, cùm aliquid eſſe nobis, aut in iis, quos defendimus, aut natura, aut fortuna, aut induſtria dicemus egregium: quod, nequa ſignificetur arrogans oſtentatio, deminuitur, & attenuatur oratione, hoc modo: *Nam hoc* pro meo jure, judices, dico, me labore, & induſtria curaſſe, ut diſciplinam militarem non in poſtremis tenerem. Hîc ſiquis dixiſſet, *ut optimè tenerem*, tametſi verè dixiſſet, tamen arrogans viſus eſſet. nunc & ad invidiam vitandam, & ad laudem comparandam ſatis dictum eſt. Item, *Utrùm* igitur avaritiæ cauſa an egeſtatis acceſſit ad maleficium? Avaritiæ? at largiſſimus fuit in amicos, quod ſignum liberalitatis eſt, quæ contraria avaritiæ eſt. Egeſtatis? at huic quidem pater, (nolo nimium dicere) non tenuiſſimum patrimonium reliquit. Hîc quoque vitatum eſt, ne *magnum* aut *maximum* diceretur. hoc igitur in noſtris, aut eorum, quos defendemus, egregiis commodis proferendis obſervabimus. nam ejuſmodi res & invidiam contrahunt in vita, & odium in oratione, ſi inconſideratè tractes. Quare, [1] quemadmodum ratione vivendi fugitur invidia,
39 ſic in dicendo, conſilio vitatur odium. Deſcriptio nominatur, quæ rerum conſequentium continet perſpicuam, & dilucidam cum gravitate expoſitionem, hoc modo: Quòd ſi iſtum, judices, veſtris ſententiis liberaveritis, ſtatim ſicut è cavea leo miſſus, aut aliqua tæterrima bellua ſoluta ex catenis, volitabit, & vagabitur in foro, [2] acuens denteis multos in cujuſque fortunas, in omneis amicos atque inimicos, notos atque ignotos incurſans; aliorum famam depeculans, aliorum caput oppugnans, aliorum domum, atque omnem familiam perfringens, remp. funditus labefactans. Quare, judices, ejicite eum de civitate, liberate omneis formidine; vobis denique ipſis conſulite. nam ſi iſtum impunitum dimiſeritis, in voſmet ipſos, mihi credite, feram & truculentam beſtiam, judices, immiſeritis. Item, *Nam ſi de hoc*, judices, gravem ſententiam tuleritis, uno judicio ſimul multos jugulaveritis. grandis natu parens, cujus ſpes ſenectutis omnis in hujus adoleſcentia poſita eſt, quare velit in vita manere, non habebit: filii parvi, privati patris auxilio, ludibrio, & deſpectui paternis inimicis erunt oppoſiti: tota domus hujus indigna concidet calamitate: at inimici ſtatim ſanguinolenta palma, crudeliſſima victoria potiti, inſultabunt in horum miſerias, [3] & ſuperbi re ſimul, & verbis invehentur. Item, NAM NEMINEM noſtrûm fugit, Quirites, capta urbe, quæ miſeriæ conſequi ſoleant: arma qui contrà tulerint, ſtatim crudeliſſimè trucidantur: cæteri, qui poſſunt [4] per ætatem & vireis laborem ferre, rapiuntur in ſervitutem: qui non poſſunt, vita privantur: uno denique, atque eodem tempore domus hoſtili flagrabit incendio, & quos natura, aut voluntas neceſſitudine, aut benivolentia conjunxit, diſtrahuntur: liberi partim [5] è gremiis parentum diripiuntur, partim in ſinu jugulantur, [6] partim ante pedes conſtuprantur. nemo, judices, eſt, qui poſſit ſatis rem conſequi verbis, nec referre oratione magnitudinem calamitatis. Hoc genere exornationis, vel indignatio, vel miſericordia poteſt commoveri, cùm res conſequentes comprehenſæ univerſæ perſpicua breviter exprimuntur oratione. Diviſio eſt, quæ rem ſemo- 40
vens à re, utramque abſolvit, ratione ſubjecta, hoc modo: *Cur ego* nunc tibi quicquam objiciam? ſi probus es, non meruiſti: ſin improbus, non commoveris. Item, *Quid nunc* ego de meis propriis meritis prædicem? ſi meminiſtis, obtundam: ſin obliti eſtis, cùm re nihil egerim, quid eſt, quod verbis proficere poſſim? Item, DUÆ RES SUNT, quæ poſſunt homines ad turpe compendium commovere, inopia, atque avaritia. te avarum in fraterna diviſione cognovimus: inopem atque egentem nunc videmus, quî potes igitur oſtendere cauſam maleficii non fuiſſe? Inter hanc diviſionem, & illam, quæ de partibus orationis tertia eſt, de qua in libro primo diximus ſecundùm narrationem, hoc intereſt: Illa dividit per enumerationem, aut per expoſitionem, quibus de rebus in tota oratione diſputatio futura ſit: hæc ſe ſtatim explicat, & brevi duabus, aut pluribus partibus ſubjiciens rationes, exornat orationem. Frequentatio eſt, cùm res in tota cauſa diſperſæ [7] coguntur in unum, quo gravior, aut acrior, aut criminoſior oratio ſit, hoc pacto: *A quo tandem* abeſt iſte vitio? quid eſt, judices, cur velitis eum liberare? Suæ pudicitiæ proditor eſt, inſidiator alienæ: cupidus, intemperans, petulans, ſuperbus: impius in parenteis, ingratus in amicos, infeſtus in cognatos, in ſuperiores contumax, in æquos & pareis faſtidioſus, in inferiores crudelis, denique in omneis intolerabilis. Ejuſdem generis eſt illa frequentatio, quæ plurimùm conjecturalibus cauſis opitulatur, cùm ſuſpiciones, quæ ſeparatim dictæ, minutæ & infirmæ erant, unum in locum coactæ rem videntur perſpicuam facere, non ſuſpicioſam, hoc pacto: *Nolite igitur*, nolite, judices, ea, quæ dixi, ſeparatim ſpectare: ſed omnia colligite, & conferte in unum. Si & commodum ad iſtum 41
ex illius morte veniebat, & vita hominis eſt turpiſſima, animus avariſſimus, fortuna familiaris rei attenuatiſſima, & res iſta bono nemini præter iſtum fuit: neque alius quiſquam æquè commodè, neque iſte aliis commodioribus rationibus facere potuit: neque præteritum quicquam eſt ab iſto, quod opus fuerit ad maleficium: neque factum, quod opus non fuerit: & cùm locus idoneus maximè quæſitus, tum occaſio aggrediendi commoda, tempus adeundi opportuniſſimum, ſpatium conficiendi longiſſimum ſumtum eſt, non ſine maxima occultandi & perficiendi maleficii ſpe: & præterea antè quam occiſus homo is eſt, iſte viſus eſt in eo loco, in quo eſt occiſio facta, ſolus: paullo pòſt [8] in ipſo maleficio, vox illius, qui occidebatur, audita eſt: deinde poſt occiſionem, iſtum multa nocte domum rediiſſe conſtat; poſtera die titubanter & inconſtanter de occiſione illius locutum: hæc partim teſtimoniis, partim quæſtionibus, & argumentis omnia comprobantur, & rumore populi, quem ex argumentis natum, neceſſe eſt eſſe verum: veſtrum eſt, judices, his in unum locum collatis, [9] certam ſumere ſcientiam, non ſuſpicionem maleficii. Nam unum aliquid, aut alterum poteſt in iſtum caſu cecidiſſe ſuſpicioſe. ut omnia inter ſe à primo ad poſtremum conveniant maleficia, neceſſe eſt caſu non poſſe fieri. Vehemens eſt hæc exornatio, & in conjecturali conſtitutione cauſæ fermè ſemper neceſſaria, & in ceteris generibus cauſarum, & in omni oratione adhibenda nonnunquam. Expo- 42
litio

1. *Quemadmodum ratione vivendi fugitur invidia.*] Iſtud malui cum Pal. pr. ac ſec. quam quod erat in ceteris, *in ratione vivendi*, aut *ratione in vivendo:* vulgata, *ratione in vivendo.*

2. *Acuens dentes multos.*] Gen. bl. Toſ. Lilienſis, Bruil. *habens dentes multos*, quod forſan melius; neque aliter eſt in Pal. quarto aut ſexto. poſſet tamen retineri vulgatum, dummodo *multos* reformaretur in *inultos.*

3. *Et ſuperbi re ſimul & verbis.*] Ita libri noſtri meliores. vulgata ſine copula, *ſuperbia re*, &c.

4. *Per ætatem & vires laborem ferre.*] Bruil. & Pal. quart. *per ætatem, pert laborem.* vix admiſerim.

5. *E gremiis parentum diripiuntur.*] Inſulſe heic Lambinus, *deripiuntur.*

6. *Partim ante pedes conſtuprantur.*] Iidem videntur velle *ante ædes* quod eſſet *in publico.* ſed præferendum vulgatum.

7. *Coguntur in unum.*] Prætuli iſtud, inventum in Pal. quarto, quinto, Br. publicato, unum in locum.

8. *In ipſo maleficio.*] Neceſſe habui iſtud admittere, ob conſenſum omnium Pall. & Br. nam alioqui non abſurde impreſſi, *in ipſo loco maleficii.*

9. *Certam ſumere ſcientiam.*] Sic paſſim omnes edd. at enim mſſ. noſtri perſiſtunt in *ſumere ſententiam.*

1. *Sed*

litio eſt, cùm in eodem loco manemus, & aliud, atque aliud dicere videmur. Ea dupliciter fit, ſi aut eandem planè rem dicemus, aut de eadem re. Eandem rem dicemus, non eodem modo (nam id quidem obtundere auditorem eſt, non rem expolire) [1] ſed commutatè. Commutabimus tripliciter, verbis, pronuntiando, tractando. Verbis commutabimus, cùm, re ſemel dicta, iterum, aut ſæpius aliis verbis, quæ idem valeant, eadem res proferetur, hoc modo: NULLUM TANTUM eſt periculum, quod ſapiens pro ſalute patriæ vitandum arbitretur. [2] Cùm agetur incolumitas perpetua civitatis; qui bonis erit rationibus præditus, profectò nullum vitæ diſcrimen ſibi pro fortunis reip. fugiendum putabit: & erit in ea ſententia ſemper, [3] ut pro patria ſtudioſe quamvis in magnam deſcendat vitæ dimicationem. Pronuntiando commutabimus, ſi tum in ſermone, tum in acrimonia, tum in alio, atque alio genere vocis, atque geſtus, eadem verbis commutando, pronuntiatione quoque vehementius immutabimus. Hoc neque commodiſſimè ſcribi poteſt, neque parum eſt apertum. quare non eget exempli. Tertium genus eſt commutationis, quod tractando conficitur, ſi ſententiam trajiciemus aut ad ſermocina-
43 tionem, aut ad exſuſcitationem. Sermocinatio eſt de qua planius paullo pòſt ſuo loco dicemus. Nunc breviter ad hanc rem, quod ſatis ſit, attingemus: in qua conſtituetur alicujus perſonæ oratio accommodata ad dignitatem, hoc modo, ut, quo facilius res cognoſci poſſit, ne ab eadem ſententia recedamus: [4] SAPIENS, qui omnia reipub. cauſa ſuſcipienda pericula putabit, ſæpe ipſe ſecum loquitur: Non mihi ſoli, ſed etiam, atque adeò multo potius, natus ſum patriæ: vita, quæ fato debetur, ſaluti patriæ potiſſimum ſolvatur. Aluit hæc me: tutè, atque honeſtè produxit uſque ad hanc ætatem: muniit meas rationes bonis legibus, optimis moribus, honeſtiſſimis diſciplinis. Quid eſt, quod à me ſatis ei perſolvi poſſit, unde hæc accepta ſunt? Quia hæc loquitur ſecum ſapiens, ſæpe ego in periculis reipublicæ nullum ipſe periculum fugi. Item mutatur res tractando, ſi traducitur ad exſuſcitationem, cùm & nos commoti dicere videamur, & auditoris animum commovemus, ſic: QUIS EST TAM tenui cogitatione præditus, cujus animus tantis anguſtiis invidiæ continetur, qui non hunc hominem ſtudioſiſſimè laudet, & ſapientiſſimum judicet, qui pro ſalute patriæ, pro incolumitate civitatis, pro reip. fortunis, quamvis magnum, atque atrox periculum ſtudioſe ſuſcipiat, & libenter ſubeat? Equidem hunc hominem magis cupio ſatis laudare, quàm poſſum: idemque hoc certò ſcio vobis omnibus uſu venire. Eadem res igitur his tribus in dicendo commutabitur modis, verbis, pronuntiando, tractando: ſed tractando dupliciter, ſermocinatione, & exſuſcitatione. Sed de eadem re cùm dicemus, pluribus utemur commutationibus. Nam cùm rem ſimpliciter pronuntiaverimus, rationem poterimus ſubjicere: Deinde duplicem, vel ſine rationibus vel cum rationibus pronuntiare ſententiam: Deinde afferre contrarium: de quibus omnibus diximus in verborum exornationibus: Deinde ſimile,
44 & exemplum, de quo ſuo loco plura dicemus: Deinde concluſionem, de qua in ſecundo libro, quæ opus fuerunt, diximus, demonſtrantes, argumentationem quemadmodum concludere oporteat. In hoc libro docuimus, cujuſmodi eſſet exornatio verbi, cui concluſioni nomen eſt. Ergo hujuſmodi vehementer ornata poterit eſſe expolitio, quæ conſtabit ex frequentibus verborum exornationibus & ſententiarum. Hoc modo igitur ſeptem partibus tractabitur. ſed ab ejuſdem ſententiæ non recedamus exemplo, ut ſcire poſſis, quàm facilè præceptione rhetorica res ſimplex multiplici ratione tractetur. SAPIENS nullum pro repub. periculum vitabit; ideò quòd ſæpe fit, ut, cùm pro repub. perire noluerit, neceſſariò cum republica pereat. Et quoniam ſunt omnia commoda à patria accepta, nullum incommodum pro patria grave putandum eſt. ergo qui fugiunt id periculum, quod pro repub. ſubeundum eſt, ſtulte faciunt. Nam neque effugere incommoda poſſunt, & ingrati in civitatem reperiuntur. At, qui patriæ pericula ſuo periculo expetunt, hi ſapientes putandi ſunt, cùm & eum, quem debent, honorem reipub. reddunt, & pro multis perire malunt, quàm cum multis. Etenim vehementer eſt iniquum, vitam, quam à natura acceptam propter patriam conſervaveris, naturæ, cùm cogat, reddere: patriæ, cùm roget, non dare: & cùm poſſis cum ſumma virtute, & honore pro patria interire, malle per dedecus, & ignaviam vivere: &, cùm pro amicis, & parentibus, & ceteris neceſſariis adire periculum velis, pro repub. in qua & hoc, & illud ſanctiſſimum nomen patriæ continetur, nolle in diſcrimen venire. Itaque uti contemnendus eſt, qui in navigando ſe, quàm navim, mavult incolumem: ita vituperandus, qui in reip. diſcrimine, ſuæ plus, quàm communi ſaluti, conſulit. Nave enim fracta, multi incolumes evaſerunt: ex naufragio patriæ ſalvus nemo poteſt enatare. Quod mihi bene videtur Decius intellexiſſe, qui ſe devoviſſe dicitur, & pro legionibus in hoſteis immiſiſſe medios. amiſit vitam: at non perdidit. re enim viliſſima, & perparva maximam redemit. dedit vitam, accepit patriam: amiſit animam, potitus eſt gloria, quæ cum ſumma laude prodita vetuſtate quotidie magis eniteſcit. Quòd ſi [5] pro rep. debere accedere ad periculum & ratione demonſtratum eſt, & exemplo comprobatum, ii ſapientes ſunt exiſtimandi, qui nullum pro ſalute patriæ periculum vitant. In his igitur generibus expolitio verſatur, de qua producti ſumus, ut plura diceremus, quòd non modò, cùm cauſam dicimus, adjuvat, & exornat orationem, ſed multo maximè per eam exercemur ad elocutionis facultatem. Quare conveniet extra cauſam in exercendo rationes adhibere expolitionis, in dicendo uti, cùm exornabimus argumentationem, de qua diximus in libro ſecundo. Commo- 45
ratio eſt, cùm in loco firmiſſimo, quo tota cauſa continetur, manetur diutius, & eodem ſæpius reditur. hac uti maximè convenit, & id eſt oratoris boni maximè proprium. Non enim datur auditori poteſtas animum de re firmiſſima dimovendi. Huic exemplum ſatis idoneum ſubjici non potuit, propterea quòd hic locus non eſt à tota cauſa ſeparatus, ſicuti membrum aliquod, ſed tanquam *ſanguis*, perfuſus eſt per totum corpus orationis. Contentio eſt, per quam contraria referuntur. Ea eſt in verborum exornationibus, ut antè docuimus, ejuſmodi: *Inimicis* te placabilem, amicis inexorabilem præbes. In ſententiarum, hujuſmodi: *Vos hujus* incommodis lugetis, iſte reip. calamitate lætatur. Vos veſtris fortunis diffiditis, iſte ſolus ſuis eo magis confidit. Inter hæc duo contentionum genera hoc intereſt: illud ex verbis celeriter relatis conſtat: hìc ſententiæ contrariæ ex comparatione referantur oportet. Similitudo, eſt oratio traducens ad rem quampiam aliquid ex re diſpari ſimile. Ea ſumitur aut ornandi cauſa, aut probandi, aut apertius dicendi, aut ante oculos ponendi. Quomodo igitur quattuor de cauſis ſumitur, ita quattuor modis dicitur: per contrarium, per negationem, per brevitatem, per collationem. Ad unamquamque ſumendæ cauſam ſimilitudinis accommodabimus ſingulos modos pronuntiandi. Ornandi cauſa ſumi- 46
tur per contrarium, ſic: NON ENIM, quemadmodum in palæ-

1. *Sed commutatè.*] Ita quoque præter Lambinianos noſter quartus. & ſic omnino legendum, non *commutare*, cuivis patet ex noſtra diſtinctione.

2. *Cum agetur incolumitas.*] Ita quoque noſter quartus, non *augetur*, quod in vulgatis poſterioribus, & pleriſque mſſ.

3. *Pro patria ſtudioſe, quamvis, &c.*] Haud aliter omnes noſtri. ii tamen quos contulit Suffridus noſter, addunt vocem, *ſtudioſe laboret, quamvis, &c.* non neceſſario.

4. *Sapiens qui omnia, &c.*] Pal. quartus excludit pronomen *qui*; forſan rectè.

5. *Pro rep. debere accedere ad periculum.*] Lambinus, *debere accedi ad per.* ſed præter mſſ. qui mirifice heic variant, Br. ſervat *decere*, quod placuit Gulielmio. Pal. pr. habet *pro rep. debere ſuſcipere periculum.* quintus: *pro rep. debere vel ſuſcipere vel adire periculum.*

1. *Tædet*

palæſtra qui [1] tædas candenteis accipit, celerior eſt in curſu continuo, quàm ille, qui tradit: ita melior imperator novus,qui accipit exercitum,quàm ille, qui decedit: propterea quòd defatigatus curſor integro facem, hic peritus imperator imperito exercitum tradit. hoc ſine ſimili ſatis planè, & perſpicuè, & probabiliter dici potuit, hoc modo: [2] *Dicitur*, minus bonos imperatores à melioribus exercitum accipere ſolere, ſed ornandi cauſa ſimile ſumtum eſt, ut orationi dignitas quædam comparetur. Dictum eſt autem per contrarium. Nam tunc ſimilitudo ſumitur per contrarium, cùm ei rei, quam nos probamus,aliquam rem negamus eſſe ſimilem, ut paullò antè, cùm de curſoribus diſſerebamus. Per negationem dicetur, probandi cauſa hoc modo: *Neque equus* indomitus,quamvis natura bene compoſitus ſit,[3] idoneus poteſt eſſe ad eas utilitates, quæ deſiderantur ab equo, neque homo indoctus, quamvis ſit ingenioſus, ad virtutem poteſt pervenire. Hoc probabilius factum eſt, [4] quod magis eſt veriſimile, non poſſe virtutem ſine doctrina comparari, quoniam ne equus quidem indomitus, idoneus poſſit eſſe. ergo ſumtum eſt probandi cauſa. Dictum eſt autem per negationem. id enim perſpicuum eſt de primo ſimili-
47 tudinis verbo. [5] Sumetur & apertius dicendi cauſa ſimilitudo per brevitatem, hoc modo: *In amicitia* gerenda, ſicut in certamine currendi, non ita convenit exerceri, ut,quoad neceſſe ſit, pervenire poſſis: ſed ut productus ſtudio, & viribus, ultra facilè procurras: Nam hoc ſimile eſt, ut apertius intelligatur, mala ratione facere qui reprehendant eos, qui, verbi cauſa, *poſt mortem* amici liberos ejus cuſtodiant, propterea quòd in curſore tantum velocitatis eſſe oporteat, ut efferatur uſque ad finem: in amico [6] tantum benivolentiæ, ut ultra, quàm amicus ſentire poſſit, procurrat amicitiæ ſtudio. Dictum autem ſimile eſt per brevitatem. non enim ita, ut in cæteris rebus, res ab re ſeparata eſt, ſed utraque res conjunctè [7] & confuſe comparata. Ante oculos ponendi negotii cauſa, ſumetur ſimilitudo per collationem, ſic: UTI CITHAROEDUS, cùm prodierit optimè veſtitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea, coloribus variis intexta, & cum corona aurea [8] magnis fulgentibus gemmis illuminata, citharam tenens exornatiſſimam, auro & ebore diſtinctam, ipſe præterea forma & ſpecie ſit & ſtatura appoſita ad dignitatem; ſi, cùm magnam populo commoverit his rebus exſpectationem, repentè ſilentio facto, vocem emittat acerbiſſimam cum turpiſſimo corporis motu: quo melius ornatus, & magis fuerit exſpectatus, eo magis deriſus & contemtus, ejicitur: ita ſi quis in excelſo loco, & in magnis ac locupletibus copiis collocatus, fortunæ muneribus, & naturæ commodis omnibus abundabit: ſi virtutis, & artium, quæ *virtutis magiſtræ* ſunt, egebit: quo magis ceteris rebus erit copioſus, & induſtrius, & exſpectatus, eo vehementius deriſus, & contemtus, ex omni conventu bonorum ejicietur. Hoc ſimile [9] exornatione utriuſque rei, & alterius inertiæ artificis, alterius ſtultitiæ ſimili ratione collata, ſub aſpectum omnium rem ſubjecit. Dictum autem eſt per collationem, propterea quòd propoſita ſimilitudine, paria ſunt omnia relata. In ſimilibus obſervare opor- 48
tebit diligenter: ut, cùm rem afferamus ſimilem, cujus rei cauſa ſimilitudinem attulerimus, verba quoque ad ſimilitudinem habeamus accommodata. id eſt hujuſmodi: UT HIRUNDINES æſtivo tempore præſtò ſunt, frigore pulſæ recedunt. ex eadem ſimilitudine nunc per tranſlationem verba ſumimus: *ita falſi* amici ſereno vitæ tempore præſtò ſunt: ſimulatque hiemem fortunæ viderint, devolant omnes. Sed inventio ſimilium facilis erit, ſiquis ſibi omneis res animatas, & inanimatas, mutas & loquenteis, feras & manſuetas, terreſtreis, & cæleſteis, & maritimas, artificio, caſu, natura comparatas, uſitatas, atque inuſitatas, frequenter ante oculos poterit ponere, & ex his aliquam venari ſimilitudinem, quæ aut ornare, aut docere, aut apertiorem rem facere, aut ponere ante oculos poſſit. *Non enim* res tota toti rei neceſſe eſt ſimilis ſit, ſed ad ipſum, ad quod confertur, ſimilitudinem habeat oportet. EXEMPLUM, eſt ali- 49
cujus facti, aut dicti præteriti cum certi auctoris nomine propoſitio. Id ſumitur iiſdem de cauſis, quibus ſimilitudo. Rem ornatiorem facit, cùm nullius rei, niſi dignitatis, cauſa ſumitur: Apertiorem, cùm id, quod ſit obſcurius, magis dilucidum reddit: Probabiliorem, cùm magis veriſimilem facit: Ante oculos ponit, cùm exprimit omnia perſpicuè, ut res dicta propè manu tentari poſſit. Uniuſcujuſque generis ſingula ſubjeciſſemus exempla, niſi exemplum quod genus eſſet, in expolitione demonſtraſſemus, & cauſas ſumendi in ſimilitudine aperuiſſemus. Quare noluimus, neque pauca, quo minus intelligeretur, neque,re intellecta, plura conſcribere. Imago, eſt formæ, cum forma cum quadam ſimilitudine collatio. Hæc ſumitur aut laudis, aut vituperationis cauſa. Laudis cauſa,ſic: [10] *Ibat in prælium*, corpore, tauri validiſſimi, impetu, leonis acerrimi ſimilis. Vituperationis, ut in odium, aut in invidiam, aut in contemtionem adducat. Ut in odium, hoc modo: *Iſte quotidie* per forum medium, tamquam jubatus draco ſerpit, dentibus aduncis, [11] aſpectu venenato, ſpiritu rabido,circumſpectans huc, & illuc, ſiquem reperiat, cui aliquid mali faucibus afflare, [12] ore attingere, dentibus inſecare, lingua aſpergere poſſit. Ut in invidiam adducat, hoc modo: *Iſte, qui* divitias ſuas jactat, ſicut Gallus è Phrygia, aut ariolus quiſpiam depreſſus,& oneratus auro, [13] clamat, & dejerat. Ut in contemtionem adducat,ſic: *Iſte*, [14] *qui* tamquam coclea,abſcondens retentat ſeſe tacitus, quo ſit tutus, comeditur cum domo ſua, & aufertur. Effictio eſt, cùm exprimitur & effingitur verbis, corporis cujuſpiam forma, quod ſatis ſit ad intelligendum, hoc modo: *Hunc dico*, judices, rubrum, brevem, incurvum, canum, ſubcriſpum, cæſium, cui ſanè magna eſt in mento cicatrix, ſi quomodo poteſt vobis in memoriam redire. Habet hæc exornatio cùm utilitatem, ſi quem velis oſtendere: tum venuſtatem, ſi breviter & dilucidè

1. *Tædas candentes.*] Lambini *ardentes*; exſtat in Pall. aliquot, ſed alii retinent item alterum. quintus præterea ac Bruil. præferunt *cadentes*, quod rectum eſſe poſſe annotavit Gulielmius.

2. *Dicitur minus bonos.*] Vox *dicitur* abeſt Br. item Pal. quarto & ſexto; meo animo rectè.

3. *Idoneus ad eas utilitates quæ*, &c.] Delevi duas voculas, *& aptus*, repertas tantum in uno Palatino, cum haberemus ſex. ſed neque exſtabat in Bruil.

4. *Quod magis eſt veriſimile*, &c.] Lambinus libris omnibus reclamantibus ſuppoſuit *minus*, non neceſſario. Gulielmius rectius putabat ſcripturam à Suffrido erutam, *ac magis*, &c.

5. *Sumetur & apertius dicendi cauſa ſimilitudo per*, &c.] Secutus ſum Pall. omnes Br. Lil. & Perſini codd.

6. *Tantum benivolentiæ, ut ultra, quàm amicus ſentire poſſit, procurrat amicitiæ ſtudio.*] Reſcidi *ſtudium*, quod aliis poſitum poſt *benivolentiæ*, præeuntibus Pal. pr. ac ſec. ſi tamen ſequimur Pal. quart. & ſext. nec non Br. tunc reſcribendum erit, *tamen benivolentiæ ſtudium, ut efferatur ultra finem*, ceteris omiſſis omnibus, neque diſplicet.

7. *Et confuſe comparata.*] Sic Pal. quart. ſextus Bruil. nam prius cuſi, *utraque & confuſe pronunciata*.

8. *Magnis fulgentibus gemmis*, &c.] Pall. iidem & Bruil. *magna*. forſan bene.

9. *Exornatione utriuſque rei, & alterius inertiæ artificis, alterius ſtultitiæ*, &c.] Hæc eſt lectio Pal. quarti,quinti,ſexti,item Bruil. quorum duo cum habeant *artificis ſcilicet* & punctis notarit Bruil. illud *ſcilicet*, ſuſpicor adhuc abjiciendum alterum *artificis*, ut locus ſit perpurgatus; *inertia* heic eſt ἀτεχνία. ſupra etiam reſcripſi *& induſtrius*, ubi antea erat *& illuſtris*, iiſdem codicibus volentibus.

10. *Ibat in prælium*, &c.] Sic Pall. omnes, niſi quod pr. *Inibat prælium*, quod & in ſuis reperit Petreius.

11. *Aſpectu venenato, ſpiritu rabido.*] Ita omnes Pall. niſi quod unus & alter *rapido*. nam Victorius ediderat, *ſerpit aſpectu rabido circumſpectat*. alii, *adſpectu rabido, ſpiritu venenato*. non malè.

12. *Ore attingere.*] Præmittunt aliæ edd. *quem*. ſed dictio ea non exſtat in Pall. quatuor aut Bruil.

13. *Clamat & dejerat.*] Sic quoque Victoriana, reſpondentque Pal.quart. & ſext. alii tamen *delirat*,quod & in primitus impreſſis.

14. *Qui tanquam cochlea abſcondens*, &c.] Neſcio an habeamus lectionem auctoris genuinam. nam mirè variant Pall. è quibus pr. habet, *Iſte qui tanquam teſtudo ſe cochlea abſcondens & retentat ſeſe tacitus cum in domo ſua totus ut comedatur aufertur.*

1. *Sed*

50 cidè facta eſt. Notatio eſt, cùm alicujus natura certis deſcribitur ſignis, quæ, ſicuti notæ quædam, naturæ ſunt attributa: Ut ſi velis non divitem, [1] ſed oſtentatorem pecunioſum deſcribere: *Iſte*, inquies, *judices*, qui ſe dici divitem, putat eſſe præclarum, primùm nunc videte, quo vultu nos intueatur. nonne vobis videtur dicere? [2] Darem, ſi mihi moleſti non eſſetis: cùm verò ſiniſtra mentum ſublevat, exiſtimat ſe gemmæ nitore, & auri ſplendore aſpectus omnium præſtringere. Cùm puerum reſpicit hunc unum, quem ego novi, ([3] vos non arbitror noviſſe,) alio nomine appellat, deinde alio atque alio: Heus tu, inquit, veni Sannio, nequid iſti Barbari perturbent: ut ignoti, qui audiunt, unum putent eligi de multis: ei dicit in aurem, aut ut domi lectuli ſternantur, aut ab avunculo rogetur Æthiops, qui ad balneas veniat, aſturconi locus ante oſtium ſuum detur, aut aliquod fragile falſæ *choragium* gloriæ comparetur. Deinde exclamat, ut omnes audiant, Videto, ut diligenter numeretur, ſi poteſt ante noctem. Puer, qui jam bene hominis naturam novit, Tu illò plureis mittas oportet, inquit, ſi hodie vis transnumerari. Age, inquit, duc tecum Libanum, & Soſiam. Sanè. Deinde caſu veniunt hoſpites [4] homini, qui iſtum ſplendidè, dum peregrinaretur, receperant. ex ea re homo hercle ſanè conturbatur: ſed tamen à vitio naturæ non recedit. Bene, inquit, facitis, cùm venitis: ſed rectius feciſſetis, ſi ad me domum rectà abiiſſetis. Id feciſſemus, inquiunt illi, ſi domum noviſſemus. At iſtud quidem facile fuit, undelibet invenire. verùm ite mecum. Sequuntur illi. Sermo interea hujus conſumitur omnis in oſtentatione. Quærit, in agris cujuſmodi frumenta ſint: negat, ſe, quia villæ incenſæ ſint, accedere poſſe, nec ædificare etiam nunc audere; tametſi in Tuſculano quidem cœ-
51 pi inſanire, & in iiſdem fundamentis ædificare. Dum hæc loquitur, venit in ædeis quaſdam, in quibus ſodalitium erat eodem die futurum: quò iſte pro notitia domini ædium ingreditur cum hoſpitibus. Hîc, inquit, habito. [5] perſpicit argentum, quod erat expoſitum, viſit triclinium ſtratum, probat. accedit ſervulus: dicit homini clarè, dominum jam venturum, ſi velit exire. Itane inquit? Eamus hoſpites: frater venit ex Salerno: ego illi obviam pergam: vos huc [6] decuma venitote. hoſpites diſcedunt. Iſte ſe raptim domum ſuam conjicit: illi decuma, quò juſſerat, veniunt. quærunt hunc. reperiunt, domus cuja ſit: in diverſorium deriſi conferunt ſeſe. Vident hominem poſtera die: narrant, expoſtulant, accuſant. [7] ait iſte, eos ſimilitudine loci deceptos, angiporto toto deerraſſe: contra valetudinem ſuam ad noctem multam exſpectaſſe. Sannioni puero negotium dederat, ut vaſa, veſtimenta, pueros corrogaret. ſervulus non inurbanus ſatis ſtrenuè, & concinnè comparat: iſte hoſpites domum deducit. Ait ſe ædeis maximas cuidam amico ad nuptias commodaſſe. nuntiat interea puer argentum repeti (pertimuerat enim qui commodarat) Apagete, inquit. ædeis commodavi, familiam dedi: argentum quoque vult? tametſi hoſpites habeo, tamen utatur licet, nos Samiis delectabimur. Quid ego, quæ deinde efficiat, narrem? ejuſmodi eſt hominis natura, ut, quæ ſingulis diebus efficiat gloria atque oſtentatione, ea vix annuo ſermone enarrare poſſim. Hujuſmodi notationes, quæ deſcribunt, quid conſentaneum ſit uniuſcujuſque naturæ, vehementer habent magnam delectationem. totam enim naturam cujuſpiam ponunt ante oculos, aut glorioſi, ut nos, exempli cauſa, cœperamus: aut invidi, aut timidi, aut avari, ambitioſi, amatoris, luxurioſi, furis, quadruplatoris: denique cujuſvis ſtudium protrahi poteſt in medium tali notatione. Sermo- 52
cinatio eſt, cùm alicui perſonæ ſermo attribuitur, & is exponitur cum ratione dignitatis, hoc pacto: *Cùm militibus* urbs redundaret, & omneis timore oppreſſi domi continerentur, venit iſte cum ſago, gladio ſuccinctus, tenens jaculum: quinque adoleſcentes hominem ſimili ornatu ſubſequuntur. irrumpit in ædeis ſubitò, deinde magna voce: Ubi eſt iſte beatus, inquit, ædium dominus? [8] quin mihi præſtò ſit? quid tacetis? Hîc alii omnes ſtupidi timore obmutuerunt. Uxor illius infeliciſſimi cum maximo fletu ad iſtius pedes abjecit ſeſe. Parce, inquit, & per ea, quæ tibi dulciſſima ſunt in vita, miſerere noſtri: noli exſtinguere exſtinctos. Fer manſuetè fortunam. nos quoque fuimus beati: noſce te eſſe hominem. At ille: Quin illum mihi datis, ac vos auribus meis opplorare deſinitis? non abibit. Illi nuntiatur interea veniſſe iſtum, & clamore maximo mortem minari. Quod ſimul ut audivit, Heus, inquit, Gorgia, pediſeque puerorum, abſconde pueros: defende: fac, ut incolumeis ad adoleſcentiam perducas. Vix hæc dixerat, [9] cùm ecce iſte præſtò, Sedes, inquit, audax? non vox mea tibi vitam ademit? exple inimicitias meas, & iracundiam ſatura tuo ſanguine. Ille cum magno ſpiritu, [10] Metuebam, inquit, ne planè victus eſſem. nunc video in judicio mecum contendere non vis, ubi ſuperari turpiſſimum, & ſuperare pulcherrimum eſt: interficere me vis: occidar equidem, ſed *victus non peribo*. At ille, In extremo vitæ tempore [11] etiam ſententioſe loqueris? neque ei, quem vides dominari, vis ſupplicare? Tum mulier, Immò quidem iſte rogat, & ſupplicat: ſed tu, quæſo, commovere: & tu, per deos, inquit, hunc examplexare. dominus eſt; vicit hic te, vince tu nunc animum. Cur non deſinis, inquit, uxor, loqui, quæ me digna non ſunt? tace, &, quæ curanda ſunt, cura: tu ceſſas mihi vitam, tibi omnem bene vivendi ſpem mea morte eripere? Iſte mulierem repulit ab ſe lamentantem: illi, neſcio quid incipienti dicere, quod dignum videlicet illius virtute eſſet, gladium in latere defixit. Puto in hoc exemplo datos eſſe unicuique ſermones ad dignitatem accommodatos, quod oportet in hoc genere obſervare. Sunt item ſermocinationes conſequentes hoc genus. *Nam quid* putamus illos dicturos, ſi hoc judicaveritis? nonne hac omnes utentur oratione? deinde ſubjicere ſermonem. Con- 53
formatio eſt, cùm aliqua, quæ non adeſt, perſona confingitur, quaſi adſit, aut cùm res muta, aut informis, fit eloquens, & formata, & ei oratio attribuitur ad dignitatem accommodata, aut actio quædam, hoc pacto: *Quòd ſi nunc* hæc urbs invictiſſima vocem mittat, non hoc pacto loquatur? Ego illa plurimis trophæis ornata, triumphis ditata certiſſimis, clariſſimis locupletata victoriis, nunc veſtris ſeditionibus, ô cives, vexor: quam dolis malitioſa Karthago, viribus probata Numantia, diſciplinis erudita Corinthus labefactare non potuit, eam patiemini nunc ab homunculis deterrimis proteri, atque conculcari? Item, *Quòd ſi nunc* L. ille

1. *Sed oſtentatorem pecunioſum.*] Non improbo Memmii Auratique conjectaneum, *pecuniæ ſuæ*, ſed videſis, ne acutius ſit quod inveni in Pal. quarto ac ſexto, *oſtentatorem pecunioſi*.

2. *Darem, ſi mihi moleſti non eſſetis.*] Melius fortè Palat. prim. quart. ſext. *Daretis mihi locum, ſi mihi moleſti non eſſetis.* & ita quoque Bruil.

3. *Vos non arbitror noviſſe.*] Illud *noviſſe*, non reſtat in Pal. quarto aut ſexto, & ſatis ſubintelligeretur.

4. *Homini, qui iſtum ſplendide dum peregrinaretur receperant.*] Videtur prius fuiſſe *invitarant*. cujus vocis ignorantia mirè torſit librarios. nam pr. *homini quos iſte dum ſplendidè peregrinantur invitat*. ubi forte legendum, *quos iſte dum ſplendidè peregrinaretur, invitarat*. ſec. *qui iſtum ſplendidè receperunt dum peregrinabatur, invitat*. quart. & Bruil. *homini quos iſte dum ſplendide peregrinaretur ex ea re*. ſine alio verbo.

5. *Perſpicit argentum, &c. viſit, &c. probat.*] Hoc modo Pall. noſtri: inepte ibi Lambinus.

6. *Decuma venitote.*] Giſanius maluit, *ad decumam*.

7. *Ait iſte eos, &c.*] Pal. quart. ſext. Bruil. à manu ſecunda, *at iſte eos, &c.* placet.

8. *Quin mihi præſto ſit?*] Pall. ferè *fuit?* niſi quod ſec. *is quomodo mihi præſto fuit*; unde forſan hæret in Gembl. Toſano & Lil. *qui non mihi præſto fuit?*

9. *Cum ecce iſte præſto, Sedes, inquit, audax?*] Nihil variant Pall. ſed non diſplicet quod reſtat in Lilienſi: *cum ecce, inquit iſte, præſto ſum. Sedes ait, audax, &c.*

10. *Metuebam, inquit ne planè victus eſſem.*] Pal. ſextus non agnoſcit vocem *Metuebam*, habetque *eſſet*.

11. *Etiam ſententioſe loqueris?*] Pal. quart. ſext. *ſententias eloqueris?* quod amplectar, aut *ſententias loqueris?* ut habet Bruil.

ille Brutus reviviſcat, & hic ante pedes veſtros adſit, non hac utatur oratione? Ego reges ejeci, vos tyrannos introducitis: ego libertatem, quæ non erat, peperi: vos partam ſervare non vultis: ego capitis mei periculo patriam liberavi, vos liberi ſine periculo eſſe non curatis. Hæc conformatio, licet in plureis res mutas, atque inanimas transferatur, proficit tamen plurimùm in amplificationis partibus, & commiſeratione. Significatio eſt, quæ plus in ſuſpicione relinquit, quam poſitum eſt in oratione. ea fit [1] per exuberationem, ambiguum, conſequentiam, abſciſſionem, ſimilitudinem. Per Exuberationem cùm plus dictum eſt, quàm patitur veritas, augendæ ſuſpicionis cauſa, ſic: *Hic de tanto* patrimonio tam citò teſtam, qua ſibi petat ignem, non reliquit. Per ambiguum, cùm verbum poteſt in duas, plureiſve ſententias accipi, ſed accipitur in eam partem, quam vult is, qui dixit: ut de eo ſi dicas, qui multas hereditates adierit,
54 *Proſpice* tu, qui plurimùm cernis. Ambigua quemadmodum vitanda ſunt, quæ obſcuram reddunt orationem, ita hæc conſequenda, quæ conficiunt hujuſmodi ſignificationem. Ea reperientur facilè, ſi noverimus, & animadverterimus verborum ancipiteis, aut multipliceis poteſtates. Per conſequentiam ſignificatio fit, cùm res, quæ ſequuntur aliquam rem, dicuntur, ex quibus tota res relinquitur in ſuſpicione, ut ſi ſalſamentarii filio dicas: *Quieſce tu*, cujus pater cubito ſe emungere ſolebat. [2] Per abſciſſionem, ſi, cùm incipimus aliquid dicere, præcidimus, & ex eo, quod jam diximus, ſatis relinquitur ſuſpicionis, ſic: *Qui iſta forma*, & ætate nuper alienæ domui, nolo plura dicere. Per ſimilitudinem, cùm aliqua re ſimili allata, nihil amplius dicimus, ſed ex ea ſignificamus, quid ſentiamus, hoc modo: NOLI, Saturnine, nimiùm populi frequentia fretus eſſe. [3] inulti jacent Gracchi. Hæc exornatio plurimùm feſtivitatis habet interdum, & dignitatis: ſinit enim quiddam, tacito oratore, ipſum auditorem ſuſpicari. Brevitas, eſt res ipſis tantummodò verbis neceſſariis expedita, hoc modo: *Lemnum* præteriens cepit: [4] inde Thaſi præſidium reliquit: poſt urbem in Bithynia ſuſtulit: [5] inde pulſus in Helleſpontum, ſtatim potitur Abydo. Item, *Modo conſul*, quondam tribunus, deinde primus erat civitatis. tum proficiſcitur in Aſiam, deinde exſul, & hoſtis eſt dictus, poſt imperator, poſtremò conſul factus eſt. Habet paucis comprehenſa brevitas multarum rerum expeditionem. Quare adhibenda ſæpe eſt, cùm aut res non egent longæ orationis,
55 aut tempus non ſinit commorari. Demonſtratio eſt, cùm ita res verbis exprimitur, ut geri negotium, & res ante oculos eſſe videatur. Id fieri poterit, ſi, quæ antè, & poſt, & in ipſa re facta erunt, comprehendemus, aut ſi à rebus conſequentibus, aut à circumſtantibus non recedemus, hoc modo: *Quod ſimul* atque Gracchus proſpexit, fluctuare populum, verentem, ne ipſe auctoritate ſenatus commotus à ſententia deſiſteret, jubet advocari concionem. Iſte interea ſcelere, & malis cogitationibus redundans, evolat ex templo Jovis, & ſudans, oculis ardentibus, erecto capillo, contorta toga, cum pluribus aliis ire celerius cœpit. Illi præco faciebat audientiam: hic ſubſellium quoddam calce premens, dextra pedem defringit, & alios hoc idem jubet facere. Cùm Gracchus deos inciperet precari, curſim iſti impetum faciunt: ex aliis, aliiſque partibus convolant: atque è populo unus, fuge, inquit, Tiberi, fuge. non vides? reſpice, inquam. Deinde vaga multitudo, ſubito timore perterrita, fugere cœpit. [6] At iſte ſpumans ex ore ſcelus, anhelans ex intimo pectore crudelitatem, contorquet brachium; & dubitanti Graccho, quid eſſet, neque tamen locum, in quo conſtiterat, relinquenti, percutit tempus. [7] Ille nulla voce delabans inſita virtute concidit tacitus. Iſte viri fortiſſimi miſerando ſanguine adſperſus, quaſi facinus præclariſſimum feciſſet, circumſpectans, & hilaris ſceleratam gratulantibus manum porrigens, in templum Jovis contulit ſeſe. [8] Hæc exornatio plurimum prodeſt in amplificanda & commiſeranda re, hujuſmodi enarrationibus. ſtatuit enim totam rem, & propè ponit ante oculos. Omneis rationes hone- 56
ſtandæ elocutionis ſtudioſe collegimus, in quibus, Herenni, ſi te diligenter exercueris, & gravitatem, & dignitatem, & ſuavitatem habere in dicendo poteris, ut oratoriè planè loquaris: ne nuda, atque inornata inventio, *vulgari ſermone* efferatur. Nunc identidem noſmet ipſi nobis inſtemus. res enim communis agitur, ut frequenter, & aſſiduè conſequamur artis rationem ſtudio, & exercitatione: quod alii *cum moleſtia* tribus de cauſis maximè faciunt: aut ſi, cum quibus libenter exerceantur, non habent: aut ſi ſibi diffidunt: aut ſi neſciunt, quam viam ſequi debeant: quæ à nobis abſunt omnes difficultates. Nam & ſimul libenter exercemur propter amicitiam, cujus initium *cognatio* fecit, cetera philoſophiæ ratio confirmavit: & nobis non diffidimus, propterea quod & aliquantulum proceſſimus: & alia meliora ſunt, quæ multo intentius petimus in vita, ut, etiam ſi non pervenerimus in dicendo, quò volumus, parva pars vitæ perfectiſſimæ deſideretur: & viam, quam ſequamur, habemus: propterea quod in his libris nihil præteritum eſt rhetoricæ præceptionis. [9] Demonſtratum eſt enim, quomodo res in omnibus generibus cauſarum inveniri oporteat. Dictum eſt, quo pacto eas diſponere conveniat. Traditum eſt, qua ratione eſſet pronuntiandum. Præceptum eſt, qua via meminiſſe poſſemus. Demonſtratum eſt, quibus modis perfecta elocutio compararetur. [10] Quæ ſi exſequimur, acutè & citò reperiemus: diſtinctè, & ordinatè diſponemus: graviter, & venuſtè pronuntiabimus: firmè, & perpetuò meminerimus: ornatè, & ſuaviter eloquemur. Ergo amplius in arte rhetorica nihil eſt. Hæc omnia adipiſcemur, ſi rationes præceptionis [11] diligentia conſequemur, & exercitatione.

M. TUL-

1. *Per exuberationem.*] Placuit iſtud ex Pal. quint. & Bruilerenſi, pro eo hactenus *exſuperationem*.

2. *Per abſciſſionem.*] Bruil. exemplar *abſciſionem*, quod mire probat Giſanius.

3. *Inulti jacent Gracchi.*] Sic Pall. in Italia ſcripti: at quart. ſex. *ſtultitiæ C. Gracchi memento.* quintus *ſtultitiam cerne Gracchi.*

4. *Inde Thaſi præſidium reliquit.*] Sic repoſuit Turnebi, alluduntque omnes Palat. in quorum nullo viſitur vulgatum *Thaſi*.

5. *Inde pulſus in Helleſpontum.*] Lambinus, Auratum ſecutus, maluit *appulſus*, quod eſt in Palat. ſexto.

6. *Spumans ex ore ſcelus.*] Malui iſtud cum Victorianis, repertumque in Pal. quart. ac ſext. quam quod Manutiani ſequuntur, *ſpumam ex ore rejiciens*. rejicit enim hanc ſcripturam membrum ſequens.

7. *Ille nulla voce dilabans, inſita virtute.*] Repoſui quod erat in Pal. quarto ac ſexto, item Bruilerenſi. nam ceteri, *nullam vocem edens, inſita virtute.* Victorius edidit, *voce delibans inſitam virtutem.* noſtrum genuinum magis videtur.

8. *Hæc exornatio, &c. hujuſmodi enarrationibus.*] Adhæſimus Pal. quarto ac ſexto & Bruil. poſitura enim verborum elegantior eſt, & alioquin illa, *& in*, non erat ſimul in aliis mſſ. noſtris.

9. *Demonſtratum eſt.*] Non agnoſco aliquot ſequentibus periodis Cornificium. & mirum eſt, niſi tota hæc recapitulatio, ſit magiſtelli alicujus trivialis, annumerantis minima maxima diſcipulis ſuis.

10. *Quæ ſi exſequimur.*] Eſt à Pal. quarto, Gembl. & Bruil. vulgo *ſequamur*.

11. *Diligentia conſequemur & exercitatione.*] Non abſurde Pal. quar. ſex. Gembl. Toſ. Br. *conſequamur exercitationis.*

1. Beſtia-

M. TULLII CICERONIS,

RHETORICORUM,

SEU DE

INVENTIONE RHETORICA,

LIBRI DUO,

Qui reliqui ſunt ex quattuor.

LIBER PRIMUS.

1 SÆPE, & multum hoc mecum cogitavi, bonine, an mali plus attulerit hominibus, & civitatibus copia dicendi, ac ſummum eloquentiæ ſtudium. nam cùm & noſtræ reipublicæ detrimenta conſidero, & maximarum civitatum veteres animo *calamitates* colligo, non minimam video per diſertiſſimos homines invectam partem incommodorum. cùm autem res ab noſtra memoria, propter vetuſtatem, remotas, ex literarum monumentis repetere inſtituo: multas urbeis conſtitutas, plurima bella reſtincta, firmiſſimas ſocietates, ſanctiſſimas amicitias intelligo, cùm animi ratione, tum facilius *eloquentia* comparatas. Ac me quidem diu cogitantem, ratio ipſa in hanc potiſſimùm ſententiam ducit, ut exiſtimem, SAPIENTIAM ſine eloquentia parum prodeſſe civitatibus, eloquentiam verò ſine ſapientia nimiùm obeſſe plerumque, prodeſſe nunquam. Quare ſiquis, omiſſis rectiſſimis, atque honeſtiſſimis ſtudiis rationis & officii, conſumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis ſibi, pernicioſus patriæ civis dicitur: qui verò ita ſeſe armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriæ, ſed pro his pugnare poſſit, is mihi vir & ſuis & publicis rationibus utiliſſimus, atque amiciſſimus civis fore videtur. Ac ſi volumus hujus rei, quæ vocatur eloquentia, ſive ſtudii, ſive artis, ſive exercitationis cujuſdam, ſive facultatis à natura profectæ conſiderare principium: reperiemus id ex honeſtiſſimis cauſis natum, atque optimis rationibus *profectum*.

2 Nam fuit quoddam tempus, cum in agris homines paſſim [1] beſtiarum modo vagabantur, & ſibi victu ferino vitam propagabant; nec ratione animi quidquam, ſed pleraque viribus corporis adminiſtrabant. nondum divinæ religionis, non humani officii ratio colebatur: nemo nuptias viderat legitimas: non certos quiſpiam inſpexerat liberos: non jus æquabile quid utilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem, [2] atque inſcientiam, cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad ſe explendam viribus corporis abutebatur, pernicioſiſſimis *ſatellitibus*. Quo tempore quidam [3] magnus videlicet vir, & ſapiens, cognovit, quæ materia eſſet, & quanta ad maximas res opportunitas in animis eſſet hominum, ſiquis eam poſſet elicere, & præcipiendo meliorem reddere: qui diſperſos homines in agris, & in tectis ſilveſtribus abditos, ratione quadam compulit unum in locum, & congregavit, & eos in unamquamque rem inducens, utilem, atque honeſtam, primò propter *inſolentiam* reclamanteis, deinde propter *rationem*, atque orationem ſtudioſius audienteis, ex feris & immanibus, miteis reddidit & manſuetos. Ac mihi quidem videtur hoc nec tacita, nec inops dicendi ſapientia perficere potuiſſe, ut homines à conſuetudine ſubitò converteret, & ad diverſas vitæ rationes traduceret. Agè verò, urbibus conſtitutis, ut fidem colere, & juſtitiam retinere diſcerent, & aliis parêre ſua voluntate conſueſcerent, ac non modò labores excipiendos, communis commodi cauſa, ſed etiam vitam amittendam exiſtimarent: qui tandem fieri potuit, niſi homines ea, quæ ratione inveniſſent, eloquentia perſuadere potuiſſent? Profectò nemo, niſi gravi, ac ſuavi commotus oratione, cùm viribus plurimùm poſſet, ad jus voluiſſet ſine vi deſcendere: ut inter quos poſſet excellere, cum iis ſe pateretur æquari, & ſua voluntate à jucundiſſima conſuetudine recederet, [4] quæ præſertim jam naturæ vim obtineret propter vetuſtatem. Ac primò quidem ſic & nata, & progreſſa longius eloquentia videtur: & item poſtea maximis in rebus pacis, & belli cum ſummis hominum utilitatibus eſſe verſata. Poſtquàm verò commoditas quædam, prava *virtutis imitatrix*, ſine ratione officii, dicendi copiam conſecuta eſt: tum ingenio freta malitia, pervertere urbeis, & vitas hominum labefactare aſſuevit. Atque hujus quoque 3
exordium mali, quoniam principium boni diximus, explicemus. Veriſimillimum mihi videtur, quodam tempore neque in publicis rebus *infanteis* & inſipienteis homines ſolitos eſſe verſari, nec verò ad privatas cauſas magnos ac diſertos homines accedere, ſed cùm à ſummis viris maximæ res adminiſtrarentur, arbitror alios fuiſſe non incallidos homines, qui ad parvas controverſias privatorum accederent. quibus in controverſiis cùm ſæpe à mendacio contra verum homines ſtare conſueſcerent, DICENDI aſſiduitas aluit audaciam, ut neceſſariò ſuperiores illi propter injurias civium [5] reſiſtere audacibus, & opitulari ſuis quiſque neceſſariis cogerentur. Itaque cùm in dicendo ſæpe par, nonnunquam etiam ſuperior viſus eſſet is, qui, omiſſo ſtudio ſapien-

---

1. *Beſtiarum modo.*] Sic Pal. ſec. ac tert. item Gre. vulgati, *more.* quod quis non videt interpretamentum alterius?

2. *Atque inſcientiam.*] Ita quoque Pall. iidem, item Greve. & Fabr. legitur paſſim, *inſcitiam.*

3. *Magnus videlicet vir & ſapiens.*] Enclitica non eſt in Pal. ſec. quod noto, ut juniores qui deinde Tullio auxiliares ſunt admoturi aliquando manus, attendant libris ſuis veteribus, numquid & heic varient.

4. *Quæ præſertim jam naturæ vim, &c.*] Pal. ſec. *Præſertim cum jam naturæ, &c.* Lambinus divinat *naturæ vicem* infeliciter.

5. *Reſiſtere audacibus.*] Grev. *reſtare.* quod placuit Gulielmio. ſic Terentius: *confidenter reſtas ſtulta.*

 1. Ut

ſapientiæ, nihil ſibi præter eloquentiam, comparaſſet, fiebat, ut & multitudinis, & ſuo judicio *dignus*, qui rempub. gereret, videretur. Hinc nimirum non injuria, cùm ad gubernacula reipublicæ, temerarii, atque audaces homines acceſſerant, maxima ac miſerrima *naufragia* fiebant. Quibus rebus tantum odii, atque invidiæ ſuſcepit eloquentia, ut homines ingenioſiſſimi, quaſi ex aliqua turbida tempeſtate in portum, ſic ex ſeditioſa, & tumultuoſa vita ſe in ſtudium aliquod traderent *quietum*. Quare mihi videntur poſtea cætera ſtudia recta, atque honeſta per otium concelebrata ab optimis, enituiſſe: hoc verò a pleriſque eorum deſertum obſoleviſſe eo tempore quo multo vehementius erat retinendum, & ſtudioſius adaugendum. nam QUO INDIGNIUS rem honeſtiſſimam, & rectiſſimam violabat ſtultorum, & improborum temeritas, & audacia, ſummo cum reipub. detrimento: eo ſtudioſius & illis reſiſtendum fuit, & reip.
4 conſulendum. Quod noſtrum illum non fugit Catonem, neque Lælium, neque horum [1] (ut verè dicam) diſcipulum Africanum, neque Gracchos Africani nepotes: quibus in hominibus erat ſumma virtus, & ſumma virtute amplificata auctoritas, & quæ his rebus ornamento, & reip. præſidio eſſet, eloquentia. Quare, meo quidem animo, nihilo minùs eloquentiæ ſtudendum eſt, etſi ea quidam & privatim, & publicè perversè *abutuntur:* ſed eò quidem vehementius; ne mali magno cum detrimento bonorum, & communi omnium pernicie plurimùm poſſint: cùm præſertim hoc unum ſit, quod ad omneis res & privatas, & publicas maximè *pertineat:* hoc tuta, hoc honeſta, hoc illuſtris, hoc eodem vita jucunda fiat. Nam hinc ad rempubl. plurima commoda veniunt, ſi moderatrix omnium rerum præſtò eſt SAPIENTIA. hinc ad ipſos, qui eam adepti ſunt, laus, honos, dignitas confluit: hinc amicis quoque eorum certiſſimum, ac tutiſſimum præſidium comparatur. Ac mihi quidem videntur homines, cùm multis rebus humiliores, & infirmiores ſint, hac re maximè beſtiis præſtare, quod loqui poſſunt. Quare PRÆCLARUM mihi quiddam videtur adeptus is, qui, qua re homines beſtiis præſtent, ea in re hominibus ipſis antecellat. Hoc ſi fortè non natura modò, neque exercitatione conficitur, verùm etiam artificio quodam comparatur: non alienum eſt videre, quæ dicant ii, qui quædam ejus rei præcepta nobis reliquerunt. Sed antequàm de præceptis oratoriis dicamus, videtur dicendum de genere ipſius artis, de officio, de fine, de materia, de partibus. nam his rebus cognitis, faciliùs, & expeditiùs uniuſcujuſque ani-
5 mus ipſam rationem, ac viam artis conſiderare poterit. CIVILIS quædam ratio eſt, quæ multis, & magnis ex rebus conſtat. ejus quædam magna, & ampla pars eſt, artificioſa eloquentia, quam *rhetoricam* vocant. nam neque cum iis ſentimus, qui civilem ſcientiam eloquentia non putant indigere; & ab iis, qui eam putant omnem rhetoris vi & artificio contineri, magnopere diſſentimus. quare hanc oratoriam facultatem in eo genere ponemus, ut eam civilis ſcientiæ partem eſſe, dicamus. Officium autem ejus facultatis videtur eſſe, dicere appoſitè ad perſuaſionem: finis, perſuadere dictione. inter *officium* autem & *finem* hoc intereſt, quòd [2] in officio, quid fieri: in fine, quid officio conveniat, conſideratur: ut medici officium dicimus eſſe, *curare ad ſanandum appoſite:* finem, *ſanare curatione*. Item oratoris quid officium, & quid finem eſſe dicamus, [3] intelligemus, cùm id, quod facere debet, officium eſſe dicemus: illud, cujus cauſa facere debet, finem appellabimus. Materiam artis eam dicimus, in qua omnis ars, & ea facultas, quæ conficitur ex arte, verſatur, ut ſi medicinæ materiam dicamus morbos, ac vulnera, quod in his omnis medicina verſetur: item, quibus in rebus verſatur ars, & facultas oratoria, eas materiam artis rhetoricæ nominamus. Has autem res, alii plureis, alii pauciores exiſtimaverunt. nam Gorgias Leontinus, antiquiſſimus ferè rhetor, omnibus de rebus oratorem optimè poſſe dicere exiſtimavit. hic infinitam, & immenſam [4] huic artificio materiam ſubjicere videtur. Ariſtoteles autem, qui huic arti plurima adjumenta, atque ornamenta ſubminiſtravit, tribus in generibus rerum verſari rhetoris officium putavit, demonſtrativo, deliberativo, judiciali. *Demonſtrativum* eſt, quod tribuitur in alicujus certæ perſonæ laudem, aut vituperationem. *Deliberativum* eſt, quod poſitum in diſceptatione, & conſultatione civili, habet in ſe ſententiæ dictionem. *Judiciale* eſt, quod poſitum in judicio, habet in ſe accuſationem, & defenſionem, aut petitionem & recuſationem. Et, quemadmodum noſtra quidem fert opinio, oratoris ars, & facultas
in hac materia tripertita verſari exiſtimanda eſt. Nam Her- 6
magoras quidem, nec, quid dicat, attendere, nec quid polliceatur, intelligere videtur: qui oratoris materiam in cauſam, & in quæſtionem dividat. *Cauſam* eſſe dicit rem, quæ habeat in ſe controverſiam in dicendo poſitam cum perſonarum certarum interpoſitione: quam nos quoque oratori dicimus eſſe attributam. nam treis ei parteis, quas antè diximus, ſupponimus, judicialem, deliberativam, demonſtrativam. *Quæſtionem* autem eam appellat, quæ habeat in ſe controverſiam in dicendo poſitam, ſine certarum perſonarum interpoſitione, ad hunc modum: Ecquid ſit bonum præter honeſtatem, Verine ſint ſenſus, Quæ ſit mundi forma, Quæ ſolis magnitudo. quas quæſtiones procul ab oratoris officio remotas, facilè omneis intelligere exiſtimamus. Nam, quibus in rebus ſumma ingenia philoſophorum plurimo cum *labore* conſumta intelligimus, eas, ſicut aliquas parvas res, oratori attribuere, magna amentia videtur. Quòd ſi magnam in his Hermagoras habuiſſet facultatem, ſtudio & diſciplina comparatam, videretur fretus ſua ſcientia, falſum quiddam conſtituiſſe de oratoris officio, & non, quid ars, ſed quid ipſe poſſet, expoſuiſſe. nunc verò ea vis eſt in homine, ut ei multo rhetoricam citius quis ademerit, quàm philoſophiam conceſſerit. Neque eò dico, quòd ejus ars, quam edidit, mihi mendoſiſſimè ſcripta videatur, (nam ſatis in ea videtur [5] ex antiquis artibus ingenioſe & diligenter electas res collocaſſe, & nonnihil ipſe quoque novi protuliſſe) verùm oratori minimum eſt *de arte loqui*, quod hic fecit: multo maximum *ex arte dicere*, quod eum minimè potuiſſe, omnes videmus. Quare materia quidem nobis rhetoricæ videtur ea, quam Ariſtoteli viſam eſſe
diximus. Partes autem hæ ſunt, quas plerique dixerunt, 7
inventio, diſpoſitio, elocutio, memoria, pronuntiatio. *Inventio*, eſt excogitatio rerum verarum, aut veriſimilium, quæ cauſam probabilem reddant. *Diſpoſitio*, eſt rerum inventarum in ordinem diſtributio. *Elocutio*, eſt idoneorum verborum, & ſententiarum ad inventionem accommodatio. *Memoria*, eſt firma animi rerum ac verborum ad inventionem perceptio. *Pronuntiatio*, eſt ex rerum & verborum dignitate, vocis & [6] corporis moderatio. Nunc his rebus breviter conſtitutis, eas rationes, quibus oſtendere poſſimus genus, & officium, & finem hujus artis, aliud in tempus differemus. nam & multorum verborum indigent, & non tantoperè ad artis deſcriptionem, & præcepta tradenda pertinent. Eum autem, qui artem rhetoricam ſcribat, de duabus reliquis rebus, de materia artis, ac partibus ſcribere oportere exiſtimamus. Ac mihi quidem videtur conjunctè agen-

1. *Ut verè dicam.*] Pal. ſec. non agnoſcit voculam *ut*, & neſcio quam illud fortius videtur altero.

2. *In officio quid fieri.*] Non recedunt ab hac ſcriptura Pall. noſtri. Fulvius tamen noſter Urſinus prodit in ſuis reperiri; *quid fini*, quod non diſplicuit Gulielmio.

3. *Intelligemus, &c. eſſe dicemus, &c. appellabimus.*] Hoc malim cum Pall. & mſſ. Suffridi Petrei noſtri, quam retro vulgatum, *intelligimus, &c. eſſe dicimus, &c. appellamus*. neque aliter ediderat Victorius; ſed non invenit qui ſequerentur.

4. *Huic artificio materiam ſubjicere, &c.*] Grev. *huic arti*. & concinnum Gulielmio viſum.

5. *Ex antiquis artibus.*] Codex Fabr. *antiquiſſimis artibus*. fortaſſe, inquit Gulielmius, *antiquiſſimis artificibus*.

6. *Corporis moderatio.*] Toſanus, *modulatio*. ſed quis probet.

I. Ne-

agendum de materia ac partibus. Quare *inventio*, quæ princeps eſt omnium partium, potiſſimùm in omni cauſarum
8 genere, qualis debeat eſſe, conſideretur. OMNIS res, quæ habet in ſe poſitam in dictione, aut diſceptatione aliquam controverſiam; aut facti, aut nominis, aut generis, aut actionis continet quæſtionem. Eam igitur quæſtionem, ex qua cauſa naſcitur, conſtitutionem appellamus. *Conſtitutio*, eſt prima conflictio cauſarum ex depulſione intentionis profecta, hoc modo: Feciſti, non feci, aut jure feci. Cùm *facti* controverſia eſt, quoniam conjecturis cauſa firmatur, conſtitutio conjecturalis appellatur. Cùm autem *nominis*, quia vis vocabuli definienda verbis eſt, conſtitutio definitiva nominatur. Cùm verò, qualis ſit res, quæritur, quia & de vi, & de genere negotii controverſia eſt, conſtitutio *generalis* vocatur. At cùm cauſa ex eo pendet, quòd non aut is agere videtur, quem oportet, aut non cum eo, quicum oportet, aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua pœna oportet, *tranſlativa* dicitur conſtitutio: quia actio, tranſlationis, & commutationis indigere videtur. Atque harum aliquam in omne cauſæ genus incidere neceſſe eſt. nam in quam non inciderit, in ea nihil eſſe poterit controverſiæ. quare eam ne cauſam quidem convenit putari. Ac facti quidem controverſia, in omnia tempora poteſt diſtribui. nam quid factum ſit, poteſt quæri, hoc modo: Occideritne Ajacem Ulyſſes. Et quid fiat, hoc modo: Bonone animo ſint erga populum Romanum Fregellani. Et quid futurum ſit, hoc modo: Si Karthaginem reliquerimus incolumem, num quid ſit incommodi ad rempublicam perventurum. *Nominis controverſia* eſt, cùm de facto convenit, & quæritur, id quod factum eſt, quo nomine appelletur. quo in genere, neceſſe eſt ideò nominis eſſe controverſiam, [[1] non quod de re ipſa non conveniat] non quod de facto non conſtet, ſed quod id, quod factum ſit, aliud alii videatur eſſe, & idcirco alius alio nomine id appellet. Quare in hujuſmodi generibus definienda res erit verbis, & breviter deſcribenda: ut, ſi quis ſacrum ex privato ſurripuerit, utrùm *fur*, an *ſacrilegus* ſit judicandus. nam id, cùm quæritur, neceſſe erit definire utrunque, quid ſit fur, quid ſacrilegus, & ſua deſcriptione oſtendere alio nomine illam rem, de qua agitur, appellari oportere,
9 atque adverſarii dicunt. Generis eſt controverſia, cùm & quid factum ſit, convenit, & quo id factum nomine appellari oporteat, conſtat: & tamen, quantum, & cujuſmodi, & omnino quale ſit, quæritur; hoc modo: Juſtum, an injuſtum: utile, an inutile, & omnia, in quibus, quale ſit id quod factum eſt, quæritur, ſine ulla nominis controverſia. Huic generi Hermagoras parteis quattuor ſuppoſuit, deliberativam, demonſtrativam, juridicialem, negotialem. quod ejus, ut nos putamus, non mediocre peccatum reprehendendum videtur: [2] verùm brevi, ne, ſi aut taciti præterierimus, ſine cauſa non ſecuti eum putemur: aut ſi diutiùs in hoc conſtiterimus, moram, atque impedimentum reliquis præceptis intuliſſe videamur. Si deliberatio, & demonſtratio, genera ſunt cauſarum, non poſſunt rectè partes alicujus generis cauſæ putari. EADEM enim res alii genus eſſe, alii pars poteſt: eidem genus eſſe & pars non poteſt. Deliberatio autem, & demonſtratio, genera ſunt cauſarum. nam aut nullum cauſæ genus eſt, aut judiciale ſolum, aut & judiciale, & demonſtrativum, & deliberativum. Nullum dicere cauſæ eſſe genus, cum cauſas eſſe multas dicat, & in eas præcepta det, [3] amentia eſt. Unum autem judiciale ſolum eſſe qui poteſt, cùm deliberatio & demonſtratio, neque ipſæ ſimiles inter ſe ſint & ab judiciali genere plurimùm diſſideant & ſuum quæque finem habeat, quò referri debeat? relinquitur ergo, ut omnia tria genera ſint cauſarum.

Deliberatio igitur, & demonſtratio, non poſſunt rectè partes alicujus generis cauſæ putari. Male igitur eas generalis conſtitutionis parteis eſſe dixit. Quòd ſi generis cauſæ partes non poſſunt rectè putari, multo minus rectè partis cauſæ partes putabuntur. Pars autem cauſæ, conſtitutio eſt omnis. 10
non enim cauſa ad conſtitutionem, ſed conſtitutio ad cauſam accommodatur. Sed demonſtratio & deliberatio, generis cauſæ partes non poſſunt rectè putari, quòd ipſa ſunt genera. multo igitur minus rectè partis ejus, quod hic dicit, partes putabuntur. Deinde ſi conſtitutio, & ipſa, & pars conſtitutionis ejus quælibet, intentionis depulſio eſt: quæ intentionis depulſio non eſt, ea nec conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt. At ſi, quæ intentionis depulſio non eſt, ea nec conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt: demonſtratio, & deliberatio, neque conſtitutio, nec pars conſtitutionis eſt. Si igitur conſtitutio, & ipſa, & pars ejus, intentionis depulſio eſt: deliberatio, & demonſtratio, neque conſtitutio, neque pars conſtitutionis eſt. Placet autem ipſi, intentionis eſſe depulſionem. Placeat igitur oportet, demonſtrationem & deliberationem nec eſſe conſtitutionem, nec partem conſtitutionis. Atque hoc eodem urgebitur, ſive conſtitutionem, primam cauſæ, accuſatoris confirmationem dixerit, ſive defenſoris primam deprecationem. nam eum eadem omnia incommoda ſequentur. Deinde conjecturalis cauſa non poteſt ſimul ex eadem parte, eodem in genere & conjecturalis eſſe, & definitiva. Rurſus nec definitiva cauſa poteſt ſimul ex eadem parte, eodem in genere & definitiva eſſe, & tranſlativa. Et omnino NULLA conſtitutio, nec pars conſtitutionis poteſt ſimul & ſuam habere, & alterius in ſe vim continere: ideò quòd unaquæque ex ſe, & ex ſua natura ſimpliciter conſideratur: altera aſſumta, numerus conſtitutionum duplicatur, non vis conſtitutionis augetur. At deliberativa cauſa ſimul ex eadem parte, eodem in genere & conjecturalem, & generalem, & definitivam, & tranſlativam ſolet habere conſtitutionem, & unam aliquando, & plureis nonnunquam. ergo ipſa nec conſtitutio eſt, nec pars conſtitutionis. Idem in demonſtratione ſolet uſu evenire. Genera igitur, ut antè diximus, hæc cauſarum
putanda ſunt, non partes alicujus conſtitutionis. Hæc ergo 11
conſtitutio, quam generalem nominamus, parteis nobis videtur duas habere, juridicialem, & negotialem. Juridicialis eſt, [4] in qua æqui & iniqui natura, aut præmii, aut pœnæ ratio quæritur. Negotialis eſt, in qua, quid juris ex civili more, & æquitate ſit, conſideratur: cui diligentiæ præeſſe apud nos *juriſconſulti* exiſtimantur. Ac juridicialis quidem ipſa in duas diſtribuitur parteis, abſolutam, & aſſumtivam. Abſoluta eſt, quæ ipſa in ſe continet juris, & injuriæ quæſtionem. Aſſumtiva eſt, quæ ipſa ex ſe nihil firmi dat ad recuſationem: foris autem aliquid defenſionis aſſumit. Ejus partes ſunt quattuor, conceſſio, remotio criminis, relatio criminis, comparatio. *Conceſſio* eſt, cùm reus non id, quod factum eſt, defendit, ſed ut ignoſcatur, poſtulat. hæc in duas parteis dividitur, purgationem, & deprecationem. Purgatio eſt, cùm factum conceditur, culpa removetur. hæc parteis habet treis, imprudentiam, caſum, neceſſitatem. Deprecatio eſt, cùm & peccaſſe, & conſultò peccaſſe reus ſe confitetur, & tamen, ut ignoſcatur, poſtulat: quod genus perraro poteſt accidere. *Remotio criminis* eſt, cùm id crimen, quod infertur, ab ſe, & à ſua culpa, vi, & poteſtate in alium reus removere conatur. id dupliciter fieri poterit, ſi aut cauſa, aut factum in alium transferetur. Cauſa transfertur, cùm aliena dicitur vi, & poteſtate factum. Factum autem, cùm alius aut debuiſſe, aut potuiſſe facere dicitur. *Relatio criminis* eſt, cùm ideò jure factum dicitur, quòd alius antè injuria laceſſierit. Comparatio eſt, cùm aliud

1. *Non quod de re ipſa non conveniat.*] Hæc uncis circumſcripſi, tanquam ſpuria. certe Pal. ſec. habebat, *quod de re quod ipſa non conveniat*, ſine priore *non*.

2. *Verum brevi.*] Haud aliter quoque Pall. noſtri: itaque non eſt mutandum in *breviter*.

3. *Amentia eſt.*] Liber Suffridi, *ſumma amentia eſt*.

4. *In qua æqui & iniqui natura.*] Sic reponendum cenſuit Gulielmius, ex libris omnibus Suffridi noſtri; quibus reſpondet Pal. ſec. ceteri, *æqui & recti*, quomodo antea vulgati.

aliud [1] aliquod faƈtum reƈtum, aut utile contenditur, quod ut fieret, illud, quod arguitur, dicitur eſſe commiſſum. In quarta conſtitutione, quam *tranſlativam* nominamus, ejus conſtitutionis eſt controverſia, cùm aut quem, aut quicum, aut quomodo, aut apud quos, aut quo jure, aut quo tempore agere oporteat, quæritur, aut omnino aliquid de commutatione, aut infirmatione aƈtionis agitur. Hujus conſtitutionis Hermagoras *inventor* eſſe exiſtimatur, non quia non uſi ſint ea veteres oratores ſæpe multi, ſed quia non animadverterint [2] artis ſcriptores eam ſuperiores, nec retulerint in numerum conſtitutionum. Poſt autem ab hoc inventam multi reprehenderunt, quos non tam imprudentia falli putamus, (res enim perſpicua eſt) quàm *invidia*, atque obtre-
12 ƈtatione quadam impediri. Et conſtitutiones quidem, & earum parteis expoſuimus: exempla autem cujuſque generis tunc commodius expoſituri videmur, cùm in unumquodque eorum argumentorum copiam dabimus. nam argumentandi ratio dilucidior erit, cùm & ad genus, & ad exemplum cauſæ ſtatim poterit accommodari. Conſtitutione cauſæ reperta, ſtatim placet conſiderare, utrùm cauſa ſit ſimplex, [3] an junƈta: & ſi junƈta erit, utrùm ſit ex pluribus quæſtionibus junƈta, an ex aliqua comparatione. *Simplex* eſt, quæ abſolutam in ſe continet unam quæſtionem, hoc modo: Corinthiis bellum indicamus, an non. *Conjunƈta* ex pluribus quæſtionibus; in qua plura quæruntur, hoc paƈto: Utrùm Karthago diruatur, an Karthagininenſibus reddatur, an eò colonia deducatur. *Ex comparatione*, in qua per contentionem, utrum potius, aut quid potiſſimum ſit, quæritur, ad hunc modum: Utrùm exercitus in Macedoniam contra Philippum mittatur, qui ſociis ſit auxilio; an teneatur in Italia, ut quàm maximæ contra Hannibalem copiæ ſint. Deinde conſiderandum eſt, in *ratione*, an in *ſcripto* ſit controverſia. nam ſcripti controverſia eſt ea, quæ ex ſcri-
13 ptionis genere naſcitur. Ejus autem genera, quæ ſunt ſeparata à conſtitutionibus, quinque ſunt. nam cùm verba ipſa videntur cum ſententia ſcriptoris diſſidere, tùm inter ſe duæ leges, aut plures diſcrepare, tum id, quod ſcriptum eſt, duas, aut plureis res ſignificare: tum ex eo, quòd ſcriptum eſt, aliud quoque, quod non ſcriptum eſt, inveniri: tum vis verbi quaſi in definitiva conſtitutione, in quo poſita ſit, quæri. Quare primum genus, de ſcripto & ſententia: ſecundum, ex contrariis legibus: tertium, ambiguum: quartum, ratiocinativum: quintum, definitivum nominamus. *Ratio* autem eſt, cùm omnis quæſtio non in ſcriptione, ſed in aliqua argumentatione conſiſtit. At tum conſiderato genere cauſæ, & cognita conſtitutione, cum, ſimplexne, an conjunƈta ſit, intellexeris, & ſcripti, an rationis habeat controverſiam, videris: deinceps erit videndum, quæ quæſtio, quæ ratio, quæ judicatio, quod firmamentum cauſæ ſit: quæ omnia à conſtitutione proficiſcantur oportet. *Quæſtio* eſt ea, quæ ex confliƈtione cauſarum gignitur controverſia, hoc modo: Non jure feciſti: jure feci. Cauſarum autem hæc eſt confliƈtio, in qua conſtitutio conſtat. ex ea igitur naſcitur controverſia, quam quæſtionem dicimus, hoc modo: Jurene fecerit. Ratio eſt ea, quæ continet cauſam, quæ ſi ſublata ſit, nihil in cauſa controverſiæ relinquetur, hoc modo, ut docendi cauſa in facili, & pervulgato exemplo conſiſtamus: Oreſtes ſi accuſetur matricidii, niſi hoc dicat, Jure feci; illa enim patrem meum occiderat: non habet defenſionem. qua ſublata, omnis quoque controverſia ſublata ſit. Ergo ejus cauſæ ratio eſt; quòd illa Agamemnonem occiderit. *Judicatio* eſt, quæ ex infirmatione, & confirmatione rationis naſcitur controverſia. nam ſit ea nobis expoſita ratio, quam paullo antè expoſuimus. Illa enim, inquit, patrem occiderat. At non, inquit adverſarius, abs te filio matrem necari oportuit. potuit enim ſine tuo ſcelere
illius faƈtum puniri. Ex hac deduƈtione rationis, illa ſum- 14
ma naſcitur controverſia, quam judicationem appellamus. ea eſt hujuſmodi: Reƈtumne fuerit, ab Oreſte matrem occidi, cùm illa Oreſtis patrem occidiſſet. Firmamentum, eſt firmiſſima argumentatio defenſoris, [4] & aptiſſima ad judicationem: ut ſi velit Oreſtes dicere, ejuſmodi animum matris ſuæ fuiſſe in patrem ſuum, in ſeipſum, ac ſorores, in regnum, in famam generis, & familiæ, ut ab ea pœnas liberi ſui potiſſimùm petere debuerint. Et in ceteris quidem conſtitutionibus ad hunc modum judicationes reperiuntur: in conjeƈturali autem conſtitutione, quia ratio non eſt (faƈtum enim non conceditur) non poteſt ex deduƈtione rationis naſci judicatio. Quare neceſſe eſt eandem eſſe quæſtionem, & judicationem: ut faƈtum eſt, faƈtum non eſt: faƈtumne ſit. Quot autem in cauſa conſtitutiones, aut earum partes erunt, totidem neceſſe erit quæſtiones, rationes, judicationes, firmamenta reperiri. His omnibus in cauſa repertis, tunc denique ſingulæ partes totius cauſæ conſiderandæ ſunt. nam non ut quidque dicendum primum, ita primum animadvertendum videtur: ideò quòd illa, quæ prima dicuntur, ſi vehementer velis congruere, & cohærere cum cauſa, ex eis ducas oportet, quæ poſt dicenda ſunt. Quare cùm judicatio, & ea, quæ ad judicationem oportet inveniri argumenta, diligenter erunt artificio reperta, cura & cogitatione pertraƈtata: tum denique ordinandæ ſunt ceteræ partes orationis. Hæ partes ſex eſſe omnino nobis videntur: exordium, narratio, partitio, confirmatio, reprehenſio, concluſio. Nunc quoniam exordium princeps omnium eſſe debet, nos quoque primùm in ratione exordiendi præcepta
dabimus. EXORDIUM, eſt oratio animum auditoris ido- 15
neè comparans ad reliquam diƈtionem: quod eveniet, ſi eum benevolum, attentum, docilem fecerit. quare qui bene exordiri cauſam volet, eum neceſſe eſt genus ſuæ cauſæ diligenter antè cognoſcere. Genera cauſarum ſunt quinque, honeſtum, admirabile, humile, anceps, obſcurum. *Honeſtum* cauſæ genus eſt, cui ſtatim ſine oratione noſtra auditoris favet animus. *Admirabile*, à quo alienatus eſt animus eorum, qui audituri ſunt. *Humile*, quod negligitur ab auditore, & non magnopere attendendum videtur. *Anceps*, in quo aut judicatio dubia eſt: aut cauſa, & honeſtatis, & turpitudinis particeps: ut & benivolentiam pariat, & offenſionem. *Obſcurum*, in quo aut tardi auditores ſunt, aut difficilioribus ad cognoſcendum negotiis cauſa implicita eſt. Quare quoniam tam diverſa ſunt genera cauſarum, exordiri quoque diſpari ratione in unoquoque genere neceſſe eſt. Igitur exordium in duas parteis dividitur, in principium, & inſinuationem. *Principium*, eſt oratio perſpicuè, & protinus perficiens auditorem benivolum, aut docilem, aut attentum. *Inſinuatio*, eſt oratio quadam diſſimulatione, & circuitione obſcurè ſubiens auditoris animum. In admirabili genere cauſæ, ſi non omnino infeſti auditores erunt, principio benivolentiam comparare licebit. ſin erunt vehementer abalienati, confugere neceſſe erit ad inſinuationem. nam AB IRATIS ſi perſpicuè pax, & benivolentia petitur; non modò ea non invenitur, ſed augetur, atque inflammatur odium. In humili autem genere cauſæ, contemtionis tollendæ cauſa, neceſſe erit attentum efficere auditorem. Anceps genus cauſæ, ſi dubiam judicationem habebit, ab ipſa judicatione exordiendum eſt. ſin autem partem turpitudinis, & partem honeſtatis habebit, benivolentiam captare oportebit, ut in genus honeſtum cauſa tranſlata videatur. Cùm autem erit honeſtum cauſæ genus, vel præteriri principium poterit, vel, ſi commodum fuerit, aut a narratione incipiemus, aut à lege, aut ab aliqua firmiſ-

1. *Aïquod faƈtum reƈtum aut utile contenditur.*] Pal. ſec. *aliquod reƈtum aut utile conceditur.* Fabr. *cum aliquod alicui faƈtum reƈtum.* liber Tolanus, *cum alicujus aliquod faƈtum reƈtum, &c.* quod ampleƈtebatur Gulielmius.

2. *Artis ſcriptores cam ſuperiores.*] Videntur eſſe ab aliquo librario: certè ſi abſint, nihil ſententiæ defuerit.

3. *An junƈta: & ſi junƈta.*] Ita erat in Pall. omnibus, & Grev. vulgata enim *an conjunƈta. & ſi conjunƈta.*

4. *Et aptiſſima ad judicationem.*] Pal. ſec. & Grev. à manu principe, *appoſitiſſima*, non male.

1. Sin

firmiſſima ratione noſtræ dictionis: [1] ſin uti principio placebit, benivolentiæ partibus utendum eſt, ut id, quod eſt,
16 augeatur. In obſcuro cauſæ genere, per principium dociles auditores efficere oportebit. Nunc, quoniam, quas res exordio conficere oporteat, dictum eſt: reliquum eſt, ut oſtendatur, quibus quæque res rationibus confici poſſit. *Benivolentia* quatuor ex locis comparatur: ab noſtra, ab adverſariorum, ab judicum perſona, [2] ab ipſa cauſa. Ab *noſtra*, ſi de noſtris factis, & officiis ſine arrogantia dicemus: ſi crimina illata, & aliquas minus honeſtas ſuſpiciones injectas diluemus: ſi, quæ incommoda acciderint, aut quæ inſtent difficultates, proferemus: ſi prece, & obſecratione humili, ac ſupplici utemur. Ab *adverſariorum* autem, ſi eos aut in odium, aut in invidiam, aut in contemtionem adducemus. In odium adducentur, ſi quod eorum ſpurcè, ſuperbè, crudeliter, [3] malitioſè factum proferetur. In invidiam, ſi vis eorum, potentia, divitiæ, cognatio, pecuniæ proferentur, atque eorum uſus arrogans, & intolerabilis; ut his rebus magis videantur, quàm cauſæ ſuæ confidere. In contemtionem adducentur, ſi eorum inertia, negligentia, ignavia, deſidioſum ſtudium, & luxurioſum otium proferetur. Ab *auditorum perſona* benivolentia captabitur, ſi res ab his fortiter, ſapienter, manſuetè geſtæ proferentur, ut ne qua aſſentatio nimia ſignificetur: & ſi de his, quàm honeſta exiſtimatio, quantaque eorum judicii, & auctoritatis exſpectatio ſit, oſtendetur. Ab *ipſis rebus*, ſi noſtram cauſam laudando extollemus, adverſariorum cauſam per contemtionem deprimemus. *Attentos* autem faciemus, ſi demonſtrabimus, ea, quæ dicturi erimus, magna, nova, incredibilia eſſe, aut ad omneis, aut ad eos, qui audiunt, aut ad aliquos illuſtreis homines, aut ad deos immortaleis, aut ad ſummam reipubl. pertinere: & ſi pollicebimur, nos brevi noſtram cauſam demonſtraturos, atque exponemus judicationem, aut judicationes, ſi plures erunt. *Dociles* auditores faciemus, ſi apertè & breviter ſummam cauſæ exponemus. hoc eſt, in quo conſiſtat controverſia. nam & cum docilem velis facere, ſimul attentum facias oportet. nam is maximè
17 docilis eſt, qui attentiſſimè eſt paratus audire. Nunc inſinuationes quemadmodum tractari conveniat, deinceps dicendum videtur. *Inſinuatione* igitur utendum eſt, cùm admirabile genus cauſæ eſt, hoc eſt, ut antè diximus, cùm animus auditoris infeſtus eſt. Id autem tribus ex cauſis fit maximè: ſi aut ineſt in ipſa cauſa quædam turpitudo, aut ab iis, qui antè dixerunt, jam quiddam auditori perſuaſum videtur, aut eo tempore locus dicendi datur, cùm jam illi, quos audire oportet, defeſſi ſunt audiendo. nam ex hac quoque re non minùs, quàm ex primis duabus, in oratione nonnunquam animus auditoris offenditur. Si cauſæ *turpitudo* contrahet offenſionem: aut pro eo homine, in quo offenditur, alium hominem, qui diligitur interponi oportet: aut pro re, in qua offenditur, aliam rem, quæ probatur: aut pro re hominem, aut pro homine rem, ut ab eo, quod odit, ad id, quod diligit, auditoris animus traducatur, & diſſimulare id te defenſurum, quod exiſtimeris defenſurus: deinde, cùm jam mitior factus erit auditor, ingredi pedetentim in defenſionem, & dicere, ea, quæ indignantur adverſarii, tibi quoque indigna videri: deinde, cùm lenieris eum, qui audiet, demonſtrare, nihil eorum ad te pertinere, & negare te quidquam de adverſariis eſſe dicturum, neque hoc, neque illud: ut neque apertè lædas eos, qui diliguntur, & tamen id obſcurè faciens, quoad poſſis, alienes ab eis auditorum voluntatem: & aliquorum judicium ſimili de re, aut auctoritatem proferre imitatione dignam: deinde eandem, aut conſimilem, aut majorem, aut minorem agi rem in præſentia demonſtrare. Sin oratio adverſariorum fidem videbitur auditoribus feciſſe, quod ei, qui intelligit, quibus rebus fides fiat, facile erit cognitu; oportet aut de eo, quod adverſarii ſibi firmiſſimum putarint, & maximè ii qui audierint, probarint, primùm te dicturum polliceri, aut ab adverſarii dicto exordiri, & ab eo potiſſimum, quod ille nuperrimè dixerit: aut dubitatione uti, quid primùm dicas, aut cui potiſſimum loco reſpondeas, cum admiratione. Nam auditor cùm eum, quem adverſarii *perturbatum* putant oratione, videt animo firmiſſimo contrà dicere paratum, plerumque ſe potiùs temerè aſſenſiſſe, quàm illum ſine cauſa confidere arbitratur. [4] Sin auditoris ſtudium defatigatio abalienavit à cauſa, te brevius, quàm paratus fueris, eſſe dicturum, commodum eſt polliceri; non imitaturum adverſarium. Sin res dabit, non inutile eſt ab aliqua re nova, aut ridicula incipere: aut ex tempore quæ nata ſit; quod genus, ſtrepitum, [5] acclamationem: aut jam parata; quæ vel apologum, vel fabulam, vel aliquam contineat irriſionem: aut, ſi rei dignitas adimet jocandi facultatem, aliquid triſte, novum, horribile, ſtatim non incommodum eſt injicere. nam ut cibi ſatietas, & faſtidium aut ſubamara aliqua re relevatur, aut dulci mitigatur: ſic animus defeſſus audiendo, aut admiratione integratur, aut riſu renovatur.
Ac ſeparatim quidem, quæ de principio, & inſinuatione 18
dicenda videbantur, hæc ferè ſunt. Nunc quiddam breviter, & communiter de utroque præcipiendum videtur. Exordium, ſententiarum, & gravitatis plurimùm debet habere & omnino omnia, quæ pertinent ad dignitatem, in ſe continere, propterea quòd id optimè faciendum eſt, quod oratorem auditori maximè commendat: ſplendoris, & feſtivitatis, & concinnitudinis minimùm, propterea quod ex his ſuſpicio quænam *apparationis* atque artificioſæ diligentiæ naſcitur: quæ maximè orationi fidem, oratori adimit auctoritatem. Vitia verò hæc ſunt certiſſima exordiorum, quæ ſummoperè vitare oportebit: vulgare, commune, commutabile, longum, ſeparatum, tranſlatum, contra præcepta. *Vulgare* eſt, quod in plureis cauſas poteſt accommodari, ut convenire videatur. *Commune* eſt, quod nihilo minus in hanc, quàm in contrariam partem cauſæ, poteſt convenire. *Commutabile* eſt, quod ab adverſario poteſt, leviter mutatum, ex contraria parte dici. *Longum* eſt, quod pluribus verbis, aut ſententiis, ultrà quàm ſatis eſt producitur. *Separatum* eſt, quod non ex ipſa cauſa ductum eſt, nec, ſicut aliquod membrum, annexum orationi. *Tranſlatum* eſt, quod aliud conficit, quàm cauſæ genus poſtulat: ut ſi quis docilem faciat auditorem, cùm benivolentiam cauſa deſiderat: aut ſi principio utatur, cùm inſinuationem res poſtulat. *Contra præcepta* eſt, quod nihil eorum efficit, quorum cauſa de exordiis præcepta traduntur: hoc eſt, quod eum, qui audit, neque benivolum, neque attentum, neque docilem efficit: aut, quo profectò nihil pejus eſt, ut contrà ſit, facit.
Ac de exordio quidem ſatis dictum eſt. NARRATIO, eſt 19
rerum geſtarum, aut ut geſtarum, expoſitio. Narrationum tria ſunt genera. unum genus eſt, in quo ipſa cauſa, & omnis ratio controverſiæ continetur. Alterum, in quo digreſſio aliqua extra cauſam aut criminationis, aut ſimilitudinis, aut delectationis non alienæ ab eo negotio, quo de agitur, aut amplificationis cauſa, interponitur. Tertium genus, eſt remotum à civilibus cauſis, quod delectationis cauſa, non inutili cum exercitatione, dicitur, & ſcribitur. Ejus partes ſunt duæ, quarum altera in negociis, altera in perſonis maximè verſatur. Ea, quæ in negotiorum expoſitione poſita eſt,

1. *Sin uti principio placebit.*] Vulgata, *vel ſi uti principio*, ſed alterum reſtabat in Pal. habebat præterea Grev. *ſin autem uti.* Supra etiam auctoribus iiſdem mſſ. ſubſtitui, *vel ſi commodum*, &c. cum prius fuiſſet: *&*, *ſi commodum.*

2. *Ab ipſa cauſa.*] Legebatur antea, *ab ipſa re*, ſed præter Pall. in quorum ſecundo alterum exſtabat: nam pr. & tert. *ab cauſa*, ſine pronomine, quod tamen in editione Victorii.

3. *Malitioſe factum proferetur.*] Grev. *oſtendatur*, placuitque Gulielmio. ſed ſtant pro vulgata Pall. tres.

4. *Sin auditoris ſtudium defatigatio.*] Suffridi codd. aliquot, *audit. animum ſpecie recti.* ſed non relinquimus publicitam.

5. *Acclamationem: aut jam parata.*] Gulielmius præferebat ſcripturam libri Grevenb. *exclamationem: aut jam peracta.* adhæreo ipſe vulgatæ.

eſt, treis habet parteis, fabulam, hiſtoriam, argumentum. *Fabula* eſt, in qua nec veræ, nec veriſimiles res continentur: cujuſmodi eſt:

Angues ingentes alites, juncti jugo.

Hiſtoria, eſt geſta res, [1] ab ætatis noſtræ memoria remota. quod genus, Appius indixit Karthaginienſibus bellum. *Argumentum*, eſt ficta res, quæ tamen fieri potuit. Hujuſmodi apud Terentium:

Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis, Soſia.

Illa autem narratio, quæ verſatur in perſonis ejuſmodi eſt, ut in ea ſimul cum rebus ipſis perſonarum ſermones, & animi perſpici poſſint, hoc modo:

Venit ad me ſæpe clamitans, Quid agis Mitio?
Cur perdis adoleſcentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus ſumtum ſuggeris?
Veſtitu nimio indulges, nimium ineptus es.
Nimium ipſe durus eſt præter æquumque & bonum.

Hoc in genere narrationis multa ineſſe debet feſtivitas, confecta ex rerum varietate, animorum diſſimilitudine, gravitate, lenitate, ſpe, metu, ſuſpicione, deſiderio, diſſimulatione, errore, miſericordia, fortunæ commutatione, inſperato incommodo, ſubita lætitia, jucundo exitu rerum. Verùm hæc ex his, quæ poſtea de elocutione præcipientur, ornamenta ſumentur. Nunc de narratione ea, quæ cauſæ continet expoſitionem, dicendum videtur.

20 Oportet igitur eam treis habere res, ut brevis, ut aperta, ut probabilis ſit. *Brevis* erit, ſi, unde neceſſe eſt, inde initium ſumetur, & non ab ultimo repetetur, & ſi cujus rei ſatis erit ſummam dixiſſe, ejus partes non dicentur. nam ſæpè ſatis eſt, quod factum ſit, dicere; non ut enarres, quemadmodum ſit factum: & ſi non longius, quàm quod ſcitu opus eſt, in narrando procedetur: & ſi nullam in rem aliam tranſibitur: & ſi ita dicetur, ut nonnunquam ex eo, quod dictum ſit, id, quod dictum non ſit, intelligatur: & ſi non modò id, quod obeſt, verùm etiam id, quod nec obeſt, nec adjuvat, præteribitur: & ſi ſemel unum quidque dicetur: & ſi non ab eo, in quo proximè deſitum erit, deinceps incipietur. Ac multos imitatio brevitatis decipit, ut, cùm ſe breveis putent eſſe, longiſſimi ſint: cum dent operam, ut res multas breviter dicant, [2] non ut omnino paucas res dicant, & non plureis, quam neceſſe ſit. Nam pleriſque breviter dicere videtur, qui ita dicit: Acceſſi ad ædeis, puerum evocavi: reſpondit: quæſivi dominum: domi negavit eſſe. Hìc, tametſi tot res brevius non potuit dicere, tamen, quia ſatis fuit dixiſſe, domi negavit eſſe, fit rerum multitudine longus. Quare hoc quoque in genere vitanda eſt brevitatis imitatio, & non minus rerum non neceſſariarum, quàm verborum multitudine ſuperſedendum eſt. Aperta autem narratio poterit eſſe, ſi, ut quidque primùm geſtum erit, ita primùm exponetur, & rerum ac temporum ordo ſervabitur, ut ita narrentur, ut geſtæ res erunt, aut ut potuiſſe geri videbuntur. Hic conſiderandum erit, nequid perturbatè, nequid contortè dicatur, ne quam in aliam rem tranſeatur, ne ab ultimo repetatur, ne ad extremum prodeatur, ne quid, quod ad rem pertineat, prætereatur: & omnino, quæ præcepta de brevitate ſunt, hoc quoque in genere ſunt conſervanda. nam SÆPE res parum eſt intellecta longitudine magis, quàm obſcuritate narrationis. Ac verbis quoque dilucidis utendum eſt: quo de genere dicendum eſt in præceptis elocutionis.

21 *Probabilis* erit narratio, ſi in ea videbuntur ineſſe ea, quæ ſolent apparere in veritate: ſi perſonarum dignitates ſervabuntur, ſi cauſæ factorum exſtabunt, ſi fuiſſe facultates faciundi videbuntur, ſi tempus idoneum, ſi ſpatii ſatis, ſi locus opportunus ad eandem rem, qua de re narrabitur, fuiſſe oſtendetur: ſi res & ad eorum, qui agent, naturam, [3] & ad vulgi rumorem, & ad eorum, qui audiunt, opinionem accommodabitur. Ac veri quidem ſimilis ex his rationibus eſſe poterit. Illud autem præterea conſiderare oportebit, ne aut, cum obſit narratio, aut cùm nihil proſit, tunc interponatur: aut non loco, aut non, quemadmodum cauſa poſtulat, narretur. Obeſt tum, cùm ipſius rei geſtæ expoſitio magnam excipit offenſionem, quam argumentando, & cauſam agendo leniri oportebit. Quod cùm acciderit, membratim oportebit parteis rei geſtæ diſpergere in cauſam, & ad unamquamque confeſtim rationem accommodare, ut vulneri præſtò *medicamentum* ſit & odium ſtatim defenſio mitiget. Nihil prodeſt narratio tunc, cùm ab adverſariis re expoſita noſtra nihil intereſt iterum, aut alio modo narrare: aut cùm ab iis, qui audiunt, ita tenetur negotium, ut noſtra nihil interſit eos alio pacto docere. Quod cùm acciderit, omnino narratione ſuperſedendum eſt. *Non loco* dicitur, cùm non in ea parte orationis collocatur, in qua res poſtulat: quo de genere agemus tum, cùm de diſpoſitione dicemus, nam hoc ad diſpoſitionem pertinet. *Non quemadmodum cauſa poſtulat*, narratur, cùm aut id, quod adverſario prodeſt, dilucidè & ornatè exponitur, aut id quod ipſum adjuvat, obſcurè dicitur, & negligenter. Quare, ut hoc vitium vitetur, omnia torquenda ſunt ad commodum ſuæ cauſæ, contraria, quæ præteriri poterunt, prætereundo; quæ illius erunt, leviter attingendo, ſua diligenter, & enodatè narrando. Ac de narratione quidem ſatis dictum videtur. deinceps ad petitionem tranſeamus.

RECTE habita in cauſa partitio, illuſtrem, & perſpicuam totam efficit orationem. 22 Ejus partes duæ ſunt, quarum utraque magnopere ad aperiendam cauſam, & conſtituendam pertinet controverſiam. Una pars eſt, quæ, quid cum adverſariis conveniat, & quid in controverſia relinquatur, oſtendit: ex qua certum quiddam deſignatur auditori, in quo animum debeat habere occupatum. Altera eſt, in qua rerum earum, de quibus erimus dicturi, breviter expoſitio ponitur diſtributa: ex qua conficitur, ut certas animo res teneat auditor, quibus dictis intelligat fore peroratum. Nunc utroque genere partitionis quemadmodum conveniat uti, breviter dicendum videtur. Quæ partitio, quid *conveniat*, aut quid non conveniat, oſtendit: hæc debet illud, quod convenit, inclinare ad ſuæ cauſæ commodum, hoc modo: Interfectam matrem eſſe à filio, convenit mihi cum adverſariis. Item contrà, Interfectum eſſe à Clytæmneſtra Agamemnonem, convenit. nam hìc uterque & id poſuit, quod conveniebat, & tamen ſuæ cauſæ commodo conſuluit. Deinde, quid controverſiæ ſit, ponendum eſt in judicationis expoſitione: quæ quemadmodum inveniretur, antè dictum eſt. Quæ autem partitio rerum diſtributam continet expoſitionem, hæc habere debet brevitatem, abſolutionem, paucitatem. *Brevitas* eſt, cùm, niſi neceſſarium, nullum aſſumitur verbum. Hæc in hoc genere idcircò utilis eſt, quòd rebus ipſis, & partibus cauſæ, non verbis, neque extraneis ornamentis animus auditoris tenendus eſt. *Abſolutio* eſt, per quam omnia, quæ incidunt in cauſam, genera, de quibus dicendum eſt, amplectimur. in qua partitione videndum eſt, ne aut aliquod genus utile relinquatur, aut ſerò extra partitionem, id quod vitioſiſſimum ac turpiſſimum eſt, inferatur. *Paucitas* in partitione ſervatur, ſi genera ipſa rerum ponuntur, neque permiſtè cum partibus implicantur. Nam genus eſt, quod plureis parteis amplectitur, ut animal. Pars eſt, quæ ſubeſt generi, ut equus. Sed ſæpe eadem res alii genus, alii pars eſt. Nam homo, animalis pars eſt: Thebani, aut Trojani genus. 23 Hæc ideo diligentius inducitur præſcriptio, ut apertè intellecta generali partitione, paucitas generum in partitione ſervari poſſit. Nam qui ita partitur; Oſtendam, propter cupiditatem, & audaciam, & avaritiam adverſariorum, omnia incommoda ad rempub. perveniſſe: is non intellexit, in partitione, expoſito genere, partem ſe generis admiſcuiſſe. Nam genus eſt omnium nimirum libidi-

1. *Ab ætatis noſtræ memoria remota.*] Lambinus, *memoria propter vetuſtatem contecta.*

2. *Non ut omnino, &c.*] Fabr. & Grev. hæc ignorant. conſpiciuntur tamen in Pall. abſque quibus, omnino item exterminaſſem.

3. *Et ad vulgi rumorem.*] Lambinus nobis obtruſit, *vulgi morem*: ineptè & præter editos ſcriptoſque.

1. *E us*

libidinum, *cupiditas:* ejus autem generis ſine dubio pars eſt avaritia. Hoc igitur vitandum eſt, ne, cujus genus poſueris, [1] ejus ſecum aliquam ſicut diverſam ac diſſimilem partem, ponas in eadem partitione. Quòd ſi quod in genus plures incident partes, id cùm in prima partitione cauſæ erit ſimpliciter expoſitum, diſtribuetur eo tempore commodiſſimè, cùm ad ipſum ventum erit explicandum in cauſæ dictione poſt partitionem. Atque illud quoque pertinet ad paucitatem, ne aut plura, quàm ſatis eſt, demonſtraturos nos dicamus, hoc modo: Oſtendam, adverſarios, quod arguimus, & potuiſſe facere, & voluiſſe, & feciſſe. nam feciſſe oſtendere ſatis eſt: Aut, cùm in cauſa partitio nulla ſit, & quiddam ſimplex agatur, tamen utamur diſtributione: id quod perrarò poteſt accidere. Ac ſunt alia quoque præcepta partitionum, quæ ad hunc uſum oratorium non tantopere pertinent: quæ verſantur in philoſophia, ex quibus hæc ipſa tranſtulimus, quæ convenire videbantur. quorum nihil in ceteris artibus inveniebamus. Atque his de partitione præceptis, in omni dictione meminiſſe oportebit, ut & prima quæque pars, ut expoſita eſt in partitione, ſic ordine tranſigatur: & omnibus explicatis, peroratum ſit; [2] hoc modo, ut nequid poſterius præter concluſionem inferatur. Partitur apud Terentium breviter & commodè ſenex in Andria, quæ cognoſcere libertum velit:

Eo pacto, & gnati vitam, & conſilium meum
Cognoſces, &, quid facere in hac re te velim.

Itaque quemadmodum in partitione propoſuit, ita narrat, primùm nati vitam:

Nam is poſtquam exceſſit [3] ex ephebis, Soſia,
Liberius vivendi fuit poteſtas.

Deinde ſuum conſilium: „ *Et nunc id operam do.* Poſthæc quid Soſiam velit facere, id quod poſtremum poſuit in partitione, poſtremum dicit:

Nunc tuum eſt officium.

Quemadmodum igitur hìc & ad primam quamque partem primùm acceſſit, & omnibus abſolutis, finem dicendi fecit, ſic nobis placet, & ad ſingulas parteis accedere, & omnibus abſolutis, perorare. Nunc de confirmatione deinceps, ita ut ordo ipſe poſtulat, præcipiendum videtur.
24 CONFIRMATIO eſt, per quam argumentando, noſtræ cauſæ fidem, & auctoritatem, & firmamentum adjungit oratio. Hujus partis certa ſunt præcepta, quæ in ſingula cauſarum genera dividentur. Verumtamen non incommodum videtur, quandam ſilvam, atque materiam univerſam antè permiſtam, & confuſam exponere omnium argumentationum: poſt autem tradere, quemadmodum unumquodque genus cauſæ, omnibus hinc argumentandi rationibus tractis, confirmare oporteat. Omnes res argumentando confirmantur, aut ex eo, quod perſonis, aut ex eo, quod negotiis eſt attributum. Ac perſonis has res attributas putamus, nomen, naturam, victum, fortunam, habitum, affectionem, ſtudia, conſilia, facta, caſus, orationes. *Nomen* eſt, quod unicuique [4] perſonæ datur, quo ſuo quæque proprio, & certo vocabulo appellatur. *Naturam* ipſam definire difficile eſt: parteis autem ejus enumerare eas, quarum indigemus ad hanc præceptionem, facilius eſt. hæ autem partim divino, partim mortali in genere verſantur. Mortalium autem pars in hominum, pars in beſtiarum genere numeratur. Atque hominum genus & in ſexu conſideratur, virile, an muliebre ſit: & in natione, patria, cognatione, ætate. Natione, Grajus, an Barbarus: Patria, Athenienſis, an Lacedæmonius: Cognatione, quibus majoribus, quibus conſanguineis: Ætate, puer, an adoleſcens; natu grandior, an ſenex. Præterea commoda, & incommoda conſiderantur ab natura data animo, aut [5] corpori, hoc modo: Valens, an imbecillus: longus, an brevis: formoſus, an deformis: velox an tardus ſit, acutus an hebetior: memor, an oblivioſus: comis, officioſus, pudens, patiens, an contra. Et omnino quæ à natura data animo & corpori conſiderabuntur, in natura conſideranda ſunt. nam quæ induſtria comparantur, ad habitum pertinent, de quo poſterius dicendum eſt. In *victu* conſiderare oportet, apud quos, & quo more, & 25
cujus arbitratu ſit educatus, quos habuerit artium liberalium magiſtros, quos vivendi præceptores, quibus amicis utatur, quo in negotio, quæſtu, artificio ſit occupatus: quo modo rem familiarem adminiſtret, qua conſuetudine domeſtica ſit. In *fortuna* quæritur, ſervus ſit, an liber: pecunioſus, an tenuis: privatus, an cum poteſtate: ſi cum poteſtate: jure an injuria: felix, clarus, an contrà: qualeis liberos habeat. Ac ſi de non vivo quæretur, etiam quali morte ſit affectus, erit conſiderandum. *Habitum* autem appellamus, animi, aut corporis conſtantem, & abſolutam aliqua in re perfectionem; ut virtutis, aut artis perceptionem alicujus, aut quamvis ſcientiam. Et item corporis aliquam commoditatem, non natura datam, ſed ſtudio induſtriaque partam. *Affectio*, eſt animi, aut corporis ex tempore, aliqua de cauſa, commutatio, ut lætitia, cupiditas, metus, moleſtia, morbus, debilitas, & alia, quæ genere in eodem reperiuntur. *Studium* autem, eſt animi aſſidua, & vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio, ut philoſophiæ, poëtices, geometriæ, litterarum. *Conſilium*, eſt, aliquid faciendi, aut non faciendi verè excogitata ratio. *Facta* autem, & *caſus*, & *orationes* tribus ex temporibus conſiderabuntur, quid fecerit, aut quid ipſi acciderit, aut quid dixerit; aut quid faciet, quid ipſi accidat, quid dicat; aut quid facturus ſit, quid ipſi caſurum ſit, qua ſit uſurus oratione. Ac, perſonis quidem hæc videntur eſſe attributa.
Negotiis autem quæ ſunt attributa, partim ſunt continen- 26
tia cum ipſo negotio, partim in geſtione negotii conſiderantur, partim adjuncta negotio, partim geſtum negotium conſequuntur. *Continentia* cum ipſo negotio ſunt ea, quæ ſemper affixa eſſe videntur ad rem, neque ab ea poſſunt ſeparari. Ex his prima eſt brevis complexio totius negotii, quæ ſummam continet facti, hoc modo: Parentis occiſio, patriæ proditio. Deinde cauſa ejus ſummæ, per quam, & quamobrem, & cujus rei cauſa factum ſit, quæritur. Deinde ante rem geſtam quæ facta ſunt, continenter uſque ad ipſum negotium. Deinde, in ipſo gerendo negotio quid actum ſit. Deinde, quid poſtea factum ſit. In *geſtione* autem negotii, qui locus ſecundus erat de iis, quæ negotiis attributa ſunt, quæretur locus, tempus, modus, occaſio, facultas. *Locus* conſideratur in quo res geſta ſit, ex opportunitate, quam videatur habuiſſe ad negotium adminiſtrandum. Ea autem oportunitas quæritur ex magnitudine, intervallo, longinquitate, propinquitate, ſolitudine, celebritate, natura ipſius loci, & vicinitate totius regionis. Ex his etiam attributionibus: ſacer, an profanus: publicus, an privatus: alienus, an ipſius, de quo agitur, locus ſit, aut fuerit. *Tempus* autem eſt, id quo nunc utimur, (nam ipſum quidem generaliter definire difficile eſt) pars quædam æternitatis cum alicujus

1. *Ejus ſecum aliquam, ſicut diverſam, &c.*] Haud aliter editus ab Victorio. priores enim tempore; certè publicati Venetiis cIↄ cccc xcvi. præferunt, *ejus ſecum ſecuti aliquam diverſam, &c.* Lambinus habet, *ejus ſicuti diverſam, &c.* quomodo & Pal. tert. nam pr. *ſecuti:* ſecundus *ſecum, &.* forte fuit initio; *ejuſce aliquam diverſam, &c.*

2. *Hoc modo, ut ne quid, &c. inferatur. Partitur.*] Hæc eſt lectio omnium Pall. item edd. ante Lambinum, qui tranſpoſuit priores duas voces: *ut ne quid, &c. inferatur. Hoc modo partitur, &c.* laudarem, ſi uſus fuiſſet duce aliquo libro veteri.

3. *Ex ephebis Soſia. Deinde ſuum.*] Eſt à Pall. noſtris, neque ſecus editio Rob. Stephani anni cIↄ Iↄ xliv. aliæ adjecerant: *Soſia, Liberius vivendi fuit poteſtas.*

4. *Perſona datur, &c.*] Grev. & Pal. ſec. ter. *tribuitur.* pr. & editio vetuſtior, *attribuitur.*

5. *Corpori, hoc modo, &c. tardus ſit: acutus, &c.*] Lamb. interpoſuit, *corpori. corpori hoc modo, &c. tardus ſit animo, acutus, &c.* non malè, ſi auctorem haberet hujus additionis; nam mſſ. noſtri, aut antiquitus cuſi ſtant pro vulgata.

alicujus [1] annui, menſtrui, diurni, nocturnive ſpatii certa ſignificatione. In hoc & quæ præterierunt, conſiderantur, & eorum ipſorum, quæ propter vetuſtatem obſoleverunt, ut incredibilia videantur, & jam in fabularum numerum [2] reponantur: & quæ jam diu geſta, & à memoria noſtra remota, tamen faciant fidem, verè tradita eſſe, quòd eorum monumenta certa in litteris exſtent: & quæ nuper geſta ſint, quæ ſcire plerique poſſint: & item quæ inſtent in præſentia, & quæ maximè fiant, & quæ conſequantur. In quibus poteſt conſiderari, quid ocyus, & quid ſerius futurum ſit. Et item communiter in tempore perſpiciendo *longinquitas* ejus eſt conſideranda. nam ſæpe oportet commetiri cum tempore negotium, & videre [3] potueritne aut magnitudo negotii, aut multitudo rerum in eo tranſigi tempore. Conſideratur autem tempus & anni, & menſis, & diei, & noctis, & vigiliæ, & horæ, & in aliqua parte alicujus horum.

27 *Occaſio* autem, eſt pars temporis, habens in ſe alicujus rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem. quare cum tempore hoc differt. nam genere quidem utrumque idem eſſe intelligitur: verùm in tempore ſpatium quodammodo declaratur, quod in annis, aut in anno, aut in aliqua anni parte ſpectatur: in occaſione, ad ſpatium temporis, faciendi quædam opportunitas intelligitur adjuncta. quare cùm genere idem ſit, ſit aliud, quòd parte quadam, & ſpecie, ut diximus, differat. Hæc diſtribuitur in tria genera, publicum, commune, ſingulare. *Publicum* eſt, quod civitas univerſa aliqua de cauſa frequentat, ut ludi, dies feſtus, bellum. *Commune*, quod accidit omnibus eodem ferè tempore, ut meſſis, vindemia, calor, frigus. *Singulare* autem eſt, quod aliqua de cauſa privatim ſolet alicui accidere, ut nuptiæ, ſacrificium, funus, convivium, ſomnus. *Modus* autem eſt, in quo, quemadmodum, & quo animo factum ſit, quæritur. ejus partes ſunt, prudentia & imprudentia. *Prudentiæ* autem ratio quæritur ex iis, quæ clam, palam, vi, perſuaſione fecerit. *Imprudentia* autem in purgationem confertur, cujus partes ſunt inſcientia, caſus, neceſſitas: & in affectionem animi, hoc eſt moleſtiam, iracundiam, amorem, & cetera, quæ in ſimili genere verſantur. *Facultates* ſunt, aut quibus facilius ſit, aut ſine quibus aliquid confici non poteſt.

28 *Adjunctum* autem negotio id intelligitur, quod majus, & quod minus, & quod ſimile erit ei negotio, quo de agitur, & quod æquè magnum, & quod contrarium, & quod diſparatum, & genus, & pars, & eventus. *Majus*, & minus, & æquè magnum, ex vi, & ex numero, & ex figura negotii, ſicut ex ſtatura corporis, conſideratur. *Simile* autem ex ſpecie comparabili: comparabile autem ex conferenda, atque aſſimilanda natura judicatur. *Contrarium* eſt, quod poſitum in genere diverſo, ab eodem, cui contrarium eſſe dicitur, plurimùm diſtat, ut frigus calori, vitæ mors. *Diſparatum* autem eſt id, quod ab aliqua re per oppoſitionem negationis ſeparatur, hoc modo, ſapere & non ſapere. *Genus* eſt, quod parteis aliquas amplectitur, ut cupiditas. *Pars* eſt, quæ ſubeſt generi, ut amor, avaritia. *Eventus*, eſt alicujus exitus negotii, in quo quæri ſolet, quid ex quaque re evenerit, eveniat, eventurumque ſit. Quare hoc in genere, ut commodius, quid eventurum ſit, antè animo colligi poſſit, quid quaque ex re ſoleat evenire, conſiderandum eſt, hoc modo: *Ex arrogantia odium*, *ex inſolentia arrogantia.* Quarta autem pars eſt ex iis, quas negotiis dicebamus eſſe attributas, *conſecutio*. In hac eæ res quæruntur, quæ geſtum negotium conſequuntur. Primùm, quod factum eſt, quo id nomine appellari conveniat: Deinde, ejus facti qui ſint principes & inventores, qui denique auctoritatis ejus, & inventionis comprobatores, atque æmuli: Deinde ecquæ ea de re, aut ejus rei ſit lex, conſuetudo, actio, judicium, ſcientia, artificium: Deinde natura ejus evenire vulgo ſoleat, an inſolenter ac raro: Poſtea homines id ſua auctoritate comprobare, an offendi in his conſueverint, & cetera, quæ factum aliquod ſimiliter confeſtim, aut ex intervallo ſolent conſequi. Deinde poſtremò, attendendum eſt, num quæ res ex iis rebus quæ ſunt poſitæ in partibus honeſtatis, aut utilitatis, conſequantur: de quibus in deliberativo genere cauſæ diſtinctius erit dicendum. Ac negotiis quidem ferè res eæ, quas commemoravimus, ſunt attributæ. Omnis autem argumentatio, quæ ex iis lo- 29
cis, quos commemoravimus, ſumetur, aut *probabilis*, aut *neceſſaria* debebit eſſe. Etenim, ut breviter deſcribamus; argumentatio videtur eſſe inventum ex aliquo genere, rem aliquam aut probabiliter oſtendens, aut neceſſariè demonſtrans. Neceſſariè demonſtrantur ea, quæ aliter ac dicuntur, nec fieri, nec probari poſſunt, hoc modo: Si peperit, cum viro concubuit. Hoc genus argumentandi, quod in neceſſaria demonſtratione verſatur, maximè tractatur in dicendo, aut per complexionem, aut per enumerationem, aut per ſimplicem concluſionem. *Complexio* eſt, in qua, utrum conceſſeris, reprehenditur, ad hunc modum: Si improbus eſt, cur uteris? ſin probus, cur accuſas? *Enumeratio* eſt, in qua, pluribus rebus expoſitis, & ceteris infirmatis, una reliqua neceſſariò confirmatur, hoc pacto: Neceſſe eſt aut inimicitiarum cauſa ab hoc eſſe occiſum, aut metus, aut ſpei, aut alicujus amici gratia, aut, ſi horum nihil eſt, ab hoc non eſſe occiſum. nam Sine causa maleficium ſuſceptum eſſe non poteſt. Sed neque inimicitiæ fuerunt, nec metus ullus, nec ſpes ex morte illius, alicujus commodi, neque ad amicum hujus aliquem mors ejus pertinebat. relinquitur igitur, ut ab hoc non ſit occiſus. Simplex autem *concluſio* ex neceſſaria conſecutione conficitur, hoc modo: Si vos me iſtud eo tempore feciſſe dicitis, ego autem eo ipſo tempore trans mare fui: relinquitur, ut id, quod dicitis, non modò non fecerim, ſed ne potuerim quidem facere. Atque hoc diligenter videre oportebit, nequo pacto genus hoc refelli poſſit, [4] ut ne confirmatio modum in ſe argumentationis ſolùm habeat, & quandam ſimilitudinem neceſſariæ concluſionis, verùm ipſa argumentatio ex neceſſaria ratione conſiſtat. *Probabile* autem eſt id, quod ferè fieri ſolet, aut quod in opinione poſitum eſt, aut quod habet in ſe ad hæc quandam ſimilitudinem, ſive id falſum eſt, ſive verum. In eo genere, quod ferè ſolet fieri, probabile hujuſmodi eſt: Si mater eſt, diligit filium: Si avarus eſt, negligit jusjurandum. In eo autem, quod in opinione poſitum eſt, hujuſmodi ſunt probabilia: Impiis apud inferos [5] pœnas eſſe præparatas: Eos, qui philoſophiæ dent operam, non arbitrari deos eſſe. Similitudo autem in contrariis, & pari- 30
bus, & in iis rebus, quæ ſub eandem cadunt rationem, maximè ſpectatur. In contrariis, hoc modo: Nam Si iis, qui imprudentes læſerunt, ignoſci convenit, iis, qui neceſſariò profuerunt, haberi gratiam non oportet. Ex pari, ſic: Nam Ut locus ſine portu, navibus eſſe non poteſt tutus: ſic animus ſine fide, ſtabilis amicis non poteſt eſſe. In iis rebus, quæ ſub eandem rationem cadunt, hoc modo probabile conſideratur: Nam ſi Rhodiis turpe non eſt portorium locare, ne Hermacreonti quidem turpe eſt conducere. Hæc tum vera ſunt, hoc pacto: Quoniam *cicatrix* eſt, fuit vulnus. Tum veriſimilia, hoc modo: ſi multus erat in calceis *pulvis*, ex itinere eum venire oportebat. Omne autem, (ut certas quaſdam in parteis diſtribuamus,) probabile, quod ſumi-

1. *Annui, menſtrui, &c.*] Pal. pr. a manu ſecunda, Grev. item duo antiquiſſimi quos excuſſit Suffridus Petrejus, *menſtrni.* quod ipſum Ciceroni reſtituendum erit, ſi admittimus arbitrum Priſcianum, qui conſulatur ſine fere libri 2.

2. *Reponantur: & quæ jam diu geſta, &c.*] Lamb. heic & tempora mutat, & verba interſerit, ſed nullo ſuffragante membranaceo vetere. ideoque quis ſequatur, niſi ferreæ frontis?

3. *Potueritne, &c. in eo tranſigi tempore.*] Gulielmius, quod Grevenb. non agnoſceret *in*, ibat præterea deletum verbum *tempore.* & copioſa quidem Ciceronis omnia; at non ſupervacua. verum quei admittam mera conjectanea?

4. *Ut ne confirmatio modum.*] Lambinus aſſeverat legendum ex vett. *ne infirmatio*, quod in nullo eſt noſtrorum, neque meminerunt alii editores.

5. *Pœnas eſſe præparatas.*] Grev. *paratas*; ſequiturque Gulielmius. alterum reſtat in Pall. omnibus editionibuſque evoletis.

1. *Ut*

ſumitur ad argumentationem, aut ſignum eſt, aut credibile, aut judicatum, aut comparabile. *Signum* eſt, quod ſub ſenſum aliquem cadit, & quiddam ſignificat, quod ex ipſo profectum videtur, quod aut antè fuerit, aut in ipſo negotio, aut poſt ſit conſecutum, & tamen indiget teſtimonii, & gravioris confirmationis: ut cruor, fuga, pallor, pulvis, & quæ his ſunt ſimilia. *Credibile* eſt, quod ſine ullo teſte, auditoris opinione firmatur, hoc modo: Nemo eſt, qui non LIBEROS ſuos incolumeis, & beatos eſſe cupiat. *Judicatum* eſt, res aſſenſione, aut auctoritate, aut judicio alicujus, aut aliquorum comprobata. id tribus in generibus ſpectatur, religioſo, communi, approbato. Religioſum eſt, quod jurati legibus judicarunt. Commune eſt, quod omnes vulgò probarunt, & ſecuti ſunt, hujuſmodi: ut majoribus natu *aſſurgatur*, [1] ut ſupplicum miſereatur. Approbatum eſt, quod homines, cùm dubium eſſet, quale haberi oporteret, ſua conſtituerunt auctoritate: [2] velut Gracchi patris factum, quem populus Rom. ob id, quòd inſciente collega in cenſura nihil egiſſet, poſt cenſuram conſulem fecit. *Comparabile* autem eſt, quod in rebus diverſis ſimilem aliquam rationem continet. Ejus partes ſunt imago, collatio, exemplum. Imago, eſt oratio demonſtrans corporum, aut naturarum ſimilitudinem. Collatio, eſt oratio, rem cum re ex ſimilitudine conferens. Exemplum eſt, quod rem auctoritate, aut caſu alicujus hominis, aut negotii confirmat, aut infirmat. Horum exempla, & deſcriptiones in præceptis elocutionis cognoſcentur. Ac fons quidem confirmationis, ut facultas tulit, apertus eſt, nec minus dilucidè, quàm rei natura ferebat, demonſtratus eſt. Quemadmodum autem quæque conſtitutio, & pars conſtitutionis, & omnis controverſia, ſive in ratione, ſive in ſcripto verſetur, tractari debeat, & quæ in quaſque argumentationes conveniant, ſingillatim in ſecundo libro de unoquoque genere dicemus. [3] In præſentia tantummodò numeros, & modos, & parteis argumentandi confuſe, & permixtè diſperſimus. poſt [4] diſcretè & electè in genus quodque cauſæ, quid cuique conveniat, ex hac copia digeremus. Atque inveniri quidem omnis ex his locis argumentatio poterit: inventum exornari, & certas in parteis diſtingui & ſuaviſſimum eſt, & ſummè neceſſarium, & ab artis ſcriptoribus maximè neglectum, quare & de ea præceptione [5] nobis in hoc loco dicendum eſt, ut ad inventionem [6] argumenti, abſolutio quoque argumentandi adjungeretur. Et magna cum cura, & diligentia locus hic omnis conſiderandus eſt, quòd non ſolùm rei magna utilitas eſt, ſed præcipiendi quoque ſumma difficultas.

31 OMNIS igitur argumentatio aut per inductionem tractanda eſt, aut per ratiocinationem. *Inductio*, eſt oratio, quæ rebus non dubiis captat aſſenſionem ejus, quicum inſtituta eſt: quibus aſſenſionibus facit, ut illi dubia quædam res, propter ſimilitudinem earum rerum, quibus aſſenſit, probetur: velut apud Socraticum Æſchinem demonſtrat Socrates, cum Xenophontis uxore, & cum ipſo Xenophonte Aſpaſiam locutam: DIC MIHI, quæſo, Xenophontis uxor, ſi vicina tua melius habeat aurum, quàm tu habes, utrùm illius, an tuum malis? Illius, inquit. Quòd ſi veſtem, & ceterum ornatum muliebrem pretii majoris habeat, quàm tu habes, tuumne, an illius malis? Illius verò, reſpondit. Age, inquit, ſi virum illa meliorem habeat, quàm tu habes, [7] utrumne tuum, an illius malis? Hìc mulier erubuit. Aſpaſia autem cum ipſo Xenophonte ſermonem inſtituit. Quæſo, inquit, Xenophon, ſi vicinus tuus equum meliorem habeat, quàm tuus eſt, tuumne equum malis, an illius? Illius, inquit. Quid ſi fundum meliorem habeat, quàm tu habes, utrum tandem fundum habere malis? Illum, inquit, meliorem ſcilicet. Quid ſi uxorem meliorem habeat, quàm tu habes, utrùm illius malis? Atque hìc Xenophon quoque ipſe tacuit. Pòſt Aſpaſia: Quoniam uterque veſtrûm, inquit, id mihi ſolum non reſpondit, quod ego ſolum audire volueram, egomet dicam, quid uterque cogitet. nam & tu mulier optimum virum mavis habere, & tu Xenophon uxorem habere lectiſſimam maximè vis. Quare, niſi hoc perfeceritis, ut neque vir melior, neque fœmina lectior in terris ſit, profectò id ſemper, quod optimum putabitis eſſe, multo maximè *requiretis*, ut & tu [8] maritus ſis quàm optimæ, & hæc quàm optimo viro nupta ſit. Hìc cùm rebus non dubiis eſſet aſſenſum, factum eſt propter ſimilitudinem, ut etiam illud, quod dubium videbatur, ſi quis ſeparatim quæreret: id pro certo, propter rationem rogandi concederetur. Hoc modo ſermonis plurimùm Socrates uſus eſt, propterea quod nihil ipſe afferre ad perſuadendum volebat, ſed ex eo, quod ſibi ille dederat, quicum diſputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod jam conceſſiſſet, neceſſariò approbare deberet. Hoc in genere præ- 32
cipiendum nobis videtur, primùm, ut illud quod inducemus per ſimilitudinem, ejuſmodi ſit, ut ſit neceſſe concedi. nam ex quo poſtulabimus nobis illud, quod dubium ſit, concedi, dubium eſſe idipſum non oportebit: Deinde illud, cujus confirmandi cauſa fiet inductio, videndum eſt, ut ſimile iis rebus ſit, quas res, quaſi non dubias, antè induxerimus. nam antè aliquid nobis conceſſum eſſe nihil proderit, ſi ei diſſimile erit id, cujus cauſa illud concedi primum voluerimus. deinde non intelligat, quò ſpectent illæ primæ inductiones, & ad quem ſint exitum perventuræ. Nam qui videt, ſi ei rei, quæ primò rogetur, rectè aſſenſerit, illam quoque rem, quæ ſibi diſpliceat, eſſe neceſſariò concedendam, plerumque aut non reſpondendo, aut malè reſpondendo longius procedere rogationem non ſinit. Quare ratione rogationis imprudens ab eo, quod conceſſit, ad id, quod non vult concedere, deducendus eſt. Extremum autem aut taceatur oportet, aut concedatur, aut negetur. Si negabitur, aut oſtendenda eſt ſimilitudo earum rerum, quæ antè conceſſæ ſunt, aut alia utendum inductione. Si concedetur, concludenda eſt argumentatio. Si tacebitur, aut elicienda eſt reſponſio; aut, quoniam TACITURNITAS imitatur confeſſionem, pro eo, ac ſi conceſſum ſit, concludere oportebit argumentationem. Ita fit hoc genus argumentandi tripertitum. Prima pars ex ſimilitudine conſtat una, pluribuſve: Altera ex eo, quod concedi volumus, cujus cauſa ſimilitudines adhibitæ ſunt: Tertia ex concluſione, quæ aut confirmat conceſſionem, aut, quid ex ea conficiatur, oſtendit. Sed quia non ſatis alicui videbitur dilu- 33
cidè demonſtratum, niſi quod ex civili cauſarum genere exemplum ſubjecerimus: videtur hujuſmodi quoque utendum exemplo, non quo præceptio differat: aut aliter hoc in ſer-

1. *Ut ſupplicum miſereatur.*] Pal. pr. *ſimplicium*. Grev. *ſupplicium*. ἀρχαικῶς. editio prima *ſupplicantium*.

2. *Veluti Gracchi patris factum, &c.*] Pal. primus præmittit; *velut gracci factum eſt à populo Rom. approbatum, quod occidit ſororem, cum illa devictum ab eo Curiatium hoſtem deleret, & velut Gracchi.* elegans clauſula, & ſine dubio auctoris genuina germana; dummodo *gracci* illud reformetur in *Horatii*; *deleret*, in *defleret*, hiſtoria notiſſima eſt.

3. *In præſentia.*] Pal. ſec. *In præſentiarum*. Grev. *In præſenti*.

4. *Diſcretè & electè.*] Eſt ab editione Victorii, neque aliter editio vetus. recentior, *deſcriptè*, quod in Pall. tribus; prius tamen erat in Grevenbruchiano.

5. *Nobis in hoc loco dicendum eſt.*] Sic Pal. tert. prius cuſi *nobis & in hoc loco dicendum viſum eſt.* quod & in ceteris Pall. ſed non uno modo. imò in Grev. exſtat, *nobis in hoc loco videtur dicendum.* quæ varietas arguit falſitatem vulgatæ.

6. *Arg. abſolutio quoque argumentandi adjungeretur.*] Pal. ſec. *expoſitio quoque arg. adjung.* primus, *argumentandi abſolutio adjungeretur*, omiſſa voce *argumenti*, quemadmodum item eſt in editione principe, præterquam quod admiſerit *quoque*. at tert. ſolum habet *inventionem argumentandi adjung.* Grev. *argumenti abſolutio adjungeretur*.

7. *Utrumne tuum an, &c.*] Pal. pr. non agnoſcit *utrum*, habetque *ne tuum an illius malis?* tert. verò adhuc omiſit *ne*: quomodo edidit Lambinus. at enim ſec. noſter, hæc omnia concepit: *utrumne tuum an illius malis? Reſpondit, illius verò. Quid ſi veſtem, &c. malis? Illius, inquit. Age, ſi inquit illa, &c.* quæ fere præpoſuerim vulgatis.

8. *Maritus ſis quàm optimæ.*] Vulgata adtexuit *mulieris*. ſed id voculæ non comparet in ullo Palatinorum.

ſermone, atque in dicendo ſit utendum: ſed ut eorum voluntati ſatisfiat, qui, quod aliquo in loco viderint, alio in loco, niſi demonſtratum eſt, nequeunt cognoſcere. ergo in hac cauſa, quæ apud Græcos eſt pervagata, quòd Epaminondas, Thebanorum imperator, ei, qui ſibi ex lege prætor ſucceſſerat, non tradidit, &, cùm paucos ipſe dies contra legem exercitum tenuiſſet, Lacedæmonios funditus vicit, poterit accuſator argumentatione uti per inductionem, cùm ſcriptum legis contra ſententiam defendat, ad hunc modum: Si judices, id, quod Epaminondas ait legis ſcriptorem ſenſiſſe, adſcribat ad legem, & addat exceptionem hanc, EXTRA QUAM SI QUIS REIP. CAUSA EXERCITUM NON TRADIDERIT, patiemini? non opinor. Quòd ſi voſmetipſi, quòd à veſtra religione, & ſapientia remotiſſimum eſt, iſtius honoris cauſa hanc eandem exceptionem, injuſſu populi, ad legem adſcribi jubeatis, populus Thebanus id patieturne fieri? profectò non patietur. Quod ergo adſcribi ad legem nefas eſt, id ſequi, quaſi adſcriptum ſit, rectumne vobis videtur? Novi veſtram intelligentiam, non poteſt ita videri, judices. Quòd ſi litteris corrigi neque ab illo, neque à vobis ſcriptoris voluntas poteſt; videte ne multo indignius ſit, id re, & judicio veſtro mutari, quod ne verbo quidem commutari poteſt. Ac de inductione quidem ſatis in præſentia dictum videtur. Nunc deinceps ratiocinatio-
34 nis vim, & naturam conſideremus. Ratiocinatio, eſt oratio ex ipſa re probabile aliquid eliciens, quod expoſitum, & per ſe cognitum ſua ſe vi, & ratione confirmet. Hoc de genere qui diligentiùs conſiderandum putaverunt, cùm idem uſu dicendi ſequerentur; paullulum in præcipiendi ratione diſſenſerunt. nam partim quinque ejus parteis eſſe dixerunt, partim non plus, quàm in treis parteis poſſe diſtribui putaverunt. Eorum controverſiam non incommodum videtur cum utrorumque ratione exponere. nam & brevis eſt, & non ejuſmodi, ut alteri prorſus nihil dicere putentur, & locus hic nobis in dicendo minimè negligendus videtur. Qui putant in quinque diſtribui parteis oportere, ajunt primùm convenire exponere ſummam argumentationis, ad hunc modum: MELIUS accurantur, quæ conſilio geruntur, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur. Hanc primam partem numerant: eam deinceps rationibus variis, & quàm copioſiſſimis verbis approbari putant oportere, hoc modo: DOMUS ea, quæ ratione regitur, omnibus inſtructior eſt rebus, & apparatior, quàm ea, quæ temerè, & nullo conſilio adminiſtratur. Exercitus is, cui præpoſitus eſt ſapiens, & callidus imperator, omnibus partibus commodiùs regitur, quàm is, qui ſtultitia, & temeritate alicujus adminiſtratur. Eadem navigii ratio eſt. nam navis optimè curſum conficit ea, quæ ſcientiſſimo gubernatore utitur. Cum propoſitio ſit hoc pacto approbata, & duæ partes tranſierint ratiocinationis; tertia in parte ajunt, quod oſtendere velis, id ex vi propoſitionis oportere aſſumere, hoc pacto: NIHIL autem omnium rerum meliùs, quàm omnis mundus, adminiſtratur. Hujus aſſumtionis quarto in loco aliam porrò inducunt approbationem, hoc modo: Nam & *ſignorum* ortus & obitus definitum quendam ordinem ſervant, & annuæ commutationes, non modò quadam ex neceſſitate ſemper eodem modo fiunt: verum ad utilitates quoque rerum omnium ſunt accommodatæ, & diurnæ, nocturnæque viciſſitudines, nulla in re unquam mutatæ quidquam nocuerunt. Quæ ſigno ſunt omnia, non mediocri quodam conſilio naturam mundi adminiſtrari. Quinto inducunt loco complexionem eam, quæ aut id infert ſolum, quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo: Conſilio igitur mundus adminiſtratur: aut unum in locum cùm conduxerit breviter propoſitionem, & aſſumtionem, id adjungit, quod ex his conficiatur, ad hunc modum: Quòd ſi meliùs geruntur ea, quæ conſilio, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur: nihil autem omnium rerum meliùs adminiſtratur quàm omnis mundus: conſilio igitur mundus adminiſtratur. Quinquepertitam igitur hoc pacto putant eſſe
35 argumentationem. Qui autem tripertitam eſſe dicunt, ii non aliter putant tractari oportere argumentationem, ſed partitionem horum reprehendunt. negant enim, neque a propoſitione, neque ab aſſumtione approbationes earum ſeparari oportere, neque propoſitionem abſolutam, neque aſſumtionem ſibi perfectam videri, quæ approbatione confirmata non ſit. Quare quas illi duas parteis numerant, propoſitionem, & approbationem, ſibi unam partem videri, propoſitionem: quæ ſi approbata non ſit, propoſitio non ſit argumentationis. Item, quæ ab illis aſſumtio, & aſſumtionis approbatio dicitur, eandem ſibi aſſumtionem ſolam videri. Ita fit, ut eadem ratione argumentatio tractata, aliis tripertita, aliis quinquepertita videatur. quare evenit, ut res non tam ad uſum dicendi pertineat, quàm ad rationem præceptionis. Nobis autem commodior illa partitio videtur eſſe, quæ in quinque parteis diſtributa eſt, quam omnes ab Ariſtotele & Theophraſto profecti, maximè ſecuti ſunt. Nam quemadmodum illud ſuperius genus argumentandi, quod per inductionem ſumitur, maximè Socrates, & Socratici tractaverunt: ſic hoc, quod per ratiocinationem expolitur, ſummè eſt ab Ariſtotele, atque à Peripateticis, & Theophraſto frequentatum: Deinde à rhetoribus iis, qui elegantiſſimi, atque artificioſiſſimi putati ſunt. Quare autem nobis illa magis partitio probetur, dicendum videtur, ne temerè ſecuti putemur: & breviter dicendum, ne in hujuſmodi rebus diutiùs, quàm ratio præcipiendi poſtulat, commoremur. Si quadam in argumentatione ſatis eſt uti propo- 36
ſitione, & non oportet adjungere approbationem propoſitioni: quadam autem in argumentatione infirma eſt propoſitio, niſi adjuncta ſit approbatio: ſeparatum quiddam eſt à propoſitione approbatio. Quod enim adjungi, & ſeparari ab aliquo poteſt, id non poteſt idem eſſe, quod eſt id, ad quod adjungitur, & à quo ſeparatur. Eſt autem quædam argumentatio, in qua propoſitio non indiget approbatione: & quædam, in qua nihil valet abſque approbatione: ut oſtendemus. ſeparata eſt igitur à propoſitione approbatio. Oſtendemus autem id, quod polliciti ſumus, hoc modo: Quæ propoſitio in ſe quiddam continet perſpicuum, eò quòd conſtare inter omnes neceſſe eſt, hanc velle approbare & firmare nihil attinet. Ea eſt hujuſmodi: Si, quo die iſta cædes Romæ facta eſt, ego Athenis eo die fui, intereſſe in cæde non potui. Hoc quia perſpicuè verum eſt, nihil attinet approbari. Quare aſſumi ſtatim oportet, hoc modo: Fui autem Athenis eo die. hoc ſi non conſtat, indiget approbationis: qua inducta, complexio conſequetur. igitur in cæde intereſſe non potui. Eſt igitur quædam propoſitio, quæ non indiget approbatione. nam eſſe quandam, quæ indigeat, quid attinet oſtendere, quod cuivis facilè perſpicuum eſt? Quod ſi ita eſt, ex hoc, & ex eo, quod propoſueramus, hoc conficitur, ſeparatum eſſe quiddam à propoſitione approbationem. Si autem ita eſt, falſum eſt non eſſe plus, quàm tripertitam argumentationem. Simili modo liquet alteram quoque approbationem ſeparatam eſſe ab aſſumtione. nam ſi quadam in argumentatione ſatis eſt uti aſſumtione, & non oportet adjungere approbationem aſſumtioni: quadam autem in argumentatione infirma eſt aſſumtio, niſi adjuncta ſit approbatio: ſeparatum quiddam eſt extra aſſumtionem approbatio. Eſt autem argumentatio quædam, in qua aſſumtio non indiget approbationis; quædam autem, in qua nihil valet ſine approbatione, ut oſtendemus. ſeparata eſt igitur ab aſſumtione approbatio. Oſtendemus autem id, quod polliciti ſumus, hoc modo: QUÆ PERSPICUAM omnibus veritatem continet aſſumtio, nihil indiget approbationis. ea eſt hujuſmodi: Si oportet ſapere, dare operam philoſophiæ convenit. Hæc propoſitio indiget approbationis. non enim perſpicua eſt, neque conſtat inter omneis, propterea quòd multi nihil prodeſſe philoſophiam, plerique etiam obeſſe arbitrantur. Aſſumtio perſpicua eſt hæc: Oportet autem ſapere. Hoc autem quia ipſum ex re perſpicitur, & verum eſſe intelligitur, nihil attinet approbari. Quare ſtatim concludenda eſt argumentatio: igitur dare operam philoſophiæ convenit. Eſt ergo aſſumtio quædam, quæ approbationis

non

non indiget. nam quandam indigere perſpicuum eſt. ſepa-
rata eſt igitur ab aſſumtione approbatio. Falſum ergo eſt,
37 non eſſe plus quàm tripertitam argumentationem. Atque
ex his illud jam perſpicuum eſt, eſſe quandam argumenta-
tionem, in qua neque propoſitio, neque aſſumtio indigeat
approbationis, hujuſmodi, (ut certum quiddam, & breve,
exempli cauſa, ponamus:) ſi ſummopere ſapientia petenda
eſt: ſummopere ſtultitia vitanda eſt. ſummo autem opere
ſapientia petenda eſt: ſummo igitur opere ſtultitia vitanda
eſt. Hic & aſſumtio, & propoſitio perſpicua eſt. quare neu-
tra quoque indiget approbatione. Ex his omnibus illud per-
ſpicuum eſt, approbationem tum adjungi, tum non adjungi.
Ex quo cognoſcitur, neque in propoſitione, neque in aſ-
ſumtione contineri approbationem, ſed utramque ſuo loco
poſitam, vim ſuam, tanquam certam & propriam obtinere.
Quod ſi ita eſt, commodè partiti ſunt illi, qui in quinque
parteis diſtribuerunt argumentationem. Quinque ſunt igi-
tur partes ejus argumentationis, quæ per ratiocinationem
tractatur: Propoſitio, per quam locus is breviter exponi-
tur, ex quo vis omnis oportet emanet ratiocinationis: Pro-
poſitionis approbatio, per quam id, quod breviter expoſi-
tum eſt, rationibus affirmatum, probabilius & apertius fit:
Aſſumtio, per quam id quod ex propoſitione ad oſtenden-
dum pertinet, aſſumitur: Aſſumtionis approbatio, per
quam id, quod aſſumtum eſt, rationibus firmatur: Com-
plexio, per quam id, quod conficitur ex omni argumenta-
tione, breviter exponitur. Quæ plurimas habet argumen-
tatio parteis, ea conſtat ex his quinque partibus. Secunda
eſt quadripertita. Tertia tripertita. Dein bipertita, quod in
38 controverſia eſt. [1] De unaquaque parte poteſt alicui videri
poſſe, conſiſtere. Eorum igitur, quæ conſtant, exempla
ponemus: horum, quæ dubia ſunt, rationes afferemus.
Quinquepertita argumentatio eſt hujuſmodi: OMNES LE-
GES, judices, ad commodum reip. referre oportet, & eas
ex utilitate communi, non ex ſcriptione, quæ in litteris eſt,
interpretari. Ea enim virtute & ſapientia majores noſtri
fuerunt, ut in legibus ſcribendis nihil ſibi aliud, niſi ſalu-
tem, atque utilitatem reip. proponerent. neque enim ipſi,
quod obeſſet, ſcribere volebant: &, ſi ſcripſiſſent, cùm eſ-
ſet intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Nemo
enim leges legum cauſa ſalvas eſſe vult, ſed reip. quod [2] ex
legibus omneis rempub. optimè putant adminiſtrari. Quam
ob rem igitur leges ſervari oportet, ad eam cauſam ſcripta
omnia interpretari convenit: hoc eſt, quoniam reip. ſervi-
mus, ex reipub. commodo atque utilitate leges interprete-
mur. Nam ut ex medicina nihil oportet putare proficiſci,
niſi quod ad corporis utilitatem ſpectet, quoniam ejus cauſa
eſt inſtituta: ſic à legibus nihil convenit arbitrari, niſi quod
reip. conducat, proficiſci, quoniam ejus cauſa ſunt compa-
ratæ. Ergo in hoc quoque judicio deſinite literas legis per-
ſcrutari; & legem, ut æquum eſt, ex utilitate reip. [3] conſi-
derate. Quid enim magis utile Thebanis fuit, quàm Lace-
dæmonios opprimi? [4] Cui rei magis Epaminondam The-
banorum imperatorem, quàm victoriæ Thebanorum, con-
ſulere decuit? Quid hunc tanta Thebanorum gloria, tam
claro atque exornato tropæo carius, aut antiquius habere
convenit? Scripto videlicet legis omiſſo, ſcriptoris ſenten-
tiam conſiderare debebat. [5] Atque hoc quidem ſatis conſi-
deratum eſt, nullam eſſe legem, niſi reipub. cauſa ſcriptam.
Summam igitur amentiam eſſe exiſtimabat, quod ſcriptum
eſſet reip. ſalutis cauſa, id non ex reipub. ſalute interpreta-
ri. Quòd ſi leges omneis ad utilitatem reip. referri conve-
nit, hic autem ſaluti reip. profuit, profectò non poteſt eo-
dem facto & communibus fortunis conſuluiſſe, & legibus
non obtemperaſſe. Quattuor autem partibus conſtat argu- 39
mentatio, cùm aut proponimus, aut aſſumimus ſine appro-
batione. Id facere oportet, cùm aut propoſitio ex ſe intelli-
gitur, aut aſſumtio perſpicua eſt: & nullius approbationis
indiget. Propoſitionis approbatione præterita, quattuor ex
partibus argumentatio tractatur ad hunc modum: JUDICES,
[6] qui ex lege jurati judicatis, legibus obtemperare debetis.
Obtemperare autem legibus non poteſtis, niſi id, quod ſcri-
ptum eſt in lege, ſequamini. quod enim certius legis ſcri-
ptor teſtimonium voluntatis ſuæ relinquere potuit, quàm,
quod ipſe magna cum cura, atque diligentia ſcripſit? Quod
ſi litteræ non exſtarent, magnopere eas requireremus, ut ex
his ſcriptoris voluntas cognoſceretur: nec tamen Epami-
nondæ permitteremus, ne ſi extra judicium quidem eſſet,
ut is nobis ſententiam legis interpretaretur, nedum nunc
iſtud patiamur, cum præſto lex ſit, non ex eo, quod aper-
tiſſimè ſcriptum eſt, ſed ex eo, quod ſuæ cauſæ convenit,
ſcriptoris voluntatem interpretari. Quòd ſi vos, judices,
legibus obtemperare debetis, & id facere non poteſtis, niſi
quod ſcriptum eſt in lege, ſequamini, quid cauſæ eſt, quin
iſtum contra legem feciſſe judicetis? Aſſumtionis autem
approbatione præterita, quadripertita ſic fiet argumentatio:
QUI SÆPE NUMERO nos per fidem fefellerunt, eorum
orationi fidem habere non debemus. Siquid enim perfidia
illorum detrimenti acceperimus, nemo erit, præter noſ-
metipſos, quem jure accuſare poſſimus. Ac primò quidem
decipi incommodum eſt: iterum, ſtultum: tertiò, turpe.
Karthaginienſes autem perſæpe jam nos fefellerunt. Sum-
ma igitur amentia eſt in eorum fide ſpem habere, quorum
perfidia toties deceptus ſis. Utraque approbatione præterita
tripertita fit, hoc pacto: Aut metuamus Karthaginienſeis
oportet, ſi incolumeis eos reliquerimus: aut eorum urbem
diruamus. ac metuere quidem non oportet. Reſtat igitur,
ut urbem diruamus. Sunt autem qui putant nonnunquam 40
[7] poſſe complexione & oportere ſuperſederi, cum id per-
ſpicuum ſit, quod conficiatur ex ratiocinatione. quod ſi fiat,
bipertitam quoque fieri argumentationem, hoc modo: Si
peperit, virgo non eſt. peperit autem. hîc ſatis eſſe dicunt
proponere, & aſſumere: [8] quoniam perſpicuum ſit, quod
conficiatur, complexionis rem non indigere. Nobis autem
videtur, & omnis ratiocinatio concludenda eſſe: & illud
vitium, quod illis diſplicet, magnopere vitandum, ne, quod
perſpicuum ſit, id in complexionem inferamus. Hoc au-
tem fieri poterit, ſi complexionum genera intelligantur.
Nam aut ita complectemur, ut in unum conducamus pro-
poſitionem, & aſſumtionem, hoc modo: Quòd ſi leges
omneis ad utilitatem reip. referri convenit, hic autem ſa-
luti reipub. profuit: profectò non poteſt eodem facto, &
ſaluti communi conſuluiſſe, & legibus non obtemperaſſe.
Aut ita, ut ex contrario ſententia conficiatur, hoc modo:
Summa igitur amentia eſt, in eorum fide ſpem habere, quo-
rum perfidia toties deceptus ſis. Aut ita, ut id ſolum, quod
confi-

1. *De unaquaque parte poteſt, &c. poſſe conſiſtere.*] Ita olim impreſſi; recedunt Pall. poſteriores interſeruere, *poteſt, &c. argumentationem poſſe conſiſtere.* ſunt etiam qui *quaque* mutarunt in *quoque.*

2. *Ex legibus omnes rempublic.*] Vulgata *reſp.* ſed præter Pall. & Grevenb. imo & edd. priſcas, in quibus, *omnem rempublic.*

3. *Conſiderate. Quid enim.*] Editi nuper, *conſiderate quod hic fecit. Quid enim.* quomodo nulli ſcripti quos Lambinus conſuluit, nulli Palatini, nullus Gulielmianus: ſed nec conſpicitur in editione veterrima, imo ne quidem in Stephaniana anni XLIV.

4. *Cui rei magis Epaminondam.*] Recepit iſtud Lambinus, ſed ex libro aliquo; ſic certè Pal. ſec. vulgo, *Quid magis Epam.*

5. *Atque hoc quidem, &c.*] Lambinus, *At hoc quidem.* olim cuſi, *Atque hoc idem.* Pal.pr. *Ac hoc quidem.* ſec. *Adhuc quidem*, quod ultimum placet, nam tert. luxuriatur, in quo; *Ac per hoc quidem.*

6. *Qui ex lege jurati judicatis legibus, &c.*] Habet Lambinus, *lege jurati eſtis, legibus, &c.* inepte, præterque omnes libros.

7. *Poſſe complexione & oportere ſuperſedere.*] Illud *&* interpoſui ſuaſu Pall. omnium, neque aliter etiam editio Rob. Stephani. Victorius, *poſſe complexione ſuperſedere opportunè.* Lambinus, *oportere* totum delevit. ita ſcilicet fit, cum abitur à mſſ.

8. *Quoniam perſpicuum ſit quod conficiatur; complexionis, &c.*] Habuerim quinque voces priores pro ſupervacuis, repetitis ſcilicet ex ſuperiori clauſula; quod ipſum adhuc magis detegunt libri noſtri mſſ. in quibus, *conficiatur ex ratione, quod ſi fiat, complexionis, &c.* quæ omnia præceſſerant, ut dixi.

1. *Inter*

conficitur, inferatur, ad hunc modum: Urbem igitur diruamus. Aut ut id, quod eam rem, quæ conficitur, ſequatur, neceſſe eſt. Id eſt hujuſmodi: Si peperit, cum viro concubuit peperit autem. Conficitur hoc: Concubuit igitur cum viro. Hoc ſi nolis inferre, & inferas id, quod ſequitur, Fecit igitur inceſtum: & concluſeris argumentationem, & perſpicuam fugeris complexionem. Quare in longis argumentationibus, ex conductionibus, aut ex contrario complecti oportet: in brevibus id ſolum, quod conficitur, exponere: in iis, in quibus exitus perſpicuus eſt, conſecutione uti. Si qui autem ex una quoque parte putabunt conſtare argumentationem, poterunt dicere, ſæpe ſatis eſſe hoc modo argumentationem facere: Quoniam peperit, cum viro concubuit. nam hoc nullius neque approbationis, neque aſſumtionis, vel ejus approbationis, neque complexionis indigere. Sed nobis ambiguitate nominis videntur errare. nam argumentatio nomine uno res duas ſignificat, ideò, quòd & inventum aliquam in rem probabile, aut neceſſarium, argumentatio vocatur, & ejus inventi artificioſa expolitio. Quando igitur proferent aliquid hujuſmodi: Quoniam peperit, cum viro concubuit: inventum proferent, non expolitionem. nos autem de expolitionis partibus lo-
41 quimur. Nihil igitur ad hanc rem ratio illa pertinebit: atque hac diſtinctione, alia quoque, quæ videbuntur officere huic partitioni, propulſabimus, ſi qui aut aſſumtionem aliquando tolli poſſe putent, aut propoſitionem. Quæ ſi quid habet probabile, aut neceſſarium, quoquo modo commoveat auditorem neceſſe eſt. Quod ſi ſolum ſpectaretur, ac nihil, quo pacto tractaretur id, quod excogitatum eſſet, referret: nequaquam tantum [1] inter ſummos *oratores*, & mediocreis intereſſe exiſtimaretur. Variare autem orationem magnopere oportebit. nam omnibus in rebus SIMILITUDO eſt ſatietatis mater. Id fieri poterit, ſi non ſimiliter ſemper ingrediamur in argumentationem. Nam primùm omnium generibus ipſis diſtinguere convenit orationem, hoc eſt, tum inductione uti, tum ratiocinatione. Deinde in ipſa argumentatione non ſemper à propoſitione incipere, nec ſemper quinque partibus abuti, neque eadem ratione partitionis expolire: ſed tum ab aſſumtione incipere licet, tum ab approbatione alterutra, tum utraque, tum hoc, tum illo genere complexionis uti. Id ut perſpiciatur, aut ſcribamus, aut in quolibet exemplo de iis, quæ propoſita ſunt, hoc idem exerceamus, ut quàm facile factu ſit. Ac de partibus quidem argumentationis ſatis nobis dictum videtur. Illud autem volumus intelligi, nos probè tenere, aliis quoque rationibus tractari argumentationes in philoſophia multis, & obſcuris, de quibus certum eſt artificium conſtitutum. Verùm illa [2] nobis abhorrere ab uſu oratorio videntur. Quæ pertinere autem ad dicendum putamus, ea nos commodiùs, quàm ceteros, attendiſſe non affirmamus, ſed perquiſitius & diligentius conſcripſiſſe pollicemur. Nunc, ut inſtituimus, proficiſci ordine ad reliqua perge-
42 mus. REPREHENSIO eſt, per quam argumentando adverſariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, [3] aut allevatur. Hæc fonte inventionis eodem utetur, quo utitur confirmatio, propterea quòd, quibus ex locis aliqua res confirmari poteſt, iiſdem poteſt ex locis infirmari. nihil enim conſiderandum eſt in his omnibus inventionibus, niſi id, quod perſonis, aut negotiis attributum eſt. Quare inventionem, & argumentationum expolitionem ex illis, quæ antè præcepta ſunt, hanc quoque in partem orationis transferri oportebit. Verumtamen, ut quædam præceptio detur hujus quoque partis, exponemus modos reprehenſionis; quos qui obſervabunt, facilius ea, quæ contra dicentur, diluere, aut infirmare poterunt. Omnis argumentatio reprehenditur, ſi aut ex iis, quæ ſumta ſunt, non conceditur aliquod unum, plurave: aut, his conceſſis, complexio confici ex his negatur: aut ſi genus ipſum argumentationis vitioſum oſtenditur: aut ſi contra firmam argumentationem, alia æquè firma, aut firmior ponitur. Ex iis, quæ ſumuntur, aliquid *non conceditur*, cùm aut id, quod credibile dicunt, negatur eſſe ejuſmodi: aut quod comparabile putant, diſſimile oſtenditur: aut judicatum aliam in partem traducitur, aut omnino judicium improbatur: aut, quod ſignum eſſe adverſarii dixerunt, id ejuſmodi negatur eſſe: aut ſi complexio, aut una, aut ex utraque parte reprehenditur: aut ſi enumeratio falſa oſtenditur, aut ſi ſimplex concluſio falſi aliquid continere demonſtratur. Nam omne, quod ſumitur ad argumentandum, ſive pro probabili, ſive pro neceſſario,
neceſſe eſt ſumatur ex his locis, ut antè oſtendimus. Quod 43
pro credibili ſumtum erit, id infirmabitur, ſi aut perſpicuè falſum erit, hoc modo. NEMO eſt, qui non pecuniam, quàm ſapientiam, malit. aut ex contrario quoque credibile aliquid habebit, hoc modo: QUIS eſt, qui non officii cupidior ſit, quàm pecuniæ? Aut erit omnino incredibile, ut ſi quis, quem conſtet eſſe avarum, dicat alicujus mediocris officii cauſa, ſe maximam pecuniam neglexiſſe. Aut ſi, quod in quibuſdam rebus, aut hominibus accidit, id omnibus dicatur uſu evenire, hoc pacto: QUI pauperes ſunt, iis antiquior officio pecunia eſt. Qui locus deſertus eſt, in eo cædem factam eſſe oportet. In loco celebri homo occidi quî potuit? Aut ſi id, quod raro fit, fieri omnino negatur: ut Curius pro Fulvio: *Nemo poteſt uno aſpectu, neque præteriens in amorem incidere.* Quod autem pro ſigno ſumetur, id ex iiſdem locis, quibus confirmatur, infirmabitur. Nam in ſigno, primùm verum eſſe oſtendi oportet: Deinde ejus eſſe rei ſignum proprium, qua de re agitur, ut cruorem cædis: Deinde factum eſſe quod non oportuerit: aut non factum, quod oportuerit: Poſtremò ſciſſe eum, de qua quæritur, ejus rei legem & conſuetudinem. nam eæ res ſunt ſigno attributæ: quas diligentiùs aperiemus, cùm ſeparatim de ipſa conjecturali conſtitutione dicemus. Ergo horum unumquodque in reprehenſione, aut non eſſe ſigno, aut parum magno eſſe, aut à ſe potius, quàm ab adverſariis ſtare, aut omnino falſo dici, aut in aliam quoque ſuſpicio-
nem duci poſſe, demonſtrabitur. Cùm autem *pro compara-* 44
bili aliquid inducetur, quoniam id per ſimilitudinem maximè tractatur, in reprehendendo conveniet ſimile id negare eſſe, quod conferetur [4] ei, quicum conferetur. id fieri poterit, ſi demonſtrabitur diverſum eſſe genere, natura, vi, magnitudine, tempore, loco, perſona, opinione: ac ſi, quo in numero illud, quod per ſimilitudinem afferetur; & quo in loco hoc genus, cujus cauſa afferetur, haberi conveniat, oſtendetur. Deinde quid res cum re differat, demonſtrabitur. ex quo docebimus, aliud de eo, quod comparabitur, & de eo, quicum comparabitur, exiſtimari oportere. Hujus facultatis maximè indigemus, cùm ea ipſa argumentatio, quæ per inductionem tractatur, erit reprehendenda. *Si judicatum* aliquod inferetur, [5] quoniam id ex his locis maximè firmatur: laude eorum, qui judicarunt: ſimilitudine ejus rei, qua de agitur, ad eam rem, qua de judicatum eſt, commemorando non modò non eſſe reprehenſum judicium, ſed ab omnibus approbatum: & demonſtrando, difficilius, & majus fuiſſe id judicatum, quod afferatur, quàm id, quod inſtet: ex contrariis locis, ſi res aut vera, aut veriſimilis permittet, infirmari oportebit. Atque erit obſervandum diligenter, ne nihil ad id, [6] quo de agatur, pertineat id, quod judicatum ſit: & videndum eſt, ne ea res

1. *Inter ſummos oratores & mediocres.*] Verbum *oratores*, abeſt a Pall. omn. & Grevenb. videtur tamen neceſſarium.

2. *Nobis abhorrere ab uſu oratorio videbitur.*] Veterrima impreſſio, *nobis ab uſu oratorio viſa ſunt aliena.* Grev. & Pall. *nobis abhorr. ab uſu orat. viſa ſunt.*

3. *Aut allevatur.*] P. Victorius, *levatur.* Pall. noſtri ut & editi antiquitus *allevatur.*

4. *Et qui cum confertur.*] Sic Pall. at Grevenb. *ei cui confertur*, quod malebat Gulielmius.

5. *Quoniam id ex his locis maximè firmatur.*] Revocavi *his* ex libris, temere omiſſum a neotericis, certè à Lambinianis.

6. *Quo de agatur.*] Lambini hanc conjecturam adprobat Palatinus ſec. vulgata enim *quod agatur.*

I. *Parvi*

res proferatur, in qua ſit offenſum, ut de ipſo, qui judicarit, judicium fieri videatur. Oportet autem animadvertere, ne, cùm aliter multa ſint judicata, ſolitarium aliquod, aut rarum judicatum afferatur. nam his rebus auctoritas judicati maximè poteſt infirmari. Atque ea quidem argumenta, quæ quaſi probabilia ſumuntur, ad hunc modum tentari
45 oportebit. Quæ verò ſicuti *neceſſaria* inducentur, ea ſi fortè imitabuntur modò neceſſariam argumentationem, neque erunt ejuſmodi: ſic reprehendentur. Primùm complexio, quæ, utrum conceſſeris, debet tollere, ſi vera eſt, numquam reprehendetur: ſin falſa, duobus modis, aut converſione, aut alterius partis infirmatione. Converſione, hoc modo:

Nam ſi veretur, quid eum accuſes, qui eſt probus?
Si inverecundum animi ingenium poſſidet,
Quid eum accuſes, qui id [1] *parvi auditu æſtimet?*

Hic, ſi vereri dixeris, ſive non vereri, [2] concludendum hoc putat, ut neges eſſe accuſandum. Quod converſione ſic reprehendetur: Immò verò accuſandus eſt. Nam ſi veretur, accuſes: non enim parvi auditu æſtimabit. Sin inverecundum animi ingenium poſſidet, tamen accuſes. non enim probus eſt. Alterius autem partis infirmatione, hoc modo reprehendetur: Verùm ſi veretur, accuſatione tua correctus, ab errato recedet. *Enumeratio* vitioſa intelligitur, ſi aut præteritum quiddam dicemus, quod velimus concedere, aut infirmum aliquid annumeratum, quod aut contrà dici poſſit, aut cauſa non ſit, quare non honeſtè poſſimus concedere. Præteritur quiddam in ejuſmodi enumerationibus: Quoniam habes iſtum equum, aut emeris oportet, aut hereditate poſſideas, aut munere acceperis, aut domi tibi natus ſit: aut, ſi horum nihil eſt, ſurripueris neceſſe eſt. ſed neque emiſti, neque hereditate vênit, neque domi natus eſt, neque donatus eſt: neceſſe eſt ergo ſurripueris. Hoc commodè reprehenditur, ſi dici poſſit ex hoſtibus equus eſſe captus, [3] cujus prædæ ſectio non venierit: quo illato, infirmatur enumeratio, quoniam id ſit inductum,
46 quod præteritum ſit in enumeratione. Altero autem modo reprehendetur, ſi aut contrà aliquid dicetur: hoc eſt, ſi, exempli cauſa, ut in eodem verſemur, poterit oſtendi hereditate veniſſe. aut ſi extremum illud non erit turpe concedere: ut ſi quis, cùm dixerint adverſarii; Aut inſidias facere voluiſti, aut amico morem geſſiſti, aut cupiditate elatus es, amico ſe morem geſſiſſe fateatur. Simplex autem concluſio reprehenditur, ſi id, quod ſequitur, non videatur neceſſariò cum eo, quod anteceſſit, cohærere. nam hoc quidem, ſi ſpiritum ducit, vivit: ſi dies eſt, lucet: ejuſmodi eſt, ut cum priore neceſſariò poſterius cohærere videatur. Hoc autem, ſi mater eſt, diligit: ſi aliquando peccavit, numquam corrigetur: ſic conveniet reprehendi, ut demonſtretur non neceſſariò cum priore poſterius cohærere. Hoc genus, & cetera neceſſaria, & omnino omnis argumentatio, & ejus reprehenſio majorem quandam vim continet, & latius patet, quàm hîc exponitur: ſed ejus artificii cognitio hujuſmodi eſt, ut non ad hujus artis partem aliquam adjungi poſſit, ſed ipſa ſeparatim longi temporis, & [4] magnæ atque arduæ cogitationis indigeat. quare illa nobis alio tempore, atque ad aliud inſtitutum, ſi facultas erit, explicabuntur. Nunc his præceptionibus rhetorum ad uſum oratorium contentos nos eſſe oportebit. Cùm igitur ex iis, quæ ſumuntur, aliquid non conceditur, ſic infirmabitur.
47 Quum autem, his conceſſis, complexio ex his non conficitur: hæc erunt conſideranda; num aliud conficiatur, aliud dicatur, hoc modo: Si, quum aliquis dicat ſe profectum eſſe ad exercitum, contraque eum quis velit hac argumentatione uti: Si veniſſes ad exercitum, à tribunis militaribus viſus eſſes. non es autem ab his viſus. non es igitur profectus ad exercitum. Hîc cùm conceſſeris propoſitionem, & aſſumtionem, complexio eſt infirmanda. aliud enim, quam cogebatur, illatum eſt. At nunc quidem, quo facilius res cognoſceretur, perſpicuo, & grandi vitio præditum poſuimus exemplum: ſed ſæpe obſcurius poſitum vitium pro vero probatur, cùm aut parum memineris quod conceſſeris, aut ambiguum aliquod pro certo conceſſeris. *Ambiguum* ſi conceſſeris ex ea parte, quam ipſe intellexeris, eam partem ſi adverſarius ad aliam partem per complexionem velit accommodare: demonſtrare oportebit, non ex eo, quod ipſe conceſſeris, ſed ex eo, quod ille ſumſerit, confici complexionem, ad hunc modum: Si pecuniæ indigetis, pecuniam non habetis. ſi pecuniam non habetis, pauperes eſtis. Indigetis autem pecuniæ. mercaturæ enim, niſi ita eſſet, operam non daretis. pauperes igitur eſtis. Hoc ſic reprehenditur: Cùm dicebas, Si indigetis pecuniæ, pecuniam non habetis: hoc intelligebam, Si propter inopiam in egeſtate eſtis, pecuniam non habetis: & idcircò concedebam. Cùm autem hoc ſumebas, Indigetis autem pecuniæ: illud accipiebam, Vultis autem pecuniæ plus habere. Ex quibus conceſſionibus non conficitur hoc, Pauperes igitur eſtis. conficeretur autem, ſi tibi primò quoque hoc conceſſiſſem, Qui pecuniam majorem vellet habere, eum pecuniam non habere. Sæpe 48
autem oblitum putant, quid conceſſeris, & idcircò id, quod non conficitur, quaſi conficiatur, in concluſione infertur, hoc modo: Si ad illum hereditas veniebat, veriſimile eſt ab illo eſſe necatum. Deinde hoc approbant plurimis verbis. poſt aſſumunt, Ad illum autem hereditas veniebat. deinde infertur, Ille igitur occidit. id ex iis, quæ ſumſerant, non conficitur. Quare obſervare diligenter oportet, & quid ſumatur, & quid ex his conficiatur. Ipſum autem genus argumentationis, *vitioſum* his de cauſis oſtendetur, ſi aut in ipſo vitium erit, aut ſi non ad id, quod inſtituitur, accommodabitur. Atque in ipſo vitium erit, ſi omnino totum falſum erit, ſi commune, ſi vulgare, ſi leve, ſi remotum, [5] ſi mala definitio, ſi controverſum, ſi perſpicuum, ſi non conceſſum, ſi turpe, ſi offenſum, ſi contrarium, ſi inconſtans, ſi adverſum. Falſum eſt, in quo perſpicuè mendacium eſt, hoc modo: Non poteſt eſſe ſapiens, qui pecuniam negligit. Socrates autem pecuniam negligebat. non igitur ſapiens erat. Commune eſt, quod nihilo magis ab adverſariis, quàm à nobis facit, hoc modo: Idcircò, judices, quia veram cauſam habebam, brevi peroravi. Vulgare eſt, quod in aliam quoque rem non probabilem, ſi nunc conceſſum ſit, transferri, poſſit, hoc modo: Si veram cauſam non haberet, vobis, ſe judices, non commiſiſſet? Leve eſt, quod aut poſt tempus dicitur, hoc modo: Si in mentem veniſſet, non commiſiſſet: [6] aut ſi perſpicuè rem turpem levi tegere vult defenſione, hoc modo:

Cùm te expetebant omnes, florentiſſimo
Regno; reliqui: nunc deſertum ab omnibus,
Summo periclo, ſola ut reſtituam, paro.

Remotum eſt, quod ultra quàm ſatis eſt, petitur, hoc mo- 49
do: Quòd ſi non P. Scipio Corneliam filiam T. Graccho collocaſſet, atque [7] ex ea duos Gracchos procreaſſet, tantæ ſeditiones natæ non eſſent. quare hoc incommodum Sci-

pioni

1. *Parvi auditu æſtimet?*] Ita etiam noſtri, ſed non omnes, nam, tert. *exiſtimet*. edit. Victor. *exiſtimat*; ut & mox *exiſtimabit*, uterque.

2. *Concludendum hoc putat.*] Primitus cuſi, & Pall. *concedendum hoc putat*; niſi quod ſec. *concedendum hic putat*.

3. *Cujus prædæ ſectio non venierit.*] Haud aliter editio prima, quam quod ipſa, *venerit*. ſequentes *venierit*, uſque ad Victorianam credo. ea namque, *ſectione venerit*, quomodo item ferè Pall. noſtri nam pr. *qui prædæ ſectione venerit*. ſec. ac tert. item Grev. *ſectione evenerit*; quæ ultima habet quo ſe tueatur. conſulantur tamen commentaria Fabii Victorini.

4. *Magnæ atque arduæ cogitationis indigeat.*] Iſtud voluit Gulielmius ex Grevenbruchiano, noſtri tamen accedunt vulgatis, *cognitionis*.

5. *Si mala definitio.*] Pal. ſec. tert. *definitione*. Sufficidi noſtri libri, *ſi male definitum*, quod verum ut exiſtimem, reliqua periodi fere cogunt. reponendumque ex eiſdem mox, cap. ſeq.

6. *Aut ſi perſpicuè rem turpem, &c.*] Syllabam *ſi*, addidi ſecutus fidem codicis Grevenb.

7. *Ex ea duos Gracchos.*] Monet ad oram Grev. etiam legi *duo*, antiquo videlicet modo.

5. *Spe-*

-pioni adſcribendum videtur. Hujuſmodi eſt illa quoque conqueſtio:

Utinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes.

Longiùs enim repetita eſt, quam res poſtulabat. *Mala definitio* eſt, cùm aut communia deſcribit, hoc modo: Seditioſus eſt is, qui malus atque inutilis eſt civis. nam hoc non magis ſeditioſi, quàm ambitioſi, quam calumniatoris, quàm alicujus improbi hominis vim deſcribit. Aut falſum quiddam dicit, hoc pacto: Sapientia, eſt pecuniæ quærendæ intelligentia. Aut aliquid non grave, nec magnum continens, ſic: Stultitia, eſt immenſæ gloriæ cupiditas. Eſt hæc quidem ſtultitia, ſed ex parte quadam, non ex omni genere, definita. Controverſum eſt, in quo ad dubium demonſtrandum, dubia cauſa affertur, hoc modo:

Eho tu, dii, quibus eſt poteſtas motus ſuperûm atq; inferûm,
Pacem inter ſeſe conciliant, conferunt concordiam.

Perſpicuum eſt, de quo non eſt controverſia: ut, ſiquis, cùm Oreſtem accuſet, planum faciat, ab eo matrem eſſe occiſam. *Non conceſſum* eſt, cùm id, quod augetur, in controverſia eſt, ut, ſi quis, cùm Ulyſſem accuſet, in hoc maximè commoretur: Indignum eſſe, ab homine ignaviſſimo virum fortiſſimum, Ajacem, necatum. *Turpe* eſt, quod aut eo loco, in quo dicitur: aut eo homine, qui dicat: aut eo tempore, quo dicitur: aut iis, qui audiunt: aut ea re, qua de agitur, indignum, propter inhoneſtam rem, videtur. *Offenſum* eſt, quod eorum, qui audiunt voluntatem lædit: ut, ſi quis apud equites Romanos, cupidos
50 judicandi, Cæpionis legem judiciariam laudet. *Contrarium* eſt, quod contra ea dicitur, quæ ii, qui audiunt, fecerunt: ut, ſi quis apud Alexandrum Macedonem contra aliquem urbis expugnatorem diceret, nihil eſſe crudelius, quàm urbeis diruere, cùm ipſe Alexander Thebas diruiſſet. *Inconſtans* eſt, quod ab eodem de eadem re, diverſè dicitur: ut, ſi quis, cùm dixerit, qui VIRTUTEM habeat, eum nullius rei ad benè vivendum indigere, neget poſtea ſine bona valitudine poſſe bene vivere: Aut ſe amico adeſſe propter benevolentiam: [1] ſperare enim aliquid commodi ad ſe perventurum. *Adverſum* eſt, quod ipſi cauſæ aliqua ex parte officit, ut ſiquis hoſtium vim, & copias, & felicitatem augeat, cùm ad pugnandum milites adhortetur. Si non ad id, quod inſtituitur, accommodabitur aliqua pars augmentationis, horum aliquo in vitio reperietur. Si plura pollicitus, pauciora demonſtrabit: aut, ſi, cùm totum debebit oſtendere, de parte aliqua loquatur, hoc modo: Mulierum genus avarum eſt. nam Eriphyle auro, viri vitam vendidit. Aut, ſi non id, quod accuſabitur, defendet: ut, ſiquis, cùm ambitus accuſabitur, manu ſe fortem eſſe defendet: ut Amphion apud Euripidem. item apud Pacuvium: qui, vituperata muſica, ſapientiam laudat. Aut ſi res ex hominis vitio vituperabitur, ut, ſi quis doctrinam ex alicujus docti vitiis reprehendat. Aut, ſi qui, cùm aliquem volet laudare; de felicitate ejus, non de virtute dicat. Aut, ſi qui rem cum re ita comparabit, ut alteram ſe non putet laudare, niſi alteram vituperarit: aut ſi alteram ita laudet, ut alterius non faciat mentionem. [2] Aut ſi, cùm de certa re quæretur, de communi inſtituetur oratio: ut, ſiquis, cùm aliqui deliberent, bellum geratur, an non, pacem laudet omnino, non illud bellum inutile eſſe demonſtret. Aut, ſi ratio alicujus rei reddetur falſa, hoc modo: Pecunia bonum eſt, propterea quòd ea maximè vitam beatam efficiat. Aut ſi infirma: ut Plautus,

Am. cum caſtigare ob meritam noxiam,
Immune eſt facinus. verum in ætate utile
Et conducibile: nam ego amicum hodie meum
[3] *Concaſtigabo pro commerita noxia.*

Aut eadem, hoc modo: Maximum malum eſt avaritia. 51
multos enim magnis incommodis afficit pecuniæ cupiditas. Aut parum idonea, hoc modo: Maximum bonum eſt amicitia. plurimæ enim delectationes ſunt in amicitia. Quartus modus erat reprehenſionis, per quem contra firmam argumentationem, æquè firma, aut firmior ponebatur. Hoc genus in deliberationibus [4] maximè verſabitur, cùm aliquid, quod contrà dicatur, æquum eſſe concedimus, ſed id, quod nos defendimus, neceſſarium eſſe demonſtramus: Aut cùm id, quod illi defendant, utile eſſe fateamur: quod nos dicamus, demonſtremus eſſe honeſtum. Ac de reprehenſione hæc quidem exiſtimavimus eſſe dicenda. [5] Deinceps nunc de concluſione ponemus. Hermagoras *degreſſionem* deinde, tum poſtremam concluſionem ponit. In hac autem degreſſione ille putat oportere quandam inferri orationem, à cauſa, atque à judicatione ipſa remotam, quæ aut ſui laudem, aut adverſarii vituperationem contineat, aut in aliam cauſam deducat, ex qua conficiat aliquid confirmationis, aut reprehenſionis, non argumentando, ſed augendo per quandam amplificationem. Hanc ſi quis partem putarit orationis, ſequatur Hermagoram licebit. Nam & augendi, & laudandi, & vituperandi præcepta à nobis partim data ſunt, partim ſuo loco dabuntur. Nobis autem non placet, hanc partem in numero reponi, quòd de cauſa degredi, niſi per locum communem, diſplicet, quo de genere poſterius eſt dicendum. Laudes autem, & vituperationes non ſeparatim placet tractari, ſed in ipſis argumentationibus eſſe implicitas. Nunc de concluſione dicemus.
CONCLUSIO eſt exitus, & determinatio totius orationis. hæc 52
habet parteis treis, enumerationem, indignationem, conqueſtionem. Enumeratio eſt, per quam res diſperſe, & diffuſe dictæ, unum in locum coguntur, & reminiſcendi cauſa, unum ſub aſpectum ſubjiciuntur. Hæc ſi ſemper eodem modo tractabitur, perſpicuè ab omnibus artificio quodam tractari intelligetur. ſin variè fiet, & hanc ſuſpicionem, & ſatietatem vitare poterit. Quare tum oportebit ita facere, ut plerique faciunt propter facilitatem, ſingillatim unamquamque rem attingere, & ita omneis [6] tranſire breviter argumentationes: tum autem id, quod difficilius eſt, dicere, quas parteis expoſueris in partitione, de quibus te pollicitus ſis dicturum, [7] & reducere in memoriam, quibus rationibus unamquamque partem confirmaris: tum ab iis, qui audiunt, quærere, quid ſit, quod ſibi velle debeant demonſtrari, hoc modo: [8] Illud docuimus, illud planum fecimus. ita ſimul & in memoriam redibit auditor, & putabit nihil eſſe præterea, quod debeat deſiderare. Atque in his generibus (ut antè dictum eſt) tum tuas argumentationes tranſire ſeparatim, tum id, quod artificioſius eſt, cum tuis contrarias conjungere: & cùm tuam argumentationem dixeris, tum, contra eam quod afferebatur, quemadmodum dilueris, oſtendere. Ita per brevem comparationem, auditoris memoria & de confirmatione, & de reprehenſione redintegrabitur. Atque hæc aliis actionis quoque modis variare oportebit. Nam cùm ex tua perſona enumerare poſſis,

1. *Sperare enim aliquid commodi, &c.*] Sic omnino Pal. ſec. nam prim. *ſperare tamen*, quod erat in Grevenb. placebatque Gulielmio; non etiam mihi.

2. *Aut ſi cum de certa re, &c.*] Periodum hanc, loco tanquam ſuo motam ſic tranſpoſuerat Janus Gulielmius indicio Grevenb. membranarum. adſentior & ego, cum & eundem deprehenderim ſitum in Pall. prim. ac ſec.

3. *Concaſtigabo pro commerita noxia. Aut eadem.*] Ita reſcripſimus, ſecuti fidem Pall. & Grev. item editionum meliorum.

4. *Maximè verſabitur.*] Pall. iſtud volebant & editio vetus. recentior, *verſatur*, quam etiam deſerit Grev.

5. *Deinceps nunc de concluſione ponemus.*] Pal. tert. *concluſionem ponemus*, ut publicavit Lambinus, ſed alterum reſtat in ceteris mſſ. prima vero editio præfert, *de concluſione dicemus*, ut fortean ultima illa vox ejici debeat, tanquam adſcititia.

6. *Tranſire breviter argumentationes.*] Placebat Lambino aliorum *tranſigere*: ſed contra exemplaria vetuſta: neque ratio poſtulat.

7. *Et reducere in memoriam.*] Pal. ſec. ac tert. *reducturum*. quod monere viſum eſt.

8. *Illud docuimus, illud planum fecimus.*] Sic Pal. pr. ac ſec. neque abibat editionum prima, niſi quod haberet, *illud docuimus, hoc planum fec.* vulgata: *Docuimus hoc, illud plan. fec.*

1. Per

poſſis, ut, quid, & quo quidque loco dixeris, admoneas: tum verò perſonam, aut rem aliquam inducere, & enumerationem ei totam attribuere. Perſonam, hoc modo: Nam ſi legis ſcriptor exſiſtat, & quærat à vobis, quid dubitetis, quod poſſitis dicere, cùm vobis hoc, & hoc ſit demonſtratum. Atque hic, item ut in noſtra perſona, licebit aliàs ſingillatim tranſire omneis argumentationes: aliàs ad partitiones ſingula genera referre, aliàs ab auditore, quid deſideret, quærere, aliàs hæc facere per comparationem ſuarum, & contrariarum argumentationum. Res autem inducetur, ſi alicui rei hujuſmodi, legi, loco, urbi, monumento attribuetur oratio per enumerationem, hoc modo: Quid ſi leges loqui poſſent? nonne hæc apud vos quererentur? Quidnam ampliùs deſideratis, judices, cùm vobis hoc & hoc planum factum ſit? In hoc quoque genere omnibus eiſdem modis uti licebit. Commune autem præceptum hoc datur ad enumerationem, ut ex unaquaque argumentatione, quoniam tota iterum dici non poteſt, id eligatur, quod erit *graviſſimum*, & unumquodque quàm breviſſimè tranſ-
53 eatur; ut memoria, non oratio renovata videatur. Indignatio, eſt oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem gravis offenſio concitetur. In hoc genere illud primum intelligi volumus, poſſe omnibus ex locis iis, quos in confirmandi præceptis poſuimus, tractari indignationem. nam ex iis rebus, quæ perſonis, atque negotiis attributæ ſunt, quævis amplificationes, & indignationes naſci poſſunt: ſed tamen ea, quæ ſeparatim de indignatione præcipi poſſunt, conſideremus. Primus locus ſumitur ab *auctoritate*, quum commemoramus, quantæ curæ res ea fuerit aut Diis immortalibus, aut eis, quorum auctoritas graviſſima debeat eſſe. Qui locus ſumetur ex ſortibus, ex oraculis, vatibus, oſtentis, prodigiis, reſponſis, & ſimilibus rebus. item ex majoribus noſtris, regibus, civitatibus, gentibus, hominibus ſapientiſſimis, ſenatu, populo, legum ſcriptoribus. Secundus locus eſt, per quem, illa res ad quos pertineat, cum amplificatione, per *indignationem*, oſtenditur, an ad omneis, an ad majorem partem, quod atrociſſimum eſt: an ad ſuperiores, quales ſunt ii, quorum ex auctoritate indignatio ſumitur, quod indigniſſimum eſt: an ad pareis animo, fortuna, corpore, quod iniquiſſimum eſt: an ad inferiores, quod ſuperbiſſimum eſt. Tertius locus eſt, per quem quærimus, quidnam ſit *eventurum*, ſi idem ceteri faciant: & ſimul oſtendimus, huic ſi conceſſum ſit, multos æmulos ejuſdem audaciæ futuros: ex quo, quid mali ſit eventurum, demonſtrabimus. Quartus locus eſt, per quem demonſtramus, multos alacreis *exſpectare*, quid ſtatuatur, ut ex eo, quod uni conceſſum ſit, ſibi quoque tali de re quid liceat, intelligere poſſint. Quintus locus eſt, per quem oſtendimus, ceteras res perperam conſtitutas, intellecta *veritate*, commutatas corrigi poſſe: hanc eſſe rem, quæ ſi ſit ſemel judicata, neque alio commutari judicio, neque ulla poteſtate corrigi poſſit. Sextus locus eſt, per quem *conſulto*, & de induſtria factum eſſe demonſtratur, & illud adjungitur, VOLUNTARIO maleficio veniam dari non oportere: imprudentiæ concedi nonnunquam convenire. Septimus locus eſt, per quem indignamur, quòd tætrum, crudele, nefarium, *tyrannicum* factum eſſe dicamus, [1] per vim, per manum opulentam, quæ res
54 ab legibus, & ab æquabili jure remotiſſima ſit. Octavus locus eſt per quem demonſtramus, non *vulgare*, neque factitatum eſſe, ne ab audaciſſimis quidem hominibus, id maleficium, de quo agitur. atque id à feris quoque hominibus, & à barbaris gentibus, & immanibus beſtiis remotum eſſe, hæc erunt, quæ in parenteis, liberos, conjuges, conſanguineos, ſupplices, crudeliter facta dicentur: & deinceps ſiqua proferantur in majores natu, in hoſpites, in vicinos, in amicos, in eos, quibuſcum vitam egeris, in eos, apud quos educatus ſis, in eos, à quibus eruditus; in mortuos, in miſeros, & miſericordia dignos, in homines claros, nobileis, & honore uſos, in eos, qui neque lædere alium, nec ſe defendere potuerunt, ut in pueros, ſenes, mulieres: quibus omnibus acriter excitata indignatio, ſummum in eum, qui violarit horum aliquid, odium commovere poterit. Nonus locus eſt, per quem, cum aliis, quæ conſtat eſſe peccata, hoc, quo de quæſtio eſt, *comparatur*: & ita per contentionem, quanto atrocius, & indignius ſit illud, quo de agitur, oſtenditur. Decimus locus eſt, per quem omnia, quæ in negotio gerendo *acta* ſunt, quæque poſt negotium conſecuta ſunt, cum uniuſcujuſque indignatione, & criminatione colligimus, & rem verbis quàm maximè ante oculos ejus, apud quem dicitur, ponimus, ut id, quod indignum eſt perinde illi videatur indignum, ac ſi ipſe interfuerit, ac præſens viderit. Undecimus locus eſt, per quem oſtendimus, ab eo factum, à quo *minimè oportuerit*, & à quo, ſi alius faceret, prohiberi conveniret. Duodecimus locus eſt, per quem indignamur, quòd *nobis* hoc primis acciderit, nec [2] alicui unquam uſu evenerit. Tertiusdecimus locus eſt, ſi cum injuria *contumelia* juncta demonſtratur, per quem locum in ſuperbiam, & arrogantiam [3] odium concitatur. Quartusdecimus locus eſt, per quem petimus ab iis, qui audiunt, ut *ad ſuas res* noſtras injurias referant: ſi ad pueros pertinebit, de liberis ſuis cogitent: ſi ad mulieres, de uxoribus: ſi ad ſenes, de patribus, aut parentibus. Quinctusdecimus locus eſt, per quem dicimus, inimicis quoque & hoſtibus, ea, quæ nobis acciderint, indigna videri ſolere. Et indignatio quidem his ferè de 55
locis graviſſimè ſumetur. Conqueſtionis autem hujuſmodi de rebus partes petere oportebit. Conqueſtio, eſt oratio, auditorum miſericordiam captans. in hac primùm animum auditoris mitem, & miſericordem conficere oportet, quo faciliùs conqueſtione commoveri poſſit. Id locis communibus efficere oportebit, per quos FORTUNÆ vis in omneis, & hominum infirmitas oſtenditur: qua oratione habita graviter & ſententioſè, maximè dimittitur animus hominum, & ad miſericordiam comparatur; cùm in alieno malo ſuam infirmitatem conſiderabit. Deinde primus locus eſt miſericordiæ, per quem, quibus in bonis *fuerint*, & nunc, quibus in malis ſint, oſtenditur. Secundus, qui in tempora tribuitur, per quem, quibus in malis *fuerint*, & ſint, & futuri ſint, demonſtratur. Tertius, per quem unumquodque *deploratur* incommodum, ut in morte filii, pueritiæ delectatio, amor, ſpes, ſolatium, educatio, &, ſi qua ſimili in genere, quolibet de incommodo per conqueſtionem dici poterunt. Quartus, per quem res *turpes*, & humiles, & illiberales proferentur, & indignæ ætate, genere, fortuna, priſtino honore, beneficiis: quas paſſi, perpeſſurive ſint. Quintus eſt, per quem omnia ante *oculos* ſingillatim incommoda ponentur, ut videatur is, qui audit, videre, & re quoque ipſa, quaſi adſit, non verbis ſolùm, ad miſericordiam ducatur. Sextus, per quem præter *ſpem* in miſeriis demonſtratur eſſe; &, cùm aliquid exſpectaret, non modò id non adeptum eſſe, ſed in ſummas miſerias incidiſſe. Septimus, per quem *ad ipſos*, qui audiunt, ſimilem caſum convertimus, & petimus, ut de ſuis liberis, aut parentibus, aut aliquo, qui illis carus debeat eſſe, nos cùm videant, recordentur. Octavus, per quem aliquid dicitur eſſe *factum*, quod non oportuerit; aut non factum, quod oportuerit, hoc modo: Non affui, non vidi, non poſtremam ejus vocem audivi, non extremum ejus ſpiritum excepi. Item, inimicorum in manibus mortuus eſt, hoſtili in terra turpiter jacuit inſepultus, à feris diu vexatus, communi quoque honore in morte caruit. Nonus, per

1. *Per vim, per manum, &c.*] Ferè adſentiar ſcripturæ Pal. ſec. *per vim, manum, opulentiam*; neque abit tertius, quam quod is, *opulentam*. habet tamen vulgata ſuam Venerem, quam non videtur aſſecutus Wouverius noſter, arbitratus forte reſcribendum, *manum violentam*.

2. *Alicui unquam uſu evenerit.*] Ita Pal. ſec. ceteri & Grev. cum b. *venerit*, quod maluit Gulielmius.

3. *Odium concitatur.*] Haud ſecus Pall. quippe Grev. & primo cuſus *incitatur*. Lambini editio prior, *odio concitatur*.

quem oratio ad *mutas*, & experteis animi res refertur: ut, ſi ad equum, domum, veſtem, ſermonem alicujus accommodes, quibus animus eorum, qui audiunt, & aliquem dilexerunt, vehementer commovetur. Decimus, per quem inopia, infirmitas, ſolitudo demonſtratur. Undecimus, per quem aut liberorum, aut parentum, aut ſui corporis *ſepeliendi*, aut alicujus ejuſmodi rei commendatio fit. Duodecimus, per quem *dujunctio* deploratur ab aliquo, cùm diducaris ab eo, quicum libentiſſimè vixeris, ut à parente, filio, fratre, familiari. Tertiusdecimus, per quem cum indignatione conquerimur, quod ab iis, à quibus minimè *conveniat*, malè tractemur, propinquis, amicis, quibus benefecerimus, quos adjutores fore putaverimus, aut à quibus indignum eſt; ut ſervis, libertis, clientibus, ſupplicibus.
56 Quartusdecimus, qui per *obſecrationem* ſumitur: in quo orantur modo illi, qui audiunt, humili & ſupplici oratione, ut miſereantur. Quintusdecimus, per quem non noſtras, ſed eorum, qui *cari* nobis debent eſſe, fortunas conqueri nos demonſtramus. Sextusdecimus eſt, per quem animum noſtrum *in alios* miſericordem eſſe oſtendimus, & tamen amplum, & excelſum, & patientem incommodorum eſſe, & futurum, ſiquid acciderit, demonſtramus. nam ſæpe VIRTUS, & magnificentia, in qua gravitas, & auctoritas eſt, plus proficit ad miſericordiam commovendam, quàm humilitas, & obſecratio. Commotis autem animis, diutiùs in conqueſtione morari non oportebit. Quemadmodum enim dixit rhetor Apollonius, LACRIMA NIHIL CITIUS ARESCIT. Sed quoniam & ſatis, ut videmur, de omnibus partibus orationis diximus; & hujus voluminis magnitudo longiùs proceſſit; quæ ſequuntur deinceps, in ſecundo libro dicemus.

M. TULLII CICERONIS, RHETORICORUM, SEU DE INVENTIONE RHETORICA, LIBER SECUNDUS.

1 CROTONIATÆ quondam, cùm florerent omnibus copiis, & in Italia cùm in primis beati numerarentur, templum Junonis, quod religioſiſſimè colebant, egregiis picturis locupletare voluerunt. Itaque Heracleotem Zeuxin, qui tum longè ceteris excellere pictoribus exiſtimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt. Is & ceteras complureis tabulas pinxit, quarum nonnulla pars uſque ad noſtram memoriam propter fani *religionem*, remanſit: &, ut excellentem muliebris formæ pulcritudinem muta in ſeſe imago contineret, Helenæ ſe pingere ſimulacrum velle dixit. Quod Crotoniatæ, qui eum muliebri in corpore pingendo plurimùm aliis præſtare ſæpe accepiſſent, libenter audierunt. [1] putaverunt enim, ſi, quo in genere plurimùm poſſet, in eo magnopere elaboraſſet, egregium ſibi opus illo in fano relicturum. neque tum eos illa opinio fefellit. Nam Zeuxis illicò quæſivit ab eis, quaſnam virgines formoſas haberent. Illi autem ſtatim hominem duxerunt in palæſtram, atque ei pueros oſtenderunt multos, magna præditos dignitate. (Etenim quodam tempore Crotoniatæ multùm omnibus, corporum viribus & dignitatibus anteſteterunt, atque honeſtiſſimas ex gymnico certamine victorias domum cum maxima laude retulerunt.) [2] Cùm puerorum igitur formas, & corpora magno hic opere miraretur: Horum, inquiunt, ſorores ſunt apud nos, virgines. quare, qua ſint illæ dignitate, potes ex his ſuſpicari. Præbete igitur mihi, quæſo, inquit, ex iſtis virginibus formoſiſſimas, dum pingo id, quod pollicitus ſum vobis, ut mutum in ſimulacrum ex animali exemplo veritas transferatur. Tunc Crotoniatæ [3] *publico de conſilio* virgines unum in locum conduxerunt, & pictori, quas vellet, eligendi poteſtatem dederunt. Ille autem quinque delegit; quarum nomina multi poëtæ memoriæ tradiderunt, quòd ejus eſſent judicio probatæ, qui veriſſimum pulchritudinis habere judicium debuiſſet. neque enim putavit, omnia, quæ quæreret ad venuſtatem, uno in corpore ſe reperire poſſe, ideò quòd nihil ſimplici in genere omni ex parte *perfectum* natura expolivit. itaque, tanquam ceteris non ſit habitura quod largiatur, ſi uni cuncta conceſſerit, aliud alii commodi aliquo adjuncto incommodo muneratur. [4] Quod quoniam nobis 2
quoque voluntatis accidit, ut artem dicendi perſcriberemus, non unum aliquod propoſuimus exemplum, cujus omnes partes, quocumque eſſent in genere, exprimendæ nobis neceſſariò viderentur: ſed, omnibus, unum in locum coactis ſcriptoribus, quod quiſque commodiſſimè præcipere videbatur, excerpſimus, & ex variis ingeniis excellentiſſima quæque libavimus. Ex his enim, qui nomine & memoria digni ſunt, nec nihil optimè, nec omnia præclariſſimè quiſquam dicere nobis videbatur. quapropter ſtultitia viſa eſt, aut à bene inventis alicujus recedere, [5] ſiquo in vitio ejus offenderemur, aut ad vitia quoque ejus accedere, cujus aliquo bene præcepto duceremur. Quòd ſi in ceteris quoque ſtudiis à multis *eligere* homines commodiſſimum quodque, quàm ſeſe uni alicui certo vellent addicere, minus in arrogantia offenderent: non tantopere in vitiis perſeverarent: aliquanto [6] levius ex inſcientia laborarent. Ac ſi par in nobis hujus artis, atque in illo picturæ, ſcientia fuiſſet, fortaſſe

1. P*Utaverunt enim, ſi quo, &c.*] Dele i pronomen *cum*, quod erat in hactenus vulgatis, ita tamen ut non compareret in editione principe, neque agnoſcerent Pal. noſtri.

2. *Cum puerorum igitur formas & corpora magno.*] Eſt verſus longus; quem deſtruendum putabat Gulielmius fide libri Grev. *corpora & formas*. Pall. adhærent vulgatæ.

3. *Publico de conſilio.*] Sic Pall. omnes. Grev. tamen *communi de conſilio*. quod præferebat Gulielmius; nondum ego.

4. *Quod quoniam nobis voluntatis accidit.*] Grev. *voluntati*; vultque Gulielmius, voluiſſe exprimere *voluptati*.

5. *Si quo in vitio ejus offenderemur.*] Gulielmius Lambinum ſecutus, deleverat *in*, & aberat ea ſyllaba Pal. tert. ſed erat in pr. & ſec. libris melioribus, ſic & mox *offendere in arrogantia*. ita enim Pall. noſtri, non *arrogantiam*, ut vulgo editum eſt.

6. *Levius ex inſcientia laborarent.*] Ita Pall. etiam omnes, non *inſcitia*, ut aliæ fere edd.

taſſe magis hoc ſuo in genere opus noſtrum, quàm ille in ſua pictura nobilis eniteret. Ex majore enim copia nobis, quàm illi, fuit exemplorum eligendi poteſtas. Ille una ex urbe, & ex eo numero virginum, quæ tum erant, eligere potuit: nobis omnium, quicumque fuerunt, ab ultimo principio hujus præceptionis, uſque ad hoc tempus, expoſitis copiis, quodcumque placeret, eligendi poteſtas fuit. Ac veteres quidem ſcriptores artis uſque à principe illo, atque inventore Tiſia, repetitos, unum in locum conduxit Ariſtoteles, & nominatim cujuſque præcepta magna conquiſita cura perſpicuè conſcripſit, atque enodata diligenter expoſuit: ac tantùm inventoribus ipſis ſuavitate, & brevitate dicendi præſtitit, ut nemo illorum præcepta ex ipſorum libris cognoſcat, ſed omnes, qui, quod illi præcipiant, velint intelligere, ad hunc, quaſi ad quendam multo commodiorem explicatorem, revertantur. Atque hic quidem ipſe, & ſeſe ipſum nobis, & eos, qui ante ſe fuerant, in medio poſuit, ut ceteros, & ſeipſum per ſe cognoſceremus. ab hoc autem qui profecti ſunt, quamquam in maximis philoſophiæ partibus operæ plurimùm conſumſerunt, ſicut & ipſe, cujus inſtituta ſequebantur, fecerat: tamen permulta nobis præcepta dicendi reliquerunt. Atque alii quoque alio ex fonte præceptores dicendi emanaverunt, qui item permultum ad dicendum, ſiquid ars proficit, opitulati ſunt. nam fuit tempore eodem, quo Ariſtoteles, magnus & nobilis rhetor Iſocrates: cujus ipſius quam conſtet eſſe artem, non invenimus. diſcipulorum autem, atque eorum, qui protinus ab hac ſunt diſciplina profecti, multa de arte præcepta reperi-
3 mus. Ex his duabus diverſis ſicuti *familiis*, quarum altera cùm verſaretur in philoſophia, nonnullam rhetoricæ quoque artis ſibi curam aſſumebat, altera verò omnis in dicendi erat ſtudio, & præceptione occupata: unum quoddam eſt conflatum genus à poſterioribus, qui ab utriſque ea, quæ commodè dici videbantur, in ſuas arteis contulerunt: quos ipſos ſimul, atque illos ſuperiores, nos nobis omneis, quoad facultas tulit, propoſuimus, [1] & ex noſtro quoque nonnihil in commune contulimus. Quòd ſi ea, quæ in his libris exponuntur, tantopere eligenda fuerunt, quanto ſtudio electa ſunt, profectò neque nos, neque alios induſtriæ noſtræ pœnitebit. Sin autem temerè aliquid alicujus præteriiſſe, aut non ſatis eleganter ſecuti videbimur: docti ab aliquo, facilè & libenter ſententiam commutabimus. NON ENIM parum cognoſſe, ſed in parum cognito, ſtultè & diu perſeveraſſe, turpe eſt: propterea quòd alterum communi hominum infirmitati, alterum ſingulari uniuſcujuſque vitio eſt attributum. Quare nos quidem ſine ulla affirmatione, ſimul quærentes, dubitanter unumquidque dicemus, ne, dum parvulum hoc conſequimur, ut ſatis commodè hæc perſcripſiſſe videamur: illud amittamus, quod maximum eſt, ut ne cui rei temerè, atque arroganter aſſenſerimus. Verùm hoc quidem nos, & in hoc tempore, & in omni vita ſtudioſè, quoad facultas feret, conſequemur. Nunc autem, ne longiùs oratio progreſſa videatur, de reliquis, quæ præcipienda videntur eſſe, dicemus. Igitur primus liber expoſito genere hujus artis, & officio, & fine, & materia, & partibus, genera controverſiarum, & inventiones, [2] & conſtitutiones, & judicationes continebat. Deinde parteis orationis, & in eas omneis omnia præcepta. Quare cùm in eo ceteris de rebus diſtinctiùs dictum ſit, diſpersè autem de confirmatione, & de reprehenſione: nunc certos confirmandi & reprehendendi in ſingula cauſarum genera, locos tradendos arbitramur. Et quia, quo pacto tractari conveniret argumentationes, in libro primo non indiligenter expoſitum eſt, hìc tantùm ipſa inventa unamquamque in rem exponentur ſimpliciter ſine ulla exornatione, ut ex hoc inventa ipſa, ex ſuperiore autem expolitio inventorum petatur. Quare hæc, quæ nunc præcipientur, ad confirmationis & reprehenſionis parteis referre oportebit. OMNIS & demonſtrativa, & deliberativa, &
judicialis cauſa, neceſſe eſt in aliquo eorum, quæ antè 4
expoſita ſunt, conſtitutionis genere, uno, pluribuſve verſetur. Hoc quamquam ita eſt, tamen cùm communiter quædam de omnibus præcipi poſſint, ſeparatim quoque aliæ ſunt cujuſque generis, & diverſæ præceptiones. Aliud enim laus, aut vituperatio, aliud ſententiæ dictio, aliud accuſatio, aut recuſatio conficere debet. In judiciis, quid æquum ſit, quæritur: In demonſtrationibus, quid honeſtum: In deliberationibus, ut nos arbitramur, quid honeſtum ſit, & quid utile. nam ceteri utilitatis modò finem in ſuadendo, & in diſſuadendo exponi oportere arbitrati ſunt. Quorum igitur GENERUM fines, & exitus diverſi ſunt, eorum præcepta eadem eſſe non poſſunt. Neque nunc hoc dicimus, non eaſdem incidere conſtitutiones: verumtamen oratio quædam ex ipſo fine, & genere cauſæ naſcitur, quæ pertineat ad vitæ alicujus demonſtrationem, aut ad ſententiæ dictionem. Quare nunc in exponendis controverſiis, in judiciali genere cauſarum & præceptorum verſabimur. Ex quo pleraque in cetera quoque cauſarum genera ſimili implicata controverſia nulla cum difficultate transferentur: poſt autem ſeparatim de reliquis dicemus. [3] Nunc à conjecturali conſtitutione proficiſcemur, cujus exemplum ſit hoc expoſitum: In itinere quidam proficiſcentem ad mercatum quendam, & ſecum aliquantum nummorum ferentem, [4] eſt conſecutus. cum hoc, ut ferè fit, in via ſermonem contulit; ex quo factum eſt, ut illud iter familiarius facere vellent. quare cùm [5] in eandem tabernam devertiſſent, ſimul cenare, & in eodem loco ſomnum capere voluerunt. Cœnati diſcubuerunt ibidem. Caupo autem (nam ita dicitur poſt inventum, cùm in alio maleficio deprehenſus eſſet) [6] cùm illum alterum, videlicet qui nummos haberet, animadvertiſſet: noctu, poſtquàm illos *arctius* jam, ut fit, ex laſſitudine dormire, ſenſit, acceſſit, & alterius eorum, qui ſine nummis erat, gladium propter appoſitum è vagina eduxit, & illum alterum occîdit: nummos abſtulit, gladium cruentatum in vaginam recondidit, ipſe ſeſe in lectum ſuum recepit. Ille autem, cujus gladio occiſio erat facta, multo ante lucem ſurrexit, comitem illum ſuum inclamavit ſemel & ſæpius. illum ſomno impeditum non reſpondere exiſtimavit: ipſe gladium, & cetera, quæ ſecum attulerat, ſuſtulit, ſolus profectus eſt. Caupo non multo poſt conclamavit, hominem eſſe occiſum, & [7] cum quibuſdam deverſoribus illum, qui antè exierat, conſequitur. in itinere hominem comprehendit, gladium ejus è vagina educit, reperit cruentum: homo in urbem ab illis deducitur, ac reus fit. In hac intentio eſt criminis, Occidiſti. Depulſio,
Non occidi. Ex quibus conſtitutio eſt. Quæſtio eadem in 5
conjecturali, quæ judicatio, Occideritne. Nunc exponemus locos, quorum pars aliqua in omnem conjecturalem incidit controverſiam. Hoc autem & in horum locorum expoſitione, & in ceterorum, oportebit attendere, non omneis in omnem cauſam convenire. Ut enim omne nomen ex aliquibus,

1. *Et ex noſtro quoque.*] Pall. duo priores, & Grevenb. *ex noſtra*; quod forſan ſequendum erit.

2. *Et conſtitutiones, & judicationes, &c.*] Sic Pal. ſec. Grev. & mſſ. Suffridi Petrei. ante vulgatis pleriſque abſuerat, *& judicationes*; præcipue vero Manutianis.

3. *Nunc à conjecturali conſtitutione, proficiſcemur.*] Guilelmius malebat cum Lambin. *ad conjecturalem conſtitutionem.* & ſic edit. prima.

4. *Eſt conſecutus.*] Malui iſtud cum Pal. ſec. & Grev. & marginalibus, quam quod hactenus obſedit libros, *eſt comitatus.* vult enim in itinere poſito ſuperveniſſe.

5. *In eandem tabernam.*] Et iſtud oræ librorum noſtrorum additum, intuli in contextum, auctoritate Pal. pr. ſec. Grev. & libris à Suffrido noſtro pertractatis. antea erat, *quandam tabernam.* neque enim omnes qui ad eundem devertebant, eadem utebantur menſa, nedum cubili.

6. *Cum illum alterum, videlicet qui nummos haberet animadvertiſſet.*] Lambinus tentabat, *alterum nummos habere animadverteret*; quod non diſplicet ejectis *videlicet qui.*

7. *Cum quibuſdam deverſoribus.*] Ms. ſec. *diverſoriis.* quod excutient non feſtinantes.

quibus, non ex omnibus litteris ſcribitur: ſic omnem in cauſam non omnis argumentorum copia, ſed eorum neceſſaria pars aliqua conveniet. Omnis igitur, ex cauſa, ex perſona, ex facto ipſo, conjectura capienda eſt. Cauſa diſtribuitur in impulſionem, & in ratiocinationem. *Impulſio* eſt, quæ ſine cogitatione per quandam affectionem animi facere aliquid hortatur, ut amor, iracundia, ægritudo, violentia, & omnino omnia, in quibus animus ita videtur affectus fuiſſe, ut rem perſpicere cum conſilio & cura non potuerit: & id, quod fecit, impetu quodam animi potius, quàm cogitatione fecerit. *Ratiocinatio* autem, eſt diligens, & conſiderata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio. Ea dicitur tum interfuiſſe, cùm aliquid faciendum, aut non faciendum, certa de cauſa vitaſſe, aut ſecutus eſſe animus videtur, ut, ſi amicitiæ quid cauſa factum dicetur, ſi inimici ulciſcendi, ſi metus, ſi gloriæ, ſi pecuniæ, ſi denique, ut omnia generatim amplectamur, alicujus retinendi, augendi, adipiſcendive commodi, aut contrà rejiciendi, deminuendi, devitandive incommodi cauſa. nam horum in genus alterutrum illa quoque incident, in quibus aut incommodum aliquod majoris vitandi incommodi cauſa, aut majoris adipiſcendi commodi ſuſcipitur: aut commodum aliquod majoris adipiſcendi commodi, aut majoris vitandi incommodi, præteritur. Hic locus ſicut aliquod fundamentum eſt hujus conſtitutionis. nam nihil factum eſſe cuiquam probatur, niſi aliquid, quare factum ſit, oſtenditur. Ergo accuſator, cùm aliquid impulſione factum eſſe dicet, illum impetum, & quandam commotionem animi, affectionemque verbis & ſententiis amplificare debebit, & oſtendere, quanta vis amoris ſit, quanta animi perturbatio ex iracundia fiat, aut ex aliqua cauſa earum, qua impulſum aliquem id feciſſe dicet. Hic & exemplorum commemoratione, qui ſimili impulſu aliquid commiſerint, & ſimilitudinum collatione, & ipſius animi affectionis explicatione, curandum eſt, ut non mirum videatur, ſi quod ad faci-
6 nus tali perturbatione commotus animus acceſſerit. Cùm autem non impulſione, verùm ratiocinatione aliquem commiſiſſe quid dicet, quid *commodi* ſit ſecutus, aut quid incommodi fugerit, demonſtrabit, & id augebit, quam maximè poterit, ut, quoad ejus fieri poſſit, idonea quam maximè cauſa ad peccandum hortata videatur. Si gloriæ cauſa, quantam gloriam conſecuturam exiſtimarit. Item, ſi dominationis, ſi pecuniæ, ſi amicitiæ, ſi inimicitiarum; & omninò quicquid erit, quod cauſæ fuiſſe dicet, id ſummè augere debebit, & hoc eum magnopere conſiderare oportebit, non quid in veritate modò, verùm etiam vehementius, quid in *opinione* ejus, quem arguet, fuerit. Nihil enim refert, non fuiſſe, aut non eſſe aliquid commodi, aut incommodi, ſi oſtendi poteſt, ei viſum eſſe, qui arguatur. Nam *opinio* dupliciter fallit homines, cùm aut res aliuſmodi eſt, ac putatur, aut non is eventus eſt, quem arbitrati ſunt. Res aliuſmodi eſt tum, cùm aut id, quod bonum eſt, malum putant: aut contra, quod malum eſt, bonum: aut quod nec malum eſt, nec bonum, malum, aut bonum: aut quod malum, aut bonum eſt, nec malum, nec bonum. Hoc intellecto, ſiquis negabit, ullam eſſe pecuniam, fratris, aut amici vita, aut denique officio ſuo antiquiorem, aut ſuaviorem, non erit hoc accuſatori negandum. nam in eum culpa, & ſummum odium transferetur, qui id, quod tam verè, & piè dicetur, negabit. Verùm illud dicendum erit, illi non eſſe ita viſum: quod ſumi oportet ex iis, quæ ad perſonam pertinent,
7 de quo poſt dicendum eſt. Eventus autem tum fallit, cùm aliter accidit, atque ii, qui arguuntur, arbitrati eſſe dicuntur: ut, ſi quis dicatur alium occidiſſe, ac voluerit, quòd aut ſimilitudine, aut ſuſpicione, aut demonſtratione falſa deceptus ſit: aut eum necaſſe, cujus teſtamento non ſit heres, quòd ejus teſtamento ſe heredem arbitratus ſit. NON ENIM ex eventu cogitationem ſpectari oportere, ſed [1] qua cogitatione & ſpe ad maleficium profectus ſit, conſiderare: & quo animo quid quiſque faciat, non quo caſu utatur, ad rem pertinere. In hoc autem loco, caput illud erit accuſatori, ſi demonſtrare poterit, alii *nemini* cauſam fuiſſe faciendi: Secundarium, ſi tantam, aut tam idoneam nemini. Sin fuiſſe aliis quoque cauſa faciendi videbitur: aut poteſtas aliis defuiſſe demonſtranda eſt, aut facultas, aut voluntas. Poteſtas, ſi aut neſciſſe, aut non affuiſſe, aut conficere aliquid non potuiſſe dicetur. Facultas, ſi ratio, adjutores, adjumenta, & cetera, quæ ad rem pertinebunt, defuiſſe alicui demonſtrabuntur. Voluntas, ſi animus à talibus factis vacuus, & integer eſſe dicetur. Poſtremò, quas ad defenſionem rationes reo dabimus, iis accuſator ad alios ex culpa eximendos, abutetur. Verùm id brevi faciendum eſt, & in unum multa ſunt conducenda, ut ne alterius defendendi cauſa hunc accuſare, ſed hujus accuſandi cauſa defendere alterum videatur. Atque accuſatori quidem hæc ferè ſunt 8
in cauſa facienda, & conſideranda. Defenſor autem ex contrario primùm impulſionem aut nullam fuiſſe dicet, aut, ſi fuiſſe concedet, extenuabit, & parvulam quandam fuiſſe demonſtrabit, aut non ex ea ſolere hujuſmodi facta naſci, docebit. Quo erit in loco demonſtrandum, *quæ vis, & natura* ejus ſit affectionis, qua impulſus aliquid reus commiſiſſe dicetur: in quo & exempla, & ſimilitudines erunt proferendæ, & ipſa diligenter natura ejus affectionis quàm leniſſimè quietiſſimam ad partem explicanda, ut & res ipſa à facto crudeli, & turbulento ad quoddam mitius, & tranquillius traducatur, & oratio tamen ad animum ejus, qui audiet, & ad animi quendam intimum ſenſum accommodetur. Ratiocinationis autem ſuſpiciones infirmabit, ſi aut *commodum* nullum fuiſſe, aut parvum, aut aliis magis fuiſſe, aut nihilo ſibi magis, quàm aliis: aut incommodum ſibi majus, quàm commodum dicet: ut nequaquam fuerit illius commodi, quod expetitum dicatur, magnitudo, aut cum eo incommodo, quod acciderit, aut cum illo periculo, quod ſubeatur, comparanda: qui omnes loci ſimiliter incommodi quoque vitatione tractabuntur. Sin accuſator dixerit, eum id eſſe ſecutum, quod *ei viſum* ſit commodum, aut id fugiſſe, quod putarit eſſe incommodum, quamquam in falſa fuerit opinione: demonſtrandum erit defenſori, neminem tanta eſſe ſtultitia, qui tali in re poſſit veritatem ignorare. Quòd ſi id concedatur, illud non conceſſum iri; ne dubitaſſe quidem hunc, quid ejus juris eſſet, ſed id, quod falſum fuerit, ſine ulla dubitatione pro falſo: quod verum, pro vero probaſſe. Quòd ſi dubitaverit, ſummæ fuiſſe amentiæ, *dubia ſpe* impulſum, certum in periculum ſe committere. Quemadmodum autem accuſator, cùm ab aliis culpam dimovebit, defenſoris locis utetur: ſic iis locis, qui accuſatori dati ſunt, utetur reus, cùm in alios ab ſe crimen volet transferre. Ex perſona autem conjectura capietur, ſi eæ 9
res, quæ perſonis attributæ ſunt, diligenter conſiderabuntur, quas omneis in primo libro expoſuimus. nam & de nomine nonnumquam aliquid ſuſpicionis naſcitur. *Nomen* autem cùm dicimus, [2] cognomen quoque intelligatur oportet. De hominis enim certo, & proprio vocabulo agitur: ut ſi dicamus, idcircò aliquem *Caldum* vocari, quod temerario & repentino conſilio ſit: aut ſi ea de re hominibus Græcis imperitis verba dediſſe, quòd *Clodius*, aut *Cæcilius*, aut *Mucius*, vocarentur. Et de natura licet aliquantulum ducere ſuſpicionis. omnia enim hæc, vir, an mulier: hujus an illius civitatis ſit: quibus ſit majoribus, quibus conſanguineis, qua ætate, quo animo, quo corpore, quæ *naturæ* ſunt *attributa*, ad aliquam conjecturam faciendam pertinebunt. Et ex *victu* multæ trahuntur ſuſpiciones, cùm, quemadmodum, & apud quos & à quibus educatus & eruditus ſit, quæritur. & quibuſcum vivat, qua ratione vitæ, quo more dome-

1. *Qua cogitatione & ſpe ad maleficium, &c.*] Pall. omnes & Grev. amplius, *qua cogitatione animus & ſpe, &c.*

2. *Cognomen quoque intelligatur oportet.*] Prima editio, *cognomenque & agnomen intelligatur*; & vero editi à Victorio & Lambino, *cognomen quoque & agnomen intelligatur, &c.* nec aliter Grev. aut Pal. pr. ſed malim tamen primo loco poſitum, cui reſpondet ſec. ac tert.

1. *Priva-*

domeſtico vivat. Et ex *fortuna* ſæpe argumentatio naſcitur, cùm ſervus, an liber: pecunioſus, an pauper: nobilis, an ignobilis: felix, an infelix: [1] privatus, an in poteſtate ſit, aut fuerit, aut futurus ſit, conſideratur: aut denique aliquid eorum quæritur, quæ fortunæ eſſe attributa intelliguntur. *Habitus* autem, quoniam in aliqua perfecta & conſtanti animi, aut corporis abſolutione conſiſtit, quo in genere eſt virtus, ſcientia, & quæ contraria ſunt: res ipſa, cauſa poſita, docebit, ecquid hic quoque locus ſuſpicionis oſtendat. Nam AFFECTIONIS quidem ratio perſpicuam ſolet præ ſe gerere conjecturam, ut, amor, iracundia, moleſtia: propterea quòd & ipſorum vis intelligitur, &, quæ res harum aliquam rem conſequantur, faciles cognitu ſunt. Studium autem quoniam eſt aſſidua & vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio, facilè ex eo ducetur argumentatio, quam res ipſa deſiderabit in cauſa. Item *ex conſilio* ſumetur aliquid ſuſpicionis. nam conſilium eſt, aliquid faciendi, non faciendive excogitata ratio. Jam facta, & caſus, & orationes, quæ ſunt omnia (ut in confirmationis præceptis dictum eſt) in tria tempora diſtributa, facile erit videre, ecquid afferant ad conjecturam confirmandam ſuſpicionis.

10 Ac perſonis quidem res eæ ſunt attributæ, ex quibus omnibus unum in locum coactis, accuſatoris erit improbatione hominis uti. nam cauſa facti, parum firmitudinis habet, niſi *animus* ejus qui inſimulatur in eam ſuſpicionem adducatur, ut à tali culpa non videatur abhorruiſſe. Ut, enim animum alicujus improbare nihil attinet, cùm cauſa, quare peccaverit, non interceſſerit: ſic cauſam peccati intercedere leve eſt, ſi animus nulli minus honeſtæ rationi affinis oſtenditur. Quare *vitam* ejus, quem arguit, ex antè factis accuſator improbare debebit, & oſtendere, ſiquo in pari antè peccato convictus ſit. Si id non poterit: ſiquam in ſimilem antè ſuſpicionem venerit, ac maximè, ſi fieri poterit, ſimili aliquo in genere ejuſdem modi cauſa aliqua commotum peccaſſe, aut in æquè magna re, aut in majore, aut in minore: [2] ut ſi, quem pecunia dicat inductum feciſſe: poſſit demonſtrare, aliqua in re ejus aliquod factum avarum. Item in omni cauſa naturam, aut victum, aut ſtudium, aut fortunam, aut aliquid eorum quæ perſonis attributa ſunt, ad eam cauſam, qua commotum peccaſſe dicet, adjungere, atque ex diſpari quoque genere culparum, ſi ex pari ſumendi facultas non erit, improbare animum adverſarii oportebit: ut ſi avaritia inductum arguas feciſſe, & avarum eum, quem accuſes, demonſtrare non poſſis; aliis affinem eſſe *vitiis* doceas, & ex ea re non eſſe mirandum, qui in illa re turpis, aut cupidus, aut petulans fuerit, hac quoque in re eum deliquiſſe. Quantum enim de honeſtate & auctoritate ejus, qui arguitur, detractum eſt, tantundem de facultate totius eſt defenſionis deminutum. [3] Si nulli affinis poterit vitio reus ante admiſſo demonſtrari; locus inducetur ille: per quem hortandi judices erunt, ut *veterem famam* hominis, nihil ad rem putent pertinere, nam eum antè celaſſe, nunc manifeſtò teneri. quare non oportere hanc rem ex ſuperiori vita ſpectari, ſed ſuperiorem vitam ex hac re improbari, & aut poteſtatem antè peccandi non fuiſſe, aut cauſam. Aut, ſi hæc dici non poterunt, dicendum erit illud extremum, non eſſe mirum, ſi nunc primùm deliquerit. nam NECESSE eſt, eum, qui velit peccare, aliquando primùm delinquere. Sin vita antè acta ignorabitur, hoc loco prætterito, & cur prætereatur, demonſtrato, argumentis accuſationem ſtatim confirmare oportebit.

11 Defenſor autem primùm, ſi poterit, debebit vitam ejus, qui inſimulabitur, quàm honeſtiſſimam demonſtrare. Id faciet, ſi oſtendet aliqua ejus nota, & communia *officia*: quod genus, in parenteis, cognatos, amicos, affineis, neceſſarios: [4] etiam quæ magis rara, & eximia ſunt, ſi ab eo cum magno aliquo labore, aut periculo, aut utraque re, cùm neceſſe non eſſet, officii cauſa, aut in remp. aut in parenteis, aut in aliquos eorum, qui modo expoſiti ſunt, facta eſſe dicet. deinde ſi nihil deliquiſſe, nulla cupiditate impeditum ab officio receſſiſſe. quod eò confirmatius erit, ſi, cùm *poteſtas* impunè aliquid faciendi minus honeſtè fuiſſe dicetur, voluntas ei faciendi demonſtrabitur abfuiſſe. Hoc autem ipſum genus erit eo firmius, ſi eo ipſo in genere, quo arguetur, integer antea fuiſſe demonſtrabitur: ut ſi, cùm avaritiæ cauſa feciſſe arguatur, minimè omni in vita pecuniæ cupidus fuiſſe doceatur. Hic illa magna cum gravitate inducetur indignatio, juncta conqueſtioni, [5] perquam miſerum facinus eſſe, & indignum demonſtrabitur, cùm animus omni in vita fuerit à vitiis remotiſſimus, eam cauſam putare, quæ homines audaces in fraudem rapere ſoleat, caſtiſſimum quoque hominem ad peccandum potuiſſe impellere: aut INIQUUM eſſe, & optimo cuique pernicioſiſſimum, non vitam honeſtè actam tali in tempore quàm plurimùm prodeſſe, ſed ſubita ex criminatione, quæ confingi facilè poſſit, non ex antè acta vita, quæ neque ad tempus fingi, neque ullo modo immutari poſſit, facere judicium. Sin autem in antè acta vita aliquæ turpitudines erunt: aut falſo veniſſe in eam exiſtimationem dicentur, aut ex aliquorum invidia, aut obtrectatione, aut falſa opinione, aut imprudentiæ, neceſſitudini, aut perſuaſioni, adoleſcentiæ, aut alicui non malitioſæ animi affectioni attribuentur, aut diſſimili in genere vitiorum, ut animus non omnino integer, ſed à tali *culpa* remotus eſſe videatur. Ac ſi nullo modo vitæ turpitudo, aut infamia leniri poterit oratione: negare oportebit de vita ejus, & moribus quæri, ſed de eo crimine, quo de arguatur: quare, antè factis omiſſis, illud, quod inſtet, agi oportere.

Ex facto autem ipſo ſuſpiciones ducentur, ſi totius adminiſtratio negotii ex omnibus partibus pertentabitur: atque hæ ſuſpiciones partim ex negotio ſeparatim, partim communiter ex perſonis, atque ex negotio proficiſcentur. 12

Ex negotio duci poterunt, ſi eas res, quæ negotiis attributæ ſunt, diligenter conſiderabimus. Ex iis igitur in hanc conſtitutionem convenire videntur genera eorum omnia, partes generum pleræque. Videre igitur primùm oportebit, quæ ſint continentia cum ipſo negotio, hoc eſt, quæ ab re *ſeparari* non poſſunt. Quo in loco ſatis erit diligenter conſiderare, quid ſit ante rem factum, ex quo ſpes perficiendi nata, & faciendi facultas quæſita videatur: quid in ipſa re gerenda, quid poſtea conſecutum ſit. Deinde ipſius eſt *negotii geſtio* pertractanda. nam hoc genus earum rerum, quæ negotio attributæ ſunt, ſecundo in loco nobis eſt expoſitum. Hoc ergo in genere ſpectabitur locus, tempus, occaſio, facultas: quorum uniuſcujuſque vis diligenter in confirmationis præceptis explicata eſt. Quare, ne aut hîc non admonuiſſe, aut ne eadem iterum dixiſſe videamur, breviter demonſtrabimus, quid quaque in parte conſiderari oporteat. In loco igitur opportunitas, in tempore longinquitas, in occaſione commoditas ad faciendum idonea, in facultate copia & poteſtas earum rerum, propter quas aliquid facilius fit, aut ſine quibus omnino confici non poteſt, conſideranda eſt. Deinde videndum eſt, quid *adjunctum ſit negotio*, hoc eſt, quid majus, quid minus, quid æquè magnum ſit, quid ſimile: ex quibus conjectura quædam ducitur,

---

1. *Privatus an in poteſtate ſit.*] Lambini tres iſtud habent. item totidem Pall. ideoque ejeci publicatum prius, *cum poteſtate.* ſic & lege 13. ϖ. de jurid. magiſt. *vel is qui in poteſtate aliqua.*

2. *Ut ſi, quem pecunia.*] Iſt ab editione prima; ne hoc forte quis attribuat Lambino. vulgata, *ſi qui pecunia.* mſſ. *ſi quidem pecunia*; item *ſi quid pecunia*, &c.

3. *Si nulli adfinis vitio poterit reus ante admiſſo demonſtrari.*] Videntur, *reus ante admiſſo*, eſſe a manu potius interpretis, quàm auctoris.

4. *Etiam quæ magis rara*, &c.] Grevenb. habet omnino, *& quæ magis rara & eximia ſunt, ab eo cum magno aliquid labore*, &c. *factum eſſe dicet.* quod *factum* etiam reſtat in Pall. ſed in ceteris confirmant vulgatam, ut videatur legendum diſtinguendumque: *etiam quæ magis rara & eximia ſunt, ſi ab eo cum magno aliquid labore*, &c. *factum eſſe dicet.*

5. *Per quam miſerum facinus*, &c. *demonſtrabitur.*] Spurium quid ſapit auribus meis illud *demonſtrabitur.* ſi abeſſet, & *perquam* unica dictione enunciaretur melius eſſet ſententiæ.

tur, ſi, quemadmodum res majores, minores, æquè magnæ ſimileſque egi ſoleant, diligenter conſiderabitur. Quo in genere *eventus* quoque videndus erit: hoc eſt, quid ex unaquaque re ſoleat evenire, magnoperè conſiderandum eſt: ut metus, lætitia, titubatio. Quarta autem pars erat ex iis, quas negotiis dicebamus eſſe attributas, *conſecutio*. In ea quæruntur ea, quæ geſtum negotium confeſtim, aut ex intervallo conſequuntur. In qua videbimus ecquæ conſuetudo ſit, ecquæ lex, [1] ecquæ actio, ecquod ejus rei artificium ſit, aut uſus, aut exercitatio hominum, aut approbatio aut offenſio:
13 ex quibus nonnunquam elicitur aliquid ſuſpicionis. Sunt autem aliquæ *ſuſpiciones*, quæ communiter & ex negotiorum, & ex perſonarum attributionibus ſumuntur. nam & ex fortuna, & ex natura, & ex victu, ſtudio, factis, caſu, orationibus, conſilio, & ex habitu animi, aut corporis pleraque pertinent ad eaſdem res, quæ rem credibilem, aut incredibilem facere poſſunt, & cum facti ſuſpicione junguntur. Maximè enim quæri oportet in hac conſtitutione: primùm potueritne aliquid fieri: Deinde ecquo ab alio potuerit; deinde facultas, de qua antè diximus; deinde utrùm id facinus ſit, quod pœnitere fuerit neceſſe: item quod ſpem celandi haberet: deinde neceſſitudo: in qua, num neceſſe fuerit id aut fieri, aut ita fieri, quæritur. Quorum pars ad conſilium pertinet, quod perſonis attributum eſt, ut in ea cauſa, quam expoſuimus. *Ante rem* erit, quod in itinere ſe tam familiariter applicaverit, quod ſermonis cauſam quæſiverit, quod ſimul deverterit, cenarit. In re, nox, ſomnus. Poſt rem, quod ſolus exierit, quòd illum tam [2] familiarem comitatum tam æquo animo reliquerit, quòd cruentum gladium habuerit. Horum pars ad conſilium pertinet. Quæritur enim, utrùm videatur diligenter ratio faciendi eſſe habita, & excogitata, [3] an ita temere, ut non veriſimile ſit, quemquam tam temerè ad maleficium acceſſiſſe. In quo quæritur, num quo alio modo commodius potuerit fieri, vel à fortuna adminiſtrari. Nam ſæpe [4] ſi pecuniæ adjumenta, ſi adjutores deſint, facultas fuiſſe faciendi non videtur. Hoc modo ſi diligenter attendamus, apta inter ſe eſſe intelligimus hæc, quæ negotiis, & illa, quæ perſonis ſunt attributa. Hic neque facile eſt, neque neceſſarium diſtinguere, ut in ſuperioribus partibus, quo pacto quidque accuſatorem, & quomodo defenſorem tractare oporteat. Non neceſſarium, propterea quòd, cauſa poſita, quid in quamque conveniat, res ipſa docebit eos, qui non omnia hîc ſe inventuros putabunt, ſed ad ea, quæ præcepta ſunt, comparationis modo quandam in commune mediocrem intelligentiam conferent. Non facile autem, quòd & infinitum eſt tot de rebus utramque in partem ſingillatim de unaquaque explicare, & aliàs aliter hæc in utramque partem cauſæ ſo-
14 lent convenire. Quare conſiderare hæc, quæ expoſuimus, oportebit. Facilius autem ad inventionem animus incedet, ſi geſti negotii & ſuam, & adverſarii narrationem ſæpe & diligenter pertractabit, & quid quæque pars ſuſpicionis habebit, eliciens, conſiderabit. Quare, quo conſilio, qua ſpe perficiendi quidque factum ſit: cur hoc modo potius, quàm illo: cur ab hoc potius, quàm ab illo: cur nullo adjutore, aut cur hoc: cur nemo ſit conſcius, aut cur ſit, aut cur hic ſit: cur hoc antè factum ſit: cur hoc antè factum non ſit: cur hoc in ipſo negotio: cur hoc poſt negotium: aut quid factum de induſtria, aut quid rem ipſam conſecutum ſit: conſtetne oratio aut cum re, aut ipſa ſecum: hoc hujuſne rei ſit ſignum, an illius, an hujus & illius, & utrius potius: quid factum ſit, quod non oportuerit, aut non factum, quod oportuerit. Cùm animus hac intentione omneis totius negotii parteis conſiderabit, tum illi ipſi in medium conſervati loci procedent, de quibus antè dictum eſt: & cùm ex ſingulis, tum ex conjunctis argumenta certa naſcentur. quorum argumentorum pars probabili, pars neceſſario in genere verſabitur. Accedunt autem ad conjecturam ſæpe *quæſtiones*, teſtimonia, rumores: quæ contra omnia uterque ſimili via præceptorum torquere ad ſuæ cauſæ commodum debebit. Nam & [5] ex quæſtione ſuſpiciones, & ex teſtimonio, & ex rumore aliquo pari ratione, ut ex cauſa, & ex perſona, & ex facto duci oportebit. Quare nobis & ii videntur errare, qui hoc genus ſuſpicionum, artificii non putant indigere, & ii, qui aliter hoc de genere, ac de omni conjectura præcipiendum putant. Omnis enim iiſdem ex locis conjectura ſumenda eſt. nam & ejus, qui in quæſtione aliquid dixerit, & ejus, qui in teſtimonio, [6] & ipſius rumoris cauſa, & veritas ex iiſdem attributionibus reperietur. Omni autem in cauſa pars argumentorum eſt adjuncta ei cauſæ ſolùm, quæ dicetur, & ab ipſa ita ducta, ut ab ea ſeparatim in omneis ejuſdem generis cauſas tranferri non ſatis commodè poſſit: pars autem eſt pervagatior, & aut in omneis ejuſdem generis, aut in pleraſque cauſas accommodata. Hæc ergo argumenta, quæ transferri in multas cau- 15
ſas poſſunt, *locos communeis* nominamus. nam locus communis aut certæ rei quandam continet amplificationem: ut ſi quis hoc velit oſtendere, eum, qui parentem necarit, maximo ſupplicio eſſe dignum: quo loco, niſi perorata, & probata cauſa, non eſt utendum: Aut dubiæ, quæ ex contrario quoque habeat probabileis rationes argumentandi: ut ſuſpicionibus credi oportere, & contrà, ſuſpicionibus credi non oportere. Ac pars locorum communium, aut per indignationem, aut per conqueſtionem inducitur, de quibus antè dictum eſt: pars per aliquam probabilem utraque ex parte rationem. Diſtinguitur autem oratio, atque illuſtratur maximè, raro inducendis locis communibus, & aliquo loco jam certioribus illis auditoribus, & argumentis confirmatis. Nam & tum conceditur commune quiddam dicere, cùm diligenter aliquis proprius cauſæ locus tractatus eſt, & auditoris animus aut renovatur ad ea, quæ reſtant, aut omnibus jam dictis exſuſcitatur. Omnia enim ornamenta elocutionis, in quibus & ſuavitatis, & gravitatis plurimùm conſiſtit, & omnia, quæ in inventione verborum, & ſententiarum aliquid habent dignitatis, in communeis locos conferuntur. Quare, non ut cauſarum, ſic oratorum quoque multorum communes loci ſunt. nam niſi ab iis, qui multa exercitatione magnam ſibi & verborum, & ſententiarum copiam comparaverint, tractari non poterunt ornatè, & graviter, quemadmodum natura ipſorum deſiderat. Atque hoc ſit nobis dictum communiter de omni genere locorum communium. Nunc ex- 16
ponemus, in conjecturalem conſtitutionem qui loci communes incidere ſoleant: Suſpicionibus credi oportere, & non oportere: Rumoribus credi oportere, & non oportere: Teſtibus credi oportere, & non oportere: Quæſtionibus credi oportere, & non oportere: Vitam antè actam ſpectari oportere, & non oportere: Ejuſdem eſſe, qui in illa re peccarit, & hoc quoque admiſiſſe, & non eſſe ejuſdem: Maximè ſpectari cauſam oportere, & non oportere. Atque hi qui-

1. *Ecquæ actio.*] Pal. pr. non habet voculam ultimam, ſec. præfert litera una plus *factio*, quod placet. nam tert. *orat*.

2. *Tam familiarem comitatum.*] Victorii editio: *Comitem*. neque aliter Pal. tert. aut Grev. haud tamen temere aliquid mutarim. P. Manutius expreſſit *jam familiarem comitatum*.

3. *An ita temerè, ut non veriſimile ſit quemquam tam temerè ad maleficium acceſſiſſe.*] Etiam Grevenb. non agnoſcit illa omnia, *ut non veriſimile, &c. acceſſiſſe*, & abeſſe poterant ſine damno ſententiæ. conſpiciuntur tamen in Palatinis; quorum primus ſupra, amplius habet; *quod cruentum gladium habuerit. quorum pars dicit propter facultatem quæ ad conſilium non pertinet, ſi ipſa negatur, vel quorum locorum pars continet ad conſilium, pars ad fortunam, pars ad naturam, quod reus hic cruentatum habuit gladium, non pertinet ad conſilium. itaque dicit, Horum pars pertinet ad conſilium. Quæritur, &c.*

4. *Si pecuniæ adjumenta, ſi adjutores.*] Pall. pr. *ſi pecuniæ, ſi adjumenta, ſi adjutores.* tert. *ſi pecuniæ, ſi adjumenta, adjutores.* media locum heic habere poſſet.

5. *Ex quæſtione ſuſpiciones, &c.*] Lambini editiones præferunt, *ſuſpicioſior*, quo quid ſibi velit neſcio. alterum enim reſtat in mſſ. noſtris & editis; niſi quod P. Manutii *ſuſpicionem*.

6. *Et ipſius rumoris cauſſa, & veritas ex, &c.*] Editio prima, *rumoris veritas ex*, Pal. ſec. *cauſſa & veritatis ex, &c.*

1. *Et*,

hi quidem, & ſi qui ejuſmodi ex proprio argumento communes loci naſcentur, in contrarias parteis diducentur. Certus autem locus eſt accuſatoris, per quem auget facti atrocitatem: & alter, per quem negat malorum *miſereri* oportere. Defenſoris, per quem calumnia accuſatorum cum indignatione oſtenditur, & per quem cum conqueſtione miſericordia captatur. Hi, & ceteri omnes loci communes, ex iiſdem præceptis ſumuntur, quibus ceteræ argumentationes: ſed illæ tenuius, & acutius, & ſubtilius tractantur: hi autem gravius, & ornatius, & cùm verbis, tum etiam ſententiis excellentibus. in illis enim finis eſt, ut id, quod dicitur, verum eſſe videatur: in his, tametſi hoc quoque videri oportet, tamen finis eſt amplitudo. Nunc ad aliam
17 conſtitutionem tranſeamus. CUM eſt *nominis* controverſia, quia vis vocabuli definienda verbis eſt, conſtitutio definitiva dicitur. Ejus generis exemplo nobis poſita ſit hæc cauſa: C. Flaminius is, qui conſul remp. malè geſſit bello Punico ſecundo, cùm tribunus plebis eſſet, invito ſenatu, & omnino contra voluntatem omnium optimatum, per ſeditionem ad populum legem Agrariam ferebat. Hunc pater ſuus concilium plebis habentem de templo deduxit: accerſitur majeſtatis. Intentio eſt, Majeſtatem minuiſti, quòd tribunum plebis de templo deduxiſti. Depulſio eſt, Non minui majeſtatem: Quæſtio eſt, Majeſtatemne minuerit. Ratio, in filium enim quam habebam poteſtatem, ea uſus ſum. Rationis infirmatio. At enim, qui patria poteſtate, hoc eſt, privata quadam, tribunitiam poteſtatem, hoc eſt, populi poteſtatem infirmat, minuit is majeſtatem. Judicatio eſt, Minuatne is majeſtatem qui in tribunitiam poteſtatem patria poteſtate utatur. ad hanc judicationem argumentationes omneis afferri oportebit. Ac, nequis fortè arbitretur nos non intelligere aliam quoque incidere conſtitutionem in hanc cauſam, eam nos partem ſolam ſumimus, in quam præcepta nobis danda ſunt. Omnibus autem partibus hoc in libro explicatis, quivis omni in cauſa, ſi diligenter attendet, omneis videbit conſtitutiones, & earum parteis, & controverſias, ſiquæ fortè in eas incident. Nam de omnibus perſcribemus. Primus ergo accuſatoris locus eſt, ejus nominis, cujus de vi quæritur, brevis & aperta, & ex hominum opinione definitio, hoc modo: MAJESTATEM minuere, eſt de dignitate, aut amplitudine, aut poteſtate populi, aut eorum, quibus populus poteſtatem dedit, aliquid derogare. Hoc ſic breviter expoſitum, pluribus verbis eſt, & rationibus confirmandum, & ita eſſe, ut deſcripſeris, oſtendendum. Poſtea ad id, quod definieris, factum ejus, qui accuſabitur, adjungere oportebit, & ex eo, quod oſtenderis eſſe; verbi cauſa, Majeſtatem minuere, docere, adverſarium majeſtatem minuiſſe, & hunc locum totum communi loco confirmare, per quem ipſius facti atrocitas, aut indignitas, aut omnino culpa cum indignatione augeatur. Pòſt erit infirmanda adverſariorum deſcriptio. Ea autem infirmabitur, ſi falſa demonſtrabitur. Hoc ex *opinione* hominum ſumetur, cùm, quemadmodum, & quibus in rebus homines in conſuetudine ſcribendi, aut ſermocinandi eo verbo uti ſoleant, conſiderabitur. Item infirmabitur, ſi turpis, aut inutilis eſſe oſtendetur ejus deſcriptionis approbatio, & ſi, quæ incommoda conſecutura ſint, eo conceſſo, oſtendetur. Id autem ex honeſtatis & utilitatis partibus ſumetur: de quibus in deliberationis præceptis exponemus. [1] Et, ſi cum definitione noſtra adverſariorum definitionem conferemus, & noſtram, veram, honeſtam, utilem eſſe demonſtrabimus: illorum, contra. Quæremus autem res, aut majori, aut minori, aut pari in negotio ſi-
18 mileis, ex quibus affirmetur noſtra deſcriptio. Jam ſi res plures erunt definiendæ: ut, ſi quæratur, FUR SIT, an ſacrilegus, qui vaſa ex privato ſacra ſurripuerit: erit utendum pluribus definitionibus: deinde ſimili ratione cauſa tractanda. Locus autem communis in ejus malitiam, qui non modò rerum, verùm etiam verborum poteſtatem ſibi arrogare conetur, ut & faciat quod velit, & id, quod fecerit, quo velit nomine, appellet. Deinde defenſoris primus locus eſt, item nominis brevis, & aperta, & ex opinione hominum deſcriptio, hoc modo: *Majeſtatem* minuere, eſt aliquid de republica, cùm poteſtatem non habeas, adminiſtrare: Deinde hujus confirmatio ſimilibus, & exemplis, & rationibus: Poſtea ſui facti ab illa definitione ſeparatio: Deinde locus communis, per quem facti utilitas, aut honeſtas adaugetur: Deinde ſequitur adverſariorum definitionis reprehenſio, quæ iiſdem ex locis omnibus, quos accuſatori præſcripſimus, conficitur: & cetera poſt eadem præter communem locum inducentur. Locus autem communis erit defenſoris is, per quem indignabitur, accuſatorem ſui periculi cauſa, non res ſolùm convertere, verùm etiam verba commutare conari. Nam illi quidem communes loci, qui aut calumniæ accuſatorum demonſtrandæ, aut miſericordiæ captandæ, aut facti indignandi, aut à miſericordia deterrendi cauſa ſumuntur, ex periculi magnitudine, non ex cauſæ genere, ducuntur. Quare non in omnem cauſam, ſed in omne cauſæ genus incidunt. Eorum mentionem in conjecturali conſtitutione fecimus. Inductione autem eorum, cùm cauſa poſtulabit, utemur.
CUM autem actio, tranſlationis, aut commutationis indigere videtur, quòd non aut is agit, quem oportet, aut cum 19
eo, quicum oportet, aut apud quos, qua lege, qua pœna, quo crimine, quo tempore oportet, conſtitutio *tranſlativa* appellatur. Hujus nobis exempla permulta opus ſunt, ſi ſingula tranſlationum genera quæramus: ſed quia ratio, præceptorum ſimilis eſt, exemplorum multitudine ſuperſedendum eſt. Atque in noſtra quidem conſuetudine multis de cauſis fit, ut rarius incidant tranſlationes. nam & prætoriis exceptionibus multæ excluduntur actiones, & ita jus civile habemus conſtitutum, ut *cauſa cadat* is, qui non, quemadmodum oportet, egerit. quare in jure plerumque verſantur. Ibi enim & exceptiones poſtulantur, & quodam modo agendi poteſtas datur, & omnis conceptio privatorum judiciorum conſtituitur. In ipſis autem judiciis rarius incidunt, & tamen ſi quando incidunt, ejuſmodi ſunt, ut per ſe minus habeant firmitudinis: confirmentur autem aſſumta alia aliqua conſtitutione. Ut in quodam judicio, cùm *venefici* cujuſdam nomen eſſet delatum, &, quia parricidii cauſa ſubſcripta eſſet, extra ordinem eſſet acceptum, cùm in accuſatione alia quædam crimina teſtibus & argumentis confirmarentur, parricidii autem ſolùm mentio facta eſſet: defenſor in hoc ipſo multum oportet, ut diu conſiſtat: cùm de nece parentis nihil demonſtratum ſit, indignum facinus eſſe ea pœna afficere eum, qua parricidæ afficiuntur: Id autem, ſi damnaretur, fieri neceſſe eſſe, quoniam & id cauſæ ſubſcriptum, & ex ea re nomen extra ordinem ſit acceptum. Ea igitur pœna ſi affici reum non oporteat, damnari quoque non oportere, quoniam ea pœna damnationem neceſſariò conſequatur. Hic defenſor pœnæ commutationem ex tranſlativo genere inducendo, totam infirmabit accuſationem. Verumtamen ceteris quoque criminibus defendendis conjecturali conſtitutione tranſlationem confirmabit. Exemplum autem tranſlationis in cauſa nobis poſi- 20
tum ſit hujuſmodi: Cùm ad vim faciendam quidam armati veniſſent, armati contrà præſtò fuerunt, & cuidam equiti Romano quidam ex armatis reſiſtenti, gladio manum præcidit. Agit is, cui manus præciſa eſt injuriarum. poſtulat is, quicum agitur, à prætore exceptionem. [2] EXTRA QUAM IN REUM CAPITIS PRÆJUDICIUM FIAT. Hic is, qui agit, judicium purum poſtulat: Ille, quicum agitur, exceptionem

1. *Et, ſi cum definitione noſtra, &c.*] Libri Suffridi noſtri verbo auctiores, *& ſi infirmabitur cum definit.* Pall. non variant, niſi quod exſtet in ſec. *Aut ſic cum de definitione, &c.*

2. *Extra quam in reum capitis, &c.*] Scio eruditos hæc mendi ſuſpecta habuiſſe, & conatos mederi tanquam corruptis. ſed fruſtra. poſtulat enim a Prætore exceptionem, ne in reum capitis præjudicium fiat; extra quam præjudicium fiat. Actor ſine ulla conditione vult agi, is qui cum agitur, petit exceptionem. *Woweren.*

ptionem addi ait oportere. Quæſtio eſt, excipiendum ſit, an non. Ratio, Non enim oportet, in recuperatorio judicio, ejus maleficii, de quo inter ſicarios quæritur, præjudicium fieri. Infirmatio rationis, Ejuſmodi ſunt injuriæ, ut de his indignum ſit non *primo quoque tempore* judicari. Judicatio, Atrocitas injuriarum ſatiſne cauſæ ſit, quare, dum de ea judicetur, de aliquo majore maleficio, de quo judicium comparatum ſit, præjudicetur. atque exemplum quidem hoc eſt. In omni autem cauſa ab utroque quæri oportebit, a quo, & per quos, & quo modo, & quo tempore aut agi, aut judicari, aut quid ſtatui de ea re conveniat. Id ex partibus juris, de quibus poſt dicendum eſt, ſumi oportebit, & ratiocinari, quid in ſimilibus rebus fieri ſoleat, & videre, utrùm malitia quid agatur, aliud ſimuletur, an ſtultitia, an neceſſitudine, quòd alio modo agi non poſſit, an occaſione agendi ſic ſit judicium, aut actio conſtituta, an rectè ſine ulla re ejuſmodi res agatur. Locus autem communis contra eum, qui tranſlationem inducet, *fugere judicium* ac pœnam, quia cauſæ diffidat. A tranſlatione autem, omnium fore perturbationem, ſi non ita res agantur, & in judicium veniant, quo pacto oporteat: hoc eſt, ſi aut cum eo agatur, quicum non oporteat, aut alia pœna, alio crimine, alio tempore: atque hanc orationem ad perturbationem judiciorum omnium pertinere. Tres igitur eæ conſtitutiones, quæ parteis non habent, ad hunc modum tractabuntur. Nunc generalem conſtitutionem, & parteis ejus conſideremus.

21 CUM & facto, & facti nomine conceſſo, neque ulla actionis illata controverſia, vis, & natura, & genus negotii ipſius quæritur, conſtitutionem generalem appellamus. Hujus primas eſſe parteis duas nobis videri diximus, negotialem, & juridicialem. Negotialis eſt, quæ in ipſo negotio juris civilis habet implicitam controverſiam. Ea eſt hujuſmodi: Quidam PUPILLUM HEREDEM FECIT: pupillus autem antè mortuus eſt, [1] quàm in ſuam tutelam veniret. De hereditate ea, quæ pupillo venit, inter eos, qui patris pupilli heredes ſecundi ſunt, & inter agnatos pupilli controverſia eſt. poſſeſſio heredum ſecundorum eſt. Intentio eſt agnatorum, Noſtra pecunia eſt, de qua is, cujus agnati ſumus, teſtatus non eſt. Depulſio eſt, Immò noſtra, qui heredes ſecundi teſtamento patris ſumus. Quæſtio eſt, Utrorum ſit. Ratio eſt, Pater enim & ſibi, & filio teſtamentum ſcripſit, dum is pupillus eſſet. Quare, quæ filii fuerunt, teſtamento patris noſtra fiant neceſſe eſt. Infirmatio eſt rationis, Immò pater ſibi ſcripſit, & ſecundum heredem non filio, ſed ſibi juſſit eſſe. Quare, præterquàm quod ipſius fuit in teſtamento, ullius veſtrûm eſſe non poteſt. Judicatio, Poſſitne quiſquam de filii pupilli re teſtari. An heredes ſecundi, ipſius patrisfamilias, non filii quoque ejus pupilli heredes ſint. Atque hoc non alienum eſt, quòd ad multa pertineat, ne aut nuſquam, aut uſquequaque dicatur, hic admonere. Sunt cauſæ, quæ plureis habent rationes in ſimplici conſtitutione: quod fit, cùm id, quod factum eſt, aut quod defenditur, pluribus de cauſis rectum, aut probabile videri poteſt, ut in hac ipſa cauſa. Supponatur enim ab heredibus hæc ratio, UNIUS enim pecuniæ plures diſſimilibus de cauſis heredes eſſe non poſſunt, nec umquam factum eſt, ut ejuſdem pecuniæ alius teſtamento, alius lege heres eſſet. Infirmatio autem hæc erit, Non eſt una pecunia, propterea quòd altera jam erat pupilli adventitia: cujus heres non, illo in tempore, in teſtamento quiſquam ſcriptus erat, ſi quid pupillo accidiſſet: & de altera, patris etiam nunc mortui voluntas plurimùm valebat, quæ jam mortuo pupillo ſuis heredibus concedebat. Judicatio eſt, Unane pecunia fuerit: ac, ſi hac erunt uſi infirmatione, Poſſe plureis eſſe unius pecuniæ heredes diſſimilibus de cauſis: de eo ipſo judicatio naſcitur, Poſſintne ejuſdem pecuniæ plures diſſimilibus generibus eſſe heredes. [2] Ergo una in conſtitutione intellectum eſt, quomodo & rationes, & rationum infirmationes, & præterea judicationes plures fiant. Nunc hujus generis præcepta videamus. 22

Utriſque aut etiam omnibus, ſi plures ambigent, jus ex quibus rebus conſtet, eſt conſiderandum. Initium ergo ejus ab *natura* ductum videtur: quædam autem ex *utilitatis* ratione aut perſpicua nobis, aut obſcura, in conſuetudinem veniſſe: poſt autem, approbata [3] quædam aut à conſuetudine, aut à vero utilia viſa, legibus eſſe firmata. Ac naturæ quidem jus eſt, quod nobis non opinio, ſed quædam innata vis afferat, ut *religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obſervantiam, veritatem*. Religionem, eam, quæ in metu, & ceremonia deorum ſit, appellant Pietatem, quæ erga patriam, aut parenteis, aut alios ſanguine conjunctos officium conſervare moneat. Gratiam, quæ in memoria, & remuneratione officiorum, & honorum, & amicitiarum, obſervantiam teneat. Vindicationem, per quam, vim, & contumeliam, defendendo, aut ulciſcendo, propulſamus à nobis, & à noſtris, qui nobis eſſe cari debent, & per quam peccata punimus. Obſervantiam, per quam ætate, aut ſapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecedenteis veremur, & colimus. Veritatem, per quam damus operam, nequid aliter, quàm confirmaverimus, fiat, aut factum, aut futurum ſit. Ac naturæ quidem jura minus ipſa quæruntur ad hanc controverſiam, quòd neque in hoc civili jure verſantur, & à vulgari intelligentia remotiora ſunt: ad ſimilitudinem verò aliquam, aut ad rem amplificandam ſæpe ſunt inferenda. *Conſuetudinis* autem jus eſſe putatur id, quod voluntate omnium ſine lege vetuſtas comprobarit. in ea autem jura ſunt quædam ipſa jam certa propter vetuſtatem. quo in genere & alia ſunt multa, & eorum multo maxima pars, quæ prætores edicere conſueverunt. Quædam autem genera juris, jam certa conſuetudine facta ſunt. Quod genus, *pactum, par, judicatum*. Pactum eſt, quod inter aliquos convenit, quod jam ita juſtum putatur, ut juri præſtare dicatur. Par, quod in omneis æquabile eſt. Judicatum, de quo jam antè ſententia alicujus, aut aliquorum conſtitutum eſt. Jam jura legitima ex legibus cognoſci oportebit. His ergo ex partibus juris, quidquid aut ex ipſa re, aut ex ſimili, [4] aut ex majore minorive naſci videbitur, attendere, atque elicere pertentando unamquamque partem juris oportebit. Locorum autem communium, quoniam (ut antè dictum eſt) duo ſunt genera, quorum alterum dubiæ rei, alterum certæ continet amplificationem, quid ipſa cauſa det, & quid augeri per communem locum poſſit, & oporteat, conſiderabitur. Nam certi, qui in omneis incidant, loci, præſcribi non poſſunt: in pleriſque fortaſſe ab auctoritate juriſconſultorum, & contra auctoritatem dici oportebit. Attendendum eſt autem & in hac, & in omnibus, num quos locos communes, præter eos, quos expoſuimus, ipſa res oſtendat. Nunc juridiciale genus, & parteis ejus conſideremus.

JURIDICIALIS eſt, in qua æqui & iniqui natura, 23 & præmii aut pœnæ ratio quæritur. Hujus partes ſunt duæ, quarum alteram abſolutam, aſſumtivam alteram nominamus. *Abſoluta* eſt, quæ ipſa in ſe, non ut negotialis implicitè & abſconditè, ſed patentius, & expeditius recti & non recti quæſtionem continet. Ea eſt hujuſmodi: Cùm Thebani Lacedæmonios bello ſuperaviſſent, & ferè mos eſſet Grajis, cùm inter ſe bellum geſſiſſent, ut ii, qui viciſſent, tropæum aliquod in finibus ſtatuerent, victoriæ modò in præſentia declarandæ cauſa, non ut in perpetuum belli memoria

1. *Quam in ſuam tutelam veniret.*] Non variant Pall. at *in ſui* placet Wouverio, ex duobus neſcio quibus mſſ.

2. *Ergo una in conſtitutione, &c.*] Aberat *una* codici Grævenb. & probabat Gulielmius.

3. *Quædam aut à conſuetudine aut à vero utilia viſa.*] Eſt ab editione prima, & lectio, & interpunctio: neque aliter expreſſit voces Victorius, ſed interpunxit aliter; præter mſſ. noſtros.

4. *Aut ex majore minorive naſci videbitur, attendere, &c.*] Ita Pall. noſtri, comptius multo quàm hactenus vulgata, *aut ex majore, aut ex minore naſci videbitur, quemque attendere, &c.* nam editio prima, *quiſque attendere, &c.* habebat.

moria maneret: æneum ſtatuerunt tropæum. Accuſantur apud Amphictyonas, [1] id eſt, apud commune Græciæ concilium. Intentio eſt, Non oportuit. Depulſio eſt, Oportuit. Quæſtio eſt, Oportueritne. Ratio eſt, Eam enim ex bello gloriam virtute peperimus, ut ejus æterna inſignia poſteris noſtris relinquere vellemus. Infirmatio eſt, Attamen æternum *inimicitiarum* monumentum Grajos de Grajis ſtatuere non oportet. Judicatio eſt, Cùm ſummæ virtutis celebrandæ cauſa Graji de Grajis æternum inimicitiarum monumentum ſtatuerint, rectene, an contrà fecerint. Hanc ideo rationem ſubjecimus, ut hoc cauſæ genus ipſum, de quo agimus, cognoſceretur. Nam ſi eam ſuppoſuiſſemus, qua fortaſſe uſi ſunt: Non enim juſtè, neque piè bellum geſſiſtis: in relationem criminis delaberemur, de qua poſt loquemur. Utrumque autem cauſæ genus in hanc cauſam incidere perſpicuum eſt. In hanc argumentationes ex iiſdem locis ſumendæ ſunt, atque in cauſam negotialem, qua de antè dictum eſt. Locos autem communeis & ex cauſa ipſa, ſiquid inerit indignationis aut conqueſtionis, & ex juris utilitate, & natura multos, & graveis ſumere licebit, & oportebit, ſi cauſæ dignitas videbi-
24 tur poſtulare. Nunc aſſumtivam partem juridicialis conſideremus. *Aſſumtiva* igitur tunc dicitur, cùm ipſum ex ſe factum probari non poteſt; aliquo autem foris adjuncto argumento defenditur. Ejus partes ſunt quattuor: comparatio, relatio criminis, remotio criminis, conceſſio. Comparatio eſt, cùm aliquod factum, quod per ſe ipſum non ſit probandum, ex eo, cujus id cauſa factum eſt, defenditur. Ea eſt hujuſmodi: Quidam imperator, cùm ab hoſtibus circumſideretur, neque effugere *ullo modo* poſſet, depactus eſt cum eis, ut arma & impedimenta relinqueret, milites, educeret: itaque fecit: armis & impedimentis amiſſis, præter ſpem milites conſervavit. Accuſatur majeſtatis. Incurrit huc definitio. Sed nos hunc locum, de quo agimus, conſideremus. Intentio eſt, Non oportuit arma, & impedimenta relinquere. Depulſio eſt, Oportuit. Quæſtio eſt, Oportueritne. Ratio eſt, Milites enim omnes periiſſent. Infirmatio eſt, aut conjecturalis, Non periiſſent: aut altera conjecturalis, Non ideò feciſti. [2] Ex quibus ſunt judicationes, Periiſſentne: &, Ideone fecerit: aut hæc comparativa, cujus nunc indigemus, At enim ſatius fuit amittere milites, quàm arma, & impedimenta hoſtibus concedere. Ex qua judicatio naſcitur, Cùm omnes perituri milites eſſent, niſi ad hanc pactionem veniſſent, *utrùm ſatius fuerit* amittere milites, an ad hanc conditionem venire. [3] Hoc cauſæ genus ex his locis tractari conveniet. Oportebit adhibere ceterarum quoque conſtitutionum rationem, atque præcepta, ac maximè conjecturis faciendis, infirmare illud, quod cum eo, quod crimini dabitur, ii, qui accuſabuntur, comparabunt. Id fiet, ſi aut id, quod dicent defenſores futurum fuiſſe, niſi id factum eſſet, quo de facto judicium eſt, futurum fuiſſe negabitur: aut ſi alia ratione, & aliam ob cauſam, ac dicet ſe reus feciſſe, demonſtrabitur eſſe factum. Ejus rei confirmatio, & item contraria de parte infirmatio ex conjecturali conſtitutione ſumetur. Sin autem certo nomine maleficii vocabitur in judicium, ſicut in hac cauſa (nam majeſtatis arceſſitur,) definitione & definitionis
25 præceptis uti oportebit. [4] Atque hoc quidem plerumque in genere accidit, ut conjectura & definitione utendum ſit. Sin aliud quoque aliquod genus incidet, ejus generis præcepta licebit huc pari ratione transferre. nam accuſatori maximè eſt in hoc elaborandum, ut id ipſum factum, propter quod ſibi reus concedi putat oportere, quàm plurimis infirmet rationibus. quod facilè eſt, ſi quàm plurimis conſtitutionibus aggrediatur id improbare. Ipſa autem comparatio ſeparata à ceteris generibus controverſiarum ſic ex ſua vi conſiderabitur, ſi illud, quod comparabitur, aut non *honeſtum*, aut non *utile*, aut non *neceſſarium* fuiſſe, aut non tantopere utile, aut non tantopere honeſtum, aut non tantopere neceſſarium fuiſſe demonſtrabitur. Deinde oportet accuſatorem, illud, quod ipſe arguat, ab eo, quod defenſor comparat, ſeparare. Id autem faciet, ſi demonſtrabit non ita fieri ſolere, neque oportere, neque eſſe rationem, quare hoc propter hoc fiat, ut propter ſalutem militum ea, quæ ſalutis cauſa comparata ſunt, hoſtibus tradantur. Poſtea comparare oportebit cum beneficio maleficium, & omnino id, quod arguitur, cum eo, quod factum ab defenſore laudabitur, aut faciendum fuiſſe demonſtrabitur, contendere, & hoc extenuando, maleficii magnitudinem ſimul adaugere. Id fieri poterit, ſi demonſtrabitur, honeſtius, utilius, magis neceſſarium fuiſſe illud, quod vitarit reus, quàm illud, quod fecerit. *Honeſti* autem, & *utilis*, & *neceſſarii* vis & natura, in deliberationis præceptis cognoſcetur. Deinde oportebit ipſam illam comparativam judicationem exponere, tanquam cauſam deliberativam, & de ea ex deliberationis præceptis deinceps dicere. Sit enim hæc judicatio, quam antè expoſuimus: Cùm omnes perituri milites eſſent, niſi ad hanc pactionem veniſſent, utrùm ſatius fuerit perire milites, an ad hanc pactionem venire. Hoc ex locis deliberationis, quaſi aliquam in conſultationem res veniat,
tractari oportebit. Defenſor autem, quibus in locis ab ac- 26
cuſatore aliæ conſtitutiones erunt inductæ, in iis ipſe quoque ex iiſdem conſtitutionibus defenſionem comparabit: ceteros autem omneis locos, qui ad ipſam comparationem pertinebunt, ex contrario tractabit. Loci autem communes erunt, Accuſatoris, in eum, qui cùm de facto turpi aliquo, aut inutili, aut utroque fateatur, quærat tamen aliquam defenſionem, & facti inutilitatem, aut turpitudinem cum indignatione proferre. Defenſoris eſt, nullum factum inutile, neque turpe, neque item utile, neque honeſtum putari oportere, niſi, quo *animo*, quo *tempore*, qua de *cauſa* factum ſit, intelligatur. qui locus ita communis eſt, ut bene tractatus in hac cauſa, magno ad perſuadendum momento futurus ſit. Et alter locus, per quem magna cum amplificatione, beneficii magnitudo ex utilitate, aut honeſtate, aut facti neceſſitudine demonſtratur. Et tertius, per quem res expreſſa verbis, ante oculos eorum, qui audiunt, ponitur, ut ipſi ſe quoque *idem* facturos fuiſſe arbitrentur, ſi ſibi illa res, atque ea faciendi cauſa per idem tempus accidiſſet. Relatio criminis eſt, cùm reus id, quod arguitur, confeſſus, alterius ſe inductum peccato, jure feciſſe demonſtrat. Ea eſt hujuſmodi: Horatius occiſis [5] tribus Curiatiis, & duobus amiſſis fratribus, domum ſe victor recepit. Is animadvertit ſororem ſuam de fratrum morte non laborantem: ſponſi autem nomen appellantem identidem Curiatis cum gemitu & lamentatione. indignè paſſus, virginem occidit. accuſatur. Intentio eſt, Injuria ſororem occidiſti. Depulſio eſt, Jure occidi. Quæſtio eſt, Jurene occiderit. Ratio eſt, Illa enim hoſtium mortem lugebat, fratrum negligebat: me & populum R. viciſſe moleſtè ferebat. Infirmatio eſt, Tamen à fratre *indemnatam* necari non oportuit. Ex qua judicatio fit; Cùm Horatia fratrum mortem negligeret, hoſtium lugeret, fratris & populi R. victoria non gauderet, oportueritne eam à fratre
indemnatam necari. Hoc in genere cauſæ, primùm ſi quid 27
ex ce-

1. *Id eſt, apud commune Græciæ concilium.*] Gulielmius habet pro adulterinis. & poterant abeſſe ſine detrimento ſententiæ. viſuntur tamen in membranis noſtris omnibus.

2. *Ex quibus ſunt judicationes.*] Non erat illud *ſunt* in Pal. pr. unde verum videtur, *ex quibus judicatio eſt.* quod repræſentat ſecundus.

3. *Hoc cauſæ genus ex his locis tract. &c.*] Grevenb. *ex ſuis locis*; ceterum noſtri omnes retinent *conveniet*, quod uni ſuorum abeſſe teſtatur Lambinus.

4. *Atque hoc quidem plerunque in genere accidit ut conjectura.*] Ita emendavit Gulielmius, ſecutuſne Lambini conjecturam, an libros ſuos, neſcio. nam Pall. omnes præferunt, *Atque hoc quidem plerunque in hoc genere accidunt, ut conjectura.* vulgata, *Atque hæc quidem plerunque in hoc genere accidunt, &c.*

5. *Tribus Curiatiis.*] Ita Lambinus, neque abit Pal. ſec. quam quod is *Curiatis*; vulgata *Curiatibus.* non damno; imò ideo mox retinui *Curiatis*, quod ſic quoque eſſet in ſec. ac reliquis, cum Lambinus oggeſſiſſet *Curiatii*, nihil enim vetat, quin utraque terminatio fuerit in uſu.

ex ceteris dabitur conſtitutionibus ſumi oportebit, ſicut in comparatione præceptum eſt: Poſtea ſi qua facultas erit, per aliquam conſtitutionem illum, in quem crimen transfertur, defendere: Deinde, levius eſſe illud, quod in alterum peccatum reus transferat, quàm quod ipſe ſuſceperit: Poſtea tranſlationis partibus uti, & oſtendere, à quo, & per quos, & quo modo, & quo tempore, aut agi, aut judicari, aut ſtatui de ea re convenerit: ac ſimul oſtendere, NON OPORTUISSE antè ſupplicium, quàm judicium, interponere. Tum leges quoque & judicia demonſtranda ſunt, per quæ potuerit id peccatum, quòd ſponte ſua reus punitus ſit, moribus & judicio vindicari: Deinde negare debebit, audiri oportere id, quod in eum criminis conferatur, de quo is ipſe, qui conferat, judicium fieri noluerit: & id, quod judicatum non ſit, pro infecto haberi oportere: Poſtea impudentiam demonſtrare eorum, qui eum nunc apud judices accuſent, quem ſine judicibus ipſi condemnarint: & de eo judicium faciant, de quo jam ipſi ſupplicium ſumſerint. Poſtea perturbationem judicii futuram dicemus, & judices longiùs, quàm poteſtatem habeant, progreſſuros, ſi ſimul & de reo, & de eo, quem reus arguat, judicarint. Deinde, hoc ſi conſtitutum ſit, ut peccata homines peccatis, & injurias injuriis *ulciſcantur*, quantum incommodorum conſequatur. Ac ſi idem facere ipſe, qui nunc accuſat, voluiſſet, ne hoc quidem ipſo quidquam opus fuiſſe judicio: ſi verò ceteri quoque idem faciant, omnium judicium nullum futurum. Poſtea demonſtrabitur, ne, ſi judicio quidem illa damnata eſſet, in quam id crimen ab reo conferatur, potuiſſe hunc *ipſum* de illa ſupplicium ſumere. Quare eſſe indignum, eum, qui ne de damnata quidem pœnas ſumere potuiſſet, de ea ſupplicium ſumſiſſe, quæ ne adducta quidem ſit in judicium. Deinde poſtulabit, ut legem, qua lege fecerit, proferat. Deinde quemadmodum in comparatione præcipiebamus, ut illud quod comparabatur, extenuaretur ab accuſatore quàm maximè: ſic in hoc genere oportebit illius culpam, in quem crimen transferetur, cum hujus maleficio, qui ſe jure feciſſe dicat, comparare. Poſtea demonſtrandum eſt, non eſſe illud ejuſmodi, ut ob id hoc fieri conveniret. Extrema eſt, ut in comparatione, aſſumtio judicationis, & de ea per amplificationem ex deliberationis
28 præceptis dictio. Defenſor autem quæ per alias conſtitutiones inducentur, ex iis locis, qui traditi ſunt, infirmabit. Ipſam autem relationem comprobabit, primùm augendo ejus, in quem refert crimen, culpam & audaciam, & quàm maximè per indignationem, ſi res feret, juncta conqueſtione, ante oculos ponendo. Poſteà leviùs demonſtrando reum punitum, quàm ſit ille promeritus, & ſuum ſupplicium cum illius injuria conferendo. Deinde oportebit eos locos, qui ita erunt ab accuſatore tractati, ut refelli, & contrariam in partem converti poſſint, quo in genere ſunt tres extremi, contrariis rationibus infirmare. Illa autem acerrima accuſatorum criminatio, per quam perturbationem fore omnium judiciorum demonſtrant, ſi de indemnato ſupplicii ſumendi poteſtas data ſit, levabitur: Primùm ſi ejuſmodi demonſtrabitur injuria, ut non modò viro bono, verùm omninò homini libero videatur non fuiſſe toleranda: Deinde ita perſpicua, ut ne ab ipſo quidem, qui feciſſet, in dubium vocaretur: Deinde ejuſmodi, ut in eam is maximè debuerit animadvertere, qui animadverterit: ut non tam rectum, non tam fuerit honeſtum, in judicium illam rem pervenire, quàm eo modo, atque ab eo vindicari, quomodo, & à quo ſit vindicata: Poſtea ſic rem fuiſſe apertam, ut judicium de ea re fieri nihil attinuerit. Atque hìc demonſtrandum eſt rationibus, & rebus ſimilibus, permultas ita atroceis, & perſpicuas res eſſe, ut de his non modò non neceſſe ſit, ſed ne utile quidem, quin mox judicium fiat, exſpectare. Locus communis accuſatoris in eum, qui cùm id, quod arguitur, negare non poſſit, tamen aliquid ſibi ſpei comparet ex judiciorum perturbatione. Atque hìc utilitatis judiciorum demonſtratio, & de eo conqueſtio, qui ſupplicium dederit indemnatus: in ejus autem, qui ſumſerit, audaciam & crudelitatem, indignatio. Ab defenſore, in ejus, quem ultus ſit, [1] audaciam ſui conqueſtione: rem non ex nomine ipſius negotii, ſed ex conſilio ejus, qui fecerit, & cauſa, & tempore conſiderari oportere: quid mali futurum ſit, aut ex injuria, aut ex ſcelere alicujus, niſi tanta, & tam perſpicua audacia ab eo, ad cujus famam, aut ad parenteis, aut ad liberos pertinuerit, aut ad aliquam rem, quam caram eſſe omnibus, aut neceſſe eſt, aut oportet eſſe, fuerit vindicata. Remotio criminis eſt, cùm ejus 29
intentio facti, quod ab adverſario infertur, in alium, aut in aliud dimovetur. Id fit bipertito; nam tum cauſa, tum res ipſa removetur. Cauſæ remotionis hoc nobis exemplo ſit: Rhodii quoſdam legarunt Athenas, Legatis quæſtores ſumtum, quem oportebat dari, non dederunt. Legati profecti non ſunt. Accuſantur. Intentio eſt, Proficiſci oportuit. Depulſio eſt, Non oportuit. Quæſtio eſt, Oportueritne. Ratio eſt, Sumtus enim qui de publico dari ſolet, is ab quæſtore non eſt datus. Infirmatio eſt, Vos tamen id, quod publicè vobis datum erat negotii, conficere oportebat. Judicatio eſt, Cùm iis, qui legati erant, ſumtus, qui de publico debebatur, non daretur, oportueritne eos conficere nihilominus legationem. Hoc in genere primùm, ſicut in ceteris, ſi quid aut ex conjecturali, aut ex alia conſtitutione ſumi poſſit, videri oportebit. Deinde pleraque ex comparatione, & ex relatione criminis in hanc quoque cauſam convenire poterunt. Accuſator autem illum, cujus culpa id factum reus dicet, primùm defendet: ſi poterit. ſin minus poterit: negabit, ad hoc judicium, illius, ſed hujus, quem ipſe accuſet, culpam pertinere. Poſtea dicet, SUO QUEMQUE officio conſulere oportere: nec, ſi ille peccaſſet, hunc oportuiſſe peccare. Deinde ſi ille deliquerit, ſeparatim illum, ſicut hunc, accuſari oportere, & non cum hujus defenſione conjungi illius accuſationem. Defenſor autem cùm cetera, ſi qua ex aliis incident conſtitutionibus, pertractarit, de ipſa remotione ſic argumentabitur. Primùm cujus acciderit culpa, demonſtrabit: Deinde, cùm id *aliena culpa* accidiſſet, oſtendet ſe aut non potuiſſe, aut non debuiſſe id facere, quod accuſator dicat oportuiſſe. Quòd non potuerit, ex utilitatis partibus, in quibus eſt neceſſitudinis vis implicata, demonſtrabit. Quòd non debuerit, ex honeſtate conſiderabitur. De utroque diſtinctiùs in deliberativo genere dicetur. Deinde omnia facta eſſe ab reo, quæ in ipſius fuerint poteſtate. quòd minus, quàm convenerit, factum ſit, culpa id alterius accidiſſe. Deinde in alterius culpa exponenda demonſtrandum eſt, quantum voluntatis, & ſtudii fuerit in ipſo: & id ſignis confirmandum hujuſmodi, ex cetera diligentia, ex antè factis, aut dictis: atque hoc ipſi utile fuiſſe facere, inutile autem non facere, & cum cetera vita magis hoc fuiſſe conſentaneum, quàm quod propter alterius culpam non fecerit. Si autem non in ho- 30
minem certum, ſed in rem aliquam cauſa demovebitur, ut in hac eadem re, ſi quæſtor mortuus eſſet, & idcirco legatis pecunia data non eſſet; accuſatione alterius, & culpæ depulſione demta, ceteris ſimiliter uti locis oportebit, & ex conceſſionis partibus quæ convenient, aſſumere: de quibus poſt nobis dicendum erit. Loci autem communes, [2] iidem utriſque ferè, qui ſuperioribus aſſumtivis, incident. Hi tamen certiſſimi: Accuſatoris, facti indignatio: Defenſoris, cùm in alio culpa ſit, [3] in ipſo non ſit, ſupplicio reum affici non oportere. Ipſius autem rei fit remotio, cùm id, quod datur crimini, negat neque ad ſe, neque ad officium

1. *Audaciam ſui conqueſtione.*] Conjecit Lambinus, *audaciam conqueſtio*. quod ſecutus fuerat Gulielmius: non auſim ego; Palatinis nihil variantibus.

2. *Iidem utriſque ferè.*] Lambinus *utrique*, quod & in Grevenb. & Palat. ſecund. tert. at enim prim. *utriuſque*.

3. *In ipſo non ſit.*] Delevi voculam, *aut*, quæ his præmittebatur, ſuaſu Palatini ſecundi.

1. *Ex*

cium ſuum reus pertinuiſſe: nec, ſi quod in eo ſit delictum ſibi attribui oportere. Id genus cauſæ eſt hujuſmodi: In eo fœdere, quod factum eſt quondam cum Samnitibus, quidam adoleſcens nobilis porcam ſuſtinuit juſſu imperatoris. Fœdere autem ab ſenatu improbato, & imperatore Samnitibus dedito, quidam in ſenatu eum quoque dicit, qui porcam tenuerit, dedi oportere. Intentio eſt, Dedi oportet. Depulſio eſt, Non oportet. Quæſtio eſt, Oporteatne. Ratio eſt, Non enim meum fuit officium, nec mea poteſtas, cùm & id ætatis, & privatus eſſem, & eſſet ſumma cum auctoritate, & poteſtate imperator, qui videret ut ſatis honeſtum fœdus feriretur. Infirmatio eſt, At enim quoniam tu particeps factus es in turpiſſimo fœdere ſummæ religionis, dedi te convenit. Judicatio eſt, Cùm is, qui *poteſtatis nihil* habuerit, juſſu imperatoris, in fœdere & in tanta religione interfuerit, dedendusne ſit hoſtibus, necne. Hoc genus cauſæ à ſuperiore hoc differt, quòd in illo concedit ſe reus oportuiſſe facere id, quod fieri dicat accuſator oportuiſſe, ſed alicui rei, aut homini cauſam attribuit, quæ voluntati ſuæ fuerit impedimento ſine conceſſionis partibus. Nam earum major quædam vis eſt: quod paulo poſt intelligetur. In hoc autem non accuſare alterum, nec culpam in alium transferre debet, ſed demonſtrare, eam rem nec ad ſe, nec ad poteſtatem, neque ad officium ſuum pertinuiſſe aut pertinere. Atque in hoc genere hoc accidit novi, quòd accuſator quoque ſæpe ex remotione criminationem conficit. Ut ſi quis eum accuſat, qui, cùm prætor eſſet, in expeditionem ad arma populum vocarit, cùm Coſs. adeſſent. Nam ut in ſuperiore exemplo reus ab ſuo officio, ac poteſtate factum demovebat: ſic in hoc ab ejus officio ac poteſtate, qui accuſatur, ipſe accuſator factum removendo, hac ipſa ratione confirmat accuſationem. In hac ab utroque [1] ex omnibus honeſtatis, & utilitatis partibus, exemplis, ſignis, ratiocinando, quid cujuſque officii, juris, poteſtatis ſit quæri oportebit, &, fueritne ei, quo de agitur, id juris, officii, poteſtatis attributum, necne. Locos autem communeis ex ipſa re, ſi quid indignationis, ac conqueſtionis habebit, ſumi

31 oportebit. *Conceſſio* eſt, per quam [2] non factum ipſum improbatur, ab reo: ſed ut ignoſcatur, id petitur. cujus partes ſunt duæ, purgatio, & deprecatio. *Purgatio* eſt, per quam ejus qui accuſatur non factum ipſum, ſed voluntas defenditur. Ea habet parteis treis, imprudentiam, caſum, neceſſitudinem. *Imprudentia* eſt, cùm ſciſſe aliquid is, qui arguitur, negatur: Ut apud quoſdam lex erat, Ne quis Dianæ vitulum immolaret. Nautæ quidam, cùm adverſa tempeſtate in alto jactarentur, voverunt, ſi eo portu, quem conſpiciebant, potiti eſſent, ei deo, qui ibi eſſet, ſe vitulum immolaturos. Caſu erat in eo portu fanum Dianæ ejus, cui vitulum immolari non licebat. Imprudentes legis, cùm exiſſent, vitulum immolaverunt. Accuſantur. Intentio eſt, Vitulum immolaſtis ei deo, cui non licebat. Depulſio eſt in conceſſione poſita. Ratio eſt, neſcivi non licere. Infirmatio eſt, Tamen, quoniam feciſti quod non licebat, ex lege ſupplicio dignus es. Judicatio eſt, Cùm id fecerit, quod non oportuerit, & id non oportere neſcierit, ſitne ſupplicio dignus. *Caſus* autem inferetur in conceſſionem, cùm demonſtrabitur aliqua fortunæ vis voluntati obſtitiſſe, ut in hac: Cùm Lacedæmoniis lex eſſet, hoſtias niſi ad ſacrificium quoddam redemtor præbuiſſet, capitale eſſet: hoſtias is, qui redemerat, cùm ſacrificii dies inſtaret, in urbem ex agro cœpit agere. tum ſubito [3] magnis commotus tempeſtatibus fluvius Eurotas is, qui propter Lacedæmonem fluit, ita magnus & vehemens factus eſt, ut eo traduci victimæ nullo modo poſſent. Redemtor, ſuæ voluntatis oſtendendæ cauſa, hoſtias conſtituit omneis in litore, ut, qui trans flumen eſſent, videre poſſent. Cùm omnes ſtudio ejus ſubitam fluminis magnitudinem ſcirent fuiſſe impedimento, tamen quidam capitis arceſſierunt. Intentio eſt, Hoſtiæ, quas debuiſti, ad ſacrificium præſtò non fuerunt. Depulſio eſt, conceſſio. Ratio, Flumen enim ſubitò accrevit, & ea re traduci non potuerunt. Infirmatio eſt, Tamen, quoniam, quod lex jubet, factum non eſt, ſupplicio dignus es. Judicatio eſt, Cùm in ea re redemtor contra legem aliquid fecerit, qua in re ſtudio ejus ſubita fluminis obſtiterit magnitudo, ſupplicióne dignus ſit. *Neceſſitudo* 32

autem infertur, cùm vi quadam reus id, quod fecerit, feciſſe defenditur, hoc modo: Lex eſt apud Rhodios, ut, ſi qua roſtrata in portu navis deprehenſa ſit, publicetur. Cùm magna in alto tempeſtas eſſet: vis ventorum, invitis nautis, Rhodiorum in portum navim coëgit. Quæſtor navim populi vocat. Navis dominus negat publicari oportere. Intentio eſt, Roſtrata navis in portu deprehenſa eſt. Depulſio eſt, conceſſio. Ratio, Vi, & neceſſariò ſumus in portum coacti. Infirmatio eſt, Navim ex lege tamen populi eſſe oportet. Judicatio eſt, Cùm roſtratam navim in portu [4] deprehenſam lex publicarit, cumque hæc navis, invitis nautis, vi tempeſtatis in portum conjecta ſit, oporteatne eam publicari. Horum trium generum idcircò unum in locum contulimus exempla, quòd ſimilis in ea præceptio argumentorum traditur. Nam in his omnibus primùm, ſi quid res ipſa dabit facultatis, conjecturam induci ab accuſatore oportebit, ut id, quod voluntate factum negabitur, conſultò factum ſuſpicione aliquà demonſtretur: Deinde inducere definitionem neceſſitudinis, aut caſus, aut imprudentiæ: & exempla ad eam definitionem adjungere, in quibus imprudentia fuiſſe videatur, aut caſus, aut neceſſitudo, & ab his id quod reus inferat, ſeparare, id eſt, oſtendere *diſſimile*, quòd levius, facilius, non ignorabile, non fortuitum, non neceſſarium fuerit. Poſtea demonſtrare, potuiſſe vitari, & hac ratione provideri potuiſſe, ſi hoc, aut illud feciſſet, [5] aut niſi feciſſet, præcaveri: & definitionibus oſtendere, non hanc imprudentiam, aut caſum, aut neceſſitudinem, ſed inertiam, negligentiam, fatuitatem nominari oportere. Ac ſi qua neceſſitudo *turpitudinem* videbitur habere, oportebit per locorum communium implicationem redarguentem demonſtrare, quidvis perpeti, mori denique ſatius fuiſſe, quàm ejuſmodi neceſſitudini obtemperare. Atque tum ex his locis, de quibus in negotiali parte dictum eſt, juris & æquitatis naturam oportebit quærere, &, quaſi in abſoluta juridiciali, per ſe hoc ipſum ab rebus omnibus ſeparatim conſiderare. Atque hoc in loco, ſi facultas erit, exemplis uti oportebit, quibus in ſimili excuſatione non ſit ignotum: & contentione, magis illis ignoſcendum fuiſſe: & ex deliberationis partibus, turpe aut inutile eſſe concedi eam rem, quæ ab adverſario commiſſa ſit; permagnum eſſe, & magno futurum detrimento, ſi ea res ab iis, qui [6] poteſtatem habent vindicandi, neglecta ſit. Defenſor autem con- 33

verſis omnibus his partibus poterit uti. Maximè autem in voluntate defendenda commorabitur, & in ea re adaugenda, quæ voluntati fuerit impedimento: & ſe plus, quàm fecerit, facere non potuiſſe: & in omnibus rebus voluntatem ſpectari oportere: & ſe convinci non poſſe, quòd non abſit à cul-

1. *Ex omnibus honeſtatis & utilitatis partibus.*] Ita & Pal. ſec. nam editio prima, omiſit *honeſtatis &*: ideo videlicet quod reperiſſet in antiquis, *& omnibus honeſtatis partibus*, *& omnibus utilitatis partibus*; quod & in vulgata: arbitrareturque alterum membrum eſſe è varia lectione.

2. *Non factum ipſum improbatur.*] Sequentia volunt legamus, *probamus*; quod & Voſſius noſter vidit electis illis Oratoriarum Inſtitutionum libris: neque aliter Pall. ſec.

3. *Magnis commotis tempeſtatibus.*] Eſt à Pal. ſec. quemadmodum conjecerat Lambinus. retrò cuſi *commotus*.

4. *Deprehenſam lex publicarit.*] Lambini editio, *lex jubeet publicari*, ſed præter editionem caſcam & Pall. tres.

5. *Aut niſi feciſſet, præcaveri.*] Editionum prima, *aut ne ſic feciſſet præcaveri.* quomodo & Palatin. ſecund. nam prim. tres priores voces non habet; offendi tamen vulgatum in Palatin. tertio. Lambinus finxit, *ac ne ſi faceret, præcaveri.* Gulielmius ſcribebat è pleriſque Suffridi libris, *aut nec feciſſet præcaveri*; quod non contempſerim.

6. *Poteſtatem vindicandi.*] Ita quoque Pall. prim. ac tert. Item Grev. & Suffridæi. recepta lectio *judicandi*.

à culpa : & ex ſuo nomine communem hominum infirmi-
tatem poſſe damnari. Deinde NIHIL INDIGNIUS eſſe,
quam eum, qui culpa careat, ſupplicio non carere. Loci
autem communes accuſatoris, unus in confeſſione, & al-
ter, quanta poteſtas peccandi relinquatur, ſi ſemel inſtitu-
tum ſit, ut non de facto, ſed de facti cauſa quæratur. de-
fenſoris conqueſtio calamitatis ejus, quæ non culpa, ſed
vi majore quadam acciderit, & de fortunæ poteſtate, & ho-
minum infirmitate, & uti ſuum *animum* non *eventum* con-
ſiderent In quibus omnibus conqueſtionem ſuarum ærum-
narum, & crudelitatis adverſariorum indignationem ineſſe
oportebit. Ac neminem mirari conveniet, ſi aut in his, aut
in aliis exemplis ſcripti quoque controverſiam adjunctam
videbit. Quo de genere pòſt erit nobis ſeparatim dicen-
dum, propterea quòd quædam genera cauſarum, ſimplici-
ter, & ex ſua vi conſiderantur : quædam autem ſibi aliud
quoque aliquod controverſiæ genus aſſumunt. Quare o-
mnibus cognitis, non erit difficile in unamquamque cau-
ſam transferre, quod ex eo quoque genere conveniet : ut in
his exemplis conceſſionis ineſt omnibus ſcripti controver-
ſia ea, quæ ex ſcripto & ſententia nominatur : ſed quia de
conceſſione loquebamur, in eam præcepta dedimus. Alio
autem loco de ſcripto & ſententia dicemus. Nunc in alte-
34 ram conceſſionis partem conſiderationem intendemus. De-
precatio eſt, in qua non defenſio facti, ſed ignoſcendi po-
ſtulatio continetur. Hoc genus vix in judicio probari poteſt,
ideò quòd CONCESSO peccato, difficile eſt ab eo, qui
peccatorum vindex eſſe debet, ut ignoſcat, impetrare. Qua-
ſe parte ejus generis, cùm cauſam non in eo conſtitueris,
uti licebit. Ut ſi pro aliquo claro, aut forti viro, cujus in
rempublicam multa ſint beneficia, dixeris : poſſis, cùm vi-
dearis non uti deprecatione, uti tamen, ad hunc modum :
Quòd ſi, judices, hic pro ſuis beneficiis, pro ſuo ſtudio,
quod in vos habuit ſemper, tali ſuo tempore, multorum
ſuorum rectè factorum cauſa, *uni delicto* ut ignoſceretis
poſtularet, [1] tam dignum veſtra manſuetudine, quàm vir-
tute hujus eſſet, judices, à vobis hanc rem, hoc poſtulan-
te, impetrari. Deinde augere beneficia licebit, & judices
per locum communem [2] ad ignoſcendi voluntatem ducere.
Quare hoc genus, quamquam in judiciis non verſatur, niſi
quadam ex parte : tamen quia & pars ipſa inducenda non-
numquam eſt, & in ſenatu, aut conſilio ſæpe omni in ge-
nere tractanda, in id quoque præcepta ponemus. Nam in
ſenatu, & in conſilio de Siphace diu deliberatum eſt; &
de Q. Numitorio Pullo apud L. Opimium, & ejus conſi-
lium diu dictum eſt. Et magis in hoc quidem ignoſcendi,
quàm cognoſcendi poſtulatio valuit. nam ſemper animo
bono ſe in populum Rom. fuiſſe non tam facilè probabat,
cùm conjecturali conſtitutione uteretur, quàm ut, propter
poſterius beneficium, ſibi ignoſceretur, cùm deprecatio-
35 nis parteis adjungeret. Oportebit igitur eum, qui ſibi ut
ignoſcatur, poſtulabit, commemorare ſi qua ſua poterit be-
neficia, & ſi poterit, oſtendere, ea majora eſſe, quàm hæc,
quæ deliquerit, ut plus ab eo *boni* quàm *mali* profectum eſſe
videatur : deinde majorum ſuorum beneficia, ſi qua exſta-
bunt, proferre : Deinde oſtendere, non odio, neque cru-
delitate feciſſe quod fecerit, ſed aut ſtultitia, aut impulſu
alicujus, aut aliqua honeſta, aut probabili cauſa : Poſtea
polliceri, & confirmare, ſe & hoc peccato doctum, & be-
neficio eorum, qui ſibi ignoverint, confirmatum, omni
tempore à tali ratione abfuturum : Deinde ſpem oſtendere,
aliquo ſe in loco, magno iis, qui ſibi conceſſerint, uſui fu-
turum. Poſtea, ſi facultas erit, ſe aut conſanguineum [3] aut
jam à majoribus inprimis amicum eſſe demonſtrabit; &
amplitudinem ſuæ voluntatis, & nobilitatem generis eo-
rum, qui ſe ſalvum velint, & dignitatem oſtendere, & ce-
tera ea, quæ perſonis ad honeſtatem, & amplitudinem ſunt
attributa, cum conqueſtione, ſine arrogantia in ſe eſſe de-
monſtrabit, ut honore potius aliquo, quàm ullo ſupplicio
dignus eſſe videatur : Deinde ceteros proferre, quibus *ma-
jora delicta* conceſſa ſint. Ac multum proficiet, ſi ſe miſe-
ricordem in poteſtate, & propenſum ad ignoſcendum fuiſſe
oſtendet. Atque ipſum illud peccatum erit extenuandum,
ut quàm mininùm obfuiſſe videatur; & aut turpe, aut in-
utile demonſtrandum, tali de homine ſupplicium ſumere.
Deinde locis communibus miſericordiam captare oporte-
bit ex iis præceptis, quæ in primo libro ſunt expoſita. Ad- 36
verſarius autem malefacta augebit : nihil imprudenter, ſed
omnia ex crudelitate, & malitia facta dicet. Ipſum immi-
ſericordem, & ſuperbum fuiſſe, & ſi poterit, oſtendet
ſemper inimicum fuiſſe, & amicum fieri nullo modo poſſe.
Si beneficia proferet : aut aliqua de cauſa facta, non propter
benivolentiam demonſtrabit, [4] aut poſtea odium eſſe acre
ſuſceptum, aut illa omnia maleficiis eſſe deleta : aut levio-
ra beneficia, quàm maleficia : aut, CUM BENEFICIIS
honos habitus ſit, pro maleficio pœnam ſumi oportere. De-
inde turpe eſſe, aut inutile, ignoſci. Deinde, de quo ut po-
teſtas eſſet, ſæpe optarint, in eum poteſtate non uti, ſum-
mam eſſe ſtultitiam : & cogitare oportere, quem animum
in eum, vel quale odium habuerint. Locus autem com-
munis erit, indignatio maleficii; & alter, eorum MISE-
RERI oportere, qui propter fortunam, non propter ma-
litiam in miſeriis ſint. Quoniam igitur in generali conſti-
tutione tamdiu propter ejus partium multitudinem com-
moramur, ne forte varietate & diſſimilitudine rerum didu-
ctus alicujus animus in quendam errorem deferatur : quid
etiam nobis ex eo genere reſtet, & quare reſtet, admonen-
dum videtur. Juridicialem cauſam eſſe dicebamus, in qua
æqui & iniqui natura, præmii aut pœnæ ratio quæreretur.
Eas cauſas, in quibus de æquo & iniquo quæritur, expo-
ſuimus. Reſtat nunc, ut de præmio, & de pœna explice- 37
mus. ſunt enim multæ cauſæ, quæ ex præmii alicujus pe-
titione conſtant. nam & apud judices de præmio ſæpe ac-
cuſatorum quæritur, & à ſenatu, aut conſilio aliquod præ-
mium ſæpe petitur. Ac neminem conveniet arbitrari, nos,
cùm aliquod exemplum ponamus quod in ſenatu agatur,
ab judiciali genere exemplorum recedere. Quicquid enim
de homine probando, aut improbando dicitur, cùm ad
eam dictionem, ſententiarum quoque ratio accommode-
tur, id non, ſi per ſententiæ dictionem agitur, deliberati-
vum eſt : ſed quia de homine ſtatuitur, judiciale eſt haben-
dum. Omnino autem qui diligenter omnium cauſarum
vim, & naturam cognoverit, [5] cùm genere primò, tum
etiam forma eas intelliget diſſidere. Ceteris autem partibus
aptas inter ſe omneis, & aliam in aliam implicatam vide-
bit. Nunc de præmiis conſideremus. L. Licinius Craſſus
COS. quoſdam in citeriore Gallia, nullo illuſtri, neque
certo duce, neque eo nomine, neque numero præditos,
ut digni eſſent, qui *hoſtes* populi Rom. eſſe dicerentur :
quòd tamen excurſionibus, & latrociniis infeſtam provin-
ciam redderent, confectatus eſt, & confecit: Romam rediit:
triumphum ab ſenatu poſtulat. Hìc, ut & in deprecatione,
nihil ad nos attinet, rationibus & infirmationibus ratio-
num ſupponendis, ad judicationem pervenire : propterea
quòd,

1. *Tam dignum veſtra manſuetudine, &c.*] Secutus ſum Victoria-
num, cui favet etiam editio princeps, item Pal. tert. nam pr. *tunc
dignum, &c.* at ſec. *tamen dignum veſtra manſuetudine, dignum virtute,
&c.* quod quidem reſtat in vulgata, ſed rejicit etiam codex Grev.
item liber Auguſtanus, in quo nihilominus remanet, *tamen* pro *tam*.

2. *Ad ignoſcendi voluntatem ducere.*] Pal. pr. *inducere.* ſec. *deducce-
re*, quod & in edit. prima,

3. *Aut jam à majoribus in primis, &c.*] Pall. repetita vocula, *aut
in primis.* Grevenb. *majoribus aut primis*; quomodo emendatum in
Pal. tert. videturque probaſſe Gulielmius. maluiſſem ego cum li-
bro Auguſtano, *à majoribus primis.*

4. *Aut poſtea odium eſſe acre ſuſceptum, &c.*] Pal. prim. *ab re ſuſce-
ptum.* ſec. tert. *hac re ſuſceptum.* utrumque habet quo ſe tueatur;
præſertim ultimum, quod & comparet in ampliſſimi Caroli Rech-
lingeri membranis Ulricianis.

5. *Cum genere primò.*] Vox *primò* non exſtat in ullo Pall. habet ta-
men editio princeps. Grevenb. præfert, *genere primò & forma*, ſine
illo *cum*, aut *tum etiam*.

1. *Cum*

quòd, niſi alia quoque incidet conſtitutio, aut pars conſtitutionis, ſimplex erit judicatio, & in quæſtione ipſa continebitur. In deprecatione, hujuſmodi, Oporteatne pœna affici: in hac, hujuſmodi, Oporteatne præmium dari. Nunc

38 ad præmii quæſtionem appoſitos locos exponemus. Ratio igitur præmii quattuor eſt in parteis diſtributa: in beneficia, in hominem, in præmii genus, in facultates. *Beneficia* ex ſua vi, ex tempore, ex animo ejus, qui fecit, ex cauſa conſiderantur. Ex ſua vi quærentur, hoc modo: Magna, an parva: facilia, an difficilia: ſingularia ſint, an vulgaria: vera, an falſa quadam ex oratione honeſtentur. Ex tempore autem, Si tum, cùm indigeremus: cùm ceteri non poſſent, aut nollent opitulari: ſi tum, [1] cùm ſpes deſeruiſſet. Ex animo, Si non ſui commodi cauſa, ſed eo conſilio fecit omnia, ut hoc conficere poſſet. Ex caſu, Si non fortuna, ſed induſtria factum videbitur, aut ſi induſtriæ fortuna obſtitiſſet. In hominem autem, Quibus rationibus vixerit, quid ſumtus in eam rem, aut laboris inſumſerit: ecquid aliquando tale fecerit, num alieni laboris, aut deorum bonitatis præmium ſibi poſtulet: num aliquando ipſe talem ob cauſam præmio aliquem affici negarit oportere: aut [2] num jam ſatis pro eo, quod fecerit, honos habitus ſit: aut num neceſſe fuerit ei facere id, quod fecerit: aut num hujuſmodi ſit factum, ut, *niſi feciſſet*, ſupplicio dignus eſſet; non, quia fecerit, præmio: aut num ante tempus præmium petat, & ſpem incertam certo venditet pretio: aut num, quò ſupplicium aliquod vitet, eò præmium po-

39 ſtulet, uti de ſe præjudicium factum eſſe videatur. In præmii autem genere, quid, & quantum, & quamobrem poſtuletur, & quo, quanto quæque res præmio digna ſit, conſiderabitur. Deinde, apud *majores* quibus hominibus, & quibus de cauſis talis honos ſit habitus, quæretur. Deinde ne is honos [3] nimiùm pervagetur. Atque hic ejus, qui contra aliquem præmium poſtulantem dicet, locus erit communis, PRÆMIA virtutis & officii, ſancta & caſta eſſe oportere: neque ea aut cum improbis communicari, aut in mediocribus hominibus pervulgari. Et alter, MINUS homines virtutis cupidos fore, virtutis præmio pervulgato. quæ enim rara, & ardua ſint, [4] ea ex præmio pulcra, & jucunda hominibus videri. Et tertius, ſi exſiſtant, qui apud majores noſtros ob egregiam virtutem tali honore dignati ſunt, nonne de ſua gloria, cùm pari præmio taleis homines affici videant, [5] deliberari putent? & eorum enumeratio, & cum eis, quos contra dicat, comparatio. Ejus autem, qui præmium petet, facti ſui amplificatio, & eorum, qui præmio affecti ſunt, cum ſuis factis contentio. Deinde ceteros à virtutis ſtudio repulſum iri, ſi ipſe præmio non ſit affectus. Facultates autem conſiderantur, cum aliquod pecuniarium præmium poſtulatur: in quo utrum copiane ſit agri, vectigalium, pecuniæ, an pænuria, conſideratur. Loci communes, FACULTATES augere, non minuere, oportere, & IMPUDENTEM eſſe, qui pro beneficio non gratiam, verùm mercedem poſtulet: contrà autem de pecunia ratiocinari, ſordidum eſſe, cùm de gratia referenda deliberetur: & ſe non pretium pro facto, ſed honorem, ita ut factitatum ſit, pro beneficio poſtulare. Ac de conſtitutionibus quidem ſatis dictum eſt: nunc de iis controverſiis, quæ in ſcripto verſantur, dicendum vi-

40 detur. In ſcripto verſatur controverſia, cùm ex ſcriptionis ratione aliquid dubii naſcitur. Id fit ex ambiguo, ex ſcripto & ſententia, ex contrariis legibus, ex ratiocinatione, ex definitione. Ex ambiguo autem naſcitur controverſia, cùm quid ſenſerit ſcriptor, obſcurum eſt, quod ſcriptum duas pluresve res ſignificat, ad hunc modum: Paterfamilias, cùm filium heredem faceret, vaſorum argenteorum centum pondo uxori ſuæ ſic legavit: HERES MEUS UXORI MEÆ VASORUM ARGENTEORUM PONDO CENTUM, QUÆ VOLET, DATO. Poſt mortem ejus vaſa magnifica, & pretioſè cælata petit à filio mater. ille ſe, quæ ipſe vellet, debere dicit. Primùm, ſi fieri poterit, demonſtrandum eſt, non eſſe ambiguè ſcriptum, propterea quòd omnes in conſuetudine ſermonis ſic uti ſolent eo verbo uno, pluribuſve in ea *ſententia*, in qua is, qui dicet, accipiendum eſſe demonſtrabit. Deinde ex ſuperiore, & ex inferiore ſcriptura docendum, id, quod quæratur, fieri perſpicuum. Quare ſi ipſa ſeparatim ex ſe verba conſiderentur, omnia, aut pleraque, ambigua viſum iri. Quæ autem ex omni conſiderata ſcriptura perſpicua fiant, hæc ambigua non oportere exiſtimari. Deinde qua in ſententia ſcriptor fuerit, ex ceteris ejus ſcriptis, factis, dictis, animo, atque vita ejus ſumi oportebit, & eam ipſam ſcripturam, in qua inerit illud ambiguum, de quo quæritur, totam omnibus ex partibus pertentare, ſi quid, aut ad id appoſitum ſit, quod nos interpretemur, aut ei, quod adverſarius intelligat, adverſetur. Nam facilè, quid veriſimile ſit eum *voluiſſe*, qui ſcripſit, ex omni ſcriptura, & ex perſona ſcriptoris, atque iis rebus, quæ perſonis attributæ ſunt, conſiderabitur. Deinde erit demonſtrandum, ſi quid ex ipſa re dabitur facultatis, id, quod adverſarius intelligat, multo minus commodè fieri poſſe, quàm id, quod nos accipimus, quòd illius rei neque adminiſtratio, neque exitus ullus exſtet: nos quod dicamus, facilè & commodè tranſigi poſſe. ut in hac lege (nihil enim prohibet fictam exempli loco ponere, quo faciliùs res intelligatur) MERETRIX CORONAM AUREAM NE HABETO. SI HABUERIT, PUBLICA ESTO, contra eum, qui meretricem publicari dicat ex lege oportere, poſſet dici, neque adminiſtrationem eſſe ullam publicæ meretricis, neque exitum legis in meretrice publicanda. at in auro publicando & adminiſtrationem, & exitum facilem eſſe, & incommodi nihil ineſſe. Ac diligenter illud 41

quoque attendere oportebit, num, illo probato, quod adverſarius intelligat, utilior res, aut honeſtior, aut magis neceſſaria, à ſcriptore neglecta videatur. Id fiet, ſi id, quod nos demonſtrabimus, honeſtum, aut utile, aut neceſſarium demonſtrabimus: &, ſi id, quod ab adverſariis dicetur, minimè ejuſmodi dicemus eſſe. Deinde ſi in lege erit ex ambiguo controverſia, dare operam oportebit, ut de eo, quod adverſarius intelligat, alia in lege cautum eſſe doceatur. Permultum autem proficiet illud demonſtrare, quemadmodum ſcripſiſſet, ſi id, quod adverſarius accipiat, fieri, aut intelligi voluiſſet: ut in hac cauſa, in qua de vaſis argenteis quæritur, poſſit mulier dicere, nihil attinuiſſe adſcribi, *quæ volet*, ſi heredis voluntati permitteret. eo enim non adſcripto nihil ineſſe dubitationis, quin heres, quæ ipſe vellet, daret. Amentiæ igitur fuiſſe, cùm heredi vellet cavere, id adſcribere, quo non adſcripto, nihilominus heredi caveretur. Quare hoc genere magnopere talibus in cauſis uti oportebit: ſi hoc modo ſcripſiſſet, iſto verbo uſus non eſſet, non iſto loco verbum iſtud collocaſſet. Nam ex his ſententia ſcriptoris maximè perſpicitur. Deinde quo tempore ſcriptum ſit, quærendum eſt, ut, quid eum voluiſſe in ejuſmodi tempore veriſimile ſit, intelligatur. Poſt ex deliberationis partibus, quid utilius, & quid honeſtius, & illi ad ſcribendum, & his ad comprobandum ſit, demonſtrandum: & ex his, ſi quid amplificationis dabitur, communibus utrumque locis uti oportebit. Ex

1. *Cum ſpes deſeruiſſet.*] Ad textum hactenus, *opitulatus ſit*, cujus nullum judicium in Pal. ſec. aut Grev. ideoque abjeci.

2. *Num ſatis, &c. honos habitus ſit.*] Editio Lambini habet appoſitum oræ, fortè *honoris*, non alterum æquè Latinè dicitur; ut pluribus oſtendi in libellis Suſpicionum.

3. *Nimium pervagetur.*] Lambinus ait eſſe, qui autument ſubſtituendum, *pervulgetur*, quod ea voce mox utatur, at ideo mihi minimè quid mutandum videtur.

4. *Ea experiendo pulcra, &c.*] Revocavi quod erat in Pall. tribus & Grev. neque recedebat ed. antiqua; niſi quod ea *expediendo*, deinceps publicata, *ea ex præmio pulcra, &c.* quam lectionem non ſollicitaſſem, niſi à noſtra ſtetiſſent etiam mſſ. Lambin. item Rechling.

5. *Deliberari putent?*] Lambinus emendat *delibrari*, mihi videbatur ferri poſſe vulgata; Si vellemus in dubium vocari an operæ pretium fecerint. alioquin veniebat ſub ſtylum, *delibari*. videatur & hujus libri cap. penultimum.

42 Ex ſcripto & ſententia controverſia conſiſtit, cùm alter verbis ipſis, quæ ſcripta ſunt, utitur: alter ad id, quod ſcriptorem ſenſiſſe dicet, omnem adjungit dictionem. Scriptoris autem ſententia ab eo, qui ſententia ſe defendet, tum ſemper ad idem ſpectare, & idem velle demonſtrabitur: tum aut ex facto, aut ex eventu aliquo ad tempus id, quod inſtituit, accommodabitur. Semper ad idem ſpectare, hoc modo: Paterfamiliâs cùm liberorum nihil haberet, uxorem autem haberet, in teſtamento ita ſcripſit: [1] SI MIHI FILIUS GENITUS UNUS, PLURESVE, IS MIHI HERES ESTO. Deinde quæ aſſolent. Poſtea, SI FILIUS ANTE MORITUR, QUAM IN TUTELAM SUAM VENERIT, TU MIHI, DICEBAT, SECUNDUS HERES ESTO. Filius non eſt natus. ambigunt agnati cum eo, qui eſt heres, ſi filius antè, quàm in ſuam tutelam veniat, mortuus ſit. In hoc genere non poteſt hoc dici, ad tempus, aut ad eventum aliquem ſententiam ſcriptoris oportere accommodari: propterea quòd ea ſola demonſtratur, qua fretus ille, qui contra ſcriptum dicit, ſuam eſſe hereditatem defendit. Alterum autem genus eſt eorum, qui ſententiam inducunt. in quo non ſimplex voluntas ſcriptoris oſtenditur, quæ in omne tempus, & in omne factum idem valeat. ſed ex quodam facto, aut eventu ad tempus interpretanda dicitur. Ea partibus juridicialis aſſumtivæ maximè ſuſtinetur. Nam tum inducitur comparatio, ut in eum, qui, cùm lex *aperiri portas noctu* vetaret, aperuit quodam in bello, & auxilia quædam in oppidum recepit, ne ab hoſtibus opprimerentur, ſi foris eſſent, quòd prope muros hoſtes caſtra haberent. Tum relatio criminis, [2] ut in eo, qui, cùm communis lex omnium hominem *occidere* vetaret, tribunum militum ſuum, qui vim ſibi inferre conaretur, occîdit. Tum remotio criminis, ut in eo, qui, cùm lex, quibus diebus in legationem proficiſceretur, præſtituerat: quia ſumtum quæſtor non dedit, profectus non eſt. Tum conceſſio per purgationem, & per imprudentiam, ut in vituli immolatione: & per vim, ut in navi roſtrata: & per caſum, ut in Eurotæ fluminis magnitudine. Quare aut ita ſententia inducetur, ut unum quiddam voluiſſe ſcriptor demonſtretur: aut ſic, ut in ejuſmodi re, & tempore hoc

43 voluiſſe doceatur. Ergo is, qui ſcriptum defendit, his locis plerumque omnibus, majore autem parte ſemper poterit uti: Primùm ſcriptoris collaudatione, & loco communi, nihil eos, qui judicent, niſi id, quod ſcriptum ſit, ſpectare oportere: & hoc eo magis, ſi *legitimum ſcriptum* proferetur, id eſt, aut lex ipſa, aut ex lege aliquid. Poſtea quod vehementiſſimum eſt, facti, aut intentionis adverſariorum cum ipſo ſcripto contentione, quid ſcriptum ſit, quid factum, quid juratus judex: quem locum multis modis variare oportebit. Tum ipſum ſecum admirantem, quidnam contrà dici poſſit: tum ad judicis officium revertentem, & ab eo quærentem, quid præterea audire, aut exſpectare debeat: tum ipſum adverſarium, quaſi intentantis loco, producendo, hoc eſt, interrogando, utrum ſcriptum neget eſſe eo modo, an ab ſe contrà factum eſſe, aut contrà contendi neget: utrum negare auſus ſit, ſe dicere deſiturum. Si neutrum neget, & contrà tamen dicat: nihil eſſe, quò hominem impudentiorem quiſquam ſe viſurum arbitretur. In hoc ita commorari conveniet, quaſi nihil præterea dicendum ſit, & quaſi contrà dici nihil poſſit, ſæpe id, quod ſcriptum eſt recitando; ſæpe cum ſcripto factum adverſarii confligendo; atque interdum acriter ad judicem ipſum revertendo. Quo in loco judici demonſtrandum eſt, quid *juratus* ſit, quid ſequi debeat: duabus de cauſis judicem dubitare oportere, ſi aut ſcriptum ſit obſcurè, aut neget ali-

44 quid adverſarius. Cùm & ſcriptum apertè ſit, & adverſarius omnia confiteatur, tum judicem legi parêre, non interpretari legem oportere. Hoc loco confirmato, tum diluere ea, quæ contrà dici poterant, oportebit. Contrà autem dicetur, ſi aut prorſus aliud ſenſiſſe ſcriptor, & ſcripſiſſe aliud demonſtrabitur: ut in illa de teſtamento, quam poſuimus, controverſia, aut cauſa aſſumtiva inferetur, quamobrem ſcripto non potuerit, aut non oportuerit obtemperari. Si aliud ſenſiſſe ſcriptor, aliud ſcripſiſſe dicetur, is, qui ſcripto utetur, hoc dicet, non oportere de ejus voluntate nos argumentari, qui, ne id facere poſſemus, [3] judicium nobis reliquerit ſuæ voluntatis: multa incommoda conſequi, ſi inſtituatur, ut à ſcripto recedatur. nam & eos, qui aliquid ſcribant, non exiſtimaturos, id, quod ſcripſerint, ratum futurum: & eos, qui judicent, certum, quod ſequantur, nihil habituros, ſi ſemel à ſcripto recedere conſueverint. Quòd ſi voluntas ſcriptoris conſervanda ſit, ſe, non adverſarios, à voluntate ejus ſtare: nam multo propius accedere ad ſcriptoris voluntatem, eum, qui ex ipſius eam litteris interpretetur, quàm illum, qui ſententiam ſcriptoris non ex ipſius ſcripto ſpectet, quod ille ſuæ voluntatis quaſi *imaginem* reliquerit, ſed domeſticis ſuſpicionibus perſcrutetur. Sin cauſam afferet is, qui à ſententia ſtabit, primùm erit contrà dicendum: quàm abſurdum, non negare contra legem feciſſe, ſed quare fecerit, cauſam aliquam invenire. Deinde converſa omnia eſſe: antè ſolitos eſſe accuſatores judicibus perſuadere, affinem eſſe alicujus culpæ eum, qui accuſaretur: cauſam proferre, quæ eum ad peccandum impuliſſet: nunc ipſum reum cauſam afferre, quare deliquerit. Deinde hanc inducere partitionem, cujus in ſingulas parteis multæ convenient argumentationes. Primùm nulla in lege ullam cauſam contra ſcriptum accipi convenire: Deinde ſi in ceteris legibus conveniat, hanc eſſe hujuſmodi legem, ut in ea non oporteat. Poſtremò ſi in hac quoque lege oporteat, hanc quidem cauſam accipi minimè oportere. Prima pars his ferè locis confirmabitur, ſcriptori neque 45
ingenium, neque operam, neque ullam facultatem defuiſſe, quo minus poſſet apertè perſcribere id, quod cogitaret: non fuiſſe ei grave, nec difficile, eam cauſam excipere, quam adverſarii proferant, ſi quicquam excipiendum putaſſet: conſueſſe eos, qui leges ſcribant, exceptionibus uti. Deinde oportet recitare leges cum exceptionibus ſcriptas, & maximè videre, ſi qua in ea ipſa lege, qua de agitur, ſit exceptio aliquo in capite, aut apud eundem legis ſcriptorem, quo magis eum probetur fuiſſe excepturum, ſi quid excipiendum putaret: & oſtendere, cauſam accipere, nihil aliud eſſe, niſi legem tollere: ideò quòd, cùm ſemel cauſa conſideretur, nihil attineat eam ex lege conſiderare, quippe quæ in lege ſcripta non ſit. Quod ſi ſit inſtitutum: omnibus cauſam dari, & poteſtatem peccandi, cùm intellexerint, vos ex ingenio ejus, qui contra legem fecerit, non ex lege, in quam jurati ſitis, rem judicare. Deinde & ipſis judicibus judicandi, & ceteris civibus vivendi rationes *perturbatum* iri, ſi ſemel à legibus receſſum ſit. Nam & judices neque quid ſequantur, habituros, ſi ab eo, quod ſcriptum ſit, recedant: neque, [4] quo pacto aliis improbare poſſint, quod contra legem judicarint: & ceteros civeis, quid agant ignoraturos, ſi ex ſuo quiſque conſilio, & ex ea ratione, quæ in mentem, aut in libidinem venerit, non ex communi præſcripto civitatis unamquamque rem adminiſtrabit. Poſtea quærere à judicibus ipſis, quare in alienis detineantur negotiis: cur reip. munere impediantur, [5] cùm ſæpius feriis ſuis rebus & commodis ſervire poſſint: cur in certa verba jurent, cur certo tempore conveniant, certo diſcedant: nihil quiſquam afferat cauſæ quo minus frequenter operam reipub.

1. *Si mihi filius genitus unus, &c.*] Ita Pall. & Lambiniani, nam editio prima, *Si mihi genitus ſit filius unus.* ſequentes, *Si mihi filius genitus fuerit unus.* Lamb. finxit, *filius genitur unus;* non neceſſario.

2. *Ut in eo qui, &c. tribunum militum ſuum, &c.*] Mſſ. & olim vulgati, *eo milite qui;* ut putem reſcribendum, *ut in eo milite qui, &c. tribunum ſuum, &c.*

3. *Judicium nobis reliquerit ſuæ voluntatis.*] Palat. ſecund. tert. Grevenbruch. *indicium*, hæreo in eligendo.

4. *Quo pacto aliis improbare poſſit.*] Victoriana *alios*; Lambini, *in aliis improbare*; membranæ Suffridi noſtri *probarem*. an fuit? *improperare* aut *exprobrare*.

5. *Cum ſæpius feriis ſuis rebus.*] Adjeci vocem *feriis*, fide Pall. ſec. tert. ac Grevenb. ejus loco erat in pr. *neceſſariis*, interpretamentum ſcilicet alterius.

1. *Ejus*

reipub. det, niſi quæ cauſa ex lege excepta ſit: an ſe legibus obſtrictos in tantis moleſtiis eſſe æquum cenſeant, adverſarios noſtros leges negligere concedant. Deinde item quærere ab judicibus, ſi [1] ejus rei cauſam, propter quam ſe reus contra legem feciſſe dicat, exceptionem ipſe in lege adſcribat, paſſurine ſint. Poſtea hoc, quod faciat, indignius & impudentius eſſe, quàm ſi adſcribat. Age porrò, quid ſi ipſi velint judices adſcribere? paſſuruſne ſit populus? atque hoc eſſe indignius, quam rem verbo & litteris mutare non poſſint, eam re ipſa, & judicio maximè commutare. Deinde indignum eſſe de lege aliquid derogari, aut legem abrogari, aut aliqua ex parte commutari, cùm *populo* cognoſcendi, & probandi, aut improbandi poteſtas nulla fiat: hoc ipſis judicibus invidioſiſſimum futurum. non hunc locum eſſe, neque hoc tempus legum corrigendarum: apud populum hoc, & per populum agi convenire. quòd ſi nunc id agant, velle ſe ſcire, qui lator ſit, qui ſint accepturi: [2] ſe actiones videre, & diſſuadere velle. Quòd ſi hæc cùm ſummè inutilia, tum multo turpiſſima ſint; legem cujuſcemodi ſit, in præſentia conſervari à judicibus: poſt, ſi diſpliceat, à populo corrigi convenire. Deinde, ſi ſcriptum non exſtaret, magnopere quæreremus: neque iſti, ne ſi extra periculum quidem eſſet, crederemus. nunc cùm ſcriptum ſit, amentiam eſſe, ejus, qui peccarit potiùs, quàm legis ipſius verba cognoſcere. His, & hujuſmodi rationibus oſtenditur, causam extra ſcriptum accipi non oportere.
46 Secunda pars eſt, in qua eſt oſtendendum, ſi in ceteris legibus oporteat, in hac non oportere. Hoc demonſtrabitur, ſi lex aut ad res maximas, utiliſſimas, honeſtiſſimas, religioſiſſimas videbitur pertinere: aut inutile, aut turpe, aut nefas eſſe tali in re non diligentiſſimè legi obtemperare: aut ita lex diligenter perſcripta demonſtrabitur, ita cautum unaquaque de re, ita quod oportuerit, exceptum, ut minimè conveniat quidquam in tam diligenti ſcriptura prætermiſſum arbitrari. Tertius locus eſt ei, qui pro ſcripto dicet, maximè neceſſarius, per quem oſtendat oportet, ſi conveniat cauſam contra ſcriptum accipi; eam tamen minimè oportere, quæ ab adverſariis afferatur. Qui locus idcirco eſt huic neceſſarius, quòd ſemper is, qui contra ſcriptum dicit, *æquitatis* aliquid afferat oportet. nam ſumma impudentia eſt, eum, qui contra quod ſcriptum ſit, aliquid probare velit, non æquitatis præſidio id facere conari. Siquid igitur ex hac ipſa quippiam accuſator deroget, omnibus partibus juſtiùs, & probabiliùs accuſare videatur. [3] Nam ſuperior oratio hoc omnis faciebat, uti judices, etiam ſi nollent, neceſſe eſſet. hæc autem etiam ſi neceſſe non eſſet, ut vellent contrà judicare. Id autem fiet, ſi, quibus ex locis culpa demonſtrabitur non eſſe in eo, qui comparatione, aut remotione, aut relatione criminis, aut conceſſionis partibus ſe defendit, (de quibus antè, ut potuimus, diligenter perſcripſimus) de his locis quæ res poſtulabit, ad cauſam adverſariorum improbandam transferemus: aut cauſæ & rationes afferentur, quare, & quo conſilio ita ſit in lege, aut in teſtamento ſcriptum: ut ſententia quoque, & voluntate ſcriptoris non ipſa ſolùm ſcripturæ cauſa confirmatum eſſe videatur: aut aliis quoque
47 conſtitutionibus factum coarguetur. Contra ſcriptum autem qui dicet, primùm eum inducet locum, per quem *æquitas* cauſæ demonſtretur: aut oſtendet, quo animo, quo conſilio, qua de cauſa fecerit: &, quamcunque cauſam aſſumet, aſſumtionis partibus ſe defendet, de quibus antè dictum eſt. Atque hoc in loco cùm diutiùs commoratus, ſui facti rationem, & æquitatem cauſæ exornaverit, tum ex his locis ferè contra adverſarios dicet oportere cauſas accipi: demonſtrabit, NULLAM eſſe legem, quæ aliquam rem inutilem, aut iniquam fieri velit: OMNIA ſupplicia, quæ à legibus proficiſcantur, culpæ, ac malitiæ vindicandæ cauſa conſtituta eſſe. Scriptorem ipſum, ſi exiſtat, factum hoc probaturum: & idem ipſum, ſi ei talis res accidiſſet, facturum fuiſſe: & ea re legis ſcriptorem certo ex ordine *judices*, certa ætate præditos conſtituiſſe, ut eſſent, non qui ſcriptum ſuum recitarent, quod quivis puer facere poſſet, ſed qui cogitationem aſſequi poſſent, & voluntatem interpretari. Deinde illum ſcriptorem, ſi ſcripta ſua ſtultis hominibus, & barbaris judicibus committeret, omnia ſumma diligentia perſcripturum fuiſſe: nunc verò, quòd intelligeret, quales viri judicaturi eſſent, idcirco eum, quæ perſpicua videret eſſe, non adſcripſiſſe: neque enim vos ſcripti ſui recitatores, ſed voluntatis interpretes fore putavit. Poſtea quærere ab adverſariis, quid ſi hoc feciſſem? quid ſi hoc accidiſſet? eorum aliquid, in quibus, aut cauſa ſit honeſtiſſima, aut neceſſitudo certiſſima: tumne accuſaretis? Atqui hoc lex nuſquam excepit. Non ergo omnia ſcriptis, ſed quædam, quæ perſpicua ſunt, tacitis exceptionibus caveri. Deinde nullam rem neque legibus, neque ſcriptura ulla, denique ne in ſermone quidem quotidiano, atque imperiis domeſticis rectè poſſe adminiſtrari, ſi unuſquiſque velit *verba* ſpectare, & non ad voluntatem ejus, qui verba habuerit, accedere. Deinde ex utilitatis & honeſtatis partibus 48
oſtendere, quàm inutile, aut quàm turpe ſit id, quod adverſarii dicant fieri oportuiſſe, aut oportere: & id, quod nos fecerimus, aut poſtulemus, quàm utile, aut quàm honeſtum ſit. Deinde leges nobis caras eſſe non propter litteras, quæ tenues & obſcuræ notæ ſint voluntatis, ſed propter earum rerum, quibus de ſcriptum eſt, utilitatem, & eorum, qui ſcripſerint, ſapientiam & diligentiam. Poſteà, quid ſit lex, deſcribere, ut ea videatur in ſententiis, non in verbis conſiſtere: & JUDEX is videatur legi obtemperare, qui ſententiam ejus, non qui ſcripturam ſequatur. Deinde, quàm INDIGNUM ſit, eodem affici ſupplicio eum, qui propter aliquod ſcelus & audaciam contra legem fecerit, & eum, qui honeſta, aut neceſſaria de cauſa, non ab ſententia, ſed ab literis legis receſſerit: atque his, & hujuſmodi rationibus, & accipi cauſam, & in hac lege accipi, & eam cauſam, quam ipſe afferat, oportere accipi demonſtrabit. Et quemadmodum ei dicebamus, qui à ſcripto diceret, hoc fore utiliſſimum, ſi quid de æquitate ea, quæ cum adverſario ſtaret, derogaſſet: ſic huic, qui contra ſcriptum dicet, plurimum proderit, ex ipſa ſcriptura, aliquid ad ſuam cauſam convertere, aut ambiguè aliquid ſcriptum oſtendere: Deinde ex illo ambiguo eam partem, quæ ſibi proſit, defendere, aut verbi definitionem inducere, & illius verbi vim, quo urgeri videatur, ad ſuæ cauſæ commodum traducere, aut ex ſcripto non ſcriptum aliquod inducere per ratiocinationem, de qua poſt dicemus. Quacumque autem in re, quamvis leviter probabili, ſcripto ipſo defenderit, etiam cùm æquitate cauſa abundabit, neceſſariò multum proficiet, ideò quòd, ſi id, quo nititur adverſariorum cauſa, ſubduxerit, omnem illam ejus vim, & acrimoniam lenierit, ac diluerit. [4] Loci autem communes certis ex aſſumtionis partibus in utramque partem convenient. Præterea ejus, qui à ſcripto dicet, leges *ex ſe*, non ex ejus, qui contrà commiſerit, utilitate ſpectari oportere, & LEGIBUS antiquius haberi nihil oportere. Contra ſcriptum, leges in conſilio ſcriptoris, & utilitate communi, non in verbis conſiſtere. Quàm indignum ſit, æquitatem litteris urgeri, quæ voluntate ejus, qui ſcripſerit, defendatur. Ex contra- 49
riis autem legibus controverſia naſcitur, cùm inter ſe duæ videntur leges, aut plures diſcrepare, hoc modo: Lex eſt, QUI TYRANNUM OCCIDERIT, OLYMPIONICARUM PRÆMIUM CAPITO, ET QUAM VOLET SIBI REM A MAGISTRATU

1. *Ejus rei cauſam, &c.*] Primitus cuſi *cauſa*, quod & in Grev. at enim Pall. *cauſa.* quod ferè malim. Lambinus, *cauſam* abjecit.

2. *Se actiones videre.*] Palat. prim. *acceſſiones videre.* & blanditur auribus.

3. *Nam ſuperior oratio hoc omnis faciebat.*] Lambinus tranſponit, *Nam ſuperior omnis oratio hoc faciebat*, non volentibus mſſ. nimirum ignorabat *hoc* poſitum heic ἀντὶ τοῦ *huc*, antiquè.

4. *Loci autem communes certis, &c.*] Editio veterrima *ceteri.* neque aliter Grevenb. Pal. prim. ſec. nam tert. *ceteris*, quod & in Victorini antiquiore editione.

STRATU DEPOSCITO, ET MAGISTRATUS EI CONCEDITO. Et altera lex: TYRANNO OCCISO, QUINQUE EJUS PROXIMOS COGNATIONE, MAGISTRATUS NECATO. Alexandrum, qui apud Pheræos in Theſſalia tyrannidem occuparat, uxor ſua, cui Thebe nomen fuit, noctu, cùm ſimul cubaret, occidit. Hæc filium ſuum, quem ex tyranno habebat, ſibi præmii loco depoſcit. Sunt qui ex lege puerum occidi dicant oportere. Res in judicio eſt. In hoc genere utramque in partem iidem loci, atque eadem præcepta convenient, ideò quòd uterque ſuam legem confirmare, contrariam infirmare debebit. Primùm igitur leges oportet *contendere*, conſiderando, utra lex ad majores, hoc eſt, ad utiliores, ad honeſtiores ac magis neceſſarias res pertineat. Ex quo conficitur, ut, ſi leges duæ, aut ſi plures, aut, quotquot erunt, conſervari non poſſint, quia diſcrepent inter ſe: ea maximè conſervanda putetur, quæ ad maximas res pertinere videatur. Deinde utra lex poſterius lata ſit. nam *poſtrema* quæque graviſſima eſt. Deinde utra lex jubeat aliquid, utra permittat. nam id, quod imperatur, neceſſarium: illud, quod permittitur, voluntarium eſt. Deinde in utra lege, ſi non obtemperatum ſit, pœna afficiatur, aut in utra major pœna ſtatuatur. nam maximè conſervanda eſt ea, [1] quæ diligentiſſimè ſancta eſt. Deinde utra lex jubeat, utra vetet. nam ſæpe ea, quæ vetat, quaſi exceptione quadam corrigere videtur illam, quæ jubet. Deinde utra lex de genere omni; utra de parte quadam: utra communiter in plureis; utra in aliquam certam rem ſcripta videatur. nam quæ in partem aliquam, & quæ in certam quandam rem ſcripta eſt, [2] promtius ad cauſam accedere videtur, & ad judicium magis pertinere. Deinde ex lege utrùm ſtatim fieri neceſſe ſit: utrùm habeat aliquam moram, & ſuſtentationem. nam id, quod ſtatim faciendum ſit, perfici prius oportet: Deinde operam dare, ut ſua lex ipſo ſcripto videatur niti. Contraria autem aut per ambiguum, aut per ratiocinationem, aut per definitionem induci; quo ſanctiùs & firmiùs id videatur eſſe quod apertiùs deſcriptum ſit: Deinde ſuæ legis ad ſcriptum, ipſam ſententiam quoque adjungere, contrariam legem item ad aliam ſententiam traducere, ut, ſi fieri poterit, ne diſcrepare quidem videantur inter ſe: Poſtremò facere, ſi cauſa dabit facultatem, ut noſtra ratione *utraque* lex conſervari videatur: & adverſariorum ratione, altera ſit neceſſariò negligenda. Locos autem communeis, & quos ipſa cauſa det, videre oportebit, & ex utilitatis & honeſtatis ampliſſimis partibus ſumere, demonſtrantem per amplificationem, ad utram potius legem accedere oporteat.

50 Ex ratiocinatione naſcitur controverſia, cùm ex eo, quod uſpiam eſt, ad id quod nuſquam ſcriptum eſt, pervenitur, hoc pacto; Lex eſt, SI FURIOSUS EST, AGNATORUM, GENTILIUMQUE IN EO, PECUNIAQUE EJUS POTESTAS ESTO. Et lex, PATERFAMILIAS UTI SUPER FAMILIA [3] PECUNIAQUE SUA LEGAVERIT, ITA JUS ESTO. Et lex, SI PATERFAMILIAS INTESTATO MORITUR, FAMILIA, PECUNIAQUE EJUS AGNATORUM, GENTILIUMQUE ESTO. Quidam judicatus eſt parentem occidiſſe. ei ſtatim, quòd effugiendi poteſtas non fuit, ligneæ ſoleæ in pedes inductæ ſunt: os autem obvolutum eſt folliculo, & præligatùm: deinde eſt in carcerem deductus, ut ibi eſſet tantiſper, dum culeus, [4] in quem conjectus in profluentem deferretur, compararetur. Interea quidam ejus familiares in carcerem tabulas afferunt, & teſteis adducunt. Heredes, quos ipſe jubet, ſcribunt: tabulæ obſignantur. De illo poſt ſupplicium ſumitur. Inter eos, qui heredes in tabulis ſcripti ſunt, & inter agnatos, de hereditate controverſia eſt. Hic certa lex, quæ teſtamenti faciendi iis, qui in eo loco ſint, adimat poteſtatem, nulla profertur. Ex ceteris legibus, & quæ hunc ipſum ſupplicio hujuſmodi afficiunt, & quæ ad teſtamenti faciendi poteſtatem pertinent, per ratiocinationem veniendum eſt ad ejuſmodi rationem, ut quæratur, habueritne teſtamenti faciendi poteſtatem. Locos autem communeis hoc in genere argumentandi, hos, & hujuſmodi quoſdam eſſe arbitramur. Primùm, ejus ſcripti, quod proferas, laudationem & confirmationem: Deinde ejus rei, qua de quæratur, cum eo, de quo conſtat, collationem ejuſmodi, ut id, de quo quæritur, rei, de qua conſtet ſimile eſſe videatur. [5] Poſtea admirationem percontatione, qui fieri poſſit, ut, qui hoc æquum eſſe concedat, illud neget, quod aut æquius, aut eodem ſit in genere: Deinde idcirco de hac re nihil eſſe ſcriptum, quòd, cùm de illa eſſet ſcriptum, de hac re is, qui ſcribebat: neminem dubitaturum arbitratus ſit: Poſtea multis in legibus multa eſſe *præterita*, quæ idcirco præterita nemo arbitretur; quòd ex ceteris, de quibus ſcriptum ſit, intelligi poſſint: Deinde æquitas rei demonſtranda eſt, ut in juridiciali abſoluta. Contrà autem qui dicet, ſimilitudinem infirmare debebit: quod faciet, ſi demonſtrabit, illud, quod conferatur, ab eo, cui conferatur, diverſum eſſe genere, natura, vi, magnitudine, tempore, loco, perſona, opinione: ſi, quo in numero illud, quod per ſimilitudinem affertur, & quo in loco illud, cujus cauſa affertur, haberi conveniat, oſtendetur: Deinde, quid res cum re differat, demonſtrabitur, ut non idem videatur de utraque exiſtimari oportere. Ac, ſi ipſe quoque poterit ratiocinationibus uti, iiſdem ratiocinationibus, quibus antè dictum eſt, utetur: ſi non poterit, negabit oportere quidquam, niſi quod ſcriptum ſit, conſiderare: *periclitari* omnia jura, ſi ſimilitudines accipiantur: nihil eſſe pænè, quod non alteri ſimile eſſe videatur: multis diſſimilibus rebus, in unamquamque rem tantùm ſingulas eſſe leges: omnia poſſe inter ſe vel ſimilia, vel diſſimilia demonſtrari. Loci communes à ratiocinatione, oportere conjectura ex eo, quod ſcriptum ſit, ad id, quod non ſcriptum ſit, pervenire: & neminem poſſe omneis res per ſcripturam amplecti, ſed eum commodiſſimè ſcribere, qui curet, ut quædam ex quibuſdam intelligantur. Contra ratiocinationem, hujuſcemodi: conjecturam divinationem eſſe, & ſtulti ſcriptoris eſſe, non poſſe omnibus de rebus cavere, quibus velit. Definitio eſt, 51
cùm in ſcripto verbum aliquod eſt poſitum, cujus de vi quæritur, hoc modo: Lex, QUI IN ADVERSA TEMPESTATE NAVIM RELIQUERINT, OMNIA AMITTUNTO: EORUM NAVIS ET ONERA SUNTO, QUI IN NAVI REMANSERINT. Duo quidam, cùm jam in alto navigarent, & eorum alterius navis, alterius onus eſſet, naufragum quendam natantem, & manus ad ſe tendentem animadverterunt: miſericordia commoti, navim ad eum applicaverunt: hominem ad ſe ſuſtulerunt. Poſtea aliquanto, ipſos quoque tempeſtas vehementiùs jactare cœpit, uſque adeò, ut dominus navis, cùm idem gubernator eſſet, in ſcapham confugeret, & inde funiculo, qui à puppi religatus ſcapham annexam trahebat, navim, quoad poſſet, moderaretur: ille autem, cujus merces erant, in *gladium* in navi ibidem incumberet. Hic ille naufragus ad gubernaculum acceſſit, & navi, quoad potuit, eſt opitulatus. Sedatis autem fluctibus, & tempeſtate jam commutata, navis in portum provehitur. Ille autem, qui in gladium incubuerat, leviter ſaucius facilè eſt ex vulnere recreatus. Navim cum onere, horum trium ſuam quiſque eſſe dicit. Hic omnes ſcripto ad cauſam accedunt, & ex nominis vi naſcitur controverſia. nam & relinquere navem, & remanere in navi, denique navis ipſa

1. *Quæ diligentiſſimè ſancta eſt.*] Sic P. Manut. & Lambin, nam prius excuſi, *quæ diligentiſſima & ſancta eſt*, quod & in Pal. pr. & tert. quippe ſec. *diligentiſſimè ſcripta eſt.*

2. *Promptius ad cauſſam.*] Sic ſcripti omnes; maluit Lambinus *propius*, non à ſe tamen, ſed à Petro Fabro, qui videatur ad L. LXXX. π. *de regulis juris.*

3. *Pecuniaque ſua legaverit.*] Pal. ſec. ac tert. *legaſſet*, legendum ſcilicet *legaſſit*.

4. *In quem conjectus.*] Pal. pr. ita ſerè hæc concepit, ut legi poſſit, *conlectus*; quod ferri queat.

5. *Poſtea admirationem percontatione.*] Lambin. interpoſuit *cum*, ſed non è libris, iis enim adeſt *per contentionem*, neque ſpreverim.

ipſa quid ſit, definitionibus quæritur. Iiſdem autem ex locis omnibus, quibus definitiva conſtitutio, tractabitur. Nunc, expoſitis iis argumentationibus, quæ in judiciale cauſarum genus accommodantur, deinceps in deliberativum genus & demonſtrativum, argumentandi locos & præcepta dabimus, non quò non in aliqua conſtitutione omnis ſemper cauſa verſetur; ſed quia proprii tantùm harum cauſarum quidam loci ſunt, non à conſtitutione ſeparati, ſed ad fineis horum generum accommodati. nam placet, in judiciali genere finem eſſe æquitatem, hoc eſt, partem quandam honeſtatis. in deliberativo autem Ariſtoteli placet utilitatem, nobis & honeſtatem, & utilitatem. in demonſtrativo autem, honeſtatem. Quare in hoc quoque genere cauſæ quædam argumentationes communiter, ac ſimiliter tractabuntur: quædam ſeparatius ad finem, quò referri omnem rationem oportet, adjungentur. Atque uniuſcujuſque conſtitutionis exemplum ſupponere non gravaremur, niſi illud videremus, quemadmodum res obſcuræ dicendo fierent apertiores: ſic res apertas, obſcuriores fieri
52 oratione. Nunc ad deliberationis præcepta pergamus. RERUM expetendarum tria genera ſunt. Par autem numerus vitandarum ex contraria parte. Nam eſt quiddam, quod ſua vi nos alliciat ad ſeſe, non emolumento captans aliquo, ſed trahens ſua *dignitate*: quod genus, virtus, ſcientia, veritas eſt. Aliud autem non propter ſuam vim & naturam, ſed propter *fructum*, atque utilitatem, petendum: quod genus, pecunia eſt. Eſt porrò quiddam ex horum partibus junctum, quod & ſua vi, & dignitate nos inductos ducit, & præ ſe quandam gerit utilitatem, quo magis expetatur, ut *amicitia*, bona exiſtimatio. Atque ex his horum contraria facilè, tacentibus nobis, intelligentur. Sed ut expeditius ratio tradatur, ea, quæ poſuimus, brevi nominabuntur. Nam in primo genere quæ ſunt, honeſta appellabuntur, quæ autem in ſecundo, utilia. hæc autem tertia, quia partem honeſtatis continent, & quia major eſt vis honeſtatis, junctæ res omnino ex duplici genere intelligentur: ſed in meliorem partem vocabuli conferantur, & *honeſta* nominentur. Ex his illud conficitur, ut appetendarum rerum partes ſint, *honeſtas & utilitas*: vitandarum, *turpitudo & inutilitas*. His igitur duabus rebus duæ res grandes ſunt attributæ, neceſſitudo, & affectio: quarum altera ex vi, altera ex re & perſonis conſideratur. de utraque poſt apertius perſcribemus. Nunc honeſtatis rationes primùm explicemus.
53 Quod aut totum, aut aliqua ex parte propter ſe petitur, honeſtum nominabimus. Quare cùm ejus duæ partes ſint, quarum altera ſimplex, altera juncta ſit, ſimplicem prius conſideremus. Eſt igitur in eo genere omneis res una vi, atque uno nomine amplexa virtus. nam *virtus*, eſt animi habitus naturæ modo, rationi conſentaneus. quamobrem omnibus ejus partibus cognitis, tota vis erit ſimplicis honeſtatis conſiderata. Habet igitur parteis quattuor: prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam. [1] *Prudentia*, eſt rerum bonarum, & malarum, & utrarumque ſcientia. Partes ejus, memoria, intelligentia, providentia. Memoria eſt, per quam animus repetit illa, quæ fuerunt. Intelligentia eſt, per quam ea perſpicit, quæ ſunt. Providentia eſt, per quam futurum aliquid videtur antè quàm factum ſit. *Juſtitia*, eſt habitus animi, communi utilitate conſervata, ſuàm cuique tribuens dignitatem. Ejus initium eſt ab natura profectum: deinde quædam in conſuetudinem ex utilitatis ratione venerunt: poſtea res & ab natura profectas, & ab conſuetudine probatas, legum metus, & religio ſanxit. [2] Natura jus eſt, quod non opinio genuit, ſed quædam innata vis inſeruit, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obſervantiam, veritatem. Religio eſt, quæ ſuperioris cujuſdam naturæ (quam divinam vocant) curam, cæremoniamque affert. Pietas, per quam [3] ſanguine conjunctis, patriæque benivolis officium & diligens tribuitur cultus. Gratia, in qua amicitiarum, & officiorum, alterius memoria, & alterius remunerandi voluntas continetur. Vindicatio eſt, per quam vis & injuria, & omnino omne, quod obfuturum eſt, defendendo, aut ulciſcendo propulſatur. Obſervantia eſt, per quam homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam, & honore dignantur. Veritas eſt, per quam, immutata ea, quæ ſunt, aut antè fuerunt, aut futura ſunt, dicuntur. Conſuetudine jus eſt, quod aut levi- 54
ter à natura tractum aluit, & majus fecit uſus, ut religionem: aut ſiquid eorum, quæ antè diximus, ab natura profectum, majus factum propter conſuetudinem videmus, aut quod in morem vetuſtas vulgi approbatione perduxit: quod genus, pactum, par, judicatum. Pactum eſt, quod inter aliquos convenit. [4] Par, quod in omneis æquabile eſt. Judicatum, de quo alicujus, aut aliquorum jam ſententiis conſtitutum eſt. Lege jus eſt, quod in eo ſcripto, quod populo expoſitum eſt, ut obſervet, continetur. *Fortitudo*, eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio. Ejus partes, magnificentia, fidentia, patientia, perſeverantia. Magnificentia, eſt rerum magnarum, & excelſarum cum animi ampla quadam, & ſplendida propoſitione agitatio, atque adminiſtratio. Fidentia eſt, per quam magnis & honeſtis in rebus multum ipſe animus in ſe fiduciæ certa cum ſpe collocavit. Patientia, eſt honeſtatis, aut utilitatis cauſa, rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpeſſio. Perſeverantia, eſt in ratione bene conſiderata ſtabilis & perpetua permanſio. *Temperantia*, eſt rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi, firma & moderata dominatio. Ejus partes ſunt, continentia, clementia, modeſtia. Continentia eſt, per quam cupiditas, [5] conſilii gubernatione regitur. Clementia, per quam animi [6] temerè in odium alicujus invectionis concitati, comitate retinentur. Modeſtia, per quam pudor honeſtus, claram & ſtabilem comparat auctoritatem. Atque hæc omnia *propter ſe* ſolùm, ut nihil adjungatur emolumenti, petenda ſunt. quod ut demonſtretur, neque ad hoc noſtrum inſtitutum pertinet, & à brevitate præcipiendi remotum eſt. Propter ſe autem vitanda ſunt, non ea modò, quæ his contraria ſunt, ut fortitudini ignavia, & juſtitiæ injuſtitia: verùm etiam illa, quæ propinqua videntur & finitima eſſe, abſunt autem longiſſimè: quod genus, fidentiæ contrarium eſt diffidentia, & ea re vitium eſt: Audacia non contrarium, ſed appoſitum eſt, ac propinquum, & tamen vitium eſt. Sic unicuique virtuti finitimum vitium reperietur, aut certo jam nomine appellatum: ut audacia, quæ fidentiæ: pertinacia, quæ perſeverantiæ finitima eſt: ſuperſtitio, quæ religioni propinqua eſt: aut ſine ullo certo nomine. Quæ omnia item uti contraria rerum bonarum, in rebus vitandis reponemus. Ac de eo quidem genere honeſtatis, quod omni ex parte propter ſe petitur, ſatis dictum eſt. Nunc 55
de eo, in quo *utilitas* quoque adjungitur, quod tamen honeſtum vocamus, dicendum videtur. Sunt igitur multa, quæ nos cùm dignitate, tum fructu quoque ſuo [7] ducunt ad ſe: quo in genere eſt gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Glo-

1. *Prudentia, eſt rerum bonarum & malarum, & utrarumque ſcientia.*] Mſſ. noſtri non agnoſcunt copulam &, unde factum puto ut Lambinus ediderit, *& malarum, neutrarumque ſcientia.* erat in Pal. ſec. *malarum utrarum vitandum ſcientia.* quod excutient feriatiores.

2. *Natura jus eſt, &c.*] Pal. omnes, item primitus cuſi, *Naturæ.* ſed reciperem, niſi ſequeretur mox, *conſuetudine jus eſt, &c.*

3. *Sanguine conjunctis, patriæque benivolis.*] Hæc mutavit Lambinus, ſed nullo præeunte manuſcripto.

4. *Par, quod in omnes æquabile.*] Sic poſui præeunte Pal. ſec. tert. & Grevenb. vulgata *inter omnes.*

5. *Conſilii gubernatione regitur.*] Pal. prim. initio habuit *generatione*; unde fit ut non abhorream à ſcriptura Grevenb. *conſilii ratione regitur.*

6. *Temere in odium alicujus invectionis concitati.*] Lectio minus vera, ineptit enim hæc definitio, neque integrat eam Lambinus, reponendo, *inferioris.* Pal. ſec. habet *alicujus invectio concitata.* tert. *alicujus injectionis concitati.*

7. *Ducunt ad ſe.*] Lambinus abſcidit *ad ſe.* & verò non comparent in Palat. ſecund. aut tert. aut Grevenb. non tamen eſt dedecori ſententiæ.

Gloria, eſt frequens de aliquo fama cum laude. Dignitas, alicujus honeſta, & cultu, & honore, & verecundia digna auctoritas. Amplitudo, potentiæ, aut majeſtatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia. Amicitia, voluntas erga aliquem rerum bonarum, illius ipſius cauſa, quem diligit, cum ejus pari voluntate. Hìc, quia de civilibus cauſis loquimur, fructus ad amicitiam adjungimus: ut eorum quoque cauſa petenda videatur: ne forte qui nos de omni amicitia dicere exiſtimant, reprehendere incipiant. quanquam ſunt qui propter utilitatem modò petendam putant amicitiam: ſunt qui propter ſe ſolum: ſunt qui propter ſe, & utilitatem, quorum quid veriſſimè conſtituatur, alius locus erit conſiderandi. Nunc hoc ſic ad uſum oratorium relinquatur, utramque propter rem amicitiam eſſe expetendam. Amicitiarum autem ratio, quoniam partim ſunt religionibus junctæ, partim non ſunt: & quia partim veteres ſunt, partim novæ, partim ab illorum, partim ab noſtro beneficio profectæ, partim utiliores, partim minus utiles: ex cauſarum dignitatibus, ex temporum opportunitatibus, ex
56 officiis, ex religionibus, ex vetuſtatibus habebitur. Utilitas autem aut in corpore poſita eſt, aut in extraneis rebus: quarum tamen rerum multo maxima pars ad corporis commodum revertitur, ut in rep. quædam ſunt, quæ (ut ſic dicam) ad *corpus* pertinent civitatis, ut agri, portus, pecunia, claſſes, nautæ, milites, ſocii: quibus rebus incolumitatem, ac libertatem retinent civitates: Alia verò, quæ jam quiddam magis amplum, & minus neceſſarium conficiunt, ut urbis egregia exornatio, atque amplitudo, ut quædam excellens pecuniæ magnitudo, amicitiarum ac ſocietatum multitudo. Quibus rebus non illud ſolùm conficitur, ut ſalvæ & incolumes, verùm etiam, ut amplæ, atque potentes ſint civitates. Quare utilitatis duæ partes videntur eſſe, incolumitas, & potentia. Incolumitas, eſt ſalutis tuta, atque integra conſervatio. Potentia, eſt ad ſua conſervanda, & alterius obtinenda, idonearum rerum facultas. Atque in iis omnibus, quæ antè dicta ſunt, quid difficulter fieri & quid facilè fieri poſſit, oportet conſiderare. Facilè fieri id dicimus, quod ſine magno, aut ſine ullo labore, ſumtu, moleſtia, quàm breviſſimo tempore confici poteſt. Difficilè autem fieri, quod quamquam laboris, ſumtus, moleſtiæ, longinquitatis indiget, atque aut omneis, aut plurimas, aut maximas cauſas habet difficultatis: tamen, his ſusſceptis difficultatibus, compleri, atque ad exitum perduci poteſt. Quoniam ergo de honeſtate, & de utilitate diximus, nunc reſtat, ut de iis rebus, quas his attributas eſſe di-
57 cebamus, neceſſitudine & affectione perſcribamus. Puto igitur eſſe hanc *neceſſitudinem*, cui nulla vi reſiſti poteſt: quæ neque mutari, neque leniri poteſt. Atque, ut apertius hoc ſit, exemplis licet vim rei, qualis & quanta ſit, cognoſcamus. Uri poſſe flamma ligneam materiam neceſſe eſt. Corpus mortale aliquo tempore interire neceſſe eſt: atque ita neceſſe, ut vis ea poſtulat, quam modò diſcribebamus, neceſſitudinis: cui nulla vi reſiſti poteſt, quæ neque mutari, neque leniri poteſt. Hujuſmodi neceſſitudines, cùm in dicendi rationes incidunt, rectè neceſſitudines appellabuntur. Sin aliquæ res incident difficiles, in illa ſuperiori, poſſitne fieri, quæſtione conſiderabimus. Atque etiam hoc mihi videor videre, eſſe quaſdam cum adjunctione neceſſitudines, quaſdam ſimpliceis & abſolutas. Nam aliter dicere ſolemus: neceſſe eſt Caſilinenſeis ſe dedere Annibali: aliter autem, neceſſe eſt Caſilinum venire in Annibalis poteſtatem. illic in ſuperiore adjunctio eſt hæc, niſi malint fame perire. ſi enim id malunt, non neceſſe. Hoc inferius non item, propterea quòd ſive velint Caſilinenſes ſe dedere, ſive famem perpeti, atque ita perire, neceſſe eſt Caſilinum venire in Annibalis poteſtatem. Quid igitur perficere poteſt hæc neceſſitudinis diſtributio? Prope dicam, plurimùm, cùm is locus neceſſitudinis videbitur incurrere. Nam cùm ſimplex erit neceſſitudo, nihil erit quòd multa dicamus, cùm eam *nulla ratione* lenire poſſimus. Cum autem ita neceſſe erit, ut aliquid effugere, aut adipiſci velimus, tum adjunctio illa, quid habeat utilitatis, aut quid honeſtatis, erit conſiderandum. Nam ſi velis attendere, (ita tamen, ut id quæras, quod conveniat ad uſum civitatis) reperias nullam eſſe rem, quam facere neceſſe ſit, niſi propter aliquam cauſam, quam *adjunctionem* nominamus: [1] pariter autem eſſe multas res neceſſitudinis, ad quas ſimilis adjunctio non accedit. quod genus, ut homines mortaleis neceſſe eſt interire, ſine adjunctione: ut cibo utantur, non neceſſe eſt, niſi cum illa exceptione: EXTRA QUAM, SI nolint fame perire. Ergo, ut dixi, illud, quod adjungitur, ſemper, cujuſmodi ſit, erit conſiderandum. nam omni tempore [2] id pertinebit, ut aut ad honeſtatem hoc modo exponenda neceſſitudo ſit: neceſſe eſt hoc faciamus, ſi honeſtè volumus vivere: aut ad incolumitatem, hoc modo; neceſſe eſt, ſi incolumes volumus eſſe: aut ad commoditatem, hoc modo: neceſſe eſt, ſi ſine incommodo volumus vivere. Ac ſumma quidem neceſſitudo videtur eſſe hone- 58
ſtatis: huic proxima, incolumitatis: tertia ac leviſſima, commoditatis: quæ cum his nunquam poterit duabus contendere. Haſce autem inter ſe ſæpe neceſſe eſt comparari, ut, quamquam præſtet honeſtas incolumitati, tamen, utri potiſſimùm conſulendum ſit, deliberetur. cujus rei certum quoddam præſcriptum videtur in perpetuum dari poſſe. Nam, qua in re fieri poterit, ut, cùm *incolumitati* conſuluerimus, quod ſit in præſentia [3] de honeſtate delibatum, virtute aliquando, & induſtria recuperetur, incolumitatis ratio videbitur habenda: cùm autem id non poterit, honeſtatis. Ita in ejuſmodi quoque re, cùm incolumitati videbimur conſulere, verè poterimus dicere, nos *honeſtatis* rationem habere, quoniam ſine incolumitate eam nullo tempore poſſumus adipiſci. Qua in re vel concedere alteri, vel ad conditionem alterius deſcendere, [4] vel in præſentia quieſcere, atque aliud tempus exſpectare oportebit. [5] In *commoditatis* verò ratione, modò illud attendatur, dignane cauſa videatur ea, quæ ad utilitatem pertinebit, quare aut de magnificentia, aut de honeſtate quiddam derogetur. Atque in hoc loco mihi caput illud videtur eſſe, ut quæramus, quid ſit illud, quod ſi adipiſci, aut effugere velimus, aliqua res nobis ſit neceſſaria, hoc eſt, quæ ſit adjunctio, ut proinde, uti quæque res erit, laboremus, & graviſſimam quamque cauſam vehementiſſimè neceſſariam judicemus. *Affectio*, eſt quædam ex tempore, aut ex negotiorum eventu, aut adminiſtratione, aut hominum ſtudio, commutatio rerum, ut non tales, quales antè habitæ ſint, aut plerumque haberi ſoleant, habendæ videantur eſſe: ut ad hoſteis tranſire turpe videtur eſſe: at non illo animo, quo Ulyſſes tranſiit: & pecuniam in mare dejicere, inutile: at non eo conſilio, [6] quo Ariſtippus fecit. Sunt igitur res quædam *ex tempore*, & ex conſilio, non ex ſua natura conſiderandæ: quibus in omnibus, quid tempora petant, aut quid perſonis dignum ſit, conſiderandum eſt: & non quid, ſed quo quidque animo, quicum, quo tempore, quamdiu fiat, attendendum eſt. His ex partibus ad ſententiam dicendam, locos ſumi oportere

1. *Pariter autem eſſe multas.*] Ita Manutiana nupera, neque aliter Pal. ſecund. alii enim voce inamiſſa, *invenias eſſe multas*; non neceſſario. repetitur quippe ſuperius *reperias*. Prima editio præfert: *pariter hæc autem invenies eſſe multas*, quam ſecuti ſunt Victorius ac Lambinus.

2. *Id pertinebit, ut aut ad honeſtatem, &c.*] Pal. ſecund. *id pertinebit, ut honeſtam ad partem.*

3. *De honeſtate delibatum.*] Ita quidem hodie legitur; ſed antiquitus cuſi exhibent, *deliberatum*, quod & in tribus Pall. mutavitque Lambinus in *delibratum*, forſan bene: ita tamen ut ſumatur non à *libro*, ſed à *libra*.

4. *Vel in præſentia quieſcere.*] Sic omnis ſcripta lectio; primitus cuſi, *ut in præſ.* deinceps vulgati, *& in præſ.*

5. *In commoditatis verò ratione.*] Quatuor hæ voces non ſunt in Palat. ſecundo. Grevenb. autem eorum loco habet, *In commoditatis tantummodo illud, &c.*

6. *Quo Ariſtippus fecit.*] Pal. ſec. item Grev. *dejecit*, adeo ut ſuſpicer utramque vocem eſſe ab interprete.

1. *Quæ*

59 tere arbitramur. Laudes autem, & vituperationes ex his locis ſumentur, qui loci perſonis ſunt attributi, de quibus antè dictum eſt. Sin diſtributius tractare quis volet: partiatur in animum, & corpus, & extrarias res licebit. Animi eſt, virtus, cujus de partibus paullò antè dictum eſt: Corporis, valetudo, dignitas, vires, velocitas. Extrariæ, honos, pecunia, affinitas, genus, amici, patria, potentia, & cetera, [1] quæ ſimili eſſe in genere intelligentur. Atque in his, id, quod in omnia valet, valere oportebit: contraria quoque, & quæ, & qualia ſint, intelligentur. Videre autem in laudando, & vituperando oportebit, non tam quæ in corpore, aut in extraneis rebus habuerit is, de quo agetur, quàm quo pacto his rebus *uſus* ſit. nam fortunam quidem & laudare, ſtultitia; & vituperare, ſuperbia eſt. Animi autem, & laus honeſta, & vituperatio vehemens eſt. Nunc quoniam omne in cauſæ genus argumentandi ratio tradita eſt, de inventione, prima ac maxima parte rhetoricæ, ſatis dictum videtur. Quare quoniam & una pars ad exitum hunc ab ſuperiore libro perducta eſt, & hic liber non parum continet litterarum, quæ reſtant, in reliquis dicemus.

M. TULLII CICERONIS, AD Q. FRATREM, DIALOGI TRES DE ORATORE.

DIALOGUS, SEU LIB. I.

1 COGITANTI mihi ſæpenumerò, & memoria vetera repetenti, perbeati fuiſſe, Quinte frater, illi videri ſolent, qui in optima [1] republica, cùm & honoribus, & rerum geſtarum gloria florerent, eum vitæ curſum tenere potuerunt, ut vel in negotio ſine periculo, vel in otio cum dignitate eſſe poſſent. [2] Ac fuit tempus illud, cùm mihi quoque initium requieſcendi, atque animum ad utriuſque noſtrûm præclara ſtudia referendi, fore juſtum, & propè ab omnibus conceſſum arbitrarer, [3] ſi infinitus forenſium rerum labor, [4] & ambitionis occupatio, decurſu honorum, etiam ætatis flexu conſtitiſſet. Quam ſpem cogitationum, & conſiliorum meorum cùm graves communium temporum, tum varii noſtri caſus *fefellerunt*. nam qui locus, quietis, & tranquillitatis [5] pleniſſimus fore videbatur, in eo [6] maximæ moles moleſtiarum, & turbulentiſſimæ tempeſtates exſtiterunt. Neque verò nobis cupientibus, atque exoptantibus fructus otii datus eſt ad eas arteis, quibus à pueris dediti fuimus, celebrandas, interque nos recolendas. Nam prima ætate incidimus in ipſam perturbationem diſciplinæ veteris: & conſulatu devenimus in medium rerum omnium certamen, atque diſcrimen: & hoc tempus omne poſt conſulatum objecimus iis fluctibus, qui per nos [7] à communi peſte depulſi, in noſmetipſos redundarunt. Sed tamen in his vel aſperitatibus rerum, vel anguſtiis temporis, obſequar ſtudiis noſtris: &, quantum mihi vel fraus inimicorum, vel cauſæ amicorum, vel reſp. tribuet otii, ad ſcribendum potiſſimùm conferam. Tibi verò, frater, neque hortanti deero, neque roganti. nam neque auctoritate quiſquam apud me plus valere te poteſt, neque voluntate. Ac 2
mihi repetenda eſt veteris cujuſdam memoriæ non ſanè ſatis explicata recordatio, ſed, ut arbitror, apta ad id, quod requiris, ut cognoſcas, quæ viri omnium eloquentiſſimi, clariſſimique ſenſerint de omni ratione dicendi. Vis enim, ut mihi ſæpe dixiſti; [8] quoniam quæ pueris, aut adoleſcentulis nobis ex commentariolis noſtris inchoata, ac rudia exciderunt, vix hac ætate digna, & hoc uſu, quem ex cauſis, quas diximus, tot, tantiſque conſecuti ſumus; aliquid iiſdem de rebus politius à nobis, perfectiuſque proferri: ſoleſque nonnumquam hac de re à me in diſputationibus noſtris diſſentire, quòd ego [9] prudentiſſimorum hominum artibus eloquentiam contineri ſtatuam: tu autem illam ab elegantia doctrinæ ſegregandam putes, & in quodam ingenii, atque exercitationis genere ponendam. Ac mihi quidem ſæpenumero in ſummos homines, ac ſummis ingeniis

1. *Quæ ſimili eſſe in genere.*] Dictio *eſſe*, non extat in Pal. ſecund. Gulielmius eam mutabat in *ex ſe*.

1. R*Epublica, cum & honoribus, &c.*] Pall. aliquot, item Memmianus, *quoquomodo*, unus & alter *quomodo*; quod & in Franciſci Pithæi libro quem excuſſit Gulielmius.

2. *Ac fuit tempus illud, cum mihi.*] Pal. pr. non agnoſcit *tempus illud*. Pithœanus præter duas illas voces omiſit & tertiam. Palat. nonus conveniebat cum edit. Veneta anni CCCC LXXVIII, habebatque, *Ac nunc quidem quoque mihi*, quomodo tamen nulli præterea codd. noſtri. Meo judicio, probum videtur, *Ac fuit cum mihi, &c.*

3. *Si infinitus forenſium, &c.*] Lambinus ſyllaba priore expuncta, obtruſit nobis, *finitus*, ſed contra omnes Pall. novem.

4. *Et ambitionis occupatio.*] Hotomannus lib. II. obſerv. cap. 5. emendat, *ut amb.* quomodo item placebat Gulielmio. abnuunt tamen omnes mſſ. de quibus Pal. prim. & ſec. item præterea Pith. & Memm. *curſu*, non *decurſu*.

5. *Pleniſſimus fore.*] Pal. prim. ſec. item Mem. & Pith. denique C. à Gulielmio collatus, *plenus*.

6. *Maxima moles moleſtiarum.*] Adſcivi vocem *moles*, quod extaret in illa veteri editione, firmaretque eam Pal. tert. ſept. nonus.

7. *A communi peſte depulſi.*] Haud aliter Pall. omnes, non video tamen quid ſibi velit vocabulum *peſte*, neſcio an reponendum *pectore depulſi*, aut ſimile quid, ſed potius totum eradicandum eſt, ut volebat Lambinus.

8. *Quoniam quæ pueris.*] Hæc eſt ſcriptura Pall. novem. Lambinus contentus ſequi Victorium qui publicavit, *quædam pueris*.

9. *Prudentiſſimorum hominum artibus.*] Ita Pal. prim. ſecund. duo Memmiani & Pithæanus, & rectè; ſolet enim noſter opponere prudentiam oratorum loquacitati rabularum. vulgata, *eruditiſſimorum hominum*.

niis præditos intuenti, quærendum eſſe viſum eſt, quid eſſet, cur [1] plures in omnibus rebus, quàm *in dicendo* admirabiles exſtitiſſent. nam, quocumque te animo, & cogitatione converteris, permultos excellenteis in quoque genere videbis, non mediocrium artium, ſed propè maximarum. Quis enim eſt, qui ſi clarorum hominum ſcientiam, rerum geſtarum vel utilitate, vel magnitudine metiri velit, non anteponat oratori imperatorem? Quis autem dubitet, quin belli *duces* ex hac una civitate præſtantiſſimos pænè innumerabileis, in dicendo autem excellenteis vix paucos proferre poſſimus? Jam vero [2] conſilio, ac ſapientia qui regere, ac gubernare rempub. poſſent, multi noſtra, plures patrum memoria, atque etiam majorum exſtiterunt, cùm boni perdiu nulli, vix autem ſingulis ætatibus *ſinguli* tolerabiles oratores invenirentur. Ac, nequis fortè cum aliis ſtudiis, quæ reconditis in artibus, atque in quadam varietate litterarum verſentur, magis hanc dicendi rationem, quàm cùm imperatoris laude, aut cum boni ſenatoris prudentia comparandum putet: [3] convertat animum ad ea ipſa artium genera, circumſpiciatque qui in iis floruerint, [4] quamque multi: ſic facillimè, quanta oratorum ſit, ſemperque fuerit paucitas judicabit.
3 Neque enim te fugit, laudatarum artium omnium procreatricem quandam, & quaſi *parentem* eam, quam φιλοσοφίαν Græci vocant, ab hominibus doctiſſimis judicari: in qua difficile eſt enumerare, quot viri, quanta ſcientia, quantaque in ſuis ſtudiis varietate, & copia fuerint: qui non una aliqua in re ſeparatim elaborarint, ſed omnia, [5] quæcumque poſſent, vel ſcientiæ perveſtigatione, vel diſſerendi ratione comprehenderint. Quis ignorat, ii, qui mathematici vocantur, quanta in obſcuritate rerum, & quàm recondita in arte, & multiplici, ſubtilique verſentur? quo tamen in genere ita multi perfecti homines exſtiterunt, ut nemo ferè ſtuduiſſe ei ſcientiæ vehementius videatur, quin, quod voluerit, conſecutus ſit. Quis muſicis, quis huic ſtudio litterarum, quod profitentur ii, qui grammatici vocantur, penitus ſe dedidit, quin omnem illarum artium pænè infinitam vim, & materiam, [6] ſcientiæ cogitatione comprehenderit? Verè mihi hoc videor eſſe dicturus, ex omnibus iis, qui in harum artium ſtudiis liberaliſſimis ſint, doctriniſque verſati, minimam copiam *poëtarum* egregiorum exſtitiſſe: atque in hoc ipſo numero, in quo perraro exoritur aliquis excellens, ſi diligenter & ex noſtrorum, & ex Græcorum copia comparare voles, multo tamen pauciores *oratores*, quàm poëtæ boni reperientur. Quod hoc etiam mirabilius debet videri, quia ceterarum artium ſtudia ferè reconditis, atque abditis è fontibus hauriuntur: dicendi autem omnis ratio in medio poſita, communi quodam in uſu, atque in hominum more & ſermone verſatur: ut in ceteris id maximè excellat, quod longiſſimè ſit ab imperitorum intelligentia, ſenſuque disjunctum: in dicendo autem vitium vel maximum eſt à vulgari genere orationis, atque à conſuetudine communis ſenſus abhorrere.
4 Ac ne illud quidem verè dici poteſt, [7] aut plureis ceteris artibus inſervire, aut majore delectatione, aut ſpe uberiore, aut præmiis ad perdiſcendum amplioribus commoveri. Atque ut omittam Græciam, quæ [8] ſemper eloquentiæ princeps eſſe voluit, atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, [9] in quibus ſumma dicendi vis & inventa eſt, & perfecta: in hac ipſa civitate profectò nulla umquam vehementius, quàm eloquentiæ ſtudia viguerunt. Nam poſteaquàm, imperio omnium gentium conſtituto, *diuturnitas pacis* otium confirmavit, nemo ferè laudis cupidus adoleſcens non ſibi ad dicendum ſtudio omni enitendum putavit. Ac primo quidem totius rationis ignari, qui neque exercitationis ullam viam, neque aliquod præceptum artis eſſe arbitrarentur, tantum, quantum ingenio & cogitatione poterant, conſequebantur. Poſt autem, auditis oratoribus Græcis, cognitiſque eorum litteris, adhibitiſque doctoribus, incredibili quodam noſtri homines dicendi ſtudio flagraverunt. Excitabat eos magnitudo & varietas, multitudoque in omni genere cauſarum, ut ad eam doctrinam, quam ſuo quiſque ſtudio aſſecutus eſſet, adjungeretur *uſus* frequens, qui omnium magiſtrorum præcepta ſuperaret. Erant autem huic ſtudio maxima, quæ nunc quoque ſunt, [10] propoſita præmia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. Ingenia verò (ut multis rebus poſſumus judicare) noſtrorum hominum, multùm ceteris hominibus omnium gentium præſtiterunt. Quibus de cauſis, quis non jure miretur, ex omni memoria ætatum, temporum, civitatum, tam exiguum oratorum numerum inveniri? Sed nimirum majus eſt hoc quiddam, quàm homines opinantur, & pluribus ex artibus, ſtudiiſque collectum. [11] Quis 5
enim aliud in maxima diſcentium multitudine, ſumma magiſtrorum copia, præſtantiſſimis hominum ingeniis, infinita cauſarum varietate, ampliſſimis eloquentiæ propoſitis præmiis, eſſe cauſæ putet, niſi rei quandam incredibilem *magnitudinem, ac difficultatem?* Eſt enim & ſcientia comprehendenda rerum plurimarum, ſine qua verborum volubilitas inanis, atque irridenda eſt: & ipſa oratio, conformanda non ſolùm electione, ſed etiam conſtructione verborum: & omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitus pernoſcendi, quòd omnis vis ratioque dicendi, in eorum, qui audiunt, mentibus, aut ſedandis, aut excitandis expromenda eſt. Accedat eodem oportet *lepos* quidam, facetiæque, & eruditio libero digna, celeritaſque & brevitas & reſpondendi, & laceſſendi, ſubtili venuſtate, atque urbanitate conjuncta. Tenenda præterea eſt omnis *antiquitas* exemplorumque vis: neque legum, aut juris civilis ſcientia [12] negligenda eſt. Nam quid ego de *actione* ipſa plura dicam? quæ motu corporis, quæ geſtu, quæ vultu, quæ vocis conformatione, ac varietate moderanda eſt: quæ ſola per ſe ipſa quanta ſit, hiſtrionum levis ars, & ſcena declarat: in qua cùm omnes in oris, & vocis, & motus moderatione elaborent, quis ignorat, quàm pauci ſint, fuerintque quos animo æquo ſpectare poſſimus? Quid dicam de theſauro rerum omnium *memoria?* quæ niſi cuſtos inventis, cogitatiſque rebus, & verbis adhibeatur, intelligimus, omnia, etiam ſi præclariſſima fuerint, in oratore peritura. Quamobrem mirari deſinamus, quæ cauſa ſit eloquentium paucitatis, cùm ex iis rebus univerſis eloquentia conſtet, quibus in ſingulis elaborare permagnum eſt, hortemurque potius liberos noſtros, ceteroſque, quorum

1. *Plures in omnibus rebus.*] Ita Memmiani duo, Pith. & C. præter Pal. prim. ac ſec. vulgata, *omnibus artibus*, minus rectè. miramur enim omni in re ſummam excellentiam.

2. *Conſilio & ſapientia.*] Pall. priores numero ac bonitate iſtud præferunt: poſteriores *ſententia*, quod placuit Wouverio, quod & bonus Senator ſententia regat rempubl. & privatorum controverſias conſilio dirimat.

3. *Convertant animum ad ea ipſa, &c. circumſpiciatque.*] Non iſtud modo habent Pall. noſtri, ſed & olim impreſſi ſequentes, *conv. an. & ea ipſa, &c. circumſpiciat, quique in iis, &c.*

4. *Quamque multi; ſic facillimè.*] Sic Pall. quart. ſext. ſept. oct. rotundius ſanè vulgato *multi ſint: facillimè*; quod & ejecerat fide unius mſ. Lambinus.

5. *Quæcumque poſſent, vel, &c.*] Pal. plerique & tres Gallicani à Gulielmio excuſſi, item editio princeps, ſic ſcriptum habent. Vulgata *eſſent, vel.* quod jactantius fuerit quam verius: retinendum tamen putabat Gulielmius.

6. *Scientiæ cogitatione.*] Non ſecus trias Gallicanorum, nec non Pall. priores duo publicati, *ſcientia & cognitione*, minus nervoſe.

7. *Aut plures ceteris artibus inſervire.*] Si fides habenda Pall. melioribus, ut & Pithœano, abjiciendum veniet dictio *artibus*.

8. *Semper eloquentiæ princeps eſſe, &c.*] Memmii ſcriptus *eloquentia.*

9. *In quibus ſumma dicendi vis, &c.*] Gulielmius putabat *vis* eſſe à librario; ita Petronius, *ſumma carminis*, ſed ſic tamen rurſum loquitur noſter libro 1. de Oratore cap. 53. circa finem.

10. *Propoſita præmia.*] Pall. & Gallicani *expoſita*, quod vel ideo revocandum, aut utrunque expungendum, ſatis enim erat, *præmia.*

11. *Quis enim aliud, &c.*] Toſanus, Pith. Memm. item Pall. prim. ac ſecund. *Quid enim quis aliud.*

12. *Negligenda eſt.*] Liber Langii, *concedenda eſt.*

1. Quæ

-rum gloria nobis, & dignitas cara eſt, ut animo rei magnitudinem complectantur, neque iis aut præceptis, aut magiſtris, aut exercitationibus, quibus utuntur omnes, ſed aliis quibuſdam, ſe id quod expetunt, conſequi poſſe confidant.

6 Ac mea quidem ſententia Nemo poterit eſſe omni laude cumulatus orator, niſi erit omnium rerum magnarum, atque artium ſcientiam conſecutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat, & redundet oportet oratio: [1] quæ niſi ſubeſt, res ab oratore percepta, & cognita, inanem quandam habet elocutionem, & pænè puerilem. Neque verò ego hoc tantum oneris imponam noſtris præſertim oratoribus in hac tanta occupatione urbis, ac vitæ, nihil ut iis putem licere *neſcire*. quamquam vis oratoris, profeſſioque ipſa bene dicendi, hoc ſuſcipere, ac polliceri videtur, ut omni de re, [2] quæcumque ſit propoſita, ab eo ornatè, copioſeque dicatur. Sed quia non dubito, quin hoc pleriſque immenſum, infinitumque videatur, & quòd Græcos homines non ſolùm ingenio, & doctrina, ſed etiam otio, ſtudioque abundanteis, partitionem quandam artium feciſſe video, neque in univerſo genere ſingulos elaboraſſe, ſed ſepoſuiſſe à ceteris dictionibus, eam partem dicendi, quæ in forenſibus diſceptationibus judiciorum, aut deliberationum verſaretur, & id unum genus oratori reliquiſſe: non complectar in his libris amplius, quàm quod huic generi, re quæſita, & multum diſputata, ſummorum hominum propè conſenſu eſt tributum: repetamque non ab incunabulis noſtræ veteris, puerilisque doctrinæ quendam ordinem præceptorum, ſed ea, quæ quondam accepi in noſtrorum hominum, eloquentiſſimorum, & omni dignitate principum, diſputatione eſſe verſata: non quòd illa contemnam, quæ Græci, dicendi artifices, & doctores reliquerunt: ſed cùm illa *pateant*, in promtuque ſint omnibus, neque ea interpretatione mea aut ornatius explicari, aut planius exprimi poſſint, dabis hanc veniam, mi frater, ut opinor, ut eorum, quibus ſumma dicendi laus à noſtris hominibus conceſſa eſt, auctoritatem, Græcis anteponam.

7 Cum igitur vehementius inveheretur in cauſam principum conſul Philippus, Druſique tribunatus pro ſenatus auctoritate ſuſceptus, infringi jam, debilitarique videretur: dici memini, ludorum Romanorum diebus L. Craſſum, quaſi colligendi ſui cauſa, ſe in Tuſculanum contuliſſe. veniſſe eodem, ſocer ejus qui fuerat, Quintus Mucius dicebatur, & M. Antonius, homo & conſiliorum in repub. ſocius, & ſumma cum Craſſo familiaritate conjunctus. Exierant autem cum ipſo Craſſo adoleſcentes & Druſi maximè familiares, & in quibus *magnam tum ſpem* majores natu dignitatis ſuæ collocarant, C. Cotta, qui tum tribunatum plebis petebat, & P. Sulpicius, qui deinceps eum magiſtratum petiturus putabatur. Hi primo die de temporibus illis, deque univerſa republica, quam ob cauſam venerant, multum inter ſe uſque ad extremum tempus diei collocuti ſunt. Quo quidem in ſermone multa divinitus à tribus illis conſularibus Cotta deplorata, & commemorata narrabat, ut nihil incidiſſet poſtea civitati mali, quod non *impendere* illi tanto antè vidiſſent. Eo autem omni ſermone confecto, tantam in Craſſo humanitatem fuiſſe, ut, cùm lauti accubuiſſent, tolleretur omnis illa ſuperioris triſtitia ſermonis: eaque eſſet in homine jucunditas, & [3] tantus in jocando lepos, ut [4] dies inter eos curiæ fuiſſe videretur, convivium Tuſculani. Poſtero autem die, cùm illi majores natu ſatis quieſſent, [5] & in ambulationem ventum eſſet; dicebat tum Scævolam duobus ſpatiis, tribuſve factis, dixiſſe, Cur non imitamur Craſſe, Socratem illum, qui eſt in Phædro Platonis? nam me hæc tua platanus admonuit: quæ non minus [6] ad opacandum hunc locum patulis eſt diffuſa ramis, quàm illa, cujus umbram ſecutus eſt Socrates: quæ mihi videtur non tam ipſa aquula, quæ deſcribitur, quàm Platonis oratione creviſſe: [7] & quod ille duriſſimis pedibus fecit, ut ſe abjiceret in herbam, atque ita illa, quæ philoſophi divinitus ferunt eſſe dicta, loqueretur, id meis pedibus certè concedi eſt æquius. Tum Craſſum, Immò verò commodius etiam: pulvinoſque popoſciſſe, & omneis in iis ſedibus, quæ erant ſub platano, conſediſſe dicebat.

2 Ibi, ut ex priſtino ſermone relaxarentur animi omnium, ſolebat Cotta narrare, Craſſum ſermonem quendam de ſtudio dicendi intuliſſe. Qui cùm ita eſſet exorſus: Non ſibi cohortandum Sulpicium & Cottam, ſed magis utrumque collaudandum videri, quòd tantam jam eſſent facultatem adepti, ut non *æqualibus* ſuis ſolùm anteponerentur, ſed cum majoribus natu compararentur: Neque verò mihi quidquam inquit, *præſtabilius* videtur, quàm poſſe dicendo tenere hominum cœtus, menteis allicere, voluntates impellere quò velit: unde autem velit, deducere. Hæc una res in omni libero populo, maximeque in pacatis, tranquilliſque civitatibus, præcipue ſemper floruit, ſemperque dominata eſt. Quid enim eſt aut tam *admirabile*, quàm ex infinita multitudine hominum exſiſtere unum, qui id, quod omnibus natura ſit datum, vel ſolus, vel cum paucis facere poſſit? aut tam *jucundum* cognitu, atque auditu, quàm ſapientibus ſententiis, gravibuſque verbis ornata oratio, & polita? aut tam *potens*, tamque magnificum, quàm populi motus, judicum religiones, ſenatus gravitatem, unius oratione converti? Quid tam porrò *regium*, tam liberale, tam munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam *neceſſarium*, quàm tenere ſemper arma, quibus vel tectus ipſe eſſe poſſis, vel [8] provocare integros, vel te ulciſci laceſſitus? Age verò, ne ſemper forum, ſubſellia, roſtra, curiamque meditere, quid eſſe poteſt in otio aut jucundius, aut magis proprium humanitatis, quàm ſermo facetus, ac nulla in re rudis? Hoc enim uno præſtamus vel maximè feris, quod colloquimur inter nos, & quòd exprimere dicendo ſenſa poſſumus. Quamobrem Quis hoc non jure miretur, ſummeque in eo elaborandum eſſe arbitretur, ut, quo uno homines maximè beſtiis præſtent, in hoc hominibus ipſis antecellat? Ut verò jam ad illa ſumma veniamus, Quæ vis alia potuit aut diſperſos homines unum in locum congregare, aut à fera, agreſtique vita [9] ad hunc humanum cultum, civilemque deducere, aut jam conſtitutis civitatibus, leges, judicia, jura deſcribere? Ac, ne plura, quæ ſunt pænè innumerabilia, conſecter, comprehendam brevi. ſic enim ſtatuo, perfecti oratoris moderatione, & ſapientia non ſolùm ipſius dignitatem, ſed & privatorum plurimorum, & univerſæ *reip. ſalutem* maximè contineri. Quamobrem pergite, ut facitis, adoleſcentes: atque in id ſtudium, in quo eſtis, incumbite, ut & vobis honori, & amicis utilitati, & reip. emolumento eſſe poſſi-

1. *Quæ niſi ſubeſt res ab oratore, &c.*] Pall. iidem, nec non Pith. & Memmii unus, *quæ niſi ſit ab oratore.*

2. *Quæcumque ſit propoſita.*] Gallicani illi duo *poſita*, quod placuit Gulielmio: nec abhorrerem ab eo ipſe, niſi alterum inveniſſem in omnibus Pall.

3. *Tantus in jocando lepos.*] Pall. duo illi priores *loquendo*: neque aliter Gallicani duo, facitque pro eo ſuperius illud cap. 5. *Accedat eodem oportet lepos quidam.*

4. *Dies curiæ, &c.*] Non poſſum probare interpretationem Lambini, capioque ſimpliciter, diem tranſactum in rebus ſeveris. ut ſolet ubi agitur in curia. convivium autem fuiſſe pro jocunditate loci otiique.

5. *Et in ambulationem ventum eſſet: dicebat, tum Scævolam, &c.*] Ita Pall. duo. Lambinus id recepit quidem, ſed delevit *dicebat*, quod tamen in mſſ. omnibus. vulgata, omiſſo *&*, habebat, *in amb. ventum eſſe dicebat, tum Scævolam.*

6. *Ad opacandum hunc locum.*] Pith. & Memmii unus, *placandum*: quod tale putabat Gulielmius, ut in id inquiri poſſe putaret. Palatini adhæreſcunt vulgato, niſi quod quidam *occupandum*; alii *oppacandum.*

7. *Et quod ille.*] Sic tres Gallicani & duo Pall. item editio princeps. ſequentes, *ſed quod ille, &c.*

8. *Provocare integros.*] Sic Pall. meliores à manu prima, & Gallicani duo, & videtur heic locum ſuum habere debere, ideoque ejeci hactenus vulgatum *improbos*, vocem nihili, heic præſertim.

9. *Ad hunc humanum cultum, &c. deducere.*] Pall. ſec. item Gallicani *in hunc*, æquè bonum.

9 poſſitis. Tum Scævola comiter, ut ſolebat, Cetera, inquit, aſſentior Craſſo, ne aut de C. Lælii, ſoceri mei, aut de hujus generi aut arte, aut gloria detraham: ſed illa duo, Craſſe, vereor, ut tibi poſſim concedere: Unum, quòd ab oratoribus civitates & ab initio *conſtitutas*, & ſæpe *conſervatas* eſſe dixiſti: alterum, quod, remoto foro, concione, judiciis, ſenatu, ſtatuiſti, oratorem in omni genere ſermonis, & humanitatis eſſe perfectum. Quis enim tibi hoc conceſſerit, aut initio genus hominum in montibus ac ſilvis diſſipatum, non prudentium conſiliis compulſum potiùs, quam diſertorum oratione delinitum, ſe oppidis, mœnibuſque ſepſiſſe? aut verò reliquas utilitates, aut inſtituendis, aut conſervandis civitatibus non à ſapientibus, & fortibus viris, ſed à diſertis, & ornate dicentibus eſſe conſtitutas? An verò tibi Romulus ille aut paſtores, & convenas congregaſſe, aut Sabinorum connubia conjunxiſſe, aut finitimorum vim repreſſiſſe eloquentia videtur, non conſilio, & ſapientia ſingulari? Quid enim? in Numa Pompilio, quid? in Ser. Tullo, quid? In ceteris regibus, quorum multa ſunt eximia ad conſtituendam rempub. numquod eloquentiæ veſtigium apparet? Quid? exactis regibus, (tametſi ipſam exactionem mente, non lingua, perfectam, L. Bruti eſſe cernimus) ſed deinceps omnia nonne plena conſiliorum, inania verborum videmus? Ego verò ſi velim & noſtræ civitatis exemplis uti, & aliarum, plura proferre poſſim *detrimenta* publicis rebus, quàm *adjumenta* per homines eloquentiſſimos importata: ſed, ut reliqua prætermittam, omnium mihi videor, exceptis, Craſſe, vobis duobus, eloquentiſſimos audiſſe Ti. & C. Sempronios, quorum pater, homo prudens, & gravis, haudquaquam eloquens, & ſæpè aliàs, & maximè cenſor, ſaluti reipub. fuit, atque is non accurata quadam orationis copia, ſed *nutu*, atque *verbo* libertinos in urbanas tribus tranſtulit: quod niſi feciſſet, rempublicam, quam nunc vix tenemus, jam diu nullam haberemus. At verò ejus filii diſerti, & omnibus vel naturæ, vel doctrinæ præſidiis ad dicendum parati, cùm civitatem vel paterno conſilio, vel avitis armis florentiſſimam accepiſſent, iſta *præclara gubernatrice*, ut ais, *civitatum*, eloquentia, [1] rem-
10 publicam diſſipaverunt. Quid? leges veteres, moreſque majorum: quid? auſpicia, quibus & ego, & tu, Craſſe, cum magna reipub. ſalute præſumus, quid? religiones & cæremoniæ, quid? hæc jura civilia, quæ jampridem in noſtra familia ſine ulla eloquentiæ laude verſantur, num aut inventa ſunt, aut cognita, aut omnino ab oratorum genere tractata? Equidem & Ser. Galbam memoria teneo, divinum hominem in dicendo, & M. Æmilium Porcinam, & Cn. ipſum Carbonem, quem tu adoleſcentulus perculiſti, ignarum legum, hæſitantem in majorum inſtitutis, rudem in jure civili. & hæc ætas noſtra, præter te, Craſſe, qui tuo magis *ſtudio*, quàm proprio munere aliquo diſertorum, jus à nobis civile didiciſti, quod interdum pudeat, juris ignara eſt. Quòd verò in extrema oratione, quaſi tuo jure ſumſiſti, oratorem [2] in omnis ſermonis diſputatione copioſiſſimè poſſe verſari, id, niſi hîc in tuo regno eſſemus, non tuliſſem, [3] multiſque præeſſem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex jure manu conſertum vocarent, quòd in alienas poſſeſſiones tam temerè irruiſſes. Agerent enim tecum lege primùm Pythagorei omnes, atque Democritici, [4] ceterique in ſuo genere Phyſici, [5] vindicarentque ornati homines in dicendo & graves, quibuſcum tibi juſto ſacramento contendere non liceret. Urgerent præterea philoſophorum greges. jam ab illo fonte, & capite Socrate, nihil te de bonis rebus in vita, nihil de malis, nihil de animi permotionibus, nihil de hominum moribus, nihil de ratione vitæ didiciſſe, nihil omnino quæſiſſe, nihil ſcire convincerent: &, cùm univerſi in te impetum feciſſent, tum ſingulæ *familiæ* litem tibi intenderent. Inſtaret Academia, quæ, quidquid dixiſſes, [6] id teipſum ſcire negaret. Stoici verò noſtri diſputationum ſuarum, atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent. Peripatetici autem etiam hæc ipſa, quæ propria oratorum putas eſſe adjumenta, atque ornamenta dicendi, ab ſe peti vincerent oportere: ac non ſolùm meliora, ſed etiam multo plura Ariſtotelem, Theophraſtumque de his rebus, quàm omneis dicendi magiſtros ſcripſiſſe oſtenderent. Miſſos facio Mathematicos, grammaticos, muſicos, quorum artibus veſtra iſta dicendi vis [7] ne minima quidem ſocietate contingitur. Quamobrem iſta tanta, tamque multa, profitenda, Craſſe, non cenſeo, ſatis id eſt magnum, [8] quod potes præſtare, ut in judiciis ea cauſa, quamcumque tu dicis, melior & probabilior eſſe videatur: ut in concionibus & ſententiis dicendis ad perſuadendum tua plurimùm valeat oratio: denique ut prudentibus diſertè, ſtultis etiam verè dicere videaris. hoc amplius ſiquid poteris, non id mihi videbitur orator, ſed Craſſus ſua quadam propria, non communi oratorum facultate poſſe. Tum ille, Non ſum, 11
inquit, neſcius, Scævola, iſta inter Græcos dici, & diſceptari ſolere. audivi enim ſummos homines cùm quæſtor ex Macedonia veniſſem Athenas, florente Academia, ut temporibus illis ferebatur, quòd eam Carneades, & Clitomachus, & Æſchines obtinebant. erat etiam Metrodorus, qui cum illis unà ipſum illum Carneadem diligentiùs audierat, hominem omnium in dicendo, ut ferebant, acerrimum, & copioſiſſimum. vigebat auditor Panætii illius tui Mneſarchus: [9] & Peripatetici Critolaus, & Diodorus. multi erant præterea præclari in philoſophia, & nobiles, à quibus omnibus unà pænè repelli voce oratorem *à gubernaculis* civitatum, excludi ab omni doctrina, rerumque majorum ſcientia, ac tantùm in judicia, & conciunculas, tanquam in aliquod piſtrinum, detrudi, & compingi videbam. Sed ego neque illis aſſentiebar, neque harum diſputationum inventori, & principi longè omnium in dicendo graviſſimo, & eloquentiſſimo, Platoni, cujus tum Athenis cum Carneade diligentiùs legi Gorgiam: quo in libro, hoc maximè admirabar Platonem, quòd mihi [10] in oratoribus irridendis ipſe eſſe orator ſummus videbatur. verbi enim controverſia jamdiu torquet *Græculos* homines, contentionis cupidiores, quàm veritatis. Nam ſi quis hunc ſtatuit eſſe oratorem, qui tamtummodò in jure, aut in judiciis poſſit, aut apud populum, aut in ſenatu copioſè loqui, tamen huic ipſi multa tribuat, & concedat neceſſe eſt. NEQUE ENIM ſine multa pertractatione omnium rerump. neque ſine legum, morum, juris ſcientia, neque natura hominum incognita, [11] ac moribus, in his ipſis rebus ſatis callidè

1. *Remp. diſſipaverunt.*] Ita Pall. novem. ſed enim Pithœanus, *diſparuerunt*; forſan *diſperaverunt*, annotatum Gulielmio.

2. *In omnis ſermonis diſputatione.*] Lambinus ex neſcio quibus mſſ. repoſuit, *in omni ſermone.* ſed nolentibus Palatinis, Gallicaniſque.

3. *Multiſque præiſſem.*] Haud aliter quoque Pall. aliquot. meliores nihilominus, *præeſſem*, quomodo in cuſis ante Lambinum.

4. *Ceterique in ſuo genere Phyſici.*] Sic quidem pr. & alii Pall. verùm ſec. tert. quart. quint. ſext. ſept. item Pith. non agnoſcunt illud *genere.* quod placet. quintus ad oram habebat, *jure ſuo.* quomodo edidit Lambinus, ex Langii, ut ſuſpicor, mſſ.

5. *Phyſici, vindicarentque ornati homines in dicendo, &c.*] Pal. pr. ac ſec. ſpernunt, *que ornati homines.* eſt ad oram primo *vindicaret ornati omnes, &c.* quod mallem.

6. *Id te ipſum ſcire negaret.*] Pal. pr. & Memmii membranaceus. antea erat *ipſum negare cogeret.*

7. *Ne minima quidem ſocietate contingitur.*] Eſt a Pall. neque divertit Toſanus aut Pith. neque etiam editio Victorii. vulgata, *conjungitur.*

8. *Quod potes præſtare.*] Obtrudunt nobis mſſ. paſſim, *poteſt*, neque ab eo abhorrere poſſum.

9. *Et Peripatetici Critolaus & Diodorus.*] Pall. duo potiores, item tres Gulielmiani, *Critolai Diodorus*; quod ob anguſtias temporis non examino, alii faciant licet.

10. *In oratoribus irridendis.*] Pal. ſec. & Pith. reſpuit pronomen *in.* & ſic alibi locutum annotavit Gulielmius; nominatim lib. IV. ad Atticum Epiſt. I.

11. *Ac moribus.*] Rectè, etſi præceſſit *morum*, quod repoſui fide membranarum omnium, cum prius fuiſſet *moris.* prius enim ſignat conſuetudinem gentis publicam; illud verò privati cujuſque indolem.

1. *In*

ſidè verſari, & peritè poteſt. qui autem hæc cognoverit, ſine quibus ne illa quidem minima in cauſis quiſquam rectè tueri poteſt, quid huic abeſſe poterit de maximarum rerum ſcientia? Sin oratoris nihil vis eſſe, niſi compoſitè, ornatè, copioſè eloqui: quæro, idipſum quî poſſit aſſequi ſine ea ſcientia, quam ei non conceditis? DICENDI enim virtus, niſi ei, qui dicit, ea, de quibus dicit, percepta ſint, exſtare non poteſt. Quamobrem ſi ornatè locutus eſt, ſicut fertur, & mihi videtur, phyſicus ille Democritus: materies illa, fuit phyſici, de qua dixit: ornatus verò ipſe verborum, oratoris putandus eſt. Et, ſi Plato de rebus à civilibus controverſiis remotiſſimis, divinitùs eſt locutus, quod ego concedo: ſi item Ariſtoteles, ſi Theophraſtus, ſi Carneades in rebus iis, de quibus diſputaverunt, eloquentes, & in dicendo ſuaves, atque ornati fuerunt: ſint hæ res, de quibus diſputant, in aliis quibuſdam ſtudiis: oratio quidem ipſa, propria eſt hujus unius rationis, de qua loquimur, & quærimus. Etenim videmus, iiſdem de rebus jejunè quoſdam, & exiliter, ut eum, quem acutiſſimum ferunt, Chryſippum, diſputaviſſe, neque ob eam rem philoſophiæ non ſatisfeciſſe, quòd non habuerit hanc di-

12 cendi [1] *in arte aliena* facultatem. Quid ergo intereſt? aut quî diſcernes eorum, quos nominavi, ubertatem in dicendo, & copiam, ab eorum exilitate, qui hac dicendi varietate, & elegantia non utuntur? Unum erit profectò, quod ii, qui bene dicunt, afferunt proprium; compoſitam orationem, & ornatam, & artificio quodam, & expolitione diſtinctam. Hæc autem oratio, ſi res non ſubeſt ab oratore percepta, & cognita: aut nulla ſit neceſſe eſt, aut omnium irriſione ludatur. QUID EST enim tam furioſum, quàm verborum vel optimorum, atque ornatiſſimorum ſonitus inanis, nulla ſubjecta ſententia, nec ſcientia? Quicquid erit igitur quacumque ex arte, quocumque de genere, id orator, ſi, tanquam clientis cauſam, didicerit, dicet melius, & ornatiùs, quam ille ipſe ejus rei inventor, atque artifex. Nam ſi quis erit, qui hoc dicat, eſſe quaſdam oratorum proprias ſententias, atque cauſas, & certarum rerum forenſibus cancellis circumſcriptam ſcientiam: fatebor equidem in his magis aſſiduè verſari hanc noſtram dictionem: ſed tamen in his ipſis rebus permulta ſunt, quæ iſti magiſtri, qui *rhetorici* vocantur, nec tradunt, nec tenent. Quis enim neſcit, maximam vim exſiſtere oratoris in hominum mentibus vel ad iram, aut ad odium, aut dolorem incitandis, vel ab hiſce iiſdem permotionibus ad lenitatem, miſericordiamque revocandis? [2] quæ niſi qui naturas hominum, vimque omnem humanitatis, cauſaſque eas, quibus mentes aut incitantur, aut reflectuntur, penitus perſpexerit, dicendo quod volet, perficere non poterit. Atquì totus hic locus [3] philoſophorum proprius videtur: neque orator, me auctore, umquam repugnabit: ſed, cùm illis cognitionem rerum conceſſerit, quòd in ea ſolum illi voluerint elaborare: tractationem orationis, quæ ſine illa ſcientia nulla eſt, ſibi aſſumet. Hoc enim eſt proprium *oratoris*, quod ſæpe jam dixi, oratio gravis, & ornata, & hominum ſenſibus, ac mentibus accommodata. Quibus de rebus Ariſtotelem,

13 & Theophraſtum ſcripſiſſe fateor. Sed vide, ne hoc, Scævola, totum ſit à me. nam ego, quæ ſunt oratori cum illis communia, non mutuor ab illis: iſti quæ de his rebus diſputant, oratorum eſſe concedunt. Itaque ceteros libros, artis iſti ſuæ nomine, hos rhetoricos & inſcribunt, & appellant. Etenim cùm illi in dicendo inciderint loci (quod perſæpe evenit) ut de diis immortalibus, de pietate, de concordia, de amicitia, [4] de communi civium, de hominum, de gentium jure, de æquitate, de temperantia, de magnitudine animi, de omni virtutis genere ſit dicendum, clamabunt, credo, omnia gymnaſia, atque omnes philoſophorum ſcholæ, *ſua hæc eſſe* omnia propria; nihil omnino ad oratorem pertinere. Quibus ego, ut de his rebus omnibus in angulis, conſumendi otii cauſa, diſſerant, cùm conceſſero, illud tamen oratori tribuam, & dabo, ut eadem, de quibus illi [5] tenui quodam, exanguique ſermone diſputant, hic cum omni gravitate & jucunditate explicet. Hæc ego cum ipſis Philoſophis tum Athenis diſſerebam. Cogebat enim me Marcus Marcellus hic noſter, qui nunc ædilis curulis eſt: & profectò, niſi ludos nunc faceret, huic noſtro ſermoni intereſſet; ac jam tum erat adoleſcentulus his ſtudiis mirificè deditus. Jam verò de legibus inſtituendis, de bello, de pace, de ſociis, de vectigalibus: de jure civium generatim in ordines, ætateſque deſcripto, dicant vel Græci, ſi volunt, Lycurgum, aut Solonem (quamquam illos quidem cenſemus in numero *eloquentium* reponendos) ſciſſe meliùs, quàm Hyperidem, aut Demoſthenem, perfectos jam homines in dicendo, & perpolitos: vel noſtros decemviros, qui XII. tabulas perſcripſerunt, quos neceſſe eſt fuiſſe prudenteis, anteponant hoc genere & Ser. Galbæ, & ſocero tuo C. Lælio, quos conſtat dicendi gloria præſtitiſſe. Numquam enim negabo, eſſe quaſdam arteis proprias eorum, qui in his cognoſcendis, atque tractandis ſtudium ſuum omne poſuerunt: ſed ORATOREM plenum, atque perfectum eſſe eum dicam, qui de omnibus rebus poſſit variè, copioſeque dicere. Etenim ſæpe in iis cauſis, quas 14
omneis proprias eſſe oratorum confitentur, eſt aliquid, quod non ex uſu forenſi, quem ſolum oratoribus conceditis, ſed ex obſcuriore aliqua *ſcientia* ſit promendum & aſſumendum. Quæro enim, num poſſit aut contra imperatorem, aut pro imperatore dici ſine rei militaris uſu, aut ſæpe etiam ſine regionum terreſtrium, aut maritimarum ſcientia: num apud populum de legibus jubendis, aut vetandis, num in ſenatu de omni reipub. genere dici ſine ſumma rerum civilium cognitione, & prudentia: num admoveri poſſit oratio ad ſenſus animorum, atque motus vel inflammandos, vel etiam exſtinguendos, (quod unum in oratore dominatur) ſine diligentiſſima perveſtigatione earum omnium rationum, quæ de naturis humani generis, ac moribus à philoſophis, explicantur. Atque haud ſcio an minùs hoc vobis ſim probaturus, equidem non dubitabo, quod ſentio dicere. phyſica iſta ipſa, quæ paullo antè & mathematica, & ceterarum artium propria poſuiſti, ſcientiæ ſunt eorum, qui illa profitentur. *illuſtrare* autem oratione ſiquis iſtas ipſas arteis velit, ad oratoris ei confugiendum eſt facultatem. Neque enim, ſi Philonem illum architectum, qui Athenienſibus armamentarium fecit, conſtat perdiſertè populo rationem operis ſui reddidiſſe, exiſtimandum eſt architecti potius artificio diſertum, quàm oratoris, fuiſſe. Nec, ſi huic Marco Antonio pro Hermodoro fuiſſet de navalium opere dicendum, non, cùm ab illo cauſam didiciſſet, ipſe ornatè de alieno artificio, copioſeque dixiſſet. Neque vero Aſclepiades is, quo nos medico, amicoque uſi ſumus, tum, cùm eloquentia vincebat ceteros medicos, in eo ipſo, quod ornatè dicebat, medicinæ facultate utebatur, non eloquentiæ. Atque illud eſt probabilius, neque tamen verum, quod Socrates dicere ſolebat, *omneis in eo, quod ſcirent, ſatis eſſe eloquentes*. Illud verius, NEQUE QUEMQUAM IN eo diſertum eſſe poſſe, quod neſciat, neque, ſi id optimè ſciat, ignaruſque ſit faciundæ, ac poliendæ orationis, diſertè id ipſum poſſe, de quo ſciat, dicere. Quam ob 15
rem ſiquis univerſam, & propriam oratoris vim definire, complectique vult, is orator erit, mea ſententia, hoc tam

1. *In arte aliena facultatem.*] Sic Gulielmius ex Gallicanis. nam Pall. aut, *ex arte alienam facult.* quomodo olim editi, aut, *in arte alienam facultatem.*

2. *Quæ niſi qui naturas, &c.*] Paſſeratii conjecturam recepit Lambinus, *quare niſi.* non neceſſario. certe invitis mſſ.

3. *Philoſophorum proprius videtur.*] Haud aliter olim cuſi ac mſſ. noſtri, quibus præterea eſt, *Atque.* Vulgata, *Atqui hic locus philoſophorum putatur proprius.*

4. *De communi civium, de hominum.*] Lambinus heic fruſtra fluctuat. nam *jus commune civium*, eſt publicum *hominum*, eſt privatum. Gulielmius.

5. *Tenui quodam exſanguique ſermone.*] Eſt à Pal. ſec. & chartaceo Memmii libro. nam alii aliquot *& exſangui*, plures, *& exigue*, quomodo vulgata.

gravi dignus nomine, qui, quæcumque res inciderit, quæ ſit dictione explicanda, prudenter, & compoſitè & ornatè, & memoriter dicat. cum quadam etiam actionis dignitate. Sin cuipiam nimis infinitum videtur, quod ita poſui, *quacumque de re*, licet hinc, quantum cuique videbitur, circumcidat, atque amputet: tamen illud tenebo, ſi, quæ ceteris in artibus, aut ſtudiis ſita ſunt, orator ignoret, tantumque ea teneat, quæ ſint in diſceptationibus, aut in uſu forenſi: tamen his de rebus ipſis ſi ſit ei dicendum, cùm cognoverit ab iis, qui tenent, quæ ſint in quaque re; multo oratorem meliùs, quàm ipſos illos, quorum eæ ſunt artes, eſſe dicturum. Ita ſi de re militari dicendum huic erit Sulpicio, quæret à C. Mario affini noſtro, &, cùm acceperit, ita pronuntiabit, ut ipſi C. Mario pænè hic meliùs, [1] quam ipſe ille ſcire videatur. Sin de jure civili: tecum communicabit, teque hominem prudentiſſimum, & peritiſſimum in iis ipſis rebus, quas abs te didicerit, dicendi arte ſuperabit. Sin qua res inciderit, in qua de *natura*, de vitiis hominum, de cupiditatibus, de modo, de continentia, de dolore, de morte dicendum ſit: forſitan, ſi ei ſit viſum, (& ſi hæc quidem noſſe debet orator) cum Sex. Pompejo, erudito homine in philoſophia, communicabit. Hoc profectò efficiet, ut quamcunque rem à quoque cognoverit, de ea multo dicat ornatius, quàm ille ipſe, unde cognorit. Sed ſi me audierit, quoniam philoſophia in treis parteis eſt diſtributa, in naturæ obſcuritatem, in diſſerendi ſubtilitatem, in vitam atque mores: duo illa relinquamus, idque largiamur inertiæ noſtræ: tertium verò, quod ſemper oratoris fuit, niſi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus eſſe poſſit, relinquemus. Quare hic locus de vita & moribus totus eſt oratori perdiſcendus: cetera ſi non didicerit, tamen poterit, ſi quando opus erit, ornare dicendo, ſi modò erunt ad
16 eum delata, & tradita. Etenim ſi conſtat inter doctos, *hominem* ignarum aſtrologiæ, ornatiſſimis, atque optimis verſibus Aratum, de cœlo, ſtelliſque dixiſſe: ſi de rebus ruſticis hominem ab agro remotiſſimum, Nicandrum Colophonium, poëtica quadam facultate, non ruſtica, ſcripſiſſe præclarè: quid eſt, cur non orator de rebus iis eloquentiſſimè dicat, quas ad certam cauſam, tempuſque cognorit? Eſt enim finitimus oratori poëta, numeris adſtrictior paulo, verborum autem licentia liberior, multis verò ornandi generibus ſocius, ac pænè par: in hoc quidem certè propè idem, nullis ut terminis circumſcribat, aut definiat jus ſuum, quo minus ei liceat eadem illa facultate, & copia vagari, quà velit. [2] Namque illud quare Scævola, negaſti te fuiſſe laturum, niſi in meo regno eſſes, quòd in omni genere ſermonis, in omni parte humanitatis dixerim oratorem *perfectum* eſſe debere? Nunquam mehercule hoc dicerem, ſi eum, quem fingo, meipſum eſſe arbitrarer. ſed, ut ſolebat C. Lucilius ſæpe dicere, homo tibi ſubiratus, mihi propter eam ipſam cauſam minùs, quàm volebat, familiaris, ſed tamen & doctus, & perurbanus: ſic ſentio, NEMINEM ESSE in oratorum numero habendum, qui non ſit omnibus iis artibus, quæ ſunt libero dignæ, perpolitus: quibus ipſis, ſi in dicendo non utimur, tamen appâret, atque exſtat, utrum ſimus earum rudes, an didicerimus: *ut, qui pila ludunt,* non utuntur in ipſa luſione artificio proprio palæſtræ, ſed indicat ipſe motus, didicerintne palæſtram, an neſciant: & qui aliquid fingunt, etſi tum pictura nihil utuntur, tamen, utrùm ſciant pingere, an neſciant, non obſcurum eſt: ſic in orationibus hiſce ipſis judiciorum, concionum, ſenatus, etiam ſi propriæ ceteræ non adhibeantur artes, tamen facilè declaratur, utrùm is, qui dicat, tantummodò in hoc declamatorio ſit opere jactatus, an ad dicendum omnibus ingenuis artibus inſtructus acceſſerit. Tum 17
ridens Scævola, Non luctabor, inquit, tecum, Craſſe, amplius. id enim ipſum, quod contra me locutus es, artificio quodam es conſecutus, ut & mihi, quæ ego vellem non eſſe oratoris concederes: & ea ipſa neſcio quomodo rurſus detorqueres, atque oratori propria traderes. [3] Hæc, cùm ego prætor Rhodum veniſſem, & cum ſummo illo doctore iſtius diſciplinæ Apollonio, ea, quæ à Panætio acceperam, contuliſſem: irriſit ille quidem, ut ſolebat, philoſophiam, atque contemſit, multaque non tam graviter dixit, quàm facete. tua autem fuit oratio ejuſmodi, non ut ullam artem, doctrinamve contemneres, ſed ut omneis, comites ac miniſtras oratoris eſſe diceres: quas ego, ſi quis ſit unus complexus omneis, idemque ſi ad eas facultates iſtam ornatiſſimæ orationis adjunxerit; non poſſum dicere, eum non egregium quendam hominem, atque admirandum fore. ſed is, ſi quis eſſet, aut ſi etiam umquam fuiſſet, aut verò ſi *eſſe poſſet*, tu eſſes unus profectò, qui & meo judicio, & omnium, vix ullam ceteris oratoribus (pace horum dixerim) laudem reliquiſti. Verùm ſi tibi ipſi nihil deeſt, quod in forenſibus rebus, civilibuſque verſetur, quin ſcias, neque eam tamen ſcientiam, quam adjungis oratori, complexus es: videamus, ne plus ei tribuas, quàm res & veritas ipſa concedat. Hic Craſſus, Memento, inquit, me non de mea, ſed de oratoris facultate dixiſſe. Quid enim nos aut didicimus, aut ſcire potuimus, qui antè ad agendum, quàm ad cognoſcendum venimus, quos in foro, quos in ambitione, quos in rep. quos in amicorum negotiis res ipſa antè confecit, quàm poſſemus aliquid de rebus tantis *ſuſpicari*. Quod ſi tibi tantum in nobis videtur eſſe, quibus etiam ſi ingenium, ut tu putas, non maximè defuit, doctrina certe, & otium, & hercule etiam [4] ſtudium illud diſcendi acerrimum defuit: quid cenſes, ſi ad alicujus ingenium vel majus illa, quæ ego non attigi, acceſſerint? qualem illum, & quantum oratorem futurum? Tum Anto- 18
nius, Probas mihi, inquit, iſta Craſſe, quæ dicis: nec dubito, quin multo locupletior in dicendo futurus ſit, ſiquis omnium rerum, atque artium rationem, naturamque comprehenderit. Sed primum id difficile eſt factu, præſertim in hac *noſtra vita*, noſtriſque occupationibus: deinde illud etiam verendum eſt, ne abſtrahamur ab hac exercitatione, & conſuetudine dicendi populari, & forenſi. Aliud enim mihi quoddam genus orationis eſſe videtur eorum hominum, de quibus paullò antè dixiſti, quamvis illi ornatè, & graviter aut de natura rerum, aut de humanis rebus loquantur. Nitidum quoddam genus eſt verborum, & lætum: ſed palæſtræ magis, & olei, quàm hujus civilis turbæ, ac fori. Namque egomet, qui ſerò, ac leviter Græcas litteras attigiſſem, tamen cùm pro conſule in Ciliciam proficiſcens Athenas veniſſem, complureis tum ibi dies ſum [5] propter navigandi difficultatem commoratus: ſed, cùm quotidie mecum haberem homines doctiſſimos, eos ferè ipſos, qui abs te modò ſunt nominati, cumque hoc, neſcio quomodo, apud eos increbuiſſet, me in cauſis majoribus, ſicuti te, ſolere verſari, [6] pro ſe quiſque ut poterat, de officio & ratione oratoris diſputabat. Horum alii, ſicut iſte ipſe Mneſarchus, hos, quos nos oratores vocaremus, nihil eſſe dicebat, niſi quoſdam *operarios* lingua celeri, & exercitata: oratorem autem, niſi qui ſapiens eſſet, eſſe neminem: atque ipſam eloquentiam, quòd ex bene dicendi ſcientia conſtaret, unam quandam eſſe virtutem: &, qui unam virtutem haberet, omneis habere, eaſque ipſas eſſe inter ſe æqualeis, & pareis. ita,

---

1. *Quam ipſe ille ſcire videatur.*] Pall. & Gall. *illa.* nihilo pejus; ſi non melius.

2. *Namque illud quare Scævola.*] Toſani liber à Suffrido excuſſus: *Nam quod illud, Qu. Scævola*, forſan rectius.

3. *Hæc cum ego prætor, &c.*] Memmii duo mſſ. item Pall. & Pithœanus, *Quæ cum ego, &c.* non damnem.

4. *Studium illud diſcendi acerrimum, &c.*] Sic plerique è Palatinis, neque ſecus libri quos evolvit Suffridus noſter; quomodo dudum conjecerat Hotomanus.

5. *Propter navigandi difficultatem.*] Toſani liber, *facultatem.* quod temerarium videri non debet.

6. *Pro ſe quiſque, ut poterat, de officio.*] Editio vetuſtior, *pro ſe quæ quiſque poterat*, neque aliter Pall. priores. nam tert. & Memm. *pro ſe quiſque poterat;* ſine *ut.* quart. quint. &c. *pro ſe quiſque eorum, quantum quiſque poterat.* Gulielmius putabat ſufficere, *pro ſe quiſque; de officio, &c.* omiſſis intermediis.

1. Legen-

ita, qui eſſet eloquens, eum virtutes omneis habere, atque eſſe ſapientem. Sed hæc erat ſpinoſa quædam, & exilis oratio, longeque à noſtris ſenſibus abhorrebat. Carneades verò multo uberius iiſdem de rebus loquebatur, non quò aperiret ſententiam ſuam (hic enim mos erat patrius Academiæ; *adverſari* ſemper omnibus in diſputando) ſed tum maximè tamen hoc ſignificabat, eos, qui *rhetores* nominarentur, & qui dicendi præcepta traderent, nihil planè tenere, neque poſſe quemquam facultatem aſſequi dicendi, niſi qui phi-
19 loſophorum inventa didiciſſet. Diſputabant contrà diſerti homines, Athenienſes; & in repub. cauſiſque verſati, in quîs erat etiam is, qui nuper Romæ fuit, Menedemus, hoſpes meus: qui cùm diceret ESSE QUANDAM prudentiam, quæ verſaretur in perſpiciendis rationibus conſtituendarum, & [1] regendarum rerum publicarum, [2] excitabatur homo promtus, ab homine abundanti doctrina, & quadam incredibili varietate rerum, & copia. Omneis enim parteis illius ipſius prudentiæ, petendas eſſe à *philoſophia* docebat, neque ea, quæ ſtatuerentur in repub. de diis immortalibus, de diſciplina juventutis, de juſtitia, de patientia, de temperantia, de modo rerum omnium, ceteraque, ſine quibus civitates aut eſſe, aut bene moratæ eſſe non poſſent, [3] uſquam in eorum inveniri libellis. Quòd ſi tantam vim rerum maximarum arte ſua rhetorici illi doctores complecterentur: quærebat, cur de proœmiis, & de epilogis, & de hujuſmodi nugis (ſic enim appellabat) referti eſſent eorum libri: de civitatibus inſtituendis, de ſcribendis legibus, de æquitate, de juſtitia, de fide, de frangendis cupiditatibus, de conformandis hominum moribus, [4] littera in eorum libris nulla inveniretur. Ipſa verò præcepta ſic illudere ſolebat, ut oſtenderet, non modò eos illius experteis eſſe prudentiæ, quam ſibi aſciſcerent, ſed ne hanc quidem ipſam dicendi rationem, ac viam noſſe. CAPUT enim eſſe arbitrabatur oratoris, [5] ut & ipſis, apud quos ageret, talis, qualem ſe ipſe optaret, videretur. id fieri vitæ dignitate, de qua nihil rhetorici iſti doctores in præceptis ſuis reliquiſſent: & uti eorum, qui audirent, ſic afficerentur animi, ut eos affici vellet orator: quod item fieri nullo modo poſſe, niſi cognoſceret is, qui diceret, quot modis hominum mentes, & quibus rebus, & quo genere orationis in quamque partem moverentur. Hæc autem eſſe penitus in media philoſophia *retruſa*, atque abdita, quæ iſti rhetores ne primoribus quidem labris attigiſſent. Ea Menedemus exemplis magis, quàm argumentis, conabatur refellere. memoriter enim multa [6] ex orationibus Demoſthenis præclarè ſcripta pronuntians, docebat, illum in animis vel judicum, vel populi, in omnem partem dicendo *permovendis*, non fuiſſe ignarum, quibus ea rebus conſequeretur, quæ negaret ille ſine philo-
20 ſophia quemquam ſcire poſſe. Huic reſpondebat, non ſe negare, Demoſthenem ſummam prudentiam, ſummamque vim habuiſſe dicendi: ſed ſive ille hoc ingenio potuiſſet, ſive, id quod conſtaret, Platonis ſtudioſus audiendi fuiſſet: non, quid ille potuiſſet, ſed quid iſti docerent, eſſe quærendum. Sæpe etiam in eam partem ferebatur oratione, ut omnino diſputaret, *nullam artem eſſe dicendi:* idque cum argumentis docuerat, quòd ita nati eſſemus, [7] ut & blandiri, & ſuppliciter inſinuare iis, à quibus eſſet petendum, & adverſarios minaciter terrere poſſemus, & rem geſtam exponere, & id, quod intenderemus, confirmare, & id, quod contrà diceretur, refellere; & ad extremum deprecari aliquid, & conqueri: quibus in rebus omnis oratorum verſaretur facultas: & quòd *conſuetudo*, exercitatioque & intelligendi prudentiam acueret, & eloquendi celeritatem incitaret: tum etiam exemplorum copia nitebatur. nam primùm quaſi dedita opera neminem ſcriptorem artis ne mediocriter quidem diſertum fuiſſe dicebat, cùm repeteret uſque à Corace neſcio quo, & Tiſia, quos artis illius inventores, & principes fuiſſe conſtaret: eloquentiſſimos autem homines, qui iſta nec didiciſſent, nec omnino ſciſſe curaſſent, innumerabileis quoſdam nominabat: in quibus etiam (ſive ille irridens, ſive quòd ita putaret, atque ita audiſſet) me in illo numero, qui illa non didiciſſem, & tamen (ut ipſe dicebat) poſſem aliquid in dicendo, proferebat. Quorum illi alterum facilè aſſentiebar, nihil me didiciſſe, in altero autem me illudi ab eo, aut etiam ipſum errare arbitrabar. Artem verò negabat eſſe ullam, niſi quæ cognitis, penituſque perſpectis, & in unum exitum ſpectantibus, & *numquam fallentibus* rebus contineretur. Hæc autem omnia, quæ tractarentur ab oratoribus, dubia eſſe, & incerta: cùm & dicerentur ab iis, qui ea omnia non planè tenerent, & audirentur ab iis, quibus non ſcientia eſſet tradenda, ſed exigui temporis aut falſa, aut certè obſcura *opinio*. Quid multa? ſic mihi tum perſuadere videbatur, neque artificium ullum dicendi, neque quemquam poſſe, niſi qui illa, quæ à doctiſſimis hominibus in philoſophia dicerentur, cognoſſet, aut callidè aut copioſè dicere. [8] Quibus dicere Carneades ſolebat, ingenium tuum, Craſſe, vehementer admirans, me ſibi perfacilem in audiendo, te perpugna-
cem in diſputando eſſe viſum. Tumque ego hac eadem 21
opinione adductus, ſcripſi etiam illud quodam in libello, qui me imprudente, & invito excidit, & pervenit in manus hominum, *Diſertos* me cognoſſe nonnullos, eloquentem adhuc neminem: quòd eum ſtatuebam diſertum, qui poſſet ſatis acutè, atque dilucidè apud mediocreis homines ex communi quadam hominum opinione dicere, eloquentem verò, qui mirabilius, & magnificentius augere poſſet, atque ornare quæ vellet, omneiſque omnium rerum quæ ad dicendum pertinerent, fonteis animo ac memoria contineret. Id ſi eſt difficile nobis qui [9] antè, quàm ad diſcendum ingreſſi ſumus, obruimur *ambitione*, & foro: ſit tamen in re poſitum, atque natura. Ego enim, quantum auguror conjectura, quantaque ingenia in noſtris hominibus eſſe video, non deſpero fore aliquem aliquando, qui & ſtudio acriore, quàm nos ſumus, atque fuimus, & otio ac facultate diſcendi majore, ac maturiore, & labore atque induſtria ſuperiore, cùm ſe ad audiendum, legendum, [10] ſcribendumque dediderit, exſiſtat talis orator, qualem quærimus: qui jure non ſolùm *diſertus*, ſed etiam *eloquens* dici poſſit: qui tamen, mea ſententia, aut hic eſt jam Craſſus, aut, ſi quis pari fuerit ingenio, pluraque quàm hic, & audierit, & lectitarit, & ſcripſerit, paullum huic aliquid poterit addere. Hoc loco Sulpicius, Inſperanti mihi, inquit, &

Cottæ,

1. *Regendarum rerum publ.*] Legit *augendarum* Gulielmius, ſed præter mſſ.

2. *Excitabatur homo promptus.*] Hotomanus lib. II. Obſerv. cap. 6. conjiciebat *excipiebatur*; quod arripuit Lambinus. forte *exagitabatur*, inquit Gulielmius, ſed non opus erat aliquid mutare.

3. *Uſquam in eorum libellis.*] Per contemptum ita dicuntur Rhetorum ſcripta infra cap. XXIII. neque aliter Pal. pr. ſec. Memmiani, Pithœanus. vulgati prius, *in eorum libris*.

4. *Litera nulla in eorum libris inveniretur.*] Apertum ferè gloſſema, *in eorum libris*. certe ſi reſecetur, nihil defuerit ſententiæ.

5. *Ut & ipſis apud quos, &c.*] Arbitratur aliquid deeſſe Gulielmius, aut certe legendum, *& ut ipſis*.

6. *Ex orationibus Demoſthenis.*] Pith. liber, *Demoſtheni*; ut & infra libro II. cap. 23. *filium fuiſſe Demoſtheni*. antiquè, ut & alicubi *pericli* pro *periclis*.

7. *Ut & blandiri & ſuppliciter inſinuare iis, à quibus.*] Sic nulli mſſ. præter fere Palat. prim. in quo tamen, *ſubtiliter*, quod & in uno Memmiano, niſi quod ibi *inſinuari*. at alter, *& ſuppliciter & ſubtiliter his à quo quod eſſet petendum*. Pith. habet, *& ſuppliciter quibus*, omiſſis aliis. quomodo item pene Pall. ceteri, in quibus, *ut & blandiri ſuppliciter iis à quibus, &c.* quod & in editione principe, neque diſplicet nimis.

8. *Quibus dicere Carneades, &c.*] Lambinus edidit: *Quibus adjicere Carn. ſolebat*, quod eſt conjectaneum Hotomani. Gulielmius malebat: *è quibus dicere Carneades*; ſcilicet copioſe & callide dicentibus.

9. *Antequam ad diſcendum.*] Ita legendum indicavit Hotomanus libro II. Obſerv. cap. 6. confirmatque Palat. tert. quartus, forte & ſequentes, ſed non libuit ulterius conſulere, cum haberem teſtimonium duorum.

10. *Scribendumque dediderit.*] Sic Pal. prim. etiam ſec. ſed is *dederit*, quod & in Gallicanis. vulgata amplius, *ſcribendumque majore opera dediderit*, ſuperflue.

Cottæ, ſed valde optanti utrique noſtrûm, cecidit, ut in iſtum ſermonem, Craſſe, delaberemini. Nobis enim huc venientibus jucundum ſatis fore videbatur, ſi, cùm vos de rebus aliis loqueremini, tamen nos aliquid ex ſermone veſtro memoria dignum excipere poſſemus; ut verò penitus in eam ipſam totius hujus vel ſtudii, vel artificii, vel facultatis diſputationem pæne intimam veniretis, vix optandum nobis videbatur. Ego enim, qui ab ineunte ætate incenſus eſſem ſtudio utriuſque veſtrûm, Craſſi verò etiam amore, cùm ab eo nuſquam diſcederem, verbum ex eo nunquam elicere potui [1] de vi ac ratione dicendi, cùm & per memetipſum egiſſem, & per Druſum ſæpe tentaſſem: quo in genere, tu Antoni (verè loquar) numquam mihi percunctanti, aut quærenti aliquid, defuiſti, & perſæpe me, quæ ſoleres in dicendo *obſervare*, docuiſti. Nunc quoniam uterque veſtrûm patefecit earum rerum ipſarum aditum, quas quærimus, & quoniam princeps Craſſus ejus ſermonis ordiendi fuit, date nobis hanc veniam, ut ea, quæ ſentitis de omni genere dicendi, ſubtiliter perſequamini. Quod quidem ſi erit à vobis impetratum, magnam habebo, Craſſe, huic palæſtræ, & Tuſculano tuo gratiam, & longè Academiæ illi, ac Lyceo tuum hoc ſuburbanum gymnaſium anteponam.

22 Tum ille. Immò verò, inquit, Sulpici, rogemus Antonium, qui & poteſt facere, quod requiris, & conſuevit, ut te audio dicere. Nam me quidem ſemper à genere hoc toto ſermonis refugiſſe, & tibi cupienti atque inſtanti ſæpiſſimè negaſſe, tute paullò ante dixiſti. Quod ego non ſuperbia, neque inhumanitate faciebam, neque quò tuo ſtudio rectiſſimo, atque optimo non obſequi vellem, præſertim cùm te unum ex omnibus ad dicendum maximè natum, aptumque cognoſſem, ſed mehercule iſtius diſputationis *inſolentia*, atque earum rerum, [2] quæ quaſi traduntur in arte, *inſcitia*. Tum Cotta, quoniam id, quod difficillimum nobis videbatur, ut omnino de his rebus, Craſſe, loquerere, aſſecuti ſumus: de reliquo jam noſtra culpa fuerit, ſi te, niſi omnia, quæ percunctati erimus, explicatis, dimiſerimus. De his, credo, rebus, inquit, Craſſus, [3] ut in cretionibus ſcribi ſolet, QUIBUS SCIAM, POTEROQUE. Tum ille, Namque quod tu non poteris, aut neſcies, quis noſtrûm tam impudens eſt, qui ſe ſcire, aut poſſe poſtulet? Jam verò, iſta conditione, dum mihi liceat, negare poſſe quod non potero, & fateri neſcire quod neſciam, licet, inquit Craſſus, veſtro arbitratu percunctemini. [4] Atque, inquit Sulpicius, hoc primùm ex te, de quo modò Antonius expoſuit, quid ſentias, quærimus: exiſtimeſne artem aliquam eſſe dicendi. Quid? mihi nunc vos, inquit Craſſus, tanquam alicui Græculo otioſo & loquaci, & fortaſſe docto, atque erudito, quæſtiunculam, de qua meo arbitratu loquar, ponitis? Quando enim me iſta curaſſe, aut cogitaſſe arbitramini, & non ſemper irriſiſſe potius eorum hominum impudentiam, qui cùm in ſchola aſſediſſent, ex magna hominum frequentia *dicere* juberent, ſiquis quid quæreret? quod primùm ferunt Leontinum feciſſe Gorgiam: qui permagnum quiddam ſuſcipere, ac profiteri videbatur, cùm ſe ad omnia, de quibus quiſque audire vellet, *eſſe paratum* denuntiaret. Poſtea verò vulgò hoc facere cœperunt, hodieque faciunt, ut nulla ſit res, neque tanta, neque tam improviſa, neque tam nova, de qua ſe non omnia, quæ dici poſſunt, profiteantur eſſe dicturos. Quòd ſi te Cotta, arbitrarer, aut te, Sulpici, de iis rebus audire velle, adduxiſſem huc Græcum aliquem, qui nos iſtiuſmodi diſputationibus delectaret: quod ne nunc quidem difficile factu eſt. Eſt enim apud M. Piſonem, adoleſcentem jam huic ſtudio deditum, ſummo hominem ingenio, noſtrique cupidiſſimum, Peripateticus Staſeas, homo nobis ſanè familiaris, &, ut inter homines peritos conſtare video, in illo ſuo genere omnium princeps. Quem tu, inquit, mihi, Mucius, Staſeam, quem 23
Peripateticum narras? gerendus eſt tibi mos adoleſcentibus, Craſſe: qui non Græci alicujus quotidianam loquacitatem ſine uſu, neque ex ſcholis cantilenam requirunt, ſed ex homine omnium ſapientiſſimo, atque eloquentiſſimo, atque ex eo, qui non *in libellis*, ſed in maximis cauſis, & in hoc domicilio imperii & gloriæ, ſit conſilio, linguaque princeps, cujus veſtigia perſequi cupiunt, ejus ſententiam ſciſcitantur. Equidem te cùm in dicendo ſemper putavi *deum*, tum verò tibi nunquam eloquentiæ majorem tribui laudem, quàm humanitatis: qua nunc te uti vel maximè decet, neque defugere eam diſputationem, ad quam te duo [5] excellentis ingenii adoleſcentes cupiunt accedere. Ego verò, inquit, iſtis obſequi ſtudeo, neque gravabor breviter meo more, quid quaque de re ſentiam dicere. Ac primùm illud (quoniam auctoritatem tuam negligere, Scævola, fas mihi eſſe non puto) reſpondeo; mihi dicendi aut nullam artem, aut pertenuem videri, ſed omnem eſſe contentionem inter homines doctos in verbi controverſia poſitam. Nam ſi ars ita definitur, ut paullo antè expoſuit Antonius, *ex rebus* penitus perſpectis, planeque cognitis, atque ab opinionis arbitrio ſejunctis, ſcientiaque comprehenſis: non mihi videtur ars oratoris eſſe ulla. Sunt enim varia, & ad vulgarem, popularemque ſenſum accommodata omnia genera hujus forenſis noſtræ dictionis. Sin autem ea, quæ *obſervata* ſunt in uſu, ac ratione dicendi, hæc ab hominibus callidis, ac peritis animadverſa, ac notata, verbis deſignata, generibus illuſtrata, partibus diſtributa ſunt, (id quod fieri potuiſſe video) non intelligo, quamobrem non, ſi minus illa ſubtili definitione, at hac vulgari opinione, ars eſſe videatur. Sed ſive eſt ars, ſive artis quædam ſimilitudo, non eſt quidem ea negligenda: verùm intelligendum eſt, alia quædam ad conſequendam eloquentiam eſſe majora.
Tum Antonius vehementer [6] ſe aſſentire Craſſo dixit, quod 24
neque ita amplecteretur artem, ut ii ſolerent, qui omnem vim dicendi in arte ponerent, neque rurſum eam totam, ſicut plerique Philoſophi facerent repudiaret. Sed exiſtimo, inquit, gratum te his Craſſe, facturum, ſi iſta expoſueris, quæ putas ad dicendum plus, quàm ipſam artem poſſe prodeſſe. Dicam equidem, quoniam inſtitui, petamque à vobis, inquit, ne has meas ineptias efferatis: quamquam moderabor ipſe, ne, ut quidam magiſter, atque artifex, ſed quaſi unus è togatorum numero, atque ex forenſi uſu homo mediocris, neque omnino rudis, videar, non ipſe aliquid à me promſiſſe, ſed fortuitò in ſermonem veſtrum incidiſſe. Equidem, cùm peterem magiſtratus, ſolebam in prenſando dimittere à me Scævolam, cùm ei ita dicerem, me velle eſſe *ineptum*. [7] id erat petere blandius: quod niſi ineptè fieret, bene non poſſet fieri. Hunc autem eſſe unum hominem ex omnibus, quo præſente ego ineptus eſſe minimè vellem: quem quidem nunc mearum ineptiarum teſtem, & ſpectatorem fortuna conſtituit. Nam quid eſt ineptius,

1. *De vi ac ratione dicendi.*] Fortè *via*, inquit Gulielmius.

2. *Quæ quaſi in arte traduntur inſcitia.*] Haud aliter Pith. & Memm. unus. nam Pal. pr. *traderentur*. ſecund. *tradentur*. Verum alteri Memmiano abeſt, *in arte*, rectè. nam *tradere* artis verbum eſt, ut liquet ex cap. 28. infra. item libro II. cap. 12. initio.

3. *Ut in cretionibus ſcribi ſolet.*] Eſt quidem a conjectura Franciſci Duareni, lib. II. Diſput. Anniverſar. cap. 42. ſed cui proxime accedunt mſſ. noſtri. nam eſt in Pal. pr. ſec. *certioribus*. in tert. quart. ſext. ſept. *critionibus*, Pith. *certionibus*. vulgata præfert *conditionibus*, cui inſiſtens Rob. Titius, fingebat *conditionibus*, lib. VIII. Locor. controverſ. cap. 2. ſed inconſideratè.

4. *Atqui, inquit Sulpitius, hoc primum ex te, de quo modò Antonius expoſuit, &c.*] Vetus editio, *Atqui, inquit Sulp. hoc oſtendi quod modò Anton.* quod & in nonnullis mſſ. ſed variante litera, *oſtende meliores*. tamen Pall. habent tantum, *Atqui inquit hoc oſtende quomodo*; neque aliter Memmii liber; nam Suffrid. noſtri codd. *Atqui, inquit Sulpitius, hoc primum extende quod modo*, forſan non male; hactenus, *dum deinde expungamus, quid ſentias quærimus*.

5. *Excellentis ingenii adoleſcentes.*] Pall. pr. ſec. Pith. Memmii duo, *excellentes ingeniis adoleſcentes*.

6. *Se aſſentire Craſſo.*] Gulielmius ita repoſuit ex Pith. & duobus Memmianis, eratque item in Pal. pr. ſec. non *aſſentiri*.

7. *Id erat petere blandius, &c.*] Voces has duodecim circumſæpiit uncis Gulielmius, tanquam librariorum. & poterant abeſſe.

1. *Omnia*;

ptius, quàm de dicendo dicere, cùm idipſum dicere, numquam ſit non ineptum, niſi cùm eſt *neceſſarium*? Perge verò, Craſſe, inquit Mucius, Iſtam enim culpam, quam vereris,
25 ego præſtabo. Sic igitur cenſeo, inquit Craſſus, naturam primùm, atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam: neque vero iſtis, de quibus paullo antè dixit Antonius, ſcriptoribus artis, rationem dicendi, & viam, ſed *naturam* defuiſſe. Nam & animi, atque ingenii celeres quidam motus eſſe debent, qui & ad excogitandum acuti, & ad explicandum, ornandumque ſint uberes, & ad memoriam firmi, atque diuturni. & ſi quis eſt, qui hæc putet arte accipi poſſe, quod falſum eſt (præclarè enim ſe res habeat, ſi hæc accendi, aut commoveri arte poſſint: inſeri quidem, & donari ab arte non poſſunt [1] omnia: ſunt enim illa dona naturæ) [2] quid de illis dicet, quæ certè cum ipſo homine naſcuntur? linguæ ſolutio, vocis ſonus, latera, vires, conformatio quædam, & figura totius oris, & corporis? Neque hæc ita dico, ut ars aliquid limare non poſſit: (neque enim ignoro, &, QUÆ BONA ſint, fieri meliora poſſe doctrina, & quæ non optima, aliquo modo acui tamen, & corrigi poſſe) ſed ſunt quidam aut ita lingua hæſitantes, aut ita voce abſoni, aut ita vultu, motuque corporis vaſti, atque agreſtes, ut, etiam ſi ingeniis, atque arte valeant, tamen in oratorum numerum venire non poſſint. Sunt autem quidam ita naturæ muneribus in iiſdem rebus habiles, ita ornati, ut non nati, ſed ab aliquo deo ficti eſſe videantur. Magnum quoddam eſt onus, atque munus, ſuſcipere, atque profiteri, ſe eſſe, omnibus ſilentibus, unum, maximis de rebus, magno in conventu hominum, audiendum. ADEST enim ferè nemo, quin acutius, atque acrius vitia in dicente, quàm recta videat. ita, quicquid eſt, in quo offenditur, id etiam illa, quæ laudanda ſunt, obruit. Neque hæc in eam ſententiam diſputo, ut homines adoleſcenteis, ſi quid naturale fortè non habeant, omnino à dicendi ſtudio deterream. Quis enim non videat, C. Cœlio, æquali meo, magno honori fuiſſe, homini novo, illam ipſam, quamcunque aſſequi potuerit, in dicendo mediocritatem? quis veſtrûm æqualem meum, Q. Varium, vaſtum hominem, atque fœdum, non intelligit illa ipſa facultate, quamcunque habuit,
26 magnam eſſe in civitate gratiam conſecutum? Sed quia de oratore quærimus, fingendus eſt nobis oratione noſtra, detractis omnibus vitiis, orator, atque omni laude cumulandus. Neque enim, ſi multitudo litium, ſi varietas cauſarum, ſi hæc turba, & barbaria forenſis dat locum vel vitioſiſſimis oratoribus, idcirco nos hoc, quod quærimus, omittemus. Itaque in iis artibus, in quibus non utilitas quæritur neceſſaria, ſed animi *libera* quædam *oblectatio*, quàm diligenter, & quàm propè faſtidioſe judicamus? Nullæ enim lites, neque controverſiæ ſunt, quæ cogant homines, ſicut in foro non bonos oratores, item in theatro actores malos perpeti. Eſt igitur oratori diligenter providendum, non uti illis ſatisfaciat, quibus neceſſe eſt: ſed ut iis admirabilis eſſe videatur, quibus liberè liceat judicare. Ac, ſi quæritis, planè, quid ſentiam, enuntiabo apud homines familiariſſimos, quod adhuc ſemper tacui, & tacendum putavi. Mihi etiam quique optimè dicunt, quique id facillimè, atque ornatiſſimè facere poſſunt, tamen, niſi timidè ad dicendum accedunt, & in ordienda oratione perturbantur, pænè *impudentes* videntur, tametſi id accidere non poteſt. UT ENIM quiſque optimè dicit, ita maximè dicendi difficultatem, varioſque eventus orationis, exſpectationemque hominum pertimeſcit. Qui verò nihil poteſt dignum re, dignum nomine oratoris, dignum hominum auribus efficere, atque edere, is mihi, etiam ſi commovetur in dicendo, tamen impudens videtur. NON ENIM pudendo, ſed non faciendo id, quod non decet, impudentiæ nomen effugere debemus. Quem verò non pudet (id quod in pleriſque video) hunc ego non reprehenſione ſolùm, ſed etiam pœna dignum puto. Equidem & in vobis animadvertere ſoleo, & in meipſo ſæpiſſimè experior, ut exalbeſcam in principiis dicendi, & tota mente, atque omnibus artubus contremiſcam. Adoleſcentulus verò ſic initio accuſationis exanimatus ſum, ut hoc ſummum beneficium Q. Maximo debuerim, quòd continuò conſilium dimiſerit, ſimulac me fractum, ac [3] debilitatum metu viderit. Hîc omnes aſſenſi, ſignificare inter ſeſe, & colloqui cœperunt. fuit enim mirificus quidam in Craſſo pudor, qui tamen [4] non modò non obeſſet ejus orationi, ſed etiam probitatis commendatione
prodeſſet. Tum Antonius; Sæpe, ut dicis, inquit, animadverti, 27
Craſſe, & te, & ceteros ſummos oratores, quamquam tibi par, mea ſententia, nemo umquam fuit, in dicendi exordio permoveri. Cujus quidem rei cùm cauſam quærerem, quidnam eſſet, cur, ut in quoque oratore plurimùm eſſet, ita maximè is pertimeſceret, has cauſas inveniebam duas: Unam, quòd intelligerent ii, quos uſus, ac natura docuiſſet, nonnumquam ſummis oratoribus non ſatis ex ſententia [5] *eventum* dicendi procedere. ita non injuria, quotieſcumque dicerent, id, quod aliquando poſſet accidere, ne tum accideret, timere. Altera eſt hæc, de qua quæri ſæpe ſoleo: ceterarum homines artium ſpectati, & probati, ſi quando aliquid minus bene fecerunt, quàm ſolent, aut noluiſſe, aut valetudine impediti non potuiſſe conſequi, id quod ſcirent, putantur. Noluit, inquiunt, hodie agere Roſcius; aut, Crudior fuit. Oratoris peccatum, ſi quod eſt animadverſum, ſtultitiæ peccatum videtur. STULTITIA autem excuſationem non habet: quia nemo videtur, aut quia crudus fuerit, aut quòd ita maluerit, ſtultus fuiſſe. quo etiam gravius judicium in dicendo ſubimus. quoties enim dicimus, toties de nobis judicatur. &, qui ſemel in geſtu peccavit, non continuò exiſtimatur neſcire geſtum. cujus autem in dicendo aliquid reprehenſum eſt: aut æterna in eo, aut certe diuturna valet opinio
tarditatis. Illud verò, quod à te dictum eſt, eſſe 28
permulta, quæ orator, niſi à natura haberet, non multùm à magiſtro adjuvaretur: valde tibi aſſentior, inque eo vel maximè probavi ſummum illum, doctorem Alabandenſem Apollonium, qui cum *mercede* doceret, tamen non patiebatur, eos, quos judicabat non poſſe oratores evadere, operam apud ſeſe perdere, dimittebatque. & [6] ad quamcumque artem putabat eſſe aptum, ad eam impellere, atque hortari ſolebat. Satis eſt enim ceteris artificiis percipiendis, tantummodò ſimilem eſſe hominis; & id, quod tradatur, vel etiam inculcetur, ſi quis fortè ſit tardior, poſſe percipere animo, & memoria cuſtodire. non quæritur mobilitas linguæ, non celeritas verborum, non denique ea, quæ nobis non poſſumus fingere, facies, vultus, ſonus. In oratore autem acumen dialecticorum, ſententiæ philoſophorum, verba propè poëtarum, memoria juriſconſultorum, vox tragœdorum, geſtus pænè ſummorum actorum eſt requirendus. Quamobrem nihil in hominum genere rarius perfecto oratore inveniri poteſt. quæ enim ſingularum rerum artifices ſingula ſi mediocriter adepti ſunt, probantur, ea, niſi omnia ſumma ſunt in oratore, probari non poſſunt. Tum Craſſus, Atqui vide, inquit, in artificio perquam tenui, & levi, quanto plus adhibeatur *diligentiæ*, quàm in hac re, quam conſtat eſſe maximam. Sæpe enim ſoleo audire

1. *Omnia; ſunt enim illa dona naturæ.*] Videndum ne iſthæc omnia ſint à gloſſa. reperiuntur tamen in mſſ. noſtris.

2. *Quid de illis dicit.*] Pall. plures, editioque princeps, *dicam*, non male.

3. *Debilitatum metu viderit.*] Pighius legit ex mſſ. *vidit*, eſtque melius altero.

4. *Non modò non obeſſet.*] Palat. pr. ac ſec. item Pith. non agnoſcunt illud, *non modo*. Memmiani vero alterum *non* reſpuunt. & vero utraque lectio habet quo ſe defendat; videaturque *non modò* adjectum à librariis.

5. *Eventum dicendi procedere.*] Gulielmius putabat ſine exitio ſententiæ exterminari poſſe, *eventum dicendi*, & verum eſt.

6. *Ad quamcunque artem.*] Ita Palatini poſteriores; priores enim, *quamque*. P. Manutius & Lambinus maluerunt, *ad quam quemque artem*, quomodo & antiquiſſima editio, ſed minus placet.

dire Roſcium, cùm ita dicat, ſe adhuc reperire diſcipulum, quem quidem probaret, potuiſſe neminem: non quò non eſſent quidam probabiles, ſed quia ſi aliquid modò eſſet vitii id ferre ipſe non poſſet. NIHIL EST enim tam inſigne, nec tam ad diuturnitatem memoriæ ſtabile, quàm id, in quo aliquid offenderis. Itaque ut ad hanc ſimilitudinem hujus hiſtrionis, oratoriam laudem dirigamus, videtiſne, quàm nihil ab eo, niſi perfectè, nihil niſi cum ſumma venuſtate fiat? nihil niſi ita, ut deceat, & uti omneis moveat, atque delectet? Itaque hoc jam diu eſt conſecutus, ut, in quo quiſque artificio excelleret, is in ſuo genere *Roſcius* diceretur. Hanc ego abſolutionem, perfectionemque in oratore deſiderans, à qua ipſe longè abſum, facio impudenter: mihi enim volo ignoſci, ceteris ipſe non ignoſco. Nam qui non poteſt, qui vitioſè facit, quem denique non decet, hunc (ut Apollonius jubebat) ad id, quod facere poſſit, de-
29 trudendum puto. Num tu igitur, inquit Sulpicius, me, aut hunc Cottam, jus civile, aut rem militarem jubes diſcere? nam quis ad iſta ſumma, atque in omni genere perfecta poteſt pervenire? Tum ille, Ego verò, inquit, quòd in vobis egregiam quandam, ac præclaram indolem ad dicendum eſſe cognovi, idcirco hæc expoſui omnia: nec magis ad eos deterrendos, qui non poſſent, quàm ad vos, qui poſſetis, *exacuendos* accommodavi orationem meam: & quanquàm in utroque veſtrûm ſummum eſſe ingenium, ſtudiumque perſpexi, tamen hæc, quæ ſunt in ſpecie poſita, de quibus plura fortaſſe dixi, quàm ſolent Græci dicere, in te, Sulpici, divina ſunt. Ego enim neminem, nec motu corporis, neque ipſo habitu, atque forma aptiorem, nec voce pleniorem, aut ſuaviorem mihi videor audiſſe, quæ, quibus à natura minora data ſunt, tamen illud aſſequi poſſunt, ut iis, quæ habeant, modicè & ſcienter utantur, & ut ne dedeceat. Id enim eſt maximè vitandum, & de hoc uno minimè eſt facile præcipere, non mihi modò, qui ſicut unus *paterfamiliâs*, his de rebus loquor, ſed etiam ipſi illi Roſcio: quem ſæpe audio dicere, caput eſſe artis, DECERE: quod tamen unum id eſſe, quod tradi arte non poſſit. Sed, ſi placet, ſermonem aliò transferamus, & noſtro more aliquando, non rhetorico, loquamur. Minimè verò, inquit Cotta, nunc enim te jam exoremus neceſſe eſt, quoniam retines nos in hoc ſtudio, nec ad aliam dimittis artem, ut nobis explices, quidquid eſt, iſtud, quod tu in dicendo potes. neque enim ſumus nimis avidi: iſta tua mediocri eloquentia contenti ſumus, idque ex te quærimus (ut ne plus nos aſſequamur, quàm quantulum tu in dicendo aſſecutus es) quoniam, quæ à natura expetenda ſunt, ea dicis non nimis deeſſe nobis, quid præterea eſſe *aſſumendum* pu-
30 tes? Tum Craſſus arridens, Quid cenſes, inquit Cotta, niſi ſtudium, & ardorem quemdam amoris? ſine quo cùm in vita nihil quidquam egregium, tum certè hoc, quod tu expetis, nemo umquam aſſequetur. Neque verò vos ad eam rem video eſſe cohortandos: quos, cùm mihi quoque ſitis moleſti, nimis etiam flagrare intelligo cupiditate. Sed profectò STUDIA nihil proſunt perveniendi aliquo niſi illud, quod eo, quò intendas, ferat, deducatque, cognoris. Quare, quoniam mihi levius quoddam onus imponitis, neque ex me de oratoris arte, ſed de hac mea, quantulacumque eſt, facultate quæritis, exponam vobis quamdam, non aut perreconditam, aut valde difficilem, aut magnificam, aut gravem rationem conſuetudinis meæ, qua quondam ſolitus ſum uti, cùm mihi in iſto ſtudio verſari adoleſcenti licebat. Tum Sulpicius, O diem, Cotta, nobis, inquit, optatum! quod enim neque *precibus* umquam, nec *inſidiando*, nec *ſpeculando* aſſequi potui, ut, quid Craſſus ageret, meditandi, aut dicendi cauſa, non modò videre mihi, ſed ex ejus ſcriptore, & lectore Diphilo ſuſpicari liceret; id ſpero nos eſſe adeptos, omniaque jam ex ipſo, quæ diu cupimus, cognituros. Tum Craſſus, Atqui arbitror, Sulpici, cùm au- 31
dieris, non tam te hæc admiraturum, quæ dixero, quàm exiſtimaturum, tum, cùm ea audire cupiebas, cauſam, cur cuperes, non fuiſſe. Nihil enim dicam reconditum, nihil exſpectatione veſtra dignum, nihil aut inauditum vobis, aut cuiquam novum. Nam principiò illud, quod eſt homine ingenuo, liberaliterque educato dignum, non negabo me iſta omnium communia, & contrita præcepta didiciſſe: Primùm, *oratoris officium* eſſe, dicere ad perſuadendum accommodatè: deinde eſſe omnem orationem, aut de infinitæ rei quæſtione, ſine deſignatione perſonarum, & temporum; aut de re certis in perſonis, ac temporibus locata. In utraque autem re, quidquid in controverſiam veniat, in eo quæri ſolere, aut factumne ſit, aut, ſi eſt factum, quale ſit, aut etiam quo nomine vocetur, aut, quod nonnulli addunt, rectene factum eſſe videatur. Exſiſtere autem controverſias etiam ex ſcripti interpretatione, in quo aut ambiguè quid ſit ſcriptum, aut contrariè, aut ita, ut à ſententia ſcriptum diſſideat: his autem omnibus partibus ſubjecta quædam eſſe argumenta propria. Sed cauſarum, quæ ſint à communi quæſtione ſejunctæ, partim in *judiciis* verſari, partim in *deliberationibus*: eſſe etiam genus tertium, quod in *laudandis*, aut *vituperandis* hominibus poneretur: certoſque eſſe locos, quibus in judiciis uteremur, in quibus æquitas quæritur: alios in deliberationibus, qui omnes ad utilitatem dirigerentur eorum, quibus conſilium daremus: alios item in laudationibus, in quibus ad perſonarum dignitatem omnia referrentur. Cumque eſſet omnis oratoris vis, ac facultas in quinque parteis diſtributa, ut deberet reperire primùm, quid diceret, deinde inventa non ſolùm ordine, ſed etiam momento quodam, atque judicio [1] diſpenſare, atque componere: tum ea denique veſtire, atque ornare oratione: pòſt memoria ſæpire: ad extremum agere cum dignitate, & venuſtate: etiam illa cognoram, & acceperam, antè quàm de re diceremus, initiò *conciliandos* eorum eſſe animos, qui audirent: deinde rem demonſtrandam: poſtea controverſiam conſtituendam: tum id, quod nos intenderemus, confirmandum: pòſt, quæ contrà dicerentur, refellenda: extrema autem oratione, ea, quæ pro nobis eſſent, amplificanda, & augenda; quæque eſſent pro adverſariis, infirmanda, atque frangenda. Audieram etiam 32
quæ de orationis ipſius ornamentis traderentur; in qua præcipitur primùm, ut purè, & Latinè loquamur: deinde ut planè & dilucidè: tum ut ornatè: poſt ad rerum dignitatem aptè, & quaſi decorè: ſingularumque rerum præcepta cognoram. Quinetiam, quæ maximè propria eſſent naturæ, tamen his ipſis *artem adhiberi* videram. nam de actione, & de memoria quædam brevia; ſed magna cum exercitatione præcepta guſtaram. In his enim ferè rebus omnis iſtorum artificum doctrina verſatur, quam ego ſi nihil dicam adjuvare, mentiar. habet enim quædam quaſi ad commonendum oratorem, quò quidque referat, & quò intuens, ab eo, quodcumque ſibi propoſuerit, minùs aberret. Verùm ego hanc vim intelligo eſſe in præceptis omnibus, non ut ea ſecuti oratores, eloquentiæ laudem ſint adepti, ſed, quæ ſua ſponte homines eloquentes facerent, ea quoſdam obſervaſſe, atque id egiſſe. ſic eſſe non eloquentiam ex artificio, ſed *artificium ex eloquentia natum*: quod tamen, ut antè dixi, non ejicio. Eſt enim etiam ſi minùs neceſſarium ad benè dicendum, tamen ad cognoſcendum non illiberale. [2] Ea exercitatio quædam ſuſcipienda vobis eſt: quamquam vos quidem jampridem eſtis in curſu: ſed iis, qui [3] ingrediuntur in ſtadium, quique ea, quæ agenda ſunt in foro, tamquam in acie, poſſunt etiam nunc exercitatione quaſi ludicra prædiſcere, ac meditari. Hanc ipſam, inquit Sulpicius,

1. *Diſpenſare atque componere.*] Sic Pall. omnes & primitus cuſi. vulgati exinde *diſponere*.

2. *Ea exercitatio quædam.*] Pall. nihil variant, niſi quod unus indicet, alias legi *quidem*. Lambinus excudit, *præterea exercitatio quædam*. Gulielmius putabat legendum, *& exercitatio, &c.* P. Manutius publicavit, *ejus exercitatio quædam, &c.*

3. *Ingrediuntur in ſtadium, &c.*] Haud aliter Lambini liber ſcriptus, ſi non fallit. nam ſane Pall. omnes, *ad ſtadium*.

plcius, noſſe volumus: attamen iſta, quæ abs te breviter de arte decurſa ſunt, audire cupimus, quamquam ſunt nobis quoque non inaudita. Verùm illa mox: nunc de ipſa
33 *exercitatione* quid ſentias, quærimus. Equidem probo iſta, Craſſus inquit, quæ vos facere, ſoletis, ut, cauſa aliqua poſita conſimili cauſarum earum, quæ in forum deferuntur, dicatis quàm maximè ad veritatem accommodatè: ſed plerique in hoc vocem modò, neque eam ſcienter, & vireis exercent ſuas, & linguæ celeritatem incitant, verborumque frequentia delectantur. in quo fallit eos, quod audierunt, *dicendo*, homines, ut dicant, efficere ſolere. Verè enim etiam illud dicitur, PERVERSE DICERE, HOMINES, PERVERSE DICENDO, FACILLIME CONSEQUI. Quamobrem in iſtis ipſis exercitationibus, etſi utile eſt, etiam ſubitò ſæpe dicere, tamen illud utilius, *ſumto ſpatio* ad cogitandum, paratiùs, atque accuratiùs dicere. Caput autem eſt, quod ([1] ut verè dicam) minimè facimus (eſt enim magni laboris, quem plerique fugimus) quàm plurimùm ſcribere. STILUS OPTIMUS, ET PRÆSTANTISSIMUS DICENDI EFFECTOR, AC MAGISTER: neque injuria. nam ſi ſubitam & fortuitam orationem commentatio, & cogitatio facilè vincit: hanc ipſam profectò aſſidua, ac diligens ſcriptura ſuperabit. omnes enim ſive artis ſunt loci, ſive ingenii cujuſdam atque prudentiæ, qui modò inſunt in ea re, de qua ſcribimus, anquirentibus nobis, omnique acie ingenii contemplantibus oſtendunt ſe, & occurrunt: omneſque ſententiæ, verbaque omnia, quæ ſunt cujuſque generis, maximè illuſtria, ſub *acumen ſtili* ſubeant, & ſuccedant neceſſe eſt: tum ipſa collocatio, conformatioque verborum perficitur in ſcribendo, non poëtico, ſed quodam oratorio numero, & modo. Hæc ſunt, quæ clamores, & *admirationes* in bonis oratoribus efficiunt, neque ea quiſquam, niſi diu, multumque ſcriptitarit, etiam ſi vehementiſſimè ſe in his ſubitis dictionibus exercuerit, conſequetur: & qui à ſcribendi conſuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, ut, etiam ſubitò ſi dicat, tamen illa, quæ dicantur, ſimilia ſcriptorum eſſe videantur: atque etiam, ſi quando in dicendo ſcriptum attulerit aliquid cùm ab eo diſceſſerit, reliqua ſimilis oratio conſequetur. Ut concitato navigio, [2] cùm *remiges* inhibuerunt, retinet tamen ipſa navis motum, & curſum ſuum, intermiſſo impetu, pulſuque remorum: ſic in oratione perpetua, cùm ſcripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua curſum, ſcriptorum ſi-
34 militudine, & vi concitata. [3] In quotidianis autem cogitationibus equidem mihi adoleſcentulus proponere ſolebam illam exercitationem maximè, qua C. Carbonem noſtrum illum inimicum ſolitum eſſe uti ſciebam, ut aut verſibus propoſitis quàm maximè gravibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria poſſem comprehendere, eam rem ipſam, quam legiſſem, *verbis aliis* quam maximè poſſem lectis pronuntiarem. ſed pòſt animadverti, hoc eſſe in hoc vitii, quòd ea verba, quæ maximè cujuſque rei propria, quæque eſſent ornatiſſima, atque optima, occupaſſet, aut Ennius, ſi ad ejus verſus me exercerem, aut Gracchus, ſi ejus orationem mihi fortè propoſuiſſem. ita, ſi iiſdem verbis uterer, nihil prodeſſe: ſi aliis, etiam obeſſe, cùm minus idoneis uti conſueſcerem. Poſtea mihi placuit, eoque ſum uſus adoleſcens, ut ſummorum oratorum Græcas orationes explicarem. quibus lectis hoc aſſequebar, ut, cùm ea, quæ legerem Græcè, Latinè redderem, non ſolùm optimis verbis uterer, & tamen uſitatis, ſed etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ nova noſtris eſſent, dummodò eſſent idonea. Jam vocis, & ſpiritus, & totius corporis, & ipſius linguæ motus, & exercitationes, non tam artis indigent, quàm *laboris*: quibus in rebus habenda eſt ratio diligenter, quos imitemur, quorum ſimiles velimus eſſe. Intuendi nobis ſunt non ſolùm oratores, ſed etiam actores, ne mala conſuetudine ad aliquam deformitatem, pravitatemque veniamus. Exercenda eſt etiam *memoria*, ediſcendis ad verbum quam plurimis & noſtris ſcriptis, & alienis. Atque in ea exercitatione non ſanè mihi diſplicet adhibere, ſi conſuêris, etiam iſtam locorum, ſimulacrorumque rationem, quæ in arte traditur. Educenda deinde dictio eſt ex hac domeſtica exercitatione, & *umbratili*, medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in caſtra, atque aciem forenſem. ſubeundus uſus omnium, & periclitandæ vires ingenii: & illa commentatio incluſa in veritatis lucem proferenda eſt. Legendi etiam poëtæ, cognoſcenda hiſtoria, omnium *bonarum artium* ſcriptores, ac doctores & legendi, & pervolutandi, & exercitationis cauſa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi: diſputandumque de omni re in contrarias parteis, &, quicquid erit in quaque re, quod probabile videri poſſit, [4] eliciendum, atque dicendum. Perdiſcendum jus civile, cognoſcendæ leges, percipienda omnis antiquitas, ſenatoria conſuetudo, diſciplina reip. jura ſociorum, fœdera, pactiones, cauſa imperii cognoſcenda eſt: [5] libandus etiam ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos: quo tanquam ſale, perſpergatur omnis oratio. Effudi vobis omnia, quæ ſentiebam, quæ fortaſſe, quemcumque patremfamiliâs arripuiſſetis ex aliquo circulo, eadem vobis percunctantibus reſpondiſſet. Hæc cùm Craſſus dixiſſet, 35
ſilentium eſt conſecutum. Sed quamquam ſatis iis, qui aderant, ad id, quod erat propoſitum, dictum videbatur, tamen ſentiebant celeriùs eſſe multo, quàm ipſi vellent, ab eo peroratum. Tum Scævola, Quid eſt, Cotta? inquit, quid tacetis? nihilne vobis in mentem venit, quod præterea à Craſſo requiratis? Immò id mehercule, inquit, ipſum attendo. tantus enim curſus verborum fuit: & ſic *evolavit* oratio, ut ejus vim, atque incitationem adſpexerim: veſtigia, ingreſſumque vix viderim, & tamquam in aliquam locupletem, ac refertam domum venerim, non explicata veſte, neque propoſito argento, neque tabulis, & ſignis propalàm collocatis, ſed his omnibus multis, magnificiſque rebus [6] constructis, ac reconditis: ſic modò in oratione Craſſi divitias, atque ornamenta ejus ingenii per quædam involucra, atque integumenta perſpexi: ſed ea cùm contemplari cuperem, vix aſpiciendi poteſtas fuit. ita neque hoc poſſum dicere, me omnino ignorare, quid poſſideat, neque planè [7] noſſe, ac vidiſſe. Quin tu igitur facis idem, inquit Scævola, quod faceres, ſi in aliquam [8] domum plenam ornamentorum villamque veniſſes? ſi ea ſepoſita, ut dicis, eſſent, tuque valde ſpectandi cupidus eſſes; non dubitares rogare dominum, ut proferri juberet, præſertim [9] ſi eſſet familiaris: ſimiliter nunc petis à Craſſo, ut eam copiam ornamentorum ſuorum, quam conſtructam uno in loco, quaſi *per tranſennam* prætereuntes ſtrictim aſpeximus, in lucem proferat, & ſuo quidque loco collocet. Ego verò, inquit

1. *Ut verè dicam.*] Memmii liber alter *verum*. quod præpoſuerim priori ſcripturæ.

2. *Cum remiges inhibuerunt.*] Hæc eſt lectio omnium Pall. Lambinus reponit *ſuſtinuerunt*.

3. *In quotidianis autem concitationibus.*] Non abit ab hac ſcriptura editio vetus & Pall. noſtri. poſt cuſi *cogitationibus*. P. Manutius edidit *commentationibus*.

4. *Eliciendum atque dicendum. Perdiſcendum jus civile*, &c.] Palat. ſext. & octav. *atque diſcendum jus*. tert. quint. ſept. *eliciendum atque perdiſcendum jus civile*, &c. Pall. prim. & ſecund. item Pith. & Memm. non migrant a vulgato, quam quod præferunt, *eligendum*.

5. *Libandus etiam ex*, &c.] Hanc lectionem amplectuntur Pall. numero octo; unus ſolum habuit *liberandus*, quod Lambinus invenit in quatuor mſſ.

6. *Conſtructis ac reconditis.*] Repoſuit Lambinus *reſtructis*, libris, ut inquit, omnibus reclamantibus, veritate ipſa flagitante. à quo ſeorſim ſentio una cum Gulielmio.

7. *Noſſe ac vidiſſe.*] Pith. Memm. Pal. pr. *invidiſſe*. probo. dicta enim *invidia*, quod nimis accurate quid intueatur, &c. Gulielmius putabat tamen primitus fuiſſe *introvidiſſe*.

8. *Domum plenam ornamentorum villamque.*] Eſt à Pal. prim. nam editio prima *vel villam*. ſequentes *illam*, ſed male. omnes enim ſcripti *ullam* aut *villam*.

9. *Si eſſet familiaris: ſimiliter nunc petis.*] Haud ſecus Pall. aliquot & Pith. prius impreſſi, *eſſes*, & *petes*.

inquit Cotta, à te peto, Scævola (me enim, & hunc Sulpicium, *impedit pudor* ab homine omnium graviſſimo, qui genus hujuſmodi diſputationis ſemper contemſerit, hæc, quæ iſti forſitan *puerorum elementa* videantur, exquirere.) [1] ſed tu hoc nobis da, Scævola, & perfice, ut Craſſus hæc, quæ coarctavit, & perangustè referſit in oratione ſua, dilatet nobis, atque explicet. Ego mehercule, inquit Mucius, antea veſtra magis hoc cauſa volebam, quàm mea. Neque enim tantopere hanc à Craſſo diſputationem deſiderabam, quantopere ejus in cauſis oratione delector: nunc verò, Craſſe, mea quoque etiam cauſa rogo, ut quoniam tantum habemus otii, quantum jamdiu nobis non contingit, [2] ne gravere *exædificare* id opus, quod inſtituiſti. Formam enim totius negotii opinione majorem, melioremque video:
36 quam vehementer probo. Enimverò, inquit Craſſus, mirari ſatis non queo, etiam te hæc, Scævola, deſiderare, quæ neque ego teneo, uti ii, qui docent; neque ſunt ejus generis, ut, ſi optimè tenerem, digna eſſent iſta ſapientia, ac tuis auribus. [3] An tu, inquit ille, ſi de iſtis communibus, & pervagatis vix huic ætati audiendum putas, etiamne illa negligere poſſumus, quæ tu oratori cognoſcenda eſſe dixiſti, [4] de naturis hominum, de moribus, de rationibus iis, quibus hominum mentes & incitarentur, & reprimerentur, de hiſtoria, de antiquitate, de adminiſtratione reipub. denique de noſtro ipſo jure civili? [5] hanc enim ego omnem ſcientiam, & copiam rerum in tua prudentia ſciebam ineſſe: in oratoris verò inſtrumento tam lautam ſupellectilem numquam videram. Potes igitur, inquit Craſſus, ([6] ut alia omittam innumerabilia, & immenſa, & ad ipſum tuum jus civile veniam) oratores putare eos, quos multas horas exſpectavit, cùm in campum properaret & ridens, & ſtomachans Scævola, cùm Hypſeus maxima voce, plurimis verbis à M. Craſſo prætore contenderet, ut ei, quem defendebat, CAUSA CADERE liceret: Cn. autem Octavius, homo conſularis, non minus longa oratione recuſaret, ne adverſarius cauſa caderet, ac ne is, pro quo ipſe diceret, turpi tutelæ judicio, atque omni moleſtia, *ſtultitia adverſarij*, liberaretur? Ego verò iſtos, inquit, (memini enim mihi narrare Mucium) non modò oratoris nomine, ſed [7] ne foro quidem dignos putarim. Atqui non defuit illis patronis, inquit Craſſus, eloquentia, neque dicendi ratio, aut copia, [8] ſed juris civilis prudentia: quòd alter plus, lege agendo, petebat, quàm quantum lex in XII. tabulis permiſerat? quod cùm impetraſſet cauſa caderet: alter iniquum putabat plus ſecum agi, quàm quod erat in actione: neque *intelligebat*, ſi ita eſſet actum, litem adverſarium perditurum.

Quid? his paucis diebus, nonne, nobis in tribunali Q. 37
Pompeii, præt. urbani, familiaris noſtri, ſedentibus, homo ex numero diſertorum poſtulabat, [9] ut illi, unde peteretur, vetus atque uſitata exceptio daretur, CUJUS PECUNIÆ DIES FUISSET? quod petitoris cauſa comparatum eſſe non intelligebat: ut ſi ille infitiator probaſſet judici, ante petitam eſſe pecuniam, quàm eſſet cœpta deberi, petitor rurſus cùm peteret, [10] exceptione excluderetur, QUOD EA RES [11] IN JUDICIUM ANTEA VENISSET. Quid ergo hoc fieri turpius, aut dici poteſt, quàm eum, qui hanc *perſonam* ſuſceperit, ut amicorum controverſias, cauſaſque tueatur, laborantibus ſuccurrat, ægris medeatur, afflictos excitet: hunc in minimis, tenuiſſimiſque rebus ita labi, ut aliis miſerandus, aliis irridendus eſſe videatur? Equidem propinquùm noſtrum P. Craſſum illum Divitem, cùm multis aliis rebus elegantem hominem, & ornatum, præcipue in hoc ferendum & laudandum puto; [12] quòd, cùm P. Scævola frater eſſet, ſolitus ei perſæpe dicere, NEQUE ILLUM in jure civili ſatis illi arti facere poſſe, niſi dicendi copiam aſſumſiſſet: (quod quidem hic, qui mecum Cos. fuit, filius ejus eſt conſecutus:) neque ſe antè cauſas amicorum tractare, atque agere cœpiſſe, quàm *jus civile* didiciſſet. Quid verò ille M. Cato? nonne & eloquentia tanta fuit, [13] quantam illa tempora, atque illa ætas in hac civitate ferre maximam potuit, & juris civilis omnium peritiſſimus? Verecundiùs hac de re jamdudum loquor, quòd adeſt vir in dicendo ſummus, quem ego unum oratorem maximè admiror: [14] ſed tamen idem hoc ſemper jus civile contemſit. verùm, quoniam ſententiæ, atque opinionis meæ voluiſtis eſſe participes, nihil occultabo, & quoad potero vobis exponam, quid de quaque re ſentiam. Antonii incredibilis quædam, 38
& propè ſingularis, & divina vis ingenii videtur etiamſi hac ſcientia juris *nudata* ſit, [15] poſſe ſe facilè ceteris armis prudentiæ cauſas tueri, atque defendere. quamobrem hic nobis ſit exceptus: ceteros verò non dubitabo primùm inertiæ condemnare ſententia mea, pòſt etiam impudentiæ. Nam volitare in foro, hærere in jure, ac prætorum tribunalibus, judicia privata magnarum rerum obire, in quibus ſæpe non de facto, ſed de æquitate ac jure certetur, jactare ſe in cauſis centumviralibus, in quibus uſucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, ſtillicidiorum, [16] teſtamentorum ruptorum, ceterarumque rerum innumerabilium jura verſentur, cùm omnino, quid ſuum, quid alienum: [17] quare denique civis, an peregrinus: ſervus, an liber quiſpiam ſit, ignoret, inſignis eſt *impu-*

1. *Sed tu hoc nobis da, Scævola, & perfice, &c.*] Pal. pr. ac ſecund. item Memm. & Pith. *ſed tu hanc nobis veniam Scævola perfice, &c.* neque diſplicet. ſic & ſupra cap. 21. *date nobis hanc veniam, ut ea quæ ſentitis, &c.*

2. *Ne graveris exædificare opus.*] Ita Pall. duo priores, & Gallicani, niſi quod ii omnes *exædificari*. vulgatum, *ne gravare exædificare id opus.*

3. *An tu, inquit ille, &c.*] Lambinus, *Ain tu? inquit ille*, quod & in Pal. ſept. nam oct. *Quin tu, inquit.*

4. *De naturis hominum, de moribus, de rationibus iis, quibus hominum mentes & incitarentur & reprimerentur.*] Pro iſtis omnibus ſolum eſt in Memmiano & Palat. prim. ac ſec. *de naturis, quomodo hominum mentes & incitarentur & reprimerentur.* & forſan cetera ſunt a librariis.

5. *Hanc enim ego omnem, &c.*] Sic ferè Pall. at enim Memm. *hanc ego an omnem, &c.* forte, *hanc ego ante omnem*, inquit Gulielmius. eſt in Pal. oct. *hanc enim ego meam omnem, &c.*

6. *Ut alia omittam innumerabilia, & ad ipſum.*] Ita duo Pall. prim. & unus Memmianus. nam alter & Pith. *ut ad ipſum.* recepta lectio, *ut alia omittam quæ innum. & ut ad ipſum.*

7. *Ne foro quidem dignos putarim.*] Mſſ. & editi interſerunt, *vix.* quod admitti poſſe putabat Gulielmius.

8. *Juris civilis prudentia.*] Pal. pr. ſec. Toſ. Pith. Memm. *ſcientia.* quod forſan heic convenientius.

9. *Ut illi unde peteretur.*] Iidem libri *illud*: ſtatim etiam pro, *vetus atque uſitata exceptio daretur*, habet Pith. *proventus atque exceptio daretur.* Memm. & Pal. pr. *tempus atque exceptio daretur.* Toſ. *locus atque exemptio daretur.* Explicat locum iſtum Hotoman. tit. De exceptionibus in Inſtitutionibus Juſtinianeis. item eod. loci Cujacius.

10. *Exceptione exclud.*] Sic Pall. duo, & Memm. ac Pith. vulgata, *ne exceptione.*

11. *In judicium ante veniſſet.*] Vulgata intruſerat negativam: ſed abeſt omnino Pall. duobus, item Memm. & Pith. videatur Hotomanus lib. VIII. obſerv. cap. 3.

12. *Quod cum P. Scævola frater eſſet.*] Sic quidem etiam Pal. pr. & Pith. ac Memm. ſed reliqui, *Scævolæ*, præter Pal. ſec. in quo tantum, *quod cum P. Scævola eſſet.* adeo ut non videatur negligendus Toſani collegii liber, in quo, ut monuit Suffridus noſter, *quod cum P. Scævola ſupereſſet, &c.* de quo conſulatur Gulielmius lib. II. veriſimilium cap. 4.

13. *Quantam illa tempora, &c. ferre maximam potuit.*] Pal. pr. ſec. *quanta*, item *maximè.* quomodo & Pith. Memm. placuitque Gulielmio; qui præterea è Toſano revocabat, *efferre.*

14. *Sed tamen idem hoc ſemper jus, &c.*] Legendum potius arbitrabatur *hic* Gulielmius, quam, ut contra mſſ. tranſponeremus cum Lambino, *idem ſemper hoc jus.*

15. *Poſſe ſe facile ceteris armis, &c.*] Pronomen iſtud inſerendum autumabat Gulielmius; extatque diſertè in mſſ. Pall. poſterioribus omnibus; item in editione principe.

16. *Teſtamentorum ruptorum.*] Delevi quod ſequebatur in vulgatis, *aut raptorum*, quod non extaret in Memm. aut Pith. ſolumque haberet Pal. ſec. *teſtamentorum raptorum.* primus verò ac Toſanus, alterque Memmii; *teſtamentorum ruptorum aut raptorum*; ut appareat appoſitum à ſcribis pro lectione variante.

17. *Quare denique.*] Gallicani & Pall. duo priores, *quare demum.* Lambinus abjecit, *quare.*

1. *Nemte*

impudentiæ. Illa verò deridenda arrogantia eſt. In minoribus navigiis rudem eſſe ſe confiteri; quinqueremeis, aut etiam majores, gubernare didiciſſe. Tu mihi cùm in circulo decipiare adverſarii ſtipulatiuncula; cùm obſignes tabellas clientis tui, quibus in tabellis id ſit ſcriptum, quo ille capiatur: ego tibi ullam cauſam majorem committendam putem? citiùs hercule is, qui duorum ſcalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino ponto Argonautarum navem gubernarit. Quid ſi ne parvæ quidem cauſæ ſunt, ſed ſæpe maximæ, in quibus certatur de jure civili: quod tandem os eſt illius patroni, qui ad eas cauſas ſine ulla ſcientia juris audet accedere? Quæ potuit igitur eſſe cauſa major, quàm illius *militis*? de cujus morte, cùm domum falſus ab exercitu nuntius veniſſet, & pater ejus, re credita, teſtamentum mutaſſet, & quem ei viſum eſſet, feciſſet heredem, eſſetque ipſe mortuus: res delata eſt ad centumviros, cùm miles domum reveniſſet, egiſſetque lege in hereditatem paternam teſtamento exheres filius. [1] Nempe in ea cauſa quæſitum eſt de jure civili, Poſſetne paternorum bonorum exheres eſſe filius, quem pater teſtamento neque heredem, neque exheredem ſcripſiſſet nominatim? Quid, qua de re inter Marcellos, & Claudios patricios centumviri judicarunt? cùm Marcelli ab liberti filios ſtirpe, Claudii patricii ejuſdem *nominis* hereditatem, gente ad ſe rediiſſe dicerent, nonne in ea cauſa fuit oratoribus de toto ſtirpis, ac gentilitatis jure dicendum? Quid quod item in centumvirali judicio certatum eſſe accepimus? qui Romam in exſilium veniſſet, cui Romæ exſulare jus eſſet, ſi ſe ad aliquem quaſi patronum applicuiſſet, inteſtatoque eſſet mortuus, nonne in ea cauſa *jus applicationis*, obſcurum ſanè, & ignotum, pa-
39 tefactum in judicio, atque illuſtratum eſt à patrono? Quid? nuper, cùm ego C. Sergii Auratæ contra hunc noſtrum Antonium judicio privato cauſam defenderem, nonne omnis noſtra in jure verſata defenſio eſt? Cùm enim Marius Gratidianus ædeis Auratæ vendidiſſet, neque ſervire quandam earum ædium partem in mancipii lege dixiſſet: defendebamus, quidquid fuiſſet *incommodi* in mancipio, id ſi venditor ſciſſet, neque declaraſſet, præſtare debere. Quo quidem in genere familiaris noſter M. Bucculeius, homo neque meo judicio ſtultus, & ſuo valde ſapiens, & à juris ſtudio non abhorrens, ſimili in re quodam modo nuper erravit. Nam cùm ædeis L. Fufio venderet: in mancipio lumina, uti tum eſſent, ita recepit. Fufius autem, ſimulatque ædificari cœptum eſt in quadam parte urbis, quæ modò ex illis ædibus conſpici poſſet, egit ſtatim cum Bucculeio, quòd, [2] cuicumque particulæ cæli officeretur, quamvis eſſet *procul*, mutari lumina putabat. Quid verò? clariſſima M. Curii cauſa, [3] M.que Coponii nuper apud centumviros, quo concurſu hominum, qua exſpectatione defenſa eſt? cùm Q. Scævola, [4] æqualis, & collega meus, homo omnium & diſciplina juris civilis eruditiſſimus, & ingenio, prudentiaque acutiſſimus, & oratione maximè limatus, atque ſubtilis, atque, ut ego ſoleo dicere, juris peritorum eloquentiſſimus, eloquentium juris peritiſſimus, ex ſcripto teſtamentorum jura defenderet, negaretque Niſi poſthumus, & natus, &, antequàm in ſuam tutelam veniret, mortuus eſſet, [5] heredem eum eſſe poſſe, qui eſſet ſecundum poſthumum, & natum, & mortuum, heres inſtitutus: [6] ego voluntatem defenderem; hac eum tum mente fuiſſe, qui teſtamentum feciſſet, ut, Si filius non eſſet, qui in tutelam veniret, M. Curius eſſet heres. Num deſtitit uterque noſtrûm in ea cauſa, in auctoritatibus, in exemplis, in teſtamentorum formulis, hoc eſt, in medio jure
civili verſari? Omitto jam plura exempla cauſarum am- 40
pliſſimarum quæ ſunt innumerabilia, capitis noſtri ſæpe poteſt accidere ut cauſæ verſentur in jure. Etenim ſic C. Mancinum, nobiliſſimum, atque optimum virum, ac conſularem, cùm eum propter *invidiam* Numantini fœderis paterpatratus ex S. C. Numantinis dediſſet, eumque illi non recepiſſent, poſteaque Mancinus domum reveniſſet, neque in ſenatum introire dubitaſſet: P. Rutilius, M. filius, tribunus plebis de ſenatu juſſit educi, quòd eum civem negaret eſſe: quia memoria ſic eſſet proditum, Quem pater ſuus, aut populus vendidiſſet, aut paterpatratus dediſſet, ei nullum eſſe poſtliminium. Quam poſſumus reperire ex omnibus rebus civilibus cauſam, contentionemque majorem, quàm de ordine, de civitate, de libertate, de capite hominis conſularis, præſertim cùm hæc non in crimine aliquo, quod ille poſſet infitiari, ſed in civili jure conſiſteret? Similique in genere, inferiore ordine ſi quis apud nos *ſerviſſet* ex populo fœderato, ſeſeque liberaſſet, ac poſteà domum reveniſſet: quæſitum eſt apud majores noſtros, [7] num is ad ſuos poſtliminio rediiſſet, & amiſiſſet hanc civitatem. Quid? de *libertate*, quo judicium gravius eſſe nullum poteſt: nonne ex jure civili poteſt eſſe contentio, cùm quæritur, is, qui domini voluntate cenſus ſit, [8] continuone, an ubi luſtrum conditum, liber ſit? Quid, quod uſu, memoria patrum, venit, ut paterfamilias, qui ex Hiſpania Romam veniſſet, cùm uxorem prægnantem in provincia reliquiſſet, Romæque alteram duxiſſet, neque nuntium priori remiſiſſet, mortuuſque eſſet inteſtatò, & ex utraque filius natus eſſet; mediocriſne res in controverſiam adducta eſt? cùm quæreretur de duobus civium capitibus, & de puero, qui ex poſteriore natus erat, & de ejus matre: quæ, ſi judicaretur, certis quibuſdam verbis, non *novis nuptiis*, fieri cum ſuperiore divortium in concubinæ locum duceretur. Hæc igitur, & horum ſimilia jura ſuæ civitatis *ignorantem*, erectum & celſum, alacri, & prompto ore, ac vultu, huc atque illuc intuentem, vagari magna cum caterva toto foro, præſidium clientibus, atque opem amicis, & propè cunctis civibus lucem ingenii, & conſilii ſui porrigentem, atque tendentem, nonne in primis
flagitioſum putandum eſt? Et, quoniam de impudentia 41
dixi, caſtigemus etiam ſegnitiem hominum, atque inertiam. Nam ſi eſſet iſta cognitio juris, magna, ac difficilis, tamen *utilitatis* magnitudo deberet homines ad ſuſcipiendum diſcendi laborem impellere. Sed, ô dii immortales, non dicerem hoc, audiente Scævola, niſi ipſe dicere ſoleret, *nullius* artis faciliorem ſibi cognitionem videri. quod quidem certis de cauſis [9] à pleriſque aliter exiſtimatur: primùm quia veteres illi, qui huic ſcientiæ præfuerunt, obtinendæ, atque augendæ potentiæ ſuæ cauſa, *pervulgari* artem ſuam noluerunt: deinde, poſteaquam eſt editum, expoſitis à Cn. Flavio primùm actionibus; nulli fuerunt, qui illa artificioſe

1. *Nempe in ea cauſa.*] Dictio *Nempe*, non apparet in Pall. duobus, aut totidem Gallicanis; & reſipit certè gloſſam.

2. *Cuicumque particulæ cæli officeretur, quamvis, &c.*] Editio prima interjecit; *officeretur via*, quod & in aliquot Palatinis, ſed ſyllaba minus, ii enim *officeret via*. Camerarius illud *via* mutabat in *illa*, ut applicaretur *particulæ*. at Pal. pr. habet, *officeret, ſua quamvis*: ut ſecuriſſimum putarem adhæreſcere lectioni receptæ, quæ & remanſit in pluribus Pall.

3. *M.que Coponii.*] Ita Pall. poſteriores. at pr. *M.que Ceji.* ſec. & Memm. *M.que Copii.* Pith. *M.que Capi.* Memmianus alter chartaceus, & *M. Quinti Caponii.*

4. *Æqualis & collega meus.*] Pall. priores, & Gall. *collega ejus.*

5. *Heredem eum eſſe poſſe.*] Sic Pall. priores. nam poſteriores inſerta negativa, *eſſe non poſſe*, quod ait Camerarius exſtare in Victoriana, defendique poſſe ratione Linguæ Græcæ qua duæ negativæ affirmant; is videatur.

6. *Ego voluntatem defenderem, &c.*] Conſulatur & heic Camerarius.

7. *Num is ad ſuos poſtliminio.*] Conſulatur Cujacius lib. XI. obſervationum cap. 23.

8. *Continuo ne, an ubi luſtrum conditum, liber ſit.*] Reſtitutio loci debetur Cujacii membranis, qui adeatur lib. XVII. Obſerv. cap. 20. neque divertit exemplar Pithœi, in quo, *an tibi luſtrix conditum, liber ſit.* Nam Memmii unus, *an ubi jam ter luſtrum conditum, liber ſit.* alter verò: *continuo ne an tribus luſtris conditis liber ſit*; quod & in Pall. pr. ſec. tert. oct. item nono; niſi quod & is præterea præmittat vulgatam; hoc modo: *ſi non ſit conditum luſtrum? continuo ne an tribus luſtris conditis liber ſit*, quomodo item reſtat in editionum prima. nam poſteriores, *ſit, ſi modò ſit conditum luſtrum ſitne liber.*

9. *A pleriſque aliter exiſtimatur.*] Pal. pr. & ſec. item Memm. ac Pith. *aliter nominatur.* forſan verius.

1. *Et*

tificioſe digeſta generatim componerent. NIHIL EST enim, quod ad artem redigi poſſit, niſi ille prius, qui illa tenet, quorum artem inſtituere vult, habeat illam ſcientiam, ut ex iis rebus, quarum ars nondum ſit, artem efficere poſſit. Hoc video, dum breviter voluerim dicere, dictum à me eſſe paullo obſcurius: ſed experiar, & dicam, ſi potero,
42 planius. OMNIA FERE, quæ ſunt concluſa nunc artibus, diſperſa, & diſſipata quondam fuerunt: ut in muſicis, numeri, & voces, & modi: in geometria, lineamenta, formæ, intervalla, magnitudines: in aſtrologia, cæli converſio, ortus, obitus, motuſque ſiderum: in grammaticis, poëtarum pertractatio, hiſtoriarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam ſonus. in hac denique ipſa ratione dicendi, excogitare, ornare, diſponere, meminiſſe, agere; ignota quondam omnibus, [1] & diffuſa latè videbantur. Adhibita eſt igitur ars quædam extrinſecus ex alio genere quodam, quod ſibi totum *philoſophi* aſſumunt, quæ rem diſſolutam, divulſamque conglutinaret, & ratione quadam conſtringeret. Sit ergo in jure civili finis hic, legitimæ, atque uſitatæ in rebus, cauſiſque civium, *æquabilitatis conſervatio*. Tum ſunt notanda genera, & ad certum numerum paucitatemque revocanda. Genus autem eſt id, quod ſui ſimiles communione quadam, ſpecie autem differenteis, duas, aut plureis complectitur parteis. Partes autem ſunt, quæ generibus iis, ex quibus emanant, ſubjiciuntur. omniaque, quæ ſunt vel partium nomina, definitionibus, quam vim habeant, eſt exprimendum. Eſt enim *definitio*, earum rerum, quæ ſunt ejus rei propriæ, quam definire volumus, brevis, & circumſcripta quædam explicatio. Hiſce ego rebus exempla adjungerem, niſi, apud quos hæc haberetur oratio, cernerem. nunc complectar quod propoſui, brevi. Si enim aut mihi facere licuerit, quod jamdiu cogito, aut alius quiſpiam, aut, me impedito, occuparit, aut mortuo effecerit, ut primùm omne jus civile in genera digerat, quæ perpauca ſunt: deinde eorum generum quaſi quædam membra diſpertiat: tum propriam cujuſque vim definitione declaret: perfectam artem juris civilis habebitis, magis *magnam*, atque *uberem*, quàm *difficilem*, atque *obſcuram*. Atque interea tamen, dum hæc, quæ diſperſa ſunt, coguntur, vel paſſim licet carpentem, & colligentem
43 undique, [2] repleri juſta juris civilis ſcientia. Nonne videtis, equitem Romanum, hominem acutiſſimo omnium ingenio, ſed minimè ceteris artibus eruditum, C. Aculeonem, qui mecum vivit, ſemperque vixit, ita tenere jus civile, uti, cum ab hoc diſceſſeritis, nemo de iis, qui peritiſſimi ſunt, anteponatur? Omnia enim ſunt poſita ante oculos, collocata in uſu quotidiano, in congreſſione hominum, atque in foro: neque ita *multis litteris*, aut voluminibus magnis continentur. eadem enim ſunt elata primùm à pluribus: deinde, paucis verbis commutatis, etiam ab iiſdem ſcriptoribus ſcripta ſunt ſæpius. Accedit verò quo facilius percipi, cognoſcique jus civile poſſit, (quod minimè plerique arbitrantur) mira quædam in cognoſcendo *ſuavitas*, & delectatio. Nam, ſive quem aliena ſtudia delectant, plurima eſt & in omni jure civili, & in pontificum libris, & in XII. tabulis, antiquitatis effigies, quòd & verborum [3] priſca vetuſtas cognoſcitur, & actionum genera quædam, majorum conſuetudinem, vitamque declarant: ſive quis civilem ſcientiam contempletur, (quam Scævola non putat oratoris eſſe propriam, ſed cujuſdam ex alio genere prudentiæ) totam hanc [4] deſcriptis omnibus civitatis utilitatibus, ac partibus, XII. tabulis contineri videbitis: ſive quem iſta præpotens, & glorioſa philoſophia delectat, (dicam audacius,) hoſce habet fonteis omnium diſputationum ſuarum, qui jure civili & legibus continentur. ex his enim & dignitatem maximè expetendam videmus, cùm verus, juſtus, atque honeſtus *labor* honoribus, præmiis, atque ſplendore decoratur: vitia autem hominum, atque fraudes, damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exſiliis, morte multantur: & docemur non infinitis, concertationumque plenis diſputationibus, ſed auctoritate, nutuque legum domitas habere libidines, coërcere omneis cupiditates, noſtra tueri, ab alienis menteis, oculos, manus, abſtinere. Fremant 44
omnes licet: dicam quod ſentio: BIBLIOTHECAS mehercule omnium philoſophorum unus mihi videtur XII. tabularum libellus, ſi quis legum fonteis, & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperare. Ac, ſi nos, id quod maximè debet, noſtra patria delectat, cujus rei tanta eſt vis, ac tanta natura, ut Ithacam illam, in aſperrimis ſaxulis, tanquam nidulum, affixam, ſapientiſſimus vir *immortalitati* anteponeret: quo amore tandem inflammati eſſe debemus in ejuſmodi patriam, quæ una in omnibus terris domus eſt virtutis, imperii, dignitatis? Cujus primùm nobis *mens*, *mos*, *diſciplina*, nota eſſe debet; vel quia eſt patria, parens omnium noſtrûm, vel quia tanta ſapientia fuiſſe in jure conſtituendo putanda eſt, quanta fuit in his tantis opibus imperii comparandis. Percipietis etiam illam ex cognitione juris lætitiam, & voluptatem, quòd, quantum præſtiterint noſtri majores prudentia ceteris gentibus, tum facillimè intelligetis, ſi cum illorum Lycurgo, & Dracone, & Solone noſtras leges *conferre* volueritis. Incredibile eſt enim, quàm ſit omne jus civile, præter hoc noſtrum, inconditum, ac pænè ridiculum: de quo multa ſoleo in ſermonibus quotidianis dicere, cùm hominum noſtrorum prudentiam [5] ceteris omnibus, & maximè Græcis, antepono. His ego de cauſis dixeram, Scævola, iis, qui perfecti oratores eſſe vellent, juris civilis cognitionem eſſe neceſſariam. Jam verò ipſa per ſeſe quantum afferat iis, qui 45
ei præſunt, honoris, gratiæ, dignitatis, quis ignorat? Itaque, ut apud Græcos infimi homines, *mercedula* adducti, miniſtros ſe præbent in judiciis oratoribus, ii, qui apud illos *πραγματικοὶ* vocantur: ſic in noſtra civitate contrà ampliſſimus quiſque, & clariſſimus vir, ut ille, qui propter hanc juris civilis ſcientiam ſic appellatus à ſummo poëta eſt,

Egregiè cordatus homo, catus Ælius Sextus:

multique præterea, qui cùm ingenio ſibi auctore dignitatem reperiſſent, perfecerunt, ut in reſpondendo jure, auctoritate plus etiam, quàm ipſo ingenio, valerent. Senectuti verò celebrandæ, & ornandæ quod honeſtius poteſt eſſe perfugium, quàm juris interpretatio? Equidem mihi hoc ſubſidium jam ab adoleſcentia comparavi, non ſolùm ad cauſarum uſum forenſem; ſed etiam ad decus atque ornamentum ſenectutis, ut, cùm me vires (quod ferè jam tempus adventat) deficere cœpiſſent, iſta ab ſolitudine domum meam vindicarem. QUID EST enim præclarius, quàm honoribus, & reipub. muneribus perfunctum ſenem, poſſe ſuo jure dicere idem, quod apud Ennium dicat ille Pythius Apollo, ſe eſſe eum, *unde ſibi*, ſi non *populi*, *& reges*, at omnes ſui cives *conſilium expetant*,

Suarum rerum incerti? quos ego mea ope ex
Incertis certos, compoteſque conſili
Dimitto, ut ne res temerè tractent turbidas.

Eſt enim ſine dubio domus Juriſconſulti, totius oraculum civitatis. Teſtis eſt hujuſce Q. Mucii janua, & veſtibulum, quod in ejus infirmiſſima valitudine, affectaque jam ætate,

1. *Et diffuſa latè videbantur.*] Memmii liber, *diffuſa lata.* Pith. & Pal. ſec. *diffuſe latere.* unde putabat Gulielmius reſcribendum, *omnibus diffuſe latere videb.*

2. *Repleri juſta juris civ. ſcientia.*] Pall. poſteriores, item editio antiqua, *iſta.* priores item Pith. & Memm. *replere iſtam juris civ. ſcientiam.* quod amplectendum exiſtimabat Gulielmius, aut certe examinandum.

3. *Priſca vetuſtas cognoſcitur.*] Pith. *vetuſtate priſca cognoſcitur.* quod præpoſuerim alteri. etſi iſthæc cum ſequentibus habeam pro inquinatis. nam ubi mox habemus, *ſive quis civilem ſcientiam contempletur;* Palatinis nullis adeſt illud *contempletur*, præferuntque poſteriores *quid*, non *quis*. Pithœanus verò exhibet, *civili ſcientiæ, quam, &c.*

4. *Deſcriptis omnibus civitatis utilitatibus.*] Pith. Memm. Pall. pr. ac ſec. non exhibent illud *omnibus civitatis.*

5. *Ceteris omnibus, &c.*] Recepta lectio, *hominibus*; ſed noſtram propugnant Pall. omnes.

1. *Ali-*

ætate, maxima quotidie frequentia civium, ac ſummorum
46 hominum ſplendore celebratur. Jam verò illa non longam orationem deſiderant, quamobrem exiſtimem publica quoque jura, quæ ſunt propria civitatis, atque imperii, tum monumenta rerum geſtarum, & *vetuſtatis exempla*, oratori nota eſſe debere. Nam ut in rerum privatarum cauſis, atque judiciis depromenda ſæpe oratio eſt ex jure civili, & idcirco, ut antè diximus, oratori juris civilis ſcientia neceſſaria eſt: ſic in cauſis publicis judiciorum, concionum, ſenatus, omnis hæc & antiquitatis memoria, & publici juris auctoritas, & regendæ reip. ratio ac ſcientia, tamquam aliqua materies, iis oratoribus, qui verſantur in rep. ſubjecta eſſe debent. Non enim cauſidicum neſcio quem, neque proclamatorem, aut rabulam hoc ſermone noſtro conquirimus, ſed eum virum, qui primùm ſit ejus artis antiſtes, cujus cùm ipſa natura magnam homini facultatem daret, tamen eſſe *deus* putatur, ut & ipſum, quod erat hominis proprium, non partum per nos, ſed divinitus ad nos delatum videretur: deinde qui poſſit non tam *caduceo*, quàm nomine oratoris ornatus, incolumis vel inter hoſtium tela verſari: tum qui ſcelus, fraudemque nocentis poſſit dicendo ſubjicere odio civium, ſupplicioque conſtringere: idemque ingenii præſidio, innocentiam judiciorum pœna liberare: idemque languentem, labentemque populum aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflammare in improbos, aut incitatum in bonos, mitigare: qui denique, quemcumque in animis hominum *motum* res & cauſa poſtulet, eum dicendo vel excitare, poſſit, vel ſedare. Hanc vim ſi quis exiſtimat, aut ab iis, qui de dicendi ratione ſcripſerunt, expoſitam eſſe, aut à me poſſe exponi tam brevi, vehementer errat: neque ſolùm inſcientiam meam, ſed ne rerum quidem magnitudinem perſpicit. Equidem vobis, quoniam ita voluiſtis, fonteis, unde hauriretis, atque itinera ipſa, ita putavi eſſe demonſtranda: non ut ipſe dux eſſem (quod & infinitum eſt, & non neceſſarium,) ſed ut commonſtrarem tantùm viam, &, ut fieri ſolet, *digitum* ad fon-
47 teis intenderem. Mihi verò, inquit Mucius, ſatis, ſuperque abs te videtur iſtorum ſtudiis, ſi modò ſunt ſtudioſi, eſſe factum. nam, ut Socratem illum ſolitum ajunt dicere, *perfectum* ſibi opus eſſe, ſiquis ſatis eſſet concitatus cohortatione ſua ad ſtudium cognoſcendæ, percipiendæque virtutis: (quibus enim id perſuaſum eſſet, ut nihil mallent ſe eſſe, quàm bonos viros, iis reliquam facilem eſſe doctrinam) ſic ego intelligo, ſi in hæc, quæ patefecit oratione ſua Craſſus, intrare volueritis: facillimè vos ad ea, quæ cupitis, perventuros ab hoc aditu, januaque patefacta. Nobis verò, inquit Sulpicius, iſta ſunt pergrata, perque jucunda: ſed pauca etiam requirimus, in primiſque ea, quæ valde breviter à te, Craſſe, de ipſa arte percurſa ſunt, cùm illa te & non contemnere, & didiciſſe, confiterere. ea ſi paullo latius dixeris, expleris omnem exſpectationem diuturni deſiderii noſtri. Nam nunc, quibus ſtudendum rebus eſſet, accepimus, quod ipſum eſt tamen magnum: ſed *vias* earum rerum, rationemque cupimus cognoſcere. Quid ſi, inquit Craſſus, quoniam ego, quo facilius vos apud me tenerem, veſtræ potius obſecutus ſum voluntati, quàm aut conſuetudini, aut naturæ meæ, petimus ab Antonio, ut ea, quæ continet, neque adhuc protulit, ex quibus unum libellum ſibi excidiſſe jamdudum queſtus eſt, explicet nobis, & illa dicendi *myſteria* enuntiet? Ut videtur, inquit Sulpicius. nam Antonio dicente, etiam quid tu intelligas, ſentiemus. Peto igitur, inquit Craſſus, à te, quoniam id nobis, Antoni, hominibus id ætatis, oneris ab horum adoleſcentium ſtudiis imponitur, ut exponas, quid iis de rebus quas à te quæri
48 vides, ſentias. Deprehenſum equidem me, inquit Antonius, planè video, atque ſentio, non ſolùm quòd ea requiruntur à me, quorum ſum ignarus, atque inſolens, ſed quia, quod in cauſis valde fugere ſoleo, ne tibi, Craſſe, *ſuccedam*, id me nunc iſti vitare non ſinunt. Verùm hoc ingrediar ad ea, quæ vultis, audacius, quòd idem mihi ſpero uſu eſſe venturum in hac diſputatione, quod in dicendo ſolet, ut nulla exſpectetur ornata oratio. neque enim ſum de arte dicturus, quam numquam didici, ſed de mea conſuetudine: ipſaque illa, quæ in commentarium meum retuli, ſunt ejuſmodi, non aliqua mihi doctrina tradita, ſed in rerum uſu, cauſiſque tractata: quæ ſi vobis, hominibus eruditiſſimis, non probabuntur, veſtram iniquitatem accuſatote, qui ex me ea quæſieritis, quæ ego neſcirem: meam facilitatem laudatote, cùm vobis non meo judicio, ſed veſtro ſtudio inductus non gravatè reſpondero. Tum Craſſus, Perge modò, inquit, Antoni. nullum eſt enim periculum, ne quid tu eloquare, niſi ita prudenter, ut neminem noſtrûm pœniteat ad hunc te ſermonem impuliſſe. Ego verò, inquit, pergam: & id faciam, quod in principio fieri in omnibus diſputationibus oportere cenſeo: ut, *quid illud ſit*, de quo diſputetur, explanetur, ne vagari, & errare cogatur oratio, ſi ii, qui inter ſe diſſenſerint, non idem eſſe illud, quo de agitur, intelligent. Nam ſi fortè quæreretur, quæ eſſet *ars imperatoris*, conſtituendum putarem principiò, quis eſſet imperator: qui cùm eſſet conſtitutus adminiſtrator quidam belli gerendi, tum adjungeremus de exercitu, de caſtris, de agminibus, de ſignorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de inſidiis faciendis, atque vitandis, de reliquis rebus, quæ eſſent propriæ belli adminiſtrandi: quarum qui eſſent animo, & ſcientia compotes, eos eſſe imperatores dicerem: utererque exemplis Africanorum, & Maximorum: Epaminondam, atque Hannibalem, atque ejus generis homines nominarem. Sin autem quæremus, quis eſſet is, qui ad remp. moderandam, uſum & ſcientiam & ſtudium ſuum contuliſſet, definirem hoc modo: Qui, quibus rebus *utilitas reip.* pararetur, augereturque, teneret: iiſque uteretur: hunc reip. rectorem, & conſilii publici auctorem eſſe habendum: prædicaremque P. Lentulum, principem illum, & T. Gracchum patrem, & Q. Metellum, & P. Africanum, & C. Lælium, & innumerabileis alios cùm ex noſtra civitate, tum ex ceteris. Sin autem quæreretur, quiſnam *juriſconſultus* verè nominaretur: eum dicerem, qui legum, & conſuetudinis ejus, qua privati in civitate uterentur, & ad reſpondendum, & ad agendum, & ad cavendum, peritus eſſet: & ex eo genere Sex. Ælium, M. Manilium, P. Mucium nominarem. Atque, ut jam ad leviora artium ſtudia veniam, 49
ſi muſicus, ſi grammaticus, ſi poëta quæratur, poſſim ſimiliter explicare, quid eorum quiſque profiteatur, & quo non amplius ab quoque ſit poſtulandum. *Philoſophi* denique ipſius, qui de ſua vi, ac ſapientia unus omnia pænè profitetur, eſt tamen quædam deſcriptio, ut is, qui ſtudeat omnium rerum divinarum, atque humanarum vim, naturam, cauſaſque noſſe, & omnem benè vivendi rationem tenere, & perſequi, nomine hoc appelletur. *Oratorem* autem, quoniam de eo quærimus, equidem non facio eundem, quem Craſſus: qui mihi viſus eſt omnem omnium rerum, atque artium ſcientiam comprehendere uno oratoris officio, ac nomine: atque eum puto eſſe, qui verbis ad audiendum jucundis, & ſententiis ad probandum accommodatis uti poſſit in cauſis forenſibus, atque communibus. hunc ego appello oratorem, eumque eſſe præterea inſtructum voce, & actione, & lepôre quodam volo. Craſſus verò mihi noſter viſus eſt oratoris facultatem non illius artis terminis, ſed ingenii ſui finibus immenſis pænè, deſcribere. nam & *civitatum* regendarum oratori gubernacula ſententia ſua tradidit: in quo per mihi mirum viſum eſt, Scævola, te hoc illi concedere; cùm ſæpiſſimè tibi ſenatus breviter, impoliteque dicenti, maximis ſit de rebus aſſenſus. M. verò Scaurus, quem non longè ruri apud ſe eſſe audio, vir regendæ reip. ſcientiſſimus, ſi audierit, hanc auctoritatem gravitatis, & conſilii ſui vindicari à te, Craſſe, quòd eam oratoris propriam eſſe dicas: jam, credo, huc veniat, & hanc loquacitatem noſtram *vultu* ipſo, aſpectuque conterreat. qui quamquàm eſt in dicendo minimè contemnendus, prudentia tamen rerum magnarum magis, quàm dicendi arte, nititur. Neque verò, ſiquis utrumque poteſt, aut ille conſilii publici auctor,

ci auctor, ac ſenator bonus, ob eam ipſam cauſam orator eſt: aut hic diſertus, atque eloquens, ſi eſt idem in procuratione civitatis egregius, [1] aliquam ſcientiam dicendi copia eſt conſecutus. multum inter ſe diſtant iſtæ facultates, longeque ſunt diverſæ, atque ſejunctæ, neque eadem ratione, ac via M. Cato, P. Africanus, Q. Metellus, C. Lælius, qui omnes eloquentes fuerunt, orationem ſuam, & reip.
50 dignitatem exornabant. NEQUE ENIM eſt interdictum aut à rerum natura, aut à lege aliqua, atque more, ut ſingulis hominibus, ne amplius, quàm ſingulas arteis, noſſe liceat. Quare non etſi eloquentiſſimus Athenis Pericles, idemque in ea civitate plurimos annos princeps conſilii publici fuit, idcirco ejuſdem hominis, atque artis utraque facultas exiſtimanda eſt; nec, ſi P. Craſſus idem fuit eloquens, & juris peritus, ob eam cauſam ineſt in facultate dicendi juris civilis ſcientia. nam ſi quiſque, ut in aliqua arte, & facultate excellens, aliam quoque artem ſibi aſſumſerit, is perficiet, ut, quod præterea ſciet, id ejus, in quo excellet, pars quædam eſſe videatur: licet iſta ratione dicamus, pila bene, [2] & duodecim ſcriptis ludere, proprium eſſe juris civilis, quoniam utrumque eorum P. Mucius optimè fecerit: eademque ratione dicantur, &, quos φυσικοὺς Græci nominant, iidem poëtæ, quoniam Empedocles phyſicus egregium poëma fecerit. At hoc ne *philoſophi* quidem ipſi, qui omnia, ſicut propria, ſua eſſe, atque à ſe poſſideri volunt, dicere audent, geometriam aut muſicam, philoſophi eſſe, quia Platonem omnes in illis artibus præſtantiſſimum fuiſſe fateantur. Ac, ſi jam placet, omneis arteis oratori ſubjungere, tolerabilius eſt ſic potius dicere, ut, quoniam dicendi facultas non debeat eſſe jejuna atque nuda, ſed aſperſa, atque diſtincta multarum rerum jucunda quadam varietate, SIT BONI ORATORIS multa auribus accepiſſe, multa vidiſſe, multa animo, & cogitatione, multa etiam legendo percurriſſe: neque ea, ut ſua, poſſediſſe; ſed, ut aliena, libaſſe. Fateor enim, callidum quendam hunc, & nulla in re tironem, ac rudem, nec peregrinum,
51 atque hoſpitem in agendo eſſe debere. Neque vero iſtis tragœdiis tuis, quibus uti philoſophi maximè ſolent, Craſſe, perturbor, quòd ita dixiſti, neminem poſſe eorum menteis, qui audirent, aut inflammare dicendo, aut inflammatas reſtinguere, cùm eo maximè vis oratoris, magnitudoque cernatur, niſi qui rerum omnium naturam, mores hominum, atque rationes penitus perſpexerit: in quo philoſophia ſit oratori neceſſariò percipienda: quo in ſtudio, hominum quoque ingenioſiſſimorum otioſiſſimorumque totas *ætates* videmus eſſe contritas: quorum ego copiam, magnitudinemque cognitionis, atque artis non modò non contemno, ſed etiam vehementer admiror: nobis tamen, qui in hoc populo foroque verſamur, ſatis eſt ea de moribus hominum & ſcire, & dicere, quæ non abhorrent ab hominum moribus. Quis enim umquam orator magnus, & gravis, cùm iratum adverſario judicem facere vellet, hæſitavit ob eam cauſam quòd neſciret, quid eſſet iracundia, fervorne mentis, an cupiditas puniendi doloris? Quis, cum ceteros animorum motus aut judicibus, aut populo dicendo miſcere, atque agitare vellet, ea dixit, quæ à philoſophis dici ſolent? qui partim omnino motus negant in animis ullos eſſe debere, quique eos in judicum mentibus concitent, ſcelus eos nefarium facere: partim, qui tolerabiliores volunt eſſe, & ad veritatem vitæ propiùs accedere, permediocreis, ac potiùs leveis motus debere eſſe dicunt. Orator autem omnia hæc, quæ putantur in communi vitæ conſuetudine, mala, ac moleſta, & fugienda, multo majora, & acerbiora verbis facit: Itemque ea, quæ vulgò expetenda, atque optabilia videntur, dicendo amplificat, atque ornat, neque vult ita *ſapiens inter ſtultos* videri, uti, qui audiant, aut illum ineptum, aut Græculum putent: aut, etiam ſi valde probent ingenium oratoris, ſapientiam admirentur, ſe eſſe ſtultos moleſtè ferant: ſed ita [3] peragrat per animos hominum, ita ſenſus, menteiſque pertractat, ut non deſideret philoſophorum deſcriptiones, neque exquirat oratione, ſummum illud bonum in animo ne ſit, an in corpore: virtute, an voluptate definiatur: an hæc inter ſe jungi, copularique poſſint: an verò, ut quibuſdam viſum, nihil certum ſciri, nihil planè cognoſci, & percipi poſſit: quarum rerum fateor magnam, multiplicemque eſſe diſciplinam, & multas, copioſas, variaſque rationes. Sed aliud quiddam, longè aliud, Craſſe, quærimus. acuto homine nobis opus eſt, & natura, uſuque callido, qui ſagaciter perveſtiget, quid ſui cives, iique homines, quibus aliquid dicendo perſuadere velit, cogitent, ſentiant, opinentur, exſpectent. Teneat oportet *ve-* 52
nas cujuſque generis, ætatis, ordinis, & eorum, apud quos aliquid aget, aut erit acturus, menteis, ſenſuſque deguſtet. Philoſophorum autem libros reſervet ſibi ad hujuſcemodi Tuſculani requiem, atque otium, ne, ſi quando ei dicendum erit de juſtitia & fide, mutuetur à Platone, qui, cùm hæc exprimenda verbis arbitraretur, *novam* quandam finxit in libris civitatem: uſque eò illa, quæ dicenda de juſtitia putabat, à vitæ conſuetudine, & à civitatum moribus abhorrebant. Quòd ſi ea probarentur in populis, atque in civitatibus: quis tibi, Craſſe, conceſſiſſet, clariſſimo viro, & ampliſſimo principi civitatis, ut illa diceres in maxima concione tuorum civium, quæ dixiſti? ERIPITE NOS EX MISERIIS, ERIPITE NOS EX FAUCIBUS EORUM, QUORUM CRUDELITAS NOSTRO SANGUINE NON POTEST EXPLERI: NOLITE SINERE NOS CUIQUAM SERVIRE, NISI VOBIS UNIVERSIS, QUIBUS ET POSSUMUS ET DEBEMUS. Omitto miſerias, in quibus, ut illi ajunt, vir fortis eſſe non poteſt: omitto fauceis, ex quibus te eripi vis, ne judicio iniquo exſorbeatur ſanguis tuus: quod ſapienti negant accidere poſſe: ſervire verò non modò te, ſed univerſum ſenatum, cujus tum cauſam agebas, auſus es dicere? Poteſtne virtus, Craſſe, *ſervire*, iſtis auctoribus, quorum tu præcepta oratoris facultate complecteris? quæ & ſemper, & ſola libera eſt, quæque ETIAM, ſi corpora capta ſint armis, aut conſtricta vinculis, tamen ſuum jus, atque omnium rerum impunitam libertatem tenere debeat. Quæ verò addidiſti, non modò ſenatum ſervire poſſe populo, ſed etiam debere, quis hoc philoſophus tam mollis, tam languidus, tam enervatus, tam omnia ad voluptatem corporis, doloremque referens, probare poſſet? Senatum ſervire populo, cui populus ipſe moderandi, & regendi ſui poteſtatem, quaſi quaſdam habenas tradidiſſet? Itaque hæc 53
cum à te *divinitus* & ego dicta arbitrarer, P. Rutilius Rufus, homo doctus, & philoſophiæ deditus, non modo parum commodè, ſed etiam turpiter & flagitioſè dicta eſſe dicebat. Idemque Ser. Galbam, quem hominem [4] probè noſſe, & commeminiſſe ſe ajebat, pergraviter reprehendere ſolebat, quòd is, L. Scribonio quæſtionem in eum ferente, populi miſericordiam concitaſſet, cùm M. Cato, Galbæ gravis, atque acer inimicus, aſperè apud populum R. & vehementer eſſet locutus: quam orationem in Originibus ſuis expoſuit ipſe. Reprehendebat igitur Galbam Rutilius, quod is C. Sulpicii Galli, propinqui ſui Q. pupillum filium ipſe pænè in humeros ſuos extuliſſet, qui patris clariſſimi *recordatione*, & memoria fletum populo moveret, & duos filios ſuos parvos, tutelæ populi commendaſſet, ac ſe,

1. *Aliquam ſcientiam dicendi copia eſt conſecutus.*] Lambinus, *illam ſcientiam*, ſed præter mſſ. noſtros, in quibus tamen, *aliquam ſcientia dicendi copiam eſt conſecutus.*

2. *Et duodecim ſcriptis.*] Non aliter etiam Pall. noſtri. ut & in ſuis repererat P. Victorius, egregieque tuetur libro v. Var. Lectionum cap. 50.

3. *Peragrat per animos hominum.*] Lambinus expunxit, *per*, non neceſſariò, & nolentibus mſſ.

4. *Probè noſſe & commeminiſſe, &c.*] In Pall. noſtris non invenio *noſſe &*. abfuitque chartaceo Memmii. nam alter membranaceus heic erat mutilus, ut & Pithœanus.

1. *Quàm*

ac ſe, tanquam in procinctu teſtamentum faceret, ſine libra, atque tabulis populum Rom. tutorem inſtituere dixiſſet illorum orbitati. Itaque cum & invidia, & odio populi tum Galba premeretur, his quoque eum tragœdiis liberatum ferebat, quod item apud Catonem ſcriptum eſſe video, niſi *pueris & lacrymis* uſus eſſet, pœnas eum daturum fuiſſe. Hæc Rutilius valde vituperabat, & huic humilitati dicebat, vel exſilium fuiſſe, vel mortem anteponendam. Neque verò hoc ſolùm dixit, ſed ipſe & ſenſit, & fecit. nam cùm eſſet ille vir exemplum, ut ſcitis innocentiæ: cumque illo nemo neque integrior eſſet in civitate, neque ſanctior, non modò *ſupplex* judicibus eſſe noluit, ſed ne ornatiùs quidem, aut liberiùs cauſam dici ſuam, [1] quàm ſimplex oratio veritatis ferebat. Paullum huic Cottæ tribuit partium, diſertiſſimo adoleſcenti, ſororis ſuæ filio. Dixit item cauſam illam quadam ex parte Qu. Mucius, more ſuo, nullo apparatu, purè & dilucidè. Quid ſi tu tunc, Craſſe, dixiſſes, qui ſubſidium oratori ex illis diſputationibus, quibus philoſophi utuntur, ad dicendi copiam, petendum eſſe paullo antè dicebas, &, ſi tibi pro P. Rutilio non philoſophorum more, ſed tuo licuiſſet dicere? quamvis ſcelerati illi fuiſſent, ſicuti fuerunt, peſtiferi cives, ſuppliciique digni, tamen omnem eorum importunitatem ex intimis mentibus evelliſſet *vis orationis* tuæ: nunc talis vir amiſſus eſt, dum cauſa ita dicitur, ut ſi in illa commentitia Platonis civitate res ageretur. nemo ingemuit, nemo inclamavit patronorum, nihil cuiquam doluit, nemo eſt queſtus, nemo remp. imploravit, nemo ſupplicavit. Quid multa? pedem nemo in illo judicio ſupploſit, credo, ne
54 Stoicis renuntiaretur. Imitatus eſt homo Romanus, & conſularis veterem illum Socratem, qui, quum omnium ſapientiſſimus eſſet, ſanctiſſimeque vixiſſet, ita in judicio capitis pro ſe ipſe dixit, ut non ſupplex, aut reus, ſed *magiſter*, aut dominus videretur eſſe judicum. Quinetiam, quum ei ſcriptam orationem diſertiſſimus orator Lyſias attuliſſet, quam, ſi ei videretur, ediſceret, ut ea pro ſe in judicio uteretur, non invitus legit, & commodè ſcriptam eſſe dixit: ſed, inquit, *ut, ſi mihi* calceos Sicyonios attuliſſes, non uterer, quamvis eſſent habiles, & apti ad pedem, quia non eſſent viriles: ſic illam orationem diſertam ſibi, & oratoriam videri: fortem, & virilem non videri. Ergo ille quoque damnatus eſt: neque ſolùm *primis ſententiis*, quibus tantùm ſtatuebant judices, damnarent, an abſolverent, ſed etiam illis, quas iterum legibus ferre debebant. Erat enim Athenis, reo damnato, ſi fraus capitalis non eſſet, [2] quaſi pœnæ æſtimatio. ex ſententia, cùm judicibus daretur, interrogabatur reus, quam quaſi æſtimationem commeruiſſe ſe maximè confiteretur: quod cùm interrogatus Socrates eſſet, reſpondit, *ſeſe meruiſſe*, ut ampliſſimis honoribus, & præmiis decoraretur, & ut ei victus quotidianus in Prytaneo publicè præberetur: qui honos apud Græcos maximus haberetur. Cujus reſponſo ſic judices exarſerunt, ut capitis hominem innocentiſſimum condemnarent, qui quidem ſi abſolutus eſſet, (quod mehercule etiam ſi nihil ad nos pertinet, tamen propter ejus ingenii magnitudinem vellem) quonam modo iſtos philoſophos ferre poſſemus, qui nunc, cùm ille damnatus eſt nullam aliam *ob culpam*, niſi propter dicendi inſcientiam, tamen à ſe oportere dicunt peti præcepta dicendi? Quibuscum ego non pugno, utrum ſit melius, aut verius: tantum dico, & aliud illud eſſe, atque hoc, & hoc ſine illo ſummum eſſe poſſe. 55 Nam quòd jus civile, Craſſe, tam vehementer amplexus es, video quid egeris. tum, quum dicebas, videbam. Primùm Scævolæ te dedidiſti, quem omnes amare meritiſſimò pro ejus eximia ſuavitate debemus: cujus artem [3] cùm indotatam eſſe, atque incomitatam, & incomtam videres, verborum eam dote locupletaſti, & ornaſti. Deinde quòd in ea tu plus operæ, laboriſque conſumſeras, cùm ejus ſtudii tibi & hortator, & magiſter eſſet domi, veritus es, niſi iſtam artem oratione exaggeraſſes, ne operam perdidiſſes. Sed ego ne cum iſta quidem arte pugno. ſit ſanè tanta, quantam tu illam eſſe vis. etenim ſine controverſia & magna eſt, & latè patet, & ad multos pertinet, & ſummo in honore ſemper fuit, & clariſſimi cives [4] ei ſtudio etiam hodie præſunt: ſed vide, Craſſe, ne, dum novo, & *alieno ornatu* velis ornare juris civilis ſcientiam, ſuo quoque eam, conceſſo, & tradito ſpolies, atque denudes. Nam, ſi ita diceres, qui juriſconſultus eſſet, eſſe eum oratorem, itemque qui eſſet orator, juris eumdem eſſe conſultum, præclaras duas arteis conſtitueres, atque inter ſe pareis, & ejuſdem ſocias dignitatis. nunc verò juriſconſultum ſine hac eloquentia, de qua quærimus, fateris eſſe poſſe, fuiſſeque plurimos: oratorem negas, niſi illam ſcientiam aſſumſerit, eſſe poſſe. ita & tibi juriſconſultus ipſe per ſe nihil, niſi legulejus quidam cautus, & acutus, præco actionum, [5] *cantor* formularum, *auceps* ſyllabarum. Sed quia ſæpe utitur orator ſubſidio juris in cauſis, idcirco iſtam juris ſcientiam eloquentiæ tanquam ancillulam, pediſequamque adjunxiſti. Quòd verò 56
impudentiam admiratus es eorum patronorum, qui aut, cùm parva neſcirent, magna profiterentur; aut ea, quæ maxima eſſent in jure civili, tractare auderent in cauſis, cùm ea neſcirent, nunquamque didiciſſent: utriuſque rei facilis eſt, & promta defenſio. Nam neque illud eſt mirandum, qui, quibus verbis coëmtio fiat, neſciat, eundem ejus mulieris, quæ coëmtionem fecerit, cauſam poſſe defendere. Nec ſi parvi navigii, & magni eadem eſt in gubernando ſcientia, idcirco qui, quibus verbis [6] erctum cieri oporteat, neſciat, idem herciſcundæ familiæ cauſam agere non poſſit. Nam, quòd maximas centumviraleis cauſas in jure poſitas protuliſti: quæ tandem earum cauſa fuit, quæ ab homine eloquenti, juris imperito, non ornatiſſimè potuerit dici? quibus quidem in cauſis omnibus, ſicut in ipſa M. Curii, quæ abs te nuper eſt dicta, & in C. Hoſtilii Mancini controverſia, atque in eo puero, qui ex altera natus erat uxore, non remiſſo nuntio ſuperiori, fuit inter peritiſſimos homines ſumma de jure diſſenſio. Quæro igitur, quid adjuverit oratorem in his cauſis juris ſcientia, cùm hic juriſconſultus ſuperior fuerit diſceſſurus, qui eſſet non *ſuo artificio*, ſed alieno, hoc eſt, non juris ſcientia, ſed eloquentia, ſuſtentatus. Equidem hoc ſæpe audivi, cùm ædilitatem P. Craſſus peteret, eumque major natu, etiam conſularis, Ser. Galba aſſectaretur, quòd Craſſi filiam C. filio ſuo deſpondiſſet, acceſſiſſe ad Craſſum conſulendi cauſa quendam ruſticanum: qui cùm Craſſum ſeduxiſſet, atque ad eum retuliſſet, reſponſumque ab eo *verum* magis, quam ad ſuam

1. *Quàm ſimplex oratio veritatis ferebat.*] Ita Pall. omnes, niſi quod tertio abeſſet *veritatis*. retro vulgati, *ratio*, præter edd. antiquatas.

2. *Quaſi pœnæ æſtimatio. ex ſententia, cum judicibus, &c.*] Lambinus repoſuit, *hæc ſententia*, ſed præter libros ſcriptos, qui nihil variant, niſi quod, *pœna ea æſtimatio ex ſententia.* unus, *pœnæ deſtinatio.* editio pr. habet, *quaſi pœna, ea æſtimatio & ſententia cum judicibus.*

3. *Cum indotatam eſſe atque incomitatam, &c.*] Quidam docti putant hinc alienum, *atque incomitatam*, ſed minimè eſt. reſpicit enim ad mulieres, quibus comites & pediſſequæ; ut vel notum ex Amphitruone Plauti.

4. *Ei ſtudio etiam hodie præſunt.*] Retulit Lambinus habuiſſe mſſ. duos amplius, *ei ſtudio & ſemper præfuerunt, & etiam hodie præſunt.* & ita quidem editi à P. Victorio, neque multo ſecus prima impreſſio: ſed nihil eorum præferunt exemplaria Palatina ſeptem. primus enim liber ac ſecundus heic æque, ut Gallicani, mutilantur.

5. *Cantor formularum, &c.*] Editio vetuſtiſſima *cautor*, quod & in Pal. quinto, ſexto, oct. nono, item uno Memmiano, ſed prius hæret in ceteris Pall. tert. quart. ſept. videturque aptius. Bernardus Martinius emendabat e mſ. *cator formularum*, qui conſulatur libro IV. Var. cap. 3. Gulielmius maluiſſet, *prædo actionum, captor formularum, &c.*

6. *Erctum cieri.*] Caſtigatio debita P. Victorio, qui videatur libro XXXV. Var. lection. capite 1. alluduntque eodem membranæ Pall.

ad ſuam rem accommodatum abſtuliſſet: ut eum triſtem Galba vidit, nomine appellavit, quæſivitque, qua de re ad Craſſum retuliſſet. ex quo ut audivit, commotumque ut vidit hominem, Suſpenſo, inquit, animo, & occupato, Craſſum tibi reſpondiſſe video. deinde ipſum Craſſum manu prehendit: Et heus tu, inquit, quid tibi in mentem venit ita reſpondere? Tum ille *fidenter*, homo peritiſſimus, confirmare, ita ſe rem habere, ut reſpondiſſet: nec dubium eſſe poſſe. Galba autem alludens variè, & copioſè, multas ſimilitudines afferre, multaque pro *æquitate* contra jus dicere: atque illum, cùm differendo par eſſe non poſſet (quamquam fuit Craſſus in numero diſertorum, ſed par Galbæ nullo modo) ad auctores confugiſſe, & id, quod ipſe diceret, & in P. Mucii, fratris ſui libris, & in Sex. Ælii commentariis ſcriptum protuliſſe: ac tamen conceſſiſſe Galbæ, diſputationem ſibi
57 probabilem, & propè veram videri. Attamen quæ cauſæ ſunt ejuſmodi, ut de earum jure dubium eſſe non poſſit, omnino in judicium vocari non ſolent. NUM QUIS eo teſtamento, quod paterfamiliâs ante fecit, quàm ei filius natus eſt, hereditatem petit? nemo: quia conſtat, agnaſcendo rumpi teſtamentum. Ergo in hoc genere juris judicia nulla ſunt. Licet igitur impunè oratori omnem hanc partem [1] juris incontroverſi ignorare, quæ pars ſine dubio multo maxima eſt. In eo autem jure, quod ambigitur inter peritiſſimos, non eſſe difficile oratori, ejus partis, quamcumque defendat, auctorem aliquem invenire: à quo cùm *amentatas haſtas* acceperit, ipſe eas oratoris lacertis, viribuſque torquebit. Niſi verò (bona venia hujus optimi viri dixerim Scævolæ) tu libellis, aut præceptis ſoceri tui cauſam M. Curii defendiſti: nonne arripuiſti patrocinium æquitatis, & defenſionem teſtamentorum, ac voluntatis mortuorum? Ac mea quidem ſententia, (frequens enim te audivi, atque affui) multo majorem partem ſententiarum ſale tuo, & lepôre, & politiſſimis facetiis pellexiſti, cùm & illud *nimium acumen* illuderes, & admirarere ingenium Scævolæ, qui excogitaſſet: *naſci prius oportere, quàm emori*: cumque multa colligeres ex legibus, & ex ſenatuſconſultis, & ex vita, ac ſermone communi, non modo acutè, ſed etiam ridiculè ac facetè: ubi ſi verba, non rem ſequeremur, confici nil poſſet. Itaque hilaritatis plenum judicium, ac lætitiæ fuit: in quo quid tibi juris civilis exercitatio profuerit, non intelligo: dicendi vis egregia, ſumma feſtivitate, & venuſtate conjuncta profuit. Ipſe ille Mucius paterni juris defenſor, & quaſi patrimonii propugnator ſui, quid in illa cauſa, cùm contra te diceret, attulit, quod de jure civili depromptum videretur? quam legem recitavit? quid patefecit dicendo, quod fuiſſet imperitis occultius? nempe ejus omnis oratio verſata eſt in eo, ut SCRIPTUM plurimùm valere oportere defenderet. At in hoc genere pueri apud magiſtros exercentur omnes, cùm in ejuſmodi cauſis alias ſcriptum, alias æquitatem defendere docentur. Et credo in illa militis cauſa, ſi tu aut heredem, aut militem defendiſſes, ad Hoſtilianas te actiones, non ad tuam vim, & oratoriam facultatem contuliſſes. tu verò vel ſi teſtamentum defenderes, ſic ageres, ut omne omnium teſtamentorum jus in eo judicio poſitum videretur: vel ſi cauſam ageres militis, patrem ejus, ut ſoles, dicendo à mortuis excitaſſes: ſtatuiſſes ante oculos: complexus eſſet filium, flenſque eum centumviris commendaſſet: lapides mehercule omneis flere ac lamentari coëgiſſet, ut totum illud: UTI LINGUA NUNCUPASSET, non in XII. tab. quas tu omnibus bibliothecis anteponis, ſed in magiſtri carmine ſcriptum videretur. Nam quòd *inertiam* accuſas adoleſcen- 58
tium, qui iſtam artem primùm facillimam non ediſcant: quæ quàm ſit facilis, illi viderint, qui ejus artis arrogantia, quaſi difficillima ſit, ita ſubnixi ambulant: deinde etiam tu ipſe videris, qui eam artem facilem eſſe dicis, quam concedis adhuc artem omnino non eſſe, ſed aliquando, ſiquis aliam artem didicerit, ut hanc artem efficere poſſit, tum eſſe illam artem futuram: deinde, quòd ſit plena delectationis, in qua tibi remittunt omnes iſtam voluptatem, & ea ſe carere patiuntur, nec quiſquam eſt eorum, qui, ſi jam ſit ediſcendum ſibi aliquid, non Teucrum Pacuvii malit, quam [2] Manilianas venalium vendendorum leges ediſcere. Tum autem quòd *amore patriæ* cenſes nos noſtrorum majorum inventa noſſe debere, non vides, veteres leges aut ipſas ſua vetuſtate conſenuiſſe, aut novis legibus eſſe ſublatas? Quòd verò viros bonos jure civili fieri putas, quia legibus & præmia propoſita ſint virtutibus & ſupplicia vitiis: equidem putabam, VIRTUTEM hominibus (ſi modò tradi ratione poſſit) inſtituendo & perſuadendo, non minis, & vi, ac metu tradi. Nam ipſum quidem illud, etiam ſine cognitione juris, [3] quàm ſit bellum cavere malum, ſcire poſſumus. De me autem ipſo, cui uni tu concedis, ut ſine ulla juris ſcientia tamen cauſis ſatisfacere poſſim, tibi hoc, Craſſe, reſpondeo, neque me umquam jus civile didiciſſe, neque tamen in iis cauſis, quas in jure poſſem defendere, umquam iſtam ſcientiam deſideraſſe. Aliud eſt enim eſſe artificem cujuſdam generis, atque artis, aliud in communi vita, & vulgari hominum conſuetudine nec hebetem, nec rudem. Cui noſtrûm non licet fundos noſtros obire, aut res ruſticas vel fructus cauſa, vel delectationis, inviſere? tamen nemo tam ſine oculis, tam ſine mente vivit, ut, quid ſit ſementis, ac meſſis, quid arborum putatio, ac vitium, quo tempore anni, aut quo modo ea fiant, omnino neſciat. Num igitur, ſi cui fundus inſpiciendus, aut ſi mandandum aliquid procuratori de agricultura, aut imperandum villico ſit, Magonis Karthaginienſis ſunt libri perdiſcendi? an hac *communi intelligentia* contenti eſſe poſſumus? Cur ergo non iidem in jure civili, præſertim, cùm in cauſis, & in negotiis, & in foro conteramur, ſatis inſtructi eſſe poſſumus ad hoc duntaxat, ne in noſtra patria peregrini, atque advenæ eſſe videamur? Ac ſi jam ſit cauſa aliqua ad nos delata obſcurior: difficile, credo, ſit cum hoc Scævola communicare: quamquam ipſi omnia, quorum negotium eſt, conſulta ad nos, & exquiſita deferunt. An verò ſi de reipſa, ſi de finibus, cùm in rem præſentem non venimus, ſi [4] de tabulis, & præſcriptionibus controverſia eſt, contortas res, & ſæpe difficileis neceſſariò perdiſcimus: ſi leges nobis, aut ſi hominum peritorum reſponſa cognoſcenda ſunt, veremur, ne ea, ſi ab adoleſcentia juri civili minus ſtuduerimus, non queamus cognoſcere? Nihilne igitur *prodeſt* oratori juris civilis ſcientia? Non poſſum negare prodeſſe ullam ſcien- 59
tiam, ei præſertim, cujus eloquentia copia rerum debeat eſſe ornata: ſed multa, & magna, & difficilia ſunt ea, quæ ſunt oratori neceſſaria, ut ejus induſtriam in plura ſtudia diſtrahere nolim. Quis neget opus eſſe oratori in hoc oratorio motu, ſtatuque, Roſcii geſtum, & venuſtatem? tamen nemo ſuaſerit ſtudioſis dicendi adoleſcentibus in geſtu diſcendo hiſtrionum more elaborare. Quid eſt oratori tam neceſſarium, quàm *vox*? tamen me auctore nemo dicendi ſtudioſus, [5] Græcorum more, & tragœdorum voci ſerviet, qui & annos complureis ſedentes declamitant, & quotidie, antequàm pronuntient, vocem cubantes ſenſim excitant, eandemque, cum egerunt, ſedentes ab acutiſſimo ſono uſque

1. *Juris incontroverſi.*] Eſt à conjectura Lambini. Pall. enim omnes & prius vulgati, *juris in controverſiis*.

2. *Manilianas venalium*, *&c.*] Secutus ſum auctoritatem Antonii Auguſtini, aſſerentis ita nomen iſtud ſcribi in Pandectis Florentinis. Vulgatur quidem paſſim *Manlianas*, ſed alterum reperi in Pal. quint. & ſept. nam oct. habebat *Manulianas*; ſextus *Manillianas*; tert. quart. nonus *Mamillianas*, quod & in Memmiano; quibus proxime editio prima, *Mammillianas*.

3. *Quàm ſit bellum cavere malum.*] Forte *malo*, annotatum ad oram Lambin. Gulielmius id cancellavit, adſcripſitque, *malum civem*.

4. *De tabulis & præſcriptionibus.*] Id eſt, ſint ne præſcriptæ tabulæ temporum decurſu. male Lambinus, qui ſuppoſuit *perſcriptionibus*.

5. *Græcorum more*, *& tragœdorum voci ſerviet*, *&c.*] Lambinus fide trium mſſ. delevit &. male. certe comparet in Pall. omnibus, præterquam in ſept. ubi extat *aut*.

1. *Pæanem*

uſque ad graviſſimum ſonum recipiunt, & quaſi quodam modo colligunt. hoc nos ſi facere velimus, antè condemnentur ii, quorum cauſas receperimus, quàm toties, quoties perſcribitur, [1] Pæanem, aut Munionem citarimus. Quòd ſi in geſtu, qui multum oratorem adjuvat, & in voce, quæ una maximè eloquentiam vel commendat, vel ſuſtinet, elaborare nobis non licet; ac tantùm in utroque aſſequi poſſumus, quantum, in hac *acie* quotidiani muneris, ſpatii nobis datur: quanto minus eſt ad juris civilis perdiſcendi occupationem deſcendendum? quod & ſummatim percipi ſine doctrina poteſt, & hanc habet ab illis rebus diſſimilitudinem, quòd vox, & geſtus ſubitò ſumi, & aliunde arripi non poteſt: juris utilitas, ad quamque cauſam quamvis repentè vel à *peritis*, vel de *libris* depromi poteſt. Itaque illi diſertiſſimi homines miniſtros habent in cauſis juris peritos, [2] cùm ipſi ſint peritiſſimi, & qui, ut abs te paullo antè dictum eſt, *pragmatici* vocantur. In quo noſtri omnino melius multo, quòd clariſſimorum hominum *auctoritate* leges, & jura tecta eſſe voluerunt. Sed tamen non fugiſſet hoc Græcos homines, ſi ita neceſſe eſſe arbitrati eſſent, oratorem ipſum erudire in jure civili, non ei pragmaticum ad-

60 jutorem dare. Nam quòd dicis ſenectutem à ſolitudine vindicari juris civilis ſcientia, fortaſſe etiam *pecuniæ* magnitudine. ſed nos non quid nobis utile, verùm quid oratori neceſſarium ſit, quærimus. quamquam quoniam multa ad oratoris ſimilitudinem ab uno artifice ſumimus, ſolet idem Roſcius dicere, ſe, quo plus ſibi ætatis accederet, eo tardioreis tibicinis modos, & cantus remiſſiores eſſe facturum. Quòd ſi ille, adſtrictus certa quadam numerorum moderatione, & pedum, tamen aliquid ad requiem ſenectutis excogitat, quanto facilius nos non laxare modos, ſed totos mutare poſſumus? Neque enim hoc te, Craſſe, fallit, quàm multa ſint, & quàm varia genera dicendi, [3] & quod haud ſciam, an tu primus oſtenderis, qui jamdiu multo dicis remiſſius, & lenius, quàm ſolebas: neque minus hæc tamen tua graviſſimi ſermonis lenitas, quàm illa ſumma vis, & [4] contentio probatur: multique oratores fuerunt, ut illum Scipionem audimus, & Lælium, qui omnia ſermone conficerent paullo intentiore, numquam, ut Ser. Galba, lateribus, aut clamore contenderent. Quòd ſi jam hoc facere non poteris, aut noles: vereris, ne tua domus, talis & viri, & civis, ſi à *litigioſis* hominibus non colatur, à ceteris deſeratur? Equidem tantum abſum ab iſta ſententia, ut non modò non arbitrer ſubſidium ſenectutis, in eorum, qui conſultum veniant, multitudine eſſe ponendum, ſed tanquam portum aliquem, exſpectem iſtam, quam tu times, ſolitudinem. SUBSIDIUM enim belliſſimum exiſtimo eſſe ſenectuti, otium. Reliqua verò etiam ſi adjuvant, hiſtoriam dico, & prudentiam juris publici, & antiquitatis iter, & exemplorum copiam, ſiquando opus erit, à viro optimo, & iſtis rebus inſtructiſſimo, [5] familiari meo, Longino mutuabor. Neque repugnabo, quo minus (id quod modò hortatus es) omnia legant, omnia audiant, in omni recto ſtudio, atque humanitate verſentur, ſed mehercule non ita multum ſpatii mihi videtur, ſi modò ea facere, & perſequi volent, quæ à te, Craſſe, præcepta ſunt: qui mihi propè etiam nimis duras leges imponere viſus es huic ætati: ſed tamen ad id, quod cupiunt, adipiſcendum propè neceſſarias. Nam & ſubitæ ad præpoſitas cauſas exercitationes, & accuratæ, & meditatæ commentationes, ac *ſtilus* ille tuus, quem tu verè dixiſti perfectorem dicendi eſſe, ac magiſtrum, multi ſudoris eſt, & illa orationis ſuæ cum ſcriptis alienis comparatio, & de alieno ſcripto ſubita vel laudandi, vel vituperandi, vel comprobandi, vel refellendi cauſa, diſputatio, non mediocris contentionis eſt, vel ad memoriam,
vel ad imitandum. Illud verò fuit horribile, quod meher- 61
cule vereor ne majorem vim ad deterrendum habuerit, quàm ad cohortandum. Voluiſti enim in ſuo genere unumquemque noſtrûm quaſi quendam eſſe Roſcium: dixiſtique, non tam ea, [6] quæ recta eſſent, probari, quàm quæ prava ſunt, faſtidiis adhæreſcere: quod ego non tam faſtidioſe in nobis, quàm in hiſtrionibus, ſpectari puto. Itaque nos raucos ſæpe attentiſſimè audiri video. tenet enim *res ipſa*, atque cauſa. at Æſopum, [7] ſi paullum irrauſerit, explodi. *A quibus* enim nihil præter voluptatem aurium quæritur, in iis offenditur, ſimulatque imminuitur aliquid de voluptate. In eloquentia autem multa ſunt, quæ teneant, quæ ſi omnia ſumma non ſunt, (& pleraque tamen magna ſunt,) neceſſe eſt, ea ipſa, quæ ſunt, mirabilia videri. Ergo, ut ad primum illud revertar; ſit orator nobis is, qui, ut Craſſus deſcripſit, accommodatè ad perſuadendum poſſit dicere. is autem concludatur in ea, quæ ſunt in uſu civitatum vulgari, ac forenſi: remotiſque ceteris ſtudiis, quamvis ea ſunt ampla, atque præclara, in hoc uno opere, ut ita dicam, nocteis & dies urgeatur: imiteturque illum, cui ſine dubio ſumma vis dicendi conceditur, Athenienſem Demoſthenem, in quo tantum ſtudium fuiſſe, tantuſque labor dicitur, ut primùm *impedimenta naturæ* diligentia, induſtriaque ſuperarit: cumque ita balbus eſſet, ut ejus ipſius artis, cui ſtuderet, primam litteram non poſſet dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur. Deinde cùm ſpiritus ejus eſſet anguſtior, tantum continenda anima in dicendo eſt aſſecutus, ut una continuatione verborum (id quod ejus ſcripta declarant) binæ ei contentiones vocis, & remiſſiones continerentur. Qui etiam (ut memoriæ proditum eſt) conjectis in os calculis, ſumma voce verſus multos uno ſpiritu pronuntiare conſueſcebat: neque is conſiſtens in loco, ſed inambulans, atque adſcenſu ingrediens arduo. Hiſce ego cohortationibus, Craſſe, ad ſtudium, & ad laborem incitandos juvenes vehementer aſſentior: cetera, quæ collegiſti ex variis, & diverſis ſtudiis, & artibus, tametſi ipſe es omnia conſecutus, tamen ab oratoris proprio officio, atque mune-
re ſejuncta eſſe arbitror. Hæc cùm Antonius dixiſſet: ſanè 62
dubitare viſus eſt Sulpicius, & Cotta, utrius oratio propius ad veritatem videretur accedere. Tum Craſſus, Operarium nobis quendam, Antoni, oratorem facis, atque haud ſcio an aliter ſentias, & utare tua illa mirifica ad refellendum conſuetudine, qua tibi nemo umquam præſtitit: cujus quidem ipſius facultatis exercitatio, oratorum propria eſt, ſed jam in philoſophorum conſuetudine verſatur, maximeque eorum, qui de omni re propoſita in utramque partem ſolent copioſiſſimè dicere. Verùm ego non ſolùm arbitrabar, his præſertim audientibus, à me informari oportere, qualis eſſe poſſet is, qui habitaret in ſubſelliis, neque quidquam amplius afferret, quam quod cauſarum neceſſitas poſtularet: ſed majus quiddam videbam, cùm cenſebam, oratorem, præſertim *in noſtra repub.* nullius ornamenti expertem eſſe oportere. Tu autem, quoniam exiguis quibuſdam finibus totum oratoris munus circumdediſti, hoc facilius nobis expones ea, quæ abs te de officiis, præceptiſque oratoris quæſita ſunt: ſed opinor, ſecundum hunc diem. ſatis enim multa à nobis hodie dicta ſunt. Nunc & Scævola, quoniam in Tuſcu-

1. *Pæanem aut munionem.*] Haud multum divertunt ab hac lectione Pall. Turnebus conjecit *minuritionem*, ſtabilitque libro 1. Adverſ. cap. 12. Aliis placet *nomionem*.

2. *Cum ipſi ſint peritiſſimi.*] Nihil diſcrepant mſſ. noſtri. Lambinus ſubſtituit *imperitiſſimi*, ita tamen ut hujus mutationis nullam faciat mentionem in Notis.

3. *Et quod haud ſciam, &c.*] Lambini editionibus inolevit ſphalma typographicum, *aut ſciam*: quod ferri non poteſt.

4. *Contentio probatur.*] Pall. plures *probabatur*, neſcio utrum dicam potius.

5. *Familiari meo Longino.*] Ita reſtituit ex alio Tullii loco Nicol. Grucchius. vulgo erat *Longo*, quod & in Pall. aut *longè*.

6. *Quæ recta eſſent probari, quam quæ prava ſunt faſtidiis adhæreſcere.*] Pall. omnes reſpuunt illa intermedia *probari quàm quæ prava ſunt*. adſcriptumque octavo aliter legi, *eſſent, quam quæ faſtidiis adhæreſcere*. voluit forte *faſtidii*. extat tamen vulgata in editione prima.

7. *Si paullum irrauſerit.*] Hac facie citatur à Priſciano, exſtatque in Pall. octavo. ceteri adhærent ferè vulgato *irraucuerit*.

in Tuſculanum ire conſtituit, paullum requieſcet, dum ſe calor frangat; & nos ipſi, quoniam id temporis eſt, valetudini demus operam. Placuit ſic omnibus. Tum Scævola, Sanè, inquit, [1] vellem non conſtituiſſem in Tuſculanum me hodie venturum eſſe, Lælio; libenter audirem Antonium. &, cum exſurgeret, ſimul arridens, Neque enim, inquit, tam mihi moleſtus fuit, quòd jus noſtrum civile pervellit, quàm jucundus, quòd ſe id neſcire confeſſus eſt.

M. TULLII CICERONIS, DE ORATORE, LIBER SECUNDUS.

1 MAGNA nobis pueris, Quincte frater, ſi memoria tenes, opinio fuit, L. Craſſum non plus attigiſſe doctrinæ, quàm quantum prima illa *puerili inſtitutione* potuiſſet: M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem, atque ignarum fuiſſe: erantque multi, qui, [1] quamquam ita ſe rem habere arbitrarentur, tamen, quo facilius nos incenſos ſtudio dicendi à doctrina deterrerent, libenter id, quod dixi, de illis oratoribus prædicarent, ut, ſi homines non eruditi ſummam eſſent prudentiam, atque incredibilem eloquentiam conſecuti, inanis omnis noſter eſſe labor, & ſtultum in nobis erudiendis, patris noſtri, optimi ac prudentiſſimi viri, ſtudium videretur. Quos tum, ut pueri, refutare domeſticis teſtibus, patre, & C. Aculeone, propinquo noſtro, & L. Cicerone, patruo, ſolebamus, quòd de Craſſo pater, & Aculeo, quocum erat noſtra matertera, quem Craſſus dilexit ex omnibus plurimùm: & patruus, qui cum Antonio in Ciliciam profectus unà deceſſerat: multa nobis de ejus ſtudio, doctrinaque ſæpe narravit: cumque nos cum conſobrinis noſtris, Aculeonis filiis, & ea diſceremus, quæ Craſſo placerent, & ab his doctoribus, quibus ille uteretur, erudiremur, etiam illud ſæpe intelleximus [2] (cùm eſſemus ejuſmodi: quod vel pueri ſentire poteramus) illum & Græcè ſic loqui, nullam ut noſſe aliam linguam videretur, & doctoribus noſtris ea ponere in percunctando, eaque ipſum omni in ſermone tractare, ut nihil eſſe ei novum, nihil inauditum videretur. De Antonio verò, quamquam ſæpe ex humaniſſimo homine, patruo noſtro, acceperamus, quemadmodum ille vel Athenis, vel Rhodi ſe doctiſſimorum hominum ſermonibus, dediſſet: tamen ipſe adoleſcentulus, quantum illius ineuntis ætatis meæ patiebatur *pudor*, multa ex eo ſæpe quæſivi. Non erit profectò tibi, quod ſcribo, hoc novum (nam jam tum ex me audiebas,) mihi illum ex multis, variiſque ſermonibus, nullius rei, quæ quidem eſſet in his artibus, de quibus aliquid exiſtimare poſſem, rudem, aut ignarum eſſe viſum. Sed fuit hoc in utroque eorum, ut Craſſus non tam exiſtimari vellet non didiciſſe, quàm illa *deſpicere*, & noſtrorum hominum in omni genere prudentiam Græcis anteferre. Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore cenſebat ſuam, ſi omnino *didiciſſe numquam* putaretur: atque ita ſe uterque graviorem fore, ſi alter contemnere, alter ne noſſe quidem Græcos videretur. Quorum conſilium quale fuerit, nihil ſanè ad hoc tempus. Illud autem eſt hujus inſtitutæ ſcriptionis, ac temporis, NEMINEM eloquentia, non modò ſine dicendi doctrina, ſed ne ſine omni quidem ſapientia, florere umquam, & præſtare potuiſſe. Etenim ce- 2
teræ ferè artes ſeipſæ per ſe tuentur ſingulæ: bene dicere autem, quod eſt ſcienter, & peritè, & ornatè dicere, non habet definitam aliquam regionem, cujus terminis ſæpta teneatur. Omnia, quæcumque in hominum diſceptationem cadere poſſunt, benè ſunt ei dicenda, qui hoc ſe poſſe profitetur, aut eloquentiæ nomen relinquendum eſt. Quare equidem & in noſtra civitate, & in ipſa Græcia, quæ ſemper hæc *ſumma* duxit, multos & ingeniis, & magna laude dicendi ſine ſumma rerum omnium ſcientia fuiſſe fateor: talem verò exſiſtere eloquentiam, qualis fuerit in Craſſo, & Antonio, non cognitis rebus omnibus, quæ in tantam prudentiam pertinerent, tantamque dicendi copiam, quanta in illis fuit, non potuiſſe confirmo. Quo etiam feci libentiùs, ut eum ſermonem, quem illi quondam inter ſe de his rebus habuiſſent, mandarem litteris: vel ut illa opinio, quæ ſemper fuiſſet, tolleretur, alterum non doctiſſimum, alterum planè indoctum fuiſſe: vel ut ea, quæ exiſtimarem à ſummis oratoribus de eloquentia divinitus eſſe dicta, *cuſtodirem litteris*, ſi ullo modo aſſequi, complectique potuiſſem: vel mehercule etiam ut laudem eorum jam propè ſeneſcentem, quantum ego poſſem, ab oblivione hominum, atque à *ſilentio* vindicarem. Nam ſi ex ſcriptis cognoſci ipſi ſuis potuiſſent, minus hoc fortaſſe mihi eſſe putaſſem laborandum: ſed cùm alter non multùm, (quod quidem exſtaret,) & idipſum adoleſcens; alter nihil admodum ſcripti reliquiſſet: deberi hoc à me tantis hominum ingeniis putavi, ut, cùm etiam nunc vivam illorum memoriam teneremus, hanc immortalem redderem, ſi poſſem. Quod hoc etiam ſpe aggredior majore ad probandum, quia non de Servii Galbæ, aut C. Carbonis eloquentia ſcribo aliquid, in quo liceat mihi *fingere*, ſiquid velim, nullius memoria jam refellente: ſed edo hæc iis cognoſcenda, qui eos ipſos, de quibus loquor, ſæpe audierunt: ut duos ſummos viros, iis, qui neutrum illorum viderint, eorum, quibus ambo illi oratores cogniti ſint, vivorum & præſentium, memoria teſte, commendemus. Nec verò te, cariſſime frater, atque optime,
3 rhetoricis nunc quibuſdam libris, quos tu *agreſteu* putas, inſequor ut erudiam: (Quid enim tua poteſt oratione aut ſubtilius, aut ornatius eſſe?) ſed quoniam ſive judicio, ut ſoles dicere, ſive, ut ille pater eloquentiæ de ſe Iſocrates ſcripſit ipſe,

1. *Vellem non conſtituiſſem in Tuſculanum me hodie venturum eſſe Lælio.*] Haud ſecus omnes Palatin. recepta enim lectio *conſtituiſſe.* ſed verè Lipſius noſter libro v. Quæſt. Epiſt. 17. monuit agnoſcere ſe heic manum malam: quare adhibito ſcalpello reſtituit, *conſtituiſſem in Tuſculanum hodie Lælio;* ut cetera ſint à Scholiaſte.

1. Q*Uamquam ita ſe rem habere arbitrarentur.*] Retinui omnium Pall. ſcripturam; in quitque ita procul dubio etiam in ſuis Victorius; utpote cum ſic expreſſerit in editione ſua. primitus cuſi, *quamquam non ita ſe*, quod ſecuti Manutius ac Lambinus. & ita quoque chartaceus mſ. Memmii, ſed non placet.

2. *Cum eſſemus ejuſmodi.*] Lambinus totum iſtud delet. regiè. at egregiè Gulielmius literis tranſpoſitis ultimum mutabat in *domi.*

1. *Ita*

ipſe, pudore, à dicendo, & timiditate ingenua quadam refugiſti, ſive, ut ipſe jocari ſoles, unum putaſti ſatis eſſe non modò in una familia rhetorem, ſed pæne in tota civitate: non tamen arbitror tibi hos libros in eo fore genere, quod meritò, propter eorum, qui de dicendi ratione diſputarunt, *jejunitatem* bonarum artium, poſſit illudi. Nihil enim, mihi quidem videtur in Craſſi, & Antonii ſermone eſſe præteritum, quod quiſquam ſummis ingeniis, acerrimis ſtudiis, optima doctrina, maximo uſu cognoſci, ac percipi potuiſſe arbitraretur: quod tu facillimè poteris judicare, qui prudentiam, rationemque dicendi per te ipſum: uſum autem, per nos, percipere voluiſti. Sed, quo citius hoc, quod ſuſcepimus, non mediocre munus, conficere poſſimus, omiſſa noſtra adhortatione, ad eorum, quos propoſuimus, ſermonem, diſputationemque veniamus. Poſtero igitur die, quàm illa erant acta, hora ferè ſecunda, cùm etiam tum in lecto Craſſus eſſet, & apud eum Sulpicius ſederet, Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu, repentè eò Quintus Catulus ſenex cum C. Julio fratre venit: quod ubi audivit, commotus Craſſus ſurrexit, omneſque admirati, majorem aliquam eſſe cauſam eorum adventus ſuſpicati ſunt. Qui cùm inter ſe, ut ipſorum uſus ferebat, amiciſſimè conſalutaſſent, Quid vos tandem? Craſſus, numquidnam, inquit, novi? Nihil ſanè, inquit Catulus. etenim vides eſſe ludos. ſed vel tu nos ineptos licet, inquit, vel moleſtos putes. cùm ad me in Tuſculanum, inquit, heri veſperi veniſſet Cæſar de Tuſculano ſuo, dixit mihi, à ſe Scævolam hinc euntem eſſe conventum: ex quo *mira* quædam ſe audiſſe dicebat, te, quem ego toties omni ratione tentans ad diſputandum elicere non potuiſſem, permulta de eloquentia cum Antonio diſſeruiſſe, & tanquam in ſchola propè ad Græcorum conſuetudinem diſputaſſe. [1] Ita frater exoravit meipſum, non quidem à ſtudio audiendi nimis abhorrentem, ſed mehercule verentem tamen, ne moleſti vobis interveniremus; ut huc ſecum venirem. Scævolam enim ita dicere ajebat, bonam partem ſermonis in hunc diem eſſe dilatam. Hoc ſi tu cupidius factum exiſtimas, Cæſari attribues: ſi familiarius, utrique noſtrûm. nos quidem, niſi fortè moleſti intervenimus, veniſſe delectat.

4 Tum Craſſus, equidem, quæcumque cauſa vos huc attuliſſet, lætarer, cùm apud me viderem homines mihi cariſſimos, & amiciſſimos: ſed tamen verè dicam: quævis mallem fuiſſet, quàm iſta, quam dicis. Ego enim, (ut, quemadmodum ſentio, loquar) numquam mihi minus, quàm heſterno die, placui: magis adeò id *facilitate*, quam alia ulla culpa mea contigit: qui dum obſequor adoleſcentibus, me ſenem eſſe ſum oblitus: fecique id, quod ne adoleſcens quidem feceram, ut iis de rebus, quæ doctrina aliqua continerentur, diſputarem. Sed hoc tamen cecidit mihi peropportunè, quòd, tranſactis jam meis partibus, ad Antonium audiendum veniſtis. Tum Cæſar, Equidem, inquit, Craſſe, ita ſum cupidus te in illa longiore, ac perpetua diſputatione, audiendi, ut, ſi id mihi minus contingat, vel hoc ſim quotidiano tuo ſermone contentus. Itaque experiar equidem illud, ut ne Sulpicius, familiaris meus, aut Cotta, plus quam ego apud te valere videantur, & te exorabo profectò, ut mihi quoque, & Catulo tuæ ſuavitatis aliquid impertias. Sin tibi id minus libebit: non te urgebo, neque committam, ut, dum vereare tu ne ſis ineptus, me eſſe judices. Tum ille, Ego mehercule, inquit Cæſar, ex omnibus Latinis verbis hujus verbi vim vel maximam ſemper putavi. quem enim nos *ineptum* vocamus, is mihi videtur ab hoc nomen habere ductum, quòd non ſit aptus. idque in ſermonis noſtri conſuetudine perlatè patet. Nam qui aut, tempus quid poſtulet, non videt, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorum, quibuſcum eſt, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus eſt, is ineptus eſſe dicitur. Hoc vitio cumulata eſt eruditiſſima illa Græcorum natio. itaque quòd vim hujus mali Græci non vident, ne nomen quidem ei vitio impoſuerunt. ut enim quæras omnia, quomodo Græci ineptum appellent, non reperies. Omnium autem ineptiarum, quæ ſunt innumerabiles, haud ſcio, an ulla ſit major, [2] quàm, ut illi ſolent, quocumque in loco, quoſcumque inter homines viſum eſt, de rebus aut difficillimis, aut non neceſſariis argutiſſimè diſputare. hoc nos ab iſtis adoleſcentibus facere, inviti & recuſantes, heri coacti ſumus. Tum 5

Catulus, Ne Græci quidem, inquit, Craſſe, qui in civitatibus ſuis clari, & magni fuerunt, ſicuti tu es, noſque omnes in noſtra republica volumus eſſe, horum Græcorum, qui ſe *inculcant auribus* noſtris, ſimiles fuerunt: nec tamen in otio ſermones hujuſmodi, diſputationeſque fugiebant. Ac ſi tibi videntur, qui temporis, qui loci, qui hominum rationem non habent, inepti, ſicut debent videri, num tandem aut locus hic non idoneus videtur, in quo porticus hæc ipſa, ubi ambulamus, & palæſtra, & tot locis ſeſſiones, gymnaſiorum, & Græcarum diſputationum memoriam quodammodo commovent? aut importunum tempus in tanto otio, quod & raro datur, & nunc peroptatò nobis datum eſt? aut homines ab hoc genere diſputationis alieni, qui omnes hi ſumus, ut ſine his ſtudiis *nullam vitam* eſſe ducamus: Omnia iſta, inquit Craſſus, ego alio modo interpretor, qui primùm palæſtram, & ſedes, & porticus, etiam ipſos, Catule, Græcos, exercitationis, & delectationis cauſa, non diſputationis inveniſſe arbitror. Nam & ſæculis multis antè gymnaſia inventa ſunt, quàm in his philoſophi garrire cœperunt, & hoc ipſo tempore, cùm omnia gymnaſia philoſophi teneant, tamen eorum auditores *diſcum* audire, quàm philoſophum, malunt: qui ſimul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus, & graviſſimis diſputantem philoſophum omnes [3] unctionis cauſa relinquunt. ita leviſſimam delectationem graviſſimæ, ut ipſi ferunt, utilitati anteponunt. Otium autem quòd dicis eſſe, aſſentior. verùm OTII fructus eſt, non contentio animi, ſed relaxatio. Sæpe 6

ex ſocero meo audivi, cùm is diceret, ſocerum ſuum Lælium ſemper ferè cum Scipione ſolitum ruſticari, eoſque incredibiliter [4] *repueraſcere* eſſe ſolitos, cùm rus ex urbe, tanquam è vinculis, evolaviſſent. Non audeo dicere de talibus viris, ſed tamen ita ſolet narrare Scævola, conchas eos, & umbilicos [5] ad Cajetam, & ad Laurentum legere conſueſſe, & ad omnem animi remiſſionem, ludumque deſcendere. Sic enim ſe res habet, ut, quemadmodum volucreis videmus procreationis, atque utilitatis ſuæ cauſa [6] fingere, & conſtruere nidos, eaſdem autem, cùm aliquid effecerint, levandi laboris ſui cauſa, paſſim ac liberè ſolutas opere volitare: ſic noſtri animi forenſibus negotiis, atque urbano opere defeſſi, geſtiunt, ac volitare cupiunt, vacui cura, atque labore. Itaque illud, quòd ego in cauſa Curiana Scævolæ dixi, non dixi ſecus, ac ſentiebam. Nam ſi, inquam, Scævola, nullum erit teſtamentum rectè factum, niſi quod tu ſcripſeris, omnes ad te cives cum tabulis veniemus; omnium teſtamenta tu ſcribes unus. quid igitur? inquam: quando ages negotium publicum? quando amicorum? quando tuum? quando denique nihil ages? Tum il-

illud

1. *Ita frater exoravit meipſum, &c.*] Pal. *Ita me frater excitavit, ne ipſi quidem, &c.* probem, ſi *ipſi* mutetur in *ipſum*.

2. *Quam, ut illi ſolent, &c.*] Ita editio Victorii, cui accedunt omnes Pall. præter quartum, in quo, *quam, quod illi ſolent*. vulgata, *quam illorum qui ſolent, &c.*

3. *Unctionis cauſa relinquunt.*] Explicat P. Faber lib. II. Agoniſt. c. 4.

4. *Repueraſcere.*] Nihil auſcultandum libris Lambini; natum enim illud *repuereſcere* a vitioſa ſcriptura, *repueſcere*, quæ in Pal. pr. & Memmiano.

5. *Ad Cajetam & ad Laurentum.*] P. Victorius & Manutius: *Lucrinum*. vetuſtior omnis editio *Laurentum*, quod item in pleriſque Pall. nam tert. *Laurentrum*, quart. *Laverentum*. Memmii membranaceus *Lauretum*; quod ſecutus fuit Lambinus. noſtrum firmatur Valerii Maximi libro VIII. cap. 8. ubi videantur Pighii noſtri Notæ.

6. *Fingere & conſtruere nidos.*] Pithœanus amboque Gallicani *effingere*, quod & in Pal. pr. & tert. qui præterea *conſtituere*; alterum tamen reſtat in ceteris omnibus.

1. Doctus

lud addidi. MIHI ENIM LIBER eſſe non videtur, qui non aliquando nihil agit. in qua permaneo, Catule, ſententia, meque, cùm huc veni, hoc ipſum nihil agere, & planè ceſſare delectat. Nam, quòd addidiſti tertium, vos eos eſſe, qui *vitam inſuavem* ſine his ſtudiis putaretis, id me non modò non hortatur ad diſputandum, ſed etiam deterret. Nam ut C. Lucilius, homo [1] doctus, & perurbanus, dicere ſolebat, *ea, quæ ſcriberet*, neque ab indoctiſſimis, neque ab doctiſſimis legi velle; quòd alteri nihil intelligerent, [2] alteri plus fortaſſe, quàm ipſe de ſe: quo etiam ſcripſit, *Perſium non curo legere:* (hic enim fuit, ut noramus, omnium ferè noſtrorum hominum doctiſſimus:) *Lælium, Decimum volo*, quem cognovimus virum bonum, & non illiteratum, ſed nihil ad Perſium: ſic ego, ſi jam mihi diſputandum ſit de his noſtris ſtudiis, nolim equidem apud ruſticos, ſed multo minus apud vos. *malo* enim non intelligi orationem
7 meam quàm reprehendi. Tum Cæſar, Equidem, inquit, Catule, jam mihi videor navaſſe operam, quòd huc venerim. nam hæc ipſa recuſatio diſputationis, diſputatio quædam fuit mihi quidem perjucunda. Sed cur impedimus Antonium, cujus audio eſſe parteis, ut de tota eloquentia diſſerat, quemque jamdudum Cotta, & Sulpicius exſpectant? Ego verò, inquit Craſſus, neque Antonium verbum facere patiar, & ipſe obmuteſcam, niſi prius à vobis impetraro. Quidnam? inquit Catulus. Ut hic ſitis hodie. Tum, cùm ille dubitaret, [3] quòd ad fratrem promiſerat, Ego, inquit Julius, pro utroque reſpondeo: ſic faciemus: atque iſta quidem conditione, vel ut verbum nullum faceres, me teneres. Hîc Catulus arriſit: & ſimul præciſa, inquit, mihi quidem dubitatio eſt, quoniam neque domi imperaram: & hîc apud quem eram futurus, ſine mea ſententia tam facilè promiſit. Tum omnes oculos in Antonium conjecerunt: & ille, Audite verò, audite, inquit. hominem enim audietis de ſchola, atque à magiſtro, & Græcis litteris eruditum. & eo quidem loquar confidentius, quòd Catulus auditor acceſſit: cui non ſolùm nos Latini ſermonis, ſed etiam Græci ipſi ſolent ſuæ linguæ ſubtilitatem, elegantiamque concedere. Sed tamen, quoniam hoc totum, quidquid eſt, ſive artificium, ſive ſtudium dicendi, niſi acceſſit os, nullum poteſt eſſe, *docebo vos, diſcipuli, id, quod ipſe non didici*, quid de omni genere dicendi ſentiam. Hîc poſteaquam arriſerunt, Res mihi videtur eſſe, inquit, facultate præclara, arte mediocris. *Ars* enim, earum rerum eſt, quæ ſciuntur. Oratoris autem omnis actio opinionibus, non ſcientia continetur. Nam & apud eos dicimus, qui neſciunt, & ea dicimus, quæ neſcimus ipſi. itaque & illi aliâs aliud iiſdem de rebus & ſentiunt, & judicant, & nos contrarias ſæpe cauſas dicimus, non modò ut Craſſus contra me dicat aliquando, aut ego contra Craſſum; cùm alterutri neceſſe ſit falſum dicere: ſed etiam ut uterque noſtrûm eadem de re aliâs aliud defendat, cùm plus uno verum eſſe non poſſit. Ut igitur in ejuſmodi re, quæ mendacio nixa ſit, quæ ad ſcientiam non ſæpe perveniat, quæ opiniones hominum, & ſæpe errores aucupetur, ita dicam, ſi cauſam putatis eſſe,
8 cur audiatis. Nos verò, & valde quidem, Catulus inquit, putamus, atque eò magis, quòd nulla mihi oſtentatione videris eſſe uſurus. Exorſus es enim non glorioſe magis, ut tu putas, à veritate, quam à neſcio, qua dignitate. Ut igitur de ipſo genere ſum confeſſus, inquit Antonius, artem eſſe non maximam: ſic illud affirmo, præcepta poſſe quædam dari peracuta ad pertractandos animos hominum, & [4] ad excipiendas eorum voluntates. Hujus rei ſcientiam ſiquis volet *magnam quandam artem* eſſe dicere, non repugnabo. Etenim cùm plerique temerè, ac nulla ratione cauſas in foro dicant, nonnulli autem propter exercitationem, aut propter conſuetudinem aliquam callidius id faciant, non eſt dubium, quin, ſi quis animadverterit, quid ſit, quare alii melius, quàm alii dicant, id poſſit notare. Ergo id qui toto in genere fecerit, is ſi non planè artem, at quaſi artem quandam invenerit. Atque utinam, ut mihi illa videre videor in foro, atque in cauſis: ita nunc, quemadmodum ea reperirentur, [5] poſſem vobis exponere: Sed de me videro: nunc hoc propono, quod mihi perſuaſi, quamvis ars non ſit: tamen NIHIL eſſe perfecto oratore præclarius. nam, ut uſum dicendi omittam, qui in omni pacata, & libera civitate dominatur, tanta oblectatio eſt in ipſa facultate dicendi, ut nihil hominum aut auribus, aut mentibus jucundius percipi poſſit. Qui enim cantus [6] moderatæ orationis pronuntiatione dulcior inveniri poteſt? quod carmen artificioſa verborum concluſione aptius? qui actor [7] in imitanda, quàm orator in ſuſcipienda veritate jucundior? Quid autem ſubtilius, quàm acutæ, crebræque ſententiæ? quid admirabilius, quàm res ſplendore illuſtrata verborum? quid plenius, quàm omni rerum genere cumulata oratio? Neque enim ulla non propria oratoris eſt res, quæ quidem ornatè dici,
graviterque debeat. Hujus eſt in dando conſilio de maxi- 9
mis rebus cum dignitate explicata ſententia: ejuſdem & languentis populi incitatio, & effrenati moderatio. Eadem facultate & fraus hominum ad perniciem, & integritas ad ſalutem vocatur. Quis cohortari ad virtutem ardentius, quis à vitiis acrius revocare, quis vituperare improbos aſperius, quis laudare bonos ornatius, quis cupiditatem vehementius frangere accuſando poteſt? quis mœrorem levare mitius conſolando? *Hiſtoria* verò teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis, qua voce alia, niſi oratoris, immortalitati commendatur? Nam ſi qua eſt ars alia, quæ verborum, aut faciendorum, aut deligendorum ſcientiam profiteatur: ſi quiſquam dicitur, niſi orator, formare orationem, eamque variare, & diſtinguere quaſi quibuſdam verborum ſententiarumque *inſignibus*: aut ſi via ulla, niſi ab hac una arte, traditur, aut argumentorum, aut ſententiarum, aut denique deſcriptionis, atque ordinis: fateamur aut hoc, quod hæc ars profiteatur, alienum eſſe, aut cum aliqua alia arte eſſe commune. ſed ſi in hac una eſt ea ratio, atque doctrina: non ſi qui aliarum artium bene locuti ſunt, eo minus id eſt hujus unius proprium. ſed ut orator de iis rebus, quæ ceterarum artium ſunt, ſi modò eas cognorit, (ut heri Craſſus dicebat) optimè poteſt dicere: ſic ceterarum artium homines ornatius illa ſua dicunt, ſi quid ab hac arte didicerunt. Neque enim ſi de ruſticis rebus agricola quiſpiam, aut etiam id, quod multi, medicus de morbis, aut de pingendo pictor aliquis diſertè dixerit, aut ſcripſerit, idcirco illius artis putanda ſit eloquentia: in qua quia vis magna eſt in hominum ingeniis, eò multi etiam *ſine doctrina* aliquid omnium generum, atque artium conſequuntur: ſed, quid cujuſque ſit proprium, etſi ex eo judicari poteſt, cùm videris, quid quæque doceant, tamen hoc certius nihil eſſe poteſt, quàm quod omnes artes aliæ ſine eloquentia ſuum munus præſtare poſſunt, orator ſine ea nomen ſuum obtinere non poteſt:

1. *Doctus & perurbanus.*] Memm. membranaceo & Pith. item Pal. pr. non adeſt, *doctus &*, poteramuſque eo carere. ſed neque iidem poſtea agnoſcunt, *ea quæ ſcriberent.* meo animo recte.

2. *Alteri plus fortaſſe quam ipſe de ſe: quo etiam ſcripſit.*] Memmii membr. *alteri aliud.* Pith. *alteri alium.* Pal. pr. *alteri aliter*; quod ultimum placet, reſcribendumque certe eorumdem fide, item Memmii præterea chartacei, atque editionis primæ: *quam ipſe. de quo etiam ſcripſit.* nam quæ Lambinus adhuc adtexuit, in nullo ſunt exemplari ſcripto.

3. *Quod ad fratrem promiſerat.*] Miror cur lectionem iſtam vexet Lambinus, reſtantem in omnibus Pall. editionibus.

4. *Ad excipiendas eorum voluntates.*] Nihil muto, Pal. tamen pr. *explendas.* Pith. & Memm. membr. *explendas eorum voluptates.*

5. *Poſſem vobis exponere.*] Iidem tres, *poſſim vobis exquirere.* quemadmodum & ſupra excludunt, *propter exercitationem aut*, quod tamen in Pall. aliis.

6. *Moderatæ orationis pronunciatione dulcior.*] Triga eadem, *moderata oratione dulcior.* ut appareat librarios aliis aliiſque uſos exemplaribus. Pal. tert. habuit a manu prima, *moderatæ orationis dulcior*, ſine verbo altero.

7. *In imitanda, quam orator in ſuſcipienda.*] Tres illi utramque omittunt præpoſitionem; ſecutuſque id eſt Lambinus.

poteſt: ut ceteri, ſi diſerti ſint, aliquid ab hoc habeant:
hic niſi domeſticis ſe inſtruxerit copiis, aliunde dicendi
10 copiam petere non poſſit. Tum Catulus, Etſi, inquit,
Antoni, minimè impediendus eſt interpellatione iſte cur-
ſus orationis tuæ, patiere tamen mihique ignoſces. *Non
enim poſſum, quin exclamem*, ut ait ille in Trinummo:
ita mihi vim oratoris cùm exprimere ſubtiliter viſus es,
tum laudare copioſiſſimè: quod quidem eloquentem vel
optimè facere oportet, ut eloquentiam laudet. debet enim
ad eam laudandam, ipſam illam adhibere, quam lau-
dat. Sed perge porrò: tibi enim aſſentior, veſtrum eſſe
hoc totum, *diſertè dicere*, idque ſiquis in alia arte faciat,
eum aſſumto aliunde uti bono, non proprio, nec ſuo. Et
Craſſus, Nox te, inquit, nobis, Antoni, expolivit, ho-
minemque reddidit. nam heſterno ſermone unius *cujuſ-
dam operis*, ut ait Cæcilius, *remigem aliquem*, *aut bajulum*,
nobis oratorem deſcripſeras, inopem quendam humanita-
tis, [1] atque inurbanum. Tum Antonius, Heri enim, in-
quit, hoc mihi propoſueram, ut, ſi te refelliſſem, hos à
te diſcipulos abducerem: nunc, Catulo audiente, & Cæſa-
re, videor, debere non tam pugnare tecum, quàm, quid
ipſe ſentiam, dicere. Sequitur igitur, quoniam nobis eſt
hic, de quo loquimur, in foro, atque in oculis civium
conſtituendus, ut videamus, quid ei negotii demus, cui-
que eum *muneri* velimus eſſe præpoſitum. Nam Craſſus
heri, cum vos Catule, & Cæſar, non adeſſetis, poſuit bre-
viter in artis diſtributione idem, quod Græci plerique po-
ſuerunt: neque ſanè quid ipſe ſentiret, ſed quid ab illis di-
ceretur, oſtendit: duo prima genera quæſtionum eſſe, in
quibus eloquentia verſaretur: unum infinitum, alterum
certum. *Infinitum* mihi videbatur id dicere, in quo ali-
quid generatim quærere tur, hoc modo: Expetendane eſſet
eloquentia: expetendine honores. *Certum* autem, in quo
quid in perſonis, & in conſtituta re & definita quærere-
tur: cujuſmodi ſunt quæ in foro, atque in civium cauſis,
diſceptationibuſque verſantur. Ea mihi videntur aut [2] in
lite ordinanda, aut in conſilio dando eſſe poſita. nam illud
tertium, quod & à Craſſo tactum eſt, &, ut audio, ille
ipſe Ariſtoteles, qui hæc maximè illuſtravit, adjunxit,
11 etiam ſi opus eſt, tamen minus eſt neceſſarium. Quidnam?
inquit Catulus, an *laudationes*? id enim video poni genus
tertium. Ita, inquit Antonius, & in eo quidem genere ſcio
& me, & omneis, qui affuerunt, delectatos eſſe vehemen-
ter, cùm abs te eſt Popilia, mater veſtra, laudata: cui pri-
mùm *mulieri* hunc honorem in noſtra civitate tributum
puto: ſed non omnia, quæcumque loquimur, mihi viden-
tur ad artem, & ad præcepta eſſe revocanda. Ex his enim
fontibus, unde omnia ornatè dicendi præcepta ſumuntur,
licebit etiam laudationem ornare, neque illa elementa de-
ſiderare, quæ ut nemo tradat, quis eſt, qui neſciat, quæ
ſint in homine laudanda? poſitis enim iis rebus, quas Craſ-
ſus in illius orationis ſuæ, quam contra collegam cenſor
habuit principio dixit, QUÆ NATURA, aut fortuna da-
rentur hominibus, in iis rebus ſe vinci poſſe animo æquo
pati: quæ ipſi ſibi homines parare poſſent, in iis rebus ſe
pati vinci, non poſſe: qui laudabit quempiam, intelliget,
exponenda ſibi eſſe *fortunæ bona*. Ea ſunt, generis, pecu-
niæ, propinquorum, amicorum, opum, valetudinis, for-
mæ, virium, ingenii, ceterarumque rerum, quæ ſunt aut
corporis, aut extraneæ: ſi habuerit, bene his uſum: ſi non
habuerit, [3] ſapienter caruiſſe: ſi amiſerit, moderatè tuliſſe.
Deinde quid ſapienter is, quem laudet, quid liberaliter,
quid fortiter, quid juſtè, quid magnificè, quid piè, quid
gratè, quid humaniter, quid denique cum aliqua virtute
aut fecerit, aut tulerit. Hæc, & quæ ſint ejus generis, faci-
lè videbit, qui volet laudare quempiam: & qui vituperare,
contraria. Cur igitur dubitas, inquit Catulus, facere hoc
tertium genus, quoniam ineſt in ratione rerum? non enim,
ſi eſt faciliùs, eo de numero quoque eſt excerpendum.
Quia nolo, inquit, omnia, quæ cadunt aliquando in ora-
torem, quamvis exigua ſint, ea ſic tractare, quaſi nihil poſ-
ſit dici ſine præceptis ſuis. Nam & *teſtimonium* ſæpe dicen-
dum eſt, ac nonnumquam etiam accuratiùs, ut mihi ne-
ceſſe fuit in Sex. Titium, ſeditioſum civem, & turbulen-
tum: explicavi in eo teſtimonio dicendo, omnia conſilia
conſulatus mei, quibus illi tribuno plebis pro republica
reſtitiſſem, quæque ab eo contra rempublicam facta arbi-
trarer, expoſui. diu retentus ſum, multa audivi, multa re-
ſpondi. Num igitur placet, cùm de eloquentia præcipias,
aliquid etiam de teſtimoniis dicendis, quaſi in arte tradere?
Nihil ſanè, inquit Catulus, neceſſe eſt. Quid ſi (quod ſæpe 12
ſummis viris accidit) mandata ſint exponenda, aut in ſena-
tu ab imperatore, aut ad imperatorem, aut ad regem, aut
populum aliquem à ſenatu? num quia genere orationis in
hujuſmodi cauſis accuratiore eſt utendum, idcircò pars
etiam hæc cauſarum numeranda videtur, aut propriis præ-
ceptis inſtruenda? Minimè verò, inquit Catulus. non enim
deerit homini diſerto in ejuſmodi rebus facultas, ex cete-
ris rebus, & cauſis comparata. Ergo item, inquit ille,
quæ ſæpe diſertè agenda ſunt, & quæ ego paullo antè, (cùm
eloquentiam laudarem) dixi oratoris eſſe, neque habent
ſuum locum ullum in diviſione partium, neque certum
præceptorum genus, & agenda ſunt non minùs diſertè,
quàm quæ in lite dicuntur, objurgatio, cohortatio, conſo-
latio: quorum nihil eſt, quod non ſumma dicendi orna-
menta deſideret: ſed ex artificio res iſtæ præcepta non quæ-
runt. Planè, inquit, Catulus, aſſentior. Age verò, inquit
Antonius, qualis oratoris, & quanti hominis in dicendo
putas eſſe hiſtoriam ſcribere? [4] Si, ut Græci ſcripſerunt,
ſummi, inquit Catulus: ſi, ut noſtri, nihil opus eſt orato-
re. ſatis eſt non eſſe *mendacem*. Atqui, ne noſtros contem-
nas, inquit Antonius, Græci quoque ſic initiò ſcriptitarunt,
ut noſter Cato, ut Pictor, ut Piſo. Erat enim hiſtoria nihil
aliud, niſi annalium confectio: cujus rei, memoriæque
publicæ retinendæ cauſa, ab initio rerum Romanarum uſ-
que ad P. Mucium, pontificem maximum, res omneis ſin-
gulorum annorum mandabat literis pontifex maximus,
efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, pote-
ſtas ut eſſet populo cognoſcendi, ii qui etiam nunc *Anna-
les maximi* nominantur. Hanc ſimilitudinem ſcribendi
multi ſecuti ſunt, qui ſine ullis ornamentis monumenta
ſolùm temporum, hominum, locorum, geſtarumque re-
rum reliquerunt. Itaque qualis apud Græcos Pherecydes,
Hellanicus, Acuſilas fuit, aliique permulti; talis noſter
Cato, & Pictor, & Piſo, qui neque tenent, quibus rebus
ornatur oratio (modò enim huc iſta ſunt importata) &,
dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem pu-
tant eſſe, *brevitatem*. Paullulum ſe erexit, & addidit hi-
ſtoriæ majorem ſonum vocis vir optimus, Craſſi familiaris,
Antipater: ceteri non exornatores rerum, ſed tantummodò
narratores fuerunt. Eſt, inquit Catulus, ut dicis: ſed iſte 13
ipſe Cœlius neque diſtinxit hiſtoriam varietate locorum,
neque verborum collocatione; & tractu orationis leni, &
æquabili perpolivit illud opus: ſed ut homo neque doctus,
neque maximè aptus ad dicendum, ſicut potuit, dolavit:
vicit tamen, ut dicis, ſuperiores. Minimè mirum, inquit
Antonius, ſi iſta res adhuc noſtra lingua illuſtrata non eſt.
Nemo enim ſtudet eloquentiæ noſtrorum hominum, niſi
ut in cauſis, atque in foro eluceat: apud Græcos autem elo-
quentiſſimi homines, remoti à cauſis forenſibus, cùm ad
ceteras

1. *Atque inurbanum.*] Sic Pall. ſeptem, Pith. & Memmii chart. at ejuſdem membr. item Pal. pr. habent illud Lambinianorum codicum, *urbanum*, quod ultimum retinet Gulielmius, adducitque illud Varronis lib. 1. de re ruſt. cap. 2. *à recentibus urbanis.*

2. *In lite ordinanda.*] Ita Pall. præter prim. & Pith. & Memm. membr. qui *ornanda*. Gulielmius emendabat *oranda*.

3. *Sapienter caruiſſe.*] Lambinus quidem *patienter*, ſed nolentibus mſſ. neque neceſſario, quidquid dicat.

4. *Si ut Græci, &c.*] Eſt a Pall. noſtris poſterioribus, admiſitque item Victorius. nam priores, *Sicut, &c.* ut vulgata.

ceteras res illuſtreis, tum *ad ſcribendam hiſtoriam* maximè
ſe applicaverunt. Namque & Herodotum illum, qui prin-
ceps genus hoc ornavit, in cauſis nihil omnino verſatum
eſſe accepimus. atqui tanta eſt eloquentia, ut me quidem,
quantum ego Græcè ſcripta intelligere poſſum, magnopere
delectet. Et poſt illum Thucydides omneis dicendi artifi-
cio, mea ſententia, facilè vicit: qui ita creber eſt rerum
frequentia, ut verborum propè numerum *ſententiarum* nu-
mero conſequatur: ita porrò verbis aptus, & preſſus, ut
neſcias, utrùm res oratione, an verba ſententiis illuſtren-
tur. Atqui ne hunc quidem, quamquam eſt in republica
verſatus, ex numero accepimus eorum, qui cauſas dicti-
tarunt: & hos libros tum ſcripſiſſe dicitur, cùm à republica
remotus, atque, id quod *optimo cuique* Athenis accidere ſo-
litum eſt, in exſilium pulſus eſſet. Hunc conſecutus eſt
Syracuſius Philiſtus, qui cùm Dionyſii tyranni familiariſſi-
mus eſſet, otium ſuum conſumſit in hiſtoria ſcribenda,
maximeque Thucydidem eſt, ſicut mihi videtur, imita-
tus. Poſtea verò, quaſi ex clariſſima rhetoris *officina*, duo
præſtantes ingenio, Theopompus, & Ephorus, ab Iſo-
crate magiſtro impulſi, ſe ad hiſtoriam contulerunt: cauſas
14 omnino numquam attigerunt. Denique etiam à philoſo-
phia profectus princeps Xenophon, Socraticus ille, pòſt ab
Ariſtotele Calliſthenes, comes Alexandri, ſcripſit hiſto-
riam: & hic quidem rhetorico pænè more: ille autem ſu-
perior, leniore quodam ſono eſt uſus: & qui illum impe-
tum oratoris non habeat, vehemens fortaſſe minus, ſed
aliquanto tamen eſt, ut mihi quidem videtur, dulcior. Mi-
nimus natu horum omnium Timæus, quantum autem ju-
dicare poſſum, longè eruditiſſimus, & rerum copia, &
ſententiarum varietate abundantiſſimus, & ipſa compoſi-
tione verborum non impolitus, magnam eloquentiam ad
ſcribendum attulit, ſed nullum uſum forenſem. Hæc cùm
ille dixiſſet: Quid eſt, inquit, Catule, Cæſar? ubi ſunt,
qui Antonium Græcè negant ſcire? quot hiſtoricos nomi-
navit? quàm ſcienter? quam propriè de uno quoque dixit?
Id mehercule, inquit Catulus, admirans, illud jam mirari
deſino, quod multo magis ante mirabar, hunc, cùm hæc
neſciret, in dicendo poſſe tantum. Atqui, Catule, inquit
Antonius, non ego utilitatem aliquam ad dicendum aucu-
pans, horum libros, & nonnullos alios, ſed *delectationis
cauſa*, cùm eſt otium, legere ſoleo. Quid ergo eſt? fatebor;
aliquid tamen: ut, CUM in ſole ambulem, etiam ſi aliam
ob cauſam ambulem, fieri natura tamen, ut colorer: ſic,
cùm iſtos libros ad Miſenum (nam Romæ vix licet) ſtudio-
ſiùs legerim, ſentio orationem meam illorum [1] cantu quaſi
colorari. Sed ne latiùs hoc vobis patere videatur, hæc dun-
taxat in Græcis intelligo, quæ ipſi, qui ſcripſerunt, volue-
runt à vulgo intelligi. In philoſophos veſtros ſi quando in-
cidi, DECEPTUS INDICIBUS librorum, quòd ſunt ferè
inſcripti de rebus notis, & illuſtribus, de virtute, de juſti-
tia, de honeſtate, de voluptate, verbum prorſus nullum
intelligo: ita ſunt anguſtis, & conciſis diſputationibus illi-
gati. *Poetas* omninò, quaſi alia quadam lingua locutos, non
conor attingere. cum his me (ut dixi) oblecto, qui res ge-
ſtas, aut qui orationes ſcripſerunt ſuas, aut qui ita loquun-
tur, ut videantur voluiſſe eſſe nobis, qui non ſumus erudi-
15 tiſſimi, familiares. Sed illuc redeo. Videtiſne, quantum
munus ſit oratoris hiſtoria? haud ſcio, an flumine oratio-
nis, & varietate maximum. neque tamen eam reperio uſ-
quam ſeparatim inſtructam rhetorum præceptis. ſita ſunt
enim ante oculos. Nam quis neſcit, PRIMAM eſſe hiſto-
riæ legem, nequid falſi dicere audeat? deinde nequid verè
non audeat? nequa ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo? nequa
ſimultatis? Hæc ſcilicet fundamenta, nota ſunt omnibus.
Ipſa autem exædificatio, poſita eſt in rebus, & verbis. Re-
rum ratio ordinem temporum deſiderat, regionum deſcri-
ptionem: vult etiam, quoniam in rebus magnis, memo-
riaque dignis conſilia primùm, deinde acta, poſtea even-
tus exſpectantur, & de conſiliis ſignificari quid ſcriptor
probet, & in rebus geſtis declarari non ſolùm quid actum,
aut dictum ſit, ſed etiam quomodo: & cùm de *eventu* di-
catur, ut cauſæ explicentur omnes, vel caſus, vel ſapien-
tiæ, vel temeritatis: hominumque ipſorum non ſolùm res
geſtæ, ſed etiam, qui fama, ac nomine excellant, de cu-
juſque vita, atque natura. Verborum autem ratio, & ge-
nus orationis, fuſum atque tractum & cum lenitate quadam
æquabili profluens, ſine hac judiciali aſperitate, & ſine
ſententiarum forenſium aculeis perſequendum eſt. Ha-
rum tot, tantarumque rerum videtiſne nulla eſſe præce-
pta, quæ in artibus rhetorum reperiantur? In eodem ſi-
lentio multa alia oratorum officia jacuerunt, cohortationes,
conſolationes, [2] præcepta, admonita, quæ tractanda ſunt
omnia diſertiſſimè: ſed locum ſuum in illis artibus, quæ
traditæ ſunt, habent nullum. Atque in hoc genere illa quo-
que eſt infinita ſilva, quòd oratori plerique (ut etiam Craſſus
oſtendit) duo genera ad dicendum dederunt: Unum de
certa, definitaque cauſa, quales ſunt, quæ in litibus, quæ in
deliberationibus verſantur. addat, ſiquis volet, etiam lau-
dationis; Alterum, quod appellant omnes ferè ſcriptores,
explicat nemo, infinitam generis ſine tempore, & ſine per-
ſona, quæſtionem. hoc quid, & quantum ſit, cùm dicunt,
intelligere mihi non videntur. Si enim eſt oratoris, quæ-
cumque res infinite poſita ſit, de ea poſſe dicere, dicendum
erit ei, quanta ſit [3] ſolis magnitudo, quæ forma terræ: de
mathematicis, de muſicis rebus non poterit, quin dicat, hoc
onere ſuſcepto, recuſare. Denique ei, qui profitetur eſſe
ſuum, non ſolùm de iis controverſiis, quæ temporibus, [4] &
perſonis notæ ſunt, hoc eſt, de omnibus forenſibus: ſed
etiam de generum infinitis quæſtionibus dicere, nullum
poteſt eſſe genus orationis, quod ſit exceptum. Sed ſi illam 16
quoque partem quæſtionum [5] oratori volumus adjungere
vagam, & liberam, & latè patentem, ut de rebus bonis, aut
malis: expetendis, aut fugiendis: honeſtis, aut turpibus:
utilibus, aut inutilibus: de virtute, de juſtitia, de conti-
nentia, de prudentia, de magnitudine animi, de liberalita-
te, de pietate, de amicitia, de fide, de officio, de ceteris vir-
tutibus, contrariiſque vitiis, dicendum oratori putemus:
itemque de republica, de imperio, de re militari, de diſci-
plina civitatis, de hominum moribus: aſſumamus eam
quoque partem, ſed ita, ut ſit *circumſcripta* modicis regio-
nibus. Equidem omnia, quæ pertinent ad uſum civium,
morem hominum, quæ verſantur in conſuetudine vitæ, in
ratione reipublicæ, in hac ſocietate civili, in ſenſu homi-
num communi, in natura, in moribus, comprehendenda
eſſe oratori puto: ſi minus ut ſeparatim de his rebus philo-
ſophorum more reſpondeat; at certè, ut in cauſa prudenter
poſſit intexere: hiſce autem ipſis de rebus ut ita loquatur,
ut ii, qui jura, qui leges, qui civitates conſtituerunt, locuti
ſunt, ſimpliciter & ſplendidè, [6] ſine ulla ſerie diſputatio-
num, & ſine jejuna concertatione verborum. Hoc loco, ne-
qua ſit admiratio, ſi tot, tantarumque rerum [7] nulla à me
præ-

1. *Cantu quaſi colorari.*] Mire dictum, nihil tamen variant Pall. niſi quod primus præferat *cantum*; quintus verò totum iſtud omiſerit; habeatque *ſentio orationem meam illorum. Sed ne, &c.* quod examinabunt Ciceronis amatores. nam plura ſanè ei adficta ſunt, quam vulgus putet. Sic ſupra, ubi eſt, *ſtudioſius legerim*, eſt in libris noſtris *legero*, eſt *legerem*, eſt *legere*: ut ſuſpicer fere, duas eas voces additas à librariorum manu.

2. *Præcepta, admonita.*] Lambinus publicavit, *monita.* verum retinent alterum omnes membranæ. Gulielmius conjiciebat, *aut monita.* non inepte.

3. *Solis magnitudo.*] Pal. pr. ſec. item Memmii membranaceus ac Pith. *ſolis plenitudo.*

4. *Perſonis notæ ſunt.*] Sic Lambinus, libris ut ait reclamantibus. non ſequor.

5. *Oratori volumus adjungere.*] Pal. pr. *oratoris eſſe volumus, adjungemus.* & verò illud *adjungamus*, exſtat item in Pal. ſec. & Pith. nam Memm. membran. *adjungamus.*

6. *Sine ulla ſerie diſputationum, &c.*] Quinque hæ voces non conſpiciuntur in Pall. duobus illis, aut alterutro Gallicano.

7. *Nulla à me præcepta ponentur.*] Quadriga eadem *putentur.*

1. *Poſſe*

præcepta ponentur: ſic ſtatuo, ut in ceteris artibus cùm tradita ſunt cujuſque artis *difficillima*, reliqua, quia aut faciliora, aut ſimilia ſint, tradi non neceſſe eſt: ut in pictura, qui hominis ſpeciem pingere perdidicerit, [1] poſſe eum cujuſvis vel formæ, vel ætatis, etiamſi non didicerit, pingere: neque eſſe periculum, qui leonem, aut taurum pingat egregiè, ne idem in multis aliis quadrupedibus facere non poſſit: NEQUE EST omnino ars ulla, in qua omnia, quæ illa arte effici poſſunt, à doctore tradantur: ſed qui primarum & certarum rerum genera ipſa didicerunt, reliqua non incommodè perſequuntur: [2] ſimiliter arbitror, in hac ſive ratione, ſive exercitatione dicendi, qui illam vim adeptus ſit, ut eorum menteis, qui aut de rep. aut de ipſius rebus, aut de iis, contra quos, aut pro quibus dicat, cum aliqua ſtatuendi poteſtate audiant, ad ſuum arbitrium movere poſſit, hunc de toto illo genere reliquarum orationum non plus quæſiturum eſſe quid dicat, quàm Polycletum illum, cùm Her-
17 culem fingebat, quemadmodum pellem, aut hydram fingeret, etiam ſi hæc nunquam ſeparatim facere didiciſſet. Tum Catulus: Præclarè mihi videris, Antoni, poſuiſſe ante oculos, quid diſcere oporteret eum, qui orator eſſet futurus, [3] quid etiam ſi non didiciſſet, ex eo, quod didiciſſet, aſſumeret. deduxiſti enim totum hominem in duo ſolùm genera cauſarum, cetera innumerabilia exercitationi, & ſimilitudini reliquiſti. Sed videto, ne in iſtis duobus generibus hydra tibi ſit, & pellis: Hercules autem, & alia opera majora, ne in illis rebus, quas prætermittis, relinquantur. Non enim mihi minus operis videtur de univerſis generibus rerum, quàm de ſingulorum cauſis, ac multo etiam majus de natura deorum, quàm de hominum litibus dicere. Non eſt ita, inquit Antonius. dicam enim tibi Catule, non tam doctus, quàm (id quod eſt majus) *expertus*. Omnium ceterarum rerum oratio, mihi crede, ludus eſt homini non hebeti, neque inexercitato, neque communium litterarum, & politioris humanitatis experti. in cauſarum contentionibus magnum eſt quoddam opus, atque haud ſciam, an de humanis operibus longe maximum: in quibus vis oratoris plerumque ab imperitis *exitu*, *& victoria* judicatur, ubi adeſt armatus adverſarius, qui ſit & feriendus, & repellendus: ubi ſæpe is, qui rei dominus futurus eſt, alienus, atque iratus, aut etiam amicus adverſario, & inimicus tibi eſt, cùm aut docendus is eſt, aut dedocendus, aut reprimendus, aut incitandus, aut omni ratione ad tempus, ad cauſam oratione moderandus: in quo ſæpe benivolentia ad odium, odium autem ad benivolentiam deducendum eſt: qui tanquam machinatione aliqua, tum ad ſeveritatem, tum ad remiſſionem animi, tum ad triſtitiam, tum ad lætitiam eſt contorquendus. Omnium ſententiarum gravitate, omnium verborum ponderibus eſt utendum. accedat oportet *actio* varia, vehemens, plena animi, plena ſpiritus, plena doloris, plena veritatis. In his operibus ſiquis illam artem comprehenderit, ut, tanquam Phidias, Minervæ ſignum efficere poſſit: non ſanè, quemadmodum in clypeo idem
18 ille artifex minora illa opera facere diſcat, laborabit. Tum Catulus: Quo iſta majora, ac mirabiliora feciſti, eo me major exſpectatio tenet; quibuſnam rationibus, quibuſve præceptis ea tanta vis comparetur, non quò mea quidem jam interſit (neque enim ætas id mea deſiderat, & aliud quoddam genus dicendi nos ſecuti ſumus, qui numquam ſententias de manibus judicum, vi quadam orationis extorſimus, ac potius placatis eorum animis, tantum, quantum ipſi patiebantur, accepimus) ſed tamen iſta tua, nullum ad uſum meum, tantum *cognoſcendi ſtudio* adductus requiro. Nec mihi opus eſt Græco aliquo doctore, qui mihi pervulgata præcepta decantet, cùm ipſe numquam forum, numquam ullum judicium adſpexerit; ut Peripateticus ille dicitur Phormio: cùm Hannibal Carthagine expulſus, Epheſum ad Antiochum veniſſet exſul: proque eo, quòd ejus nomen erat magna apud omneis gloria, invitatus eſſet ab hoſpitibus ſuis, ut eum, quem dixi, ſi vellet, audiret: cumque ſe non nolle dixiſſet, locutus eſſe dicitur homo copioſus aliquot horas de imperatoris officio, & de omni re militari. Tum, cùm ceteri, qui illum audierant, vehementer eſſent delectati, quærebant ab Hannibale, quidnam ipſe de illo philoſopho judicaret. hìc Pœnus, non optimè Græcè, ſed tamen liberè reſpondiſſe fertur, multos ſe deliros ſenes ſæpe vidiſſe: ſed qui magis, [4] quàm Phormio, deliraret, vidiſſe neminem. Neque mehercule injuria. quid enim aut *arrogantius*, aut *loquacius* fieri potuit, quàm Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo Romano omnium gentium victore certaſſet, Græcum hominem, qui numquam hoſtem, numquam caſtra vidiſſet, numquam denique minimam partem ullius publici muneris attigiſſet, præcepta de re militari dare? Hoc mihi facere omnes iſti, qui de arte dicendi præcipiunt, videntur. quod enim ipſi experti non ſunt, id docent ceteros. ſed hoc minus fortaſſe errant, quod non te, ut Hannibalem, ſed pueros, aut adoleſcentulos docere conantur. Erras Catule, inquit Antonius. nam ego- 19
met in multos jam Phormiones incidi. Quis enim eſt iſtorum Græcorum, qui quemquam noſtrûm quidquam intelligere arbitretur? Ac mihi quidem non ita moleſti ſunt, facilè omneis perpetior, & perfero. nam aut aliquid afferunt, quod mihi non diſpliceat: aut efficiunt, ut me non didiciſſe *minus pœniteat*. dimitto autem eos non tam contumelioſe, quàm philoſophum illum Hannibal, & eo fortaſſe plus habeo etiam negotii: ſed tamen eſt eorum doctrina, quantum ego judicare poſſum, perridicula. Dividunt enim totam rem in duas parteis, in cauſæ controverſiam, & in quæſtionis. Cauſam appellant, rem poſitam in diſceptatione rerum, & controverſia: Quæſtionem autem, [5] rem poſitam, in infinita dubitatione. De cauſa præcepta dant: de altera parte dicendi mirum ſilentium eſt. Denique quinque faciunt quaſi membra eloquentiæ, invenire quid dicas, inventa diſponere, deinde ornare verbis, poſt memoriæ mandare, tum ad extremum agere, ac pronuntiare: rem ſanè non reconditam. Quis enim hoc non ſua ſponte viderit, neminem poſſe aptè dicere, niſi & quid diceret, & quibus verbis, & quo ordine diceret, haberet & ea meminiſſet? Atque hæc ego non reprehendo: ſed ante oculos poſita eſſe dico, ut eas item quattuor, quinque, ſexve parteis, vel etiam ſeptem (quoniam aliter ab aliis digeruntur) in quas eſt ab his omnis oratio diſtributa. Jubent enim *exordiri* ita, ut eum, qui audiat, benevolum nobis faciamus, & docilem, & attentum: Deinde rem *narrare*, ita ut veriſimilis narratio ſit, ut aperta, ut brevis: Poſt autem *dividere* cauſam, aut proponere: noſtra confirmare argumentis, ac rationibus: deinde contraria refutare. Tum autem alii concluſionem orationis, & quaſi *perorationem* collocant: alii jubent, antequàm peroretur, ornandi, aut augendi cauſa, digredi: deinde concludere, ac perorare. Ne hæc quidem reprehendo. ſunt enim concinnè diſtributa: ſed tamen, id quod neceſſe fuit hominibus expertibus veritatis, non peritè. Quæ enim præcepta principiorum, & narrationum eſſe voluerunt, ea in totis orationibus ſunt conſervanda. Nam ego mihi benevolum judicem facilius facere poſſum in curſu orationis, quàm cùm omnia ſunt inaudita: docilem autem, non cùm polli-

1. *Poſſe eum cujuſvis.*] Lambini lectio, quam libris acceptam fert; non comparet in Gallicanis Gulielmii, aut Palat. meis novem.

2. *Similiter arbitror.*] Memmii chartaceo abeſt *arbitror*, Gulielmio volente.

3. *Quid etiam ſi non, &c.*] Ita mſſ. omnes, & editio Victorii, imò adeo primitus cuii: ne id, cum Lambino, Roberto forte Stephano imputemus.

4. *Quam Phormio deliraret.*] Pall. duo & Pith. item Memm. *delectaret*. neque ab eo abhorruiſſe videtur Gulielmius.

5. *Rem poſitam in infinita dubitatione.*] Stant ab hac lectione Pall. poſteriores. primus habet, *rem poſitam in infinita diviſionis dubitatione*. ſecund. *rem poſitam infinitam diviſionis dubitatione*; quomodo & Pith. nam Memmianus *infinitam dictionis dubitatione*. Lambinus exhibuit nobis, *in diſceptatione finita rerum controverſarum*. unde id ſumpſerit, ne meminit quidem verbulo.

polliceor me demonſtraturum, ſed tum, cùm doceo, & explano: attentum verò, crebrò tota actione excitandis mentibus judicum, non prima denuntiatione efficere poſſumus. Jam verò narrationem quòd jubent veriſimilem eſſe, & apertam, & brevem, rectè nos admonent. quod hæc narrationis magis putant eſſe propria, quàm totius orationis, valde mihi videntur errare. omninoque in hoc omnis eſt error, quòd exiſtimant, *artificium* eſſe hoc quoddam non diſſimile ceterorum, cujuſmodi de ipſo jure civili heſterno die Craſſus componi poſſe dicebat: ut genera rerum primùm exponerentur, in quo vitium eſt, ſi genus ullum prætermittatur: deinde ſingulorum generum partes, in quo & deeſſe aliquam partem, & ſuperare, mendoſum eſt: tum verborum omnium definitiones, in quibus neque abeſſe
20 quidquam decet, neque redundare. Sed hoc ſi in jure civili, ſi etiam in parvis, aut mediocribus rebus doctiores aſſequi poſſunt: non idem ſentio tanta hac in re, tamque immenſa poſſe fieri. Sin autem qui arbitrantur: deducendi ſunt ad eos, qui hæc docent. omnia jam explicata, & perpolita aſſequentur. Sunt enim innumerabiles de his rebus libri, neque abditi, neque obſcuri. Sed videant, quid velint, ad ludendumne, an ad pugnandum arma ſint ſumturi. *Aliud* enim pugna, & acies: aliud ludus, campuſque noſter deſiderat. Attamen ars ipſa ludicra armorum, & gladiatori, & militi prodeſt aliquid: ſed animus acer, & præſens, & acutus idem atque verſutus invictos viros efficit, non difficilius arte conjuncta. Quare ego tibi oratorem ſic jam inſtituam, ſi potuero, ut quid efficere poſſit, antè perſpiciam. Sit enim mihi [1] *tinctus litteris*; audierit aliquid, legerit, iſta ipſa præcepta acceperit: tentabo quid deceat, quid voce, quid viribus, quid ſpiritu, quid lingua efficere poſſit. Si intelligam poſſe ad ſummos pervenire: non ſolùm hortabor, ut elaboret, ſed etiam, ſi vir quoque mihi bonus videbitur, obſecrabo. tantum ego in excellente oratore, & eodem viro bono, pono eſſe ornamenti univerſæ civitati. Sin videbitur, cùm omnia ſumma fecerit, tamen ad mediocreis oratores eſſe venturus: permittam ipſi, quid velit; moleſtus magnopere non ero. Sin planè abhorrebit, & erit abſurdus: ut ſe contineat, aut ad aliud ſtudium transferat, admonebo. nam neque is, qui optimè poteſt, deſerendus ullo modo eſt à cohortatione noſtra; neque is, qui aliquid poteſt, deterrendus: quòd alterum, *divinitatis* mihi cujuſdam videtur: alterum, vel non facere quod non optimè poſſis, vel facere quod non peſſimè facias, *humanitatis*: tertium verò illud, clamare contrà quàm deceat, & quàm poſſit, hominis eſt, ut tu, Catule, [2] de quodam declamatore dixiſti, ſtultitiæ ſuæ quàmplurimos teſteis domeſtico præconio colligentis. De hoc igitur, qui erit talis, ut cohortandus, adjuvanduſque ſit, ita loquamur, ut ei tradamus ea duntaxat, quæ nos uſus docuit, ut nobis ducibus veniat eò, quo ſine duce ipſi pervenimus, quoniam meliora docere
21 non poſſumus. Atque, ut à familiari noſtro exordiar, hunc ego, Catule, Sulpicium, primùm in cauſa parvula adoleſcentulum audivi, voce, & forma, & motu corporis, & reliquis rebus aptum ad hoc munus, de quo quærimus: oratione autem celeri & concitata, (quod erat ingenii:) & verbis efferveſcentibus, & paullo nimiùm redundantibus, (quod erat ætatis:) non ſum aſpernatus. Volo enim ſe *efferat in adoleſcente fæcunditas*. nam facilius, ſicut in vitibus, [3] revocantur ea, quæ ſeſe nimium profuderunt, quàm ſi nihil valet materies, nova ſarmenta cultura excitantur. ita volo eſſe in adoleſcente, unde aliquid amputem. NON ENIM POTEST in eo eſſe ſuccus diuturnus, quod nimis celeriter eſt maturitatem aſſecutum. Vidi ſtatim indolem, neque dimiſi tempus, & eum ſum cohortatus, ut forum ſibi ludum putaret eſſe ad diſcendum: magiſtrum autem, quem vellet, eligeret: me quidem ſi audiret, L. Craſſum. quod iſte arripuit, & ita ſeſe facturum confirmavit, atque etiam addidit, gratiæ ſcilicet cauſa, me quoque ſibi magiſtrum futurum. Vix annus interceſſerat ab hoc ſermone cohortationis meæ, cùm iſte accuſavit C. Norbanum, defendente me. non eſt credibile, quid intereſſe mihi ſit viſum inter eum, qui tum erat, & qui anno ante fuerat. omnino in illud genus eum Craſſi magnificum, atque præclarum *natura* ipſa ducebat: ſed ea non ſatis proficere potuiſſet, niſi eodem, [4] ſtudio, atque imitatione incidiſſet, atque ita dicere conſueſſet, ut tota mente Craſſum, atque omni animo in-
tueretur. Ergo hoc ſit primum in præceptis meis, ut de- 22
monſtremus, quem imitetur, atque ita, ut, quæ maximè excellant in eo, quem imitabitur, ea diligentiſſimè perſequatur. tum accedat exercitatio, qua illum, quem antè delegerit, imitando effingat, atque ita exprimat, non ut multos imitatores ſæpe cognovi, qui aut ea, quæ facilia ſunt, aut etiam illa, quæ inſignia, ac pænè *vitioſa*, conſectantur imitando. Nihil eſt facilius, quàm amictum imitari alicujus, aut ſtatum, aut motum. Si verò etiam vitioſe aliquid eſt, id ſumere, & in eo vitioſum eſſe, non magnum eſt, ut ille, qui nunc etiam, amiſſa voce, [5] furit in rep. Fuſius, nervos in dicendo C. Fimbriæ, quos tamen habuit ille, non aſſequitur: oris pravitatem, & verborum latitudinem imitatur. ſed tamen ille nec deligere ſcivit, cujus potiſſimùm ſimilis eſſet, & in eo ipſo, quem delegerat, imitari etiam vitia voluit. Qui autem ita faciet, ut oportet, primùm vigilet neceſſe eſt in deligendo: deinde, quem probavit, in eo, quæ maximè excellent, ea diligentiſſimè perſequatur. Quid enim cauſæ cenſetis eſſe, cur *ætates* extulerint ſingulæ ſingula propè genera dicendi? quod non tam facilè in noſtris oratoribus poſſumus judicare; quia ſcripta, ex quibus judicium fieri poſſet, non multa ſanè reliquerunt, quàm in Græcis: ex quorum ſcriptis, cujuſque ætatis quæ dicendi ratio, voluntaſque fuerit, intelligi poteſt. Antiquiſſimi ferè ſunt, quorum quidem ſcripta conſtent, Pericles, atque Alcibiades, & eadem ætate Thucydides, ſubtiles, acuti, breves; ſententiis magis, quàm verbis abundantes. Non potuiſſet accidere, ut unum eſſet omnium genus, niſi aliquem ſibi proponerent ad *imitandum*. Conſecuti ſunt hos Critias, Theramenes, Lyſias. multa Lyſiæ ſcripta ſunt, nonnulla Critiæ, de Theramene audivimus. omnes etiam tum retinebant illum [6] Pericli ſuccum, ſed erant paullo uberiore filo. Ecce tibi exortus eſt Iſocrates, magiſter iſtorum omnium, cujus è ludo, tanquam ex *equo Trojano*, [7] meri principes exierunt: ſed eorum partim in pompa, partim in acie illuſtres eſſe voluerunt. Itaque & illi, Theopompi, Ephori, Philiſti, Naucratæ, multique alii naturis differunt: voluntate autem [8] ſimiles ſunt, & inter ſeſe magiſtri: & ii, qui ſe ad cauſas contulerunt, ut Demoſthenes, Hyperides, Lycurgus, Æſchines, Dinarchus, aliique complures, etſi inter ſe pares non fuerunt, tamen ſunt omnes in eodem veri-

1. *Tinctus literis.*] Contra Budæum iſthæc explicat P. Victorius libro x. Var. lect. cap. 18.

2. *De quodam declamatore.*] Palat. ſec. tert. quart. & ſeqq. ut & Memm. chart. *clamatore*; quod notandum putabat Gulielmius.

3. *Revocantur ea, &c.*] Ridiculè Lambinus conjicit *reſecantur*. *revocantur* enim quæ ſe nimium prodiderunt. Virgilius: *In quaſcunque voces artes, haud tarda ſequetur.* Gulielmius.

4. *Studio atque imitatione incidiſſet.*] Hæc eſt lectio Pall. item Pith. & Memmianorum, non *intendiſſet*, quod ex neſcio quibus mſſ. eruiſſe ſe adſerit Lambinus.

5. *Furit in rep. Fuſius.*] Aldus Nepos expreſſit *Fuſius*, quod item in Pall. pleriſque. reſtat tamen alterum in quint. ac ſept. nam pr. & ſec. iſtud exemplum omiſere.

6. *Pericli ſuccum.*] Vulgo *Periclis*; ſed alterum viſitur in Pall. fere omnibus, & Gallicanis, Gulielmii duobus, denique editionibus exoletis. adnotavitque ſic legi in vetuſtioribus membranis Rivius; cujus Caſtigationes conſulendæ.

7. *Meri principes.*] Produxit iſtud primum P. Victorius, qui videatur libro XVIII. cap.6. ſicque erat ad oram Pal. quarti, cum nihil ejus loco haberet. nam alii, *innumeri principes*.

8. *Similes ſunt, & inter ſeſe magiſtri.*] Reſtitui hunc locum è Pall. duobus & totidem Gallicanis, neque recedebant ceteri noſtri mſſ. aut antiquitus editi, quam quod repeterent illud *&*, etiam ante *magiſtri*.

1. Ut

veritatis imitandæ genere verſati, quorum quamdiu manſit imitatio, tamdiu genus illud dicendi, ſtudiumque vixit.

23 Poſteaquàm, exſtinctis his, omnis eorum memoria ſenſim obſcurata eſt, & evanuit: alia quædam dicendi *molliora*, ac remiſſiora genera viguerunt. Inde Demochares, quem ajunt ſororis filium fuiſſe Demoſthenis: tum Phalereus ille Demetrius, omnium iſtorum, mea ſententia, politiſſimus, aliique eorum ſimiles exſtiterunt. Quæ ſi volemus uſque ad hoc tempus perſequi: intelligemus, [1] ut hodie Alabandenſem illum Meneclem, & ejus fratrem Hieroclem, quos ego audivi, tota imitetur Aſia: ſic ſemper fuiſſe aliquem, cujus ſe ſimileis plerique eſſe vellent. Hanc igitur ſimilitudinem qui imitatione aſſequi volet, tum exercitationibus crebris atque magnis, tum *ſcribendo* maximè perſequatur. quod ſi hic noſter Sulpicius faceret, multo ejus oratio eſſet preſſior: in qua nunc interdum, ut in herbis ruſtici ſolent dicere, in ſumma ubertate ineſt luxuries quædam, quæ ſtylo depaſcenda eſt. Hic Sulpicius: Me quidem, inquit, rectè mones, idque mihi gratum eſt: ſed ne te quidem, Antoni, multùm ſcriptitaſſe arbitror. Tum ille: QUASI verò, inquit, non ea præcipiam aliis, quæ mihi ipſi deſunt. ſed tamen ne tabulas quidem conficere exiſtimor: verùm & in hoc, ex re familiari mea, & in illo, ex eo, quod dico, quantulum id cumque eſt, quid faciam, judicari poteſt. Atque eſſe tamen multos videmus, qui neminem imitentur, & *ſuapte natura*, quod velint, ſine cujuſquam ſimilitudine conſequantur: quod & in vobis animadverti rectè poteſt, Cæſar, & Cotta, quorum alter inuſitatum quidem noſtris oratoribus lepôrem quemdam, & ſalem: alter acutiſſimum, & ſubtiliſſimum dicendi genus eſt conſecutus. Neque verò veſter æqualis, Curio, patre, mea ſententia, vel eloquentiſſimo temporibus illis, quemquam mihi magnopere videtur imitari: qui tamen verborum gravitate, & elegantia, & copia, ſuam quamdam expreſſit quaſi formam, figuramque dicendi: quod ego maximè potui judicare in ea cauſa, quam ille contra me apud centumviros [2] pro fratribus Coſſis dixit. in qua nihil illi defuit, quod non modò copioſus, ſed

24 etiam ſapiens orator habere deberet. Verùm, ut aliquando ad cauſas deducamus illum, quem conſtituimus, & eas quidem, in quibus pluſculum negotii eſt, judiciorum, atque litium (riſerit aliquis fortaſſe hoc præceptum: eſt enim non tam acutum, quàm neceſſarium, magiſque monitoris non fatui, quam eruditi magiſtri) hoc ei primum præcipiemus, quaſcumque cauſas erit acturus, ut eas diligenter, penituſque *cognoſcat*. Hoc in ludo non præcipitur. faciles enim cauſæ ad pueros deferuntur. LEX PEREGRINUM vetat in murum adſcendere: adſcendit: hoſteis repulit: accuſatur. Nihil eſt negotii hujuſmodi cauſam cognoſcere. Rectè igitur nihil de cauſa dicenda præcipiunt. hæc eſt enim in ludo, cauſarum ferè formula. At verò in foro, tabulæ, teſtimonia, pacta conventa, ſtipulationes, cognationes, affinitates, decreta, reſponſa, vita denique eorum, qui in cauſa verſantur, tota cognoſcenda eſt: quarum rerum negligentia pleraſque cauſas, & maximè privatas (ſunt enim multo ſæpe obſcuriores) videmus amitti. Ita nonnulli, dum operam ſuam multam exiſtimari volunt, ut toto foro volitare, & à cauſa ad cauſam ire videantur, cauſas dicunt incognitas. In quo eſt illa quidem magna offenſio, vel *negligentiæ*, ſuſceptis rebus: vel *perfidiæ*, receptis: ſed etiam illa major opinione, quod NEMO poteſt de ea re, quam non novit, non turpiſſimè dicere. ita dum inertiæ vituperationem, quæ major eſt, contemnunt, aſſequuntur etiam illam, quam magis ipſi fugiunt, tarditatis. Equidem ſoleo dare operam, ut de ſua quiſque re me *ipſe* doceat, &, ut nequis alius adſit, quò liberius loquatur, & agere adverſarii cauſam, ut ille agat ſuam, &, quidquid de ſua re cogitarit, in medium proferat. Itaq; cùm ille diſceſſiſſet, treis perſonas unus ſuſtineo ſumma animi æquitate, meam, adverſarii, judicis. Qui locus eſt talis, ut plus habeat adjumenti, quàm incommodi, hunc judico eſſe dicendum: ubi plus mali, quàm boni, reperio: id totum abjudico, [3] atque rejicio. Ita aſſequor, ut [4] alio tempore cogitem, quid dicam, & alio dicam: quæ duo plerique *ingenio* freti, ſimul faciunt. ſed certè iidem illi melius aliquanto dicerent, ſi aliud ſumendum ſibi tempus ad cogitandum, aliud ad dicendum putarent. Cùm rem penitus, cauſamque cognovi, ſtatim occurrit animo, quæ ſit cauſa ambigui. NIHIL eſt enim, quod inter homines ambigatur, ſive ex crimine cauſa conſtet, ut facinoris: ſive ex controverſia, ut hereditatis: ſive ex deliberatione, ut belli: ſive ex perſona, ut laudis: ſive ex diſputatione, ut de ratione vivendi; in quo non aut quid factum ſit, aut fiat, futurumve ſit, quæratur, aut quale ſit, aut quid vocetur. Ac noſtræ ferè 25
cauſæ, quæ quidem ſunt criminum, plerumque infitiatione defenduntur. Nam & de pecuniis repetundis, quæ maximæ ſunt, neganda ferè ſunt omnia: & de ambitu rarò illud datur, ut poſſis liberalitatem, ac benignitatem ab ambitu, atque largitione ſejungere. de ſicariis, de veneficiis, de peculatu, infitiari neceſſe eſt. Id eſt igitur genus primum cauſarum in judiciis, ex controverſia facti. In deliberationibus plerumque ex futuri, rarò etiam ex inſtantis, aut facti. Sæpe autem res non, ſit, necne, ſed *qualis ſit*, quæritur: ut cùm L. Opimii cauſam defendebat apud populum, audiente me, C. Carbo conſul, nihil de C. Gracchi nece negabat: ſed id jure pro ſalute patriæ, factum eſſe dicebat, ut eidem Carboni tribuno pleb. alia tum mente rempub. capeſſenti, P. Africanus de Ti. Graccho interroganti, reſponderat, jure cæſum videri. *Jure* autem omnia defenduntur, quæ ſunt ejus generis, ut aut oportuerit, aut licuerit, aut neceſſe fuerit, aut imprudentia, aut caſu facta eſſe videantur. Jam quid vocetur, quæritur, cùm, quo verbo quid appellandum ſit, contenditur: ut mihi ipſi cum hoc Sulpicio fuit in Norbani cauſa ſumma contentio. pleraque enim de iis, quæ ab iſto objiciebantur, cùm confiterer, tamen ab illo *majeſtatem imminutam* negabam: ex quo verbo lege Apuleja tota illa cauſa pendebat. Atque in hoc genere cauſarum nonnulli præcipiunt: ut verbum illud, quod cauſam facit, [5] lucidè, breviterque definiat. Quod mihi quidem perquàm puerile videri ſolet. alia eſt enim, cùm inter doctos homines de iis ipſis rebus, quæ verſantur in artibus, diſputatur, verborum definitio: ut, cum quæritur, quid ſit ars, quid ſit lex, quid ſit civitas. In quibus hoc præcipit ratio, atque doctrina, ut vis ejus rei, quam definias, ſic exprimatur, ut neque abſit quidquam, neque ſuperſit. Quod quidem in illa cauſa neque Sulpicius fecit, neque ego facere conatus ſum. Nam, quantum uterque noſtrûm potuit, omni copia dicendi dilatavit, quid eſſet majeſtatem minuere. Etenim definitio primùm reprehenſo verbo uno, aut addito, aut demto, ſæpe extorquetur è manibus: deinde genere ipſo doctrinam redolet, exercitationemque pæné, puerilem: tum in ſenſum, & *in mentem judicis* intrare non poteſt. antè enim præterlabitur, quàm percepta eſt. Sed in eo genere, 26
in quo, quale ſit quid, ambigitur, exſiſtit etiam ex ſcripti interpretatione ſæpe contentio, in quo nulla poteſt eſſe, niſi ex ambiguo controverſia. Nam illud ipſum, cùm *ſcriptum* à ſententia diſcrepat, genus quoddam habet ambigui: quod tum explicatur, cùm ea verba, quæ deſunt, ſuggeſta ſunt:

1. *Ut hodie Alabandenſem.*] Pall. priores & Gall. *ut etiam*, quod placuit Gulielmio. *etiam* pro *adhuc*: niſi malimus dividere, *& jam.*

2. *Pro fratribus Coſſis.*] Ita Pall. poſteriores. at primus *Roſcius*, ſec. *conſciis*. Memm. membr. *Roſiis*. Pith. *Coſiis*.

3. *Atque ejicio.*] Eſt à Gallicanis & Pall. nam recepta lectio *rejicio.* ſic & ſupra lib. 1. cap. 32. M. habemus item *ejicio*, quod Lambinus, invitis mſſ. mutavit in *rejicio.*

4. *Alio tempore cogitem quid dicam.*] Pall. duo & Gallicani, *quæram quod.* & fere prætulerim quod ſtatim ſequatur, *ad cogitandum*: ſupra etiam ubi exſtat, *cauſas dicunt incognitas*; iidem libri habent, vel *ſciunt*, vel *ſumunt incognitas*: ultimum non ſpreverim.

5. *Lucidè breviterque definiat.*] Vulgata amplius *breviterque uterque definiat.* quæ vox jure diſplicuit P. Manutio. nec eſt in Palat. prioribus aut totidem Gallicanis; ſecundus interim noſter habebat, *breviterque definiatur.* ut volebat idem literarum columen egregium.

ſunt: quibus additis defenditur, ſententiam ſcripti perſpicuam fuiſſe: & ex contrariis ſcriptis ſiquid ambigitur, non novum genus naſcitur, ſed ſuperioris generis cauſa duplicatur. itaque aut numquam dijudicari poterit, aut ita dijudicabitur, ut referendis præteritis verbis, id ſcriptum, quodcumque defendimus, ſuppleatur. Ita fit, ut unum genus in iis cauſis, quæ propter ſcriptum ambiguntur, relinquatur, ſi eſt ſcriptum aliquid ambiguè. Ambiguorum autem complura genera ſunt, quæ mihi videntur ii meliùs noſſe, qui dialectici appellantur: hi autem noſtri ignorare, qui non minùs noſſe debeant: tum illud eſt frequentiſſimum in omni conſuetudine vel ſermonis, vel ſcripti, cùm idcircò aliquid ambigitur, quòd aut verbum, aut verba ſint *prætermiſſa*. Iterum autem peccant, cùm genus hoc cauſarum, quod in ſcripti interpretatione verſatur, ab illis cauſis, in quibus, qualis quæque res ſit, diſceptatur, ſejungunt. nuſquam enim tam quæritur, quale ſit genus ipſum rei, quàm in ſcripto, quod totum à facti controverſia ſeparatum eſt. Ita tria ſunt omnino genera, quæ in diſceptationem & controverſiam cadere poſſunt: quid fiat, factum, futurumve ſit: aut quale ſit, aut quomodo nominetur. nam & illud quidem, quod quidam Græci adjungunt, *rectene fa-*
27 *ctum ſit*, totum in eo eſt, quod quale ſit, quærimus. Sed jam ad inſtitutum revertar meum. Cùm igitur, accepto cauſæ genere, & cognito, rem tractare cœpi, nihil prius conſtituo, quàm, quid ſit illud, quò mihi referenda ſit omnis illa oratio, quæ ſit propria quæſtionis, & judicii: deinde illa duo diligentiſſimè conſidero, quorum alterum commendationem habet noſtram, aut eorum, quos defendimus: alterum eſt accommodatum ad eorum animos, apud quos dicimus, ad id, quod volumus, commovendos. Ita ratio omnis dicendi tribus ad perſuadendum rebus eſt nixa: ut *probemus* vera eſſe ea, quæ defendimus: ut conciliemus nobis eos, qui audiunt: ut animos eorum, ad quemcumque cauſa poſtulabit motum, vocemus. Ad probandum autem duplex eſt oratori ſubjecta materies: una rerum earum, quæ non excogitantur ab oratore, ſed in re poſitæ, ratione tractantur: ut tabulæ, teſtimonia, pacta conventa, quæſtiones, leges, ſenatuſconſulta, res judicatæ, decreta, reſponſa, & reliqua, ſi quæ ſunt, [1] quæ non reperiuntur ab oratore, ſed ad oratorem à cauſa, atque à reis deferuntur. Altera eſt, quæ tota in diſputatione, & argumentatione oratoris collocata eſt. Ita in ſuperiore genere de tractandis argumentis, in hoc autem etiam de inveniendis cogitandum eſt. Atque iſti quidem, qui docent, cùm cauſas in plura genera ſecuerunt, ſingulis generibus argumentorum copiam ſuggerunt. quod etiamſi ad inſtituendos adoleſcentulos magis aptum eſt, ut, ſimulac poſita ſit cauſa, habeant quo ſe referant, unde ſtatim expedita poſſint argumenta depromere; tamen & TARDI ingenii eſt, rivulos conſectari, fonteis rerum non videre: & jam ætatis eſt, uſuſque noſtri, à capite, quod velimus, arceſſere, &, unde omnia manant, videre. Et primùm genus illud earum rerum, quæ ad oratorem deferuntur, meditatum nobis in perpetuum ad omnem uſum ſimilium rerum eſſe debebit. nam pro tabulis & contra tabulas; pro teſtibus & contra teſteis; pro quæſtionibus & contra quæſtiones; & item de ceteris rebus ejuſdem generis, vel ſeparatim dicere ſolemus de genere univerſo, vel definitè de ſingulis temporibus, hominibus, cauſis: quos quidem locos (vobis hoc, Cotta, & Sulpici, dico) multa *commentatione*, atque meditatione paratos, atque expeditos habere debetis. Longum eſt enim nunc me explicare, qua ratione aut confirmare, aut infirmare teſteis, tabulas, quæſtiones oportet. Hæc ſunt omnia ingenii vel mediocris, exercitationis autem maximæ: artem quidem, & præcepta duntaxat hactenus requirunt, ut certis dicendi luminibus ornentur. itemque illa, quæ ſunt alterius generis, quæ tota ab oratore pariuntur, excogitationem non habent difficilem, explicationem magis illuſtrem, perpolitamque, deſiderant. Itaque cùm hæc duo nobis quærenda ſint in cauſis, primùm, quid: deinde, quomodo dicamus: alterum, quod totum arte tinctum videtur, tametſi artem requirit, tamen prudentiæ eſt pænè mediocris, quid dicendum ſit, videre: alterum eſt, in quo oratoris vis illa divina, virtuſque cernitur, ea, quæ dicenda
ſunt, ornatè, copioſè, varieque dicere. Quare illam par- 28
tem ſuperiorem, quoniam ſemel ita vobis placuit, non recuſabo, quo minùs perpoliam, atque conficiam: quantum conſequar, vos judicabitis: quibus ex locis ad eas treis res, quæ ad fidem faciendam ſolæ valent, ducatur oratio, ut & concilientur animi, & doceantur, & moveantur. hæc ſunt enim tria numero: ea verò quemadmodum illuſtrentur, præſtò eſt qui omneis docere poſſit, qui hoc primus in noſtros mores induxit, qui maximè auxit, qui ſolus effecit. Namque ego, Catule, (dicam enim non reverens *aſſentandi* ſuſpicionem) neminem eſſe oratorem paullo illuſtriorem arbitror, neque Græcum, neque Latinum, quem ætas noſtra tulerit, quem non & ſæpe, & diligenter audierim. Itaque, ſiquid eſt in me, quod jam ſperare videor, quoniam quidem vos, his ingeniis homines, tantum operæ mihi ad audiendum datis, ex eo eſt, quòd nihil quiſquam unquam me audiente egit orator, quod non in memoria mea penitus inſederit. Atque ego is, qui ſum, quantuſcùmque ſum ad judicandum, omnibus auditis oratoribus, ſine ulla dubitatione ſic ſtatuo, & judico, neminem omnium tot, & tanta, quanta ſunt in Craſſo, habuiſſe ornamenta dicendi. Quamobrem ſi vos quoque hoc idem exiſtimatis, non erit, ut opinor, iniqua partitio, ſi cùm ego hunc oratorem, quem nunc fingo, ut inſtitui, crearo, aluero, confirmaro, tradam eum Craſſo, & veſtiendum, & ornandum. Tum Craſſus: Tu verò, inquit, Antoni, perge, ut inſtituiſti.

NEQUE enim eſt boni, neque liberalis parentis, quem procrearit, & eduxerit, eum non & veſtire, & ornare; præſertim cùm te locupletem eſſe negare non poſſis. Quod enim ornamentum, quæ vis, qui animus, quæ dignitas illi oratori defuit, qui in cauſa peroranda non dubitavit excitare reum conſularem, & ejus diloricare tunicam, & judicibus *cicatrices adverſas* ſenis imperatoris oſtendere? qui idem, hoc accuſante Sulpicio, cùm hominem ſeditioſum, furioſumque defenderet, non dubitavit ſeditiones ipſas ornare, ac demonſtrare graviſſimis verbis, multos ſæpe *impetus* populi non injuſtos eſſe: quos præſtare nemo poſſit? multas etiam è republica ſeditiones ſæpe eſſe factas, ut, cùm reges eſſent exacti, ut cùm tribunitia poteſtas eſſet conſtituta? illam Norbani ſeditionem, ex luctu civium, & ex Cæpionis odio, qui exercitum amiſerat, neque reprimi potuiſſe, & jure eſſe conflatam? potuit hic locus tam anceps, tam inauditus, tam lubricus, tam novus, ſine quadam incredibili vi, ac facultate dicendi tractari? Quid ego de Cn. Manlii, quid de Q. Regis commiſeratione dicam? quid de aliis innumerabilibus? in quibus hoc non maximè enituit, quod tibi omnes dant, acumen quoddam ſingulare, ſed hæc ipſa, quæ nunc ad me delegare vis, ea
ſemper in te eximia, & præſtantia fuerunt. Tum Catulus: 29
Ego verò, inquit, in vobis hoc maximè admirari ſoleo, quòd, cùm inter vos in dicendo diſſimillimi ſitis, ita tamen uterque veſtrûm dicat, ut ei nihil neque à *natura* denegatum, neque à *doctrina* non delatum eſſe videatur. Quare, Craſſe, neque tu tua ſuavitate nos privabis, ut, ſiquid ab Antonio aut prætermiſſum, aut relictum ſit, non explices: neque te, Antoni, ſi quid non dixeris, exiſtimabimus non potuiſſe potiùs, quàm à Craſſo dici maluiſſe. Hîc Craſſus: Quin tu, inquit, Antoni, omittis iſta, quæ propoſuiſti, quæ nemo horum deſiderat: quibus ex locis ea, quæ dicenda ſint

1. *Quæ non reperiuntur ab oratore.*] Locum ſanavi ex Pal. pr. ac ſec. item Memm. uno & Pith. vulgati in hunc diem, *ab oratore pariuntur*. niſi quod editio prima *periuntur*, quæ ſcriptura ſemitam monſtrat ad verum. non eſt quidem recepta lectio barbara: ſed cum paullo poſt iterum ſequatur illud *pariuntur*, heic ſane locum habere non debet.

1. *Quod*

da ſint in cauſis, reperiantur? quæ quamquam abs te novo quodam modo, præclareque dicuntur, ſunt tamen & re faciliora, & præceptis pervagata: illa deprome nobis, unde afferas quæ ſæpiſſimè tractas, ſemperque divinitus. Depromam equidem, inquit Antonius, & quo facilius id à te exigam, quod peto, nihil tibi à me poſtulanti recuſabo. Meæ totius orationis, & iſtius ipſius in dicendo facultatis, quam modò Craſſus in cœlum verbis extulit, tres ſunt rationes, ut antè dixi: una conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum. Harum trium partium prima *lenitatem* orationis, ſecunda *acumen*, tertia *vim* deſiderat. nam hoc neceſſe eſt, ut is, qui nobis cauſam adjudicaturus ſit, aut inclinatione voluntatis propendeat in nos, aut defenſionis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur. Sed quoniam illa pars, in qua rerum ipſarum explicatio, ac defenſio poſita eſt, videtur omnem hujus generis quaſi doctrinam continere, de ea primùm loquemur, & pauca dicemus. Pauca enim ſunt, quæ uſu jam tractata,
30 & animo quaſi habere notata videamur. Ac tibi ſapientei monenti, L. Craſſe, libenter aſſentiemur, ut ſingularum cauſarum defenſiones, quas ſolent magiſtri pueris tradere, relinquamus: aperiamus autem ea capita, unde omnis ad omnem & cauſam, & orationem diſputatio ducitur. NEQUE enim, quoties verbum aliquod eſt ſcribendum nobis, toties ejus verbi litteræ ſunt cogitatione conquirendæ: nec quoties cauſa dicenda eſt, toties ad ejus cauſæ ſepoſita argumenta revolvi nos oportet: ſed habere certos locos, qui, ut litteræ ad verbum ſcribendum, ſic illi ad cauſam explicandam, ſtatim occurrant. Sed hi loci ei demum oratori prodeſſe poſſunt, qui eſt verſatus in rebus, vel *uſu*, quem ætas denique affert: vel auditione, & cogitatione, quæ ſtudio & diligentia præcurrit *ætatem*. Nam ſi tu mihi quamvis eruditum hominem adduxeris, quamvis acrem & acutum in cogitando, quamvis ad pronuntiandum expeditum, ſi erit idem in conſuetudine civitatis, in exemplis, in inſtitutis, in moribus ac voluntatibus civium ſuorum hoſpes, non multùm ei loci proderunt illi, ex quibus argumenta promuntur. ſubacto mihi ingenio opus eſt, ut *agro* non ſemel arato, ſed novato, & iterato, quo meliores fœtus poſſit, & grandiores edere. Subactio autem, eſt uſus, auditio, lectio, litteræ. Ac primùm naturam cauſæ videat, quæ nunquam latet: factumne ſit, quæratur, an, quale ſit, an, quod nomen habeat: quo perſpecto, ſtatim occurrit naturali quadam prudentia, non his ſubductionibus, quas iſti docent, quid faciat cauſam, id eſt, quo ſublato controverſia ſtare non poſſit: deinde, quid veniat in judicium, quod iſti ſic jubent quærere: interfecit Opimius Gracchum. quid facit cauſam? quod *reipublicæ cauſa*, cum ex ſenatuſconſulto ad arma vocaſſet: hoc tolle, cauſa non erit. At id ipſum negat contra leges licuiſſe Decius. Veniet igitur in judicium, *licueritne* ex ſenatuſconſulto, ſervandæ reipub. cauſa. Perſpicua ſunt hæc quidem, & in vulgari prudentia ſita, ſed illa quærenda, quæ ab accuſatore & defenſore argumenta ad id, quod in judicium venit, ſpectantia, debeant afferri.
31 Atque hîc illud videndum eſt, in quo ſummus eſt error iſtorum magiſtrorum, ad quos liberos noſtros mittimus, non quò hoc quidem ad dicendum magnopere pertineat, ſed tamen ut videatis, quàm ſit genus hoc eorum, qui *ſibi* eruditi videntur, hebes, atque impolitum. Conſtituunt enim in partiendis orationum modis duo genera cauſarum. unum appellant, in quo ſine perſonis, atque temporibus de univerſo genere quæratur; alterum, [1] quod perſonis certis, & temporibus definiatur: ignari omneis controverſias ad univerſi generis vim & naturam referri. Nam in ea ipſa cauſa, de qua antè dixi, nihil pertinet ad oratoris locos Opimii perſona, nihil Decii. De ipſo enim univerſo genere infinita quæſtio eſt, NUM POENA videatur eſſe afficiendus, qui civem ex ſenatuſconſulto patriæ conſervandæ cauſa interemerit, cùm id per leges non liceret. Nulla denique eſt cauſa, in qua id, quod in judicium venit, ex reorum perſonis, non generum ipſorum univerſa diſputatione quæratur. Quinetiam in iis ipſis, ubi de facto ambigitur, CEPERITNE contra leges pecunias P. Decius, argumenta & criminum, & defenſionis revocentur oportet ad genus, & ad naturam univerſam: quòd ſumtuoſus, de luxuria: quòd alieni appetens, de avaritia: quòd ſeditioſus, de turbulentis, & malis civibus: quòd à multis arguitur, de genere teſtium: contraque, quæ pro reo dicentur, omnia neceſſariò à tempore, atque homine ad communeis rerum, & generum ſummas revolventur. Atque hæc forſitan homini, non omnia, quæ ſunt in natura rerum, celeriter animo comprehendenti, permulta videantur, quæ veniant in judicium tum, cùm de facto quæratur: ſed tamen criminum eſt multitudo, non defenſionum, aut locorum infinita. QUÆ ve- 32
rò, cùm de facto non ambigitur, quæruntur, qualia ſint: ea ſi ex reis numeres, & innumerabilia ſunt, & obſcura: ſi ex rebus, valde & modica, & illuſtria. Nam ſi *Mancini cauſam* in uno Mancino ponimus, quotieſcumque is, quem paterpatratus dediderit, receptus non erit, toties cauſa nova naſcetur. Sin illa controverſia cauſam facit, videaturne ei, quem paterpatratus dediderit, ſi is non ſit receptus, poſtliminium eſſe: nihil ad artem dicendi, nec ad argumenta defenſionis, Mancini nomen pertinet. [2] Ac, ſi quid affert præterea hominis aut dignitas, aut indignitas, extra quæſtionem eſt, & ea tamen ipſa oratio ad univerſi generis diſputationem referatur neceſſe eſt. Hæc ego non eo conſilio diſputo, ut homines eruditos redarguam, quamquam reprehendendi ſunt, qui in genere definiendo iſtas cauſas deſcribunt in perſonis, & in temporibus poſitas eſſe. Nam etſi incurrunt tempora, & perſonæ, tamen intelligendum eſt, non ex iis, ſed ex genere quæſtionis pendere cauſas. Sed hoc nihil ad me. Nullum enim nobis certamen cum iſtis eſſe debet. tantum ſatis eſt intelligi, ne hoc quidem eos conſecutos, quod in tanto otio, etiam ſine hac forenſi exercitatione efficere potuerunt, ut *genera rerum* diſcernerent, eaque paullo ſubtilius explicarent. Verùm hoc (ut dixi) nihil ad me. Illud ad me, ac multa etiam magis ad vos, Cotta noſter, & Sulpici. Quomodo nunc ſe iſtorum artes habent, pertimeſcenda eſt multitudo cauſarum. eſt enim infinita. Si in perſonis ponitur: quot homines, tot cauſæ. ſin ad generum univerſas quæſtiones referuntur: ita modicæ & paucæ ſunt, ut omneis eas, diligentes, & memores, & ſobrii oratores percurſas animo, & propè *decantatas* habere debeant: niſi fortè exiſtimatis, à Manio Curio cauſam dixiſſe L. Craſſum; & ea re multa attuliſſe, quamobrem poſtumo non nato Curium tamen heredem Coponii eſſe oporteret. Nihil ad copiam argumentorum, neque ad cauſæ vim, ac naturam nomen Coponii, ac Curii, pertinuit. in genere erat univerſo rei, negotiique, non in tempore, ac nominibus omnis quæſtio, cùm ſcriptum ita ſit, SI MIHI FILIUS GENITUS, ISQUE PRIUS MORITUR, & cetera, TUM UT MIHI ILLE SIT HERES: Si natus filius non ſit, videaturne is, qui filio mortuo inſtitutus heres ſit, heres eſſe. Perpetui juris, & univerſi generis quæſtio non ho- 33
minum nomina, ſed rationem dicendi, & argumentorum fonteis deſiderat. In quo etiam iſti nos juriſconſulti impediunt, à diſcendoque deterrent. Video enim in Catonis, & Bruti libris nominatim ferè referri, quid alicui de jure viro aut mulieri reſponderint: credo, ut putaremus, in hominibus, non in re, conſultationis, aut dubitationis *cauſam* aliquam fuiſſe; ut, quòd homines eſſent innumerabiles, debilitati à jure cognoſcendo, voluntatem diſcendi ſimul cum

1. *Quod perſonis certis, &c.*] Quæ heic mutat additque Lambinus, non comparent in Pall. noſtris: neque adeo in Pith. aut Memmianis, quos excuſſit Gulielmius.

2. *Ac ſi quid adfert præterea hominis aut dignitas aut indignitas, extra, &c.*] Memmii membr. item Pal. pr. ſec. *præterea aut hominis vita, aut dignitas, extra, &c.* tertius *præterea* mutavit à manu ſecunda in *perſona*; hac facie, *adfert perſona hominis aut dignitas indignitaſve.* ceteri tamen ſtant à vulgato.

1. *In*

cum ſpe perdiſcendi abjiceremus. Sed hæc Craſſus aliquan-
do nobis expediet, & exponet deſcripta generatim. eſt
enim, ne forte neſcias, heri nobis ille hoc, Catule, pollici-
tus, ſe jus civile, quod nunc diffuſum, & diſſipatum eſt, in
certa genera coacturum, & ad artem facilè redacturum. Et
quidem, inquit Catulus, haudquaquam id eſt difficile Craſ-
ſo, qui & quod diſci potuit de jure, didicit: & quod iis,
qui eum docuerunt, defuit, ipſe afferet; ut, quæ ſint in ju-
re, vel aptè deſcribere, vel ornatè illuſtrare poſſit. Ergo
iſta, inquit Antonius, tum à Craſſo diſcemus, cùm ſe de
turba, & à ſubſelliis [1] in otium, (ut cogitat) ſoliumque con-
tulerit. Jam id quidem ſæpe, inquit Catulus, ex eo audivi,
cùm diceret, ſibi certum eſſe, à judiciis, cauſiſque diſcede-
re: ſed, ut ipſi ſoleo dicere, *non licebit*. neque enim ipſe
auxilium ſuum ſæpe à viris bonis fruſtrà implorari patie-
tur, neque id æquo animo feret civitas: quæ ſi voce L. Craſſi
carebit, ornamento quodam ſeſe ſpoliatam putabit. Nam
hercle, inquit Antonius, ſi hæc verè à Catulo dicta ſunt,
tibi mecum in eodem eſt piſtrino, Craſſe, vivendum: &
[2] iſtam oſcitantem, & dormitantem ſapientiam, Scævola-
rum, [3] & ceterorum beatorum otio concedamus. Arriſit
hîc Craſſus leniter, &, Pertexe modò, inquit, Antoni, quod
exorſus es. me tamen iſta oſcitans ſapientia, ſimulatque ad
34 eam confugero, in libertatem vindicabit. Hujus quidem
loci, quem modò ſum exorſus, hic eſt finis, inquit Anto-
nius: quoniam intelligitur, non in hominum innumera-
bilibus perſonis, neque in infinita temporum varietate, ſed
in generum cauſis, atque naturis omnia ſita eſſe, quæ in du-
bium vocarentur: genera autem eſſe definita non ſolùm
numero, ſed etiam paucitate: ut eam materiem orationis,
quæ cujuſque eſſet generis, ſtudioſi qui eſſent dicendi, o-
mnibus locis deſcriptam, inſtructam, ornatamque compre-
henderent, rebus dico, & ſententiis. Eæ, vi ſua verba pa-
rient, quæ ſemper ſatis ornata mihi quidem videri ſolent, ſi
ejuſmodi ſunt, ut ea, res ipſa peperiſſe videatur. Ac, ſi ve-
rum quæritis, quod mihi quidem videatur (nihil enim aliud
affirmare poſſum, niſi ſententiam, & opinionem meam)
hoc *inſtrumentum* cauſarum, & generum univerſorum in
forum deferre debemus, neque, ut quæque res delata ad nos
erit; tum denique ſcrutari locos, ex quibus argumenta
eruamus: quæ quidem omnibus, qui ea mediocriter modò
conſiderarint, ſtudio adhibito & uſu, pertractata eſſe poſ-
ſunt. ſed tamen animus referendus eſt ad ea capita, & ad
illos, quos ſæpe jam appellavi, *locos*, ex quibus omnia ad
omnem orationem inventa ducuntur. Atque hoc totum eſt
ſive artis, ſive animadverſionis, ſive conſuetudinis, *noſſe re-
giones*, [4] intra quas venere & perveſtiges quod quæras. ubi
eum locum omnem cogitatione ſæpſeris: ſi modò uſum
rerum percallueris, nihil te effugiet: atque omne, quod erit
35 in re, occurret, atque incidet. Et ſic, cùm ad inveniendum
in dicendo tria ſint; acumen, deinde ratio, quàm licet (ſi
volumus) appellemus artem, tertium diligentia: non poſ-
ſum equidem non ingenio primas concedere: ſed tamen
IPSUM INGENIUM diligentia etiam ex tarditate incitat. di-
ligentia, inquam, cùm omnibus in rebus, tum in cauſis de-
fendendis plurimùm valet. hæc præcipuè colenda eſt no-
bis: hæc ſemper adhibenda; hæc nihil eſt, quod non aſſe-
quatur. Cauſa ut penitus, quod initio dixi, nota ſit, dili-
gentia eſt: ut adverſarium attentè audiamus, atque ut ejus
non ſolùm ſententias, ſed etiam verba omnia excipiamus,
vultus denique perſpiciamus omneis, qui ſenſus animi ple-
rumque indicant, diligentia eſt. Id tamen diſſimulanter fa-
cere, ne ſibi ille aliquid proficere videatur, prudentia eſt.
Deinde ut in iis locis, quos proponam paullo poſt, pervol-
vatur animus, ut ſe penitus inſinuet in cauſam, ut ſit cura
& cogitatione intentus, diligentia eſt: ut his rebus adhi-
beat, tanquam lumen aliquod, memoriam, ut vocem, ut
vireis: hæc magna ſunt. Inter ingenium quidem, & dili-
gentiam perpaullulum loci reliquum eſt arti. ars demon-
ſtrat tantùm, ubi quæras, atque ubi ſit illud, quod ſtudeas
invenire: reliqua, ſunt in cura, attentione animi, cogita-
tione, vigilantia, aſſiduitate, labore. complectar uno verbo,
quo ſæpe jam uſi ſumus, *diligentia*: qua una virtute omnes
virtutes reliquæ continentur. Nam orationis quidem copia
videmus ut abundent philoſophi, qui, ut opinor (ſed tu
hæc, Catule, melius) nulla dant præcepta dicendi, nec id-
circo minus, quæcumque res propoſita eſt, ſuſcipiunt, de
qua copioſe, & abundanter loquantur. Tum Catulus: Eſt, 36
inquit, ut dicis, Antoni, ut plerique philoſophi nulla tra-
dant præcepta dicendi, & habeant paratum tamen, quid de
quaque re dicant. Sed Ariſtoteles, is, quem maximè ego
admiror, propoſuit quoſdam locos, ex quibus [5] omnis ar-
gumenti via, non modò ad philoſophorum diſputationem,
ſed etiam ad hanc, qua in cauſis utimur, inveniretur: à quo
quidem homine jamdudum, Antoni, non aberrat oratio
tua, ſive tu ſimilitudine illius divini ingenii in eadem in-
curris veſtigia, ſive etiam illa ipſa legiſti, atque didiciſti:
quod quidem magis veriſimile videtur. Plus enim te operæ
Græcis dediſſe rebus video, [6] quàm putaramus. Tum ille,
Verum, inquit, ex me audies, Catule. ſemper ego exiſti-
mavi, *jucundiorem*, & probabiliorem huic populo oratorem
fore, qui primùm quàm minimam artificii alicujus, deinde
nullam Græcarum rerum ſignificationem daret. atque ego
idem exiſtimavi, PECUDIS eſſe, non hominis, cùm tan-
tas res Græci ſuſciperent, profiterentur, agerent, ſeſeque &
vivendi res obſcuriſſimas, & bene vivendi, & copioſe di-
cendi rationem hominibus daturos pollicerentur, non ad-
movere aurem, &, ſi palam audire eos non auderes, ne mi-
nueres apud tuos civeis auctoritatem tuam, ſubauſcultando
tamen excipere voceis eorum, & procul, quid narrarent,
attendere. itaque feci, Catule, & iſtorum omnium ſumma-
tim cauſas, & genera ipſa guſtavi. Valde hercule, inquit 37
Catulus, timidè, tanquam ad aliquem *libidinis ſcopulum*, ſic
tuam mentem ad philoſophiam appuliſti: quam hæc civi-
tas aſpernata numquam eſt. Nam & referta quondam Italia
Pythagoreorum fuit, tum, cùm erat in hac gente magna illa
Græcia: ex quo etiam quidam Numam Pompilium, regem
noſtrum, fuiſſe Pythagoreum ferunt; qui annis permultis
antè fuit, quàm ipſe Pythagoras: quo etiam *major vir* ha-
bendus eſt, cùm illam ſapientiam conſtituendæ civitatis
duobus propè ſeculis antè cognovit, quàm eam Græci na-
tam eſſe ſenſerunt, & certe non tulit ullos hæc civitas aut
gloria clariores, aut auctoritate graviores, aut humanitate
politiores, P. Africano, C. Lælio, L. Furio, qui SECUM
eruditiſſimos homines ex Græcia palam ſemper habuerunt.
Atque ego ex iſtis ſæpe audivi, cùm dicerent, pergratum
Athenienſeis & ſibi feciſſe, & multis principibus civitatis,
quòd, cùm ad ſenatum legatos de ſuis maximis rebus mit-
terent, treis illius ætatis nobiliſſimos philoſophos miſiſ-
ſent, Carneadem, & Critolaum, & Diogenem. Itaque eos,
dum Romæ eſſent, & à ſe, & ab aliis frequenter auditos:
quos tu cùm haberes auctores, Antoni, miror, cur philoſo-
phiæ,

1. *In otium ſoliumque.*] Redintegravi iſtud fide Pal. prim. ſec. & Pith. firmatque ipſe noſter infra cap. 55. ſub finem. item lib. III. cap. 34. ipſo medio.

2. *Iſtam oſcitantem & dormitantem.*] Voces duæ poſteriores non ſunt in Pal. pr. ſec. aut Memm. ac Pith. nec deſiderem.

3. *Et ceterorum beatorum, &c.*] Dictio *beatorum*, non eſt in dictis Gallicanis, unde Gulielmius conjiciebat, *Cetegorum*, ſed enim hæret in omnibus Pall.

4. *Intra quas venere & perveſtiges quod quæras.*] Mirè hic me locus torſit, ob diverſitatem lectionum, quæ in mſſ. ſed veni demum ad cubilia veri, ductu Palat. quarti ac ſeptimi; in quibus totidem literis ſunt, quod heic exhibeo: neque abibat octavus, niſi quod is *veneris*. vulgata in hunc diem, *intra quas venire debeas, ut perveſtiges quod quæras*. fatue, præ altera noſtra. metaphoram enim venatoriam omnibus modis premit Tullius, ut vel ſequentia oſtentant.

5. *Omnis argumenti via.*] Lambinus repoſuit ex duobus mſſ. *argumentandi ratio*. quod nos exhibemus, erat in Pall. pr. ſec. Pith. & Memmii membranaceo. recepta lectio, *omnis argumentatio*.

6. *Quam putaramus.*] Ita Pal. ſec. ac tert. nam pr. & Gallicani, *putaremus*. quod mutabat in *putarimus* Gulielmius.

1. *Sic*

phiæ, ſicut Zethus ille Pacuvianus, propè bellum indixeris. Minimè inquit Antonius: ac ſic decrevi *philoſophari* potius, ut Neoptolemus apud Ennium, *paucis. Nam omnino haud placet.* Sed tamen hæc eſt mea ſententia, quam videbar expoſuiſſe. ego iſta ſtudia non improbo, moderata modò ſint: opinionem iſtorum ſtudiorum, & ſuſpicionem artificii apud eos, qui res judicent, oratori adverſariam eſſe arbitror. imminuit enim & oratoris auctoritatem, & orationis fidem.
38 Sed, ut eò revocetur, unde huc declinavit oratio, ex tribus iſtis clariſſimis philoſophis, quos Romam veniſſe dixiſti, videſne Diogenem fuiſſe, qui diceret, artem ſe tradere benè diſſerendi, & vera, ac falſa dijudicandi, quam verbo Græco διαλεκτικὴν appellaret? In hac arte, ſi modò eſt hæc ars, nullum eſt præceptum, quo modo verum inveniatur, ſed tantùm eſt, *quo modo judicetur.* Nam & omne, quod eloquimur, [1] ſic, ut id aut eſſe dicamus, aut non eſſe; &, ſi ſimpliciter dictum ſit, ſuſcipiunt dialectici, ut judicent, verumne ſit, an falſum: & ſi conjunctè ſit elatum, & adjuncta ſint alia, judicent, rectene adjuncta ſint, & verane ſumma ſit uniuſcujuſque rationis: & ad extremum ipſi ſe compungunt ſuis acuminibus, & multa quærendo, reperiunt non modò ea; quæ jam non poſſint ipſi *diſſolvere*, ſed etiam quibus antè exorſa, & potius detexta propè retexantur. Hic nos igitur Stoicus iſte nihil adjuvat, quoniam quemadmodum inveniam quid dicam, non docet: atque idem etiam impedit, quòd & multa reperit, quæ neget ullo modo poſſe diſſolvi, & genus ſermonis affert non liquidum, non fuſum, ac profluens, ſed exile, aridum, conciſum ac minutum. quòd ſi quid probabit, ita probabit, ut oratori tamen aptum non eſſe fateatur. Hæc enim noſtra oratio, multitudinis eſt auribus accommodanda, ad oblectandos animos, ad impellendos, ad ea probanda, quæ non [2] *aurificis ſtatera*, ſed quadam populari trutina examinantur. Quare iſtam artem totam dimittamus, quæ in excogitandis argumentis muta nimiùm eſt, in judicandis nimium loquax. Critolaum iſtum, quem ſimul cum Diogene veniſſe commemoras, puto plus huic ſtudio noſtro prodeſſe potuiſſe. Erat enim ab iſto Ariſtotele, à cujus inventis tibi ego videor non longè aberrare. atque inter hunc Ariſtotelem, cujus & illum legi librum, in quo expoſuit dicendi arteis omnium ſuperiorum, & illos, in quibus ipſe ſua quædam de eadem arte dixit, & hos germanos hujus artis magiſtros, hoc mihi viſum eſt intereſſe, quòd ille eadem acie mentis, qua rerum omnium vim, naturamque viderat, hæc quoque adſpexit, quæ ad dicendi artem, quam ille deſpiciebat, pertinebant. illi autem, qui hoc ſolùm colendum ducebant, habitarunt in hac una ratione tractanda, non eadem *prudentia*, qua ille, ſed uſu in hoc uno genere, ſtudioque majore. Carneadis verò vis incredibilis illa dicendi, & varietas, perquàm eſſet optanda nobis: qui nullam umquam in illis ſuis diſputationibus rem defendit, quam non probarit: nullam oppugnavit, quam non everterit. Sed hoc majus eſt quiddam, quàm ab iis, qui hæc tradunt, & docent, poſtulandum
39 ſit. Ego autem, ſi quem nunc planè rudem inſtitui ad dicendum velim, his potius tradam aſſiduis uno opere eandem *incudem* diem noctemque tundentibus, qui omneis tenuiſſimas particulas, atque omnia minima manſa, ut nutrices [3] infantibus pueris, in os inſerant. Sin ſit is, qui & doctrina mihi liberaliter inſtitutus, & aliquo jam imbutus uſu, & ſatis acri ingenio eſſe videatur: illuc eum rapiam, ubi non ſecluſa aliqua *aquula* teneatur, ſed unde univerſum flumen erumpat: qui illi ſedes, & tanquam domicilia omnium argumentorum commonſtret, & ea breviter illuſtret, verbiſque definiat. Quid enim eſt, in quo hæreat, qui viderit, omne, quod ſumatur in oratione aut ad probandum, aut ad refellendum, aut ex ſua ſumi vi, atque natura, aut aſſumi foris? Ex *ſua vi*, cùm aut res, quæ ſit tota, quæratur, aut pars ejus, aut vocabulum, quod habeat, aut quippiam, rem illam quod attingat. *Extrinſecus* autem, cùm ea, quæ ſunt foris, neque inhærent in rei natura, colliguntur. Si res tota quæritur, definitione univerſa vis explicanda eſt, ſic: Si majestas, eſt amplitudo ac dignitas civitatis, is eam minuit, qui exercitum hoſtibus populi Rom. tradidit, non qui eum, qui id feciſſet, populi Rom. poteſtati tradidit. Sin pars: partitione, hoc modo: Aut senatui parendum de ſalute reipub. fuit, aut aliud conſilium inſtituendum, aut ſua ſponte faciendum: aliud conſilium, ſuperbum: ſuum, arrogans. utendum igitur fuit conſilio ſenatus. Sin ex vocabulo, ut Carbo: Si consul est, qui conſulit patriæ, quid aliud fecit Opimius? Sin ab eo, quod rem attingat, plures ſunt argumentorum ſedes ac loci. nam & conjuncta quæremus: & genera, & parteis generibus ſubjectas, & ſimilitudines, & diſſimilitudines, & contraria, & conſequentia, & conſentanea, & quaſi præcurrentia, & repugnantia: & cauſas rerum veſtigabimus, & ea, quæ ex cauſis orta ſunt, & majora, paria, minora quæremus.
Ex conjunctis ſic argumenta ducuntur: Si pietati ſum- 40
ma tribuenda laus eſt, debetis moveri, cum Q. Metellum tam piè lugere videatis. Ex genere autem: Si magistratus in populi Rom. poteſtate eſſe debent, quid Norbanum accuſas, cujus tribunatus voluntati paruit civitatis? Ex parte autem ea, quæ eſt ſubjecta generi: Si omnes, qui reip. conſulunt, cari nobis eſſe debent, certè in primis imperatores, quorum conſiliis, virtute, periculis, retinemus & noſtram ſalutem, & imperii dignitatem. Ex ſimilitudine autem, Si feræ partus ſuos diligunt, qua nos in liberos noſtros indulgentia eſſe debemus? At ex diſſimilitudine: Si barbarorum eſt in diem vivere, noſtra conſilia ſempiternum tempus ſpectare debent. Atque utroque in genere & ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, exempla ſunt ex aliorum factis, aut dictis, aut eventis, & fictæ narrationes ſæpe ponendæ. Jam ex contrario: *Si Gracchus* nefariè, præclarè Opimius. Ex conſequentibus, *Si & ferro* interfectus ille, & tu inimicus ejus cum gladio cruento comprehenſus es in illo ipſo loco, & nemo præter te ibi viſus eſt, & cauſa nemini, & tu ſemper audax: quid eſt, quòd de facinore dubitare poſſimus? Ex conſentaneis, & præcurrentibus, & repugnantibus, ut olim Craſſus adoleſcens: *Non ſi* Opimium defendiſti, Carbo, idcirco te iſti bonum civem putabunt. ſimulaſſe te, & aliud quid quæſiſſe perſpicuum eſt, quòd Ti. Gracchi mortem ſæpe in concionibus deploraſti, quòd Pub. Africani necis ſocius fuiſti, [4] quòd eam legem in tribunatu tuliſti, quòd ſemper à bonis diſſenſiſti. Ex cauſis autem rerum ſic: Avaritiam ſi tollere vultis, mater ejus eſt tollenda, luxuries. Ex iis autem, quæ ſunt orta de cauſis: *Si ærarii* copiis & ad belli adjumenta, & ad ornamenta pacis utimur, vectigalibus ſerviamus. Majora autem, & minora, & paria comparabimus, ſic. Ex majore: *Si bona* exiſtimatio divitiis præſtat, & pecunia tantopere expetitur, quanto gloria magis eſt expetenda? Ex minore ſic:

hic parvæ conſuetudinis
Cauſa hujus mortem fert tam familiariter:

Quid

1. *Sic ut id aut eſſe dicamus.*] Ita Pall. poſteriores. Victorii editio, *ſit ut id aut*, &c. quomodo editio prima & Pal. pr. & Memm. membranaceus. probabatque Camerarius.

2. *Aurificis ſtatera.*] Ita Pal. ſec. quart. quint. ſext. ſept. oct. ne quis id putet cum Camerario non inveniri libris in vetuſtioribus. ſed ſic quoque Gallicanus Memmii ac Pithœi. *artificis* tamen reſtabat in Pall. ceteris & Memmii chartaceo.

3. *Infantibus pueris.*] Memmii membr. *puris*; quod ſpernendum non putat Gulielmius; utpote uſurpatum Lucilio. idem etiam ex eodem adnotarat, *commoſtret* ἀντὶ τοῦ *commonſtret.*

4. *Quod eam legem*, &c.] Pighius in Faſtis ad annum Urb. Cond. DCXXXIV. putat ante hæc aliquid omiſſum ignavia librariorum; quod vel prodat diſcrepantia mſſ. quorum hi, *quod legem*; illi, *quidem legem.* Memmiano verò abeſt illud *quod eam.* putat inquam fuiſſe prius, *quod C. Graccho dux & auctor repetendæ per ſeditiones tribunitiæ poteſtatis fuiſti.* vel ſimile quid. idem ait, mſ. ſuum ſupra habuiſſe, *hic Craſſus.* erat enim præſens: infra verò, *ſemper à bonis diſceſſiſti.* quod utrumque probat. etiam ego prius. nam ſi abeundum à vulgato *diſſenſiſti*, malim *diſceſſiſti* cum Memmiano ac Pithœano.

Quid ſi ipſe amaſſet? quid mihi hic faciet patri?
Ex pari ſic: Est ejusdem & eripere contra rempub. &
largiri pecunias. Foris autem aſſumuntur ea, quæ non ſua
vi, ſed extranea ſublevantur, ut hæc: Hoc verum eſt: di-
xit enim Qu. Lutatius. Hoc falſum eſt: habita enim *quæſtio*
eſt. Hoc ſequi neceſſe eſt: recito enim tabulas. de quo ge-
41 nere toto paullo antè dixi. Hæc, ut breviſſimè dici potue-
runt, ita a me dicta ſunt. Ut enim ſi aurum cui, quod eſſet
multifariam defoſſum, commonſtrare vellem, ſatis eſſe de-
beret, ſi ſigna, & notas oſtenderem locorum, quibus cogni-
tis ille ſibi ipſe foderet, & id, quod vellet, parvulo labore,
nullo errore inveniret: [1] ſic has ego argumentorum novi
notas, quæ illa mihi quærenti demonſtrant, ubi ſint: reli-
qua, cura, & cogitatione eruuntur. Quod autem argumen-
torum genus cuique cauſarum generi maximè conveniat,
non eſt artis exquiſitæ præſcribere, ſed eſt mediocris inge-
nii judicare. Neque enim nunc id agimus, ut artem aliquam
dicendi explicemus, ſed ut doctiſſimis hominibus uſus no-
ſtri quaſi quædam monita tradamus. His igitur locis in
mente, & cogitatione defixis, & in omni re ad dicendum
poſita excitatis, nihil erit, quod oratorem effugere poſſit,
non modò in forenſibus diſceptationibus, ſed omnino in
ullo genere dicendi. Si verò aſſequetur, ut talis videatur,
qualem ſe videri velit, & animos eorum ita afficiet, apud
quos aget, ut eos, quocumque velit, vel trahere, vel rapere
poſſit: nihil profectò præterea ad dicendum requiret. Jam
illud videmus, nequaquam ſatis eſſe, reperire quid dicas,
niſi id inventum *tractare* poſſis. Tractatio autem varia eſſe
debet, ne aut cognoſcat artem qui audiat, aut defatigetur ſi-
militudinis ſatietate. Proponi oportet, quid afferas, & id
quare ita ſit, oſtendere: & ex iiſdem illis locis interdum
concludere, [2] relinquere aliàs, alioque tranſire: ſæpe non
proponere, ac ratione ipſa afferenda, quid proponendum
fuerit, declarare: ſicui quid ſimile dicas, prius ut ſimile
confirmes: deinde [3] quod agitur, adjungas: puncta argu-
mentorum plerumque ut occulas, ne quis ea numerare poſ-
42 ſit, ut re diſtinguantur, verbis confuſa eſſe videantur. Hæc
ut & properans, & apud doctos, & ſemidoctus ipſe percur-
ro, ut aliquando ad illa majora veniamus. Nihil eſt enim
in dicendo, Catule, majus, quàm ut *faveat* oratori is, qui
audiet, utque ipſe ſic moveatur, ut impetu quodam animi,
& perturbatione magis, quàm judicio, aut conſilio, rega-
tur. Plura enim multo homines judicant odio, aut amo-
re, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut
ſpe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis,
quàm veritate, aut præſcripto, aut juris norma aliqua, aut
judicii formula, aut legibus. Quare, niſi quid vobis aliud
placet, ad illa pergamus. Paullum, inquit Catulus, etiam
nunc deeſſe videtur iis rebus, Antoni, quas expoſuiſti, quod
ſit tibi antè explicandum, quàm illuc proficiſcare, quo te
dicis intendere. Quidnam, inquit? Qui ordo tibi placet, in-
quit Catulus, & quæ diſpoſitio argumentorum, in qua tu
mihi ſemper *deus* videri ſoles. Vide quàm ſim in iſto gene-
re, inquit, Catule, deus. non mehercule mihi, niſi admo-
nito, veniſſet in mentem: ut poſſis exiſtimare, me in ea,
in quibus nonnumquam aliquid efficere videor, uſu ſolere
in dicendo, vel caſu potius incurrere. Ac res quidem iſta,
quam ego, quia non noram, ſic, tanquam *ignotum hominem*,
præteribam, tantum poteſt in dicendo, ut ad vincendum
nulla plus poſſit. Sed tamen mihi videris ante tempus à me
rationem ordinis, & diſponendarum rerum requiſiſſe. Nam
ſi ego omnem vim oratoris in argumentis, & in re ipſa per
ſe comprobanda poſuiſſem, tempus eſſet jam de ordine ar-
gumentorum, & de collocatione aliquid dicere: ſed cùm
tria ſint à me propoſita, de uno dictum: cùm de duobus re-
liquis dixero, tum erit denique de diſponenda tota oratione
quærendum. Valet igitur multùm ad vincendum, *probari* 43
mores, inſtituta, & facta, & vitam eorum, qui agent cauſas,
& eorum, pro quibus: & item improbari adverſariorum,
animoſque eorum, apud quos agitur, conciliari quàm maxi-
mè ad benivolentiam cùm erga oratorem, tum erga illum,
pro quo dicet orator. *Conciliantur* autem animi dignitate
hominis, rebus geſtis, exiſtimatione vitæ: quæ facilius or-
nari poſſunt, ſi modò ſunt, quàm fingi, ſi nulla ſunt. Sed
hæc adjuvant in oratore, lenitas vocis, vultus, pudoris ſigni-
ficatio, verborum comitas: ſi quid perſequare acrius, ut *in-
vitus*, & coactus facere videare. facilitatis, liberalitatis,
manſuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, non
avidi, ſigna proferri perutile eſt: eaque omnia, quæ pro-
borum, demiſſorum, non acrium, non pertinacium, non
litigioſorum, non acerborum ſunt, valde [4] benivolentiam
conciliant, abalienantque ab iis, in quibus hæc non ſunt.
Itaque eadem ſunt in adverſarios ex contrario conferenda.
Sed genus hoc totum orationis in iis cauſis excellet, in qui-
bus minus poteſt inflammari animus judicis acri & vehe-
menti quadam incitatione. Non enim ſemper fortis oratio
quæritur, ſed ſæpe placida, ſummiſſa, lenis, quæ maximè
commendat reos. *Reos* autem appello, non eos modò, qui
arguuntur, ſed omneis, quorum de re diſceptatur. ſic enim
olim loquebantur. Horum igitur exprimere mores oratio-
ne, juſtos, integros, religioſos, timidos, perferenteis inju-
riarum, mirum quiddam valet: & hoc vel in principiis, vel
in re narranda, vel in peroranda, tantam habet vim, ſi eſt
ſuaviter, [5] & cum ſenſu tractatum, ut ſæpe plus, quàm cau-
ſa, valeat. Tantum autem efficitur ſenſu quodam, ac ratio-
ne dicendi, ut quaſi *mores* oratoris effingat oratio. Genere
enim quodam ſententiarum, & genere verborum, adhibita
etiam actione leni, [6] facilitatemque ſignificanti, efficitur,
ut probi, ut benè morati, ut boni viri eſſe videantur. Huic 44
autem eſt illa diſpar adjuncta ratio orationis, quæ alio quo-
dam genere menteis judicum *permovet*, impellitque, ut aut
oderint, aut diligant, aut invideant, aut ſalvum velint, aut
metuant, [7] aut ſpernant, aut cupiant, aut abhorreant, aut
lætentur, aut mœreant, aut miſereantur, aut punire velint,
aut [8] ad eos motus abducantur, ſi qui finitimi ſunt, & pro-
pinqui his ac talibus animi perturbationibus. Atque illud
optandum eſt oratori, ut aliquam permotionem animorum
ſua ſponte ipſi afferant ad cauſam judices, ad id, quod utilitas
oratoris feret, accommodatam. Facilius est enim cur-
rentem (ut ajunt) incitare, quàm commovere languentem.
Sin id, aut non erit, aut erit obſcurius, ſicut *medico* diligen-
ti, priuſquàm conetur ægro adhibere medicinam, [9] non ſo-
lùm morbus ejus, cui mederi volet, ſed etiam conſuetudo
valentis, & natura corporis cognoſcenda eſt: ſic equidem
[1] cùm

1. *Sic has ego argumentorum novi notas, quæ illa mihi quærenti de-
monſtrant, ubi ſint. reliqua, &c.*] Pal. oct. non habet *novi*, ſed *erui*,
quod & in primo. ſed is præterea ſcripſit: *erui notas, quærenti de-
monſtrari, ubi ſint.* & verò Pal. ſecund. item Pith. non agnoſcit,
quæ illa mihi; ut veriſimile ſit reſtituendum auctori: *ſic has argu-
mentorum notas quærenti demonſtrari ubi ſint: reliqua, &c.*

2. *Relinquere alias, alioque tranſire.*] Pal. pr. ſec. *aliorſum tranſire*;
ut ſuſpicer repetendam dictionem præcedentem, *relinquere alias,
alias aliorſum tranſire.*

3. *Quod agitur adjunges.*] Adnotavit Gulielmius forte legendum,
quo de agitur, non abſurdè.

4. *Benivolentiam conciliant.*] Pith. item Pal. pr. ac ſec. *concinant.*
unde putabat Gulielmius geminata litera reponendum *concinnant*,
ſed præſtat credere *li* mutatum inſcitia librariorum in *n*.

5. *Et cum ſenſu tractatum.*] Nihil mutant Palatini; neque ne-
ceſſe eſt aliquid adjici, ut volebat Lambinus.

6. *Facilitatemque ſignificanti.*] Sic Pal. ſec. neque abit primus niſi
quod is, *ſignificati.* erat etiam noſtrum in Memmiano membr. nam
Pith. *facilitatem ſignificanti*, ſine copula. vulgata, *facilitateque ſigni-
ficandi*: Aldus Nepos publicavit, *facultateque ſignificandi.*

7. *Aut ſpernant, aut cupiant.*] Lambiniana, *aut ſperent.* quod in
Pal. quarto, quinto, octavo.

8. *Ad motus abducantur.*] Editio prima & Victoriana, *adducan-
tur.* MſT. noſtri *deducantur*, aut *deducant.*

9. *Non ſolum morbus ejus, cui mederi volet.*] Priores tres voces re-
ſtant tantummodo in Pal. prim. in ſec. Pith. & Memm. membr.
quatuor. Non habent, inquam, *cui mederi volet.* & verò non re-
quiram ſi abſint.

[1] cùm aggredior ancipitem cauſam, & gravem ad animos judicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione, curaque verſor, ut odorer quàm ſagaciſſimè poſſim, quid ſentiant, quid exiſtiment, quid exſpectent, quid velint, quò deduci oratione facillimè poſſe videantur. Si ſe dant, &, ut antè dixi, ſua ſponte, quo impellimus, inclinant, atque propendent: accipio quod datur, & ad id, unde aliquis flatus oſtenditur, vela do. Sin eſt integer, quietuſque judex: plus eſt operis. ſunt enim omnia dicendo excitanda, nihil adjuvante natura. Sed tantam vim habet illa, quæ rectè à bono poëta dicta eſt [2] flexanima, atque omnium regina rerum, oratio, ut non modò [3] inclinantem erigere, aut ſtantem inclinare, ſed etiam adverſantem, & repugnantem,
45 ut *imperator* bonus ac fortis, capere poſſit. Hæc ſunt illa, quæ me ludens Craſſus modò flagitabat, quæ à me divinitus tractari ſolere diceret, & in cauſa M. Aquilii, Cajique Norbani, nonnulliſque aliis, quaſi præclarè acta, laudaret: quæ mehercule ego, Craſſe, cùm à te tractantur in cauſis, horrere ſoleo. tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor, oculis, vultu, geſtu, digito denique iſto tuo ſignificari ſolet: tantum eſt flumen graviſſimorum, optimorumque verborum, tam integræ ſententiæ, tam veræ, tam novæ, tam ſine pigmentis, fucoque puerili, ut mihi non ſolùm tu incendere judicem, ſed ipſe ardere videaris. NEQUE FIERI poteſt, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimeſcat aliquid, ut ad fletum, miſericordiamque deducatur; niſi omnes ii motus, quos orator adhibere volet judici, in ipſo oratore impreſſi eſſe, atque inuſti videbuntur. Quòd ſi *fictus* aliquis dolor ſuſcipiendus eſſet, & ſi in ejuſmodi genere orationis nihil eſſet, niſi falſum, atque imitatione ſimulatum, major ars aliqua forſitan eſſet requirenda. nunc ego, quid tibi Craſſe, quid ceteris accidat, neſcio: de me autem cauſa nulla eſt, cur apud homines prudentiſſimos, atque amiciſſimos *mentiar*. non mehercule umquam apud judices, aut dolorem, aut miſericordiam, aut invidiam, aut odium excitare dicendo volui: quin ipſe in commovendis judicibus, iis ipſis ſenſibus, ad quos illos adducere vellem, permoverer. NEQUE ENIM facile eſt perficere, ut iraſcatur, cui tu velis, judex, ſi tu ipſe id lentè ferre videare: neque ut oderit eum, quem tu velis, niſi teipſum flagrantem odio antè viderit: neque ad miſericordiam adducetur, niſi ei tu ſigna doloris tui verbis, ſententiis, voce, vultu, collacrymatione denique oſtenderis. UT ENIM nulla materies tam facilis ad exardeſcendum eſt, quæ, niſi admoto igni, ignem concipere poſſit: ſic nulla mens eſt tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quæ poſſit incendi, niſi
46 inflammatus ipſe ad eam, & ardens acceſſeris. Ac, ne fortè hoc magnum, ac mirabile eſſe videatur, hominem toties iraſci, toties dolere, toties omni animi motu concitari, præſertim in rebus alienis, magna vis eſt earum ſententiarum, atque eorum locorum, quos agas tracteſque dicendo, nihil ut opus ſit ſimulatione & fallaciis. ipſa enim natura orationis ejus, quæ ſuſcipitur ad aliorum animos permovendos, oratorem ipſum magis etiam, quàm quemquam eorum, qui audiunt, permovet. Et ne hoc in cauſis, in judiciis, in amicorum periculis, in concurſu hominum, in civitate, in foro accidere miremur, cùm agitur non ſolùm ingenii noſtri exiſtimatio (nam id eſſet levius: quamquam, cùm profeſſus ſis, te id poſſe facere, quod pauci, ne id quidem negligendum eſt) ſed alia ſunt majora multo, *fides*, officium, diligentia: quibus rebus adducti, etiam cùm alieniſſimos defendimus, tamen eos alienos, ſi ipſi viri boni volumus haberi, exiſtimare non poſſumus. Sed, ut dixi, ne hoc in nobis mirum eſſe videatur, quid poteſt eſſe tam fictum, quàm verſus, quàm ſcena, quàm fabulæ? tamen in hoc genere ſæpe ipſe vidi, cùm ex perſona mihi ardere oculi hominis hiſtrionis viderentur [4] ſpondalia illa dicentis,

,, *Segregare abs te auſus, aut ſine illo Salamina ingredi?*
,, *Neque paternum adſpectum es veritus?*

Numquam illum adſpectum dicebat, quin mihi Telamon iratus furere luctu filii videretur. Ut idem inflexa ad miſerabilem ſonum voce,

,, *Quem ætate exacta indigem*
,, *Liberûm laceraſti, orbaſti, exſtinxſti: neque fratris necis,*
,, *Neque gnati ejus parvi, qui tibi in tutelam eſt traditus?*

flens ac lugens dicere videbatur. Quæ ſi ille hiſtrio, quotidiè cum ageret, tamen rectè agere ſine dolore non poterat, quid? Pacuvium putatis in ſcribendo leni animo, ac remiſſo fuiſſe? Fieri nullo modo potuit. Sæpe enim audivi, POETAM BONUM neminem (id quod à Democrito, & Platone in ſcriptis relictum eſſe dicunt) ſine inflammatione animorum exſiſtere poſſe, & ſine quodam afflatu quaſi furoris. Quare nolite exiſtimare meipſum, qui non heroum veteres 47
caſus, fictoſque luctus vellem imitari, atque adumbrare dicendo; neque actor eſſem *alienæ perſonæ*, ſed auctor meæ, cùm mihi M. Aquilius in civitate retinendus eſſet, quæ in illa cauſa peroranda fecerim, ſine magno dolore feciſſe. Quem enim ego Cos. fuiſſe, imperatorem ornatum à ſenatu, ovantem in Capitolium aſcendiſſe meminiſſem, [5] hunc cùm afflictum, debilitatum, mœrentem, in ſummum diſcrimen adductum viderem, non prius ſum conatus miſericordiam aliis commovere, quàm miſericordia ſum ipſe captus. Senſi quidem tum magnopere moveri judices, cùm excitavi mœſtum, ac ſordidatum ſenem, & cùm iſta feci, quæ tu, Craſſe, laudas, non arte, de qua quid loquar neſcio, ſed *motu magno animi*, ac dolore, ut diſcinderem tunicam, ut cicatrices oſtenderem, cùm C. Marius mœrorem orationis meæ præſens ac ſedens multùm lacrymis ſuis adjuvaret: cumque ego illum crebrò appellans, collegam ei ſuum commendarem, atque ipſum advocatum ad communem imperatorum *fortunam* defendendam invocarem: non fuit hæc ſine meis lacrymis, non ſine dolore magno miſeratio, omniumque deorum, & hominum, & civium, & ſociorum imploratio: quibus omnibus verbis, quæ à me tum ſunt habita, ſi dolor abfuiſſet meus, non modò non miſerabilis, ſed etiam irridenda fuiſſet oratio mea. Quamobrem hoc vos doceo, Sulpici, bonus ego videlicet, atque eruditus magiſter, ut in dicendo iraſci, ut dolere, ut flere poſſitis. quamquam te quidem quid hoc doceam, qui in accuſando, [6] ſodali, & quæſtore meo, tantum *incendium* non oratione ſolùm, ſed multo etiam magis vi, & dolore, & ardore animi concitaras, ut ego ad id reſtinguendum vix conarer accedere? Habueras enim tum omnia in cauſa ſuperiora: vim, fugam, lapidationem, crudelitatem tribunitiam, in Cæpionis gravi, miſerabilique caſu: in judicium vocabas: deinde principem & ſenatus, & civitatis, M. Æmilium, lapide percuſſum eſſe conſtabat: vi pulſum ex templo L. Cottam, & T. Didium, cùm *intercedere* vellent rogationi, ne-

1. *Cum aggredior ancipitem cauſam & gravem, ad animos, &c.*] Ita quidem Pall. poſteriores. ſed pr. & ſec. item duo Gallicani, *cum aggredior in ancipiti cauſa & gravi ad animos, &c.* neque diſplicebat Gulielmio.

2. *Flexanima, atque omnium regina rerum oratio.*] In duobus Lambinianis, non eſt copulatio *atque*, neque exſtat in Memm. aut Pith. & ſic fuerit pars ſeptenarii. retinent eam tamen Pal. poſteriores. nam primus præfert: *flos atque anima omnium.* ſec. *lex atque animi natura omnium.*

3. *Inclinantem erigere.*] Pall. pr. ſec. item Memm. & Pith. *excipere.* & fere eſt ut præponam vulgato. loquitur enim de judice, tanquam de milite nobis adverſario.

4. *Spondalia illa dicentis.*] Pal. prim. & Pith. *ſpondali illa.* ſec. & Memm. *ſpondali illa.* vulgata tamen remanſit in Pall. ceteris. Auratus mutabat in *Sophoclea illa.* Turnebus lib. xx. Adverſ. cap. 17. inſerebat literam, ut fieret *ſpondialia*; qui videatur. ut etiam Cælius Rhodiginus lib. vi. Antiq. lect. cap. 9. *Spondalia illa, &c.*] Legendum *ſpondaulia.* Nam σπονδαυλαι, tibicines, qui hujuſmodi tibias inflabant: σπόνδαυλος enim tibia hæc dicebatur: inde σπονδαύλιον μέλος. *Salmaſ.*

5. *Hunc cum adflictum debilitatum.*] Memmii membr. & duo Pall. priores, *cum derelictum.* ferè probem.

6. *Sodali & quæſtore meo.*] Uterque Memm. nec non Pith. & tres Pal. *ſodali meo*, excluſis intermediis, nec deſiderem.

48 ni, nemo poterat negare. Accedebat, ut hæc tu adoleſcens pro rep. queri ſumma cum dignitate exiſtimarere: ego homo cenſorius vix ſatis honeſtè viderer ſeditioſum civem, & in hominis conſularis calamitate crudelem, poſſe defendere. Erant optimi cives judices, bonorum virorum plenum forum, vix ut mihi tenuis quædam venia daretur excuſationis, quòd tamen eum defenderem, [1] qui mihi quæſtor fuiſſet. Hic ego quid dicam me artem aliquam adhibuiſſe? quid fecerim, narrabo. ſi placuerit, vos meam defenſionem in aliquo artis loco reponetis. Omnium ſeditionum genera, vitia, pericula collegi, eamque orationem ex omni reip. noſtræ temporum varietate repetivi, concluſique ita, ut dicerem, etſi omnes moleſtæ ſemper *ſeditiones* fuiſſent, juſtas tamen fuiſſe nonnullas, & propè neceſſarias. Tum illa, quæ modò Craſſus commemorabat, egi; neque reges ex hac civitate exigi, neque tribunos pl. creari, neque plebiſcitis toties conſularem poteſtatem minui, neque *provocationem*, patronam illam civitatis, ac vindicem libertatis, populo Rom. dari ſine nobilium diſſenſione potuiſſe: ac, ſi illæ ſeditiones ſaluti huic civitati fuiſſent, non continuò, ſi quis motus populi factus eſſet, id C. Norbano, [2] in nefario crimine, atque in fraude capitali eſſe ponendum. Quòd ſi umquam populo Rom. conceſſum eſſet, ut jure *concitatus* videretur, id quod docebam ſæpe eſſe conceſſum, nullam illa cauſam juſtiorem fuiſſe. Tum omnem orationem traduxi, & converti in increpandam Cæpionis fugam, in deplorandum interitum exercitus. ſic & eorum dolorem, qui lugebant ſuos, oratione refricabam, & animos equitum Romanorum, apud quos tum judices cauſa agebatur, ad Q. Cæpionis odium, à quo erant ipſi propter judicia abalienati, [3] renovabam, atque revocabam.

49 Quod ubi ſenſi me [4] in poſſeſſione judicii, ac defenſionis meæ conſtitiſſe, quòd & populi benivolentiam mihi conciliaram, cujus jus etiam cum ſeditionis conjunctione defenderam, & judicum animos totos vel calamitate civitatis, vel luctu, ac deſiderio propinquorum, vel odio proprio in Cæpionem ad cauſam noſtram converteram: tunc admiſcere huic generi orationis vehementi, atque atroci genus illud alterum, de quo antè diſputavi, lenitatis & manſuetudinis cœpi; me pro meo ſodali, qui mihi in *liberûm* loco more majorum eſſe deberet, & pro mea omni fama prope, fortuniſque decernere; nihil mihi ad exiſtimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere poſſe, quàm ſi is, qui ſæpe alieniſſimis à me, ſed meis tamen civibus, ſaluti exiſtimarer fuiſſe, ſodali meo auxilium ferre non potuiſſem. Petebam à judicibus, ut illud ætati meæ, ut honoribus, ut rebus geſtis, ſi juſto, ſi pio dolore me eſſe affectum viderent, concederent: præſertim ſi in aliis cauſis intellexiſſent, omnia me ſemper pro amicorum periculis, nihil unquam pro meipſo deprecatum. Sic in illa omni defenſione atque cauſa, quod eſſe in arte poſitum videbatur, ut de lege Apuleia dicerem, ut, quid eſſet *minuere majeſtatem*, explicarem, perquàm breviter perſtrinxi, atque attigi. [5] His duabus partibus orationis, quarum altera concitationem habet, altera commendationem, quæ minimè præceptis artium ſunt perpolitæ, omnis eſt à me illa cauſa tractata, ut & acerrimus in Cæpionis invidia renovanda, & in meis moribus erga meos neceſſarios declarandis manſuetiſſimus viderer. Ita magis affectis animis judicum, quàm

50 doctis; tua, Sulpici, eſt à nobis tum accuſatio victa. Hic Sulpicius, Vere hercule, inquit, Antoni, iſta commemoras; nam ego nihil umquam vidi, quod tam è manibus elaberetur, quàm mihi tum eſt elapſa illa cauſa. Cum enim (quemadmodum dixiſti) tibi ego non judicium, ſed *incendium* tradidiſſem, quod tuum principium, dii immortales, fuit? qui timor? quæ dubitatio? quanta hæſitatio, tractuſque verborum? Ut illud initiò, quod tibi unum ad ignoſcendum homines dabant, tenuiſti; te [6] pro homine perneceſſario, quæſtore tuo, dicere: quam tibi primùm muniſti ad te audiendum viam? Ecce autem, cùm te nihil aliud profeciſſe arbitrarer, niſi ut homines tibi, civem improbum defendenti, ignoſcendum *propter neceſſitudinem* arbitrarentur, ſerpere occultè cœpiſti, nihildum aliis ſuſpicantibus, me verò jam pertimeſcente, ut illam non Norbani ſeditionem, ſed illam populi Romani iracundiam, neque eam injuſtam, ſed meritam ac debitam fuiſſe defenderes. deinde qui locus abs te prætermiſſus eſt in Cæpionem? ut tu illa omnia odio, invidia, miſericordia miſcuiſti? Neque hæc ſolùm in defenſione, ſed etiam in Scauro, ceteriſque meis teſtibus, quorum teſtimonia non refellendo, ſed ad eundem impetum populi confugiendo, refutaſti. Quæ cùm abs te modò commemorarentur, equidem nulla præcepta deſiderabam. [7] iſtam enim ipſam demonſtrationem defenſionum tuarum abs te ipſo commemoratam, doctrinam eſſe non mediocrem puto. Atqui, ſi ita placet, inquit Antonius, trademus etiam, quæ nos ſequi in dicendo, quæque maximè ſpectare ſolemus. *docuit* enim jam nos longa vita, uſuſque rerum maximarum, ut quibus rebus animi hominum moverentur, teneremus. Equidem primùm con- 51
ſiderare ſoleo, poſtuletne cauſa, nam neque parvis in rebus adhibendæ ſunt hæ *dicendi faces*, neque ita animatis hominibus, ut nihil ad eorum menteis oratione flectendas proficere poſſimus, ne aut irriſione, aut odio digni putemur, ſit aut tragœdias agamus in nugis, aut convellere adoriamur ea, quæ non poſſint commoveri. Nam quoniam hæc ferè maximè ſunt in judicum animis, aut, quicumque illi erunt, apud quos agemus, oratione molienda, amor, odium, iracundia, invidia, miſericordia, ſpes, lætitia, timor, moleſtia: ſentimus *amorem* conciliari, ſi id videare, quod ſit utile ipſis, apud quos agas, defendere: ſi aut pro bonis viris, aut certè pro iis, qui illis boni, atque utiles ſint, laborare. namque hæc res amorem magis conciliat, illa virtutis defenſio caritatem: pluſque proficit, ſi proponitur ſpes utilitatis *futuræ*, quàm *præteriti* beneficii commemoratio. Enitendum eſt, ut oſtendas, in ea re, quam defendas, aut dignitatem ineſſe, aut utilitatem: eumque, cui concilies hunc amorem, ſignifices nihil ad utilitatem ſuam retuliſſe, ac nihil omnino feciſſe cauſa ſua. INVIDETUR enim commodis hominum ipſorum; ſtudiis autem eorum ceteris commodandi favetur. Videndumque hoc loco eſt, ne, quos ob benefacta diligi volemus, eorum laudem, atque gloriam, cui maximè invideri ſolet, nimis efferre videamur. Atque iiſdem his ex locis & odium in alios ſtruere diſcemus, & à nobis, ac noſtris, demovere: eademque hæc genera tractanda ſunt in *iracundia* vel excitanda, vel ſedanda. nam ſi, quod ipſis, qui audiunt, pernicioſum, aut inutile ſit, id factum augeas: odium creatur. ſin, quod aut in bonos viros, aut in eos, in quos quiſque minime debuerit, aut in rempub. tum excitatur ſi non tam acerbum odium, tamen aut invidiæ, aut odii non diſſimilis offenſio. Item *timor* incutitur aut ex ipſorum periculis, aut ex communibus. interior eſt ille proprius: ſed hic quoque communis ad ean-

1. *Qui mihi quæſtor fuiſſet.*] Duo Pall. & totidem Gallicani, *itaque* exhibent, non *quæſtor*: quod tamen conſtanter in ceteris Palatinis: adeo ut pateat non unius eſſe ſæculi horum illorumque librorum diſcordem concordiam.

2. *In nefario crimine.*] Totum iſtud abeſt Pal. ſec. at primus ejus loco habet, *in* [illegible], quomodo & Memm. membr.

3. *Renovabam atque revocabam.*] Illud, *atque revocabam*, non viſitur in Palat. prim. ſec. tert. aut Memm. membr. neque deſideratur.

4. *In poſſeſſione, &c.*] Pal. ſec. item Pith. *poſſeſſionem*.

5. *His duabus partibus orationis.*] Quadriga illa Germano-Gallica, *His duabus orationibus.* quod excutient quibus otium aliquod.

6. *Pro homine perneceſſario, quæſtore tuo dicere.*] Dictio *dicere* non eſt in Pall. pr. ſec. aut Memm. membr. & belle meis quidem auribus, ſubintelligitur.

7. *Iſtam enim ipſam demonſtrationem, &c. commemoratam doctrinam eſſe, &c.*] Pro his omnibus eſt ſolum in Pal. pr. & Pith. Memmianoque membr. *ipſam tam doctrinam eſſe, &c.* neque aliter ſec. niſi quod is, *tum*, loco *tamen*; reſtat tamen vulgata in reliquis Pall. idcoque non auſus ſum abjicere.

52 ad eandem ſimilitudinem eſt perducendus. Par, atque una
ratio eſt *ſpei*, lætitiæ, moleſtiæ. ſed haud ſciam, an acer-
rimus longe ſit òmnium motus invidiæ. nec minus virium
opus ſit in ea comprimenda, quàm in excitanda. *Invident*
autem homines maximè paribus, aut inferioribus, cùm ſe
relictos ſentiunt, illos autem dolent evolaſſe. ſed etiam
ſuperioribus invidetur ſæpe vehementer, & eo magis, ſi
intolerantiùs ſe jactant, & æquabilitatem communis juris,
præſtantia dignitatis, aut fortunæ ſuæ tranſeunt: quæ ſi
inflammanda ſunt, maximè dicendum eſt, non eſſe vir-
tute parta: deinde etiam vitiis, atque peccatis: tum ſi erunt
honeſtiora, atque graviora, tamen *non eſſe tanti* ulla merita,
quanta inſolentia hominis, quantumque faſtidium. Ad ſe-
dandum autem, magno illa labore, magnis periculis eſſe
parta, nec ad ſuum commodum, ſed ad aliorum eſſe colla-
ta, ſeſeque, ſiquam gloriam peperiſſe videatur, tametſi ea
non ſit [1] iniqua merces periculi, tamen ea non delectari,
totamque abjicere, atque deponere omninoque perficien-
dum eſt, (quoniam plerique ſunt invidi, maximeque eſt
hoc [2] commune vitium, & pervagatum: *invidetur* autem
præſtanti, florentique fortunæ) ut hæc opinio minuatur,
&, illa excellens opinione fortuna cum laboribus, & mi-
ſeriis permiſta eſſe videatur. Jam *miſericordia* movetur, ſi
is, qui audit, adduci poteſt, ut illa, quæ de altero deplo-
rentur, ad ſuas res revocet, quas aut tulerit acerbas, aut ti-
meat; aut intuens alium, crebrò ad ſeipſum revertatur. Ita
cùm ſinguli caſus humanarum miſeriarum graviter acci-
piuntur, ſi dicuntur dolenter, tum afflicta, & proſtrata
virtus maximè luctuoſa eſt; & ut illa altera pars orationis,
quæ probitatis commendatione, boni viri debet ſpeciem
tueri, lenis, (ut ſæpe jam dixi,) atque ſummiſſa; ſic hæc,
quæ ſuſcipitur ab oratore ad commutandos animos, atque
omni ratione flectendos, intenta, ac vehemens eſſe debet.
53 Sed eſt quædam in his duobus generibus, quorum alterum
lene, alterum vehemens eſſe volumus, difficilis ad diſtin-
guendum ſimilitudo. Nam ex illa lenitate, qua concilia-
mur iis, qui audiunt, ad hanc vim acerrimam, qua eoſdem
excitamus, influat oportet aliquid, [3] & ex hac vi nonnum-
quam animi aliquid inflammandum eſt illi lenitati: neque
eſt ulla temperatior oratio, quàm illa, in qua aſperitas
contentionis, oratoris ipſius humanitate conditur: remiſſio
autem lenitatis, quadam gravitate & contentione firmatur.
In utroque autem genere dicendi, & illo, in quo vis atque
contentio quæritur, & hoc, quod ad vitam, & mores ac-
commodatur, & *principia* tarda ſunt, & *exitus* tamen ſpiſſi
& producti eſſe debent. Nam neque aſſiliendum ſtatim eſt
ad illud genus orationis, (abeſt enim totum à cauſa) & ho-
mines prius ipſum illud, quod proprium ſui judicii eſt, au-
dire deſiderant, nec cùm in eam rationem ingreſſus ſis, ce-
leriter diſcedendum eſt. Non enim, ſicut argumentum, ſi-
mul atque poſitum eſt, arripitur, alterumque, & tertium
poſcitur: ita miſericordiam, aut invidiam, aut iracundiam,
ſimulatque intuleris, poſſis commovere. Argumentum
enim ratio ipſa confirmat, quæ ſimulatque emiſſa eſt, ad-
hæreſcit. Illud autem genus orationis non cognitionem ju-
dicis, ſed magis perturbationem requirit, quam conſequi,
niſi multa, & varia, & copioſa oratione, & ſimili conten-
tione actionis, nemo poteſt. Quare qui aut breviter, aut
ſummiſsè dicunt, docere judicem poſſunt, commovere
non poſſunt, in quo ſunt *omnia*. Jam illud perſpicuum eſt,
omnium rerum in contrarias parteis facultatem ex iiſdem
ſuppeditari locis. Sed argumento reſiſtendum eſt, aut iis,
quæ comprobandi ejus cauſa ſumuntur, reprehendendis,
aut demonſtrando, id, quod concludere illi velint, [4] non
effici ex propoſitis, nec eſſe conſequens: aut, ſi ita non re-
fellas, afferendum eſt in contrariam partem, quod ſit aut
gravius, aut æque grave. Illa autem, quæ aut conciliatonis
cauſa leniter, aut, permotionis vehementer aguntur, con-
trariis commotionibus inferenda ſunt, ut odio benivolen-
tia, miſericordiâ invidia tollatur. Suavis autem eſt, & ve- 54
hementer ſæpe utilis *jocus*, & facetiæ: quæ etiam ſi alia o-
mnia tradi arte poſſunt, naturæ ſunt propria certè, neque
ullam artem deſiderant: in quibus tu longè aliis, mea ſen-
tentia, Cæſar, excellis: quo magis mihi etiam teſtis eſſe
potes, aut nullam eſſe artem ſalis, aut, ſi qua eſt, eam nos
tu potiſſimùm docebis. Ego verò, inquit Cæſar, omni de
re [5] facetiùs puto poſſe ab homine non inurbano, quàm de
ipſis facetiis, diſputari. Itaque cùm quoſdam Græcos in-
ſcriptos libros eſſe vidiſſem *de ridiculis*, nonnullam in ſpem
veneram, poſſe me aliquid ex iſtis diſcere. inveni autem
ridicula, & ſalſa multa Græcorum. nam & Siculi in eo ge-
nere, & Rhodii, & Byzantii, & præter ceteros, Attici ex-
cellunt: ſed qui ejus rei rationem quandam conati ſunt, ar-
temque tradere, ſic inſulſi exſtiterunt, ut nihil aliud eo-
rum, niſi ipſa inſulſitas, rideatur. Quare mihi nullo vide-
tur modo doctrina iſta res poſſe tradi. Etenim cùm duo ge-
nera ſint facetiarum, alterum æquabiliter in omni ſermone
fuſum, alterum peracutum & breve: illa à veteribus ſupe-
rior, cavillatio; hæc altera, dicacitas nominata eſt. Leve
nomen habet utraque res: quippe leve enim eſt totum hoc,
riſum movere. Verumtamen (ut dicis Antoni) multum in
cauſis perſæpe lepôre, & facetiis profici vidi. Sed cùm in
illo genere perpetuæ feſtivitatis ars non deſideretur, (natura
enim fingit homines & [6] creat imitatores & narratores fa-
cetos, & vultu adjuvante, & voce, & ipſo genere ſermonis)
tum verò in hoc altero dicacitatis, quid habet ars loci, cùm
antè illud facetum dictum, emiſſum hærere debeat, quam
cogitari potuiſſe videatur? Quid enim hic meus frater ab
arte adjuvari potuit, cùm à Philippo interrogatus, *quid la-
traret*, Furem ſe videre reſpondit? Quid in omni oratione
Craſſus vel apud centumviros contra Scævolam, vel contra
accuſatorem Brutum, cùm pro Cn. Planco diceret? Nam
id, quod tu mihi tribuis, Antoni, Craſſo eſt, omnium
ſententia, concedendum. Non enim ferè quiſquam repe-
rietur, præter hunc, in utroque genere lepôris excellens, &
illo, qui in perpetuitate ſermonis, & hoc, qui in celeritate,
atque dicto eſt. nam hæc perpetua contra Scævolam Curiana
defenſio, tota redundavit hilaritate quadam, & joco: dicta
illa brevia non habuit. Parcebat enim adverſarii dignitati,
in quo ipſo *ſervabat ſuam*, quod eſt hominibus facetis, &
dicacibus difficillimum, habere hominum rationem &
temporum, & ea, quæ occurrant, cùm ſalſiſſimè dici poſ-
ſint, tenere. Itaque nonnulli ridiculi homines hoc ipſum
non inſulſe interpretantur. [7] Dicere enim ajunt Ennium:
„ *flammam à ſapiente facilius ore in ardente opprimi, quàm bo-
na dicta teneat*: hæc ſcilicet *bona dicta*, quæ ſalſa ſint. nam ea
dicta appellantur proprio jam nomine. Sed ut in Scævolam 55
continuit ea Craſſus, atque illo altero genere, in quo nulli
aculei.

1. *Iniqua merces periculi.*] Pall. aliquot & Memm. membr. *æqua*, quod placebat Gulielmio. Pall. quoque iidem ferè omnes, item Pith. & Memmii membranaceus repræſentant, *tamen etſi*, ubi hodie eſt *tametſi*; eidem complacitum.

2. *Commune vitium & perpetuum.*] Malui iſtud præ publicato, *& pervagatum*, cum Palatin. prim. ſecund. ac duobus Francicis membranis.

3. *Et ex hac vi nonnunquam animi aliquid inflammandum eſt illi lenitati.*] Ita ſcripſi ſecutus quadrigam mſſ. ſæpius laudatorum, item Palat. oct. & non. nam vulgata *influendum*. Lambinus, *infundendum*. Gulielmius conjectabat, *inflandum*, tranſlatione ducta à tibiis. ſi & mihi mutire licitum, omnia iſthæc habuerim pro putido emblemate librarii alicujus: ſanè ſi reſecentur, nihil depereat veneri ſententiæ.

4. *Non effici ex propoſitis.*] Sic Pall. ſed Memmianus membr. *ex poſitis*; quod ſatisfaciebat Gulielmio; ut & antea Lambino.

5. *Facetius puto eſſe.*] Arridet æque, quod in quatuor illis conjuratis Gallo-Palatinis, *facilius*, quod idem in Pal. quint. & ſept.

6. *Creat & imitatores & narratores facetos, & vultu, &c.*] Eadem quadriga, *creat imitatores facetiarum adjuvante & vultu, &c.*

7. *Dicere enim ajunt Ennium, flammam à ſapiente facilius, &c.*] Pro his ſolum reſtat in Pal. pr. *Dicere enim autupienti facilius, &c.* in ſec. & Pith. *aut cupienti facilius.* Memm. membr. *ajunt cupienti facilius, &c.* hæret tamen vulgatum in Pal. ceteris.

aculei contumeliarum inerant, cauſam illam, diſputationemque luſit: ſic in Bruto, quem oderat, & quem dignum contumelia judicabat, utroque genere pugnavit. Quàm multa de balneis, quas nuper ille vendiderat, quàm multa de amiſſo patrimonio dixit? atque illa brevia, cùm ille diceret, *ſe ſine cauſa ſudare: Minimè mirum*, inquit, *modò enim exiſti de balneis*. Innumerabilia hujuſcemodi fuerunt, ſed non minus illa jucunda perpetua. Cùm enim Brutus duos lectores excitaſſet, & alteri de colonia Narbonenſi Craſſi orationem legendam dediſſet, alteri de lege Servilia, & cùm contraria inter ſeſe de repub. capita contuliſſet, noſter hic facetiſſimè treis patris Bruti de jure civili libellos tribus legendos dedit. Ex libro primo, FORTE EVENIT, UT IN PRIVERNATI ESSEMUS. *Brute*, teſtificatur pater ſe tibi Privernatem fundum reliquiſſe. Deinde ex libro ſecundo, IN ALBANO ERAMUS EGO, ET MARCUS FILIUS. *Sapiens* videlicet homo cum primis noſtræ civitatis: norat hunc gurgitem: metuebat, ne, cùm is nihil haberet, nihil eſſe ei relictum putaretur. Tum ex libro tertio, in quo finem ſcribendi fecit (tot enim, ut audivi Scævolam dicere, ſunt veri Bruti libri) IN TIBURTI FORTE ASSEDIMUS EGO, ET MARCUS FILIUS. *Ubi* ſunt ii fundi, Brute, quos tibi pater publicis commentariis conſignatos reliquit? Quòd niſi puberem te, inquit, jam haberet, quartum librum compoſuiſſet, & ſe etiam [1] in balneis lotum cum filio, ſcriptum reliquiſſet. Quis eſt igitur, qui non fateatur, hoc lepôre, atque his facetiis non minus refutatum eſſe Brutum, quàm illis tragœdiis, quas egit idem, cùm caſu in eadem cauſa [2] cum funere efferretur anus Junia? Prò dii immortales, quæ fuit illa, quanta vis? quàm inexſpectata? quàm repentina? cùm, conjectis oculis, geſtu omni imminenti, ſumma gravitate, & celeritate verborum, BRUTE, QUID SEDES? quid illam anum patri nuntiare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid majoribus tuis? Quid L. Bruto, qui hunc populum dominatu regio liberavit? quid te facere? cui rei, cui gloriæ, cui virtuti ſtudere? Patrimonione augendo? at id non eſt *nobilitatis*. ſed fac eſſe, nihil ſupereſt; libidines totum diſſipaverunt. an juri civili? eſt paternum. ſed dicet, te, cùm ædeis venderes, ne in rutis quidem, & cæſis *ſolium* tibi paternum recepiſſe. an rei militari? qui numquam caſtra videris. an eloquentiæ? quæ nulla eſt in te: &, quidquid eſt vocis ac linguæ, omne in iſtum turpiſſimum calumniæ quæſtum contuliſti. Tu lucem aſpicere audes? tu hos intueri? tu in foro, tu in urbe, tu in civium eſſe conſpectu? tu illam mortuam, tu imagines ipſas non perhorreſcis? quibus non modò imitandis, ſed ne collocan-
56 dis quidem tibi ullum locum reliquiſti. Sed hæc tragica, atque divina: faceta autem & urbana, innumerabilia ex una concione meminiſtis. nec enim concio major umquam fuit, nec apud populum gravior oratio, quàm hujus contra collegam in cenſura nuper, neque lepôre, & feſtivitate conditior. Quare tibi, Antoni, utrumque aſſentior, & multùm *facetias* in dicendo prodeſſe ſæpe, & eas arte nullo modo poſſe tradi: & illud quidem admiror, te nobis in eo genere tribuiſſe tantum, & non hujus rei quoque palmam, ut ceterarum, Craſſo detuliſſe. Tum Antonius, Ego verò ita feciſſem, inquit, niſi interdum in hoc, Craſſo paullum inviderem. nam eſſe quamvis facetum, atque ſalſum, non nimis eſt per ſeipſum invidendum: ſed, cùm omnium ſis venuſtiſſimus, & urbaniſſimus, omnium graviſſimum, & ſeveriſſimum & eſſe, & videri, quod iſti contigit uni, id mihi vix ferendum videbatur. Hic cùm arriſiſſet ipſe Craſſus. Attamen, inquit Antonius, cùm artem eſſe facetiarum, Juli, negares: aperuiſti quiddam, quod præcipiendum videretur. Haberi enim dixiſti rationem oportere *hominum, rei, temporis*, nequid jocus de gravitate decerperet, quod quidem in primis à Craſſo obſervari ſolet. Sed hoc præceptum prætermittendum eſt facetiarum, cùm his nihil opus ſit. nos autem quomodo utamur, cùm opus ſit, quærimus: ut in adverſarium, & maximè ſi ejus ſtultitia poterit agitari, in teſtem ſtultum, cupidum, levem, ſi facilè homines audituri videbuntur. Omnino probabiliora ſunt, quæ *laceſſiti* dicimus, quàm quæ priores. nam & ingenii celeritas major eſt, quæ apparet in reſpondendo, & humanitatis eſt reſponſio. Videmur enim quieturi fuiſſe, niſi eſſemus laceſſiti, ut in iſta ipſa concione nihil ferè dictum eſt ab hoc, quod quidem facetius dictum videretur, quod non provocatus reſponderit. Erat autem tanta gravitas in Domitio, tanta auctoritas, ut, quod eſſet ab eo objectum, lepôre magis elevandum, quàm contentione frangendum videretur. Tum Sulpicius, quid igitur? inquit pa- 57
tiemur, Cæſarem, qui quamquam Craſſo facetias concedit, tamen multo in eo ſtudio magis ipſe elaborat, non explicare totum nobis genus hoc jocandi, quale ſit, & unde ducatur; præſertim cùm tantam vim, & utilitatem ſalis, & urbanitatis eſſe fateamur? Quid ſi, inquit Julius, aſſentior Antonio dicenti nullam eſſe artem ſalis? Hic cùm Sulpicius reticuiſſet. Quaſi verò, inquit Craſſus, horum ipſorum, de quibus Antonius [3] tamdiu loquitur, ars ulla ſit. *obſervatio* quædam eſt, ut ipſe dixit, earum rerum, quæ in dicendo valent: quæ ſi eloquenteis facere poſſit, quis eſſet non eloquens? Quis enim hæc vel non facilè, vel certè aliquo modo poſſet ediſcere? Sed ego in his præceptis hanc vim, & hanc utilitatem eſſe arbitror, non ut ad reperiendum, quid dicamus, arte ducamur, ſed ut ea, quæ natura, quæ ſtudio, quæ exercitatione conſequimur, aut recta eſſe confidamus, aut prava intelligamus, cùm, quò referenda ſint, didicerimus. Quare, Cæſar, ego quoque à te hoc peto, ut, ſi tibi videtur, diſputes de hoc toto jocandi genere, quid ſentias, nequa fortè dicendi pars, quoniam ita voluiſtis, in hoc tali cœtu, atque in tam accurato ſermone præterita eſſe videatur. Ego verò, inquit ille, quoniam [4] collectam à conviva, Craſſe, exigis, non committam, ut, ſi defugerim, tibi cauſam aliquam dem recuſandi. quamquam ſoleo ſæpe mirari eorum *impudentiam*, qui agunt in ſcena geſtum, [5] ſpectante Roſcio. quis enim ſeſe commovere poteſt, cujus ille vitia non videat? Sic ego nunc Craſſo audiente primùm loquar de facetiis, & docebo *ſus* (ut ajunt) oratorem eum, quem cùm Catulus nuper audiſſet, *fœnum alios* ajebat *eſſe oportere*. Tum ille, Jocabatur, inquit, Catulus, præſertim cùm ita dicat ipſe, ut ambroſia alendus eſſe videatur. verùm te, Cæſar, audiamus, ut ad Antonii reliqua redeamus. Et Antonius, perpauca quidem mihi reſtant, inquit: ſed tamen defeſſus jam labore, atque itinere diſputationis, requieſcam in Cæſaris ſermone, quaſi in aliquo peropportuno deverſorio. Atqui, inquit Julius, non 58
nimis liberale hoſpitium meum dices. nam te in viam, ſimul ac perpaullulum guſtaris, extrudam, & ejiciam. Ac, ne diutius vos demorer, de omni iſto genere, quid ſentiam, perbreviter exponam. De *riſu* quinque ſunt, quæ quærantur: unum, quid ſit: alterum, unde ſit: tertium, ſitne oratoris velle riſum movere: quartum, quatenus: quintum, quæ ſint genera ridiculi. Atque illud primum, quid ſit ipſe riſus, quo pacto concitetur, ubi ſit, quomodo exſiſtat, atque ita repentè erumpat, ut eum cupientes, *tenere* nequeamus, & quomodo ſimul latera, os, venas, vultum, oculos occupet, viderit Democritus. neque enim ad hunc ſermonem hoc pertinet: &, ſi pertineret, neſcire me tamen id non puderet, quod ne ipſi quidem illi ſcirent, qui polli-

1. *In balneis lotum cum filio.*] Malui iſtud quam receptum *locutum*, quod Pal. pr. & ſec. retinerent *locum*, haberentque primum illud a manu ſecunda, quintus ac ſextus; a prima tertius.

2. *Cum funere efferretur anus.*] Quatuorviri illi ut ita dicam, Palatino-Galli, non agnoſcunt *cum funere*, & meo animo ſatis ſubintelliguntur.

3. *Tamdiu loquitur.*] Iidem *jam diu*: quod retinet Gulielmius, dictum ut *jamdudum*, &c.

4. *Collectam à conviva exigis.*] De ea re Turnebus lib. III. Adverſar. cap. 6.

5. *Spectante Roſcio.*] Duo Pall. & totidem Gallicani, *inſpectante*.

pollicerentur. Locus autem, & regio quaſi ridiculi (nam id proximè quæritur) turpitudine, & deformitate quadam continetur. hæc enim ridentur vel ſola, vel maximè, quæ notant, & deſignant turpitudinem aliquam non turpiter. Eſt autem, ut ad illud tertium veniam, eſt planè oratoris movere riſum: vel quòd ipſa hilaritas benivolentiam conciliat ei, per quem excitata eſt: vel quod admirantur omnes acumen uno ſæpe in verbo poſitum, maximè reſpondentis, nonnunquam etiam laceſſentis: vel quòd frangit adverſarium, quòd impedit, quòd elevat, quòd deterret, quòd refutat: vel quòd ipſum oratorem, *politum* eſſe hominem ſignificat, quòd eruditum, quòd urbanum, maximeque quòd triſtitiam, ac ſeveritatem mitigat, & relaxat, odioſaſque res ſæpe, quas argumentis dilui non facile eſt, joco, riſuque diſſolvit. Quatenus autem ſint ridicula tractanda oratori, perquàm diligenter videndum eſt, id quod in quarto loco quærendi poſueramus. nam nec inſignis improbitas, & ſcelere juncta, nec rurſus miſeria inſignis agitata ridetur. *facinoroſos* majore quadam vi, quàm ridiculi, vulnerari volunt: miſeros illudi nolunt, niſi ſi ſe fortè jactant. Parcendum eſt autem maximè caritati hominum,
59 ne temerè in eos dicas, qui diliguntur. Hæc igitur adhibenda eſt primùm in jocando moderatio. itaque ea facillimè luduntur, quæ neque odio magno, neque miſericordia maxima digna ſunt. Quamobrem materies omnis ridiculorum eſt in iſtis vitiis, quæ ſunt in vita hominum neque carorum, neque calamitoſorum, neque eorum, qui ob facinus ad ſupplicium rapiendi videntur: eaque bellè agitata ridentur. Eſt etiam *deformitatis*, & corporis vitiorum ſatis bella materies ad jocandum. Sed quærimus idem, quod in ceteris rebus maximè quærendum eſt, quatenus. In quo non modò illud præcipitur, nequid inſulsè, ſed etiam ſi quid perridiculè poſſis, vitandum eſt oratori utrumque, ne aut ſcurrilis jocus ſit, aut mimicus. Quæ cujuſmodi ſint, faciliùs jam intelligemus, cùm ad ipſa ridiculorum genera venerimus. Duo enim ſunt genera facetiarum: quorum alterum re tractatur, alterum dicto. Re, ſi quando quid, tanquam aliqua fabella, narratur, ut olim tu, Craſſe, in Memmium, comediſſe eum lacertum Largii, cùm eſſet cum eo Tarracinæ de *amicula* rixatus. ſalſa, attamen à teipſo ficta tota oratio. addidiſti clauſulam, tota Tarracina, tum omnibus in parietibus inſcriptas fuiſſe litteras, tria LLL. duo MM. Cùm quæreres id, quid eſſet, ſenem tibi quendam oppidanum dixiſſe, Lacerat lacertum Largii mordax Memmius. Perſpicitis, hoc genus quàm ſit facetum, quàm elegans, quàm oratorium, ſive habeas verè, quod narrare poſſis, quod tamen eſt mendaciunculis adſpergendum, ſive fingas. Eſt autem hæc hujus generis virtus, ut ita facta demonſtres, ut mores ejus, de quo narres, ut ſermo, ut vultus omnes exprimantur, ut iis, qui audiunt, tum geri illa, fierique videantur. In re eſt item ridiculum, quod ex quadam depravata imitatione ſumi ſolet, ut idem Craſſus, *per tuam nobilitatem, per veſtram familiam.* Quid aliud fuit, in quo concio rideret, niſi illa vultus & vocis imitatio? *Per tuas ſtatuas* verò cùm dixit, & extento brachio paullulum etiam de geſtu addidit, vehementiùs riſimus. Ex hoc genere eſt illa Roſciana imitatio ſenis,

Tibi ego, Antipho, has ſero, inquit. *ſenium eſt, cùm audio.*

Atque ita eſt totum hoc ipſo genere ridiculum, ut cautiſſimè tractandum ſit. Mimorum eſt enim ethologorum, ſi nimia eſt imitatio, ſicut obſcænitas. orator ſurripiat oportet imitationem, ut is, qui audiat, *cogitet* plura, quàm videat: præſtet idem ingenuitatem, & ruborem ſuum, ver-
60 borum turpitudine, & rerum obſcænitate vitanda. Ergo hæc duo genera ſunt ejus ridiculi, quod in re poſitum eſt: quæ ſunt propria perpetuarum facetiarum, in quibus deſcribuntur hominum mores, & ita effinguntur, ut aut, re narrata aliqua, quales ſunt, intelligantur: aut, imitatione brevi injecta, in aliquo inſigni ad irridendum vitio reperiantur. In *dicto* autem ridiculum eſt, id, quod verbi, aut ſententiæ quodam acumine movetur, ſed ut in illo ſuperiore genere vel narrationis, vel imitationis, vitanda eſt mimorum ethologorum ſimilitudo: ſic in hoc, ſcurrilis oratori dicacitas magnopere fugienda eſt. Quî igitur diſtinguemus à Craſſo, à Catulo, à ceteris familiarem veſtrum, Granium, aut Vargulam, amicum meum? non mehercule in mentem mihi quidem venit: ſunt enim dicaces: Granio quidem nemo dicacior: Hoc, opinor, primùm, ne, quotieſcumque potuerit dictum dici, neceſſe habeamus dicere. Puſillus teſtis proceſſit. *Licet, inquit, rogare,* Philippus? Tum quæſitor properans, *Modò breviter.* Hic ille, *Non accuſabis. perpuſillum rogabo.* Ridiculè. Sed ſedebat judex L. Aurifex, brevior etiam, quàm ipſe teſtis. omnis eſt riſus in judicem converſus. viſum eſt totum ſcurrile judicium. Ergo hæc, quæ cadere poſſunt in quos nolis, quamvis ſint bella, ſunt tamen ipſo genere ſcurrilia: ut iſte, qui ſe vult dicacem, & mehercule eſt, Appius, ſed nonnumquam in hoc vitium ſcurrile delabitur. *Cenabo*, inquit, apud te, huic luſco, familiari meo, C. Sextio. uni enim locum eſſe video. Eſt hoc ſcurrile, & quòd ſine cauſa laceſſivit: & tamen id dixit, quod in omneis luſcos conveniret. Ea, quia meditata putantur eſſe, minùs ridentur. Illud egregium Sextii, & ex tempore, *Manus* lava, inquit & cena. Temporis igitur ratio, & ipſius dicacitatis moderatio, & temperantia & raritas dictorum, diſtinguet oratorem à ſcurra: &, quod nos cum cauſa dicimus, non ut ridiculi videamur, ſed ut proficiamus aliquid, illi totum diem, & ſine cauſa. Quid enim eſt Vargula aſſecutus, cùm eum candidatus A. Sempronius cum Marco ſuo fratre complexus eſſet? *Puer abige muſcas.* Riſum quæſivit, qui eſt, mea ſententia, vel tenuiſſimus ingenii fructus. Tempus igitur dicendi, prudentia, & gravitate moderabimur: quarum utinam artem aliquam haberemus: ſed domina natura eſt. Nunc expo- 61
namus genera ipſa ſummatim, quæ riſum maximè moveant. Hæc igitur ſit prima partitio, quod facetè dicatur, id aliàs in re habere, aliàs in verbo facetias: maximè autem homines delectari, ſi quando riſus conjunctè re verboque moveatur. Sed hoc mementote, quoſcumque locos attingam, unde ridicula ducantur, ex iiſdem locis ferè etiam graveis ſententias poſſe duci. tantum intereſt, quòd gravitas honeſtis in rebus ſeverè, jocus in turpiculis & quaſi deformibus ponitur: velut in iiſdem verbis & laudare frugi ſervum poſſumus, &, ſi eſt nequam, jocari. Ridiculum eſt illud Neronianum vetus in furace ſervo, *Solum eſſe*, cui domi nihil ſit nec obſignatum, nec occluſum: quod idem in bono ſervo dici ſolet: ſed hoc iiſdem etiam verbis. Ex iiſdem autem locis omnia naſcuntur. Nam quod Sp. Carvilio graviter claudicanti ex vulnere ob rempub. accepto, & ob eam cauſam verecundanti in publicum prodire, mater dixit, *Quin prodis*, mi Spuri? quotieſcumque gradum facies, toties tibi tuarum virtutum veniat in mentem: præclarum & grave eſt. Quod Calvino Glaucia claudicanti, ubi eſt vetus illud: *Num claudicat?* at hic clodicat: hoc ridiculum eſt: & utrumque ex eo, quod in claudicatione animadverti potuit, eſt ductum. Quid hoc Nævio ignavius? ſeverè Scipio. At in malè olentem, [1] *Video me* à te circumveniri, ſubridiculè Philippus. At utrumque genus continet verbi ad litteram immutati ſimilitudo. Ex ambiguo dicta, vel argutiſſima putantur, ſed non ſemper in joco, ſæpe etiam in gravitate verſantur. Africano illi majori, coronam ſibi in convivio ad caput accommodanti, cùm ea ſæpius rumperetur, P. Licinius Varus, *Noli mirari*, inquit, ſi non convenit. caput enim magnum eſt. laudabile, & honeſtum. At ex eodem genere eſt. *Calvus* ſatis eſt, quod dicit parum.

1. *Video me à te circumveniri.*] Expreſſi quod erat in Pall. ſeptem, & editione prima. nam pr. & ſec. heic deficiebant, uti etiam Gallicani, quos conſulere ſolebat Gulielmius; poſtea vulgati addidere de ſuo, *non converniri, ſed circumveniri*; quod tamen neutiquam admiſit Victorius.

parum. Ne multa: nullum genus eſt joci, quo non ex eodem ſevera & gravia ſumantur. Atque hoc etiam animadvertendum, non eſſe omnia ridicula, faceta. Quid enim poteſt eſſe tam ridiculum, quam Sannio eſt? Sed ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique corpore ridetur ipſo. ſalſum hunc poſſum dicere, atque ita, non ut ejuſmodi orato-
62 rem eſſe velim, ſed ut mimum. Quare primum genus hoc, quod riſum vel maximè movet, non eſt noſtrum, moroſum, ſuperſtitioſum, ſuſpicioſum, glorioſum, ſtultum. naturæ ridentur ipſæ, quas perſonas agitare ſolemus, non ſuſtinere. Alterum genus eſt imitatione admodum ridiculum, ſed nobis tantum licet furtim, ſi quando, & curſim. Alterum minimè eſt liberale. Tertium, oris depravatio, non digna nobis. Quartum, obſcænitas, non ſolùm non foro digna, ſed vix *convivio* liberorum. Detractis igitur tot rebus ex hoc oratorio loco, facetiæ reliquæ ſunt, quæ aut in re, ut antè diviſi, poſitæ videntur eſſe, aut in verbo. Nam quod, quibuſcumque verbis dixeris, facetum tamen eſt, re continetur: quod mutatis verbis ſalem amittit, in verbis habet lepôrem omnem. Ambigua, ſunt in primis acuta, atque in verbo poſita, non in re: ſed non ſæpe magnum riſum movent, magis ut bellè, & litteratè dicta laudantur: ut in illum Titium, qui cùm ſtudioſè pila luderet, & idem ſigna ſacra noctu frangere putaretur, gregaleſque eum in campum non veniſſe requirerent, excuſavit Veſpa Terentius, quòd eum *brachium fregiſſe* diceret. Ut illud Africani, quod eſt apud Lucilium. *Quid? Decius,* [1] *Nuculam an confixum vis facere? inquit.* Ut tuus amicus, Craſſe, Granius, *non eſſe ſextantis.* Et, ſi quæritis, is, qui appellatur dicax, hoc genere maximè excellit: ſed riſus movent alia majores. Ambiguum per ſeipſum probatur id quidem, ut antè dixi, vel maximè. ingenioſi enim videtur, vim verbi in aliud, atque ceteri accipiant, poſſe ducere: ſed admirationem magis, quàm riſum movet, niſi ſi quando
63 incidit in aliud genus ridiculi. Quæ genera percurram equidem: ſed ſcitis eſſe notiſſimum ridiculi genus, cùm aliud *exſpectamus*, aliud dicitur. hîc nobiſmetipſis noſter error riſum movet. quòd ſi admixtum eſt etiam ambiguum, fit ſalſus: ut apud Nævium, videtur eſſe miſericors ille, qui judicatum duci videt, percunctatur ita,

Quanti addictus? mille nummûm.

Si addidiſſet tantummodò, *Ducas licet:* eſſet illud genus ridiculi præter exſpectationem: ſed quia addidit,

Nihil addo, ducas licet:

addito ambiguo, altero genere ridiculi, fuit, ut mihi quidem videtur, ſalſiſſimus. Hoc tum eſt venuſtiſſimum, cùm in altercatione arripitur ab adverſario verbum, & ex eo, ut à Catulo in Philippum, in eum ipſum aliquid, qui laceſſivit, infligitur. Sed cùm plura ſint ambigui genera, de quibus eſt doctrina quædam ſubtilior, attendere, & aucupari verba oportebit: in quo, ut ea, quæ ſint frigidiora, vitemus, (etenim cavendum eſt, ne arceſſitum dictum putetur) permulta tamen acutè dicemus. Alterum genus eſt, quod habet parvam verbi immutationem, quod in littera poſitum, Græci vocant παρονομασίαν, ut *Nobiliorem, mobiliorem* Cato: aut, ut idem cùm cuidam dixiſſet, *Eamus deambulatum:* & ille, *Quid opus fuit de? Immo verò*, inquit, *Quid opus fuit te?* aut ejuſdem reſponſio illa, *Si tu & adverſus, & averſus impudicus es.* Etiam interpretatio nominis habet acumen, cùm ad ridiculum convertas, quamobrem ita quis vocetur; ut ego nuper, Nummium diviſorem, ut Neoptolemum ad Trojam, ſic illum in campo Mar-
64 tio nomen inveniſſe. Atque hæc omnia verbo continentur. Sæpe etiam verſus facetè interponitur, vel ut eſt, vel paullulum immutatus, aut aliqua pars verſus, ut Statius Scauro ſtomachanti: ex quo ſunt nonnulli, qui tuam legem de civitate, natam, Craſſe, dicant:

St, tacete, quid hoc clamoris? quibus nec mater, nec pater,
Tanta confidentia eſtis? auferte iſtam enim ſuperbiam.

Nam in Cœlio ſanè etiam ad cauſam utile fuit tuum illud, Antoni, cùm ille à ſe pecuniam profectam diceret teſtis & haberet filium delicatiorem: abeunte jam illo,

Sentin' ſenem eſſe tactum triginta minis?

In hoc genus conjiciuntur proverbia: ut illud Scipionis, cùm Aſellus omneis provincias ſtipendia merentem ſe peragraſſe gloriaretur, *Agas Aſellum,* & cetera. Quare ea quoque, quoniam mutatis verbis non poſſunt retinere eandem venuſtatem, non in re, ſed in verbis poſita ducantur. Eſt etiam in verbo poſitum non inſulſum genus, ex eo, cùm ad verbum, non ad ſententiam rem accipere videare: ex quo uno genere totus eſt Tutor, mimus vetus, oppidò ridiculus. Sed abeo à mimis, tantum genus hujus ridiculi inſigni aliqua, & nota re notari volo. Eſt autem ex hoc genere illud, quod tu, Craſſe, nuper ei, qui te rogaſſet, [2] non tibi moleſtus eſſet futurus, ſi [3] ad te bene ante lucem veniſſet: *Tu* verò, inquiſti, *moleſtus non eris: Jubebis igitur te*, inquit, *ſuſcitari?* & tu, *Certe negaras te moleſtum futurum.* Ex eodem hoc vetus illud eſt, quod ajunt Maluginenſem illum M. Scipionem, cùm ex centuria ſua renuntiaret Acidinum Cos. præcoque dixiſſet, *Dic de L. Manlio: Virum bonum,* inquit, *egregiumque civem eſſe arbitror.* Ridiculè etiam illud L. Porcius Naſica cenſori Catoni, cùm ille, *Ex tui animi* ſententia tu uxorem habes? Non hercule, inquit, [4] ex mei animi ſententia. Hæc aut frigida ſunt, aut tum ſalſa, cùm aliud eſt exſpectatum. natura enim nos (ut antè dixi) noſter delectat error: ex quo cùm quaſi decepti ſumus exſpectatione, ridemus. In verbis etiam illa ſunt quæ aut ex immutata oratione ducuntur, aut ex unius verbi tranſla-
tione, aut ex inverſione verborum. Ex immutatione, ut 65
olim Ruſca cùm legem ferret annalem, diſſuaſor M. Servilius, *Dic mihi*, inquit, M. Pinnari, num, ſi contra te dixero, mihi malè dicturus es, ut ceteris feciſti? *Ut ſementem feceris, ita metes*, inquit. Ex tranſlatione autem, ut, cùm Scipio ille major Corinthiis ſtatuam pollicentibus eo loco, ubi aliorum eſſent imperatorum, *turmaleis* dixit diſplicere. Invertuntur autem verba, ut Craſſus apud M. Pernam, judicem, pro Aculeone cùm diceret, aderat contra Aculeonem Gratidiano [5] L. Helvius Lamia, deformis, ut noſtis, qui cùm interpellaret odioſe: *Audiamus*, inquit, pulcellum puerum, Craſſus. Cùm eſſet arriſum, *Non potui* mihi, inquit Lamia, formam ipſe fingere: ingenium potui. Tum hic, *Audiamus*, inquit, diſertum. multo etiam arriſum eſt vehementius. Sunt etiam illa venuſta; ut in gravibus ſententiis, ſic in facetiis. Dixi enim dudum, materiam aliam eſſe joci, aliam ſeveritatis: gravium autem, & jocorum unam eſſe rationem. Ornant igitur imprimis orationem verba relata contrariè: quod idem genus ſæpe eſt etiam facetum, ut Ser. ille Galba, cùm judices L. Scribonio, tribuno plebis ferret familiareis ſuos, & dixiſſet Libo, *Quando* tandem, Galba, de triclinio tuo exibis? *Cùm* tu, inquit, de cubiculo alieno. A quo genere ne illud quidem
plurimum diſtat, quod Glaucia Metello, *Villam* in Ti- 66
burte habes, cortem in palatio. Ac verborum quidem genera quæ eſſent faceta, dixiſſe me puto: rerum plura ſunt, eaque magis (ut dixi antè) ridentur, in quibus eſt narratio: res ſanè difficilis. Exprimenda enim ſunt, & ponenda ante

1. *Nuculam, an confixum vis facere?*] Explicat Janus Parrhaſius in Quæſitis per epiſtolam, numero quinquageſimo.

2. *Non tibi moleſtus, &c.*] Turnebus cenſet ita reſcribendum, ſcripti enim alioquin *num*, quod minus convenit.

3. *Ad te bene ante lucem veniſſet.*] Gulielmius putabat reſtituendum, *ad te bene mane veniſſet*; cujus gloſſema fuerit, *ante lucem.*

4. *Ex mei animi ſententia.*] Haud ſecus Pall. ſeptem & Memm. liber chartaceus, & primitus cuſi. malè poſteriores, *ex animi tui ſententia.* Videatur loci hujus explicatio apud Lipſium noſtrum lib. 1. Variar. lect. cap. principe.

5. *L. Helvius Lamia, &c.*] Pighius lib. XIII. Annal. Romanorum mallet *Ælius*; neque enim in *Helvia*, ſed in *Ælia* gente reperiri familiam Lamiarum.

ante oculos ea, quæ videantur & veriſimilia, quod eſt proprium narrationis, & quæ ſint, quod ridiculi proprium eſt, ſubturpia: cujus exemplum, ut breviſſimum, ſit ſanè illud, quod antè poſui, Craſſi de Memmio. Et ad hoc genus adſcribamus etiam narrationes apologorum. Trahitur etiam aliquid ex hiſtoria, ut cùm Sex. Titius ſe Caſſandram eſſe diceret, *Multos*, inquit Antonius, poſſum tuos Ajaces Oileos nominare. Eſt etiam ex ſimilitudine: quæ aut collationem habet, aut tamquam imaginem. Collationem: ut ille Gallus olim teſtis in Piſonem, cùm innumerabilem Magio præfecto pecuniam dixiſſet datam, idque Scaurus tenuitate Magii redargueret: *Erras*, inquit, Scaure; ego enim Magium non conſervaſſe dico, ſed tamquam nudus nuces legeret, in ventrem abſtuliſſe. Ut illud M. Cicero ſenex, hujus viri optimi, noſtri familiaris, pater, *noſtros homines* ſimileis eſſe Syrorum venalium: ut quiſque optimè Græce ſciret, ita eſſe nequiſſimum. Valde autem ridentur etiam imagines, quæ fere in deformitatem, aut in aliquod vitium corporis ducuntur cum ſimilitudine turpioris: ut meum illud in Helmium Manciam: *Jam oſtendam*, cujuſmodi ſis: cùm ille, *Oſtende*, quæſo: demonſtravi digito pictum Gallum in Mariano ſcuto Cimbrico [1] ſub Novis diſtortum, ejecta lingua, buccis fluentibus: Riſus eſt commotus. nihil tam Manciæ ſimile viſum eſt. ut cùm Teſtio Penario mentum in dicendo intorquenti, *tum ut diceret*, ſiquid vellet, ſi nucem fregiſſet. Etiam illa, quæ minuendi, aut augendi cauſa ad incredibilem admirationem efferuntur, velut tu, Craſſe, in concione, ita ſibi ipſum *magnum videri* Memmium, ut in forum deſcendens caput ad fornicem Fabii demitteret. Ex quo genere etiam illud eſt, quod Scipio apud Numantiam, cùm ſtomacharetur cum C. Metello, dixiſſe dicitur, *Si quintum* pareret mater ejus, aſinum fuiſſe parituram. Arguta etiam ſignificatio eſt, cùm parva re, & ſæpe verbo res obſcura, & latens illuſtratur: ut, cùm C. Fabricio P. Cornelius, homo, ut exiſtimabatur, avarus & furax, ſed egregiè fortis, & bonus imperator, gratias ageret, quòd ſe homo inimicus conſulem feciſſet, bello præſertim magno, & gravi: *Nihil eſt*, quò mihi gratias agas, inquit, ſi malui compilari, quam venire. Ut Aſello Africanus objicienti luſtrum illud infelix, *Noli*, inquit, mirari. is enim, qui te ex ærariis exemit, luſtrum condidit, & taurum immolavit. Tanta ſuſpicio eſt, ut religione civitatem obſtrinxiſſe videatur
67 Mummius, quod Aſellum ignominia levarit. Urbana etiam diſſimulatio eſt, cùm alia dicuntur, ac ſentias, non illo genere, de quo antè dixi, cùm contraria dicas, ut Lamiæ Craſſus, ſed cùm toto genere orationis ſeverè ludas, cùm aliter ſentias, ac loquare: ut noſter Scævola Septumuleio illi Anagnino, cui pro C. Gracchi capite erat aurum repenſum, roganti, ut ſe in Aſiam præfectum duceret, *Quid tibi vis*, inquit, inſane? tanta malorum eſt multitudo civium, ut tibi ego hoc confirmem, ſi Romæ manſeris, te paucis annis ad maximas pecunias eſſe venturum. In hoc genere Fannius in annalibus ſuis Africanum hunc Æmilianum dicit fuiſſe, & eum Græco verbo appellat, εἴρωνα: ſed, uti ferunt, qui melius hæc norunt, Socratem opinor in hac ironia diſſimulantiaque longè lepôre, & humanitate omnibus præſtitiſſe. genus eſt perelegans, & cùm gravitate ſalſum, cumque oratoriis dictionibus, tum urbanis ſermonibus accommodatum. Et hercule omnia hæc, quæ à me de facetiis diſputantur, non majora forenſium actionum, quàm omnium ſermonum condimenta ſunt. Nam quòd apud Catonem eſt, qui multa retulit, ex quibus à me exempli cauſa multa ponuntur, per mihi ſcitum videtur, C. Publicium ſolitum dicere, *P. Mummium* cuivis tempori hominem eſſe. Sic profectò res ſe habet, nullum ut ſit vitæ tempus, in quo non deceat lepôrem, humanitatemque verſari. Sed redeo ad cetera. Eſt huic finitimum diſſimulationi, cùm honeſto verbo vitioſa res appellatur: Ut cùm Africanus Cens. tribu movebat eum centurionem, qui in Paulli pugna non affuerat, [2] cùm ille ſe cuſtodiæ cauſa diceret in caſtris remanſiſſe, quæreretque cur ab eo notaretur: *Non amo*, inquit, nimiùm diligenteis. Acutum etiam illud eſt, cùm ex alterius oratione aliud excipias, atque ille vult, ut Salinatori Maximus, cùm, Tarento amiſſo, arcem tamen Livius retinuiſſet, multaque ex ea prælia præclara feciſſet, cùm aliquot poſt annos Maximus id oppidum recepiſſet, rogaretque eum Salinator, ut meminiſſet, opera ſua ſe Tarentum recepiſſe, *Quid ni*, inquit, meminerim? numquam enim recepiſſem, niſi tu perdidiſſes. Sunt etiam illa ſubabſurda, ſed eo ipſo nomine ſæpe ridicula, non ſolùm mimis perappoſita, ſed etiam quodammodo nobis: ,, *Homo fatuus*,

Poſtquam rem habere cœpit, eſt mortuus. ,, *Quid eſt tibi*
Iſta mulier? Uxor. Similis medius fidius. Et,
,, *Quamdiu ad aquas fuit, Numquam eſt mortuus.*

Genus hoc levius, & , ut dixi, mimicum: ſed habet non- 68
numquam aliquid etiam apud nos loci, ut vel non ſtultus quaſi ſtultè cum ſale dicat aliquid: ut tibi, Antoni, Mancia, cùm audiſſet te Cens. à M. Duronio de ambitu poſtulatum, *Aliquando*, inquit, tibi tuum negotium agere licebit. Valde hæc ridentur, & hercule omnia, quæ à prudentibus, quaſi per diſſimulationem non intelligendi, ſubabſurdè, ſalſeque dicuntur. Ex quo genere eſt etiam, non videri intelligere quod intelligas, ut Pontidius, *Qualem* exiſtimas, qui in adulterio deprehenditur? tardum. Ut ego, qui in delectu, Metello, cùm excuſationem oculorum à me non acciperet, & dixiſſet: *Tu igitur* nihil vides? Ego verò, inquam, à porta Eſquilina video villam tuam. Ut illud Naſicæ, qui cùm ad poëtam Ennium veniſſet, eique ab oſtio quærenti Ennium, ancilla dixiſſet, domi non eſſe: Naſica ſenſit, illam domini juſſu dixiſſe, & illum intus eſſe: paucis pòſt diebus cùm ad Naſicam veniſſet Ennius, & eum à janua quæreret, exclamat Naſica, ſe domi non eſſe. tum Ennius, *Quid?* ego non cognoſco vocem, inquit, tuam? Hîc Naſica, Homo es impudens. ego cùm te quærerem, ancillæ tuæ credidi te domi non eſſe, tu mihi non credis ipſi? Eſt bellum illud quoque, ex quo is, qui dixit, irridetur in eo ipſo genere, quod dixit: ut, cùm Q. Opimius conſularis, qui adoleſcentulus malè audiſſet, feſtivo homini Egilio, qui videretur mollior, nec eſſet, dixiſſet, [3] *Quid tu Egilia mea? quando ad me venis cum tua colu, & lana? Non pol, inquit, audeo. nam me ad famoſas vetuit mater accedere.* Salſa ſunt etiam, quæ habent ſuſpicionem 69
ridiculi abſconditam, quo in genere eſt illud Siculi, cui, cùm familiaris quidam quereretur, quòd diceret, uxorem ſuam ſuſpendiſſe ſe de ficu, *Amabo te*, inquit, da mihi ex iſta arbore quos feram ſurculos. In eodem genere eſt, quod Catulus dixit cuidam oratori malo: qui cùm in epilogo miſericordiam ſe moviſſe putaret, poſtquam aſſedit, rogavit hunc, videreturne miſericordiam moviſſe: *Ac magnam* quidem, inquit. neminem enim puto eſſe tam durum, cui non oratio tua miſeranda viſa ſit. Me quidem hercule valde illa movent ſtomachoſa, & quaſi ſubmoroſa ridicula, non cùm à moroſo dicuntur: tum enim non ſal, ſed natura ridetur. In quo, ut mihi videtur, perſalſum illud eſt apud Nævium ,, *Quid ploras pater?*

Mirum ni cantem, condemnatus ſum.

Huic

1. *Sub Novis diſtortum, &c.*] Sic legendum rectè cenſuit amicus noſter Stephanus Pighius, lib. IV. Faſtorum, qui conſulatur; publicata *ſub Nodis*, ineptè. altera enim lectio innuit locum in foro ubi poſita Galli pictura. Turnebus tamen non alienus videtur à vulgata. qui videatur libello peculiari in hos Tullii jocos.

2. *Cum ille ſe cuſtodiæ cauſſa.*] Quatuor è Palatinis non admiſerunt illud *cauſa*. quod forſan additum à deſcriptoribus. de quo videatur & Lipſius meus lib. V. Epiſt. quæſt. 17.

3. *Quid tu Egilia, &c.*] Retinui lectionem membranarum. Qui qui omnia redigere volunt in verſus, nimium fuerant licentioſi in tranſponendis addendiſque vocibus ſuis.

Huic generi quaſi contrarium eſt ridiculi genus patientis, ac lenti: ut, cùm Cato percuſſus eſſet ab eo, qui arcam ferebat, cùm ille diceret, *Cave:* rogavit, numquid aliud ferret præter arcam? Etiam ſtultitiæ ſalſa reprehenſio, ut ille Siculus, cui prætor Scipio patronum cauſæ dabat hoſpitem ſuum, hominem nobilem, ſed admodum ſtultum: *Quæſo*, inquit, prætor, adverſario meo da iſtum patronum, deinde mihi neminem dederis. Movent illa etiam, quæ conjectura explanantur longè aliter, atque ſunt; ſed acutè, atque concinnè: ut cùm Scaurus accuſaret Rutilium ambitus, cùm ipſe Cos. eſſet factus, ille repulſam tuliſſet, & in ejus tabulis oſtenderet litteras, A.F.P.R. idque diceret eſſe, *Actum fide P. Rutilii:* Rutilius autem, *ante factum, poſt relatum:* C. Cannius, eques Romanus, cùm Rufo ad-
70 eſſet, exclamat, neutrum illis litteris declarari. Quid ergo, inquit, Scaurus? *Æmilius fecit, plectitur Rutilius.* Ridentur etiam diſcrepantia. *Quid huic* abeſt, niſi res, & virtus? Bella etiam eſt familiaris reprehenſio, quaſi errantis: ut, cùm objurgavit Albius Granium, quòd, cum ejus tabulis quiddam Albucio probatum videretur, & valde abſoluto Scævola gauderet; neque intelligeret, contra ſuas tabulas eſſe judicatum. Huic ſimilis eſt etiam admonitio in conſilio dando familiaris, ut, cùm patrono malo, cùm vocem in dicendo obtudiſſet, ſuadebat Granius, ut mulſum frigidum biberet, ſimulac domum rediſſet: *Perdam*, inquit, vocem, ſi id fecero: Melius eſt, inquit, quàm reum. Bellum etiam eſt, cùm, quid cuique ſit conſentaneum, dicitur: ut, cùm Scaurus nonnullam haberet invidiam ex eo, quòd Phrygionis Pompeii, locupletis hominis, bona ſine teſtamento poſſederat: ſederetque advocatus reo Beſtiæ, cùm funus quoddam duceretur, accuſator C. Memmius, *Vide*, inquit, Scaure, mortuus rapitur, ſi potes eſſe poſſeſſor. Sed ex his omnibus nihil magis ridetur, quàm quod eſt præter exſpectationem, cujus innumerabilia ſunt exempla, vel Appii majoris illius, qui in ſenatu, cùm ageretur de agris publicis, & de lege Toria, [1] & premeretur Lucilius ab iis, qui à pecore ejus depaſci agros publicos dicerent, *Non eſt*, inquit, Lucilii pecus illud: erratis: (defendere Lucilium videbatur) ego liberum puto eſſe. quà lubet, paſcitur. Placet etiam mihi illud Scipionis illius, qui Tib. Gracchum perculit. cùm ei M. Flaccus multis probris objectis P. Mucium judicem tuliſſet, *Ejero*, inquit: iniquus eſt. cùm eſſet admurmuratum, *Ah*, inquit, P.C. non ego mihi illum iniquum ejero, [2] verùm omnibus. Ab hoc verò Craſſo nihil facetius. cùm læſiſſet teſtis Silus Piſonem, quòd ſe in eum audiſſe dixiſſet: *Poteſt fieri*, inquit, Sile, ut is, unde te audiſſe dicis, iratus dixerit. annuit Silus. poteſt etiam, ut tu non rectè intellexeris. id quoque toto capite annuit, ut ſe Craſſo daret. poteſt etiam fieri, inquit, ut omnino, quod te audiſſe dicis, numquam audieris. hoc ita præter exſpectationem accidit, ut teſtem omnium riſus obrueret. Hujus generis eſt plenus [3] Nævius, & jocus eſt familiaris,

Sapiens ſi algebu, tremes. & alia permulta.

71 Sæpe etiam facetè concedas adverſario idipſum, quod tibi ille detrahit, ut C. Lælius, cùm ei quidam malo genere natus diceret, indignum eſſe ſuis majoribus, *At hercule*, inquit, tu tuis dignus. Sæpe etiam ſententioſè ridicula dicuntur: ut M. Cincius, quo die legem de donis & muneribus tulit, cùm C. Cento prodiiſſet, & ſatis contumelioſè, *Quid fers* Cinciole? quæſiſſet: *Ut emas*, inquit, Cai, ſi uti velis. Sæpe etiam ſalsè quæ fieri non poſſunt, optantur: ut Marcus Lepidus, cùm ceteris in campo exercentibus, in herba ipſe recubuiſſet, *Vellem hoc* eſſet, inquit, laborare. Salſum eſt etiam quærentibus, & quaſi percunctantibus, lentè reſpondere quod nollent: ut cenſor Lepidus, cùm M. Antiſtio Pyrgenſi equum ademiſſet, amicique cùm vociferarentur, & quærerent, quid ille patri ſuo reſponderet, cur ademptum ſibi equum diceret, cùm optimus colonus, parciſſimus, modeſtiſſimus, frugaliſſimus eſſet: *Me iſtorum*, inquit nihil credere. Colliguntur à Græcis alia nonnulla, exſecrationes, admirationes, minationes. Sed hæc ipſa nimis mihi videor multa in genera deſcripſiſſe. nam illa, quæ verbi ratione, & vi continentur, certa ferè, ac definita ſunt: quæ plerumque, ut antè dixi, laudari magis, quàm rideri ſolent. Hæc autem, quæ ſunt in re, & in ipſa ſententia, partibus ſunt innumerabilia, generibus pauca. Exſpectationibus enim decipiendis, & naturis aliorum irridendis, ipſorum ridiculè indicandis, & ſimilitudine turpioris, & diſſimulatione, & ſubabſurda dicendo, & ſtulta reprehendendo, riſus moventur. Itaque imbuendus eſt is, qui jocosè vult dicere, quaſi natura quadam, apta ad hæc genera, & moribus, ut ad cujuſque modi genus ridiculi vultus etiam accommodetur: qui quidem quo ſeverior eſt, & triſtior, ut in te, Craſſe, hoc illa, quæ dicuntur, [4] ſalſiora videri ſolent. Sed jam tu, Antoni, qui hoc deverſorio ſermonis tui libenter acquieturum te eſſe dixiſti, tamquam in Pomtinum deverteris neque amœnum, neque *ſalubrem locum*, cenſeo ut ſatis diu te putes requieſſe, & iter reliquum conficere pergas. Ego verò, atque 72
hilare quidem à te acceptus, inquit, & cùm doctior per te, tum etiam audacior factus ſum ad jocandum. Non enim vereor, ne quis me in iſto genere leviorem jam putet, quoniam quidem tu Fabricios mihi auctores, & Africanos, Maximos, Catones, Lepidos protuliſti. Sed habetis ea, quæ voluiſtis ex me audire, de quibus quidem accuratius dicendum, & cogitandum fuit. nam cetera, faciliora ſunt, atque ex iis, quæ jam dicta ſunt, reliqua naſcuntur omnia. Ego enim cùm ad cauſam ſum aggreſſus, atque omnia cogitando, quoad facere potui, perſecutus: cùm & argumenta cauſæ, & eos locos, quibus animi Judicum conciliantur, & illos, quibus permoventur, vidi atque cognovi: tum conſtituo, quid habeat quæque cauſa *boni*, quid *mali*. Nulla enim ferè res poteſt in dicendi diſceptationem, aut controverſiam vocari, quæ non habeat utrumque: ſed, quantum habeat, id refert. Mea autem ratio in dicendo hæc eſſe ſolet, ut, boni quod habeat, id amplectar, exornem, exaggerem: ibi commorer, ibi habitem, ibi hæream: à malo autem, vitioque cauſæ ita recedam, non ut id me defugere appareat, ſed ut totum bono illo ornando, & augendo [5] *diſſimulatum* obruatur. Et, ſi cauſa eſt in argumentis, firmiſſima quæque maximè tueor, ſive plura ſunt, ſive aliquod unum. Sin autem in conciliatione, aut in permotione cauſa eſt: ad eam me potiſſimum partem, quæ maximè commovere animos hominum poteſt, confero. Summa denique hujus generis hæc eſt, ut, ſi in refellendo adverſario firmior eſſe oratio, quàm in confirmandis noſtris rebus poteſt, omnia in illum conferam tela. ſin noſtra facilius probari, quàm illa redargui poſſunt: abducere animos à contraria defenſione, & ad noſtram conor traducere. Duo denique illa, quæ facillima videntur, quoniam quæ difficiliora ſunt, non poſſum, mihi pro meo jure ſumo: Unum, ut moleſto aut difficili argumento, aut loco nonnumquam omnino *nihil reſpondeam:* quod forſitan aliquis jure irriſerit. quis enim eſt, qui id facere non poſſit? ſed tamen ego de mea nunc, non de aliorum facultate diſputo, confiteorque me, ſi quæ premat res vehementius, ita cedere ſolere, ut non modò non abjecto, ſed ne rejecto quidem ſcuto fugere videar: ſed adhi-

1. *Et premeretur Lucilius ab iis.*] Pighii ſcriptus, *& peteretur Lucullus*; quod probat, ut fuerit pater *L. Luculli*, qui Mithridatem vicit. videatur ipſe in Faſtis ad annum DCXXXIIX.

2. *Verum omnibus.*] Gulielmius annotavit: ambiguitas in *verum*, id eſt, *juſtum*, δίκαιον.

3. *Nævius, & jocus eſt familiaris.*] Pall. omnes præter octavum, *Novius.* iidem, *eſt locus*, *eſt familiaris*, niſi quod nonus, *eſt jocus.* Turnebus indicat in veteribus ſuis legi *Nævius: Eſt jocus, eſt familia. Sapiens ſi algebit tremet*, integro ſcilicet Senario.

4. *Salſiora videri ſolent.*] Palat. prim. ſecund. item Pith. *ſeſſiora.* Memmianus uterque *ſeriora*; à *ſeriò*, pro quo tamen ad oram Pal. prim. *ſerioſiora.*

5. *Diſſimulatum obruatur.*] Adſcripſit oræ Gulielmius fortè legendum, *diſſimulatim.*

1. *Neque*

adhibere quamdam in dicendo ſpeciem, atque pompam & *pugnæ ſimilem fugam:* conſiſtere verò in meo præſidio, ſic ut non fugiendi hoſtis, ſed capiendi loci cauſa ceſſiſſe videar. Alterum eſt illud, quod ego oratori maximè cavendum, & providendum puto, quodque me ſollicitare ſummè ſolet: non tam ut proſim cauſis, elaborare ſoleo, quàm ut *nequid obſim:* non quin enitendum ſit in utroque: ſed tamen MULTO eſt turpius oratori, nocuiſſe videri cauſæ,
73 quàm non profuiſſe. Sed quid hoc loco vos inter vos, Catule? an hæc, ut ſunt contemnenda, contemnitis? Minimè, inquit ille: ſed Cæſar de iſto ipſo quiddam velle dicere videbatur. Me verò lubente, inquit Antonius, dixerit, ſive refellendi cauſa, ſive quærendi. Tum Julius, Ego mehercule, inquit, Antoni, ſemper is fui, qui de te oratore ſic prædicarem, unum te in dicendo mihi videri *rectiſſimum:* propriumque hoc eſſe laudis tuæ, nihil à te umquam eſſe dictum, quod obeſſet ei, pro quo diceres: idque memoria teneo, cùm mihi ſermo cum hoc ipſo Craſſo, multis audientibus, eſſet de te inſtitutus, Craſſuſque plurimis verbis eloquentiam laudaret tuam, dixiſſe me, cum ceteris tuis laudibus hanc eſſe vel maximam, quòd non ſolùm quod opus eſſet, diceres, ſed etiam quod non opus eſſet, non diceres. Tum illum mihi reſpondere memini: cetera in te ſummè eſſe laudanda, illud verò *improbi* eſſe hominis, & perfidioſi, dicere quod alienum eſſet, & noceret ei, pro quo quiſque diceret. quare non ſibi eum diſertum, qui id non faceret, videri, ſed improbum, qui faceret. Nunc, ſi tibi videtur, Antoni, demonſtres velim, quare tu hoc ita magnum putes, nihil in cauſa mali facere, ut nihil tibi in oratore majus
74 eſſe videatur. Dicam equidem, Cæſar, inquit, quid intelligam. ſed & tu, & vos omnes hoc, inquit, mementote, non me de perfecti oratoris divinitate quadam loqui, ſed de exercitationis, & conſuetudinis meæ mediocritate. Craſſi quidem reſponſum, excellentis cujuſdam eſt ingenii, ac ſingularis: cui quiddam portenti ſimile eſſe viſum eſt, poſſe aliquem inveniri oratorem, qui aliquid mali faceret dicendo, obeſſetque ei, quem defenderet. Facit enim de ſe conjecturam: cujus tanta vis ingenii eſt, ut neminem, niſi conſultò, putet, quod contra ſeipſum ſit, dicere. ſed ego non de præſtanti quadam, & eximia, ſed propè de vulgari, & communi prudentia diſputo. Ut apud Græcos fertur incredibili quadam magnitudine conſilii, atque ingenii Athenienſis ille fuiſſe Themiſtocles: ad quem quidam doctus homo, atque in primis eruditus acceſſiſſe dicitur, eique *artem memoriæ*, quæ tum primùm proferebatur, pollicitum eſſe ſe traditurum. cùm ille quæſiſſet, quidnam illa ars efficere poſſet, dixiſſe illum doctorem, ut omnia meminiſſet: & ei Themiſtoclem reſpondiſſe, gratius ſibi illum eſſe facturum, ſi ſe *oblivisci quæ vellet*, quàm ſi meminiſſe, docuiſſet. Videſne, quæ vis in homine acerrimi ingenii, quàm potens, & quanta mens fuerit? qui ita reſponderit, ut intelligere poſſemus, nihil ex illius animo, quod ſemel eſſet infuſum, umquam effluere potuiſſe: cùm quidem ei fuerit optabilius oblivisci poſſe potius, quod meminiſſe nollet, quàm quod ſemel audiſſet, vidiſſetve, meminiſſe. Sed neque propter hoc Themiſtoclis reſponſum, memoriæ nobis opera danda non eſt, neque illa mea cautio, & timiditas in cauſis, propter præſtantem prudentiam Craſſi negligenda eſt. Uterque enim iſtorum non mihi attulit aliquam, ſed ſuam ſignificavit facultatem. Etenim permulta ſunt in cauſis, in omni parte orationis circumſpicienda, nequid *offendas*, ne quo irruas. Sæpe aliquis teſtis aut non lædit, aut minus lædit, niſi laceſſatur: orat reus, urgent advocati, ut invehamur, ut malè dicamus, denique ut interrogemus. non moveor, non obtempero, non ſatisfacio, [1] neque tamen ullam aſſequor laudem. HOMINES enim imperiti facilius quod ſtultè dixeris, reprehendere, quàm, quod ſapienter tacueris, laudare poſſunt. Hic quantum ſit mali, ſi iratum, ſi non ſtultum, ſi non levem teſtem læſeris? habet enim & voluntatem nocendi in iracundia, & vim in ingenio, & pondus in vita: nec, ſi hoc Craſſus non committit, ideò non multi, & ſæpe committunt: quo quidem mihi videri turpius nihil ſolet, quàm cùm ex oratoris dicto aliquo, aut reſponſo, aut rogatu, ſermo ille ſequitur, *Occidit ille*, adverſariumne? immò verò ajunt, ſe, & eum, quem defendit.
Hoc Craſſus non putat niſi perfidia accidere poſſe, ego au- 75
tem ſæpiſſimè video in cauſis aliquid mali facere homines minimè malos. Quid illud, quod ſuprà dixi, ſolere me *cedere*, &, ut planius dicam, fugere ea, quæ valde cauſam meam premerent? cùm id non faciunt alii, verſanturque in hoſtium caſtris, ac ſua præſidia dimittunt, mediocriterne cauſis nocent, cùm aut adverſariorum adjumenta confirmant, aut ea, quæ ſanare nequeunt, exulcerant? Quid? cùm perſonarum, quas defendunt, rationem non habent? ſi quæ ſunt in his invidioſa, non mitigant extenuando, ſed laudando & efferendo, invidioſiora faciunt: quantum in eo tandem mali? Quid? ſi in homines caros, judicibuſque jucundos ſine ulla *præmunitione* orationis acerbius, & contumelioſius invehare, nonne abs te judices abalienes? Quid, ſi, quæ vitia, aut incommoda ſunt in aliquo judice uno, aut pluribus, ea tu in adverſariis exprobrando non intelligas te in judices invehi, mediocre peccatum eſt? Quid, ſi, cùm pro altero dicas, litem tuam facias, aut læſus efferare iracundia, cauſam relinquas, nihilne noceas? In quo ego, non quò libenter malè audiam, ſed quia ego cauſam non libenter relinquo, nimiùm patiens & lentus exiſtimor: ut, cùm te ipſum, Sulpici, objurgabam, quòd *miniſtratorem* peteres, non adverſarium. Ex quo etiam illud aſſequor, ut, ſiquis mihi maledicat, petulans, aut planè inſanus eſſe videatur. In ipſis autem argumentis ſiquid poſueris aut apertè falſum, aut ei, quod dixeris, dicturuſve ſis, contrarium, aut genere ipſo remotum ab uſu judiciorum ac foro, nihilne noceas? Quid multa? omnis cura mea ſolet in hoc verſari ſemper, (dicam enim ſæpius,) ſi poſſim, ut boni aliquid efficiam di-
cendo: ſin id minus, ut certè nequid mali. Itaque nunc 76
illuc redeo, Catule, in quo tu me paullo antè laudabas, ad ordinem, collocationemque rerum ac locorum. Cujus ratio eſt duplex: altera, quam affert natura cauſarum: altera, quæ oratorum judicio & prudentia comparatur. Nam ut aliquid ante rem dicamus, deinde, ut rem exponamus, poſt ut eam probemus noſtris præſidiis confirmandis, contrariis refutandis, deinde ut concludamus, atque ita peroremus, hoc dicendi genus *natura* ipſa præſcribit. Ut verò ſtatuamus, ea, quæ probandi, docendi, perſuadendi cauſa dicenda ſunt, quemadmodum componamus; id eſt vel maximè proprium oratoris prudentiæ. Multa enim occurrunt argumenta: multa, quæ in dicendo profutura videantur: ſed eorum partim ita levia ſunt, ut contemnenda ſint: partim, etiam ſiquid habent adjumenti, ſunt nonnumquam ejuſmodi, ut inſit in iis aliquid vitii: neque tanti ſit illud, quod prodeſſe videatur, ut cum aliquo malo conjungatur. Quæ autem ſunt utilia, atque firma, ſi ea tamen, (ut ſæpe fit) valde multa ſunt: ea, quæ ex iis aut leviſſima ſunt, aut aliis gravioribus conſimilia, ſecerni arbitror oportere, atque ex oratione removeri. Equidem cùm colligo argumenta cauſarum, non
tam ea numerare ſoleo, quàm expendere. Et quoniam, 77
(quod ſæpe jam dixi) tribus rebus omneis ad noſtram ſententiam perducimus, aut docendo, aut conciliando, aut permovendo, una ex tribus his rebus res præ nobis eſt ferenda, ut nihil aliud, niſi *docere velle* videamur: reliquæ duæ, ſicuti ſanguis in corporibus, ſic illæ in perpetuis orationibus fuſæ eſſe debebunt. Nam & principia, & ceteræ partes orationis, de quibus paullo poſt pauca dicemus, habere hanc vim magnopere debent, ut ad eorum menteis, apud quos agetur, movendas, permanere poſſint. Sed his partibus orationis, quæ etſi nihil docent argumentando, perſuadendo tamen,

1. *Neque tamen ullam adſequor laudem.*] Tres Pall. tres Gallicani, *nullam.* hæreo utrum præferam. Supra etiam Pith. & Pal. pr. ſec. pro *Themiſtoclis reſponſum*, ſervant, *Themiſtocli.* antique. quod fortè revocandum erat.

tamen, & commovendo proficiunt plurimum, quanquam maximè proprius eſt locus & in exordiendo, & in perorando: *degredi* tamen ab eo, quod propoſueris, atque agas, permovendorum animorum cauſa, ſæpe utile eſt. [1] Itaque vel narratione expoſita ſæpe datur ad commovendos animos degrediendi locus, vel argumentis noſtris confirmatis, vel contrariis refutatis, vel utroque loco, vel omnibus, ſi habet eam cauſa dignitatem, atque copiam, rectè id fieri poteſt: eæque cauſæ ſunt ad agendum, & ad ornandum graviſſimæ, atque pleniſſimæ, quæ plurimos exitus dant ad ejuſmodi degreſſionem, ut his locis uti liceat, quibus animorum *impetus* eorum, qui audiunt, aut impellantur, aut reflectantur. Atque etiam in illo reprehendo eos, qui, quæ minimè firma ſunt, ea prima collocant. In quo illos quoque errare arbitror, qui, ſi quando (id quod mihi numquam placuit) plureis adhibent patronos, ut in quoque eorum minimum putant eſſe, ita eum primum volunt dicere. Res enim hoc poſtulat, ut eorum *exſpectationi*, qui audiunt, quàm celerrimè occurratur: cui ſi initiò ſatisfactum non ſit, multo plus ſit in reliqua cauſa laborandum. Malè enim ſe res habet, quæ non ſtatim, ut dici cœpta eſt, melior fieri videtur. Ergo ut in oratore optimus quiſque, ſic & in oratione, firmiſſimum quodque ſit primum: dum illud tamen in utroque teneatur, ut ea, quæ excellant, ſerventur etiam ad perorandum: ſi quæ erunt mediocria (nam vitioſis nuſquam eſſe oportet locum) in mediam turbam, atque in gregem conjiciantur. Hiſce omnibus rebus conſideratis, tum denique id, quod primum eſt dicendum, poſtremum ſoleo cogitare, quo utar exordio. nam ſi quando id primùm invenire volui, nullum mihi occurrit, niſi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare, atque commune.

78 PRINCIPIA autem dicendi ſemper cùm accurata, & acuta, & inſtructa ſententiis, apta verbis, tum verò cauſarum propria eſſe debent. Prima eſt enim quaſi cognitio, & commendatio orationis in principio, quæ continuò eum, qui audit, permulcere, atque allicere debet. In quo admirari ſoleo non equidem iſtos, qui nullam huic rei operam dederunt: ſed hominem in primis diſertum, atque eruditum, Philippum, qui ita ſolet ad dicendum ſurgere, ut, quod primum verbum habiturus ſit, neſciat: & ait idem, cùm *brachium concalefecerit*, tum ſe ſolere pugnare: neque attendit, eos ipſos, unde hoc ſimile ducat, illas primas haſtas ita jactare leniter, ut & venuſtati vel maximè ſerviant, & reliquis viribus ſuis conſulant. Neque eſt dubium, quin exordium dicendi, vehemens, & pugnax non ſæpe eſſe debeat: ſed ſi in ipſo illo gladiatorio vitæ certamine, quo ferro decernitur, tamen ante congreſſum multa fiunt, quæ non ad vulnus, ſed *ad ſpeciem* valere videantur: quanto hoc magis in oratione exſpectandum, in qua [2] non vis potius, ſed delectatio poſtulatur? *Nihil eſt* denique in natura rerum omnium, quod ſe univerſum [3] profundat, & quod totum repentè evolet. ſic omnia, quæ fiunt, quæque aguntur acerrimè, lenioribus principiis natura ipſa prætexuit. Hæc autem in dicendo non extrinſecus alicunde quærenda, ſed ex ipſis viſceribus cauſæ ſumenda ſunt. idcircò tota cauſa pertentata, atque perſpecta, locis omnibus inventis, atque inſtructis, conſiderandum eſt, quo principio ſit utendum. ſic & facilè reperietur. Sumentur enim ex iis rebus, quæ erunt uberrimæ vel in argumentis, vel in iis partibus, ad quas dixi degredi ſæpe oportere. Ita & momenti aliquid afferent, cùm erunt pænè ex intima defenſione depromta, & apparebit eas non modò non eſſe communeis, nec in alias cauſas poſſe transferri, ſed penitus [4] ex ea cauſa, quæ tum agatur, efflorуiſſe. Omne autem principium aut rei totius, quæ agetur ſignificationem habere debebit, aut aditum ad cauſam, & munitionem, aut quoddam ornamentum & dignitatem. 79 Sed oportet ut ædibus ac templis veſtibula & aditus, ſic cauſis principia [5] proportione rerum præponere. Itaque in parvis, atque infrequentibus cauſis ab ipſa re eſt exordiri ſæpe commodius. Sed cùm erit utendum principio (quod plerumque erit) aut ex reo, aut ex adverſario, aut ex re, aut ex eis, apud quos agitur, ſententias duci licebit. Ex reo, (*reos* appello, quorum res eſt) quæ ſignificent virum bonum, quæ liberalem, quæ calamitoſum, quæ miſericordia dignum, quæ valeant contra falſam criminationem. Ex adverſario, iiſdem ex locis ferè contraria. Ex re, ſi crudelis, ſi infanda, ſi præter opinionem, ſi immeritò, ſi miſera, ſi ingrata, ſi indigna, ſi nova, ſi quæ reſtitui, ſanarique non poſſit. Ex iis autem, apud quos agetur, ut benivolos, beneque exiſtimanteis efficiamus: quod agendo efficitur melius, quàm rogando. Eſt id quidem in totam orationem confundendum, nec minimè in extremam: ſed tamen multa principia ex eo genere gignuntur. nam & *attentum* monent Græci ut principio faciamus judicem, & *docilem*: quæ ſunt utilia: ſed non principii magis propria, quàm reliquarum partium: faciliora etiam in principiis, quòd & attenti tum maximè ſunt, cùm omnia exſpectant, & dociles magis initiis eſſe poſſunt. *Illuſtriora* enim ſunt, quæ in principiis, quàm quæ in mediis cauſis dicuntur, aut arguendo, aut refellendo. Maxima autem copia principiorum ad judicem aut alliciendum, aut incitandum, ex iis locis trahitur, qui ad motus animorum conficiendos inerunt in cauſa: quos tamen totos in principio explicari non oportebit, ſed tantùm impelli primò judicem leviter, ut jam inclinato reliqua incumbat oratio. Connexum autem ita ſit principium conſequenti orationi, ut non tanquam citharœdi proœmium affictum aliquod, ſed cohærens cum omni corpore membrum eſſe videatur. Nam nonnulli, cùm illud meditati ediderunt, ſic ad reliqua tranſeunt, [6] ut audientiam ſibi fieri velle videantur. Atque ejuſmodi illa proluſio debet eſſe, non ut Samnitum, 80 qui vibrant haſtas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur: ſed ut ipſis ſententiis, quibus proluſerunt, vel pugnare poſſint. Narrare verò rem quòd breviter jubent, ſi *brevitas* appellanda eſt, cùm verbum nullum redundet, brevis eſt L. Craſſi oratio. ſi tum eſt brevitas, cum tantum verborum eſt, quantum neceſſe eſt, aliquando id opus eſt: ſed ſæpe obeſt vel maxime in narrando, non ſolùm quòd obſcuritatem affert, ſed etiam quòd eam virtutem, quæ narrationis eſt maxima, ut jucunda; & ad perſuadendum accommodata ſit, tollit: [7] ut illa, *Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis*, quàm longa eſt narratio? mores adoleſcentis ipſius, & ſervilis percunctatio, mors Chryſidis, vultus, & forma, & lamentatio ſororis: reliqua pervariè, jucundeque narrantur. Quòd ſi hanc brevitatem quæſiſſet,

,, *Effertur, imus, ad ſepulcrum venimus.* ,, *In ignem* [8] *poſita eſt.*

in his

1. *Itaque vel narratione expoſita.*] Biga illa noſtra duplex, *Itaque vel re narrata atque expoſita*, quomodo Lambin.

2. *Non vis potius, ſed delectatio poſtulatur.*] Iidem quatuor libri: *quam delectatio.* forſan rectius.

3. *Profundat, & quod totum repentè evolet.*] Pal. prim. & Memm. *evolvat.* in quod inquirendam. nam & ſecund. *revolvat*, & Pith. *evolvat.*

4. *Ex ea cauſa, quæ tum agatur, efflorиiſſe.*] Ita Pall. omnes editioque Victorii. aliæ *defluxiſſe*, præter libros. nam Gallicani, & *floruiſſe.* ſciendum tamen in Palat. pr. & ſec. non comparere, *quæ tum agatur*; poteratque abeſſe.

5. *Proportione rerum præponere.*] Amicus meus conjiciebat, *præpollere.*

6. *Ut audientiam ſibi fieri velle videantur.*] Non ſatis adſequor mentem auctoris. moneo interea reſtare in Pal. quinto, ſexto, nono & Memm. *nolle.*

7. *Ut illa: Nam poſtquam.*] Sic videtur reſcribendum ex literis ambiguis Pal. ſec. ubi nimirum litera ſecunda ita expreſſa eſt, ut videri queat etiam z. unde natum illud vulgatum, *videlicet illa*, quod ſolum tamen in prim. nam tert. & quart. quint. *vident illam*, emendatumque in altero, *viden illam.* ſext. ſept. oct. non. habent *videant illam*, aut *illa.* emendatumque in uno, *tollere videtur. Nam poſtquam.* quod ipſum firmat illud noſtrum *ut*, quod ob characteris ſecundi obſcuritatem viſum eſt quibuſdam z. quibuſdam r. ideoque inde factum *videtur* ſive *videlicet.*

8. *Poſita eſt, fere decem verſiculis, &c.*] Eſt à Palat. octav. nam prim. adhuc aberat *ferè.* vulgata, *in his fere decem.* quod & Lambino diſplicuit.

1. *Si ſit*

in his ferè decem verſiculis totum conficere potuiſſet: quamquam hoc ipſum, *Effertur, imus*, conciſum eſt, ita, ut non brevitati ſervitum ſit, ſed magis venuſtati. Quòd ſi nihil fuiſſet, niſi, *In ignem poſita eſt*; tamen res tota cognoſci facilè potuiſſet. Sed & feſtivitatem habet narratio diſtincta perſonis, & interpuncta ſermonibus: & eſt probabilius, quod geſtum eſſe dicas, cùm, quemadmodum actum ſit, exponas: & multo apertius ad intelligendum eſt; [1] ſi ſic conſiſtitur aliquando, ac non iſta brevitate percurritur. Apertam enim narrationem tam eſſe oportet, quàm ceteras: ſed hoc magis in hac elaborandum eſt, quòd & difficilius eſt, non eſſe obſcurum in re narranda, quàm aut in principio, aut in argumento, aut in purgando, aut in perorando; & majore periculo hæc pars orationis obſcura eſt, quam ceteræ: vel quia ſiquo alio in loco eſt dictum quid obſcurius, tantum id perit, quod ita dictum eſt: narratio obſcura totam obcæcat orationem: vel quod alia poſſis, ſemel ſi obſcurius dixeris, dicere alio loco planius: narrationis unus eſt in cauſa locus. Erit autem *perſpicua narratio*, ſi verbis uſitatis, ſi ordine temporum conſervato, ſi non interru-
81 ptè narrabitur. Sed quando utendum ſit, aut non ſit narratione, id eſt conſilii. neque enim ſi nota res eſt, [2] nec dubium, quid geſtum ſit, narrari oportet, nec ſi adverſarius narravit, niſi ſi refellemus: ac, ſi quando erit narrandum, ne illa, quæ ſuſpicionem & crimen efficient, contraque nos erunt acriter, perſequamur, &, quidquid poterit, detrahamus: ne illud, quod Craſſus, ſi quando fiat, perfidia, non ſtultitia fieri putat, ut cauſæ noceamus, accidat. nam ad ſummam totius cauſæ pertinet, cautè, an contrà, demonſtrata res ſit; quod omnis orationis reliquæ fons eſt narratio. Sequitur, ut cauſa ponatur, in quo videndum eſt, quid in controverſiam veniat. Tum ſuggerenda ſunt *firmamenta* cauſæ conjunctè, & infirmandis contrariis, & tuis confirmandis. namque una in cauſis ratio quædam eſt ejus orationis, quæ ad probandam argumentationem valet. Ea autem, & confirmationem, & reprehenſionem quærit: ſed quia neque reprehendi quæ contrà dicuntur, poſſunt, niſi tua confirmes: neque hæc confirmari, niſi illa reprehendas, idcirco hæc & natura, & utilitate, & tractatione conjuncta ſunt. Omnia autem concludenda plerumque rebus augendis, vel inflammando judice, vel mitigando: omniaque cum ſuperioribus orationis locis, tum maximè extremo ad menteis judicum quàm maximè permovendas, & ad utilitatem noſtram vocandas, conferenda ſunt. Neque ſanè jam cauſa videtur eſſe, cur ſecernamus ea præcepta, quæ de ſuaſionibus tradenda ſunt, aut laudationibus. ſunt enim pleraque communia, ſed tamen ſuadere aliquid, aut diſſuadere, graviſſimæ mihi videtur eſſe perſonæ. NAM ET ſapientis eſt, conſilium explicare ſuum de maximis rebus: & honeſti, & diſerti, ut mente providere, auctoritate probare, oratione perſuadere poſſit. Atque hæc in ſenatu minore apparatu agenda ſunt. Sapiens enim eſt conſilium; multiſque aliis dicendi relinquendus locus; [3] vitanda etiam ingenii, oſtentationiſque ſuſpicio. Concio capit omnem
82 vim orationis, & gravitatem, varietatemque deſiderat. Ergo in ſuadendo nihil eſt optabilius, quàm *dignitas*. nam qui utilitatem putat, non quid maximè velit ſuaſor, ſed quid interdum magis ſequatur, videt. Nemo eſt enim, præſertim in tam clara civitate, quin putet expetendam maximè dignitatem: ſed vincit utilitas plerumque, cùm ſubeſt ille timor, ea *neglecta*, ne dignitatem quidem poſſe retineri. Controverſia autem inter hominum ſententias, aut in illo eſt, utrum ſit utilius: aut etiam cùm id convenit, certatur, utrùm honeſtati potius, an utilitati conſulendum ſit. Quæ quia pugnare ſæpe inter ſe videntur, qui utilitatem defendit, enumerabit commoda pacis, [4] opum, potentiæ, pecuniæ, vectigalium, præſidii, militum, utilitates ceterarum rerum, quarum fructum utilitate metimur, itemque incommoda contrariorum. Qui ad dignitatem impellit, majorum exempla, quæ erunt vel cum periculo glorioſa, colliget, poſteritatis immortalem memoriam augebit, utilitatem ex laude naſci defendet, ſemperque eam cum dignitate eſſe conjunctam. Sed quid fieri poſſit, aut non poſſit, quidque etiam ſit neceſſe, aut non ſit, in utraque re maximè eſt quærendum. Inciditur enim omnis jam deliberatio, ſi intelligitur non poſſe fieri, aut ſi neceſſitas affertur, & qui id docuit, non videntibus aliis, is plurimum vidit. Ad conſilium autem de republica dandum, caput eſt, *noſſe rempublicam*: ad dicendum verò probabiliter, noſſe *mores civitatis*: qui quia crebrò mutantur, genus quoque orationis eſt ſæpe mutandum. &, quamquam una ferè vis eſt eloquentiæ, tamen quia ſumma dignitas eſt populi, graviſſima cauſa reip. maximi motus multitudinis: genus quoque dicendi grandius quoddam, & illuſtrius eſſe adhibendum videtur: maximaque pars orationis admovenda eſt ad animorum motus nonnumquam aut cohortatione, aut commemoratione aliqua, aut in ſpem, aut in metum, aut ad cupiditatem, aut ad gloriam concitandos: ſæpe etiam à temeritate, iracundia, ſpe, injuria, invidia, crudelitate revocandos. Fit autem, ut, quia maxima quaſi oratori ſcena vi- 83
deatur concio, natura ipſa ad ornatius dicendi genus excitetur. Habet enim multitudo vim quandam talem, ut quemadmodum *tibicen* ſine tibiis canere, ſic orator, ſine multitudine audiente, eloquens eſſe non poſſit. Et cùm ſint populares, multi, variique lapſus, vitanda eſt acclamatio adverſa populi, quæ aut orationis peccato aliquo excitatur, ſi aſperè, ſi arroganter, ſi turpiter, ſi ſordidè, ſi quoquo animi vitio dictum eſſe aliquid videatur, aut hominum offenſione, vel invidia, quæ aut juſta eſt, aut ex criminatione atque fama, aut res ſi diſplicet, aut ſi eſt in aliquo motu ſuæ cupiditatis, aut metus multitudo: hiſque quattuor cauſis totidem medicinæ opponuntur: tum objurgatio, ſi eſt *auctoritas*: tum admonitio, quaſi lenior objurgatio: tum promiſſio, ſi audierint, probaturos: tum deprecatio, quod eſt infimum, ſed nonnumquam utile. Nullo autem loco plus facetiæ proſunt, & celeritas, & breve aliquod dictum nec ſine dignitate, & cum lepore. Nihil enim tam facilè, quàm multitudo, à triſtitia, & ſæpe ab acerbitate, commodè ac breviter, & acutè, & hilarè dicto deducitur. Expoſui ferè, 84
ut potui, vobis in utroque genere cauſarum quæ ſequi ſolerem, quæ fugere, quæ ſpectare, quaque omnino in cauſis ratione verſari. Nec illud tertium laudationum genus eſt difficile, quod ego initiò quaſi à præceptis noſtris ſecreveram, ſed & quia multa ſunt orationum genera, & graviora, & majoris copiæ, de quibus nemo ferè præciperet, & quod nos laudationibus non ita multùm uti ſoleremus, totum hunc ſegregabam locum. ipſi enim Græci magis legendi, [5] & delectationis, aut hominis alicujus ornandi, quàm utilitatis hujus forenſis cauſa, laudationeis ſcriptitaverunt: quorum ſunt libri, quibus Themiſtocles, Ariſtides, Ageſilaus, Epaminondas, Philippus, Alexander aliique laudantur. Noſtræ laudationes, quibus in foro utimur, aut teſtimonii brevitatem habent nudam atque inornatam, aut ſcribuntur ad funebrem concionem, quæ ad orationis laudem minimè accommodata eſt. Sed tamen quoniam eſt utendum aliquando, nonnumquam etiam ſcribendum, velut P. Tu-

---

1. *Si ſic conſiſtitur aliquando.*] Sic Victoriana. Sed nihil variant Pall. quam quod pr. ac ſec. excludant *ſi*, habeantque, *ſic conſtituitur aliquando.* ceteri firmant receptam lectionem, *ſi ſic conſtituitur aliquando.* Lambinus repoſuit è libris, ut quidem aſſerit, *ſi hic conſiſtitur aliquamdiu.* in Pithœan. & Memmian. erat, *ſi conſtituitur aliquando.*

2. *Nec dubium, quid geſtum ſit.*] Eſt à Pall. & duobus Gallicanis, proximeque accedit Victoriana, niſi quod is, *nec dubium ſit, quid geſtum ſit.* vulgata, *nec ſi dubium ſit, quid geſtum ſit.*

3. *Vitanda etiam ingenii oſtentationiſque ſuſpicio.*] Enclitica *que* non eſt in Pall. prim. aut ſec. in Memm. aut Pith. è quibus duo præferunt, *ingeniis.*

4. *Opum, potentiæ, pecuniæ.*] Vox *pecuniæ* non eſt in ullo è noſtris quatuor.

5. *Et delectationis, &c.*] Revocavi quod erat in Pall. & Gallic. omnibus, item editione prima. ſequentes, *qui delectationes, &c.*

ut P. Tuberoni Africanum avunculum laudanti ſcripſit C. Lælius, vel ut noſmetipſi, ornandi cauſa, Græcorum more, ſi quos velimus, laudare poſſimus; ſit à nobis quoque tractatus is locus. Perſpicuum eſt igitur, alia eſſe in homine *optanda*, alia *laudanda*. Genus, forma, vires, opes, divitiæ, ceteraque quæ fortuna det, aut extrinſecus, aut corpori, non habent in ſe *veram laudem*: quæ deberi virtuti uni putatur: ſed tamen quòd ipſa virtus in earum rerum uſu, ac moderatione maximè cernitur, tractanda etiam in laudationibus hæc ſunt naturæ & fortunæ bona: in quibus eſt ſumma laus, NON EXTULISSE ſe in poteſtate, non fuiſſe inſolentem in pecunia, non ſe prætuliſſe aliis propter abundantiam fortunæ; ut opes, & copiæ non ſuperbiæ videantur ac libidini, ſed bonitati ac moderationi facultatem & materiam dediſſe. *Virtus* autem, quæ eſt per ſe ipſa laudabilis, & ſine qua nihil laudari poteſt, tamen habet plureis parteis, quarum alia eſt ad laudationem aptior. Sunt enim aliæ virtutes, quæ videntur in moribus hominum, & quadam comitate ac beneficentia poſitæ: aliæ, quæ in ingenii aliqua facultate, aut animi magnitudine, ac robore. Nam clementia, juſtitia, benignitas, fides, fortitudo in periculis communibus, jucunda eſt auditu in laudationibus. OMNES enim hæ virtutes non tam ipſis, qui eas in ſe habent, quam generi hominum, fructuoſæ putantur. ſapientia & magnitudo animi, [1] qua omnes res humanæ geruntur, tenues, & *pro nihilo* putantur: & in excogitando vis quædam ingenii, & ipſa eloquentia, admirationis habet non minùs, jucunditatis minus. Ipſos enim magis videtur, quos [2] laudamus, quàm illos, apud quos laudamus, ornare, ac tueri: ſed tamen in laudando jungenda ſunt etiam hæc genera virtutum. feriunt enim aures hominum, cùm illa, quæ jucunda, & grata, tum etiam illa, quæ mirabi-
85 lia ſunt in virtute, laudari. Et quoniam ſingularum virtutum ſunt certa quædam officia, ac munera, & ſua cuique virtuti laus propria debetur, erit explicandum in laude juſtitiæ, quid cum fide, quid cum æquabilitate, quid cum ejuſmodi aliquo officio is, qui laudabitur, fecerit. Itemque in ceteris res geſtæ ad cujuſque virtutis genus, & vim, & nomen accommodabuntur. GRATISSIMA autem laus eorum factorum habetur, quæ ſuſcepta videntur à viris fortibus ſine emolumento ac præmio: quæ verò etiam cum labore, & periculo ipſorum, hæc habent uberrimam copiam ad laudandum, quòd & dici ornatiſſimè poſſunt, & audiri facillimè. Ea enim denique VIRTUS eſſe videtur præſtantis viri, quæ eſt fructuoſa aliis, ipſi autem laborioſa, aut periculoſa, aut certè gratuita. Magna etiam illa laus, & admirabilis videri ſolet, tuliſſe caſus *ſapienter* adverſos, non fractum eſſe fortuna, retinuiſſe in rebus aſperis dignitatem. Neque tamen illa non ornant, habiti honores, decreta virtutis præmia, res geſtæ, judiciis hominum comprobatæ: in quibus etiam *felicitatem* ipſam, deorum immortalium judicio tribui, laudationis eſt. Sumendæ autem res erunt aut magnitudine præſtabiles, aut novitate primæ, aut genere ipſo ſingulares. neque enim parvæ, neque uſitatæ, neque vulgares, admiratione, aut omnino laude dignæ videri ſolent. Eſt etiam cum ceteris præſtantibus viris *comparatio*, in laudatione, præclara. De quo genere libitum eſt mihi paullo plura, quàm oſtenderam, dicere, non tam propter uſum forenſem, qui eſt à me in omni hoc ſermone tractatus, quàm ut hoc videretis, ſi laudationes eſſent in oratoris officio, quod nemo negat oratori virtutum omnium cognitionem, ſine qua laudatio effici non poſſit, eſſe neceſſariam. Jam vituperandi præcepta contrariis ex vitiis ſumenda eſſe perſpicuum eſt. ſimul eſt illud ante oculos, nec bonum virum propriè, & copioſè laudari, ſine virtutum, nec improbum notari ac vituperari, ſine vitiorum cognitione, ſatis inſignite, atque aſperè poſſe. Atque his locis & laudandi, & vituperandi ſæpe nobis eſt utendum in omni genere cauſarum. Habetis, de inveniendis rebus, diſponendiſque quid ſentiam. adjungam etiam de memoria, ut labore Craſſum levem, neque ei quidquam aliud, de quo
differat, relinquam, niſi ea, quibus hæc exornentur. Perge 86
verò, inquit Craſſus. libenter enim te cognitum jam artificem, aliquandoque evolutum illis integumentis diſſimulationis tuæ, nudatumque perſpicio: & quòd mihi nihil, aut quòd non multum relinquis, percommodè facis, eſtque mihi gratum. Jam iſtuc quantum tibi ego reliquerim, inquit Antonius, erit in tua poteſtate. Si enim verè agere volueris, omnia tibi relinquo. ſin diſſimulare, tu quemadmodum his ſatisfacias, videris. Sed, ut ad rem redeam, non ſum tanto ego, inquit, ingenio, quanto Themiſtocles fuit, ut oblivionis artem, quàm memoriæ, malim: gratiamque habeo [3] Simonidi illi Cejo, quem primum ferunt *artem memoriæ* protuliſſe. Dicunt enim, cùm cenaret Crannone in Theſſalia Simonides apud Scopam, fortunatum hominem, & nobilem, ceciniſſetque id carmen, quod in eum ſcripſiſſet, in quo multa ornandi cauſa poëtarum more in Caſtorem ſcripta, & Pollucem fuiſſent, nimis illum ſordidè Simonidi dixiſſe, *ſe dimidium* ejus rei, quod pactus eſſet, pro illo carmine, daturum: reliquum à ſuis Tyndaridis, quos æquè laudaſſet, peteret, ſi ei videretur. Paullo pòſt eſſe ferunt nuntiatum Simonidi, ut prodiret: juvenes ſtare ad januam duos quoſdam, qui eum magnopere evocarent: ſurrexiſſe illum ipſum, prodiſſe, vidiſſe neminem. hoc interim ſpatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidiſſe: ea ruina ipſum oppreſſum cum ſuis interiiſſe. quos cùm humare vellent *ſui*, neque poſſent obtritos internoſcere ullo modo: Simonides dicitur ex eo quòd meminiſſet, quo eorum loco quiſque cubuiſſet, demonſtrator uniuſcujuſque ſepeliendi fuiſſe. Hac tum re admonitus inveniſſe fertur, ordinem eſſe maximè, qui memoriæ lumen afferret. Itaque iis, qui hanc partem ingenii exercerent, locos eſſe capiendos, & ea, quæ memoria tenere vellent, effingenda animo, atque in his locis collocanda: ſic fore, ut ordinem rerum, locorum ordo conſervaret: res autem ipſas rerum effigies notaret, atque ut locis pro cera, ſimu-
lacris pro litteris uteremur. Qui ſit autem oratori *memoriæ* 87
fructus, quanta utilitas, quanta vis, quid me attinet dicere? tenere quæ didiceris in accipienda cauſa, quæ ipſe cogitaris? omneis fixas eſſe in animo ſententias? omnem deſcriptum verborum apparatum? ita audire vel eum, unde dicas, vel eum, cui reſpondendum ſit, ut illi non infundere in aureis tuas orationem, ſed in animo videantur inſcribere? Itaque SOLI, qui memoria vigent, ſciunt, quid, & quatenus, & quomodo dicturi ſunt, quid reſponderint, quid ſuperſit: iidemque multa ex aliis cauſis aliquando à ſe acta, multa ab aliis audita meminerunt. Quare confiteor equidem, hujus boni, naturam eſſe principem, ſicut earum rerum, de quibus antè locutus ſum, omnium: ſed hæc ars tota dicendi, ſive *artis imago* quædam eſt, & ſimilitudo, habet hanc vim, non ut totum aliquid, cujus in ingeniis noſtris pars nulla ſit, pariat & procreet, verùm ut ea, quæ ſunt orta jam in nobis, & procreata, educet, atque confirmet. Verumtamen neque tam acri memoria fere quiſquam eſt, ut non diſpoſitis, notatiſque rebus, ordinem verborum, aut ſententiarum complectatur: neque verò tam hebeti, ut nihil hac conſuetudine, & exercitatione adjuvetur. Vidit enim hoc prudenter ſive Simonides, ſive alius quis invênit, ea maximè animis effingi noſtris, quæ eſſent à ſenſu tradita, atque impreſſa: acerrimum autem ex omni-

1. *Qua omnes res humanæ geruntur.*] Dictio *geruntur*, non viſitur in Pith. & membr. Memmii: & vero punctis ſubducta eſt in Pal. ſext. habent tamen reliqui præter pr. & ſec. in quibus præmittitur, *ſine qua omnes res humanæ tenues, &c.* quod factum videtur, quod non adſequerentur auctoris ſententiam; quæ probè tamen procedit ſine illo *geruntur*: unde etiam neglexit id Lambinus.

2. *Laudamus, quam illos apud quos laudamus, ornare.*] In quatuor noſtris illis non reperies, *quam illos apud quos laudamus*: & ſanè ſatis ſubintelliguntur ob præcedentia.

3. *Simonidi illi Ceio.*] Ita recte emendatum ab Hadr. Junio Centuria III. Adagio 71. antea erat, *Chio.*

1. Con-

omnibus noſtris ſenſibus eſſe ſenſum *videndi*: quare facillimè animo teneri poſſe ea, quæ perciperentur auribus, aut cogitatione, ſi etiam oculorum commendatione animis traderentur; ut res cæcas, & ab adſpectus judicio remotas, conformatio quædam, & imago, & figura ita notaret, ut ea quæ cogitando complecti non poſſemus, intuendo quaſi teneremus. His autem formis, atque corporibus, ſicut omnibus, quæ ſub adſpectum veniunt, ſedes opus eſt. etenim *corpus* intelligi ſine loco non poteſt. quare ne in re nota & pervulgata, multus & inſolens ſim, locis eſt utendum multis, illuſtribus, explicatis, modicis intervallis. Imaginibus autem agentibus, acribus, inſignitis, quæ occurrere, celeriterque percutere animum poſſint. Quam facultatem & exercitatio dabit, ex qua conſuetudo gignitur, & ſimilium verborum [1] converſa & immutata caſibus, aut traducta ex parte ad genus notatio, & unius verbi imagine, totius ſententiæ informatio, pictoris cujuſdam ſummi ra-
88 tione & modo formarum varietate locos diſtinguentis. Sed *verborum* memoria, quæ minus eſt nobis neceſſaria, majore imaginum varietate diſtinguitur. multa enim ſunt verba, quæ, quaſi articuli, connectunt membra orationis, quæ formari ſimilitudine nulla poſſunt. eorum fingendæ nobis ſunt imagines, quibus ſemper utamur. Rerum memoria, propria eſt oratoris. eam ſingulis perſonis bene poſitis notare poſſumus, ut ſententias imaginibus, ordinem locis comprehendamus. Neque verum eſt, quod ab inertibus dicitur, *opprimi* memoriam imaginum pondere, & obſcurari etiam id, quod per ſe natura tenere potuiſſet. Vidi enim ego ſummos homines, & divina propè memoria, Athenis Carneadem: in Aſia, quem vivere hodie ajunt, Sceptium Metrodorum, quorum uterque tamquam litteris in cera, ſic ſe ajebat imaginibus in iis locis, quos haberet, quæ meminiſſe vellet, perſcribere. Quare hac exercitatione non eruenda memoria eſt, ſi eſt nulla naturalis: ſed certè, ſi latet, evocanda eſt. Habetis ſermonem benè longum hominis utinam non impudentis, illud quidem certè non nimis verecundi: qui quidem cùm te, Catule, tum etiam L. Craſſo audiente, de dicendi ratione tam multa dixerim. nam iſtorum ætas minus me fortaſſe movere debuit. ſed mihi ignoſcetis profectò, ſi modò, quæ cauſa me ad hanc inſolitam mihi loquacitatem impulerit, ac-
89 ceperitis. Nos verò, inquit Catulus, (etenim pro me hoc, & pro meo fratre reſpondeo) non modò tibi ignoſcimus, ſed te diligimus, magnamque tibi habemus gratiam: & cùm humanitatem, & facilitatem agnoſcimus tuam, tum admiramur iſtam ſcientiam, & copiam. Equidem etiam hoc me aſſecutum puto, quòd magno ſum levatus errore, & illa admiratione liberatus, quòd multis cum aliis ſemper admirari ſolebam, unde eſſet illa tanta tua in cauſis divinitas. nec enim te iſta attigiſſe arbitrabar, quæ diligentiſſimè cognoſſe, & undique collegiſſe, *uſuque doctum* partim correxiſſe video, partim comprobaſſe. Neque eo minus eloquentiam tuam, & multo magis virtutem, & diligentiam admiror, & ſimul gaudeo, judicium animi mei comprobari, quòd ſemper ſtatui, NEMINEM ſapientiæ laudem, & eloquentiæ, ſine ſummo ſtudio, & labore, & doctrina, conſequi poſſe. Sed tamen quidnam eſt id, quod dixiſti, fore, ut tibi ignoſceremus, ſi cognoſſemus, quæ te cauſa in ſermonem impuliſſet? Quæ eſt enim alia cauſa, niſi quòd nobis, & horum adoleſcentium ſtudio, qui te attentiſſimè audierunt, morem gerere voluiſti? Tum ille, Adimere, inquit, omnem recuſationem Craſſo volui, quem ego paullo ſciebam, vel pudentiùs, vel invitiùs, (nolo enim dicere de tam ſuavi hòmine faſtidioſiùs) ad hoc genus ſermonis accedere. Quid enim poterit dicere? Conſularem ſe eſſe hominem, & cenſorium? eadem noſtra cauſa eſt. An ætatem afferet? quadriennio minor eſt. An ſe neſcire? quæ ego ſerò, quæ curſim arripui, [2] quæ ſubciſivis operis, (ut ajunt) iſte à puero, ſummo ſtudio, ſummis doctoribus. Nihil dicam de ingenio, cui par nemo fuit. etenim me dicentem qui audierit, nemo umquam tam ſui deſpiciens fuit, quin ſperaret aut meliùs, aut eodem modo ſe poſſe dicere: Craſſo dicente, nemo tam arrogans, qui ſimiliter ſe umquam dicturum eſſe confideret. Quamobrem, ne fruſtra
hi tales viri venerint, te aliquando, Craſſe, audiamus. Tum 90
ille, Ut ita iſta eſſe concedam, inquit, Antoni, quæ ſunt longè ſecus, quid mihi tu tandem hodie, aut cuiquam homini, quod dici poſſit, reliquiſti? Dicam enim verè, amiciſſimi homines, quod ſentio. ſæpe ego doctos homines, quid dico ſæpe? immò nonnumquam: ſæpe enim, qui potui, qui puer in forum venerim, neque inde umquam diutius, quàm quæſtor abfuerim? ſed tamen audivi, ut heri dicebam, & Athenis cùm eſſem, doctiſſimos viros, & in Aſia iſtum ipſum Sceptium Metrodorum, cùm de his ipſis rebus diſputaret. neque verò mihi quiſquam copioſius umquam viſus eſt, neque ſubtiliùs in hoc genere dicendi, quàm iſte hodie, eſſe verſatus. quod ſi eſſet aliter, & aliquid intelligerem ab Antonio prætermiſſum: non eſſem tam inurbanus, ac pænè inhumanus, uti eo *gravarer*, quod vos cupere ſentirem. Tum Sulpicius, An ergo, inquit, oblitus es, Craſſe, Antonium ita partitum eſſe tecum, ut ipſe inſtrumentum oratoris exponeret, tibi ejus diſtinctionem, atque ornatum relinqueret? Hìc ille, Primum, quis Antonio permiſit, inquit, ut & parteis faceret, &, utram vellet, prior ipſe ſumeret? deinde, ſi ego rectè intellexi, cùm valde libenter audirem, mihi conjunctè eſt viſus de utraque re dicere. Ille verò, inquit Cotta, ornamenta orationis non attigit, neque eam laudem, ex qua eloquentia nomen ipſum invenit. Verba igitur, inquit Craſſus, mihi reliquit Antonius, rem ipſe ſumſit. Tum Cæſar, Si, quod difficilius eſt, id tibi reliquit: eſt nobis, inquit, cauſa, cur te audire cupiamus: ſin, quod facilius: tibi cauſa non eſt, cur recuſes. Et Catulus: Quid, quòd dixiſti, inquit, Craſſe, ſi hìc hodie apud te maneremus, te morem nobis eſſe geſturum? nihilne ad fidem tuam putas pertinere? Tum Cotta ridens, Poſſem tibi, inquit, Craſſe, concedere: ſed vide, ne quid Catulus attulerit religionis. opus hoc *cenſorium* eſt. id autem committere, vide quàm ſit homini turpe cenſorio. Agite verò, ille inquit, ut vultis. ſed nunc quidem, quoniam id temporis eſt, ſurgendum cenſeo, & requieſcendum: poſt meridiem, ſi ita vobis eſt commodum, loquemur aliquid, niſi fortè in craſtinum differre mavultis. Omnes ſe vel ſtatim, vel, ſi ipſe poſt meridiem mallet, quamprimùm tamen audire velle dixerunt.

1. *Converſa & immutata caſibus.*] Eſt à quatuor noſtris, neque aliter Lambinus. vulgata, *conſervata*, *&c.*
2. *Quæ ſubſicivis operis.*] Ita Pall. ſeptem, niſi quod ſext. *ſubſitivis*. at prim. & ſec. *ſibi ſe civi*. Pith. & Memmii chartaceus, *ſubciſivi*. quod videtur Gulielmio tale fuiſſe, ut ſuper eo amplius quærendum cenſeret.

M. TULLII CICERONIS, DE ORATORE, LIBER TERTIUS.

1 INSTITUENTI mihi, Quinte frater, eum ſermonem referre, & mandare huic tertio libro, quem poſt Antonii diſputationem Craſſus habuiſſet, acerba ſanè recordatio veterem animi curam, moleſtiamque renovavit. Nam illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa virtus L. Craſſi, morte exſtincta ſubita eſt, vix diebus decem poſt eum diem, qui hoc, & ſuperiore libro continetur. Ut enim Romam rediit extremo ſcenicorum ludorum die, vehementer commotus ea oratione, quæ ferebatur habita eſſe in concione à Philippo, quem dixiſſe conſtabat, *videndum* ſibi aliud eſſe conſilium: illo ſenatu ſe remp. gerere non poſſe: manè idibus Septembris, & ille, & ſenatus frequens vocatu Druſi in curiam venit. Ibi cùm Druſus multa de Philippo queſtus eſſet, retulit ad ſenatum de illo ipſo, quòd conſul in eum ordinem tam graviter in concione eſſet invectus. Hìc, ut ſæpe inter homines ſapientiſſimos conſtare vidi, quamquam hoc Craſſo, cùm aliquid accuratiùs dixiſſet, ſemper ferè contigiſſet, ut numquam dixiſſe meliùs putaretur, tamen omnium conſenſu ſic eſſe tum judicatum, ceteros à Craſſo ſemper omneis, illo autem die etiam ipſum *à ſeſe ſuperatum*. Deploravit enim caſum, atque orbitatem ſenatus: cujus ordinis à conſule, qui quaſi *parens bonus*, aut tutor fidelis eſſe deberet, tanquam ab aliquo nefario prædone diriperetur patrimonium dignitatis: neque verò eſſe mirandum, ſi, cùm ſuis conſiliis remp. profligaſſet, conſilium ſenatus à repub. repudiaret. Hìc cùm homini & vehementi, & diſerto, & in primis forti ad reſiſtendum, Philippo, quaſi quaſdam verborum faceis admoviſſet, non tulit ille, & graviter exarſit, pignoribuſque ablatis Craſſum inſtituit coërcere. Quo quidem ipſo in loco multa à Craſſo divinitiùs dicta efferebantur, cùm ſibi illum conſulem eſſe negaret, cui ſenator ipſe non eſſet. AN TU, QUUM OMNEM AUCTORITATEM UNIVERSI ORDINIS [1] PRO PIGNORE PUTARIS, EAMQUE IN CONSPECTU POPULI ROM. CONCIDERIS; MEIS PIGNORIBUS EXISTIMAS POSSE TERRERI? NON TIBI ILLA SUNT CÆDENDA, SI CRASSUM VIS COERCERE: [2] HÆC TIBI EST EXCIDENDA LINGUA: QUA VEL EVULSA, SPIRITU IPSO LIBIDINEM TUAM LIBERTAS MEA REFUTABIT.

2 Permulta tum vehementiſſima contentione animi, ingenii, virium, ab eo dicta eſſe conſtabat: ſententiamque eam, quam ſenatus frequens ſecutus eſt, ornatiſſimis & graviſſimis verbis, UT POPULO R. ſatisfieret, numquam ſenatus neque conſilium reip. neque fidem defuiſſe, ab eo dictam: & eundem (id quod in auctoritatibus perſcriptis exſtat) ſcribendo adfuiſſe. Illa tanquam *cycnea* fuit divini hominis *vox*, & oratio, quam quaſi exſpectantes, poſt ejus interitum veniebamus in curiam, ut veſtigium illud ipſum, in quo ille poſtremum inſtitiſſet, contueremur. Namque tum latus ei dicenti condoluiſſe: ſudoremque multum conſecutum eſſe audiebamus: ex quo cùm *cohorruiſſet*, cum febri domum rediit, dieque ſeptimo lateris dolore conſumtus eſt. O FALLACEM hominum ſpem, fragilemque fortunam, & inaneis noſtras contentiones: quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur, & corruunt, & antè in ipſo curſu obruuntur, quàm portum conſpicere potuerunt! Nam, quamdiu Craſſi fuit, ambitionis labore, vita diſtricta, tamdiu privatis magis officiis, & ingenii laude floruit, quàm fructu amplitudinis, aut reip. dignitate. Qui autem ei annus primus ab honorum perfunctione aditum, omnium conceſſu, ad ſummam *auctoritatem* dabat, is ejus omnem ſpem, atque omnia vitæ conſilia morte pervertit. Fuit hoc luctuoſum ſuis, acerbum patriæ, grave bonis omnibus: ſed ii tamen remp. caſus ſecuti ſunt, ut mihi non erepta L. Craſſo à diis immortalibus vita, ſed *donata mors* eſſe videatur. Non vidit flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia ſenatum, non ſceleris nefarii principes civitatis reos, non luctum filiæ, non exilium generi, non acerbiſſimam C. Marii fugam, non illam poſt reditum ejus cædem omnium crudeliſſimam; non denique in omni genere deformatam eam civitatem, in qua ipſe florentiſſima multùm omnibus gloria
præſtitiſſet. Sed quoniam attigi cogitatione vim, varietatem- 3
que fortunæ, non vagabitur oratio mea longiùs, atque eis ferè ipſis definietur viris, qui hoc ſermone, quem referre cœpimus, continentur. Quis enim non jure beatam L. Craſſi mortem illam, quæ eſt à multis ſæpe defleta, dixerit, [3] cùm horum ipſorum ſit, qui tum cum illo poſtremùm ferè collocuti ſunt, eventum recordatus? Tenemus enim memoria, Q. Catulum, virum omni laude præſtantem, cùm ſibi non incolumem fortunam, ſed exilium & fugam *deprecaretur*, eſſe coactum, ut vita ſe ipſe privaret. Jam Marci Antonii in his ipſis roſtris, in quibus ille rempublicam conſtantiſſimè conſul defenderat, quæque cenſor imperatoriis manubiis ornarat, poſitum caput illud fuit, à quo erant multorum civium capita ſervata. Neque verò longè ab eo C. Julii caput, hoſpitis Etruſci ſcelere proditum, cum L. Julii fratris capite jacuit, ut ille, qui hæc non vidit, & vixiſſe cum repub. pariter, & cum illa ſimul *exſtinctus* eſſe videatur. Neque enim propinquum ſuum, maximi animi virum, Publium Craſſum, ſuapte interfectum manu, neque collegæ ſui, pontificis maximi, ſanguine ſimulacrum Veſtæ reſperſum eſſe vidit: cui mœrori (qua mente ille in patriam fuit) etiam C. Carbonis, inimiciſſimi hominis, eodem illo die mors nefaria fuiſſet. Non vidit eorum ipſorum, qui tum adoleſcentes Craſſo ſe *dicarant*, horribileis, miſeroſque caſus. Ex quibus C. Cotta, quem ille florentem reliquerat, paucis diebus poſt mortem Craſſi depulſus per invidiam tribunatu, non multis ab eo tempore menſibus ejectus eſt è civitate. Sulpicius autem, qui in eadem invidiæ flamma fuiſſet, quibuſcum privatus conjunctiſſimè vixerat, hos in tribunatu ſpoliare inſtituit omni dignitate: cui quidem ad ſummam gloriam eloquentiæ floreſcenti, [4] ferro erepta vita eſt, & pœna *temeritatis* non ſine magno reipublicæ malo conſti-

1. *PRo pignore putaris, &c.*] Secutus ſum Pall. duos & Gallicanos totidem; quamvis ſic quoque editum a Manutio & Lambino. priores enim, *propugnare putares, &c.*

2. *Hæc tibi eſt excidenda.*] Pal. prim. ſec. *incidenda*. neque aliter Memmii membranaceus; neque improbem.

3. *Cum horum ipſorum ſit, qui tum.*] Ferre poſſem, abeſſe *cum*, item *ſit*: gloſſam certe reſipere videntur.

4. *Ferro erepta vita.*] Pith. & Memm. *excepta*, cui ſcripturæ alludit Pal. ſec. in quo *erepta*.

conſtituta. Ego verò te, Craſſe, cùm vitæ flore, tum mortis opportunitate, divino conſilio & ortum, & exſtinctum eſſe arbitror. nam tibi aut pro virtute animi, conſtantiaque tua civilis ferri ſubeunda fuit crudelitas, aut, ſiqua te fortuna ab atrocitate mortis vindicaſſet, eadem eſſe te funerum patriæ ſpectatorem coëgiſſet: neque ſolùm tibi improborum dominatus, ſed etiam propter admiſtam ci-
4 vium cædem, *bonorum victoria* mœrori fuiſſet. Mihi quidem, Quinte frater, & eorum caſus, de quibus antè dixi, & ea, quæ noſmetipſi ob amorem in rempublicam incredibilem, & ſingularem pertulimus, ac ſenſimus, cogitanti, ſententia ſæpe tua, vera, ac ſapiens videri ſolet, qui propter tot, tantos, tamque præcipiteis caſus clariſſimorum hominum, atque optimorum virorum, me ſemper ab omni contentione, ac dimicatione revocaſti. Sed quoniam hæc jam neque in integro nobis poſſunt eſſe, & *ſummi* labores noſtri, magna compenſati gloria, mitigantur, pergamus ad ea ſolatia, quæ non modò ſedatis moleſtiis jucunda, ſed etiam hærentibus, ſalutaria nobis eſſe poſſunt: ſermonemque L. Craſſi reliquum, ac pænè poſtremum memoriæ prodamus: atque ei, etſi nequaquam parem illius ingenio, at pro noſtro tamen ſtudio meritam gratiam, debitamque referamus. Neque enim quiſquam noſtrûm, cùm libros Platonis mirabiliter ſcriptos legit, in quibus omnibus ferè Socrates exprimitur; non, quamquam illa ſcripta ſunt divinitus, tamen majus quiddam de illo, de quo ſcripta ſunt, ſuſpicatur: quod item nos poſtulamus non à te quidem, qui nobis ſumma omnia tribuis, ſed à ceteris, qui hæc in manus ſument, ut majus quiddam de L. Craſſo, quàm quantum à nobis exprimetur, ſuſpicentur. Nos enim qui ipſi ſermoni non interfuiſſemus, & quibus Cajus Cotta tantummodò locos, ac ſententias hujus diſputationis tradidiſſet, quo in genere orationis utrumque oratorem cognoveramus, idipſum ſumus in eorum ſermone adumbrare conati. Quòd ſiquis erit, qui ductus opinione vulgi, aut Antonium jejuniorem, aut Craſſum fuiſſe pleniorem putet; quam quomodo à nobis uterque inductus eſt: is erit ex iis, qui aut illos non audierit, aut judicare non poſſit. Nam fuit uterque (ut expoſui antea) cùm ſtudio, atque ingenio, & doctrina, præſtans omnibus, tum in ſuo genere perfectus, ut neque in Antonio deeſſet hic ornatus orationis, neque in Craſſo re-
5 dundaret. Ut igitur ante meridiem diſceſſerunt, paullulumque requierunt, in primis hoc à ſe Cotta animadverſum eſſe dicebat, omne illud tempus meridianum Craſſum in acerrima, atque attentiſſima cogitatione poſuiſſe, ſeſeque, qui vultum ejus, cùm ei dicendum eſſet, obtutumque oculorum in cogitando probè noſſet, atque in maximis cauſis ſæpè vidiſſet, tum dedita opera, quieſcentibus aliis, in eam exhedram veniſſet, in qua Craſſus lectulo poſito recubuiſſet, quumque eum in cogitatione defixum eſſe ſenſiſſet, ſtatim receſſiſſe, atque in eo ſilentio duas horas ferè eſſe conſumtas. Deinde quum omnes, inclinato jam in poſtmeridianum tempus die, veniſſent ad Craſſum, Quid eſt, Craſſe, inquit Julius, imuſne ſeſſum? etſi admonitum venimus te, non flagitatum. Tum Craſſus, an me tam impudentem eſſe exiſtimatis, ut vobis hoc præſertim munus putem diutius poſſe debere? Quinam igitur, inquit ille, locus? an in media ſilva placet? Eſt enim is maximè & opacus, & frigidus. Sanè, inquit Craſſus. etenim eſt in eo loco ſedes huic noſtro non inopportuna ſermoni. Cùm placuiſſet idem ceteris, in ſilvam venitur, & ibi magna cum audiendi exſpectatione conſiditur. Tum Craſſus, Cum auctoritas, atque amicitia veſtra, tum Antonii facilitas eripuit, inquit, mihi in optima mea cauſa libertatem recuſandi: quamquam in partienda diſputatione noſtra, cùm ſibi de iis, quæ dici ab oratore oporteret, ſumeret, mihi autem relinqueret, ut explicarem, quemadmodum illa ornari oporteret: ea diviſit, quæ ſejuncta eſſe non poſſunt. Nam cùm omnis ex re, atque verbis conſtet oratio: neque *verba* ſedem habere poſſunt, ſi rem ſubtraxeris, neque res lumen, ſi verba ſemoveris. Ac mihi quidem veteres illi majus quiddam animo complexi, multo plus etiam vidiſſe videntur, quàm quantum noſtrorum ingeniorum acies intueri poteſt: qui omnia hæc, quæ *ſuprà & ſubter*, unum eſſe, & una vi, atque una conſenſione naturæ conſtricta eſſe dixerunt. NULLUM EST enim genus rerum, quod aut avulſum à ceteris per ſeipſum conſtare, aut quo cetera, ſi careant, vim
ſuam, atque æternitatem conſervare poſſint. Sed hæc ma- 6
jor eſſe ratio videtur, quàm ut hominum poſſit ſenſu, aut cogitatione comprehendi. eſt etiam illa Platonis vera, & tibi, Catule, certè non inaudita vox, Omnem doctrinam harum ingenuarum, & humanarum artium, uno quodam *ſocietatis* vinculo contineri, ubi enim perſpecta vis eſt rationis ejus, qua cauſæ rerum, atque exitus cognoſcuntur, mirus quidam omnium quaſi conſenſus doctrinarum, concentuſque reperitur. Sed ſi hoc quoque videtur eſſe altius, quàm ut id nos humi ſtrati ſuſpicere poſſimus, illud certè tamen, quod amplexi ſumus, quod profitemur, quod ſuſcepimus, noſſe & tenere debemus. Una eſt enim, quod & ego heſterna die dixi; & aliquot locis antemeridiano ſermone ſignificavit Antonius, eloquentia, quaſcunque in oras diſputationis, regioneſve delata eſt. Nam ſive de cœli natura loquitur, ſive de terræ, ſive de divina vi, ſive de humana, ſive ex inferiore loco, ſive ex æquo, ſive ex ſuperiore, ſive ut impellat homines, ſive ut doceat, ſive ut deterreat, ſive ut concitet, ſive ut reflectat, ſive ut incendat, ſive ut leniat, ſive ad paucos, ſive ad multos, ſive inter alienos, ſive cum ſuis, ſive ſecum, *rivis* eſt diducta oratio, non *fontibus*: &, quocunque ingreditur, eodem eſt inſtructu, ornatuque comitata. Sed quoniam oppreſſi jam ſumus opinionibus non modò vulgi, verumetiam hominum leviter eruditorum, qui, quæ complecti tota nequeunt, hæc facilius divulſa, & quaſi diſcerpta contrectant: & qui, tanquam ab animo corpus, ſic à ſententiis verba ſejungunt, quorum ſine interitu fieri neutrum poteſt, non ſuſcipiam oratione mea plus, quàm mihi imponitur: tantum ſignificabo brevi, NEQUE VERBORUM ornatum inveniri poſſe non partitis, expreſſiſque ſententiis, neque eſſe ullam ſententiam illuſtrem ſine luce verborum. Sed prius quàm illa conor attingere, quibus orationem ornari, atque illuminari putem, proponam breviter, quid ſentiam de univerſo genere dicendi.
NATURA nulla eſt (ut mihi videtur) quæ non habeat in ſuo 7
genere res complureis diſſimileis inter ſe, quæ tamen conſimili laude dignentur. Nam & auribus multa percipimus, quæ etſi nos vocibus delectant, tamen ita ſunt varia ſæpe, ut id, quod proximum audias, jucundiſſimum eſſe videatur: & oculis colliguntur pænè innumerabiles voluptates, quæ nos ita capiunt, ut unum ſenſum diſſimili genere delectent, & reliquos ſenſus voluptates oblectent diſpares, ut ſit difficile judicium excellentis maximè ſuavitatis. At hoc idem, quod eſt in naturis rerum, transferri poteſt etiam ad arteis. Una fingendi eſt ars, in qua præſtantes fuerunt Myro, Polycletus, Lyſippus: qui omnes inter ſe diſſimiles fuerunt: ſed ita tamen, ut neminem ſui velis eſſe diſſimilem. Una eſt ars, ratioque picturæ, diſſimillimique tamen inter ſe Zeuxis, Aglaophon, Apelles: neque eorum quiſquam eſt, cui quidquam in arte ſua deeſſe videatur. Et, ſi hoc in his quaſi *mutis* artibus eſt mirandum, & tamen verum: quanto admirabilius in oratione, atque in lingua? quæ cùm in iiſdem ſententiis, verbiſque verſetur, ſummas habet diſſimilitudines, non ſic, ut alii vituperandi ſint, ſed ut ii, quos conſtet eſſe laudandos, in diſpari tamen genere laudentur. Atque id primùm in poëtis cerni licet, quibus eſt proxima *cognatio* cum oratoribus, quàm ſint inter ſeſe Ennius, Pacuvius, Acciuſque diſſimiles: quàm apud Græcos, Æſchylus, Sophocles, Euripides; [1] quamquam omnibus, par pænè laus in diſſimili ſcribendi genere tribuatur. Adſpicite nunc eos homines, atque intuemini, quorum de facultate quærimus,

1. *Quamquam omnibus par, &c.*] Lambinus, *quamque*. ſed bene, quod ipſe fatetur factum à ſe libris omnibus reclamantibus.

rimus, quid interſit inter oratorum ſtudia atque naturas. Suavitatem Iſocrates, ſubtilitatem Lyſias, acumen Hyperides, ſonitum Æſchines, vim Demoſthenes habuit. quis eorum non egregius? tamen quis cujuſquam niſi ſui ſimilis? Gravitatem Africanus, lenitatem Lælius, aſperitatem Galba, profluens quiddam habuit Carbo, & canorum. quis horum non princeps temporibus illis fuit? & ſuo tamen
8 quiſque in genere *princeps*. Sed quid ego vetera conquiram, cùm mihi liceat uti præſentibus exemplis, atque vivis? Quid jucundius auribus noſtris umquam accidit hujus oratione Catuli? quæ eſt pura ſic, ut Latinè loqui pænè ſolus videatur: ſic autem gravis, ut in ſingulari dignitate omnis tamen adſit humanitas, ac lepos. Quid multa? iſtum audiens equidem ſic judicare ſoleo, quidquid aut addideris, aut mutaveris, aut detraxeris, vitioſius & deterius futurum. Quid noſter hic Cæſar? nonne novam quandam rationem attulit orationis, & dicendi genus induxit propè ſingulare? Quis umquam res, præter hunc, tragicas pænè comicè, triſteis remiſsè, ſeveras hilarè, forenſeis ſcenica propè venuſtate tractavit: atque ita, ut neque jocus magnitudine rerum excluderetur, nec gravitas facetiis minueretur? Ecce præſentes duo propè æquales Sulpicius & Cotta. quid tam inter ſe diſſimile? quid tam in ſuo genere præſtans? limatus alter, & ſubtilis, rem explicans propriis, aptiſque verbis: *hæret* in cauſa ſemper: &, quid judici probandum ſit, cùm acutiſſimè vidit, omiſſis ceteris argumentis, in eo mentem orationemque defigit. Sulpicius autem fortiſſimo quodam animi impetu, pleniſſima & maxima voce, ſumma contentione corporis, & dignitate motus, verborum quoque ea gravitate & copia eſt, ut unus ad dicendum inſtru-
9 ctiſſimus à natura eſſe videatur. Ad noſmetipſos jam revertor: (quoniam ſic fuimus ſemper comparati, ut hominum ſermonibus quaſi in aliquod contentionis judicium vocaremur) quid tam diſſimile, quàm ego in dicendo, & Antonius? cùm ille is ſit orator, ut nihil eo poſſit eſſe præſtantius: ego autem, quamquam memet mei pœnitet, cum hoc maximè tamen in comparatione conjungar. Videtiſne, genus hoc quod ſit Antonii? forte, vehemens, commotum in agendo, præmunitum, & ex omni parte cauſæ ſæptum, acre, acutum, enucleatum, in unaquaque re commorans, honeſtè cedens, acriter inſequens, terrens, ſupplicans, ſumma orationis varietate, nulla noſtrarum *aurium* ſatietate. Nos autem, quicumque in dicendo ſumus (quoniam eſſe aliquo in numero vobis videmur) certè tamen ab hujus multùm genere diſtamus: quod quale ſit, non eſt meum dicere, propterea quòd MINIME ſibi quiſque notus eſt, & difficillimè de ſe quiſque ſentit: ſed tamen diſſimilitudo intelligi poteſt, & ex motus mei mediocritate, & ex eo, quòd, quibus veſtigiis primum inſtiti, in iis ferè ſoleo perorare: & quòd aliquanto me major in verbis, & in ſententiis eligendis, quàm eum, labor, & cura torquet, verentem, ne, ſi paullo obſoletior fuerit oratio, non digna exſpectatione, & ſilentio fuiſſe videatur. Quòd ſi in nobis, qui adſumus, tantæ diſſimilitudines, tam certæ res cujuſque propriæ, & in ea varietate ferè melius à deteriore, facultate magis, quàm genere diſtinguitur, atque omne *laudatur*, quod in ſuo genere perfectum eſt: quid cenſetis, ſi omnes, qui ubique ſunt, aut fuerunt oratores, amplecti voluerimus? numne fore, ut, quot oratores, totidem pænè reperiantur genera dicendi? Ex qua mea diſputatione forſitan occurrat illud, ſi pænè innumerabiles ſint quaſi formæ, figuræque dicendi, ſpecie diſpares, genere laudabiles: non poſſe ea, quæ inter ſe diſcrepant, iiſdem præceptis, atque in una inſtitutione formari. Quod non eſt ita: diligentiſſimeque hoc eſt eis, qui inſtituunt aliquos, atque erudiunt, videndum, quò ſua quemque natura maximè ferre videatur. Etenim videmus, *ex eodem* quaſi ludo ſummorum in ſuo cujuſque genere artificum & magiſtrorum exiſſe diſcipulos diſſimileis inter ſe, attamen laudandos, cùm ad cujuſque naturam inſtitutio doctoris accommodaretur. Cujus eſt vel maximè inſigne illud exemplum (ut ceteras arteis omittamus) quod dicebat Iſocrates, doctor ſingularis, ſe *calcaribus* in Ephoro, contrà autem in Theopompo *frenis* uti ſolere. alterum enim exſultantem verborum audacia reprimebat, alterum cunctantem, & quaſi verecundantem incitabat. Neque eos ſimileis effecit inter ſe, ſed tantùm alteri affinxit, de altero limavit, ut id conformaret in utroque, quod utriuſque natura pateretur. Hæc eò mihi prædicenda 10
fuerunt, ut, ſi non omnia, quæ proponerentur à me, ad omnium veſtrûm ſtudium, & ad genus id, quod quiſque veſtrûm in dicendo probaret, adhæreſcerent, id à me genus exprimi ſentiretis, quod maximè mihi ipſi probaretur. Ergo hæc & agenda ſunt ab oratore, quæ explicavit Antonius, & dicenda quodammodo. Quinam igitur dicendi eſt modus melior, (nam de actione poſt videro) quàm ut Latinè, ut planè, ut ornatè, ut ad id, quodcumque agetur, aptè, congruenterque dicamus. Atque eorum quidem, quæ duo prima dixi, rationem non arbitror exſpectari à me, puri, dilucidique ſermonis. neque enim conamur docere eum dicere, qui loqui neſciat: nec ſperare, qui Latinè non poſſit, hunc ornatè eſſe dicturum: neque verò, qui non dicat, quod intelligamus, hunc poſſe, quod admiremur, dicere. Linquamus igitur hæc, quæ cogitationem habent facilem, uſum neceſſarium. nam alterum traditur litteris, doctrinaque puerili: alterum adhibetur ob eam cauſam, ut intelligatur, quid quiſque dicat: quod videmus ita eſſe neceſſarium, ut tamen eo minus nihil eſſe poſſit. Sed OMNIS LOQUENDI ELEGANTIA, quamquam expolitur ſcientia litterarum, tamen augetur legendis oratoribus & poëtis. ſunt enim illi veteres, qui ornare nondum poterant ea, quæ dicebant, omnes propè præclarè locuti: quorum ſermone aſſuefacti qui erunt, ne cupientes quidem, poterunt loqui, niſi Latinè. Neque tamen erit utendum verbis iis, quibus jam conſuetudo noſtra non utitur, niſi quando ornandi cauſa, parcè, quod oſtendam: ſed uſitatis ita poterit uti, lectiſſimis ut utatur is, qui in veteribus erit ſcriptis ſtudioſe, & multùm volutatus. Atque, ut Latinè loquamur, non ſolùm viden- 11
dum eſt, ut & verba efferamus ea, quæ nemo jure reprehendat: & ea ſic & caſibus, & temporibus, & genere, & numero conſervemus, ut nequid perturbatum, ac diſcrepans, aut præpoſterum ſit: ſed etiam lingua, & ſpiritus, & vocis ſonus eſt ipſe moderandus. Nolo exprimi litteras putidius, nolo obſcurari negligentius: nolo verba exiliter exanimata exire, nolo inflata, & quaſi *anhelata* gravius. nam de voce nondum ea dico, quæ ſunt actionis, ſed hoc, quod mihi cum ſermone quaſi conjunctum videtur. Sunt enim certa vitia, quæ nemo eſt, quin effugere cupiat, mollis vox, ut muliebris, aut quaſi extra modum abſona, atque abſurda. eſt autem vitium, quod nonnulli *de induſtria* conſectantur. Ruſtica vox, & agreſtis quoſdam delectat, quò magis antiquitatem, ſi ita ſonet, eorum ſermo retinere videatur, ut tuus, Catule, ſodalis, L. Cotta, gaudere mihi videtur gravitate linguæ, ſonoque vocis agreſti, & illud quod loquitur, priſcum viſum iri putat, ſi planè fuerit ruſticanum. [1] Me autem tuus ſonus, & ſuavitas iſta delectat: omitto verborum, quamquam eſt caput: verùm id affert *ratio*, docent litteræ, confirmat conſuetudo & legendi, & loquendi: ſed hanc dico ſuavitatem, quæ exit ex ore: quæ quidem, ut apud Græcos, Atticorum, ſic in Latino ſermone, hujus eſt urbis maximè propria. Athenis jam diu doctrina ipſorum Athenienſium *interiit*, domicilium tantùm in illa urbe remanet ſtudiorum, quibus vacant cives, peregrini fruuntur, capti quodammodo nomine urbis, & auctoritate: tamen eruditiſſimos homines Aſiaticos quivis Athenienſis indoctus, non verbis, ſed ſono vocis, nec tam bene, quàm ſuaviter loquendo, facilè ſuperabit. Noſtri minus ſtudent litteris,

1. *M. autem tuus ſonus & ſuavitas.*] Hodie quidem ita publicatur, pugnatque pro hac ſcriptura Lambinus: ſed tamen antiquitus vulgati ſervant *ſubtilitas*; neque aliter Palatini ſeptem, aut Memmii chartaceus, quem conſuluit Gulielmius.

1. *Sup-*

teris, quàm Latini. tamen ex iſtis, quos noſtis, urbanis, in quibus minimum eſt litterarum, nemo eſt, quin litteratiſſimum togatorum omnium, Q. Valerium Soranum, lenitate
12 vocis, atque ipſo oris preſſu, & ſono facilè vincat. Quare cùm ſit quædam certa vox *Romani generis*, urbiſque propria, in qua nihil offendi, nihil diſplicere, nihil animadverti poſſit, nihil ſonare, aut olere peregrinum, hanc ſequamur: neque ſolùm ruſticam aſperitatem, ſed etiam peregrinam inſolentiam fugere diſcamus. Equidem cùm audio ſocrum meam Læliam (FACILIUS enim mulieres incorruptam antiquitatem conſervant, quòd multorum ſermonis expertes, ea tenent ſemper, quæ prima didicerunt) ſed eam ſic audio, ut Plautum mihi, aut Nævium videar audire. ſono ipſo vocis ita recto, & ſimplici eſt, ut nihil oſtentationis, aut imitationis afferre videatur: ex quo ſic locutum eſſe ejus patrem judico, ſic majores; nòn aſperè, ut ille, quem dixi, non vaſtè, non ruſticè, non hiulcè, ſed preſsè, & æquabiliter, & leniter. Quare Cotta noſter, cujus tu illa lata, Sulpici, nonnunquam imitaris, ut JOTA litteram tollas, & E, pleniſſimum dicas, non mihi oratores antiquos, ſed meſſores videris imitari. Hîc cum arriſiſſet ipſe Sulpicius, Sic agam vobiſcum, inquit Craſſus, ut, quoniam me loqui voluiſtis, aliquid de veſtris vitiis audiatis. Utinam quidem, inquit ille. id enim ipſum volumus, idque ſi feceris, multa (ut arbitror) hîc hodie vitia ponemus. At enim non ſine meo periculo, Craſſus inquit, poſſum, Sulpici, te reprehendere, quoniam Antonius mihi te ſimillimum dixit ſibi videri. Tum ille, Tum quod monuit idem, ut EA, QUÆ in quoque maxima eſſent imitaremur: ex quo vereor, ne nihil ſim tui, niſi [1] ſupploſionem pedis imitatus, & pauca quædam verba, & aliquem, ſi fortè, motum. Ergo iſta, inquit Craſſus, quæ habes à me, non reprehendo, ne meipſum irrideam. ſunt autem mea multo & plura, & majora, quàm dicis. quæ autem ſunt aut tua planè, aut imitatione ex aliquo expreſſa, de iis te, ſi qui me fortè locus admonuerit,
13 commonebo. Prætereamus igitur præcepta Latinè loquendi, quæ puerilis doctrina tradit, & ſubtilior cognitio, ac ratio litterarum alit, aut conſuetudo ſermonis quotidiani, ac domeſtici libri confirmant, & *lectio* veterum oratorum, & poëtarum. Neque verò in illo altero diutius commoremur, ut diſputemus, quibus rebus aſſequi poſſimus, ut ea, quæ dicamus, intelligantur: Latinè ſcilicet dicendo, verbis uſitatis, ac propriè demonſtrantibus ea, quæ ſignificari, ac declarari volemus, ſine ambiguo verbo, aut ſermone, non nimis longa continuatione verborum, non valde productis iis, quæ ſimilitudinis cauſa ex aliis rebus transferuntur, non diſcerptis ſententiis, non præpoſteris temporibus, non confuſis perſonis, non perturbato ordine. quid multa? tam facilis eſt tota res, ut mihi permirum ſæpe videatur, cùm DIFFICILIUS intelligatur, quid patronus velit dicere, quàm ſi ipſe ille, qui patronum adhibet, de re ſua diceret. Iſti enim, qui ad nos cauſas deferunt, ita nos plerumque ipſi docent, ut non deſideres planius dici. Eaſdem res autem [2] ſimulac Fuſius, aut veſter æqualis Pomponius, agere cœpit, non æquè, quid dicant, niſi admodum attendi, intelligo, ita confuſa eſt oratio, ita perturbata, nihil ut ſit primum, nihil ut ſecundum: tantaque inſolentia ac turba verborum, ut oratio, quæ lumen adhibere rebus debet, ea obſcuritatem & tenebras afferat, atque ut quodammodo ipſi ſibi in dicendo obſtrepere videantur. Verùm, ſi placet, quoniam hæc ſatis ſpero vobis quidem certè majoribus, moleſta & putida videri, ad reliqua aliquanto odioſiora pergamus. Atqui vides, inquit Antonius, [3] cùm alias res agamus, quàm te inviti audiamus, qui adduci poſſumus (de me enim conjicio) [4] relictis ut rebus omnibus te ſectemur, te audiamus: ita de horridis rebus nitida, de jejunis plena, de pervulgatis nova quædam eſt oratio tua. Faciles enim, inquit, Antoni, 14
partes eæ fuerunt duæ, quas modò percucurri, vel potius pænè præterii, Latinè loquendi, planeque dicendi: reliquæ ſunt magnæ, implicatæ, variæ, graves, quibus omnis admiratio ingenii, omnis laus eloquentiæ continetur. Nemo enim umquam eſt oratorem, quòd Latinè loqueretur, admiratus: ſi eſt aliter, irrident: neque eum oratorem tantummodò, ſed hominem non putant. nemo extulit eum verbis, qui ita dixiſſet, ut, qui adeſſent, intelligerent quid diceret; ſed contemſit eum, qui minus id facere potuiſſet. In quo igitur homines exhorreſcunt? quem ſtupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem *deum*, ut ita dicam, inter homines putant? qui diſtinctè, qui explicatè, qui abundanter, qui illuminatè & rebus, & verbis dicunt, & in ipſa oratione quaſi quendam numerum, verſumque conficiunt: id eſt, quod dico, ornatè. Qui idem ita moderantur, ut rerum, ut perſonarum dignitates ferunt, ii ſunt in eo genere laudandi laudis, quod ego aptum & congruens nominem. Qui ita dicerent, eos negavit adhuc ſe vidiſſe Antonius, & iis hoc nomen dixit eloquentiæ ſolis eſſe tribuendum. Quare omneis iſtos, me auctore, deridete, atque contemnite, qui ſe horum, qui nunc ita appellantur, rhetorum præceptis omnem oratorum vim complexos eſſe arbitrantur, neque adhuc quam perſonam teneant, aut quid profiteantur, intelligere potuerunt. [5] Verùm enim ORATORI, quæ ſunt in hominum vita, quandoquidem in ea verſatur orator, atque ea eſt ei ſubjecta materies, omnia quæſita, audita, lecta, diſputata, tractata, agitata eſſe debent. Eſt enim eloquentia una quædam de ſummis virtutibus: quamquam ſunt omnes virtutes æquales & pares, ſed tamen eſt ſpecies alia magis alia, formoſa & illuſtris, ſicut hæc vis, quæ ſcientiam complexa rerum, ſenſa mentis, & conſilia, ſic verbis explicat, ut eos, qui audiunt, quocumque incubuerit, poſſit impellere: quæ quo major eſt vis, hoc eſt magis probitate jungenda, ſummaque prudentia: quarum virtutum expertibus ſi dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, ſed *furentibus quadam arma dederimus*. Hanc, inquam, cogitandi, pro- 15
nuntiandique rationem, vimque dicendi, veteres Græci SAPIENTIAM nominabant. hinc illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones, atque ab hac ſimilitudine Coruncanii noſtri, Fabricii, Catones, Scipiones fuerunt, non tam fortaſſe docti, ſed impetu mentis ſimili & voluntate. Eadem autem alii prudentia, ſed conſilio ad vitæ ſtudia diſpari, quietem atque *otium* ſecuti, ut Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, à regendis civitatibus totos ſe ad cognitionem rerum tranſtulerunt: quæ vita propter tranquillitatem, & propter ipſius ſcientiæ ſuavitatem, qua nihil eſt hominibus jucundius, plureis, quàm utile fuit rebus publicis, delectavit. Itaque, ut ei ſtudio ſe excellentiſſimis ingeniis homines dediderunt, ex ea ſumma facultate vacui ac liberi temporis, multo plura, quàm erat neceſſe, doctiſſimi homines, otio nimio, & ingeniis uberrimis affluentes, curanda ſibi eſſe, ac quærenda, & inveſtiganda duxerunt. Nam vetus quidem illa doctrina, eadem videtur & rectè *faciendi*, & benè *dicendi magiſtra*: neque disjuncti doctores, ſed iidem erant vivendi præceptores, atque dicendi: ut ille apud Homerum Phœnix, qui ſe *à Peleo patre* Achilli juveni comitem eſſe datum dicit ad bellum, ut illum efficeret oratorem verborum, actoremque rerum. Sed ut homines labore aſſiduo, & quotidiano aſſueti, cùm tempeſtatis cauſa opere prohibentur, ad pilam

---

1. *Supploſionem pedis.*] De ea Turneb. lib. XXVII. Adverſ. cap. I.

2. *Simulac Fuſius.*] Palat. quart. ſext. oct. nonus, *Fuſius* exhibent.

3. *Cum alias res agamus, quàm te inviti audiamus.*] Illud *audiamus*, in nullis eſt mſſ. noſtrorum; quibus omnibus adeſt, *quam te in vitia qui; &c.* præter octavum; in quo, *quanta in vitia qui.* editio prima præfert, *quam abſque te: non inviti quidem adduci.*

4. *Relictis ut rebus omnibus.*] Lambinus tollit *omnibus*, tanquam ſupervacaneum. at ego malim abeſſe *rebus*, relinqui vero *omnibus*.

5. *Verum enim oratori.*] Nihil diſcrepant Palatini. Lambinus edidit *Verò*. Gulielmius faciebat *Rerum*; at quid ſi *verum enim* dicamus poſitum pro *Enimvero*.

lam ſe, aut ad talos, aut ad teſſeras conferunt, aut etiam novum ſibi ipſi aliquem excogitant in otio ludum: ſic illi à negotiis publicis, tanquam ab opere aut temporibus excluſi, aut voluntate ſua feriati totos ſe alii ad poëtas, alii ad geometras, alii ad muſicos contulerunt; alii etiam, ut dialectici, novum ſibi ipſi ſtudium, ludumque pepererunt, atque in iis artibus, quæ repertæ ſunt, ut puerorum menteis *ad humanitatem* fingerentur, atque virtutem, omne
16 tempus, atque ætates ſuas conſumſerunt. Sed quòd erant quidam, iique multi, qui aut in rep. propter ancipitem, quæ non poteſt eſſe ſejuncta, faciendi, dicendique ſapientiam, florerent, ut Themiſtocles, ut Pericles, ut Theramenes, aut, qui minus ipſi in rep. verſarentur, ſed hujus tamen ejuſdem ſapientiæ doctores eſſent, ut Gorgias, Thraſymachus, Iſocrates: inventi ſunt, qui cùm ipſi doctrina, & ingeniis abundarent, à re autem civili, & à negotiis, *animi quodam judicio*, abhorrerent, hanc dicendi exercitationem exagitarent, atque contemnerent: quorum princeps Socrates fuit, is, qui omnium eruditorum teſtimonio, totiuſque judicio Græciæ, cùm prudentia, & acumine, & venuſtate, & ſubtilitate, tum verò eloquentia, varietate, copia, quam ſe cumque in partem dediſſet, omnium fuit facilè princeps. is, qui hæc, quæ nos nunc quærimus, tractarent, agerent, docerent, cùm nomine appellarentur uno, quòd omnis rerum optimarum cognitio, atque in iis exercitatio, *philoſophia* nominaretur, hoc commune nomen eripuit, ſapienterque ſentiendi, & ornatè dicendi ſcientiam, re cohærenteis, diſputationibus ſuis ſeparavit: cujus ingenium, varioſque ſermones immortalitati ſcriptis ſuis Plato, tradidit, cùm ipſe litteram Socrates nullam reliquiſſet. Hinc diſcidium illud exſtitit quaſi linguæ atque cordis, abſurdum ſanè & inutile, & reprehendendum, ut alii nos ſapere, alii dicere docerent. Nam, cùm eſſent plures orti ferè à Socrate, quòd ex illius variis, & diverſis, & in omnem partem diffuſis diſputationibus alius aliud apprehenderat, proſeminatæ ſunt quaſi *familiæ diſſentientes* inter ſe, & multùm disjunctæ, & diſpares, cùm tamen omnes ſe philoſophi Socraticos, & dici vellent, & eſſe arbitraren-
17 tur. Ac primò ab ipſo Platone Ariſtoteles, & Xenocrates: quorum alter Peripateticorum, alter Academiæ nomen obtinuit: deinde ab Antiſthene, qui patientiam, & duritiam in Socratico ſermone maximè adamarat, Cynici primùm, deinde Stoici: tum ab Ariſtippo, quem illæ magis voluptariæ diſputationes delectarant, Cyrenaica philoſophia manavit, quam ille, & ejus poſteri ſimpliciter defenderant: ii, qui nunc voluptate omnia metiuntur, dum verecundiùs id agunt, nec *dignitati* ſatisfaciunt, quam non aſpernantur, nec voluptatem tuentur, quam amplexari volunt. Fuerunt etiam alia genera philoſophorum, ferè qui ſe omnes Socraticos eſſe dicebant: Eretricorum, Herilliorum, Megaricorum, Pyrrhoneorum: ſed ea horum vi, & diſputationibus ſunt jamdiu fracta, & exſtincta. Ex illis autem, quæ remanent, ea philoſophia, quæ ſuſcepit patrocinium voluptatis, etſi cui vera videatur, procul abeſt tamen ab eo viro, quem quærimus, & quem auctorem publici conſilii, & *regendæ civitatis ducem*, & ſententiæ, atque eloquentiæ principem, in ſenatu, in populo, in cauſis publicis eſſe volumus: nec ulla tamen ei philoſophiæ fiet injuria à nobis. non enim repelletur inde, quò aggredi cupiet: ſed in hortulis quieſcet ſuis, ubi vult, ubi etiam recubans molliter, & delicatè, nos avocat à roſtris, à judiciis, à curia, fortaſſe ſapienter, [1] hac præſertim rep. Verùm ego non quæro nunc, quæ ſit philoſophia veriſſima, ſed quæ oratori conjuncta maximè. Quare iſtos ſine ulla contumelia dimittamus. ſunt enim & boni viri, & quoniam ſibi ita videntur, *beati*. tantumque eos admoneamus, ut illud, etiam ſi eſt veriſſimum, tacitum tamen tamquam myſterium, teneant, quòd negant *verſari in rep. eſſe ſapientis*. Nam, ſi hoc nobis, atque optimo cuique perſuaſerint, non poterunt ipſi eſſe, id quod maximè cupiunt, otioſi. Stoicos autem, quos 18
minimè improbo, dimitto tamen, nec eos iratos vereor, quoniam omnino iraſci neſciunt: atque hanc iis habeo gratiam, quòd ſoli ex omnibus eloquentiam, virtutem, ac ſapientiam eſſe dixerunt: ſed utrumque eſt in his, quod ab hoc, quem inſtruimus, oratore valde abhorreat: vel quòd omneis, qui ſapientes non ſint, ſervos, latrones, hoſteis, inſanos eſſe dicunt: neque tamen quemquam eſſe ſapientem. VALDE autem eſt abſurdum, ei concionem, aut ſenatum, aut ullum cœtum hominum committere, cui nemo illorum, qui adſint, ſanus, nemo civis, nemo liber eſſe videatur. Accedit quòd orationis etiam genus habent fortaſſe ſubtile, & certè acutum: ſed, ut in oratore, exile, inuſitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obſcurum, inane, jejunum, attamen ejuſmodi, quo uti ad vulgus nullo modo poſſit. Alia enim & *bona*, & *mala videntur* Stoicis, & ceteris civibus, vel potiùs gentibus: alia vis honoris, ignominiæ: præmii, ſupplicii: verè, an ſecus, nihil ad hoc tempus: ſed ea ſi ſequamur, nullam umquam rem dicendo expedire poſſimus. Reliqui ſunt Peripatetici, & Academici, quamquam Academicorum nomen eſt unum, ſententiæ duæ. nam Speuſippus Platonis ſororis filius, & Xenocrates, qui Platonem audierat, & qui Xenocratem, Polemo, & Crantor, nihil ab Ariſtotele, qui unà audierat Platonem, [2] magnopere diſſenſit: copia fortaſſe, & varietate dicendi pares non fuerunt. Arceſilas primùm, qui Polemonem audierat, ex variis Platonis libris, ſermonibuſque Socraticis hoc maximè arripuit, *nihil eſſe certi*, quod aut ſenſibus, aut animo percipi poſſit: quem ferunt eximio quodam uſum lepôre dicendi, aſpernatum eſſe omne animi, ſenſuſque judicium, primumque inſtituiſſe, (quamquam id fuit Socraticum maximè) non, quid ipſe ſentiret, oſtendere: ſed contra id, quod quiſque ſe ſentire dixiſſet, diſputare. Hinc hæc recentior Academia emanavit, in qua exſtitit divina quadam celeritate ingenii, dicendique copia Carneades: cujus ego etſi multos auditores cognovi Athenis, tamen auctores certiſſimos laudare poſſum, & ſocerum meum Scævolam, qui eum Romæ audivit adoleſcens, & Q. Metellum L.F. familiarem meum, clariſſimum virum, qui illum à ſe adoleſcente Athenis, jam affectum ſenectute, multos dies auditum eſſe dicebat. Hæc autem, ut ex 19
Apennino, fluminum, ſic ex communi ſapientium jugo, ſunt doctrinarum facta divortia, ut philoſophi, tanquam in ſuperum mare Ionium defluerent, Græcum quoddam, & *portuoſum*: oratores autem in inferum hoc Tuſcum, & Barbarum, ſcopuloſum, atque infeſtum, laberentur, in quo etiam ipſe Ulyſſes erraſſet. Quare ſi hac eloquentia, atque hoc oratore contenti ſumus, qui ſciat aut negare oportere quod arguare, aut ſi id non poſſis, tum oſtendere, quod is fecerit, qui inſimuletur, aut rectè factum, aut alterius culpa, aut injuria, aut ex lege, aut non contra legem, aut imprudentia, aut neceſſariò, aut non eo nomine uſurpandum, quo arguatur, aut non ita agi, ut debuerit, ac licuerit: & ſi ſatis eſſe putatis, ea, quæ iſti ſcriptores artis docent, diſcere, quæ multo tamen ornatiùs, quàm ab illis dicuntur, & uberiùs explicavit Antonius: ſed, ſi his contenti eſtis, atque iis etiam, quæ dici voluiſtis à me: ex ingenti quodam oratorem, immenſoque campo in exiguum ſanè gyrum compellitis. Sin veterem illum Periclem, aut hunc etiam, qui *familiarior* nobis propter ſcriptorum multitudinem eſt, Demoſthenem, ſequi vultis, &, ſi illam præclaram, & eximiam ſpeciem oratoris perfecti, & pulcritudinem adamaſtis: aut vobis hæc Carneadia, aut illa Ariſtotelia vis comprehendenda eſt. Namque (ut antè dixi) veteres illi [3] uſque ad Iſocratem, omnem omnium rerum, quæ ad mores

1. *Hac præſertim rep.*] Eſt à Lambinianis. aliæ edd. *ac præſertim à rep.* quod & in Pall. noſtris.

2. *Magnopere diſſenſit.*] Gulielmius *diſſenſi*, malebat, propius à vulgato quam Lambinianum *diſſenſerunt*.

3. *Uſque ad Iſocratem.*] Manut. ac Lambin. *Socratem*, ſed alterum hæret in pluribus mſſ. atque editionibus, habetque quo ſe tueatur.

1. *Diſſo-*

mores hominum, quæ ad vitam, quæ ad virtutem, quæ ad rempublicam pertinebant, cognitionem, & ſcientiam cum dicendi ratione jungebant: poſtea [1] diſſociati (ut expoſui) à Socrate, diſerti a doctis, & deinceps à Socraticis, item omnibus, philoſophi eloquentiam deſpexerunt, oratores ſapientiam: neque quidquam ex alterius parte tetigerunt, niſi quod illi ab his, aut ab illis hi mutuarentur: ex quo promiſcuè haurirent ſi manere in priſtina communione voluiſſent. Sed, ut pontifices veteres, propter ſacrificiorum *multitudinem* treis viros epulones eſſe voluerunt, cùm eſſent ipſi à Numa, ut etiam illud ludorum epulare ſacrificium facerent, inſtituti: ſic Socratici à ſe cauſarum actores & à communi philoſophiæ nomine ſeparaverunt, cùm veteres dicendi & intelligendi mirificam ſocietatem eſſe

20 voluiſſent. Quæ cùm ita ſint, paululum equidem de me deprecabor, & petam à vobis, ut ea, quæ dicam, non de memetipſo, ſed de oratore dicere putetis. Ego enim ſum is, qui, cùm ſummo ſtudio patris *in pueritia doctus* eſſem, & in forum ingenii tantum, quantum ipſe ſentio, non tantum, quantum ipſe forſitan vobis videar, detuliſſem, non poſſim dicere, me hæc, quæ nunc complector, perinde, ut dicam diſcenda eſſe, didiciſſe: quippe qui omnium maturrimè ad publicas cauſas acceſſerim, [2] annoſque natus unum & viginti nobiliſſimum hominem, & eloquentiſſimum, in judicium vocarim: cui diſciplina, fuerit forum: magiſter, uſus, & leges, & inſtituta populi Romani, moſque majorum. Paullum, ſitiens iſtarum artium, de quibus loquor, guſtavi, quæſtor in Aſia cùm eſſem, æqualem ferè meum ex Academia rhetorem nactus, Metrodorum illum, de cujus memoria commemoravit Antonius: & inde decedens, Athenis: ubi ego diutiùs eſſem moratus, niſi Athenienſibus, quòd myſteria non referrent, ad quæ biduo ſeriùs veneram, ſuccenſuiſſem. Quare hoc, quòd complector tantam ſcientiam, vimque doctrinæ, non modò non pro me, ſed contra me eſt potiùs, (non enim, quid ego, ſed quid orator poſſit, diſputo:) atque hos omneis, qui arteis rhetoricas exponunt, perridiculos. Scribunt enim de litium genere, & de principiis, & de narrationibus. Illa vis autem eloquentiæ, tanta eſt, ut omnium rerum, virtutum, officiorum, omniſque naturæ, quæ *mores hominum*, quæ animos, quæ vitam continet, originem, vim, mutationeſque teneat: eadem mores, leges, jura deſcribat, rempublicam regat, omnia, quæ ad quamcumque rem pertineant, ornatè, copioſeque dicat. In quo genere nos quidem verſamur tantum, quantum poſſumus, quantum ingenio, quantum mediocri doctrina, quantum uſu valemus, neque tamen iſtis, qui in una philoſophia quaſi *tabernaculum* vitæ ſuæ collocarunt, multùm ſanè in diſpu-

21 tatione concedimus. Quid enim meus familiaris C. Vellejus afferre poteſt, quamobrem voluptas ſit ſummum bonum, quod ego non copioſiùs poſſim vel tutari, ſi velim, vel refellere ex illis locis, quos expoſuit Antonius, hac dicendi exercitatione, in qua Vellejus eſt rudis, unuſquiſque noſtrûm verſatus? Quid eſt, quod aut Sext. Pompejus, aut duo Balbi, aut meus amicus, qui cum Panætio vixit, M. Vigellius, de virtute hominum Stoici poſſint dicere, qua in diſputatione ego his debeam, aut veſtrûm quiſquam concedere? Non eſt enim philoſophia ſimilis artium reliquarum. nam QUID FACIET in geometria, qui non didicerit? quid in muſicis? aut taceat oportebit, aut ne ſanus quidem judicetur. Hæc verò, quæ ſunt in philoſophia, ingeniis eruuntur ad id, quod in quoque veriſimile eſt, eliciendum, acutis, atque acribus, eaque exercitata oratione poliuntur. Hic, hic noſter vulgaris orator, ſi minus erit doctus, attamen in dicendo exercitatus, hac ipſa exercitatione communi, iſtos quidem noſtros verberabit, neque ſe ab iis contemni ac deſpici ſinet. Sin aliquis exſtiterit aliquando, qui Ariſtotelio more de omnibus rebus [3] in utramque ſententiam poſſit dicere, & in omni cauſa duas contrarias orationes, præceptis illius cognitis, explicare, aut hoc Arceſilæ modo, & Carneadis, contra omne, quod propoſitum ſit, diſſerat: quique ad eam rationem adjungat hunc rhetoricum uſum, moremque exercitationemque dicendi, is ſit verus, is perfectus, is ſolus orator. Nam neque ſine forenſibus *nervis* ſatis vehemens, & gravis, nec ſine varietate doctrinæ ſatis politus, & ſapiens eſſe orator poteſt. Quare Coracem iſtum veſtrum patiamur nos quidem, pullos ſuos excludere in nido, qui evolent, clamatores odioſi, ac moleſti; Pamphilumque neſcio quem ſinamus [4] in infulis tantam rem, tamquam puerileis delicias aliquas depingere: noſque ipſi hac tam exigua diſputatione heſterni & hodierni diei totum oratoris munus explicemus, dummodo illa res tanta ſit, ut omnibus philoſophorum libris, quos nemo oratorum iſtorum umquam attigit, comprehenſa eſſe videatur. Tum Catulus, Haud quaquam 22

hercle, inquit, Craſſe, mirandum eſt, eſſe in te tantam dicendi vel vim, vel ſuavitatem, vel copiam: quem quidem antea natura rebar ita dicere, ut mihi non ſolum orator ſummus, ſed etiam ſapientiſſimus homo viderere: nunc intelligo illa te ſemper etiam potiora duxiſſe, quæ *ad ſapientiam* ſpectarent, atque ex his hanc dicendi copiam fluxiſſe: ſed tamen, cùm omneis gradus ætatis recordor tuæ, cumque vitam tuam, ac ſtudia conſidero: neque, quo tempore iſta didiceris, video, nec magnopere te iſtis ſtudiis, hominibus, libris, intelligo deditum; neque tamen poſſum ſtatuere, utrum magis mirer, te illa, quæ mihi perſuades, maxima eſſe adjumenta, potuiſſe in tuis tantis occupationibus perdiſcere: an, ſi non potueris, poſſe iſto modo dicere. Hic Craſſus, Hoc tibi, inquit, Catule, primùm perſuadeas velim, me non multo ſecus facere, cùm de oratore diſputem, ac facerem, ſi eſſet mihi de hiſtrione dicendum. negarem enim poſſe eum ſatisfacere in geſtu, niſi *palæſtram*, niſi ſaltare didiciſſet: neque, ea cùm dicerem, me eſſe hiſtrionem neceſſe eſſet, ſed fortaſſe non ſtultum alieni artificii exiſtimatorem. Similiter nunc de oratore, veſtro impulſu, loquor, ſummo ſcilicet. Semper enim, quacumque de arte, aut facultate quæritur, de abſoluta & perfecta quæri ſolet. Quare ſi jam me vultis eſſe oratorem, ſi etiam ſat bonum, ſi bonum denique, non repugnabo: (quid enim nunc ſim ineptus? ita me exiſtimari ſcio) quod ſi ita eſt, ſummus tamen certè non ſum. neque enim apud homines res eſt ulla *difficilior*, neque major, neque quæ plura adjumenta doctrinæ deſideret. Attamen quoniam de oratore nobis diſputandum eſt, de ſummo oratore dicam neceſſe eſt. VIS ENIM, & natura rei, niſi perfecta ante oculos ponitur, qualis, & quanta ſit, intelligi non poteſt. Me autem, Catule, fateor, neque hodie in iſtis libris, & cum iſtis hominibus vivere: nec verò, id quod tu rectè commeminiſti, ullum umquam habuiſſe ſepoſitum tempus ad diſcendum, ac tantum tribuiſſe doctrinæ temporis, quantum mihi puerilis ætas forenſes feriæ conceſſerint. At, ſi quæris, Catule, de doctrina iſta, quid 23

ego ſentiam, non tantum ingenioſo homini, & ei, qui forum, qui curiam, qui cauſas, qui rempubl. ſpectet, opus eſſe arbitror temporis, quantum ſibi ii ſumſerunt, quos diſcenteis vita defecit. OMNES enim artes aliter ab iis tractantur, qui eas ad uſum transferunt: aliter ab iis, qui ipſarum artium tractatu delectati: nihil in vita ſunt aliud acturi. Magiſter hic Samnitium ſumma jam ſenectute eſt, & quotidie commentatur. nihil enim curat aliud.

[1] at

1. *Diſſociati à Socrate, diſerti à doctis, &c.*] Plerique mſſ. *deſerti.* non diſplicet Lambinianum, *diſſociatis à Socrate, diſertis à doctis.*

2. *Annoſque natus unum & viginti.*] Si Tacitum ſequimur, ut fecit Lambinus, reſcribendum *undeviginti*, reclamantibus libris omnibus.

3. *In utramque ſententiam poſſit dicere.*] Tertius Pal. ac nonus, *in utramque partem ſententiam*; quod minus improbem, licet Lambinus illo *partem* retento, abjecerit *ſententiam.*

4. *In inſulis depingere.*] Explicat Turnebus commentariis ſuis orat. contra Rullum.

[1] at Q. Velocius puer addidicerat. ſed quòd erat aptus ad illud, totumque cognorat, fuit, ut eſt apud Lucilium,

——— quamvis bonus ipſe
Samnis in ludo, ac rudibus; [2] *civis ſatis aſper.*

ſed plus operæ foro tribuebat, amicis, rei familiari. Valerius quotidie cantabat. erat enim ſcenicus. quid faceret aliud? At Numerius Furius, noſter familiaris, cùm eſt commodum, cantat. eſt enim paterfamilias, eſt Eques Romanus. puer didicit, quod diſcendum fuit. Eadem ratio eſt harum artium maximarum. dies & noctis virum ſumma virtute & prudentia videbamus, philoſopho cùm operam daret, Q. Tuberonem. At ejus avunculum vix intelligeres, id agere, cùm ageret tamen, Africanum. ISTA DISCUNTUR facilè, ſi & tantum ſumas, quantum opus ſit, & habeas qui docere fideliter poſſit, & ſcias etiam ipſe diſcere. Sed ſi tota vita nihil velis aliud agere: ipſa tractatio, & quæſtio quotidie ex ſe gignit aliquid, quod cum deſidioſa delectatione veſtiges. ita fit, ut agitatione rerum ſit infinita cognitio: facilis uſus doctrinam confirmet: mediocris opera tribuatur: memoria, ſtudiumque permaneat. libet autem ſemper diſcere, ut ſi velim ego talis optimè ludere, aut pilæ ſtudio tenear, etiam fortaſſe ſi aſſequi non poſſim. at alii, quia præclarè faciunt, *vehementiùs*, quàm cauſa poſtulat, delectantur, ut Titius pila, Brulla talis. Quare nihil eſt, quòd quiſquam magnitudinem artium ex eo, quod ſenes diſcunt, pertimeſcat. Namque aut ſenes ad eas acceſſerunt; aut uſque ad ſenectutem in ſtudiis detinentur; aut ſunt tardiſſimi. Res quidem ſe mea ſententia ſic habet, ut, NISI QUOD quiſque citò potuerit, numquam omnino poſ-
24 ſit perdiſcere. Jam, jam, inquit Catulus, intelligo, Craſſe, quid dicas, & hercule aſſentior. ſatis video tibi homini ad perdiſcendum acerrimo, ad ea cognoſcenda, quæ dicis, fuiſſe temporis. Pergiſne, inquit Craſſus, me, quæ dicam, de me, non de re putare dicere? Sed jam, ſi placet, ad inſtituta redeamus. Mihi verò, Catulus inquit, placet. Tum Craſſus, Quorſum igitur hæc ſpectat, inquit, tam longa, & tam altè repetita oratio? hæ duæ partes, quæ mihi ſuperſunt, illuſtrandæ orationis, ac totius eloquentiæ cumulandæ, quarum altera dici poſtulat ornatè, altera aptè, hanc habent vim, ut ſit quàm maximè jucunda, quàm maximè in ſenſus eorum, qui audiunt, influat, & quàm plurimis ſit rebus inſtructa. Inſtrumentum autem hoc forenſe, litigioſum, acre, tractum ex vulgi opinionibus, exiguum ſanè, atque mendicum eſt. illud rurſus ipſum, quod tradunt iſti, qui profitentur ſe dicendi magiſtros, [3] non multum eſt majus, quàm illud vulgare, ac forenſe. Apparatu nobis opus eſt, & rebus exquiſitis undique, & collectis, arceſſitis, comportatis, ut tibi, Cæſar faciendum eſt ad annum: ut ego in ædilitate laboravi, quòd quotidianis, & *vernaculis* rebus ſatisfacere me poſſe huic populo non putabam. Verborum eligendorum, & collocandorum, & concludendorum facilis eſt vel ratio, vel ſine ratione, ipſa exercitatio. Rerum eſt ſilva magna, quam cum Græci jam non tenerent, ob eamque cauſam juventus noſtra dediſceret pæne diſcendo, etiam Latini, ſi diis placet, hoc biennio magiſtri dicendi exſtiterunt: quos ego CENS. edicto meo ſuſtuleram; non quò (ut neſcio quos dicere ajebant) *acui ingenia* adoleſcentium nollem, ſed contrà ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. Nam apud Græcos, [4] qui cujuſmodi eſſent, videbam tamen eſſe, præter hanc exercitationem linguæ, doctrinam aliquam, & [5] humanitatem dignam ſcientia. hos verò novos magiſtros nihil intelligebam poſſe docere, niſi ut *auderent*: quod etiam cum bonis rebus conjunctum, per ſe ipſum eſt magnopere fugiendum. Hoc cùm unum traderetur, & cùm impudentiæ ludus eſſet: putavi eſſe *cenſoris*, ne longiùs id ſerperet, providere. quamquam non hæc ita ſtatuo, atque decerno, ut deſperem, Latinè ea, de quibus diſputavimus, tradi ac perpoliri. patitur enim & lingua noſtra, & natura rerum, veterem illam, excellentemque prudentiam Græcorum, ad noſtrum uſum, moremque transferri. ſed hominibus opus eſt eruditis, qui adhuc in hoc quidem genere noſtri nulli fuerunt. ſin quando exſtiterint; etiam Græcis erunt anteponendi. Ornatur igitur 25
oratio genere primùm, & quaſi colore quodam, & ſucco ſuo. nam ut gravis, ut ſuavis, ut erudita ſit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita, ut ſenſus, ut dolores habeat, quantum opus ſit, non eſt ſingulorum articulorum: in toto ſpectantur hæc corpore. Ut porrò conſperſa ſit quaſi verborum, ſententiarumque *floribus*, id non debet eſſe fuſum æquabiliter per omnem orationem, ſed ita diſtinctum, ut ſint quaſi in ornatu diſpoſita quædam inſignia, & lumina. Genus igitur dicendi eſt eligendum, quod maximè teneat eos, qui audiant, & quod non ſolùm delectet, ſed etiam *ſine ſatietate* delectet. Non enim à me jam exſpectari puto, ut moneam, ut caveatis, ne exilis, ne inculta ſit veſtra oratio, ne vulgaris, ne obſoleta: aliud quiddam majus, & ingenia me hortantur veſtra, & ætates. Difficile enim dictu eſt, quænam cauſa ſit, cur EA, QUÆ maximè ſenſus noſtros impellunt voluptate, & ſpecie prima acerrimè commovent, ab iis celerrimè faſtidio quodam & ſatietate abalienemur. Quanto colorum pulchritudine, & varietate floridiora ſunt in picturis novis pleraque, quàm in veteribus? quæ tamen etiam ſi primo adſpectu nos ceperunt, diutius non delectant: cùm iidem nos in *antiquis tabulis* illo ipſo horrido, obſoletoque teneamur. Quanto molliores ſunt, & delicatiores in cantu flexiones, & *falſæ voculæ*, quàm certæ, & ſeveræ? quibus tamen non modò auſteri, ſed, ſi ſæpius fiunt, multitudo ipſa reclamat. Licet hoc videre in reliquis ſenſibus; unguentis minus diu nos delectari, ſumma & acerrima ſuavitate conditis, quàm his moderatis: &, magis [6] laudari quod ceram, quàm quod crocum olere videatur. in ipſo tactu eſſe modum & mollitudinis, & lævitatis. Quinetiam guſtatus, qui eſt ſenſus ex omnibus maximè voluptarius, quique [7] dulcitudine præter ceteros ſenſus commovetur, quàm citò id, quod valde dulce eſt, aſpernatur, ac reſpuit? quis potione uti, aut cibo dulci diutius poteſt? cùm utroque in genere ea, quæ leviter ſenſum voluptate moveant, facillimè fugiant ſatietatem. Sic omnibus in rebus, VOLUPTATIBUS maximis faſtidium finitimum eſt, quo hoc minus in oratione miremur: in qua vel ex poëtis, vel oratoribus poſſumus judicare, concinnam, diſtinctam, ornatam, feſtivam, ſine intermiſſione, [8] ſine reprehenſione, ſine varietate, quamvis claris ſit coloribus picta vel poëſis, vel oratio, non poſſe in delectatione eſſe diuturna. Atque eo citiùs in oratoris, aut in poëtæ cincinnis, ac fuco offenditur, quòd ſenſus in nimia voluptate natura, non mente ſatiantur: in ſcriptis & in dictis non aurium ſolùm, ſed animi judicio etiam magis,

---

1. *At Qu. Velocius, &c.*] Eſt à conjectura Victorii lib. VI. cap. 21. ut & Turnebi lib. XXV. cap. 10. libri enim & vulgata, *atque velocius, &c.* ſine ullo ſenſu commodo.

2. *Civis ſatis aſper.*] Ita erat in pleriſque Pall. aut *cujus*, literis tamen indiſcretis. edidere alii, *cauſis ſatis aſper*. Lambinus *cuivis*. Noſtram illud, conjecerat quoque Juſtus Lipſius; qui adeatur libro V. Antiq. lect. cap. 2.

3. *Non multum eſt majus.*] Revocavi ſcripturam veterem editionum, ac membranarum. recentiores enim *multo*. tanquam ſi alterum minus ferri poſſet.

4. *Qui cujuſmodi eſſent.*] Gulielmius conjiciebat, *cujuſque modi eſſent*. Lambinus edidit, *cuicuimodi eſſent*, quomodo & P. Manutius.

5. *Humanitatem dignam ſcientia.*] Adjutus à mſſ. Lambinus edidit *humanitate dignam ſcientiam*. ſed ita nulli Palatini.

6. *Laudari quod ceram quam quod crocum olere.*] Hæc eſt ſcriptura Pall. ſeptem & Memmiani; propugnatque lib. IV. cap. 5. Miſcellaneorum Brodæus. Lambinus reponit e Plinii libro XVII. cap. 5. *terram quam crocum ſapere*.

7. *Dulcitudine.*] Habent iſtud non Nonius modo, ſed & Palat. tert. quart. ſext. ſeptimus; non *dulcedine*, quod inveniri tamen in pleriſque membranis putarat Lambinus.

8. *Sine reprehenſione.*] Lambinus intruſit *reſpiratione*, libris calamo exaratis non adſentientibus.

1. *Ut*

26 gis, infucata vitia noſcuntur. Quare, *benè*, & *præclarè*, quamvis nobis ſæpè dicatur: *bellè*, & *feſtivè*, nimium ſæpe nolo. quamquam illa ipſa exclamatio, *Non poteſt melius*, ſit velim crebra: ſed habeat tamen illa in dicendo admiratio, ac ſumma laus umbram aliquam, & receſſum, quo magis id, quod erit illuminatum, exſtare, atque eminere videatur. Numquam agit hunc verſum Roſcius eo geſtu, quo poteſt,

Nam ſapiens virtuti honorem, præmium, haud prædam petit:

ſed abjicit prorſus, [1] ut in proximos,

Ecquid video? ferro ſeptus poſſidet ſedes ſacras,

incidat, aſpiciat, admiretur, ſtupeſcat. Quid ille alter:

Quid petam præſidii?

quàm leniter? quàm remiſſe? quàm non actuoſe? inſtat enim,

O pater, ô patria, ô Priami domus.

in quo tanta commoveri actio non poſſet, ſi eſſet conſumta ſuperiore motu, & exhauſta. Neque id actores priùs viderunt, quàm ipſi poëtæ, quàm denique illi etiam, qui fecerunt modos, à quibus utriſque ſummittitur aliquid, deinde augetur, extenuatur, inflatur, variatur, diſtinguitur. Ita ſit nobis igitur ornatus, & ſuavis orator, (nec tamen poteſt aliter eſſe,) ut ſuavitatem habeat auſteram, & ſolidam, non dulcem, atque decoctam. nam ipſa ad ornandum præcepta, quæ dantur, ejuſmodi ſunt, ut ea, quamvis vitioſiſſimus orator, explicare poſſit. Quare, ut antè dixi, primùm *ſilva* rerum, ac ſententiarum comparanda eſt, qua de parte dixit Antonius. hæc formanda filo ipſo, & genere orationis, illuminanda verbis, varianda ſententiis. Summa autem laus eloquentiæ eſt, amplificare rem ornando, quod valet non ſolùm ad augendum aliquid, & tollendum altiùs, dicendo,

27 ſed etiam ad extenuandum, atque abjiciendum. Id deſideratur omnibus iis in locis, quos ad fidem orationis faciendam adhiberi dixit Antonius, vel cùm explanamus aliquid, vel cùm conciliamus animos, vel cùm concitamus. Sed in hoc, quod poſtremum dixi, amplificatio poteſt plurimùm, eaque una laus oratoris eſt, & propria maximè. Etiam major eſt illa exercitatio, quam extremo ſermone inſtruxit Antonius (primo rejiciebat) laudandi, & vituperandi. Nihil eſt enim ad exaggerandam, & amplificandam orationem accommodatius, quàm utrumque horum cumulatiſſimè facere poſſe. Conſequentur etiam illi loci, qui quamquam proprii cauſarum, & inhærentes in earum nervis eſſe debent, tamen quia de univerſa re tractari ſolent, *communes* à veteribus nominati ſunt: quorum partim habent vitiorum, & peccatorum acrem quandam cum amplificatione incuſationem, aut querelam, contra quam dici nihil ſolet, nec poteſt; ut in depeculatorem, in proditorem, in parricidam, quibus uti, confirmatis criminibus, oportet. aliter enim jejuni ſunt, atque inanes: alii autem habent deprecationem, aut miſerationem: alii verò ancipiteis diſputationes, in quibus de univerſo genere in utramque partem diſſeri copioſè licet. Quæ exercitatio nunc propria duarum philoſophiarum, de quibus antè dixi, putatur: apud antiquos erat eorum, à quibus omnis de rebus forenſibus dicendi ratio, & copia petebatur. De virtute enim, de officio, de æquo & bono, de dignitate, utilitate, honore, ignominia, præmio, pœna, ſimilibuſque de rebus, in utramque partem dicendi animos, & vim, & artem habere debemus. Sed, quoniam de noſtra *poſſeſſione* depulſi, in parvo, & eo litigioſo, prædiolo relicti ſumus, & aliorum patroni, noſtra tenere, tuerique non potuimus: ab iis, (quod indigniſſimum eſt) qui in noſtrum patrimonium irruperunt, quod opus eſt nobis, mutuemur. 28

Dicunt igitur nunc quidem illi, qui ex particula parva urbis, ac loci, nomen habent, & Peripatetici philoſophi, aut Academici nominantur, olim autem, propter eximiam rerum maximarum ſcientiam, à Græcis *politici philoſophi* appellati, univerſarum rerum publicarum nomine vocabantur, omnem civilem orationem in horum alterutro genere verſari, aut definita controverſia certis temporibus ac reis, hoc modo, PLACEATNE à Karthanienſibus captivos noſtros, redditis ſuis, recuperari: aut infinitè de univerſo genere quærentis, QUID OMNINO de captivo ſtatuendum, ac ſentiendum ſit. atque horum ſuperius illud genus, cauſam, aut controverſiam appellant, eamque tribus, lite, aut deliberatione, aut laudatione definiunt: hæc autem altera quæſtio infinita, & quaſi propoſita, conſultatio nominatur. atque hactenus loquuntur. Etiam hac inſtituendo diviſione utuntur, ſed ita, non ut jure, aut judicio, [2] ut denique recuperare amiſſam poſſeſſionem, ſed ut ex jure civili, [3] *ſurculo defringendo*, uſurpare videantur. Nam illud alterum genus, quod eſt temporibus, locis, reis definitum, obtinent, atque idipſum lacinia. Nunc enim apud Philonem, quem in Academia maximè vigere audio, etiam harum jam cauſarum cognitio, exercitatioque celebratur. Alterum verò tantummodò in prima arte tradenda nominant, & oratoris eſſe dicunt: ſed neque vim, neque naturam ejus, nec parteis, nec genera proponunt, ut præteriri omnino fuerit ſatius, [4] quàm attentatum deſeri. nunc enim inopia reticere intelliguntur, tum judicio viderentur.

Omnis igitur res eandem habet naturam ambigendi, de qua 29
quæri & diſceptari poteſt, ſive in infinitis conſultationibus diſceptatur, ſive in iis cauſis, quæ in civitate, & in forenſi diſceptatione verſantur: neque eſt ulla, quæ non aut ad cognoſcendi, aut ad agendi vim, rationemque referatur. nam aut ipſa cognitio rei, ſcientiaque perquiritur, ut VIRTUS ſuamne propter dignitatem, an propter fructus aliquos expetatur: aut agendi conſilium exquiritur, ut, SITNE ſapienti capeſſenda reſp. Cognitionis autem tres modi, conjectura, definitio, &, ut ita dicam, conſecutio. Nam, quid in re ſit, conjectura quæritur, ut illud, SITNE in humano genere ſapientia. Quam autem vim quæque res habeat, definitio explicat: ut, ſi quæratur, quid ſit ſapientia. Conſecutio autem tractatur, cùm, quid quamque rem ſequatur, inquiritur: ut illud, SITNE aliquando mentiri boni viri. Redeunt rurſus ad conjecturam, eamque in quattuor genera diſpertiunt. nam aut quid ſit, quæritur, hoc modo: NATURANE ſit jus inter homines, an opinionibus: aut, quæ ſit origo cujuſque rei: ut quod ſit initium legum, aut rerum publicarum: aut cauſa, & ratio: ut, ſi quæratur, *cur doctiſſimi* homines de maximis rebus diſſentiant: aut de immutatione: ut, ſi diſputetur, *num* interire virtus in homine, aut num in vitium poſſit converti. Definitionis autem ſunt diſceptationes, ut, cùm quæritur, quid in communi mente quaſi impreſſum ſit: ut, ſi diſſeratur, *idne* ſit jus, quod maximæ parti ſit utile: aut, cùm quid cujuſque ſit proprium, exquiritur; ut ornatè dicere, propriumne ſit oratoris, an id etiam aliquis præterea poſſit: aut, cùm res diſtribuitur in parteis, ut, ſi quæratur, quot ſint genera rerum expetendarum, aut, ſintne tria, corporis, animi, externarumque rerum: aut, cùm, quæ forma, & quaſi naturalis nota cujuſque ſit, deſcribitur, ut, ſi quæratur avari ſpecies, ſeditioſi, glorioſi. [5] Conſecutionis autem duo prima quæſtionum genera ponuntur. nam aut ſimplex eſt diſceptatio, ut, ſi diſſeratur, *expetendane* ſit gloria: aut ex comparatione, *laus*, an divitiæ magis expetendæ ſint. Simplicium autem ſunt tres

1. *Ut in proximos, Ecquid video?*] Pall. omnes, *& quid video?* ut videatur omnino legendum; *ut in proximo: Sed quid video?*

2. *Ut denique recuperare amiſſam, &c.*] Lambinus εὐστοχίαν ſuam heic jactat, emendando, *aut vi denique.* ſed eam ſanè nullus admiſerim.

3. *Surculo defringendo.*] Videatur Turnebus lib. Adverſar. XXI. cap. 14. nec pœnitebit.

4. *Quàm attentatum deſeri.*] Memmii membr. item Pal. nonus, *intractatum*, chartaceus *ad tantum*, quod & in Palat. tert. quart. ſept. nam pr. ſec. *atractum.* oct. *attrectatum*, quod & ad oram quart. Pith. *attactum.* edit. prima, *quam tale ac tantum deſeri.*

5. *Conſecutionis autem duo prima quæſtionum genera, &c.*] Memmii membr. *duo contermina.* de quo amplius quærendum. nam Pal. pr. habet ferè *duo crimina.* ſec. *crymmina.*

tres modi, de expetendis, fugiendiſve rebus, ut, expetendine honores ſint, num fugienda paupertas: de æquo aut iniquo, *æquumne* ſit ulciſc. injurias etiam propinquorum: de honeſto, aut turpi, ut hoc, *ſitne* honeſtum, gloriæ cauſa mortem obire. Comparationis autem duo ſunt modi, unus, cùm, idemne ſit, an aliquid interſit, quæritur: ut metuere, & vereri: ut rex, & tyrannus: ut aſſentator, & amicus: alter, cùm, quid præſtet aliud alii, quæritur: ut illud, OPTIMINE cujuſque ſapientes, an populari laude ducantur. Atque eæ quidem diſceptationes, quæ ad cognitionem referuntur, ſic ferè à doctiſſimis hominibus deſcri-

30 buntur. Quæ verò referuntur ad agendum, aut in officii diſceptatione verſantur, quo in genere, quid rectum, faciendumque ſit, quæritur: cui loco omnis virtutum, & vitiorum eſt ſilva ſubjecta: aut in animorum aliqua permotione aut gignenda, aut ſedanda, tollendave tractantur. huic generi ſubjectæ ſunt cohortationes, objurgationes, conſolationes, miſerationes, omniſque ad omnem *animi motum* & impulſio, &, ſi ita res feret, mitigatio. Explicatis igitur his generibus, ac modis diſceptationum omnium, nihil ſane ad rem pertinet, ſiqua in re diſcrepavit ab Antonii diviſione noſtra partitio. eadem enim ſunt membra in utriſque diſputationibus, ſed paullo ſecus à me, atque ab illo, [1] partita, ac diſtributa. Nunc ad reliqua progrediar, meque ad meum munùs, penſumque revocabo. Nam ex illis locis, quos expoſuit Antonius, omnia ſunt ad quæque genera quæſtionum argumenta ſumenda: ſed aliis generibus alii loci magis erunt apti: de quo non tam quia longum eſt, quàm quia perſpicuum, dici nihil eſt neceſſe. *Ornatiſſimæ* ſunt igitur orationes eæ, quæ latiſſimè vagantur, & à privata, ac ſingulari controverſia ſe ad univerſi generis vim explicandam conferunt, & convertunt, ut ii, [2] qui audiant, natura, & genere, & univerſa re cognita, de ſingulis reis, & criminibus, & litibus ſtatuere poſſint. Hanc ad conſuetudinem exercitationis vos adoleſcenteis, eſt cohortatus Antonius, atque à minutis, anguſtiſque concertationibus ad omnem vim, varietatemque vos diſſerendi traducendos putavit. Quare non eſt *paucorum libellorum* hoc munus, ut ii, qui ſcripſerunt de dicendi ratione, arbitrati ſunt, neque Tuſculani, atque hujus ambulationis antemeridianæ, aut noſtræ pomeridianæ ſeſſionis. Non enim ſolùm acuenda nobis, neque procudenda lingua eſt, ſed onerandum, complendumque *pectus* maxima-

31 rum rerum, & plurimarum ſuavitate, copia, varietate. Noſtra eſt enim (ſi modò nos oratores ſumus, ſi in civium diſceptationibus, ſi in periculis, ſi in deliberationibus publicis adhibendi auctores & principes ſumus) noſtra eſt, inquam, omnis iſta prudentiæ, doctrinæque poſſeſſio, in quam homines, quaſi caducam, atque vacuam, abundantes otio, nobis occupatis, involaverunt, atque etiam aut irridentes oratorem, ut ille in Gorgia Socrates, cavillantur, aut aliquid de oratoris arte paucis præcipiunt libellis, eoſque *rhetoricos* inſcribunt, quaſi non illa ſint propria rhetorum, quæ ab iiſdem de juſtitia, de officio, de civitatibus inſtituendis, & regendis, de omni vivendi, denique etiam de naturæ ratione dicuntur. Quæ quoniam jam aliunde non poſſumus, ſumenda ſunt nobis ab iis ipſis, à quibus expilati ſumus, dummodò illa ad hanc civilem ſcientiam, quò pertinent, & quam intuentur, transferamus: neque (ut antè dixi) omnem teramus in his diſcendis rebus ætatem, ſed cùm *fonteis* viderimus, quos niſi qui celeriter cognorit, nunquam cognoſcet omnino, tum, quotieſcumque opus erit, ex iis tantum, quantum res petet, hauriemus. Nam neque tam eſt acris acies in naturis hominum, & ingeniis, ut res tantas quiſquam, niſi monſtratas, poſſit videre: neque tanta tamen in rebus obſcuritas, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, ſi modò adſpexerit. In hoc igitur tanto tamque immenſo campo, cùm liceat oratori vagari liberè, atque, ubicumque conſtiterit, conſiſtere in ſuo, facilè ſuppeditat omnis apparatus, ornatuſque dicendi. RERUM enim copia verborum copiam gignit: &, ſi eſt honeſtas in rebus ipſis, de quibus dicitur, exſiſtit ex rei natura quidam ſplendor in verbis. ſit modò is, qui dicet, aut ſcribet, inſtitutus *liberaliter* educatione, doctrinaque puerili, & flagret ſtudio, & à natura adjuvetur, & in univerſorum generum infinitis diſceptationibus exercitatus: ornatiſſimos [3] ſcriptores, oratoreſque ad cognoſcendum, imitandumque cognorit: næ ille haud ſanè, quemadmodum verba ſtruat, & illuminet, à magiſtris iſtis requiret. ita facilè in rerum abundantia ad orationis ornamenta ſine duce, natura ipſa, ſi modò eſt *exercitata*, labetur. Hic Catulus, Dii immortales, inquit, quantam re- 32
rum varietatem, quantam vim, quantam copiam, Craſſe, complexus es, quantiſque ex anguſtiis oratorem educere auſus es, & in majorum ſuorum *regno* collocare! Namque illos veteres doctores, auctoreſque dicendi nullum genus diſputationis à ſe alienum putaſſe accepimus, ſemperque eſſe in omni orationis ratione verſatos. ex quibus Eleus Hippias, cum Olympiam veniſſet, maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatus eſt, cuncta pænè audiente Græcia, NIHIL ESSE ulla in arte rerum omnium, quod ipſe neſciret: nec ſolùm has arteis, quibus liberales doctrinæ, atque ingenuæ continerentur, geometriam, muſicam, litterarum cognitionem, & poëtarum, atque illa, quæ de naturis rerum, quæ de hominum moribus, [4] quæ de rebuspublicis dicerentur: ſed annulum, quem haberet, pallium, quo amictus, [5] ſoccos, quibus indutus eſſet, ſe ſua manu confeciſſe. Scilicet nimis hic quidem eſt progreſſus, ſed ex eo ipſo eſt conjectura facilis, quantum ſibi illi ipſi oratores de præclariſſimis artibus appetierint, qui ne *ſordidiores* quidem repudiarint. Quid de Prodico Chio? quid de Thraſymacho Chalcedonio, de Protagora Abderita loquar? quorum unuſquiſque plurimum temporibus illis, etiam de natura rerum & diſſeruit, & ſcripſit. Ipſe ille Leontinus Gorgias, quo patrono (ut Plato voluit) philoſopho ſuccubuit orator, qui aut non eſt victus umquam à Socrate, neque ſermo ille Platonis verus eſt: aut, ſi eſt victus, eloquentior videlicet fuit, & diſertior Socrates, &, ut tu appellas, copioſior, & melior orator. ſed hic in illo ipſo Platonis libro, de omni re, quæcumque in diſceptationem, quæſtionemque vocaretur, ſe copioſiſſimè dicturum eſſe profitetur: iſque princeps ex omnibus auſus eſt in conventu *poſcere*, qua de re quiſque vellet audire: cui tantus honos habitus eſt à Græcia, ſoli ut ex omnibus Delphis non inaurata ſtatua, ſed *aurea* ſtatueretur. Atque ii, quos nominavi, multique præterea ſummi dicendi doctores uno tempore fuerunt: ex quibus intelligi poteſt, ita ſe rem habere, ut tu, Craſſe, dicis: oratoriſque nomen apud antiquos in Græcia majore quadam vel copia, vel gloria floruiſſe. Quo quidem magis dubito, tibine plus laudis, an Græcis vituperationis eſſe tribuendum ſtatuam: cùm tu in alia lingua, [6] ac moribus natus, occupatiſſima in civitate, vel privatorum negotiis pænè omnibus, vel *orbis terræ* procuratione, ac ſummi imperii gubernatione diſtrictus, tantam vim rerum, cognitionemque comprehenderis, eamque omnem cum ejus, qui conſilio, & oratione in civitate valeat, ſcientia, atque exercitatione ſociaris: illi nati in lit-

1. *Partita ac diſtributa.*] Pall. priores & Gallicani duo, *tributa* ſolum retinent.

2. *Qui audiant, natura & genere, &c.*] Gulielmius attentendum putabat binis Gallicanis, *naturæ genere*: & id certe etiam in Pal.pr. ac ſec. ſed nihil mutarim.

3. *Scriptores oratoreſque ad cognoſcendum imitandumque cognorit.*] Pal. pr. Pith. Memm. membr. *ſcriptores oratoreſque cognoſcendos imitandoſque delegerit*; & ſic quoque fere ſecundus. videturque potius vulgato.

4. *Quæ de rebus publicis dicerentur*] Lambinus *diſſeruntur*. Pall. nihil variant, niſi quod octavus, *ducerentur*; quod non omnino inſuper habuerim.

5. *Soccos quibus indutus eſſet.*] Pall. duo & Memmii chartaceus, *inductus*. & dignum eſt examine.

6. *Ac moribus natus.*] Pith. *notis*, unde putat Gulielmius forte legendum *ignotis*. non putem.

1. *Ali...*

in litteris, ardenteſque his ſtudiis, otio verò diffluentes, non modò nihil acquiſierint, ſed ne relictum quidem, & 33 traditum, & ſuum *conſervaverint*. Tum Craſſus, Non in hac, inquit, una, Catule, re, ſed in aliis etiam compluribus, diſtributione partium, ac ſeparatione magnitudines ſunt artium diminutæ. An tu exiſtimas, cum eſſet Hippocrates ille Cous, fuiſſe tum alios medicos, qui morbis, alios, qui vulneribus, [1] alios, qui oculis mederentur? num geometriam, Euclide, aut Archimede, num muſicam Damone, aut Ariſtoxeno, num ipſas litteras Ariſtophane, aut Callimacho tractante, tam diſcerptas fuiſſe, ut nemo genus univerſum complecteretur, atque ut alius aliam ſibi partem, in qua elaboraret, ſeponeret? Equidem ſæpe hoc audivi de patre, & de ſocero meo, noſtros quoque homines, qui excellere ſapientiæ gloria vellent, omnia, quæ quidem tum hæc civitas noſſet, ſolitos eſſe complecti. Meminerant illi Sex. Ælium, M. vero Manilium nos etiam vidimus *tranſverſo* ambulantem *foro*: quod erat inſigne eum, qui id faceret, facere civibus omnibus conſilii ſui copiam: ad quos olim & ita ambulanteis, & in ſolio ſedenteis domi, ſic adibatur, non ſolùm ut de jure civili ad eos, verùm etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio, aut negotio referretur. Hæc fuit P. Craſſi illius veteris, hæc Ti. Coruncanii, hæc proavi, generi mei, Scipionis, prudentiſſimi hominis, ſapientia, qui omnes pontifices maximi fuerunt, ut ad eos de omnibus divinis, atque humanis rebus referretur: iidemque & in ſenatu, & apud populum, & in cauſis amicorum, & domi, & militiæ conſilium ſuum, fidemque præſtabant. Quid enim M. Catoni, præter hanc politiſſimam doctrinam *tranſmarinam*, atque adventitiam, defuit? [2] num, quia jus civile didicerat, cauſas non dicebat? aut quia poterat dicere, juris ſcientiam negligebat? At utroque in genere & laboravit, & præſtitit. num propter hanc ex privatorum negotiis collectam gratiam tardior in rep. capeſſenda fuit? nemo apud populum fortior, nemo melior ſenator: idem facilè optimus imperator: denique nihil in hac civitate temporibus illis ſciri, diſcive potuit, quod ille non cùm inveſtigarit, & ſcierit, tum etiam conſcripſerit. Nunc contrà PLERIQUE ad honores adipiſcendos, & ad remp. gerendam nudi veniunt, atque inermes; nulla cognitione rerum, nulla ſcientia ornati. Sin aliquis excellit unus è multis, effert ſe, ſi unum aliquid affert, ut bellicam virtutem, aut uſum aliquem militarem: quæ ſanè nunc quidem obſoleverunt: aut juris ſcientiam, ne ejus quidem univerſi: nam pontificium, quod eſt conjunctum, nemo diſcit: aut eloquentiam, quàm in *clamore*, & in verborum curſu poſitam putant: omnium verò bonarum artium, denique virtutum ipſarum ſocieta-34 tem, cognationemque non norunt. Sed, ut ad Græcos referam orationem, (quibus carere in hoc quidem ſermonis genere non poſſumus: nam ut virtutis à noſtris, ſic doctrinæ ſunt ab illis exempla repetenda) ſeptem fuiſſe dicuntur uno tempore, qui ſapientes & haberentur, & vocarentur. hi omnes, præter Mileſium Thalem, civitatibus ſuis *præfuerunt*. Quis doctior iiſdem illis temporibus, aut cujus eloquentia litteris inſtructior fuiſſe traditur, quàm Piſiſtrati? qui primus Homeri libros, confuſos anteà, ſic diſpoſuiſſe dicitur, ut nunc habemus. Non fuit ille quidem civibus ſuis utilis, ſed ita eloquentia floruit, ut litteris, doctrinaque præſtaret. Quid Pericles? de cujus dicendi copia ſic accepimus, ut, cùm contra voluntatem Athenienſium loqueretur pro ſalute patriæ, ſeverius tamen id ipſum, quod ille contra populareis homines diceret, *populare* omnibus, & jucundum videretur: cujus in labris veteres comici, etiam cùm illi malè dicerent (quod tum Athenis fieri licebat) *lepôrem habitaſſe* dixerunt: tantamque in eo vim fuiſſe, ut in eorum mentibus, qui audiſſent, quaſi *aculeos* quoſdam relinqueret. At hunc [3] non clamator aliquis ad clepſydram latrare docuerat, ſed, ut accepimus, Clazomenius ille Anaxagoras, vir ſummus in maximarum rerum ſcientia. Itaque hic doctrina, conſilio, eloquentia excellens, quadraginta annos præfuit Athenis & urbanis, eodem tempore, & bellicis rebus. Quid Critias? quid Alcibiades? civitatibus ſuis quidem non boni, ſed certè docti, atque eloquentes, nonne Socraticis erant diſputationibus eruditi? Quis Dionem Syracuſium doctrinis omnibus expolivit? non Plato? atque eum idem ille non linguæ ſolùm, verùm etiam animi, ac *virtutis magiſter*, ad liberandam patriam impulit, inſtruxit, armavit. Aliiſne igitur artibus hunc Dionem inſtituit Plato, aliis Iſocrates clariſſimum virum Timotheum, Cononis, præſtantiſſimi imperatoris, filium, ſummum ipſum imperatorem, hominemque doctiſſimum? aut aliis Pythagoreus ille Lyſis Thebanum Epaminondam, haud ſcio an ſummum virum unum omnis Græciæ? aut Xenophon Ageſilaum? aut Philolaum Archites Tarentinus? aut ipſe Pythagoras totam illam veterem Italiæ *Græciam*, quæ quondam *magna* vocitata eſt? Equidem non arbitror. Sic enim 35 video, unam quandam omnium rerum, quæ eſſent homine erudito dignæ, atque eo, qui in rep. vellet excellere, fuiſſe doctrinam: quam qui accepiſſent, ſi iidem ingenio ad pronuntiandum valuiſſent, & ſe ad dicendum quoque, non repugnante *natura*, dediſſent, eloquentia præſtitiſſe. Itaque ipſe Ariſtoteles, cùm florere Iſocratem nobilitate diſcipulorum videret, quòd ipſe ſuas diſputationes à cauſis forenſibus, & civilibus ad inanem ſermonis elegantiam tranſtuliſſet, mutavit repentè totam formam propè diſciplinæ ſuæ, verſumque quendam de Philocteta paullo ſecus dixit. Ille enim *turpe ſibi* ait *eſſe tacere cum Barbaris*: hic autem, *cùm Iſocratem pateretur dicere*. itaque ornavit, & illuſtravit doctrinam illam omnem: rerumque cognitionem cum orationis exercitatione conjunxit. Neque verò hoc fugit ſapientiſſimum regem, Philippum, qui hunc Alexandro *filio* doctorem accierit, à quo eodem ille & agendi acciperet præcepta, & loquendi. Nunc ſive qui volet, eum philoſophum, qui copiam nobis rerum, orationiſque tradat, per me appellet oratorem licet: ſive hunc oratorem, quem ego dico ſapientiam junctam habere eloquentiæ, philoſophum appellare malit, non impediam: dummodò hoc conſtet, neque infantiam ejus, qui rem norit, ſed eam explicare dicendo non queat: neque inſcientiam illius, cui res non ſuppetat, verba non deſint, eſſe laudandam: quorum ſi alterum ſit optandum, MALIM equidem indiſertam prudentiam, quàm ſtultitiam loquacem. Sin quærimus, quid unum excellat ex omnibus, docto oratori palma danda eſt. quem ſi patiuntur eundem eſſe philoſophum: ſublata controverſia eſt. ſin eos disjungent: hoc erunt inferiores, quòd in oratore perfecto ineſt illorum omnis ſcientia, in philoſophorum autem cognitione non continuò ineſt eloquentia, quæ quamvis contemnatur ab eis, neceſſe eſt tamen aliquem cumulum illorum artibus afferre videatur. Hæc cùm Craſſus dixiſſet, parumper & ipſe conticuit, & ceteris ſilentium fuit. Tum Cotta, Equidem, inquit, Craſſe, non poſ- 36 ſum queri, quòd mihi videare aliud quiddam, & non id, quod ſuſceperis, diſputaſſe. plus enim aliquanto attuliſti, quàm tibi eſſet tributum à nobis, ac denuntiatum. Sed certè & hæ partes fuerunt tuæ, de illuſtranda oratione ut diceres, & eras ipſe jam ingreſſus, atque in quattuor parteis omnem orationis laudem deſcripſeras: cumque de duabus primis nobis quidem ſatis, ſed, ut ipſe dicebas, celeriter, exigueque dixiſſes, duas tibi reliquas feceras; quemadmodum

1. *Alios qui oculis mederentur?*] Ridiculè Lambini editio inferſit, *qui auribus*: quaſi vero tam periculoſe curarentur aures, ut eis opus medico peculiari.

2. *Num quia jus civile didicerat.*] Pall. ſeptem, Gallicani tres, *non didicerat*. quod mutabat Gulielmius in *condidicerat*. Ego habeo quo defendam lectionem mediam. prima editio tamen, *civili dicebat*.

3. *Non clamator aliquis.*] Ita ſeptem Pall. & Memmii chartacei, olimque cuſi recentiores *declamator*, minus recte. priore voce uſus & ſupra cap. 21. ante finem.

Q 3. *Verum*

dum primùm ornatè, deinde etiam aptè diceremus: quò cum ingreſſus eſſes, repentè te quaſi quidam *æſtus ingenii* tui procul à terra abripuit, atque in altum à conſpectu pænè omnium abſtraxit; omnemque rerum ſcientiam complexus, non tu quidem eam nobis tradidiſti (neque enim fuit tam exigui temporis:) ſed, apud hos quid profeceris, neſcio: me quidem in Academiam totum compuliſti: in qua velim ſit illud, quod ſæpe poſuiſti, ut non neceſſe ſit conſumere ætatem, atque ut poſſit is illa omnia cernere, qui tantummodò adſpexerit: ſed etiam ſi eſt aliquanto ſpiſſius, aut ſi ego ſum tardior, profectò numquam conquieſcam, neque defatigabor antè, quàm illorum ancipiteis vias, rationeſque & pro omnibus, & contra omnia diſputandi, percepero. Tum Cæſar, Unum, inquit, me ex tuo ſermone maximè, Craſſe, commovit, quòd eum negaſti, qui non *citò* quid didiciſſet, umquam omnino poſſe perdiſcere: ut mihi non ſit difficile periclitari, & aut ſtatim percipere iſta, quæ tu verbis ad cælum extuliſti: aut, ſi non potuerim, tempus non perdere, cùm tamen his noſtris poſſim eſſe contentus. Hîc Sulpicius, Ego verò, inquit, Craſſe, neque Ariſtotelem iſtum, neque Carneadem, nec philoſophorum quemquam deſidero. vel me licet exiſtimes deſperare poſſe iſta perdiſcere, vel, id quod facio, contemnere: mihi rerum forenſium, & communium vulgaris hæc cognitio, ſatis magna eſt ad eam, quam ſpecto, eloquentiam: ex qua ipſa tamen permulta neſcio: quæ tum denique, cùm cauſa aliqua, quæ à me dicenda eſt, deſiderat, quæro. Quamobrem, niſi forte es jam defeſſus, & ſi tibi non graves ſumus, refer ad illa te, quæ ad ipſius orationis laudem, ſplendoremque pertinent: quæ ego ex te audire volui, non ut deſperarem me eloquen-
37 tiam conſequi poſſe, ſed ut aliquid addiſcerem. Tum Craſſus, Pervulgatas res requiris, inquit, & tibi non incognitas, Sulpici. quis enim de iſto genere non docuit, non inſtituit, non etiam ſcriptum reliquit? ſed geram morem, & ea duntaxat, quæ mihi nota ſunt, breviter exponam tibi: cenſebo tamen ad eos, qui auctores, & inventores ſunt harum ſanè minutarum rerum, revertendum. Omnis igitur *oratio* conficitur ex verbis: quorum primùm nobis ratio ſimpliciter videnda eſt, deinde conjunctè. nam eſt quidam ornatus orationis, qui ex ſingulis verbis eſt: alius, qui ex continuatis, conjunctiſque conſtat. Ergo utemur verbis aut iis, quæ propria ſunt, & certa quaſi vocabula rerum, pænè unà nata cum rebus ipſis: aut iis, quæ transferuntur, & quaſi alieno in loco collocantur: aut iis, quæ novamus, & facimus ipſi. In propriis eſt igitur verbis illa laus oratoris, ut *abjecta*, atque obſoleta fugiat: lectis, atque illuſtribus utatur, in quibus plenum quiddam, & ſonans ineſſe videatur. Sed in hoc verborum genere propriorum delectus eſt quidam habendus, atque is aurium quodam judicio ponderandus: in quo conſuetudo etiam benè loquendi, valet plurimum. Etiam hoc, quod vulgò de oratoribus ab imperitis dici ſolet, *Bonis* is verbis, aut aliquis non bonis utitur, non arte aliqua perpenditur, ſed quodam quaſi naturali ſenſu judicatur: in quo non magna laus eſt vitare vitium, (quamquam id eſt magnum) [1] verùm hoc quaſi ſolum quoddam, atque fundamentum eſt, verborum uſus & copia bonorum. Sed quid ipſe ædificet orator, & in quo adjungat artem, id eſſe à no-
38 bis quærendum, atque explicandum videtur. Tria ſunt igitur in verbo ſimplici, quæ orator afferat ad illuſtrandam, atque exornandam orationem: aut inuſitatum verbum, aut novatum, aut tranſlatum. *Inuſitata* ſunt, priſca ferè, ac vetuſta, & ab uſu quotidiani ſermonis jamdiu intermiſſa, quæ ſunt poëtarum licentiæ liberiora, quàm noſtra: ſed tamen raró habet etiam in oratione poëticum aliquod verbum dignitatem. neque enim illud fugerim dicere, ut Cœlius, *Qua tempeſtate Pœnus in Italiam venit:* nec *prolem*, aut *ſobolem*, aut *effari*, aut *nuncupari:* aut, ut tu ſoles, Catule, non *rebar*, aut *opinabar:* & alia multa, quibus loco poſitis, grandior, atque antiquior oratio ſæpe videri ſolet. *Novantur* autem verba, quæ ab eo, qui dicit, ipſo gignuntur, ac fiunt: vel conjungendis verbis, ut hæc,

Tum pavor ſapientiam mihi [2] omnem exanimato expectorat.

[3] *Num non vis hujus me verſutiloquas malitias.*

Videtis enim & *verſutiloquas*, & *expectorat*, ex conjunctione facta eſſe verba, non nata. [4] Vel ſæpe ſine conjunctione verba novantur, [5] ut, *ille ſenius*; ut, *Dii genitales*; ut, -- *bacarum ubertate incurveſcere.*

Tertius ille modus *transferendi* verbi latè patet, quem neceſſitas genuit inopia coacta, & anguſtiis; poſt autem delectatio, jucunditaſque celebravit. nam ut VESTIS frigoris depellendi cauſa reperta primò, poſt adhiberi cœpta eſt ad ornatum etiam corporis, & dignitatem: ſic verbi tranſlatio, inſtituta eſt inopiæ cauſa, frequentata delectationis. Nam *gemmare vites, luxuriem eſſe in herbis, lætas ſegetes*, etiam ruſtici dicunt. quod enim declarari vix verbo proprio poteſt, id tranſlato cùm eſt dictum, illuſtrat id, quod intelligi volumus, ejus rei, quam alieno verbo poſuimus, ſimilitudo. Ergo hæ tranſlationes, quaſi mutuationes ſunt, cùm, quod non habeas, aliunde ſumas. Illæ paullo audaciores, quæ non inopiam indicant, ſed orationi ſplendoris aliquid arceſſunt. quarum ego, quid vobis aut inveniendi rationem, aut genera ponam? Similitudinis eſt ad verbum unum 39
contracta brevitas, quod verbum in alieno loco, tamquam in ſuo, poſitum, ſi agnoſcitur, delectat: ſi ſimile nihil habet, repudiatur. Sed ea transferri oportet, quæ aut clariorem faciunt rem, ut illa omnia:

Inhorreſcit mare,
Tenebræ conduplicantur, noctiſque & nimbûm occæcat nigror,
Flamma inter nubes coruſcat, cœlum tonitru contremit,
Grando miſta imbri largifluo ſubita præcipitans cadit:
Undique omnes venti erumpunt, ſævi exſiſtunt turbines:
Fervit æſtu pelagus.

Omnia ferè quo eſſent clariora, tranſlatis per ſimilitudinem verbis dicta ſunt. Aut quò ſignificetur magis res tota, ſive facti alicujus, ſive conſilii, ut ille, qui occultantem conſultò, ne id, quod ageretur, intelligi poſſet, duobus tranſlatis verbis ſimilitudine ipſa indicat,

[6] *Quandoquidem iſte circumveſtit dictis, ſæpit ſedulò.*

Nonnumquam etiam brevitas tranſlatione conficitur, ut illud, *Si telum manu fugit.* Imprudentia teli emiſſi brevius propriis verbis exponi non potuit, quàm eſt uno ſignificata tranſlato. Atque hoc in genere perſæpe mihi admirandum videtur, quid ſit, quòd omnes tranſlatis, & alienis magis delectantur verbis, quàm propriis, & ſuis. Nam ſi res ſuum 40
nomen & proprium vocabulum non habet, ut *pes* in navi, ut *nexum*, quod per libram agitur, ut in uxore *divortium:* neceſſitas cogit, quod non habeas, aliunde ſumere: ſed in ſuorum verborum maxima copia, tamen homines aliena multo

---

1. *Verum hoc quaſi ſolum, &c.*] Pal. prim. ſec. interſerunt *tamen*, item Pith. qui adhuc adjicit *hujus*, ſed enim ceteri Pall. habent: *verum tam in hoc quaſi, &c.*

2. *Omnem exanimato expectorat.*] Revocavi veterem lectionem mſſ. omnium, item olim editorum. male poſt impreſſi; *ex animo expectorat*. idem reſtitui infra cap. LVIII. volentibus rurſum omnibus mſſ.

3. *Num non vis hujus me verſut.*] Mirificè variant Pall. noſtri. nonus ſolum accedit conjecturæ Gulielmianæ; *Num metuis hujus verſut.* habet enim, *Num vero me vis hujus verſut.*

4. *Vel ſæpe ſine conjunctione.*] Pal. pr. ſec. Pith. Memm. *Sed ſæpe vel ſine conjunctione.* quod minime diſplicet.

5. *Ut, ille ſenius, ut Dii genitales, &c.*] Repræſentavi quod erat in Pal. pr. ac ſec. item Pith. & Memm. libroque Bonromæi. ex quo ſingebat Gulielmius, *ut ille ſentus.* & ut Terentii Eunucho: *Video ſentum.* niſi tamen hoc ſignificat, *Ut dii deæque illum ſenium perdant, qui me hodie remoratus eſt.* Turnebus corrigit libro IX. cap. 26. *ut ille Ennius, Dii genitales.* Lambinus maluit, *ut illud diſerti ſenis, Dii genitales.* vulgata præferebat, *ut ille ſenſus diſertus indigenitalis*, à quo non longè abeunt Palatini ceteri, niſi quod ii fere, *ut ille ſenſus diſertus vidi genitabilis.* nonus habet, *ut ille Ennius vidi gen.* tert. *ut ille Ennius diſertus in le gen.*

6. *Quandoquidem iſte circumveſtit, &c.*] Forte, *is te circumveſtit*, duabus vocibus.

multo magis, ſi ſunt ratione tranſlata, delectant. Id accidere credo, vel quòd ingenii ſpecimen eſt quoddam, tranſilire ante pedes poſita, & alia longè repetita ſumere: vel quod is, qui audit, aliò ducitur cogitatione, neque tamen aberrat: quæ maxima eſt delectatio: vel quòd ſingulis verbis res, ac totum ſimile conficitur: vel quòd omnis tranſlatio, quæ quidem ſumta ratione eſt, ad ſenſus ipſos admovetur, maximè oculorum, qui eſt ſenſus acerrimus. Nam & odor urbanitatis, & mollitudo humanitatis, & murmur maris, & [1] dulcedo orationis, ſunt ducta à ceteris ſenſibus. Illa verò oculorum multo acriora, quæ ponunt pænè in conſpectu animi, quæ cernere & videre non poſſumus. Nihil eſt enim in rerum natura, cujus nos non in aliis rebus poſſimus uti vocabulo & nomine. unde enim ſimile duci poteſt, (poteſt autem ex omnibus) indidem verbum unum, quod ſimilitudinem continet, tranſlatum, *lumen* affert orationi. Quo in genere primùm fugienda eſt diſſimilitudo.

——— *Cœli ingentes fornices.*

Quamvis ſphæram in ſcenam (ut dicitur) attulerit Ennius, tamen in ſphæra fornicis ſimilitudo non poteſt ineſſe.

——— *Vive Ulyſſes, dum licet:*
[2] *Oculis poſtremum lumen radiatum rape.*

non dixit, *cape*, non, *pete*: haberet enim moram ſperantis diutius eſſe ſeſe victurum: ſed *rape*. hoc verbum eſt ad id

41 aptatum. quod antè dixerat, — *dum licet.* Deinde videndum eſt, ne longè ſimile ſit ductum. *Syrtim patrimonii, ſcopulum* libentius dixerim: *Charybdim bonorum, voraginem* potius. facilius enim ad ea, quæ viſa, quàm ad illa, quæ audita ſunt, mentis oculi feruntur. Et, quoniam hæc vel ſumma laus eſt, [3] verbi transferendi, [4] ut ſenſum feriat id, quod tranſlatum ſit, fugienda eſt omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos, qui audiunt, trahet ſimilitudo. Nolo, morte dici Africani *caſtratam* eſſe remp. nolo *ſtercus curiæ* dici Glauciam. quamvis ſit ſimile, tamen eſt in utroque deformis cogitatio ſimilitudinis. Nolo eſſe aut majus, quàm res poſtulet, *Tempeſtas comiſſationis*: aut minus: *comiſſatio tempeſtatis.* Nolo eſſe verbum anguſtius id, quod tranſlatum ſit, quàm illud proprium, ac ſuum,

—— *Quidnam eſt, obſecro? [5] quid te adiri abnutas?*

Melius eſſet, *vetas, prohibes, abſterres*: quoniam ille dixerat,

Illico iſtic, ne contagio mea bonis, umbrave obſit.

Atque etiam ſi vereare, ne paullo durior tranſlatio eſſe videatur, mollienda eſt, præpoſito ſæpe verbo: ut, ſi olim M. Catone mortuo, *pupillum* ſenatum quis relictum diceret, paulo durius: ſin, *ut ita dicam, pupillum*, aliquanto mitius eſt. Etenim verecunda debet eſſe tranſlatio, ut deducta eſſe in alienum locum, non irruiſſe: atque ut precariò, non vi, veniſſe videatur. Modus autem nullus eſt florentior in ſingulis verbis, nec qui plus luminis afferat orationi. Nam illud, quod ex hoc genere profluit, non eſt in uno verbo tranſlato, ſed ex pluribus continuatis connectitur, ut aliud dicatur, aliud intelligendum ſit:

——— *Neque me patiar iterum*
Ad unum ſcopulum, & telum claſſem Achivum offendere.

Atque illud,

Erras, erras: nam exſultantem te, & præfidentem tibi
Repriment validæ legum habenæ, atque imperii inſiſtent jugo.

Sumta re ſimili, verba ejus rei propria deinceps in rem aliam (ut dixi) transferuntur. Eſt hoc magnum ornamen- 42
tum orationis, in quo obſcuritas fugienda eſt. Etenim ex hoc genere fiunt ea, quæ dicuntur ænigmata. Non eſt autem in verbo modus hic, ſed in oratione, id eſt in continuatione verborum. Ne illa quidem traductio, atque immutatio in verbo quamdam fabricationem habet, ſed in oratione,

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

Pro Afris eſt ſumta Africa: Neque factum verbum eſt, ut,

——— *Mare ſaxifragis undis:*

neque tranſlatum, ut, *Mollitur mare*: ſed ornandi cauſa proprium proprio commutatum,

Deſine Roma tuos hoſteis, ———

Et,

—— *Teſtes ſunt campi magni*, ———

Gravis eſt modus in ornatu orationis, & ſæpe ſumendus: ex quo genere hæc ſunt, *Martem belli eſſe communem*; *Cererem* pro frugibus; *Liberum* appellare pro vino; *Neptunum* pro mari; *curiam* pro ſenatu, *campum* pro comitiis; *togam* pro pace; *arma ac tela* pro bello. Quo item in genere & virtutes, & vitia pro ipſis, in quibus illa ſunt, appellantur, *Luxuries* quam in domum irrupit, &, Quò *Avaritia* penetravit: aut *Fides* valuit, *Juſtitia* confecit. Videtis profectò genus hoc totum, cùm, inflexo, commutatoque verbo res eadem enuntiatur, ornatius: cui ſunt finitima illa minus ornata, ſed tamen non ignoranda, cùm intelligi volumus aliquid, aut ex parte totum, ut, pro ædificiis cùm *parietes*, aut *tecta* dicimus: aut ex toto partem, ut, cùm unam turmam, *equitatum populi Romani* dicimus: aut ex uno plures,

At Romanus homo, tamen, etſi res bene geſta eſt,
Corde ſuo trepidat.

aut cùm ex pluribus intelligitur unum,

Nos ſumu' Romani, [6] qui fuimus ante Rudini.

aut quocumque modo non ut dictum eſt, in eo genere intelligitur, ſed ut ſenſum eſt. Abutimur ſæpe etiam verbo 43
non tam eleganter, quàm in transferendo: ſed etiam ſi licentius, tamen interdum non impudenter: ut cùm *grandem orationem* pro magna, *minutum animum* pro parvo dicimus. Verùm illa videtiſne eſſe non verbi, ſed orationis, quæ ex pluribus, ut expoſui, tranſlationibus connexa ſunt? hæc autem, quæ aut immutata eſſe dixi, aut aliter intelligenda, ac dicerentur, ſunt tranſlata quodam modo. Ita fit, ut omnis ſingulorum verborum virtus, atque laus, tribus exſiſtat ex rebus, ſi aut vetuſtum verbum ſit, quod tamen conſuetudo ferre poſſit: aut factum vel conjunctione, vel novitate, in quo item eſt auribus, [7] conſuetudinique parcendum: aut tranſlatum: quod maximè tanquam ſtellis quibuſdam [8] notat, & illuminat orationem. Sequitur continuatio verborum, quæ duas res maximè, collocationem primùm, deinde modum quendam, formamque deſiderat. Collocationis eſt componere, & ſtruere verba, ſic, ut neve aſper eorum concurſus, neve hiulcus ſit, ſed quodammodo coagmentatus, & levis. In quo lepidè ſoceri mei perſona luſit is, qui elegantiſſimè id facere potuit, Lucilius,

Quàm lepide lexeis compoſtæ? ut teſſerulæ omnes
Arte pavimento, atque [9] emblemate vermiculato.

Quæ cùm dixiſſet in Albucium illudens, ne à me quidem abſtinuit,

Craſſum

1. *Dulcedo orationis.*] Pith. item Palat. quart. quint. ſext. ſept. *dulcitudo.* qua voce uſus ſupra cap. 25. m.

2. *Oculis poſtremum lumen radiatum rape.*] Pal. pr. ac ſec. non habent heic *rape*, neque adeſt membr. Memmii. & ferri poſſet. Muretus lib. XI. Var. lect. cap. 9. emendat *radiantis*. adeatur.

3. *Verbi transferendi.*] Pal. pr. ſec. Pith. Memm. *in verbis transferendis*, quod & ſecutus Lambinus. neque aliter Palat. tert. niſi quod omittat præpoſitionem.

4. *Ut ſenſum feriat.*] Lambiniani, *ſenſim*, perperam, & contra omnes libros ſcriptos editoſque.

5. *Quid te adiri abnutas?*] Pith. *abniteas*. putatque Gulielmius fuiſſe, *abnuteas*; idemque mox *obſit* mutat in *obſiet*. non auſim ſequi.

6. *Qui fuimus ante Rudini.*] Lectio iſthæc deprompta è Palat. ſec. tert. & Pith. nec abit pr. quam quod is *Rhodini*. ceteri Palatini habent *ante Rutili*. quod ferè etiam in editione prima. nam ſequentes exemerunt *ante*, ut ex heroico fieret pentameter. videatur Lipſius ille noſter d. cap. 1. lib. V. lectionum. conjectura enim adſecutus eſt ſcripturam veterem.

7. *Conſuetudinique parcendum.*] Lambinus, *parendum*, ſed libris invitis.

8. *Notat & illuminat orationem.*] Pal. pr. ſec. oct. nonus, *illuſtrat & nobilitat orationem.* Pith. & Memm. *illuſtrat & notat orationem.* quanta licentia.

9. *Emblemate vermiculato.*] Joſephus Scaliger legit, *vermiculate*, ut referatur ad *lexeis*. alterum reſtat in mſſ. omnibus.

1. *Nam*

Craſſum habeo generum, ne rhetoricotero' tu ſis.

Quid ergo? iſte Craſſus, quoniam ejus abuteris nomine, quid efficit? idem illud ſcilicet, ut ille voluit, & ego vellem, meliùs aliquanto, quàm Albucius. verùm in me quidem luſit ille, ut ſolet. ſed eſt tamen hæc collocatio conſervanda verborum, de qua loquor, quæ junctam orationem efficit, quæ cohærentem, quæ levem, quæ æquabiliter fluentem. id aſſequemini, ſi verba extrema cum conſequentibus primis ita jungetis, ut ne aſperè concurrant, ne-

44 ve vaſtiùs diducantur. Hanc diligentiam ſubſequitur modus etiam, & forma verborum, quod jam vereor ne huic Catulo videatur eſſe puerile. Verſus enim veteres illi in hac ſoluta oratione propemodum, hoc eſt, numeros quoſdam, nobis eſſe adhibendos putaverunt. interſpirationis enim, non defatigationis noſtræ, neque *librariorum notis*, ſed verborum, & ſententiarum modo interpunctas clauſulas in orationibus eſſe voluerunt: idque princeps Iſocrates inſtituiſſe fertur, ut inconditam antiquorum dicendi conſuetudinem, delectationis, atque *aurium cauſa* (quemadmodum ſcribit diſcipulus ejus Naucrates) numeris adſtringeret. Namque hæc duo, muſici, qui erant quondam iidem poëtæ, machinati ad voluptatem ſunt, verſum, atque cantum, ut & verborum numero, & vocum modo, delectatione vincerent aurium ſatietatem. Hæc igitur duo, vocis dico moderationem, & verborum concluſionem, quoad orationis ſeveritas pati poſſit, à poëtica ad eloquentiam traducenda duxerunt. In quo illud eſt vel maximum, quòd *verſus* in oratione ſi efficitur conjunctione verborum, vitium eſt: & tamen eam conjunctionem, ſicuti verſum, numeroſè cadere, & quadrare, & perfici volumus. neque eſt ex multis res una quæ magis oratorem ab imperito dicendi, ignaroque diſtinguat, quàm quòd ille rudis inconditè fundit, quantum poteſt, & id, quod dicit, ſpiritu, non arte, determinat: orator autem ſic illigat ſententiam verbis, ut eam numero quodam complectatur, & adſtricto, & ſoluto. [1] Nam cùm vinxit modis, forma & relaxat, & liberat immutatione ordinis, ut verba neque alligata ſint quaſi certa

45 aliqua *lege* verſus, neque ita ſoluta, ut vagentur. Quonam igitur modo tantum munus inſiſtemus, ut arbitremur nos hanc vim numeroſè dicendi conſequi poſſe? Non eſt res tam difficilis, quàm neceſſaria. nihil eſt enim tam tenerum, neque tam flexibile, neque quod tam facilè ſequatur, quocumque ducas, quàm *oratio*. ex hac verſus, ex eadem diſpares numeri conficiuntur: ex hac hæc etiam ſoluta variis modis, multorumque generum oratio. non enim ſunt alia ſermonis, [2] alia contentionis verba: neque ex alio genere ad uſum quotidianum, alio ad ſcenam, pompamque ſumuntur: ſed ea nos cùm jacentia ſuſtulimus e medio, ſicut molliſſimam *ceram* ad noſtrum arbitrium formamus, & fingimus. itaque tum graves ſumus, tum ſubtiles, tum medium quiddam tenemus: ſic inſtitutam noſtram ſententiam ſequitur orationis genus: [3] idquè ad omnem rationem, & aurium voluptatem, & animorum motum mutatur, & vertitur. Sed ut in pleriſque rebus incredibiliter hoc natura eſt ipſa fabricata: ſic in oratione; ut ea, quæ maximam utilitatem in ſe continerent, eadem haberent plurimùm vel dignitatis, vel ſæpe etiam venuſtatis. *Incolumitatis*, ac ſalutis omnium cauſa videmus hunc ſtatum eſſe hujus totius mundi, atque naturæ, rotundum ut cœlum, terraque ut media ſit, eaque ſua vi, nutuque teneatur: ſol ut circumferatur, ut accedat ad brumale ſignum, & inde ſenſim aſcendat in diverſam partem: ut luna acceſſu, & receſſu ſuo ſolis lumen accipiat: ut eadem ſpatia quinque ſtellæ diſpari motu, curſuque conficiant. Hæc tantam habent vim, ut paullum immutata cohærere non poſſint: tantam *pulchritudinem*, ut nulla ſpecies ne excogitari quidem poſſit ornatior. Referte nunc animum ad hominum, vel etiam ceterarum animantium formam, & figuram. nullam partem corporis [4] ſine aliqua neceſſitate affictam: totamque for-

mam quaſi perfectam reperietis arte, non caſu. Quid in 46

arboribus, in quibus non truncus, non rami, non folia ſunt denique, niſi ad ſuam retinendam, conſervandamque naturam? nuſquam tamen eſt ulla pars, niſi *venuſta*. Linquamus naturam, arteiſque videamus. quid tam in navigio neceſſarium, quàm latera, quàm carinæ, quàm prora, quàm puppis, quàm antemnæ, quam vela, [5] quàm mali? quæ tamen hanc habent in ſpecie venuſtatem, ut non ſolùm ſalutis, ſed etiam voluptatis cauſa, inventa eſſe videantur. Columnæ, & templa, & porticus ſuſtinent. tamen habent non plus utilitatis, quàm dignitatis. Capitolii faſtigium illud, & ceterarum ædium, non venuſtas, ſed neceſſitas ipſa fabricata eſt. nam cùm eſſet habita ratio, quemadmodum ex utraque tecti parte aqua delaberetur: utilitatem templi, faſtigii dignitas conſecuta eſt: ut, [6] etiam ſi in cælo ſtatueretur, ubi imber eſſe non poſſet, nullam ſine *faſtigio* dignitatem habiturum fuiſſe videatur. Hoc in omnibus item partibus orationis evenit, ut utilitatem, ac propè neceſſitatem ſuavitas quædam, & lepos conſequatur. Clauſulas enim, atque interpuncta verborum, animæ interclusio, atque anguſtiæ ſpiritus attulerunt. Id inventum ita ſuave, ut, ſicui ſit infinitus ſpiritus datus, tamen eum perpetuare verba nolimus. id enim auribus noſtris gratum eſt inventum, quod hominum lateribus non tolerabile ſo-

lum, ſed etiam facilè eſſe poſſet. Longiſſima eſt igitur 47

complexio verborum, quæ volvi uno ſpiritu poteſt. Sed hic naturæ modus eſt, artis alius. nam cùm ſint numeri plures, jambum, & trochæum frequentem ſegregat ab oratore Ariſtoteles, Catule, veſter, qui natura tamen incurrunt ipſi in orationem, ſermonemque noſtrum: ſed ſunt inſignes percuſſiones eorum numerorum, & minuti pedes. Quare primùm ad heroum nos dactyli, & anapæſti, & ſpondei pedem invitat: in quo impunè progredi licet [7] duos duntaxat pedes, aut paullo plus, ne planè in verſum, aut ſimilitudinem verſuum incidamus. [8] Aliæ ſunt geminæ, quibus hi tres heroi pedes in principia [9] continuandorum verborum ſatis decorè cadunt. Probatur autem ab eodem illo maximè pæon: qui eſt duplex Nam aut à longa oritur, quam tres breves conſequuntur, ut hæc verba, *deſinite, incipite, comprimite*: aut à brevibus deinceps tribus, extrema producta, atque longa: ſicut illa ſunt, *domuerant, ſonipedes*. Atque illi philoſopho ordiri placet à ſuperiore pæone, poſteriore finire. eſt autem pæon hic poſterior non ſyllabarum numero, ſed *aurium menſura*, quod eſt acrius judicium, & certius, par ferè Cretico, qui eſt ex longa, & brevi, & longa: ut,

Quid petam præſidii, aut exſequar? quove nunc.

A quo numero exorſus eſt Fannius, *Si, Quirites, minas illius*. Hunc ille clauſulis, aptiorem putat, quas vult longa plerum-

1. *Nam cum vinxit modis forma, & relaxat, &c.*] Pal. pr. ſec. oct. *forma & modis, relaxat, &c.* neque ſecus Pith. ac Memm. alii habent, *modis & forma; relaxat, &c.* at ſept. *modis, format & relaxat.*

2. *Alia contentionis verba.*] Palatin. prim. *confectionis.* forſan *concionis.*

3. *Idque ad omnem rationem & aurium voluptatem.*] Pal. prim. ſec. item Memm. & Pith. tantum exhibent, *omnem aurium voluptatem.* excluſis voculis duabus intermediis Pall. ſequentes retinent vulgatum, ſed habent *itaque* pro *idque*.

4. *Sine aliqua neceſſitate adfictam.*] Firmat hanc ſcripturam Giſanius noſter in Lucretiano Indice, ad vocem *Fictus*.

5. *Quam mali? quæ.*] Sic Pall. ſeptem. nam ſext. atque nonus, ſolum ſervant retro vulgatum: *quàm reliqua?* quod tamen exulat ab editione principe. quin imo Gallicani tres, Pith. & Memmii membr. ac chart. adhuc excluſere, *quam mali?* Repoſui quoque *carinæ*, ἀντὶ τοῦ *carina*, Gallicanis iiſdem volentibus, item Pall. in quibus tamen fere *caverna*.

6. *Etiamſi in cælo ſtatueretur.*] Delevi vocem *Capitolium*, ſecutus auctoritatem Pal. pr. ac ſec.

7. *Duos duntaxat pedes.*] Pall. ferè, *duo duntaxat pedis.* antique.

8. *Aliæ ſunt geminæ.*] Pal. pr. ſec. Memm. *Alteræ.* ſed natum id ex prava ſcriptura *Altæ*, quæ extat in Pithœano.

9. *Continuandorum verborum.*] Dictio *verborum* non viſitur in Pal. pr. ſec. aut Memm. & Pith.

1. *Sic*

48 Plerumque ſyllaba terminari. Neque verò hæc tam acrem curam, diligentiamque deſiderant, quàm eſt illa poëtarum: quos neceſſitas cogit, & ipſi numeri ac modi, ſic verba verſu includere, ut nihil ſit, ne ſpiritu quidem minimo, brevius, aut longius, quàm neceſſe eſt. Liberior eſt oratio, & planè, ut dicitur, [1] ſic & eſt verè ſoluta, non ut fugiat tamen, aut erret, ſed ut ſine vinculis ſibi ipſa moderetur. Namque ego illud aſſentior Theophraſto, qui putat orationem, quæ quidem ſit [2] polita, atque facta quodammodo, non adſtrictè, ſed remiſſiùs numeroſam eſſe oportere. Etenim ſicut ille ſuſpicatur, & ex illis modis, quibus hic uſitatus verſus efficitur, pòſt anapæſtus, procerior quidam numerus, effloruit; inde ille licentior, & divitior fluxit dithyrambus: cujus membra, & pedes, ut ait idem, ſunt in omni locupleti oratione diffuſa. Et, ſi numeroſum eſt id in omnibus ſonis, atque vocibus, quod habet quaſdam impreſſiones, & quod metiri poſſumus intervallis æqualibus: rectè genus hoc numerorum, dummodò ne continuum ſit, in orationis laude ponetur. [3] Nam ſi rudis, & impolita putanda eſt illa ſine intervallis loquacitas peremnis, & profluens, quid eſt aliud cauſæ, cur repudietur, niſi quòd [4] hominum aures vocem natura modulantur ipſa? quod fieri, niſi ineſt numerus in voce, non poteſt. Numerus autem in continuatione nullus eſt: diſtinctio, & æqualium, & ſæpe variorum intervallorum percuſſio, numerum conficit: quem in cadentibus guttis, quod intervallis diſtinguuntur, notare poſſumus, in amni præcipitante non poſſumus. Quòd ſi continuatio verborum hæc ſoluta, multo eſt aptior atque jucundior, ſi eſt articulis, membriſque diſtincta, quàm ſi continuata, ac producta. [5] membra illa modificata eſſe debebunt: quæ ſi in extremo breviora ſunt, infringitur ille quaſi verborum *ambitus*. ſic enim has orationis converſiones Græci nominant. Quare aut paria eſſe debent poſteriora ſuperioribus, extrema primis; aut, quod etiam eſt melius, & jucundius, longiora.

49 Atque hæc quidem ab iis philoſophis, quos tu maximè diligis, Catule, dicta ſunt: quod eos ſæpiùs teſtificor, ut auctoribus laudandis *ineptiarum* crimen effugiam. Quarum tandem, inquit Catulus? aut quid diſputatione iſta afferri poteſt elegantius, aut omnino dici ſubtilius? At enim vereor, inquit Craſſus, ne hæc aut difficiliora iſtis ad perſequendum eſſe videantur, aut, quia non traduntur in vulgari iſta diſciplina, nos ea majora, ac difficiliora videri velle videamur. Tum Catulus, Erras, inquit, Craſſe, ſi aut me, aut horum quemquam putas à te hæc opera quotidiana, & pervagata exſpectare. iſta, quæ dicis, dici volumus: neque tam dici, quam iſto dici modo: neque tibi hoc pro me ſolùm, ſed pro his omnibus ſine ulla dubitatione reſpondeo. Ego verò, inquit Antonius, inveni tandem, quem negaram in eo, quem ſcripſi, libello, me inveniſſe eloquentem. ſed eò te ne laudandi quidem cauſa interpellavi, ne quid de hoc tam exiguo ſermonis tui tempore verbo uno meo diminueretur. Hanc igitur, Craſſus inquit, ad legem cùm exercitatione, tum *ſtilo*, qui & alia, & hoc maximè ornat, ac limat, formanda vobis oratio eſt. Neque tamen hoc tanti laboris eſt, quanti videtur: nec ſunt hæc rhythmicorum, ac muſicorum, acerrima norma dirigenda: & efficiendum eſt illud modò vobis, ne fluat oratio, ne vagetur, ne inſiſtat interiùs, ne excurrat longiùs: ut membris diſtinguatur, ut converſiones habeat abſolutas. Neque ſemper utendum eſt perpetuitate, & quaſi converſione verborum, ſed ſæpe carpenda membris minutioribus oratio eſt, quæ tamen ipſa membra ſunt numeris vincienda. Neque vos pæon, aut herous ille conturbet. ipſi occurrent orationi: ipſi, inquam, ſe offerent, & reſpondebunt non vocati. conſuetudo modò illa ſit ſcribendi, atque dicendi, ut ſententiæ verbis finiantur, eorumque verborum junctio naſcatur à proceris numeris ac liberis, maximè heroo, & pæone priore, aut cretico, ſed variè, diſtincteque conſîdat. Notatur enim maximè ſimilitudo in conquieſcendo: &, ſi primi, & poſtremi illi pedes ſunt hac ratione ſervati, medii poſſunt latère, modò ne circuitus ipſe verborum ſit aut brevior, quàm aures exſpectent: aut longior, quàm vires, atque anima patiatur. Clauſulas autem 50 diligentiùs etiam ſervandas eſſe arbitror, quàm ſuperiora, quod in his maximè perfectio, atque abſolutio judicatur. nam verſus æquè prima, & media, & extrema pars attenditur; qui debilitatur, in quacumque ſit parte titubatum. in oratione autem prima pauci cernunt, poſtrema plerique. quæ quoniam apparent, & intelliguntur, varianda ſunt, ne aut animorum judiciis repudientur, aut aurium ſatietate. Duo enim, aut tres ſunt ferè extremi ſervandi, & notandi pedes, ſi modò non breviora, & præciſa erunt ſuperiora, quos aut chorios, aut heroos, aut alternos eſſe oportebit, aut in pæone illo poſteriore, quem Ariſtoteles probat, aut ei pari cretico. Horum viciſſitudines efficient, ut neque ii ſatientur, qui audient, faſtidio ſimilitudinis, nec nos id, quod faciemus, opera dedita facere videamur. Quòd ſi Antipater ille Sidonius, quem tu probè, Catule, meminiſti, ſolitus eſt verſus hexametros, aliosque variis modis, atque numeris fundere *ex tempore*, tantumque hominis ingenioſi, ac memoris valuit exercitatio, ut, cum ſe mente, ac voluntate conjeciſſet in verſum, verba ſequerentur: quanto id faciliùs in oratione, exercitatione, & conſuetudine adhibita, conſequemur? Illud autem nequis admiretur, quonam modo hæc vulgus imperitorum in audiendo notet; cùm in omni genere, tum in hoc ipſo magna quædam eſt vis, incredibiliſque naturæ. OMNES enim tacito quodam ſenſu, ſine ulla arte, aut ratione, quæ ſint in artibus, ac rationibus recta ac prava, dijudicant: idque cum faciunt in picturis, & in ſignis, & in aliis operibus, ad quorum intelligentiam à natura minus habent inſtrumenti; tum multo oſtendunt magis in verborum, numerorum, vocumque judicio; quòd ea ſunt in communibus infixa ſenſibus, neque earum rerum quemquam funditus *natura* voluit eſſe expertem. Itaque non ſolùm verbis arte poſitis moventur omnes, verùm etiam numeris, ac vocibus. Quotus enim quiſque eſt, qui teneat artem numerorum, ac modorum? At in his ſi paullum modò offenſum eſt, ut aut contractione brevius fieret, aut productione longius, *theatra* tota reclamant. Quid? hoc non idem fit in vocibus, ut à multitudine, & populo, non modò catervæ atque conventus, ſed etiam ipſi ſibi ſinguli diſcrepantes ejiciantur? Mirabile eſt, cùm plurimùm in faciendo interſit 51 inter doctum, & rudem, quàm non multùm differat in judicando. ARs enim cùm à natura profecta ſit, niſi natura moveat ac delectet, nihil ſanè egiſſe videatur. Nihil eſt autem tam cognatum mentibus noſtris, quàm numeri, atque voces: quibus & excitamur, & incendimur, & lenimur, & langueſcimus, & ad hilaritatem, & ad triſtitiam ſæpe deducimur: quorum illa ſumma vis carminibus eſt aptior, & *cantibus*, non neglecta, ut mihi videtur, à Numa, rege doctiſſimo, majoribuſque noſtris, ut epularum ſolennium fides, ac tibiæ, Saliorumque verſus indicant: maxime autem à Græcia vetere celebrata: quibus utinam, ſimilibuſque de rebus diſputari, quàm de puerilibus his verborum tranſlationibus maluiſſetis. Verùm, ut in verſu vulgus, ſi eſt peccatum, videt: ſic, ſi quid in noſtra oratione claudicat,

1. *Sic & eſt verè ſoluta.*] Pal. pr. ſec. & totidem Gallicana abſcindunt &. forte reſcribendum, *ſicut eſt, ſoluta.* omiſſis ceteris.

2. *Polita atque facta.*] Pal. prim. *aut ſracta.* ſec. Pith. Memm. *atque ſracta.*

3. *Nam ſi rudis & impolita.*] Haud aliter quadriga mſſ. ſupra laudatorum. Vulgata hactenus, *rudis & indocta.*

4. *Hominum aures vocem natura modulantur ipſa.*] Ita editio Victorii & Manutii. nam vulgata *ipſæ.* Pith. & Memm. *hominum auribus vocem natura modulantur ipſa.* Pall. habent *aures* aut *auris*, plerique tamen e poſterioribus *naturæ.*

5. *Membra illa modificata.*] Lambinus iſtud habet, exſtatque in Pith. & Memm. item Pal. pr. ac ſec. vulgata prius, *verba illa.*

1. *Sic*

cat, ſentit: ſed poëtæ non ignoſcit, nobis concedit: tacitè tamen omnes non eſſe illud, quod diximus, aptum, perfectumque cernunt. Itaque illi veteres, ſicut hodie etiam nonnullos videmus, cùm circuitum, & quaſi orbem verborum conficere non poſſent (nam id quidem nuper vel poſſe, vel audere cœpimus) terna, aut bina, aut nonnulli ſingula etiam verba dicebant: qui in illa infantia naturali, illud, quod aures hominum flagitabant, tenebant tamen, ut & illa eſſent paria, quæ dicerent, & æqualibus interſpi-
52 rationibus uterentur. Expoſui fere, ut potui, quæ maximè ad ornatum orationis pertinere arbitrabar. dixi enim de ſingulorum laude verborum, dixi de conjunctione eorum, dixi de numero, atque forma. Sed ſi habitum orationis etiam, & quaſi *colorem* aliquem requiritis, eſt & plena quædam, ſed tamen teres: & tenuis, non ſine nervis, ac viribus: & ea, quæ particeps utriuſque generis quadam mediocritate laudatur. His tribus figuris inſidêre quidam venuſtatis non fuco illitus, ſed ſanguine diffuſus debet color. Tum denique nobis hic orator ita conformandus eſt & verbis, & ſententiis, ut, quemadmodum qui utuntur armis, aut palæſtra, non ſolùm ſibi vitandi, aut feriendi rationem eſſe habendam putant, ſed etiam, ut cum *venuſtate* moveantur: [1] ſic verbis quidem ad aptam compoſitionem, & condecentiam, ſententiis verò ad gravitatem orationis utatur, [2] ut ii, qui in armorum tractatione verſantur. Formantur autem & verba, & ſententiæ pænè innumerabiles, quod ſatis ſcio notum eſſe vobis: ſed inter conformationem verborum, & ſententiarum hoc intereſt, [3] quòd verborum tollitur, ſi verba mutaris: ſententiarum permanet, quibuſcumque verbis uti velis. Quod quidem vos etſi facitis, tamen admonendos puto, ne quid eſſe aliud oratoris putetis, quod quidem ſit egregium, atque mirabile, niſi in ſingulis verbis illa tria tenere, ut tranſlatis utamur frequenter, interdumque factis, raro autem etiam pervetuſtis: in perpetua autem oratione, cum & conjunctionis lenitatem, & numerorum, quam dixi, rationem tenuerimus, tum eſt quaſi *luminibus* diſtinguenda, & frequentanda omnis oratio, ſen-
53 tentiarum, atque verborum. Nam & commoratio una in re permultùm movet, & illuſtris explanatio rerumque, quaſi [4] gerantur, ſub adſpectum penè ſubjectio: quæ & in exponenda re plurimùm valet, & ad illuſtrandum id, quod exponitur, & ad amplificandum: ut iis, qui audient, illud, quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum eſſe videatur: & huic contraria [5] ſæpe præciſio eſt, & plus ad intelligendum, quàm dixeris, ſignificatio, & diſtinctè conciſa brevitas, & extenuatio, & huic adjuncta illuſio, à præceptis Cæſaris non abhorrens, & ab re non longa degreſſio: in qua cùm fuerit *delectatio*, tum [6] reditus ad rem aptus, & concinnus eſſe debebit: propoſitioque quid ſis dicturus, & ab eo, quod eſt dictum, ſejunctio, & reditus ad propoſitum, & iteratio, & rationis apta concluſio: tum augendi, minuendive cauſa, veritatis ſuperlatio, atque trajectio: & rogatio, atque huic finitima quaſi percunctatio, expoſitioque ſententiæ ſuæ: tum illa, quæ maximè quaſi irrepit in hominum menteis, alia dicentis, ac ſignificantis *diſſimulatio*, quæ eſt perjucunda, cùm in oratione non contentione, ſed ſermone tractatur: deinde dubitatio, tum diſtributio, tum correctio vel antè, vel poſtquam dixeris, vel cum aliquid à te ipſo rejicias: præmunitio eſt etiam ad id, quod aggrediare, & rejectio in alium: communicatio, quæ eſt quaſi cum iis ipſis, apud quos dicas, deliberatio: morum, ac vitæ imitatio vel in perſonis, vel ſine illis, magnum quoddam ornamentum orationis, & aptum ad animos conciliandos vel maximè, ſæpe autem etiam ad commovendos: perſonarum ficta inductio, vel graviſſimum lumen augendi, deſcriptio, erroris inductio, ad hilaritatem impulſio: antè occupatio: tum duo illa, quæ maximè *movent*, ſimilitudo, & exemplum, digeſtio, interpellatio, contentio, reticentia, commendatio, vox quædam libera, atque etiam effrenatior, augendi cauſa: iracundia, objurgatio, promiſſio, deprecatio, obſecratio, declinatio brevis à propoſito, non ut ſuperior illa degreſſio, purgatio, conciliatio, læſio, optatio, atque exſecratio. His ferè lumini-
bus illuſtrant orationem ſententiæ. Orationis autem ipſius, 54
tanquam armorum, eſt vel ad uſum comminatio, & quaſi petitio, vel ad venuſtatem ipſa tractatio. Nam & geminatio verborum habet interdum vim, lepôrem aliàs, & paullum immutatum verbum, atque deflexum: & ejuſdem verbi crebra tum à primo repetitio, tum in extremum converſio, & in eadem verba impetus, & concurſio, & adjunctio, & progreſſio, & ejuſdem verbi crebriùs poſiti quædam diſtinctio, & revocatio verbi, & illa, quæ ſimiliter deſinunt, aut quæ cadunt ſimiliter, aut quæ paribus paria referuntur, aut quæ ſunt inter ſe ſimilia. Eſt etiam gradatio quædam, & converſio, & verborum concinna tranſgreſſio, & contrarium, & diſſolutum, & declinatio, & reprehenſio, & exclamatio, & imminutio, & quod in multis caſibus ponitur, & quod de ſingulis rebus propoſitis ductum, refertur ad ſingula, & ad propoſitum ſubjecta ratio, & item in diſtributis ſuppoſita ratio, & permiſſio, & rurſum alia dubitatio, & improviſum quiddam, & dinumeratio, & alia correctio, & diſputatio, & quod continuatum, & interruptum, & *imago*, & ſibi ipſi reſponſio, & immutatio, & disjunctio, & ordo, & relatio, & degreſſio, & circumſcriptio. Hæc enim ſunt ferè, atque horum ſimilia, vel plura etiam eſſe poſſunt, quæ ſententiis orationem,
verborumque conformationibus illuminent. Quæ quidem 55
te, Craſſe, video, inquit Cotta, quòd nota eſſe nobis putes, ſine definitionibus, & ſine exemplis effudiſſe. Ego verò, inquit Craſſus, ne illa quidem, quæ ſuprà dixi, nova vobis eſſe arbitrabar, ſed voluntati veſtrûm omnium parui. His autem de rebus ſol me ille admonuit, ut brevior eſſem, qui ipſe jam præcipitans, me quoque hæc præcipitem pænè evolvere coëgit. Sed tamen hujus generis demonſtratio eſt, & doctrina ipſa, vulgaris: uſus autem graviſſimus, & in hoc toto dicendi ſtudio, difficillimus. Quamobrem, quoniam de ornatu omni orationis, ſi non ſunt omnes patefacti, at certè commonſtrati loci: nunc, quid *aptum* ſit, hoc eſt, quid maximè deceat in oratione, videamus. quamquam id quidem perſpicuum eſt, NON OMNI cauſæ, nec auditori, neque perſonæ, neque tempori congruere orationis unum genus. nam & cauſæ capitis alium quendam verborum ſonum requirunt, alium rerum privatarum, atque parvarum: & aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes, aliud judicia, aliud ſermones, aliud conſolatio, aliud objurgatio, aliud diſputatio, aliud hiſtoria deſiderat. Refert etiam, qui audiant, ſenatus, an populus, an judices: frequentes, an pauci, an ſinguli: & quales ipſi quoque oratores, qua ſint ætate, honore, auctoritate, debet videri: tempus pacis, an belli: feſtinationis, an otii.

Itaque

1. *Sic verbis quidem ad aptam compoſitionem & condecentiam, ſententiis vero ad gravitatem orationis utatur.*] Horum nihil agnoſcit editio prima: ſed nec invenit in Pith. aut duobus Memmianis Gulielmius; non magis quam ego in Palatinis ſex. nonus tamen omnia habebat præter ſyllabam primam de voce poſt illa *condecentiam*: ſextus vero ac ſeptimus poſita habebat ante dictionem *Formantur. ut ii qui*, &c.

2. *Ut ii qui*, &c.] Septem iſtæ voces erant in noſtris ſcriptis omnibus. ſupervacuas tamen eſſe, res ipſa clamat.

3. *Quod verborum tollitur, ſi verba.*] Pal. ſept. oct. non addunt, [illegible] fere allubeſcit.

4. *Gerantur ſub aſpectum*, &c.] Pall. poſteriores, item Memmii chart. *aſpectu.* ſed alterum reſtat in Palat. prim. ac ſec. nec non in Pith. & Memm. membr.

5. *Sæpe præciſio eſt.*] Pall. fere *percuſſio*, item Pith. nam Memmii uterque *percuſio.* forte *percuſſio.* ſed malim tamen vulgatum; cui alludit Pal. oct. in quo [illegible].

6. *Reditus ad rem aptus & concinnus.*] Sic Palat. ſext. & nonus. nam pr. & oct. *concinus.* ſec. *continuus.* tert. *concinens*, quod & in Memmiano chart. item inter lineas quarti, qui *continens*, quod conjecerat Gulielmius. quint. *conveniens.* ſept. *concinneas.* ſatisfacit mihi vulgata. nam & ſic capite ſequenti exſtat, *concinna tranſgreſſio.*

1. *Oratio-*

Itaque hoc loco nihil ſanè eſt, quod præcipi poſſe videatur, niſi ut figuram orationis plenioris, & tenuioris, & item illius mediocris, ad id, quod agimus, accommodatam deligamus. ornamentis iiſdem uti ferè licebit, aliàs contentiùs, aliàs ſummiſſiùs: omnique in re poſſe, quod deceat, facere, artis & naturæ eſt: ſcire, quid, quandoque deceat, pru-
56 dentiæ. Sed hæc ipſa omnia perinde ſunt, ut aguntur. *Actio*, inquam, in dicendo una dominatur. ſine hac ſummus orator, eſſe in numero nullo poteſt: mediocris, hac inſtructus, ſummos ſæpe ſuperare. Huic primas dediſſe Demoſthenes dicitur, cum rogaretur, QUID in dicendo eſſet primum; huic ſecundas, huic tertias. Quo mihi meliùs etiam illud ab Æſchine dictum videri ſolet, qui cùm propter ignominiam judicii ceſſiſſet Athenis, & ſe Rhodum contuliſſet, rogatus à Rhodiis, legiſſe fertur orationem illam egregiam, quam in Cteſiphontem contra Demoſthenem dixerat: qua perlecta, petitum eſt ab eo poſtridie, ut legeret illam etiam, quæ erat contra à Demoſthene pro Cteſiphonte, edita: quam cùm ſuaviſſima, & maxima voce legiſſet, admirantibus omnibus, QUANTO, inquit, magis admiraremini, ſi audiſſetis ipſum? Ex quo ſatis ſignificavit, quantum eſſet in actione, qui [1] orationem eandem, aliam eſſe putaret, actore mutato. Quid fuit in Graccho, quem tu, Catule, meliùs meminiſti, quod me puero [2] tantopere ferretur? QUO ME MISER conferam? quò vertam? in Capitoliumne? at fratris ſanguine redundat. an domum? matremne ut miſeram, lamentantemque videam, & abjectam? Quæ ſic ab illo acta eſſe conſtabat, oculis, voce, geſtu, inimici ut *lacrimas* tenere non poſſent. Hæc eò dico pluribus, quòd genus hoc totum oratores, qui ſunt veritatis ipſius actores, reliquerunt: imitatores autem veritatis
57 hiſtriones occupaverunt. Ac ſine dubio IN OMNI re vincit imitationem veritas: ſed ea ſi ſatis in actione efficeret ipſa per ſeſe, arte profectò non egeremus. verùm quia animi permotio, quæ maximè aut declaranda, aut imitanda eſt actione, perturbata ſæpe ita eſt, ut obſcuretur, ac pæne obruatur: diſcutienda ſunt ea, quæ obſcurant: & ea, quæ ſunt eminentia, & promta, ſumenda. Omnis enim motus animi, ſuum quendam à natura habet vultum, & ſonum, & geſtum, totumque corpus hominis, & ejus omnis vultus, omneſque voces, ut nervi in fidibus, ita ſonant, [3] ut à motu animi quoque ſunt pulſæ. Nam voces, ut chordæ ſunt intentæ, quæ ad quemque tactum reſpondeant, acuta, gravis, cita, tarda, magna, parva: quas tamen inter omneis eſt ſuo quæque in genere mediocris. Atque etiam illa ſunt ab his delapſa plura genera, læve, aſperum: contractum, diffuſum: continenti ſpiritu, intermiſſo: fractum, ſciſſum: flexo ſono, attenuatum, inflatum. Nullum eſt enim horum ſimilium generum, quod non arte, ac moderatione tractetur. hi ſunt actori, ut pictori, expoſiti ad variandum
58 *colores*. Aliud enim vocis genus [4] iracundia ſibi ſumat: acutum, incitatum, crebrò incidens.

Impius hortatur me frater, ut meos malis miſer
Manderem natos. ——

Et ea, quæ tu dudum, Antoni, pro*tuliſti*,
Segregare abs te auſus:
Et,
Ecquis hoc animadvertit? vincite. ——
Et Atreus ferè totus.

Aliud miſeratio, ac mæror: flexibile, plenum, interruptum, flebili voce,

Quò nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi?
Domum paternamne? anne ad Peliæ filias?

Et illa,
O pater, ô patria, ô Priami domus!
Et quæ ſequuntur,
Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari.

Aliud metus: demiſſum, & hæſitans, & abjectum,

Multi' modis ſum circumventus, morbo, exſilio, atque inopia:
Tum pavor ſapientiam mihi omnem exanimato expectorat:
Alter terribilem minitatur vitæ cruciatum, & necem:
Quæ nemo eſt tam firmo ingenio, & tanta confidentia,
Quin refugiat timido ſanguen, atque exalbeſcat metu.

Aliud vis? contentum, vehemens, imminens quadam incitatione gravitatis,

[5] *Iterum Thyeſtes Atreum attractum advenit,*
Iterum jam aggreditur me, & quietum exſuſcitat.
Major mihi moles, majus miſcendum 'ſt malum.
Qui illius acerbum cor contundam & comprimam.

Aliud voluptas: effuſum, lene, tenerum, hilaratum, ac remiſſum,

[6] *Sed mihi* [7] *cùm tetulit coronam ob collocandas nuptias,*
Tibi ferebat, [8] *cùm ſimulabat ſeſe alteri dare:*
[9] *Tum ad te ludibunda doctè, & delicatè detulit.*

Aliud moleſtia: ſine commiſeratione grave quiddam, & uno preſſu, ac ſono obductum,

Qua tempeſtate Paris Helenam innuptis junxit nuptiis,
Ego tum gravida, expletis jam ferè ad pariendum menſibus,
Per idem tempus Polydorum Hecuba partu poſtremo parit.

Omneis autem hos motus ſubſequi debet geſtus, non hic 59
verba exprimens, ſcenicus, ſed univerſam rem, & ſententiam, non demonſtratione, ſed ſignificatione declarans, laterum inflexione hac forti, ac virili, non ab ſcena, & hiſtrionibus, ſed ab armis, aut etiam à palæſtra. Manus autem minus arguta, digitis ſubſequens verba, non exprimens: brachium proceriùs projectum, quaſi quoddam *telum* orationis: ſupploſio pedis in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis. Sed in ore ſunt omnia. In eo autem ipſo dominatus eſt omnis oculorum: quò meliùs noſtri illi ſenes, qui perſonatum, ne Roſcium quidem, magnoperè laudabant. ANIMI eſt enim omnis actio, & imago animi, vultus eſt, indices oculi. nam hæc eſt una pars corporis, quæ, quot animi motus ſunt, [10] tot ſignificationes, & commutationes poſſit efficere. neque verò eſt quiſquam, [11] qui eadem contuens, efficiat. Theophraſtus quidem Tauriſcum quendam dixit *actorem averſum* ſolitum eſſe dicere, qui [12] in agendo contuens aliquid, pronuntiaret. Quare oculorum eſt ma-

1. *Orationem aliam eſſe putaret.*] Pal. ſec. *fore putarit.* prim. tert. Pith. Memm. *fore putarit.*
2. *Tantopere ferretur.*] Lambinus *efferretur*, ſed præter libros impreſſos & calamo exaratos; neque erat neceſſe.
3. *Ut à motu animi quoque ſunt pulſæ.*] Non diſplicet tmeſis Palat. pr. ſec. Pith. *ut motu animi cumque ſunt pulſe.*
4. *Iracundia ſibi ſumat.*] Pal. plures *ſummat.* tert. verò ac quartus vocem eam non habet; ſed ejus loco, *aliud.* quod & in Pith. & Memmii papyraceo.
5. *Iterum Thyeſtes Atreum attractum advenit.*] Ita Pall. niſi quod ſext. ac ſept. *Atreum alter etiam tum advenit*, quod accedit ad conjectaneum Lambini. *Iterum Thyeſtes mecum altercatum venit.* ſed accedit tantum.
6. *Sed mihi cum tetulit, &c.*] Pal. pr. ac ſec. *Sed ſibi.* Pith. *ſibi cum tetulit*; ſine *ſed.*
7. *Cum tetulit coronam ob collocandas nuptias, &c.*] Explicat Cujacius lib. XI. obſerv. cap. 15.
8. *Cum ſimulabat ſeſe alteri dare.*] Mirifice variant mſſ. noſtri. Pal. prim. ſec. Pith. *ſe ſibi Ajaci dare.* tert. nonus, Memmiani duo, *ſeſe Ajaci dari.* ceteras lectiones tædet exhibere. ſufficit annotaſſe ad Tullii mei marginem. ex iſtis enim facile conſtat locum hunc hærere in mendo.
9. *Tum ad te ludibunda doctè.*] Lambinus, *Tunc ad te ludibundu' doctè.* ſed præter vett. libros. nam Pall. tres priores, *cum à te ludibunda.* quod *ludibunda* præterea in ceteris extat, in quibus, *Cum ad te.*
10. *Tot ſignificationes & commutationes poſſit efficere.*] Pal. prim. ſec. Pith. Memm. abjecerunt *& commutationes*: neque requiritur.
11. *Qui eadem contuens efficiat.*] Nullus manuſcriptorum hanc habet lectionem præter Pall. octav. aliis eſt vel *continens*, vel *conveniens*, vel *conivens*, quod eſſet *connivens*, & fere placet: conjeceratque id Gulielmius.
12. *In agendo contuens aliquid.*] Fortè *contuens aliud.* certe hoc vult Tauriſci mens.

eſt magna moderatio. nam oris non eſt nimiùm mutanda ſpecies, ne aut ad ineptias, aut ad pravitatem aliquam deferamur. Oculi ſunt, quorum tum intentione, tum remiſſione, tum conjectu, tum hilaritate, motus animorum ſignificemus aptè cum genere ipſo orationis. eſt enim actio quaſi ſermo corporis, quo magis menti congruens eſſe debet. Oculos autem natura nobis, [1] ut equo, & leoni ſetas, caudam, aureis, ad motus animorum declarandos dedit. Quare in hac noſtra actione ſecundum vocem vultus valet. is autem oculis gubernatur. Atque in iis omnibus, quæ ſunt actionis, ineſt quædam vis à natura data. quare etiam hac imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maximè commoventur. *verba* enim neminem movent, niſi eum, qui ejuſdem linguæ ſocietate conjunctus eſt: ſententiæque ſæpe acutæ, non acutorum hominum ſenſus prætervolant: actio, quæ præ ſe motum animi fert, omneis movet. iiſdem enim *omnium animi* motibus concitantur, & eos iiſ-
60 dem notis & in aliis agnoſcunt, & in ſe ipſi indicant. Ad actionis autem uſum, atque laudem, maximam ſine dubio partem vox obtinet, quæ primùm eſt optanda nobis: deinde, quæcumque erit, ea tuenda: de quo illud jam nihil ad hoc præcipiendi genus, quemadmodum voci ſerviatur: equidem magnopere cenſeo ſerviendum. Sed illud videtur ab hujus noſtri ſermonis officio non abhorrere, quòd, ut dixi paullo antè, PLURIMIS in rebus quod maximè eſt utile, id neſcio quo pacto etiam decet maximè. [2] nam ad vocem obtinendam nihil eſt utilius, quàm crebra mutatio: nihil pernicioſiùs, quàm effuſa ſine intermiſſione contentio. Quid ad aureis noſtras, & actionis ſuavitatem, quid eſt viciſſitudine, & varietate, & commutatione aptius? Itaque idem Gracchus, quod potes audire, Catule, ex Licinio, cliente tuo, litterato homine, quem ſervum ſibi ille habuit ad manum, cum eburneola ſolitus eſt habere fiſtula, qui ſtaret *occultè* poſt ipſum, cum concionaretur, peritum hominem, qui inflaret celeriter eum ſonum, quo illum aut remiſſum excitaret, aut à contentione revocaret. Audivi mehercule, inquit Catulus, & ſæpe ſum admiratus hominis cùm diligentiam, tum etiam doctrinam, & ſcientiam. Ego verò, inquit Craſſus, ac doleo quidem, illos viros in eam fraudem in republica eſſe delapſos: quamquam [3] ea tela texitur, & ea incitatur in civitate ratio vivendi, [4] ac poſteritati oſtenditur, ut eorum civium, quos noſtri patres non tulerunt, jam *ſimileis habere* cupiamus. Mitte, obſecro, inquit, Craſſe, Julius, ſermonem iſtum, & te ad Gracchi fiſtulam refer: cujus ego nondum planè rationem intelligo. In omni voce, inquit Craſſus, eſt quiddam medium, 61
ſed ſuum cuique voci. hinc gradatim *aſcendere* vocem utile & ſuave eſt. Nam à principio clamare, agreſte quiddam eſt, & illud idem ad firmandum eſt vocem ſalutare. Deinde eſt quiddam contentionis extremum, [5] quod tamen interius eſt, quàm acutiſſimus clamor, quò te fiſtula progredi non ſinet, & tamen ab ipſa contentione revocabit. Eſt item contra quiddam in remiſſione graviſſimum, quoque tanquam ſonorum gradibus deſcenditur. Hæc varietas, & hic per omneis ſonos vocis curſus, & ſe tuebitur, & actioni afferet ſuavitatem. ſed fiſtulatorem domi relinquetis, ſenſum hujus conſuetudinis vobiſcum ad forum deferetis. Edidi quæ potui, non ut volui, ſed ut me temporis anguſtiæ coëgerunt. Scitum eſt enim, *cauſam* conferre in tempus, cùm afferre plura, ſi cupias, non queas. Tu verò, inquit Catulus, collegiſti omnia, quantum ego poſſum judicare, ita divinitus, ut non à Græcis didiciſſe, ſed eos ipſos hæc docere poſſe videare. Me quidem iſtius ſermonis participem factum eſſe gaudeo: ac vellem, ut meus gener, ſodalis tuus, Hortenſius, affuiſſet: quem quidem ego confido omnibus iſtis laudibus, quas tu oratione complexus es, excellentem fore. Et Craſſus, Fore dicis? inquit: ego verò eſſe jam judico, & tum judicavi, cùm, me conſule, in ſenatu cauſam defendit Africæ, nuperque etiam magis, cùm pro Bithyniæ rege dixit. Quamobrem rectè vides, Catule. nihil enim iſti adoleſcenti neque à *natura*, neque à *doctrina* deeſſe ſentio. Quo magis eſt tibi, Cotta, & tibi, Sulpici, vigilandum, ac laborandum. non enim ille mediocris orator veſtræ quaſi ſuccreſcit ætati: ſed & ingenio peracri, & ſtudio flagranti, & doctrina eximia, & memoria ſingulari. cui quamquam faveo, tamen illum ætati ſuæ præſtare cupio: vobis verò illum tanto minorem *præcurrere* vix honeſtum eſt. Sed jam ſurgamus, inquit, noſque curemus, & aliquando ab hac contentione diſputationis animos noſtros, curamque laxemus.

M. TUL-

1. *Ut equo & leoni ſetas.*] Pall. duo & Pith. *aut.* Lambinus illud *ſetas* mutavit in *jubas*, ſed nolentibus libris.

2. *Nam ad vocem obtinendam.*] Hodie vulgata: *vocem in dicendo obtinendam.* ſed inſertum illud ferè in nullo inveni mſſ. imò neque in editione prima, aberatque Gallicanis tribus Gulielmio excuſſis.

3. *Ea tela texitur, & ea incitatur in civitate, &c.*] P. Victorius lib. v. Var. lect. cap. 7. opinabatur vacare illud *incitatur*; natum à ſcriba qui id ſcripſerat, loco *in civitate*, neque tamen deinde delerat. quam ejus ſententiam impugnat Villiomarus lib. v. controv. cap. 24. ſed quàm feliciter, videatur ex Villiomari animadverſionibus in eum locum. ſanè vox ea non conſpicitur in Pal. pr. ſec. aut Pith habent, inquam, *texitur ea in civitate, &c.*

4. *Ac poſteritati oſtenditur.*] Pall. noſtri & Gall. *poſteritatis.* quod neſcio an non præponendum alteri.

5. *Quod tamen interius eſt quam, &c.*] Sic Pall. pr. ſec. tert. oct. non. item Pith. & duo Memmiani. vult enim eſſe intra clamorem. hactenus publicati *inferius.*

1. Aut

M. TULLII CICERONIS DE CLARIS ORATORIBUS LIBER, QUI DICITUR BRUTUS.

1 CUm è Cilicia decedens, Rhodum veniſſem,& eò mihi de Q. Hortenſii morte eſſet allatum, opinione omnium majorem animo cepi dolorem. nam & *amico amiſſo*, cùm conſuetudine jucunda, tum multorum officiorum conjunctione me privatum videbam, & interitu talis auguris, dignitatem noſtri collegii diminutam dolebam: qua in cogitatione, & cooptatum me ab eo in collegium recordabar, in quo *juratus* judicium dignitatis meæ fecerat: & inauguratum ab eodem: ex quo, augurum inſtitutis, in parentis eum loco colere debebam. Augebat etiam moleſtiam, quòd magna ſapientium civium, bonorumque pænuria, vir egregius, conjunctiſſimuſque mecum conſiliorum omnium ſocietate, *alieniſſimo reipub. tempore* exſtinctus, & auctoritatis, & prudentiæ ſuæ triſte nobis deſiderium reliquerat: dolebamque, quòd non, ut plerique putabant, adverſarium, aut obtrectatorem laudum mearum, ſed ſocium potiùs, & conſortem glorioſi laboris amiſeram. Etenim, ſi in leviorum artium ſtudio memoriæ proditum eſt, poëtas nobileis poëtarum *æqualium* morte doluiſſe: quo tandem animo ejus interitum ferre debui, cum quo certare erat glorioſius, quàm omninò adverſarium non habere? cùm præſertim non modò numquam ſit aut illius à me curſus impeditus, aut ab illo meus, ſed contrà ſemper alter ab altero adjutus & communicando, & monendo, & favendo. Sed, quoniam perpetua quadam felicitate uſus ille, ceſſit è vita, ſuo magis, quàm ſuorum civium tempore, & tum occidit, cùm lugere faciliùs remp. poſſet, ſi viveret, quàm *juvare:* vixitque tamdiu, quàm licuit in civitate benè, beateque vivere: noſtro incommodo, detrimentoque, ſi eſt ita neceſſe, doleamus: illius verò mortis opportunitatem benivolentia potius, quàm miſericordia proſequamur, ut, quotieſcumque de clariſſimo, & beatiſſimo viro cogitemus, illum potius, quàm noſmetipſos, diligere videamur. Nam, ſi id dolemus, quòd eo jam *frui* nobis non licet: noſtrum eſt id malum: quod modicè feramus, ne id non ad amicitiam, ſed ad domeſticam utilitatem referre videamur. ſin, tanquam illi ipſi acerbitatis aliquid acciderit, angimur: ſummam ejus felicitatem non ſatis grato animo interpretamur.
2 Etenim ſi viveret Q. Hortenſius, cetera fortaſſe deſideraret unà cum reliquis bonis, & fortibus civibus: hunc autem & præter ceteros, aut cum paucis ſuſtineret dolorem, cùm forum populi Romani, quod fuiſſet quaſi *theatrum* illius ingenii, voce erudita, & Romanis, Græciſque auribus digna, ſpoliatum, atque orbatum videret. Equidem angor animo, non conſilii, non ingenii, non auctoritatis armis egere rempublicam, quæ didiceram tractare, quibuſque me aſſuefeceram, quæque erant propria cùm præſtantis in rep. viri, tum bene moratæ, & bene conſtitutæ civitatis. Quòd ſi fuit in republica tempus ullum, cùm extorquere arma poſſet è manibus iratorum civium, boni civis auctoritas & oratio: tum profectò fuit, cùm *patrocinium pacis* excluſum eſt [1] aut errore hominum, aut timore. Ita nobiſmetipſis accidit, ut quamquam eſſent multo magis alia lugenda, tamen hoc doleremus, quòd, quo tempore ætas noſtra perfuncta rebus ampliſſimis, tanquam in *portum* confugere deberet, non inertiæ, neque deſidiæ, ſed otii moderati, atque honeſti: cumque ipſa oratio jam noſtra caneſceret, haberetque ſuam quandam maturitatem, & quaſi ſenectutem, tum arma ſunt ea ſumta, quibus illi ipſi, qui didicerant eis uti glorioſe, quemadmodum ſalutariter uterentur, non reperiebant. Itaque ii mihi videntur fortunatè, beateque vixiſſe, cùm in ceteris civitatibus, tum maximè in noſtra, quibus cùm auctoritate, rerumque geſtarum gloria, tum etiam ſapientiæ laude *perfrui* licuit. quorum memoria, & recordatio in maximis noſtris, graviſſimiſque curis jucunda ſanè fuit, cùm in eam nuper ex ſermone quodam incidiſſemus. Nam cum inambularem in 3
xyſto, & eſſem otioſus domi, M. ad me Brutus, ut conſueverat,cum T.Pomponio venerat,homines cùm inter ſe conjuncti, tum mihi ita cari, itaque jucundi,ut eorum adſpectu omnis, quæ me angebat de repub. cura conſederit. Quos poſtquam ſalutavi, Quid vos, inquam, Brute, & Attice, nunc? quid tandem novi? Nihil ſanè, inquit Brutus, quod quidem aut tu audire velis,aut ego pro certo dicere audeam. Tum Atticus, Eo, inquit, ad te animo venimus, ut de republica eſſet ſilentium, & aliquid audiremus potius ex te, quàm te afficeremus ulla moleſtia. Vos vero, inquam, Attice, & præſentem me cura levatis, & abſenti magna ſolatia dediſtis. nam veſtris primùm litteris *recreatus*, me ad priſtina ſtudia revocavi. Tum ille, Legi, inquit, perlubenter epiſtolam, quam ad te Brutus miſit ex Aſia: qua mihi viſus eſt & monere te prudenter,& conſolari amiciſſimè. Rectè, inquam, eſt viſus. nam me iſtis ſcito litteris, ex diuturna perturbatione totius valitudinis tanquam ad aſpiciendam lucem eſſe revocatum. Atque ut poſt Cannenſem illam calamitatem primùm Marcelli ad Nolam prœlio, populus ſe Romanus erexit, poſteaque proſperæ res deinceps multæ conſecutæ ſunt: ſic poſt rerum noſtrarum, & communium graviſſimos caſus, nihil ante epiſtolam Bruti mihi accidit, quod vellem, aut quod aliqua ex parte ſollicitudines allevaret meas. Tum Brutus, Volui id quidem efficere certè, & capio magnum fructum, ſi quidem quod volui, tanta in re conſecutus ſum. Sed ſcire cupio, [2] quæ te Attici litteræ delectaverint, Iſtæ verò, inquam, Brute, non modò delectationem mihi,ſed etiam, ut ſpero, ſalutem attulerunt. Salutem? inquit ille. quodnam tandem genus iſtuc tam præclarum litterarum fuit? An mihi potuit, inquam, eſſe aut gratior ulla ſalutatio, aut ad hoc tempus aptior, quàm illius libri, quo me hic affatus, quaſi *jacentem* excitavit? Tum ille, Nempe eum dicis, inquit, quo iſte omnem rerum memoriam breviter, &, ut mihi quidem viſum eſt, perdiligenter complexus eſt? Iſtum ipſum, inquam, Brute, dico librum

---

1. A*Ut errore hominum.*] Ita primum emendavit Jo. Rivius Caſtigationum libello. antea cuſi, *terrore*; minus recte, ut liquet ex aliis Tullii locis pro Marcello, pro Ligario, pro Deiotaro, item lib. VII. Epiſt. II. ad Atticum.

2. *Quæ te Attici literæ delectaverint.*] Maluiſſet Gulielmius, *quam te, &c.* item ſupra, ubi eſt: *volui id quidem efficere*, delebat idem, ceu gloſſema, *id* & *efficere*.

4 librum mihi ſaluti fuiſſe. Tum Atticus: Optatiſſimum mihi quidem eſt quod dicis: ſed quid tandem habuit liber iſte, quod tibi aut novum, aut tanto uſui poſſet eſſe? Ille vero & nova, inquam, mihi quidem, multa, & eam utilitatem, quam requirebam, ut, explicatis ordinibus temporum, *uno in conſpectu* omnia viderem: quæ cùm ſtudioſe tractare cœpiſſem, ipſa mihi tractatio litterarum ſalutaris fuit, admonuitque, Pomponi, ut à te ipſo ſumerem aliquid ad me reficiendum, teque remunerandum, ſi non pari, at grato tamen munere: quamquam illud Heſiodium laudatur à doctis, quod eadem menſura reddere jubet, qua acceperis, aut etiam *cumulatiore*, ſi poſſis. Ego autem [1] voluntatem tibi profectò emetiar: ſed rem ipſam nondum poſſe videor: idque ut ignoſcas, à te peto. Nec enim ex novis, (ut agricolæ ſolent) fructibus eſt, unde tibi reddam quod accepi. ſic omnis fætus repreſſus, exuſtuſque flos ſiti veteris ubertatis exaruit: nec ex conditis, qui jacent in tenebris, & ad quos omnis nobis aditus, qui pænè ſolis patuit, obſtructus eſt. Seremus igitur aliquid tanquam in inculto, & derelicto ſolo: quod ita diligenter colemus, ut *impendiis* etiam augere poſſimus largitatem tui muneris: modò idem noſter animus efficere poſſit, quod AGER, qui cum multos annos quievit, uberiores efferre fruges ſolet. Tum ille, Ego verò & expectabo ea, quæ polliceris, neque exigam, niſi tuo commodo, & erunt mihi pergrata, ſi ſolveris. Mihi quoque, inquit Brutus, & exſpectanda ſunt ea, quæ Attico polliceris, etſi fortaſſe ego à te hujus voluntarius procurator petam, quod ipſe, cui debes, [2] ſe incommodo exacturum

5 negat. At verò, inquam, tibi ego, Brute, non ſolvam, niſi prius à te cavero, amplius eo nomine neminem, cujus petitio ſit, petiturum. Non mehercule, inquit, tibi [3] repromittere iſtuc quidem auſus ſim. nam hunc, qui negat, video flagitatorem, non illum quidem tibi moleſtum, ſed aſſiduum tamen, & acrem fore. Tum Pomponius, Ego verò, inquit, Brutum nihil mentiri puto. Videor enim jam te auſurus eſſe appellare: quoniam longo intervallo modò primùm animadverti paullo te hilariorem. Itaque, quoniam hic, quod mihi deberetur, ſe exacturum profeſſus eſt: quod huic debes, ego à te peto. Quidnam id? inquam. Ut ſcribas, inquit, aliquid: jampridem enim conticuerunt tuæ litteræ. Nam ut illos *de republica* libros edidiſti, nihil à te ſanè poſtea accepimus: eiſque noſmetipſi ad veterum annalium memoriam comprehendendam impulſi, atque incenſi ſumus. Sed illa cùm poteris, atque ut poſſis rogo. Nunc verò, inquit, ſi es animo vacuo, expone nobis quod quærimus. Quidnam eſt id? inquam. Quod mihi nuper in Tuſculano inchoaſti de oratoribus, quando eſſe cœpiſſent, qui etiam, & quales fuiſſent. quem ego ſermonem cùm ad Brutum tuum, vel noſtrum potius, detuliſſem, magnopere hic audire ſe velle dixit. Itaque hunc elegimus diem, cùm te ſciremus eſſe vacuum. Quare, ſi tibi eſt commodum, ede illa, quæ cœperas, & Bruto, & mihi. Ego verò, inquam, ſi potuero, faciam vobis ſatis. Poteris, inquit: relaxa modò paullùm animum, aut ſanè, (ſi potes) libera. Nempe igitur hinc tum, Pomponi, ductus eſt ſermo, quòd erat à me mentio facta, cauſam Deiotari, fideliſſimi, atque optimi regis, ornatiſſimè & copioſiſſimè à Bruto me audiſſe defenſam.

6 Scio, inquit, ab iſto initio tractum eſſe ſermonem, teque Bruti dolentem vicem, quaſi defleviſſe judiciorum vaſtitatem, & fori. Feci, inquam, iſtuc quidem, & ſæpe facio. Nam mihi, Brute, in te intuenti, crebrò in mentem venit vereri, ecquodnam *curriculum* aliquando ſit habitura tua & natura admirabilis, & exquiſita doctrina, & ſingularis induſtria. Cùm enim in maximis cauſis verſatus eſſes, &, cùm tibi ætas noſtra jam cederet, *faſceiſque ſummitteret*, ſubitò in civitate cùm alia ceciderunt, tum etiam ea ipſa, de qua diſputare ordimur, eloquentia obmutuit. Tum ille, [4] Ceterarum rerum cauſa, inquit, iſtuc & doleo, & dolendum puto: dicendi autem me non tam fructus, & gloria, quàm *ſtudium* ipſum, exercitatioque delectat: quod mihi nulla res eripiet, te præſertim tam ſtudioſo. Etenim dicere bene nemo poteſt, niſi qui prudenter intelligit. Quare qui eloquentiæ veræ dat operam, dat prudentiæ, qua NE MAXIMIS quidem in bellis æquo animo carere quiſquam poteſt. Præclarè, inquam, Brute, dicis, eoque magis iſta dicendi laude delector, quòd cetera, quæ ſunt quondam habita in civitate pulcherrima, nemo eſt tam humilis, qui ſe non aut poſſe adipiſci, aut adeptum putet. eloquentem neminem video factum eſſe victoria. Sed quo facilius ſermo explicetur, ſedentes, ſi videtur, agamus. Cùm idem placuiſſet illis, tum in pratulo propter Platonis ſtatuam conſedimus. Hìc ego, Laudare igitur eloquentiam, & quanta vis ſit ejus, expromere, quantamque iis, qui ſint eam conſecuti, dignitatem afferat, neque propoſitum nobis eſt hoc loco, neque neceſſarium. Hoc verò ſine ulla dubitatione confirmaverim, ſive illa arte pariatur aliqua, ſive exercitatione quadam, ſive natura; rem unam eſſe omnium *difficillimam*: quibus enim ex quinque rebus conſtare dicitur, earum unaquæque eſt ars ipſa magna per ſeſe. Quare quinque artium concurſus maximarum, quantam vim, quantamque difficultatem habeant, exiſtimari poteſt. Teſtis eſt Græcia, quæ 7

cùm eloquentiæ ſtudio ſit incenſa, jamdiuque excellat in ea, præſtetque ceteris, tamen omneis arteis vetuſtiores habet, & multo antè non inventas ſolùm, ſed etiam perfectas, quàm hæc eſt à Græcis elaborata dicendi vis, atque copia. In quam cùm intueor, maximè mihi occurrunt, Attice, & quaſi lucent Athenæ tuæ: qua in urbe primùm ſe orator extulit, primumque etiam monumentis, & litteris oratio eſt cœpta mandari. tamen ante Periclem, cujus ſcripta quædam feruntur, & Thucydidem, qui non naſcentibus Athenis, ſed jam adultis fuerunt, littera nulla eſt, quæ quidem ornatum aliquem habeat, & oratoris eſſe videatur. Quamquam opinio eſt & eum, qui multis annis ante hos fuerit, Piſiſtratum, & paullo ſeniorem etiam Solonem, poſteaque Cliſthenem, multùm, ut temporibus illis, valuiſſe dicendo. Poſt hanc ætatem aliquot annis, ut ex Atticis monumentis poteſt perſpici, Themiſtocles fuit: quem conſtat cùm prudentia, tum etiam eloquentia præſtitiſſe: poſt Pericles, qui cùm floreret omni genere virtutis, hac tamen fuit laude clariſſimus. Cleonem etiam temporibus illis *turbulentum* illum quidem civem, ſed tamen eloquentem conſtat fuiſſe. Huic ætati ſuppares Alcibiades, Critias, Theramenes: quibus temporibus quod dicendi genus viguerit, [5] ex Thucydidi ſcriptis, qui ipſe tum fuit, intelligi maximè poteſt, grandes erant verbis, crebri ſententiis, compreſſione rerum breves, & ob eam ipſam cauſam interdum ſubobſcuri. Sed ut intellectum eſt, quantam vim haberet 8

accurata, & *facta* quodammodo oratio: tum etiam magiſtri dicendi multi ſubitò exſtiterunt: tum Leontinus Gorgias, Thraſymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Cejus, Hippias Eleus, in honore magno fuit, aliique multi temporibus eiſdem docere ſe profitebantur, arrogantibus ſanè verbis, QUEMADMODUM cauſa inferior (ita enim loquebantur) dicendo fieri ſuperior poſſet. Iis oppoſuit ſeſe Socrates, qui ſubtilitate quadam diſputandi refellere eorum inſtituta ſolebat verbis. Hujus ex uberrimis ſermonibus exſtiterunt doctiſſimi viri: primumque tum philoſophia, non illa de natura, quæ fuerat antiquior, ſed hæc, in qua

1. *Voluntatem tibi profectò emetiar.*] Conjecit Rivius *remetiar*, quomodo omnino legendum vel libris repugnantibus aſſeverat Lambinus. at Antonius Palmyrenus *profectò* mutat in *pro facto*; mea ſententia inepte.

2. *Se incommodo exacturum negat.*] Lamb. interponit *ſuo*. præter libros & rationem. nam ſi quid mutandum, fieri poterat *ſine incomm.*

3. *Promittere iſtuc quidem auſus ſim.*] Forte *auſim*, annotavit ad oram libri ſui Gulielmius.

4. *Ceterarum rerum cauſa inquit.*] Ritterſhuſius noſter delebat dictionem *cauſa*, tanquam a mala manu.

5. *Ex Thucydidi ſcriptis.*] Sic ex Romano volumine reſtituit Rivius, ſibique poſtea adſcripſit miſer Lambinus.

qua de bonis rebus & malis, deque hominum vita & mori-
bus diſputatur, inventa dicitur. quod quoniam genus ab
hoc, quod propoſuimus, abhorret: philoſophos aliud in
tempus rejiciamus: ad oratores à quibus degreſſi ſumus, re-
vertamur. Exſtitit igitur jam ſenibus illis, quos paullo antè
diximus, Iſocrates, cujus domus cunctæ Græciæ quaſi *ludus*
quidam patuit, atque officina dicendi, magnus orator, &
perfectus magiſter, quamquam forenſi luce caruit, intraque
parietes aluit eam gloriam, [1] quam nemo quidem, meo ju-
dicio, eſt poëta conſecutus. is & ipſe ſcripſit multa præcla-
rè, & docuit alios: & cùm cetera melius, quàm ſuperio-
res, tum primus intellexit, etiam in ſoluta oratione, dum
verſum effugeres, modum tamen, & numerum quendam
oportere ſervari. Ante hunc enim verborum quaſi ſtructu-
ra, & quædam ad numerum concluſio, nulla erat: aut, ſi-
quando erat, non apparebat eam dedita opera eſſe quæſi-
tam: quæ forſitan laus ſit: verumtamen [2] natura magis
tum, caſuque nonnumquam, aut ratione aliqua, aut obſer-
vatione fiebat. Ipſa enim natura circumſcriptione quadam
verborum comprehendit, concluditque ſententiam: quæ
cùm aptis conſtricta verbis eſt, cadit etiam plerumque nu-
meroſe. Nam & *aures* ipſæ quid plenum, quid inane ſit,
judicant, & ſpiritu, quaſi neceſſitate aliqua, verborum com-
prehenſio terminatur: in quo non modò defici, ſed etiam
9 laborare turpe eſt. Tum fuit Lyſias, ipſe quidem in cauſis
forenſibus non verſatus, ſed egregiè ſubtilis ſcriptor, atque
elegans, quem jam propè audeas oratorem perfectum dice-
re. nam planè quidem *perfectum*, & cui nihil admodum
deſit, Demoſthenem facilè dixeris. Nihil acutè inveniri
potuit in eis cauſis, quas ſcripſit, nihil (ut ita dicam) ſubdo-
lè, nihil verſutè, quod ille non viderit: nihil ſubtiliter dici,
nihil preſſe, nihil enucleatè, quo fieri poſſit aliquid lima-
tius: nihil contrà grande, nihil incitatum, nihil ornatum
vel verborum gravitate, vel ſententiarum, quo quidquam
eſſet elatius. Huic Hyperides proximus, & Æſchines fuit,
& Lycurgus, & Dinarchus, & is, cujus nulla exſtant ſcri-
pta, Demades, aliique plures. Hæc enim *ætas* effudit hanc
copiam; &, ut opinio mea fert, ſuccus ille, & ſanguis in-
corruptus uſque ad hanc ætatem oratorum fuit, in qua na-
turalis ineſſet, non fucatus nitor. Phalereus enim ſucceſſit
eis ſenibus adoleſcens, eruditiſſimus ille quidem horum
omnium, ſed non tam armis inſtitutus, quàm palæſtra. ita-
que delectabat magis Athenienſeis, quam inflammabat.
proceſſerat enim in ſolem, & pulverem, non ut è militari
tabernaculo, ſed ut è Theophraſti, doctiſſimi hominis, *um-
braculis*. Hic primus inflexit orationem, & eam mollem,
teneramque reddidit: & ſuavis, ſicut fuit, videri maluit,
quàm gravis: ſed ſuavitate ea, qua perfunderet animos, non
qua perfringeret: [3] & tantùm ut memoriam concinnitatis
ſuæ, non (quemadmodum de Pericle ſcripſit Eupolis) cum
delectatione *aculeos* etiam relinqueret in animis eorum, à
10 quibus eſſet auditus. Videſne igitur, ut in ea ipſa urbe, in
qua & nata, & alta ſit eloquentia, quàm ea ſerò prodierit in
lucem? Siquidem ante Solonis ætatem, & Piſiſtrati, de
nullo, ut diſerto, memoriæ proditum eſt. At hi quidem,
ut populi Romani ætas eſt, ſenes: ut Athenienſium ſæcula
numerantur, adoleſcentes debent videri. Nam etſi Servio
Tullo regnante viguerunt, tamen multo diutius Athenæ
jam erant, quàm eſt Roma ad hodiernum diem: nec tamen
dubito, quin habuerit vim magnam ſemper oratio. Neque
enim jam *Troïcis temporibus* tantum laudis in dicendo Ulyſſi
tribuiſſet Homerus, & Neſtori, (quorum alterum vim ha-
bere voluit, alterum ſuavitatem) niſi jam tum eſſet honos
eloquentiæ: neque ipſe poëta hic tam idem ornatus in di-
cendo, ac planè orator fuiſſet: cujus etſi incerta ſunt tem-
pora, tamen annis multis fuit ante Romulum: ſiquidem
non infra ſuperiorem Lycurgum fuit, à quo eſt diſciplina
Lacedæmoniorum adſtricta legibus. Sed ſtudium ejus ge-
neris, majorque vis agnoſcitur in Piſiſtrato. Denique hunc
proximo ſæculo Themiſtocles inſecutus eſt, ut apud nos,
perantiquus: ut apud Athenienſeis, non ita ſanè vetus.
Fuit enim regnante jam Græcia, noſtra autem civitate non
ita pridem dominatu regio liberata. nam bellum Volſco-
rum illud graviſſimum, cui Coriolanus exſul interfuit, eo-
dem ferè tempore, quo Perſarum bellum, fuit, ſimiliſque
fortuna clarorum virorum. Si quidem uterque, cùm civis
egregius fuiſſet, populi ingrati pulſus injuria, ſe ad hoſteis
contulit, conatumque iracundiæ ſuæ morte ſedavit. nam
etſi aliter eſt apud te, Attice, de Coriolano, concede tamen,
ut huic generi mortis potius aſſentiar. At ille ridens, Tuo 11
vero, inquit, arbitratu: quoniam quidem conceſſum eſt
rhetoribus *ementiri in hiſtoriis*, ut aliquid dicere poſſint argu-
tius. ut enim tu nunc de Coriolano, ſic Clitarchus, ſic Stra-
tocles de Themiſtocle finxit. Nam, quem Thucydides, qui
& Athenienſis erat, & ſummo loco natus, ſummuſque vir,
& paullo ætate poſterior, tantùm mortuum ſcripſit, & in
Attica clam humatum; addidit, fuiſſe ſuſpicionem veneno
ſibi conſciviſſe mortem: hunc iſti ajunt, cùm taurum im-
molaviſſet, excepiſſe ſanguinem patera, & eo poto, mor-
tuum concidiſſe. Hanc enim mortem rhetoricè, & tragicè
ornare potuerunt: illa mors vulgaris nullam præbebat ma-
teriem ad ornatum. Quare, [4] quoniam tibi ita quadrat,
[5] omnia fuiſſe in Themiſtocle paria, & Coriolano, pateram
quoque à me ſumas licet: præbebo etiam hoſtiam, ut Co-
riolanus ſit plane alter Themiſtocles. SIT, ſanè, inquam,
ut lubet, de iſto: & ego cautius poſthac hiſtoriam attin-
gam, te audiente: quem rerum Romanarum auctorem lau-
dare poſſum religioſiſſimum. Sed tum ferè Pericles, Xan-
thippi filius, de quo antè dixi, primus adhibuit doctrinam:
quæ quamquam tum nulla erat dicendi, tamen ab Anaxa-
gora phyſico eruditus, exercitationem mentis à reconditis,
abſtruſiſque rebus ad cauſas forenſeis, populareſque facilè
traduxerat. Hujus ſuavitate maximè hilaratæ ſunt Athenæ:
hujus ubertatem, & copiam admiratæ, ejuſdem vim di-
cendi, terroremque *timuerunt*. Hæc igitur ætas prima Athe- 12
nis oratorem propè perfectum tulit. NEC ENIM in con-
ſtituentibus rempublicam, nec in bella gerentibus, nec in
impeditis, ac regum dominatione devinctis, naſci cupidi-
tas dicendi ſolet. Pacis eſt comes, otiique ſocia, & jam be-
ne conſtitutæ civitatis quaſi alumna quædam, eloquentia.
Itaque ait Ariſtoteles, cùm ſublatis in Sicilia tyrannis, res
privatæ longo intervallo judiciis repeterentur, tum pri-
mùm, quòd eſſet acuta illa gens, & controverſa natura, ar-
tem, & præcepta Siculos, Coracem & Tiſiam conſcripſiſſe.
Nam antea neminem ſolitum via, nec arte, ſed accuratè ta-
men, & *de ſcripto* pleroſque dicere: ſcriptaſque fuiſſe, & pa-
ratas à Protagora rerum illuſtrium diſputationes, quæ nunc,
communes appellantur *loci*. Quod idem feciſſe Gorgiam,
cùm ſingularum rerum laudes, vituperationeſque conſcri-
pſiſſet: quòd judicaret hoc oratoris eſſe maximè proprium,
rem augere poſſe laudando, vituperandoque rurſus affligere.
Huic Antiphontem Rhamuſium ſimilia quædam ha-
buiſſe conſcripta, quo neminem umquam melius ullam
oraviſſe capitis cauſam, cùm ſe ipſe defenderet, ſe audiente,
locuples auctor ſcripſit Thucydides. Nam Lyſiam primo
profiteri ſolitum artem eſſe dicendi: deinde, quòd Theo-
dorus

1. *Quam nemo quidem meo judicio eſt poëta conſecutus.*] Præceptor Lipſius ita emendabat, e Ruffino Grammatico. videatur ille lib. III. Var. lect. cap. 14. prius edebatur *poſtea*.

2. *Natura magis tum, caſuque nonnunquam, &c.*] Ita Palatin. & codex Cujacianus, quo uſus Gulielmius. vulgo erat, *Natura magis, tum caſu nonnunquam quam aut, &c.* conſulatur Rivius.

3. *Et tantum ut memoriam.*] Delet particulam & Gulielmius, nullo ſententiæ malo.

4. *Quoniam tibi ita quadrat.*] Illud *ita*, à Rivio additum, etiam deprehendi in membranis Palatinis, nec non Cujaciano.

5. *Omnia fuiſſe in Themiſtocle paria.*] Cujacianus, *Omnia fuiſſe Themiſtocli paria*, quod forte admitti poſſet. nam & in Pal. viſitur *in* ſolum inter lineas.

dorus eſſet in arte ſubtilior, in orationibus autem jejunior, orationes eum *ſcribere aliis* cœpiſſe, artem removiſſe. Similiter Iſocratem primò artem dicendi eſſe negaviſſe, ſcribere autem aliis ſolitum orationes, quibus in judiciis uterentur, ſed, cùm ex eo (quia quaſi committeret contra legem, quo quis judicio circumveniretur) ſæpe ipſe in judicium vocaretur: orationes aliis deſtitiſſe ſcribere, [1] totum-
13 que ſe ad arteis componendas tranſtuliſſe. Et Græciæ quidem oratorum partus, atque fonteis vides, ad noſtrorum annalium rationem, veteres: ad ipſorum, ſanè recenteis. Nam antequam delectata eſt Athenienſium civitas hac laude dicendi, multa jam memorabilia & in domeſticis, & in bellicis rebus effecerat. Hoc autem *ſtudium* non erat commune Græciæ, ſed proprium Athenarum. Quis enim aut Argivum oratorem, aut Corinthium, aut Thebanum ſcit fuiſſe temporibus illis? niſi quid de Epaminonda, docto homine, ſuſpicari libet. Lacedæmonium verò uſque ad hoc tempus audivi fuiſſe neminem. Menelaum ipſum, *dulcem* illum quidem tradit Homerus, ſed pauca dicentem. Brevitas autem, laus eſt interdum in aliqua parte dicendi, in univerſa eloquentia laudem non habet. At verò extra Græciam magna dicendi ſtudia fuerunt, maximique huic laudi habiti honores, illuſtre oratorum nomen reddiderunt. Nam ut ſemel è Peireæo eloquentia evecta eſt, omneis peragravit inſulas, atque ita peregrinata tota Aſia eſt, ut ſe externis oblineret *moribus*, [2] omnemque illam ſalubritatem Atticæ dictionis quaſi ſanitatem perderet, ac loqui pænè dediſceret. Hinc Aſiatici oratores non contemnendi quidem nec celeritate, nec copia, ſed parùm preſſi, & nimis redundantes. Rhodii ſaniores, & Atticorum ſimiliores. Sed de Græcis hactenus. etenim hæc ipſa forſitan fuerint, non neceſſaria. Tum Brutus: Iſta verò, inquit, quàm neceſſaria fuerint, non facilè dixerim: jucunda certè mihi fuerunt, neque ſolùm non longa, ſed etiam breviora, quàm vellem. Optimè, inquam: ſed veniamus ad noſtros, de quibus difficile eſt plus intelligere, quàm quantum ex monumentis
14 ſuſpicari licet. Quis enim putet aut *celeritatem ingenii* L. Bruto illi, nobilitatis veſtræ principi, defuiſſe? qui de matre ſuavianda ex oraculo Apollinis tam acutè, arguteque conjecerit? qui ſummam prudentiam ſimulatione ſtultitiæ texerit? qui potentiſſimum regem, clariſſimi regis filium expulerit. civitatemque perpetuo dominatu liberatam magiſtratibus annuis, legibus, judiciiſque devinxerit? qui collegæ ſuo imperium abrogaverit, ut è civitate regalis nominis *memoriam* tolleret? quod certè effici non potuiſſet, niſi eſſet oratione perſuaſum. Videmus item paucis annis poſt reges exactos, cum plebes prope ripam Anienis ad tertium milliarium conſediſſet, eumque montem, qui *Sacer* appellatus eſt, occupaviſſet, M. Valerium dictatorem dicendo ſedaviſſe diſcordias, eique ob eam rem honores ampliſſimos habitos, & eum primum ob eam ipſam cauſam *Maximum* eſſe appellatum. Ne L. Valerium quidem Potitum, arbitror non aliquid potuiſſe dicendo, qui poſt decemviralem invidiam, plebem in patres incitatam, legibus & concionibus ſuis *mitigaverit*. Poſſumus Appium Claudium ſuſpicari diſertum, quia ſenatum jamjam inclinatum, à Pyrrhi pace revocaverit. Poſſumus C. Fabricium, quia ſit ad Pyrrhum de captivis recuperandis miſſus orator: Ti. Coruncanium, quòd ex pontificum commentariis longè plurimùm ingenio valuiſſe videatur: M. Curium, quòd is tribunus plebis, interrege Appio cæco, diſerto homine, comitia contra leges habente, cùm de plebe Coſs. non accipiebat, patres antè auctores fieri coëgerit: quod fuerit permagnum, nondum lege Mænia lata. Licet aliquid etiam de M. Popillii ingenio ſuſpicari, qui cùm conſul eſſet, eodemque tempore ſacrificium publicum cum læna faceret, quòd erat flamen Carmentalis, plebei contra patres concitatione, & ſeditione nunciata: ut erat læna amictus, ita vênit in concionem, *ſeditionemque* cùm auctoritate, tum oratione ſedavit. Sed eos oratores habitos eſſe, aut omnino tum ullum eloquentiæ præmium fuiſſe, nihil ſanè mihi legiſſe videor. tantummodò conjectura ducor ad ſuſpicandum. Dicitur etiam C. Flaminius, is, qui tribunus pleb. legem de agro Gallico & Piceno viritim dividendo tulerit, qui conſul apud Traſimenum ſit interfectus, ad populum valuiſſe dicendo. Quintus etiam Maximus Verrucoſus, orator habitus eſt temporibus illis: & Q. Metellus, is, qui bello Punico ſecundo cum L. Veturio Philone conſul fuit. Quem 15
verò exſtet, & de quo ſit memoriæ proditum, *eloquentem* fuiſſe, & ita eſſe habitum, primus eſt M. Cornelius Cethegus, cujus eloquentiæ eſt auctor, & idoneus quidem, mea ſententia, Q. Ennius, præſertim cùm & ipſe eum audiverit, & ſcribat de mortuo: ex quo nulla ſuſpicio eſt, *amicitiæ* cauſa eſſe mentitum. Eſt igitur ſic apud illum in nono, (ut opinor) annali:

Additur orator Corneliu' ſuaviloquenti
Ore Cethegus Marcu'. Tuditano collega,
Marci Filius. ——

Et oratorem appellat, & ſuaviloquentiam tribuit: quæ nunc quidem non tam eſt in pleriſque. latrant enim jam quidam oratores, non loquuntur. ſed eſt ea laus eloquentiæ certè maxima.

—— [3] *is dictus, ollis popularibus olim,*
Qui tum vivebant homines, atque ævum agitabant,
Flos delibatus populi.

Probè verò. ut enim hominis decus, ingenium, ſic ingenii ipſius lumen eſt eloquentia, qua virum excellentem præclarè tum illi homines *florem populi* eſſe dixerunt,
—— *ſuadæque medulla.* Πειθὼ quam vocant Græci, cujus effector eſt orator, hanc *Suadam* appellavit Ennius. ejus autem Cethegum *medullam* fuiſſe vult, ut, quam deam [4] *in Pericli labris ſcripſit* Eupolis ſeſſitaviſſe, hujus hic *medullam* noſtrum oratorem fuiſſe dixerit. At hic Cethegus coſ. cum P. Tuditano fuit bello Punico ſecundo, quæſtorque his coſs. M. Cato, modò planè annis CXL. ante me coſ. & idipſum niſi unius eſſet Ennii teſtimonio cognitum, hunc *vetuſtas*, ut alios fortaſſe multos, oblivione obruiſſet. Illius autem ætatis qui ſermo fuerit, ex Nævianis ſcriptis intelligi poteſt. His enim conſulibus, ut in veteribus commentariis ſcriptum eſt, Nævius eſt mortuus. quanquam Varro noſter diligentiſſimus inveſtigator antiquitatis, putat in hoc erratum, vitamque Nævii producit longiùs. Nam Plautus P. Claudio, L. Porcio, viginti annis poſt illos, quos antè dixi, conſules mortuus eſt, Catone cenſore. Hunc igitur Cethegum conſecutus eſt ætate Cato, qui annis IX. poſt eum fuit conſul. eum nos ut perveterem habemus, qui L. Marcio, M. Manilio conſulibus mortuus eſt,
annis LXXXIII. ipſis ante me conſulem. Nec verò habeo 16
quemquam antiquiorem, cujus quidem ſcripta proferenda putem, niſi quem Appii Cæci oratio hæc ipſa de Pyrrho, & nonnullæ mortuorum laudationes fortè delectant. & hercules hæ quidem exſtant. Ipſæ enim *familiæ* ſua quaſi ornamenta, ac monumenta ſervabant, & ad uſum, ſiquis ejuſdem generis occidiſſet, & ad memoriam laudum domeſticarum, & ad illuſtrandam nobilitatem ſuam. quamquam his laudationibus *hiſtoria* rerum noſtrarum eſt facta mendoſior. Multa enim ſcripta ſunt in eis, quæ facta non ſunt, falſi triumphi, plures conſulatus, genera etiam falſa, & ad plebem tranſitiones, cùm homines humiliores in alienum ejuſdem nominis infunderentur genus: ut, ſi ego me

1. *Totumque ſe ad arteis componendas.*] Duo mſſ. Lambini excludunt *componendas*. habent tamen Pal. & Cujacius.

2. *Omnemque illam ſalubritatem Atticæ dictionis, & quaſi ſanitatem perderet.*] Sic Pal. Cujac. Lambinus edidit, *omnemque illam Atticæ dictionis quaſi ſanitatem perd.* excluſa voce *ſalubritatem*, contra bonos libros; ideoque proterve.

3. *Is dictus ollis popularibus olim.*] Gulielmius annotavit, forte legendum *ſollis*.

4. *In Pericli labris.*] Sic Cujac. ſic Pal. ſic quos excuſſit Rivius, non *Periclis*, ut vulgata.

1. Cum

me à M. Tullio eſſe dicerem, qui patricius cum Servio Sulpicio conſule, anno x. poſt exactos reges fuit. Catonis autem orationes non minùs multæ veræ ſunt, quàm Attici Lyſiæ: cujus arbitror plurimas eſſe. Eſt enim Atticus, quoniam certè Athenis eſt & natus & mortuus, & functus omni civium munere: quamquam Timæus eum, quaſi Licinia, & Mucia lege repetit Syracuſas: & quodam modo eſt nonnulla in iis etiam inter ipſos ſimilitudo. acuti ſunt, elegantes, faceti, breves. Sed ille Græcus ab omni laude felicior. Habet enim certos ſui ſtudioſos, qui non tam habitus corporis opimos, quàm *graciiitates* conſectentur, quos valetudo modò bona ſit, tenuitas ipſa delectat. quamquam in Lyſia ſæpe ſunt etiam lacerti, ſic ut fieri nihil poſſit valentius: verùm eſt certè genere toto ſtrigoſior, ſed habet tamen ſuos laudatores, qui hac ipſa ejus ſubtilitate
17 admodum gaudeant. Catonem verò quis noſtrorum oratorum, qui quidem nunc ſunt, legit? aut quis novit omninò? At quem virum? dii boni! mitto civem, aut ſenatorem, aut imperatorem. *oratorem* enim hoc loco quærimus. Quis illo gravior in laudando? acerbior in vituperando? in ſententiis argutior? in docendo, ediſſerendoque ſubtilior? Refertæ ſunt orationes amplius centum quinquaginta (quas quidem adhuc invenerim, & legerim) & verbis, & rebus illuſtribus. licet ex his eligant ea, quæ notatione & laude digna ſint. omnes oratoriæ virtutes in eis reperientur. Jam verò *Origines* ejus quem florem, aut quod lumen eloquentiæ non habent? Amatores huic deſunt, ſicuti multis jam antè ſæculis & Philiſto Syracuſio, & ipſi Thucydidi. Nam ut horum conciſis ſententiis, interdum etiam non ſatis apertis, [1] cùm brevitate, tum nimio acumine, officit Theopompus elatione, atque altitudine orationis ſuæ: quod idem Lyſiæ Demoſthenes, ſic Catonis luminibus obſtruxit. [2] hæc poſteriorum quaſi exaggerata altiùs oratio. Sed & [3] in noſtris inſcitia eſt, quòd ii ipſi, qui in Græcis antiquitate delectantur eaque ſubtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone, non noverunt quidem: Hyperidæ volunt eſſe, & Lyſiæ. Laudo. ſed cur nolunt Catonis? Attico genere dicendi ſe gaudere dicunt. Sapienter id quidem, atque utinam imitarentur, nec oſſa ſolùm, ſed etiam ſanguinem. gratum eſt tamen, quod volunt. Cur igitur Lyſias & Hyperides amatur, cùm penitùs ignoretur Cato? Antiquior eſt hujus ſermo, & quædam horridiora verba. Ita enim tum loquebantur. id muta, quod tum ille non potuit; & adde numeros; & aptior ſit oratio: ipſa verba compone, & quaſi coagmenta, quod ne Græci quidem veteres factitaverunt: jam neminem antepones Catoni. *Ornari* orationem Græci putant, ſi verborum immutationibus utantur, quos appellant τρόπους & ſententiarum, orationiſque formis, quæ vocāt σχήματα. non veriſimile eſt, quàm ſit in utro-
18 que genere & creber, & diſtinctus Cato. Nec verò ignoro, nondum eſſe ſatis politum hunc oratorem; & quærendum eſſe aliquid perfectius: quippe cùm ita ſit ad noſtrorum temporum rationem vetus, ut nullius ſcriptum exſtet dignum quidem lectione, quod ſit antiquius. ſed majore honore in omnibus artibus, quàm in hac una dicendi, verſatur antiquitas. Quis enim eorum, qui hæc minora animadvertunt, non intelligit, Canachi *ſigna*, rigidiora eſſe, quàm ut imitentur veritatem? Calamidis dura illa quidem, ſed tamen molliora, quàm Canachi. Nondum Myronis ſatis ad veritatem adducta, jam tamen quæ non dubites pulcra dicere. Pulcriora etiam Polycleti, & jam planè perfecta, ut mihi quidem videri ſolent. Similis in *pictura* ratio eſt, in qua Zeuxim, & Polygnotum, & Timantem, & eorum, qui non ſunt uſi plus quàm quatuor coloribus, formas, & liniamenta laudamus. [4] At in Aëtione, Nicomacho, Protogene, Apelle, jam perfecta ſunt omnia, & neſcio an reliquis in rebus omnibus idem eveniat. NIHIL eſt enim ſimul & inventum, & perfectum. Nec dubitari debet, quin fuerint ante Homerum poëtæ: quod ex eis carminibus intelligi poteſt, quæ apud illum, & in Phæacum, & in procorum epulis canuntur. Quid? noſtri veteres verſus ubi ſunt?

— *quos olim Fauni, vateſque canebant,*
[5] *Cum neque Muſarum ſcopulos quiſquam ſuperarat,*
Nec dicti ſtudioſus erat:

Ante hunc: ait ipſe de ſe: nec mentitur in gloriando. ſic enim ſeſe res habet. Nam & Odyſſea Latina eſt, ſic tanquam opus aliquod Dædali, & Livianæ fabulæ, non ſatis dignæ, quæ iterum legantur. Atque hic Livius, qui primus fabulam, C. Clodio Cæci filio, & M. Tuditano coss. docuit, anno ipſo, antequam natus eſt Ennius: poſt Romam conditam autem quartodecimo, & quingenteſimo, ut hic ait, quem nos ſequimur. Eſt enim inter ſcriptores de numero annorum controverſia. Attius autem à Q. Maximo quintùm conſule captum Tarento ſcripſit Livium, annis XXX. poſtquàm eum fabulam docuiſſe & Atticus ſcribit, & nos in antiquis commentariis invenimus. Do- 19
cuiſſe autem fabulam annis poſt XI. C. Cornelio, Q. Minucio coss. [6] ludis Juventatis, quos Salinator [7] Senenſi prœlio voverat. In quo tantus error Attii fuit, ut his coss. XL. annos natus Ennius fuerit: cui cùm æqualis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quàm ii, qui multas docuerant ante hos coss. & Plautus, & Nævius. Hæc ſi minus apta videntur huic ſermoni, Brute, Attico aſſigna, qui me inflammavit ſtudio, illuſtrium hominum ætates, & tempora perſequendi. Ego verò, inquit Brutus, & delector iſta quaſi *notatione temporum*, & ad id, quod inſtituiſti, oratorum genera diſtinguere ætatibus, iſtam diligentiam eſſe accommodatam puto. Rectè, inquam, Brute, intelligis: atque utinam exſtarent illa carmina, quæ multis ſæclis ante ſuam ætatem in epulis eſſe cantitata à ſingulis convivis de clarorum virorum laudibus, in Originibus ſcriptum reliquit Cato: tamen illius quem in vatibus, & Faunis enumerat Ennius, bellum Punicum, quaſi Myronis opus, delectat. Sit Ennius ſanè, ut eſt certè, perfectior: qui ſi illum, ut ſimulat, contemneret, non omnia bella perſequens, primum illud Punicum, acerrimum bellum reliquiſſet. Sed ipſe dicit, cur id faciat, --*ſcripſēre*, inquit, *alii rem Verſibus*, -- & luculentè quidem ſcripſerunt, etiam ſi minus, quàm tu, politè. Nec verò tibi aliter videri debet; qui à Nævio vel ſumſiſti multa, ſi fateris: vel, ſi negas, ſurripuiſti. Cum hoc Catone grandiores natu fuerunt C. Flaminius, C. Varro, Q. Maximus, Q. Metellus, P. Lentulus, P. Craſſus, qui cum ſuperiore Africano conſul fuit. Ipſum Scipionem accepimus non infantem fuiſſe. filius quidem ejus, is, qui hunc minorem Scipionem à Paullo adoptavit, ſi *corpore valuiſſet*, in primis habitus eſſet diſertus. Indicant cùm oratiunculæ, tum hiſtoria quædam Græca, ſcripta dulciſſimè. Nume- 20
roque eodem fuit Sex. Ælius, juris quidem civilis omnium peritiſ-

1. *Cum brevitate, tum nimio acumine.*] Monuit Rivius hæc non citari à Budæo in Pandectis, & cenſet ipſe interpretis emblema. Lambinus vero ſtatim reperit duos mſſ. quibus omnino abeſſent. habentur tamen in Pallat. & Cujac. qui præterea præmittunt, *autem*.

2. *Hæc poſteriorum.*] Rivius invenit in uno libro, *poſterorum*. Pal. videtur exprimere voluiſſe *poſterūm*.

3. *In noſtris inſcitia eſt.*] Ita Cujacii codex, nam Palat. *inſcita*. Lambinus edidit *inſcientia*.

4. *Ac in Aëtione.*] Ita & Pal. & Cujac. niſi quod omiſerint diphthongum. male forſan Lambinus qui expreſſit *Echione*, quod quidem conjecerat Rivius; ſed ita ut non præponeret illi noſtro.

5. *Cum neque Muſarum ſcopulos quiſquam ſuperarat.*] Illud *nemo ſuperarat*, non comparet in Pal. aut Cujac. & forſan non adjecit Cicero, uti nec paulo poſt complet verſum ſequentem. habet tamen editio Victorii.

6. *Ludis Juventatis.*] Eſt à Victorianis, & reſpondet omnino Palat. niſi quod is unica litera, *Iventatis*. unde natum aliorum *Luctatis*.

7. *Senenſi prælio.*] Pal. *Seneſi*. Victorius conjicit *Senonenſi*, neſcio an neceſſario.

peritiſſimus, ſed etiam ad dicendum paratus. De minoribus autem, C. Sulpicius Gallus, qui maximè omnium nobilium Græcis litteris ſtuduit, iſque & oratorum in numero eſt habitus, & fuit reliquis rebus ornatus, atque elegans. Jam enim erat unctior quædam, ſplendidiorque conſuetudo loquendi. Nam, hoc prætore ludos Apollini faciente, cùm Thyeſten fabulam docuiſſet, Q. Marcio, Cn. Servilio coss. mortem obiit Ennius. Erat iiſdem temporibus Ti. Gracchus, P. F. qui bis cos. & cenſor fuit, cujus & oratio Græca apud Rhodios: quem civem cùm gravem, tum etiam eloquentem conſtat fuiſſe. P. etiam Scipionem Naſicam, qui eſt *Corculum* appellatus, qui item bis conſul & cenſor fuit, habitum eloquentem, [1] M. alium illius, qui ſacra acceperit, filium, dicunt etiam L. Lentulum, qui cum C. Figulo cos. fuit: Q. Nobiliorem, M. filium, jam patrio inſtituto deditum ſtudio litterarum, qui etiam Q. Ennium, qui cum patre ejus in Ætolia militaverat, civitate donavit, cùm triumvir coloniam deduxiſſet: & T. Annium Luſcum, hujus Q. Fulvii collegam, non indiſertum dicunt fuiſſe. Atque etiam L. Paullus Africani pater, perſonam *principis civis* facilè dicendo tuebatur: at verò etiam tum Catone vivo, qui annos quinque, & LXXX. natus exceſſit è vita, cùm quidem eo ipſo anno contra Ser. Galbam, ad populum ſumma contentione dixiſſet: quam etiam ora-
21 tionem ſcriptam reliquit. Sed vivo Catone minores natu multi uno tempore oratores floruerunt. Nam & A. Albinus, is, qui Græcè ſcripſit hiſtoriam, qui conſul cum L. Lucullo fuit, & litteratus & diſertus fuit: & tenuit cum hoc locum quendam etiam Ser. Fulvius, [2] & unà Ser. Fabius Pictor, & juris, & litterarum, & antiquitatis bene peritus. Quintuſque Fabius Labeo fuit ornatus iiſdem ferè laudibus. Nam Q. Metellus, is, cujus quattuor filii conſulares fuerunt, in primis eſt habitus eloquens, qui pro L. Cotta dixit, accuſante Africano, cujus & aliæ ſunt orationes, & contra Ti. Gracchum expoſita eſt in C. Fannii annalibus. Tum ipſe L. Cotta *veterator* habitus, ſed C. Lælius, & P. Africanus in primis eloquentes: quorum exſtant orationes, ex quibus exiſtimari de ingeniis oratorum poteſt. Sed inter hos ætate paullum his antecedens ſine controverſia Ser. Galba, eloquentia præſtitit: & nimirum is princeps ex Latinis, illa oratorum propria, & quaſi legitima opera tractavit, ut egrederetur à propoſito ornandi cauſa, ut delectaret animos, aut permoveret, ut augeret rem, ut miſerationibus, ut communibus locis uteretur: ſed neſcio quomodo hujus, quem conſtat eloquentia præſtitiſſe, exiliores orationes ſunt, & redolentes magis antiquitatem, quàm aut Lælii, aut Scipionis, aut etiam ipſius Catonis. itaque exaruerunt; vix jam ut appareant. De ipſius Lælii, & Scipionis ingenio, quamquam ea jam eſt opinio, ut plurimum tribuatur ambobus; dicendi tamen laus eſt in Lælio illuſtrior. At oratio Lælii *de collegiis*, non melior, quam, de multis quam voles, Scipionis: non quò illa Lælii quidquam ſit dulcius, aut quòd de religione dici poſſit auguſtius, ſed multo tamen vetuſtior, & horridior ille, quàm Scipio, &, cùm ſint in dicendo variæ voluntates, delectari mihi magis antiquitate videtur, & lubenter verbis etiam uti paullo magis priſcis Lælius. Sed EST MOS hominum, ut nolint eundem pluribus rebus excellere. Nam ut ex bellica laude adſpirare ad Africanum nemo poteſt, in qua ipſa egregium Viriati bello reperimus fuiſſe Lælium: ſic ingenii, litterarum, eloquentiæ, ſapientiæ denique, etſi utrique primas, priores tamen libenter deferunt Lælio. Nec mihi ceterorum judicio ſolùm videtur; ſed etiam ipſorum inter ipſos conceſſu ita tributum fuiſſe. Erat omnino tum mos, ut in reliquis rebus melior, ſic in hoc ipſo humanior: ut faciles eſſent in ſuum cuique tribuendo. Memoria teneo, 22
Smyrnæ, me ex P. Rutilio Rufo audiſſe, cùm diceret, adoleſcentulo ſe accidiſſe, ut ex S.C. Publius Scipio, & D. Brutus (ut opinor) coss. de re atroci, magnaque quærerent. Nam cùm [3] in ſilva Sila facta cædes eſſet, notique homines interfecti, inſimulareturque familia, partim etiam liberi, ſocietatis ejus, [4] quæ picarias de P. Cornelio, L. Mummio CENSS. redemiſſet, decreviſſe ſenatum, ut de ea re cognoſcerent & ſtatuerent conſules. Cauſam *pro publicanis* accuratè, ut ſemper ſolitus eſſet, eleganterque dixiſſe Lælium. Cùm conſules, re audita, *amplius* de conſilii ſententia pronuntiaviſſent, paucis interpoſitis diebus iterum Lælium multo diligentiùs, meliuſque dixiſſe: iterumque eodem modo à conſulibus rem eſſe prolatam. Tum Lælium, cùm eum ſocii domum reduxiſſent: egiſſentque gratias, &, ne defatigeretur, oraviſſent, locutum eſſe ita, ſe, quæ feciſſet, honoris eorum cauſa, ſtudioſè, accurateque feciſſe: ſed ſe arbitrari, cauſam illam à Ser. Galba, quod is [5] in dicendo ornatior, acriorque eſſet, graviùs & vehementiùs poſſe defendi. Itaque auctoritate C. Lælii publicanos cauſam detuliſſe ad Galbam. Illum autem, quòd ei viro ſuccedendum eſſet, verecundè, & dubitanter recepiſſe. unum quaſi comperendinatus, medium diem fuiſſe, quem totum Galbam in conſideranda cauſa, componendaque poſuiſſe. &, cùm cognitionis dies eſſet, & ipſe Rutilius rogatu ſociorum domum ad Galbam manè veniſſet, ut eum admoneret, & ad dicendi tempus adduceret: uſque illum, quoad ei nuntiatum eſſet conſules deſcendiſſe, omnibus excluſis commentatum in quadam teſtudine cum ſervis litteratis fuiſſe: quorum aliud dictare eodem tempore ſolitus eſſet. interim cùm eſſet ei nuntiatum tempus eſſe, exiſſe in ædeis eo colore, & iis oculis, ut egiſſe cauſam, non commentatum putares. Addebat etiam, idque ad rem pertinere putabat: ſcriptores illos malè *multatos* exiſſe cum Galba. ex quo ſignificabat, illum non in agendo ſolùm, ſed etiam in meditando vehementem, atque incenſum fuiſſe. Quid multa? magna exſpectatione plurimis audientibus, coram ipſo Lælio ſic illam cauſam, tanta vi, tantaque gravitate dixiſſe Galbam, ut nulla ferè pars orationis ſilentio præteriretur. Itaque multis querelis, multaque miſeratione adhibita, ſocios, omnibus approbantibus,
[6] illa die, quæſtione liberatos eſſe. Ex hac Rutiliana nar- 23
ratione ſuſpicari licet, cùm duæ ſummæ ſint in oratore laudes, una ſubtiliter diſputandi, ad docendum: altera graviter agendi, ad animos audientium permovendos: multoque plus proficiat is, qui *inflammet* judicem, quàm ille, qui doceat: elegantiam in Lælio, vim in Galba fuiſſe. Quæ quidem vis tum maximè cognita eſt, cùm, Luſitanis à Ser. Galba prætore contra interpoſitam, ut exiſtimabatur, fidem, interfectis, T. Libone tribuno pl. populum incitante, & rogationem in Galbam privilegii ſimilem ferente, ſumma ſenectute (ut antè dixi) M. Cato legem ſuadens in Galbam multa dixit: quam orationem in *Origines* ſuas retulit, paucis antequàm mortuus eſt, an diebus, an menſibus? [7] Tum igitur recuſans Galba pro ſeſe, & populi Romani fidem implo-

---

1. *M. alium illius qui ſacra acceperit filium, dicunt, &c.*] Nihil variant Pal. ſed enim Cujac. *M. ajunt.* & vero P. Manutius edidit, *aiunt illius, &c. dicunt etiam, &c.* quod & placebat Gulielmio, ſolummodo putabat poſſe etiam deleri illud *dicunt.* Pighius noſter in faſtis, ad annum urbis DLXXIX. trajicit voces legitque: *Cenſor fuit, Publii illius qui ſacra acceperat filium habitum eloquentem dicunt.*

2. *Et una Ser. Fabius Pictor.*] Palat. *& una ſervis Fab.* Cujac. *& una Serius.* quod mutabat in *ſextus*, Gulielmius.

3. *In Sylva Sila.*] Turnebianum eſt, cujus confirmatio videnda Adverſ. cap. 1. iterumque lib. XXVI. c. 12. vulgata, *ſilva ſua.* Pal. *in ſtirras ita.* Cujac. *in iſtirras ſita.* unde & nonnulli legunt, *in ſilva ſita.*

4. *Quæ picarias.*] Haud aliter Pal. placuitque Victorio, item Cujacio lib. v. de Feudis. legitur aliter *picearias.* ſunt etiam qui *pecuarias* legendum putarunt. erat in Cujaciano *piccarias.*

5. *In dicendo ornatior.*] Palat. *abhortor.* Cujac. *adhortor*, oportet ſub eo aliud quid lateat, quam quod alias oræ adfingitur, *fortior.*

6. *Illa die quæſtione liberatos eſſe.*] Cujac. *illa dis quiſitione.* Palat. compendio ſcripſit; ſed tamen ita, ut reſolvi debeat, *illa diſquiſitione lib. &c.* appoſitè.

7. *Tum igitur recuſans Galba pro ſeſe.*] Corradus adjicit è Valerio Maximo, *nihil recuſans,* ſed libri non item juvant.

1. *Duo*

implorans, cùm ſuos pueros, tum C. Galli etiam filium flens commendabat: cujus orbitas & fletus mirè *miſerabilis* fuit propter recentem memoriam clariſſimi patris: iſque ſe tum eripuit flamma propter pueros, miſericordia populi commota, ſicut idem ſcriptum reliquit Cato. Atque etiam ipſum Libonem non infantem video fuiſſe, ut ex orationibus ejus intelligi poteſt. Cùm hæc dixiſſem, & paullum interquieviſſem: Quid igitur, inquit, eſt cauſæ, Brutus, ſi tanta virtus in oratore Galba fuit, cur ea nulla in orationibus ejus appareat: quod mirari non poſſum in eis, qui
24 nihil omnino ſcripti reliquerunt. Nec enim eſt eadem inquam, Brute, cauſa non ſcribendi, & non tam bene ſcribendi, quàm dixerint. Nam videmus alios oratores inertia nihil ſcripſiſſe, ne domeſticus etiam labor accederet ad forenſem. pleræque enim ſcribuntur orationes habitæ jam, non ut habeantur: alios non laborare, ut meliores fiant: nulla enim res tantùm ad dicendum proficit, quantum *ſcriptio*. memoriam autem in poſterum ingenii ſui non deſiderant, cùm ſe putant ſatis magnam adeptos eſſe dicendi gloriam, eamque etiam majorem viſum iri, ſi in exiſtimantium *arbitrium*, ſua ſcripta non venerint: alios, quòd meliùs putent dicere ſe poſſe, quam ſcribere: quod peringenioſis hominibus, neque ſatis doctis, plerumque, contigit, ut ipſi Galbæ: quem fortaſſe vis non ingenii ſolum, ſed etiam animi, & naturalis quidam dolor dicentem incendebat, efficiebatque, ut & incitata, & gravis, & vehemens eſſet oratio: dein cùm otioſus ſtilum prehenderat, motuſque omnis animi, tanquam *ventus*, hominem defecerat, flacceſſebat oratio: quod iis, qui limatius dicendi conſectantur genus, accidere non ſolet, propterea quod prudentia numquam deficit oratorem, qua ille utens eodem modo poſſit & dicere & ſcribere: ardor animi non ſemper adeſt, iſque cùm conſedit, omnis illa vis, & quaſi flamma oratoris exſtinguitur. Hanc igitur ob cauſam videtur Lælii mens ſpirare etiam in ſcriptis, Galbæ autem vis oc-
25 cidiſſe. Fuerunt etiam in oratorum numero mediocrium L. & Sp. Mummii, fratres, quorum exſtant amborum orationes: ſimplex quidem Lucius, & antiquus: Spurius autem nihilo ille quidem ornatior, ſed tamen adſtrictior. fuit enim doctus ex diſciplina Stoicorum. Multæ ſunt Sp. Albini orationes. Sunt etiam L. & C. Aureliorum Oreſtarum, quos aliquo video in numero oratorum fuiſſe. P. etiam Popilius cùm civis egregius, tum non indiſertus fuit. C. verò, filius ejus, diſertus. Cajuſque Tuditanus cùm omni vita, atque victu excultus, atque expolitus, tum ejus elegans eſt habitum etiam orationis genus. Eodemque in genere eſt habitus is, qui injuria accepta fregit Ti. Gracchum *patientia*, civis in rebus optimis conſtantiſſimus, M. Octavius. At verò M. Æmilius Lepidus, qui eſt Porcina dictus, iiſdem temporibus ferè, quibus Galba, ſed paullo minor natu, & ſummus orator eſt habitus, & fuit, ut apparet ex orationibus, ſcriptor ſanè bonus. Hoc in oratore Latino primùm mihi videtur & lenitas apparuiſſe illa Græcorum, & verborum comprehenſio, etiam artifex (ut ita dicam) ſtilus. Hunc ſtudioſe duo adoleſcentes ingenioſiſſimi, & propè æquales, C. Carbo, & Ti. Gracchus audire ſoliti ſunt: de quibus jam dicendi locus erit, cùm de ſenioribus pauca dixero. Q. enim Pompejus non contemtus orator, temporibus illis, fuit, qui ſummos honores, homo per ſe cognitus, ſine ulla commendatione *majorum* eſt adeptus. Tum L. Caſſius multùm potuit, non eloquentia, ſed dicendo tamen: homo non liberalitate, ut alii, ſed ipſa triſtitia, & ſeveritate *popularis*: cujus quidem legi tabellariæ, M. Antius Briſo, tribunus pl. diu reſtitit, M. Lepido Cos. adjuvante. Eaque res P. Africano vituperationi fuit, quòd ejus auctoritate de ſententia deductus Briſo putabatur. Tum duo Cæpiones multùm clienteis conſilio & lingua, plus auctoritate tamen, & gratia ſublevabant. Sed Pompeii ſunt ſcripta nec nimis extenuata, (quamquam veterum eſt ſimilis) & plena prudentiæ. P. Craſſum valde probatum oratorem iiſdem 26
ferè temporibus accepimus, qui & ingenio valuit, & ſtudio, & habuit quaſdam etiam domeſticas diſciplinas. Nam & cum ſummo illo oratore, Ser. Galba, cujus C. filio filiam ſuam collocaverat, affinitate ſeſe devinxerat: &, cùm eſſe P. Mucii filius, fratremque haberet P. Scævolam, domi jus civile cognoverat. In eo induſtriam conſtat ſummam fuiſſe, maximamque gratiam, cùm & conſuleretur plurimùm, & diceret. Horum ætatibus adjuncti [1] duo C. Fannii, C. & M. filii fuerunt: quorum C. filius, qui Cos. cum Domitio fuit, unam orationem de ſociis, & nomine Latino, contra Gracchum reliquit; ſanè & bonam, & nobilem. Tum Atticus, Quid ergo? eſtne iſta Fannii? nam varia opinio pueris nobis erat. alii à C. Perſio, litterato homine, ſcriptam eſſe ajebant, illo, quem ſignificat valde doctum eſſe Lucilius: alii multos nobileis, quod quiſque potuiſſet, in illam orationem *contuliſſe*. Tum ego, Audivi equidem iſta, inquam, de majoribus natu, ſed numquam ſum adductus, ut crederem, eamque ſuſpicionem propter hanc cauſam credo fuiſſe, quòd Fannius in mediocribus oratoribus habitus eſſet: oratio autem vel optima eſſet illo quidem tempore orationum omnium. ſed nec ejuſmodi eſt, ut à pluribus confuſa videatur. unus enim ſonus eſt totius orationis, & idem ſtilus. nec de Perſio reticuiſſet Gracchus, [2] cùm & Fannius de Menelao Maratheno, & de ceteris objeciſſet, præſertim cùm Fannius numquam ſit habitus *elinguis*. nam & cauſas defenſitavit, & tribunatus ejus, arbitrio & auctoritate P. Africani geſtus, non obſcurus fuit. Alter autem C. Fannius, M. F. C. Lælii gener, & moribus, & ipſo genere dicendi durior. Is ſoceri inſtituto, quem, quia cooptatus in augurum collegium non erat, non admodum *diligebat*, præſertim cùm ille Q. Scævolam ſibi minorem natu generum prætuliſſet: cui tamen Lælius ſe excuſans, non genero minori dixit ſe illud, ſed majori filiæ detuliſſe: Is tamen inſtituto Lælii Panætium audiverat. Ejus omnis in dicendo facultas ex hiſtoria ipſius non ineleganter ſcripta perſpici poteſt: quæ neque nimis eſt infans, neque perfectè diſerta. Mucius autem augur, [3] quod pro ſe opus erat, ipſe dicebat, ut de pecuniis repetundis contra T. Albucium. is oratorum in numero non fuit: juris civilis intelligentia, atque omni prudentiæ genere præſtitit. L. Cœlius Antipater, ſcriptor (quemadmodum videtis) fuit, ut temporibus illis, luculentus, juris valde peritus, multorum etiam, ut L. Craſſi, magiſter. Utinam in Tito 27
Graccho, Cajoque Carbone talis mens ad rempublicam benè gerendam fuiſſet, quale ingenium ad bene dicendum fuit! profectò nemo his viris *gloria* præſtitiſſet. Sed eorum alter propter turbulentiſſimum tribunatum, ad quem ex invidia fœderis Numantini bonis iratus acceſſerat, ab ipſa repub. eſt interfectus: alter propter perpetuam in populari ratione levitatem, morte voluntaria ſe à ſeveritate judicum vindicavit. Sed fuit uterque ſummus orator, atque hoc memoria patrum teſte dicimus. nam & Carbonis, & Gracchi habemus orationes, nondum ſatis ſplendidas verbis, ſed acutas, prudentiæque pleniſſimas. Fuit Gracchus diligentia Corneliæ *matris* à puero doctus, & Græcis litteris eruditus. nam ſemper habuit exquiſitos è Græcia *magiſtros*, in eis jam adoleſcens Diophanem Mitylenæum, Græciæ, temporibus illis, diſertiſſimum. ſed & breve tempus ingenii augendi, & de-

1. *Duo C. Fannii, C. & M. filii fuerunt.*] Particula & non eſt in Cujaciano, neque agnoſcit Palat. qui habet à manu emendatrice, *Fannii, Cn. filii.*

2. *Cum & Fannius de Menelao.*] Forſan fuit, *cum ei Fannius*; certè apertior fuerit eo modo ſententia.

3. *Quod pro ſe opus erat, &c.*] Haud aliter editio P. Manutii, nec recedit Pal. aut Cujac. vulgata, *quod per ſe, &c.* unde fecit Lambinus, *quod opus erat, ipſe per ſe, &c.* inepte.

1. *Carbo*,

& declarandi fuit. [1] Carbo, quò vita ſuppeditavit, eſt in multis judiciis, cauſiſque cognitus: Hunc qui audierant prudentes homines, in quibus familiaris noſter L. Gellius, qui ſe illi contubernalem in conſulatu fuiſſe narrabat, canorum oratorem, & volubilem, & ſatis acrem, atque eundem & vehementem, & valde dulcem, & perfacetum fuiſſe dicebat: addebat, induſtrium etiam, & diligentem, & in exercitationibus, commentationibuſque multum operæ ſolitum eſſe ponere. Hic optimus, illis temporibus, eſt patronus habitus, eoque *forum tenente* plura fieri judicia cœperunt. nam & [2] quæſtiones perpetuæ, hoc adoleſcente conſtitutæ ſunt, quæ antea nullæ fuerunt, (L. enim Piſo, tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis, Cenſorino & Manilio Coss. tulit. ipſe etiam Piſo & cauſas egit, & multarum legum aut auctor, aut diſſuaſor fuit: iſque & orationes reliquit, quæ jam evanuerunt, & annaleis, ſanè exiliter ſcriptos) & judicia populi, quibus aderat Carbo, jam magis patronum deſiderabant, tabella data: quam
28 legem L. Caſſius, Lepido, & Mancino Coss. tulit. Veſter etiam D. Brutus, M. filius, ut ex familiari ejus L. Attico poëta ſum audire ſolitus, & dicere non incultè ſolebat, & erat cùm litteris Latinis, tum etiam Græcis, ut temporibus illis, eruditus. Quæ tribuerat idem Attius etiam Q. Maximo, L. Paulli nepoti. [3] & verò antè Maximum illum Scipionem, quo duce privato Ti. Gracchus occiſus eſſet, cum omnibus in rebus vehementem, tum acrem ajebat in dicendo fuiſſe. Tum etiam P. Lentulus ille princeps, ad remp. duntaxat *quod opus eſſet*, ſatis habuiſſe eloquentiæ dicitur. Iiſdemque temporibus L. Furius Philus perbene Latinè loqui putabatur, litteratiuſque, quàm ceteri. P. Scævola valde prudenter & acutè, paullo etiam copioſius. Nec multo minus prudenter M. Manilius. Appii Claudii volubilis, ſed paullo fervidior erat oratio. In aliquo numero etiam M. Fulvius Flaccus, & C. Cato Africani ſororis filius: mediocres oratores: etſi Flacci ſcripta ſunt, ſed ut ſtudioſi litterarum. Flacci autem æmulus P. Decius fuit, non infans ille quidem: ſed ut vita, ſic oratione etiam *turbulentus*. M. Druſus, C. filius, qui in tribunatu C. Gracchum, collegam, [4] iterum tribunum, fecit, vir & oratione gravis, & auctoritate: eique proximè adjunctus C. Druſus frater fuit. Tuus etiam gentilis, Brute, M. Pennus facilè agitavit in tribunatu C. Gracchum, paullùm ætate antecedens. Fuit enim M. Lepido, & L. Oreſte Coss. quæſtor Gracchus, tribunus Pennus, illius M. filius, qui cum Q. Ælio Cos. fuit: ſed omnia is *ſumma ſperans*, ædilitius eſt mortuus. Nam de T. Flaminino, quem ipſe vidi, nihil accepi, niſi Latinè diligen-
29 ter locutum. Iis adjuncti ſunt C. Curio, M. Scaurus, P. Rutilius, C. Gracchus. De Scauro, & Rutilio breviter licet dicere, quorum neuter ſummi oratoris habuit laudem, & uterque in multis cauſis verſatus erat. In quibuſdam laudandis viris, etiam ſi maximi ingenii non eſſent, probabilis tamen induſtria: quamquam iis quidem non omnino ingenium, ſed *oratorium ingenium* defuit. Neque enim refert videre, quid dicendum ſit, niſi id queas ſolutè, & ſuaviter dicere. ne id quidem ſatis eſt, niſi id, quod dicitur, ſit voce, vultu, motuque conditius. Quid dicam, opus eſſe doctrina? ſine qua etiam ſi quid bene dicitur adjuvante natura, tamen id, quia fortuitò fit, ſemper paratum eſſe non poteſt. In Scauri oratione, ſapientis hominis, & recti, gravitas ſumma, & naturalis quædam inerat auctoritas, non ut cauſam, ſed ut teſtimonium dicere putares, cùm pro reo diceret. Hoc dicendi genus, ad patrocinia mediocriter aptum videbatur: ad ſenatoriam verò ſententiam, cujus erat ille princeps, vel maxime. ſignificabat enim non prudentiam ſolum, ſed, quod maximè rem continebat, fidem. habebat hoc à natura ipſa, quod à doctrina non facilè poſſet. quamquam hujus quoque ipſius rei, quemadmodum ſcis, præcepta ſunt. Hujus & orationes ſunt; & tres ad L. Fufidium libri ſcripti *de vita ipſius* acta, ſanè utiles, quos nemo legit. At Cyri vitam, & diſciplinam legunt, præclaram illam quidem, ſed neque tam rebus noſtris aptam, nec tamen Scauri laudibus anteponendam. Ipſe etiam Fufidius in aliquo patronorum numero fuit. Rutilius autem in quodam 30
triſti, & ſevero genere dicendi verſatus eſt, & uterque natura vehemens, & acer. Itaque cùm unà conſulatum petiviſſent, non ille ſolùm, qui repulſam tulerat, accuſavit ambitus deſignatum competitorem, ſed Scaurus etiam abſolutus, Rutilium in judicium vocavit: multaque opera, multaque induſtria Rutilius fuit, quæ erat propterea gratior, quòd idem magnum munus de jure reſpondendi ſuſtinebat. Sunt ejus orationes jejunæ: multa præclara de jure: doctus vir, & Græcis litteris eruditus, Panætii auditor, propè perfectus in Stoicis: quorum peracutum, & artis plenum orationis genus, [5] ſed tamen exile, nec ſatis populari aſſenſioni accommodatum. Itaque illa, quæ propria eſt hujus diſciplinæ, philoſophorum de ſe ipſorum opinio, firma in hoc viro, & ſtabilis inventa eſt: qui quamquam innocentiſſimus in judicium vocatus eſſet, (quo judicio convulſam penitus ſcimus eſſe rempublicam) cùm eſſent eo tempore eloquentiſſimi viri L. Craſſus, & M. Antonius conſulares, eorum adhibere neutrum voluit. dixit ipſe pro ſeſe; & pauca C. Cotta, quòd ſororis erat filius, & is quidem tamen, ut orator, quamquam erat admodum adoleſcens. Sed Q. Mucius enucleatè ille quidem, & politè, ut ſolebat, nequaquam autem ea vi atque copia, quam genus illud judicii, & magnitudo cauſæ poſtulabat. Habemus igitur in Stoicis oratoribus Rutilium, Scaurum in antiquis. utrumque tamen laudemus, quoniam per illos ne hæc quidem in civitate genera, hac oratoria laude caruerunt. Volo enim, ut in ſcena, ſic etiam in foro, non eos modò laudari, qui celeri motu, & difficili utantur, ſed eos etiam, [6] quos *ſtatarios* appellant, quorum ſit illa ſimplex in agendo veritas, non moleſta. Et quoniam Stoicorum eſt facta men- 31
tio, Q. Ælius Tubero fuit illo tempore, L. Paulli nepos, nullo in oratorum numero, ſed vita ſeverus, & *congruens* cum ea diſciplina, quam colebat: paullo etiam durior: qui quidem in triumviratu judicaverit contra P. Africani, avunculi ſui, teſtimonium, vacationem augures, quo minus judiciis operam darent, non habere: ſed ut vita, ſic oratione durus, incultus, horridus. itaque honoribus *majorum* reſpondere non potuit. Fuit autem conſtans civis, & fortis, & in primis Graccho moleſtus, quod indicat Gracchi in eum oratio. ſunt etiam in Gracchum, Tuberonis. Is fuit mediocris in dicendo, doctiſſimus in diſputando. Tum Brutus, Quàm hoc idem in noſtris contingere intelligo, quod in Græcis, ut omnes ferè Stoici, prudentiſſimi in diſſerendo ſint, & id arte faciant, ſintque architecti pænè verborum: iidem traducti à diſputando ad dicendum, inopes reperiantur. Unum excipio Catonem, in quo, perfectiſſimo Stoico, ſummam eloquentiam non deſiderem: quam exiguam in Fanio, ne in Rutilio quidem magnam, in Tuberone nullam video fuiſſe. Et ego, Non, inquam, Brute, ſine cauſa, propterea quòd iſtorum in *dialecticis* omnis cura conſumitur: vagum illud orationis, & fuſum, & multiplex non adhibetur genus. Tuus autem avunculus, quemadmodum ſcis, habet à Stoicis id, quod ab illis petendum fuit: ſed

---

1. *Carbo, quo vita ſuppeditavit.*] Ita Gulielm. ex Cujac. neque aliter Pal. vulgata, *quod vita*. Lamb. *quoad vita*; quod & in Manutian.

2. *Quæſtiones perpetuæ.*] Corradus e libro mſ. reponit, *quæſtiones publicæ*. quod improbat Cujacius, malitque *quæſtiones pecuniarium repetundarum*, Notis in Juſtiniani Inſtitutiones.

3. *Et verò ante maximum illum Scipionem.*] Legit Gulielmius, *ante Pontificem maximum*.

4. *Iterum tribunum fecit.*] Non variant Pal. aut Cujac. Corradus id mutabat in *fregit*, forſan rectè. Tribunum enim Gracchum facere Druſus anno ſuperiore non poterat, tum ipſe candidatus, & ejus competitor, ut rectè monuit in Faſtis ad annum urb. DCXXXI. amicus noſter Pighius.

5. *Sed tamen & exile, nec &c.*] Pal. & Cujac. fortaſſe meus; *ſcis tamen eſſe exile, nec &c.*

6. *Quos ſtatarios appellant.*] Interpretatur Turnebus lib. 1. adverſariorum cap. 10.

1. *Id*

ſed dicere didicit à dicendi magiſtris, eorumque more ſe exercuit. Quòd ſi omnia à philoſophis eſſent petenda: Peripateticorum inſtitutis commodius fingeretur oratio. Quo magis, tuum, Brute, judicium probo, qui eorum, [1] id eſt ex vetere Academia philoſophorum, ſectam ſecutus es, quorum in doctrina, atque præceptis diſſerendi ratio conjungitur cum ſuavitate dicendi, & copia: quamquam ea ipſa Peripateticorum, Academicorumque conſuetudo in ratione dicendi talis eſt, ut nec perficere oratorem poſſit ipſa per ſeſe, nec ſine ea orator eſſe perfectus. Nam, ut Stoicorum adſtrictior eſt oratio, aliquantoque contractior, quàm aures populi requirunt: ſic illorum liberior, & latior, quàm patitur conſuetudo judiciorum, & fori. Quis enim uberior in dicendo Platone: [2] *Jovem* ajunt philoſophi, ſi Græcè loquatur, ſic loqui. Quis Ariſtotele nervoſior? Theophraſto dulcior? Lectitaviſſe Platonem ſtudioſe, audiviſſe etiam Demoſthenes dicitur: idque apparet ex genere, & granditate verborum. dicit etiam in quadam epiſtola hoc ipſe de ſeſe. Sed & hujus oratio in philoſophiam tranſlata, pugnacior (ut ita dicam) videtur, & illorum in judicia, pacatior.

32 Nunc reliquorum oratorum ætates, ſi placet, & gradus perſequamur. Nobis verò, inquit Atticus, & vehementer quidem, ut pro Bruto etiam reſpondeam. Curio fuit igitur ejuſdem ætatis ferè, ſanè illuſtris orator, cujus de ingenio ex orationibus ejus exiſtimari poteſt. Sunt enim & aliæ, & pro Ser. Fulvio *de inceſtu*, nobilis oratio. Nobis quidem pueris, omnium optima putabatur, quæ vix jam comparet in hac turba novorum voluminum. Præclarè, inquit Brutus, teneo qui iſtam turbam voluminum effecerit. Et ego, inquam, intelligo, Brute, quem dicas. certè enim & boni aliquid attulimus juventuti, magnificentius, quàm fuerat, genus dicendi, & ornatius: & nocuimus fortaſſe, quòd veteres orationes poſt noſtras, non à me quidem (meis enim illas antepono) ſed à pleriſque legi ſunt deſitæ. Enumera, inquit, me in pleriſque. quamquam video mihi multa legenda jam te auctore, quæ antea contemnebam. Atqui hæc, inquam, *de inceſtu* laudata oratio, puerilis eſt locis multis: de amore, de tormentis, de rumore, loci ſanè inanes: verumtamen nondum tritis noſtrorum hominum auribus, nec erudita civitate, tolerabiles. Scripſit etiam alia nonnulla, & multa dixit, & illuſtria, & in numero patronorum fuit: ut eum mirer, cùm & vita ſuppeditaviſſet, & ſplen-
33 dor ei non defuiſſet, Cos. non fuiſſe. Sed ecce in manibus vir, & præſtantiſſimo ingenio, & flagranti ſtudio, & doctus à puero, C. Gracchus. Noli enim putare, quemquam, Brute, pleniorem & uberiorem ad dicendum fuiſſe. Et ille, Sic prorſus, inquit, exiſtimo; atque iſtum de ſuperioribus, pænè ſolum lego. Immò plane, inquam, Brute, legas cenſeo. Damnum enim, illius immaturo interitu res Romanæ, Latinæque litteræ fecerunt. Utinam non tam fratri pietatem, quàm *patriæ*, præſtare voluiſſet. quam ille facilè tali ingenio, diutius ſi vixiſſet, vel paternam eſſet, vel avitam gloriam conſequutus! Eloquentia quidem neſcio an habuiſſet parem neminem. grandis eſt verbis, ſapiens ſententiis, genere toto gravis; manus extrema non acceſſit operibus ejus: præclarè inchoata multa, perfecta non planè. Legendus, inquam, eſt hic orator, Brute, ſi quiſquam alius, juventuti. non enim ſolùm acuere, ſed etiam alere ingenium poteſt. Huic ſucceſſit ætati C. Galba, Servii illius eloquentiſſimi viri filius, P. Craſſi eloquentis, & juriſperiti gener. Laudabant hunc patres noſtri, favebant etiam propter *patris memoriam*, ſed cecidit in curſu. Nam rogatione Manilia, Jugurthinæ conjurationis invidia, cùm pro ſeſe ipſe dixiſſet, oppreſſus eſt. Exſtat ejus peroratio, qui epilogus dicitur: qui tanto in honore, pueris nobis, erat, ut eum etiam diſceremus. hic, qui in collegio ſacerdotum eſſet, primus poſt Romam conditam judicio publico eſt condemnatus. P. Scipio, qui eſt in conſulatu mortuus, non 34
multum ille quidem, nec ſæpe dicebat, ſed & Latinè loquendo, cuivis erat par, & omneis ſale, facetiiſque ſuperabat. ejus collega L. Beſtia *bonis initiis* orſus tribunatus, (nam P. Popillium vi C. Gracchi expulſum ſua rogatione reſtituit) vir & acer, & non indiſertus, triſteis exitus habuit conſulatus. [3] nam invidioſa lege Manilia quæſtio C. Galbam ſacerdotem, & quattuor conſulareis, L. Beſtiam, C. Catonem, Sp. Albinum, civemque præſtantiſſimum L. Opimium Gracchi interfectorem, à populo abſolutum, cùm is contra populi ſtudium ſtetiſſet, Gracchani judices ſuſtulerunt. Hujus diſſimilis in tribunatu, reliquaque omni vita, civis improbus C. Licinius Nerva non indiſertus fuit. C. Fimbria temporibus iiſdem ferè, ſed longius ætate provectus, habitus eſt ſanè (ut ita dicam) luculentus patronus, aſper, maledicus, genere toto paullo fervidior, atque commotior: diligentia tamen, & virtute animi, atque vita, bonus auctor in ſenatu. [4] Idem tolerabilis patronus, nec rudis in jure civili, & cum virtute, tum etiam ipſo orationis genere liber: cujus orationes pueri legebamus, quas jam reperire vix poſſumus. Atque etiam ingenio, & ſermone eleganti, valetudine incommoda, C. Sextius Calvinus fuit: qui etſi cùm remiſerant dolores pedum, non deerat in cauſis, tamen id non ſæpe faciebat. Itaque conſilio ejus, cùm volebant, homines utebantur: patricinio cùm licebat. Iiſdem temporibus M. Brutus, in quo [5] magnum fuit, Brute, *dedecus generi veſtro*, qui cùm tanto nomine eſſet, patremque, optimum virum habuiſſet, & juris peritiſſimum, accuſationem factitaverit, ut Athenis Lycurgus. is magiſtratus non petivit, ſed fuit accuſator vehemens, & moleſtus, ut facilè cerneres [6] naturale quoddam ſtirpis bonum *degeneraviſſe* vitio depravatæ voluntatis. Atque eodem tempore accuſator de plebe L. Cæſulenus fuit, quem ego audivi jam ſenem, cùm ab L. Sabellio [7] multam lege Aquilia *de juſtitia* petiviſſet. Non feciſſem hominis pæne infimi mentionem, niſi judicarem, qui ſuſpicioſius aut criminoſius diceret, audiviſſe me neminem. Doctus etiam Græcis T. Al- 35
bucius, vel potius, pænè Græcus. loquor, ut opinor: ſed licet ex orationibus judicare. Fuit autem Athenis adoleſcens, perfectus Epicureus evaſerat, minimè aptum ad dicendum genus. Jam Q. Catulus, non antiquo illo more, ſed hoc noſtro (niſi quid fieri poteſt perfectius) eruditus. multæ litteræ, ſumma non vitæ ſolùm, atque naturæ, ſed orationis etiam comitas, incorrupta quædam Latini ſermonis integritas: quæ perſpici cùm ex orationibus ejus poteſt, tum facillime ex eo libro, quem *de conſulatu*, & de rebus geſtis ſuis conſcriptum molli, & Xenophonteo genere ſermonis, miſit ad A. Furium poëtam, familiarem ſuum: qui liber nihilo notior eſt, quàm illi tres, de quibus antè dixi,
Scauri

---

1. *Id eſt ex vetere Academia Philoſophorum.*] Iſtud totum eſſe alienum, neque adeo ipſius Tullii, autumat Lambinus, injuſtè. diſtinguit enim veteres Peripateticos, qui iidem Socratici, à novis, ut ſemper. Gulielmius.

2. *Jovem ajunt Philoſophi, ſi Græcè loquatur, ſic loqui.*] Rivius hanc lectionem nobis exſinuavit; ſed non etiam indicavit unde. purior ſane eſt recepta, *Jovem ſic, ut ajunt Philoſophi, ſi Græcè loquatur, loqui.* ſicque Palat. nam Cujaciana accedit Rivianæ, niſi quod ſic tranſponat voces, *Jovem ſic ajunt Philoſophi, ſi Græcè loquatur, loqui.*

3. *Nam invidioſa lege Manilia quæſt. &c.*] Lambinus ſuſtulit vocem *quæſtio.* quæ tamen in Pal. & Cujac. retinebatque omnino Gulielmius, & expreſſit P. Manutius.

4. *Idem tolerabilis patronus, nec rudis, &c.*] Aſſentior Pighio noſtro autumanti illud *tolerabilis patronus*, introductam à margine gloſſulam.

5. *Magnum fuit dedecus generi veſtro.*] Rivius ait exſtare in editione Romana *vulnus.* Pal. & Cujac. præferunt, *fuit genus generi veſtro.* quod quid ſibi velit, ignoro. ſcio *onus* aliquando degeneraſſe in *genus.* id an heic locum habeat, viderint otioſiores.

6. *Naturale quoddam ſtirpis bonum.*] Cujacii chartaceus, *natale.*

7. *Multam lege Aquilia de juſtitia petiſſet.*] Malui repræſentare ſcripturam omnium veterum librorum, quam ſupponere cum neotericis vel *injuſtitia*, vel *injuria*: tanquam potuerit hic fuiſſe de eo genere hominum qui adverſarium ſuum rapuit in jus, quod parcius pectore telum recepiſſet.

Scauri libri. Tum Brutus, Mihi quidem nec iſte notus eſt, nec illi: [1] ſed hæc mea culpa eſt. numquam enim in manus inciderunt. Nunc autem & à te ſumam, & conquiram iſta poſthac curioſius. Fuit igitur in Catulo ſermo Latinus: quæ laus dicendi non mediocris ab oratoribus pleriſque neglecta eſt. nam de ſono vocis, & ſuavitate appellandarum litterarum, quoniam filium cognoviſti, noli exſpectare quid dicam. quamquam filius quidem non fuit in oratorum numero, ſed non deerat ei tamen in ſententia dicenda cùm prudentia, tum elegans quoddam, & eruditum orationis genus. Nec habitus eſt tamen pater ipſe Catulus princeps in numero patronorum: ſed erat talis, ut, cùm quoſdam audires, qui tum erant præſtantes, videretur eſſe inferior: cùm autem *ipſum audires* ſine comparatione, non modò contentus eſſes, ſed melius non quæreres. Q. Metellus Numidicus, & ejus collega M. Silanus, dicebant de repub. quod eſſet illis viris, & conſulari dignitati ſatis. M. Aurelius Scaurus non ſæpe dicebat, ſed politè: Latinè verò in primis eſt eleganter locutus. Quæ laus eadem in A. Albino bene loquendi fuit. Nam flamen Albinus etiam in numero eſt habitus diſertorum. Q. etiam Cæpio, vir acer, & fortis, cui *fortuna belli*, crimini: invidia populi, calamitati
36 fuit. Tum etiam C. & L. Memmii, fuerunt oratores mediocres, accuſatores acres, atque acerbi. itaque in judicium capitis multos vocaverunt, pro reis non ſæpe dixerunt. Sp. Torius ſatis valuit in populari genere dicendi, is, qui agrum publicum vitioſa, & inutili *lege*, vectigali levavit. M. Marcellus Æſernini pater, non ille quidem in patronis, ſed & in promtis tamen, & non inexercitatis ad dicendum, fuit, ut filius ejus, P. Lentulus. L. etiam Cotta, prætorius, in mediocrium oratorum numero, dicendi non ita multum laude proceſſerat, ſed de induſtria, cùm verbis, tum etiam ipſo ſono quaſi ſubruſtico proſequebatur, atque imitabatur antiquitatem. Atque ego & in hoc ipſo Cotta, & in aliis pluribus, intelligo, me non ita diſertos homines & retuliſſe in oratorum numerum, & relaturum. Eſt enim propoſitum colligere eos, qui hoc munere in civitate functi ſint, ut tenerent oratorum *locum:* quorum quidem [2] quæ fuerit aſcenſio, & quàm in omnibus rebus difficilis optimi perfectio, atque abſolutio, ex eo, quod dicam, exiſtimari poteſt. Quàm multi enim jam oratores commemorati ſunt, & quàm diu in eorum enumeratione verſamur, cùm tamen ſpiſſe, atque vix, ut dudum ad Demoſthenem & Hyperidem, ſic nunc ad Antonium, Craſſumque pervenimus! Nam ego ſic exiſtimo, hos oratores fuiſſe maximos, & in his primùm cum Græcorum gloria Latinè dicendi copiam
37 æquatam. Omnia veniebant Antonio in mentem: eaque ſuo quæque *loco*, ubi plurimùm proficere, & valere poſſent: ut ab imperatore equites, pedites, levis armatura: ſic ab illo in maximè opportunis orationis partibus collocabantur. Erat memoria ſumma, nulla meditationis ſuſpicio: imparatus ſemper aggredi ad dicendum videbatur: ſed ita erat paratus, ut judices, illo dicente, nonnumquam viderentur non ſatis parati ad cavendum fuiſſe. Verba ipſa, non illa quidem elegantiſſimo ſermone: itaque diligenter loquendi laude caruit: neque tamen eſt admodum inquinatè locutus: ſed illa, quæ propriè laus oratoris eſt in verbis: (nam ipſum Latinè loqui, eſt illud quidem, (ut paullo antè dixi,) in magna laude ponendum: ſed non tam ſua ſponte, quàm quòd eſt à pleriſque neglectum. NON ENIM tam præclarum eſt ſcire Latinè, quàm turpe neſcire: neque tam id mihi oratoris boni, quàm civis Romani proprium videtur:) ſed tamen Antonius in verbis & eligendis, (neque id ipſum tam lepôris cauſa, quàm ponderis) & collocandis, & comprehenſione devinciendis, nihil non ad rationem, & tanquam ad artem dirigebat: verùm multo magis hoc idem in ſententiarum ornamentis, & conformationibus. quo genere quia præſtat omnibus Demoſthenes, idcirco à doctis *oratorum* eſt *princeps* judicatus. Σχήματα enim quæ vocant Græci, ea maximè ornant oratorem: eaque non tam in verbis pingendis habent pondus, quam in illuminandis ſententiis.
Sed cùm hæc magna in Antonio, tum *actio* ſingularis: quæ 38
ſi partienda eſt in geſtum, atque vocem: geſtus erat non verba exprimens, ſed cum ſententiis congruens: manus, humeri, latera, ſupploſio pedis, ſtatus, inceſſus, omniſque motus cum verbis, ſententiiſque conſentiens: vox permanens, verùm ſubrauca natura: ſed hoc vitium huic uni in bonum convertebat. habebat enim flebile quiddam in quæſtionibus, aptumque cùm ad fidem faciendam, tum ad miſericordiam commovendam: ut verum videretur in hoc illud, quod Demoſthenem ferunt ei, qui quæſiviſſet, *quid primum* eſſet in dicendo, actionem: quid ſecundum, idem, & idem tertium, reſpondiſſe. Nulla res magis penetrat in animos, eoſque fingit, format, flectit: taleiſque oratores videri, facit, qualeis ipſi ſe videri volunt. Huic alii parem eſſe dicebant, alii anteponebant L. Craſſum. Illud quidem certè omneis ita judicabant, neminem eſſe, qui horum alterutro patrono, cujuſquam ingenium requireret. Equidem, quamquam Antonio tantum tribuo, quantum ſuprà dixi, tamen Craſſo nihil ſtatuo fieri potuiſſe perfectius. erat ſumma gravitas, erat cum gravitate junctus facetiarum, & urbanitatis oratorius, non ſcurrilis, *lepos.* Latinè loquendi accurata, & ſine moleſtia diligens elegantia: in diſſerendo mira explicatio: cùm de jure civili, cùm de æquo & bono diſputaretur, argumentorum, & ſimilitudinum copia.
Nam, ut Antonius conjectura movenda, aut ſedanda ſu- 39
ſpicione, aut excitanda, incredibilem vim habebat: ſic in interpretando, in definiendo, in explicanda æquitate, nihil erat Craſſo copioſius: idque cùm ſæpè alias, tum apud centumviros in M. Curii cauſa cognitum eſt. Ita enim multa tum contra ſcriptum *pro æquo & bono* dixit, ut hominem acutiſſimum, Q. Scævolam, & in jure, in quo illa cauſa vertebatur, paratiſſimum, obrueret argumentorum, exemplorumque copia: atque ita tum ab his patronis æqualibus, etiam conſularibus, cauſa illa dicta eſt, cùm uterque ex contraria parte jus civile defenderet, ut *eloquentium juriſperitiſſimus* Craſſus, *juriſperitorum eloquentiſſimus* Scævola putaretur: qui quidem cùm peracutus eſſet ad excogitandum, quid in jure, aut in æquo verum aut eſſet, aut non eſſet, tum verbis erat ad rem cum ſumma brevitate mirabiliter aptus. Quare ſit nobis orator in hoc interpretandi, explanandique, & diſſerendi genere mirabilis, ſic ut ſimile nihil viderim: in augendo, in ornando, in refellendo magis exiſtimator metuendus, quàm admirandus orator. Verùm ad Craſſum
revertamur. Tum Brutus, Etſi ſatis, inquit, mihi videbar 40
habere cognitum Scævolam ex iis rebus, quas audiebam ſæpe ex C. Rutilio, quo utebatur propter familiaritatem Scævolæ noſtri, tamen iſta mihi ejus dicendi tanta laus, nota non erat. Itaque cepi voluptatem, tam ornatum virum, tamque excellens ingenium fuiſſe in noſtra rep. Hic ego, Noli, inquam, Brute, exiſtimare, his duobus quidquam fuiſſe in noſtra civitate præſtantius. nam, ut paullo antè dixi, conſultorum alterum diſertiſſimum, diſertorum alterum conſultiſſimum fuiſſe, ſic in reliquis rebus ita diſſimiles erant inter ſeſe, ſtatuere ut tamen non poſſes utrius te malles ſimiliorem. Craſſus erat elegantium parciſſimus, Scævola parcorum elegantiſſimus. Craſſus in ſumma comitate habebat etiam ſeveritatis ſatis: Scævolæ multa in ſeveritate non deerat tamen comitas. Licet omnia hoc modo: ſed vereor, ne fingi videantur hæc, [3] ut dicantur à me quodammodo: res ſe tamen ſic habet, cùm omnis virtus ſit, ut veſtra, Brute, vetus Academia dixit, *mediocritas:* uterque horum

---

1. *Sed hæc mea culpa eſt.*] Conjecit Rivius, *ſed nec*, arripuitque ſtatim Lambinus. ego nondum audeo; cum & alteri ſcripturæ ſuus ſit ſenſus, & quidem non invenuſtus.

2. *Quæ fuerit aſcenſio.*] Sic ex mſs. Rivio, firmatque Pal. noſter. vulgo erat *aſſenſio.*

3. *Ut dicantur à me quodammodò.*] Emendatum in Pal. manu aliena, *quodammodo ut dicantur à me.* at Cujacii liber habebat, *ni dicantur à me quodam modo*; quod non diſplicebat Gulielmio.

horum medium quiddam volebat ſequi: ſed ita cadebat, ut alter ex alterius laude partem, uterque autem ſuam totam haberet. Tum Brutus, Cùm ex tua oratione mihi videor, inquit, bene Craſſum, & Scævolam cognoviſſe, tum de te, & de Ser. Sulpicio cogitans, eſſe quandam vobis cum illis ſimilitudinem judico. Quonam, inquam, iſtuc modo? Quia mihi & tu vdèris, inquit, tantum juris civilis ſcire voluiſſe, quantum ſatis eſſet oratori: & Servius eloquentiæ tantum aſſumſiſſe, ut jus civile facilè poſſit tueri: ætateſque veſtræ, ut illorum, nihil, aut non ferè multùm
41 differunt. Et ego, De me, inquam, dicere nihil eſt neceſſe: de Servio autem & tu probè dicis, & ego dicam quod ſentio. Non enim facilè quem dixerim plus ſtudii, quàm illum, & ad dicendum, & ad omneis bonarum rerum diſciplinas adhibuiſſe. nam & in iiſdem exercitationibus ineunte ætate, fuimus; & poſtea unà Rhodum ille etiam profectus eſt, quo melior eſſet, & doctior: &, inde ut rediit, videtur mihi in *ſecunda arte* primus eſſe maluiſſe, quàm in prima ſecundus. Atque haud ſcio, an par principibus eſſe potuiſſet, ſed fortaſſe maluit, id quod eſt adeptus, longè omnium, non ejuſdem modò ætatis, ſed eorum etiam, qui fuiſſent, in jure civili eſſe princeps. Hìc Brutus, Ain tu? inquit. etiamne Q. Scævolæ Servium noſtrum anteponis? Sic enim, inquam, Brute, exiſtimo, juris civilis magnum uſum & apud Scævolam, & apud multos fuiſſe: artem, in hoc uno: quod numquam effeciſſet ipſius juris ſcientia, niſi eam præterea didiciſſet artem, quæ doceret rem univerſam tribuere in parteis, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando; ambigua primùm videre, deinde diſtinguere, poſtremò habere *regulam*, qua vera & falſa judicarentur, & quæ quibus poſitis eſſent, quæque non eſſent conſequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quaſi lucem, ad ea, quæ confuſè ab aliis aut reſpondebantur,
42 aut agebantur. Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Rectè, inquam, intelligis, ſed adjunxit etiam & litterarum ſcientiam, & loquendi elegantiam, quæ ex ſcriptis ejus, quorum ſimilia nulla ſunt, facillimè perſpici poteſt. Cumque diſcendi cauſa duobus peritiſſimis operam dediſſet, L. Lucilio Balbo, C. Aquillio Gallo: Galli, hominis acuti, & exercitati promtam, & paratam in agendo, & in reſpondendo celeritatem ſubtilitate, diligentiaque ſuperavit: Balbi, docti, & eruditi hominis, in utraque re conſideratam tarditatem vicit, expediendis, conficiendiſque rebus; ſic & habet quod uterque eorum habuit, & explevit quod utrique defuit. Itaque, ut Craſſus mihi videtur ſapientiùs feciſſe, quàm Scævola: (hic enim cauſas ſtudioſè recipiebat, in quibus à Craſſo ſuperabatur: [1] ille ſe conſuli nolebat, ne qua in re inferior eſſet, quàm Scævola) ſic Servius ſapientiſſimè. cùm enim duæ civiles artes, ac forenſes plurimùm & laudis haberent, & gratiæ: perfecit, ut altera præſtaret omnibus: ex altera tantum aſſumeret, quantum eſſet, & ad tuendum jus civile, & ad obtinendam conſularem dignitatem ſatis. Tum Brutus, Ita prorſus, inquit, & antea putabam. Audivi enim nuper eum ſtudioſè, & frequenter, Sami, cùm ex eo jus noſtrum pontificium, qua ex parte cum jure civili conjunctum eſſet, vellem cognoſcere, & nunc meum judicium, multo magis confirmo teſtimonio, & judicio tuo: ſimul illud gaudeo, quòd & *æqualitas* veſtra, & pares honorum gradus, & artium, ſtudiorumque quaſi finitima vicinitas, tantum abeſt [2] ab obtrectatione invidiæ, quæ ſolet lacerare pleroſque, uti ea non modò non exulcerare veſtram gratiam, ſed etiam conciliare videatur. quali enim te erga illum perſpicio, tali illum in te voluntate, judicioque cognovi. Itaque doleo & illius conſilio, & tua voce populum Rom. carere tam diu: quod cùm per ſe dolendum eſt, tum multo magis conſideranti, ad quos iſta non tranſlata ſint, ſed neſcio quo pacto devenerint. Hic Atticus, Dixeram, inquit, à principio, de repub. ut ſileremus: itaque faciamus. nam ſi iſto modo volumus ſingulas res deſiderare, non modò quærendi, ſed ne lugendi quidem finem reperiemus. Perga- 43
mus ergo, inquam, ad reliqua, & inſtitutum ordinem perſequamur. Paratus igitur veniebat Craſſus, exſpectabatur, audiebatur: à principio ſtatim, (quod erat apud eum ſemper accuratum) exſpectatione dignus videbatur: non multa jactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra ſupploſio pedis: vehemens, & interdum irata, & plena juſti doloris oratio: multæ & cum gravitate facetiæ: quodque *difficile* eſt, idem & perornatus, & perbrevis. Jam in altercando invenit parem neminem: verſatus eſt in omni ferè genere cauſarum, maturè in locum [3] principum oratorum venit. Accuſavit C. Carbonem, eloquentiſſimum hominem, admodum adoleſcens: ſummam ingenii non laudem modò, ſed etiam admirationem eſt conſecutus. Defendit poſtea Liciniam virginem, cùm annos XXVII. natus eſſet. in ea ipſa cauſa fuit eloquentiſſimus, orationiſque ejus ſcriptas quaſdam parteis reliquit. Voluit adoleſcens in colonia Narbonenſi cauſæ popularis aliquid attingere, eamque coloniam (ut fecit) ipſe deducere. Exſtat in eam legem ſenior, (ut ita dicam) quàm illa ætas ferebat, oratio. Multæ deinde cauſæ; ſed ita tacitus tribunatus, ut, niſi in eo magiſtratu cenaviſſet apud præconem Granium, [4] idque nobis bis narraviſſet Lucilius, tribunum plebis neſciremus fuiſſe. Ita prorſus, inquit Brutus: ſed ne de Scævolæ quidem tribunatu quidquam audiviſſe videor, & eum collegam Craſſi credo fuiſſe. Omnibus quidem aliis, inquam, in magiſtratibus, ſed tribunus anno pòſt fuit, eoque in roſtris ſedente ſuaſit Serviliam legem Craſſus. Nam cenſuram ſine Scævola geſſit. eum enim magiſtratum nemo umquam Scævolarum petivit. ſed hæc Craſſi cùm edita oratio eſt, quam te ſæpe legiſſe certò ſcio, quattuor & triginta tum habebat annos, totidemque annis mihi ætate præſtabat. His enim Coss. eam legem ſuaſit, quibus nati ſumus, cùm ipſe eſſet Q. Cæpione Coss. natus, & C. Lælio, triennio ipſo minor, quàm Antonius. quod idcirco poſui, ut, dicendi Latinè prima *maturitas* in qua ætate exſtitiſſet, poſſet notari: & intelligeretur jam ad ſummum pænè eſſe perductam, ut eò nihil fermè quiſquam addere poſſet, niſi qui à philoſophia, à jure civili, ab hi-
ſtoria fuiſſet inſtructior. Erit, inquit M. Brutus, aut jam 44
eſt iſte, quem exſpectas? Neſcio, inquam. Sed eſt etiam L. Craſſi in conſulatu, pro Q. Cæpione, defenſione juncta non brevis, ut laudatio: ut oratio autem, brevis, poſtrema cenſoris oratio, qua anno duodequinquageſimo uſus eſt. In his omnibus ineſt quidam ſine ullo fuco veritatis color. quinetiam comprehenſio, & ambitus ille verborum (ſi ſic *periodum* appellari placet) erat apud illum contractus, & brevis, & in membra quædam, quæ κῶλα Græci vocant, diſpertiebat orationem lubentiùs. Hoc loco Brutus, Quandoquidem tu iſtos oratores, inquit, tantopere laudas, vellem aliquid Antonio, præter illum de ratione dicendi ſanè exilem libellum, plura Craſſo, libuiſſet ſcribere. cùm enim omnibus memoriam ſui, tum etiam diſciplinam dicendi, nobis reliquiſſent. Nam Scævolæ dicendi elegantiam ſatis ex iis orationibus, quas reliquit, habemus cognitam. Et ego, Mihi quidem à pueritia quaſi magiſtra fuit, inquam, illa in legem Cæpionis oratio: in qua & auctoritas ornatur ſena-

1. *Ille ſe conſuli nolebat.*] Poſteriores edd. *volebat*, non rectè. certe contra antiquiores, & præcipue Victorianam.

2. *Ab obtrectatione invidiaque, quæ ſolet lacerare, &c.*] Revocavit ex editione Rom. Rivius, neque contradicunt Palatin. aut Cujac. niſi quod excluſerint *quæ*. vulgatum, *ab obtrectatione invidiæ, quæ ſolet*.

3. *Principum oratorum.*] Inclinabat Gulielmius in ſcripturam Cujaciani codicis, *principium*, quod & à manu prima in Palatino.

4. *Idque nobis narraviſſet.*] Pal. & Cujac. addun *bis*, quod ait non exſtare in codice vetuſto Rivius: ideoque excluſit Lambinus. item Manutius aliique quos item ſequimur; quia & eodem inclinabat Gulielmius.

ſenatus, quo pro ordine illa dicuntur: & invidia concitatur in judicium, & in accuſatorum factionem, contra quorum potentiam populariter tum dicendum fuit. multa in illa oratione graviter, multa leniter, multa aſperè, multa facetè dicta ſunt: plura etiam *dicta*, quàm ſcripta, quod ex quibuſdam capitibus expoſitis, nec explicatis intelligi poteſt. Ipſa illa cenſoria contra Cn. Domitium collegam non eſt oratio, ſed quaſi capita rerum, & orationis commentarium paullo plenius. nulla eſt enim altercatio clamoribus umquam habita majoribus. Et verò fuit in hoc & popularis dictio excellens. Antonii genus dicendi multo a-
45 ptius judiciis, quàm concionibus. Hoc loco ipſum Domitium non relinquo. nam etſi non fuit in oratorum numero, tamen pono ſatis in eo fuiſſe orationis, atque ingenii, quo & magiſtratus perſonam, & conſularem dignitatem tueretur: quod idem de C. Cœlio dixerim, induſtriam in eo ſummam fuiſſe, ſummaſque virtutes, eloquentiæ tantum, quod eſſet in rebus privatis, amicis ejus, in repub. ipſius dignitati ſatis. Eodem tempore M. Herennius in mediocribus oratoribus, Latinè, & diligenter loquentibus, numeratus eſt, qui tamen ſumma nobilitate hominem, cognatione, ſodalitate, collegio, ſumma etiam eloquentia, L. Philippum, in conſulatus petitione ſuperavit. Eodem tempore C. Clodius, etſi propter ſummam nobilitatem, & ſingularem potentiam magnus erat, tamen etiam eloquentiæ quandam mediocritatem afferebat. Ejuſdem ferè temporis fuit eques Romanus C. Titius, qui meo judicio, eò perveniſſe videtur, quò potuit ferè Latinus orator *ſine Græcis litteris*, & ſine multo uſu pervenire. Hujus orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut pænè Attico ſtilo ſcriptæ eſſe videantur. Eaſdem argutias in tragœdias ſatis quidem ille acutè, ſed parum tragicè transtulit. Quem ſtudebat imitari L. Afranius poëta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut ſcitis, diſertus. Fuit etiam Q. Rubrius Varro, qui à ſenatu hoſtis cum C. Mario judicatus eſt, acer, & vehemens accuſator. In eo genere ſanè probabilis, doctus autem Græcis litteris, propinquus noſter, factus ad dicendum, M. Gratidius, M. Antonii perfamiliaris: cujus præfectus cum eſſet in Cilicia, eſt interfectus: qui accuſavit,
46 C. Fimbriam, M. Marii Gratidiani pater. Atque etiam apud ſocios, & Latinos oratores habiti ſunt Q. Vettius Vettianus, è Marſis quem ipſe cognovi, prudens vir, & in dicendo brevis: Q. & D. Valerii Sorani, vicini, & familiares mei, non tam in dicendo admirabiles, quàm docti & Græcis litteris, & Latinis: C. Ruſticellus Bononienſis, is quidem & exercitatus, & natura volubilis. Omnium autem eloquentiſſimus extra hanc urbem T. Betucius Barrus Aſculanus, cujus ſunt aliquot orationes Aſculi habitæ. illa Romæ contra Cæpionem, nobilis ſanè, cui orationi Cæpionis ore reſpondit Ælius: qui ſcriptitavit orationes multas, orator ipſe nunquam fuit. Apud majores autem noſtros video diſertiſſimum habitum ex Latio L. Papirium Fregellanum, Ti. Gracchi, P. F. ferè ætate: ejus etiam oratio eſt pro Fregellanis, coloniiſque Latinis, habita in ſenatu. Tum Brutus, Quid tu igitur, inquit, tribuis iſtis externis quaſi oratoribus? Quid cenſes, inquam, niſi idem, quod urbanis, præter unum, quòd non eſt eorum *urbanitate* quadam quaſi colorata oratio? Et Brutus, Qui eſt, inquit, iſte tandem urbanitatis color? Neſcio, inquam. tantùm eſſe quendam ſcio. Id tu, Brute, jam intelliges, cùm in Galliam veneris. audies tu quidem etiam verba quædam non trita Romæ: ſed hæc mutari, dediſcique poſſunt. Illud eſt majus: quòd in vocibus noſtrorum oratorum recinit quiddam, & reſonat urbanius. nec hoc in oratoribus modò appâret, ſed etiam in ceteris. Ego memini T. Tincam Placentinum, hominem facetiſſimum, cum familiari noſtro Q. Granio præcone dicacitate certare. Eon', inquit Brutus, de quo multa Lucilius? Iſto ipſo: ſed Tincam non minus multa ridiculè dicentem Granius obruebat neſcio quo *ſapore vernaculo*: ut ego jam non mirer, illud Theophraſto accidiſſe, quod dicitur, cùm percunctaretur ex anicula quadam, quanti aliquid venderet: & reſpondiſſet illa, atque addidiſſet, *Hoſpes, non pote minoris*: tuliſſe eum moleſtè, ſe non effugere hoſpitis ſpeciem, cùm ætatem ageret Athenis, optimeque loqueretur. [1] Omnino ſic (ut opinor) in noſtris eſt quidam urbanorum, ſicut ille Atticorum ſonus. ſed domum redeamus, id eſt, ad noſtros revertamur. Duobus igitur ſummis, Craſſo 47
& Antonio, L. Philippus proximus accedebat, ſed longo intervallo, tamen proximus. Itaque eum, etſi nemo intercedebat, qui ſe illi anteferret, neque ſecundum tamen, neque tertium dixerim. NEC ENIM in quadrigis eum ſecundum numeraverim, aut tertium, qui vix è carceribus exierit, cùm palmam jam primus acceperit: nec in oratoribus, qui tantum abſit à primo, vix ut in eodem curriculo eſſe videatur: ſed tamen erant ea in Philippo, quæ, qui ſine comparatione illorum ſpectaret, ſatis magna diceret: ſumma libertas in oratione, multæ facetiæ, ſatis creber in reperiendis, ſolutus in explicandis ſententiis: erat etiam in primis, ut temporibus illis, Græcis doctrinis inſtitutus, in altercando cum aliquo aculeo, & maledicto facetus. Horum ætati propè conjunctus L. Gellius non tam *vendibilis* orator, quàm ut neſcires, quid ei deeſſet. nec enim erat indoctus, nec tardus ad excogitandum, nec Romanarum rerum immemor, & verbis ſolutus ſatis: ſed in magnos oratores inciderat ejus ætas: multam tamen operam amicis, & utilem præbuit: atque ita diu vixit, ut multarum ætatum oratoribus implicaretur, multum etiam in cauſis verſaretur. Iiſdem ferè temporibus D. Brutus, is, qui Cos. cum Mamerco fuit, homo & Græcis doctus litteris, & Latinis. Dicebat etiam L. Scipio non imperitè, Cnæuſque Pompejus, Sex. F. aliquem numerum obtinebat. nam Sex. frater ejus præſtantiſſimum ingenium contulerat ad ſummam juris civilis, & ad perfectam geometriæ, & rerum Stoicarum ſcientiam. Item in jure & ante hos M. Brutus, & paullo poſt eum [2] C. Bilienus, homo per ſe magnus, propè ſimili ratione ſummus evaſerat, qui Cos. factus eſſet, niſi in Marianos conſulatus, & in eas petitionis anguſtias incidiſſet. Cn. autem Octavii eloquentia, quæ fuerat ante conſulatum ignorata, in conſulatu multis concionibus eſt vehementer probata. Sed ab eis, qui tantùm in *dicentium* numero, non in oratorum fuerunt, jam ad oratores revertamur. Cenſeo, inquit Atticus. eloquenteis enim videbare, non ſedulos velle conquirere. Feſtivitate igitur, & facetiis, inquam, 48
C. Julius, L. F. & ſuperioribus, & æqualibus ſuis omnibus præſtitit, oratorque fuit minimè ille quidem vehemens, ſed nemo umquam urbanitate, nemo lepôre, nemo ſuavitate conditior. Sunt ejus aliquot orationes, ex quibus, ſicut ex ejuſdem tragœdiis, lenitas ejus *ſine nervis* perſpici poteſt. Ejus æqualis P. Cethegus, cui de repub. ſatis ſuppeditabat oratio. totam enim tenebat eam, penituſque *cognorat*. itaque in ſenatu conſularium auctoritatem aſſequebatur. ſed in cauſis publicis nihil, in privatis ſatis veterator videbatur. Erat in privatis cauſis Q. Lucretius Viſpillo, & acutus, & juriſperitus. [3] nam Aphilia, aptior concionibus, quàm judiciis. prudens etiam T. Annius Velina, & in ejus generis cauſis orator ſanè tolerabilis. In eodem genere cauſarum multum erat T. Juventius, nimis ille quidem lentus in dicendo, & pæne frigidus: ſed & callidus, & in capiendo adverſario verſutus, & præterea nec indoctus, & magna cum juris civilis intelligentia. Cujus auditor P. Orbius, meus

1. *Omnino ſic (ut opinor) in noſtris, &c.*] Rivianum eſt. publicati enim, *Omnium ſicut opinor in, &c.* Cujacianus mox præfert *illic Atticus*, pro quo vulgati, *ille*.

2. *C. Bilienus.*] *Billienus* mſſ. noſtri. mavult tamen Pighius noſter *Bellienus*, lib. XIII. Annalium Rom.

3. *Nam Oſilla aptior concionibus.*] Ita poſterius publicati; prius *Aſilia*, quomodo item Pal. & Cujac. Gulielmius putat ſubſtituendum *Oſilius*, de quo Pomponius I. C.

1. *C. Gor-*

meus ferè æqualis, in dicendo non nimis exercitatus, in jure autem civili non inferior, quàm magiſter fuit. Nam T. Aufidius, qui vixit ad ſummam ſenectutem, volebat eſſe ſimilis horum, eratque & bonus vir, & innocens, ſed dicebat parum. Nec ſanè plus frater ejus M. Virgilius, qui tribunus pl. L. Sullæ imperatori diem dixit. Ejus collega P. Magius, in dicendo paullo tamen copioſior. Sed omnium oratorum, ſive *rabularum*, qui & planè indocti, aut inurbani, aut ruſtici etiam fuerunt, quos quidem ego cognoverim, ſolutiſſimum in dicendo, & acutiſſimum judico noſtri ordinis Q. Sertorium, equeſtris [1] C. Gorgonium. Fuit etiam facilis, & expeditus ad dicendum, & vitæ ſplendore multo, & ingenio ſanè probabili, T. Junius, L. filius, tribunitius, quo accuſante P. Sextius, pr. deſignatus, damnatus eſt ambitus. is proceſſiſſet honoribus longiùs, niſi ſem-
49 per infirma, atque etiam ægra valitudine fuiſſet. Atque ego præclarè intelligo, me in eorum commemoratione verſari, qui nec habiti ſint oratores, neque fuerint, prætererique à me aliquot ex veteribus, commemoratione, aut laude dignos: ſed hoc quidem *ignoratione*. quid enim eſt ſuperioris ætatis, quod ſcribi poſſit de iis, de quibus nulla monumenta loquuntur, nec aliorum, nec ipſorum? De iis autem, quos ipſi vidimus, neminem ferè prætermittimus eorum, quos aliquando dicenteis vidimus. Volo enim ſciri, in tanta, & tam vetere repub. maximis *præmiis* eloquentiæ propoſitis, omneis cupiſſe dicere, non plurimos auſos eſſe, potuiſſe paucos. Ego tamen ita de unoquoque dicam, ut intelligi poſſit, quem exiſtimem clamatorem, quem oratorem fuiſſe. Iiſdem ferè temporibus, ætate inferiores paullo, quàm Julius; ſed æquales propemodum fuerunt C. Cotta, P. Sulpicius, Q. Varius, Cn. Pomponius, C. Curio, L. Fufius, [2] M. Druſus, P. Antiſtius, nec ulla ætate uberior oratorum fœtus fuit. Ex his Cotta & Sulpicius cùm meo judicio, tum omnium, facilè primas tulerunt. Hîc Atticus, Quomodo iſtuc dicis, inquit, cùm tuo judicio, tum omnium? ſemperne in oratore probando, aut improbando, *vulgi judicium*, cum intelligentium judicio congruit? An alii probantur à multitudine, alii autem ab iis, qui intelligunt? Rectè requiris, inquam, Attice: ſed audies ex me fortaſſe, quod non omnes probent. [3] An tu, inquit, id laboras, ſi huic modò Bruto probaturus es? Planè, inquam, Attice, diſputationem hanc de oratore probando, aut improbando, multo malim tibi, & Bruto placere: eloquentiam autem meam populo probari velim. Etenim neceſſe eſt, qui ita dicat, ut à multitudine probetur, eundem doctis probari. nam, quid in dicendo rectum ſit, aut pravum, ego judicabo, ſi modò is ſum, qui id poſſim, aut ſciam judicare: qualis verò ſit orator, ex eo, quod is dicendo efficiet, poterit intelligi. Tria ſunt enim (ut quidem ego ſentio) quæ ſint efficienda dicendo: ut *doceatur* is, apud quem dicetur, ut *delectetur*, ut *moveatur* vehementiùs. quibus virtutibus oratoris horum quidque efficiatur, aut quibus vitiis orator aut non aſſequatur hæc, aut etiam in his labatur, & cadat, artifex aliquis judicabit. Efficiatur autem ab oratore, necne, ut ii, qui audiunt, ita afficiantur, ut orator velit: vulgi aſſenſu, & populari approbatione judicari ſolet. Itaque numquam de bono oratore, aut non bono, do-
50 ctis hominibus cum populo diſſenſio fuit. An cenſes, dum illi viguerunt, quos antè dixi, non eoſdem gradus oratorum vulgi judicio, & doctorum fuiſſe? De populo ſi quem ita rogaviſſes, *Quis eſt in hac civitate eloquentiſſimus?* In Antonio & Craſſo, aut dubitaret, aut hunc alius, illum alius diceret. [4] nemone Philippum, tam ſuavem oratorem, tam gravem, tam facetum, his anteferret, quem noſmetipſi, qui hæc arte aliqua volumus expendere, proximum illis fuiſſe diximus? Nemo profectò. ID ENIM ipſum eſt ſummi oratoris, ſummum oratorem populo videri. Quare tibicen Antigenidas dixerit diſcipulo ſanè frigenti ad populum, *Mihi cane, & Muſis:* ego huic Bruto dicenti, ut ſolet, apud multitudinem, *Mihi cane, & populo,* mi Brute, dixerim: ut, qui audient, quid efficiatur: ego, etiam cur id efficiatur, intelligam. Credit iis, quæ dicuntur, qui audit oratorem: vera putat, aſſentitur, probat, fidem facit oratio. Tu artifex, quid quæris amplius? delectatur audiens multitudo, & ducitur oratione, & quaſi voluptate quadam perfunditur. quid habes quod diſputes? gaudet, dolet, ridet, plorat, favet, odit, contemnit, invidet, ad miſericordiam inducitur, ad pudendum, ad pigendum, iraſcitur, miratur, ſperat, timet: hæc perinde accidunt, ut eorum, qui adſunt, mentes verbis, & ſententiis, & actione tractantur. Quid eſt, quòd exſpectetur docti alicujus ſententia? QUOD ENIM probat multitudo, hoc idem doctis probandum eſt. denique hoc ſpecimen eſt popularis judicii, in quo numquam fuit populo cum doctis, intelligentibuſque diſſenſio. Cùm multi eſſent oratores in vario genere dicendi, quis umquam ex his excellere judicatus eſt vulgi judicio, qui non idem à doctis probaretur. Quando autem dubium fuiſſet apud patres noſtros, eligendi cui patroni daretur optio, quin aut Antonium optaret, aut Craſſum? Aderant multi alii: tamen utrùm de his potiùs, dubitaſſet aliquis: quin alterum, nemo. Quid adoleſcentibus nobis, cùm eſſet Cotta, & Hortenſius, num quis, cui quidem eligendi poteſtas eſſet,
quemquam his anteponebat? Tum Brutus, quid tu, in- 51
quit, quæris alios? de te ipſo nonne, quid optarent rei, quid ipſe Hortenſius judicaret, videbamus? qui cùm partiretur tecum cauſas, (ſæpe enim interfui) perorandi locum, ubi plurimum pollet oratio, ſemper tibi relinquebat. Faciebat ille quidem, inquam: & mihi, benivolentia, credo, ductus, tribuebat omnia. Sed ego, quæ de me populi ſit opinio, neſcio: de reliquis hoc affirmo, QUI VULGI opinione diſertiſſimi habiti ſint, eoſdem intelligentium quoque judicio fuiſſe probatiſſimos. Nec enim poſſet idem Demoſthenes dicere, quod dixiſſe Antimachum, Clarium poëtam, ferunt, qui cùm convocatis auditoribus legeret eis magnum illud, quod noviſtis, volumen ſuum, & eum legentem omnes, præter Platonem, reliquiſſent, *Legam,* inquit, *nihilo minus: Plato enim mihi unus* [5] *inſtar eſt omnium millium.* & rectè. Poëma enim reconditum, [6] paucorum approbatione; oratio popularis, ad ſenſum vulgi debet moveri. At, ſi eundem hunc Platonem unum auditorem haberet Demoſthenes, cùm eſſet relictus à ceteris, verbum facere non poſſet. [7] Quid? tu Brute poſſes, ſi te, ut Curionem quondam, concio reliquiſſet? Ego verò, inquit ille, ut me tibi indicem, in eis etiam cauſis, in quibus omnis res nobis cum judicibus eſt, non cum populo, tamen ſi à corona relictus ſim, non queam dicere. Ita ſe, inquam, res habet. ut, ſi tibiæ inflatæ non referant ſonum, abjiciendas eas ſibi tibicen putet: ſic oratori *populi aures* tanquam tibiæ ſunt:

1. *C. Gorgonium.*] Palatin. membranæ, item Cujacius, *Gargonius.*

2. *M. Druſus, P. Antiſtius.*] Hodie ſic quidem publicatur. at Victoriana *M. Druſus Paliſtius.* priores adhuc *patricius*, & vero illud *Patiſtius* exſtat in Cujac. *Batiſtius* in Pal. Rivius auctor fuit revocandi id quod exhibui.

3. *An tu id laboras ſi hunc modo Bruto probaturus es?*] Ita Aldi. nam Victorius, *An tu adlaboraſſe huic*, &c. quomodo Cujac. exemplar, item fere Palatinum; quod tamen habet à manu emendatrice: *An tu id laboras modo Bruto probatus eſſe.*

4. *Nemone Philippum, tam &c.*] Palatinus, *nemo ut Philippum*, quod potius habuerim.

5. *Inſtar eſt omnium millium.*] Sic quoſdam legere indicat Aldus Nepos; placebatque Gulielmio. dictum ut Græcis *μυρία πάντα.* vulgata, *omnium me illum.* quod & in Pal. & Cujac. Lambinus heic mire nugatur. Turnebus malebat, *omnium illorum.* Rivius, *omnium, merito ille.*

6. *Paucorum adprobatione; oratio popul. ad ſenſum vulgi debet moveri.*] Iſto modo Palatinus; nec abit Cujac. quam quod is, *adprobationem.* Corradus emendabat, *pauc. adprobationem; oratio pop. ad ſenſum vulgi debet movere.* Rivius eadem retinebat niſi quod ultimo loco reponeret, *mereri.*

7. *Quid tu Brute poſſes, ſi te, &c.*] Pal. & Cujac. *niſi te*, reſcribit Gulielmius, *poſſes ne, ſi te, &c.*

 1. *Tan-*

ſunt: eæ ſi inflatum non recipiunt, aut ſi auditor omnino
52 [1] tanquam equus non facit, agitandi finis faciendus eſt. Hoc tamen intereſt, quòd vulgus interdum non probandum oratorem probat, ſed probat ſine comparatione, cùm à mediocri, aut etiam à malo delectatur: eo eſt contentus: eſſe meliùs non ſentit: illud, quod eſt, qualecumque eſt, probat. tenet enim aureis vel mediocris orator, ſit modò aliquid in eo: NEC RES ulla plus apud animos hominum, quàm ordo, & ornatus orationis valet. Quare quis ex populo, cùm Q. Scævolam pro M. Coponio dicentem audiret in ea cauſa, de qua antè dixi, quidquam politius, aut elegantius, aut omnino melius aut exſpectaret, aut poſſe fieri putaret? Cùm is hoc probare vellet, M. Curium, cùm ita heres inſtitutus eſſet, SI PUPILLUS antè mortuus eſſet, quàm in ſuam tutelam veniſſet, pupillo non nato heredem eſſe non poſſe: quid ille non dixit de teſtamentorum jure? de antiquis formulis? quid, quemadmodum ſcribi oportuiſſet, ſi etiam filio non nato heres inſtitueretur? Quàm captioſum eſſe populo, quod ſcriptum eſſet, negligi, & opinione quæri voluntates, & interpretatione diſertorum, ſcripta *ſimplicium* hominum pervertere? Quàm ille multa de auctoritate patris ſui, qui ſemper jus illud eſſe defenderat? quàm omnino multa de conſervando jure civili? quæ quidem omnia cùm peritè, & ſcienter, tum ita breviter, & preſsè, & ſatis ornatè, & pereleganter diceret, quis eſſet in populo, qui aut exſpectaret, aut fieri poſſe quid-
53 quam melius putaret? At verò, ut contrà Craſſus ab adoleſcente delicato, qui in litore ambulans *ſcalmum* reperiſſet, ob eamque rem ædificare navem concupiviſſet, exorſus eſt: ſimiliter Scævolam ex uno ſcalmo captionis, centumvirale judicium hereditatis effeciſſe: hoc in illo initio conſecutus, multis ejuſdem generis ſententiis delectavit, animoſque omnium, qui aderant, in *hilaritatem* à ſeveritate traduxit: quod eſt unum ex tribus, quæ dixi ab oratore effici debere. Deinde hoc voluiſſe eum, qui teſtamentum feciſſet, hoc ſenſiſſe, quoquo modo filius non eſſet, qui in ſuam tutelam veniret, ſive non natus, ſive ante mortuus, Curius heres ut eſſet: ita ſcribere pleroſque, & id valere, & valuiſſe ſemper. Hæc, & multa ejuſmodi dicens, *fidem faciebat*: quod eſt ex tribus oratoris officiis alterum. Deinde æquum bonum teſtamentorum ſententias, voluntateſque tutatus eſt: quanta eſſet in verbis captio, cùm in ceteris rebus, tum in teſtamentis, ſi negligerentur voluntates: quantam ſibi potentiam Scævola aſſumeret, ſi nemo auderet teſtamentum facere poſtea, niſi de illius ſententia. Hæc cùm graviter, tum ab exemplis copioſè, tum variè, tum etiam ridiculè, & facetè explicans, eam admirationem, aſſenſionemque commovit, dixiſſe, ut *contrà* nemo videretur. Hoc erat oratoris officium partitione tertium, genere maximum. Hic ille de populo judex, qui ſeparatim alterum admiratus eſſet, idem, audito altero, judicium ſuum contemneret. at verò intelligens & doctus, audiens Scævolam, ſentiret eſſe quoddam uberius dicendi genus & ornatius. ab utroque autem, cauſa perorata, ſi quæreretur, uter præſtaret orator, numquam profectò ſapientis ju-
54 dicium à judicio vulgi diſcreparet. Quî præſtat igitur intelligens *imperito?* magna re & difficili: ſi quidem magnum eſt ſcire, quibus rebus efficiatur, amittaturve dicendo illud quidquid eſt, quod aut effici dicendo oportet, aut amitti non oportet. Præſtat etiam illo doctus auditor indocto, quod ſæpe, cùm oratores duo, aut plures populi judicio probantur, quod dicendi genus optimum ſit, intelligit. nam illud, quod populo non probatur, ne intelligenti quidem auditori probari poteſt. UT ENIM ex nervorum ſono in fidibus, quàm ſcienter ei pulſi ſint, intelligi ſolet: ſic ex animorum motu cernitur, quid tractandis his perficiat orator. Itaque intelligens dicendi exiſtimator, non aſſidens, & attentè audiens, ſed uno adſpectu, & præteriens, de oratore ſæpe judicat. videt oſcitantem judicem, loquentem cum altero; nonnumquam [2] etiam circulantem; mittentem ad horas; quæſitorem, ut dimittat, rogantem: intelligit, oratorem in ea cauſa non adeſſe, qui poſſit animis judicum admovere orationem, tanquam fidibus manum. Idem ſi præteriens adſpexerit erectos intuenteis judices, ut aut doceri de re, idque etiam vultu probare videantur: aut, ut *avem cantu* aliquo, ſic illos viderit oratione, quaſi ſuſpenſos, teneri: aut, id quod maximè opus eſt, miſericordia, odio, motu animi aliquo perturbatos eſſe vehementiùs: ea ſi præteriens (ut dixi) adſpexerit, ſi nihil audierit, tamen oratorem verſari in illo judicio, & opus oratorium fieri, aut perfectum jam eſſe, profectò intelliget. Cùm hæc diſſeruiſſem, uterque aſſenſus 55
eſt, & ego tanquam de integro ordiens, Quando igitur, inquam, à Cotta, & Sulpicio hæc omnis fluxit oratio, cùm hos maximè judicio illorum hominum, & illius ætatis dixiſſem probatos, revertar ad eos ipſos: tum reliquos, ut inſtitui, deinceps perſequar. Quoniam ergo *oratorum bonorum* (hos enim quærimus) duo genera ſunt, unum attenuatè, preſſeque: alterum ſublatè ampleque dicentium: etſi id melius eſt, quod ſplendidius, & magnificentius, tamen IN BONIS omnia, quæ ſumma ſunt, jure laudantur. Sed cavenda eſt preſſo illi oratori inopia & jejunitas: amplo autem, inflatum, & corruptum orationis genus. Inveniebat igitur acutè Cotta, dicebat purè ac ſolutè: & ut ad infirmitatem laterum perſcienter contentionem omnem remiſerat, ſic ad virium imbecillitatem, dicendi accommodabat genus. Nihil erat in ejus oratione niſi ſincerum, nihil niſi ſiccum, atque ſanum: illudque maximum, quod, cùm contentione orationis flectere animos judicum vix poſſet, nec omnino eo genere diceret, tractando tamen impellebat, ut idem facerent à ſe commoti, quod à Sulpicio concitati. Fuit enim Sulpicius vel maximè omnium, quos quidem ego audiverim grandis, &, ut ita dicam, tragicus orator. vox cùm magna, tum ſuavis, & ſplendida: geſtus & motus corporis ita venuſtus, ut tamen ad forum, non ad ſcenam inſtitutus videretur. incitata, & volubilis, nec ea redundans tamen, nec circumfluens oratio. Craſſum hic volebat imitari, Cotta malebat Antonium: ſed ab hoc vis aberat Antonii, Craſſi ab illo lepos. O magnam, inquit, artem, Brutus: ſiquidem iſtis, cùm ſummi eſſent oratores, duæ res maximæ, altera alteri defuit. Atque in his oratoribus illud animadvertendum 56
eſt, *poſſe* eſſe ſummos, qui inter ſe ſint diſſimiles. Nihil enim tam diſſimile, quàm Cotta Sulpicio, & uterque æqualibus ſuis plurimùm præſtitit. Quare hoc doctoris intelligentis eſt, videre, Quo ferat natura ſua quemque: & ea duce utentem ſic inſtituere, ut Iſocratem in acerrimo ingenio Theopompi, & leniſſimo Ephori dixiſſe traditum eſt, alteri ſe *calcaria* adhibere, alteri *frenos*. Sulpicii orationes, quæ feruntur, eas poſt mortem ejus ſcripſiſſe P. Canutius putatur, æqualis meus, homo extra noſtrum ordinem, meo judicio diſertiſſimus. Ipſius Sulpicii nulla oratio eſt: ſæpeque ex eo audivi, cùm ſe ſcribere neque conſueſſe, neque poſſe diceret. Cottæ pro ſe *lege Varia* quæ inſcribitur, eam L. Ælius ſcribit Cottæ rogatu. Fuit is omnino vir egregius, & eques Romanus cum primis honeſtus, idemque eruditiſſimus & Græcis litteris, & Latinis: antiquitatiſque noſtræ & in inventis rebus, & in actis, ſcriptorumque veterum litteratè peritus. quam ſcientiam Varro noſter acceptam ab illo, auctamque per ſeſe, vir ingenio præſtans, omnique doctrina, pluribus & illuſtribus litteris explicavit. ſed idem Ælius, Stoicus eſſe voluit, orator autem nec ſtuduit umquam, nec fuit. ſcribebat tamen orationes, quas alii dicerent; ut Q. Metello F. ut Q. Cæ-

1. *Tanquam equus non facit.*] Explicat Turnebus lib. XIV. Adverſ. cap. 22. ſed Ciceronem reſpicere dictum vulgare, *nihil fit*, annotatum Gulielmio.

2. *Etiam circulantem.*] Videndus lib. VIII. Var. lection. cap. 13. Petrus Victorius.

1. *Cæſa-*

Q. Cæpioni, ut Q. Pompejo Rufo: quamquam is etiam ipſe ſcripſit eas, quibus pro ſe eſt uſus, ſed non ſine Ælio. His enim ſcriptis etiam ipſe interfui, cùm eſſem apud Ælium adoleſcens, eumque audire perſtudioſè ſolerem. Cottam autem miror, ſummum ipſum oratorem minimeque ineptum, Ælianas leveis oratiunculas, voluiſſe exiſtimari
57 ſuas. His duobus ejuſdem ætatis annumerabatur nemo tertiùs: ſed mihi placebat Pomponius maximè, vel dicam, minimè diſplicebat. Locus erat omnino in maximis cauſis, præter eos, de quibus ſuprà dixi, nemini: propterea quod Antonius, qui maximè expetebatur, facilis in cauſis recipiendis erat, faſtidioſior Craſſus, ſed tamen recipiebat. horum qui neutrum habebat, confugiebat ad Philippum fere, aut ad [1] Cæſarem: Cotta & Sulpicius expetebantur. ita ab iis ſex patronis cauſæ illuſtres agebantur: neque tam multa, quàm *noſtra ætate*, judicia fiebant: neque hoc, quod nunc fit, ut cauſæ ſingulæ defenderentur à pluribus, quo nihil eſt vitioſius. Reſpondemus iis, quos non audivimus: in quo primùm ſæpe aliter eſt dictum, aliter ad nos relatum: deinde magni intereſt coram videre me, quemadmodum adverſarius de quaque re aſſeveret, maximè autem quemadmodum quæque res audiatur. Sed nihil vitioſius, quàm, cùm unum corpus debeat eſſe defenſionis, naſci de integro cauſam, cùm ſit ab altero perorata. Omnium enim cauſarum, unum eſt naturale principium, una peroratio: reliquæ partes, quaſi *membra*, ſuo quæque loco locata, ſuam & vim, & dignitatem tenent. Cum autem difficile ſit in longa oratione non aliquando aliquid ita dicere, ut ſibi ipſe non conveniat, quanto difficilius cavere, nequid dicas quod non conveniat ejus orationi, qui ante te dixerit? Sed quia & labor multo major eſt, totam cauſam, quàm partem dicere, & quia plures ineuntur *gratiæ*, ſi uno tempore dicas pro pluribus, idcirco hanc conſuetu-
58 dinem lubenter adſcivimus. Erant tamen quibus videretur illius ætatis tertius Curio, quia ſplendidioribus fortaſſe verbis utebatur: & quia Latinè non peſſimè loquebatur, uſu, credo aliquo domeſtico. nam litterarum admodum nihil ſciebat. Sed MAGNI intereſt, quos quiſque audiat quotidie domi, quibuſcum loquatur à puero: quemadmodum patres, pædagogi, matres etiam loquantur. Legimus epiſtolas Corneliæ, matris Gracchorum: apparet filios non tam in gremio educatos, quàm in ſermone matris. Auditus eſt nobis Læliæ Caji filiæ ſæpe ſermo. ergo illam patris elegantia tinctam vidimus: [2] & filias ejus Mucias ambas, quarum ſermo mihi fuit notus: & neptes Licinias, quas nos quidem ambas, hanc verò Scipionis etiam tu, Brute, credo, aliquando audiſti loquentem. Ego verò, ac lubenter quidem, inquit Brutus: & eò lubentiùs, quòd L. Craſſi erat filia. Quid Craſſum, inquam, illum cenſes iſtius Liciniæ filium, [3] Craſſi teſtamento qui fuit adoptatus? Summo iſte quidem dicitur ingenio fuiſſe, inquit. Et verò hic Scipio, collega meus, mihi ſanè bene & loqui videtur, & dicere. Rectè, inquam, judicas, Brute. Etenim iſtius genus, eſt ex ipſius *ſapientiæ ſtirpe* generatum. Nam & de duobus avis jam diximus, Scipione, & Craſſo: & de tribus proavis, Q. Metello, cujus quattuor filii: P. Scipione, qui ex dominatu Ti. Gracchi privatus in libertatem remp. vindicavit: Q. Scævola augure, qui peritiſſimus juris, idemque percomis eſt habitus. Jam duorum abavorum quàm eſt illuſtre nomen, P. Scipionis, qui bis Cos. fuit, qui eſt *Corculum* dictus: alterius omnium ſapientiſſimi, C. Lælii? O generoſam, inquit, ſtirpem, & tanquam in unam arborem plura genera: ſic in iſtam domum multorum inſitam,
59 [4] atque illuminatam ſapientiam. Similiter igitur ſuſpicor, (ut conferamus parva magnis) Curionis, etſi pupillus relictus eſt, patrio fuiſſe inſtituto, puro ſermone aſſuefactam domum: & eo magis hoc judico, quòd neminem ex iis quidem, qui aliquo in numero fuerunt, cognovi in omni genere honeſtarum artium tam indoctum, tam rudem. Nullum ille poëtam noverat, nullum legerat oratorem, nullam *memoriam antiquitatis* collegerat: non publicum jus, non privatum, & civile cognoverat: quamquam id quidem fuit etiam in aliis, & magnis quidem oratoribus, quos parum his inſtructos artibus vidimus, ut Sulpicium, ut Antonium. Sed ii tamen unum illud habebant, dicendi opus elaboratum: idque cùm conſtaret ex quinque notiſſimis partibus, nemo in aliqua parte earum omnino nihil poterat. in quacumque enim una [5] planè claudicaret, orator eſſe non poſſet. Sed tamen alius in alia excellebat magis: reperiebat, quid dici opus eſſet, & quomodo præparare, & quo loco locari: memoriaque ea comprehendebat Antonius: excellebat autem actione: erantque ei quædam ex his paria cum Craſſo, quædam etiam ſuperiora. at Craſſi magis enitebat oratio. Nec verò Sulpicio, neque Cottæ dicere poſſumus, neque cuiquam bono oratori, rem ullam ex illis quinque partibus planè, atque omnino defuiſſe. Itaque in Curione hoc veriſſimè judicari poteſt, nulla re una magis oratorem commendari, quàm verborum ſplendore, & copia. nam cùm tardus in cogitando, tum in
inſtruendo diſſipatus fuit. Reliqua duo ſunt, agere, & me- 60
miniſſe. in utroque cachinnos irridentium commovebat. Motus erat is, quem & C. Julius in perpetuum notavit, cùm ex eo, in utramque partem, toto corpore, vacillante, quæſivit, *quis loqueretur è lintre*; & Cn. Sicinius, homo impurus, ſed admodum ridiculus, neque aliud in eo oratoris ſimile quidquam. is cùm tribunus pleb. Curionem, & Octavium Coss. produxiſſet, Curioque multa dixiſſet, ſedente Cn. Octavio collega, qui devinctus erat faſciis, & multis medicamentis, propter dolorem artuum, delibutus, *Numquam* (inquit) *Octavi*, collegæ tuo gratiam referes, qui niſi ſe ſuo more jactaviſſet, hodie te iſtic muſcæ comediſſent. Memoria autem ita fuit nulla, ut aliquoties, tria cùm propoſuiſſet, aut quartum adderet, aut tertium quæreret. qui in judicio privato vel maximo, cùm ego pro Titinia Cottæ peroraviſſem, ille contra me pro Ser. Nævio diceret, ſubitò totam cauſam oblitus eſt, idque veneficiis, & cantionibus Titiniæ factum eſſe dicebat. Magna hæc immemoris ingenii ſigna: ſed nihil turpius, quàm quòd etiam *in ſcriptis* oblivíſceretur, quid paullo antè poſuiſſet, ut in eo libro, ubi ſe exeuntem è ſenatu, & cum Panſa noſtro, & cum Curione filio colloquentem facit, cùm ſenatum Cæſar Cos. habuiſſet, omniſque ille ſermo ductus è percunctatione filii, quid in ſenatu eſſet actum. In quo multis verbis cùm inveheretur in Cæſarem Curio, diſputatioque eſſet inter eos, ut eſt conſuetudo dialogorum, cùm ſermo eſſet inſtitutus ſenatu miſſo, quem ſenatum Cæſar Cos. habuiſſet, reprehendit eas res, quas idem Cæſar anno poſt, & deinceps reliquis
annis adminiſtraviſſet in Gallia. Tum Brutus admirans, 61
Tantamne fuiſſe oblivionem, inquit, in ſcripto præſertim, ut ne legens quidem, umquam ſenſerit, quantum flagitii commiſiſſet? Quid autem, inquam, Brute, ſtultius, quàm, ſi ea vituperare volebat, quæ vituperavit, non eo tempore inſtituere ſermonem, cùm illarum rerum jam *tempora* præteriiſſent? Sed ita totus errat, ut in eodem ſermone dicat, in ſenatu ſe, Cæſare Cos. non accedere, ſed id dicat ipſo Cos. exiens è ſenatu. Jam qui hac parte animi quæ *cuſtos* eſt ceterarum ingenii partium, tam debilis eſſet, ut ne in ſcripto quidem meminiſſet, quid paullo antè poſuiſſet, huic minimè mirum eſt ex tempore dicenti ſolitam effluere mentem. Itaque cùm ei nec officium deeſſet, & flagraret ſtudio

1. *Cæſarem: Cotta & Sulpitius expetebantur, &c.*] Lambinus interſerit quatuor voces, *Cæſarem: ſecundum Philippum & Cæſarem, Cotta, &c.* non male, ſi è libris. quod non arbitror; neque ipſe autumat.

2. *Et filias ejus Mucias ambas.*] Legit Gulielmius, *& filios Scævola Mutias, &c.* motus iis quæ leguntur infra cap. 72.

3. *Craſſi teſtamento qui fuit adoptatus.*] Illuſtrat Cujacius lib. VII. Emend. & Obſerv. cap. 7.

4. *Atque illuminatam ſapientiam.*] Non eſt inelegans emendatio Lambini, *illuminatam*.

5. *Plane claudicaret.*] Pal. & Cujac. *clauderet*, quod non video cur cedere debeat alteri.

ſtudio dicendi, perpaucæ ad eum cauſæ deferebantur. Orator autem, vivis ejus æqualibus, proximus optimis numerabatur, propter verborum bonitatem, ut antè dixi, & expeditam, ac profluentem quodammodo celeritatem. Itaque ejus orationes *adſpiciendas* tamen cenſeo. ſunt illæ quidem languidiores, verumtamen poſſunt augere, & quaſi alere id bonum, quod in illo mediocriter fuiſſe concedimus: quod habet tantam vim, ut ſolùm ſine aliis in Curione ſpeciem oratoris alicujus effecerit. Sed ad inſtituta redeamus. In eodem igitur numero ejuſdem ætatis C. Carbo fuit, illius eloquentiſſimi viri filius, non ſatis acutus orator; ſed tamen orator numeratus eſt. Erat in verbis gravitas, & facilè dicebat, & auctoritatem naturalem quandam habebat ora-
62 tio. Acutior Q. Varius rebus inveniendis, nec minus verbis expeditus: fortis verò actor, & vehemens, & verbis nec inops, nec abjectus, & quem planè *oratorem* dicere auderes. Cn. Pomponius lateribus pugnans, incitans animos, acer, acerbus, criminoſus. Multùm ab iis aberat L. Fufius, tamen ex accuſatione M. Aquillii diligentiæ fructum ceperat. Nam M. Druſum, tuum magnum avunculum, gravem oratorem, ita duntaxat cùm de rep. diceret: L. autem Lucullum etiam acutum, patremque tuum, Brute, juris quoque & publici, & privati ſanè peritum: M. Lucullum M. Octavium, Cn. filium: (qui tantum auctoritate, dicendoque valuit, ut legem Sempron iam frumentariam, [1] populi frequentis ſuffragiis abrogaverit) Cn. Octavium, M. filium: M. Catonem patrem, Q. etiam Catulum filium abducamus ex *acie*, id eſt, à judiciis, & in præſidiis reipub. cui facile ſatisfacere poſſint, collocemus. Eodem Q. Cæpionem referrem, niſi nimis equeſtri ordini deditus, à ſenatu diſſediſſet. Cn. Carbonem, M. Marium, & ex eodem genere complureis minimè dignos elegantis conventus auribus, aptiſſimos cognovi turbulentis concionibus. quo in genere (ut in iis perturbem ætatum ordinem) nuper L. Quintius fuit: aptior autem etiam Palicanus *auribus imperitorum* Et, quoniam hujus generis facta mentio eſt, ſeditioſorum omnium poſt Gracchos, L. Apuleius Saturninus, eloquentiſſimus viſus eſt? magis ſpecie tamen, & motu, atque ipſo amictu capiebat homines, quàm aut dicendi copia, aut mediocritate prudentiæ. Longè autem poſt natos homines, improbiſſimus C. Servilius Glaucia, ſed peracutus, & callidus, cum primiſque ridiculus. Is ex ſummis, & fortunæ, & vitæ *ſordibus* in prætura, Cos. factus eſſet, ſi rationem ejus haberi licere judicatum eſſet. nam & plebem tenebat, & equeſtrem ordinem beneficio legis devinxerat. Is prætor eodem die, quo Saturninus tribunus plebis Mario & Flacco Coss. publicè eſt interfectus, homo ſimillimus Athenienſis Hyperboli: cujus improbitatem veteres Atticorum *comædiæ* notaverunt. Quos Sex. Titius conſecutus, homo loquax ſanè, & ſatis acutus, ſed tam ſolutus, & mollis in geſtu, ut ſaltatio quædam naſceretur, cui ſaltationi *Titius* nomen eſſet, ita cavendum eſt, ne quid in agendo, dicen-
63 dove facias, cujus imitatio rideatur. Sed ad paullo ſuperiorem ætatem revecti ſumus: nunc ad eam, de qua aliquantùm locuti ſumus, revertamur. Conjunctus igitur Sulpicii ætati P. Antiſtius fuit, rabula ſanè probabilis, qui multos cùm tacuiſſet annos, neque contemni ſolùm, ſed irrideri etiam ſolitus eſſet, in tribunatu primùm contra C. Julii illam conſulatus petitionem extraordinariam, *veram cauſam agens*, eſt probatus: & eo magis, quòd eandem cauſam cùm ageret ejus collega ille ipſe Sulpicius, hic plura, & acutiora dicebat. Itaque poſt tribunatum primò multæ ad eum cauſæ, deinde omnes, maximæ quæcumque erant, deferebantur. Rem videbat acutè, componebat diligenter, memoria valebat: verbis non ille quidem ornatis utebatur, ſed tamen non abjectis. Expedita autem erat, & perfacilè currens oratio. Et erat ejus quidem tanquam habitus non inurbanus: actio paullum cùm vitio vocis, tum etiam ineptiis claudicabat. Hic temporibus floruit iis, quibus inter profectionem, reditumque L. Sullæ ſine *jure* fuit, & ſine ulla dignitate reſp. Hoc etiam autem magis probabatur, quòd erat ab oratoribus quædam in foro ſolitudo. Sulpicius occiderat, Cotta aberat, & Curio: vivebat è reliquis patronis ejus ætatis nemo præter Carbonem, & Pomponium: quorum utrumque facilè ſuperabat. Inferioris autem ætatis 64
erat proximus L. Siſenna, doctus vir, & ſtudiis optimis deditus, bene Latinè loquens, gnarus reip. non ſine facetiis: ſed neque *laboris* multi, nec ſatis verſatus in cauſis: interjectuſque inter duas ætates, Hortenſii, & Sulpicii, nec majorem conſequi poterat, & minori neceſſe erat cedere. Hujus omnis facultas ex hiſtoria ipſius perſpici poteſt: quæ cùm facilè omneis vincat ſuperiores, tum indicat tamen, quantum abſit à ſummo, quamque genus hoc ſcriptionis nondum ſit Latinis litteris illuſtratum. Nam Q. Hortenſii admodum adoleſcentis ingenium, ut Phidiæ ſignum, ſimul adſpectum, & probatum eſt. Is L. Craſſo, Q. Scævola Coss. primùm in foro dixit, & apud hos ipſos quidem Coss. & cùm eorum, qui affuerunt, tum ipſorum Coss. qui omneis intelligentia *anteibant*, judicio diſceſſit probatus, unde viginti annos natus erat eo tempore. Eſt autem L. Paulo, C. Marcello Coss. mortuus: ex quo videmus, eum in patronorum numero annos quattuor & XL. fuiſſe. Hoc de oratore paullo poſt plura dicemus. hoc autem loco voluimus ætatem ejus in diſparem oratorum ætatem includere: quamquam id quidem omnibus uſu venire neceſſe fuit, quibus paullo longior vita contigit, ut & cum multo majoribus natu, quàm eſſent ipſi, & cum aliquanto minoribus compararentur, ut Attius iiſdem ædilibus ait ſe, & Pacuvium docuiſſe fabulam, cùm ille octoginta, ipſe triginta annos natus eſſet. Sic Hortenſius non cum ſuis æqualibus ſolùm, ſed & mea cum ætate, & cum tua, Brute, & cum aliquanto ſuperiore conjungitur. Siquidem & Craſſo vivo dicere ſolebat: & magis jam etiam vigebat cum Antonio, & cum Philippo jam ſene, pro Cn. Pompeii bonis dicente. in illa cauſa adoleſcens cùm eſſet, princeps fuit, & in eorum, quos in Sulpicii ætate poſui, numerum facilè pervenerat: & ſuos inter æqualeis M. Piſonem, M. Craſſum, Cn. Lentulum, P. Lentulum Suram longè præſtitit: & me adoleſcentem nactus octo annis minorem, quàm erat ipſe, multos annos [2] in ſtudio ejuſdem laudis exercuit: & tecum ſimul, ſicut ego pro multis, ſic ille pro Appio Claudio dixit, paullo ante mortem. Vides igitur, ut ad te oratorem, Brute, 65
pervenerimus, tam multis inter noſtrum, tuumque initium dicendi interpoſitis oratoribus? ex quibus, quoniam in hoc ſermone noſtro ſtatui neminem eorum, qui *viverent*, nominare, ne vos curioſiùs eliceretis ex me, quid de quoque judicarem: eos, qui jam ſunt mortui, nominabo. Tum Brutus, Non eſt, inquit, iſta cauſa. quam dicis, quamobrem de iis, qui vivunt, nihil velis dicere. Quænam igitur, inquam eſt? Vereri te, inquit, arbitror ne per nos hic ſermo tuus emânet, & ii tibi ſuccenſeant, quos *præteries*. Quid, vos, inquam, tacere non poteritis? Nos quidem, inquit, facillimè; ſed tamen [3] te arbitror malle idipſum tacere, quàm taciturnitatem noſtram experiri. Tum ego, Verè inquam, tibi, Brute dicam. non me exiſtimavi in hoc ſermone uſque ad hanc ætatem eſſe venturum: ſed ita traxit ordo ætatum orationem, ut jam ad minores etiam pervenerim. Interpone igitur, inquit, ſi quos videtur: deinde redeamus ad te, & ad Hortenſium. Immò verò, inquam, ad Hortenſium: de me alii dicent, ſi qui volent. Minimè verò, inquit, nam etſi me facilè omni tuo ſermone tenuiſti, tamen is mihi longior videtur, quod propero audire de te.

---

1. *Populi frequentis ſuffragiis abrogaverit.*] Alias legi *frequentibus*, annotat Pigh. in Faſtis ſuis ad annum urbis DCXXXIII.

2. *In ſtudio ejuſdem laudis exercuit.*] Suſpicatur Rivius legendum *ſtadio*, quod ſtatim arripuit Lambinus; ſed non adſentientibus libris pluteariis. Supra ubi eſt, *vigebat cum Antonio*, Pal. & Cujac. non admiſere *cum*.

3. *Te malle id ipſum tacere.*] Iidem libri excludunt pronomen *id*. Forſan non male.

de te. nec verò tam de virtutibus dicendi tuis, quæ cùm omnibus, tum certè mihi notiſſimæ ſunt, quàm quòd *gradus* tuos, & quaſi proceſſus dicendi ſtudeo cognoſcere. Geretur, inquam, tibi mos: quoniam me non ingenii prædicatorem eſſe vis, ſed laboris mei. Verum interponam, ut placet, alios, & à M. Craſſo, qui fuit æqualis Hortenſii, exordiar.
66 Is igitur mediocriter à doctrina inſtructus, anguſtius etiam à natura, labore & induſtria, & quòd adhibebat ad obtinendas cauſas curam etiam, & gratiam, in principibus patronis aliquot annos fuit. In hujus oratione ſermo Latinus erat, verba non abjecta, res compoſitæ diligenter: nullus *flos* tamen, neque *lumen* ullum: animi magna, vocis parva contentio, omnia ferè ut ſimiliter, atque uno modo dicerentur. Nam hujus æqualis, & inimicus C. Fimbria, non ita diu jactare ſe potuit: qui omnia magna voce dicens, verborum ſanè bonorum curſu quodam incitato: ita furebat tamen, ut mirarere tam alias res agere populum, ut eſſet *inſano* inter diſertos locus. Cn. autem Lentulus multo majorem opinionem dicendi *actione* faciebat, quàm quanta in eo facultas erat: qui cùm eſſet nec peracutus (quanquam & ex facie, & ex vultu videbatur) nec abundans verbis, etſi fallebat in eo ipſo: ſic intervallis, exclamationibus, voce ſuavi & canora, [1] admirando irridebat, calebat in agendo, ut ea, quæ deerant, non deſiderarentur. Ita tanquam Curio copia nonnulla verborum, nullo alio bono, tenuit oratorum locum: ſic Cn. Lentulus ceterarum virtutum dicendi mediocritatem actione occultavit, in qua excellens fuit. Neque multo ſecus P. Lentulus, cujus & excogitandi, & loquendi tarditatem tegebat formæ *dignitas*, corporis motus plenus & artis, & venuſtatis, vocis & ſuavitas, & magnitudo. ſic in hoc nihil præter actionem fuit, cetera
67 etiam minora, quam in ſuperiore. M. Piſo quidquid habuit, habuit ex *diſciplina*, maximeque ex omnibus, qui antè fuerunt, Græcis doctrinis eruditus fuit. Habuit à natura genus quoddam acuminis, quod etiam arte limaverat, quod erat in reprehendendis verbis verſutum, & ſollers: ſed ſæpe ſtomachoſum, nonnumquam frigidum, interdum etiam facetum. Is laborem, quaſi curſum forenſem, diutius non tulit, quod & corpore erat infirmo, & hominum ineptias ac ſtultitias, quæ devorandæ nobis ſunt, non ferebat, iracundiuſque reſpuebat, ſive moroſe, ut putabatur, ſive ingenuo, liberoque faſtidio. Is cùm ſatis floruiſſet adoleſcens, minor haberi eſt cœptus poſtea. deinde ex virginum judicio magnam laudem eſt adeptus, & ex eo tempore quaſi revocatus in curſum, tenuit locum tam diu, quàm ferre potuit laborem: poſtea, quantum detraxit *ex ſtudio*, tantum amiſit ex gloria. P. Murena mediocri ingenio, ſed magno ſtudio rerum veterum: litterarum & ſtudioſus, & non imperitus: multæ induſtriæ, & magni laboris fuit. C. Cenſorinus Græcis litteris ſatis doctus: quod propoſuerat, explicans expedite: non invenuſtus actor, ſed iners, & inimicus fori. L. Turius parvo ingenio, ſed multo labore, quoquo modo poterat, ſæpe dicebat. Itaque ei paucæ centuriæ ad conſulatum defuerunt. C. Macer auctoritate ſemper eguit, ſed fuit patronus propemodum diligentiſſimus: hujus ſi *vita*, ſi mores, ſi vultus denique non omnem commendationem ingenii everteret, majus nomen in patronis fuiſſet. non erat abundans, non inops tamen: non valde nitens, non planè horrida oratio: vox, geſtus, & omnis actio ſine lepôre: at in inveniendis, componendiſque rebus mira accuratio: ut non facilè in ullo diligentiorem, majoremque cognoverim, ſed eam ut citius *veteratoriam*, quàm oratoriam diceres. hic etſi etiam in publicis cauſis probabatur, tamen in privatis illuſtriorem obtinebat locum.
C. deinde Piſo, ſtatarius, & ſermonis plenus orator, mini- 68
mè ille quidem tardus in excogitando, verumtamen vultu, & ſimulatione, multo etiam acutior, quàm erat, videbatur. Nam ejus æqualem M. Glabrionem, bene inſtitutum avi Scævolæ diligentia, ſocors ipſius natura, negligenſque tardaverat. Etiam L. Torquatus, elegans in dicendo, in exiſtimando admodum prudens, toto genere perurbanus. Meus autem æqualis Cn. Pompejus, vir ad omnia ſumma natus, majorem dicendi *gloriam* habuiſſet, niſi eum majoris gloriæ cupiditas ad bellicas laudes abſtraxiſſet. erat oratione ſatis amplus, rem prudenter videbat: actio verò ejus habebat, & in voce magnum ſplendorem, & in motu ſummam dignitatem. Noſter item æqualis D. Silanus, vitricus tuus, ſtudii ille quidem habuit non multùm, ſed acuminis, & orationis ſatis. Q. Pompejus A. F. qui *Bithynicus* dictus eſt, biennio quàm nos fortaſſe major, ſummo ſtudio dicendi, multaque doctrina, incredibili labore, atque induſtria, quod ſcire poſſum. fuit enim mecum, & cum M. Piſone cùm amicitia, tum ſtudiis, exercitationibuſque conjunctus. hujus actio non ſatis commendabat orationem. in hac enim ſatis erat copiæ, in illa autem lepôris parum. Erat ejus æqualis P. Autronius, voce peracuta, atque magna, nec alia re ulla probabilis. Et L. Octavius Reatinus, qui cùm multas jam cauſas diceret, adoleſcens eſt mortuus. is tamen ad dicendum veniebat magis audacter, quàm paratè. Et [2] C. Staienus, qui ſe ipſe *adoptaverat*, & [3] de Stajeno Ælium fecerat, fervido quodam, & petulanti, & furioſo genere dicendi: quod quia multis gratum erat, & probabatur, adſcendiſſet ad honores, niſi in facinore manifeſto deprehenſus, pœnas legibus, & judicio dediſſet.
Eodem tempore 69
C. & L. Cæpaſii fratres fuerunt, qui multa opera ignoti homines, & repentini, quæſtores celeriter facti ſunt oppidano quodam, & incondito genere dicendi. Addamus huc etiam, ne quem vocalem præteriiſſe videamur, C. Coſconium Calidianum, qui nullo acumine, eam tamen verborum copiam, ſi quam habebat, præbebat populo cum multa concurſione, magnoque clamore. Quod idem faciebat Q. Arrius, qui fuit [4] M. Craſſi, quaſi *ſecundarum*. Is omnibus exemplo debet eſſe, [5] quantum in hac urbe polleat multorum *obedire tempori*, multorumque vel honori, vel periculo ſervire. His enim rebus, infimo loco natus, & honores, & pecuniam, & gratiam conſecutus, etiam in patronorum, ſine doctrina, ſine ingenio, aliquem numerum pervenerat. ſed ut pugiles *inexercitati*, etiam ſi pugnos, & plagas, Olympiorum cupidi, ferre poſſunt, ſolem tamen ſæpe ferre non poſſunt: ſic ille, cùm omni jam fortuna proſperè functus, labores etiam magnos excepiſſet, illius judicialis anni ſeveritatem, quaſi ſolem, non tulit. Tum Atticus, Tu quidem de *fæce*, inquit, hauris, idque jamdudum: ſed tacebam: hoc verò non putabam, te uſque ad Stajenos & Autronios eſſe venturum. Non puto, inquam, exiſtimare te, ambitione me labi, quippe de *mortuis*: ſed ordinem ſequens in memoriam notam, & æqualem neceſſariò incurro. Volo autem hoc perſpici, omnibus conquiſitis, qui in multitudine dicere auſi ſint, memoria quidem dignos perpaucos: verùm, qui omnino nomen habuerint, non ita multos fuiſſe.
ſed ad ſermonem inſtitutum revertamur. T. Torquatus, 70
T. filius & doctus vir ex Rhodia diſciplina Molonis, & à natura ad dicendum ſatis ſolutus, atque expeditus: (cui ſi vita ſuppeditaviſſet, ſublato ambitu conſul factus eſſet:) plus

1. *Admirando irridebat, calebat in agendo.*] Quæ heic ſubſtituunt Corradus aut Lambinus, non firmantur mſſ. noſtris: ideoque non abii à recepta lectione, quæ εἴρωνα indicare videtur; cujus hoc proprium, ut dum laudet & admirari ſe ſimulet, *irrideat*.

2. *C. Stajenus, &c.*] Ita Pal. & Cujacianus. aliis locis idem nominatur *Stalenus*. alterutrum vitioſum eſſe, monuit Rivius, qui ſtare videtur pro poſteriore: prius autem placet magis Theodoro Marcilio ad Perſium, hodie tamen alterum prævalet.

3. *De Stajeno Ælium fecerat.*] Pigh. noſter Faſtis ad annum DCLXVII. mallet, *Pætum fecerat*, quomodo nominatur in Cluent.

4. *M. Craſſi quaſi ſecundarum.*] Non *ſecundarus* cum Romana antiqua, non *ſecundarius*, utcumque laudent Turnebus, Budæus, Rivius, ſed *ſecundarum* legendum ex tribus Lambini, ex omnibus Gruteri ſcriptis. Intellige, *partium actor*: & vide Gronovii Obſervat. Eccleſiaſt. cap. 25.

5. *Quantum polleat multorum obedire tempori, multorumque.*] Forſan illud *multorum* auferri poterat. certe non viſitur in Pal. imò nec ſequens *obedire tempori*, quod tamen omnino neceſſarium.

plus facultatis habuit ad dicendum, quàm voluntatis. Itaque ſtudio huic non ſatis fecit: officio verò nec in ſuorum neceſſariorum cauſis, nec in ſententia ſenatoria defuit. Etiam M. Pontidius, municeps noſter, multas privatas cauſas actitavit, celeriter ſanè verba volvens, nec hebes in cauſis, vel dicam, plus etiam quàm non hebes, ſed effervescens in dicendo ſtomacho ſæpe, iracundiaque vehementius: ut non cum adverſario ſolùm, ſed etiam (quod mirabile) cum judice ipſo, cujus *delinitor* eſſe debet orator, jurgio ſæpe contenderet. M. Meſſalla minor natu, quàm nos, nullo modo inops, ſed non nimis ornatus genere verborum: prudens, acutus, minimè incautus, patronus in cauſis cognoſcendis, componendiſque diligens, magni laboris, multæ operæ, multarumque cauſarum. Duo etiam Metelli, Celer, & Nepos, [1] nihil in cauſis verſati, nec ſine ingenio, nec indocti, hoc erant populare dicendi genus aſſecuti. C. autem Lentulus Marcellinus, nec unquam indiſertus, & in conſulatu pereloquens viſus eſt, non tardus ſententiis, non inops verbis, voce canora, facetus ſatis. C. Memmius, Lucii filius, perfectus litteris, ſed *Græcis:* faſtidioſus ſanè Latinarum: argutus orator, verbiſque dulcis, ſed fugiens non modò dicendi, verùm etiam cogitandi laborem, tantum ſibi de facultate detraxit, quantum imminuit induſtriæ. Hoc loco
71 Brutus, Quàm vellem, inquit, de his etiam oratoribus, qui hodie ſunt, tibi dicere luberet. &, ſi de aliis minus, de duobus tamen, quos à te ſcio laudari ſolere, Cæſare, & Marcello, audirem non minus libenter, quam audivi de iis, qui fuerunt. Cur tandem, inquam? an exſpectas, quid ego judicem de iſtis, qui tibi ſunt æquè noti, ac mihi? Mihi mehercule, inquit, Marcellus ſatis eſt notus; Cæſar autem parum. illum enim ſæpe audivi: hic, cùm ego judicare jam aliquid poſſem, abfuit. Quid igitur de illo judicas, quem ſæpe audiſti? Quid cenſes, inquit, niſi id, quòd habiturus es ſimilem tui? Næ ego, inquam, ſi ita eſt, velim tibi eum placere quàm maximè. Atqui & ita eſt, inquit, & vehementer placet: nec verò ſine cauſa. nam & *didicit*, &, omiſſis ceteris ſtudiis, unum id egit, ſeſeque quotidianis commentationibus acerrimè exercuit. Itaque & lectis utitur verbis, & frequentibus, & ſplendore vocis, & dignitate motus fit ſpecioſum, & illuſtre, quod dicitur: omniaque ſic ſuppetunt, ut ei nullam deeſſe virtutem oratoris putem: maximeque laudandus eſt, qui [2] hoc tempore ipſo, cùm liceat, in hoc communi noſtro, & quaſi fatali malo, conſoletur ſe cùm *conſcientia* optimæ mentis, tum etiam uſurpatione, & renovatione doctrinæ. Vidi enim Mytilenis nuper virum, atque (ut dixi) vidi *planè virum.* Itaque cùm eum antea tui ſimilem in dicendo viderim, tum verò nunc à doctiſſimo viro, tibique, ut intellexi, amiciſſimo, Cratippo, inſtructum omni copia, multo videbam ſimiliorem. Hic ego, Etſi, inquam, de optimi viri, nobiſque amiciſſimi laudibus lubenter audio, tamen incurro in memoriam communium miſeriarum, quarum oblivionem quærens, hunc ipſum ſermonem produxi longius. Sed de Cæſare cupio
72 audire, quid tandem Attticus judicet. Et ille, Præclarè, inquit, tibi conſtas, ut de iis, qui nunc ſint, nihil velis ipſe dicere: & hercle ſi ſic ageres, ut de iis egiſti, qui jam mortui ſunt: neminem ut prætermitteres, næ tu in multos Autronios, & Stajenos incurreres. Quare ſive hanc turbam effugere voluiſti, ſive veritus es, ne quis ſe aut præteritum, aut non ſatis laudatum queri poſſit: de Cæſare tamen potuiſti dicere, præſertim cùm & tuum de illius ingenio notiſſimum judicium eſſet, nec illius de tuo obſcurum. Sed tamen, Brute, inquit Atticus, de Cæſare & ipſe ita judico, & de hoc hujus generis acerrimo *æſtimatore* ſæpiſſimè audio, illum omnium ferè oratorum Latinè loqui elegantiſſimè: nec id ſolùm domeſtica conſuetudine, ut dudum de Læliorum & Muciorum familiis audiebamus: ſed, quamquam id quoque credo fuiſſe, tamen ut eſſet perfecta illa bene loquendi laus, multis litteris, & iis quidem *reconditis* & exquiſitis ſummoque ſtudio & diligentia eſt conſecutus. Quinetiam in maximis occupationibus, cùm ad te ipſum (inquit, in me intuens) de ratione Latinè loquendi accuratiſſimè ſcripſerit: primoque in libro dixerit, *verborum delectum, originem eſſe eloquentiæ:* tribueritque, mi Brute, huic noſtro, qui me de illo maluit, quàm ſe dicere, laudem ſingularem: (nam ſcripſit his verbis, cùm hunc nomine eſſet affatus: Ac, si cogitata præclarè eloqui poſſent, nonnulli ſtudio & uſu elaboraverunt, cujus te pænè principem copiæ atque inventorem, bene de nomine ac dignitate populi Romani meritum eſſe exiſtimare debemus) hunc facilem, & quotidianum noviſſe ſermonem, [3] nunc pro relicto eſt habendum. Tum Brutus, Amicè, hercule, inquit, & ma- 73
gnificè te laudatum puto, quem non ſolùm principem, atque inventorem *copiæ* dixerit, quæ erat magna laus, ſed etiam *bene meritum* de populi Romani nomine, & dignitate. quo enim uno vincebamur à victa Græcia, id aut ereptum illis eſt, aut certè nobis cum illis communicatum. Hanc autem, inquit, gloriam, teſtimoniumque Cæſaris, [4] tuæ quidem ſupplicationi non, ſed triumphis multorum antepono. Et rectè quidem, inquam, Brute, modò ſit hoc Cæſaris judicii, non benivolentiæ teſtimonium. plus enim certè attulit huic populo dignitatis, quiſquis eſt ille, ſi modò eſt aliquis, qui non illuſtravit modò, ſed etiam genuit in hac urbe dicendi copiam, quàm illi, qui Ligurum caſtella expugnaverunt: ex quibus multi ſunt, ut ſcitis triumphi. Verum quidem ſi audire volumus, omiſſis illis divinis conſiliis, quibus ſæpe [5] conſtituta eſt imperatorum ſapientia ſalus civitatis aut belli, aut domi; multo magis orator præſtat minutis imperatoribus. At prodeſt plus imperator. Quis negat, ſed tamen, (non metuo ne mihi acclametis: eſt autem quod ſentias, dicendi liber locus) *malim* mihi L. Craſſi unam pro M. Curio dictionem, quàm caſtellanos triumphos duos. At plus interfuit reip. caſtellum capi Ligurum, quàm bene defendi cauſam M. Curii. Credo. Sed Athenienſium quoque plus interfuit firma tecta in domiciliis habere, quàm Minervæ ſignum ex ebore pulcerrimum, tamen Ego me Phidiam eſſe mallem, quàm vel optimum fabrum tignarium. Quare non, quantum quiſque proſit, ſed quanti quiſque ſit, ponderandum eſt: præſertim cùm pauci pingere egregiè poſſint, aut fingere: operarii autem, aut bajuli deeſſe non poſſint. Sed perge, Pomponi, de Cæſare, & 74
redde quæ reſtant. Solum quidem, inquit ille, & quaſi fundamentum oratoris vides, locutionem emendatam, & Latinam: cujus penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis, aut ſcientiæ, ſed quaſi bonæ conſuetudinis. Mitto C. Lælium, P. Scipionem. *ætatis* illius iſta fuit laus, tamquam innocentiæ, ſic Latinè loquendi: nec omnium tamen. nam illorum æquales, Cæcilium, & Pacuvium, malè locutos videmus. ſed omnes tum ferè, qui nec extra urbem hanc vixerant, [6] nec eos aliqua barbaries domeſtica infuſcaverat, rectè loquebantur. Sed hanc certè rem, deteriorem vetuſtas fecit & Romæ, & in Græcia. confluxerunt enim & Athenas, & in hanc urbem multi inquinatè lo-

1. *Nihil in cauſis verſati.*] Nihil mutant libri noſtri. videtur tamen legendum *nonnihil* Rivio. quod & in poſtrema editione Lambini, cum prior habuiſſet, *nihil non in cauſis.*

2. *In hoc tempore ipſo, cum liceat.*] Hæret iſtud in noſtris. alii ſubſtituunt; *cum jaceat; quantum liceat; quoniam liceat;* aliaque. forſan non neceſſario.

3. *Nunc pro derelicto eſt habendum.*] Lambinus, *non pro derelicto.* vellem prodidiſſet cauſas quare.

4. *Tuæ quidem ſupplicationi non, ſed &c.*] Sic Rivii liber, ſic tres Lambiniani, ſic Palat. vulgata amplius, *non ſolum ſed &c.* ſupervacue.

5. *Conſtituta eſt Imperatorum ſapientia ſalus, &c.*] Mutat heic delet ve Lambinus; ſed omnino ſine juſta cauſa.

6. *Neque eos aliqua barbaries domeſtica infuſcaverat.*] Aliter Lambinus tentat: ſed propius literas Gulielmius, *neque os aliqua barbaries domeſtica, &c.*

1. Tam-

tè loquentes ex diverſis locis. quo magis expurgandus eſt ſermo, & adhibenda, [1] *tamquam obruſſa*, ratio, quæ mutari non poteſt, nec utendum praviſſima conſuetudinis regula. T. Flamininum, qui cum Q. Metello conſul fuit, pueri vidimus. exiſtimabatur bene Latinè, ſed litteras neſciebat. Catulus erat ille quidem minimè indoctus, ut à te paullò eſt antè dictum: ſed tamen ſuavitas vocis, & lenis appellatio litterarum, bene loquendi famam confecerat. Cotta, quia ſe valde dilatandis litteris à ſimilitudine Græcæ locutionis abſtraxerat, ſonabatque contrarium Catulo, ſubagreſte quiddam, planeque ſubruſticum: alia quidem, quaſi inculta, & ſilveſtri via, ad eandem laudem pervenerat.
75 Siſenna autem, quaſi emendator ſermonis uſitati, cùm eſſe vellet; ne à [2] C. Ruſio quidem accuſatore deterreri potuit, quo minus inuſitatis verbis uteretur. Quidnam iſtuc eſt? inquit Brutus: aut quis eſt iſte C. Ruſius? Et ille, Fuit accuſator, inquit, vetus, quo [3] accuſante Chritilium, Siſenna defendens, dixit, quædam ejus *ſputatilica* eſſe crimina. Tum C. Ruſius, *Circumvenior*, inquit, judices, niſi ſubvenitis. Siſenna quid dicas, neſcio: metuo inſidias. ſputatilica, quid eſt hoc? ſputa quid ſit ſcio, tilica neſcio. Maximi riſus: ſed ille tamen familiaris meus rectè loqui putabat eſſe, inuſitatè loqui. Cæſar autem rationem adhibens, conſuetudinem vitioſam & corruptam, pura & incorrupta conſuetudine emendat. Itaque cùm ad hanc elegantiam verborum Latinorum (quæ etiam ſi orator non ſis, & ſis ingenuus civis Romanus, tamen neceſſaria eſt) adjungit illa oratoria ornamenta dicendi: tum videtur tamquam tabulas bene pictas collocare in bono *lumine*. hanc cùm habeat præcipuam laudem in communibus, non video cui debeat cedere. ſplendidam quandam, minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu: forma etiam magnifica, & generoſa quodammodo. Tum Brutus, Orationes quidem ejus mihi vehementer probantur, complureis autem legi. Atque etiam *commentarios* quoſdam ſcripſit rerum ſuarum. valde quidem, inquam, probandos. nudi enim ſunt, recti, & venuſti, omni ornatu orationis, [4] tamquam veſte detracto: ſed dum voluit, alios habere parata, unde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam: ineptis gratum fortaſſe fecit, [5] qui volunt illa calamiſtris inurere: ſanos quidem homines à ſcribendo deterruit. NIHIL ENIM eſt in hiſtoria, pura & illuſtri brevitate dulcius. Sed ad eos, ſi placet, qui vita exceſſerunt,
76 revertamur. C. Sicinius igitur, Quinti Pompeii illius, qui cenſor fuit, ex filia nepos, quæſtorius mortuus eſt, probabilis orator: jam verò etiam probatus, ex hac inopi ad ornandum, ſed ad inveniendum expedita, Hermagoræ diſciplina. ea dat rationes certas, & præcepta dicendi: quæ ſi minorem habent apparatum, (ſunt enim exilia) tamen habent *ordinem*, & quaſdam errare in dicendo non patienteis vias. Has ille tenens, & paratus ad cauſas veniens, verborum non egens, ipſa illa comparatione, diſciplinaque dicendi jam in patronorum numerum pervenerat. Erat etiam vir doctus in primis C. Viſellius Varro, conſobrinus meus, qui fuit cum Sicinio ætate conjunctus. is cùm poſt curulem ædilitatem judex quæſtionis eſſet, eſt mortuus: in quo fateor vulgi judicium à judicio meo diſſenſiſſe. nam populo non erat ſatis *vendibilis*: præceps quædam, & cùm idcirco obſcura, quia peracuta, tum rapida, & celeritate cæcata oratio: ſed neque verbis aptiorem citò alium dixerim, neque ſententiis crebriorem. Præterea perfectus in litteris, juriſque civilis jam à patre Aculeone traditam tenuit diſciplinam. Reliqui ſunt, qui mortui ſint, L. Torquatus, quem tu non tam citò rhetorem dixiſſes, (etſi non deerat oratio) quàm, ut Græci dicunt, πολιτικόν. Erant in eo plurimæ litteræ, nec eæ vulgares, ſed interiores quædam, & reconditæ: divina memoria, ſumma verborum & gravitas, & elegantia. atque hæc omnia vitæ [6] decorabat dignitas, & *integritas*. Me quidem admodum delectabat etiam Triarii, in illa ætate, plena litteratæ ſenectutis oratio. quanta ſeveritas in vultu! quantum pondus in verbis! quàm nihil non conſideratum exibat ex ore! Tum Brutus, Torquati, & Triarii mentione commotus, (utrumque enim eorum admodum dilexerat) Næ ego, inquit (ut omittam cetera, quæ ſunt innumerabilia) de iſtis duobus cùm cogito, doleo, nihil tuam perpetuam auctoritatem de pace valuiſſe. nam nec iſtos excellenteis viros, nec multos alios præſtanteis civeis reſp. perdidiſſet. Sileamus, inquam, Brute, de iſtis, ne augeamus dolorem. nam & PRÆTERITORUM recordatio eſt acerba, & acerbior exſpectatio reliquorum. Itaque omittamus lugere, & tantùm, quid quiſque dicendo potuerit, (quoniam id quærimus,) prædicemus. Sunt etiam ex iis, qui eodem bello occiderunt, M. 77
Bibulus, qui & ſcriptitavit accuratè, cùm præſertim non eſſet orator, & egit multa conſtanter: Appius Claudius, ſocer tuus, collega, & familiaris meus: hic jam & ſatis ſtudioſus, & valde cùm doctus, tum etiam exercitatus orator, & cùm auguralis, tum omnis publici juris, antiquitatiſque noſtræ bene peritus fuit. L. Domitius nulla ille quidem arte, ſed Latinè tamen, & multa cum libertate dicebat. Duo præterea Lentuli conſulares, quorum Publius ille, noſtrarum injuriarum ultor, auctor ſalutis, quidquid habuit, quantumcumque fuit, illud totum habuit ex diſciplina: inſtrumenta *naturæ* deerant: ſed tantus animi ſplendor, & tanta magnitudo, ut ſibi omnia, quæ clarorum virorum eſſent, non dubitaret adſciſcere, eaque omni dignitate obtineret. L. autem Lentulus, ſatis erat fortis orator, ſi modò orator, ſed cogitandi non ferebat laborem. vox canora, verba non horrida ſanè, ut plena eſſet animi, & terroris oratio. Quæreres in judiciis fortaſſe melius: in rep. quod erat, eſſe judicares ſatis. Ne Titus quidem Poſtumius contemnendus in dicendo: de rep. verò non minus vehemens orator, quàm bellator fuit effrenatus, & acer nimis, ſed bene juris publici leges, atque inſtituta cognoverat. Hoc loco Atticus, Putarem te, inquit, ambitioſum eſſe, ſi (ut dixiſti) ii, quos jamdiu colligis, viverent. Omneis enim commemoras, qui auſi aliquando ſunt *ſtantes loqui*, ut mihi imprudens M. Servilium præteriiſſe videare. Non, in- 78
quam, ego iſtuc ignoro, Pomponi, multos fuiſſe, qui verbum numquam in publico feciſſent, cùm melius aliquanto poſſent, quàm iſti oratores, quos colligo, dicere: ſed his commemorandis etiam illud aſſequor, ut intelligatis primùm ex omni numero, quàm non multi auſi ſint dicere, deinde ex iis ipſis quàm pauci fuerint *laude digni*. Itaque ne hos quidem equites Romanos, amicos noſtros, qui nuper mortui ſunt, P. Comminium Spoletinum, quo accuſante defendi C. Cornelium: in quo & compoſitum dicendi genus, & acre, & expeditum fuit. T. Accium Piſaurenſem, cujus accuſationi reſpondi pro A. Cluentio: qui & accuratè dicebat, & ſatis copioſè: eratque præterea doctus Hermagoræ præceptis: quibus etſi ornamenta non ſatis opima dicendi, tamen, ut *haſtæ*, velitibus *amentatæ*, ſic apta

1. *Tanquam obruſſa ratio.*] Ita emendat ex mſ. Nicol. Victorius, adprobatque Turnebus lib. XIV. Adverſ. cap. 22. niſi malimus inquit, *cum obruſſa*; vulgatæ propius, in qua *quam obtruſa*. at Palat. & Cujacius, *quantum obruſſa ratio*; quod video amplexatos Manutios.

2. *C. Ruſio.*] Haud aliter Pal. & Cujac. Manutii, *Ruſio*. Lambinus, *Ruſcio*. Amicus noſter Pighius veriſimiliter admodum conjiciebat *Erucio*, qui conſulatur in faſtis laborioſiſſimis ad annum DCXIII.

3. *Accuſante Chritilium.*] Eſt ab editione Victorii. nam alias publicatum *Chirtilium*. primæ edd. *C. Rutilium*. Gulielmius inclinabat in *C. Hirtium*. nam Cujacius *Chirtilum*. Pal. tamen *Chirtilium*, retinet.

4. *Tanquam veſte detracto.*] Recepta lectio *detracta*. ſed alterum requirit ſententia; ut bene monuit Turnebus d. cap. 22.

5. *Qui volunt illa calamiſtris, &c.*] Rivius mallet *volent*; quod ſtatim admiſit Lambinus, repugnantibus membranis.

6. *Decorabat dignitas & integritas.*] Eſt a Rivio; ſequunturque Manutius ac Lambinus. ſcripti tamen & vulgati, *gravitas & integritas*.

apta quædam, & parata ſingulis cauſarum generibus argu-
menta traduntur. ſtudio autem neminem, nec induſtria ma-
jore cognovi. Quamquam ne ingenio quidem qui præſtite-
rit, facilè dixerim, C. Piſoni, genero meo. nullum tem-
pus illi umquam vacabat aut à forenſi dictione, aut à com-
mentatione domeſtica, aut à ſcribendo, aut à cogitando.
itaque tantos proceſſus efficiebat, ut *evolare*, non excurre-
re videretur. eratque verborum & delectus elegans, & apta,
& quaſi rotunda conſtructio: cumque argumenta excogita-
bantur ab eo multa, & firma ad probandum, tum con-
cinnæ, acutæque ſententiæ: geſtuſque natura ita venuſtus,
ut ars etiam, quæ non erat, & è diſciplina motus quidam
videretur accedere. vereor, ne *amore* videar plura, quàm
fuerint in illo, dicere: quod non ita eſt: alia enim de illo
majora dici poſſunt. nam nec continentia, nec pietate, nec
ullo genere virtutis quemquam ejuſdem ætatis, cum illo
79 conferendum puto. Nec verò M. Cœlium prætereundum
arbitror, quæcumque ejus *in exitu* vel fortuna, vel mens
fuit: qui quamdiu auctoritati meæ paruit, talis tribunus
pleb. fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem,
turbulentamque dementiam, à ſenatu, & à bonorum cauſa
ſteterit conſtantiùs: quam ejus actionem, multum tamen
& ſplendida, & grandis, & eadem in primis faceta, & per-
urbana commendabat oratio. Graves ejus conciones ali-
quot fuerunt, acres accuſationes tres, eæque omnes ex
reip. contentione ſuſceptæ: defenſiones, etſi illa erant in
eo meliora, quæ dixi, non contemnendæ tamen, ſaneque
tolerabiles. Hic cùm ſumma voluntate bonorum ædilis cu-
rulis factus eſſet, neſcio quomodo diſceſſu meo *diſceſſit à*
ſeſe, ceciditque poſtea quam eos imitari cœpit, quos ipſe
perverterat. Sed de M. Calidio dicamus aliquid, qui non
fuit orator unus è multis: potius inter multos propè ſingu-
laris fuit: ita reconditas, exquiſitaſque ſententias mollis, &
pellucens veſtiebat oratio. nihil tam tenerum, quàm illius
comprehenſio verborum: nihil tam flexibile: nihil, quod
magis ipſius arbitrio fingeretur, ut nullius oratoris æque in
poteſtate fuerit: quæ primùm ita pura erat, ut nihil liqui-
dius: ita liberè fluebat, ut nuſquam adhæreſceret: nullum,
niſi loco poſitum, & tanquam *in vermiculato emblemate*,
ut ait Lucilius, ſtructum verbum videres. nec verò ullum
aut durum, aut inſolens, aut humile, aut longiùs ductum:
ac non propria verba rerum, ſed pleraque tralata: ſic ta-
men, ut ea non irruiſſe in alienum locum, ſed *immigraſſe*
in ſuum diceres. nec verò hæc ſoluta, nec diffluentia,
ſed adſtricta numeris, non apertè, nec eodem modo ſem-
per, ſed variè, diſſimulanterque concluſis. Erant autem &
verborum, & ſententiarum illa *lumina*, quæ vocant Græ-
ci σχήματα, quibus tanquam [1] inſignibus in ornatu di-
ſtinguebatur omnis oratio. qua de re agitur autem illud,
quod multis locis in juriſconſultorum includitur formu-
80 lis, & ubi eſſet, videbat. Accedebat ordo rerum plenus
artis, actio liberalis, totumque dicendi placidum, & ſa-
num genus. Quod ſi eſt optimum ſuaviter dicere: ni-
hil eſt, quod melius hoc quærendum putes. Sed cùm
à nobis paullo antè dictum ſit, tria videri eſſe, quæ
orator efficere deberet, ut doceret, ut delectaret, ut
moveret: duo ſummè tenuit, ut & rem illuſtraret diſſe-
rendo, & animos eorum, qui audirent, devinciret volupta-
te. Aberat tertia illa laus, qua permoveret, atque incitaret
animos, quam plurimùm pollere diximus, nec erat ulla
vis, atque contentio, ſive conſilio, quòd eos, quorum al-
tior oratio, actioque eſſet ardentior, furere, & bacchari ar-
bitraretur. ſive quòd natura non eſſet ita factus, ſive quòd
non conſueſſet, ſive quòd non poſſet. hoc unum illi, ſi ni-
hil utilitatis habebat, adfuit: ſi opus erat, defuit. Quinetiam
memini, cum in accuſatione ſua Q. Gallio crimini dediſſet,
ſibi eum *venenum paraviſſe*, idque à ſe eſſe deprehenſum, ſe-
ſeque chirographa, teſtificationes, indicia, quæſtiones, ma-
nifeſtam rem, deferre diceret, deque eo crimine accuratè
& exquiſitè diſputaviſſet: me in reſpondendo, cùm eſſem
argumentatus, quantum res ferebat: hoc ipſum etiam po-
ſuiſſe pro argumento, quòd ille, cùm peſtem capitis ſui,
cùm indicia mortis, ſe comperiſſe manifeſtò, & manu te-
nere diceret, tam *ſolutè* egiſſet, tam leniter, tam oſcitanter.
TU ISTUC, M. Calidi, *niſi fingeres*, ſic ageres? præſertim
cùm iſta eloquentia, alienorum hominum pericula defen-
dere acerrimè ſoleas, tuum negligeres? ubi dolor? ubi ar-
dor animi, qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces,
& querelas ſolet? nulla perturbatio animi, nulla corporis,
frons non percuſſa, non femur: pedis (quod minimum eſt)
nulla ſupploſio. Itaque tantum abfuit ut inflammares no-
ſtros animos: ſomnum iſto loco vix tenebamus. Sic nos
ſummi oratoris vel ſanitate, vel vitio, pro argumento ad di-
luendum crimen uſi ſumus. Tum Brutus, [2] Atqui dubita-
mus, inquit, utrùm iſta ſanitas fuerit, an vitium? quis
enim non fateatur, cùm ex omnibus oratoris laudibus lon-
gè iſta ſit maxima, inflammare animos audientium, &,
quocumque res poſtulet modo, flectere, qui hac virtute ca-
ruerit, id ei, quod maximum fuerit, defuiſſe? Sit ſanè ita, 81
inquam: ſed redeamus ad eum, qui jam unus reſtat, Hor-
tenſium, tum de nobiſmetipſis, quoniam id etiam, Brute,
poſtulas, pauca dicemus, quamquam facienda mentio eſt,
ut quidem mihi videtur, duorum adoleſcentium: qui ſi diu-
tiùs *vixiſſent*, magnam eſſent eloquentiæ laudem conſecu-
ti. C. Curionem te, inquit Brutus, & C. Licinium Calvum
arbitror dicere. Rectè, inquam, arbitraris: quorum qui-
dem alter, quod veriſimile dixiſſet, ita facilè, ſoluteque ver-
bis volvebat ſatis interdum acutas, crebras quidem certè ſen-
tentias, ut nihil poſſet ornatius eſſe, nihil expeditius. At-
que hic à *magiſtris* parum inſtitutus, naturam habuit admi-
rabilem ad dicendum: induſtriam non ſum expertus: ſtu-
dium certè fuit: qui ſi me audire voluiſſet, ut cœperat, *ho-*
nores, quàm *opes*, conſequi maluiſſet. Quidnam eſt, inquit,
iſtud? & quemadmodum diſtinguis? Hoc modo, inquam.
Cùm HONOS, ſit præmium virtutis, judicio, ſtudioque ci-
vium delatum ad aliquem, qui eum ſententiis, qui ſuffra-
giis adeptus eſt, is mihi & honeſtus, & honoratus videtur.
Qui autem occaſione aliqua, etiam invitis ſuis civibus, na-
ctus eſt imperium, ut ille cupiebat: hunc nomen honoris
adeptum, non honorem puto. Quæ ſi ille audire voluiſſet,
maxima cum gratia, & gloria ad ſummam amplitudinem
perveniſſet, adſcendens *gradibus* magiſtratuum, ut pater
ejus fecerat, ut reliqui clariores viri. Quæ quidem etiam
cum P. Craſſo, M. F. cùm initio ætatis ad amicitiam ſe meam
contuliſſet, ſæpe egiſſe me arbitror, cùm eum vehementer
hortarer, ut eam laudis *viam rectiſſimam* eſſe duceret, quam
majores ejus ei tritam reliquiſſent. Erat enim cùm inſtitu-
tus optimè, tum etiam perfectè, planeque eruditus: inerat-
que & ingenium ſatis acre, & orationis non inelegans co-
pia: prætereaque ſine arrogantia gravis eſſe videbatur, &
ſine ſegnitia verecundus. Sed hunc quoque abſorbuit *æſtus*
quidam non inſolitæ adoleſcentibus gloriæ: qui quia nava-
rat miles operam imperatori, imperatorem ſe ſtatim eſſe cu-
piebat: cui muneri mos majorum *ætatem* certam, ſortem
incertam reliquit. Ita graviſſimo ſuo caſu dum Cyri, & Ale-
xandri ſimilis eſſe voluit, qui ſuum curſum tranſcurrerant:
& L. Craſſi, & multorum Craſſorum inventus eſt diſſimil-
limus. Sed ad Calvum, (is enim nobis erat propoſitus) re- 82
vertamur: qui orator fuiſſet cùm litteris eruditior, quàm
Curio, tum etiam accuratius quoddam dicendi, & exquiſi-
tius afferebat genus: quod quamquam ſcienter, eleganterque
tractabat, nimiùm tamen inquirens in ſe, atque ipſe ſeſe
obſervans, metuenſque ne vitioſum colligeret, etiam [3] ve-
rum ſanguinem deperdebat. Itaque ejus oratio nimia reli-
gione

1. *Inſignibus in ornatu, &c.*] Intelligit de foro ab ædilibus orna-
to. Lambinus tamen abjecit, *in ornatu*, contra mſſ. libros.

2. *Atqui dubitamus, inquit, &c.*] Legendum potius videtur di-
ctione diſſeparata in duas; *At qui dubitamus, &c.*

3. *Verum ſanguinem deperdebat.*] Victorii editio, *dependebat*; quod
& in Pal. & Cujac. & videri poterat genuinum, niſi alterum lau-
daret Quintilianus. quem tamen quid vetat ſuſpicari eo loco cor-
ruptum?

gione attenuata, doctis, & attentè audientibus erat illuſtris: à multitudine autem, & à foro, cui nata eloquentia eſt, devorabatur. Tum Brutus, *Atticum* ſe, inquit, Calvus noſter dici oratorem volebat. inde erat iſta exilitas, quàm ille de induſtria conſequebatur. Dicebat, inquam, ita: ſed & ipſe errabat, & alios etiam errare cogebat. Nam ſiquis eos, qui nec ineptè dicunt, nec odioſè, nec putidè, Atticè putat dicere: is rectè, niſi Atticum, probat neminem. *Inſulſitatem* enim, & inſolentiam, tanquam inſaniam quandam orationis, odit: ſanitatem autem, & integritatem, quaſi religionem, & verecundiam oratoris probat: hæc omnium debet oratorum eadem eſſe ſententia. Sin autem jejunitatem, & ſiccitatem, & inopiam, dummodò ſit polita, dum urbana, dum elegans, in Attico genere ponit, hoc rectè duntaxat: ſed quia ſunt in Atticis alia meliora; videat, ne ignoret, & gradus, & diſſimilitudines, & vim, & varietatem Atticorum. *Atticos*, inquit, *volo imitari.* quos? nec enim eſt unum genus. Nam quid eſt tam diſſimile, quàm Demoſthenes, & Lyſias? [1] quàm idem, & Hyperides? quàm omnium horum Æſchines? Quem igitur imitaris? Si aliquem; ceteri ergo Atticè non dicebant. ſi omneis: qui potes, cùm ſint ipſi diſſimillimi inter ſe? In quo etiam illud quæro, Phalereus ille Demetrius Atticè ne dixerit. mihi quidem ex illius orationibus redolere ipſæ Athenæ videntur. At eſt floridior, ut ita dicam, quàm Hyperides, quàm Lyſias. natura quædam, aut voluntas ita di-
83 cendi fuit. Et quidem duo fuerunt per idem tempus diſſimiles inter ſe: ſed Attici tamen: quorum Chariſius multarum orationum, quas ſcribebat aliis, cùm cupere videretur imitari Lyſiam: Demochares autem, qui fuit Demoſthenis ſororis filius, & orationes ſcripſit aliquot: & earum rerum hiſtoriam, quæ erant Athenis ipſius ætate geſtæ, non tam hiſtorico, quàm oratorio genere perſcripſit. At Chariſii vult Hegeſias eſſe ſimilis, iſque ſe ita putat Atticum, ut veros illos præ ſe pænè agreſteis putet. At quid eſt tam fractum, tam minutum, tam in ipſa, (quam tamen conſequitur,) concinnitate puerile? *Atticorum ſimiles eſſe volumus.* Optime. Suntne igitur ii Attici oratores? Quis negare poteſt? Hos imitamur. Quo modo, qui ſunt & inter ſe diſſimiles, & aliorum? *Thucydidem*, inquit, *imitamur.* Optimè, ſi hiſtoriam ſcribere, non ſi cauſas dicere cogitatis. Thucydides enim rerum geſtarum pronuntiator ſincerus, & grandis etiam fuit. hoc forenſe concertatorium judiciale non tractavit genus. Orationes autem, quas interpoſuit, (multæ enim ſunt,) eas ego laudare ſoleo, imitari neque poſſim, ſi velim, nec velim fortaſſe, ſi poſſim: ut, ſi quis *Falerno vino* delectetur, ſed eo nec ita novo, ut proximis conſulibus natum velit: nec rurſus ita vetere, ut Opimium, aut Anicium conſulem quærat. Atqui eæ notæ ſunt optimæ. credo: ſed nimia vetuſtas nec habet eam, quam quærimus, ſuavitatem, nec eſt jam ſanè tolerabilis. Num igitur qui hoc ſentiat, ſi is potare velit, de dolio ſibi hauriendum putet? Minimè: ſed quandam ſequatur ætatem. Sic ego iſtis cenſuerim & novam iſtam quaſi de muſto, ac lacu fervidam orationem, fugiendam, nec illam præclaram Thucydidi nimis veterem, tanquam Anicianam notam, perſequendam. Ipſe enim Thucydides ſi *poſterius* fuiſſet, multo maturior
84 fuiſſet, & mitior. Demoſthenem igitur imitemur. O dii boni! [2] quid, quæſo, nos aliud agimus, aut quid aliud optamus? At non aſſequimur. Iſti enim videlicet Attici noſtri, quod volunt, aſſequuntur. ne illud quidem intelligunt, non modò ita memoriæ proditum eſſe, ſed ita neceſſe fuiſſe, cùm Demoſthenes dicturus eſſet, ut concurſus, audiendi cauſa, ex tota Græcia fierent. At cùm iſti Attici dicunt, non modò à corona, (quod eſt ipſum miſerabile) ſed etiam ab advocatis relinquuntur. Quare ſi anguſtè, & exiliter dicere, eſt Atticorum, ſint ſanè Attici: ſed in comitium veniant, ad *ſtantem judicem* dicant. Subſellia grandiorem, & pleniorem vocem deſiderant. Volo hoc oratori contingat, ut, cùm auditum ſit eum eſſe dicturum, locus in ſubſelliis occupetur, compleatur tribunal, gratioſi ſcribæ ſint in dando & cedendo loco, corona multiplex, judex erectus: cùm ſurgit is, qui dicturus ſit, ſignificetur à corona ſilentium, deinde crebræ aſſenſiones, multæ admirationes, riſus cùm velit: cùm velit, fletus: ut, qui hæc procul videat, etiamſi, quid agatur, neſciat: at placere tamen, & *in ſcena eſſe Roſcium* intelligat. Hæc cui contingant, eum ſcito Atticè dicere, ut de Pericle audivimus, ut de Hyperide, ut de Æſchine, de ipſo quidem Demoſthene maximè. Sin autem acutum, prudens, & idem ſincerum, & ſolidum, & exſiccatum genus orationis probant, nec illo graviore ornatu oratorio utuntur, & hoc proprium eſſe Atticorum volunt: rectè laudant. Eſt enim in arte tanta, tamque varia, etiam huic minutæ ſubtilitati locus. ita fiet, ut non omnes, qui Atticè, iidem bene: ſed, ut omnes, qui bene, iidem etiam Atticè dicant. Sed redeamus rurſus ad Hortenſium. Sanè 85
quidem, inquit Brutus: quamquam iſta mihi tua fuit perjucunda à propoſita oratione degreſſio. Tum Atticus, Aliquoties ſum, inquit, conatus, ſed interpellare nolui. Nunc, quoniam ad perorandum ſpectare videtur ſermo tuus, dicam, opinor, quod ſentio. Tu verò, inquam, Tite. Tum ille, Ego, inquit, *ironiam* illam, quam in Socrate dicunt fuiſſe, qua ille in Platonis, & Xenophontis, & Æſchinis libris utitur, facetam, & elegantem puto. eſt enim & minimè inepti hominis, & ejuſdem etiam faceti, cùm de ſapientia diſceptetur, hanc ſibi ipſum detrahere, eis tribuere illudentem, qui eam ſibi arrogant: ut apud Platonem Socrates in cælum effert laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, ceteros: ſe autem omnium rerum inſcium fingit, & rudem. decet hoc neſcio quomodo illum: nec Epicuro, qui id reprehendit, aſſentior. Sed in hiſtoria, qua tu es uſus in omni ſermone, cùm, qualis quiſque orator fuiſſet, exponeres, vide, quæſo, inquit, ne tam reprehendenda ſit ironia, quàm in teſtimonio. Quorſus, inquam, iſtuc? non enim intelligo. Quia primùm, inquit, ita laudaviſti quoſdam oratores, ut imperitos poſſes in errorem inducere. Equidem in quibuſdam riſum vix tenebam, cùm Attico Lyſiæ Catonem noſtrum comparabas, magnum mehercule hominem, vel potiùs ſummum, & ſingularem virum: nemo dicet ſecus: ſed oratorem? ſed etiam Lyſiæ ſimilem? quo nihil poteſt eſſe pictius: bella ironia, ſi jocaremur: ſin aſſeveramus: vide, ne *religio* nobis tam adhibenda ſit, quàm ſi teſtimonium diceremus. Ego enim Catonem tuum, ut civem, ut ſenatorem, ut imperatorem, ut virum denique cùm prudentia, & diligentia, tum omni virtute excellentem, probo: orationes autem ejus, ut illis temporibus, valde laudo. ſignificant enim quandam formam ingenii, ſed admodum impolitam, & planè rudem. Origines verò cùm omnibus oratoris laudibus refertas diceres, & Catonem cum Philiſto & Thucydide comparares, Brutone te id cenſebas, an mihi probaturum? quos enim ne è Græcis quidem quiſquam imitari poteſt, iis tu comparas hominem Tuſculanum, nondum ſuſpicantem, quale eſſet copioſè, & ornatè dicere? Galbam laudas. ſi ut illius ætatis 86
principem, aſſentior: ſic enim accepimus: ſin ut oratorem, cedo, quæſo, orationes, (ſunt enim) & dic, hunc, quem tu plus quàm te, amas, Brutum, velle te illo modo dicere. Probas Lepidi orationes. paullum hìc tibi aſſentior, modò ita laudes, ut antiquas: quod item de Africano, de Lælio, cujus tu oratione negas fieri quidquam poſſe dulcius. addis etiam neſcio quid auguſtius, nomine nos capis ſummi viri, vitæque elegantiſſimæ veriſſimis laudibus. Remove hæc: næ iſta dulcis oratio ita ſit abjecta, ut eam aſpicere nemo velit. Carbonem in ſummis oratoribus habitum ſcio: ſed cùm in ceteris rebus, tum in dicendo, ſemper, quo nihil eſt melius, id laudari, qualecumque eſt, ſolet. Dico idem de Grac-

1. *Quam idem & Hyperides.*] Cujac. *iidem*, quod ſatisfaciebat Gulielmio.

2. *Quid, quæſo nos aliud agimus.*] Emendatio eſt Pauli Manutii. antea enim legebatur, *quid quaſi nos*, &c.

Gracchis: etſi de iis ea ſunt à te dicta, quibus ego aſſentior. omitto ceteros: venio ad eos, in quibus jam perfectam putas eſſe eloquentiam, quos ego audivi ſine controverſia magnos oratores, Craſſum, & Antonium. de horum laudibus tibi prorſus aſſentior: ſed tamen non iſto modo, ut Polycleti *Doryphorum* ſibi Lyſippus ajebat; ſic tu ſuaſionem legis Serviliæ tibi magiſtram fuiſſe. hæc germana ironia eſt. cur ita ſentiam, non dicam, ne me tibi aſſentari putes. Omitto igitur, quæ de iis ipſis, quæ de Cotta, quæ de Sulpicio, quæ modò de Cælio dixeris. ii enim fuerunt certè oratores. quanti autem, & quales, tu videris. Nam illud minus curo, quod congeſſiſti operarios omneis, ut mihi videantur *mori voluiſſe* nonnulli, ut à te in oratorum
87 numerum referrentur. Hæc cùm ille dixiſſet, [1] Longi ſermonis initium depuliſti, inquam, Attice, remque commoviſti, nova diſputatione dignam, quam in aliud tempus differamus. Volvendi enim ſunt libri cùm aliorum, tum in primis Catonis. intelliges, nihil illius lineamentis, niſi eorum pigmentorum, quæ inventa nondum erant, florem, & colorem, defuiſſe. Nam de Craſſi oratione ſic exiſtimo, ipſum fortaſſe melius potuiſſe ſcribere: alium, ut arbitror, neminem. Nec in hoc ironiam duxeris eſſe, quòd eam orationem mihi *magiſtram* fuiſſe dixerim. nam etſi tu melius exiſtimare videris de ea, ſi quam nunc habemus, facultate; tamen, adoleſcentes quid in Latinis potius imitaremur, non habebamus. Quod autem plures à nobis nominati ſunt, eo pertinuit (ut paullo antè dixi) quod intelligi volui, in eo, cujus omnes cupidiſſimi eſſent, quàm pauci *digni* nomine evaderent. Quare εἴρωνα me, ne ſi Africanus quidem fuit, (ut ait in hiſtoria ſua C. Fannius) exiſtimari velim. Ut voles, inquit Atticus. Ego enim non alienum à te putabam, quod & in Africano fuiſſet, & in Socrate. Tum Brutus, De iſto poſtea: ſed tu (inquit, me intuens) orationes nobis veteres explicabis? [2] Verò, inquam, Brute: ſed in Cumano, aut in Tuſculano, aliquando, ſi modò licebit:
88 quoniam utroque in loco vicini ſumus. Sed jam ad id, unde digreſſi ſumus, revertamur. Hortenſius igitur cùm admodum adoleſcens orſus eſſet in foro dicere, celeriter ad majores cauſas adhiberi cœptus eſt. quamquam inciderat in Cottæ, & Sulpicii ætatem, qui annis decem majores, excellente tum Craſſo, & Antonio, deinde Philippo, pòſt Julio, cum iis ipſis dicendi gloria comparabatur. Primum memoria tanta, quantam in ullo cognoviſſe me arbitror, ut quæ ſecum commentatus eſſet, ea ſine ſcripto verbis eiſdem redderet, quibus cogitaviſſet. hoc adjumento ille tanto ſic utebatur, ut ſua & commentata, & ſcripta, &, nullo referente, omnia adverſariorum dicta meminiſſet. Ardebat autem *cupiditate* ſic, ut in nullo umquam flagrantius ſtudium viderim. nullum enim patiebatur eſſe diem, quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum. ſæpiſſimè autem eodem die utrumque faciebat. Attuleratque minimè vulgare genus dicendi: duas quidem res, quas nemo alius: partitiones, quibus de rebus dicturus eſſet, & [3] collectiones, memor & quæ eſſent dicta contrà, quæque ipſe dixiſſet. Erat in verborum ſplendore elegans, compoſitione aptus, facultate copioſus: eaque erat cùm ſummo ingenio, tum exercitationibus maximis, conſecutus. rem complectebatur memoriter, dividebat acutè: nec prætermittebat ferè quidquam, quod eſſet in cauſa, aut ad confirmandum, aut ad refellendum: vox canora, & ſuavis. motus & geſtus etiam plus artis habebat, quàm erat oratori ſatis. Hoc igitur floreſcente, Craſſus eſt mortuus, Cotta pulſus, judicia
89 intermiſſa bello, nos in forum venimus. Erat Hortenſius in bello, primo anno, miles, altero tribunus militum: Sulpicius legatus aberat, etiam M. Antonius: exercebatur una lege judicium *Varia*, ceteris propter bellum intermiſſis: qui frequentes aderant (quamquam pro ſe ipſi dicebant) oratores non illi quidem principes L. Memmius, & Q. Pompejus, ſed oratores tamen, teſte diſerto uterque Philippo, cujus in teſtimonio contentio & vim accuſatoris habebat, & copiam. Reliqui, qui tum principes numerabantur, in magiſtratibus erant, quotidieque ferè à nobis in concionibus audiebantur. Erat enim tribunus plebis tum C. Curio: quamquam is quidem ſilebat, ut erat ſemel à concione univerſa relictus. Q. Metellus Celer, non ille quidem orator, ſed tamen non infans: diſerti autem Q. Varius, C. Carbo, Cn. Pomponius: & ii quidem habitabant in roſtris. C. etiam Julius, ædilis curulis quotidie ferè accuratas conciones habebat: ſed me cupidiſſimum audiendi primus dolor percuſſit, Cotta cum eſt expulſus. reliquos frequenter audiens acerrimo ſtudio tenebar, quotidieque & ſcribens, & legens, & commentans, oratoris tantùm exercitationibus *contentus* non eram. Jam conſequente anno Q. Varius ſua lege damnatus exceſſerat. Ego autem, juris civilis ſtudio, multum operæ dabam Q. Scævolæ, P. F. qui quamquam nemini ſe ad docendum dabat, tamen, conſulentibus reſpondendo, ſtudioſos audiendi docebat. Atque huic anno proximus Sulla conſule, & Pompejo fuit. tum P. Sulpicii in tribunatu quotidie concionantis totum genus dicendi penitus cognovimus. eodemque tempore cùm princeps Academiæ Philo cum Athenienſium optimatibus Mithridatico bello domo profugiſſet, Romamque veniſſet, totum ei me tradidi, admirabili quodam ad Philoſophiam ſtudio concitatus, in quo hoc etiam commorabar attentiùs, quod etſi rerum ipſarum varietas, & magnitudo ſumma me *delectatione* retinebat; tamen ſublata jam eſſe in perpetuum ratio judiciorum videbatur. Occiderat Sulpicius illo anno, treſque proximò trium ætatum oratores erant crudeliſſimè interfecti, Q. Catulus, M. Antonius, C. Julius. Eodem anno etiam Moloni Rhodio Romæ dedimus operam, & actori ſummo
cauſarum, & magiſtro. Hæc etſi videntur eſſe à propoſita 90
ratione diverſa, tamen idcirco à me proferuntur, ut noſtrum curſum perſpicere, quoniam voluiſti, Brute poſſis, (nam Attico hæc nota ſunt) & videre quemadmodum ſimus in ſpatio Q. Hortenſium ipſius veſtigiis perſecuti. Triennium ferè fuit urbs ſine armis, ſed oratorum aut interitu, aut diſceſſu, aut fuga, (nam aberant etiam adoleſcentes M. Craſſus, & Lentuli duo) primas in cauſis agebat Hortenſius: magis, magiſque quotidie probatur Antiſtius, Piſo ſæpe dicebat: minus ſæpe Pomponius, raro Carbo: ſemel aut iterum Philippus. At verò ego hoc tempore omni nocteis & dies in omnium doctrinarum meditatione verſabar. Eram cum Stoico Diodoto: qui cùm habitaviſſet apud me, mecumque vixiſſet, nuper eſt domi meæ mortuus. à quo cùm in aliis rebus, tum ſtudioſiſſimè in *dialectica* exercebar: quæ quaſi contracta, & adſtricta eloquentia putanda eſt: ſine qua etiam tu, Brute, judicaviſti, te illam juſtam eloquentiam, quam dialecticam dilatatam eſſe putant, conſequi non poſſe. Huic ego doctori, & ejus artibus variis, atque multis ita eram tamen deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus eſſet. Commentabar declamitans, (ſic enim nunc loquuntur) ſæpe cum M. Piſone, & cum Q. Pompejo, aut cum aliquo quotidie: idque faciebam multùm etiam Latinè, ſed Græcè ſæpius: vel quòd *Græca oratio* plura ornamenta ſuppeditans, conſuetudinem ſimiliter Latinè dicendi afferebat: vel quòd à Græcis ſummis doctoribus, niſi Græcè dicerem, neque corrigi poſſem, neque doceri: Tumultus interim pro recuperanda republica, & crudelis interitus oratorum trium, Scævolæ, Carbonis, Antiſtii: reditus Cottæ Curionis, Craſſi, Lentulorum, Pompeii: leges & judicia conſtituta: recuperata reſpublica: ex numero autem oratorum Pomponius,

1. *Longi ſermonis initium depuliſti.*] Sic & Pal. & Cujac. Manutius & Lambinus admiſere *detuliſti*. Victorius *pepuliſti*.

2. *Verò, inquam Brute.*] Lambinus, *Ego verò inquam*, &c. ſed contra veteres libros, & ſic locutus non ſemel; ut lib. II. Tuſc. cap. II. lib. I. Divinat. cap. 46. pro Rullo denique, & Muræna.

3. *Et collectiones.*] Pal. & Cujacianus *conjectiones*. quod tale eſſe putabat Gulielmius, ut de eo quæri poſſet.

I. *Tan-*

nius, Cenſorinus, Murena ſublati. tum primùm nos ad cau-
ſas & privatas, & publicas adire cœpimus, non ut in foro *di-
ſceremus*, quod plerique fecerunt, ſed ut, quantum nos effice-
re potuiſſemus, docti in forum veniremus. Eodem tempo-
re Moloni dedimus operam. Dictatore enim Sulla, legatus
ad ſenatum de Rhodiorum præmiis venerat. Itaque prima
cauſa publica, pro Sex. Roſcio dicta, [1] tantum commen-
dationis habuit, ut non ulla eſſet, quæ non digna noſtro pa-
trocinio videretur. deinceps inde multæ, quas non minus
diligenter elaboratas, & tanquam elucubratas afferebamus.
91 Nunc, quoniam totum me non *nævo* aliquo aut *crepundiis*,
ſed corpore omni vidêris velle cognoſcere, complectar
nonnulla etiam, quæ fortaſſe videantur minus neceſſaria.
Erat eo tempore in nobis ſumma gracilitas, & infirmitas
corporis: procerum & tenue collum: qui habitus, & quæ
figura non procul abeſſe putatur à vitæ periculo, ſi accedit
labor, & *laterum* magna contentio. Eoque magis hoc eos,
quibus eram carus, commovebat, quòd omnia ſine remiſ-
ſione, ſine varietate, vi ſumma vocis, & totius corporis
contentione dicebam. Itaque cùm me & amici, & medici
hortarentur, ut cauſas agere deſiſterem: quodvis potiùs pe-
riculum mihi adeundum, quàm à ſperata dicendi gloria diſ-
cedendum putavi. Sed, cùm cenſerem, remiſſione, &
moderatione vocis, & commutato genere dicendi, me &
periculum vitare poſſe, & temperatiùs dicere: ut conſue-
tudinem dicendi mutarem, ea cauſa mihi in Aſiam profici-
ſcendi fuit. Itaque cùm eſſem biennium verſatus in cauſis,
& jam in foro celebratum meum nomen eſſet: Roma ſum
profectus. Cùm veniſſem Athenas, ſex menſes cum Antio-
cho, veteris Academiæ nobiliſſimo, & prudentiſſimo phi-
loſopho, fui, ſtudiumque *philoſophiæ* numquam intermiſ-
ſum, à primaque adoleſcentia cultum, & ſemper auctum,
hoc rurſus ſummo auctore, & doctore renovavi. Eodem
tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum, veterem,
& non ignobilem dicendi magiſtrum, ſtudioſè exerceri
ſolebam. Pòſt à me Aſia tota peragrata eſt, cum ſummis qui-
dem oratoribus, quibuſcum exercebar ipſis lubentibus,
quorum erat princeps Menippus Stratonicenſis, meo ju-
dicio, tota Aſia, illis temporibus, diſertiſſimus: &,
ſi nihil habere moleſtiarum, nec *ineptiarum*, Atticorum
eſt, hic orator in illis numerari rectè poteſt. Aſſiduiſ-
ſimè autem mecum fuit Dionyſius Magnes. erat etiam
Æſchylus Gnidius, Adramitenus Xenocles. hi tum in
Aſia rhetorum principes numerabantur. Quibus non
contentus, Rhodum veni, meque ad eundem, quem
Romæ audiveram, Molonem, applicavi, cùm acto-
rem in veris cauſis, ſcriptoremque præſtantem, tum in
notandis, animadvertendiſque vitiis, & inſtituendo,
docendoque prudentiſſimum. Is dedit operam (ſi modò id
conſequi potuit) ut nimis redundanteis nos, & ſuperfluen-
teis *juvenili* quadam dicendi impunitate, & licentia, re-
primeret; & quaſi extra ripas diffluenteis coërceret. Ita re-
cepi me biennio poſt, non modò exercitatior, ſed propè
mutatus. nam & contentio nimia vocis reciderat, & quaſi
referverat oratio, lateribuſque vires, & corporis mediocris
92 habitus acceſſerat. Duo tum excellebant oratores, qui me
imitandi cupiditate incitarent, Cotta, & Hortenſius: quo-
rum alter remiſſus, & lenis, & propriis verbis comprehen-
dens ſolutè, & facilè ſententiam: alter ornatus, acer, &
non talis, qualem tu eum, Brute, jam defloreſcentem co-
gnoviſti, ſed verborum, & actionis genere commotior.
Itaque cum Hortenſio mihi magis arbitrabar rem eſſe, quòd
& dicendi ardore eram propior, & ætate conjunctior. Et-
enim videram in iiſdem cauſis, ut pro M. Canuleio, pro
Cn. Dolabella conſulari, cùm Cotta princeps adhibitus
eſſet, priores tamen agere parteis Hortenſium. ACREM
ENIM oratorem, incenſum, & agentem, & canorum, con-
curſus hominum, forique ſtrepitus deſiderat. Unum igitur
annum, cùm rediiſſemus ex Aſia, cauſas nobileis egimus,
cùm quæſturam nos, conſulatum Cotta, ædilitatem peteret
Hortenſius. Interim me quæſtorem Siciliensis excepit an-
nus: Cotta ex conſulatu eſt profectus in Galliam. princeps
& erat, & habebatur Hortenſius. Cùm autem anno poſt è
Sicilia me recepiſſem, jam videbatur illud in me, quidquid
eſſet, eſſe *perfectum* & habere maturitatem quandam ſuam.
Nimis multa videor de me, ipſe præſertim: ſed omni huic
ſermoni propoſitum eſt, non ut ingenium, & eloquentiam
meam perſpicias, unde longe abſum, ſed ut laborem, & in-
duſtriam. Cùm igitur eſſem in plurimis cauſis, & in prin-
cipibus patronis quinquennium ferè verſatus, tum in pa-
trocinio Sicilienſi maximè in certamen veni deſignatus
ædilis cum deſignato conſule Hortenſio. Sed quoniam 93
omnis hic ſermo noſter non ſolùm enumerationem orato-
riam, verumetiam præcepta quædam deſiderat: quid tan-
quam notandum, & animadvertendum ſit in Hortenſio,
breviter licet dicere. Nam is poſt conſulatum (credo quod
videret, ex conſularibus neminem eſſe ſecum comparan-
dum, negligeret autem eos, qui conſules non fuiſſent) ſum-
mum illud ſuum ſtudium remiſit, quo à puero fuerat in-
cenſus, atque in omnium rerum abundantia voluit *beatius*,
ut ipſe putabat, remiſſius certè vivere. Primus, & ſecun-
dus annus, & tertius tantum quaſi de *pictura* veteris colore
detraxerat, quantum non quivis unus ex populo, ſed exiſti-
mator doctus, & intelligens poſſet cognoſcere. Longius
autem procedens, & in ceteris eloquentiæ partibus, tum
maximè in celeritate, & continuatione verborum adhære-
ſcens, ſui diſſimilior videbatur fieri quotidie. Nos autem
non deſiſtebamus, cùm omni genere *exercitationis*, tum ma-
ximè ſtilo, noſtrum illud, quod erat, augere, quantum-
cumque erat. Atque (ut multa omittam) in hoc ſpatio, &
in iis poſt ædilitatem annis, & prætor primus, & incredibili
populari voluntate ſum factus. Nam cùm propter aſſidui-
tatem in cauſis, & induſtriam, tum propter exquiſitius, &
minimè vulgare orationis genus, animos hominum ad me
dicendi *novitate* converteram. Nihil de me dicam: dicam de
ceteris, quorum nemo erat, qui videretur exquiſitius, quàm
vulgus hominum, ſtuduiſſe litteris: quibus fons perfectæ
eloquentiæ continetur: nemo, qui philoſophiam comple-
xus eſſet, matrem omnium benefactorum, beneque dicto-
rum: nemo, qui jus civile didiciſſet, rem ad privatas cau-
ſas, & ad oratoris prudentiam, maximè neceſſariam: ne-
mo, qui *memoriam* rerum Romanarum teneret: ex qua, ſi
quando opus eſſet, ab inferis locupletiſſimos teſteis excita-
ret: nemo, qui breviter, arguteque, incluſo adverſario, la-
xaret judicum animos, atque à ſeveritate paulliſper ad hila-
ritatem, riſumque traduceret: nemo, qui dilatare poſſet,
atque à propria ac definita diſputatione hominis, ac tempo-
ris, ad communem quæſtionem univerſi generis orationem
traduceret: nemo, qui delectandi gratia digredi parumper
à cauſa: nemo, qui ad iracundiam magnoperè judicem:
nemo, qui ad fletum poſſet adducere: nemo, qui animum
ejus, (quod unum eſt oratoris maximè proprium) quocum-
que res poſtularet, impelleret. Itaque, cùm jam pæne eva- 94
nuiſſet Hortenſius, & ego anno meo, ſexto autem poſt il-
lum Cos. Cos. factus eſſem, revocare ſe ad induſtriam cœ-
pit: ne, cùm pares honore eſſemus, aliqua re *ſuperiores* vi-
deremur. Sic duodecim poſt meum conſulatum annos in
maximis cauſis, cùm ego mihi illum, ſibi me ille antefer-
ret, conjunctiſſimè verſati ſumus: conſulatuſque meus, qui
illum primò leviter perſtrinxerat, idem nos rerum mearum
geſtarum, quas ille admirabatur, laude conjunxerat. Maxi-
mè verò perſpecta eſt utriuſque noſtrûm exercitatio, paullo
antè quàm perterritum armis hoc ſtudium, Brute, noſtrum
conticuit ſubitò, & obmutuit: cùm lege Pompeia ternis
horis ad dicendum datis, ad cauſas ſimillimas inter ſe, vel
potius eaſdem, *novi* veniebamus quotidie. quibus quidem
cauſis tu etiam, Brute, præſto fuiſti, complureiſque & no-
biſcum, & ſolus egiſti: ut, qui non ſatis diu vixerit Hor-
tenſius,

1. *Tantum commendationis habuit.*] Uterque ille ſcriptus *habui.* nihilo pejus, ſi non melius.

1. *Quaſi*

tenſius, tamen hunc curſum confecerit. Annis antè decem cauſas agere cœpit, quàm tu es natus. idem quarto, & ſexageſimo anno perpaucis ante mortem diebus, unà tecum ſocerum tuum defendit Appium. Dicendi autem genus quod fuerit in utroque, orationes utriuſque etiam poſteris noſtris
95 indicabunt. Sed, ſi quærimus, cur adoleſcens magis *floruerit* dicendo, quàm ſenior Hortenſius: cauſas reperiemus veriſſimas duas: Primùm, quòd genus erat orationis Aſiaticum, adoleſcentiæ magis conceſſum, quàm ſenectuti. Genera autem *Aſiaticæ dictionis*, duo ſunt: Unum ſententioſum, & argutum, ſententiis non tam gravibus, & ſeveris, quàm concinnis & venuſtis: qualis in hiſtoria Timæus, in dicendo autem, pueris nobis, Hierocles Alabandæus, magis etiam Menecles, frater ejus fuit: quorum utriuſque orationes ſunt in primis, ut Aſiatico in genere, laudabiles. Aliud autem genus eſt non tam ſententiis frequentatum, quàm verbis volùcre, atque incitatum: quali eſt nunc Aſia tota, nec flumine ſolùm orationis, ſed etiam exornato, & faceto genere verborum: in quo fuit Æſchylus Gnidius, & meus æqualis Mileſius Æſchines. in iis erat admirabilis orationis curſus, ornata ſententiarum concinnitas non erat. Hæc autem (ut dixi) genera dicendi, aptiora ſunt adoleſcentibus: in *ſenibus* gravitatem non habent. Itaque Hortenſius utroque genere florens, clamores faciebat adoleſcens. Habebat enim & Meneclium illud ſtudium crebrarum, venuſtarumque ſententiarum: in quibus, ut in illo Græco, ſic in hoc, erant quædam magis venuſtæ, dulceſque ſententiæ, quàm aut *neceſſariæ*, aut interdum utiles. Et erat oratio cùm incitata, & vibrans, tum etiam accurata, & polita. Non probantur hæc ſenibus. ſæpe videbam cùm irridentem, tum etiam iraſcentem, & ſtomachantem Philippum: ſed MIRABANTUR adoleſcentes, multitudo movebatur. Erat excellens judicio vulgi, & facilè primas tenebat adoleſcens. Etſi enim genus illud dicendi, auctoritatis habebat parum, tamen aptum eſſe ætati videbatur: & certè, quod & ingenii quædam forma lucebat, & exercitatione perfecta erat, verborumque adſtricta comprehenſio, ſummam hominum admirationem excitabat. Sed, cùm jam honores, & illa ſenior auctoritas *gravius quiddam* requireret: remanebat idem, nec decebat idem: quodque exercitationem, ſtudiumque dimiſerat, quod in eo fuerat acerrimum, concinnitas illa, crebritaſque ſententiarum priſtina manebat, ſed ea veſtitu illo orationis, quo conſueverat, ornata non erat. hoc tibi ille, Brute, minus fortaſſe placuit, quam placuiſſet, ſi illum flagrantem ſtudio, & florentem facultate audire potuiſſes.
96 Tum Brutus, Ego verò, inquit, & iſta, quæ dicis, video qualia ſint, & Hortenſium magnum oratorem ſemper putavi, maximeque probavi pro Meſſalla dicentem, cùm tu abfuiſti. Sic ferunt, inquam, idque declarat totidem, quot dixit (ut ajunt) ſcripta verbis oratio. Ergo ille à Craſſo conſule, & Scævola uſque ad Paullum & Marcellum conſules floruit: nos in eodem curſu fuimus à Sulla dictatore, ad eoſdem ferè conſules. Sic Q. Hortenſii vox exſtincta fato ſuo eſt, noſtra, publico. Melius, quæſo, ominare, inquit Brutus. Sit ſanè ut vis, inquam: & id non tam mea cauſa, quàm tua: ſed *fortunatus* illius exitus, qui ea non vidit cùm fierent, quæ providit futura. Sæpe enim inter nos impendenteis caſus deflevimus, cùm belli civilis *cauſas*, in privatorum cupiditatibus incluſas, pacis ſpem à publico conſilio eſſe excluſam videremus. Sed illum videtur felicitas ipſius, qua ſemper eſt uſus, ab eis miſeriis, quæ conſecutæ ſunt, morte vindicaſſe. Nos autem, Brute, quoniam poſt Hortenſii, clariſſimi oratoris, mortem orbæ eloquentiæ quaſi *tutores* relicti ſumus, domi teneamus eam ſæptam liberali cuſtodia: & hos ignotos, atque impudenteis procos repudiemus, tueamurque, ut adultam virginem, caſtè, & ab armatorum impetu, quantum poſſumus, prohibeamus. Equidem, etſi doleo, me in vitam paullo ſerius, tanquam in viam, ingreſſum, priuſquam confectum iter ſit, in hanc reipub. noctem incidiſſe: tamen ea conſolatione ſuſtentor, quam tu mihi, Brute, adhibuiſti tuis ſuaviſſimis litteris: quibus me forti animo eſſe oportere cenſebas, quòd ea geſſiſſem, quæ de me, etiam me tacente, ipſa loquerentur, mortuoque viverent: quæ, ſi rectè eſſet, ſalute reip.; ſin ſecus, interitu ipſo, teſtimonium meorum de rep. conſiliorum darent. Sed in te intuens, Brute, doleo; cujus in adole- 97
ſcentiam, per medias laudes, [1] quaſi quadrigis vehentem, tranſverſa incurrit miſera fortuna reip. [2] hic me dolor tangit, hæc me cura ſollicitat, & hunc mecum, ſocium ejuſdem & amoris, & judicii. Tibi favemus, te tua frui virtute cupimus: tibi optamus eam remp. in qua duorum generum ampliſſimorum renovare memoriam, atque augere poſſis. Tuum enim forum, tuum erat illud curriculum: tu illuc veneras unus, qui non linguam modò acuiſſes exercitatione dicendi, ſed & ipſam eloquentiam locupletaviſſes graviorum artium *inſtrumento*, & iiſdem artibus decus omne virtutis cum ſumma eloquentiæ laude junxiſſes. Ex te duplex nos afficit ſollicitudo, quod & ipſe republ. careas, & illa te. Tu tamen (etſi curſum ingenii tui, Brute, premit hæc importuna clades civitatis) contine te in tuis perennibus ſtudiis, & effice id, quod jam propemodum, vel planè potius effeceras, ut te eripias ex ea, quam ego congeſſi in hunc ſermonem, turba patronorum. Nec enim decet te, ornatum uberrimis artibus, quas cùm domo haurire non poſſes, arceſſiviſti ex urbe ea, quæ *domus* eſt ſemper habita doctrinæ, numerari in vulgo patronorum. Nam quid te exercuit Pammenes, vir longe eloquentiſſimus Græciæ? quid illa vetus Academia, atque ejus heres Ariſtus, hoſpes, & familiaris meus, ſiquidem ſimiles majoris partis oratorum futuri ſumus? nonne cernimus, vix [3] *ſingulis ætatibus* binos oratores laudabileis conſtitiſſe? Galba fuit inter tot æqualeis unus excellens, cui (quemadmodum accepimus) & Cato cedebat ſenior, & qui temporibus illis ætate inferiores fuerunt, Lepidus poſtea, deinde Carbo. Nam Gracchi in concionibus multo faciliore, & liberiore genere dicendi: quorum tamen ipſorum ad ætatem laus eloquentiæ perfecta nondum fuit. Antonius, Craſſus, poſt Cotta, Sulpicius, Hortenſius, nihil dico amplius: tantum dico, ſi mihi accidiſſet, ut numerarer in multis, * ſi operoſa eſt concurſatio magis opportunorum. * *

M. TUL-

1. *Quaſi quadrigis vehentem.*] Lambinus maluit *volantem*, quem jure reprehendit Rubenius lib. 1. Electorum cap. 4.

2. *Hic me dolor tangit, hæc me cura ſollicitat.*] Corradus corrigit *angit*. quem ſecutus eſt Lambinus. ſed ſi auſcultabimus Palatino tota ea vox abjicienda veniet.

3. *Singulis ætatibus conſtitiſſe.*] Inclinabat Rivius in *exſtitiſſe*, ita tamen ut non ſollicitaret vulgatam, ſed id prorſus recepit Lambinus, contra libros editos ſcriptoſque.

M. TULLII CICERONIS AD MARCUM BRUTUM ORATOR.

1 UTRUM difficilius, aut majus eſſet negare tibi ſæpius idem roganti, an efficere id, quod rogares, diu, multumque, Brute, dubitavi. Nam & negare ei, quem unicè diligerem, cuique me cariſſimum eſſe ſentirem, præſertim & *juſta petenti*, *& præclara cupienti*, durum admodum mihi videbatur: & ſuſcipere tantam rem, quantam non modò facultate conſequi difficile eſſet, ſed etiam cogitatione complecti; vix arbitrabar eſſe ejus, qui vereretur reprehenſionem doctorum, atque prudentium. Quid enim eſt majus, quàm, cùm tanta ſit inter oratores bonos diſſimilitudo, judicare, quæ ſit optima ſpecies, & quaſi figura dicendi? Quod quoniam me ſæpius rogas, aggrediar, non tam perficiendi ſpe, quàm experiundi voluntate. Malo enim, cùm ſtudio tuo ſim obſecutus, deſiderari à te prudentiam meam, quàm, ſi id non fecerim, benivolentiam. Quæris igitur, idque jam ſæpius, quod eloquentiæ genus probem maximè, & quale mihi videatur illud, cui nihil addi poſſit, quod ego ſummum, & perfectiſſimum judicem. In quo vereor, ne, ſi id, quod vis, effecero, eumque oratorem, quem quæris, expreſſero: tardem ſtudia multorum, qui deſperatione debilitati, experiri id nolent, quod ſe aſſequi poſſe diffidant. Sed PAR EST omneis omnia experiri, qui res magnas, & magno opere expetendas concupiverunt. Quòd ſiquem aut natura ſua, aut illa præſtantis ingenii vis fortè deficiet, aut minus inſtructus erit magnarum artium diſciplinis: teneat tamen eum curſum, quem poterit. PRIMA enim ſequentem, honeſtum eſt in ſecundis, tertiiſque conſiſtere. [1] Nam in poëtis, non Homero ſoli locus eſt (ut de Græcis loquar) aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro: ſed horum vel ſecundis, vel etiam infra ſecundos. Nec verò Ariſtotelem in philoſophia deterruit à ſcribendo amplitudo Platonis: nec ipſe Ariſtoteles admirabili quadam ſcientia, & copia, ceterorum
2 ſtudia reſtinxit. Nec ſolùm ab optimis ſtudiis excellentes viri deterriti non ſunt, ſed ne opifices quidem ſe artibus ſuis removerunt, qui aut Jalyſi, quem Rhodi vidimus, non potuerunt, aut Coæ Veneris pulcritudinem imitari. Nec ſimulacro Jovis Olympii, aut Doryphori ſtatua deterriti, reliqui minus experti ſunt, quid efficere, aut quò progredi poſſent: quorum tanta multitudo fuit, tanta in ſuo cujuſque genere laus, ut, cùm ſumma *miraremur*, inferiora tamen *probaremus*. In oratoribus verò, Græcis quidem, admirabile eſt, quantum inter omneis unus excellat. Attamen, cùm eſſet Demoſthenes, multi oratores, magni, & clari fuerunt, & antea fuerant, nec poſtea defecerunt. Quare non eſt cur eorum, qui ſe ſtudio eloquentiæ dediderunt, ſpes infringatur, aut langueſcat induſtria. Nam NEQUE ILLUD ipſum, quod eſt optimum, deſperandum eſt: & IN PRÆSTANTIBUS rebus, magna ſunt ea, quæ ſunt optimis proxima. Atque ego in ſummo oratore fingendo talem informabo, qualis fortaſſe nemo fuit. Non enim quæro, quis fuerit, ſed quid ſit illud, quo nihil poſſit eſſe præſtantius: quod in perpetuitate dicendi non ſæpe, atque haud ſcio an umquam, in aliqua autem parte eluceat aliquando, idem apud alios denſius, apud alios fortaſſe rarius. Sed ego ſic ſtatuo, nihil eſſe in ullo genere tam *pulcrum*, quo non pulcrius id ſit, unde illud, ut ex ore aliquo, quaſi imago, exprimatur, quod neque oculis, neque auribus, neque ullo ſenſu percipi poteſt: cogitatione tantùm, & mente complectimur. Itaque & Phidiæ ſimulacris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus, & his picturis, quas nominavi, cogitare tamen poſſumus pulcriora. Nec verò ille artifex, cùm faceret Jovis formam, aut Minervæ, contemplabatur aliquem, è quo ſimilitudinem duceret: ſed ipſius in mente inſidebat ſpecies pulcritudinis eximia quædam, quàm intuens, in eaque defixus, ad illius ſimilitudinem, artem, & manum dirigebat. Ut igitur in 3
formis, & figuris eſt aliquid perfectum, & excellens, cujus ad cogitatam ſpeciem imitando referuntur ea, [2] quæ ſub oculos ipſa cadunt: ſic perfectæ eloquentiæ ſpeciem animo videmus, effigiem auribus quærimus. Has rerum formas appellat *ideas* ille non intelligendi ſolùm, ſed etiam dicendi graviſſimus auctor, & magiſter, Plato: eaſque gigni negat, & ait ſemper eſſe, ac ratione, & intelligentia contineri: cetera naſci, occidere, fluere, labi; nec diutius eſſe uno, & eodem ſtatu. Quidquid eſt igitur, de quo ratione, & via diſputetur, id eſt ad ultimam ſui generis formam, ſpeciemque redigendum. Ac video, hanc primam ingreſſionem meam non ex oratoris diſputationibus ductam, ſed è media philoſophia repetitam, & eam quidem cùm antiquam, tum ſubobſcuram, aut reprehenſionis aliquid, aut certè admirationis habituram. Nam aut mirabuntur, quid hæc pertineant ad ea, quæ quærimus: quibus ſatisfaciet res ipſa cognita, ut non ſine cauſa altè repetita videatur: aut reprehendent, quòd inuſitatas vias indagemus, tritas relinquamus. Ego autem & me ſæpe *nova videri* dicere intelligo, cùm pervetera dicam, ſed inaudita pleriſque: & fateor, me oratorem, ſi modo ſim, aut etiam quicumque ſim, non ex rhetorum officinis, ſed ex Academiæ ſpatiis exſtitiſſe. Illa enim ſunt curricula multiplicium, variorumque ſermonum, in quibus Platonis primùm impreſſa ſunt veſtigia: ſed & hujus, & aliorum philoſophorum diſputationibus & exagitatus maximè orator eſt, & adjutus. Omnis enim ubertas, & quaſi ſilva dicendi, ducta ab illis eſt, nec ſatis tamen inſtructa ad forenſeis cauſas: quas, ut illi ipſi dicere ſolebant, *agreſtioribus Muſis* reliquerunt. Sic eloquentia hæc forenſis, ſpreta à philoſophis, & repudiata, multis quidem illa adjumentis, magniſque caruit: ſed tamen ornata verbis, atque ſententiis, jactationem habuit in populo, nec paucorum judicium,

1. N*Am in poëtis, &c.*] Pall. tres, item Cujacii liber & Memmianus, *An in poëtis*. & ita expreſſit Aldus Manutius Nepos, ſive is fuit Victor Piſanus; qui hunc locum adornavit commentario.

2. *Quæ ſub oculos ipſa cadunt.*] Sic legendum oſtendit Petrus Victorius lib. XI. Variar. lect. cap. 14. prius cuſi, *non cadunt*. Supra quoque, ubi habemus, *& in præſtantibus rebus*, & Victorii membranæ & Gallicanæ, nec non Palatinæ præferunt, *& in præſentibus rebus*. quod habet quo ſe defendat. ſed & noſtri codices Electorales item Memmianus, pro illo *ſpes infringatur*, habent *infringat*, quod dictum putat Gulielmius, ut *ſpes decollat*.

dicium, reprehenſionemque pertimuit. Ita & doctis elo-
4 quentia popularis, & diſertis elegans doctrina defuit. Poſitum ſit igitur in primis, (quod poſt magis intelligetur) SINE PHILOSOPHIA non poſſe effici, quem quærimus, eloquentem: non ut in ea tamen omnia ſint, ſed ut ſic adjuvet, ut palæſtra hiſtrionem. parva enim magnis ſæpe rectiſſime conferuntur. nam nec latius, nec copioſius de magnis, variiſque rebus ſine philoſophia poteſt quiſquam dicere. Siquidem etiam in Phædro Platonis hoc Periclem præſtitiſſe ceteris dicit oratoribus Socrates, quod is Anaxagoræ phyſici fuerit auditor: à quo cenſet, eum, cùm alia præclara quædam, & magnifica didiciſſet, uberem, & fœcundum fuiſſe, gnarumque (quod eſt eloquentiæ maximum) quibus orationis modis, quæque animorum partes pellerentur. quod idem de Demoſthene exiſtimari poteſt: cujus ex epiſtolis intelligi licet, quàm frequens fuerit Platonis auditor. Nec verò ſine philoſophorum diſciplina, genus, & ſpeciem cujuſque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in parteis poſſumus: nec judicare, quæ vera, quæ falſa ſint, neque cernere conſequentia, repugnantia videre, ambigua diſtinguere. Quid dicam de *natura rerum*, cujus cognitio magnam orationis ſuppeditat copiam, de vita, de officiis, de virtute, de moribus, ſine multa earum ipſarum
5 rerum diſciplina, aut dici, aut intelligi poteſt? Ad has tot, tantaſque res adhibenda ſunt ornamenta innumerabilia, quæ ſola tum quidem tradebantur ab iis, qui dicendi numerabantur magiſtri. Quo fit, ut veram illam, & abſolutam eloquentiam nemo conſequatur, quòd alia intelligendi, alia dicendi diſciplina eſt: & ab aliis rerum, ab aliis verborum doctrina quæritur. Itaque M. Antonius, cui vel primas eloquentiæ patrum noſtrorum tribuebat ætas, vir natura peracutus, & prudens, in eo libro, quem unum reliquit, DISERTOS ait ſe vidiſſe multos, eloquentem omnino neminem. Inſidebat videlicet in ejus mente ſpecies eloquentiæ, quam cernebat animo, re ipſa non videbat. Vir autem acerrimo ingenio (ſic enim fuit) multa & in ſe, & in aliis deſiderans, neminem planè, qui rectè appellari eloquens poſſet, videbat. Quòd ſi ille nec ſe, nec L. Craſſum eloquentem putavit: habuit profectò comprehenſam animo quandam formam eloquentiæ, cui quoniam nihil deerat, eos, quibus aliquid, aut plura deerant, in eam formam non poterat includere. Inveſtigemus hunc igitur, Brute, ſi poſſumus, quem numquam vidit Antonius, aut qui omnino nullus umquam fuit, quem ſi imitari, atque exprimere non poſſumus, quod idem ille vix Deo conceſſum eſſe dicebat: at qualis eſſe debeat, poterimus fortaſſe dicere. Tria ſunt omnino genera dicendi, quibus in ſingulis quidam floruerunt: peræquè autem (id quod volumus) perpauci in omnibus. Nam & *grandiloqui*, ut ita dicam, fuerunt cum ampla & ſententiarum gravitate, & majeſtate verborum, vehementes, varii, copioſi, graves: ad permovendos, & convertendos animos inſtructi, & parati. quod ipſum alii aſpera, triſti, horrida oratione, neque perfecta, neque concluſa: alii levi, & inſtructa, & terminata: Et contrà *tenues*, acuti, omnia docentes, & dilucidiora, non ampliora, facientes,
6 ſubtili quadam, & preſſa oratione limati. In eodemque genere alii callidi, ſed impoliti, & conſultò rudium ſimiles & imperitorum: alii in eadem jejunitate concinniores, id eſt faceti, florentes etiam, & leviter ornati. Eſt autem quidam interjectus, inter hos medius: & quaſi temperatus, nec acumine poſteriorum, nec fulmine utens ſuperiorum, [1] ut cinnus amborum, in neutro excellens, utriuſque particeps; vel utriuſque (ſi verum quærimus) potius expers. Iſque uno tenore, ut ajunt, in dicendo fluit, nihil afferens præter facilitatem, & æquabilitatem: aut addit aliquos, ut in corona, *toros*, omnemque orationem ornamentis modicis verborum, ſententiarumque diſtinguit. Horum ſingulorum generum quicumque vim ſingulis conſecuti ſunt, magnum in oratoribus nomen habuerunt. Sed quærendum eſt, ſatiſne
id, quod volumus, effecerint. Videmus enim fuiſſe quoſ- 7
dam, qui iidem ornatè, ac graviter, iidem verſutè & ſubtiliter dicerent. Atque utinam in Latinis talis oratoris ſimulacrum reperire poſſemus. eſſet egregium non quærere *externa*, domeſticis eſſe contentos. ſed ego idem, qui in illo ſermone noſtro, qui eſt expoſitus in Bruto, multum tribuerim Latinis, vel ut hortarer alios, vel quòd amarem meos, [2] recordor longè omnibus unum anteferre Demoſthenem, qui vim accommodarit ad eam, quam ſentiam, eloquentiam, non ad eam, quam in aliquo ipſe cognoverim. Hoc nec gravior exſtitit quiſquam, nec callidior, nec temperatior. Itaque nobis monendi ſunt ii, quorum ſermo imperitus increbruit, qui aut dici ſe deſiderant Atticos, aut ipſi Atticè volunt dicere, ut mirentur hunc maximè, quo ne Athenas quidem ipſas magis credo fuiſſe Atticas. quid enim ſit *Atticum*, diſcant, eloquentiamque ipſius viribus, non imbecillitate ſua, metiantur. NUNC enim tantum quiſque laudat, quantum ſe poſſe ſperat imitari. Sed tamen eos ſtudio optimo, judicio minus firmo præditos, docere, quæ ſit propria laus Atticorum, non alienum puto.
Semper oratorum eloquentiæ *moderatrix* fuit auditorum 8
prudentia. Omnes enim, qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur, ad eamque, & ad eorum arbitrium, & nutum totos ſe fingunt, & accommodant. Itaque Caria, & Phrygia, & Myſia, quòd minimè politæ, minimeque elegantes ſunt, adſciverunt, aptum ſuis auribus opimum quoddam, & tanquam adipatæ dictionis genus, quod eorum vicini (non ita lato interjecto mari) Rhodii numquam probaverunt, Græci multo minùs, Athenienſes verò funditus repudiaverunt: quorum ſemper fuit prudens, *ſincerum*que *judicium*, nihil ut poſſent, niſi incorruptum, audire, & elegans. eorum religioni cùm ſerviret orator, nullum verbum inſolens, nullum odioſum ponere audebat. Itaque hic, quem præſtitiſſe diximus ceteris, in illa pro Cteſiphonte oratione longè optima, ſummiſſiùs à primo: deinde, dum de legibus diſputat, preſſiùs: pòſt ſenſim incedens, judices ut vidit ardenteis, in reliquis exſultavit audacius. Ac tamen in hoc ipſo, diligenter examinante verborum omnium pondera, reprehendit Æſchines quædam, & exagitat: illudenſque, dura, odioſa, intolerabilia eſſe dicit. Quinetiam quærit ab ipſo, cùm quidem eum *belluam* appellet, utrùm illa verba, an portenta ſint: ut Æſchini ne Demoſthenes quidem videatur Atticè dicere. Facile eſt enim verbum aliquod ardens (ut ita dicam) notare, idque reſtinctis jam animorum *incendiis* irridere. Itaque ſe purgans jocatur Demoſthenes, negat in eo poſitas eſſe *fortunas Græciæ*, in hoc eum, huc, an illuc manum porrexerit. Quonam igitur modo audiretur Myſus, aut Phryx Athenis, cum etiam Demoſthenes exagitetur, ut putidus? Cùm verò inclinata, ululantique voce, more Aſiatico, canere cæpiſſet, quis eum ferret? aut quis potius
non juberet auferri? Ad Atticorum igitur aureis tereteis, & 9
religioſas, qui ſe accomodant, ii ſunt exiſtimandi *Atticè dicere*. Quorum genera plura ſunt, hi unum modò quale ſit, ſuſpicantur. Putant enim, qui horridè, inculteque dicat, modò id eleganter, enucleateque faciat, eum ſolum Atticè dicere. Errant, quòd ſolum: quòd Atticè, non falluntur. Iſtorum enim judicio ſi ſolum illud eſt Atticum, ne Pericles quidem dixit Atticè, cui primæ ſine controverſia deferebantur. qui ſi tenui genere uteretur, numquam ab Ariſtophane poëta *fulgere*, *tonare*, *permiſcere Græciam* dictus eſſet. Dicat igitur Atticè venuſtiſſimus ille ſcriptor, ac politiſſimus Lyſias. quis enim id poſſit negare? dum intelligamus, hoc eſſe Atticum in Lyſia, non quod tenuis ſit, atque inornatus, ſed quòd nihil habeat inſolens, aut ineptum. Ornatè verò, & graviter, & copioſè dicere, aut Atticorum ſit, aut ne ſit Æſchines, neve Demoſthenes Atticus.

1. *Et quaſi cinnus amborum.*] A Nonio petita eſt loci hujus reſtitutio, qui in libris editis ſcriptiſque maculoſus erat.

2. *Recordor longè omnibus*, &c.] Vulgata, *me longe*. ſed pronomen illud non eſt in Pall. aut Gallicanis.

1. *Nonne*

ticus. Ecce autem aliqui ſe *Thucydidios* eſſe profitentur; novum quoddam imperitorum, & inauditum genus. Nam qui Lyſiam ſequuntur, cauſidicum quendam ſequuntur: non illum quidem amplum, atque grandem: ſubtilem & elegantem tamen, & qui in forenſibus cauſis poſſit præclarè conſiſtere. Thucydides autem res geſtas, & bella narrat, & prœlia, graviter ſanè, & probè: ſed nihil ab eo transferri poteſt ad forenſem uſum, & publicum. Ipſæ illæ conciones ita multas habent obſcuras, abditaſque ſententias, *vix ut intelligantur*: quod eſt in oratione civili vitium vel maximum. QUÆ EST autem in hominibus tanta perverſitas, ut, inventis frugibus, glande veſcantur? An victus hominum, Athenienſium beneficio excoli potuit, oratio non potuit? Quis porrò umquam Græcorum rhetorum à Thucydide quidquam duxit? At laudatus eſt ab omnibus. fateor: ſed ita, ut rerum explicator prudens, ſeverus, gravis: non ut in judiciis verſaret cauſas, ſed ut in hiſtoriis bella narraret. Itaque numquam eſt numeratus orator. nec verò, ſi hiſtoriam non ſcripſiſſet, [1] nomen ejus exſtaret, cùm præſertim fuiſſet honoratus, & nobilis. Hujus tamen nemo neque verborum, neque ſententiarum gravitatem imitatur: ſed, cùm mutila quædam, & hiantia locuti ſunt, quæ vel *ſine magiſtro* facere potuerunt, germanos ſe putant eſſe Thucydidas. Nactus ſum etiam qui Xenophontis ſimilem eſſe ſe cuperet: cujus ſermo eſt ille quidem melle dulcior, ſed à forenſi ſtrepitu remotiſſimus. Referamus nos igitur ad eum, quem volumus, inchoandum, & eadem eloquen-

10 tia informandum, quam in nullo cognovit Antonius. Magnum opus omnino & arduum, Brute, conamur: ſed *nihil difficile amanti* puto. Amo autem, & ſemper amavi ingenium, ſtudia, mores tuos. Incendor porrò quotidie magis, non deſiderio ſolùm (quo quidem conficior) congreſſus noſtros; conſuetudinem victus, doctiſſimos ſermones requirens tuos, ſed etiam admirabili fama virtutum incredibilium, quæ ſpecie diſpares, prudentia conjunguntur. Quid enim tam diſtans, quàm à ſeveritate *comitas*? Quis tamen umquam te aut ſanctior eſt habitus, aut dulcior? Quid tam difficile, quàm in plurimorum controverſiis dijudicandis *ab omnibus* diligi? conſequeris tamen, ut eos ipſos, quos contra ſtatuas, æquos, placatoſque dimittas. itaque efficis, ut, cùm gratiæ cauſa nihil facias, omnia tamen ſint grata, quæ facis. Ergo omnibus terris, una Gallia [2] communi non ardet incendio: in qua frueris ipſe te, cùm in Italiæ luce cognoſceris, verſariſque in optimorum civium vel flore, vel robore. Jam quantum illud eſt, quòd in maximis *occupationibus* numquam intermittis ſtudia doctrinæ? ſemper aut ipſe ſcribis aliquid, aut me vocas ad ſcribendum? Itaque hoc ſum aggreſſus ſtatim Catone abſoluto, quem ipſum numquam attigiſſem, tempora timens inimica virtuti, niſi tibi hortanti, & illius memoriam mihi caram excitanti, non parère nefas eſſe duxiſſem: ſed teſtificor, me à te rogatum, & recuſantem, hæc ſcribere eſſe auſum. Volo enim mihi tecum commune eſſe crimen, ut, ſi ſuſtinere tantam quæſtionem non potuero, *injuſti oneris* impoſiti tua culpa ſit, mea recepti. in quo tamen judicii

11 noſtri errorem, laus tibi dati muneris compenſabit. Sed in omni re difficillimum eſt, formam, (quod χαρακτὴρ Græcè dicitur) exponere optimi: quòd aliud aliis videtur optimum. Ennio delector, ait quiſpiam, quòd non diſcedit à communi more verborum: Pacuvio, inquit alius: omnes apud hunc ornati, elaboratique ſunt verſus: multa apud alterum negligentiùs. Fac alium Attio. *varia enim ſunt judicia*, ut in Græcis: nec facilis explicatio, quæ forma maximè excellat. In picturis alios horrida, inculta, abdita, & opaca: contra alios nitida, læta, [3] colluſtrata delectat. Quid eſt, quo *præſcriptum* aliquod, aut *formulam* exprimas, cùm in ſuo quodque genere præſtet, & genera plura ſint? Hac ego religione non ſum ab hoc conatu repulſus: exiſtimavique, IN OMNIBUS rebus eſſe aliquid optimum, etiam ſi lateret: idque ab eo poſſe, qui ejus rei gnarus eſſet, judicari. Sed quoniam plura ſunt orationum genera, eaque diverſa, neque in unam formam cadunt omnia: laudationum, ſcriptionum, & hiſtoriarum, & talium ſuaſionum, qualem Iſocrates fecit Panegyricum, multique alii, qui ſunt nominati ſophiſtæ, reliquarumque rerum formam, quæ abſunt ab forenſi contentione, ejuſque totius generis, quod Græcè ἐπιδεικτικὸν nominatur, quod quaſi ad inſpiciendum, delectationis cauſa comparatum eſt, non complectar hoc tempore, non quo negligenda ſit: eſt enim illa quaſi *nutrix* ejus oratoris, quem informare volumus, & de quo molimur aliquid exquiſitius dicere. Ab hac & verborum copia alitur, & eorum 12

conſtructio, & numerus liberiore quadam fruitur licentia. Datur etiam venia concinnitati ſententiarum: & arguti, certique, & circumſcripti verborum ambitus conceduntur: de induſtriaque, non ex inſidiis, ſed apertè, ac palàm elaboratur, ut verba verbis quaſi demenſa, & paria reſpondeant, ut crebrò conferantur pugnantia, comparenturque contraria: & ut pariter extrema terminentur, eundemque referant in cadendo ſonum: quæ in veritate cauſarum & rariùs multo facimus, & certè occultius. In Panathenaico autem Iſocrates ea ſtudiosè conſectatum fatetur. non enim ad judiciorum certamen, ſed ad voluptatem aurium ſcripſerat. Hæc tractaſſe Traſymachum Chalcedonium, primum, & Leontinum ferunt Gorgiam: Theodorum inde Byzantium, multoſque alios, quos λογοδαιδάλους appellat in Phædro Socrates: quorum ſatis arguta multa, ſed ut modò, primumque *naſcentia*, minuta, [4] & verſiculorum ſimilia quædam, nimiumque depicta. Quo magis ſunt Herodotus, Thucydideſque mirabiles: quorum ætas cùm in eorum tempora, quos nominavi, incidiſſet, longiſſime tamen ipſi à talibus deliciis, vel potius ineptiis abfuerunt. alter enim ſine ullis ſalebris, quaſi *ſedatus amnis* fluit: alter incitatior fertur, & de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum: primiſque ab his (ut ait Theophraſtus) hiſtoria commota eſt, ut auderet uberiùs, quàm ſuperiores, & ornatiùs dicere. Horum ætati ſucceſſit Iſocrates, qui 13

præter ceteros ejuſdem generis laudatur ſemper à nobis, nonnumquam, Brute, leviter, & eruditè repugnante te. ſed credas mihi fortaſſe, ſi, quid in eo laudem, cognoveris. Nam cùm conciſus ei Thraſymachus minutis numeris videretur, & Gorgias, qui tamen primi traduntur *arte quadam* verba vinxiſſe: [5] Thucydides autem præfractior, nec ſatis (ut ita dicam) rotundus: primus inſtituit dilatare verbis, & mollioribus numeris explere ſententias. In quo cùm doceret eos, qui partim in dicendo, partim in ſcribendo principes exſtiterunt, domus ejus *officina* habita eloquentiæ eſt. Itaque ut ego, cùm à noſtro Catone laudabar, vel reprehendi me à ceteris facilè patiebar: ſic Iſocrates videtur teſtimonio Platonis aliorum judicia debere contemnere. Eſt enim (ut ſcis) quaſi in extrema pagina Phædri his ipſis verbis loquens Socrates, ADOLESCENS etiam nunc, ô Phædre, Iſocrates eſt: ſed quid de illo augurer, lubet dicere. Quid tandem, inquit ille. Majore mihi ingenio videtur eſſe, quàm ut cum orationibus Lyſiæ comparetur: præterea ad virtutem major indoles: ut minimè mirum futurum ſit, ſi, cùm ætate proceſſerit, aut in hoc orationum genere, cui nunc ſtudet, tantum, quantum pueris, reliquis præſtet omni-

1. *Nomen ejus exſtaret.*] Editiones Lambini, *non exſtaret*, ſed abeſt illa negativa Palatinis & Memmiano, neque agnoſcunt editiones antiquæ aut neotericæ.

2. *Communi non ardet incendio.*] Gulielmius putat aliquid heic deeſſe; & reſcribendum, *nunc ardet inc.*

3. *Colluſtrata delectat.*] Sic Pall. ac Gallicanus. P. Manutius tamen & Lambinus publicarunt *delectant.*

4. *Et verſiculorum ſimilia, &c.*] Haud dubiam cenſet conjecturam Lambinus, *verſiculorium*, reclamantibus libris omnibus. at cur idem etiam non mutat illa inferius cap. 20. *apud quos, niſi quod verſiculi ſunt, nihil eſt aliud quotidiani diſſimile ſermonis.*

5. *Thucydides autem præfractior.*] Nonius in *Rotundum* citat *Theodectes*. improbatque Lambinus.

omnibus qui umquam orationes attigerunt, aut, ſi contentus his non fuerit, divino aliquo animi motu majora concupiſcat. Ineſt enim natura philoſophia in hujus viri mente quædam. Hæc de adoleſcente Socrates auguratur. At ea de ſeniore ſcribit Plato, & ſcribit æqualis, & quidem exagitator omnium rhetorum. hunc miratur unum: me autem, qui Iſocratem non diligunt, unà cum Socrate, & cum Platone *errare* patiantur. Dulce igitur orationis genus, & ſolutum, & effluens, ſententiis argutum, verbis ſonans, eſt in illo epidictico genere: quod diximus proprium ſophiſtarum: pompæ, quàm pugnæ aptius: gymnaſiis, & paleſtræ dicatum: ſpretum, & pulſum foro. Sed quòd educata hujus nutrimentis eloquentia, ipſa ſe poſtea colorat, & roborat, non alienum fuit de oratoris quaſi *incunabulis* dicere. Verùm hæc, ludorum, atque pompæ: nos autem
14 jam in aciem, dimicationemque veniamus. Quoniam tria videnda ſunt oratori, quid dicat, & quo quidque loco, & quomodo: dicendum omnino eſt, quid ſit optimum in ſingulis, ſed aliquanto ſecus, atque in tradenda arte dici ſolet. nulla præcepta ponemus (neque enim id ſuſcepimus) ſed excellentis eloquentiæ ſpeciem & formam adumbrabimus: nec, quibus rebus ea paretur, exponemus: ſed qualis nobis eſſe videatur. Ac duo breviter prima. ſunt enim non tam inſignia ad maximam laudem, quàm neceſſaria, & tamen cum multis pæne communia. nam & invenire, & judicare, quid dicas, magna illa quidem ſunt, & tanquam *animi inſtar* in corpore: ſed propria magis prudentiæ, quàm eloquentiæ: [1] qua tamen in cauſa eſt vacua prudentia? Noverit igitur hic quidem orator, quem ſummum eſſe volumus, argumentorum, & rationum locos. Nam quoniam, quidquid eſt, quod in controverſia, aut in contentione verſetur, in eo aut, ſitne: aut, quid ſit: aut, quale ſit, quæritur: ſitne, ſignis: quid ſit, definitionibus: quale ſit, recti, pravique partibus: quibus ut uti poſſit orator, non ille vulgaris, ſed hic excellens, à propriis perſonis, & temporibus ſemper, ſi poteſt, avocat controverſiam, (latiùs enim de genere, quàm de parte diſceptare licet:) ut, quod in univerſo ſit probatum, id in parte ſit *probari* neceſſe. Hæc igitur quæſtio à propriis perſonis & temporibus, ad univerſi generis orationem traducta, appellatur *theſis*. In hac Ariſtoteles adoleſcenteis, non ad philoſophorum morem tenuiter diſſerendi, ſed ad copiam rhetorum, in utramque partem, ut ornatiùs, & uberiùs dici poſſit, exercuit: Idemque *locos* (ſic enim appellat) quaſi argumentorum notas, tradidit, unde omnis in utramque partem traheretur ora-
15 tio. [2] Facilè igitur hic noſter (non enim declamatorem aliquem de ludo, aut rabulam de foro, ſed doctiſſimum, & perfectiſſimum quærimus) quoniam loci certi traduntur, percurret omneis, utetur aptis generatim, diſcet ex quo emanent etiam qui communes appellantur loci. nec verò utetur imprudenter hac copia, ſed omnia expendet, & ſeliget. non enim ſemper, nec in omnibus cauſis, ex iiſdem eadem argumentorum momenta ſunt. Judicium igitur adhibebit: nec inveniet ſolùm quid dicat, ſed etiam expendet. NIHIL enim eſt feracius ingeniis, iis præſertim, quæ diſciplinis exculta ſunt. Sed ut ſegetes fœcundæ, & uberes, non ſolùm fruges, verùm herbas etiam effundunt inimiciſſimas frugibus: ſic interdum ex illis locis, aut levia quædam, aut cauſis aliena, aut non utilia gignuntur: quorum ab oratoris judicio delectus magnus adhibebitur [3] alioqui. quonam modo ille in bonis hærebit, & habitabit ſuis? aut molliet dura, aut occultabit quæ dilui non poterunt, atque omnino opprimet, ſi licebit, aut abducet animos? aut aliud afferet, quod oppoſitum probabilius ſit, quàm illud, quod obſtabit? Jam verò ea, quæ invenerit, qua diligentia collocabit? quoniam id ſecundum erat de tribus. [4] *Veſtibula* nimirum honeſta, aditusque ad cauſam faciet illuſtreis: cumque animos prima aggreſſione occupaverit, infirmabit, excludetque contraria: de firmiſſimis alia prima ponet, alia poſtrema, inculcabitque leviora. Atque in primis duabus dicendi partibus qualis eſſet, ſummatim, breviterque deſcripſimus. Sed, ut antè dictum eſt, in his partibus (etſi 16
graves, atque magnæ ſunt) minus & artis eſt, & laboris. Cùm autem, quid, & quo loco, dicat, invenerit, illud eſt longè maximum, videre, quonam modo. Scitum eſt enim, quod Carneades noſter dicere ſolebat, *Clitomachum* eadem dicere, [5] Charmidam autem eodem etiam modo dicere. Quòd ſi in philoſophia tantum intereſt, *quemadmodum dicas*, ubi res ſpectatur, non verba penduntur: quid tandem in cauſis exiſtimandum eſt, quibus totis moderatur oratio? Quod quidem ego, Brute, ex tuis litteris ſentiebam, non te id ſcitari, qualem ego in inveniendo, & in collocando ſummum eſſe oratorem vellem, ſed id mihi quærere videbare, quod genus ipſius orationis optimum judicarem. Rem difficilem, (dii immortales!) atque omnium difficillimam. Nam cùm eſt *oratio* mollis, & tenera, & ita flexibilis, ut ſequatur quocumque torqueas: tum & naturæ variæ, & voluntates, multum inter ſe diſtantia effecerunt genera dicendi. Flumen aliis verborum, volubilitaſque cordi eſt, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam. Diſtincta alios, & interpuncta intervalla, moræ, reſpirationeſque delectant. Quid poteſt eſſe tam diverſum? tamen eſt in utroque aliquid excellens. Elaborant alii in lenitate & æquabilitate, & puro quaſi quodam, & candido genere dicendi. Ecce aliqui duritatem, & ſeveritatem quandam verbis, & orationis quaſi mœſtitiam ſequuntur: quodque paullo antè diviſimus, ut alii graves, alii tenues, alii temperati vellent videri: quot orationum genera eſſe diximus,
totidem oratorum reperiuntur. Et, quoniam cœpi jam cu- 17
mulatius hoc munus augere, quàm à te poſtulatum eſt (tibi enim tantum de orationis genere quærenti, reſpondi etiam breviter de inveniendo, & collocando) ne nunc quidem ſolùm de orationis modo dicam, ſed etiam de actionis: ita prætermiſſa pars nulla erit. quandoquidem de memoria nihil eſt hoc loco dicendum, quæ communis eſt multarum artium. Quo modo autem dicatur, id eſt in duobus, in *agendo*, & in *eloquendo*. Eſt enim *actio* quaſi corporis quædam eloquentia, cùm conſtet è voce, atque motu. Vocis mutationes totidem ſunt, quot animorum, qui maximè voce commoventur. Itaque ille perfectus, quem jamdudum noſtra indicat oratio, utcumque ſe affectum videri, & animum audientis moveri volet, ita certum vocis admovebit ſonum: de quo plura dicerem, ſi hoc præcipiendi tempus eſſet, aut ſi tu hoc quæreres. dicerem etiam de geſtu, cum quo junctus eſt vultus. quibus omnibus, dici vix poteſt, quantum interſit, quemadmodum utatur orator. Nam & *infantes*, actionis dignitate, eloquentiæ ſæpe fructum tulerunt: & *diſerti*, deformitate agendi, multi, infantes putati ſunt: ut jam non ſine cauſa Demoſthenes tribuerit, & primas, & ſecundas, & tertias actioni. Si enim eloquentia nulla ſine hac, hæc autem ſine eloquentia, tanta eſt; certè plurimùm in dicendo poteſt. Volet igitur ille, qui

1. *Qua tamen in cauſa eſt vacua prudentia?*] Nihil abeunt ab hac ſcriptura Pall. neque Memmianus; niſi quod is *& vacua*. Piſanus habet, *quæ enim cauſa, &c.* Lambinus, *quæ tamen, &c.*

2. *Facilè igitur, &c. quoniam loci certi traduntur, percurret omnes, utetur aptis, generatim diſcet, ex quo emanent, &c.*] Sic diſtinguunt. libri veteres etiam ſcribunt, præterquam quod iidem præferant, *ut quoniam, &c. percurrat omnes, utatur &c.* unde Gulielmius faciebat: *Faciet igitur, &c. ut quoniam, &c. percurrat omnes, utatur aptis generatim, diſcat &c.* tentavit & hunc locum Lipſius noſter lib. II. Varior. cap. 7. qui conſulatur.

3. *Alioqui. quonam modo.*] P. Victorii editio, non habet illud *alioqui*; neque viſitur in Pall.

4. *Veſtibula nimirum, &c.*] Illuſtrat Victorius lib. XXIII. cap. 15. Variarum lectionum.

5. *Charmidam autem eodem modo.*] Eſt à conjectaneo Victorii, cum offendiſſet in ſuo vetere *charmadam*, quæ ſcriptura item in Pal. quint. nam quart. *Carniadam.* ſext. *charniadam.* vulgata *carneadem.* malè uti doceberis à doctiſſimo illo Italorum lib. XXXII. Var. lect. cap. 24. porro Pall. & Memm. præterea habent, *eodem etiam modo.* rectè.

qui eloquentiæ principatum petet, & contenta voce, atrociter dicere: & ſummiſſa, leniter: & inclinata, videri gravis, & inflexa, miſerabilis. Mira eſt enim quædam *natura vocis*: cujus quidem, è tribus omnino ſonis, inflexo, acuto, gravi, tanta ſit, & tam ſuavis varietas perfecta in canti-
18 bus. Eſt autem in dicendo etiam quidam cantus obſcurior, non hic è Phrygia, & Caria rhetorum epilogus, pæne canticum: ſed ille, quem ſignificat Demoſthenes, & Æſchines, cùm alter alteri objicit vocis flexiones. [1] Dicit plura etiam Demoſthenes, illumque ſæpe dicit *voce dulci & clara* fuiſſe. In quo illud etiam notandum mihi videtur ad ſtudium perſequendæ ſuavitatis in vocibus. ipſa enim natura, quaſi modularetur hominum orationem, in omni verbo poſuit acutam vocem, nec una plus, nec à poſtrema ſyllaba citra tertiam: quo magis naturam ducem ad aurium voluptatem ſequatur induſtria. Ac vocis quidem *bonitas* optanda eſt. non eſt enim in nobis. ſed tractatio, atque uſus in nobis. Ergo ille princeps variabit, & mutabit, omneis ſonorum tum intendens, tum remittens, perſequetur gradus: idemque motu ſic utetur, nihil ut ſuperſit in geſtu. *Status* erectus, & celſus; rarus inceſſus, nec ita longus: excurſio moderata, eaque rara: nulla mollitia cervicum, nullæ argutiæ digitorum, non ad numerum articulus cadens: trunco magis toto ſe ipſe moderans, & virili laterum flexione, *brachii* projectione in contentionibus, contractione in remiſſis. *Vultus* verò, qui ſecundum vocem plurimum poteſt, quantam affert tum dignitatem, tum venuſtatem? in quo cùm effeceris, nequid ineptum, aut vultuoſum ſit, tum oculorum eſt quædam magna moderatio. Nam UT IMAGO eſt animi, vultus: ſic indices oculi: quorum & hilaritatis, & viciſſim triſtitiæ modum res ipſæ, de quibus
19 agetur, temperabunt. Sed jam illius perfecti oratoris, & ſummæ eloquentiæ ſpecies exprimenda eſt: quem hoc uno excellere, id eſt oratione, cetera in eo latêre, indicat nomen ipſum. Non enim inventor, aut compoſitor, aut actor, hæc complexus eſt omnia, ſed & Græcè ab eloquendo ῥήτωρ, & Latinè *eloquens* dictus eſt. Ceterarum enim rerum, quæ ſunt in oratore, partem aliquam ſibi quiſque vendicat: dicendi autem, id eſt eloquendi maxima vis, ſoli huic conceditur. Quamquam enim & philoſophi quidam ornatè locuti ſunt, (ſiquidem & Theophraſtus divinitate loquendi nomen invênit, & Ariſtoteles Iſocratem ipſum laceſſivit, & Xenophontis voce *Muſas* quaſi locutas ferunt: & longè omnium, quicumque ſcripſerunt, aut locuti ſunt, [2] exſtitit & gravitate princeps Plato) tamen horum oratio neque nervos, neque aculeos oratorios, ac forenſeis habet. Loquuntur cum doctis, quorum ſedare animos malunt, quàm incitare. ſic de rebus placatis, ac minimè turbulentis, docendi cauſa, non capiendi, loquuntur: ut in eo ipſo, quòd *delectationem* aliquam dicendo aucupentur, plus nonnullis, quàm neceſſe ſit, facere videantur. Ergo ab hoc genere non difficile eſt hanc eloquentiam, de qua nunc agitur, ſecernere. Mollis eſt enim oratio philoſophorum, & umbratilis, nec ſententiis, nec verbis inſtructa popularibus, nec juncta numeris, ſed ſoluta liberiùs. nihil iratum habet, nihil invidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil aſtutum: caſta, verecunda, virgo incorrupta quodammodo. Itaque ſermo potiùs, quàm oratio, dicitur. Quamquam enim omnis locutio, oratio eſt, tamen unius oratoris locutio, hoc proprio ſignata nomine eſt. Sophiſtarum, de quibus ſuprà dixi, magis diſtinguenda ſimilitudo videtur, qui omneis eoſdem volunt flores, quos adhibet orator in cauſis, perſequi. Sed hoc differunt, quòd, cùm ſit his propoſitum non perturbare animos, ſed placare potius: nec tam perſuadere, quàm delectare: & apertiùs id faciunt, quàm nos, & crebriùs: concinnas magis ſententias exquirunt, quàm probabileis: à re ſæpe diſcedunt, intexunt fabulas, verba apertiùs transferunt, eaque ita diſponunt, ut *pictores* varietatem colorum: paria paribus referunt, adverſa contrariis, ſæpiſſimeque ſimiliter
extrema definiunt. Huic generi *hiſtoria* finitima eſt, in qua 20
& narratur ornatè, & regio ſæpe, aut pugna deſcribitur: interponuntur etiam conciones, & hortationes: ſed in his tracta quædam, & fluens expetitur, non hæc contorta, & acris oratio. Ab his non multo ſecus, quam à *poëtis*, hæc eloquentia, quam quærimus, ſevocanda eſt. nam etiam poëtæ quæſtionem attulerunt, quidnam eſſet illud, quo ipſi differrent ab oratoribus. numero maximè videbantur antea, & verſu: nunc apud oratores jam ipſe numerus increbruit. quidquid eſt enim, quod ſub aurium menſuram aliquam cadit, etiam ſi abeſt à verſu, (nam id quidem orationis eſt vitium) numerus vocatur, qui Græcè ῥυθμός dicitur. Itaque video viſum eſſe nonnullis, Platonis, & Democriti locutionem, etſi abſit à verſu, tamen, quòd incitatiùs feratur, & clariſſimis verborum luminibus utatur, potiùs poëma putandum, quàm comicorum poëtarum: apud quos, niſi quòd verſiculi ſunt, nihil eſt aliud quotidiani diſſimile ſermonis. nec tamen id eſt poëtæ *maximum*: etſi eſt eo laudabilior, quòd virtutes oratoris perſequitur, cùm verſu ſit adſtrictior. Ego autem etiam ſi quorundam grandis, & ornata vox eſt poëtarum, tamen in ea cùm licentiam ſtatuo majorem eſſe, quàm in nobis faciendorum, jungendorumque verborum, [3] tum etiam nonnullorum voluptati vocibus magis, quàm rebus inſerviunt. Nec verò, ſi quid eſt unum inter eos ſimile, (id autem eſt judicium, electioque verborum) propterea ceterarum rerum diſſimilitudo intelligi non poteſt: ſed id nec dubium eſt, &, ſiquid habet quæſtionis, hoc tamen ipſum ad id, quod propoſitum eſt, non eſt neceſſarium. Sejunctus igitur orator à philoſophorum eloquentia, à ſophiſtarum, ab hiſtoricorum, à poëtarum, explicandus eſt nobis, qualis futurus ſit.
Erit igitur eloquens (hunc enim, auctore Anto- 21
nio, quærimus) is, qui in foro, cauſiſque civilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat: probare, neceſſitatis eſt: delectare, ſuavitatis: flectere, victoriæ. nam id unum ex omnibus ad obtinendas cauſas poteſt plurimùm. Sed quot officia oratoris, tot ſunt genera dicendi. Subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in *flectendo*: in quo uno vis omnis oratoris eſt. Magni igitur judicii, ſummæ etiam facultatis eſſe debebit moderator ille, & quaſi temperator hujus tripertitæ varietatis. nam & judicabit, quid cuique opus ſit: & poterit, quocumque modo poſtulabit cauſa, dicere. Sed eſt eloquentiæ, ſicut reliquarum rerum, fundamentum, *ſapientia*. UT ENIM in vita, ſic in oratione, nihil eſt difficilius, quàm, quid deceat, videre. πρέπον appellant hoc Græci: nos dicamus ſanè DECORUM. de quo præclarè, & multa præcipiuntur, & res eſt cognitione digniſſima. Hujus ignoratione non modò in vita, ſed ſæpiſſimè & in poëmatis, & in oratione peccatur. Eſt autem, quid deceat, oratori videndum, non in ſententiis ſolùm, ſed etiam in verbis. NON ENIM omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis ætas, nec vero locus, aut tempus, aut auditor omnis, eodem aut verborum genere tractandus eſt, aut ſententiarum: ſemperque in omni parte orationis, ut vitæ, quid deceat, eſt conſiderandum: quod & in re, de qua agitur, poſitum eſt, & in perſonis & eorum, qui dicunt, & eorum, qui audiunt. Itaque hunc locum, longè, & latè patentem, philoſophi ſolent

1. *Dicit plura etiam Demoſthenes, &c.*] Pal. quint. *dici*, moxque & idem & quart. ſext. *dicat*; ubi hodie eſt, *dicit*. locus eſt minus ſanus. Lambinus nobis objecit: *Objicit plura etiam Æſchini Demoſthenes*. ſed qua auctoritate?

2. *Extitit & gravitate princeps Plato.*] Nihil heic deſidero; ſicque Palat. quart. & ſext. & Memmian. nam quint. *& ſuavitate & gravitate*. finxit autem Lambinus, *& ubertate & gravitate*; fruſtra puto.

3. *Tum etiam nonnullorum voluptati.*] Non diſplicebat Gulielmio, *voluntati*, quod erat in Memmiano; neque aliter Palat. nec enim omnes ipſum poëma capit. placet. inepte igitur Lambinus, qui obtrudit, *tum etiam auditorum voluptati*.

1. *Inor-*

lent in officiis tractare, non cùm de recto ipſo diſputant, (nam id quidem unum eſt) grammatici in poëtis, eloquentes in omni & genere, & parte cauſarum. Quàm enim indecorum eſt, de ſtillicidiis cùm apud unum judicem dicas, ampliſſimis verbis, & locis uti communibus: de majeſtate
22 populi Rom. ſummiſſe, & ſubtiliter? Hîc genere toto: at perſona alii peccant, aut ſua, aut judicum, aut etiam adverſariorum: nec re ſolùm, ſed ſæpe verbo. etſi *ſine re nulla vis verbi eſt*, tamen eadem res ſæpe aut probatur, aut rejicitur, alio, atque alio elata verbo. in omnibuſque rebus videndum eſt, quatenus. etſi enim ſuus cuique modus eſt, tamen magis offendit *nimium*, quàm *parum*. In quo Apelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non ſentirent, quid eſſet ſatis. Magnus eſſet locus hic, Brute, quod te non fugit, & magnum volumen aliud deſiderat. ſed ad id, quod agitur, illud ſatis: cùm hoc decere, quod ſemper uſurpamus in omnibus dictis & factis, minimis, & maximis: cùm hoc, inquam, decere dicimus, illud non decere, & id uſquequaque, quantum ſit, appareat: in alioque ponatur, aliudque totum ſit, utrùm decere, an oportere dicas: *oportere* enim, perfectionem declarat officii, quo & ſemper utendum eſt, & omnibus: *decere*, quaſi aptum eſſe, conſentaneumque tempori, & perſonæ: quod cùm in factis ſæpiſſimè, tum in dictis valet, in vultu denique, & geſtu, & inceſſu: contraque item dedecere. Quod ſi poëta fugit, ut maximum vitium, qui peccat etiam, cùm probam orationem affingit improbo, ſtultove, ſapientis: ſi denique pictor ille vidit, cùm immolanda Iphigenia triſtis Chalcas eſſet, mœſtior Ulyſſes, mœreret Menelaus, obvolvendum caput Agamemnonis eſſe, quoniam *ſummum* illum luctum penicillo non poſſet imitari: ſi denique hiſtrio, quid deceat, quærit: quid faciendum oratori putemus? Sed, cùm hoc, tantum ſit: quid in cauſis, earumque quaſi membris faciat, orator viderit. Illud quidem perſpicuum eſt, non modò parteis orationis, ſed etiam cauſas totas, alias alia forma dicendi eſſe tractandas. Sequitur, ut cujuſque generis
23 nota quæratur, & formula: magnum opus, & arduum, ut ſæpe jam diximus: ſed INGREDIENTIBUS conſiderandum fuit, quid ageremus: nunc quidem jam, quocumque feremur, danda nimirum vela ſunt. Ac primùm informandus eſt ille nobis, quem ſolum quidam vocant *Atticum*. Summiſſus eſt, & humilis, conſuetudinem imitans, ab indiſertis re plus, quàm opinione, differens. Itaque eum qui audiunt, quamvis ipſi infantes ſint, tamen illo modo confidunt ſe poſſe dicere. nam orationis ſubtilitas, imitabilis illa quidem videtur eſſe exiſtimanti, ſed nihil eſt experienti minus. Etſi enim non plurimi ſanguinis eſt, habeat tamen ſuccum aliquem oportet, ut, etiam ſi illis maximis viribus careat, ſit (ut ita dicam) integra valitudine. Primùm igitur eum tanquam è vinculis numerorum eximamus. Sunt enim quidam (ut ſcis) oratori numeri (de quibus mox agemus) obſervandi, ratione quadam, ſed alio in genere orationis, in hoc omnino relinquendi. ſolutum quiddam ſit, nec vagum tamen, ut ingredi liberè, non ut licenter videatur errare. Verba etiam verbis quaſi coagmentare negligat. Habet enim ille tanquam hiatus concurſu vocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam, de re, hominis, magis, quàm de verbis, laborantis. Sed erit videndum de reliquis, cùm hæc duo ei liberiora fuerint, circuitus, conglutinatioque verborum. Illa enim ipſa contracta, & minuta, non negligenter tractanda ſunt, ſed QUÆDAM etiam negligentia eſt diligens. nam ut mulieres eſſe dicuntur nonnullæ [1] inornatæ, quas idipſum deceat: ſic hæc ſubtilis oratio etiam incomta delectat. Fit enim quiddam in utroque, quo ſit venuſtius, ſed non ut appareat. Tum removebitur omnis inſignis ornatus, quaſi margaritarum. ne calamiſtri quidem adhibebuntur. Fucati verò medicamenta candoris, & ruboris, omnia repellentur: elegantia modò, & munditia remanebit. Sermo purus erit, & Latinus: dilucidè, planeque dicetur: quid deceat, circumſpicietur. Unum aderit, quod quartum numerat 24
Theophraſtus in orationis laudibus, ornatum illud ſuave, & affluens: acutæ, crebræque *ſententiæ* ponentur, & neſcio unde ex abdito erutæ, atque in hoc oratore dominabuntur. Verecundus erit uſus oratoriæ quaſi ſupellectilis. Supellex eſt enim quodammodo noſtra, quæ eſt in ornamentis, alia rerum, alia verborum. Ornatus autem verborum, duplex: unus ſimplicium, alter collocatorum. Simplex probatur in propriis, uſitatiſque verbis, quòd aut optimè ſonat, aut rem maximè explanat. In alienis, aut tranſlatum, aut factum aliunde, ut mutuò: aut factum ab ipſo, aut novum: aut priſcum, & inuſitatum. Sed etiam inuſitata, ac priſca, ſunt in propriis, niſi quòd raro utimur. Collocata autem verba habent ornatum, ſi aliquid concinnitatis efficiunt, quod verbis mutatis non maneat, manente ſententia. Nam ſententiarum ornamenta, quæ permanent, etiam ſi verba mutaveris, ſunt illa quidem permulta, ſed, quæ emineant, pauciora. Ergo ille tenuis orator, modò ſit elegans, nec in faciendis verbis erit audax, & in transferendis verecundus, [2] & parcus in priſcis; reliquiſque ornamentis & verborum, & ſententiarum demiſſior: tranſlatione fortaſſe crebrior, qua frequentiſſimè ſermo omnis utitur non modò urbanorum, ſed etiam ruſticorum: ſiquidem eſt eorum, *gemmare viteis, ſitire agros, lætas eſſe ſegetes, luxurioſa frumenta.* Nihil horum parum audacter, ſed aut ſimile eſt illi, unde transferas: aut, ſi res ſuum nullum habet nomen, docendi cauſa ſumtum, non ludendi, videtur. Hoc ornamento liberiùs paullo, quàm ceteris, utetur hic ſummiſſus: nec tam licenter tamen, quàm ſi genere dicendi uteretur ampliſſimo. Itaque illud indecorum, (quod quale ſit, ex decoro debet 25
intelligi) hîc quoque appâret, cùm verbum aliquod altiùs transfertur, idque in oratione humili ponitur, quod idem in alia deceret. Illam autem concinnitatem, quæ verborum collocationem illuminat his *luminibus*, quæ Græci quaſi aliquos geſtus orationis, σχήματα appellant (quod idem verbum ab his etiam in ſententiarum ornamenta transfertur) adhibet quidem hic ſubtilis, (quem, niſi quòd ſolum, ceteroquin rectè quidem vocant Atticum) ſed paullò parcius. Nam ſic ut in *epularum* apparatu, à magnificentia recedens, non ſe parcum ſolùm, ſed etiam elegantem videri volet: eliget quibus utatur. Sunt enim pleræque aptæ hujus ipſius oratoris, de quo loquor, parſimoniæ. Nam illa, de quibus antè dixi, huic acuto fugienda ſunt, paria paribus relata, & ſimiliter concluſa, eodemque pacto cadentia: & immutatione *litteræ* quaſi quæſitæ venuſtates; ne elaborata concinnitas, & quoddam aucupium delectationis manifeſtò deprehenſum appareat. Itemque ſiquæ verborum *iterationes* contentionem aliquam, & clamorem requirent, erunt ab hac ſummiſſione orationis alienæ: ceteris promiſcuè poterit uti; continuationem verborum modò relaxet, & dividat, utaturque verbis quàm uſitatiſſimis, tranſlationibus quàm molliſſimis: etiam illa ſententiarum lumina aſſumat, quæ non erunt vehementer illuſtria. Non faciet remp. loquentem, nec ab inferis mortuos excitabit, nec acervatim multa frequentans, una complexione devinciet. Valentiorum hæc laterum ſunt, nec ab hoc, quem informamus, aut exſpectanda, aut poſtulanda. erit enim ut voce, ſic etiam oratione ſuppreſſior. Sed pleraque ex illis convenient etiam huic tenuitati: quamquam iiſdem ornamentis utetur horridiùs. talem enim inducimus. Accedit actio non tragica, nec ſcenæ, ſed modica jactatione corporis, vultu tamen multa conficiens: non hoc, quo dicuntur os ducere, ſed illo, quo ſignificant ingenuè, quo ſenſu quidque pronuntient. Huic generi orationis adſpergentur 26

1. *Inornatæ, quas id ipſum deceat.*] Palatinorum duo, pr. & ſext. *quaſi*, egregie. ideo enim potiſſimum non ſeſe ornant, quod ipſo videantur formoſiores, ſic Tacitus de Poppæa lib. XIII. Annal. cap. 45. *velata parte oris, ne ſatiaret aſpectu; vel quia ſic decebat.*

2. *Et parcus in priſcis; reliquiſque.*] Ita ex veterrima editione Rivius, firmatque Memmianus. poſtea editi, *& parcus: & in priſcis reliquiſque*, quod & in Pall.

gentur etiam *ſales*, qui in dicendo [1] nimium quantum valent: quorum duo genera ſunt, unum facetiarum, alterum dicacitatis. utetur utroque: ſed altero in narrando aliquid venuſtè, altero in jaciendo, mittendoque ridiculo: cujus genera plura ſunt: ſed nunc aliud agimus. Illud admonemus tamen, *ridiculo* ſic uſurum oratorem, ut nec nimis frequenti, ne ſcurrile ſit: nec ſubobſcæno, ne mimicum: nec petulanti, ne improbum: nec in calamitatem, ne inhumanum: nec in facinus, ne odii locum riſus occupet: neque aut ſua perſona, aut judicum, aut tempore alienum. hæc enim ad illud indecorum referuntur. Vitabit etiam quæſita, nec ex tempore ficta, ſed domo allata: quæ plerumque ſunt frigida. parcet & amicitiis, & dignitatibus: vitabit inſanabileis contumelias: tantummodò adverſarios figet, nec eos tamen ſemper, nec omneis, nec omni modo. quibus exceptis ſic utetur ſale, & facetiis, ut ego ex iſtis *novis Atticis* talem cognoverim neminem, cùm id certè ſit vel maximè Atticum. Hanc ego judico formam ſummiſſi oratoris, ſed magni tamen, & germani Attici: quoniam, quidquid eſt ſalſum, aut ſalubre in oratione, id proprium Atticorum eſt. è quibus tamen non omnes faceti. Lyſias ſatis, & Hyperides: Demades præter ceteros fertur: Demoſthenes minus habetur: quo quidem mihi nihil videtur urbanius, ſed non tam *dicax* fuit, quàm facetus. Eſt autem illud acrioris ingenii, hoc majoris artis. uberius eſt aliud, aliquantoque robuſtius, quàm hoc humile, de quo dictum eſt: ſummiſſius autem, quàm illud, de quo jam dicetur, ampliſſimum. Hoc in genere, nervorum vel minimum, ſuavitatis autem eſt vel plurimum. Eſt enim plenius, quam hoc enucleatum: quàm au-
27 tem illud ornatum, copioſumque, ſummiſſius. Huic omnia dicendi ornamenta conveniunt, plurimumque eſt in hac orationis forma, ſuavitatis. in qua multi floruerunt apud Græcos: ſed Phalereus Demetrius meo judicio præſtitit ceteris: cujus oratio cùm ſedatè, placideque loquitur, tum illuſtrant eam, quaſi *ſtellæ* quædam, tralata verba, atque immutata. Tralata ea dico, ut ſæpe jam, quæ per ſimilitudinem ab alia re aut ſuavitatis, aut inopiæ cauſa transferuntur. Mutata, in quibus pro verbo proprio ſubjicitur aliud, quod idem ſignificet, ſumtum ex re aliqua conſequenti. quod quamquam transferendo fit, tamen alio modo tranſtulit, cùm dixit Ennius,, [2] *arcem & urbem orbas*: alio modo, ſi pro patria arcem dixiſſet:,, & *horridam Africam terribili tremere tumultu* cùm dicit, [3] pro Afris immutat Africam. Hanc hypallagen rhetores, [4] quia quaſi ſummutantur verba pro verbis: metonymiam grammatici vocant, quòd nomina tansferuntur. Ariſtoteles autem tranſlationi hæc ipſa ſubjungit, & abuſionem, quam κατάχρησιν vocant: ut cùm *minutum* dicimus *animum* pro parvo, & abutimur verbis propinquis, ſi opus eſt, vel quòd delectat, vel quòd decet. [5] Jam cùm fluxerunt plures continuæ tralationes, alia planè fit oratio. Itaque genus hoc Græci appellant ἀλληγορίαν, nomine rectè, genere melius ille, qui iſta omnia *tranſlationes* vocat. Hæc frequentat Phalereus maximè, ſuntque dulciſſima: & quamquam tranſlatio eſt apud eum multa, tamen immutationes nuſquam crebriores. In idem genus orationis (loquor enim de illa modica, ac temperata) verborum cadunt lumina omnia, multa etiam ſententiarum: [6] latæ, eruditæque diſputationes ab eodem explicantur, & loci communes ſine contentione dicuntur. Quid multa? è *philoſophorum* ſcholis tales ferè evadunt: &, niſi coràm erit comparatus ille fortior: per ſe hic, quem dico, probabitur. Eſt enim quoddam etiam inſigne, & florens orationis, pictum, & expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes ſententiarum illigantur lepores. Hoc totum è *ſophiſtarum* fontibus defluxit in forum, ſed ſpretum à ſubtilibus, repulſum à gravibus, in ea, de qua loquor, mediocritate conſedit. Tertius eſt ille amplus, copioſus, gravis, orna- 28
tus, in quo profectò vis maxima eſt. Hic eſt enim, cujus ornatum dicendi, & copiam admiratæ gentes, eloquentiam in civitatibus plurimum valere paſſæ ſunt: ſed hanc eloquentiam, quæ curſu magno, ſonituque ferretur: quam ſuſpicerent omnes, quam admirarentur, quam ſe aſſequi poſſe diffiderent. Hujus eloquentiæ eſt tractare animos, hujus omni modo permovere. hæc modò perfringit; modò irrepit in ſenſus: inſerit novas opiniones, evellit inſitas, ſed multùm intereſt inter hoc dicendi genus, & ſuperiora. Qui in illo ſubtili, & acuto elaboravit, ut callidè, arguteque diceret, nec quidquam altius cogitaret: hoc uno perfecto, magnus orator eſt, ſi non maximus: minimeque *in lubrico* verſabitur, &, ſi ſemel conſtiterit, numquam cadet. Medius ille autem, quem modicum, & temperatum voco, ſi modò ſuum illud ſatis inſtruxerit; non extimeſcit ancipiteis dicendi, incertoſque caſus: etiam, ſiquando minus ſuccedet, ut ſæpe fit, magnum tamen periculum non adibit. *altè* enim *cadere* non poteſt. At verò hic noſter, quem principem ponimus, gravis, acer, ardens, ſi ad hoc unum eſt natus, aut in hoc ſolo ſe exercuit, aut huic generi ſtudet uni, nec ſuam copiam cum illis duobus generibus temperavit: maximè eſt contemnendus. ille enim ſummiſſus, quod acutè, & veteratoriè dicit, ſapiens jam: medius, ſuavis: hic autem copioſiſſimus, ſi nihil eſt aliud, vix ſatis ſanus videri ſolet. Qui enim nihil poteſt tranquillè, nihil leniter, nihil partitè, definitè, diſtinctè, facetè dicere, præſertim cùm cauſæ partim totæ ſint eo modo, partim aliqua ex parte tractandæ: ſi is non præparatis auribus inflammare rem cœpit: furere apud ſanos, & quaſi inter ſobrios bacchari vinolentus videtur. Tenemus igitur, Brute, quem quærimus: ſed animo, nam manu ſi prehendiſſem, ne ipſe quidem ſua tanta eloquentia mihi perſuaſiſſet, ut ſe dimitterem. Sed inventus profectò eſt ille eloquens, quem 29
numquam vidit Antonius. Quis eſt igitur is? Complectar brevi, diſſeram pluribus. Is enim eſt eloquens, qui & humilia ſubtiliter, & magna graviter, & mediocria temperatè poteſt dicere. Nemo is, inquies, umquam fuit. Ne fuerit. ego enim, quid deſiderem, non, quid viderim, diſputo: redeoque ad illam Platonis, de qua dixeram, rei formam, & ſpeciem: quam etſi non cernimus, tamen animo tenere poſſumus. Non enim eloquentem quæro, neque quidquam mortale, & caducum, ſed illud ipſum, cujus qui ſit compos, ſit eloquens: quod nihil eſt aliud, niſi eloquentia ipſa, quam nullis, niſi *mentis oculis* videre poſſumus. Is erit igitur eloquens, (ut idem illud iteremus) qui poterit parva ſummiſſe, modica temperatè, magna graviter dicere. Tota mihi cauſa pro Cæcina, de verbis interdicti fuit. res involutas definiendo explicavimus: jus civile laudavimus: verba ambigua diſtinximus. Fuit ornandus in Manilia lege Pompejus. temperata oratione ornandi copiam perſecuti ſumus. Jus omne retinendæ majeſtatis Rabirii cauſa continebatur. ergo in omni genere amplificationis exarſimus. At hæc interdum temperanda, & varianda ſunt. Quod igitur [7] in accuſationis ſeptem libris non reperitur genus? quod in Habiti? quòd in Cornelii? quod in plurimis noſtris defenſio-

1. *Nimium quantum valent.*] Fuit & iſtud in Memm. & Pal. quart. ac ſext. nam quint. *numum quantum*, læſiſſe alterum item in tribus mſſ. quos excuſſit, teſtatur ipſe Fabricius ad Terent.

2. *Arcem & urbem orbas: alio modo, ſi pro patria arcem dixiſſet.*] Pal. pr. & ſec. qui heic primum auſpicatur ſuum Oratoris initium, veriorem, mea ſententia, lectionem continent: *Ardent urbem orbam; alio modo ſi, patriam ardere dixiſſet.* loquitur enim de Roma à Gall. incenſa, civibuſq; ſuis viduata, qui in Capitolium refugerant. hinc liquet, quid ſentire debeamus de Lambini edit. quæ nobis ſuppoſuit, *arce & urbe orba ſum, &c.* conjecturam eſſe ſcilicet plus quam humanam.

3. *Pro Afris immutat Africam.*] Palatini iidem duo; *immutate.* forſan melius vulgato.

4. *Quia quaſi ſummutantur.*] Pithæi liber, *ſumunt tamen.* Pall. ambo, *ſumunt tantum.* forte *ſubmittantur*, adnotatum Gulielmio.

5. *Jam cum fluxerunt.*] Palat. idem, *Jam conflaxerunt*, ut fortè perierit ob ſimilitudinem *cum*, reſcribendumque ſit: *jam cum confluxerunt*, ut dudum notatum aliis.

6. *Latæ eruditæque.*] Gulielmius emendat *letæ.*

7. *In accuſationis ſeptem libris.*] Hotomanus *quinque*, quod vel invitis libris omnibus recipiendum putabat Lambinus.

s. De

ſenſionibus? quæ exempla ſelegiſſem, niſi vel nota eſſe arbitrarer, vel poſſe eligere qui quærerent. Nulla eſt enim ullo in genere laus oratoris, cujus in noſtris orationibus non ſit aliqua, ſi non perfectio, at *conatus* tamen, atque adumbratio. non aſſequimur: at, quid deceat, videmus. nec enim nunc de nobis, ſed de re dicimus: in quo tantum abeſt, ut noſtra miremur, ut uſque eò difficiles, ac moroſi ſimus, ut nobis non *ſatisfaciat* ipſe Demoſthenes: qui quamquam unus eminet inter omneis in omni genere dicendi, tamen non ſemper implet aureis meas. ita ſunt avidæ, & capaces: & ſemper aliquid immenſum, infinitumque deſi-
30 derant. Sed tamen, quoniam & hunc tu oratorem cum ejus ſtudioſiſſimo Pammene, cùm eſſes Athenis, totum diligentiſſimè cognoviſti: neque eum dimittis è manibus: & tamen noſtra etiam lectitas: vides profectò, illum multa perficere, nos multa conari: illum poſſe, nos velle, quocumque modo cauſa poſtulet, dicere. Sed ille magnus. nam & ſucceſſit ipſe magnis, & maximos oratores habuit æqualeis. nos magnum feciſſemus, ſi quidem potuiſſemus, quò contendimus, pervenire, in ea urbe, in qua (ut ait Antonius) auditus eloquens nemo erat. Atqui, ſi Antonio Craſſus eloquens viſus non eſt, aut ſibi ipſe, numquam Cotta viſus eſſet, numquam Sulpicius, numquam Hortenſius. nihil enim amplè Cotta, nihil leniter Sulpicius, non multa graviter Hortenſius. Superiores magis ad omne genus apti, Craſſum dico, & Antonium. Jejunas igitur hujus multiplicis, & æquabiliter in omnia genera fuſæ orationis aureis civitatis accepimus: easque nos primi, quicumque eramus, & quantulumcumque dicebamus, ad hujus generis dicendi, audiendi incredibilia ſtudia convertimus. Quantis illa clamoribus adoleſcentuli diximus [1] de ſupplicio parricidarum? quæ nequaquam ſatis deferbuiſſe poſt aliquanto ſentire cœpimus. "QUID ENIM tam commune, quàm ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus litus ejectis? Ita vivunt, dum poſſunt, ut ducere animam de cælo non queant: ita moriuntur, ut eorum [2] oſſa terra non tangat: ita jactantur fluctibus, ut numquam alluantur: ita poſtremò ejiciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant, & quæ ſequuntur. Sunt enim omnia, ſicut adoleſcentis, non tam re, & maturitate, quàm ſpe, & exſpectatione, laudati. Ab hac indole jam illa matura. "*Uxor generi*, noverca filii, filiæ pellex. Nec verò hic unus erat ardor in nobis, ut hoc modo omnia diceremus. ipſa enim illa pro Roſcio juvenilis redundantia, multa habet attenuata, quædam etiam paullo hilariora. At pro Habito, pro Cornelio, compluresque aliæ. nemo enim orator tam multa, ne in Græco quidem otio, ſcripſit, quàm multa ſunt noſtra: eaque hanc ipſam
31 habent, quam probo, varietatem. An ego Homero, Ennio, reliquis poëtis, & maximè tragicis concederem, ut ne omnibus locis eadem contentione uterentur, crebroque mutarent, nonnumquam etiam ad quotidianum genus ſermonis accederent: ipſe numquam ab illa *acerrima contentione* diſcederem? Sed quid poëtas divino ingenio profero? Hiſtriones eos vidimus, quibus nihil poſſet in ſuo genere eſſe præſtantius, qui non ſolùm in diſſimillimis perſonis ſatisfaciebant, cùm tamen in ſuis verſarentur, ſed & comœdum in tragœdiis, & tragœdum in comœdiis admodum placere vidimus. ego non elaborem? Cùm dico me: te, Brute, dico. nam in me quidem jampridem effectum eſt, quod futurum fuit. Tu autem eodem modo omneis cauſas ages? aut aliquod cauſarum genus repudiabis? aut in iiſdem cauſis perpetuum, & eundem ſpiritum ſine ulla commutatione obtinebis? Demoſthenes quidem, cujus nuper inter imagines tuas, ac tuorum, (quòd eum, credo, *amares*) cùm ad te in Tuſculanum veniſſem, imaginem ex ære vidi, nihil Lyſiæ ſubtilitate cedit, nihil argutiis, & acumine Hyperidi, nihil lenitate Æſchini, & ſplendore verborum. Multæ ſunt ejus totæ orationes ſubtiles, ut contra Leptinem: multæ totæ graves, ut quædam Philippicæ: multæ variæ, ut contra Æſchinem, falſæ legationis, ut contra eundem pro cauſa Cteſiphontis. Jam illud *medium* quoties vult, arripit, & à graviſſimo diſcedens, eò potiſſimum delabitur. Clamores tamen tum movet, & tum in dicendo plurimùm efficit, cùm gravitatis locis utitur. Sed ab hoc parumper abeamus (quandoquidem de genere, non de homine quærimus) rei potius, id eſt, eloquentiæ vim, & naturam explicemus. Illud tamen, quod jam antè diximus, meminerimus, nil nos præcipiendi cauſa eſſe dicturos: atque ita potiùs acturos, ut exiſtimatores videamur loqui, non magiſtri. in quo tamen longiùs progredimur, quòd videmus non te hæc ſolum eſſe lecturum, qui ea multo, quàm nos, qui quaſi docere videamur, habeas notiora: ſed hunc librum etiam ſi minus noſtra commendatione, tuo tamen nomine divulgari neceſſe eſt. Eſſe igi- 32
tur *perfectè eloquentis* puto, non eam ſolum facultatem habere, quæ ſit ejus propria, fusè, lateque dicendi, ſed etiam vicinam ejus, atque finitimam, dialecticorum ſcientiam aſſumere. quamquam aliud videtur oratio eſſe, aliud diſputatio: nec idem loqui eſſe, quod dicere: attamen utrumque in diſſerendo eſt. diſputandi ratio, & loquendi, dialecticorum ſit: oratorum autem, dicendi, & ornandi. Zeno quidem ille, à quo diſciplina Stoicorum eſt, manu demonſtrare ſolebat, quid inter has arteis intereſſet. nam cùm compreſſerat digitos, pugnumque fecerat: *dialecticam* ajebat ejuſmodi eſſe. cùm autem diduxerat, & manum dilataverat: palmæ illius ſimilem eloquentiam eſſe dicebat. Atque etiam ante hunc Ariſtoteles principio artis rhetoricæ dicit, illam artem quaſi ex altera parte reſpondere dialecticæ: ut hoc videlicet differant inter ſe, quòd hæc ratio dicendi latior ſit, illa loquendi contractior. Volo igitur huic ſummo, omnem, quæ ad dicendum trahi poſſit, loquendi rationem, eſſe notam: quæ quidem res (quod te his artibus eruditum minimè fallit) duplicem habet docendi viam. Nam & ipſe Ariſtoteles tradidit præcepta plurima diſſerendi, & poſtea, qui dialectici dicuntur, *ſpinoſiora* multa pepererunt. Ergo eum cenſeo, qui eloquentiæ laude ducatur, non eſſe earum rerum omnino rudem: ſed vel illa antiqua, vel hac Chryſippi diſciplina inſtitutum. noverit primùm vim, naturam, genera verborum, & ſimplicium, & copulatorum: deinde quot modis quidque dicatur: qua ratione verum, falſumne ſit, judicetur: quid efficiatur è quoque: quod cui conſequens ſit, quodque contrarium: cumque ambiguè multa dicantur, quomodo quidque eorum dividi, explanarique oporteat. Hæc tenenda ſunt oratori. ſæpe enim occurrunt. ſed quia ſua ſponte ſqualidiora ſunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis *nitor*. Et 33
quoniam in omnibus, quæ ratione docentur, & via, primùm conſtituendum eſt, quid *quidque ſit*: (niſi enim inter eos, qui diſceptent, convenit, quid ſit illud, de quo ambigitur, nec rectè diſſeri, nec umquam ad exitum perveniri poteſt) explicanda eſt ſæpe verbis mens noſtra de quaque re, atque involutæ rei notitia definiendo aperienda eſt, ſi quidem *definitio*, eſt oratio, quæ, quid ſit id, de quo agitur, oſtendit quàm breviſſime. Tum ut ſcis, explicato genere cujuſque rei, videndum eſt, quæ ſint ejus generis ſive formæ, ſive partes, ut in eas tribuatur omnis oratio. Erit igitur hæc facultas in eo, quem volumus eſſe eloquentem, ut definire rem poſſit, neque id faciat tam preſsè, & anguſtè, quàm in illis eruditiſſimis diſputationibus fieri ſolet: ſed cùm explanatiùs, tum etiam uberiùs, & ad commune judicium, popularemque intelligentiam accommodatiùs. Idemque etiam, cum res poſtulabit, genus univerſum in ſpecies certas, ut nulla neque prætermittatur, neque redundet, partietur, ac dividet. quando autem, aut quomodo id faciat, nihil ad hoc tempus: quoniam (ut ſuprà dixi) *judicem* me eſſe, non *doctorem*

1. *De ſupplicio parricidarum.*] Exulat iſtud totum è Pal. pr. & ſec. neque comparet in Pithœano; & poterat ſubintelligi.

2. *Oſſa terra non tangat.*] Eadem trias librorum, *terram non tangant*, & mox *abluantur* pro *alluantur*.

rem volo. Nec verò dialecticis modò ſit inſtructus, ſed habeat omneis philoſophiæ notos, & tractatos locos. Nihil enim de religione, nihil de morte, nihil de pietate, nihil de caritate patriæ, nihil de bonis rebus, aut malis, nihil de virtutibus, aut vitiis, nihil de officio, nihil de dolore, nihil de voluptate, nihil de perturbationibus animi, & erroribus, quæ ſæpe cadunt in cauſas, ſed jejuniùs aguntur: nihil, inquam, ſine ea ſcientia, quam dixi, graviter,
34 amplè, copioſè dici, & explicari poteſt. De materia loquor orationis etiam nunc, non ipſo de genere dicendi. volo enim prius habeat orator *rem*, de qua dicat, dignam auribus eruditis, quàm cogitet, quibus *verbis* quidque dicat, aut quomodo. quem etiam, quo grandior ſit, & quodammodo excelſior (ut de Pericle dixi ſuprà) ne *phyſicorum* quidem eſſe ignarum volo. Omnia profectò, cùm ſe à cæleſtibus rebus referet ad humanas, excelſiùs, magnificentiuſque & dicet, & ſentiet. Cumque illa divina cognoverit, nolo ignoret ne hæc quidem humana. *Jus civile* teneat, quo egent cauſæ forenſes quotidie. quid eſt enim turpius, quàm legitimarum, & civilium controverſiarum patrocinia ſuſcipere, cùm ſis legum, & civilis juris ignarus? Cognoſcat etiam rerum geſtarum, & *memoriæ veteris* ordinem, maximè ſcilicet noſtræ civitatis: ſed & imperioſorum populorum, & regum illuſtrium: quem laborem nobis Attici noſtri levavit labor: [1] qui conſervatis, notatiſque temporibus: nihil cum illuſtre prætermitteret, annorum ſeptingentorum memoriam uno libro colligavit. NESCIRE autem, quid antea, quàm natus ſis, acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum. Quid enim eſt ætas hominis, [2] niſi memoria rerum veterum cum ſuperiorum ætate contexitur? Commemoratio autem antiquitatis, exemplorumque prolatio ſumma cum *delectatione*, & *auctoritatem* orationi affert, & fidem. Sic igitur inſtructus veniet ad cauſas: quarum habebit genera primùm ipſa cognita. erit enim ei perſpectum, nihil ambigi poſſe, in quo non aut res controverſiam faciat, aut verba. Res, aut de vero, aut de recto, aut de nomine. Verba, aut de ambiguo, aut de contrario. Nam ſiquando aliud in ſententia videtur eſſe, aliud in verbis, genus eſt quoddam ambigui, quod ex prætermiſſo verbo fieri ſolet: in quo, quod eſt ambiguorum proprium, res duas
35 ſignificari videmus. Cùm tam pauca ſint genera cauſarum, etiam [3] argumentorum præcepta pauca ſunt. traditi ſunt, è quibus ea ducantur, duplices loci: uni è rebus ipſis, alteri aſſumti. Tractatio igitur rerum efficit admirabiliorem orationem. nam ipſæ quidem res in perfacili cognitione verſantur. quid enim jam ſequitur, quod quidem artis ſit, niſi ordiri orationem, in quo aut concilietur *auditor*, aut erigatur, aut paret ſe ad diſcendum? rem breviter exponere, & probabiliter, & apertè, ut, quid agatur, intelligi poſſit? ſua confirmare? adverſaria evertere? eaque efficere non perturbatè, ſed ſingulis argumentationibus ita concludendis, ut efficiatur quod ſit conſequens iis, quæ ſumentur ad quamque rem confirmandam? poſt omnia perorationem inflammantem reſtinguentemve concludere? Has parteis quemadmodum tractet ſingulas, difficile dictu eſt hoc loco. nec enim ſemper tractantur uno modo. Quoniam autem non, quem doceam, quæro, ſed quem probem: probabo primùm eum, qui, quid deceat, videbit. Hæc enim ſapientia maximè adhibenda eloquenti eſt, ut ſit *temporum*, *perſonarumque moderator*. Nam nec ſemper, nec apud omneis, nec contra omneis, nec pro omnibus, nec omnibus eo-
36 dem modo dicendum arbitror. Is erit ergo eloquens, qui ad id, quodcumque decebit, poterit accommodare orationem. Quod cùm ſtatuerit, tum, ut quidque erit dicendum, ita dicet: nec ſatura jejunè, nec grandia minutè, nec item contrà, ſed erit rebus ipſis par & æqualis oratio. Principia verecunda, non [4] elatis incenſa verbis, ſed acuta ſententiis, vel ad offenſionem adverſarii, vel ad commendationem ſui. Narrationes credibiles, nec hiſtorico, ſed propè quotidiano ſermone explicatæ dilucide. Dein ſi *tenues cauſæ*, tum etiam argumentandi tenue filum & in docendo, & in refellendo: idque ita tenebitur, ut, quanta ad rem, tanta ad orationem fiat acceſſio. Cùm verò cauſa ea inciderit, in qua vis eloquentiæ poſſit expromi: tum ſe latiùs fundet orator, tum reget, & flectet animos, & ſic afficiet, ut volet, id eſt, ut cauſæ natura, & ratio temporis poſtulabit. Sed erit duplex omnis ejus ornatus ille admirabilis, propter quem aſcendit in tantum honorem eloquentia. Nam cùm omnis pars orationis eſſe debet laudabilis, ſic ut verbum nullum, niſi aut grave, aut elegans excidat: tum ſunt maximè luminoſæ, [5] & quaſi actuoſæ partes duæ: quarum alteram in univerſi generis quæſtione pono, quam (ut ſuprà dixi) Græcis appellant θέσιν: alteram in augendis, amplificandiſque rebus, quæ ab eiſdem αὔξησις eſt nominata. Quæ etſi æquabiliter toto corpore orationis fuſa eſſe debet, tamen in communibus locis maximè excellet: qui *communes* appellati, quod videntur multarum iidem eſſe cauſarum, ſed proprii ſingularum eſſe debebunt: At verò illa pars orationis, quæ eſt de genere univerſo, totas cauſas ſæpe continet. quidquid eſt enim illud, in quo quaſi certamen eſt controverſiæ, quod Græcè κρινόμενον dicitur, id ita dici placet, ut traducatur ad *perpetuam quæſtionem*; atque de univerſo genere dicatur: niſi cùm de vero ambigetur: quod quæri conjectura ſolet. Dicetur autem non Peripateticorum more (eſt enim illorum exercitatio elegans jam inde ab Ariſtotele conſtituta) ſed aliquanto nervoſiùs: & ita de re communia dicentur, ut & pro reis multa leniter dicantur, & in adverſarios aſpere. Augendis verò rebus, & contrà abjiciendis nihil eſt, quod non perficere poſſit oratio: quod & inter media argumenta faciendum eſt, quotieſcumque dabitur vel amplificandi, vel minuendi locus, & pænè infinitè in perorando. Duo ſunt, quæ 37
bene tractata ab oratore, admirabilem eloquentiam faciant. quorum alterum eſt, quod Græci ἠθικὸν vocant, ad naturas, & ad mores, & ad omnem vitæ conſuetudinem accommodatum: alterum, quod iidem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi & concitantur, in quo uno *regnat oratio*. Illud ſuperius, come, jucundum, ad benivolentiam conciliandam paratum: hoc, vehemens, incenſum, incitatum, quo cauſæ eripiuntur: quod cùm rapidè fertur, ſuſtineri nullo pacto poteſt. Quo genere nos, mediocres, aut multo etiam minus: ſed magno ſemper uſi impetu, ſæpe adverſarios de ſtatu omni dejecimus. Nobis pro familiari reo ſummus orator non reſpondit Hortenſius. A nobis homo audaciſſimus Catilina in ſenatu accuſatus obmutuit. Nobis privata in cauſa magna & gravi, cùm cœpiſſet Curio pater reſpondere, ſubitò aſſedit, cùm ſibi *venenis* ereptam memoriam diceret. Quid ego de *miſerationibus* loquar? quibus eo ſum uſus pluribus, quòd etiam ſi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant. in quo ut viderer excellere, non ingenio, ſed dolore aſſequebar. Quæ qualiacumque in me ſunt: [6] me enim ipſum non pœnitet, quanta ſint: ſed apparent in orationibus: etſi carent libri ſpiritu illo, propter quem majora eadem illa cùm aguntur, quàm cùm leguntur, videri ſolent.
Nec verò miſeratione ſolùm mens judicum permovenda 38
eſt

1. *Qui conſervatis notatiſque temporibus.*] Legendum videbatur Gulielmio *coacervatis.*

2. *Niſi memoria rerum veterum cum ſuperiorum,&c.*] Ita Pall. omnes, niſi quod Pal. pr. & ſec. *ſuperioribus.* Vulgata, *niſi cum memoria.* Memm. ſolum habet, *niſi cum mem. vet. iterum contexatur*; omiſſis ceteris.

3. *Argumentorum præcepta pauca ſunt. traditi ſunt, è quibus, &c.*] Sic Pall. poſteriores, quippe pr. & ſec. item Pith. *præcepta tradita ſunt, è quibus ducantur.*

4. *Elatis incenſa verbis.*] Haud aliter Pall. omnes, & Pith. recepta lectio *intenſa*, alias *intenta.*

5. *Et quaſi actuoſæ.*] Ita Pall. omnes & Gallicani. Nonius tamen duobus locis inculcat nobis *jactuoſæ.*

6. *Me enim ipſum non pœnitet quanta ſint.*] Pith. & Pall. duo priores tantum habent, *me ipſum pœnitet quanta ſint.*

eſt (qua nos ita dolenter uti ſolemus ut puerum infantem in manibus perorantes tenuerimus: ut alia in cauſa, excitato reo nobili, ſublato etiam filio parvo, plangore & lamentatione compleremus forum) ſed etiam eſt faciendum, ut *iraſcatur* judex, mitigetur, invideat, faveat, contemnat, admiretur, oderit, diligat, cupiat, ſatietate afficiatur, ſperet, metuat, lætetur, doleat: qua in varietate, duriorum, accuſatio ſuppeditabit exempla: mitiorum, defenſiones meæ. Nullo enim modo animus audientis aut incitari, aut leniri poteſt, qui modus à me non tentatus ſit. dicerem perfectum, ſi ita judicarem, nec in veritate crimen arrogantiæ extimeſcerem. Sed (ut ſuprà dixi) nulla me ingenii, ſed magna vis animi inflammat, ut me ipſe non teneam.

NEC UMQUAM is, qui audiret, incenderetur, niſi ardens ad eum perveniret, oratio. Uterer exemplis domeſticis, niſi ea legiſſes: uterer alienis vel Latinis, ſi ulla reperirem: vel Græcis, ſi deceret. Sed Craſſi perpauca ſunt, nec ea judiciorum. nihil Antonii, nihil Cottæ, nihil Sulpicii. dicebat meliùs, quàm ſcripſit Hortenſius. Verùm hæc vis, quam quærimus, quanta ſit, ſuſpicemur, quoniam exemplum non habemus: aut, ſi exempla ſequimur, à Demoſthene ſumamus, & quidem perpetuæ dictionis, ex eo loco, unde, in Cteſiphontis judicio, de ſuis factis, conſiliis, meritis in remp. aggreſſus eſt dicere. Ea profectò oratio in eam formam, quæ eſt inſita in mentibus noſtris, includi

39 ſic poteſt, ut major eloquentia non requiratur. Sed jam forma ipſa reſtat, & *character* ille qui dicitur: qui qualis eſſe debeat, ex ipſis, quæ ſuprà dicta ſunt, intelligi poteſt. Nam & ſingulorum verborum, & collocatorum lumina attigimus: quibus ſic abundabit, ut verbum ex ore nullum, niſi aut elegans, aut grave exeat: ex omnique genere frequentiſſimæ *tranſlationes* erunt, quòd eæ propter ſimilitudinem transferunt animos, & referunt, ac movent huc, & illuc: qui motus cogitationis, celeriter agitatus, per ſe ipſe delectat. Et reliqua, ex collocatione verborum quæ ſumuntur quaſi lumina, magnum afferunt ornatum orationi. Sunt enim ſimilia illis, quæ in amplo ornatu ſcenæ, aut fori appellantur *inſignia*: non quòd ſola ornent, ſed quòd excellant. Eadem ratio eſt horum, quæ ſunt orationis lumina, & quodammodo inſignia: cùm aut duplicantur, iteranturque verba, aut breviter commutata ponuntur, aut ab eodem verbo ducitur ſæpius oratio, aut in idem conjicitur, aut in utrumque, aut adjungitur idem iteratum, aut idem ad extremum refertur, aut continenter unum verbum non in eadem ſententia ponitur: aut cùm ſimiliter vel cadunt verba, vel deſinunt, aut multis modis contrariis relata contraria: [1] aut cùm gradatim ſurſum verſus reditur: aut cùm, demtis conjunctionibus, diſſolutè plura dicuntur: aut cùm aliquid prætereuntes, cur id faciamus, oſtendimus, aut cùm corrigimus noſmetipſos, quaſi reprehendentes: aut ſi eſt aliqua exclamatio vel admirationis, vel conqueſtionis: aut cùm ejuſdem nominis, caſus ſæpius commutatur. Sed *ſententiarum* ornamenta, majora ſunt: quibus quia frequentiſſimè Demoſthenes utitur, ſunt qui putent, idcirco ejus eloquentiam maximè eſſe laudabilem. Et verò nullus ferè ab eo locus [2] ſine quadam conformatione ſententiæ edicitur: nec aliud quidquam eſt, dicere, niſi omneis, aut certè pleraſque aliqua ſpecie illuminare ſententias: quas cùm tu optimè, Brute, teneas, quid attinet nominibus uti, aut exemplis? tantùm notetur locus.

40 Sic igitur dicet ille, quem expetimus, [3] ut verſet ſæpe multis modis eandem, & unam rem; & hæreat in eadem, commoreturque ſententia: ſæpe etiam ut extenuet aliquid: ſæpe ut irrideat: ut declinet à propoſito, deflectatque ſententiam: ut proponat, quid dicturus ſit: ut, cùm tranſegerit jam aliquid, definiat: ut ſe ipſe revocet, ut, quod dixit iteret: ut argutum ratione concludat, ut interrogando urgeat, ut rurſus quaſi ad interrogata *ſibi ipſe* reſpondeat, ut contrà, ac dicat, accipi, & ſentiri velit, ut addubitet, quid potiùs, aut quomodo dicat: ut dividat in parteis: ut aliquid relinquat, ac negligat: ut antè præmuniat: ut in eo ipſo, in quo reprehendatur, culpam in adverſarium conferat: ut ſæpe cum iis, qui audiunt, nonnumquam etiam cum adverſario quaſi *deliberet*: ut hominum ſermones, moreſque deſcribat: ut muta quædam loquentia inducat: ut ab eo, quod agitur, avertat animos: ut ſæpe in hilaritatem, riſumve convertat: ut antè occupet quod videat opponi: ut comparet ſimilitudines: ut utatur exemplis: ut aliud alii tribuens diſpertiat, ut interpellatorem coërceat, ut aliquid reticere ſe dicat: ut denuntiet, quid caveant: ut liberiùs quid audeat: ut iraſcatur etiam, ut objurget aliquando, ut deprecetur, ut ſupplicet, ut medeatur, ut à propoſito declinet aliquantulum, ut optet, ut exſecretur: ut fiat iis, apud quos dicet, familiaris. Atque alias etiam dicendi quaſi virtutes ſequatur: brevitatem, ſi res petet: ſæpe etiam rem dicendo ſubjiciet oculis: ſæpe ſuprà feret, quàm fieri poſſit: *ſignificatio* ſæpe erit major, quàm oratio: ſæpe hilaritas, ſæpe vitæ, naturarumque imitatio. Hoc in genere (nam 41

quaſi ſilvam vides) omnis eluceat oportet eloquentiæ magnitudo. Sed hæc, niſi collocata, & quaſi ſtructa, & nexa verbis, ad eam laudem, quam volumus adſpirare non poſſunt. De quo cùm mihi deinceps viderem eſſe dicendum, etſi movebant jam me illa, quæ ſuprà dixeram, tamen iis, quæ ſequuntur, perturbabar magis. Occurrebat enim, poſſe reperiri non invidos ſolùm, quibus *referta ſunt omnia*, ſed fautores etiam mearum laudum, qui non cenſerent ejus viri eſſe, de cujus meritis tanta ſenatus judicia feciſſet, comprobante populo Rom. quanta de nullo, de artificio dicendi litteris tam multa mandare. Quibus ſi nihil aliud reſponderem, niſi, me M. Bruto *negare roganti noluiſſe*, juſta eſſet excuſatio, cùm & amiciſſimo, & præſtantiſſimo viro, & recta & honeſta petenti, ſatisfacere voluiſſem. Sed ſi profitear (quod utinam poſſem) me ſtudioſis dicendi, præcepta, & quaſi vias, quæ ad eloquentiam ferrent, traditurum: quis tandem id juſtus rerum æſtimator reprehenderet? Nam quis umquam dubitavit, quin in rep. noſtra *primas* eloquentia tenuerit ſemper, urbanis, pacatiſque rebus: ſecundas, juris ſcientia? cùm in altera, gratiæ, gloriæ, præſidii plurimum eſſet: in altera, perſecutionum, cautionumque præceptio, quæ quidem ipſa auxilium ab eloquentia ſæpe peteret, ea verò repugnante vix ſuas regiones, fineiſque defenderet. Cur igitur *jus civile* docere ſemper pulcrum fuit, hominumque clariſſimorum diſcipulis floruerunt domus: ad dicendum ſi quis acuat, aut adjuvet in eo juventutem, vituperetur? Nam ſi vitioſum eſt dicere ornatè, pellatur omnino è civitate eloquentia. ſin ea non modò eos ornat, penes quos eſt, ſed etiam univerſam remp. CUR AUT diſcere turpe eſt, quod ſcire honeſtum eſt, aut, quod noſſe pulcerrimum eſt, id non glorioſum docere? At alterum factitatum eſt, alterum novum. Fateor: ſed

utriuſque rei cauſa eſt. Alteros enim reſpondenteis audire 42

ſat erat, ut ii, qui docerent, nullum ſibi ad eam rem tempus ipſi ſeponerent: ſed eodem tempore & diſcentibus ſatisfacerent, & conſulentibus. alteri, cùm domeſticum tempus in cognoſcendis, componendiſque cauſis, forenſe in agendis, reliquum in ſeipſis reficiendis omne conſumerent: quem

1. *Aut cum gradatim ſurſum verſus reditur.*] Pal. iidem & Pith. *redditur*, unde faciebat *receditur* Gulielmius. poſtea tamen maluiſſe videtur, *ſurſus verſus cedere*, ut ſit ex illo Plauti Epidico: *cape rurſum verſum ad illas pauxillatim accedere.*

2. *Sine conformatione ſententiæ edicitur.*] Retinent iſtud Pall. poſteriores; priores enim, *dicitur*. alias legi *inducitur* dudum annotatum aliis. ſed quid ſi tota illa vox abjiceretur?

3. *Ut verſet ſæpe multis modis eadem, &c.*] Eſt à Rivio & Lambinianis. nam Pall. poſteriores, *eadem, ut unam in rem hæreat, & in candem commoretur ſententiam.* priores & Pith. *eadem & unam rem, & hæreat in eadem commoreturque ſententiam*; quomodo vulgò editi, niſi quod ii, *eandem*.

1. At

quem habebant inſtituendi, aut docendi locum? Atque haud ſcio, [1] an plerique noſtrorum oratorum *ingenio* plus valuerint, quàm *doctrina*. itaque illi dicere meliùs, quàm præcipere: [2] nos contrà fortaſſe poſſumus. At dignitatem docere non habet. Certè, ſi quaſi *in ludo*. ſed ſi monendo, ſi cohortando, ſi percunctando, ſi communicando, ſi interdum etiam unà legendo, audiendo: neſcio cur non docendo etiam aliquid aliquando, ſi poſſis meliores facere, cur nolis? An, quibus verbis ſacrorum alienatio fiat, docere honeſtum eſt, ut eſt: quibus ipſa ſacra retineri, defendique poſſint, non honeſtum eſt? At jus profitentur etiam qui neſciunt, eloquentiam autem illi ipſi, qui conſecuti ſunt, tamen ea ſe valere diſſimulant, propterea quòd PRUDENTIA hominibus grata eſt, lingua ſuſpecta. Num igitur aut latêre eloquentia poteſt: aut id, quod diſſimulat, effugit: aut eſt periculum, ne quis putet in magna arte, & glorioſa, turpe eſſe docere alios id quod ipſi fuerit honeſtiſſimum diſcere? Ac fortaſſe ceteri tectiores: ego ſemper me didiciſſe præ me tuli. Quid enim poſſem, cùm & abfuiſſem adoleſcens, & horum ſtudiorum cauſa mare tranſiſſem, & doctiſſimis hominibus referta domus eſſet, & aliquæ fortaſſe ineſſent in ſermone noſtro doctrinarum notæ? cumque vulgò ſcripta noſtra legerentur, diſſimularem me didiciſſe? Quid erat, cur probarem, niſi quod parum fortaſſe profeceram?
43 Quod cùm ita ſit, tamen ea, quæ ſuprà dicta ſunt, plus in diſputando, quàm ea, de quibus dicendum eſt, dignitatis, habuerunt. De verbis enim componendis, & de ſyllabis propemodum dinumerandis, & dimetiendis loquemur: quæ etiam ſi ſunt, ſicuti mihi videntur, neceſſaria, tamen *fiunt* magnificentiùs, quàm docentur. Eſt id omnino verum, ſed propriè in hoc dicitur. nam OMNIUM magnarum artium, ſicut arborum, altitudo nos delectat: radices, ſtirpeſque non item: ſed eſſe illa ſine his non poteſt. Me autem, ſive pervagatiſſimus ille verſus, qui vetat,

Artem pudere proloqui, quam factites, diſſimulare non ſinit, quin delecter; ſive tuum ſtudium hoc à me volumen expreſſit: tamen eis, quos aliquid reprehenſuros ſuſpicabar, reſpondendum fuit. Quòd ſi ea, quæ dixi, non ita eſſent: quis tamen ſe tam durum, agreſtemque præberet, qui hanc mihi non daret veniam, ut, cùm meæ forenſes artes, & actiones publicæ concidiſſent, non me aut deſidiæ, quod facere non poſſum: aut mœſtitiæ, cui reſiſto, potius, quàm litteris, dederem? quæ quidem me antea in judicia, atque in curiam deducebant, nunc *oblectant domi*. Nec verò talibus modò rebus, qualeis hic liber continet, ſed multo etiam gravioribus, & majoribus: quæ ſi erunt perfectæ, profectò forenſibus noſtris rebus etiam domeſticæ litteræ reſpondebunt. Sed ad inſtitutam diſputationem revertamur.
44 Collocabuntur igitur verba, aut ut inter ſe quàm aptiſſimè cohæreant extrema cùm primis, eaque ſint quàm ſuaviſſimis vocibus: aut ut forma ipſa, concinnitaſque verborum conficiat *orbem* ſuum: aut ut comprehenſio numeroſè, & aptè cadat. Atque illud primùm videamus, quale ſit, quod vel maximè deſiderat [3] diligentiam, ut fiat quaſi ſtructura quædam, nec tamen fiat operoſè: nam eſſet cùm infinitus, tum puerilis labor, quod apud Lucilium ſcitè exagitat in Albucio Scævola,

Quàm lepidè lexeis compoſtæ? ut teſſerulæ omnes
Arte pavimento, atque emblemate vermiculato.

Nolo tam minuta hæc conſtructio appareat: ſed tamen ſtilus exercitatus efficiet facilè hanc viam componendi. Nam ut in legendo oculus, ſic animus in dicendo proſpiciet, quid ſequatur, ne extremorum verborum cum inſequentibus primis concurſus, aut hiulcas voces efficiat, aut aſperas. Quamvis enim ſuaves, graveſque ſententiæ, tamen ſi inconditis verbis efferuntur, offendent *aureis: quarum eſt judicium ſuperbiſſimum*. Quod quidem Latina lingua ſic obſervat, [4] nemo ut tam ruſticus ſit, quin vocaleis nolit conjungere. in quo quidam etiam Theopompum reprehendunt, quòd eas litteras tanto opere fugerit; [5] etſi id magiſter ejus Iſocrates. at non Thucydides: ne ille quidem, haud paullo major ſcriptor, Plato: nec ſolùm in his ſermonibus, qui dialogi dicuntur, ubi etiam de induſtria id faciendum fuit, ſed in populari oratione, qua mos eſt Athenis laudari in concione eos, qui ſint in prœliis interfecti: quæ ſic probata eſt, ut eam quotannis, ut ſcis, illo die recitari neceſſe ſit. in ea eſt crebra iſta vocum concurſio, quam magna ex parte, ut vitioſam, fugit Demoſthenes. Sed 45
Græci viderint: nobis, ne ſi cupiamus quidem, diſtrahere voces conceditur. Indicant orationes illæ ipſæ horridulæ Catonis: indicant omnes poëtæ, præter eos, qui ut verſum facerent, ſæpe hiabant, ut Nævius,

,, *Vos, qui accolitu Hiſtrum fluvium, atque Algidam.*

Et ibidem,

,, *Quam nunquam vobis Graij, atque Barbari.*

At Ennius ſemel,

Scipio invicte. —— Et quidem nos,

,, *Hoc motu radiantis Eteſiæ in vada ponti.*

Hoc idem noſtri ſæpius non tuliſſent, quod Græci laudare etiam ſolent. [6] Sed quid ego vocaleis? ſine vocalibus ſæpe brevitatis cauſa contrahebant, ut ita dicerent, *multi' modis*, [7] *vas' argenteis*, *palm' & crinibus*, *tecti' fractis*. Quid verò licentius, quàm quòd hominum etiam nomina contrahebant, quo eſſent aptiora? nam ut *duellum*, bellum, & *duis* bis: ſic *Duellium*, eum, qui Pœnos claſſe devicit, [8] *Bellium* nominaverunt, cùm ſuperiores appellati eſſent ſemper *Duellii*. Quinetiam verba ſæpe contrahuntur, non uſus cauſa, ſed aurium. Quomodo enim veſter *Axilla*, *Ala* factus eſt, niſi fuga litteræ vaſtioris? quam litteram etiam è *maxillis*, [9] & *taxillis*, & *vexillo*, & *paxillo*, conſuetudo elegans Latini ſermonis evellit. Libenter etiam copulando verba jungebant, ut *ſodes*, pro, *ſi audes*: *ſis*, pro, *ſi vis*. Jam in uno, [10] *capſis*, tria verba ſunt: *ain'*, pro, *aiſne*: *nequire*, pro, *non quire*: *malle*, pro, *magis velle*: *nolle*, pro, *non velle*. *Dein* etiam ſæpe, & *exin*, pro *deinde*, & *exinde* dicimus. Quid illud? non olet unde ſit, quod dicitur, *cum illis*? *cum* autem *nobis* non dicitur, ſed *nobiſcum*? quia ſi ita diceretur, obſcænius concurrerent litteræ, ut etiam modò, niſi AUTEM interpoſuiſſem, concurriſſent. Ex eo eſt *mecum*, & *tecum*: non, *cum me*, & *cum te*, ut eſſet ſimile illis *vobiſcum*, atque *nobiſcum*. Atque etiam à quibuſdam 46
ſerò

---

1. *An plerique noſtrorum oratorum ingenio plus valuerint.*] Accedit Muretus codici Alexandri Glorierii, in quo erat amplius, *oratorum, contra atque nos, ingenio &c.* & vero ſic quoque præfert exemplar Pithœanum, eratque in Palat. prim. ac ſecund. *oratorum eſſe atque ingenio*. ſed tamen vix admiſerim, nihil variantibus Palatinis ceteris.

2. *Nos contra fortaſſe poſſumus.*] Nihil adjiciunt membranacei noſtri, quare non poſſumus adnuere Glorieriano libro addenti, *poſſumus melius docere*, etſi id probet Muretus libro XII. Variar. Lectionum cap. 20.

3. *Diligentiam, ut fiat quaſi ſtructura quædam, nec tamen fiat operoſe.*] Hanc ſcripturam etiam offendit in Pith. Gulielmius, egoque in Pal. pr. ac. ſec. eſtque concinnior longe hactenus recepta.

4. *Nemo tam ruſticus quin.*] Haud aliter Pall. & firmat P. Victorius libro Var. lect. XII. cap. 17. Turnebus lib. VIII. cap. 3.

5. *Etſi id magiſter ejus Iſocrates: at non, &c.*] Pal. pr. *etſi id magiſter ejus Iſocrates fecerat: attamen Thucydides.* neque aliter ſec. niſi quod is, *etſi idem magiſter, &c.*

6. *Sed quid ego vocaleis? ſine vocalibus, &c.*] Hanc interpunctionem ſtabilit Victorius d. cap. 17.

7. *Vas' argenteis, palm' & crinibus.*] Parum juvant libri ſcripti. Lambinus tamen auſus reponere, *argentei' vaſis, palſi' crinibus.*

8. *Bellium nominarunt.*] *Bilium* vult Paulus Merula ad Ennium, qui conſulatur.

9. *Taxillis.*] Muretus maluit è Glorieriano *axillis*, libro XII. Var. lect. cap. 20. ut & mox pro *paxillo* reponendum autumabat *pauxillum*, præter membranaceos tamen noſtros.

10. *Capſis, tria verba ſunt.*] Ea Turnebus libro VIII. Adverſar. cap. 3. ſuſpicatur eſſe *cape ſi vis*, addit tamen: At quanto veriſimilius eſt, M. Tulli, præteritum eſſe antiquum, pro *ceperis*; ut apud te, libro II. de legibus: *Sacrum ſacrove commendatum ſi quis clepſit rapſitve, parricida eſto, &c.*

ſerò jam emendatur antiquitas, qui hæc reprehendunt. nam *Proh deûm, atque hominum fidem*: *deorum* ajunt. Ita credo. hoc illi neſciebant: an dabat hanc licentiam conſuetudo? Itaque idem poëta, qui inuſitatiùs contraxerat,

-- *Patris mei meûm factûm pudet*, pro *meorum factorum*: Et,

Texitur: exitiûm examen rapit, -- pro *exitiorum*: non dicit, *liberûm*, ut plerique loquimur, cum, *Cupidos liberûm*, aut, *In liberûm loco*, dicimus: ſed ut iſti volunt,

Neque tuum umquam in gremium extollas liberorum ex te genus.

Et idem,

Namque Æſculapi liberorum. ——

At ille alter in Chryſe, non ſolùm,

Cives, antiqui amici majorum meûm, quod erat uſitatum, ſed durius etiam,

Conſiliûm, augurium, atque extûm interpretes.

Idemque pergit,

Poſtquam prodigiûm horriferûm, portentûm pavos: quæ non ſanè ſunt in omnibus neutris uſitata. Nec enim dixerim tam libenter, *armûm judicium*: etſi eſt apud eundem, *Nihilne ad te de judicio armûm accidit?* quàm *armorum*. Jam ([1] ut cenſoriæ tabulæ loquuntur) *fabrûm, & procûm*, audeo dicere, non *fabrorum, & procorum*. Planeque, *duorum virorum judicium*, aut *triumvirorum capitalium*, aut, [2] *decem virorum litibus judicandis*, dico numquam. Atqui dixit Accius, *Video ſepulcra, dua duorum corporum.* Idemque, -- *Mulier una duûm virûm.* Quid verum ſit, intelligo: ſed aliâs ita loquor, ut conceſſum eſt, ut hoc, vel *Proh deûm* dico, vel, *Proh deorum*: alias, ut neceſſe eſt, cùm *trium virûm*, non *virorum*: cùm *ſeſtertiûm nummûm*, non *nummorum*: quòd
47 in his conſuetudo varia non eſt. Quid, quòd ſic loqui, *noſſe, judicaſſe*, vetant: *noviſſe*, jubent, & *judicaviſſe*? quaſi verò neſciamus, in hoc genere & plenum verbum rectè dici, & imminutum uſitate. Itaque utrumque Terentius, *Eho, tu cognatum tuum non noras?* -- Poſt idem, *Stilphonem, inquam, noveras? Siet*, plenum eſt: *ſit*, imminutum. licet utare utroque. ergo ibidem, *Quàm cara ſintque, poſt carendo intelligunt, Quamque attinendi magni dominatus ſient.* Nec vero reprehenderim,

—— *Scripſere alii rem.* & *ſcripſerunt*, eſſe verius ſentio: ſed conſuetudini auribus indulgenti libenter obſequor.

Idem campus habet, —— inquit Ennius: &,

In templis iſdem, —— probavit. at, *eiſdem*, erat verius: nec tamen, *eiſdem*, opimius. malè ſonabat, *iiſdem*. IMPETRATUM eſt à conſuetudine, ut peccare ſuavitatis cauſa liceret: & *pomeridianas quadrigas*, quàm *poſtmeridianas*, libentius dixerim: & *mehercule*, quàm *mehercules*. *Non ſcire* quidem barbarum jam videtur: *neſcire*, dulcius. Ipſum, *meridiem*, cur non *medidiem*? credo, quod erat inſuavius. Una præpoſitio eſt, AB, eaque nunc tantùm in accepti tabulis manet, ne his quidem omnium: in reliquo ſermone mutata eſt. Nam *amovit* dicimus, & *abegit*, & *abſtulit*, ut jam neſcias, *ab* ne verum ſit, an *abs*. Quid ſi etiam *abfugit*, turpe viſum eſt; & *abfer* noluerunt, *aufer* maluerunt? quæ præpoſitio præter hæc duo verba, nullo alio in verbo reperitur. *Noti* erant, & *navi*, & *nari*, quibus cùm IN præponi oporteret, dulcius viſum eſt, *ignoti, ignavi, ignari* dicere, quàm ut veritas poſtulabat. *Ex uſu* dicunt, & *è republica*, quòd in altero vocalis excipiebat, in altero eſſet aſperitas, niſi litteram ſuſtuliſſes: [3] ut *exegit, edixit, refecit, retulit, reddidit*: adjuncti verbi primam litteram præpoſitio com-
mutavit, ut *ſubegit, ſummutavit, ſuſtulit*. Quid in ver- 48
bis junctis? quàm ſcitè *inſipientem*, non *inſapientem*? *iniquum*, non *inæquum*? *tricipitem*, non *tricapitem*? *conciſum*, non *concæſum*? Ex quo quidam *pertiſum* etiam volunt: quod eadem conſuetudo non probavit. Quid verò hoc elegantius, quod non fit natura, ſed quodam inſtituto? *inclytus* dicimus brevi prima littera, *inſanus* producta. *inhumanus* brevi, *infelix* longa. &, ne multis, quibus in verbis eæ primæ litteræ ſunt, quæ in *ſapiente*, atque *felice*, productè dicitur; in ceteris omnibus, breviter. itemque *compoſuit, conſuevit, concrepuit, confecit*: conſule veritatem, reprehendet: refer ad aureis, probabunt. quære, cur? ita ſe dicent juvari. voluptati autem aurium morigerari debet oratio. Quin ego ipſe, cùm ſcirem ita majores locutos eſſe, ut nuſquam, niſi in vocali, adſpiratione uterentur, loquebar ſic, ut *pulcros, Cetegos, triumpos, Kartaginem* dicerem: aliquando, idque ſerò, convicio aurium, cum extorta mihi veritas eſſet, USUM LOQUENDI populo conceſſi, ſcientiam mihi reſervavi. *Orcivios* tamen, & *Matones, Otones, Cæpiones, ſepulcra, coronas, lacrymas* dicimus, quia per aurium judicium ſemper licet. [4] *Burrum* ſemper Ennius, numquam *Pyrrhum*. *Vi patefecerunt Bruges*: non *Phryges*, ipſius antiqui declarant libri. nec enim Græcam litteram adhibebant: nunc autem etiam duas: & cùm *Phrygum*, & cùm *Phrygibus* dicendum eſſet, abſurdum erat aut tantùm Barbaris caſibus Græcam litteram adhibere, aut recto caſu ſolùm Græcè loqui, tamen & *Phryges*, & *Pyrrhum* aurium cauſa dicimus. Quinetiam, quod jam ſubruſticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eædem erant poſtremæ duæ litteræ, quæ ſunt in *optumus*, poſtremam litteram detrahebant, niſi vocalis inſequebatur. Ita non erat offenſio in verſibus, quam nunc fugiunt poëtæ novi. Ita enim loquebamur,

Qui eſt omnibu' princeps. non, *omnibus princeps.* &,

Vita illa dignu', locoque. non, *dignus.*

Quod ſi indocta conſuetudo tam eſt artifex ſuavitatis, quid ab ipſa tandem arte, & doctrina poſtulari putamus? Hæc dixi brevius, quàm ſi hac de re una diſputarem. eſt enim hic locus late patens, de natura, uſuque verborum: longius
autem, quàm inſtituta ratio poſtulabat. Sed quia rerum, 49
verborumque judicium, prudentiæ eſt: vocum autem, & numerorum, aures ſunt judices: &, quòd illa ad intelligentiam referuntur, hæc ad voluptatem: in illis ratio invênit, in his ſenſus artem. aut enim negligenda nobis fuit voluptas eorum, quibus probari volebamus, aut ars ejus conciliandæ reperienda. Duæ ſunt igitur res, quæ permulceant aureis, *ſonus*, & *numerus*. De numero mox, nunc de ſono quærimus. Verba (ut ſupra diximus) legenda ſunt potiſſimùm bene ſonantia, ſed ea non ut poëtæ, exquiſita ad ſonum, ſed ſumta de medio. [5] *Qua pontus Helles* -- ſuperat modum. At, *Auratos aries Colchorum*, -- ſplendidis nominibus illuminatus eſt verſus: ſed proximus inquinatus, [6] inſuaviſſima littera finitus, *Frugifera, & ferta arva Aſiæ tenet.* Quare bonitate potius noſtrorum verborum utamur, quàm ſplendore Græcorum, niſi forte ſic loqui pœnitet,

Qua

---

1. *Ut cenſoriæ tabulæ, &c.*] Lectionem iſtam contra novatores eorum retinet & defendit Turnebus d. cap. 3. qui adeatur; habent tamen Pall. priores & Pith. *accedit quam centuriam fabrûm & procûm, ut cenſoriæ tabulæ loquuntur, audeo, &c.* poſteriores, *accidit. quam centuriam, ut cenſ. tab. loq. fabrum, &c.*

2. *Decemvirorum litibus judicandis.*] Idem Muretus affirmat in Glorieriano exſtare *ſtlitibus*, antique ſi verum eſt, revocandum erit, quamvis exemplaria alia non accedant.

3. *Ut exegit, edixit, refecit, &c.*] Malui heic, ut & in prioribus ac ſequentibus repræſentare ſcripturam paſſim receptam, quam conjecturas meas obtrudere cum Lambino; utique cum libri plutearii parum aut nihil juvarent.

4. *Burrum ſemper Ennius, &c.*] Sic voluit ſcribi Petrus Victorius libro XIV. Var. lect. cap. 3. neque aliter legitur in Pal. prim. aut ſec. non *Purrum*, ut vulgo.

5. *Qua pontus Helles ſuperat modum, &c.*] Non dubium eſt, quin admittenda ſit ſcriptura quam è Seneca eruit Lipſius noſter; *Quà Ponto ab Helles.* libri tamen noſtri faciunt pro vulgata. monſtra tamen præferunt verborum, in ſequentibus. quippe Palat. prim. ac ſecund. *Qua Pontus Heles ſuperat modum ad auricos locorum, &c.* quart. quint. ſext. *Qua Pontus Helles ſuperat Tmolum at Tauricos locorum, &c.*

6. *Inſuaviſſima litera finitus.*] Sic Manutius, ſic Lambinus; neque aliter Pal. prim. aut ſec. & Pith. at antiquiores edd. *infinitus.* quod reformabat Gulielmius in *inſignitus.* Pall. tamen poſteriores habent *literâ finis.*

1. *Ergo*

Qua tempeſtate Paris Helenam. -- & quæ ſequuntur. Immò verò iſta ſequamur, aſperitatemque fugiamus, *Habeo iſtam ego perterricrepam.* -- Idemque, *Verſutiloquas malitias.* Nec ſolùm componentur verba ratione, ſed etiam finientur, quoniam id judicium eſſe alterum aurium diximus. Sed finiuntur aut compoſitione ipſa, & quaſi ſua ſponte, aut quodam genere verborum, in quibus ipſis concinnitas ineſt: quæ ſive caſus habent in exitu ſimileis, ſive paribus paria redduntur, ſive opponuntur contraria, ſuapte natura numeroſa ſunt, etiam ſi nihil eſt factum de induſtria. In hujus concinnitatis conſectatione Gorgiam fuiſſe principem accepimus, quo de genere illa noſtra ſunt in Miloniana. EST ENIM, JUDICES, hæc non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus. Hæc enim talia ſunt, ut, quia referuntur ad ea, ad quæ debent referri, intelligamus non quæſitum eſſe numerum, ſed ſecutum. Quod fit item in contrariis referendis: ut illa ſunt, quibus non modo numeroſa oratio, ſed etiam verſus efficitur,

Eam, quam nihil accuſas, damnas. condemnas, diceret, qui verſum effugere vellet.

Bene quam meritam eſſe autumas, dicis male mereri
Id, quod ſcis, prodeſt nihil: id, quod neſcis, obeſt.

Verſum efficit ipſa relatio contrariorum, id eſſet in oratione numeroſum, *Quod ſcis, nihil prodeſt: quod neſcis, multum*
50 *obeſt.* Semper hæc, quæ Græci ἀντίθετα nominant, cùm contrariis opponuntur contraria, numerum oratorium neceſſitate ipſa efficiunt, & eum ſine induſtria. Hoc genere antiqui, jam ante Iſocratem delectabantur, & maximè Gorgias: cujus in oratione plerumque efficit numerum ipſa concinnitas. Nos etiam in hoc genere frequentes, ut illa ſunt in quarto accuſationis, CONFERTE HANC pacem cum illo bello: hujus prætoris adventum, cum illius imperatoris victoria: hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invicto: hujus libidines, cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas: ab hoc, qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas. [1] Ergo & hi numeri ſint cogniti. Genus illud tertium explicetur, quale ſit, numeroſæ & aptæ orationis. quod qui non ſentiunt, quas aureis habeant, aut quid in his hominis ſimile ſit, neſcio. Meæ quidem & perfecto completoque verborum ambitu gaudent, & curta ſentiunt, nec amant redundantia. Quid dico meas? *concioneis* ſæpe exclamare vidi, cùm aptè verba cecidiſſent. id enim exſpectant aures, ut verbis colligentur ſententiæ. Non erat hoc apud antiquos. Et quidem nihil aliud ferè non erat. nam [2] & verba eligebant, & ſententias graveis, & ſuaveis reperiebant, ſed eas aut vinciebant, aut explebant parum. Hoc me ipſum delectat, inquiunt. Quid ſi antiquiſſima illa *pictura* paucorum colorum, magis, quàm hæc jam perfecta, delectet? illa nobis ſit, credo, repetenda: hæc ſcilicet repudianda. Nominibus veterum gloriantur. HABET autem, ut in ætatibus auctoritatem ſenectus, ſic in exemplis antiquitas: quæ quidem apud me ipſum valet plurimùm. nec ego id, quod deeſt antiquitati, flagito potius, quàm laudo, quod eſt: præſertim cùm ea majora judicem, quæ ſunt, quàm illa, quæ deſunt. Plus eſt enim in verbis, & in ſententiis boni, quibus illi excellunt, quàm in concluſione
51 ſententiarum, quam non habent. Poſt inventa concluſio eſt, qua credo uſuros veteres illos fuiſſe, ſi jam nota, atque uſurpata res eſſet: qua inventa, omneis uſos magnos oratores videmus. Sed habet nomen invidiam, cùm in oratione judiciali & forenſi numerus Latinè, Græcè ῥυθμὸς ineſſe dicitur. Nimis enim *inſidiarum* ad capiendas aureis adhiberi videtur, ſi etiam in dicendo numeri ab oratore quæruntur. Hoc freti iſti & ipſi infracta, & amputata loquuntur, & eos vituperant, qui apta, & finita pronuntiant. ſi inanibus verbis, levibuſque ſententiis; jure. ſin probæ res, lecta verba: quid eſt [3] cur claudere, aut inſiſtere orationem malint, quàm cum ſententia pariter excurrere? Hic enim invidioſus numerus nihil affert aliud, niſi ut ſit aptè verbis comprehenſa ſententia: quod fit etiam ab antiquis, ſed plerumque caſu, ſæpe natura: & quæ valde laudantur apud illos, ea ferè, quia ſunt concluſa, laudantur. Et apud Græcos quidem jam anni propè quadringenti ſunt, cùm hoc probatur, nos nuper agnovimus. Ergo Ennio licuit, vetera contemnenti dicere:

Verſibu', quos olim Fauni, vateſque canebant:

mihi de antiquis eodem modo non licebit, præſertim cùm dicturus non ſim, *Ante hunc*, -- ut ille: nec quæ ſequuntur, *Nos auſi reſerare.* -- legi enim, audivique nonnullos, quorum propemodum abſolutè concluderetur oratio. Quod qui non poſſunt, non eſt eis ſatis non contemni, laudari etiam volunt. Ego autem illos ipſos laudo, idque meritò, quorum ſe iſti imitatores eſſe dicunt, etſi in eis aliquid deſidero: hos verò minimè, qui nihil illorum, niſi *vitium*, ſequuntur, cùm à bonis abſint longiſſimè. Quod ſi aureis tam inhumanas, tamque agreſteis habent, ne doctiſſimorum quidem virorum eos movebit auctoritas? Omitto Iſocratem, diſcipuloſque ejus, Ephorum, & Naucratem: quamquam orationis faciendæ, & ornandæ auctores locupletiſſimi, ſummique ipſi oratores, eſſe debeant. Sed quis omnium doctior, quis acutior, quis in rebus vel inveniendis, vel judicandis acrior Ariſtotele fuit? [4] quis porrò Iſocrati eſt adverſatus impenſius? Is igitur verſum in oratione vetat eſſe, numerum jubet. Ejus auditor Theodectes, in primis, ut (Ariſtoteles ſæpe ſignificat) politus ſcriptor, atque artifex, hoc idem & ſentit, & præcipit. Theophraſtus vero, iiſdem de rebus etiam accuratius. Quis ergo iſtos ferat, qui hos auctores non probent? niſi omnino hæc eſſe ab his præcepta neſciunt. Quod ſi ita eſt, (nec verò aliter exiſtimo) quia ipſi ſuis ſenſibus non moventur: nihilne eis inane videtur? nihil inconditum, nihil curtum, nihil claudicans, nihil redundans? In verſu quidem, [5] theatra tota exclamant, ſi fuit una ſyllaba aut brevior, aut longior. Nec verò multitudo pedes novit, nec ullos numeros tenet: nec illud, quod offendit, aut cur, aut in quo offendat, intelligit: & tamen omnium longitudinum, & brevitatum in ſonis, ſicut acutarum, graviumque vocum, judicium ipſa *natura* in auribus noſtris collocavit. Viſne igitur, Brute, totum hunc locum accuratiùs 52
etiam explicemus, quàm illi ipſi, qui & hæc, & alia nobis tradiderunt? An his contenti eſſe, quæ ab illis dicta ſunt, poſſumus? Sed quid quæro, veliſne: cùm litteris tuis eruditiſſimè ſcriptis, te id vel maximè velle perſpexerim? Primùm ergo origo, deinde cauſa, pòſt natura, tum ad extremum uſus ipſe explicetur orationis aptæ, atque numeroſæ. Nam qui Iſocratem maximè mirantur, hoc in ejus ſummis laudibus ferunt, quòd verbis ſolutis numeros primus adjunxerit. Cùm enim videret, oratores cum ſeveritate audiri, poëtas autem cum voluptate: tum dicitur numeros ſecutus, quibus etiam in oratione uteremur, cùm jucunditatis cauſa, tum ut *varietas* occurreret ſatietati. Quod ab his verè quadam ex parte, non totum, dicitur. Nam neminem in eo genere ſcientius verſatum Iſocrate, confitendum eſt: ſed princeps inveniendi fuit Thraſymachus: cujus omnia nimis etiam exſtant ſcripta numeroſè. Nam, (ut paullo ante dixi) paria paribus adjuncta, & ſimiliter definita, item-

1. *Ergo & hi numeri ſint cogniti. Genus, &c.*] Sic fere Pall. omnes. certè nulli agnoſcunt illud retrò vulgatum, *cogniti etiam à Latinis. Genus.* quæ liquet eſſe a gloſſa.

2. *Et verba eligebant.*] Pal. pr. ſec. Pith. *effingebant.* quod tamen non auſim ſequi.

3. *Cur claudere.*] Coactus ſum ſequi Palatinarum membranarum chorum, quibus accinebat Pith. vulgata *claudicare.*

4. *Quis Iſocrati eſt adverſatus impenſius.*] Convenit illud magis quam hactenus vulgatum *infenſius*, eduxi autem è tenebris Pal. pr. ac ſec. neque aliter erat in libro Petri Pithœi.

5. *Theatra tota exclamant.*] Lambinus arbitratur reſtituendum *reclamant.* non puto neceſſe; libris non addicentibus.

itemque contrariis relata contraria, quæ ſua ſponte (etiam ſi id non agas) cadunt plerumque numeroſè, Gorgias primus invenit: ſed his eſt uſus *intemperantiùs.* id autem eſt genus (ut ante dictum eſt) ex tribus partibus collocationis alterum. Horum uterque Iſocratem ætate præcurrit: ut eos ille moderatione, non inventione vicerit. Eſt enim, ut in transferendis, faciendiſque verbis tranquillior, ſic in ipſis numeris ſedatior. Gorgias autem avidior eſt generis ejus, & his feſtivitatibus, (ſic enim ipſe cenſet) inſolentiùs abutitur: quas Iſocrates (cùm tamen audiviſſet in Theſſalia adoleſcens ſenem jam Gorgiam) moderatiùs temperavit. Quinetiam ſe ipſe tantum, quantum ætate procedebat, (propè enim centum confecit annos) relaxarat à nimia neceſſitate numerorum: quod declarat in eo libro, quem ad Philippum Macedonem ſcripſit, cùm jam admodum eſſet ſenex: in quo dicit *ſeſe minùs jam ſervire numeris, quàm ſolitus eſſet.* ita non modò ſuperiores, ſed etiam ſe ipſe correxerat.
53 Quoniam igitur habemus aptæ orationis eos principes, auctoreſque, quos dicimus, & origo inventa eſt: cauſa quæratur. quæ ſic aperta eſt, ut mirer, veteres non eſſe commotos, præſertim cùm, ut fit, fortuitò ſæpe aliquid concluſè, apteque dicerent: quod cum animos hominum, aureiſque pepuliſſet, ut intelligi poſſet, id, quod caſus effudiſſet, cecidiſſe jucundè: notandum certè genus, atque ipſi ſibi imitandi fuerunt. Aures enim, vel animus aurium nuntio naturalem quandam in ſe continet vocum omnium menſionem. Itaque & longiora, & breviora judicat, & perfecta, ac moderata ſemper exſpectat. Mutila ſentit quædam, & quaſi decurtata: quibus, tanquam *debito* fraudetur, offenditur: productiora alia, & quaſi immoderatiùs excurrentia, quæ magis etiam aſpernantur aures: quòd cùm in pleriſque, tum in hoc genere NIMIUM quod eſt, offendit vehementiùs, quàm id, quod videtur parum. Ut igitur poëtica, & verſus inventus eſt terminatione aurium, obſervatione prudentium: ſic in oratione animadverſum eſt, multo illud quidem ſeriùs, ſed eâdem natura admonente, eſſe quoſdam certos curſus, concluſioneſque verborum. Quoniam igitur cauſam quoque oſtendimus: naturam nunc, (id enim erat tertium) ſi placet, explicemus: quæ diſputatio non hujus inſtituti ſermonis eſt, ſed artis intimæ. Quæri enim poteſt, qui ſit orationis numerus, & ubi ſit poſitus, & natus ex quo: & is unuſne ſit, an duo, an plures, quaque ratione componatur, & ad quam rem, & quando, & quo loco, & quemadmodum adhibitus aliquid voluptatis afferat. Sed, ut in pleriſque rebus, ſic in hac, duplex eſt conſiderandi via: quarum altera eſt longior, brevior altera, ea-
54 dem etiam planior. Eſt autem longioris prima illa quæſtio, ſitne omnino ulla *numeroſa oratio.* Quibuſdam enim non videtur: quia nihil inſit in ea certi, ut in verſibus: & quòd ipſi, qui affirmant eos eſſe numeros, rationem, cur ſint, non queant reddere. deinde, ſi ſit numerus in oratione: qualis ſit, aut quales: & è poëticiſne numeris, an ex alio genere quodam: &, ſi è poëticis: quis eorum ſit, aut qui. namque aliis unus modò, aliis plures, aliis omnes iidem videntur. deinde, quicumque ſunt, ſive unus, ſive plures; communeſne ſint omni generi orationis: quoniam aliud genus eſt narrandi, aliud perſuadendi, aliud docendi: an diſpares numeri cuique orationis generi accommodentur. Si communes, qui ſint: ſi diſpares, quid interſit, & cur non æquè in oratione, atque in verſu numerus appareat. Deinde, quod dicitur in oratione numeroſum, id utrùm numero ſolum efficiatur, an etiam vel compoſitione quadam, vel genere verborum: an eſt ſuum cujuſque: ut numerus intervallis, compoſitio vocibus, genus ipſum verborum quaſi quædam forma, & *lumen orationis* appareat: ſitque omnium fons compoſitio, ex eaque & numerus efficiatur, & ea, quæ dicúntur orationis quaſi formæ, & lumina, quæ (ut dixi) Græci vocant σχήματα. At non eſt unum, nec idem, quod voce jucundum eſt, & quod moderatione abſolutum, & quod illuminatum genere verborum: quamquam id quidem finitimum eſt numero, quia per ſe plerumque perfectum eſt: compoſitio autem ab utroque differt, quæ tota ſervit *gravitati* vocum, aut *ſuavitati.* Hæc igitur ferè ſunt, in quibus rei natura quærenda ſit. Eſſe ergo in oratione numerum 55
quendam, non eſt difficile cognoſcere. judicat enim ſenſus: in quo iniquum eſt, quod accidit, non cognoſcere, ſi, cur id accidat, reperire nequeamus. Neque enim ipſe verſus ratione eſt cognitus, ſed natura, atque ſenſu, quem dimenſa ratio, docuit, quid acciderit. ita notatio naturæ, & animadverſio peperit artem. Sed in verſibus res eſt apertior: quamquam etiam à modis quibuſdam, cantu remoto, ſoluta eſſe videatur oratio, maximeque id in optimo quoque eorum poëtarum, qui λυρικοὶ à Græcis nominantur: quos cum cantu ſpoliaveris, nuda pænè remanet oratio. Quorum ſimilia ſunt quædam etiam apud noſtros: velut illa in Thyeſte,

Quemnam te eſſe dicam? [1] *qui tarda in ſenectute:*

& quæ ſequuntur: quæ, niſi cùm tibicen acceſſit, orationi ſunt ſolutæ ſimillima. At comicorum ſenarii propter ſimilitudinem ſermonis ſic ſæpe ſunt abjecti, ut nonnunquam vix in his numerus, & verſus intelligi poſſit: quo eſt ad inveniendum difficilior in oratione numerus, quàm in verſibus. Omnino duo ſunt, quæ condiant orationem: verborum, numerorumque jucunditas. In verbis ineſt quaſi materia quædam: in numero autem expolitio. Sed ut ceteris in rebus, NECESSITATIS inventa antiquiora ſunt, quàm voluptatis: ita & in hac re accidit, ut multis ſæculis antè oratio nuda, ac rudis ad ſolos animorum ſenſus exprimendos fuerit reperta, quàm ratio numerorum, cauſa delectationis aurium, excogitata. Itaque & Herodotus, & eadem, ſuperiorque ætas numero caruit, niſi quando temere, ac fortuito: & ſcriptores perveteres de numero nihil omnino, de oratione præcepta multa nobis reliquerunt. Nam QUOD ET facilius eſt, & magis neceſſarium, id ſemper antè cognoſcitur. Itaque tralata, aut facta, aut juncta verba, facilè ſunt cognita, quia ſumebantur è conſuetudine, quotidianoque ſermone. [2] numerus autem non domo depromebatur, neque habebat aliquam neceſſitudinem, aut cognationem cum oratione. itaque ſeriùs aliquanto notatus, & cognitus, quaſi quandam *palæſtram,* & extrema lineamenta orationi attulit. Quòd ſi & anguſta quædam, atque conciſa: & alia eſt col- 56
latata, & diffuſa oratio: neceſſe eſt id non litterarum accidere natura, ſed intervallorum longorum, & brevium varietate, quibus implicata, atque permiſta oratio, quoniam tum ſtabilis eſt, tum volubilis, neceſſe eſt ejuſmodi naturam numeris contineri. Nam *circuitus* ille, quem ſæpe jam diximus, incitatior numero ipſo fertur, & labitur, quoad perveniat ad finem, & inſiſtat. Perſpicuum eſt igitur, numeris adſtrictam orationem eſſe debere, carere verſibus. ſed hi numeri, poëticine ſint, an ex alio genere quodam, deinceps eſt videndum. Nullus eſt igitur numerus extra poëticos, propterea quòd definita ſunt genera numerorum. nam omnis talis eſt, ut unus ſit è tribus. Pes enim, qui adhibetur ad numeros, [3] partitur in tria, ut neceſſe ſit partem pedis aut æqualem eſſe alteri parti, [4] aut altero tanto, aut ſeſqui eſſe majorem. ita fit æqualis dactylus, duplex jambus, ſeſqui pæon; qui pedes in orationem non cadere qui poſſunt? quibus ordine locatis, quod efficitur, numeroſum ſit neceſſe eſt. Sed quæritur, quo numero, aut quibus potiſſimùm ſit utendum. incidere verò omneis in orationem

1. *Qui tarda in ſenectute.*] Sic quoque Pall. noſtri niſi quod unus, *quin.* hoc pono, quod edit. Lambini perperam exhibeant, *quid.*

2. *Numerus autem non domo depromebatur.*] Hanc ſcripturam revocavit ex Orci cancris Victorius, cui ridicule Lambinus præponit ſuum *nondum.* Pall. & olim cuſi præferunt, *modo.*

3. *Partitur in tria.*] Illud *in tria*, non comparet in Pal. prim. ac ſec. ſed nec fuit in Pith. quod forte non eſt temerarium.

4. *Aut altero tanto, aut ſeſqui eſſe majorem.*] Perpendit locum hunc Budæus lib. 1. de Aſſe. cenſetque rectius legi poſſe, *aut altero tanto majorem, aut ſeſqui.*

3. Ut

nem etiam ex hoc intelligi poteſt, quòd verſus ſæpe in oratione *per imprudentiam* dicimus: quod vehementer eſt vitioſum: ſed non attendimus, neque exaudimus noſmetipſos. Senarios verò, & Hipponacteos effugere vix poſſumus. Magnam enim partem ex jambis noſtra conſtat oratio. ſed tamen eos verſus facilè agnoſcit auditor. ſunt enim uſitatiſſimi. Inculcamus autem per imprudentiam ſæpe etiam minus uſitatos, ſed tamen verſus; vitioſum genus & longa animi proviſione fugiendum. Elegit ex multis Iſocrati libris triginta fortaſſe verſus Hieronymus, Peripateticus in primis nobilis, pleroſque ſenarios, ſed etiam anapæſta, quo quid poteſt eſſe turpius? etſi in eligendo fecit *malitioſe.* prima enim ſyllaba demta in primo verbo ſententiæ, poſtremum ad verbum primam rurſus ſyllabam adjunxit inſequentis. Ita factus eſt anapæſtus is, qui *Ariſtophaneus* nominatur. quod ne accidat, obſervari nec poteſt, nec neceſſe eſt. Sed tamen hic corrector, in eo ipſo loco, quo reprehendit, (ut à me animadverſum eſt ſtudioſe inquirenti in eum) immittit imprudens ipſe ſenarium. Sit igitur hoc cognitum, *in ſolutis etiam verbis ineſſe numeros*, eoſdemque
57 eſſe oratorios, qui ſint poëtici. Sequitur ergo, ut, qui maximè cadant in orationem aptam numeri, videndum ſit. ſunt enim qui jambicum putent, quòd ſit orationi ſimillimus: qua de cauſa fieri, ut is potiſſimùm propter ſimilitudinem veritatis adhibeatur in fabulis; quòd ille dactylicus numerus hexametrorum magniloquentiæ ſit accommodatior. Ephorus autem, levis ipſe orator, ſed profectus ex optima diſciplina, pæona ſequitur, aut dactylum: fugit autem ſpondeum, & trochæum. Quòd enim pæon habeat treis breveis, dactylus autem duas, brevitate, & celeritate ſyllabarum labi putat verba proclivius: contraque accidere in ſpondeo, & trochæo, quòd alter longis conſtaret, alter è brevibus fieret: alteram nimis incitatam, alteram nimis tardam orationem, neutram temperatam. Sed & illi priores errant, & Ephorus in culpa eſt. nam & qui pæona prætereunt, non vident molliſſimum à ſeſe numerum, eundemque ampliſſimum præteriri. Quod longè Ariſtoteli videtur ſecus, qui judicat, heroum numerum grandiorem, quàm deſideret ſoluta oratio: jambum autem, nimis è vulgari eſſe ſermone. Ita neque humilem, nec abjectam orationem, nec nimis altam, & exaggeratam probat: plenam tamen eam vult eſſe *gravitatis*, ut eos, qui audient ad majorem admirationem poſſit traducere. Trochæum autem, qui eſt eodem ſpatio, quo choreus, *cordacem* appellat, quia contractio, & brevitas dignitatem non habeat. Ita pæona probat, eoque ait uti omneis, ſed ipſos non ſentire cùm utantur: eſſe autem tertium, ac medium inter illos: ſed ita factos eos pedes eſſe, ut in eis ſingulis modus inſit aut ſeſquiplex, aut duplex, aut par. Itaque illi, de quibus antè dixi, tantummodò commoditatis habuerunt rationem, nullam dignitatis. Jambus enim, & dactylus in verſum cadunt maxime. itaque ut verſum fugimus in oratione, ſic hi ſunt evitandi continuati pedes. Aliud enim quiddam eſt oratio, nec quidquam *inimicius*, quàm illa, verſibus. Pæon autem minimè eſt aptus ad verſum, quo libentius eum recepit oratio. Ephorus verò ne ſpondeum quidem, quem fugit, intelligit eſſe æqualem dactylo, quem probat. ſyllabis enim metiendos pedes, non intervallis, exiſtimat: quod idem facit in trochæo, qui temporibus & intervallis eſt par jambo: ſed eò vitioſus in oratione, ſi ponatur extremus, quòd verba melius in ſyllabas longiores cadunt. Atque hæc, quæ ſunt apud Ariſtotelem, eadem à Theophraſto, Theodecteque de pæone dicuntur. Ego autem ſentio, omneis in oratione eſſe quaſi permiſtos, & confuſos pedes. nec enim effugere poſſemus animadverſionem, ſi ſemper iiſdem uteremur. quia neque numeroſa eſſe, ut poëma; neque extra numerum, ut ſermo vulgi eſt, debet oratio. Alterum nimis eſt vinctum, ut de induſtria factum appareat: alterum nimis diſſolutum, ut pervagatum, ac vulgare videatur: ut ab altero non delectère, alterum oderis. Sit igitur (ut ſuprà dixi) permiſta, & temperata numeris, nec diſſoluta, nec tota numeroſa, pæone maximè (quoniam optimus auctor ita cenſet) ſed reliquis etiam numeris, quos ille præterit, temperata. Quos autem numeros, cum quibus, tanquam *pur-* 58
puram, miſceri oporteat, nunc dicendum eſt, atque etiam quibus orationis generibus ſint cuique accommodatiſſimi. Jambus enim frequentiſſimus eſt in iis, quæ demiſſo atque humili ſermone dicuntur. Pæon autem in amplioribus: in utroque dactylus. ita in varia, & perpetua oratione hi ſunt inter ſe miſcendi, & temperandi. ſic minimè animadvertetur delectationis *aucupium*, & quadrandæ orationis induſtria: quæ latebit eo magis, ſi & verborum & ſententiarum ponderibus utemur. Nam qui audiunt, hæc duo animadvertunt, & jucunda ſibi cenſent, verba dico, & ſententias: eaque dum animis attentis admirantes excipiunt, fugit eos, & prætervolat numerus: qui tamen ſi abeſſet, illa ipſa delectarent. Nec verò nimius is curſus eſt numerorum, orationis dico (nam eſt longè aliter in verſibus) nihil ut fiat *extra modum.* nam id quidem eſſet poëma. ſed omnis nec claudicans, nec quaſi fluctuans, & æqualiter, conſtanterque ingrediens, numeroſa habetur oratio. Atque id in dicendo numeroſum putatur, non quod totum conſtat è numeris, ſed quod ad numeros proximè accedit: quo etiam difficilius eſt oratione uti, quàm verſibus: quòd illis certa quædam, & definita lex eſt, quam ſequi ſit neceſſe: in dicendo autem nihil eſt propoſitum, niſi aut ne immoderata, aut anguſta, aut diſſoluta, aut fluens ſit oratio. Itaque non ſunt in ea tanquam tibicini percuſſionum modi, ſed univerſa comprehenſio, & ſpecies orationis, clauſa, & terminata eſt: quod *voluptate aurium* judicatur. Solet autem quæri, 59
totone in ambitu verborum numeri tenendi ſint, an in primis partibus, atque in extremis. Plerique enim cenſent cadere tantùm numeroſe oportere, terminarique ſententiam. Eſt autem, ut id maximè deceat, non id ſolum. ponendus eſt enim ille ambitus, non abjiciendus. Quare cùm aures extremum ſemper *exſpectent*, in eoque acquieſcant, id vacare numero non oportet: ſed ad hunc exitum tamen à principio ferri debet verborum illa comprehenſio, & tota à capite ita fluere, ut ad extremum veniens ipſa conſiſtat. Id autem bona diſciplina exercitatis, qui & multa ſcripſerint, & quæcumque etiam ſine ſcripto dicerent, ſimilia ſcriptorum effecerint, non erit difficillimum. Antè enim circumſcribitur mente ſententia, confeſtimque verba concurrunt: quæ mens eadem, qua nihil eſt celerius, ſtatim dimittit, ut ſuo quodque loco reſpondeat: quorum deſcriptus ordo aliàs alia terminatione concluditur: atque omnia illa & prima, & media verba ſpectare debent ad ultimum. Interdum enim curſus eſt in oratione incitatior, interdum moderata ingreſſio: ut jam à principio videndum ſit, quemadmodum velis venire ad extremum. nec in numeris magis, quàm in reliquis ornamentis orationis, eadem cùm faciamus, quæ poëtæ, effugimus tamen in oratione poëmatis ſimilitudinem. Eſt enim in utroque & materia, & tractatio: materia in verbis, tractatio in collocatione verborum. Ternæ au- 60
tem ſunt utriuſque partes verborum: tranſlatum, novum, priſcum. nam de propriis nihil hoc loco dicimus. Collocationis autem, eæ, quas diximus, compoſitio, concinnitas, numerus, ſed in utroque frequentiores ſunt, & liberiores poëtæ. Nam & transferunt verba cùm crebrius, tum etiam audacius: & priſcis libentius utuntur, & liberius novis. quod idem fit in numeris: in quibus quaſi *neceſſitati* parère coguntur. ſed tamen hæc nec nimis eſſe diverſa, neque ullo modo conjuncta intelligi licet. Ita fit, ut non item in oratione, ut in verſu, numerus exſtet: idque, quod numeroſum in oratione dicitur, non ſemper numero fiat, ſed nonnumquam, aut concinnitate, aut conſtructione verborum. Ita, ſi, numerus orationis quæritur qui ſit: omnis eſt: ſed alius alio melior, atque aptior. ſi locus: in omni parte verborum. ſi, unde ortus ſit: ex aurium voluptate. ſi componendorum ratio: dicetur alio loco, quia pertinet ad uſum, quæ pars quarta, & extrema nobis in dividendo fuit. ſi, ad quam rem adhibeatur: ad delectationem. ſi, quando:

ſem-

ſemper. ſi, quo loco: in tota continuatione verborum. ſi, quæ res efficiat voluptatem: eadem, quæ in verſibus, quorum modum notat ars, ſed aures ipſæ tacito eum ſenſu ſi-
61 ne arte definiunt. Satis multa de natura: ſequitur uſus, de quo eſt accuratius diſputandum. In quo quæſitum eſt, in totone circuitu illo orationis, quem Græci περίοδον, nos tum *ambitum*, tum *circuitum*, tum *comprehenſionem*, aut *continuationem*, aut *circumſcriptionem* dicimus: an in principiis ſolùm, an in extremis, an in utraque parte numerus tenendus ſit. Deinde, quum aliud videatur eſſe numerus, aliud numeroſum: quid interſit. Tum autem in omnibuſne numeris æqualiter particulas deceat incidere, an facere alias breviores, alias longiores: idque quando, aut cur, quibuſque partibus: pluribuſne, an ſingulis: imparibus, an æqualibus: & quando aut iſtis, aut illis ſit utendum: quæque inter ſe aptiſſimè collocentur, & quomodo: an omnino nulla ſit in eo genere diſtinctio: quodque ad rem maximè pertinet. qua ratione numeroſa fiat oratio. Explicandum etiam eſt, unde orta ſit forma verborum: dicendumque, quantos circuitus facere deceat. Deque eorum particulis, & tanquam inciſionibus diſſerendum eſt, quærendumque, utrùm una ſpecies, & longitudo ſit earum, anne plures: &, ſi plures, quo loco, aut quando, quoque genere uti oporteat. poſtremò totius generis *utilitas* explicanda eſt, quæ quidem patet latius. non ad unam enim rem aliquam, ſed ad plureis accommodatur. Ac licet non ad ſingulas res reſpondentem de univerſo genere ſic dicere, ut etiam ſingulis ſatis reſponſum eſſe videatur. Remotis igitur reliquis generibus unum ſelegimus, hoc, quod in cauſis, foroque verſatur, de quo diceremus. Ergo in aliis, id eſt, in hiſtoria, & in eo, quod appellamus ἐπιδεικτικὸν, placet omnia dici Iſocrateo, Theopompeoque more, illa circumſcriptione, ambituque, ut tanquam in orbe incluſa currat oratio, quoad inſiſtat in ſingulis perfectis, abſolutiſque ſententiis. Itaque poſteaquam eſt nata hæc vel circumſcriptio, vel comprehenſio, vel continuatio, vel ambitus, ſi ita licet dicere: nemo, qui aliquo eſſet in numero, ſcripſit orationem generis ejus, quod eſſet ad delectationem comparatum, remotumque à judiciis, forenſique certamine, quin redigeret omneis ferè *in quadrum*, numerumque ſententias. Nam cùm is eſt auditor, qui non vereatur, ne compoſitæ orationis inſidiis ſua fides attentetur, gratiam quoque habet oratori, voluptati aurium ſer-
62 vienti. Genus autem hoc orationis neque totum aſſumendum eſt ad cauſas forenſeis, neque omnino repudiandum. Si enim ſemper utare, cùm ſatietatem affert, tum, quale ſit, etiam ab imperitis agnoſcitur. Detrahit præterea actionis dolorem, aufert humanum ſenſum actoris, tollit funditus veritatem, & fidem. Sed, quoniam adhibenda nonnumquam eſt, primùm videndum eſt, quo loco, deinde quamdiu retinenda ſit, tum quot modis commutanda. Adhibenda eſt igitur numeroſa oratio, ſi aut laudandum eſt aliquid ornatius, ut nos in accuſationis ſecundo de Siciliæ laude diximus; aut in ſenatu de conſulatu meo: aut exponenda narratio, quæ plus dignitatis deſiderat, quàm doloris, ut in quarto accuſationis de Ennenſi Cerere, de Segeſtana Diana, de Syracuſarum ſitu diximus. Sæpe etiam in amplificanda re, conceſſu omnium funditur numeroſe, & volubiliter oratio. Id nos fortaſſe non perfecimus, conati quidem ſæpiſſimè ſumus: quòd plurimis locis *perorationes* noſtræ voluiſſe nos, atque animo contendiſſe declarant. Id autem tum valet, cùm is, qui audit, ab oratore jam obſeſſus eſt, ac tenetur. Non enim id agit, [1] ut inſidietur & obſervet: ſed jam favet, proceſſumque vult, dicendique vim admirans, non inquirit quod reprehendat. Hæc autem forma retinenda non diu eſt, nec dico in peroratione, [2] quam ipſe includit, ſed in orationis reliquis partibus. nam cùm ſis his locis uſus, quibus oſtendi licere, transferenda tota dictio eſt ad illa, quæ neſcio cur, cùm Græci κόμματα, & κῶλα nominent, nos non rectè *inciſa*, & *membra* dicamus. Neque enim eſſe poſſunt, rebus ignotis, nota nomina: ſed cùm verba aut ſuavitatis, aut inopiæ cauſa transferre ſoleamus, in omnibus hoc ſit artibus, ut, cum id appellandum ſit, quod propter rerum ignorationem ipſarum, nullum habuerit antè nomen, neceſſitas cogat aut novum facere ver-
bum, aut à ſimili mutuari. Quo autem pacto deceat inci- 63
ſe, membratimve dici, jam videbimus: nunc, quot modis mutentur comprehenſiones, concluſioneſque, dicendum eſt. Fluit omnino numerus à primo tum incitatius, brevitate pedum, tum proceritate tardius. curſum contentiones magis requirunt: expoſitiones rerum, tarditatem. [3] Inſiſtit autem ambitus modis pluribus, è quibus unum eſt ſecuta Aſia maximè, qui dichoreus vocatur, quum duo extremi chorei ſunt, id eſt, è ſingulis longis, & brevibus. Explanandum eſt enim, quòd ab aliis iidem pedes aliis nominantur *vocabulis*. Dichoreus non eſt ille quidem ſua ſponte vitioſus in clauſulis, ſed in orationis numero nihil eſt tam vitioſum, quàm ſi ſemper eſt idem. Cadit autem per ſe ille ipſe præclarè, quo etiam *ſatietas* formidanda eſt magis. Me ſtante C. Carbo, C. F. tribunus plebis in concione dixit his verbis, *O Marce Druſe, patrem appello.* hæc quidem duo binis pedibus inciſim: dein membratim, *Tu dicere ſolebas, ſacram eſſe rempublicam.* Hæc item membra ternis. poſt ambitus, *Quicumque eam violaviſſent, ab omnibus eſſe ei pœnas perſolutas.* dichoreus. nihil enim ad rem, extrema illa, longa ſit, an brevis. deinde, *Patris dictum ſapiens, temeritas filii comprobavit.* Hoc dichoreo tantus clamor concionis excitatus eſt, ut admirabile eſſet. Quæro, nonne id numerus effecerit? verborum ordinem immuta, fac ſic, *Comprobavit filii temeritas:* jam nihil erit, etſi temeritas ex tribus brevibus & longa eſt: quem Ariſtoteles ut optimum probat, à quo diſſentio. At eadem verba, eadem ſententia, animo iſtuc ſatis eſt, auribus non ſatis. Sed id crebriùs fieri non oportet. Primùm enim numerus agnoſcitur: deinde ſatiat: poſtea cognita facilitate contem-
nitur. Sed ſunt clauſulæ plures, quæ numeroſè, & jucun- 64
dè cadant. nam & creticus, qui eſt è longa, & brevi, & longa, & ejus æqualis pæon, qui ſpatio par eſt, ſyllaba longior: quàm commodiſſimè putatur in ſolutam orationem illigari, cùm ſit duplex. nam aut è longa, & tribus brevibus, qui numerus in primo viget, jacet in extremo: aut è totidem brevibus, & longa, in quem optimè cadere cenſent veteres: ego non planè rejicio, ſed alios antepono. Ne ſpondeus quidem funditus eſt repudiandus. etſi, quod eſt è longis duabus, hebetior videtur, & tardior, habet tamen ſtabilem quendam, & non expertem dignitatis gradum: in inciſionibus verò multo magis, & in membris. *paucitatem* enim pedum gravitatis ſuæ tarditate compenſat. Sed hos cùm in clauſulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo. adjungo (quod minimum ſit) proximum ſuperiorem, ſæpe etiam tertium. Ne jambus quidem, qui eſt è brevi & longa, aut par choreo, qui habet treis breveis, ſed ſpatio par, non ſyllabis: aut etiam dactylus, qui eſt è longa, & duabus brevibus, ſi eſt proximus à poſtremo, parum volubiliter pervenit ad extremum, ſi eſt extremus choreus, aut ſpondeus. numquam enim intereſt uter ſit eorum in pede extremo. Sed iidem hi tres pedes malè concludunt, ſiquis eorum in extremo locatus eſt, niſi cùm pro cretico poſtremus eſt dactylus. nihil enim intereſt, dactylus ſit extremus, an creticus: quia poſtrema ſyllaba, brevis, an longa ſit, ne in verſu quidem refert. Quare etiam pæona

1. *Ut inſidietur & obſervet.*] Lambinus induxit, *ut inſidiatorem obſervet*, tanquam è libris ſcriptis. at Palat. noſtri prius retinent, & habet quo ſe defendat.

2. *Quam ipſe includit.*] Gulielmius conatur legere, *quam ipſam cludit.*

3. *Inſiſtit autem ambitus, modis pluribus.*] Lambinus omnino pertendit reponendum *pedibus pluribus*; oblitus præceſſiſſe, *nunc quot modis mutentur comprehenſiones, &c.* item dixiſſe Tullium ſupra cap. 58. ſub finem: *Itaque non ſunt in ea tanquam tibicini percuſſionum modi.*

pæona qui dixit aptiorem, in quo eſſet longa poſtrema, vidit parum: quoniam nihil ad rem eſt, poſtrema quàm longa ſit. Jam pæon, quòd plures habeat ſyllabas, quàm treis, numerus à quibuſdam, non pes habetur. Eſt quidem, ut inter omneis conſtat antiquos, Ariſtotelem, Theophraſtum, Theodoctem, Ephorum, unus aptiſſimus orationi vel orienti, vel mediæ: putant illi etiam cadenti: quo loco mihi videtur aptior Creticus. Dochimus autem è quinque ſyllabis, brevi, duabus longis, brevi, longa, ut eſt hoc, *Amicos tenes*: quovis loco aptus eſt, dum ſemel ponatur: iteratus, aut continuatus, numerum apertum, & nimis
65 inſignem facit. His igitur tot commutationibus, tamque variis ſi utemur: nec deprehendetur manifeſtò, quid à nobis de induſtria fiat, & occurretur ſatietati. Et quia non numero ſolùm numeroſa oratio, ſed & compoſitione fit, & genere, (quod antè dictum eſt,) concinnitatis: compoſitione poteſt intelligi, cùm ita ſtructa verba ſunt, ut numerus non quæſitus, ſed ipſe ſecutus eſſe videatur: ut apud Craſſum, NAM UBI LUBIDO DOMINATUR, INNOCENTIÆ, LEVE PRÆSIDIUM EST. Ordo enim verborum efficit numerum ſine ulla aperta oratoris induſtria. Itaque ſi quæ veteres illi (Herodotum dico, & Thucydidem, totamque eam ætatem) aptè numeroſeque dixerunt; ea non numero quæſito, ſed verborum collocatione ceciderunt. Formæ verò quædam ſunt orationis, in quibus ea concinnitas ineſt, ut ſequatur numerus neceſſario. Nam cùm aut par pari refertur, aut contrarium contrario opponitur, aut, quæ ſimiliter cadunt verba, verbis comparantur: quidquid ita concluditur, plerumque fit ut numeroſè cadat. quo de genere cum exemplis ſuprà diximus, ut hæc quoque copia facultatem afferat, non ſemper *eodem modo* deſinendi. nec tamen hæc ita ſunt arcta, & adſtricta, ut ea, cùm velimus, laxare nequeamus. Multum intereſt, utrùm numeroſa ſit, id eſt, ſimilis numerorum, an planè è numeris conſtet ora-
66 tio. alterum ſi fit, intolerabile vitium eſt: alterum niſi fit, diſſipata, & inculta, & fluens eſt oratio. Sed quoniam non frequenter, verùm etiam raro in veris cauſis, aut forenſibus circumſcriptè, numeroſeque dicendum eſt: ſequi videtur, ut videamus, quæ ſint illa, quæ ſuprà dixi inciſa, quæ membra. Hæc enim in veris cauſis maximam partem orationis obtinent. Conſtat enim ille ambitus, & plena comprehenſio è quattuor ferè partibus, quæ *membra* dicimus, ut & aureis impleat, & ne brevior ſit, quàm ſatis ſit, neque longior. quamquam utrumque nonnumquam, vel potiùs ſæpe accidit, ut aut citiùs inſiſtendum ſit, aut longiùs procedendum, ne brevitas defraudaſſe aureis videatur, neve longitudo obtudiſſe. Sed habeo mediocritatis rationem. nec enim loquor de verſu, & eſt liberior aliquanto oratio. E quattuor igitur, quaſi hexametrorum inſtar verſuum quod ſit, conſtat ferè plena comprehenſio. His igitur ſingulis verſibus quaſi nodi apparent continuationis, quos in ambitu conjungimus. [1] Sin membratim volumus dicere, inſiſtimus: idque cùm opus eſt, ab iſto curſu invidioſo facilè nos, & ſæpe disjungimus. Sed nihil tam debet eſſe numeroſum, quàm hoc, quod minimè apparet, & valet plurimum. Ex hoc genere illud eſt Craſſi, *Miſſos faciant patronos: ipſi prodeant.* Niſi intervallo dixiſſes, -- *ipſi prodeant*, -- ſenſiſſet profectò effugiſſe ſenarium: omnino melius caderet, *prodeant ipſi.* Sed de genere nunc diſputo. *Cur clandeſtinis conſiliis nos oppugnant? cur de perfugis noſtris copias comparant contra nos?* Prima ſunt illa duo, quæ κόμματα Græci vocant, nos inciſa dicimus: deinde tertium, κῶλον illi, nos membrum. Sequitur non longa, ex duobus enim verſibus, id eſt, membris, perfecta comprehenſio eſt, & in ſpondeos cadit: & Craſſus quidem ſic plerum-
67 que dicebat: idque ipſe genus dicendi maximè probo. Sed quæ inciſim, aut membratim efferuntur, ea vel aptiſſimè cadere debent: ut eſt apud me: *Domus tibi deerat? at habebas. pecunia ſuperabat? at egebas.* Hæc inciſè dicta ſunt quattuor. At membratim, quæ ſequuntur, duo, *Incurriſti amens in columnas*, [2] *in alienos inſanus inſaniſti.* Deinde omnia, tanquam crepidine quadam, comprehenſione longiore ſuſtinentur, *Depreſſam, cæcam, jacentem domum pluris, quàm te, & quàm fortunas tuas æſtimaſti.* dichoreo finitur. At diſpondeo proximum illud. nam in iis, quibus, ut pugiunculis, uti oportet, brevitas facit ipſa liberiores pedes. Sæpe enim ſingulis utendum eſt, plerumque binis (& utriſque addi pedis pars poteſt,) non ferè ternis amplius. Inciſim autem, & membratim tractata oratio in veris cauſis plurimùm valet, maximeque his locis, cùm aut arguas, aut refellas: ut noſtra in Corneliana ſecunda, *O callidos* homines, ô rem excogitatam, ô ingenia metuenda! Membratim adhuc: deinde cæſim diximus. Rurſus membratim, *Teſtes dare volumus.* Extrema ſequitur comprehenſio, ſed ex duobus membris, qua non poteſt eſſe brevior, *Quem, quæſo*, noſtrûm fefellit, ita vos eſſe facturos? Nec ullum genus eſt dicendi aut melius, aut fortius, binis, aut ternis ferire verbis, nonnumquam ſingulis, paullo aliàs pluribus: inter quas variis clauſulis interponit ſe raro numeroſa comprehenſio. quam perversè fugiens Hegeſias, dum ille quoque imitari Lyſiam vult, alterum pænè Demoſthenem, ſaltat, incîdens particulas. & is quidem non minus ſententiis peccat, quàm verbis: ut non quærat, quem appellet ineptum, qui illum cognoverit. Sed ego illa Craſſi, & noſtra poſui, ut, qui vellet, auribus ipſis, quid numeroſum
etiam in minimis particulis orationis eſſet, judicaret. Et, 68
quoniam plura de numeroſa oratione diximus, quàm quiſquam ante nos, nunc de ejus generis utilitate dicemus. Nihil enim eſt aliud, Brute, (quod quidem tu minimè omnium ignoras) pulcrè, & oratoriè dicere, niſi optimis ſententiis verbiſque lectiſſime dicere. Et nec ſententia ulla eſt, quæ fructum oratori ferat, niſi aptè expoſita, atque abſolutè: nec *verborum lumen* apparet, niſi diligenter collocatorum: & horum utrumque numerus illuſtrat. Numerus autem (ſæpe enim hoc teſtandum eſt) non modò non poëticè junctus, verùm etiam fugiens illum, eique omnium diſſimillimus: non quin iidem ſint numeri non modò oratorum, & poëtarum, verùm omnino loquentium, denique etiam ſonantium omnium, quæ metiri auribus poſſumus: ſed ordo pedum facit, ut id, quod pronuntiatur, aut orationis, aut poëmatis ſimile videatur. Hanc igitur ſive compoſitionem, ſive perfectionem, ſive numerum vocari placet, & adhibere neceſſe eſt, ſi ornatè velis dicere, non ſolùm, (quod ait Ariſtoteles & Theophraſtus) ne infinitè feratur, ut *flumen*, oratio, quæ non aut ſpiritu pronuntiantis, aut interductu librarii, ſed numero coacta debet inſiſtere: verumetiam quòd multo majorem habent apta vim, quàm ſoluta. Ut enim *athletas*, nec multo ſecus gladiatores videmus nihil nec vitando facere cautè, nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palæſtram quandam, ut quidquid in his rebus fiat utiliter ad pugnam, idem ad adſpectum etiam ſit venuſtum: ſic oratio nec plagam gravem facit, niſi petitio fuit apta: nec ſatis tectè declinat impetum, niſi etiam in cedendo, quid deceat, intelligit. Itaque, qualis eorum motus, quos ἀπαλαίςους Græci vocant, talis horum mihi videtur oratio, qui non claudunt numeris ſententias: tantumque abeſt, ne, quod ii, qui hoc aut magiſtrorum inopia, aut ingenii tarditate, aut laboris fuga non ſunt aſſecuti, ſolent dicere, *enervetur* oratio compoſitione verborum, ut aliter in ea nec impetus ullus, nec vis eſſe
poſſit. Sed magnam exercitationem res flagitat, nequid eorum, qui genus hoc ſecuti non tenuerunt, ſimile faciamus; 69
[1] ne

1. *Sin membratim volumus dicere.*] Illud Lamb. *nolumus*, videtur exſtare in Pal. quart. reliqui tamen duo præferunt alterum: quod non video cur toto cælo autumet adverſari ſententiæ Monſtrolienſ. ille.

2. *In alienos inſanus inſaniſti.*] P. Victorius ingenuè fatetur, non videre ſe quem locum heic habeat ſecunda harum dictionum. videatur ipſe libro XVIII. Var. lect. cap. 9.

[1] ne aut verba trajiciamus apertè: quo melius aut cadat, aut volvatur oratio. quod ſe L. Cœlius Antipater in procemio belli Punici, niſi neceſſariò, facturum negat. O virum ſimplicem, qui nos nihil celat: ſapientem, qui ſerviendum neceſſitati putet! Sed hic omnino rudis. Nobis autem in ſcribendo, atque in dicendo neceſſitatis excuſatio non probatur. nihil eſt enim neceſſe: &, ſi quid eſſet, id neceſſe tamen non erat confiteri. Et hic quidem, qui hanc à Lælio, ad quem ſcripſit, cui ſe purgat, veniam petit, & utitur ea trajectione verborum, & nihilo tamen aptiùs explet, concluditque ſententias. Apud alios autem, & Aſiaticos maximè, numero ſervienteis, inculcata reperias inania quædam verba, quaſi *complementa* numerorum. Sunt etiam qui illo vitio, quod ab Hegeſia maximè fluxit, infringendis, concidendiſque numeris in quoddam genus abjectum incidant, Siculorum ſimillimum. Tertium eſt, in quo fuerunt fratres illi, Aſiaticorum rhetorum principes, Hierocles, & Menecles, minimè mea ſententia contemnendi. Etſi enim à forma veritatis, & ab Atticorum regula abſunt, tamen hoc vitium compenſant vel facultate, vel copia: ſed apud eos varietas non erat, quòd omnia ferè concludebantur uno modo: quæ vitia qui fugerit, ut neque verbum ita trajiciat, ut id de induſtria factum intelligatur, neque inferciens verba, quaſi rimas expleat, nec minutos numeros ſequens, concidat, delumbetque ſententias, nec ſine ulla commutatione in eodem ſemper verſetur genere numerorum; is omnia ferè vitia vitaverit. nam de laudibus multa di-
70 ximus, quibus ſunt alia perſpicuè vitia contraria. Quantum autem ſit aptè dicere, experiri licet, ſi aut compoſiti oratoris bene ſtructam collocationem diſſolvas permutatione verborum. corrumpatur enim tota res, ut & hæc noſtra in Corneliana, & deinceps omnia, *Neque me divitiæ* movent, quibus omneis Africanos, & Lælios [2] multi venalitii, mercatoreſque ſuperarunt. Immuta paullum, ut ſit, *multi ſuperarunt mercatores, venalitiique:* perierit tota res: Et quæ ſequuntur, *Neque veſtis, aut* cælatum aurum, & argentum, quo noſtros veteres Marcellos, Maximoſque multi eunuchi è Syria Ægyptoque vicerunt. Verba permuta ſic, ut ſit, *Vicerunt eunuchi e Syria, Ægyptoque:* Adde tertium, *Neque verò* ornamenta iſta villarum, quibus Paullum, & L. Mummium, qui rebus his urbem, Italiamque omnem referſerunt, ab aliquo video perfacilè Deliaco, aut Syro potuiſſe ſuperari: Fac ita, *potuiſſe ſuperari ab aliquo Syro, aut Deliaco:* videſne, ut ordine verborum paullum commutato, iiſdem verbis, ſtante ſententia, ad nihilum omnia recidant, cùm ſint ex aptis diſſoluta? aut ſi alicujus inconditi arripias diſſipatam aliquam ſententiam, eamque, ordine verborum paullum commutato, in quadrum redigas, efficiatur aptum illud, quod fuerit antea diffluens, ac ſolutum. Age, ſume de Gracchi apud cenſores illud, ABESSE NON POTEST, QUIN EJUSDEM HOMINIS SIT, PROBOS IMPROBARE, QUI IMPROBOS PROBET. Quanto aptius, ſi ita dixiſſet, *quin ejuſdem hominis ſit, qui improbos probet, probos improbare?* Hoc modo dicere nemo umquam noluit: nemoque potuit, quin dixerit. Qui autem aliter dixerunt, hoc aſſequi non potuerunt: ita facti ſunt repentè Attici. quaſi verò Trallianus fuerit Demoſthenes: cujus non tam vibrarent fulmina illa, niſi numeris contorta ferrentur. Sed 71
ſi quos magis delectant ſoluta, [3] ſequantur ea ſanè modò, ſic ut quis Phidiæ clypeum diſſolverit, collocationis univerſam ſpeciem ſuſtulerit, non ſingulorum operum venuſtatem: ut in Thucydide, orbem modò orationis deſidero, ornamenta comparent. Iſti autem cùm diſſolvunt orationem, in qua nec res, nec verbum ullum eſt, niſi abjectum: non clypeum, ſed ut in proverbio eſt ([4] etſi humilius dictum eſt, tamen ſimile eſt) *ſcopas* (ut ita dicam) mihi videntur diſſolvere, atque, ut planè genus hoc, quod ego laudo, contemſiſſe videantur, aut ſcribant aliquid vel Iſocrateo more, vel quo Æſchines, aut Demoſthenes utitur: tum illos exiſtimabo non deſperatione formidaviſſe genus hoc, ſed judicio refugiſſe: aut reperiam, ipſa eadem conditione qui uti velit, ut aut dicat, aut ſcribat utra voles lingua, eo genere, quo illi volunt. FACILIUS eſt enim apta diſſolvere, quàm diſſipata connectere. Res autem ſe ſic habet, (ut breviſſimè dicam quod ſentio) compoſitè, & aptè, ſine ſententiis dicere, inſania eſt: ſententioſè autem ſine verborum & ordine, & modo, infantia: ſed ejuſmodi tamen infantia, ut ea qui utantur, non ſtulti homines haberi poſſint, etiam plerumque prudentes: quo qui eſt contentus, utatur. Eloquens verò, qui non *approbationes* ſolùm, ſed admirationes, clamores, plauſus, ſi liceat, movere debet, omnibus oportet ita rebus excellat, ut ei turpe ſit, quidquam aut ſpectari, aut audiri libentius. HABES meum de oratore, Brute, judicium: quod aut ſequêre, ſi probaveris: aut tuo ſtabis, ſi aliud quoddam eſt tuum. in quo neque pugnabo tecum, neque hoc meum, de quo tantopere hoc libro aſſeveravi, umquam affirmabo eſſe verius, quàm tuum. POTEST enim non ſolùm aliud mihi, ac tibi, ſed mihi ipſi aliud alias videri. Nec in hac modò re, quæ ad vulgi aſſenſum ſpectat, & ad aurium voluptatem: [5] quæ duo ſunt ad judicandum *leviſſima*: ſed ne in maximis quidem rebus quidquam adhuc inveni firmius quod tenerem; aut quò judicium meum dirigerem, quàm id, quodcumque mihi quàm ſimillimum veri videretur, cùm ipſum illud VERUM in occulto lateret. Tu autem velim, ſi tibi ea, quæ diſputata ſunt, minùs probabuntur, ut aut majus opus inſtitutum putes, quàm effici potuerit, aut, dum tibi roganti voluerim obſequi, verecundia negandi, ſcribendi me impudentiam ſuſcepiſſe.

M. TUL-

1. *Ne aut verba trajiciamus apertè.*] Galielmius putabat aptius, *neve verba trajiciamus.*

2. *Multi venalitii mercatores.*] Patricius & Lambinus reponendum putant *venalitiarii.* ſed alterum reſtat in Pall. quinque & Pithœano; uſurpatumque idem aliis ſcriptoribus pro *emptoribus venalium;* ut exemplis palam facit Briſſonius libro XIX. de verborum ſignificatione.

3. *Sequantur ea ſanè, modo ſic, ut quis Phidiæ, &c.*] Eſt à Palat. prim ac ſecund. neque aliter Pithœanus. ſicque etiam edidit Manutius nepos. niſi quod idem *ſequetur*, pro quo tamen trias illa noſtra *Sequatur.* habet inquam: *Sed ſi quem magis delectant ſoluta, ſequatur, &c.* prius erat, *ſequantur ea. Sanè modo quis Phidiæ.* pro quibus oggeſſit nobis Lambini liberalitas: *ſequantur ea ſanè, modo cetera laudare poſſim; ut ſi quis Phidiæ, &c.* regiè. ſic volo, ſic jubeo.

4. *Etſi humilius dictum eſt, tamen ſimile eſt.*] Ita Pall. poſteriores. pr. enim & ſec. item Pith. abjiciunt voculas tres à fine.

5. *Quæ duo ſunt ad judicandum leviſſima.*] Sic Pall. priores duo & ſextus. nam quart. & quint. accedunt exemplari Romano, cujus mentio apud Rivium, oſtentantque noviſſima.

1. Ne

M. TULLII CICERONIS AD C. TREBATIUM, TOPICA.

1 MAJORES nos res ſcribere ingreſſos, C. Trebati, & iis libris, quos brevi tempore ſatis multos edidimus, digniores, è curſu ipſo revocavit voluntas tua. Cùm enim mecum in Tuſculano eſſes, & in bibliotheca ſeparatim uterque noſtrûm ad ſuum ſtudium libellos, quos vellet, evolveret, incidiſti in Ariſtotelis Topica quædam, quæ ſunt ab illo pluribus libris explicata. Qua inſcriptione commotus, continuò à me eorum librorum ſententiam requiſiſti. Quam tibi cùm expoſuiſſem, diſciplinam inveniendorum argumentorum, ut ſine ullo errore, ad eam rationem, via perveniremus ab Ariſtotele inventa, libris illis contineri: *verecundè* tu quidem, ut omnia, ſed tamen ut facilè cernerem te ardere ſtudio, mecum, ut tibi illa traderem, egiſti. Cùm autem ego te [1] non tam vitandi laboris mei cauſa, [2] quàm quod id tua intereſſe arbitrarer, vel ut eos per teipſe legeres, vel ut totam rationem à doctiſſimo quodam rhetore acciperes, hortatus eſſem: utrumque, ut ex te audiebam, es expertus. Sed à libris te obſcuritas rejecit. Rhetor autem ille magnus, hæc, ut opinor, Ariſtotelica ſe ignorare reſpondit. Quod quidem minimè ſum admiratus, eum philoſophum rhetori non eſſe cognitum, qui *ab ipſis philoſophis*, præter admodum paucos, ignoretur. Quibus eo minus ignoſcendum eſt, quòd non modò rebus iis, quæ ab illo dictæ, & inventæ ſunt, allici debuerunt: ſed dicendi quoque incredibili quadam cùm copia, tum etiam ſuavitate. Non potui igitur tibi, ſæpius hoc roganti, & tamen verenti, ne mihi gravis eſſes, (facilè enim id cernebam) debere diutius, ne ipſi juris interpreti fieri videretur injuria. Etenim cùm tu mihi, meiſque [3] multa ſæpe ſcripſiſſes, veritus ſum, ne, ſi ego gravarer, aut ingratum id, aut ſuperbum videretur. Sed, dum fuimus unà, tu optimus es teſtis, [4] quàm fuerim occupatus. Ut autem à te diſceſſi, in Græciam proficiſcens, cum opera mea nec reſpub. nec amici uterentur, nec *honeſtè* inter arma verſari poſſem, ne ſi tutò id quidem mihi liceret: ut veni Veliam, tuaque, & tuos vidi, admonitus hujus æris alieni, nolui deeſſe ne *tacitæ* quidem flagitationi tuæ. Itaque hæc, cùm mecum libros non haberem, memoria repetita, in ipſa navigatione conſcripſi, tibique ex itinere miſi: ut mea diligentia mandatorum tuorum, te quoque, etſi admonitore non eges, ad memoriam noſtrarum rerum excitarem. Sed
2 jam tempus eſt ad id, quod inſtituimus, accedere. CUM omnis ratio diligens diſſerendi duas habeat parteis: unam inveniendi, alteram judicandi: utriuſque princeps, ut mihi quidem videtur, Ariſtoteles fuit. Stoici autem in altera elaboraverunt. Judicandi enim vias diligenter perſecuti ſunt, ea ſcientia, quam dialecticen appellant. Inveniendi verò artem, quæ topice dicitur, quæque ad uſum potior erat, & ordine naturæ certè prior, totam reliquerunt. Nos autem, quoniam in utraque ſumma utilitas eſt, & utramque, ſi erit otium, perſequi cogitamus, ab ea, quæ prior eſt, ordiemur. Ut igitur earum rerum, quæ abſconditæ ſunt, demonſtrato, & notato loco, facilis inventio eſt: ſic, cùm perveſtigare argumentum aliquod volumus, *locos* noſſe debemus. ſic enim appellatæ ab Ariſtotele ſunt hæ quaſi ſedes, è quibus argumenta promuntur. Itaque licet definire, Locum eſſe argumenti ſedem: Argumentum autem, rationem, quæ rei dubiæ faciat fidem. Sed ex his locis, in quibus argumenta incluſa ſunt, alii in eo ipſo, de quo agitur, hærent: alii aſſumuntur extrinſecus. In ipſo, tum ex toto, tum ex partibus ejus, tum ex nota, tum ex his rebus, quæ quodammodo affectæ ſunt ad id, de quo quæritur. Extrinſecus autem ea dicuntur, quæ abſunt, longeque disjuncta ſunt. Sed ad id totum, de quo diſſeritur, tum definitio adhibetur, quæ quaſi involutum evolvit id, de quo quæritur. ejus argumenti talis eſt formula: *Jus civile* eſt, æquitas conſtituta iis, qui ejuſdem civitatis ſunt, ad res ſuas obtinendas: ejus autem æquitatis utilis eſt cognitio: utilis eſt ergo juris civilis ſcientia. Tum partium enumeratio, quæ tractatur hoc modo: *Si neque* cenſu, neque vindicta, nec teſtamento liber factus eſt, non eſt liber. neque eſt ulla earum rerum: non eſt igitur liber. Tum notatio, cùm ex vi verbi argumentum aliquod elicitur, hoc modo: [5] *Cum lex* Ælia Sentia aſſiduo vindicem aſſiduum eſſe jubeat, locupletem jubet locupleti. Locuples enim eſt *aſſiduus*, ut ait Ælius, appellatus ab ære dando. Ducuntur etiam argumenta ex iis rebus, 3
quæ quodammodo affectæ ſunt ad id, de quo quæritur. Sed hoc genus in plureis parteis diſtributum eſt. Nam alia conjugata appellamus, alia ex genere, alia ex formula, alia ex ſimilitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex adjunctis, alia ex antecedentibus, alia ex conſequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex cauſis, alia ex effectis, alia ex comparatione majorum, aut parium, aut minorum. Conjugata dicuntur, quæ ſunt ex verbis generis ejuſdem. Ejuſdem autem generis verba ſunt, quæ orta ab uno variè commutantur, ut *ſapiens*, ſapienter, ſapientia. hæc verborum conjugatio, *συζυγία* dicitur, ex qua hujuſmodi eſt argumentum: *Si compaſcuus* ager eſt, jus eſt compaſcere. A genere ſic ducitur: *Quoniam* argentum omne mulieri legatum eſt, non poteſt ea pecunia, quæ numerata domi relicta eſt, non eſſe legata. Forma enim à genere, quoad ſuum nomen retinet, numquam ſejungitur. *Numerata* autem pecunia nomen argenti retinet. legata igitur videtur. A forma

1. NOn tam vitandi laboris mei cauſa.] Hittorpianus liber abjecit *cauſa*. & verò ſi attentius legas, adjectitium videbitur. & ſæpe eo modo Latini, ipſeque Cicero.

2. *Quam quod id tua intereſſe.*] Ita mſſ. noſtri. ut & mox *hæc ut opinor Ariſtotelica*. ubi adjecta particula, mirifice exprimit faſtidium rhetoris.

3. *Multa ſæpe ſcripſiſſes.*] Hanc eſſe meliorum ſcriptorum lectionem prodidit Victorius annotationibus ad lib. VII. Epiſtol. ſicque fuit in Hittorpiano; neque aliter invenit in ſuis Petrus Faber, qui conſulatur lib. I. Semeſtr. cap. 21. vulgabatur antea, *ſæpe caruiſſes*.

4. *Quam fuerim occupatus.*] Libri publici, *ſæpe occupatus*. ſed interjectum illud adverbium, abeſt a Pal. ab Hittorp. a Pecciano, & ſententiam turbat.

5. *Cum lex Ælia Sentia, &c.*] Non abimus à mſſ. minimè ſecuti temeritatem Lambini, qui hoc libello, item paſſim quidvis delet, quidvis mutat ex animi mera ſui libidine.

ma generis: quam interdum, quò planius accipiatur, partem licet nominare, hoc modo: *Si ita* [1] Fabiæ pecunia legata eſt à viro, ſi ei viro materfamiliâs eſſet: ſi ea in manum non convenerat, nihil debetur. Genus enim eſt, uxor: ejus duæ formæ; una [2] matrumfamiliâs, earum, quæ in manum convenerunt; altera, earum, quæ tantummodò uxores habentur. qua in parte cùm fuerit Fabia, legatum ei non videtur. A ſimilitudine, hoc modo: *Si ædes* eæ corruerunt, vitiumve fecerunt, quarum uſusfructus legatus eſt, heres reſtituere non debet, nec reficere, non magis, quàm ſervum reſtituere, ſi is, cujus uſusfructus legatus eſt, deperiſſet. A differentia: *Non, ſi* uxori vir legavit omne argentum, quod ſuum eſſet: idcircò, quæ in nominibus fuerunt, legata ſunt. multùm enim differt, in arcáne poſitum ſit argentum, [3] an in tabulis debeatur. Ex contrario autem, ſic: *Non debet* ea mulier, cui vir bonorum ſuorum uſumfructum legavit, cællis vinariis, & oleariis plenis relictis, putare id ad ſe pertinere. uſus enim, non abuſus, legatus eſt. ea ſunt
4 inter ſe contraria. Ab adjunctis: *Si ea mulier* teſtamentum fecit, quæ ſe capite numquam diminuit, non videtur ex edicto prætoris ſecundum eas tabulas poſſeſſio dari. adjungitur enim, ut ſecundum ſervorum, ſecundum exulum, ſecundum puerulorum tabulas poſſeſſio videatur ex edicto dari. Ab antecedentibus autem, & conſequentibus & repugnantibus, hoc modo: Ab antecedentibus, *Si viri culpa* factum eſt divortium, etſi [4] mulier nuntium remiſit, tamen pro liberis manere nihil oportet. A conſequentibus: *Si mulier*, cùm fuiſſet nupta cum eo, quicum connubium non eſſet, nuntium remiſit, quoniam qui nati ſunt, patrem non ſequuntur, pro liberis manere nihil oportet. A repugnantibus: *Si paterfamiliâs* uxori ancillarum uſumfructum legavit à filio, neque à ſecundo herede legavit: mortuo filio mulier uſumfructum non amittet. quod enim ſemel teſtamento alicui datum eſt, id ab eo invito, cui datum eſt, auferri non poteſt. repugnat enim rectè accipere, & invitum reddere. Ab efficientibus cauſis, hoc modo: *Omnibus* eſt jus [5] parietem directum ad parietem communem adjungere, vel ſolidum, vel fornicatum. at ſiquis in pariete communi demoliendo damni infecti promiſerit: non debebit præſtare quod fornix vitii fecerit. non enim ejus vitio, qui demolitus eſt, damnum factum eſt, ſed ejus operis vitio, quod ita ædificatum eſt, ut ſuſpendi non poſſet. Ab effectis rebus, hoc modo: *Cùm mulier* viro in manum convenit, omnia, quæ mulieris fuerunt, [6] viri fiunt dotis nomine. Ex comparatione autem omnia valent, quæ ſunt ejuſmodi: [7] *Quod in re* majore valet, valeat in minore: ut ſi in urbe fines non reguntur, neque aqua in urbe arceatur. Item contrà: *Quod in minore* valet, valeat in majore. licet idem exemplum convertere. Item: *Quod in re* pari valet, valeat in hac, quæ par eſt: ut, *Quoniam* uſus auctoritas fundi, [8] biennium eſt, ſit etiam ædium. at in lege ædes non appellantur, & ſunt ceterarum omnium, quarum annuus eſt uſus. valeat æquitas, quæ paribus in cauſis paria jura deſiderat. Quæ autem extrinſecus aſſumuntur, ea maximè ex auctoritate ducuntur. itaque Græci taleis argumentationes, ἀτέχνους vocant, id eſt, *artis experteis*: ut, ſi ita reſpondeas, *Quoniam* P. Scævola id ſolum eſſe ambitus ædium dixerit, quod parietis communis tegendi cauſa tectum projiceretur, ex quo in tectum ejus, ædeis qui protexiſſet, aqua deflueret, id tibi jus videri. His igitur locis, qui ſunt expoſiti, ad omne argumentum reperiendum, tanquam elementis quibuſdam, ſignificatio, & demonſtratio datur. Utrùm igitur hactenus ſatis eſt? tibi quidem tam acuto, & tam occupato, puto.

Sed, quoniam avidum hominem ad has diſcendi epulas re- 5
cepi, ſic accipiam, ut reliquiarum ſit potius aliquid, quàm te hinc patiar non ſatiatum diſcedere. Quando ergo unuſquiſque eorum locorum, quos expoſui, ſua quædam membra habet, ea quàm ſubtiliſſimè perſequamur, & primùm de ipſa definitione dicatur. *Definitio*, eſt oratio, quæ id, quod definitur, explicat, quid ſit. Definitionum autem duo ſunt genera prima. Unum earum rerum, quæ ſunt: alterum earum, quæ intelliguntur. *Eſſe* ea dico, quæ cerni, tangive poſſunt, ut fundum, ædeis, parietem, ſtillicidium, mancipium, pecudem, ſupellectilem, penus, cetera, quo ex genere quædam interdum nobis definienda ſunt. *Non eſſe* rurſus ea dico, quæ tangi, demonſtrarive non poſſunt, cerni tamen animo, atque intelligi poſſunt: ut, ſi uſucapionem, ſi tutelam, ſi gentem, ſi agnationem definias, quarum rerum nullum ſubeſt quaſi corpus: eſt tamen quædam conformatio inſignita, & impreſſa intelligentia: quam notionem voco. ea ſæpe in argumentando definitione explicanda ſunt. Atque etiam definitiones, aliæ ſunt partitionum, aliæ diviſionum. Partitionum, cùm res ea, quæ propoſita eſt, quaſi in membra diſcerpitur: ut, ſi quis *jus civile* dicat id eſſe, quod in legibus, ſenatuſconſultis, rebus judicatis, juriſperitorum auctoritate, edictis magiſtratuum, more, æquitate conſiſtat. Diviſionum autem definitio formas omneis complectitur, quæ ſub eo genere ſunt, quod definitur, hoc modo: *Abalienatio*, eſt ejus rei, quæ mancipi eſt, aut traditio alteri nexu,
aut in jure ceſſio, inter quos ea jure civili fieri poſſunt. Sunt 6
& alia genera definitionum: ſed ad hujus libri inſtitutum illa nihil pertinent: tantùm eſt dicendum, qui ſit definitionis modus. Sic igitur veteres præcipiunt; cùm ſumſeris ea, quæ ſunt ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, uſque eò perſequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri poſſit. Ut hoc, *Hereditas* eſt pecunia. Commune adhuc. multa enim genera ſunt pecuniæ. Adde quod ſequitur: *quæ morte* alicujus ad quempiam pervênit. nondum eſt definitio. multis enim modis ſine hereditate teneri mortuorum pecuniæ poſſunt. Unum adde verbum, *jure*, jam à communitate res disjuncta videbitur, ut ſit explicata definitio, ſic: Hereditas eſt pecunia, quæ morte alicujus ad quempiam pervênit jure. Nondum eſt ſatis: adde, *nec ea aut* legata teſtamento, aut poſſeſſione retenta. confectum eſt. Itemque, ut illud, *Gentiles* ſunt, qui inter ſe eodem nomine ſunt. Non eſt ſatis. *Qui ab* ingenuis oriundi ſunt. Ne id quidem ſatis eſt. *Quorum majorum* nemo ſervitutem ſervivit. Abeſt etiam nunc: *Qui capite* non ſunt deminuti. Hoc fortaſſe ſatis eſt. Nihil enim video Scævolam, pontificem, ad hanc definitionem addidiſſe. Atque hæc ratio valet in utroque genere definitionum, ſive id, quod eſt, ſive id, quod intelligitur, definiendum eſt. Partitionum autem, & diviſionum genus quale eſſet, oſtendimus, ſed quid inter ſe differant, planius dicendum eſt. In 7
partitione quaſi membra ſunt: ut corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, & cetera. In diviſione, formæ ſunt, quas Græci ἰδέας vocant: noſtri, ſi qui hæc fortè tractant, *ſpecies* appellant: non peſſimè id quidem, ſed inutiliter ad mutandos caſus in dicendo. Nolim enim, ne ſi Latinè quidem dici poſſit, ſpecierum, & ſpeciebus dicere: & ſæpe his caſibus utendum eſt: at formis, & formarum velim. Cùm autem utroque verbo idem ſignificetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam. Genus & formam definiunt hoc modo: *Genus*, eſt notio ad plureis differentias pertinens. *Forma*, eſt notio, cujus differentia ad caput generis, & quaſi fontem referri poteſt. *Notionem* appello,

1. *Fabiæ pecunia legata eſt, &c.*] Aliter iſthæc interpretatur Hotomanus lib. 1. Obſerv. cap. 24.

2. *Matrum familias, earum quæ, &c.*] Pithœanus, *eæ ſunt quæ, &c.* Pal. *hæc eſt quæ, &c.* ut appareat dictionem *earum* eſſe à gloſſa.

3. *An in tabulis debeatur.*] Idem Hotomanus delendum putat dictionem poſtremam cap. 25.

4. *Mulier nuntium remiſit.*] Illuſtrat Hotomanus libro 1. Obſervat. cap. 25.

5. *Parietem directum, &c.*] Hujus quoque explicatio petenda ab Hotomani libro 11. Obſerv. cap. 1.

6. *Viri fiunt dotis nomine.*] De eo etiam Hotomanus diſputationibus juris civilis de Dotibus, cap. 1. §. 5.

7. *Quod in re majore valet, valeat in minore.*] Hotomanus interponendas putat duas negativas lib. 11. Obſerv. cap. 2.

8. *Biennium eſt.*] Idem corrigendum putat lib. 11. Obſerv. cap. 2. *biennis.*

1. Te

pello, quod Græci tum ἔννοιαν, tum πρόληψιν dicunt. Ea eſt inſita, & antè percepta cujuſque formæ cognitio, enodationis indigens. Formæ igitur ſunt hæ, in quas genus ſine ullius prætermiſſione dividitur: ut ſiquis jus in legem, morem, æquitatem dividat. Formas qui putat idem eſſe, quod parteis, confundit artem: & ſimilitudine quadam conturbatus, non ſatis acutè, quæ ſunt ſecernenda, diſtinguit. Sæpe etiam definiunt & oratores & poëtæ per tranſlationem verbi, ex ſimilitudine cum quadam ſuavitate. Sed ego à veſtris exemplis, niſi neceſſariò, non recedam. Solebat igitur Aquillius, collega, & familiaris meus, cùm de litoribus ageretur, quæ omnia publica eſſe vultis, quærentibus iis, ad quos id pertinebat, quid eſſet *litus*, ita definire, qua fluctus eluderet: hoc eſt, quaſi qui adoleſcentiam, florem ætatis:
8 ſenectutem, occaſum vitæ, velit definire. Tranſlatione utens diſcedebat à verbis propriis rerum, ac ſuis. Quod ad definitiones attinet, hactenus: reliqua videamus. Partitione autem ſic utendum eſt, nullam ut partem relinquas, ut ſi partiri velis tutelas, inſcienter facias, ſi ullam prætermittas. At ſi ſtipulationum, aut judiciorum formulas partiare, non eſt vitioſum *in re infinita* prætermittere aliquid. Quod idem in diviſione vitioſum eſt. Formarum enim certus eſt numerus, quæ cuique generi ſubjiciantur. Partium diſtributio ſæpe eſt infinitior, tamquam rivorum à fonte deductio. Itaque in oratoriis artibus, quæſtionis genere propoſito, quot ejus formæ ſint, ſubjungitur abſolutè. at cùm de ornamentis verborum, ſententiarumque præcipitur, quæ vocantur σχήματα, non fit idem. Res enim eſt infinitior, ut ex hoc quoque intelligatur, quod velimus inter partitionem, & diviſionem intereſſe. Quamquam enim vocabula propè idem valere videantur: tamen quia res differebant, nomina rerum diſtare voluerunt. Multa etiam ex *notatione* ſumuntur. ea eſt autem, cùm ex vi nominis argumentum elicitur: quam Græci ἐτυμολογίαν vocant, id eſt, verbum ex verbo, *veriloquium*. Nos autem novitatem verbi non ſatis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus, quia ſunt verba rerum notæ. Itaque hoc idem Ariſtoteles σύμβολον appellat, quod Latinè eſt *nota*. Sed cùm intelligitur, quid ſignificetur, minus laborandum eſt de nomine. Multa igitur in diſputando notatione eliciuntur ex verbo, ut, cùm quæritur, *Poſtliminium* quid ſit, non dico, quæ ſint poſtliminii. nam id caderet in diviſionem, quæ talis eſt: Poſtliminio redeunt hæc, homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa, quæ frena recipere ſolet. Sed cùm ipſius poſtliminii vis quæritur, & verbum ipſum notatur: in quo Servius noſter (ut opinor) nihil putat eſſe notandum, niſi *poſt*; & *liminium* illud, productionem eſſe verbi vult, ut in *finitimo*, *legitimo*, *æditimo*, non plus ineſſe *timum*, quàm in *meditullio tullium*. Scævola autem, P. filius, junctum putat eſſe verbum, ut ſit in eo, & [1] *poſt*, & *limen*: ut quæ à nobis alienata ſunt, cùm ad hoſtem pervenerint, & ex ſuo tamquam limine exierint, dein cùm redierint poſt ad idem limen, poſtliminio videantur rediiſſe. Quo in genere etiam Mancini cauſa defendi poteſt poſtliminio rediiſſe: deditum non eſſe, quoniam non ſit receptus. Nam neque deditionem, neque do-
9 nationem ſine acceptione intelligi poſſe. Sequitur is locus; qui conſtat ex iis rebus, quæ quodammodo affectæ ſunt ad id, de quo ambigitur: quem modò dixi in plureis parteis diſtributum. Cujus primus eſt locus ex conjugatione, [2] quam Græci συζυγίαν vocant, finitimus notationi, de qua modò dictum eſt: ut, ſi *aquam pluviam* eam modò intelligeremus, quam imbri collectam videremus: veniret Mucius, qui, quia conjugata verba eſſent pluvia, & pluendo, diceret, omnem aquam oportere arceri, quæ pluendo creviſſet. Cùm autem à genere ducetur argumentum, non erit neceſſe id uſque à capite arceſſere: ſæpe etiam citrà licet, dummodo ſuprà ſit quod ſumitur, quàm id, ad quod ſumitur: ut *aqua pluvia* ultimo genere ea eſt, quæ de cælo veniens creſcit imbri: ſed propiore loco, in quo quaſi jus arcendi continetur, genus eſt, aqua pluvia nocens: ejus generis formæ, loci vitio, & manu nocens: quarum altera jubetur ab arbitro coërceri: altera non jubetur. Commodè etiam tractatur hæc argumentatio, quæ ex genere ſumitur, cùm ex toto perſequare parteis, hoc modo: *Si dolus* malus eſt, cùm aliud agitur, aliud ſimulatur: enumerare licet, quibus id modis fiat: deinde in eorum aliquem id, quod arguas dolo malo factum, includere: quod genus argumenti in primis firmum videri ſolet. Similitudo ſequitur, quæ 10
latè patet: ſed oratoribus & philoſophis magis, quàm vobis. Etſi enim omnes loci ſunt omnium diſputationum ad argumenta ſuppeditanda, tamen aliis diſputationibus abundantius occurrunt, aliis anguſtius. Itaque genera tibi nota ſint: ubi autem his utare, quæſtiones ipſæ te admonebunt. Sunt enim ſimilitudines, quæ ex pluribus collationibus perveniunt quò volunt, hoc modo: *Si tutor* fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi, cui mandaris, ſi qui fiduciam acceperit: debet etiam procurator. Hæc ex pluribus perveniens quò vult, appellatur *inductio*: quæ Græcè ἐπαγωγὴ nominatur: qua plurimùm eſt uſus in ſermonibus Socrates. Alterum ſimilitudinis genus collatione ſumitur, cùm una res uni, par pari comparatur, hoc modo: *Quemadmodum* ſi in urbe de finibus controverſia eſt, quia fines, magis agrorum videntur eſſe, quàm urbis, finibus regundis [3] adigere arbitrum non poſſis: ſic, ſi aqua pluvia in urbe nocet, quoniam res tota magis agrorum eſt, aquæ pluviæ arcendæ adigere non poſſis arbitrum. Ex eodem ſimilitudinis loco etiam exempla ſumuntur, ut Craſſus in Curiana cauſa exemplis plurimis uſus eſt, agens de eo, *qui teſtamento* ſic heredem inſtituiſſet, ut, ſi filius natus eſſet in decem menſibus, iſque mortuus priùs, quàm in ſuam tutelam veniſſet: ſecundus heres hereditatem obtinuiſſet. quæ commemoratio exemplorum valuit, eaque vos in reſpondendo uti multùm ſoletis. Ficta etiam exempla, ſimilitudinis habent vim: ſed ea oratoria magis ſunt, quàm veſtra: quamquam uti etiam vos ſoletis, ſed hoc modo: Finge *mancipio* aliquem dediſſe id, quod mancipio dari non poteſt. num idcirco id ejus factum eſt, qui accepit? aut num is, qui mancipio dedit, ob eam rem ſe ulla re obligavit? In hoc genere oratoribus, & philoſophis conceſſum eſt, ut muta etiam loquantur, ut mortui ab inferis excitentur, aut aliquid, quod fieri nullo modo poſſit, augendæ rei gratia, dicatur, aut minuendæ: quæ hyperbole dicitur: & multa mirabilia alia. Sed latior eſt campus illorum. eiſdem tamen ex locis (ut antè dixi) & in maximis, & in minimis quæſtionibus argumenta ducuntur. Sequitur ſimilitudinem dif- 11
ferentia rei, maximè contraria ſuperiori: ſed eſt ejuſdem, diſſimile, & ſimile invenire. ejus generis hæc ſunt: *Non, quemadmodum* quod mulieri debeas, rectè ipſi mulieri ſine tutore auctore ſolvas: ita quod aut pupillæ, aut pupillo debeas, rectè poſſis eodem modo ſolvere. Deinceps locus eſt, qui à contrario ducitur. Contrariorum autem genera ſunt plura. Unum eorum, quæ in eodem genere plurimùm differunt, ut ſapientia, & ſtultitia. Eodem autem genere dicuntur, quibus propoſitis occurrunt tamquam è regione quædam contraria, ut celeritati tarditas, non debilitas: ex quibus contrariis argumenta talia exſiſtunt: *Si ſtultitiam* fugimus, ſapientiam ſequamur: & bonitatem, ſi malitiam. Hæc, quæ ex eodem genere contraria ſunt, appellantur adverſa. Sunt enim alia contraria, quæ privantia licet appellemus

1. *Poſt & limen.*] Impugnat iſtud Cujacius lib. III. Obſervat. cap. 4.

2. *Quam Græci συζυγίαν vocant.*] De loci ſinceritate, diſputat Victorius lib. XXIV. Var. lect. cap. 10.

3. *Adigere arbitrum.*] Sic & Victorius, non ut alii, *adjicere*, quod & rejicit Cujacius lib. IV. Obſerv. cap. 15.

lemus Latinè, [1] Græcè appellantur στερητικά. Præpoſitio enim IN, privat verbum ea vi, quàm haberet, ſi IN præpoſitum non fuiſſet: ut *dignitas*, *indignitas*; *humanitas*, *inhumanitas*, & cetera generis ejuſdem. Quorum tractatio eſt eadem, quæ ſuperiorum, quæ adverſa dixi. Nam alia quoque ſunt contrariorum genera, velut ea, quæ cum aliquo conferuntur: ut duplum, ſimplum: multa, pauca: longum, breve: majus, minus. [2] Sunt etiam illa valde contraria, quæ appellantur negantia. ea ἀποφατικὰ Græci, contraria ajentibus: ut, *Si hoc* eſt, illud non eſt. Quid enim opus exemplo eſt? tantùm intelligatur, argumento quærendo, contrariis omnibus contraria non convenire. Ab adjunctis autem poſui equidem exemplum paullo antè, multa ſcilicet adjungi, quæ ſuſcipienda eſſent, ſi ſtatuiſſemus, ex edicto ſecundum eas tabulas poſſeſſionem dari, quas is inſtituiſſet, cui teſtamenti factio nulla eſſet. Sed locus hic magis ad conjecturaleis cauſas, quæ verſantur in judiciis, valet: cùm quæritur, quid aut ſit, aut evenerit, aut futurum ſit, aut, quid omnino fieri poſſit. At loci quidem ipſius forma, talis
12 eſt. Admonet autem hic locus, ut quæratur, quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem evenerit. *Nihil hoc ad jus*; ad Ciceronem, inquibat Gallus noſter, ſi quis ad eum tale quid retulerat, ut de facto quæreretur. tu tamen patiere, nullum à me artis inſtitutæ locum præteriri, ne ſi nihil, niſi quod ad te pertineat, ſcribendum putaris, nimium te amare videare. Eſt igitur magna ex parte locus hic oratorius, non modò non juriſconſultorum, ſed ne philoſophorum quidem. *Ante rem* enim quæruntur, quæ talia ſunt, apparatus, colloquia, locus, conſtitutum, convivium. *Cum re* autem, pedum crepitus, ſtrepitus hominum, corporum umbræ, & ſi quid ejuſmodi. At *poſt rem*, rubor, pallor, titubatio, & ſi qua alia ſigna conturbationis, & conſcientiæ: præterea reſtinctus ignis, gladius cruentus, ceteraque, quæ ſuſpicionem facti poſſunt movere. Deinceps eſt locus dialecticorum proprius ex conſequentibus, & antecedentibus, & repugnantibus, qui etiam ab adjunctis longè diverſus eſt. nam adjuncta, de quibus paullo antè dictum eſt, non ſemper eveniunt: conſequentia autem ſemper. Ea enim dico conſequentia, quæ rem neceſſariò conſequuntur. itemque & antecedentia, & repugnantia. quidquid enim antecedit quamque rem, id cohæret cum re neceſſariò: &, quidquid repugnat, id ejuſmodi eſt, ut cohærere numquam poſſit.
13 Cùm tripertito igitur diſtribuatur locus hic, in conſecutionem, anteceſſionem, repugnantiam, reperiendi argumenti locus ſimplex eſt, tractandi triplex. nam quid intereſt, cùm hoc ſumſeris, *pecuniam* numeratam mulieri deberi, cui ſit omne argentum legatum, utrùm hoc modo concludas argumentum: *Si pecunia* ſignata, argentum eſt: legata eſt mulieri. eſt autem pecunia ſignata argentum: legata igitur. An illo modo? *Si numerata* pecunia, non eſt legata, non eſt numerata pecunia argentum. eſt autem numerata pecunia argentum: legata igitur eſt. An illo modo? *Non & legatum* argentum eſt, & non eſt legata numerata pecunia: legatum autem argentum eſt: legata igitur numerata pecunia eſt. Appellant autem dialectici eam concluſionem argumenti, in qua, cùm primum aſſumſeris, conſequitur id, quod annexum eſt, primum concluſionis modum. Cùm id, quod annexum eſt, negaris, ut id quoque, cui fuerit annexum, negandum ſit, ſecundus appellatur concludendi modus. Cùm autem aliqua conjuncta negaris, & his alia negatio rurſus adjungitur, & ex his primum ſumſeris, ut, quod relinquitur, tollendum ſit: is tertius appellatur concluſionis modus. Ex hoc illa rhetorum ſunt ex contrariis concluſa, quæ ipſi *enthymemata* appellant: non quòd non omnis ſententia, proprio nomine enthymema dicatur, ſed, ut Homerus propter excellentiam, commune poëtarum nomen, efficit apud Græcos ſuum: ſic, cùm omnis ſententia, enthymema dicatur, quia videtur ea, quæ ex contrariis conficiatur, acutiſſima, ſola propriè nomen commune poſſidet. Ejus generis hæc ſunt. „ *Hunc metuere, alterum in metu non ponere.* „ *Eam, quam nihil accuſas, damnas: Bene quam meritam eſſe autumas, dicis male mereri.* „ *Id, quod ſcis, prodeſt nihil: id, quod neſcis, obeſt.* Hoc differendi ge- 14
nus attingit omnino veſtras quoque in reſpondendo diſputationes: ſed philoſophorum magis; quibus eſt cum oratoribus illa ex repugnantibus ſententiis communis concluſio, quæ à dialecticis tertius modus, à rhetoribus enthymema nuncupatur. Reliqui dialecticorum modi plures ſunt, qui ex disjunctionibus conſtant: *aut hoc*, aut illud: hoc autem: non igitur illud. Itemque, *aut hoc*, aut illud: non autem hoc: illud igitur. Quæ concluſiones idcirco ratæ ſunt, quòd IN DISJUNCTIONE plus uno verum eſſe non poteſt. Atque ex iis concluſionibus quas ſuprà ſcripſi, prior, quartus: poſterior, quintus à dialecticis modus appellatur. Deinde addunt conjunctionum negantiam, ſic: *Non &* hoc eſt, & illud: hoc autem: non igitur illud. hic modus eſt ſextus. Septimus autem, *Non &* hoc, & illud: non autem hoc: illud igitur. Ex his modis concluſiones innumerabiles naſcuntur, in quo eſt ferè tota dialectica. Sed ne eæ quidem, quas expoſui, ad hanc inſtitutionem ſunt neceſſariæ. Proximus eſt locus rerum efficientium, quæ cauſæ appellantur: deinde rerum effectarum ab efficientibus cauſis. Harum exempla, ut reliquorum locorum, paullo antè poſui, & quidem ex jure civili: ſed hæc patent latiùs. Cauſarum 15
igitur genera, duo ſunt: Unum, quod vi ſua id, quod ſub ea ſubjectum eſt, certè efficit, ut *ignis* accendit: Alterum, quod naturam efficiendi non habeat, ſed ſine quo effici non poſſit: ut, ſi quis *æs*, cauſam ſtatuæ velit dicere, quòd ſine eo non poſſit effici. Hujus generis cauſarum, ſine quo non efficitur, alia ſunt *quieta*, nihil agentia, ſtolida quodammodo; ut locus, tempus, materiæ, ferramenta, & cetera generis ejuſdem: Alia autem præcurſionem quandam adhibent ad efficiendum, & quædam afferunt per ſe *adjuvantia*, etſi non neceſſaria, ut amori congreſſio cauſam attulerit, amor flagitio. Ex hoc genere cauſarum, ex æternitate pendentium, fatum à Stoicis nectitur. Atque ut earum cauſarum, ſine quibus effici non poteſt, genera diviſi, ſic etiam efficientium dividi poſſunt. Sunt enim aliæ cauſæ, quæ planè efficiant, nulla re adjuvante: aliæ, quæ adjuvari velint: ut *ſapientia* efficit ſapienteis ſola per ſe: beatos efficiat, nec ne ſola per ſe, quæſtio eſt. Quare cùm in diſputationem inciderit cauſa efficiens aliquid neceſſariò, ſine dubitatione licebit, quod efficitur ab ea cauſa, concludere. Cùm autem erit talis cauſa, ut in ea 16
non ſit efficiendi neceſſitas: neceſſaria concluſio non ſequitur. Atque illud quidem genus cauſarum, quod habet vim efficiendi neceſſariam, errorem afferre non ferè ſolet: hoc autem, ſine quo non efficitur, ſæpe conturbat. *Non enim* ſi ſine parentibus filii eſſe non poſſunt, propterea cauſa fuit in parentibus gignendi neceſſaria. Hoc igitur, ſine quo non fit, ab eo, in quo certè fit, diligenter eſt ſeparandum. Illud enim eſt tamquam, *Utinam ne in nemore Pelio ſecuribus* „ *Cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes.* Niſi enim cecidiſſet abiegna ad terram trabes, Argo illa facta non eſſet. nec tamen fuit in his trabibus efficiendi vis neceſſaria. At cùm in Ajacis navim *criſpiſulcans igneum fulmen* injectum eſt, inflammatur navis neceſſariò. Atque etiam eſt cauſarum diſſimilitudo, quòd aliæ ſunt, ut ſine ulla appetitione animi, ſine voluntate, ſine opinione, ſuum quaſi opus efficiant, velut, ut *omne* intereat, quod ortum eſt. Aliæ autem aut voluntate efficiuntur, aut perturbatione animi, aut habitu, aut natura, aut arte, aut caſu. Voluntate, ut tu, cùm hunc libellum legis. Perturbatione, ut ſi quis eventum

1. *Græcè appellantur στερητικά.*] Hittorp. & liber mſ. qui in Bibliotheca Regia ad fontem Beilaquenſem, cujuſque lectiones, à Gulielmio Fornerio enotatas, ad Suffridum miſit anno Ch.LXVII. Hugo Blotius, habebat *Græci appellant*. forſan melius.

2. *Sunt etiam illa valde contraria, &c.*] Ita Hittorp. neque alio ſitu Palatinus, qui tamen firmabat ſcripturam vulgatam; *ſunt etiam valdè contraria alia, &c.*

tum horum temporum timeat. Habitu, ut facilè & citò iraſcatur. Natura, ut vitium in dies creſcat. Arte, ut bene pingat. Caſu, ut proſperè naviget. Nihil horum ſine cauſa, nec quidquam omnino, ſed hujuſmodi cauſæ non neceſſariæ. Omnium autem cauſarum in aliis ineſt *conſtantia*, in aliis non ineſt. In natura, & in arte conſtantia eſt, in ceteris
17 nulla. Sed tamen earum cauſarum, quæ non ſunt conſtantes, aliæ ſunt perſpicuæ, aliæ latent. Perſpicuæ ſunt, quæ appetitionem animi, judiciumque tangunt. Latent, quæ ſubjectæ ſunt fortunæ. cùm enim nihil ſine cauſa fiat; [1] hoc ipſum eſt *fortunæ* eventus, obſcura cauſa, quæ latenter efficitur. [2] Etiam ut ea, quæ fiunt, partim ſint ignorata, partim voluntaria. Ignorata, quæ neceſſitate effecta ſunt. Voluntaria, quæ conſilio. Quæ autem fortuna, vel ignorata, quæ vel voluntaria. Nam jacere telum, voluntatis eſt: ferire quem nolueris, fortunæ. [3] Ex quo aries ille ſubjicitur in veſtris actionibus: *Si telum* manu fugit magis, quàm jecit. [4] Cadunt etiam in ignorationem, atque in imprudentiam perturbationes animi: quæ quamquam ſint voluntariæ, (objurgatione enim, & admonitione dejiciuntur) tamen habent tantos motus; ut ea, quæ voluntaria ſunt, aut neceſſaria interdum, aut certè ignorata videantur. Toto igitur loco cauſarum explicato, ex earum differentia in magnis quidem cauſis vel oratorum, vel philoſophorum magna argumentorum ſuppetit copia. in veſtris autem ſi non uberior, at fortaſſe ſubtilior. Privata enim judicia maximarum quidem rerum, in juriſconſultorum mihi videntur eſſe prudentia. Nam & adſunt multùm, & adhibentur in conſilio: & patronis diligentibus, ad eorum prudentiam confugientibus, haſtas miniſtrant. In omnibus igitur iis judiciis, in quibus, EX FIDE BONA, eſt additum: ubi verò etiam, UT INTER BONOS BENE AGIER: in primiſque in arbitrio rei uxoriæ, in quo eſt: QUID ÆQUIUS, MELIUS, parati eſſe debent. Illi enim dolum malum, illi fidem bonam, illi æquum, bonum, illi quid ſocium ſocio, quid eum, qui negotia aliena curaſſet, ei, cujus ea negotia fuiſſent; quid eum, qui mandaſſet, eumve, cui mandatum eſſet, alterum alteri præſtare oporteret; quid virum uxori, quid uxorem viro, tradiderunt. Licebit igitur, diligenter cognitis argumentorum locis, non modò oratoribus, & philoſophis, ſed juris etiam peritis copiosè de conſultationibus ſuis diſputa-
18 re. Conjunctus huic cauſarum loco locus ille eſt, qui efficitur ex cauſis. Ut enim cauſa effectum indicat, ſic, quod effectum eſt, quæ fuerit cauſa, demonſtrat. Hic locus ſuppeditare ſolet oratoribus, & poëtis, ſæpe etiam philoſophis, ſed iis, qui ornatè & copiosè loqui poſſunt, mirabilem copiam dicendi, cùm denuntiant, quid ex quaque re ſit futurum. CAUSARUM enim cognitio, cognitionem eventorum facit. Reliquus eſt comparationis locus, cujus genus, & exemplum ſuprà poſitum eſt, ut ceterorum: nunc explicanda tractatio eſt. Comparantur igitur ea, quæ aut majora, aut minora, aut paria dicuntur: in quibus ſpectantur hæc, numerus, ſpecies, vis, quædam etiam ad res aliquas affectio. Numero ſic comparabuntur, ut *plura* bona, paucioribus bonis anteponantur: pauciora mala, malis pluribus: diuturniora bona, brevioribus: longè, & latè pervagata, anguſtis: ex quibus plura bona propagentur, quæque plures imitentur, & faciant. Specie autem comparantur, ut *anteponantur* quæ propter ſe expetenda ſunt, iis, quæ propter aliud: & ut innata atque inſita, aſſumtis, & adventitiis: integra, contaminatis: jucunda, minus jucundis: honeſta, ipſis etiam utilibus: proclivia, laborioſis: neceſſaria, non neceſſariis: ſua, alienis: rara, vulgaribus: deſiderabilia, iis, quibus facilè carere poſſis: perfecta, inchoatis: tota, partibus: ratione utentia, rationis expertibus: voluntaria, neceſſariis: animata, inanimatis: naturalia, non naturalibus: artificioſa, non artificioſis. Vis autem in comparatione ſic cernitur, *efficiens* cauſa gravior, quàm non efficiens: quæ ſeipſis contenta ſunt, meliora, quàm quæ egent aliis: quæ in noſtra, quàm quæ in aliorum poteſtate ſunt: ſtabilia, incertis: quæ eripi non poſſunt, iis, quæ poſſunt. Affectio autem ad res aliquas, eſt hujuſmodi, *principum* commoda majora, quàm reliquorum, itemque, quæ jucundiora, quæ pluribus probata, quæ ab optimo quoque laudata. Atque, ut hæc in comparatione meliora, ſic deteriora, quæ iis ſunt contraria. Parium autem comparatio nec elationem habet, nec ſubmiſſionem. eſt enim æqualis. Multa autem ſunt, quæ æqualitate ipſa comparantur: quæ ita ferè concluduntur. *Si conſilio* juvare civeis, & auxilio, æqua in laude ponendum eſt: pari gloria debent eſſe ii, qui conſulunt, & ii, qui defendunt. at quod primum eſt: quod ſequitur igitur. Perfecta eſt omnis argumentorum inveniendorum præceptio, ut, cùm profectus ſis à definitione, à partitione, à notatione, à conjugatis, à genere, à forma, à ſimilitudine, à differentia, à contrariis, ab adjunctis, à conſequentibus, ab antecedentibus, à repugnantibus, à cauſis, ab effectis, à comparatione majorum, minorum, parium,
nulla præterea ſedes argumenti quærenda ſit. Sed quoniam 19
ita à principio diviſimus, ut alios locos diceremus in eo ipſo, de quo ambigitur, hærere, de quibus ſatis eſt dictum: alios aſſumi extrinſecus: de iis pauca dicamus: etſi ea nihil omnino ad veſtras diſputationes pertinent: ſed tamen totam rem perficiamus, quandoquidem cœpimus. Neque enim tu is es, quem nihil, niſi jus civile, delectet. &, quoniam ad te hæc ita ſcribuntur, ut etiam in aliorum manus ſint ventura, detur opera, ut quamplurimùm iis, quos *recta ſtudia* delectant, prodeſſe poſſimus. Hæc ergo argumentatio, quæ dicitur artis expers, in teſtimonio poſita eſt. Teſtimonium autem nunc dicimus, omne, quod ab aliqua re externa ſumitur ad faciendam fidem. PERSONA autem non qualiſcumque, teſtimonii pondus habet. ad faciendam enim fidem auctoritas quæritur. Sed auctoritatem aut natura, aut tempus affert. [5] Naturæ auctoritas in virtute ineſt maxime. In tempore autem multa ſunt, quæ afferant auctoritatem: ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, uſus, neceſſitas, concurſio etiam nonnumquam rerum fortuitarum. Nam & *ingenioſos*, & opulentos, & ætatis ſpatio probatos, dignos, quibus credatur, putant: non rectè fortaſſe, ſed VULGI opinio mutari vix poteſt, ad eamque omnia dirigunt & qui judicant, & qui exiſtimant. Qui enim his rebus, quas dixi, excellunt, ipſa virtute videntur excellere. Sed reliquis quoque rebus, quas modò enumeravi, quamquam in iis nulla ſpecies virtutis eſt: tamen interdum confirmatur fides, ſi aut ars quædam adhibetur:
MAGNA enim eſt vis ad perſuadendum, ſcientiæ: aut uſus. 20
plerumque enim creditur iis, qui experti ſunt. Facit etiam neceſſitas fidem, quæ cùm à corporibus, tum ab animis naſcitur. Nam & verberibus, tormentis, igni fatigati, quæ dicunt, ea videtur *veritas* ipſa dicere, &, quæ à perturbationibus animi ſunt, dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia neceſſitatis vim habent, afferunt auctoritatem, & fidem. Cujus generis etiam illa ſunt, ex quibus nonnumquam verum invenitur, pueritia, ſomnus, imprudentia, vinolentia, inſania. Nam & *pueri* ſæpe indicaverunt aliquid, ad quod pertineret, ignari: & per ſomnum, vinum, inſaniam, multa ſæpe patefacta ſunt. Multi etiam in res odio-

1. *Hoc ipſum eſt fortunæ eventus, obſcura cauſa, quæ latenter efficitur.*] Hittorp. & Bellaq. exemplar *cauſa latenter efficit.* at Pal. abeſt vocula tertia *eſt*: ut fortè reſcribendum ſit, *hoc ipſum fortunæ eventus, obſcurâ causâ, latenter efficit.*

2. *Etiam ut ea quæ fiunt, &c.*] Obſecutus fuiſſem libro Palat. & Bellaquenſi, in quibus non erat *ut*, quod in aliis comparet editionibus, niſi indicaſſet Lambinus Ant. Goveanum excludere illud, etiam faventibus membranis & Memmii & Briſſonii: ut ſcilicet huc cohæreant cum prioribus. & tamen reſtat in Palat. partim *ſunt*, non *ſint*; ut ceteræ habent editiones.

3. *Ex quo aries ille ſubjicitur in veſtris act.*] Delebimus illud *ſubjicitur*, tanquam librarii, ſi audimus Hittorpianum codicem.

4. *Cadunt etiam in ignorationem.*] Repoſui *etiam*, loco *enim*; volente Pal. & Hittorpiano.

5. *Naturæ auctoritas in virtute ineſt maximè.*] Vocula *ineſt* non conſpicitur in Pal. at Hittorp. & Bellaq. ſervant *maxima*, recte.

1. *Ut*

odioſas imprudentes inciderunt, [1] ut Stajeno nuper accidit: qui ea locutus eſt, bonis viris ſubauſcultantibus, *pariete interpoſito*, quibus patefactis, in judiciumque prolatis, rei capitalis jure damnatus eſt. Huic ſimile quiddam de Lacedæmonio Pauſania accepimus. Concurſio autem fortuitorum talis eſt, ut, ſi interventum eſt caſu, cùm aut ageretur aliquid, quod proferendum non eſſet, aut diceretur. In hoc genere etiam illa eſt in Palamedem conjecta *ſuſpicionum* proditionis multitudo: quod genus refutare interdum veritas vix poteſt. Hujus etiam generis eſt fama vulgi, quoddam multitudinis teſtimonium. Quæ autem virtute fidem faciunt, ea bipertita ſunt. Ex quibus alterum, natura valet: alterum, induſtria. DEORUM enim virtus, natura excellit: hominum autem, induſtria. Divina hæc ferè ſunt teſtimonia: Primùm orationis. oracula enim ex eo ipſo appellata ſunt, quòd ineſt in his deorum oratio: Deinde rerum, in quibus inſunt quaſi opera divina quædam: Primùm ipſe mundus, ejuſque omnis ordo, & ornatus: deinceps aërei volatus avium, atque cantus: deinde ejuſdem aëris ſonitus, & ardores, multarumque rerum in terra portenta: atque etiam per exta, inventa præſenſio. A *dormientibus* quoque multa ſignificata viſis, quibus ex locis ſumi interdum ſolent ad fidem faciendam teſtimonia deorum. In homine VIRTUTIS opinio valet plurimùm. Opinio autem eſt, non modò eos virtutem habere, qui habeant, ſed eos etiam, qui habere videantur. Itaque, quos ingenio, quos ſtudio, quos doctrina præditos vident, quorumque vitam conſtantem, & probatam, ut Catonis, Lælii, Scipionis, aliorumque plurium, rentur eos eſſe, quales ſeipſi velint. Nec ſolùm eos cenſent taleis eſſe, qui in honoribus populi, reque publica verſantur, ſed & oratores, & philoſophos, & poëtas, & hiſtoricos: ex quorum & dictis, & ſcriptis ſæpe auctoritas petitur ad faciendam fi-
21 dem. EXPOSITIS omnibus argumentandi locis, illud primùm intelligendum eſt, nec ullam eſſe diſputationem, in quam non aliquis locus incurrat, nec ferè omneis locos incidere in omnem quæſtionem, & quibuſdam quæſtionibus alios, quibuſdam eſſe alios aptiores locos. Quæſtionum duo ſunt genera: alterum infinitum, alterum definitum. Definitum eſt, quod ὑπόθεσιν Græci, nos *cauſam*. Infinitum, quod θέσιν illi appellant, nos *propoſitum* poſſumus nominare. Cauſa certis perſonis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur, aut in omnibus, aut in pleriſque eorum. Propoſitum autem, in aliquo eorum, aut in pluribus, nec tamen in maximis. Itaque propoſitum, pars cauſæ eſt. Sed omnis quæſtio, earum aliqua de re eſt, quibus cauſæ continentur, aut una, aut pluribus, aut nonnumquam omnibus. Quæſtionum autem, quacunque de re ſint, duo ſunt genera: unum, cognitionis: alterum, actionis. Cognitionis ſunt hæ, quarum finis eſt ſcientia. Ut, ſi quæratur, à naturane *jus* profectum ſit, an ab aliqua quaſi conditione hominum, & pactione. Actionis autem hujuſmodi exempla ſunt: *Sitne ſapientis* ad rempub. accedere. Cognitionis quæſtiones tripartitæ ſunt, cùm, an ſit: aut, quid ſit: aut, quale ſit, quæritur. Horum primum, conjectura: ſecundum, definitione: tertium, juris & injuriæ diſtinctione explicatur. Conjecturæ ratio in quattuor parteis diſtributa eſt. quarum una eſt, cùm quæritur, ſitne aliquid. altera, unde ortum ſit. tertia, quæ id cauſa effecerit. quarta, in qua de mutatione rei quæritur: Sit, necne ſit: Ecquidnam honeſtum ſit, Ecquid æquum re vera, an hæc tantùm in opinione ſint: Unde autem ſit ortum, ut, cùm quæritur, *natura*, an doctrina poſſit effici virtus. Cauſa autem efficiens ſic, ut, cùm quæritur, quibus rebus eloquentia efficiatur. De commutatione, ſic: *Poſſitne* eloquen-
22 tia commutatione aliqua converti in infantiam. Cùm autem, quid ſit, quæritur: notio explicanda eſt, & proprietas, & diviſio, & partitio. Hæc enim ſunt definitioni attributa: additur etiam deſcriptio, quam Græci χαρακτῆρα vocant. Notio ſic quæritur, *ſitne* id æquum, quod ei, qui plus poteſt, utile eſt. Proprietas ſic: *In hominemne* ſolùm cadat, an etiam in belluas ægritudo. Diviſio, & eodem pacto partitio, ſic: Triane genera bonorum ſint. Deſcriptio, Qualis ſit avarus, qualis aſſentator, ceteraque ejuſdem generis, in quibus natura, & vita deſcribitur. Cùm autem quæritur, quale quid ſit: aut ſimpliciter quæritur, aut comparatè. Simpliciter, Expetendane ſit gloria: Comparatè, Præponendane ſit divitiis gloria. Simplicium tria genera ſunt: de expetendo, fugiendoque: de æquo, & iniquo: de honeſto, & turpi. Comparationum autem duo, unum de eodem, & alio: alterum de majore, & minore. De expetendo, & fugiendo, hujuſmodi: [2] Si expetendæ divitiæ, ſi fugienda paupertas. De æquo & iniquo: *Æquumne* ſit ulciſci, à quocumque injuriam acceperis. De honeſto, & turpi: Honeſtumne ſit, *pro patria mori*. Ex altero autem genere, quod erat bipartitum, unum eſt de eodem, & alio: ut, ſi quæratur, quid interſit inter amicum, & aſſentatorem: regem, & tyrannum. Alterum de majore, & minore: ut, ſi quæratur, *eloquentiane* pluris ſit, an juris civilis ſcientia. De cognitionis quæſtionibus hactenus. Actionis reliquæ ſunt: quarum duo ſunt genera: unum ad officium: alterum ad motum animi vel gignendum, vel ſedandum, planeve tollendum. Ad officium ſic; ut, cùm quæritur, ſuſcipiendine ſint liberi. Ad movendos animos, cùm fiunt cohortationes ad defendendam rempub. ad gloriam, & ad laudem: quo ex genere ſunt querelæ, incitationes, miſerationeſque flebiles, rurſuſque oratio cùm iracundiam reſtinguens, tum metum eripiens, tum exſultantem lætitiam comprimens, tum ægritudinem abſtergens. Hæc cùm in propoſitis quæſtionibus genera ſint, eadem
in cauſas transferuntur. Loci autem, qui ad quaſque quæ- 23
ſtiones accommodati ſunt, deinceps eſt videndum. Omnes quidem illi, quos ſuprà diximus, ad pleraſque ſunt: ſed alii ad alias, ut dixi, aptiores. Ad conjecturam igitur maximè apta, quæ ex cauſis, quæ ex effectis, quæ ex conjunctis, ſumi poſſunt. Ad definitionem autem pertinet ratio, & ſcientia definiendi. Atque huic generi finitimum eſt illud, quod appellari de eodem, & altero diximus: quod genus forma quædam definitionis eſt. Si enim quæratur, idemne ſit *pertinacia*, & *perſeverantia*, definitionibus judicandum eſt. Loci autem convenient in ejus generis quæſtionem, conſequentes, antecedentes, repugnantes, adjunctis etiam duobus iis, qui ſumuntur ex cauſis & effectis. Nam ſi hanc rem illa ſequitur, hanc autem non ſequitur: aut ſi huic rei illa antecedit, huic non antecedit: aut ſi huic rei repugnat, illi non repugnat: aut, ſi hujus rei hæc, illius alia cauſa eſt: aut ſi ex alio hoc, ex alio illud effectum eſt: ex quovis horum id, de quo quæritur, idemne, an aliud ſit, inveniri poteſt. Ad tertium genus quæſtionis, in quo, quale ſit, quæritur, in comparationem ea cadunt, quæ paullo antè in comparationis loco enumerata ſunt. In illud autem genus, in quo de expetendo, fugiendoque quæritur, adhibentur ea, quæ ſunt aut animi, aut corporis, aut externa vel commoda, vel incommoda. Itemque cùm de honeſto, turpique quæritur, ad animi bona, vel mala, omnis dirigenda oratio eſt. Cùm autem de *æquo*, *&* *iniquo* differitur, æquitatis loci colliguntur. hi cernuntur bipartitò: & natura, & inſtituto. Natura parteis habet duas, *tuitionem* ſui, & ulciſcendi jus. Inſtitutio autem æquitatis, tripertita eſt. una pars, legitima eſt, altera conveniens, tertia moris vetuſtate confirmata. Atque etiam rurſus æquitas, tripertita dicitur eſſe: una ad ſuperos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere: Prima, pietas: ſecunda, ſan-
ctitas: tertia, juſtitia, aut æquitas nominatur. De propoſito 24
ſatis

[1]. *Ut Stajeno nuper accidit, &c.*] Eſt ab Hittorpiano, annotatumque idem in Bellaquenſi inter lineas. ſed & alioquin alludebat Pal. in quo *Stajerio.*

[2]. *Si expetendæ divitiæ, ſi fugienda, &c.*] Lambinus ſuppoſuit, *Sintne expetendæ divitiæ, ſitne fug. &c.* ſed non adjutus a mſſ. libris. alterum ſane recte dici pluribus oſtendit Cujac. lib. III. Obſerv. cap. 37.

1. Qua

ſatis multa: deinceps de cauſa pauciora dicenda ſunt. Pleraque enim ſunt ei cum propoſito communia. Tria ſunt igitur genera cauſarum: judicii, deliberationis, laudationis. Quarum fines ipſi declarant, quibus utendum locis ſit. Nam *judicii finis* eſt jus: ex quo etiam nomen. Juris autem partes tum expoſitæ, cùm æquitatis. *Deliberandi* finis, utilitas: cujus hæ partes, quæ modò expoſitæ, rerum expetendarum. *Laudationis* finis, honeſtas: de qua item eſt antè dictum. Sed definitæ quæſtiones à ſuis quæque locis, quaſi propriis, inſtituuntur, in accuſationem defenſionemque partitæ. In quibus exſiſtunt hæc genera, ut accuſator perſonam arguat facti: defenſor aliquid opponat de tribus, aut non eſſe factum: aut, ſi ſit factum, aliud ejus facti nomen eſſe: aut jure eſſe factum. Itaque aut *infitialis*, aut *conjecturalis* prima appelletur: *definitiva*, altera: tertia, quamvis
25 moleſtum nomen hoc ſit, *juridicialis* vocetur. Harum cauſarum propria argumenta ex iis ſumta locis, quos expoſuimus, in præceptis oratoriis explicata ſunt. Refutatio autem accuſationis, in qua eſt depulſio criminis, quæ Græcè στάσις dicitur, Latinè appelletur *ſtatus*: in quo primùm inſiſtit quaſi ad repugnandum congreſſa defenſio. Atque etiam in deliberationibus, & laudationibus iidem exſiſtunt ſtatus. Nam & negantur ſæpe ea futura, quæ ab aliquo in ſententia dicta ſunt fore, ſi aut omnino fieri non poſſunt, aut ſine ſumma difficultate non poſſint. in qua argumentatione ſtatus conjecturalis exſiſtit. At, cùm aliquid de utilitate, honeſtate, æquitate, diſſeritur, deque iis rebus, quæ iis ſunt contrariæ: incurrunt ſtatus aut juris, aut nominis: quod idem contingit in laudationibus. Nam aut negari poteſt, id factum eſſe, quod laudetur: aut non *eo nomine* afficiendum, quo laudator affecerit: aut omnino non eſſe laudabile, quod non rectè, non jure factum ſit. Quibus omnibus generibus uſus eſt nimis impudenter Cæſar contra Catonem meum. Sed quæ ex ſtatu contentio efficitur, eam Græci κρινόμενον vocant. mihi placet id, quoniam quidem ad te ſcribo, [1] *qua de re agitur*, vocari. Quibus autem hoc, qua de re agitur, continetur, ea *continentia* vocentur, quaſi firmamenta defenſionis; quibus ſublatis, defenſio nulla ſit. Sed, quoniam *lege* firmius in controverſiis diſceptandis eſſe nihil debet, danda eſt opera, ut legem adjutricem, & teſtem adhibeamus. In qua re alii quaſi ſtatus exſiſtunt novi, qui appellantur *legitimæ diſceptationes*. Tum enim defenditur non id legem dicere, quod adverſarius velit, ſed aliud: Id autem contingit, cùm ſcriptum ambiguum eſt, ut duæ differentes ſententiæ accipi poſſint: Tum opponitur ſcripto voluntas ſcriptoris, ut quæratur *verbane* plus, an ſententia valere debeat: Tum legi lex contraria affertur. Ita ſunt tria genera, quæ controverſiam in omni ſcripto facere poſſunt, ambiguum, diſcrepantia ſcripti & voluntatis, & ſcripta contraria. Jam hoc perſpicuum eſt, 26
non magis in legibus, quàm in teſtamentis, in ſtipulationibus, in reliquis rebus, quæ ex ſcripto aguntur, poſſe controverſias eaſdem exſiſtere. Horum tractationes in aliis libris explicantur. nec ſolùm perpetuæ actiones, ſed etiam partes orationis iiſdem locis adjuvantur, partim propriis, partim communibus: ut in *principiis*, quibus ut benivoli, ut dociles, ut attenti ſint, qui audiant, efficiendum eſt propriis locis. Itemque *narrationes*, ut ad ſuos fineis ſpectent, id eſt, ut planæ ſint, ut breves, ut evidentes, ut credibiles, ut moderatæ, ut cum dignitate. quæ quamquam in tota oratione eſſe debent, magis tamen ſunt propria narrandi. Quæ autem conſequitur narrationem *fides*, ea perſuadendo quoniam efficitur, qui ad perſuadendum loci maxime valeant, dictum eſt in iis, in quibus de omni ratione dicendi. *Peroratio* autem & alia quædam habet, & maximè amplificationem: cujus effectus is debet eſſe, ut aut perturbentur animi, aut tranquillentur: &, ſi ita jam affecti antè ſunt, ut augeat eorum motus, aut ſedet oratio. Huic generi, in quo & miſericordia, & iracundia, & odium, & invidia, & ceteræ animi affectiones perturbantur, præcepta ſuppeditantur, aliis in libris, quos poteris mecum legere, cùm voles. Ad id autem, quod te velle ſenſeram, cumulatè ſatisfactum eſſe debet voluntati tuæ. Nam, ne præterirem aliquid, quod ad argumentum in omni ratione reperiendum pertineret, plura quàm à te deſiderata erant, ſum complexus, fecique quod ſæpe *liberales venditores* ſolent, ut, cùm ædes, fundumve vendiderint, rutis cæſis receptis, concedant tamen aliquid emtori, quod ornandi cauſa aptè, & loco poſitum eſſe videatur. ſic tibi nos ad id, quod quaſi mancipio dare debuimus, ornamenta quædam voluimus non debita acedere.

M. TULLII CICERONIS DE PARTITIONE ORATORIA, DIALOGUS.

Cicero filius, & Cicero pater, loquentes introducuntur.

CICERO FILIUS.

1 STUDEO, mi pater, Latinè ex te audire ea, quæ mihi tu de ratione dicendi Græcè tradidiſti; ſi modò tibi eſt otium, & ſi vis. CICERO PATER. An eſt, mi Cicero, quod ego malim, quàm te quàm doctiſſimum eſſe? Otium autem primùm ſummum eſt, quoniam aliquando Roma exeundi poteſtas data eſt: deinde iſta *tua ſtudia* vel maximis occupationibus meis anteferrem libenter. C. F. Viſne igitur, ut tu me Græcè ſoles ordine interrogare, ſic ego te viciſſim eiſdem de rebus Latinè interrogem? C. P. Sanè, ſi placet. ſic enim & ego te meminiſſe intelligam, quæ accepiſti: & tu ordine audies, quæ requiris. C. F. Quot in parteis diſtribuenda eſt omnis doctrina dicendi? C. P. In treis. C. F. Cedò quas? C. P. Primùm in ipſam vim oratoris, deinde in orationem, tum in quæſtionem. C. F. In quo eſt ipſa *vis*? C. P. In rebus, & verbis. Sed & res, & verba, invenienda ſunt, & collocanda. Propriè autem in rebus invenire, in verbis eloqui dicitur. Collocare autem, etſi eſt commune, tamen ad inveniendum refertur. Vox, motus, vultus, atque omnis actio, *eloquendi comes eſt*, earumque rerum omnium

1. *Qua de re agitur, vocari.*] Explicat iſtud eleganter & perſpicuè, ut ſemper omnia, Petrus Faber lib. 1. Semeſtr. cap. 21.

omnium cuſtos eſt memoria. C. F. Quid ? orationis quot
ſunt partes ? C. P. Quattuor. earum duæ valent ad rem do-
cendam : narratio & confirmatio. ad impellendos animos
duæ ; principium & peroratio. C. F. Quid ? Quæſtio quaſ-
nam habet parteis ? C. P. Infinitam , quam conſultationem
2 appello : & definitam , quam cauſam nomino. C. F. QUO-
NIAM IGITUR invenire oratoris primùm eſt, quid quæret ?
C. P. Ut inveniat, quemadmodum fidem faciat eis , quibus
volet perſuadere, & quemadmodum motum eorum animis
afferat. C. F. Quibus rebus fides fit ? C. P. Argumentis,
quæ ducuntur ex locis, aut in re ipſa inſitis , aut aſſumtis.
C. F. Quos vocas *locos ?* C. P. Eos , in quibus latent argu-
menta. C. F. Quid eſt *argumentum ?* C. P. Probabile in-
ventum ad faciendam fidem. C. F. Quomodo igitur duo
genera iſta dividis ? C. P. Quæ ſine arte putantur , ea *remota*
appello, ut teſtimonia. C. F. Quid *inſita ?* C. P. Quæ inhæ-
rent in ipſa re. C. F. Teſtimoniorum quæ ſunt genera ?
C. P. Divinum, & humanum. Divinum, ut oracula, ut au-
ſpicia, ut vaticinationes , & reſponſa ſacerdotum , haruſpi-
cum , conjectorum. Humanum , quod ſpectatur ex aucto-
ritate , & ex voluntate , & ex oratione , aut libera , aut ex-
preſſa : in quo inſunt ſcripta , pacta , promiſſa, jurata, quæ-
ſita. C. F. Quæ ſunt quæ dicis inſita ? C. P. Quæ infixa ſunt
rebus ipſis , ([1] tum ex toto, tum ex partibus , tum ex nota-
tione , tum ex iis rebus , quæ quodammodo affectæ ſunt ad
id, de quo quæritur ; & ad id totum, de quo diſſeritur. tum
definitio adhibetur, tum partium enumeratio , tum notatio
verbi. ex iis autem rebus , quæ quodammodo affectæ ſunt
ad id , de quo quæritur , alia *conjugata* appellantur , alia ex
genere, alia ex forma , alia ex ſimilitudine , alia ex differen-
tia, alia ex contrario , alia ex conjunctis , alia ex anteceden-
tibus, alia ex conſequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex
cauſis , alia ex effectis , alia ex comparatione majorum , aut
parium , aut minorum:) ut definitio , ut contrarium , ut ea,
quæ ſunt ipſi , contrariove ejus aut ſimilia , aut diſſimilia,
aut conſentanea, aut diſſentanea : ut ea, quæ ſunt quaſi con-
juncta, aut ea, quæ ſunt quaſi pugnantia inter ſe : aut earum
rerum , de quibus agitur , cauſæ : aut cauſarum eventus , id
eſt , quæ ſunt effecta de cauſis , ut diſtributiones , ut genera
partium , generumve partes , ut primordia rerum , & quaſi
præcurrentia , in quibus ineſt aliquid argumenti : ut rerum
contentiones, quid majus, quid par, quid minus ſit , in qui-
bus aut naturæ rerum, aut facultates comparantur. C.F. O-
3 mnibuſne igitur ex his locis argumenta ſumemus? C.P. Im-
mò verò ſcrutabimur, & quæremus ex omnibus : ſed adhi-
bebimus judicium , ut *levia* ſemper rejiciamus , nonnum-
quam etiam communia prætermittamus , & non neceſſaria.
C. F. Quoniam de fide reſpondiſti , volo audire de motu.
C. P. Loco tu quidem quæris, ſed planius quod vis explica-
bitur , cùm ad orationis ipſius , quæſtionumque rationem
venero. C. F. Quid ſequitur igitur ? C. P. Cùm inveneris
collocare. Cujus in infinita quæſtione , ordo eſt idem ferè,
quem expoſui , locorum. In definita autem , adhibenda
ſunt illa etiam , quæ ad motus animorum pertinent.
C. F. Quomodo igitur iſta explicas ? C. P. Habeo commu-
nia præcepta fidem faciendi , & commovendi. Quoniam
fides , eſt firma opinio : *motus* autem, animi incitatio aut ad
voluptatem , aut ad moleſtiam , aut ad metum , aut ad cupi-
ditatem : (tot enim ſunt motus genera , partes plures gene-
rum ſingulorum :) omnem collocationem ad finem accom-
modo quæſtionis. Nam eſt in propoſito finis, fides : in cau-
ſa & fides, & motus. Quare cùm de cauſa dixero, in qua eſt
propoſitum, de utroque dixero. C. F. Quid habes igitur de
cauſa dicere ? C. P. Auditorum eam genere diſtingui. Nam
aut auſcultator eſt modò qui audit , aut diſceptator , id eſt
rei , ſententiæque moderator : ita , ut aut delectetur , aut
ſtatuat aliquid. Statuit autem aut de præteritis, ut judex : aut
de futuris, ut ſenatus. Sic tria ſunt genera , Judicii , delibe-
rationis , exornationis : quæ , quia in laudationes maxime
confertur, proprium habet jam ex eo nomen. C. F. Quas 4
res ſibi proponet in iſtis tribus generibus orator ? C. P. De-
lectationem in exornatione : in judicio , aut ſævitiam , aut
clementiam judicis : in ſuaſione autem , aut ſpem , aut re-
formidationem deliberantis. C. F. Cur igitur exponis hoc
loco genera controverſiarum ? C. P. Ut rationem collocan-
di ad finem cujuſque accommodem. C. F. Quonam tan-
dem modo ? C. P. Quia , quibus in orationibus *delectatio*
finis eſt , varii ſunt ordines collocandi. Nam aut tempo-
rum ſervantur gradus : aut generum diſtributiones , aut à
minoribus ad majora adſcendimus , aut à majoribus ad mi-
nora delabimur, aut hæc inæquabili varietate diſtinguimus,
cùm parva magnis, ſimplicia conjunctis , obſcura dilucidis,
læta triſtibus , incredibilia probabilibus inteximus , quæ in
exornationem cadunt omnia. C. F. Quid ? in *deliberatione*
quid ſpectas ? C. P. Principia, vel non longa, vel ſæpe nulla.
Sunt enim ad audiendum qui deliberant , ſua cauſa parati.
Nec multùm ſanè ſæpe narrandum eſt. Eſt enim *narratio*,
præteritarum rerum, aut præſentium : *ſuaſio* autem, futura-
rum. Quare ad fidem , & ad motum adhibenda eſt omnis
oratio. C.F. Quid? in judiciis quæ eſt collocatio ? C.P. Non
eadem accuſatoris , & rei : quòd accuſator rerum ordinem
proſequitur, & ſingula argumenta , quaſi *haſta* in manu col-
locata , vehementer proponit , concludit acriter , confirmat
tabulis, decretis,teſtimoniis,accuratiuſque in ſingulis com-
moratur : perorationiſque præceptis, quæ ad incitandos ani-
mos valent , & in reliqua oratione paullulum digrediens de
curſu dicendi , utitur , & vehementius in perorando. Eſt
enim propoſitum , ut iratum efficiat judicem. C. F. Quid 5
faciendum eſt contrà reo ? C. P. Omnia longè ſecus. Su-
menda principia ad benivolentiam conciliandam. Narra-
tiones aut amputandæ , quæ lædunt : aut relinquendæ , ſi
totæ ſunt moleſtæ. *Firmamenta* ad fidem poſita , aut per ſe
diluenda , aut obſcuranda , aut digreſſionibus obruen-
da. Perorationes autem , ad miſericordiam conferendæ.
C. F. Semperne igitur ordinem collocandi, quem volumus,
tenere poſſumus ? C. P. Non ſanè. Nam auditorum *aures*
moderantur oratori prudenti,& provido, & quod reſpuunt,
immutandum eſt. C. F. Expone deinceps , quæ ipſius ora-
tionis, verborumque præcepta ſunt. C. P. Unum igitur ge-
nus eſt eloquendi ſua ſponte fuſum : alterum verſum, atque
mutatum. Prima vis eſt in ſimplicibus verbis : in conjun-
ctis ſecunda. Simplicia, invenienda ſunt : conjuncta , col-
locanda ſunt. Et ſimplicia verba partim nativa ſunt, partim
reperta. Nativa ea , [2] quæ ſignificata ſunt ſenſu : Reperta,
quæ ex his facta ſunt , & novata aut ſimilitudine , aut imi-
tatione , aut inflexione , aut adjunctione verborum. Atque
etiam eſt hæc diſtinctio in verbis : altera, *natura : tractatio-
ne* , altera. Natura , ut ſint alia conſonantiora , graviora, le-
viora, & quodammodo nitidiora: alia contra. Tractatione
autem , cùm aut propria ſumuntur rerum vocabula , aut ad-
dita ad nomen , aut nova , aut priſca , aut ab oratore modi-
ficata, & inflexa quodammodo : qualia ſunt ea , quæ tranſ-
feruntur , aut immutantur , aut ea , quibus tanquam abuti-
mur, aut ea , quæ obſcuramus, quæ incredibiliter tollimus,
quæque *mirabilius* , quàm ſermonis conſuetudo patitur, or-
namus. C. F. Habeo de ſimplicibus verbis : nunc de con- 6
junctione quæro. C. P. Numeri quidam ſunt in conjun-
ctione ſervandi, conſecutioque verborum. Numeros aures
ipſæ metiuntur , ne aut non compleas verbis quod propo-
ſueris, aut redundes. Conſecutio autem, ne generibus, nu-
meris , temporibus , perſonis , caſibus perturbetur oratio.
Nam, ut in ſimplicibus verbis , quod non eſt Latinum : ſic
in con-

1. *Tum ex toto , tum ex partibus, &c.*] Lambinus iſtud cum ali-
quot lineis ſequentibus totum tollit, ut invectum huc ex
Topicis. & certe videri queat ſupervacaneum.
2. *Quæ ſignificata ſunt ſenſu.*] Hæret heic Lambinus ; itaque Gu-
lielmius annotavit : Hoc eſt, quorum admoniti ſunt primi illi ho-
mines, qui rebus verba, impoſuerunt , ipſo ſenſu. *ſignificare* enim ,
ſigno & tanquam nutu eſt indicare. Et ut nunc res ipſas ſignificant
verba, ita eadem a rebus primum intenſa & inculcata ſunt.

in conjunctis, quod non eſt conſequens, vituperandum eſt. Communia autem ſimplicium, conjunctorumque ſunt hæc quinque quaſi *lumina*, dilucidum, breve, probabile, illuſtre, ſuave. Dilucidum fit uſitatis verbis, propriis, diſpoſitis aut circumſcriptione concluſa, aut intermiſſione, aut conciſione verborum. Obſcurum autem, aut longitudine, aut contractione orationis, aut ambiguitate, aut inflexione, atque immutatione verborum. Brevitas autem conficitur ſimplicibus verbis: ſemel unaquaque re dicenda: nulli rei, niſi, ut dilucidè dicas, ſerviendo. Probabile autem genus eſt orationis, ſi non nimis eſt comtum, atque expolitum, ſi eſt auctoritas & pondus in verbis, ſi ſententiæ vel graves, vel aptæ opinionibus hominum, & moribus. Illuſtris autem oratio eſt, ſi & verba gravitate delecta ponuntur, & tranſlata, & ſuperlata, & ad nomen adjuncta, & duplicata, & idem ſignificantia, atque ab ipſa actione, atque imitatione rerum non abhorrentia. Eſt enim hæc pars orationis, quæ rem conſtituat pænè ante oculos. Is enim maximè ſenſus attingitur: ſed ceteri tamen, & maximè mens ipſa moveri poteſt. Sed quæ dicta ſunt de oratione dilucida, cadunt in hanc illuſtrem omnia. Eſt enim plus aliquanto illuſtre, quàm illud dilucidum. altero fit ut intelligamus, altero verò, ut videre videamur. Suave autem genus erit dicendi, primùm elegantia & jucunditate verborum ſonantium, & lenium: deinde conjunctione, quæ neque aſperos habeat concurſus, neque disjunctos, atque hianteis: & ſit circumſcripta non longo anfractu, ſed ad ſpiritum vocis apto, habeatque ſimilitudinem, æqualitatemque verborum, tum ex contrariis ſumta verbis: crebra crebris, paria paribus reſpondeant, relataque ad idem verbum: & geminata, atque duplicata, vel etiam ſæpius iterata ponantur: conſtructioque verborum tum conjunctionibus copuletur, tum diſſolutionibus relaxetur. Fit etiam ſuavis oratio, cùm aliquid aut inviſum, aut inauditum, aut novum dicas. DELECTAT enim quidquid eſt admirabile, maximeque movet ea, quæ motum aliquem animi miſcet, oratio: quæque ſignificat oratoris ipſius amabileis mores: qui exprimuntur, aut ſignificando judicio ipſius ex animo humano ac liberali, aut inflexione ſermonis, cùm aut augendi alterius, aut minuendi ſui cauſa, alia dici ab oratore, alia exiſtimari videntur, idque comitate fieri magis, quàm vanitate. Sed multa ſunt ſuavitatis præcepta, quæ orationem aut magis obſcuram, aut minus probabilem faciunt. Itaque etiam hoc loco nobis eſt ipſis, quid cauſa poſtulet, judicandum.

7 C. F. Reliquum eſt igitur, ut dicas de converſa oratione, atque mutata. C. P. Eſt itaque id genus totum ſitum in commutatione verborum: quæ ſimplicibus in verbis ita tractatur, ut aut ex verbo dilatetur, aut in verbum contrahatur oratio. Ex verbo, cùm aut proprium, aut idem ſignificans, aut factum verbum in plura verba diducitur. Ex oratione, cùm aut definitio ad unum verbum revocatur, aut aſſumta verba removentur, aut in circuitus diriguntur, aut in conjunctione fit unum verbum ex duobus. In conjunctis autem verbis triplex adhiberi poteſt commutatio, non verborum, ſed ordinis tantummodò: ut, cùm ſemel dictum ſit directè, ſicut natura ipſa tulerit, invertatur ordo, & idem quaſi ſurſum verſus, retroque dicatur; deinde idem interciſe, atque permiſtè. Eloquendi autem exercitatio maximè in hoc toto convertendi genere verſatur. C. F. *Actio* igitur ſequitur, ut opinor. C. P. Eſt ita: quæ quidem oratori & cum rerum, & cum verborum momentis commutanda maximè eſt. Facit enim & dilucidam orationem, & illuſtrem, & probabilem, & ſuavem, non verbis, ſed varietate vocum, motu corporis, vultu, quæ plurimùm valebunt, ſi cum orationis genere conſentient, ejuſque vim, ac varietatem ſubſequentur. C. F. Num quidnam de oratore ipſo reſtat? C. P. Nihil ſanè, præter memoriam, [1] quæ eſt *gemina* litteraturæ quodammodo, & in diſſimili genere perſimilis. Nam ut illa conſtat ex notis litterarum, & ex eo, in quo imprimuntur illæ notæ: ſic confectio memoriæ, tanquam cera, locis utitur, & in his imagines: ut litteras, collocat.
C. F. QUONIAM igitur vis oratoris omnis expo- 8
ſita eſt, quid habes de orationis præceptis dicere? C. P. Quattuor eſſe ejus parteis: quarum prima, & poſtrema ad *motum animi* valet. is enim initiis eſt, & perorationibus concitandus. Secunda, narratio: & tertia, confirmatio, *fidem* facit orationi. Sed amplificatio quamquam habet proprium locum, ſæpe etiam primum, poſtremum quidem ferè ſemper, tamen reliquo in curſu orationis adhibenda eſt, maximeque cum aliquid aut confirmatum eſt, aut reprehenſum. Itaque ad fidem quoque vel plurimùm valet. Eſt enim *amplificatio*, vehemens quædam argumentatio, ut illa, docendi cauſa ſit: hæc, commovendi. C. F. Perge igitur ordine quatuor mihi iſtas parteis explicare. C. P. Faciam, & à principiis primùm ordiar. quæ quidem ducuntur aut ex perſonis, aut ex rebus ipſis. Sumuntur autem trium rerum gratia: ut amicè, ut intelligenter, ut attentè audiamur. Quorum primus locus eſt in *perſonis* noſtris, diſceptatorum, adverſariorum: è quibus initia benivolentiæ conciliandæ comparantur, aut meritis noſtris, aut dignitate, aut aliquo genere virtutis, & maximè liberalitatis, officii, juſtitiæ, fidei: contrariis rebus in adverſarios conferendis, & cum iis, qui diſceptant, aliqua conjunctionis aut cauſa, aut ſpe ſignificanda: &, ſi in nos aliquod odium, offenſiove collocata ſit, tollenda ea, minuendave, aut diluendo, aut extenuando, aut compenſando, aut deprecando. Intelligenter autem ut audiamur, & attentè, à rebus ipſis ordiendum eſt. Sed facillimè auditor diſcit, &, quid agatur, intelligit, ſi complectare à principio genus, naturamque cauſæ, ſi definias, ſi dividas, ſi neque prudentiam ejus impedias *confuſione partium*, nec memoriam multitudine: quæque mox de narratione dilucida dicentur, eadem etiam huc poterunt rectè referri. Ut attentè autem audiamur, trium rerum aliqua conſequemur. Nam aut magna quædam proponemus, aut neceſſaria, aut conjuncta cum ipſis, apud quos res agetur. Sit autem hoc etiam in præceptis, ut, ſi quando tempus ipſum, aut res, aut locus, aut interventus alicujus, aut interpellatio, aut ab adverſario dictum aliquod, & maximè in perorando, dederit occaſionem nobis aliquam, ut dicamus aliquid ad tempus aptè, ne derelinquamus: &, quæ ſuo loco de amplificatione dicemus, multa ex his poterunt ad
principiorum præcepta transferri. C. F. Quid? in narratio- 9
ne quæ tandem conſervanda ſunt? C. P. Quoniam narratio, eſt rerum explicatio, & quædam quaſi ſedes, ac fundamentum conſtituendæ fidei, ea ſunt in ea ſervanda maximè, quæ etiam in reliquis fere dicendi partibus: quæ partim ſunt neceſſaria, partim aſſumta ad ornandum. Nam ut dilucidè probabiliterque narremus, neceſſarium eſt: ſed aſſumimus etiam ſuavitatem. Ergo ad *dilucidè* narrandum eadem illa ſuperiora explicandi, & illuſtrandi præcepta repetemus, in quibus eſt brevitas: eaque ſæpiſſimè in narratione laudatur, de qua ſuprà dictum eſt. *Probabilis* autem erit: ſi perſonis, ſi temporibus, ſi locis ea, quæ narrabuntur, conſentient: ſi cujuſque facti, & eventi cauſa ponetur: ſi teſtata dici videbuntur: ſi cum hominum opinione, auctoritate, ſi cum lege, cum more, cum religione conjuncta: ſi probitas narrantis ſignificabitur, ſi antiquitas, ſi memoria, ſi orationis veritas, & vitæ fides. *Suavis* autem narratio eſt, quæ habet admirationes, exſpectationes, exitus inopinatos, interpoſitos motus animorum, colloquia perſonarum, dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates. Sed jam ad reliqua pergamus. C. F. Nempe ea ſequuntur, quæ ad faciendam fidem pertinent. C. P. Ita eſt: quæ quidem in confirmationem, & reprehenſionem dividuntur. Nam in confirmando, noſtra probare volumus: in reprehendendo, redarguere contraria. Quoniam igitur omne, quod in controver-

1. *Quæ eſt gemina literaturæ.*] Ita quoque Palatini, explicatque pluribus Franciſcus Juretus Animadverſionibus ad lib. 1. Epiſtolæ 25. Symmachi.

troverſiam venit, id aut ſit, necne ſit: aut quid ſit: aut quale ſit quæritur: in primo conjectura valet, in altero definitio,
10 in tertio ratio. C. F. Teneo iſtam diſtributionem. Nunc conjecturæ locos quæro. C. P. In veriſimilibus, & in propriis rerum notis poſita eſt tota. Sed appellemus docendi gratia *veriſimile*, quod plerumque ita fiat: ut adoleſcentiam procliviorem eſſe ad libidinem. Propriæ autem notæ argumentum, quod numquam aliter fit, certumque declarat, ut fumus ignem. Veriſimilia reperiuntur ex partibus, & quaſi membris narrationis. ea ſunt in perſonis, in locis, in temporibus, in factis, in eventis, in rerum ipſarum, negotiorumque naturis. In perſonis *naturæ* primùm ſpectantur, valitudinis, figuræ, virium, ætatis, marium, fœminarum: atque hæc quidem in corpore. Animi autem, aut quemadmodum affecti ſunt, virtutibus, vitiis, artibus, inertiis: aut quemadmodum commoti, cupiditate, metu, voluptate, moleſtia. Atque hæc quidem in natura ſpectantur. In *fortuna*, genus, amicitiæ, liberi, propinqui, affines, opes, honores, poteſtates, divitiæ, libertas, & ea, quæ ſunt iis contraria. In *locis* autem & illa naturalia, maritimi, an remoti à mari: plani, an montuoſi: leves, an aſperi: ſalubres, an peſtilentes: opaci, an aprici: & illa fortuita, culti, an inculti: celebres, an deſerti: coædificati, an vaſti: obſcuri, an rerum geſtarum veſtigiis nobilitati: conſecrati, an pro-
11 fani. In *temporibus* autem, præſentia, & præterita, & futura cernuntur. in his ipſis, vetuſta, recentia, inſtantia, paullo poſt, aut aliquando futura. Inſunt etiam in temporibus illa, quæ temporis quaſi naturam notant, ut hiems, ver, æſtas, autumnus: aut anni tempora, ut menſis, ut dies, ut nox, hora, tempeſtas, quæ ſunt naturalia. Fortuita autem, ſacrificia, feſti dies, nuptiæ. Jam *facta*, & *eventus*, aut conſilii ſunt, aut imprudentiæ: quæ eſt aut in caſu, aut in quadam animi permotione. Caſu, cùm aliter accidit, ac putatum ſit. Permotione, cùm aut oblivio, aut error, aut metus, aut aliqua cupiditatis cauſa permovit. Eſt etiam in imprudentia neceſſitas ponenda. *Rerum* autem bonarum, & malarum tria ſunt genera. nam aut in animis, aut in corporibus, aut extrà eſſe poſſunt. Hujus igitur materiæ ad argumentum ſubjectæ, perluſtrandæ animo partes erunt omnes, & ad id, quod agetur, ex ſingulis conjectura capienda. Eſt etiam genus argumentorum aliud, quod ex facti *veſtigiis* ſumitur, ut telum, cruor, clamor editus, titubatio, permutatio coloris, oratio inconſtans, tremor, & eorum aliquid, quod ſenſu percipi poſſit: etiam ſi præparatum aliquid, ſi communicatum cum aliquo, ſi poſtea viſum, auditum, indicatum. *Veriſimilia* autem partim ſingula movent ſuo pondere, partim, etiam ſi videntur eſſe exigua per ſe, multùm tamen cum ſunt coacervata, proficiunt. atque in his veriſimilibus inſunt nonnumquam etiam certæ rerum, & propriæ notæ. Maximam autem facit fidem ad ſimilitudinem veri, primùm, exemplum: deinde introducta rei ſimilitudo: fabula etiam nonnumquam, etſi ſit incredibilis, tamen homines commovet. C. F. Quid? definitionis quæ ratio
12 eſt, & quæ via? C. P. Non dubium eſt id quidem, quin definitio genere declaretur, & proprietate quadam, aut etiam communium frequentia, ex quibus proprium quid ſit, eluceat. Sed quoniam de *propriis* oritur plerumque magna diſſenſio, definiendum eſt ſæpe ex contrariis, ſæpe etiam ex diſſimilibus, ſæpe ex paribus. Quamobrem deſcriptiones quoque ſunt in hoc genere ſæpe aptæ, & enumeratio conſequentium, in primiſque commovet explicatio vocabuli, ac nominis. C. F. Sunt expoſita jam ferè ea, quæ de facto, quæque de facti appellatione quæruntur. Nempe igitur ea reſtant, quæ, cùm factum conſtet, & nomen, qualia ſint, vocatur in dubium. C. P. Eſt ita, ut dicis. C. F. Quæ ſunt igitur in eo genere partes? C. P. [1] Aut jure factum depellitur, aut ulciſcendi doloris gratia, aut pietatis, aut pudicitiæ, aut religionis, aut patriæ nomine, aut denique neceſſitate, inſcitia, caſu. Nam quæ motu animi, & perturbatione facta ſine ratione ſunt, ea *defenſionem* contra crimen, in legitimis judiciis non habent, in liberis diſceptationibus habere poſſunt. Hoc in genere, in quo, quale ſit, quæritur, ex controverſia, jure, & rectene actum ſit, quæri ſolet: quorum diſputatio ex locorum deſcriptione ſumenda eſt. C. F. Ageſis ergo, quoniam in confirmationem, & reprehenſionem diviſeras orationis fidem, & dictum de altero eſt: expone nunc de reprehendendo. C. P. Aut totum eſt negandum, quod in argumentatione adverſarius ſumſerit, ſi fictum, aut falſum eſſe poſſis docere; aut redarguenda ea, quæ pro veriſimilibus ſumta ſunt: Primùm dubia ſumta eſſe pro certis: Deinde etiam in perſpicuè falſis eadem poſſe dici: Tum ex iis, quæ ſumſerint, non effici, quæ velint. Accedere autem oportet ad ſingula. ſic *univerſa* frangentur. Commemoranda ſunt etiam exempla, quibus ſimili in diſputatione creditum non ſit: conquerenda *conditio communis periculi*, ſi ingeniis hominum crimino ſorum ſit expoſita vita innocentium. C. F. Quoniam unde inveniuntur quæ ad fidem per- 13
tinent, habeo, quemadmodum in dicendo ſingula tractentur, exſpecto. C. P. Argumentationem quærere videris, [2] quæ ſit argumenti explicatio: quæ ſumta ex iis locis, qui ſunt expoſiti, conficienda, & diſtinguenda dilucidè eſt. C. F. Planè iſtuc ipſum deſidero. C. P. Eſt ergo (ut ſuprà dictum eſt) explicatio argumenti, argumentatio: ſed ea conficitur, cùm ſumſeris aut non dubia, aut probabilia, ex quibus id efficias, quod aut dubium, aut minus probabile per ſe videtur. Argumentandi autem duo ſunt genera: quorum alterum ad fidem directò ſpectat: alterum ſe inflectit ad motum. Derigitur, cùm propoſuit aliquid, quod probaret, ſumſitque ea, quibus uteretur: atque his confirmatis, ad propoſitum retulit, atque concluſit. Illa autem altera argumentatio, quaſi retrò, & contrà prius ſumit quæ vult, eaque confirmat: deinde id, quod proponendum fuit, permotis animis jacit ad extremum. Eſt autem illa varietas in argumentando, & non injucunda diſtinctio: ut, cùm *interrogamus noſmetipſos*, aut percunctamur, aut imperamus, aut optamus, quæ ſunt cum aliis compluribus ſententiarum ornamenta. Vitare autem ſimilitudinem poterimus, non ſemper à propoſito ordientes: & ſi non omnia confirmando diſputabimus, breviterque interdum, quæ erunt ſatis aperta, ponemus: quodque ex his efficietur, ſi id apertum ſit, non habebimus neceſſe ſemper concludere. C. F. Quid? 14
illa, quæ ſine arte appellantur, quæ jamdudum *aſſumta* dixiſti, ecquonam modo, ecquonam loco artis indigent? C. P. Illa verò indigent: nec eò dicuntur ſine arte, quòd ita ſunt, ſed quòd ea non parit oratoris ars, ſed foris ad ſe delata, tamen arte tractat, & maximè in teſtibus. nam & de toto genere teſtium, quàm id ſit infirmum, ſæpe dicendum eſt: & argumenta, rerum eſſe propria: teſtimonia, voluntatum: utendumque eſt exemplis, quibus *teſtibus creditum non ſit*: & de ſingulis teſtibus, ſi natura vani, ſi leves, ſi cum ignominia, ſi ſpe, ſi metu, ſi iracundia, ſi miſericordia impulſi, ſi præmio, ſi gratia adducti: comparandique ſuperiore cum auctoritate teſtium, quibus tamen creditum non ſit. Sæpe etiam *quæſtionibus* reſiſtendum eſt, quòd & dolorem fugientes multi in tormentis ementiti perſæpe ſunt, morique maluerunt falſum fatendo, quàm infitiando, dolere. Multi etiam ſuam vitam neglexerunt, ut eos, qui his cariores, quàm ipſi ſibi eſſent, liberarent. Alii autem aut natura corporis, aut conſuetudine dolendi, aut metu ſupplicii, aut mortis, vim tormentorum pertulerunt. Alii ementiti ſunt in eos, quos oderant. Atque hæc exemplis firmanda ſunt. Neque eſt obſcurum, quin, ([3] quoniam in utramque

1. *Aut jure factum depellitur.*] Lambinus quidem intruſit, *defenditur.* ſed contra libros, in quibus alterum. Hittorp. tamen & Pal. pr. habent *depelletur.* alter *depellendi*: ut mihi veroſimile ſit totam eam vocem eſſe a manu ſcribarum, qui verbum aliquod heic requiri putabant; quod belle nihilominus ſubintelligatur.

2. *Quæ ſit argumenti explicatio.*] Sic Pal. pr. neque abit Hittorp. quàm quod is *ſint.* aliis erat *eſt.*

3. *Quoniam in utramque partem ſunt exempla.*] Volebat ita legi de conjectura Lambinus, quemadmodum expreſſe habet Pal. pr. & Hittorp.

3. Qui-

que partem ſunt exempla, & item ad conjecturam facien-
dam loci) in contrariis contraria ſint ſumenda. Atque etiam
incurrit alia quædam in teſtibus, & in quæſtionibus ratio.
Sæpe enim ea, quæ dicta ſunt, ſi aut ambiguè, aut incon-
ſtanter, aut incredibiliter dicta ſunt, aut etiam aliter ab alio
15 dicta, ſubtiliter reprehenduntur. C. F. Extrema tibi pars
reſtat orationis, quæ poſita in *perorando* eſt, de qua ſanè ve-
lim audire. C. P. Facilior eſt explicatio perorationis. nam
eſt diviſa in duas parteis, amplificationem, & enumeratio-
nem. Augendi autem & hic eſt proprius locus in peroran-
do: & in curſu ipſo orationis declinationes ad amplifican-
dum dantur, confirmata re aliqua, aut reprehenſa. Eſt igi-
tur amplificatio, gravior quædam affirmatio, quæ motu ani-
morum, conciliet in dicendo fidem. ea & verborum genere
conficitur, & rerum. *Verba* ponenda ſunt, quæ vim habeant
illuſtrandi, nec ab uſu ſint abhorrentia, gravia, plena, ſo-
nantia, juncta, facta, cognominata, non vulgata, ſuperlata,
in primiſque tranſlata, nec in ſingulis verbis, ſed in conti-
nentibus ſoluta, quæ dicuntur ſine conjunctione, ut plura
videantur. Augent etiam relata verba, iterata, duplicata, &
ea, quæ aſcendunt gradatim ab humilioribus verbis ad ſu-
periora, omninoque ſemper quaſi naturalis, & non expla-
nata oratio, ſed gravibus referta verbis, ad augendum ac-
commodatior. Hæc igitur in verbis: [1] quibus actio vocis,
vultus, & geſtus congruens, & apta ad animos permoven-
dos, accommodata eſt. Sed & in verbis, & in actione cauſa
erit tenenda, & pro re agenda. nam hæc, quia videntur per-
abſurda, cùm graviora ſunt, quàm cauſa fert; diligenter,
16 quid quemque deceat, judicandum eſt. *Rerum* amplificatio
ſumitur eiſdem ex locis omnibus, quibus illa, quæ dicta
ſunt ad fidem: maximeque definitiones valent congloba-
tæ, & conſequentium frequentatio, & contrariarum, & diſ-
ſimilium, & inter ſe pugnantium rerum conflictio: & cau-
ſæ, & ea, quæ ſunt de cauſis orta, maximeque ſimilitudines,
& exempla: fictæ etiam perſonæ: muta denique loquantur,
omninoque ea ſunt adhibenda, ſi cauſa patitur, quæ magna
habentur: quorum eſt duplex genus. Alia enim magna
natura videntur, alia uſu. *Natura*, ut cœleſtia, ut divina,
ut ea, quorum obſcuræ cauſæ, ut, in terris, mundoque ad-
mirabilia quæ ſunt: ex quibus, ſimilibuſque ſi attendas,
ad augendum permulta ſuppetunt. *Vſu*, quæ videntur ho-
minibus aut prodeſſe, aut obeſſe vehementius: quorum
ſunt genera ad amplificandum tria. Nam aut caritate
moventur homines; ut deorum, ut patriæ, ut parentum:
aut *amore*; ut fratrum, ut conjugum, ut liberorum, ut fa-
miliarium: aut *honeſtate*; ut virtutum, maximeque earum,
quæ ad communionem hominum, & liberalitatem valent.
Ex iis & cohortationes ſumuntur ad ea retinenda: & in eos,
à quibus ea violata ſunt, odia incitantur, & miſeratio na-
17 ſcitur. Proprius locus augendi in his rebus aut amiſſis, aut
amittendi periculo. NIHIL EST enim tam miſerabile,
quàm ex beato miſer. Et hoc totum quidem moveat, ſi bo-
na ex fortuna quis cadat: & à quorum caritate divellatur:
quæ amittat, aut amiſerit: in quibus malis ſit, futuruſve ſit,
exprimatur breviter. CITO ENIM areſcit lacryma, præ-
ſertim in alienis malis. nec quidquam in amplificatione ni-
mis enucleandum eſt. minuta eſt enim omnis diligentia.
hic autem locus grandia requirit. Illud jam eſt judicii, quo
quaque in cauſa genere utamur augendi. In illis enim cau-
ſis, quæ ad *delectationem* exornantur, ii loci tractandi ſunt,
qui movere poſſunt exſpectationem, admirationem, vo-
luptatem. In *cohortationibus* autem, bonorum, ac malo-
rum enumerationes, & exempla valent plurimum. In ju-
diciis accuſatori ferè, quæ ad iracundiam: reo plerumque,
quæ ad miſericordiam pertinent. Nonnumquam tamen
accuſator miſericordiam movere debet & defenſor iracun-
diam. *Enumeratio* reliqua eſt, nonnumquam laudatori, ſua-
ſori non ſæpe, accuſatori ſæpius, quàm reo, neceſſaria. Hu-
jus ipſa tempora duo ſunt, ſi aut memoriæ diffidas eorum,
apud quos agas, vel intervallo temporis, vel longitudine
orationis: aut frequentatis firmamentis orationis, & brevi-
ter expoſitis, vim eſt habitura cauſa majorem. Et reo ra-
riùs utendum eſt, quod ponenda ſunt contraria: quorum
[2] diſſolutio in brevitate latebit, aculei pungent. Sed erit in
enumeratione vitandum, ne *oſtentatio memoriæ* ſuſcepta,
videatur eſſe puerilis. id effugiet, qui non omnia minima
repetet, ſed brevia ſingula attingens, pondera rerum ipſa
comprehendet. C. F. QUONIAM & de ipſo oratore, & de 18
oratione dixiſti, expone eum mihi nunc, quem ex tribus
extremum propoſuiſti, quæſtionis locum. C. P. Duo ſunt,
ut initiò dixi, quæſtionum genera: quorum alterum fini-
tum temporibus [3] & perſonis, *cauſam* appello: Alterum
infinitum, nullis neque perſonis neque temporibus nota-
tum, quod *propoſitum* voco. [4] Sed eſt conſultatio quaſi pars
cauſæ quædam, & controverſiæ. ineſt enim infinitum in
definito, & ad illud tamen referuntur omnia. Quamobrem
priùs de propoſito dicamus: cujus genera ſunt duo: cogni-
tionis alterum: ejus ſcientia eſt finis, ut verine ſint ſenſus:
alterum actionis: quod refertur ad efficiendum quid, ut,
ſi quæratur, *quibus* officiis amicitia colenda ſit. Rur-
ſus ſuperioris genera ſunt tria: Sit, necne: quid ſit: quale
ſit. Sit, necne, ut, *jus in* natura ſit, an in more. Quid au-
tem ſit, *ſitne* jus, id, quod majori parti ſit utile. Quale au-
tem ſit, *juſtè* vivere, ſit, necne, utile. Actionis autem duo
ſunt genera. Unum, ad perſequendum aliquid, aut decli-
nandum: ut, *quibus rebus* adipiſci gloriam poſſis, aut quo-
modo invidia vitetur: Alterum, quod ad aliquod com-
modum, uſumque refertur: ut, *quemadmodum* ſit reſpub.
adminiſtranda, aut *quemadmodum* in paupertate vivendum.
Rurſus autem ex cognitionis conſultatione, ubi, ſit, nec-
ne ſit, aut fuerit, futurumve ſit, quæritur, unum genus eſt
quæſtionis poſſitne aliquid effici. ut, cùm quæritur, *ecquiſ-
nam* perfectè ſapiens eſſe poſſit: Alterum, quemadmodum
quidque fiat, ut, *quonam pacto* virtus pariatur, naturane,
an ratione, an uſu. Cujus generis ſunt omnes, in quibus,
ut in obſcuris, naturalibuſque quæſtionibus, cauſæ, ratio-
neſque rerum explicantur. Illius autem generis, in quo, 19
quid ſit id, de quo agitur, quæritur, duo ſunt genera: quo-
rum in altero diſputandum eſt, aliud, an idem ſit, ut *per-
tinacia* & perſeverantia: In altero autem, deſcriptio gene-
ris alicujus, & quaſi imago exprimenda eſt, ut, qualis ſit
avarus, aut quid ſit ſuperbia. Tertio autem in genere, in
quo, quale ſit, quæritur, aut de honeſtate, aut de utilitate,
aut de æquitate dicendum eſt. De honeſtate ſic: ut, *Hone-
ſtumne* ſit pro amico periculum, aut invidiam ſubire. De
utilitate autem ſic: ut, *Sitne utile*, in rep. adminiſtranda
verſari. De æquitate verò ſic: ut, *Sitne æquum*, amicos co-
gnatis anteferre. Atque in hoc eodem genere, in quo, qua-
le ſit, quæritur, exoritur aliud quoddam diſputandi genus.
Non enim ſimpliciter ſolùm quæritur, quid honeſtum ſit,
quid utile, quid æquum, ſed etiam ex comparatione, quid
honeſtius, quid utilius, quid æquius: atque etiam, quid
honeſtiſſimum, quid utiliſſimum, quid æquiſſimum: cu-
jus generis illa ſunt, *quæ præſtantiſſima* ſit dignitas vitæ. At-
que ea quidem, quæ dixi, cognitionis ſunt omnia. Reſtant
actionis: cujus alterum eſt præcipiendi genus, quod ad ra-
tionem

1. *Quibus actio vocis, vultus, & geſtus congruens, &c.*] Lambinus ait ſe repoſuiſſe libris volentibus, *voce, vultu & geſtu*. ſi verum dicit, non vitupero. at Pal. tamen pr. atque Hittorp. habent tantum, *vocis & geſtus congr.* alter Pal. *actio vultus & geſtus, &c.*

2. *Diſſolutio in brevitate latebit.*] Pall. uterque *lucebit*; ut item Hittorp. Lambinus ex ſcripto uno edidit, *non lucebit*. malim adhærere vulgato.

3. *Et perſonis cauſam appello.*] Sic Pal. quintus. nam pr. *& perſonis, controverſiam cauſam.* editio vetus, *& perſonis controverſam cauſam appello.*

4. *Sed eſt conſultatio quaſi pars cauſæ quædam & controverſiæ.*] Haud aliter Pal. pr. niſi quod deſtituatur illo &. verum enim vero quintus præfert: *Sed propoſitum, latior pars controverſiæ, quàm cauſæ.* quæ ſcriptura examinanda otioſioribus.

1. *Apto*

tionem officii pertinet: ut, *quemadmodum* colendi ſint pa-
rentes: Alterum autem ad ſedandos animos, & oratione
ſanandos, ut in conſolandis mœroribus, ut in iracundia
comprimenda, aut in timore tollendo, aut in cupiditate
minuenda. Cui quidem generi contrarium eſt diſputandi
genus ad eoſdem illos animi motus, quod in amplificanda
oratione ſæpe faciendum eſt, vel gignendos, vel concitan-
20 dos. Atque hæc ferè eſt partitio conſultationum. C.F. Co-
gnovi: ſed quæ ratio eſt in his inveniendi, & diſponendi,
requiro. C.P. Quid? tu aliamne cenſes, & non eandem
eſſe, quæ eſt expoſita, ut ex eiſdem locis ad fidem, & ad
inveniendum ducantur omnia? Collocandi autem quæ eſt
expoſita in aliis ratio, eadem huc transfertur. Cognita igi-
tur omni diſtributione propoſitarum conſultationum, cau-
ſarum genera reſtant omnino. Et earum quidem forma du-
plex eſt: quarum altera delectationem ſectatur aurium: al-
terius, ut obtineat, probet, & efficiat quod agit, omnis
eſt ſuſcepta contentio: Itaque illud ſuperius, *exornatio* di-
citur: quod cùm latum genus eſſe poteſt, ſaneque varium,
unum ex eo delegimus, quod ad laudandos claros viros ſu-
ſcepimus, & ad improbos vituperandos. Genus enim nul-
lum eſt orationis, quod aut uberius ad dicendum, aut uti-
lius civitatibus eſſe poſſit, aut in quo magis orator in cogni-
tione virtutum, vitiorumque verſetur. Reliquum autem
genus cauſarum, aut in proviſione poſteri temporis, aut in
præteriti diſceptatione verſatur: quorum alterum *delibera-
tionis* eſt, alterum *judicii*. ex qua partitione tria genera cau-
ſarum exſtiterunt: unum, quod à meliori parte, laudatio-
nis eſt appellatum: deliberationis alterum, tertium judi-
ciorum. Quamobrem de primo primùm, ſi placet, diſpu-
21 temus. C.F. Mihi verò placet. C.P. Ac laudandi, vitupe-
randique rationes, quæ non ad bene dicendum ſolùm, ſed
etiam ad honeſtè vivendum valent, exponam breviter, at-
que à principiis exordiar & laudandi, & vituperandi.
OMNIA enim ſunt profectò laudanda, quæ conjuncta cum
virtute ſunt: & quæ cum vitiis, vituperanda. Quamobrem
finis alterius eſt honeſtas, alterius turpitudo. Conficitur
autem genus hoc dictionis, narrandis, exponendiſque fa-
ctis, ſine ullis argumentationibus, ad animi motus leniter
tractandos magis, quàm ad fidem faciendam, aut confir-
mandam accommodate. Non enim dubia firmantur, ſed
ea, quæ certa, aut pro certis poſita ſunt, augentur. Quam-
obrem ex iis, quæ antè dicta ſunt: & narrandi, & augendi
præcepta repetentur. Et, quoniam in his cauſis omnis ra-
tio ferè ad voluptatem auditoris, & ad delectationem re-
fertur, utendum erit iis in oratione ſingulorum verborum
inſignibus, quæ habent plurimum ſuavitatis: id eſt, ut factis
verbis, aut vetuſtis, aut tranſlatis frequenter utamur, & in
ipſa conſtructione verborum, ut paria paribus, & ſimilia
ſimilibus ſæpe referantur: ut contraria, ut geminata, ut
circumſcripta numeroſè, non ad ſimilitudinem verſuum
ſed ad explendum aurium ſenſum, [1] apto quodam quaſi
verborum *modo*. Adhibendaque frequentius etiam illa or-
namenta rerum ſunt, ſive quæ admirabilia, & nec-opina-
ta, ſive ſignificata monſtris, prodigiis, & oraculis: ſive quæ
videbuntur ei, de quo agimus, accidiſſe divina, atque
fatalia. OMNIS enim exſpectatio ejus, qui audit, &
admiratio, & improviſi exitus, habent aliquam in audien-
22 do voluptatem. Sed quoniam in tribus generibus bona,
malave verſantur, externis, corporis, & animi; prima ſunt
externa, quæ ducuntur à genere: quo breviter, modiceque
laudato, aut, ſi erit infame, prætermiſſo: ſi humile, vel
præterito, vel ad augendam ejus, quem laudas, gloriam,
tacto: deinceps, ſi res patitur, de fortunis erit, & faculta-
tibus dicendum. poſtea de corporis bonis; in quibus qui-
dem, quæ virtutem maximè ſignificat, facillimè forma
laudatur. deinde eſt ad facta veniendum, quorum collocatio
triplex eſt. aut enim temporum ſervandus eſt ordo, aut in
primis recentiſſimum quodque dicendum, aut multa &
varia facta in propria virtutum genera ſunt dirigenda. Sed
hic locus virtutum, atque vitiorum latiſſimè patens, ex
multis & variis diſputationibus nunc in quandam angu-
ſtam, & brevem concludetur. Eſt igitur vis virtutis duplex.
aut enim ſcientia cernitur virtus, aut actione. Nam, quæ pru-
dentia, quæ calliditas, quæque graviſſimo nomine *ſapientia*
appellatur, hæc ſcientia pollet una. Quæ verò moderandis
cupiditatibus, regendiſque animi motibus laudatur, ejus eſt
munus in agendo: cui *temperantiæ* nomen eſt. Atque illa
prudentia in ſuis rebus, domeſtica: in publicis, civilis appel-
lari ſolet. Temperantia autem in ſuas itidem res, & in com-
muneis diſtributa eſt, duobuſque modis in rebus commodis
diſcernitur; & ea, quæ abſunt, non expetendo, & ab iis, quæ
in poteſtate ſunt, abſtinendo. In rebus autem incommodis
eſt itidem duplex. nam quæ venientibus malis obſtat, *for-
titudo*: quæ, quod jam adeſt, tolerat & perfert, *patientia*
nominatur. Quæ autem hæc uno genere complectitur, *ma-
gnitudo animi* dicitur: cujus eſt liberalitas in uſu pecuniæ:
ſimulque altitudo animi in capiendis incommodis, & ma-
ximè injuriis: & omne, quod eſt ejus generis, [2] grave, ſe-
datum, vel non turbulentum. In communione autem quæ
poſita pars eſt, *juſtitia* dicitur, eaque erga deos, religio, er-
ga parenteis, pietas, vulgò autem bonitas: creditis in rebus
fides, in moderatione animadvertendi lenitas, amicitia in
benivolentia nominatur. Atque hæ quidem virtutes cer- 23
nuntur in agendo. Sunt autem aliæ quaſi miniſtræ, comi-
teſque ſapientiæ: quarum altera, quæ ſint in diſputando
vera, atque falſa, quibuſque poſitis quid ſequatur, diſtin-
guit & judicat: quæ virtus omnis in ratione, ſcientiaque
diſputandi ſita eſt; altera autem oratoria. nihil enim eſt
aliud *eloquentia*, niſi copioſè loquens ſapientia: quæ ex eo-
dem hauſta genere, quo illa, quæ in diſputando, uberior
eſt, atque latior, & ad motus animorum, vulgique ſenſus
accommodatior. Cuſtos verò virtutum omnium, dedecus
fugiens, laudemque maximè conſequens, *verecundia* eſt.
Atque hi ſunt quidem fere quaſi quidam habitus animi, ſic
affecti, & conſtituti, ut ſint ſinguli inter ſe proprio vir-
tutis genere diſtincti: à quibus ut quæque res geſta eſt, ita
ſit honeſta neceſſe eſt, ſummeque laudabilis. Sunt autem
alii quidam perfecti animi habitus ad virtutem quaſi præ-
culti, & præparati rectis ſtudiis, & artibus; ut in ſuis
rebus, ſtudia litterarum, ut numerorum, ac ſonorum,
ut menſuræ, ut ſiderum, ut equorum, ut venandi, ut
armorum. in communibus, propenſiora ſtudia in aliquo
genere virtutis præcipuè colendo, aut divinis rebus
deſerviendo, aut parentibus, amicis, hoſpitibus, præ-
cipuè, atque inſigniter diligendis. Atque hæc quidem
virtutum: vitiorum autem ſunt genera contraria. Cernen-
da autem ſunt diligenter, ne *fallant* ea nos vitia, quæ vir-
tutem videntur imitari. nam & prudentiam malitia, & tem-
perantiam immanitas in voluptatibus aſpernandis, & ma-
gnitudinem animi ſuperbia in animis extollendis, & deſpi-
cientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effu-
ſio, & fortitudinem audacia imitatur, & patientiam duritia
immanis, & juſtitiam acerbitas, & religionem ſuperſtitio,
& lenitatem mollitia animi, & verecundiam timiditas, &
illam diſputandi prudentiam concertatio, captatioque ver-
borum, & hanc oratoriam vim inanis quædam profluentia
loquendi. Studiis autem bonis ſimilia videntur ea, quæ ſunt
in eodem genere *nimia*. Quamobrem omnis vis laudandi,
vituperandique ex his ſumetur virtutum, vitiorumque par-
tibus:

1. *Apto quodam quaſi verborum modo.*] Lambinus jactat ſe in *nodo ſuo*. ego retineo cum libris illud *modo*; in quo etiam ſua eſt ſimilitudo.

2. *Grave, ſedatum, vel non turbulentum.*] Eſt à Pal. prim. & ita fuiſſe in aliis item ſcriptis, inde colligas, quod illud *vel non turbulentum* abſit quinto. arbitrabantur nimirum ſcribæ fuiſſe notam variæ lectionis; cum tamen innueret, altitudinem animi verſari circa res graves ſedataſque, vel certe extra turbulentiam. Hittorp. habebat *grave, ſedatum, non turbulentum*, ut edidit Lambinus. nam retro cuſi *grave, inſedatum & turbulentum*.

1. *Alte-*

tibus: ſed in toto quaſi contextu orationis hæc erunt illuſtranda maximè, quemadmodum quiſque generatus, quemadmodum educatus, quemadmodum inſtitutus, moratuſque fuerit: &, ſi quid cui magnum, aut incredibile acciderit, maximeque ſi id *divinitus* accidiſſe potuerit videri: tum quod quiſque ſenſerit, dixerit, geſſerit, ad ea, quæ propoſita ſunt, virtutum genera accommodabuntur, ex illiſque iiſdem inveniendi locis cauſæ rerum, & eventus, & conſequentia requirentur. Neque verò *mors* eorum, quorum vita laudabitur, ſilentio præteriri debebit, ſi modò quid erit animadvertendum aut in ipſo genere mortis, aut in iis re-
24 bus, quæ poſt mortem erunt conſecutæ. C. F. Accepi iſta, didicique breviter, non ſolùm quemadmodum laudarem alterum, ſed etiam quemadmodum eniterer, ut poſſem ipſe jure laudari. Videamus igitur deinceps, in ſententia dicenda quam viam, & quæ præcepta teneamus. C. P. Eſt igitur in deliberando finis *utilitas*, ad quem omnia ita referuntur in conſilio dando, ſententiaque dicenda, ut illa prima ſint ſuaſori, aut diſſuaſori videnda, quid aut poſſit fieri, aut non poſſit, & quid aut neceſſe ſit, aut non neceſſe. Nam &, ſi quid effici non poteſt, deliberatio tollitur, quamvis utile ſit: &, ſi quid neceſſe eſt, (NECESSE autem id eſt, ſine quo ſalvi, liberive eſſe non poſſumus,) id eſt reliquis & honeſtatibus in civili ratione, & commodis anteponendum. Cùm autem quæritur, quid fieri poſſit, videndum etiam eſt, *quàm facilè* poſſit. nam quæ perdifficilia ſunt, perinde habenda ſæpe ſunt, ac ſi effici non poſſint. Et cùm de neceſſitate attendemus, etſi aliquid non neceſſarium videbitur, videndum tamen erit, quàm ſit magnum. QUOD enim permagni intereſt, pro neceſſario ſæpe habetur. Itaque cùm conſtet hoc genus cauſarum ex ſuaſione & diſſuaſione; ſuaſori proponitur ſimplex ratio: ſi & utile eſt, & fieri poteſt, fiat. Diſſuaſori duplex: una, ſi non utile eſt, ne fiat: altera, ſi fieri non poteſt, nec ſuſcipiatur. Sic ſuaſori utrumque docendum eſt, diſſuaſori alterum infirmare ſat eſt. Quare quoniam in his verſatur omne conſilium duobus, de utilitate antè dicamus, quæ in diſcernendis bonis, maliſque verſatur. *Bonorum* autem partim neceſſaria ſunt, ut vita, pudicitia, libertas, ut liberi, conjuges, germani, parentes: partim non neceſſaria: quorum alia ſunt per ſe expetenda, ut ea, quæ ſita ſunt in officiis, atque virtutibus: alia quòd aliquid commodi efficiunt, ut opes & copiæ. Eorum autem, quæ *propter ſe* expetuntur, partim honeſtate ipſa, partim commoditate aliqua expetuntur. Honeſtate, ea, quæ proficiſcuntur ab iis virtutibus, de quibus paullò antè eſt dictum: quæ ſunt laudabilia ipſa per ſe: Commoditate autem aliqua, quæ ſunt in corporis, aut fortunæ bonis expetenda. quorum alia ſunt quaſi quodammodo cum honeſtate conjuncta, ut honos, ut gloria: alia diverſa, ut vires, forma,
25 valetudo, nobilitas, divitiæ, clientelæ. Eſt etiam quaſi quædam materies ſubjecta honeſtati: quæ maximè ſpectatur in amicitiis. amicitiæ autem, caritate, & amore cernuntur. nam cùm deorum, tum parentum, patriæque cultus, eorumque hominum, qui aut ſapientia, aut opibus excellunt, ad caritatem referri ſolet. Conjuges autem, & liberi, & fratres, & alii, quos uſus, familiaritaſque conjunxit, quamquam etiam caritate ipſa, tamen amore maximè continentur. In his igitur rebus cùm bona ſint, facile eſt intellectu, quæ ſint contraria. Quòd ſi ſemper optima tenere poſſemus, haud ſanè, quoniam quidem ea perſpicua ſunt, conſilio multùm egeremus. Sed quia TEMPORIBUS, quæ vim habent maximam, perſæpe evenit, ut utilitas cum honeſtate certet, earumque rerum contentio plerumque deliberationes efficit: ne aut opportuna propter dignitatem, aut honeſta propter utilitatem relinquantur, ad hanc difficultatem explicandam præcepta referamus. Et quoniam non ad veritatem ſolùm, ſed etiam *ad opiniones* eorum, qui audiunt, accommodanda eſt oratio: hoc primùm intelligamus, hominum duo eſſe genera: alterum indoctum, & agreſte, quod anteferat ſemper utilitatem honeſtati: [1] alterum humanum & politum, quod rebus omnibus dignitatem anteponat. Itaque huic generi laus, honor, gloria, fides, juſtitia, omniſque virtus: illi autem alteri, quæſtus, emolumentum, fructuſque proponitur: atque etiam voluptas, quæ maximè eſt *inimica virtuti*, bonique naturam fallaciter imitando adulterat: quam immaniſſimus quiſque acerrimè ſequitur, neque ſolùm honeſtis rebus, ſed etiam neceſſariis anteponit. In ſuadendo, cùm ei generi hominum con- 26
ſilium des, ſæpe ſanè laudanda eſt: & illud videndum, QUANTO MAGIS homines mala fugiant, quam ſequantur bona. nam neque honeſta tam expetunt, quàm devitant turpia. Quis enim honorem, quis gloriam, quis laudem, quis ullum decus tam umquam expetat, [2] quàm ut ignominiam, infamiam, contumeliam, dedecus fugiat? quarum rerum dolor gravis eſt. Eſt genus hominum ad honeſtatem natum, malo cultu, praviſque opinionibus corruptum. quare in cohortando, atque ſuadendo propoſitum quidem nobis erit illud, ut doceamus, [3] qua vi, bona conſequi, malaque vitare poſſimus. Sed apud homines *bene inſtitutos* plurimùm de laude, & de honeſtate dicemus: maximeque ea virtutum genera tractabimus, quæ in communi hominum utilitate tuenda, augendaque verſantur. Sin apud *indoctos* imperitoſque dicemus: fructus, emolumenta, voluptates, vitationeſque dolorum proferantur: addantur etiam contumeliæ, atque ignominiæ. NEMO enim eſt tam agreſtis, quem non, ſi ipſa minus honeſtas, contumelia tamen, & dedecus magnopere moveat. Quare quod ad utilitatem ſpectat, ex iis, quæ dicta ſunt, reperietur. Quod autem poſſit effici, necne poſſit, in quo etiam, quàm *facilè* poſſit, quamque *expediat*, quæri ſolet, maximè ex cauſis iis, quæ quamque rem efficiant, eſt videndum. Cauſarum autem genera ſunt plura. Nam ſunt aliæ, quæ ipſæ conficiunt; aliæ, quæ vim aliquam ad conficiendum afferunt. Itaque illæ ſuperiores, conficientes vocentur: hæ reliquæ ponantur in eo genere, ut ſine his confici non poſſit. Conficiens autem cauſa alia eſt abſoluta, & perfecta per ſe: alia aliquid adjuvans, & efficiendi ſocia quædam: cujus generis vis varia eſt, & ſæpe aut major, aut minor, ut & illa, quæ maximam vim habet, ſola ſæpe cauſa dicatur. Sunt autem aliæ cauſæ, quæ aut propter principium, aut propter exitum, conficientes vocantur. Cùm autem quæritur, quid ſit *optimum factu*: aut utilitas, aut ſpes efficiendi ad aſſentiendum impellit animos. Et, quoniam de utilitate jam di- 27
ximus, de efficiendi ratione dicamus. Quo toto genere, quibuſcum, & contra quos, quo tempore, aut quo loco, aut quibus facultatibus armorum, pecuniæ, ſociorum, earumve rerum, quæ ad quamque rem efficiendam pertinent, poſſimus uti, requirendum eſt. Neque ſolùm ea ſunt, quæ nobis ſuppetunt, ſed etiam illa, quæ adverſantur, videnda. Et, ſi ex contentione procliviora erunt noſtra: non ſolum effici poſſe quæ ſuademus, erit perſuadendum: ſed curandum etiam, ut illa, *facilia*, *proclivia*, *jucunda* videantur. Diſſuadentibus autem, aut utilitas labefactanda eſt, aut efficiendi difficultates efferendæ, neque aliis ex præceptis, ſed iiſdem ex ſuaſionis locis. Uterque verò ad augendum habeat *exemplorum* aut recentium, quo notiora ſint, aut veterum, quo plus auctoritatis habeant, copiam. Maximeque ſit in hoc genere meditatus, ut poſſit vel utilia, ac neceſſaria ſæpe honeſtis, vel hæc illis anteferre. Ad commovendos autem animos maximè proficient, ſi incitandi erunt, hujuſmodi

1. *Alterum humanum & politum.*] Haud aliter Pal. quintus; non longè aliter quam quod è ſuis Lambinus, *& expolitum*. retro impreſſi tantum, *alterum expolitum*: quomodo tamen Palat. prim. & Hittorp.

2. *Quàm ut ignominiam, &c.*] Lambinus abjecit *ut*, idemque facere voluit Gulielmius, fide Hittorpiani, & vero abeſt item Pal. quinto, ſed tamen is præterea excluſerat *tam*, quod proxime præceſſit. & neſcio quam hæc bellè mihi quadrare videatur utrumque.

3. *Qua vi bona conſequi.*] Lambinus e ſuis repoſuit *evadat* Pal. pr. tantum habet, *qua bona conſ.* quint. *qua re bona, &c.*

juſmodi *ſententia*, quæ aut ad explendas cupiditates, aut odium ſatiandum, aut ad ulciſcendas injurias pertinebunt. Sin autem reprimendi: de incerto ſtatu fortunæ, dubiiſque eventis rerum futurarum, & retinendis ſuis fortunis, ſi erunt ſecundæ: ſin autem adverſæ, de periculo, commonendi. Atque hi quidem ſunt perorationis loci. Principia autem in ſententiis dicendis brevia eſſe debebunt. non enim ſupplex, ut ad judicem, venit orator, ſed hortator, atque auctor. Quare proponere, qua mente dicat, quid velit, quibus de rebus dicturus ſit, debet, hortarique ad ſe breviter dicentem audiendum. Tota autem oratio, ſimplex, & gravis, & ſententiis debet ornatior eſſe, quàm verbis.

28 C. F. Cognovi jam laudationis, & ſuaſionis locos. nunc, quæ judiciis accommodata ſint, exſpecto: idque nobis genus reſtare unum puto. C. P. Recte intelligis: atque ejus quidem generis finis eſt, æquitas: quæ non ſimpliciter ſpectatur, ſed ex comparatione nonnumquam: ut, cùm de veriſſimo accuſatore diſputatur, aut cùm hereditatis ſine lege, aut ſine teſtamento petitur poſſeſſio: in quibus cauſis quid *æquius*, æquiſſimumve ſit, quæritur: quas ad cauſas facultas petitur argumentationum ex iis, de quibus mox dicetur, æquitatis locis. Atque etiam ante judicium de conſtituendo ipſo judicio ſolet eſſe contentio, cùm aut, ſitne actio illi, qui agit, aut jamne ſit, aut num jam eſſe deſierit, aut illane lege, hiſne verbis ſit actio, quæritur: quæ etiam ſi antè, quàm res in judicium venit, aut concertata, aut dijudicata, [1] aut confecta non ſunt: tamen in ipſis judiciis permagnum ſæpe habent pondus, cùm ita dicitur: *Plus petiſti:* ſerò petiſti: non fuit tua petitio: [2] non à me, non hac lege, non his verbis, non hoc judicio. Quarum cauſarum genus eſt poſitum in jure civili: quod eſt in privatarum, ac publicarum rerum lege, aut more poſitum: cujus ſcientia neglecta ab oratoribus pleriſque, nobis ad dicendum neceſſaria videtur. Quare de conſtituendis actionibus, accipiendis, ſubeundiſque judiciis, de excipienda iniquitate actionis, de comparanda æquitate, quòd ea ferè generis ejus ſunt, ut, quamquam in ipſum judicium ſæpe dilabantur, tamen antè judicium tractanda videantur, paululum ea ſeparo à judiciis, tempore magis agendi quàm diſſimilitudine generis. Nam omnia, quæ de jure civili, aut de æquo, & bono diſceptantur, cadunt in eam formam, in qua, quale quid ſit, ambigitur, de qua dicturi ſumus: quæ *in æquitate, & jure*

29 maximè conſiſtit. In omnibus igitur cauſis tres ſunt gradus, ex quibus unus aliquis capiendus eſt, ſi plureis non queas, ad reſiſtendum. Nam aut ita conſiſtendum eſt, ut, quod objicitur, *factum neges:* aut illud, quod factum fateare, neges eam vim habere, atque id eſſe, quod adverſarius criminetur. aut, ſi neque de facto, neque de facti appellatione ambigi poteſt, id, quod arguère, neges tale eſſe, quale ille dicat: & rectum eſſe quod feceris, concedendumve, defendas. Ita primus ille ſtatus, & quaſi conflictio cum adverſario, conjectura quadam: ſecundus autem definitione, atque deſcriptione, aut informatione verbi: tertius æqui, & veri, & recti, & humani ad ignoſcendum diſputatione tractandus eſt. Et quoniam ſemper is, qui defendit, non ſolùm reſiſtat oportet, aliquo ſtatu, aut infitiando, aut definiendo, aut æquitate opponenda: ſed etiam *rationem ſubjiciat* recuſationis ſuæ: primus ille ſtatus rationem habet iniqui criminis, ipſam negationem, infitiationemque facti: ſecundus, quod non ſit in re, quod ab adverſario ponitur in verbo: tertius, quòd id recte factum eſſe defendat, quod ſine ulla nominis controverſia factum fatetur. Deinde unicuique rationi opponendum eſt, ab accuſatore id, quod ſi non eſſet in accuſatione, cauſa omnino eſſe non poſſet. Itaque ea, quæ ſic referuntur, continentia cauſarum vocentur: quamquam non ea magis, quæ contra rationem defenſionis afferuntur, quàm ipſæ defenſionis rationes, continent cauſas. ſed diſtinguendi gratia *rationem* appellamus eam, quæ affertur à reo ad recuſandum, depellendi criminis cauſa: quæ niſi eſſet, quid defenderet, non haberet: *firmamentum* autem, quod contrà ad labefactandam rationem refertur, ſine quo accuſatio ſtare non poteſt. Ex rationis autem, & 30
ex firmamenti conflictione, & quaſi concurſu, quæſtio exoritur quædam, quam *diſceptationem* voco: in qua, quid deveniat in judicium, & de quo diſceptetur, quæri ſolet. nam prima adverſariorum contentio diffuſam habet quæſtionem, ut in conjectura, *Ceperitne* pecunias Decius. In definitione, *minueritne* majeſtatem Norbanus. In æquitate: *Jurene* occiderit Opimius Gracchum. Hæc, quæ primam contentionem habent ex arguendo, & reſiſtendo: lata, ut dixi, & confuſa ſunt. Rationum, & firmamentorum contentio adducit in anguſtum diſceptationem. ea in conjectura nulla eſt. NEMO enim ejus, quod negat factum, rationem aut poteſt, aut debet, aut ſolet reddere. Itaque in his cauſis eadem & prima quæſtio, & diſceptatio eſt extrema. In illis autem, ubi ita dicitur, *Non minuit* majeſtatem, quòd egit de Cæpione turbulentius. populi enim Romani dolor juſtus vim illam excitavit, non tribuni actio. Majeſtas autem, quoniam eſt magnitudo quædam populi Romani in ejus poteſtate, ac jure retinendo, aucta eſt potius, quàm diminuta: & ubi ita refertur, *Majeſtas* eſt imperii, atque in omni populi Romani dignitate, quam minuit is, qui per vim multitudinis rem ad ſeditionem vocavit: exſiſtit illa diſceptatio, Minueritne majeſtatem, qui voluntate populi Romani rem gratam, & æquam per vim egerit. In his autem cauſis, ubi aliquid rectè factum, aut concedendum, eſſe factum defenditur, cùm eſt facti ſubjecta ratio, ſicut ab Opimio, *Jure feci*, ſalutis omnium, & conſervandæ reipubl. cauſa: relatumque eſt ab Decio, *Ne ſceleratiſſimum* quidem civem ſine judicio jure ullo necare potuiſti: oritur illa diſceptatio, Potueritne rectè, ſalutis reipublicæ cauſa, civem, everſorem civitatis, indemnatum necare. Ita diſceptationes eæ, quæ in his controverſiis oriuntur, quæ ſunt certis perſonis, & temporibus notatæ, fiunt rurſus infinitæ, detractiſque temporibus, & perſonis, rurſum ad conſultationis formam rationemque revocantur.
Sed in graviſſimis firmamentis, etiam illa ponenda ſunt, 31
ſiqua ex ſcripto legis, aut teſtamenti, aut verborum ipſius judicii, aut alicujus ſtipulationis, aut cautionis opponuntur defenſioni contraria. Ac ne hoc quidem genus in eas cauſas incurrit, quæ conjectura continentur. quod enim factum negatur, id argui non poteſt ſcripto. Ne in definitionem quidem [3] venit, genere ſcripti ipſius. Nam etiam ſi verbum aliquod de ſcripto definiendum eſt, quam vim habeat: ut, cùm ex teſtamentis quid ſit *penus*, aut cùm ex lege prædii quæritur, quæ ſunt *ruta cæſa:* non ſcripti genus, ſed verbi interpretatio controverſiam parit. Cùm autem plura ſignificantur ſcripto, propter verbi, aut verborum ambiguitatem, ut liceat ei, qui contrà dicat, eò trahere ſignificationem ſcripti, quò expediat, aut velit: aut, etiam ſi ambiguè ſcriptum non ſit, vel à verbis voluntatem & ſententiam ſcriptoris abducere, vel alio ſe, eadem de re contrariè ſcripto defendere: tum diſceptatio ex ſcripti contentione exſiſtit, ut in ambiguis diſceptetur, quid maximè ſignificetur: in ſcripti, ſententiæque contentione, utrum potiùs ſequatur judex: in contrariis ſcriptis, utrum magis ſit comprobandum. Diſceptatio autem cùm eſt conſtituta, propoſita eſſe debet oratori, quò omnes argumentationes repetitæ ex inveniendis locis conjiciantur. Quod quamquam ſatis eſt ei, qui videt, quid in quoque loco lateat, quique illos locos, tamquam *theſauros* aliquos argumentorum, notatos habet: tamen ea, quæ ſunt certarum cauſarum propria, tangemus.

In

1. *Aut confecta non ſunt.*] Excluſit *non* Lambinus ſuaſu Hotomanni, negatque exſtare in libris ſcriptis. at reperi in meis: neque ſcio an accedere debeam rationibus Hotomanni.

2. *Non à me, non hac lege.*] Lambinus addit trium mſſ. auctoritate, *me petere debuiſti, non hac lege.* at nihil adjectum Palat.

3. *Venit, genere ſcripti ipſius.*] Mendoſum iſtud aſſerit Lambinus, ſubſtituitque *genus*; ſed præter mſſ. noſtros.

Quo-

32 In conjectura igitur cùm eſt in infitiando reus, accuſatori hæc duo prima ſunt, (ſed *accuſatorem* pro omni actore, & petitore appello: poſſunt enim etiam ſine accuſatore in cauſis hæc eadem controverſiarum genera verſari,) ſed hæc duo ſunt ei prima, cauſa, & eventus. Cauſam appello, rationem efficiendi: eventum, id, quod eſt effectum. Atque ipſa quidem partitio cauſarum paullo antè in ſuaſionis locis diſtributa eſt. Quæ enim in conſilio capiendo futuri temporis præcipiebantur, quamobrem aut utilitatem viderentur habitura, aut efficiendi facultatem, eadem, qui de facto argumentabitur, colligere debebit, quamobrem & utilia illi, quem arguet, fuiſſe, & ab eo effici potuiſſe demonſtret. *Utilitatis* conjectura movetur, ſi illud, quod arguitur, aut ſpe bonorum, aut malorum metu feciſſe dicitur: quod fit acrius, quo illa in utroque genere majora ponuntur. Spectantur etiam ad cauſam facti, *motus animorum*, ſi ira recens, ſi odium vetus, ſi ulciſcendi ſtudium, ſi injuriæ dolor: ſi honoris, ſi gloriæ, ſi imperii, ſi pecuniæ cupiditas: ſi periculi timor, ſi æs alienum, ſi anguſtiæ rei familiaris: ſi audax, ſi levis, ſi crudelis, ſi impotens, ſi incautus, ſi inſipiens, ſi amans, ſi commota mente, ſi vinolentus, ſi cum ſpe efficiendi, ſi cum opinione celandi: aut, ſi patefactum eſſet, depellendi criminis, vel perrumpendi periculi, vel in longinquum tempus differendi: aut ſi judicii pœna levior, quàm facti præmium: aut ſi facinoris voluptas major, quàm damnationis dolor. His ferè rebus facti ſuſpicio confirmatur, cùm & *voluntatis* in reo cauſæ reperiuntur, & *facultas*. In voluntate autem utilitas ex adeptione alicujus commodi, vitationeque alicujus incommodi quæritur, ut aut ſpes, aut metus impuliſſe videatur, aut alius repentinus animi motus, qui etiam citiùs in fraudem, quàm ratio utilitatis, impellit. quamobrem ſint hæc dicta de cauſis. C. F. Teneo, & quæro, qui ſint illi even-

33 tus, quos ex cauſis effici dixiſti. C. P. Conſequentia quædam ſigna præteriti, & quaſi impreſſa facti veſtigia: quæ quidem vel maximè ſuſpicionem movent, & quaſi tacita ſunt criminum teſtimonia. atque hoc quidem graviora, quòd cauſæ communiter videntur inſimulare & arguere omneis poſſe, [1] quorum modò interfuerit aliquid: hæc propriè attingunt eos ipſos, qui arguuntur, ut telum, ut *veſtigium*, ut cruor, ut deprehenſum aliquid, quod ablatum, ereptumve videatur, ut reſponſum inconſtanter, ut hæſitatum, ut titubatum, ut cum aliquo viſus, ex quo ſuſpicio oriatur, ut eo ipſo in loco viſus, in quo facinus, ut pallor, ut tremor, ut ſcriptum, aut obſignatum, aut depoſitum quippiam. Hæc enim, & talia ſunt, quæ aut re ipſa, aut etiam antè quam factum eſt, aut poſtea, ſuſpicioſum crimen efficiant. Quæ ſi non erunt, tamen cauſis ipſis, & efficiendi facultatibus niti oportebit adjuncta illa diſputatione communi. *non fuiſſe* illum tam amentem, ut indicia facti aut effugere, aut occultare non poſſet: ut ita apertus eſſet, ut locum crimini relinqueret. Communis ille contra locus AUDACIAM temeritati, non prudentiæ eſſe conjunctam. Sequitur autem ille locus ad augendum, non eſſe exſpectandum, dum fateatur: argumentis peccata convin-

34 ci: & hìc etiam exempla ponuntur. Atque hæc quidem de argumentis. Sin autem erit etiam teſtium facultas: primum genus erit ipſum laudandum, dicendumque, *ne argumentis* teneretur reus, ipſum ſua cautione & feciſſe, teſteis effugere non potuiſſe. deinde ſinguli laudentur. Quæ autem eſſent laudabilia, dictum eſt. [2] Deinde etiam argumento firmo, quia tamen ſæpe falſum eſt, *poſſe rectè* non credi: viro bono & firmo, ſine vitio judicis, non poſſe non credi. Atque etiam, ſi obſcuri teſtes erunt, aut tenues: dicendum erit, NON ESSE ex fortuna fidem ponderandam, aut eos eſſe cujuſque locupletiſſimos teſteis, qui id, de quo agatur, faciilimè ſcire poſſint. Sin quæſtiones habitæ, [3] aut poſtulatio ut habeantur, cauſam adjuvabunt: confirmandum genus primum quæſtionum erit: dicendum de *vi doloris*, de opinione majorum, qui eam rem totam, niſi probaſſent, certe repudiaſſent. de inſtitutis Athenienſium, Rhodiorum, doctiſſimorum hominum, apud quos etiam (id quod acerbiſſimum eſt) liberi, civeſque torquentur. de noſtrorum etiam prudentiſſimorum hominum inſtitutis, qui cùm de ſervis in dominos quæri noluiſſent, de *inceſtu* tamen & conjuratione, quæ facta me conſule eſt, quærendum putaverunt. Irridenda etiam diſputatio eſt, qua ſolent uti ad infirmandas quæſtiones, & meditata, puerilisque dicenda. tum facienda fides, diligenter eſſe, & ſine cupiditate quæſitum: dictaque quæſtionis, argumentis, & conjectura ponderanda. Atque hæc accuſationis ferè membra ſunt. Defenſionis autem primùm 35

infirmatio cauſarum; *aut non* fuiſſe, aut non tantas, aut non ſibi ſoli, aut commodius potuiſſe idem conſequi; aut non iis ſe eſſe moribus, non ea vita; aut nullos animi motus, aut non tam impotenteis fuiſſe. Facultatem autem infirmatione utetur, ſi aut *vireis*, aut animum, aut copias, aut opes abfuiſſe demonſtrabit: aut alienum tempus, aut locum non idoneum, aut multos arbitros, quorum crederet nemini: aut non ſe tam ineptum, ut id ſuſciperet, quod occultare non poſſet, neq; tam amentem, ut pœnas, ac judicia contemneret. Conſequentia autem diluet exponendo *non eſſe* illa certa indicia facti, quæ etiam nullo admiſſo conſequi poſſent: conſiſtetque in ſingulis: & ea, aut eorum, quæ ipſe facta eſſe dicet, propria eſſe defendet potiùs, quàm criminis: aut ſi ſibi cum accuſatore communia eſſent, *pro periculo* potiùs, quàm contra ſalutem valere debere: teſtiumque, [4] & quæſtionum genus univerſum, & quod poterit, in ſingulis, ex reprehenſionis locis, de quibus antè dictum eſt, refellet. Harum cauſarum principia, ſuſpicioſa ad acerbitatem ab accuſatore ponentur: denunciabiturque inſidiarum commune periculum, excitabunturque animi, ut attendant. A reo autem, querela conflati criminis, collectarumque ſuſpicionum, & accuſatoris inſidiæ, & item commune periculum proferetur, animique ad miſericordiam allicientur, & modicè benivolentia judicum colligetur. Narratio autem accuſatoris, erit quaſi membratim geſti negotii ſuſpicioſa explicatio, ſparſis omnibus argumentis, *obſcuratis defenſionibus*. Defenſori, aut præteritis, aut obſcuratis ſuſpicionum argumentis, rerum ipſarum eventus erunt, caſuſque narrandi. In confirmandis autem noſtris argumentationibus, infirmandiſque contrariis, ſæpe erunt accuſatori motus animorum incitandi, reo mitigandi. Atque hæc quidem utrique maximè in peroratione facienda: alteri frequentatione argumentorum, & coacervatione univerſa: alteri, ſi planè cauſam redarguendo explicarit, enumeratione, ut quidque diluerit, & miſeratione

ad extremum. C. F. Scire mihi jam videor, quemadmodum conjectura tractanda ſit. Nunc de definitione audiamus. C. P. Communia dantur in iſto genere accuſatori, defenſorique præcepta. Uter enim definiendo, deſcribendoque verbo magis ad ſenſum judicis, opinionemque penetrarit, & uter ad communem verbi vim, & ad eam præceptionem, quam inchoatam habebunt in animis ii, qui audient, magis & propius acceſſerit, is vincat neceſſe eſt. Non enim argumentando hoc genus tractatur, ſed tanquam explicando excutiendoque verbo: ut, *ſi in reo* pecunia abſoluto, rurſuſque revocato, prævaricationem accuſator eſſe definiat, omnem judicii corruptelam ab reo: defenſor autem, non omnem, ſed tantummodo accuſatoris corruptela ab reo. Sit ergo hæc contentio prima verborum, in qua etiam ſi propiùs accedat ad conſuetudinem, mentemque ſermo- 36

1. *Quorum modo interfuerit aliquid*] Haud aliter Pall. prius impreſſi, *quorum non*. contra omnem rationem.

2. *Deinde etiam argumento firmo.*] Pal. pr. *argumentando*. Pal. quintus *argumento infirmo*. quod ultimum verbum fere ſalivam mihi movet. ſed nec *argumentando*, inſuper habendum videtur.

3. *Aut poſtulatio ut habeantur.*] Malim quod eſt in Palat. quinto, *aut poſtulo ut habeantur*.

4. *Et quæſtionum genus univerſum.*] Gulielmius emendandum cenſebat *univerſim*.

ſermonis defenſoris definitio, tamen accuſator ſententia legis nititur. Negat enim probari oportere, *eos*, *qui* leges ſcripſerunt, ratum habere judicium, ſi totum corruptum ſit: ſi unus accuſator corruptus ſit, reſcindere [1] nititur æquitate: ut illa quaſi ſcribenda lex ſic eſſet, [2] quæque tamen complecteretur in judiciis corruptis, ea verbo uno prævaricationis comprehendiſſe dicitur. Defenſor autem teſtatur conſuetudinem ſermonis, verbique vim ex contrario reperiet quaſi ex vero accuſatore, cui contrarium eſt nomen prævaricationis: ex conſequentibus, quòd *ea littera* de accuſatore ſoleat dari judici: ex nomine ipſo, quod ſignificat eum, qui in contrariis cauſis, quaſi variè eſſe poſitus videatur. Sed huic tamen ipſi confugiendum eſt ad æquitatis locos, ad rerum judicatarum auctoritatem, ad finem aliquem periculi: communeque ſit hoc præceptum, ut, cùm uterque definierit, quàm maximè potuerit ad communem ſenſum, vimque verbi, tum ſimilibus, exemplisque eorum, qui ita locuti ſunt, ſuam definitionem, ſententiamque confirmet. Atque accuſatori in hoc genere cauſarum locus ille communis, *minimè* eſſe concedendum, ut is, qui de re confiteatur, verbi ſe interpretatione defendat. Defenſor autem & ea, quam propoſui, æquitate nitatur, &, ea cùm ſecum faciat, non re, ſed depravatione verbi ſe urgeri queratur. Quo in genere percenſere poterit pleroſque inveniendi locos. nam & ſimilibus utetur, & contrariis, & conſequentibus; quamquam uterque, tamen reus, niſi planè erit abſurda cauſa, frequentius. Amplificandi autem cauſa, quæ aut cum digrediuntur à cauſa, dici ſolent, aut cum perorabunt, hæc vel ad odium, vel ad miſericordiam, vel omnino ad animos judicum movendos ex iis, quæ ſunt antè poſita, ſumentur, ſi modò rerum magni-
37 tudo, hominumve aut invidia, aut dignitas poſtulabit. C. F. Habeo iſta: nunc ea, quæ quum, quale ſit quippiam, diſceptatur, quæri ex utraque parte deceat, velim audire. C. P. Confitentur in iſto genere, qui arguuntur, ſe id feciſſe ipſum, in quo reprehenduntur: ſed, quoniam *jure ſe feciſſe* dicunt, juris eſt omnis ratio nobis explicanda. quod dividitur in duas parteis primas, naturam, atque legem: & utriuſque generis vis in divinum & humanum jus eſt diſtributa: quorum æquitatis eſt unum: alterum, religionis. *Æquitatis* autem vis eſt duplex: cujus altera, directi, & veri, & juſti, &, ut dicitur, æqui & boni ratione defenditur: altera ad viciſſitudinem referendæ gratiæ pertinet: quod in beneficio, *gratia*: in injuria, *ultio* nominatur. Atque hæc communia ſunt naturæ, atque legis: ſed propria LEGIS & ea, quæ ſcripta ſunt, & ea, quæ ſine litteris aut gentium jure, aut majorum more retinentur. Scriptorum autem privatum aliud eſt; publicum, aliud. Publicum, lex, ſenatuſconſultum, fœdus. privatum, tabulæ, pactum conventum, ſtipulatio. Quæ autem ſcripta non ſunt, ea aut *conſuetudine*, aut conventis hominum, & quaſi conſenſu obtinentur. Atque etiam hoc in primis, ut noſtros mores, legeſque tueamur, quodammodo naturali jure præſcriptum eſt. Et quoniam breviter aperti fontes ſunt quaſi quidam æquitatis, meditata nobis ad hoc cauſarum genus eſſe debebunt ea, quæ dicenda erunt in orationibus, de natura, de legibus, de more majorum, de propulſanda injuria, de ulciſcenda, de omni parte juris. Si imprudenter, aut neceſſitate, aut caſu quippiam fecerit, quod non concederetur iis, qui ſua ſponte, & voluntate feciſſent: ad ejus facti deprecationem, ignoſcendi petenda venia eſt: quæ ſumetur ex pleriſque locis æquitatis. Expoſitum eſt, ut potui breviſſimè, de omni controverſiarum
38 genere, niſi præterea tu quid requiris. C. F. illud equidem, quod jam unum reſtare video, quale ſit, cum *diſceptatio* verſatur in ſcriptis. C. P. Rectè intelligis. eo enim expoſito, munus promiſſi omne confecero. Sunt igitur ambigui duobus adverſariis præcepta communia. Uterque enim hanc ſignificationem, qua utetur ipſe, dignam ſcriptoris prudentia eſſe defendet. uterque id, quod adverſarius ex ambiguè ſcripto intelligendum eſſe dicet, aut abſurdum, aut inutile, aut iniquum, aut turpe eſſe defendet, aut etiam diſcrepare cum ceteris ſcriptis, vel aliorum, vel maximè, ſi poterit, ejuſdem: quamque defendet ipſe, eam rem, & ſententiam quemvis prudentem, & juſtum hominem, ſi integrum daretur, ſcripturum fuiſſe, ſed planiùs: eamque ſententiam, quam ſignificari poſſe dicet, nihil habere aut *captionis*, aut vitii: contrariam autem ſi probarit, fore ut multa vitia ſtulta, iniqua, contraria conſequantur. Cùm autem aliud ſcriptor *ſenſiſſe* videtur, & aliud ſcripſiſſe: qui ſcripto nitetur, eum, re expoſita, recitatione uti oportebit: deinde inſtare adverſario, iterare, renovare, interrogare, num aut ſcriptum neget, aut contra factum infitietur. Poſt, judicem ad vim ſcripti vocet. Hac confirmatione uſus, amplificet rem lege laudanda, audaciamque confutet ejus, qui cum palam contra fecerit, idque fateatur: adſit tamen, factumque defendat. Deinde infirmet defenſionem: cum adverſarius aliud voluiſſe, aliud ſenſiſſe ſcriptorem, aliud ſcripſiſſe dicat, non eſſe ferendum, à quoquam potiùs latoris ſenſum, quàm à lege, explicari. Cur ita ſcripſerit, ſi ita non ſenſerit? Cur, cùm ea, quæ planè ſcripta ſint, neglexit: quæ numquam ſcripta ſint proferat? Cur *prudentiſſimos* in ſcribendo viros, ſummæ ſtultitiæ putet eſſe damnandos? Quid impedierit ſcriptorem, quo minùs exciperet illud, quod adverſarius, tanquam ſi exceptum eſſet, ita dicit ſe ſecutum? Utetur exemplis iis, quibus idem ſcriptor: aut, ſi id non poterit, quibus alii, quod excipiendum putarint, exceperint. Quærenda etiam ratio eſt, ſiqua poterit inveniri, quare non ſit exceptum: aut iniqua lex, aut inutilis futura dicetur, aut alia cauſa obtemperandi, alia abrogandi: diſſentire adverſarii vocem, atque legis. Deinde amplificandi cauſa, de conſervandis legibus, de periculo rerum publicarum, atque privatarum, cum aliis locis, tum in perorando maximè graviter erit, vehementerque dicen-
dum. Ille autem, qui ſe ſententia legis, voluntateque de- 39
fendet, *in conſilio*, atque in mente ſcriptoris, non in verbis, ac litteris vim legis poſitam eſſe defendet: quodque nihil exceperit in lege, laudabit, ne diverticula peccatis darentur, atque ut ex facto cujuſque judex legis mentem interpretaretur. Deinde erit utendum exemplis, in quibus omnis *æquitas* perturbaretur, ſi verbis legum, ac non ſententiis pareatur. Deinde genus ejuſmodi calliditatis, & calumniæ retrahatur in odium judicis, cum quadam invidioſa querela. Et ſi incidet imprudentiæ cauſa, quæ non ad delictum, ſed ad caſum, neceſſitatemve pertineat, quod genus paullo ante attigimus: erit iiſdem æquitatis ſententiis contra acerbitatem verborum deprecandum. Sin ſcripta inter ſe diſſentient: tanta ſeries artis eſt, & ſic inter ſe ſunt pleraque connexa & apta, ut quæ paullo ante præcepta dedimus ambigui, quæque proximè ſententiæ & ſcripti, eadem ad hoc genus cauſæ tertium transferantur. Nam quibus locis in ambiguo defendimus eam ſignificationem, quæ nos adjuvat eiſdem in contrariis legibus noſtra lex defendenda eſt. Deinde eſt efficiendum, ut alterius ſcripti ſententiam, alterius verba defendamus. Ita quæ modò de ſcripto, ſententiaque præcepta ſunt, eadem huc omnia transfe-
remus. EXPOSITÆ ſunt tibi omnes oratoriæ partitiones, 40
quæ quidem è media illa noſtra Academia floruerunt: neque ſine ea aut inveniri, aut intelligi aut tractari poſſunt. nam & partiri ipſum, & definire, & ambigui partitiones dividere, & argumentorum locos noſſe, & argumentationem ipſam concludere, & videre, quæ ſumenda in argumentando ſint, quidque ex iis, quæ ſumta ſunt, efficiatur: & vera à falſis, veriſimilia ab incredibilibus dijudicare, & diſtin-

1. *Nititur æquitate: ut illa quaſi ſcribenda, &c.*] Lambiniana nimis audacia ſunt, quam ut quis debeat ſequi. Pal. pr. pro his habet: *corruptus ſit æquitate utilitate quaſi ſcribenda lex ſi eſſet.* quintus, *corruptus ſit non reſcindere utitur æquitate utilitate. è qua ſi ſcribenda lex ſit quanquam tunc complectitur, &c.* eruere aliquid ex iſtis poſſem niſi feſtinarem nimis, itaque id præſtet minus occupatus.

2. *Quæque tamen complecteretur.*] Pal. pr. *quæque enim.* Hittorp. *quæque tum complecterentur.*

1. Quod

diſtinguere, aut malè ſumta, aut malè concluſa reprehendere, & eadem vel anguſtè diſſerere, ut *dialectici* qui appellantur: vel, ut oratorem decet, latè exprimere: illius exercitationis & ſubtiliter diſputandi, & copioſè dicendi artis eſt. De bonis verò rebus, & malis: æquis, iniquis: utilibus, inutilibus: honeſtis, turpibus, quam poteſt habere orator, ſine illis maximarum rerum artibus, facultatem, aut copiam? Quare hæc tibi ſint, mi Cicero, quæ expoſui, quaſi indicia *fontium* illorum: ad quos ſi nobis eiſdem ducibus, aliiſve, perveneris, tum & hæc ipſa melius, & multo majora alia cognoſces. C. F. Ego verò, ac magno quidem ſtudio, mi pater: multiſque ex tuis præclariſſimis muneribus nullum *majus* exſpecto.

M. TULLII CICERONIS DE OPTIMO GENERE ORATORUM.

1 ORATORUM genera eſſe dicuntur, tanquam poëtarum. id ſecus eſt. nam alterum eſt multiplex. Poëmatis enim tragici, comici epici, melici etiam, ac dithyrambici, [1] quod magis eſt tractatum à Latinis, ſuum quodvis eſt diverſum à reliquis. Itaque & in tragœdia comicum vitioſum eſt, & in comœdia turpe tragicum. & in ceteris ſuus eſt cujuſque certus ſonus, & quædam intelligentibus nota vox. Oratorum autem ſi quis ita numerat plura genera, ut alios grandeis, aut graveis, aut copioſos: alios tenueis, aut ſubtileis, aut breveis: alios eis interjectos, & tanquam medios putet: de hominibus dicet aliquid, de re parum. In re enim, quod *optimum* ſit, quæritur: in homine dicitur, quod eſt. Itaque licet dicere & Ennium, ſummum epicum poëtam, ſicui ita videtur: & Pacuvium tragicum: & Cæcilium fortaſſe, comicum. Oratorem genere non divido. perfectum enim quæro. Unum eſt autem genus perfecti, à quo qui abſunt, non genere differunt, ut ab Attio Terentius; ſed in eodem non ſunt pares. *Optimus* eſt enim orator, qui dicendo animos audientium & docet, & delectat, & permovet. Docere, debitum eſt: delectare, honorarium: permovere, neceſſarium. Hæc ut alius melius, quàm alius, concedendum eſt. verùm id fit non genere: ſed gradu. Optimum quidem unum eſt, & proximum, quod ei ſimillimum. ex quo perſpicuum eſt, quod *opti-*
2 *mo* diſſimillimum ſit, id eſſe deterrimum. Nam quoniam eloquentia conſtat ex verbis, & ſententiis, perficiendum eſt, ut purè, & emendatè loquentes, quod eſt Latine: verborum præterea & propriorum, & tranſlatorum elegantiam perſequamur: in propriis, ut aptiſſima eligamus: in tranſlatis, ut ſimilitudinem ſecuti, verecundè utamur alienis. Sententiarum autem totidem genera ſunt, quot diximus eſſe laudum. ſunt enim docendi, acutæ: delectandi, quaſi argutæ: commovendi, graves. Sed & verborum eſt ſtructura quædam, duas res efficiens, numerum, & lenitatem: & ſententiæ ſuam compoſitionem habent, & ad probandam rem accommodatum ordinem. ſed earum omnium rerum, ut ædificiorum, *memoria* eſt quaſi fundamentum, lumen *actio*. Ea igitur omnia in quo ſumma, erit orator peritiſſimus: in quo media, mediocris: in quo minima, deterrimus. Et appellabuntur omnes oratores, ut *pictores* appellantur etiam mali: nec generibus inter ſeſe, ſed facultatibus differunt. Itaque nemo eſt orator, qui ſe Demoſthenis ſimilem eſſe nolit: at Menander, Homeri noluit. Genus enim erat aliud. id non eſt in oratoribus: aut ſi eſt, ut alius gravitatem ſequens, ſubtilitatem fugiat: contrà, alius acutiorem ſe, quàm ornatiorem, velit: etiam ſi eſt in genere tolerabili, certè non eſt in optimo. ſiquidem, QUOD omneis laudes habet, id eſt optimum. Hæc dixi breviùs equidem, quàm res petebat: ſed 3
ad id, quod agimus, non fuit dicendum pluribus. Unum enim cùm ſit genus, id quale ſit, quærimus. Eſt autem tale, quale floruit Athenis, ex quo Atticorum oratorum ipſa vis ignota eſt, nota *gloria*. Nam alterum multi viderunt, vitioſi nihil apud eos: alterum pauci, laudabilia eſſe multa. Eſt enim vitioſum in ſententia, ſi quid abſurdum, aut alienum, aut non acutum, aut ſubinſulſum eſt. In verbis, ſi inquinatum, ſi abjectum, ſi non aptum, ſi durum, ſi longè petitum. Hæc vitaverunt ferè omnes, qui aut Attici numerantur, aut dicunt Atticè. ſed quatenus valuerunt, ſani & ſicci duntaxat habeantur, [2] ſed ita, ut *palæſtricè* ſpatiari in xyſto iis liceat, non ab Olympiis coronam petant. qui cùm careant omni vitio, non ſunt contenti quaſi bona valetudine, ſed vireis, lacertos, ſanguinem quærunt, quandam etiam ſuavitatem coloris. eos imitemur, ſi poſſumus: ſin minus, illos potius, qui incorrupta ſanitate ſunt, (quod eſt proprium Atticorum,) quàm eos, quorum vitioſa abundantia eſt, qualeis Aſia multos tulit. Quod cùm faciemus (ſi modò id ipſum aſſequemur: eſt enim permagnum) imitemur, ſi poterimus, Lyſiam, & ejus quidem tenuitatem potiſſimùm. Eſt enim multis in locis grandior. ſed quia & privatas ille pleraſque & eas ipſas aliis, & parvarum rerum cauſulas ſcripſit, videtur eſſe jejunior, quoniam ſe ipſe conſultò ad minutarum genera cauſarum limaverit. Quod qui ita faciet, ut, ſi cupiat uber- 4
rior eſſe, non poſſit, habeatur ſanè orator, ſed de minoribus: magno autem oratori etiam illo modo ſæpe dicendum eſt in tali genere cauſarum. Ita fit, ut Demoſthenes certè poſſit ſummiſsè dicere: elatè Lyſias fortaſſe non poſſit. Sed ſi eodem modo putant, exercitu in foro, & in omnibus templis, quæ circum forum ſunt, collocato, dici *pro Milone* decuiſſe, ut ſi de re privata ad unum judicem diceremus: vim eloquentiæ ſua facultate, non rei natura, metiuntur. Quare quoniam nonnullorum ſermo jam increbuit, partim ſeipſos *Atticè dicere*, partim neminem noſtrûm dicere: alteros negligamus. ſatis enim his res ipſa reſpondet. cùm aut non adhibeantur ad cauſas, aut adhibiti derideantur. nam ſi arrideantur, eſſet idipſum Atticorum. Sed qui dici à nobis Attico more nolunt, ipſi autem ſe non oratores eſſe profitentur, ſi tereteis aureis habent, intelligenſque judicium: tanquam ad picturam probandam adhibentur etiam *inſcii* faciendi cum aliqua ſollertia judicandi. Sin autem intelligentiam ponunt in audiendi faſtidio, neque eos quidquam excelſum, magnificumque delectat: dicant ſe ſubtile quiddam, & politum velle: grave, ornatumque contemnere: id verò deſinant dicere, qui ſubtiliter dicunt, eos ſolos Atticè dicere, id eſt, quaſi ſiccè. at integrè, & amplè, & ornatè, & copioſè, cum eâdem integritate, Atticorum eſt. quid? dubium eſt, utrùm oratio-

1. QUod magis eſt tractatum à Latinis.] Adr. Turnebus lib. 1. Adverſ. cap. 4. reſtituit è mſſ. *quo*, locumque hunc dextrè interpretatur contra eos, qui ſubſtituunt *quo minus eſt*. nam quod Lambinus ei opponat locum è proœmio lib. 1. Tuſc. quæſt. plus nihilo eſt. ſerius quidem poëticam accepere Romani, ſed acceptam diligenter & varie excoluerunt inquit Guliel.

2. *Sed ita ut palæſtricè ſpatiari in Xyſto, &c.*] Accedere aveam ad Paſchalii conjecturam libro de Coronis, *palæſtritæ*. priore etiam linea, ubi eſt, *ſed quatenus valuerunt*, non male Gulielmius *ſed qui eatenus*.

orationem noſtram tolerabilem tantùm, an etiam admirabilem eſſe cupiamus? Non enim jam quærimus, quid ſit Atticè, ſed quid ſit *optimè dicere*. Ex quo intelligitur, quoniam Græcorum oratorum præſtantiſſimi ſunt ii, qui fuerunt Athenis, eorum autem princeps facilè Demoſthenes: hunc ſiquis imitetur, eum & Atticè dicturum, & optimè: ut, quoniam Attici nobis propoſiti ſunt ad imi-
5 tandum, bene dicere, id ſit Atticè dicere. Sed cùm in eo magnus error eſſet, quale eſſet id dicendi genus: putavi mihi ſuſcipiendum laborem, utilem ſtudioſis, mihi quidem ipſi non neceſſarium. Converti enim ex Atticis, duorum eloquentiſſimorum nobiliſſimas orationes inter ſe contrarias, Æſchinis, Demoſthenisque: nec *converti*, ut interpres, ſed ut orator, ſententiis iiſdem, & earum formis, tanquam figuris, verbis ad noſtram conſuetudinem aptis: in quibus [1] non verbum pro verbo neceſſe habui reddere, ſed genus omnium verborum, vimque ſervavi. non enim ea me annumerare lectori putavi oportere, ſed tanquam appendere. Hic labor meus hoc aſſequetur, ut noſtri homines, quid ab illis exigant, qui ſe Atticos volunt, & ad quam eos quaſi *formulam* dicendi revocent, intelligant. Sed exorietur Thucydides. ejus enim quidem eloquentiam admirantur. Id quidem rectè: ſed nihil ad eum oratorem, quem quærimus. Aliud eſt enim explicare res geſtas narrando, aliud argumentando criminari, crimenve diſſolvere: aliud narratione tenere auditorem, aliud concitare. At loquitur pulcrè. Num meliùs, quàm Plato? neceſſe tamen eſt oratori, quem quærimus, controverſias explicare forenſes dicendi genere apto ad docendum, ad delectan-
6 dum, ad permovendum. Quare ſi quis erit, qui Thucydidio genere cauſas in foro dicturum ſe eſſe profiteatur, is abhorreat etiam à ſuſpicione ejus, quæ verſatur in re civili & forenſi: [2] qui Thucydidem laudavit, adſcribat ſuæ noſtram ſententiam. Quin ipſum Iſocratem, quem divinus auctor Plato ſuum ferè æqualem admirabiliter in Phædro laudari fecit à Socrate, quemque omnes docti ſummum oratorem eſſe dixerunt: [3] tamen hunc in numero non repono. non enim in *acie* verſatur, & ferro; quaſi rudibus ejus eludit oratio. A me autem (ut cum maximis minima conferam) gladiatorum par nobiliſſimum inducitur. Æſchines, tanquam Æſerninus (ut ait Lucilius) *non ſpurcus homo, ſed doctus & acer*,

Cum Pacidiano hic componitur, optimu' longè
Poſt homines natos.

Nihil enim illo oratore arbitror cogitari poſſe divinius. Huic labori noſtro duo genera reprehenſorum opponuntur: unum hoc, *Verùm melius Græci.* à quo quæratur, ecquid poſſint ipſi melius Latinè. Alterum, *Quid iſtas potiùs legam, quàm Græcas?* Iidem Andriam, & Synephebos: nec minus Terentium, & Cæcilium, quàm Menandrum legunt: nec Andromacham, aut Antiopam, aut Epigonos Latinos recipiant. ſed tamen Ennium, & Pacuvium, & Accium potiùs, quàm Euripidem & Sophoclem legunt. Quod igitur eſt eorum in orationibus è Græco converſis, faſtidium, nullum cùm ſit in verſibus? Sed aggrediamur 7
jam quod ſuſcepimus, ſi priùs expoſuerimus, quæ cauſa in judicium deducta ſit. Cùm eſſet lex Athenis, NE QUIS POPULI SCITUM FACERET, UT QUISQUAM CORONA DONARETUR IN MAGISTRATU PRIÙS, QUÀM RATIONES RETULISSET: & altera lex, EOS, QUI À POPULO DONARENTUR, IN CONCIONE DONARI DEBERE: [4] quia in ſenatu Demoſthenes curator muris reficiendis fuit, eoſque refecit pecunia ſua: de hoc igitur Cteſiphon ſcitum fecit, nullis ab ipſo rationibus relatis, ut corona aurea donaretur: eaque donatio fieret in theatro, populo convocato: qui locus non eſt concionis legitimæ: atque ita prædicaretur, EUM DONARI VIRTUTIS ERGÒ BENIVOLENTIÆQUE, QUAM ERGA POPULUM ATHENIENSEM HABERET. Hunc igitur Cteſiphontem in judicium adduxit Æſchines, quòd contra leges ſcripſiſſet, ut & rationibus non relatis corona donaretur, & ut in theatro, & quod de virtute ejus, & benivolentia, falſa ſcripſiſſet; quoniam Demoſthenes nec vir bonus eſſet, nec bene meritus de civitate. Cauſa ipſa abhorret illa quidem à formula conſuetudinis noſtræ: ſed eſt magna. Habet enim & legum interpretationem ſatis acutam in utramque partem, & meritorum in rempub. contentionem ſanè gravem. Itaque cauſa Æſchini: quoniam ipſe à Demoſthene eſſet capitis accuſatus, quod legationem ementitus eſſet, ut ulciſcendi inimici cauſa, nomine Cteſiphontis, judicium fieret de factis, famaque Demoſthenis. Non enim tam multa dixit de rationibus non relatis, quàm de eo, quòd civis improbus, ut optimus, laudatus eſſet. Hanc mulctam Æſchines à Cteſiphonte petiit quadriennio ante Philippi Macedonis mortem: ſed judicium factum eſt aliquot annis pòſt, Alexandro jam Aſiam tenente: id quod judicium concurſus dicitur è tota Græcia factus eſſe. Quid enim aut tam viſendum, ut audiendum fuit, quàm ſummorum oratorum in graviſſima cauſa, accurata, & *inimicitiis* incenſa contentio? Quorum ego orationes ſi, ut ſpero, ita expreſſero, virtutibus utens illorum omnibus, id eſt, ſententiis, & earum figuris, & rerum ordine, verba perſequens eatenus, ut ea non abhorreant à more noſtro: (quæ ſi è Græcis omnia converſa non erunt, [5] tamen ut generis ejuſdem ſint, elaboravimus) erit regula, ad quam eorum dirigantur orationes, qui Atticè volunt dicere, ſed de nobis ſatis. Aliquando enim Æſchinem ipſum Latinè dicentem audiamus.

1. *Non verbum pro verbo reddere.*] Lambinus expunxit *pro*; non neceſſario. ſic Terentius Eunucho: *Par pro pari referto, quod eam mordeat.* Gulielmius.

2. *Qui Thucydidem laudavit.*] Idem malebat *laudabit.* non male.

3. *Tamen hunc in numero non repono.*] Lambinus *hunc hoc in numero.* minus recte. nam & Plautus Menæchmis: *extra numerum es mihi.* & Curculione: *Salve extra pretium tertia.* Lucretii item eſt, *extra numerum procedere.* libro IV. Gulielmius.

4. *Quia in Senatu Demoſthenes, &c.*] Veriſimiliter admodum emendavit Lambinus, *in ſua tribu Demoſth.*

5. *Tamen ut generis ejuſdem ſint elaboravimus.*] Gulielmius reponendum judicabat *elaborabimus.*

MARCI

MARCI TULLII
CICERONIS
OPERUM
TOMUS SECUNDUS:
QUI CONTINET ORATIONES OMNEIS, QUÆ EXSTANT:

Quarum orationum indicem verſa pagina te docebit.

ORATIONES OMNES M. T. CICERONIS, QUÆ EXSTANT.

PRo P. *Quintio, Oratio prima.* Pag. 187
Pro Sex. Roſcio Amerino, Oratio II. 200
Pro Q. Roſcio comœdo, Oratio III. 213
Divinatio in C. Verrem, Oratio IV. 219
Procemium actionis I. *in C. Verrem, Oratio* V. 225
Accuſationis in C. Verrem lib. I. *Oratio* VI. 230
Accuſat. in C. Verrem lib. II. *Oratio* VII. 246
Accuſat. in C. Verrem lib. III. *Oratio* VIII. 267
Accuſat. in C. Verrem lib. IV. *Oratio* IX. 292
Accuſat. in C. Verrem lib. V. *Oratio* X. 310
Pro M. Fonteio, Orat. mutilata & truncata XI. 329
Pro Aulo Cæcina, Oratio XII. 333
Pro Lege Manilia ad populum Rom. Oratio XIII. 343
Pro A. Cluentio Avito, Oratio XIV. 352
De Lege Agraria, contra P. Servilium Rullum trib. pl. in ſenatu, Oratio XV. 374
De Lege Agraria, contra P. Servilium Rullum ad populum, Oratio XVI. 377
De Lege Agraria ad popul. Rom. contra Rullum trib. pleb. Oratio XVII. 389
Pro C. Rabirio perduellionis reo, ad Quirites, Oratio XVIII. 391
In L. Catilinam Prima in ſenatu, Orat. XIX. 394
In L. Catilinam ſecunda ad Quirites, Oratio XX. 399
In L. Catilinam Tertia ad populum, ſeu ad Quirites, Oratio XXI. 403
In L. Catilinam Quarta in ſenatu, Oratio XXII. 407
Pro L. Muræna, Oratio XXIII. 411
Pro L. Flacco, Oratio XXIV. 422
Pro P. Sulla, Oratio XXV. 434
Pro A. Licinio Archia poëta, Orat. XXVI. 444
Ad Quirites poſt reditum ſuum, Oratio XXVII. 448
Poſt reditum in ſenatu, Oratio XXVIII. 451
Pro domo ſua ad Pontifices, Orat. XXIX. 457
De Haruſpicum reſponſis in ſenatu, Orat. XXX. 473
Pro Cn. Plancio, Oratio XXXI. 481
Pro P. Sextio, Oratio XXXII. 493
In P. Vatinium, Oratio XXXIII. 510
Pro M. Cælio, Oratio XXXIV. 515
De provinciis conſularibus, Orat. XXXV. 524
Pro L. Cornelio Balbo, Oratio XXXVI. 530
In L. Calpurnium Piſonem, Oratio XXXVII. *eſt autem mutilata.* 537
Pro T. Annio Milone, Oratio XXXVIII. 548
Pro C. Rabirio Poſtumo, Oratio XXXIX. 559
Pro M. Marcello, Oratio XL. 563
Pro Q. Ligario ad Cæſarem, Oratio XLI. 567
Pro rege Dejotaro ad Cæſarem, Oratio XLII. 571
In M. Antonium Philippica prima, Oratio XLIII. 575
In M. Antonium Philipp. II. *Orat.* XLIV. 579
In M. Antonium Philipp. III. *Orat.* XLV. 591
In M. Antonium Philipp. IV. *Orat.* XLVI. 595
In M. Antonium Philipp. V. *Orat.* XLVII. 596
In M. Anton. Philipp. VI. *Orat.* XLVIII. 602
In M. Antonium Philipp. VII. *Orat.* XLIX. 604
In M. Antonium Philipp. VIII. *Oratio* L. 606
In M. Antonium Philippica IX. *Oratio* LI. 609
In M. Antonium Philippica X. *Oratio* LII. 611
In M. Antonium Philipp. XI. *Oratio* LIII. 614
In M. Antonium Philipp. XII. *Oratio* LIV. 618
In M. Antonium Philipp. XIII. *Oratio* LV. 622
In M. Antonium Philipp. XIV. *Oratio* LVI. 627
Incerti auctoris in Ciceronem, Oratio. 631
Incerti auctoris reſponſio. 632

M. TUL-

M. TULLII CICERONIS
PRO
PUBLIO QUINTIO,
ORATIO PRIMA.

1 QUæ res in civitate duæ plurimùm [1] poſſunt, hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, *ſumma gratia*, *& eloquentia*: quarum alteram, C. Aquilli, vereor, alteram, metuo. eloquentia Qu. Hortenſii [2] ne me dicendo impediat, nonnihil commoveor: gratia Sex. Nævii ne P. Quintio noceat, id verò non mediocriter pertimeſco. Neque hoc tantopere querendum videretur, hæc ſumma in illis eſſe, ſi in nobis eſſent ſaltem mediocria. verùm ita ſe res habet, ut ego, qui neque uſu ſatis, & ingenio parum poſſum, cum *patrono diſertiſſimo* comparer: Pub. Quintius cui tenues opes, nullæ facultates, exiguæ amicorum copiæ ſunt, cum *adverſario gratioſiſſimo* contendat. Illud quoque nobis accedit incommodum, quod M. Junius [3] qui hanc cauſam, Aquilli, aliquoties apud te egit, homo & in aliis cauſis exercitatus, & in hac multùm, & ſæpe verſatus, hoc tempore abeſt, nova legatione impeditus: & ad me ventum eſt, qui, ut ſumma haberem cetera; *temporis* quidem certè vix ſatis habui, ut rem tantam, tot controverſiis implicatam, poſſem cognoſcere. Ita, quod mihi conſuevit in ceteris cauſis eſſe adjumento, [4] id quoque in hac cauſa deficit. nam, quo minus *ingenio* poſſum, ſubſidio mihi *diligentiam* comparavi: quæ quanta ſit, niſi tempus, & ſpatium datum ſit, intelligi non poteſt. Quæ quo plura ſunt, C. Aquilli, eo te [5] & hos, qui tibi in conſilio adſunt, meliori mente [6] noſtra verba audire oportebit: ut multis incommodis veritas debilitata, tandem æquitate talium virorum recreetur. Quòd ſi tu judex [7] nullo præſidio fuiſſe videbere contra *vim & gratiam*, ſolitudini, atque inopiæ: ſi apud hoc conſilium ex opibus, non ex veritate cauſa pendetur: profectò [8] nihil eſt jam ſanctum, atque ſincerum in civitate: nihil, quod humilitatem cujuſquam, *gravitas & virtus judicis* conſoletur. Certè aut apud te, & eos, qui tibi adſunt, veritas valebit: aut ex hoc loco repulſa vi & gratia, locum [9] ubi conſiſtat, reperire non poterit. [10] Non eò dico, C. Aquilli, quò mihi veniat in du- 2
bium tua fides, & conſtantia, aut quò non his, quos tibi advocaſti, [11] viris electiſſimis civitatis, ſpem ſummam habere P. Quintius debeat: Quid ergo eſt? Primùm magnitudo periculi [12] ſummo timore hominem afficit, quod *uno judicio* de fortunis omnibus decernit: idque dum cogitat, non minùs ſæpe ei venit in mentem *poteſtatis*, quam *æquitatis* tuæ; propterea quòd OMNES, QUORUM in alterius manu vita poſita eſt, ſæpius illud cogitant, quid poſſit is, cujus in ditione, ac poteſtate ſunt, quàm, quid debeat facere. Deinde habet adverſarium P. Quintius *verbo*, Sex. Nævium: *re vera*, hujuſce ætatis homines diſertiſſimos, fortiſſimos, [13] ornatiſſimos, noſtræ civitatis: qui communi ſtudio, ſummis opibus Sext. Nævium defendunt: ſi, id eſt defendere, *cupiditati alterius obtemperare*, quò is facilius, quem velit, iniquo judicio opprimere poſſit. Nam quid hoc iniquius, aut indignius, C. Aquilli, [14] dici, aut commemorari poteſt, quàm me, qui caput alterius, famam, fortunaſque defendam, *priore loco cauſam dicere*: cum præſertim Quint. Hortenſius, qui hoc judicio parteis accuſatoris obtinet, contra me ſit dicturus: cui ſummam copiam, facultatemque dicendi natura largita eſt? Ita fit, ut ego, qui tela depellere, & vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, cum etiam [15] telum adverſarius nullum jecerit: illis autem id tempus impugnandi detur, cum & vitandi illorum impetus poteſtas adempta nobis erit: & ſi qua in re, id quod parati ſunt facere, [16] falſum crimen, quaſi *venenatum aliquod telum*, jecerint, medicinæ faciendæ locus non erit. Id accidit prætoris iniquitate, & injuria: primùm quòd contra omnium *conſuetudinem*, judicium priùs de probro, quàm de re, maluit fieri: deinde, quòd ita conſtituit idipſum judicium, ut reus, antequam verbum accuſatoris audiſſet, cauſam dicere cogeretur, quod eorum gratia, & potentia factum eſt, qui *quaſi ſua res aut honos agatur*, ita diligenter Sext. Nævii ſtudio, & cupiditati morem

---

1. *Poſſunt hæ contra nos.*] Gruteri MS. non habet *hæ*.
2. *Ne me dicendo impediat.*] Pall. plerique & liber Fulvii Urſini, *ne me in dicendo.* quod non diſplicebat Gulielmio.
3. *Qui hanc cauſam, Aquilli, aliquoties apud te egit.*] Si ſtandum vetuſtis libris, ejicienda ſunt omnino, *cauſam Aquilli.*
4. *Id quoque in hac cauſa.*] Lambinus, *id quoque me*, ſed præter mſſ.
5. *Et hos qui tibi in conſilio adſunt.*] Sic Pal. ſeptimus. ceteri ad unum omnes, *in conſilio ſunt.*
6. *Noſtra verba audire.*] Pal. ſec. ac tert. *obedire.*
7. *Nullo præſidio fuiſſe videbere.*] Lambini editio, *nulli*; ſed præter mſſ.
8. *Nihil eſt jam ſanctum atque ſincerum.*] Annotavit Gulielmius reſtare in editione Lugdun. veteri, *neque ſincerum.*
9. *Ubi conſiſtat.*] Editio illa ſub primam typographiæ infantiam nata, *ubi res conſiſtat*; neque aliter Pall. octo aut Gruter.
10. *Neque eo dico.*] MS. Falkenburgii, *Neque.*
11. *Viris electiſſimis civit.*] Gulielmius conjicit *ſelectiſſ.*
12. *Summo timore hominem afficit.*] Editio antiqua, *conficit.*
13. *Ornatiſſimos noſtræ civitatis.*] Reperi etiam in Pal. quinto & ſexto aliorum *horrentiſſimos.* Hotomannus autumat ſcribi poſſe *florentiſſimos.*
14. *Dici aut commemorari poteſt.*] Si voces iſtæ abeſſent à libris, minimè eas requirerem.
15. *Telum adverſarius nullum jecerit.*] Ita Pal. pr. at enim codex S. Victoris edd. antiquatæ, Pall. item mſſ. ſeptem *nullum legerit.*
16. *Falſum crimen quaſi venenatum telum jecerint.*] Heic iterum ſcripti iidem & cuſi olim, *legerint.*

rem gerunt: & in ejuſmodi rebus opes ſuas experiuntur, in quibus, QUO PLUS propter virtutem, nobilitatemque poſſunt, eò minùs, quantum poſſint, debent oſtendere. Cùm tot, tantiſque difficultatibus affectus, atque afflictus, in tuam, C. Aquilli, fidem, veritatem, miſericordiam P. Quintius confugerit: cùm adhuc ei propter vim adverſariorum non *jus par*, non agendi poteſtas eadem, non magiſtratus æquus reperiri potuerit: cùm ei ſummam per injuriam omnia inimica, atque infeſta fuerint: te, C. Aquilli, voſque qui in conſilio adeſtis orat atque obſecrat, ut multis injuriis jactatam, atque agitatam æquitatem, in hoc tan-
3 dem loco conſiſtere, & confirmari patiamini. Id quo facilius facere poſſitis, dabo operam, ut à principio, res quemadmodum geſta, & contracta ſit, cognoſcatis. C. Quintius fuit P. Quintii hujus frater: [1] ſanè ceterarum rerum paterfamiliàs & prudens, & attentus, una in re paulo minùs conſideratus, qui ſocietatem cum Sex. Nævio fecerit, viro bono, verumtamen non ita inſtituto, ut jura ſocietatis, & officia [2] certi patriſfamiliàs noſſe poſſet: non quo ei deeſſet ingenium, (nam neque parum facetus ſcurra Sex. Nævius, neque inhumanus præco eſt umquam exiſtimatus) Quid ergo eſt? Cùm ei natura nihil melius, quàm vocem, dediſſet, pater nihil, præter libertatem, reliquiſſet; *vocem in quæſtum contulit*: libertate uſus eſt, quo impunius dicax eſſet. Quare quod ſocium tibi eum velles adjungere, nihil erat, niſi ut *in tua pecunia condiſceret*, qui pecuniæ fructus eſſet. tamen inductus conſuetudine, ac familiaritate Quintius fecit, ut dixi, ſocietatem earum rerum, quæ in Gallia comparabantur. Erat ei pecuaria res ampla, & ruſtica, ſanè bene culta, & fructuoſa. Tollitur [3] ab atriis Liciniis, atque [4] à præconum conceſſu in Galliam Nævius, & trans Alpeis uſque transfertur. *Fit magna mutatio loci, non ingenii.* Nam, qui ab adoleſcentulo quæſtum ſibi inſtituiſſet ſine impendio; poſteaquam neſcio quid impendit, & in commune contulit, mediocri quæſtu contentus eſſe non poterat. Nec mirum, ſi is, qui vocem venalem habuerat, ea, quæ voce quæſiverat, magno ſibi quæſtui fore putabat. Itaque hercule haud mediocriter *de communi*, [5] quidquid poterat, ad ſe in privatam domum ſevocabat. qua in re ita diligens erat, quaſi ii, qui magna fide ſocietatem gererent, ARBITRIUM PRO SOCIO condemnari ſolerent. Verùm his de rebus non neceſſe habeo dicere ea, quæ me P. Quintius cupit commemorare:
4 [6] tametſi cauſa poſtulat, non flagitat, prætereo. Cùm annos jam complureis ſocietas eſſet, & cùm ſæpe ſuſpectus Quintio Nævius fuiſſet, neque ita commode poſſet rationem reddere earum rerum, quas *libidine*, non *ratione* geſſerat: moritur in Gallia Quintius, cùm adeſſet Nævius. & moritur repentinò. heredem teſtamento reliquit hunc P. Quintium: ut, AD QUEM SUMMUS mœror morte ſua veniebat, ad eundem ſummus honos quoque perveniret. Quo mortuo, nec ita multo pòſt in Galliam proficiſcitur Quintius. Ibi cum iſto Nævio familiariter vivit. annum ferè unà ſunt, cùm & de ſocietate inter ſe multa communicarent, & de tota illa ratione, atque re Gallicana. neque interea verbum ullum interpoſuit Nævius, aut ſocietatem ſibi quidpiam debere, aut privatim Quintium debuiſſe. Cùm æris alieni [7] aliquantulum eſſet relictum, quibus nominibus pecuniam Romæ curari oporteret: auctionem in Gallia P. hic Quintius Narbone ſe facturum eſſe proſcribit, earum rerum, quæ ipſius erant privatæ. Ibi tum vir optimus, Sex. Nævius, hominem multis verbis deterret, ne auctionetur: eum non ita commodè poſſe *eo tempore*, quæ proſcripſiſſet, vendere. Romæ ſibi nummorum facultatem eſſe, quam, ſi ſaperet, communem exiſtimaret, pro fraterna illa neceſſitudine, & pro ipſius affinitate. nam Pub. Quintii conſobrinam habet in matrimonio Nævius, & ex ea liberos. Quia, quod virum bonum facere oportebat, id loquebatur Nævius; credidit Quintius, EUM, QUI orationem bonorum imitaretur, facta quoque imitaturum. auctionem velle facere deſiſtit: Romam proficiſcitur: decedit ex Gallia Romam ſimul Nævius. Cum pecuniam C. Quintius P. Scapulæ debuiſſet: per te, C. Aquilli, decidit P. Quintius, quod liberis ejus diſſolveret. Hoc eo [8] per te agebatur, quod propter ærariam rationem non ſatis erat in tabulis inſpexiſſe, quantum deberetur, [9] niſi ad Caſtoris quæſiſſet, quantum ſolveretur. Decidis, ſtatuiſque tu propter neceſſitudinem, quæ tibi cum Scapulis eſt, quid iis ad denarium ſolveretur. Hæc omnia Quintius agebat auctore, & conſuaſore Nævio. NEC MIRUM, ſi ejus utebatur 5
conſilio, cujus auxilium ſibi paratum putabat. non modò enim pollicitus erat in Gallia, ſed Romæ quotidie, [10] ſimulatque ſibi hic annuiſſet, numeraturum ſe dicebat. Quintius porrò iſtum poſſe facere videbat; debere intelligebat: mentiri, quia *cauſa*, cur mentiretur, non erat, non putabat. quaſi domo nummos haberet, ita conſtituit Scapulis ſe daturum. Nævium certiorem facit: rogat, ut curet, quod dixiſſet. Tum iſte vir optimus (vereor, ne ſe *derideri putet*, quod iterum jam dico, *optimus*,) qui hunc in ſummas anguſtias adductum putaret; ut eum ſuis conditionibus in ipſo *articulo temporis* adſtringeret, aſſem ſeſe negat daturum, niſi prius de rebus, rationibuſque ſocietatis omnibus decidiſſet: & ſciſſet, ſibi cum Quintio controverſiæ nihil futurum. Poſteriùs, inquit, iſta videbimus, Quinti: nunc hoc velim cures (ſi tibi videtur) quod dixiſti. Negat ſe alia ratione facturum, quod promiſiſſet, non plus ſua referre, quàm ſi [11] cum auctionem venderet, domini juſſu quippiam promiſiſſet. Deſtitutione illa perculſus Quintius, à Scapulis paucos dies aufert: in Galliam mittit, ut ea, quæ proſcripſerat, venirent: *deteriore tempore abſens auctionatur*: Scapulis difficiliore conditione diſſolvit. tunc appellat ultrò Nævium, ut, quoniam ſuſpicaretur aliqua de re fore controverſiam, videret, ut quàm primum, & quàm minima cum moleſtia tota res tranſigeretur. Dat iſte amicum M. Trebellium: nos communem neceſſarium, qui iſtius domi erat educatus, & quo utebatur iſte plurimum, propinquum noſtrum, Sext. Alphenum. Res convenire nullo modo poterat: propterea quod hic *mediocrem jacturam facere* cupiebat: iſte *mediocri præda contentus non erat*. Itaque ex eo tempore [12] res eſſe in vadimonium cœpit. Cum vadimonia ſæpè dilata eſſent, & cum aliquantum temporis in ea re eſſet conſumptum, [13] neque quidquam perfectum eſſet: venit ad vadimonium Nævius. Obſecro, 6
C. Aquilli, voſque, qui adeſtis in conſilio, ut diligenter attendatis,

1. *Sane ceterarum rerum paterfamilias.*] Defendit hanc ſcripturam Hotomanus lib. IV. Obſervat. cap. 11.

2. *Certi patriſfamilias.*] Examinat hanc vocem Henr. Stephanus lib. 1. Schediaſmatum.

3. *Ab atriis Liciniis.*] Conſulatur ſuper hujus loci non vulgata interpretatione, Muretus lib. XVI. Var. Lect. cap. 19.

4. *A præconum conſeſſu.*] S. Victoris *præconium*, quod non diſplicebat Gulielmo, ejectum eo modo, quo *parentum*.

5. *Quidquid poterat.*] Pall. plerique *quod quiſque*; quomodo & S. Victoris.

6. *Tametſi cauſa poſtulat. tamen quia, &c.*] Sic omn. mſſ. editique antiquis.

7. *Aliquantulum eſſet relictum.*] Pall. o. item Grut. nec non edd. vett. *aliquantum*.

8. *Per te agebatur.*] Pal. quart. quint. ſext. *cogebatur*. neque aliter codex S. Victoris.

9. *Niſi ad Caſtoris quæſiſſet.*] Auſus ſum mutare lectionem hactenus receptam, quod eam uno ore ferme tuerentur Pall. ſane haud aliter pr. ſec. tert. ſext. nam quart. ſept. oct. *ad Caſtoris templum* quint. *ad quæſtoris templum*, & vero ſimilius eſt typographos finxiſſe *niſi à Quæſtoribus quæſiſſet*.

10. *Simulatque ſibi hic annuiſſet.*] Lambinus reclamantibus, inquit, libris repoſuit, *innuiſſet*. Porro Pal. ſext. ſolum habet, *ſimul annuiſſet*, excluſis intermediis.

11. *Cum auctionem venderet.*] Pal. ſextus *auctione*.

12. *Res eſſe in vadimonium cœpit.*] Dictio *cœpit*, non legitur in Pal. ſec. & forte ſubintelligenda.

13. *Neque quidquam perfectum eſſet.*] Placet illud planè Hotomano. at Pall. tamen meliores, *profectum*.

1. Ante

tendatis, ut ſingulare genus fraudis, & *novam rationem inſidiarum* cognoſcere poſſitis. Ait, ſe auctionatum eſſe in Gallia: quod ſibi videretur, ſe vendidiſſe: curaſſe, ne quid ſibi ſocietas deberet: ſe jam neque vadari amplius, neque vadimonium promittere. ſi quid agere ſecum velit Quintius, non recuſare. Hic, cum rem Gallicanam cuperet reviſere: hominem in præſentia non vadatur. ita ſine vadimonio diſceditur. Deinde Romæ dies XXX ferè Quintius commoratur. cum ceteris, quæ habebat, vadimonia differt, ut expeditus in Galliam proficiſci poſſet. proficiſcitur. Roma egreditur [1] ante diem II. Kalend. Februarii, Scipione & Norbano Coss. Quæſo, ut eum diem memoriæ mandetis. L. Albius, Sext. filius, [2] Quirina, vir bonus, & cum primis honeſtus, unà profectus eſt. Cum veniſſent ad Vada Volaterrana quæ nominantur, vident perfamiliarem Nævii, qui ex Gallia pueros venaleis iſti adducebat, L. Publicium, qui, ut Romam venit, narrat Nævio, quo in loco viderit Quintium. [3] quod niſi ex Publicio [narratum Nævio eſſet, non tam citò res in contentionem veniſſet. Tum Nævius] pueros circum amicos dimittit: ipſe ſuos neceſſarios ab atriis Liciniis, & à faucibus macelli corrogat, ut ad tabulam Sextiam ſibi adſint hora ſecunda poſtridie. veniunt frequentes. [4] teſtificatur iſte, P. QUINTIUM NON STITISSE, ET SE STITISSE. [5] tabulæ maximæ ſignis hominum nobilium conſignantur: diſceditur. poſtulat à Burrieno prætore Nævius, ut *ex edicto bona poſſidere liceat.* Juſſit bona proſcribi ejus, quicum familiaritas fuerat, ſocietas erat, affinitas, *liberis iſtius vivis*, divelli nullo modo poterat. Qua ex re intelligi facilè potuit, NULLUM ESSE officium tam ſanctum, atque ſollemne, quod non avaritia comminuere, atque violare ſoleat. Etenim ſi *veritate* amicitia, *fide* ſocietas, *pietate* propinquitas colitur: neceſſe eſt, iſte, qui amicum, ſocium, affinem, fama ac fortunis ſpoliare conatus eſt, vanum ſe, & perfidioſum, & impium eſſe fateatur. Libellos Sex. Alphenus, procurator P. Quintii, familiaris & propinquus Sex. Nævii, dejicit: ſervulum unum, quem iſte prehenderat, abducit: denunciat, *ſeſe procuratorem eſſe:* iſtum, æquum eſſe famæ, fortuniſque P. Quintii conſulere, & adventum ejus exſpectare. quod ſi facere nolit, [6] atque imbiberit ejuſmodi rationibus illum ad ſuas conditiones perducere, ſeſe nihil precari: &, ſiquid agere velit, judicio defendere. Hæc dum Romæ geruntur, Quintius interea [7] *contra jus, conſuetudinem, edicta prætorum,* de ſaltu, agroque communi à ſervis communibus vi detruditur.

7 Exiſtima, C. Aquilli, modo, & ratione omnia Romæ Nævium feciſſe, ſi hoc, quod per literas iſtius in Gallia geſtum eſt, rectè atque ordine factum videtur. Expulſus, atque ejectus è prædio Quintius, accepta inſigni injuria, confugit ad C. Flaccum imperatorem, qui tum erat in provincia: quem, ut ipſius dignitas poſcit, honoris gratia nomino. Is eam rem quàm vehementer vindicandam putarit, ex decretis ejus poteritis cognoſcere. Alphenus interea Romæ cum iſto gladiatore vetulo quotidie pugnabat. utebatur populo ſanè ſuo, propterea [8] quod iſte *caput petere* non deſinebat. [9] Iſte poſtulat, ut *procurator* judicatum ſolvi ſatiſdaret. negat Alphenus, æquum eſſe, procuratorem ſatiſdare, quòd *reus* ſatiſdare non deberet, ſi ipſe adeſſet. Appellantur tribuni. [10] à quibus cùm eſſet certum auxilium petitum, [11] ita tamen diſceditur, ut idibus Septembribus [12] P. Quintium ſiſti Sext. Alphenus promitteret. Venit Romam Quin- 8

tius: vadimonium ſiſtit. Iſte, homo acerrimus, bonorum poſſeſſor, expulſor, ereptor, annum, & ſex menſeis nihil petit: quieſcit: conditionibus hunc, quoad poteſt, producit: à Cn. Dolabella denique prætore poſtulat, ut ſibi Quintius judicatum ſolvi ſatiſdet, ex formula, Quod ab eo petat, [13] QUONIAM EJUS, EX EDICTO PRÆTORIS, BONA DIES XXX. POSSESSA SINT. non recuſabat Quintius, quin [14] ita ſatiſdare juberet, ſi bona poſſeſſa eſſent ex edicto. Decernit: quàm æquum, nihil dico. unum hoc dico, novum: & hoc ipſum tacuiſſe mallem, quoniam utrumque quivis intelligere potuiſſet. [15] jubet P. Quintium ſponſionem cum Sex. Nævio facere. [16] SI BONA SUA EX EDICTO P. BURRIENI PRÆTORIS DIES XXX. POSSESSA ESSENT. Recuſabant qui aderant tum Quintio. demonſtrabant, de re judicium fieri oportere, ut aut uterque inter ſe, aut neuter ſatiſdaret: non neceſſe eſſe famam alterius in judicium venire. Clamabat porrò ipſe Quintius, ſeſe idcirco nolle ſatiſdare, ne videretur judicaſſe bona ſua ex edicto poſſeſſa eſſe. ſponſionem porrò ſi iſtiuſmodi faceret: ſe (id quod nunc evenit) de *capite ſuo priore loco cauſam eſſe dicturum.* Dolabella (quemadmodum ſolent HOMINES NOBILES: ſeu rectè, ſeu perperam facere cœperunt, ita in utroque excellunt, ut nemo noſtro loco natus [17] aſſequi poſſet) *injuriam facere fortiſſimè perſeverat:* [18] aut ſatiſdare, aut ſponſionem jubet facere: & interea recuſanteis noſtros advocatos acerrimè ſubmoveri. Conturbatus ſanè diſcedit Quintius; neque mi- 9

rum, cui hæc optio tam miſera, tamque iniqua daretur, ut aut ipſe ſe capitis damnaret, ſi ſatiſdediſſet: aut cauſam capitis, ſi ſponſionem feciſſet, *priore loco diceret*. Cùm in altera re, cauſæ nihil eſſet, quin [19] ſecus judicaret ipſe de ſe; quod *judicium graviſſimum* eſt: in altera ſpes eſſet ad talem tamen virum, judicem, veniendi, unde eo plus opis auferret, quo minus attuliſſet gratiæ: ſponſionem facere maluit: fecit. te judicem, C. Aquilli, ſumſit, ex ſponſo egit. in hoc ſumma judicii, cauſaque tota conſiſtit. Judicium eſſe, C. Aquilli, non de re pecuniaria, ſed de fama, fortuniſque P. Quintii vides. Cùm majores ita conſtituerint, ut QUI PRO CAPITE diceret, is poſteriore loco, diceret: nos inaudita criminatione accuſatorum, [20] priore loco cauſam dicere intelligis: eos porrò, qui defendere conſuerunt, vides accu-

1. *Ante diem* II. *Kalend. Februar.*] Sic edi voluerunt Hotomanus & Lambinus, quod infra cap. 18. repeteretur, *pridie Kalend. Februar.* verum edd. omnes priores, item mſſ. noſtri ſex ſeptem, palam habent, vel IIII. *Kalend.* vel *quartam Kal.*

2. *Quirina.*] Eædem edd. item mſſ. *Quirinas.*

3. *Quod niſi ex Publicio* [*narratum*, &c.] Lectio corruptiſſima, neque Ciceronis. Gruteri enim mſ. ſolummodò habebat, *quod ubi ex Publicio agnorit, pueros circum,* omiſſis intermediis. Equidem nihil deeſſe puto, Tulliumque, apoſiopeſi uſum, ſcripſiſſe: *quod ubi ex Publicio; pueros circum, amicos,* &c.

4. *Teſtificatur iſte, P. Quintium non ſtitiſſe, & ſe ſtitiſſe.*] Eſt ab Hotomani libro & Manutii conjectura, adverſantibus nihilominus editionibus prioribus & mſſ. noſtris, nam cuſi retro: *teſtificantur iſti P. Quintum non ſtetiſſe, & ſe ſtetiſſe.*

5. *Tabulæ maximæ ſignis.*] Annotat Gulielmius in S. Victoris fuiſſe, *maximè.*

6. *Atque imbiberit ejuſmodi rationibus.*] Sic aliorum mſſ. vulgati prius, *inbibuerit*; alii, *inhiberit.*

7. *Contra jus, conſuetudinem, edicta Prætorum.*] Priores edd. *contra jus & conſuetudinem, edicto Prætoris.*

8. *Quod iſte caput petere,* &c.] Gulielmius annotat fortè legendum *iſti*, ſed nihil variant mſſ. noſtri.

9. *Iſte poſtulat ut,* &c.] Editiones primæ, item Pal. quart. ſext. *poſtulabat.*

10. *A quibus cum eſſet certum auxilium petitum.*] Vox ultima, non ſatisfacit mihi. videtur prius ejus loco fuiſſe, *vetitum.* ſed ſic non cohæret prioribus.

11. *Ita tamen diſceditur.*] Sic Pal. pr. ſed ſolus. ceteri enim, ut & edd. primæ *ita tum.*

12. *P. Quintium ſiſti.*] Verbum *ſiſti* non viſitur in Pal. ſec. aut tertio.

13. *Quoniam ejus ex edicto Prætoris bona dies* XXX.] Hæc eſt lectio libri S. Victoris, meliorum mſſ. Pall. alii habent, vel *Prætoris R.* vel *Prætoris Romæ*, vel *Prætoris Romani.*

14. *Ita ſatiſdare juberet.*] Clamat Lambinus legendum vel invitis omnibus mſſ. *juberetur.*

15. *Jubet P. Quintium ſponſionem cum Sextio Nævio facere.*] Recepit in contextum Hotomanni conjecturam, *Quintium aut ſatiſdare, aut ſponſionem,* &c. Lambinus.

16. *Si bona ſua ex edicto poſſeſſa eſſent.*] Ita ſolum codex Gruteri; S. enim Victoris, item Pall. ſeptem, *poſſeſſa non eſſent.*

17. *Aſſequi poſſet.*] Neoterici *poſſit.*

18. *At ſatiſdare.*] Palat. quart. quint. ſext. ſept. S. Victoris *ſatiſdaret.*

19. *Secus judicaret ipſe de ſe.*] Mureti liber vetus *ſequitus*, quod malit.

20. *Priore loco cauſam dicere intelligis.*] Editiones vett. & mſſ. noſtri omnes *intelligitis.*

accuſare : & ea ingenia *converti ad perniciem*, quæ antea verſabantur in ſalute atque auxilio ferendo. Illud etiam reſtiterat, quod heſterno die fecerunt, ut [1] te in jus adducerent, ut nobis tempus, quam diu diceremus, præſtitueres: quam rem facilè à prætore impetraſſent, niſi tu, quod eſſet tuum jus, & officium, [2] parteſque docuiſſes. neque nobis adhuc, præter te, quiſquam fuit, ubi noſtrum jus contra illos obtineremus : neque illis umquam ſatis fuit illud obtinere, quod probari omnibus poſſet. ita *ſine injuria potentiam le-*
10 *vem, atque inopem eſſe arbitrantur.* Verùm quoniam tibi inſtat Hortenſius, ut eas in conſilium : à me poſtulat, ne dicendo tempus abſumam : queritur, priore patrono cauſam defendente, numquam perorari potuiſſe : non patiar, iſtam manere ſuſpicionem, nos rem *judicari nolle.* nec illud mihi arrogabo, me poſſe cauſam commodiùs demonſtrare, quàm antea demonſtrata ſit : neque tamen tam multa verba faciam : propterea quod & ab illo, qui antè dixit, *informata jam cauſa* eſt : & à me, qui neque excogitare, neque pronuntiare multa poſſum, brevitas poſtulatur, quæ mihimet ipſi amiciſſima eſt. Faciam, quod te ſæpe animadverti facere, Hortenſi : totam cauſæ meæ dictionem certas in parteis dividam. Tu id ſemper facis, quia ſemper potes. ego in hac cauſa faciam, propterea quòd in hac videor poſſe facere. Quod tibi natura dat, ut ſemper poſſis, [3] id mihi cauſa concedit, ut hodie poſſim. Certos mihi fineis, terminoſque conſtituam, extra quos egredi non poſſum, ſi maximè velim : ut & mihi ſit propoſitum de quo dicam : & Hortenſius habeat expoſita, ad quæ reſpondeat, & tu, C. Aquilli, jam antè animo proſpicere poſſis, quibus de rebus auditurus ſis. Negamus, te bona P. Quintii, Sexte Nævi, *poſſediſſe ex edicto prætoris.* [4] in eo ſponſio facta eſt. Oſtendam primùm, cauſam non fuiſſe, cur à prætore poſtulares, ut bona P.Quintii poſſideres : deinde ex edicto te poſſidere non potuiſſe : poſtremò, non poſſediſſe. Quæſo, C.Aquilli, voſque, qui eſtis in conſilio, ut, quid pollicitus ſim, diligenter memoriæ mandetis. etenim rem faciliùs totam accipietis, ſi hæc memineritis : & me facilè veſtra exiſtimatione revocabitis, ſi extra hos cancellos egredi conabor, quos, mihi ipſe circumdedi. Nego fuiſſe cauſam, cur poſtularet : nego ex edicto poſſidere potuiſſe : nego poſſediſſe.
11 hæc tria cùm docuero, perorabo. *Non fuit cauſa, cur poſtulares.* Quî hoc intelligi poteſt ? quia Sex. Nævio neque ex ſocietatis ratione, neque privatim quidquam debuit Quintius. Quis huic rei teſtis eſt ? idem, qui acerrimus adverſarius. In hac re te, te inquam, teſtem, Nævi, citabo. Annum, & eo diutiùs, poſt mortem C.Quintii [5] fuit in Gallia tecum ſimul Quintius. doce, te petiiſſe ab eo iſtam neſcio quam, innumerabilem pecuniam ; doce, aliquando mentionem feciſſe : dixiſſe deberi. debuiſſe concedam. Moritur C.Quintius : qui tibi, ut ais, [6] certis nominibus grandem pecuniam debuit. heres ejus P. Quintius in Galliam ad te ipſum venit in agrum communem : eo denique, [7] ubi non modò *res* erat, ſed *ratio* quoque omnis, & omnes *literæ.* Quis tam diſſolutus in re familiari fuiſſet, quis tam negligens, quis tam tui, Sexte, diſſimilis, qui, cùm res ab eo, [8] quicum contraxiſſet, receſſiſſet, & ad heredem perveniſſet, non heredem, cùm primùm vidiſſet, certiorem faceret ? appellaret ? rationem afferret ? ſiquid in controverſiam veniret, aut *intra parietes*, aut *ſummo jure* experiretur? [9] Itane ? quod viri optimi faciunt, ii qui ſuos propinquos, ac neceſſarios, [10] caros & honeſtos eſſe, atque haberi volunt; id Sex. Nævius non faceret, qui uſque eò [11] fervet, ferturque *avaritia*, ut de ſuis commodis [12] aliquam partem nolit amittere, [13] ne quam partem huic propinquo ſuo ullius ornamenti relinquat ? Et is pecuniam, ſi qua deberetur, non peteret, qui, quia, quod debitum numquam eſt, id datum non eſt, non *pecuniam* modò, verùm etiam hominis propinqui *ſanguinem*, vitamque eripere conatur ? Huic tu moleſtus eſſe videlicet noluiſti, quem nunc reſpirare liberè non ſinis ? quem nunc interficere nefariè cupis, [14] eum tu pudenter appellare nolebas ? Ita credo. hominem propinquum, tui obſervantem, virum bonum, pudentem, majorem natu, nolebas, aut non audebas appellare. ſæpe, ut fit, cùm ipſe te confirmaſſes, cùm ſtatuiſſes de pecunia mentionem facere, cùm paratus, meditatuſque veniſſes; homo timidus, *virginali verecundia*, ſubitò ipſe te retinenebas : excidebat repentè oratio. cùm cuperes appellare,
non audebas, ne invitus audiret. id erat profectò. Credamus 12
hoc, Sex. Nævium, cujus caput oppugnet, ejus auribus pepercisse. Si debuiſſet, Sexte, petiſſes ſtatim ; ſi non ſtatim, paullo quidem poſt ; ſi non paulo, at aliquantò ; ſex quidem illis menſibus profectò ; anno vertente ſine controverſia. Anno & ſex menſibus verò, cùm tibi quotidie poteſtas hominis fuiſſet admonendi, verbum nullum facis. biennio jam confecto ferè, appellas. Quis tam perditus, ac profuſus nepos, non adeſa jam, ſed abundanti etiam pecunia, ſic diſſolutus fuiſſet, ut fuit Sex. Nævius ? Cùm hominem nomino, ſatis mihi videor dicere. Debuit tibi C. Quintius : numquam petiſti. mortuus eſt ille : res ad heredem venit. cùm eum quotidie videres, poſt biennium denique appellas. Dubitabitur, utrum ſit probabilius, Sex. Nævium ſtatim, ſi quid deberetur, petiturum fuiſſe : an, ne appellaturum quidem biennio ? *Appellandi tempus non erat?* [15] At tecum plus annum vixit. *In Gallia agi non potuit ?* At & in provincia jus dicebatur; & Romæ judicia fiebant. Reſtat, ut aut ſumma *negligentia* tibi obſtiterit, aut unica *liberalitas.* Si negligentiam dices : mirabimur. ſi bonitatem : ridebimus. neque præterea quid poſſis dicere, invenio. Satis eſt argumenti, nihil eſſe debitum Nævio, quod tamdiu
nihil petivit. Quid ſi hoc ipſum, quod nunc facit, oſtendo 13
teſtimonio eſſe, nihil deberi ? quid enim nunc agit Sex. Nævius ? qua de re controverſia eſt? quod eſt hoc judicium, in quo jam biennium verſamur ? quid negotii geritur, in quo ille tot, & taleis viros defatigat ? *Pecuniam petit.* Nunc denique ? [16] *verum tamen petit.* audiamus. De *rationibus & controverſiis ſocietatis vult dijudicari.* Serò. verùm aliquando tamen :

---

1. *Te in jus adducerent.*] Pal. ſec. tert. edd. antiquæ *educerent*, placuitque Gulielmio, confirmatque loco Orat. pro Plancio cap. 23. pr.

2. *Parteſque docuiſſes.*] Iidem cuſi, iidem mſſ. *teſteſque docuiſſet*, niſi quod Pal. quart. eraſerit *que*, abſitque libro S. Victoris.

3. *Id mihi cauſa concedit.*] Ita omnes Pall. præter primum, ita edd. priſcæ, ita mſſ. quos excuſſit Hotomanus, Gulielmius, ita Grut. poſt cuſi, *cauſa dat.* cur obſecro ?

4. *In eo ſponſio facta eſt.*] Lambinus è mſſ. ut ait ; *in ea verba* ; ſed præter edd. omnes & membranas noſtras.

5. *Fuit in Gallia tecum.*] S. Victor. & Palat. ſec. tert. *Galliam.* quod retinet Gulielmius.

6. *Certis nominibus.*] Inepte heic Lambinus ſollicitat receptam lectionem, laudatque *reſtis*, contra edd. omnes & mſſ. noſtros.

7. *Ubi non modo res erat.*] Vocula *erat*, non exſtat in Pal. ſecund. aut tert.

8. *Qui cum contraxiſſet.*] Haud aliter cuſi avorum ævo publicati, item liber S. Victoris, & Pal. quart. alii noſtri *qui contraxiſſet* ; ut & medii editiones.

9. *Ita ne ? quod viri optimi faciunt, ii qui ſuos, &c.*] Reſtitutio debita libro Mureti, prodiditque eam lib. XVI. Var. lect. cap. vulgati : *Itane eſt ? quod viri optimi faciunt, ſi qui ſuos, &c.* Hotomanus heic mirè hærebat.

10. *Caros & honeſtos eſſe.*] Rectè. neque ſecus mſſ. noſtri.

11, *Fervet ferturque avaritia.*] Pal. ſec. ac tert. *fervit.* quint. & ſext. *& ferturque.* fuit ſcilicet *ecferturque.* itaque reſcribendum fortaſſe *fervit efferturque avaritia.*

12. *Aliquam partem nolit amittere.*] S. Victoris, item Pal. pr. ſec. tert. *velit.* & ceteri, *omittere*, vel *committere.*

13. *Ne quam partem huic propinquo.*] Lambinus, *ut aliquam*, ex mſ. ut ait. verum tale nihil in noſtris.

14. *Eum tu pudenter.*] Ita major pars mſſ. alii *tum* ; edd. vetuſtæ habent, *impudenter.* cui etiam ſua vis, imò & gratia.

15. *At tecum plus annum vixit.*] Ita potiſſima pars Palatinorum, ita S. Vict. ita Grut. *anno plus* prius vulgabatur. quod item diſplicuerat Hotomano.

16. *Verumtamen petit.*] Si ſequendi iidem codices, reſcribendum *petat.*

1. Et

tamen: concedamus. NON, inquit, id ago, C. Aquilli, neque in eo nunc laboro. pecunia mea tot annos utitur P. Quintius. utatur ſanè: non peto. Quid igitur pugnas? an, quod ſæpe multis in locis dixiſti, ne in civitate ſit? ne locum ſuum, quem adhuc honeſtiſſimè defendit, obtineat? ne numeretur inter vivos? decernat de vita, & ornamentis ſuis omnibus? apud judicem cauſam priore loco dicat: [1] &, eam cùm orarit, tum denique vocem accuſatoris audiat? quid? hoc quò pertinet? ut ocyus ad tuum pervenias? At, ſi id velles, jampridem actum eſſe poterat. Ut *honeſtiore judicio* conflictere: At SINE ſummo ſcelere P. Quintium, propinquum tuum, jugulare non potes. Ut facilius judicium ſit? At neque C. Aquillius de capite alterius libenter judicat, & Q. Hortenſius contra caput non didicit dicere. Quid à nobis autem, C. Aquilli, refertur? Pecuniam petit. negamus deberi. judicium fiat ſtatim: non recuſamus. [2] Numquid præterea? ſi veretur, ut res, judicio facto, parata ſit: judicatum ſolvi *ſatis accipiat.* quibus à me verbis ſatis accipiet, iiſdem ipſe, quod peto, ſatiſdet. actum jam poteſt eſſe, C. Aquilli. jam tu potes diſcedere liberatus moleſtia, propè dicam, non minore, quàm Quintius. Quid agimus, Hortenſi? quid de hac conditione dicimus? poſſumus aliquando, depoſitis armis, ſine periculo fortunarum, de re pecuniaria diſceptare? poſſumus ita rem noſtram perſequi, ut hominis propinqui caput, incolume eſſe patiamur? poſſumus petitoris perſonam capere, accuſatoris deponere? Immò, inquit, abs te ſatis acci-
14 piam: ego autem tibi non ſatiſdabo. Quis tandem nobis iſta *jura tam æqua* deſcribit? quis hoc ſtatuit, quod æquum ſit in Quintium, id iniquum eſſe in Nævium? Quintii bona, inquit, ex edicto prætoris poſſeſſa ſunt. Ergo, id ut confitear, poſtulas; ut, quod numquam factum eſſe judicio defendimus, id, proinde quaſi factum ſit, noſtro judicio confirmemus. Inveniri ratio, C. Aquilli, non poteſt, ut *ad ſuum* quiſque quàm primùm ſine cujuſquam dedecore, infamia, pernicieque perveniat? Profectò, ſi quid deberetur, peteret: non omnia judicia fieri mallet, quàm unum illud, unde hæc omnia naſcuntur. Qui inter tot annos ne appellarit quidem Quintium, cùm poteſtas eſſet agendi quotidie: qui, quo tempore primùm malè agere cœpit, in vadimoniis differendis tempus omne conſumſerit: [3] qui poſtea vadimonium quoque miſſum fecerit, hunc per inſidias vi de agro communi dejecerit: qui, cùm de re agendi, nullo recuſante, poteſtas fuiſſet, ſponſionem de probro facere maluerit: qui, cùm revocetur ad id judicium, unde hæc nata ſunt omnia, conditionem æquiſſimam repudiet. fateatur, ſe non *pecuniam*, ſed *vitam* & ſanguinem petere: is non hoc *palam dicit?* mihi ſi quid deberetur, peterem, atque adeò jampridem abſtuliſſem. nihil hoc tanto negotio, nihil tam invidioſo judicio, nihil tam copioſa advocatione uterer, ſi petendum eſſet: extorquendum eſt [4] invito, atque ingratiis, quod non debet: eripiendum, atque exprimendum eſt: de fortunis omnibus P. Quintius deturbandus eſt: potentes, diſerti, nobiles omnes advocandi ſunt: adhibenda vis eſt *veritati*: [5] minæ jactentur: pericula intendantur: formidines opponantur, ut iis rebus aliquando victus, & perterritus ipſe cedat. Quæ mehercule omnia, cùm, qui contrà pugnent, video, & cùm illum confeſſum conſidero, adeſſe, atque impendère videntur, neque vitari ullo modo poſſe. cùm autem ad te, C. Aquilli, oculos, animumque retuli: quo majore conatu, ſtudioque aguntur, eo *leviora*, infirmioraque exiſtimo. Nihil igitur debuit, ut tu ipſe prædicas. Quid ſi debuiſſet? continuone cauſa fuiſſet, cur à prætore poſtulares, ut bona poſſideres? non opinor id quidem neque *jus eſſe*, neque cuiquam expedire. Quid igitur demonſtrat? vadimonium ſibi ait eſſe deſertum. Ante- 15
quàm doceo, id factum non eſſe, libet mihi, C. Aquilli, ex officii ratione, atque ex omnium conſuetudine rem ipſam, & factum ſimul Sex. Nævii conſiderare. Ad vadimonium non venerat, ut ait, is, quicum tibi *affinitas, ſocietas*, omnes denique cauſæ, & neceſſitudines veteres intercedebant. illicone ad prætorem ire convênit? continuone verum fuit poſtulare, ut ex edicto bona poſſidere liceret? ad hæc extrema, & inimiciſſima jura tam cupidè decurrebas, uti tibi nihil in poſterum, quod gravius, atque crudelius facere poſſes, reſervares? Nam QUID HOMINI poteſt turpius, quid viro miſerius, aut acerbius uſu venire: quod tantum evenire dedecus: quæ tanta calamitas inveniri poteſt? Pecuniam ſi cuipiam fortuna ademit, aut ſi alicujus eripuit injuria: tamen, dum *exiſtimatio eſt integra*, facilè conſolatur honeſtas egeſtatem. At non nemo aut ignominia affectus, aut judicio turpi convictus, bonis quidem ſuis utitur: [6] alterius opes, id quod miſerrimum eſt, non exſpectat: hoc tamen in miſeriis adjumento & ſolatio ſublevatur. Cujus verò bona venierunt: cujus non modò illæ ampliſſimæ fortunæ, ſed etiam victus, veſtituſque neceſſarius ſub præcone cum dedecore ſubjectus eſt: is non modo ex numero vivorum exturbatur: ſed, ſi fieri poteſt, [7] infra etiam mortuos amandatur. Etenim MORS HONESTA ſæpe vitam quoque turpem exornat: vita turpis [8] ne morti quidem honeſtæ locum relinquit. Ergo hercule, cujus bona ex edicto poſſidentur, hujus omnis fama, & exiſtimatio cum bonis ſimul poſſidetur: de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, [9] huic ne *perire quidem certè tacitè*, obſcureque conceditur. cui magiſtri fiunt, & domini conſtituuntur: qui, qua lege, & qua conditione pereat, pronuncient: de quo homine præconis vox prædicat, & pretium conficit, huic acerbiſſimum *vivo, videntique* [10] *funus indicitur*: ſi funus id habendum ſit, quò non amici conveniunt ad exſequias cohoneſtandas, ſed bonorum emtores, ut carnifices, ad reliquias vitæ lacerandas, & diſtrahendas. Itaque majores noſtri rarò id acci- 16
dere voluerunt: prætores, ut conſideratè fieret, comparaverunt. viri boni, cùm palàm fraudantur, cùm experiundi poteſtas non eſt, timidè tamen, & pedetentim iſtuc deſcendunt, vi ac neceſſitate coacti, inviti; multis vadimoniis deſertis, ſæpe illuſi, ac deſtituti. Conſiderant enim, quid & quantum ſit, alterius bona proſcribere. JUGULARE CIVEM, ne jure quidem quiſquam bonus vult. mavult enim commemorare, ſe, cùm poſſet perdere, peperciſſe, quàm, cùm parcere potuerit, perdidiſſe. [11] Hæc in homines alieniſſimos, denique inimiciſſimos, viri boni faciunt, & hominum exiſtimationis, & communis humanitatis cauſa: ut, cùm ipſi nihil alteri ſcientes incommodarint, nihil ipſis jure incommodi cadere poſſit. Ad vadimonium non venit: quis? Propinquus. Si res iſta graviſſima ſua ſponte videretur, tamen ejus atrocitas *neceſſitudinis nomine* levaretur. Ad vadimonium non venit. quis? Socius. etiam gravius aliquid ei deberes concedere: quicum te aut *voluntas* congregaſſet, aut

1. *Et eam cùm orarit.*] Monente Hotomano *perorarit*, ſed invitis mſſ. *orarit*, id eſt, explicarit, ut *inorata cauſa* eſt *inexplicata*. pro Amerino.

2. *Numquid præterea?*] Ita ſolum Pal. ſept. nam quint. *Non quid.* Ceteri *ut quid.*

3. *Qui poſtea vadimonium quoque miſſum fecerit.*] Sic omnes edd. omnes mſſ. noſtri.

4. *Invito atque ingratiis.*] Manavit à Cujacio. inclinabat tamen Gulielmius legere S. Victoris libri fide, *ingrato*, quod & in Pal. pr. ſed ſic nulli è noſtris, neque huic loco convenit.

5. *Minæ jactentur.*] Pal. quart. quint. ſext. ſept. Grut. & S. Victoris, item editio Veneta anni CCCCLXXX. *locentur.*

6. *Alterius opes non exſpectat.*] Manuſcripti Hotomani, *altiores*,

7. *Infra etiam mortuos amandatur.*] Membranæ noſtræ omnes uno ore *mandantur.*

8. *Ne morti quidem honeſtæ.*] Hotomanus divinat, *quidem obſcuræ.*

9. *Huic ne perire quidem certè tacitè, obſcureque conceditur.*] Nihil horum agnoſcit Pal. ſec. aut tert.

10. *Funus indicitur.*] Sic Pal. pr. ſec. tert. item edd. antiquiores. nam Victoriana & ſeqq. *ducitur.* quomodo exſtat in ceteris Pall. & Gruter.

11. *Hæc in homines alieniſſ. denique inimiciſſ. &c.*] Lambini hìc ſpecta temeritatem!

aut *fortuna* conjunxiſſet. Ad vadimonium non venit. quis? Is, qui tibi præſtò ſemper fuit. Ergo in eum, qui ſemel hoc commiſit, ut tibi præſtò non eſſet, omnia tela conjeciſti, quæ parata ſunt in eos, qui permulta malè agendi cauſa, fraudandique fecerunt? [1] Si dupondius tuus ageretur, Sex. Nævi, ſi [2] in parvula re captionis aliquid vererere, non ſtatim ad C. Aquillium, aut ad eorum aliquem, qui conſuluntur, concurriſſes? Cùm jus amicitiæ, ſocietatis, affinitatis ageretur: cùm officii rationem, atque exiſtimationis duci conveniret: eo tempore tu non modò [3] ad C. Aquillium, aut L. Lucullum, [ſed ne ipſe quidem te conſuluiſti] ſed ne ipſe quidem ad te retuliſti: ne hæc quidem tecum locutus es: HORÆ DUÆ fuerunt. Quintius ad vadimonium non venit. quid ago? Si mehercule hæc tecum duo verba feciſſes, QUID AGO? reſpiraſſet cupiditas, atque avaritia paullulum: aliquid loci rationi & conſilio dediſſes: tu te collegiſſes: non in eam turpitudinem veniſſes, ut hoc tibi eſſet apud taleis viros *confitendum*, qua tibi vadimonium non ſit obitum, eadem te hora conſilium cepiſſe, hominis

17 propinqui fortunas funditus evertere. Ego pro te [4] nunc hoc conſulo poſt tempus in aliena re, quod tu in tua re, cùm tempus erat, conſulere oblitus es. QUÆRO ABS TE, C. Aquilli, L. Luculle, P. Quintili, M. Marcelle: vadimonium mihi non obiit quidam ſocius, & affinis meus, quicum mihi neceſſitudo vetus: controverſia de re pecuniaria recens intercedit. poſtulone à prætore, ut ejus bona mihi poſſidere liceat? an, cùm Romæ domus ejus, uxor, liberi ſint, domum potius denuntiem? Quid eſt, quòd hac tandem de re vobis poſſit videri? Profectò ſi rectè veſtram bonitatem atque prudentiam cognovi, non multùm me fallit, ſi conſulamini, quid ſitis reſponſuri: primùm, EXSPECTARE: deinde, ſi latitare, ac diutius ludificare videatur, amicos convenire: quærere, quis procurator ſit: domum denuntiare. dici vix poteſt, quàm multa ſint, quæ reſpondeatis ante fieri oportere, [5] quàm ad hanc rationem extremam neceſſariam devenire. Quid ad hæc Nævius? ridet ſcilicet noſtram amentiam, qui in vita ſua *rationem ſummi officii* deſideremus, & inſtituta bonorum virorum requiramus. Quid mihi, inquit, cum iſta ſumma ſanctimonia, ac diligentia? viderint, inquit, iſta officia viri boni: de me autem ita conſiderent: non, quid habeam, ſed quibus rebus invenerim, quærant: & quemadmodum natus, & quo pacto educatus ſim, memini. vetus eſt, DE SCURRA MULTO FACILIUS DIVITEM, QUAM PATREMFAMILIAS FIERI POSSE. Hæc ille, ſi verbis non audet, re quidem vera palàm loquitur. Etenim ſi vult virorum bonorum inſtituto vivere, multa oportet diſcat, atque dediſcat: quorum *illi ætati*

18 utrumque difficile eſt. Non dubitavi, inquit, cùm vadimonium deſertum eſſet, bona proſcribere. Improbè: verùm, quoniam tu id tibi arrogas, & concedi poſtulas, concedamus. Quid ſi numquam deſeruit? ſi iſta cauſa abs te tota per ſummam fraudem, [6] & malitiam ficta eſt? ſi vadimonium omnino tibi cum P. Quintio nullum fuit? quo te nomine appellemus? improbum? at, etiam ſi deſertum vadimonium eſſet, tamen in iſta poſtulatione, & proſcriptione bonorum, improbiſſimus reperiebare. [7] num malitioſum? negas. fraudulentum? jam id quidem arrogas tibi, & præclarum putas. audacem? cupidum? perfidioſum? vulgaria & obſoleta ſunt: res autem nova, atque inaudita. Quid ergo eſt? vereor mehercule, ne aut gravioribus utar verbis, quam *natura* fert, aut levioribus, quam *cauſa* poſtulat. Ais eſſe vadimonium deſertum. Quæſivit à te ſtatim ut Romam rediit Quintius, quo die vadimonium iſtuc factum eſſe diceres. reſpondiſti ſtatim, Nonis Feb. Diſcedens in memoriam rediit Quintius, quo die Roma in Galliam profectus ſit. ad ephemeridem revertitur. invenitur dies profectionis, prid. Kal. Feb. Nonis Feb. ſi Romæ fuit, cauſæ nil dicimus, quin tibi vadimonium promiſerit. Quid? hoc inveniri qui poteſt? profectus eſt unà L. Albius, homo cum primis honeſtus. dicet teſtimonium. [8] Profecuti ſunt familiares & Albium, & Quintium, dicent hi quoque teſtimonium. litteræ P. Quintii, teſtes tot, quibus omnibus cauſa juſtiſſima eſt, cur ſcire potuerint: nulla, cur mentiantur, cum adſtipulatore tuo comparabuntur. Et in hac ejuſmodi cauſa P. Quintius laborabit? & diutius in tanto metu miſer, periculoque verſabitur? & vehementius eum *gratia adverſarii* perterrebit, quàm *fides judicis* conſolabitur? Vixit enim ſemper incultè, atque horridè: natura triſti, ac recondita fuit, [9] non ad ſolarium, non in campo, non in conviviis verſatus eſt: id egit, ut amicos obſervantia, rem parſimonia retineret. antiquam officii rationem dilexit, cujus ſplendor omnis *his moribus* obſolevit. At, ſi in cauſa pari diſcedere inferior videretur, tamen eſſet non mediocriter conquerendum. Nunc in cauſa ſuperiore, ne ut par quidem ſit, poſtulat, [10] inferiorem eſſe ſe patitur, duntaxat uſque eò, ne cum bonis, fama, fortuniſque omnibus Sex. Nævii cupiditati, crudelitatique *dedatur*. Docui, quod primum pol- 19
licitus ſum, C. Aquilli, cauſam omnino, cur poſtularet, non fuiſſe: quod neque pecunia debebatur: &, ſi maximè deberetur, commiſſum nihil eſſe, quare ad iſtam rationem perveniretur. Attende nunc, ex edicto prætoris, bona P. Quintii poſſidere nullo modo potuiſſe. [11] Recita edictum: QUI FRAUDATIONIS CAUSA LATITARIT. Non eſt is Quintius: [12] niſi ſi *latitant*, qui ad negotium ſuum, relicto procuratore, proficiſcuntur. CUI HERES NON EXSTABIT. Ne is quidem. QUI EXSULII CAUSA [13] SOLUM VERTERIT. Quo tempore exiſtimas oportuiſſe, Nævi, abſentem Quintium defendi, aut quomodo? tum, cum poſtulabas, ut bona poſſideres? nemo affuit. neque enim quiſquam divinare poterat, te poſtulaturum: neque quemquam attinebat id recuſare, [14] quod prætor non fieri, ſed ex edicto ſuo fieri jubebat. Qui locus igitur *abſentis defendendi* procuratori primus datus eſt? Cum proſcribebas? Ergo affuit: non paſſus eſt: libellos dejecit Sex. Alphenus. qui primus erat officii gradus,

1. *Si dupondius tuus ageretur.*] Qui ſcilicet tibi provenire ſolebat ex præconio. ita mſſ. noſtri omnes, præter Pal. ſeptimum; in eo erat *Si de prædiis tuis*: quod recentiſſimæ eſt editionis, puta Petri Victorii, aut alterius. certe vetuſtiores omnes *dupondius tuus*, ſed littera quarta *dupundius*, neque aliter Pall. quinque. itaque non eſt quod Lambinus producat *dupondius unus* ex mſſ. ſuis, ut ait.

2. *In parvula re captionis aliquid vereteres.*] Pall. quinque, item S. Vict. & Grut. *captuus*, aut *captivis*. duo præterea *capitis*. an fuit? *capturis*, ut adnotarat Gulielmius.

3. *Ad C. Aquil. ante L. Lucullum* [*ſed &c.*] Quæ uncis circumſcripſi aperte ſunt ſpuria, interpretamentum videlicet *ad te retuliſti*. legendum igitur erat, *tu non modo ad C. Aquilium, aut L. Lucullum; ne ipſe quidem ad te retuliſti*.

4. *Nunc hoc conſulo poſt tempus, & in aliena re, quod tu, &c.*] Non diſplicet mihi Lambinianum, *hos conſuio*, item *quos tu*.

5. *Quam ad hanc rationem extremam, neceſſariam devenire.*] Palat. quint. ac ſept. *neceſſariamque*. Grut. *neceſſitatem*. haud diſplicet tamen Hotomani conjectura, *nec neceſſariam*. Gulielmius malebat, *neceſſario*.

6. *Malitiam ficta eſt.*] MſT. noſtri olimque impreſſi, *facta*.

7. *Num malitioſum? negas.*] Lambinus, *non negas*. noſtri omnes, *non malitioſum negas*.

8. *Profecuti ſunt familiares & Albium & Quintium.*] Sic & omnes mſſ. noſtri, ſine controverſia melius vulgato.

9. *Non ad ſolarium.*] De quo Corraſ. lib. III. Miſcellan. cap. 14. Victorius lib. XXI. Variar. Lect. cap. 13.

10. *Inferiorem eſſe patitur.*] Vulgati, *eſſe ſe patitur*.

11. *Recita edictum.*] Sic quidem vulgo editur; ſed præter olim impreſſos & Pall. & S. Victoris & Grut. in quibus concorditer, *Tractat edictum*; niſi quod Pal. pr. *Tractum edictum*. forſan & *Tractat*, & *Recita*, adjectio eſt librarii.

12. *Niſi ſi latitant.*] Adjeci *ſi* volentibus omnibus mſſ. & antiquius cuſis.

13. SOLUM VERTERIT. *Quo temtore.*] Locum aſteriſco notant pudentiores. Ego tamen puto nihil deeſſe omnino; ſed Ciceronem ea pronuntiatione elocutum illa, QUI EXSULII CAUSA SOLUM VERTERIT; ut Judices atque corona facile intellexerit iſtud non convenire Quintio.

14. *Quod Prætor non fieri, ſed ex edicto ſuo fieri.*] Sic extare in mſſ. & impreſſis omnibus, fatetur Hotomanus; neque aliter eſt in Pal. primo.

dus, ſervatus eſt à procuratore ſumma cum diligentia. Videamus, quæ deinde ſint conſecuta. Hominem P. Quintii deprehendis in publico: conaris abducere. non patitur Alphenus: vi tibi adimit; curat, ut domum reducatur ad Quintium. Hîc quoque ſummè conſtat procuratoris diligentis officium. Debere tibi dicis Quintium. procurator negat. Vadari vis: promittit. In jus vocas: ſequitur. Judicium poſtulas: non recuſat. Quid aliud ſit *abſentem defendi*, ego non intelligo. At quis erat procurator? Credo aliquem ejectum hominem, egentem, litigioſum, improbum, qui poſſet ſcurræ divitis quotidianum convicium ſuſtinere. Nihil minus. Eques Rom. locuples, *ſui negotii benè gerens*: denique is, quem, quoties Nævius in Galliam profectus eſt,
20 procuratorem Romæ reliquit. Et audes, Sex. Nævi, negare, abſentem defenſum eſſe Quintium, cùm eum defenderit idem, qui te ſolebat? &, cùm is judicium acceperit pro Quintio, cui tu & rem, & famam tuam commendare proficiſcens, & concredere ſolebas: conaris hoc dicere, neminem exſtitiſſe, qui Quintium judicio defenderet? Poſtulabam, inquit, [1] ut ſatiſdaret. Injuria poſtulabas. [2] Ita videbare. Recuſabat Alphenus. Ita: verùm prætor decernebat. Tribuni igitur appellabantur. Hîc te, inquit, teneo. [3] non eſt iſtud judicium pati, neque judicio defendere, cùm *auxilium à tribunis petas*. [4] Hoc ego, cùm attendo, qua prudentia ſit Hortenſius, dicturum eſſe eum non arbitror. cùm autem antea dixiſſe audio, & cauſam ipſam conſidero, quid aliud dicere poſſit, non reperio. fatetur enim libellos Alphenum dejeciſſe, vadimonium promiſiſſe, judicium quin acciperet in ea ipſa verba, quæ Nævius edebat, [5] non recuſaſſe; ita tamen, more & inſtituto, per eum magiſtratum, qui auxilii cauſa conſtitutus eſt. Aut hæc facta non ſint, neceſſe eſt: aut C. Aquillius, talis vir, *juratus*, hoc jus in civitate conſtituat, [6] cujus procurator non omnia judicia acceperit, quæ quiſque in verba poſtularit: cujus procurator à prætore tribunos appellare auſus ſit, eum non defendi: ejus bona rectè poſſideri poſſe: ei miſero, abſenti, [7] ignaro fortunarum ſuarum, omnia *vitæ ornamenta* per ſummum dedecus & ignominiam diripi convenire. Quod ſi probari nemini poteſt: illud certè probari omnibus neceſſe eſt, defenſum eſſe judicio abſentem Quintium. Quod cùm ita eſt, ex edicto bona poſſeſſa non ſunt. At enim tribuni pleb. ne audierunt quidem. Fateor, ſi ita eſt, procuratorem [8] decreto prætoris oportuiſſe parêre. Quid ſi M. Brutus interceſſurum ſe dixit palam, niſi quid inter ipſum Alphenum, & Nævium conveniret? videturne interceſſiſſe appellatio tribunorum, [9] non moræ, ſed auxilii cauſa? Quid deinde fit?
21 Alphenus, ut omnes intelligere poſſent, judicio defendi Quintium, nequa ſubeſſe poſſet aliena aut ipſius officio, aut hujus exiſtimatione *ſuſpicio*, viros bonos complures advocat. teſtatur, iſto audiente, ſe pro communi neceſſitudine id primùm petere, ne quid atrocius in P. Quintium abſentem ſine cauſa facere conetur. ſin autem inimiciſſimè, atque infeſtiſſimè contendere perſeveret, ſe paratum eſſe omni recta, atque honeſta ratione defendere, quod petat, non deberi: [10] ſe judicium id, quod edat, accipere. Ejus rei, conditioniſque tabellas obſignaverunt viri boni complures. res in dubium venire non poteſt. fit, rebus omnibus *integris*, neque proſcriptis, neque poſſeſſis bonis, ut Alphenus promittat Nævio, ſiſti Quintium. Venit ad vadimonium Quintius. jacet res in controverſiis, iſto calumniante biennium, uſque dum inveniretur, qua ratione res ab uſitata conſuetudine recederet, & in hoc ſingulare judicium cauſa omnis concluderetur. Quod officium, C. Aquilli, commemorari procuratoris poteſt, quod ab Alpheno præteritum eſſe videatur? Quid affertur, quare P. Quintius abſens negetur eſſe defenſus? An verò id, quod Hortenſium, quia nuper injecit, & quia Nævius ſemper id clamitat, dicturum arbitror, non fuiſſe Nævio *parem certationem* cum Alpheno, illo tempore, illis dominantibus? quod ſi velim confiteri: illud, opinor, concedent, non procuratorem P. Quintii neminem fuiſſe, ſed gratioſum fuiſſe. Mihi autem ad vincendum ſatis eſt, fuiſſe procuratorem, quicum *experiri* poſſet. Qualis is fuerit, ſi modò abſentem defendebat per jus, & magiſtratum, nihil ad rem arbitror pertinere. Erat, inquit, illarum partium. Quid ni? qui apud te eſſet educatus: quem tu à puero ſic inſtituiſſes, [11] ut nobili, ne gladiatori quidem cederet. ſicut tu ſemper ſummè concupiſti: idem volebat Alphenus. ea re tibi cum eo par contentio erat. Bruti, inquit, erat familiaris. itaque is intercedebat. Tu contrà Burrieni, qui injuriam decernebat: omnium denique illorum, qui tum & poterant per vim, & ſcelus plurimùm: &, *quod poterant, id audebant*. An omneis tu iſtos [12] vincere volebas, qui nunc, tu ut vincas, tantopere laborant? aude id dicere non palàm, ſed his ipſis, quos advocaſti. [13] Tametſi nolo eam rem commemorando renovare, cujus omnino rei memoriam omnem tolli funditus, ac deleri arbitror
oportere. Unum illud dico: ſi propter partium ſtudium 22
potens erat Alphenus: potentiſſimus Nævius. Si fretus gratia poſtulabat aliquid iniquius Alphenus: multo iniquiora Nævius impetrabat. Neque enim inter *ſtudium* veſtrum quidquam, ut opinor, interfuit. Ingenio, vetuſtate, artificio tu facilè viciſti. ut alia omittam, hoc ſatis eſt. Alphenus cum iis, & propter eos periit quos diligebat. tu, poſtquam, qui tibi erant amici, *non poterant vincere*: ut amici tibi eſſent, qui vincebant, effeciſti. Quòd ſi tum par tibi jus cum Alpheno fuiſſe non putas, quia tamen aliquem contra te advocare poterat: quia magiſtratus aliquis reperiebatur, apud quem Alpheni cauſa conſiſteret: quid hoc tempore Quintio ſtatuendum eſt? cui neque magiſtratus adhuc æquus inventus eſt, neque judicium redditum eſt *uſitatum*: non conditio, non ſponſio, non denique ulla unquam interceſſit poſtulatio: mitto æqua, verùm ante hoc tempus ne fando quidem audita. De re pecuniaria cupio contendere. non licet. At ea controverſia eſt. Nihil ad me attinet: cauſam capitis dicas, oportet. Accuſa, ubi ita neceſſe eſt. Non, inquit, niſi tu antè, *novo modo*, priore loco dixeris. dicendum neceſſariò eſt: præſtituendæ horæ ad arbitrium noſtrum: [14] judex ipſe arceſſetur. Quid tum? Tu aliquem patronum invenies, homi-

1. *Ut ſatiſdaret.*] Vett. edd. *ſatiſdaretur.* mſſ. noſtri, *ſatiſdarent.* Lambinus *ſatiſdares.*

2. *Ita videbaris.*] Haud aliter edd. priſcæ & mſſ. omnes. Conjiciebat Hotomanus, *jubebaris*, quod admiſit ſtatim Lambinus. Paul. Manutius maluiſſet, *jubebatur.*

3. *Non eſt iſtud judicium pati; neque judicio def.*] Vox *judicium* non exſtat in edd. prioris ævi, abnuuntque Pall. omnes. Pal. ſec. *non eſt iſtud pari judicio defendere*, &c.

4. *Hoc ego cum attendo.*] Edd. Vett. & Pall. omnes, *Hoc ego tecum attendo*, &c.

5. *Non recuſaſſe; ita tamen*, &c.] Gulielmius tentabat, *non recuſaſſe ita; tamen*, &c.

6. *Cujus procurator non omnia judicia acceperit quæ quiſque*, &c.] Putabat legendum ſine negatione Hotomanus.

7. *Ignaro fortunarum ſuarum.*] Vetus liber Hotomani, *ignaro, omnia fortunarum*, &c.

8. *Decreto Prætoris oportuiſſe.*] Sic S. Victoris, neque recedunt Pal. ſec. tert. quàm quod ii duabus litteris *P. R.* unde alii, *Prætoris Romani.* male: conjungenda potius fuerant *PR.* quod eſſet *Prætoris.*

9. *Non moræ ſed auxilii cauſa*] Hotomanus omnino voluit *mortis*; ego *moræ* retineo, quod ſic ſcribatur in Pall. aliquot; aliique præferant *morte.*

10. *Se judicium id quod edat.*] Sic mſſ. Hotomani & noſtri meliores. nam nonnulli, *quod debeat.* vulgatior, *judicis id quod edat.*

11. *Ut nobili, ne gladiatori quidem hæreret.*] Eſt ab editione Victorii. priores *cederet*; primæ *vereretur.* quod item reſtat in Pal. quart. ſext. ſeptim. veniebat mihi in mentem *parceret.* ſed aliud quid latet.

12. *Vincere volebas.*] Hæc eſt lectio omnium ferè ætatum & librorum. Hotomano placebat *nolebas.*

13. *Tametſi.*] S. Vict. & Pal. quint. ſext. *Tamen etſi*, quod non videbatur abſurdum Gulielmio. Supra quoque pro *tantopere laborant*, erat in iiſdem, item quarto & ſexto, *laboras.*

14. *Judex arceſſetur.*] S. Victoris liber ita habuit initio, ſed eo deleto fecit *arcebitur.*

hominem *antiqui officii*, qui ſplendorem noſtrum, & gratiam negligat? pro me pugnabit L. Philippus, eloquentia, gravitate, honore florentiſſimus civitatis: dicet Hortenſius, excellens ingenio, nobilitate, exiſtimatione: aderunt autem homines nobiliſſimi, ac potentiſſimi, quorum frequentiam & conſeſſum non modo P. Quintius, qui de capite decernit, ſed quivis, qui *extra periculum* ſit, perhorreſcat. Hæc eſt iniqua certatio, non illa, qua tu [1] contra Alphenum velitabaris, huic ne ubi conſiſteret quidem contra te, locum reliquiſti. Quare aut doceas oportet, Alphenum negaſſe ſe procuratorem eſſe, non dejeciſſe libellos, judicium accipere noluiſſe: aut, cum hæc ita facta ſint, ex edicto te bona
23 P. Quintii non poſſediſſe concedas. Etenim ſi ex edicto poſſediſti: quæro, cur bona non venierint: cur ceteri ſponſores, & creditores non convenerint. Nemone fuit, cui deberet Quintius? Fuerunt, & complures fuerunt: propterea quòd C. Frater aliquantum æris alieni reliquerat. Quid ergò eſt? Homines erant ab hoc omnes alieniſſimi: & iis debebatur: neque tamen quiſquam inventus eſt tam *inſignitè improbus*, qui violare P. Quintii *exiſtimationem abſentis* auderet. Unus fuit, affinis, ſocius, neceſſarius, Sext. Nævius: [2] qui cùm ipſe ultro deberet, quaſi eximio præmio ſceleris expoſito, cupidiſſimè contenderet, ut per ſe afflictum, atque everſum propinquum ſuum, non modò *honeſtè partis bonis*, verùm etiam communi luce privaret. Ubi erant ceteri creditores? denique hoc tempore ubi ſunt? quis eſt, qui fraudationis cauſa latuiſſe dicat? quis, qui abſentem defenſum neget eſſe Quintium? nemo invenitur. At contrà omnes, quibuscum ratio huic aut eſt, aut fuit, adſunt, defendunt. fides hujus multis locis cognita, ne perfidia Sex. Nævii derogetur, laborant. In hujuſmodi ſponſionem teſteis dare oportebat ex eo numero, qui hæc dicerent: VADIMONIUM mihi deſeruit: me fraudavit: à me nominis ejus, quod infitiatus eſſet, diem petivit: ego experiri non potui: latitavit, procuratorem nullum reliquit. Horum nihil dicitur. *Parantur teſtes*, qui hæc dicant. Verùm, opinor, viderimus, cum dixerint. unum tamen hoc cogitent, ita ſe graveis eſſe, ut ſi veritatem volent retinere, gravitatem poſſint obtinere: ſi eam negligent, ita leves ſint, ut omneis intelligant, *non ad obtinendum mendacium, ſed ad verum probandum, auctorita-*
24 *tem adjuvare.* Ego hæc duo quæro: primùm, qua ratione Nævius ſuſceptum negotium non tranſegerit: hoc eſt, cur bona, quæ ex edicto poſſidebat, non vendiderit: deinde, cur ex tot creditoribus aliis ad iſtam rationem nemo acceſſerit: ut neceſſariò confiteare, neque eorum tam *temerarium* quemquam fuiſſe, neque te ipſum id, quod turpiſſimè ſuſcepiſſes, *perſeverare*, & tranſigere potuiſſe. Quid ſi tu ipſe, Sex. Nævi, ſtatuiſti, bona P. Quintii ex edicto poſſeſſa non eſſe? opinor, tuum teſtimonium, quod in aliena re leve eſſet, id in tua, quoniam contra te eſt, *graviſſimum debet eſſe*. Emiſti bona Sex. Alpheni, L. Sulla dictatore vendente. ſocium tibi in hujus bonis edidiſti Quintium. Plura non dico. Cum eo tu voluntariam ſocietatem coibas, qui te in hereditaria ſocietate fraudarat? & eum judicio tuo comprobabas, quem ſpoliatum fama, fortuniſque omnibus arbitrabare? Diffidebam mehercule, C. Aquilli, ſatis *animo certo*, & confirmato me poſſe in hac cauſa conſiſtere. ſic cogitabam: cùm contrà dicturus eſſet Hortenſius, & cùm eſſet attentè auditurus Philippus, fore, uti permultis in rebus timore prolaberer. Dicebam huic Q. Roſcio, cujus ſoror eſt cum P. Quintio, [3] cùm à me peteret, & ſummè contenderet, ut ſuum propinquum defenderem, mihi perdifficile eſſe contra taleis oratores non modò tantam cauſam perorare, ſed omnino verbum facere conari. Cùm cupidius inſtaret: homini pro amicitia familiarius dixi, mihi videri *ore duriſſimo* eſſe, qui præſente eo geſtum agere conaretur: qui verò cum ipſo contenderent, eos, etiam ſiquid antea recti, aut venuſti habere viſi ſunt, id amittere: nequid mihi ejuſmodi accideret. cùm contra talem artificem dicturus eſſem, me vereri. Tum mihi Roſcius, & alia multa con- 25
firmandi mei cauſa dixit: & mehercule, ſi nihil diceret, tacito [4] ipſo officio, & ſtudio, quòd habebat erga propinquum ſuum, quemvis commoveret. Etenim, cùm artifex ejuſmodi ſit, ut ſolus dignus videatur eſſe, qui *in ſcena ſpectetur:* tum vir ejuſmodi eſt, ut ſolus dignus videatur, qui eò non accedat. Verumtamen, quid ſi, inquit, habes ejuſmodi cauſam, ut hoc tibi planum ſit faciendum, neminem eſſe, qui poſſit biduo, aut ſummum triduo, ſeptingenta millia paſſuum ambulare? tamenne vereris, ut poſſis hæc contra Hortenſium contendere? minimè, inquam. Sed quid id ad rem? Nimirum, inquit, in eo cauſa conſiſtit. Quo modo? Docet me ejuſmodi rem, & factum ſimul Sex. Nævii, quod ſi ſolum proferretur, ſatis eſſe deberet. Quod abs te, C. Aquilli, & à vobis, qui adeſtis in conſilio, quæſo, ut diligenter attendatis. profectò intelligetis, illinc ab initio *cupiditatem* pugnaſſe, & *audaciam:* hinc *veritatem*, & *pudorem*, quoad potuerit, reſtitiſſe. Bona poſtulas, ut ex edicto poſſidere liceat. quo die? te ipſum, Nævi, volo audire: volo, inauditum facinus, ipſius, qui id commiſit, *voce convinci.* Dic Nævi diem. [5] Ante V. Kal. intercalareis. Benè agis. quàm longè eſt hinc in ſaltum veſtrum Gallicanum? Nævi, te rogo. DCC millia paſſuum. Optimè. De ſaltu dejicitur Quintius. quo die? poſſumus hoc quoque ex te audire? Quid taces? dic, inquam, diem. pudet dicere. Intelligo: verùm & *ſero, & ne quicquam pudet.* dejicitur de ſaltu, C. Aquilli, pridie Kalen. intercalareis. biduo poſt, aut ut ſtatim de jure aliquis cucurrerit, non toto triduo CCC millia paſſuum conficiuntur. O rem incredibilem! ô cupiditatem inconſideratam! ô nuntium volucrem! Adminiſtri, & ſatellites Sex. Nævii Româ trans Alpeis in Sebuſianos biduo veniunt. O hominem fortunatum, qui ejuſmodi nuntios, ſeu potius Pegaſos habeat. Hìc ego ſi Craſſi omnes cum 26
Antoniis exſiſtant, ſi tu, L. Philippe, qui inter illos florebas, hanc cauſam voles cum Hortenſio dicere, tamen ſuperior ſim neceſſe eſt. NON enim, quemadmodum putatis, omnia ſunt in *eloquentia*. eſt quædam tamen iſta perſpicua *veritas*, ut eam infirmare nulla res poſſit. An antequam poſtulaſti, ut bona poſſideres, miſiſti, qui curarent, ut dominus de ſuo fundo à ſua familia vi dejiceretur? Utrumlibet elige. alterum incredibile eſt: alterum *nefarium:* & ante hoc tempus utrumque inauditum. Septingenta millia paſſuum vis eſſe decurſa biduo? dic. negas? antè igitur miſiſti. malo. Si enim illud diceres: improbè mentiri viderere. cùm hoc confiteris: id te admiſiſſe concedis, quod *ne mendacio quidem tegere* poſſis. Hoc conſilium Aquillio, & talibus viris, tam cupidum, tam audax, tam temerarium probabitur? Quid hæc amentia, quid hæc feſtinatio, quid hæc immaturitas tanta ſignificat? non vim? non ſcelus? non latrocinium? non denique omnia potiùs, quàm *jus*, quàm *officium*, quàm *pudorem?* Mittis injuſſu prætoris. quo conſilio? juſſurum ſciebas? quid? cùm juſſiſſet, tum mittere nonne poteras? Poſtulaturus eras. Quando? poſt dies XXX. Nempe ſi te nihil impediret: ſi voluntas eadem maneret: ſi valeres: *denique ſi viveres.* Prætor juſſiſſet. Opinor, ſi vellet, ſi valeret, ſi jus diceret, [6] ſi nemo recuſaret, qui ex ipſius decreto, & ſatiſdaret, & judicium accipere vellet. Nam, per deos immortaleis, ſi Alphenus, procurator P. Quintii, tibi tum ſatiſdaret, & judicium accipere vellet: denique *omnia, quæ poſtulares, facere* voluiſſet, quid ageres? revocares eum, quem in Galliam miſeras? At hic quidem jam de fundo expul-

1. *Contra Alphenum velitabaris.*] Eſt a Victorio forſan. ſanè primæ edd. *equitabas.*
2. *Quia cùm ipſe ultrò deberet.*] Mirè heic paratragœdiatur Lamb.
3. *Cùm à me peteret.*] S. Victoris & Pall. plures, *cùm & me pet.* forſan *cùm ex me*, inquit Gulielmius.
4. *Ipſo officio & ſtudio quod habebat erga, &c.*] Vulgò *exhibebat.*
5. *Ante quintum Kalend. intercal. &c.*] Sic Pall. omnes, ſic liber Grut. neque aliter editiones Vett.
6. *Si nemo recuſaret, qui ex ipſius, &c.*] Gulielmius, *& ſatiſdare;* infraque linea tertia delebat *vellet.*

expulſus : jam à ſuis diis penatibus præceps ejectus, jam (quod indigniſſimum eſt) *ſuorum ſervorum manibus*, nuntio atque imperio tuo, violatus eſſet. Corrigeres hæc, ſcilicet, tu poſtea. De cujuſquam vita dicere audes, qui hoc concedas neceſſe eſt, ita te *cæcum cupiditate & avaritia* fuiſſe, ut, cùm poſtea quid futurum eſſet, ignorares, accidere autem multa poſſent: ſpem maleficii præſentis in incerto reliqui temporis eventu collocares? Atque hæc perinde loquor, quaſi ipſo illo tempore, cùm te prætor juſſiſſet ex edicto poſſidere, ſi in poſſeſſionem miſiſſes, debueris, aut potueris P. Quintium de poſſeſſione deturbare.

27 Omnia ſunt, C. Aquilli, ejuſmodi, quivis ut perſpicere poſſit, in hac cauſa *improbitatem*, & *gratiam* cum *inopia*, & *veritate* contendere. Prætor te quemadmodum poſſidere juſſit? opinor ex edicto. Sponſio quæ in verba facta eſt? [1] SI EX EDICTO PRÆTORIS BONA P. QUINTII POSSESSA NON SINT. Redeamus ad edictum. Id quemadmodum jubet poſſidere? Num quid eſt cauſæ, C. Aquilli, quin, ſi longè aliter poſſedit, quàm prætor edixit, iſte ex edicto non poſſederit, ego ſponſione vicerim? Nihil opinor. cognoſcamus edictum. QUI EX EDICTO MEO [2] IN POSSESSIONEM VENERINT. De te loquitur, Nævi, quemadmodum tu putas. ais enim te ex edicto veniſſe. tibi, quid facias, definit: te inſtituit, tibi præcepta dat. Eos ITA VIDETUR IN POSSESSIONE ESSE OPORTERE. Quomodo? QUOD IBIDEM RECTE CUSTODIRE POTERUNT, ID IBIDEM CUSTODIANT. QUOD NON POTERUNT, ID AUFERRE, ET ABDUCERE LICEBIT. Quid tum? DOMINUM, inquit, INVITUM DETRUDERE NON PLACET. Eum ipſum, qui fraudandi cauſa latitet: eum ipſum, quem judicio nemo defendat: eum ipſum, qui cum omnibus creditoribus ſuis malè agat, *invitum de prædio detrudi* vetat. Proficiſcenti tibi in poſſeſſionem prætor ipſe, Sex. Nævi, palàm dicit: ita poſſideto, ut tecum ſimul poſſideat Quintius: ita poſſideto, [3] ut Quintio vis ne afferatur. Quid? tu id quemadmodum obſervas? mitto illud dicere, eum, qui non latitarit, cui Romæ domus, uxor, liberi, procurator eſſet: eum, qui tibi vadimonium non deſeruiſſet: hæc omnia mitto: illud dico, dominum expulſum eſſe de prædio; [4] domino à familia ſua manus allatas eſſe *ante ſuos Lareis familiareis*, [5] hoc dico.

* * * * * * * *

28 * Nævium ne appellaviſſe quidem Quintium, cùm ſimul eſſet, experiri poſſet quotidie: deinde quòd omnia judicia difficillima cum ſumma ſua invidia, maximoque periculo P. Quintii fieri mallet, quàm illud pecuniarium judicium, quod *uno die* tranſigi poſſet: ex quo uno hæc omnia nata, & profecta eſſe concedit. Quo in loco conditionem tuli, ſi vellet pecuniam petere, P. Quintium judicatum ſolvi ſatiſdaturum, dum ipſe, ſi quid peteret, *pari conditione uteretur*. Oſtendi, quàm multa antè fieri convenerit, quàm hominis propinqui bona poſſideri poſtularentur, præſertim cùm Romæ domus ejus, uxor, liberi eſſent, & procurator æquè utriuſque neceſſarius. Docui, cùm deſertum eſſe dicat vadimonium, omninò vadimonium nullum fuiſſe: quo die hunc ſibi promiſiſſe dicat, eo die ne Romæ quidem eum fuiſſe, id teſtibus me pollicitus ſum planum facturum, qui & ſcire deberent, & *cauſam*, *cur mentirentur*, *non haberent*. Ex edicto autem non potuiſſe bona poſſideri, demonſtravi: quod neque fraudandi cauſa latitaſſet, neque exſilii cauſa ſolum vertiſſe diceretur. Reliquum eſt, ut eum nemo judicio defenderit. quod contrà copioſiſſimè defenſum eſſe contendi, non ab homine alieno, neque ab aliquo calumniatore, atque improbo: ſed ab Equite Romano propinquo, & neceſſario ſuo, quem ipſe Sex. Nævius procuratorem relinquere antea conſueſſet: neque eum, ſi *tribunos appellarit*, idcirco minus [6] judicium pati paratum fuiſſe: neque *potentia procuratoris* Nævio jus ereptum: contrà iſtum potentia ſua tum tantummodò ſuperiorem fuiſſe, nunc nobis vix reſpirandi poteſtatem dare. Quæſivi, quæ cauſa fuiſſet, cur bona non veniſ-
ſent, cùm ex edicto poſſiderentur. deinde illud quoque re- 29
quiſivi, qua ratione ex tot creditoribus nemo neque tum idem fecerit, neque nunc contrà dicat, omneſque pro P. Quintio *pugnent*: præſertim cùm in tali judicio teſtimonia creditorum exiſtimentur ad rem maximè pertinere. Poſtea ſum uſus *adverſarii teſtimonio*, qui ſibi eum nuper edidit ſocium, quem, quo modo nunc intendit, ne in vivorum quidem numero tum demonſtrat fuiſſe. Tum illam incredibilem celeritatem, ſeu potiùs audaciam, protuli: confirmavi neceſſe eſſe aut biduo DCC millia paſſuum eſſe decurſa, aut Sextum Nævium diebus compluribus antè in poſſeſſionem miſiſſe, quàm poſtularet, [7] uti ei liceret bona poſſidere. Poſtea recitavi edictum, quod apertè dominum de prædio detrudi vetaret: in quo conſtitit, Nævium ex edicto non poſſediſſe, cùm confiteretur ex prædio vi detruſum eſſe Quintium. [8] Omninò autem *bona poſſeſſa non eſſe* conſtitui: quod bonorum poſſeſſio ſpectetur non in aliqua parte, ſed in univerſis, quæ teneri, ac poſſideri poſſint. Dixi, Romæ domum fuiſſe, quò iſte ne adſpirarit quidem: ſervos complureis, ex quibus iſte poſſederit neminem: ne attigerit quidem: unum fuiſſe, quem attingere conatus ſit. prohibitum fuiſſe: quieviſſe. In ipſa Gallia cognoſtis in prædia privata Quintii Sex. Nævium non veniſſe. Denique ex ipſo ſaltu, quem, per vim expulſo ſocio, poſſedit, ſervos privatos Quintii non omneis ejectos eſſe. Ex quo, & ex ceteris dictis, factis, cogitatiſque Sex. Nævii, quivis poteſt intelligere, iſtum nihil aliud egiſſe, neque nunc agere, niſi uti *per vim*, per *injuriam*, per *iniquitatem judicii*,
totum agrum, qui communis eſt, ſuum facere poſſit. Nunc 30
cauſa perorata, res ipſa, & periculi magnitudo, C. Aquilli, cogere videtur, ut te, atque eos, [9] qui tibi in conſilio ſunt, obſecret, obteſteturque P. Quintius per *ſenectutem*, ac *ſolitudinem* ſuam nihil aliud, niſi ut veſtræ naturæ, bonitatique obſequamini: ut, [10] cùm veritas cum hoc faciat, plus hujus inopia poſſit ad *miſericordiam*, quàm illius opes ad *crudelitatem*. Quo die ad te judicem venimus, eodem die illorum minas, quas antè horrebamus, negligere cœpimus. Si cauſa cum cauſa contenderet: nos noſtram perfacilè cuivis probaturos ſtatuebamus. Quòd vitæ ratio cum ratione vitæ decerneret: idcirco nobis etiam magis te judice opus eſſe arbitrati ſumus. Ea res enim nunc [11] in diſcrimen verſatur, utrumne poſſit ſe contra *luxuriam*, ac *licentiam* ruſticana illa, atque inculta parſimonia defendere: an deformata, atque ornamentis omnibus ſpoliata, nuda, cupiditati, [12] petulantiæque addicatur. Non comparat ſe tecum gratia P. Quintius, Sex. Nævi: non opibus, non facultate contendit.

---

1. *Si ex edicto, &c.*] Ita ad unum edd. omnes & mſſ. noſtri.
2. *In poſſeſſionem venerint.*] Vulgata, *venerit.*
3. *Ut Quintio vis ne afferatur.*] Vetus Hotomani codex, *vis non auferatur.* olim publicatum, *jus ne auferatur.*
4. *Domino à familia ſua.*] Lambiniani, *domi.*
5. *Hoc dico.* * *] Liber unus Hotomani præfert heic abſciſſa eſſe duo folia. & multa deſunt. noſtri tamen ſecuti vulgatos, iſthæc omnia continuant. ſolum Pal. pr. habet: *hoc dico Nævium ne appellaſſe quidem.* ceteri; *hoc edicti unum ne appellaſſet quidem*; vel, *hoc edicti numme appellaſſet, &c.*
6. *Judicium pati paratum.*] Sic legit Hotomanus, at enim antiqq. diſerte *judicio pati*, neque aliter Victorius, aut adeò noſtri omnes.
7. *Uti ei liceret bona poſſidere.*] Sic Pall. tres priores; at reliqui, ut & S. Vict. & Grut. item Vett. edd. *uti ejus liceret.*
8. *Omnino autem bona.*] Eſt à libris Hotomani. nam noſtri ſubſcribunt receptæ ſcripturæ, *omnia autem, &c.*
9. *Qui tibi in conſilio ſunt.*] Lambinus *adjunt.* ſed contraeuntibus edd. aliis & mſſ. noſtris.
10. *Cùm veritas cum hoc faciat.*] Eſt puto à Victorio. certè antiquæ edd. *cùm veritas hæc faciat.*
11. *In diſcrimen verſatur.*] Pal. ſextus non admiſit vocem *verſatur.* ceteri eam habent, ſed præterea *in diſcrimine*, legunt.
12. *Petulantiæque addicatur. Non.*] Annotatum eſt ad oram Pal. quart. deeſſe duas dictiones perſcribendas poſt *addicatur*, ſed eas non ponit.

dit. omneis tuas arteis, quibus tu magnus es, tibi concedit. Fatetur, ſe non bellè dicere, [1] non ad voluntatem loqui poſſe: non ab *afflicta amicitia* transfugere, atque ad florentem aliam devolare: non profuſis ſumtibus vivere: non ornare magnificè, ſplendideque convivium: non habere domum clauſam pudori, & ſanctimoniæ: patentem, atque adeò expoſitam cupiditati, & voluptatibus: contrà, ſibi officium, fidem, diligentiam, vitam omninò ſemper horridam, atque aridam cordi fuiſſe. iſta *ſuperiora eſſe*, ac plurimùm poſſe his moribus ſentit. Quid ergo eſt? *non uſque eo tamen*, ut in capite, fortuniſque hominum honeſtiſſimorum dominentur ii, qui relicta bonorum virorum diſciplina, & quæſtum & ſumptum Gallonii ſequi maluerunt, atque etiam, quod in illo non fuit, cum audacia, perfidiaque vixerunt. Si licet vivere eum, quem Sex. Nævius non vult: ſi eſt homini honeſto locus in civitate, invito Nævio: ſi fas eſt reſpirare P. Quintium, contra nutum, ditionemque Nævii: ſi quæ pudore ornamenta ſibi peperit, ea poteſt contra petulantiam, te defendente, obtinere: ſpes eſt & hunc miſerum, atque infelicem, aliquando tandem poſſe conſiſtere. Sin & poterit Nævius id, quod libet, & *ei libebit, quod non licet*: quid agendum eſt? qui deus appellandus eſt? cujus hominis fides imploranda eſt? [2] qui denique queſtus,
31 qui [3] mœror dignus inveniri in calamitate tanta poteſt? MISERUM EST EXTURBARI fortunis omnibus: miſerius eſt, injuria. acerbum eſt ab aliquo circumveniri: acerbius, à propinquo. calamitoſum eſt, bonis everti: calamitoſius, cum dedecore. funeſtum eſt à forti, atque honeſto viro jugulari: funeſtius, ab eo, cujus [4] vox in præconio quæſtu proſtitit. indignum eſt à pari vinci, aut ſuperiore: indignius, ab inferiore, atque humiliore. luctuoſum eſt tradi alteri cum bonis: luctuoſius, inimico. horribile eſt cauſam capitis dicere: horribilius, priore loco dicere. [5] Omnia circumſpexit Quintius, omnia periclitatus eſt, C. Aquilli: non prætorem modò, à quo jus impetraret, [6] invenire non potuit, [7] atque adeò ne unde arbitratu quidem ſuo poſtularet: ſed ne amicos quidem Sex. Nævii: quorum ſæpe, & diu ad pedes jacuit ſtratus, obſecrans per Deos immortaleis, ut aut ſecum jure contenderent, aut injuriam ſine ignominia ſibi imponerent. Denique ipſius *inimici vultum* ſuperbiſſimum ſubiit: ipſius Sex. Nævii lacrymans [8] manum prehendit, in propinquorum bonis proſcribendis exercitatam: obſecravit per fratris ſui mortui cinerem, per nomen propinquitatis, per ipſius conjugem & liberos, quibus propior P. Quintio nemo eſt, [9] ut aliquando miſericordiam caperet; aliquam, ſi non propinquitatis, at ætatis ſuæ; ſi non hominis, at humanitatis rationem haberet: ut ſecum aliquid, integra ſua fama, qualibet, dummodo tolerabili, conditione tranſigeret. Ab ipſo repudiatus, ab amicis ejus non ſublevatus, ab omni magiſtratu agitatus, atque [10] perterritus, quem, præter te appellet, habet neminem: tibi ſe, tibi ſuas omneis opes, fortunaſque commendat: tibi committit exiſtimationem, ac ſpem reliquæ vitæ. Multis vexatus contumeliis, plurimis jactatus injuriis, non *turpis* ad te, ſed *miſer* confugit, è fundo ornatiſſimo dejectus, ignominiis omnibus appetitus, cum illum in ſuis paternis bonis dominari videret, ipſe filiæ nubili dotem conficere non poſſet, *nihil alienum* tamen vita ſuperiore commiſit. Itaque te hoc obſecrat, C. Aquilli, ut, quam exiſtimationem, quam honeſtatem in judicium tuum propè acta jam ætate, decurſaque attulit, eam licet ei ſecum ex hoc loco efferre: ne is, de cujus officio nemo unquam dubitavit, ſexageſimo denique anno, dedecore, macula, turpiſſimaque ignominia notetur: ne ornamentis ejus omnibus Sex. Nævius *pro ſpoliis* abutatur: ne per te ferat, quo minùs, quæ exiſtimatio P. Quintium uſque ad ſenectutem perduxit, eadem uſque ad rogum proſequatur.

M. TULLII CICERONIS PRO SEX. ROSCIO AMERINO, ORATIO SECUNDA.

1 CREDO ego vos, Judices, mirari, quid ſit, quòd, cùm tot ſummi oratores, homineſque nobiliſſimi ſedeant, ego potiſſimùm ſurrexerim, qui neque ingenio, neque auctoritate ſim cum iis, qui ſedeant, comparandus. Omnes enim hi, quos videtis adeſſe in hac cauſa, [1] injuriam novo ſcelere conflatam putant oportere defendi: defendere ipſi *propter iniquitatem temporum* non audent. ita fit, ut adſint, propterea quòd officium ſequuntur: taceant autem idcirco, quia periculum metuunt. Quid ergo? audaciſſimus ego ex omnibus? minime. at tanto officioſior, quàm ceteri? ne iſtius quidem laudis ita ſum cupidus, ut aliis eam præreptam velim. Quæ me igitur res præter ceteros impulit, ut cauſam Sex. Roſcii reciperem? quia, ſi quis iſtorum dixiſſet, quos videtis adeſſe, in quibus *ſumma auctoritas* eſt, atque *amplitudo*: ſi verbum de repub. feciſſet, id quod [2] in hac cauſa fieri neceſſe eſt: *multo plura dixiſſe, quàm dixiſſet, putaretur*. ego etiamſi omnia, quæ dicenda ſunt, liberè dixero, nequaquam tamen ſimiliter oratio mea exire, atque in vulgus emanare poterit. deinde, quòd ceterorum neque dictum *obſcurum* poteſt eſſe, propter nobilitatem & amplitudinem, neque temerè dicto concedi, propter *ætatem*, & *prudentiam*: ego ſi quid liberius dixero, vel occultum eſſe propterea, quòd

1. *Non ad voluntatem loqui poſſe.*] Mallet Lambinus *voluptatem*.

2. *Qui denique queſtus, &c.*] In Pal. ſec. nulla eſt lacuna. ſed in ceteris occurrit vacuum adeo ut aliquid deſit.

3. *Mœror dignus inveniri in calamitate, &c.*] Vocula *in* exſtat in noſtris omnibus; placebat Gulielmio, qui adnotarat ad *dignus*, id eſt *idoneus*.

4. *Vox in præconio quæſtu proſtitit.*] Nuper natæ excluſerant præpoſitiunculam *in*.

5. *Omnia circumſpexit Quintius.*] Pal. prim. ſec. tert. habent heic iterum lacunam duorum verborum.

6. *Invenire non potuit.*] Si ſtandum eſt auctoritate mſſ. abjicienda hinc erit negatio.

7. *Atque adeo ne unde.*] Sic quoque noſtri.

8. *Manum prehendit.*] Reſtitui iterum veterem ſcripturam.

9. *Ut aliquando miſericordiam caperet; aliquem ſi non, &c.*] Lambinus, *miſericordia caperetur*.

10. *Perterritus.*] Sic & Plautus Moſtellaria & Trinummo. Gulielmius.

1. *INjuriam defendere.*] Sic *injuriam decernere*, pro L. Flacco, tametſi reprehendit Lambinus, inquit Gulielmius.

2. *In hac cauſa fieri neceſſe eſt.*] Gulielmius cupiebat deleri vocem *fieri*, tanquam ſupervacuam.

1. *Damnato*

quòd nondum ad remp. acceſſi, vel *ignoſci adoleſcentiæ* meæ poterit: tametſi non modò ignoſcendi ratio, verùmetiam cognoſcendi conſuetudo jam de civitate ſublata eſt. Accedit illa quoque cauſa, quod à ceteris forſitan ita petitum ſit, ut dicerent, ututrumvis *ſalvo officio* ſe facere poſſe arbitrarentur. à me autem ii contenderunt, qui apud me & amicitia, & beneficiis, & dignitate plurimum poſſunt, quorum ego neque benivolentiam erga me ignorare, nec auctorita-
2 tem aſpernari, nec voluntatem negligere debeam. His de cauſis ego huic cauſæ patronus exſtiti, non electus unus, qui maximo ingenio, ſed relictus ex omnibus, qui minimo periculo poſſem dicere: neque uti ſatis firmo præſidio defenſus Sext. Roſcius, verum uti ne omnino deſertus eſſet. Forſitan quæratis, qui iſte terror ſit, & quæ tanta formido, quæ tot, ac taleis viros impediat, quo minus pro capite, & fortunis alterius, quemadmodum conſuerunt, cauſam velint dicere. Quod adhuc vos ignorare non mirum eſt, propterea quòd conſultò ab accuſatoribus, ejus rei, quæ conflavit hoc judicium, mentio facta non eſt. Quæ res ea eſt? bona patris hujuſce Sex. Roſcii, quæ ſunt ſexagies: quæ de viro fortiſſimo, & clariſſimo, L. Sulla, quem honoris cauſa nomino, duobus millibus nummûm ſe dicit emiſſe adoleſcens vel potentiſſimus hoc tempore noſtræ civitatis, Luc. Cornelius Chryſogonus. Is à vobis, judices, hoc poſtulat, ut, quoniam in alienam pecuniam tam plenam, atque præclaram, *nullo jure* invaſerit, quoniamque ei pecuniæ vita Sex. Roſcii obſtare, atque officere videatur, deleatis ex animo ſuo ſuſpicionem omnem, metumque tollatis. ſeſe, hoc incolumi, non arbitratur hujus innocentis patrimonium tam amplum, & copioſum poſſe obtinere: [1] damnato, & ejecto, ſperat ſe poſſe, quod *adeptus eſt per ſcelus, id per luxuriam effundere* atque conſumere. Hunc ſibi ex animo ſcrupulum, qui ſe dies noctesque ſtimulat ac pungit, ut evellatis, poſtulat: [2] ut ad hanc ſuam prædam, tam nefariam, adjutores vos profiteamini. Si vobis æqua, & honeſta poſtulatio videtur, judices: ego contra brevem poſtulationem affero, & (quomodo mihi perſuadeo) aliquantò
3 æquiorem. Primùm à Chryſogono peto, ut pecunia, fortuniſque noſtris contentus ſit, *ſanguinem, & vitam ne petat:* deinde à vobis, judices, ut audacium ſceleri reſiſtatis, innocentium calamitatem levetis, & in cauſa Sex. Roſcii, periculum, *quod in omneis intenditur*, propulſetis. Quòd ſi aut cauſa criminis, aut facti ſuſpicio, aut quælibet denique vel minima res reperietur, quamobrem videantur illi [3] nonnihil tamen in deferendo nomine ſecuti; poſtremò ſi præter eam prædam, quam dixi, quidquam aliud cauſæ inveneritis: non recuſamus, quin illorum libidini Sex. Roſcii vita dedatur. ſin aliud agitur nihil, niſi, ut iis *ne quid deſit, quibus ſatis nihil eſt:* ſi hoc ſolùm hoc tempore pugnatur, ut ad illam opimam, præclaramque prædam damnatio Sex. Roſcii, velut cumulus, accedat: nonne cùm multa indigna, tum vel hoc indigniſſimum eſt, vos idoneos habitos, per quorum ſententias, juſque jurandum id aſſequantur, quod antea ipſi ſcelere & ferro aſſequi conſuerunt? qui ex civitate in ſenatum propter dignitatem, ex ſenatu in hoc conſilium delecti eſtis *propter ſeveritatem*, ab his hoc poſtulare homines ſicarios, atque gladiatores, non modo ut ſupplicia vitent, quæ à vobis pro maleficiis ſuis metuere atque horrere debent: verum etiam ut [4] ſpoliis Sexti hoc judicio
4 ornati, auctique diſcedant? His de rebus tantis, tamque atrocibus, neque ſatis me commodè dicere, neque ſatis graviter conqueri, neque ſatis liberè vociferari poſſe intelligo. Nam commoditati ingenium, gravitati ætas, libertati tempora ſunt impedimento. Huc accedit ſummus *timor*, quem mihi natura, pudorque meus attribuit, & veſtra dignitas & vis adverſariorum, & Sex. Roſcii pericula. Quapropter vos oro, atque obſecro, judices, ut attentè, bonaque cum venia verba mea audiatis. Fide, ſapientiaque veſtra fretus plus oneris ſuſtuli, quàm ferre me poſſe intelligo. hoc onus ſi vos aliqua ex parte allevabitis, feram, ut potero, *ſtudio*, & *induſtria*, judices, ſin à vobis (id quod non ſpero) deſerar: tamen animo non deficiam, & id, quod ſuſcepi, quoad potero perferam, quòd ſi perferre non potero: *opprimi me onere officii malo*, quàm id, quod mihi cum fide ſemel impoſitum eſt, aut propter *perfidiam* abjicere, aut propter *infirmitatem* animi deponere. Te quoque magnopere, M. Fanni, quæſo, ut, qualem te jam antea populo Romano præbuiſti, cum huic idem quæſtioni judex præeſſes, talem te & nobis, &
populo Romano hoc tempore impertias. Quanta multitu- 5
do hominum convenerit ad hoc judicium, vides: quæ ſit omnium mortalium exſpectatio, quæ cupiditas, ut *acria, ac ſevera judicia fiant*, intelligis. Longo intervallo judicium inter ſicarios hoc primùm committitur, cùm interea cædes indigniſſimæ, maximæque factæ ſint. Omnes hanc quæſtionem te prætore de manifeſtis maleficiis, quotidianoque ſanguine [5] haud remiſſius ſperant futuram. Qua vociferatione in ceteris judiciis accuſatores uti conſueverunt, ea nos hoc tempore utimur, qui cauſam dicimus. Petimus abs te, M. Fanni, à vobiſque, judices, ut quàm *acerrimè maleficia vindicetis*: ut quàm fortiſſimè hominibus audaciſſimis reſiſtatis: ut hoc cogitetis, niſi in hac cauſa, qui veſter animus ſit, oſtendetis, eò prorumpere hominum cupiditatem, & ſcelus, & audaciam, ut non modò clàm, verùm etiam hîc in foro, ante tribunal tuum, M. Fanni, ante pedes veſtros, judices, inter ipſa ſubſellia cædes futuræ ſint. Etenim quid aliud hoc judicio tentatur, niſi ut id *fieri liceat*? Accuſant ii, qui in fortunas hujus invaſerunt: cauſam dicit is, cui, præter calamitatem, nihil reliquerunt. Accuſant ii, quibus occîdi patrem Sext. Roſcii, bono fuit: cauſam dicit is, cui non modò luctum mors patris attulit, verùm etiam *egeſtatem*. Accuſant ii, qui hunc ipſum jugulare ſummè cupierunt: cauſam dicit is, qui etiam ad hoc ipſum judicium cum præſidio venit, ne hîc ibidem ante oculos veſtros trucidetur. Denique accuſant ii, quos populus poſcit: cauſam dicit is, qui unus relictus ex illorum nefaria cæde reſtat. Atque ut facilius intelligere poſſitis, judices, ea, quæ facta ſunt, indigniora eſſe, quàm hæc ſunt, quæ dicimus: ab initio, res quemadmodum geſta ſit, vobis exponemus: quo facilius & hujus hominis innocentiſſimi miſerias, & illorum audaciam cognoſcere poſſitis, & *reip. calamitatem*.

Sex. Roſcius, pater hujuſce, municeps Amerinus fuit, cùm 6
genere, & nobilitate, & pecunia non modò ſui municipii, verùm etiam ejus vicinitatis facilè primus, tum gratia atque hoſpitiis florens hominum nobiliſſimorum. Nam cum Metellis, Serviliis, Scipionibus erat ei non modò hoſpitium, verùm etiam domeſticus uſus, & conſuetudo: quas (ut æquum eſt) familias, honeſtatis, amplitudiniſque gratia nomino. itaque ex ſuis omnibus commodis *hoc ſolum filio reliquit*. nam patrimonium domeſtici prædones vi ereptum poſſident: fama, & vita innocentis ab hoſpitibus, amiciſque paternis defenditur. Hic cum omni tempore nobilitatis fautor fuiſſet, tum hoc tumultu proximo, cum omnium nobilium dignitas, & ſalus in diſcrimen veniret, præter ceteros in ea vicinitate eam partem, cauſamque opera, ſtudio, auctoritate defendit. Etenim RECTUM PUTABAT, pro eorum honeſtate ſe pugnare, propter quos ipſe honeſtiſſimus inter ſuos numerabatur. Poſteaquàm victoria conſtituta eſt, ab armiſque receſſimus: cum proſcriberentur homines, atque ex omni regione caperentur, ii, qui *adverſarii* fuiſſe putabantur: erat ille Romæ frequens: atque in foro, & in

1. *Damnato & ejecto ſperat ſe poſſe.*] S. Victoris & Pall. *ſperet.* unde faciebat Gulielmius, *ſpes eſt.*
2. *Ut ad hanc ſuam prædam, &c.*] Sic Pall. & S. Victoris & vetuſtè cuſi. conjecit Hotomannus, *& ad hanc*, quod arripuit avidè Lambinus aliique.
3. *Nonnihil tamen in deferendo, &c.*] Vox *tamen* non eſt in Pal. tert.
4. *Spoliis Sexti hoc judicio ornati.*] Vulgati, *Sex. Roſcii.* ſed nomen alterum non eſt in Pall. aut codice S. Victoris.
5. *Haud remiſſius ſperant futuram.*] Pall. noſtris & edd. antiquis non adeſt *haud.* habentque *demiſſius* ſive *dimiſſius.* S. Victoris, *dimiſſivi.* Supra etiam non agnoſcebant præpoſitionem *de.*

& in ore omnium quotidie verſabatur: magis ut exſultare victoria nobilitatis videretur, quam timere, ne quid ex ea calamitatis ſibi accideret. Erant ei veteres inimicitiæ cum duobus Roſciis Amerinis, quorum alterum ſedere in accuſatorum ſubſelliis video; alterum tria hujuſce prædia poſſidere audio. quas inimicitias ſi tam *cavere* potuiſſet, quàm *metuere* ſolebat, viveret. Neque enim, judices, injuria metuebat. nam duo iſti ſunt T. Roſcii, quorum alteri Capitoni cognomen eſt: iſte, qui adeſt, Magnus vocatur: homines ejuſmodi: alter plurimarum palmarum vetus, ac nobilis gladiator habetur: hic autem nuper ſe ad eum laniſtam contulit, qui cùm ante hanc pugnam [1] *tiro* eſſet ſcientia, facilè
7 ipſum magiſtrum ſcelere, audaciaque ſuperavit. Nam cùm hic Sex. Roſcius eſſet Ameriæ, T. autem iſte Roſcius Romæ: cùm hic filius aſſiduus in prædiis eſſet, cumque ſe voluntate patris rei familiari, vitæque ruſticæ dediſſet: iſte autem frequens Romæ eſſet: occiditur ad balneas Palatinas, rediens à cœna Sextus Roſcius. Spero ex hoc ipſo non eſſe obſcurum, ad quem *ſuſpicio maleficii* pertineat. Verùm id, quod adhuc eſt ſuſpicioſum, niſi perſpicuum res ipſa fecerit, hunc affinem culpæ judicatote. Occiſo Sex. Roſcio, primus Ameriam nunciat [2] Mallius Glaucia quidam, homo tenuis, libertinus, cliens, & familiaris iſtius T. Roſcii: & nuntiat domum, non filii, ſed T. Capitonis, inimici: &, cum poſt horam primam noctis occiſus eſſet, primo diluculo nuncius hic Ameriam venit. decem horis nocturnis ſex & quinquaginta millia paſſuum ciſiis pervolavit; non modò ut *exoptatum inimico nuntium* primus afferret, ſed etiam cruorem inimici, quàm recentiſſimum, telumque paullò antè è corpore extractum oſtenderet. Quatriduo, quo hæc geſta ſunt, res ad Chryſogonum in caſtra Luc. Sullæ Volaterras defertur: magnitudo pecuniæ demonſtratur: bonitas prædiorum, (nam fundos decem & treis reliquit, qui Tiberim ferè omnes tangunt) hujus *inopia & ſolitudo* commemoratur. demonſtrant, cum pater hujuſce, Sex. Roſcius, homo tàm ſplendidus, & gratioſus, nullo negotio ſit occiſus, perfacilè hunc hominem, [3] incautum, & ruſticum, & Romæ ignotum, de medio tolli poſſe. ad eam rem operam ſuam pollicentur. [4] Ne diutius vos teneam, judices,
8 ſocietas coitur. [5] Cùm jam proſcriptionis mentio nulla fieret, & cùm etiam qui anteà metuerant, redirent, ac jam defunctos ſeſe periculis arbitrarentur: hominis ſtudioſiſſimi nobilitatis manceps fit Chryſogonus. tria prædia vel nobiliſſima Capitoni propria traduntur, quæ hodie poſſidet: in reliquas omneis fortunas iſte T. Roſcius nomine Chryſogoni, quemadmodum ipſe dicit, impetum facit. [6] Hæc bona ſexagies H-S. emuntur duobus millibus nummûm. Hæc omnia, judices, *imprudente L. Sulla facta* eſſe [7] certè ſcio. Neque enim mirum, cum eodem tempore & ea, [8] quæ præterita ſunt, & ea, quæ videntur inſtare, præparet: cum & pacis conſtituendæ rationem, & belli gerendi poteſtatem ſolus habeat: cum omnes in unum ſpectent, unus omnia gubernet. cum tot, tantiſque negotiis diſtentus ſit, ut *reſpirare libere non poſſit*: ſi aliquid non animadvertat: cum præſertim tam multi occupationem ejus obſervent, tempuſque aucupentur, [9] ut, ſimul atque ille *deſpexerit*, aliquid hujuſcemodi moliantur. Huc accedit, quòd quamvis ille felix ſit, ſicut eſt: [10] tamen IN TANTA FELICITATE nemo poteſt eſſe in magna familia, qui neminem, neque ſervum, neque libertum improbum habeat. Interea iſte T. Roſcius, vir optimus, procurator Chryſogoni, Ameriam venit: in prædia hujus invadit: hunc miſerum luctu perditum, [11] qui nondum etiam omnia paterno funeri juſta ſolviſſet, nudum ejicit domo, atque focis patriis, diiſque penatibus præcipitem, judices, exturbat: ipſe ampliſſimæ pecuniæ fit dominus. Qui in ſua re fuiſſet egentiſſimus, erat (ut fit) *inſolens in aliena*. Multa palam domum ſuam auferebat: plura clam de medio removebat: non pauca ſuis adjutoribus largè, effuſeque donabat: reliqua, conſtituta auctione, vendebat. Quod Amerinis uſque eò viſum eſt indignum, ut urbe tota 9
fletus, gemituſque fieret. Etenim multa ſimul ante oculos verſabantur: mors hominis florentiſſimi, Sex. Roſcii, crudeliſſima: filii autem ejus egeſtas indigniſſima: cui de tanto patrimonio prædo iſte nefarius ne *iter* quidem *ad ſepulcrum patrium* reliquiſſet: [12] bonorum emtio flagitioſa, flagitioſa poſſeſſio, furta, rapinæ, donationes. Nemo erat, qui non *ardere omnia* mallet, quam videre in Sex. Roſcii, viri optimi, atque honeſtiſſimi, bonis jactantem, ac dominantem T. Roſcium. Itaque decurionum decretum ſtatim fit, UT DECEM-PRIMI proficiſcantur ad L. Sullam, doceantque eum, qui vir Sex. Roſcius fuerit: conquerantur de iſtorum ſcelere, & injuriis: orent, ut & illius mortui famam, & filii innocentis fortunas conſervatas velit. Atque ipſum decretum, quæſo, cognoſcite. DECRETUM DECURIONUM. Legati in caſtra veniunt. intelligitur, judices, id, quod jam ante dixi, *imprudente L. Sulla*, ſcelera hæc, & flagitia fieri. nam ſtatim Chryſogonus & ipſe ad eos accedit, & homines nobileis allegat iis, qui peterent, ne ad Sullam adirent, & omnia Chryſogonum, quæ vellent, eſſe facturum pollicerentur. Uſque adeò autem ille pertimuerat, [13] ut mori mallet, quam de his rebus Sullam doceri. Homines antiqui, qui *ex ſua natura ceteros fingerent*, cùm ille confirmaret, ſeſe nomen Sex. Roſcii de tabulis exemturum, prædia vacua filio traditurum: cumque id ita futurum T. Roſcius Capito, qui in X. legatis erat, appromitteret, crediderunt: Ameriam re inorata reverterunt. Ac primò rem differre quotidie, ac procraſtinare illi cœperunt: deinde aliquanto lentius, nihil agere, atque deludere: poſtremò (id quod facile intellectum eſt) *inſidias vitæ* hujuſce Sex. Roſcii parare; neque ſeſe arbitrari poſſe diutius alienam domino incolumi obtinere. Quod is ſimulatque ſenſit: de amicorum, cognatorumque 10
ſententia Romam confugit, [14] & ſeſe ad Cæciliam, Nepotis filiam, quam honoris cauſa nomino, contulit, qua pater uſus erat plurimum: in qua muliere, judices, etiam nunc, id quod omnes ſemper exiſtimaverunt, quaſi *exempli cauſa*, veſtigia antiqui officii remanent. Ea Sex. Roſcium inopem, ejectum domo, atque expulſum ex ſuis bonis, fugientem latronum tela, & minas, recepit domum: hoſpitique oppreſſo

1. *Tyro eſſet ſcientia.*] Pall. S. Victor. edd. veteres *tyro eſſet quod ſciam.*

2. *Mallius Glaucia.*] Sic legendum contendit P. Manutius, neque aliter Pal. octavus. duo tamen alii, & olim cuſi *Manlius.*

3. *Incautum & ruſticum & Romæ ignotum.*] Editio antiquiſſima, *& ruſticum & rure & Romæ.* poſterior paullo, *incautum & rure & Romæ.* eſtat tamen vulgata in aliis Pall.

4. *Ne diutius vos teneam.*] Pronomen, *vos*, non eſt in Pall. aut codice S. Victoris. abjecitque Gulielmius.

5. *Cùm jam proſcriptionis mentio nulla fieret, &c.*] Monuit Lipſius libro III. Variorum cap. 6. locum hunc legi in Soſipatro Chariſio, ſine lib. III. Inſtit. Gramm. ſcripti tamen nihil tale præferunt, à quibus abire mihi religio. videatur item de hoc loco Hotomanus lib. IX. obſervat. cap. II.

6. *Hæc bona emuntur ſexagies* H-S, *duobus millibus nummûm.*] Vett. edd. & libri noſtri, *emuntur ſeſtertiorum duobus millibus nummûm.*

7. *Certè ſcio.*] Editi nuper *certò*; ſed contra mſſ. noſtros.

8. *Et ea quæ præterita ſunt, & ea quæ, &c.*] Lambinus ex neſcio quo longè optimo libro, interſerit, *ſunt reparet, & ea &c.* cum nihil ejus exſtet in Vett. edd.

9. *Ut ſimul atque ille deſpexerit.*] Non eſt quod quis verbum iſtud ſollicitet. ſic enim etiam P. Syrus: *Deſpicere oportet quod poſſis deperdere.*

10. *Tamen in tanta felicitate.*] Lambinus & Aldus Nepos abjecere *in* præter libros editos ſcriptoſque.

11. *Qui nondum etiam omnia paterno funeri juſta ſolviſſet.*] Verbum *omnia* revocavimus, quod erat in edd. priſcis, in S. Victor. item Pal. tert. & octavo.

12. *Bonorum emptio flagitioſa, flagitioſa poſſeſſio.*] Lambinus aſſeverat extare in Memmiano repetitum *flagitioſa*, id admiſit Gulielmius. teſtor tamen nihil hujus extare in noſtris.

13. *Ut mori mallet.*] Antonius Auguſtinus, *ut omnia mallet.* quod reprehendit jure Gulielmius.

14. *Et ſeſe ad Cæciliam Nepotis filiam, &c.*] Sic & Pall. & edd. Vett. Lambinus recepit in contextum, Hotomanni conjecturam, *Cæciliam Balearici filiam, Nepotis ſororem.*

1. *Judi-*

oppreſſo jam, deſperatoque ab omnibus, opitulata eſt. Ejus virtute, fide, diligentia factum eſt, ut hic potius vivus in reos, quam occiſus in proſcriptos referretur. Nam poſtquam iſti intellexerunt, ſumma diligentia vitam Sex. Roſcii cuſtodiri, neque ſibi ullam cædis faciundæ poteſtatem dari: conſilium ceperunt plenum ſceleris, & audaciæ, ut nomen hujus de parricidio deferrent: ut ad eam rem aliquem *accuſatorem veterem* compararent, qui de ea re poſſet dicere aliquid, in qua re nulla ſubeſſet ſuſpicio: denique ut, quoniam crimine non poterant, tempore ipſo pugnarent. ita loqui homines: QUOD JUDICIA TAM DIU FACTA NON ESSENT, CONDEMNARI EUM OPORTERE, QUI PRIMUS IN JUDICIUM ADDUCTUS ESSET: huic autem patronos propter Chryſogoni gratiam defuturos: de bonorum venditione, & de iſta ſocietate verbum eſſe facturum neminem: ipſo nomine parricidii, & *atrocitate criminis*, fore, ut hic nullo negotio tolleretur, cum ab nullo defenſus eſſet. Hoc conſilio, atque adeo hac amentia impulſi, quem ipſi, cùm cuperent, non potuerunt occidere, eum jugulandum vobis
11 tradiderunt. Quid primum querar? aut unde potiſſimum [1] judices ordiar? aut quod, aut à quibus auxilium petam? Deorumne immortalium? populine Romani? veſtramne, qui ſummam poteſtatem habetis, hoc tempore fidem implorem? Pater occiſus nefariè, domus obſeſſa, ab inimicis bona ademta, poſſeſſa, direpta: filii vita infeſta, ſæpe ferro, atque inſidiis appetita. quid ab his tot maleficiis ſceleris abeſſe videtur? tamen hæc aliis nefariis cumulant, atque adaugent: crimen incredibile confingunt: teſteis in hunc, & accuſatores *hujuſce pecunia* comparant: hanc conditionem miſero ferunt, [2] ut optet, utrum malit, cervices Roſcio dare, an inſutus [3] in culleum (ſupplicium parricidarum) per ſummum dedecus vitam amittere. Patronos huic defuturos putaverunt: deſunt. qui liberè dicat, qui cum fide defendat, id quod in hac cauſa eſt ſatis, quoniam quidem ſuſcepi, non deeſt profectò, judices. Et forſitan in ſuſcipienda cauſa temere *impulſus adoleſcentia* fecerim: quoniam quidem ſemel ſuſcepi, licet hercules undique [4] omnes in me terrores, periculaque impendeant omnia; ſuccurram, atque ſubibo. Certum eſt, deliberatumque, quæ ad cauſam pertinere arbitror, omnia non modò dicere, verùm etiam libenter, audacter, libereque dicere. [5] nulla res tanta exſiſtat, judices, ut poſſit vim mihi majorem adhibere *metus*, quàm *fides*. Etenim quis tam diſſoluto animo eſt, qui hæc cùm videat, tacere, ac negligere poſſit? patrem meum, cùm proſcriptus non eſſet, jugulaſtis: *occiſum in proſcriptorum numerum retuliſtis:* me domo mea per vim expuliſtis: patrimonium meum poſſidetis. Quid vultis amplius? etiamne ad ſubſellia cum ferro, atque telis veniſtis, ut hìc aut jugu-
12 letis, [6] aut condemnetis Sex. Roſcium? Hominem longè audaciſſimum nuper habuimus in civitate C. Fimbriam, &, quod inter omneis conſtat, niſi inter eos, qui ipſi quoque inſaniunt, inſaniſſimum. Is cum curaſſet in funere C. Marii, ut Q. Scævola vulneraretur, vir ſanctiſſimus, atque ornatiſſimus noſtræ civitatis: (de cujus laude neque hìc locus eſt, ut multa dicantur, neque plura tamen dici poſſunt, quàm populus Romanus memoria retinet) diem Scævolæ dixit, poſteaquam comperit, eum poſſe vivere. cùm ab eo quæreretur, quid tandem accuſaturus eſſet eum, quem pro dignitate ne laudare quidam quiſquam ſatis commodè poſſet: ajunt, hominem (ut erat furioſus) reſpondiſſe, *quòd non totum telum corpore recepiſſet.* quo populus R. nihil vidit indignius, niſi ejuſdem viri mortem: quæ tantùm potuit, ut *omneis civeis ſuos perdiderit*, & afflixerit: quos quia ſervare per compoſitionem volebat, ipſe ab iis interemtus eſt. Eſtne hoc illi dicto, atque [7] facto Fimbriæ non ſimillimum? accuſatis Sex. Roſcium. quid ita? quia de manibus veſtris effugit: quia ſe occidi paſſus non eſt. Illud quia in Scævola factum eſt, magis indignum videtur: hoc, quia fit à Chryſogono, [8] num eſt ferendum? Nam per deos immortaleis, quid eſt in hac cauſa, quod defenſionis indigeat? qui locus ingenium patroni requirit, aut oratoris eloquentiam magnopere deſiderat? Totam cauſam, judices, explicemus, atque ante oculos expoſitam conſideremus. ita facillimè quæ res totum judicium contineat, & quibus de rebus nos dicere oporteat, & quid vos ſequi conveniat, intelligetis.
Tres ſunt res, quantum ego exiſtimare poſſum, quæ obſtent 13
hoc tempore Sex. Roſcio: crimen adverſariorum, & audacia, & potentia. Criminis confictionem accuſator Erucius ſuſcepit: audaciæ parteis Roſcii ſibi popoſcerunt. Chryſogonus autem, is, qui plurimum poteſt, *potentia pugnat*. De hiſce omnibus rebus me dicere oportere intelligo. [9] Quid igitur eſt? non eodem modo de omnibus: ideò quòd prima illa res ad meum officium pertinet: duas autem reliquas vobis populus R. impoſuit, ego crimen oportet, diluam vos & audaciæ reſiſtere, & hominum ejuſmodi pernicioſam, atque intolerandam potentiam primo quoque tempore exſtinguere, atque opprimere debetis. Occidiſſe patrem Sex. Roſcius arguitur. Sceleſtum, dii immortales, ac nefarium facinus, atque ejuſmodi, quo *uno maleficio ſcelera omnia complexa* eſſe videantur. Etenim ſi (id quod præclarè à ſapientibus dicitur) VULTU SÆPE LÆDITUR PIETAS: quod ſupplicium ſatis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo *mori ipſum*, ſi res poſtularet, jura divina, atque humana cogebant? in hoc tanto, tam atroci, tam ſingulari maleficio, quod ita raro exſtitit, ut, ſi quando auditum ſit, *portenti*, ac prodigii ſimile numeretur, quibus tandem te, C. Eruci, argumentis accuſatorem cenſes uti oportere? nonne & audaciam ejus, qui in crimen vocetur, ſingularem oſtendere; & mores feros, immanemque naturam; & *vitam vitiis, flagitiiſque omnibus deditam*; & denique omnia ad perniciem profligata, atque perdita? quorum tu nihil in Sex. Roſcium, ne objiciendi quidem cauſa, con-
tuliſti. Patrem occidit Sex. Roſcius. Qui homo? Adole- 14
ſcentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? [10] annos natus magis quadraginta. Vetus videlicet ſicarius, homo audax, *& ſæpe in cæde verſatus.* at hoc ab accuſatore ne dici quidem audiſtis. Luxuries igitur hominem nimirum, & æris alieni magnitudo, & indomitæ animi cupiditates ad hoc ſcelus impulerunt. De luxuria, purgavit Erucius, cum dixit, hunc ne in convivio quidem ullo ferè interfuiſſe. nihil autem umquam debuit. *cupiditates* porrò quæ poſſunt eſſe in eo, qui (ut ipſe accuſator objecit) ruri ſemper habitarit, & in agro colendo vixerit? quæ vita maximè disjuncta à cupiditate, & cum officio conjuncta. Quæ res igitur tantum iſtum furorem Sex. Roſcio objecit? Patri, inquit, non placebat. Patri non placebat? quam ob cauſam? neceſſe eſt enim eam quoque juſtam, & magnam, & perſpicuam fuiſſe. Nam, ut illud incredibile eſt, MORTEM OBLATAM ESSE PATRI à filio ſine plurimis, & maximis cauſis: ſic hoc veriſimile non eſt, ODIO FUISSE parenti filium

1. *Judices ordiar?*] Eſt à Palat. tert. oct. S.Victor. neque aliter edd. Vett. niſi quod tranſpoſita voce, *ordiar judices?* vulgo *exordiar.*

2. *Ut optet, utrum malit, &c.*] Suſpectum mihi prorſus illud *ut optet.*

3. *In culleum (ſupplicium parricidarum) &c.*] Lambinus funditus delevit duas iſtas voces lunulis incluſas, verum reſtant in mſſ. omnibus; hinc ſi fiat, *ſupplicio parricidarum.*

4. *Omnes in me terrores, periculaque.*] Neoterici *terrores, minæ, periculaque*, ſed perperam.

5. *Nulla res tanta exiſtat, judices.*] Propendet & amicus noſter Urſinus, in *exiſtet*, nam pr. *exiſtit*, quomodo & vetuſtius cuſi.

6. *Aut condemnetis Sex. Roſcium?*] Poſtremas voces duas ejecerat Lambinus: ego reſtitui, fide Pall. & aliarum edd.

7. *Facto Fimbriæ non ſimillimum.*] Lambinus, neſcio cujus conjecturâ, *facto Fimbriano ſimillimum.*

8. *Num eſt ferendum?*] Sic hodie paſſim legitur, quod tamen eſt à divinatione Hotomani. vulgati alii, item mſſ. noſtri, *non eſt fer.*

9. *Quid igitur eſt? non eodem modo.*] Paſſeratius atque Hotomanus hæc aliter tranſponunt: ſed edd. aut mſſ. noſtri non variant.

10. *Annos natus magis quadraginta.*] Edd. Vett. *major.* quod videbitur forte admittendum. Gulielmius conjiciebat *annos natu major quadraginta.*

lium ſine cauſis multis, & magnis, & neceſſariis. Rurſus igitur eodem revertamur, & quæramus, quæ tanta vitia fuerint *in unico filio*, quare is patri diſpliceret. At perſpicuum eſt: nullum fuiſſe. Pater igitur amens, qui odiſſet eum ſine cauſa, quem procrearat. At is quidem fuit omnium conſtantiſſimus. Ergo illud jam perſpicuum profectò eſt, ſi neque amens pater, neque perditus filius fuerit: neque *odii*
15 cauſam, patri, neque *ſceleris*, filio fuiſſe. Neſcio, inquit, quæ cauſa odii fuerit: fuiſſe odium intelligo: quia antea, cùm duos filios haberet, illum alterum, qui mortuus eſt, ſecum omni tempore volebat eſſe: hunc in prædia ruſtica relegarat. Quod Erucio accidebat in mala nugatoriaque accuſatione, idem mihi uſu venit in cauſa optima. Ille, quomodo crimen commentitium confirmaret, non inveniebat: ego res tam leveis qua ratione infirmem, ac diluam, reperire non poſſum. Quid ais, Eruci? tot prædia, tam pulcra, tam fructuoſa Sex. Roſcius filio ſuo, *relegationis*, ac ſupplicii gratia, colenda, ac tuenda tradiderat? Quid hoc? [1] Patresfamiliâs, qui liberos habent, præſertim homines illius ordinis, ex municipiis ruſticanis, nonne optatiſſimum ſibi putant eſſe, filios ſuos rei familiari maximè ſervire, & in prædiis colendis operæ plurimum, ſtudiique conſumere? An amandarat hunc ſic, ut eſſet in agro, ac tantummodò aleretur ad villam? ut commodis omnibus careret? Quid ſi conſtat, hunc non modò colendis prædiis præfuiſſe, ſed certis fundis, patre vivo, frui ſolitum eſſe? tamenne [2] hæc attenta vita, & ruſticana, relegatio, atque amandatio appellabitur? Vides, Eruci, quantum diſtet argumentatio tua ab re ipſa, atque à veritate. Quod conſuetudine patres faciunt, id, quaſi novum, reprehendis: quod *benivolentia* fit, id *odio* factum criminaris: quod *honoris* cauſa pater filio ſuo conceſſit, id eum *ſupplicii* cauſa feciſſe dicis. Neque hæc tu non intelligis: ſed uſque eò quid arguas, non habes, ut non modò tibi contra nos dicendum putes, verum etiam contra rerum naturam, contraque conſuetudinem hominum, contraque opiniones om-
16 nium. At enim, cùm duos filios haberet, alterum à ſe non dimittebat, alterum ruri eſſe patiebatur. Quæſo, Eruci, ut hoc in bonam partem accipias. non enim exprobrandi cauſa, ſed commonendi gratia dicam. Si tibi fortuna non dedit, ut patre certo naſcerere, ex quo intelligere poſſes, qui *animus patrius in liberos eſſet*: at natura certè dedit, ut humanitatis non parum haberes. eò acceſſit ſtudium doctrinæ, ut ne à litteris quidem alienus eſſes. Ecquid tandem tibi videtur (ut ad fabulas veniamus) ſenex ille Cæcilianus minoris facere Eutychum, filium ruſticum, quàm illum alterum, Chæreſtratum? (nam, ut opinor, hoc nomine eſt) alterum in urbe ſecum honoris cauſa habere? alterum rus ſupplicii cauſa relegaſſe? Quid ad iſtas ineptias abis? inquies. Quaſi verò mihi difficile ſit, quamvis multos nominatim proferre (ne longiùs abeam) vel tribuleis, vel vicinos meos, qui ſuos liberos, quos plurimi faciunt, *agricolas aſſiduos* eſſe cupiunt. Verum homines notos ſumere, odioſum eſt, cùm & illud incertum ſit, velintne hi ſeſe nominari: & nemo vobis magis notus futurus ſit, quam eſt hic Eutychus: & certè ad rem nihil interſit, utrùm hunc ego comicum adoleſcentem, an aliquem ex agro Vejente nominem. Etenim hæc conficta arbitror à poëtis eſſe, *ut effictos noſtros mores in alienis perſonis, expreſſamque* [3] *imaginem noſtræ vitæ quotidianæ videremus.* Age nunc, refer animum, ſis, ad veritatem, & conſidera, non modò in Umbria, atque in ea vicinitate, ſed in his veteribus municipiis, quæ ſtudia à patribus familiâs maximè laudentur. jam profectò te intelliges inopia criminum ſummam laudem Sex.
Roſcio vitio, & culpæ dediſſe. At non modo hoc patrum 17
voluntate liberi faciunt: ſed permultos & ego novi, & (niſi me fallit animus) unuſquiſque veſtrûm, qui & ipſi incenſi ſunt ſtudio, quod ad agrum colendum attinet: *vitamque* hanc *ruſticam*, quam tu probro, & crimini putas eſſe oportere, & *honeſtiſſimam*, & *ſuaviſſimam* eſſe arbitrantur. Quid cenſes hunc ipſum Sex. Roſcium? quo ſtudio, & qua intelligentia eſſe in ruſticis rebus? ut ex his propinquis ejus, hominibus honeſtiſſimis, audio, non tu in iſto artificio accuſatorio callidior es, quàm hic in ſuo. Verùm, ut opinor, quoniam ita Chryſogono videtur, qui huic nullum prædium reliquit, & artificium obliviſcatur, & ſtudium deponat, licebit. Quòd tametſi miſerum, & indignum eſt, feret tamen æquo animo, judices, ſi per vos vitam, & famam poteſt obtinere. Hoc verò eſt, quòd ferri non poteſt, ſi & in hanc calamitatem venit, propter prædiorum bonitatem, & multitudinem: &, quòd ea ſtudioſè coluit, id erit ei maximè fraudi: ut parum miſeriæ ſit, *quod aliis coluit, non ſibi*, niſi etiam, quod omnino coluit, crimini fuerit.
Næ tu, Eruci, accuſator eſſes ridiculus, ſi illis temporibus 18
natus eſſes, cum ab aratro arceſſebantur, qui conſules fierent. Etenim, qui præeſſe agro colendo flagitium putes, profectò illum Atilium, quem ſua manu ſpargentem ſemen, qui miſſi erant, convenerunt, hominem turpiſſimum, atque inhoneſtiſſimum judicares. At herculè majores noſtri longè aliter & de illo, & de ceteris talibus viris exiſtimabant. itaque EX MINIMA, tenuiſſimaque republ. maximam, & florentiſſimam nobis reliquerunt. *Suos* enim *agros ſtudioſè colebant:* non *alienos cupidè appetebant:* quibus rebus, & agris, & urbibus, & nationibus, remp. atque hoc imperium, & populi Romani nomen auxerunt. Neque ego hæc eò profero, quò conferenda ſint cum hiſce, de quibus nunc quærimus: ſed ut illud intelligatur, cùm apud majores noſtros ſummi viri, clariſſimique homines, qui omni tempore ad gubernacula reip. ſedere debebant, tamen in agris quoque colendis *aliquantum operæ*, temporiſque conſumſerint: ignoſci oportere ei homini, qui ſe fateatur eſſe ruſticum, [4] cum ruri aſſiduus ſemper vixerit: cùm præſertim nihil eſſet, quod aut patri gratius, aut ſibi jucundius, aut re vera honeſtius facere poſſet. Odium igitur acerrimum patris in filium ex hoc, opinor, oſtenditur, Eruci, quòd hunc ruri eſſe patiebatur. numquid eſt aliud? Immò verò, inquit, eſt. nam iſtum *exheredare* in animo habebat. Audio: nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat. nam illa, opinor, tu quoque concedis levia eſſe, atque inepta. Convivia cum patre non inibat. quippe qui ne in oppidum quidem, niſi perrarò, veniret. Domum ſuam iſtum non ferè quiſquam vocabat. nec mirum, [5] qui neque in urbe viveret, neque revocaturus eſſet. Verùm hæc quoque tu 19
intelligis eſſe nugatoria. Illud, quod cœpimus, videamus: quo *certius argumentum odii* reperiri nullo modo poteſt, exheredare pater filium cogitabat. Mitto quærere, qua de cauſa: quæro, quî ſcias: tametſi te dicere, atque enumerare cauſas omneis oportebat: & id erat certi accuſatoris officium, qui tanti ſceleris argueret, explicare omnia vitia, atque peccata filii, quibus incenſus parens potuerit animum inducere, ut naturam ipſam vinceret: ut amorem illum penitus inſitum ejiceret ex animo: ut denique *patrem eſſe ſeſe obliviſceretur.* quæ ſine magnis hujuſce peccatis accidere potuiſſe non arbitror. Verùm concedo tibi, ut ea prætereas, quæ, cùm taces, nulla eſſe concedis. [6] Illum quidem voluiſſe exheredare, certè tu planum facere debes. Quid ergo affers,

1. *Patresfamiliâs.*] Pall. & S. Victoris, *patresfamiliæ*, quomodo rurſus poſt paginam unam alteramque iidem codices.

2. *Hæc attenta vita & ruſtica.*] Editiones rancidæ vetuſtatis, *hæc à te vita.* Pall. pr. & tert. item S. Victoris *hæc attente vita.*

3. *Imaginem noſtræ vitæ quotidianæ.*] Hotomanus annotat ſic legi in libris pleriſque, non *noſtram.*

4. *Cùm ruri aſſiduus ſemper vixerit.*] S. Victoris liber *rure aſſiduos.* unde putabat Gulielmius legi poſſe *aſſiduò.*

5. *Qui neque in urbe viveret, neque revocaturus eſſet.*] Ex Orci cancellis retraxi lectionem hanc priſcam, firmatamq; Pall. noſtris omnibus. mediæ ætatis cuſi, *qui neque in urbe viv. neque rure vocat. eſſet.* Hotom. *evocaturus.* Manut. *quem neque in urbe videret, neque rure voc. eſſet.* conſulatur Gulielmius Quæſt. Plautinis cap. 8. in Amphit.

6. *Illum quidem voluiſſe, &c.*] Fortaſſe fuit *illud*, annotat Gulielmius. idemque ſtatim mallet *edicere*, ubi habemus *dicere*; quod reſtaret in exemplari S. Victoris *ſe dicere.*

1. Legem

afferſ, quare id factum putemus? Verè nihil potes dicere.
Finge aliquid ſaltem commodè: ut ne planè videaris id fa-
cere, quod apertè facis, hujus miſeri fortunis, & horum
virorum talium dignitati illudere. Exheredare filium vo-
luit. Quam ob cauſam? Neſcio. Exheredavitne? Non.
Quis prohibuit? Cogitabat. Cogitabat? cui dixit? Nemi-
ni. Quid eſt aliud, judicio, ac legibus, ac majeſtate veſtra
abuti ad quæſtum, atque ad libidinem, niſi hoc modo accu-
ſare, atque id objicere, quod *planum facere* non modò non
poſſis, verùm ne coneris quidem? Nemo noſtrûm eſt,
Eruci, quin ſciat, tibi inimicitias cum Sex. Roſcio nullas
eſſe. vident omnes, qua de cauſa huic inimicus venias.
ſciunt, hujuſce pecunia te adductum eſſe. Quid ergo eſt?
ita tamen quæſtus te cupidum eſſe oportebat, ut horum
exiſtimationem, & [1] *legem Remmiam* putares aliquid va-
20 lere oportere. ACCUSATORES multos eſſe in civitate utile
eſt, ut metu contineatur audacia. veruntamen hoc ita eſt
utile, ut ne planè illudamur ab accuſatoribus. Innocens eſt
quiſpiam. veruntamen, quamquam abeſt à culpa, ſuſpi-
cione tamen non caret. tametſi miſerum eſt, tamen ei, qui
hunc accuſet, poſſim aliquo modo ignoſcere. cum enim
aliquid habeat, quod poſſit criminoſè, ac ſuſpicioſè dicere,
apertè ludificari, & calumniari ſciens non videatur. Quare
facilè omnes patimur, eſſe quam plurimos accuſatores,
quòd INNOCENS ſi accuſatus ſit, abſolvi poteſt: nocens,
niſi accuſatus fuerit, condemnari non poteſt. Utilius eſt
autem abſolvi innocentem, quam nocentem cauſam non
dicere. *Anſeribus* cibaria publice locantur, & *canes* aluntur
in Capitolio, ut ſignificent ſi fures venerint. At fures in-
ternoſcere non poſſunt. ſignificant tamen, ſi qui noctu in
Capitolium venerint: &, quia id eſt ſuſpicioſum, tametſi
beſtiæ ſunt, tamen in eam partem potiùs peccant, quæ eſt
cautior. Quòd ſi luce quoque canes latrent, cùm deos ſalu-
tatum aliqui venerint: opinor, iis [2] crura ſuffringantur,
quòd acres ſint etiam tum, cum ſuſpicio nulla ſit. Simili-
ma eſt *accuſatorum* ratio. Alii veſtrûm, anſeres ſunt, qui
tantummodò clamant, nocere non poſſunt: alii, canes, qui
& latrare, & mordere poſſunt. Cibaria vobis præberi vide-
mus: vos autem maxime debetis in eos impetum facere,
qui *merentur*, hoc populo gratiſſimum eſt. deinde ſi vole-
tis, etiam tum, cùm veriſimile erit aliquem commiſiſſe,
in ſuſpicione latratote. id quoque concedi poteſt. Sin au-
tem ſic agetis, ut arguatis aliquem patrem occidiſſe, neque
dicere poſſitis, aut quare, aut quomodo; ac tantummodo
ſine ſuſpicione latrabitis: crura quidem vobis nemo ſuffrin-
get: ſed ſi ego hos benè novi, litteram illam, cui vos uſque
eò inimici eſtis, [3] ut etiam *eas omneis oderitis*, ita vehemen-
ter ad caput affigent: ut poſtea neminem alium, niſi fortu-
21 nas veſtras, accuſare poſſitis. Quid mihi ad defendendum
dediſti, bone accuſator? quid hiſce autem ad ſuſpicandum?
Ne exheredaretur, veritus eſt. audio. ſed qua de cauſa ve-
reri debuerit, nemo dicit. Habebat pater in animo. Pla-
num fac. nihil eſt: non, *quicum deliberarit*, quem certio-
rem fecerit, unde iſtud vobis ſuſpicari in mentem venerit.
Cùm hoc modo accuſas, Eruci, nonne hoc palàm dicis?
ego, quid acceperim, ſcio: quid dicam, neſcio. unum il-
lud ſpectavi, quòd Chryſogonus ajebat, neminem iſti pa-
tronum futurum: de bonorum emtione, deque ea ſocietate
neminem eſſe qui verbum facere hoc tempore auderet. Hæc
te opinio falſa in iſtam fraudem impulit. non mehercule
verbum feciſſes: ſi tibi quemquam reſponſurum putaſſes.
Operæ pretium erat, ſi animadvertiſtis, judices, *negligen-
tiam ejus in accuſando conſiderare*. Credo, cùm vidiſſet, qui
homines in hiſce ſubſelliis ſederent, quæſiſſe, num ille,
aut ille defenſurus eſſet: de me ne ſuſpicatum quidem, quòd
antea cauſam publicam nullam dixerim. poſteaquàm invê-
nit neminem eorum, qui poſſunt, & ſolent: ita negligens
eſſe cœpit, ut cùm in mentem veniret ei, reſidêret: deinde
ſpatiaretur; nonnunquam etiam puerum vocaret, credo cui
cenam imperaret: prorſus ut veſtro conſeſſu, & hoc con-
ventu pro ſumma ſolitudine *abuteretur*. Peroravit aliquan- 22
do: aſſedit, ſurrexi ego. reſpirare viſus eſt, quod non alius
potius diceret. cœpi dicere. Uſque eò animadverti, judices
eum jocari, atque alias res agere, antè quàm Chryſogonum
nominavi: quem ſimul atque attigi, ſtatim homo *ſe erexit*.
mirari viſus eſt. intellexi, quid eum pupugiſſet. Iterum ac
tertiò nominavi. Poſtea homines curſare ultrò, & citrò
non deſtiterunt, credo, qui Chryſogono nuntiarent, [4] eſſe
aliquem in civitate, qui contra voluntatem ejus dicere au-
deret: aliter cauſam agi, atque ille exiſtimaret: aperiri bo-
norum emtionem: vexari peſſimè ſocietatem: *gratiam,
potentiamque ejus negligi*: judices diligenter attendere: po-
pulo rem indignam videri. Quæ quoniam te fefellerunt,
Eruci, quoniamque vides verſa eſſe omnia: cauſam pro Sex.
Roſcio, ſi non commo[illegible], at liberè dici: quem dedi puta-
bas, defendi intelligis: quos tradituros ſperabas, vides ju-
dicare: reſtitue nobis aliquando veterem tuam illam callidi-
tatem, atque prudentiam: confitere huc ea ſpe veniſſe, quòd
putares hic *latrocinium*, non *judicium* futurum. De parri-
cidio cauſa dicitur: ratio ab accuſatore reddita non eſt, quam
ob cauſam patrem filius occiderit. Quod in minimis no-
xiis, & in his levioribus peccatis, quæ magis crebra, &
jam *propè quotidiana* ſunt, maximè, & primùm quæritur,
QUÆ CAUSA MALEFICII FUERIT: id Erucius in parrici-
dio quæri non putat oportere: in quo ſcelere, judices, etiam
cùm multæ cauſæ conveniſſe unum in locum, atque inter
ſe congruere videntur, tamen non temerè creditur, neque
levi conjectura res penditur, neque teſtis incertus auditur,
neque accuſatoris ingenio res judicatur. CUM MULTA an-
tea commiſſa maleficia, tum vita hominis perditiſſima,
tum ſingularis audacia oſtendatur neceſſe eſt: neque audacia
ſolum, ſed ſummus furor, atque amentia. hæc cum ſint
omnia, tamen exſtent oportet expreſſa ſceleris veſtigia,
ubi, qua ratione, per quos, quo tempore maleficium ſit
admiſſum. quæ niſi multa, & manifeſta ſunt, profectò res
tam ſceleſta, tam atrox, tam nefaria *credi non poteſt*. Ma-
gna eſt enim vis humanitatis: multùm valet communio
ſanguinis: reclamitat iſtiuſmodi ſuſpicionibus ipſa natura:
portentum atque monſtrum certiſſimum eſt, eſſe aliquem
humana ſpecie, & figura, qui tantum *immanitate beſtias vice-
rit*, ut, propter quos hanc ſuaviſſimam lucem adſpexerit,
eos indigniſſimè luce privarit: cùm etiam FERAS INTER
ſeſe partus, atque educatio, & natura ipſa conciliet. Non 23
ita multis antè annis ajunt, T. Clœlium quendam Tarraci-
nenſem, hominem non obſcurum, cùm cenatus cubitum
in idem conclave cum duobus adoleſcentibus filiis eſſet, in-
ventum eſſe manè jugulatum, cùm neque ſervus quiſquam
reperiretur, neque liber, ad quem ea ſuſpicio pertineret:
id ætatis autem duo filii propter cubantes ne ſenſiſſe qui-
dem ſe dicerent: nomina filiorum de parricidio delata ſunt.
[5] Quid poſtea? erat ſanè ſuſpicioſum. *neutrum ſenſiſſe?* au-
ſum autem eſſe quemquam ſe in id conclave committere,
eo po-

1. *Legem Remmiam.*] Haud aliter codd. Ant. Auguſtini vetuſtio-
res, neque abludebant Pall. in quibus *Herenniam* aut *Rei miam* aut
Reumiam. plures quidem è publicatis *Memmiam*.

2. *Cura iis ſuffringantur.*] Hæc eſt ſcriptura mſſ. hæc editionum
omnium. nam erat Romanis fere in ore *crurifragium*, cum alicui
minarentur malum.

3. *Ut etiam eas omnes.*] Ita disertè Pal. pr. nam alii, *ut etiam ca-
lumniis*. Hotomanus, *ut etiam alias omnes*. Pighius noſter, *ut etiam
calumnias omnes*, tanquam reſpexerit Cicero ad eorum æs alienum
ac debita, quæ ſingulis Kalendis exigi ſolebant à debitoribus, vi-
deatur ipſe in Faſtis dicto antea loco.

4. *Eſſe aliquem in civitate.*] Gulielmius probabat *in civitatem*, ex
S. Victoris codice, ſed alterum disertè hæret in Pall. editionibuſ-
que omnibus, auribuſque eſt jucundius.

5. *Quid poſtea? erat ſanè ſuſpicioſum. neutrum ſenſiſſe? auſum autem
eſſe quemquam ſe, &c.*] Ita Aldina. verum Victorii: *quod poterat ſanè
eſſe ſuſpicioſum. neutrum ſenſiſſe? auſum &c.* mire variant Palatini:
ſed videtur fuiſſe: *Quid poterat tam eſſe ſuſpicioſum, neutrum aut non
ſenſiſſe, aut auſum eſſe quemquam ſe, &c.* quomodo fere etiam mſſ.
Urſini.

eo potiſſimùm tempore, cùm ibidem eſſent duo adoleſcentes filii, qui & ſentire, & defendere facilè poſſent? erat porrò nemo, in quem ea ſuſpicio conveniret. Tamen cùm planum judicibus eſſet factum, *aperto oſtio dormienteis eos repertos eſſe:* judicio abſoluti adoleſcentes, & ſuſpicione omni liberati ſunt. NEMO ENIM putabat, quemquam eſſe, qui, cùm omnia divina, atque humana jura ſcelere nefario polluiſſet, ſomnum ſtatim capere potuiſſet: propterea quòd qui tantum facinus commiſerunt, non modò ſine cura quie-
24 ſcere, ſed ne ſpirare quidem ſine metu poſſunt. Videtiſne, quos nobis poëtæ tradiderunt, patris ulciſcendi cauſa ſupplicium de matre ſumſiſſe, cùm præſertim deorum immortalium juſſis, atque *oraculis id feciſſe dicantur*, tamen ut eos agitent furiæ, neque conſiſtere uſquam patiantur, quòd ne pii quidem ſine ſcelere eſſe potuerunt? Sic ſe res habet, judices. MAGNAM VIM, magnam neceſſitatem, magnam poſſidet religionem paternus, maternuſque ſanguis: ex quo ſi qua macula concepta eſt, [1] non modò elui non poteſt, verùm uſque eò permanat ad animum, ut ſummus furor, atque amentia conſequatur. Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis ſæpenumerò videtis, eos, qui aliquid impiè, ſcelerateque commiſerint, agitari, & perterreri *Furiarum tædis ardentibus*. SUA QUEMQUE fraus, & ſuus terror maximè vexat: ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit: ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæque animi terrent. hæ ſunt impiis aſſiduæ, domeſticæque Furiæ: quæ dies, noctesque parentum pœnas à conſceleratiſſimis filiis repetant. Hæc magnitudo maleficii facit, ut niſi pæne manifeſtum parricidium proferatur, *credibile non ſit:* niſi turpis adoleſcentia, niſi omnibus flagitiis vita inquinata, niſi ſumtus effuſi cum probro, atque dedecore; niſi prorupta audacia, niſi tanta temeritas, ut non procul abhorreat ab inſania. Accedat huc oportet odium parentis, animadverſionis paternæ metus, amici improbi, ſervi conſcii, tempus idoneum, locus opportunè captus ad eam rem: pæne dicam, reſperſas manus ſanguine paterno judices videant oportet, ſi tantum facinus, tam immane, tam acerbum, crediturí ſint. Quare hoc, quo minus eſt credibile, niſi oſtenditur: eo magis eſt, ſi convincitur, vindicandum.
25 Itaque cùm multis ex rebus intelligi poteſt, MAJORES NOSTROS non modò armis plus, quàm ceteras nationes, verùm etiam conſilio ſapientiaque potuiſſe: tum ex hac re vel maximè, quòd in impios ſingulare ſupplicium invenerunt. qua in re quantum prudentia præſtiterint iis, qui apud ceteros ſapientiſſimi fuiſſe dicuntur, conſiderate. Prudentiſſima civitas Athenienſium, dum ea rerum potita eſt, fuiſſe traditur. ejus porrò civitatis ſapientiſſimum Solonem dicunt fuiſſe, eum, qui leges, quibus hodie quoque utuntur, ſcripſerit. Is cum interrogaretur, cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum, qui parentem necaſſet, reſpondit, *ſe id neminem facturum putaſſe*. Sapienter feciſſe dicitur, cùm de eo nihil ſanxerit, quòd anteà commiſſum non erat, ne non tam *prohibere*, quàm *admonere* videretur. quanto majores noſtri ſapientiùs? qui cùm intelligerent, NIHIL ESSE tam ſanctum, quod non aliquando violaret audacia, ſupplicium in parricidas ſingulare excogitaverunt: ut, quos natura ipſa retinere in officio non potuiſſet, ii magnitudine pœnæ, maleficio ſummoverentur. inſui voluerunt in cu-
26 leum vivos, atque ita in flumen dejici. O ſingularem ſapientiam, judices! NONNE VIDENTUR hunc hominem ex rerum natura ſuſtuliſſe & eripuiſſe, cui repentè cælum, ſolem, aquam, terramque ademerunt, ut, qui eum necaſſet, unde ipſe natus eſſet, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata eſſe dicuntur? Noluerunt feris corpus objicere, ne beſtiis quoque, quæ tantum ſcelus attigiſſent, immanioribus uteremur. non ſic nudos in flumen dejicere, ne, cùm delati eſſent in mare, ipſum polluerent, quo cetera, quæ violata ſunt, expiari putantur. Denique nihil tam vile, neque tam vulgare eſt, cujus partem ullam reliquerint. etenim quid tam eſt commune, quàm *ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis?* Ita vivunt, dum poſſunt, ut ducere animam de cœlo non queant: ita moriuntur, ut eorum oſſa [2] terra non tangat: ita jactantur fluctibus, ut nunquam abluantur: ita poſtremo ejiciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant. Tanti maleficii crimen, cui maleficio tam inſigne ſupplicium eſt conſtitutum, probare te, Eruci, cenſes poſſe talibus viris, ſi ne cauſam quidem maleficii protuleris? Si hunc apud bonorum emtores ipſos accuſares, eique judicio Chryſogonus præeſſet: tamen diligentiùs, paratiuſque veniſſes. Utrùm, quid agatur, non vides? an apud quos agatur? *Agitur de parricidio:* quod ſine multis cauſis ſuſcipi non poteſt. Apud homines autem prudentiſſimos agitur: qui intelligunt, *neminem ne minimum quidem maleficium ſine cauſa admittere.*
Eſto: cauſam proferre non potes. tametſi ſtatim viciſſe de- 27
beo, tamen de meo jure decedam: & tibi, quod in alia cauſa non concederem, in hac concedam, fretus hujus innocentia. Non quæro abs te, quare patrem Sext. Roſcius occiderit: quæro, *quomodo occiderit*. Ita quæro abs te, C. Eruci, quomodo: & ſic tecum agam, ut in eo loco vel reſpondendi, vel interpellandi tibi poteſtatem faciam, vel etiam, ſi quid voles, interrogandi. Quomodo occidit? ipſe percuſſit, an aliis occidendum dedit? Si ipſum arguis, Romæ non fuit. ſi per alios feciſſe dicis: quæro, ſervoſne, an liberos? quos homines? indidemne Ameria, an hoſce ex urbe ſicarios? Si Ameria: qui ſunt hi? cur non nominantur? ſi Roma: unde eos noverat Roſcius, qui Romam multis annis non venit, neque umquam plus triduo fuit? ubi eos convênit? quicum locutus eſt? quomodo perſuaſit? pretium dedit? cui dedit? per quem dedit? unde, aut quantum dedit? nonne his veſtigiis *ad caput maleficii perveniri ſolet?* & ſimul tibi in mentem veniat, facito, quemadmodum vitam hujuſce depinxeris: hunc hominem, ferum, atque agreſtem fuiſſe: numquam cum homine quoquam collocutum eſſe, numquam in oppido conſtitiſſe. Qua in re prætereo illud, quod mihi maximo argumento ad hujus innocentiam poterat eſſe, *in ruſticis moribus*, in victu arido, in hac horrida, incultaque vita iſtiuſmodi maleficia gigni non ſolere; UT NON OMNEM frugem, neque arborem in omni agro reperire poſſis: ſic non omne facinus in omni vita naſcitur. In urbe luxuries creatur: ex luxuria exſiſtat avaritia neceſſe eſt: ex avaritia erumpat audacia: inde omnia ſcelera, ac maleficia gignuntur. Vita autem hæc ruſtica, quam tu agreſtem vocas, parſimoniæ, diligentiæ, juſtitiæ
magiſtra eſt. Verùm hæc miſſa facio. Illud quæro. is ho- 28
mo, qui, ut tute dicis, nunquam inter homines fuerit, per quos homines hoc tantum facinus, tam occultum, abſens præſertim, conficere potuerit. multa ſunt falſa, judices, quæ tamen *argui ſuſpicioſè* poſſunt. in his rebus ſi ſuſpicio reperta erit, culpam ineſſe concedam. Romæ Sex. Roſcius occiditur, cùm in agro Amerino eſſet filius. litteras, credo, miſit alicui ſicario, qui Romæ noverat neminem. Arceſſivit aliquem. At quando? Nuntium miſit. Quem? aut ad quem? Pretio, gratia, ſpe, promiſſis induxit aliquem? Nihil horum ne confingi quidem poteſt: & tamen cauſa de parricidio dicitur. Reliquum eſt, ut per ſervos id admiſerit. O dii immortales! rem miſeram & calamitoſam. [3] quod in tali crimine innocenti ſaluti ſolet eſſe, ut *ſervos in quæſtionem polliceatur*, id Sex. Roſcio facere non licet. vos, qui hunc accuſatis, omneis ejus ſervos habetis. unus puer, victus quotidiani adminiſter, ex tanta familia Sex. Roſcio relictus non eſt. Te nunc appello, P. Scipio; te, Metelle, vobis

1. *Non modo elui non poteſt.*] Editt. avorum, *leniri*. quod & in nonnullis mſſ. ſed alii *levi*. Pal. vero pr. *lavi*.

2. *Terra non tangat: ita &c. abluantur.*] Ita Pall. edd. vett. Conjecerat in Comm. ad Oratorem Hotomanus, *terram non tangant: ita &c. alluantur.*

3. *Quod in tali crimine innocenti ſaluti.*] Sic Palat. pr. præterquam quod is *innocenti*. at alii, at S. Victoris, at olim impreſſ. *quod in tali crim. quod innocenti.* ut aliud quid requiri videatur.

1. *Memi-*

vobis advocatis, vobis agentibus, aliquoties duos ſervos paternos in quæſtionem ab adverſariis Sex. Roſcius poſtulavit. [1] Meminiſtine te, T. Roſci, recuſare? quid? ii ſervi ubi ſunt? Chryſogonum, judices, ſectantur: apud eum ſunt in honore, & in pretio: etiam nunc, ut ex his quæratur, ego poſtulo: hic orat atque obſecrat. quid facitis? cur recuſatis? Dubitate etiam nunc, judices, ſi poteſtis, *à quo ſit Sex. Roſcius occiſus:* ab eone, qui propter illius mortem, in egeſtate, & inſidiis verſatur, cui ne quærendi quidem de morte patris poteſtas permittitur: an ab iis, qui quæſtionem fugitant, bona poſſident, in cæde, atque ex cæde vivunt. Omnia, judices, in hac cauſa ſunt miſera, atque indigna: tamen hoc nihil neque acerbius, neque iniquius proferri poteſt. *mortis paternæ de ſervis paternis quæſtionem habere filio non licet.* ne tamdiu quidem dominus erit in ſuos, dum ex iis de patris morte quæratur. Veniam, neque ita multo poſt, ad hunc locum. nam hoc totum ad Roſcios pertinet: de quorum audacia tum me dicturum pollicitus

29 ſum, cùm Erucii crimina diluiſſem. Nunc, Eruci, ad te venio. conveniat mihi tecum neceſſe eſt, ſi ad hunc maleficium iſtud pertinet, aut ipſum ſua manu feciſſe, id quod negas: aut per aliquos *liberos*, aut *ſervos.* liberoſne? quos neque ut convenire potuerit, neque qua ratione inducere, neque ubi, neque per quos, neque qua ſpe, aut quo pretio, potes oſtendere. Ego contrà oſtendo, non modò nihil eorum feciſſe Sex. Roſcium, ſed ne potuiſſe quidem facere: quod neque Romæ multis annis fuerit, neque de prædiis umquam temerè diſceſſerit. Reſtare tibi videbatur *ſervorum* nomen, quò, quaſi in portum, rejectus à ceteris ſuſpicionibus, confugere poſſes: ubi ſcopulum offendis ejuſmodi, ut non modò ab hoc crimen reſilire videas, verùm omnem ſuſpicionem in voſmetipſos recidere intelligas. Quid eſt ergo, quò tandem accuſator, inopia argumentorum, confugerit? EJUSMODI TEMPUS ERAT, inquit, ut homines vulgò impunè occiderentur. quare tu hoc propter multitudinem ſicariorum, nullo negotio facere potuiſti. Interim mihi videris, Eruci, una mercede duas res aſſequi velle: nos judicio perfundere: accuſare autem eos ipſos, à quibus mercedem accepiſti. Quid ais? vulgò occidebantur? per quos? & à quibus? nonne cogitas, te à ſectoribus huc adductum eſſe? Quid poſtea? Neſcimus, per iſta tempora, eoſdem ferè *ſectores* fuiſſe collorum, & bonorum? Ii denique, qui tum armati dies noctèiſque concurſabant, qui Romæ erant aſſidui, qui omni tempore in præda, & ſanguine verſabantur, Sex. Roſcio temporis illius acerbitatem, iniquitatemque objicient: & illam ſicariorum multitudinem, in qua ipſi *duces, ac principes erant,* huic crimini putabunt fore? qui non modò Romæ non fuit, ſed omnino, quid Romæ ageretur, neſciret, propterea quòd ruri aſſiduus, quemadmodum tute confiteris, fuit. Vereor, ne aut moleſtus ſim vobis, judices, aut ne ingeniis veſtris videar diffidere, ſi de tam perſpicuis rebus diutius diſſeram. Erucii criminatio tota, ut arbitror, diſſoluta eſt: niſi fortè exſpectatis, ut illa diluam, quæ de peculatu, ac de ejuſmodi rebus commentitiis, inaudita nobis ante hoc tempus, ac nova objecit. quæ mihi iſte viſus eſt ex alia oratione declamare, quam in alium reum commentaretur: ita neque ad crimen parricidii, neque ad eum, qui cauſam dicit, pertinebant. de quibus quoniam verbo arguit, verbo ſatis eſt negare. Si quid eſt, quod ad teſteis reſervet: ibi nos quoque ut in ipſa

30 cauſa, paratiores reperiet, quam putabat. Venio nunc eò, quò me non cupiditas ducit, ſed fides. nam ſi mihi liberet accuſare, accuſarem alios potius, ex quibus poſſem *creſcere*: quod certum eſt non facere, dum utrumvis licebit. Is ENIM MIHI videtur ampliſſimus, qui ſua virtute in altiorem locum pervênit, non qui adſcendit per alterius incommodum, & calamitatem. Deſinamus aliquando ea ſcrutari, quæ ſunt inania. quæramus, ubi maleficium & eſt, & inveniri poteſt. Jam intelliges, Eruci, [2] *certum crimen* quàm multis ſuſpicionibus coarguatur. tametſi neque omnia dicam, & leviter unumquodque tangam. neque enim id facerem, niſi neceſſe eſſet. & id erit ſigni, me invitum facere quod non proſequar longiùs, quàm ſalus hujus, & mea fides poſtulabit. Cauſam tu nullam reperiebas in Sex. Roſcio. At ego in T. Roſcio reperio. tecum enim mihi res eſt, T. Roſci, quoniam iſtic ſedes, ac te palàm adverſarium eſſe profiteris. De Capitone pòſt viderimus, ſi, quemadmodnm paratum eſſe audio, teſtis prodierit: tum alias quoque ſuas *palmas* cognoſcet, de quibus me ne audiſſe quidem ſuſpicatur. L. Caſſius ille, quem populus Romanus veriſſimum, & ſapientiſſimum judicem putabat, identidem in cauſis quærere ſolebat, CUI BONO FUISSET. Sic vita hominum eſt, ut ad maleficium nemo conetur ſine ſpe, atque emolumento accedere. Hunc quæſitorem, ac judicem fugiebant, atque horrebant ii, quibus periculum creabatur: ideò, quòd tametſi veritatis erat amicus, tamen natura non tam propenſus ad miſericordiam, quàm [3] implicatus ad ſeveritatem videbatur. Ego, quamquam præeſt huic quæſtioni vir & contra audaciam fortiſſimus, & ab innocentia clementiſſimus: tamen facilè me paterer, vel illo ipſo acerrimo judice quærente, vel apud *Caſſianos judices*, quorum etiam nunc ii, quibus cauſa dicenda eſt, nomen ipſum reformidant, pro Sext. Roſcio dicere. 31

In hac enim cauſa cùm viderent, illos *ampliſſimam pecuniam poſſidere*, hunc *in ſumma mendicitate eſſe*; illud quidem non quærerent, cui bono fuiſſet: [4] ſed eò perſpicuum crimen, & ſuſpicionem potius ad prædam adjungerent, quàm ad egeſtatem. Quid ſi accedit eodem, ut tenuis antea fueris? quid ſi, ut avarus? quid ſi, ut audax? quid ſi, ut illius, qui occiſus eſt, inimiciſſimus? num quærenda cauſa, quæ te ad tantum facinus adduxerit? Quid ergo horum negari poteſt? Tenuitas hominis ejuſmodi eſt, ut diſſimulari non queat: atque *eo magis eluceat, quo magis occultatur.* Avaritiam præfers, qui ſocietatem coieris de municipis, cognatique fortunis cum alieniſſimo. Quàm ſis audax (ut alia obliviſcar) hinc omnes intelligere potuerunt, quod ex tota ſocietate, hoc eſt, ex tot ſicariis, ſolus tu inventus es, qui cùm accuſatoribus ſederes, atque os tuum non modò *oſtenderes,* ſed etiam *offerres.* Inimicitias tibi fuiſſe cum Sex. Roſcio, & magnas rei familiaris controverſias, concedas neceſſe eſt. Reſtat, judices, ut hoc dubitemus, uter potius Sex. Roſcium occiderit: is, ad quem morte ejus *divitiæ* venerint: an is, ad quem *mendicitas:* is, qui antea tenuis fuerit, an is, qui poſtea factus ſit egentiſſimus: is, qui ardens avaritia feratur infeſtus in ſuos, an is, qui ſemper ita vixerit, ut quæſtum noſſet nullum, fructum autem eum ſolum, quem labore peperiſſet: is, qui omnium ſectorum audaciſſimus ſit, an is, qui propter fori, judiciorumque inſolentiam, non modò ſubſellia, verum etiam urbem ipſam reformidet: poſtremò, judices, id quod ad rem, mea ſententia, maximè pertinet, utrum *inimicus* potius, an *filius.*

32 Hæc tu, Eruci, tot, & tanta ſi nactus eſſes in reo, quamdiu diceres? quo te modo jactares? tempus, hercule, te citius, quàm oratio deficeret. Etenim in ſingulis rebus ejuſmodi materies eſt, ut dies ſingulos poſſis conſumere. Neque ego non poſſum: non enim mihi tantum derogo: tametſi nihil arrogo, ut te copioſius, quàm me, putem poſſe dicere: verùm ego forſitan, propter multitudinem patronorum, [5] in grege annumerer. te pugna Cannenſis accuſatorem ſat bonum

1. *Meminiſtine te, T. Roſci, recuſare?*] Eſt à Victorina editione, cui proximè accedunt primæ memoriæ impreſſi, item mſſ. noſtri; in quibus, *Meminiſtine T. Roſci recuſ.* vulgata, *Meminiſtis ne T. Roſcium recuſare.* pro noſtra facit locus ſimilis infra cap. 41. pr.

2. *Certum crimen.*] Lambinus putat legi poſſe, *incertum*; omnino; ſi contrarium volumus inducere ejus quod auctor tractat.

3. *Implicatus ad ſeveritatem.*] Nihil variant mſſ. noſtri. Manutii legunt *inclinatus.* Gulielmius conjiciebat *impacatus.*

4. *Sed eò perſpicuum crimen, & ſuſpicionem, &c.*] Non malè conjecit Puteanus, *ſed eò perſpicuo.* Hotomanus, *ſed & perſpicuo,* perperam.

5. *In grege adnumerer.*] Si ſtandum eſt quatuor mſſ. legendum erit, *in gregem adnumerer.*

1. Ad

num fecit. Multos cæſos non ad Thraſimenum lacum, ſed [1] ad Servilium vidimus. Quis ibi non eſt vulneratus ferro Phrygio? non neceſſe eſt omneis commemorare, Curtios, Marios, [2] denique Mamercos, quos jam ætas à præliis avocabat: poſtremò Priamum ipſum, ſenem, Antiſtium: quem non modò *ætas*, *ſed etiam leges pugnare prohibebant*. Jam, quos nemo propter ignobilitatem nominat, ſexcenti ſunt, qui inter ſicarios, & de veneficiis accuſabant. qui omnes (quod ad me attinet) vellem viverent. Nihil enim mali eſt, CANES IBI quàm plurimos eſſe, ubi permulti obſervandi, multaque ſervanda ſunt. Verùm, ut fit, multa ſæpe, *imprudentibus imperatoribus* vis belli, ac turba molitur. dum is in aliis rebus erat occupatus, qui ſummam rerum adminiſtrabat: erant interea qui ſuis vulneribus mederentur: qui tanquam ſi offuſa *reipublicæ ſempiterna nox* eſſet, ita ruebant in tenebris, omniaque miſcebant. à quibus miror, ne quod judiciorum eſſet veſtigium, non ſubſellia quoque eſſe combuſta. nam & accuſatores, & judices ſuſtulerunt. Hoc commodi eſt, quòd ita vixerunt, ut teſteis omneis, ſi cuperent, interficere non poſſent. nam, dum hominum genus erit, qui accuſet eos, non deerit: dum civitas erit, judicia fient. Verùm, ut cœpi dicere, & Erucius, hæc ſi haberet in cauſa, quæ commemoravi, poſſet ea quamvis diu dicere: & ego, judices, poſſum: ſed in animo eſt, (quemadmodum antè dixi) leviter tranſire, ac tantummodò perſtringere unamquamque rem: ut omnes intelligant, me non ſtudio accu-
33 ſare, ſed officio defendere. Video igitur, cauſas eſſe permultas, quæ iſtum impellerent. Videamus nunc, ecqua facultas ſuſcipiendi maleficii fuerit. Ubi occiſus eſt Sex. Roſcius? Romæ. Quid? tu, Roſci, ubi tunc eras? Romæ. Verùm quid ad rem? & alii multi. Quaſi nunc id agatur, quis ex tanta multitudine occiderit, ac non hoc quæratur, eum, qui Romæ ſit occiſus, utrùm *veriſimilius ſit* ab eo eſſe occiſum, qui aſſiduus eo tempore Romæ fuerit: an ab eo, qui multis annis Romam omninò non acceſſerit. Age, nunc cæteras facultates quoque conſideremus. Erat tum multitudo ſicariorum, id quod commemoravit Erucius: & *homines impunè occidebantur*. Quid? ea multitudo quæ erat? opinor, aut eorum, qui in bonis erant occupati: aut eorum, qui ab iis conducebantur, ut aliquem occiderent. Si eos putas, qui alienum appetebant: tu es in eo numero, qui noſtra pecunia dives es. ſin eos, quos, qui leviore nomine appellant, *percuſſores* vocant: quære, in cujus fide ſint, & clientela: mihi crede, aliquem de ſocietate tua reperies: &, quidquid tu contrà dixeris, id cum defenſione noſtra contendito. ita facillimè cauſa Sex. Roſcii cum tua conferetur. Dices, Quid poſtea, ſi Romæ aſſiduus fui? Reſpondebo, At ego omnino non fui. Fateor, me ſectorem eſſe: verùm & alii multi. At ego (ut tute arguis) agricola, & ruſticus. Non continuò, ſi me in gregem ſicariorum contuli, ſum ſicarius. At ego profectò, qui ne novi quidem quemquam ſicarium, longè abſum ab ejuſmodi crimine. Permulta ſunt, quæ dici poſſunt, quare intelligatur, ſummam tibi *facultatem fuiſſe maleficii ſuſcipiendi*: quæ non modò idcircò prætereo, quòd teipſum non libenter accuſo: verùm eò magis etiam, quòd, ſi de illis cædibus velim commemorare, quæ tum factæ ſunt iſta eadem ratione, qua Sex. Roſcius occiſus eſt, vereor, ne ad plureis oratio mea pertinere videatur.
34 Videamus nunc ſtrictim, ſicut cetera, quæ poſt mortem Sex. Roſcii abs te, T. Roſci, facta ſunt: quæ ita aperta & manifeſta ſunt, ut medius fidius, judices, invitus ea dicam. vereor enim, [3] cuicuimodi es, T. Roſci, ne ita hunc videar voluiſſe ſervare, ut tibi omninò non pepercerim. Cùm hoc vereor, & cupio tibi aliqua ex parte (quod ſalva fide poſſim) parcere, rurſus immuto voluntatem meam. venit enim mihi in mentem *oris tui*. Téne, cùm ceteri ſocii tui fugerent, ac ſe occultarent, ut hoc judicium non de illorum præda, ſed de hujus maleficio fieri videretur, potiſſimum tibi parteis iſtas depopoſciſſe, ut in judicio verſarere, & ſederes cum accuſatore? qua in re nihil aliud aſſequeris, niſi ut ab omnibus mortalibus *audacia* tua cognoſcatur, & *impudentia*. Occiſo Sex. Roſcio, qui primus Ameriam nuntiat? Mallius Glaucia, quem jam antea nominavi, tuus cliens, & familiaris. Quid attinuit eum potiſſimùm nuntiare? quòd, ſi nullum jam antè conſilium de morte, ac de bonis ejus inieras, nullamque ſocietatem neque ſceleris, neque præmii cum homine ullo coieras, ad te minimè omnium pertinebat. Sua ſponte Mallius nuntiat. [4] Quid, quæſo, ejus intererat? an, cùm Ameriam non hujuſce rei cauſa veniſſet, caſu accidit, ut id, quod Romæ audierat, primus nuntiaret? cujus rei cauſa venerat Ameriam? Non poſſum, inquit, divinare. Eò rem jam adducam, ut nihil divinatione opus ſit. Qua ratione Roſcio Capitoni primùm nuntiavit? Cùm Ameriæ Sex. Roſcii domus, uxor, liberique eſſent: cùm tot propinqui, cognatique optimè convenientes: qua ratione factum eſt, ut iſte tuus cliens, ſceleris tui nuntius, T. Roſcio Capitoni potiſſimùm nuntiaret? Occiſus eſt à cena rediens. nondum lucebat, cùm Ameriæ ſcitum eſt. Quid hic *incredibilis curſus*: quid hæc tanta celeritas, feſtinatioque ſignificat? non quæro quis percuſſerit. nihil eſt Glaucia, quòd metuas. non excutio te, ſiquid forte ferri habuiſti: non ſcrutor: nihil ad me arbitror pertinere. quoniam, *cujus conſilio occiſus ſit*, invenio: cujus manu ſit percuſſus non laboro. Unum hoc ſumo, quod mihi apertum tuum ſcelus, reſque manifeſta dat. Ubi, aut unde audivit Glaucia? quî tam citò ſcivit? Fac audiſſe ſtatim. Quæ res eum nocte una tantum itineris contendere coëgit? quæ neceſſitas eum tanta premebat, ut, ſi ſua ſponte iter Ameriam faceret, id temporis Roma proficiſceretur, nullam partem noctis requie-
ſceret? Etiamne in tam perſpicuis rebus argumentatio quæ- 35
renda, aut conjectura capienda ſit? nonne vobis hæc, quæ audiſtis, *cernere oculis* videmini, judices? non illum miſerum, ignarum caſus ſui, redeuntem à cena videtis? non poſitas inſidias? non impetum repentinum? non verſatur ante oculos vobis in cæde Glaucia? non adeſt iſte T. Roſcius? non ſuis manibus in curru collocat Automedontem illum, ſui ſceleris acerbiſſimi, nefariæque victoriæ nuntium? non orat, ut eam noctem pervigilet? ut honoris ſui cauſa laboret? ut Capitoni quàm primùm nunciet? Quid erat, quòd Capitonem primum ſcire voluerit? Neſcio: niſi hoc video, Capitonem in his bonis eſſe ſocium. de tribus & decem fundis treis nobiliſſimos fundos eum video poſſidere. Audio præterea, non hanc ſuſpicionem nunc primùm in Capitonem conferri: [5] multas eſſe *infameis palmas*: hanc primam eſſe tamen lemniſcatam, quæ Romæ deferatur: nullum modum eſſe hominis occidendi, quo ille non aliquot occiderit: multos ferro, multos veneno. Habeo etiam dicere, quem contra morem majorum, minorem annis LX. de ponte in Tiberim dejecerit. quæ, ſi prodierit, atque adeò cùm prodierit (ſcio enim proditurum eſſe) audiet. veniat modò: explicet ſuum volumen illud, quod ei planum facere poſſum Erucium conſcripſiſſe: quod ajunt illum Sex. Roſcio intentaſſe: [6] & minitatum eſſe, ſe omnia illa pro teſtimonio eſſe dicturum. O præclarum teſtem, judices! ô gravitatem dignam exſpectatione! ô vitam honeſtam, atque ejuſmodi, ut libentibus animis ad ejus teſtimonium, *veſtrum jusjurandum*

1. *Ad Servilium lacum.*] Explicat Hadr. Junius lib. II. Animadverſionum cap. 7.

2. *Denique Mamercos.*] Ita reperiri in ſolo Pal. oct. alii *Mammeos*, quomodo editi antiquitus. reponit *Memmios* Urſinus.

3. *Cuicuimodi es T. Roſci, ne ita hunc videar voluiſſe ſervare.*] Eſt à Priſciano qui videatur libro XIII. ſed abeſt, *voluiſſe*; vulgata, *cujuſmodi es Roſci, &c.* Victorii: *cujuſque modi es Roſci.*

4. *Quid quæſo ejus intererat.*] Avorum ævo cuſi, & mſſ. noſtri, *quaſi*. Pal. vero primus diſtinguit: *Quid? quaſi ejus intererat?* de quo dijudicent otioſiores.

5. *Multas eſſe infameis palmas.*] Olim cuſi & mſſ. noſtri *infamias*. forte *infamas ejus palmas*.

6. *Et minitatum eſſe.*] Vetuſtius editi, item Pall. noſtri *meditatum*. S. Victoris *mentatum*.

dum accommodetis! Profectò non tam perſpicuè iſtorum maleficia videremus, niſi ipſos, *cæcos redderet cupiditas, &*
36 *avaritia, & audacia.* Alter ex ipſa cæde volucrem nuntium Ameriam ad ſocium, atque ad magiſtrum ſuum miſit: ut, ſi diſſimulare omnes cuperent ſe ſcire, ad quem maleficium pertineret, tamen ipſe apertum ſuum ſcelus ante omnium oculos poneret. Alter (ſi diis immortalibus placet) teſtimonium etiam in Sex. Roſcium dicturus eſt. Quaſi verò id nunc agatur, [1] utrum is quod dixerit, credendum; an quod fecerit, vindicandum ſit. Itaque more majorum comparatum eſt, UT IN MINIMIS rebus homines ampliſſimi teſtimonium de ſua re non dicerent. Africanus, qui ſuo cognomine declarat, tertiam partem orbis terrarum ſe ſubegiſſe, tamen, ſi ſua res ageretur, teſtimonium non diceret. nam illud in talem virum non audeo dicere: ſi diceret, non crederetur. Videte nunc, quàm verſa & mutata in pejorem partem ſint omnia. Cùm *de bonis*, & *de cæde* agatur, teſtimonium dicturus eſt is, qui & ſector eſt, & ſicarius: hoc eſt, qui & illorum ipſorum bonorum, de quibus agitur, emtor, atque poſſeſſor eſt: & eum hominem occidendum curavit, de cujus morte quæritur. Quid tu vir optime? ecquid habes, quod dicas? mihi auſculta: vide, ne tibi deſis. tua quoque res permagna agitur. multa ſceleratè, multa audaciter, multa improbè feciſti: unum ſtultiſſimè, profectò tua ſponte, non de Erucii ſententia: nihil opus fuit [2] te iſtic ſedere. NEQUE ENIM ACCUSATORE muto, neque teſte quiſquam utitur eo, qui de accuſatoris ſubſellio ſurgit. Huc accedit, quòd paullo occultior, atque tectior veſtra iſta cupiditas eſſet. nunc quid eſt, quòd [3] quiſquam ex vobis audire deſideret, cùm, quæ facitis, ejuſmodi ſint, ut ea dedita opera [4] à nobis contra voſmetipſos facere videamini? Age nunc, illa videamus, judices, quæ ſtatim conſecuta ſunt.

37 Ad Volaterras in caſtra L. Sullæ mors Sex. Roſcii, quatriduo, quo is occiſus eſt, Chryſogono nuntiatur. Quæritur etiam nunc, quis eum nuntium miſerit? Nonne perſpicuum eſt, eundem, qui Ameriam? Curat Chryſogonus, ut ejus bona veneant ſtatim; qui non norat hominem, aut rem. At quî ei venit in mentem *prædia concupiſcere hominis ignoti*, quem omnino nunquam viderat? Soletis, cùm aliquid hujuſcemodi auditis, judices, continuò dicere, Neceſſe eſt, aliquem dixiſſe municipem, aut vicinum. ii plerunque indicant: per eos plerique produntur. Hîc nihil eſt, quòd ſuſpicionem hanc putetis. Non enim ego ita diſputabo: VIRISIMILE EST, Roſcios iſtam rem ad Chryſogonum detuliſſe. erat enim eis cum Chryſogono jam antea amicitia. nam cùm multos veteres à majoribus Roſcii patronos, hoſpiteſque haberent, omnes eos colere, atque obſervare deſtiterunt, ac ſe in Chryſogoni fidem, & clientelam contulerunt. Hæc poſſum omnia verè dicere: ſed in hac cauſa conjectura nihil opus eſt. ipſos certò ſcio non negare, ad hæc bona Chryſogonum acceſſiſſe *impulſu ſuo*. Si eum, qui indicii partem acceperit, oculis cernetis: poteritiſne dubitare, judices, qui indicarit? Qui ſunt igitur in iſtis bonis, quibus partem Chryſogonus dederit? duo Roſcii? Num quiſnam præterea? nemo eſt, judices. Num ergo dubium eſt, quin ii obtulerint hanc prædam Chryſogono, qui ab eo *partem prædæ* tulerunt? Age, nunc ex ipſius Chryſogoni judicio Roſciorum factum conſideremus. Si nihil in iſta pugna, Roſcii, quod operæ pretium eſſet, fecerant, quam ob cauſam à Chryſogono tantis præmiis donabantur? Si nihil aliud fecerunt, niſi rem detulerunt, nonne ſatis fuit, his *gratias agi?* denique, ut perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi? cur tria prædia tantæ pecuniæ ſtatim Capitoni dantur? cur, quæ reliqua ſunt iſte Roſcius omnia cum Chryſogono communiter poſſidet? nonne perſpicuum eſt, judices, has manubias Roſciis Chryſogonum, re cognita, conceſſiſſe? Venit in decem-primis legatus in 38
caſtra Capito. totam vitam, naturam, moreſque hominis ex ipſa legatione cognoſcite. Niſi intellexeritis, judices, nullum eſſe *officium*, nullum *jus* tam ſanctum, atque integrum, quod non ejus ſcelus, atque perfidia violarit, & imminuerit: virum optimum eſſe eum judicatote. Impedimento eſt, quo minus de his rebus Sulla doceatur: ceterorum legatorum conſilia, & voluntatem Chryſogono enuntiat: monet, ut provideat, ne palàm res agatur. oſtendit, ſi ſublata ſit venditio bonorum, illum pecuniam grandem amiſſurum, ſeſe capitis periculum aditurum. illum acuere: hos, qui ſimul erant miſſi, fallere: illum identidem monere, ut caveret: hiſce inſidioſe ſpem falſam oſtendere: cum illo contra hos inire conſilia, *horum conſilia illi enuntiare:* cum illo partem ſuam depaciſci: [5] hiſce aliqua fretus hora ſemper omnes aditus, ad Sullam intercludere. Poſtremò iſto hortatore, auctore, interceſſore, ad Sullam legati non adierunt: iſtius fide, ac potius perfidia decepti, id quod ex ipſis cognoſcere poteritis, ſi accuſator voluerit teſtimonium eis denuntiare, *pro re certa ſpem falſam domum retulerunt.* In privatis rebus SI QUI REM MANDATAM non modò malitioſius geſſiſſet, ſui quæſtus, aut commodi cauſa, verùm etiam negligentius: eum majores ſummum admiſiſſe dedecus exiſtimabant. itaque mandati conſtitutum eſt judicium, non minus turpe, quàm furti. credo propterea, quod, quibus in rebus ipſi intereſſe non poſſumus, in his operæ noſtræ vicaria, *fides amicorum*, ſupponitur: quam qui lædit, oppugnat omnium commune præſidium: &, quantum in ipſo eſt, *diſturbat vitæ ſocietatem.* Non enim poſſumus omnia per nos agere. alius in alia eſt re magis utilis. Idcirco amicitiæ comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur. Quid recipis mandatum, ſi aut necglecturus, aut ad tuum commodum converſurus es? cur mihi te offers, ac meis commodis, officio ſimulato, officis, & obſtas? recede de medio: per alium tranſigam. Suſcipis onus officii, quod te putas ſuſtinere poſſe: quod minimè videtur grave iis, qui minimè ipſi leves ſunt. Er- 39
go idcircò turpis hæc culpa eſt, quòd duas res ſanctiſſimas violat, *amicitiam*, & *fidem*. nam neque mandat quiſquam ferè, niſi amico: neque credit, niſi ei, quem fidelem putat. PERDITISSIMI eſt igitur hominis, ſimul & amicitiam diſſolvere, & fallere eum, qui læſus non eſſet, niſi crediſſet. Itane eſt? in minimis rebus, qui mandatum neglexerit, turpiſſimo judicio condemnetur, neceſſe eſt: in re tanta, cùm is, cui fama mortui, fortunæ vivi commendatæ ſunt, atque [6] concreditæ, * * ignominia mortuum affecerit; is inter honeſtos homines, [7] atque adeò inter vivos numerabitur? In minimis, privatiſque rebus *etiam negligentia* in crimen mandati, [8] judiciumque infamia revocatur, ſi propterea quòd, ſi rectè fiat, illum negligere oporteat, qui mandarit, non illum, qui mandatum receperit: in re tanta, quæ publicè geſta, atque commiſſa ſit, qui non negligentia privatum aliquod commodum læſerit, ſed perfidia *legationis* ipſius cæremoniam polluerit, maculaque affecerit: qua is tandem

1. *Utrum is quod dixerit.*] Eſt à noſtris libris tribus. vulgati, *id quod.*

2. *Te iſtic ſedere.*] Eſt à conjectura Hotomani. vulgata prius, *te iſte credere:* neque ſecus mſſ. noſtri.

3. *Quiſquam ex vobis audire.*] Lambinus *ex nobis:* præter mſſ. noſtros; e quibus tamen Pal. pr. *quiſquam veſtrum audire.*

4. *A nobis contra voſmetipſos.*] Sic exemplar S. Victoris. nam Pall. *à vobis.* quomodo & cuſi omnes antè Lambinum. Gulielmius libenter removiſſet litteram *a.* ut fieret, *nobis videamini.*

5. *Hiſce aliqua fretus hora.*] Victorii mſſ. item Pall. *fretum hora.* S. Victoris *fretum ora.* inde lego, *remoram*, *procraſtinationem*, aut ſimile quid. finxit Hotomanus *fretus aura.*

6. *Concreditæ * * ignominia mortuum affecerit.*] Mſſ. hæc continuant, tanquam nihil deſit; cum videatur requiri alterum membrum.

7. *Atque adeo inter vivos.*] Conjiciebat Hotomanus, *viros.* ego *juſtos.* ſed aliud quid adhuc latet.

8. *Judiciumque infamia revocatur.*] Sic vett. edd. ſic plerorumque mſſ. etiam Pal. pr. nam ceteri noſtri *judiciumque in fama.* Paullus Manutius malebat *judiciumque infamiæ.* Lambinus admiſit, *judiciumque infame*; tanquam conjecturam certiſſimam. Gulielmius divinabat, *judiciumque in familiare vocatur*, hoc eſt ad arbitrum. Cl. Puteanus levi trajectione ac mutatione reponebat; *negligentia mandati in crimen judiciumque infamiæ vocatur.*

tandem pœna afficietur? aut quo judicio damnabitur? Si hanc ei rem privatim Sex. Roſcius mandaviſſet, ut cum Chryſogono tranſigeret, atque decideret, inque eam rem fidem ſuam, ſiquid opus eſſe putaret, interponeret: ille, qui ſeſe facturum recepiſſet: nonne ſi ex eo negotio tantulum in rem ſuam convertiſſet, damnatus per arbitrum, & rem reſtitueret, & *honeſtatem omnem amitteret?* Nunc non hanc ei rem Sex. Roſcius mandavit, ſed, id quod multò gravius eſt, ipſe Sex. Roſcius cum fama, vita, bonisque omnibus à decurionibus publicè Roſcio mandatus eſt: & ex eo T. Roſcius non paullum neſcio quid in rem ſuam convertit; ſed hunc funditus evertit bonis: ipſe tria prædia ſibi depactus eſt: voluntatem decurionum, ac municipum omnium tan-
40 tidem, quanti fidem ſuam, fecit. Videte jam porrò cetera, judices, ut intelligatis fingi maleficium nullum poſſe, quo iſte ſeſe non contaminarit. In rebus minoribus *ſocium fallere, turpiſſimum eſt*, æqueque turpe, atque illud, de quo antè dixi: neque injuria: propterea quod auxilium ſibi ſe putat adjunxiſſe, qui cum altero rem communicavit. Ad cujus igitur fidem confugiet, cùm per ejus fidem læditur, cui ſe commiſerit? Atqui ea ſunt animadvertenda peccata maximè, quæ difficillimè præcaventur. TECTI ESSE AD ALIENOS poſſumus: intimi multa apertiora videant, neceſſe eſt. ſocium verò cavere quî poſſumus? quem etiam ſi metuimus, jus officii lædimus. Rectè igitur majores eum, qui *ſocium fefelliſſet, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere.* At verò T. Roſcius non unum rei pecuniariæ ſocium fefellit (quod, tametſi grave eſt, tamen aliquo modo poſſe ferri videtur) verùm novem homines honeſtiſſimos, ejuſdem muneris, legationis, officii, mandatorumque ſocios, induxit, decepit, deſtituit, adverſariis tradidit, omni fraude & perfidia fefellit. qui de ejus ſcelere ſuſpicari nihil potuerunt: ſocium officii metuere non debuerunt: ejus malitiam non viderunt: orationi vanæ crediderunt. Itaque nunc illi homines honeſtiſſimi propter iſtius inſidias *parum putantur cauti*, providique fuiſſe. Iſte, qui initiò proditor fuit, deinde perfuga: qui primò ſociorum conſilia adverſariis enunciavit: deinde ſocietatem cum ipſis adverſariis coiit, terret etiam nos, ac minatur, tribus prædiis, hoc eſt, *præmiis ſceleris, ornatus.* In ejuſmodi vita, judices, in his tot, tantiſque flagitiis, hoc quoque maleficium, de quo judicium eſt, reperietis. Etenim quærere ita debetis: ubi multa avarè, multa audacter, multa improbè, multa perfidioſe facta videtis, ibi *ſcelus quoque* latêre inter illa tot flagitia putatote. Tametſi hoc quidem minimè latet, quod ita promptum, & propoſitum eſt, ut non ex illis maleficiis, quæ in illo conſtat eſſe, hoc intelligatur: verùm ex hoc etiam, [1] ſi quod illorum fortè dubitabitur, convincatur. Quid tandem, quæſo, judices? num aut ille laniſta omnino jam [2] à gladiis receſſiſſe videtur: aut iſte diſcipulus magiſtrò tantulum de arte concedere? Par eſt avaritia, ſimilis improbitas, eadem
41 impudentia, gemina audacia. Etenim, quoniam fidem magiſtri cognoſtis, cognoſcite nunc diſcipuli æquitatem. Dixi jam antea, ſæpe numero poſtulatos eſſe ab iſtis duos ſervos in quæſtionem. tu ſemper, T. Roſci, recuſaſti. quæro abs te, iine, qui poſtulabant, indigni erant, qui impetrarent? an iſte non commovebat, pro quo poſtulabant? an res ipſa tibi iniqua videbatur? poſtulabant homines nobiliſſimi, atque integerrimi noſtræ civitatis, quos jam antea nominavi: qui ita vixerunt, taleſque à populo Romano putantur, ut, quidquid dicerent, nemo eſſet, qui non *æquum putaret.* Poſtulabant autem pro homine miſerrimo, atque infeliciſſimo, qui vel ipſe ſeſe in cruciatum dari cuperet, dum de patris morte quæreretur. Res porrò abs te ejuſmodi poſtulabatur, ut nihil intereſſet, utrum eam rem recuſares, an *de maleficio confiterere.* Quæ cùm ita ſint, quæro abs te, quam ob cauſam recuſaris. Cùm occiditur Sex. Roſcius, ibidem fuerunt. Servos ipſos, quod ad me attinet, neque arguo, neque purgo. [3] quòd à vobis hoc pugnari video, ne in quæſtionem dentur, *ſuſpicioſum eſt.* quòd verò apud vos ipſos in honore tanto ſunt, profectò neceſſe eſt, ſciant aliquid, quod ſi dixerint, pernicioſum vobis futurum ſit. *In dominos quæri de ſervis iniquum eſt.* Anne quæritur? Sex. enim Roſcius reus eſt. Neque enim, cum de hoc quæritur, vos dominos eſſe dicitis. Cum Chryſogono ſunt. Ita credo: litteris eorum, & urbanitate Chryſogonus ducitur, ut inter ſuos omnium deliciarum, atque *omnium artium puerulos*, ex tot elegantiſſimis familiis lectos, velit hos verſari, homines pæne operarios, ex Amerina diſciplina patrisfamiliæ ruſticani. Non eſt ita profectò, judices: [4] non eſt veriſimile, ut Chryſogonus horum litteras adamarit, aut humanitatem: non, ut rei familiaris negotio diligentiam cognorit eorum, & fidem. eſt quiddam, quod occultatur. quod quo ſtudioſius ab ipſis opprimitur, & abſconditur, *eo magis eminet, & apparet.*
Quid igitur? Chryſogonus ſui maleficii occultandi cauſa 42
quæſtionem de his haberi non vult? minimè, judices. non in omneis arbitror omnia convenire. Ego in Chryſogono, quod ad me attinet, nihil ejuſmodi ſuſpicor: neque hoc mihi nunc primùm in mentem venit dicere. Meminiſtis, me ita diſtribuiſſe initio cauſam, in crimen: cujus tota argumentatio permiſſa Erucio eſt: & in audaciam, cujus partes Roſciis impoſitæ ſunt. quidquid maleficii, ſceleris, cædis erit, proprium id Roſciorum eſſe debebit. nimiam gratiam, potentiamque Chryſogoni, dicimus & nobis obſtare, & perferri nullo modo poſſe: & à vobis, quoniam poteſtas data eſt, non modò infirmari, verùm etiam vindicari oportere. Ego ſic exiſtimo: qui quæri velit ex iis, quos conſtat, cùm cædes facta ſit, affuiſſe, eum cupere verum invenire: qui recuſet, eum profectò, tametſi verbo non audeat, tamen *re ipſa de maleficio ſuo confiteri.* Dixi initiò, judices, nolle me plura de iſtorum ſcelere dicere, quàm cauſa poſtularet, ac neceſſitas ipſa cogeret. Nam & multæ res afferri poſſunt, & unaquæque earum multis cum argumentis dici poteſt. Verùm ego, quod invitus, ac neceſſariò facio, neque diu, neque diligenter facere poſſum. quæ præteriri nullo modo poterant, ea leviter, judices, attigi: quæ poſita ſunt in ſuſpicionibus, de quibus ſi cœpero dicere, pluribus verbis ſit diſſerendum, ea veſtris ingeniis, conjecturæque committo. Venio nunc ad illud *nomen aureum* Chry- 43
ſogoni, ſub quo nomine tota ſocietas ſtatuitur: de quo, judices, neque quomodo dicam, neque quomodo taceam, reperire poſſum. Si enim taceo; vel maximam partem relinquo. ſin autem dico; vereor, ne non ille ſolus (id quod ad me nihil attinet) ſed alii quoque plures læſos ſe eſſe putent. Tametſi ita ſe res habet, ut mihi in communem cauſam ſectorum dicendum nihil magnopere videatur. Hæc enim cauſa nova profectò, & ſingularis eſt. Bonorum Sex. Roſcii emtor eſt Chryſogonus. Primùm hoc videamus, ejus hominis bona qua ratione venierunt, aut quomodo venire potuerunt? Atque hoc non ita quæram, judices, ut id dicam eſſe *indignum, hominis innocentis bona veniſſe.* Si enim hæc audientur, ac liberè dicentur: non fuit tantus homo Sex. Roſcius in civitate, ut de eo potiſſimùm conqueramur. Verùm hoc ego quæro, quî potuerunt iſta ipſa lege, quæ de proſcriptione eſt, ſive Valeria eſt, ſive Cornelia, (non enim novi, nec ſcio) verùm iſta ipſa lege, bona Sex. Roſcii venire quî potuerunt? Scriptum enim ita dicunt eſſe, UT EORUM BONA VENEANT, QUI PROSCRIPTI SUNT: quo in numero Sex. Roſcius non eſt: AUT EORUM, QUI IN ADVERSARIORUM PRÆSIDIIS OCCISI SUNT. Dum

1. *Si quod illorum forte dubitabitur.*] Mſſ. noſtri, editioneſque antiquatæ, *ſi quod de illorum.* forſan, *ſi quo de illorum.* Gulielmius; quod tamen dudum diſplicuerat Hotomano.

2. *A gladiis receſſiſſe videtur.*] Iidem libri omnes, item cuſi præſide Victorio, *à gladiatore ceſſiſſe*, vel *receſſiſſe.*

3. *Quod à vobis hoc pugnari video.*] Mſſ. noſtri & avorum ſæculo ortæ edd. *à vobis oppugnari.*

4. *Non eſt veriſimile, ut Chryſogonus horum, &c.*] Lambinus abjecit, *veriſimile*, ceu ſpurium, contra libros ſanè ſcriptos cuſoſque.

1. *Nimi-*

Dum præſidia ulla fuerunt, in Sullæ præſidiis fuit, poſteaquàm ab armis receſſerunt: in ſummo otio rediens à cena, Romæ occiſus eſt. Si lege: bona quoque, lege veniſſe fateor. ſin autem conſtat contra omneis non modò veteres leges, verùm etiam novas, occiſum eſſe: bona quo jure, aut quo
44 modo, aut qua lege venierint, quæro. In quem hoc dicam, quæris, Eruci? non in eum, quem vis, & putas. nam Sullam & oratio mea ab initio, & ipſius eximia virtus omni tempore purgavit. Ego hæc omnia Chryſogonum feciſſe dico, ut ementiretur, ut malum civem Roſcium fuiſſe fingeret, ut eum apud adverſarios occiſum eſſe diceret, ut hiſce de rebus à legatis Amerinorum doceri L. Sullam paſſus non ſit. Denique etiam illud ſuſpicor, omninò hæc bona non veniſſe: id quod poſtea, ſi per vos, judices, licitum erit, aperietur. Opinor enim eſſe in lege quam ad diem proſcriptiones, venditioneſque fiant: [1] nimirum KALENDAS JUNIAS. Aliquot poſt menſeis & homo occiſus eſt, & bona veniſſe dicuntur. Profectò aut hæc bona in tabulas publicas nulla redierunt, noſque ab iſto nebulone facetiùs eludimur, quàm putamus: aut, ſi redierunt, tabulæ publicæ corruptæ aliqua ratione ſunt. Nam lege quidem, bona venire non potuiſſe conſtat. Intelligo, me ante tempus, judices, hæc ſcrutari, & propemodum errare, qui, cum capiti Sex. Roſcii mederi debeam, *reduviam curem*. Non enim laborat de pecunia, non ullius rationem ſui commodi ducit: facilè egeſtatem ſuam ſe laturum putat, ſi hac indigna ſuſpicione, & ficto crimine liberatus ſit. Verùm quæſo à vobis, judices, ut hæc pauca, quæ reſtant, ita audiatis, ut partim me dicere pro me ipſo putetis, partim pro Sex. Roſcio. Quæ enim mihi ipſi indigna, & intolerabilia videntur, quæque *ad omneis, niſi providemus*, arbitror pertinere: ea pro me ipſo, ex animi mei ſenſu, ac dolore pronuntio. Quæ ad hujus vitæ caſum, cauſamque pertineant, & quid hic pro ſe dici velit, & qua conditione contentus ſit, jam in extrema oratione noſtra, judices, audietis. Ego hæc à Chryſogono, mea ſponte, remoto Sex. Roſcio, quæ-
45 ro. Primùm, quare civis optimi bona venierint: deinde, quare hominis ejus, qui neque proſcriptus, [2] neque apud adverſarios occiſus eſt, bona venierint, cùm in eos ſolos lex ſcripta ſit: deinde, quare aliquanto poſt eam diem venierint, quæ dies in lege præfinita eſt: deinde, cur tantulo venierint. Quæ omnia ſi, quemadmodum ſolent liberti nequam, & improbi facere, *in patronum ſuum voluerit conferre*; nihil egerit. nemo eſt enim, qui neſciat, propter magnitudinem rerum multa multos [[3] partim connivente] partim imprudente L. Sulla commiſiſſe. Placet igitur in his rebus aliquid imprudentia præteriri? non placet, judices: ſed neceſſe eſt. Etenim ſi JUPITER OPTIMUS maximus, cujus nutu, & arbitrio cœlum, terra, mariaque reguntur, ſæpè ventis vehementioribus, aut immoderatis tempeſtatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit, urbeis delevit, fruges perdidit: quorum [4] nihil pernicii cauſa, divino conſilio, ſed *vi ipſa, & magnitudine rerum*, factum putamus: at contra, commoda, quibus utimur: lucemque, qua fruimur: ſpiritumque, quem ducimus, ab eo nobis dari, atque impertiri videmus: quid miramur, L. Sullam, cum ſolus remp. regeret, orbemque terrarum gubernaret, imperiique majeſtatem, quam armis receperat, legibus confirmaret, *aliqua animadvertere non potuiſſe?* niſi hoc mirum eſt, quod vis divina aſſequi non poſſit, ſi id mens humana adepta non ſit. Verùm, ut hæc miſſa faciam, quæ jam facta ſunt: ex iis, quæ nunc maximè fiunt, nonne quivis poteſt intelligere, omnium architectum, & machinatorem unum eſſe Chryſogonum, qui Sex. Roſcii nomen deferendum curavit? hoc judicium, cujus honoris cauſa accuſare ſe dixit Erucius?

DESUNT NON PAUCA.

aptam, & ratione diſpoſitam ſe habere exiſtimant, qui in 46
Salentinis, aut in Brutiis habent, unde vix ter in anno audire nuntium poſſunt. alter tibi deſcendit de palatio, & ædibus ſuis: habet *animi relaxandi cauſa rus amœnum*, & ſuburbanum, plura præterea prædia, neque tamen ullum, niſi præclarum, & propinquum: domus referta vaſis Corinthiis, & Deliacis, in quibus eſt [5] authepſa illa, quam tanto pretio nuper mercatus eſt, [6] ut, qui prætereuntes pretium enumerari audiebant, *fundum venire* arbitrarentur. Quid præterea cælati argenti? quid ſtragulæ veſtis? quid pictarum tabularum? quid ſignorum? quid marmoris apud illum putatis eſſe? tantùm ſcilicet, quantum è multis, ſplendidiſque familiis in turba, & rapinis coacervari una in domo potuit. Familiam verò quantam, & quam variis cum artificiis habeat, quid ego dicam? Mitto haſce arteis vulgareis, coquos, piſtores, lecticarios. *animi & aurium cauſa* tot homines habet, ut quotidiano cantu vocum, & nervorum, & tibiarum, nocturniſque conviviis tota vicinitas perſonet. In hac vita, judices, quos ſumtus quotidianos, quas effuſiones fieri putatis? quæ verò convivia? honeſta, credo, in ejuſmodi domo: ſi domus hæc habenda eſt potius, quàm *officina nequitiæ*, & diverſorium flagitiorum omnium. Ipſe verò quemadmodum compoſito, & delibuto capillo paſſim, per forum volitet cum magna caterva togatorum, videtis, judices: ut omneis deſpiciat, *hominem præ ſe neminem putet*, ut ſe ſolum beatum, ſolum potentem putet. Quæ verò efficiat, & quæ conetur, ſi velim commemorare, vereor, judices, ne quis imperitior exiſtimet, me cauſam nobilitatis victoriamque voluiſſe lædere: tametſi meo jure poſſum, ſi quid in hac parte mihi non placeat, vituperare. Non enim vereor, ne quis alienum me animum habuiſſe à cauſa nobilitatis exiſtimet. Sciunt ii, qui me norunt, me pro illa 47
tenui infirmaque parte, poſteaquàm id, quod maximè volui, fieri non potuit, *ut componeretur:* id maximè defendiſſe, ut ii vincerent, qui vicerunt. Quis enim erat, qui non videret, humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere? quo in certamine perditi civis erat, non ſe ad eos jungere, quibus incolumibus, & *domi* dignitas, & *foris* auctoritas retineretur. Quæ perfecta eſſe; & ſuum cuique honorem, & gradum redditum, gaudeo, judices, vehementerque lætor: eaque omnia deorum voluntate, ſtudio populi Romani, conſilio, & imperio, & felicitate L. Sullæ, geſta eſſe intelligo. Quòd animadverſum eſt in eos, qui contrà omni ratione pugnarunt: non debeo reprehendere. quòd viris fortibus, quorum opera eximia in rebus gerendis exſtitit, *honos habitus eſt*; laudo. quæ ut fierent, idcircò pugnatum eſſe arbitror, meque in eo ſtudio partium fuiſſe confiteor. Sin autem id actum eſt, & idcirco arma ſumta ſunt, ut homines poſtremi, pecuniis alienis locupletarentur, & in fortunas uniuſcujuſque impetum facerent, & id non modò re prohibere non licet: ſed ne verbis quidem vituperare: tum verò in iſto bello non recreatus, neque reſtitutus, ſed *ſubactus oppreſſuſque* populus Romanus eſt. Verùm longè aliter eſt. nihil horum eſt, judices. non modò non læditur cauſa nobilitatis, ſi iſtis hominibus reſiſtetis: verùm etiam ornabitur. Etenim qui hæc vituperare volunt, 48
Chryſogonum tantum poſſe queruntur: qui laudare volunt, con-

1. *Nimirum Kalendas Junias.*] Ita mſſ. noſtri editioneſque primæ. poſteriores, *nimirum ad Kal.* non neceſſario.

2. *Neque apud adverſarios occiſus, neque proſcriptus eſt.*] Illud *neque proſcriptus*, abeſt noſtris codd. & edd. vett. neſcio an exſtiterit in Urſinianis. loquitur enim ambiguè.

3. *Partim connivente.*] Binæ hæ voces non ſunt in mſſ. noſtris aut edd. veterrimis. & non videntur auctoris.

4. *Nihil, pernicii cauſa.*] Sic ingerunt Critici, è Gellii libro IX. cap. 14. vetuſte tamen cuſi & mſſ. noſtri *perniciæ*, non etiam malè.

5. *Authepſa illa.*] Sic omnes libri; denique verbum reſtituendum, ex mſſ. Palatinis, Lampridii Helagabalo cap. 19. *Primus deinde authepſas argenteas habuit.*

6. *Ut qui prætereuntes pretium enumerari, &c.*] Pal. pr. *ut quidam prætereuntes qui id pretium enumerari.* S. Victoris, *ut qui prætereuntes quid præcœnum numerare.* forte, *ut quidem prætereuntes qui id præconi adnumerari.*

conceſſum ei non eſſe commemorant. Ac jam nihil eſt, quòd quiſquam aut tam ſtultus, aut tam improbus ſit, qui dicat, VELLEM QUIDEM LICERET: HOC DIXISSEM: Dicas licet. HOC FECISSEM: Facias licet: nemo prohibet. HOC DECREVISSEM: Decerne, modò rectè: omnes approbabunt. HOC JUDICASSEM: Laudabunt omnes, ſi rectè & ordine judicaris. Dum neceſſe erat, reſque ipſa cogebat, unus omnia poterat: qui poſteaquàm magiſtratus creavit, legeſque conſtituit, ſua cuique procuratio, auctoritaſque eſt reſtituta. Quam ſi retinere volunt ii, qui recuperarunt: in perpetuum poterunt obtinere. ſin has cædeis, & rapinas, & hos tantos, tamque profuſos ſumtus aut facient, aut approbabunt: nolo in eos gravius quidquam, ne ominis quidem cauſa dicere: unum hoc dico: *noſtri iſti nobiles, niſi vigilantes, & boni, & fortes, & miſericordes erunt: iis hominibus, in quibus hæc erunt, ornamenta ſua concedant neceſſe eſt.* Quapropter deſinant aliquando dicere, malè aliquem locutum eſſe; ſi quis verè, ac liberè locutus ſit: deſinant ſuam cauſam cum Chryſogono communicare: deſinant, ſi ille læſus ſit, de ſe aliquid detractum arbitrari: videant ne turpe, miſerumque ſit, eos, qui equeſtrem ſplendorem pati non potuerunt, *ſervi* nequiſſimi dominationem ferre poſſe. Quæ quidem dominatio, judices, in aliis rebus antea verſabatur: nunc verò [1] quam viam muniret, quod iter affectet, videtis. ad fidem, ad jusjurandum, ad judicia veſtra, ad id, quod ſolum prope in civitate ſincerum, ſanctumque reſtat. Hicne etiam ſeſe putat aliquid poſſe Chryſogonus? hîc etiam potens eſſe vult? ô rem miſeram, atque acerbam! Neque mehercules hoc indignè fero, quòd verear, ne quid poſſit: verùm quòd *auſus* eſt, [2] quòd *ſperavit*, ſeſe apud taleis viros aliquid ad perniciem eſſe innocentis, idipſum
49 queror. Idcircone [3] experrecta *nobilitas*, armis, atque ferro rempub. recuperavit, ut ad libidinem ſuam liberti, *ſervulique nobilium*, bona, fortunas veſtras, noſtraſque vexare poſſent? Si id actum eſt, fateor me erraſſe, qui hoc maluerim: fateor inſaniſſe, qui cum illis ſenſerim. tametſi inermis, judices, ſenſi. Sin autem victoria nobilium *ornamento, atque emolumento reipublicæ, populoque Romano* debet eſſe: tum verò optimo, & nobiliſſimo cuique meam orationem gratiſſimam eſſe oportet. Quòd ſi quis eſt, qui & ſe, & cauſam lædi putet, cùm Chryſogonus vituperetur: is cauſam ignorat: ſe ipſum propè non novit. Cauſa enim ſplendidior fiet, ſi nequiſſimo cuique reſiſtetur. Ille improbiſſimus Chryſogoni fautor, qui ſibi cum illo rationem communicatam putat, læditur, cùm ab hoc ſplendore cauſæ ſeparatur. Verùm hæc omnis oratio (ut jam antè dixi) mea eſt: qua me uti reſp. & dolor meus, & iſtorum injuria coëgit. Sed Roſcius horum nil indignum putat: neminem accuſat: nihil de ſuo patrimonio queritur: putat homo imperitus morum, agricola & ruſticus, iſta omnia, quæ vos per Sullam geſta eſſe dicitis, *more, lege, jure gentium facta*: culpa liberatus, & crimine nefario ſolutus cupit à vobis diſcedere. Si hac indigna ſuſpicione careat, animo æquo ſe carere ſuis omnibus commodis dicit. rogat, oratque te, Chryſogone, ſi nihil de patris fortunis ampliſſimis in ſuam rem convertit: ſi nulla in re te fraudavit: ſi tibi optima fide ſua omnia conceſſit, adnumeravit, appendit: ſi veſtitum, quo ipſe tectus erat, [4] anulumque de digito ſuum tibi tradidit: ſi ex omnibus rebus ſe ipſum nudum, neque præter-
ea quidquam excepit: ut ſibi per te liceat innocenti amicorum opibus [5] vitam in egeſtate degere. Prædia mea tu poſ- 50
ſides: ego aliena miſericordia vivo: concedo: & quod *animus æquus eſt*, & quia neceſſe eſt. mea domus tibi patet, mihi clauſa eſt: fero. familia mea maxima uteris, ego ſervum habeo nullum: patior, & ferendum puto. Quid vis amplius? quid inſequeris? quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem lædi à me putas? ubi tuis commodis officio? quid tibi obſto? *ſi ſpoliorum cauſa* vis hominem occidere, ſpoliaſti. Quid quæris amplius? Si inimicitiarum: quæ ſunt tibi inimicitiæ cum eo, cujus ante prædia poſſediſti, quam ipſum cognoſti? Sin metuis: ab eone aliquid metuis, quem vides ipſum ab ſeſe tam atrocem injuriam propulſare non poſſe? Sin, quòd bona, quæ Roſcii fuerunt, tua facta ſunt, idcirco hunc illius filium ſtudes perdere: nonne oſtendis, id te vereri, quod præter ceteros *tu* metuere non debeas, nequando, *liberis proſcriptorum bona patria reddantur?* [6] Facis injuriam, Chryſogone, ſi majorem ſpem emtionis tuæ in hujus exitio ponis, quàm in his rebus, quas L. Sulla geſſit. Quòd ſi tibi cauſa nulla eſt, cur hunc miſerum tanta calamitate affici velis: ſi tibi omnia ſua, præter animam, tradidit, nec ſibi quidquam paternum, [7] ne monumenti quidem cauſa, reſervavit: per deos immortaleis, quæ iſta tanta crudelitas eſt? quæ tam fera, immaniſque natura? QUIS UMQUAM PRÆDO fuit tam nefarius: quis pirata tam barbarus, ut, cùm integram prædam ſine ſanguine habere poſſet, cruenta ſpolia detrahere mallet? Scis hunc nihil habere, nihil audere, nihil poſſe, nihil umquam contra rem tuam cogitaſſe: & tamen oppugnas eum, quem neque metuere potes, neque odiſſe debes, nec quidquam habere jam reliqui vides, quod ei detrahere poſſis: niſi hoc indignum putas, quòd veſtitum ſedere in judicio vides: quem tu è patrimonio, tamquam è naufragio, nudum expuliſti. Quaſi verò neſcias, hunc & ali, & veſtiri è Cæcilia, Balearici filia, Nepotis ſorore, ſpectatiſſima fæmina: quæ cùm patrem clariſſimum, ampliſſimos patruos, ornatiſſimum fratrem haberet: tamen, cùm eſſet mulier, virtute perfecit, ut, quanto *honore ipſa ex illorum dignitate afficeretur, non minora illis ornamenta ex ſua laude redderet.* An quòd diligen- 51
ter defenditur, id tibi indignum facinus videtur? Mihi crede, ſi pro patris ejus hoſpitiis, & gratia, vellent omnes hujus hoſpites adeſſe, & auderent liberè defendere: ſatis copioſè defenderetur. ſin autem pro magnitudine injuriæ, proque eo, quòd [8] *ſumma reſp. in hujus periculo tentatur*, hæc omnes vindicarent: conſiſtere mehercule vobis iſto in loco non liceret. Nunc ita defenditur, non ſanè, ut moleſtè ferre adverſarii debeant, neque ut ſe potentia ſuperari putent. Quæ domi gerenda ſunt, ea per Cæciliam tranſiguntur. fori, judiciique rationem Meſſalla, ut videtis, judices, ſuſcepit. qui ſi jam ſatis ætatis, atque roboris haberet, ipſe pro Sex. Roſcio diceret. quoniam ad dicendum impedimento eſt ætas, & *pudor, qui ornat ætatem*: cauſam mihi tradidit, quem ſua cauſa cupere, ac debere intelligebat. ipſe aſſiduitate, conſilio, auctoritate, diligentia, perfecit, ut Sex. Roſcii vita, erepta de manibus ſectorum, ſententiis judicum permitteretur. Nimirum, judices, pro hac nobilitate pars maxima civitatis in armis fuit: hæc acta res eſt, uti nobiles reſtituerentur in civitatem, qui hoc facerent, quod facere Meſſallam videtis: qui caput innocentis defenderent;

1. *Quam viam muniret, quod iter affectet.*] Sic mſſ. & antiquitus cuſi. recentius, *quo iter*. videntur eſſe verba alicujus poetæ. nam pedes aperte apparent Trochaici verſus,

—— *Quam viam*
Muniret, quod iter affectet. ——

2. *Quod ſperavit ſeſe apud tales viros aliquid ad perniciem poſſe innocentis.*] Vox *poſſe* reſtat ſolum in Pal. pr. hoc poſitu, *viros poſſe aliquid ad perniciem.* at enim ceteri duo, item S. Victoris, nec non excuſi, eam non agnoſcunt. & poterat abeſſe, dummodo & *ſeſe* mutaretur in *ipſe*.

3. *Experrecta nobilitas.*] Mſſ. noſtri & olim editi *exſpectata nobil.*

4. *Anulumque de digito ſuum ſibi tradidit.*] Auſus ſum ſequi Paullum & Aldum Manutios, admiſſâ conjecturâ Lambini; quod è vulgata nihil boni ſucci exprimerem. nam *os præbere*, paraſitorum tantum, aut eorum quos non nomino.

5. *Vitam in egeſtate degere.*] S. Victoris liber, Pal. prim. & tert. *egeſtatem*, quod Gulielmio diſplicebat.

6. *Facis injuriam Chryſogone.*] Male heic voces tranſponit Lambinus. non eſt formula leniter objurgantis peccantem.

7. *Ne monumenti quidem cauſa reſervavit.*] S. Vict. cod. *cauſa dare ſervavit*, quod & in Pal. oct. nam tert. *clare ſervavit*. pr. *clam reſerv.*

8. *Summa reſpubl. in hujus periculo tentatur.*] Reduxi quod erat in ſcriptis noſtris & edd. annorum centum & triginta. vulgata enim exinde *reipubl.*

1. *In*

derent: qui injuriæ reſiſterent: qui, *quantum poſſent*, [1] *in ſalute alterius, quàm in exitio, mallent oſtendere* Quod ſi omnes, qui eodem loco nati ſunt, facerent: & reſpublica
52 ex illis, & ipſi ex invidia minus laborarent. Verùm ſi à Chryſogono, judices, non impetramus, ut pecunia noſtra contentus ſit, vitam ne petat: ſi ille adduci non poteſt, ut cùm ademerit nobis omnia, quæ noſtra erant propria, ne lucem quoque hanc, quæ communis eſt, eripere cupiat: ſi non ſatis habet avaritiam ſuam pecunia explere, niſi etiam crudelitate ſanguinis perlitus ſit: unum perfugium, judices, una ſpes reliqua eſt Sex. [2] Roſcio, eadem, quæ reip. veſtra priſtina bonitas, & miſericordia: quæ ſi manet, ſalvi etiam nunc eſſe poſſumus. ſin ea crudelitas, quæ hoc tempore [3] in republ. verſata eſt, veſtros quoque animos (id quod fieri profectò non poteſt) duriores, acerbioreſque reddidit: actum eſt, judices: *inter feras ſatius eſt ætatem degere, quàm in hac tanta immanitate verſari.* Ad eamne rem vos reſervati eſtis? ad eamne rem delecti, ut eos condemnaretis, quos ſectores, ac ſicarii jugulare non potuiſſent? Solent hoc *boni imperatores* facere, cùm prælium committunt, ut in eo loco, quò fugam hoſtium fore arbitrentur, milites collocent: in quos, ſi qui ex acie fugerint, de improviſo incidant. Nimirum ſimiliter arbitrantur iſti bonorum emtores, vos hîc, taleis viros, ſedere, qui excipiatis eos, qui de ſuis manibus effugerint. Dii prohibeant, judices, ut hoc, quod majores CONSILIUM PUBLICUM vocari voluerunt, præſidium ſectorum exiſtimetur. An verò, judices, vos non intelligitis, nihil aliud agi, niſi ut proſcriptorum liberi quavis ratione tollantur, & ejus rei initium in veſtro jurejurando, atque in Sex. Roſcii periculo quæri? Dubium eſt, ad quem maleficium pertineat, cùm videatis in altera parte ſectorem, inimicum, ſicarium, eundemque accuſatorem hoc tempore: ex altera parte egentem, probatum ſuis filium, in quo non modò *culpa* nulla, ſed ne *ſuſpicio* quidem potuit conſiſtere? Numquid hîc aliud videtis obſtare Roſcio, niſi quòd patris bona venierunt? Quòd ſi id vos ſu- 53
ſcipitis, [4] & eadem in re operam veſtram profitemini: ſi idcircò ſedetis, ut ad vos adducantur eorum liberi, quorum bona venierunt: cavete, per deos immortaleis, judices, ne nova, & multo crudelior per vos *proſcriptio* inſtaurata eſſe videatur. Illam priorem, quæ facta eſt in eos, qui arma capere potuerunt, tamen ſenatus ſuſcipere noluit, ne quid acriùs, quàm more majorum comparatum eſt, *publico conſilio* factum videretur. Hanc verò, quæ ad eorum liberos, atque infantium puerorum incunabula pertinet, niſi hoc judicio, à vobis rejicitis, & aſpernamini, videte, per deos immortaleis, quem in locum rempubl. perventuram putetis. Homines ſapienteis, & iſta auctoritate, & poteſtate præditos, qua vos eſtis, ex quibus rebus maximè reſpubl. laborat, iis maximè mederi convenit. Veſtrûm nemo eſt quin intelligat, populum Romanum, qui *quondam in hoſteis leniſſimus* exiſtimabatur, hoc tempore domeſtica crudelitate laborare. Hanc tollite ex civitate, judices, hanc pati nolite diutius in hac republ. verſari: quæ non modò id habet in ſe mali, quòd tot civeis atrociſſimè ſuſtulit, verùm etiam hominibus leniſſimis ademit miſericordiam *conſuetudine incommodorum.* Nam CUM OMNIBUS horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus: etiam qui natura mitiſſimi ſumus, aſſiduitate moleſtiarum ſenſum omnem humanitatis ex animis amittimus.

Nihil videtur deeſſe.

M. TULLII CICERONIS
PRO
Q. ROSCIO COMOEDO,
ORATIO TERTIA.

Multa, quæ deſunt, quærenda.

1 malitiam naturæ, crederetur. Is ſcilicet vir optimus, & ſingulari fide [1] præditus, qui ſuo judicio, tabulis ſuis, teſtibus uti conatur. Solent ferè dicere qui per tabulas [2] hominis honeſti pecuniam expenſam tulerunt: *Egone talem virum corrumpere potui, ne mea cauſa falſum in codicem referret?* Exſpecto, quàm mox Chærea hac oratione utatur: Egone hanc manum, plenam perfidiæ, & hos digitos meos impellere potui, ut [3] falſum perſcriberent nomen? Quòd ſi ille ſuas proferet tabulas: proferet ſuas quoque Roſcius. erit in illius tabulis hoc nomen: at in hujus non erit. Cur potius [4] illius, quàm hujus, credetur? Scripſiſſet ille, ſi non juſſu hujus expenſum tuliſſet? non ſcripſiſſet hic, quod ſibi expenſum ferri juſſiſſet? Nam, quemadmodùm TURPE EST ſcribere, quod non debeatur: ſic improbum eſt, non referre, quod debeas. æquè enim tabulæ condemnantur ejus, qui verum non retulit: & ejus, qui falſum perſcripſit. Sed ego copia, & facultate cauſæ confiſus, vide quò progrediar. Si tabulas C. Fannius accepti, & expenſi profert ſuas, in ſuam rem, ſuo arbitratu ſcriptas: quò minùs ſecundum illum judicetis, non recuſo. Quis hoc *frater fratri*, quis parens filio tribuit, ut, quodcumque retuliſſet, id ratum haberet? ratum habebit Roſcius, profer. quod tibi fuerit

---

1. *In ſalute alterius.*] Annotarat Gulielmius, non negligendam S. Victoris ſcripturam *in ſalutem*, & ſic quoque Pal. pr.
2. *Roſcio eadem quæ Reip. veſtra &c.*] Neſcio an ſequi poſſim lectionem Pall. & olim cuſorum *Roſcio, eademque Reip. veſtra &c.*
3. *In republica verſata eſt.*] Iidem codd. item Pal. tert. & editi olim, *in remp. verſata.* quod arbitrabatur Gulielmius dictum, ut *verſum in remp.* Urſini liber *in rep. graſſata.*
4. *Et eadem in re operam veſtram.*] Sic quidem editi. ſed mſſ. noſtri, aut *eadem re*, aut *eandem rem.* unde facit Gulielmius, *& eam ad rem.*

---

1. *Præditus, in ſuo judicio.*] Hæc eſt lectio Palatini, & editionum veterum, invenitque in ſuis ſcriptis Hotomanus. vulgata, *præditus, qui ſuo judicio.*
2. *Hominis honeſti pecuniam, &c.*] Locus non ſanus; nam Palatini, *homines . . . . pecuniam.* edd. vett. *homines . . . . . citi pecuniam.*
3. *Falſum perſcriberent nomen.*] Iidem libri, *perſcriberem.*
4. *Illius quam hujus credetur? ſcripſiſſet ille, ſi non &c.*] Iidem, *crederetur ſcripſiſſe? Ille ſi &c.* Lamb. interpoluit, *hujus tabulis credetur?*

2. *Paullò*

fuerit perſuaſum , huic erit perſuaſum : quod tibi fuerit probatum , huic erit probatum. [1] Paullò antè à M. Perpenna, P. Saturii tabulas poſcebamus : nunc tuas , C. Fanni Chærea , ſolius flagitamus, &, quo minùs ſecundùm eas lis detur , non recuſamus. Quid ita non profers ? non conficit tabulas? Immò diligentiſſimè. Non refert parva nomina in codices? Immò omneis ſummas. Leve , & tenue hoc nomen? H-S. CCCIƆƆƆ ſunt. quomodo tibi tanta pecunia extraordinaria jacet? quomodo H-S. CCCIƆƆƆ in codice accepti & expenſi non ſunt? Prô dii immortales! eſſene quemquam [2] tanta audacia præditum, qui, quod nomen referre in tabulas timeat, id petere audeat? quod in codicem injuratus referre noluit, id jurare in litem non dubitet? QUOD
2 SIBI probare non poſſit, id perſuadere alteri conetur? Nimiùm citò ait me indignari de tabulis : non habere ſe hoc nomen in codice accepti, & expenſi relatum confitetur : ſed in adverſariis patêre contendit. Uſque eone te diligis, & magnificè circumſpicis, ut pecuniam non ex tuis tabulis, ſed ex adverſariis petas? ſuum codicem teſtis loco recitare, *arrogantiæ eſt.* ſuarum perſcriptionum, & liturarum adverſaria proferre non *amentia* eſt? Quòd ſi eandem vim, diligentiam, auctoritatemque habent adverſaria, quam tabulæ: quid attinet codicem inſtituere? conſcribere? ordinem conſervare? memoriæ tradere litterarum vetuſtatem? Sed ſi, quòd *adverſariis nihil credimus*, idcircò codicem ſcribere inſtituimus : quod etiam *apud omneis* leve, & infirmum eſt, id *apud judicem* grave, & ſanctum eſſe ducetur? Quid eſt, quòd negligenter ſcribamus adverſaria? quid eſt, quòd diligenter conficiamus tabulas? qua de cauſa? quia hæc ſunt menſtrua, illæ ſunt æternæ: hæc delentur ſtatim, illæ ſervantur ſanctè: hæc parvi temporis memoriam, illæ perpetuæ exiſtimationis fidem & religionem amplectuntur: [3] hæc ſunt dejecta, illæ in ordinem confectæ. Itaque adverſaria in judicium protulit nemo: codicem protulit; tabulas recitavit. Tu, C. Piſo, tali fide, virtute, gravitate, auctoritate ornatus, ex adverſariis pecuniam petere non au-
3 deres. Ego, quæ *clara* ſunt *conſuetudine*, diutius dicere non debeo : illud verò, quod ad rem vehementer pertinet, quæro: quàm pridem hoc nomen, Fanni, in adverſaria retuliſti? Erubeſcit: quid reſpondeat, neſcit: quid fingat extemplò, non habet. Sunt duo menſes jam, dices. Tamen [5] in codicem acceptum & expenſum referri debuit. Amplius ſunt ſex menſes. Cur tamdiu jacet hoc nomen in adverſariis? Quid ſi tandem ampliùs triennium eſt? quomodo, cùm omnes, qui tabulas conficiant, menſtruas pænè rationes in tabulas transferant, tu hoc nomen triennium amplius in adverſariis jacere pateris? Utrum cetera nomina in codicem accepti & expenſi digeſta habes, an non? Si non: quomodo tabulas conficis? ſi etiam: quamobrem, cùm cetera nomina in ordinem referebas, hoc nomen triennio amplius, quod erat *in primis magnum*, in adverſariis relinquebas? Nolebas ſciri, debere Roſcium. Cur ſcribebas? Rogatus eras, ne referres. Cur in adverſariis ſcriptum habebas? Sed hæc quamquam firma eſſe video, tamen ipſe mihi ſatisfacere non poſſum, niſi à C. Fannio ipſo teſtimonium ſumo, hanc pecuniam ei non deberi. Magnum eſt, quod conor. difficile eſt, quod polliceor. niſi eundem & *adverſarium*, & *teſtem* habuerit Roſcius, nolo vincat. Pe- 4
cunia tibi debebatur certa, quæ nunc petitur per judicem: in qua legitimæ partis ſponſio facta eſt. Hîc tu ſi amplius H-S. nummo petiſti, quàm tibi debitum eſt, cauſam perdidiſti: propterea quòd aliud eſt judicium, aliud arbitrium. JUDICIUM eſt pecuniæ certæ: ARBITRIUM incertæ. Ad judicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus: ad arbitrium hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum poſtulavimus, conſequamur. Ejus rei ipſa verba formulæ teſtimonio ſunt. Quid eſt in judicio? directum, aſperum, ſimplex. [6] SI PARET H-S. IƆƆƆ DARI OPORTERE. Hic, niſi planum facit, H-S. IƆƆƆ. ad libellam ſibi deberi, cauſam perdit. Quid eſt in arbitrio? mite, moderatum, [7] QUANTUM ÆQUIUS, ET MELIUS, ID DARI. Ille tamen confitetur plus ſe petere, quàm debeatur: ſed ſatis, ſuperque habere dicit, quod ſibi ab arbitro tribuatur. Itaque alter cauſæ confidit: alter diffidit. Quæ cùm ita ſint; quæro abs te, quid ita de hac pecunia, de his ipſis H-S. IƆƆƆ de tuarum tabularum fide compromiſſum feceris, arbitrum ſumſeris, quantum æquius & melius ſit, dari, repromittive, ſi parêret. Quis in hanc rem fuit arbiter? Utinam is quidem Romæ eſſet! Romæ eſt. [8] Jam utinam adeſſet in judicio! Adeſt. Utinam ſederet in conſilio C. Piſonis! Ipſe C. Piſo eſt. Eundemne tu arbitrum, & judicem ſumebas? eidem & infinitam largitionem remittebas, & eundem in anguſtiſſimam formulam ſponſionis concludebas? QUIS UMQUAM ad arbitrum, quantum petiit, tantum abſtulit? nemo. quantum enim æquius eſſet ſibi dari, petiit. De quo nomine ad arbitrum adiſti, de eo ad judicem veniſti. Ceteri cùm ad judicem *cauſam labefactari* animadvertunt, ad arbitrum confugiunt: hic ab arbitro ad judicem venire eſt auſus. qui cùm [9] de hac pecunia, de tabularum fide arbitrum ſumſit: judicavit, ſibi pecuniam non deberi. Jam duæ partes cauſæ ſunt confectæ: [10] adnumeraſſe ſeſe negat: expenſum tuliſſe non dicit, cùm tabulas non recitat. reliquum eſt, ut ſtipulatum ſe eſſe dicat. præterea enim, quemadmodum *certam pecuniam* petere poſſit, non reperio. Stipulatus es? ubi? quo 5
die? quo tempore? quo præſente? quis ſpopondiſſe me dicit? nemo. Hîc ego ſi finem faciam dicendi, ſatis fidei & diligentiæ meæ, ſatis cauſæ & controverſiæ, ſatis formulæ, & ſponſioni, ſatis etiam judici feciſſe videar, cur ſecundum Roſcium judicari debeat. Pecunia petita eſt certa: cùm tertia parte ſponſio facta eſt. Hæc pecunia neceſſe eſt, aut data, aut expenſa lata, aut ſtipulata ſit. Datam non eſſe Fannius confitetur. expenſam latam non eſſe, codices Fannii confirmant. ſtipulatam non eſſe *taciturnitas teſtium* concedit. Quid ergo eſt? [11] quod & reus is eſt, cui & *pecunia leviſſima*, & *exiſtimatio ſanctiſſima* fuit ſemper: & judex eſt is, quem nos non minus bene de nobis exiſtimare, quàm ſecundùm nos judicare velimus: advocatio ea eſt, quam

1. *Paullò ante M. Perpenna P. Saturii tabulas.*] Iidem, *Paullo ante M. Perpennæ, P. Saturii &c.* quod placebat Turnebo libro XXIX. cap. 36 Hotomanus annotavit tale quid reponendum, *Paullò ante, M. Piſo, M. Perperna, argentarii tabulas poſc.*

2. *Tanta audacia præditum.*] Gulielmius putabat vocem poſtremam ex adnotamento Scholiaſtis. is ad hanc orationem nullum habuit librum manu ſcriptum : ego unum tantum.

3. *Hæc ſunt dejecta.*] Forſan *defecta*, annotatum Gulielmio. Dubitat Hotomanus num ſcribendum ſit *disjecta, illæ in ordinem conjectæ.*

4. *Auctoritate ornatus.*] Deleri poſſe illud *ornatus* putabat Gulielmius, librarii ſcilicet adnotamentum.

5. *In codicem acceptum & expenſum referri debuit.*] Pal. non agnoſcit verbum *referri.* ejus loco eſt in editione veterrima *eſſe*: unde fieri commode queat, *acceptûm & expensûm eſſe debuit*, ut & conjecerat Gulielmius noſter. hodie fere legitur, *in cod. accepti & expenſi referri debuit.* quod eſt conjectura Hotomani, item Turnebi.

6. *Si paret* H-S IƆƆƆ *dari oportere, &c.*] Quod repræſentavimus, eſt quaſi lectio communis ; ſicque laudavit Briſſonius libro v. de Formulis. ſed longè ab his abit editio vetus, item Palatinus noſter. *Si peteret* H-S ƆƆƆ *dari. Hic niſi &c. quanto æquius melius, id clarius.* at Manutii præferunt, *Si paret* H-S IƆƆƆ *deberi. Hic niſi &c. quantum æquius melius ſit dari.*

7. *Quantum æquius & melius.*] Pal. & ed. antiqua, *quanto.* moxque eadem *pejeres*, pro quo Victoriana *peteres.* Manutiana *pateret.* noſtra *pareret.*

8. *Jam utinam adeſſet.*] Pal. & ed. vetus, *Nam utinam.* Adſentior Turnebo delendam illam ſyllabam arbitranti.

9. *De hac pecunia, de tabularum fide.*] Non repetitur illud *de*, in Pal. & vet. ed. meo animo benè.

10. *Adnumeraſſe ſeſe negat.*] Ita nunc omnes ferè excuſi ; quod manavit a conjectura Joach. Camerarii. priores enim *adulteraſſe*, ut & Pal. noſter.

11. *Quod & reus is eſt.*] Eſt ab editione veteri Rob. Stephani, recepitque & Lambinus & Manutius. antea cuſi, & Pal. *quod & res ejus eſt.*

1. *Sit*

quam propter eximium ſplendorem, ut judicem unum vereri debeamus: perinde ac ſi in hanc formulam omnia judicia legitima, omnia arbitria honoraria, omnia officia domeſtica concluſa & comprehenſa ſint, perinde dicemus. Illa ſuperior fuit oratio neceſſaria, hæc erit voluntaria: illa ad judicem, hæc ad C. Piſonem: illa pro reo, hæc pro Roſcio: illa victoriæ, hæc bonæ exiſtimationis cauſa, comparata.
6 Pecuniam petis, Fanni, à Roſcio: quam? dic audacter, & apertè. Utrùm quæ tibi ex ſocietate debeatur? an, quæ ex liberalitate hujus promiſſa ſit, & oſtentata? quorum alterum eſt gravius, & odioſius: alterum, levius & facilius. Quæ *ex ſocietate* debeatur? Quid ais? Hoc jam neque leviter ferendum eſt, neque negligenter defendendum. Si qua enim ſunt privata judicia ſummæ exiſtimationis, & penè dicam capitis, tria hæc ſunt, fiduciæ, tutelæ, ſocietatis. ÆQUE enim PERFIDIOSUM ET NEFARIUM EST, fidem frangere, quæ continet vitam: & pupillum fraudare, qui in tutelam pervênit: & ſocium fallere, qui ſe in negotio conjunxit. Quæ cùm ita ſint, qui ſit, qui ſocium fraudarit, & feſellerit, conſideremus. dabit enim nobis jam tacitè *vita acta* in alterutram partem firmum & grave teſtimonium. Q. Roſcius? Quid ais? NONNE, UT IGNIS IN AQUAM conjectus, continuò reſtinguitur, & refrigeratur: [1] ſic referens falſum crimen in puriſſimam & caſtiſſimam vitam collatum, ſtatim concidit, & exſtinguitur? Roſcius ſocium fraudavit? Poteſt hoc homini huic hærere peccatum? qui medius fidius (audacter dico) plus fidei, quàm artis: [2] plus veritatis, quam diſciplinæ poſſidet in ſe: quem populus Romanus meliorem virum, quam hiſtrionem eſſe arbitratur: qui ita digniſſimus eſt ſcena propter artificium, ut digniſſimus ſit curia propter *abſtinentiam*. Sed quid ego ineptus de Roſcio apud Piſonem dico? ignotum hominem ſcilicet pluribus verbis commendo. eſtne quiſquam omnium mortalium, de quo melius exiſtimes tu? eſtne quiſquam, qui tibi [3] purior, pudentior, humanior, officioſior, liberaliorque videatur? Quid tu, Saturi, qui contra hunc venis, exiſtimas aliter? nonne quotieſcunque in cauſa in nomen hujus incidiſti, toties hunc & *virum bonum* eſſe dixiſti, & *honoris cauſa appellaſti?* quod nemo niſi aut honeſtiſſimo, aut amiciſſimo facere conſuevit. Qua in re mihi ridiculè es viſus eſſe inconſtans, qui eundem & læderes, & laudares: & virum optimum, & hominem improbiſſimum eſſe diceres. eundem tu & honoris cauſa appellabas, & virum primarium eſſe dicebas, & ſocium fraudaſſe arguebas. Sed, ut opinor *laudem veritati* tribuebas, *crimen gratiæ* concedebas: de hoc, ut exiſtimabas, prædicabas: Chæreæ ar-
7 bitratu cauſam agebas. Fraudavit Roſcius. Eſt hoc quidem auribus, animiſque hominum abſurdum. Quid ſi tandem aliquem timidum, dementem, divitem, inertem nactus eſſet, qui experiri non poſſet? tamen incredibile eſſet. Verumtamen, quem fraudarit, videamus. C. Fannium Chæream Roſcius fraudavit. Oro, atque obſecro vos, [4] qui noſtis, *vitam inter ſe utriuſque conferte*: qui non noſtis, faciem utriuſque conſiderate. nonne ipſum caput, & ſupercilia illa penitùs abraſa, olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? nonne ab imis unguibus uſque ad verticem ſummum (ſi quam conjecturam affert hominibus *tacita corporis figura*) ex fraude, fallaciis, mendaciis conſtare totus videtur? qui idcirco capite, & ſuperciliis ſemper eſt raſis, ne ullum pilum viri boni habere dicatur. cujus perſonam præclarè Roſcius in ſcena tractare conſuevit: neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur. Nam Ballionem illum improbiſſimum & perjuriſſimum lenonem cùm agit, agit Chæream, perſona illa lutulenta, impura, inviſa, in hujus moribus, natura, vitaque eſt expreſſa. Qui quamobrem Roſcium ſimilem ſui in fraude & malitia exiſtimarit, [5] nihil videtur: niſi fortè, quòd præclarè hunc imitari ſe in perſona lenonis animadvertit. Quamobrem etiam, atque etiam conſidera, C. Piſo, quis quem fraudaſſe dicatur. *Roſcius Fannium*. Quid eſt hoc, probus improbum, pudens impudentem, perjurum caſtus, callidum imperitus, liberalis avidum. Incredibile eſt, quemadmodum ſi Fannius Roſcium fraudaſſe diceretur, utrumque ex utriuſque perſona veriſimile videretur, & Fannium per malitiam feciſſe, &
Roſcium per imprudentiam deceptum eſſe. ſic cum Roſcius 8
Fannium fraudaſſe arguatur, utrumque incredibile eſt, & Roſcium quidquam per avaritiam appetiſſe, & Fannium [6] quidquam per ſe *bonitate amiſiſſe*. Principia ſunt hujuſmodi. ſpectemus reliqua. H-S IↃↃↃ Qu. Roſcius fraudavit Fannium. Qua de cauſa? Subridet Saturius, veterator, ut ſibi videtur. Ait propter ipſa H-S IↃↃↃ. Video: ſed tamen cur ipſa H-S IↃↃↃ tam vehementer concupierit, quæro. nam tibi, M. Perpenna, C. Piſo, [7] certè tanti non fuiſſent, ut ſocium fraudaretis. Roſcio cur tanti fuerint, cauſam requiro. Egebat? Immò locuples erat. Debebat? Immò in ſuis nummis verſabatur. Avarus erat? Immò etiam, *antequam locuples*, *ſemper liberaliſſimus*, munificentiſſimuſque fuit. Prô deûm, hominumque fidem! [8] qui H-S. CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ quæſtus facere noluit (nam certè H-S CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ merere & potuit, & debuit, ſi poteſt Dionyſia H-S CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ merere) is per ſummam fraudem, & malitiam, & perfidiam H-S. IↃↃↃ appetiit? Et illa fuit pecunia immanis, hæc parvula: illa honeſta, hæc ſordida: illa jucunda, hæc acerba: illa propria, hæc in cauſa, & in judicio collocata. Decem his annis proximis H-S ſexagies honeſtiſſimè conſequi potuit: noluit. *laborem quæſtus recepit*; *quæſtum laboris rejecit*. populo Romano adhuc ſervire non deſtitit: ſibi ſervire jampridem deſtitit. Hoc tu umquam, Fanni, faceres? [9] & ſi hos quæſtus recipere poſſes, non eodem tempore & geſtum, & animam ageres? Dic nunc te [10] ab Roſcio H-S IↃↃↃ circumſcriptum eſſe, qui tantas, & tam infinitas pecunias non propter *inertiam laboris*, ſed propter *magnificentiam liberalitatis* repudiarit. Quid ego nunc illa dicam, quæ vobis in mentem venire certò ſcio? Fraudabat te in ſocietate Roſcius. Sunt jura, ſunt formulæ de omnibus rebus conſtitutæ, nequis aut in genere injuriæ, aut ratione actionis errare poſſit. expreſſæ ſunt enim ex uniuſcujuſque damno, dolore, incommodo, calamitate, injuria, publicæ à prætore formulæ,
ad quas *privata lis* accommodatur. Quæ cùm ita ſint, [11] cur 9
non

1. *Sic referens falſum crimen.*] Forſan *referens*, annotavit Gulielmius. Lambinus illud *referens* totum omiſit, quod tamen in omnium libris.

2. *Plus veritatis quàm diſciplinæ.*] Idem Gulielmius conjiciebat, *plus ſeveritatis*; non neceſſariò.

3. *Purior, pudentior, humanior, &c.*] Sic vett. edd. & Pal. Lambinus *prudentior*. Brutus omiſit totam vocem, credo quod non aſſequeretur ejus vim.

4. *Qui noſtis, vitam &c.*] Conjicit Hotomanus, *qui utrumque noſtis*, quod ceu genuinum ſtatim arripuit Aldus Nepos; præter libros atque rationem.

5. *Nihil videtur.*] Deeſſe putabat, *cauſæ*, aut ſimile quid, Gulielmius. Edd. vett. & Pal. habent, *mihi videtur*. Turnebus reponebat è libris *non mihi videtur*.

6. *Quidquam per ſe bonitate amiſiſſe.*] Lambinus & Aldus Nepos, *per ſuam bonitatem*. non à libris tamen, ſed conjectura Hotomani, aut Turnebi.

7. *Certè tanti non fuiſſent.*] Ita requirit ſententia, placebatque Turnebo lib. XXIX. cap. 36. ut & mox *fuerint*. vulgati tamen omnes & Pal. *fuiſſet*, item *fuerit*, quod etiam habet quo ſe tueatur.

8. *Qui* H-S CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ *quæſtus*, *&c.*] Budæus libro III. de Aſſe, quod inveniſſet in retrò vulgatis, *qui* H-S CCCLIII CCCLIII CCCLIII, legendum putabat, CCCLM. & tanquam ea littera facile degenerare queat in III. & verum eſt. ſed ego in mſſ. noſtris, item antiquitus cuſis, numquam reperi numeros centenarios inverſos, neque adeo I in medio lunularum illarum, ſed ſemper expreſſum per L & I.

9. *Et ſi hos quæſtus recipere.*] Eſt item à Turnebo. nam Pal. & edd. vett. *ſed ſi hos quæſtus recipere*. Lambinus, *reficere*.

10. *Ab Roſcio* H-S IↃↃↃ] Heic quoque habet & Pal. & ed. vet. *ab Roſcio* H-S LIII; ut & capite decimo infra.

11. *Cur ad arbitrum pro ſocio, &c.*] Ita & Pal. noſter, & antiquior editio. nam mediæ ætatis, *arbitrium*. vide Turneb. lib. XXIX. cap. 36.

1. *Propter*

non arbitrum pro ſocio adegeris Qu. Roſcium, quæro. Formulam non noras? Notiſſima erat. Judicio gravi experiri nolebas? Quid ita? propter *familiaritatem veterem*? cur ergo lædis? Propter integritatem hominis? cur igitur inſimulas? [1] Propter magnitudinem criminis? Itane verò? quem per arbitrum circumvenire non poſſes, cujus de ea re [2] proprium erat judicium, hunc per judicem condemnabis, cujus de ea re nullum eſt arbitrium? Quin tu hoc crimen aut objice, ubi licet agere: aut jacere noli, ubi non oportet. Tametſi jam hoc tuo teſtimonio crimen ſublatum eſt. Nam, quo tu tempore illa formula uti noluiſti, nihil hunc in ſocietatem [3] fraudis feciſſe oſtendiſti. Fecit pactionem. Num tabulas habet, an non? Si non habet, quemadmodum pactio eſt? ſi habet, cur non nominas? Dic nunc Roſcium abs te petiſſe, ut familiarem ſuum ſumeres arbitrum. non petiit. Dic pactionem feciſſe, ut abſolveretur. non pepigit. Quære, quare ſit abſolutus. quòd erat ſumma *innocentia*, & integritate. Quid enim factum eſt? veniſti domum ultrò Roſcii: ſatisfeciſti: quod temerè commiſiſſes, [4] in judicium ut denuntiaret, rogaſti, ut ignoſceret: te affuturum negaſti: debere tibi ex ſocietate nihil, clamitaſti. judici hic denuntiavit: abſolutus eſt. Tamen fraudis, ac furti mentionem facere audes? Perſtat in impudentia. pactionem enim, inquit, mecum fecerat. Idcircò videlicet ne condemnaretur. Quid erat cauſæ, cur metueret, ne condemnaretur? Res erat manifeſta: furtum erat apertum. Cu-
10 jus rei furtum factum erat? Exorditur magna cum exſpectatione veteris hiſtrionis exponere ſocietatem. Panurgus, inquit, fuit Fannii. is fuit ei cum Roſcio communis. Hic primùm queſtus eſt non leviter Saturius, communem factum eſſe *gratis* cum Roſcio, qui pretio proprius fuiſſet Fannii. Largitus eſt ſcilicet homo liberalis, & diſſolutus, & bonitate affluens Fannius Roſcio? Sic puto. Quoniam ille hic conſtitit paulliſper, mihi quoque neceſſe eſt paullum commorari. Panurgum tu, Saturi, proprium Fannii dicis fuiſſe. At ego totum Roſcii fuiſſe contendo. Quid erat enim Fannii? *corpus*. Quid Roſcii? *diſciplina*. Facies non erat: ars erat pretioſa. Ex qua parte erat Fannii, non erat H-S IↃↃↃ. ex qua parte erat Roſcii, amplius erat H-S CCCIↃↃↃ. Nemo enim illum *ex trunco corporis ſpectabat*, ſed ex artificio comico æſtimabat. Nam illa membra merere per ſe non amplius poterant duodecim æris: diſciplina, quæ erat ab hoc tradita, locabat ſe non minus H-S CCCIↃↃↃ. O ſocietatem [5] captioſam, & indignam! ubi alter, H-S IↃↃↃ. alter CCCIↃↃↃ. quod ſit, in ſocietatem affert: niſi idcirco moleſtè pateris, quod H-S IↃↃↃ. tu ex arca proferebas, H-S CCCIↃↃↃ. ex diſciplina, & artificio Roſcius promebat. Quam enim rem, & exſpectationem, quod ſtudium, & quem favorem ſecum in ſcenam attulit Panurgus? Quòd Roſcii fuit diſcipulus: qui diligebant hunc, illi favebant: qui admirabantur hunc, illum probabant: qui denique hujus nomen audierant, illum eruditum, & perfectum exiſtimabant. SIC EST VULGUS: ex veritate pauca, ex opinione multa æſtimat. Quid ſciret ille, perpauci animadvertebant. ubi didiciſſet, omnes quærebant. nihil ab hoc pravum, & perverſum produci poſſe arbitrabantur. Si veniret ab Statilio: tametſi artificio Roſcium ſuperaret, adſpicere nemo poſſet. nemo enim, ſicut *ex improbo patre probum filium naſci*, ſic ex peſſimo hiſtrione bonum comœdum fieri poſſe exiſtimaret. Quia veniebat à Roſcio, plus etiam ſcire, quam ſciebat, videbatur. Quod item nuper in Erote comœdo uſu vênit: 11
qui poſteaquàm è ſcena non modò ſibilis, ſed etiam convicio explodebatur: ſicut *in aram*, confugit in hujus domum, diſciplinam, patrocinium, nomen. Itaque perbrevi tempore, qui ne in noviſſimis quidem erat hiſtrionibus, ad primos pervênit comœdos. Quæ res extulit eum? Una *commendatio* hujus. qui tamen Panurgum illum, non ſolùm ut Roſcii diſcipulus fuiſſe diceretur, domum recepit: ſed etiam ſummo cum labore, ſtomacho, miſeriaque erudiit. nam, QUO QUISQUE eſt ſollertior, & ingenioſior, hoc docet iracundius, & laborioſius. Quod enim ipſe celeriter arripuit, id cùm tardè percipi videt, diſcruciatur. Paullò longius oratio mea provecta eſt hac de cauſa, ut conditionem ſocietatis diligenter cognoſceretis. Quæ deinde conſecuta? Panurgum, inquit, hunc, *ſervum communem* Q. Flavius Tarquinienſis quidam interfecit. in hanc rem, inquit, me cognitorem dediſti. lite conteſtata, judicio damni injuria conſtituto, tu ſine me cum Flavio decidiſti. Utrùm pro dimidia parte: an pro tota ſocietate? planius dicam, utrùm pro me, an pro me, & pro te? [6] Pro me? potui: exemplo multorum licitum eſt: jure fecerunt multi: nihil in ea re tibi injuriæ feci. pete tu tuum, exige, & aufer, quod debetur. ſuam quiſque partem juris poſſideat, & perſequatur. At enim tuum negotium geſſiſti bene. Gere & tu tuum bene. Magno tuam dimidiam partem decidiſti. Magno & tu tuam partem decide. H-S CCCIↃↃↃ tu abſtuliſti. [7] Si ſit hoc verò; H-S.
CCCIↃↃↃ tu quoque aufer. Sed hanc deciſionem Roſcii, 12
oratione, & opinione augere licet: re, & veritate mediocrem, & tenuem eſſe invenietis. Accepit enim agrum temporibus iis, cùm *jacerent pretia prædiorum*: qui ager neque villam habuit: neque ex ulla parte fuit cultus: qui nunc multo pluris eſt, quàm tunc fuit. neque id eſt mirum. tum enim propter reipubl. calamitates, omnium poſſeſſiones erant incertæ: nunc, deûm immortalium benignitate, omnium *fortunæ* ſunt *certæ*. tum erat ager incultus ſine tecto: nunc eſt cultiſſimus cum optima villa. Verumtamen, quoniam natura tam malevolus es, numquam iſta te moleſtia, & cura liberabo. Præclarè ſuum negotium geſſit Roſcius: fundum fructuoſiſſimum abſtulit: quid ad te? tuam partem dimidiam, quemadmodum vis, decide. Vertit hic rationem: & id, quod *probare* non poteſt, *fingere* conatur. De tota re, inquit, decidiſti. Ergo huc univerſa cauſa deducitur, utrùm Roſcius cum Flavio de ſua parte, an de tota ſocietate fecerit pactionem. Nam ego Roſcium, ſi quid communi nomine tetigit, confiteor præſtare debere ſocietati. Societatis, non ſuas liteis redemit, cùm fundum à Flavio accepit. [8] Quid ita ſatis non dedit, AMPLIUS A SE NEMINEM PETITURUM? Qui de ſua parte decîdit reliquis *integram* relinquit *actionem*. qui pro ſociis tranſigit: ſatiſdat, neminem eorum poſtea petiturum. Quid ita Flavio ſibi cavere non venit in mentem? neſcibat videlicet Panurgum fuiſſe in ſocietate? Sciebat. Neſciebat, Fannium Roſcio eſſe ſocium? Præclarè. nam iſte cum eo litem conteſtatam habebat. Cur igitur decidit, & non reſtipulatur, NEMINEM

1. *Propter magnitudinem criminis.*] Eſt à Turnebo. nam prius cuſi *ægritudinem*. forte fuit *acritudinem*.

2. *Proprium erat judicium.*] Et hoc quoque eſt ab eodem. quippe antea legebatur inſerta negativa, *proprium non erat judicium*. quomodo item Pal.

3. *Fraudis feciſſe oſtendiſti. Fecit pactionem. Num tabulas.*] Lambinus fingit, *In tabulis*. ſed grandius eſt heic ulcus, quam ut eo modo curetur. nam eſt in Pal. *fraudis feciſſe in diditionem tabulas habet an non*, editi antiquitus *fraudis feciſſe vel in ditionem tabulas habet*. Victoriana *oſtendiſti * in ditionem. num tabulas &c.* conſulatur Turnebus lib. XXIX.

4. *In judicium ut denuntiaret.*] Lambinus & Aldi Nepos *denunciares*, e conjectura Hotomani. Paullus Manutius conjiciebat, *illi judicium denunciaretur*.

5. *Captioſam & indignam!*] Lambinus ingeſſit *iniquam*, contra libros, neque neceſſariò.

6. *Pro me? potui: exemplo multorum licitum eſt: jure fecerunt, &c.*] Turnebus monet quoſdam libros interpungere; *Pro me potui, multorum exemplo: licitum eſt, jure fecerunt multi*.

7. *Si ſit hoc verò* H-S, *&c.*] Sic mſſ. ſic edd. omnes. Hotomanus, *Si ſit*. at ego potius habuerim illas tres voculas, *ſit hoc verò*, pro gloſſatoris additiuncula. Gulielmius delebat, *Si ſit*. nec hoc malum. Turnebus malebat: *Si ſit hoc verum*.

8. *Quid ita ſatis non dedit, &c. petiturum?*] Aldus Nepos ita edidit, ſecutus puto ſententiam Renati Borromæi; neque aliter diſtinxit Palatinus noſter, placuitque Gulielmio. prius cuſi: *Quid ita? ſatis &c. petiturum*. Item, *Quid ita? Flavio &c.* conſulatur Turnebus dicto cap. 36.

1. Al

MINEM AMPLIUS PETITURUM? cur de fundo decîdit, & judicio non abſolvitur? cur tam imperitè facit, ut nec Roſcium ſtipulatione alliget, neque à Fannio judicio ſe abſolvat? Eſt hoc primum & ex conditione juris, & ex conſuetudine cautionis, graviſſimum, & firmiſſimum argumentum, quod ego pluribus verbis amplecterer, ſi non alia certiora, & clariora teſtimonia in cauſa haberem.
13 Et, ne fortè me hoc fruſtrà pollicitum eſſe prædices: te, te, inquam, Fanni, ab tuis ſubſelliis *contra te teſtem ſuſcitabo.* Criminatio tua quæ eſt? Roſcium cum Flavio pro ſocietate decidiſſe. Quo tempore? [1] Abhinc annis IV. Defenſio mea quæ eſt? Roſcium pro ſua parte cum Flavio tranſegiſſe. Repromittis tu abhinc triennium Roſcio. Quid? recita iſtam reſtipulationem clariùs. Attende, quæſo, Piſo. Fannium invitum, & huc atque illuc tergiverſantem, teſtimonium contra ſe dicere cogo. Quid enim reſtipulatio clamat? QUOD A FLAVIO ABSTULERO, PARTEM DIMIDIAM INDE ROSCIO ME SOLUTURUM SPONDEO. Tua vox eſt, Fanni. Quid tu auferre potes à Flavio, ſi Flavius nihil debet? Quid hic porrò nunc reſtipulatur, quod jam pridem ipſe exegit? quid verò Flavius tibi daturus eſt, qui Roſcio omne, quod debuit, diſſolvit? cur in re tam veteri,[2] in negotio tam confecto, in ſocietate diſſoluta, nova hæc reſtipulatio interponitur? Quis eſt hujus reſtipulationis ſcriptor? teſtis? arbiter? quis? tu Piſo. Tu enim Qu. Roſcium pro opera, pro labore, quod cognitor fuiſſet, quòd vadimonia obiſſet, rogaſti, [3] ut Fannio daret H-S CCCIↃↃↃ, hac conditione, ut, ſi quid ille exegiſſet à Flavio, partem ejus dimidiam Roſcio diſſolveret. Satiſne iſta reſtipulatio dicere tibi videtur apertè, Roſcium pro ſe decidiſſe? At enim forſitan hoc tibi veniat in mentem, [4] repromiſiſſe Fannium Roſcio, ſiquid à Flavio exegiſſet, ejus partem dimidiam: ſed omninò exegiſſe nihil. Quid? tu non *exitum* exactionis, ſed *initium* repromiſſionis ſpectare debes? neque, ſi ille perſequi noluit, non, quod in ſe fuit, judicavit, Roſcium ſuas, non ſocietatis liteis redemiſſe? Quid ſi tandem planum facio, poſt deciſionem veterem Roſcii, poſt repromiſſionem recentem hanc Fannii, H-S CCCIↃↃↃ Fannium à Qu. Flavio, Panurgi nomine, abſtuliſſe? tamen diutius illudere viri optimi exiſtimationi, Q. Roſcii,
14 audebit? Paullo ante quærebam, id quod vehementer ad rem pertinebat, qua de cauſa Flavius, cum de tota lite faceret pactionem: neque ſatis acciperet à Roſcio, neque judicio abſolveretur à Fannio. nunc verò (id quod mirum, & incredibile eſt) requiro, quamobrem, cum de tota re deciſſet cum Roſcio, H-S CCCIↃↃↃ ſeparatim Fannio diſſolvit? Hoc loco, Saturi, quid pares reſpondere, ſcire cupio. utrùm omnino Fannium à Flavio H-S CCCIↃↃↃ non abſtuliſſe? an alio nomine, & alia de cauſa abſtuliſſe? Si *alia de cauſa*: quæ ratio tibi cum eo interceſſerat? nulla. Addictus erat tibi? non. fruſtra tempus contero. Omnino, inquit, H-S CCCIↃↃↃ à Flavio non abſtulit neque Panurgi nomine, neque cujuſquam. Si planum facio, poſt hanc recentem ſtipulationem Roſcii, H-S CCCIↃↃↃ à Flavio te abſtuliſſe: [5] numquid cauſæ eſt, quin ab judicio abeas turpiſſimè victus? Quo teſte igitur hoc planum faciam? Venerat, ut opinor, hæc res in judicium. Certè. Quis erat petitor? Fannius. Quis reus? Flavius. Quis judex? Cluvius. Ex his unus mihi teſtis eſt producendus, qui pecuniam datam dicat. Quis eſt ex his graviſſimus? Sine controverſia, qui omnium judicio *comprobatus* eſt *judex*. Quem igitur ex his tribus à me teſtem ſpectabis? petitorem? Fannius eſt. contra ſe nunquam teſtimonium dicet. Reum? Flavius eſt. Is jam pridem eſt mortuus. Si viveret, verba ejus audiretis. Judicem? Cluvius eſt. Quid is dicit? H-S CCCIↃↃↃ Panurgi nomine Flavium Fannio diſſolviſſe, quem tu ſi ex cenſu ſpectas: eques Romanus eſt. ſi ex vita: [6] homo clariſſimus eſt. ſi ex te: judicem ſumſiſti. ſi ex *veritate*: id, quod ſcire potuit, & debuit, dixit. Nega, nega nunc, equiti Romano, homini honeſto, judici tuo, credi oportere. Circumſpicit, æſtuat, negat nos Cluvii teſtimonium recitaturos. recitabimus. erras: inani, & tenui ſpe te conſolaris. Recita teſtimonium T. Manilii, & C. Luſcii Ocreæ, duorum ſenatorum, hominum ornatiſſimorum, qui ex Cluvio audierunt. TESTIMONIUM T. MANILII, ET C. LUSCII OCREÆ. Utrum dicis, Luſcio, & Manilio, an 15
& Cluvio non eſſe credendum? Planius, atque apertiùs dicam. Utrum Luſcius, & Manilius nihil de H-S CCCIↃↃↃ ex Cluvio audierunt? an Cluvius falſum Luſcio, & Manilio dixit? Hoc ego loco, ſoluto & quieto ſum animo: &, quorſum recidat reſponſum tuum, non magnopere laboro. Firmiſſimis enim & ſanctiſſimis *teſtimoniis virorum optimorum* cauſa Roſcii communita eſt. Si jam tibi deliberatum eſt, quibus abroges fidem jurisjurandi: reſponde. Manilio, & Luſcio negas eſſe credendum? dic, aude. eſt tuæ contumaciæ, arrogantiæ, vitæque univerſæ vox. Quid exſpectas, quàm mox ego Luſcium, & Manilium dicam, ordine, eſſe ſenatores; ætate, grandeis natu; natura, ſanctos, & religioſos; [7] copiis rei familiaris, locupleteis, & pecunioſos? non faciam: nihil mihi detraham, cùm illis exactæ ætatis ſeveriſſimè fructum, quem meruerunt, retribuam. magis mea *adoleſcentia* indiget illorum bona exiſtimatione, quàm illorum ſeveriſſima *ſenectus* deſiderat meam laudem. Tibi verò, Piſo, diu deliberandum, & concoquendum eſt, utrùm potiùs Chæreæ injurato in ſua lite, an Manilio & Luſcio juratis in alieno judicio credas. Reliquum eſt, ut Cluvium falſum dixiſſe Luſcio, & Manilio contendat. quod ſi facit, [8] qua impudentia eſt, eumne teſtem improbabit, quem judicem probarit? ei negabit credi oportere, cui ipſe crediderit? ejus teſtis ad judicem fidem infirmabit, cujus propter fidem, & religionem judicis, teſteis comparabat? quem ego ſi ferrem judicem, refugere non deberet: cùm teſtem producam, reprehendere audebit? Dixit enim, inquit, injuratus Luſcio, & Manilio. Si diceret juratus, crederes? At quid intereſt inter perjurum, & 16
mendacem? *Qui mentiri ſolet, pejerare conſuevit.* quem ego, ut mentiatur, inducere poſſum: ut pejeret, exorare facilè potero. nam, QUI SEMEL à veritate deflexit, hic non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perduci conſuevit. quis enim deprecatione deorum, non conſcientiæ fide commovetur? [9] Propterea quæ pœna ab diis immortalibus perjuro, hæc eadem mendaci conſtituta. Non enim ex pactione verborum, quibus jusjurandum comprehenditur, ſed *ex perfidia*, & *malitia*, per quam inſidiæ tenduntur alicui, dii immortales hominibus iraſci, & ſuccenſere conſuerunt. At ego hoc ex contrario contendo. Levior eſſet auctoritas Cluvii, ſi diceret juratus, quàm nunc eſt, cùm dicit injuratus. Tum enim forſitan improbis *nimis*

1. *Abhinc annis* IV.] Eſt à conjectura Hotomani. prius impreſſi & Pal. *annis* XV.

2. *In negotio tam confecto.*] Gulielmius inclinabat legere, *jam*.

3. *Ut Fannio daret* H-S CCCIↃↃↃ.] Hotomanus rectè monuit, numeros corruptos. ſed nihil juvant vett. in quibus ſuo more perſcripſere, H-S CCCLIII Lambinus de conjectura fecit CCIↃↃ IↃↃ valde licenter.

4. *Repromiſiſſe Fannium Roſcio.*] Vulgata, *Fannio Roſcium.* ſed alterum extabat in Pal. ſicque reſtituendum indicarat olim Turnebus.

5. *Numquid cauſæ eſt, quin.*] Ita ex incorruptioribus libris Turnebus lib. XXIX. cap. 36. nam antea habebamus *cauſare*; quod & in Pal. neque video cur non poſſet tolerari.

6. *Homo clariſſimus eſt.*] Lambinus mallet *caſtiſſimus*, nullâ nixus ratione. nam & claritas comparatur totius vitæ integritate.

7. *Copiis rei familiaris, &c.*] Lambinus amplius, *fortuna & copiis.* forte quod reperit in Colinæi editione, & *copiis*; ſed nec copula illa in vetuſtius cuſis aut Pal.

8. *Qua impudentia eſt, eumne teſtem &c.*] Malè hactenus, *qua impudentia eſt? eumne &c.* cum interrogatione dictum enim, ut illud Ovidii, *quæ veſtra libido eſt.* ſic & eodem fere modo infra, ipſo fine Orationis, *qua, malum, ſtultitia fuit Roſcius.* Gulielmius.

9. *Propterea quæ pœna ab Diis, &c.*] Turnebus dicto loco, tentat *præterea.* alterum hæret in Pal. edd. vett.

mi cupidus videretur, qui, qua de re judex fuiſſet, teſtis eſſet? nunc omnibus inimicis neceſſe eſt caſtiſſimus, & conſtantiſſimus eſſe videatur, qui id, quod ſcit, familiaribus ſuis dicit. Dic nunc ſi potes, ſi res, ſi cauſa patitur, Cluvium eſſe mentitum. Mentitus eſt Cluvius? Ipſa mihi veritas manum injecit, & pauliſper conſiſtere, & commorari cogit. Unde hoc totum ductum & conflatum mendacium eſt? Roſcius eſt videlicet homo callidus & verſutus. Hoc initio cogitare cœpit: Quoniam Fannius à me petit H-S IↃↃↃ, petam à C. Cluvio, equite Romano, ornatiſſimo homine, ut mea cauſa mentiatur: dicat, deciſionem factam eſſe, quæ facta non eſt. H-S CCCIↃↃↃ à Flavio data eſſe Fannio, quæ data non ſunt. Eſt hoc principium improbi animi, miſeri ingenii, [1] nulli conſilii. Quid deinde? poſteaquàm ſe *præclarè confirmavit*, venit ad Cluvium: quem hominem? levem? immo graviſſimum. mobilem? immò conſtantiſſimum. familiarem? immò alieniſſimum. Hunc poſteaquàm ſalutavit, rogare cœpit, blandè & concinnè, ſcilicet: MENTIRE mea cauſa, viris optimis, tuis familiaribus præſentibus; dic Flavium cum Fannio de Panurgo decidiſſe, qui nihil tranſegit: dic H-S CCCIↃↃↃ dediſſe, qui aſſem nullum dedit. [2] Quid ille reſpondit? EGO VERO cupidè, & libenter mentiar tua cauſa: &, ſiquando me vis pejerare, ut paullulum tu compendii facias; paratum fore ſcito. non fuit cauſa, cur tantum laborem caperes, & ad me venires: per nuntium hoc, quod erat tam le-
17 ve, tranſigere potuiſti. Prô deûm, hominumque fidem! hoc aut Roſcius umquam à Cluvio petiiſſet, ſi H-S millies in judicium haberet? aut Cluvius Roſcio petenti conceſſiſſet, ſi [3] univerſæ prædæ particeps eſſet? vix medius fidius, tu Fanni, à Ballione, aut aliquo ejus ſimili [4] hoc poſtulare auderes, & impetrare poſſes, quòd cùm eſt *veritate* falſum, tùm *ratione* quoque eſt incredibile. Obliviſcor enim, Roſcium, & Cluvium viros eſſe primarios: improbos temporis cauſa eſſe fingo. Falſum ſubornavit teſtem Roſcius Cluvium. cur tam *ſerò*? cur, cùm altera penſio ſolvenda eſſet, non tum, cùm prima? nam jam antea H-S IↃↃↃ diſſolverat. Deinde, ſi jam perſuaſum erat Cluvio, ut mentiretur: cui potiùs H-S CCCIↃↃↃ, quàm CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ data dixit Fannio à Flavio, cùm ex reſtipulatione pars ejus dimidia, Roſcii eſſet? Jam intelligis, C. Piſo, ſibi ſoli, ſocietati nihil Roſcium petiſſe. Hoc cùm ſentit Saturius eſſe apertum, reſiſtere & repugnare contra veritatem non audet: aliud fraudis, & inſidiarum eodem veſtigio *diverticulum* reperit. Petiſſe, inquit, ſuam partem Roſcium à Flavio confiteor: vacuam, & integram reliquiſſe Fannii concedo: ſed, quod ſibi exegit, id commune ſocietatis factum eſſe contendo. Quo nihil captioſius, neque indignius poteſt dici. Quæro enim, potueritne Roſcius ex ſocietate ſuam partem petere, necne? Si non potuit: quemadmodum abſtulit? ſi potuit: quemadmodum non ſibi exegit? Nam *quod ſibi petitur, certè alteri non exigitur.* An ita eſt? ſi, quod univerſæ ſocietatis fuiſſet, petiſſet: quod tum redactum eſſet, æqualiter omnes partirentur: [5] nunc, cùm petierit, quod ſuæ partis eſſet: non, quod abſtulit, ſoli ſibi exegit? Quid intereſt inter eum, qui per ſe litigat, & qui 18
cognitor eſt datus? Qui per ſe litem conteſtatur, ſibi ſoli petit. alteri nemo poteſt, niſi qui *cognitor* eſt factus. Itane verò? cognitor ſi fuiſſet tuus, quod viciſſet judicio, ferres tuum. ſuo nomine petiit: quod abſtulit, [6] ſibi, non tibi exegit. Quòd ſi quiſquam petere poteſt alteri, qui cognitor non eſt factus: quæro, quid ita, cùm Panurgus eſſet interfectus, & lis conteſtata cum Flavio damni injuria eſſet, tu in eam litem cognitor Roſcii ſis factus: cum præſertim ex tua oratione, quodcumque tibi peteres; quodcumque tibi exigeres, id *in ſocietatem recideret*. Quod ſi ad Roſcium nihil perveniret, quod tu à Flavio abſtuliſſes, niſi te in ſuam litem dediſſet cognitorem: ad te pervenire nihil debet, quod Roſcius pro ſua parte exegit: quoniam tuus cognitor non eſt factus. Quid enim huic rei reſpondere poteris, Fanni, cùm de ſua parte Roſcius tranſegit cum Flavio, actionem tibi tuam reliquit, an non? Si non reliquit, quemadmodum H-S CCCIↃↃↃ ab eo poſtea exegiſti? ſi reliquit, quid ab hoc petis, quod per te perſequi, & petere debes? Simillima enim, & maximè gemina ſocietas, *hereditatis* eſt. Quemadmodum ſocius in ſocietate habet partem: ſic heres in hereditate habet partem. ut heres ſibi ſoli, non coheredibus petit: ſic ſocius ſibi ſoli, non ſociis petit. & quemadmodum uterque pro ſua parte petit, ſic pro ſua parte diſſolvit: heres ex ſua parte, qua hereditatem adiit: ſocius ex ea, qua ſocietatem coiit. Quemadmodum ſuam partem Roſcius, ſuo nomine condonare potuit Flavio, ut eam tu non peteres: ſic, cum exegit ſuam partem, & tibi integram petitionem reliquit: tecum partiri non debet: niſi fortè tu, perverſo more, quod hujus eſt, ab alio extorquere non potes, huic eripere potes. Perſtat in ſententia Saturius: *quodcumque ſibi petat ſocius, id ſocietatis fieri.* Quod ſi ita eſt: [7] qua (malum) ſtultitia fuit Roſcius, qui ex juriſperitorum conſilio, & auctoritate reſtipularetur à Fannio diligenter, ut, quod is exegiſſet à Flavio, dimidiam partem ſibi diſſolveret: ſiquidem ſine cautione, & repromiſſione, nihilominus id Fannius ſocietati, hoc eſt, Roſcio debebat?

Deſiderantur non pauca.

M. TUL-

1. *Nulli conſilii.*] Non auſus fuiſſem iſtud introducere, niſi mihi auctor fuiſſet Camerarius. & vero ſic non ſolum exſtat in primitus cuſis, ſed & Palatino noſtro. poſteriores, *nullius*, inflexione vulgata.

2. *Quid ille reſpondit?*] Eraſit Lambinus vocem ultimam, ſed non volentibus membranis aut edd. vett.

3. *Univerſæ prædæ particeps.*] Teſtatum reliquit Turnebus libro XXIX. cap. 36. repertum ſibi in antiquiſſimo libro *univerſè*, ſine nomine *prædæ*. at nihil variat aut Pal. aut editio vetuſtior.

4. *Hoc expoſtulare auderes.*] Secutus ſum lectionem veterum editionum & Palatini; maluerunt poſterius cuſi *poſtulare*.

5. *Nunc quod petierit, &c.*] P. Vict. editio, item antiquior omnis & Pal. *Num quid petierit, quod ſuæ &c. num quid cum abſtulit, &c.*

6. *Sibi non tibi exegit.*] Legendum omnino putabat Hotomanus, *tibi non ſibi exegit* ſequerer & ego, niſi vetarer à libris.

7. *Qua (malum) ſtultitia fuit Roſcius, &c.*] Eſt à conjectura Manutii, a qua non recedunt libri vett. niſi quod ii *quæ*, antea legebatur, *quæ, malum, ſtultitia fuit? Roſcius &c.*

1. Ac

M. TULLII CICERONIS IN Q. CÆCILIUM ORATIO,

De Accuſatore in C. Verrem conſtituendo: quæ DIVINATIO dicitur.

ORATIO QUARTA.

1 SI quis veſtrûm, judices, aut eorum, qui adſunt, fortè miratur, me, qui tot annos in cauſis, judiciiſque publicis ita ſim verſatus, ut defenderim multos, læſerim neminem, ſubitò nunc mutata voluntate [1] ad accuſandum deſcendere: is, ſi mei conſilii cauſam, rationemque cognoverit, unà & id, quod facio, probabit, & in hac cauſa profectò neminem præponendum eſſe mihi actorem putabit. Cùm quæſtor in Sicilia fuiſſem, judices: itaque ex ea provincia deceſſiſſem, ut Siculis omnibus jucundam, diuturnamque *memoriam quæſturæ nominiſque mei relinquerem*: factum eſt, uti cùm ſummum in veteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me præſidium ſuis fortunis conſtitutum eſſe arbitrarentur. Qui nunc populati atque vexati cuncti ad me publicè ſæpe venerunt, ut ſuarum fortunarum omnium cauſam, defenſionemque ſuſciperem: me ſæpe eſſe pollicitum, ſæpe oſtendiſſe dicebant, ſi quod tempus accidiſſet, quo tempore aliquid à me requirerent: *commodis eorum me non defuturum*. veniſſe tempus ajebant, non jam ut commoda ſua, ſed ut vitam, ſalutemque totius provinciæ defenderem: ſeſe jam ne deos quidem in ſuis urbibus, ad quos confugerent, habere: quòd eorum ſimulacra ſanctiſſima C. Verres ex delubris religioſiſſimis ſuſtuliſſet. quas res luxuries in flagitiis; crudelitas in ſuppliciis; avaritia in rapinis; ſuperbia in contumeliis efficere potuiſſet; [2] eas omneis ſeſe hoc uno prætore per triennium pertuliſſe: rogare, & orare, ne illos *ſupplices aſpernarer*, quos, me incolumi, nemini
2 ſupplices eſſe oporteret. Tuli graviter, & acerbè, judices, [3] in eum me locum adductum, ut aut eos homines ſpes falleret, [4] qui opem à me, atque auxilium petiſſent: aut ego, qui me ad defendendos homines ab ineunte adoleſcentia dediſſem, tempore, atque officio coactus ad accuſandum traducerer. Dicebam, habere eos actorem Q. Cæcilium, qui præſertim quæſtor in eadem provincia poſt me quæſtorem fuiſſet. Quo ego adjumento ſperabam hanc à me moleſtiam poſſe dimoveri: id mihi erat adverſarium maximè. nam illi multo mihi hoc facilius remiſiſſent, ſi iſtum non noſſent, aut ſi iſte apud eos quæſtor non fuiſſet. Adductus ſum, judices, *officio, fide, miſericordia*, multorum bonorum exemplo, veteri conſuetudine, inſtitutoque majorum, ut onus hoc laboris, atque officii, non ex meo, ſed ex meorum neceſſariorum tempore, mihi ſuſcipiendum putarem. Quo in negotio tamen illa me res, judices, conſolatur, quod hæc, quæ videtur eſſe *accuſatio* mea, non potius accuſatio, quàm *defenſio* eſt exiſtimanda. defendo enim multos mortales, multas civitates, provinciam Siciliam totam. Quamobrem, ſi mihi unus eſt accuſandus, propemodum manere in inſtituto meo videor, & non omnino à defendendis hominibus, ſublevandiſque diſcedere. Quòd ſi hanc cauſam tàm idoneam, tam illuſtrem, tam gravem non haberem: ſi aut hoc à me Siculi non petiſſent, aut mihi cum Siculis cauſa tantæ neceſſitudinis non intercederet: & hoc, quod facio, me *reip. cauſa facere* profiterer, ut homo ſingulari cupiditate, audacia, ſcelere præditus, cujus furta atque flagitia non in Sicilia ſolùm, ſed in Achaja, Aſia, Cilicia, Pamphilia, Romæ denique ante oculos omnium maxima, turpiſſimaque noſſemus, me agente in judicium vocaretur: quis tandem eſſet, qui meum factum aut conſilium poſſet reprehendere? Quid eſt, prô deûm, hominumque fidem, in quo ego 3
reip. plus hoc tempore prodeſſe poſſim? Quid eſt, quod aut *populo Rom.* gratius eſſe debeat, aut *ſociis, exteriſque nationibus* optatius eſſe poſſit, aut ſaluti, fortuniſque *omnium* magis accommodatum ſit? Populatæ, vexatæ, funditus everſæ provinciæ: ſocii, ſtipendiariique populi R. afflicti, miſeri, jam non ſalutis ſpem, ſed *exitii ſolatium* quærunt. Qui judicia manere apud ordinem ſenatorium volunt, queruntur accuſatores ſe idoneos non habere. qui accuſare poſſunt, judiciorum ſeveritatem deſiderant. Populus R. interea, tametſi multis incommodis, difficultatibuſque affectus eſt, tamen nihil æquè in rep. atque illam veterem *judiciorum vim, gravitatemque requirit*. Judiciorum deſiderio tribunitia poteſtas efflagitata eſt: judiciorum levitate ordo quoque alius ad res judicandas poſtulatur: judicum culpa, atque dedecore etiam *cenſorium nomen*, quod aſperius antea populo videri ſolebat, id nunc poſcitur: id jam populare, atque plauſibile factum eſt. In hac libidine hominum nocentiſſimorum, in populi Rom. quotidiana querimonia, judiciorum infamia, totius ordinis offenſione, cùm hoc unum his tot incommodis remedium eſſe arbitrarer, ut homines *idonei*, *atque integri* cauſam reip. legumque ſuſciperent: fateor, me, ſalutis omnium cauſa, ad eam partem acceſſiſſe reipub. ſublevandæ, quæ maximè laboraret. Nunc, quoniam, quibus rebus adductus ad cauſam acceſſerim, demonſtravi, dicendum neceſſariò eſt de contentione noſtra, ut in conſtituendo accuſatore, [5] quid ſequi poſſitis, habeatis. Ego ſic intelligo, judi-

1. A*D accuſandum deſcendere.*] Sic Pal. pr. verum ſecundo adeſt illud Aſconianum, *deſcenderim.*

2. *Eas omneis ſeſe.*] Lambinus, *eas res omneis ſeſe*: ſed nolentibus mſſ. & edd. vett.

3. *In eum me locum adductum.*] Editi quidem vetuſtè *adduci*, quomodo libris ſuis invexit Lambinus. ſed alterum reſtat in duobus Pall. quos ferè conſului.

4. *Qui opem à me atque auxilium petiſſem.*] Ita vetuſtior editio, ita ambo Pall. &c. Sunt tamen qui retinent, *auxilium exſpectaſſent.*

5. *Quid ſequi poſſitis.*] Sic iidem rurſus libri. vulgata, *quod.*

judices: cùm de pecuniis repetundis nomen cujuſpiam deferatur, ſi certamen inter aliquos ſit, cui potiſſimum delatio detur, hæc duo in primis ſpectari oportere: quem *maximè volunt* actorem eſſe ii, quibus factæ eſſe dicantur injuriæ: [1] & quem minimè velit is, qui eas injurias feciſſe arguatur.
4 In hac cauſa, judices, tametſi utrumque eſſe arbitror perſpicuum, tamen de utroque dicam, & de eo prius, quòd apud vos plurimùm debet valere, hoc eſt, de voluntate eorum, quibus injuriæ factæ ſunt: quorum cauſa judicium de pecuniis repetundis eſt conſtitutum. Siciliam provinciam, C. Verres per triennium [2] depopulatus eſſe, Siculorum civitates vaſtaſſe, domos exinaniſſe, fana ſpoliaſſe dicitur. Adſunt, queruntur Siculi univerſi: ad meam *fidem, quam habent ſpectatam* jam, & diu cognitam, confugiunt: auxilium ſibi per me à vobis, atque à populi R. legibus petunt: me defenſorem calamitatum ſuarum, me ultorem injuriarum, me cognitorem juris ſui, me actorem cauſæ totius eſſe voluerunt. Utrùm Q. Cæcili, hoc dices, me non Siculorum rogatu ad cauſam accedere: an optimorum, fideliſſimorumque ſociorum voluntatem apud hos gravem eſſe non oportere? Sed id audebis dicere, quod C. Verres, *cui te inimicum eſſe ſimulas*, maximè exiſtimari vult, Siculos hoc à me non petiſſe: primùm cauſam inimici tui ſublevabis, de quo non *præjudicium*, ſed planè *judicium* jam factum putatur, quod ita percrebruit, Siculos omneis actorem ſuæ cauſæ contra illius injurias quæſiſſe. Hoc ſi tu inimicus ejus factum negabis, quod ipſe, cui maximè hæc res obſtat, negare non audet: videto, ne nimium familiariter inimicitias exercere videare. Deinde ſunt teſtes, viri clariſſimi noſtræ civitatis, quos omneis à me nominari non eſt neceſſe: eos, qui adſunt, appellabo: quos, ſi mentirer, teſteis eſſe *impudentiæ* meæ minimè vellem. Scit is, qui eſt in conſilio, C. Marcellus: ſcit is, quem adeſſe video, Cn. Lentulus Marcellinus: quorum fide, atque [3] præſidio Siculi maximè nituntur, quod omnino [4] *Marcellorum nomini* tota illa provincia adjuncta eſt. Hi ſciunt, hoc non modò à me petitum eſſe, ſed ita ſæpe, & ita vehementer eſſe petitum, ut aut cauſa mihi ſuſcipienda fuerit, aut officium neceſſitudinis repudiandum. Sed quid ego his teſtibus utor, quaſi res dubia, aut obſcura ſit? Adſunt homines ex tota provincia nobiliſſimi, qui præſentes vos orant, atque obſecrant, judices, ut in actore cauſæ ſuæ deligendo *veſtrum judicium ab ſuo judicio ne diſcrepet*. Omnium civitatum totius Siciliæ legationes adſunt, præter duas civitates: quarum duarum, ſi adeſſent, duo crimina vel maxima minuerentur, quæ cum his civitatibus C. Verri communicata ſunt. At enim cur à me potiſſimum hoc præſidium petiverunt? Si eſſet dubium, petiſſent à me præſidium, necne, dicerem, cur petiſſent. Nunc verò, cùm id ita perſpicuum ſit, ut *oculis judicare poſſitis*: neſcio cur hoc mihi detrimento eſſe debeat, ſi id mihi objiciatur, me potiſſimum eſſe delectum. Verùm id mihi non ſumo, judices, & hoc non modò in oratione mea non pono, ſed ne in opinione quidem cujuſquam relinquo, *me omnibus patronis eſſe præpoſitum*. Non ita eſt: ſed uniuſcujuſque temporis, valitudinis, facultatis ad agendum, ducta ratio eſt. Mea fuit ſemper hæc in hac re voluntas, & ſententia, quemvis ut hoc mallem de iis, qui eſſent idonei, ſuſci-
5 pere, quàm me: *me ut mallem, quàm neminem*. Reliquum eſt jam, ut illud quæramus, cùm hoc conſtet, Siculos à me petiſſe, ecquid hanc rem apud vos, animoſque veſtros valere oporteat: ecquid auctoritatis apud vos in ſuo jure repetundo ſocii populi Rom. ſupplices veſtri, habere debeant. De quo quid ego plura commemorem? quaſi verò dubium ſit, quin tota lex *de pecuniis repetundis*, ſociorum cauſa conſtituta ſit. Nam civibus cùm ſunt ereptæ pecuniæ, civili ferè actione, & privato jure repetuntur. Hæc lex, ſocialis eſt: hoc jus, nationum exterarum eſt: hanc habent *arcem* minus aliquanto nunc quidem munitam, quàm antea: verumtamen, ſi qua reliqua ſpes eſt, quæ ſociorùm animos conſolari poſſit, ea tota in hac lege poſita eſt: cujus legis non modò à populo R. ſed etiam ab ultimis nationibus jampridem ſeveri *cuſtodes* requiruntur. Quis igitur eſt, qui neget oportere eorum arbitratu lege agi, quorum cauſa lex ſit conſtituta? Sicilia tota, ſi una voce loqueretur, hoc diceret: QUOD AURI, QUOD ARGENTI, quod ornamentorum in meis urbibus, [5] ſedibus, delubris fuit; quod in unaquaque re beneficio [6] ſenati, populique R. juris habui, id mihi tu, C. Verres, eripuiſti, atque abſtuliſti: quo nomine abs te ſeſtertiûm millies ex lege repeto. Si univerſa, ut dixi, provincia loqui poſſet, hac voce uteretur. quoniam id non poterat, harum rerum actorem, quem idoneum eſſe arbitrata eſt, ipſa delegit. In hujuſmodi re quiſquam tam impudens reperietur, qui *ad alienam cauſam*, invitis iis,
quorum negotium eſt, accedere, aut adſpirare audeat? Si 6
tibi, Q. Cæcili, hoc Siculi dicerent: TE NON NOVIMUS: neſcimus qui ſis: numquam te antea vidimus: ſine nos per eum noſtras fortunas defendere, cujus fides eſt nobis cognita: nonne id dicerent, quod cuivis probare deberent? nunc hoc dicunt: utrumque ſe noſſe: alterum ſe cupere defenſorem eſſe fortunarum ſuarum: alterum planè nolle. Cur nolint, [7] *etiamſi taceant, ſatis dicunt*. verum non tacent tamen his invitiſſimis te offeres? tamen in aliena cauſa loquêre? tamen eos defendes, qui ſe ab omnibus deſertos potius, quàm abs te defenſos eſſe malùnt? tamen his operam tuam pollicebere, qui te neque velle ſua cauſa, nec, ſi cupias, poſſe arbitrantur? Cur eorum ſpem exiguam reliquarum fortunarum, quam habent in legis, & judicii ſeveritate poſitam, vi extorquere conaris? cur te interponis, invitiſſimus his, quibus maximè lex conſultum eſſe vult? cur de quibus in provincia *non optimè es meritus*, eos nunc planè fortunis omnibus conaris evertere? cur his non modo perſequendi juris ſui, ſed etiam deplorandæ calamitatis adimis poteſtatem? Nam, te actore, quem eorum affuturum putas, quos intelligis, non ut per te, alium, ſed [8] ut per aliquem,
teipſum ulciſcantur, laborare? [9] At enim ſolum id eſt, ut me 7
Siculi maximè velint: alterum illud, credo, obſcurum eſt, *à quo Verres minimè ſe accuſari velit*. Ecquis umquam tam palàm de honore, tam vehementer de ſalute ſua contendit; quàm ille, atque illius amici, ut ne hæc mihi delatio detur? Sunt multa, quæ Verres in me eſſe arbitratur, quæ ſcit in te, Q. Cæcili, non eſſe: quæ cujuſmodi in utroque noſtrûm ſint, paulò poſt commemorabo. Nunc tantum id dicam, quod tacitus tu mihi aſſentiare: nullam rem in me eſſe, quam ille *contemnat*: nullam in te, quam *pertimeſcat*. Itaque magnus ille defenſor, & [10] amicus ejus tibi Hortenſius ſuffragatur, me oppugnat: apertè ab judicibus petit, ut tu mihi anteponare: & ait, hoc ſe honeſtè, ſine ulla invidia, ac ſine ulla offenſione contendere. NON ENIM, inquit, illud peto, quod ſoleo, cùm vehementius contendi, impetrare, reus ut abſolvatur, non peto: ſed ut ab hoc potius, quàm

ab illo

---

1. *Et quem minimè velit is, qui eas &c.*] Lambinus indicavit mſſ. ſuos habere *maximè velit*. ſed tamen altera ſcriptura viſitur in Pall. &c.

2. *Depopulatus eſſe, Siculorum, &c.*] Pall. & editiones primæ *depopulatum eſſe*. an fuit? *depopulatum eſſe*.

3. *Præſidio Siculi maximè nituntur.*] Pall. Cujac. edd. vett. *utuntur*, & videtur revocandum.

4. *Marcellorum nomini tota illa prov. adjuncta eſt.*] Gulielmius aliique tentant, *addicta eſt*; ego mallem *clienta eſt*.

5. *Sedibus, delubris fuit.*] Sic mſſ. noſtri & editi omnes præter Lambinum, qui *fuit* eraſit, quod ita videtur legiſſe Aſconius.

6. *Senati populique Rom.*] Noſtri *Senatus*. ſed alterum laudat Chariſius.

7. *Etiamſi taceant, ſatis dicunt.*] Hotomanus *tacerent* expreſſit, ſecutus fidem librorum ſuorum; ſed Aſconius alterum agnovit.

8. *Ut per aliquem te ipſum.*] Cujacii codex, *ut per alium aliquem*; recepitque Lambinus; ſed non eſt in Pall. aut vetuſtè cuſis.

9. *At enim ſolum id eſt, ut me Siculi &c.*] Mire heic paratragœdiatur Lambinus.

10. *Amicus ejus tibi Hortenſius ſuffragatur.*] Vocem *Hortenſius*, Cujaciano abeſſe indicavit Gulielmius; ſed in Palatinis duobus hæret tamen, item vetuſte cuſis.

1. St in

ab illo accuſetur, id peto. Da mihi hoc: concede, quod facile eſt, quod honeſtum, quod non invidioſum: quod cùm dederis, ſine ullo tuo periculo, ſine infamia illud dederis, ut is abſolvatur, cujus ego cauſa laboro. Et ait idem, ut aliquis metus adjunctus ſit ad gratiam: certos eſſe in conſilio, quibus *oſtendi tabellas* velit. id eſſe perfacile. non enim ſingulos ferre ſententias, ſed univerſos conſtituere: ceratam unicuique tabellam dari *cera legitima*, non illa *infami* ac nefaria. Atque is non tam propter Verrem laborat, quàm quòd eum minimè res tota delectat. videt enim, ſi à pueris nobilibus, quos adhuc eluſit: ſi à quadruplatoribus, quos non ſine cauſa contemſit ſemper, ac pro nihilo putavit, accuſandi voluntas ad viros forteis, ſpectatoſque homines tranſlata
8 ſit, [1] ſe in judiciis dominari non poſſe. Huic ego homini jam ante denuntio, ſi à me cauſam hanc vos agi volueritis, rationem illi defendendi totam eſſe mutandam, & ita tamen mutandam, ut meliore, & honeſtiore conditione ſit, quàm qua ipſe eſſe vult; ut imitetur homines eos, quos ipſe vidit ampliſſimos, L. Craſſum, & M. Antonium: qui nihil ſe arbitrabantur ad judicia, cauſaſque amicorum, *præter fidem, & ingenium, afferre oportere.* Nihil erit, quod, me agente, arbitretur judicium ſine magno multorum periculo poſſe corrumpi. Ego in hoc judicio mihi Siculorum cauſam receptam, populi R. ſuſceptam eſſe arbitror: ut mihi non unus homo improbus opprimendus ſit, id quod Siculi petiverunt: ſed omnino *omnis improbitas*, id quod populus Rom. jamdiu flagitat, exſtinguenda, atque delenda ſit. In quo ego quid eniti, aut quid efficere poſſim, malo in aliorum ſpe relinquere, quam in oratione mea ponere. Tu verò, Cæcili, quid potes? quo tempore, aut qua in re non modò *ſpecimen* ceteris aliquod dediſti, ſed tute tui periculum feciſti? In mentem tibi non venit, quid negotii ſit cauſam publicam ſuſtinere? vitam alterius totam explicare, atque eam non modo in animis judicum, ſed etiam in oculis, conſpectuque omnium exponere: ſociorum ſalutem, commoda provinciarum, vim legum, gravitatem judiciorum de-
9 fendere? Cognoſce ex me, quoniam hoc primum tempus diſcendi nactus es, quàm multa eſſe oporteat in eo, qui alterum accuſet: ex quibus ſi unum aliquod in te cognoveris: ego jam tibi ipſe iſthuc, quod expetis, mea voluntate concedam. Primùm *integritatem*, atque *innocentiam* ſingularem. NIHIL EST enim, quod minus ferendum ſit, quam rationem ab altero vitæ repoſcere eum, qui non poſſit ſuæ reddere. Hìc ego de te plura non dicam: unum illud credo omnes animadvertere, te adhuc ab nullis, niſi à Siculis, potuiſſe cognoſci: Siculos hoc dicere, cùm eidem ſint irati, cui tu te inimicum eſſe dicis, ſeſe tamen, te actore, ad judicium non affuturos. Quare negent, ex me non audies. hos patere id *ſuſpicari*, quod neceſſe eſt. Illi quidem (ut eſt hominum genus nimis acutum, & ſuſpicioſum) non te ex Sicilia litteras in Verrem deportare velle arbitrantur: ſed, cùm iiſdem litteris illius prætura & tua quæſtura conſignata ſit, aſportare te velle ex Sicilia literas ſuſpicantur. Deinde *accuſatorem, firmum, verumque eſſe oportet*. Eum ego ſi te putem cupere eſſe, facilè intelligo eſſe non poſſe. Nec ea dico, quæ ſi dicam, tamen infirmare non poſſis: te, antequam de Sicilia deceſſeris, in gratiam rediſſe cum Verre: Potamonem, ſcribam, & familiarem tuum, retentum eſſe à Verre in provincia, cùm tu decederes: M. Cæcilium, fratrem tuum, lectiſſimum, atque ornatiſſimum adoleſcentem, non modò non adeſſe, neque tecum tuas injurias perſequi: ſed eſſe cum Verre: cum illo familiariſſimè, atque amiciſſimè vivere. Sunt hæc, & alia in te *falſi accuſatoris ſigna* permulta: quibus ego nunc non utor. hoc dico, te, ſi maximè cupias, tamen verum accuſatorem eſſe non poſſe. Video enim permulta eſſe crimina, quorum tibi ſocietas cum Verre ejuſmodi eſt, ut ea in accuſando attingere non audeas. Queritur Sicilia tota, C. Verrem ab aratoribus, cùm 10
frumentum ſibi in cellam imperaviſſet, & cùm eſſet tritici modius H-S II pro frumento in modios ſingulos, duodenos ſeſtertios exegiſſe. Magnum crimen, ingens pecunia, furtum impudens, injuria non ferenda. ego hoc uno crimine illum condemnem neceſſe eſt. Tu Cæcili, quid facies? utrùm hoc tantum crimen prætermittes, an objicies? Si objicies, IDNE ALTERI CRIMINI dabis, quod eodem tempore, in eadem provincia, tu ipſe feciſti? audebis ita accuſare alterum, ut, quo minus tute condemnere, recuſare non poſſis? Sin prætermittes: qualis erit iſta tua accuſatio, quæ, *domeſtici periculi metu*, certiſſimi, & maximi criminis non modò ſuſpicionem, verumetiam mentionem ipſam pertimeſcat? Emtum eſt ex S. C. frumentum ab Siculis, prætore Verre, pro quo frumento pecunia omnis ſoluta non eſt. Grave eſt hoc crimen in Verrem: grave, me agente: te accuſante, nullum. eras enim tu quæſtor: pecuniam publicam tu tractabas: ex qua, etiam ſi cuperet prætor, tamen nequa deductio fieret, magna ex parte *tua poteſtas erat*. Hujus quoque igitur criminis, te accuſante, mentio nulla fiet. Silebitur toto judicio de maximis, & notiſſimis illius furtis & injuriis. Mihi crede, Cæcili, NON POTEST in accuſando ſocios verè defendere is, qui cum reo criminum ſocietate conjunctus eſt. Mancipes à civitatibus pro frumento pecuniam exegerunt. Quid? Hoc, Verre prætore factum eſt ſolùm? non: ſed etiam quæſtore Cæcilio. Quid igitur? *daturus es huic crimini, quod & potuiſti prohibere, ne fieret, & debuiſti?* an totum id relinques? Ergo id omnino Verres in judicio ſuo non audiet, quod cùm faciebat, quemadmodum defenſurus eſſet, non reperiebat. Atque ego hæc, quæ in 11
medio poſita ſunt, commemoro. Sunt alia magis occulta furta: quæ ille, ut iſtius, credo, animos, atque impetus *retardaret*, cum quæſtore ſuo benigniſſimè communicavit. Hæc tu ſcis ad me eſſe delata: quæ ſi velim proferre, facilè omnes intelligent, vobis inter vos non modo voluntatem fuiſſe conjunctam, ſed ne prædam quidem adhuc eſſe diviſam. Quapropter ſi tibi [2] indicium poſtulas dari, quòd tecum una fecerit; concedo, ſi id lege permittitur. ſin autem de accuſatione dicimus: concedas oportet iis, qui *nullo ſuo peccato impediuntur*, quo minus alterius peccata demonſtrare poſſint. Ac vide, quantum interfuturum ſit inter meam, atque tuam accuſationem. Ego etiam quæ tu ſine Verre commiſiſti, Verri crimini daturus ſum, quòd te non prohibuerit, cùm ſummam ipſe haberet poteſtatem: tu contrà, ne quæ ille quidem fecit, objicies, ne qua ex parte conjunctus cum eo reperiare. Quid illa, Cæcili? contemnendane tibi videntur eſſe, ſine quibus cauſa ſuſtineri, præſertim tanta, nullo modo poteſt? aliqua facultas agendi? aliqua dicendi conſuetudo? aliqua in foro, judiciis, legibus aut ratio, aut exercitatio? Intelligo, quàm ſcopuloſo, difficilique in loco verſer. nam CUM OMNIS arrogantia odioſa eſt, tum illa ingenii, atque eloquentiæ, multo moleſtiſſima. Quamobrem nihil dico de meo ingenio, neque eſt quod poſſim dicere: neque, ſi eſſet, dicerem. aut enim id mihi ſatis eſt, quod eſt de me opinionis, quidquid eſt: aut, ſi id parum eſt: ego *majus id commemorando facere non poſſum.* De te, 12
Cæcili, jam mehercule hoc extra hanc contentionem, certamenque noſtrum familiariter tecum loquar. Tu ipſe quemadmodum exiſtimes, vide etiam atque etiam: & tu te collige: & *qui ſis, & quid facere poſſis, conſidera.* [3] Putaſne, te poſſe de maximis, acerbiſſimiſque rebus, cùm cauſam ſociorum, fortunaſque provinciæ, jus populi R. gravitatem judicii, legumque ſuſceperis, tot res, tam graveis, tam varias, *voce, memoria, conſilio, ingenio*, ſuſtinere? Putaſne, te poſſe, quæ C. Verres in quæſtura, quæ in legatione,

1. *Se in judiciis dominari non poſſe.*] Cujacianus, *judiciis diutius dominari.* ſed non etiam ei adhærent aut Pall. aut olim impreſſi.

2. *Indicium poſtulas dari.*] Sic Aſconius, explicatque. vulgata, *judicium.* ineptè.

3. *Putaſne te poſſe de maximis.*] Pædianus, *Putabaſne.*

ne, quæ in prætura, quæ Romæ, [1] quæ in Italia, quæ in Achaja, Aſia, Pamphiliaque patrarit, ea, quemadmodum locis, temporibuſque diviſa ſint, ſic criminibus, & oratione diſtinguere? [2] Putaſne poſſe, id quod in ejuſmodi reo maximè neceſſarium eſt, facere, ut, quæ ille libidinoſe, quæ nefariè, quæ crudeliter fecerit, ea *æquè acerba, & indigna videantur eſſe iis, qui audient, atque illis viſa ſunt, qui ſenſerunt?* Magna ſunt ea, quæ dico, mihi crede: noli hæc contemnere. dicenda, demonſtranda, explicanda ſunt omnia: cauſa non ſolùm exponenda, ſed etiam graviter, copioſeque agenda eſt. perficiendum eſt, [3] ſi quid agere aut proficere vis, ut homines te non ſolùm *audiant*, verùm etiam *libenter ſtudioſeque* audiant. In quo ſi te multùm natura adjuvaret: ſi optimis à pueritia diſciplinis, atque artibus ſtuduiſſes, & in his elaboraſſes: ſi litteras Græcas Athenis, non Lilybæi: Latinas Romæ, non in Sicilia, didiciſſes: tamen eſſet magnum, tantam cauſam, tam exſpectatam & diligentia conſequi, & memoria complecti, & oratione exponere, & voce, & viribus ſuſtinere. Fortaſſe dices, Quid? ergo hæc in te ſunt omnia? utinam quidem eſſent: verumtamen *ut eſſe poſſent, magno ſtudio mihi à pueritia eſt elaboratum.* Quòd ſi ego hæc, propter magnitudinem rerum, ac difficultatem, aſſequi non potui, qui in omni vita nihil aliud egi: quam longè tu te ab his rebus abeſſe arbitrare, quas non modò antea nunquam cogitaſti, ſed ne nunc quidem, cùm in eas ingrederis, quæ, & quan-
13 tæ ſint, ſuſpicari potes? Ego, qui, ſicut omnes ſciunt, in foro, judiciiſque ita verſer, ut ejuſdem ætatis aut nemo, aut pauci, plureis cauſas defenderint, & qui omne tempus, quod mihi ab amicorum negotiis datur, in his ſtudiis, laboribuſque conſumam, quo paratior ad uſum forenſem, promptiorque eſſe poſſim: tamen ita deos mihi velim propitios, [4] ut, cum illius diei mihi venit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum ſit, non ſolùm commoveor animo, ſed *etiam toto corpore perhorreſco.* Jam nunc mente, & cogitatione proſpicio, quæ tum ſtudia hominum, qui concurſus futuri ſint: quantam exſpectationem magnitudo judicii ſit allatura: quantam auditorum multitudinem C. Verris infamia concitatura: quantam denique audientiam orationi meæ improbitas illius factura. Quæ cùm cogito, jam nunc timeo, quidnam pro offenſione hominum, qui illi inimici, infenſique ſunt, & exſpectatione omnium, & magnitudine rerum dignum eloqui poſſim. Tu horum nihil metuis, nihil cogitas, nihil laboras: & ſi quid ex vetere aliqua oratione, JOVEM EGO OPTIMUM MAXIMUM: aut, VELLEM, SI FIERI POTUISSET, JUDICES: aut aliquid ejuſmodi, ediſcere potueris, præclarè te paratum in judicium venturum arbitraris. Ac, ſi tibi nemo reſponſurus eſſet, tamen *ipſam cauſam*, ut ego arbitror, demonſtrare non poſſes. Nunc ne illud quidem cogitas, tibi cum homine diſertiſſimo, & ad dicendum paratiſſimo, futurum eſſe certamen: quicum modò diſſerendum, modò omni ratione pugnandum, certandumque ſit? Cujus ego ingenium ita laudo, ut non *pertimeſcam:* ita probo, ut me ab eo delectari
14 faciliùs, quam *decipi* putem poſſe. Numquam ille me opprimet conſilio: numquam ullo artificio pervertet: numquam ingenio me ſuo labefactare, atque infirmare conabitur: [5] novi omneis hominis petitiones, rationeſque dicendi: ſæpe in iiſdem, ſæpe in contrariis cauſis verſati ſumus. Ita contra me ille dicet, quamvis ſit ingenioſus, ut nonnullum etiam de ſuo ingenio judicium fieri arbitretur. Te verò, Cæcili, quemadmodum ſit eluſurus, quàm omni ratione *jactaturus*, videre jam videor: quoties ille tibi poteſtatem, optionemque facturus ſit, ut eligas utrum velis, factum eſſe, necne: verum eſſe, an falſum: utrum dixeris, id contra te futurum. Qui tibi æſtus, qui error, quæ tenebræ, dii immortales, erunt, *homini minime malo?* Quid, cùm accuſationis tuæ membra dividere cœperit, & in digitis ſuis ſingulas parteis cauſæ conſtituere? Quid, cùm unumquodque tranſigere, expedire, abſolvere? Ipſe profectò metuere incipies, ne innocenti periculum faceſſeris. Quid, cùm commiſerari, conqueri, & ex illius invidia deonerare aliquid, & in te trajicere cœperit? [6] commemorare *quæſtoris cum prætore neceſſitudinem* conſtitutam? morem majorum? ſortis religionem? Poteriſne ejus [7] orationis ſubire invidiam? Vide modò: etiam atque etiam conſidera. mihi enim videtur periculum fore, ne ille non modò verbis te obruat, ſed geſtu ipſo, ac motu corporis præſtringat aciem ingenii tui, teque ab inſtitutis tuis, cogitationibuſque abducat. Atque hujuſce rei judicium jam continuò video futurum. Si enim mihi hodie reſpondere ad hæc, quæ dico, potueris: ſi ab iſto libro, quem tibi magiſter ludi, neſcio qui *ex alienis orationibus compoſitum* dedit, verbo uno diſceſſeris: poſſe te & illi quoque judicio non deeſſe, & cauſæ atque officio tuo ſatisfacere arbitrabor. ſin mecum in hac *proluſione* nihil fueris: quem te in ipſa *pugna*, cum acerrimo
adverſario fore putemus? Eſto: [8] ipſe nihil eſt, nihil poteſt: 15
at venit paratus cum ſubſcriptoribus exercitatis, & diſertis. Eſt tamen hoc aliquid: tametſi non eſt ſatis. OMNIBUS enim rebus is, qui princeps in agendo eſt, ornatiſſimus, & paratiſſimus eſſe debet. Verumtamen L. Apulejum eſſe video proximum ſubſcriptorem, hominem non ætate, ſed uſu forenſi, atque exercitatione *tironem.* Deinde (ut opinor) [9] habet Allienum, hunc tamen à ſubſelliis: qui, quid in dicendo poſſet, numquam ſatis attendi. in clamando quidem video eum eſſe benè robuſtum, atque exercitatum. in hoc ſpes tuæ ſunt omnes. hic, ſi tu eris actor conſtitutus, totum judicium ſuſtinebit. Ac ne is quidem tantum contendet in dicendo, quantum poteſt: ſed *conſulet laudi*, & exiſtimationi tuæ: & ex eo, quod ipſe poteſt in dicendo, aliquantum remittet, [10] ut tu tamen aliquid eſſe videare. Ut in actoribus Græcis fieri videmus: ſæpe illum, qui eſt ſecundarum, aut tertiarum partium, cùm poſſit aliquanto clariùs dicere, quàm ipſe primarum, multùm ſummittere, ut ille princeps quàm maximè excellat: ſic faciet Allienus: tibi ſerviet, tibi *lenocinabitur:* minùs aliquanto contendet, quàm poteſt. Jam hoc conſiderate, cujuſmodi accuſatores in tanto judicio ſimus habituri: cùm & ipſe Allienus ex ea facultate, ſi quam habet, aliquantum detracturus ſit: & Cæcilius tum denique ſe aliquid futurum putet, ſi Allienus minùs vehemens fuerit, [11] & ſibi primas in dicendo parteis conceſſerit. Quartum quem ſit habiturus, non video, niſi quem fortè [12] ex illo grege oratorum, qui ſubſcriptionem ſibi poſtularunt, cuicumque vos delationem dediſſetis. Ex qui-

1 *Quæ in Italia, quæ in Achaja &c. patrarit &c.*] Lipſius lib. II. Varior. cap. 23. tentat, *quæ in Sicilia &c.* quem refellit Hotomanus lib. IX. obſervat. cap. 11. f. ceterum iſtud *patrarit* reſtat in ſolis edd. vett. ejus loco eſt *peccarit* in Cujac. & Pall. voce tamen minus efficaci.

2. *Putaſne poſſe id quod in ejuſmodi.*] Antiquitus cuſi non agnoſcunt vulgatum pronomen *te*, neque habent Pall. aut Cujac. qui ultimus præterea, reſcribit, *id quod vel in.*

3. *Si quid agere aut proficere.*] Ita Cujacianus, & editio Lambini. noſtri accedunt publicatis, *perficere.*

4. *Ut cum illius diei mihi venit in mentem.*] Eſt ab Aſconio. nam Hotomani vett. item Pall. & Cujac. item edd. priſcæ, imò & Donatus in Hecyram & Priſcianus libro XIIX. *illius temporis*, quod placuit Hotomano.

5. *Novi omneis hominis petitiones.*] Mallet Hotomanus *partitiones.* male, & contra edd. atque membranaceos.

6. *Commemorare quæſtoris cum prætore neceſſitudinem conſtitutam.*] Pal. ſec. non habet illud *conſtitutam;* & ſine eò certe ſenſus conſtat.

7. *Orationis ſubire invidiam.*] Ita Pall. ita Cujac. ita edd. primæ. Aſconius tamen legit, *invidiæ.*

8. *Ipſe nihil eſt, nihil poteſt.*] Gulielmius maluit, *ipſe nihili eſt.*

9. *Habet Allienum.*] Pall. fere & Cujacianus, *Alienum.* quod monere volui tantum.

10. *Ut tu tamen.*] Indicat Hotomanus, omnes libros habere *tandem.* at aliud eſt de Pall. noſtris, de Cujaciano. editio anni CCCCLXXXIII habet *tum.*

11. *Et ſibi primas.*] Eſt ab Hotomano. noſtri enim & olim impreſſi *& tibi primas.*

12. *Ex illo grege oratorum.*] Cujacius reponendum duxit *moratorum.*

1. *Ubi*

quibus alieniſſimis hominibus, ita paratus venis, ut tibi hoſpes aliquis ſit recipiendus. Quibus ego non ſum tantum honorem habiturus, ut ad ea, quæ dixerint, certo loco, aut ſingulatim unicuique reſpondeam. ſic breviter, quoniam non conſultò, ſed caſu in eorum mentionem incidi, quaſi
16 præteriens, ſatisfaciam univerſis. TANTANE vobis inopia videor eſſe amicorum, ut mihi non ex his, quos mecum adduxerim, ſed de populo ſubſcriptor addatur? vobis autem tanta inopia reorum eſt, ut mihi cauſam præripere conemini potiùs, quam aliquos à columna Mœnia veſtri ordinis reos reperiatis? *Cuſtodem*, inquit, Tullio me apponite. Quid? mihi quam multis cuſtodibus opus erit, ſi te ſemel ad meas capſas admiſero? qui non ſolum, ne quid enunties, ſed etiam ne quid auferas, cuſtodiendus ſis. Sed de iſto cuſtode toto ſic vobis breviſſimè reſpondebo: non eſſe hos tales viros commiſſuros, ut ad cauſam tantam, à me ſuſceptam, mihi creditam, quiſquam ſubſcriptor, me invito, adſpirare poſſit. Etenim *fides* mea cuſtodem repudiat, *diligentia* ſpeculatorem reformidat. Verùm, ut ad te, Cæcili, redeam, quam multa te deficiant, vides: quàm multa ſint in te, quæ reus nocens in accuſatore ſuo cupiat eſſe, profectò jam intelligis. Quid ad hæc dici poteſt? non enim quæro, quid tu dicturus ſis. video mihi non te, ſed hunc librum eſſe reſponſurum, quem *monitor tuus* hic tenet: qui, ſi te rectè monere volet, ſuadebit tibi, ut hinc diſcedas, neque mihi verbum ullum reſpondeas. Quid enim dices? an id, quod dictitas, injuriam tibi feciſſe Verrem? Arbitror. neque enim eſſet veriſimile, cùm omnibus Siculis faceret injurias, te illi unum *eximium*, cui conſuleret, fuiſſe. Sed ceteri Siculi ultorem ſuarum injuriarum invenerunt: tu, dum tuas injurias per te, id quod non potes, perſequi conaris, id agis, ut ceterorum quoque injuriæ ſint impunitæ, atque inultæ: & hoc te præterit, non id ſolum ſpectari ſolere, *qui debeat*, ſed etiam illud, *qui poſſit ulciſci*. in quo utrumque ſit, eum ſuperiorem eſſe, in quo alterum, in eo non, quid is velit, ſed quid facere poſſit, quæri ſolere. Quòd ſi ei potiſſimum cenſes permitti oportere accuſandi poteſtatem, cui maximam C. Verres injuriam fecerit: utrum tandem cenſes hos judices graviùs ferre oportere, te ab illo eſſe læſum, an provinciam Siciliam eſſe vexatam, ac perditam? Opinor, concedis, multo hoc & eſſe gravius, & ab omnibus *ferri graviùs* oportere. Concede igitur, ut tibi anteponatur in accuſando provincia. nam provincia accuſat, cùm is agit cauſam, quem ſibi illa defenſorem ſui juris, ul-
17 torem injuriarum, actorem cauſæ totius adoptavit. At eam tibi C. Verres fecit injuriam, quæ ceterorum quoque animos poſſet *alieno incommodo commovere*. Minimè. nam id quoque ad rem pertinere arbitror, qualis injuria dicatur: quæ cauſa inimicitiarum proferatur. Cognoſcite ex me. nam iſte eam profectò, niſi planè nihil ſapit, numquam proferet. Agonis eſt quædam, Lilybætana, liberta Veneris Erycinæ: quæ mulier ante hunc quæſtorem, copioſa planè, & locuples fuit. Ab hac præfectus Antonii quidam ſymphoniacos ſervos abducebat per injuriam, quibus ſe in claſſe uti velle dicebat. Tum illa, ut mos in Sicilia eſt omnium Venereorum, & eorum, qui à Venere ſe liberaverunt, ut præfecto illi *religionem Veneris*, *nomenque objiceret*, dixit & ſe, & omnia ſua, Veneris eſſe. [1] Ubi hoc quæſtori Cæcilio, viro optimo, & homini æquiſſimo, nuntiatum eſt: vocari ad ſe Agonidem jubet: judicium dat ſtatim, SI PARERET, eam, ſe, & ſua Veneris eſſe dixiſſe. judicant recuperatores id, quod neceſſe erat. neque enim erat cuiquam dubium, quin illa dixiſſet. Iſte in poſſeſſionem bonorum mulieris mittit: ipſam Veneri in ſervitutem adjudicat: deinde bona vendit: pecuniam redigit. Ita, dum pauca mancipia, Veneris nomine, Agonis, ac religione, retinere vult, *fortunas omneis*, *libertatemque ſuam iſtius injuria perdidit*. Lilybæum Verres venit poſtea: rem cognoſcit: factum improbat: cogit quæſtorem ſuum, pecuniam, quam ex Agonidis bonis redegiſſet, eam mulieri omnem annumerare, & reddere. Eſt adhuc, id quod vos omneis admirari video, non Verres, ſed Q. Mutius. Quid enim facere potuit elegantius *ad hominum exiſtimationem*? æquius ad levandam mulieris calamitatem? vehementius ad quæſtoris libidinem coërcendam? Summè hæc omnia mihi videntur eſſe laudanda. [2] Sed repentè è veſtigio, ex homine, tanquam aliquo *Circæo poculo*, factus eſt Verres. redit ad ſe, atque ad mores ſuos. nam ex illa pecunia [3] magnam partem ad ſe vertit: mulieri reddidit quantulum viſum eſt. Hìc tu, ſi læſum te à Verre eſſe dices: patiar, & concedam. 18
ſi injuriam tibi factam quereris: defendam, & negabo. Deinde de injuria, quæ tibi facta ſit, neminem noſtrûm *graviorem vindicem eſſe* oportet, quàm te ipſum, cui facta dicitur. Si tu cum illo poſtea in gratiam rediſti: ſi domi illius aliquoties fuiſti: ſi ille apud te poſtea cenavit: utrùm te perfidioſum, an prævaricatorem exiſtimari mavis? video eſſe neceſſe alterutrum. Sed ego tecum in eo non pugnabo, quo minùs, utrùm velis, eligas. Quid, ſi ne injuriæ quidem, quæ tibi ab illo facta ſit, cauſa remanet? quid habes, quod poſſis dicere, quamobrem non modò mihi, ſed cuiquam anteponare? niſi forte illud, quod dicturum te eſſe audio, *quæſtorem illius fuiſſe*. Quæ cauſa, gravis eſſet, ſi certares mecum, uter noſtrûm illi amicior eſſe deberet. In contentione ſuſcipiendarum inimicitiarum, ridiculum eſt putare, cauſam neceſſitudinis ad inferendum periculum juſtam videri oportere. Etenim, ſi plurimas à tuo prætore injurias accepiſſes: tamen eas *ferendo*, majorem laudem, quàm *ulciſcendo*, mererere. cùm verò nullum illius in vita rectius factum ſit, quàm id, quod tu injuriam appellas: hi ſtatuent, hanc cauſam, quam ne in alio quidem probarent, in te juſtam ad neceſſitudinem violandam videri? qui ſi ſummam injuriam ab illo accepiſti, tamen quoniam quæſtor ejus fuiſti, non potes eum ſine ulla vituperatione accuſare. ſi verò nulla tibi facta eſt injuria, ſine ſcelere eum accuſare non potes. Quare cùm incertum ſit de injuria, quemquam eſſe horum putas, qui non malit, te ſine vituperatione, quàm cum ſcelere, diſcedere? At vide, quid differat inter meam opinionem, ac tuam. Tu, cùm omnibus rebus inferior ſis, hac una in re mihi anteferri putas oportere, quòd quæſtor illius fueris. ego, ſi ſuperior ceteris rebus eſſes, hanc unam ob cauſam te accuſatorem repudiari putarem oportere. Sic enim à majoribus noſtris accepimus, *prætorem quæſtori ſuo parentis loco eſſe oportere*: nullam neque juſtiorem, neque graviorem cauſam neceſſitudinis poſſe reperiri, quàm conjunctionem ſortis, quam provinciæ, quàm officii, quàm publicam muneris ſocietatem. Quamobrem ſi jure eum poſſis accuſare, tamen, cùm is tibi parentis numero fuiſſet, id *piè facere* non poſſes. cùm verò neque injuriam acceperis, & prætori tuo periculum crees: fatearis neceſſe eſt, te illi injuſtum, impiumque bellum inferre conari. Etenim iſta quæſtura ad eam rem valet, ut elaborandum tibi in ratione reddenda ſit, quamobrem, qui quæſtor ejus fueris, accuſes: non, ut ob eam ipſam cauſam poſtulandum ſit, ut tibi potiſſimum accuſatio detur. Neque fere umquam venit in contentionem de accuſando, qui quæſtor fuiſſet, *quin repudiaretur*. Itaque neque L. Philoni in C. Servilium nominis deferendi poteſtas eſt data, neque M. Aurelio Scauro in L. Flaccum, neque Cn. Pompeio [4] in T. Albucium: quorum nemo propter indignitatem repudiatus eſt: ſed ne *libido violandæ neceſſitudinis*, auctorita-
te ju-

1. *Ubi hoc quæſtori Cæcilio.*] Antonius Auguſtinus tentat, *ubi hoc C. Cæcilio.* conſule notas Urſini.

2. *Sed repente è veſtigio.*] Gulielmius illud *repente* habebat pro interpretamento ſequentis. agnoſcit tamen Julius Rufinianus.

3. *Magnam partem ad ſe vertit.*] Neotericæ edd. *avertit.* ſed alterum eſt in noſtris mſſ. tribus. Lambinus mallet *averrit*, ego *verrit*.

4. *In T. Albutium.*] Urſinus noſter legit ex libris & lapidibus vetuſtis, *T. Æbutium.* amplecterer & ipſe, niſi contra iret omnis editio antiqua.

1. De-

te judicum comprobaretur. Atque ille Cn. Pompeius ita cum C. Julio contendit, ut tu mecum. Quæſtor enim Albucii fuerat, ut tu Verris. Julius hoc ſecum auctoritatis ad accuſandum afferebat, quòd, ut hoc tempore nos ab Siculis, ſic tum ille ab Sardis rogatus, ad cauſam acceſſerat. Semper hæc cauſa plurimùm valuit: ſemper hæc ratio accuſandi fuit honeſtiſſima, *pro ſociis, pro ſalute provinciæ, pro exterarum nationum commodis inimicitias ſuſcipere:* ad periculum acce-
20 dere, operam, ſtudium, laborem interponere. Etenim ſi probabilis eſt eorum cauſa, qui *injurias ſuas perſequi* volunt: qua in re dolori ſuo, non reip. commodis ſerviunt: quanto illa cauſa honeſtior, quæ non ſolùm probabilis videri, ſed etiam *grata* eſſe debet, nulla privatim accepta injuria, ſociorum, atque amicorum populi R. dolore, atque injuriis commoveri? Nuper cùm in P. Gabinium vir fortiſſimus, & innocentiſſimus L. Piſo delationem nominis poſtularet, & contrà Qu. Cæcilius peteret: iſque ſe veteres inimicitias jam diu ſuſceptas perſequi diceret: cum auctoritas, & dignitas Piſonis valebat plurimùm, tum illa erat cauſa juſtiſſima, quòd eum ſibi Achæi patronum adoptarant. Etenim cum lex ipſa de *pecuniis repetundis*, ſociorum, atque amicorum populi R. cauſa parata ſit: iniquum eſt, non eum legis, judiciique actorem idoneum maximè putari, quem actorem cauſæ ſuæ ſocii, defenſoremque fortunarum ſuarum potiſſimùm eſſe voluerunt. An, quod ad commemorandum eſt honeſtius, id ad probandum non multo videri
21 debet æquius? Utra igitur eſt ſplendidior: utra illuſtrior commemoratio: accuſavi eum, cui quæſtor fueram: qui cum me ſors, conſuetudoque majorum, qui cum me deorum, hominumque judicium conjunxerat: an accuſavi rogatu ſociorum, atque amicorum? delectus ſum ab univerſa provincia, qui ejus jura, fortunaſque defenderem? Dubitare quiſquam poteſt, quin honeſtius ſit, eorum cauſa, apud quos quæſtor fueris, quàm eum, cujus quæſtor fueris accuſare? Clariſſimi viri noſtræ civitatis, *temporibus optimis*, hoc ſibi ampliſſimum, pulcherrimumque ducebant, ab hoſpitibus, clientibusque ſuis, ab exteris nationibus, quæ in amicitiam populi R. ditionemque eſſent, injurias propulſare, eorumque fortunas defendere. M. Catonem illum Sapientem, clariſſimum virum, & prudentiſſimum, cum multis graveis inimicitias geſſiſſe accepimus propter Hiſpanorum, apud quos conſul fuerat, injurias. nuper Cn. Domitium ſcimus [1] Decimo Silano diem dixiſſe propter unius hominis Egritomari, paterni amici, atque hoſpitis injurias.

22 NEQUE ENIM magis animos hominum nocentium res umquam ulla commovit, quàm hæc majorum conſuetudo, longo intervallo repetita, ac relata: ſociorum querimoniæ delatæ ad hominem non inertiſſimum: ſuſceptæ ab eo, qui videbatur eorum fortunas fide, diligentiaque ſua poſſe defendere. Hoc timent homines: hoc laborant: hoc inſtitui, atque adeò inſtitutum referri, ac renovari moleſtè ferunt. putant fore, uti, ſi paulatim hæc conſuetudo ſerpere, ac prodire cœperit: per homines honeſtiſſimos, viroſque fortiſſimos, non imperitos adoleſcentulos, aut illiuſmodi quadruplatores, leges, judiciaque [2] adminiſtrentur. Cujus conſuetudinis, atque inſtituti patres, majoreſque noſtros *non pœnitebat* tum, cum P. Lentulus, is, qui princeps ſenatus fuit, accuſabat M. Aquillium, ſubſcriptore C. Rutilio Rufo: aut cùm P. Africanus, homo virtute, fortuna, gloria, rebus geſtis ampliſſimus, poſtea quàm bis conſul, & cenſor fuerat, L. Cottam in judicium vocabat. Jure tum florebat populi R. nomen: jure auctoritas hujus imperii, civitatiſque majeſtas, gravis habebatur. nemo mirabatur in Africano illo, quod in me nunc, homine parvis opibus, ac facultatibus prædito, *ſimulant ſeſe mirari, cum moleſtè ferant.* Quid ſibi iſte vult? accuſatoremne ſe exiſtimari, qui antea defendere conſueverat: nunc præſertim, ea jam ætate, cùm ædilitatem petat? Ego verò ætatis non modò meæ, ſed multo etiam ſuperioris & honoris ampliſſimi puto eſſe, & *accuſare improbos:* & miſeros, calamitoſoſque defendere. Et profectò aut hoc remedium eſt ægrotæ, ac propè deſperatæ reip. judiciiſque corruptis, ac contaminatis paucorum vitio, ac turpitudine, homines ad legum defenſionem, judiciorumque auctoritatem, quàm honeſtiſſimos, & integerrimos, diligentiſſimoſque accedere: aut, ſi ne hoc quidem prodeſſe poterit, profectò nulla umquam medicina his tot incommodis reperietur. NULLA SALUS reip. major eſt, quàm eos, qui alterum accuſant, non minùs de laude, de honore, de fama ſua, quàm illos, qui accuſantur, de capite, ac fortunis ſuis pertimeſcere. Itaque ſem- 23
per ii diligentiſſimè, laborioſiſſimeque accuſarunt, qui ſeipſos in diſcrimen exiſtimationis venire arbitrati ſunt. Quamobrem hoc ſtatuere, judices debetis, Q. Cæcilium, de quo nulla umquam opinio fuerit, nullaque in hoc ipſo judicio exſpectatio futura ſit: qui neque, ut antè *collectam famam conſervet*, neque uti reliqui temporis ſpem confirmet, laborat: non nimis hanc cauſam ſeverè, non nimis accuratè, non nimis diligenter acturum. habet enim nihil, quod in offenſione deperdat. ut turpiſſimè, flagitioſiſſimeque diſcedat, nihil de ſuis veteribus ornamentis requiret. A nobis multos *obſides* habet populus Rom. quos ut incolumeis conſervare, tueri, confirmare, ac recuperare poſſimus, omni ratione erit dimicandum. habet honorem, quem petimus: habet ſpem, quam propoſitam nobis habemus: habet exiſtimationem, multo ſudore, labore, vigiliiſque collectam: ut, ſi in hac cauſa noſtrum officium, ac diligentiam probaverimus, hæc, quæ dixi, retinere, per populum Rom. incolumia, ac ſalva poſſimus: ſi tantulum offenſum, titubatumque ſit: ut ea, quæ ſingulatim, ac diu collecta ſunt, *uno tempore univerſa perdamus.* Quapropter, judices, veſtrum eſt deligere, quem exiſtimetis facillimè poſſe magnitudinem cauſæ ac judicii ſuſtinere, fide, diligentia, conſilio, auctoritate. Vos ſi mihi Q. Cæcilium antepoſueritis, ego me dignitate ſuperatum non arbitrabor: populus Rom. ne tam honeſtam, tam ſeveram, diligentemque accuſationem neque vobis placuiſſe, neque ordini veſtro placere arbitretur, providete.

PROOE-

1. *Decimo Silano.*] Sic omnibus litteris trias membranarum noſtrarum. hodie ferè editur *M. Silano*, è conjectura Hotomani; cui nulla etiam favet editio antiquior.

2. *Adminiſtrentur.*] Eſt à tribus noſtris mſſ. cuſi ferè retrò *adminiſtrarentur*; præter Victorianam.

1. Quam

PROOEMIUM, SEU PRINCIPIUM PRIMÆ ACTIONIS IN C. VERREM.

ORATIO QUINTA.

1 QUod erat optandum maximè, judices, &, quod unum ad invidiam veſtri ordinis, infamiamque judiciorum ſedandam, maximè pertinebat; id non humano conſilio, ſed propè divinitus datum, atque oblatum vobis ſummo reip. tempore videtur. Inveteravit enim jam opinio pernicioſa reip. vobiſque periculoſa: quæ non modò Romæ, ſed & apud exteras nationes, omnium ſermone percrebruit, his judiciis, quæ nunc ſint, PECUNIOSUM HOMINEM QUAMVIS SIT NOCENS, NEMINEM POSSE DAMNARI. Nunc in ipſo diſcrimine ordinis, judiciorumque veſtrorum, cum ſint parati, qui concionibus, & legibus hanc invidiam ſenatus inflammare conentur, reus in judicium adductus eſt, C. Verres, homo vita atque factis, *omnium jam opinione damnatus:* pecuniæ magnitudine, ſua ſpe, ac prædicatione, abſolutus. Huic ego cauſæ, judices, cum ſumma voluntate, & exſpectatione populi R. actor acceſſi, non ut augerem invidiam ordinis, ſed ut infamiæ communi ſuccurrerem. adduxi enim hominem, in quo reconciliare exiſtimationem judiciorum amiſſam, redire in gratiam cum populo R. ſatisfacere exteris nationibus poſſetis: depeculatorem ærarii, vexatorem Aſiæ, atque Pamphiliæ, prædonem juris urbani, labem atque perniciem provinciæ Siciliæ. De quo ſi vos ſeverè, religioſeque judicaveritis: auctoritas ea, quæ in vobis remanere debet, hærebit. ſin iſtius ingentes divitiæ *judiciorum religionem*, veritatemque perfregerint: ego hoc tamen aſſequar, ut judicium potius reip. [1] quàm
2 aut reus judicibus, aut accuſator reo defuiſſe videatur. Equidem, ut de me confitear, judices, cùm multæ mihi à C. Verre inſidiæ terra marique factæ ſint, quas partim mea diligentia devitarim, partim amicorum ſtudio, officioque repulerim: nunquam tamen neque tantum periculum mihi adire viſus ſum, neque tantopere pertimui, ut nunc in ipſo judicio. Neque tantum me exſpectatio accuſationis meæ, concurſuſque tantæ multitudinis, quibus ego rebus vehementiſſimè perturbor, commovet, quantum iſtius inſidiæ nefariæ, quas uno tempore [2] mihi, vobis, M. Glabrioni prætori, ſociis, exteris nationibus, ordini, nomini denique ſenatorio facere conatur. qui ita dictitat, *iis eſſe metuendum, qui, quod ipſis ſolis ſatis eſſet, ſurripuiſſent: ſe tantum rapuiſſe, ut id multis ſatis eſſe poſſit. nihil eſſe tam ſanctum, quod non violari: nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia poſſit.* Quòd ſi, quàm audax eſt ad conandum, tam eſſet obſcurus in agendo: fortaſſe aliqua in re nos aliquando feſelliſſet. verùm hoc adhuc percommodè cadit, quòd cum incredibili ejus *audacia* ſingularis *ſtultitia* conjuncta eſt. Nam ut apertus in corripiendis pecuniis fuit, ſic in ſpe corrumpendi judicii perſpicua ſua conſilia, conatuſque omnibus fecit. Semel ait ſe in vita pertimuiſſe: tum, cùm primùm reus à me factus ſit: quòd, cùm è provincia recens eſſet, invidiaque & infamia non recenti, ſed vetere, ac diuturna flagraret, tum ad judicium corrumpendum *tempus alienum* offenderet. Itaque cùm ego diem in Siciliam inquirendi perexiguam poſtulaviſſem, invênit iſte qui ſibi in Achajam biduo breviorem diem poſtularet: non ut idem conficeret diligentia, & induſtria ſua, quod ego meo labore, & vigiliis conſecutus ſum. Etenim ille Achaicus inquiſitor, ne Brundiſium quidem pervênit: ego Siciliam totam quinquaginta diebus ſic obii, ut omnium populorum, privatorumque *litteras, injuriaſque* cognoſcerem: ut perſpicuum cuivis eſſe poſſet, hominem ab iſto quæſitum eſſe, non qui reum ſuum adduceret, ſed qui *meum tempus obſidêret.* Nunc homo audaciſſimus, atque amentiſſimus hoc co- 3
gitat. intelligit, me ita paratum, atque inſtructum in judicium venire, ut non modò in auribus veſtris, ſed in oculis omnium, ſua furta, atque flagitia defixurus ſim. Videt, ſenatores multos eſſe teſtes audaciæ ſuæ: videt, multos equites Romanos, frequenteis præterea civeis, atque ſocios quibus ipſe inſigneis injurias fecerit. Videt etiam tot graveis ab amiciſſimis civitatibus legationes cum publicis [3] auctoritatibus, ac teſtimoniis conveniſſe. Quæ cùm ita ſint, uſque eò *de omnibus bonis malè exiſtimat:* uſque eò ſenatoria judicia, perdita, profligataque eſſe arbitratur, ut hoc palam dictitet, non ſine cauſa ſe cupidum pecuniæ fuiſſe, quoniam tantum in pecunia præſidium experiatur eſſe: ſeſe (id quod difficillimum fuerit) *tempus ipſum emiſſe judicii ſui*, quo cetera faciliùs emere poſſet, ut, quoniam criminum vim ſubterfugere nullo modo poterat, *procellam temporis* devitaret. Quòd ſi non modò in cauſa, verum in aliquo honeſto præſidio, aut alicujus eloquentia, aut gratia ſpem aliquam collocaſſet: profectò non hæc omnia colligéret, atque aucuparetur: non uſque eò deſpiceret, contemneretque ordinem ſenatorium, ut arbitratu ejus deligeretur ex

---

1. *QUam aut reus judicibus.*] Ambo Pall. *judiciis*, neque aliter ultimæ antiquitatis editiones. & videtur minus invidioſum.
2. *Mihi vobis, M'. Glabrioni.*] Iidem non agnoſcunt illud *vobis*, neque conſpicitur in primis edd. & neſcio ſanè an ſit à bona manu.
3. *Auctoritatibus ac teſtimoniis conveniſſe.*] Cujaciano abeſt *ac teſtimoniis*. male: exſtat enim in Pall. & omnibus retrò vulgatis, habetque ſuum ſanè pondus.

ex ſenatu, qui reus fieret: qui, dum hîc, quæ opus eſſent, compararet, cauſam interea ante eum diceret. Quibus ego rebus quid iſte ſperet, & quò animum intendat, facilè perſpicio. Quamobrem verò ſe confidat aliquid perficere poſſe, [1] hoc Glabrione prætore, & hoc conſilio, intelligere non poſſum. Unum illud intelligo, quod prætor in rejectione judicum judicavit, ea ſpe iſtum fuiſſe præditum, ut *omnem rationem ſalutis in pecunia poneret:* hoc erepto præſi-
4 dio, ut nullam ſibi rem adjumento fore arbitraretur. Etenim quod eſt ingenium tantum? quæ tanta facultas dicendi, & copia, quæ iſtius vitam, tot [2] vitiis, flagitiiſque convictam, jam pridem omnium voluntate, judicioque damnatam, aliqua ex parte poſſit defendere? Cujus ut *adoleſcentiæ maculas*, ignominiaſque præteream: quæſtura, primus gradus honoris, quid aliud habet in ſe, niſi Cn. Carbonem ſpoliatum à quæſtore ſuo pecunia publica? nudatum, & proditum conſulem? deſertum exercitum, relictam provinciam? ſortis neceſſitudinem, religionemque violatam? Cujus legatio, exitium fuit Aſiæ totius, & Pamphiliæ. Quibus in provinciis multas domos, plurimas urbes, omnia fana depeculatus eſt, cùm in Cn. Dolabellam ſcelus ſuum illud priſtinum renovavit, & inſtauravit quæſtorium: cùm eum, cui legatus, & pro quæſtore fuiſſet, *in invidiam ſuis maleficiis adduxit*, & in ipſis periculis non ſolùm deſeruit, ſed etiam oppugnavit, ac prodidit. cujus prætura urbana, ædium ſacrarium fuit, publicorumque operum depopulatio: ſimul in jure dicundo, bonorum, poſſeſſionumque, contra omnium inſtituta, addictio, & condonatio. Jam verò omnium vitiorum ſuorum plurima, & maxima conſtituit monumenta, & indicia in provincia Sicilia: quam iſte per triennium [3] ita vexavit, ac perdidit, ut ea *reſtitui in antiquum ſtatum nullo modo poſſit:* vix autem per multos annos, innocenteiſque prætores aliqua ex parte *recreari* aliquando poſſe videatur. Hoc prætore Siculi neque ſuas leges, neque noſtra ſenatuſconſulta, neque communia jura tenuerunt. tantum quiſque habet in Sicilia, quantum hominis avariſſimi & libidinoſiſſimi aut *imprudentiam* ſub-
5 terfugit, aut *ſatietati* ſuperfuit. Nulla res per triennium, niſi ad nutum iſtius, judicata eſt: nulla res tam patria cujuſquam, atque avita fuit, quæ non ab eo, imperio iſtius, abjudicaretur. Innumerabiles pecuniæ ex aratorum bonis, novo, nefarioque inſtituto coactæ: ſocii fideliſſimi in hoſtium numero exiſtimati: cives R. ſervilem in modum cruciati, & necati: homines *nocentiſſimi propter pecunias judicio liberati*: honeſtiſſimi, atque integerrimi, abſentes rei facti, indicta cauſa damnati, & ejecti, portus munitiſſimi; maximæ, tutiſſimæque urbes, piratis, prædonibuſque patefactæ: nautæ, militeſque Siculorum, ſocii noſtri, atque amici, fame necati: claſſes optimæ, atque opportuniſſimæ cum magna ignomina populi Romani amiſſæ, & perditæ. Idem iſte prætor monumenta antiquiſſima partim regum locupletiſſimorum, quæ illi ornamento urbibus eſſe voluerunt, partim etiam noſtrorum imperatorum, quæ victores civitatibus Siculis, aut dederunt, aut reddiderunt, [4] ſpoliavit, nudavitque omnia. Neque hoc ſolum in ſtatuis, ornamentiſque publicis fecit: ſed etiam *delubra omnia ſanctiſſimis religionibus conſecrata* depeculatus eſt: deum denique nullum Siculis, qui ei paulò magis affabrè atque antiquo artificio factus videretur, reliquit. In ſtupris verò, & flagitiis nefarias ejus libidines commemorare, pudore deterreor. ſimul illorum *calamitatem commemorando augere nolo.* quibus liberos, conjugeſque ſuas, integras ab iſtius petulantia conſervare non licitum eſt. At enim hæc ita commiſſa ſunt ab iſto, ut *non cognita ſint* ab omnibus. Hominem eſſe arbitror neminem, qui nomen iſtius audierit, quin facta quoque ejus nefaria commemorare poſſit: ut mihi magis timendum ſit, ne multa crimina prætermittere, quàm ne qua in iſtum fingere exiſtimer. Neque enim mihi videtur hæc multitudo, quæ ad audiendum convênit, cognoſcere ex me cauſam voluiſſe; ſed ea, quæ ſcit, *mecum recognoſcere.*
Quæ cum ita ſint, iſte homo amens, ac perditus alia me- 6
cum ratione pugnat. non id agit, ut alicujus eloquentiam mihi opponat: non gratia, non auctoritate cujuſquam, non potentia nititur. ſimulat his ſe rebus confidere: ſed video, quid agat: (neque enim agit occultiſſimè) proponit *inania* mihi *nobilitatis*, hoc eſt, hominum arrogantium *nomina:* qui non tam me impediunt, quòd nobiles ſunt, quàm adjuvant, quòd noti ſunt. ſimulat ſe eorum præſidio confidere, cùm interea aliud quiddam jam diu machinetur. Quam ſpem nunc habeat in manibus, & quid moliatur, breviter jam, judices, exponam, ſed priùs, ut ab initio res ab eo conſtituta ſit, quæſo, cognoſcite. Ut primùm è provincia rediit, *redemptio eſt hujus judicii facta grandi pecunia.* manſit in conditione, atque pacto [5] uſque ad eum finem, dum judices rejecti ſunt. poſteaquàm rejectio judicum facta eſt: quòd & in ſortitione, iſtius ſpem, [6] *fortuna populi Romani*, & in rejiciendis judicibus *mea diligentia* iſtorum impudentiam vicerat: [7] renunciata eſt tota conductio. Præclarè ſe res habebat. libelli nominum veſtrorum, conſiliique hujus in manibus erant omnium. nulla nota, nullus color, nullæ ſordes videbantur his ſententiis allini poſſe: cùm iſte repentè ex alacri atque læto, ſic erat humilis, atque dimiſſus, ut non modo populo R. ſed etiam ſibi ipſe condemnatus videretur. [8] Ecce autem repentè, his diebus paucis, comitiis conſularibus factis, eadem illa vetera conſilia *pecunia majore repetuntur*, eædemque veſtræ famæ, fortuniſque omnium inſidiæ per eoſdem homines comparantur. Quæ res primò, judices, pertenui nobis argumento, judicioque patefacta eſt: pòſt aperto ſuſpicionis introitu ad omnia intima iſtorum conſilia ſine ullo errore pervenimus.
Nam ut Hortenſius Coſ. deſignatus, domum reducebatur è 7
campo, [9] cum maxima frequentia, à multitudine: fit obviam caſu ei multitudini C. Curio: quem ego hominem honoris potiùs, quàm contumeliæ cauſa nominatum volo. Etenim ea dicam, quæ ille, ſi commemorari noluiſſet, non tanto in conventu, tam apertè, palamque dixiſſet. quæ tamen à me pedetentim, cauteque dicentur: ut & amicitiæ noſtræ, & dignitatis illius habita ratio eſſe intelligatur. Videt ad ipſum fornicem Fabianum in turba Verrem. appellat hominem, & ei [10] voce maxima gratulatur: ipſi Hortenſio, qui conſul erat factus, propinquis, neceſſariiſque ejus, qui tum aderant, verbum nullum facit: cum hoc conſiſtit, hunc amplexatur, hunc jubet ſine cura eſſe. *Renuntio*, inquit, *tibi*, *te hodiernis comitiis eſſe abſolutum.* Quod cum tam multi homines honeſtiſſimi audiſſent, ſtatim ad me defertur: immò verò, ut quiſque me viderat, narrabat. Aliis illud indignum, aliis ridiculum videbatur. *ridiculum* iis, qui iſtius cauſam in teſtium fide, in criminum ratione, in judicum poteſtate, non in comitiis conſularibus, poſitam arbitrabantur: *indignum* iis, qui altiùs perſpiciebant, & hanc

1. *Hoc Glabrione Prætore.*] Expunxere alii nomen *Glabrionis*, nolui eos ſequi. at poſtea iis auctoribus delevi *Romanus*; quod in nulla alioqnin erat editione veteri, aut adeo in Pall.

2. *Vitiis flagitiiſque convictam.*] Pall. ita ſcripti ſunt, ut difficile ſit judicare, maluerintne *conjunctam* an *convinctam*; & vero malim ultimum, quam conjectaneum Lambini *coinquinatam*.

3. *Ita vexavit ac perdidit.*] Revocavi lectionem mſſ. & Aſconii. item antiquitus editorum. ævi enim medii, *ita vaſtavit*, *vexavit*, &c.

4. *Spoliavit nudavitque omnia.*] Pal. pr. *commudavitque.* quod tam rarem, librarius non expreſſit, niſi inventum in authentico.

5. *Uſque ad eum finem, dum judices rejecti ſunt.*] An non reſipiunt aliquid profani illa? *ad eum finem.*

6. *Fortuna populi Romani.*] Lambinus *fortuna reipublicæ*. Res redit eodem, ſed tamen cur abiit à ſcriptura recepta?

7. *Renunciata eſt tota conductio.*] Patrum ævo viguit *conditio*.

8. *Ecce autem repentè his diebus.*] Gulielmius delebat illud *repentè*, ceu gloſſarii alicujus.

9. *Cum maxima frequentia, à multitudine.*] Sic Pall. & editio Victorii. Lambinus maluit cum Hotomani. *ac multitudine.*

10. *Voce maxima gratulatur.*] Cujaciano abeſt *victoriam.* adeſt Pall. editiſque omnibus.

1. *Spe-*

hanc gratulationem ad judicium corrumpendum [1] ſpectare arbitrabantur. Etenim ſic ratiocinabantur, ſic honeſtiſſimi homines inter ſe, & mecum loquebantur: APERTE JAM, ac perſpicuè nulla eſſe judicia. qui reus pridie jam ipſe ſe condemnatum putabat, is, poſteaquam defenſor ejus conſul eſt factus, abſolvitur. Quid igitur? quòd tota Sicilia, quòd omnes Siculi, omnes negotiatores, omnes publicæ, privatæque litteræ Romæ ſunt, nihilne id valebit? Nihil, invito conſule deſignato. Quid judices? non crimina, non teſtes, non exiſtimationem populi Romani ſequentur? [2] num omnia in unius poteſtate, ac moderatione vertentur?
8 Verè loquar, judices. vehementer me hæc res commovebat. optimus enim quiſque ita loquebatur. ISTE QUIDEM tibi eripietur: ſed nos non tenebimus judicia diutius. etenim quis poterit, Verre abſoluto, de transferendis judiciis recuſare? Erat omnibus moleſtum: neque eos tam [3] iſtius hominis perditi ſubita lætitia, quàm hominis ampliſſimi nova gratulatio commovebat. Cupiebam diſſimulare, me id moleſtè ferre. cupiebam *animi dolorem vultu tegere*, & taciturnitate celare. ecce autem illis ipſis diebus, cùm prætores deſignati ſortirentur, & M. Metello obtigiſſet, ut is de pecuniis repetundis quæreret; nuntiatur mihi, tantam iſti gratulationem eſſe factam, ut is quoque domum pueros mitteret, qui uxori ſuæ nuntiarent. Sanè ne hæc quidem res mihi placebat: neque tamen, quid tantoperè in ſorte metuendum mihi eſſet, intelligebam. unum illud ex hominibus certis, ex quibus omnia comperi, reperiebam: fiſcos complureis cum pecunia Sicilienſi à quodam ſenatore ad equitem Romanum eſſe tranſlatos: ex his quaſi x. fiſcos ad ſenatorem illum relictos eſſe, comitiorum nomine: diviſores omnium tribuum *noctu* ad iſtum vocatos. Ex quibus quidam, qui ſe omnia mea cauſa facere debere arbitrabatur, eadem illa nocte ad me venit. demonſtrat, qua iſte oratione uſus eſſet: [4] commemoraſſe iſtum, QUAM LIBERALITER eos tractaſſet etiam antea, cùm ipſe præturam petiſſet, & proximis conſularibus, prætoriiſque comitiis: deinde continuò eſſe pollicitum [5] quantam vellent pecuniam, ſi me ædilitate dejeciſſent. Hìc alios negaſſe *audere*: alios reſpondiſſe, *non putare id perfici poſſe*: inventum tamen eſſe fortem amicum, ex eadem familia Q. Verrem, Romilia, ex optima diviſorum diſciplina, patris iſtius diſcipulum, atque amicum, qui HS quingentis millibus depoſitis, id ſe perfecturum polliceretur: & fuiſſe tamen nonnullos, qui ſe una facturos eſſe dicerent. quæ cum ita eſſent, ſanè benivolo animo me, ut magnopere caverem,
9 præmonebat. Sollicitabar rebus maximis uno, atque eo *perexiguo tempore*. urgebant comitia: & his ipſis oppugnabar grandi pecunia. inſtabat judicium: ei quóque negotio fiſci Sicilienſes minabantur. Agere quæ ad judicium pertinebant, liberè, comitiorum metu deterrebar: petitioni toto animo ſervire, propter judicium, non licebat. minari denique diviſoribus *ratio non erat*, propterea quòd eos intelligere videbam, me hoc judicio diſtrictum, atque obligatum futurum. Atque hoc ipſo tempore Siculis denuntiatum eſſe audio, primùm ab Hortenſio, domum ad illum ut venirent. Siculos ſanè in eo *liberos fuiſſe*, qui, quamobrem arceſſerentur, cùm intelligerent, non veniſſe. Interea comitia noſtra, quorum iſte ſe, ut ceterorum hoc anno comitiorum dominum eſſe arbitrabatur, haberi cœpta ſunt. curſare iſte homo potens, cum filio blando, & gratioſo, circum tribus: paternos amicos, hoc eſt, diviſores, appellare omneis, & convenire. Quod cum eſſet intellectum, & animadverſum: fecit animo libentiſſimo pop. Rom. ut, cujus divitiæ me *de fide* deducere non potuiſſent, ne ejuſdem pecuniis *de honore* dejicerer. Poſteaquàm illa petitionis magna cura liberatus ſum, animo cœpi multo magis vacuo, ac ſoluto, nihil aliud, niſi de judicio, agere, & cogitare. Reperio, judices, hæc ab iſtis conſilia inita, & conſtituta, ut, quacunque opus eſſet ratione, res ita duceretur, ut apud M. Metellum prætorem cauſa diceretur. *in eo eſſe hæc commoda:* primum M. Metellum, amiciſſimum: deinde Hortenſium conſulem non ſolùm, ſed etiam Q. Metellum: qui quàm iſti ſit amicus attendite. dedit enim *prærogativam ſuæ voluntatis* ejuſmodi, ut iſti pro prærogativis eam reddidiſſe videatur. An me taciturum tantis de rebus exiſtimaviſtis? & in tanto reip. exiſtimationiſque meæ periculo, *cuiquam conſulturum potius, quàm officio, & dignitati meæ?* Arceſſit alter conſul deſignatus Siculos: veniunt nonnulli, propterea quod L. Metellus eſſet prætor in Sicilia. cum iis ita loquitur: SE CONSULEM ESSE: fratrem ſuum alterum Siciliam provinciam obtinere, alterum eſſe quæſiturum de pecuniis repetundis: Verri ne noceri poſſit, multis rationibus eſſe proviſum. Quid eſt, quæſo, Metelle, *judicium corrumpere*, ſi hoc 10
non eſt? teſteis, præſertim Siculos, timidos homines, & afflictos, non ſolum auctoritate deterrere, ſed etiam conſulari metu, & duorum prætorum poteſtate? Quid faceres pro homine innocente, & propinquo, cùm propter hominem perditiſſimum, atque alieniſſimum, de officio, ac dignitate decedis: & committis, ut, quod ille dictitat, alicui, qui te ignorat, verum eſſe videatur? Nam hoc Verrem dicere ajebant, te *non fato*, ut ceteros ex veſtra familia, *ſed opera ſua, conſulem factum*. Duo igitur Coſs. & quæſitor erunt ex illius voluntate. Non ſolùm effugiemus, inquit, hominem in quærendo nimium diligentem, nimium ſervientem populi exiſtimationi, M. Glabrionem. accedit nobis etiam illud: judex eſt M. Cæſonius, collega noſtri accuſatoris, homo in rebus judicandis ſpectatus, & cognitus: quem *minimè expediat eſſe in eo conſilio*, quod conemur aliqua ratione corrumpere: propterea quod jam antea, cùm judex in Juniano conſilio fuiſſet, turpiſſimum illud facinus non ſolum graviter tulit, ſed etiam in medium protulit. hunc judicem ex Kal. Jan. non habebimus. Qu. Manlium, & Qu. Cornificium, duos ſeveriſſimos, atque integerrimos judices, quòd tribuni pleb. tum erunt, judices non habebimus. P. Sulpitius, judex triſtis, & integer, magiſtratum ineat neceſſe eſt Nonis Decembr. M. Creperejus ex acerrima illa equeſtri familia, & diſciplina: L. Caſſius ex familia tum ad ceteras res, tum ad judicandum ſeveriſſima: Cn. Tremellius, homo ſumma religione, & diligentia: tres hi homines, veteres tribuni militares ſunt deſignati. ex Kal. Januar. non judicabunt. Subſortiemur etiam in M. Metelli locum, quoniam is huic ipſi quæſtioni præfuturus eſt. Ita ſecundum Kalendas Januar. & prætore, & *propè toto conſilio commutato*, magnas accuſatoris minas, magnamque judicii exſpectationem ad noſtrum arbitrium, libidinemque *eludemus*. Nonæ ſunt hodie Sextiles. hora nona convenire cœpiſtis. hunc diem jam ne numerant quidem. Decem dies ſunt ante ludos votivos, quos Cn. Pompejus facturus eſt. hi ludi dies quindecim auferent. deinde continuò Romani conſequentur. Ita propè XL. diebus interpoſitis, tum denique ſe ad ea, quæ à nobis dicta erunt, reſponſuros eſſe arbitrantur: deinde *ſe ducturos* & dicendo, & excuſando, facilè ad ludos Victoriæ. cum his plebejos eſſe conjunctos: ſecundum quos aut nulli, aut pauci dies ad agendum futuri ſunt. Ita defeſſa, ac *refrigerata accuſatione*, rem integram ad M. Metellum prætorem eſſe venturam. quem ego hominem, ſi ejus fidei diffiſus eſſem, judicem non retinuiſſem. Nunc tamen eo animo ſum, ut eo judice, quam prætore, hanc rem tranſigi malim: & jurato ſuam, quam injurato aliorum tabellas com-

1. *Spectare arbitrabantur.*] Lambinus ediderat *ſpectare videbant*, quomodo forte in Cujaciano.

2. *Num omnia in unius.*] Ita antiquitus impreſſi, nam recentiores; *non. omnia &c.*

3. *Iſtius hominis perditi, &c.*] Hotom. editio non habet *hominis*, & delendum putabat Gulielmius. inveni tamen in olim cuſis & Pall.

4. *Commemoraſſe iſtum.*] Habuerim pro adnotamento librarii. non video ſane quantum faciat ad rem.

5. *Quantam vellent pecuniam.*] Sic Cujac. ſic Pall. ſic olim cuſi. Victoriana tamen & ſeqq. *quantum vellent pecuniæ.*

11 committere. Nunc ego, judices, jam vos conſulo, quid
mihi faciendum putetis. id enim conſilii mihi profectò ta-
citi dabitis, quod egomet mihi neceſſariò capiendum intel-
ligo. Si utar ad dicendum meo legitimo tempore, mei la-
boris, induſtriæ, diligentiæque capiam fructum: & ex ac-
cuſatione perficiam, ut nemo umquam poſt hominum me-
moriam paratior, vigilantior, compoſitior ad judicium ve-
niſſe videatur. Sed in hac laude induſtriæ meæ, *reus ne ela-
batur*, ſummum periculum eſt. Quid eſt igitur, quod fieri
poſſit? non obſcurum, opinor, neque abſconditum. Fru-
ctum iſtum laudis, qui ex perpetua oratione percipi potuit,
in alia tempora reſervemus: nunc hominem *tabulis, teſti-
bus: privatis, publicisque litteris, auctoritatibuſque accuſe-
mus.* Res omnis mihi tecum erit, Hortenſi. dicam apertè.
ſi te mecum dicendo, ac diluendis criminibus in hac cauſa
contendere putarem: ego quoque in accuſando, atque in ex-
plicandis criminibus operam conſumerem. nunc, quoniam
pugnare contra me inſtituiſti, non tam ex tua natura, quam
ex iſtius tempore, & cauſa, malitioſe: neceſſe eſt iſtiuſmodi
rationi aliquo conſilio obſiſtere. Tua ratio eſt, ut ſecundum
binos ludos, mihi reſpondere incipias. mea, ut ante pri-
mos ludos comperendinem. Ita fiet, ut tua iſta ratio exiſti-
12 metur *aſtuta*: meum hoc conſilium, *neceſſarium*. Verùm
illud, quod inſtitueram dicere, mihi rem tecum eſſe, hujuſ-
modi eſt. Ego, cùm hanc cauſam, Siculorum rogatu rece-
piſſem, idque mihi amplum, & præclarum exiſtimaſſem,
eos velle meæ fidei, diligentiæque periculum facere, qui in-
nocentiæ, abſtinentiæque feciſſent: tum, ſuſcepto negotio,
majus mihi quiddam propoſui, in quo meam in rempubli-
cam voluntatem populus Romanus perſpicere poſſet. Nam
illud mihi nequaquam dignum induſtria conatuque meo
videbatur: iſtum à me in judicium jam omnium judicio
condemnatum vocari, niſi iſta tua *intolerabilis potentia*, & ea
cupiditas, qua per hoſce annos in quibuſdam judiciis uſus
es, etiam in iſtius hominis deſperati cauſa interponeretur.
Nunc verò, quoniam hæc te omnis dominatio, *regnumque
judiciorum* tantopere delectat: & ſunt homines, quos libi-
dinis, infamiæque ſuæ neque *pudeat*, neque *tædeat*: qui quaſi
de induſtria in odium, offenſionemque populi Romani ir-
ruere videantur: hoc me profiteor ſuſcepiſſe, magnum for-
taſſe onus, & mihi periculoſum: verumtamen dignum, in
quo omnes nervos ætatis, induſtriæque meæ contenderem.
Quoniam *totus ordo, paucorum improbitate, & audacia pre-
mitur*, & urgetur infamia judiciorum: profiteor, huic ge-
neri hominum me inimicum, accuſatorem odioſum, aſſi-
duum, acerbum adverſarium. Hoc mihi ſumo: hoc mihi
depoſco, quod agam in magiſtratu, quod agam ex eo loco,
ex quo me populus Romanus ex Kal. Jan. [1] ſecum agere de
repub. ac de hominibus improbis voluit. hoc *munus ædili-
tatis* meæ populo Romano ampliſſimum, pulcherrimum-
que polliceor. moneo, prædico, antè denuntio, qui aut de-
ponere, aut recipere, aut accipere, aut polliceri, aut ſeque-
ſtres, aut interpretes corrumpendi judicii ſolent eſſe, qui-
que ad hanc rem aut *potentiam*, aut *impudentiam* ſuam pro-
feſſi ſunt, abſtineant in hoc judicio manus, animoſque ab
13 hoc ſcelere nefario. Erit tum conſul Hortenſius cum ſum-
mo imperio, & poteſtate: ego autem ædilis, hoc eſt, paullo
amplius, quàm privatus. tamen hæc hujuſmodi res eſt,
quam me acturum eſſe polliceor, ita populo R. grata, atque
jucunda, ut ipſe Cos. in hac cauſa præ me minus etiam, ſi
fieri poſſit, quàm privatus eſſe videatur. omnia non modò
commemorabuntur, ſed etiam, expoſitis certis rebus, agen-
tur, [2] quæ inter decem annos, poſteaquàm judicia ad ſena-
tum tranſlata ſunt, in rebus judicandis nefariè, flagitioſeque
facta ſunt. Cognoſcet ex me populus R. quid ſit, quam-
obrem, cùm equeſter ordo judicaret, annos propè quin-
quaginta continuos, [3] nullo judice equite R. judicante, ne
tenuiſſima quidem *ſuſpicio acceptæ pecuniæ ob rem judicandam*
conſtituta ſit: quid ſit, quòd judiciis ad ſenatorium ordi-
nem tranſlatis, ſublataque populi R. in unum quemque no-
ſtrûm poteſtate, Q. Calidius damnatus dixerit, minoris
HS. XXXM. prætorium hominem honeſtè non poſſe damna-
ri: quid ſit, quòd, P. Septimio ſenatore damnato, Q. Hor-
tenſio prætore de pecuniis repetundis, lis æſtimata ſit eo
nomine, quòd ille ob rem judicandam, pecuniam accepiſ-
ſet: quòd in C. Herennio, quòd in C. Popillio, ſenatoribus,
qui ambo peculatus damnati ſunt: quòd in M. Attilio, qui
de majeſtate damnatus eſt, hoc planum factum eſt, eos pe-
cuniam ob rem judicandam accepiſſe: quòd inventi ſunt
ſenatores, qui C. Verre præt. urbano ſortiente, exirent in
eum reum, quem *incognita cauſa* condemnarent: quòd in-
ventus eſt ſenator, qui cum judex eſſet, in eodem judicio &
ab reo pecuniam acciperet, quam judicibus divideret, & *ab
accuſatore*, ut reum damnaret. Jam verò quomodo illam
labem, ignominiam, calamitatemque totius ordinis con-
querar? hoc factum eſſe in hac civitate, cum ſenatorius or-
do judicaret, ut *diſcoloribus ſignis*, juratorum hominum ſen-
tentiæ notarentur? hæc omnia me diligenter, ſevereque
acturum eſſe polliceor. Quo me tandem animo fore pute- 14
tis, ſi quid in hoc ipſo judicio intellexero ſimili aliqua ra-
tione eſſe violatum, atque commiſſum? cùm præſertim
planum facere multis teſtibus poſſim, C. Verrem in Sicilia,
multis audientibus, ſæpe dixiſſe, SE HABERE HOMINEM
POTENTEM, CUJUS FIDUCIA PROVINCIAM SPOLIARET:
neque ſibi ſoli pecuniam quærere, ſed ita triennium illud
præturæ Sicilienſis diſtributum habere: ut ſecum præclarè
agi diceret, ſi unius anni quæſtum in rem ſuam converte-
ret: alterum patronis, & defenſoribus ſuis traderet: tertium
illum uberrimum, quæſtuoſiſſimumque annum totum ju-
dicibus reſervaret. Ex quo mihi venit in mentem illud di-
cere, quod apud M. Glabrionem nuper cùm in rejiciendis
judicibus commemoraſſem, intellexi vehementer popu-
lum R. commoveri: me arbitrari, fore, uti nationes exte-
ræ legatos ad populum R. mitterent, *ut lex de pecuniis repe-
tundis, judiciumque tolleretur*. ſi enim judicia nulla ſint, tan-
tum unumquemque ablaturum putant, quantum ſibi, ac
[4] liberis ſuis ſatis eſſe arbitrarentur. nunc, quòd ejuſmodi
judicia ſint, tantum unumquemque auferre, quantum ſibi,
patronis, advocatis, prætoribus, judicibus ſatis futurum ſit.
Hoc profectò infinitum eſſe. ſe avariſſimi hominis cupidi-
tati ſatisfacere poſſe, nocentiſſimæ victoriæ non poſſe. O
commemoranda judicia, præclaramque exiſtimationem
noſtri ordinis, cùm ſocii populi Rom. judicia, de pecuniis
repetundis fieri nolunt, quæ à majoribus noſtris ſociorum
cauſa comparata ſunt: An iſte umquam de ſe *bonam ſpem*
habuiſſet, niſi de vobis *malam opinionem* animo imbibiſſet?
Quo majore etiam, ſi fieri poteſt, apud vos odio eſſe debet,
quàm eſt apud populum Romanum, cùm in avaritia, ſcele-
re, perjurio vos *ſui ſimileis* eſſe arbitretur. Cui loco, per 15
deos immortaleis, judices, conſulite, ac providete. moneo,
prædicoque id, quod intelligo, tempus opportuniſſimum
vobis hoc divinitus datum eſſe, ut odio, invidia, infamia,
turpitudine totum ordinem liberetis. Nulla in judiciis ſe-
veritas, nulla religio, nulla denique jam exiſtimantur eſſe
judicia. Itaque à populo Romano contemnimur, deſpici-
mur: gravi, diuturnaque jam flagramus infamia. Neque
enim ullam aliam ob cauſam populus Romanus tribuni-
tiam poteſtatem tanto ſtudio requiſivit: quam cùm poſce-
bat, verbo illam poſcere videbatur, re vera *judicia poſcebat*.
Neque hoc Q. Catulum, hominem ſapientiſſimum, atque
ampliſ-

1. *Secum agere de Repub.*] Pall. Cujac. denique editio vetuſtior habet *habere*.

2. *Quæ inter decem annos.*] Ita omnino Pall. Cujac. mſſ. Hotom. editioque Aldi Veteris, nam Junioris, *intra*, etiam contra ipſum Aſconium.

3. *Nullo judice equite Rom. &c.*] Hotomanus invitis libris legit de conjectura Joannis Lucanii, caſu recto, *nulla &c.* ſenſu egregio.

4. *Liberis ſuis arbitrarentur.*] Eſt à Victoriana, placuitque Camerario. alluduntque Pall. & ed. vet. in quibus *arbitrentur*. vulgata, *arbitretur*.

1. *Unum*

ampliſſimum fugit, qui, Cn. Pompejo, viro fortiſſimo, & clariſſimo, de tribunitia poteſtate referente, cùm eſſet ſententiam rogatus, hoc initio eſt ſumma cum auctoritate uſus: PATRES CONSCRIPTOS JUDICIA MALE, ET FLAGITIOSE TUERI. quòd ſi in rebus judicandis populi Romani exiſtimationi ſatisfacere voluiſſent, non tantopere homines fuiſſe tribunitiam poteſtatem deſideraturos. Ipſe denique Cn. Pompejus, cùm primùm concionem ad urbem Cos. deſignatus habuit: ubi (id quod maximè exſpectari videbatur) oſtendit, ſe tribunitiam poteſtatem reſtituturum: factus eſt in eo ſtrepitus, & grata concionis admurmuratio. Idem in eadem concione cùm dixiſſet, POPULATAS, vexataſque eſſe provincias: judicia autem turpia, & flagitioſa fieri: ei rei ſe providere, ac conſulere velle: tum verò non ſtrepitu, ſed *maximo clamore* ſuam populus Romanus ſigni-
16 ficavit voluntatem. Nunc autem homines in ſpeculis ſunt: obſervant: quemadmodum ſeſe unuſquiſque veſtrûm gerat in retinenda religione, conſervandiſque legibus. vident adhuc poſt legem tribunitiam [1] unum ſenatorem vel tenuiſſimum eſſe damnatum. quod tametſi non reprehendunt, tamen magnopere quod laudent, non habent. NULLA EST enim laus, ibi eſſe integrum, ubi nemo eſt, qui aut poſſit, aut conetur corrumpere. Hoc eſt *judicium*, *in quo vos de reo, populus Rom. de vobis judicabit.* in hoc homine ſtatuetur, poſſitne, ſenatoribus judicantibus, homo nocentiſſimus, pecunioſiſſimuſque damnari. Deinde eſt hujuſmodi reus, in quo homine nihil ſit, præter ſumma peccata, maximamque pecuniam: ut, ſi liberatus ſit, nulla alia ſuſpicio, niſi ea, quæ turpiſſima eſt, reſidêre poſſit. non gratia, non cognatione, [2] non *aliis rectè factis*, non denique [3] aliquo mediocri vitio tot, tantaque ejus vitia ſublevata eſſe exiſtimabuntur. Poſtremò ego cauſam ſic agam, judices: ejuſmodi res, ita notas, ita teſtatas, ita magnas, ita manifeſtas proferam, ut nemo à vobis, ut iſtum abſolvatis, per gratiam conetur contendere. Habeo autem certam viam, atque rationem, qua omneis *illorum conatus inveſtigare*, & conſequi poſſim. Ita res à me agetur, ut in eorum conſiliis omnibus non modò aures hominum, ſed etiam oculi populi Romani intereſſe videantur. Vos aliquot jam per annos conceptam huic ordini turpitudinem, atque infamiam delere ac tollere poteſtis. Conſtat inter omneis, poſt hæc conſtituta judicia, quibus nunc utimur, nullum hoc ſplendore, atque hac dignitate conſilium fuiſſe. Hîc ſiquid erit offenſum: omnes homines non jam ex eodem ordine alios magis idoneos, (quod fieri non poteſt:) ſed alium omnino
17 ordinem ad res judicandas quærendum arbitrabuntur. Quapropter primùm ab diis immortalibus, quod ſperare mihi videor, hoc idem, judices, peto, ut in hoc judicio nemo improbus, præter eum, qui jampridem inventus eſt, reperiatur: deinde, ſi plures improbi fuerint, hoc vobis, hoc populo Romano judices, confirmo, vitam mehercule mihi prius, quàm vim, perſeverantiamque ad illorum improbitatem perſequendam defuturam. Verùm quod ego laboribus, periculis, inimicitiiſque meis tum, cum admiſſum erit, dedecus, ſeverè me perſecuturum eſſe polliceor, id ne accidat, tu tua ſapientia, auctoritate, diligentia, M. Glabrio, potes providere. Suſcipe cauſam judiciorum: ſuſcipe cauſam ſeveritatis, integritatis, fidei, religionis: ſuſcipe cauſam ſenatus, ut is hoc judicio probatus, cum populo Romano & in laude, & in gratia eſſe poſſit. *Cogita, qui ſis,* quo loco, quid dare populo R. quid reddere majoribus tuis debeas: fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem, qua lege populus Romanus de pecuniis repetundis optimis judiciis, ſeveriſſimiſque judicibus uſus eſt. Circumſtant te ſummæ auctoritates, quæ te *oblivisci laudis domeſticæ* non ſinant: quæ te dies, noctéiſque commoneant, fortiſſimum tibi patrem, ſapientiſſimum avum, graviſſimum ſocerum fuiſſe. Quare ſi Glabrionis patris vim, & acrimoniam ceperis ad reſiſtendum hominibus audaciſſimis: ſi avi Scævolæ prudentiam ad proſpiciendas inſidias, quæ tuæ, atque horum famæ comparantur: ſi ſoceri Scauri conſtantiam, ut nequis te de vera, & certa poſſit ſententia demovere: intelliget populus Romanus *integerrimo, atque honeſtiſſimo prætore, delectoque conſilio, nocenti reo magnitudinem pecuniæ plus habuiſſe momenti ad ſuſpicionem criminis, quàm ad rationem ſalutis.* Mihi certum eſt non committere, ut in hac cauſa 18
prætor nobis, conſiliumque mutetur. non patiar rem in id tempus adduci, ut Siculi, quos adhuc ſervi deſignatorum Coss. non moverunt, cùm eos novo exemplo univerſos arceſſerent, eos tum lictores conſulum vocent: ut homines miſeri, antea ſocii atque amici populi Romani, nunc ſervi, ac ſupplices, non modò jus ſuum, fortunaſque omneis eorum imperio amittant, verùm etiam *deplorandi juris ſui poteſtatem* non habeant. Non ſinam profectò, cauſa à me perorata, XL. diebus interpoſitis, tum nobis denique reſpondeant, cùm accuſatio noſtra in oblivionem diuturnitate adducta ſit: non committam, ut tum res judicetur, cùm hæc frequentia totius Italiæ Roma diſceſſerit. quæ convênit uno tempore undique, comitiorum, judiciorum, cenſendique cauſa. Hujus judicii, & laudis fructum, & offenſionis periculum, veſtrum: laborem, ſollicitudinemque, noſtram: ſcientiam quid agatur, memoriamque quid à quoque dictum ſit, omnium puto eſſe oportere. Faciam hoc *non novum*, ſed ab iis, qui nunc principes noſtræ civitatis ſunt, antè factum, ut teſtibus utar ſtatim. illud à me novum, judices, cognoſcetis, quòd ita teſtes conſtituam, [4] ut crimen totum explicem: ubi id interrogando, argumentis, atque oratione firmavero, tum teſteis ad crimen accommodem. ut nihil inter illam uſitatam accuſationem, atque hanc novam interſit, niſi quòd in illa tunc, cùm omnia dicta ſunt, teſtes dantur: hîc in ſingulas res dabuntur: ut illis quoque eadem interrogandi facultas, argumentandi, dicendique ſit. Si quis erit, qui perpetuam orationem, accuſationemque deſideret, altera actione audiet. nunc id, quod facimus (ea ratione facimus, ut malitiæ illorum conſilio noſtro occurramus) [5] neceſſariò fieri intelligat. Hæc primæ actionis erit accuſatio. Dicimus, C. Verrem, cùm multa libidinoſe, multa crudeliter in civeis Romanos, atque in ſocios, multa in deos, hominesque nefariè fecerit, tum præterea quadringenties ſeſtertiûm ex Sicilia contra leges abſtuliſſe. *Hoc teſtibus, hoc tabulis, privatis, publiciſque auctoritatibus,* ita vobis planum faciemus, ut hoc ſtatuatis, etiam ſi ſpacium ad dicendum noſtro commodo, vacuoſque dies habuiſſemus, tamen oratione longa nihil opus fuiſſe.

ACTIO-

1. *Unum Senatorem vel tenuiſſimum eſſe damnatum.*] Sic noſtri libri & editi. at Aſconius citat, *unum hominem vel.*

2. *Non aliis rectè factis.*] Cenſet Lambinus legendum *non ullis.* peſſimè. reo enim ignoſcebatur ſæpius, ſi malefacta ſua aliis benefactis quaſi redemiſſe videbatur.

3. *Aliquo mediocri vitio.*] Fall. & Cujac. *alio.*

4. *Ut crimen totum explicem: ubi id interrogando, argumentis &c.*] Hotomanus conjicit, *interrogando explicem; ubi id argum.* invaſitque ſtatim Lambinus; ſed præter vett. libros.

5. *Neceſſario fieri intelligat.*] Editio Victorii; item ea priores, *intelligant*, neque aliter ſcripti noſtri.

ACTIONIS SECUNDÆ, IN C. VERREM, LIBER PRIMUS, DE PRÆTURA URBANA.

ORATIO SEXTA.

1 NEMINEM veſtrûm ignorare arbitror, judices, hunc per hoſce dies ſermonem vulgi, atque hanc opinionem populi Romani fuiſſe, C. Verrem altera actione [1] *reſponſurum non eſſe*, neque ad judicium affuturum. Quæ fama non idcircò ſolùm emanarat, quòd iſte certè ſtatuerat, ac deliberaverat non adeſſe: verùm etiam, quòd nemo quemquam tam audacem, tam amentem, tam impudentem fore arbitrabatur, qui tam nefariis criminibus, tam multis teſtibus [2] *evictus, ora judicum adſpicere*, aut os ſuum populo Romano oſtendere auderet. Eſt idem Verres, qui fuit ſemper; [3] ut ad audendum projectus, ſic paratus ad audiendum. præſtò eſt: reſpondet: defenditur. ne hoc quidem ſibi reliqui facit, ut in rebus turpiſſimis, cùm manifeſtò teneatur, [4] ſi reticeat, & abſit, tamen *impudentiæ ſuæ pudentem exitum quæſiſſe videatur*. Patior, judices, & non moleſtè fero, me laboris mei, vos virtutis veſtræ fructum eſſe laturos. Nam ſi iſte id feciſſet, quod primò ſtatuerat, ut non adeſſet: minus aliquanto, quàm mihi opus eſſet, cognoſceretur, quid ego in hac accuſatione comparanda, conſtituendaque elaboraſſem: veſtra verò laus, tenuis planè atque obſcura, judices, eſſet. Neque enim hoc à vobis populus Romanus exſpectat: neque eo poteſt eſſe contentus, ſi condemnatus ſit is, qui adeſſe noluerit: & ſi fortes fueritis in eo, quem nemo ſit auſus defendere. immò verò adſit, reſpondeat: ſummis opibus, ſummo ſtudio potentiſſimorum hominum defendatur: certet mea diligentia cum illorum omnium cupiditate: veſtra *integritas* cum iſtius *pecunia*: teſtium conſtantia cum illius patronorum minis, atque potentia. tum demum illa victa videbuntur, cùm in contentionem, certamenque venerint. [5] Abſens ſi iſte eſſet damnatus, non tam ipſe ſibi
2 conſuluiſſe, quàm invidiſſe veſtræ laudi videretur. [6] Neque enim ſalus ulla reipublicæ major hoc tempore reperiri poteſt, quàm populum Romanum intelligere, diligenter rejectis ab accuſatore judicibus, ſocios, leges, rempublicam *ſenatorio conſilio* maximè poſſe defendi. neque tanta fortunis omnium pernicies poteſt accedere, quàm opinione populi Romani rationem veritatis, integritatis, fidei, religionis, ab hoc ordine abjudicari. Itaque mihi videor magnam, & maximè ægram, & propè depoſitam reipublicæ partem ſuſcepiſſe: neque in eo magis meæ, quàm veſtræ laudi, exiſtimationique ſerviſſe. [7] Acceſſi enim ad invidiam judiciorum levandam, vituperationemque tollendam: ut, cùm hæc res pro voluntate populi Romani eſſet judicata, aliqua ex parte mea diligentia conſtituta auctoritas judiciorum videretur: [8] poſtremò, ut eſſet hoc judicatum, ut finis aliquando judiciariæ controverſiæ conſtitueretur. Etenim ſine dubio, judices, in hac cauſa ea res in diſcrimen adducitur. Reus eſt enim nocentiſſimus: qui *ſi condemnatur*, deſinent omnes dicere, his judiciis pecuniam plurimùm poſſe. ſin abſolvitur: deſinemus nos de judiciis transferendis recuſare. [9] tametſi de abſolutione iſtius neque ipſe jam ſperat, nec populus R. metuit. De impudentia ſingulari, [10] quòd adeſt, quòd reſpondet, ſunt qui mirentur: mihi pro cetera ejus audacia, atque amentia, ne hoc quidem mirandum videtur. multa enim & in deos, & in homines impiè, nefarieque commiſit. quorum *ſcelerum pœnis agitatur*, & à mente, conſilioque deducitur. Agunt eum præcipitem pœnæ 3
civium Romanorum: quos partim ſecuri percuſſit, partim in vinculis necavit, partim imploranteis jura libertatis, & civitatis in crucem ſuſtulit. Rapiunt eum ad ſupplicium *dii patrii*: [11] quòd iſte inventus eſt, qui è complexu parentum abreptos filios ad necem duceret, & parenteis pretium pro ſepultura liberûm poſceret. Religiones verò, cæremoniæque omnium ſacrorum, fanorumque violatæ, ſimulacraque deorum, quæ non modò ex ſuis templis ablata ſunt, ſed etiam jacent in tenebris, ab iſto retruſa, atque abdita, conſiſtere ejus animum ſine furore, atque amentia non ſinunt. Neque iſte mihi videtur ſe ad damnationem offerre ſolùm,

neque

1. *REſponſurum non eſſe.*] Victorius, *fuiſſe*. quod & ſecuti ſunt alii: ſed alterum viſitur in Pallat. in Cujac. in exoletis edd.

2. *Evictus.*] Lambinus *convictus*, & ita erat in Cujac. nec videtur mutandum.

3. *Ut ad audendum projectus, ſic paratus ad audiendum.*] Cujacii liber non agnoſcit vocem *paratus*, & videtur ſane abeſſe poſſe, ut ſubintelligatur *projectus*.

4. *Si reticeat & abſit.*] Lambini editiones aliquot, *ſic retineat*. ſphalmate fœdo typothetarum. alterum enim floret paſſim in aliorum libris, retinentque Pall. noſtri.

5. *Abſens ſi iſte eſſet damnatus.*] Tullio dignius videtur; *Abſens damnatus*, reciſis intermediis, tanquam quæ adſperſerit librarius.

6. *Neque enim ſalus illa reipub. major hoc tempore reperiri poteſt.*] Illud *reperiri poteſt*, ſuſpectum mihi, tanquam παρέγγραφον.

7. *Acceſſi enim, &c.*] Pall. duo, item primæ edd. *Acceſſit*; negat Aſconius.

8. *Poſtremò ut eſſet hoc judicatum.*] Licentioſam Hotomani trajectionem, rejeci, retenta vulgata, & ſyllaba addita, *poſtremo, ut ut eſſet judicatum &c.* id eſt, quocunque tandem modo pronuntiatum fuerit, ſive pro Verre, ſive contra Verrem.

9. *Tametſi de abſolutione iſtius &c.*] Pal. pr. *tamenetſi*. vide M. Ant. Muretum cap. 17. lib. XI. Var. lect.

10. *Quod adeſt, quod reſpondet, ſunt qui mirentur.*] Cujacii codex, *quod reſpondet, & qui mirentur*, quod putabat Gulielmius, mutari poſſe in, *eſt qui mir.* dictum, ut Propertio; *Eſt, quibus in celeres gloria nata pedes.* duriuſculè nimis.

11. *Quod iſte inventus eſt &c.*] Haud aliter libri noſtri. at Lambinus è Priſciano, *quod iſte unus inventus*. quod & monuerat Hotomanus.

3 *Cui*

neque hoc avaritiæ *ſupplicio communi*, qui ſe tot ſceleribus obſtrinxerit, contentus eſſe. ſingularem quandam pœnam iſtius immanis, atque importuna natura deſiderat. non id ſolùm quæritur, ut, iſto damnato, bona reſtituantur iis, quibus erepta ſunt: ſed & religiones deorum immortalium expiandæ, & civium Romanorum cruciatus, multorumque innocentium ſanguis, iſtius ſupplicio luendus eſt. Non enim furem, ſed *ereptorem*: non adulterum, ſed *expugnatorem pudicitiæ*: non ſacrilegum, ſed *hoſtem ſacrorum*, religionumque: non ſicarium, ſed *crudeliſſimum carnificem* civium, ſociorumque, in veſtrum judicium adduximus: ut ego hunc unum, ejuſmodi reum poſt hominum memoriam fuiſſe arbitrer, [1] cui DAMNARI EXPEDI-
4 RET. Nam quis hoc non intelligit, iſtum abſolutum, diis, hominibuſque invitis, tamen ex manibus populi Rom. eripi nullo modo poſſe? quis hoc non perſpicit, præclarè nobiſcum actum iri, ſi populus Romanus iſtius unius ſupplicio contentus erit, ac non ſic ſtatuerit, non iſtum majus in ſeſe ſcelus concepiſſe, cùm fana ſpoliarit, cùm tot homines innocenteis necarit: cùm civeis Romanos morte, cruciatu, cruce affecerit: cùm prædonum duces, accepta pecunia, dimiſerit: quàm eos, ſi qui iſtum tot, tantis, tam nefariis ſceleribus coopertum, *jurati* ſententia ſua liberarint? Non eſt, non eſt in hoc homine cuiquam peccandi locus, judices: non is eſt reus, non id tempus, non id conſilium (metuo nequid arrogantiùs apud taleis viros videar dicere) ne actor quidem eſt is, cui reus tam nocens, tam perditus, tam victus, aut *occultè ſurripi*, aut *impunè eripi* poſſit. His ego judicibus non probabo, C. Verrem contra leges pecunias cepiſſe? ſuſtinebunt tales viri, ſe tot ſenatoribus, tot equitibus Romanis, tot civitatibus, tot hominibus honeſtiſſimis ex tam illuſtri provincia, tot populorum, privatorumque litteris non crediſiſſe? tantæ populi Romani voluntati reſtitiſſe? Suſtineant. reperiemus, ſi iſtum vivum ad aliud judicium perducere poterimus, quibus probemus, iſtum in quæſtura pecuniam publicam, Cn. Carboni Cos. datam, avertiſſe: quibus perſuadeamus, iſtum *alieno nomine* à quæſtoribus urbanis, quod priore actione didiciſtis, pecuniam abſtuliſſe. Erunt qui & in eo quoque *audaciam* ejus reprehendant, quòd aliquot nominibus de capite, quantum commodum fuerit, frumenti decumani detraxerit. Erunt etiam fortaſſe judices, qui illum ejus *peculatum* vel acerrimè vindicandum putent, quòd iſte M. Marcelli, & P. Africani monumenta, quæ nomine, illorum; re vera, populi Romani, & erant, & habebantur, ex fanis religioſiſſimis, ex urbibus ſociorum, atq; amicorum non dubi-
5 taverit auferre. Emerſerit ex peculatus etiam judicio. Meditetur de ducibus hoſtium, quos accepta pecunia liberavit: videat, quid de illis reſpondeat, quos in eorum locum ſubditos domi ſuæ reſervavit. quærat non ſolùm, quemadmodum noſtro crimini, verùm etiam quo pacto *ſuæ confeſſioni poſſit mederi*. meminerit, ſe priore actione, clamore populi Romani infeſto, atque inimico excitatum, confeſſum eſſe, duces à ſe prædonum ſecuri non eſſe percuſſos: ſe jam tum eſſe veritum, ne ſibi crimini daretur, eos ab ſe pecunia liberatos. fateatur id, quod negari non poteſt, ſe *privatum hominem*, prædonum duces vivos, atque incolumeis domi ſuæ, poſteaquàm Romam redierit, uſque dum per me licuerit, tenuiſſe. hoc, in illo majeſtatis judicio ſi licuiſſe ſibi oſtenderit, ego oportuiſſe concedam. ex hoc quoque evaſerit: proficiſcar eò, quò me jam pridem vocat populus Romanus. De *jure* enim *libertatis*, & civitatis ſuum putat eſſe judicium: & rectè putat. Confringat iſte ſanè vi ſua, conſilia ſenatoria: quæſtiones omnium perrumpat: evolet ex veſtra ſeveritate. mihi credite, arctioribus apud populum Romanum laqueis tenebitur. credet iis equitibus Rom. populus Romanus qui ad vos antea producti teſtes, ipſis inſpectantibus ab iſto *civem Romanum*, qui cognitores homines honeſtos daret, *ſublatum eſſe in crucem* dixerunt. credent omnes v. & xxx tribus homini graviſſimo, atque ornatiſſimo M. Annio, qui, ſe præſente, civem Romanum *ſecuri percuſſum* eſſe dixit. audietur à populo Romano vir primarius, eques Romanus L. Flavius, qui ſuum familiarem Herennium, negotiatorem ex Africa, cùm eum Syracuſis ampliùs centum cives Romani cognoſcerent, lacrymanteſque defenderent, pro teſtimonio dixit ſecuri eſſe percuſſum. [2] Probabit fidem, & auctoritatem, & religionem ſuam L. Suetius, homo omnibus ornamentis præditus, qui juratus apud vos dixit, multos civeis Rom. [3] in *lautumiis* iſtius imperio crudeliſſimè per vim morte eſſe multatos. Hanc ego cauſam cùm agam beneficio populi Rom. de loco ſuperiore: non vereor, ne aut iſtum vis ulla ex populi Rom. ſuffragiis eripere, aut à me ullum *munus ædilitatis* [4] amplius, aut gratius populo Romano eſſe poſſit.
Quapropter omnes in hoc judicio conentur omnia: nihil 6
eſt jam, quod in hac cauſa peccare quiſquam, judices, niſi veſtro periculo, poſſit. Mea quidem ratio, cùm in præteritis rebus eſt cognita, tum in reliquis explorata, atque proviſa eſt. Ego meum ſtudium in rempub. jam illo tempore oſtendi, cùm longo intervallo *veterem conſuetudinem* retuli, & rogatu ſociorum, atque amicorum populi Romani, meorum autem neceſſariorum, nomen hominis audaciſſimi detuli. Quod meum factum lectiſſimi viri, atque ornatiſſimi, (quo in numero è vobis complures fuere) ita probarunt, ut ei, qui iſtius quæſtor fuiſſet, & ab iſto læſus inimicitias juſtas perſequeretur, non modò deferendi nominis, ſed ne ſubſcribendi quidem, cùm id poſtularet, facerent poteſtatem. In Siciliam ſum inquirendi cauſa profectus. quo in negotio *induſtriam* meam celeritas reditionis, *diligentiam* multitudo litterarum, & teſtium declaravit: *pudorem* verò, ac religionem, quòd, cùm veniſſem ſenator ad ſocios populi Romani qui in ea provincia quæſtor fuiſſem, ad hoſpites meos, ac neceſſarios cauſæ communis defenſor deverti 1
potiùs, quàm ad eos, qui à me auxilium petiviſſent. NEMINI MEUS adventus labori, aut ſumtui neque publicè, neque privatim fuit. Vim in inquirendo tantam habui, quantam mihi *lex* dabat: non quantam habere poteram iſtorum ſtudio, quos iſte vexarat. Romam ut ex Sicilia redii, cùm iſte, atque iſtius amici, homines lauti, & urbani, ſermones hujuſcemodi diſſipaſſent, quo animos teſtium retardarent, me magna *pecunia à vera accuſatione eſſe deductum*; tametſi probabatur nemini, quod & ex Sicilia teſtes erant ii, qui quæſtorem me in provincia cognoverant, & hinc homines maximè illuſtres, qui, ut ipſi noti ſunt, ſic noſtrûm unumquemque optimè norunt: tamen uſque eò timui, ne quis de mea fide, atque integritate dubitaret, donec ad rejiciendos judices venimus. Sciebam in rejiciundis 7
judicibus nonnullos memoria noſtra *pactionis ſuſpicionem* non vitaſſe, cùm ipſa in accuſatione, eorum induſtria, ac diligentia probaretur. Ita rejeci judices, ut hoc conſtet, poſt hunc [5] ſtatum reip. quo nunc utimur, ſimili ſplendore, & dignitate conſilium nullum fuiſſe. Quam iſte laudem, communem ait ſibi eſſe mecum: qui cùm P. Galbam judicem rejeciſſet, M. Lucretium retinuit: &, cum ejus patronus ex eo quæreret, cur ſuos familiariſſimos, Sex. Pæduceum, Q. Conſidium, [6] Q. Junium rejici paſſus eſſet: reſpondit, quod eos in judicando *nimium ſui juris*, ſententiæque cognoſceret. Itaque, judicibus rejectis, ſperabam jam onus

1. *Cui damnari expediret.*] Interpretatus ſum hunc locum contra Pædiani ſententiam, ad illud Taciti lib. xv. Annal. cap. 68. *Non aliter tot flagitiis eius ſubveniri poſſe.*

2. *Probabit fidem & auctoritatem.*] Lambinianæ aliquot edd. *probavit*, errore credo typographico.

3. *In lautumiis iſtius.*] Ad hanc faciem ſcribitur in Pall. in edd. primariis; & ſic ſcribi debere liquet ex verbis Sabini apud Senecam libris controverſiarum.

4. *Amplius aut gratius.*] Perperam iterum aliquot editiones Lambini *gravius*.

5. *Statum reip. quo nunc utimur.*] Gulielmius conabatur *utimur*.

6. *Q. Junium.*] Cujacii membranæ; *Vinium*, forte *Vinium*.

onus meum vobiſcum eſſe commune. putabam non ſolùm notis, ſed etiam ignotis probatam meam fidem eſſe, & diligentiam. quod me non fefellit. Nam comitiis meis, cùm iſte infinita largitione contra me uteretur, populus Romanus judicavit, iſtius pecuniam, quæ apud me *contra fidem* meam nihil potuiſſet, apud ſe *contra honorem* meum nihil poſſe debere. Quo quidem die, primùm judices citati in hunc reum conſediſtis, quis tam inimicus huic ordini fuit, quis tam novarum rerum, judiciorum, judicumque cupidus, qui non conſpectu, conſeſſuque veſtro commoveretur? Cùm in eo veſtra mihi dignitas fructum diligentiæ referret: id ſum aſſecutus, ut una hora, qua cœpi dicere, reo audaci, pecunioſo, profuſo, perdito, *ſpem judicii corrumpendi præciderem:* ut primo die teſtium tanto numero citato, populus Romanus judicaret, ipſo abſoluto *remp. ſtare non poſſe:* ut alter dies amicis iſtius, ac defenſoribus non modò ſpem victoriæ, ſed etiam *voluntatem defenſionis* auferret: ut tertius dies ſic hominem proſterneret, ut, *morbo ſimulato*, non, quid reſponderet, ſed quemadmodum non reſponderet, deliberaret: deinde reliquis diebus, his criminibus, his teſtibus, & urbanis, & provincialibus ſic obrutus, atque oppreſſus eſt, ut his ludorum diebus interpoſitis, nemo iſtum *comperendinatum*, ſed condemna-
8 tum judicaret. Quapropter ego, quod ad me attinet, judices, vici. non enim ſpolia C. Verris, ſed exiſtimationem populi Rom. concupivi. Meum fuit *cum cauſa* accedere ad accuſandum. Quæ cauſa fuit juſtior, quàm à tam illuſtri provincia defenſorem conſtitui, & deligi? Reipublicæ conſulere? quid jam reip. honeſtius, quàm in tanta invidia judiciorum adducere hominem, cujus damnatione *totus ordo* cum populo Rom. & in laude, & in gratia poſſit eſſe? oſtendere ac perſuadere, hominem nocentem adductum eſſe? Quis eſt in populo Rom. qui hoc non ex priore actione abſtulerit, omnium antè damnatorum ſcelera, furta, flagitia, ſi in unum locum conferantur, vix cum hujus parva parte æquari, conferrique poſſe? Vos, quod ad veſtram famam, exiſtimationem, ſalutemque communem pertinet, judices, proſpicite, atque conſulite. ſplendor veſter facit, ut peccare ſine ſummo reipub. detrimento, ac periculo non poſſitis. Non enim poteſt ſperare populus Romanus eſſe alios in ſenatu, qui rectè poſſint judicare, vos ſi non potueritis. Neceſſe eſt, cùm de toto ordine deſperarit, aliud genus hominum, atque aliam rationem judiciorum requirat. Hoc ſi vobis ideò levius videtur, quòd putatis *onus eſſe grave, & incommodum, judicare:* intelligere debetis, primùm intereſſe, utrùm id onus voſmetipſi rejeceritis: an, quod probare populo Romano fidem veſtram, & religionem non potueritis, eò vobis judicandi poteſtas erepta ſit. deinde etiam illud cogitate, quanto periculo venturi ſimus ad eos judices, quos propter odium veſtri populus Rom. de vobis voluerit judicare. Verùm vobis dicam id, quod intellexi, judices. homines ſcitote eſſe quoſdam, quos tantum odium veſtri ordinis teneat, ut hoc palàm jam dictitent, *ſe iſtum*, quem ſciant eſſe hominem improbiſſimum, hoc uno nomine abſolvi velle, ut ab ſenatu judicia per ignominiam, turpitudinemque auferantur. Hæc me, judices, pluribus verbis, vobiſcum agere coëgit, non *timor meus de veſtra fide*, ſed ſpes illorum nova, quæ cùm Verrem à porta ſubitò ad judicium retraxiſſet, nonnulli ſuſpicati ſunt non ſine cauſa illius conſilium tam repentè eſſe muta-
9 tum. Nunc, ne novo querimoniæ genere uti poſſit Hortenſius, & ea dicere, opprimi reum, de quo nihil dicat accuſator: *nihil eſſe tam periculoſum fortunis innocentium, quàm tacere adverſarios:* & ne aliter, quàm ego velim, meum laudet ingenium: cum dicat, me, ſi multa dixiſſem, ſublevaturum fuiſſe eum, quem contra dicerem: quia non dixerim, perdidiſſe: morem illi geram: [1] utar oratione perpetua: non quoniam hoc ſit neceſſe: verùm ut experiar, utrum ille ferat moleſtiùs, me tunc tacuiſſe, an nunc dicere. Hìc tu fortaſſe eris diligens, ne quam ego horam de meis legitimis horis remittam. niſi omni tempore, quod mihi lege conceſſum eſt, abuſus ero, querêre: deum, atque hominum fidem implorabis: circumveniri C. Verrem, quod accuſator nolit tamdiu, quamdiu liceat, dicere. Quod mihi lex [2] mea cauſa det, eo mihi uti non licebit? Nam accuſandi mihi tempus mea cauſa datum eſt, ut poſſem oratione mea crimina, cauſamque explicare. hoc ſi non utor, non tibi injuriam facio, ſed de meo jure aliquid, & commodo detraho. Cauſam enim, inquit, cognoſci oportet. Ea re quidem, quod *aliter condemnari reus, quamvis ſit nocens, non poteſt.* Id igitur tu moleſtè tuliſti, à me aliquid factum eſſe, quo minùs iſte condemnari poſſet? Nam Causa cognita multi poſſunt abſolvi: incognita quidem condemnari nemo poteſt. Adimo enim comperendinatum: quod habet lex in ſe moleſtiſſimum, bis ut cauſa dicatur. quod aut mea cauſa potius eſt conſtitutum, quàm tua: aut nihilo tua potiùs, quàm mea. Nam ſi bis dicere eſt commodum: certè utriuſque commune eſt. Si eum, qui *poſteriùs dixit*, opus eſt redargui: accuſatoris cauſa, ut bis ageretur, conſtitutum eſt. Verum, ut opinor, Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus. antea vel judicari primò poterat, vel amplius pronuntiari. Utram igitur putas legem molliorem? opinor illam veterem, qua vel citò abſolvi, vel tardè condemnari licebat. Ego tibi [3] illam Aciliam legem reſtituo, qua lege multi ſemel accuſati, ſemel dicta cauſa, ſemel auditis teſtibus, condemnati ſunt, nequaquam tam manifeſtis, neque tantis criminibus, quantis tu convinceris. puta te non hac tam atroci, ſed illa *lege mitiſſima* cauſam dicere. Accuſabo: reſpondebis. teſtibus editis, ita mittam in conſilium, ut, etiamſi lex ampliandi faciat poteſtatem, tamen iſti turpe ſibi exiſtiment, non primò judicare. Verùm, ſi cauſam cognoſci opus eſt, parum- 10
ne cognita eſt? diſſimulamus, Hortenſi, quod ſæpe experti in dicendo ſumus. quis nos magnopere attendit umquam, in hoc quidem genere cauſarum, ubi aliquid ereptum, [4] aut ablatum à quopiam dicitur? nonne aut in *tabulis*, aut in *teſtibus* omnis exſpectatio judicum eſt? Dixi prima actione, me planum eſſe facturum, C. Verrem HS quadringenties contra legem, abſtuliſſe. Quid? hoc planiùs egiſſem, ſi ita narraſſem? Dio quidam fuit Haleſinus: qui, cùm ejus filio, prætore Sacerdote, hereditas à propinquo permagna veniſſet, nihil habuit neque negotii, neque controverſiæ. Verres, ſimulac tetigit provinciam, ſtatim [5] Meſſanam litteras dedit: Dionem evocavit: *calumniatores ex ſinu ſuo appoſuit*, qui illam hereditatem Veneri Erycinæ commiſſam eſſe dicerent. hac de re oſtendit ſeipſum cogniturum. Poſſum deinceps totam rem explicare: deinde ad extremum id, quod accidit, dicere: Dionem HS decies centena millia numeraſſe, ut cauſam certiſſimam obtineret: præterea greges equarum ejus iſtum abigendos curaſſe: argenti, veſtiſque ſtragulæ quod fuerit, curaſſe auferendum. Hæc neque cùm ego dicerem, neque cùm tu negares, magni momenti noſtra eſſet oratio. Quo tempore igitur [6] *aureus judex erigeret*, animumque attenderet? cùm Dio ipſe prodiret, cum ceteri, qui tum in Sicilia negotiis Dionis interfuiſſent: cùm per eos ipſos dies, per quos cauſam Dio diceret, reperiretur pecu-

1. *Utar oratione perpetua.*] Lambini editiones reſpuerunt illud *perpetua*, quod tamen in aliis edd. & Pall.

2. *Mea cauſa det.*] Aſconius laudat, *dedit*. Pall. Cujac. edd. que non abeunt à vulgata.

3. *Illam Aciliam legem reſtituo.*] Probat hanc lectionem Ant. Auguſtin. libro de Legibus, exſtatque in mſſ. noſtris & olim impreſſis. ſed enim Hotomanus ſuppoſitum it, *illam antiquam*, aut *illam Cæciliam*; qui conſulatur lib. 1. obſervat. cap. 14.

4. *Aut ablatum à quopiam dicitur.*] Pall. duobus, item edd. antiquis abeſt præpoſito *a*. ſec. præterea habet *quoipiam*. quod ultimum non diſplicet.

5. *Meſſanam litteras dedit.*] Anton. Auguſtinus *Meſſana* volebat. videatur Urſinus.

6. *Aures judex erigeret.*] Gulielmius inclinabat legere, *arrigeret*. eodem tendit vulgata.

3. Per-

pecunias ſumſiſſe mutuas, nomina ſua exegiſſe, prædia vendidiſſe: cùm tabulæ virorum bonorum proferrentur: cùm, qui pecuniam Dioni dederunt, dicerent ſe jam tum audiſſe, eò nummos ſumi, ut Verri darentur: cum amici, hoſpites, patroni Dionis, homines honeſtiſſimi, hæc eadem ſe audiſſe dicerent. Opinor, cùm hæc fierent, tum vos audiretis, ſicut audiſtis: tum *cauſa agi* videretur. Sic à me ſunt acta omnia priore actione, ut in criminibus omnibus nullum eſſet, in quo quiſquam veſtrûm perpetuam accuſationem requireret. Nego ego eſſe quidquam à teſtibus dictum, quod aut veſtrum cuipiam eſſet obſcurum, aut cujuſ-

11 quam oratoris eloquentiam quæreret. Etenim ſic me ipſum egiſſe memoria tenetis, ut in *teſtibus interrogandis* omnia crimina proponerem, & explicarem, ut, cùm rem totam in medio propoſuiſſem, tum denique teſtem interrogarem. Itaque non modò vos, quibus eſt judicandum, noſtra crimina tenetis, ſed etiam populus Roman. totam accuſationem, cauſamque cognovit. tametſi ita de meo facto loquor, quaſi ego illud *mea voluntate* potiùs, quàm *veſtra injuria* adductus fecerim. Interpoſuiſtis accuſatorem, qui, cùm ego mihi C. & X dies ſolos in Siciliam poſtulaſſem, C. & VIII ſibi in Achajam poſtularet. menſeis mihi treis cùm eripuiſſetis ad agendum maximè appoſitos, reliquum omne tempus hujus anni me vobis remiſſurum putaſtis: ut, cùm horis noſtris nos eſſemus uſi, tu, binis ludis interpoſitis, quadrageſimo pòſt die reſponderes: deinde ita tempus duceretur, ut à M. Glabrione præt. & à magna parte horum judicum, ad prætorem alium, judiceſque alios veniremus. Hæc ſi ego non vidiſſem; ſi me non omnes *noti*, *ignotique* monuiſſent, id agi, id cogitari, in eo laborari, ut res in illud tempus rejiceretur, credo, ſi meis horis in accuſando uti voluiſſem, vererer, ne mihi crimina non ſuppeterent: ne oratio deeſſet: ne vox, vireſque deficerent: ne, quem nemo prima actione defendere auſus eſſet, eum ego bis accuſare non poſſem. Ego meum conſilium tum judicibus, tum populo Romano probavi. Nemo eſt, qui alia ratione iſtorum *injuriæ, atque impudentiæ* potuiſſe obſiſti arbitretur. Etenim qua ſtultitia fuiſſem, ſi, quam diem, qui iſtum eripiendum redemerunt, in cautione viderunt, cum ita caverent, SI POST KALENDAS JAN. IN CONSILIUM IRETUR: in eam diem ego, cùm potuiſſem vitare, incidiſſem? Nunc mihi temporis ejus, quod mihi ad dicendum datur: quoniam in animo eſt cauſam omnem exponere, habenda ra-

12 tio eſt diligenter. Itaque primum illum actum iſtius vitæ turpiſſimum, & flagitioſiſſimum prætermittam. nihil à me de *pueritiæ ſuæ flagitiis* audiet: nihil ex illa *impura adoleſcentia* ſua: quæ qualis fuerit, aut meminiſtis, aut ex eo, quem *ſui ſimillimum* produxit, recognoſcere poteſtis. Omnia præteribo, quæ mihi turpia dictu videbuntur: NEQUE SOLUM, quid iſtum audire, verum etiam, quid me deceat, dicere, conſiderabo. Vos, quæſo, date hoc, & concedite pudori meo, ut aliquam partem de iſtius impudentia reticere poſſim. Omne illud tempus, quod fuit antequàm iſte ad magiſtratus, remque publicam acceſſit, habeat per me ſolutum, ac liberum, ſileatur de nocturnis ejus bacchationibus, ac vigiliis; lenonum, aleatorum, [1] perductorum nulla mentio fiat; damna, dedecora, [2] quæ res patris ejus, ætas ipſius pertulit, prætereantur: lucretur indicia veteris infamiæ; patiatur ejus vita reliqua me hanc tantam jacturam criminum facere. Quæſtor Cn. Papirio conſuli fuiſti abhinc annos quattuordecim. ex ea die ad hanc diem quæ feciſti, in judicium voco. *Hora nulla vacua* à furto, ſcelere, crudelitate, flagitio reperietur. Hi ſunt anni conſumti in quæſtura & legatione Aſiatica, & prætura urbana, & prætura Sicilienſi. Quare hæc eadem erit quadripartita diſtributio totius accuſationis meæ. Quæſtor ex S.C. provinciam ſortitus 13

es. obtigit tibi conſularis, ut cum Cos. Cn. Carbone eſſes, eamque provinciam obtineres. Erat tum diſſenſio civium: de qua nihil ſum dicturus quid ſentire debueris: unum hoc dico: in ejuſmodi tempore, ac ſorte, ſtatuere te debuiſſe, *utrum malles ſentire*, atque defendere. Carbo graviter ferebat, ſibi quæſtorem obtigiſſe, hominem ſingulari luxuria, atque inertia. verumtamen ornabat eum beneficiis, officiiſque omnibus. Ne diutius teneam: pecunia attributa, numerata eſt. profectus eſt quæſtor in provinciam. venit in Galliam exſpectatus ad exercitum conſularem, cum pecunia. ſimulac primùm ei occaſio viſa eſt (cognoſcite hominis *principium magiſtratuum gerendorum*, & reip. adminiſtrandæ) averſa pecunia publica, quæſtor conſulem, exercitum, ſortem, provinciamque *deſeruit*. Video quid egerim: eriget ſe: ſperat, ſibi auram poſſe aliquam afflari, in hoc crimine, [3] voluntatis, aſſenſioniſque eorum, quibus Cn. Carbonis mortui nomen odio ſit: quibus illam relictionem, proditionemque conſulis ſui gratam ſperat fore. Quaſi verò id cupiditate defendendæ nobilitatis, aut *ſtudio partium fecerit*: ac non apertiſſimè conſulem, exercitum, provinciamque compilarit, & propter impudentiſſimum furtum aufugerit. Eſt enim obſcurum, & ejuſmodi factum ejus, ut poſſit aliquis ſuſpicari, C. Verrem, quòd ferre novos homines non potuerit, ad nobilitatem, hoc eſt, ad ſuos tranſiiſſe: *nihil feciſſe propter pecuniam*. Videamus, rationes quemadmodum retulerit. Jam ipſe oſtendet, quamobrem Cn. Carbonem reliquerit: jam ſe ipſe indicabit. Primùm brevitatem cognoſcite. [4] ACCEPI, inquit, VICIES DU- 14

CENTA, TRIGINTAQUINQUE MILLIA, QUADRINGENTOS XVII NUMMOS. DEDI STIPENDIO, FRUMENTO, LEGATIS, PROQUÆSTORIBUS, COHORTI PRÆTORIÆ, H-S. MILLE SEXCENTA, TRIGINTAQUINQUE MILLIA, QUADRINGENTOS, XVII NUMMOS. RELIQUI ARIMINI H-S SEXCENTA MILLIA. *Hoc eſt rationes referre?* hoc modo aut ego, aut tu Hortenſi, aut [5] quiſquam hominum retulit? quid hoc eſt? quæ impudentia? quæ audacia? quod exemplum ex tot hominum rationibus relatis hujuſmodi eſt? Illa tamen H-S ſexcenta millia, quæ ne falsò quidem potuit, quibus data eſſent, deſcribere, quæ ſe Arimini ſcribit reliquiſſe, quæ ipſa H-S ſexcenta millia, reliqua facta ſunt, neque Carbo attigit, neque Sulla vidit, neque in ærarium relata ſunt. Oppidum ſibi elegit Ariminum, quod tum, cùm iſte rationes referebat, *oppreſſum, direptumque erat*. non ſuſpicabatur id, quod nunc ſentiet, ſatis multos ex illa calamitate Ariminenſium teſteis nobis in hanc rem reliquos eſſe. Recita denuo. *P. LENTULO, L. TRIARIO QUÆSTORIBUS URBANIS*, [6] *RES RATIONUM RELATARUM*. Recita. Ex S.C. Ut hoc pacto *rationem referre liceret*, eò Sullanus repentè factus eſt, non ut honos, & dignitas nobilitati reſtitueretur. Quòd ſi illinc inanis profugiſſes, tamen iſta tua fuga nefaria; proditio conſulis tui, ſcelerata judicaretur. Malus civis, improbus conſul, ſeditioſus homo, Cn. Carbo fuit. Fuerit aliis: tibi quando eſſe cœpit? poſteaquàm tibi pecuniam, rem frumentariam, rationes omneis ſuas, exercitumque commiſit. Nam ſi tibi antea diſplicuiſſet: idem feciſſes, quod anno pòſt M. Piſo. Quæſtor cùm L. Scipioni conſuli obtigiſſet; non attigit pecuniam; non ad exercitum profectus eſt. quòd de republica ſenſit, *ita ſenſit*, ut nec fidem ſuam, nec morem majorum: nec neceſſitudinem ſortis læderet. Etenim

1. *Perductorum.*] Sic præter Aſconium, etiam Pall. & Cujac. alluditque vetus editio, in qua *perditorum*.

2. *Quæ res patris ejus, ætas ipſius pertulit.*] Pal. pr. habet à manu emendatrice; *quæ rem patris ejus, ætatem ipſius perculit*. ſatis argutè. ſed an etiam verè?

3. *Voluntatis aſſenſioniſque eorum, &c.*] Si obſequimur veterioribus libris, redonandum auctori *diſſenſioniſque*. ſic enim Pall. ſic Cujac. ſic antiquitus cuſi. ſic etiam Victorius.

4. ACCEPI VICIES DUCENTA TRIGINTA QUINQUE MILLIA, &c.] Secuti ſumus editionem Victorii. aliter Budæus lib. I. de Aſſe. aliter Lambinus, aliter mſſ. noſtri atque edd. vétt.

5. *Quiſquam hominum retulit?*] Malebat Gulielmius *omnium*, quomodo Pall. Cujac. & vetus editio.

6. RES RATIONUM RELATARUM.] Non videtur iſthæc agnoſcere Pædianus. reſtant tamen in ſcriptis noſtris & edd. vett. Ald. Manutius, abſtulit voculam RES. alii ejus loco repoſuere VERRIS.

15 Etenim ſi hæc perturbare omnia, & permiſcere volumus:
TOTAM [1] *VITAM* periculoſam, invidioſam, infeſtam-
que reddemus, ſi nullam religionem ſors habebit, nullam
ſocietatem conjunctio ſecundæ, dubiæque fortunæ, nul-
lam auctoritatem mores, atque inſtituta majorum. *Omnium
eſt communis inimicus, qui fuit hoſtis ſuorum.* Nemo um-
quam ſapiens *proditori* credendum putavit. Ipſe Sulla, cui
adventus iſtius gratiſſimus eſſe debuit, ab ſe hominem, at-
que ab exercitu ſuo removit: Beneventi eſſe juſſit apud eos,
quos ſuis partibus amiciſſimos eſſe intelligebat: ubi iſte
ſummæ rei, cauſæque *nocere* nihil poſſet. ei poſtea præmia
tamen liberaliter tribuit: bona quædam proſcriptorum in
agro Beneventano diripienda conceſſit: *habuit honorem, ut
proditori, non ut amico, fidem.* Nunc, quamvis ſint homi-
nes, qui mortuum Cn. Carbonem oderint: tamen hi de-
bent, non, quid illi accidere voluerint, ſed quid ipſis in
tali re metuendum ſit, cogitare. Commune eſt hoc malum,
communis metus, commune periculum. *NULLÆ SUNT*
occultiores inſidiæ, quàm eæ, quæ latent in ſimulatione
officii, aut in aliquo neceſſitudinis nomine. nam eum,
qui palàm eſt adverſarius, facilè *cavendo vitare poſſis.* hoc
verò occultum, inteſtinum, ac domeſticum malum, non
modò non exſiſtit: verum etiam opprimit, [2] antequam
proſpicere, atque explorare potueris. Itane verò? tu, cùm
quæſtor ad exercitum miſſus ſis, cuſtos non ſolùm pecu-
niæ, ſed etiam conſulis: particeps omnium rerum, conſi-
liorumque fueris: habitus ſis *in liberûm loco*, ſicut mos ma-
jorum ferebat: repentè relinquas? deſeras? ad adverſarios
transeas? O ſcelus! ô portentum in ultimas terras expor-
tandum! Non enim poteſt ea natura, quæ tantum facinus
commiſerit, hoc *uno ſcelere eſſe contenta.* neceſſe eſt ſemper
aliquid ejuſmodi moliatur: neceſſe eſt in ſimili audacia, per-
fidiaque verſetur. Itaque idem iſte, quem Cn. Dolabella
poſtea C. Malleolo occiſo pro quæſtore habuit (haud ſcio, an
major etiam hæc neceſſitudo fuerit, quàm illa Carbonis:
ac plus *judicium voluntatis* valere, quam ſortis debeat) idem
in Cn. Dolabellam, qui in Cn. Carbonem fuit. Nam quæ in
ipſum valebant crimina, contulit in illum, cauſamque il-
lius omnem ad inimicos, accuſatoreſque detulit: ipſe in
eum, cui legatus, cui pro quæſtore fuerat, inimiciſſimum,
atque improbiſſimum teſtimonium dixit. Ille, miſer cùm
eſſet; tum proditione iſtius nefaria, tum improbo & falſo
ejuſdem teſtimonio, tum multo etiam ex maxima parte,
16 iſtius furtorum, ac flagitiorum *invidia* conflagravit. Quid
hoc homine faciatis? [3] aut ad quam *ſpem* tam perfidioſum,
tam importunum animal reſervetis? qui [4] in Cn. Carbonem
ſortem, in Cn. Dolabellam voluntatem neglexerit, ac vio-
larit, [5] eoſque ambos non ſolùm deſeruerit, ſed etiam pro-
diderit, atque oppugnarit. Nolite, quæſo, judices, brevi-
tate orationis meæ potius, quàm rerum ipſarum magnitu-
dine, crimina ponderare. mihi enim properandum neceſ-
ſariò eſt, ut omnia vobis, quæ mihi conſtituta ſunt, poſ-
ſim exponere. Quamobrem, quæſtura iſtius demonſtrata,
primique magiſtratus & furto, & ſcelere perſpecto, reli-
qua attendite. in quibus illud tempus Sullanarum proſcri-
ptionum, ac rapinarum prætermittam: neque ego iſtum ſi-
bi *ex communi calamitate* defenſionem ullam ſinam ſumere.
ſuis eum certis, propriiſque criminibus accuſabo. Quam-
obrem, hoc omni tempore Sullano ex accuſatione circum-
ſcripto, legationem ejus præclaram cognoſcite. Poſtea-
quàm Cn. Dolabellæ provincia Cilicia conſtituta eſt: ô dii
immortales, quanta iſte cupiditate, quibus allegationibus
illam ſibi legationem expugnavit! id quod Cn. Dolabellæ
principium maximæ calamitatis fuit. Nam ut iſte profectus
eſt, quacumque *iter* fecit, ejuſmodi fuit, non ut legatus po-
puli Romani, ſed ut quædam *calamitas* pervadere videretur.
In Achaja (prætermittam minora omnia, quorum ſimile 17
forſitan alius quoque aliquid aliquando fecerit: nihil dicam,
niſi ſingulare, niſi quod, ſi in alium reum diceretur, incre-
dibile videretur) magiſtratum Sicyonium nummos popoſ-
cit. Ne ſit hoc crimen in Verrem: *fecerunt alii.* cùm ille
non daret, animadvertit. Improbum, ſed non inauditum.
Genus animadverſionis videte. quæretis, [6] ex quo genere
hominem iſtum judicetis. Ignem ex lignis viridibus, at-
que humidis in loco anguſto fieri juſſit. ibi hominem in-
genuum, domi nobilem, populi Romani ſocium, atque
amicum, *fumo excruciatum*, ſemivivum reliquit. Jam quæ
iſte ſigna, quas tabulas pictas, ex Achaja ſuſtulerit, non
dicam hoc loco. eſt alius mihi locus [7] ad hanc iſtius cupi-
ditatem demonſtrandam ſervatus. Athenis audiſtis *ex æde
Minervæ* grande auri pondus ablatum. dictum hoc eſt in
Cn. Dolabellæ judicio. dictum? etiam æſtimatum. Hujus
conſilii non modò participem C. Verrem, ſed principem
fuiſſe reperietis. Delum venit. ibi ex fano Apollinis reli-
gioſiſſimo *noctu clàm* ſuſtulit ſigna pulcherrima, atque an-
tiquiſſima: eaque in onerariam navem ſuam conjicienda
curavit. Poſtridie cùm fanum ſpoliatum viderent ii, qui De-
lum incolebant, graviter ferebant. eſt enim tanta apud eos
ejus fani religio, atque antiquitas, ut in eo loco ipſum Apol-
linem natum eſſe arbitrentur. *verbum tamen facere non au-
debant*, ne fortè ea res ad Dolabellam ipſum pertineret.
Tum ſubitò tempeſtates coortæ ſunt maximæ, judices, ut 18
non modò proficiſci, cùm cuperet, Dolabella non poſſet,
ſed vix in oppido conſiſteret: ita magni fluctus ejicieban-
tur. Hic navis illa prædonis iſtius, onuſta ſignis religioſis,
expulſa atque ejecta fluctu, frangitur. in littore ſigna illa
Apollinis reperiuntur: juſſu Dolabellæ reponuntur: *tem-
peſtas ſedatur:* Dolabella Delo proficiſcitur. Non dubito,
quin tametſi nullus in te ſenſus humanitatis, nulla ratio
umquam fuit religionis, nunc tamen *in metu, periculoque
tuo*, tuorum tibi ſcelerum veniat in mentem. Poteſtne tibi
ulla *ſpes ſalutis* commoda oſtendi, cùm recordaris, in deos
immortaleis quàm impius, quàm ſceleratus, quàm nefa-
rius fueris? Apollinemne tu Delium ſpoliare auſus es?
illine tu templo, tam antiquo, tam ſancto, tam religioſo
manus impias, ac ſacrilegas afferre conatus es? Si *in pueritia*
non his artibus & diſciplinis inſtitutus eras, ut ea, quæ
litteris mandata ſunt, diſceres, atque cognoſceres: ne poſtea
quidem, cùm in ea ipſa loca veniſti, potuiſti accipere id,
quod eſt proditum memoriæ, ac litteris? Latonam ex lon-
go errore, & fuga, gravidam, [8] & jam ad pariendum vi-
cinam, temporibus exactis, confugiſſe Delum, atque ibi
Apollinem, Dianamque peperiſſe: qua ex opinione homi-
num, illa *inſula eorum deorum ſacra putatur:* tantaque ejus
auctoritas religionis & eſt, & ſemper fuit, ut ne Perſæ qui-
dem, cum bellum toti Græciæ, diis, hominibuſque indi-
xiſſent, & mille numero navium claſſem ad Delum appu-
liſſent, quidquam conarentur aut violare, aut *attingere.* Hoc
tu fanum depopulari, homo improbiſſime, atque amentiſ-
ſime, audebas? [9] fuit ulla cupiditas tanta, quæ tantam ex-
ſtingue-

1. *Vitam periculoſam, inſidioſam, infeſtam.*] Ita Pal. ſec. uti conjecerat Lambinus. alii tamen ſcripti editique *invidioſam.* Paullus Manutius cum filio totam eam vocem eradicavit e ſuis libris.

2. *Antequam proſpicere atque explorare.*] Eſt à Pall. & Cujac. placueratque item Lambino. aliæ edd. *perſpicere.*

3. *Aut ad quam ſpem, &c.*] Pall. & olim edd. *ad aliquam ſpem*, ſine *aut*, ut ea particula videatur ſupervacanea

4. *In Cn. Carbonem ſortem, in Cn. Dolabellam voluntatem neglexerit.*] Expreſſi quod erat in mſſ. noſtris, in vetuſte impreſſis, ſecutuſque fuerat Victorius. Vulgata *Carbone*, & *Dolabella.*

5. *Eoſque ambos non modò.*] Cujacii liber, *ambo*, ſicque exhibuit editio Lambini, placebatque Gulielmio. & ſæpe ſic locuti veteres.

6. *Ex quo genere hominem iſtum judicetis.*] Lambinus & Manutii poſteriores *hominum.* ſed contra mſſ. noſtros & edd. priſcas.

7. *Ad hanc iſtius cup. demonſtrandam ſervatus.*] Aliorum libri, *reſervatus*, aut *ſeparatus.* unde ſuſpicatur Gulielmius iſtud *ſervatus* natum à gloſſa, ut & illas duas alias variantes.

8. *Et jam ad pariendum vicinam, temporibus exactis confugiſſe Delum.*] Cujacianus non habet illud *vicinam*, & recte.

9. *Fuit ulla cupiditas tanta.*] Ita Pal. ſec. ita mſſ. Hotomani. recepta lectio, *illa.*

1. Adven-

ſtingueret religionem? &, ſi tum hæc non cogitabas, ne nunc quidem recordaris, nullum eſſe tantum malum, quod
19 non tibi pro ſceleribus tuis jamdiu debeatur? In Aſiam verò poſtquàm venit, quid ego [1] adventus iſtius prandia, cenas, equos, muneraque commemorem? nihil; cum Verre de quotidianis criminibus acturus ſum. Chio *per vim* ſigna pulcherrima dico abſtuliſſe: item Erythris, & Halicarnaſſo. Tenedo (prætereo pecuniam, quàm eripuit) Tenem ipſum, qui apud Tenedios ſanctiſſimus Deus habetur, qui urbem illam dicitur condidiſſe: cujus ex nomine Tenedus nominatur: hunc ipſum, inquam, Tenem, pulcherrimè factum, quem quondam in comitio vidiſtis, abſtulit magno cum gemitu civitatis. Illa verò *expugnatio fani* antiquiſſimi, & nobiliſſimi Junonis Samiæ, quàm luctuoſa Samiis fuit? quàm acerba toti Aſiæ? quàm clara apud omnes? quàm nemini veſtrûm inaudita? de qua expugnatione cum legati ad C. Neronem in Aſiam Samo veniſſent, reſponſum tulerunt, ejuſmodi querimonias, quæ ad legatum populi Romani pertinerent, non ad prætorem, ſed *Romam deferri oportere.* Quas iſte tabulas illinc, quæ ſigna ſuſtulit? quæ cognovi egomet apud iſtum in ædibus nuper, cùm obſignandi gratia veniſſem. quæ ſigna nunc, Verres, ubi ſunt? illa quæro, quæ apud te nuper ad omneis columnas, omnibus etiam intercolumniis, *in ſilva denique* diſpoſita [2] ſub divo vidimus. Cur ea, quamdiu alium prætorem cum iis judicibus, quos in horum locum ſubſortitus eras, de te in conſilium iturum putaſti, tamdiu domi fuerunt? poſteaquàm noſtris teſtibus nos, quàm horis tuis, uti malle vidiſti: nullum ſignum domi reliquiſti, præter duo, quæ in mediis ædibus ſunt: quæ ipſa Samo ſublata ſunt? non putaſti me *tuis familiariſſimis* in hanc rem teſtimonia denuntiaturum, qui tuæ domi ſæpe fuiſſent: ex quibus quærerem
20 ſigna ſcirentne fuiſſe, quæ non eſſent? Quid tum hos de te judicaturos arbitratus es, cùm viderent, te jam non contra accuſatorem tuum, ſed contra quæſtorem, ſectoremque pugnare? Qua de re Charidemum Chium teſtimonium priore actione dicere audiſtis: ſeſe, cùm eſſet trierachus, & Verrem ex Aſia decedentem proſequeretur, juſſu Dolabellæ fuiſſe unà cum iſto Sami: ſeſeque tum ſcire *ſpoliatum eſſe fanum* Junonis, & oppidum Samum: poſteaque ſe cauſam apud Chios, cives ſuos, Samiis accuſantibus, publicè dixiſſe: eoque ſe eſſe abſolutum, quòd planum feciſſet, ea, quæ legati Samiorum dicerent, ad Verrem, non ad ſe, pertinere. Aſpendum, vetus oppidum, & nobile in Pamphilia ſcitis eſſe, pleniſſimum ſignorum optimorum, non dicam illinc hoc ſignum ablatum eſſe, & illud: hoc dico, nullum te Aſpendi ſignum, Verres, reliquiſſe: omnia ex fanis, ex locis publicis, palàm, *ſpectantibus omnibus*, plaſtris evecta, aſportataque eſſe. Atque etiam illum Aſpendium citthariſtam, de quo ſæpe audiſtis id, quod eſt Græcis hominibus in proverbio, quem *omnia intus canere* dicebant, ſuſtulit, & in intimis ſuis ædibus poſuit: ut etiam illum [3] ipſum artificio ſuo ſuperaſſe videatur. Pergæ fanum antiquiſſimum, & ſanctiſſimum Dianæ ſcimus eſſe. id quoque à te *nudatum*, ac ſpoliatum eſſe: ex ipſa Diana, quod habebat auri, detractum, atque ablatum eſſe dico. Quæ, malùm, eſt iſta tanta audacia, atque amentia? quas enim ſociorum, atque amicorum urbeis adiſti legationis jure, & nomine: ſi in eas vi cum exercitu, imperioque invaſiſſes, tamen, opinor, quæ ſigna, atque ornamenta ex his urbibus ſuſtuliſſes, hæc *non in tuam domum*, *neque in ſuburbana amicorum*, *ſed Romam in publicum deportaſſes.*
21 Quid ego de M. Marcello loquar, qui Syracuſas, urbem ornatiſſimam, cepit? quid de L. Scipione, qui bellum in Aſia geſſit, Antiochumque, regem potentiſſimum vicit? quid de Flaminino, qui regem Philippum, & Macedoniam ſubegit? quid de L. Paullo, qui regem Perſen vi ac virtute ſuperavit? quid de L. Mummio, qui urbem pulcherrimam, atque ornatiſſimam, Corinthum, pleniſſimam rerum omnium, ſuſtulit, urbeiſque Achajæ, Bœotiæque multas ſub imperium populi R. ditionemque ſubjunxit? quorum domus cùm honore, & virtute florerent, *ſignis & tabulis pictis erant vacuæ.* At verò urbem totam, templa deorum, omneiſque Italiæ parteis, illorum donis, ac monumentis exornatas videmus. Vereor, ne hæc fortè cuiquam nimis antiqua, & jam obſoleta videantur. ita enim tum æquabiliter omnes erant hujuſmodi, ut hæc *laus* eximiæ virtutis, & innocentiæ, non ſolùm *hominum*, verum etiam *temporum* illorum eſſe videatur. P. Servilius, vir clariſſimus, maximis rebus geſtis, adeſt: de te ſententiam laturus eſt: [4] Olympum vi, copiis, conſilio, virtute cepit, urbem antiquam, & omnibus rebus auctam, & ornatam. recens exemplum fortiſſimi viri profero. nam poſtea Servilius imperator populi Romani, Olympum, urbem hoſtium, cepit, quàm tu in iiſdem locis legatus quæſtorius oppida pacata ſociorum, atque amicorum diripienda, ac vexanda curaſti. Tu, quæ ex fanis religioſiſſimis per ſcelus, & latrocinium abſtuliſti, ea nos videre, niſi in tuis, amicorumque tuorum tectis, non poſſumus: P. Servilius, quæ ſigna atque ornamenta ex urbe hoſtium, vi, & virtute capta, *belli lege*, atque imperatorio jure ſuſtulit, ea populo Romano apportavit, per triumphum vexit, [5] in tabulas publicas ad ærarium perſcribenda curavit. Cognoſcite ex litteris publicis hominis ampliſſimi diligentiam. Recita. RATIONES RELATÆ P. SERVILII. Non ſolùm numerum ſignorum, ſed etiam *uniuſcujuſque magnitudinem*, *figuram*, *ſtatum*, litteris definiri vides. Certè *MAJOR EST VIRTUTIS*, victoriæque jucunditas, quàm iſta voluptas, quæ percipitur ex libidine, & cupiditate. multo diligentiùs habere dico Servilium prædam populi Romani,
quàm te tua furta notata atque deſcripta. Dices, tua quoque 22
ſigna, & tabulas pictas ornamento urbi, foroque populi R. fuiſſe. Memini: vidi ſimul cum populo R. forum, comitiumque adornatum ad ſpeciem magnifico ornatu: ad ſenſum, cogitationemque acerbo, & lugubri. vidi *collucere omnia furtis tuis*, præda provinciarum, ſpoliis ſociorum, atque amicorum. Quo quidem tempore, judices, iſte ſpem maximam reliquorum quoque peccatorum nactus eſt. Vidit enim eos, qui judiciorum dominos ſe dici volebant, harum *cupiditatum eſſe ſervos.* Socii verò, nationeſque exteræ, ſpem omnium tum primùm abjecere rerum, ac fortunarum ſuarum, propterea quòd caſu legati ex Aſia, atque Achaja plurimi Romæ tunc fuerunt: qui deorum ſimulacra ex ſuis fanis ſublata, *in foro venerabantur:* itemque cetera ſigna, & ornamenta cùm cognoſcerent, alia alio in loco lacrymantes intuebantur. quorum omnium hunc ſermonem tum eſſe audiebamus: NIHIL ESSE, QUOD QUISQUAM DUBITARET DE EXITIO SOCIORUM, ATQUE AMICORUM: cùm quidem viderent in foro populi R. quo in loco antea, qui ſociis injurias fecerant, accuſari, & condemnari ſolebant, ibi eſſe palàm poſita ea, quæ ab ſociis per ſcelus ablata, ereptaque eſſent. Hîc ego non arbitror illum negaturum, ſigna ſeſe plurima, tabulas pictas innumerabiles habere: ſed, ut opinor, ſolet hæc, quæ rapuit & furatus eſt, nonnunquam dicere ſe emiſſe: quoniam quidem in Achajam, Aſiam, Pamphiliam, *ſumtu publico*, *&* [6] *legationis nomine*, mercator ſignorum, tabularum-
que pictarum miſſus eſt. Habeo & iſtius, & patris ejus 23
acce-

1. *Adventus iſtius prandia, cenas &c.*] Cælius conjicit *adventu.* non probat Gulielmio.

2. *Sub divo.*] Ita Pall. Cujac. ita edd. omnes vett. etiam Victoriana. aliæ *ſub dio*, cui ſuffragatur editio Pædiani.

3. *Ipſum artificio ſuo ſuperaſſe videatur.*] Monet Gulielmius illud *ſuo* forte delendum, fide Aſconianâ.

4. *Olympum.*] Id nomen bis reſtituo Ciceroni, fide Strabonis Geographiæ lib. XIV. pro quo Lambinus, Manutius aliique maluerunt *Olynthum.*

5. *In tabulas publicas ad ærarium perſcrib.*] Cujac. *in tabulis publicis*, quomodo item putat legiſſe Pædianum Gulielmius. alterum cuſtoditur a Pall. & edd. vett.

6. *Legationis nomine, mercator ſignorum, &c.*] Haud aliter quoque Pall. & Cujac. & vett. impreſſi.

accepti tabulas omneis : quas diligentiſſimè legi , atque digeſſi : patris , quoad vixit : tuas , quoad ais te confeciſſe. nam in iſto , judices , hoc novum reperietis. Audimus, aliquem tabulas numquam confeciſſe : quæ eſt opinio hominum de Antonio falſa. nam fecit diligentiſſimè. verùm [1] ſit hoc genus aliquod , minimè probandum. Audimus, alium non ab initio feciſſe , ſed ex tempore aliquo confeciſſe. eſt aliqua etiam hujuſce rei ratio. Hoc verò novum , & ridiculum eſt, quod hic nobis reſpondit , cùm ab eo tabulas poſtularemus : uſque ad M. Terentium , & C. Caſſium conſules confeciſſe : poſtea deſtitiſſe. Alio loco, hoc cujuſmodi ſit, conſiderabimus. nunc nihil ad me attinet. horum enim temporum , in quibus nunc verſor, habeo tabulas & tuas, & patris. Plurima ſigna pulcherrima, plurimas tabulas optimas deportaſſe te , negare non potes : atque utinam neges. unum oſtende in tabulis aut tuis , aut patris tui *emtum eſſe :* viciſti. ne hæc quidem duo ſigna pulcherrima , quæ nunc ad impluvium tuum ſtant , quæ multos annos ad valvas Junonis Samiæ ſteterunt , habes quomodo emeris : hæc, inquam , duo , quæ in ædibus tuis ſola jam ſunt , quæ ſectorem exſpectant , relicta , ac deſtituta à
24 ceteris ſignis. At, credo , in hiſce ſolis rebus *indomitas cupiditates* , atque effrenatas habebat : ceteræ libidines ejus, *ratione* aliqua, aut *modo* continebantur. Quàm multis iſtum ingenuis, quàm multis matribus familiâs , in illa tætra, atque impura legatione *vim attuliſſe* exiſtimatis ? ecquo in oppido pedem poſuit , ubi non plura ſtuprorum , flagitiorumque ſuorum , quàm adventus ſui veſtigia reliquerit ? Sed ego omnia, quæ negari poterunt , prætermittam : etiam hæc, quæ certiſſima ſunt, & clariſſima , relinquam : unum aliquod de nefariis iſtius factis eligam : quo facilius ad Siciliam poſſim aliquando , quæ mihi hoc oneris , negotiique impoſuit, pervenire. Oppidum eſt in Helleſponto Lampſacum, judices, in primis Aſiæ provinciæ clarum , & nobile : homines autem ipſi Lampſaceni tum ſummè in omneis civeis Romanos officioſi, tum præterea maximè ſedati , & quieti , propè præter ceteros ad ſummum Græcorum *otium* potius , quàm ad ullam *vim* , *aut tumultum* accommodati. Accidit , cùm iſte à Cn. Dolabella efflagitaſſet, ut ſe ad regem Nicomedem,regemque Sadalam mitteret,cumque iter hoc ſibi magis ad *quæſtum ſuum* , quàm ad reipublicæ tempus accommodatum depopoſciſſet : ut illo itinere veniret Lampſacum , cum magna calamitate , & propè pernicie civitatis. deducitur iſte ad Janitorem quendam hoſpitem : comiteſque ejus item apud ceteros hoſpites collocantur. Ut mos erat iſtius , atque [2] ut eum ſuæ libidines flagitioſæ facere admonuerant , ſtatim negotium dat illis ſuis comitibus, nequiſſimis, turpiſſimiſque hominibus, uti videant, & inveſtigent , ECQUA VIRGO SIT , AUT MULIER DIGNA , quamobrem iſte Lampſaci diutius commoraretur. Erat comes ejus Rubrius quidam, homo factus ad iſtius libidines : qui miro artificio , quocumque venerat , hæc inveſtigare
25 omnia ſolebat. [3] is ad eum rem iſtam defert. Philodamum eſſe quendam genere , honore , copiis , exiſtimatione facilè principem Lampſacenorum : ejus eſſe filiam, quæ cum patre habitaret, propterea quòd virum non haberet, mulierem eximia pulchritudine : ſed eam ſumma integritate , pudicitiaque exiſtimari. homo , ut hæc audivit, ſic *exarſit ad id, quod non modo ipſe numquam viderat* , ſed ne audierat quidem ab eo , qui ipſe vidiſſet , ut ſtatim ad Philodamum migrare ſe diceret velle. Hoſpes Janitor , qui nihil ſuſpicaretur, veritus, [4] ne quid in ipſo ſe offenderit : hominem ſumma vi retinere cœpit. iſte , qui hoſpitis relinquendi cauſam reperire non poſſet , alia ſibi ratione viam munire ad ſtuprum cœpit : Rubrium, *delicias ſuas*, in omnibus ejuſmodi rebus adjutorem ſuum, & conſcium , parum lautè deverſari dicit : ad Philodamum deduci jubet. Quod ubi eſt Philodamo nunciatum , [5] tametſi erat ignarus , quantum ſibi , ac liberis ſuis jam tum mali conſtitueretur , tamen ad iſtum venit ; oſtendit , *munus illud ſuum non eſſe :* ſe , cùm ſuæ partes eſſent hoſpitum recipiendorum , [6] tum ipſos tamen prætores, & conſules, non legatorum aſſeclas , recipere ſolere. Iſte, qui una cupiditate raperetur , totum illius poſtulatum, cauſamque neglexit : per vim ad eum , qui recipere non debebat, Rubrium deduci imperavit. Hìc Philodamus, 26
poſteaquàm *jus ſuum obtinere non potuit* ; ut humanitatem, conſuetudinemque ſuam retineret, laborabat. homo , qui ſemper hoſpitaliſſimus , amiciſſimuſque noſtrorum hominum exiſtimatus eſſet, noluit videri ipſum illum Rubrium, [7] *invitus in domum ſuam recepiſſe :* magnificè , & ornatè , ut erat in primis inter ſuos copioſus , convivium comparat : rogat Rubrium, ut, quos ei commodum ſit, invitet : locum ſibi ſoli, ſi videatur, relinquat. [8] etiam filium ſuum, lectiſſimum adoleſcentem, foras ad propinquum ſuum quendam mittit ad cenam. Rubrius iſtius comites invitat. eos omneis Verres certiores facit, quid opus eſſet. maturè veniunt : diſcumbitur. fit ſermo inter eos , & invitatio , ut *Græco more biberetur.* hortatur hoſpes : poſcunt majoribus poculis : celebratur omnium ſermone, lætitiaque convivium. Poſteaquàm ſatis calere res Rubrio viſa eſt : Quæſo , inquit , Philodame , *cur ad nos filiam tuam non intrò vocari jubes ?* Homo, qui & ſumma gravitate , & jam id ætatis , & parens eſſet, *obſtupuit hominis improbi dicto.* Inſtare Rubrius. Tum ille , ut aliquid reſponderet, negavit moris eſſe Græcorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres. Hìc tum alius ex alia parte : [9] Enimverò ferendum hoc non eſt : VOCETUR MULIER , & ſimul ſervis ſuis Rubrius , ut januam clauderent , & ipſi ad fores aſſiſterent , imperat. Quod ubi ille intellexit, id agi, atque id parari, ut filiæ ſuæ vis afferretur : ſervos ſuos ad ſe vocat : his imperat , ut *ſe ipſum negligant :* filiam defendant : excurrat aliquis , qui hoc tantum [10] domeſtici mali filio ſuo nuntiet. [11] Clamor interea fit tota domo ; pugna inter ſervos Rubrii , atque hoſpitis. Jactatur domi ſuæ [12] vir primus,& homo honeſtiſſimus. pro ſe quiſque manus affert : aqua denique ferventi à Rubrio ipſo Philodamus perfunditur. Hæc ubi filio nuntiata ſunt : ſtatim exanimatus ad ædeis contendit , ut & vitæ patris, & pudicitiæ ſororis ſuccurreret. Omnes eodem animo Lampſaceni, ſimul ut hoc audiverunt, quòd eos tum Philodami dignitas, tum *injuriæ magnitudo* movebat , ad ædeis noctu convenerunt.

---

1. *Sit hoc genus aliquod.*] Victorius quidem expreſſit *aliquid* , ſed ſimplicius mihi viſum quod erat in ante publicatis & Pall.

2. *Ut eum ſuæ libidines flagitioſæ facere admonuerant.*] Lambinus *admonebant*, quod & in cod. Cujac. placebatque Gulielmio, qui arbitrabatur poſſe præterea deleri vocem *facere*.

3. *Is ad eum rem iſtam defert.*] Nihil periret ſententiæ , ſi tollerentur *ad eum rem iſtam*.

4. *Ne quid in ipſo ſe offenderit.*] Gulielmius retinuit hanc lectionem , contra emendationes Lambini. Cujacii tamen liber , item Pal. pr. & ed. vet. *offenderetur*.

5. *Tametſi erat ignarus.*] Pal. pr. *tamen etſi ;* conſulatur item Muretus lib. v. Var. lect. cap. 8.

6. *Tum ipſos tamen prætores.*] Vulgata *tantum præt*. ſed alterum eſt in edd. vett. in Pall. in Cujaciano. Hotomanus corrigit , *tamen ipſos tantum ;* non neceſſario.

7. *Invitus in domum ſuam recepiſſe.*] Abeſt Cujaciano *in*; reſtat tamen in Pall. & edd. ceteris.

8. *Etiam filium , &c. mittit ad cenam.*] Sic Gulielmius è Cujacii libro. Vulgata , *ut etiam filium , &c. mitteret ad cenam.* & ſic eſt , etiam Pall. & edit. veterrimæ deſtituuntur illi *ut* , ſed tamen habent, *mitteret*. itaque nulli dubium eſt, emendandum adhuc; *etiam filium , &c. mittere ad cenam* , pro *mittebat* , non inſolens loquendi ratio.

9. *Enimverò ferendum hoc non eſt.*] Non malè Cujacii codex , *hoc quidem non eſt*.

10. *Domeſtici mali filio ſuo nunciet.*] Pronomen *ſuo*,non eſt in Pall. aut olim impreſſis ; poteratque abeſſe.

11. *Clamor & domo ; pugna inter ſervos.*] Libris prius aberat dictio , *pugna*. eam ex Julii Rufiniani libro intulit primum Hotomanus.

12. *Vir primus & homo honeſtiſſimus.*] Hæc eſt lectio quoque Pall. & edd. exoletarum. nam Victoriana , *vir optimus* , *& homo honeſt.* Lambiniana ex Nonio , *vir primarius & homo honeſt.* vulgata , *vir optimus & honeſtiſſimus.*

I. In

runt. Hic lictor iſtius Cornelius, qui cum ejus ſervis erat à Rubrio, quaſi in præſidio, ad auferendam mulierem collocatus, occiditur; ſervi nonnulli vulnerantur. ipſe Rubrius in turba ſauciatur. Iſte, qui ſua cupiditate tantos tumultus
27 concitatos videret, cupere aliqua evolare, ſi poſſet. Poſtridie manè homines [1] in concionem veniunt. quærunt, quid optimum factu ſit. pro ſe quiſque, ut in quoque erat auctoritatis plurimum, ad populum loquebatur. inventus eſt nemo, cujus non hæc & ſententia eſſet, & oratio: NON ESSE METUENDUM, SI ISTIUS NEFARIUM SCELUS LAMPSACENI ULTI VI, MANUQUE ESSENT, NE SENATUS, POPULUSQUE R. IN EAM CIVITATEM ANIMADVERTENDUM PUTARET. Quòd ſi hoc jure legati populi Rom. in ſocios, nationeſque exteras uterentur, ut pudicitiam liberorum ſervare ab eorum libidine tutam non liceret: *quidvis eſſe perpeti ſatius*, quàm in tanta vi, atque acerbitate verſari. Hæc cùm omnes ſentirent, & cùm in eam rationem pro ſuo quiſque ſenſu, ac dolore loqueretur: omnes ad eam domum, in qua iſte deverſabatur, profecti ſunt: cædere januam ſaxis, inſtare ferro, ligna, & ſarmenta circumdare, [2] ignemque ſubjicere cœperunt. Tum cives Romani qui Lampſaci negociabantur, concurrunt: orant Lampſacenos, ut gravius apud eos *nomen legationis*, quàm *injuria legati* putaretur: ſeſe intelligere hominem illum eſſe impurum, ac nefarium: ſed, quoniam *nec perfeciſſet*, quod conatus eſſet, neque futurus eſſet Lampſaci poſtea: levius eorum peccatum fore, ſi homini ſcelerato pepercisſent, quàm ſi legato non pepercisſent. Sic iſte, multo ſceleratior, & nequior, quàm ille Hadrianus; aliquanto etiam felicior fuit. ille, quòd ejus avaritiam cives Romani ferre non potuerant, Uticæ *domi ſuæ vivus exuſtus eſt:* idque ita illi meritò accidiſſe exiſtimatum eſt, ut lætarentur omnes, neque *animadverſio* conſtitueretur: hic ſociorum ambuſtus incendio, tamen ex illa flamma, periculoque evolavit: neque adhuc cauſam ullam excogitare potuit, quamobrem commiſerit, aut quid evenerit, ut in tantum periculum veniret. Non enim poteſt dicere, *Cùm ſeditionem* ſedare vellem, cùm frumentum imperarem, cùm ſtipendium cogerem, cùm aliquid denique reipublicæ cauſa gererem: quòd acrius imperavi, quòd animadverti, quòd minatus ſum. Quæ ſi diceret: tamen ignoſci non oporteret, ſi *nimis atrociter imperando* ſociis, in
28 tantum adductus periculum videretur. Nunc cùm ipſe cauſam illius tumultus neque veram dicere, neque falſam confingere audeat: homo autem ordinis ſui frugaliſſimus, qui tum accenſus C. Neroni fuit, [3] P. Tettius, hæc eadem ſe Lampſaci cognoſſe dixerit: vir omnibus rebus ornatiſſimus C. Varro, qui tum in Aſia tribunus militum fuit, hæc eadem ipſa ſe ex Philodamo audiſſe dicat: poteſtis dubitare, quin iſtum *fortuna* non tam ex illo periculo eripere voluerit, quàm ad veſtrum judicium reſervare? Niſi verò illud dicet, quod & in teſtimonio Tettii, priore actione interpellavit Hortenſius: quo tempore quidem *ſigni ſatis dedit*, ſi quid eſſet, quod poſſet dicere, ſe tacere non poſſe: [4] ut, quamdiu in ceteris rebus tacuerit, ſcire omnes poſſemus, nihil habuiſſe quod diceret. hoc tum dixit, Philodamum, & ejus filium, à C. Nerone eſſe damnatos. De quo ne multa diſſeram, tantum dico, ſecutum id eſſe Neronem, & ejus conſilium, quòd Cornelium lictorem occiſum eſſe conſtaret: putaſſe *NON OPORTERE* eſſe cuiquam, ne in ulciſcenda quidem injuria, hominis occidendi poteſtatem. In quo video, Neronis judicio non te abſolutum eſſe improbitatis: ſed illos damnatos eſſe cædis. verùm iſta damnatio tamen cujuſmodi fuit? Audite, quæſo, judices, & aliquando miſeremini ſociorum, & oſtendite, aliquid his in veſtra fide præſidii eſſe oportere. Quòd toti Aſiæ jure 29
occiſus videbatur iſtius ille verbo lictor, re vera *miniſter improbiſſimæ cupiditatis:* pertimuit iſte, ne Philodamus Neronis judicio liberaretur. rogat, & orat Dolabellam, ut de ſua provincia decedat: ad Neronem proficiſcatur: ſe demonſtrat incolumem eſſe non poſſe, ſi Philodamo vivere, atque aliquando Romam venire licuiſſet. Commotus eſt Dolabella. fecit id, quod *multi reprehenderunt*, ut exercitum, provinciam, bellum relinqueret, & in Aſiam, hominis nequiſſimi cauſa, in alienam provinciam proficiſceretur. Poſteaquàm ad Neronem venit: contendit ab eo, ut Philodami cauſam cognoſceret. Venerat ipſe, qui eſſet in conſilio, & primus ſententiam diceret. adduxerat etiam præfectos, & tribunos militareis ſuos, quos Nero omneis in conſilium vocavit. erat in conſilio etiam æquiſſimus judex ipſe Verres. erant nonnulli togati creditores Græcorum, quibus *ad exigendas pecunias* improbiſſimi cujuſque legati plurimùm prodeſt gratia. Ille miſer *defenſorem* reperire neminem poterat. quis enim eſſet aut togatus, qui Dolabellæ *gratia:* aut Græcus, qui ejuſdem *vi & imperio* non moveretur? Accuſator autem apponitur civis Romanus de creditoribus Lampſacenorum: qui ſi dixiſſet quod iſte juſſiſſet, per ejuſdem iſtius lictores à populo pecuniam poſſet exigere. Cùm hæc omnia tanta contentione, tantis copiis agerentur, cùm illum miſerum multi accuſarent, nemo defenderet: cumque Dolabella cum ſuis præfectis pugnaret in conſilio: Verres fortunas agi ſuas diceret: *idem teſtimonium diceret: idem eſſet in conſilio: idem accuſatorem paraſſet:* hæc cùm omnia fierent, & cùm hominem conſtaret occiſum: tamen tanta vis iſtius injuriæ, tanta in iſto improbitas putabatur, ut de Philodamo amplius pronuntiaretur. Quid ego 30
nunc in alteram actionem Cn. Dolabellæ ſpiritus: quid hujus lacrymas, & concurſiones proferam: quid C. Neronis, viri optimi, atque innocentiſſimi, nonnullis in rebus, *animum nimis timidum*, atque demiſſum? qui in illa re quid facere potuerit, non habebat, niſi fortè, id quod omnes tum deſiderabant, ut ageret eam rem ſine Verre, & Dolabella. quidquid eſſet ſine his actum, omnes probarent. tum verò quod pronuntiatum eſt, non per Neronem judicatum, ſed per Dolabellam ereptum exiſtimabatur. condemnatur enim perpaucis ſententiis Philodamus, & ejus filius. Adeſt, inſtat, urget Dolabella, ut quàmprimùm ſecuri feriantur, quo quàm minime multi ex illis de iſtius nefario ſcelere audire poſſent. Conſtituitur in foro Laodiceæ ſpectaculum acerbum, & miſerum, & grave toti Aſiæ provinciæ: grandis natu parens, adductus ad ſupplicium: ex altera parte filius: ille, *quòd pudicitiam liberorum:* hic, *quòd vitam patris, famamque ſororis defenderat.* Flebat uterque, non de ſuo ſupplicio, ſed pater de filii morte, de patris, filius. Quid lacrymarum ipſum Neronem putatis profudiſſe? quem fletum totius Aſiæ fuiſſe? quem luctum, & gemitum Lampſacenorum? ſecuri eſſe percuſſos homines *innocenteis*, nobileis, ſocios populi Romani atque amicos, propter hominis flagitioſiſſimi ſingularem nequitiam, atque improbiſſimam cupiditatem? [5] Jam jam, Dolabella, neque tui, neque tuorum liberûm, quos tu miſeros in egeſtate, atque in ſolitudine reliquiſti, *miſereri poteſt.* Verreſne tibi tanti fuit, ut ejus libidinem, hominum innocentium ſanguine lui velles? Idcircone exercitum, atque hoſtem relinquebas, ut tua vi, & crudelitate, iſtius hominis improbiſſimi pericula ſublevares? Quòd enim eum tibi quæſtoris in locum conſtitueras, idcirco tibi [6] *amicum in perpetuum* fore putaſti? Neſciebas,

1. *In concionem veniunt.*] Scriptus Cujacii *conveniunt.* non accedunt Pall. aut editio antiquior.

2. *Ignemque ſubjicere.*] Sic Pall. & edd. vett. nam copula deerat vulgatis antea. Cujacianus præterea interjecit, *ignemque circum ſubjicere.*

3. *P. Tettius.*] Pall. *Petirius.* Cujac. *Pectius.* ed. vet. *Petricius;* quæ tamen ſtatim habuit *Cecilii.* Pall. verò *Cettii.* at Cujac. *Tecti.*

4. *Ut quamdiu in ceteris rebus tacuerit, ſcire &c.*] Vox *tacuerit*, non comparet in Pall. aut adeo edd. primogeniis. Cujacii liber, *in ceteris teſtibus ſcire, &c.*

5. *Jamjam Dolabella, neque, &c. miſereri poteſt.*] Reducendum putavimus, quod erat in Pall. in Cujac. in primis edd. recentiores, *Nemo, jam Dolabella &c.* quod tamen non conſpicitur in edd. vetuſtis, aut mſſ.

6. *Amicum in perpetuum.*] Gulielmius maluiſſet abjici præpoſitiunculam *in.*

ſciebas, ab eo Cn. Carbonem Coſ. cujus re vera quæſtor fuit, non modò relictum, ſed etiam ſpoliatum [1] auxiliis, pecunia nefariè oppugnatum, & proditum? Expertus igitur es iſtius perfidiam tum, cùm ſe ad inimicos tuos contulit: cùm in te homo ipſe nocens acerrimum teſtimonium dixit: cùm rationes ad ærarium, niſi damnato te, referre noluit. Tantæne tuæ, Verres *libidines* erunt, ut eas capere, ac

31 ſuſtinere non provinciæ populi Romani, non nationes exteræ poſſint? Tune, quod videris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, niſi id *ad nutum tuum præſto fuerit*, [2] niſi libidini tuæ, cupiditatique paruerit, immittentur homines? expugnabuntur domus? civitates non modò pacatæ, verùm etiam ſociorum, atque amicorum, ad vim, atque ad arma confugient, ut ab ſe, atque ab liberis ſuis legati populi R. ſcelus, ac libidinem propulſare poſſint? Nam quæro abs te, circumſeſſuſne ſis Lampſaci: cœperitne domum, in qua deverſabare, illa multitudo incendere: voluerintne legatum populi Rom. comburere vivum Lampſaceni. negare non potes. habeo enim teſtimonium tuum, quod apud Neronem dixiſti: habeo quas ad eundem litteras miſiſti. Recita hunc ipſum locum de teſtimonio. TESTIMONIUM C. VERRIS IN ARTEMIDORUM. [3] [Recita ex Verris litteris ad Neronem. EX LITTERIS C. VERRIS AD C. NERONEM.] NON MULTO POST IN DOMUM. Bellumne populo Romano [4] Lampſaceni cives facere conabantur? deficere ab imperio, ac nomine noſtro volebant? Video enim, & ex iis, quæ *legi & audivi*, intelligo: in qua civitate non modò legatus populi Rom. circumſeſſus, non modò igni, ferro, manu, copiis oppugnatus, ſed aliqua ex parte violatus ſit: niſi *publicè ſatisfactum ſit*, ei civitati bellum indici, atque inferri ſolere. Quæ fuit igitur cauſa, cur cuncta civitas Lampſacenorum de concione, quemadmodum tute ſcribis, [5] domum tuam concurreret? Tu enim neque in litteris, quas Neroni mittis, neque in teſtimonio, cauſam tanti tumultus oſtendis ullam: obſeſſum te dicis: ignem allatum, ſarmenta circumdata, lictorem tuum occiſum eſſe dicis: prodeundi tibi in publicum poteſtatem factam negas: *cauſam hujus tanti terroris occultas*. Nam ſi quam Rubrius injuriam ſuo nomine, ac non impulſu tuo, & tua cupiditate feciſſet: de tui comitis injuria queſtum ad te potius, quàm te oppugnatum venirent. Cum igitur, quæ cauſa illius tumultus fuerit, teſtes à nobis producti dixerint, ipſe celarit: nonne cauſam hanc, quam nos propoſuimus, tum illorum

32 teſtimonia, tum iſtius *taciturnitas perpetua* confirmat? Huic homini parcetis igitur, judices, cujus tanta peccata ſunt, ut ii, quibus injurias fecerit, neque *legitimum tempus exſpectare* ad ulciſcendum, neque vim tantam doloris in poſterum differre potuerint? Circumſeſſus es. à quibus? à Lampſacenis, barbaris hominibus, credo, aut iis, qui populi Romani nomen contemnerent. Immò verò ab hominibus & natura, & conſuetudine, & diſciplina *leniſſimis*: porrò autem populi Rom. conditione ſociis, fortuna ſervis, voluntate ſupplicibus: ut perſpicuum ſit omnibus, niſi tanta acerbitas injuriæ, tanta vis ſceleris fuiſſet, ut Lampſaceni *moriendum ſibi potius*, quàm perpetiendum putarent; numquam illos in eum locum progreſſuros fuiſſe, ut vehementius odio libidinis tuæ, quàm metu legationis moverentur. Nolite, per deos immortaleis, cogere ſocios, atque exteras nationes hoc uti perfugio: quo, niſi vos vindicatis, *utentur neceſſario*. Lampſacenos in iſtum numquam ulla res mitigaſſet, niſi eum pœnas Romæ daturum crediidiſſent. Et ſi talem acceperant injuriam: quam nulla lege ſatis dignè perſequi poterant: tamen incommoda ſua veſtris committere *legibus*, & judiciis, quàm *dolori* ſuo permittere maluerunt. Tu mihi, cùm circumſeſſus à tam illuſtri civitate ſis propter tuum ſcelus, atque flagitium: cùm coëgeris homines miſeros, & calamitoſos, quaſi deſperatis noſtris legibus & judiciis, ad vim, ad manus, ad arma confugere: cùm te in oppidis & civitatibus amicorum non *legatum* populi Romani, ſed *tyrannum* libidinoſum, crudelemque præbueris: cùm apud exteras nationes, imperii, nominiſque noſtri famam tuis probris, flagitiiſque violaris: cùm te ex ferro amicorum populi Romani eripueris, atque è flamma ſociorum evolaris: hìc tibi perfugium ſperas futurum? Erras. ut huc incideres, non ut hìc *conquieſceres*, illi te vivum exire paſſi ſunt. Et ais, judicium eſſe factum, te injuria circum- 33 ſeſſum eſſe Lampſaci, quòd Philodamus cùm filio condemnatus ſit. Quid, ſi doceo, ſi planum facio, teſte homine nequam, verùm ad hanc rem tamen idoneo (te ipſo, inquam, teſte docebo) te hujus circumſeſſionis tuæ cauſam & culpam [6] in alios tranſtuliſſe? neque in eos, quos tu inſimularas, eſſe animadverſum? jam nihil te judicium Neronis adjuvat. Recita quas ad Neronem litteras miſit. EPISTOLA C. VERRIS AD NERONEM. THEMISTAGORAS, ET THESSALUS. Themiſtagoram, & Theſſalum ſcribis populum concitaſſe. Quem populum? qui te circumſedit: qui te vivum comburere conatus eſt. Ubi hos perſequeris? ubi accuſas? ubi *defendis jus*, *nomenque legati*? In Philodami judicio dices id actum. Cedò mihi ipſius Verris teſtimonium. videamus, quid idem iſte juratus dixerit. Recita. *AB ACCUSATORE ROGATUS RESPONDIT, IN HOC JUDICIO NON PERSEQUI: SIBI IN ANIMO ESSE ALIO TEMPORE PERSEQUI.* Quid igitur te juvat Neronis judicium? quid Philodami damnatio? Legatus cùm eſſet circumſeſſus, cumque, quemadmodum tute ad Neronem ſcripſiſti, populo Romano communique cauſæ legatorum facta eſſet injuria inſignis: non es perſecutus: dicis tibi in animo eſſe alio tempore perſequi. Quod fuit id tempus? quando es perſecutus? cur imminuiſti jus legationis? cur cauſam populi Romani deſeruiſti, ac prodidiſti? cur injurias tuas, *conjunctas cum publicis*, reliquiſti? Non te ad ſenatum cauſam deferre: non de tam atrocibus injuriis conqueri: non eos homines, qui populum concitarant, conſulum litteris evocandos curare oportuit? Nuper, M. Aurelio Scauro poſtulante, quòd is Epheſi ſe quæſtorem vi prohibitum eſſe dicebat, quo minus è fano Dianæ ſervum ſuum, qui in illud aſylum confugiſſet, abduceret: Pericles Epheſius, homo nobiliſſimus, Romam evocatus eſt, quòd auctor injuriæ illius fuiſſe argueretur. Tu, ſi te legatum ita Lampſaci tractatum eſſe, ſenatum docuiſſes, ut tui comites vulnerarentur, lictor occideretur, ipſe circumſeſſus pænè incenderere: ejus autem rei duces, [7] & auctores, & principes fuiſſe, quos ſcribis, Themiſtagoram, & Theſſalum: quis non commoveretur? *quis non ex injuria, quæ tibi eſſet facta, ſibi provideret?* quis non in ea re cauſam tuam, periculum commune agi

---

1. *Auxiliis, pecunia nefariè oppugnatum.*] Hotomanus expungendum putabat *pecunia*; ſed nos retinuimus, quod exſtaret in noſtris & vet. ed. neque Aſconius contrairet.

2. *Niſi libidini tuæ cupiditatique paruerit.*] *Parere* enim heic poſitum pro *apparere*. apparet autem alicui is qui eſt ſatelles ejus, qui adſecla. inde *apparitores*.

3. *Recita ex Verris litteris &c. ad C. Neronem.*] Tota hæc linea uncis incluſa, manat a conjectura Hotomanni, in nullo invenitur mſ. aut vetuſtius edito.

4. *Lampſaceni cives facere conabantur? deficere &c. volebant?*] Sic quidem vulgo publicatur, ſed præter vett. edd. & Pall. in iis enim, *Lampſaceni civitas facere conabantur? deficere &c. volebat.* unde fit, ut arbitror voce tranſlata legendum: *Lampſaceni facere conabantur? civitas deficere &c. volebat?* non longè ab hac ſcriptura abeunt mſſ. quos laudat Hotomanus, ſed abeunt tamen. edidit Lambinus: *Lampſacena civitas facere conabatur? deficere & volebat*; quomodo fuiſſe in Cujaciano annotavit Gulielmius.

5. *Domum concurreret.*] Editio antiquata *concurrerent*, quod & in Pal. pr. at Cujac. *concurrerit*, quod admiſit Lambinus.

6. *In alios tranſtuliſſe?*] Lambinus, *contuliſſe?* ex Aſconio, ut & mox, *inſimularis*, pro noſtro *inſimularas*. Sed ego ſanè uſquequaque non poſſum accedere Aſconio, utpote qui æque incidere potuerit in mangonum improbas manus, ac quilibet paſſim auctor.

7. *Et auctores, & principes fuiſſe.*] Vix dubitandum eſt, quin reſtituenda veniat mſſ. noſtrorum trium & vett. edd. lectio, & *auctores principes.*

1. L. Ra-

ne agi arbitraretur? Etenim *NOMEN LEGATI, EJUSMODI ESSE DEBET*, quod non modò inter ſociorum jura, ſed etiam inter hoſtium tela incolume
34 verſetur. Magnum hoc Lampſacenum crimen eſt libidinis, atque improbiſſimæ cupiditatis. accipite nunc *avaritiæ* propemodum in ſuo genere non levius. Mileſios navem popoſcit, quæ eum præſidii cauſa Myndum proſequeretur. Illi ſtatim myoparonem egregium de ſua claſſe, ornatum, atque armatum dederunt. Hoc præſidio Myndum profectus eſt. Nam, quid Mileſiis *lanæ publicæ* abſtulerit, item de ſumtu in adventum, de *contumeliis*, & injuriis in magiſtratum Mileſium, tametſi dici tum verè, tum graviter, & vehementer poteſt, tamen dicere prætermittam: eaque omnia teſtibus integra reſervabo. illud, quod neque taceri ullo modo, neque dici pro dignitate poteſt, cognoſcite. Milites, remigeſque Miletum Myndo *pedibus reverti jubet:* ipſe myoparonem pulcherrimum, de decem Mileſiorum navibus electum, L. Magio, & [1] L. Rabio, qui Myndi habitabant, vendidit. Hi ſunt homines, quos nuper ſenatus in hoſtium numero habendos cenſuit. hoc illi navigio ad omneis populi R. hoſteis uſque ab Dianio, quod in Hiſpania eſt, [2] ad Sinopem, quæ in Ponto eſt, navigaverunt. O dii immortales: incredibilem avaritiam, ſingularemque audaciam! Navem tu de claſſe populi R. quam tibi Mileſia civitas, ut te *proſequeretur*, dediſſet, auſus es vendere? Si te magnitudo maleficii, ſi te *hominum exiſtimatio* non movebat: ne illud quidem cogitabas, hujus improbiſſimi furti, [3] ſive adeò nefariæ prædæ, tam illuſtrem, ac tam nobilem civitatem teſtem futuram? an quia tum Cn. Dolabella in eum, qui ei myoparoni præfuerat, Mileſiiſque rem geſtam renuntiarat, animadvertere tuo rogatu conatus eſt, renuntiationemque ejus, quæ erat in *publicas litteras* relata illorum legibus, tolli juſſerat: idcirco [4] te ex hoc crimine elapſum
35 eſſe arbitrabere? Multum te iſta fefellit opinio, & quidem multis in locis. ſemper enim exiſtimaſti, & maximè in Sicilia, [5] SATIS CAUTUM TIBI AD DEFENSIONEM FORE, ſi aut referri aliquid in litteras publicas vetuiſſes: aut, quod relatum eſſet, tolli coëgiſſes. Hoc quam nihil ſit, tametſi ex multis Siciliæ civitatibus priore actione didiciſti, tamen etiam in hac ipſa civitate cognoſce. Sunt illi quidem *dicto audientes*, quamdiu adſunt ii, qui imperant. ſimulac diſceſſerunt; non ſolùm illud perſcribunt, quod tum prohibiti ſunt, ſed etiam cauſam adſcribunt, cur non tum in litteras relatum ſit. Manent iſtæ litteræ Mileti; manent, &, dum erit illa civitas, manebunt. Decem enim naveis juſſu L. Murenæ populus Mileſius [6] *ex pecunia vectigali* populi Rom. fecerat, ſicut pro ſua quæque parte Aſiæ ceteræ civitates. quamobrem unam ex decem, non prædonum repentino adventu, ſed legati latrocinio; non vi tempeſtatis, ſed hac horribili tempeſtate ſociorum, amiſſam, in litteras publicas retulerunt. Sunt Romæ legati Mileſii, homines nobiliſſimi, ac principes civitatis: qui, tametſi [7] menſem Februarium, & COSS. deſignatorum nomen exſpectant; tamen hoc tantum facinus non modò negare interrogati, ſed ne producti quidem reticere potuerunt: dicent, inquam, & *religione adducti, domeſticarum legum metu*, quid illo myoparone factum ſit. oſtendent C. Verrem in claſſe, quæ contra piratas ædificata ſit, piratam
36 ipſum conſceleratum fuiſſe. C. Malleolo quæſtore Cn. Dolabellæ occiſo, duas ſibi hereditates veniſſe arbitratus eſt: unam quæſtoriæ procurationis: nam à Dolabella ſtatim pro quæſtore juſſus eſt eſſe: alteram tutelæ. Nam, cùm pupilli Malleoli tutor eſſet, *in bona ejus impetum fecit.* nam Malleolus in provinciam ſic copioſè profectus erat, ut domi prorſus nihil relinqueret. præterea pecunias occuparat apud populos, & ſyngraphas fecerat: argenti optimi cælati grande pondus ſecum tulerat: (nam ille quoque ſodalis iſtius erat in hoc *morbo*, & cupiditate) grande pondus argenti, familiam magnam, multos artifices, multos formoſos homines reliquit. Iſte quod argenti placuit, invaſit: quæ mancipia voluit, abduxit: vina, ceteraque quæ in Aſia facillimè comparantur, quæ ille reliquerat, aſportavit: reliqua vendidit, pecuniam exegit. [8] Cum eum ad H-S vicies quinquies redegiſſe conſtaret: ut Romam rediit, *nullam litteram pupillo, nullam matri ejus, nullam tutoribus reddidit:* ſervos artifices pupilli cùm haberet, domi, circum pedes autem homines formoſos, & literatos; ſuos eſſe dicebat, ſe emiſſe. cùm ſæpius mater, & avia pueri poſtularent, uti, ſi non redderet pecuniam, nec rationem daret, diceret ſaltem quantum pecuniæ Malleoli deportaſſet: multis efflagitatus aliquando dixit H-S decies. deinde [9] in codicis extrema cera nomen infimum *in flagitioſa litura* fecit: [10] expenſa Chryſogono ſervo H-S ſexcenta millia, accepta, pupillo Malleolo retulit. Quomodo ex decies H-S ſexcenta ſint facta; quomodo DC. eodem modo quadrarint, ut illa de Cn. Carbonis pecunia, reliqua H-S ſexcenta facta ſunt: quomodo Chryſogono expenſa lata ſint: cur id nomen infimum, in lituraque ſit, vos exiſtimabitis. Tamen H-S ſexcenta millia cum accepta retuliſſet, H-S quinque millia ſoluta non ſunt. homines, poſteaquàm reus factus eſt, alii redditi, alii etiam nunc retinentur; peculia omnium, vicariique retinentur. Hæc eſt 37
iſtius præclara tutela. En, *cui tuos liberos committas*: en *memoria mortui ſodalis*: en *metus vivorum exiſtimationis.* Cùm tibi ſe tota Aſia ſpoliandam ac vexandam tradidiſſet: cùm tibi expoſita eſſet omnis ad prædandum Pamphilia: contentus his tam opimis rebus non fuiſti? manus à tutela, manus à pupillo, manus à ſodalis filio abſtinere non potuiſti? Jam te non Siculi, non aratores, (ut dictitas) circumveniunt: non hi, qui decretis, edictiſque tuis in te concitati, infeſtique ſunt: Malleolus à me productus eſt, & mater ejus, atque avia; quæ miſeræ, flentes, everſum à te puerum patriis bonis eſſe dixerunt. Quid exſpectas, an dum ab inferis ille Malleolus exſiſtat, atque abs te officia tutelæ, ſodalitatis, familiaritatiſque flagitet? ipſum putato adeſſe. HOMO AVARISSIME & ſpurciſſime, redde bona ſodalis filio: [11] ſi non quæ abſtuliſti; at quæ confeſſus es. Cur cogis ſodalis filium hanc primam in foro vocem cum dolore, & querimonia emittere? cur ſodalis uxorem, ſodalis ſocrum, domum denique totam ſodalis mortui, contra te teſtimonium dicere? cur pudentiſſimas, lectiſſimaſque *fœminas in tantum virorum conventum inſolitas*, invitaſque prodire cogis? Recita omnium teſtimonia. *TESTIMONIUM MATRIS ET AVIÆ.* Pro quæſtore verò quomodo 38
iſte commune Milyadum vexarit, quomodo Lyciam, Pamphiliam, Piſidiam, Phrygiamque totam frumento imperando, æſtimando, hac ſua, quam tum primum excogitavit, Sicilienſi *æſtimatione* afflixerit, non eſt neceſſe demonſtrare verbis. Hoc ſcitote: his nominibus, (quæ res per eum

1. *L. Rabio.*] Nihil variant Pall. aut olim cuſi. Aſconius habet *Phanio*, & verò *Fannio* edidit P. Manutius.

2. *Ad Sinopen.*] Pall. Cujac. ed. vett. *Sinopam*. ſed parum refert hoc illove modo exaremus.

3. *Sive adeo nefariæ prædæ.*] Manutii omnes, *hujus adeo nefariæ pr.* ſed alterum hæret in Pall. Cujac. & olim editis.

4. *Te ex hoc crimine elapſum.*] Revocavi *ex*, quod aberat editionibus Lambinianis, inventum in mſſ. ceteriſque cuſis.

5. *Satis cautum tibi ad defenſionem fore.*] Tres voces poſtremæ, neſcio an non quid reſipiant de gloſſa.

6. *Ex pecunia vectigali populi Rom.*] Pall. *populo Romano*. nihilo pejus, ſi non melius.

7. *Menſem Februarium, & Coſſ. deſignatorum nomen exſpectant.*] Conjiciebat Hotomanus, *menſem Febr. exſpectant, & Coſſ. deſ. nomen extimeſcunt*, quod recepit P. Manutius, ac tamen improbat.

8. *Cùm ad* H-S *vicies quinquies.*] Eſt ab Hotomano. nam prius cuſi, *cùm ad* H-S XXD *quinquies*. certè ſic Victorianus. quippe editio princeps: *ad* H-S XXIIX *quinquies*. ſolum Pal. ſec. H-S XX *quinquies*.

9. *In codicis extrema cera.*] Pall. & olim cuſi *extremam ceram*. an antiqua ratione ſcribendi, viderint Critici. nam alterum videtur fuiſſe in Aſconianis.

10. *Expenſa Chryſogono ſervo, &c.*] Nobis ſatis fuerit teſtari, ſic quoque repertum in Pall. & vetuſte cuſis.

11. *Si non quæ abſtuliſti.*] Cujacii liber *ſi* excludit. poteratque abeſſe. & alioqui Pal. pr. ejus loco habet *ſive*, ſec. *ſine*.

1. CN. DO-

cum geſtæ ſunt,cùm iſte civitatibus frumentum , coria, cilicia , ſaccos *imperaret* , neque ea *ſumeret :* pro his rebus pecuniam exigeret) his nominibus ſolis, Cn. Dolabellæ H-S ad tricies litem eſſe æſtimatam. Quæ omnia , etiam ſi voluntate Dolabellæ fiebant, per iſtum tamen omnia gerebantur. Conſiſtam in uno nomine. multa enim ſunt ex eodem genere. Recita. *DE LITIBVS ÆSTIMATIS* [1] *CN. DOLABELLÆ PR. PECVNIA Q. POPVLO RO. REDACTA. QVOD A COMMVNI MILYADVM.* Te hæc coëgiſſe , te æſtimaſſe , tibi pecuniam numeratam eſſe dico : eademque vi , & injuria , cùm pecunias maximas cogeres , per omneis parteis provinciæ te , tanquam aliquam *calamitoſam tempeſtatem, peſtemque* pervaſiſſe demonſtro. Itaque M. Scaurus qui Cn. Dolabellam accuſavit , iſtum in ſua poteſtate, ac ditione tenuit. Homo adoleſcens cùm iſtius in inquirendo multa furta , ac flagitia cognoſceret , fecit peritè & callidè. volumen ejus rerum geſtarum maximum iſti oſtendit : ab homine quæ voluit , in Dolabellam abſtulit : [2] iſtum teſtem produxit : *dixit iſte , quæ velle accuſatorem putavit :* Quo ex genere mihi teſtium , qui cum iſto furati ſunt, ſi uti voluiſſem , magna copia fuiſſet : qui ut ſe periculo litium , conjunctione criminum liberarent , [3] quò ego vellem , deſcenſuros pollicebantur. Eorum ego voluntatem omnium repudiavi. *NON MODO PRODITORI,* ſed ne perfugæ quidem locus in meis caſtris cuiquam fuit. Forſitan meliores illi accuſatores habendi ſunt, qui hæc omnia fecerunt : ſed ego defenſorem in mea perſona , non accuſatorem , maximè laudari volo. Rationes ad ærarium , antequam Dolabella condemnatus eſt , *non audet referre.* impetrat à ſenatu , ut dies ſibi prorogaretur , quòd tabulas ſuas ab accuſatoribus Dolabellæ obſignatas diceret: proinde quaſi exſcribendi poteſtatem non haberet. Solus eſt hic , qui
39 numquam rationes *ad ærarium* referat. Audiſtis quæſtoriam rationem tribus verſiculis relatam: legationis non, niſi condemnato & ejecto eo , qui poſſet reprehendere : nunc denique præturæ , quam ex S.C. ſtatim referre debuit , uſque ad hoc tempus non retulit. [4] Quæſtorem ſe in ſenatu exſpectare dixit : perinde quaſi non , ut quæſtor ſine prætore poſſet rationem referre (ut tu Hortenſi , ut omnes) eodem modo ſine quæſtore prætor. Dixit , idem Dolabellam impetraſſe *Omen* magis patribus conſcriptis , quàm *cauſa* placuit. probaverunt. Verùm quæſtores quoque jampridem venerunt. cùr non retuliſti ? illarum rationum ex ea fæce legationis , quæſtoriæque tuæ procurationis illa ſunt nomina, [5] quæ Dolabellæ neceſſariò ſunt æſtimata. EX LITIBUS ÆSTIMATIS DOLABELLÆ PR. ET PROPR. quòd minus Dolabella Verri acceptum retulit , quàm Verres illi expenſum tulerit , H-S quingenta , trigintaquinque millia , & quòd plus fecit Dolabella Verrem accepiſſe , quàm iſte in ſuis tabulis habuit , H-S ducenta triginta duo millia: & quòd plus frumenti fecit accepiſſe iſtum , H-S decies & octingenta millia : [6] quòd tu homo caſtiſſimus , aliud in tabulis habebas. Hinc illæ extraordinariæ pecuniæ , quas nullo duce , tamen aliqua ex particula inveſtigamus , redundarunt : hinc ratio cum Q. & Cn. Poſtumiis , Curtiis , multis nominibus:quorum in tabulis iſte habet nullum:hinc H-S quaterdecies P. Tadio numerata Athenis , teſtibus planum faciam: hinc *emta apertiſſimè prætura :* niſi fortè id etiam dubium eſt , quomodo iſte prætor factus ſit. Homo ſcilicet aut induſtria , aut opera probata , aut frugalitatis exiſtimatione præclarà , aut denique , id quod leviſſimum eſt , aſſiduitate: qui ante quæſturam cum meretricibus , lenonibuſque vixiſſet : quæſturam ita geſſiſſet, quemadmodum cognoviſtis: Romæ poſt quæſturam illam nefariam vix triduum conſtitiſſet : abſens non in oblivione jacuiſſet,ſed in aſſidua commemoratione omnibus omnium flagitiorum fuiſſet : is repentè , ut Romam venit , *gratis prætor factus eſt.* Alia porrò pecunia , *ne accuſaretur* , data. Cui ſit data, nihil ad me , nihil ad rem pertinere arbitror : datam quidem eſſe tum inter omneis recenti negotio facilè conſtabat. Homo ſtultiſſime, & amentiſſime , tabulas cum conficeres , & cùm extraordinariæ pecuniæ crimen ſubterfugere velles : ſatis te elapſurum omni ſuſpicione arbitrabare , ſi , quibus pecuniam credebas , *in expenſum non ferres* , neque in tuas tabulas ullum nomen referres , cum tot tibi nominibus acceptum Curtii referrent ? Quid proderat tibi , te expenſum illis non tuliſſe ? An *tuis ſolis tabulis* te cauſam dicturum exiſtimaſti?
Verùm ad illam jam veniamus præclaram præturam,crimi- 40
naque ea , quæ notiora ſunt his , qui adſunt , quàm nobis, qui meditati ad dicendum , paratique venimus : in quibus non dubito , quin offenſionem negligentiæ vitare , atque effugere non poſſim. Multi enim ita dicent : DE ILLO NIHIL DIXIT , IN QUO EGO INTERFUI : illam injuriam non attigit , quæ mihi , aut quæ amico meo facta eſt : quibus ego in rebus interfui. His omnibus , qui iſtius injurias norunt , hoc eſt , populo Rom. univerſo , me vehementer excuſatum volo , non negligentia mea fore , ut multa prætercam : ſed quod alia teſtibus intergra reſervari velim : multa autem propter rationem brevitatis , ac temporis prætermittenda exiſtimem. Fatebor etiam illud invitus , me prorſus, cum iſte *punctum temporis nullum vacuum peccato præterire* paſſus ſit , omnia , quæ ab iſto commiſſa ſunt , non potuiſſe cognoſcere. Quapropter ita me de præturæ criminibus auditote , ut ex utroque genere & juris dicundi , & ſartorum tectorum exigendorum , ea poſtuletis , quæ maximè digna ſunt eo reo , cui *parvum ac mediocre objici nihil oporteat.* Nam ut prætor factus eſt , qui auſpicatò à Chelidone ſurrexiſſet, ſortem nactus eſt urbanæ provinciæ , magis ex ſua , & Chelidonis , quàm ex populi R. voluntate. qui principio , qualis in edicto conſtituendo fuerit , cognoſcite. P. Annius 41
Aſellus mortuus eſt , C. Sacerdote prætore. Is cum haberet unicam filiam , neque cenſus eſſet : [7] quòd eum *natura hortabatur* , lex nulla prohibebat , fecit , ut filiam bonis ſuis heredem inſtitueret. heres erat filia : faciebant omnia cum pupilla , legis æquitas , voluntas patris , edicta prætorum, conſuetudo juris ejus , quod erat tum , cùm Aſellus eſt mortuus. Iſte , prætor deſignatus (utrùm admonitus , an tentatus , an , qua eſt iſte ſagacitate in his rebus , ſine duce ullo, ſine indice pervenerit ad hanc improbitatem , neſcio : vos tantum hominis *audaciam* , *amentiamque* cognoſcite) appellat heredem L. Annium , qui erat inſtitutus ſecundum filiam (non enim mihi perſuadetur , iſtum ab illo priùs appellatum,) dicit ſe poſſe ei condonare edicto hereditatem: docet hominem , quid poſſit fieri. illi *bona res* , huic *vendibilis* videbatur. Iſte tametſi ſingulari eſt audacia : tamen ad pupillæ matrem ſummittebat. malebat pecuniam accipere, ne quid novi ediceret , quàm ut hoc edictum tam improbum,

1. CN. DOLABELLÆ PR. PECUNIÆ REDACTÆ QUOD &c.] Sic editiones exoletæ ; neque aliter Pall. niſi quod alter DOLABELLÆ P. P. RO. PECUNIÆ &c. quomodo multæ etiam edd. nam Victoriana : DOLABELLÆ PR. POP. RO. PECUNIÆ &c.

2. *Iſtum teſtem produxit &c. putavit.*] Hæc omnia non habentur in prima editione , neque agnoſcunt Pall. & poterant certe concinni alicujus eſſe interpretis.

3. *Quo ego vellem deſcenſuros pollicebantur.*] Lambiniani , *diſceſſuros* , & ſic quidem Cujacianus. nolim ſequi contra tot edd. & Pall. etiamſi in eam partem inclinaret Gulielmius ; ut alluderetur ſcilicet *diſceſſioni Senatorum*.

4. *Quæſtorem ſe in Senatu.*] Pugnat pro hac lectione Paullus Manutius , contra Aſconianam *Quæſtores*, a qua item abeunt Pall. Cujac. edd.que vetuſtæ. nolim tamen pro ea acriter digladiari , quod infra ſequatur : *Verùm quæſtores quoque jam pridem venerunt.*

5. *Quæ Dolabellæ neceſſario ſunt æſtimata.*] Suſpectam habet Gulielmius dictionem *neceſſariò* , & profectò aliquid ſub ea latet.

6. *Quod tu homo caſtiſſimus aliud in tabulis habebas.*] Exhibui ſcripturam mſſ. noſtrorum & olim editorum. hodie fere regnat conjectura Hotomani , quæ & mutat multa , & delet , & tranſponit , nullo ſuffragante vetere. *Hinc* H-S. *quaterdecies &c. numeratum*, ut voluit Scaliger , quum vulgò ſit *numerata*. Vide Cl. Gronov. De Seſtertiis , pag. 148.

7. *Quod eum natura hortabatur.*] Pall. & ed. vet. non admiſit illud pronomen *eum* ; neque admodum eſt neceſſarium.

bum, & inhumanum interponeret. Tutores, pecuniam prætori ſi pupillæ nomine dediſſent, grandem præſertim; quemadmodum *in rationem inducerent*, quemadmodum *ſine periculo ſuo* dare poſſent, non videbant: ſimul & iſtum fore tam improbum non arbitrabantur. ſæpe appellati, pernegaverunt. Iſte ad arbitrium ejus, cui condonarat hereditatem ereptam liberis, quàm æquum edictum ſcripſerit, quæſo, cognoſcite. CUM INTELLIGAM, LEGEM VOCONIAM. Quis umquam crederet, Verrem mulierum adverſarium futurum? an ideò aliquid contra mulieres fecit, ne totum edictum ad Chelidonis arbitrium ſcriptum videretur? [1] *Cupiditati hominum* ait ſe *obviam ire*. [2] Quid potius, non modò his temporibus, ſed etiam apud majores noſtros? quis tam remotus fuit à cupiditate? Dic, quæſo, cetera. delectat enim me hominis gravitas, ſcientia juris, auctoritas. QUI AB A. POSTUMIO, Q. FULVIO CENSORIBUS, POSTVE EA FECIT, FECERIT. Fecit, fecerit? Quis umquam edixit iſto modo? quis umquam ejus rei fraudem, aut periculum propoſuit edicto, quæ neque poſt edictum,
42 neque ante edictum provideri potuit? Jure, legibus, auctoritate omnium, qui conſulebantur, teſtamentum P. Annius fecerat, non improbum, non inofficioſum, non inhumanum. quòd ſi ita feciſſet: tamen poſt illius mortem nihil de teſtamento illius *novi juris* conſtitui oporteret. Voconia lex te videlicet delectabat. Imitatus eſſes ipſum illum C. Voconium, qui lege ſua hereditatem ademit nulli neque virgini, neque mulieri: ſanxit in poſterum, qui poſt eos cenſores cenſus eſſet, ne quis heredem virginem, neve mulierem faceret. In lege Voconia non eſt, FECIT, FECERIT: neque in ulla *præteritum tempus* reprehenditur, niſi ejus rei, quæ ſua ſponte ſcelerata, ac nefaria eſt, ut, etiam ſi lex non eſſet, magnopere vitanda fuerit. Atque in his rebus multa videmus ita ſancta eſſe legibus, ut ante facta in judicium non vocentur. Cornelia, teſtamentaria, nummaria, ceteræ complures: in quibus non jus aliquod novum populo conſtituitur, ſed ſancitur, ut, quod ſemper malum facinus fuerit, [3] ejus quæſtio ad populum pertineat, ex certo tempore. De jure verò civili ſi quis novi quid inſtituit, [4] is omnia, quæ *antè acta ſunt*, rata eſſe patitur. [5] Cedò mihi leges Atinias, Furias, Fuſias, ipſam, ut dixi, Voconiam, omneis præterea de jure civili; hoc reperies in omnibus ſtatui jus, quo poſt eam legem populus utatur. Qui plurimum tribuunt edicto, prætoris edictum *legem annuam* dicunt eſſe. Tu edicto plus complecteris quàm lege. Si finem edicto prætoris afferunt Kalendæ Jan. cur non initium quoque edicti naſcitur à Kalend. Januarii? an in eum annum progredi nemo poterit edicto, quo prætor alius futurus eſt: in illum, quo alius prætor fuit, regredietur? Ac ſi hoc juris non *unius cauſa* hominis edixiſſes, cautiùs compoſuiſſes.
43 Scribis, *SI QUIS HEREDEM FECIT, FECERIT*. Quòd ſi plus legarit, quàm ad heredem, heredeſve perveniat, quod per legem Voconiam [6] ei, qui cenſus non ſit, licet: cur hoc, cùm in eodem genere ſit, non caves? quia non generis, ſed hominis cauſam verbis amplecteris: ut facilè appareat, te *pretio eſſe commotum*. Atque hoc ſi in poſterum edixiſſes, minus eſſet nefarium: tamen eſſet improbum: [7] ſed tum vituperari poſſet; in dubium venire non poſſet. nemo enim committeret. nunc eſt ejuſmodi edictum, ut quivis intelligat, *non populo eſſe ſcriptum*, ſed P. Annii ſecundis heredibus. Itaque cùm à te caput illud tam multis verbis, *mercenario procœmio* eſſet ornatum: ecquis eſt inventus poſtea prætor, qui illud idem ediceret? non modò nemo edixit; ſed ne metuit quidem quiſquam, ne quis ediceret. Nam poſt te prætorem multi teſtamenta eodem modo fecerunt. in his nuper Annia. Ea de multorum propinquorum ſententia, pecunioſa mulier, quòd cenſa non erat, teſtamento *fecit heredem filiam*. Itaque hoc magnum *judicium* hominum de iſtius ſingulari improbitate, quod Verres ſua ſponte inſtituiſſet, id neminem metuiſſe, ne quis reperiretur, qui iſtius inſtitutum ſequi vellet. Solus enim tu inventus es, cui non ſatis fuerit corrigere voluntates *vivorum*, niſi etiam reſcinderes *mortuorum*. Tu ipſe ex Sicilienſi edicto hoc ſuſtuliſti. voluiſti, ex improviſo ſi quæ res natæ eſſent, ex urbano edicto decernere. quam poſtea tu tibi defenſionem relinquebas, in ea maximè offendiſti, cùm tuam auctoritatem tute ipſe edicto provinciali repudiabas. Atque ego non dubito, quin, ut mihi, cui filia ma- 44
ximè cordi eſt, [8] res hæc acerba videatur, atque indigna; ſic unicuique veſtrûm, qui *ſimili ſenſu*, atque indulgentia filiarum commovemini. QUID enim NATURA nobis jucundius, quid carius eſſe voluit? quid eſt dignius, in quo omnis noſtra diligentia, indulgentiaque conſumatur? Homo importuniſſime, cur tantam injuriam P. Annio mortuo feciſti? cur hunc dolorem cineri ejus, atque oſſibus inuſſiſti, ut liberis ejus bona patria, voluntate patris, jure, legibus tradita, eriperes, &, *cui tibi eſſet commodum*, condonares? QUIBUS-CUM vivi bona noſtra partimur, iis prætor adimere, nobis mortuis, bona, fortunaſque poterit? *NEC PETITIONEM*, inquit, *NEC POSSESSIONEM DABO*. Eripies igitur pupillæ togam prætextam? detrahes ornamenta non ſolum fortunæ, ſed etiam ingenuitatis? Miramur, ad arma contra iſtum hominem Lampſacenos iſſe? miramur, iſtum de provincia decedentem clàm Syracuſis profugiſſe? nos, ſi *alienam vicem pro noſtra injuria doleremus*; [9] veſtigium iſtius in foro non eſſet relictum. Pater dat filiæ: prohibes. leges ſinunt: tamen te interponis. De ſuis bonis ita dat, ut ab jure non abeat. Quid habes, quod reprehendas? nihil, opinor. At ego concedo: prohibe, ſi potes: ſi habes qui te audiat: [10] ſi poteſt tibi dicto audiens eſſe quiſquam. *Eripias tu voluntatem mortuis, bona vivis, jus omnibus?* Hoc populus R. [11] non manu vindicaſſet, niſi te huic tempori, atque huic judicio reſervaſſet? Poſteaquam jus prætorium conſtitutum eſt, *ſemper* hoc jure uſi ſumus: ſi tabulæ teſtamenti non proferrentur, [12] tum, uti proximum quemque potiſſimùm heredem eſſe oporteret: [13] ſi is inteſtato mortuus eſſet, ita ſecundum eum poſſeſſio daretur. Quare hoc ſit æquiſſimum, facile eſt docere. ſed in re tam uſitata, ſatis eſt oſtendere, omneis antea jus ita

1. *Cupiditati hominum ait ſe obviam ire.*] Pall. duo. Cujacianus, olim impreſſi, *obviare*. quem conſenſum libuit ſaltem indicare.

2. *Quid potius, non modo.*] Edit. vet. habebat *Qui*. Cujac. *Quis*. Gulielmius diſtinguebat; *Quis potius? non modo his temporibus, ſed etiam apud majores noſtros, quis tam remotus fuit à cupiditate.* ego nihil auſim mutare.

3. *Ejus quæſtio ad populum pertineat.*] Nihil variant noſtri ſcripti, nedum editi. Hotomanus voluit *ad Prætorem*; & recepit ſtatim Lambiniana; eodemque inclinabat Gulielmius.

4. *Is omnia quæ ante acta ſunt, rata eſſe patitur.*] Haud quidquam mutant mſſ. noſtri, aut editi. Hotomanus è Priſciano volebat legi, *is non omnia quæ acta ſunt, rata eſſe patietur?*

5. *Cedo mihi leges Atinias, Furias, Fuſias, &c.*] Ita primitus cuſi. adeo ut Hotomani ſuſpicio vera eſſe videatur, arbitrantis alterutram vocem manaſſe a gloſſa: utique cum familia *Fuſia*, eadem fuerit cum *Furia*.

6. *Ei qui cenſus non ſit.*] Ita omnes mſſ. noſtri & edd. obſoletæ.

7. *Sed tum vituperari.*] Hotomani mſ. *tantum*. verum noſtri non reſpondent, neque erat neceſſe.

8. *Res hæc acerba videatur.*] Lambinus quidem *videtur*; ſed contra Pall. noſtros & edit. vet. nam heic deſinit Cujacianus. fortè fuit, *judicatur*.

9. *Veſtigium iſtius in foro non eſſet relictum.*] Sic Pall. ſic editio vetus, etiam Victorina, recentior, *in foro eſſet relictum?* minus vehementer. quidquid dicat Hotomanus.

10. *Si poteſt tibi dicto audiens eſſe.*] Sic veterrima editio, & placet. nam Pal. & Victoriana *edicto*. quod non aſſequor.

11. *Non manu vindicaſſet.*] Defendit iſtud contra Aſconium, cui diſplicebat negativa, Hotomanus lib. 1. obſerv. cap. 7.

12. *Tum uti proximum quemque potiſſimum, &c.*] Vox *proximum*, non eſt in editione antiquiore, imo neque in Pall. ſolum comparet in ſec. inter lineas, ad illud *potiſſimum*; alìàs *proximus*.

13. *Si is inteſtato mortuus eſſet.*] Totum iſtud, funditus deletum eſt in editionibus hódiernis; quia placuit Hotomano. mihi poſtliminio revocare viſum, quod exſtaret in omni editione, neque abirent Pall. niſi quatenus pr. *ſi is in teſtamento*.

ita dixiſſe, & hoc, vetus edictum, tranſlatitiumque eſſe.

45 Cognoſcite aliud hominis in re vetere edictum novum: & ſimul, dum eſt unde jus civile diſcatur, adoleſcenteis ei *in diſciplinam* tradite. mirum eſt hominis ingenium: mira prudentia. Minucius quidam, mortuus eſt ante iſtum prætorem. ejus teſtamentum erat nullum lege hereditas ad gentem Minuciam veniebat. Si habuiſſet iſte edictum, quod ante iſtum, & poſtea omnes habuerunt, poſſeſſio Minuciæ genti eſſet data. Si quis teſtamento ſe heredem eſſe arbitraretur, quod tum non exſtaret, lege ageret in hereditatem, aut, pro præde litis vindiciarum cùm ſatis accepiſſet, ſponſionem faceret. ita de hereditate certaret. Hoc, opinor, jure, & majores noſtri, & nos ſemper uſi ſumus. Videte, ut hoc iſte correxerit. Componit edictum iis verbis, ut quivis intelligere poſſit, *unius hominis cauſa* conſcriptum eſſe. tantum quòd hominem non nominat: cauſam quidem totam perſcribit: *jus, conſuetudinem, æquitatem, edicta* omnium negligit. *EX EDICTO URBANO. SI DE HEREDITATE AMBIGITUR, ET POSSESSOR SPONSIONEM* NON *FACIET.* Jam quid id ad prætorem, uter poſſeſſor ſit? nonne id quæri oportet, utrum poſſeſſorem eſſe oporteat? Ergo quia poſſeſſor eſt, non moves poſſeſſione: ſi poſſeſſor non eſſet, non dares. nuſquam enim ſcribis, neque tu aliud quicquam edicto amplecteris, niſi eam cauſam, pro qua pecuniam acceperas. Jam hoc ridiculum eſt. *SI DE HEREDITATE AMBIGETUR, ET TABULÆ TESTAMENTI OBSIGNATÆ NON MINUS MULTIS SIGNIS, QUAM E LEGE OPORTEAT, AD ME PROFERENTUR: SECUNDUM TABULAS TESTAMENTI POTISSIMUM HEREDITATEM DABO.* Hoc translatitium eſt: ſequi illud oportet, *SI TABULÆ TESTAMENTI NON PROFERENTUR.* Quid ait? ſe ei daturum, qui ſe dicat heredem eſſe. Quid ergo intereſt, proferantur, necne? ſi protulerit: uno ſigno ut ſit minus, quàm ex lege oportet, non des poſſeſſionem. Si omnino tabulas non proferet, dabis. Quid nunc dicam? neminem umquam poſtea alium edixiſſe? [1] valde ſit mirum, neminem fuiſſe, qui iſtius ſe ſimilem dici vellet. Ipſe in Sicilienſi edicto hoc non habet: exegerat enim jam mercedem. Item ut illo edicto, de quo ante dixi, in Sicilia de hereditatum poſſeſſionibus dandis, edixit idem, quod omnes Romæ, præter iſtum. *EX EDICTO SICILIENSI. SI DE HEREDITATE AMBIGITUR.*

46 At, per deos immortales, quid eſt, quod de hoc dici poſſit? Iterum enim jam quæro abs te, ſicut modo in illo capite Anniano de mulierum hereditatibus; nunc in hoc de hereditatum poſſeſſionibus: cur ea capita in edictum provinciale transferre nolueris. Utrum digniores homines exiſtimaſti eos, qui habitabant in provincia, quàm nos, qui æquo jure uteremur? *An aliud Romæ æquum eſt, aliud in Sicilia?* Non enim hoc poteſt in loco dici, multa eſſe in provinciis aliter edicenda: non de hereditatum quidem poſſeſſionibus, non de mulierum hereditatibus. Nam utroque genere video non modo ceteros, ſed te ipſum totidem verbis edixiſſe, quot verbis edici Romæ ſolet. Quæ Romæ magna cum infamia, *pretio accepto*, edixeras, ea ſola te, ne gravis in provincia malè audires, ex edicto Sicilienſi ſuſtuliſſe video. Et, cùm edictum totum eorum arbitratu, quamdiu fuit deſignatus, componeret, qui ab iſto jus ad utilitatem ſuam nundinarentur: tum verò in magiſtratu contra illud edictum ſuum *ſine ulla religione* decernebat. Itaque L. Piſo multos codices implevit earum rerum, in quibus ita interceſſit, quòd iſte aliter, atque ut edixerat, decreviſſet. quod vos oblitos eſſe non arbitror, quæ multitudo, qui ordo ad Piſonis ſellam iſto prætore ſolitus ſit convenire. quem iſte collegam niſi habuiſſet, lapidibus coopertus eſſet in foro. ſed eo leviores iſtius injuriæ videbantur, quòd erat in æquitate, prudentiaque Piſonis *paratiſſimum perfugium:* quo ſine labore, ſine moleſtia, ſine impenſa, etiam ſine patrono homines uterentur. Nam, quæſo redite in memoriam, judices, quæ *libido* iſtius in jure dicundo fuerit, quæ *varietas* decretorum, quæ *nundinatio*, quàm inanes domus eorum omnium, qui de jure civili conſuli ſolent: quàm plena, atque referta *Chelidonis:* à qua muliere cùm erat ad eum ventum, & in aurem ejus inſuſurratum, *alias* revocabat eos, inter quos jam decreverat, decretumque mutabat: *alias* inter alios contrarium ſine ulla religione decernebat, ac proximis paullo antè decreverat. Hinc illi homines erant, qui etiam *ridiculi* inveniebantur *ex dolore.* quorum alii, ut audiſtis, negabant *MIRANDUM ESSE, JUS TAM NEQUAM ESSE VERRINUM:* alii etiam frigidiores erant: ſed, quia ſtomachabantur, ridiculi videbantur eſſe, cùm Sacerdotem exſecrabantur, *QUI VERREM TAM NEQUAM RELIQUISSET.* Quæ ego non commemorarem (neque enim perfacetè dicta, neque porrò hac ſeveritate digna ſunt) niſi vos illud vellem recordari, iſtius nequitiam & iniquitatem tum in ore vulgi, atque in communibus proverbiis eſſe verſatam.

In plebem vero Romanam utrum *ſuperbiam* priùs memorem, an *crudelitatem*? ſine dubio crudelitas gravior eſt, atque atrocior. 47 Oblitoſne igitur hos putatis eſſe quemadmodum ſit iſte ſolitus virgis plebem Romanam concidere? quam rem etiam tribunus plebis in concione egit, cùm eum, quem virgis iſte ceciderat, in proſpectum populi Rom. produxit. cujus rei cognoſcendæ faciam vobis ſuo tempore poteſtatem. *Superbia* verò qua fuerit, quis ignorat? quemadmodum is tenuiſſimum quemque contemſerit, deſpexerit, liberum eſſe numquam duxerit? P. Trebonius viros bonos, & honeſtos complureis fecit heredes: [2] in his fecit ſuum libertum. is A. Trebonium fratrem habuerat proſcriptum. ei cùm cautum vellet, ſcripſit, *ut heredes jurarent,* ſe curaturos, ut ex ſua cujuſque parte ne minus dimidium ad A. Trebonium fratrem illum proſcriptum perveniret. Libertus jurat: ceteri heredes adeunt ad Verrem, docent, non oportere ſe jurare, facturos eſſe, quod contra Legem Corneliam eſſet, quæ *proſcriptum juvari vetat.* impetrant, ut ne jurent. dat his poſſeſſionem. Id ego non reprehendo. etenim erat iniquum, homini proſcripto, egenti, de fraternis bonis quidquam dari, [3] & ille libertus, niſi ex teſtamento patroni juraſſet, *ſcelus ſe facturum* arbitrabatur. Itaque ei Verres poſſeſſionem hereditatis negat ſe daturum, ne poſſet patronum ſuum proſcriptum juvare: ſimul ut eſſet pœna, quòd alterius patroni teſtamento obtemperaſſet. Das poſſeſſionem ei, qui non juravit. concedo: prætorium eſt. adimis tu ei, qui juravit? quo exemplo? Proſcriptum juvat. Lex eſt: pœna eſt. quid ad eum qui jus dicit? Utrùm reprehendis, quòd *patronum juvabat* eum, qui tum in miſeriis erat: an quòd alterius patroni mortui voluntatem conſervabat, à quo ſummum beneficium acceperat? utrum horum reprehendis? Et hoc tum de ſella vir optimus dixit, Equiti Romano, tam locupleti, libertinus ſit homo heres? O modeſtum ordinem, quòd illinc vivus ſurrexit! [4] Poſſum ſexcenta decreta proferre, in quibus, ut ego *pecuniam* non dicam *interceſſiſſe*, ipſa decretorum novitas, iniquitaſque declarat. Verùm, ut ex uno de ceteris conjecturam facere poſſitis: id quod priore actione cogno-

1. *Valde ſit mirum.*] Sic Pall. & olim impreſſi. Gulielmius non inepte controverſiam ſtatus movebat ſyllabæ *ſit*, tanquam ſpuriæ.

2. *In his fecit ſuum libertum.*] Gulielmius putabat deleri poſſe illud *fecit*, ceu gloſſulam.

3. *Et ille libertus, &c.*] Lambini editio. *At ille*, & ex vetere Hotomani: ſed præter reliquos cuſos, & Pall. noſtros, haud tamen ab eo abhorrebat Gulielmius; qui item mox inclinabat legere cum eodem Lambino, *adimas tu ei*, ubi vulgati, *adimis.*

4. *Poſſum ſexcenta decreta proferre.*] Ita laudat Donatus. edd. tamen vett. & Pall. *ſexaginta.*

1. C. Sui-

48 cognoſtis, audite. [1] C. Sulpicius Olympus fuit. is mortuus eſt C. Sacerdote prætore, neſcio an antè, quàm Verres præturam petere cœperit. Fecit heredem M. Octavium Ligurem. Ligur hereditatem adiit: poſſedit Sacerdote prætore, *ſine ulla controverſia*. Poſteaquàm Verres magiſtratum iniit: ex edicto iſtius, quod edictum Sacerdos non habuerat, Sulpicii patroni filia ſextam partem hereditatis ab Ligure petere cœpit. Ligur non aderat. L. frater ejus cauſam agebat: aderant amici, propinqui. Dicebat iſte, niſi cum muliere decideretur, in poſſeſſionem ſe ire juſſurum. L. Gellius cauſam Liguris defendebat: docebat, edictum ejus non oportere ad hereditates valere, quæ ante eum prætorem veniſſent. ſi hoc tum fuiſſet edictum, fortaſſe Ligurem hereditatem aditurum non fuiſſe. Æqua poſtulatio, ſumma hominum *auctoritas pretio ſuperabatur*. Venit Romam Ligur: non dubitabat, quin, ſi ipſe Verrem conveniſſet, æquitate cauſæ, & auctoritate ſua commovere hominem poſſet. domum ad eum venit: rem demonſtrat: quam pridem ſibi hereditas veniſſet, docet. quod facile in cauſa æquiſſima homini ingenioſo fuit: multa, quæ quemvis movere poſſent, dixit. ad extremum petere cœpit, ne uſque eò ſuam auctoritatem deſpiceret, gratiamque contemneret, ut ſe tanta injuria afficeret. Homo Ligurem accuſare cœpit: qui *in re adventitia*, atque hereditaria tam diligens, tam attentus eſſet: debere eum ajebat ſuam quoque rationem ducere: *MULTA SIBI OPUS ESSE, MULTA CANIBUS SUIS*, quos circa ſe haberet. Non poſſum illa planius commemorare, quàm ipſum Ligurem pro teſtimonio dicere audiſtis. Quid enim, Verres? utrumne his quidem teſtibus credetur? an hæc ad rem non pertinent? non M. Octavio? non L. Liguri? quis nobis credet? cui nos? quid eſt, Verres, quod planum fieri teſtibus poſſit, ſi hoc non fit? an id, quod dicunt, leve eſt? nihil levius, quàm prætorem urbis hoc juris in ſuo magiſtratu conſtituere, omnibus iis, quibus hereditas venerit, *coheredem prætorem eſſe oportere*. An verò dubitamus, quo ore iſte ceteros homines inferiore loco, auctoritate, ordine; quo ore homines ruſticanos ex municipiis; quo denique ore, quos nunquam *liberos* putavit, *libertinos homines*, ſolitus ſit appellare, qui ob jus dicundum M. Octavium Ligurem, hominem ornatiſſimum loco, ordine, nomine, virtute, ingenio, copiis, po-
49 ſcere pecuniam non dubitarit? In *ſartis tectis* verò quemadmodum ſeſe geſſerit, quid ego dicam? dixerunt, qui ſenſerunt. ſunt alii, qui dicant: notæ res, ac manifeſtæ, prolatæ ſunt, & proferuntur. Dixit C. Fannius, eques Roman. frater germanus Q. Titinii judicis tui, tibi ſe *pecuniam dediſſe*. *RECITA TESTIMONIUM* C. Fannii. Nolite C. Fannio dicenti credere: noli, inquam, tu Q. Titini, C. Fannio, fratri tuo, credere. dicit enim rem incredibilem: C. Verrem inſimulat avaritiæ, & audaciæ: quæ vitia videntur in quemvis potius, quam in iſtum convenire. Dixit Q. Tadius, homo familiariſſimus patris iſtius, non alienus à matris ejus genere, & nomine: *tabulas protulit*, quibus pecuniam ſe dediſſe oſtendit. *RECITA NOMINA* Q. Tadii. *RECITA TESTIMONIUM* Q. Tadii. Ne tabulis quidem Q. Tadii, nec teſtimonio credetur? Quid igitur in judiciis ſequemur? quid eſt aliud, *omnibus omnia peccata, & maleficia concedere*, niſi hoc, hominum honeſtiſſimorum teſtimoniis, & virorum bonorum tabulis non credere? Nam quid ego de quotidiano ſermone, querimoniaque populi Romani loquar? de iſtius impudentiſſimo *furto*, ſeu potius novo, ac ſingulari *latrocinio*? auſum eſſe in æde Caſtoris, celeberrimo, clariſſimoque monumento, quod templum in oculis, quotidianoque adſpectu populi Romani eſt poſitum, quò ſæpenumero ſenatus convocatur: quò maximarum rerum frequentiſſimæ quotidie advocationes fiunt: in eo loco, in ſermone hominum, audaciæ ſuæ monumentum æternum relinquere? Ædem 50
Caſtoris, judices, P. Junius habuit tuendam, [2] L. Sulla, Q. Metello, cenſoribus. Is mortuus eſt. reliquit pupillum parvum filium. cùm L. Octavius, C. Aurelius, Coſs. ædeis ſacras locaviſſent, neque potuiſſent omnia ſarta tecta exigere, neque ii prætores, quibus erat negotium datum, C. Sacerdos, & M. Cæſius: factum eſt S. C. quibus de ſartis tectis cognitum, & judicatum non eſſet, uti C. Verres, P. Cælius, prætores cognoſcerent, & judicarent. Qua poteſtate iſte permiſſa, ut ex C. Fannio, & ex Q. Tadio cognoviſtis: verumtamen cùm eſſet omnibus in rebus apertiſſimè, impudentiſſimeque prædatus, hoc voluit clariſſimum relinquere judicium latrociniorum ſuorum: de quo non audire aliquando, ſed videre quotidie poſſemus. quæſivit, quis ædem Caſtoris ſartam tectam deberet tradere. Junium ipſum mortuum eſſe ſciebat: ſcire volebat, ad quem illa res pertineret: audit pupillum eſſe filium. homo, qui ſemper ita palàm dictitaſſet, *PUPILLOS, ET PUPILLAS, CERTISSIMAM PRÆDAM ESSE PRÆTORIBUS*, [3] optatum negotium ſibi in ſinum delatum eſſe dicebat. Monumentum illa amplitudine, illo opere, quamvis ſartum tectum, integrumque eſſet, tamen aliquid ſe inventurum, in quo moliri, prædarique poſſet, arbitrabatur. L. Rabonio ædem Caſtoris tradi oportebat. is caſu, pupilli Junii tutor erat, teſtamento patris. cum eo *ſine ullo intertrimento* convenerat jam, quemadmodum traderetur. Iſte ad ſe Rabonium vocat: quærit, ecquid ſit, quod à pupillo traditum non ſit, quod exigi debeat. Cùm ille, id quod erat, diceret, facilem pupillo traditionem eſſe: ſigna, & dona comparere omnia: ipſum templum omni opere eſſe integrum: indignum iſti videri cœpit, ex tanta æde, tantoque opere ſe non opimum præda, præſertim à pupillo, diſcedere. Venit ipſe in ædem Caſtoris: conſide- 51
rat templum: videt undique tectum pulcherrimè laqueatum: præterea cetera nova atque integra: verſat ſe: quærit, quid agat. dicit ei quidam ex illis canibus, quos iſte Liguri dixerat eſſe circa ſe multos: tu Verres hìc quod moliare, nihil habes: niſi fortè vis *ad perpendiculum columnas exigere*. Homo omnium rerum imperitus, quærit, quid ſit, *ad perpendiculum*. Dicunt ei, ferè nullam eſſe columnam, quæ ad perpendiculum eſſe poſſit. [4] Jam mehercule, inquit, ſic agamus: columnæ ad perpendiculum exigantur. Rabonius, qui legem noſſet, qua in lege numerus tantùm columnarum traditur, perpendiculi mentio fit nulla: & qui non putaret ſibi expedire, ita accipere, *ne eodem modo reddendum eſſet*: negat, id ſibi deberi: negat oportere exigi. Iſte Rabonium quieſcere jubet: & ſimul ei nonnullam ſpem ſocietatis oſtendit. hominem modeſtum, & minimè pertinacem *facile coërcet*: columnas ita ſe exacturum eſſe confirmat. Nova res, atque improviſa pupilli calamitas nuntiatur ſtatim C. Muſtio, vitrico pupilli, qui nuper eſt mortuus: M. Junio, patruo: P. Potitio tutori, homini frugaliſſimo. Hi rem ad virum primarium, ſummo officio, ac virtute præditum, M. Marcellum, qui erat pupilli tutor, deferunt. Venit ad Verrem M. Marcellus: petit ab eo pro ſua fide, ac diligentia, pluribus verbis, ne per ſummam injuriam pupillum Junium fortunis patriis conetur evertere. Iſte, qui jam ſpe, & opinione *prædam illam devoraſſet*, neque ulla æquitate orationis, neque auctoritate M. Marcelli commotus eſt. Itaque, quemadmodum oſtendiſſet, ſe id exacturum eſſe, reſpondit. Cùm ſibi omneis ad iſtum allegationes difficileis, omneis aditus arduos, ac potius interclusos viderent, apud quem non *jus*, non *æquitas*, non *miſericordia*,

1. *C. Sulpitius Olympus fuit.*] Antea edebatur *Olympius*. mutavit Lambinus, hortatu Turnebi & librorum vett. at enim Pall. noſtri & editio prima neutrum horum habent, ſed *Olympiis*.

2. *L. Sulla, Qu. Metello cenſoribus.*] Vulgati *conſulibus* aut Coss. malè. natus error ex compendio ſcripturæ CESS. quæ non longe abit ab altera, eratque librariis uſitatior. vetus editio & Pall. *conſ.*

3. *Optatum negotium ſibi in ſinum delatum eſſe dicebat.*] Forſitan convenientius, *ducebat*.

4. *Jam mehercule, inquit.*] Pall. & edd. vett. *Nam.* altera, originem puto habuit a Victoriana.

cordia, non *propinqui oratio*, non *amici voluntas*, non cujuſquam *auctoritas*, pro pretio, non gratia valeret: ſtatuunt, id ſibi optimum eſſe factu, quod cuivis veniſſet in mentem, petere auxilium à Chelidone: quæ iſto prætore non modò in jure civili, privatorumque omnium controverſiis, populo R. præfuit, verùm etiam in his ſartis tectis *dominata eſt*.
52 Venit ad Chelidonem C. Muſtius, eques Roman. publicanus, homo cum primis honeſtus: venit M. Junius, patruus pueri, frugaliſſimus homo, & caſtiſſimus: venit homo ſummo honore, & pudore, & ſummo officio ſpectatiſſimus ordinis ſui, P. Potitius tutor. O multis acerbam, ô miſeram, atque indignam præturam tuam! ut mittam cetera, quo tandem *pudore* taleis viros, quo *dolore*, *meretricu domum veniſſe* arbitramini? qui nulla conditione iſtam turpitudinem ſubiſſent, niſi officii, neceſſitudiniſque ratio coëgiſſet. Veniunt, ut dico, ad Chelidonem. domus erat plena: nova jura, nova decreta, nova judicia petebantur. MIHI DET POSSESSIONEM: MIHI NE ADIMAT: IN ME JUDICIUM NE DET: MIHI BONA ADDICAT: alii nummos numerabant: alii tabulas obſignabant. domus erat non meretricio conventu, ſed prætoria turba referta. Simulac poteſtas primùm data eſt, adeunt hi, quos dixi. loquitur Muſtius: rem demonſtrat: petit auxilium: pecuniam pollicetur. Reſpondit illa, ut meretrix, non inhumanè: libenter ait ſe eſſe facturam, & ſe cum iſto diligenter ſermocinaturam: reverti jubet. tum diſcedunt. poſtridie revertuntur. negat illa poſſe hominem exorari: permagnam eum dicere
53 ex illa re pecuniam confici poſſe. Vereor, ne quis fortè de populo, qui priori actione non affuit, hæc quia propter inſignem *turpitudinem ſunt incredibilia*, fingi à me arbitretur. ea vos antea, judices, cognoviſtis. dixit juratus P. Potitius, tutor pupilli Junii: dixit M. Junius tutor, & patruus: Muſtius dixiſſet, ſi viveret: ſed pro Muſtio, recenti re de Muſtio auditum dixit L. Domitius: qui cùm ſciret, me ex Muſtio vivo audiſſe, quòd eo ſum uſus plurimùm, (etenim id judicium, quod propè omnium fortunarum ſuarum C. Muſtius habuit, me uno defendente vicit) cùm hoc, ut dico, ſciret L. Domitius me ſcire, ad eum res omneis Muſtium ſolitum eſſe deferre: tamen de Chelidone *reticuit*, quoad potuit: aliò reſponſionem ſuàm derivavit. Tantus in adoleſcente clariſſimo, ac principe juventutis pudor fuit, ut aliquandiu, cùm à me premeretur, omnia potius reſponderet, quàm Chelidonem nominaret. Primò neceſſarios iſtius ad eum allegatos eſſe dicebat: deinde *aliquando coactus* Chelidonem nominavit. Non te pudet, Verres, ejus mulieris arbitratu geſſiſſe præturam, quam L. Domitius ab ſe *nomi-*
54 *nari* vix ſibi honeſtum eſſe arbitrabatur? Rejecti à Chelidone capiunt conſilium neceſſarium, ut ſuſcipiant ipſi negotium. cum Rabonio tutore, quod erat vix H-S quadraginta millium, tranſigunt H-S ducentis millibus. Refert ad iſtum rem Rabonius: ut ſibi videbatur, ſatis grandem pecuniam, & ſatis impudentem eſſe: iſte, qui aliquanto plus cogitaſſet, malè accipit verbis Rabonium: negat eum ſibi illa deciſione ſatisfacere poſſe. ne multa, locaturum ſe eſſe confirmat. Tutores hæc neſciunt: quod actum erat cum Rabonio, putant id eſſe certiſſimum: nullam majorem pupillo metuunt calamitatem. Iſte verò non procraſtinat: locare incipit, non proſcripta, [1] neque edicta die, *alieniſſimo tempore*, ludis ipſis Romanis, foro ornato. Itaque renunciat Rabonius illam deciſionem tutoribus. accurrunt tamen ad tempus tutores: *digitum tollit* Junius patruus. iſti color immutatus eſt: vultus, oratio, mens denique excidit. quid ageret, cœpit cogitare. ſi opus pupillo redimeretur, ſi res abiret ab eo mancipe, quem ipſe appoſuiſſet: ſibi nullam prædam eſſe. Itaque excogitat. quid? nihil ingenioſe. nihil, quod quiſquam poſſit dicere, [2] *IMPROBE, VERVM CALLIDE*: nihil ab iſto tectum, nihil veteratorium exſpectaveritis: omnia aperta, omnia perſpicua reperientur, impudentia, amentia, audacia. Si pupillo opus redimitur, mihi præda de manibus eripitur. quod eſt igitur remedium? quod? ne liceat pupillo redimere. *VBI ILLA CONSVETVDO* in bonis, prædibus, prædiiſque vendendis, omnium Coſs. cenſorum, prætorum, quæſtorum denique, ut *optima conditione* ſit is, cuja res ſit, cujum periculum? Excludit eum ſolum, cui propè dicam ſoli poteſtatem factam eſſe oportebat. quid enim quiſquam ad meam pecuniam, [3] me invito, adſpirat? quid accedit? Locatur opus id, quod ex mea pecunia reficiatur, ego me refecturum eſſe dico: probatio futura eſt tua, qui locas: *prædibus & prædiis* populo cautum eſt: &, ſi non putas cautum, ſcilicet tu prætor in mea bona, quos voles, immittes? me ad meas fortunas defendendas accedere non ſines? Operæ 55
pretium eſt, ipſam legem cognoſcere. dicetis, eundem conſcripſiſſe, qui illud edictum de hereditate. [4] *EX OPERE FACIVNDO QVÆ PVPILLI JVNII.* Dic, dic, quæſo, clarius. *C. VERRES PR. VRBIS ADDIDIT.* corriguntur leges cenſoriæ. [5] Quid enim? Video in multis veteribus legibus, *CN. DOMITIVS, L. METELLVS, L. CASSIVS, CN. SERVILIVS CENSORES ADDIDERVNT*: vult aliquid ejuſmodi C. Verres. dic. quid addidit? *QVI DE L. MARCIO, M. PERPERNA CENSORIBVS REDEMERIT, [6] EVM SOCIVM NE ADMITTITO: NEVE EI PARTEM DATO, NEVE EI REDIMITO.* Quid ita? ne *vitioſum opus* fieret? At erat probatio tua. Ne *parum locuples* eſſet? At erat, & eſſet amplius, ſi velles, populo cautum prædibus, & prædiis. Hic te ſi res ipſa, ſi indignitas injuriæ tuæ non commovebat: ſi pupilli calamitas, propinquorum lacrymæ; D. Bruti, cujus prædia ſubierunt periculum, M. Marcelli tutoris auctoritas apud te ponderis nihil habebat: ne illud quidem animadvertebas, ejuſmodi fore hoc peccatum tuum, quod tu neque negare poſſes (in tabulas enim retuliſti) nec cum *defenſione aliqua* confiteri? Addicitur id opus H-S IↃLX millibus: cùm tutores H-S LXXX millibus id opus ad illius hominis iniquiſſimi arbitrium ſe effecturos eſſe clamarent. Etenim quid erat operis? id, quod vos vidiſtis. omnes illæ columnæ, quas dealbatas videtis, machina appoſita, nulla impenſa dejectæ, eiſdemque lapidibus repoſitæ ſunt. hoc tu H-S IↃLX millibus locaviſti. Atqui in illis columnis dico eſſe, quæ à tuo redemtore *commota non ſint*: dico eſſe, ex qua tantùm tectorium vetus [7] delitum ſit, & novum inductum. Quòd ſi tanta pecunia columnas dealbari putaſſem, certè numquam ædilitatem petiviſſem. At, ut videatur tamen res agi, & non eripi pupillo: *SI QVID OPERIS CAVSA RESCIDERIS, REFICITO.* Quid erat, quod reſcinderet, cùm ſuo quem- 56
que loco lapidem reponeret? *QVI REDEMERIT, SATISDET DAMNI INFECTI, EI, QVI A VETERE REDEMTORE ACCEPERIT.*

Deri-

1. *Neque edicta die.*] Lambinus mavult *prodicta*. vellem prodidiſſet cauſam.

2. *Improbè verùm callidè.*] Revocavi veterem ſcripturam. Hotomani auctoritas invexerat paſſim, *improbè vel callidè*; ſed præter mſſ. noſtros. vetus fuit formula, quâ utebantur homines cum indicarent aliquid factum *improbè*, ſed ita tamen uti haberet veterator ille qua ſe tueretur defenſione.

3. *Me invito adſpirat? quid accedit?*] Gulielmius annotavit fortè delendum, *quid accedit?* habetur tamen in membranis noſtris, neque eſt otioſum.

4. EX OPERE FACIUNDO QUÆ PUPILLI JUNII.] Lambinus publicavit, QUÆ EX OPERE FACIUNDO PUPILLI. ſed nihili eſt ea ſcriptura, præ Antonii Auguſtini: LEX OPERI FACIUNDO PUPILLI JUNII. *quæ? dic dic &c.* verum ita non eſt in libris noſtris antiquis.

5. *Quid enim? Video in multis.*] Ita Fulvii Urſini mſſ. ita Pall. item edd. priſcæ. recentiores: *Quod enim video, &c.*

6. *Eum ſocium &c.*] Pronomen eſt à veteri libro Hotomani. abeſt tamen Pall. & edd. prioribus.

7. *Delitum ſit.*] Retinendum iſtud putat Hotomanus. vetus editio *deletum*, quod & in Pal. ſec. nam pr. *delectum*. fortè *dejectum*, ut laudatur Priſciano libro XIIX.

1. Hoc

Deridet, cùm ſibi ipſum jubet ſatiſdare Rabonium. PECUNIA PRÆSENS SOLVATUR. Quibus de bonis? ejus, qui, quod tu H-S IↃLX millibus locaſti, H-S LXXX millibus effecturum ſe eſſe clamavit. Quibus de bonis? pupilli. cujus *ætatem & ſolitudinem*, etiamſi tutores non eſſent, defendere prætor debuit. Tutoribus defendentibus, non modo patrias ejus fortunas, ſed etiam bona tutorum ademiſti. [1] HOC OPUS BONUM SUO CUIQUE FACITO. Lapis aliquis cædendus, & apportandus fuit machina ſua. nam illò non ſaxum, non materies advecta eſt: tantum operis in iſta locatione fuit, quantum paucæ operæ fabrorum, mercedis tulerunt, & manus pretium machinæ. Utrùm exiſtimatis minus operis eſſe unam columnam efficere ab integro novam nullo lapide [2] redivivo, an quattuor illas reponere? nemo dubitat, quin multo majus ſit *novam facere*. Oſtendam, in ædibus privatis, longa, difficilique vectura, columnas ſingulas ad impluvium, H-S quadragenis millibus, non minus magnas, locatas. Sed ineptum eſt de tam perſpicua iſtius impudentia pluribus verbis diſputare, præſertim cùm iſte apertè tota lege omnium ſermonem, atque *exiſtimationem contemſerit*, [3] qui etiam ad extremum adſcripſerit, REDIVIVA SIBI HABETO. quaſi quidquam redivivi ex opere illo tolleretur, ac non totum opus ex redivivis conſtitueretur. At enim ſi pupillo redimi non licebat; non neceſſe erat rem ad ipſum pervenire: poterat aliquis ad id negotium de populo accedere. Omnes excluſi ſunt non minus apertè, quàm pupillus. diem præſtituit operi faciundo, Kalendas Decembreis. locat circiter Idus Septembreis. *anguſtiis temporis excluduntur* omnes. Quid ergo? Rabonius iſtam diem quo-
57 modo aſſequitur? Nemo Rabonio moleſtus eſt, neque Kalendis Decembr. neque Nonis, neque Idibus. denique aliquanto in provinciam iſte proficiſcitur prius, quàm opus effectum eſt. Poſteaquàm reus factus eſt, primò negabat opus in acceptum referre poſſe. cùm inſtaret Rabonius, in me cauſam conferebat, quòd tum codicem obſignaſſem. Petit à me Rabonius, & amicos allegat: facilè impetrat. iſte, quid ageret, neſciebat. Si in acceptum non retuliſſet, putabat ſe aliquid defenſionum habiturum. Rabonium porrò intelligebat rem totam eſſe patefacturum. tametſi quid poterat eſſe apertius, quàm nunc eſt, ut *uno minus teſte* haberet Rabonio? Opus in acceptum retulit quadriennio poſt, quàm diem operi dixerat. [4] Hac conditione, ſi quis de populo redemtor acceſſiſſet, cùm die ceteros redemtores excluſiſſet, tum in ejus *arbitrium, ac poteſtatem* venire nolebat, qui ſibi ereptam prædam arbitraretur. [5] Nam quid argumentamur, quò iſta pecunia pervenerit? fecit ipſe indicium. Primùm cùm vehementius cum eo D. Brutus contenderet, qui de ſua pecunia H-S XL millia numeravit: quòd jam iſte ferre non poterat, opere addicto, prædibus acceptis, de H-S IↃLX millibus, remiſit D. Bruto H-S CX millia. Hoc ſi aliena res eſſet, certè facere non potuiſſet. Deinde nummi numerati ſunt Cornificio: quem ſcribam ſuum fuiſſe negare non poteſt. Poſtremò ipſius Rabonii tabulæ prædam illam iſtius fuiſſe clamant. RECITA NOMINA RABONII. Hîc etiam priore actione Q. Hortenſius pupillum Junium veniſſe prætextatum in veſtrum conſpectum, [6] & teſteis ſecum patruo teſtimonium dicente, queſtus eſt: & me populariter agere, atque invidiam commo-
58 vere, quòd *puerum producerem*, clamitavit. Quid erat, Hortenſi, tandem in illo puero populare? quid invidioſum? Gracchi, credo, aut Saturnini, aut alicujus hominis ejuſmodi produxeram filium, ut nomine ipſo, & *memoria patris*, animos imperitæ multitudinis concitarem. P. Junii erat, hominis de plebe Romana, filius: quem pater moriens tum tutoribus & propinquis, tum legibus, tum æquitati magiſtratuum, tum judiciis veſtris commendandum putavit. Hic iſtius ſcelerata locatione, nefarioque latrocinio, bonis patriis, fortuniſque omnibus *ſpoliatus*, venit in judicium: ſi nihil aliud, ſaltem, ut eum, cujus opera ipſe multos annos eſt *in ſordibus*, paullo tamen obſoletius veſtitum videret. Itaque tibi, Hortenſi, non illius ætas, ſed cauſa: non veſtitus, ſed fortuna, popularis videbatur. neque te tam commovebat, quòd ille cum *toga prætexta*, quàm quòd ſine *bulla venerat*. veſtitus enim neminem commovebat is, quem illi mos, & jus ingenuitatis dabat. quod ornamentum pueritiæ pater dederat, indicium, atque inſigne fortunæ, hoc ab iſto *prædone ereptum* eſſe, graviter, & acerbè homines ferebant. Neque erant hæ lacrymæ populares magis, quàm noſtræ, quàm tuæ, Qu. Hortenſi: quam horum, qui ſententiam laturi ſunt: ideò, quòd *communis eſt cauſa, commune periculum:* communi præſidio talis improbitas, tanquam aliquod *incendium*, reſtinguenda eſt. habemus enim liberos parvos. incertum eſt, quàm longa noſtrûm cujuſque vita futura ſit. conſulere vivi, ac proſpicere debemus, ut illorum ſolitudo, & *pueritia quàm firmiſſimo præſidio munita ſit*. Quis eſt enim, qui tueri poſſit liberûm noſtrorum pueritiam contra improbitatem magiſtratuum? Mater, credo. ſcilicet magno præſidio fuit Anniæ pupillæ mater, fœmina primaria: minus, illa deos, homineſque implorante, iſte infanti pupillæ fortunas patrias ademit. Tutoreſne defenderent? perfacilè verò apud iſtiuſmodi prætorem, à quo M. Marcelli tutoris, in cauſa pupilli Junii, & oratio & voluntas, & auctoritas repudiata eſt. Quærimus 59
etiam, quid iſte in ultima Phrygia, quid in extremis Pamphiliæ partibus fecerit? qualis in bello prædonum *prædo ipſe* fuerit, qui in foro populi Rom. pirata nefarius reperiatur? Dubitamus, quid iſte in hoſtium præda molitus ſit, qui manubias ſibi tantas ex L. Metelli manubiis fecerit? qui majore pecunia quattuor *columnas dealbandas*, quàm ille omneis ædificandas locaverit? exſpectemus, quid dicant ex Sicilia teſtes? Quis umquam templum illud adſpexit, quin avaritiæ tuæ, quin injuriæ, quin audaciæ teſtis eſſet? Quis à ſigno Vertumni in circum maximum vênit, [7] quin is in *unoquoque gradu* de avaritia tua commoneretur? quam tu viam tenſarum, atque pompæ ejuſmodi exegiſti, ut tu ipſe illà ire non audeas. Te putet quiſquam, cùm ab Italia freto disjunctus eſſes, *ſociis temperaſſe*? qui ædem Caſtoris, teſtem furtorum tuorum eſſe volueris: quam populus Rom. quotidie, judices etiam tum, cùm de te ſententiam ferrent, vi-
derent? Atque etiam judicium in prætura publicum exer- 60
cuit. non enim prætereundum eſt ne id quidem. petita multa eſt apud iſtum prætorem à Q. Opimio: qui adductus eſt in judicium, *verbo*, quòd, cùm eſſet tribunus plebis, interceſſiſſet contra legem Corneliam: *re*, quòd in tribunatu dixiſſet contra alicujus hominis nobilis voluntatem. De quo judicio ſi velim dicere omnia, multi appellandi, lædendique ſunt: quod mihi non eſt neceſſe. tantum dicam, paucos homines, ut leviſſimè dicam, arroganteis, hoc adjutore, Q. Opimium *per ludum, & jocum* fortunis omnibus evertiſſe. Is mihi etiam queritur, quòd à nobis, IX ſolis diebus, prima actio ſui judicii tranſacta ſit: cùm apud ipſum tribus horis Q. Opimius, ſenator populi Rom. bona, fortunas, ornamenta omnia amiſerit? cujus *propter indignitatem judicii*, ſæpiſſimè eſt actum in ſenatu, ut genus hoc totum multarum, ac judiciorum ejuſmodi tolleretur. Jam verò in bonis Q. Opimii vendendis, quas iſte *prædas* quàm apertè,

1. *Hoc opus bonum ſuo cuique facito.*] Recentiſſimi *bono ſuo quoque*, ex arbitratu Hotomani, ſed contra Pall. contra receptam antea lectionem, citatamque Pædiano.

2. *Redivivo.*] Videantur Caſtigationes Joſ. Scaligeri ad Epigramma Catulli XVII.

3. *Ad extremum adſcripſerit.*] Ita alii è Priſciano; ſed ego nitor fide Pall. editioniſque principis, in quibus *aſcripſerit*, non ut in medii ævi codicibus, *conſcripti*.

4. *Hac conditione &c.*] Locus vexatiſſimus, ab Hotomano, Pall. *nolebant*, item *arbitrarentur*.

5. *Nam quid argumentamur.*] Editio vetus & Pall. item mſſ. Hotomani, *Nonne argumentamur*, pro quo maluiſſet; *Non enim arg.*

6. *Et teſteis ſecum, patruo &c.*] Admiſit Lambinus veroſimilem divinationem Errici Memmii, *& ſtetiſſe cum patruo.*

7. *Quin is unoquoque gradu.*] Sic mſſ. Pall. aliorumque, ſic olim editi. nam minus priſci, *quin is in unoquoque &c.*

tè, quàm improbè fecerit, longum eſt dicere. Hoc dico, niſi vobis id hominum honeſtiſſimorum tabulis planum fecero, fingi à me hoc totum temporis cauſa putatote. Jam qui ex calamitate ſenatoris populi Rom. cùm prætor judicio ejus præfuiſſet, ſpolia domum ſuam referre, & manubias detrahere conatus eſt; is ullam ab ſeſe calamitatem poterit
61 *deprecari?* Nam de ſubſortitione illa Juniana judicum nihil dico. Quid enim? contra tabulas, quas tu protuliſti, audeam dicere? difficile eſt. Non enim me tua ſolùm, & judicum auctoritas, ſed etiam *anulus aureus ſcribæ* tui deterret. Non dicam id, quod probare difficile eſt: hoc dicam, quod oſtendam: multos ex te viros primarios audiſſe, cùm diceres, ignoſci tibi oportere, quòd *falſum codicem* protuleris. nam, qua invidia C. Junius conflagrarat, ea, niſi providiſſes, tibi ipſi tum pereundum fuiſſe. Hoc modo iſte ſibi, & ſaluti ſuæ proſpicere didicit, referendo in tabulas & *privatas, & publicas, quod geſtum non eſſet:* tollendo, *quod eſſet*, & ſemper aliquid demendo, mutando, [1] curando ne litura appareat, interpolando. Eò enim uſque progreditur, ut ne defenſionem quidem maleficiorum ſuorum *ſine aliis maleficiis* reperire poſſet. Ejuſdem modi ſortitionem homo amentiſſimus ſuorum quoque judicum fore putavit per ſodalem ſuum, Q. Curtium, judicem quæſtionis: cui niſi ego vi populi, & hominum clamore, atque convitio reſtitiſſem: ex hac decuria noſtra, cujus mihi copiam quàm largiſſimè factam oportebat, erepta eſſet [2] facultas eorum, quos iſte annuerat, in ſuum conſilium ſine cauſa ſuæ ſubſortiebatur. ***

Multa deſunt.

ACCUSATIONIS IN C. VERREM, LIBER SECUNDUS, DE JURISDICTIONE SICILIENSI.

ORATIO SEPTIMA.

1 MULTA mihi neceſſariò, judices, prætermittenda ſunt, [1] ut poſſim aliquo modo aliquando de iis rebus, quæ meæ fidei commiſſæ ſunt, dicere. recepi enim cauſam Siciliæ. ea me ad hoc negotium provincia attraxit. Ego tamen hoc onere ſuſcepto, & recepta cauſa Sicilienſi, amplexus animo ſum aliquanto amplius. ſuſcepi enim cauſam totius ordinis: ſuſcepi cauſam populi Rom. quòd putabam tum denique rectè judicari poſſe, ſi non modo *reus improbus* adduceretur: ſed etiam diligens, & *firmus accuſator* ad judicium veniret. Quo mihi maturiùs ad Siciliæ cauſam veniendum eſt, relictis ceteris ejus furtis, ac flagitiis, ut & viribus quàm integerrimis agere, & ad dicendum temporis ſatis habere poſſim. Atque adeò, antequàm de incommodis Siciliæ dico, pauca mihi videntur eſſe de provinciæ dignitate, vetuſtate, utilitate dicenda. Nam cùm omnium ſociorum, provinciarumque *rationem diligenter habere debetis*, tum præcipuè Siciliæ, judices, plurimis, juſtiſſimiſque de cauſis: primùm quòd omnium nationum exterarum *princeps* Sicilia ſe ad amicitiam, fidemque populi Romani applicuit: prima omnium, id quod ornamentum imperii eſt, *provincia* eſt appellata: prima docuit majores noſtros, quàm præclarum eſſet exteris gentibus imperare: ſola fuit ea fide benivolentiaque erga populum Romanum, ut civitates ejus inſulæ, quæ ſemel in amicitiam noſtram veniſſent, *numquam poſtea deficerent:* pleræque autem, & maximè illuſtres in amicitia perpetuò manerent. Itaque majoribus noſtris in Africam ex hac provincia gradus imperii factus eſt. neque enim tam facilè opes Karthaginis tantæ *concidiſſent*, niſi illud & *rei frumentariæ* ſubſidium, & *receptaculum* claſſibus noſtris pateret. Quare P. Africanus, Karthagine dele- 2
ta, Siculorum urbeis, ſignis, monumentiſque pulcherrimis exornavit: ut, quos victoria populi Rom. maximè lætari arbitrabatur, apud eos *monumenta victoriæ* plurima collocaret. Denique ille ipſe M. Marcellus, cujus in Sicilia virtutem hoſtes, miſericordiam victi, fidemque ceteri Siculi perſpexerunt, non ſolùm ſociis in eo bello conſuluit, verùm etiam ſuperatis hoſtibus *temperavit.* urbem pulcherrimam, Syracuſas, quæ cùm manu munitiſſima eſſet, tum loci natura, terra, ac mari claudebatur, cùm vi, conſilioque cepiſſet: non ſolùm incolumem paſſus eſt eſſe, ſed ita reliquit ornatam, ut eſſet idem *monumentum* victoriæ, manſuetudinis, continentiæ: cùm homines viderent, & quid expugnaſſet, & quibus pepercisset, & quæ reliquiſſet. tantum ille honorem Siciliæ habendum putavit, ut ne hoſtium quidem urbem ex ſociorum inſula tollendam arbitraretur. Itaque ad omneis res Sicilia provincia ſemper uſi ſumus, ut, quidquid ex ſeſe poſſet efferre, id non apud eos naſci, ſed [2] *domi noſtræ conditum* putaremus. Quando illa frumentum, quod deberet, non ad diem dedit? quando id, quod opus eſſe putaret, non ultrò pollicita eſt? quando id, quod imperaretur, recuſavit? Itaque ille M. Cato Sapiens *cellam penariam reipublicæ* noſtræ, *nutricem plebis Romanæ*, Siciliam nomi-

1. *Curando ne litura appareat, interpolando.*] Lipſius noſter lib. 1. Variorum cap. 20. ejicit, pleraque hæc multum tamen habent quibus auditor capiatur: ſervantque alioqui & Pall. & olim cuſi.

2. *Facultas eorum quos iſte annuerat.*] Victorius habet, item Paulus Manutius, *bonorum, cùm is annuerat, aut cùm iis quos iſte annuerat.* alii leg. *adnumerat.*

1. UT *poſſim aliquo modo aliquando de his, &c.*] Revocavi editionum exoletarum ſcripturam, Palatinis noſtris confirmatam. poſteriores vel *aliquando*, vel *aliquomodo* abjecerant; non rectè, meâ quidem ſententia.

2. *Domi noſtræ conditum putaremus.*] Sic Pall. noſtri & vetuſtius cuſi. Lambinus interjecit è mſſ. *conditum jam putaremus*, quod & in Metellano; ſed non eſt neceſſarium.

nominavit. Nos verò experti ſumus, Italico maximo difficillimoque bello, Siciliam nobis non pro penaria cella, ſed pro ærario illo majorum vetere, ac referto fuiſſe. nam ſine ullo ſumtu noſtro, [1] coriis, tunicis, frumentoque ſuppeditato, maximos exercitus noſtros veſtivit, aluit, ar-
3 mavit. Quid illa, quæ forſitan *ne ſentimus quidem*, judices, quanta ſunt? quòd [2] multis locupletioribus civibus utimur? quòd habent propinquam, fidelem, fructuoſamque provinciam, quò facilè excurrant? ubi libenter negotium gerant? quos illa partim mercibus ſuppeditandis cum quæſtu, compendioque dimittit: partim retinet, ut arare, ut paſcere, ut negotiari libeat, ut denique ſedes, ac domicilium collocare. quod commodum [3] non mediocre populi Romani eſt: tantum civium Romanorum numerum, *tam prope ab domo*, tam bonis, fructuoſiſque rebus detineri. Et quoniam quaſi quædam prædia populi Rom. ſunt, vectigalia noſtra, atque provinciæ: quemadmodum *propinquis vos veſtris prædiis maximè delectamini*: ſic populo Rom. jucunda ſuburbanitas eſt hujuſce provinciæ. Jam verò hominum ipſorum, judices, ea patientia, virtus, frugalitaſque eſt, ut proximè ad noſtram *diſciplinam illam veterem*, non ad hanc, quæ nunc increbuit, videantur accedere. nihil ceterorum ſimile Græcorum, nulla deſidia, nulla luxuria: contrà ſummus labor in publicis, privatiſq; rebus, ſumma parſimonia, ſumma diligentia. Sic porrò noſtros homines diligunt, ut his ſolis *neque publicanus, neque negotiator odio ſit*. Magiſtratuum autem noſtrorum injurias ita multorum tulerunt, ut numquam ante hoc tempus ad aram legum, præſidiumque veſtrum *publico conſilio* confugerint. tametſi & illum annum pertulerant, qui ſic eos afflixerat, ut ſalvi eſſe non poſſent, niſi C. Marcellus quaſi *aliquo fato* veniſſet, ut bis ex eâdem familia ſalus Siciliæ conſtitueretur; [4] & poſtea M. Antonii infinitum illud imperium ſenſerant. Sic à majoribus ſuis acceperant, tanta populi Romani in Siculos eſſe beneficia, ut *etiam injurias noſtrorum hominum perferendas putarent*. In neminem civitates ante hunc teſtimonium publicè dixerunt. Hunc denique ipſum pertuliſſent, ſi *humano modo*, ſi uſitato more, ſi denique uno aliquo in genere peccaſſet: ſed cùm perferre non poſſent luxuriem, crudelitatem, avaritiam, ſuperbiam: cùm omnia ſua commoda, jura, beneficia ſenatus, populique Rom. *unius ſcelere, ac libidine* perdidiſſent: hoc ſtatuerunt, aut iſtius injurias per vos ulciſci, & perſequi: aut, ſi vobis indigni eſſent viſi, quibus opem, auxiliumque ferretis, [5] urbeis, ac ſedes ſuas relinquere, quandoquidem agros jam ante iſtius injuriis ex-
4 agitati reliquiſſent. Hoc conſilio à L. Metello legationes univerſæ petiverunt, ut quamprimùm iſti ſuccederet. Hoc animo toties apud patronos de ſuis miſeriis deplorarunt: hoc commoti dolore, poſtulata conſulibus, quæ non poſtulata, ſed in iſtum crimina viderentur eſſe, ediderunt. Fecerunt etiam, ut me, cujus fidem, continentiamque cognoverant, propè de vitæ meæ ſtatu, dolore, ac lacrymis ſuis deducerent, ut ego iſtum acccuſarem: à quo mea longiſſimè ratio, voluntaſque abhorrebat. Quamquam in hac cauſa multo plureis parteis mihi *defenſionis*, quàm *accuſationis*, ſuſcepiſſe videor. Poſtremò homines ex tota provincia nobiliſſimi, primique, publicè, privatimque venerunt. [6] graviſſima, atque honeſtiſſima quæque civitas vehementiſſimè ſuas injurias perſecuta eſt. At quemadmodum, judices, venerunt? videor enim mihi liberiùs apud vos jam pro Siculis loqui debere, quàm forſitan ipſi velint. *ſaluti* enim eorum potiùs conſulam, quàm *voluntati*. Ecquem exiſtimaſtis umquam ulla in provincia *reum abſentem* contra inquiſitionem accuſatoris, tantis opibus, tanta cupiditate eſſe defenſum? Quæſtores utriuſque provinciæ, qui iſto prætore fuerant, cum faſcibus mihi præſtò fuerunt. Hi porrò, qui ſucceſſerunt, *vehementer iſtius cupidi*, liberaliter ex iſtius cibariis tractati, non, minùs acres contra me fuerunt. Videte, quid potuerit, [7] qui quattuor in una provincia quæſtores, ſtudioſiſſimos defenſores, propugnatoreſque habuerit: prætorem verò, cohortemque totam ſic ſtudioſam, ut facilè appareret, non tam illis *Siciliam*, quam inanem offenderant, quàm *Verrem ipſum*, qui plenus deceſſerat, *provinciam fuiſſe*. Minari Siculis, ſi decreviſſent legationes, quæ contra iſtum dicerent: minari, ſi qui eſſent profecti: aliis, ſi laudarent, benigniſſimè promittere: graviſſimos privatarum rerum *teſteis*, quibus nos præſentibus denuntiavimus, eos vi, cuſtodiiſque retinere. Quæ cùm 5
omnia facta ſint, tamen unam ſolam ſcitote eſſe civitatem Mamertinam, quæ publicè legatos, qui iſtum laudarent, miſerit. [8] Ejus autem legationis principem, civitatis nobiliſſimum, C. Hejum, juratum dicere audiſtis: iſti navem onerariam maximam, Meſſanæ eſſe, publicè coactis operis, ædificatam. idemque Mamertinorum legatus, iſtius laudator, non ſolùm iſtum bona ſua, verùm etiam ſacra, deoſque penateis à majoribus traditos, *ex ædibus ſuis eripuiſſe* dixit. Præclara laudatio, cùm duabus in rebus legatorum una opera conſumitur, in laudando, atque repetendo. Atque ea ipſa civitas qua ratione illi amica ſit, dicetur certo loco. reperietis enim; quæ cauſæ benivolentiæ ſint Mamertinis erga iſtum, eas ipſas cauſas, ſatis juſtas eſſe damnationis. Alia civitas nulla, judices, publico conſilio laudat. Vis illa ſummi imperii tantùm potuit apud perpaucos homines, non civitates, ut aut leviſſimi quidam ex miſerrimis, deſertiſſimiſque oppidis invenirentur, qui injuſſu populi, ac ſenatus proficiſcerentur: aut ii, [9] qui contra iſtum legati decreti erant, & teſtimonium publicum, ac mandata acceperant, *vi, ac metu* retinerentur. Quod ego in paucis tamen uſu veniſſe non moleſtè fero, quo reliquæ tot, & tantæ, & tam graves civitates, tota denique Sicilia plus auctoritatis apud vos haberet, cùm videretis nulla vi retineri, nullo periculo [10] prohiberi potuiſſe, quo minùs experirentur, ecquid apud vos *querimoniæ valerent* antiquiſſimorum, fideliſſimorumque ſociorum. Nam, quòd fortaſſe non nemo veſtrûm audierit, iſtum à Syracuſanis publicè laudari: id tametſi priore actione ex Heraclii Syracuſani teſtimonio, cujuſmodi eſſet, cognoviſtis: tamen vobis alio loco, ut ſe tota res habeat, quod ad eam civitatem attinet, demonſtrabitur. Intelligetis enim, nullis hominibus quemquam tanto odio, quanto iſtum Syracuſanis, & eſſe, & fuiſſe. At enim 6
iſtum ſoli Siculi perſequuntur: cives Romani, qui in Sicilia negotiantur, defendunt, *diligunt*, ſalvum eſſe cupiunt. Primùm, ſi ita eſſet, tamen vos in hac quæſtione de pecuniis repetundis, quæ ſociorum cauſa conſtituta eſt, lege, judicioque ſociali, ſociorum querimonias audire oporteret. ſed intelligere potuiſtis priore actione civeis Romanos ex Sicilia plu-

lia plu-

1. *Coriis, tunicis, frumentoque.*] Conjicit Gulielmius *coritis*. minus dextrè. neque enim admodum utebantur eo genere telorum Romani. & *coria* ſunt quæ adhibebantur ad tabernacula.

2. *Multis locupletioribus.*] Nannius conjiciebat *multo*.

3. *Non mediocre populi Ro. eſt; tantum civium Romanorum, &c.*] Metelli liber *non mediocre Reip. eſt; tantum civium numerum*. ſine illo *Romanorum*. non placet: elegantius enim vox ea abeſſet retento *populi Rom.* quomodo expreſſere Pall. & edd. caſeæ.

4. *Et poſt M. Antonii infinitum, &c.*] Obſecutus hic ſum lectioni Aſconianæ; rationi Hotomanianæ.

5. *Urbeis ac ſedes ſuas relinquerent.*] Ita edd. priſcæ, ita Victoriana, ita Pall.

6. *Graviſſima atque honeſtiſſima quæque civitas.*] Eſt à Pall. & olim editis. nam Lambinus, *atque ampliſſima*.

7. *Qui quatuor in una provincia.*] Vox *una* eſt à mſ. Nannii & Metelli. aliis abeſt.

8. *Ejus autem legationis principem, civitatis nobiliſſimum.*] Gulielmius, quod inveniſſet, in Metellano *civitates nobiliſſimum civem C. Hejum*; arbitrabatur delendum, ceu adulterinum, *civitatis*.

9. *Qui contra iſtum legati decreti erant.*] Eſt à libris Petri Nannii, item Metelli; niſi quod hic prius habuiſſet, *legatiam decreverant*. unde putat Gulielmius, fieri poſſe *legati jam decreti erant*. antea cuſi, *legatos decreverant*.

10. *Prohiberi potuiſſe.*] Vulgati *poſſe*. ſed alterum eſt à membranis Metelli ac Nannii.

1. Liu-

lia plurimos, honeſtiſſimos, maximis de rebus, & quas ipſi acceptiſſent injurias, & quas ſcirent aliis eſſe factas, pro teſtimonio dicere. Ego hoc, quod intelligo, judices, ſic confirmo: videor mihi gratum feciſſe Siculis, quòd eorum [1] injurias, meo labore, inimicitias, periculo ſim perſecutus. non minus hoc gratum me noſtris civibus intelligo feciſſe: qui hoc exiſtimant, juris, libertatis, rerum, fortunarumque ſuarum ſalutem *in iſtius damnatione conſiſtere*. Quapropter de iſtius prætura Sicilienſi non recuſo, quin ita me audiatis, ut, ſi cuiquam generi hominum ſive Siculorum, ſive noſtrorum civium: ſi cuiquam ordini, ſive aratorum, ſive pecuariorum, ſive mercatorum probatus ſit: ſi non horum *omnium communis hoſtis*, prædoque fuerit: ſi cuiquam denique ulla in re [2] umquam temperaverit: ut vos quoque ei temperetis. Qui ſimulatque ei ſorte provincia Sicilia obvênit, ſtatim Romæ, & ad urbem, antè quàm proficiſceretur, quærere ipſe ſecum, [3] & cogitare cum ſuis cœpit, quibuſnam rebus in ea provincia *maximam uno anno pecuniam facere* poſſet. Nolebat in agendo diſcere (tametſi non provinciæ rudis erat, & tiro) [4] ſed in Siciliam paratus ad prædam, meditatuſque venire cupiebat. O præclarè conjectum à vulgo in illam provinciam omen communis famæ, atque ſermonis! cùm *ex nomine* iſtius quid in provincia facturus eſſet, [5] perridiculè homines augurabantur. Etenim quis dubitare poſſet, cùm iſtius in quæſtura fugam, & furtum recognoſceret: cùm in legatione, oppidorum, fanorumque ſpoliationes cogitaret: cùm videret in foro latrocinia præturæ: qualis iſte *in quarto actu* improbitatis
7 futurus eſſet. Atque ut intelligatis, eum Romæ quæſiſſe [6] non modò genera furandi, ſed etiam nomina; certiſſimum accipite argumentum, quo faciliùs de ſingulari ejus impudentia exiſtimare poſſitis. Quo die Siciliam attigit (videte, ſatiſne paratus ex illo omine urbano, *ad everrendam provinciam* venerit) ſtatim Meſſana litteras Haleſam mittit: quas ego iſtum in Italia ſcripſiſſe arbitror. nam, ſimulatque è navi egreſſus eſt, dedit operam, ut Haleſinus ad ſe Dio continuò veniret: *ſe de hereditate velle cognoſcere*, quæ ejus filio à propinquo homine [7] Apollodoro Laphirone veniſſet. Ea erat, judices, pergrandis pecunia. Hic eſt Dio, judices, nunc beneficio Qu. Metelli civis Romanus factus: de quo, multis viris primariis teſtibus, multorumque tabulis vobis priore actione ſatisfactum eſt, [8] H-S undecies numeratum eſſe, ut eam cauſam, in qua ne tenuiſſima quidem dubitatio poſſet eſſe, iſto cognoſcente *obtineret*: præterea greges nobiliſſimarum equarum abactos: argenti, veſtiſque ſtragulæ domi quod fuerit, [9] eſſe direptum. ita H-S undecies Q. Dionem, quod hereditas ei obveniſſet, nullam aliam ob cauſam, perdidiſſe. Quid? Hæc hereditas quo prætore Dionis filio venerat? eodem, quo Anniæ, P. Annii ſenatoris filiæ: eodem, quo M. Liguri ſenatori, C. Sacerdote prætore. Quid? tum nemo moleſtus Dioni fuerat? non plus quàm Liguri, Sacerdote prætore. Quid? ad Verrem quis detulit? nemo: niſi fortè exiſtimatis ei quadruplatores ad fretum præſto fuiſſe. Ad urbem cùm eſſet, 8
audivit Dioni cuidam Siculo *permagnam veniſſe hereditatem*: heredem ſtatuas juſſum eſſe in foro ponere: niſi poſuiſſet, Veneri Erycinæ eſſe multatum. Tametſi poſitæ eſſent ex teſtamento: putabat tamen, quoniam Veneris nomen eſſet, [10] cauſam pecuniæ [11] ſe reperturum. Itaque apponit, qui petat Veneri Erycinæ illam hereditatem. non enim quæſtor petit (ut eſt conſuetudo) is, qui Erycum montem obtinebat: petit Nævius Turpio quidam, iſtius *excurſor, & emiſſarius*, homo omnium, ex illo conventu, [12] quadruplatorum deterrimus, [13] C. Sacerdote prætore condemnatus injuriarum. etenim erat ejuſmodi cauſa, ut ipſe prætor, cùm quæreret calumniatorem, paullo tamen conſideratiorem reperire non poſſet. Hunc hominem Veneri abſolvit: ſibi condemnat. maluit videlicet *homines peccare, quàm deos*: ſe potius à Dione, quod non licebat, quàm Venerem, quod non debebatur, auferre. Quid ego hîc nunc Sex. Pompeii Chlori teſtimonium recitem, qui cauſam egit Dionis? qui omnibus rebus interfuit? hominis honeſtiſſimi, tametſi civis Romanus virtutis cauſa jamdiu eſt, tamen omnium Siculorum primi, ac nobiliſſimi? Quid ipſius Qu. Cæcilii Dionis, hominis probatiſſimi, [14] ac pudentiſſimi? Quid [15] L. Vetecilii Liguris, T. Manlii, L. Caleni? quorum omnium teſtimoniis de hac Dionis pecunia confirmatum eſt. Dixit hoc idem M. Lucullus, ſe de his Dionis incommodis pro hoſpitio, quod ſibi cum eo eſſet, jam antè cognoſſe. Quid? Lucullus, qui tum in Macedonia fuit, meliùs hæc cognovit, quàm tu Hortenſi, *qui Romæ fuiſti*? ad quem Dio confugit? qui de Dionis injuriis graviſſimè per litteras cum Verre queſtus es? nova tibi hæc ſunt, & inopinata? nunc primùm hoc aures tuæ crimen accipiunt? [16] nihil ex Dione, nihil ex ſocru tua, fœmina primaria, Servilia, vetere Dionis hoſpita, audiſti? nonne multa mei teſtes, quæ tu ſcis, neſciunt? nonne te mihi teſtem in hoc crimine eripuit non iſtius *innocentia*, ſed legis exceptio: [17] *TESTIMONIA M. LUCULLI, CHLORI, DIONIS*. Satiſne vobis magnam pecuniam Venerius ho- 9
mo, qui è Chelidonis ſinu in provinciam profectus eſſet, Veneris nomine quæſiſſe videtur? Accipite aliam in minore pecunia non minus impudentem calumniam. [18] Soſippus & Epicrates fratres ſunt Agyrinenſes. horum pater [19] ab hinc duo & xx. annos eſt mortuus: in cujus teſtamento, quodam loco, SI COMMISSUM QUID ESSET, multa erat Veneri.

---

1. *Injurias, meo labore, inimicitias, periculo, &c.*] Metelli liber, *inimicitiis*; non inepte profecto.

2. *Umquam temperavit; ut vos quoque ei temperetis.*] Vocula quidem *ut* extat in Pall. Metell. & edd. priſcis. eædem tamen, ut & Pall. reſpuunt pronomen *ei*. poſterius vulgati, *temperavit; ei vos quoque temperetis*, conjecturâ Hotomani.

3. *Et agitare cum ſuis cœpit.*] Sic Pal. ſec. Metelli liber, aliorumque recepta lectio *cogitare*. quæ minus efficax vox hoc loco.

4. *Sed in Siciliam paratus, &c.*] Metelli codex, *ſed Siciliæ*. unde dubitat Gulielmius an gloſſa fuerit, *ſcilicet Siciliæ*, ad illud *provinciæ*, legendumque; & *tyro: paratus ad prædam præditatuſque venire cup.* haud paullò ſuavius.

5. *Perridiculè homines augurabantur.*] Ita Metell. & Nann. quippe vulgati, *perridiculi*, quod & in Pall.

6. *Non modo genera furandi, ſed etiam nomina; certiſſimum accipite argumentum.*] Gulielmius capiebatur emendare fide codicis Metelli, *nomina certiſſima; accipite argumentum. Nomina certa* & *incerta*, in debitione pecuniæ ſunt, à quibus facilè aut difficulter creditor ſuum recipit aut extricat. at hic Verres omnes Siculos ſuos debitores exiſtimabat, qui haberent modo quod auferre poſſet.

7. *Apollodoro Laphirone.*] Lambinus, *Avalerone*, proculdubio ex Fabriciano cod.

8. H-S *Undecies numeratum eſſe.*] Lambinus repoſuit ex Fabriciano, H-S ıↄ *numerata eſſe*. ſicque erat etiam in Metellano.

9. *Eſſe dereptum.*] Ita erat in Metell. pro vulgo, *direptum. deripere* autem dictum pro *eripere*, ut vitaretur hiatus qui inſignis fuiſſet, ſi duæ vocales clariſſimæ concurriſſent. *Gulielmius.*

10. *Cauſam pecuniæ ſe rep.*] Lambinus *calumniæ*, at alterum reſtat in ſcriptis Nannii, in Pall. in omnibus impreſſis.

11. *Se reperturum.*] Perplacet Gulielmio antiqua ratio ſcripturæ quæ in codice Metelli, *reperiturum*.

12. *Quadruplatorum deterrimus.*] Forſan, inquit Hotomanus & Gulielmius, *teterrimus*; & ita omnino perſcriptum in Pal. ſecundo.

13. *C. Sacerdote prætore.*] Lambinus, *à Sacerdote*; contra Pall. & lectionem retro vulgatam.

14. *Ac pudentiſſimi.*] Ita mediæ aliquot edd. neque aliter Pal. pr. antea erat *prudentiſſimi*.

15. *L. Vetecilii Liguris.*] Aliàs legitur *Vecilii*, neque aliter Metelli membranæ, & ferè placet; quamvis alterum hæreat in Pall.

16. *Nihil ex Dione, nihil ex ſocru, &c.*] Eſt à Nannii ſcripto & Metelli. prius editi, *nihil de Dione, nihil de ſocru*.

17. TESTIMONIA.] Editiones poſteriores, præmittunt, *Recita.* imò Aldus Nepos amplius, *Recita teſtimonia.* monuit Gulielmius in Metellano fuiſſe, *R. teſtimonium*: LUCULII. CHIORE &c.

18. *Soſippus & Epicrates.*] Sic in Pall. & edd. ceteris.

19. *Ab hinc duo & viginti annos.*] Sic Nanuii liber, ſic Metelli, ſic Pall. ſic olim cuſi. recentiores *duos & xx.*

1. *Ipſe*

Veneri. [1] ipſo xx. anno, cùm tot interea prætores, tot quæſtores, tot calumniatores in provincia fuiſſent, hereditas ab his Veneris nomine petita non eſt. [2] Cauſam Verres cognoſcit. pecuniam per Volcatium accipit, [3] ferè ad H-S cccc millia ab duobus fratribus. Multorum teſtimonia audiſtis antea. vicerunt Agyrinenſes fratres, ita ut egentes,
10 inaneſque diſcederent. At enim *ad Verrem pecunia iſta non pervênit.* Quæ eſt iſta defenſio? utrùm aſſeveratur in hoc, an tentatur? mihi enim nova res eſt. Verres *calumniatores apponebat:* Verres adeſſe jubebat: Verres cognoſcebat: Verres judicabat: pecuniæ maximæ dabantur: qui dabant, cauſas obtinebant: tu mihi ita defendas? non eſt iſta Verri numerata pecunia. Adjuvo te: mei quoque teſtes idem dicunt: Volcatio dicunt ſeſe dediſſe. Quæ vis erat in Volcatio tanta, ut H-S cccc millia à duobus hominibus auferret? & quis Volcatio, ſi *ſua ſponte* veniſſet, unam libellam dediſſet? Veniat nunc: experiatur: tecto recipiet nemo. At ego amplius dico H-S quadringenties accepiſſe te arguo contra leges: nego tibi ipſi ullum nummum eſſe numeratum: ſed cùm ob tua decreta, ob imperata, ob judicata, pecuniæ dabantur, non erat quærendum, *cujus manu numerarentur, ſed cujus injuria cogerentur.* Comites illi tui delecti, manus erant tuæ. Præfecti, Scribæ, Medici, Accenſi, Haruſpices, Præcones erant manus tuæ. ut quiſque te maximè cognatione, affinitate, neceſſitudine aliqua attingebat, ita maximè MANUS TUA putabatur. cohors tota illa tua, quæ plus mali Siciliæ dedit, quàm ſi centum cohortes fugitivorum fuiſſent, tua manus ſine controverſia fuit. quidquid ab horum quopiam captum eſt, id non modò tibi datum, ſed tua manu numeratum judicari neceſſe eſt. Nam, ſi hanc defenſionem probabitis, *Non accepit ipſe:* licet omnia de pecuniis repetundis judicia tollatis. [5] nemo umquam tam reus, tam nocens adducetur, qui iſta defenſione non poſſit uti. etenim cum Verres utatur: quis erit umquam poſthac reus tam perditus, qui non ad Qu. Mucii innocentiam referatur, ſi cum iſto conferatur? Neque nunc tam mihi iſti Verrem defendere videntur, quàm in Verre defenſionis tentare rationem. Qua de re, judices, vobis magnopere providendum eſt. pertinet hoc ad ſummam reipublicæ, & [6] ad exiſtimationem ordinis, ſalutemque ſociorum. Si enim *INNOCENTEIS EXISTIMARI VOLUMUS,* non ſolùm nos abſtinenteis, ſed etiam noſtros comites
11 præſtare debemus. Primùm omnium opera tanta danda eſt, ut eos nobiſcum ducamus, qui noſtræ famæ capitique conſulant. deinde, ſi in hominibus eligendis nos ſpes amicitiæ fefellerit, ut vindicemus: miſſos faciamus: ſemper ita vivamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur. Africani eſt hoc, hominis liberaliſſimi. verumtamen *ea liberalitas eſt probanda, quæ ſine periculo exiſtimationis eſt,* ut in illo fuit. Cùm ab eo quidam vetus aſſectator, & ex numero amicorum, non impetraret, uti ſe præfectum in Africam duceret, & id ferret moleſtè: NOLI, inquit, MIRARI, ſi tu à me hoc non impetras. ego jam pridem ab eo, cui meam exiſtimationem caram fore arbitror, peto, ut mecum præfectus proficiſcatur: & adhuc impetrare non poſſum. Etenim re vera multo magis eſt petendum ab hominibus, [7] ſi ſalvi, & honeſti eſſe volumus, ut eant nobiſcum in provinciam, quàm hoc illis in *beneficii loco* deferendum. Sed tu, cùm & tuos amicos in provinciam, quaſi *in prædam*, invitabas, & cum illis, ac per eos prædabare, & eos in concione annulis aureis donabas; non ſtatuebas, tibi non ſolùm de te, ſed etiam *DE ILLORUM FACTIS RATIONEM ESSE REDDENDAM?*

Cùm hos ſibi quæſtus conſtituiſſet magnos atque uberes, ex his cauſis, quas ipſe inſtituerat in conſilio, hoc eſt, cum ſua cohorte, cognoſcere: tum infinitum genus invenerat ad innumerabilem pecuniam corripiendam. Dubium nemini eſt, quin omnes omnium pecuniæ poſitæ ſint in eorum poteſtate, qui judicia dant, & eorum, qui judicant: quin nemo noſtrûm poſſit ædeis ſuas, nemo fundum, nemo bona patria obtinere, ſi, cùm hæc à quopiam veſtrûm petita ſint, *prætor improbus,* cui nemo intercedere poſſit, det quem velit judicem: judex nequam & levis, quod prætor juſſerit, judicet. Si verò illud quoque accedet, ut in ea verba prætor judicium det, ut vel L. Octavius Balbus judex, homo, & juris, & officii peritiſſimus, non poſſit aliter judicare: ſi judicium ſit ejuſmodi, *L. OCTAVIUS JUDEX ESTO: SI PARET, FUNDUM CAPENATEM, QUO DE AGITUR, EX JURE QUIRITIUM P. SERVILII ESSE, NEQUE IS FUNDUS Q. CATULO RESTITUETUR:* non neceſſe erit L. Octavio judici cogere P. Servilium Q. Catulo fundum reſtituere, aut condemnare eum quem non oporteat? Ejuſdemmodi totum jus prætorium, ejuſdemmodi omnis res judiciaria fuit in Sicilia per triennium, Verre prætore: decreta ejuſmodi: *SI NON ACCIPIT QUOD TE DEBERE DICIS, ACCUSES: SI PETITUR, DUCAS.* C. Fuficium duci juſſit petitorem, L. Suetium, L. Racilium. judicia hujuſmodi: *QUI CIVES ROM. ERANT, SI SICULI ESSENT, TUM SI EORUM LEGIBUS DARE OPORTERET. QUI SICULI SI CIVES ROM. ESSENT.* Verùm, ut totum genus complectamini judiciorum: priùs jura Siculorum, deinde iſtius inſtituta cognoſcite. Siculi hoc jure ſunt, ut, quod civis cum civi agat, 13
domi certet ſuis legibus: quod Siculus cum Siculo non ejuſdem civitatis, ut de eo prætor judices ex P. Rupilii decreto, quod is *de decem legatorum ſententia ſtatuit*, quam legem illi *Rupiliam* vocant, ſortiatur. Quod privatus à populo petit, aut populus à privato: ſenatus ex aliqua civitate, qui judicet, datur, cùm alternæ civitates rejectæ ſunt. Quod civis R. à Siculo petit: Siculus judex datur. quod Siculus à cive R. civis Rom. datur. ceterarum rerum ſelecti judices ex civium Roman. conventu proponi ſolent. Inter aratores & decumanos, lege frumentaria, quam *Hieronicam* appellant, judicia fiunt. Hæc omnia iſto prætore non modò perturbata, ſed planè & Siculis, & civibus R. erepta ſunt: primùm *ſuæ leges;* quod civis cum civi ageret, aut eum judicem, quem commodum erat, præconem, haruſpicem, medicum ſuum dabat: aut, ſi legibus erat judicium conſtitutum, & ad civem ſuum judicem venerant, liberè civi judicare non licebat. Edictum enim hominis cognoſcite, quo edicto omnia judicia redegerat in ſuam poteſtatem: SI QUI PERPERAM JUDICASSET, SE COGNITURUM: CUM COGNOSSET, ANIMADVERSURUM. idque cùm faciebat, nemo dubitabat, quin, cùm judex alium de ſuo judicio putet judicaturum, ſeque in eo capitis periculum aditurum, voluntatem ſpectet ejus, quem ſtatim de capite ſuo putet judicaturum. Selecti è conventu, aut propoſiti ex negotiatoribus judices, nulli. hæc copia, quam dico, judicum, cohors non Q. Scævolæ, qui tamen *DE COHORTE SUA* dare non ſolebat; ſed C. Verris. Cujuſmodi cohortem putatis hoc principe fuiſſe? ſicuti videtis edictum: *SI QUID PERPERAM JUDICARIT SENATUS.* Eum quoque oſtendam, ſiquando ſit datus, coactu iſtius, quod non ſenſerit, judicaſſe. Ex lege Rupilia ſortitio nulla, niſi cùm

(12 in the right margin beside "Dubium nemini eſt")

1. *Ipſo viceſimo anno &c. nomine petita eſt.*] Eſt ab Aſconiana editione, cui ſuffragatur item liber Metelli. Editi prius; *Ipſos* xx. *annos &c. nomine petita non eſt.*

2. *Cauſam Verres cognoſcit.*] Videtur illud *cauſam* non fuiſſe apud Pædianum: certè abeſt ſcripto Metelli, & jure.

3. *Ferè ad* H-S cccc *millia.*] Lambinus omiſit *ad*, quod nec erat in Metellano; qui, *ferè* H-S xx cum linea jacente ſuper numeros; quod quis probare poſſit.

4. *Ob edicta, ob imperia, ob judicia.*] Sic Lamb. ex Fabr. prius editi, abſque illo *ob edicta: ob imperata, ob judicata.* neque aliter Pall.

5. *Nemo umquam tam reus, tam nocens.*] Lambinus ex mſ. Hotomani expunxit prius *tam*.

6. *Ad exiſtimationem ordinis.*] Haud ſupervacuum videtur, quod eſt in Metell. *ordinis noſtri.*

7. *Si ſalvi & honeſti eſſe volumus.*] Eſt illud *& honeſti*, ex Fabric. exſtabatque item in Metelli libro, niſi quod is *honeſtè.*

cùm nihil intereſſet iſtius. lege Hieronica judicia plurimarum controverſiarum, ſublata uno nomine omnia: de conventu, ac negotiatoribus nulli judices. Quantam poteſtatem habuerit, videtis: quas res geſſerit, cognoſcite. Heraclius eſt Hieronis filius, Syracuſanus, homo in primis domi ſuæ nobilis, & ante hunc prætorem vel pecunioſiſſimus Syracuſanorum: nunc nulla alia calamitate, niſi iſtius avaritia, atque *injuria*, *pauperrimus*. huic hereditas facilè ad H-s tricies venit teſtamento propinqui ſui, Heraclii: plena domus cælati argenti optimi, multæque ſtragulæ veſtis, pretioſiſſimorumque mancipiorum: quibus in rebus iſtius cupiditates, & inſanias quis ignorat? erat in ſermone res, magnam Heraclio pecuniam veniſſe: non ſolùm Heraclium divitem, ſed etiam ornatum ſupellectili, argento, veſte, mancipiis futurum. audit hæc etiam Verres: & primò, illo ſuo leviore artificio Heraclium aggredi conatur, ut eum *roget inſpicienda, quæ non reddat:* deinde à quibuſdam Syracuſanis admonetur: hi autem quidam erant affines iſtius, quorum iſte uxores numquam *alienas* exiſtimavit, Cleomenes, & Æſchrio: qui quantum apud iſtum, & quàm turpi de cauſa potuerint, ex reliquis criminibus intelligetis. Hi, ut dico, hominem admonent; *rem* eſſe præclaram, [1] refertam omnibus rebus: *ipſum* autem Heraclium, hominem eſſe majorem natu, non promtiſſimum: & eum præter Marcellos, patronum, quem jure ſuo adire, aut appellare poſſet, habere neminem: eſſe in eo teſtamento, quo ille heres eſſet, ſcriptum, ut ſtatuas in palæſtra deberet ponere. faciemus, ut palæſtritæ negent ex teſtamento eſſe poſitas, petant hereditatem, quòd eam palæſtræ commiſſam eſſe dicant. Placuit ratio Verri. nam hoc animo providebat, cùm tanta hereditas in controverſiam veniſſet, judicioque peteretur, fieri non poſſe, ut *ſine præda* ipſe diſcederet. approbat conſilium: auctor eſt, ut quàm primùm agere incipiant, hominemque id ætatis, minimè litigioſum quàm tumultuoſiſſi-
15 mè adoriantur. Scribitur Heraclio dica. Primò mirantur omnes improbitatem calumniæ: deinde qui iſtum noſſent, partim ſuſpicabantur, partim planè videbant, adjectum eſſe oculum hereditati. Interea dies advenit, quo die ſeſe ex inſtituto, ac lege Rupilia, dicas ſortiturum Syracuſis iſte edixerat: paratus ad hanc dicam ſortiendam venerat. tum eum docet Heraclius, non poſſe eo die ſortiri, quòd lex Rupilia vetaret diebus XXX ſortiri dicam, quibus ſcripta eſſet. dies XXX nondum fuerant, ſperabat Heraclius, ſi illum *diem effugiſſet*, ante alteram ſortitionem Q. Arrium, quem provincia tum maximè exſpectabat, ſucceſſurum. Iſte [2] omnibus dicis diem diſtulit: & eam diem conſtituit, ut hanc Heraclii dicam ſortiri poſt dies XXX ex lege poſſet. Poſteaquàm ea dies venit: iſte incipit ſimulare ſe velle ſortiri. Heraclius cum advocatis adit, & poſtulat, ut ſibi cum palæſtritis, hoc eſt, cum populo Syracuſano, *æquo jure diſceptare liceat*. Adverſarii poſtulant, ut in eam rem judices dentur, ex his civitatibus: [3] quæ in id forum convenirent, electi, qui Verri viderentur. Heraclius contra, ut judices è lege Rupilia dentur: ut ab inſtitutis ſuperiorum, ab auctoritate ſenatus, ab jure omnium Siculorum ne recedatur. Quid ego iſtius in jure dicundo [4] *libidinem*, ſcelera, demonſtrem? quis veſtrûm non ex urbana juriſdictione cognovit, quis umquam, iſto prætore, Chelidone invita lege agere potuit? non iſtum, ut non neminem, *provincia corrupit:* idem fuit, qui Romæ. Cùm id, quod omnes intelligebant, diceret Heraclius, jus eſſe certum Siculis, inter ſe quo jure certarent, legem eſſe Rupiliam, [5] quam P. Rupilius Cos. de decem legatorum ſententia dediſſet: hoc omneis ſemper in Sicilia conſules, prætoreſque ſervaſſe: [6] negavit ſe judices è lege Rupilia ſortiturum. quinque judices, quos commodum ipſi fuit, dedit. Quid huic homi- 16
ni facias? quod ſupplicium dignum libidini ejus invenias? Præſcriptum tibi cùm eſſet, [7] homo deterrime, & impudentiſſime, quemadmodum inter Siculos judices dares: cùm imperatoris P.R. *auctoritas*, legatorum decem, ſummorum hominum, *dignitas*, S.C. intercederet, cujus conſulto [8] P. Rupilius de legatorum ſententia leges in Sicilia conſtituerat: cùm omnes ante te prætorem, Rupilias leges, [9] & in ceteris rebus, & in judiciis maximè obſervaſſent: tu auſus es pro nihilo præ tua *præda* tot res ſanctiſſimas ducere? tibi nulla lex fuit? nulla religio? nullus exiſtimationis pudor? nullus judicii metus? nullius apud te gravis auctoritas? nullum exemplum, quod ſequi velles? Verùm, ut inſtitui dicere, quinque judicibus nulla lege, nullo inſtituto, [10] nulla rejectione, nulla ſorte, ex libidine iſtius datis, non qui cauſam cognoſcerent, ſed qui, quod imperatum eſſet, judicarent: eo die nihil actum eſt, adeſſe jubentur poſtri-
die. Heraclius interea, cùm omneis inſidias à prætore for- 17
tunis ſuis fieri videret, capit conſilium de amicorum & propinquorum ſententia, *non adeſſe ad judicium*. itaque Syracuſis illa nocte profugit. Iſte poſtero die manè, cum multo maturiùs, quàm unquam antea, ſurrexiſſet: judices citari jubet. ubi comperit Heraclium non adeſſe, cogere incipit eos, ut abſentem Heraclium condemnarent. Illi eum commonefaciunt, [11] ut ſi ei videatur, utatur inſtituto ſuo, nec cogat [12] ante horam decimam *de abſente ſecundum præſentem judicare*. impetrant. Intereà ſanè perturbatus & ipſe, & ejus amici, & conſiliarii, moleſtè ferre cœperunt, Heraclium profugiſſe. putabant abſentis damnationem, præſertim *tantæ pecuniæ*, multò invidioſiorem fore, quàm ſi præſens damnatus eſſet. Eò accedebat: quòd judices è lege Rupilia dati non erant; multo etiam rem turpiorem fore, & iniquiorem viſum iri intelligebant. Itaque hoc dum corrigere vult, *apertior ejus cupiditas*, *improbitaſque facta eſt*. Nam illis quinque judicibus uti ſeſe negat. jubet, id quod initiò è lege Rupilia fieri oportuerat, citari Heraclium, & eos, qui dicam ſcripſerant: [13] ait, *ſe judices è lege velle ſortiri*. Quod ab eo pridie, multis [14] lacrymis cùm eum oraret, atque obſecraret Heraclius, impetrare non potuerat: id ei poſtridie venit in mentem, è lege Rupilia ſortiri dicas oportere. Educit ex urna treis. iis ut abſentem Heraclium condemnent,

1. *Refertam omnibus.*] Lambinus præpoſuit, *domum refertam*, ſtultiſſimè, & præter libros.

2. *Omnibus dicis diem diſtulit.*] Eſt à Fabric. & Metellano. editi antea, *judiciis*.

3. *Quæ in forum convenirent.*] Scriptus Metelli, *convenerant*. forſan non male.

4. *Libidinem, ſcelera demonſtrem?*] Ita Metell. neque abibat Fabr. quam quod is immiſſa copula, *& ſcelera*. vox ea aliis libris ſcriptis editiſque abeſt.

5. *Quam P. Rupilius* Cos. *de* X. *leg.*] Sic Pal. ſec. Fabr. & Metel. nam prius legebamus, *quam prætor Rupilius ex S. C. de* X. *leg.*

6. *Negavit ſe judices è lege Rupilia ſortiturum.*] Non diſplicet ſcriptura Metellani, *negavit ſe lege Rup. ſort.* omiſſis intermediis.

7. *Homo deterrime & impudentiſſime.*] Metell. non habet illud *deterrime, &c.* poteratque abeſſe. Pal. ſec. præfert *teterrime*. mox quoque idem Metell. legit, *Quid hoc homine facias*, ut expreſſerat ex Fabr. Lambinus. præterea erat in eo, *dignum libidine*.

8. *P. Rupilius de decem legatorum.*] Eſt à Metello, neque admodum abit Fabr. vulgabatur antea, *P. Rupilius prætor ex legatorum*.

9. *Et in ceteris rebus, & in judiciis maximè obſervaſſent.*] Metell. codex *& in ceteris rebus ſervaſſent*, omiſſis ceteris. neque mihi diſplicet, ut ſubintelligatur, *nedum in judiciis*. antea etiam eod. libro auctore ſcripſi, *te prætorem*, eo quidem proclivius, quod Pall. & ed. vet. duabus tantum litteris prioribus id vocis expreſſerant.

10. *Nulla rejectione.*] Eſt a Metel. & Fabric. prius edebatur *nulla religione*.

11. *Ut ſi ei videatur, utatur inſtituto ſuo, nec cogat &c.*] Lectionem pro minus ſana arguit Metelli codex, in quo *ut ſi ſibi videretur inti tuo ne cogat*. ſupraque illud *ti* collocatum *S* majuſculum.

12. *Ante decimam de abſente ſecundum præſentem judicare.*] Idem liber: *ante decimam abſentem ſecundum præſ. judicari*.

13. *Ait ſe judices ex lege velle ſortiri.*] Sic Metell. niſi quod is littera unà plus, *judices c. ex lege &c.* proximè ſcripturam Fabricianam. vulgati, *atque ſe jud. è lege Rupilia velle ſort.*

14. *Lacrimis cùm eum oraret atque obſecraret Heraclitus.*] Metelli membranæ, *lacrimis oraret Heraclitus*, ſine intermediis, non malè, dummodo fiat, *orarat*.

1. H-S *tri-*

demnent, imperat. itaque condemnant. Quæ, malùm,
iſta fuit amentia? ecquando te *rationem factorum* tuorum
redditurum putaſti? ecquando his de rebus taleis viros au-
dituros exiſtimaſti? Petatur hereditas ea, quæ nulla debe-
tur, *in prædam prætoris?* interponatur nomen civitatis? im-
ponatur honeſtæ civitati turpiſſima *perſona calumniæ?* Ne-
que hoc ſolùm: ſed ita res agatur, ut ne ſimulatio quidem
æquitatis ulla adhibeatur? Nam, per deos immortaleis,
QUID INTEREST, utrùm prætor imperet, vique cogat ali-
quem de ſuis bonis omnibus decedere: an hujuſmodi ju-
dicium det, quo judicio, indicta cauſa, fortunis omnibus
18 everti neceſſe ſit? Profectò enim negare non potes, te ex le-
ge Rupilia ſortiri judicium debuiſſe, cùm præſertim Hera-
clius id poſtularet. Sin illud dices, te Heraclii voluntate ab
lege receſſiſſe: ipſe te impedies; ipſe tua defenſione impli-
cabere. Quare enim primùm ille ipſe *adeſſe noluit*, cùm ex
eo numero judices haberet, quos poſtularat? deinde tu cur
poſt illius fugam judices alios ſortitus es, ſi eos, qui erant
antea dati, utriuſque dederas voluntate? deinde ceteras di-
cas omneis illo foro M. Poſtumius quæſtor ſortitus eſt: hanc
ſolam tu illo conventu reperiere ſortitus. Ergo, inquiet
aliquis, donavit populo Syracuſano illam hereditatem. Pri-
mum, ſi id confiteri velim, tamen iſtum condemnetis, ne-
ceſſe eſt. *neque enim permiſſum eſt, ut impunè nobis liceat,
quod alicui eripuerimus, id alteri tradere.* Verum ex iſta re-
perietis hereditate ita iſtum prædatum, ut perpauca occultè
fecerit: populum quidem Syracuſanum *in maximam invi-
diam ſua infamia, alieno præmio perveniſſe:* paucos Syracuſa-
nos, eos, qui ſe nunc publicè laudationis cauſa veniſſe di-
cunt, & tunc participeis prædæ fuiſſe, & nunc non ad iſtius
laudationem, ſed ad communem litium æſtimationem ve-
niſſe. Poſteaquàm damnatus eſt abſens, non ſolùm illius
hereditatis, de qua ambigebatur, quæ erat [1] H-S tricies, ſed
omnium bonorum paternorum ipſius Heraclii, quæ non
minor erat pecunia, palæſtræ Syracuſanorum, hoc eſt, Sy-
racuſanis, poſſeſſio traditur. Quæ eſt iſta prætura? ERIPIS
HEREDITATEM, quæ venerat à propinquo, venerat teſta-
mento, venerat legibus: quæ bona is, [2] qui teſtamentum
fecit, huic Heraclio, antè aliquanto, quam eſt mortuus,
omnia utenda, ac poſſidenda tradiderat: cujus hereditatis,
cùm ille aliquanto ante te prætorem eſſet mortuus, contro-
19 verſia fuerat nulla, mentionem fecerat nemo. Verùm eſto,
eripe hereditatem propinquis, da palæſtritis: prædare in bo-
nis alienis, nomine civitatis: everte leges, teſtamenta, *vo-
luntates mortuorum, jura vivorum.* num etiam [3] patriis He-
raclium bonis exturbare oportuit? qui ſimulac profugit,
quàm impudenter, quàm palam, quàm *acerbè*, dii immor-
tales, illa bona direpta ſunt! quam illa res calamitoſa Hera-
clio, quæſtuoſa Verri, turpis Syracuſanis, *miſeranda omnibus*
videbatur? Nam illud quidem ſtatim curatur, ut quidquid
cælati argenti fuit in illis bonis, ad iſtum deferatur: quid-
quid Corinthiorum vaſorum, ſtragulæ veſtis, hæc nemo
dubitabat, quin non modò ex illa domo capta & oppreſſa,
verùm ex tota provincia ad iſtum comportari neceſſe eſſet.
Mancipia, quæ voluit, abduxit, alia diviſit: auctio facta
eſt: in qua *cohors* iſtius *invicta* dominata eſt. Verùm illud
eſt præclarum: Syracuſani, qui præfuerant his Heraclii bo-
nis, verbo, redigendis; re, diſpertiendis, reddebant eorum
negotiorum *rationem in ſenatu:* dicebant, ſcyphorum paria
complura, hydrias argenteas [4] pretioſas, veſtem ſtragulam
multam, mancipia pretioſa, Verri data eſſe: dicebant,
quantum cuique, ejus juſſu, nummorum eſſet datum. ge-
mebant Syracuſani: ſed tamen patiebantur. repentè recita-
tur, uno nomine H-S CCL millia juſſu prætoris data. fit
maximus clamor omnium, non modò optimi cujuſque,
neque eorum, quibus *indignum ſemper viſum erat*, bo-
na privati, populi nomine, per ſummam injuriam erep-
ta: verùm etiam ipſi illi *auctores injuriæ*, & ex aliqua
particula, ſocii prædæ, ac rapinarum, clamare cœpe-
runt, ſibi ut haberet hereditatem. tantus in curia clamor
factus eſt, ut populus concurreret. Res ab omni con- 20
ventu cognita, [5] celeriter domum nuntiatur. Homo inimi-
cus his, qui recitaſſent; hoſtis omnibus, qui acclamaſſent:
exarſit iracundia, ac ſtomacho. verumtamen fuit tum ſui
diſſimilis. noſtis os hominis, noſtis audaciam: tamen tum
rumore populi, & clamore, & furto manifeſto grandis pe-
cuniæ perturbatus eſt. Ubi ſe collegit, vocat ad ſe Syracu-
ſanos: [6] quia non poſſet negare ab illis pecuniam datam;
non quæſivit procul alicunde (neque enim probaret) ſed
proximum, pæne *alterum filium*, quem illam pecuniam di-
ceret abſtuliſſe. oſtendit ſe reddere coacturum. qui poſtea-
quam id audivit, habuit dignitatis, & ætatis, & nobilitatis
ſuæ rationem. verba apud ſenatum fecit: docuit, ad ſe ni-
hil pertinere. de iſto, id, quod omnes *videbant*, neque ille
quidem obſcurè, locutus eſt. itaque illi Syracuſani ſtatuam
poſtea ſtatuerunt: & is, ubi primùm potuit, iſtum reli-
quit, de provinciaque deceſſit. Et tamen ajunt eum queri
ſolere nonnumquam, *ſe miſerum, quod non ſuis*, [7] *ſed ſuorum
peccatis*, & criminibus prematur. Triennium provinciam
obtinuiſti: gener electus adoleſcens unum annum tecum
fuit: ſodales, viri fortes, legati tui primo anno te relique-
runt: unus legatus P. Tadius, qui erat reliquus, non ita
multùm tecum fuit: qui ſi ſemper unà fuiſſet, tamen ſum-
ma cura tum tuæ, tum multo etiam magis ſuæ famæ peper-
ciſſet. Quid eſt, quòd tu alios accuſes? quid eſt, quamobrem
putes te tuam culpam non modò *derivare* in aliquem, ſed
[8] *communicare cum altero* poſſe? Numerantur illa H-S du-
centa quinquaginta Syracuſanis. ea quemadmodum ad
iſtum poſtea per pſeudothyrum revertantur, tabulis vobis,
& teſtibus, judices, planum faciam. Ex hac iniquitate iſtius, 21
& improbitate, judices, quòd præda ex illis bonis ad mul-
tos Syracuſanos, invito populo, ſenatuque Syracuſano, ve-
nerat, illa ſcelera per Theomnaſtum, & Æſchrionem, &
Dionyſodorum, & Cleomenem invitiſſima civitate facta
ſunt, primùm ut *urbs tota ſpoliaretur:* qua de re alius mihi
locus ad dicendum eſt conſtitutus: ut omnia ſigna iſte per
eos homines, quos nominavi, omne ebur ex ædibus ſacris,
omneis undique tabulas pictas: deorum denique ſimulacra,
quæ vellet, auferret: deinde ut in curia Syracuſis, quem lo-
cum illi *buleuterium* vocant, honeſtiſſimo loco, & apud il-
los clariſſimo, [9] ubi illius ipſius M. Marcelli, (qui eum Sy-
racuſanis locum, quem eripere belli ac victoriæ lege poſſet,
conſervavit, & reddidit,) ſtatua ex ære facta; ibi inauratam
iſti, & alteram filio ſtatuam poſuerint: ut, dum iſtius ho-
minis memoria maneret, ſenatus Syracuſanus ſine *lacrymis,
& gemitu* in curia eſſe non poſſet. Per eoſdem iſtius inju-
riarum, furtorum, uxorumque ſocios, iſtius imperio Syra-
cuſis *Marcellea* tolluntur maximo gemitu, luctuque civita-
tis: quem illi diem feſtum cùm recentibus beneficiis
M. Marcelli debitum reddebant, tum generi, nomini, fa-
miliæ Marcellorum maxima voluntate tribuebant. Mithri-
dates in Aſia, cùm eam provinciam totam occupaſſet, *Mu-
cia* non ſuſtulit, hoſtis, & hoſtis in ceteris rebus nimis fe-
rus, & immanis, tamen honorem hominis, deorum reli-
gione

1. H-S *tricies.*] Metelli membranæ H-S CCC. quod & in Fabriciano. examinent aptiores ad rem nummariam.

2. *Qui teſtamentum fecit, huic,*] Metelli liber fecerat *a. p. huic.* neſcio an exprimere voluerit, *apud prætorem.*

3. *Patriis Heraclium bonis exturbare oportuit.*] Videtur potius, *exturbari:* ſed ſic nulli mſſ. neque adeo editi.

4. *Pretioſas, veſtem ſtragulam multam, mancipia pretioſa.*] Eſt à Metelli libro, & ita fuiſſe in Fabriciano indicat editio Lambini.

5. *Celeriter domum nuntiatur.*] Metelli membranæ, amplius *celeriter iſte mutet domum nunt.* fortè *iſti item*, inquit Gulielmius.

6. *Quia non poſſet negare &c.*] Melius forte, *qui non poſſet &c.*

7. *Sed ſuorum peccatis.*] Aliæ edd. interjiciunt, *comitum*, quæ vox abeſt Metell. & Fabric.

8. *Communicare cum altero.*] Vulgata *aliquo*, ſed lectio noſtra exſtat in Fabr. & Met. quæ etiam mox iterum habet H-S CCC.

9. *Ubi illius &c. ſtatua ex ære facta; ibi &c.*] Ita Fabr. cui adſenſum præbet Metell. niſi quod is non admittat illa, *ex ære facta.* hactenus vulgata, *ſub ilius &c.* (*qui cùm Syrac. locum eum &c.*

gione conſecratum, violare noluit: tu Syracuſanos unum diem feſtum [1] Marcellis impartire noluiſti; per quos illi adepti ſunt, ut ceteros dies feſtos agitare poſſent. At verò præclarum diem illis repoſuiſti, *Verrea* ut agerent, & ut ad eum diem, quæ ſacris, epuliſque opus eſſent, in complureis annos locarentur. Sed jam in tanta iſtius impudentia remittendum aliquid videtur, ne omnia contendamus, ne omnia cum dolore agere videamur. nam me dies, vox, latera deficiant, ſi hoc nunc vociferari velim, quàm miſerum, indignumque ſit, iſtius nomine apud eos diem feſtum eſſe, qui ſeſe iſtius opera funditus *exſtinctos eſſe* arbitrentur. O Verrea præclara, [2] quoquam ſi acceſſiſti, quò non attuleris tecum iſtum diem! etenim quam tu domum, quam urbem adiiſti, quod fanum denique, quod non everſum, atque exterſum reliqueris? quare appellentur ſanè iſta Verrea, quæ non ex nomine, [3] ſed ex manibus, naturaque tua conſtituta eſſe
22 videantur. QUAM FACILE SERPAT injuria, & peccandi conſuetudo: quàm non facilè reprimatur, videte judices. Bidis oppidum eſt, tenue ſanè, non longè à Syracuſis. Hujus longè primus civitatis eſt Epicrates quidam. Huic hereditas H-S quingentorum millium venerat à muliere quadam propinqua, atque ita propinqua, ut ea etiamſi *inteſtata* eſſet mortua, Epicratem Bidinorum legibus heredem eſſe oporteret. Recens Syracuſana erat illa res, quam antè demonſtravi, de Heraclio Syracuſano, qui *bona non perdidiſſet, niſi ei veniſſet hereditas.* Huic quoque Epicrati venerat, ut dixi, hereditas. Cogitare cœperunt ejus inimici, nihilominus eodem prætore hunc everti bonis poſſe, [4] quo Heraclius eſſet everſus. rem occultè inſtituunt: ad Verrem per ejus interpretes deferunt. ita cauſa componitur, ut item palæſtritæ [5] Bidenſes peterent ab Epicrate hereditatem, quemadmodum palæſtritæ Syracuſani ab Heraclio petiſſent. Numquam vos prætorem tam palæſtricum vidiſtis. verùm ita palæſtritas defendebat, ut ab illis *ipſe unctior* diſcederet. qui ſtatim [6] cùm præſenſiſſet, jubet cuidam ſuorum amicorum numerari H-S LXXX. [7] res occultari ſatis non poſſe. per quemdam eorum, qui interfuerat, fit Epicrates certior. Primò negligere, & contemnere cœpit, quòd cauſa prorſus, [8] quod diſputari poſſet, nihil habebat. Deinde, cum de Heraclio cogitaret, & iſtius libidinem noſſet, commodiſſimum putavit eſſe de provincia clàm abire: itaque fecit. pro-
23 fectus eſt Rhegium. Quod ubi auditum eſt, æſtuare illi, qui dederant pecuniam. putare *nihil agi poſſe, abſente Epicrate.* nam Heraclius tum affuerat, cùm primùm dati ſunt judices: de hoc, qui ante quàm in jus aditum eſſet, antè quàm denique mentio controverſiæ facta eſſet, diſceſſiſſet, putabant nihil agi poſſe. homines Rhegium proficiſcuntur, Epicratem conveniunt: demonſtrant id, quod ille ſciebat, ſe [9] H-S LXXX dediſſe: rogant eum, ut ſibi id, quod ab ipſis abiſſet pecuniæ, curet: ab ſeſe caveat, quemadmodum velit: de illa hereditate cum Epicrate neminem eſſe acturum. Epicrates homines multis verbis à ſe malè acceptos dimiſit: redeunt illi Rhegio Syracuſas: queri cum multis, ita ut fit, incipiunt: ſeſe [10] H-S LXXX nummûm fruſtra dediſſe. res percrebruit: in ore, atque ſermone omnium cœpit eſſe. Verres [11] refert illam ſuam Syracuſanam: ait *ſe velle de illis H-S LXXX cognoſcere:* advocat multos. dicunt Bidini Volcatio ſe dediſſe: illud non addunt, *juſſu iſtius.* Volcatium vocat: pecuniam referri imperat. Volcatius animo æquiſſimo nummos affert, qui nihil amitteret: reddit inſpectantibus multis: Bidini nummos auferunt. Dicet aliquis, Quid ergo in hoc Verrem reprehendis, qui non modò ipſe *fur non eſt, ſed ne alium quidem paſſus eſt eſſe?* attendite. jam intelligetis hanc pecuniam, qua *via* modò viſa eſt exire ab iſto, eadem *ſemita* revertiſſe. Quid enim debuit prætor feciſſe, cum conſilio re cognita, cùm comperiſſet, ſuum comitem, juris, decreti, judicii corrumpendi cauſa, qua in re ipſius prætoris caput, exiſtimatioque ageretur, pecuniam accepiſſe: Bidinos autem contra prætoris famam, ac fortunas dediſſe? & non in eum, qui accepiſſet, animadvertiſſe, & in eos, qui dediſſent? Tu, qui inſtitueras in eos animadvertere, qui perperam judicaſſent, quod ſæpe *per imprudentiam* fit: hos pateris impunè diſcedere, qui ob tuum decretum, ob tuum judicium, pecuniam aut dandam, aut accipiendam putarant? Volcatius idem apud te poſtea fuit: eques Rom. tanta accepta ignominia. Nam QUID EST TURPIUS inge- 24
nuo, quid minus libero dignum, quàm in conventu maximo cogi à magiſtratu furtum reddere? qui, ſi eo animo eſſet, quo non modò eques R. ſed quivis liber debet eſſe: adſpicere te poſtea non potuiſſet: inimicus, hoſtis eſſet, tanta contumelia accepta, niſi *tecum colluſiſſet*, & tuæ potius exiſtimationi ſerviſſet, quàm ſuæ. qui quàm tibi amicus non modò tum fuerit, quamdiu tecum in provincia fuit, verùm etiam nunc ſit, cùm jam à ceteris amicis ſis relictus, & tu intelligis, & nos exiſtimare poſſumus. An hoc ſolum argumentum eſt, nihil iſto imprudente factum, quòd Volcatius ei non ſuccenſuit? quòd iſte nec in Volcatium, nec in Bidinos animadvertit? Eſt magnum argumentum: verùm illud maximum, quod illis ipſis Bidinis, quibus iratus eſſe debuit, ut à quibus comperit, quòd jure agere cum Epicrate nihil poſſent, etiamſi adeſſet, idcirco ſuum *decretum pecuniæ eſſe tentatum:* his, inquam, ipſis non modò illam hereditatem, quæ Epicrati venerat: ſed, ut in Heraclio Syracuſano, item in hoc, paullò etiam atrocius, quod Epicrates appellatus omnino nón erat; bona patria, fortunaſque ejus Bidinis tradidit. oſtendit enim *novo modo*, ſi quis quid ab abſente peteret, ſe auditurum. Adeunt Bidini: petunt hereditatem, procuratores poſtulant, ut ſe ad leges ſuas rejiciat, aut ex lege Rupilia dicam ſcribi jubeat. Adverſarii non audebant contrà dicere: exitus nullus reperiebatur: inſimulant hominem *fraudandi cauſa diſceſſiſſe*: poſtulant, ut bona poſſidere liceat. Debebat Epicrates ullum nummum nemini. amici, ſi quis quid peteret judicio, ſecum agi paſſuros: judicatum ſolvi ſatiſdaturos eſſe dicebant. [12] Cùm omnia ju- 25
dicia frigerent: admonitu iſtius inſimulare cœperunt, Epicratem *litteras publicas corrupiſſe:* à qua ſuſpicione ille aberat plurimùm: actionem ejus rei poſtulant. amici recuſare, nequod novum judicium, ne qua ipſius cognitio, illo abſente, de exiſtimatione ejus conſtitueretur: & ſimul idem illud poſtulare non deſiſtebant, ut ſe ad leges ſuas rejiceret. Iſte amplam *occaſionem calumniæ* nactus, ubi videt eſſe aliquid, quod amici [13] abſentem Epicratem nollent defendere: aſſeverat ſe ejus rei in primis actionem eſſe daturum. Cùm omnes perſpicerent, ad iſtum non modò illos num-

1. *Marcellis impartire noluiſti.*] Eſt à copula librorum priorum. prius impreſſi, *Syracuſanis un. d.f. Marcellis impartiri vetuiſti.* iiſdem auctoribus reſcripſi *agitare*, pro communi *agere.*

2. *Quoquam ſi acceſſiſti, quo non attuleris.*] Metell. *quo acceſſiſti quaſi, quo non*; quod Gulielmio non diſplicebat.

3. *Sed ex manibus naturaque.*] Hotomanus notat Jo. Lucanium legere, *moribus.* non eſt neceſſe. nam ecce libro III. cap. 37. m. *tam procul à manibus &c.*

4. *Quo Heraclius eſſet everſus.*] Fortè *quam*, inquit Gulielmius.

5. *Bidenſes peterent ab Epicrate hereditatem.*] Metell. non agnoſcit verbum *hereditatem*; & per me abſit licet.

6. *Cùm præſenſiſſet jubet &c.*] Metell. idem habet quod Fabr. *cùm præſens eſſet jubet.*

7. *Res occultari ſatis non poſſe.*] Ita Pall. duo. Hotomani *poteſt.* Metelli *potuit.* Librariorum ambo gloſſulæ.

8. *Quod diſputari poſſet.*] Admiſi lectionem Fabric. item Metell. hactenus lectum *dubitari.* non ita elegans.

9. H-S LXXX.] Fabric. & Metell. tam heic quàm paullò ſupra habent H-S CCC.

10. H-S LXXX *nummûm.*] Ultima vox non comparet in Metell.

11. *Refert illam ſuam Syracuſ.*] Ita noſtri libri, & perplacet; ut ſubaudiatur *cantilenam*, aut quid ſimile.

12. *Cùm omnia conſilia frigerent.*] Sic Fabr. ſic Metelli codex, non *judicia*, ut erat in retrò editis. Gulielmius utramque illam vocem arbitrabatur ſupervacuam.

13. *Abſente Epicrate nollent defendere.*] Eſt à membranaceo Nannii. vulgata *abſentem Epicratem.*

1. *Reo-*

nummos, qui per ſimulationem ab iſto exierant, revertiſſe: ſed multo etiam plureis cum poſtea nummos abſtuliſſe: amici Epicratem defendere deſtiterunt: iſte Epicratis bona Bidinos omnia poſſidere, & ſibi habere juſſit. Ad illa H-S IↃ millia hereditariâ acceſſit ipſius antiqua H-S quindecies pecunia. Utrùm res ab initio ita ducta eſt? an ad extremum ita perducta eſt? an ita parva eſt pecunia? an is homo Verres, ut hæc, quæ dixi, *gratis facta* eſſe videantur? Hic nunc de miſeria Siculorum, judices, audite, & Heraclius ille Syracuſanus, & hic Bidinus Epicrates, expulſi bonis omnibus, Romam venerunt. ſordidati, maxima barba, & capillo, Romæ biennium propè fuerunt. Cum L. Metellus in provinciam profectus eſt, tum iſti benè commendati cum Metello unà proficiſcuntur. Metellus ſimulac venit Syracuſas, utrumque *reſcidit*, & de Epicrate, & Heraclio. In utriuſque bonis nihil erat, quod reſtitui poſſet, niſi quod moveri

26 loco non poterat. [1] Fecerat hæc egregiè primo adventu Metellus, ut omneis iſtius injurias, quas modò poſſet, *reſcinderet*, & irritas faceret. Heraclium reſtitui juſſerat: [2] non reſtituebatur: quiſquis erat eductus Senator Syracuſanus ab Heraclio, duci jubebat. itaque permulti ducti ſunt. Epicrates quidem continuò reſtitutus eſt. Alia judicia Lilybæi, alia Agrigenti, alia Panormi reſtituta ſunt. Cenſus, qui iſto prætore ſunt habiti, non ſervaturum ſe Metellus oſtenderat: decumas, quas iſte contra legem Hieronicam vendiderat, ſeſe venditurum [3] Hieronica lege dixerat. Omnia erant Metelli ejuſmodi, [4] ut totam iſtius *præturam retexere* videretur. Simulatque ego in Siciliam veni, mutatus eſt. venerat ad eum illo biduo [5] Letilius quidam, homo non alienus à literis. itaque eo iſte tabellario ſemper uſus eſt. Is epiſtolas complureis attulerat: in his unam domo, quæ totum immutarat hominem. repentè cœpit dicere, *ſe omnia Verris cauſa velle:* ſibi cum eo amicitiam, cognationemque eſſe. Mirabantur omnes, hoc ei tum denique in mentem veniſſe, poſteaquam tam multis eum factis, decretiſque *jugulaſſet*. Erant qui putarent, Letilium legatum à Verre veniſſe, qui gratiam, amicitiam, cognationemque commemoraret. Ex illo tempore à civitatibus laudationes petere: teſteis non ſolum deterrere verbis, ſed etiam vi retinere cœpit. Quòd ego niſi meo adventu illius conatus aliquantulum repreſſiſſem, & apud Siculos non Metelli, ſed Glabrionis literis ac lege pugnaſſem: tam multos huc evocare

27 non potuiſſem. Verùm, quod inſtitui dicere, miſerias cognoſcite Siculorum. Heraclius ille, & Epicrates longè mihi obviam cum ſuis omnibus proceſſerunt. venienti Syracuſas egerunt gratias, flentes: Romam decedere mecum cupierunt. quòd erant mihi oppida complura etiam reliqua, quæ adire vellem, conſtitui cum hominibus, quo die mihi Meſſanæ præſtò eſſent. Eò mihi nuntium miſerunt, ſe à prætore retineri. quibus ego teſtimonium denuntiavi, quorum nomina edidi Metello: cupidiſſimi veniendi, maximis injuriis affecti, adhuc non venerunt. Hoc jure ſunt ſocii, *ut iis ne deplorare quidem de ſuis incommodis liceat.* Jam Heraclii Centuripini, optimi, nobiliſſimique adoleſcentis, teſtimonium audiſtis: à quo H-S C millia *per calumniam, malitiamque* petita ſunt. Iſte pœnis, compromiſſiſque interpoſitis, H-S CCC extorquenda, curavit: quòdque judicium ſecundum Heraclium de compromiſſis factum erat, quòd civis Centuripinus inter duos civeis judicaſſet, id irritum juſſit eſſe: eumque judicem falſum judicaſſe judicavit: in ſenatu ne eſſet: locis, commodiſque publicis uti vetuit. ſi quis eum pulſaſſet, edixit, ſeſe *judicium injuriarum* non daturum: quidquid ab eo peteretur, judicem de ſua cohorte daturum, ipſi autem nullius actionem rei ſeſe daturum. Quæ iſtius auctoritas tantum valuit, ut neque illum pulſaret quiſquam, cum prætor in provincia ſua verbo permitteret, re hortaretur: neque quiſquam ab eo quidquam peteret, cùm iſte *calumniæ licentiam ſua auctoritate dediſſet.* ignominia autem illa gravis, tamdiu in illo homine fuit, quamdiu iſte in provincia manſit. Hoc injecto metu judicibus, novo more, nullo exemplo, ecquam rem putatis eſſe in Sicilia, niſi *ad nutum* iſtius judicatam? Utrùm id ſolùm videtur eſſe actum, quod eſt tamen actum, ut Heraclio pecunia eriperetur? an etiam illud, in quo præda erat maxima, ut *nomine judiciorum*, omnium bona, atque fortunæ in iſtius unius eſſent poteſtate? Jam verò in rerum capitalium 28

quæſtionibus quid ego unamquamque rem colligam, & cauſam? [6] ex multis ſimilibus ea ſumam, quæ maximè improbitate excellere videbuntur. Sopater quidam fuit Halicienſis, homo domi ſuæ cum primis locuples, atque honeſtus. is ab *inimicis* ſuis apud C. Sacerdotem prætorem rei capitalis cùm accuſatus eſſet, facilè eo judicio eſt liberatus. huic eidem Sopatro iidem inimici ad C. Verrem, cùm is Sacerdoti ſucceſſiſſet, ejuſdem rei nomen detulerunt. Res Sopatro facilis videbatur, & quòd erat *innocens*, & quòd Sacerdotis judicium improbare iſtum auſurum non arbitrabatur. Citatur reus: cauſa agitur Syracuſis: crimina tractantur ab accuſatore ea, quæ erant antea non ſolùm defenſione, verùm etiam judicio diſſoluta. Cauſam Sopatri defendebat Q. Minucius, eques R. in primis ſplendidus, atque honeſtus, vobiſque, judices, non ignotus. Nihil erat in cauſa, quod metuendum, aut omnino quod dubitandum videretur. Interea iſtius libertus, & accenſus idem Timarchides, qui eſt, id quod ex plurimis teſtibus priore actione didiciſtis, rerum hujuſmodi omnium *tranſactor, & adminiſter*, ad Sopatrum venit. monet hominem, ne nimis judicio Sacerdotis, & cauſæ confidat: accuſatores, inimicoſque ejus habere in animo pecuniam prætori dare: prætorem tamen *à ſalute malle accipere:* & ſimul malle, ſi fieri poſſet, rem judicatam non reſcindere. Sopater, cùm hoc illi improviſum, atque inopinatum accidiſſet, commotus eſt ſanè: neque in præſentia, Timarchidi [7] quid reſponderet, habuit, niſi, ſe conſideraturum, [8] quid ſibi de ea re eſſet faciendum: & ſimul oſtendit, ſe in ſumma difficultate eſſe nummaria. Poſt ad amicos retulit, qui cùm ei fuiſſent auctores *redimendæ ſalutis*, ad Timarchidem venit. expoſitis ſuis difficultatibus, hominem ad H-S LXXX perducit: eamque ei pecuniam numerat. Poſteaquam ad cauſam dicendam ventum eſt: tum 29

verò ſine metu, ſine cura omnes erant, qui Sopatrum defendebant. crimen nullum erat: res judicata: Verres nummos acceperat. Quis poſſet dubitare, quidnam eſſet futurum? Res illo die non peroratur: dimittitur judicium. iterum ad Sopatrum Timarchides venit. ait, *accuſatores ejus multo majorem pecuniam prætori polliceri,* quàm quantam hic dediſſet: proinde, [9] ſi ſaperet, videret, quid ſibi eſſet faciendum. Homo quamquam erat & Siculus, & reus, hoc eſt, & jure iniquo, & tempore adverſo: ferre tamen, atque audire diutius Timarchidem non potuit. Facite, inquit, [10] quod vobis libet,

1. *Fecerat hæc egregiè &c.*] Gulielmius conjiciebat *hoc.*

2. *Non reſtituebantur &c.*] Noſtri libri nihil variant. Gulielmius etiam ex Metelli libro adfert, *Quod Heraclio reſtitui juſſerat, non reſtituebatur.* pro *eductus* autem, quod comparet in ſcriptis noſtris, exſtat in editis antiquè, etiam Victorio, *ductus.*

3. *Hieronica lege dixerat.*] Editio prima, inquit Gulielmius *ediderat.* probo. noſtra tamen illa anni CCCCLXXXIII ſtat a vulgata, quam ego æſtimabam omnium principem.

4. *Ut totam ejus præturam retexere.*] Pall. & edd. paulò vetuſtiores, *ut totam præturam ſuam.* Lambinus perſcripſerat, *ut non tam ſuam præturam gerere, quam iſtius retexere.* quod & videtur reperiſſe Gulielm. in Met. niſi quod non etiam agnoſceret pronomen *ſuam.*

5. *Letilius quidam.*] Pal. ſec. *L. Atilius*, etiam infra Metell. *Lelius.*

6. *Ex multis ſimilibus.*] Hotomani liber *millibus:* Pall. aut Fabr. Metellive nihil mutant.

7. *Quid reſponderet habuit.*] Cælius Rhodiginus conjiciebat *reſpondere habuit.*

8. *Quid ſibi de ea re eſſet faciendum.*] Non erant in Metell. *de ea re*, & forſan ſunt alicujus librarii.

9. *Si ſaperet, videret quid ſibi eſſet faciendum.*] Metell. horum omnium loco ſolum habet, *ſaperet; videret.*

10. *Quod vobis libet.*] Metell. non habet *vobis;* neque ita omnino requiritur.

libet, daturus non ſum amplius. idemque hoc amicis ejus, & defenſoribus videbatur: atque eo etiam magis, quòd iſte, quoquo modo ſe in ea quæſtione præbebat, tamen in conſilio habebat homines honeſtos è conventu Syracuſano, qui Sacerdoti quoque in conſilio fuerant tum, cùm eſſet idem hic Sopater abſolutus. Hoc rationis habebant, facere eos nullo modo poſſe, ut *eodem crimine, iiſdem teſtibus, Sopatrum condemnarent iidem homines, qui antea abſolviſſent*. Itaque hac una ſpe ad judicium venitur. quò poſteaquam ventum eſt, cum in conſilium frequentes conveniſſent iidem, qui ſolebant, & hac una ſpe tota defenſio Sopatri niteretur, conſilii frequentia, & dignitate, & quòd erant, ut dixi, iidem, qui antea Sopatrum eodem illo crimine liberarant: cognoſcite hominis apertam, ac non modò non ratione, ſed ne *diſſimulatione quidem* tectam improbitatem, & audaciam: M. Petilium, equitem Rom. quem habebat in conſilio, jubet operam dare, quòd rei privatæ judex eſſet. Petilius recuſabat, quòd ſuos amicos, quos ſibi in conſilio eſſe vellet, ipſe Verres retineret. Iſte homo liberalis, negat ſe quemquam retinere eorum, qui Petilio vellent adeſſe. itaque diſcedunt omnes. nam ceteri quoque impetrant, ne retineantur: qui ſe velle dicebant alterutri eorum, qui tum illud judicium habebant, adeſſe. Itaque iſte ſolus cum ſua cohorte nequiſſima relinquitur. Non dubitabat Minutius, qui Sopatrum defendebat, quin iſte, quoniam conſilium dimiſiſſet, illo die rem illam quæſiturus non eſſet: cùm repentè jubetur dicere. Reſpondet. *Ad quos?* Ad me, inquit, ſi tibi idoneus videor, qui de homine Siculo, ac Græculo judicem. Idoneus es, inquit: ſed pervellem adeſſent ii, qui affuerant antea, cauſamque cognorant. Dic, inquit: illi adeſſe non poſſunt. *Nam hercule*, inquit Qu. Minucius, me quoque Petilius, ut ſibi [1] in conſilio adeſſem, rogavit. & ſimul à ſubſelliis abire cœpit. Iſte iratus, hominem verbis vehementioribus proſequitur, atque ei gravius etiam minari cœpit, quòd in ſe tantum crimen, invidiamque conflaret.
30 Minucius, qui Syracuſis ſic negotiaretur, ut ſui juris, dignitatiſque meminiſſet: & qui ſciret ita ſe in provincia rem augere oportere, ut *nequid de libertate* deperderet: homini quæ viſa ſunt, & quæ tempus illud tulit, & cauſa, reſpondit: cauſam ſeſe dimiſſo, atque ablegato conſilio, defenſurum negavit. itaque à ſubſelliis diſceſſit: idemque hoc, præter Siculos, ceteri Sopatri amici, advocatique fecerunt. Iſte, quamquam eſt incredibili importunitate & audacia, tamen ſubitò ſolus deſtitutus pertimuit, & conturbatus eſt. Quid ageret, quò ſe verteret, neſciebat. Si dimiſiſſet eo tempore quæſtionem, poſt illis adhibitis, quos ablegarat, abſolutum iri Sopatrum videbat. ſin autem hominem miſerum, atque innocentem condemnaſſet, cùm ipſe *prætor ſine conſilio: reus autem ſine patrono*, atque advocatis fuiſſet, judiciumque C. Sacerdotis reſcidiſſet: invidiam ſe ſuſtinere non poſſe tantam arbitrabatur. Itaque æſtuabat dubitatione: verſabat ſe in utramque partem non ſolùm mente, verùm etiam corpore: ut omnes, qui aderant, intelligere poſſent, in animo ejus [2] *metum, cupiditatemque pugnare*. Erat hominum conventus maximus, ſummum ſilentium, ſumma exſpectatio, quonam eſſet ejus cupiditas eruptura. crebrò dimittebat ſe accenſus ad aurem Timarchides. Tum iſte aliquando, [3] *Age, dic*, inquit. Sopatrus implorare hominum, atque deûm fidem, ut cum conſilio cognoſceret. Tum repentè iſte teſteis citari jubet. dicit unus & alter breviter. nihil interrogatur. præco, DIXISSE pronuntiat.
31 Iſte, quaſi metueret, ne Petilius, privato illo [4] judicio tranſacto, aut dilato, cum ceteris in conſilium reverteretur, ita properans de ſella exſiluit: hominem innocentem, à C. Sacerdote abſolutum, *indicta cauſa*, de ſententia ſcribæ, medici, haruſpiciſque condemnavit. Retinete, retinete hominem in civitate, judices: parcite, & conſervate, ut ſit qui nobiſcum res judicet: qui in ſenatu *ſine ulla cupiditate* de bello & pace ſententiam ferat. Tametſi minus id quidem nobis, minus populo Romano laborandum eſt, qualis iſtius in ſenatu ſententia futura ſit. Quæ enim ejus auctoritas erit? quando iſte ſententiam dicere *audebit*, aut *poterit?* quando autem homo tanta luxuria, atque deſidia, niſi Februario menſe, adſpirabit in curiam? Verùm veniat ſanè: decernat bellum Cretenſibus; liberet Byzantios; regem appellet Ptolemæum; quæ vult Hortenſius, omnia dicat, & ſentiat. minus hæc ad nos, minus ad vitæ noſtræ diſcrimen, minus ad fortunarum noſtrarum periculum pertinent. Illud, illud eſt capitale, illud formidoloſum, illud *optimo cuique metuendum*, quòd iſte, ex hoc judicio ſi aliqua vi ſe eripuerit, in judicibus ſit neceſſe eſt: ſententiam de capite civis Romani ferat: ſit in ejus exercitu ſignifer, qui imperium judiciorum tenere vult. Hoc populus Romanus recuſat, hoc ferre non poteſt: clamat, permittitque vobis, ut, ſi iſtis hominibus delectemini, ſi ex hoc genere ſplendorem ordini, atque ornamentum curiæ conſtituere velitis: habeatis ſanè vobiſcum iſtum ſenatorem: iſtum etiam de vobis judicem, ſi vultis, habeatis: de ſe homines, ſi qui extra iſtum ordinem ſunt, quibus ne *rejiciendi* quidem amplius, quàm trium judicum, præclaræ leges Corneliæ faciunt poteſtatem, hunc hominem tam crudelem, tam ſceleratum, tam nefarium, nolunt judicare. 32
Etenim ſi illud eſt flagitioſum (quod mihi omnium rerum turpiſſimum, maximeque nefarium videtur) *ob rem judicandam pecuniam accipere*, pretio habere addictam fidem, & religionem: quanto illud flagitioſius, improbius, indignius, eum, à quo pecuniam ob abſolvendum acceperis, condemnare: ut ne prædonum quidem prætor in fide retinenda conſuetudinem conſervaret? SCELUS eſt accipere ab reo: quanto magis ab accuſatore? quanto etiam ſceleratius *ab utroque?* Fidem cùm propoſuiſſes venalem in provincia: valuit apud te plus is, qui pecuniam majorem dedit. Concedo. forſitan aliquis aliquando ejuſmodi quippiam fecerit. Cùm verò fidem, ac religionem tuam jam alteri addictam pecunia accepta habueris, poſt eandem adverſario tradideris majore pecunia: *utrumque falles?* & trades cui voles? & ei, quem fefelleris, ne pecuniam quidem reddes? [5] Quem mihi tu Bulbum, quem Stalenum, quod umquam hujuſmodi monſtrum, aut prodigium audivimus, aut vidimus, qui cum *reo* tranſigat, poſt cum *accuſatore* decidat? honeſtos homines, qui cauſam norint, ableget, [6] à conſilioque dimittat? ipſe ſolus reum abſolutum, à quo pecuniam acceperit, condemnet, pecuniamque non reddat? Hunc hominem in judicum numero habebimus? hic alteram decuriam ſenatoriam judex obtinebit? hic de capite libero judicabit? huic judicialis tabella committetur? quàm iſte non modò *cera*, verùm etiam *ſanguine*, [7] ſi viſum erit, notabit. Quid enim horum ſe negat 33
feciſſe? illud videlicet unum, quod neceſſe eſt, pecuniam accepiſſe. Quidni iſte neget? At eques Romanus, qui Sopatrum defendit, qui omnibus ejus conſiliis, rebuſque interfuit, Q. Minucius juratus dicit pecuniam datam: juratus dicit Timarchidem dixiſſe, majorem ab accuſatoribus pecuniam dari. dicent hoc Siculi omnes: dicent omnes Halicienſes: dicet etiam prætextatus Sopatri filius, qui ab iſto homine crude-

1. *In conſilio adeſſem.*] Metell. *eſſem.* moxque *ire*, pro *abire*, non improbem.

2. *Metum cupiditatemque pugnare.*] Nannii & Metelli codd. *cum cupiditate.*

3. *Age dic, inquit. Sopatrus implorare hominum, atque Deûm fidem, ut cum conſilio &c.*] Metell. & Fabr. *inquit. Reus orare atque obſecrare, ut cum conſilio.* bone Deus! quanta diverſitas. & tamen utrumque vix videtur heic conſiſtere poſſe.

4. *Judicio tranſacto aut dilato.*] Metell. liber, *judicio tranſacto & perlato*, quod non diſplicebat Gulielmio.

5. *Quem mihi tu Balbum, quem Stalenum.*] Metell. codex, *Quem mihi Tubulum &c.* quod defendit Gulielmius lib. 1. veriſimilium cap. 7. certè *Balbi & Staleni* tanquam judicum nummariorum, junctim iterum meminit Cicero orat. pro Cluentio cap. 28.

6. *A conſilioque dimittit.*] Ita Fabric. ita Metell. vulgatis aberat præpoſitio.

7. *Si viſum erit.*] Liber Metell. *viſus*; unde putabat Gulielmius fieri poſſe, *ſi uſus erit*.

1. Negato

crudeliſſimo, patre innocentiſſimo, pecuniaque patria privatus eſt. Verùm, ſi de pecunia teſtibus planum facere non poſſum: illud negare poſſes, aut nunc negabis, te conſilio tuo dimiſſo, viris primariis, qui in conſilio C. Sacerdotis fuerant, tibique eſſe ſolebant, remotis, *de re judicata judicaſſe?* teque eum, quem C. Sacerdos, adhibito conſilio, cauſa cognita, abſolviſſet, eundem, remoto conſilio, cauſa incognita, condemnaſſe? cùm hæc confeſſus eris, quæ in foro palàm Syracuſis, in ore, atque in oculis provinciæ geſta ſunt: [1] negato ſanè, ſi voles, pecuniam accepiſſe: reperies, credo, aliquem, qui, *cùm hæc, quæ palàm geſta ſunt, videat, quærat, quid tu occultè egeris:* aut qui dubitet, utrùm malit meis teſtibus, an tuis defenſoribus credere. Dixi jam antea, judices, me non omnia iſtius, quæ in hoc genere eſſent, enumeraturum: ſed electurum ea, quæ maximè excellerent. Accipite nunc aliud ejus facinus nobile, & multis locis ſæpe commemoratum: & ejuſmodi, ut *in uno omnia maleficia ineſſe* videantur. [2] attendite diligenter. invenietis enim id facinus natum à cupiditate, auctum per ſtu-
34 prum, crudelitate perfectum, atque concluſum. Sthenius eſt is, qui nobis aſſidet, Thermitanus, antea multis propter ſummam *virtutem*, ſummamque *nobilitatem*, nunc, [3] propter ſuam *calamitatem*, atque iſtius inſignem *injuriam*, omnibus notus. Hujus hoſpitio Verres cùm eſſet uſus, & cùm apud eum, non modò Thermis ſæpenumerò fuiſſet, ſed etiam habitaſſet, domo ejus omnia abſtulit, quæ paullo magis animum cujuſpiam, aut oculos poſſent commovere. Etenim Sthenius ab adoleſcentia paullo *ſtudioſiùs* hæc compararat, ſupellectilem ex ære elegantiorem, & Deliacam, & Corinthiam: tabulas pictas: etiam argenti bene facti, prout Thermitani hominis facultates ferebant, ſatis. quæ, cùm eſſet in Aſia adoleſcens, ſtudioſè, ut dixi, compararat, non tam *ſuæ delectationis cauſa*, quàm ad invitationis, adventuſque noſtrorum hominum, [4] amicorum ſuorum, atque hoſpitum. Quæ poſteaquàm iſte omnia abſtulit, alia *rogando*, alia *poſcendo*, alia *ſumendo*: ferebat Sthenius, ut poterat. [5] angebatur tamen animi dolore neceſſario, quòd domum ejus exornatam, atque inſtructam, ferè jam iſte reddiderat nudam, atque inanem. verumtamen dolorem ſuum nemini impertiebat. PRÆTORIS INJURIAS, TACITE: HOSPITIS, PLACIDE FERENDAS arbitrabatur. Interea cupiditate iſte illa ſua nota, atque [6] apud omneis pervulgata, cùm ſigna quædam pulcherrima, atque antiquiſſima Thermis in publico poſita vidiſſet, adamavit: à Sthenio petere cœpit, ut ad ea tollenda operam ſuam profiteretur, ſeque adjuvaret. Sthenius verò non ſolùm negavit, ſed etiam oſtendit id *fieri nullo modo poſſe*, ut ſigna antiquiſſima, monumenta P. Africani, ex oppido Thermitanorum, incolumi illa civita-
35 tè, imperioque populi R. tollerentur. Etenim, ut ſimul P. Africani quoque humanitatem, & æquitatem cognoſcatis, oppidum Himeram Karthaginienſes quondam ceperant: quod fuerat in primis Siciliæ clarum, & ornatum. Scipio, qui hoc dignum populo R. arbitraretur, bello confecto ſocios ſua per noſtram victoriam recuperare: Siculis omnibus, Karthagine capta, quæ potuit, reſtituenda curavit. Himera deleta, quos civeis belli calamitas reliquos fecerat, ii ſeſe Thermis collocarant, in ejuſdem agri finibus, neque longè ab oppido antiquo. Hi ſe *patrum fortunam*, ac dignitatem recuperare arbitrabantur, cùm illa majorum ornamenta in eorum oppido collocabantur. erant ſigna ex ære complura: in his mira pulchritudine ipſa *Himera*, in muliebrem figuram, habitumque formata, ex oppidi nomine, & fluminis. erat etiam *Steſichori* poëtæ ſtatua ſenilis, incurva, cum libro, ſummo, ut putant, artificio facta: qui fuit Himeræ: ſed & eſt, & fuit tota Græcia ſummo propter ingenium honore & nomine. hæc iſte ad inſaniam concupierat. Etiam, quod pæne præterii, *capella* quædam eſt, ea quidem mirè, ut etiam nos, qui rudes harum rerum ſumus, intelligere poſſimus, ſcitè facta, & venuſte. Hæc, & alia Scipio non negligenter *abjecerat*, ut homo *intelligens* Verres auferre poſſet; ſed Thermitanis reſtituerat: non quo ipſe hortos, aut ſuburbanum, aut locum omnino, ubi ea poneret, nullum haberet: ſed ſi domum abſtuliſſet, *non diu Scipionis appellarentur*, ſed eorum, ad quoſcunque ipſius morte veniſſent: nunc his locis poſita ſunt, ut mihi ſemper Sci-
pionis fore videantur, itaque dicantur. Hæc cùm iſte po- 36
ſceret, agereturque ea res in ſenatu: Sthenius vehementiſſimè reſtitit: multaque, ut in primis Siculorum in dicendo copioſus eſt, commemoravit: URBEM RELINQUERE Thermitanos eſſe honeſtius, quàm pati tolli ex urbe monumenta majorum, ſpolia hoſtium, beneficia clariſſimi viri, indicia ſocietatis populi R. atque amicitiæ. Commoti animi ſunt omnium. repertus eſt nemo, quin *mori* diceret *ſatius eſſe*. Itaque hoc adhuc oppidum Verres invênit propè ſolum in orbe terrarum, unde nihil ejuſmodi rerum de publico per vim, nihil occultè, nihil imperio, nihil gratia, [7] nihil pretio poſſet auferre. Verumtamen haſce hujus cupiditates exponam alio loco: nunc ad Sthenium revertar. Itaque iſte vehementer [8] Sthenio infenſus, hoſpitium ei renuntiat: domo ejus emigrat, atque adeò exit. nam jam antè migrarat. Eum autem inimiciſſimi Sthenii domum ſuam ſtatim invitant, ut animum ejus in Sthenium inflammarent, ementiendo aliquid, & *criminando*. Hi autem erant inimici, Agathinus, homo nobilis, & Dorotheus, qui habebat in matrimonio Callidamam, Agathini ejus filiam: de qua iſte audierat. Itaque ad generum Agathini migrare maluit. Una nox interceſſerat, cum iſte Dorotheum ſic diligebat, ut diceres *omnia inter eos eſſe communia:* Agathinum ita obſervabat, ut aliquem affinem, ac propinquum. contemnere etiam ſignum illud Himeræ jam videbatur, quòd eum mul-
to magis figura, & lineamenta hoſpitæ delectabant. Itaque 37
hortari homines cœpit, ut aliquid Sthenio periculi crearent, criminiſque confingerent. Dicebant ſe illi nihil habere, quod dicerent. Tum iſte his apertè oſtendit, & confirmavit, eos, in Sthenium [9] quidquid vellent, ſimulatque ad ſe detuliſſent, *probaturos*. Ita illi non procraſtinant: Sthenium ſtatim educunt; ajunt ab eo *litteras publicas eſſe corruptas*. Sthenius poſtulat, [10] ut cum ſecum ſui cives agant de litteris publicis corruptis, ejuſce rei legibus Thermitanorum actio ſit: cùm ſenatus populuſque Rom. Thermitanis, quòd ſemper in amicitia, fideque manſiſſent, urbeis, agros, legeſque ſuas reddidiſſet: Publiuſque Rupilius poſtea leges ita Siculis ex S. C. de decem legatorum ſententia dediſſet, ut *cives inter ſe* legibus ſuis agerent: idemque hoc habuerit Verres ipſe in edicto, ut de his omnibus cauſis *ſe ad leges rejiceret*. Iſte, homo omnium æquiſſimus, [11] atque à cupiditate

---

1. *Negato ſanè ſi voles, &c.*] Metell. *nega totum ſanè ſi voles.* legit Gulielmius, *negato tum ſanè ſi voles.*

2. *Attendite diligenter. invenietis enim id &c.*] Sic Metell. & Fabr. antea editi, *attendite enim diligenter. invenietis id &c.*

3. *Propter ſuam calamitatem.*] Eſt a Pall. & Metell. & ed. vet. poſteriores, *ſummam.*

4. *Amicorum ſuorum atque hoſpitum.*] Eſt à Pal. ſec. nam reliqui, *ſuorum amicorum.* Metelli liber illud *ſuorum* tollebat.

5. *Angebatur tamen.*] Lambinus *tangebatur.* malè. in Metell. *angebatur animi neceſſariò.*

6. *Apud omnes pervagata.*] Ita Metell. & Fabric. Pall. duo. at vulgati, *pervulgata.*

7. *Nihil pretio.*] Hotomanus & Lambinus aſſeverant exſtare in ſuis *precario.*

8. *Sthenio infenſus.*] Sic Victorii editio. antiquiores ferè *incenſus.* quod & in Metell. qui tamen longe alia exhibebat reliqua, *Iratus iſte vehementer Sthenio atque incenſus*, quomodo item ediderat Lambinus ex Fabriciano. & prætuleram ſane vulgato.

9. *Quidquid vellent, ſimulatque &c.*] Eſt à Fabr. item Met. antea cuſi verbo amplius, *vellent, dicerent, ſimulatque.*

10. *Ut cùm ſecum &c. ejuſce rei legibus.*] Secutus ſum ſcripturam libri Metellici. vulgata ſine bono ſenſu, *ut ſecum &c. ejuſque rei legibus.*

11. *Atque à cupiditate remotiſſimus.*] Haud aliter iterum Fabr. & Metell. vulgata, *cupid. omnium rem.* conjeceratque Nannius, *omni.* ſed præſtat abeſſe.

ditate omnium remotiſſimus, ſe cogniturum eſſe confir-
mat: paratum ad cauſam dicendam [1] venire hora nona ju-
bet. non erat obſcurum, quid homo improbus, ac nefarius
cogitaret, neque enim ipſe *ſatis occultarat*: nec mulier *ta-
cere* poterat. Intellectum eſt id ipſum agere, ut, cùm Sthe-
nium ſine ullo argumento, ac ſine teſte damnaſſet, tum ho-
mo nefarius de homine nobili, atque id ætatis, ſuoque ho-
ſpite, virgis ſupplicium crudeliſſimè ſumeret. Quod cum
eſſet perſpicuum: de amicorum, hoſpitumque ſuorum ſen-
tentia, Thermis Sthenius Romam profugit. hiemi, ſeſe
fluctibuſque committere maluit, quàm non iſtam commu-
38 nem *Siculorum tempeſtatem*, calamitatemque vitare. Iſte
homo certus & diligens, ad horam nonam præſtò eſt. Sthe-
nium citari jubet: quem poſteaquàm videt non adeſſe, do-
lore ardere, atque iracundia furere cœpit: Venerios [2] in do-
mum Sthenii mittere: equites circum agros ejus, villaſque
dimittere. itaque dum exſpectat, quidnam ſibi certi affera-
tur, ante horam tertiam noctis de foro non diſceſſit. Poſtri-
die manè deſcendit: Agathinum ad ſeſe vocat: jubet, eum
de litteris publicis *in abſentem* Sthenium dicere. Erat ejuſ-
modi cauſa, ut ille ne ſine adverſario quidem apud inimi-
cum judicem reperire poſſet, quid diceret. Itaque tantum
verbo poſuit, SACERDOTE prætore, Sthenium litteras pu-
blicas corrupiſſe. Vix ille hoc dixerat, cùm iſte pronun-
ciat, STHENIUM LITTERAS PUBLICAS CORRUPISSE VI-
DERI: & hæc præterea addidit homo Venerius, novo mo-
do, nullo exemplo, OB EAM REM H-S QUINGENTIES
VENERI ERYCINÆ DE STHENII BONIS EXACTURUM:
bonaque ejus ſtatim cœpit vendere: & vendidiſſet, ſi tan-
tulum moræ fuiſſet, quo minus ei pecunia illa numeraretur.
Et poſteaquàm numerata eſt, contentus hac iniquitate non
fuit: palàm de ſella ac tribunali pronuntiat, SI QUIS AB-
SENTEM Sthenium rei capitalis reum facere vellet, ſeſe ejus
nomen recepturum: & ſimul, ut ad cauſam accederet, no-
menque deferret, Agathinum, novum affinem, atque ho-
ſpitem, cœpit hortari. Tum ille clarè, omnibus audienti-
bus, [3] ſeſe id non eſſe facturum, neque ſe *uſque eò Sthenio
eſſe inimicum*, ut eum rei capitalis affinem eſſe diceret. Hìc
tum repentè Pacilius quidam, homo egens, & levis, acce-
dit. ait, ſi liceret, nomen abſentis deferre ſe velle. Iſte ve-
rò, *& licere*, *& fieri ſolere*, *& ſe recepturum*. itaque defer-
tur. edicit ſtatim, ut Kalendis Decembr. adſit Sthenius
Syracuſis. Hic, qui Romam veniſſet, ſatiſque feliciter anni
jam adverſo tempore navigaſſet, omniaque habuiſſet æquio-
ra, & placabiliora, quàm animum prætoris, atque hoſpitis,
rem ad amicos ſuos detulit: quæ ut erant acerba, atque in-
39 digna, ſic *videbantur* omnibus. Itaque in ſenatu continuò
[4] Cn. Lentulus, & L. Gellius Coſs. faciunt mentionem,
placere ſtatui, ſi P. C. videretur, NE ABSENTES HOMINES
IN PROVINCIIS REI FIERENT RERUM CAPITALIUM.
cauſam Sthenii totam, & iſtius crudelitatem, & iniquita-
tem ſenatum docent. Aderat in ſenatu Verres, pater iſtius,
& flens unumquemque ſenatorem rogabat, ut filio ſuo par-
ceret: neque tamen multum proficiebat. erat enim ſumma
voluntas ſenatus. Itaque ſententiæ dicebantur, *cùm Sthe-
nius abſens reus factus eſſet, de abſente judicium nullum fieri
placere: &, ſi quod eſſet factum, id ratum eſſe non placere.*
Eo die tranſigi nihil potuit, quòd & id temporis erat, & ille
pater iſtius, invenerat homines, qui dicendo tempus con-
ſumerent. Poſtea ſenex Verres defenſores, atque hoſpiteis
omneis Sthenii convenit: rogat eos, atque orat, ne oppu-
gnent filium ſuum: de Sthenio ne laborent: confirmat his,
curaturum ſe eſſe, nequid ei per filium ſuum noceretur: ſe
homines certos ejus rei cauſa in Siciliam & terra, & mari
miſſurum. & erat ſpatium dierum ferè triginta ante Kalen-
das Decembr. [5] quo die iſte, ut Syracuſis Sthenius adeſſet,
edixerat. Commoventur amici Sthenii, ſperant fore, ut
patris litteris, nuntiiſque, [6] filius ab incepto furore revo-
cetur. In ſenatu poſtea cauſa non agitur. Veniunt ad iſtum
domeſtici nuntii: litteraſque à patre afferunt ante Kalendas
Decembr. cùm iſti etiam tum de Sthenio integra tota res
eſſet: eodemque ei tempore de eadem re litteræ complu-
reis à multis ejus amicis, ac neceſſariis afferuntur. Hìc iſte, 40
qui *præ cupiditate*, neque officii ſui, neque periculi, neque
pietatis, neque humanitatis rationem habuiſſet umquam:
neque in eo, quod monebatur, auctoritatem patris, nec in
eo, quod rogabatur, voluntatem anteponendam putavit li-
bidini ſuæ. Manè Kalendis Decembr. ut edixerat, Sthe-
nium citari jubet. Si abs te iſtam rem parens tuus alicujus
amici rogatu, *benignitate*, aut *ambitione inductus* petiſſet:
graviſſima tamen apud te voluntas *patris* eſſe debuiſſet. cùm
verò abs te tui capitis cauſa peteret, hominesque certos do-
mo miſiſſet, hique eo tempore ad te veniſſent, cùm tibi in
integro tota res eſſet, ne tum quidem te potuit, ſi non pie-
tatis, at ſalutis tuæ ratio ad officium, ſanitatemque redu-
cere? Citat reum. non reſpondet. citat accuſatorem: ([7] at-
tendite, quæſo, judices: videte, quantopere iſtius amen-
tiæ *fortuna ipſa adverſata ſit*: & ſimul videte, quis Sthenii
cauſam caſus adjuverit) citatus accuſator, M. Pacilius, ne-
ſcio quo caſu non reſpondit: non affuit. Si præſens Sthe-
nius reus eſſet factus: ſi manifeſto in maleficio teneretur;
tamen, *cùm accuſator non adeſſet*, *Sthenium condemnari non
oporteret*. Etenim, ſi poſſet reus, abſente accuſatore, da-
mnari, non ego à Vibone Veliam parvulo navigio inter fu-
gitivorum, ac prædonum, ac tua tela veniſſem, quo tem-
pore omnis illa mea feſtinatio fuit cum periculo capitis ob
eam cauſam, ne tu ex reis eximerere, ſi ego non affuiſſem
ad diem. Quod igitur tibi erat in tuo judicio optatiſſimum,
me, *cùm citatus eſſem*, *non adeſſe*: cur Sthenio non putaſti
prodeſſe oportere, cùm ejus accuſator non affuiſſet? Itaque
fecit, ut exitus principio ſimillimus reperiretur. quem ab-
ſentem reum fecerat, eum abſente accuſatore condemnat.
Nuntiabatur illi primis illis temporibus id, quod pater 41
quoque ad eum pluribus verbis ſcripſerat: agitatam rem
eſſe in ſenatu: etiam in concione tribunum plebis de cauſa
Sthenii M. Palicanum eſſe queſtum: poſtremò me ipſum
apud collegium hoc tribunorum plebis, cùm eorum om-
nium edicto non liceret quemquam *Romæ eſſe*, qui rei capi-
talis condemnatus eſſet, egiſſe cauſam Sthenii: cum rem ita
expoſuiſſem, quemadmodum nunc apud vos, docuiſſem-
que hanc damnationem duci non oportere: [8] tribunos ple-
bis hoc ſtatuiſſe, idque de omnium ſententia pronuntia-
tum eſſe, NON VIDERI STHENIUM IMPEDIRI EDICTO,
QUO MINUS EI LICERET ROMÆ ESSE. Cùm hæc ad iſtum
afferrentur, [9] timuit aliquando, & commotus eſt. vertit ſti-
lum in tabulis ſuis; quo facto cauſam omnem evertit ſuam.
nihil enim ſibi reliqui fecit, quod defendi aliqua ratione
poſſet. Nam ſi ita defenderet: recipi nomen abſentis licet:
hoc fieri in provincia nulla lex vetat: mala, & improba de-
fenſione, verùm aliqua tamen uti videretur. Poſtremò illo
deſpe-

1. *Venire hora nona jubet.*] Noſtri, & cuſi *octava*: quia tunc ſcil. homines domi conceſſerant ad balnea, ad cenas &c. *Gulielmius.*

2. *In domum Sthenii.*] Metell. non agnoſcit præpoſitiunculam, neque admodum requiritur. idem liber non habet *equites*, ſed *equis*, quod item examinabunt Critici.

3. *Seſe id non eſſe facturum.*] Metell. non admiſit illud *ſeſe*, neque deſideraverim.

4. *Cn. Lentulus & L. Gellius.*] Sic Fabric. & Metell. malè prius impreſſi, *& Lucullus.*

5. *Quo die iſte.*] Verbum *die* inventum à Gulielmio in Metelli libro.

6. *Filius ab incepto furore revocetur.*] Codex Metelli, *fidelius ab illo furore revocetur.* neque omnino diſplicet, certè illud *illo*, quod & fuerat in Fabriciano.

7. *Attendite quæſo judices: videte, quantopere.*] Haud conſpicitur *videte* in Metell. qui idem habet *quanto opere.* utrumque rectè. Pall. & olim cuſi omiſerunt *judices*, exque eo natum illud *videte.*

8. *Tribunos pleb. hoc ſtatuiſſe.*] Membranæ Metell. X. TR. PL. neque aliter Fabricianæ.

9. *Timuit aliquando.*] Fabr. & Metell. *pertimuit.* quod Lambino placuit. non male.

1. *Hæc*

deſperatiſſimo perfugio uti poſſet, *ſe imprudentem feciſſe:* exiſtimaſſe id licere: quamquam perditiſſima defenſio eſt: tamen aliquid dici videretur. Tollit ex tabulis id, quod
42 erat, & facit, coràm delatum eſſe. Hìc videte, in quot ſe laqueos induerit, quorum ex nullo ſe umquam expediret. Primùm ipſe in Sicilia ſæpe, & palàm de loco ſuperiore dixerat, & in ſermone multis demonſtrarat, licere nomen recipere abſentis: ſe *exemplo feciſſe* id, quod feciſſet. [1] Hæc cum dictitaſſe, priore actione & Sex. Pompejus Chlorus dixit, de cujus virtute antea commemoravi, & Cn. Pompejus Theodorus, homo & Cn. Pompeji, clariſſimi viri, judicio, plurimis, maximiſque in rebus probatiſſimus, & omnium exiſtimatione ornatiſſimus, & Poſides Matro Solentinus, homo ſumma nobilitate, exiſtimatione, virtute: & hac actione quàm voletis multi dicent, & qui ex iſto ipſo audierint, viri primarii noſtri ordinis: & alii, qui interfuerint, cùm abſentis nomen reciperetur. deinde Romæ, cum res eſſet acta in ſenatu, omneis iſtius amici; in his etiam pater ejus, hoc defendebat *licere fieri: ſæpe eſſe factum:* iſtum, quod feciſſet, aliorum exemplo, inſtitutoque feciſſe. dicit præterea teſtimonium tota Sicilia: quæ in communibus poſtulatis civitatum omnium, conſulibus edidit, ROGARE, ATQUE ORARE PATRES CONSCRIPTOS, ut ſtatuerent, ne abſentium nomina reciperentur. Qua de re Cn. Lentulum, patronum Siciliæ, clariſſimum adoleſcentem, dicere audiſtis: Siculos, cùm ſe cauſam, quæ pro his ſibi in ſenatu agenda eſſet, docerent, de Sthenii calamitate queſtos eſſe: propterque hanc injuriam, quæ Sthenio facta eſſet, eos ſtatuiſſe, ut, quod dico, poſtularetur. Quæ cùm ita eſſent, [2] tantane amentia præditus, atque audacia fuiſti, ut in re tam clara, tam teſtata, tam abs te ipſo pervulgata, *tabulas publicas corrumpere* auderes? At quemadmodum corrupiſti? nonne ita, ut, omnibus nobis tacentibus, ipſe te tuæ tabulæ condemnare poſſent? [3] Quæſo, codicem circumfer: oſtende. videtiſne totum hoc nomen, coràm ubi facit delatum, eſſe in litura? Quid fuit iſtic antea ſcriptum? quod mendum iſta litura correxit? quid à nobis, judices, exſpectatis argumenta hujus criminis? nihil dicimus: tabulæ ſunt in medio, quæ ſe corruptas, atque interlitas eſſe *clamant*. Ex iſtis etiam tu rebus effugere te poſſe confidis, cùm te nos non opinione dubia, ſed tuis veſtigiis perſequamur, quæ tu in tabulis publicis expreſſa, ac recentia reliquiſti? Is mihi etiam Sthenium litteras publicas corrupiſſe, cauſa incognita, judicavit, qui defendere non potuit, ſe non [4] ex ipſius Sthenii
43 nomine litteras publicas corrupiſſe? Videte porrò aliam dementiam: videte, ut, dum expedire ſeſe vult, induat. Cognitorem adſcribit Sthenio. Quem? cognatum aliquem, aut propinquum? non. Thermitanum aliquem, honeſtum hominem, ac nobilem? ne id quidem. At Siculum, in quo aliquis ſplendor, dignitaſque eſſet? [5] minime. Quem igitur? civem Romanum. Cui hoc probari poteſt? Cùm eſſet Sthenius civitatis ſuæ nobiliſſimus, ampliſſima cognitione, plurimis amicitiis: cùm præterea tota Sicilia multum auctoritate, & gratia poſſet, invenire neminem Siculum potuit, qui pro ſe cognitor fieret? [6] Hoc probabis? an ipſe civem Romanum maluit? cedò, cui Siculo, cùm is reus fieret, civis Romanus cognitor factus umquam ſit. Omnium prætorum litteras, qui antè fuerunt, profer, explica. ſi unum inveneris: ego hoc tibi, quemadmodum in tabulis ſcriptum habes, ita geſtum eſſe concedam. At, credo, Sthenius hoc ſibi amplum eſſe putavit, eligere è civium R. numero, ex amicorum, atque hoſpitum ſuorum copia, quem cognitorem daret. quem delegit? quis in tabulis ſcriptus eſt? C. Claudius, C. filius, Palatina. Non quæro, quis hic ſit Claudius, quàm ſplendidus, quàm honeſtus, quàm idoneus, propter cujus auctoritatem, & dignitatem Sthenius ab omnium Siculorum *conſuetudine* diſcederet, & civem Romanum cognitorem daret. nihil horum quæro. fortaſſe enim Sthenius non ſplendorem hominis, ſed *familiaritatem* ſecutus eſt. Quid ſi omnium mortalium Sthenio [7] nemo inimicior, quàm hic C. Claudius, tum ſemper, tum in his ipſis rebus, & temporibus fuit? ſi de litteris corruptis contrà venit? ſi contra omni ratione pugnavit? utrùm potius pro Sthenio inimicum cognitorem eſſe factum, an te in Sthenii periculo inimici ejus nomine abuſum eſſe credemus? Ac, 44
ne quis fortè dubitet, cujuſmodi totum ſit negotium: tametſi jamdudum omnibus iſtius improbitatem perſpicuam eſſe confido, tamen paullulum etiam attendite: Videtis illum ſubcriſpo capillo, nigrum, qui eo vultu nos intuetur, ut ſibi ipſe peracutus eſſe videatur? qui tabulas tenet? qui ſcribit? qui monet? qui proximus eſt? is eſt C. Claudius, qui in Sicilia ſequeſter iſtius, interpres, confector negotiorum, *propè collega* Timarchidi numerabatur: nunc obtinet eum locum, ut vix Apronio illi de familiaritate concedere videatur, & qui ſe non Timarchidis, ſed ipſius Verris collegam, & ſocium eſſe dicebat. [8] Dubitate etiam, ſi poteſtis, quin eum iſte potiſſimùm ex omni numero delegerit, [9] cui improbam *falſi cognitoris perſonam imponeret*, quem & huic inimiciſſimum, [10] & ſibi amicum eſſe arbitraretur? Hìc vos dubitatis, judices, tantam iſtius audaciam, tantam crudelitatem, tantam injuriam vindicare? dubitatis exemplum judicum illorum ſequi, qui damnato Cn. Dolabella, damnationem Philodami Opuntii reſciderunt, quod is *non abſens reus* factus eſſet: quæ res iniquiſſima, & acerbiſſima eſt: ſed cum ei legatio Romam à ſuis civibus eſſet data? Quod illi judices multo in *leviore* cauſa ſtatuerunt, æquitatem ſecuti: vos id ſtatuere in *graviſſima* cauſa, præſertim aliorum auctoritate jam confirmatum, dubitabitis? At quem hominem, C. Verres, tanta, tam inſigni injuria affeciſti? cujus 45
abſentis nomen recepiſti? quem abſentem non modò ſine crimine, & ſine teſte, verum etiam *ſine accuſatore damnaſti?* Quem hominem? dii immortales! non dicam *amicum* tuum: quod apud homines cariſſimum eſt: non *hoſpitem*, quod ſanctiſſimum eſt: nihil enim minus libenter de Sthenio commemoro: nihil aliud in eo, quod reprehendi poſſit, invenio, niſi quòd homo frugaliſſimus, atque integerrimus, te, hominem plenum ſtupri, flagitii, ſceleris, domum ſuam invitavit: niſi quòd, qui C. Marii, Cn. Pompeji, C. Marcelli, L. Siſennæ, tui defenſoris, ceterorumque virorum fortiſſimorum hoſpes fuiſſet, atque eſſet; ad eum numerum clariſſimorum hominum tuum quoque nomen adſcripſit. Quare de hoſpitio violato, & de iſto tuo nefario ſcelere nihil queror: hoc dico, non iis, qui Sthenium norunt, hoc eſt, nemini eorum, qui in Sicilia fuerunt: nemo enim ignorat, quo hic in civitate ſua *ſplendore*, qua apud omneis Siculos *dignitate*, atque exiſtimatione ſit: ſed, ut illi quoque, qui in ea provincia non fuerunt, intelligere poſſint, in quo homine tu ſtatueris exemplum ejuſmodi, quod tum propter *iniquitatem rei*, tum etiam propter *hominis dignitatem*, acerbum omnibus, atque intolerandum videretur. Eſt- 46
ne Sthe-

---

1. *Hæc cum dictitaſſe.*] Eſt ab eiſdem & Pall. vulgata enim *dictaſſe*.

2. *Tantane amentia præditus.*] Suſpectam habet vocem *præditus*, tanquam à ſcriba ortam, Gulielmius.

3. *Quæſo codicem circumfer.*] Placet quod erat in Metell. *Cedo, quæſo, codicem, circumfer.*

4. *Ex ipſius Sthenii nomine.*] Lambini editio, *in ipſius*. Metell. præpoſitionem nullam agnoſcit.

5. *Minimè. Quem igitur?*] Idem ſcriptus, *neminem. Quid igitur?* quomodo item fuit in Fabr. neque improbem.

6. *Hoc probabis?*] Sic edidit P. Manutius, reſtabatque in Metel. vulgata *probabitis*; quod fortè natum ex *Hoc probabiliſt?* quod paſſim in membranis ſcriptum pro *probabile eſt*.

7. *Nemo inimicior.*] Codex idem *inimicitior*. dignum examine.

8. *Dubitate etiam, ſi poteſtis.*] Haud aliter Pall. Metell. & vetus editio. neoterica, *Dubitare etiamnum*.

9. *Cui improbam falſi cognitoris perſonam imponeret.*] Adblanditur plane ſcriptura Metell. *cui hanc cognitoris falſi improbam perſonam imponeret*.

10. *Et ſibi amicum.*] Idem *amiciſſimum*. moxque *multo leviore cauſa*, ſine vocula *in*; item *dubitatis*, pro *dubitabitis*: ſi non meliora vulgatis, at nihilo tamen deteriora.

ne Sthenius iſ,qui omneis honores domi ſuæ facillimè cum adeptus eſſet, ampliſſimè, ac magnificentiſſimè geſſit? qui oppidum non maximum, maximis ex pecunia ſua locis communibus, monumentiſque decoravit? cujus de meritis in remp. Thermitanorum, Siculoſque univerſos, fuit *anea tabula* fixa Thermis in curia? in qua publicè erat de hujus beneficiis ſcriptum, & inciſum? quæ tabula tum imperio tuo revulſa, nunc à me tamen reportata eſt: ut omnes hujus honores inter ſuos, & amplitudinem poſſent cognoſcere. Eſt ne hic, qui apud Cn. Pompejum, clariſſimum virum, cùm accuſatus eſſet, quòd propter C. Marii familiaritatem, & hoſpitium, *contra remp. ſenſiſſe* eum inimici, & accuſatores ejus dicerent, [1] cùm magis invidioſo crimine, quàm vero arceſſeretur: ita à Cn. Pompejo abſolutus eſt: ut in eo ipſo judicio Pompejus hunc hoſpitio ſuo digniſſimum ſtatuerit? ita porrò laudatus, defenſuſque ab omnibus Siculis, ut idem Pompejus non ab homine ſolùm, ſed etiam *à provincia* tota ſe hujus abſolutione inire gratiam arbitraretur? poſtremò eſtne hic, qui & animum in remp. habuit ejuſmodi, & tantum *auctoritate apud ſuos* civeis potuit, ut perficeret in Sicilia ſolus, te prætore, quod non modò Siculus nemo, ſed ne Sicilia quidem tota potuiſſet: ut ex oppido Thermis nullum ſignum, nullum ornamentum, nihil ex ſacro, nihil de publico attingeres, cùm præſertim eſſent multa præclara, & tu omnia concupiſſes? Denique nunc vide, quid inter te, cujus nomine apud Siculos dies feſti agitantur, & præclara illa *Verrea* celebrantur, cui ſtatuæ Romæ ſtant inauratæ, à communi Siciliæ, quemadmodum inſcriptum videmus, datæ: vide, inquam, quid inter te, & hunc Siculum, qui abs te eſt, patrono Siciliæ, condemnatus, interſit. Hunc civitates ex Sicilia permultæ, teſtimonio ſuo, legationibuſque ob eam rem miſſis *publicè laudant:* te omnium Siculorum patronum, una Mamertina civitas, *ſocia furtorum,* ac flagitiorum tuorum, publicè laudat: ita tamen, novo more, ut legati lædant: legatio laudet: ceteræ quidem civitates publicè litteris, legationibus, teſtimoniis accuſant, queruntur, arguunt: *ſi tu abſolutus ſis, funditus everſas ſe*
47 *eſſe arbitrantur.* Hoc de homine, ac de hujus bonis etiam in Eryco monte monumentum tuorum flagitiorum, crudelitatiſque poſuiſti: in quo Sthenii Thermitani nomen adſcriptum eſt. Vidi *argenteum Cupidinem* cum lampade. Quid tandem habuit argumenti, aut rationis res, quamobrem in eo potiſſimum Sthenianum præmium poneretur? utrùm hoc ſignum cupiditatis tuæ, an tropæum neceſſitudinis, atque hoſpitii, an amoris indicium eſſe voluiſti? Faciunt hoc homines, quos in ſumma nequitia non ſolùm libido & voluptas, verùm etiam ipſius *nequitiæ fama delectat,* ut multis in locis notas ac veſtigia ſcelerum ſuorum relinqui velint. Ardebat amore illius hoſpitæ, propter quam hoſpitii jura violarat. Hoc non ſolum ſciri tum, verùm etiam commemorari ſemper volebat. itaque ex illa ipſa re, quam, accuſante Agathino, geſſerat, Veneri potiſſimum deberi præmium ſtatuit, quæ illam totam accuſationem, judiciumque conflarat. Putarem te gratum in deos, ſi hoc donum Veneri non de *Sthenii bonis dediſſes, ſed de tuis:* quod facere debuiſti, præſertim cùm tibi illo ipſo anno à Chelidone veniſſet hereditas. Hìc ego, ſi hanc cauſam non omnium Siculorum rogatu recepiſſem: ſi hoc à me muneris non univerſa provincia popoſciſſet: ſi me animus, atque amor in remp. exiſtimatioque offenſa noſtri ordinis, ac judiciorum non hoc facere coëgiſſet: atque hæc una cauſa fuiſſet, quòd amicum, atque hoſpitem meum Sthenium, quem in quæſtura mea [2] ſingulariter dilexiſſem, de quo optimè exiſtimaſſem, quem in provincia exiſtimationis meæ ſtudioſiſſimum, cupidiſſimumque cognoſſem, tam crudeliter, ſceleratè, nefarieque tractaſſes: [3] tamen digna cauſa cur *inimicitias hominis improbiſſimi ſuſciperem,* ut hoſpitis ſalutem, fortunaſque defenderem. fecerunt hoc multi apud majores noſtros: fecit etiam nuper homo clariſſimus, Cn. Domitius, qui M. Silanum, conſularem virum, *accuſavit* propter Egritomari tranſalpini hoſpitis injurias. putarem me idoneum, qui exemplum ſequerer humanitatis, atque officii, proponeremque ſpem meis hoſpitibus ac neceſſariis, quo *tutiorem vitam* ſeſe meo præſidio victuros eſſe arbitrarentur. Cùm verò in communibus injuriis totius provinciæ, Sthenii quoque cauſa contineatur, multique uno tempore à me hoſpites, atque amici publicè, privatimque defendantur: profectò vereri non debeo, ne quis hoc, quod facio, non exiſtimet me ſummi officii ratione impulſum, coactumque ſuſcepiſſe. Atque, ut aliquando de rebus ab iſto 48
cognitis, judicatiſque, & de judiciis datis dicere deſiſtamus: &, quoniam facta iſtius in his generibus infinita ſunt, nos modum aliquem, & finem orationi noſtræ, criminibuſque faciamus: pauca ex aliis generibus ſumemus. Audiſtis ob jus dicundum [4] Q. Varium dicere, procuratores ſuos iſti centum & triginta millia nummûm dediſſe: meminiſtis Q. Varii teſtimonium, remque hanc totam C. Sacerdotis, hominis ornatiſſimi, teſtimonio comprobari: ſcitis, Cn. Sertium, M. Modium, equites Roman. ſexcentos præterea civeis Roman. multoſque Siculos, dixiſſe, ſe iſti *pecuniam ob jus dicundum dediſſe.* de quo crimine quid ego diſputem, cùm id totum poſitum ſit in teſtibus? quid porrò argumenter, qua de re dubitare nemo poſſit? An hoc dubitabit quiſquam omnium, quin is venalem in *Sicilia* juriſdictionem habuerit, qui *Romæ* totum edictum, atque omnia decreta vendiderit? quin is ab Siculis ob decreta interponenda pecuniam acceperit, qui M. Octavium Ligurem ob jus dicundum popoſcerit? [5] Quod enim præterea genus pecuniæ cogendæ præteriit? quod non ab omnibus aliis præteritum, excogitavit? ecqua res apud civitates Siculas expetitur, in qua aut *honos* aliquis ſit, aut *poteſtas*, aut *procuratio*, quin eam rem tu ad tuum quæſtum, nundinationemque hominum traduxeris? Dicta ſunt priore actione & privatim, & publicè teſtimonia: legati Centuripini, Haleſini, Catinenſes, Panormitanique dixerunt, multarum præterea civitatum: jam verò privatim plurimi: quorum ex teſtimoniis cognoſcere potuiſtis, tota Sicilia per triennium neminem ulla in civitate ſenatorem factum eſſe *gratis:* neminem, ut leges eorum ſunt, ſuffragiis: neminem, niſi iſtius imperio, aut litteris: atque his omnibus ſenatoribus cooptandis, non modò ſuffragia nulla fuiſſe, ſed ne genera quidem ſpectata eſſe, ex quibus in eum ordinem cooptari liceret: neque cenſus, neque ætatis, neque cetera Siculorum jura valuiſſe. quicumque ſenator voluerit fieri, quamvis puer, quamvis indignus, quamvis ex eo loco, ex quo non liceret: [6] ſi is *pretio* apud iſtum *fieret idoneus* ut vinceret, factum eſſe ſemper: non modò Siculorum nihil in hac re valuiſſe leges, ſed ne ab ſenatu quidem, populoque Roman. datas. Quas enim leges ſociis, amiciſque dat is, qui habet impe- 49
rium à populo Roman. auctoritatem legum dandarum à ſenatu:

---

1. *Cùm magis invidioſe, &c.*] Eſt à mſſ. Hotomani. nam Pall. adhærent vulgatæ, *quod tum magis invidioſe.* prima editio, *quod cum magis.* Metelli liber, *cùm quo magis.* poterat adhuc abeſſe illud *cum.*

2. *Singulariter dilexiſſem.*] Cod. Metell. *ſingularè.* fortaſſis *ſingularìè*, inquit Gulielmius.

3. *Tamen digna cauſa, cur inimicitias.*] Omnino ita Pall. & editio vetus. ſequentes, *cauſa eſſet, cur.* Fabr. & Metell. *cauſa videretur, cur.* quod ab interpretum ingenio profectum videri queat.

4. *Qu. Varium dicere.*] Ita edd. omnes, præter Lambinianam, in qua *Marium*, contra omnes mſſ. qui accedunt vulgatæ, niſi quod Fabr. & heic, & mox infra, *Valerium* præferat. at Metelli liber, *Quartum* habet. quod natum ex *Qu. Vario* quilibet ſentit.

5. *Quod enim præterea genus pecuniæ.*] Eſt à ſcriptis Hotomani; neque abeunt Pall. niſi quod ii, *Quid enim eſt præterea.* Metell. & Fabric. *Quod enim iſte præterea.* Gulielmius putabat illud *præterea* mutari poſſe in *prætor.* prius cuſi: *Quod enim eſt præterea genus pecuniæ cog. quod præteriit?*

6. *Si is pretio apud iſtum fieret idoneus ut vinceret.*] Sic Pall. & edd. omnes. at enim Metelli liber, *ſi is pretio apud iſtum idoneus vinceret,* omiſſis intermediis, quod dudum probavit Gulielmius lib. I. Veriſimilium cap. 7. ἀρχαικῶς, ut *idoneus* notet *idoneos.* Mercerus; ſed capit *idoneus* caſu ſingulari.

1. *Quos*

natu: hæ debent & populi Romani & ſenatus exiſtimari. Haleſini pro multis & magnis ſuis, majorumque ſuorum in remp. noſtram meritis, atque beneficiis, ſuo jure nuper, L. Licinio, Qu. Mutio Coss. cùm haberent inter ſe controverſias de ſenatu cooptando, leges ab ſenatu noſtro petiverunt. Decrevit ſenatus honorifico S. C. ut his C. Claudius, Appii filius, Pulcher, prætor, de ſenatu cooptando leges conſcriberet. C. Claudius, adhibitis omnibus Marcellis, qui tum erant, de eorum *ſententia* leges Haleſinis dedit: in quibus multa ſanxit de *ætate* hominum, ne quis minor triginta annis natu: de *quæſtu*, quem qui feciſſet, ne legeretur: de *cenſu*, de ceteris rebus. quæ omnia ante iſtum prætorem, & noſtrorum magiſtratuum auctoritate, & Haleſinorum ſumma voluntate valuerunt. ab iſto & præco, qui voluit, iſtum ordinem pretio mercatus eſt: & pueri annorum ſenûm, ſeptenumque denûm, *ſenatorium nomen nundinati ſunt:* &, quod Haleſini, antiquiſſimi & fideliſſimi ſocii, atque amici, Romæ impetrarant, ut apud ſe ne ſuffragiis quidem fieri li-
50 ceret, id pretio, ut fieri poſſet, effecit. Agrigentini de ſenatu cooptando Scipionis leges antiquas habent. in quibus & eadem illa ſancta ſunt, & hoc amplius: cùm Agrigentinorum duo genera ſint, unum veterum, alterum colonorum, [1] quos T. Manlius prætor ex S. C. de oppidis Siculorum deduxit Agrigentum: cautum eſt in Scipionis legibus, ne plures eſſent in ſenatu ex colonorum numero, quàm [2] ex vetere Agrigentinorum. Iſte, qui omnia jura pretio exæquaſſet, omniumque rerum delectum, atque diſcrimen *pecuniæ ſuſtuliſſet:* non modò illa, quæ erant ætatis, ordinis, quæſtuſque permiſcuit: ſed etiam in his duobus generibus, civium novorum, veterumque, delectum, ordinemque turbavit. Nam, cùm eſſet ex veterum numero quidam ſenator demortuus, & cùm ex utroque genere par numerus reliquus eſſet: veterem cooptari neceſſe erat legibus, [3] ut is amplior numerus eſſet. quæ cùm ita ſe res haberet: tamen ad iſtum venerunt emtum locum illum ſenatorium non ſolùm veteres, ſed etiam novi. fit ut *pretio* novus vincat, litteraſque à prætore auferat. Agrigentini ad iſtum legatos mittunt, qui eum leges doceant, conſuetudinemque omnium annorum demonſtrent: ut iſte intelligeret, ei ſe illum locum vendidiſſe, cui ne commercium quidem eſſe oporteret. quorum oratione iſte, cùm pretium jam accepiſſet, ne tantulum quidem commotus eſt. Idem fecit Heracleæ. nam eò quoque colonos P. Rupilius deduxit: legeſque ſimileis de cooptando ſenatu, ac de numero veterum, ac novorum dedit. Ibi non ſolùm iſte, ut apud ceteros, *pecuniam accepit:* ſed etiam genera veterum, ac novorum,
51 numerumque permiſcuit. Nolite exſpectare, dum omneis obeam oratione mea civitates. [4] hoc uno complector crimine omnia: *neminem iſto prætore ſenatorem fieri potuiſſe, niſi qui iſti pecuniam dediſſet.* Hoc idem transfero in magiſtratus, curationes, ſacerdotia: quibus in rebus non ſolùm hominum jura, ſed etiam deorum religiones immortalium omneis repudiavit. Syracuſis [5] lex eſt de religione, quæ in annos ſingulos Jovis ſacerdotem ſortitò capi jubebat: quod apud illos ampliſſimum ſacerdotium putatur. Cùm ſuffragiis tres ex tribus generibus creati ſunt, res revocatur ad ſortem. Perfecerat iſte *imperio*, ut pro ſuffragio Theomnaſtus familiaris ſuus in tribus illis renunciaretur. in ſorte, cui *imperare* non poterat, exſpectabant homines, quidnam acturus eſſet. homo, id quod erat facillimum, primò vetat ſortiri: jubet *extra ſortem* Theomnaſtum renuntiari. negant id Syracuſani per religiones ſacrorum ullo modo fieri poſſe: fas denique negant eſſe. jubet ille ſibi legem recitari. recitatur: in qua ſcriptum erat, UT, QUOT ESSENT RENUNTIATI, TOT IN HYDRIAM SORTES CONJICERENTUR: CUJUS NOMEN EXISSET, UT IS HABERET ID SACERDOTIUM. Iſte, homo negotioſus, & peracutus, Optimè, inquit, nempe ſcriptum ita eſt, quot renuntiati erunt. quot ergo (inquit) ſunt renuntiati? reſponſum, tres. Numquid igitur oportet, niſi treis ſorteis conjici: unam educi? nihil. Conjici jubet treis, in quibus omnibus ſcriptum eſſet *nomen Theomnaſti.* Fit clamor maximus, cùm id univerſis indignum, atque nefarium videretur. Ita Jovis illud ſacerdotium ampliſſimum per hanc rationem Theomnaſto datur.
Cephaledi menſis eſt certus, quo menſe ſacerdotem maxi- 52
mum creari oporteat. Erat ejus honoris cupidus [6] Artemo quidam, Climachias cognomine, homo ſanè locuples, & domi nobilis: ſed is fieri nullo modo poterat, ſi Herodotus quidam adeſſet. ei locus ille, atque honos in illum annum ita *deberi putabatur*, ut ne Climachias quidem contrà diceret. res ad iſtum defertur, & iſtius more deciditur. toreumata ſanè nota, ac pretioſa auferuntur. Herodotus Romæ erat: ſatis putabat ſe ad comitia tempore venturum, ſi pridie veniſſet. Iſte, ne aut *alio menſe, ac fas erat*, comitia haberentur, aut Herodoto *præſenti honos adimeretur* (id quod iſte non laborabat, Climachias minimè volebat) excogitat (dixi jamdudum; non eſt homo acutior quiſquam, nec fuit) excogitat, inquam, quemadmodum menſe illo legitimo comitia haberentur, nec tamen Herodotus adeſſe poſſet. Eſt conſuetudo Siculorum, ceterorumque Græcorum, quòd ſuos *dies, menſeſque congruere volunt cum ſolis, lunæque ratione:* ut nonnumquam, ſi quid diſcrepet, eximant unum aliquem diem, aut ſummùm, biduum ex menſe: quos illi ἐξαιρεσίμους dies nominant: item nonnumquam uno die longiorem menſem faciunt, aut biduo. Quæ iſte cùm cognoviſſet, novus aſtrologus, qui non tam cæli rationem, quàm *cælati argenti* duceret, eximi jubet non diem ex menſe, ſed ex anno unum, dimidiatumque menſem; hoc modo, ut, quo die (verbi cauſa) eſſe oporteret idus Januarias, eo die Kalendas Martias proſcriberet. itaque fit, omnibus recuſantibus, [7] & plorantibus. dies is erat legitimus comitiis habendis. eo modo ſacerdos Climachias renuntiatus eſt. Herodotus cùm Roma revertitur, diebus, ut ipſe putabat, quindecim ante comitia, [8] offendit eum menſem, qui conſequitur menſem comitialem, comitiis jam abhinc triginta diebus, habitis. Tunc Cephaleditani decreverunt *intercalarium* XLV *dies longum*, ut reliqui menſes in ſuam rationem reverterentur. Hoc ſi Romæ fieri poſſet, certè aliqua ratione expugnaſſet iſte, [9] ut dies XLV. inter binos ludos tolle-
rentur, per quos ſolos judicium fieri poſſet. Jam vero cen- 53
ſores quemadmodum in Sicilia iſto prætore creati ſunt, operæ pretium eſt cognoſcere. Ille enim eſt magiſtratus apud Siculos, qui diligentiſſimè mandatur à populo, propter hanc cauſam, quòd omnes Siculi *ex cenſu quotannis tributa conferunt:* in cenſu habendo poteſtas omnis æſtimationis habendæ, ſummæque faciundæ, cenſori permittitur. Itaque eum populus, qui maximam *fidem* ſuarum rerum habebat, maxima cura deligit: & propter magnitudinem poteſtatis hic magiſtratus à populo ſumma ambitione contenditur. In ea re iſte [10] nihil ſanè vafrè facere voluit, non in ſortitione fallere,

1. *Quos T. Manlius prætor.*] Examinabunt faſtis addicti ſcripturam Fabr. & Metell. in quibus *L. Manlius.*

2. *Ex veterum Agrigentinorum.*] Sic nunc paſſim editi: ſed non à libris, verum à conjectura Hotomani. ſcripti enim noſtri editique *ex veteri Agrigentinorum.*

3. *Ut is amplior numerus.*] Ita Pal. ſec. Fabr. Metell. nam vulgata, *ut his amplius numerus.* Palat. prim. non agnoſcit *ut his*, aut aliud ejus loco.

4. *Hoc uno complector crimine omnia.*] Vox *crimine* non eſt in Metelli membranis; & recte. nam *hoc*, reſpicit ad enunciationem ſequentem, *Neminem iſto &c.*

5. *Lex eſt de religione quæ.*] Illud *de religione*, videri queat è marginali nota perveniſſe in contextum.

6. *Artemo quidam.*] Secutus ſum Pall. Fabric. Metell. vulgata enim; *Arthenio.* nam P. Manut. *Athenio.*

7. *Et plorantibus.*] Recepi quod erat in Fabric. & Metellano. antea cuſi, *& implorantibus.*

8. *Offendit eum menſem comitialem.*] Lambinus interjecit de ſuo, *menſem, qui conſequitur menſem comitialem.* ſic ſanè nullus editus, nullus mſſ. noſtrorum.

9. *Ut dies* XLV. *inter binos ludos.*] Excutit hunc locum Hotomanus lib. 1. obſervat. cap. 16.

10. *Nihil obſcure facere voluit.*] Non exſtat illud *facere* in Metell. & præſtaret profectò abeſſe.

fallere, neque dies de faſtis eximere. nihil ſanè vafrè, nec malitioſe facere conatus eſt: ſed, ut ſtudia, cupiditateſque honorum, atque *ambitiones* [1] *ex omnibus civitatibus tolleret*, quæ res [2] evertendæ reip. ſolent eſſe, oſtendit, ſeſe in omnibus civitatibus cenſores eſſe facturum. Tanto mercatu prætoris indicto, concurritur undique ad iſtum Syracuſas. flagrabat domus tota prætoria ſtudio hominum, & cupiditate: nec mirum, omnibus comitiis tot civitatum unam in domum revocatis, tantaque ambitione provinciæ totius *in uno cubiculo* incluſa. Exquiſitis palàm pretiis, & licitationibus factis deſcribebat cenſores binos in ſingulas civitates Timarchides. Is ſuo labore, ſuiſque acceſſionibus, hujus negotii atque [3] operis moleſtia conſequebatur, ut ad iſtum ſine ulla ſollicitudine, *ſumma pecunia* referretur. Jam hic Timarchides quantam pecuniam fecerit, planè adhuc cognoſcere non potuiſtis: verumtamen priore actione, quàm variè, quàm improbè prædatus eſſet, multorum ex te-
54 ſtimoniis cognoviſtis. Sed, ne miremini, qua ratione hic tantum apud iſtum *libertus* potuerit; exponam vobis breviter, quid hominis ſit; ut & iſtius nequitiam, qui illum ſecum habuerit, eo præſertim numero, ac loco; & calamitatem provinciæ cognoſcatis. In mulierum corruptelis, & in omni ejuſmodi luxuria, atque nequitia mirandum in modum reperiebam hunc Timarchidem ad iſtius flagitioſas libidines, ſingularemque nequitiam natum, atque aptum fuiſſe: *inveſtigare*, *adire*, *appellare*, *corrumpere*, quidvis facere in ejuſmodi rebus, quamvis callidè, quamvis audacter, quamvis impudenter: eundem mira quædam excogitare genera furandi. nam ipſum Verrem, tantùm avaritia ſemper hiante, atque imminenti fuiſſe; ingenio & cogitatione nulla: ut, quidquid ſua ſponte faciebat, item ut vos Romæ cognoviſtis, *eripere* potius, quam *fallere* videretur. Hæc verò hujus erat ars, & malitia miranda, quòd acutiſſimè tota provincia, [4] quid cuique accidiſſet, quid cuique eſſet neceſſe, indagare & odorari ſolebat: [5] *omnium adverſarios*, *omnium inimicos* diligenter cognoſcere, colloqui, attentare: ex utraque parte cauſas, voluntates perſpicere, facultates & copias: quibus opus eſſet, *metum* afferre: quibus expediret, *ſpem* oſtendere: accuſatorum, & quadruplatorum quidquid erat, habebat in poteſtate: quod cuique negotii conflare volebat, nullo labore faciebat: iſtius omnia decreta, imperia, litteras peritiſſime, & callidiſſimè *venditabat*. Ac non ſolùm erat adminiſter iſtius cupiditatum: verùm *etiam ipſe ſui meminerat æque*. non ſolùm nummos, ſiqui iſti exciderant, tollere ſolebat, ex quibus pecuniam maximam fecit: ſed etiam voluptatum, flagitiorumque iſtius ipſe reliquias colligebat. Itaque in Sicilia non Athenionem, qui nullum oppidum cepit: ſed Timarchidem fugitivum omnibus oppidis per triennium ſcitote regnaſſe: in Timarchidis poteſtate ſociorum populi R. antiquiſſimorum, atque amiciſſimorum liberos, matresfamilias, bona, fortunaſque omneis fuiſſe. Is igitur, ut dico, Timarchides in omneis civitates, accepto pretio, cenſores dimiſit. comitia, iſto prætore, cenſorum, *ne ſimulandi quidem cauſa*
55 fuerunt. Jam hoc impudentiſſimè: palàm (licebat enim videlicet legibus) ſingulis cenſoribus denarii trecenti ad ſtatuam prætoris imperati ſunt. Cenſores cxxx facti ſunt. pecuniam illam ob cenſuram contra leges clàm dederunt; hæc denariûm xxxix millia *palàm ſalvis legibus contulerunt* in ſtatuam. Primùm quò tantam pecuniam? deinde quamobrem cenſores ad ſtatuam tibi conferebant? ordo aliquis, cenſorum eſt collegium? genus aliquod hominum? nam aut publicè civitates iſtos honores habent: aut generatim homines, ut aratores, ut mercatores, ut navicularii. Cenſores quidem qui magis, quàm Ædiles? *ob beneficium?* Ergo hoc fatebere, abs te hæc petita eſſe: [6] nam erepta non audebis dicere: te eos magiſtratus hominibus, beneficii, *non reip. cauſa*, permiſiſſe? Hoc autem cùm tute fatebere, quiſquam dubitabit, quin tu iſtam apud populos provinciæ iſtius invidiam, atque offenſionem, non ambitionis, neque beneficiorum collocandorum, ſed *pecuniæ conciliandæ cauſa* ſuſceperis? Itaque illi cenſores fecerunt idem, quod in noſtra republica ſolent ii, qui per largitionem magiſtratus adepti ſunt: dederunt operam, ut ita poteſtatem gererent, ut illam lacunam rei familiaris *explerent*. Sic cenſus habitus eſt, te prætore, ut eo cenſu nullius civitatis reſpublica poſſet adminiſtrari. nam locupletiſſimi cujuſque cenſus extenuarant, [7] tenuiſſimi auxerant. Itaque in tributis imperandis tantum oneris plebi imponebatur, ut etiam ſi homines tacerent, *res ipſa* illum cenſum repudiaret: id quod intelligi facillimè re ipſa poteſt. Nam L. Metellus, qui, poſtea- 56
quàm ego inquirendi cauſa in Siciliam veni, repentè Letilii adventu, iſtius non modò amicus, verùm etiam cognatus factus eſt: is, quòd videbat [8] iſtius cenſum ſtare nullo modo poſſe, eum cenſum obſervari juſſit, qui viro fortiſſimo, atque innocentiſſimo Sex. Peducæo prætore habitus eſſet. erant enim tum cenſores legibus facti, delecti à ſuis civitatibus: quibus, ſi quid *commiſiſſent*, pœnæ legibus erant conſtitutæ. Te autem prætore, qui cenſor aut legem metueret, qua non tenebatur, quoniam creatus lege non erat: aut animadverſionem tuam, cùm id, quod abs te emerat, vendidiſſet? Teneat jam ſanè meos teſteis Metellus: cogat alios laudare, ſicut in multis conatus eſt: [9] modò hæc faciat, quæ facit. Quis enim umquam tanta à quoquam *contumelia*, quis tanta *ignominia* affectus eſt? Quinto quoque anno Sicilia tota cenſetur. erat cenſa prætore Peducæo. quintus annus cùm te prætore incidiſſet, cenſa denuo eſt. poſtero anno L. Metellus mentionem tui cenſus fieri vetat: cenſores dicit de integro ſibi creari placere: interea *Peducæanum cenſum obſervari jubet*. Hoc ſi tuus inimicus tibi feciſſet, [10] tamen etſi animo æquo provincia tuliſſet, inimici judicium grave videretur. fecit amicus recens, & cognatus voluntarius. aliter enim, ſi provinciam retinere, ſi *ſalvus* ipſe in provincia vellet eſſe, facere non potuit. [11] Ex- 57
ſpectas etiam, quid hi judicent? Si tibi magiſtratum abrogaſſet, minore ignominia te affeciſſet, quàm cùm ea, quæ in magiſtratu geſſiſti, ſuſtulit, atque *irrita juſſit eſſe*. Neque in hac re ſola fuit ejuſmodi; ſed, antequàm ego in Siciliam veni, in maximis rebus, ac plurimis. nam & Heraclio Syracuſano tuos illos palæſtritas bona reſtituere juſſit, & Epicrati Bidinos, & pupillo Drepanitano A. Claudium: &, niſi maturè Letilius in Siciliam veniſſet cum litteris, minus xxx diebus Metellus totam triennii præturam tuam reſcidiſſet. Et, quoniam de ea pecunia, quam tibi *ad ſtatuam* cenſores contulerunt, dixi: non mihi prætermittendum videtur ne illud quidem genus pecuniæ conciliatæ,

1. *Ex omnibus civitatibus tolleret.*] Idem ſcriptus *ex hominibus civitatibuſque toll.* non ita abſurde.

2. *Evertendæ reipubl. ſolent eſſe.*] Vulgata amplius, *cauſa ſolent eſſe.* ſed vocula ea non erat in Palat. in Fabric. in Metell. itaque ſuſtuli.

3. *Operis moleſtia.*] Sic Fabr. & Metell. ſecutique ſunt Lambin. & Manutii filius & Nepos. prius cuſi, *operis moleſtiam.*

4. *Quid cuique accidiſſet.*] Triga horum verborum primum accedit Ciceroni e Fabr. & Metellano.

5. *Omnium adverſarios.*] Et iſta biga ortum habet à duobus illis libris. nec dici poſſunt ſupervacua. aliud enim ſanè *adverſarius*, aliud *inimicus*.

6. *Nam erepta, non audebis dicere.*] Pall. & antiquitus cuſi *erepta*, Metell. *epta.*

7. *Tenuiſſimi hauſerant.*] Ita Fabr. Liber & Metelli, qui tamen ultimus, initio, *lauſerant.* Vulgata lectio *auxerant.*

8. *Iſtius cenſum ſtare nullo.*] Metelli & Fabr. *cenſus ſtari.* Gulielmius lib. I. Veriſim. cap. 7. *iſtius cenſu ſtare.*

9. *Dummodo hæc faciat quæ facit.*] Vulgo recepta lectio, *fecit*, ſed præſens eſt in Metell. & Fabr.

10. *Tamen etſi æquo animo.*] Eſt à mſſ. Mureti, qui videatur ſuper ea voce lib. XI. Var. lect. cap. 17. vulgata, *tamen ſi*, vel *tametſi.*

11. *Exſpectas etiam, quid hi judicent?*] Codex Met. *quid mihi*, quod diſpeſcit in duo Gulielmius, & inde facit *mi hi*; id eſt *mihi hi.*

1. Ad

liatæ, quam tu à civitatibus ſtatuarum nomine coëgiſti. video enim ejus pecuniæ ſummam eſſe pergrandem: [1] ad H-S CXX millia. tantum conficitur ex teſtimoniis, ac litteris civitatum: & iſte hoc concedit, nec poteſt aliter dicere. quare *cujuſmodi putamus eſſe illa, quæ negat, cùm hæc tam improba ſint, quæ fatetur?* Quid enim vis conſtitui? conſumtam eſſe omnem iſtam pecuniam in ſtatuis? Fac ita eſſe. tamen hoc ferendum nullo modo eſt, tantam ab ſociis pecuniam auferri, ut omnibus in angiportis, prædonis improbiſſimi ſtatuæ ponantur, quà vix tutò [2] tranſiri poſſe
58 videatur. Verùm ubi tandem, aut in quibus ſtatuis iſta tanta pecunia *conſumta* eſt? Conſumetur, inquies. Scilicet exſpectemus legitimum illud quinquennium. ſi hoc intervallo non conſumſerit: tum denique nomen ejus de repetundis pecuniis ſtatuarum nomine deferamus. Reus eſt maximis, plurimiſque criminibus in judicium vocatus. H-S CXX millia ex hoc uno genere capta videmus. ſi condemnatus eris: non, opinor, id ages, ut iſta pecunia quinquennio conſumatur in ſtatuis. ſin abſolutus eris: quis erit tam amens, qui te ex tot, tantiſque criminibus elapſum, poſt quinquennium ſtatuarum nomine arceſſat? Ita ſi neque adhuc conſumta iſta pecunia eſt, & eſt perſpicuum non conſumtum iri: licet jam intelligamus, inventam eſſe rationem, quare & iſte H-S CXX millia uno genere conciliarit, & ceperit: & ceteri, ſi à vobis hoc erit comprobatum, quàm volent magnas hoc nomine pecunias capere poſſint: ut jam videamur non à pecuniis capiundis homines abſterrere: ſed, cùm genera quædam pecuniarum capiundarum comprobarimus, HONESTA NOMINA TURPISSIMIS REBUS IMPONERE. Etenim, ſi C. Verres H-S CXX millia populum, verbi gratia, Centuripinum popoſciſſet, eamque ab his pecuniam abſtuliſſet: non, opinor, eſſet dubium, quin eum, ſi tum id planum fieret, condemnari neceſſe eſſet. Quid, ſi eundem populum H-S CCC. millia popoſcit, eaque coëgit, atque abſtulit? num idcirco abſolvetur, quòd adſcriptum eſt, eam pecuniam datam ſtatuarum nomine? non, opinor: niſi fortè id agimus, non ut magiſtratibus noſtris [3] *moram accipiundi*, ſed ut ſociis *cauſam dandi* auferre videamur. Quòd ſiquem ſtatuæ magnopere delectant, & ſi quis earum honore & gloria ducitur: is hæc tamen conſtituat neceſſe eſt: primùm, averti pecuniam domum non placere: deinde, ipſarum ſtatuarum modum quendam eſſe oportere: deinde illud, certè ab invitis exigi non oportere.
59 Ac de avertenda pecunia, quæro abs te, utrùm ipſæ civitates ſolitæ ſint ſtatuas tibi faciundas locare ei, cui poſſent *optima conditione* locare, an aliquem curatorem præficere, qui ſtatuis faciundis præeſſet, an tibi, an cui tu imperaſſes, adnumerare pecuniam. Nam ſi per eos ſtatuæ fiebant, à quibus tibi iſte honos habebatur: audio. ſin Timarchidi pecunia numerabatur, deſine, quæſo, ſimulare, te, cùm in manifeſto furto teneare, *gloriæ ſtudioſum*, ac monumentorum fuiſſe. Quid verò? modum ſtatuarum haberi nullum placet? atqui habeatur neceſſe eſt. etenim ſic conſiderate. Syracuſana civitas (ut eam potiſſimùm nominem) dedit ipſi ſtatuam. eſt honos. & patri. bella hæc pietatis, & quæſtuoſa ſimulatio. & filio: ferri hoc poteſt. hunc enim puerum non oderant. verùm quoties, & quot nominibus à Syracuſanis ſtatuas auferes? ut in foro ſtatuerent, abſtuliſti: ut in curia, coëgiſti: ut pecuniam conferrent in eas ſtatuas, quæ Romæ ponerentur, imperaſti: ut iidem darent homines aratorum nomine. dederunt ut iidem pro parte in commune Siciliæ conferrent. etiam id contulerunt. *una civitas* cùm tot nominibus pecuniam contulerit, idemque hoc *civitates ceteræ* fecerint: non res ipſa vos admonet, ut putetis, *modum aliquem huic cupiditati conſtitui oportere?* Quòd ſi hoc voluntate ſua nulla civitas fecit: ſi omnes *imperio*, *metu*, *vi*, *malo adductæ*, tibi pecuniam ſtatuarum nomine contulerunt: per deos immortaleis, numcui dubium eſſe poterit, quin, etiam ſi quis ſtatuerit, accipere ad ſtatuas licere: idem tamen ſtatuat, eripere certè non licere? Primùm igitur in hanc rem teſtem totam Siciliam citabo: quæ mihi una voce ſtatuarum nomine magnam pecuniam per vim coactam eſſe demonſtrat. nam legationes omnium civitatum in poſtulatis communibus, quæ ferè omnia ex tuis injuriis nata ſunt, etiam hoc ediderunt, UT STATUAS NEMINI, NISI CUM IS DE PROVINCIA DECESSISSET, POLLICERENTUR. Tot prætores in Sicilia fuerunt: toties apud 60
majores noſtros Siculi ſenatum adierunt: toties hac memoria: tamen hujuſce novi poſtulati genus, atque principium tua prætura attulit. Quid enim tam novum, non ſolum re, ſed genere ipſo poſtulandi? nam cetera, quæ ſunt in iiſdem poſtulatis de injuriis tuis, ſunt nova: ſed tamen non novo modo poſtulantur. Rogant & orant Siculi patres conſcriptos, ut noſtri magiſtratus poſthac *decumas lege Hieronica vendant.* tu primus contrà vendideras: audio; *ne, in cellam quod imperatur, æſtiment.* hoc quoque propter tuos ternos denarios nunc primùm poſtulatur: ſed genus iſtud poſtulandi non eſt novum. *Ne abſentis nomen recipiatur.* ex Sthenii calamitate, & tua natum eſt injuria. Cetera non colligam. ſunt omnia Siculorum poſtulata ejuſmodi, ut crimina collecta in unum te reum eſſe videantur. quæ tamen omnia novas injurias habent, ſed poſtulationum formulas uſitatas. Hoc poſtulatum de ſtatuis, ridiculum eſſe videatur ei, qui rem, ſententiamque non perſpiciat. Poſtulant enim, non, uti ne *cogantur ſtatuere.* quid igitur? *ut ipſis ne liceat.* Quid eſt hoc? petis à me, quod in tua poteſtate eſt, ut id tibi facere non liceat? pete potius, ne quis te invitum polliceri, aut facere cogat. Nihil ergo, inquit. negabunt enim omnes ſe coëgiſſe. ſi me ſalvum eſſe vis, mihi impone iſtam vim, ut omnino mihi non liceat polliceri. Ex tua prætura primum nata eſt hæc poſtulatio: qua cùm utuntur, hoc ſignificant, atque adeò apertè oſtendunt; ſeſe *ad ſtatuas tuas pecuniam metu, ac malo coactos, invitiſſimos contuliſſe.* Quid, ſi hoc non dicant? tibi non neceſſe ſit ipſi id confiteri? Vide, & perſpice, qua defenſione ſis uſurus. nam intelliges, hoc tibi de ſtatuis confitendum eſſe. Mihi enim re- 61
nuntiatur, ita conſtitui à tuis patronis, hominibus ingenioſis, cauſam tuam, & ita eos abs te inſtitui, & doceri: ut quiſque ex provincia Sicilia gravior homo, atque honeſtior, teſtimonium vehementius dixerit, ſicuti Siculi multi primarii viri multa dixerunt, te ſtatim hoc iſtis tuis defenſoribus dicere: inimicus eſt propterea, *quod arator eſt.* Itaque uno genere, opinor, circumſcribere habetis in animo genus hoc aratorum, quòd eos infenſo animo, atque inimico veniſſe dicatis, quia fuerit in decumis iſte vehementior. Ergo aratores, [4] inimici omnes, adverſarii ſunt. nemo eorum eſt, quin *periſſe te cupiat.* Omnino præclarè te habes, cùm is ordo, atque id genus hominum, quod optimum, atque honeſtiſſimum eſt, à quo uno & ſumma reipublicæ, & illa provincia maximè continetur, tibi eſt inimiciſſimum. Verùm eſto: alio loco de aratorum animo, & injuriis videro. nunc, quod mihi abs te datur, id accipio, eos tibi eſſe inimiciſſimos. nempe ita dicis, *propter decumas.* Concedo, non quæro, jure, an injuria ſint inimi-

1. *Ad* H-S CXX *millia.*] Metell. & Fabr. H-S XXLXI. vix mihi ſit dubium fuiſſe initio, CCIↃↃ. monet enim diſerte Pierius Valerianus libro XXXIIX Hieroglyph. ubi invenerimus L unum duobus CC præpoſitis, totidem vero II vel XX ſubjectis, credendum fuiſſe CCIↃↃ; item CCCLIII vel CCCLXXX, mutandum in CCCIↃↃↃ, & ſic deinceps.

2. *Tranſiri poſſe videatur.*] Recepta vulgo, *tranſire poſſe videamur.* ſed alterum eſt in Fabr. & Metell.

3. *Moram accipiendi, ſed &c. auferre videamur.*] Hæc eſt ſcriptura omnium mſſ. noſtrorum & editionum uſque ad P. Manutium, qui maluit *morem &c. auferre.* quomodo emendatum in Pal. ſec. Hotomanus inclinabat in *morem &c. adferre.* & vero *adferre* erat in Metell. ſervabat tamen *moram.*

4. *Inimici omnes, adverſarii ſunt.*] Lambinus interſerit copulam, *& adverſ. &c.* mallem repeti vocem, hoc modo: *inimici omnes, omnes adverſarii ſunt.*

inimici. [1] Quid ergo illæ ſibi ſtatuæ equeſtres inauratæ volunt, quæ populi Rom. oculos, animoſque maximè offendunt, propter ædem Vulcani? nam inſcriptum eſſe video, quandam ex his ſtatuam ARATORES DEDISSE. Si honoris cauſa ſtatuam dederunt: inimici non ſunt. credamus teſtibus. tum enim honori tuo, nunc jam religioni ſuæ conſulunt. ſin autem *metu coacti* dederunt: confiteare neceſſe eſt, te in provincia pecuniam ſtatuarum nomine per vim, ac
62 metum coegiſſe. Utrum tibi commodum eſt, elige. Equidem libenter hoc jam crimen de ſtatuis relinquam, ut mihi tu illud concedas, quod tibi honeſtiſſimum eſt, aratores tibi ad ſtatuam *honoris tui cauſa*, voluntate ſua, contuliſſe. da mihi hoc. jam tibi maximam partem defenſionis præcideris. non enim poteris [2] aratores tibi iratos eſſe, atque inimicos, dicere. O cauſam ſingularem! ô defenſionem miſeram, ac perditam! nolle hoc accipere reum ab accuſatore, & eum reum, qui prætor in Sicilia fuerit, aratores ei *ſtatuam ſua voluntate ſtatuiſſe*: aratores de eo bene exiſtimare, amicos eſſe, ſalvum eſſe cupere! metuit, ne hoc vos exiſtimetis. obruitur enim aratorum teſtimoniis. Utar eo, quod datur. certè hoc ita vobis judicandum eſt, eos, qui iſti *inimiciſſimi ſunt*, ut ipſe exiſtimari vult, ad iſtius honores atque monumenta pecuniam *non voluntate* ſua contuliſſe. [3] Atque ut hoc totum facillimè intelligi poſſit, quem voles eorum teſtium, quos produxero, [4] qui ex Sicilia teſtes ſint, [5] ſive togatum velis, ſive Siculum, rogato, & eum, qui tibi inimiciſſimus eſſe videbitur, qui ſe ſpoliatum à te dicet; ecquid ſuo nomine in tuam ſtatuam contulerit. neminem reperies, qui neget. etenim omnes dederunt. Quemquam igitur putas dubitaturum, quin is, quem inimiciſſimum tibi eſſe oporteat, qui abs te graviſſimas injurias acceperit, pecuniam ſtatuæ nomine dederit, *vi atque imperio adductus, non officio ac voluntate?* Et hujus ego pecuniæ, judices, quæ permagna eſt, impudentiſſimeque coacta ab invitis, non habui rationem, neque habere potui, quantum ab aratoribus, quantum ab negotiatoribus qui Syracuſis, qui Agrigenti, qui Panormi, qui Lilybæi negotiantur, eſſet coactum: quoniam intelligitis, ipſius quoque confeſſione ab
63 invitiſſimis coactam eſſe. Venio nunc ad civitates Siciliæ: de quibus facillimè judicium fieri voluntatis poteſt. An etiam Siculi inviti contulerunt? non eſt probabile. Etenim ſic C. Verrem præturam in Sicilia geſſiſſe conſtat, ut, cùm *utriſque ſatisfacere* non poſſet, & Siculis & togatis: officii potius in ſocios, quam ambitionis in civeis rationem duxerit. Itaque eum non ſolùm PATRONUM iſtius inſulæ, ſed etiam SOTERA inſcriptum vidi Syracuſis. Hoc quantum eſt? ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non poſſit. Is eſt nimirum SOTER, qui ſalutem dedit. Hujus nomine etiam dies feſti agitantur, pulchra illa *Verrea*, non quaſi *Marcellea*, ſed pro Marcelleis: quæ illi iſtius juſſu ſuſtulerunt. hujus fornix in foro Syracuſis eſt: in quo nudus filius ſtat: ipſe autem ex equo nudatam ab ſe provinciam proſpicit: [6] hujus ſtatuæ omnibus locis: quæ hoc demonſtrare videntur, propemodum non minùs multas ſtatuas iſtum poſuiſſe Syracuſis, quàm abſtuliſſe. huic etiam Romæ videmus in baſi ſtatuarum, maximis litteris inciſum, A COMMUNI SICILIÆ DATAS. Quamobrem? quî hoc probari poteſt cuiquam, tantos honores habitos eſſe ab invitis? Hîc 64
tibi etiam multo magis, [7] quàm antè in aratoribus, videndum, & conſiderandum eſt, quid velis. magna res eſt. utrùm tibi Siculos, publicè, privatimque amicos, an inimicos exiſtimari vis? ſi inimicos, quid te futurum eſt? quo confugies? ubi nitêre? modò aratorum honeſtiſſimorum hominum, [8] ac locupletiſſimorum, & Siculorum, & civium Rom. maximum numerum abs te abalienaſti: nunc de Siculis civitatibus quid ages? dices tibi Siculos eſſe amicos? quî poteris? qui, quod nullo in homine antea fecerunt, ut in eum *publice teſtimonium dicerent*, cum præſertim ex ea provincia condemnati ſint complures, qui ibi prætores fuerunt, duo ſoli abſoluti, [9] huc conveniunt cum litteris, veniunt cum mandatis, veniunt cum teſtimoniis publicis. qui, ſi te publicè laudarent, tamen id *more potius ſuo, quàm merito tuo*, facere viderentur: hi cùm de tuis factis publicè conqueruntur, nonne hoc indicant, tantas eſſe injurias, ut multo maluerint de ſuo more decedere, quàm de tuis moribus non dicere? Confitendum eſt igitur tibi neceſſariò, Siculos inimicos eſſe, qui quidem & in te graviſſima poſtulata conſulibus [10] ediderint, & me, ut hanc cauſam, ſalutiſque ſuæ defenſionem ſuſciperem, obſecrarint: qui cùm à prætore prohiberentur, à quattuor quæſtoribus impedirentur, omnium minas, atque omnia pericula, pro ſalute ſua, levia duxerint: qui priore actione ita teſtimonia graviter, vehementerque dixerint; ut Artemonem Centuripinum legatum, & publicè teſtem, Q. Hortenſius *accuſatorem, non teſtem* eſſe diceret. [11] Etenim cùm propter virtutem, & fidem cum Androne, homine honeſtiſſimo, & certiſſimo, tum etiam propter eloquentiam, legatus à ſuis civibus electus, ut poſſet multas iſtius, & varias injurias quam apertiſſimè vobis, planiſſimeque explicare. Dixe- 65
runt Haleſini, Catinenſes, Tyndaritani, Ennenſes, Herbitenſes, Agyrinenſes, Netinenſes, Segeſtani, [12] numerare omneis non eſt neceſſe, [13] ſcitis quàm multi, & quam multa priore actione dixerint. nunc & illi, & reliqui dicent. Omnes denique hoc in hac cauſa intelligent, hoc animo eſſe Siculos, ut, *ſi in iſtum animadverſum non ſit*, ſibi relinquendas domos, ac ſedes ſuas, & ex Sicilia decedendum, atque adeò fugiendum eſſe arbitrentur. Hos homines tu perſuadebis ad honores, atque amplitudinem tuam pecunias maximas voluntate ſua contuliſſe? credo, qui te in tua civitate *incolumem eſſe* nollent, hi *monumenta tuæ formæ, ac nominis*, in ſuis civitatibus eſſe cupiebant. [14] Res declaravit, ut cupierint. jamdudum enim mihi nimium tenuiter Siculorum erga te voluntatis argumenta colligere videor, utrùm ſtatuas voluerint tibi ſtatuere, an coacti ſint. De quo homine hoc auditum eſt umquam, quod tibi accidit, ut ejus in provincia ſtatuæ, in locis publicis poſitæ, partim etiam in ædibus ſacris, per vim, *per univerſam multitudinem dejicerentur?* Tot homines in Aſia nocentes, tot in Africa, tot in Hiſpania, Gallia, Sardinia, tot in ipſa Sicilia fuerunt: ecquo de homine hoc umquam audivimus? Novum

1. *Quid ergo illæ ſibi ſtatuæ equeſtres, &c.*] Non male Metelli ſcriptus: *Quid ergo illæ, quid ſibi ſtat. equeſt.*

2. *Aratores tibi iratos eſſe.*] Liber Metelli, *tibi honeſtis.* inde fingit Gulielmius *hoſteis.*

3. *Atque ut hoc totum.*] Sic Fabr. & Metel. nam Pall. & ed. vet. *tantum.* medii temporis *tamen.*

4. *Qui ex Cilicia.*] Eſt à mſſ. Hotomani, neque aliter Metel. recepta lectio, *qui in Sicilia.*

5. *Sive togatum velis, ſive Siculum.*] Emendatio eſt à libris Cujacii. Vulgata, *Ne civem Rom. velis, ſive Siculum*, quod quis non ſentit eſſe à calamo interpretis.

6. *Hujus ſtatuæ omnibus locis: quæ &c.*] Ita Fabr. & Metell. nam Pall. & editio exoleta adhuc abſtulerant *locis.*

7. *Quàm ante in aratoribus.*] Sic vulgo legitur. at editio priſca non agnoſcit illud *in*, neque habetur in Pall.

8. *Ac locupletiſſimorum & Siculorum & civium Romanorum maximum numerum.*] Illud, *& Siculorum & civium Rom.* non exſtat in vulgatis, addidi ex Fabr. & Metell. mſſ.

9. *Huc conveniunt.*] Pal. pr. & ed. antiquior *hinc conveniunt.* ſec. *hi nunc conveniunt.* Metell. *hi nunc veniunt.* quæ poſtrema lectio, mihi non diſplicet.

10. *Ediderint &c.*] Sic edidi, ſecutus fidem cod. Fabr. & Metell. item mox *obſecrarint*, & *duxerint* & *dixerint*; pro quo vulgata *obſecrarunt, duxerunt, dixerunt.*

11. *Etenim tum propter.*] Metellanus, *Etenim ille tum &c.* quæ particula heic bellè quadrat.

12. *Numerare omnes non eſt neceſſe.*] Metel. *& numerare*, ut videatur id reſtituendum; aut faciendum ſanè *enumerare.*

13. *Scitis quam multi & quam multa.*] Eſt in Metel. *Scis quam multa*, omiſſis intermediis. Pall. habent, *Satis quam multi &c.*

14. *Res declaravit, ut cupierint.*] Forſan non malè Metell. *declarabit.*

1 Et

vum eſt, judices: in Siculis quidem, [1] & in omnibus Græcis, monſtri ſimile. non crederem hoc de ſtatuis, niſi jacenteis, revulſaſque vidiſſem: propterea quòd apud omneis Græcos hic mos eſt, ut honorem hominibus habitum in monumentis hujuſmodi, *nonnulla religione deorum* conſecrari arbitrentur. Itaque cùm Rhodii bellum illud propè ſoli ſuperius cùm Mithridate rege geſſerint, omneiſque ejus copias, [2] acerrimumque impetum, mœnibus, litoribus, claſſibuſque ſuis exceperint, cùm & regis inimici præter ceteros eſſent: *ſtatuam ejus*, quæ erat apud ipſos in celeberrimo urbis loco, *ne tum quidem in ipſis urbis periculis attigerunt*. Forſitan vix convenire videretur, quem ipſum hominem cuperent evertere, ejus effigiem, ſimulacrumque ſervare. ſed tamen videbam, apud eos cùm eſſem, & religionem eſſe quandam in his rebus, à majoribus traditam, & hoc diſputare: cum ſtatua ſe ejus habuiſſe temporis rationem, quo poſita eſſet: cum homine verò, quo gereret bellum, atque hoſtis eſſet.
66 Videtis igitur, conſuetudinem, religionemque Græcorum, quæ *monumenta hoſtium in bello ipſo ſoleat defendere*, eam ſumma in pace prætoris populi R. ſtatuis præſidio non fuiſſe. Taurominitani, quorum eſt civitas fœderata, homines quietiſſimi, qui maximè ab injuriis noſtrorum magiſtratuum remoti conſuerant eſſe, *præſidio fœderis*: hi tamen iſtius evertere ſtatuam non dubitaverunt: [3] qua ablata, *baſin* tamen in foro manere putabant, ſi ſcirent homines, ſtatuam ejus à Taurominitanis eſſe dejectam, quàm ſi nullam umquam poſitam arbitrarentur. Tyndaritani dejecerunt in foro: & eadem de cauſa equum inanem reliquerunt. Leontinis, miſera in civitate atque inani, tamen iſtius, in gymnaſio, ſtatua dejecta eſt. Nam quid ego de Syracuſanis loquar, quod non eſt proprium Syracuſanorum, [4] ſed & illorum commune, & conventus illius, ac propè totius provinciæ? quanta illuc *multitudo*, quanta vis hominum conveniſſe dicebatur tum, cùm ſtatuæ ſunt illius dejectæ, atque everſæ? at quo loco? *celeberrimo*, ac religioſiſſimo: [5] ante ipſum Serapim, in primo aditu, veſtibuloque templi. Quòd niſi Metellus hoc tam graviter egiſſet, atque illam rem imperio, edictoque prohibuiſſet: veſtigium ſtatuarum iſtius in tota Sicilia nullum eſſet relictum. Atque ego hoc non vereor, nequid horum non modò *impulſu*, verùm omnino adventu meo factum eſſe videatur. omnia iſta antè facta ſunt, non modò, quàm ego Siciliam, verùm etiam quàm iſte Italiam attigit. dum ego in Sicilia ſum, nulla ſtatua dejecta eſt. poſteaquàm illinc diſceſſi, quæ ſunt geſta, cognoſcite:
67 Centuripinorum ſenatus decrevit, populuſque juſſit, ut, quæ ſtatuæ C. Verris ipſius, & patris, & filii, eſſent, eas quæſtores *demoliendas* locarent: dumque ea demolitio fieret, [6] *ſenatores ne* XXX *minus adeſſent*. Videte gravitatem civitatis, & dignitatem. neque eas in urbe ſua ſtatuas eſſe voluerant, quas inviti per vim, atque imperium dediſſent: neque ejus hominis, in quem ipſi cum graviſſimo teſtimonio publicè, quod numquam antea, Romam mandata, legatoſque miſiſſent: & id gravius eſſe putaverunt, ſi *publico conſilio*, quàm ſi *per vim multitudinis* factum videretur. Cùm hoc conſilio ſtatuas Centuripini publicè ſuſtuliſſent, audit Metellus: graviter fert: evocat ad ſe Centuripinum magiſtratum, & decem-primos. niſi reſtituiſſent ſtatuas, vehementer iis minatur. Illi ad ſenatum renuntiant. ſtatuæ, quæ iſtius cauſæ nihil prodeſſent, reponuntur. [7] Decreta Centuripinorum, quæ de ſtatuis erant facta, *non tolluntur*. Hîc ego aliud alii concedo: Metello, *homini ſapienti*, prorſus non poſſum ignoſcere, ſi quid ſtultè facit. Quid? ille hoc putabat Verri criminoſum fore, ſi ejus ſtatuæ eſſent dejectæ, quod ſæpe vento, aut aliquo caſu fieri ſolet? non erat in hoc neque crimen ullum, neque reprehenſio. Ex quo igitur crimen, atque accuſatio naſcitur? ex hominum judicio, & voluntate. Ego, ſi Metellus ſtatuas reponere 68
Centuripinos non coëgiſſet, hæc dicerem: VIDETE, JUDICES, quantum, & quàm acerbum dolorem ſociorum, atque amicorum animis inuſſerint iſtius injuriæ, cùm Centuripinorum amiciſſima, & fideliſſima civitas, quæ tantis officiis cum populo R. conjuncta eſt, ut non ſolùm remp. noſtram, ſed etiam in quovis *homine privato nomen* ipſum Romanorum ſemper dilexerit, ea publico conſilio, atque auctoritate judicarit, C. Verris ſtatuas eſſe in urbe ſua non oportere. recitarem decreta Centuripinorum: laudarem illam civitatem: id quod veriſſimè poſſem. commemorarem decem millia civium Centuripinorum, fortiſſimorum, fideliſſimorumque ſociorum: eos omnes ſtatuiſſe, MONUMENTUM ISTIUS IN SUA CIVITATE NULLUM ESSE OPORTERE. Hæc tum dicerem, ſi ſtatuas Metellus non repoſuiſſet. Velim quærere nunc ex ipſo Metello, quidnam ſua vi, & auctoritate mihi ex hac oratione præciderit. eadem opinor omnia convenire. neque enim, ſi maximè ſtatuæ dejectæ eſſent, eas ego vobis poſſem jacenteis oſtendere. hoc uno uterer: civitatem tam gravem ſtatuas judicaſſe C. Verris demoliendas. hoc mihi Metellus non eripuit: hoc etiam addidit, ut quererer, ſi mihi videretur, tam iniquo jure ſociis, atque amicis imperari, *ut iis ne in ſuis quidem beneficiis libero judicio uti liceret*: [8] ut vos rogarem, ut conjecturam faceretis, qualem in his rebus in me L. Metellum fuiſſe putaretis, in quibus rebus obeſſe mihi poſſet, cùm in hac re tam aperta cupiditate fuerit, in qua nihil obfuit. Sed ego Metello non iraſcor, [9] neque ei ſuam purgationem eripio, qua ille apud omneis utitur, ut nihil *malitioſè*, neque *conſultò* feciſſe videatur. Jam igitur eſt ita perſpicuum, ut ne- 69
gare non poſſis, nullam tibi ſtatuam voluntate cujuſquam datam: nullam pecuniam ſtatuarum nomine, niſi vi expreſſam, & coactam. quo quidem in crimine non illud ſolùm intelligi volo, te ad ſtatuas, [10] H-S CXX millia coëgiſſe: ſed multo etiam illud magis, quod [11] ſimul demonſtrandum eſt, quantum odium in te aratorum, quantum omnium Siculorum ſit, & fuerit. in quo quæ veſtra defenſio futura ſit, conjectura aſſequi non queo. *Oderunt Siculi: togatorum enim cauſa multa feci.* At hi quidem acerrimi, inimiciſſimique ſunt. *Inimicos habeo civeis Rom. quòd ſociorum commoda, ac jura defendi.* At ſocii in hoſtium numero ſe abs te habitos queruntur. Aratores inimici ſunt propter decumas. quid? qui agros immuneis, liberoſque arant, cur oderunt? cur Haleſini? cur Centuripini? cur Segeſtani? cur Halicienſes? quod genus hominum, quem numerum, [12] quem ordinem proferre poſſis, qui te non oderit, ſive civium Rom. ſive Siculorum? ut etiam ſi cauſam, cur te oderint, non poſſim dicere, tamen illud dicendum putem: *QUEM OMNES MORTALES ODERINT*, eum quoque vobis odio eſſe oportere. An hoc dicere audebis;

1. *Et in omnibus Græcis.*] Valde veriſimiliter emendabat Gulielmius, *hominibus*.
2. *Acerrimumque impetum, mœnibus &c.*] Vulgata, *acerr. ejus impetum à mœn.* ſed gloſſulas illas rejecerat Fabr. & Met.
3. *Qua ablata.*] Met. & Fabr. *ablecta*, ut videatur fuiſſe *abjecta*.
4. *Sed & illorum commune.*] Lambinus *aliorum*. præter libros. Gulielmius conjiciebat, *illorum communis*.
5. *Ante ipſum Serapim.*] Ita Pal. ſec. ita Metell. ita Fabr. alluditque & Pal. pr. in quo, *ipſum Sepim.* item edit. prima, in qua, *ipſum ſæpe*: poſteriores Critici nobis obtruſerant, *ante ipſum Jovem*; ſtultè.
6. *Senatores ne minus* XXX *adeſſent.*] Non potui excludere ſcripturam Met. & Fabr. vulgata, *Senat.* XXX. *non minus adeſ.*
7. *Decreta Centuripinorum, quæ de ſtatuis erant facta, non tolluntur.*] Totum iſtud Tullio adjeci ex membranis Nannii, Fabricii, Metelli: adeo ut ſine dubio deinceps recipi poſſit in contextum.
8. *Ut vos rogarem.*] Vocula *ut* non conſpicitur in Metellano.
9. *Neque ei ſuam purgationem eripio.*] Lectio minus vera. Pall. *ſuam vagationem.* Metelli vero mſ. *vacationem.* Met. pro *qua utitur*, exhibet, *quam utitur.*
10. CXX. *millia coëgiſſe.*] Videtur reponendum CCIↃↃ ut erat in Fabr. aut vero quod in Metell. ω ω *coëgiſſe* expreſſa enim ſæpe millenarii nota per ultimam Alphabeti Græcanici.
11. *Simul demonſtrandum eſt, quantum.*] Idem Metell. tantum habet *ſimul demonſtratum odium*, &c. Fabric. *ſimul demonſtratum eſt, quantum odium.*
12. *Quem ordinem proferre poſſis.*] Non adeo abſurdè Metell. *poſſum.*

1. Aut

bis, utrùm de te aratores, utrùm denique Siculi univerſi bene exiſtiment, [1] aut quo modo exiſtiment, ad rem id non pertineret? neque tu hoc dicere audebis: neque, ſi cupias, licebit. eripiunt enim tibi iſtam [2] orationem contemnendorum Siculorum, atque aratorum, ſtatuæ illæ equeſtres, quas tu paullo antè, quàm ad urbem venires, poni, inſcribique juſſiſti, ut omnium inimicorum amicos, accuſatorumque tardares. Quis enim tibi moleſtus eſſet, aut quis appellare auderet, cùm videret ſtatuas ab *negotiatoribus*, ab *aratoribus*, a *communi Sicilia*? quod eſt aliud in illa provincia [3] genus humanum? nullum. Ergo ab univerſa provincia, generatimque à ſingulis ejus partibus non ſolùm diligitur, ſed etiam ornatur. quis hunc attingere audeat? Potes igitur dicere, nihil tibi obeſſe oportere aratorum, negotiatorum, Siculorumque omnium teſtimonia, cùm eorum nominibus [4] in ſtatuarum inſcriptione poſitis omnem te ſperaris invidiam, atque infamiam tuam poſſe extinguere? an, quorum *auctoritate* tu ſtatuas cohoneſtare tuas conatus es, eorum ego *dignitate* accuſationem meam comprobare non potero? niſi forte, quod apud publicanos gratioſus fuiſti, in ea re ſpes te aliqua conſolatur. Quæ gratia ne quid tibi prodeſſe poſſet, ego mea diligentia perfeci. ut etiam obeſſe deberet, tu tua ſapientia curaſti. Etenim rem
70 totam, judices, breviter cognoſcite. In ſcriptura Siciliæ pro magiſtro eſt quidam L. Carpinatius, qui & *ſui quæſtus cauſa*, & fortaſſe quod *ſociorum intereſſe* arbitrabatur, benè penitus in iſtius familiaritatem ſeſe dedit. Is cùm prætorem circum omnia fora ſectaretur, neque ab eo umquam diſcederet: [5] in eam jam venerat familiaritatem, conſuetudinemque in *vendendis* iſtius decretis, & judiciis, tranſigendiſque negotiis, ut propè alter Timarchides numeraretur. hoc erat etiam capitalior, quòd idem pecuniam iis, qui ab iſto aliquid mercabantur, *fœnori dabat*. ea autem fœneratio erat hujuſmodi, judices, ut etiam hic quæſtus huic cederet. nam, quas pecunias iis ferebat expenſas, quibuſcum contrahebat; aut ſcribæ iſtius, aut Timarchidi, aut etiam ipſi iſti referebat acceptas. idem præterea pecunias iſtius extraordinarias grandeis, ſuo nomine fœnerabatur. Hic primò Carpinatius antequam in iſtius tantam familiaritatem perveniſſet, aliquoties ad ſocios litteras de iſtius *injuriis* miſerat. Canulejus verò, qui in portu Syracuſis operas dabat, furta quoque iſtius permulta nominatim ad ſocios perſcripſerat ea, quæ ſine portorio Syracuſis erant exportata: *portum* autem, [6] & *ſcripturas* eadem ſocietas habebat. Ita factum eſt, ut eſſent permulta, quæ ex ſocietatis litteris dicere in iſtum, ac proferre poſſemus. Verum accidit, ut Carpinatius, qui jam cum iſto ſumma conſuetudine, præterea *re*, *ac ratione* conjunctus eſſet, crebras poſtea litteras ad ſocios de iſtius ſummis officiis in rem communem, beneficiiſque mitteret. [7] Etenim cum iſte omnia, quæcumque Carpinatius poſtulabat, facere ac decernere ſolebat; tum ille etiam plura ſcribebat ad ſocios: ut, ſi poſſet, quæ *antea ſcripſerat, ea planè exſtingueret*. Ad extremum verò, cùm iſte jam decedebat, ejuſmodi litteras ad eas miſit, ut huic frequentes obviam prodirent [8] gratiaſque agerent; facturos ſe, ſi quid imperaſſet, ſtudioſe pollicerentur. Itaque ſocii fecerunt: *veteri inſtituto publicanorum*, non quòd iſtum ullo honore dignum arbitrarentur, ſed quòd ſua intereſſe putabant, ſe memores, gratoſque exiſtimari, gratias iſti egerunt: Carpinatium ſæpe ad ſe de ejus officiis litteras miſiſſe dixerunt. Iſte cùm 71
reſpondiſſet, ſe ea libenter feciſſe, operaſque Carpinatii [9] magnopere laudaſſet: dat amico ſuo cuidam negotium, qui tum magiſter erat ejus ſocietatis, ut diligenter caveret, atque proſpiceret, ne quid eſſet in litteris ſociorum, quod *contra ſuum caput*, atque exiſtimationem valere poſſet. Itaque ille multitudine ſociorum remota, decumanos convocat: rem defert. ſtatuunt illi, atque decernunt, ut eæ litteræ, quibus exiſtimatio C. Verris læderetur, removerentur: operaque daretur, ne ea res C. Verri fraudi eſſe poſſet. Si oſtendo, hoc decreviſſe decumanos: ſi planum facio, hoc decreto remotas eſſe litteras, quid exſpectatis amplius? poſſumne rem magis judicatam afferre? magis reum condemnatum in judicium adducere? At quorum judicio condemnatum? nempe eorum, quos ii, qui ſeveriora judicia deſiderant, [10] arbitrantur res judicare oportere: publicanorum judicio: quos videlicet nunc populus *judices poſcit*: de quibus, ut eos judices habeamus, legem ab homine non noſtri generis, non ex equeſtri loco profecto, ſed nobiliſſimo, promulgatam videmus. Decumani, hoc eſt, principes, & quaſi ſenatores publicanorum, *removendas de medio litteras* cenſuerunt. habeo ex iis, qui affuerunt, [11] quos producam, quibus hoc committam, homines honeſtiſſimos, ac locupletiſſimos, iſtos ipſos principes equeſtris ordinis: quorum ſplendore vel maximè, iſtius, qui legem promulgavit, oratio & cauſa nititur. venient in medium; dicent, quid ſtatuerint. profectò, ſi rectè homines novi, *non mentientur*. litteras enim communeis de medio removere potuerunt: fidem ſuam, & religionem removere non poſſunt. Ergo equites [12] Romani, qui te ſuo judicio condemnarunt, horum judicio condemnari noluerunt. Vos nunc utrùm illorum judicium, an voluntatem ſequi malitis, conſiderate.
At vide, quid te amicorum tuorum ſtudium, quid tuum 72
conſilium, quid ſociorum voluntas adjuvet. dicam [13] paullo promptius. neque enim jam vereor, ne quis hoc me magis accuſatoriè, quàm liberè dixiſſe arbitretur. Si iſtas litteras non *decreto decumanorum magiſtri* removiſſent: tantum poſſem in te dicere, quantum in litteris inveniſſem. nunc, decreto iſto facto, litteriſque remotis, tantum mihi licet dicere, quantum poſſum; tantum judici *ſuſpicari*, *quantum velit*. Dico, te maximum pondus auri, argenti, eboris, pur- 73
puræ, plurimam veſtem Melitenſem, plurimam ſtragulam, multam Deliacam ſupellectilem, plurima vaſa Corinthia, magnum numerum frumenti, vim mellis maximam, Syracuſis exportaſſe: his pro rebus, quòd *portorium non eſſet datum*, litteras ad ſocios miſiſſe L. Canulejum, qui in portu operas daret. Satiſne magnum hoc crimen videtur? nullum, opinor, majus. Quid defendet Hortenſius? poſtulabit, ut litteras Canuleii proferam? crimen hujuſmodi, niſi *litteris confirmetur, inane eſſe* dicet? Clamabo, litteras remotas eſſe de medio: decreto ſociorum erepta mihi eſſe iſtius *indicia* ac mo-

---

1. *Aut quo modo exiſtiment.*] Eſt à mſ. Nannii, admiſitque Lambinus; ideoque ei ſuum reliqui locum. ceteris impreſſis abeſt. conjecerat Hotomanus, *benè an malè exiſtiment*; quod ei videretur quippiam deeſſe.

2. *Orationem contemnendorum Siculorum.*] Aldus Manutius Nepos admiſit, *orationem negotiatorum Siculorum*. mihi quidem ſuſpicio magna, illa; *contemnendorum Siculorum atque aratorum*, eſſe pannum à librario adſutum Tullii purpuræ.

3. *Genus humanum.*] Subjiciunt alii *hominum*; ſed contra ſcriptos noſtros editoſque.

4. *In ſtatuarum inſcriptione poſitis.*] Metell. liber, *oppoſitis*.

5. *In eam venerat familiaritatem conſuetudinemque in vendendis.*] Idem codex tantum habebat, *venerat conſuetudinem vend.* & placet.

6. *Et ſcripturas.*] Ita quidem editi. ſed Pall. & Met. *ſcripturam*.

7. *Etenim cùm iſte.*] Sic Fabr. & Metell. antea cuſi, *tum*; niſi quod & noſtrum expreſſerit Hotomanus.

8. *Gratiaſque agerent; facturos ſe &c.*] Haud aliter Pall. ſecund. ſed Metell. & Fabric. præterea tollunt *que* ab *gratias*. vulgata, *facturos eſſe*.

9. *Magnopere laudaſſet.*] Metellanus *magno opere*.

10. *Arbitrantur res judicare oportere.*] Sic Fabr. & Metel. neque abeunt Pall. quam quod ii *arbitrentur*. vulgata, *arbitrentur reos jud.* quod & diſplicuerat Hotomano.

11. *Quos producam, quibus hoc committam, &c.*] Manavit ab iiſdem Codd. Fabric. & Metell. neque recedit Palat. prim. aut edit. vet. quàm quod ibi, *hoc producam*. aliis impreſſis deeſt illud, *quibus hoc committam*.

12. *Rom. qui te ſuo judicio condemnarunt, horum judicio condemnari noluerunt.*] Locum defectuoſum ſupplevi è Metell. & Fabric. prius legebamus, *Rom. ſe judicio condemnari voluerunt*.

13. *Paullò promptius.*] Recepta lectio *paullò amplius*; ſed alterum tuetur ſe auctoritate mſſ. Fabr. & Metell.

ac monumenta furtorum. Aut hoc contendat numquam eſſe factum: [1] aut omnia tela excipiat neceſſe eſt. Negas eſſe factum? placet mihi iſta defenſio: deſcendo. [2] æqua enim conditio, æquum certamen proponitur. producam *teſteis*, & producam plureis eodem tempore: quoniam tum, cùm actum eſt, unà fuerunt: [3] nunc quoque unà ſunt: cùm interrogabuntur, obligentur non ſolùm *jurisjurandi*, atque *exiſtimationis periculo*, ſed etiam communi inter ſe *conſcientia*. Si planum fit, hoc ita, quemadmodum dico, eſſe factum; num poteris dicere, Hortenſi, nihil in iſtis fuiſſe litteris, quod Verrem læderet? non modò id non dices, ſed ne illud quidem tibi dicere licebit; tantum, quantum ego dicam, non fuiſſe. ergo hoc veſtro conſilio, & gratia perfeciſtis, ut, quemadmodum paullo antè dixi, & mihi ſumma facultas ad accuſandum daretur, & judicibus libera poteſtas
73 ad credendum. Quod cùm ita ſit, nihil fingam tamen. meminero, me non ſumſiſſe, *quem accuſarem:* ſed recepiſſe, *quos defenderem:* vos ex me cauſam non à me prolatam, ſed ad me delatam, audire oportere: me Siculis ſatis eſſe facturum, ſi, quæ cognovi in Sicilia, quæ accepi ab ipſis, diligenter expoſuero: populo R. [4] ſi nullius vim, nullius potentiam pertimuero: vobis, ſi facultatem verè atque honeſtè judicandi, fide, & diligentia mea fecero: [5] mihimet, ſi ne minimum quidem de eo curriculo vitæ, quod mihi ſemper propoſitum fuit, deceſſero. Quapropter nihil eſt, quod metuas, ne quid in te confingam: etiam quod lætere, habes. multa enim, quæ ſcio abs te eſſe commiſſa, quòd aut *nimium turpia*, aut *parum credibilia* ſunt, prætermittam. tantum agam de hoc toto nomine ſocietatis. [6] Ut jam ſcire poſſis: quæram, *decretum ne ſit*. cùm id invenero: quæram, *remotæne ſint litteræ*. cùm id quoque conſtabit, [7] vos jam, me tacito, intelligetis, ſi illi, qui hoc iſtius cauſa decreverunt, equites Rom. nunc iidem in eum judices eſſent, iſtum ſine dubio condemnarent, de quo litteras eas, qui iſtius furta indicarent, & ad ſe miſſas, & ſuo decreto remotas ſcirent eſſe. Quem igitur ab iis equitibus R. qui iſtius cauſa cupiunt omnia, qui ab eo benigniſſimè tractati ſunt, condemnari neceſſe eſſet: is à vobis, judices, ulla vi, aut ratione abſolvi poteſt? Ac, ne fortè ea, quæ remota de medio, atque erepta vobis ſunt, omnia ita condita fuiſſe, atque ita abditè latuiſſe videantur, ut hac diligentia, quam ego à me exſpectari maximè puto, nihil horum inveſtigari, nihil aſſequi potuerit: quæ *conſilio* aliquo, aut *ratione* inveniri potuerunt, inventa ſunt, judices. manifeſtis in rebus hominem jam teneri videbitis. Nam quod in publicanorum cauſis vel plurimum ætatis meæ verſor, vehementerque illum ordinem obſervo, ſatis commodè mihi videor eorum conſue-
74 tudinem *uſu*, tractandoque cognoſſe. Itaque ut hoc comperi, remotas eſſe litteras ſocietatis: habui [8] *rationem annorum*, per quos iſte in Sicilia fuiſſet: deinde quæſivi, quod erat inventu facillimum, qui per eoſdem annos *magiſtri* iſtius ſocietatis [9] fuiſſent, ſciebam enim hanc magiſtrorum, qui tabulas haberent, conſuetudinem eſſe, ut, cùm tabulas novo magiſtro traderent, *exempla litterarum* ipſi habere non nollent. Itaque ad L. Vibium, equitem R. virum primarium, quem [10] reperiebam magiſtrum fuiſſe eo ipſo anno, qui mihi maximè quærendus erat, primum veni. Sanè homini præter opinionem improviſo incidi. [11] ſcrutatus ſum quæ potui, & quæſivi omnia: inveni duos ſolos libellos ab L. Canulejo miſſos ſociis ex portu Syracuſis: in quibus erat ratio ſcripta [12] menſum complurium, rerum exportatarum iſtius nomine ſine portorio. itaque *obſignavi ſtatim*. erant hæc ex eo genere, quod ego maximè genus ex ſociorum litteris reperire cupiebam; verùm tantum inveni, judices, quod apud vos quaſi *exempli cauſa* proferre poſſem. ſed tamen, quidquid erit in his libellis, quantulumcumque videbitur eſſe, hoc quidem certè manifeſtum erit: de ceteris *ex hoc conjecturam facere* debebitis. Recita mihi, quæſo, hunc primum libellum: deinde illum alterum. LIBELLI CANULEII. Jam non quæro, unde CCCC. amphoras mellis habueris. unde tantum Melitenſium, unde quinquaginta tricliniorum lectos, unde tot candelabra: non, inquam, jam quæro, unde hæc habueris: ſed quò tibi tantum opus fuerit, id quæro. mitto de melle: ſed tantumne Melitenſium? quaſi etiam *amicorum uxores:* tantum lectorum? quaſi etiam omnium iſtorum *villas* ornaturus eſſes. Cùm 75
hæc paucorum menſium ratio in his libellis ſit, facite, ut vobis triennii totius veniat in mentem. Sic contendo: ex his parvis libellis apud *unum magiſtrum* ſocietatis repertis, vos jam conjectura aſſequi poſſe, cujuſmodi præda iſte in illa provincia fuerit, quàm multas cupiditates, quàm varias, quàm infinitas habuerit: quantam pecuniam non ſolum numeratam, verum etiam hujuſmodi in rebus poſitam, confecerit: quæ vobis alio loco planius explicabuntur. Nunc hoc attendite. his exportationibus, quæ recitatæ ſunt, [13] ſcribit H-S LX *ſocios perdidiſſe* ex viceſima portorii Syracuſis. Pauculis igitur menſibus, ut hi puſilli & contemti libelli indicant, furta prætoris, [14] quæ eſſent H-S duodecies, ex uno oppido ſolo exportata ſunt. Cogitate nunc, cùm illa ſit hæc inſula, quæ undique exitus maritimos habeat, quid ex ceteris locis exportatum putetis: quid Agrigento, quid Lilybæo, quid Panormo, quid Thermis, quid Haleſa, quid Catina, quid ex ceteris oppidis: quid verò Meſſana: quem iſte ſibi locum *maximè tutum* arbitrabatur: ubi animo ſemper ſoluto, liberoque erat, quòd ſibi iſte Mamertinos delegerat, ad quos omnia, quæ aut diligentius ſervanda, aut occultius exportanda erant, deportaret. His inventis libellis, ceteri remoti, & diligentius ſunt reconditi: nos tamen, ut omnes intelligant, hoc nos ſine cupiditate agere, his ipſis libellis contenti ſumus. Nunc ad ſociorum tabulas accepti 76
& expenſi, quas *removere honeſtè nullo modo potuerunt*, & ad amicum tuum Carpinatium revertemur. Inſpiciebamus Syracuſis à Carpinatio confectas tabulas ſocietatis, quæ ſignificabant, multis nominibus eos homines *verſuram* à Carpinatio feciſſe, qui pecuniam Verri dediſſent. Erit vobis luce clarius, judices, cùm eos ipſos produxero, qui dederunt. intel-

---

1. *Aut omnia tela excipiat.*] Forte melius, *omnium*, quod erat in Metell.

2. *Æqua conditio, æquum certamen.*] Ferè malim *contentio*, quomodo habet Metell.

3. *Nunc quoque unà ſunt.*] Præſtat longè quod reſtat in Metell. *unà ſint.*

4. *Nullius vim, nullius potentiam.*] Pro his tantum habet Metell. *nullius potentiam.*

5. *Mihimet ſi ne &c.*] Eſt à Fabric. & Metell. longè elegantius quam ut prius publicabatur, *mihi in eo.*

6. *Ut jam ſcire poſſis; quæram, &c.*] Haud ſecus Met. & Fabr. nam *editiones medii ævi*, ut *verum ſcire poſſitis*, niſi quod P. Manutius præpoſuerit, *&*, de conjectura Hotomani. at enim Pall. & primitus publicati: *ut eam ſcire poſſitis.*

7. *Vos jam, me tacito, intelligetis, ſi illi &c.*] Lambinus finxit, *vos jam, me tacito, cetera intelligetis. Si illi &c.* ſed ſine libris, qui nihil variant, niſi quod Metell. *me jam hoc tacito, intelligetis.* Paul. Manutius, nihil mutavit niſi diſtinctionem, quam poſuit ante, *ſi.*

8. *Rationem annorum per quos.*] Non male Metell. *annorum eorum per &c.*

9. *Fuiſſent, ſciebam enim.*] Lambini editiones è Nannii mſ. interpoſuerant; *fuiſſent, apud quos tabulæ fuiſſent. ſciebam &c. vulgatis abfuiſſe tabulis. imo abſunt alia omnia.* quæ abſunt editis ab Manutiis, à Victorio, &c.

10. *Inveniebam magiſtrum fuiſſe.*] Fere auribus meis lenocinatur ſcriptura Metell. *magiſtratum fuiſſe.*

11. *Scrutatus ſum quæ potui, & quæſivi omnia.*] Idem codex, *& quæ vidi omnia*; non plane abſurde. nihil tamen muto.

12. *Menſum complurium.*] Ita Fabr. & Metel. & Nann. mſſ. non *menſium*, ut vulgata.

13. *Scribit* H-S LX. *ſocios perdidiſſe.*] Metell. & Nann. H-S DC. neque aliter Fabric. hac forma IↃC. Supra quoque in Pall. & Metell. erat, *Libelli Canuleiani. Non quæro &c.* pro quo hodie legimus, *Libelli Canuleii. Jam non quæro.* quod ipſum tamen neque in vetuſtè publicatis.

14. *Quæ eſſent* H-S *duodecies.*] Metell. & Fabr. *quæ eſſent* H-S CIↃ CC. adeatur Budæus lib. 1. de Aſſe.

intelligetis enim, illa tempora, per quæ, cùm eſſent *in periculo*, pretio ſeſe redemerunt, cum ſocietatis tabulis non ſolum conſulibus, verum etiam menſibus, convenire. cùm hæc maximè cognoſceremus, & jam in manibus tabulas haberemus: repentè adſpicimus lituras ejuſmodi, quaſi quædam *vulnera tabellarum* recentia. Statim ſuſpicione offenſi, ad ea ipſa nomina oculos, animumque tranſtulimus. Erant acceptæ pecuniæ à [1] C. Verrutio C. F. ſic tamen, ut uſque ad alterum, R, litteræ conſtarent integræ: reliquæ omnes eſſent in litura. alterum, tertium, quartum, permulta erant [2] ejuſdemmodi nomina. Cùm manifeſta res, tum flagitioſa *tabularum*, atque inſignis *turpitudo* teneretur: quærere incepimus de Carpinatio, quiſnam eſſet is Verrutius, quicum tantæ pecuniæ rationem haberet. [3] Hærere homo, averſari, rubere. Quòd *lege excipiuntur* tabulæ publicanorum, quo minus Romam deportentur: ut res quàm maximè clara, ac teſtata eſſe poſſet, in jus ad Metellum Carpinatium voco: tabulaſque ſocietatis [4] in forum defero. fit maximus concurſus hominum: & quòd erat Carpinatii nota cum iſto prætore ſocietas, ac fœneratio, ſummè ex-
77 ſpectabant omnes, quidnam in tabulis contineretur. Rem ad Metellum defero, me tabulas perſpexiſſe ſociorum: in his tabulis magnam rationem C. Verrutii permultis nominibus eſſe, meque hoc perſpicere [5] ex conſulum, menſiumque ratione, hunc Verrutium neque ante adventum C. Verris, neque poſt deceſſionem quidquam cum Carpinatio rationis habuiſſe. poſtulo, mihi reſpondeat, qui ſit iſte Verrutius: mercator [6] an negotiator, an arator, an pecuarius: in Sicilia ſit, an jam deceſſerit. Clamare omnes ex conventu, *neminem umquam* [7] *ex Sicilia fuiſſe Verrutium*. Ego inſtare, ut mihi reſponderet, [8] quis eſſet, ubi eſſet, unde eſſet: cur ſervus ſocietatis, qui tabulas confecerit, ſemper in Verrutii nomine, certo ex loco, *mendoſus eſſet*. Atque hæc poſtulabam, non quò illum cogi putarem oportere, ut ea mihi reſponderet invitus: ſed ut omnibus iſtius furta, illius flagitium, utriuſque audacia perſpicua eſſe poſſet. [9] Itaque illum injuriæ metu, conſcientiaque peccati mutum, atque exanimatum, ac *vix vivum relinquo*: tabulas in foro ſumma hominum frequentia exſcribo: adhibentur in exſcribendo de conventu viri primarii: litteræ, lituræque omnes aſſimulatæ, expreſſæ, de tabulis in libros transferuntur. Hæc omnia ſumma cura, & diligentia recognita, & collata, & ab hominibus honeſtiſſimis *obſignata* ſunt. Si Carpinatius tum mihi reſpondere noluit: reſponde mihi nunc tu Verres, quem eſſe hunc tuum pænè gentilem Verrutium putes. fieri non poteſt, ut, quem video, te prætore, in Sicilia fuiſſe, & quem ex *ipſa ratione* intelligo locupletem fuiſſe, eum tu in tua provincia non cognoris. [10] Atque adeò ne hoc aut longius, aut obſcurius eſſe poſſit, procedite in medium, explicate deſcriptionem, imaginemque tabularum: ut omnes mortales iſtius avaritiæ non jam veſtigia, ſed ipſa *cubilia* [11] videre poſſint. Videtis Verrutium? videtis primas litte- 78
ras integras? videtis extremam partem nominis, caudam illam Verris, tamquam in luto, demerſam eſſe in litura? Sic habent ſe tabulæ, judices, ut videtis. Quid exſpectatis? quid quæritis amplius? tu ipſe Verres quid ſedes? quid moraris? nam aut exhibeas nobis Verrutium, neceſſe eſt: [12] aut *te eſſe Verrutium* fateare. Laudantur oratores veteres, Craſſi illi, & Antonii, quòd crimina diluere dilucidè, quòd copioſe rerum cauſas defendere ſolerent. nimirum illi non *ingenio* ſolùm his patronis, ſed *fortuna* etiam præſtiterunt. NEMO enim tunc ita peccabat, ut defenſioni locum non relinqueret: nemo ita vivebat, ut nulla ejus vitæ pars ſummæ turpitudinis eſſet expers: nemo ita in [13] manifeſto peccatu tenebatur, ut, cùm impudens fuiſſet in facto, tum impudentior videretur, *ſi negaret*. Nunc verò quid faciat Hortenſius? avaritiæne crimina frugalitatis laudibus deprecetur? At hominem flagitioſiſſimum, libidinoſiſſimum, nequiſſimumque defendit. [14] An ab hac ejus infamia, nequitia, veſtros animos in aliam partem, fortitudinis commemoratione, traducat? At homo inertior, ignavior, [15] magis vir inter mulieres, impura inter viros muliercula proferri non poteſt. At *mores commodi*. Quis contumacior? quis inhumanior? quis ſuperbior? At hæc *ſine cujuſquam malo*. Quis acerbior? quis inſidioſior? quis crudelior umquam fuit? In hoc homine, atque in ejuſmodi cauſa quid facerent omnes Craſſi & Antonii? Tantum, opinor, Hortenſi, [16] ad hanc cauſam non accederent, ne *in alterius impudentia ſui pudoris exiſtimationem amitterent*. liberi enim ad cauſas, ſolutique veniebant: neque committebant, ut, ſi impudentes [17] in defendendo eſſe noluiſſent, ingrati in deſerendo exiſtimarentur.

ACCU-

1. *C. Verrutio C. F.*] Revocavi *C. F.* auctoritate Nann. Metell. & Fabr. libris antea deerant. notant autem puto *Caji filium*.
2. *Ejuſdemmodi nomina.*] Eſt à Fabr. & Met. vulgata, *ejuſmodi*.
3. *Herere homo, verſari, rubere.*] Emendavimus locum e Metell. detractione litteræ. editi enim *averſari*. Pall. *adverſari*.
4. *In forum defero.*] Verius forſan Nann. & Metel. *defert*. ut fuerint tabulæ penes Carpinatium, non autem Ciceronem. mox reſcripſi, *quidnam in tabulis*, fide Metell. & Fabr.
5. *Ex Conſulum menſiumque.*] Liber Metell. *menſumque* ut ſupra.
6. *An negotiator.*] Eſt & iſtud à Metell. & Fabric. antea libris noſtris aberat.
7. *Ex Sicilia fuiſſe.*] Metell. *in*, quod amplius aliquid eſt.
8. *Quis eſſet, ubi eſſet, unde eſſet.*] Sic collocant iidem mſſ. Met. præterea ablata litterula ſcripſit *qui*.
9. *Itaque illum in jure, metu conſcientiaque peccati, &c.*] Haud aliter Metellanus; & ſic in Pall. vulgata, *injuriæ metu &c.*
10. *Atque adeo ne hoc aut longius, &c.*] Ita Fabr. nec abibat Met. quàm quod is, *adone*. prius editi: *Atque adeo hoc ne longius*.
11. *Videre poſſint, liber explicetur.*] Hactenus caruimus illis *liber explicetur*; quæ eruta à Fabric. & Metell. mſſ.
12. *Aut te eſſe Verrutium fateare.*] Metell. *te Verrutium fatere*. mox Fabr. & Metell. auctore ſcripſi *ſolerent*, pro *ſolebant*.
13. *Manifeſto peccatu.*] Eſt à Gellio qui conſulatur libro XIII. Noct. Attic. cap. 19.
14. *An ab hac ejus infamia, nequitia &c.*] Forſan legendum *infami nequitia*, adnotatum Gulielmio. Hotomanus edidit: *infamia nequitiæ*, contra ceteros libros.
15. *Magis vir inter mulieres, impura inter viros muliercula proferri non poteſt.*] Quod exhibemus exſtat in Pall. & Met. nam alioquin non diſplicebat quod repererat in ſuo Nannius, *magis vir inter mulieres, quàm inter viros muliercula*. habet editio princeps, *magis vir inter mul. quàm impura* Manutianæ, *magis vir inter mul. nequam, impura*. Victoriana, *mulieres nequam quàm impura*.
16. *Ad hanc cauſam non accederent.*] Valde placet lectio Metellani, *ad cauſam*, ejecto pronomine *hanc*.
17. *In defendendo noluiſſent.*] Ita Pall. ita Metell. ita edd. omnes, præter maximè neotericas, Lambinianam puto, & Brutinam: ex enim *voluiſſent*. ineptè. & ſic tamen inveniunt traduces.

1. Non

ACCUSATIONIS IN C. VERREM, LIBER TERTIUS, DE FRUMENTO, SEU ORATIO FRUMENTARIA.

ORATIO OCTAVA.

1 OMNES, qui alterum, judices, nullis impulſi inimicitiis, nulla privatim læſi injuria, nullo præmio adducti, in judicium reipub. cauſa vocant, providere debent, [1] non ſolùm *quid oneris* in præſentia tollant, ſed etiam [2] quantum in omnem vitam negotii ſuſcipere conentur. [3] LEGEM enim ſibi ipſi dicunt innocentiæ, continentiæ virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitæ repoſcunt: atque eò magis, ſi id, ut ante dixi, faciunt nulla re commoti alia, niſi *utilitate communi*. Nam qui ſibi hoc ſumſit, ut corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat, *quis huic ignoſcat*, ſi qua in re ipſe ab religione officii declinarit? Quapropter hoc etiam magis ab omnibus ejuſmodi civis laudandus, ac diligendus eſt, [4] qui non ſolùm reipub. civem improbum removet, verùm etiam ſe ipſum ejuſmodi fore profitetur, ac præſtat, ut ſibi non modò communi voluntate virtutis, atque officii, [5] ſed etiam ut quadam magis neceſſaria ratione rectè ſit, honeſteque vivendum. [6] Itaque hoc, judices, ex homine clariſſimo, atque eloquentiſſimo, L. Craſſo, ſæpe auditum eſt, cùm ſe nullius rei tam pœnitere diceret, quàm quòd C. Carbonem umquam in judicium vocaviſſet. minus enim liberas omnium rerum voluntates habebat: & vitam ſuam *pluribus*, *quàm vellet*, *obſervari oculis* arbitrabatur. Atque ille his præſidiis ingenii, fortunæque munitus, tamen hac cura continebatur, quam ſibi, [7] nondum confirmato conſilio; ſed ineunte ætate, ſuſceperat. [8] quò minùs etiam perſpicitur eorum virtus, & integritas, qui ad hanc rem adoleſcentuli, quàm qui jam firmata ætate deſcendunt. illi enim, antequàm potuerunt exiſtimare, quantò liberior vita ſit eorum, qui neminem accuſarint, *gloriæ cauſa*, *atque oſtentationis*, *accuſant*: nos, qui jam, & quid facere, & quantulum judicare poſſemus oſtendimus, niſi facilè cupiditates noſtras teneremus, numquam ipſimet nobis præcideremus iſtam licentiam, libertatemque vivendi. Atque hoc ego [9] plus oneris habeo, quàm qui ceteros accu- 2
ſarunt (ſi *onus* eſt id appellandum, quod cum lætitia feras, ac voluptate) verumtamen hoc ego amplius ſuſcepi, quàm ceteri; quod ita poſtulatur ab omnibus, [10] ut ab iis ſe abſtineant maximè vitiis, in quibus alterum reprehenderint. *FVREM* aliquem, aut rapacem accuſaris? vitanda tibi ſemper erit omnis avaritiæ ſuſpicio. maleficum quempiam adduxeris, aut crudelem? cavendum erit ſemper, ne qua in re aſperior, aut inhumanior fuiſſe videare. corruptorem, adulterum? providendum diligenter, nequod in vita veſtigium libidinis appareat. omnia poſtremò, *quæ vindicaris in altero*, *tibi ipſi vehementer fugienda ſunt*. Etenim NON MODO accuſator, ſed ne objurgator quidem ferendus eſt is, qui, quod in altero vitium reprehendit, [11] in eo ipſe deprehenditur. Ego in uno homine omnia vitia, quæ poſſunt in homine perdito, nefarioque eſſe, reprehendo: nullum eſſe dico indicium libidinis, ſceleris, audaciæ, quod non in iſtius unius vita perſpicere poſſitis. Ego in iſto reo legem hanc, judices, mihi ſtatuo: vivendum ita eſſe, ut iſti non modò factis, dictiſque omnibus, ſed etiam oris, oculorumque illa contumacia, ac ſuperbia, quam videtis, diſſimillimus eſſe, ac ſemper fuiſſe videar. Patior non moleſtè, judices, eam vitam, quæ mihi ſua ſponte antea *jucunda* fuerit, nunc jam mea lege, & conditione *neceſſariam* quoque futuram. Et in hoc homine ſæpe à me quæris, Hortenſi, 3
qui-

1. NOn *ſolum quid oneris in præſentia.*] Vox *ſolum* non comparet in Pall. ideoque habuerim pro ſpuria.

2. *Quantum in omnem vitam negotii ſuſcipere conentur.*] Voces illæ *negotii ſuſcipere conentur*, admodum mihi ſuſpectæ.

3. *Legem enim ſibi dicunt innocentiæ, continentiæ, &c.*] Vulgata, *indicunt*, ſed alterum eſt in Metelli codice, ut & in Melchioris Hittorpii ſchedis; qui libri non agnoſcunt verbum *continentiæ*.

4. *Qui non ſolùm ab repub. civem &c.*] Ita Pal. ſec. Metel. & Hitt. niſi quod duo poſtremi adhuc *quod non*. vulgata, *ſolum reipub.* ſed præter edd. antiquas in quibus *ſolum R. P.* quod & in Pal. pr. quod tam *republ.* notare poteſt, quàm *reipub.*

5. *Sed etiam vi quadam magis neceſſaria.*] Egregia iſthæc lectio, eſt ab Hittorpiano & Metellano; niſi quod hic, *ut*. viſa eſt ſcribis legitima; addideruntque de ſuo *ratione*.

6. *Itaque hoc judices.*] Eſt à Pal. ſec. Met. & Hittorp. publicata prius; *Ita*.

7. *Nondum confirmato conſilio.*] Vide ne verius ſit, *conſilio confirmata*, ut ad *ætatem* referatur. certè non multo poſt ſequitur, *firmata ætate*. Gulielmius.

8. *Quo minus etiam perſpicitur eorum virtus.*] Metelli *percipitur*: ſed haud dubio verè Hittorpii excerpta, *præcipitur*, id eſt cogitatione animi & ſpe qualis futura ſit intelligitur. *Gulielmius*.

9. *Plus oneris habeo.*] Lambinus divinat *ſubeo*, ſine cauſa neceſſaria. nam ſic loquitur Tullius lib. v. in Verr. cap. 15. p.

10. *Ut ab iis ſe abſtineant.*] Hitt. & Met. *ut his abſtineant*, omiſſis aliis. non malè. nolui tamen ſequi, quod & alteri ſua eſſet venuſtas.

11. *In eo ipſe deprehenditur.*] Sic Pall. & edd. omnes. Gulielmius inclinabat in Hitt. & Metell. ſcripturam *reprehenditur*; quam ſanè vix admiſerim. *deprehenditur* enim is, qui quaſi in ipſa αὐτοφωρίᾳ planè tenetur, neque habet quo ſe excuſet.

quibus inimicitiis, aut qua injuria adductus, ad accuſandum deſcenderim. mitto jam rationem officii mei, neceſſitudiniſque Siculorum: de ipſis tibi inimicitiis reſpondeo. an tu majores ullas inimicitias putas eſſe, quàm *contrarias hominum ſententias*, ac diſſimilitudines ſtudiorum, & voluntatum? FIDEM ſanctiſſimam in vita qui putat, poteſt ei non inimicus eſſe, qui quæſtor conſulem ſuum, conſiliis commiſſis, pecunia tradita, rebus omnibus creditis, ſpoliare, relinquere, prodere, oppugnare auſus ſit? PUDOREM & pudicitiam qui colit, poteſt animo æquo iſtius quotidiana adulteria, meretriciam diſciplinam, domeſticum lenocinium videre? *QUI RELIGIONES* deorum immortalium retinere vult, ei, qui fana ſpoliarit omnia, qui [1] ex thenſarum orbitis prædari ſit auſus, inimicus non eſſe qui poteſt? *Qui jure* æquo omneis putat eſſe oportere, is tibi non infeſtiſſimus ſit; cùm cogitet varietatem, libidinemque decretorum tuorum? qui ſociorum injuriis, provinciarumque incommodis doleat, is in te non expilatione Aſiæ, vexatione Pamphiliæ, ſqualore & lacrymis Siciliæ concitetur? qui civium Romanorum jura, ac libertatem, ſanctam apud omneis [2] haberi velit, is non tibi plus etiam, quàm inimicus eſſe debeat, cùm tua verbera, cùm ſecureis, cùm cruceis ad civium Rom. ſupplicia fixas recordetur? An, ſi qua in re contra rem meam decreſcet aliquid injuria, *jure me ei inimicum eſſe arbitrarer:* cùm omnia contra omnium bonorum rem, cauſam, rationem, utilitatem, voluntatemque fecerit, quæris, cur ei ſim inimicus, cui populus Rom. infeſtus ſit? qui præſertim plus etiam, quàm pars virilis poſtulat, pro voluntate populi Rom. oneris ac mu-
4 neris ſuſcipere debeam? Quid illa, quæ leviora videntur eſſe? non cujuſvis animum poſſunt movere? quod ad tuam ipſius amicitiam, [3] ceterorumque hominum magnorum, atque nobilium, faciliorem aditum iſtius habet *nequitia, & audacia*, quàm cujuſquam noſtrûm virtus, & integritas? odiſtis hominum novorum *induſtrias*. [4] deſpicitis eorum frugalitatem: pudorem contemnitis: ingenium verò, & virtutem, depreſſam, exſtinctamque cupitis: Verrem amatis. Ita credo: ſi non virtute, non induſtria, non innocentia, non pudore, non pudicitia: *at ſermone, at litteris, at humanitate* ejus delectamini. nihil horum eſt: contraque ſunt omnia cùm ſummo dedecore ac turpitudine, tum ſingulari ſtultitia, atque inhumanitate oblita. Huic homini ſi cujus domus patet, utrùm ea *patêre*, an *hiare*, ac *poſcere*, aliquid videtur? Hunc veſtri janitores, hunc cubicularii diligunt: hunc liberti veſtri, hunc ſervi, ancillæque amant: hic cùm venit, *extra ordinem vocatur:* hic ſolus introducitur, ceteri ſæpè frugaliſſimi homines, excluduntur. ex quo intelligi poteſt, eos vobis eſſe cariſſimos, qui ita vixerunt, ut ſine veſtro præſidio ſalvi eſſe non poſſint. Quid? hoc cuiquam ferendum putas eſſe, nos ita vivere in pecunia tenui, ut prorſus nihil acquirere velimus: ut dignitatem noſtram, populique Rom. beneficia *non copiis, ſed virtute, tueamur:* iſtum, rebus omnibus undique ereptis, impunè eludentem circumfluere, atque abundare? [5] hujus argento dominia veſtra, hujus ſignis, & tabulis forum, comitiumque ornari? præſertim cùm vos veſtro Marte his rebus omnibus abundetis? Verrem eſſe, qui veſtras villas ſuis manubiis ornet? Verrem eſſe, qui cum L. Mummio certet: ut plureis hic ſociorum urbeis, quàm ille hoſtium, ſpoliaſſe videatur? plureis hic ſolus villas ornamentis fanorum, quàm ille fana ſpoliis hoſtium ornaſſe? & is erit ob eam rem vobis carior, ut ceteri *libentius* ſuo periculo veſtris cupiditatibus ſerviant? Verùm hæc & dicentur alio loco, 5
& dicta ſunt: nunc proficiſcemur ad reliqua, ſi pauca antè fuerimus à vobis, judices, deprecati. Superiore omni oratione perattentos veſtros animos habuimus. id fuit nobis gratum admodum: ſed multo erit gratius, ſi reliqua voletis attendere: propterea quod in his omnibus, quæ antea dicta ſunt, erat quædam ex ipſa varietate, [6] ac novitate rerum, ac criminum delectatio. nunc tractare cauſam inſtituimus frumentariam: quæ [7] *magnitudine injuriæ*, & re, criminibus ceteris antecellit: jucunditatis in agendo, & varietatis minus habebit. veſtra autem auctoritate & prudentia digniſſimum eſt, judices, [8] in audiendi diligentia non minus religioni tribuere, quàm voluptati. In hac cauſa frumentaria, cognoſcenda hæc vobis proponite, judices, vos de rebus, fortuniſque Siculorum omnium, de civium Romanorum, qui arant in Sicilia, bonis, de vectigalibus à majoribus traditis, *de vita, victuque populi Rom. cognituros.* quæ ſi magna, atque adeò maxima vobis videntur: quàm variè, & quàm copioſè dicantur, exſpectare nolite. Neminem veſtrûm præterit, judices, omnem utilitatem, opportunitatemque provinciæ Siciliæ, quæ ad commoda populi Romani adjuncta ſit, conſiſtere in re frumentaria maximè. nam ceteris rebus adjuvamur ex illa provincia: hac verò *alimur*, ac ſuſtinemur. Ea cauſa tripertita, judices, erit in accuſatione. primùm enim de decumano, deinde de emto dicemus frumento, poſtremò de æſtimato. Inter Si- 6
ciliam, ceteraſque provincias, judices, in agrorum vectigalium ratione hoc intereſt, quòd ceteris aut impoſitum vectigal eſt certum, quod *ſtipendiarium* dicitur, ut Hiſpanis, & pleriſque Pœnorum, quaſi victoriæ præmium, ac pœna belli: aut *cenſoria locatio* conſtituta eſt, ut Aſiæ, lege Sempronia. Siciliæ civitates ſic in amicitiam, [9] fidemque recepimus, ut eodem jure eſſent, quo fuiſſent: eadem conditione populo Rom. parêrent, qua ſuis antea paruiſſent. perpaucæ Siciliæ civitates ſunt bello à majoribus noſtris ſubactæ: quarum ager cum eſſet publicus populi Romani factus, tamen illis eſt redditus. is ager à cenſoribus locari ſolet. Fœderatæ civitates duæ ſunt, quarum decumæ venire non ſoleant, Mamertina, & Taurominitana. quinque præterea ſine fœdere *immunes* civitates, ac liberæ, Centuripina, Haleſina, Segeſtana, Halicienſis, Panormitana: præterea omnis ager Siciliæ civitatum, decumanus eſt: itemque ante imperium populi Rom. ipſorum Siculorum voluntate, & inſtitutis fuit. videte nunc majorum ſapientiam. qui, cùm Siciliam, tam *opportunum ſubſidium belli, atque pacis*, ad rempublicam adjunxiſſent, tanta cura Siculos tueri, & retinere voluerunt, ut non modò eorum agris vectigal novum nullum imponerent, ſed ne legem quidem venditionis decumarum, [10] neve vendundi aut tempus, aut locum commutarent: ut certo tempore anni, ut ibidem in Sicilia, denique ut lege Hieronica venderent, voluerunt eos in ſuis rebus ipſos intereſſe: [11] eorumque animos, non modò *lege nova*, ſed ne nomine quidem legis novo commoveri. Ita decumas lege Hieronica ſemper vendundas cenſuerunt, ut iis jucundior eſſet muneris illius functio, ſi ejus regis, qui Siculis cariſſimus fuit, non ſolùm inſtituta, com-

1. *Ex thenſarum orbitis.*] Ita mſſ. omnes, ita edd. ante Lambin.
2. *Haberi velit.*] Sic Hittorp. Metell. Fabr. vulgata, *vult*. eodem res redit, ſed cur excludamus id, quod videri queat auctoris genuinum?
3. *Ceterorumque hominum magnorum.*] Prius impreſſi, *ceterorumque omnium majorum*. ſed alterum extat in Fabr. in Hitt. in Met.
4. *Deſpicite eorum frugalitatem.*] Gulielmius arbitratur pronomen eſſe additamentum librarii: malletque ſtatim, *depreſſum exſtinctumque itis*.
5. *Hujus argento dominia veſtra.*] Haud ſecus Fabric. Hittorp. Met. eximie, *dominia* poſita, pro *magiſteriis*; ut Græci βαζιλείας, tunc enim maximè oſtentabatur ſupellex argentea.
6. *At novitate rerum.*] Eſt in Metelli *nobilitate*. Fortè non malè, inquit Gulielmius.
7. *Magnitudine injuriæ ac re.*] Sic Fabric. & Metell. antea impreſſi, *injuriæ ferè*.
8. *In audiendi diligentia.*] Quanto iſtud melius retro vulgatis: *in audiendo diligentiam*. eſt autem à Met. & Fabr.
9. *Fidemque recepimus.*] Metelli, *accepimus*, quod melius putat Gulielmius.
10. *Neve vendundi aut tempus.*] Hoc modo Fabr. & Metell. recepta lectio, *vendundis*.
11. *Eorumque animos, &c.*] Adjecimus encliticam, juſſi à Metell. & Fabrio.

1. *Sapien-*

commutato imperio, verùm etiam *nomen* maneret. Hoc jure ante Verrem prætorem Siculi ſemper uſi ſunt: hic primus inſtituta omnium, conſuetudinem à majoribus traditam, conditionem amicitiæ, jus ſocietatis, convellere, &
7 commutare auſus eſt. Qua in re primùm illud reprehendo, & accuſo, cur in re tam veteri, tam uſitata, quidquam *novi* feceris. ingenio aliquid aſſecutus es? tot homines [1] ſapientiſſimos, & clariſſimos, qui illam provinciam ante te tenuerunt, prudentia, conſilioque viciſti? Eſt tuum, eſt [2] ingenii, diligentiæque tuæ. do hoc tibi, & concedo: ſcio, te Romæ, cum prætor eſſes, edicto tuo [3] poſſeſſiones hereditatum à liberis ad alienos, à primis heredibus ad ſecundos, à legibus ad libidinem tuam tranſtuliſſe. ſcio, te *edicta ſuperiorum omnium correxiſſe*, & poſſeſſiones hereditatum non ſecundum eos, qui proferrent, ſed ſecundum eos, qui dicerent teſtamentum factum, dediſſe: eaſque res novas abs te prolatas, & inventas magno tibi quæſtui fuiſſe ſcio: eundemque te memini cenſorias qnoque leges in ſartis tectis exigendis tollere & commutare: *ne is redimeret, cuja res eſſet:* ne pupillo tutores, propinquique conſulerent, quo minus fortunis omnibus everteretur: exiguam diem præfinire operi, qua ceteros ab negotio excluderes, ipſe in tuo redemtore nullam certam diem obſervares. Quamobrem novam legem te in decumis ſtatuiſſe non miror, hominem in edictis prætoriis, in cenſoriis legibus tam prudentem, tam exercitatum: non, inquam, miror, te aliquid excogitaſſe: ſed, quod tua ſponte, *injuſſu populi*, ſine ſenatus auctoritate jura provinciæ Siciliæ mutaris, id reprehendo, id accuſo. L. Octavio, & C. Cottæ conſulibus ſenatus permiſit, ut vini, & olei decumas, & frugum minutarum, quas ante te quæſtores in Sicilia vendere conſueſſent, Romæ venderent, [4] legemque his rebus, quæ ipſis videretur, edicerent. Cùm locatio fieret, publicani poſtularunt, quaſdam res ut ad legem adderent, neque tamen à cenſoriis ceteris legibus recederent. Contra dixit is, [5] qui caſu tum Romæ fuit, tuus hoſpes, Verres, hoſpes, inquam, & familiaris tuus, Sthenius hic Thermitanus. Conſules cauſam cognoverunt: cùm viros primarios, atque ampliſſimos civitatis multos in conſilium advocaſſent, de conſilii ſententia pronuntiarunt, *ſe lege Hieronica vendituros.*
8 Itane vero? prudentiſſimi viri, ſumma auctoritate præditi, quibus ſenatus legum dicendarum in locandis vectigalibus omnem poteſtatem permiſerat, populuſque Romanus idem juſſerat, Siculo uno recuſante, cum amplificatione vectigalium, nomen Hieronicæ legis mutare noluerunt: tu homo minimi conſilii, nullius auctoritatis, *injuſſu populi, ac ſenatus*, tota Sicilia recuſante, cum maximo detrimento, atque adeò exitio vectigalium, [6] totam Hieronicam legem ſuſtuliſti. At quam legem corrigit, judices, atque adeò totam tollit? acutiſſimè, ac diligentiſſimè ſcriptam: quæ omnibus cuſtodiis ſubjectum aratorem decumano tradit, ut neque in ſegetibus, neque in areis, neque in horreis, neque in amovendo, neque in aſportando frumento, grano uno poſſet arator, ſine maxima pœna fraudare decumanum. Scripta lex ita diligenter eſt, ut eum ſcripſiſſe appareat, qui alia vectigalia non haberet: ita acutè, ut Siculum: ita ſeverè, ut tyrannum: qua lege Siculis tamen arare expediret. nam ita diligenter [7] conſtituta ſunt jura decumano, ut tamen ab *invito aratore* plus decuma non poſſit auferri. Cùm hæc eſſent ita conſtituta, Verres [8] tot annis, atque adeò ſæculis inventus eſt, qui hæc non commutaret, ſed everteret: eaque, quæ jamdiu ad ſalutem ſociorum, utilitatemque reipub. compoſita, comparataque eſſent, ad ſuos improbiſſimos *quæſtus converteret:* qui primùm certos inſtituerit nomine decumanos, re vera miniſtros, ac ſatellites cupiditatum ſuarum: per quos oſtendam ſic provinciam per triennium vexatam, atque vaſtatam, judices, ut eam multis annis, multorum innocentia, ſapientiaque *recreare* nequeamus. Eorum omnium, qui decumani vocabantur, 9
princeps erat Q. ille Apronius, quem videtis: de cujus improbitate ſingulari graviſſimarum legationum querimonia, audiſtis. Adſpicite, judices, vultum hominis, & adſpectum: & ex ea contumacia, quam hîc *in perditis rebus* retinet, [9] illos ejus ſpiritus Sicilienſeis quos fuiſſe putetis, cogitate, ac recordamini. Hic eſt Apronius, quem in provincia tota Verres, cùm undique nequiſſimos homines conquiſiſſet, & cùm ipſe ſecum ſui ſimileis duxiſſet, non parum multos: nequitia, luxuria, audacia, *ſui ſimillimum* judicavit. Itaque iſtos inter ſe perbrevi tempore, non res, non ratio, non commendatio aliqua, ſed ſtudiorum turpitudo, ſimilitudoque conjunxit. Verris mores improbos, impuroſque noſtis. fingite vobis, ſi poteſtis, aliquem, qui in omnibus iſtis rebus par ad omnium flagitiorum nefarias libidines eſſe [10] poſſit; is erit Apronius ille: qui, ut ipſe [11] non ſolum vita, ſed etiam corpore, atque ore ſignificat, immenſa aliqua vorago eſt, aut gurges vitiorum, turpitudinumque omnium. Hunc in omnibus ſtupris, hunc in fanorum expilationibus, hunc in impuris conviviis principem adhibebat: [12] tantamque habebat *morum ſimilitudo* conjunctionem, atque concordiam, ut Apronius, qui aliis inhumanus, ac barbarus, iſti uni commodus, ac diſertus videretur: ut, quem omnes odiſſent, neque videre vellent, ſine eo iſte eſſe non poſſet: ut, cùm alii, ne conviviis quidem iiſdem, quibus Apronius, hic iiſdem etiam poculis uteretur: poſtremò, ut *odor* Apronii tæterrimus oris, & corporis, quem (ut ajunt) ne beſtiæ quidem ferre poſſent, uni iſti ſuavis, & jucundus videretur. Ille erat in tribunali proximus: [13] in cubiculo ſolus: in convivio dominus: ac tum maximè, cùm, accubante prætextato prætoris filio, in convivio ſaltare nudus cœperat. Hunc, uti dicere inſtitui, principem [14] Verres ad fortunas aratorum, vexandas, diripiendaſque eſſe voluit: hujus audaciæ, nequitiæ, crudelitati, fideliſſimos ſocios, optimoſque civeis ſcitote hoc prætore traditos, judices, atque addictos fuiſſe, *novis inſtitutis & edictis*, tota Hieronica lege (quemadmodum antea dixi) rejecta, & repudiata. Primùm, edictum, judi- 10
ces, audite præclarum: QUANTUM decumanus edidiſſet aratorem ſibi decumæ dare oportere, ut tantum arator decumano

1. *Sapientiſſimos & clariſſimos.*] Non potui excludere vocem poſtremam, inventam non modo in Metell. ſed etiam Fabr. niſi quod is *clariſſimoſque.* aliis edd. id verbi abeſt.

2. *Ingenii diligentiæque tuæ.*] Sic Hittorp. ſic Fabr. & Metel. non *prudentiæque*, quod in hactenus cuſis.

3. *Poſſeſſiones hereditatum à liberis ad alienos.*] Adjecimus modo illud *à liberis*, admoniti à Nannii ſcriptis, item Fabr. & Metell. quod tamen non eſſe Ciceronis legitimum clamat Palatinus ſecundus; admittendumque potius *à ſuis ad alienos.* quid elegantius? Juriſconſultis enim *heredes ſui*, ſunt filii.

4. *Legemque his rebus, quæ ipſis videretur, ſed edicerent.*] Eſt à membranaceis Langii. Vulgata, *quam ipſis vid. dicerent.* ſed Pall. & olim editi ſervant tamen *edicerent.*

5. *Qui caſu tum Romæ fuit.*] Mſ. Metelli, *caſſu.* & ſic M. Tullium ſcripſiſſe ex Quintiliano diſcimus.

6. *Totam Hieronicam legem ſuſtuliſti.*] In Metell. ſanè legitur bis *totam totam Hieronicam.* in qua repetitione, non parum venuſtatis & indignationis videri queat.

7. *Conſtituta ſunt jura decumano.*] Eſt à libris Nannii ac Metelli. publicati alii, *decumani.*

8. *Tot annis atque adeo ſæculis inventus.*] Particula adjecta ex mſ. Metell. *adeo ſæculis tot inventus.* quod placuit Gulielmio.

9. *Illos ejus ſpiritus Sicilienſeis.*] Sic omnis vetus lectio edita ſcriptaque.

10. *Poſſit; is erit Apronius ille.*] Ita egregie Nan. & Metel. codd. præ vulgato, *erat.*

11. *Non ſolum vita, ſed etiam corpore.*] Vox *etiam* non eſt in Metel. mſ. neque deſideraverim.

12. *Tantamque habebat morum ſimilitudo.*] Melius fortè idem liber, *habet.*

13. *In cubiculo ſolus.*] Liquido Pall. Nan. Metel. libri agnoſcunt *ſolus*, ut & olim editi omnes. neque aliter legendum. Lambinus, *ſocius.*

14. *Verres ad fortunas aratorum vexandas dirip.*] Non potui non ſequi exemplaria Fabr. & Metell. quæ non agnoſcebant illud vulgatum, *Verres ad evertendas fort. ar. vex. dirip.*

1. *Utrum*

mano dare cogeretur? Quomodo? quantum popoſcerit Apronius, dato. Quid eſt hoc? [1] utrùm *prætoris* inſtitutum in ſocios, an *in hoſtes victos* inſani edictum, atque imperium tyranni? [2] Ego tantundem, quantum ille popoſcerit? poſcet omne, quantum exaravero. Quid omne? immò plus etiam, inquit, ſi volet. Quid tum? Quid cenſes? Aut dabis, aut contra edictum feciſſe damnabere. Per deos immortaleis, quid eſt hoc? veriſimile enim non eſt. Sic mihi perſuadeo, judices. tametſi omnia in iſtum hominem convenire putetis, tamen hoc vobis falſum videri. ego enim, cùm hoc tota Sicilia diceret, tamen affirmare non auderem, ſi hæc edicta non ex ipſius tabulis totidem verbis recitare poſſem: ſicuti faciam. da, quæſo, ſcribæ, recitet ex codice. Recita edictum de profeſſione. *EDICTVM DE PROFESSIONE.* Negat me recitare totum. nam id ſignificare nutu videtur. Quid prætereo? an illud, ubi caves tamen Siculis, & miſeros reſpicis aratores? edicis enim, te in decumanum, ſi plura ſuſtulerit, quàm debitum ſit, in octuplum judicium daturum eſſe. Nihil mihi placet prætermitti. Recita hoc quoque, quod poſtulat, [3] totum, recita. EDICTUM DE JUDICIO IN OCTUPLUM. Judicio ut arator decumanum perſequatur? miſerum, atque iniquum, *ex agro homines traduci in forum*, ab aratro ad ſubſellia, ab uſu rerum ruſticarum ad inſolitam litem, atque judicium.

11 Cùm omnibus in aliis vectigalibus, Aſiæ, Macedoniæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Africæ, Sardiniæ, ipſius Italiæ, quæ vectigalia ſunt: cùm in his, inquam, rebus omnibus publicanus petitor, ac pignerator; non ereptor, neque poſſeſſor ſoleat eſſe: tu de optimo, de juſtiſſimo, de honeſtiſſimo genere hominum, hoc eſt, de aratoribus, ea jura conſtituebas, quæ omnibus aliis eſſent contraria. Utrùm eſt æquius, decumanum petere, an aratorem repetere? *judicium, integra re, an perdita, fieri?* eum, qui manu quæſierit, an eum, qui digito licitus ſit, poſſidere? Quid? qui in ſingulis jugis arant, qui ab opere ipſi non recedunt, quo in numero magnus ante te prætorem numerus, magna multitudo Siculorum fuit: quid facient? cum dederint Apronio, quod popoſcerit, relinquent arationes? relinquent Larem familiarem ſuum? venient Syracuſas, ut, te prætore, videlicet, *æquo jure*, Apronium, delicias, ac vitam tuam, judicio recuperatorio perſequantur? Verùm eſto. reperietur aliquis fortis, & experiens arator, qui, cùm tantum dederit decumano, quantum ille deberi dixerit, judicio repetat, & pœnam octupli perſequatur. Exſpecto vim edicti, ſeveritatem prætoris: faveo aratori, cupio octupli damnari Apronium. Quid tandem poſtulat arator? nihil, niſi ex edicto judicium in octuplum. Quid Apronius? non recuſat. quid prætor? [4] jubet recuperatores rejicere. Decurias ſcribamus. Quas decurias? de cohorte mea rejicies, inquit. Quid? iſta cohors *quorum hominum eſt?* Voluſii haruſpicis, & Cornelii medici, & horum *canum*, quos tribunal meum vides lambere. Nam de conventu nullum umquam judicem, nec recuperatorem dedit. iniquos decumanis eſſe ajebat omneis, qui ullam agri glæbam poſſiderent. Veniendum erat ad eos contra Apronium, qui non-
12 dum etiam Aproniani convivii crapulam exhalaſſent. O præclarum, & commemorandum judicium! ô ſeverum edictum! ô tutum perfugium aratorum! Atque, ut intelligatis cujuſmodi iſta judicia in octuplum, cujuſmodi iſtius de cohorte recuperatores exiſtimati ſint: ſic attendite. Ecquem putatis decumanum, hac licentia permiſſa, ut tantum ab aratore, quantum popoſciſſet, auferret *plus, quàm deberetur, popoſciſſe?* conſiderate cum veſtris animis vosmetipſi, ecquem putetis, præſertim cùm id non [5] ſolùm ſine avaritia, ſed etiam ſine impudentia accipere potuerit. multos neceſſe eſt. At ego omneis dico [6] plus, ac multo plus, quam decumas, abſtuliſſe. cedò mihi unum ex triennio præturæ tuæ, quis octupli *damnatus ſit.* damnatus? immò verò in quem judicium ex edicto tuo poſtulatum ſit. Nemo erat videlicet aratorum, qui injuriam ſibi factam queri poſſet: nemo decumanorum, qui grano amplius [7] ſibi, quàm deberetur, deberi profeſſus eſſet. immò verò contrà, rapiebat, & aſportabat, quantum à quoque volebat, Apronius: omnibus autem locis aratores ſpoliati, ac vexati querebantur: neque tamen *ullum judicium reperietur.* Quid eſt hoc? tot viri fortes, honeſti, gratioſi, tot Siculi, tot equites Rom. ab uno homine nequiſſimo, ac turpiſſimo læſi, pænam octupli ſine ulla dubitatione commiſſam, non perſequebantur? quæ cauſa? quæ ratio eſt? una illa, judices, quam videtis: quod ultrò etiam [8] *illuſos ſe, & irriſos ab judicio diſceſſuros videbant.* Etenim quod eſſet judicium, cùm è Verris turpiſſimo, flagitioſiſſimoque comitatu tres recuperatorum nomine aſſediſſent, aſſeclæ iſtius, non *à patre ei* traditi, ſed *à meretricula* commendati? Ageret videlicet cauſam arator: nihil ſibi frumenti ab Apronio relictum, bona ſua etiam direpta: ſe pulſatum, verberatumque diceret. conferrent viri boni capita: de commiſſatione loquerentur inter ſe, ac de mulierculis, ſi quas à prætore abeunteis poſſent deprehendere. res agi videretur. ſurrexiſſet Apronius, *nova dignitas* publicani, non ut decumanus, ſqualoris plenus, ac pulveris: ſed unguentis oblitus: vino, vigiliiſque languidus. omnia primo motu, ac ſpiritu ſuo, vini, unguenti, corporis odore compleſſet. dixiſſet hæc, quæ vulgo dicere ſolebat, *NON SE DECVMAS EMISSE*, ſed bona, fortunaſque aratorum: non ſe decumanum eſſe Apronium, ſed Verrem alterum: dominum illorum, ac tyrannum. Quæ cùm dixiſſet, illi viri optimi de cohorte iſtius recuperatores, non de abſolvendo Apronio deliberarent, ſed [9] quærerent, ecquo modo petitorem ipſum Apronium condemnare poſſent. Hanc tu licentiam diripiendo- 13
rum aratorum cum decumanis, hoc eſt, Apronio *permiſiſſes*, ut, quantum vellet, poſceret: quantum popoſciſſet, auferret: hoc tibi defenſionis ad judicium tuum comparabas, habuiſſe te edictum, recuperatores daturum in octuplum? Si mehercule ex omni copia conventus Syracuſani, ſplendidiſſimorum, honeſtiſſimorumque hominum faceres poteſtatem aratori, non modo rejiciundi, ſed etiam ſumendi recuperatores; tamen hoc *novum genus injuriæ* ferre nemo poſſet, te, cum tuos omneis fructus publicano tradidiſſes, & rem de manibus amiſiſſes, tum bona tua repetere, ac perſequi lite, atque judicio. Cum vero verbo, *judicium* ſit in edicto, re quidem vera tuorum comitum, hominum nequiſſimorum *colluſio* cum decumanis, ſociis tuis, atque adeò procuratoribus: tamen audes [10] illius judicii mentionem face-

1. *Utrum prætoris inſtitutum in ſocios &c.*] Metelli, *prætoris pr. inſtitutum &c.* proculdubio reſcribendum, *prætoris populi Rom. inſtit.* non ſine inſigni emphaſi.

2. *Ego tantumdem quantum.*] Lambinus diviſa voce, *ego tantum dem quantum.* minus recte.

3. *Totum recita.* EDICTUM &c.] Sic Pal. prim. nam ſec. *totum ψήφισμα de judicio in octuplum.* verum antiqua editio facit etiam pro nobis.

4. *Jubet recuperatores rejicere. Decurias ſcribamus. Quas dec.*] Ita Pall. & vett. editio, quemadmodum cupiebat diſtingui Hotomanus. nam medii ævi: *Jubet recuperatorum rejicere decurias. Scribamus. Quas dec.* porro videtur adhuc legendum ex Fabr. & Metell. *exſcribamus.*

5. *Solum ſine avaritia, ſed etiam ſine impudentia accipere pot.*] Scripſerat Cicero, indicante Metelli codice; *ſolum avaritia. ſed etiam imprudentia accidere pot.* alludit Pal. prim. in quo, *ſine imprudentia accidere pot.*

6. *Plus, ac multo plus, quàm.*] Eſt à mſſ. Fabr. & Metell. prius deerant nobis illa, *ac multo plus.*

7. *Quàm ſibi deberetur.*] Mſ. Metelli *dederetur*, fortè, inquit Gulielmius *ederetur.*

8. *Illuſos ſe & irriſos.*] Sic Nan. ſic Met. codex: placuitque prorſus Gulielmio, præ vulgato *irritos*, quod & in Pall. & Urſin. tanquam *irritum*, vox ſit ſacrorum, cum res divina non rectè facta.

9. *Quærerent, ecquo modo petitorem ipſum Apronio condemnare, &c. Apronio permiſiſſes.*] Exemplaria Italica in hunc uſque diem integra deſtituuntur periodo; quam immiſi libris noſtris, auctoritate codicis Nanniani; cui accedit & liber Metelli.

10. *Illius judicii mentionem facere.*] Malebat Gulielmius *ullius*, ut erat & in Metell. & Nann.

facere, præſertim cum id non modò oratione mea, ſed etiam re ipſa refellatur? cum in tantis incommodis aratorum, injuriiſque decumanorum, nullum ex iſto præclaro edicto non modò factum, ſed ne poſtulatum quidem judicium inveniatur? Erit tamen in aratores lenior, quàm videtur. nam, qui in decumanos *octupli judicium* ſe daturum edixit, idem habuit in edicto, ſe in aratorem *in quadruplum* daturum. Quis hunc audet dicere, aratoribus infeſtum, aut inimicum fuiſſe? quanto lenior eſt, quàm in publicanum? Edixit, [1] ut, quod decumanus edidiſſet, ſibi dari oportere, id ab aratore magiſtratus Siculus exigeret. Quid dereliquit judicii, quod in aratorem dari poſſet? Non malum eſt, inquit, eſſe iſtam formidinem: ut, cum exactum ſit ab aratore, tamen ne ſe commoveat, reliquus metus judicii ſit. Si judicio à me vis exigere, remove Siculum magiſtratum, ſi hanc vim adhibes, quid opus eſt judicio? Quis porrò erit, qui non malit decumanis tuis dare, [2] quod popo-
14 ſcerit, quàm ab aſſeclis tuis quadruplo condemnari? Illa verò præclara eſt clauſula edicti, quòd omnium controverſiarum, quæ eſſent inter aratorem, & decumanum, *ſi uter velit*, edicit, *ſe recuperatores daturum.* Primum, quæ poteſt eſſe controverſia, cum is, qui petere debet, aufert? & cum is non, quantum debetur, ſed quantum commodum eſt, aufert? ille autem, unde ablatum eſt, judicio ſuum recuperare nullo modo poteſt? deinde in hoc [3] homo luteus, etiam callidus, ac veterator eſſe vult, quod ita ſcribit, *SI VTER VOLET, RECVPERATORES DABO.* Quàm lepidè ſe furari putat? Utrique facit poteſtatem, ſed utrum ita ſcripſerit, *Si uter volet*, an, *Si decumanus volet*, nihil intereſt. arator enim tuos iſtos recuperatores [4] numquam volet. Quid? illa cujuſmodi ſunt, quæ ex tempore, ab Apronio admonitus, edixit? Q. Septitio, honeſtiſſimo homine, equiteque Romano, reſiſtente Apronio, & affirmante, ſe plus decuma non daturum, exoritur peculiare edictum repentinum, *ne quis frumentum de area tolleret, antè quàm cum decumano pactus eſſet.* Ferebat hanc quoque iniquitatem Septitius, & imbri frumentum corrumpi in area patiebatur: cum illud edictum repentè uberrimum, & quæſtuoſiſſimum naſcitur, *ut ante Kalendas Sext. omnes decumas ad aquam deportatas haberent.* Hoc edicto non Siculi (nam eos quidem jam ſuperioribus edictis ſatis perdiderat, atque afflixerat) ſed iſti ipſi equites Rom. qui ſuum jus retinere ſe contra Apronium poſſe erant arbitrati, ſplendidi homines, & aliis prætoribus gratioſi, vincti Apronio traditi ſunt. Attendite enim, cujuſmodi edicta ſint. *NE TOLLAT*, inquit, *EX AREA, NISI ERIT PACTVS.* Satis hæc magna vis eſt ad iniquè paciſcendum. malo enim plus dare, quam non maturè ex area tollere. [5] At iſta vi Septitium, & nonnullos Septitii ſimileis non coërcet: qui ita dicunt. Non tollam potius, quàm paciſcar. [6] His hoc apponitur, Deportatum habeas ante Kalend. Sext. Deportabo igitur. Niſi pactus eris, non commovebis. Sic deportandi dies præſtituta tollere cogebat ex area. Prohibitio tollendi, niſi pactus eſſet, vim adhibebat pactioni, non
15 voluntatem. Jam verò illud non ſolum contra legem Hieronicam, nec ſolum contra conſuetudinem ſuperiorum, ſed etiam contra omnia jura Siculorum, quæ habent à ſenatu, populoque Romano, *ne extra ſuum forum vadimonium promittere cogatur.* Statuit iſte, ut arator decumano, quò vellet decumanus, vadimonium promitteret. ut hic quoque Apronio, cum à Leontinis uſque Lilybæum aliquem vadaretur, ex miſeris aratoribus calumniandi quæſtus accederet. Quamquam illa fuit ad calumniam ſingulari conſilio reperta ratio, quod edixerat, ut aratores jugera ſationum ſuarum profiterentur. Quæ res cum ad pactiones iniquiſſimas magnam vim habuit, ſicut oſtendam, neque ad ullam utilitatem reip. pertinuit: tum verò ad calumnias, in quas *omnes inciderent*, quos vellet Apronius. Ut enim quiſque contra voluntatem ejus dixerat, ita in eum judicium de profeſſione jugerum poſtulabatur. cujus judicii metu magnus à multis frumenti numerus ablatus, magnæque pecuniæ coactæ ſunt: non quo jugerum numerum, verè profiteri eſſet difficile, aut amplius etiam profiteri (quid enim in eo periculi eſſe poſſet?) ſed cauſa erat judicii poſtulandi, quòd ex edicto profeſſus non eſſet. Judicium autem quod fuerit, iſto prætore, ſi, quæ cohors, & qui comitatus fuerit, meminiſtis, ſcire debetis. Quid igitur eſt, quòd ex hac iniquitate novorum edictorum intelligi velim, judices? Injuriamne factam ſociis? at videtis. Auctoritatem ſuperiorum repudiatam? non audebit negare. Tantum Apronium iſto prætore potuiſſe? confiteatur, neceſſe eſt. Sed vos fortaſſe, quod vos 16
lex commonet, id in hoc loco quæretis, num quas ex hiſce rebus *pecunias ceperit*. Docebo, cepiſſe maximas, omneiſque eas iniquitates, de quibus antea dixi, ſui quæſtus cauſa [7] conſtituiſſe convincam, ſi prius illud propugnaculum, quo contra omneis meos impetus uſurum ſe putat, ex defenſione ejus dejecero. Magno, inquit, decumas vendidi. Quid ais? an tu decumas, homo audaciſſime, atque amentiſſime, vendidiſti? tu parteis eas, quas te S.P.Q.R. voluit, an fructus integros, atque adeò bona, fortunaſque aratorum omneis vendidiſti? Si palàm præco juſſu tuo prædicaſſet, non decumas frumenti, ſed dimidias venire parteis, & ita emtores acceſſiſſent, ut ad dimidias parteis emendas. ſi pluris vendidiſſes tu dimidias, quàm ceteri decumas, cuinam mirum videretur? Quid verò, ſi præco decumas pronuntiavit: *re vera*, hoc eſt, lege, edicto, conditione plus etiam, quàm dimidiæ venierunt? tamen hoc tibi præclarum putabis, te pluris, quod non licebat, quàm ceteros quod oportebat, vendidiſſe? Pluris vendidi decumas, quàm ceteri. Quibus rebus id aſſecutus es? *innocentia?* Adſpice ædem Caſtoris: deinde, ſi audes, fac mentionem innocentiæ. Diligentia? codicis lituras tu contemplare in Sthenii Thermitani nomine, deinde aude te dicere diligentem. Ingenio? qui teſteis interrogari priore actione nolueris, [8] & iis tacitum os tuum præbere malueris, quantumvis, & te, & patronos tuos, ingenioſos eſſe dicito. Qua re igitur id, quod ais, aſſecutus es? MAGNA EST enim laus, ſi ſuperiores conſilio viciſti, poſterioribus exemplum atque auctoritatem reliquiſti. Tibi fortaſſe idoneus fuit nemo, quem imitarere. At te videlicet, inventorem rerum optimarum, ac principem, imitabuntur omnes. Quis aratorum, te prætore decumam dedit? quis duas? quis non maximo ſe affectum beneficio putavit, cùm tribus decumis [9] pro una defungeretur, præter paucos, qui *propter ſocietatem furtorum* tuorum nihil omnino dederunt? Vide, inter importunitatem tuam, ſenatuſque bonitatem, quid interſit. Senatus, cùm temporibus reip. cogitur, ut decernat, ut alteræ decumæ exigantur, ita decernit, ut pecunia pro his decumis ſolvatur aratoribus: ut, quod plus ſumitur, quàm debetur, id emi, non auferri putetur. Tu, cum tot decumas
non

1. *Ut, quod decumanus edidiſſet.*] Lambinianæ aliquot editiones malè præferunt *decumanos*.

2. *Quod popoſcerit, quàm ab aſſ. tuis quadruplo condemnari.*] Sic quoque Met. & Fabr. quippe vulgata *poſcerent*, &, *quadrupli*. quod ultimum damnant etiam Nannii exemplaria calamo exarata.

3. *Homo luteus.*] Sic Pal. prim. Metell. & Aldinæ. at veterrimæ quæque *lynceus*. quod retinuit Victorius ac Lambinus: reperi in Pal. ſec. *lautus*; quod non admodum diſplicet.

4. *Numquam volet.*] Eſt à Nann. & Metell. nam publicatur paſſim, *numquid volet?*

5. *At iſta vis Septitium.*] Hoc quoque ſe firmat auctoritate Metell. & Nann. vulgata, *namque vi.*

6. *His hoc opponitur.*] Haud aliter Fabr. & Metell. non *apponitur*, ut in vulgatis.

7. *Conſtituiſſe convincam.*] Sic Pall. Nann. edd.que exoletæ. neque abit Fabr. aut Metell. niſi quod ii *vincam*. Victoriana, *irrupiſſe convincam.*

8. *Iis tacitum os tuum præbere.*] Melius fortè Metelli *tacitus*. os præbet qui verberari ſe aut contumelia affici impune patitur.

9. *Pro una defungeretur.*] Ita omnes mſſ. noſtri & edd. uſque ad Victorianam; quæ, *defungeretur*, hoc eſt, *carperetur*, inquit Camerarius.

1. *Seram*

non S. C. ſed novis edictis tuis, nefariiſque inſtitutis exigeres, & eriperes: magnum te feciſſe arbitrabere, ſi pluris vendideris, quàm L. Hortenſius, pater iſtius Q. Hortenſii, quàm Cn. Pompejus, quàm M. Marcellus: qui *ab æquitate, ab lege, ab inſtituto non receſſerunt*? An tibi unius anni, aut biennii ratio habenda fuit: ſalus provinciæ, commoda rei frumentariæ, ratio reip. in poſterum fuit negligenda? cùm ita rem conſtitutam accepiſſes, ut & populo Ro. ſatis frumenti ex Sicilia ſuppeditaretur, & aratoribus tamen arare, atque agros colere expediret? Quid effeciſti? quid aſſecutus es? Ut populo R. prætore te, neſcio quid ad decumas accederet, deſerendas arationes, relinquendaſque curaſti. Succeſſit tibi L. Metellus. Tu innocentior, quàm Metellus? tu laudis, & honoris cupidior? tibi enim conſulatus quærebatur, Metello *paternus honor*, & avitus negligebatur. multo minoris vendidit, non modo, quàm tu, ſed etiam,
17 quàm qui ante te vendiderunt. Quæro, ſi ipſe excogitare non poterat, quemadmodum quàm plurimo venderet: ne tua quidem recentia proximi prætoris veſtigia perſequi poterat, ut tuis præclaris, abs te principe inventis, & excogitatis edictis, atque inſtitutis uteretur? Ille verò tum ſe Metellum minimè fore putaſſet, ſi te ulla in re imitatus eſſet: qui ab urbe Roma, quod nemo umquam poſt hominum memoriam fecit, cùm ſibi in provinciam proficiſcendum putaret, litteras ad Siciliæ civitates miſit, per quas hortatur, & rogat, *ut arent*, *ut* [1] *ſerant* in beneficio populi R. Hoc petit aliquanto ante adventum ſuum: & ſimul oſtendit, ſe lege Hieronica venditurum, hoc eſt, in omni ratione decumarum nihil iſti ſimile facturum. Atque hæc, non cupiditate aliqua ſcribit adductus, ut in alienam provinciam mittat litteras ante tempus: ſed conſilio, ne, ſi tempus ſationis præteriiſſet, granum in provincia Sicilia nullum haberemus. Cognoſcite Metelli litteras. Recita epi-
18 ſtolam L Metelli. *LITTERÆ L. METELLI.* Hæ litteræ, judices, L. Metelli, quas audiſtis, hoc, quantum eſt ex Sicilia frumenti hornotini exaraverunt. glæbam commoſſet in agro decumano Siciliæ nemo, ſi Metellus hanc epiſtolam non miſiſſet. Quid? Metello divinitus hoc vênit in mentem: an ab Siculis, qui Romam frequentiſſimi convenerant, negotiatoribuſque [2] Siciliæ doctus eſt? quorum, quanti conventus ad Marcellos, antiquiſſimos Siciliæ patronos, quanti ad Cn. Pompejum, Cos. deſignatum, ceteroſque illius provinciæ neceſſarios, fieri ſoliti ſint, quis ignorat? Quod quidem judicium nullo umquam de homine factum eſt, *ut abſens accuſaretur ab iis palam*, *quorum in bona, liberoſque ſummum imperium*, *poteſtatemque haberet.* Tanta vis erat injuriarum, ut homines quidvis perpeti, quàm non de iſtius pravitate, & injuriis deplorare, & conqueri mallent. Quas litteras cùm ad omneis civitates propè ſuppliciter miſiſſet Metellus: tamen antiquum modum ſationis, nulla ex parte, [3] aſſequi potuit. diffugerant enim permulti, id quod oſtendam: non ſolùm arationes, ſed etiam ſedes ſuas patrias, iſtius injuriis exagitati, reliquerant. Non mehercule [4] criminis augendi cauſa dicam, judices: ſed, quem accepi ipſe oculis, animoque ſenſum, hunc verè apud vos, &, ut potero, planiſſimè exponam. Nam, cùm quadriennio pòſt in Siciliam veniſſem: ſic mihi affecta viſa eſt, ut hæ terræ ſolent, in quibus *bellum acerbum*, diuturnumque verſatum eſt. quos ego campos antea, colleiſque nitidiſſimos, viridiſſimoſque vidiſſem, hos ita vaſtatos nunc, ac deſertos videbam, ut ager ipſe cultorem deſiderare, ac lugere dominum videretur. Herbitenſis ager, Ennenſis, Murgentinus, Aſſorinus, Macharenſis, Agyrinenſis, ita relictus erat ex maxima parte, ut non ſolùm jugerum, ſed etiam dominorum multitudinem quæreremus. Æthnenſis verò ager, qui ſolebat eſſe cultiſſimus, & quod caput eſt rei frumentariæ, campus Leontinus, [5] cujus antea ſpes hæc erat, ut, cùm obſitum vidiſſes, *annonæ caritatem non vererere:* ſic erat deformis, atque horridus, ut in uberrima Siciliæ parte Siciliam quæreremus. labefactarat enim vehementer aratores jam ſuperior annus: proximus verò funditùs everterat. Tu mihi etiam audes men- 19
tionem facere decumarum? Tu [6] in tanta improbitate, tu in tanta acerbitate, in tot & tantis injuriis, cùm in arationibus, & in earum rerum jure provincia Sicilia conſiſtat: everſis funditùs aratoribus, relictis agris, cùm in provincia tam locuplete, ac referta, non modò *rem*, ſed ne *ſpem* quidem ullam reliquam cuiquam feceris, aliquid te populare putabis habere, cum dices, te pluris, quam ceteros, decumas vendidiſſe? Quaſi verò aut populus Rom. hoc voluerit, aut ſenatus hoc tibi mandaverit, ut, cùm omneis aratorum fortunas decumarum nomine eriperes, in poſterum fructu illo, commodoque rei frumentariæ populum Romanum privares: deinde, ſi quam partem tuæ prædæ [7] ad ſummam decumarum addidiſſes, bene de populo Rom. meritus viderere. Atque perinde loquor, quaſi in eo ſit iniquitas ejus reprehendenda, quòd *propter gloriæ cupiditatem*, ut aliquos ſumma decumarum vinceret, acerbiorem legem, duriora edicta interpoſuerit, omnium ſuperiorum auctoritatem repudiarit. Magno tu decumas vendidiſti. Quid, ſi doceo, te *non minus domum tuam avertiſſe*, *quàm Romam miſiſſe:* decumarum nomine? quid habet populare ratio tua, cùm ex provincia populi Rom. æquam partem tu tibi ſumſeris, atque populo Rom. miſeris? quid, ſi duabus partibus doceo te amplius frumenti abſtuliſſe, quàm populo Rom. miſiſſe? tamenne putamus patronum tuum in hoc crimine cerviculam jactaturum, [8] & populo ſe ad coronam daturum? Hæc vos antea, judices, audiſtis: verùm fortaſſe ita audiſtis, ut auctorem rumorem haberetis, ſermonemque omnium. cognoſcite nunc, innumerabilem pecuniam frumentario nomine ereptam: ut ſimul illam quoque ejus vocem improbam agnoſcatis: qui ſe *uno quæſtu decumarum* omnia ſua pericula redemturum eſſe dicebat. [9] Audimus 20
hoc jamdiu, judices: nego quemquam eſſe veſtrûm, quin ſæpè audierit, ſocios iſtius fuiſſe, decumanos. nihil aliud arbitror in iſtum falsò eſſe dictum ab iis, qui malè de iſto exiſtimarint, niſi hoc. nam *ſocii putandi ſunt*, *quos inter res communicata eſt.* Ego rem totam, fortunaſque aratorum omneis, iſtius fuiſſe dico: Apronium, Venerioſque ſervos, quod iſto prætore fuit novum genus publicanorum, ceteroſque decumanos, procuratores iſtius quæſtus, & miniſtros rapinarum fuiſſe dico. Quomodo hoc doces? quo modo ex locatione illa columnarum docui iſtum eſſe prædatum? opinor, ex eo maximè, quòd *iniquam legem*, [10] novamque dixiſſet. Quis enim umquam conatus eſt [11] jura omnia, & conſuetudinem omnium commutare cum vituperatione, ſine quæſtu? Pergam, atque inſequar longius. iniqua lege vendebas, quo pluris venderes. cur, jam addictis, & venditis decumis, cùm jam ad ſummam decumarum nihil, ad tuum quæſtum multùm poſſet accedere, ſubitò, atque ex tempore *nova naſcebantur edicta?* nam ut vadimonium decumano, quocumque is vellet, promitteretur,

1. *Serant in beneficio populi Ro. Hoc petit &c.*] Lambinus edidit; *ſerant. In beneficio populi R. hoc petit.* Nannii codex non habet vocem *in.* legitque ſtatim, *propter hoc petit, &c.* Locus lubricus.
2. *Siciliæ doctus eſt.*] Forte *edoctus eſt*, inquit Gulielmius.
3. *Aſſequi potuit.*] Ita Nan. liber. vulgata, *exſequi.* quod & in Pall.
4. *Criminis augendi cauſa dicam.*] Suſpectum Gulielmio vox *cauſa*, tanquam ſcribæ additamentum.
5. *Cujus antea ſpes hæc erat.*] Mſſ. Nannii, item Pall. *ſpecies.* Tibullus, *Nec ſpes deſtituat.*
6. *In tanta improbitate.*] Recepi iſthæc ſuaſu mſſ. Nannii. prius deerant, neque hærent in Pall. nam heic jam deficiunt exemplaria Metelli atque Hittorpii; magno Criticæ rei malo.
7. *Ad ſummam decumarum.*] Male editiones aliquot Lambinianæ, *ſumma.*
8. *Et populo ſe ad coronam daturum.*] Lipſius noſter emendabat lib. 1. Variar. cap. 5. *ac coronæ.*
9. *Audimus hoc jamdiu.*] Vulgata, *Audivimus*; ſed noſtrum eſt à Pall. meliuſque convenit.
10. *Novamque dixiſſet.*] Forſan *edixiſſet*, inquit Gulielmius.
11. *Jura omnia, &c.*] Idem conjicit, *communia.*

1. Ut

retur, ut ex area, niſi pactus eſſet, arator ne tolleret: [1] ut ante Kal. Sext. decumas deportatas haberent: hæc omnia, venditis decumis, anno tertio te edixiſſe dico: quæ ſi reipub. cauſa faceres, in vendundo eſſent pronuntiata: quia tua cauſa faciebas, quod erat imprudentia prætermiſſum, [2] id quæſtu ac tempore *admonitus* reprehendiſti. Illud verò cui probari poteſt? te ſine tuo quæſtu, ac maximo quæſtu, tantam tuam infamiam, tantum capitis tui, fortunarumque periculum neglexiſſe; ut, cùm totius Siciliæ quotidiè gemitus, querimoniaſque audires; cùm, ut ipſe dixiſti, reum te fore putares; cùm hujuſce judicii diſcrimen ab opinione tua non abhorreret; paterere tamen aratores indigniſſimis injuriis vexari, ac diripi? profectò, quamquam ex ſingulari crudelitate, & audacia. tamen abs te totam alienari provinciam, [3] tot homines honeſtiſſimos, ac locupletiſſimos, tibi inimiciſſimos fieri nolles, niſi hanc rationem, & cogitationem ſalutis tuæ, *pecuniæ cupiditas*, ac præſens illa præda ſuperaret. Etenim, quoniam ſummam, & numerum injuriarum, judices, vobis non poſſum exponere: ſingillatim autem de uniuſcujuſque incommodo dicere infinitum

21 eſt: genera ipſa injuriarum, quæſo, cognoſcite. Nympho eſt Centuripinus, homo navus, & induſtrius, experientiſſimus, ac diligentiſſimus arator. is cùm arationes magnas conductas haberet, (quod homines etiam locupletes, ſicut ille eſt, in Sicilia facere conſueverunt,) eaſque magna impenſa, magno inſtrumento tueretur: tanta ab iſto iniquitate oppreſſus eſt, ut non modò arationes relinqueret, ſed etiam ex Sicilia profugeret, Romamque unà cum multis ab iſto ejectis, veniret. fecit ut decumanus [4] Nymphonem vocaret ex edicto illo præclaro, quod nullam ad aliam rem, niſi ad hujuſmodi quæſtus pertinebat, numerum jugerum profeſſum eſſe. Nympho cùm ſe vellet *æquo judicio defendere*, iſte viros optimos recuperatores dat, eundem illum medicum Cornelium (is eſt Artemidorus Pergæus, qui in ſua patria dux iſti quondam, & magiſter ad deſpoliandum Dianæ templum fuit) & haruſpicem Voluſianum, & Valerium præconem. Nympho, antequam planè conſtitit, condemnatur. Quanti, fortaſſe quæritis. nulla erat edicti pœna certa. frumenti ejus omnis, quod in areis eſſet. Sic Apronius decumanus, non decumam debitam, non frumentum remotum, atque celatum; ſed tritici ſeptem millia medimnûm ex Nymphonis arationibus, edicti pœ-

22 na, non redemptionis aliquo jure tollit. Xenonis Meneni, nobiliſſimi hominis, uxoris fundus erat colono locatus. colonus, quod decumanorum injurias ferre non poterat, ex agro profugerat. Verres in Xenonem judicium dabat illud ſuum damnatorium de jugerum profeſſione. Xeno ad ſe pertinere negabat: fundum elocatum eſſe dicebat. dabat iſte judicium, [5] SI PARERET, jugera ejus fundi eſſe plura, quàm colonus eſſet profeſſus, tum uti Xeno damnaretur. Dicebat ille, non modò non araſſe ſe, [6] id quod in ſatis erat, ſed nec dominum ejus eſſe fundi, nec locatorem: [7] uxoris eſſe: eam ipſam ſuum negotium gerere: ipſam locaviſſe. Defendebat Xenonem homo ſummo ſplendore, & ſumma auctoritate præditus, M. Coſſetius. Iſte nihilominus judicium HS LXXX millium dabat. Ille tametſi recuperatores de cohorte latronum ſibi parari videbat: tamen judicium accepturum ſe eſſe dicebat. Tum iſte magna voce Veneriis imperat, [8] ut Xeno audiret; DUM RES JUDICETUR, hominem ut aſſervent: cùm judicatum ſit, ad ſe adducant, & illud ſimul dixit; ſe non putare, illum, ſi *propter divitias, pœnas damnationis contemneret*, etiam virgas contemnere. Hac ille vi, & hoc metu adductus, tantum decumanis, quantum iſte imperavit, exſolvit. Polemar- 23
chus eſt Murgentinus, vir bonus, atque honeſtus. is, cùm pro jugeribus quinquaginta, medimna IↃCC. decumæ imperarentur, quòd recuſabat, domum ad iſtum [9] in jus eductus eſt: & , cùm iſte etiam cubaret, in cubiculum introductus eſt: quod, niſi mulieri, & decumano, patebat nemini alii. Ibi, cùm pugnis & calcibus conſciſſus eſſet: qui DCC medimnis decidere noluiſſet, mille promiſit. Eubulides eſt Groſphus, Centuripinus, homo cùm virtute & nobilitate domi ſuæ, tum etiam pecunia princeps. huic homini, judices, honeſtiſſimæ civitatis honeſtiſſimo, non modò frumenti ſcitote, ſed etiam *vitæ, & ſanguinis* tantum relictum eſſe, quantum Apronii libido tulit. nam vi, malo, plagis adductus eſt, ut frumenti daret, [10] non quantum haberet, ſed quantum cogeretur. Soſtratus, & Numenius, & Nymphodorus ejuſdem civitatis, cùm ex agris tres fratres conſortes profugiſſent, quòd iis plus frumenti imperabatur, quàm quantum exararant: hominibus coactis, in eorum arationes Apronius venit: omne inſtrumentum diripuit, familiam abduxit, pecus abegit. poſtea cùm ad eum Nymphodorus veniſſet Ætnam: & oraret, ut ſibi ſua reſtituerentur: hominem corripi, ac *ſuſpendi juſſit* [11] *in oleaſtro* quodam: quæ eſt arbor, judices, in foro. tamdiu pependit in arbore ſocius, amicuſque populi Rom. in ſociorum urbe ac foro, colonus aratorque veſter, quamdiu voluntas Apronii tulit. Genera jamdudum innumerabilium injuriarum, judices, ſingulis nominibus profero: infinitam multitudinem injuriarum prætermitto. vos ante oculos, animoſque veſtros, tota Sicilia decumanorum hos impetus, aratorum direptiones, hujus importunitatem, Apronii *regnum* proponite. Contemſit Siculos: non duxit homines: nec ipſos ad perſequendum vehementeis fore, & vos eorum injurias leviter laturos exiſtimavit. Eſto: falſam de illis habuit 24
opinionem, malam de vobis: verumtamen cùm de Siculis malè mereretur, civeis Romanos coluit, his indulſit, eorum voluntati, & gratiæ deditus fuit. [12] Iſte civeis Romanos? [13] At nullis inimicior, aut infeſtior fuit. Mitto vincla, mitto carcerem, mitto verbera, mitto ſecureis: crucem denique illam prætermitto, quam civibus Romanis *teſtem humanitatis* in eos, ac benivolentiæ ſuæ voluit eſſe: mitto, inquam, hæc omnia, atque in aliud dicendi tempus rejicio: de decumis, de civium Romanor. conditione in arationibus diſputo: qui quemadmodum eſſent accepti, judices, audiſtis ex ipſis. bona ſibi erepta eſſe dixere. Verùm hæc, [14] quoniam ejuſmodi cauſa fuit, ferenda ſunt: nihil valuiſſe æquitatem, nihil conſuetudinem: DAMNA denique, judices, nulla tanta ſunt, quæ non viri fortes, magno & libero animo affecti, ferenda arbitrentur. Quid, ſi equitibus Rom. non obſcuris, neque ignotis, ſed honeſtis, & illuſtribus, manus

1. *Ut ante Kal. Sextiles, &c.*] Particulam *ut* adpoſui volentibus membranis Nannii.

2. *Id tempore ac quæſtu admonitus reprehendiſti.*] Apage correctores iſtos, qui heic argutè inepti ſunt.

3. *Tot homines honeſt. ac locupletiſſimos.*] Tres voces interſertæ ſunt de auctoritate libri Nanniani.

4. *Nymphonem negaret ex edicto, &c.*] Eſt à Pal. ſec. nam prim. necaret. vulgata hodie, *vocaret*, & poſt, *profeſſum non eſſet*, contra utrumque mſſ.

5. *Si pareret jugera ejus f. e. pl. q. col. eſ. p. tum uti Xeno.*] Eſt à Pal. pr. & ſec. niſi quod is, *apparet*. vulgata, *ſi pateret jugera ejuſmodi &c. tum Xeno &c.*

6. *Id quod in ſatis erat.*] Ita citat ex neſcio quibus veteribus Hotomanus. at mſſ. noſtris & edd. aliis abeſt præpoſitio.

7. *Uxoris eſſe.*] Ita liber Nannii. aliorum, *uxorem*, quomodo item paſſim vulgata, nec omnino male.

8. *Ut Xeno audiret.*] Hoc eſt ut ille exaudire poſſet minas Verris ſubſequas. Sic Ovidius lib. II. Amorum: *Riſit, ut audirem tenera cum matre Cupido.* emendatio hujus loci eſt ab Nanniano, & Palat. ſecund.

9. *In jus eductus eſt.*] Habent iſtud Pall. & Nann. ut omittam edd. rancidæ vetuſtatis. vulgata, *deductus*.

10. *Non quantum haberet.*] Sic Pall. edd. que omnes.

11. *In oleaſtro quodam.*] Hodie legitur *quadam*, ſed contra Pall. & edd. veteres.

12. *Iſte cives Romanos?*] Gulielmius cenſebat excidiſſe voculam, *coluit iſte civ. Ro.?* at enim Pall. ſcriptum eſt, *iſte C. R.?* edd. primis; *Iſte civ. Ro.?*

13. *At nullis inimicior.*] Eſt ab Hotomani conjectura, nam ſcripti editique *nullus*.

14. *Quoniam ejuſmodi cauſa fuit.*] Sic Lambin. è Fabriciano. vulgata, *quoniam hujuſmodi caſus adfuit*.

manus ab Apronio, iſto prætore, ſine ulla dubitatione afferebantur? quid exſpectatis? quid à me amplius dicendum putatis? an id agendum, ut eo celerius de iſto tranſigamus, quo maturius ad Apronium poſſimus, id quod ego illi jam in Sicilia [1] pollicitus ſum, pervenire? qui C. Matrinium, judices, ſumma virtute hominem, ſumma induſtria, ſumma gratia, Leontinis, *in publico*, *biduum tenuit*. [2] atque ab Apronio, judices, homine in dedecore nato, ad turpitudinem educato, ad Verris flagitia, libidineſque accommodato, equitem Rom. ſcitote biduum cibo, tectoque prohibitum: biduum Leontinis, in foro, cuſtodiis Apronii retentum, atque ſervatum, neque antè dimiſſum, quàm ad con-
25 ditiones ejus depactus eſt. Nam quid ego de Q. Lollio, judices, dicam, equite Romano ſpectato atque honeſto? Clara res eſt, quam dicturus ſum, tota Sicilia celeberrima, atque notiſſima: qui cùm araret in Ætnenſi, cumque is ager Apronio cum ceteris agris eſſet traditus; equeſtri vetere illa & auctoritate, & gratia fretus, affirmavit, ſe decumanis plus quàm deberet, non daturum. refertur ejus ſermo ad Apronium. Enimverò iſte ridere, ac mirari, Lollium nihil de Matrinio, nihil de ceteris rebus *audiſſe*. mittit ad hominem Venerios, (hoc quoque attendite, *apparitores* à prætore aſſignatos habuiſſe decumanum: ſi hoc mediocre argumentum videri poteſt, iſtum decumanorum nomine ad ſuos quæſtus eſſe abuſum) adducitur à Veneriis, atque adeò attrahitur Lollius commodè, cùm Apronius è palæſtra rediſſet, & in triclinio, quod in foro Ætnæ ſtatuerat, decubuiſſet. Statuitur Lollius in illo *tempeſtivo* gladiatorum convivio. Non mehercule, quæ loquor, crederem, judices, tametſi vulgò audieram, niſi mecum ipſe ſenex, cùm mihi, atque huic voluntati accuſationis meæ lacrymans gratias ageret, ſumma cùm auctoritate eſſet locutus. Statuitur, ut dico, eques Rom. propè annos XC natus, in Apronii convivio, cùm interea Apronius caput, atque os ſuum unguento perfricaret. Quid eſt, Lolli? inquit. *tu, niſi malo coactus, rectè facere neſcis?* Homo quid ageret: taceret, reſponderet: quid faceret denique, illa auctoritate, & ætate præditus, neſciebat. Apronius interea cenam, ac pocula poſcebat. ſervi autem ejus, qui & *moribus iiſdem* eſſent, quibus dominus, & eodem genere, ac loco nati, præter oculos Lollii hæc omnia ferebant. Ridere convivæ, cachinnari ipſe Apronius: niſi fortè exiſtimatis, eum in vino, ac luxu non riſiſſe, qui nunc *in periculo*, atque exitio ſuo riſum tenere non poſſit. Ne multa, judices: his contumeliis ſcitote Q. Lollium coactum, ad Apronii leges, conditioneſque veniſſe. Lollius, ætate & morbo impeditus, ad teſtimonium dicendum venire non potuit. Quid opus eſt Lollio? nemo hoc neſcit: nemo tuorum amicorum, [3] nemo abs te productus, nemo interrogatus, nunc ſe primùm hoc dicet audire. M. Lollius, ejus filius, adoleſcens lectiſſimus, præſtò eſt: hujus verba audietis. nam Q. Lollius ejus filius, qui Calidium accuſavit, adoleſcens & bonus, & fortis, & in primis diſertus, cùm his injuriis, contumeliiſque commotus in Siciliam eſſet profectus, in itinere occiſus eſt. cujus *mortis cauſam fugitivi ſuſtinent*: re quidem vera nemo in Sicilia dubitat, quin eò ſit occiſus, quod habere clauſa non potuerit ſua conſilia de Verre. Iſte porrò non dubitabat, quin is, qui antea alium ſtudio adductus accuſaſſet, ſibi advenienti præſtò eſſet futurus, cùm eſſet parentis injuriis, & domeſtico do-
26 lore commotus. Jamne intelligitis, judices, quæ *peſtis*, quæ immanitas in veſtra antiquiſſima, fideliſſima, proximaque provincia verſata ſit? Jam videtis, quam ob cauſam Sicilia tot hominum antea furta, rapinas, iniquitates, ignominiaſque perpeſſa, non potuerit hoc novum, ac ſingulare, atque incredibile genus injuriarum, contumeliarumque perferre? Jam omneis intelligunt, cur univerſa provincia defenſorem ſuæ ſalutis eum quæſivit, cujus iſte fidei, diligentiæ, perſeverantiæ, nulla ratione eripi poſſit. tot judiciis interfuiſtis: tot homines nocenteis, & improbos, accuſatos & veſtra, & ſuperiorum memoria ſcitis eſſe. ecquem vidiſtis, ecquem audiſtis, in tantis furtis, in tam apertis, in tanta audacia, tanta *impudentia* eſſe verſatum? Apronius ſtipatores Venerios ſecum habebat: ducebat eos circum civitates: publicè ſibi convivia parari, ſterni triclinia, & in foro ſterni jubebat: [4] eò vocari homines honeſtiſſimos, non ſolùm Siculos, ſed etiam equites Romanos: ut, quicum [5] *inire convivium nemo* umquam, niſi turpis, impuruſque voluiſſet, ad ejus convivium ſpectatiſſimi, atque honeſtiſſimi viri tenerentur. Hæc tu omnium mortalium profligatiſſime, ac perditiſſime, cùm ſcires, cùm audires quotidie, cùm videres: ſi ſine tuo maximo *quæſtu* fierent, cum tanto periculo tuo fieri paterere, atque concederes? & tantum apud te quæſtus Apronii, tantum ejus ſermo inquinatiſſimus, & blanditiæ flagitioſæ valuerunt, ut numquam animum tuum, cura tuarum fortunarum, cogitatioque tangeret? Cernitis, judices, quod, & quantum *incendium*, decumanorum impetu, non ſolùm per agros, ſed etiam per reliquas fortunas aratorum: neque ſolùm per bona, ſed etiam per jura libertatis, & civitatis, iſto prætore pervaſerit. videtis pendêre alios ex arbore: pulſari autem alios, & verberari: porrò alios in publico cuſtodiri: deſtitui alios in convivio: condemnari alios à medico, & præcone prætoris: bona tamen interea nihilominus eorum omnium ex agris *auferri, ac diripi*. Quid eſt hoc? populi Rom. imperium? populi Rom. leges? judicia? ſocii fideles? provincia ſuburbana? nonne omnia potius ejuſmodi ſunt, quæ, ſi Athenio viciſſet, in Sicilia non feciſſet? non, inquam, judices, eſſet ullam partem iſtius
nequitiæ fugitivorum inſolentia conſecuta. Privatim hoc 27
modo: quid? *publicè civitates* quemadmodum *tractatæ* ſunt? audiſtis permulta indicia, & teſtimonia civitatum, & reliquarum audietis. Ac primum de Agyrinenſi populo, fideli, & illuſtri, breviter cognoſcite. Agyrinenſis eſt in primis honeſta civitas Siciliæ, hominum ante hunc prætorem locupletium, ſummorumque aratorum. ejus agri decumas cùm emiſſet idem Apronius, Agyrium venit. [6] Qui cùm eò cum apparitoribus, id eſt, *cum minis, ac vi* veniſſet, poſcere pecuniam grandem cœpit, ut, accepto lucro, diſcederet. nolle ſe negotii quidquam habere dicebat, ſed accepta pecunia, quàm primùm aliam civitatem occurrere. Sunt omnes Siculi non contemnendi, *ſi per noſtros magiſtratus liceat*: ſed homines & ſatis fortes, & ſatis planè frugi, ac ſobrii, & in primis hæc civitas, de qua loquor, judices. Itaque homini in primis improbiſſimo reſpondent Agyrinenſes, ſeſe decumas ei, quemadmodum deberent, daturos: lucrum, cùm ille magno præſertim emiſſet, non addituros. Apronius certiorem facit iſtum, cuja res erat, quid rei eſſet.
Statim, tanquam *conjuratio* aliqua Agyrii contra rempubli- 28
cam facta, aut legatus prætoris *pulſatus* eſſet, ita Agyrio magiſtratus, & quinque-primi, accitu iſtius evocantur. Veniunt Syracuſas: præſtò eſt Apronius: ait, eos ipſos, qui veniſſent, contra edictum prætoris feciſſe. Quærebant, quid? reſpondebat, ſe ad recuperatores eſſe dicturum. Iſte, æquiſſimus homo, formidinem illam ſuam miſeris Agyrinenſibus injiciebat: recuperatores ſe *de cohorte ſua* daturum mina-

1. *Pollicitus ſum pervenire.*] Ita mſſ. Nannii. vulgata lectio, *venire*.

2. *Atque ab Apronio.*] Mallem tolli *atque*; tanquam ſupervacuum. quamvis tamen ei ſua vis, ſi mutetur in *atqui*.

3. *Nemo abs te productus.*] Nunc primum adjicitur Ciceroni Nonio, qui id laudat in *producere*. veſtigiaque ejus remanſerant in mſ. Nannii, præferente *nemo prompte adductus*; quod Gulielmius refingebat in *nemo pro te adductus*. ut Cicero mirificè eos qui ab ipſo Verre pro ſe adducerentur, contra illum teſtimonium dicere confirmet.

4. *Eò vocari.*] Malim *eò evocari*. certè ſic Pall. ſed ſine particula *eò*. Hotomanus ait alios legere, *eò convocari*, idque recepit P. Manutius: neſcio quàm bene.

5. *Inire convivium.*] Gulielmius edi volebat *convivere*.

6. *Quin cùm eò cum apparitoribus, id eſt cum minis & vi veniſſet.*] Pall. edd. vett. *Qui cum apparitoribus eo, cum minis &c.*

1. *Arte-*

minabatur. Agyrinenſes, viri fortiſſimi, judicium ſe paſſuros eſſe dicebant. Ingerebat iſte [1] Artemidorum Cornelium medicum, Valerium præconem, Tlepolemum pictorem, & ejuſmodi recuperatores: quorum civis Romanus nemo erat: ſed Græci ſacrilegi, jampridem improbi, *repentè Cornelii.* videbant Agyrinenſes, quidquid ad eos recuperatores Apronius attuliſſet; illum perfacilè probaturum. condemnari cùm iſtius invidia, infamiaque malebant, quàm ad ejus conditiones, [2] pactioneſque accedere. Quærebant, quæ in verba recuperatores daret. Reſpondebat, *SI PARERET ADVERSUS EDICTUM FECISSE:* quæ in judicio dicturum eſſe dicebat. Iniquiſſimis verbis, improbiſſimis recuperatoribus, confligari malebant, quàm quidquam cum iſto ſua voluntate decidere. Summittebat iſte Timarchidem, qui moneret eos, *ſi ſaperent, ut tranſigerent.* Pernegabant. Quid ergò? In ſingulos H-S quinquagenis millibus damnari mavultis? Malle dicebant. Tum iſte clarè omnibus audientibus, *QVI DAMNATVS ERIT*, inquit, *VIRGIS AD NECEM CÆDETVR.* Hic illi flentes rogare, atque orare cœperunt, ut ſibi ſuas ſegetes, fructuſque omneis, arationeſque vacuas Apronio tradere liceret: ut ipſi ſine ignominia, moleſtiaque diſcederent. hac lege, judices, decumas vendidit Verres. Dicat licet Hortenſius, [3] ſi vo-
29 let, magno Verrem vendidiſſe. Hæc conditio fuit iſto prætore aratorum, ut ſecum præclarè agi arbitrarentur, ſi vacuos agros Apronio tradere liceret. multas enim *cruceis propoſitas* effugere cupiebant. quantum Apronius edidiſſet deberi, tantum ex edicto dandum erat. Etiamne ſi plus edidiſſet, quàm quantum natum eſſet? Etiam. Quomodo? Magiſtratus ex ipſius edicto exigere debebant. At arator repetere poterat. Verum Artemidoro recuperatore. Quid, ſi minus arator dediſſet, quàm popoſciſſet Apronius? Judicium in aratorem in quadruplum. Ex quo judicum numero? Ex cohorte prætoris præclara hominum honeſtiſſimorum. Quid amplius? minus te jugerum profeſſum eſſe dico: recuperatores rejice, quòd adverſum edictum feceris. Ex quo numero? ex eadem cohorte. Quid erit extremum? Si damnatus eris (nam dubitatio damnationis, illis recuperatoribus, quæ poterat eſſe?) virgis te ad necem cædi neceſſe erit. His legibus, his conditionibus, erit quiſquam tam ſtultus, qui decumas veniſſe arbitretur? qui aratori novem parteis reliquas factas eſſe exiſtimet? qui non intelligat, iſtum ſibi quæſtui, prædæque habuiſſe bona, poſſeſſiones, fortunas aratorum? *Virgarum metu* Agyrinenſes, quod
30 imperatum eſſet, facturos ſe eſſe dixerunt. Accipite nunc, quid imperarit: & diſſimulate vos, ſi poteſtis, vos intelligere, ipſum prætorem, quod tota Sicilia perſpexerit, redemtorem decumarum, atque adeo aratorum *dominum, ac regem* fuiſſe. Imperat Agyrinenſibus, ut decumas ipſi publicè accipiant: Apronio lucrum dent. Si magno emerat, quoniam tu es, qui diligentiſſimè pretium exquiſiſti: qui, ut ais, magno vendidiſti: quare putabas emtori lucrum addi oportere? Eſto: putabas. quamobrem imperabas, ut adderent? Quid eſt aliud capere, & conciliare pecunias, in quo te lex tenet, ſi hoc non eſt, *vi, atque imperio cogere invitos* lucrum dare alteri, hoc eſt, pecuniam dare? Age, quid tum? ſi Apronio, deliciis prætoris, lucelli aliquid juſſi ſunt dare, putate Apronio datum, ſi Apronianum lucellum, ac non prætoria præda vobis videbitur. Imperas, ut decumas accipiant: Apronio dent lucrum, [4] tritici medimnûm XXXIII millia. Quid eſt hoc? una civitas ex uno agro, [5] *plebi Romanæ propè menſtrua cibaria* prætoris imperio donare Apronio cogitur. Tu magno decumas vendidiſti, cùm tantum lucri decumano ſit datum? profectò, ſi pretium exquiſiſſes diligenter, tùm, cùm vendebas, X. [6] medimna potius addidiſſent, quàm H-S IↃC poſtea. Magna præda videtur: audite reliqua, & diligenter attendite, quo minus miremini, Siculos, *re neceſſaria coactos*, auxilium a patronis, à conſulibus, à ſenatu, à legibus, à judiciis petiviſſe. Ut probaret Apronius hoc triticum, imperat Agyrinenſibus Verres, ut in medimna ſingula dentur Apronio H-S III. Quid eſt hoc? 31
tanto numero frumenti, lucri nomine, imperato, & expreſſo, nummi præterea exigentur, ut probetur frumentum? an poterat non modò Apronius, ſed quivis, exercitui ſi metiundum eſſet, improbare Siculum frumentum, quod iſti ex area, ſi vellet, admetiri licebat? Frumenti tantus numerus imperio tuo datur, & cogitur. non eſt ſatis. nummi præterea imperantur. dantur. parum eſt. pro decumis hordei alia pecunia cogitur. jubes H-S XXX lucri dari. Ita ab una civitate, *vi, minis, imperio*, injuriaque prætoris eripiuntur tritici medimnûm XXXIII, & præterea H-S LX. an hæc obſcura ſunt? aut, ſi omnes homines velint, obſcura eſſe poſſunt? quæ tu *palam egiſti*? in conventu imperaſti? omnibus inſpectantibus coëgiſti? qua de re Agyrinenſes magiſtratus, & quinque-primi, [7] quos tu tuique quæſtus cauſa evocaſti, acta & imperia tua domum ad ſenatum ſuum renuntiaverunt: quorum renuntiatio, legibus illorum, litteris publicis mandata eſt: quorum legati, homines nobiliſſimi, Romæ ſunt, qui hoc idem pro teſtimonio dixerunt? Cognoſcite Agyrinenſium publicas litteras: deinde teſtimonium publicum civitatis. Recita litteras publicas. *LITTERÆ PVBLICÆ.* Recita teſtimonium publicum. *TESTIMONIVM PVBLICVM.* Animadvertiſtis in hoc teſtimonio, judices, Apollodorum, cui Pyragro cognomen eſt, principem ſuæ civitatis, lacrymantem teſtari, ac dicere, numquam poſt populi Romani nomen ab Siculis auditum, & cognitum, Agyrinenſeis contra quemquam infimum civem Rom. *dixiſſe, aut feciſſe quippiam:* qui nunc contra prætorem populi R. magnis injuriis, & magno dolore publicè teſtimonium dicere cogerentur. Uni mehercule, huic civitati, Verres, obſiſtere tua defenſione non potes: tanta auctoritas eſt in eorum hominum fidelitate, [8] tantus dolor in injuria, tanta religio in teſtimonio. Verùm non una te tantum, ſed univerſæ ſimilibus afflictæ incommodis, legationibus ac teſtimoniis publicis perſequen-
tur. Etenim deinceps videamus, Herbitenſis civitas, hone- 32
ſta, & antea copioſa, quemadmodum ſpoliata ab iſto, ac vexata ſit. At quorum hominum? ſummorum aratorum, *remotiſſimorum à foro, judiciis*, controverſiis: quibus parcere, & conſulere, homo impuriſſime, & quod genus hominum ſtudioſiſſimè conſervare debuiſti. Primo anno venierunt ejus agri decumæ tritici medimnûm XVIII. Atidius, iſtius item miniſter in decumis, cùm emiſſet, & præfecti nomine cùm veniſſet Herbitam cum Veneriis, locuſque ei publicè, quò deverteretur, datus eſſet: coguntur Herbitenſes ei lucri dare tritici medimnûm XXXVII. millia, cùm decumæ veniſſent tritici medimnûm XVIII. Atque hoc tantum triticum lucri coguntur dare publicè, cùm jam privatim aratores ex agris ſpoliati, atque exagitati, decumanorum injuriis profugiſſent. Anno ſecundo cùm emiſſet Apronius decumas tritici medimnûm XXV. millibus, & ipſe Herbitam cum illa prædonum copia, manuq; veniſſet: populus publicè coactus eſt ei conferre lucri tritici medimnûm

1. *Artemidorum Cornelium medicum &c.*] Sunt à Fabriciano. nam publicata retrò lectio: *Artemidorum medicum Cornelium, pictorem Tlepolemum*, omiſſis ceteris.

2. *Pactioneſque accedere.*] Annotat Gulielmius non opus eſſe ſcalpello Lambini, qui conjicit, *deſcendere*.

3. *Si volet.*] Eſt a Pall. & edd. vetuſtiſſimis. ſæculi poſterioris, *ſi audet*; a quibus abit exemplar Nannii.

4. *Tritici medimnûm* XXXIII.] Eſt à Nanniano. nam prius cuſi, XXXIV. ſine illo *millia*. conſulatur heic Hotomanus.

5. *Plebi Rom. menſtrua cibaria.*] Vide Contarenum lib. de Frumentatione. recentior *plebis*. forte melius *plebei*.

6. *Medimna potius.*] In his Verrinis, vix receſſimus à numeris medimnûm modiorumque ab Hotomanno nobis repræſentatis.

7. *Quos tu tuique.*] Eſt à Nanniana; vulgata enim, *quos tui*, tantum.

8. *Tantus dolor in injuria.*] Ita ejuſdem membranæ. publicati antea, *tantus dolor injuriæ*.

mnûm XXVI. & acceſſionem H-S CIↃ CIↃ. De acceſſione dubito, an Apronio ipſi data ſit, merces operæ, *pretiumque impudentiæ*. De tritici quidem numero tanto, quis poteſt dubitare, quin ad iſtum prædonem frumentarium, ſicut Agyrinenſe frumentum, pervenerit? Anno verò tertio in

33 hoc agro conſuetudine uſus eſt regia. Solere ajunt barbaros reges Perſarum, ac Syrorum, *plureis uxores* habere: his autem uxoribus civitates attribuere, hoc modo: Hæc civitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crineis. ita populos habent univerſos non ſolum *conſcios libidinis* ſuæ, verùm etiam adminiſtros. Eandem iſtius, qui ſe regem Siculorum eſſe ducebat, licentiam, libidinemque fuiſſe cognoſcite. Æſchrionis Syracuſani uxor eſt Pippa: cujus nomen *iſtius nequitia* tota Sicilia pervulgatum eſt, de qua muliere verſus plurimi ſupra tribunal, & ſupra prætoris caput ſcribebantur. Hic Æſchrio, Pippæ *vir adumbratus*, in Herbitenſibus decumis novus inſtituitur publicanus. Herbitenſes cùm viderent, ſi ad Æſchrionem pretium rediſſet, ſe ad arbitrium libidinoſiſſimæ mulieris ſpoliatum iri: liciti ſunt uſque eò, quoad ſe efficere poſſe arbitrabantur. ſuprà adjecit Æſchrio. neque enim metuebat, ne, prætore Verre, decumana mulier damno affici poſſet. Addicitur medimnûm XXXV. millibus dimidio ferè pluris, quàm ſuperiore anno. Aratores *funditus evertebantur:* & eo magis, quòd jam ſuperioribus annis exhauſti erant, ac pænè perditi. Intellexit iſte ita magno veniſſe, ut amplius ab Herbitenſibus *exprimi* non poſſet. demit de capite medimnûm CIↃ CIↃ CIↃ IↃC. jubet in tabulas pro medimnûm XXXI, referri XXXI & CCCC. Hordei decumas ejuſdem

34 agri Docimus emerat. Hic eſt Docimus, qui ad iſtum deduxerat Tertiam, Iſidori mimi filiam, *vi abductam* ab Rhodio tibicine. Hujus Tertiæ plus etiam, quam Pippæ, plus quàm ceterarum, ac propè dicam, tantum apud iſtum in Sicilienſi prætura auctoritas valuit, quantum in urbana Chelidonis. Veniunt Herbitam duo prætoris æmuli, non moleſti, [1] muliercularum teterrimarum improbiſſimi cognitores. incipiunt poſtulare, poſcere, minari. non poterant tamen, cùm cuperent, Apronium imitari. *Siculi Siculos non tam pertimeſcebant.* Cùm omni ratione tamen illi calumniarentur: promittunt Herbitenſes vadimonium Syracuſas. Eò poſteaquàm ventum eſt, coguntur Æſchrioni, id eſt, Pippæ, dare tantum, quantum erat de capite demtum, tritici medimnûm CIↃ CIↃ CIↃ IX. Mulierculæ publicanæ noluit ex decumis nimium lucri dare, ne fortè ab nocturno ſuo quæſtu animum ad vectigalia redimenda transferret. Tranſactum putabant Herbitenſes, cùm iſte, Quid de hordeo, inquit, & Docimo, amiculo meo? quid cogitatis? At hoc agebant *in cubiculo*, judices, atque in lectulo ſuo. Negabant illi ſibi quidquam eſſe mandatum. Non audio: numerate H-S XV. Quid facerent miſeri? aut quid recuſarent? præſertim cùm in lectulo decumanæ mulieris veſtigia viderent recentia, quibus illum *inflammari ad perſeverandum* intelligebant? Ita civitas una ſociorum, atque amicorum, duabus teterrimis mulierculis, Verre prætore, vectigalis fuit. Atque ego nunc, eum frumenti numerum, & eas publicè pecunias decumanis ab Herbitenſibus datas eſſe dico: quo illi frumento, & quibus pecuniis tamen à decumanorum injuriis civeis ſuos non redemerunt. perditis enim, & direptis aratorum bonis, hæc decumanis *merces dabatur*, ut aliquando ex eorum agris, atque ex urbibus abirent. Itaque cùm Philinus Herbitenſis, homo diſertus, & prudens, & domi nobilis, de calamitate aratorum, & de fuga, & de reliquorum paucitate publicè diceret: animadvertiſtis, judices, gemitum populi Rom. cujus frequentia huic cauſæ numquam defuit. qua de paucitate

aratorum alio loco dicam. Nunc illud, quod pænè præterii, 35

non omninò relinquendum videtur. nam, per deos immortaleis, quod de capite ipſo demſit, [2] quo tandem modo vobis non modò ferendum, verùm etiam audiendum videtur? Unus adhuc fuit poſt Romam conditam (dii immortales faxint, ne ſit alter) cui reſp. [3] totam ſe traderet *temporibus coacta, & malis domeſticis*, L. Sulla. hic tantum potuit, ut nemo, illo invito, nec bona, nec patriam, nec vitam retinere poſſet: tantum animi habuit ad audaciam, ut dicere in concione non dubitaret, bona civium Romanorum cùm venderet, *ſe prædam ſuam vendere*. Ejus omneis res geſtas non ſolùm obtinemus; verùm etiam [4] propter majorum incommodorum, & calamitatum metum, *publica auctoritate defendimus*. Unum hoc illius, ſenatus conſulto reprehenſum, decretumque eſt, ut, quibus ille de capite demſiſſet, hi pecunias in ærarium referrent. Statuit ſenatus, hoc ne illi quidem eſſe licitum, cui conceſſerat omnia, [5] à populo factarum, quæſitarumque rerum ſummas imminuere. Illum viris fortiſſimis judicarunt patres conſcripti remittere de ſumma non potuiſſe: te mulieri teterrimæ rectè remiſiſſe ſenatores judicabunt? ille, de quo lege populus Rom. juſſerat, ut ipſius *voluntas* populo Romano eſſet *pro lege*, tamen in hoc uno genere, veterum religione legum, reprehenditur. tu, qui omnibus legibus implicatus tenebare, libidinem tibi tuam pro lege eſſe voluiſti? in illo reprehenditur, quòd ex ea pecunia remiſerit, quam ipſe quæſierat: tibi concedetur, qui de capite vectigalium populi Rom. remiſiſti? Atque in hoc genere audaciæ 36

multo etiam impudentiùs in decumis Segeſtenſium verſatus eſt: quas cùm addixiſſet eidem illi Docimo, * hoc eſt tritici modiûm quinque millibus, & acceſſionem adſcripſiſſet H-S MD, coëgit Segeſtenſes à Docimo tantidem publicè accipere. id quod ex Segeſtenſium publico teſtimonio cognoſcite. Recita teſtimonium publicum. TESTIMONIUM PUBLICUM. Audiſtis, quanti decumas acceperit à Docimo civitas, tritici modiûm quinque millibus, & acceſſionem. Cognoſcite nunc, quanti ſe vendidiſſe retulerit. *LEX DECUMIS VENDUNDIS C. VERRE PR.* Hoc nomine videtis tritici modiûm CIↃ CIↃ CIↃ de capite eſſe demta, quæ cùm *de populi R. victu*, de vectigalium nervis, de ſanguine detraxiſſet ærarii, Tertiæ mimæ condonavit. Utrùm impudentiùs à ſociis abſtulit? an turpiùs meretrici dedit? an improbiùs populo R. ademit? an audaciùs tabulas publicas commutavit? Ex horum ſeveritate te ulla vis, aut ulla largitio eripiet? ſed ſi eripueris; non intelligis, hæc, quæ jamdudum loquor, ad aliam quæſtionem, atque ad *peculatus judicium* pertinere? Itaque hoc mihi reſervabo genus integrum totum: ad illam, quam inſtitui, cauſam frumenti, ac decumarum revertar. Qui cùm agros maximos, ac feraciſſimos, per ſeipſum, hoc eſt, per Apronium, Verrem alterum, depopularetur: ad minores civitates habebat alios, quos, *tanquam canes*, immitteret, nequam homines, & improbos: quibus aut frumentum, aut pecuniam

publicè cogebat dari. A. Valentius eſt in Sicilia, interpres: 37

quo iſte interprete non ad linguam Græcam, ſed ad furta, & flagitia uti ſolebat. Fit interpres hic, homo levis, atque egens, repentè decumanus. emit agri Liparenſis, miſeri, atque jejuni, decumas tritici medimnis IↃC. Liparenſes vocantur. ipſi accipere decumas, & numerare Valentio coguntur lucri H-S XXX millia. Per deos immortaleis, utrum tibi ſumes ad defenſionem? tantone minoris te decumas vendidiſſe, ut ad medimna IↃC, XXX millia lucri, ſtatim ſua voluntate civitas adderet, hoc eſt, tritici medimnûm II mil-

1. *Muliercularum teterrimarum.*] Haud aliter Pal. & Nannianus. Vulgata, *deterrimarum*.

2. *Quo tandem modo vobis, non modò ferendum, verùm etiam audiendum videtur?*] Ita Lambinus, ſed ex libro Nannii. prius cuſi, *modò ferendum, verùm etiam animadvertendum videtur.*

3. *Totam ſe traderet.*] Aliæ edd. *tradidit*, ſed noſtrum eſt in membranis Nannii.

4. *Propter majorum incommodorum.*] Probavimus Lambini conjecturam. vulgo *malorum*. corrupte.

5. *A populo factarum quæſitarumque, &c.*] Hotomanus & Lambinus heic ſe præbent ſatageos; non neceſſario. *Res factæ à populo*, partæ ſunt, neque enim ignota formula, *rem facere*; *rem factam habere.*

II millia? an, cùm magno decumas vendidiſſes, te *expreſſiſſe ab invitis* Liparenſibus hanc pecuniam. Sed quid ego ex te quæro, quid defenſurus ſis potius, quam cognoſcam ex ipſa civitate, quid geſtum ſit? Recita teſtimonium publicum Liparenſium, deinde quemadmodum Valentio nummi ſint dati. *TESTIMONIUM PUBLICUM, QUOMODO SOLUTUM SIT, EX LITTERIS PUBLICIS.* Etiamne hæc tam parva civitas, tam procul à manibus tuis, atque *à conſpectu remota*, ſejuncta à Sicilia, [1] in inſula inculta tenuique poſita, cumulata aliis tuis majoribus injuriis, in hoc quoque frumentario genere, prædæ tibi, & quæſtui fuit? quam tu totam inſulam cuidam tuorum ſodalium, *ſicut aliquod munuſculum*, condonaras: ab hac etiam hæc frumentaria lucra, tanquàm à mediterraneis exigebantur? Itaque qui tot annis agellos ſuos ante te prætorem redimere à piratis ſolebant, iidem ſeipſos à pretio

38 impoſito redemerunt. Quid ergo? à Tiſſienſibus perparva, & tenui civitate, ſed aratoribus laborioſiſſimis, frugaliſſimiſque hominibus, nonne plus, *lucri nomine*, eripitur, quam quantum frumenti omnino exararant? ad quos tu decumanum [2] Diognotum Venerium miſiſti, novum genus publicani. cur hoc auctore non Romæ quoque ſervi publici ad vectigalia accedant? Anno ſecundo Tiſſienſes H-S XXI lucri dare coguntur inviti. tertio anno CIↃ CIↃ CIↃ medimnûm tritici, lucri Diognoto Venerio dare coacti ſunt. Hic Diognotus, qui ex publicis vectigalibus tanta lucra facit, vicarium nullum habet, nihil omninò peculii. Vos etiam nunc dubitate, ſi poteſtis, utrùm tantum numerum tritici Venerius apparitor iſtius ſibi acceperit, an huic exegerit. atque hæc ex publico Tiſſienſium teſtimonio cognoſcite. *TESTIMONIUM PUBLICUM TISSIENSIUM.* Obſcurè, judices, prætor ipſe decumanus eſt, cùm ejus apparitores frumentum à civitatibus exigant, pecunias imperent, aliquanto *plus ipſi lucri auferant*, quàm quantum populo Romano decumarum nomine daturi ſunt? Hæc æquitas in tuo imperio fuit, hæc prætoris dignitas, ut ſervos Venerios Siculorum dominos eſſe velles. hic delectus, hoc diſcrimen, te prætore, fuit, ut aratores in *ſervorum numero* eſſent, ſervi in publicanorum.

39 Quid? Ameſtratini miſeri, impoſitis ita magnis decumis, ut ipſis reliqui nihil fieret, nonne tamen numerare pecunias coacti ſunt? Addicuntur decumæ M. Cæſio, cùm adeſſent legati Ameſtratini. ſtatim cogitur Heraclius legatus numerare H-S XXII. Quid hoc eſt? quæ eſt iſta præda? quæ vis? quæ *direptio ſociorum*? Si erat Heraclio ab ſenatu mandatum, ut emeret: emiſſet. ſi non erat: quî poterat ſua ſponte pecuniam numerare? Cæſio renuntiat ſe dediſſe. Cognoſcite renuntiationem ex litteris. Recita ex litteris publicis. LITTERÆ PUBLICÆ. Quo S. C. erat hoc legato permiſſum? nullo. cur fecit? coactus eſt. quis hoc dicit? tota civitas. Recita teſtimonium publicum. *TESTIMONIUM PUBLICUM.* Ab hac eadem civitate anno ſecundo, ſimili ratione extortam eſſe pecuniam, & Sex. Vennonio datam, ex eodem teſtimonio cognoviſtis. At Ameſtratinos, homines tenueis: cùm eorum decumas medimnis DCCC vendidiſſes Banobali Venerio (cognoſcite nomina publicanorum) cogis eos *plus lucri addere*, quàm quanti venierant, cùm magno veniſſent. dant Banobali medimnis DCCC, H-S MD. Profectò numquam iſte tam amens fuiſſet, ut ex agro populi Romani plus frumenti ſervo Venerio, quàm populo Romano tribui pateretur, niſi omnis ea præda, ſervi nomine, *ad iſtum ipſum perveniret*. Petrini, cùm eorum decumæ magno addictæ eſſent, tamen invitiſſimi P. Nævio Turpioni, improbiſſimo homini, qui injuriarum, Sacerdote prætore, damnatus eſt, H-S XXXVII & IↃ dare coacti ſunt. Itane diſſolutè decumas vendidiſti, ut, cùm modiûm XV millibus veniſſent, medimnûm CIↃ CIↃ CIↃ hoc eſt, H-S XXXXV. lucri decumano darentur? At permagno decumas ejus agri vendidiſti. Videlicet gloriatur, non Turpioni lucrum datum, ſed Petrinis pecuniam ereptam. Quid? 40

Halicienſes, quorum incolæ decumas dant, ipſi agros immuneis habent: nonne huic eidem Turpioni, cùm decumæ * c. med. veniſſent, H-S XV CIↃ dare coacti ſunt? Si id, quod maximè vis, poſſes probare, hæc ad decumanos lucra veniſſe, nihil te attigiſſe: tamen hæ pecuniæ, *PER VIM, ATQUE INJURIAM TUAM CAPTÆ*, & conciliatæ, tibi fraudi, & damnationi eſſe deberent. cùm verò hoc nemini perſuadere poſſis, te tam amentem fuiſſe, ut Apronium, ac Turpionem, ſervos homines, *tuo, liberorumque tuorum periculo* divites fieri velles: dubitaturum quemquam exiſtimas, quin illis emiſſariis hæc tibi omnis pecunia quæſita ſit? Segeſtam item ad immunem civitatem Venerius Symmachus decumanus immittitur. is ab iſto litteras affert, ut ſibi contra S. C. [3] contra omnia jura, contraque legem Rupiliam, extra forum vadimonium promittant aratores. Audite litteras, quas ad Segeſtanos miſerit. *LITTERÆ C. VERRIS.* Hic Venerius quemadmodum aratores eluſerit, ex una pactione hominis honeſti, gratioſique cognoſcite. in eodem enim genere ſunt cetera. Diocles eſt Panormitanus, Phimes cognomine, homo illuſtris, ac nobilis arator. Is agrum in Segeſtano (nam commercium in eo agro Panormitanis eſt) conductum habebat H-S ſex millibus. pro decuma cùm pulſatus à Venerio eſſet, [4] decidit H-S XVI millibus, & IↃCLIIII. id ex tabulis ipſius cognoſcite. NOMEN DIOCLIS PANORMITANI. Huic eidem Symmacho, Annejus Brocchus, ſenator, homo eo ſplendore, ea virtute, qua omneis exiſtimatis, nummos præter frumentum coactus eſt dare. Venerione *ſervo*, te prætore, talis vir, ſenator populi Romani, quæſtui fuit?

Hunc ordinem ſi dignitate antecellere non exiſtimabas, ne 41 hoc quidem ſciebas, JUDICARE? Antea cum equeſter ordo judicaret, improbi, & *rapaces magiſtratus* in provinciis inſerviebant publicanis: ornabant eos, quicunque in operis erant: quemcunque equitem Romanum in provincia viderant, beneficiis, ac liberalitate proſequebantur: neque tantum illa res *nocentibus proderat*, quantum obfuit multis, cum aliquid contra utilitatem ejus ordinis, voluntatemque feciſſent. Retinebatur hoc tum neſcio quomodo quaſi communi conſilio ab illis diligenter, ut, qui unum equitem Rom. contumelia dignum putaſſet, ab *univerſo ordine ma o dignus* judicaretur. Tu ſic ordinem ſenatorium deſpexiſti: ſic ad injurias, libidineſque tuas omnia coæquaſti. ſic habuiſti ſtatutum cum animo, ac deliberatum, omneis, [5] qui habitarent in Sicilia, aut, qui Siciliam te prætore attigiſſent, judices rejicere, ut illud non cogitares, tamen ad ejuſdem ordinis homines te judices eſſe venturum? in quibus, ſi ex ipſorum domeſtico incommodo nullus dolor inſideret: tamen eſſet illa cogitatio, *in alterius injuria ſeſe deſpectos*, dignitatemque ordinis contemtam, & abjectam. quod mehercule, judices, mihi non mediocriter ferendum videtur. *HABET ENIM* quendam aculeum contumelia, [5] quem pati pudentes, ac viri boni difficillimè poſſunt. Spoliaſti Siculos. ſolent enim inulti eſſe in injuriis ſuis provinciales. vexaſti *negotiatores*. inviti enim Romam, [6] raroque decedunt. *Equites Romanos* ad Apronii injurias dediſti. quid enim jam nocere poſſunt, quibus non licet judicare? Quid, cum ſenatores ſummis injuriis afficis? quid aliud dicis, niſi hoc? cedo mihi etiam iſtum *ſenatorem*: ut hoc ampliſſimum

ſimum

1. *In inſula inculta.*] Fabricianus codex *in ſiculo*, ſub quo verbo latet aliquid agrimenſoribus forſan eruendum.

2. *Diognotum.*] Placebat iſtud Hotomano. neque aliter Pal. ſec. vulgata, *Diognetum.*

3. *Contra omnia jura.*] Gulielmius inclinat legere, *contra communia jura.* neque enim fieri poſſe, ut uno delicto omnia jura violentur.

4. *Decidit* H-S *ſexdecim millibus.*] Indignius illud, quam vulgatum, *dedit* H-S *ſexdecim millia.* ſcias eſſe a Nannianis.

5. *Qui habitarent in Sicilia.*] Lambinus *haberent*, fide codicis Nann. nec diſplicet.

6. *Quem pati pudentes.*] Ita Pal. ſec. & Nann. editi ferè *prudentes*, minus prudenter, improbavitque etiam Hotomanus.

7. *Raroque decedunt.*] Pal. ſec. *deſcendunt*, *alii* maluere *diſcedunt.*

1. Tam

ſimum nomen ſenatorium non modò ad invidiam imperitorum, ſed etiam *ad contumeliam improborum* natum eſſe videatur. Neque hoc in uno fecit Annejo, ſed in omnibus ſenatoribus: ut ordinis nomen non tantum ad honorem, quantum ad ignominiam valeret. In C. Cælio, viro clariſſimo & fortiſſimo, cùm is eo ipſo tempore, primo iſtius anno Cos. eſſet, tanta improbitate uſus eſt, ut, cùm ejus uxor, fœmina primaria, paternas haberet arationes in Leontino, frumentum omne in decumas auferre juſſerit. Hunc tu in hac cauſa teſtem, Verres, habebis: quoniam, judicem ne haberes, providiſti. Vos autem, judices, putare debetis, eſſe quiddam nobis inter nos *commune*, atque conjunctum. multa ſunt impoſita huic ordini munera, multi labores, multa pericula, non ſolùm legum, ac judiciorum, ſed etiam *rumorum*, ac temporum. Sic eſt hic ordo quaſi propoſitus, atque editus in altum, ut *ab omnibus ventis invidiæ* circumflari poſſe videatur. IN HAC [1] tam miſera, & iniqua conditione vitæ, ne hoc quidem retinebimus, judices, ut magiſtratibus noſtris in obtinendo jure noſtro ne

42 contemtiſſimi, ac deſpectiſſimi eſſe videamur? Thermitani miſerunt, qui decumas emerent agri ſui. Magni ſua putabant intereſſe, *publicè potius* quamvis magno emi, quàm in aliquem iſtius emiſſarium incidere. Appoſitus erat Venulejus quidam, qui emeret. Is liceri non deſtitit. illi, quoad videbatur ferri aliquo modo poſſe, contenderunt: poſtremò liceri deſtiterunt. addicitur Venulejo tritici mod. VII millibus. Legatus Poſſidorus renuntiat. Cùm omnibus hoc intolerandum videretur, tamen Venulejo dantur, ne accedat, tritici mod. VI. præterea H-S CIↃ CIↃ millia. ex quo facilè apparet, quæ *merces decumani*, quæ prætoris præda eſſe videatur. Cedo Thermitanorum mihi litteras, & teſtimonium. *TABVLÆ THERMITANORVM, ET TESTIMONIVM.* Acharenſeis jam omni frumento ablato, jam omnibus injuriis tuis exinanitos, [2] tributum facere, miſeros ac perditos, coëgiſti, ut Apronio darent H-S XX millia. Recita decretum de tributis, & publicum teſtimonium. S.C. *DE TRIBVTO CONFERENDO. TESTIMONIVM ACHARENSIVM.* Ennenſeis, cùm decumæ veniſſent agri Ennenſis medimnûm CIↃ CIↃ CIↃ CC. Apronio coacti ſunt dare tritici modiûm LXXIII millia, & H-S III millia. Quæſo, attendite, quantus numerus frumenti cogatur ex omni agro decumano. nam per omneis civitates, quæ decumas debent, percurrit oratio mea: & in hoc genere nunc, judices, verſor, in quo non ſingillatim aratores everſis bonis omnibus ſunt, ſed publicè decumanis *lucra data ſunt*, ut aliquando ex eorum agris, atque urbibus, expleti,

43 atque ſaturi cum hoc cumulo quæſtus decederent. Calatinis quamobrem imperaſti anno tertio, ut decumas agri ſui, quas Calatæ dare conſueverant, Ameſtrati M. Cæſio decumano darent, quod neque ante te prætorem illi fecerant, neque tu ipſe hoc ita ſtatueras antea per biennium? Theomnaſtus Syracuſanus in agrum Mutyenſem cur abs te immiſſus eſt? qui aratores ita vexavit, ut illi in alteras decumas, id quod in aliis quoque civitatibus oſtendam, *triticum emere* neceſſariò, propter inopiam, cogerentur. Jam verò ex Hyblenſium pactionibus intelligetis, quæ pactæ ſint cum decumano Cn. Sergio, ſexies tantum, quàm quantum *ſatum* ſit, ablatum eſſe ab aratoribus. Recita ſationes, & pactiones ex litteris publicis. Recita. *PACTIONES HYBLENSIVM CVM VENERIO SERVO EX LITTERIS PVBLICIS.* Cognoſcite item profeſſiones ſationum, & pactiones Meneniorum cum Venerio ſervo. Recita ex litteris publicis. *PROFESSIONES SATIONVM, ET PACTIONES MENENIORVM CVM VENERIO SERVO EX LITTERIS PVBLICIS.* Patiemini, judices, à ſociis, ab aratoribus populi Romani, ab iis, qui vobis laborant, vobis ſerviunt, qui ita plebem Romanam ab ſeſe ali volunt, *ut ſibi ac liberis ſuis tantum ſuperſit, quo ipſi ali poſſint*: ab his, per ſummam injuriam, per acerbiſſimas contumelias, plus aliquanto ablatum eſſe, quàm natum ſit? Sentio, judices, moderandum mihi eſſe jam orationi meæ, fugiendamque veſtram ſatietatem. non verſabor in uno genere diutiùs, & ita cetera de oratione mea tollam, ut tamen in cauſa relinquam. Audietis Agrigentinorum, fortiſſimorum virorum, diligentiſſimorumque querimonias: cognoſcetis, judices, Entellinorum ſummi laboris, ſummæque induſtriæ, dolorem, & injurias: [3] Heraclienſium, Gelenſium, Solentinorum incommoda proferentur: Catinenſium, locupletiſſimorum hominum, amiciſſimorumque agros vexatos ab Apronio cognoſcetis: Tyndaritanam, nobiliſſimam civitatem; Cephaleditanam, Halentinam, Apollonienſem, Eggynam, Capitinam, *perditas eſſe* hac iniquitate decumarum intelligetis: Murgentinis, Aſſorinis, Elorinis, Ennenſibus, Letinis, nihil omnino relictum: Citarinos, Acherinos, parvarum civitatum homines, omninò abjectos eſſe, ac perditos: omneis denique agros decumanos per triennium populo Romano ex parte decuma, C. Verri ex omni reliquo vectigaleis fuiſſe: & pleriſque aratoribus *nihil omnino ſuperfuiſſe*: [4] ſi cui quid aut remiſſum, aut relictum ſit, id fuiſſe tantum, quantum ex eo, quo iſtius avaritia contenta

fuit, redundarit. Duarum mihi civitatum reliquos feci 44

agros, judices, ferè optimos, ac nobiliſſimos, Ætnenſem, & Leontinum. Horum agrorum ego miſſos faciam quæſtus triennii: unum annum eligam, quo faciliùs id, quod inſtitui, explicare poſſim. Sumam annum tertium, quòd & recentiſſimus eſt, & ab iſto ita adminiſtratus, ut, cùm ſe certè deceſſurum videret, *non laboraret*, ſi aratorem nullum in Sicilia omnino eſſet relicturus. Agri Ætnenſis, & Leontini decumas agemus. Attendite, judices, diligenter. agri ſunt feraces: annus tertius: decumanus Apronius. de Ætnenſibus perpauca dicam. dixerunt enim ipſi priore actione publicè: memoria tenetis, Artemidorum Ætnenſem, legationis ejus principem, publicè dicere, Apronium veniſſe Ætnam cum Veneriis: vocaſſe ad ſe magiſtratum: imperaſſe, ut in foro ſibi medio lecti ſternerentur: quotidie ſolitum eſſe non modò in publico, ſed etiam *de publico convivari*: cùm in eis conviviis ſymphonia caneret, maximiſque poculis miniſtraretur, [5] retinere ſolitum eſſe aratores, atque ab iis non modò per injuriam, ſed etiam *per contumeliam*, tantum exprimi frumenti, quantum Apronius imperaſſet. Audiſtis hæc, judices, quæ nunc ego omnia prætereo, ac relinquo. Nihil de luxuria Apronii loquor, nihil de inſolentia, nihil de ſingulari nequitia, ac turpitudine: tantùm de quæſtu, ac lucro dicam unius agri, & unius anni, quo facilius vos conjecturam de triennio, & de tota Sicilia facere poſſitis. Sed mihi Ætnenſium brevis eſt oratio. ipſi enim venerunt: ipſi publicas litteras deportarunt. docuerunt vos, quid lucelli fecerit homo non malus, familiaris prætoris, Apronius. id, quæſo, ex ipſorum teſtimonio cognoſcite. Recita teſtimonium Ætnenſium. *TESTIMO-*

NIVM ÆTNENSIVM. Quid ais? dic, dic, quæſo, 45

clariùs, ut populus Rom. de ſuis vectigalibus, de ſuis aratoribus, de ſuis ſociis, atque amicis audiat. *L. MEDIMNVM, L. H-S MILLIA.* Per deos immortaleis, unus ager uno anno CCC millia mod. tritici; & præterea H-S L millia, lucri dat Apronio? tantone minoris decumæ venierunt, quàm fuerunt: an, cùm ſatis magno veniſſent, hic

---

1. *Tam miſera & iniqua.*] Eſt ab eodem Nannii, honeſtius illo vulgato *indigna*.

2. *Tributum facere miſeros, &c.*] Habent iſtud Pall. & Nann. hactenus vulgatum, *ferre*, minus invidioſum eſt.

3. *Heraclienſium, Gelenſium, Solentinorum.*] Adhæſi heic Lambino. Vulgati, *Heracl. Inceſſienſium, Ætnenſium, Solentinorum.* At *Ætnenſium* antea ſane meminit Tullius, *Inceſſienſeſque* parum noti ſunt; eorumque loco habent Palat. & *Cilienſium*. vide Plinium lib. III. cap. 8.

4. *Si cui quid aut remiſſum.*] Haud aliter Nann. nam Pal. *cui quid tum aut rem.* editi, *quibus quod tum aut rem.*

5. *Retinere ſolitum eſſe aratores.*] Lambini editio, *retineri ſolitos eſſe.* ſi ab Fabric. laudem. ſed tamen ferè ſuſpicor, *ſolitum eſſe*, quamvis abſit, nihil deſideres tamen.

hic tantus tamen frumenti, pecuniæque numerus ab aratoribus *per vim ablatus eſt?* utrum enim horum dixeris, in eo culpa & crimen hærebit. Nam illud quidem non dices, quod utinam dicas, ad Apronium non perveniſſe tantum. ita te non modò publicis tenebo, ſed etiam privatis aratorum pactionibus, ac litteris: ut intelligas, non te diligentiorem in faciendis furtis fuiſſe, quàm me in deprehendendis. Hoc tu feres? hoc quiſquam defendet? hoc hi, ſi aliter de te ſtatuere voluerint, ſuſtinebunt? Uno *adventu*, ex uno agro, Qu. Apronium, præter eam, quam dixi, pecuniam numeratam, ccc. millia mod. tritici lucri nomine ſuſtuliſſe? Quid? hoc Ætnenſes ſoli dicunt? immò etiam Centuripini, qui agri Ætnenſis multo maximam partem poſſident: quorum legatis, hominibus nobiliſſimis, Androni, & Arthemoni, ſenatus ea mandata dedit, quæ publicè ad civitatem ipſorum pertinebant, de iis injuriis, quas cives Centuripini non in ſuis, ſed [1] *in aliorum finibus* acceperunt, ſenatus & populus Centuripinus legatos noluit mittere: ipſi aratores Centuripini, qui numerus eſt in Sicilia maximus hominum honeſtiſſimorum, & locupletiſſimorum, treis legatos, civeis ſuos, delegerunt: ut eorum teſtimonio non unius agri, ſed propè totius Siciliæ calamitates cognoſceretis, arant enim tota Sicilia ferè Centuripini. & hoc in te graviores, certioreſque teſtes ſunt, quòd ceteræ civitates ſuis ſolum incommodis commoventur: Centuripini, quòd in omnium ferè finibus habent poſſeſſiones, etiam *ceterarum*
46 *civitatum damna*, ac detrimenta ſenſerunt. Verùm, ut dixi, ratio certa eſt Ætnenſium, & publicis, & privatis litteris conſignata. meæ *diligentiæ penſum* magis in Leontino agro eſt exigendum, propter hanc cauſam, quòd ipſi Leontini publicè non ſanè me multùm adjuverunt. neque enim eos iſto prætore, hæ decumanorum injuriæ læſerunt: potiùs etiam, judices, adjuverunt. Mirum fortaſſe hoc vobis, aut incredibile videatur, in tantis aratorum incommodis, Leontinos, qui principes rei frumentariæ fuerunt, experteis incommodorum, atque injuriarum fuiſſe. hoc cauſæ eſt, judices, quòd in agro Leontino, præter unam Mnaſiſtrati familiam, glæbam Leontinorum poſſidet nemo. Itaque Mnaſiſtrati, hominis honeſtiſſimi, atque optimi viri teſtimonium, judices audietis. ceteros Leontinos, quibus non modò Apronius in agris, ſed ne *tempeſtas* quidem ulla nocere potuit, exſpectare nolite. etenim non modò incommodi nihil ceperunt: ſed etiam in Apronianis illis rapinis, in quæſtu ſunt, compendioque verſati. Quapropter, quoniam me Leontina civitas, atque legatio, propter eam, quam dixi, cauſam, defecit: mihimet ineunda ratio, & via reperiunda eſt, qua ad Apronii quæſtum, ſive adeò, qua ad iſtius ingentem, immanemque *prædam* poſſim pervenire. Agri Leontini decumæ annò tertio venierunt tritici medimnûm xxxvi; hoc eſt, tritici mod. ccxvi. magno, judices, magno. neque enim hoc poſſum negare. itaque neceſſe eſt aut damnum, aut certè non magnum lucrum feciſſe decumanum. hoc enim ſolet uſu venire iis, qui magno redemerunt. Quid, ſi oſtendo, in hac una emtione, lucri fieri tritici modiûm c? quid, ſi cc? quid, ſi ccc? quid, ſi cccc millia? dubitatis etiam, cui iſta tanta præda quæſita ſit? Iniquum me eſſe quiſpiam dicet, qui ex lucri magnitudine conjecturam faciam furti, atque prædæ. Quid, ſi doceo, judices, eos, qui, cccc millia modiûm lucri faciunt, damnum facturos fuiſſe, [2] ſi tua iniquitas, ſi tui ex cohorte recuperatores non intercederent? num quis poterit in tanto lucro, tantaque iniquitate dubitare, quin propter improbitatem tam magnos quæſtus feceris? *propter magnitudinem*
47 *quæſtus improbus* eſſe volueris? Quomodo igitur hoc aſſequar, judices, ut ſciam, quantum lucri factum ſit? non ex Apronii tabulis, quas ego cùm conquirerem, non inveni: & cùm in jus ipſum eduxi, expreſſi, ut *conficere tabulas ſe negaret.* Si mentiebatur: quamobrem removebat, ſi hæ tabulæ nihil tibi erant obfuturæ? Si omnino [3] nullas confecerat litteras: ne id quidem ſatis ſignificabat, illum non ſuum negotium geſſiſſe. ea eſt enim ratio decumanorum, ut *ſine plurimis litteris* confici non poſſit. ſingula enim nomina aratorum, & cum ſingulis pactiones decumanorum, litteris perſequi & conficere neceſſe eſt. Jugera profeſſi ſunt aratores omnes imperio, atque inſtituto tuo: non opinor quemquam minus eſſe profeſſum, quàm, quantum araſſet, cùm tot cruces, [4] tot ſupplicia, tot ex cohorte recuperatores proponerentur. In jugero agri Leontini medimnum ferè tritici ſeritur, perpetua, atque æquabili ſatione. ager efficit, *cum octavo* bene ut agatur: verùm, ut omnes dii adjuvent, cum decumo. quod ſi quando accidit, tum fit, ut tantum decumæ ſit, quantum ſeveris: hoc eſt, ut, quot jugera ſunt ſata, totidem medimna decumæ debeantur. Hoc cùm ita eſſet: primùm illud dico, pluribus millibus medimnûm veniſſe decumas agri Leontini, quàm quot millia jugera ſata erant in agro Leontino. Quòd ſi fieri non poterat, ut plus quàm decem medimna ex jugero ararent: medimnum autem ex jugere decumano dari poterat, cùm ager, id quod *perrarò evenit*, cum decumo extuliſſet: quæ erat ratio decumani, ſi quidem decumæ, ac non bona venibant aratorum, ut pluribus aliquanto medimnis decumas emeret, quàm jugera erant ſata? In Leontino jugerûm ſubſcriptio, 48
ac profeſſio, non eſt plus xxx millium. Decumæ xxxvi. medimnis venierunt. Erravit, an potius inſanivit Apronius? immò tum inſaniſſet, ſi aratoribus, quod deberent, licitum eſſet: & non, quod Apronius imperaſſet, neceſſe fuiſſet dare. Si oſtendo, minus tribus medimnis in jugerum neminem dediſſe decumæ: concedes, opinor, ut cum decumano fructus arationis perceptus ſit, neminem minus tribus decumis dediſſe. Atque hoc in *beneficii loco* petitum eſt ab Apronio, [5] ut in jugera ſingula ternis medimnis decidere liceret. Nam cùm à multis quaterna, etiam quina exigerentur: multis autem non modò granum nullum, ſed ne *paleæ* quidem ex omni fructu, atque ex annuo labore relinquerentur: tum aratores Centuripini, qui numerus in agro Leontino maximus eſt, unum in locum convenerunt: hominem ſuæ civitatis in primis honeſtum, ac nobilem, Andronem Centuripinum, legarunt ad Apronium, eundem, quem hoc tempore ad hoc judicium, legatum & teſtem Centuripina civitas miſit: ut is apud eum cauſam aratorum ageret, ab eoque peteret, ut ab aratoribus Centuripinis *ne amplius in jugera ſingula, quàm terna medimna exigeret.* Hoc vix ab Apronio in ſummo beneficio, pro iis, qui etiam tum incolumes erant, impetratum eſt. id cùm impetrabatur, hoc videlicet impetrabatur, ut pro ſingulis decumis, ternas decumas dare liceret. Quòd ſi tua res non ageretur, à te potius poſtularent, ne amplius, quàm ſingulas, quàm ab Apronio, ut ne plus, quàm ternas decumas darent. Nunc, ut hoc tempore ea, quæ *regiè*, ſeu potius *tyrannicè*, ſtatuit in aratores Apronius, prætermittam: neque eos appellem, à quibus omne frumentum eripuit, & quibus nihil non modò de fructu, ſed ne de bonis quidem ſuis reliqui fecit: ex his ternis medimnis (quod beneficii, gratiæque cauſa conceſſit) quid lucri fiat, cognoſcite. Profeſſio eſt 49
agri Leontini ad jugerûm xxx. millia. Hæc ſunt ad tritici medimnûm xc, id eſt, tritici mod. dxl. millia, deductis tritici mod. ccxvi. millibus, quanti decumæ venierunt, reliqua ſunt tritici cccxxiv millia. adde totius ſummæ ɪↄxl millium modiûm treis quinquageſimas, id eſt, tritici modiûm xxxii millia, cccc ab omnibus enim ternæ, præ-

terea

1. *In omnium ferè finibus.*] Ut antea, *in aliorum finibus*: ſicque Nann. mſſ. nam vulgo, *in omnibus*; quod nec Hotomano ſatisfaciebat.

2. *Si tua iniquitas, ſi tui ex cohorte recuperat.*] Haud aliter Nann. cod. nam vulgata varie mutata pro ingenio correctorum. Vetuſtior, *ſi tua iniquitas ſit, ut ex cohorte, &c.* ſicque Victoriana. nam Hotom. *ſi ut tua iniquitas fuit, tui ex cohorte &c.* & Pall. ſide mox mutavi *iniquitatem* in *improbitatem*.

3. *Nullas confecerat litteras.*] Fortuitum ne eſt quod edd. vett. & Pall. expreſſerint? *nullus.*

4. *Tot ſupplicia.*] Melius iſtud longè, quod præferat Nann. mſſ. quam vulgatum, *tot judicia.*

5. *Ut in jugera ſingula.*] Pal. pr. ſec. *uti jugera, &c.*

1. Qui

tereà quinquageſimæ exigebantur. Sunt hæc jam ad CCCLVI millia, CCCC mod. tritici. At ego CCCC millia lucri facta eſſe dixeram. non enim duco in hac ratione, eos, quibus ternis medimnis non eſt licitum decidere. Verùm, ut hac ipſa ratione ſummam mei promiſſi compleam, ad ſingula medimnûm multi H-S duo, multi H-S quinque acceſſionis cogebantur dare: qui minimum, ſingula nummûm. hoc minimum ut ſequamur, quoniam XC medimnûm millia duximus, accedant eò novo, *peſſimoque exemplo* H-S XC millia. Hic mihi etiam dicere audebit, magno ſe decumas vendidiſſe, cùm ex eodem agro, dimidio *plus ipſe abſtulerit, quàm populo Rom. miſerit*? CCXVI. modiûm millibus decumas agri Leontini vendidiſti. ſi ex lege, magno: ſi, ut lex eſſet libido tua, parvo: ſi, ut, quæ dimidiæ eſſent, decumæ vocarentur: parvo vendidiſti. multo enim pluris fructus annui Siciliæ venire potuerunt, ſi id te ſenatus, aut populus Romanus facere voluiſſet. etenim ſæpe decumæ tanti venierunt, cùm lege Hieronica venirent, quanti nunc lege Verrea venierunt. Cedo mihi C. Norbani decumas venditas. *C. NORBANI DECUMÆ VENDITÆ AGRI LEONTINI.* Atqui tum neque judicium de modo jugerum dabatur: neque enim erat Artemidorus Cornelius recuperator: neque ab aratore magiſtratus Siculus tantum exigebat, quantum decumanus ediderat: nec beneficium petebatur à decumano, ut in jugera ſingula ternis medimnis *decidere liceret*: nec nummorum acceſſionem cogebatur arator dare, nec ternas quinquageſimas frumenti addere: & tamen populo Romano magnus frumenti numerus mittebatur.

50 Quid verò iſtæ ſibi quinquageſimæ, quid porrò nummorum acceſſiones volunt? quo id *jure*, atque adeò, quo id potius ore feciſti? nummos dabat arator. quomodo? aut unde? qui, ſi largiſſimus eſſe vellet, cumulatiore menſura uteretur, ut antea ſolebant facere in decumis, cùm æqua lege, & conditione venibant. Is nummum dabat. Unde? de frumento? quaſi habuiſſet, te prætore, quod venderet. De vivo igitur erat aliquid reſecandum, ut eſſet, unde Apronio ad illos fructus arationum hoc *corollarium* nummorum adderetur. Jam id porrò utrùm libentes, an inviti dabant? libentes? amabant, credo, Apronium. inviti? qua re, niſi vi & malo, cogebantur? Jam iſte, homo amentiſſimus, in vendundis decumis nummorum faciebat acceſſiones ad ſingulas decumas: neque multum; bina aut terna millia addebat. fiunt per triennium H-S fortaſſe IϽ millia. Hoc neque *exemplo* cujuſquam, neque ullo *jure* fecit: neque eam pecuniam retulit: neque hoc parvum crimen quemadmodum defenſurus ſit, homo quiſquam umquam excogitavit. Quod cùm ita ſit, audes dicere, te magno decumas vendidiſſe, cùm ſit perſpicuum, te bona, fortunaſque aratorum, non populi Rom. ſed tui quæſtus cauſa, vendidiſſe? Ut, ſi quis villicus ex eo fundo, [1] qui H-S dena meritaſſet, exciſis arboribus ac venditis, demtis tegulis, inſtrumento, pecore abalienato, domino XX. millia nummûm pro X. miſerit: ſibi alia præterea centum confecerit: primò dominus, ignarus incommodi ſui, *gaudeat*, villicoque delectetur, quod tanto ſibi plus mercedis ex fundo refectum ſit: deinde, cùm audierit, eas res, quibus fundi fructus, & cultura continetur, amotas, & venditas: ſummo *ſupplicio* villicum afficiat, & ſecum malè actum putet: item populus Rom. cum audit, pluris decumas vendidiſſe C. Verrem, quam innocentiſſimum hominem, cui iſte ſucceſſit, C. Sacerdotem, putat ſe bonum in arationibus, fructibuſque ſuis habuiſſe cuſtodem, ac villicum. cùm ſenſerit, iſtum omne inſtrumentum aratorum, omnia *ſubſidia vectigalium* vendidiſſe, omnem ſpem poſteritatis avaritia ſua ſuſtuliſſe, arationes & agros vectigaleis vaſtaſſe, atque exinaniſſe: ipſum maximos quæſtus, prædaſque feciſſe: intelliget ſecum actum eſſe peſſimè: iſtum autem ſummo ſupplicio dignum exiſtimabit.

Unde ergo hoc intelligi poteſt? ex 51
hoc maximè, quod ager decumanus provinciæ Siciliæ propter iſtius avaritiam *deſertus eſt*. neque id ſolum accidit, uti minus multis jugis ararent, ſi qui in agris remanſerunt; ſed etiam, ut permulti locupletes homines, magni & navi aratores, agros [2] lætos, ac fertileis deſererent, totaſque arationes derelinquerent. Id adeò ſciri facillimè poteſt ex literis publicis civitatum, propterea quod lege Hieronica numerus aratorum quotannis apud magiſtratus publicè ſubſcribitur. Recita tandem, quot acceperit aratores agri Leontini Verres. *OCTOGINTA TREIS.* quot anno tertio profiteantur. TRIGINTA DUO. Unum & quinquaginta aratores ita video dejectos, ut his ne vicarii quidem ſucceſſerint. Quot aratores, adveniente te, fuerunt agri Mutyenſis? videamus ex litteris publicis. *CENTUM OCTOGINTA OCTO.* Quid? anno tertio? *CENTUM ET UNUS.* Octoginta ſeptem aratores unus ager iſtius *injuria* deſiderat: atque adeò noſtra reſpub. quoniam illa populi Rom. vectigalia ſunt, hunc tot patrumfamilias numerum [3] deſiderat, & repoſcit. Ager Herbitenſis primo anno habuit aratores ducentos, quinquaginta ſeptem, tertio centum viginti. hinc centum triginta ſeptem patresfamilias extorres profugerunt. Agyrinenſis ager, quorum hominum! quàm honeſtorum! quam locupletum! ducentos quinquaginta aratores habuit primo anno præturæ tuæ. Quid tertio anno? octoginta, quemadmodum legatos Agyrinenſeis recitare ex publicis litteris audiſtis.

Prô dii immortales! ſi 52
ex provincia tota centum ſeptuaginta ejeciſſes, poſſeſne, *ſeveris judicibus*, ſalvus eſſe? Unus ager Agyrinenſis centum ſeptuaginta aratoribus inanior cùm ſit, vos conjecturam totius provinciæ non facietis? Atque hoc peræquè in omni agro decumano reperietis: quibus aliquid tamen reliqui fuerit ex magno patrimonio, eos in agris minore inſtrumento, [4] minus multis jugis, remanſiſſe, quòd metuebant, ſi receſſiſſent, ne reliquas fortunas omneis amitterent: quibus autem iſte nihil reliqui, quod perderent, fecerat, eos planè non ſolùm ex agris, verùm ex civitatibus ſuis profugiſſe. Illi ipſi, qui remanſerant, vix decuma pars aratorum relicturi agros omnes erant, niſi ad eos Metellus Roma litteras miſiſſet, ſe decumas lege Hieronica venditurum, & niſi ab iis hoc petiviſſet, ut ſererent quàm plurimum: quod illi ſemper *ſui cauſa fecerant*, cùm eos nemo rogaret, quamdiu intelligebant, ſeſe ſibi, & populo Romano, non Verri & Apronio ſerere, impendere, laborare. Jam verò, judices, ſi Siculorum fortunas negligitis: ſi, quemadmodum ſocii populi Rom. à magiſtratibus noſtris tractentur, non laboratis: at vos communem populi Rom. cauſam ſuſcipite, atque defendite. Ejectos aratores eſſe dico: agros vectigaleis vexatos, atque exinanitos à Verre: populatam, vexatamque provinciam: hæc omnia doceo litteris civitatum, & privatis primariorum virorum teſtimoniis.

Quid vultis 53
amplius? num expectatis, dum L. Metellus is, qui multos in iſtum teſteis imperio & poteſtate deterruit, idem abſens de iſtius ſcelere, improbitate, audacia teſtimonium dicat? non opinor. At is optimè, qui ſucceſſit iſti, potuit cognoſcere. Ita eſt: verùm *amicitia impeditur*. At debet nos certiores facere, quo pacto ſe habeat provincia. Debet: verumtamen non cogitur. Num quis in Verrem L. Metelli teſtimonium requirit? nemo. num quis poſtulat? non opinor. Quid ſi teſtimonio L. Metelli, ac litteris hæc omnia vera eſſe docebo? quid dicetis? utrùm Metellum falſum ſcribere? an amicum lædendi eſſe cupidum? an prætorem, quemadmodum [5] provincia affecta ſit, neſcire? Recita litteras L. Me-

1. *Qui H-S dena meritaſſet.*] Ita Pall. nam ed. vet. *mercaſſet.* Victoriana, *cui H-S dena merces eſſet*, quod & in exemplari Nanniano.

2. *Lætos & fertiles deſererent.*] Admiſi hanc ſcripturam quorundam librorum, quod magis placuiſſet Gulielmio quam altera, *latos*.

3. *Deſiderat & repoſcit.*] Fortaſſe *te poſcit*, adſcripſit oræ Gulielmius.

4. *Minus multis jugis remanſiſſe.*] Vulgati amplius, *jugis minores remanſ.* Sed ea vox abeſt Fabr. & Nann. & tantum turbat.

5. *Provincia affecta ſit.*] Nann. *afflicta.* ſed videtur alterum melius.

1. Sunt

L. Metelli, quas ad Cn. Pompejum, & M. Craſſum Coſs. quas ad M. Mummium prætorem, quas ad quæſtores urbis miſit. *EPISTOLA L. METELLI. DECUMAS FRUMENTI LEGE HIERONICA VENDIDI.* Cùm ſcribit, ſe lege Hieronica vendidiſſe, quid ſcribit? ita ſe vendidiſſe, ut omnes, præter Verrem. cùm ſcribit ſe lege Hieronica vendidiſſe, quid ſcribit? ſe per iſtum erepta Siculis majorum noſtrorum beneficia, jus ipſorum, conditionem ſocietatis, amicitiæ, fœderum reddidiſſe. dicit, quanti cujuſque agri decumas vendiderit. deinde quid ſcribit? Recita de epiſtola reliqua. [1] *SUMMA VI, DATA EST OPERA A ME, UT QUAM PLURIMO DECUMAS VENDEREM.* Cur igitur, Metelle, non ita magno vendidiſti? quia deſertas arationes, inaneis agros, provinciam miſeram, perditamque offendi. Quid? id ipſum, quod ſatum eſt, qua ratione quiſquam, qui ſereret, inventus eſt? Recita litteras. *LITTERÆ.* ait ſe miſiſſe, & præſentem confirmaſſe, ſuam interpoſuiſſe auctoritatem. [2] tantum non aratoribus Metellus obſides dedit, ſe nulla in re Verri ſimilem futurum. At quid eſt tandem, in quo ſe laboraſſe dicat? Recita. *UT ARATORES, QUI RELIQUI ERANT, QUAM PLURIMUM SERERENT.* Qui reliqui? quid hoc eſt? *reliqui?* quo ex bello? qua ex vaſtitate? quænam in Sicilia tanta clades, aut quod bellum tam diuturnum, tam calamitoſum, te prætore, verſatum eſt, ut is, qui tibi ſucceſſerit, reliquos aratores collegiſſe, & recreaſſe videatur?
54 Cùm bellis Karthaginienſibus Sicilia vexata eſt, [3] & poſt noſtra, patrumque memoria, cùm bis in ea provincia magnæ fugitivorum copiæ verſatæ ſint: tamen aratorum [4] interitio facta nulla eſt. tum, ſemente prohibita, aut meſſe amiſſa, fructus annuus interibat: tamen incolumis numerus manebat dominorum, atque aratorum. tum, qui M. Levinio, aut P. Rupilio, aut M. Aquillio, prætoribus in eam provinciam ſucceſſerant, aratores reliquos non colligebant. Tantone plus Verres cum Apronio provinciæ Siciliæ calamitatis importavit, quàm aut Haſdrubal cum Pœnorum exercitu, aut Athenio cum fugitivorum maximis copiis, ut temporibus *illis ſimulatque hoſtis ſuperatus* eſſet, ager araretur omnis, neque aratori prætor per litteras ſupplicaret, neque eum præſens oraret, ut quàm plurimùm ſereret: nunc autem, ne *poſt abitum* quidem hujus importuniſſimæ peſtis, quiſquam reperiretur, qui ſua voluntate araret? pauci eſſent reliqui, qui L. Metelli auctoritate in agros, atque ad ſuum larem familiarem redirent? His te litteris, homo audaciſſime, atque amentiſſime, jugulatum eſſe non ſentis? non vides, cùm is, qui tibi ſucceſſit, aratores reliquos appellet, hoc eum diſertè ſcribere, reliquos hos eſſe, non ex bello, neque ex aliqua hujuſmodi calamitate, ſed ex tuo ſcelere, importunitate, avaritia, crudelitate? Recita cetera. *TAMEN PRO EO, UT TEMPORIS DIFFICULTAS, ARATORUMQUE PÆNURIA TULIT.* Aratorum, inquit, pænuria. Si ego accuſator toties de re eâdem dicerem, vererer, ne animos veſtros offenderem, judices. Clamat Metellus: *niſi litteras miſiſſem.* non eſt ſatis. *niſi præſens confirmaſſem.* ne id quidem ſatis eſt. *reliquos*, inquit, *aratores.* reliquos? propè lugubri verbo calamitatem provinciæ Siciliæ ſignificat. ad-
55 dit, *Aratorum pænuria.* Exſpectate etiam, judices, exſpectate ſi poteſtis, auctoritatem accuſationis meæ. dico aratores iſtius avaritia ejectos: ſcribit Metellus, reliquos ab ſe eſſe confirmatos. dico agros relictos, arationeſque deſertas eſſe: ſcribit Metellus aratorum eſſe pænuriam. hoc cùm ſcribit, illud oſtendit, dejectos, ejectos, fortunis omnibus expulſos eſſe populi R. ſocios, atque amicos. quibus ſi qua calamitas propter iſtum, ſalvis vectigalibus noſtris, accidiſſet, animadvertere in eum vos oportebat: præſertim cùm ea lege judicaretis, quæ ſociorum cauſa eſſet conſtituta. cùm verò perditis, profligatiſque ſociis, vectigalia populi R. ſint deminuta: res frumentaria, commeatus, copiæ, ſalus urbis, atque exercituum noſtrorum in poſteritatem iſtius avaritia interierit: *ſaltem commoda populi R. reſpicite*, ſi ſociis fideliſſimis proſpicere non laboratis. Atque, ut intelligatis, ab iſto, præ lucro, prædaque præſenti, nec vectigalium, nec *poſteritatis* habitam eſſe rationem: cognoſcite, quid ad extremum ſcribat Metellus. IN RELIQUUM TEMPUS VECTIGALIBUS PROSPEXI. In reliquum tempus ait ſe vectigalibus proſpexiſſe. non ſcriberet, ſe vectigalibus proſpexiſſe, niſi hoc vellet oſtendere, te vectigalia perdidiſſe. Quid enim erat, quod vectigalibus proſpiceret Metellus in decumis, & in tota re frumentaria, ſi iſte non vectigalia populi Roman. ſuo quæſtu pervertiſſet? Atque ipſe Metellus, qui vectigalibus proſpicit, qui reliquos aratores colligit, quid aſſequitur, niſi hoc, ut arent, ſi quid poſſunt, quibus aratrum ſaltem aliquod ſatelles iſtius Apronius reliquum fecit: qui tamen in agris ſpe, atque exſpectatione Metelli remanſerunt? Quid ceteri Siculi? quid ille maximus numerus aratorum, qui non modò *ex agris ejecti* ſunt, ſed etiam ex civitatibus ſuis, ex provincia, denique bonis, fortuniſque omnibus ereptis, profugerunt? qua ratione ii revocabuntur? quot prætorum innocentia, ſapientiaque opus eſt, ut illa aratorum multitudo aliquando 56
in ſuis agris, ac ſedibus collocetur? Ac, ne miremini, tantam multitudinem profugiſſe, quantam ex litteris publicis, aratorumque profeſſionibus cognoviſtis: ſcitote, tantam acerbitatem iſtius, tantum ſcelus in aratores fuiſſe (incredibile dictu eſt, judices: ſed & factum, & tota Sicilia pervulgatum) ut homines, propter injurias, licentiamque decumanorum, *mortem ſibi ipſi conſciverint.* Centuripinum Dioclem, hominem locupletem ſuſpendiſſe ſe conſtat, quo die ſit ei nuntiatum, Apronium decumas redemiſſe. Dyrrachinum, primum civitatis eadem ratione mortem oppetiſſe dixit apud vos homo nobiliſſimus, Archonidas Elorinus, cùm audiſſet tantum decumanum profeſſum eſſe ex edicto iſtius ſibi deberi, quantum ille bonis ſuis omnibus efficere non poſſet. Hæc tu, tametſi omnium hominum diſſolutiſſimus, crudeliſſimuſque ſemper fuiſti, tamen numquam perpeterere, quòd illi gemitus, luctuſque provinciæ ad tui capitis periculum pertinebant: non, inquam, perpeterere, ut homines injuriæ tuæ remedium morte, ac ſuſpendio quærerent, niſi ea res ad *quæſtum*, *& ad prædam tuam pertineret.* Quid? illud perpeterere? attendite judices, [5] omnibus enim nervis mihi connitendum eſt, atque in hoc laborandum, ut omnes intelligant, quàm improbam, quàm manifeſtam, quàm confeſſam rem pecunia redimere conentur. Grave crimen eſt hoc, & vehemens, & poſt hominum memoriam, judiciaque de pecuniis repetundis conſtituta, graviſſimum, prætorem populi Roman. *ſocios ha-* 57
buiſſe decumanos. Non hoc nunc primùm audit privatus de inimico, reus ab accuſatore. jam antea in ſella ſedens prætor, cùm provinciam Siciliam obtineret, cùm ab omnibus non ſolùm, id quod commune eſt propter imperium, ſed etiam, (id quod iſtius præcipuum eſt,) propter crudelitatem metueretur, millies audivit, cùm ejus animum ad perſequendum non negligentia tardaret, ſed *conſcientia ſceleris*, avaritiæque ſuæ refrenaret. Loquebantur enim decumani palàm, & præter ceteros is, qui apud iſtum plurimùm poterat, maximoſque agros populabatur, Apronius: PERPARVUM ex illis magnis lucris ad ſeſe pervenire: prætorem eſſe ſocium. Hoc cùm palàm decumani tota provincia loquerentur, tuumque nomen in re tam turpi, nefariaque interponerent: nihil ne tibi venit in mentem exiſtimationi tuæ con-

1. *Summa vi data eſt à me opera.*] Addidi ſyllabam *vi* ex mſſ. Nannii. Ita Orat. præcedente: *Hominem ſumma vi retinere cœpit.*

2. *Tantum non aratoribus Met. obſ. dedit.*] Ita Victorii editio & liber Nannii. aliæ, *tantum quod arat. Met. obſ. non dedit.*

3. *Et poſt noſtra patrumque momoria, cum bis in ea.*] Ita quidam libri Hotomani. aliæ edd. *noſtram patr. memoriam.*

4. *Interitio.*] Sic Pall. ſic Nann. probatque Victorius lib. III. Variar. lect. cap. 2. antea erat *internicio.*

5. *Omnibus enim nervis mihi connitendum.*] Melius ita liber Nannii, quàm hactenus vulgati, *contendendum.*

conſulere? nihil denique capiti, ac fortunis tuis providere? cùm tui *nominis terror* in auribus, animiſque aratorum verſaretur: cùm decumani aratoribus ad pactiones faciendas, non ſuam vim, ſed tuum ſcelus, ac nomen opponerent: ecquod judicium Romæ tam diſſolutum, tam perditum, tam *nummarium* fore putaſti, quo ex judicio te ulla ſalus ſervare poſſet? cùm planum fieret, decumis contra inſtituta, leges, conſuetudinemque omnium venditis, in aratorum bonis, fortuniſque diripiendis decumanos dictitaſſe tuas eſſe parteis, tuam rem, tuam prædam: idque te tacuiſſe, &, cùm diſſimulare non poſſes, potuiſſe tamen perpeti, & perferre, quòd *magnitudo lucri obſcuraret periculi magnitudinem*, pluſque aliquanto apud te pecuniæ cupiditas, quàm judicii metus poſſet? Eſto. cetera negare non potes. ne illud quidem tibi reliquum feciſti, ut hoc poſſes dicere, *nihil eorum te audiſſe*, nihil ad tuas aureis de infamia tua perveniſſe. Querebantur cum luctu, & gemitu aratores. Tu id neſciebas? Fremebat tota provincia. nemo id tibi renuntiabat? Romæ querimoniæ de tuis injuriis, conventuſque habebantur. ignorabas hæc? ignorabas hæc omnia? quid? cùm palam Syracuſis, te audiente, maximo conventu P. Rubrius Q. Apronium ſponſione laceſſivit, NI APRONIUS DICTITARET, TE SIBI IN DECUMIS ESSE SOCIUM: hæc te vox non perculit? non perturbavit? non, ut capiti, & fortunis tuis proſpiceres, excitavit? Tacuiſti: ſedaſti etiam liteis illorum: & ſponſio illa ne fieret, laboraſti. Prò,
58 dii immortales! hoc aut innocens homo perpeti potuiſſet, aut quamvis nocens, qui modò judicia Romæ fore putaret, [1] non aliqua ſimulatione exiſtimationi ſe hominum venditaſſet? Quid eſt hoc? ſponſio fit de capite, ac fortunis tuis. tu ſedes, & quieſcis? non perſequeris? non perſeveras? non perquiris, cui dixerit Apronius? quis audierit? unde hoc natum, quemadmodum prolatum ſit? Si quis tibi *ad aurem acceſſiſſet*, & dixiſſet, Apronium dictitare, te ſibi eſſe ſocium: commoveri te oportuit, vocare Apronium, nec illum antè tibi ſatisfacere, quàm tu omnium exiſtimationi ſatisfeciſſes. cùm verò in foro celeberrimo, tanta frequentia, hoc, verbo & ſimulatione, Apronio; re vera, tibi objectum eſſet: tu umquam *tantam plagam tacitus accipere* potuiſſes, niſi hoc ita ſtatuiſſes, in re tam manifeſta quidquid dixiſſes, te deterius eſſe facturum? Quæſtores, legatos, præfectos ſuos, tribunos, multi miſſos fecerunt, & de provincia decedere juſſerunt, quòd eorum culpa ſe *minus commodè audire* arbitrarentur, aut quòd peccare illos aliqua in re judicarent. Tu Apronium, hominem vix liberum, contaminatum, perditum, flagitioſum: [2] qui non modò animum integrum, ſed ne animam quidem puram conſervare potuiſſet, [3] eum in tanto tuo dedecore profectò, ne verbo quidem graviore appellaſſes: neque apud te tam ſancta religio ſocietatis fuiſſet, ut tui *capitis periculum* negligeres, niſi rem tam notam eſſe omnibus, & tam manifeſtam videres. Cum eodem Apronio poſtea P. Scandilius, eques Roman. quem vos omnes noſtis, eandem ſponſionem de ſocietate fecit, quam Rubrius facere voluerat. Inſtitit, oppreſſit, non remiſit: [4] facta eſt ſponſio H-S v. mil. cœpit
59 Scandilius recuperatores, aut judicem poſtulare. Satiſne vobis prætori improbo circumdati cancelli videntur in ſua provincia; immò verò in ſella, ac tribunali: ut aut de ſuo capite judicium fieri patiatur præſens, ac ſedens: aut confiteatur, ſe omnibus judiciis convinci neceſſe eſſe? Sponſio eſt, NI TE APRONIUS IN DECUMIS SOCIUM ESSE DICAT: provincia tua eſt: ades: abs te judicium poſtulatur. Quid facis? quid decernis? Recuperatores dicis te daturum. bene agis: tametſi qui erunt *tantis cervicibus* recuperatores, qui audeant in provincia, cùm prætor adſit, non ſolùm contra voluntatem ejus, ſed etiam contra fortunas judicare? Verùm eſto. manifeſta res eſt, cùm nemo eſſet, quin hoc ſe audiſſe liquidò diceret, locupletiſſimus quiſque, certiſſimus teſtis eſſet: nemo erat Sicilia tota, qui neſciret decumas eſſe prætoris; nemo, qui non audiſſet ita Apronium dictitaſſe: præterea conventus honeſtus Syracuſis, multi equites Romani, viri primarii, ex qua copia recuperatores rejici oporteret, qui aliter judicare nullo modo poſſent. Inſtat Scandilius poſcere recuperatores. tum iſte homo, innocens, qui illam ſuſpicionem levare, atque ab ſe removere cuperet, recuperatores dicit ſe *de cohorte ſua daturum*. Prò deûm, hominumque fidem! quem ego ac- 60
cuſo? in quo meam induſtriam, ac diligentiam ſpectari volo? quid eſt, quod ego dicendo, aut cogitando efficere, aut aſſequi debeam? teneo, teneo, inquam, in mediis vectigalibus populi R. in ipſis fructibus provinciæ Siciliæ furem [5] manifeſtò avertentem rem frumentariam omnem, pecuniam maximam: teneo, inquam, ita, ut negare non poſſit. nam quid hic dicet? Sponſio facta eſt cum cognitore tuo Apronio de fortunis tuis omnibus, [6] NI SOCIUM ſe tibi in decumis eſſe dictitaret. exſpectant omnes, quantæ tibi ea res curæ ſit, quemadmodum *hominum exiſtimationi* te atque innocentiam tuam probari velis. Hîc tu medicum, & haruſpicem, & præconem tuum, recuperatores dabis, aut etiam illum ipſum, quem tu in cohorte tua Caſſianum judicem habebas, ſi qua res major eſſet, Papirium Potamonem, hominem ſeverum, ex vetere illa equeſtri diſciplina? Scandilius poſtulare de conventu recuperatores. Tum iſte negat *ſe de exiſtimatione ſua cuiquam, niſi ſuis, commiſſurum*. NEGOTIATORES putant eſſe turpe, id forum ſibi iniquum ejurare, ubi negotientur. Prætor provinciam ſuam totam ſibi iniquam ejurat. O impudentiam ſingularem! Hic poſtulat ſe Romæ abſolvi, qui in ſua provincia judicavit, ſe abſolvi nullo modo poſſe? qui plus exiſtimet apud lectiſſimos ſenatores *pecuniam*, quàm apud treis negotiatores *metum* valere? Scandilius verò negat ſeſe apud Artemidorum recuperatorem verbum eſſe facturum: [7] & tamen auget, atque onerat te bonis conditionibus, ſi tu uti velis. SI EX PROVINCIA Sicilia tota ſtatuas idoneum judicem, aut recuperatorem nullum poſſe reperiri, poſtulat à te, ut Romam rejicias. Hic enimvero tu exclamas, hominem improbum, qui poſtulet ibi de tua exiſtimatione judicium fieri, ubi te invidioſum eſſe intelligebat. negas te Romam rejecturum: negas de conventu recuperatores daturum: cohortem tuam proponis. Scandilius rem ſe totam relicturum dicit, & ſuo tempore eſſe rediturum. Quid tu ibi tum? quid facis? Scandilium cogis. quid? ſponſionem acceptam facere? Impudenter tollis exſpectatum exiſtimationis tuæ judicium. non facis. Quid ergo? Apronio permittis, ut, quos velit, de cohorte ſumat recuperatores? Indignum, uni potius *ex iniquis* ſumendi, quam utriſque ex æquis rejiciendi fieri poteſtatem. Neutrum facis eorum. Quid ergo? [8] eſt aliquid, quod improbiùs fieri poteſt. cogit enim Scandilium quinque illa millia nummûm dare, atque adnumerare Apronio. Quid potuit elegantiùs facere 61
præ-

1. *Non aliqua ſe ſimulatione exiſtimationi hominum venditaſſet.*] Haud aliter editio Victorii, niſi quod ultimo verbo finxerit, *vindicaſſet*, contra Pall. & Nann.

2. *Qui non modo animum integrum, &c.*] Periodus tota *impura*, nihil tamen eluunt mſſ. noſtri aut edd. vett.

3. *Eum in tanto tuo dedecore profectò, ne verbo quidem graviore appellaſſes.*] Varie vexatus heic locus. mihi ſatis erit, indicare, nihil mutare editiones priſcas, aut Pall. niſi quod primus, præferat, *profectò ne verbo quidem, verbo quidem graviore appellaſſes*. iidem mox ſervant illud *neque*, quod Hotomanus mutatum cupiebat in *atque*.

4. *Facta eſt ſponſio* H-S. v. *mil.*] Pall. uterque rejicit illud *mil.* ſecundus vero virgulam habet ſupra v. edd. primæ etiam non agnoſcunt illud *mil.*

5. *Manifeſtò avertentem.*] Nannii codex, *averrentem*.

6. *Ni ſocium ſe tibi.*] Ita liber Nannii, alii *ni te ſocium ſibi*, aut, *ni ſocium te ſibi*, minus appoſitè.

7. *Et tamen auget atque onerat, &c.*] Lambinianæ, *urget atque*. interim hæreo num & heic locum habere poſſit, *ornat*.

8. *Eſt aliquid quod improbius fieri poteſt.*] Eleganter: tanquam ſi ne illo quidem uſurus fuiſſet, ſi reperire potuiſſet quidpiam impudentius.

1. H-S v.

prætor *cupidus exiſtimationis bonæ:* qui ab ſeſe omnem ſuſpicionem propulſaret? qui ſe eripere ex infamia cuperet? Adductus erat in ſermonem, invidiam, vituperationem. dictitarat homo improbus, atque impurus, Apronius, ſocium eſſe prætorem: venerat res in judicium, atque diſcrimen: poteſtas erat iſti, homini integro, atque innocenti data, ut, *in Apronium cùm animadvertiſſet, ſeſe graviſſima levaret infamia.* Quid excogitat pœnæ? quid animadverſionis in Apronium? cogit Scandilium Apronio ob ſingularem improbitatem, atque audaciam, prædicationemque nefariæ ſocietatis, [1] H-S V. millia [2] mercedis ac præmii dare. Quid interfuit, homo audaciſſime, utrùm hoc decerneres: an id, quod Apronius dictitabat, tute de te profitere, ac dictitares? quem hominem, ſi quis pudor in te, atque adeò ſi quis metus fuiſſet, ſine ſupplicio dimittere non debuiſti: hunc abs te ſine præmio diſcedere noluiſti. Omnia ſimul intelligere potuiſtis, judices, ex uno crimine Scandiliano: primùm, hoc non eſſe Romæ natum de ſocietate decumarum, non ab accuſatore fictum: non (ut ſolemus interdum in defenſionibus dicere) *crimen domeſticum*, ac vernaculum, non ex tempore periculi tui conſtitutum: [3] ſed vetus, excogitatum jam, &, te prætore jactatum, & non ab inimicis Romæ compoſitum, ſed Romam de provincia exportatum. Simul intelligi poteſt illud iſtius in Apronium ſtudium, Apronii de iſto non modò confeſſio, verùm etiam commemoratio. eodem accedit, quòd hoc quoque intelligere poteſtis, iſtum ſtatuiſſe, in provincia ſua, *exiſtimationis ſuæ judicium* extra cohortem ſuam committendum

62 fuiſſe nemini. Ecquis eſt judex, cui non ab initio decumani criminis perſuaſum ſit, iſtum in aratorum bona, fortunaſque impetum feciſſe? quis hoc non ex eo ſtatim judicavit, quod oſtendi, iſtum decumas nova lege, atque adeò nulla lege, contra omnium conſuetudinem, atque inſtituta vendidiſſe? Verùm, ut iſtos ego judices tam ſeveros, tam diligenteis, tam religioſos non haberem: ecquis eſt, ex injuriarum magnitudine, improbitate decretorum, judiciorum iniquitate, qui hoc non jamdudum ſtatuerit, & judicarit? Etiam ſanè ſit aliquis *diſſolutior in judicando:* legum, officii, reip. ſociorum, atque amicorum negligentior: quid? is poſſitne de iſtius improbitate dubitare, cùm tanta lucra facta, tam iniquas pactiones, vi & metu expreſſas cognoverit? cùm tanta præmia civitates, vi, atque imperio, virgarum, ac mortis metu, non modò Apronio, atque ejus ſimilibus, verùm etiam Veneriis ſervis dare coactas. Quod ſiquis ſociorum incommodis minus movetur: ſi quem aratorum fugæ, calamitates, exſulia, ſuſpendia denique non permovent: non poſſum dubitare, quin is tamen, cùm vaſtatam Siciliam, relictos agros, ex civitatum litteris, & epiſtola L. Metelli cognoverit: ſtatuat, fieri non poſſe, ut de iſto non *ſeveriſſimè judicetur.* Erit etiam aliquis, qui hæc omnia diſſimulare, ac negligere poſſit. Attuli ſponſiones ipſo præſente factas de decumarum ſocietate, ab ipſo prohibitas judicari. quid eſt, quod poſſet quiſquam manifeſtius hoc deſiderare? Non dubito, quin vobis ſatisfecerim, judices. verumtamen progrediar longiùs: non mehercule quo magis hoc vobis perſuadeatur, quàm jam perſuaſum eſſe confido: ſed ut ille aliquando impudentiæ ſuæ finem faciat: aliquando deſinat, ea ſe putare poſſe *emere*, quæ ipſe ſemper habuit venalia, fidem, jusjurandum, veritatem, officium, religionem: deſinant amici ejus ea dictitare, quæ detrimento, maculæ, invidiæ, [4] infamiæ nobis omnibus eſſe poſſint. At qui amici? O miſerum, atque invidioſum, offenſumque paucorum culpa, atque indignitate ordinem ſenatorium! Albam Æmilium ſedentem in faucibus macelli loqui palàm, VICISSE Verrem, emptos habere judices, alium H-S CCC millibus, alium H-S IↃ, quem minimo, CCC. Atque ei cùm reſponſum eſſet, fieri non poſſe: multos teſteis eſſe dicturos, me præterea cauſæ non defuturum: LICET hercules, inquit [5] omnes omnia dicant in illum: niſi ita res manifeſta erit allata, ut reſponderi nihil poſſit, vicimus. Bene agis Alba: ad tuam veniam conditionem. nihil putas *valere in judiciis* conjecturam, nihil ſuſpicionem: nihil anteactæ vitæ exiſtimationem, nihil bonorum virorum teſtimonia, nihil civitatum auctoritates, ac teſtimonia: [6] litteras manifeſtas quæris. Non quæro *judices Caſſianos:* veterem judiciorum ſeveritatem non requiro: veſtram in hoc fidem, dignitatem, religonem in judicando non imploro: Albam habebo judicem, eum hominem, qui ſe ipſe ſcurram improbiſſimum exiſtimari vult: qui à ſcurris potiùs ſemper gladiator, quàm ſcurra appellatus ſit. afferam rem ejuſmodi in decumis, ut Alba fateatur, iſtum in re frumentaria, & in bonis aratorum apertè, *palamque eſſe prædatum.* Decumas agri Leontini magno 63
dicit ſe vendidiſſe. Oſtendi jam illud initiò, non exiſtimandum magno vendidiſſe eum, qui verbo decumas vendiderit: re, & conditione, & lege, & edicto, & licentia decumanorum, decumas aratoribus nullas reliquas fecerit. etiam illud oſtendi, vendidiſſe alios magno decumas agri Leontini, ceterorumque agrorum: & lege Hieronica vendidiſſe: & pluris etiam, quàm te vendidiſſe: nec aratorem quemquam eſſe queſtum. nec enim fuit quòd quiſquam queri poſſet, cùm lege æquiſſimè ſcripta venirent: neque illud umquam *aratoris interfuit*, quanti decumæ venirent. non enim ita eſt, ut, ſi magno venierint, plus arator debeat: ſi parvo, minus. Ut frumenta nata ſunt, ita decumæ veneunt. aratoris autem intereſt, ita ſe frumenta habere, ut decumæ quàm plurimo venire poſſint. dum arator ne plus decuma det, expedit ei [7] decumam eſſe quàm maximi. Verùm hoc, ut opinor, eſſe vis caput defenſionis tuæ, magno te decumas vendidiſſe [8] [atque aliorum quidem agrorum proportione magno decumas vendidiſſe] agri verò Leontini, qui plurimum efficit, tritici mod. CCXVI millibus. Si doceo, pluris aliquanto potuiſſe te vendere, neque his voluiſſe addicere, qui contra Apronium licerentur: & Apronio multo minoris, quàm aliis potueris, tradidiſſe: ſi hoc doceo; poteritne te Alba, tuus antiquiſſimus non ſolùm amicus, verùm etiam amator, abſolvere? Dico equi- 64
tem Roman. hominem in primis honeſtum, Q. Minucium, cum ſui ſimilibus, ad decumas agri Leontini tritici mod. non CIↃ, non CIↃ CIↃ, non CIↃ CIↃ CIↃ, ſed ad unas unius agri decumas tritici mod. XXX millia voluiſſe addere, & ei poteſtatem emendi non eſſe factam, ne res abiret ab Apronio. negare hoc, niſi fortè negare omnia conſtituiſti, nullo modo potes. *palàm res geſta eſt*, maximo conventu, Syracuſis: teſtis eſt tota provincia, propterea quòd undique ad emendas decumas ſolent eò convenire. quod ſive fateris, ſive convinceris; quot, & quam [9] manifeſtis in rebus teneare, non vides? primùm tuam rem illam, & prædam fuiſſe. nam, niſi ita eſſet, cur tu Apronium malebas, (quem omnes tuum procurare in decumis negotium loquebantur) quàm

1. H-S V. *millia.*] Nannii liber, H-S. *quingenta millia.* cui refragantur quæ proxime præceſſere.

2. *Mercedis ac præmii dare.*] Nannii idem exemplar iſtud habet. vulgabatur antea amplius, *mercedis nomine ac præmii.*

3. *Sed vetus, excogitatum jam.*] Corrigit Gulielmius, *exagitatum.* à Rubrio, ſcilicet & Scandilio.

4. *Infamiæ nobis omnibus eſſe poſſint.*] Conjicit Gulielmius, *bonis omnibus.*

5. *Omnes omnia dicant in illum: niſi &c.*] Interpunctio à me eſt, lectio à vetere libro Hotomani: prius editi, *dicant. in illo niſi, &c.* P. Manutius omiſit *in illo*, haud poterat ſe expedire facilius.

6. *Literas manifeſtas quæris.*] Hæc eſt omnium edd. & Pall. lectio. Hotomanus reſcribit, *auctoritates, teſtimonia, literas; res manifeſtas quæris.*

7. *Decumam eſſe quam maximi.*] Eſt à cod. ſcripto Hotomanni & Lambini. vulgo *maximam.*

8. [*Atque aliorum.*] Uncis incluſa ſunt à mſ. Lambini, quem non deſcribit. nolui auctoritatem ejus contemnere, ſed dignum non duxi, cui plenaria adhiberetur fides. itaque locum feci notabilem, neque enim horum litera ulla in Pall. aut edd. vetuſtis.

9. *Manifeſtis in rebus teneare.*] Vulgata, *maximis.* ſed alterum eruit e ſuo Nannius.

1. *Totum*

quàm Minucium, decumas agri Leontini ſumere? deinde immenſum, atque infinitum lucrum eſſe factum. nam ſi XXX millibus mod. tritici tu commotus non eſſes: certe hoc idem lucri Minucius Apronio libenter dediſſet, ſi ille accipere voluiſſet. Quantam igitur illi ſpem prædæ propoſitam arbitramur fuiſſe, qui *tantum præſens lucrum, nulla opera inſumta, contemſerit*, atque deſpexerit? deinde ipſe Minucius numquam tanti habere voluiſſet, ſi decumas tu lege Hieronica venderes: ſed quòd tuis novis edictis, & iniquiſſimis inſtitutis plus aliquanto ſe, quàm decumas, ablaturum videbat, idcirco longiùs progreſſus eſt. At Apronio ſemper plus etiam multo abs te permiſſum eſt, quàm quod edixeras. Quantum igitur quæſtum putamus factum eſſe per eum, cui *quidvis licitum ſit*: cùm tantum lucri voluerit addere is, cui, ſi decumas emiſſet, idem non liceret? Poſtremò illa quidem certè tibi præciſa defenſio eſt, in qua tu ſemper omnia tua furta, atque flagitia latère poſſe arbitratus es: magno te decumas vendidiſſe: *plebi Romanæ conſuluiſſe*: annonæ proſpexiſſe. Non poteſt hoc dicere is, qui negare non poteſt, ſe unius agri decumas XXX millib. mod. minoris, quàm potuerit, vendidiſſe: ut etiam, ſi tibi hoc concedam, Minucio ideò te non tradidiſſe, quòd jam addixiſſes Apronio: ajunt enim te ita dictitare; quod ego exſpecto, cupioque te ita illud defendere. verùm ut ita ſit, tamen non potes hoc, quaſi præclarum aliquid, prædicare, magno te decumas vendidiſſe, cùm fuiſſe fateare, qui multo
65 pluris voluerint emere. Tenetur igitur jam, judices, & manifeſtò tenetur avaritia, cupiditas hominis, ſcelus, improbitas, audacia. Quid ſi hæc, quæ dico, ipſius amici, defenſoreſque judicarunt? quid vultis amplius? Adventu L. Metelli, prætoris, cùm omneis ejus comites iſte ſibi ſuo illo *panchreſto medicamento* amicos reddidiſſet; aditum eſt ad Metellum: eductus eſt Apronius: eduxit vir primarius C. Gallius, ſenator: poſtulavit à L. Metello, ut ex edicto ſuo judicium daret in Apronium, QUOD PER VIM, AUT METUM ABSTULISSET: quam formulam Octavianam, & Romæ Metellus habuerat, & habebat in provincia. non impetrat: cùm hoc diceret Metellus, *præjudicium* à ſe de capite C. Verris per hoc *judicium* nolle fieri. Tota Metelli cohors, hominum non ingratorum, aderat Apronio. C. Gallius, homo noſtri ordinis, à ſuo familiariſſimo L. Metello judicium ex edicto non poteſt impetrare. Non reprehendo Metellum. *pepercit homini amico*, & quemadmodum ipſum dicere audivi, neceſſario. non reprehendo, inquam, Metellum: ſed hoc miror, quomodo, de quo homine præjudicium noluerit fieri per recuperatores, de hoc ipſo non modò præjudicarit, verùm graviſſimè, ac vehementiſſimè judicarit. Primùm enim, ſi Apronium abſolutum iri putaret: nihil erat, quòd ullum præjudicium vereretur. deinde, ſi, condemnato Apronio, conjunctam cum eo Verris cauſam omnes erant exiſtimaturi: Metellus quidem certè jam hoc judicabat, eorum rem, cauſamque eſſe conjunctam: qui ſtatuerit, Apronio condemnato, de iſto præjudicium futurum. & ſimul una res utrique rei eſt argumento: & aratores *vi & metu coactos* Apronio multo plus, quàm debuerint, dediſſe: & Apronium iſtius rem ſuo nomine egiſſe, cùm L. Metellus ſtatuerit non poſſe Apronium condemnari, quin ſimul de iſtius ſcelere, atque improbitate judicaretur. Venio nunc ad Epiſtolam Timarchidis, liberti iſtius, & accenſi: de qua cum dixero, [1] totum hoc crimen decumanum perorabo. Hæc epiſtola eſt, judices, quam nos Syracuſis in ædibus Apronii, cum litteras conquireremus, invenimus. miſſa eſt, ut ipſa ſignificat, ex itinere, cum Verres jam de provincia deceſſiſſet, Timarchidis manu ſcripta. Recita [2] epiſtolam Timarchidis: TIMARCHIDES VERRIS ACCENSUS APRONIO SALUTEM DICIT. Jam hoc quidem non reprehendo, quod adſcripſit, 66
Accenſus. cur enim ſibi hoc ſcribæ ſoli ſumant? L. PAPIRIUS SCRIBA. volo ego hoc eſſe commune accenſorum, lictorum viatorum. FAC DILIGENTIAM ADHIBEAS, QUOD AD EXISTIMATIONEM PRÆTORIS ATTINET. commendat Apronio Verrem, & hortatur, ut inimicis ejus reſiſtat. Bono præſidio munitur exiſtimatio tua: ſi quidem in Apronii conſtituitur diligentia, atque auctoritate. HABES VIRTUTEM, ATQUE ELOQUENTIAM. Quàm copioſe laudatur Apronius à Timarchide! quàm magnificè! cui ego non putem illum placere oportere, qui tantopere Timarchidi probatus ſit! HABES SUMTUM UNDE FACIAS. Neceſſe eſt, quod redundarit de veſtro frumentario quæſtu, ad illum potiſſimùm, per quem agebatis, defluxiſſe. SCRIBAS, APPARITORES RECENTEIS ARRIPE. CUM L. VULTEIO, QUI PLURIMUM POTEST, CÆDE, CONCIDE. Videte quàm valde [3] malitiæ ſuæ confidat Timarchides, qui etiam Apronio improbitatis præcepta det. Jam hoc, CÆDE, CONCIDE, nonne, verba domo patroni depromere videtur, ad omne genus nequitiæ accommodata? *VOLO [4] MI FRATER FRATERCULO TUO CREDAS.* Conſorti quidem in lucris, atque furtis, gemino & ſimillimo nequitia, improbitate, audacia. [5] *IN COHORTE CARUS HABEBERE.* Quid eſt hoc, *IN COHORTE?* quò pertinet? Apronium doces? quid? in veſtram cohortem, te monitore, an ſua ſponte pervenerat? *QUOD CUIQUE OPUS SIT, OPPONE.* Qua impudentia putatis eum in *dominatione* fuiſſe, qui in *fuga* tam improbus ſit? ait, omnia pecunia effici poſſe: [6] da, profunde, oppone, ſi velis vincere. Non hoc mihi tam moleſtum eſt, Apronio ſuadere Timarchidem, quàm quòd hoc idem patrono ſuo præcipit. *TE POSTULANTE OMNES VINCERE SOLENT.* Verre quidem prætore, non Sacerdote, non Pæduceo, non hoc ipſo Metello. *SCIS METELLUM SAPIENTEM ESSE.* [7] Hoc verò ferri jam non poteſt, irrideri viri optimi, L. Metelli, ingenium, & contemni, ac deſpici à fugitivo Timarchide. *SI VULTEIUM HABEBIS, OMNIA [8] LUDIBUNDUS CONFICIES.* Hìc vehementer errat Timarchides, qui aut Vulteium pecunia corrumpi putet poſſe, aut Metellum *unius arbitratu* gerere præturam. ſed erravit conjectura domeſtica: quia multos per ſe, & per alios multa ludibundos libidinoſe apud Verrem effeciſſe vidit: ad omneis, eoſdem patere aditus arbitrabatur. facilius vos efficiebatis ludibundi, quæ volebatis à Verre, quòd multa ejus ludorum genera noratis. *INCULCATUM EST METELLO, ET VULTEIO, TE ARATORES EVERTISSE.* Quis iſtuc Apronio attribuebat, cùm aratorem aliquem everterat? aut Timarchidi, cùm ob judicandum, aut decernendum, aut imperandum aliquid, aut remittendum, pecuniam acceperat? aut Sextio lictori, cùm aliquem innocentem ſecuri percuſſerat? nemo. omnes ei Verri tunc attribuebant, quem nunc condemnari volunt. *OBTUDERUNT EJUS AUREIS, TE SOCIUM PRÆTORIS FUISSE.* Videſne, hoc quàm clarum ſit, ac fuerit? cùm etiam Timarchides hoc metuat: concedes, non hoc crimen nos in te confingere, ſed jampridem ad crimen aliquam *defenſionem* libertum quærere. libertus, & accenſus tuus,

1. *Totum hoc crimen, perorabo.*] Nannianum exemplar, *ferraro.*

2. *Epiſtolam Timarchidis.*] Lambinus heic & infra aliquoties reponit, *Timarchidi.*

3. *Malitiæ ſuæ confidat.*] Lambini editiones *militiæ*, ſed contra alias edd. & Pall. vide Lipſium libro V. Epiſtolicar. quæſtionum Epiſtol. 14.

4. *Mi frater fraterculo.*] Ita Lambinus ex Nannii codice. nam antea editi, *mihi fraterculo.*

5. *In cohorte carus habebere.*] Eſt à Nann. mſſ. melius quam vulgatum, *habeare.*

6. *Da, profunde, oppone, ſi velis &c.*] Sitne à conjectura, an libro Hotomani, neſcio. editi & ſcripti noſtri, *dare, profundere, opponere, ſi velis.*

7. *Hoc verò ferri jam non poteſt.*] Pal. pr. *fieri utique jam &c.* ſec. *ſperari jam &c.* illud *utique* non diſplicet.

8. *Ludibundus conficies.*] Haud aliter Nannii exemplar. publicati antea *perficies.*

tuus, & tibi ac liberis tuis, omnibus in rebus, conjunctus ac proximus, ad Apronium ſcribit vulgò eſſe ab omnibus ita demonſtratum Metello, tibi Apronium in decumis ſocium fuiſſe. *FAC SCIAT IMPROBITATEM ARATORUM. IPSI SUDABUNT, SI DII VOLUNT.* Quod iſtuc, per deos immortaleis, aut qua de cauſa excitatum eſſe dicamus in aratores tam infeſtum odium, atque tantum? quantam injuriam fecerunt Verri aratores, ut eos etiam libertus & accenſus ejus tam irato
68 animo, his litteris inſequatur? Neque ego hujus fugitivi, judices, epiſtolam vobis recitaſſem, niſi ut ex ea totius familiæ præcepta, & inſtituta, & diſciplinam cognoſceretis. Videtis, ut moneat Apronium? quibus rebus, ac muneribus ſe inſinuet in familiaritatem Metelli? Vulteium corrumpat? ſcribas, accenſumque pretio deliniat? ea præcipit, quæ vidit: ea monet alienum hominem, quæ domi didicit ipſe. verùm in hoc errat uno, quòd eaſdem exiſtimat vias *ad omnium familiaritates* eſſe munitas. Quamquam meritò ſum iratus Metello: tamen hæc, quæ vera ſunt, dicam. Apronius ipſum Metellum non *pretio*, ut Verrem, non *convivio*, non *muliere*, [1] non *ſermone incauto*, atque improbo poſſet corrumpere: quibus rebus non ſenſim, atque moderatè ad iſtius amicitiam adrepſerat, ſed brevi tempore totum hominem, totamque ejus præturam poſſederat. Cohortem autem Metelli, quam vocat, quid erat, quòd corrumperet, ex qua recuperatores nulli dabantur? Nam quòd ſcribit, Metelli filium puerum eſſe, vehementer errat. non enim ad omneis prætorum filios iidem aditus ſunt. O Timarchide, Metelli eſt filius in provincia, non puer, ſed adoleſcens bonus ac pudens, dignus illo loco ac nomine. veſter ille puer prætextatus, in provincia quemadmodum fuiſſet, non dicerem, ſi *pueri eſſe illam culpam, ac non patris* exiſtimarem. Tune, cùm te, ac tuam vitam noſſes, in Siciliam tecum grandem prætextatum filium ducebas? ut, etiam ſi natura puerum à paternis vitiis, atque à generis ſimilitudine abduceret, *conſuetudo* tamen eum, & diſciplina degenerare non ſineret? Fac enim fuiſſe in iſto C. Lælii, M. Catonis [2] materiem, atque indolem: *QUID EX EO* boni ſperari, atque effici poteſt, qui in patris luxurie ſic vixerit, ut nullum umquam pudicum, neque ſobrium convivium viderit? qui in epulis quotidianis, adulta ætate, per triennium inter impudicas mulieres, & intemperanteis viros verſatus ſit? nihil umquam à patre audierit, quo pudentior, aut melior eſſet? nihil umquam patrem agere viderit, quòd cum imitatus [3] eſſet, non, id quòd turpiſſimum eſt, patri ſimilis putaretur? Quibus in rebus non ſolùm filio, verùm etiam
69 *reip. feciſti injuriam.* Suſceperas enim liberos non ſolùm tibi, ſed etiam patriæ: qui non modo tibi voluptati, ſed etiam qui aliquando uſui reip. eſſe poſſent. Eos inſtituere, atque erudire ad majorum inſtituta, atque civitatis diſciplinam, non [4] ad tua flagitia, neque ad tuas turpitudines debuiſti. Eſſet ex inerti, atque impuro, & improbo parente navus, & pudens, & probus filius. haberet aliquid abs te reſp. muneris. nunc pro te Verrem ſubſtituiſti alterum civitati. niſi hoc fortè deterior eſt, ſi fieri poteſt, quòd tu ejuſmodi evaſiſti, non in hominis luxurioſi, ſed tantùm in furis, ac diviſoris diſciplina *educatus*. Quid iſto feſtivius fore arbitramur, qui eſt tuus natura filius, conſuetudine diſcipulus, voluntate ſimilis? Quem ego, judices, quamvis bonum, fortemque facilè paterer evadere. non enim me inimicitiæ commovent, ſi quæ mihi cum iſto futuræ ſint. nam ſi in omnibus rebus innocens fuero, meique ſimilis: quid mihi iſtius inimicitiæ nocebunt? ſin aliqua in re Verri ſimilis fuero, non magis mihi deerit inimicus, quam Verri defuit. Etenim, judices, ejuſmodi reſp. debet eſſe, & erit, ſeveritate judiciorum conſtituta, UT INIMICUS neque deeſſe nocenti poſſit, neque obeſſe innocenti. Quapropter nulla res eſt, quamobrem ego iſtum nolim ex paternis probris, ac vitiis emergere. id quod tametſi iſti difficile eſt, tamen haud ſcio an fieri poſſit: præſertim ſi, ut nunc fit, cuſtodes amicorum eum ſectabuntur: quoniam pater tam negligens, ac diſſolutus eſt. Verùm huc longiùs, quàm voluntas fuit, ab epiſtola Timarchidis degreſſa eſt oratio mea. qua recitata, concluſurum me eſſe crimen decumarum dixeram: ex quo intellexiſtis, innumerabilem frumenti numerum per triennium averſum à repub. eſſe, ereptumque aratoribus. Sequi- 70
tur, ut de frumento emto vos, judices, doceam, maximo atque impudentiſſimo furto: de quo dum certa, & pauca, & magna dicam breviter, attendite. Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex ſenatuſconſulto, & ex lege Terentia, & Caſſia, frumentaria. Emundi duo genera fuerunt: [5] unum ceterarum decumarum: alterum, quod præterea civitatibus æqualiter eſſet diſtributum. Illius decumani tantum, quantum ex primis decumis fuiſſet: [6] hujus imperati tritici mod. ↀDCCC millia: pretium autem conſtitutum decumano in mod. ſingulos H-S terni: imperato H-S IIII. Ita in frumentum imperatum [7] H-S bis & tricies in annos ſingulos Verri decernebatur, quod aratoribus ſolveret: in alteras decumas fermè ad nonagies. ſic per triennium ad hanc frumenti emtionem Sicilienſem propè centies & tricies erogatum eſt. Hanc pecuniam tantam, datam tibi ex ærario inopi, atque exhauſto: datam ad frumentum, hoc eſt, ad neceſſitatem ſalutis & vitæ: datam, ut Siculis aratoribus, quibus tanta onera reſp. imponeret, ſolveretur: abs te ſic laceratam eſſe dico, ut poſſim illud probare, ſi velim, omnem te hanc pecuniam *domum tuam avertiſſe.* etenim ſic hanc rem totam adminiſtraſti, ut hoc, quod dico, probari æquiſſimo judici poſſit. Sed ego habebo rationem auctoritatis meæ: meminero, quo animo, quo conſilio ad cauſam publicam acceſſerim: non agam tecum accuſatoriè: nihil fingam: nihil cuiquam probari velim, me dicente, quod non ante mihimetipſi probatum ſit. In hac pecunia publica, judices, hæc inſunt tria genera furtorum. Primùm cùm poſita eſſet pecunia apud eas ſocietates, unde erat attributa, binis centeſimis fœneratus eſt. deinde permultis civitatibus pro frumento nihil ſolvit omnino: poſtremò, ſi cui civitati ſolvit: tantum detraxit, quantum commodum fuit: nulli, quod debitum eſt, reddidit. Ac pri- 71
mùm hoc ex te quæro: tu, cui publicani ex Carpinatii litteris gratias egerunt, pecunia publica ex ærario erogata, ex vectigalibus populi Rom. ad emendum frumentum attributa, fueritne tibi quæſtui: penſitaritne tibi binas centeſimas. Credo te negaturum. turpis enim eſt, & periculoſa *confeſſio.* Mihi autem hoc perarduum eſt demonſtrare. quibus enim teſtibus? publicanis? tractati honorificè ſunt: tacebunt. litteræ eorum? decreto decumanorum remotæ ſunt. Quò me igitur vertam? rem tam improbam, crimen tantæ audaciæ, tantæque impudentiæ, propter inopiam teſtium, ac litterarum prætermittam? non faciam, judices. utar teſte. quo? P. Vettio Chilone, homine equeſtris ordinis honeſtiſſimo, atque ornatiſſimo: qui iſti ita amicus, & neceſſarius eſt, ut, etiam ſi vir bonus non eſſet, tamen, quod contra iſtum diceret, *grave videretur*: ita vir bonus eſt, ut, etiam ſi inimiciſſimus iſti eſſet, tamen ejus teſtimonio *credi oporteret.* Admiratur & exſpectat, quidnam Vettius dicturus ſit. nihil dicet ex tempore: nihil ex ſua voluntate: nihil,

---

1. *Non in ſermone incauto & improbo.*] Sic vett. & ſic Pall. noſtri, ſic Victorius, ſic Hotomanus. Lambinus, *impuro.* quod & in mſ. Nannii. fuit cum di[v]inarem *inlauto.*

2. *Materiem atque indolem.*] Lambinus, *naturam.* cur obſecro?

3. *Eſſet, non id quod &c.*] Nannius conjiciebat, *non honeſtior, ſed quod turpiſſ.*

4. [*Ad tua flagitia, neque.*] Circumſepſi hæc uncis, quod in nullo invenerim Pall. aut veteri editione.

5. *Unum ceterarum decumarum.*] Alii publicarunt *tertiarum.* Nan. liber, *unum decumarum.* at Hotom. vetus; *unum alterarum decum.*

6. *Hujus imperati tritici mod.* ↀDCCC.] Sic hodie fere legitur ex libro Nannii. quippe Pall. *fuiſſet tritici mod.* DCCC. &c.

7. H-S. *Bis & tricies.*] Et hæc lectio à conjectura Hotomani. editi enim ſcriptique H-S *duodetricies.*

hil, ut ei utrumvis licuiſſe videatur. Miſit in Siciliam litteras ad Carpinatium, cùm eſſet magiſter ſcripturæ, [1] & ejus ſocietatis publicanorum: quas ego Syracuſis, apud Carpinatium in litterarum adlatarum libris: Romæ, in litterarum miſſarum apud magiſtrum Tullium, familiarem tuum inveni: quibus ex litteris impudentiam fœnerationis, quæſo, cognoſcite. LITTERÆ MISSÆ L. VETTII, L. SERVILII, C. ANTISTII, MAGISTRORUM. Præſtò ſe tibi ait futurum Vettius, & obſervaturum, quemadmodum rationes ad ærarium referas: ut, ſi hanc ex fœnore populo pecuniam non retuleris, reddas ſocietati. Poſſumus hoc teſte, poſſumus P. Servilii, & C. Antiſtii, magiſtrorum, litteris, primorum hominum, atque honeſtiſſimorum, poſſumus auctoritate ſocietatis, cujus litteris utimur, quod dicimus, obtinere?
72 an aliqua firmiora, aut graviora quærenda ſunt? Vettius, tuus familiariſſimus; Vettius, tuus affinis, cujus ſororem habes in matrimonio, tuæ frater uxoris Vettius, frater tui quæſtoris, teſtatur impudentiſſimum tuum furtum, certiſſimumque peculatum. nam quo alio nomine pecuniæ publicæ fœneratio eſt appellanda? * * RECITA RELIQUA. Scribam tuum dicit, Verres, hujus perſcriptorem fœnerationis fuiſſe. ei quoque magiſtri minantur in litteris: etenim caſu ſcribæ tum duo magiſtri fuerunt cum Vettio. Binas centeſimas ab ſe ablatas ferendum non putant: & rectè non putant. Quis enim hoc fecit umquam? quis denique conatus eſt facere, aut *poſſe fieri cogitavit*, [2] ut, cùm ſenatus publicanos uſura ſæpe juviſſet, magiſtratus à publicanis pecuniam pro uſuris auderet auferre? Certè huic homini ſpes nulla ſalutis eſſet, ſi publicani, hoc eſt, ſi equites Romani judicarent. [3] minor eſſe nunc, judices, vobis diſceptantibus debet: & tanto minor, quanto eſt *honeſtius alienis injuriis, quam re ſua commoveri*. Quid ad hæc reſpondere cogitas? Utrum factum negabis? an tibi hoc licitum eſſe defendes? negare quî potes? an ut tanta auctoritate litterarum, tot teſtibus publicanis *convincare*? licuiſſe verò quî? ſi mehercule te pecuniam tuam, non populi R. in provincia fœneratum docerem, tamen effugere non poſſes. * ſed publicam, ſed ob frumentum decretam, ſed à publicanis fœnore accepto: hoc licuiſſe cuiquam probabis? quo non modò ceteri, ſed tu ipſe nihil audacius, improbiuſque feciſti. Non mehercule hoc, quod omnibus ſingulare videtur, de quo mihi deinceps dicendum eſt, poſſum, judices, dicere audacius eſſe, aut impudentius, quòd permultis civitatibus pro frumento nihil ſolvit omnino. major hæc præda fortaſſe eſt: ſed illa *impudentia* certè non minor. Et, quoniam de illa fœneratione ſatis dictum eſt, nunc de hac tota pecu-
73 nia averſa, quæſo, cognoſcite. Siciliæ civitates multæ ſunt, judices, ornatæ, atque honeſtæ: ex quibus in primis numeranda eſt civitas Haleſina. nullam enim reperietis aut officiis fideliorem, aut copiis locupletiorem, aut auctoritate graviorem. Huic iſte in annos ſingulos, cùm ſexaginta tritici millia modiûm imperaviſſet, *pro tritico nummos abſtulit*, quanti erat in Sicilia triticum: quos de publico nummos acceperat, retinuit omneis. [4] Obſtupui, judices, cùm hoc mihi primùm Haleſiæ demonſtravit in ſenatu Haleſinorum homo ſummo ingenio, ſumma prudentia, ſumma auctoritate præditus, Haleſinus Æneas: cui ſenatus dederat publicè cauſam, ut mihi, fratrique meo gratias ageret: & ſimul, qui nos ea, quæ ad judicium pertinerent, doceret. Demonſtrat, hanc iſtius conſuetudinem ac rationem fuiſſe, cum omnis frumenti copia decumarum nomine penes iſtum eſſet redacta, ſolitum eſſe iſtum pecuniam cogere à civitatibus, *frumentum improbare*: quantum frumenti Romam eſſet mittendum, tantum de ſuo quæſtu, ac de ſua copia frumenti mittere. Poſco rationes: inſpicio litteras: video frumenti granum Haleſinos, [5] quibus LX. millia modiûm imperata erant, nullum dediſſe: pecuniam Volcatio, Timarchidi, ſcribæ dediſſe. reperio genus hujuſmodi, judices, prædæ, ut prætor, qui frumentum emere debebat, non emat, ſed vendat: pecunias, quas civitatibus diſtribuere debebat, eas omneis avertat, atque auferat. Non mihi jam furtum, ſed monſtrum, ac prodigium videbatur: civitatum frumentum improbare, *ſuum probare*: cùm ſuum probaſſet, pretium ei frumento conſtituere: quod conſtituiſſet, id civitatibus auferre: quod à populo Romano accepiſſet, tenere. Quot vultis eſſe in uno furto peccatorum 74
gradus? ut ſi ſingulis inſiſtere velim, progredi iſte non poſſit. Improbas frumentum Siculum. Quid? ipſe quod mittis? peculiarem habes aliquam Siciliam, quæ tibi ex alio genere frumentum ſuppeditare poſſit? Cùm ſenatus decernit, ut ematur in Sicilia frumentum, aut cùm populus jubet: hoc, ut opinor, intelligit, *ex Sicilia Siculum frumentum apportari oportere*. Tu, cùm civitatum Siciliæ vulgò omne frumentum improbas, num ex Ægypto, aut ex Syria frumentum Romam mittis? Improbas Haleſinum, Cephaleditanum, Thermitanum, Ameſtratinum, Tyndaritanum, Herbitenſe, multarum præterea civitatum. Quid accidit tandem, ut horum populorum agri frumentum ejuſmodi, te prætore, ferrent, quod numquam antea, ut neque mihi, neque tibi, neque populo Rom. poſſet probari, præſertim cùm ex iiſdem agris, ejuſdemque anni frumentum ex decumis Romam mancipes advexiſſent? quid acciderat, ut ex eodem horreo *decumanum probaretur, emtum non probaretur*? Dubiumne eſt, quin iſta omnis improbatio, cogendæ pecuniæ cauſa nata ſit? Eſto: improbas Haleſinum: habes ab alio populo quod probes. eme illud, quod placet: miſſos fac eos, quorum frumentum improbaſti. Sed ab iis, quos repudias, exigis tantum pecuniæ, quantum ad eum numerum frumenti ſatis ſit, quem civitati imperas. Dubium eſt quid egeris? In medimna ſingula video ex litteris publicis tibi Haleſinos H-S quinos denos dediſſe. Oſtendam ex tabulis locupletiſſimorum aratorum, eodem tempore neminem in Sicilia pluris frumentum vendidiſſe. Quæ eſt 75
ergo iſta ratio, aut quæ potiùs amentia, frumentum improbare id, quod ex eo loco ſit, ex quo ſenatus & populus Roman. emi voluerit: ex eo acervo, ex quo partem tu idem, decumarum nomine, probaris: deinde à civitatibus pecunias, ad emendum frumentum, cogere, cùm ex ærario acceperis? Utrum te lex Terentia Siculorum pecunia frumentum emere à Siculis, an populi Rom. pecunia frumentum ab Siculis emere juſſit? Jam verò ab iſto omnem illam ex ærario pecuniam, quam his oportuit civitatibus pro frumento dari, *lucrifactam* videtis. accipis enim H-S XV, pro medimno. tanti enim eſt illo tempore medimnum. [6] retines H-S XVIII. tanti enim eſt frumentum Sicilienſe ex lege æſtimatum. Quid intereſt, utrùm hoc feceris, an frumentum non improbaris, ſed frumento probato, & accepto, pecuniam publicam tenueris omnem, neque quidquam ulli diſſolveris civitati, cùm æſtimatio legis, ejuſmodi ſit, ut ceteris temporibus tolerabilis Siculis, te prætore etiam grata eſſe debuerit? Eſt enim modius lege H-S III. æſtimatus. fuit autem, te prætore, [7] ut tu in multum epiſtolis ad amicos tuos gloriaris, H-S II. Sed fuerit H-S III. quoniam tu tantum à civitatibus in modios ſingulos exegiſti. cùm, ſi ſolveres Siculis tantum, quantum te populus Roman. juſſerat, aratoribus fieri gratiſſimum poſſet: tu non

1. *Et ejus ſocietatis publicanorum.*] Eſt a libro Hotomani. nam Pall. *& ſex publicorum.* editi omnes, *& ſex publicanorum.*

2. *Ut cum Senatus publicanos uſura ſæpe juviſſet, &c.*] Ubi cum nihili ſit illud *juvare uſura*, ſcribendum puto: *verſura ſæpe juviſſet.* id eſt, mutuo & quidem gratuito. nam *verſura* mutuum ſive gratuitum, ſive fœnebre. *Gronov.* de Seſtertiis pag. 614.

3. *Minor eſſe nunc, judices.*] Ita Manut. & Lambinus: at in aliarum edd. verbum præterea, *minor eſſe cura nunc, &c.* quod & in Pall.

4. *Obſtupui judices.*] Nannii exemplar, & heic & alibi ſæpius, *Obſtipui*, quod admiſit Lambinus.

5. *Quibus* LX. *millia modiûm.*] Nannius, *ſexagena millia.* ex eodem codice, ſupra refinxi *Æneas* in *Æneas*.

6. *Retines* H-S. XVIII.] Eſt ab Hotomano. nam vulgo, XII. Nannii mſſ. XXI. non heic modo, ſed iterum infra.

7. *Ut tu in multum.*] Lambin. *ut tu in multis, &c.* Al. *ut ita in multis, &c.*

1. Non

non modò eos accipere quod oportebat, noluiſti: ſed etiam *dare*, *quod non debebant*, *coëgiſti*. Atque hæc ita geſta eſſe, judices, cognoſcite & ex litteris publicis civitatum: & ex teſtimoniis publicis: in quibus nihil fictum, nihil ad tempus accommodatum intelligetis. Omnia, quæ dicimus, rationibus populorum [1] non interpoſitis, neque pertubatis, neque repentinis, ſed certis, inſtitutis, ordine relata, atque confecta ſunt. Recita rationes Haleſinorum. Cui pecuniam datam dicit? dic etiam clariùs. VOLCATIO, TIMARCHI-
76 DI, MÆVIO. Quid eſt, Verres? ne illam quidem tibi defenſionem reliquam feciſti, mancipes in iſtis rebus eſſe verſatos? mancipes frumentum improbaſſe? mancipes pretio cum civitatibus decidiſſe, & eoſdem abs te illarum civitatum nomine pecunias abſtuliſſe: deinde ipſos ſibi frumentum coëmiſſe: nihil hæc ad te pertinere? Magna mehercule, ac *miſera defenſio*, prætorem hoc dicere, Ego frumentum neque attigi, neque adſpexi: mancipibus poteſtatem probandi, improbandique permiſi: mancipes à civitatibus pecunias extorſerunt: ego autem, quam pecuniam populis dare debui, mancipibus dedi. Mala eſt hæc quidem, ut dixi, defenſio criminis: ſed tamen hac ipſa tibi, ſi uti cupias, non licet: vetat te Volcatius, tuæ tuorumque deliciæ, mentionem mancipis facere. Timarchides autem columen familiæ veſtræ, premit fauceis defenſionis tuæ: cui ſimul, & Volcatio pecunia à civitate numerata eſt. Jam verò ſcriba tuus annulo aureo ſuo, quem ex his rebus invenit, iſta te ratione uti non ſinet. Quid igitur eſt reliquum, niſi uti fateare, te Romam frumentum emtum Siculorum pecunia miſiſſe: *publicam pecuniam domum tuam convertiſſe?* O CONSUETUDO peccandi, quantam habes jucunditatem in improbis, & audacibus, cùm pœna abſuit, & licentia conſecuta eſt! Iſte in hoc genere peculatus non nunc primùm invenitur: ſed nunc demum tenetur. Vidimus huic ab ærario pecuniam numerari quæſtori ad ſumtum exercitus conſularis: vidimus paucis pòſt menſibus & exercitum, & conſulem ſpoliatum. Illa omnis pecunia latuit in illa caligine ac tenebris, quæ totam rempub. tum occupaverant. Iterum geſſit hereditariam quæſturam cum Dolabella. magnam pecuniam avertit: ſed ejus rationem *cum damnatione Dolabellæ permiſcuit*. Commiſſa eſt pecunia tanta prætori. non reperietis hominem timidè, nec leviter hæc improbiſſima lucra ligurrientem. devorare omnem pecuniam publicam non dubitavit. Ita SERPIT ILLUD inſitum in natura malum, conſuetudine peccandi liberâ, finem ut audaciæ ſtatuere ipſe ſibi non poſſit. Tenetur igitur aliquando, & in rebus tum maximis, tum manifeſtis tenetur. Atque in eam fraudem mihi videtur *divinitus incidiſſe*, non ſolùm ut eas pœnas, quas proximè meruiſſet, ſolveret: ſed ut illa etiam ſcelera ejus in Carbonem, & in Dola-
77 bellam vindicarentur. Etenim nova quoque alia res exſtitit, judices, in hoc crimine, quæ tollat omnem dubitationem ſuperioris illius decumani criminis. Nam, ut illud miſſum faciam, permultos aratores in alteras decumas, & in hæc ꟾↃ CCC millia modiûm, quod emtum populo Romano darent, non habuiſſe: ſed à tuo procuratore, hoc eſt, ab Apronio, emiſſe: ex quo intelligi poteſt, nihil te aratoribus reliqui feciſſe: ut hoc prætaream, quod in multis eſt teſtimoniis expoſitum: poteſt illo quidquam eſſe certius in tua poteſtate, atque in tuis horreis omne frumentum Siciliæ, per triennium, atque omneis fructus agri decumani, fuiſſe? Cùm enim à civitatibus pro frumento pecuniam exigebas, unde erat frumentum, quod Romam mitteres, ſi tu id non omne clauſum, & compreſſum poſſidebas? Itaque in eo frumento *primus tibi ille quæſtus fuit*, *ipſius frumenti*, quod erat ereptum ab aratoribus: alter, quod id frumentum improbiſſimè per triennium partum, non ſemel, ſed bis: neque uno, ſed *duobus pretiis*, *unum & idem frumentum vendidiſti*: ſemel civitatibus H-S XV, in medimnum: iterum populo Romano, à quo H-S XVIII, in medimna, pro eodem illo frumento abſtuliſti. At enim frumentum Centuripinorum, & Agrigentinorum, & nonnullorum fortaſſe præterea probaſti, & his populis pecuniam diſſolviſti. Sint aliquæ civitates in eo numero, quarum frumentum improbare nolueris. quid tandem? his civitatibus omniſne pecunia, quæ pro frumento debita eſt, diſſoluta eſt? Unum mihi reperi, non populum, ſed aratorem: vide, quære, circumſpice: ſi quis fortè eſt ex ea provincia, in qua tu triennium præfuiſti, qui *te nolit periſſe*: unum, inquam, da mihi ex illis aratoribus, qui tibi vel ad ſtatuam pecuniam contulerunt, qui ſibi dicat pro frumento omne eſſe, quod oportuerit, ſolutum. confirmo, judices, neminem eſſe dicturum. Ex omni pecunia quam aratori- 78
bus ſolvere debuiſti, certis nominibus deductiones fieri ſolebant: primum pro ſpectatione, & collybo: deinde pro neſcio quo cerario. Hæc omnia, judices, non rerum certarum, ſed *furtorum* improbiſſimorum ſunt *vocabula*. nam collybus eſſe qui poteſt, cùm utantur omnes uno genere nummorum? cerarium vero quid? quomodo hoc nomen ad rationes magiſtratus, quomodo ad pecuniam publicam allatum eſt? Nam illud genus tertium deductionis erat ejuſmodi, quaſi non modò liceret, ſed etiam oporteret: nec ſolùm oporteret, ſed planè neceſſe eſſet. *Scribæ nomine* de tota pecunia binæ quinquageſimæ detrahebantur. Quis tibi hoc conceſſit? quæ lex? quæ ſenatus auctoritas? quæ porrò æquitas, ut tantam pecuniam [2] ſcriba tuus averreret, ſive de aratorum bonis, ſive de populi Rom. vectigalibus? Nam ſi poteſt iſta pecunia ſine aratorum injuria detrahi: populus Roman. habeat, præſertim in tantis ærarii anguſtiis. ſin autem & populus id voluit, & æquum ita eſt, ſolvi aratoribus: tuus apparitor parva mercede populi conductus, de aratorum bonis prædabitur? & in hac cauſa ſcribarum ordinem in me concitabit Hortenſius? & eorum commoda à me labefactari,[3] atque oppugnari injuria dicet? *quaſi vero hoc ſcribis ullo exemplo ſit*, *aut ullo jure conceſſum*. Quid ergo vetera repetam? aut quid eorum ſcribarum mentionem faciam, quos conſtat ſanctiſſimos homines, atque innocentiſſimos fuiſſe? non me fugit, judices, vetera exempla pro fictis fabulis jam audiri, atque haberi. in his temporibus verſabor miſeris, ac perditis. Nuper, Hortenſi, quæſtor fuiſti. quid tui ſcribæ fecerint, tu potes dicere: ego de meis hoc dico, cùm in eâdem iſta Sicilia pro frumento civitatibus pecuniam ſolverem; & mecum duos frugaliſſimos homines ſcribas haberem, L. Mamilium, & L. Sergium: non modò iſtas duas quinquageſimas, ſed omnino nummum nullum cuiquam eſſe deductum. Dicerem, hoc 79
mihi totum eſſe attribuendum, judices, ſi illi umquam à me hoc poſtulaſſent, ſi umquam omnino cogitaſſent. Quamobrem enim ſcriba deducat, ac non potius [4] mulio, qui advexit? tabellarius cujus adventu certiores facti petiverunt? [5] præco, qui abire juſſit? viator, ac Venerius, qui fiſcum ſuſtulit? quæ pars operæ, aut opportunitatis in ſcriba eſt? cur ei non modò merces tanta detur, ſed cur cum eo tantæ pecuniæ partitio fiat? Ordo eſt honeſtus. Quis negat? aut quid ea res ad hanc rem pertinet? eſt verò honeſtus, quòd eorum hominum fidei tabulæ publicæ, [6] *periculaque magiſtratuum committuntur*. Itaque ex his ſcribis, qui digni ſunt illo ordine, [7] patribus familias, viris bonis atque honeſtis, percontamini, quid ſibi iſtæ quinquageſimæ velint.

jam

1. *Non interpoſitis*.] Lamb. intruſit invitis libris ſuum *interpolatis*.
2. *Scriba tuus averreret*.] A Nanniano eſt. vulgo *auferret*.
3. *Atque oppugnari jura dicet?*] Hoc modo Nannianus. minus rectè publicati *prius injuria*.
4. *Mulio qui advexerit*.] Sic Pall. neque aliter ferè edd. vett. vulgata, *adduxerit*.
5. *Præco qui abire juſſerit*.] [illegible] Pall. aut edd. antiquæ; nam neotericæ receperunt Hotomani *adeſſe*. noſtræ ſcripturæ alludit etiam Nann. in quo *adire*. quod mallim.
6. *Periculaque magiſtratuum*.] Vide Hotomanum lib. III. Obſervation. cap. 20. & 79.
7. *Patribus familias*.] Priſcianus citat *Patriſfamiliis*. libro VI.

1. De

jam omnes intelligetis, novam rem totam, atque indignam videri. Ad eos me ſcribas revoca, ſi placet: noli hos colligere, qui *nummulis corrogatis* [1] de nepotum donis, ac de ſcenicorum corollariis, cùm decuriam emerunt, ex primo ordine exploſorum in ſecundum ordinem civitatis ſe veniſſe dicunt. Eos ſcribas tecum diſceptatores hujus criminis habebo, qui iſtos ſcribas eſſe moleſtè ferunt. Tametſi cùm in eo ordine videamus eſſe multos non idoneos, qui ordo induſtriæ propoſitus eſt, & dignitati: *mirabimur, turpeis*
80 *aliquos ibi eſſe, quò cuivis licet pretio pervenire?* Tu ex pecunia publica H-S tredecies ſcribam tuum permiſſu tuo cùm abſtuliſſe fateare, reliquam tibi ullam defenſionem putas eſſe? hoc ferre quemquam poſſe? hoc quemquam denique nunc tuorum advocatorum animo æquo audire arbitrare? qua in civitate C. Catoni, clariſſimo viro, conſulari homini, H-S XVIII millibus lis æſtimata ſit; in eàdem civitate apparitori tuo eſſe conceſſum, ut H-S uno nomine tredecies auferret? Hinc ille eſt anulus aureus, quo tu iſtum in concione donaſti, quæ tua donatio ſingulari impudentia prædita, nova Siculis omnibus, mihi verò etiam incredibilis videbatur. Sæpe enim noſtri imperatores, ſuperatis hoſtibus, *optimè rep. geſta*, ſcribas ſuos anulis aureis in concione donarunt. Tu verò quibus rebus geſtis, quo hoſte ſuperato, concionem, donandi cauſa, advocare auſus es? Neque enim ſolùm ſcribam tuum anulo, ſed etiam virum fortiſſimum, ac tui diſſimillimum, Q. Rubrium, excellentem virtute, auctoritate, copiis, corona & phaleris, & torque donaſti: M. Coſſutium, ſanctiſſimum virum, atque honeſtiſſimum: M. Caſtritium, ſummo ſplendore, ingenio, gratia præditum. Quid hæc ſibi horum trium civium Romanorum dona voluerunt? Siculos præterea, potentiſſimos, nobiliſſimoſque donaſti. qui non, quemadmodum ſperaſti, *tardiores* fuerunt: ſed ornatiores tuo judicio ad teſtimonia dicunda venerunt. Quibus ex hoſtium ſpoliis? de qua victoria? qua ex præda, aut manubiis, hæc abs te donatio conſtituta eſt? an quòd, te prætore, paucorum adventu myoparonum, claſſis pulcherrima, Siciliæ propugnaculum, præſidiumque provinciæ, piratarum manibus incenſa eſt? an quòd ager Syracuſanus prædonum incendiis, te prætore, vaſtatus eſt? an quòd forum Syracuſanum navarchorum ſanguine redundavit? an quòd in portu Syracuſano piraticus myoparo navigavit? Nihil poſſum reperire, quamobrem te in iſtam amentiam incidiſſe arbitrer: niſi fortè id egiſti, ut hominibus *ne oblivisci quidem rerum tuarum malè geſtarum liceret*. Anulo eſt aureo ſcriba donatus, & ad eam donationem concio eſt advocata. Quod erat os tuum, cùm videbas in concione eos homines, quorum ex bonis iſte anulus aureus donabatur, qui ipſi anulos aureos poſuerant, liberiſque detraxerant, ut eſſent unde ſcriba tuus hoc tuum munus, ac beneficium tueretur? quæ porrò præfatio tuæ donationis fuit? Illa ſcilicet vetus, atque imperatoria? QUANDO TU QUIDEM IN PROELIO, IN BELLO, IN RE MILITARI: cujus ne mentio quidem, te prætore, ulla facta eſt: an illa? QUANDOQUIDEM TU NULLA UMQUAM MIHI IN CUPIDITATE, AC TURPITUDINE DEFUISTI: OMNIBUSQUE IN IISDEM FLAGITIIS MECUM ET IN LEGATIONE, ET PRÆTURA, ET HIC IN SICILIA VERSATUS ES: OB HASCE RES, QUONIAM TE LOCUPLETAVI, HOC ANULO AUREO DONO. Vera hæc fuiſſet oratio. non enim iſte anulus aureus abs te datus, iſtum virum fortem, ſed hominem locupletem eſſe declarat. Ita eundem anulum ab alio datum, teſtem virtutis duceremus: abs te donatum, comitem pecuniæ judicamus.
81 Dictum, judices, eſt de decumano frumento: dictum de emto. extremum, & reliquum eſt, de æſtimato. quod cùm magnitudine pecuniæ, tum injuriæ genere quemvis debet commovere: tùm verò eo magis, quòd ad hoc crimen non ingenioſa aliqua defenſio, ſed *improbiſſima confeſſio* comparatur. Nam cùm ex S. C. & ex legibus frumentum ei in cællam ſumere liceret: idque frumentum ſenatus ita æſtimaſſet, quaternis H-S tritici modium; binis, hordei: iſte, numero ad ſummam tritici adjecto, tritici modios ſingulos cum aratoribus denariis ternis æſtimavit. Non eſt in hoc crimen, Hortenſi: ne fortè ad hoc meditere: multos ſæpe viros bonos, & forteis, & innocenteis cum aratoribus, & cum civitatibus frumentum, in cællam quod ſumi oporteret, æſtimaſſe, & pecuniam pro frumento abſtuliſſe. Scio, quid ſoleat fieri: ſcio, quid liceat. nihil, quod antea fuerat in conſuetudine bonorum, nunc in iſtius facto reprehenditur. hoc reprehendo, quòd, cùm in Sicilia H-S II. tritici mod eſſet, ut iſtius epiſtola ad te miſſa declarat, ſummùm H-S ternis: id quod & teſtimoniis omnibus & tabulis aratorum planum factum antea eſt: tum iſte pro tritici modiis ſingulis ternos ab aratoribus denarios exegit. Hoc crimen eſt, ut intelligas, non ex æſtimatione, neque ex ternis denariis pendêre crimen, ſed ex *coauctione*
annonæ, atque æſtimationis. Etenim hæc æſtimatio nata 82
eſt, judices, initiò non ex prætorum, aut conſulum, ſed ex aratorum, atque civitatum commodo. Nemo enim fuit initiò tam impudens, qui, cùm frumentum deberetur, pecuniam poſceret. certè hoc ab aratore primum eſt profectum, aut ab ea civitate, cui imperabatur: cum aut frumentum vendidiſſet, aut ſervare vellet, aut in eum locum, quò imperabatur, portare nollet: petivit *in beneficii loco*, & gratiæ, ut ſibi pro frumento, quanti frumentum eſſet, dare liceret. Ex hujuſmodi principio, atque ex liberalitate, atque accommodatione magiſtratuum, conſuetudo æſtimationis introducta eſt. Secuti ſunt avariores magiſtratus: qui tamen in avaritia ſua non ſolùm viam quæſtus invenerunt, verùm etiam *exitum, ac rationem* [2] *defenſionis*. Inſtituerunt ſemper ad ultima, ac difficillima loca ad portandum frumentum imperare, ut vecturæ difficultate, ad quam vellent, æſtimationem, pervenirent. In hoc genere facilior eſt *exiſtimatio*, quàm *reprehenſio*: ideò quòd eum, qui hoc facit, avarum poſſumus exiſtimare: crimen in eo conſtituere non tam facilè poſſumus: quòd videtur concedendum magiſtratibus noſtris eſſe, ut iis, quo loco velint, frumentum accipere liceat. Itaque hoc eſt, quod multi fortaſſe fecerunt: [3] & ita multi, ut ii, quos innocentiſſimos
meminimus, aut audivimus, non fecerint. Quæro nunc 83
à te, Hortenſi, cum utris tandem iſtius factum collaturus es? cum iis, credo, qui benignitate adducti, per beneficium, & gratiam civitatibus conceſſerunt, ut nummos pro frumento darent. Ita credo, petiiſſe ab iſto aratores, ut, cùm H-S ternis tritici modium vendere non poſſent; pro ſingulis modiis, ternos denarios dare liceret. An, quoniam hoc cùm non audes dicere, illuc confugies, *vecturæ difficultate* adductos, ternos denarios dare maluiſſe? Cujus vecturæ? quo ex loco, in quem locum ne portarent? Philomelione Epheſum? Video, quid inter annonam intereſſe ſoleat: video quot dierum via ſit: video Philomelienſibus expedire, quanti Epheſi ſit frumentum, tantum dare potius in Phrygia, quàm Epheſum portare, aut ad emendum frumentum Epheſum pecuniam, & legatos mittere: In Sicilia verò quid ejuſmodi? Enna, mediterranea eſt maximè. coge, ut ad aquam tibi, id quod ſummi juris eſt, frumentum Ennenſes metiantur: vel Plutiam, vel Haleſam, vel Catinam, loca inter ſe maximè diverſa, eodem die, quo juſſeris, deportabunt. tametſi ne vectura quidem opus eſt. Nam totus quæſtus hic, judices, æſtimationis, ex annonæ natus

1. *De nepotum donis.*] Manavit ab Hotomani editione, aliæ *bonis*, quibus reſpondent Pall.

2. *Defenſionis. Inſtituerunt ſemper &c.*] Retinui diſtinctionem Lambini, quamvis non improbem prius vulgatam, *defenſionis inſtituerunt. Semper &c.* eodem enim res redit.

3. *Et ita multi, ut ii quos innocentiſſimos mem. aut audivimus.*] Lambinus ait fuiſſe in Fabr. & duabus aliis membranis, *quos mem. aut vidimus*, ſine illo *innocentiſſimos*. non auſus fui ſequi, contra noſtros Pall. omnemque editionem. haud refrager tamen admittere, *ſed ita multi: &c.*

1. Nam

natus eſt varietate. hoc enim magiſtratus in provincia aſſequi poteſt, *ut ibi accipiat, ubi eſt cariſſimum.* ideò valet iſta ratio æſtimationis in Aſia: valet in Hiſpania: valet in his provinciis, in quibus unum pretium frumento eſſe non ſolet. In Sicilia verò quid cujuſquam intererat, quo loco daret? neque enim portandum erat: &, quò quiſque vehere juſſus eſſet, ibi tantidem frumentum emeret, quanti domi vendidiſſet. Quamobrem ſi quid, Hortenſi, docere vis, aliquid ab iſto ſimile, in æſtimatione, atque à ceteris eſſe factum: doceas oportet, aliquo in loco Siciliæ, prætore
84 Verre, ternis denariis tritici modium fuiſſe. Vide, quàm tibi *defenſionem patefecerim*; quàm iniquam in ſocios, quam remotam ab utilitate reipub. quàm ſejunctam à voluntate, atque ſententia legis. Tu, cùm tibi ego frumentum in meis agris, atque in mea civitate; denique cùm in iis locis, in quibus es, verſaris, rem geris, provinciam adminiſtras, paratus ſim dare, *angulum mihi* aliquem eligas provinciæ, reconditum, ac derelictum? jubeas ibi me metiri, quò portare non expediat? ubi emere non poſſum? Improbum facinus, judices: non ferendum, nemini lege conceſſum, ſed fortaſſe adhuc in nullo etiam *vindicatum.* tamen ego hoc, quod ferri nego poſſe, Verri, judices, concedo, & largior. Si ullo in loco ejus provinciæ frumentum tanti fuit, quanti iſte æſtimavit, hoc crimen in iſtum reum valere oportere non arbitror. Verùm enim verò cùm eſſet H-S binis, aut etiam ternis, quibuſvis in locis provinciæ, duodenos ſeſtertios exegiſti. Si mihi tecum neque de annona, neque de æſtimatione tua poteſt eſſe controverſia, quid ſedes? quid exſpectas? quid defendes? Utrùm tibi pecuniæ conciliatæ videntur adverſum leges, adverſum rempubl. *cum maxima ſociorum injuria:* an verò id rectè, ordine, è rep. ſine cujuſquam injuria factum eſſe defendes? cùm tibi ſenatus ex ærario pecuniam promſiſſet, & ſingulos tibi denarios adnumeraſſet, quos tu pro ſingulis modiis aratoribus ſolveres: quid facere debuiſti? Si, quod L. Piſo ille Frugi, qui legem de pecuniis repetundis primus tulit: cùm emiſſes, quanti eſſet: *quod ſuperaret pecuniæ, retuliſſes.* ſi, ut ambitioſi homines, aut benigni: cùm pluris ſenatus æſtimaſſet, quàm quanti eſſet annona: ex ſenatus æſtimatione, non ex annonæ ratione, ſolviſſes. ſin, ut plerique faciunt, in quo etiam erat aliquis quæſtus, ſed is honeſtus, atque conceſſus: frumentum, quoniam vilius erat, ne emiſſes: ſumſiſſes id nummorum, quod tibi ſenatus, cællæ nomine,
85 conceſſerat. Hoc verò quid eſt? quam habet rationem, non quæro *æquitatis*, ſed ipſius improbitatis, atque impudentiæ? NEQUE ENIM EST ferè quidquam, quod homines palàm facere audeant in magiſtratu, quamvis improbi, quin ejus facti, ſi non bonam, at aliquam rationem afferre ſoleant. hoc quid eſt? Venit prætor: frumentum, inquit, me abs te emere oportet. Optimè. Modium denario. Benignè, ac liberaliter. nam ego tribus H-S non poſſum vendere. Mihi frumento non opus eſt: nummos volo. [1] Nam ſperaveram, inquit arator, me ad denarios perventurum: ſed, ſi ita neceſſe eſt, quanti frumentum ſit, conſidera. Video eſſe binis H-S. Quid ergo à me tibi nummorum dari poteſt, cùm ſenatus tibi [2] quaternos H-S. dederit? Quid poſcat, attendite. & vos, quæſo, ſimul, judices, æquitatem prætoris attendite. Quaternos H-S, quos mihi ſenatus decrevit, & ex ærario dedit, ego habebo, & *in cællam transferam ex fiſco.* Quid poſtea? quid? pro ſingulis modiis, quos tibi impero, tu mihi octonos H-S dato. Qua ratione? Quid quæris rationem? non tantam *rationem* res habet, quantam *utilitatem*, atque prædam. Dic, dic, inquit ille, planius. Senatus te voluit mihi nummos dare: me tibi frumentum metiri. tu eos nummos, quos mihi ſenatus dari voluit, ipſe habebis: à me, cui ſingulos denarios dari oportuit, binos auferes? & huic prædæ ac direptioni, *cællæ nomen* imponis? Hæc deerat injuria, & hæc calamitas aratoribus, te prætore, qua reliquis fortunis omnibus everterentur. nam quid eſſe reliqui poterat ei, qui per hanc injuriam non modò frumentum omne amittere, ſed etiam omne *inſtrumentum* vendere cogeretur? Quò enim ſe verteret, non habebat. ex quo fructu nummos, quos tibi daret, inveniret? Decumarum nomine tantum erat ablatum, quantum voluntas tulerat Apronii: pro alteris decumis, emtoque frumento, aut nihil datum, aut tantum datum, quantum reliqui ſcriba fecerat, aut ultrò etiam (id quod didiciſtis) ablatum. Cogantur etiam nummi ab 86 aratore? quomodo? quo *jure?* quo *exemplo?* Nam, cum fructus diripiebantur aratorum, atque omni lacerabantur injuria: videbatur id perdere arator, quod aratro ipſe quæſiſſet, in quo elaboraſſet, quod agri ſegeteſque extuliſſent. Quibus injuriis graviſſimis tamen illud erat miſerum ſolatium, quòd id perdere videbatur, quod alio prætore, eodem ex agro reparare poſſet. Nummos verò, ut daret arator, [3] quos non aratro, ac manu quærit, boves, & aratrum ipſum, & omne inſtrumentum vendat, neceſſe eſt. Non enim debetis hoc cogitare: habet idem in nummis: habet idem in urbanis prædiis. nam cùm aratori onus aliquod imponitur, NON OMNES, ſi quæ ſunt præterea facultates, ſed arationis ipſius vis, ac ratio conſideranda eſt; quid ea ſuſtinere, quid pati, quid efficere poſſit, ac debeat. Quanquam illi quoque ſunt homines ab iſto omni ratione exinaniti, ac perditi: tamen hoc vobis eſt ſtatuendum, quid aratorem ipſum arationis nomine muneris in rep. fungi, ac ſuſtinere velitis. Imponitis decumas: patiuntur. alteras: *temporibus veſtris ſerviendum* putant. dent emtum præterea. dabunt, ſi voletis. Hæc quàm ſint gravia, & quid, his rebus detractis, poſſit ad dominos puri, ac reliqui pervenire, credo vos ex veſtris rebus ruſticis conjectura aſſequi poſſe. Addite nunc eodem iſtius edicta, inſtituta, injurias: addite Apronii, Veneriorumque ſervorum, in agro decumano *regna*, ac rapinas. Quamquàm hæc omitto: de cælla loquor. Placetne vobis, in cællam magiſtratibus noſtris frumentum Siculos gratis dare? quid hoc indignius? quid iniquius? atqui hoc ſcitote, aratoribus, hoc prætore, optandum, ac petendum fuiſſe. Soſitenus eſt Entellinus, [4] homo cum 87 primis prudens, & domi nobilis: cujus verba audiſtis: qui ad hoc judicium legatus publicè cum Arthemone, & Meniſco, primariis viris, miſſus eſt. Is cùm in ſenatu Entellino multa mecum de iſtius injuriis ageret, hoc dixit: ſi hoc de cælla, atque hac æſtimatione concederetur, vellet Siculos ſenatui polliceri frumentum in cællam gratis, ne poſthac tantas pecunias magiſtratibus noſtris decerneremus. Perſpicere vos certò ſcio, Siculis quantopere hoc expediat, non ad æquitatem conditionis, ſed ad *minima malorum eligenda.* nam, qui mille modiûm Verri ſuæ partis in cællam gratis dediſſet, duo millia numûm, aut ſummum tria dediſſet: idem nunc pro eodem numero frumenti H-S VIII. millia dare coactus eſt. hoc arator aſſequi per triennium, [5] certe fructu ſuo, non potuit: vendiderit inſtrumentum, neceſſe eſt. quòd ſi hoc munus, & hoc vectigal aratio tolerare, hoc eſt, Sicilia ferre, ac pati poteſt: populo Romano ferat potius, quàm noſtris magiſtratibus. Magna eſt pecunia: magnum, præclarumque vectigal. ſi modò id ſalva provincia, ſi *ſine injuria* ſociorum percipere poſſitis: nihil detraho. Magiſtratibus tantundem detur in cællam, quantum ſemper datum eſt. quod præterea Verres imperat, id, ſi fa-

1. *Nam ſperaveram, inquit arator.*] Ita Manutiani omnes, firmatque exemplis Hotomanus, *nam* notare *atqui.*

2. *Quaternos H-S dederit.*] Vulg. *nummos:* ſed alterum eſt in cod. Nannii. ejuſdem auctoritate ſtatim duplicavi, *Dic, dic.*

3. *Quos non aratro ac manu quærit.*] Nannianus, *quos non exarat* præmittit: id ſi recipimus delenda ſubſequentia.

4. *Homo cum primis prudens.*] Sic Fabricianus. aliæ editiones interſeruerant, *civitatis.* ejuſdem libri fide mox finxi, *ad æquitatem conditionis*, pro vulgato, *æquitatis conditionem.*

5. *Certè fructu ſuo.*] Haud aliter Pall. & Fabr. aliàs cuſi, *certe fructu ſuo.*

ſi facere non poſſunt, recuſent. ſi poſſunt, populi Rom. potius hoc ſit vectigal, quàm *præda prætoris*. Deinde cur in uno genere ſolo frumenti iſta æſtimatio conſtituitur? Si eſt æqua & ferenda: [1] debet populo Romano Sicilia decumas. det, pro ſingulis tritici modiis ternos denarios: ſibi habeat frumentum. Data tibi pecunia eſt, Verres: una, qua frumentum tibi emeres in cællam: altera, qua frumentum emeres à civitatibus, quod Romam mitteres. Tibi datam pecuniam domi retines: & præterea pecuniam permagnam tuo nomine aufers. fac idem in eo frumento, quod ad populum Romanum pertinet. exige eadem æſtimatione pecuniam à civitatibus, *& refer, quam accepiſti*. tum refertius erit ærarium populi Romani quàm umquam fuit. At enim iſtam rem in publico frumento Sicilia non ferret: hanc rem in meo frumento tulit. Proinde quaſi aut æquior ſit iſta æſtimatio in tuo, quàm in populi Rom. commodo: aut ea res, quam ego dico, & ea, quàm tu feciſti, inter ſe genere injuriæ, non magnitudine pecuniæ differat. Verùm iſtam ipſam cællam ferre nullo modo poſſunt. ut omnia remittantur, ut omnibus injuriis, & calamitatibus, quas te prætore tulerunt, in poſterum liberentur; iſtam ſe *cællam*, atque iſtam æſtimationem negant ſe ullo modo ferre poſſe.

88 Multa Sophocles Agrigentinus apud Cn. Pompejum Cos. nuper, homo diſertiſſimus, & omni doctrina, & virtute ornatiſſimus, pro tota Sicilia de aratorum miſeriis graviter, ac copioſè dixiſſe, ac deploraſſe dicitur. ex quibus hoc, iis, qui aderant, (nam magno conventu acta res eſt) indigniſſimum videbatur: qua in re ſenatus optimè, ac benigniſſimè cum aratoribus egiſſet, largè, liberaliterque æſtimaſſet, in ea re prædari prætorem, bonis everti aratores: & id non modò fieri, ſed ita fieri, *quaſi liceat*, conceſſumque ſit. Quid ad hæc Hortenſius? falſum eſſe crimen? Hoc numquam dicet. Non magnam hac ratione pecuniam captam? Ne id quidem dicit. Non injuriam factam Siculis, atque aratoribus? Quî poterit dicere? Quid igitur dicet? *Feciſſe alios*. quid eſt hoc? Utrùm crimini defenſio, an comitatus exſilio quæritur? Tu in hac repub. an in hac hominum libidine, & (ut adhuc habuit ſe ſtatus judiciorum) etiam licentia, non ex jure, non ex æquitate, non ex lege, non ex eo, quod oportuerit, non ex eo, quod licuerit; ſed ex eo, quod aliquis fecerit, id, quod reprehenditur, rectè factum eſſe defendes? Fecerunt alii alia quam multa: cur in hoc uno crimine iſto genere defenſionis uteris? Sunt quædam omnino in te ſingularia, quæ in nullum alium hominem dici, neque convenire poſſint: quædam tibi cum multis communia. Ergo, omittam tuos peculatus, ut ob jus dicundum pecunias acceptas, ut ejuſmodi cetera, quæ forſitan alii quoque etiam fecerint: illud, in quo te graviſſimè accuſavi, quod *ob judicandam rem pecuniam accepiſſes*, eâdem iſta ratione defendes, feciſſe alios? Ut ego aſſentiar orationi, defenſionem tamen non probabo. Potiùs enim, te damnato, ceteris *anguſtior* locus improbitatis defendendæ relinquetur, quàm, te abſoluto, alii, quod audaciſſimè
89 fecerunt, rectè feciſſe exiſtimentur. Lugent omnes provinciæ: queruntur omnes liberi populi: regna denique jam omnia de noſtris cupiditatibus, & injuriis expoſtulant: locus intra Oceanum jam nullus eſt, neque tam longinquus, neque tam reconditus, quò non, per hæc tempora, noſtrorum hominum, *libido*, *iniquitaſque* pervaſerit. ſuſtinere jam populus Romanus omnium nationum non vim, non arma, non bellum, ſed luctum, lacrymas, querimonias non poteſt. In ejuſmodi re, ac moribus: ſi is, qui erit adductus in judicium, cùm [2] manifeſtis in flagitiis tenebitur, *alios eadem feciſſe* dicet: illi exempla non deerunt: reipub. ſalus deerit, ſi improborum exemplis improbi judicio ac periculo liberabuntur. Placent vobis hominum mores? placet ita geri magiſtratus, ut geruntur? placet ſocios ſic tractari, quod reſtat, ut per hæc tempora tractatos videtis? Cur hæc à me opera conſumitur? quid ſedetis? cur non in media oratione mea conſurgitis, atque diſceditis? Vultis autem iſtorum audacias, ac libidines aliqua ex parte reſecare? Definite dubitare, utrum ſit UTILIUS, propter multos improbos uni parcere, an unius improbi ſupplicio multorum improbitatem *coërcere*. Tametſi quæ iſta ſunt exempla multorum? nam cum in cauſa tanta, cùm in crimine maximo dici à defenſore cœptum eſt, factitatum eſſe aliquid: exſpectant ii, qui audiunt, *exempla ex vetere memoria*, & monumentis, ac litteris, plena dignitatis, plena antiquitatis. Hæc plurimùm ſolent & auctoritatis habere 90
ad probandum, & jucunditatis ad audiendum. Africanos mihi, & Catones, & Lælios commemorabis? & eos feciſſe idem dices? quamvis res mihi non placeat: tamen contra hominum *auctoritatem* pugnare non potero. An, cùm eos non poteris; proferes hos recenteis, Q. Catulum patrem, C. Marium, Q. Scævolam, M. Scaurum, Q. Metellum? qui omnes provincias habuerunt, & frumentum cællæ nomine imperaverunt. magna eſt hominum auctoritas, & tanta, ut etiam *delicti ſuſpicionem tegere* poſſit. Non habes ne ex his quidem hominibus, qui nuper fuerunt, ullum auctorem iſtius æſtimationis. Quò me igitur, aut ad quæ exempla revocas? Ab illis hominibus, qui tùm verſati ſunt in repub. cùm & optimi mores erant, & hominum exiſtimatio gravis habebatur, & judicia ſevera fiebant, ad hanc hominum licentiam, & libidinem me abducis? & in quos *aliquid exempli populus Romanus ſtatui putat* oportere, ab iis tu defenſionis exempla quæris? Non fugio ne hos quidem mores, dummodo ex his ea, quæ *probat* populus Romanus exempla, non ea, quæ *condemnat*, ſequamur. Non circumſpiciam, [3] non quæram foris, cùm habeas judices, principes civitatis, P. Servilium, Q. Catulum: qui tanta auctoritate ſunt, tantis rebus geſtis, ut in illo antiquorum, & clariſſimorum hominum, de quibus antea dixi, numero reponantur. Exempla quærimus, & ea non antiqua. modò uterque horum, exercitum habuit. Quære, Hortenſi, quoniam te recentia exempla delectant, quid fecerint. Itane verò? Q. Catulus frumento eſt uſus, pecuniam non coëgit. P. Servilius quinquennium exercitui cùm præeſſet, & iſta ratione innumerabilem pecuniam facere poſſet, non ſtatuit *ſibi quidquam licere*, quod non patrem ſuum, non avum Q. Metellum facere vidiſſet. C. Verres reperietur, qui, *quod expediat*, *id licere* dicat? quod nemo, niſi improbus, fecerit, id aliorum exemplo ſe feciſſe defendat? At 91
in Sicilia factitatum eſt. Quæ eſt iſta conditio Siciliæ? cur quæ *optimo jure*, propter vetuſtatem, fidelitatem, propinquitatem eſſe debet, huic præcipua lex injuriæ definitur? Sed in iſta ipſa Sicilia, non quæram exemplum foris: hoc ipſo ex conſilio utar exemplis. C. Marcelle, te appello. Siciliæ provinciæ, cum eſſes pro conſule, præfuiſti: num quæ in tuo imperio pecuniæ, cællæ nomine, coactæ ſunt? neque ego hoc in tua laude pono. alia ſunt tua facta, atque conſilia, ſumma laude digna: quibus illam tu provinciam afflictam & perditam erexiſti, atque recreaſti. nam hoc de cælla, ne Lepidus quidem fecerat, cui tu ſucceſſiſti. Quæ ſunt tibi igitur exempla in Sicilia cællæ, ſi hoc crimen non modo Marcelli facto, ſed ne Lepidi quidem potes defendere? An me ad M. Antonii æſtimationem frumenti, exactionemque pecuniæ revocaturus es? Ita, inquit, ad M. Antonii. hoc enim mihi ſignificaſſe, & annuiſſe viſus eſt. Ex omnibuſne igitur populi Romani [4] prætoribus, pro conſulibus, imperatoribus, M. Antonium delegiſti, & ejus unum impro-

1. *Debet populo Rom.*] Illud *debet* additum ex Fabriciano, ceteri non habent.

2. *Manifeſtis in flagitiis tenebitur.*] Gulielmius accedit eis qui abjiciunt præpoſitionem *in*. recte. ſed tamen nihil vetat eam retineri.

3. *Non quæram foris, cùm habeas judices principes, &c.*] Lambin. *foris. habeo judices.* neſcio an e ſcripto: interim reperio in Pal. ſec. & vett. edd. *non quæram foris. habeas judices tecum principes*; nam prim. habebis.

4. *Prætoribus, pro conſulibus, &c.*] Eſt a Nanniano, ceteri *conſulibus*.

1. *Sed*

improbiſſimum factum, quod imitarere? Et hîc utrum mihi difficile eſt dicere, an his exiſtimare, ita ſe in illo *infinito imperio* M. Antonium geſſiſſe, ut multo iſti pernicioſius ſit dicere, ſe in re improbiſſima voluiſſe Antonium imitari, quàm ſi defendere poſſit, nihil in vita ſe M. Antonii ſimile feciſſe. Homines in judiciis ad crimen defendendum, non, *quid fecerit* quiſpiam, proferre ſolent, [1] ſed *quid probarit*. Antonium, cum multa contra ſociorum ſalutem, [2] multa contra utilitatem provinciarum & faceret, & cogitaret, in mediis ejus injuriis & cupiditatibus mors oppreſſit. Tu mihi, quaſi ejus omnia facta, atque conſilia S. P. Q. R. judices comprobarint, ita M. Antonii exemplo iſtius auda-
92 ciam defendis. At idem fecit Sacerdos. Hominem innocentem, & ſumma prudentia præditum nominas: ſed tum idem feciſſe erit exiſtimandus, ſi *eodem conſilio* fecerit. Nam genus æſtimationis ipſum, à me numquam eſt reprehenſum: ſed ejus æquitas, aratorum commodo, & voluntate perpenditur. Non poteſt reprehendi ulla æſtimatio, quæ aratori non modò incommoda non eſt, ſed etiam grata eſt. Sacerdos, ut in provinciam venit, frumentum in cællam imperavit. [3] Cùm eſſet, ante novum, tritici modius denariis quinque; petiverunt ab eo civitates, ut æſtimaret. remiſſior aliquanto ejus fuit æſtimatio, quàm annonæ. nam æſtimavit denariis III. Vides, eandem æſtimationem, propter temporis diſſimilitudinem, in illo *laudis cauſam* habere: in te, *criminis*? in illo, beneficii: in te, injuriæ? Eodem tempore Antonius III. denariis æſtimavit, poſt meſſem, ſumma in vilitate, cùm aratores frumentum dare gratis malebant. & ajebat, ſe tantidem æſtimaſſe, quanti Sacerdotem: neque mentiebatur: ſed eadem iſta æſtimatione, alter ſublevarat aratores, alter everterat. Quòd niſi *omnis frumenti ratio ex temporibus* eſſet, & annona, non ex numero, neque ex ſumma, conſideranda: numquam tam grati hi ſeſquimodii, Q. Hortenſi, fuiſſent: quos tu cùm ad menſuræ tam exiguam rationem populo Rom. in capita deſcripſiſſes, gratiſſimum omnibus feciſti. caritas enim annonæ faciebat, ut iſtuc, quod re parvum videbatur, *tempore magnum* videretur. Idem iſtuc ſi in vilitate populo Rom. largiri voluiſſes: deriſum tuum beneficium eſſet, atque con-
93 temtum. Noli igitur dicere, iſtum idem feciſſe, quod Sacerdotem: quoniam non eo tempore, neque [4] ſimili fecit annona. dicito potius, quoniam habes auctorem idoneum, quod Antonius uno adventu, & vix menſtruis cibariis fecerit, id iſtum per triennium feciſſe: & iſtius innocentiam M. Antonii facto, atque auctoritate defendito. Nam de Sex. quidem Pæduceo, fortiſſimo, atque innocentiſſimo viro, quid dicetis? de quo quis umquam arator queſtus eſt? aut quis non ad hoc tempus innocentiſſimam omnium, diligentiſſimamque præturam illius hominis exiſtimavit? Biennium provinciam obtinuit, cum alter annus in vilitate, alter in ſumma caritate fuerit. num aut in vilitate nummum arator quiſquam dedit: aut in caritate de æſtimatione frumenti queſtus eſt? At *uberiora cibaria facta ſunt caritate.* Credo: neque id eſt novum, neque reprehendendum. modò C. Sentium vidimus, hominem vetere illa, ac ſingulari innocentia præditum, propter caritatem frumenti, quæ fuerat in Macedonia, permagnam ex cibariis pecuniam deportare. Quamobrem non ego invideo tuis commodis, ſiqua ad te lege venerunt: injuriam queror, improbitatem coarguo: avaritiam in crimen, & in judicium voco. Quod ſi ſuſpiciones injicere voletis, ad plureis homines, & *ad plureis* provincias crimen hoc pertinere: non ego iſtam defenſionem veſtram pertimeſcam, ſed me omnium provinciarum defenſorem eſſe profitebor. Etenim hoc dico, & magna voce dico: UBICUMQUE HOC FACTUM EST, IMPROBE FACTUM EST. QUICUMQUE HOC FECIT, SUPPLICIO DIGNUS EST. Nam, per deos immortaleis, videte, ju- 94
dices, & proſpicite animis, quid futurum ſit. multi magnas pecunias ab invitis civitatibus, atque ab invitis aratoribus iſta ratione, cællæ nomine, coëgerunt: (omnino ego neminem video, præter iſtum: ſed do hoc vobis, & concedo, eſſe multos:) in hoc homine rem adductam in judicium videtis. quid facere poteſtis? Utrùm, cùm judices ſitis de pecunia capta, conciliata, tantam pecuniam captam negligere: an, cùm *lex ſociorum cauſa rogata ſit,* ſociorum querimonias non audire? Verum hoc quoque vobis remitto. negligite præterita, ſi vultis: ſed ne reliquas ſpes turbetis, atque omneis provincias evertatis, id providete, ne avaritiæ, quæ antehac *occultis itineribus* atque anguſtis uti ſolebat, auctoritate veſtra viam patefaciatis illuſtrem, atque latam. Nam ſi hoc probatis, & ſi hoc licere, pecunias iſto nomine capi, judicatis: certè hoc, quod adhuc nemo, niſi improbiſſimus, fecit, poſthac nemo, niſi ſtultiſſimus, non faciet. *Improbi* ſunt, qui pecunias contra leges cogunt: *ſtulti*, qui, quod licere judicatum eſt, prætermittunt. Deinde, judices, videte, quàm infinitam ſitis hominibus licentiam pecuniarum eripiendarum daturi. Si ternos denarios qui coëgit, erit abſolutus: quaternos, quinos, denos denique, aut vicenos coget alius. quæ erit reprehenſio? in quo primum *injuriæ gradu* reſiſtere incipiet ſeveritas judicis? quotus erit iſte denarius, qui non ſit ferendus, & in quo primùm æſtimationis iniquitas, atque improbitas reprehendatur? non enim à vobis ſumma, ſed genus æſtimationis erit comprobatum. neque hoc poteſtis judicare, ternis denariis æſtimare licere; denis non licere. ubi enim ſemel ab annonæ ratione, & ab aratorum voluntate res ad prætoris *libidinem* tranſlata eſt; non eſt jam in lege, atq; in officio, ſed in voluntate hominum, atque avaritia poſitus modus æſtimandi. Quapropter SI VOS SEMEL in judicando finem æquitatis, 95
& legis tranſieritis: ſcitote, vos nullum ceteris in æſtimando finem improbitatis & avaritiæ reliquiſſe. Videte igitur, quàm multa ſimul à vobis poſtulentur. Abſolvite eum, qui ſe fateatur maximas pecunias cum ſumma ſociorum injuria cepiſſe. non eſt ſatis. Sunt alii quoque plures, qui idem fecerint. abſolvite etiam illos, ſiqui ſunt: ut uno judicio quàm plurimos improbos liberetis. Ne id quidem ſatis eſt. facite, ut ceteris poſthac *idem liceat:* licebit. [5] At hoc parum eſt. Permittite, ut liceat, quanti quiſque velit, tanti æſtimet. æſtimabit. Videtis jam profectò, judices, hac æſtimatione à vobis comprobata, neque modum poſthac avaritiæ cujuſquam, neque pœnam improbitatis futuram. Quas ob res quid agis Hortenſi? conſul es deſignatus: provinciam ſortitus es: de æſtimatione cùm dices frumenti, ſic te audiemus, quaſi id, quod ab iſto rectè factum eſſe defendes, te facturum profiteare, & quaſi, quod iſti licitum eſſe dices, vehementer cupias tibi licere. Atqui, ſi id licebit, nihil eſt, quod putetis quemquam poſthac commiſſurum, ut de pecuniis repetundis condemnari poſſit. Quantam enim quiſque concupierit pecuniam, tantam licebit per cællæ nomen æſtimationis magnitudine conſequatur. At 96
enim eſt quiddam, quod, etiam ſi palàm in defendendo non dicit Hortenſius, tamen ita dicit, ut vos id ſuſpicari, & cogitare poſſitis: pertinere hoc ad commodum ſenatorium: pertinere ad utilitatem eorum, qui judicent, qui in provinciis cum poteſtate, aut cum legatione ſe futuros aliquando arbitrentur. [6] Præclaros verò exiſtimas judices nos habere, *quos alienis peccatis conceſſuros putes, quo facilius ipſos peccare liceat.* Ergo id volumus populum Roman. id pro-

1. *Sed quid probarit.*] Ita Lambinus, non improbante Hotomano. vulgata, *probarint*; cui & ſuus ſanè ſenſus, ſua vis.

2. *Multa contra utilitatem.*] Eſt a Nann. item Pall. niſi quod ii, *voluntatem*, quod & in retro cuſis, ſed deſtituebantur voce *multa*.

3. *Cum eſſet ante novum, tritici modius denariis quinque.*] Ita ferè Fabricianus, nam aliæ edd. ob notas valde intricatæ.

4. *Simili fecit annona.*] Vulgata, *anno*. ſed alterum eſt à Nanniano, conjeceratque antea Hotomanus.

5. *At hoc parum eſt.*] Pal. ſec. *Ad hoc* nimirum ſententia requirit: *Adhuc parum eſt*. itaque nihil eſt, cur non deinde ita excudatur.

6. *Præclaros verò exiſtimas.*] Ita liber vetus Lambino laudatus. ceteri *vos*.

provincias, id ſocios, nationeſque exteras exiſtimare, ſi ſenatores judicent, hoc certè unum genus infinitæ pecuniæ, per ſummam injuriam cogendæ, nullo modo poſſe reprehendi? Quod ſi ita eſt, quid poſſumus contra illum prætorem dicere, qui quotidie templum tenet, qui rempubl. ſubſiſtere negat poſſe, ni ad equeſtrem ordinem judicia referantur? Quòd ſi ille hoc unum agitare cœperit, eſſe aliquod genus cogendæ pecuniæ, ſenatorum commune, & jam propè conceſſum ordini, quo genere ab ſociis maxima pecunia [1] per ſummam injuriam averratur: neque ullo modo ſenatoriis judiciis reprehendi poſſe, idque, dum equeſter ordo judicaret, numquam eſſe commiſſum: quis obſtet? quis erit tam cupidus veſtrûm, tam fautor ordinis, qui de
97 transferendis judiciis poſſit recuſare? Atque utinam poſſet aliqua ratione hoc crimen, quamvis falſa, modò humana, atque uſitata defendere. minore periculo veſtro, minore periculo provinciarum omnium, judicaretis. [2] Negaret hic æſtimatione ſe uſum? vos id credidiſſe homini, non factum comprobaſſe videremini. nullo modo negare poteſt: urgetur à tota Sicilia: nemo eſt ex tanto numero aratorum, à quo pecunia cællæ nomine non ſit exacta. Vellem etiam hoc poſſet dicere, nihil ad ſe iſtam rationem pertinere: per quæſtores rem frumentariam eſſe adminiſtratam: ne id quidem ei licet dicere: propterea quod ipſius litteræ recitantur, ad civitates de ternis denariis miſſæ. Quæ eſt igitur defenſio? Feci quod arguis: coëgi pecunias maximas cællæ nomine: ſed hoc mihi licuit: vobis, ſi proſpicitis, licebit. PERICULOSUM provinciis, genus injuriæ confirmari judicio: pernicioſum noſtro ordini, populum Rom. exiſtimare, non poſſe eos homines, qui ipſi legibus teneantur, leges in judicando religioſè defendere. Atque iſto prætore, judices, non ſolùm æſtimandi frumenti modus non fuit, ſed ne imperandi quidem. neque enim id, quod debebatur, ſed quantum commodum fuit, imperavit. Summam faciam vobis ex publicis litteris, & teſtimoniis civitatum, frumenti in cællam imperati. reperietis quinquies tanto, judices, amplius iſtum, quàm quantum ei in cællam ſumere licitum ſit, civitatibus imperaſſe. Quid ad hanc impudentiam addi poteſt, ſi & æſtimavit tanti, ut homines ferre non poſſent, & tanto plus, quàm erat ei conceſſum legibus, imperavit? Quapropter, cognita tota re frumentaria, judices, jam facillimè perſpicere poteſtis, *amiſſam* eſſe populo Romano *Siciliam*, fructuoſiſſimam, atque opportuniſſimam provinciam, *niſi* eam vos iſtius *damnatione recuperatis*. Quid eſt enim Sicilia, ſi ei agri cultionem ſuſtuleris, & ſi aratorum numerum, ac nomen exſtinxeris? quid enim poteſt eſſe in calamitate reſidui, quod non ad miſeros aratores, iſto prætore, per ſummam injuriam, ignominiamque pervenerit? quibus, cum decumas dare deberent, vix ipſis decumæ relictæ ſunt: cùm pecunia deberetur, ſoluta non eſt: cùm optima æſtimatione ſenatus frumentum eos in cællam dare voluiſſet, etiam inſtrumenta agrorum vendere coacti ſunt. Dixi jam antea, judices, ut has omneis 98
injurias tollatis, tamen ipſam *rationem arandi ſpe magis, & jucunditate quadam, quàm fructu, atque emolumento teneri.* etenim ad incertum caſum, & eventum, certus quotannis labor, & certus ſumtus impenditur. annona porrò, pretium, niſi in calamitate fructuum, non habet. ſi autem ubertas in percipiendis fructibus fuit, conſequitur vilitas in vendendis: ut aut malè vendendum intelligas, ſi proceſſit: aut malè perceptos fructus, ſi rectè licet vendere. Totæ autem RES RUSTICÆ ejuſmodi ſunt, ut eas non ratio, neque labor, ſed res incertiſſimæ, venti, tempeſtateſque moderentur. Hinc cùm unæ decumæ [3] lege, & conſuetudine trahantur: alteræ novis inſtitutis propter annonæ rationem imperentur: ematur præterea frumentum quotannis publicè: poſtremò etiam in cællam magiſtratibus & legatis imperetur: quid, aut quantum præterea eſt, quod aut liberum poſſit habere ille arator, ac dominus in poteſtate, ſuorum fructuum, aut in ipſis fructibus ſolutum? Quòd ſi hæc feruntur omnia: ſi vobis potius, ac populo Rom. quàm ſibi, & ſuis commodis, opera, ſumtu, labore deſerviunt: etiamne hæc nova debent edicta, & imperia prætorum, & Apronii dominationem, & Veneriorum ſervorum furta, rapinaſque perferre? etiamne frumentum pro emto gratis dare? etiamne in cællam cùm cupiant gratis dare ultrò, pecuniam grandem dare? etiamne hæc tot detrimenta, atq; damna cum maximis injuriis, contumeliiſque perferre? itaque, hæc, judices, quæ pati nullo modo potuerunt, non pertulerunt. Arationes tota Sicilia deſertas, atque à dominis relictas eſſe cognoſcitis: neque quidquam aliud agitur hoc judicio, niſi ut antiquiſſimi ſocii, fideliſſimique, Siculi, coloni populi Rom. atque aratores, veſtra ſeveritate, & diligentia, me duce, atque auctore, in agros, atque in ædes ſuas revertantur.

ACCUSATIONIS IN C. VERREM, LIBER QUARTUS, DE SIGNIS.

ORATIO NONA.

1 VENIO nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat, *ſtudium*: ut amici ejus, *morbum*, & inſaniam: ut Siculi, *latrocinium*. ego, quo nomine appellem, neſcio. rem vobis proponam: [1] vos eam ſuo, non nominis pondere penditote. genus ipſum prius cognoſcite, judices: deinde fortaſſe non magnoperè quæretis, quo nomine appellandum putetis. Nego in Sicilia tota, tam locupleti, tam vetere provincia, tot oppidis,

1. *Per ſummam injuriam averratur.*] Sic Nannii membranæ. vulgata *auferatur*. malim *avertatur*, ſi prima non perplacet.
2. *Negaret hac æſtimatione ſe uſum?*] Prius editi *hic*: Lambinus, *Si negaret hac æſtimatione &c.*
3. *Lege & conſuetudine trahantur.*] Vulgata, *& conditione*. alterum exſtat in Nannianis.

1. V*Os eam ſuo, non nominis pondere.*] Ita primus legendum cenſuit Turnebus libro XXV. cap. 5. ex mſſ. vulgatum prius, *ſuo nominis pondere*, cui aſſentiuntur Pall. & Gruterianus.

dis, tot familiis, tam copioſis, ullum argenteum vas, ullum Corinthium, aut Deliacum fuiſſe: [1] ullam gemmam, aut margaritam; quidquam ex auro, aut ebore factum; ſignum ullum æneum, marmoreum, eburneum: nego ullam picturam [2] neque in tabula, neque textili fuiſſe, quin conquiſierit, inſpexerit: quod placitum ſit, *abſtulerit*. Magnum videor dicere. attendite etiam, quemadmodum dicam. non enim verbi, neque criminis augendi cauſa complector omnia. cùm dico, nihil iſtum ejuſmodi rerum in tota provincia *reliquiſſe*, Latinè me ſcitote, non accuſatoriè loqui: etiam planiùs: nihil in ædibus cujuſquam, ne in oppidis quidem: nihil in locis communibus, ne in fanis quidem: nihil apud Siculum, nihil apud civem Romanum, denique nihil iſtum, [3] quod ad oculos, animumque acciderit, neque privati, neque publici, neque profani, neque ſacri, tota in Sicilia reliquiſſe. Unde igitur potiùs incipiam, quàm ab ea civitate, quæ tibi una in amore, atque in deliciis fuit? aut ex quo potius numero, quam *ex ipſis laudatoribus tuis?* faciliùs enim perſpicietur, qualis apud eos fueris, qui te oderunt, qui accuſant, qui perſequuntur: cùm apud tuos Mamertinos inveniare improbiſſima ratione eſſe
2 prædatus. C. Hejus eſt Mamertinus (omnes hoc mihi facilè concedent, qui Meſſanam acceſſerunt) omnibus rebus in illa civitate ornatiſſimus. hujus domus eſt vel optima Meſſanæ, notiſſima quidem certè, & noſtris hominibus apertiſſima, maximeque hoſpitalis. ea domus ante adventum iſtius ſic ornata fuit, ut *urbi quoque eſſet ornamento*. nam ipſa Meſſana, quæ ſitu, mœnibus, portuque ornata ſit, ab his rebus, quibus iſte delectatur, ſanè vacua, atque nuda eſt. Erat apud Hejum ſacrarium magna cum dignitate in ædibus, à majoribus traditum, perantiquum: in quo ſigna pulcherrima quattuor, ſummo artificio, ſumma nobilitate: quæ non modò iſtum hominem, ingenioſum, atque *intelligentem*, verùm etiam quemvis noſtrûm, quos iſte *idiotas* appellat, delectare poſſent: unum [4] Cupidinis, marmoreum, Praxitelis: (nimirum didici etiam, dum in iſtum inquiro, artificum nomina) idem, opinor, artifex ejuſdem modi Cupidinem fecit illum, qui eſt Theſpiis, *propter quem Theſpiæ viſuntur*. nam alia viſendi cauſa nulla eſt. Itaque ille L. Mummius, [5] cùm Theſpiis ea, quæ ad ædem Felicitatis ſunt, ceteraque profana ex illo oppido ſigna tolleret, hunc marmoreum Cupidinem, quòd erat conſecra-
3 tus, non attigit. Verùm, ut ad illud ſacrarium redeam, ſignum erat hoc, quod dico, Cupidinis è marmore: ex altera parte Hercules egregiè factus eſt ex ære. is dicebatur eſſe Myronis, ut opinor: [6] & certè. ante hoſce deos erant arulæ, quæ cuivis ſacrarii *religionem* ſignificare poſſent. erant ænea præterea duo ſigna, non maxima, verum eximia venuſtate, virginali habitu atque veſtitu, quæ manibus ſublatis ſacra quædam more Athenienſium virginum repoſita in capitibus ſuſtinebant. [7] *Canephoræ* ipſæ vocabantur. ſed earum [8] artificem quem? quemnam? recte admones: Polycletum eſſe dicebant. Meſſanam ut quiſque noſtrûm venerat, hæc viſere ſolebat: [9] omnibus hæc ad viſendum patebant quotidie: domus erat non domino magis ornamento, quàm civitati. C. Claudius, cujus ædilitatem magnificentiſſimam ſcimus fuiſſe, uſus eſt hoc Cupidine tamdiu, dum *forum* diis immortalibus, populoque Rom. habuit *ornatum:* &, cùm eſſet hoſpes Hejorum, Mamertini autem populi patronus, ut illis benignis uſus eſt ad commodandum, ſic ipſe [10] diligens fuit ad reportandum. Nuper homines nobileis ejuſmodi, judices: & quid dico nuper? immò verò modò, ac planè paullo antè vidimus: qui forum, ac baſilicas, non *ſpoliis provinciarum*, ſed ornamentis amicorum, commodis hoſpitum, non *furtis nocentium*, ornarent: qui tamen ſigna, atque ornamenta ſua cuique reddebant: non ablata ex urbibus ſociorum, quatridui cauſa, per ſimulationem ædilitatis; domum deinde, atque ad ſuas villas auferebant. Hæc omnia, quæ dixi, ſigna, judices, ab Hejo de ſacrario Verres abſtulit: nullum, inquam, horum reliquit, neque aliud ullum tamen, præter unum pervetus *ligneum*, Bonam Fortunam, ut opinor. eam iſte
habere domi ſuæ noluit. Prò deûm, hominumque fidem! 4
quid hoc eſt? quæ hæc cauſa? quæ hæc impudentia eſt? [11] quæ dico ſigna, antequàm abs te ſublata ſunt, Meſſanam cum imperio nemo venit, quin *viderit*. tot prætores, tot conſules in Sicilia, tum in pace, tum etiam in bello fuerunt; tot homines cujuſque modi: non loquor de integris, innocentibus, religioſis: tot cupidi, tot improbi, tot audaces: quorum nemo ſibi tam vehemens, tam potens, tam nobilis viſus eſt, qui ex illo ſacrario quidquam poſcere, aut tollere, aut attingere auderet. Verres *quod ubique erit pulcherrimum*, auferet? nihil habere præterea cuiquam licebit? tot domus locupletiſſimas domus iſtius una capiet? idcircò nemo ſuperiorum attigit, ut iſte tolleret? ideo C. Claudius Pulcher retulit, ut C. Verres poſſet auferre? At non requirebat ille Cupido *lenonis domum*, ac meretriciam diſciplinam: facilè illo ſacrario patrio continebatur: Hejo ſe à majoribus relictum eſſe ſciebat. [12] ad hereditatem ſacrorum non quærebat meretricis heredem. Sed quid ego tam vehementer invehor? verbo jam uno repellar. Emi, inquit. O dii immortales, præclaram defenſionem! *mercatorem cum imperio, ac ſecuribus in provinciam miſimus:* qui omnia ſigna, tabulas pictas, omne argentum, aurum, ebur, gemmas coëmeret: nihil cuiquam relinqueret. hæc enim mihi ad omnia defenſio patefieri videtur, *emiſſe*. Primùm, ſi id, quod vis, tibi ego concedam, ut emeris: quoniam in toto hoc genere hac una defenſione uſurus es: quæro, cujuſmodi tu judicia Romæ putaris eſſe, ſi tibi hoc quemquam conceſſurum putaſti, te in prætura, atque imperio, tot res, tam pretioſas, omneis denique res, quæ alicujus pretii fuerint, tota ex provincia coëmiſſe. Videte majorum diligen- 5
tiam, qui nihil dum etiam iſtiuſmodi ſuſpicabantur: verumtamen ea, QUÆ PARVIS in rebus accidere poterant, providebant. Neminem, qui cum poteſtate, aut legatione in provinciam eſſet profectus, tam amentem fore putaverunt, ut emeret argentum: dabatur enim de publico: ut veſtem: præbebatur enim legibus. mancipium putaverunt; quo & omnes utimur, & non præbetur à populo. ſanxerunt, NE QUIS EMERET MANCIPIUM, NISI IN DEMORTUI LOCUM. ſi qui Romæ eſſet demortuus? immò, ſi quis ibidem. non enim te inſtruere domum tuam voluerunt in provincia; ſed illum uſum provinciæ ſupplere. Quæ fuit cauſa, cur tam diligenter nos in provinciis ab emtioni-

1. *Ullam gemmam aut margaritam.*] Sic iterum iidem libri. nam prius cuſi, *nego ullam gem. aut marg. fuiſſe*, *aut*, à liberalitate ſcilicet ſcribarum.

2. *Neque in tabula, neque textili fuiſſe.*] Et hoc eſt ab iiſdem, quibus ſuffragatur & Turnebianus. Vulgata, *tabulis, neque textilium.*

3. *Quod ad oculos animumque acciderit.*] Haud aliter præter Lambinianos, H. & C. quippe retro cuſi, *quæ oculos animumque accenderint*, quod & in mſſ. noſtris.

4. *Cupidinis marmoreum Praxitelis.*] Cujacii liber, *Praxitele*, unde fingebat Gulielmius, *Praxitelæ*. non ineptè.

5. *Cùm Theſpiis ea quæ ad ædem.*] Pall. edd. que vett. *cum Theſpiadæ quæ ad ædem*. Gruter. *cum Theſpiæ quæ ad ædem*. adeo ut ferè accedam Turnebo, emendanti ex veteri libro, *cum Theſpiadas quæ ad ædem.*

6. *Et certe. ante hoſce Deos erant arulæ.*] Placuit Turnebo, reſtatque in Cujac. inepte aliæ editiones *tabulæ*. arulæ enim indices religionis; ſuper quas ſcilicet aromata exurerentur.

7. *Canephoræ.*] Sic uno ore omnes mſſ. noſtri. vulgo *Canephoræ*, male. conſulatur Turnebus lib. xxv. cap. 5.

8. *Artificem: quem? quemnam?*] Neque aliter codex Cujacii vulgata, *quem* excluſerat.

9. *Omnibus hæc ad viſendum patebant.*] Aſſentior Jureto arbitranti Notis ad lib. II. Symmachi Epiſt. 46. illud *ad viſendum*, ortum a gloſſa.

10. *Diligens fuit ad reportandum.*] Adblanditur mihi lectio Cujaciani cod. *reponendum*.

11. *Quæ dico ſigna.*] Vox *dico* ſi ejiciatur, nihil deceſſerit de ſententia.

12. *Ad hereditatem ſacrorum.*] Vetus editio & Pall. *an hereditatem ſacrorum*. Gruter. *in hereditatem*. Cujacii liber, *in hereditate*, quod videbatur probatum Gulielmio.

tionibus removerent? hæc, judices, quòd putabant *ereptionem* eſſe, non *emtionem*, cùm venditori ſuo arbitratu vendere non liceret. in provinciis intelligebant, ſi is, qui eſſet cum imperio ac poteſtate, quod apud quemque eſſet, emere vellet, idque ei liceret: fore, uti, quod quiſque vellet, ſive eſſet venale, ſive non eſſet, quanti vellet, auferret. Dicit aliquis, Noli iſto modo agere cum Verre. noli ejus facta ad antiquæ religionis rationem exquirere: concede, ut impunè emerit, modò ut bona ratione emerit, nihil pro poteſtate, nihil ab invito, nihil per injuriam. Sic agam. ſi quid venale habuit Hejus, ſi id, quanti æſtimabat, tanti
6 vendidit: deſino quærere, cur emeris. Quid igitur nobis faciundum eſt? num argumentis utendum in re ejuſmodi? quærendum eſt, credo, Hejus iſte num æs alienum habuerit, num auctionem fecerit: ſi fecit, num tanta difficultas eum rei nummariæ tenuerit, tanta egeſtas, [1] tanta vis oppreſſerit, ut *ſacrarium ſuum ſpoliaret:* ut deos patrios venderet. At hominem video auctionem feciſſe nullam: vendidiſſe, præter fructus ſuos, nihil umquam: non modò in ære alieno nullo, ſed in ſuis nummis multis eſſe ac ſemper fuiſſe. ſi hæc contrà, ac dico, eſſent omnia: tamen illum hæc, quæ tot annis in familia, ſacrarioque majorum fuiſſent, venditurum non fuiſſe. Quid ſi *magnitudine pecuniæ perſuaſum* eſt ei? veriſimile non eſt, ut ille homo tam locuples, tam honeſtus, religioni ſuæ, monumentiſque majorum pecuniam anteponeret. Sunt iſta: verumtamen abducuntur homines nonnumquam etiam ab inſtitutis ſuis magnitudine pecuniæ. Videamus, quanta iſta pecunia fuit, quæ potuerit Hejum, hominem maximè locupletem, minimè avarum, ab humanitate, à pietate, ab religione deducere. Ita juſſiſti, opinor, ipſum in tabulas referre: HÆC OMNIA [2] SIGNA PRAXITELIS, MYRONIS, POLYCLETI, [3] H-S VI. MILL. ET IↃ VERRI VENDITA SUNT. Recita ex tabulis. TABULÆ HEJI. Juvat me, hæc præclara nomina artificum, quæ iſti ad cælum ferunt, Verris æſtimatione ſic concidiſſe. Cupidinem Praxitelis H-S CIↃ. IↃC. profectò hinc natum
7 eſt, *Malo emere, quàm rogare.* Dicet aliquis, Quid? tu iſta permagno æſtimas? Ego verò ad meam rationem, uſumque non æſtimo. verumtamen à vobis ita arbitror ſpectari oportere, quanti hæc eorum judicio, qui *ſtudioſi ſunt harum rerum*, æſtimentur: quanti venire ſoleant: quanti hæc ipſa, ſi palàm, libereque venirent, venire poſſent: denique ipſe Verres quanti æſtimet. numquam enim, ſi denariis quadringentis Cupidinem illum putaſſet, [4] commiſiſſet, ut propter eum, in ſermonem hominum, atque in tantam vituperationem veniret. Quis veſtrûm igitur neſcit, quanti hæc æſtimentur? In auctione ſignum æneum non magnum H-S CXX. millibus venire non vidimus? Quid ſi velim nominare homines, qui aut non minoris, aut etiam pluris emerint? nonne poſſum? etenim QUI MODUS eſt in his rebus cupiditatis, idem eſt æſtimationis. difficile eſt enim finem facere pretio, niſi libidini feceris. Video igitur Hejum, neque voluntate, neque difficultate aliqua temporis, neque magnitudine pecuniæ adductum eſſe, ut hæc ſigna venderet: teque iſta ſimulatione emtionis, *vi, metu, imperio, faſcibus*, ab homine eo, quem una cum cæteris ſociis non ſolùm poteſtati tuæ, ſed etiam fidei populus R. commiſerat, eripuiſſe, atque abſtuliſſe. Quid mihi tam optandum, judices, poteſt eſſe in hoc crimine, quam ut hæc eadem dicat ipſe Hejus? nihil profectò. ſed ne difficilia optemus. Hejus eſt Mamertinus: Mamertina civitas iſtum publicè communi conſilio ſola laudat: omnibus ipſe ceteris Siculis odio eſt: ab his ſolis amatur. Ejus autem legationis, quæ ad iſtum laudandum miſſa eſt, princeps eſt Hejus. Etenim eſt primus civitatis. ne fortè, dum publicis mandatis ſerviat, de privatis injuriis reticeat. Hæc cùm ſcirem & cogitarem, commiſi tamen me, judices, Hejo. produxi eum prima actione: neque id tamen ullo periculo feci. Quid enim poterat Hejus reſpondere, ſi eſſet *improbus*, ſi ſui diſſimilis? ſigna illa domi ſuæ eſſe, non apud Verrem? quî poterat quidquam ejuſmodi dicere? ut homo turpiſſimus eſſet, impudentiſſimeque mentiretur, hoc diceret: illa ſe habuiſſe venalia, eaque ſeſe, quanti, voluerit, vendidiſſe. Homo domi ſuæ nobiliſſimus, qui vos de religione ſua, ac dignitate *verè exiſtimare* maximè vellet, primò dixit ſe iſtum publicè laudare, quòd ſibi ita mandatum eſſet: deinde neque ſe illa habuiſſe venalia, neque ulla conditione, ſi, utrum vellet, liceret, adduci umquam potuiſſe, ut venderet illa, quæ in ſacrario fuiſſent à majoribus ſuis relicta, &
tradita. Quid ſedes Verres? quid exſpectas? quid te à Cen- 8
turipina civitate, à Catinenſi, ab Haleſina, ab Tyndaritana, Ennenſi, Agyrinenſi, ceteriſque Siciliæ civitatibus circumveniri, atque opprimi dicis? tua te *altera patria*, quemadmodum dicere ſolebas, Meſſana circumvenit: tua, inquam, Meſſana, tuorum adjutrix ſcelerum, libidinum teſtis, prædarum ac furtorum receptrix. adeſt enim vir ampliſſimus ejus civitatis, legatus, hujuſce judicii cauſa domo miſſus, princeps laudationis tuæ: qui te *publicè laudat. ita enim mandatum*, atque imperatum eſt. tametſi rogatus de Cybea, tenetis memoria, quid reſponderit: ædificatam publicis operis, publicè coactis, eique ædificandæ publicè Mamertinum ſenatorem præfuiſſe. Idem ad vos privatim, judices, confugit: utitur hac lege, [5] qua judicium eſt communis, & privatæ rei ſociorum. tametſi lex eſt de pecuniis repetundis, ille ſe negat pecuniam repetere; quam ereptam non tantopere deſiderat: ſacra ſe majorum ſuorum repetere abs te dicit: *deos penates* à te patrios repoſcit. Ecqui pudor eſt? ecqua religio, Verres? ecqui metus? habitaſti apud Hejum Meſſanæ: res illum divinas apud eos deos in ſuo ſacrario [6] propè quotidie facere vidiſti. non movetur pecunia: denique quæ ornamenti cauſa fuerunt, non requirit: [7] habe Canephoras: deorum ſimulacra reſtitue. Quæ quia dixit, quia tempore dato, modeſtè apud vos, ſocius, amicuſque populi Rom. queſtus eſt: quia religioni ſuæ non modò in diis patriis repetundis; ſed etiam in ipſo jurejurando, ac teſtimonio, proximus fuit: hominem miſſum ab iſto ſcitote eſſe Meſſanam de legatis unum, illum ipſum, qui navi iſtius ædificandæ publicè præfuit, qui à ſenatu peteret, ut
Hejus ignominia afficeretur. Homo amentiſſime, quid puta- 9
ſti? te impetraturum? quanti is à civibus ſuis fieret, quanti auctoritas ejus haberetur, ignorabas? Verùm fac te impetraviſſe: fac aliquid gravius in Hejum ſtatuiſſe Mamertinos: quantam putas auctoritatem laudationis eorum futuram, ſi in eum, quem conſtet *verum pro teſtimonio dixiſſe*; pœnam conſtituerint? tametſi quæ eſt iſta laudatio, cùm laudatur interrogatus lædat, neceſſe eſt? Quid? iſti laudatores tui, nonne teſtes mei ſunt? Hejus eſt laudator: læſit graviſſime. producam ceteros: reticebunt, quæ poterunt, libenter: dicent, [8] quæ neceſſe erit ingratis. Negent iſti onerariam navem maximam ædificatam eſſe Meſſanæ? negent, ſi poſſint.

1. *Tanta vis oppreſſerit.*] Sic noſtri tres, editique Cujac. *preſſerit*, nec diſplicuit Gulielmio.

2. *Signa Praxitelis.*] Mſſ. Cujac. *Praxiteli*, quomodo ſæpe locutos antiquos, multis exemplis oſtendit Rivius.

3. H-S. VI. *millibus*, & IↃ.] Sic legendum bene monuit Hotom. nam illud & IↃ. vulgatis deeſt. ejus loco erat in Cujac. *mill.* III. CIↃ. qui idem, loco *vendita ſunt*, ſcriptum habet *vendita, ſed retulit*.

4. *Commiſiſſet, ut propter eum.*] Liber Cujacii, *commiſſet*, quod animadvertendum adnotavit Gulielmius.

5. *Qua judicium eſt communis, & privatæ rei ſociorum.*] Haud aliter vulgata, verum antiquius cuſi, *communis: arte ſociorum.* malim ego cum Pal. ſec. *qua judicium eſt, communi arce ſociorum:* præſertim cum ei reſpondeat item Pal. pr. & liber Gruteri, niſi quod ii, *communis arce.* ut forte reſcribendum ſit, *qua judicium eſt communis arx ſociorum.*

6. *Propè quotidie facere vid.*] Cujacii liber, *cottidianò.* quod rectum eſt Gulielmio. ita enim *annò, hornò*, adverbialiter dici.

7. *Habe Canephoras.*] Pronomen *tibi* non eſt in Pall. aut Gruter. neque agnoſcunt vetuſtè cuſi. ideoque delevi.

8. *Quæ neceſſe erit, ingratis.*] Lambinus, *ingratiis*, ſed præter mſſ. vetuſtius præterea cuſi habent, *gratis*; neque aliter ſcripti noſtri: teſtaturque idem de ſuis aliorumque Hotomanus.

1. *Fx-*

ſint. negent ei navi faciundæ ſenatorem Mamertinum publicè præfuiſſe? utinam negent. Sunt etiam cetera, quæ malo integra reſervare, ut quàm minimum ſit illis *temporis* ad meditandum, confirmandumque perjurium. Hæc tibi laudatio procedat in numerum. hi te homines auctoritate ſua ſublevent: qui te neque debent adjuvare, ſi poſſint: neque poſſunt, ſi velint: quibus tu privatim injurias plurimas, contumeliaſque impoſuiſti: quo in oppido multas familias *in perpetuum infameis* tuis ſtupris, flagitiiſque feciſti. At *publice commodaſti*. Non ſine magno quidem reip. provinciæque Siciliæ detrimento. Tritici modiûm LX millia. emta populo Rom. dare debebant, & ſolebant. abs te ſolo remiſſum eſt. Reſp. detrimentum fecit, quòd per te imperii jus una in civitate imminutum eſt: Siculi, quòd hoc non de ſumma frumenti detractum eſt, ſed tranſlatum in Centuripinos, & Haleſinos, immuneis populos: & hoc plus impoſitum, quàm ferre poſſent. Navem imperare ex fœdere debuiſti. remiſiſti in triennium. militem nullum umquam popoſciſti per tot annos. feciſti item *uti prædones ſolent:* qui cùm communes hoſtes ſint omnium, tamen aliquos ſibi inſtituunt amicos, quibus non modò parcant, verùm etiam præda quos augeant, & eos maximè, qui habent oppidum opportuno loco, quò ſæpè adeundum ſit navibus, nonnumquam etiam neceſſariò. Phaſelis illa, quam cepit P. Servilius, non fuerat urbs ante Cilicum, atque prædonum: Lycii illam, Græci homines, incolebant. ſed quòd erat ejuſmodi loco, atque ita projecta in altum, ut & [1] exeuntes è Cilicia prædones ſæpe ad eam neceſſariò devenirent: &, cùm ex hiſce ſe locis reciperent, eodem deferrentur: *aſciverunt* illud ſibi oppidum piratæ, primò com-
10 mercio, deinde etiam ſocietate. Mamertina civitas, improba antea non erat: etiam erat inimica improborum: quæ C. Catonis, illius, qui conſul fuit, impedimenta retinuit. at cujus hominis? clariſſimi, [2] potentiſſimique; qui tamen cùm conſul fuiſſet, condemnatus eſt. Ita, C. Cato, duorum hominum clariſſimorum nepos, L. Paulli, & M. Catonis, & P. Africani ſororis filius (quo damnato, tum, cùm ſevera judicia fiebant) H-S XVIII millibus lis æſtimata eſt. [3] huic Mamertini irati fuerunt; qui majorem ſumtum, quàm, quanti Catonis lis æſtimata eſt, in Timarchidis *prandium* ſæpe fecerunt. Verùm hæc civitas iſti prædoni, ac piratæ Sicilienſi Phaſelis fuit. huc omnia undique deportabantur, apud iſtos relinquebantur: quod *celari opus* erat, habebant ſepoſitum, ac reconditum: per iſtos, quæ volebat, in navem clàm imponenda, occultè exportanda curabat: navim denique maximam, quam onuſtam furtis in Italiam mitteret, apud iſtos faciendam, ædificandamque curavit. *pro hiſce rebus*, vacatio data eſt ab iſto ſumtus, laboris, militiæ, rerum denique omnium. per triennium ſoli non modò in Sicilia, verùm, ut opinio mea fert, *his quidem temporibus*; in omni orbe terrarum, vacui, expertes, ſoluti ac liberi fuerunt ab omni ſumtu, moleſtia, munere. hinc illa *Verrea* nata ſunt: [4] hinc in convivium Sex. Cominium protrahi juſſit, in quem ſcyphum de manu jacere conatus eſt: quem obtorta gula de convivio in vincula, atque in tenebras abripi juſſit. hinc illa crux, in quam civem Rom. iſte, multis inſpectantibus, ſuſtulit: quam non auſus eſt uſquam defigere, niſi apud eos, quibuſcum
11 omnia ſcelera ſua, ac latrocinia communicaſſet. Laudatum etiam vos quemquam venire audetis? qua auctoritate? utrùm, quam apud ſenatorium ordinem, an quam apud populum Romanum habere debetis? Ecquæ civitas eſt, [5] non in provinciis noſtris, verùm in ultimis arationibus, aut tam potens, aut tam libera, aut etiam tam immanis, ac barbara: Rex denique ecquis eſt, qui ſenatorem populi Rom. [6] tecto, ac domo non invitet? qui honos non *homini ſolùm* habetur, ſed primùm populo Romano, cujus beneficio nos in hunc ordinem venimus: deinde ordinis auctoritati, quæ niſi gravis erit [7] apud ſocios, in exteras nationes, ubi erit imperii nomen & dignitas? Mamertini me publicè non invitarunt. me cùm dico, leve eſt. Senatorem populi Rom. ſi non invitaverunt, honorem debitum detraxerunt, [8] *non homini, ſed ordini*. Nam ipſi Tullio patebat domus locupletiſſima, & ampliſſima [9] Cn. Pompeji Baſiliſci: quò, etiam ſi eſſet invitatus à vobis, tamen deverti ſſet. erat etiam Parcenniorum, qui nunc item Pompeji ſunt, domus honeſtiſſima: quò L. frater meus ſumma illorum voluntate devertit. Senator populi Rom. quod in vobis fuit, in veſtro oppido jacuit, & pernoctavit in publico. nulla hoc civitas umquam alia commiſit. Amicum enim noſtrum in judicium vocabas. Tu, quid ego privatim negotii geram, *interpretabere* in minuendo honore ſenatorio? Verùm hæc tum queremur, ſi quid de vobis per eum ordinem agetur, qui ordo à vobis adhuc ſolis contemtus eſt. In populi Romani quidem conſpectum, quo ore vos commiſiſtis? nec priùs illam crucem, quæ etiam nunc civis Rom. ſanguine redundat: quæ fixa eſt ad portum, urbemque veſtram, revelliſtis, neque in profundum abjeciſtis, locumque illum omnem *expiaſtis*, quàm Romam, atque in horum conventum adiretis? In Mamertinorum ſolo fœderato, atque pacato monumentum iſtius crudelitatis conſtitutum eſt. veſtrane urbs electa eſt, ad quam cùm adirent ex Italia, crucem civis Rom. priùs, quàm quemquam amicum populi Rom. viderent? quam vos Rheginis, quorum civitati invidetis, item incolis veſtris, civibus Rom. oſtendere ſoletis: quo minus ſibi arrogent, minuſque vos deſpiciant, cùm videant jus civitatis illo ſupplicio eſſe mactatum. Verùm hæc *emiſſe*
te dicis. Quid? illa Attalica, tota Sicilia nominata ab eo- 12
dem Hejo, *peripetaſmata* emere oblitus es? licuit eodem modo, ut ſigna. Quid enim actum eſt? an litteris peperciſti? Verùm hominem amentem hoc fugit: minus clarum putavit fore, quod de armario, quàm quod de ſacrario eſſet ablatum. At quomodo abſtulit? non poſſum dicere planiùs, quàm ipſe apud vos dixit Hejus. cùm quæſiſſem, numquid aliud de bonis ejus perveniſſet ad Verrem, reſpondit iſtum ad ſe miſiſſe, ut ſibi mitteret Agrigentum peripetaſmata. Quæſivi an miſiſſet. reſpondit id, quod neceſſe erat, ſcilicet *dicto audientem fuiſſe prætori:* miſiſſe. Rogavi, perveniſſentne Agrigentum: dixit perveniſſe. Quæſivi, an domum revertiſſent. negavit adhuc revertiſſe. Riſus populi, atque admurmuratio omnium facta eſt. Hic tibi in mentem non venit, jubere, ut hæc quoque referret, H-S VI millibus IↃ ſe tibi vendidiſſe? metuiſti, ne æs alienum tibi creſceret, ſi H-S VI millibus IↃ tibi conſtarent ea, quæ tu facilè poſſes vendere H-S CC millibus? fuit tanti, mihi crede. haberes quod defenderes: nemo quæreret, quanti illa res eſſet, ſi modò te poſſes docere *emiſſe:* facilè cui velles, tuam cauſam, & factum probares. nunc de peripetaſmatis quemadmodum te expedias, non habes. Quid? [10] à Philarcho Centuripino, homine locuplete, ac nobili, *phaleras* pulcherrimè factas, quæ Regis Hieronis fuiſſe dicuntur, utrùm tandem abſtuliſti, an emiſti? In Sicilia quidem cùm eſſem,

1. *Exeuntes ex Cilicia prædones.*] Editiones Lambini, *Sicilia*. ſed præter verum & libros ſcriptos vulgatoſque.

2. *Potentiſſimique.*] Editi olim, & Pall. cum Gruter. *potentiſſimi quoque*. Cujacianus, qui idem ut puto, cum mſſ. Lambinianis, *ac potentiſſimi*.

3. *Huic Mamertini irati fuerunt.*] Applicantur ab aliis iſthæc Verri. nos Catoni accommodanda duximus. vulgati, *irati non fuerunt*.

4. *Hinc in convivium.*] Sic quidem editi hujus ætatis, at ſuperioris, *quod in convivium*.

5. *Tecto ac domo non invitet.*] Venuſtè dictum, & idiotiſmo: cum uſitatius fuiſſet, *in tectum ac domum*.

6. *Non in provinciis noſtris.*] Recepta lectio, *non modo in pr.*

7. *Apud ſocios in exteras nationes.*] Eſt a Pall. & Gruter. item antiquitus impreſſis. alii, *apud ſocios atque exteras nationes*. Cujac. *& exteras*, quod admiſit Lambinus.

8. *Non homini, ſed ordini.*] Ineptè edit. Lambinianæ, *nomini*.

9. *Cn. Pompeji Baſiliſci.*] Mallet Gulielmius, *Baſil.*, nam liber Cujac. *Baſiliti*. Pal. pr. *Baſilici*.

10. *A Philarcho.*] Cujacii liber & Pall, *Philarchio*.

eſſem, ſic à Centuripinis, ſic à ceteris audiebam (non enim parum res erat clara) tam te has phaleras à Philarcho Centuripino abſtuliſſe dicebant, quàm alias item nobileis, ab Ariſto Panormitano, quàm tertias à Cratippo Tyndaritano. Etenim ſi Philarchus vendidiſſet, non ei, poſteaquam reus factus es, redditurum te promiſiſſes. quod quia vidiſti plures ſcire, cogitaſti, ſi ei reddidiſſes, [1] te minus habiturum, rem nihilominus teſtatam futuram: non reddidiſti. dixit Philarchus pro teſtimonio, ſe, quòd noſſet tuum iſtum morbum, [2] ut amici tui appellant, ſtudioſè cupiſſe te celare de phaleris: cùm abs te appellatus eſſet, negaſſe *habere ſeſe*: apud alium quoque eas habuiſſe depoſitas, ne quà invenirentur: tuam tantam fuiſſe ſagacitatem, ut eas per illum ipſum inſpiceres, ubi erant depoſitæ: tum ſe *deprehenſum* negare non potuiſſe: ita ab ſe invito ab-
13 latas phaleras gratis. Jam ut hæc omnia reperire, ac perſcrutari ſolitus ſit, judices, eſt operæ pretium cognoſcere. Cybiratæ ſunt fratres quidam, Tlepolemus, & Hiero: quorum alterum fingere opinor è cera ſolitum eſſe, alterum eſſe pictorem. hoſce opinor Cybiræ, cùm in ſuſpicionem veniſſent ſuis civibus fanum expilaſſe Apollinis, veritos *pœnam judicii* ac legis, domo profugiſſe. quòd Verrem artificii ſui cupidum cognoverant tum, cùm iſte, id quod ex teſtibus didiciſtis, Cybiram cum inanibus ſyngraphis venerat, domo profugientes ad eum ſe exſules, cùm iſte eſſet in Aſia, contulerunt. habuit ſecum eos ab illo tempore: & in legationis prædis, atque furtis, multùm illorum opera, conſilioque uſus eſt. hi ſunt illi, quibus, in tabulis retulit ſeſe Q. Tadius dediſſe juſſu iſtius, Græcis pictoribus. Eos jam bene cognitos, & *re probatos* ſecum in Siciliam duxit. Quò poſteaquàm venerunt, mirandum in modum *canes venaticos* diceres: ita odorabantur omnia, & perveſtigabant, ut, [3] ubi quidque eſſet, aliqua ratione invenirent. aliud minitando, aliud pollicendo, aliud per ſervos, aliud per liberos, per amicum aliud, aliud per inimicum inveniebant. quidquid illis placuerat, perdendum erat. nihil aliud optabant, quorum poſcebatur argentum, niſi ut Hieroni, & Tle-
14 polemo diſpliceret. Verè mehercules hoc, judices, dicam. memini Pamphilum Lilybætanum, hoſpitem meum, & amicum, nobilem hominem, mihi narrare: cùm iſte ab ſeſe *hydriam Boëti manu factam*, præclaro opere, & grandi pondere, per poteſtatem abſtuliſſet, ſe ſanè triſtem, & conturbatum, domum revertiſſe, quòd vas ejuſmodi, quod ſibi à patre, & à majoribus eſſet relictum, quo ſolitus eſſet uti ad feſtos dies, ad hoſpitum adventum, à ſe eſſet ablatum. Cùm ſederem, inquit, domi triſtis, accurrit Venerius: jubet me ſcyphos ſigillatos ad prætorem ſtatim afferre. permotus ſum, inquit: binos habebam: jubeo promi utroſque, ne quid plus mali naſceretur, & mecum ad prætoris domum ferri. eò cùm venio, prætor quieſcebat: fratres illi Cybiratæ inambulabant. qui, me ubi viderunt, Ubi ſunt, Pamphile, inquiunt, ſcyphi? oſtendo triſtis. laudant. incipio queri, me nihil habiturum, quod alicujus eſſet pretii, ſi etiam ſcyphi eſſent ablati. tum illi, ubi me conturbatum vident: *Quid vis nobis dare, ut iſti abs te ne auferantur?* [4] ne multa, ſeſtertios cc. me, inquit, popoſcerunt: dixi me daturum c. Vocat interea prætor: ſcyphos poſcit. tum illos cœpiſſe prætori dicere, putaſſe ſe, id quod audiſſent, alicujus pretii ſcyphos eſſe Pamphili: *luteum negotium eſſe*, non dignum, quod in ſuo argento Verres haberet. Ait ille, idem ſibi videri. ita Pamphilus ſcyphos optimos aufert. Et mehercules ego antea, tametſi hoc neſcio quid, nugatorium ſciebam eſſe, iſta intelligere: tamen mirari ſolebam, iſtum in his ipſis rebus aliquem ſenſum habere: quem ſcirem nulla in re quidquam *ſimile hominis* habere. Tum primùm in- 15
tellexi, ad eam rem iſtos fratres Cybiratas fuiſſe, ut iſte in furando manibus ſuis, oculis illorum uteretur. At ita ſtudioſus eſt hujus præclaræ exiſtimationis, ut putetur in hiſce rebus intelligens eſſe, ut nuper (videte hominis amentiam) poſteaquam eſt comperendinatus, cùm jam pro damnato, mortuoque eſſet, ludis Circenſibus manè apud L. Siſennam, virum primarium, cùm eſſent triclinia ſtrata, *argentumque expoſitum* in ædibus; cùm pro dignitate L. Siſennæ domus eſſet plena hominum honeſtiſſimorum, acceſſerit ad argentum: contemplari unumquodque otioſè, & conſiderare cœperit. mirari ſtultitiam alii, quòd *in ipſo judicio*, ejus ipſius cupiditatis, cujus inſimularetur, ſuſpicionem augeret: alii amentiam, cui comperendinato, cùm tam multi teſtes dixiſſent, quidquam illorum veniret in mentem. pueri autem Siſennæ, credo, qui audiviſſent, quæ in iſtum teſtimonia eſſent dicta, oculos de iſto nuſquam dejicere, neque ab argento digitum diſcedere. Eſt boni judicis, PARVIS EX REBUS conjecturam facere uniuſcujuſque & cupiditatis, & incontinentiæ. qui reus lege, & reus comperendinatus, re & opinione hominum pænè damnatus, temperare non potuerit maximo conventu, quin L. Siſennæ argentum tractaret, & conſideraret: hunc in provincia prætorem quiſquam putavit à Siculorum argento cupiditatem, aut manus abſtinere potuiſſe? Verùm, uti Lilybæum, unde 16
digreſſa eſt, oratio revertatur, Diocles eſt, Pamphili gener, illius, à quo hydria ablata eſt, Popillius cognomine. ab hoc *abaci vaſa omnia*, ut expoſita fuerant, abſtulit. Dicat ſe emiſſe. etenim hîc propter magnitudinem furti, ſunt, ut opinor, litteræ factæ. juſſit Timarchidem æſtimare argentum. Quo modo? quo qui umquam tenuiſſimè in donatione hiſtrionum æſtimavit. Tametſi jamdudum erro, qui tam multa de tuis emtionibus verba faciam, & quæram, utrùm emeris, & quomodo, & quanti emeris: quod verbo tranſigere poſſum. Ede mihi ſcriptum, quid argenti in provincia Sicilia pararis, unde quidque, aut quanti emeris. Quid fit? quamquam non debeam ego abs te has litteras poſcere. me enim tabulas tuas habere, & proferre oportebat. Verùm negas te horum annorum aliquot confeciſſe. compone hoc, quod poſtulo, de argento: de reliquo videro. *Nec ſcriptum habeo, nec poſſum edere.* Quid futurum igitur eſt? Quid exiſtimas hoſce judices, facere poſſe? domus plena ſignorum pulcherrimorum jam etiam ante præturam: multa ad villas tuas poſita, apud amicos multa depoſita, multa aliis data, atque donata: tabulæ nullum indicant emtum: omne argentum ablatum ex Sicilia eſt: nihil cuiquam, quod ſuum dici vellet, relictum. fingitur improba defenſio, prætorem omne id argentum coëmiſſe: tamen idipſum tabulis demonſtrari non poteſt. ſiquas tabulas profers, [5] in his, quid habeas, quomodo habeas, ſcriptum non eſt. horum autem temporum, cùm te plurimas res emiſſe dicas, tabulas omnino nullas proferas: nonne te & *prolatis*, & *non prolatis tabulis condemnari* neceſſe eſt? Tu à M. Cælio, equite Roma- 17
no, lectiſſimo adoleſcente, quæ voluiſti vaſa argentea Lilybæi abſtuliſti: tu C. Cacurii, promtiſſimi hominis, & experientis, & in primis gratioſi, ſupellectilem omnem auferre non dubitaſti: tu maximam, & pulcherrimam menſam citream à Q. Lutatio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio à L. Sulla civis Romanus factus eſt, omnibus ſcientibus Lilybæi abſtuliſti. Non tibi objicio, quod hominem digniſſimum tuis moribus, Apollonium, Nicônis filium, Drepanitanum, qui nunc A. Clodius vocatur, omni argento optimè facto [6] ſpoliaſti, ac depeculatus es. taceo. non enim putat ille ſibi injuriam factam: propterea quòd homini jam perdito,

---

1. *Te minus habiturum.*] Mſſ. Hotomani noſtrique, item olim cuſi, etiam Victoriani, *te minus invidiæ habit.*

2. *Ut amici appellant, ſtudioſè.*] Pall. & vett. edd: *appellant, ſtudium.*

3. *Ubi quidque eſſet.*] Haud aliter Pal. ſec. & Cujac. retrò vulgati, *quidquid*: quod & dudum improbarat Hotomanus.

4. *Ne multa: ſeſtertios cc. me inquit popoſcerunt: dixi me daturum centum.*] Pall. noſtri, Gruter. & edd. olim, etiam Victoriani: *ne multa*: H-S. CIↃ. *me inquit dixi daturum*: abſque intermediis. quod etiam ferri queat.

5. *In his quid habeas.*] Pall. & olim cuſi, *quas habes*. Cujac. *quæ habes*: quod poſtremum non diſplicet.

6. *Spoliaſti ac depeculatus es.*] Cujacii codex, *depecuniatus es.* ſic à Lucillio dictum, *deargentare*, pro *argento emungere.*

1. Quæ

perdito, & collum in laqueum inſerenti, ſubveniſti, cùm pupillis Drepanitanis bona patria erepta *cum illo partitus es.* gaudeo etiam, ſi quid ab illo abſtuliſti: & abs te nihil rectius factum eſſe dico. à Liſone verò Lilybætano, primo homine, apud quem deverſatus es, Apollinis ſignum ablatum certè eſſe non oportuit. At dices te emiſſe. ſcio: H-S CIƆ. ita opinor. ſcio, inquam. proferam litteras: & tamen id factum non oportuit. A pupillo Hejo, cui Marcellus tutor eſt, à quo pecuniam grandem eripueras, ſcaphia cum emblematis Lilybæi utrùm emta eſſe dicis, an confiteris erepta? Sed quid ego iſtius in ejuſmodi rebus *mediocreis injurias* colligo: quæ tantummodò in furtis iſtius, & damnis eorum, à quibus auferebat, verſatæ eſſe videantur? accipite, ſi vultis, judices, rem ejuſmodi, ut amentiam ſingularem, ut furorem jam, non cupiditatem ejus perſpicere
18 poſſitis. Melitenſis Diodorus eſt, qui apud vos antea teſtimonium dixit. is Lilybæi multos jam annos habitat, homo & domi nobilis, & apud eos, quò ſe contulit, propter virtutem ſplendidus, & gratioſus. de hoc Verri dicitur, habere eum perbona toreumata: in his pocula duo quædam, [1] quæ *Heraclea* nominantur, Mentoris manu, ſummo artificio, facta. quod iſte ubi audivit, ſic cupiditate inflammatus eſt non ſolùm inſpiciundi, verùm etiam auferendi, ut Diodorum ad ſe vocaret, ac poſceret. Ille, qui illa non invitus haberet, reſpondet ſe Lilybæi non habere: Melitæ apud quendam propinquum ſuum reliquiſſe. Tum iſte continuò mittit homines certos Melitam: ſcribit ad quoſdam Melitenſeis, ut ea vaſa perquirant: rogat Diodorum, ut ad illum ſuum propinquum det litteras. nihil ei longiùs videbatur, quàm dum illud videret *argentum.* Diodorus, homo frugi, ac diligens, qui *ſua ſervare vellet*, propinquo ſuo ſcribit, ut iis, qui à Verre veniſſent, reſponderet; illud argentum ſe paucis illis diebus miſiſſe Lilybæum. Ipſe interea recedit. abeſſe ab domo paulliſper maluit, quàm præſens illud optimè factum argentum amittere. Quod ubi audivit iſte, uſque eò eſt commotus, ut ſine ulla dubitatione inſanire omnibus, ac furere videretur. quia non potuerat argentum eripere, ipſe à Diodoro *erepta ſibi vaſa* optimè facta dicebat: minitari abſenti Diodoro: vociferari palàm: lacrymas interdum vix tenere. Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate, ut, cùm vidiſſet monile, ut opinor, ex auro & gemmis, pulchritudine ejus incenſa, *ſalutem viri proderet.* ſimilis iſtius cupiditas: hoc etiam acrior, atque inſanior, quòd illa cupiebat id, quod viderat: hujus libidines non
19 ſolùm oculis, ſed etiam auribus excitabantur. Conquiri Diodorum tota provincia jubet. ille ex Sicilia jam caſtra moverat, & vaſa collegerat. Homo ut aliquo modo illum in provinciam revocaret, hanc excogitavit rationem: ſi hæc ratio potiùs, quàm amentia nominanda eſt. apponit de ſuis canibus quendam, qui dicat, ſe Diodorum Melitenſem rei capitalis reum velle facere. Primò mirum omnibus videri, Diodorum reum, hominem *quietiſſimum*, ab omni non modò facinoris, verùm etiam minimi errati ſuſpicione remotiſſimum. deinde eſſe perſpicuum, fieri omnia illa *propter argentum.* Iſte non dubitat jubere nomen deferri: & tum primùm opinor iſtum abſentis nomen recepiſſe. [2] Res clara Sicilia tota, PROPTER CÆLATI argenti cupiditatem reos fieri rerum capitalium: [3] neque ſolum reos fieri, ſed etiam abſenteis. Diodorus Romæ ſordidatus circum patronos, atque hoſpites curſare: rem omnibus narrare. litteræ mittuntur iſti à patre vehementes, ab amicis item, videret, quid ageret, de Diodoro quò progrederetur: rem claram eſſe, & *invidioſam:* inſanire hominem: periturum hoc uno crimine, niſi caviſſet. Iſte etiam tum patrem, ſi non in parentis, at in hominum numero putabat: ad judicium nondum ſe ſatis inſtruxerat: primus annus erat provinciæ: non, ut in Sthenio, jam refertus pecunia. itaque *furor* ejus, paullulum non *pudore*, ſed *metu*, ac *timore* repreſſus eſt. condemnare Diodorum non audet: abſentem de reis eximit. Diodorus interea prætore iſto propè triennium provincia, domoque caruit. ceteri non ſolùm Siculi, ſed etiam cives Rom. hoc ſtatuerant: quoniam iſte tantum cupiditate progrederetur, nihil eſſe quòd quiſquam putaret, ſe, quod iſti paullò *magis placeret*, conſervare, aut domi retinere
poſſe. Poſteà verò, quàm intellexerunt, iſti virum fortem, 20
quem ſummè provincia exſpectabat, Q. Arrium, non ſuccedere: ſtatuerunt ſe nihil tam clauſum, neque tam reconditum poſſe habere, quod non iſtius cupiditati apertiſſimum, promtiſſimumque eſſet. Tum iſte ab equite Romano ſplendido, & gratioſo, Cn. Calidio, cujus filium ſciebat ſenatorem populi Rom. & judicem eſſe, [4] *equuleos argenteos* nobileis, qui Q. Maximi fuerant, aufert. Imprudens huc incidi, judices, emit enim, non abſtulit. nollem dixiſſe. jactabit ſe, & in his equitabit equuleis. Emi: pecuniam ſolvi. Credo, etiam tabulæ proferentur. [5] eſt tanti. cedò tabulas. dilue ſanè crimen hoc Calidianum, dum ego tabulas adſpicere poſſim. Verumtamen quid erat, quòd Calidius Romæ quereretur, ſe, cùm tot annos in Sicilia negotiaretur, abs te ſolo ita eſſe contemtum, ita deſpectum, [6] ut etiam unà cum ceteris Siculis diſpoliaretur, ſi emeras? quid erat, quod confirmabat, ſe abs te argentum eſſe *repetiturum*, ſi tibi ſua voluntate vendiderat? tu porrò poſſes facere, ut Cn. Calidio non redderes? præſertim cùm is L. Siſenna, defenſore tuo tàm familiariter uteretur: & cùm ceteris familiaribus Siſennæ reddidiſſes? deinde non opinor negaturum eſſe te, homini honeſto, ſed non gratioſiori, quàm Cn. Calidius eſt, L. Cordio argentum per Potamonem, amicum tuum, reddidiſſe. qui quidem ceterorum cauſam apud te difficiliorem fecit. Nam cùm te compluribus confirmaſſes redditurum, poſteaquàm Cordius pro teſtimonio dixit, te ſibi reddidiſſe, finem reddendi feciſti: quòd intellexiſti, te, *præda de manibus amiſſa*, teſtimonium tamen effugere non poſſe. Cn. Calidio, equiti Romano, per omneis prætores licuit argentum habere benefactum: licuit poſſe domeſticis copiis, cùm magiſtratum, aut aliquem ſuperiorem invitaſſet, ornare, & apparare convivium. multi domi Cn. Calidii, cum imperio, ac poteſtate fuerunt: nemo inventus eſt tam amens, qui illud argentum tam præclarum, ac tam nobile *eriperet:* nemo tam audax, qui *poſceret:* nemo tam impudens, qui *poſtularet*, ut *venderet.* Superbum eſt enim, judices, & non ferendum, dicere prætorem in provincia homini honeſto, locupleti, ſplendido, VENDE MIHI VASA CÆLATA. hoc eſt enim dicere: Non es dignus tu, qui habeas, quæ tam benè facta ſint: meæ dignitatis iſta ſunt. Tu dignior, Verres, quàm Calidius? qui, ut non conferam vitam, atque exiſtimationem tuam cum illius (neque enim eſt conferenda) hoc ipſum conferam, quo tu te ſuperiorem fingis: quòd H-S LXXX millia diviſoribus, *ut prætor renuntiarere*, dediſti; trecenta accuſatori, ne tibi odioſus eſſet. ea re contemnis equeſtrem ordinem, ac deſpicis? ea re

1. *Quæ Heraclea nominantur.*] Locus mire vexatus. alii enim repoſitum volunt *Thericlea.* quorum è numero eſt Canterus lib. v. Novar. lection. cap. 28. Turneb. lib. VIII. Adverſ. cap. 10. Mſſ. Pall. favent receptæ lectioni, niſi quod ſec. *Eraclea.* nam Gruterianus *Ereclea.* Cujacianus & Puteani liber *Theridia.* Hittorp. quoque ſchedæ præferunt, *& heridia.* Ceterum retinui *pocula duo quædam.*

2. *Res clara Sicilia tota.*] Ita reſcribendum duxit Turnebus. Gulielmius a vulgata: *Reclamat Sicilia tota.*

3. *Neque ſolum reos fieri.*] Eſt ab Cujac. atque Hittorp. quippe Pall. Gruter. edd. omnes, *neque ſolum præſentes reos fieri.* Paulus Manutius *præſentes* retinuit ſed ejecit, *reos fieri.* adeoque quiſque in Tullio experitur quantum libeat.

4. *Equuleos arg. nobileis, qui Qu. Maximi fuerant.*] Quis ille vero *Qu. Maximus*, nuſquam alibi pictus aut fictus? Sed vide, ne rectius legatur, *quique maximi fuerant*, hoc eſt pretioſiſſimi, quique venire potuerant plurimo.

5. *Eſt tanti.*] Malè hoc interpretatur Hotomanus: dicit enim Cicero, eſſe operæ pretium inſpiciundi tabulas: itaque ipſas poſcit, urgetque.

6. *Ut etiam unà cum ceteris.*] Dictio *unà*, exulat ferè hodiernis exemplaribus, ſed injuſtè; ut & vocula *ita*, quæ præceſſit.

1. *Per-*

ea re indignum tibi viſum eſt, quidquam, quod tibi placeret,
21 Calidium potius habere, quam te? Jactat ſe jamdudum de Calidio: narrat omnibus, ſe emiſſe. num etiam de L. Papirio, viro primario, locuplete, honeſtoque, equite Romano *turibulum* emiſti? qui pro teſtimonio dixit, te, cùm inſpiciendum popoſciſſes, avulſo emblemate remiſiſſe: ut intelligatis, in homine intelligentiam eſſe, non avaritiam: artificii cupidum, non argenti fuiſſe. Nec ſolùm in Papirio fuit hac abſtinentia: tenuit hoc inſtitutum in turibulis omnibus, quæcumque in Sicilia fuerunt. incredibile eſt autem quam multa, & quam præclara fuerint. Credo tum, cùm Sicilia florebat opibus, & copiis, *magna artificia* fuiſſe in ea inſula. nam domus erat ante iſtum prætorem nulla paullo locupletior, qua in domo hæc non eſſent, etiamſi præterea nihil eſſet argenti; patella grandis cum ſigillis, ac ſimulacris deorum; patera, qua mulieres ad res divinas uterentur; turibulum. hæc autem omnia antiquo opere, & ſummo artificio facta: ut hoc liceret ſuſpicari, fuiſſe aliquando apud Siculos [1] peræqua proportione cetera: ſed QUIBUS MULTA fortuna ademiſſet, tamen apud eos remanſiſſe ea, quæ religio retinuiſſet. Dixi, judices, multa fuiſſe ferè apud Siculos omneis: ego idem confirmo, nunc ne unum quidem eſſe. Quid hoc eſt? quod monſtrum, quod prodigium in provinciam miſimus? nonne vobis id egiſſe videtur, ut non unius libidinem, non ſuos oculos, ſed [2] omnium cupidiſſimorum inſanias, cùm Romam revertiſſet, expleret? qui ſimul atque [3] in oppidum quopiam venerat, immittebantur illi continuò Cybiratici canes, qui inveſtigabant, & perſcrutabantur omnia. Si quod erat *grande vas*, & majus opus inventum, læti auferebant. ſi minus ejuſmodi quippiam venari potuerant; illa quidem certè pro lepuſculis capiebantur, patellæ, pateræ, turibula. Hic quos putatis fletus mulierum? quas lamentationes fieri ſolitas eſſe in hiſce rebus? quæ forſitan vobis parvæ eſſe videantur: ſed magnum & acerbum dolorem commovent, mulierculis præſertim, cùm eripiuntur manibus ea, quibus *ad res divinas* uti conſuerunt, quæ è ſuis
22 acceperunt, quæ in familia ſemper fuerunt. Hìc nolite exſpectare, dum ego hoc crimen agam oſtiatim, ab Æſchylo Tyndaritano iſtum pateram abſtuliſſe, à Thraſone item Tyndaritano patellam, à Nymphodoro Agrigentino turibulum. cùm teſteis ex Sicilia dabo, quem volet, ille eligat, quem ego interrogem de patellis, pateris, turibulis: [4] non modo oppidum nullum, ſed ne domus quidem paullo locupletior expers hujus injuriæ reperietur. qui cùm in convivium veniſſet, ſi quidquam *cœlati* adſpexerat, manum abſtinere, judices, non poterat. Cn. Pompejus eſt Philo, qui fuit Tyndaritanus. is cenam iſti dabat apud villam in Tyndaritano. fecit, quod Siculi non audebant. ille, civis Romanus quòd erat, impuniùs id ſe facturum putavit. appoſuit patellam, in qua ſigilla erant egregia. iſte continuò ut vidit, non dubitavit illud inſigne penatium, hoſpitaliumque deorum, *ex hoſpitali menſa* tollere. ſed tamen, quod antea de iſtius abſtinentia dixeram, ſigillis avulſis reliquum argentum ſine ulla avaritia reddidit. Quid? [5] Eupolemo Calactino, homini nobili, Lucullorum hoſpiti ac perfamiliari, qui nunc apud exercitum cum L. Lucullo eſt, non idem fecit? cenabat apud eum. argentum illi ceterum, purum appoſuerat, ne purus ipſe relinqueretur; duo pocula non magna, verumtamen cùm emblematis. hic, quaſi feſtivum acroama, ne *ſine corollario* de convivio diſcederet, ibidem convivis inſpectantibus, emblemata avellenda curavit. Neque ego nunc iſtius facta omnia enumerare conor: neque opus eſt, nec fieri ullo modo poteſt. Tantummodò uniuſcujuſque de varia improbitate generis indicia apud vos, & exempla profero. neque enim ita ſe geſſit in his rebus, tanquam *rationem aliquando eſſet redditurus*: ſed prorſus ita, quaſi aut reus numquam eſſet futurus, aut, quò plura abſtuliſſet, eò minore periculo in judicium eſſet venturus: qui hæc, quæ dico, jam non occultè, non per amicos, atque interpretes, ſed palàm de loco ſuperiore ageret,
pro imperio, & poteſtate. Catinam cùm veniſſet, oppi- 23
dum locuples, honeſtum, copioſum, Dionyſiarchum ad ſe proagorum, hoc eſt, ſummum magiſtratum, vocari jubet. ei palàm imperat, ut *omne argentum*, quod apud quemque eſſet Catinæ, conquirendum curaret, & ad ſe transferendum. Philarchum Centuripinum, [6] primum hominem genere, virtute, pecunia, non hoc idem juratum dicere audiſtis, ſibi iſtum negotium dediſſe, atque imperaviſſe, ut Centuripinis, in civitate totius Siciliæ multo maxima, & locupletiſſima, omne argentum conquireret, & *ad ſe comportari* juberet? Agyrio ſimiliter iſtius imperio vaſa Corinthia [7] per Apollodorum, quem teſtem audiſtis, Syracuſas deportata ſunt. Illa verò optima, quòd, [8] cùm ad Haluntium veniſſet prætor laborioſus, & diligens, [9] ipſe in oppidum accedere noluit, quòd erat difficili adſcenſu, atque arduo; Archagathum Haluntinum, hominem non ſolùm domi ſuæ, ſed tota Sicilia in primis nobilem, vocari juſſit: ei negotium dedit, ut, quidquid Halunti eſſet argenti cælati, aut, ſi quid etiam Corinthiorum, id omne ſtatim ad mare ex oppido deportaretur. adſcendit in oppidum Archagathus homo nobilis, qui à ſuis & amari, & diligi vellet: ferebat graviter, illam ſibi ab iſto *provinciam* datam: nec, quid faceret, habebat. pronuntiat, quid ſibi imperatum eſſet: jubet omneis proferre, quæ haberent. metus erat ſummus. ipſe enim tyrannus non diſcedebat longiùs: Archagathum, & argentum in lectica cubans ad mare infra oppidum exſpectabat. quem concurſum in oppido factum putatis? quem clamorem? quem porrò fletum mulierum? qui viderent; EQUUM TROJANUM introductum, urbem captam eſſe, dicerent. efferri ſine thecis vaſa, extorqueri alia de manibus mulierum, effringi multorum foreis, revelli clauſtra. Quid enim putatis? *ſcuta* ſi quando conquiruntur à privatis in bello, ac tumultu: tamen homines inviti dant, etſi ad ſalutem communem dari ſentiunt: ne quem putetis ſine maximo dolore argentum cælatum domo, quod alter eriperet, protuliſſe. omnia deferuntur. Cybiratæ fratres vocantur: pauca improbant: quæ probarant, iis cruſtæ, aut emblemata detrahuntur. Sic Haluntini, *ex-*
cuſſis deliciis, cum argento puro domum reverterunt. Quod 24
umquam, judices, hujuſmodi [10] everriculum in illa provincia fuit? avertere aliquid de publico quàm obſcuriſſimè [11] per magiſtratum ſolebant: etiam aliquid de privato nonnumquam occultè auferebant: & illi tamen condemnabantur.

1. *Peræqua proportione cetera.*] Sic Victoriana, & ſeqq. nam exoletæ, *æqua prop.* quod & in Pal. & Gruter. Turnebus lib. VIII. cap. 10. malebat *peræquè.*

2. *Omnium cupidiſſimorum inſanias.*] Eſt ab Cujac. & Hittorp. antea impreſſ. *omnium avariſſimorum inſanias.*

3. *In oppidum quopiam.*] Ita videtur reſcribendum Gulielmio quod id reperiſſet in Hittorpiano: alludebatque Cujac. qui *copiam*, vulgo *quoppiam*. illepidè.

4. *Non modò oppidum nullum, ſed ne domus quidem ulla paullò, &c.*] Illud *ulla* addidi ſuaſu Cujac. ac Hittorp. haud tamen ita abſurdè Pall. Gruter. edd. vett. *nullum: domus nulla paullò*, ſine *ſed ne*, item *quidem.*

5. *Eupolemo Calactino.*] Forte *Galatino*. Pall. tamen & Gruter. *Galaſtino.*

6. *Primum hominem.*] Vulgata, *primarium*, ſed contra edd. vett. & mſſ. Pall. Cujac. Gruter. Forſan adſitum *hominem* eſt emblema ſcribæ.

7. *Per Apollodorum, quem teſtem.*] Lambini editiones excludunt *Apollodorum*, malè.

8. *Cum ad Haluntium veniſſet, &c.*] Eſt à Pall. Grut. edd. antiquis. mediæ ætatis edd. abjicere *ad.*

9. *Ipſe in oppidum accedere noluit.*] Habeo totum iſtud pro panno librariorum, adſuto purpuræ Tullianæ. Giſanius tamen locum hunc laudat, quo probet, *accedere* dici pro *aſcendere*, cujus adeantur Obſervationes.

10. *Everriculum in illa provincia.*] Miror non obſecutum P. Manutium Hotomano, jubenti reponere hanc lectionem.

11. *Per magiſtratum.*] Sic quidem mſſ. Italica. ſed Gallicum Cujacii *per magiſtrum*; quod non videbatur diſplicere Gulielmio, ut is notaretur qui bonorum publicæ præeſſet auctioni.

1. *Ipſ.*

fur. &, ſi quæritis, ut ipſe de me detraham: illos ego accuſatores puto fuiſſe, qui hujuſmodi hominum furta odore, aut aliquo leviter preſſo veſtigio perſequebantur. Nam nos quidem quid facimus in Verre, quem in luto volutatum *totius corporis veſtigiis* invenimus? permagnum eſt in eum dicere aliquid, qui præteriens, lectica paulliſper depoſita, non per præſtigias, ſed palàm per poteſtatem, uno imperio oſtiatim totum oppidum compilarit? At tamen, ut poſſit ſe dicere emiſſe, Archagatho imperat, ut aliquid illis, quorum argentum fuerat, nummulorum, *dicis cauſa*, daret. invenit Archagathus paucos, qui vellent accipere: his dedit. eos nummos tamen iſte Archagatho non reddidit. voluit Romæ petere Archagathus: Cn. Lentulus Marcellinus diſſuaſit, ſicut ipſum dicere audiſtis. *RECITA ARCHAGATHI, ET LENTULI TESTIMONIUM.* Et, ne fortè hominem exiſtimetis hanc tantam vim emblematum ſine cauſa coacervare voluiſſe, videte, quanti vos, quanti exiſtimationem populi Rom. quanti leges, & judicia, quanti teſteis Siculos, negotiatoreſque fecerit. poſteaquàm tantam multitudinem collegerat emblematum, ut ne unum quidem cuiquam reliquiſſet: [1] inſtituit *officinam* Syracuſis: in regiam maximam palàm artifices omneis, cælatores, ac vaſcularios convocari jubet: & ipſe ſuos complureis habebat. [2] eò conducit magnam hominum multitudinem. menſes octo continuos opus his non defuit, cùm vas nullum fieret, niſi aureum. tum illa, ex patellis, & turibulis quæ vellerat, ita ſcite in aureis poculis illigabat, [3] ita aptè in ſcyphis aureis includebat, ut ea ad illam rem nata eſſe diceres: ipſe tamen prætor, qui ſua vigilantia pacem in Sicilia dicit fuiſſe, in hac officina majorem partem diei cum tunica pulla ſedere ſolebat, & pallio.

25 Hæc ego, judices, non auderem proferre, ni vererer, ne fortè plura de iſto ab aliis in ſermone, quàm à me in judicio audiſſe vos diceretis. Quis enim eſt, qui de hac officina, qui de vaſis aureis, qui [4] de iſtius pallio, tunica pulla non audierit? quem voles de conventu Syracuſanorum virum bonum nominato. producam. nemo erit, quin hoc ſe aut vidiſſe, aut audiſſe dicat. O tempora, ô mores! nihil nimiùm vetus proferam. Sunt veſtrûm, judices, aliquammulti, qui L. Piſonem cognoverunt, hujus L. Piſonis, qui prætor fuit, patrem. is cùm eſſet in Hiſpania prætor, qua in provincia occiſus eſt, neſcio quo pacto, dum armis exercetur, anulus aureus, quem habebat, fractus eſt, & comminutus. cùm vellet ſibi anulum facere, aurificem juſſit vocari in foro, ad ſellam, Cordubæ, & ei palàm appendit aurum. hominem in foro ſellam jubet ponere, & facere anulum, omnibus præſentibus. Nimium fortaſſe dicet aliquis hunc *diligentem*. hactenus reprehendat, ſi quis volet: nihil amplius. verùm fuit ei concedendum. filius enim L. Piſonis erat, ejus, qui primus de pecuniis repetundis legem tulit. Ridiculum eſt nunc de Verre me dicere, cùm de Piſone Frugi dixerim. verumtamen, quantum interſit, videte. iſte cùm aliquot abacorum faceret vaſa aurea, non laboravit, [5] quid non modò in Sicilia, verùm etiam Romæ in judicio audiret. ille in auri ſemuncia *totam Hiſpaniam ſcire* voluit, unde prætori anulus fieret. nimirum, ut hic nomen ſuum
26 comprobavit: ſic ille cognomen. Nullo modo poſſum omnia iſtius facta aut memoria conſequi, aut oratione complecti. genera ipſa cupio breviter attingere: ut hic modò me commonuit Piſonis anulus, quod totum effluxerat. Quàm multis iſtum putatis hominibus honeſtis, de digitis *anulos aureos* abſtuliſſe? numquam dubitavit, quotieſcumque alicujus aut gemma, aut anulo delectatus eſt. Incredibilem rem dicam, ſed tam claram, ut ipſum negaturum non arbitrer. Cùm Valentio ejus interpreti epiſtola Agrigento allata eſſet, caſu ſignum iſte animadvertit in cretula. placuit ei: exquiſivit, unde eſſet epiſtola: reſpondit, Agrigento. iſte litteras, ad quos ſolebat, miſit: ut is anulus ad ſe primo quoque tempore afferretur. ita litteris iſtius, patrifamilias L. Titio cuidam civi Romano anulus de digito detractus eſt. Illa vero ejus cupiditas incredibilis eſt. nam ut in *ſingula conclavia*, quæ iſte non modò Romæ, ſed in omnibus villis habet, tricenos lectos optimè ſtratos cum ceteris ornamentis convivii quæreret, nimiùm multa comparare videretur. nulla domus in Sicilia locuples fuit, ubi iſte non textrinum inſtituerit. Mulier eſt Segeſtana, perdives, & nobilis, Lamia nomine. per triennium iſti plena domo telarum, ſtragulam veſtem confecit: nihil niſi conchylio tinctum. [6] Attalus, homo pecunioſus, Neti, Lyſo, Lylibæi; Critolaus Ennæ; Syracuſis Æſchrio, Cleomenes, Theomnaſtus; Pelori Archonides, Megiſtus. vox me citiùs defecerit, quàm nomina. Ipſe dabat purpuram tantùm, amici operas, credo. jam enim non libet omnia criminari, quaſi hoc mihi non ſatis ſit ad crimen, habuiſſe *tam multum*, quod daret: voluiſſe deportare tam multa: hoc denique, quod concedit, amicorum operis eſſe in hujuſcemodi rebus uſum. Jam verò lectos æratos, & candelabra ænea num cui, præter iſtum, Syracuſis per triennium facta eſſe exiſtimatis? Emebat, credo. Sed tantùm vos certiores, judices, facio, quid iſte in provincia prætor egerit, ne cui fortè nimium *negligens* fuiſſe videatur, neque ſe ſatis, cùm
poteſtatem habuerit, inſtruxiſſe & ornaſſe. Venio nunc 27
non jam ad furtum, non ad avaritiam, non ad cupiditatem, ſed ejuſmodi facinus, in quo *omnia nefaria* contineri mihi, atque ineſſe videantur: in quo dii immortales violati, exiſtimatio atque auctoritas nominis populi Romani imminuta, hoſpitium ſpoliatum ac proditum, abalienati ſcelere iſtius à nobis omnes reges amiciſſimi, nationeſque, quæ in eorum regno, ac ditione ſunt. Nam reges Syriæ, regis Antiochi filios pueros, ſcitis Romæ nuper fuiſſe: qui venerant non propter Syriæ regnum: nam id ſine controverſia obtinebant, ut à patre, & à majoribus acceperant: ſed regnum Ægypti ad ſe, & ad Selenen, matrem ſuam, pertinere arbitrabantur. [7] Hi ipſi poſteaquàm *temporibus Reip. excluſi*, per ſenatum agere quæ voluerant, non potuerunt, in Syriam, in regnum patrium profecti ſunt. eorum alter, qui Antiochus vocatur, iter per Siciliam facere voluit. itaque iſto prætore venit Syracuſas. hîc Verres hereditatem ſibi veniſſe arbitratus eſt, quod in ejus *regnum*, ac manus venerat is, quem iſte & audierat multa ſecum præclara habere, & ſuſpicabatur. mittit homini munera ſatis largè: [8] hæc ad uſum domeſticum. vini, olei quod viſum erat: etiam tritici, quod ſatis eſſet, de ſuis decumis. deinde ipſum regem ad cenam vocavit. exornat amplè, magnificeque triclinium: exponit ea, quibus abundabat, plurima ac pulcherrima vaſa argentea. namque hæc aurea nondum fece-

1. *Inſt. officinam Syracuſis: in regiam maximam palam.*] Codex Cujacii ac Gruteri: *Inſt. officinam Syracuſis in regia maximam, palam &c.* forſan melius. & ſic quoque Hittorpianus.

2. *Eo conducit magnam hominum multitudinem.*] Hittorp. *eos concludit.* neque aliter Cujac. niſi quod is præterea, *magna hominum multitudine.* & vero videtur legi poſſe: *eò concludit magnam hom. multitudinem:* aut magis *eò concluſit.*

3. *Ita aptè in ſcyphis aureis includebat.*] Excerpta & Cujacii & Hittorpii, *ſcaphis aureis conclud.* Gulielmius reſcribit *ſcaphiis.* à ſcapha; ut *Cymbium* à Cymba; ut alia pleraque poculorum genera, de quo Macrobius lib. V. Saturn. cap. 21.

4. *De iſtius pallio, tunica pulla, &c.*] Pall. Gruter. ed. vet. *pallio, palla:* ſine illo *tunica.*

5. *Quid non modò in Sicilia.*] Emendatio eſt à Mureti libro III. cap. 8. variar. lect. affirmatque Lambinus exſtare in ſuis mſſ. bene, noſtri tamen accedunt vulgatæ, *quin non &c.*

6. *Attalus homo pecunioſus, Neti, Lyſo, Lilybæi, &c.*] Auctor hujus lectionis Turnebus lib. VIII. cap. 10. Adverſ. e veſtigiis mſſ. vulgo enim, *pecunioſus*, *nec vulgo Lilybæi.*

7. *Hi ipſi poſteaquam temporibus Reipubl.*] Obtemperavi Hittorp. ac Cujac. in quibus ita erat; non ut in hodie vulgatis: *Hi poſtquam temporibus populi Rom.*

8. *Hæc ad uſum domeſticum.*] Supervacua heic particula *hæc.* mallem transferre infra, ponique ante *de ſuis decumis.* ſic enim Cujac. & Hittorp. non ut vulgo, *de his dec.*

fecerat. omnibus curat rebus inſtructum, & paratum ut ſit convivium. Quid multa? Rex ita diſceſſit, ut & iſtum copioſè ornatum, & ſe honorificè acceptum arbitraretur. vocat ad cenam deinde ipſe prætorem: exponit ſuas copias omneis, multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro, quæ, ut mos eſt regius, & maximè in Syria, gemmis erant diſtincta clariſſimis. Erat etiam vas vinarium *ex una gemma* pergrandi, trulla excavata, manubrio aureo. de qua, credo, ſatis idoneum, ſatis gravem teſtem, Qu. Minucium dicere audiſtis. iſte unum quodque vas in manus ſumere, laudare, mirari. Rex gaudere, prætori populi Romani ſatis jucundum, & gratum illud eſſe convivium. poſteaquàm inde diſceſſum eſt, cogitare iſte nihil aliud (quod ipſa res declaravit) niſi, quemadmodum regem ex provincia ſpoliatum, expilatumque dimitteret. mittit *rogatum vaſa ea*, quæ pulcherrima apud illum viderat: ait ſe ſuis cælatoribus velle oſtendere. Rex, qui iſtum non noſſet, ſine ulla ſuſpicione libentiſſimè dedit. Mittit etiam trullam gemmeam rogatum: velle ſe eam diligentiùs con-
28 ſiderare. ea quoque ei mittitur. Nunc reliquum, judices, attendite, de quo & vos audiſtis, & populus Romanus non nunc primùm audiet: & in exteris nationibus uſque [1] ad ultimas terras pervagatum eſt. *Candelabrum* è gemmis clariſſimis, opere mirabili perfectum, reges hi, quos dico, Romam cùm attuliſſent, ut in Capitolio ponerent: quòd nondum etiam perfectum templum offenderant, neque ponere potuerunt, neque vulgò oſtendere, ac proferre voluerunt: ut & *magnificentius* videretur, cùm ſuo tempore in cella Jovis Opt. Max. poneretur: & clarius, cùm pulchritudo ejus recens ad oculos hominum, atque integra perveniret. ſtatuerunt id ſecum in Syriam reportare: ut, cùm audiſſent ſimulacrum Jovis Optimi Maximi dedicatum, legatos mitterent, qui cum ceteris rebus illud quoque eximium, atque pulcherrimum donum in *Capitolium afferrent*. Pervenit res ad iſtius aureis, neſcio quomodo. nam rex cælatum voluerat: non quo quidquam metueret, aut ſuſpicaretur, ſed ut ne multi illud antè [2] perciperent oculis, quàm populus Romanus. Iſte petit à rege, & eum pluribus verbis rogat, ut id ad ſe mittat: cupere ſe dicit inſpicere, neque ſe aliis videndi poteſtatem eſſe facturum. Antiochus, qui animo & puerili eſſet, & regio, nihil de iſtius improbitate ſuſpicatus eſt: imperat ſuis, ut id in prætorium involutum quàm occultiſſimè deferrent. quò poſteaquàm attulerunt, involucriſque rejectis conſtituerunt: iſte clamare cœpit, *dignam rem eſſe regno Syriæ*, dignam regio munere, dignam Capitolio. Etenim erat eo ſplendore, qui ex clariſſimis, [3] & plurimis gemmis eſſe debebat: ea varietate operum, ut ars certare videretur cum copia: ea magnitudine, ut intelligi poſſet, non ad hominum apparatum, ſed ad ampliſſimi templi ornamentum eſſe factum. [4] quod cùm ſatis jam perſpexiſſe videretur, tollere incipiunt, ut referrent. Iſte ait, ſe velle illud etiam, atque etiam conſiderare: *nequaquam ſe eſſe ſatiatum.* jubet illos diſcedere, & candelabrum relinquere. Sic illi tum inanes ad Antiochum
29 revertuntur. Rex primò nihil metuere, nihil ſuſpicari. dies unus, alter, plures: non referri. [5] Tum mittit rex ad iſtum, ſi ſibi videatur, ut reddat. Jubet iſte poſteriùs ad ſe reverti. mirum illi videri. mittit iterum. non redditur. Ipſe hominem appellat: rogat, ut reddat. Os hominis, inſignemque impudentiam cognoſcite. Quod ſciret, quodque ex ipſo rege audiſſet in Capitolio eſſe ponendum: quod Jovi Optimo Maximo, quod populo Romano ſervari videret, id ſibi *ut donaret*, rogare, & vehementer petere cœpit. Cùm ille ſe & religione Jovis Capitolini, & hominum exiſtimatione impediri diceret, quòd multæ nationes teſtes eſſent illius operis, ac muneris: iſte homini minari acerrimè cœpit. Ubi videt eum nihilo magis minis, quàm precibus permoveri: repente hominem de provincia jubet *ante noctem* decedere. ait ſe comperiſſe, ex ejus regno piratas in Siciliam eſſe venturos. Rex maximo conventu Syracuſis, in foro, ne quis forte me in crimine obſcuro verſari, atque affingere aliquid ſuſpicione hominum arbitretur, in foro, inquam, Syracuſis flens, ac deos, hominesque conteſtans, clamare cœpit, candelabrum factum è gemmis, quod in Capitolium miſſurus eſſet, quod in templo clariſſimo populo Rom. *monumentum* ſuæ ſocietatis, amicitiæque eſſe voluiſſet; id ſibi C. Verrem abſtuliſſe: de ceteris operibus ex auro, & gemmis, quæ ſua penes illum eſſent, ſe non laborare: hoc ſibi eripi, miſerum eſſe, & indignum. id etſi antea jam *mente, & cogitatione* ſua, fratriſque ſui, conſecratum eſſet: tamen tum ſe in illo conventu civium Rom. dare, donare, dicare, conſecrare Jovi Opt. Max. teſtemque ipſum Jovem ſuæ voluntatis, ac religionis adhibere. Quæ vox? quæ latera? quæ vires hujus unius criminis que- 30
rimoniam poſſint ſuſtinere? Rex Antiochus, qui Romæ ante oculos omnium noſtrûm biennium ferè comitatu regio, atque ornatu fuiſſet: is cùm amicus, & ſocius populi Rom. eſſet, amiciſſimo patre, avo, majoribus, antiquiſſimis, & clariſſimis regibus, opulentiſſimo & maximo regno, præceps provincia populi Rom. exturbatus eſt. Quemadmodum hoc *accepturas nationes exteras:* quemadmodum hujus tui facti famam in regna aliorum, atque in ultimas terras perventuram putaſti, cùm audierint, à prætore populi Romani in provincia violatum regem, ſpoliatum hoſpitem, ejectum ſocium populi Rom. atque amicum? Nomen veſtrum, populique Rom. odio, atque acerbitati ſcitote nationibus exteris, judices, futurum, ſi iſtius hæc tanta *injuria impunita* diſceſſerit. ſic omnes arbitrabuntur, præſertim cùm hæc omnino fama de noſtrorum hominum avaritia, & cupiditate percrebruerit, NON ISTIUS SOLIUS hoc eſſe facinus, ſed eorum etiam, qui approbarunt. Multi reges, multæ liberæ civitates, multi privati opulenti, ac potentes habent profectò in animo Capitolium ſic ornare, ut templi dignitas, imperiique noſtri nomen deſiderat. qui ſi intellexerint, interverſo regali hoc dono, graviter vos tuliſſe: grata fore vobis, populoque Rom. ſua ſtudia, ac dona arbitrabuntur. ſin hoc vos in rege tam nobili, in re tam eximia, in injuria tam acerba, neglexiſſe audierint: non erunt tam amentes, ut operam, curam, pecuniam impendant in eas res, quas vobis *gratas fore non arbitrentur.* Hoc loco, Qu. Catule, te appello. loquor enim de tuo cla- 31
riſſimo, pulcherrimoque monumento: non judicis ſolùm ſeveritatem in hoc crimine, ſed prope inimici, atque accuſatoris vim ſuſcipere debes. tuus eſt enim honos in illo templo, ſenatus populique Rom. beneficio: tui nominis *æterna memoria* ſimul cum templo illo conſecratur. tibi hæc cura ſuſcipienda, tibi hæc opera ſumenda eſt, ut Capitolium, quomodo magnificentius eſt reſtitutum, ſic copioſius ornatum ſit, quàm fuit: ut illa *flamma* divinitus exſtitiſſe videatur, non quæ deleret Jovis Opt. Max. templum, ſed quæ præclarius, magnificentiuſque depoſceret. Audiſti, Qu. Minucium Rufum dicere, domi ſuæ diverſatum eſſe Antiochum regem Syracuſis: ſe illud ſcire ad iſtum eſſe delatum: ſe ſcire non redditum. audiſti, & audies omni è conventu Syracuſano, qui ita dicant, ſeſe audientibus, illud Jovi Opt. Max. dicatum eſſe ab rege Antiocho, & conſecratum. Si judex non eſſes, & hæc ad te delata res eſſet: te potiſſimum hoc perſequi, te petere, te agere oporteret. Quare non dubito, quo animo *judex* hujus criminis eſſe debeas, qui apud alium judicem multo acrior, quàm ego ſum, actor,

1. *Ad ultimas terras pervagatum eſt.*] Non omnino ineptè par illud librorum *pervulgatum eſt.*
2. *Perciperent oculis.*] Malim cum Hittorpiano, *præciperent.*
3. *Et plurimis gemmis.*] Hittorp. Cujac. Grut. *pulcherrimis.* Pal. prim. *pulcrimis.*
4. *Quod cum ſatis jam, &c.*] Vocula, *Quod*, non comparet in cod. Cujaciano, neque deſideratur.
5. *Tum mittit rex ad iſtum.*] Vocula *rex* abeſt Cujac. & jucundius ſubaudiatur.

32 actor, accuſatorque eſſe deberes. Vobis autem, judices, quid hoc indignius, aut quid minùs ferendum videri poteſt? Verreſne habebit domi ſuæ candelabrum Jovis Opt. Max. è gemmis, auroque perfectum? cujus fulgore collucere, atque illuſtrari Jovis Opt. Max. templum oportebat, id apud iſtum in ejuſmodi conviviis conſtituetur, quæ *domeſticis ſtupris*, flagitiiſque flagrabunt? In iſtius lenonis turpiſſimi domo ſimul cum ceteris Chelidonis hereditariis ornamentis, Capitolii ornamenta ponentur? Quid huic ſacri umquam fore, aut quid fuiſſe religioſi putatis, qui nunc tanto ſcelere ſe obſtrictum eſſe non ſentiat? qui in judicium veniat, ubi ne precari quidem Jovem Opt. Max. atque ab eo *auxilium petere* more omnium poſſit? à quo etiam dii immortales ſua repetunt in eo judicio, quod hominibus ad ſuas res repetundas eſt conſtitutum. Miramur Athenis Minervam, Deli Apollinem, Junonem Sami, Pergæ Dianam, multos præterea ab iſto deos tota Aſia, Græciaque violatos, qui à Capitolio manus abſtinere non potuerit? quod privati homines de ſuis pecuniis ornant, ornaturique ſunt, id C. Verres ab regibus ornari non eſt paſſus. Itaque hoc nefario ſcelere concepto, *nihil poſtea* tota in Sicilia neque ſacri, neque religioſi eſſe duxit. ita ſeſe in ea provincia per triennium geſſit, ut ab iſto non ſolùm hominibus, verùm etiam diis immortalibus *bellum indictum*
33 putaretur. Segeſta eſt oppidum pervetus in Sicilia, judices, quod ab Ænea fugiente à Troja, atque in hæc loca veniente, conditum eſſe demonſtrant. Itaque Segeſtani non ſolùm perpetua ſocietate, atque amicitia, verùm etiam *cognatione* ſe cum populo Romano conjunctos eſſe arbitrantur. Hoc quondam oppidum, cum illa civitas cum Pœnis ſuo nomine, ac ſua ſponte bellaret, à Karthaginienſibus [1] vi captum, atque deletum eſt: omniaque, quæ ornamento urbi eſſe poſſent, Karthaginem ſunt ex illo loco deportata. fuit apud Segeſtanos ex ære *ſimulacrum Dianæ*, cùm ſumma atque antiquiſſima præditum religione, tum ſingulari opere, artificioque perfectum. hoc tranſlatum Karthaginem, locum tantùm, homineſque mutarat: religionem quidem priſtinam conſervabat. nam propter eximiam pulchritudinem, etiam hoſtibus digna, quam ſanctiſſimè *colerent*, videbatur. aliquot ſæculis poſt, P. Scipio bello Punico tertio Karthaginem cepit: qua in victoria (videte hominis virtutem, & diligentiam, ut & *domeſticis præclariſſimæ virtutis exemplis gaudeatis*, & eo majore odio dignam iſtius incredibilem audaciam judicetis) convocatis Siculis omnibus, quòd diutiſſimè, ſæpiſſimeque Siciliam vexatam à Karthaginienſibus cognorat, jubet omnia conquiri: pollicetur, ſibi magnæ curæ fore, ut omnia civitatibus, quæ cujuſque fuiſſent, reſtituerentur. Tum illa, quæ quondam fuerant Himera ſublata, de quibus antea dixi, Thermitanis ſunt reddita: tum alia Gelenſibus, alia Agrigentinis: in quibus etiam ille *nobilis taurus*, quem crudeliſſimus omnium tyrannorum Phalaris habuiſſe dicitur, quo vivos, ſupplicii cauſa, demittere homines, & ſubjicere flammam ſolebat. quem taurum Scipio cùm redderet Agrigentinis, dixiſſe dicitur: ÆQUUM ESSE illos cogitare, utrum eſſet Siculis utilius, ſuiſne ſervire, an populo Romano obtemperare: cùm idem monumentum & domeſticæ crudelita-
34 tis, & noſtræ manſuetudinis haberent. Illo tempore Segeſtanis maxima cum cura hæc ipſa Diana, de qua dicimus, redditur: reportatur Segeſtam: in ſuis antiquis ſedibus ſumma cum gratulatione civium, & lætitia reponitur. [2] Hæc erat poſita Segeſtæ, ſanè excelſa in baſi: in qua grandibus litteris P. AFRICANI nomen erat inciſum, eumque KARTHAGINE CAPTA RESTITUISSE, perſcriptum. colebatur à civibus: ab omnibus advenis viſebatur. cùm quæſtor eſſem, nihil mihi ab illis eſt demonſtratum priùs. Erat admodum amplum, & excelſum ſignum cum ſtola: verumtamen inerat in illa magnitudine ætas, atque habitus *virginalis*. ſagittæ pendebant ab humero: ſiniſtra manu retinebat arcum: dextra ardentem facem præferebat. Hanc cùm iſte ſacrorum omnium hoſtis, religionumque prædo vidiſſet: quaſi illa [3] ipſa face percuſſus eſſet, ita flagrare cupiditate, atque amentia cœpit. imperat magiſtratibus iſte, ut eam demoliantur, & ſibi dent: nihil ſibi gratius oſtendit futurum. illi verò dicere, id ſibi *nefas eſſe*: ſeque cùm ſumma religione, tum ſummo metu legum, & judiciorum teneri. iſte tum petere ab illis, tum minari, tum ſpem, tum metum oſtendere. Opponebant illi interdum nomen Africani: [4] donum populi Romani illud eſſe dicebant: nihil ſe in eo poteſtatis habere, quod imperator clariſſimus, urbe hoſtium capta, [5] monumentum victoriæ populi Rom. eſſe voluiſſet. Cùm iſte nihilo remiſſius; atque etiam multo vehementius inſtaret quotidie: res agitur in ſenatu. vehementer ab omnibus reclamatur. Itaque illo tempore, ac primo iſtius adventu pernegatur. poſtea, quidquid erat *oneris* in nautis, remigibuſque exigendis, in frumento imperando, Segeſtanis, *præter ceteros*, imponebat aliquanto amplius, quàm ferre poſſent. præterea magiſtratus eorum evocabat: optimum quemque & nobiliſſimum ad ſe arceſſebat: circum omnia provinciæ fora rapiebat: ſingillatim unicuique calamitati fore ſe denuntiabat: [6] univerſam ſe funditus illam everſurum eſſe civitatem minabatur. Itaque aliquando, multis malis, magnoque metu victi Segeſtani, prætoris *imperio parendum* eſſe decreverunt. magno cum luctu, & gemitu totius civitatis, multis cum lacrymis, & lamentatione virorum, mulierumque omnium, ſimulacrum Dianæ tollendum locatur. [7] Videte quanta religione fuerit. 35
apud Segeſtanos repertum eſſe, judices, ſcitote *neminem*, neque liberum, neque ſervum, neque civem, neque peregrinum, qui illud ſignum auderet attingere. Barbaros quoſdam Lilybæo [8] ſcitote advocatos eſſe operarios. hi denique illud, *ignari totius negotii*, ac religionis, mercede accepta, ſuſtulerunt. quod cùm ex oppido exportaretur, quem conventum mulierum factum eſſe arbitramini? quem fletum majorum natu? quorum nonnulli etiam illum diem memoria tenebant, cùm illa eadem Diana Segeſtam, Karthagine revecta, victoriam populi Romani reditu ſuo nuntiaſſet. Quàm diſſimilis hic dies illi tempori videbatur? tum imperator populi Romani vir clariſſimus, deos patrios *reportabat* Segeſtanis, ex urbe hoſtium recuperatos. nunc ex urbe ſociorum prætor ejuſdem populi turpiſſimus, atque impuriſſimus, eoſdem illos deos nefario ſcelere *auferebat*. Quid hoc tota Sicilia eſt clarius, quam [9] omneis Segeſtanas matronas, & virgines conveniſſe, cùm Diana exportaretur ex oppido? unxiſſe unguentis? compleſſe coronis, & floribus? ture, odoribuſque incenſis uſque ad agri fineis *proſecutas* eſſe? Hanc tu tantam religionem ſi tum in imperio propter cupiditatem, atque audaciam non pertimeſcebas: ne

1. *Vi captum atque deletum eſt.*] Ita Manutii. at Victorius, at edd. priores, at Pall. & Gruter. *dejectum eſt*; quod non video cur alteri cedere debeat.

2. *Hæc erat poſita Segeſtæ.*] Pall. Gruter. ed. vet. *repoſita*: ut ferè ſuſpicer triadem hanc verborum eſſe à benignitate ſcribarum.

3. *Ipſa face percuſſus.*] Belle; neque aliter mſſ. noſtri. ineptè Curio *percuſtus*, alii *perculſus*.

4. *Donum populi Ro. id eſſe dicebant.*] Abeſt ab Hittorp. & Cujac. *donum*. rectè, inquit Gulielmius.

5. *Monumentum victoriæ pop. Ro.*] Hittorpii excerpta, excludunt *pop. Rom.* placetque Gulielmio; cum ipſemet Cicero paullo poſt, eaudem hanc Dianam nominet *monumentum Victoriæ P. Africani.*

6. *Univerſam ſe funditus.*] Putat Gulielmius melius, *univerſis*, quod in Cujac. atque Hittorp. niſi tamen verius exiſtimemus *univerſim*, ut reſpondeat illi *ſingillatim*: & corrumpi facillimè potuit in *univerſam*.

7. *Videte quanta religione fuerit.*] Non abhorreo ab Cujac. & Hittorp. *religio fuit*, quod item recepit Lambinus.

8. *Scitote advocatos eſſe operarios.*] Biga eadem *adductos*. nihilo pejus. at Gruteri mſ. controverſiam movet illi *ſcitote*, tanquam inculcatum ex iis quæ præceſſerant. & poterat ſane ſubintelligi.

9. *Omnes Segeſtanas matronas.*] Pal.pr. & Grut. *Segeſtanos*. Cujac. & Hittorp. *Segeſtanæ*, quod malim.

1. Qui

ne nunc quidem in tanto tuo, liberorumque tuorum periculo perhorreſcis? Quem tibi aut hominem, invitis diis immortalibus, aut verò deum, tantis eorum religionibus violatis, auxilio futurum putas? Tibi illa Diana in pace, atque in otio religionem nullam attulit? quæ cùm duas urbeis, in quibus locata fuerat, captas, incenſaſque vidiſſet, bis ex duorum bellorum flamma, ferroque ſervata eſt: quæ Karthaginenſium victoria, loco mutato, *religionem tamen non amiſit:* P. Africani virtute religionem ſimul cum loco recuperavit. Quo quidem ſcelere ſuſcepto, cùm inanis eſſet baſis, & in ea P. Africani nomen inciſum: res indigna, atque intoleranda videbatur omnibus, non ſolum religiones eſſe violatas, verùm etiam P. Africani, viri fortiſſimi, rerum geſtarum gloriam, memoriam virtutis, monumenta victoriæ, C. Verrem ſuſtuliſſe. Quod cum iſti renuntiaretur de baſi ac litteris, exiſtimavit homines *in oblivionem* totius negotii eſſe venturos, ſi etiam baſim, tanquam indicem ſui ſceleris, ſuſtuliſſet. itaque tollendam iſtius imperio locaverunt: quæ vobis locatio ex publicis Segeſtanorum lit-
36 teris priore actione recitata eſt. Te nunc, P. Scipio, te, inquam, lectiſſimum, ornatiſſimumque adoleſcentem appello: abs te officium tuum, debitum generi, & nomini requiro, & flagito. Cur pro iſto, qui laudem, honoremque familiæ veſtræ depeculatus eſt, *pugnas?* cur eum defenſum eſſe vis? cur ego tuas parteis ſuſcipio? cur tuum onus ſuſtineo? M. Tullius P. Africani monumenta requirit: P. Scipio eum, qui illa ſuſtulit, defendit. cùm mos à majoribus traditus ſit, ut MONUMENTA majorum, ita ſuorum quiſque defendat, ut ea ne ornari quidem nomine alieno ſinat: tu iſti aderis, [1] qui non obtruſit aliqua ex parte monumenta P. Scipionis, ſed funditus ſuſtulit, ac delevit? Quiſnam igitur, per deos immortaleis, tuebitur P. Scipionis memoriam mortui? quis monumenta, atque indicia virtutis, *ſi tu ea relinquis*, ac deſeris? neque ſolùm ſpoliata illa patiere, ſed etiam eorum ſpoliatorem, vexatoremque defendes? adſunt Segeſtani, clientes tui, ſocii populi Rom. atque amici: certiorem te faciunt, P. AFRICANUM, Karthagine deleta, ſimulacrum Dianæ majoribus ſuis reſtituiſſe: idque apud Segeſtanos, ejus imperatoris nomine poſitum, ac dedicatum fuiſſe: hoc Verrem demoliendum, & aſportandum, nomenque omnino P. Scipionis delendum, tollendumque curaſſe: orant te, atque obſecrant, ut ſibi *religionem*, generi tuo *laudem*, gloriamque reſtituas; ut, quod ex urbe hoſtium per P. Africanum recuperarint, id per te ex
37 prædonis domo conſervare poſſint. Quid aut his reſpondere honeſtè potes, aut illi facere, niſi ut te, ac fidem tuam implorent? adſunt, & implorant. potes domeſticæ laudis amplitudinem, Scipio, tueri. potes: omnia in te ſunt, quæ aut fortuna hominibus, aut natura largitur. non præcerpo fructum officii tui: non alienam mihi laudem appeto: non eſt pudoris mei, P. Scipione, florentiſſimo adoleſcente, *vivo, & incolumi*, me propugnatorem monumentorum P. Scipionis, defenſoremque profiteri. Quam ob rem ſi ſuſcipis domeſticæ laudis patrocinium, me non ſolùm ſilere de veſtris monumentis oportebit, ſed etiam lætari, P. Africani ejuſmodi eſſe fortunas mortui, ut ejus honos ab iis, qui ex eâdem familia ſint, defendatur, neque ullum adventitium requiratur auxilium. Sin iſtius amicitia te impediet: ſi hoc, quod abs te poſtulo, minus ad officium tuum pertinere arbitrabere: ſuccedam ego vicarius tuo muneri: ſuſcipiam parteis, quas alienas eſſe arbitrabar, [2] ne iſta præclara nobilitas deſinat queri, POPULUM R. hominibus [3] novis, atque induſtriis libenter honores mandare, ſemperque mandaſſe. [4] Non eſt querendum, in ea civitate, quæ propter virtutem omnibus nationibus imperat, *virtutem plurimum poſſe*. Sit apud alios imago P. Africani: ornentur alii, mortui virtute, ac nomine. talis ille vir fuit: ita de populo Rom. meritus eſt, ut non uni familiæ, ſed univerſæ civitati commendatus eſſe debeat. Eſt aliqua mea pars virilis, quod ejus civitatis ſum, quam ille amplam, illuſtrem, claramque reddidit: præcipuè quòd in his artibus pro mea parte verſor, quarum ille princeps fuit; æquitate, induſtria, temperantia, defenſione miſerorum, odio improborum: quæ *cognatio ſtudiorum*, & artium, propemodum non minus eſt conjuncta, quàm iſta, qua vos delectamini, *generis, & nominis*. Repeto abs te, Verres, monu- 38
mentum P. Africani: cauſam Siculorum, quam ſuſcepi, relinquo: judicium de pecuniis repetundis ne ſit hoc tempore: Segeſtanorum injuriæ negligantur: baſis P. Africani reſtituatur: nomen invictiſſimi imperatoris incidatur: ſignum pulcherrimum [5] Karthagine captum reponatur. Hæc abs te non Siculorum defenſor, non tuus accuſator, non Segeſtani poſtulant: ſed is, qui laudem, gloriamque P. Africani tuendam, conſervandamque ſuſcepit. Non vereor, ne hoc officium meum P. Servilio judici non probem, qui cum res maximas geſſerit, [6] monumentaque ſuarum rerum maximè conſtituat, atque in his elaboret: profectò volet hæc non ſolùm *ſuis poſteris*, verùm etiam omnibus viris fortibus, & bonis civibus defendenda, non ſpolianda improbis tradere. Non vereor, ne tibi, Q. Catule, diſpliceat, cujus ampliſſimum in orbe terrarum, clariſſimumque monumentum eſt, quàm plurimos eſſe *cuſtodes monumentorum*, & putare OMNEIS BONOS alienæ gloriæ defenſionem ad officium ſuum pertinere. Et quidem ceteris iſtius furtis, atque flagitiis ita moveor, ut ea reprehendenda tantùm putem: hîc verò tanto dolore afficior, ut nihil mihi indigniùs ferendum videatur. Verres Africani monumentis domum ſuam, plenam ſtupri, plenam flagitii, plenam dedecoris, ornabit? Verres temperatiſſimi, ſanctiſſimique viri monumentum, Dianæ ſimulacrum virginis, in ea domo collocabit, in qua ſemper meretricum, [7] lenonumque flagitia verſantur? At hoc ſolum Africani monumentum *violaſti?* 39
quid? à Tindaritanis non ejuſdem Scipionis beneficio poſitum ſimulacrum Mercurii, pulcherrimè factum, ſuſtuliſti? At quemadmodum, dii immortales? quàm audacter! quàm libidinoſè! quàm impudenter! audiſtis nuper dicere legatos Tindaritanos, homines honeſtiſſimos, ac principes civitatis: Mercurium, qui ſacris anniverſariis apud eos, ac ſumma religione coleretur, quem P. Africanus, Karthagine capta, Tindaritanis non ſolùm ſuæ *victoriæ*, ſed etiam illorum *fidei, ſocietatiſque monumentum*, atque indicium dediſſet: hujus vi, ſcelere, imperioque eſſe ſublatum, qui ut primùm in illud oppidum venit, ſtatim, tanquam ita fieri non ſolùm oporteret, ſed etiam neceſſe eſſet, tanquam hoc ſenatus mandaſſet, populuſque Rom. juſſiſſet: ita continuò, ſignum ut demolirentur, & Meſſanam deportarent, imperavit. Quod cùm illis, qui aderant, indignum; qui audiebant, incredibile videretur: non eſt ab iſto, primo illo adventu, perſeveratum. diſcedens mandat Proagoro Sopatro, cujus verba audiſtis, ut demoliatur. cùm recuſaret, vehementer *minatur*. ita tum ex illo oppido proficiſcitur. Proagorus refert rem ad ſenatum: vehementer undique

que

1. *Qui non obtruſit.*] Sic noſtri, ſic editi omnes: conjiciebat Hotomanus, *obtrivit*, alii *obruit*: Cujacii liber ſervat *obſtruxit*: quod Gulielmius annotavit, tanquam dignum de quo deliberaretur: & eſt profecto.

2. *Ne iſta præclara nobilitas, &c.*] *Ne*, an confirmantis ſit, an infitiantis.

3. *Novis atque induſtriis.*] Lambinus ſuaſu codicis Cujaciani abjecit copulam *atque*, quod nullo modo auſim imitari. Gulielmius conjiciebat *navis*.

4. *Non eſt querendum.*] Non video quomodo hæc bellè cohæreant cum præcedenti. debebat ſequi: *quamquam quid quæſo eſt, quod quis meritò queratur, in ea civitate &c.*

5. *Carthagine captum reponatur.*] P. Manutius & Lambinus, *Carthagine capta recuperatum reponatur.*

6. *Monumentaque rerum maximè conſtituat.*] Forſan *quam maximè conſt.* nam Pall. & Gruter. & edd. vett. *cùm maximè.* Cujac. *cum quam max.* Fulvianus, *nunc maximè.*

7. *Lenonumque flagitia verſantur.*] Gifanius ad Lucretium in voce *Trivia*, refert veterem codicem ſuum non agnoſcere illud *verſantur.* habent tamen noſtri omnes, & edd. vett.

1. *Ad*

que reclamatur. ne multa: iterum iſte aliquanto poſt ad illos venit, quærit continuò de ſigno. reſpondetur ei ſenatum non permittere: pœnam capitis conſtitutam, ſi injuſſu ſenatus quiſquam attigiſſet: ſimul religio commemoratur. Tum iſte: *Quam mihi religionem narras? quam pœnam? quem ſenatum?* vivum te non relinquam: moriere virgis, niſi ſignum traditur. Sopater iterum flens [1] ad ſenatum defert iſtius cupiditatem, minaſque demonſtrat. Senatus Sopatro reſponſum nullum dat, ſed commotus, perturbatuſque diſcedit. Ille prætoris arceſſitus nuntio, rem demon-
40 ſtrat: negat ullo modo fieri poſſe. Atque hæc (nihil enim prætermittendum de iſtius impudentia videtur) agebantur in conventu palàm, de ſella, ac de loco ſuperiore. Erat hiems ſumma, tempeſtas, ut ipſum Sopatrum dicere audiſtis, perfrigida: imber maximus: cùm iſte imperat lictoribus, ut Sopatrum de porticu, in qua ipſe ſedebat, præcipitem in forum dejiciant, nudumque conſtituant. Vix erat hoc planè etiam imperatum, cùm illum ſpoliatum, ſtipatumque lictoribus videres. omnes ideò putabant, ut miſer, atque innocens, *virgis cæderetur*. fefellit hæc homines opinio. virgis iſte cæderet ſine cauſa ſocium populi Rom. atque amicum? non uſque eò improbus: non omnia ſunt in eo uno vitia: numquam fuit crudelis. leniter hominem, clementerque accepit. Equeſtres ſunt medio in foro Marcellorum ſtatuæ, ſicuti ferè ceteris in oppidis Siciliæ: ex quibus iſte C. Marcelli ſtatuam delegit: cujus officia in illa civitate, totaque provincia *recentiſſima* erant, & maxima. in ea Sopatrum, hominem tum domi nobilem, tum ſummo magiſtratu præditum, divaricari, ac deligari jubet. quo cruciatu ſi affectus, venire in mentem neceſſe eſt omnibus, cùm eſſet vinctus *nudus in ære*, in imbri, in frigore. neque tamen finis huic injuriæ, crudelitatique fiebat, donec populus, atque univerſa multitudo, *atrocitate rei*, miſericordiaque commota, ſenatum clamore coëgit, ut ei ſimulacrum illud Mercurii polliceretur. [2] clamabant fore, ut IPSI SESE dii immortales ulciſcerentur: hominem interea perire innocentem non oportere. Tum frequens ſenatus ad iſtum venit: pollicetur ſignum. Ita Sopater de ſtatua C. Marcelli, cùm jam pænè obriguiſſet, vix vivus aufertur. Non poſſum diſpoſitè iſtum accuſare, ſi cupiam: opus eſt non ſolùm ingenio, verùm etiam artificio quodam ſingulari.

41 Unum hoc crimen videtur eſſe, & à me pro uno ponitur, de Mercurio Tindaritano: plura ſunt. ſed ea quo pacto diſtinguere, ac ſeparare poſſim, neſcio. eſt *pecuniarum captarum*, quòd ſignum à ſociis pecuniæ magnæ ſuſtulit. eſt *peculatus*, quòd publicè populi Rom. ſignum, de præda hoſtium captum, poſitum imperatoris noſtri nomine, non dubitavit auferre. eſt *majeſtatis*, quòd imperii noſtri gloriæ, rerumque geſtarum monumenta [3] evertere, atque aſportare auſus eſt. eſt *ſceleris*, quòd religiones maximas violavit. eſt *crudelitatis*, quòd in hominem innocentem, in ſocium noſtrum, atque amicum, novum ac ſingulare ſupplicii genus excogitavit. illud verò quid ſit, jam non queo dicere: quo nomine appellem, neſcio, quòd in C. Marcelli ſtatua. Quid eſt hoc? patronuſne quòd erat? quid tum? quò id ſpectat? utrùm ea res ad opem, an ad calamitatem clientium, atque hoſpitum valere debebat? an ut hoc oſtenderes, contra vim tuam, in patronis præſidii nihil eſſe? quis hoc non intelligeret, IN IMPROBI præſentis imperio majorem eſſe vim, quam in bonorum abſentium patrocinio? an verò ex hoc illa tua ſingularis ſignificatur inſolentia, ſuperbia, contumacia? detrahere videlicet aliquid de te amplitudine Marcellorum putaſti. itaque nunc Siculorum Marcelli non ſunt patroni: Verres in eorum locum *ſubſtitutus* eſt. Quam in te tantam virtutem eſſe, aut dignitatem arbitratus es, ut conarere clientelam tam illuſtrem, tam ſplendidæ provinciæ, tranſducere ad te, auferre à certiſſimis, antiquiſſimiſque patronis? Tu iſta ſtultitia, nequitia, inertia, non modò totius Siciliæ, ſed unius tenuiſſimi Siculi clientelam tueri potes? tibi Marcelli ſtatua *pro patibulo* in clienteis Marcellorum fuit? tu ex illius honore in eos ipſos, qui honorem illi habuerant, ſupplicia quærebas? Quid poſtea? quid tandem *tuis ſtatuis* fore arbitrabare? an verò id, quod accidit? Nam Tindaritani ſtatuam iſtius, quam ſibi propter Marcellos, altiore etiam baſi poni juſſerat, deturbarunt, ſimulac ſucceſſum iſti audierunt.

Dedit igitur tibi fortuna Siculorum C. Marcellum judicem, ut, cujus ad ſtatuam Siculi, te prætore, alligabantur, ejus religioni te eundem vinctum, adſtrictumque dedamus. 42 Ac primò, judices, hoc ſignum Mercurii dicebat iſte Tindaritanos C. Marcello huic Æſernino vendidiſſe: atque hoc ſua cauſa etiam Marcellum ipſum ſperabat eſſe dicturum: quod mihi numquam veriſimile viſum eſt, adoleſcentem illo loco natum, patronum Siciliæ, nomen ſuum iſti ad *tranſlationem criminis* commodaturum. Verumtamen ita res mihi tota prævisa, atque præcauta eſt, uti, ſi maximè eſſet inventus, qui in ſe ſuſcipere iſtius culpam, crimenque cuperet: tamen is proficere nihil poſſet. eos enim teſteis deduxi, & eas litteras deportavi, ut de iſtius facto dubium nemini eſſe poſſet. publicæ litteræ ſunt, deportatum eſſe Mercurium Meſſanam ſumtu publico. dicunt, quanti: præfuiſſe huic negotio publicè legatum Poleam. quid? is ubi eſt? præſto eſt: teſtis eſt. Proagori Sopatri juſſu. Quis eſt hic? qui ad ſtatuam adſtrictus eſt. Quid? is ubi eſt? teſtis eſt. vidiſtis hominem, & verba ejus audiſtis. Demoliendum curavit Democritus gymnaſiarchus, quòd is eo loco præerat. Quid? hoc nos dicimus? immò verò ipſe præſens: Romæ nuper ipſum eſſe pollicitum, ſeſe id ſignum legatis eſſe redditurum, ſi ejus rei *teſtificatio tolleretur*, cautumque eſſet, eos teſtimonium non eſſe dicturos. Dixit hoc apud vos Zoſippus, & Hiſmenias, homines nobiliſſimi, & principes Tindaritanæ civitatis.

43 Quid? Agrigento nonne ejuſdem P. Scipionis monumentum, ſignum Apollinis pulcherrimum, cujus in femine, litterulis minutis argenteis nomen Myronis erat inſcriptum, ex Æſculapii religioſiſſimo fano ſuſtuliſti? quod iſte, judices, cùm *clam* feciſſet; cùm ad ſuum ſcelus illud, furtumque nefarios quoſdam homines improbos, duces, atque adjutores adhibuiſſet, vehementer commota civitas eſt. Uno eodem tempore Agrigentini beneficium Africani, religionem domeſticam, ornamentum urbis, indicium victoriæ, teſtimonium ſocietatis, *requirebant*. Itaque ab illis, qui principes in ea civitate erant, præcipitur, & negotium datur quæſtoribus, & ædilibus, ut noctu vigilias agerent ad ædeis ſacras. etenim iſte Agrigenti (credo propter multitudinem illorum hominum, atque virtutem, & quòd cives Romani, viri fortes, ac ſtrenui, & honeſti permulti in illo oppido, conjunctiſſimo animo, cum ipſis Agrigentinis vivunt, ac negotiantur) non audebat *palàm tollere*, aut poſcere, quæ placebant. Herculis templum eſt apud Agrigentinos, non longè à foro, ſanè ſanctum apud illos, & religioſum. ibi eſt ex ære ſimulacrum ipſius Herculis, quo non facilè quidquam dixerim me vidiſſe pulchrius, (tametſi non tam multum in iſtis rebus intelligo, quàm multa vidi) uſque eò, judices, [4] ut rictum ejus, ac mentum paullo ſit attritius, quod [5] in precibus, & gratulationibus non ſolum id venerari, verùm etiam *oſculari* ſolent. Ad hoc templum, cùm eſſet iſte Agrigenti, duce Timarchide, repentè, nocte intempeſta, ſervorum armatorum fit concurſus, atque impetus. clamor à vigilibus, fanique cuſtodibus tollitur. Qui primò cùm

1. *Ad Senatum defert iſtius cupid.*] Cujacii liber *rem defert: iſtius cupid. &c.* non reprehendo. ſed mox planè mihi ſupervacuum videtur, *rem demonſtrat:* tanquam potius legendum ſit, *nuntio, negat ullo, &c.*

2. *Clamabant fore.*] Dictio *clamabat*, habetur mihi pro librarii additamento.

3. *Evertere atque aſportare.*] Gulielmius conjecit; *avertere*.

4. *Ut rictum ejus.*] Sic Nonius, ſervatque Cujac. atque Hittorp. namque vulgata *rictus*.

5. *In precibus ac gratulationibus.*] Lipſius noſter putabat vocem magis convenientem cum de Diis ageretur, *gratationibus*, lib. II. Elect. cap. 6.

1. Non

cùm obſiſtere, ac defendere conarentur, malè multati clavis, ac fuſtibus repelluntur. poſtea convulſis repagulis, effractiſque valvis, demoliri ſignum, ac vectibus labefactare conantur. Interea ex clamore fama tota urbe percrebruit, EXPUGNARI DEOS PATRIOS; [1] non hoſtium adventu, necopinato, neque repentino prædonum impetu, ſed ex domo, atque cohorte prætoria, manum fugitivorum inſtructam, armatamque veniſſe. nemo Agrigenti neque ætate tam affecta, neque viribus tam infirmis fuit, qui non illa nocte, eo nuntio, excitatus ſurrexerit, telumque quod cuique *fors offerebat*, arripuerit. Itaque brevi tempore ad fanum ex urbe tota concurritur. Hora amplius jam in demoliendo ſigno permulti homines moliebantur: illud interea nulla lababat ex parte: cùm alii vectibus ſubjectis conarentur commovere, alii deligatum omnibus membris rapere ad ſe funibus. Repentè Agrigentini concurrunt: fit magna lapidatio: dant ſeſe in fugam iſtius præclari imperatoris *nocturni milites*. duo tamen ſigilla perparvula tollunt, ne omnino inanes ad iſtum prædonem religionum reverterentur. Numquam tam male eſt Siculis, quin aliquid facetè, & commodè dicant: velut in hac re. ajebant in labores Herculis non minùs hunc immaniſſimum *Verrem*, quàm illum
44 *aprum Erymanthium* referri oportere. Hanc virtutem Agrigentinorum imitati ſunt Aſſorini poſtea, viri fortes, & fideles, ſed nequaquam ex tam ampla, neque tam ex nobili civitate. Chryſas eſt *amnis*, qui per Aſſorinorum agros fluit. is apud illos habetur *deus*, & religione maxima colitur. fanum ejus eſt in agro propter ipſam viam, qua Aſſoro itur Ennam. in eo Chryſæ eſt ſimulacrum, præclarè factum è marmore. id iſte poſcere Aſſorinos propter ſingularem ejus fani religionem non auſus eſt. Tlepolemo dat, Hieronique negotium. illi noctu, [2] facta manu, armatique veniunt: fores ædis effringunt: æditui, cuſtodeſque maturè ſentiunt: ſignum, quod erat notum vicinitati, *buccina datur*: homines ex agris concurrunt: ejicitur, fugaturque Tlepolemus: neque quidquam ex fano Chryſæ, præter unum perparvulum ſignum ex ære, deſideratum eſt. Matris magnæ fanum [3] apud Enguinos eſt. jam enim mihi non modò breviter de unoquoque dicendum, ſed etiam prætereunda videntur eſſe permulta, ut ad majora iſtius, & illuſtriora in hoc genere furta, & ſcelera veniamus. In hoc fano loricas, galeaſque æneas, cælatas *opere Corinthio*, hydriaſque grandeis, ſimili in genere, atque eadem arte perfectas, idem ille P. Scipio, vir omnibus rebus præcellentiſſimus, poſuerat, & *ſuum nomen inſcripſerat*. Quid jam de iſto plura dicam, aut querar? omnia illa, judices, abſtulit: nihil in religioſiſſimo fano, præter veſtigia violatæ religionis, nomenque P. Scipionis, reliquit. hoſtium ſpolia, monumenta imperatorum, decora, atque ornamenta fanorum poſthac, his præclaris nominibus amiſſis, in *inſtrumento*, ac ſuppellectili C. Verris numerabuntur. Tu videlicet ſolus vaſis Corinthiis delectaris? tu illius æris temperationem, tu operum lineamenta ſollertiſſimè perſpicis? hæc Scipio ille non intelligebat, homo doctiſſimus, atque humaniſſimus? tu ſine ulla bona arte, ſine humanitate, ſine ingenio, *ſine litteris*, intelligis, & judicas? vide, ne ille non ſolum temperantia, ſed etiam intelligentia, te, atque iſtos, qui ſe *eleganteis* dici volunt, vicerit. nam quia, quam pulchra eſſent, intelligebat, idcirco exiſtimabat, ea, non ad hominum *luxuriem*, ſed ad ornatum fanorum, atque oppidorum eſſe facta, ut
45 poſteris noſtris monumenta religioſa eſſe videantur. Audite etiam ſingularem ejus, judices, cupiditatem, audaciam, amentiam, in his præſertim ſacris polluendis, quæ non modo manibus attingi, ſed ne *cogitatione* quidem violari fas fuit. Sacrarium Cereris eſt apud Catinenſeis, eadem religione, qua Romæ, qua in ceteris locis, qua propè in toto orbe terrarum. In eo ſacrario intimo fuit [4] ſignum Cereris perantiquum: quod *viri*, non modò cujuſmodi eſſet, ſed ne eſſe quidem ſciebant. aditus enim in id ſacrarium non eſt viris: ſacra per *mulieres*, ac *virgines* confici ſolent. hoc ſignum noctu clàm iſtius ſervi ex illo religioſiſſimo, atque antiquiſſimo fano ſuſtulerunt: poſtridie ſacerdotes Cereris, atque illius [5] fani antiſtitæ, majores natu, probatæ ac nobiles mulieres, rem ad magiſtratus ſuos deferunt. omnibus acerbum, indignum, luctuoſum denique videbatur. Tum iſte permotus illa atrocitate negotii, ut ab ſe ſceleris iſtius ſuſpicio removeretur, dat hoſpiti ſuo cuidam negotium, ut *aliquem reperiret, quem ea feciſſe inſimularet*: daretque operam, ut is eo crimine damnaretur, ne ipſe eſſet in crimine. Res non procraſtinatur. nam cùm iſte Catinam profectus eſſet: ſervi cujuſdam nomen defertur. is accuſatur: ficti teſtes in eum dantur: rem cunctus ſenatus Catinenſium legibus judicat. Sacerdotes vocantur: ex his *quæritur ſecretò* in curia, quid eſſe factum arbitrarentur: quemadmodum ſignum eſſet ablatum. reſpondent illæ, Prætoris in eo loco ſervos eſſe viſos. res, quæ eſſet jam antea non obſcura, ſacerdotum teſtimonio perſpicua eſſe cœpit. itur in conſilium: ſervus ille innocens omnibus ſententiis abſolvitur, quò faciliùs vos hunc omnibus ſententiis condemnare poſſetis. quid enim poſtulas, Verres? quid ſperas? quid ſpectas? quem tibi aut deorum, aut hominum auxilio putas futurum? eone tu ſervos ad ſpoliandum fanum immittere auſus es, quò liberos adire, ne orandi quidem cauſa, fas erat? hiſne rebus manus afferre non dubitaſti, à quibus etiam *oculos cohibere* te religionum jura cogebant? tametſi ne oculis quidem captus in hanc fraudem tam ſceleratam, ac tam nefariam decidiſti. nam id concupiſti, quod *numquam videras*: id, inquam, adamaſti, quod antea non adſpexeras. auribus tu tantam cupiditatem concepiſti: ut eam non metus, non religio, non deorum vis, non hominum exiſtimatio contineret. At ex viro bono audieras, credo, & bono auctore. Quî id poteſt, qui ne ex viro quidem audire potueris? Audiſti igitur ex muliere: quoniam id viri neque vidiſſe, neque noſſe poterant. Qualem porrò illam fœminam fuiſſe putatis, judices? quàm *pudicam*, quæ cum Verre loqueretur; quàm religioſam, quæ ſacrarii ſpoliandi oſtenderet rationem? At minime mirum, quæ ſacra per ſummam caſtimoniam virorum, ac mulierum fiant, eadem per iſtius ſtuprum, ac flagitium eſſe violata. Quid ergo? hoc ſolùm 46
auditione expetere cœpit, cum id ipſe non vidiſſet? immò verò alia complura: ex quibus eligam ſpoliationem nobiliſſimi, atque antiquiſſimi fani: de qua priore actione teſteis dicere audiſtis. nunc eadem illa, quæſo, audite, & diligenter, ſicut adhuc feciſtis, attendite. Inſula eſt Melita, judices, ſatis lato ab Sicilia mari, periculoſoque disjuncta: in qua eſt eodem nomine oppidum, quò iſte numquam acceſſit: quod tamen iſti *textrinum* per triennium ad muliebrem veſtem conficiendam fuit. Ab eo oppido non longe, in promontorio fanum eſt Junonis antiquum: quod tanta religione ſemper fuit, ut non modò illis Punicis bellis, quæ in his fere locis [6] navali copia geſta, atque verſata ſunt: ſed etiam in hac prædonum multitudine ſemper *inviolatum*, ſanctumque fuerit. Quin etiam hoc memoriæ proditum eſt, claſſe quondam Maſiniſſæ regis ad eum locum appulſa, præfectum regium denteis eburneos, incredibili magnitudine, è fano ſuſtuliſſe, & eos in Africam portaſſe, Maſiniſſæque

1. *Non hoſtium adventu nec-opinato.*] Illud *nec-opinato* admiſit primitus Lambinus e cod. Cujac. reperitque item in Hittorp. Gulielmius. abeſt tamen Italicis noſtris mſſ.

2. *Facta manu armatique.*] Placebat Gulielmio, *armataque*, quod in Cujac. Hitt. Pall. Gruter. & olim cuſis.

3. *Apud Enguinos.*] Pall. *Inguinos*. Cujac. Hitt. *Eguinos*. Grut. *Inuios*. repetitur idem nomen infra lib. VII. cap. 72. ubi Cujac. præfert *Eginos*, ut etiam ed. vet. Pal. prim. *Æginnos*. ſec. *Eguinos*.

4. *Signum Cereris perantiquum.*] Hittorpii vetus, *inantiquum*. ita Virgilio, *incana menta*, inquit Gulielmius.

5. *Fani antiſtitæ.*] Ita Priſcianus, lib. V. Gellius lib. XIII. cap. 19. nam Pall. & Gruter. *antiſtites*, ut vulgati.

6. *Navali copia geſta, &c.*] Bene, *copia navali*; hoc eſt apparatu navali, ſive claſſibus.

1. *Lætiſ-*

ſeque donaſſe. Regem quidem primò delectatum eſſe munere: pòſt, ubi audiſſet, unde eſſent, ſtatim certos homines in quinqueremi miſiſſe, qui eos denteis reportarent. itaque in his inſcriptum litteris Punicis fuit: REGEM MASINISSAM IMPRUDENTEM ACCEPISSE: RE COGNITA, REPONENDOS, RESTITUENDOSQUE CURASSE. Erat præterea magna vis eboris, multa ornamenta, in quibus eburneæ Victoriæ, antiquo opere, ac ſumma arte perfectæ. Hæc iſte omnia, ne multis morer, uno impetu, atque uno nuntio per ſervos Venerios, quos ejus rei cauſa miſerat, tollenda, atque aſpor-
47 tanda curavit. Prô dii immortales, quem ego hominem accuſo? quem legibus, ac judiciali jure perſequor? de quo vos ſententiam per tabellam feretis? dicunt legati Melitenſes publicè, ſpoliatum templum eſſe Junonis: nihil iſtum in religioſiſſimo fano reliquiſſe: quem in locum claſſes hoſtium ſæpe acceſſerint: ubi piratæ ferè quotannis hiemare ſoleant: quod neque prædo violarit antea, neque hoſtis attigerit, id ab uno iſto ſic ſpoliatum eſſe, ut nihil omnino ſit relictum. Hîc nunc aut iſte reus, aut ego accuſator, aut hoc judicium appellabitur? criminibus enim coarguitur, aut ſuſpicionibus in judicium vocatur? dii ablati, fana vexata, nudatæ urbes reperiuntur. earum autem rerum nullam ſibi iſte neque *infitiandi rationem*, neque *defendendi facultatem* reliquit: omnibus in rebus coarguitur à me, convincitur à teſtibus, urgetur confeſſione ſua, manifeſtis in maleficiis tenetur, & manet etiam, ac tacitus facta mecum ſua recognoſcit. Nimiùm mihi diu videor in uno genere verſari criminum. ſentio judices, occurrendum eſſe *ſatietati aurium*, animorumque veſtrorum. Quam ob rem multa prætermittam. ad ea autem, quæ dicturus ſum, reficite vos, quæſo, judices, per deos immortaleis, per eos ipſos, de quorum religione jamdiu dicimus, dum id ejus facinus commemoro, & profero, quo provincia tota commota eſt. de quo ſi paullo altiùs ordiri, ac repetere memoriam religionis videbor, ignoſcite. Rei magnitudo me breviter per-
48 ſtringere atrocitatem criminis non ſinit. Vetus eſt hæc opinio, judices, quæ conſtat ex antiquiſſimis Græcorum litteris, atque monumentis, inſulam Siciliam totam, eſſe *Cereri, & Liberæ conſecratam*. hoc cùm ceteræ gentes ſic arbitrantur, tum ipſis Siculis tam perſuaſum eſt, ut animis eorum inſitum, atque innatum eſſe videatur. nam & natas eſſe has in his locis deas, & fruges in ea terra primùm repertas arbitrantur: & raptam eſſe Liberam, quam eandem *Proſerpinam* vocant, ex Ennenſium nemore: qui locus, quod in media eſt inſula ſitus, *umbilicus Siciliæ* nominatur. quam cùm inveſtigare, & conquirere Ceres vellet, dicitur inflammaſſe tædas iis ignibus, qui ex Ætnæ vertice erumpunt: quas ſibi cùm ipſa præferret; orbem omnium peragraſſe terrarum. Enna autem, ubi ea, quæ dico, geſta eſſe memorantur, eſt loco præcelſo, atque edito: quo in ſummo eſt æquata agri planities, & aquæ peremnes. tota verò ab omni aditu circumciſa, atque diremta eſt. quam circa lacus, lucique ſunt plurimi, & [1] lætiſſimi flores omni tempore anni: locus ut ipſe raptum illum virginis, quem jam à pueris accepimus, declarare videatur. Etenim propter eſt ſpelunca quædam, converſa ad Aquilonem, infinita altitudine, qua *Ditem patrem* ferunt repentè cum curru exſtitiſſe, abreptamque ex eo loco virginem ſecum aſportaſſe, & ſubito non longè à Syracuſis penetraſſe ſub terras, lacumque in eo loco repentè exſtitiſſe: ubi uſque ad hoc tempus Syracuſani feſtos dies anniverſarios agunt, celeberrimo vi-
49 rorum, mulierumque conventu. Propter hujus opinionis vetuſtatem, quòd eorum in his locis veſtigia, ac propè *incunabula* reperiuntur deorum, mira quædam tota Sicilia privatim, ac publicè religio eſt Cereris Ennenſis. Etenim multa ſæpè prodigia vim ejus, numenque declarant: multis ſæpè in difficillimis rebus præſens auxilium ejus oblatum eſt, ut hæc inſula ab eo non ſolùm diligi, ſed etiam incoli, cuſtodirique videatur. Nec ſolùm Siculi, verùm etiam ceteræ gentes, nationeſque Ennenſem Cererem maximè colunt. Etenim, ſi *Athenienſium ſacra*, ſumma cupiditate expetuntur, ad quos Ceres in illo errore veniſſe dicitur, frugeſque attuliſſe: quantam eſſe religionem convenit eorum, apud quos eam natam eſſe, & fruges inveniſſe conſtat? Itaque apud patres noſtros atroci, ac difficili reip. tempore, cùm, Ti. Graccho occiſo, magnorum periculorum metus ex oſtentis portenderetur, P. Mucio, L. Calpurnio Coſs. aditum eſt ad libros Sibyllinos: in quibus inventum eſt, CEREREM ANTIQUISSIMAM PLACARI OPORTERE. Tum ex ampliſſimo collegio decemvirali ſacerdotes populi Romani, cùm eſſet in urbe noſtra Cereris pulcherrimum, & magnificentiſſimum templum, tamen uſque Ennam profecti ſunt. tanta enim erat auctoritas, & vetuſtas illius religionis, ut, cùm illuc irent, non ad ædem Cereris, ſed ad ipſam Cererem proficiſci viderentur. [2] Non obtundam diutiùs. etenim jamdudum vereor, ne oratio mea, aliena ab judiciorum ratione, & quotidiana dicendi conſuetudine eſſe videatur. hoc dico, hanc ipſam Cererem, antiquiſſimam, religioſiſſimam, *principem omnium ſacrorum*, quæ apud omneis genteis, nationeſque fiunt, à C. Verre ex ſuis templis, ac ſedibus eſſe ſublatam. Qui acceſſiſtis Ennam, vidiſtis ſimulacrum Cereris è marmore, & in altero templo Liberæ. ſunt ea perampla, atque præclara, ſed non ita antiqua. Ex ære fuit quoddam modica amplitudine, ac ſingulari opere, cum facibus, perantiquum, omnium illorum, quæ ſunt in eo fano, multo antiquiſſimum. id ſuſtulit; ac tamen eo contentus non fuit. Ante ædem Cereris in aperto, ac propatulo loco ſigna duo ſunt, Cereris unum, alterum Triptolemi, & pulcherrima, & perampla. his pulchritudo periculo, amplitudo ſaluti fuit, quòd eorum demolitio, atque aſportatio, perdifficilis videbatur. inſiſtebat in manu Cereris dextra ſimulacrum pulcherrimè factum *Victoriæ*. hoc iſte è ſigno Cereris avellendum, aſportandumque cura-
vit. Qui tandem iſtius animus eſt nunc in *recognitione ſcelerum ſuorum*, cùm ego ipſe in commemoratione eorum non ſolùm animo commovear, verum etiam corpore perhorreſcam? venit enim mihi fani, loci, religionis illius in mentem: verſantur ante oculos omnia: dies ille, quo ego Ennam cùm veniſſem, præſtò mihi ſacerdotes Cereris cum infulis, ac verbenis fuerunt: concio, conventuſque civium: in quo ego cum loquerer, tanti fletus, gemituſque fiebant, ut acerbiſſimus tota urbe luctus verſari videretur. non illi decumarum imperia, non bonorum direptiones, non iniqua judicia, non importuniſſimas iſtius libidines, non vim, non contumelias, quibus operti, oppreſſique erant, conquerebantur: Cereris numen, ſacrorum vetuſtatem, fani religionem, iſtius ſceleratiſſimi, atque audaciſſimi *ſupplicio expiari* volebant: omnia ſe cetera pati, ac negligere dicebant. Hic dolor erat tantus, ut Verres, alter Orcus, veniſſe Ennam, & non Proſerpinam aſportaſſe, ſed ipſam abripuiſſe 50
Cererem videretur. Etenim urbs illa non urbs videtur, ſed 51
fanum Cereris eſſe. habitare apud ſeſe Cererem Ennenſes arbitrantur: ut mihi non cives illius civitatis, ſed omnes ſacerdotes, [3] omnes accolæ, atque antiſtites Cereris eſſe videantur. Ennæ tu ſimulacrum Cereris tollere audebas? Ennæ tu de manu Cereris Victoriam deripere, & deam deæ detrahere conatus es? quorum nihil violare, *nihil attingere auſi ſunt*, in quibus erant omnia, quæ ſceleri propiora ſunt, quam religioni. tenuerunt enim P. Popillio, P. Rupilio, Coſs. illum locum ſervi, fugitivi, barbari, hoſtes. ſed neque tam ſervi illi dominorum, quam tu libidinum: neque tam fugitivi illi à dominis, quàm tu à jure, & à legibus: neque tam barbari lingua, & natione illi, quàm tu natura & moribus: neque illi tam hoſtes hominibus, quam tu diis immorta-

1. *Lætiſſimi flores.*] Ita mſ. Turnebi, longè venuſtius quàm ut antea vulgabatur, *lectiſſimi.*
2. *Non obtundam diutius. etenim jamdudum vereor.*] Ita egregiè Cujacianus. vulgati enim; *diutius aureis veſtras, jamdudum, &c.*
3. *Omnes accolæ atque antiſtites.*] Conjiciebat Gulielmius, *omnes ſacricolæ.*

1. *Pro-*

mortalibus. Quæ deprecatio eſt igitur ei reliqua, qui indignitate *ſervos*, temeritate *fugitivos*, ſcelere *barbaros*, crudelitate *hoſteis* vicerit? Audiſtis Theodorum, & Numinium, & Nicaſionem, legatos Ennenſeis, publicè dicere, ſeſe à ſuis civibus hæc habere mandata, ut ad Verrem adirent, & eum ſimulacrum Cereris, & Victoriæ repoſcerent. id ſi impetraſſent, tum ut *morem veterem* Ennenſium conſervarent; publice in eum (tametſi vexaſſet Siciliam) tamen, quoniam hæc à majoribus conſtituta accepiſſent, teſtimonium ne quod dicerent. ſin autem ea non reddidiſſet, tum ut judicio adeſſent, tum uti de ejus injuriis judices docerent, ſed multo maximè de religione quererentur. quas illorum querimonias nolite, per deos immortaleis, aſpernari, nolite contemnere, ac negligere, judices. Aguntur injuriæ ſociorum: agitur vis legum: agitur exiſtimatio, veritaſque judiciorum. quæ ſunt omnia permagna: verum illud maximum: tanta religione obſtricta tota provincia eſt: tanta ſuperſtitio ex iſtius facto menteis omnium Siculorum occupavit, ut, quæcunque accidant, *publicè, vel privatim incommoda*, [1] propter eam cauſam ſcelere iſtius evenire videantur. Audiſtis, Centuripinos, Agyrinenſeis, Catinenſeis, Herbitenſeis, Ennenſeis, complureis alios, publicè dicere, quæ ſolitudo eſſet in agris, quæ vaſtitas, quæ fuga aratorum, quàm deſerta, quàm inculta, quàm relicta omnia. Et tametſi iſtius multis, & variis injuriis acciderunt: tamen hæc una cauſa in opinione Siculorum plurimùm valet, quòd, *Cerere violata*, omneis cultus, fructuſque Cereris in his locis interiiſſe arbitrantur. Medemini religioni ſociorum, judices: [2] conſervate veſtram. neque enim hæc externa vobis religio, neque aliena. quòd ſi eſſet, ſi ſuſcipere eam nolletis: tamen in eo, qui violaſſet, ſancire vos velle oporteret. Nunc verò in communi omnium gentium religione, inque his ſacris, quæ majores noſtri ab exteris nationibus adſcita, atque *arceſſita* coluerunt: quæ ſacra, ut erant re vera, ſic appellari *Græca* voluerunt: negligentes, ac diſſoluti
52 ſi cupiamus eſſe, quî poſſumus? Unius etiam urbis, omnium pulcherrimæ, atque ornatiſſimæ, Syracuſarum direptionem commemorabo, & in medium proferam, judices: ut aliquando totam hujus generis orationem [3] concludam, ac definiam. Nemo ferè veſtrûm eſt, quin, quemadmodum captæ ſint à M. Marcello Syracuſæ, ſæpe audierit, nonnunquam etiam in annalibus legerit. conferte hanc pacem cum illo bello: hujus prætoris adventum, cum illius imperatoris victoria: hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invicto: hujus libidines, cum illius continentia: ab illo, qui cepit, conditas: ab hoc, qui conſtitutas accepit, *captas dicetis* Syracuſas. Ac jam illa omitto, quæ diſperſè à me multis locis dicentur, ac dicta ſunt: forum Syracuſanorum, quod introitu Marcelli [4] purum à cæde ſervatum eſt, id adventu Verris Siculorum innocentium ſanguine redundaſſe: portum Syracuſanorum, qui tum & noſtris claſſibus, & Karthaginienſium clauſus fuiſſet, eum, iſto prætore, Cilicum myoparoni, prædonibuſque patuiſſe. Mitto adhibitam vim ingenuis, matresfamilias violatas: quæ tum, *urbe capta, commiſſa non ſunt*, neque odio hoſtili, neque licentia militari, neque more belli, neque jure victoriæ: mitto, inquam, hæc omnia, quæ ab iſto per triennium perfecta ſunt. ea, quæ conjuncta cum illis rebus ſunt, de quibus antea dixi, cognoſcite. [5] Urbem Syracuſas maximam eſſe Græcarum urbium, pulcherrimamque omnium, ſæpe audiſtis. Eſt, judices, ita, ut dicitur. nam & ſitu eſt cùm munito, tum ex omni *aditu, vel terra, vel mari*, præclaro ad adſpectum: & portus habet propè in ædificatione, adſpectuque urbis incluſos: qui cùm diverſos inter ſe aditus habeant, in exitu conjunguntur, & confluunt. Eorum conjunctione pars oppidi, quæ appellatur *Inſula*, mari disjuncta anguſto, ponte rurſum adjungitur, & continetur. Ea 53
tanta eſt urbs, ut ex quatuor urbibus maximis conſtare dicatur: quarum una eſt ea, quam dixi, Inſula: quæ duobus portubus cincta, in utriuſque portus oſtium, aditumque projecta eſt: in qua domus eſt, [6] quæ regis Hieronis fuit, qua prætores uti ſolent, in ea ſunt ædes ſacræ complures: ſed duæ, quæ longè ceteris antecellunt: Dianæ una: & altera, quæ fuit ante iſtius adventum ornatiſſima, Minervæ. In hac inſula extrema, eſt fons aquæ dulcis, cui nomen *Arethuſa* eſt, incredibili magnitudine, pleniſſimus piſcium: qui fluctu totus operiretur, niſi munitione, ac mole lapidum à mari disjunctus eſſet. Altera autem eſt urbs Syracuſis: cui nomen *Acradina* eſt: in qua forum maximum, pulcherrimæ porticus, ornatiſſimum prytaneum, ampliſſima eſt curia, templumque egregium Jovis Olympii, ceteræque urbis partes una lata via perpetua, multiſque tranſverſis diviſæ, privatis ædificiis continentur. Tertia eſt urbs, quæ, quòd in ea parte, Fortunæ fanum antiquum fuit, [7] *Tycha* nominata eſt: in qua & gymnaſium ampliſſimum eſt; & complures ædes ſacræ: coliturque ea pars, & habitatur frequentiſſime. Quarta autem eſt urbs, quæ quia poſtrema ædificata eſt, *Neapolis* nominatur: quam ad ſummam theatrum eſt maximum: præterea duo templa ſunt egregia, Cereris unum, alterum Liberæ: ſignumque Apollinis, [8] qui *Temenites* vocatur, pulcherrimum, & maximum: quod iſte ſi portare potuiſſet, non dubitaſſet auferre. Nunc ad 54
Marcellum revertar, ne hæc à me ſine cauſa commemorata eſſe videantur: qui cùm tam præclaram urbem vi, copiiſque cepiſſet, non putavit ad laudem populi Romani hoc pertinere, hanc pulchritudinem, ex qua præſertim *nihil periculi oſtenderetur*, delere, & exſtinguere. itaque ædificiis omnibus, publicis, & privatis, ſacris, & profanis ſic pepercit, quaſi ad ea defendenda cum exercitu, non expugnanda veniſſet. in ornatu urbis habuit victoriæ rationem, habuit humanitatis. *victoriæ* putabat eſſe, multa Romam deportare, quæ ornamento urbi eſſe poſſent: *humanitatis*, non planè ſpoliare urbem, præſertim quam conſervare voluiſſet. In hac partitione ornatus, non plus victoria Marcelli populo R. appetivit, quàm humanitas Syracuſanis reſervavit. Romam quæ aſportata ſunt, ad ædem Honoris, atque Virtutis, itemque aliis in locis videmus. nihil in ædibus, nihil in hortis poſuit, nihil in ſuburbano: putavit, ſi urbis ornamenta domum ſuam non contuliſſet, [9] domum ſuam ornamento urbi futuram. Syracuſis autem permulta, atque egregia reliquit: deum verò nullum violavit, nullum attigit. Conferte Verrem: non ut hominem cum homine comparetis, ne qua tali viro mortuo fiat injuria: ſed ut pacem cum bello, leges cum vi, forum & juriſdictionem cum ferro, & armis, adventum & comitatum cum exercitu & victoria conferatis. Ædes Minervæ eſt in inſu- 55
la, de qua antè dixi: quam Marcellus *non attigit*: quam plenam, atque ornatam reliquit: quæ ab iſto ſic ſpoliata, atque direpta eſt, non ut ab hoſte aliquo, qui tamen *in bello, religionum, & conſuetudinis jura retineret*, ſed ut à barbaris præ-

1. *Propter eam cauſam ſcelere iſtius evenire videantur.*] Habuerim illa *propter eam cauſam* pro ſpuriis.

2. *Conſervate veſtram.*] Subintellige *religionem.* vulgo additur *veſtram auctoritatem.* ſed nulla ejus vocis litera in Cujaciano.

3. *Concludam & definiam.*] Verius videtur Gulielmio, *atque finiam.* ego divinabam *& deſinam.*

4. *Purum à cæde ſervatum eſt.*] Ita Lambin. aliique è Cujac. cod. in quo *cæde ſerv.* antea cuſi, *à plurima cæde.*

5. *Urbem Syracuſas maximam eſſe Græcorum Græcarum urbium, &c.*] Quanto, inquit Gulielmius, Hittorpianæ ſchedæ venuſtius: *Urbem Syracuſanam, maximam eſſe Græcarum, pulcer &c.* & vero illud *urbium* abeſt etiam Cujaciano.

6. *Quæ regis Hieronis fuit.*] Hittorp. *Gelonis*, neque temeraria ea eſt ſcriptura. inquirendum.

7. *Tycha nominata.*] Eſt, à Cujaciano & Hittorp. nam vulgata *Tyche.*

8. *Qui Temenites vocatur.*] Sic omnibus literis Pal. ſec. nam pr. *Temutes.* Gruter. Cujac. Hittorp. *Temnites.* prima editio, *Themicles.* Victoriana *Theſmotes.* vide Sueton. cap. 74. Tiberii. adeatur Turneb. lib. VIII. cap. 12.

9. *Domum ſuam ornamento urbi futuram.*] Et ſanè ſingulorum abſtinentia domeſtica, publicum civitatis decus eſt. *Gulielmus.*

prædonibus vexata eſſe videatur. Pugna erat equeſtris Aga-
thoclis regis in tabulis picta præclarè : his autem tabulis in-
teriores templi parietes veſtiebantur. nihil erat ea pictura
nobilius : nihil Syracuſis, quod magis viſendum putaretur.
has tabulas M. Marcellus, cùm omnia illa *victoria ſua pro-
fana feciſſet*, tamen religione impeditus non attigit. iſte,
cùm illa jam, propter diuturnam pacem, fidelitatemque po-
puli Syracuſani, ſacra, religioſaque accepiſſet, omneis eas
tabulas abſtulit : parietes, quorum ornatus tot ſæcula man-
ſerat, tot bella effugerat, nudos ac deformatos reliquit. Et
Marcellus, qui, ſi Syracuſas cepiſſet, duo templa ſe Romæ
dedicaturum voverat, id, quod erat ædificaturus, his rebus
ornare, quas ceperat, noluit : Verres, qui non *Honori*, ne-
que Virtuti, ut ille, ſed *Veneri*, & *Cupidini* vota deberet, is
Minervæ templum ſpoliare conatus eſt. ille deos deorum
ſpoliis ornare noluit : hic ornamenta Minervæ virginis in
meretriciam domum tranſtulit. Viginti, & ſeptem præter-
ea tabulas pulcherrimè pictas ex eadem æde ſuſtulit : in
quibus erant *imagines Siciliæ regum, ac tyrannorum*, quæ non
ſolùm pictorum artificio delectabant, ſed etiam comme-
moratione hominum, & cognitione formarum. Ac videte,
quanto tætrior hic tyrannus Syracuſanus fuerit, quàm quiſ-
quam ſuperiorum : cùm illi tamen ornarint templa deo-
rum immortalium : hic etiam deorum monumenta, atque
56 ornamenta ſuſtulerit. Jam verò quid ego de *valvis* illius
templi commemorem ? vereor, ne hæc qui non viderunt,
omnia me nimis augere, atque ornare arbitrentur : quod
tamen nemo ſuſpicari debet, [1] tam eſſe me cupidum, ut
tot viros primarios velim, præſertim ex judicum numero,
qui Syracuſis fuerint, qui hæc viderint, eſſe temeritati, &
mendacio meo conſcios. Confirmare hoc liquidò, judices,
poſſum, valvas magnificentiores, ex auro, atque ebore
perfectiores nullas umquam [2] ullo templo fuiſſe. incredi-
bile dictu eſt, quàm multi Græci de valvarum harum pul-
chritudine ſcriptum reliquerint. nimiùm forſitan hæc illi
mirentur, atque efferant. eſto : verumtamen honeſtius eſt
reip. noſtræ, judices, ea, quæ illis pulchra eſſe videantur,
imperatorem noſtrum in *bello* reliquiſſe, quam prætorem in
pace abſtuliſſe. Ex ebore diligentiſſimè perfecta argumenta
erant in valvis. ea detrahenda curavit omnia. *Gorgonis* [3] *os*
pulcherrimum, crinitum anguibus, revellit, atque abſtu-
lit : & tamen indicavit, ſe non ſolùm artificio, ſed etiam
pretio, quæſtuque duci. nam bullas aureas omneis ex his
valvis, quæ erant & multæ, & graves, non dubitavit au-
ferre : quarum iſte non *opere* delectabatur, ſed *pondere*. Ita-
que ejuſmodi valvas reliquit, ut, quæ olim ad ornandum
templum erant maximè, nunc tantum ad claudendum fa-
ctæ eſſe videantur. Etiamne *gramineas haſtas?* vidi enim
vos in hoc non minimè, cùm teſtes dicerent, commoveri,
quòd erant hujuſmodi, ut ſemel vidiſſe ſatis eſſet : in qui-
bus neque manu factum quidquam, neque pulchritudo erat
ulla, ſed tantum magnitudo incredibilis, de qua vel audire
ſatis eſſet : nimium, videre plus, quàm ſemel. etiamne id
57 concupiſti ? Nam *Sappho*, quæ ſublata de prytaneo eſt, dat
tibi juſtam excuſationem, propè ut concedendum, atque
ignoſcendum eſſe videatur. Silanionis opus tam perfectum,
tam elegans, tam elaboratum, quiſquam non modò *priva-
tus*, ſed *populus* potiùs haberet, quàm homo elegantiſſi-
mus, atque erudititiſſimus Verres ? nimirum contrà dici ni-
hil poteſt. noſtrûm enim unuſquiſque, qui tam beati, quàm
iſte eſt, non ſumus, tam delicati eſſe non poſſumus : ſi-
quando aliquid iſtiuſmodi videre volet, eat ad ædem Felici-
tatis, ad monumentum Catuli, in porticum Metelli : det
operam, ut admittatur in alicujus iſtorum Tuſculanum :
[4] ſpectet forum ornatum, ſi quid iſte ſuorum *ædilibus ac-
commodavit :* Verres hæc habeat domi ? Verres ornamentis
fanorum, atque oppidorum habeat plenam domum, *villas
refertas ?* Etiamne hujus operarii ſtudia, ac delicias, judi-
ces, perferetis? qui ita natus eſt, ita educatus, ita factus &
animo, & corpore, ut multo appoſitior ad deferenda, quàm
ad auferenda ſigna eſſe videatur. Atque hæc Sappho ſublata
quantum deſiderium ſui reliquerit, dici vix poteſt. nam
cùm ipſa fuit egregiè facta, tum epigramma Græcum per-
nobile inciſum habuit in baſi, quod iſte eruditus homo, &
Græculus, qui hæc ſubtiliter judicat, qui ſolus intelligit,
ſi unam litteram Græcam ſciſſet, certe non ſuſtuliſſet. nunc
enim quod inſcriptum eſt inani in baſi, declarat, quid fue-
rit, & id ablatum indicat. Quid ? *ſignum Pæanis* ex æde
Æſculapii præclare factum, ſacrum, & religioſum, non
ſuſtuliſti ? quod omnes propter pulchritudinem viſere,
propter religionem colere ſolebant. Quid ? ex æde Liberi
ſimulacrum Ariſtei non tuo imperio palàm ablatum eſt ?
Quid ? ex æde Jovis religioſiſſimum ſimulacrum [5] *Jovis
imperatoris*, quem Græci *Urion* nominant, pulcherrimè fa-
ctum, nonne abſtuliſti ? Quid ? [6] ex æde Liberi parvum
illud caput pulcherrimum, quod viſere ſolebamus, num
dubitaſti tollere ? Atque ille Pæan ſacrificiis anniverſariis
ſimul cum Æſculapio apud illos colebatur. Ariſteus, qui,
ut Græci ferunt, Liberi filius, inventor olei eſſe dicitur,
unà cum Libero patre apud illos eodem erat in templo con-
ſecratus. Jovem autem imperatorem quanto honore in ſuo 58
templo fuiſſe arbitramini ? hinc colligere poteſtis, ſi recor-
dari volueritis, quanta religione fuerit eadem ſpecie, atque
forma ſignum illud, quod ex Macedonia captum in Capi-
tolio poſuerat Flamininus. Etenim tria ferebantur in orbe
terrarum ſigna Jovis imperatoris *uno in genere* pulcherrimè
facta : unum illud Macedonicum, quod in Capitolio vide-
mus : alterum in Ponti ore, & anguſtiis : tertium, quod
Syracuſis ante Verrem prætorem fuit. illud Flamininus ita
ex æde ſua ſuſtulit, ut in Capitolio, hoc eſt, in terreſtri do-
micilio Jovis poneret. Quod autem eſt ad introitum Ponti ;
id, cùm tam multa ex illo mari bella emerſerint, tam mul-
ta porrò in Pontum invecta ſint, uſque ad hanc diem *inte-
grum, inviolatumque* ſervatum eſt. Hoc tertium, quod erat
Syracuſis, quod M. Marcellus, armatus & victor, viderat :
quod religioni conceſſerat : quod cives, atque incolæ Sy-
racuſani colere, advenæ non ſolùm viſere, verumetiam
venerari ſolebant : id Verres ex templo Jovis ſuſtulit. Ut
ſæpiùs ad M. Marcellum revertar, judices, ſic habetote :
plureis eſſe à Syracuſanis iſtius adventu deos, quàm victo-
ria Marcelli homines deſideratos. Etenim ille *requiſiſſe di-
citur etiam Archimedem* illum, ſummo ingenio hominem,
ac diſciplina, eumque cùm audiſſet interfectum, permole-
ſtè tuliſſe. Iſte omnia, quæ requiſivit, non ut ſervaret, ve-
rum ut aſportaret, requiſivit. Jam illa, quia leviora vide- 59
buntur, ſi hoc loco dicerentur, ideò præteribo ; quod iſte
[7] menſas Delphicas è marmore, [8] crateras ex ære pulcher-
rimas, vim maximam vaſorum Corinthiorum, ex omni-
bus ædibus ſacris Syracuſis abſtulit. Itaque, judices, hi, qui
hoſpites ad ea, quæ viſenda ſunt, ducere ſolent, & unum-
quid-

1. *Tam eſſe me cupidum, &c.*] Lambinus putat aliquid deeſſe ; ſed fruſtra.

2. *Ullo templo fuiſſe.*] Sic Hitt. ſic Cujac. prodiditque Turnebus, lib. VIII. Adverſariorum. prius vulgati, *ullo tempore.*

3. *Os pulcerrimum crinitum anguibus.*] Non audio libros qui habent *cinctum*. noſtrum eſt à *crinire*, verbo eleganti, & quod haud dubiè ab antiquis mutuatus eſt Statius lib. III. Silvar. *Nunc cuncta veris frondibus annuis crinitur arbos.*

4. *Spectet forum ornatum, ſi quid iſte ſuorum ædilibus acc.*] Hotom. capiebatur legere *ædibus* : ſed tunc cum adhuc legebatur *eorum*, pro *forum*, quæ vox poſtrema, conjecturam talem omnino ſpernit.

5. *Jovis Imperatoris.*] Melior Lambinus, non inficetè conjiciebat, *Imbricitoris.* de eodem videndus item Brodæus Miſcellan. VI. cap. 9.

6. *Ex æde Liberi parvum illud caput.*] Pal. pr. *Parmum*, quod & in Cujac. qui præterea *Liberæ.* ſec. *Parinum.* Conjectabam aliquando, *ex æde Liberi, Liberi parvum illud caput.* nunc ſileo. quid ſi tamen fuerit ? *ex æde Liberæ, Liberi parvum, &c.*

7. *Menſas Delphicas è marmore.*] Conſulatur Cujacius lib. XI. Obſervat. cap. 13.

8. *Crateras ex ære pulcerrimas.*] Haud aliter quoque Pall. Grut. Cujac. non ut edidit Lambinus *pulcerrimos.*

quidque oſtendere, quos illi *myſtagogos* vocant, converſam jam habent demonſtrationem ſuam. nam, ut antè demonſtrabant, quid ubique eſſet: ita nunc, quid undique ablatum ſit, oſtendunt. Quid tum? mediocrine tandem dolore eos affectos eſſe arbitramini? non ita eſt, judices: primùm, quòd OMNES religione moventur: & deos patrios, quos à majoribus acceperunt, colendos ſibi diligenter, & retinendos eſſe arbitrantur: deinde hic ornatus, hæc opera, atque artificia, ſigna, tabulæ pictæ, Græcos homines nimio opere delectant. Itaque ex illorum *querimoniis* intelligere poſſumus, hæc illis acerbiſſima videri, quæ forſitan nobis levia, & contemnenda eſſe videantur. mihi credite, judices, (tametſi voſmetipſos hæc eadem audire certò ſcio) cùm multas acceperint per hoſce annos ſocii, atque exteræ nationes calamitates, & injurias, nullas Græci homines graviùs tulerunt, nec ferunt, quàm hujuſcemodi *ſpoliationes fanorum*, atque oppidorum. Licet iſte dicat emiſſe ſe, ſicuti ſolet dicere: credite hoc mihi, judices: nulla umquam civitas tota Aſia, & Græcia, [1] ſignum ullum, tabulam pictam, ullum denique ornamentum urbis, ſua voluntate cuiquam vendidit. niſi forte exiſtimatis, poſteaquàm *judicia ſevera* Romæ fieri deſierint, Græcos homines hæc venditare cœpiſſe, quæ tum non modò non venditabant, cùm judicia fiebant, verumetiam coëmebant: niſi arbitramini, L. Craſſo, Q. Scævolæ, C. Claudio, potentiſſimis hominibus, quorum ædilitates ornatiſſimas vidimus, commercium iſtarum rerum cum Græcis hominibus non fuiſſe: iis, qui poſt
60 judiciorum diſſolutiones, ædiles facti ſunt, fuiſſe. Acerbiorem etiam ſcitote eſſe civitatibus *falſam iſtam, & ſimulatam emtionem*, quàm ſi quis clàm ſurripiat, aut eripiat palàm, atque auferat. nam turpitudinem ſummam eſſe arbitrantur, referri in litteras publicas, pretio adductam civitatem, & pretio parvo, ea, quæ accepiſſet *à majoribus*, vendidiſſe, atque alienaſſe. etenim mirandum in modum Græci rebus iſtis, quas nos contemnimus, *delectantur*. Itaque majores noſtri facilè patiebantur, hæc eſſe quàm plurima apud ſocios, ut imperio noſtro quàm ornatiſſimi, florentiſſimique eſſent. apud eos autem, quos vectigaleis, aut ſtipendiarios fecerant, tamen hæc relinquebant, ut illi, quibus ea jucunda ſunt, quæ nobis levia videbantur, haberent hæc oblectamenta, & *ſolatia ſervitutis*. Quid arbitramini Rheginos, qui jam cives Romani ſunt, merere velle, [2] ut ab eis marmorea Venus illa auferatur? quid Tarentinos, ut Europam in tauro ſedentem amittant? ut Satyrum, qui apud illos in æde Veſtæ eſt? ut cetera? quid Theſpienſeis, ut Cupidinis ſignum, [3] propter quod unum viſuntur Theſpiæ? quid Cnidios, ut Venerem marmoream? quid ut pictam, Coos? quid Epheſios, ut Alexandrum? quid Cyzicenos, ut Ajacem, aut Medeam? quid Rhodios, ut Jalyſum? quid Athenienſeis, ut ex marmore Iacchum, aut Paralum pictum, aut ex ære, Myronis buculam? Longum eſt, & non neceſſarium, commemorare, quæ *apud quoſque viſenda ſunt* tota Aſia & Græcia: verùm illud eſt, quamobrem hæc commemorarim; quòd exiſtimare vos hoc volo, [4] mirum quendam dolorem accidere iis, ex quorum
61 urbibus hæc auferantur. Atque, ut ceteros omittamus, de ipſis Syracuſanis cognoſcite: ad quos ego cùm veniſſem, ſic primò exiſtimabam, ut Romæ ex iſtius amicis acceperam, civitatem Syracuſanam propter Heraclii hereditatem, non minùs eſſe iſti amicam, quàm Mamertinam propter prædarum, ac furtorum omnium ſocietatem: ſimul & verebar, ne mulierum nobilium, & formoſarum gratia, quarum iſte *arbitrio præturam per triennium geſſerat*, virorumque, quibuſcum illæ nuptæ erant, nimia in iſtum [5] non lenitudine, ſed etiam liberalitate oppugnarer, ſiquid ex litteris Syracuſanorum conquirerem. Itaque Syracuſis cum civibus Romanis eram: eorum tabulas exquirebam: injurias cognoſcebam. cùm diutiùs in negotio, curaque fueram: ut requieſcerem, curamque animi remitterem, ad Carpinatii præclaras tabulas revertebar: ubi cum equitibus R. ex illo conventu honeſtiſſimis, illos Verrutios, de quibus antè dixi, explicabam: à Syracuſanis prorſus nihil adjumenti neque publicè, neque privatim exſpectabam: neque erat in animo poſtulare. Cùm hæc agerem, repentè ad me venit Heraclius is, qui tum magiſtratum Syracuſis habebat, homo nobilis, qui ſacerdos Jovis fuiſſet, qui honos apud Syracuſanos eſt ampliſſimus. agit mecum, & cum Q. fratre meo, ut, ſi nobis videretur, adiremus ad eorum ſenatum: frequenteis eſſe in curia: ſe juſſu ſenatus à nobis petere, ut veniremus. Primò nobis fuit dubium, quid ageremus: deinde citò venit in mentem, *non eſſe vitandum* nobis illum conventum, & locum. Itaque in curiam venimus. 62
Honorificè ſanè conſurgitur. nos rogatu magiſtratus aſſedimus. Incipit is loqui, qui & auctoritate, & ætate, &, ut mihi viſum eſt, uſu rerum antecedebat, [6] Diodorus Timarchides: cujus omnis oratio hanc habuit primò ſententiam: SENATUM, populumque Syracuſanum moleſtè, graviterque ferre, quòd ego, cùm in ceteris Siciliæ civitatibus, ſenatum, populumque docuiſſem, quid eis utilitatis, quid ſalutis afferrem, & cùm ab omnibus mandata, legatos, litteras, teſtimoniaque ſumſiſſem, in illa civitate nihil ejuſmodi facerem. Reſpondi, neque Romæ in conventu Siculorum, cùm à me auxilium communi omnium legationum conſilio petebatur, cauſaque totius ad me Siciliæ deferebatur, legatos Syracuſanorum affuiſſe: neque me poſtulare, ut quidquam contra C. Verrem decerneretur in ea curia, *in qua inauratam C. Verris ſtatuam viderem*. Quod poſteaquàm dixi, tantus eſt gemitus factus adſpectu ſtatuæ, & commemoratione, ut illud in curia poſitum *monumentum ſcelerum*, non beneficiorum videretur. Tum pro ſe quiſque, quantum dicendo aſſequi poterat, docere me cœpit, ea, quæ paullo antè commemoravi: ſpoliatam urbem, fana direpta: ex Heraclii hereditate, quàm palæſtritis conceſſiſſet, multo maximam partem ipſum abſtuliſſe: neque poſtulandum fuiſſe, ut ille palæſtritas diligeret, qui etiam inventorem olei deum ſuſtuliſſet: neque illam ſtatuam eſſe *ex pecunia publica*, neque *publicè datam*: ſed eos, qui hereditatis diripiendæ participes fuiſſent, faciendam, ſtatuendamque curaſſe: eoſdem Romæ fuiſſe legatos, illius adjutores improbitatis, ſocios furtorum, conſcios flagitiorum: eo minus mirari me oportere, ſi illi communi legatorum voluntati, & ſaluti Siciliæ defuiſſent. Ubi eorum *dolorem* ex il- 63
lius *injuriis*, non modò non minorem, ſed propè majorem, quàm ceterorum Siculorum eſſe cognovi: tum meum animum in illos, tum mei conſilii, negotiique totius ſuſcepti cauſam, rationemque propoſui: tum eos hortatus ſum, ut cauſæ communi, ſalutique ne deeſſent: ut ei illam laudationem, quam ſe *vi, ac metu coactos*, paucis illis diebus, decreſſe dicebant, tollerent. Itaque, judices, Syracuſani hæc faciunt, iſtius clientes, atque amici: primùm mihi litteras publicas, quas in ærario ſanctiore conditas habebant, proferunt, in quibus oſtendunt omnia, quæ dixi ablata eſſe, perſcripta, & plura etiam, quàm ego potui dicere: perſcripta autem hoc modo, QUOD EX ÆDE MINERVÆ hoc & illud abeſſet: quòd ex æde Jovis, quòd ex æde Liberi. ut quiſque eis rebus tuendis, conſervandiſque præfuerat,

ita

1. *Signum ullum, tabulam pictam.*] Arbitrabatur Gulielmius fortean verbo repetito ſcribendum, *ſignum ullum, ullam tabulam pictam.*

2. *Ut ab eis marmorea Venus illa auferatur.*] Ita è mſ. Turnebus lib. VIII. cap. 12. neque aliter Cujacii codex. vulgata, *illa ne auferatur.* iidem libri auctores fuere, cur etiam mox ſcriberemus: *ut Europam, &c.* pro quo prius editi, *ut ne Europam.*

3. *Propter quod unum viſuntur.*] Vix eſt ut non ſit adnotamentum ſcribæ.

4. *Mirum quendam dolorem accidere iis.*] Turnebus ait fuiſſe in antiquo ſuo: *mir. q. dol. accipere eos.*

5. *Non lenitudine.*] Lambinus invexerat, *non modò lenitudine*: quod & in mſ. Turnebi. gratioſius tamen ſubaudiatur.

6. *Diodorus Timarchides.*] Membranæ Cujacii, *Timarchidi.* tanquam ſit genitivus antiquus, ſubaudiaturque *filius.*

1. Nam

ita perſcriptum erat, cùm rationem ex lege redderet, & quæ acceperat, deberet tradere: petiſſe, ut ſibi, quòd hæ res abeſſent, ignoſceretur: itaque omneis liberatos diſceſſiſſe, & eſſe *ignotum omnibus*: quas ego litteras obſignandas publico ſigno, deportandaſque curavi. De laudatione autem ratio ſic reddita eſt. primùm cùm à Verre litteræ aliquanto ante adventum meum de laudatione veniſſent, nihil eſſe decretum: deinde, cùm quidam ex illius amicis commonerent, oportere decerni; maximo eſſe clamore, & convicio repudiatos: poſteaquàm meus adventus appropinquarit, imperaſſe eum, qui ſummam poteſtatem haberet, ut decernerent: decretum ita eſſe, ut multo plus illa *laudatio* mali, quàm boni poſſit afferre. Id ideò, judices, ut mihi ab illis
64 demonſtratum eſt, ſic vos ex me cognoſcite. Mos eſt Syracuſis, ut, ſi qua de re ad ſenatum referatur, dicat ſententiam, qui velit. nominatim nemo rogatur. & tamen, ut quiſque *honore, & ætate antecedit*, ita primus ſolet ſua ſponte dicere: idque à ceteris ei conceditur. ſi quando taceant omneis, tunc *ſortitò* coguntur dicere. Cùm hic mos eſſet, refertur ad ſenatum de laudatione Verris. in quo primum, ut aliquid eſſet moræ, multi interpellant: de Sex. Peducæo, qui de illa civitate, totaque provincia optimè meritus eſſet, ſeſe anteà, cùm audiſſent ei negotium faceſſitum, cumque eum publicè pro plurimis ejus, & maximis meritis laudare cuperent, à C. Verre prohibitos eſſe: *iniquum eſſe*, tametſi Peducæus eorum laudatione jam non uteretur, tamen non id prius decernere, quod aliquando voluiſſent, quàm quod tum cogerentur. Conclamant omnes, & approbant ita fieri oportere. Refertur de Peducæo. ut quiſque ætate, & honore antecedebat, ita ſententiam dixit ex ordine. Id adeò ex ipſo S.C. cognoſcite; [1] nam principium ſententiæ perſcribi ſolet. Recita. QUOD VERBA FACTA SUNT DE SEX. PEDUCÆO. Dicit, qui primi ſuaſerint. decernitur. refertur deinde de Verre. dic, quæſo, quomodo? QUOD VERBA FACTA SUNT DE C. VERRE. Quid poſtea ſcriptum eſt? CUM SURGERET NEMO, NEQUE SENTENTIAM DICERET. Quid hoc eſt? SORS DUCITUR. Quamobrem? nemo erat voluntarius laudator præturæ tuæ, defenſor periculorum tuorum, præſertim cùm inire à prætore gratiam poſſet? nemo. ipſi illi tui *convivæ*, *conſiliarii*, *conſcii*, *ſocii*, verbum facere non audebant. in qua curia ſtatua tua ſtabat, & nuda in ea filii, nemo fuit, quem ne nudus quidem filius in nuda provincia commoveret. Atque etiam hoc me docent, ejuſmodi ſenatuſconſulto ſeſe feciſſe *laudationem*, ut omnes intelligere poſſent, non laudationem, ſed potius IRRISIONEM eſſe illam, quæ commonefaceret iſtius turpem, calamitoſamque præturam. Etenim ſcriptum eſſe ita, QUOD iſte VIRGIS neminem cecidiſſet: à quo cognoſcitis, nobiliſſimos homines, atque innocentiſſimos ſecuri eſſe percuſſos: QUOD VIGILANTER provinciam adminiſtraſſet: cujus omneis vigilias in ſtupris conſtat, adulteriiſque eſſe conſumtas. hoc autem ſcriptum etiam, quod proferre non auderet reus, accuſator recitare non deſineret, QUOD PRÆDONES procul ab inſula Sicilia prohibuiſſet Verres: quos etiam intra Syracuſanam inſulam recepiſſet. Quæ poſteaquàm ex illis cognovi, diſceſſi cum fratre è curia, ut,
65 nobis abſentibus ſi quid vellent, decernerent. [2] Decernunt ſtatim: primum, UT L. FRATRI HOSPITIUM PUBLICE FIERET, quòd is eandem voluntatem erga Syracuſanos ſuſcepiſſet, quam ego ſemper habuiſſem. id non modò tum ſcripſerunt, verùm etiam *in ære inciſum* nobis tradiderunt. Valde hercle te Syracuſani tui, quos crebrò commemorare ſoles diligunt: qui cum accuſatore tuo ſatis juſtam cauſam conjungendæ neceſſitudinis putant, quòd te accuſaturus ſit, & quòd ad inquirendum in te venerit. poſtea decernitur, ac non variè, ſed propè conjunctis ſententiis, UT LAUDATIO, quæ C. Verri decreta eſſet, tolleretur. At verò cùm jam non ſolùm diſceſſio facta eſſet, ſed etiam perſcriptum, atque in tabulas relatum, *prætor appellatur*. At quis appellat? magiſtratus aliquis? nemo. ſenator? ne id quidem. Syracuſanorum aliquis? minimè. quis igitur prætorem appellat? qui [3] quæſtor iſtius fuerat, Cæcilius. O rem ridiculam! ô deſertum hominem! ô deſperatum, ac relictum à magiſtratu Siculo! ne S. C. Siculi homines facere poſſent, ne ſuum jus ſuis moribus, ſuis legibus obtinere poſſent, non amicus iſtius, non hoſpes, non denique aliquis Siculus, ſed quæſtor prætorem appellat. Quis hoc vidit? aut quis audivit? Prætor æquus, & ſapiens dimitti jubet ſenatum. concurrit ad me maxima multitudo. primum ſenatores clamare, *eripi ſibi jus*, *eripi libertatem*: populus [4] ſenatum laudare, gratias agere: cives Romani à me nuſquam diſcedere. quo quidem die, nihil ægriùs factum eſt, multo labore meo, quam ut manus ab illo appellatore abſtinerentur. Cum ad prætorem in jus adiſſemus, excogitat ſanè diligenter, & cautè, quid decernat. nam antè quàm verbum facerem, de ſella ſurrexit, atque abiit. Itaque tum de foro, cùm jam adveſperaſceret, diſceſſimus. Poſtridie ma- 66
nè ab eo poſtulo, ut Syracuſanis liceret S. C. quod pridie feciſſent, mihi reddere. Ille enimverò negat: & ait, INDIGNUM FACINUS eſſe, quòd ego in ſenatu Græco verba feciſſem: quòd quidem apud Græcos Græcè locutus eſſem, id ferri nullo modo poſſe. Reſpondi homini, ut potui, ut volui, ut debui. tum multa, tum etiam hoc me memini dicere, facilè eſſe perſpicuum, quantum inter hunc, & illum Numidicum, verum, & germanum Metellum intereſſet. illum noluiſſe ſua *laudatione juvare* L. Lucullum, ſororis virum, quicum optime conveniſſet: hunc homini alieniſſimo, à civitatibus laudationes per vim, & metum comparare. Quod ubi intellexi, multùm apud illum recenteis nuntios, multùm tabulas non commendatitias, ſed tributarias valuiſſe: admonitu ipſorum Syracuſanorum impetum in eas tabulas facio, in quibus ſingula perſcripta erant. Ecce autem nova turba, atque rixa. ne tamen iſtum omnino Syracuſis ſine amicis, ſine hoſpitibus, planè nudum eſſe, ac deſertum putetis: retinere cœpit tabulas Theomnaſtus quidam, homo ridiculè inſanus, quem Syracuſani *Theoractum* vocant: qui illic ejuſmodi eſt, ut eum *pueri ſectentur*: ut omnes, cùm loqui cœperit, irrideant. Hujus tamen inſania, quæ ridicula eſt aliis, mihi tum moleſta ſanè fuit. nam cùm ſpumas ageret in ore, arderent oculi, voce maxima vim me ſibi afferre clamaret: copulati in jus pervenimus. Hic ego poſtulare cœpi, ut mihi tabulas obſignare, ac deportare liceret. [5] Ille contrà. inſtare ego, omnium mihi tabularum, & litterarum fieri poteſtatem oportere. Contrà, ille furioſus urgere, nihil ad ſe noſtras leges pertinere. Prætor intelligens, NEGARE SIBI PLACERE, quòd S. C. ratum eſſe non deberet, id me Romam deportare. Quid multa? niſi vehementiùs homini minatus eſſem: niſi legum ſanctionem, pœnamque recitaſſem: tabularum mihi poteſtas facta non eſſet. Ille autem inſanus: qui pro iſto contra me vehementiſſimè declamaſſet, poſtquàm non impetravit: credo, ut in gratiam mecum rediret, libellum mihi dat, in quo iſtius furta Syracuſana perſcripta erant: quæ ego antea jam ab illis cognoram, & acceperam. Lau- 67
dent

1. *Nam principum ſententiæ perſcribi ſolent.*] Turnebo iſtud debemus. antea legebatur, *principium*; item *ſolet*. Pal. tamen ſec. *principium ſententiæ perſcribi ſolent.*

2. *Decernunt ſtatim primum ut L. fratri hoſpitium publicè, &c.*] Ita omnes cuſi ante Lambinum, qui ex Cujaciano protulit: *Dec. ſtatim, ut cum fratre L. hoſpitium publ.* aliud quid latet.

3. *Quæſtor iſtius fuerat Cæcilius.*] Non ſit veriſimile factum à Cæcilio, alioqui clare hoc ei objeciſſet Cicero ſupra. itaque, cum reſtet in Pal. ſec. *Ceſellius*, in Gruter. *Ceſelius*, inclino legere cum Cujac. *Ceſetius*, qui claſſi Verrinæ præfuit, & videtur fuiſſe item quæſtor.

4. *Senatum laudare, gratias agere.*] Suſpicio eſt Galielmii deeſſe verbulum neceſſarium, *ſent. laudare, mihi gratias agere, &c.*

5. *Illa contra. inſtare, &c.*] Lambinus heic aliquammulta interſeruit ex mſſ. ſuis. ſunt autem iſthæc: *Ille contrà, dicere: negare eſſe illud S. C. in quo prætor appellatus eſſet, negare id mihi tradi oportere. Ego legem recitare omnium mihi tabularum & literarum fieri poteſtatem. Ille furioſus urgere, nihil.* ita Cujacii liber, niſi quod pro voce *prætor* ſervaret *pop. Rom.*

dent te ſanè jam Mamertini, qui [1] *ex tanta provincia ſoli* ſunt, qui te ſalvum velint: ita tamen laudent, ut Hejus, qui ejus princeps legationis eſt, adſit: ita laudent, ut ad ea, quæ rogati erunt, mihi parati ſint reſpondere. Ac ne ſubito à me opprimantur, hæc ſum rogaturus: NAVEM POPULO ROMANO DEBEANTNE? fatebuntur. præbuerintne, prætore C. Verre? negabunt. ædificaverintne navem onerariam maximam publicè, quàm Verri dederunt? negare non poterunt. frumentumne ab his ſumſerit Verres, quod populo Rom. mitteret, ſicuti ſuperiores? negabunt. quid militum, aut nautarum per triennium dederint? nullum datum dicent. Fuiſſe Meſſanam omnium iſtius furtorum, ac prædarum receptricem, negare non poterunt. permulta multis navibus illinc exportata: hanc navem denique maximam à Mamertinis datam, onuſtam cum iſto prætore profectam fatebuntur. Quamobrem tibi habe ſanè iſtam laudationem Mamertinam: Syracuſanam quidem civitatem, ut abs te affecta eſt, ita in te eſſe animatam videmus: apud quos etiam *Verrea* illa flagitioſa ſublata ſunt. etenim MINIME conveniebat, ei deorum honores haberi, qui ſimulacra deorum ſuſtuliſſet. Etiam mehercule illud in Syracuſanis meritò reprehenderetur, ſi, cùm diem feſtum ludorum de faſtis ſuis ſuſtuliſſent celeberrimum, & ſanctiſſimum, quòd eo ipſo die Syracuſæ à Marcello captæ eſſe dicuntur, iidem diem feſtum Verris nomine agerent: cùm iſte Syracuſanis, quæ ille calamitoſus dies reliquerit, ademiſſet. At videte hominis impudentiam, atque arrogantiam, judices, qui non ſolùm Verrea hæc turpia, ac ridicula ex Heraclii pecunia conſtituerit: verùm etiam *Marcellea* tolli imperarit, ut ei ſacra facerent quotannis, cujus opera omnium annorum ſacra, deoſque patrios amiſerant: ejus autem familiæ dies feſtos tollerent, per quam ceteros quoque feſtos dies *recuperarant*.

ACCUSATIONIS IN C. VERREM, LIBER QUINTUS, DE SUPPLICIIS.

ORATIO DECIMA.

1 NEMINI video dubium eſſe, judices, quin apertiſſimè C. Verres in Sicilia, ſacra, profanaque omnia & privatim, & publicè ſpoliarit, verſatuſque ſit ſine ulla non modò *religione*, verum etiam *diſſimulatione* in omni genere furandi, atque prædandi. ſed quædam mihi magnifica, & præclara ejus defenſio oſtenditur: cui quemadmodum reſiſtam, multo mihi antè, judices, providendum. Ita enim cauſa conſtituitur, provinciam Siciliam *virtute ejus*, *& vigilantia* ſingulari, dubiis, formidoloſiſque temporibus, à fugitivis, atque à belli periculis tutam eſſe ſervatam. Quid agam, judices? quò accuſationis meæ rationem conferam? quò me vertam? ad omneis enim meos impetus, quaſi murus quidam, *boni nomen imperatoris* opponitur. Novi locum: video, ubi ſe jactaturus ſit Hortenſius. belli pericula, tempora reipub. imperatorum pænuriam commemorabit: tum deprecabitur à vobis, tum etiam pro ſuo jure contendet, ne patiamini, talem imperatorem populo Rom. Siculorum teſtimoniis eripi: neve obteri laudem imperatoriam criminibus avaritiæ velitis. Non poſſum diſſimulare, judices: timeo, ne C. Verres propter hanc virtutem eximiam in re militari, omnia, quæ fecit, impunè fecerit. venit enim mihi in mentem, in judicio M. Aquillii quantum auctoritatis, quantum momenti oratio M. Antonii habuiſſe exiſtimata ſit: qui, ut erat in dicendo non ſolùm ſapiens, ſed etiam fortis, cauſa propè perorata, ipſe arripuit M. Aquillium, conſtituitque in conſpectu omnium, tunicamque ejus à pectore abſcidit, ut *cicatrices* populus Romanus judiceſque adſpicerent, adverſo corpore exceptas. ſimul & de illo vulnere, quod ille in capite ab hoſtium duce acceperat, multa dixit: eoque adduxit eos, qui erant judicaturi, vehementer ut vererentur, ne, quem virum fortuna ex hoſtium telis eripuiſſet, cùm ſibi ipſe non pepercíſſet, hic non ad populi Romani laudem, ſed ad *judicum crudelitatem* videretur eſſe ſervatus. Hæc eadem nunc ab illis defenſionis ratio, viaque tentatur: idem quæritur. Sit fur, ſit ſacrilegus, ſit flagitiorum omnium, vitiorumque princeps: AT EST BONUS IMPERATOR, ET FELIX, ET AD DUBIA REIP. TEMPORA RESERVANDUS. Non agam ſummo jure tecum: non 2
dicam id, quod debeam forſitan obtinere: cum [1] *judicium certa lege ſit* conſtitutum, non quid in re militari fortiter feceris, ſed, quemadmodum manus ab alienis pecuniis abſtinueris, abs te doceri oportere: non, inquam, ſic agam, ſed ita quæram, quemadmodum te velle intelligo, quæ tua opera, & quanta fuerit in bello. Quid dices? an bello fugitivorum Siciliam virtute tua liberatam? magna laus; honeſta oratio: ſed tamen quo bello? nos enim poſt id bellum, quod M. Aquillius confecit, ſic accepimus, nullum in Sicilia fugitivorum bellum fuiſſe. At in Italia fuit. fateor, & magnum quidem, ac vehemens. num igitur ex eo bello partem aliquam laudis appetere conaris? num tibi illius victoriæ gloriam cum M. Craſſo, aut Cn. Pompejo communicandam putas? non arbitror hoc etiam deeſſe tuæ impudentiæ, ut quidquam ejuſmodi dicere audeas. Obſtitiſti videlicet, *ne ex Italia tranſire in Siciliam fugitivorum copiæ poſſent*. ubi? quando? qua ex parte? cùm aut navibus, aut ratibus conarentur accedere? nos enim nihil umquam prorſus audivimus: & illud audivimus, M. Craſſi, fortiſſimi viri, virtute, conſilioque factum, ne ratibus conjunctis, freto

1. *Ex tanta provincia.*] Turnebus & Lambinus ex eodem mſ. præpoſuerunt *ex tota*, mihi alterum ſapidius videtur ſuſtentatque ſe ſcriptura omni Pall. Gruter. editionumque retro cuſorum.

1. *Judicium certa lege ſit conſtitutum.*] Liber Cujacii non agnoſcit *conſtitutum*; eaque propter omiſit Lambinus. non improbo.

1. *Nolite*

freto fugitivi ad Meſſanam tranſire poſſent : à quo illi conatu non tantopere prohibendi fuiſſent, ſi ulla in Sicilia præſidia ad illorum adventum oppoſita putarentur. At tum in Italia bellum tam propè à Sicilia, tamen in Sicilia non fuit. Quid mirum ? ne cum in Sicilia quidem fuit, eodem inter-
3 vallo pars ejus belli in Italiam ulla pervaſit. Etenim *propinquitas* ad utram partem hoc loco profertur? utrùm aditum facilem hoſtibus, an *contagionem imitandi* ejus belli periculoſam fuiſſe? Aditus omnis hominibus ſine ulla facultate navium non modò disjunctus, ſed etiam clauſus fuit: ut illis, quibus Siciliam propinquam fuiſſe dicis, facilius fuerit ad Oceanum pervenire, quàm ad Peloridem accedere. Contagio autem iſta ſervilis belli, cur abs te potiùs, quàm ab iis omnibus, qui ceteras provincias obtinuerunt, prædicatur? an quod in Sicilia jam antè bella fugitivorum fuerunt? At ea ipſa cauſa eſt, cur ipſa provincia minimo in periculo ſit, & fuerit. Nam poſteaquam illinc M. Aquillius deceſſit, omnium inſtituta, atque edicta prætorum fuerunt ejuſmodi, *ut ne quis cum telo ſervus eſſet.* Vetus eſt quod dicam, & propter ſeveritatem exempli nemini fortaſſe veſtrum inauditum: L. Domitium prætorem in Sicilia, cùm aper ingens ad eum allatus eſſet, admiratum requiſiſſe, quis eum percuſſiſſet. cùm audiſſet, paſtorem cujuſdam fuiſſe, eum ad ſe vocari juſſiſſe: illum cupidè ad prætorem, quaſi ad laudem, atque præmium accurriſſe: quæſiſſe Domitium, *qui tantam beſtiam percuſſiſſet:* illum reſpondiſſe, *venabulo.* ſtatim deinde juſſu prætoris in crucem eſſe ſublatum. Durum hoc fortaſſe videatur: neque ego ullam in partem diſputo. tantum intelligo, maluiſſe Domitium crudelem in animadvertendo, quàm in prætermittendo diſſo-
4 lutum videri. Ergo his inſtitutis provinciæ, jam tum, cùm bello fugitivorum tota Italia arderet, homo non acerrimus, nec fortiſſimus C. Norbanus, *in ſummo otio fuit.* perfacilè enim ſeſe Sicilia tuebatur, ne quod in ipſa bellum poſſet exiſtere. etenim cùm nihil tam conjunctum ſit, quàm negotiatores noſtri cum Siculis, uſu, re, ratione, concordia: & cùm ipſi Siculi res ſuas ita conſtitutas habeant, ut his pacem expediat eſſe: imperium autem populi Romani ſic diligant, ut id imminui, aut commutari minimè velint: cumque hæc ab ſervorum bello pericula, & prætorum inſtitutis, & dominorum diſciplina proviſa ſint: nullum eſt malum domeſticum, quod ex ipſa provincia naſci poſſit. Quid igitur? nulline motus in Sicilia ſervorum Verre prætore? nullæne *conſenſiones* factæ eſſe dicuntur? nihil ſanè, quod ad S. P. Q. R. pervenerit: nihil, quod iſte Romam publicè conſcripſerit: & tamen cœptum eſſe in Sicilia moveri aliquot locis ſervitium ſuſpicor. id adeò non tam ex re, quam ex iſtius factis, decretiſque cognoſco. Ac videte, quam non inimico animo ſim acturus. ego ipſe hæc, quæ ille quærit, quæ adhuc numquam audiſtis, commemorabo & proferam. In Triochalino, quem locum fugitivi jam antè tenuerunt, Leonidæ cujuſdam Siculi familia in ſuſpicionem vocata eſt conjurationis. res delata ad iſtum. ſtatim (ut par fuit) juſſu ejus homines, qui nominati erant, comprehenſi ſunt, adductique Lilybæum. domino denun-
5 tiatum eſt, ut adeſſet: cauſa dicta damnati ſunt. Quid deinde? quid cenſetis? furtum fortaſſe, aut prædam exſpectatis aliquam. [1] Nolite uſquequaque eadem quærere. *In metu belli, furandi qui locus poteſt eſſe?* etiam ſiqua fuit in hac re occaſio, prætermiſſa eſt. Tum potuit à Leonida nummorum aliquid auferre, cum denuntiavit, ut adeſſet. fuit *nundinatio* aliqua, & iſti non nova, ne cauſam diceret. etiam alter locus, ut abſolverentur. damnatis quidem ſervis, quæ prædandi poteſt eſſe ratio? produci ad ſupplicium neceſſe eſt. teſtes enim ſunt, qui in conſilio fuerunt: teſtes, publicæ tabulæ: teſtis, ſplendidiſſima civitas Lilybætana: teſtis, honeſtiſſimus, maximuſque conventus civium Roman. nihil poteſt: producendi ſunt. itaque producuntur, & ad palum alligantur. Etiam nunc mihi exſpectare videmini, judices, quid deinde factum ſit: quòd iſte nihil umquam fecit *ſine aliquo quæſtu*, atque præda. Quid in ejuſmodi re fieri potuit? quod *commodum* eſt? exſpectate facinus, quàm vultis improbum, vincam tamen exſpectationem omnium, [2] nomine ſceleris, conjurationiſque damnati, ad ſupplicium traditi, ad palum alligati, repentè, multis millibus hominum inſpectantibus, ſoluti ſunt, & Leonidæ illi domino redditi. Quid hoc loco potes dicere, homo amentiſſime? niſi id, quod ego non quæro: quod denique in re tam nefaria, tametſi dubitari non poteſt, tamen, ne ſi dubitetur quidem, quæri oporteat: quid, aut quantum, aut quomodo *acceperis.* remitto tibi hoc totum, atque iſta te cura libero. neque enim metuo, ne hoc cuiquam perſuadeatur, ut, ad quod facinus nemo, præter te, ulla pecunia adduci potuerit, id tu *gratis* ſuſcipere conatus ſis. verùm de iſta furandi, prædandique ratione nihil dico: de hac imperatoria jam tua laude diſputo. Quid ais, bone cuſtos, de- 6
fenſorque provinciæ? tu, quos ſervos arma capere, ac bellum facere in Sicilia voluiſſe cognoras, & de conſilii ſententia judicaras: hos ad ſupplicium jam more majorum traditos, & ad palum alligatos, ex media morte eripere, ac liberare auſus es? ut, quam damnatis ſervis crucem fixeras, hanc indemnatis civibus Rom. reſervares? PERDITÆ CIVITATES, deſperatis omnibus rebus, hos ſolent exitus exitiales habere, ut damnati in integrum reſtituantur, vincti ſolvantur, exules reducantur, res judicatæ reſcindantur. quæ cùm accidunt, nemo eſt, quin intelligat ruere illam rempubl. hæc ubi veniunt, nemo eſt, qui ullam ſpem ſalutis reliquam eſſe arbitretur. atque hæc ſicubi facta ſunt: facta ſunt, ut homines *populares*, aut *nobiles* ſupplicio, aut exſilio levarentur: at non ab his ipſis, qui judicaſſent: at non ſtatim; at non eorum facinorum damnati, quæ ad vitam, & omnium fortunas pertinerent. Hoc verò novum & ejuſmodi eſt, ut magis propter reum, quàm propter rem ipſam credibile videatur; ut homines ſervos; ut ipſe, qui judicarat; ut ſtatim è medio ſupplicio dimiſerit; ut ejus facinoris damnatos ſervos, quod *ad omnium liberorum caput, & ſanguinem pertineret.* O præclarum imperatorem, nec jam cum M. Aquillio, fortiſſimo viro, ſed verò cum Paullis, Scipionibus, Mariis conferendum! Tantumne vidiſſe in metu, periculoque provinciæ? cùm ſervitiorum animos in Sicilia ſuſpenſos propter bellum Italiæ fugitivorum videret: ne quis ſe commovere auderet, quantum terroris injecit? Comprehendi juſſit. quis non pertimeſcat? cauſam dicere dominos. quid ſervis tam formidoloſum? FECISSE VIDERI pronuntiavit. exortam videtur flammam paucorum dolore, ac morte reſtinxiſſe. Quid deinde ſequitur? verbera atque ignes, & illa extrema ad ſupplicium damnatorum, metum ceterorum, cruciatus, & crux. hiſce omnibus ſuppliciis ſunt liberati. Quis dubitet, quin ſervorum animos ſumma *formidine oppreſſerit*, cùm viderent ea facilitate prætorem, [3] ut ab eo, ſceleris, conjurationiſque damnatorum, vita, vel ipſo carnifice internuntio, redimeretur? Quid? hoc in Apollonienſi Ariſtodamo? quid? [4] in Leonte Megarenſi non idem feciſti? Quid? iſte motus ſer- 7
vorum, bellique ſubita ſuſpicio, utrùm tibi tandem diligentiam cuſtodiendæ provinciæ, an novam rationem improbiſſimi quæſtus attulit? Halicienſis Eumenidæ nobilis hominis & honeſti, magnæ pecuniæ villicus cùm *impulſu tuo* inſimulatus eſſet, HS LX. à domino accepiſti: quod nuper ipſe juratus docuit, quemadmodum geſtum eſſet. Ab equite

1. *Nolite uſquequaque eadem quærere.*] Non diſplicet quod eſt in Cujac. *idem quærere.* quoniam ei accedunt Pall. & olim cuſi, in quibus, *quidem quærere.*

2. *Nomine ſceleris conjurationiſque damnati.*] Lambinus ex Cujaciano forſan, *homines ſceleris*; quod etiam placuit Gulielmio: ſed vulgatum longè melius eſt; ut oſtendi in Suſpicionibus.

3. *Ut ab ea ſervorum ſceleris, &c.*] Emphaſin habet dictio *ſervorum*, quæ in nuper vulgatis interpoſita; ſed tamen non agnoſcitur a Palatinis, aut olim editis.

4. *In Leonte Megarenſi.*] Habent iſtud dicti libri omnes, præter Cujacianum, in quo *Leonida Acarenſi*; quod Lambinus admiſit, tanquam inventum in libris ſuis.

equite R. C. Matrinio abſente, cùm is eſſet Romæ, quòd ejus villicos, paſtoreſque tibi in ſuſpicionem veniſſe dixeras, H-S centum abſtuliſti. dixit hoc L. Flavius, qui tibi eam pecuniam numeravit, procurator C. Matrinii: dixit ipſe C. Matrinius: dicet vir clariſſimus Cn. Lentulus cenſor, qui Matrinii honoris cauſa, recenti negotio ad te litteras miſit, mittendaſque curavit. Quid? de [1] Apollonio, Dioclis filio Panormitano, cui gemino cognomen eſt, præteriri poteſt? ecquid hoc tota Sicilia clarius? ecquid indignius? [2] ecquid manifeſtius proferri poteſt? quem is, uti Panormum venit, ad ſe vocari, & de tribunali citari juſſit, concurſu magno, frequentiaque conventus. Homines ſtatim loqui: mirari, quod Apollonius, homo pecunioſus, tamdiu ab iſto *maneret integer:* excogitavit: neſcio quid attulit. profectò homo dives repentè à Verre non ſine cauſa citatur. exſpectatio ſumma omnium, quidnam id eſſet: cùm exanimatus ſubitò ipſe accurrit cum adoleſcente filio. nam pater, grandis natu, jam diu lecto tenebatur. nominat iſte ſervum, quem magiſtrum pecoris eſſe diceret. eum dicit *conjuraſſe*, & alias familias concitaſſe. is omnino ſervus in familia non erat. eum ſtatim exhibere jubet. Apollonius affirmare, ſervum ſe omnino illo nomine habere neminem. Iſte hominem abripi à tribunali, & in carcerem conjici jubet. clamare ille, cùm raperetur, nihil ſe miſerum feciſſe, *nihil commiſiſſe:* pecuniam ſibi eſſe in nominibus: numeratam in præſentia non habere. Hæc cùm maximè ſumma hominum frequentia teſtificaretur, ut quivis intelligere poſſet, eum, quod *pecuniam non dediſſet*, idcirco illa tam acerba injuria affici: cùm maximè, ut dico, hoc de pecunia
8 clamaret, in vincla conjectus eſt. Videte conſtantiam prætoris, & ejus prætoris, qui nunc reus non ita defendatur, ut mediocris prætor: ſed ita laudetur, ut optimus imperator. Cùm ſervorum bellum metueretur, quo ſupplicio dominos indemnatos afficiebat, hoc ſervos damnatos liberabat. Apollonium, locupletiſſimum hominem, qui, ſi fugitivi bellum in Sicilia facerent, *ampliſſimas fortunas amitteret*, belli fugitivorum nomine, indicta cauſa, in vincla conjecit: ſervos, quos ipſe cum conſilio, belli faciendi cauſa conſenſiſſe judicavit, eos ſine conſilii ſententia, ſua ſponte, omni ſupplicio liberavit. Quid ſi ab Apollonio aliquid commiſſum eſt, quamobrem jure in eum animadverteretur: tamenne hanc rem ſic agemus, ut crimini, aut invidiæ reo putemus eſſe oportere, ſiquo de homine ſeveriùs judicavit? Non agam tam acerbè: non utar iſta *accuſatoria conſuetudine*, ſiquid eſt factum clementer, ut diſſolutè factum criminer: ſiquid vindicatum ſeverè eſt, ut ex eo crudelitatis invidiam colligam. non agam iſta ratione: tua ſequar judicia: tuam defendam auctoritatem, quoad tu voles. ſimul ac tute cœperis tua judicia reſcindere: mihi ſuccenſere deſinito. meo enim jure contendam, eum, qui *ſuo judicio condemnatus* ſit, juratorum judicum ſententiis damnari oportere. Non defendam Apollonii cauſam, amici, atque hoſpitis mei, ne tuum judicium videar reſcindere: nihil de hominis frugalitate, virtute, diligentia, dicam: prætermittam illud etiam, de quo antea dixi, fortunas ejus ita conſtitutas fuiſſe, familia, pecore, villis, pecuniis creditis, ut nemini *minùs expediret*, ullum in Sicilia tumultum, aut bellum commoveri: non dicam ne illud quidem, ſi maximè in culpa fuerit Apollonius, tamen in hominem honeſtiſſimum, civitatis honeſtiſſimæ, tam graviter animadverti, *cauſa indicta*, non oportuiſſe. nullam invidiam in te, ne ex illis quidem rebus concitabo, cùm eſſet talis vir in carcere, in tenebris, in ſqualore, in ſordibus, tyrannicis interdictis tuis, patri exacta ætate, & adoleſcenti filio, *adeundi* ad illum miſerum poteſtatem numquam eſſe factam. etiam illud prætéribo, quotieſcunque Panormum veneris illo anno, & ſex menſibus (nam tamdiu fuit in carcere Apollonius) toties ad te ſenatum Panormitanum adiſſe ſupplicem cum magiſtratibus, ſacerdotibuſque publicis, orantem, atque obſecrantem, ut aliquando ille miſer, atque innocens calamitate illa liberaretur. relinquam hæc omnia: quæ ſi velim perſequi, facilè oſtendam, tua *crudelitate in alios*, omneis tibi aditus miſericordiæ judicum jampridèm eſſe præcluſos. Omnia igitur iſta concedam, & remittam. 9
prævideo enim, quid ſit defenſurus Hortenſius. fatebitur, apud iſtum neque ſenectutem patris, neque adoleſcentiam filii, neque lachrymas utriuſque plus valuiſſe, quàm utilitatem, ſalutemque provinciæ: dicet, REMP. ADMINISTRARI ſine metu, ac ſeveritate non poſſe: quæret, quamobrem faſces prætoribus præferantur, cur ſecures datæ, cur carcer ædificatus, cur tot ſupplicia ſint in improbos more majorum conſtituta? quæ cùm omnia graviter, ſevereque dixerit: quæram, cur hunc eundem Apollonium Verres idem, repentè, nulla nova re allata, nulla defenſione, ſine cauſa de carcere emitti juſſerit? tantumque in hoc crimine ſuſpicionis eſſe affirmabo, ut jam ipſis judicibus ſine mea argumentatione conjecturam facere permittam, quod hoc genus prædandi, quàm improbum, quàm indignum, quàmque ad magnitudinem quæſtus immenſum, infinitumque eſſe videatur. nam quæ iſte in Apollonio fecit, ea primùm breviter cognoſcite, quot, & quanta ſint: deinde hæc expendite, atque æſtimate pecunia. reperietis, idcirco hæc in uno homine pecunioſo tot conſtituta, *ut ceteris formidines ſimilium incommodorum, atque exempla periculorum proponerentur*. Primùm inſimulatio eſt repentina, capitalis, atque invidioſi criminis. Statuite, quanti hoc putetis, & quàm multos redemiſſe. Deinde crimen ſine *accuſatore*, ſententia ſine *conſilio*, damnatiò ſine *defenſione*. Æſtimate harum rerum omnium pretia: & cogitate, in his iniquitatibus unum hæſiſſe Apollonium: ceteros profectò multos ex his incommodis pecunia ſe *liberaſſe*. Poſtremò tenebræ, vincula, carcer, [3] incluſum ſupplicium, atque à conſpectu parentum, ac liberûm, denique à libero ſpiritu, & communi luce ſecluſum. Hæc verò, quæ vel *ita redimi* rectè poſſunt, æſtimare pecunia non queo. hæc omnia ſerò redemit Apollonius, jam mærore, ac miſeriis perditus: ſed tamen ceteros docuit, antè iſtius avaritiæ, ac ſceleri occurrere. Niſi verò exiſtimatis, hominem pecunioſiſſimum ſine aliqua cauſa quæſtus [4] injectum ad tam incredibile crimen, aut ſine eadem cauſa repentè è carcere emiſſum; aut hoc prædandi genus ab iſto in illo uno adhibitum, ac *tentatum*; & non per illum omnibus pecunioſis Siculis metum propoſitum, & injectum. Cupio mihi, judices, ab illo ſub- 10
jici, quoniam de militari ejus gloria dico, ſiquid fortè prætereo. Nam mihi videor de omnibus jam rebus ejus geſtis dixiſſe, quæ quidem ad belli fugitivorum pertinerent ſuſpicionem: certè nihil ſciens prætermiſi. Habetis hominis conſilia, diligentiam, vigilantiam, cuſtodiam, defenſionemque provinciæ. Summa illuc pertinet, ut ſciatis, quoniam *plura genera* ſunt imperatorum, ex quo genere iſte ſit. Ne diutius in tanta pænuria virorum fortium talem imperatorem ignorare poſſitis: non ad Q. Maximi ſapientiam, neque ad illius ſuperioris Africani in re gerunda celeritatem, neque ad hujus, qui poſtea fuit, ſingulare conſilium, neque ad Paulli rationem, ac diſciplinam; neque ad C. Marii vim atque virtutem, ſed ad aliud genus imperatorum ſanè diligenter retinendum, & conſervandum, quæſo, cognoſcite. *Itinerum* primùm *laborem*, qui vel maximus eſt in re militari, judices, & in Sicilia maximè neceſſarius, accipite, quàm facilem ſibi iſte, & jucundum ratione, conſilioque

1. *Apollonio, Diocli filio.*] Antique pro *Dioclis*; neque aliter mſſ. noſtri, niſi quod Pal. ſec. *Dioclii*. meminit hujus loci Rivius, in Caſtigationibus ad Tullium.

2. *Ecquid manifeſtius proferri poteſt?*] Liber Cujac. *confeſtius*, unde facit Gulielmius *confeſſius*.

3. *Incluſum ſupplicium.*] Vellem quis mihi judicaret quidnam iſthæc verba heic ſibi velint.

4. *Injectum ad tam incredibile, &c.*] Cujacii codex *ejectum*. unde facile fiat *electum*. Gulielmius conjiciebat *ſelectum*.

ſilioque reddiderit Primùm temporibus *hibernis*, ad ma-
gnitudinem frigorum, [1] & ad tempeſtatum vim, ac flumi-
num, præclarum ſibi hoc remedium comparat. urbem Syra-
cuſas elegerat: cujus hic ſitus, atque hæc natura eſſe loci,
cælique dicitur, ut nullus umquam dies tam magna, turbu-
lentaque tempeſtate fuerit, quin aliquo tempore ejus dici
ſolem homines viderent. hic ita vivebat iſte bonus impera-
tor hibernis menſibus, ut eum non facilè, non modò extra
tectum, ſed ne extra lectum quidem quiſquam videret. ita
dici brevitas, conviviis; noctis longitudo, ſtupris & flagi-
tiis conterebatur. Cùm autem *ver* eſſe cœperat, cujus ini-
tium iſte non à Favonio, neque ab aliquo aſtro notabat:
ſed, cùm *roſam* viderat, tunc incipere ver arbitrabatur: da-
bat ſe labori, atque itineribus: in quibus uſque eò ſe præ-
bebat patientem, atque impigrum, ut eum nemo umquam
11 in *equo ſedentem* videret. Nam, ut mos fuit Bithyniæ regi-
bus, lectica octophoro ferebatur: in qua pulvinus erat per-
lucidus, Melitenſi roſa farctus: ipſe autem coronam habe-
bat unam in capite, alteram in collo, reticulumque ad na-
reis ſibi admovebat, tenuiſſimo lino, minutis maculis, ple-
num roſæ. Sic confecto itinere, cùm ad aliquod oppidum
venerat, eadem lectica uſque in cubiculum deferebatur. eò
veniebant Siculorum magiſtratus, veniebant equites Rom.
id quod ex multis juratis audiſtis. *controverſiæ ſecretò defe-
rebantur:* paullo pòſt palàm decreta auferebantur. deinde,
ubi paulliſper in cubiculo, pretio, non æquitate jura deſcri-
pſerat; Veneri jam, & Libero reliquum tempus deberi ar-
bitrabatur. quo loco mihi non prætermittenda videtur præ-
clari imperatoris egregia, ac ſingularis diligentia. Nam ſci-
tote eſſe oppidum in Sicilia nullum ex iis oppidis, in qui-
bus conſiſtere prætores, & conventum agere ſolent, quo in
oppido non iſti [2] ex aliqua familia, non ignobili, *delecta
ad libidinem mulier* eſſet. Itaque nonnullæ ex eo numero in
convivium adhibebantur palàm. ſi quæ caſtiores erant, ad
tempus veniebant: lucem, conventumque vitabant. erant
autem convivia non illo *ſilentio* prætorum, atque impera-
torum, neque eo *pudore*, qui in magiſtratuum conviviis
verſari ſolet, ſed cum maximo clamore, atque convicio.
nonnumquam etiam res ad manus, atque ad pugnam venie-
bat. Iſte enim prætor ſeverus, ac diligens, qui populi R.
legibus numquam paruiſſet; illis diligenter legibus, quæ
in poculis ponebantur, obtemperabat. Itaque erant exitus
ejuſmodi, ut alius inter manus è convivio, tanquam è prœ-
lio, auferretur: alius, tanquam occiſus, relinqueretur:
plerique fuſi ſine mente, ac ſine ullo ſenſu jacerent, quivis
ut, cùm adſpexiſſet, non ſe prætoris convivium, ſed ut
12 *Cannenſem pugnam nequitiæ* videre arbitraretur. Cùm verò
æſtas ſumma eſſe jam cœperat, quod tempus omnes Siciliæ
ſemper prætores *in itineribus* conſumere conſueverunt, pro-
pterea quòd tum putant obeundam eſſe maximè provin-
ciam, cùm in areis frumenta ſunt, quòd & familiæ con-
gregantur, & magnitudo ſervitii perſpicitur, [3] & labor ope-
ris maximè offenditur, & frumenti copia commonet, tem-
pus anni non impedit: tum, inquam, cùm concurſant ce-
teri prætores, iſte novo quodam ex genere imperator, [4] pul-
cherrimo Syracuſarum *luco ſtativa ſibi caſtra* faciebat. nam
in ipſo aditu, atque ore portus, ubi primùm ex alto ſinus
ad urbem ab litore inflectitur, tabernacula carbaſeis intenta
velis collocabat. huc ex illa domo prætoria, quæ regis Hie-
ronis fuit, ſic emigrabat, ut per eos dies nemo iſtum extra
illum lucum videre poſſet. in eum autem ipſum lucum ad-
itus erat nemini, niſi qui aut ſocius, aut miniſter libidinis
eſſe poſſet. Huc omnes mulieres, quibuſcum iſte conſue-
verat, conveniebant: quarum incredibile eſt, quanta mul-
titudo fuerit Syracuſis. huc homines *digni iſtius amicitia*,
digni vita illa, conviviiſque veniebant. Inter ejuſmodi vi-
ros, ac mulieres, adulta ætate filius verſabatur: ut eum,
etiamſi natura à parentis ſimilitudine abriperet, *conſuetudo*
tamen, ac *diſciplina* patri ſimilem eſſe cogeret. Huc Tertia
illa perducta per dolum, atque inſidias ab Rhodio tibicine,
maximas in iſtius caſtris effeciſſe turbas dicitur, cum indi-
gnè pateretur uxor Cleomenis Syracuſani, nobilis mulier,
itemque Æſchrionis, honeſto loco nata, in conventum
ſuum mimi Iſidori filiam veniſſe. iſte autem Hannibal, qui
in ſuis caſtris *virtute* putaret *oportere*, *non genere certari*, ſic
hanc Tertiam dilexit, ut eam ſecum ex provincia exporta-
ret. Ac per eos dies, cùm iſte [5] cum pallio purpureo, tala- 13
rique tunica verſaretur in conviviis muliebribus, non offen-
debantur homines in eo: neque moleſtè ferebant, abeſſe à
foro magiſtratum, non jus dici, non judicia fieri: lucum
illum litoris percrepare totum mulierum vocibus, cantu-
que ſymphoniæ: in foro ſilentium eſſe ſummum cauſa-
rum, atque juris: *non ferebant homines moleſtè.* non enim
jus abeſſe videbatur à foro, neque judicia, ſed vis, & cru-
delitas, & bonorum acerba, atque indigna direptio. Hunc
tu igitur imperatorem eſſe defendis, Hortenſi? hujus fur-
ta, rapinas, cupiditatem, crudelitatem, ſuperbiam, ſcelus,
audaciam, rerum geſtarum magnitudine, atque imperato-
riis laudibus tegere conaris? Hic ſcilicet eſt metuendum,
ne ad exitum defenſionis tuæ, vetus illa Antoniana dicendi
ratio, atque auctoritas proferatur: ne excitetur Verres, ne
denudetur à pectore, ne *cicatrices* populus Rom. adſpiciat,
ex mulierum morſu veſtigia libidinis, atque nequitiæ. Dii
faciant, ut rei militaris, ut belli mentionem facere audeas.
cognoſcentur enim omnia iſtius *æra illa vetera*, ut, non ſo-
lùm in imperio, verùm etiam in ſtipendiis qualis fuerit,
intelligatis. renovabitur prima illa *militia*, cùm iſte è foro
abduci, non, ut ipſe prædicat, perduci ſolebat. *aleatoris*
Placentini *caſtra* commemorabuntur: in quibus cùm fre-
quens fuiſſet, tamen ære dirutus eſt. multa ejus in ſtipen-
diis damna proferentur: quæ ab iſto, ætatis fructu diſſoluta,
& compenſata ſunt. Jam verò, cùm in ejuſmodi patientia
turpitudinis, aliena, non ſua ſatietate obduruiſſet: *qui vir
fuerit*, quot præſidia, quàm munita pudoris, & pudicitiæ,
vi & audacia ceperit, quid me attinet dicere, aut conjun-
gere cum iſtius flagitio, cujuſquam præterea dedecus? non
faciam, judices: omnia vetera prætermittam. duo ſola re-
centia ſine cujuſquam infamia ponam: ex quibus conjectu-
ram facere de omnibus poſſitis. unum illud, quod ita fuit
illuſtre, notumque omnibus, ut nemo tam ruſticanus ho-
mo, L. Lucullo, & M. Cotta Coſs. Romam ex ullo muni-
cipio vadimonii cauſa venerit, quin ſciret, [6] *jura omnia* præ-
toris urbani, nutu, atque arbitrio Chelidonis meretriculæ
gubernari: alterum, quòd, cum paludatus exiſſet, vota-
que pro imperio ſuo, communique populi Rom. nuncu-
paſſet, noctu, ſtupri cauſa, lectica in urbem introferri ſo-
litus eſt ad mulierem, *nuptam uni, propoſitam omnibus*, con-
tra fas, contra auſpicia, contra omneis divinas, atque hu-
manas religiones. O dii immortales! QUID INTEREST 14
inter menteis hominum, & cogitationes? Ita mihi meam
volun-

1. *Et ad tempeſtatum vim ac fluminum.*] Hæc eſt ſcriptura editio-
num veterum, & Pall. ac Cujac. poſteriores ſubſtituerunt, *atque
imbrium*; quaſi non *flumina* invenirentur in Jure civili pro *imbribus*.

2. *Ex aliqua familia non ignobili.*] Membranæ Cujacii, *ignora-
bili*: quod Ciceronianis non placet, mihi, qui multa illorum Ci-
ceroni improbari ſcio, non diſplicet. Gloſſæ vett. Ignorabilis,
ἀγνωςότερος. Gulielmius.

3. *Et labor operis maximè offenditur.*] Editiones primæ, *oſtenditur*.
Cujacii libri, *maximè offendit*. Gulielmius legebat, *affunditur*,
egregiè.

4. *Pulcerrimo Syracuſarum luco ſtativa.*] Vetuſtè cuſis abeſt illud
pulcerrimo, quod nec conſpicitur in Pall. quorum pr. habet *locum*:
& verò videtur ſimpliciter legendum, *imperator, Syracuſarum lucum
ſtativa*, aut adeo *luco*. quod eſt in mſ. Hotomani, repræſentavit-
que P. Manutius & Aldus filius.

5. *Cum pallio purpureo, talarique tunica.*] Liber Cujac. *parique
tunica*. neque aliter Pall. aut antiquitus impreſſi. ſed ſtat tamen
pro vulgata locus alter infra cap. 33. m.

6. *Jura omnia prætoris urbani.*] Proba lectio fide mſ. Cujac. nam
vulgo, *jura omnia pop. Rom.* præter vetuſtè cuſos, in quibus *P. R.*
quod & in Pall. adeo ut forte delendum veniat illud *urbani*. vi-
deatur Lambinus.

voluntatem, ſpemque reliquæ vitæ veſtra, populique R. exiſtimatio comprobet, ut ego, quos adhuc mihi magiſtratus populus Romanus mandavit, ſic eos accepi, ut me omnium *officiorum obſtringi religione* arbitrarer. Ita quæſtor ſum factus, ut mihi honorem illum tum non ſolùm datum, ſed etiam creditum, ac commiſſum putarem. ſic obtinui quæſturam in provincia, ut omnium oculos in me unum conjectos arbitrarer: ut me, quæſturamque meam, *quaſi in aliquo orbis terræ theatro verſari exiſtimarem:* ut omnia ſemper, quæ jucunda videntur eſſe, non modò his extraordinariis cupiditatibus, ſed etiam ipſi naturæ, ac neceſſitati *denegarem.* Nunc ſum deſignatus ædilis: habeo rationem, quid à populo Rom. acceperim: mihi ludos ſanctiſſimos maxima cum cæremonia Cereri, Libero, Liberæque faciundos: mihi Floram matrem populo, plebique R. ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquiſſimos, qui primi Romani ſunt nominati, maxima cum dignitate, ac religione Jovi, Junoni, Minervæque eſſe faciundos: mihi ſacrarum ædium procurationem, mihi *totam urbem tuendam eſſe commiſſam:* ob earum rerum laborem, & ſollicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in ſenatu ſententiæ dicendæ locum, togam prætextam, ſellam curulem, [1] jus imaginis ad memoriam, poſteritatemque prodendam. Ex his ego rebus omnibus, judices, ita mihi deos omneis propitios eſſe velim, ut, tametſi mihi jucundiſſimus eſt honos populi, tamen NEQUAQUAM TANTUM capio voluptatis, quantum ſollicitudinis, & laboris, ut hæc ipſa ædilitas, non quia neceſſe fuerit, alicui candidato data, ſed quia ſic oportuerit, rectè collocata, & [2] judicio populi in loco
15 poſita eſſe videatur. Tu cùm eſſes prætor renuntiatus quoquo modo (mitto enim, & prætereo, quid tum ſit actum) ſed cùm eſſes renuntiatus, ut dixi, non ipſa præconis voce excitatus es, qui te TOTIES SENIORUM, JUNIORUMQUE CENTURIIS ILLO HONORE AFFICI pronuntiavit, ut hoc putares; aliquam reip. partem tibi creditam? annum tibi illum unum domo carendum eſſe meretricis? Cùm tibi ſorte obtigiſſet, ut jus diceres: quantum negotii, QUID ONERIS HABERES, NUMQUAM COGITASTI: neque illud rationis habuiſti, ſi fortè expergefacere te poſſes, eam provinciam, quam tueri ſingulari ſapientia, atque integritate difficile eſſet, [3] ad ſummam ſtultitiam, nequitiamque veniſſe. Itaque non modò domo tua Chelidonem in prætura extrudere noluiſti, ſed in Chelidonis domum præturam tuam totam detuliſti. Secuta provincia eſt: in qua tibi numquam venit in mentem, NON TIBI IDCIRCO FASCEIS, ET SECUREIS, & tantam imperii vim, tantamque ornamentorum omnium dignitatem datam, ut earum rerum vi, & auctoritate omnia repagula juris, pudoris, & officii perfringeres: ut omnium bona, prædam tuam duceres: nullius res tuta, nullius domus clauſa, nullius vita ſepta, nullius pudicitia munita contra tuam *cupiditatem*, & *audaciam* poſſet eſſe. in qua tu te ita geſſiſti, ut, cùm omnibus teneare rebus, ad bellum fugitivorum confugias: ex quo jam intelligis, non modò tibi nullam defenſionem, ſed maximam vim criminum exortam. niſi fortè Italici belli fugitivorum reliquias, atque illud Temſanum incommodum proferes. ad quod recens cum te peropportunè *fortuna obtuliſſet*; ſi quid in te virtutis, atque induſtriæ fuiſſet: idem, qui ſemper fueras,
16 inventus es. Cùm ad te Valentini veniſſent, & pro his homo diſertus, & nobilis, M. Marius, loqueretur, ut negotium ſuſciperes, ut, cùm penes te prætorium imperium, ac nomen eſſet; ad illam parvam manum exſtinguendam, ducem te, principemque præberes: non modò id refugiſti, ſed eo ipſo tempore, cùm eſſes in litore, Tertia illa tua, quam tecum deportabas, erat in omnium conſpectu. ipſis autem Valentinis ex tam illuſtri, nobilique municipio, tantis de rebus *reſponſum nullum* dediſti, cùm eſſes cum tunica pulla, & pallio. Quid hunc proficiſcentem, quid in ipſa provincia feciſſe exiſtimatis, qui cum jam ex provincia, non ad triumphum, ſed ad judicium decederet, ne illam quidem infamiam fugerit, quam *ſine ulla voluptate* capiebat? O divina ſenatus frequentis in æde Bellonæ admurmuratio! Memoria tenetis, judices, cùm adveſperaſceret, & paullo antè eſſet de hoc Temſano incommodo nuntiatum, cùm inveniretur nemo, qui in illa loca cum imperio mitteretur, dixiſſe quendam; Verrem eſſe non longè à Temſa: quàm valde univerſi admurmurarint, quàm palàm principes contrà dixerint. Et is tot criminibus, teſtimoniiſque convictus, in eorum tabellis ſpem ſibi aliquam ponit, quorum omnium palàm, *cauſa incognita*, voce damna-
tus eſt? Eſto: nihil ex fugitivorum bello, aut ſuſpicione 17
belli laudis adeptus eſt, quòd neque bellum ejuſmodi, neque belli periculum fuit in Sicilia, neque ab iſto proviſum eſt, ne quod eſſet. at verò contra bellum prædonum claſſem habuit ornatam, diligentiamque adhibuit in eo ſingularem. itaque, iſto prætore, præclarè defenſa provincia eſt. Sic de bello prædonum, ſic de claſſe Sicilienſi, judices, dicam, ut hoc jam antè confirmem, in hoc uno genere omneis ineſſe culpas iſtius maximas, avaritiæ, majeſtatis, dementiæ, libidinis, crudelitatis. Hæc dum breviter expono, quæſo, ut feciſtis adhuc, diligenter attendite. Rem navalem primùm ita dico eſſe adminiſtratam, non uti provincia defenderetur, ſed ut *claſſis nomine* pecunia quæreretur. Superiorum prætorum conſuetudo cum hæc fuiſſet, ut naves civitatibus certuſque numerus nautarum, militumque imperaretur, maximæ, & locupletiſſimæ civitati Mamertinæ nihil horum imperaviſti. ob quam rem quid tibi Mamertini clàm dederint pecuniæ, poſt videbitur: ex ipſorum litteris, & teſtibus quæremus. navem verò Cybeam maximam, triremis inſtar, pulcherrimam, atque ornatiſſimam, palàm ædificatam ſumtu publico, ſciente Sicilia, per magiſtratum, ſenatumque Mamertinum tibi datam, donatamque eſſe dico. hæc navis onuſta præda Sicilienſi, cum ipſa quoque eſſet ex præda, ſimul *cùm iſte decederet*, appulſa Veliam eſt, cum plurimis rebus, & iis, quas ante Romam mittere cùm ceteris furtis noluit, quòd erant cariſſimæ, maximeque eum delectabant. Eam navem nuper egomet vidi Veliæ, multique alii viderunt, pulcherrimam, atque ornatiſſimam, judices. quæ quidem omnibus, qui eam adſpexerant, proſpectare jam exſilium, atque explorare fugam
domini videbatur. Quid mihi hoc loco reſpondebis? niſi 18
fortè id, quod tametſi probari nullo modo poteſt, tamen dici quidem in judicio de pecuniis repetundis neceſſe eſt, [4] *de tua pecunia* conſtare ædificatam eſſe eam navim. Aude hoc ſaltem dicere, quod neceſſe eſt. noli metuere, Hortenſi, ne quæram, qui licuerit ædificare navem ſenatori. antiquæ ſunt iſtæ leges, & *mortuæ*, quemadmodum tu ſoles dicere, quæ vetant. [5] Fuit iſta reſpublica quondam, fuit iſta ſeveritas in judiciis, ut iſtam rem accuſator in magnis criminibus objiciendam putaret. [6] Quid enim tibi nave opus fuit? qui ſiquò publicè proficiſcereris, & præſidii, & vecturæ cauſa, ſumtu publico navigia præberentur: privatim autem nec proficiſci quoquam potes, nec arceſſere res tranſmarinas ex iis locis, in quibus tibi *habere, mercari nihil* licet.

---

1. *Jus imaginis ad memoriam, &c.*] Haud aliter Nonius Marcellus. prius editi, *jus imagines ad &c.*

2. *Judicio populi, in loco poſita eſſe videatur.*] Vulgata, *judicio populi digno in loco.* ſed induxi illud *digno*, nuſquam in edd. veteribus aut membranis ſcriptum.

3. *Ad ſummam ſtultitiam.*] Verris ſcilicet. hoc pono, quia Hotomano locus putatus defectuoſus.

4. *De tua pecunia conſtare ædific.*] Lamb. adnotat vocem *conſtare*, abeſſe omnibus libris vett. neſcio. Cujac. non habet. exſtat tamen in Pall. & olim edd. Guilelm. etiam delevit. ego nic teneo adhuc.

5. *Fuit iſta reſpublica quondam &c.*] Iſtud malui, quàm vulgatum, *reprehenſio quondam*, nuper admodum natum. quippe temporius cum *reſponſio*; quod & in Pall. noſtris, etiam minus abſurdum. Lambinus monuit in Memmianis fuiſſe *reſp. rentio.* unde format Gulielmius, *res præmio.* mea ſcriptura confirmatur illo infra: *Valeret hoc crimen in illa veteri ſeveritate ac dignitate reip.*

6. *Quid enim tibi nave opus fuit?*] Cujacianus brevius: *Quid enim tibi navim?* & profectò ferè perplacet.

1. *Poſtremo*

licet. Deinde cur quidquam contra leges paraſti? Valeret hoc crimen in illa veteri ſeveritate, ac dignitate reipubl. Nunc non modò te hoc crimine non arguo: ſed ne illa quidem communi vituperatione reprehendo. [1] POSTREMO TU TIBI hoc numquam turpe, numquam criminoſum, numquam invidioſum fore putaſti, celeberrimo loco palàm tibi ædificari onerariam navem in ea provincia, quam tu cum imperio obtinebas? Quid eos *loqui*, qui videbant: quid exiſtimare eos, qui *audiebant*, arbitrabare? inanem te navem eſſe in Italiam deducturum? navicularium te, cum Romam veniſſes, eſſe facturum? Ne illud quidem quiſquam poterat ſuſpicari, te habere in Italia maritimum fundum, & ad fructus deportandos onerariam navem comparare? Ejuſmodi de te voluiſti ſermonem eſſe omnium, palam ut loquerentur, *te illam navem parare*, quæ prædam ex Sicilia deportaret: & quæ ad ea furta, quæ reliquiſſes, commearet? Verùm hæc omnia, ſi doces, navem de tua pecunia ædificatam, remitto, atque concedo. ſed hoc, homo amentiſſime, non intelligis priore actione ab ipſis iſtis tuis Mamertinis laudatoribus eſſe ſublatum? Nam dixit Hejus, princeps civitatis, princeps iſtius legationis, quæ ad tuam laudationem miſſa eſt, NAVEM TIBI OPERIS publicis Mamertinorum eſſe ædificatam, eique faciendæ ſenatorem Mamertinum publicè præfuiſſe. Reliqua eſt materies. hanc Rheginis, ut ipſi dicunt (tametſi tu negare non potes) publicè, quod Mamertini materiem non habent, imperaviſti.
19 Si & ex quo fit navis, & qui faciunt, *imperio* tibi tuo, non *pretio*, præſtò fuerunt; ubi tandem iſtuc latet, quod tu de tua pecunia dicis impenſum? At Mamertini in tabulis nihil habent. Primum video potuiſſe fieri, ut ex ærario *nihil* darent. etenim vel Capitolium, ſicut apud majores noſtros factum eſt, publicè, gratis, coactis fabris, operiſque imperatis, exædificari, atque effici potuit. deinde id quod perſpicio (quod & oſtendam, cùm iſtos produxero) ipſorum ex litteris, multas pecunias iſti erogatas, in operum locationes *falſas, atque inaneis* eſſe perſcriptas. Nam illud minimè mirum eſt, Mamertinos, à quo ſummum beneficium acceperant, quem ſibi amiciorem, quàm populo Rom. eſſe cognoverant, *ejus capiti* litteris ſuis peperciſſe. ſed ſi argumento eſt, Mamertinos pecunias tibi non dediſſe, quia ſcriptum non habent: ſit argumento, tibi gratis conſtare navem, quia, quid emeris, aut quid locaveris ſcriptum proferre non potes. At enim idcircò navem Mamertinis non imperaſti, quòd ſunt fœderati. Dii approbent. habemus hominem in *fetialium manibus educatum*: unum, præter ceteros, in publicis religionibus fœderum ſanctum & diligentem. omnes, qui ante te prætores fuerunt, dedantur Mamertinis, quòd iis navem contra pactionem fœderis imperarint. Sed tamen, tu ſancte homo, ac religioſe, cur Taurominitanis item fœderatis navem imperaſti? an hoc probabis, in *æqua cauſa populorum* ſine pretio varium jus, & diſparem conditionem fuiſſe? Quid, ſi ejuſmodi eſſe hæc duo fœdera duorum populorum, judices, doceo, ut Taurominitanis nominatim cautum, & exceptum ſit fœdere, NE NAVEM DARE DEBEANT: Mamertinis in ipſo fœdere ſanctum, atque perſcriptum ſit, UTI NAVEM DARE NECESSE SIT: iſtum autem contra fœdus & Taurominitanis imperaſſe, & Mamertinis remiſiſſe? num cui dubium poterit eſſe, quin, Verre prætore, plus Mamertinis Cybea, quam Taurominitanis fœdus opitulatum ſit? Recitentur fœdera. MAMERTINORUM, ET TAUROMINITANORUM
20 CUM POPULO R. FOEDERA. Iſto igitur tuo, quemadmodum ipſe prædicas, beneficio: ut res indicat, pretio, atque mercede, minuiſti majeſtatem reipubl. minuiſti auxilia populi Romani, minuiſti copias, majorum virtute ac ſapientia comparatas: ſuſtuliſti jus imperii, conditionem ſociorum, memoriam fœderis. Qui ex fœdere ipſo navem vel uſque ad Oceanum, ſi imperaſſemus, ſumtu, periculoque ſuo armatam, atque ornatam mittere debuerunt: hi, ne in freto ante ſua tecta, & domos navigarent: ne ſua mœnia, portuſque defenderent, *pretio* abs te jus fœderis, & imperii conditionem emerunt. Quid cenſetis in hoc fœdere faciundo voluiſſe Mamertinos impendere laboris, operæ, pecuniæ, ne hæc biremis adſcriberetur, ſi id ullo modo poſſent à noſtris majoribus impetrare? nam, cùm hoc munus imperaretur tam grave civitati, inerat neſcio quo modo in illo fœdere ſocietatis quaſi quædam *nota ſervitutis*. Quod tum recentibus ſuis officiis, integra re, nullis populi Romani difficultatibus, à majoribus noſtris fœdere aſſequi non potuerunt, id nunc nullo novo officio ſuo, tot annis pòſt, jure imperii noſtri quotannis *uſurpatum*, ac ſemper retentum, ſumma in difficultate navium, à C. Verre pretio aſſecuti ſunt. At hoc ſolùm ſunt aſſecuti, ne navem darent. Ecquem nautam, ecquem militem, qui aut in claſſe, aut in præſidio eſſet, te prætore, per triennium Mamertini dederunt? Denique cùm ex ſenatuſconſulto, itemque ex lege 21
Terentia, & Caſſia frumentum *æquabiliter emi* ab omnibus Siciliæ civitatibus oporteret: id quoque munus leve, atque commune Mamertinis remiſiſti. Dices, frumentum Mamertinos non debere. Quomodo non debere? an, ut ne venderent? non enim erat hoc genus frumenti ex eo genere, quod exigeretur, ſed ex eo, quod emeretur. Te igitur auctore, & interprete, ne foro quidem, & commeatu Mamertini populum Rom. juvare debuerunt. Quæ tandem civitas fuit, quæ deberet? Qui publicos agros arant, certum eſt quid ex lege cenſoria dare debeant. cur iis quidquam præterea *ex alio genere* imperaviſti? Quid? decumani numquid præter ſingulas decumas ex lege Hieronica debent? cur iis quoque ſtatuiſti, quantum ex hoc genere frumenti emti darent? Qui ſunt *immunes*, ii certè nihil debent. at his non modò imperaſti: verum etiam, quo plus darent, quàm poterant, hæc ſexagena millia modiûm, quæ Mamertinis remiſeras, addidiſti. Neque hoc dico: ceteris non rectè imperatum eſſe. Mamertinis, qui erant in eadem cauſa, quibus ſuperiores, omnes prætores item ut ceteris imperarant, pecuniamque ex S. C. & ex lege diſſolverant, his dico non rectè remiſſum. Et, ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, *trabali clavo* figeret, cum conſilio cauſam Mamertinorum cognoſcit, & de conſilii ſententia Mamertinis ſe frumentum non imperare pronuntiat. Audite decretum mercenarii prætoris ex ipſius commentario: & cognoſcite, quanta in ſcribendo gravitas, quanta in conſtituendo jure ſit auctoritas. Recita commentarium. DECRETUM EX COMMENTARIO. *Libenter* ait ſe facere: itaque perſcribit. Quid, ſi hoc verbo non eſſes uſus, Libenter? non videlicet invitum te quæſtum facere putaremus? *ac de conſilii ſententia*. præclarum recitari conſilium, judices, audiſtis. utrùm vobis conſilium recitari tandem prætoris videbatur, cùm audiebatis nomina, an prædonis improbiſſimi ſocietas, atque comitatus? En fœderum interpretes, ſocietatis pactores, religionis auctores. numquam in Sicilia frumentum publicè eſt emtum, quin Mamertinis *pro portione* imperaretur, antè quàm hoc delectum, præclarumque conſilium iſte dedit, ut ab his nummos acciperet, ac ſui ſimilis eſſet. Itaque tantum valuit iſtius decreti auctoritas, quantum debuit ejus hominis, qui, à quibus frumentum emere debuiſſet, iis decretum vendidiſſet. Nam ſtatim L. Metellus, ut iſti ſucceſſit, ex C. Sacerdotis, & Sex. Peducæi inſtituto, ac litteris, frumentum Mamertinis imperavit. Tum illi intellexerunt, ſe id, quòd à malo auctore emiſſent, diutius obtinere non poſſe. Age porrò, tu, qui 22
te tam religioſum exiſtimari voluiſti interpretem fœderum, cur Taurominitanis frumentum, cur Netinis imperaſti? quarum civitatum utraque *fœderata* eſt. Ac Netini quidem

1. *Poſtremo tu tibi hoc numquam turpe.*] Pall. duobus non adeſt, *numquam turpe*, rejecitque etiam editio Victorii. extat tamen in prioribus cuſis, ſed ii non agnoſcunt, *Poſtremo*, neque habet Cujacianus. & ſanè aut ejici debet, aut potius addi ſententiæ prioris fini: *reprehendo poſtremo; Tu tibi*, &c.

quidem ſibi non defuerunt. nam ſimul ac pronuntiaſti, *li-
benter* te Mamertinis quiddam remittere: te adierunt, &
eandem ſuam cauſam fœderis eſſe docuerunt. tu aliter de-
cernere in eadem cauſa non potuiſti. Pronuntias, *Netinos*
frumentum dare non oportere: & ab his tamen exigis. Ce-
dò mihi ejuſdem prætoris litteras & rerum decretarum,
[1] & frumenti imperati, & tritici emti. LITTERÆ PRÆTO-
RIS RERUM DECRETARUM, FRUMENTI IMPERATI, ET
FRUMENTI EMTI. Quid potius in hac tanta, ac tam turpi
inconſtantia ſuſpicari poſſumus, judices, quàm id, quod
neceſſe eſt, aut iſti à Netinis pecuniam, cum poſceret, non
datam: aut id eſſe actum, ut intelligerent Mamertini, bene
ſe apud iſtum tam multa pretia, ac munera *collocaſſe*, cùm
idem alii juris ex eadem cauſa non obtinerent? Hic mihi
etiam audebit mentionem facere Mamertinæ laudationis?
in qua quàm multa ſint vulnera, quis eſt veſtrûm, judices,
quin intelligat? [2] Primùm, in judiciis, qui decem lauda-
tores dare non poteſt, honeſtius eſt ei *nullum dare*, quàm
illum quaſi legitimum numerum conſuetudinis non ex-
plere. tot in Sicilia civitates ſunt, quibus tu per triennium
præfuiſti: arguunt ceteræ: paucæ, & parvæ, metu repreſ-
ſæ, ſilent: una laudat. Hoc quid eſt, niſi intelligere, quid
habeat utilitatis *vera laudatio*; [3] ſed tamen ita provinciæ
præfuiſſe, ut hac utilitate neceſſariò ſit carendum? Dein-
de, id quod alio loco antè dixi, quæ eſt iſta tandem lauda-
tio, cujus laudationis legati principes & publicè tibi navem
ædificatam, & privatim ſe ipſos abs te ſpoliatos, expilatoſ-
que eſſe dixerunt? Poſtremò quid aliud iſti faciunt, cùm
te ſoli ex Sicilia laudant, niſi teſtimonio nobis ſunt, te *om-
nia ſibi eſſe largitum*, quæ tu de repub. noſtra detraxeris?
Quæ colonia eſt in Italia tam bono jure, quod tam immune
municipium, quod per hoſce annos tam commoda vaca-
tione ſit uſum omnium rerum, quàm Mamertina civitas per
triennium? ſoli, ex fœdere quod debuerunt, non dede-
runt: ſoli, iſto prætore, omnium rerum immunes fue-
runt: ſoli in iſtius imperio [4] ea conditione vitæ fuerunt, ut
23 populo Rom. nihil darent, Verri *nihil denegarent*. Verùm,
ut ad claſſem, quo ex loco ſum digreſſus, revertar: acce-
piſti à Mamertinis navem contra legem: remiſiſti contra
fœdera. ita in una civitate bis improbus fuiſti: cùm & re-
miſiſti, quod non oportebat: & accepiſti, quod non lice-
bat. Exigere te oportuit navem, quæ contra prædones, non
quæ cum præda navigaret: quæ defenderet, ne provincia
ſpoliaretur; non quæ nova provinciæ ſpolia portaret. Ma-
mertini tibi & urbem, [5] quò furta undique portares, & na-
vem, qua exportares, præbuerunt. illud tibi oppidum, *re-
ceptaculum prædæ* fuit: illi homines, teſtes, cuſtodeſque
furtorum: illi tibi & locum furtis, & furtorum vehiculum
comparaverunt. Itaque ne tum quidem, cùm claſſem ava-
ritia, ac nequitia tua perdidiſti, navem Mamertinis impe-
raſſe auſus es: quo tempore in tanta inopia navium, tanta-
que calamitate provinciæ, etiam ſi *precariò* eſſent rogandi,
tamen ab his impetraretur. reprimebat enim tibi & impe-
randi vim, & rogandi conatum præclara illa, non populo
Romano reddita biremis, ſed prætori donata Cybéa. ea fuit
merces imperii, auxilii, juris, conſuetudinis, fœderis. Ha-
betis unius civitatis firmum auxilium amiſſum, ac vendi-
tum pretio. cognoſcite nunc novam prædandi rationem,
ab hoc primum excogitatam. Sumtum omnem in claſſem, 24
frumento, ſtipendio, ceteriſque rebus navarcho ſuo quæ-
que civitas ſemper dare ſolebat. is neque ut accuſaretur *à
nautis*, committere audebat, & civibus ſuis *rationem referre*
debebat. in illo omni negotio, non modò labore, ſed etiam
periculo ſuo verſabatur. Erat hoc, ut dico, factitatum ſem-
per, nec ſolùm in Sicilia, ſed in omnibus provinciis; etiam
in ſociorum, & Latinorum ſtipendio, ac ſumtu; tùm cum
illorum auxiliis uti ſolebamus. Verres poſt imperium con-
ſtitutum primus imperavit, ut ea pecunia omnis à civitati-
bus *ſibi adnumeraretur*, ut is pecuniam tractaret, quem ipſe
præfeciſſet. cui poteſt eſſe dubium, quamobrem & omnium
conſuetudinem veterem primus immutaris, & tantam uti-
litatem per alios tractandæ pecuniæ neglexeris, & tantam
difficultatem cum crimine, moleſtiam cum ſuſpicione ſuſce-
peris? Deinde alii quæſtus inſtituuntur, ex uno genere na-
vali, videte quàm multi. accipere à civitatibus pecunias,
*ne nautas darent: pretio certo miſſos facere nautas: miſſorum
omne ſtipendium lucrari: reliquis, quod deberet, non dare.* Hæc
omnia ex civitatum teſtimoniis cognoſcite. Recita teſti-
monia civitatum. TESTIMONIA CIVITATUM. Hunccine 25
hominem? hanccine impudentiam, judices? hanccine au-
daciam? civitatibus pro numero militum pecuniarum ſum-
mas deſcribere? [6] certum pretium, ſexcentenos nummos,
nautarum miſſioni conſtituere? quos qui dederat, com-
meatum totius æſtatis abſtulerat: iſte, [7] quod & nautæ no-
mine, pro ſtipendio, frumentoque acceperat, lucrabatur.
itaque *quæſtus duplex* unius miſſione fiebat. Atque hæc ho-
mo amentiſſimus in tanto prædonum impetu, tantoque *pe-
riculo provinciæ*, ſic palàm faciebat, ut & ipſi prædones ſci-
rent, & tota provincia teſtis eſſet. Cùm propter iſtius hanc
tantam avaritiam, nomine claſſis eſſet in Sicilia, re quidem
vera naves inanes, quæ prædam prætori, non quæ prædo-
nibus metum afferrent: tamen, cùm P. Cæſetius, & P. Ta-
dius decem navibus his ſemiplenis navigarent, navem
quandam piratarum præda refertam, non *ceperunt*, ſed *ab-
duxerunt*, onere ſuo planè captam, atque depreſſam. erat
ea navis plena juventutis formoſiſſimæ, plena argenti facti,
atque ſignati, multa cum ſtragula veſte. Hæc una navis à
claſſe noſtra non capta eſt, ſed inventa ad Megaridem: qui
locus eſt non longè à Syracuſis. quod ubi iſti nuntiatum eſt;
[8] tametſi in acta cum mulierculis jacebat ebrius, erexit ſe
tamen, & ſtatim quæſtori, legatoque ſuo cuſtodes miſit
complureis, ut omnia ſibi integra quàm primùm exhibe-
rentur. Appellitur navis Syracuſas: exſpectatur ab omni-
bus: [9] ſupplicium ſumi de captivis putatur. iſte, quaſi præ-
da ſibi advecta, non prædonibus captis: ſiqui ſenes, aut de-
formes erant, eos *in hoſtium numero* ducit: qui aliquid for-
mæ, ætatis, artificiique habebant, abducit omneis, non-
nullos ſcribis ſuis, filio, cohortique diſtribuit: ſympho-
niacos ſex cuidam amico ſuo Romam muneri miſit. nox
illa tota exinaniunda navi conſumitur. Archipiratam ipſum
videt

---

1. *Et frumenti imperati, & tritici empti.*] Vulgati olim & *fr. imp. & rerum decretarum tritici empti:* neque aliter Pal. pr. ſed is punctis ſubduxit, illud, *& rer. decr.* priore loco poſitum. at ſec. ſolummodo habet, *literas & rerum decretarum tritici empti*, omiſſo altero membro, quod veroſimile eſt factum negligentia librarii ob ſimilitudinem vocum. Ceterum ea, quæ poſtea in noſtris libris ſequuntur LITERÆ PRÆTORIS, &c. non habentur in ullis mſſ.

2. *Primum, in judiciis.*] Ita P. Manutius; alii, *primùm ut in judiciis.*

3. *Sed tamen ita provinciæ præfuiſſe, &c.*] Obſecutus ſum Cujaciano, quod aſſeveraret Lambinus ſic legi in omnibus libris ſuis: qui tamen male retinet *tibi*. vulgata ſatis frigidè; *laudatio? ſed tamen ita Verres prov. præfuiſti, ut hac util. neceſſ. tibi ſit carendum.*

4. *Ea conditione vitæ fuerunt.*] Cujacii lib. *vixerunt*. forſan *illud vitæ* eſt à gloſſa. indeque natum illud alterum, tanquam interpretamentum *fuerunt*.

5. *Quo furta undique portares.*] Idem codex, *deportares*, quo ipſo opponeretur magis illi *exportares*, quod ſequitur.

6. *Certum pretium, ſexcentenos nummos.*] Ita P. Manutius de conjectura Hotomani, quam modo firmat codex Cujac. in quo præterea *ſeſcenos*. non malè. prius editi: *certo pretio ſexcentos*.

7. *Quod & nautæ nomine.*] Dictiuncula *&*, non eſt Cujac. Lambin. in ſcriptis ſuis invenit, *quod ejus nautæ nomine*, qui videlicet ſexcentos nummos dederat, ut interpretatur Gulielmius.

8. *Tametſi in acta.*] Non auſus ſum abire a libris Lambini; utique cum eis reſponderet Cujacianus. vulgata *tametſi noctu*. illepide, meo quidem judicio.

9. *Supplicium ſumi de captivis putatur.*] Opinio hæc Syracuſanorum erat cum moras duceret Verres in ſuo luco, punire ipſum captivos ultimo ſupplicio, &c. forſan tamen planior exiret ſenſus, ſi diſtingueremus: *Appellitur navis: Syracuſas exſpectatur ab omnibus: ſupplicium, &c.* quomodo eſt in Pal. ſec.

videt nemo, de quo ſupplicium ſumi oportuit. hodieque omnes [1] ſic habent perſuaſum (quid ejus ſit, vos conjectura quoque aſſequi debetis) iſtum clàm à piratis ob hunc 26 archipiratam pecuniam accepiſſe. Conjectura bona eſt. JUDEX ESSE bonus nemo poteſt, qui ſuſpicione certa non movetur. hominem noſtis: conſuetudinemque omnium tenetis: qui *ducem prædonum*, aut hoſtium ceperit, quàm libenter eum palam ante oculos omnium eſſe patiatur. Hominem in tanto conventu Syracuſis vidi neminem, judices, qui archipiratam captum vidiſſe ſe diceret; cùm omnes, ut mos eſt, ut ſolet fieri, *concurrerent*, *quærerent*, *videre cuperent*. Quid accidit, cur tantopere iſte homo occultaretur, ut eum ne caſu quidem quiſquam adſpicere poſſet? [2] Homines maritimi Syracuſis, qui ſæpe iſtius ducis nomen audiſſent, cùm eum ſæpe timuiſſent, cùm ejus cruciatu, atque *ſupplicio paſcere oculos*, animumque exſaturare vellent: poteſtas adſpiciendi nemini facta eſt. Unus plureis prædonum duces vivos cepit P. Servilius, quàm omneis antea. Ecquando igitur iſto fructu quiſquam caruit, ut videre piratam captum non liceret? At contrà, quacumque iter fecit, hoc jucundiſſimum *ſpectaculum* omnibus vinctorum, captorumque hoſtium præbebat. Itaque ei concurſus undique fiebant, ut non modò ex his oppidis, quà ducebantur, ſed etiam ex finitimis, viſendi cauſa, convenirent. Ipſe autem triumphus quamobrem omnium triumphorum gratiſſimus populo Rom. fuit, atque jucundiſſimus? quia *nihil eſt victoria dulcius*. nullum eſt autem teſtimonium victoriæ certius, quàm quos ſæpe metueris, eos te vinctos ad ſupplicium duci videre. Hoc tu quamobrem non feciſti? quamobrem ita iſte pirata celatus eſt, quaſi eum adſpicere nefas eſſet? quamobrem ſupplicium non ſumſiſti? quam ob cauſam hominem reſervaſti? ecquem audiſti in Sicilia antea captum archipiratam, qui non ſecuri percuſſus ſit? unum cedò auctorem tui facti: *unius profer exemplum*. Vivum tu archipiratam ſervabas, quem per triumphum, credo, quem ante currum tuum duceres. Neque enim quidquam erat jam reliquum, niſi ut, claſſe populi Rom. pulcherrima amiſſa, provinciaque lacerata, triumphus navalis 27 tibi decerneretur. Age porrò, cuſtodiri ducem prædonum *novo more*, quàm ſecuri feriri omnium exemplo magis placuit. quæ ſunt iſtæ cuſtodiæ? apud quos homines? quemadmodum eſt aſſervatus? *lautumias* Syracuſanas omnes audiſtis: plerique noſtis. opus eſt ingens, magnificum, regum, ac tyrannorum. totum eſt ex ſaxo in mirandam altitudinem depreſſo, & multorum operis penitus exciſo. nihil tam clauſum ad exitus, nihil tam ſæptum undique, nihil tam tutum ad cuſtodias, nec fieri, nec cogitari poteſt. In has lautumias, ſi qui publicè cuſtodiendi ſunt, etiam ex ceteris oppidis Siciliæ deduci imperantur. Eò quòd multos captivos civeis Romanos conjecerat, & quòd eodem ceteros piratas contrudi imperarat: intellexit, ſi hunc ſubditițium archipiratam in eandem cuſtodiam dediſſet, fore, ut à multis, illis in lautumiis verus ille dux quæreretur. Itaque hominem huic optimæ, tutiſſimæque cuſtodiæ non audet committere. denique Syracuſas totas timet: amandat hominem. quò? Lilybæum fortaſſe. Video: tamen homines maritimos non planè reformidat. Minimè, judices. Panormum igitur? Audio: quamquam Syracuſis, quoniam *in Syracuſano captus* erat, maxime, ſi minus ſupplicio affici, at cuſtodiri oportebat. Ne Panormum quidem. Quid igitur? quò putatis? Ad homines à piratarum metu, & ſuſpicione alieniſſimos: à navigando, rebuſque maritimis remotiſſimos, ad Centuripinos, homines maximè mediterraneos, ſummos aratores: qui nomen numquam timuiſſent maritimi prædonis: unum, te prætore, horruiſſent Apronium, *terreſtrem archipiratam*. Et, ut quivis facilè perſpiceret, id ab iſto actum eſſe, ut ille ſuppoſitus, facilè, & libenter ſe illum, qui non erat, eſſe ſimularet: imperat Centuripinis, ut is victu, ceteriſque rebus quàm liberaliſſimè, commodiſſimeque habeatur. Interea Syracu- 28 ſani, homines periti & humani, qui non modò ea, quæ perſpicua eſſent, videre, verùm etiam *occulta ſuſpicari* poſſent; habebant rationem omnes quotidie piratarum, qui ſecuri ferirentur: quàm multos eſſe oporteret, ex ipſo navigio, [3] quod erat factum ſex remorum numero, conjiciebant. Iſte, quòd omneis, qui artificii aliquid habuerant, aut formæ, removerat, atque abduxerat, reliquos ſi, ut conſuetudo eſt, univerſos ad palum alligaſſet, clamorem populi fore ſuſpicabatur, [4] cum tanto plures abducti eſſent, quàm relicti. propter hanc cauſam cùm inſtituiſſet alios alio tempore producere: tamen in tanto conventu nemo erat, quin rationem, *numerumque* haberet, & reliquos non deſideraret ſolum, ſed etiam poſceret, & flagitaret. Cum maximus numerus deeſſet, tum iſte homo nefarius in eorum locum, quos domum ſuam de piratis abduxerat, ſubſtituere, & ſupponere cœpit *civeis Romanos*, quos in carcerem antea conjecerat: quorum alios, Sertorianos milites fuiſſe inſimulabat, & ex Hiſpania fugienteis ad Siciliam appulſos eſſe dicebat: alios, qui à prædonibus erant capti, cum mercaturas facerent, [5] aut aliquam ob cauſam navigarent, ſua voluntate *cum piratis fuiſſe* arguebat. Itaque alii cives Romani ne cognoſcerentur, capitibus obvolutis è carcere ad palum, atque ad necem rapiebantur: alii cùm à multis civibus Roman. recognoſcerentur, ab omnibus defenderentur, ſecuri feriebantur. Quorum ego de acerbiſſima morte, crudeliſſimóque cruciatu dicam, cùm eum locum tractare cœpero: & ita dicam, ut, ſi me in ea querimonia, quam ſum habiturus de iſtius crudelitate, & de civium Rom. indigniſſima morte, non modò vires, verùm etiam vita deficiat, id mihi præclarum, & jucundum putem. Hæc igitur eſt geſta res, hæc *victoria* præclara: myoparone piratico capto, dux liberatus, ſymphoniaci Romam miſſi: formoſi homines, & adoleſcentes, & artifices domum abducti: in eorum locum, & ad eorum numerum cives R. hoſtilem in modum cruciati, & necati: omnis veſtis ablata: omne aurum, & argentum, ablatum, & averſum. At 29 quemadmodum ipſe ſeſe induit priore actione? qui tot dies tacuiſſet, repentè in M. Annii, hominis ſplendidiſſimi, teſtimonio, [6] cùm is civeis Rom. dixiſſet, & archipiratam negaſſet ſecuri eſſe percuſſum, exſiluit, *conſcientia ſceleris*, & furore ex maleficiis concepto excitatus: dixit, ſe, quòd ſciret ſibi crimini datum iri, pecuniam accepiſſe, neque de vero archiparata ſumſiſſe ſupplicium, ideò ſecuri non percuſſiſſe: domi eſſe apud ſeſe archipiratas dixit duos. O clementiam populi Romani ſeu potius patientiam miram, ac ſingularem! Civem Rom. ſecuri eſſe percuſſum Annius, eques Rom. dicit: taces. archipiratam negat: fateris. fit in eo gemitus omnium, & clamor, cùm tamen à præſenti ſupplicio tuo ſe continuit populus Rom. & repreſſit, & ſalutis tuæ rationem judicum ſeveritati reſervavit. Quî ſciebas tibi crimini datum iri? quamobrem ſciebas? quamobrem etiam ſuſpicabare? inimicum habebas neminem. ſi haberes; tamen non ita vixeras, ut *metum judicii* propoſitum habere deberes. An te, id quod fieri ſolet, conſcientia timidum, ſuſpicioſumque faciebat? Quî igitur, cùm eſſes cum imperio, jam tum judicium, & crimen horrebas: reus cùm

1. *Sic habent perſuaſum, &c.*] Accedit Gulielmius. Lamb. qui non exhibent illud *perſuaſum*. vultque *habere*, eſſe putare, exiſtimare.

2. *Homines maritimi Syracuſis, &c.*] In Pall. & olim impreſſis inveni, *Homines Mamertini Syracuſis*. & profectò videtur veroſimile, ſi non verum.

3. *Quod erat factum ſex remorum numero.*] Vix me abſtineo ab Cujaciani cod. ſcriptura, quam admiſit Lambinus, *quod erat captum, & ex remorum numero*; licet eadem ſententia reſultet ex vulgata.

4. *Cum tanto plures abducti eſſent, &c.*] Fulviani libri lectionem ſequitur Gulielmius, *cum altero tanto plures*.

5. *Aut aliquam aliam ob cauſam.*] Eſt à veteri libro Hotomani. Vox enim *aliam* prius deerat.

6. *Cùm is civeis Romanos.*] Liber Cujac. *civem Rom.* quod ſe tuetur illo infra mox, *civem Rom. ſecuri eſſe percuſſum*.

cùm tot teſtibus coargüare, potes de damnatione dubitare? Verùm, ſi crimen hoc metuebas, ne quis abs te ſuppoſitum eſſe diceret, qui pro archipirata ſecuri feriretur: utrum tandem tibi ad defenſionem firmius fore putaſti, in judicio, coactu, atque efflagitatu meo, producere ad ignotos *tanto poſt* eum, quem archipiratam eſſe diceres: an recenti re, Syracuſis, apud notos, inſpectante Sicilia pænè tota, ſecuri ferire? vide, quid interſit, utrum faciendum fuerit. In illo reprehenſio nulla eſſe potuit. hic defenſio nulla eſt. Itaque illud ſemper *omnes fecerunt:* hoc [1] quis ante te, quis præter te fecerit, quæro. Piratam vivum tenuiſti. Quem ad finem? dum cum imperio fuiſti. quamobrem? quam ob cauſam? quo exemplo? cur tamdiu? cur, inquam, civibus Romanis, quos piratæ ceperant, ſecuri ſtatim percuſſis, ipſis piratis lucis uſuram tam diuturnam dediſti? Verùm eſto: ſit tibi illud liberum omne tempus, quod cum imperio fuiſti. etiamne privatus? etiamne reus? etiamne pænè damnatus, hoſtium duces *privata in domo retinuiſti?* unum, alterum menſem, propè annum denique, domi tuæ piratæ, à quo tempore capti ſunt, quoad per me licitum eſt, fuerunt: hoc eſt, quoad per M. Acilium Glabrionem licitum eſt: qui, poſtulante me, produci, atque in carcerem condi imperavit. Quod eſt hujuſce rei jus? quæ conſuetudo? quod *exemplum?* Hoſtem acerrimum, atque infeſtiſſimum populi Romani, ſeu potius communem hoſtem gentium, nationumque omnium, quiſquam omnium mortalium privatus intra mœnia domi ſuæ retinere poterit? Quid ſi pridie, quàm à me tu coactus es confiteri, civibus Rom. ſecuri percuſſis, prædonum ducem vivere, apud te habitare: ſi, inquam, pridie domo tua profugiſſet, ſi aliquam manum contra populum Rom. facere potuiſſet, quid diceres? Apud me habitavit: mecum fuit: ego illum ad judicium meum, quò faciliùs crimen inimicorum diluere poſſem, vivum, atque incolumem reſervavi. Itane verò? tu tua pericula *communi periculo* defendes? tu ſupplicia, quæ debentur hoſtibus victis, ad tuum, non ad populi Rom. tempus confeſres? populi Rom. hoſtis privatis cuſtodiis aſſervabitur? At etiam qui triumphant, eoque diutius vivos hoſtium duces ſervant, ut, his per triumphum ductis, pulcherrimum *ſpectaculum*, fructumque victoriæ populus Rom. percipere poſſit: tamen cùm de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem jubent: idemque dies & victoribus imperii, & victis vitæ finem facit. Et nunc cuiquam credo eſſe dubium, quin tu id commiſſurus non fueris, præſertim cùm ſtatuiſſes, ut ais, tibi cauſam eſſe dicendam, ut ille archipirata non potius ſecuri feriretur, quàm, quod erat ante oculos poſitum, *tuo periculo viveret.* Si enim eſſet mortuus, tu, qui crimen ais te metuiſſe, quæro, cui probares? cùm conſtaret, iſtum Syracuſis ab nullo viſum eſſe archipiratam, ab omnibus deſideratum: cùm dubitaret nemo, quin abs te pecunia liberatus eſſet, cùm vulgò loquerentur, *ſuppoſitum* in ejus locum, quem pro illo probare velles: cùm tute faſſus eſſes, te id crimen tanto antè metuiſſe: ſi eum diceres eſſe mortuum, quis te audiret? nunc, cùm vivum iſtum neſcio quem produces, tamenne id credi voles? Quid ſi aufugiſſet? ſi vincla rupiſſet, ita, ut Nico ille, nobiliſſimus pirata fecit, quem P. Servilius, qua felicitate ceperat, eâdem recuperavit? quid diceres? Verùm hoc erat. ſi ille ſemel verus archipirata ſecuri percuſſus eſſet, pecuniam illam non haberes. ſi hic falſus eſſet mortuus, aut profugiſſet, non eſſet difficile alium in ſuppoſiti locum *ſupponere.* Plura dixi, quàm volui, de illo archipirata: & tamen ea, quæ certiſſima ſunt hujus criminis argumenta, prætermiſi. Volo enim mihi totum eſſe crimen hoc inte-
31 grum. eſt certus locus, certa lex, certum tribunal, quò hoc reſervetur. Hac tanta præda auctus, mancipiis, argento, veſte locupletatus, nihilo diligentior ad claſſem ornandam, milites revocandos, alendoſque eſſe cœpit: cùm ea res non ſolùm provinciæ ſaluti, verùm etiam ipſi prædæ eſſe poſſet. Nam æſtate ſumma, quo tempore ceteri prætores *obire provinciam*, & concurſare conſueverunt, aut etiam in tanto prædonum metu, & periculo ipſi navigare: eo tempore ad luxuriam, libidineſque ſuas, domo ſua regia, quæ regis Hieronis fuit, qua prætores uti ſolent, contentus non fuit. tabernacula, quemadmodum conſueverat temporibus æſtivis, quod antea jam demonſtravi, carbaſeis intenta velis, collocari juſſit in litore: quod eſt litus in inſula Syracuſis poſt Arethuſæ fontem, propter ipſum introitum, atque oſtium portus, amœno ſanè, & ab arbitris remoto loco. hic dies æſtivos ſexaginta prætor populi Rom. cuſtos, defenſorque provinciæ, ſic vixit, ut *mulíebria quotidie convivia* eſſent, vir accumberet nemo, præter ipſum, & prætextatum filium. tametſi rectè ſine exceptione dixeram, virum, cùm iſti eſſent, neminem fuiſſe. Nonnumquam etiam libertus Timarchides adhibebatur. mulieres autem nuptæ nobiles, præter unam mimi Iſidori filiam, quam iſte, propter amorem, ab Rhodio tibicine abduxerat, Pippa quædam, uxor Æſchrionis Syracuſani: de qua muliere *plurimi verſus*, qui in iſtius cupiditatem facti ſunt, tota Sicilia percelebrantur. Erat & Nice, facie eximia, ut prædicatur, uxor Cleomenis Syracuſani. hanc Cleomenes vir amabat: verumtamen hujus libidini *adverſari* nec poterat, nec audebat: & ſimul ab iſto donis, beneficiiſque plurimis devinciebatur. Illo autem tempore iſte, tametſi ea eſt hominis impudentia, quam noſtis, ipſe tamen, cùm vir eſſet Syracuſis, uxorem ejus parum poterat animo ſoluto, ac libero [3] tot in acta dies ſecum habere. Itaque excogitat rem ſingularem. naveis, quibus legatus præfuerat, Cleomeni tradit: claſſi populi Romani Cleomenem Syracuſanum præeſſe jubet, atque imperat. Hoc eò facit, ut ille non ſolùm abeſſet à domo tum, cùm navigaret: ſed etiam *libenter* cum magno honore, beneficioque abeſſet: ipſe autem, remoto, atque ablegato viro, non liberiùs, quàm antè (quis enim umquam iſtius libidini obſtitit?) ſed paullo ſolutiore tamen animo ſecum illam haberet, ſi non tamquam virum, at tamquam *æmulum* removiſſet. Accipit navem ſociorum, atque amicorum Cleomenes Syracuſanus. Quid primùm aut accuſem, 32
aut querar, judices? *Siculone homini*, legati, quæſtoris, prætoris denique poteſtatem, honorem, auctoritatem dari? Si te impediebat iſta conviviorum, mulierumque occupatio: ubi quæſtores? ubi legati? ubi ternis denariis æſtimatum frumentum? ubi muli? ubi tabernacula? ubi tot, tantaque ornamenta magiſtratibus, & legatis à ſenatu, populoque Rom. permiſſa, & data? denique ubi præfecti, & tribuni tui? Si *civis Rom.* dignus iſto negotio nemo fuit, quid civitates, quæ in amicitia, fideque populi Rom. perpetuò manſerant? ubi Segeſtana? ubi Centuripina civitas, quæ tum officiis, fide, vetuſtate, tum etiam cognatione populi Rom. nomen attingunt? O dii immortales! quid, ſi harum ipſarum civitatum militibus, navibus, navarchis, Syracuſanus Cleomenes juſſus eſt imperare? non omnis *honos* ab iſto dignitatis, æquitatis, officiique ſublatus eſt? Ecquod in Sicilia bellum geſſimus, quin Centuripinis ſociis, Syracuſanis hoſtibus uteremur? atque hæc omnia ad memoriam vetuſtatis, non ad contumeliam civitatis referri volo. Itaque ille vir clariſſimus, ſummuſque imperator, M. Marcellus, cujus virtute captæ, miſericordia conſervatæ ſunt Syracuſæ, habitare in ea parte urbis, quæ inſula eſt, Syracuſanum neminem voluit. Hodie, inquam, Syracuſanum in ea parte habitare non licet. eſt enim locus, quem vel *pauci poſſunt* defen-

1. *Quis ante te, quis præter te fecerit.*] Cujac. non habet illud *quis:* unde putabat Gulielmius reſcribi poſſe, *quis ante te prætorem fecerit.* verum alterum videtur argutius.

2. *Et concurſare.*] Lambini editio, *circumcurſare.* ſed alterum iterum habuimus ſupra cap. 12. pr.

3. *Tot in acta dies, ſecum habere.*] Hotomanus, negabat ſe ſenſum videre, niſi forte corrigamus, *totos in lecto dies:* invenuſte, veluti oſtendit Muretus lib. 1. Var. lect. cap. 3. Gulielmio ſupervacua viſa vox *ſecum.* etiam minus venuſte, mea quidem opinione.

1. *Egre-*

defendere. Committere igitur eum non fideliſſimis hominibus noluit: ſimul quòd ab illa parte urbis navibus aditus ex alto eſt. Quamobrem qui noſtros exercitus ſæpe excluſerant, iis clauſtra loci committenda non exiſtimavit. Vide quid interſit inter tuam libidinem, majorumque auctoritatem: inter amorem, furoremque tuum, & illorum conſilium, atque prudentiam. Illi aditum litoris Syracuſanis ademerunt: tu maritimum imperium conceſſiſti. Illi habitare in eo loco Syracuſanum, quo naves accedere poſſent, noluerunt: tu claſſi,& navibus Syracuſanum præeſſe voluiſti. quibus illi urbis ſuæ partem ademerunt, iis tu noſtri imperii partem dediſti: &, quorum ſociorum opera Syracuſani nobis dicto audientes ſunt, eos Syracuſanis *dicto audientes*
33 eſſe juſſiſti. [1] Egreditur Centuripina quadriremi Cleomenes è portu: ſequitur Segeſtana navis, Tindaritana, Herbitenſis, Heraclienſis, Apollonienſis, Haluntina, præclara claſſis in ſpeciem: ſed inops, & infirma, propter dimiſſionem propugnatorum, atque remigum. Tamdiu in imperio ſuo claſſem iſte prætor diligens vidit, quamdiu convivium ejus flagitioſiſſimum prætervecta eſt. ipſe autem, qui viſus multis diebus non eſſet, tum ſe tamen in conſpectum nautis paullisper dedit. Stetit ſoleatus prætor populi Romani cum pallio purpureo, tunicaque talari, *muliercula nixus* in litore. Jam hoc ipſo iſtum veſtitu Siculi, civeſque Romani permulti ſæpe viderunt. Poſteaquam paullum provecta claſſis eſt, & Pachynum quinto die denique appulſa eſt: nautæ *fame coacti*, radices palmarum agreſtium, quarum erat in illis locis, ſicut in magna parte Siciliæ, multitudo, colligebant, & his miſeri, perditique alebantur. Cleomenes autem, qui alterum ſe Verrem cùm luxuria, atque nequitia, tum etiam imperio, putaret: ſimiliter totos dies,
34 in litore tabernaculo poſito, perpotabat. Ecce autem repentè, ebrio Cleomene, eſurientibus ceteris, nuntiatur piratarum naveis eſſe in portu Ediſſæ. nam ita is locus nominatur. noſtra autem claſſis erat in portu Pachyni. Cleomenes autem, quòd erat terreſtre præſidium non *re*, ſed *nomine*, ſperabat, iis militibus, quos ex eo loco deduxiſſet, explere ſe numerum nautarum, & remigum poſſe. Reperta eſt eadem iſtius hominis avariſſimi ratio in præſidiis, quæ in claſſibus. nam erant perpauci reliqui, ceterique dimiſſi. Princeps Cleomenes in quadriremi Centuripina malum erigi, vela fieri, præcidi anchoras imperavit: & ſimul, ut ſe ceteri ſequerentur, ſignum dari juſſit. Hæc Centuripina navis erat incredibili celeritate velis. nam ſcire iſto prætore nemo poterat, [2] quid quæque navis *remis* facere poſſet: etſi in hac quadriremi propter honorem, & gratiam Cleomenis minimè multi remiges, & milites deerant. Evolarat jam è conſpectu ferè fugiens quadriremis, cùm etiam tunc ceteræ naves ſuo in loco moliebantur. Erat animus in reliquis. quamquam erant pauci, quoquo modo ſeſe res habebat, pugnare tamen ſe velle clamabant: &, quod *reliquum vitæ*, viriumque fames fecerat, id ferro potiſſimum reddere volebant. Quòd ſi Cleomenes non tanto ante fugiſſet, aliqua ad reſiſtendum ratio fuiſſet. erat enim ſola illa navis conſtrata, & ita magna, ut *propugnaculo* ceteris poſſet eſſe. quæ, ſi in prædonum pugna verſaretur, urbis inſtar habere inter illos piraticos myoparones videretur: ſed tunc inopes relicti à duce, præfectoque claſſis, eundem neceſſariò curſum tenere cœperunt. Pelorum verſus, ut ipſe Cleomenes, ita ceteri navigabant. neque hi tamen tam prædonum fugiebant impetum, quàm imperatorem ſequebantur. Tum ut quiſque in fuga poſtremus, ita periculo princeps erat. poſtremam enim quamque navem piratæ primam adoriebantur. ita prima Haluntinorum navis capitur, cui præerat Haluntinus, homo nobilis, Philarchus: quem ab illis prædonibus Locrenſes poſteà *publicè redemerunt:* ex quo vos priore actione jurato rem omnem, cauſamque cognoſtis. deinde Apollonienſis navis capitur, & ejus præfectus Anthropinus occiditur. Hæc dum aguntur, interea Cleome- 35
nes jam ad Pelori litus pervenerat: jam ſeſe in terram è navi ejecerat, quadrirememque in ſalo fluctuantem reliquerat. Reliqui præfecti navium, cum in terram imperator *exiſſet*, cùm ipſi neque repugnare, neque mari effugere ullo modo poſſent, appulſis ad Pelorum navibus, Cleomenem perſecuti ſunt. Tunc prædonum dux Heracleo, repentè, præter ſpem, *non ſua virtute*, ſed iſtius avaritia, nequitiaque victor, claſſem pulcherrimam populi Romani in litus expulſam, & ejectam, [3] cùm primùm adveſperaſceret, inflammari, incendique juſſit. O tempus miſerum, atque acerbum provinciæ Siciliæ! ô caſum illum multis innocentibus calamitoſum, atque funeſtum! ô iſtius nequitiam, ac turpitudinem ſingularem! Una, atque eadem nox erat, qua prætor amoris turpiſſimi flamma, ac claſſis populi Rom. prædonum incendio conflagrabat. Affertur nocte intempeſta gravis hujuſce mali nuntius Syracuſas: curritur ad prætorium, quò iſtum è convivio illo præclaro reduxerant paullò ante *mulieres* cum cantu, atque ſymphonia. Cleomenes, quamquam nox erat, tamen in publico eſſe non audet: includit ſe domi: neque aderat uxor, quæ conſolari hominem in malis poſſet. Hujus autem præclari imperatoris ita erat ſevera domi diſciplina, ut in re tanta, in tam *gravi nuntio* nemo admitteretur: nemo eſſet, qui auderet aut dormientem excitare, aut interpellare vigilantem. Jam verò, re ab omnibus cognita, concurſabat urbe tota maxima multitudo. non enim, ſicut antea conſuetudo erat, prædonum adventum ſignificabat *ignis è ſpecula* ſublatus, aut tumulo, ſed flamma ex ipſo incendio navium & calamitatem acceptam, & periculum reliquum nuntiabat. Cùm 36
prætor quæreretur; & conſtaret, ei neminem nuntiaſſe: fit ad domum ejus cum clamore concurſus, atque impetus. Tum iſte excitatus exit: audit rem omnem ex Timarchide: ſagum ſumit. Lucebat jam ferè: procedit in medium, vini, ſomni, ſtupri plenus. Excipitur ab omnibus ejuſmodi clamore, ut ei Lampſaceni periculi ſimilitudo verſaretur ante oculos. hoc etiam majus hoc videbatur, quòd in odio ſimili *multitudo* hominum hæc erat maxima. [4] Tum iſtius acta commemorabantur: tum flagitioſa illa convivia: tum appellabantur à multitudine mulieres nominatim: tum quærebatur ex ipſo palàm, tot dies continuos, per quos numquam viſus eſſet, *ubi fuiſſet, quid egiſſet?* tum imperator ab iſto præpoſitus Cleomenes flagitabatur: neque quidquam propiùs eſt factum, quàm ut illud Uticenſe exemplum de Hadriano, transferretur Syracuſas, ut duo ſepulcra duorum prætorum improborum, duabuſque in provinciis conſtituerentur. verùm habita eſt à multitudine *ratio temporis*, habita eſt *tumultus*, habita etiam *dignitatis*, exiſtimationiſque communis, quòd is eſt conventus Syracuſis civium Romanorum, ut non modò illa provincia, verùm etiam hac repub. digniſſimus exiſtimetur. Confirmant ipſi ſe, cùm is etiam tum ſemiſomnis ſtuperet: arma capiunt: totum forum, atque inſulam, quæ eſt urbis magna pars, complent. Unam illam ſolam noctem prædones ad Pelorum commorati, cum fumanteis etiam noſtras naveis reliquiſſent, accedere incipiunt ad Syracuſas. Qui videlicet ſæpe audiſſent, nihil eſſe pulchrius, quàm Syracuſarum mœnia, ac portus. ſtatuerant, ſeſe, ſi ea Verre prætore non vidiſſent, *numquam eſſe viſuros.* Ac primò ad illa æſtiva 37
prætoris accedunt, ipſam illam ad partem litoris, ubi iſte per eos dies, tabernaculis poſitis, caſtra luxuriæ collocarat. quem poſteaquàm inanem locum offenderunt, & prætorem

1. *Egreditur Centuripina triremi.*] Cujac. *Egreditur in Centurip.* forſan non inepte.

2. *Quid quæque navis remis facere poſſet.*] Lambino olet gloſſam vocabulum *facere.* mihi nihil minus, item Gulielmio.

3. *Cùm primùm adveſperaſceret.*] Idem codex, *inveſperaſceret.* probumque videtur.

4. *Tum iſtius acta commemorabantur.*] Memmius Fricus conjiciebat *commemorabatur*, ut loquatur de amœno illo littore probo. diſplicet enim ita quater repeti voces eadem terminatione, quæ ſuavius exprimerentur per infinitivum.

1. *Homi-*

rem commoviſſe ex eo loco caſtra ſenſerunt: ſtatim ſine ullo metu in portum ipſum penetrare cœperunt. Cùm in portum dico, judices, (explanandum eſt enim diligentiùs, eorum cauſa, qui locum ignorant) in urbem dico, atque in urbis *intimam partem* veniſſe piratas. non enim portu illud oppidum clauditur, ſed urbe portus ipſe cingitur, & concluditur: non ut alluantur à mari mœnia extrema, ſed influat in urbis ſinum portus. Hic, te prætore, Heracleo archipirata cum quatuor myoparonibus parvis ad arbitrium ſuum navigavit. Prò, dii immortales! piraticus myoparo, cùm imperium populi Romani nomen, ac faſces eſſent Syracuſis, uſque ad forum, & ad omneis urbis crepidines acceſſit: quò neque Karthaginienſium glorioſiſſimæ *claſſes*, cùm mari plurimùm poterant, multis bellis ſæpe conatæ, umquam *adſpirare* potuerunt: neque populi Romani invicta ante te prætorem gloria illa navalis, umquam tot Punicis, Sicilienſibuſque bellis penetrare potuit: qui locus ejuſmodi eſt, ut antè Syracuſani in mœnibus ſuis, in urbe, in foro hoſtem armatum, ac victorem, quàm in portu ullam hoſtium navem viderent. hic, te prætore, prædonum naviculæ pervagatæ ſunt, quò Athenienſium claſſis ſola poſt hominum memoriam ccc. navibus, vi, ac multitudine invaſit: quæ in eo ipſo portu, loci ipſius, portuſque natura, victa, atque ſuperata eſt. hic primùm opes illius civitatis victæ, comminutæ, depreſſæque ſunt: in hoc portu Athenienſium nobilitatis, imperii, gloriæ naufragium factum
38 exiſtimatur. Eone *pirata* penetravit, quò ſimul atque adiſſet, non modò à latere, ſed etiam à tergo magnam partem urbis relinqueret? Inſulam totam prætervectus eſt: quæ eſt urbis magna pars Syracuſis ſuo nomine, ac mœnibus. quo in loco majores (ut antè dixi) Syracuſanum quemquam habitare vetuerunt: quòd, qui illam partem urbis tenerent, in eorum poteſtatem portum futurum intelligebant. At quemadmodum eſt pervagatus? *radices palmarum* agreſtium, quas in noſtris navibus invenerant, jaciebant, ut omnes iſtius improbitatem, & calamitatem Siciliæ poſſent cognoſcere. Siculoſne milites? aratorumne liberos? quorum patres tantum labore ſuo frumenti exarabant, ut populo R. totique Italiæ ſuppeditare poſſent, eoſne in inſula Cereris natos, ubi primùm *fruges inventæ* eſſe dicuntur, eo cibo eſſe uſos, à quo majores eorum ceteros quoque, frugibus inventis, removerunt? Te prætore, Siculi milites palmarum ſtirpibus, prædones Siculo frumento alebantur. O ſpectaculum miſerum, atque acerbum! ludibrio eſſe urbis gloriam, & populi R. nomen; [1] hominum conventum, atque multitudinem: piratico myoparone, in portu Syracuſano de claſſe populi Romani triumphum agere piratam; cùm prætoris nequiſſimi, inertiſſimique oculos *prædonum* remi reſpergerent? Poſtea quàm è portu piratæ non metu aliquo affecti, ſed *ſatietate* exierant: tum cœperunt quærere homines cauſam illius tantæ calamitatis. dicere omnes, & palàm diſputare, minimè eſſe mirandum, ſi, *militibus*, *remigibuſque dimiſſis*, reliquis egeſtate, & fame perditis, prætore tot dies cum muliérculis perpotante, tanta ignominia, & calamitas eſſet accepta. Hæc autem iſtius vituperatio, atque infamia confirmabatur eorum ſermone, qui à ſuis civitatibus illis navibus præpoſiti fuerant: qui ex illo numero reliqui Syracuſas, claſſe amiſſa, refugerant. Dicebant, quos ex ſua quiſque navi miſſos ſciret eſſe. Res erat clara: neque ſolùm argumentis, ſed etiam *certis teſtibus* iſtius audacia tene-
39 batur. Homo certior fit, agi nihil in foro, & conventu tota die, niſi hoc quæri a navarchis, quemadmodum claſſis ſit amiſſa. illos reſpondere, & docere unumquemque, miſſione remigum, fame reliquorum, Cleomenis timore, & fuga. Quod poſteaquam iſte cognovit, hanc rationem habere cœpit. cauſam ſibi dicendam eſſe ſtatuerat jam antè, quàm hoc uſu veniret, ita ut ipſum priore actione dicere audiſtis. videbat, illis navarchis teſtibus, tantum hoc crimen ſuſtinere ſe nullo modo poſſe. conſilium capit primò ſtultum, verumtamen clemens. Cleomenem, & navarchos ad ſe vocari jubet. veniunt. accuſat eos, quòd hujuſmodi de ſe ſermones habuerint: rogat, ut id facere deſiſtant, & in ſua quiſque navi dicat ſe tantum habuiſſe nautarum, quantum *oportuerit*, neque quemquam eſſe dimiſſum. illi enimverò ſe oſtendunt, quod vellet, eſſe facturos. Iſte non procraſtinat: advocat amicos ſtatim: quærit ex his ſingillatim, quot quiſque nautas habuerit. reſpondit unuſquiſque, ut erat præceptum. Iſte in tabulas refert: *obſignat ſignis amicorum*, providens homo: ut contra hoc crimen, ſi quando opus eſſet, hac videlicet teſtificatione uteretur. Deriſum credo eſſe hominem amentem à ſuis conſiliariis, & admonitum, haſce ei tabulas nihil profuturas: etiam plus ex nimia prætoris *diligentia* ſuſpicionis in eo crimine futurum. Jam iſte erat hac ſtultitia multis in rebus uſus, ut publicè quoque, quæ vellet, in civitatum litteris & *tolli*, *& referri* juberet: quæ omnia nunc intelligit ſibi nihil prodeſſe, poſtea quàm certis literis, teſtibus, auctoritatibuſque convincitur. Ubi hoc videt, illorum confeſſionem, teſtificationem 40
ſuam, tabulas ſibi nullo adjumento futuras: init conſilium, non improbi prætoris (nam id quidem eſſet ferendum) ſed importuni, atque *amentis tyranni*. ſtatuit, ſi hoc crimen extenuare vellet (nam omnino tolli poſſe non arbitrabatur) navarchos omneis, teſteis ſui ſceleris, vita eſſe privandos. Occurrebat illa ratio: quid Cleomene fiet? poterone animadvertere in eos, quos *dicto audienteis* eſſe juſſi? miſſum facere eum, cui imperium, poteſtatemque permiſi? poterone eos afficere ſupplicio, qui Cleomenem ſecuti ſunt: ignoſcere Cleomeni, qui ſecum fugere, & ſe conſequi juſſit? poterone in eos eſſe vehemens, qui naveis inaneis non modo habuerunt, ſed etiam apertas: in eum diſſolutus, qui ſolus habuerit conſtratam navem, & minus exinanitam? pereat Cleomenes una. *Ubi fides?* ubi exſecrationes? ubi dextræ, complexuſque? ubi illud contubernium muliebris militiæ in illo delicatiſſimo litore? fieri nullo modo poterat, quin Cleomeni parceretur. Cleomenem vocat. dicit ei, ſe ſtatuiſſe animadvertere in omneis navarchos: ita ſui *periculi rationes* ferre, ac poſtulare. Tibi uni parcam, & totius iſtius culpæ crimen, vituperationemque potiùs ſuſcipiam, quam aut in te ſim crudelis? aut tot, tam graveis teſteis vivos, incolumeiſque eſſe patiar. Agit gratias Cleomenes, approbat conſilium: dicit, ita fieri oportere. Admonet tamen illud, quod iſtum fugerat, in Phalargum Centuripinum, navarchum, non poſſe animadverti, propterea quòd ſecum fuiſſet unà in Centuripina quadriremi. Quid ergo? iſte homo ex ejuſmodi civitate, adoleſcens nobiliſſimus, teſtis relinquetur? *In præſentia*, inquit Cleomenes, quoniam ita neceſſe eſt: ſed poſt aliquid videbimus, ne iſte nobis obſtare poſſit. Hæc poſteà quàm acta, & conſtituta 41
ſunt, procedit iſte repentè è prætorio, inflammatus ſcelere, furore, crudelitate. in forum venit: navarchos vocari jubet. Qui nihil metuerent, nihil ſuſpicarentur, ſtatim accurrunt. Iſte hominibus miſeris, innocentibuſque injici catenas imperat. [2] Implorare illi fidem populi Romani, & quare id faceret, rogare. Tunc iſte hoc cauſæ dicit, quòd claſſem prædonibus *prodidiſſent*. [3] Fit clamor, & admiratio populi, tantam eſſe in homine impudentiam, atque audaciam, ut aliis cauſam calamitatis attribueret, quæ omnis *propter avaritiam* ipſius accidiſſet: aut, cùm ipſe [4] prædonum

1. *Hominum conventum atque multitudinem, &c.*] Secutus ſum fidem codicis Cujacii, expreſſique id quod & antea Lambinus. nam vulgata lectio, *hom. conventu atque multitudine.* inſicetè.

2. *Implorare illi fidem populi Romani.*] Placet Gulielmio quod erat in Cujacii, *fidem prætoris*. ſic & cap. 42. Pr. *fidem tuam quæ nuſquam erat, implorant.* & vero editio prima, item Pal. ſec. expreſſerunt iſtud per *pop. Roman.* hæreo tamen, hæreo.

3. *Fit clamor, & admiratio.*] Tentant nonnulli, *admurmuratio.* ſtultè. *murmur* ibi ſupervacuum, ubi *clamor*.

4. *Prædonum ſocius putaretur.*] Malebat Gulielmius è mſſ. Lamb. & Cujac. *ſocius arbitraretur*, παθητικῶς. Sic infra pro Murena: *deniq; bellum confectum arbitraretur.* ubi male Lambinus *arbitramur.*

1. Cujuſ.

num ſocius putaretur, aliis proditionis crimen inferret: deinde, hoc quintodecimo die crimen eſſe natum, poſtquàm claſſis eſſet amiſſa. Cùm hæc fierent, quærebatur, ubi eſſet Cleomenes? non quò illum ipſum, [1] cujuſmodi eſſet, quiſquam ſupplicio, propter illud incommodum, dignum putaret. nam quid Cleomenes facere potuit? (non enim poſſum quemquam inſimulare falſo) quid, inquam, magnopere Cleomenes facere potuit, iſtius avaritia navibus exinanitis? atque eum vident ſedere ad latus prætoris, & ad aurem familiariter, ut ſolitus erat, inſuſurrare. Tum verò omnibus *indigniſſimum viſum eſt*, homines honeſtiſſimos, electos ex ſuis civitatibus, in ferrum, atque in vincla conjectos: Cleomenem propter flagitiorum, ac turpitudinis *ſocietatem*, familiariſſimum eſſe prætoris. Apponitur his tamen accuſator Nævius Turpio quidam, qui, C. Sacerdote prætore, injuriarum damnatus eſt, homo benè appoſitus ad iſtius audaciam: quem iſte in decumis, in rebus capitalibus, in omni calumnia, præcurſorem habere ſolebat, &
42 emiſſarium. Veniunt Syracuſas parentes, propinquique miſerorum adoleſcentium, hoc repentino *calamitatis ſuæ* commoti nuntio: vinctos adſpiciunt catenis liberos ſuos, cùm iſtius avaritiæ pœnam collo, & cervicibus ſuis ſuſtinerent. adſunt, defendunt, proclamant: fidem tuam, quæ nuſquam erat, nec umquam fuit, implorant. Pater aderat Dexio Tindaritanus, homo nobiliſſimus, hoſpes tuus: cujus tu domi fueras, quem hoſpitem appellaras. eum [2] cùm illa auctoritate, & miſeria videres præditum, non te ejus lacrymæ, non ſenectus, non hoſpitii jus, atque nomen à ſcelere aliquam ad partem humanitatis revocare potuit. Sed quid ego *hoſpitii jura* in hac tam immani bellua commemoro? qui Sthenium Thermitanum, hoſpitem ſuum, cujus domum per hoſpitium exhauſit, & exinanivit, abſentem in reos retulerit, cauſa indicta, capite damnarit: ab eo nunc hoſpitiorum jura, atque officia quæramus? cum homine enim crudeli nobis res eſt, an cum fera, atque immani bellua? te *patris* lacrymæ de innocentis *filii* periculo non movebant? cùm patrem domi reliquiſſes: filium tecum haberes: te neque præſens filius de liberorum caritate, neque abſens pater de indulgentia patria commonebat? Catenas habebat hoſpes tuus Ariſteus, Dexionis filius. quid ita? Prodiderat claſſem. [3] quod ob præmium? deſeruerat exercitum. quid Cleomenes? ignavus fuerat. At eum tu *ob virtutem* corona aurea donaras. Dimiſerat nautas. tu ab omnibus mercedem miſſionis acceperas. Alter parens ex altera parte erat Herbitenſis Eubulida, homo domi ſuæ clarus, & nobilis: qui, quia Cleomenem in defendendo filio læſerat, nudus pænè eſt deſtitutus. Quid erat autem, quod quiſquam diceret, aut defenderet? Cleomenem nominare non licet. At *cauſa cogit*. Moriere, ſi appellaris. numquam enim iſte eſt cuiquam mediocriter minatus. *At remiges non erant*. Prætorem tu accuſas? frange cervicem. Si neque prætorem, neque prætoris æmulum appellare licebit, cùm in his duobus tota cauſa ſit: *quid futurum eſt?* Dicit etiam cauſam Hera-
43 clius Segeſtanus, homo domi ſuæ ſummo loco natus. Audite, ut veſtra humanitas poſtulat, judices. audietis enim de magnis incommodis, injuriiſque ſociorum. Hunc ſcitote fuiſſe Heraclium in ea *cauſa*; qui propter gravem morbum oculorum tum non navigarit, & juſſu ejus, qui poteſtatem habuit, [4] cum commeatu, Syracuſis remanſerit. iſte certè neque prodidit claſſem, neque metu perterritus fugit, neque exercitum deſeruit. Etenim tunc eſſet hoc animadverſum, cùm claſſis Syracuſis proficiſcebatur. Is tamen in eadem cauſa fuit, quaſi eſſet in aliquo manifeſto ſcelere deprehenſus: in quem ne falſo quidem cauſa conferri criminis potuit. Fuit in illis navarchis Heraclienſis quidam Furius (nam habent illi nonnulla hujuſcemodi Latina nomina) homo, quamdiu vixit, domi ſuæ, non ſolùm poſt mortem, tota Sicilia clarus, & nobilis. in quo homine tantum animi fuit, non ſolùm ut iſtum liberè læderet; nam id quidem, *quoniam moriendum videbat*, ſine periculo ſe facere intelligebat: verùm, morte propoſita, cùm lacrymans in carcere mater nocteis dieſque aſſideret, defenſionem cauſæ ſuæ ſcripſit: quam nunc nemo eſt in Sicilia, *quin habeat*, *quin legat*, quin tui ſceleris, & crudelitatis ex illa oratione commonefiat. in quo docet, quot à civitate ſua nautas acceperit: quot, & quanti, quemque dimiſerit: quot ſecum habuerit: item de ceteris navibus dicit. quæ cùm apud te diceret, virgis oculi verberabantur. Ille morte propoſita, facilè dolorem corporis patiebatur. clamabat, id quod ſcriptum reliquit, FACINUS ESSE INDIGNUM, plus impudiciſſimæ mulieris apud te de Cleomenis ſalute, quàm de ſua vita lacrymas matris valere. deinde etiam illud video eſſe dictum, quòd, ſi rectè vos populus Romanus cognovit, non falſo ille jam in ipſa morte de vobis prædicavit: NON POSSE VERREM, TESTEIS INTERFICIENDO, CRIMINA SUA EXSTINGUERE: graviorem apud ſapienteis judices ſe fore ab inferis teſtem, quàm ſi vivus in judicium produceretur: tum, avaritiæ ſolùm, ſi viveret: nunc, cùm ita eſſet necatus, ſceleris, audaciæ, crudelitatis teſtem fore. Jam illa præclara, NON TESTIUM MODO catervas, cùm tua res ageretur, ſed à diis manibus innocentium pœnas, [5] ſceleratorumque furias in tuum judicium eſſe venturas: ſeſe ideò leviorem caſum ſuum fingere, quòd jam antè aciem ſecurium tuarum, Seſtiique, tui carnificis, vultum, & manum vidiſſet, cùm in conventu civium R. juſſu tuo ſecuri cives R. ferirentur. Ne multa, judices, [6] libertate, quam vos ſociis dediſtis, hac ille in acerbiſſimo ſupplicio miſerrimæ ſervitutis abuſus eſt. Conde- 44
mnat omneis de conſilii ſententia. tamen neque iſte in tanta re, tot hominum, totque civium cauſa, P. Vettium ad ſe arceſſit, quæſtorem ſuum, cujus conſilio uteretur: neque P. Cervium, talem virum, legatum, qui, quia legatus, iſto prætore, in Sicilia fuit, primus ab iſto *judex rejectus eſt*: ſed de latronum, hoc eſt, de comitum ſuorum ſententia condemnat omneis. Hic cuncti Siculi, fideliſſimi, atque antiquiſſimi ſocii, plurimis affecti beneficiis à majoribus noſtris, graviter commoventur, & de ſuis periculis, [7] fortuniſque omnibus pertimeſcunt. Illam clementiam, manſuetudinemque noſtri imperii in tantam crudelitatem, inhumanitatemque eſſe *converſam?* condemnari tot homines uno tempore, nullo crimine? defenſionem ſuorum furtorum prætorem improbum ex indigniſſima *morte innocentium* quærere? Nihil addi jam videtur, judices, ad hanc improbitatem, amentiam, crudelitatemque poſſe. & rectè nihil videtur. nam ſi cum illorum improbitate certet, longè omneis, multumque ſuperabit. ſed ſecum ipſe certat: id agit, ut ſemper ſuperius ſuum facinus novo ſcelere vincat. Phalargum Centuripinum dixeram exceptum eſſe à Cleo-

1. *Cujuſmodi eſſet.*] Pro *cujuſcunque modi*, ut alibi aliquoties. malebat tamen P. Manutius *cujuſcujuſmodi*.

2. *Cùm illa auctoritate & miſeria videres præditum.*] Lambinus neſcio quæ interponit. ſimplicius Gulielmius, qui quod Cujacianus non haberet copulam, divinat: *Cùm illa auctoritate, miſeria videres perditum.* tu, inquit, Verres, cum hoſpitem tuum videres & auctoritate Prætoris eſſes, videres, inquam, hoſpitem tuum miſeria perditum.

3. *Quod ob præmium? deſeruerat exercitum, &c.*] Cujacii liber non admiſit vocem *exercitus*, quod rejicit quidem Lambinus, ſed non Gulielmius, ut ſubintelligatur *claſſem*.

4. *Cum commeatu Syracuſis manſerit.*] Eſt à veteri libro Hotom. nam noſtri ſanè & Cujac. item antiq. typis formati, *in commeatu*.

5. *Sceleratorumque furias.*] Liber Cujac. *ſcelere quamq. furias.* vocat *furias ſceleratorum*, quia deſtinatæ ſunt ideo, ut crucient *ſceleratos*.

6. *Libertate quam vos &c. hac ille.*] Cujacii liber, *libertatem quam vos &c. banc ille.* quod placet Gulielmio, nec diſplicebat etiam Lambino. eſt quoque in Pal. ſec. *libertatem quam &c. hac vos.* quod mihi potiſſimum ſatisfacit. *Abuti* heic eſt largius *uti*.

7. *Fortuniſque omnibus pertimeſcunt.*] Mallet Gulielmius, *fortuniſque communibus.* ſicque fere loquitur noſter, infra cap. 46. pr. ceterum inepte illi qui heic tentant illud *periculis* mutare in *pecuniis.* pertimeſcebant enim Siculi magis de vita & ſanguine, quam de pecuniis.

Cleomene, quod in ejus quadriremi Cleomenes vectus eſſet: tamen quia pertimuerat adoleſcens, quòd eandem ſuam cauſam videbat eſſe, quam illorum, qui innocentes peribant: ad hominem accedit Timarchides: à ſecuri negat ei eſſe periculum: virgis ne cæderetur, monet ut caveat. Ne multa, ipſum dicere adoleſcentem audiſtis, ſe ob hunc virgarum metum *pecuniam Timarchidi numeraſſe.* Levia ſunt hæc in hoc reo crimina. metum virgarum navarchus nobiliſſimæ civitatis pretio redemit: humanum. alius, ne condemnaretur, pecuniam dedit: uſitatum eſt. non vult populus Rom. obſoletis criminibus accuſari Verrem: nova poſtulat, inaudita deſiderat: non de prætore Siciliæ, ſed de
45 crudeliſſimo tyranno fieri judicium arbitratur. Includuntur in carcerem condemnati: ſupplicium conſtituitur in illos: ſumitur de miſeris parentibus navarchorum: *prohibentur adire* ad filios ſuos: prohibentur liberis ſuis cibum, veſtitumque ferre. Patres hi, quos videtis, jacebant in limine, matreſque miſeræ pernoctabant ad oſtium carceris, ab extremo complexu liberûm excluſæ: quæ nihil aliud orabant, niſi ut filiorum extremum *ſpiritum ore excipere* ſibi liceret. Aderat janitor carceris, carnifex prætoris: mors, terrorque ſociorum, & civium, lictor Seſtius: cui ex omni gemitu, doloreque *certa merces* comparabatur. ut adeas, tantum dabis: ut cibum tibi intrò ferre liceat, tantum. nemo recuſabat. quid, ut *uno ictu* ſecuris afferam mortem filio tuo, quid dabis? ne diu crucietur? ne ſæpius feriatur? ne cum ſenſu doloris aliquo, aut cruciatu ſpiritus auferatur? Etiam ob hanc cauſam pecunia lictori dabatur. O magnum, atque intolerandum dolorem! ô gravem, acerbamque fortunam! non vitam liberûm, ſed mortis celeritatem pretio redimere cogebantur parentes. Atque ipſi etiam adoleſcentes [1] cum Seſtio de eadem plaga, & de uno illo ictu loquebantur. idque poſtremum parenteis ſuos liberi orabant, ut levandi [2] cruciatus ſui gratia lictori pecunia daretur. Multi, & graves dolores inventi parentibus, & propinquis: multi. verumtamen *mors ſit extrema.* non erit. Eſt ne aliquid ultrà, quò progredi crudelitas poſſit? reperietur. nam, illorum liberi cùm erunt ſecuri percuſſi, ac necati, corpora feris objicientur. hoc ſi luctuoſum eſt parenti, redimat pretio *ſepeliendi poteſtatem.* Onaſum Segeſtanum, hominem nobilem, dicere audiſtis, ſe ob ſepulturam Heraclii navarchi pecuniam Timarchidi dinumeraſſe. Hoc ne poſſis dicere: *patres enim veniunt, amiſſis filiis, irati.* vir primarius, homo nobiliſſimus, dicit: neque de filio dicit. Jam hoc, quis tum fuit Syracuſis, qui non audierit, quin ſciat, has per Timarchidem pactiones ſepulturæ cum vivis etiam illis eſſe factas? non palàm cum Timarchide loquebantur? non omnes omnium propinqui adhibebantur? non palàm vivorûm *funera locabantur?* Quibus rebus omnibus actis, atque deciſis, producuntur è carcere, & deligantur ad pa-
46 lum. Quis tam fuit illo tempore durus, & ferreus, quis tam inhumanus, præter unum te, qui non illorum ætate, nobilitate, miſeria commoveretur? ecquis fuit, quin lacrymaretur? quin ita calamitatem putaret illorum, ut fortunam tamen non alienam, *periculum* autem *commune* agi arbitraretur? Feriuntur ſecuri. lætaris tu in omnium gemitu, & triumphas: teſteis avaritiæ tuæ gaudes eſſe ſublatos. Errabas, Verres, & vehementer errabas, cùm te maculas furtorum, & flagitiorum tuorum, ſociorum innocentium *ſanguine eluere* arbitrabare: præceps amentia ferebare, qui te exiſtimares avaritiæ vulnera crudelitatis remediis poſſe ſanare. Etenim quamquam illi ſunt mortui ſceleris tui teſtes, tamen eorum propinqui neque tibi, neque illis deſunt: tamen ex illo ipſo numero navarchorum aliqui vivunt, & adſunt: quos, ut mihi videtur, ab illorum innocentium pœna *fortuna* ad hanc cauſam reſervavit. Adeſt Philargus Haluntinus, qui, quia cum Cleomene non fugit, oppreſſus à prædonibus, & captus eſt: cui *calamitas ſaluti fuit:* qui, niſi captus à piratis eſſet, in hunc prædonem ſociorum incidiſſet. dicet is pro teſtimonio, de miſſione nautarum, de fame, de Cleomenis fuga. Adeſt Centuripinus Phalargus in ampliſſima civitate, ampliſſimo loco natus. eadem dicit: nulla in re diſcrepat. Per deos immortaleis, judices, quo tandem animo ſedetis? aut hæc quemadmodum auditis? Utrùm ego deſipio, [3] & plus quàm ſatis opus eſt, [4] doleo in tanta calamitate, miſeriaque ſociorum? an vos quoque hic acerbiſſimus *innocentium cruciatus,* & mœror pari ſenſu doloris afficit? Ego enim cùm Herbitenſem, cùm Heraclienſem ſecuri eſſe percuſſum dico, verſatur mihi ante oculos indignitas calamitatis. Eorumne populorum civeis, 47
[5] eorumne agrorum alumnos, ex quibus maxima vis frumenti quotannis plebi Romanæ, illorum operis, ac laboribus quæritur, qui à parentibus, ſpe noſtri imperii, noſtræque æquitatis, *ſuſcepti, educatique* ſunt, ad C. Verris nefariam immanitatem, & ad ejus ſecurem funeſtam eſſe ſervatos? Cùm mihi Tindaritani illius venit in mentem, cùm Segeſtani, tum jura ſimul civitatum, atque officia conſidero. quas urbeis P. Africanus etiam ornandas eſſe ſpoliis hoſtium arbitratus eſt, eas C. Verres non ſolùm illis ornamentis, ſed etiam viris nobiliſſimis nefario ſcelere privavit. En quod Tindaritani libenter prædicent: Nos IN SEPTEMDECIM populis Siciliæ numeramur: nos ſemper in omnibus Punicis, Sicilienſibuſque bellis amicitiam, fidemque populi Romani ſecuti ſumus: à nobis omnia populo Romano ſemper & belli *adjumenta*, & pacis *ornamenta* adminiſtrata ſunt. Multùm verò hæc his jura profuerunt in iſtius imperio, ac poteſtate. Veſtros quondam nautas contra Karthaginem Scipio duxit. at nunc naveis contra prædones pænè inaneis Cleomenes ducit. Vobiſcum Africanus hoſtium ſpolia, & præmia laudis *communicavit.* at nunc per me ſpoliati, nave à prædonibus abducta, ipſi in hoſtium numero, locoque ducemini. Quid vero? illa Segeſtanorum non ſolùm litteris tradita, neque commemorata verbis, ſed multis officiis illorum uſurpata, & comprobata cognatio, quos tandem *fructus* hujuſce neceſſitudinis in iſtius imperio tulit? Nempe hoc fuit jure, judices, ut ex ſinu patris nobiliſſimus adoleſcens, & è complexu matris ereptus innocens filius, iſtius carnifici Seſtio dederetur. Cui civitati majores noſtri maximos agros, atque optimos conceſſerunt: quam immunem eſſe voluerunt: hæc tanta apud te cognationis, fidelitatis, vetuſtatis auctoritate, [6] ne hoc quidem juris obtinuit, ut unius honeſtiſſimi, atque innocentiſſimi civis mortem, & ſanguinem deprecaretur. *Quò con-* 48
fugient ſocii? quem implorabunt? [7] qua ſpe denique, ut vivere velint, tenebuntur, ſi vos eos deſeritis? [8] ad ſenatum devenient, qui de Verre ſupplicium ſumat? non eſt uſitatum, non ſenatorium. ad populum Romanum confugient? facilis eſt cauſa populi. legem enim ſociorum cauſa juſſiſſe, & vos ei legi cuſtodes, ac vindices præpoſuiſſe dicet. Hic locus eſt igitur unus, quò perfugiant: hic portus, hæc

---

1. *Cum Seſtio de eadem plaga, &c.*] Cujac. addidit *ſuo.* quod blandientis videtur, ut videlicet dixerit, *noſter Sexti.* Gulielmius.

2. *Cruciatus ſui gratia, &c.*] Malebat deleri *gratia* Gulielmius.

3. *Et plus quàm ſatis opus eſt.*] Ita omnes edd. & Pall. reperitque item in ſuis Lambinus. ſed tamen expunxit illud *opus*, neque admiſit Paulus Manutius, abeſt Cujaciano.

4. *Doleo in tanta calamitate.*] Cujac. non habet præpoſitionem *in*, & poterat abeſſe.

5. *Eorumne agrorum alumnos.*] Primum hæc vox viſitur hoc loco, hactenus enim editi, *agrorum colonos*, ſatis ruſtice. noſtrum illud nititur fide Palatinorum duorum. ſed & alluſit Cujacianus, in quo *alumnus.*

6. *Ne hoc quidem juris obtinuit.*] Vocula *juris* abeſt Cujaciano; neque ſanè requiritur.

7. *Qua ſpe denique ut vivere velint tenebuntur, &c.*] Cujac. *quas denique preces ut viv. vel tenebunt.* fuit fortè; *qua ſe denique ſpe ut viv. vel tenebunt.* Gulielmius.

8. *Ad Senatum devenient, &c.*] Emendat Lambinus, *venient.* Gulielmius litera mutata, *ad Senatumne venient.* Sic pro Murena: *Quo ſe miſer vertet? domumne.* pro Flacco: *Quem implorem? Senatumne.*

3. *Relin-*

hæc arx, hæc *ara ſociorum:* quò quidem nunc non ita confugiunt, ut antea in ſuis repetendis rebus ſolebant. non argentum, non aurum, non veſtem, non mancipia repetunt: non ornamenta, quæ ex urbibus, faniſque erepta ſunt. metuunt homines imperiti, ne jam hæc populus Romanus concedat, & jam fieri velit. Patimur enim jam multos, & ſilemus, cùm videamus, AD PAUCOS HOMINES omneis omnium nationum pecunias perveniſſe. quod eo magis ferre æquo animo, atque concedere videmur, *quia nemo iſtorum diſſimulat:* nemo laborat, ut obſcura ſua cupiditas eſſe videatur. In urbe noſtra pulcherrima, atque ornatiſſima, quod ſignum, quæ tabula picta eſt, quæ non ab hoſtibus victis capta, atque apportata ſit? At iſtorum villæ, ſociorum fideliſſimorum & plurimis, & pulcherrimis ſpoliis ornatæ, refertæque ſunt. Ubi pecunias exterarum nationum eſſe arbitramini, quibus nunc omnes egent, cùm Athenas, Pergamum, Cyzicum, Miletum, Chium, Samum, totam denique Aſiam, Achajam, Græciam, Siciliam *in paucis villis incluſas* eſſe videatis? Sed hæc, ut dico, omnia jam ſocii veſtri [1] relinquunt, & negligunt, judices. Ne publicè à populo Rom. ſpoliarentur, officiis, ac fide, providerunt. Paucorum cupiditati tum, cùm obſiſtere non poterant, tamen ſufficere aliquo modo poterant. nunc verò jam ademta eſt non modò reſiſtendi, verùm etiam ſuppeditandi facultas. itaque res ſuas negligunt. pecunias, quo nomine judicium hoc appellatur, non repetunt: relinquunt, & negligunt. hoc jam *ornatu* ad vos confugiunt. adſpicite, adſpicite, judices, ſqualorem, ſordeiſque ſociorum.

49 Sthenius hic Thermitanus cum hoc capillo atque veſte, domo ſua tota expilata, mentionem tuorum furtorum non facit: *ſeſe ipſum abs te repetit*, nihil amplius. totum enim tua libidine, & ſcelere ex ſua patria, (in qua multis virtutibus, & beneficiis floruit princeps) ſuſtuliſti. Dexio hic, quem videtis, non quæ publicè Tindari, non quæ privatim ſibi eripuiſti, ſed unicum miſer abs te *filium* optimum, atque innocentiſſimum flagitat. non ex litibus æſtimatis tuis pecuniam domum: ſed ex tua calamitate cineri, atque oſſibus filii ſui ſolatium vult aliquod reportare. Hic tam grandis natu Eubulida, hoc tantum, exacta ætate, laboris, itineriſque ſuſcepit, non ut aliquid [2] ex ſuis bonis recuperaret; ſed ut, quibus oculis cruentas cervices filii ſui viderat, iiſdem te *condemnatum* videret. Si per L. Metellum licitum eſſet, judices, matres illorum, uxores, ſororeſque veniebant. quarum una, cùm ego ad Heracliam noctu accederem, cum omnibus matronis ejus civitatis, & cum multis facibus mihi obviam venit, & ita, me ſuam ſalutem appellans, te ſuum carnificem nominans, filii nomen implorans, mihi ad pedes miſera jacuit, quaſi ego excitare filium ejus ab inferis poſſem. Faciebant hoc idem in ceteris civitatibus grandes natu *matres*, & item parvuli *liberi* miſerorum: quorum utrorumque ætas laborem, & induſtriam meam, fidem & miſericordiam veſtram requirebat. Itaque ad me, judices, præter ceteras hanc querimoniam Sicilia [3] detulit. lacrymis ego ad hoc, non gloria inductus acceſſi: ne falſa damnatio, ne carcer, ne catenæ, ne verbera, ne ſecures, ne cruciatus ſociorum, ne ſanguis innocentium, ne denique etiam exſanguium corpora mortuorum, ne mœror parentum, ac propinquorum, magiſtratibus noſtris *quæſtui* poſſet eſſe. Hunc ego ſi metum Siciliæ, damnatione iſtius, per veſtram fidem & ſeveritatem dejecero, judices: ſatis officio meo, ſatis illorum voluntati, qui à me hoc petiverunt, factum eſſe arbitrabor. Quapropter ſi quem fortè in- 50

veneris, qui hoc navale crimen conetur defendere, is ita defendat: illa communia, quæ ad cauſam nihil pertinent, prætermittat; me *culpam fortunæ aſſignare*, calamitatem crimini dare: me amiſſionem claſſis objicere: [4] cùm MULTI VIRI FORTES in communi, incertoque periculo belli, & terra, & mari ſæpe offenderint. Nullam tibi objicio fortunam. nihil eſt, quòd ceterorum res minùs commodè geſtas proferas: nihil eſt, quòd multorum naufragia fortunæ colligas. ego *naveis inaneis* fuiſſe dico: remiges, nautaſque dimiſſos: reliquos ſtirpibus vixiſſe palmarum: præfuiſſe claſſi populi Rom. Siculum, perpetuò ſociis, atque amicis Syracuſanum: te illo tempore ipſo, ſuperioribuſque diebus omnibus in litore cum mulierculis perpotaſſe dico: harum rerum omnium auctores, teſteiſque produco. Num tibi inſultare in calamitate, num intercludere perfugium fortunæ, num caſus bellicos exprobrare, aut objicere videor? tametſi ſolent hi fortunam ſibi *objici* nolle, qui ſe fortunæ commiſerunt, qui in ejus periculis ſunt, ac varietate verſati. iſtius quidem calamitatis tuæ fortuna particeps non fuit. homines enim *in præliis*, non in conviviis, belli fortunam tentare, periclitari ſolent. in illa autem calamitate non Martem fuiſſe *communem*, ſed Venerem poſſumus dicere. Quòd ſi fortunam objici tibi non oportet, cur tu fortunæ illorum innocentium veniam, ac locum non dediſti? [5] Etiam illud præcidas licet, quod ſupplicium more majorum ſumſeris, ſecurique percuſſeris, idcircò à me in crimen, & invidiam vocari. Non in ſupplicio crimen meum 51

vertitur: non ego ſecuri nego quemquam feriri debere: non ego *metum ex re militari*, [6] non ſeveritatem imperii, non pœnam flagitii, tolli dico oportere. fateor non modò in ſocios, ſed etiam in civeis, militeſque noſtros, perſæpè eſſe ſeverè, ac vehementer vindicatum. Quare hæc quoque prætermittas licet. Ego culpam non in navarchis, ſed in te fuiſſe demonſtro: pretio milites, remigeſque dimiſiſſe arguo. hoc navarchi reliqui dicunt: hoc Netinorum fœderata civitas publicè dicit, hoc Herbitenſes, hoc Ameſtratini, hoc Ennenſes, hoc Agyrinenſes, Tindaritani, Locrenſes publicè dicunt: tuus denique teſtis, tuus imperator, tuus hoſpes Cleomenes hoc dicit, ſeſe in terram eſſe egreſſum, uti Pachyno, è terreſtri præſidio, milites colligeret, quos in navibus collocaret. quod certè non feciſſet, ſi *ſuum numerum* naves haberent. ea eſt enim ratio inſtructarum, ornatarumque navium, ut non modò plures, ſed ne ſinguli quidem poſſint accedere. Dico præterea, illos ipſos reliquos nautas, fame, atque *inopia rerum* omnium confectos fuiſſe, ac perditos. dico, aut omneis extra culpam fuiſſe, aut, ſi uni attribuenda culpa ſit, in eo maximam fuiſſe, qui optimam navem, plurimos nautas haberet, ſummum imperium obtineret: aut, ſi omnes in culpa fuerint, non oportuiſſe Cleomenem conſtitui ſpectatorem illorum mortis atque cruciatus. dico etiam, in illo ſupplicio *mercedem* lacrymarum, mercedem vulneris, atque plagæ, mercedem funeris, ac ſepulturæ conſtitui nefas fuiſſe. Quapropter ſi mihi reſpondere voles, hæc dicito: CLASSEM INSTRUCTAM, atque ornatam fuiſſe, nullum propugnatorem abfuiſſe, nullum vacuum tranſtrum fuiſſe, remigi rem frumentariam eſſe ſuppeditatam, mentiri navarchos, mentiri tot, & tam graveis civitates, mentiri etiam Siciliam totam: proditum te eſſe à Cleomene, qui ſe dixerit exiſſe in terram, ut Pachyno deduceret milites: *animum illis, non copias defuiſſe:* Cleo-

---

1. *Relinquunt & negligunt. hoc jam.*] Tres voces, *relinquunt & negligunt* videntur repetitæ ex lineis præcedentibus. certe ſi abjiciantur, nihil defuerit ſententiæ, quæ non parum rigidaretur, ſi repeteretur, *hoc, hoc jam &c.*

2. *Ex ſuis bonis recuperaret.*] Vetus editio *ex hujus bonis exurparet.* Pall. *exuperaret.* Cujacianus, *de ſuis bonis recuperaret:* quod recepit Lambinus. recepta lectio habet, *ex hujus bonis uſurparet.*

3. *Detulit: lacrimis ego ad hoc, non gloria inductus acceſſi: ne falſa.*] Interpunctio ſolum à me eſt. nam illud *ſed*, quod viſitur in recepta lectione abeſt libro Cujacii: nec aliter voluit Brutus. Lambinus Memmii conjecturam admiſit. Gulielmius ita diſtinguebat legebatque; *requirebat totaque ad me, &c. detulit. lacrimis ego huc, non gloria inductus acceſſi, ſed &c.* & vero Cujac. non habet illud *ad hoc*, ſed ejus loco *huc*.

4. *Cum multi viri fortes.*] Gulielmius ex Cujaciano reponendum putabat, *multa.* non prohibuerim.

5. *Etiam illud præcidas licet.*] Eſt à Cujaciano, vetuſtius impreſſi, *prædicas*, quomodo & Pall. recentius *prædices.* inepte.

6. *Non ſeveritatem imperii.*] Perperam Lambinianæ oſtentant *ſecuritatem.*

Cleomenem acerrimè pugnantem ab his relictum eſſe, atque deſertum: nummum ob ſepulturam datum nemini. quæ ſi dices, tenebere. ſin alia dices: quæ à me dicta ſunt,
52 non refutabis. Hic tu etiam dicere audebis, *Eſt in judicibus ille familiaris meus*, eſt paternus amicus ille? non, ut quiſque maximè eſt, quicum tibi aliquid ſit, [1] ita tui hujuſcemodi criminis maximè eum pudet? Paternus amicus eſt. Ipſe *pater* ſi judicaret, per deos immortaleis, quid facere poſſis, cum tibi hæc diceret? TU IN PROVINCIA populi Romani prætor, cum tibi maritimum bellum eſſet adminiſtrandum, Mamertinis, ex fœdere quam deberent navem, per triennium remiſiſti: tibi apud eoſdem privatim navis oneraria maxima publicè eſt ædificata: tu à civitatibus pecunias claſſis nomine coëgiſti: tu pretio remiges dimiſiſti: tu, cùm navis eſſet à quæſtore, & ab legato capta prædonum, archipiratam ab omnium oculis removiſti: tu, qui cives Rom. eſſe dicerentur, qui à multis cognoſcerentur, ſecuri ferire potuiſti: tu tuam domum piratas adducere, in judicium archipiratam domo producere auſus es: tu in provincia tam ſplendida, apud ſocios fideliſſimos, civeis Rom. honeſtiſſimos, in *metu*, periculoque provinciæ, dies continuos complureis in litore, conviviiſque jacuiſti: te per eos dies nemo domi tuæ *convenire*, nemo in foro videre potuit: tu ſociorum, atque amicorum ad ea convivia matresfamilias adhibuiſti: tu inter ejuſmodi mulieres prætextatum tuum filium, nepotem meum, collocaviſti: ut *ætati maximè lubricæ*, atque incertæ exempla nequitiæ parentis vita præberet: tu prætor in provincia cum tunica, pallioque purpureo viſus es: tu propter amorem, libidinemque tuam, imperium navium legato populi Rom. ademiſti, Syracuſano tradidiſti: tui milites in provincia Sicilia frugibus, frumentoque caruere: tua luxuria, atque avaritia claſſis populi Rom. à prædonibus capta, & incenſa eſt: poſt Syracuſas conditas, quem in portum nunquam hoſtis acceſſerat, in eo, te prætore, primùm *piratæ navigaverunt*: neque hæc tot, tantaque dedecora diſſimulatione tua, neque oblivione hominum, ac taciturnitate tegere voluiſti: ſed etiam navium præfectos ſine ulla cauſa [2] de complexu parentium ſuorum, hoſpitum tuorum, ad mortem, cruciatumque rapuiſti: neque in parentum luctu, atque lacrymis, te mei nominis commemoratio mitigavit: tibi hominum *innocentium ſanguis* non modò *voluptati*,
53 ſed etiam *quæſtui* fuit. Hæc ſi tibi tuus parens diceret, poſſes ab eo veniam petere? poſſes, ut tibi ignoſceret, poſtulare? Satis eſt factum Siculis, ſatis officio, ac neceſſitudini, judices, ſatis promiſſo noſtro, ac recepto. Reliqua eſt ea cauſa, judices, quæ non jam recepta, ſed innata: neque delata ad me, ſed in anima, ſenſuque meo penitus affixa, atque inſita eſt: quæ non ad ſociorum ſalutem, ſed ad civium Romanorum, hoc eſt, *ad uniuſcujuſque noſtrûm* vitam, & ſanguinem pertinet. In qua nolite à me, quaſi dubium ſit aliquid, argumenta, judices, exſpectare. omnia, quæ dicam de ſupplicio civium Romanorum ſic erunt clara, & illuſtria, ut ad ea probanda totam Siciliam teſtem adhibere poſſim. Furor enim quidam, ſceleris, & audaciæ comes, iſtius effrenatum animum, importunamque naturam tanta oppreſſit amentia, ut numquam dubitaret in conventu palam ſupplicia, quæ in *convictos maleficii ſervos* conſtituta ſunt, ea in civeis Romanos expromere. Virgis quàm multos ceciderit, quid ego commemorem? Tantum breviſſimè dico, judices. nullum fuit omnino, iſto prætore, in hoc genere diſcrimen. Itaque jam conſuetudine ad corpora civium Romanorum etiam ſine iſtius nutu ferebatur manus
54 ipſa lictoris. Num potes hoc negare, Verres, in foro Lilybæi, maximo conventu, C. Servilium, civem Romanum in conventu Panormitano, veterem negotiatorem, ad tribunal, ante pedes tuos, ad terram, virgis, & verberibus abjectum? aude hoc primùm negare, ſi potes. nemo Lilybæi fuit, quin viderit: nemo in Sicilia, quin audierit. Plagis confectum dico à lictoribus tuis civem Romanum ante oculos tuos concidiſſe. Ob quam cauſam, dii immortales! tametſi injuriam facio communi cauſæ, & juri civitatis. quaſi enim poſſit eſſe *ulla cauſa*, cur hoc cuiquam civi Romano jure accidat, ita quæro, quæ in Servilio cauſa fuerit. Ignoſcite in hoc uno, judices. in ceteris enim non magnopere cauſas requiram. Locutus erat *liberius* de iſtius improbitate, atque nequitia. Quod iſti ſimulac renunciatum eſt: hominem jubet Lilybæum vadimonium Venerio ſervo promittere. Promittit. Lilybæum venitur. cogere eum cœpit, cùm ageret nemo, nemo poſtularet, H-S duobus millibus ſponſionem facere cum lictore ſuo, NI FURTIS QUÆSTUM FACERET. Recuperatores de cohorte ſua dicit daturum. Servilius & recuſare, & deprecari, ne iniquis judicibus, nullo adverſario, judicium capitis in ſe conſtitueretur. Hæc cùm maximè loqueretur, ſex lictores eum circumſiſtunt valentiſſimi, & ad pulſandos, verberandoſque homines exercitatiſſimi: cædunt acerrimè virgis: denique proximus lictor (de quo ſæpe jam dixi) Seſtius, converſo bacillo, oculos miſero tundere vehementiſſimè cœpit. Itaque illi cùm ſanguis os, oculoſque compleſſet: concidit: cùm illi nihilo minus jacenti latera tunderentur, ut aliquando *ſpondere* ſe diceret. Sic ille affectus, illinc tum pro mortuo ſublatus, brevi poſtea eſt mortuus. Iſte autem homo Venerius, & affluens omni lepôre, & venuſtate, de bonis illius in æde Veneris argenteum Cupidinem poſuit. Sic etiam fortunis hominum *abutebatur* ad nocturna vota cupiditatum ſuarum. Nam quid ego de ceteris civium Romano- 55
rum ſuppliciis ſingillatim potiùs, quàm generatim, atque univerſe loquar? Carcer ille, qui eſt à crudeliſſimo tyranno Dionyſio factus Syracuſis, quæ *Lautumiæ* vocantur, in iſtius imperio *domicilium* civium Romanorum fuit. ut quiſque iſtius animum, aut oculos offenderat, in Lautumias ſtatim conjiciebatur. Indignum hoc video videri omnibus, judices: & id jam priore actione, cùm hæc teſtes dicerent, intellexi. retineri enim putatis oportere jura libertatis non modò hîc, ubi tribuni plebis ſunt, ubi ceteri magiſtratus, ubi plenum forum judiciorum, ubi ſenatus auctoritas, ubi exiſtimatio populi Romani, & frequentia: ſed, ubicumque terrarum & gentium, violatum jus civium Romanorum ſit, ſtatuitis id pertinere *ad communem cauſam libertatis*, & dignitatis. In externorum hominum, & maleficorum, ſceleratorumque, in prædonum, hoſtiumque cuſtodias tu tantum numerum civium Romanorum includere auſus es? numquamne tibi judicii, numquam concionis, numquam hujus tantæ frequentiæ, quæ nunc animo te iniquiſſimo, infeſtiſſimoque intuetur, venit in mentem? numquam tibi populi Romani abſentis dignitas, numquam ſpecies ipſa hujuſcemodi multitudinis, in oculis, animoque verſata eſt? numquam te in horum conſpectum rediturum, numquam in forum populi Romani venturum, numquam *ſub legum, & judiciorum poteſtatem caſurum* eſſe putaſti? At quæ erat 56
iſta libido crudelitatis exercendæ? quæ tot ſcelerum ſuſcipiendorum cauſa? nulla, judices, præter prædandi novam, ſingularemque rationem. Nam ut illi, quos à poëtis accepimus, ſinus quoſdam *obſediſſe* maritimos, aut aliqua promontoria, aut prærupta ſaxa tenuiſſe dicuntur, ut eos, qui eſſent appulſi navigiis, interficere poſſent, ſic iſte in omnia maria infeſtus ex omnibus Siciliæ partibus imminebat. Quæcumque navis ex Aſia, ex Syria; quæ Tyro, quæ Alexandria venerat, ſtatim certis indicibus, & cuſtodibus tenebatur: vectores omnes in lautumias conjiciebantur: onera, atque merces in prætoriam domum deferebantur: Verſabatur in Sicilia longo intervallo alter, non Dionyſius ille, nec Phalaris (tulit enim illa quondam inſula multos, & cru-

1. *Ita tui hujuſcemodi criminis maximè eum pudet?*] Ita & Victoriana. ſed vetuſtiores & Pall. *Ita te hujuſcemodi crimine maximè ejus pudet.* Cujacianus, *ita te in hujuſcemodi crimine ejus maximè pudet?*

2. *De complexu parentium ſuorum, hoſpitum tuorum.*] Eſt à Prisciani lib. VII. vulgata, *parentum ſuorum, hoſpitumque tuorum.*

& crudeleis tyrannos) ſed quoddam novum monſtrum; [1] ex vetere illa immanitate, quæ in iiſdem locis verſata eſſe dicitur. non enim Charybdim tam infeſtam, neque Scyllam nautis, quàm iſtum in eodem freto fuiſſe arbitror. hoc etiam iſte infeſtior, quod multò ſe pluribus, & majoribus *canibus* ſuccinxerat. *Cyclops* alter, multo importunior. hic enim totam inſulam obtinebat: ille Ætnam ſolam, & eam Siciliæ partem tenuiſſe dicitur. At quæ cauſa tum ſubjiciebatur ab ipſo, judices, hujus tam nefariæ crudelitatis? eadem, quæ nunc in defenſione commemorabitur. Quicumque acceſſerant ad Siciliam paullo pleniores, eos *Sertorianos milites* eſſe, atque à Dianio fugere dicebat. Illi ad deprecandum periculum proferebant, alii purpuram Tyriam; tus alii, atque odores, veſtemque linteam; gemmas alii, & margaritas; vina nonnulli Græca, venaleiſque Aſiaticos: ut intelligeretur ex mercibus, quibus ex locis navigarent. Non providerant, eas ipſas ſibi *cauſas eſſe periculi*, quibus adjumentis ſe ad ſalutem uti arbitrabantur. Iſte enim hæc eos ex piratarum ſocietate adeptos eſſe dicebat: ipſos in lautumias abduci imperabat: naveis eorum, atque onera di-
57 ligenter aſſervanda curabat. His inſtitutis cùm completus jam mercatorum carcer eſſet, tum illa fiebant, quæ L. Suetium, equitem Romanum, lectiſſimum virum, dicere audiſtis, quæ ceteros audietis. Cervices in carcere frangebantur indigniſſimè civium Romanorum, ut jam illa vox, & imploratio, CIVIS ROMANUS SUM, quæ ſæpe multis, in ultimis terris, opem inter barbaros, & ſalutem tulit, ea mortem illis acerbiorem, & ſupplicium maturius ferret. Quid eſt, Verres? quid ad hæc cogitas reſpondere? num mentiri me? num fingere aliquid? num augere crimen? num quid horum dicere iſtis defenſoribus tuis audes? Cedò mihi, quæſo, ex ipſius ſinu litteras Syracuſanorum, quas iſte ad arbitrium ſuum confectas eſſe arbitratur. cedò rationem carceris, quæ diligentiſſimè conficitur, quo quiſque die datus in cuſtodiam, quo mortuus, quo necatus ſit. LITTERÆ SYRACUSANORUM. Videtis civeis Rom. gregatim conjectos in lautumias: videtis indigniſſimo in loco coacervatam multitudinem veſtrorum civium. Quærite nunc veſtigia, quibus exitus illorum ex illo loco compareant. nulla ſunt. Omneſne mortui? Si ita poſſet defendere, tamen fides huic defenſioni non haberetur. Sed ſcriptum exſtat in iiſdem litteris, quod iſte homo barbarus, ac diſſolutus neque attendere umquam, neque intelligere potuit, [2] Ε'ΔΙΚΩ'ΘΗΣΑΝ, inquit, hoc eſt, ut Siculi lo-
58 quuntur, *ſupplicio affecti, ac necati ſunt*. Si quis rex, ſi qua civitas exterarum gentium, ſi qua natio feciſſet aliquid in civem Romanum ejuſmodi, nonne publicè vindicaremus? non *bello perſequeremur*? poſſemus hanc injuriam, ignominiamque nominis Romani, inultam, impunitamque dimittere? Quot bella majores noſtros, & quanta ſuſcepiſſe arbitramini, quòd cives Romani injuria affecti, quòd navicularii retenti, quòd mercatores ſpoliati dicerentur? At ego retentos non queror: ſpoliatos ferendum puto: navibus, mancipiis, mercibus ademtis, in vincula conjectos eſſe mercatores, & in vinculis civeis Romanos necatos eſſe arguo. Si hæc apud Scythas dicerem, non hîc in tanta multitudine civium Romanorum, non apud ſenatores lectiſſimos civitatis, non in foro populi Romani, de tot, & tam acerbis ſuppliciis civium Romanorum: tamen *animos etiam barbarorum hominum permoverem*. Tanta enim hujus imperii amplitudo, tanta nominis Romani dignitas eſt apud omneis nationes, ut iſta in noſtros homines crudelitas, nemini conceſſa videatur. Num ego tibi ullam ſalutem, ullum perfugium putem, cùm te implicatum ſeveritate judicum, circumretitum frequentia populi Romani eſſe videam? Si mehercules (id quod fieri non poſſe intelligo) ex his laqueis te exueris, ac te aliqua vi, ac ratione explicaris: in illas tibi majores plagas incidendum eſt, in quibus te ab eodem me, ſuperiore ex loco confici, & concidi neceſſe eſt. Cui ſi etiam id, quod defendit, velim concedere: tamen illa ipſa defenſio non minus eſſe ei *pernicioſa*, quàm mea vera accuſatio debeat. Quid enim defendit? ex Hiſpania fugienteis ſe excepiſſe, & ſupplicio affeciſſe dicit. Quis tibi id permiſit? quo id jure feciſti? quis idem fecit? quî tibi id facere licuit? Forum plenum, & baſilicas iſtorum hominum videmus, & animo æquo videmus. *Civilis* enim *diſſenſionis*, & ſive amentiæ, ſive fati, ſeu calamitatis, non eſt iſte moleſtus exitus, in quo reliquos ſaltem civeis incolumeis licet conſervare. Verres ille, vetus proditor conſulis, tranſlator quæſturæ, averſor pecuniæ publicæ, tantum ſibi auctoritatis in repub. ſuſcepit, ut, quibus hominibus per ſenatum, per populum Romanum, per omneis magiſtratus, in foro, in ſuffragiis, in hac urbe, in repub. verſari liceret, iis omnibus mortem acerbam, crudelemque proponeret, ſi fortuna eos ad aliquam partem Siciliæ detuliſſet. Ad C. Pompejum, clariſſimum virum, & fortiſſimum, permulti, *occiſo Perperna*, ex illo Sertoriano numero militum confugerunt. quem non ille ſummo cum ſtudio ſalvum, incolumemque ſervavit? cui civi ſupplici non illa dextera invicta & fidem porrexit, & ſpem ſalutis oſtendit? itane verò? quibus fuit portus apud eum, contra quem arma tulerunt: iis apud te, cujus [3] nullum in repub. unquam monumentum fuit, mors & cruciatus erat conſtitutus? Vide, quàm commodam defenſionem excogitaris. Malo, malo meher- 59
cule, id, quod tu defendis, his judicibus, populoque Romano, quàm id, quod ego inſimulo, probari. malo, inquam, te iſti generi hominum, quàm mercatoribus, & navicularis inimicum, atque infeſtum putari. meum enim crimen avaritiæ te nimiæ coarguit: tua defenſio furoris cujuſdam, & immanitatis, & inauditæ crudelitatis, & pænè *novæ proſcriptionis*. Sed non licet me iſto tanto bono, judices, uti; non licet. adſunt enim Puteoli toti: frequentiſſimi venerunt ad hoc judicium mercatores, homines locupletes, atque honeſti, qui partim ſocios ſuos, partim libertos ab iſto ſpoliatos, in vincla conjectos: partim in vinclis necatos, partim ſecuri percuſſos eſſe dicent. Hîc vide quàm me ſis uſurus æquo. Cùm ego P. Granium teſtem produxero, qui ſuos libertos à te ſecuri percuſſos eſſe dicat, qui à te navem ſuam, merceiſque repetat: refellito, ſi poteris: *meum teſtem deſeram*, tibi favebo: te, inquam, adjuvabo: oſtendito, illos cum Sertorio fuiſſe, à Dianio fugienteis ad Siciliam eſſe delatos. Nihil eſt, quod te malim probare. nullum enim facinus, quod majore ſupplicio dignum ſit, reperiri, neque proferri poteſt. Reducam iterum equitem Romanum, L. Flavium, ſi voles: quoniam priore actione, ut patroni tui dictitant, nova quadam ſapientia: ut omnes intelligunt, *conſcientia tua*, atque auctoritate meorum teſtium, teſtem nullum interrogaſti. interrogetur Flavius, ſi voles, quinam fuerit L. Herennius, is, quem ille argentariam Lepti feciſſe dicit: qui cùm amplius centum civeis Romanos haberet ex conventu Syracuſanorum, qui eum non ſolùm cognoſcerent, ſed etiam lacrymantes, ac te implorantes defenderent: tamen à te, inſpectantibus omnibus Syracuſanis, ſecuri percuſſus eſt. hunc quoque teſtem meum refelli, & illum Herennium Sertorianum fuiſſe abs te demonſtrari, & probari volo. Quid de illa multitudine 60
dicemus eorum, qui, *capitibus involutis*, in piratarum, captivorumque numero producebantur, ut ſecuri ferirentur? quæ iſta nova diligentia? quam ob cauſam abs te cogitata? an te L. Flavii, ceterorumque de L. Herennio vociferatio com-

1. *Ex vetere illa immanitate.*] Libro VIII. cap. ultimo Quintilianus mſ. Bibliothecæ Palatinæ legit heic, *ex utero illo immanitatem.* quod mutatum ibat in *utero immanitatis*, amicus meus Janus Gebhardus lib. 1. Crepundiorum cap. 8. qui videatur: inſula ſanè illa nutricula immanium regum, &c.

2. Ε'δικώθησαν.] Lambinus invenit in duobus mſſ. ἐδικαιώθησαν. quomodo omnino legendum contendit Hotomanus lib. 11. Obſervat. cap. 14. m.

3. *Nullum in repub. nunquam monumentum fuit.*] Lambinus recepit in contextum conjecturam ſuam *momentum.*

4. *Hæ-*

commovebat? an M. Annii, graviſſimi, atque honeſtiſſimi viri, ſumma auctoritas paullo te diligentiorem, timidioremque fecerat? qui nuper pro teſtimonio, non advenam, neſcio quem, nec alienum, ſed eum civem Romanum, qui omnibus in illo conventu notus, qui Syracuſis natus eſſet, à te ſecuri percuſſum eſſe dixit. Poſt hanc illorum vociferationem, poſt hanc communem famam, atque querimoniam, non mitior in ſupplicio, ſed *diligentior* eſſe cœpit. Capitibus involutis civeis Romanos ad necem producere inſtituit: quos tamen idcirco necabat palàm, quòd homines in conventu (id quod antea diximus) nimiùm diligenter prædonum numerum requirebant. [1] Hæccine plebi Romanæ, te prætore, eſt conſtituta conditio? hæc negotii gerendi ſpes? hoc capitis, vitæque diſcrimen. Parumne multa mercatoribus ſunt neceſſariò pericula ſubeunda fortunæ, niſi etiam hæ formidines ab noſtris magiſtratibus, atque in noſtris provinciis impendebunt? ad eamne rem fuit hæc *ſuburbana*, ac fidelis provincia Sicilia, plena optimorum ſociorum, honeſtiſſimorumque civium, quæ civeis Romanos omneis ſuis ipſa ſedibus libentiſſimè ſemper accepit, ut, qui uſque ex ultima Syria, atque Ægypto navigarent: qui apud barbaros propter togæ nomen in honore aliquo fuiſſent: qui ex prædonum inſidiis: qui ex tempeſtatum periculis profugiſſent: in Sicilia ſecuri ferirentur, cùm ſe
61 jam *domum* veniſſe arbitrarentur? Nam quid ego [2] de P. Gavio Coſano municipe dicam, judices? aut qua vi vocis, qua gravitate verborum, quo dolore animi dicam? tametſi dolor me non deficit. ut cetera mihi in dicenda digna re, digna dolore meo ſuppetant, magis elaborandum eſt. quod crimen ejuſmodi eſt, ut, cùm primùm ad me delatum eſt, uſurum me illo non putarem. Tametſi enim veriſſimum eſſe intelligebam, tamen credibile fore non arbitrabar. Coactus lacrymis omnium civium Romanorum, qui in Sicilia negotiantur, adductus Valentinorum, hominum honeſtiſſimorum, omniumque Rheginorum, multorumque equitum Romanorum, qui caſu tum Meſſanæ fuerunt, teſtimoniis, dedi tantum priore actione teſtium, res ut nemini dubia eſſe poſſet. Quid nunc agam? Cùm jam tot horas de uno genere, ac de iſtius nefaria crudelitate dicam: cùm propè omnem vim verborum ejuſmodi, quæ ſcelere iſtius digna ſunt, aliis in rebus conſumſerim, neque hoc providerim, ut varietate criminum vos *attentos* tenerem: quemadmodum de tanta re dicam? Opinor unus modus, atque una ratio eſt. Rem in medio ponam: quæ tantum habet ipſa gravitatis, ut neque mea, quæ nulla eſt, neque cujuſquam, ad inflammandos veſtros animos eloquentia requiratur. Gavius hic, quem dico, Coſanus, cùm illo in numero ab iſto in vincla conjectus eſſet, & neſcio qua ratione clàm è lautumiis profugiſſet, Meſſanamque veniſſet: qui propè jam Italiam, & mœnia Rheginorum videret, & ex illo metu mortis, ac tenebris, quaſi luce libertatis, & *odore aliquo legum recreatus*, revixiſſet: loqui Meſſanæ cœpit, & queri, ſe civem Romanum in vincla eſſe conjectum: ſibi rectà iter eſſe Romam: Verri ſe præſtò advenienti fu-
62 turum. Non intelligebat miſer, nihil intereſſe, utrùm hæc Meſſanæ, an apud ipſum *in prætorio* loqueretur. Nam, ut antè vos docui, hanc ſibi iſte urbem delegerat, quam haberet adjutricem ſcelerum, furtorum receptricem, flagitiorum omnium ſociam. Itaque ad magiſtratum Mamertinum ſtatim deducitur Gavius: eoque ipſo die caſu Meſſanam venit Verres. Res ad eum defertur, eſſe civem Romanum, qui ſe Syracuſis in lautumiis fuiſſe quereretur? quem jam ingredientem navem, & Verri nimis atrociter minitantem, à ſe retractum eſſe, & aſſervatum, ut ipſe in eum ſtatueret, quod videretur. Agit hominibus gratias, & eorum erga ſe benevolentiam, diligentiamque collaudat. Ipſe inflammatus ſcelere, & furore, in forum venit. Ardebant oculi: toto [3] ex ore crudelitas eminebat. exſpectabant omnes, quò tandem progreſſurus, aut quidnam acturus eſſet: cùm repentè hominem proripi, atque in foro medio nudari, ac deligari, & virgas expediri jubet. Clamabat ille miſer, *ſe civem eſſe Romanum*, municipem Coſanum, meruiſſe ſe cum L. Pretio, ſplendidiſſimo equite Romano, qui Panormi negotiaretur: ex quo hæc Verres ſcire poſſet. Tum iſte ſe comperiſſe ait, eum *ſpeculandi cauſa* in Siciliam ab ducibus fugitivorum eſſe miſſum: cujus rei neque index, neque veſtigium aliquod, neque ſuſpicio cuiquam eſſet ulla. deinde jubet undique hominem proripi, vehementiſſimeque verberari. Cædebatur virgis in medio foro Meſſanæ civis Romanus, judices; cùm interea nullus gemitus, nulla vox alia iſtius miſeri, inter dolorem, crepitumque plagarum audiebatur, niſi hæc, CIVIS ROMANUS SUM. Hac ſe commemoratione civitatis omnia verbera depulſurum, cruciatumque à corpore dejecturum arbitrabatur. Is non modò hoc non perfecit, ut virgarum vim deprecaretur: ſed, cum imploraret ſæpius, uſurparetque nomen civitatis: crux, crux, inquam, infelici, & ærumnoſo, qui numquam iſtam poteſtatem viderat, comparabatur. O NOMEN dulce liber- 63
tatis: ô jus eximium noſtræ civitatis: ô lex Porcia, legeſque Semproniæ: ô graviter deſiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ tribunitia poteſtas! Huccine tandem omnia reciderunt, ut civis Romanus in provincia populi Romani, in oppido fœderatorum, ab eo, qui *beneficio populi Romani*, faſceis, & ſecureis haberet, deligatus in foro virgis cæderetur? Quid, cùm ignes, [4] ardenteiſque laminæ, ceterique cruciatus admovebantur? Si te illius acerba imploratio, & vox miſerabilis, [5] non inhibebat, ne civium quidem Romanorum, qui tum aderant, fletu, & gemitu maximo commovebare? In crucem tu agere auſus es quemquam, qui ſe civem Romanum eſſe diceret? Nolui tam vehementer agere hoc prima actione, judices: nolui. Vidiſtis enim, ut animi multitudinis in iſtum dolore, & odio, & communis periculi metu, concitarentur. [6] Statui egomet mihi tum modum orationi meæ, & C. Numitorio, [7] equiti Romano, primario homini, teſti meo: & Glabrionem, id quod ſapientiſſimè fecit, facere lætatus ſum, ut repentè, conſilio in medio, teſtem dimitteret. Etenim verebatur, ne populus Romanus ab iſto eas *pœnas vi repetiſſe* videretur, quas veritus eſſet, ne iſte legibus, & veſtro judicio non eſſet perſoluturus. Nunc, quoniam jam exploratum eſt omnibus, quo loco cauſa tua ſit, &, [8] quid de te futurum ſit: ſic tecum agam. Gavium iſtum, quem repentinum ſpeculatorem fuiſſe dicis, oſtendam, in Lautumias Syracuſis à te eſſe conjectum: neque id ſolùm ex litteris oſtendam Syracuſanorum: ne poſſis dicere, me, quia ſit aliquis in litteris Gavius, hoc fingere, & eligere nomen, ut hunc illum eſſe poſſim dicere: ſed *ſecundum arbitrium tuum teſteis dabo*, qui iſtum ipſum Syracuſis abs te in Lautumias conjectum eſſe dicant.

1. *Hæccine plebi Romanæ, &c.*] Retinui iſtam ſcripturam quod ſatisfaceret Camerario. nam alioquin Pall. edd. vetuſtæ, etiam Victoriana, *Hæc in plebe Roman.*

2. *De P. Gavio Coſano.*] Pal. pr. *Conſano*, quomodo primitus cuſi. ſec. *Coſano*, ut vulgo editur. prima lectio eſt à Cujaciano.

3. *Ex ore crudelitas eminebat.*] Ita noſtri ſcripti, & cuſi antiquitus. nam Quintilianus laudat *emicabat*, Gellius *emanabat*.

4. *Ardenteiſque Laminæ.*] Vulgata lectio *candentes*. ſed ultimæ antiquitatis edd. noſtrum habent, firmantque & Pall. & quos excuſſit Hotomanus. neque aliter Gellius.

5. *Non inhibebat.*] Lambinus *non leniebat*, minus rectè, certè contra libros: licet ſic exſtet apud Gellium, qui memoriter ſcripſiſſe ſe iſta confirmat: in *inhibere* metaphora eſt à re nautica. remos inhibent, cum inflectunt ut aliter navigent.

6. *Statui egomet mihi.*] Nihil deeſt. & ſic Terentius: *Tute iſt huic rei ſtatuiſti modum pater.* induxit Lambinum, ut locum mutilum crederet, ſuperfluum *tibi*. atqui elegans id, & tritum optimis ſcriptoribus. *Gulielmius.*

7. *Equiti Romano primo homini.*] Eſt item à Pall. & mſſ. verſatis manu Hotomani: neque abit veterum editionum ſcriptura. nupera, *primario homini.*

8. *Quid de te futurum ſit.*] Gulielmius arbitrabatur expungi poſſe particulam *de*.

1. *Cumu-*

dicant. producam etiam Coſanos, municipes illius, ac ne-
ceſſarios, qui te nunc ſerò doceant, judices non ſerò, illum
P. Gavium, quem tu in crucem egiſti, civem Romanum,
& municipem Coſanum, non ſpeculatorem fugitivorum
64 fuiſſe. Cùm hæc omnia, quæ polliceor, [1] cumulatè tuis
proximis plana fecero: tum iſtuc ipſum tenebo, quod abs
te mihi datur. eo contentum me eſſe dicam. Quid enim
nuper tu ipſe, cùm populi Romani clamore, atque impetu
perturbatus exſiluiſti, quid, inquam, locutus es? Illum,
quòd *moram ſupplicio quæreret*, ideò clamitaſſe, ſe eſſe ci-
vem Romanum: ſed ſpeculatorem fuiſſe. Jam mei teſtes
veri ſunt. Quid enim dicit aliud C. Numitorius? quid M.
& P. Cottii, nobiliſſimi homines, ex agro Taurominitano?
quid Q. Lucejus, qui argentariam Rhegii maximam fecit?
quid ceteri? Adhuc enim teſtes ex eo genere à me ſunt da-
ti, non qui noviſſe Gavium, ſed qui ſe vidiſſe dicerent, cùm
is, qui ſe civem Romanum eſſe clamaret, in crucem age-
retur. Hoc tu, Verres, idem dicis: hoc tu confiteris, il-
lum clamitaſſe, ſe civem eſſe Romanum: apud te *nomen ci-
vitatis* ne tantum quidem valuiſſe, [2] ut dubitationem ali-
quam; ut crudeliſſimi, tæterrimique ſupplicii aliquam par-
vam moram ſaltem poſſet afferre. Hoc teneo, hic hæreo,
judices, hoc ſum contentus uno: omitto, ac negligo cete-
ra: ſua confeſſione induatur, ac juguletur, neceſſe eſt. Qui
eſſet, ignorabas? ſpeculatorem eſſe ſuſpicabare? non quæ-
ro, qua ſuſpicione: tua te accuſo oratione. Civem Roma-
num eſſe dicebat. Si tu apud Perſas, aut in extrema India
deprehenſus, Verres, ad ſupplicium ducerere: quid aliud
clamitares, niſi te civem eſſe Romanum? &, ſi tibi *ignoto
apud ignotos*, apud barbaros, apud homines in extremis,
atque ultimis gentibus poſitos, nobile, & illuſtre apud om-
neis nomen tuæ civitatis profuiſſet: ille, quiſquis erat,
quem tu in crucem rapiebas, qui tibi eſſet ignotus, cùm ci-
vem ſe Romanum eſſe diceret: apud te prætorem ſi non ef-
fugium, ne *moram* quidem mortis, mentione, atque uſur-
65 patione civitatis, aſſequi potuit? HOMINES TENUES, ob-
ſcuro loco nati, navigant: adeunt ad ea loca, quæ numquam
antea viderunt: ubi neque noti eſſe iis, quo venerunt, ne-
que ſemper cum cognitoribus eſſe poſſunt. Hac una tamen
fiducia civitatis non modò apud noſtros magiſtratus, qui &
legum, & exiſtimationis periculo continentur: neque apud
civeis ſolùm Romanos, qui & ſermonis, & juris, & mul-
tarum rerum ſocietate juncti ſunt, fore ſe tutos arbitran-
tur: ſed, quocunque venerint, hanc ſibi rem *præſidio* ſpe-
rant futurum. Tolle hanc ſpem, tolle hoc præſidium civi-
bus Romanis: conſtitue nihil eſſe opis in hac voce, CIVIS
ROMANUS SUM: poſſe impunè prætorem, aut alium quem-
libet, ſupplicium, quod velit, in eum conſtituere, qui ſe
civem Romanum eſſe dicat, [3] quod quis ignoret: jam om-
neis provincias, jam omnia regna, jam omneis liberas ci-
vitates, jam omnem orbem terrarum, qui ſemper no-
ſtris hominibus maximè patuit, civibus Romanis iſta de-
fenſione præcluſeris. Quid, ſi L. Pretium, equitem Ro-
manum, [4] qui tum in Sicilia, nominabat? etiamne id ma-
gnum fuit, Panormum litteras mittere? aſſervaſſe homi-
nem? cuſtodiis Mamertinorum tuorum vinctum, clauſum
habuiſſe, dum Panormo Pretius veniret? cognoſceret ho-
minem: aliquid de ſummo ſupplicio remitteres. ſi ignora-
ret: tum ſi ita tibi videretur, hoc juris in omneis conſtitue-
res, UT, QUI NEQUE TIBI notus eſſet, neque cognitorem
locupletem daret, quamvis civis Rom. eſſet, in crucem
tolleretur. Sed quid ego plura de Gavio? quaſi tu Gavio tum 66
fueris infeſtus, ac non nomini, generi, *juri civium hoſtis*.
non illi, inquam, homini, ſed cauſæ communi libertatis
inimicus fuiſti. Quid enim attinuit, cùm Mamertini mo-
re, atque inſtituto ſuo crucem fixiſſent poſt urbem, in via
Pompeja: te jubere in ea parte figere, quæ ad fretum ſpe-
ctaret: & hoc addere, quod negare nullo modo potes,
quod omnibus audientibus dixiſti palàm, te idcirco illum
locum deligere, ut ille, qui ſe civem Rom. eſſe diceret, *ex
cruce Italiam cernere*, ac domum ſuam proſpicere poſſet? Ita-
que illa crux ſola, judices, poſt conditam Meſſanam illo in
loco fixa eſt. Italiæ conſpectus ad eam rem ab iſto delectus
eſt, ut ille in dolore, cruciatuque moriens, perangusto fretu
diviſa, ſervitutis ac libertatis jura cognoſceret: Italia autem
alumnum ſuum, ſervitutis extremo, ſummoque ſupplicio
[5] affixum videret. FACINUS EST, vinciri civem Roma-
num: ſcelus, verberari: propè parricidium, necari: quid
dicam in crucem tollere? verbo ſatis digno tam nefaria res
appellari nullo modo poteſt. Non fuit his omnibus iſte
contentus. Spectet, inquit, patriam: in conſpectu legum,
libertatiſque moriatur. Non tu hoc loco Gavium, non u-
num hominem, neſcio quem, civem Rom. ſed *communem*
libertatis, & civitatis *cauſam* in illum cruciatum, & crucem
egiſti. Jam verò videte hominis audaciam. Nonne eum
graviter tuliſſe arbitramini, quòd illam civibus Rom. cru-
cem non poſſet in foro, non in comitio, non in roſtris de-
figere? [6] quod enim his locis in provincia ſua, celebritate
ſimillimum, regione proximum potuit, elegit. *monumen-
tum ſceleris*, audaciæque ſuæ voluit eſſe in conſpectu Ita-
liæ, veſtibulo Siciliæ, prætervectione omnium, qui ultrò,
citroque navigarent. Si hæc non ad civeis Romanos, non 67
ad aliquos amicos noſtræ civitatis, non ad eos, qui popu-
li R. nomen audiſſent: denique, ſi non ad homines, verùm
ad beſtias, aut etiam, ut longius progrediar, ſi in aliqua de-
ſertiſſima ſolitudine, ad ſaxa, & ad ſcopulos hæc conqueri,
& deplorare vellem: tamen omnia [7] muta, atque inanima,
tanta, & tam indigna rerum atrocitate commoverentur.
Nunc verò cùm loquar apud ſenatores populi R. legum, ju-
diciorumque, & juris auctores, timere non debeo, ne non
unus iſte civis R. illa cruce dignus, ceteri omnes ſimili pe-
riculo indigniſſimi judicentur. Paullo antè, judices, lacry-
mas in morte miſera, atque indigniſſima navarchorum non
tenebamus; & rectè, ac meritò *ſociorum innocentium miſe-
ria commovebamur*: quid nunc in noſtro ſanguine tandem
facere debemus? nam civium R. ſanguis conjunctus exi-
ſtimandus eſt: quoniam id & ſalutis omnium ratio, [8] &
veritas omnium poſtulat. omnes hoc loco cives Rom. &
qui adſunt, & qui ubicumque ſunt, veſtram ſeveritatem
deſiderant, veſtram fidem implorant, veſtrum auxilium
requirunt: omnia ſua jura, commoda, auxilia, totam de-
nique libertatem in veſtris ſententiis verſari arbitrantur. A
me, tametſi ſatis habent, [9] tamen ſi res aliter acciderit, plus
habebunt fortaſſe, quàm poſtulant. nam & ſi qua vis iſtum
[10] de veſtra ſeveritate eripuerit, id quod neque metuo, judi-
ces, neque ullo modo fieri poſſe video: ſed ſi in hoc me
ratio

1. *Cumulatè tuis proximis plana fecero.*] Lambinus cenſet locum corruptum, cui accedit Lipſius lib. II. Variar. lect. cap. 19. negat Hotomanus lib. IX. Obſervat. cap. II. & recte. *proximi* enim ſunt, defenſores Verris, qui circa ipſum familiariſſime verſarentur, & vero tunc fortè ſtarent ei ad latus.

2. *Ut dubitationem aliquam; ut crudeliſſimi.*] Secutus ſum ferè mſſ. noſtros & editionem exoletam, in quibus aperte; *ut dubitationem aliquam, crudeliſſimi, &c.* exinde natæ obtruſere nobis, *ut dilationem aliquam crucis; ut crudel.* neſcio quam bene. *dubitationis* voce iterum utitur pro Cæcina cap. 2. p.

3. *Quod quis ignoret.*] Scilicet an verum ſit nec ne.

4. *Qui tum in Sicilia, nominabat?*] Neceſſe habui adhærere Pall. item olim cuſis, in quibus iſthæc lectio. deinceps vulgati, *Sicilia negotiabatur, nominabat.*

5. *Affixum videret.*] Sic etiam omnes membranæ Bibliothecarum, niſi quod Pall. *ca ſreum*: ſic edd. antiquæ, etiam Victoriana. recentiores maluere, *affectum videret.*

6. *Quod enim his locis in provincia ſua, &c.*] Lectio recepta ſatis à ſe clara & argata. mallem tamen abeſſe illud *enim*.

7. *Muta atque inanima.*] Rectè. videatur Pichena, Notis ad librum I. Hiſt. cap...

8. *Et veritas omnium poſtulat.*] Libri noſtri addebant *omnium*. ſi cui tamen placeret mutare in *hominum*, ecce me ei adſtipulatorem.

9. *Tametſi res aliter acciderit.*] Uſitatius ſit, & fortaſſe verius, inquit Gulielmius, *ceciderit.*

10. *De veſtra ſeveritate eripuerit.*] Lambin. inclinat legere *veſtræ ſeveritati.*

1. *Si qui*

ratio feſellerit: Siculi cauſam ſuam periſſe querentur, & mecum pariter moleſtè ferent: populus quidem Romanus brevi, quoniam mihi poteſtatem apud ſe agendi dedit, jus ſuum, me agente, ſuis ſuffragiis ante Kal. Februarias recuperabit. Ac, ſi de mea gloria, & amplitudine quæritis, judices: non eſt alienum meis rationibus iſtum mihi ex hoc judicio ereptum ad illud populi Rom. judicium reſervari. Splendida eſt illa cauſa: probabilis mihi, & facilis: populo grata, atque jucunda. Denique, ſi videor hic, id quod ego non quæſivi, *de uno iſto voluiſſe creſcere:* iſto abſoluto, quod ſine multorum ſcelere fieri non poteſt, de multis mihi creſcere licebit.

68 Sed mehercules, veſtra, reique publicæ cauſa, judices, nolo in hoc delecto conſilio tantum flagitium eſſe commiſſum: nolo eos judices, quos ego probarim atque delegerim, ſic in hac urbe notatos, iſto abſoluto, ambulare, ut non *cera*, ſed *cœno obliti* eſſe videantur. Quamobrem te quoque, Hortenſi, [1] ſiqui monendi locus eſt, ex hoc loco moneo: videas etiam, atque etiam, & conſideres, *quid agas*, *quò progrediare:* quem hominem, [2] & qua ratione defendas. neque de illo quidquam tibi præfinio, quo minùs ingenio mecum, atque omni dicendi facultate contendas. cetera, ſi qua putas te occultius extra judicium, quæ ad judicium pertinent, facere poſſe: ſi quid artificio, conſilio, potentia, gratia, copiis iſtius moliri cogitas: magnopere cenſeo [3] deſiſtas: & illa, quæ tentata jam, & cœpta ab iſto ſunt, à me autem perveſtigata, & cognita, moneo ut exſtinguas, & longius progredi ne ſinas. magno tuo periculo peccabitur in hoc judicio; majore, quàm putas. Quòd enim te liberatum jam *exiſtimationis metu*, defunctum honoribus, deſignatum Cos. cogites: mihi crede, ornamenta iſta, & beneficia populi Rom. NON MINORE NEGOTIO RETINENTUR, QUAM COMPARANTUR. Tulit hæc civitas, quoad potuit, quoad neceſſe fuit, regiam iſtam veſtram dominationem in judiciis, & in omni republica; tulit. ſed quo die populo R. tribuni plebis reſtituti ſunt, omnia iſta vobis (ſi fortè nondum intelligitis) ademta, atque erepta ſunt: omnium nunc oculi conjecti ſunt hoc ipſo tempore in unumquemque noſtrûm, qua fide ego accuſem, qua religione hi judicent, qua tu ratione defendas. de omnibus nobis, ſi quis tantulum *de recta regione deflexerit*, non illa tacita exiſtimatio, quam antea contemnere ſolebatis: ſed vehemens, ac liberum populi Romani judicium conſequetur. nulla tibi, Quinte, cum iſto cognatio eſt, nulla neceſſitudo. quibus excuſationibus antea nimium in aliquo judicio *ſtudium* tuum defendere ſolebas, earum habere in hoc homine nullam potes. quæ iſte in provincia palàm dictitabat, cùm ea, quæ faciebat, tua ſe fiducia facere dicebat, ea ne vera putentur, tibi maximè eſt providendum.

69 Ego mei jam rationem officii confido eſſe omnibus iniquiſſimis meis perſolutam. nam iſtum paucis horis primæ actionis, omnium mortalium ſententiis, condemnavi. Reliquum judicium non jam de mea fide, quæ perſpecta eſt, neque iſtius vita, quæ damnata eſt: ſed de judicibus, &, verè ut dicam, *de te* futurum eſt. At quo tempore futurum eſt? (nam id maximè providendum eſt: etenim cùm omnibus in rebus, tum in rep. permagni momenti eſt, ratio, atque *inclinatio temporum:*) nempe eo, cùm populus Rom. aliud genus hominum, atque alium ordinem ad res judicandas requirit: nempe ea lege de judiciis, judicibuſque novis promulgata, quam non is promulgavit, cujus nomine proſcriptam videtis: ſed *hic reus*. hic, inquam, ſua ſpe, atque opinione, quam de vobis habet, legem illam ſcribendam, promulgandamque curavit. Itaque cùm primò agere cœpimus, lex non erat promulgata: cùm iſte, veſtra ſeveritate permotus, multa ſigna dederat, quamobrem reſponſurus non videretur, mentio de lege nulla fiebat. Poſtea quàm iſte recreari, & confirmari viſus eſt: lex ſtatim promulgata eſt. cui legi cùm veſtra *dignitas* vehementer *adverſaretur*, iſtius ſpes falſa, & inſignis *impudentia maximè ſuffragatur*. Hic ſi quid erit commiſſum à quoquam veſtrûm, quod reprehendatur: aut populus R. judicabit de eo homine, quem jam antea judiciis indignum putavit: aut ii, qui propter offenſionem judiciorum de veteribus judicibus lege nova novi judices erunt conſtituti.

Mihi porrò, ut ego non dicam, quis omnium mortalium non intelligit, quàm longè progredi ſit neceſſe? potero ſilere, Hortenſi? potero diſſimulare, cùm tantum *reſp. vulnus acceperit*, ut expilatæ provinciæ, vexati ſocii, dii immortales ſpoliati, cives Rom. cruciati, & necati impunè, me actore, eſſe videantur? potero hoc ego onus tantum aut in hoc judicio deponere, aut diutius tacitus ſuſtinere? non agitanda res erit? non in medium proferenda? non *populi R. fides imploranda?* non omnes, qui tanto ſe ſcelere obſtrinxerint, ut aut fidem ſuam corrumpi paterentur, aut judicium corrumperent, in diſcrimen, ac judicium vocandi? Quæret aliquis fortaſſe, Tantumne igitur laborem, tantas inimicitias tot hominum, ſuſcepturus es? Non ſtudio quidem hercule ullo, neque voluntate. ſed non idem mihi licet, quod iis, qui nobili genere nati ſunt: quibus omnia populi Ro. *beneficia dormientibus deferuntur:* longè alia mihi lege in hac civitate, & conditione vivendum eſt. Venit enim mihi in mentem M. Catonis, hominis ſapientiſſimi: qui cùm ſe virtute, non genere populo R. commendari putaret, cùm ipſe ſui generis initium, ac nominis, *ab ſe gigni*, & propagari vellet: hominum potentiſſimorum ſuſcepit inimicitias, & maximis in laboribus uſque ad ſummam ſenectutem, ſumma cum gloria vixit. Poſteaque Pompejus, humili, atque obſcuro loco natus, nonne plurimis inimicitiis, maximiſque ſuis periculis, ac doloribus ampliſſimos honores eſt adeptus? Modò L. Fimbriam, C. Marium, C. Cœlium vidimus non mediocribus inimicitiis, ac laboribus contendere, ut ad iſtos honores pervenirent, ad quos vos *per ludum, & per negligentiam* perveniſtis. Hæc eadem eſt [4] noſtræ rationis regio, & via: horum nos hominum ſectam, atque inſtituta perſequimur. 70

Videmus, quanta ſit in invidia, quantoque in odio apud quoſdam homines nobileis *novorum hominum virtus*, & induſtria: ſi tantulum oculos dejecerimus, præſtò eſſe inſidias: ſi ullum locum aperuerimus ſuſpicioni, aut crimini, accipiendum eſſe ſtatim vulnus: eſſe nobis ſemper vigilandum, ſemper laborandum videmus. Inimicitiæ ſunt? ſubeantur: labores? ſuſcipiantur. Etenim TACITÆ MAGIS, & occultæ inimicitiæ timendæ ſunt, quàm indictæ, & apertæ. Hominum nobilium non ferè quiſquam noſtræ induſtriæ favet: nullis noſtris officiis benivolentiam illorum allicere poſſumus: quaſi *natura*, & genere disjuncti ſint, ita diſſident à nobis animo, ac voluntate. Quare QUID HABENT eorum inimicitiæ periculi, quorum animos jam antè habueris inimicos, & invidos, quàm ullas inimicitias ſuſceperis? Quamobrem mihi, judices, [5] optandum eſt illud: in hoc reo finem accuſandi facere. cùm & populo R. ſatisfactum, & receptum officium Siculis neceſſariis meis, erit perſolutum. Deliberatum autem eſt, ſi res opinionem meam, quam de vobis habeo, fefellerit, non modò eos perſequi, ad quos maximè culpa corrumpendi judicii, ſed etiam illos, ad quos conſcientiæ contagio pertinebit. Proinde ſi qui ſunt, qui in hoc reo aut potentes, aut audaces, aut artifices 71

1. *Si qui monendi locus eſt.*] Placuit iſtud Gulielmio, firmatum Cujaciano & Lambiniano; & acerbius profecto longe eſt vulgata; *Hortenſ., quia monendi, &c.* ex qua liquet, quam facilè depravari potuerit illa noſtra.

2. *Et qua ratione.*] Non refugerim ſcripturam Pall. editionumque antiquatarum, *ex qua ratione.*

3. *Deſiſtas. & illa quæ tentata, &c.*] Cujacii codex: *deſiſtas iſta, ſed & illa quæ tentata.* Forſan rectè, ut *deſiſtere* regat accuſativum. ut ut eſt, vehementior fuerit oratio, ſi reponatur, *deſiſtas: ſed & illa quæ tentata, &c.*

4. *Noſtræ rationis regio & via.*] Rectè. nec auſcultandum emendatoribus. ſic ſupra cap.68. *ſi quis tantulum de recta regione deflexerit.*

5. *Optandum eſt illud.*] Cujacianum exemplar, *optatum*, a quo non viſus alienus Gulielmius.

1. Mea-

tifices ad corrumpendum judicium velint eſſe, ita ſint parati, ut diſceptante populo R. mecum ſibi rem videant futuram. &, ſi me in hoc reo, quem mihi inimicum Siculi dederunt, ſatis vehementem, ſatis perſeverantem, ſatis vigilantem eſſe cognorunt: exiſtiment, in his hominibus, quorum ego inimicitias, *populi R. ſalutis cauſa*, ſuſcepero, mul-
72 to graviorem, atque acriorem futurum. Nunc te, Jupiter optime, maxime, cujus iſte donum regale, dignum tuo pulcherrimo templo, dignum Capitolio, atque iſta arce omnium nationum, dignum regio munere, tibi factum ab regibus, tibi dicatum, atque promiſſum, per nefarium ſcelus de regiis manibus extorſit: cujuſque ſanctiſſimum, & pulcherrimum ſimulacrum Syracuſis ſuſtulit: teque, Juno regina, cujus duo fana duabus in inſulis poſita ſociorum, Melitæ, & Sami, ſanctiſſima, & antiquiſſima, ſimili ſcelere idem iſte omnibus donis, ornamentiſque nudavit: teque, Minerva, quam item iſte duobus in clariſſimis, & religioſiſſimis templis expilavit: Athenis, cùm auri grande pondus: Syracuſis, cùm omnia, *præter tectum, & parietes*, abſtulit: teque, Latona, & Apollo, & Diana, quorum iſte Deli non fanum, ſed ut hominum opinio, & religio fert, ſedem antiquam, divinumque domicilium nocturno *latrocinio*, atque impetu compilavit: etiam te, Apollo, quem iſte Chio ſuſtulit: teque etiam atque etiam, Diana, quam Pergæ ſpoliavit: cujus ſimulacrum ſanctiſſimum Segeſtæ, bis apud Segeſtanos conſecratum, ſemel ipſorum religione, iterum P. Africani victoria, tollendum, aſportandumque curavit: teque Mercuri, quem Verres in villa, & in privata aliqua palæſtra poſuit, P. Africanus in urbe ſociorum, & in gymnaſio Tyndaritanorum, *juventutis* illorum cuſtodem, ac præſidem voluit eſſe: teque, Hercules, quem iſte Agrigenti, nocte intempeſta, ſervorum inſtructa, & comparata manu, convellere ex ſuis ſedibus, atque auferre conatus eſt: teque ſanctiſſima mater Idæa, quam apud Enguinos auguſtiſſimo, & religioſiſſimo in templo ſic ſpoliatam reliquit, ut nunc nomen modò Africani, & *veſtigia violatæ religionis maneant*, monumenta victoriæ, fanique ornamenta non exſtent: voſque, omnium rerum forenſium, conſiliorum maximorum, legum, judiciorumque arbitri, & teſtes, celeberrimo in loco prætorii locati, Caſtor, & Pollux, quorum è templo quæſtum ſibi iſte, & prædam maximam improbiſſimè comparavit: omneſque dii, qui vehiculis tenſarum ſollemneis cœtus ludorum initis: quorum iter iſte ad ſuum quæſtum, non ad religionum dignitatem, faciendum, exigendumque curavit: teque, Ceres, & Libera, quarum ſacra, ſicut opiniones hominum, ac religiones ferunt, longè maximis, atque occultiſſimis cæremoniis continentur, à quibus *initia vitæ*, atque victus, legum, morum, manſuetudinis, humanitatis exempla hominibus, & civitatibus data, ac diſpertita eſſe dicuntur: quarum ſacra populus Rom. à Græcis aſcita, & accepta, tanta religione & publicè, & privatim tuetur, non ut ab aliis huc allata, ſed ut ceteris hinc tradita eſſe videantur: quæ ab iſto uno ſic polluta, & violata ſunt, ut ſimulacrum Cereris unum, quod *à viro* non modò tangi, ſed ne adſpici quidem fas fuit, è ſacrario Catinæ convellendum, avertendumque curaverit: alterum autem Ennæ ex ſua ſede, ac domo ſuſtulerit: quod erat tale, ut homines, cùm viderent, aut ipſam videre ſe Cererem, aut effigiem Cereris, non humana manu factam, ſed *cœlo delapſam*, arbitrarentur: vos etiam, atque etiam imploro, & appello, ſanctiſſimæ deæ, quæ illos Ennenſeis lacus, lucoſque colitis, cunctæque Siciliæ, quæ mihi defendenda tradita eſt, præſidetis: à quibus, inventis frugibus, & in orbem terrarum diſtributis, omnes gentes, ac nationes veſtri religione numinis continentur: ceteros item deos, deaſque omneis imploro, atque obteſtor, quorum templis, & religionibus iſte nefario quodam furore, & audacia inſtinctus, bellum ſacrilegum ſemper, impiumque habuit indictum, ut, ſi in hoc reo, atque in hac cauſa, omnia mea conſilia ad ſalutem ſociorum, dignitatem populi Romani, fidem meam ſpectaverunt: ſi ullam ad rem, niſi *ad officium, & veritatem* omnes meæ curæ, vigiliæ, cogitationeſque elaborarunt: quæ mea mens in ſuſcipienda cauſa fuit, fides in agenda, eadem veſtra in judicanda ſit: denique uti C. Verrem, ſi ejus omnia ſunt inaudita, & ſingularia facinora ſceleris, audaciæ, perfidiæ, libidinis, avaritiæ, crudelitatis, *dignus exitus ejuſmodi vita*, atque factis, veſtro judicio conſequatur: utque reſpub. [1] meaque fides una hac accuſatione mea contenta ſit: mihique poſthac bonos potius defendere liceat, quàm improbos accuſare neceſſe ſit.

M. TULLII CICERONIS PRO M. FONTEIO, ORATIO UNDECIMA.

Deſunt permulta.

1 Hoc prætore oppreſſam eſſe ære alieno Galliam. A quibus verſuras tantarum pecuniarum [1] factas eſſe dicunt? à Gallis? nihil minus. A quibus igitur? à civibus Romanis, qui negotiantur in Gallia. Cur eorum verba non audimus? cur eorum tabulæ nullæ proferuntur? Inſector ultrò, atque inſto accuſatori, judices: inſector, inquam, ac flagito teſteis. Plus ego in hac cauſa laboris, & operæ conſumo in poſcendis teſtibus, quàm ceteri defenſores *in refutandis*. [2] Audaciter hoc dico, judices: non temerè confirmo. Referta Gallia negotiatorum eſt, plena civium Romanorum. nemo Gallorum ſine cive Romano quidquam negotii gerit: nummus in Gallia nullus ſine civium R. tabulis commovetur. Videte quò deſcendam, judices, quàm longè videar ab conſuetudine mea, & cautione, ac diligentia diſcedere. UNÆ TABULÆ proferantur, in quibus veſtigium ſit aliquod, quod ſignificet, pecuniam Fontejo datam; unum

[1] ex

1. *Meaque fides, una hac accuſatione.*] P. Manutii edit. *mea fide, unaque hac.* ſciamus eſſe non à libris, ſed ab Hotomani conjectura.

1. *Factas eſſe in Gallia.*] Palatinus, *tractas.* Fulvius præterea Urſinus monuit frequentius fuiſſe hujus familiæ prænomen *Manium*, quàm *Marcum*, ideoque ſic perſcribendum videri.

2. *Audaciter hoc dico.*] Sic quoque membranæ Palatinæ: non *audacter*, ut vulgo legitur.

[1] ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum numero teſtem producant; verè accuſatum eſſe concedam. Prò dii immortales! quæ eſt hæc cauſa? quæ defenſio? Provinciæ Galliæ M. Fontejus præfuit, quæ conſtat ex iis generibus hominum, & civitatum, qui (ut vetera mittam) partim noſtra memoria bella cum populo Romano acerba, ac diuturna geſſerunt: partim modò ab noſtris imperatoribus ſubacti, modò *bello domiti*, modò triumphis, ac monumentis *notati*, modò ab Senatu agris, urbibuſque multati ſunt: partim, qui cum ipſo M. Fontejo ferrum, ac manus contulerunt, multoque ejus ſudore, ac labore ſub populi Romani imperium, [2] ditionemque ceciderunt. Eſt in eadem provincia Narbo Marcius, Colonia noſtrorum civium, *ſpecula populi Romani*, ac propugnaculum, iſtis ipſis nationibus oppoſitum, & objectum. eſt item urbs Maſſilia, de qua antè dixi, fortiſſimorum, fideliſſimorumque ſociorum, qui Gallicorum bellorum pericula [3] populo Romano coriis, remiſque compenſarunt. eſt præterea numerus civium Rom. atque hominum honeſtiſſimorum.

2 Huic provinciæ, quæ ex hac gentium varietate conſtaret, M. Fontejus, (ut dixi) præfuit. qui erant hoſtes, ſubegit: qui proximi fuerant, eos ex iis agris, quibus erant multati, decedere coëgit: ceteris, qui idcircò magnis ſæpe erant bellis ſuperati, ut ſemper populo Rom. parerent, *magnos equitatus* ad ea bella, quæ tum in toto orbe terrarum à populo Rom. gerebantur, *magnas pecunias*, ad eorum ſtipendium, *maximum frumenti* numerum, ad Hiſpanienſe bellum tolerandum, imperavit. [4] Hæc qui geſſit, in judicium vocatur: vos, qui in re non interfuiſtis, cauſam unà cum populo Romano cognoſcitis. dicunt contrà, quibus *invitiſſimis imperatum* eſt: dicunt, qui ex agris [5] ex M. Fonteii decreto decedere ſunt coacti: dicunt, qui ex bello, cæde, & fuga nunc primùm audent contra M. Fontejum *inermem* conſiſtere. Quid coloni Narbonenſes? quid volunt? quid exiſtimant? Hunc per vos volunt; ſe per hunc incolumeis exiſtimant eſſe. Quid Maſſilienſium civitas? hunc præſentem iis affecit honoribus, quos habuit ampliſſimos: vos autem abſens orat, atque obſecrat, ut ſua religio, laudatio, auctoritas, aliquid apud veſtros animos momenti habuiſſe videatur. Quid? civium Romanorum quæ voluntas eſt? Nemo eſt ex tanto numero, quin hunc optimè de provincia, de imperio, de ſociis, & civibus meritum eſſe arbitretur.

3 Quoniam igitur videtis, qui oppugnatum M. Fontejum, cognoſcitis qui defenſum velint: ſtatuite nunc, quid veſtra *æquitas*, quid populi Romani dignitas poſtulet: utrùm colonis veſtris, negotiatoribus veſtris, amiciſſimis, atque antiquiſſimis ſociis, & credere, & conſulere malitis: an iis, quibus neque, propter iracundiam, *fidem*; neque, propter infidelitatem, *honorem* habere debetis. Quid, ſi majorem hominum etiam honeſtiſſimorum copiam affero, qui hujus virtuti, atque innocentiæ teſtimonio poſſint eſſe? tamenne plus Gallorum conſenſio valebit, quàm ſummæ auctoritatis hominum? Cùm Galliæ Fontejus præeſſet, ſcitis, judices, maximos populi Rom. exercitus in duabus Hiſpaniis, clariſſimoſque imperatores fuiſſe. Quàm multi equites Romani, quàm multi tribuni militum, quales, & quot, & quoties legati ad eos exercitus? præterea Cn. Pompejus maximus, atque ornatiſſimus hiemavit in Gallia, M. Fontejo imperante. Satiſne vobis multos, ſatis idoneos teſtes, & conſcios videtur, ipſa fortuna eſſe voluiſſe earum rerum, quæ M. Fontejo prætore gererentur in Gallia? Quem ex tanto hominum numero teſtem in hac cauſa producere poteſtis? quis eſt ex eo numero, qui vobis auctor placeat? eo nos jam *laudatore, & teſte* utemur. Dubitabitis etiam diutius, judices, quin illud, quod initiò vobis propoſui, veriſſimum ſit, aliud per hoc judicium nihil agi, niſi ut, M. Fontejo oppreſſo, teſtimoniis eorum, quibus multa reipub. cauſa invitiſſimis imperata ſunt, *ſegniores poſthac ad imperandum ceteri ſint*, cùm videant eos oppugnari, quibus oppreſſis, populi Rom. imperium incolume eſſe non poſſit?

Objectum eſt etiam, quæſtum M. Fontejum ex viarum munitione feciſſe: ut aut ne cogeret munire, aut id, quod munitum eſſet, ne improbaret. 4 Si & coacti ſunt munire omnes, & multorum opera improbata ſunt: certè utrumque falſum eſt, & ob vacationem pretium datum, cùm immunis nemo fuerit: & ob probationem, cùm multa improbata ſint. Quid, ſi hoc crimen optimis nominibus delegare poſſimus, & ita, ut non culpam in alios transferamus, ſed uti doceamus, eos iſti munitioni præfuiſſe, qui facilè officium ſuum & præſtare, & probare poſſunt? tamenne vos omnia in M. Fontejum, *iratis teſtibus freti*, conferetis? Cùm majoribus reipub. negotiis M. Fontejus impediretur, & cùm ad rempubl. pertineret, viam Domitiam munire, legatis ſuis, primariis viris, C. Annio Bellieno, & C. Fontejo negotium dedit. itaque præfuerunt: imperaverunt pro dignitate ſua, quod viſum eſt, & probaverunt. quod vos, ſi nulla alia ex re, ex literis quidem veſtris, quas ſcripſiſtis, & miſſis, & allatis certè ſcire potuiſtis. quas ſi antea non legiſtis, nunc ex nobis, quid de iis rebus Fontejus ad legatos ſuos ſcripſerit, quid ad eum illi reſcripſerint, cognoſcite. LITERÆ AD C. ANNIUM LEG. AD C. FONTEJUM LEG. LITERÆ A C. ANNIO LEG. A C. FONTEJO LEG. Satis opinor eſſe perſpicuum, judices, hanc rationem munitionis, neque ad M. Fontejum pertinere, & ab iis eſſe tractatam, quos nemo poſſit reprehendere.

Cognoſcite nunc *de crimine vinario*, quod illi invidioſiſſimum, & maximum eſſe voluerunt. 5 Crimen à Pletorio, judices, ita conſtitutum eſt: Fontejo non in Gallia primùm veniſſe in mentem, ut portorium vini inſtitueret, ſed hac in Italia propoſita ratione, Roma profectum. Itaque Titurium Toloſæ quaternos denarios in ſingulas vini amphoras *portorii nomine* exegiſſe: Croduni Porcium, & Numium ternos victoriatos. Vulchalone Servæum binos H-S, & victoriatos mille. atque in his locis Servæum Croduni & Vulchalone ab his portorium eſſe exactum, ſi qui Cobiamacho, qui vicus inter Toloſam, & Narbonem eſt, deverterentur, neque Toloſam ire vellent. Eleſiodolus tantùm ſenos denarios ab his, qui *ad hoſtem* portarent, exegiſſet. Video, judices, eſſe crimen, & genere ipſo magnum. vectigal enim eſſe impoſitum frugibus noſtris dicitur: & pecuniam permagnam iſta ratione cogi potuiſſe confiteor, & invidiam. Vel maximè enim inimici hanc rem ſermonibus divulgare voluerunt. Sed ego ita exiſtimo, QUO MAJUS crimen ſit id, quod oſtendatur eſſe falſum, hoc majorem ab eo injuriam fieri, qui id confingat. vult enim magnitudine rei ſic occupare animos eorum, qui audiunt, ut difficilis aditus veritati relinquatur.

Omnia de crimine vinario, de bello Vocontiorum, de diſpoſitione Hibernorum deſiderantur.

At hoc Galli negant. [6] At ratio rerum, & vis argumentorum coarguit. 6 Poteſt igitur teſtibus judex non credere? Cupidis, & iratis, & conjuratis, & ab religione remotis,

non

1. *Ex toto negotiatorum.*] Non malè Gulielmius litera ſubtracta, *ex tot negotiatorum.*

2. *Ditionemque ceciderunt.*] Non diſplicet, quod eſt in Palat. *receiderunt.*

3. *Populo Romano coriis remiſque compenſarent.*] Ita editiones veteres, niſi quod ii duabus literis *pop. Rom.* item *copiis.* at illud *coriis* eſt à Pal. cui a prima manu *corriis*, nimirum Maſſilia coria remoſque ſuppeditavit Romanis, quid planius. at quid inſulſius pridem vulgatis? *P. R. copiis armiſque.*

4. *Hæc qui geſſit.*] Pal. & olim cuſi, *Is qui geſſit.* Nihil inquinatius hac oratione.

5. *Ex M. Fonteji decreto.*] Sic hodie legimus, ſed de conjectura Hotomani. libri quippe editi olim & miſſ. *ex Gn. Pompeji decreto.* quod cur delevimus? Sane Siculis adfuiſſe, liquet ex Maniliana capite 10.

6. *At ratio rerum &c.*] Secutus ſum Faërni libroſne an conjecturas neſcio: nitor enim fide Lambini, deſtitutus ſcilicet editione Faërniana.

1. *Conje-*

non ſolùm poteſt, ſed etiam debet. Etenim ſi, quia Galli dicunt, idcirco M. Fontejus nocens exiſtimandus eſt: quid mihi opus eſt ſapiente judice? quid æquo quæſitore? quid oratore non ſtulto? Dicunt enim Galli: negare non poſſumus. Hìc ſi ingenioſi, & periti, & æqui judicis has parteis eſſe exiſtimatis, ut, quoniam quidem teſtes dicunt, ſine ulla dubitatione credendum ſit: *ſalus ipſa virorum fortium innocentiam tueri non poteſt.* Sin autem in rebus judicandis, non minimam partem ad unamquamque rem æſtimandam, momentoque ſuo ponderandam, *ſapientia judicis* tenet: videte ne multo veſtræ majores, gravioreſque partes ſint ad cogitandum, quàm ad dicendum meæ. Mihi enim ſemper unaquaque de re teſtis non ſolùm ſemel, verùm etiam breviter interrogandus, & ſæpe etiam non interrogandus; ne aut irato facultas ad dicendum data, aut cupido auctoritas attributa eſſe videatur. vos & ſæpius eandem rem animis agitare, & diutius unoquoque de teſte cogitare poteſtis: &, ſi quem nos *interrogare nolumus*, quæ cauſa nobis tacendi fuerit, exiſtimare debetis. Quamobrem, ſi hoc, judices, præſcriptum lege, aut officio putatis, *teſtibus credere:* nihil eſt, cur alius alio judice melior, aut ſapientior exiſtimetur. unum eſt enim, & ſimplex *aurium judicium*; & promiſcuè, & communiter ſtultis, ac ſapientibus ab natura datum. Quid eſt igitur, ubi elucere poſſit prudentia? ubi diſcerni ſtultus auditor, & credulus, ab religioſo, & ſapienti judice? nimirum illud, in quo ea, quæ dicuntur à teſtibus, [1] conjectura, & cogitatione traduntur, quanta auctoritate, quanta animi æquitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto *ſtudio exiſtimationis*
7 *bonæ*, quanta cura, quanto timore dicantur. An verò vos id in teſtimoniis hominum barbarorum dubitabitis, quod perſæpe & noſtra, & patrum memoria ſapientiſſimi judices de clariſſimis noſtræ civitatis viris dubitandum non putaverunt? qui Cn. & Q. Cæpionibus, L. & Q. Metellis teſtibus in Q. Pompejum, hominem novum, non crediderunt: quorum virtuti, generi, rebus geſtis, fidem, & auctoritatem in teſtimonio, *cupiditatis, atque inimicitiarum ſuſpicio* derogavit. Ecquem hominem vidimus, [2] ecquem verè commemorare poſſumus parem conſilio, gravitate, conſtantia, ceteris virtutibus, honoris, ingenii, rerum geſtarum ornamentis, M. Æmilio Scauro fuiſſe? tamen hujus, cujus injurati nutu prope terrarum orbis regebatur, jurati teſtimonio, neque in C. Fimbriam, neque in C. Memmium creditum eſt. NOLUERUNT II, qui judicabant, hanc patere inimicitiis viam, quem quiſque odiſſet, ut eum teſtimonio poſſet tollere. Quantus in L. Craſſo pudor fuerit, quod ingenium, quanta auctoritas, quis ignorat? tamen is, cujus etiam *ſermo teſtimonii auctoritatem* habebat, teſtimonio ipſo, quæ in M. Marcellum *inimico animo* dixit, probare non potuit. Fuit, fuit illis judicibus divinum, ac ſingulare, judices, conſilium, qui ſe non ſolùm de reo, ſed etiam de accuſatore, de teſte judicare arbitrabantur, quid fictum, quid à fortuna, ac tempore allatum, quid pretio corruptum, quid ſpe, aut metu depravatum, quid à cupiditate aliqua, aut inimicitiis profectum videretur. Quæ ſi judex non amplectetur omnia conſilio: non animo, ac mente circumſpiciet: ſi, ut quidque ex illo loco dicetur *ex oraculo aliquo dici* arbitrabitur: profectò ſatis erit, id quod dixi antea, non ſurdum judicem huic muneri, atque officio præeſſe. nihil erit, quamobrem ille, neſcio quis, ſapiens homo, ac multarum rerum peritus, ad res judicandas requiratur.
8 An verò illi equites R. quos nos vidimus, qui nuper in rep. judiciiſque maximis floruerunt, habuerunt tantum animi, tantum roboris, ut M. Scauro teſti non crederent: vos Volgarum, atque Allobrogum teſtimoniis non credere timetis? *Si inimico teſti credi non oportuit*, inimicior Marcello Craſſus, aut Fimbriæ Scaurus ex civilibus ſtudiis, atque obtrectatione domeſtica; quàm huic Galli? quorum, qui optima in cauſa ſunt, equites, frumentum, pecuniam ſemel atque iterum, ac ſæpius *invitiſſimi* dare coacti ſunt: ceteri, partim ex veteribus bellis, agro multati, partim ab hoc ipſo, bello ſuperati, & oppreſſi. Si, qui ob aliquod *emolumentum* ſuum cupidiùs aliquid dicere videntur, iis credi non convenit: credo majus emolumentum Cæpionibus, & Metellis propoſitum fuiſſe ex Q. Pompeii damnatione, cùm ſtudiorum ſuorum obtrectatorem ſuſtuliſſent, quàm cunctæ Galliæ ex M. Fonteii calamitate: in qua illa provincia propè ſuam immunitatem, ac libertatem poſitam eſſe arbitratur. An, ſi *homines ipſos ſpectare* convenit (id quod in teſte profectò valere plurimùm debet) non modò cum ſummis civitatis noſtræ viris, ſed cum infimo cive Rom. quiſquam ampliſſimus Galliæ comparandus eſt? ſcit Indutiomarus, quid ſit teſtimonium dicere? movetur eo timore, quo noſtrùm unuſquiſque, cùm in eum locum productus eſt? Re- 9
cordamini, judices, quantoperè laborare ſoleatis, non modò quid dicatis pro teſtimonio, ſed etiam, *quibus verbis* utamini, nequod minùs moderatè poſitum, nequod ab aliqua cupiditate prolapſum verbum eſſe videatur. Vultu denique laboratis, nequa ſignificari poſſit *ſuſpicio cupiditatis:* ut &, cùm proditis, exiſtimatio ſit quædam tacita de vobis pudoris, ac religionis: &, cùm diſceditis, ea diligenter conſervata, ac retenta videatur. Credo hæc eadem Indutiomarum in teſtimonio timuiſſe, aut cogitaſſe: qui primùm illud verbum conſideratiſſimum noſtræ conſuetudinis, ARBITROR, quo nos etiam tunc utimur, cùm ea dicimus jurati, quæ comperta habemus, quæ ipſi vidimus, ex toto teſtimonio ſuo ſuſtulit, atque omnia SE SCIRE dixit. Verebatur enim videlicet, nequid apud vos populumque Rom. de exiſtimatione ſua deperderet: nequa fama conſequeretur ejuſmodi, Indutiomarum, talem virum, tam cupidè, tam temerè dixiſſe. non intelligebat, ſe in teſtimonio nihil præter vocem, & os, & audaciam neque civibus ſuis, neque accuſatoribus noſtris præſtare debere. An verò iſtas nationes, religione jurisjurandi, ac metu deorum immortalium in teſtimoniis dicendis commoveri arbitramini? quæ tantum à ceterarum gentium more, ac natura diſſentiunt, quod ceteræ *pro religionibus ſuis bella ſuſcipiunt*, iſtæ contra omnium religiones. illæ in bellis gerendis ab diis immortalibus pacem, ac veniam petunt: iſtæ cum ipſis diis immortalibus bella geſſerunt.
Hæ ſunt nationes, quæ quondam tam longè ab ſuis ſedi- 10
bus, Delphos uſque, ad Apollinem Pythium, atque ad oraculum orbis terræ vexandum, ac ſpoliandum profectæ ſunt. Ab iiſdem gentibus ſanctis, & in teſtimonio religioſis, obſeſſum Capitolium eſt, atque ille Jupiter, cujus nomine majores noſtri *vinctam teſtimoniorum fidem* eſſe voluerunt. Poſtremò his quidquam ſanctum, ac religioſum videri poteſt: qui etiam, ſi quando aliquo metu adducti deos placandos eſſe arbitrantur, *humanis hoſtiis* eorum aras, ac templa funeſtant? ut ne religionem quidem colere poſſint, niſi eam prius ſcelere violarint. Quis enim ignorat, eos uſque ad hanc diem retinere illam immanem, ac barbaram conſuetudinem hominum immolandorum? Quamobrem, quali fide, quali pietate exiſtimatis eſſe eos, qui etiam deos immortaleis arbitrentur hominum ſcelere, & ſanguine facillimè poſſe placari? cum his vos teſtibus veſtram religionem conjungetis? ab his quidquam ſanctè, aut moderatè dictum putabitis? hoc veſtræ mentes tàm caſtæ, tam integræ ſibi ſuſcipient, ut, cùm omnes legati noſtri, qui illo triennio in Galliam venerunt, omnes equites R. qui in illa provincia fuerunt, omnes negotiatores ejus provinciæ: denique omnes, in Gallia qui ſunt, ſocii populi Rom. atque amici, M. Fontejum incolumem eſſe cupiant, *jurati privatim, & publicè laudent:* vos tamen

1. *Conjectura & cogitatione traduntur.*] Lambinus edidit *conjectura & cogitatione*, ſed de conjectura Hotomani. accedit propius libris divinatio Gulielmii, *trahuntur*.

2. *Ecquem verè commemorare, &c.*] Mallet Gulielmius *verò*. quid ſi fuit? *ferè*.

1. Nos

men cum Gallis jurare malitis? quid ut ſecuti eſſe videamini? voluntatemne hominum? Gravior igitur vobis erit hoſtium voluntas, quàm civium? an dignitatem teſtium? poteſtis igitur ignotos notis, iniquos æquis, alienigenas domeſticis, cupidos moderatis, mercenarios gratuitis, impios religioſis, inimiciſſimos huic imperio, ac nomini, bonis,
11 ac fidelibus & ſociis, & civibus anteferre? An verò dubitatis, judices, quin *inſitas inimicitias* iſtæ gentes omnes & habeant, & gerant cum populi Rom. nomine? ſic exiſtimatis eos hîc ſagatos brachatoſque verſari, animo demiſſo, atque humili, ut ſolent ii, qui affecti injuriis ad opem judicum *ſupplices*, inferioreſque confugiunt? Nihil verò minus. Hi contrà vagantur læti, atque erecti paſſim toto foro, cum quibuſdam minis, & barbaro, atque immani terrore verborum: quod ego profectò non crederem, niſi aliquoties ex ipſis accuſatoribus vobiſcum ſimul, judices, audiſſem: cùm præciperent, ut caveretis, ne, hoc abſoluto, novum aliquod bellum Gallicum concitaretur. Si M. Fontejum, judices, in cauſa deficerent omnia: ſi turpi adoleſcentia, vita infami, magiſtratibus, quos ante oculos veſtros geſſit, malè geſtis, legationibus flagitioſè obitis, convictus virorum bonorum teſtimoniis, inviſus ſuis omnibus, in judicium vocaretur: ſi in eo judicio colonorum populi Romani Narbonenſium, fideliſſimorum ſociorum Maſſilienſium, civium Rom. omnium teſtimoniis, tabuliſque premeretur: tamen eſſet vobis magnoperè providendum, ne, quos ita afflictos à veſtris patribus, majoribuſque accepiſſetis, *ut contemnendi eſſent*, eos pertimuiſſe, & eorum minis, & terrori commoti eſſe videremini. Nunc verò, cùm lædat nemo bonus, laudent omnes veſtri cives, atque ſocii: oppugnent ii, qui ſæpiſſimè hanc urbem, & hoc imperium oppugnarunt: cumque inimici M. Fonteii vobis, ac populo Romano minentur: amici, ac propinqui ſupplicent vobis: dubitabitis non modò veſtris civibus, qui maximè gloria, ac laude ducuntur, verùm etiam exteris nationibus, ac gentibus oſtendere, vos in ſententiis
12 ferendis civi parcere, quàm hoſti cedere maluiſſe? Magna mehercule, cauſa, judices, abſolutionis cum ceteris cauſis hæc eſt, *ne qua inſignis huic imperio macula, atque ignominia ſuſcipiatur*, ſi hoc ita perlatum erit in Galliam, ſenatum, equiteſque populi Romani non teſtimoniis Gallorum, ſed *minis* commotos, rem ad illorum libidinem judicaſſe. Ita verò, ſi illi bellum facere conabuntur, excitandus nobis erit ab inferis C. Marius, qui Indutiomaro iſti, minaci, atque arroganti, par in belligerando eſſe poſſit: excitandus Cn. Domitius, & Q. Maximus, qui nationem Allobrogum, & reliquas ſuis iterum armis conficiat, atque opprimat: aut, quoniam id quidem non poteſt, orandus erit nobis amicus meus, M. Pletorius, ut ſuos novos clienteis à bello faciendo deterreat, ut eorum iratos animos, atque horribileis impetus deprecetur: aut, ſi non poterit, M. Fabium ſubſcriptorem ejus rogabimus, ut Allobrogum animos mitiget, quoniam apud illos Fabiorum nomen eſt ampliſſimum: ut velint iſti aut *quieſcere*, id quod victi, ac ſubacti ſolent: aut, cum minantur, intelligere, ſe populo Romano non metum belli, ſed ſpem triumphi oſtendere. Quòd ſi in turpi reo patiendum non eſſet, ut quidquam iſti ſe minis profeciſſe arbitrarentur: quid faciendum vobis in M. Fontejo arbitramini? de quo homine, judices, (jam enim mihi videor hoc, prope cauſa duabus actionibus perorata, debere dicere,) de quo vos homine, *ne ab inimicis quidem* ullum fictum probroſum non modò crimen, ſed ne maledictum quidem audiſtis. Ecquis umquam reus, præſertim in hac vitæ ratione verſatus, in honoribus petendis, in poteſtatibus, in imperiis gerendis, ſic accuſatus eſt, ut nullum probrum, nullum facinus, nulla turpitudo, quæ à libidine, aut à petulantia, aut ab audacia nata eſſet, ab accuſatore objiceretur, ſi non vera, attamen
13 ficta cum aliqua ratione ac ſuſpicione? M. Æmilium Scaurum, ſummum noſtræ civitatis virum, ſcimus accuſatum à M. Bruto. exſtant orationes. ex quibus intelligi poteſt, multa in illum ipſum Scaurum eſſe dicta; falsò. quis negat? verumtamen *ab inimico* dicta, & objecta. Quàm multa M. Aquillius audivit in ſuo judicio? quàm multa L. Cotta? denique P. Rutilius, qui *etſi damnatus* eſt, mihi videtur tamen inter viros optimos, atque inter innocentiſſimos eſſe numerandus. Ille igitur ipſe homo ſanctiſſimus, ac temperantiſſimus, multa audivit in ſua cauſa, quæ ad ſuſpicionem ſtuprorum, ac libidinum pertinerent. Exſtat oratio hominis (ut opinio mea fert) noſtrorum hominum longè ingenioſiſſimi, atque eloquentiſſimi, C. Gracchi: qua in oratione permulta in L. Piſonem turpia, ac flagitioſa dicuntur. At in quem virum? qui tanta virtute, atque integritate fuit, ut etiam illis optimis temporibus, cùm hominem invenire *nequam* neminem poſſes, ſolus tamen *Frugi* nominaretur. quem cùm in concionem Gracchus vocari juberet, & viator quæreret, quem Piſonem? quod erant plures: *cogis me*, inquit, *dicere inimicum meum, Frugi*. Is igitur vir, quem ne inimicus quidem ſatis in appellando ſignificare poterat, niſi antè laudaſſet: qui uno cognomine declarabatur, non modò quis eſſet, ſed etiam qualis eſſet: tamen in falſam, atque iniquam probrorum inſimulationem vocabatur. M. Fontejus ita duabus actionibus accuſatus eſt, ut objectum nihil ſit, quo ſignificari veſtigium libidinis, petulantiæ, crudelitatis, audaciæ poſſit. non modò nullum *facinus* hujus protulerunt, ſed ne *dictum* quidem aliquod reprehenderunt. Quòd ſi, aut quantam vo- 14
luntatem habent ad hunc opprimendum, aut quantam ad maledicendum licentiam, tantum haberent, aut ad ementiendum, animi; aut ad fingendum, ingenii: non meliore fortuna ad probra non audienda Fontejus, quàm illi, de quibus antea commemoravi, fuiſſet. Frugi igitur hominem, judices, frugi, inquam, & in omnibus vitæ partibus moderatum, ac temperantem, plenum pudoris, plenum officii, plenum religionis, videtis poſitum in veſtra fide, ac poteſtate: atque ita, ut *commiſſus* ſit fidei, *permiſſus* poteſtati. Videte igitur, utrum ſit æquius, hominem honeſtiſſimum, virum fortiſſimum, civem optimum, dedi inimiciſſimis, atque immaniſſimis nationibus, an reddi amicis: præſertim cùm tot res ſint, quæ veſtris animis pro hujus innocentis ſalute ſupplicent: primùm *generis antiquitas*, quam Tuſculo ex clariſſimo municipio profectam, in monumentis rerum geſtarum inciſam, ac notatam videmus: tum autem *continuæ præturæ*, quæ & ceteris ornamentis, & exiſtimatione innocentiæ maximè floruerunt: deinde recens *memoria parentis*, cujus ſanguine non ſolùm Aſculanorum manus, à qua interfectus eſt, ſed totum illud ſociale bellum macula ſceleris imbutum eſt: poſtremò ipſe cùm in omnibus vitæ partibus honeſtus, atque integer, tùm in re militari cùm ſummi conſilii, & maximi animi, tum verò uſu quoque bellorum gerendorum in primis eorum hominum, qui nunc ſunt, exercitatus. Quare ſi etiam 15
monendi eſtis, judices, à me, quod non eſtis, videor hoc leviter pro mea auctoritate vobis præcipere poſſe, ut ex eo genere homines, quorum cognita *virtus*, *induſtria*, *felicitas in re militari* ſit, diligenter vobis retinendos exiſtimetis. Fuit enim major talium virorum in hac repub. copia: quæ cùm eſſet, tamen eorum non modo ſaluti, ſed etiam *honori* conſulebatur. Quid nunc vobis faciendum eſt, ſtudiis militaribus apud juventutem obſoletis: hominibus autem, ac ſummis ducibus partim ætate, partim civitatis diſcordiis, ac reipubl. calamitate conſumtis? cùm tot bella aut à nobis neceſſariò ſuſcipiantur, aut ſubitò, atque improviſa naſcantur? nonne & hominem ipſum *ad dubia reipub. tempora reſervandum*, & ceteros ſtudia laudis, ac virtutis inflammandos putatis? Recordamini, quos legatos nuper in bello L. Julius, quos P. Rutilius, quos L. Cato, quos Cn. Pompejus habuerit. ſcietis fuiſſe tum M. Cornutum, L. Cinnam, L. Sullam, prætorios homines, belli gerendi peritiſſimos: præterea C. Marium, P. Didium, Q. Catulum, P. Craſſum, non *literis* homines ad rei militaris ſcientiam, ſed rebus geſtis, ac victoriis eruditos. Agè verò, nunc inſerite

ſerite oculos in curiam, introſpicite penitus in omneis reipubl. parteis. utrùm videtis nihil poſſe accidere, ut tales viri deſiderandi ſint? an, ſi acciderit eorum hominum copia populum R. abundare? Quæ ſi diligenter attendetis, profectò, judices, *virum* ad labores belli impigrum, ad pericula fortem: ad uſum, ac diſciplinam, peritum: ad conſilia, prudentem: ad caſum, fortunamque, felicem, domi vobis, ac liberis veſtris retinere, quàm inimiciſſimis populi Rom. nationibus, & crudeliſſimis tradere, & condemnare maletis.
16 At infeſtis propè ſignis inferuntur Galli in Fontejum: & inſtant, atque urgent ſummo cum ſtudio, ſumma cum audacia. [1] nos verò, judices, non & multis, & firmis præſidiis, vobis adjutoribus, iſti immani, atque intolerandæ barbariæ *reſiſtemus?* Primùm objicitur contra iſtorum impetus Macedonia, fidelis, & amica populo Rom. provincia: quæ cùm ſe, ac ſuas urbeis non ſolùm conſilio, ſed etiam manu Fonteii conſervatam eſſe dicat, ut illa per hunc à Thracum adventu, ac depopulatione defenſa fuit: ſic ab hujus nunc capite Gallorum impetus, terroreſque depellit. Conſtituitur ex altera parte ulterior Hiſpania, quæ profectò non modò *religione* ſua reſiſtere iſtorum cupiditati poteſt, ſed etiam ſceleratorum hominum *perjuria* teſtimoniis ac laudationibus ſuis refutare. Atque ex ipſa etiam Gallia fideliſſima, & graviſſima auxilia ſumantur. Venit huic ſubſidio, miſero, atque innocenti, Maſſilienſium cuncta civitas, quæ non ſolùm ob eam cauſam laborat, ut huic, à quo ipſa *ſervata* eſt, parem gratiam referre videatur: ſed etiam, quod ea conditione, atque eo *fato* ſe in his terris collocatam eſſe arbitratur, ne quid noſtris hominibus illæ gentes nocere poſſint. Pugnat pariter pro ſalute M. Fonteii Narbonenſis colonia, quæ per hunc ipſa nuper obſidione hoſtium liberata, nunc ejuſdem miſeriis, ac periculis commovetur. Denique, ut oportet bello Gallico, ut majorum jura, moreſque præſcribunt, nemo eſt civis Rom. qui ſibi *ulla excuſatione utendum* putet. omnes illius provinciæ publicani, agricolæ, pecuarii, ceteri negotiatores, uno animo
17 M. Fontejum, atque una voce defendunt. Quòd ſi tantas auxiliorum noſtrorum copias Indutiomarus ipſe deſpexerit, dux Allobrogum, ceterorumque Gallorum: num etiam de *matris* hunc complexu, lectiſſimæ, miſerrimæque fœminæ, vobis inſpectantibus, avellet, atque abſtrahet? præſertim cùm *virgo Veſtalis* ex altera parte germanum fratrem complexa teneat, veſtramque, judices, ac populi Rom. fidem imploret: quæ pro vobis, liberiſque veſtris tot annos in diis immortalibus placandis occupata eſt, ut ea, nunc pro ſalute ſua, fratriſque ſui, animos veſtros placare poſſit. cui miſeræ quod præſidium, quod ſolatium reliquum eſt, hoc amiſſo? nam ceteræ fœminæ *gignere ipſæ ſibi præſidia*, & habere domi fortunarum omnium *ſocium*, participemque poſſunt: huic verò virgini, quid eſt, præter fratrem, quod aut jucundum, aut carum eſſe poſſit? Nolite pati, judices, aras deorum immortalium, Veſtæque matris, quotidianis virginis lamentationibus de veſtro judicio commoveri. Proſpicite, ne ille ignis æternus, nocturnis Fontejæ laboribus, vigiliiſque ſervatus, ſacerdotis veſtræ lacrymis exſtinctus eſſe dicatur. Tendit ad vos virgo Veſtalis manus ſupplices, eaſdem, quas pro vobis diis immortalibus tendere conſuevit. cavete, ne periculoſum, *ſuperbumque* ſit, ejus vos obſecrationem repudiare, cujus preces ſi dii aſpernarentur, hæc ſalva eſſe non poſſent. Videtiſne ſubitò, judices, virum fortiſſimum, M. Fontejum, parentis, & ſororis commemoratione lacrymas profudiſſe? Qui numquam in acie pertimuerit, qui ſe armatus ſæpe in hoſtium manum multitudinemque immiſerit, cùm in ejuſmodi periculis eadem ſe *ſolatia ſuis relinquere* arbitraretur, quæ ſuus pater ſibi reliquiſſet: idem nunc perturbato animo pertimeſcit, ne non modò ornamento, & adjumento non ſit ſuis, ſed etiam cum acerbiſſimo luctu dedecus æternum miſeris, atque ignominiam relinquat. O fortunam longè diſparem, M. Fontei, ſi deligere potuiſſes, ut potiùs *telis* tibi Gallorum, quàm *perjuriis* intereundum eſſet. tum enim vitæ ſocia *virtus*, mortis comes *gloria* fuiſſet. nunc verò qui eſt dolor, victoriæ te, atque imperii pœnas ad eorum arbitrium ſufferre, qui aut victi armis ſunt, aut invitiſſimi paruerunt? A quo periculo defendite, judices, civem fortem, atque innocentem: curate, ut *noſtris teſtibus* plus, quàm alienigenis crediſſe videamini: plus ſaluti civium, quam hoſtium libidini conſuluiſſe: graviorem duxiſſe ejus obſecrationem, quæ veſtris ſacris præſit, quàm eorum audaciam, qui cum omnium ſacris, delubriſque bella geſſerunt. poſtremò proſpicite, judices, id quod ad dignitatem populi Romani maximè pertinet, ut plus apud vos *preces* virginis Veſtalis, quàm *minæ* Gallorum valuiſſe videantur.

M. TULLII CICERONIS PRO A. CÆCINA, ORATIO DUODECIMA.

1 SI, QUANTUM in agro lociſque *deſertis* audacia poteſt, tantum in foro, atque in judiciis impudentia valeret: non minùs nunc in cauſa cederet A. Cæcina Sex. Æbutii impudentiæ, quàm tum in vi facienda ceſſit audaciæ. Verùm & illud conſiderati hominis eſſe putavit, QUA DE RE jure decertari oporteret, armis non contendere: & hoc *conſtantis*, qui cum vi, & armis certare noluiſſet, eum jure, judicioque ſuperare. Ac mihi quidem cùm audax præcipuè fuiſſe videtur Æbutius in convocandis hominibus, & armandis: tum impudens in judicio: non ſolùm quòd in judicium venire auſus eſt (nam id quidem, tametſi improbè fit in aperta re, tamen *malitia eſt jam uſitatum*) ſed quòd non dubitavit id ipſum, quod arguitur, confiteri. niſi fortè hoc rationis habuit, quoniam, [1] ſi facta vis eſſet moribus, ſuperior in poſſeſſione retinenda non fuiſſet: quia contra jus, moremque facta ſit, A. Cæcinam cum amicis *metu perterritum* profugiſſe: nunc quoque in judicio, ſi cauſa more, inſtitutoque omnium defendatur, nos inferiores

1. *Nos vero, judices, non multis & firmis præſidiis.*] Sic quidem editio Victorii, nam antiquiſſimæ deſtituuntur negativa. Pal. noſter, ſolum habet; *audacia. Video judices, & multis & infirmis præſidiis.*

1. *Si facta vis eſſet moribus.*] Negativa vulgatæ editionis non erat in Palatinis noſtris. adeatur Hotomanus.

riores in agendo non futuros: [1] ſin à conſuetudine recedatur, ſe, quò impudentiùs egerit, hoc ſuperiorem diſceſſurum. quaſi verò aut IN JUDICIO poſſit idem improbitas, quod in vi confidentia: aut non eò libentiùs tum audaciæ ceſſerimus, quo nunc impudentiæ faciliùs obſiſteremus. Itaque longè alia ratione, recuperatores, ad agendam cauſam hac actione venio, atque initiò veneram. Tum enim noſtræ cauſæ ſpes erat poſita in defenſione mea, nunc in *confeſſione adverſarii:* tum in noſtris, nunc verò in illorum *teſtibus:* de quibus ego antea laborabam, ne, ſi improbi eſſent, falſi aliquid dicerent: ſi probi exiſtimarentur, quod dixiſſent, probarent: nunc ſum animo æquiſſimo. Si enim ſunt viri boni: me adjuvant, cùm id jurati dicunt, quod ego injuratus inſimulo. ſin autem minus idonei: me non lædunt: cum, iis ſive creditur hoc ipſum, quod nos arguimus, ſive fides non habetur, de adverſarii teſtium fide
2 derogatur. Verumtamen cùm illorum cauſæ actionem conſidero, non video, quid impudentiùs dici poſſit. cùm autem veſtram in judicando dubitationem: vereor, ne id, quod videntur impudenter feciſſe, *aſtutè*, & callidè fecerint. Nam, ſi negaſſent vim hominibus armatis eſſe factam, facilè honeſtiſſimis teſtibus in re perſpicua tenerentur. ſin confeſſi eſſent, & id, quod nullo tempore jure fieri poteſt, tum ab ſe *jure factum* eſſe defenderent: ſperarunt, id quod aſſecuti ſunt, ſe injecturos vobis cauſam deliberandi, & judicandi juſtam moram, ac religionem. ſimul illud, quod indigniſſimum eſt, futurum arbitrati ſunt, ut in hac cauſa non de improbitate Sex. Æbutii, ſed de jure civili *judicium fieri* videretur. Qua in re, ſi mihi eſſet unius A. Cæcinæ cauſa agenda, profiterer ſatis idoneum eſſe me defenſorem, propterea quòd fidem meam, diligentiamque præſtarem: quæ cùm ſunt in actore cauſæ, nihil eſt, in re præſertim aperta, ac ſimplici, quòd excellens ingenium requiratur. Sed cùm de eo jure mihi dicendum ſit, quod pertineat *ad omneis*, quod conſtitutum ſit à majoribus, conſervatum uſque ad hoc tempus: quo ſublato non ſolùm pars aliqua juris deminuta, ſed etiam vis ea, quæ juri maximè eſt adverſaria, judicio confirmata eſſe videatur: video ſummi ingenii cauſam eſſe: non uti demonſtretur quod ante oculos eſt, ſed ne, ſi quis vobis error in tanta re ſit objectus, omnes potius me arbitrentur cauſæ, quàm vos *religioni* veſtræ defuiſſe. Quamquam ego mihi ſic perſuadeo, recuperatores, non vos tam propter juris obſcuram, dubiamque rationem bis jam de eadem cauſa dubitaſſe, quàm quòd videtur ad ſummam illius exiſtimationem hoc judicium pertinere, [2] *moram ad condemnandum acquiſiſſe*, ſimul & illi ſpatium ad ſeſe colligendum dediſſe. Quod quoniam jam in conſuetudinem venit, & id viri boni, veſtri ſimiles, in judicando faciunt, reprehendendum fortaſſe minùs, querendum verò magis etiam videtur: ideò quòd OMNIA JUDICIA, aut diſtrahendarum controverſiarum, aut puniendorum maleficiorum cauſa reperta ſunt: quorum alterum levius eſt, propterea quòd & minùs lædit, & perſæpe *diſceptatore domeſtico* dijudicatur: alterum eſt vehementiſſimum, quod & ad graviores res pertinet, & non honorariam operam amici, ſed ſeveritatem judicis, ac vim requirit. Quod eſt gravius, & cujus rei cauſa maximè judicia conſtituta ſunt, id jam *mala conſuetudine* diſſolutum eſt. nam UT QUÆQUE res eſt turpiſſima; ſic maximè, & [3] maturiſſimè judicanda eſt. at ea, in qua exiſtimationis pericu-
3 lum eſt, tardiſſimè judicatur. Quî igitur convenit, quæ cauſa fuerit ad conſtituendum judicium, eandem, moram eſſe ad judicandum? Si quis, quod *ſpopondit*, qua in re verbo ſe uno obligavit, id non facit, maturo judicio, ſine ulla religione judicis condemnatur. qui per tutelam, aut ſocietatem, aut rem mandatam, aut fiduciæ rationem, fraudavit quempiam, in eo, quò delictum majus eſt, eò pœna eſt tardior. eſt enim turpe judicium. & [4] facto quidem turpe. Videte igitur quàm iniquè accidat, quia res indigna ſit, ideò turpem exiſtimationem ſequi: quia turpis exiſtimatio ſequatur, ideò rem indignam non judicari. At ſi quis mihi hoc judex, recuperatorve dicat, *Potuiſti* enim leviore actione confligere: potuiſti ad tuum jus faciliore, & commodiore judicio pervenire. quare aut muta actionem, aut noli mihi inſtare, ut judicem. tamen is aut timidior videatur, quàm fortem, aut cupidior, quàm ſapientem judicem eſſe æquum eſt, ſi aut mihi præſcribat, quemadmodum meum jus perſequar, aut ipſe id, quod ad ſe delatum ſit, non audeat judicare. Etenim ſi prætor is, qui judicia dat, numquam petitori præſtituit, qua *actione* illum uti velit. videte quàm iniquum ſit, conſtituta jam re, judicem, quid agi potuerit, aut quid poſſit, non *quid actum ſit*, quærere. Verumtamen nimiæ veſtræ benignitati pareremus, ſi alia ratione jus noſtrum recuperare poſſemus. Nunc verò QUIS EST, qui aut vim armatis hominibus factam relinqui putet oportere, aut ejus rei [5] leviorem actionem nobis aliquam demonſtrare poſſit? Ex quo genere peccati, ut illi clamitant, vel injuriarum, vel capitis judicia conſtituta ſunt, in eo poteſtis atrocitatem noſtram reprehendere, cùm videatis nihil aliud actum, niſi poſſeſſionem per interdictum eſſe repetitam? Verùm ſive vos *exiſtimationis* illius periculum, ſive 4
juris dubitatio tardiores fecit adhuc ad judicandum: alterius rei cauſam voſmetipſi jam vobis, ſæpius prolato judicio, ſuſtuliſtis: alterius ego vobis hodierno die cauſam profectò auferam, ne diutius de controverſia noſtra, ac de communi jure dubitetis. Et, ſi fortè videbor altiùs initium rei demonſtrandæ petiſſe, [6] quàm me ratio juris, & jus, de quo judicium eſt, & natura cauſæ coëgerit, quæſo ut ignoſcatis. non enim minùs laborat A. Cæcina, ne *ſummo jure* egiſſe, quàm ne *certum jus* non obtinuiſſe videatur. M. Fulcinius fuit, recuperatores, è municipio Tarquinienſi, qui & domi ſuæ cum primis honeſtus exiſtimatus eſt, & Romæ argentariam non ignobilem fecit. Is habuit in matrimonio Cæſenniam, eodem è municipio, ſummo loco natam, & probatiſſimam fœminam, ſicut & vivus multis ipſe rebus oſtendit, & *in morte ſua teſtamento declaravit*. Huic Cæſenniæ fundum in agro Tarquinienſi vendidit temporibus illis difficillimis ſolutionis. Cùm uteretur dote uxoris numerata: quo mulieri eſſet res cautior, curavit, ut in eo *fundo* dos collocaretur. Aliquanto poſt, jam argentaria diſſoluta, Fulcinius huic fundo uxoris continentia quædam prædia, atque adjuncta mercatur. Moritur Fulcinius: (multa enim, quæ ſunt in re, quia remota ſunt à cauſa, prætermittam) teſtamento facit heredem, quem habebat è Cæſennia filium: uſumfructum omnium bonorum ſuorum Cæſenniæ legat, ut frueretur una cùm filio. Magnus *honos* viri, jucundus mulieri fuiſſet, ſi diuturnum eſſe licuiſſet. frueretur enim bonis cum eo, quem ſuis bonis heredem eſſe cupiebat, & ex quo maximum fructum ipſa capiebat. [7] Sed hunc fructum maturè fortuna ademit. nam brevi tempore M. Fulcinius adoleſcens mortuus eſt: heredem P. Cæſennium fecit: uxori grande pondus argenti, matrique partem bonorum majorem legavit. Itaque in partem mulieres vocatæ ſunt. Cùm eſſet hæc auctio hereditaria conſtituta: 5
Æbutius iſte, qui jamdiu Cæſenniæ viduitate, ac ſolitudine aleretur, ac ſe ejus in familiaritatem inſinuaſſet hac ratione, ut cum

1. *Sin à conſuetudine recedatur.*] Ita Lambinus, & adſtipulatur ei ed. antiquiſſima anni ſcil. CCCCLXXXIII & LXXXVIII. quatenus habet, *ſi non à conſ.* nam annis duobus junior vulgato ſubſervit, *ſin è conſ.* quod & in Pall. quorum tantum hanc habent orationem.

2. *Moram ad condemnand. acquiſiſſe.*] Gulielm. conjicit, *anquiſiſſe.*

3. *Maturiſſime judicanda eſt.*] Erphurdienſis codex, *vindicanda.* forſan melius.

4. *Et facto quidem turpe.*] P. Manutius *factum*, ſed e conjectura.

5. *Leviorem actionem*, &c.] Neſcio an non poſſit locum habere quod eſt in Pal. *leniorem.*

6. *Quàm me ratio juris, & jus de quo, &c.*] Lambinus, & *vis de qua;* Gulielmius, *juris ejus de quo.* natumque vult errorem, quod veteres duplicarent *i*, ut docet Quintilianus; affirmans Tullium perpetuo ſcripſiſſe *aijo*, *Maijam*, &c.

7. *Sed hunc fructum maturè fortuna ademit.*] Lambinus conjicit *præmaturè.* Gulielmius, *naturæ.* non video quare.

1. *Se ipſe*

ut cum aliquo *ſuo compendio* negotia mulieris, ſiqua acciderent, controverſiaſque ſuſciperet: verſabatur quoque eo tempore in his rationibus auctionis, & partitionis: atque etiam [1] ſe ipſe inferebat, & intrudebat: & in eam opinionem Cæſenniam adducebat, ut *mulier imperita* nihil putaret agi callidè poſſe, ubi non adeſſet Æbutius. Quam perſonam jam ex quotidiana cognoſcitis vita, recuperatores, [2] mulierum aſſentatoris, cognitoris viduarum, defenſoris nimiùm litigioſi, conciti ad rixam, inepti ac ſtulti inter viros, INTER MULIERES PERITI JURIS, ET CALLIDI: hanc perſonam imponite Æbutio. is enim Cæſenniæ fuit Æbutius: ne fortè quæratis, num propinquus? nihil alienius. amicus aut à patre, aut à viro traditus? nihil minùs. quis igitur? ille, quem ſuprà deformavi: voluntarius amicus mulieris, non neceſſitudine aliqua, ſed *ficto officio*, ſimulataque ſedulitate conjunctus: magis opportuna opera nonnumquam, quàm aliquando fideli. Cùm eſſet, ut dicere inſtitueram, conſtituta auctio Romæ, ſuadebant amici, cognatique Cæſenniæ, id quod ipſi quoque mulieri in mentem veniebat; quoniam poteſtas eſſet emendi fundum illum Fulcinianum, qui fundo ejus antiquo continens eſſet, nullam eſſe rationem, amittere ejuſmodi *occaſionem*; cùm præſertim pecunia ex partitione deberetur: nuſquam eam poſſe meliùs collocari. itaque mulier facere conſtituit: mandat ut fundum ſibi emat. Cui tandem? cui putatis? an non in mentem venit omnibus, hominis illius ad hoc munus, & ad omnia mulieris negotia parati, ſine quo nihil ſatis cautè, nihil ſatis callidè agi poſſet? rectè attenditis.
6 Æbutio negotium datur. Adeſt ad tabulam. licetur Æbutius. deterrentur emtores multi, partim gratia Cæſenniæ: partim etiam pretio. fundus addicitur Æbutio: pecuniam argentario promittit Æbutius. quo *teſtimonio* nunc vir optimus utitur, ſibi emtum eſſe. quaſi verò aut nos ei negemus addictum, aut tum quiſquam fuerit, qui dubitarit, quin emeretur Cæſenniæ, cùm id pleriqne ſcirent: omnes ferè audiſſent: hi conjectura aſſequi poſſent, cùm pecunia Cæſenniæ ex illa hereditate deberetur: eam porrò *in prædiis collocari* maximè expediret: eſſent autem prædia, quæ mulieri maximè convenirent: ea venirent: liceretur is, quem Cæſenniæ dare operam nemo miraretur: ſibi emere nemo poſſet ſuſpicari. Hac emtione facta, pecunia ſolvitur à Cæſennia. cujus rei putat iſte rationem reddi non poſſe, quòd ipſe *tabulas averterit:* ſe autem habere argentarii tabulas, in quibus ſibi expenſa pecunia lata ſit, acceptaque relata: quaſi id aliter fieri oportuerit. Cùm omnia ita facta eſſent, quemadmodum nos defendimus, Cæſennia fundum poſſedit, locavitque: neque ita multo poſt A. Cæcinæ nupſit. Ut in pauca conferam, teſtamento facto mulier moritur. facit *heredem* ex deunce, & ſemuncia Cæcinam: ex duabus ſextulis M. Fulcinium, libertum ſuperioris viri: Æbutio ſextulam adſpergit. hanc ſextulam illa *mercedem* iſti eſſe voluit aſſiduitatis, & moleſtiæ, ſiquam ſuſceperat. Iſte autem hac ſextula ſe anſam retinere omnium controverſiarum
7 putat. Jam principiò auſus eſt dicere, non poſſe heredem eſſe Cæſenniæ Cæcinam: quòd is *deteriore jure* eſſet, quàm ceteri cives, propter incommodum Volaterranorum, calamitatemque civilem. Itaque homo timidus, imperituſque, qui neque animi, neque conſilii ſatis haberet, non putavit eſſe tanti hereditatem, ut de *civitate* in dubium veniret. conceſſit, credo, Æbutio, quantum vellet, de Cæſenniæ bonis ut haberet: immò, ut viro forti, ac ſapienti dignum fuit, ita calumniam, ſtultitiamque *obtrivit*, ac contudit. [3] In poſſeſſione bonorum cum eſſet, & cùm ipſe ſextulam ſuam nimium exaggeraret, nomine heredis *arbitrum* familiæ erciſcundæ poſtulavit. atque illis paucis diebus, poſteaquam videt nihil ſe ab A. Cæcina poſſe, litium terrore, abradere: homini Romæ in foro denuntiat, fundum illum, de quo antè dixi, cujus iſtum emtorem demonſtravi fuiſſe, mandatu Cæſenniæ, ſuum eſſe, ſeque ſibi emiſſe. [4] Quid ais? Iſtius ille fundus eſt, quem ſine ulla *controverſia* quadriennium, hoc eſt, ex quo tempore fundus veniit, quoad vixit, poſſedit Cæſennia? Uſus enim, inquit, ejus, & fructus fundi, teſtamento viri, fuerat Cæſenniæ. Cùm hoc novæ litis genus tam malitioſe intenderet, placuit Cæcinæ, [5] de amicorum ſententia conſtituere, quo die in rem præſentem veniretur, & de fundo Cæcina moribus deduceretur. Colloquuntur. dies ex utriuſque commodo ſumitur. Cæcina cum amicis ad diem venit in caſtellum Axiam: ex quo loco fundus is, de quo agitur, non longè abeſt. Ibi certior fit à pluribus, homines permultos, liberos, atque ſervos, coëgiſſe, & armaſſe Æbutium. Cùm id partim mirarentur, partim non crederent: ecce ipſe Æbutius in caſtellum venit. denuntiat Cæcinæ ſe armatos habere: abiturum eum non eſſe, ſi acceſſiſſet. Cæcinæ placuit, & amicis, quoad videretur *ſalvo capite* fieri poſſe, experiri. Tum de caſtello deſcendunt: in fundum proficiſcuntur: videtur *temerè* commiſſum. verùm, ut opinor, hoc fuit cauſæ. tam temerè iſtum re commiſſurum, [6] quàm verbis nuntiabatur,
nemo putavit. Atque iſte ad omneis introitus, quà adiri 8
poterat non modò in eum fundum, de quo controverſia fuerat, ſed etiam in illum proximum, de quo nihil ambigebatur, *armatos* homines opponit. Itaque primò cùm in antiquum fundum ingredi vellet, quòd eà proximè accedi poterat: frequentes armati obſtiterunt. Quo loco depulſus Cæcina, tamen, quà potuit, ad eum fundum [7] profectus; ex quo ex conventu vim fieri oportebat. ejus autem fundi extremam partem *oleæ* directo ordine definiunt. Ad eas cùm accederetur, iſte cum omnibus copiis præſto fuit, ſervumque ſuum, nomine Antiochum, ad ſe vocavit, & clara voce imperavit, ut eum, qui illum olearum ordinem intraſſet, *occideret*. Homo, mea ſententia, prudentiſſimus Cæcina, tamen in hac re plus mihi animi, quam conſilii videtur habuiſſe. nam cùm & armatorum multitudinem videret, & eam vocem Æbutii, quam commemoravi, audiſſet: tamen acceſſit propius, & jam ingrediens intra finem ejus loci, quem oleæ terminabant, impetum armati Antiochi, ceterorumque tela, atque incurſus refugit. Eodem tempore ſe in fugam conferunt unà amici, advocatique ejus, *metu perterriti*, quemadmodum illorum teſtem dicere audiſtis. His rebus ita geſtis, P. Dolabella prætor interdixit, ut eſt conſuetudo, DE VI, HOMINIBUS ARMATIS, ſine ulla exceptione, tantum, ut, unde dejeciſſet, reſtitueret. Reſtituiſſe ſe dixit. [8] ſponſio facta eſt. hac de ſponſione vobis
judicandum eſt. Maximè fuit optandum Cæcinæ, recupe- 9
ratores, ut controverſiæ nihil haberet: ſecundo loco, ut ne cum tam improbo homine: tertio, ut cum tam ſtulto haberet. etenim non minus nos *ſtultitia* illius ſublevat, quàm lædit *improbitas*. improbus fuit, quòd homines coëgit, armavit: coactis, armatiſque vim fecit. læſit in eo Cæcinam. ſublevavit ibidem. nam in eas ipſas res, quas improbiſſimè fecit,

1. *Se ipſe inferebat.*] Ita & mſſ. noſtri: ſecunduſque ſtatim poſtea *introdabat*, pro *intrudebat*. Gulielmius malebat, *ingerebat*. P. Manutius *inſerebat*.

2. *Mulierum aſſentatoris.*] Gulielmius inclinabat, in *aſſectatoris*.

3. *In poſſeſſione bonorum cum eſſet.*] Editio anni CCCCXCIX. habet *poſſeſſiones*: unde putabat Gulielmius fieri, *In poſſeſſiones bonorum cùm iſſet*. & vero illud *poſſeſſiones* extat item in Pal. pr. ac ſec.

4. *Quid ais? Iſtius ille fundus eſt &c.*] Paullus Manutius, & Lambinus, *Tuus ille fundus eſt, &c.* non è libris tamen, ſed ex hariolatione Hotomanni.

5. *De amicorum ſententia conſtituere quo die in rem.*] Lambinus, *diem conſtituere, quo die*; ſed nullius libri fide.

6 *Quam verbis minitabatur.*] Sic Turingicus liber Suffridi Petrei, & placuit Gulielmio, neque mihi diſplicet. nam licet Pal. pr. & vetuſte cuſi ſtent pro recepta lectione; eſt tamen in ſec. aut *minitabatur*, aut certe *immitabatur*.

7. *Profectus, ex quo ex conventu.*] Pal. ſec. *in quo*. hodiè cuſi habent; *profectus eſt, ex quo &c.* ſed verbulum illud manavit ab Hotomani arbitratu; in nullo eſt edito ſcriptove.

8. *Sponſio facta eſt. hac de ſponſione vobis, &c.*] Pall. noſtri, item tres edit. antiquiſſimæ, non agnoſcunt illa, *ſponſio facta eſt. hac de.* eximnent otioſiores. nam non de nihilo libri tot conſpirant.

1. *Nihil*

fecit, teſtimonia ſumſit, & eis in cauſa teſtimoniis utitur. itaque mihi certum eſt, recuperatores, antequàm ad meam defenſionem, meoſque teſteis venio, *illius uti confeſſione*, & teſtimoniis. Quid confitetur, atque ita libenter confitetur, ut non ſolùm fateri, ſed etiam profiteri videatur, recuperatores? Convocavi homines: coëgi: armavi: terrore mortis, ac periculo capitis, ne accederes, obſtiti: ferro, (inquit) *ferro*, (& hoc dicit in judicio) te rejeci, atque perterrui. Quid? teſtes quid ajunt? P. Vetilius, propinquus Æbutii, ſe Æbutio cum armatis ſervis veniſſe advocatum. Quid præterea? fuiſſe complureis armatos. Quid aliud? minatum eſſe Æbutium Cæcinæ. Quid ego de hoc teſte dicam, niſi hoc, recuperatores, ut idcircò non minùs ei credatis, quòd homo minùs idoneus habetur: ſed ideò credatis, quòd ex illa parte id dicit, quod illi cauſæ maximè eſt *alienum*? A. Terentius, alter teſtis, non modò Æbutium, ſed etiam ſe ipſum arguit. in Æbutium hoc dicit, armatos homines fuiſſe: de ſe autem hoc prædicat, Antiocho, Æbutii ſervo, imperaſſe, ut in Cæcinam advenientem, cum ferro invaderet. Quid loquar amplius hoc de homine? in quem ego dicere, cùm rogarer à Cæcina, numquam volui, ne arguere illum *rei capitalis* viderer: de eo dubito nunc, quomodo aut loquar, aut taceam, cùm ipſe hoc de ſe juratus prædicet. deinde L. Cœlius non ſolùm Æbutium cum armatis dixit fuiſſe compluribus, verùm etiam cum advocatis perpaucis eo veniſſe Cæcinam. De hoc ego teſte detraham: cui æquè, atque *meo teſti*, ut credatis, poſtulo?

10 P. Memmius ſecutus eſt, qui ſuum non parvum beneficium commemoravit in amicos Cæcinæ, quibus ſeſe viam per fratris ſui fundum dediſſe dixi, quà effugere poſſent, cùm eſſent metu omneis perterriti. Huic ego teſti gratias agam, quòd & in re miſericordem ſe præbuit, & in teſtimonio *religioſum*. A. Atilius, & ejus filius L. Atilius, & armatos ibi fuiſſe, & ſe ſuos armatos adduxiſſe dixerunt: etiam hoc ampliùs: cum Æbutius Cæcinæ *malum* minaretur, ibi tum Cæcinam poſtulaſſe, ut moribus deductio fieret. Hoc idem P. Rutilius dixit, & eo libentiùs dixit, ut aliquo in judicio ejus teſtimonio creditum putaretur. Duo præterea teſtes [1] nihil de vi, ſed de ipſa emtione fundi dixerunt. P. Cæſennius, auctor fundi, non tam *auctoritate* gravi, quàm corpore: & argentarius Sex. Clodius, cui nomen eſt *Phormio*, nec minus niger, nec minus confidens, quàm ille Terentianus eſt Phormio, nihil de vi dixerunt, nihil præterea, quod ad veſtrum judicium pertineret. Decimo verò loco teſtis exſpectatus, & *ad extremum reſervatus*, dixit, ſenator populi Romani, ſplendor ordinis, decus atque ornamentum judiciorum, exemplar antiquæ religionis, Fidiculanius Falcula: qui cùm ita vehemens, acerque veniſſet, ut non modò Cæcinam perjurio ſuo læderet, ſed etiam mihi videretur iraſci; ita eum placidum, mollemqne reddidi, ut non auderet, ſicut meminiſtis, iterum dicere, quot millia fundus ſuus abeſſet ab urbe. nam cùm dixiſſet [2] minùs abeſſe LIII. populus cum riſu acclamavit, *ipſa eſſe*. meminerant enim omnes, quantum in Albiano judicio *accepiſſet*. In eum quid dicam, niſi id, quod negare non poſſit? veniſſe in conſilium publicæ quæſtionis, cùm ejus conſilii judex non eſſet: & in eo conſilio, cùm cauſam non audiſſet, & poteſtas eſſet ampliandi, dixiſſe SIBI LIQUERE: dum incognita re judicare voluiſſet, maluiſſe condemnare, quàm abſolvere: cùm, ſi uno minùs damnarent, condemnari reus non poſſet, non ad cognoſcendam cauſam, ſed ad *explendam* damnationem præſtò fuiſſe. Utrùm gravius aliquid in quempiam dici poteſt, quàm ad hominem condemnandum, quem numquam vidiſſet, neque audiſſet, adductum *pretio* eſſe? An certius quidquam objici poteſt, quàm quod is, cui objicitur, ne nutu quidem infirmare conatur? Verumtamen is teſtis, ut facilè intelligeretis, eum non adfuiſſe animo, cùm ab illis cauſa ageretur, teſteſque dicerent, ſed tantiſper de aliquo reo cogitaſſe: cùm omnes ante eum dixiſſent teſtes, armatos cum Æbutio fuiſſe complureis: ſolus dixit non fuiſſe. Viſus eſt mihi primò veterator intelligere præclarè, quid cauſa optaret: & tantummodò errare, quòd omneis teſteis infirmaret, qui ante eum dixiſſent: cùm ſubitò ecce idem, qui ſolet, ſuos ſolos ſervos armatos fuiſſe dixit. Quid huic tu homini facias? nonne 11
concedas interdum, ut excuſatione ſummæ ſtultitiæ, ſummæ improbitatis odium deprecetur? Utrùm, recuperatores, his teſtibus non crediditis, cùm, quid liqueret, non habuiſtis? At controverſia non erat, quin verum dicerent. An in coacta multitudine, in armis, in telis, in præſenti metu mortis, perſpicuo periculo cædis, dubium vobis fuit, utrùm eſſe *vis aliqua* videretur, necne? Quibus igitur in rebus vis intelligi poteſt, ſi in his non intelligetur? An verò illa defenſio vobis præclara viſa eſt? Non dejeci, ſed obſtiti. non enim te ſum paſſus in fundum ingredi: ſed armatos homines oppoſui: ut intelligeres, ſi in fundo pedem poſuiſſes, ſtatim tibi eſſe pereundum. Quid ais? is, QUI ARMIS perterritus, fugatus, pulſus eſt, non videtur eſſe dejectus? poſteriùs de verbo videbimus: nunc rem ipſam ponamus; quam illi non negant: & ejus rei jus, actionemque quæramus. Eſt hæc res poſita, quæ ab adverſario non negatur: Cæcinam, cùm ad conſtitutam diem, tempuſque veniſſet, [2] ut jus ac deductio moribus fieret, pulſum, prohibitumque eſſe vi, coactis hominibus, & armatis. Cùm hoc conſtet, ego homo imperitus juris, ignarus negotiorum, ac litium, hanc puto me habere actionem, ut per interdictum, meum jus teneam, atque injuriam tuam perſequar. Fac in hoc errare me, nec ullo modo poſſe per hoc interdictum id aſſequi, quod velim. te uti in hac re magiſtro volo. Quæro, ſitne aliqua hujus rei actio, an nulla, convocari homines propter poſſeſſionis controverſiam non oportet: armari multitudinem, juris retinendi cauſa, non convenit: NEC JURI quidquam tam inimicum, quam vis: nec æquitati quidquam tam infeſtum eſt, quàm convocati homines, & armati. Quod cùm ita ſit, reſque ejuſmodi ſit, 12
ut in primis à magiſtratibus animadvertenda eſſe videatur, iterum quæro, ſitne ejus rei aliqua actio, an nulla. nullam eſſe dices? audire cupio: qui in pace, & otio, cùm manum fecerit, copias pararit, multitudinem hominum coëgerit, armarit, inſtruxerit, homines inermeis, qui ad conſtitutum experiundi juris gratia veniſſent, armis, viris, terrore, periculoque mortis repulerit, fugarit, averterit, hoc dicat, Feci equidem, quæ dicis, omnia: & ea ſunt & *turbulenta*, & temeraria, & periculoſa. Quid ergo eſt? impunè feci. nam quid agas mecum ex jure civili, ac prætorio, non habes. Itane verò, recuperatores? hoc vos audietis? & apud vos dici patiemini ſæpius? cùm majores noſtri tanta diligentia, prudentiaque fuerint, ut omnia omnium non modò tantarum rerum, ſed etiam tenuiſſimarum jura ſtatuerint, perſequutique ſint, ut hoc genus unum, vel maximum prætermitterent: ut, ſiqui me *exire domo* mea coëgiſſent armis, haberem actionem; ſiqui introire prohibuiſſent, non haberem? Nondum de Cæcinæ cauſa diſputo, nondum de jure poſſeſſionis noſtræ loquor. tantum de tua defenſione, C. Piſo, queror. Quando ita dicis, & ita conſtituis, Si Cæcina, cùm in fundo eſſet, inde dejectus eſſet, tum per hoc interdictum eum reſtitui oportuiſſe: nunc verò dejectum nullo modo eſſe inde, ubi non fuerit: hoc interdicto nihil nos aſſecutos eſſe: quæro, ſi te hodie domum tuam redeuntem coacti homines, & armati, non modò limine, tectoque ædium tuarum, ſed primo aditu, veſtibuloque prohibuerint, quid acturus ſis. Monet amicus meus

1. *Nihil de vi, ſed de ipſa emptione fundi.*] Pal. pr. *ipſa .... atque emptione.* neque aliter ſecundus, ſed ſine ſpatio vacuo. ergo deeſt aliquid oportet.

2. *Minus abeſſe* LIII. *populus.*] Pall. ambo & editio primogenia ſervant, *minus habere* LIII. quod perpendent religioſiores Tullii amatores.

3. *Ut jus ac deductio.*] Habet & Pal. ſec. illud Lambini *vis*.

I. An;

meus te, L. Calpurnius, ut idem dicas, quod ipſe antea di-
xit, injuriarum. Quid? ad cauſam poſſeſſionis: quid? ad
reſtituendum eum, quem oportet reſtitui: quid denique?
ad jus civile, [1] aut ad actoris notionem, & ad animadverſio-
nem, ages injuriarum? Plus tibi ego largiar. non ſolùm
egeris, verùm etiam condemnaris licet: numquid magis
poſſidebis? ACTIO enim injuriarum non jus poſſeſſionis
aſſequitur, ſed dolorem imminutæ libertatis, judicio, pœ-
13 naque mitigat. Prætor interea, Piſo, tanta de re tacebit?
quemadmodum te reſtituat in ædeis tuas, non habebit?
Qui dies totos aut vim fieri vetat, aut reſtitui factam jubet:
qui de foſſis, de cloacis, de minimis aquarum, itinerumque
controverſiis interdicit, is repentè obmuteſcet? in atrociſ-
ſima re quid faciat, non habebit? &, C. Piſone domo te-
ctiſque ſuis prohibito, prohibito, inquam, per homines
coactos, & armatos, prætor quemadmodum more, & exem-
plo opitulari poſſit, non habebit? Quid enim dicet? aut
quid tu, tam inſigni accepta injuria, poſtulabis? Unde *vi
prohibitus* ſis, nemo umquam interdixit. novum eſt, non
dico inuſitatum, verum omnino inauditum. Unde *deje-
ctus*? quid proficies, cùm illi hoc reſpondebunt tibi, quod
tu nunc mihi: armatos ſe tibi obſtitiſſe, ne in ædeis accede-
res: dejici porrò nullo modo potuiſſe, qui non acceſſerit?
Dejicior ego, inquis, ſiquis meorum dejicitur. Omnino.
jam bene agis. à verbis enim recedis, & *æquitate* uteris.
nam verba ipſa ſi ſequi volumus, quomodo tu dejiceris, cum
ſervus tuus dejicitur? Verum ita eſt, uti dicis. te dejectum
debeo intelligere, etiamſi tactus non fueris. nonne? Age
nunc, ſi ne tuorum quidem quiſquam loco motus erit, at-
que omneis in ædibus adſervati, ac retenti: tu ſolus pro-
hibitus, & à tuis ædibus *vi, atque armis* perterritus: u-
trum hanc actionem habebis, quâ nos uſi ſumus, an aliam
quampiam, an omnino nullam? nullam eſſe actionem
dicere in re tam inſigni, tamque atroci, neque pruden-
tiæ, neque auctoritatis tuæ eſt. alia ſiqua fortè eſt, quæ nos
fugerit, dic, quæ ſit. cupio diſcere. Hæc ſi eſt, qua nos
uſi ſumus: te judice, vincamus neceſſe eſt. non enim ve-
reor, ne hoc dicas, in eadem cauſa, eodem interdicto, te
oportere reſtitui, Cæcinam non oportere. Etenim cui per-
ſpicuum non ſit, ad incertum revocari bona, fortunas, poſ-
ſeſſiones omnium, ſi ulla ex parte ſententia hujus interdi-
cti deminuta, aut infirmata ſit? ſi auctoritate virorum ta-
lium, [2] jus armatorum hominum, judicio approbatum vi-
deatur; in quo judicio non de armis dubitatum, ſed de
verbis quæſitum eſſe dicatur? Is ne apud vos obtinebit
cauſam ſuam, qui ſe ita defenderit? Ejeci ego te armatis ho-
minibus, non dejeci. ut tantum facinus non in æquitate
defenſionis, ſed *in una litera* latuiſſe videatur? hujuſce rei
vos ſtatuetis nullam eſſe actionem, [3] nulli experiundi jus
conſtitutum, quòd obſtiterit armatis hominibus? qui mul-
titudine coacta, non introitu, ſed omnino aditu quempiam
14 prohibuerit? [4] Quid ergo? hoc, quam habet vim? ut illa
res aliquid aliqua ex parte differre videatur, utrùm, pe-
dem cùm intulero, atque in poſſeſſionem veſtigium fece-
ro, tum expellar, atque dejiciar: an quum eadem vi, atque
iiſdem armis mihi antè occurratur, ne non modò intrare,
verùm etiam adſpicere, aut adſpirare poſſim? quî hoc ab
illo differt? ut ille rogatur reſtituere, qui ingreſſum ex-
pulerit: ille, qui ingredientem repulerit, non cogatur? Vi-
dete, per deos immortaleis, quod jus nobis, quam condi-
tionem *vobumetipſis*, quam denique civitati legem conſti-
tuere velitis. Hujuſce generis una eſt actio per hoc inter-
dictum, quo nos uſi ſumus conſtituta. ea ſi nihil valet, aut
ſi ad hanc rem non pertinet: quid negligentius, aut quid
ſtultius majoribus noſtris dici poteſt, qui aut tantæ rei præ-
termiſerint actionem: aut eam conſtituerint, quæ nequa-
quam ſatis verbis cauſam, & rationem juris amplecteren-
tur? Periculoſum eſt diſſolvi hoc interdictum: eſt captio-
ſum omnibus, rem ullam conſtitui ejuſmodi, quæ, cùm
armis geſta ſit, reſcindi jure non poſſit, verumtamen eſt
turpiſſimum illud, tantæ ſtultitiæ prudentiſſimos homines
condemnari, ut vos judicetis, hujus rei interdictum, atque
actionem in mentem majoribus noſtris non veniſſe. Que-
ramur, inquit, licet: tamen hoc interdicto Æbutius non
tenetur. Quid ita? Quod vis Cæcinæ facta non eſt. Dici in
hac cauſa poteſt, UBI ARMA fuerint, ubi coacta homi-
num multitudo, ubi inſtructi, & certis locis cum ferro
homines collocati, ubi minæ, pericula, terroreſque mortis,
ibi vim non fuiſſe? Nemo, inquit, occiſus eſt, neque ſau-
cius. Quid ais? cum de poſſeſſionis controverſia, & de pri-
vatorum hominum contentione juris loquamur, tu vim ne-
gabis eſſe factam, ſi cædes, & *occiſio* facta non erit? Ego ex-
ercitus maximos, ſæpe pulſos, & fugatos eſſe dico, *terrore*
ipſo, impetuque hoſtium, ſine cujuſquam non modò mor-
te, verùm etiam vulnere. Etenim, recuperatores, NON EA 15
ſola vis eſt, quæ ad corpus noſtrum, vitamque pervenit, ſed
etiam multo major ea, quæ, periculo mortis injecto, for-
midine animum perterritum, loco ſæpe, & certo de ſtatu
demovet. Itaque ſaucii ſæpe homines, cùm corpore debi-
litantur, animo tamen non cedunt, neque eum relinquunt
locum, quem ſtatuerint defendere. At alii pelluntur inte-
gri: ut non dubium ſit, quin *major* adhibita vis ei ſit, cujus
animus ſit perterritus, quàm illi, cujus corpus vulneratum
ſit. Quòd ſi vi pulſos dicimus exercitus eſſe eos, qui metu,
ac tenui ſæpe ſuſpicione periculi fugerunt: &, ſi non ſo-
lùm impulſu ſcutorum, neque conflictu corporum, neque
ictu comminus, neque conjectione telorum: ſed ſæpe *cla-
more ipſo* militum, aut inſtructione, adſpectuque ſignorum
magnas copias pulſas eſſe, & vidimus, & audivimus: quæ
vis in bello appellatur, ea in otio non appellabitur? &,
quod vehemens in re militari putatur, id leve in jure civili
judicabitur? &, quod exercitus armatos movet, id advo-
cationem togatorum non videbitur moviſſe? & vulnus
corporis magis iſtam vim, quàm terror animi declarabit:
& ſauciatio quæretur, cùm fugam factam eſſe conſtabit?
Tuus enim teſtis hoc dixit, metu perterritis noſtris advo-
catis, locum, quà effugerent, demonſtraſſe. Qui non modò
ut fugerent, ſed etiam ipſius fugæ tutam viam quæſierunt,
his vis adhibita non videbitur? Quid igitur fugiebant?
propter metum. Quid metuebant? vim videlicet. Poteſtis
igitur principia negare, cùm extrema conceditis? Fugiſſe
perterritos confitemini: cauſam fugæ dicitis eandem, quam
omnes intelligimus, arma, multitudinem hominum, in-
curſionem, [5] atque impetum armatorum: hæc ubi con-
ceduntur eſſe facta, ibi vis facta negabitur? At verò hoc 16
quidem jam vetus eſt, & majorum *exemplo* multis in re-
bus uſitatum: cùm ad vim faciendam veniretur, ſi quos
armatos quamvis procul conſpexiſſent, ut ſtatim teſtificati
diſcederent, optimè ſponſionem facere poſſent, NI AD-
VERSUS EDICTUM PRÆTORIS VIS FACTA
ESSET. Itane vero? ſcire eſſe armatos, ſatis eſt, ut vim
factam probes: in manus eorum incidere, non eſt ſatis?
adſpectus armatorum ad vim probandam valebit: incurſus,
& impetus non valebit? qui abierit, faciliùs ſibi vim fa-
ctam probabit, quàm qui effugerit? At ego hoc dico: ſi,
ut primò in caſtello Cæcinæ dixit Æbutius, ſe homines
coëgiſſe,

1. *Aut ad actoris notionem & animadverſionem.*] Hotomanus emendat, *cum ad actoris ultionem & animadv. agatur injuriarum.* Gulielmius conjicit, *aut ad auctoris notationem, &c.* Cujacius citat vulgatum libro v. Emend. cap. 7.

2. *Jus armatorum hominum judicio approbatum.*] Lambinus, *vis arm. hom. jud. approbata*, verum præter libros, ſecutus ſcilicet ſententiam Hotomani; tanquam armatorum nullum ſit jus.

3. *Nullum experiundi jus conſtitutum*] Eſt à Pal. ſec. atque Erfurdienſ. prius cuſi, *nulli.* minus Tulliane.

4. *Quid ergo? hoc quam habet vim? &c.*] Lambini offas hinc ejeci: ſecutus prius cuſos, atque membranas noſtras.

5. *Atque impetum armatorum.*] Sic Lambinus, firmaturque auctoritate Palat. ſecund. requiritque orationis curſus. vulgo, *armorum.*

coegiſſe, & armaſſe: neque illum, ſi eò acceſſiſſet, abiturum: ſtatim Cæcina diſceſſiſſet: dubitare vos non debuiſſe, quin Cæcinæ facta vis eſſet. ſi verò, ſimul ac procul conſpexit armatos, receſſiſſet: eò minùs dubitaretis. omnis enim vis eſt, quæ periculo aut decedere nos alicunde cogit, aut prohibet accedere. Quòd ſi aliter ſtatuetis: videte, ne hoc vos ſtatuatis, qui vivus diſceſſerit, ei vim non eſſe factam: ne hoc omnibus, in poſſeſſionum controverſiis, præſcribatis, ut confligendum ſibi, & armis decertandum putent: ne, quemadmodum in bello, *pœna ignavus* ab imperatoribus conſtituitur, ſic in judiciis deterior cauſa ſit eorum, qui fugerint, quàm qui ad extremum uſque contenderint. Cùm de jure, & legitimis hominum controverſiis loquimur, & in his rebus vim nominamus, pertenuis vis intelligi debet. Vidi armatos, quamvis paucos: magna vis eſt. deceſſi unius hominis telo perterritus: dejectus, detruſuſque ſum. Hoc ſi ita ſtatuetis: non modò non erit, cur depugnare quiſquam poſthac, poſſeſſionis cauſa, velit: ſed ne illud quidem, cur repugnare. Sin autem vim ſine cæde, ſine vulneratione, ſine ſanguine nullam intelligetis: ſtatuetis, homines *poſſeſſionis* cupidiores, quàm *vitæ* eſſe
17 oportere. Age verò, de vi te ipſum habebo judicem, Æbuti. reſponde, ſi tibi videtur. In fundum Cæcina utrum noluit tandem, an non potuit accedere? cùm te [1] obſtitiſſe, & repudiaſſe dicis, certè hunc voluiſſe concedis. Potes igitur dicere, non ei vim fuiſſe impedimento, cui, cùm cuperet, eoque conſilio veniſſet, per homines coactos non ſit licitum accedere? Si enim id, quod maximè voluit, nullo modo potuit: vis profectò quædam obſtiterit neceſſe eſt: aut tu dic, quamobrem, cum vellet accedere, non acceſſerit. Jam vim factam negare non potes. dejectus quemadmodum ſit, qui non acceſſerit, id quæritur. demoveri enim & depelli de loco neceſſe eſt eum, qui dejiciatur. id autem accidere ei quî poteſt, qui omnino in eo loco, unde ſe dejectum eſſe dicit, numquam fuit? Quòd ſi fuiſſet, & ex eo loco, *metu permotus*, fugiſſet, cùm armatos vidiſſet: diceresne eſſe dejectum? Opinor. An tu, qui tam diligenter, & tam callidè verbis controverſias, non æquitate, dijudicas: & jura non utilitate communi, ſed literis exprimis: poteriſne dicere, dejectum eſſe eum, qui tactus non erit? Quid? *detruſum* dices? nam eo verbo antea prætores in hoc interdicto uti ſolebant. Quid ais? poteſtne detrudi quiſquam, qui non attingitur? nonne, ſi verbum ſequi volumus, hoc intelligamus neceſſe eſt, eum detrudi, cui manus afferantur? neceſſe eſt, inquam, [2] ſi ad verbum rem volumus attingere, [3] neminem ſtatu detruſum, qui non adhibita vi, manu demotus, & actus præceps intelligatur. Dejectus verò quî poteſt eſſe quiſquam, niſi in inferiorem locum de ſuperiore motus? poteſt pulſus, fugatus, ejectus denique: illud verò nullo modo poteſt, *dejectus* eſſe quiſquam, non modò qui tactus non ſit, ſed ne æquo quidem, & plano loco. Quid ergo? hoc interdictum putamus eorum eſſe cauſa compoſitum, qui ſe præcipitatos ex locis ſuperioribus dicerent? eos enim verè poſſumus dicere eſſe
18 dejectos. An non, CUM VOLUNTAS, & conſilium, & ſententia interdicti intelligatur, impudentiam ſummam, aut ſtultitiam ſingularem putabimus, in verborum errore verſari: rem, & cauſam, & utilitatem communem non relinquere ſolùm, ſed etiam prodere? An hoc dubium eſt, quin neque verborum tanta copia ſit, non modò in noſtra lingua, quæ dicitur eſſe inops. ſed ne in alia quidem ulla, res ut omnes ſuis certis, ac *propriis vocabulis* nominentur? neque verò quidquam opus ſit verbis, cùm ea res, cujus cauſa verba quæſita ſint, intelligatur? Quæ lex, quod ſenatuſconſultum, quod magiſtratus edictum, quod fœdus, aut pactio, quod (ut ad privatas res redeam) teſtamentum: quæ judicia, aut ſtipulationes, aut pacti & conventi formula non infirmari, aut convelli poteſt, ſi *ad verba* rem deflectere velimus: conſilium autem eorum, qui ſcripſerunt, & rationem, & auctoritatem relinquamus? Sermo mehercule & familiaris, & quotidianus non cohærebit, ſi verba inter nos aucupabimur. denique imperium domeſticum nullum erit, ſi ſervulis hoc noſtris conceſſerimus, ut ad verba nobis obediant: non ad id, quod ex verbis intelligi poſſit, obtemperent. Exemplis nunc uti videlicet mihi neceſſe eſt harum rerum omnium? non occurrit unicuique veſtrûm aliud alii in omni genere exemplum, quod teſtimonio ſit, [4] non ex verbis aptum pendere jus, ſed *verba ſervire hominum conſiliis*, & auctoritatibus? Ornatè, & copioſè L. Craſſus, homo longè eloquentiſſimus, paullo antè, quàm nos in forum venimus, judicio centumvirali hanc ſententiam defendit, & facilè, cùm contra eum prudentiſſimus homo, Q. Mucius, diceret, probavit omnibus, M. Curium, qui heres inſtitutus eſſet ita, *mortuo poſtumo filio*: cùm filius non modò non mortuus, ſed ne natus quidem eſſet, heredem eſſe oportere. Quid? verbis ſatis hoc cautum erat? minime. quæ res igitur valuit? *voluntas*. quæ ſi tacitis nobis intelligi poſſet, verbis omnino non uteremur. quia non poteſt: verba reperta ſunt, non quæ impedirent, ſed quæ indicarent voluntatem.
[5] Lex *uſum*, & auctoritatem fundi jubet eſſe biennium. 19
At utimur eodem jure in ædibus, quæ in lege non appellantur. Si *via* ſit immunita, jubet, quà velit, agere jumentum. poteſt hoc ex verbis intelligi, licere, ſi via ſit in Brutiis immunita, agere, ſi velit, jumentum per M. Scauri Tuſculanum. Actio eſt in actorem præſentem his verbis, QUANDOQUIDEM TE IN JURE CONSPICIO. Hac actione Appius ille Cæcus uti non poſſet, ſi tam verè homines verba conſectarentur, quàm rem, cujus cauſa verba ſunt, non conſiderarent. Teſtamento ſi recitatus heres eſſet *pupillus* Cornelius, iſque jam annos XX haberet, vobis interpretibus amitteret hæreditatem. Veniunt in mentem mihi permulta: vobis plura, certò ſcio. verùm, ne nimiùm multa complectamur, atque ab eo, quod propoſitum eſt, longiùs aberret oratio: hoc ipſum interdictum, de quo agitur, conſideremus. Intelligetis enim in eo ipſo, ſi in verbis jus conſtituamus, omnem utilitatem nos hujus interdicti, dum verſuti, & callidi volumus eſſe, amiſſuros. UNDE TU, AUT FAMILIA, AUT PROCURATOR TUUS. Si me villicus tuus ſolus dejeciſſet: non familia dejeciſſet, ut opinor, ſed aliquis de familia. Rectè igitur diceres te reſtituiſſe? quippe. Quid enim facilius eſt, quam probari iis, qui Latinè ſciant, in uno ſervulo *familiæ* nomen non valere? Si verò ne habeas quidem ſervum, præter eum, qui me dejecerit: clames videlicet, Si habeo familiam, à familia mea fateor te eſſe dejectum. neque dubium eſt, quin, ſi ad rem judicandam verbo ducimur, non re: familiam intelligamus, quæ conſtet ex ſervis pluribus: quin unus homo, familia non ſit. verbum certè, hoc non modò poſtulat, ſed etiam cogit. At verò ratio juris, interdictique vis, & prætorum voluntas, & hominum prudentium conſilium, & auctoritas, reſpuat hanc defenſionem, & pro nihilo putet.
Quid ergo? iſti homines Latinè non loquuntur? immò verò 20
tantum loquuntur, quantum eſt ſatis ad intelligendam voluntatem: [6] cùm ſibi hoc propoſuerint, ut, ſive metu dejeceris, ſive tuorum quiſpiam, ſive ſervorum, ſive amicorum,

1. *Obſtitiſſe & repudiaſſe.*] Pal. ſec. *repuliſſe.* primus tamen ſtat a vulgata. *repudiare*, eſt repellere.

2. *Si ad verbum rem volumus attingere.*] Vox *attingere* à gloſſa mihi addita videtur. Hotomanus malebat *adſtringere*, alii *adjungere*. Gulielmius tuetur vulgatum, illo Plauti Mercatore: *Quæ nihil attingunt ad rem, neque ſunt uſui.*

3. *Neminem ſtatu detruſum.*] Lambinus *ſtatui*. ſed cur alterum ei diſplicuerit, ſcire vellem.

4. *Non ex verbis aptum pendere jus.*] Hæc eſt ſcriptura Pall. hæc Turing. & veritatis ejus veſtigium etiamnum hæret in olim cuſis; in quibus *actum*. Cic. lib. 1. Officiorum: *Honeſtum ex quo aptum eſt officium*; prius fuit *appenſum*. Gulielmius.

5. *Lex uſum & auct. fundi jubet eſſe biennium.*] Hotomanus conjicit *biennem*.

6. *Cum hoc ſibi propoſuerint, ut ſive me tu, &c.*] Quæ Lambinus heic inferciit, non inveni in Pall. & puto nuſpiam gentium ſcripta.

1. Verba

rum, ut ſervos non numero diſtinguant, ſed appellent uno familiæ nomine: de liberis autem quiſquis eſt, procuratoris nomine appelletur: non quò omnes ſint, aut appellentur procuratores, qui negotii noſtri aliquid gerant: ſed in hac re, cognita ſententia interdicti, [1] verba ſubtiliter exquiri omnia noluerunt. Non enim alia cauſa eſt æquitatis in uno ſervo, & in pluribus: non alia ratio juris in hoc genere duntaxat, utrùm me tuus procurator dejecerit is, qui legitimè procurator dicitur omnium rerum ejus, qui in Italia non ſit, abſitve reip. cauſa, quaſi quidam *penè dominus*, hoc eſt, alieni juris vicarius: an tuus colonus, aut vicinus, aut cliens, aut libertus, aut quivis, qui illam vim, dejectionemque tuo rogatu, aut tuo nomine fecerit. Quare, ſi ad eum reſtituendum, qui vi dejectus eſt, eandem vim habet æquitatis ratio: ea intellecta, certè nihil ad rem pertinet, quæ verborum vis ſit, ac nominum. Tam reſtitues, ſi tuus me libertus dejecerit, nulli tuo præpoſitus negotio, quàm ſi procurator dejecerit: non quò omnes ſint *procuratores*, qui aliquid noſtri negotii gerunt: ſed quòd in hac re quæri nihil attinet. Tam reſtitues, ſi unus ſervulus, quàm ſi familia dejecerit univerſa: [2] non quò idem ſit ſervulus unus, quod familia: verùm quia non, quibus verbis quidque dicatur, quæritur, ſed quæ res agatur. Etiam ut jam longiùs à verbo recedamus, ab æquitate ne tantulum quidem; ſi tuus ſervus nullus fuerit, ſed omnes alieni, ac mercenarii: tamen & ipſi, tuæ familiæ & genere, & nomine continebuntur.

21 Perge porrò hoc idem interdictum ſequi, HOMINIBUS COACTIS. Neminem coëgeris: ipſi convenerint ſua ſponte. certè cogit is, qui congregat homines, & convocat. *coacti* ſunt ii, qui ab aliquo ſunt unum in locum congregati. Si non modò convocati non ſunt, ſed ne convenerunt quidem: ſed ii modò fuerunt, qui etiam antea, non, vis ut fieret, verùm colendi, aut paſcendi cauſa, eſſe in agro conſueverant: defendes, homines coactos non fuiſſe: & verbo quidem ſuperabis, me ipſo judice: re autem, ne conſiſtes quidem ullo judice. Vim enim multitudinis reſtitui voluerunt, non ſolùm convocatæ multitudinis: ſed, quia *plerumque*, ubi multitudine opus eſt, homines cogi ſolent, ideò de coactis compoſitum interdictum eſt: quod, etiam ſi verbo differre videbitur, re tamen erit unum, & omnibus in cauſis idem valebit, in quibus perſpicitur una, atque eadem cauſa æquitatis. ARMATISVE. Quid dicemus? *armatos*, ſi Latinè loqui volumus, quos appellare verè poſſumus? opinor eos, qui ſcutis, teliſque parati, ornatique ſunt. Quid igitur? ſi glæbis, aut ſaxis, aut fuſtibus aliquem de fundo præcipitem egeris: juſſuſque ſis, quem hominibus armatis dejeceris, reſtituere: reſtituiſſe te dices? Verba ſi valent: ſi cauſæ non ratione, ſed vocibus ponderantur: me auctore dicito. vinces profectò, non fuiſſe armatos eos, qui ſaxa jacerent, quæ de terra ipſi tollerent: non eſſe arma cæſpites, neque glæbas: non fuiſſe armatos eos qui prætereuntes ramum defringerent arboris: *arma* eſſe ſuis nominibus, alia ad tegendum, alia ad nocendum: quæ qui non habuerint, eos inermeis fuiſſe vinces. Verùm ſiquidem erit armorum judicium: tum iſta dicito. juris judicium cùm erit, & æquitatis: cave in iſta tam frigida, tam jejuna calumnia deliteſcas. non enim reperies quemquam judicem, aut recuperatorem, qui, tanquam ſi arma militis *inſpiciunda* ſint, ita probet armatum: ſed perinde valebit, quaſi ornatiſſimi fuerint, ſi reperientur ita parata fuiſſe, ut vim vitæ, aut corpori potuerint afferre.

22 Atque, ut magis intelligas, quàm verba nihil valeant: Si tu ſolus, aut quivis unus cum ſcuto, cum gladio impetum in me feciſſes, atque ego ita dejectus eſſem: audereſne dicere, interdictum eſſe de *armatis* hominibus: hìc autem hominem armatum unum fuiſſe? Non, opinor, tam impudens eſſes. Atqui vide, ne multo nunc ſis impudentior. nam tum quidem omneis mortaleis implorare poſſes, quòd homines in tuo negotio Latinè loqui obliviſcerentur; [3] quòd inermes armati judicarentur: quòd, cùm interdictum eſſet de pluribus, commiſſa res eſſet ab uno; unus homo plures eſſe homines judicarentur. Verùm in his cauſis non verba veniunt in judicium, ſed ea res, cujus cauſa verba hæc in interdictum conjecta ſunt. Vim, quæ *ad caput, & ad vitam* pertinet, reſtitui ſine ulla exceptione voluerunt. Ea fit plerumque per homines coactos, armatoſque: quæ ſi alio conſilio, eodem periculo facta ſit: eodem jure eſſe voluerunt. NON ENIM major eſt injuria, ſi tua familia, quàm ſi tuus villicus: non ſi tui ſervi, quàm ſi alieni, ac mercenarii: non, ſi tuus procurator, quàm ſi vicinus, aut libertus tuus: non, ſi coactis hominibus, quàm ſi voluntariis, aut etiam aſſiduis, ac domeſticis: non, ſi armatis, quàm ſi inermibus, qui vim haberent armatorum ad nocendum: non, ſi pluribus, quam ſi uno armato. Quibus enim rebus plerumque vis fit, ejuſmodi hæ res appellantur interdicto. ſi per alias res eadem facta vis eſt: ea, tametſi verbis interdicti non concluditur, tamen ſententia juris, [4] atque auctoritate retinetur.

Venio nunc ad illud tuum: NON DEJECI, ſi non ſivi accedere. 23
Puto te ipſum, Piſo, perſpicere, quanto iſta ſit anguſtior, iniquiorque defenſio, quàm ſi illa uterere: *Non fuerunt armati:* cum fuſtibus & ſaxis fuerunt. Si mehercule mihi, non copioſo homini ad dicendum, optio detur, utrum malim defendere, non eſſe dejectum eum, cui vi & armis ingredienti ſit occurſum: an, armatos non fuiſſe eos, qui ſine ſcutis, ac ſine ferro fuerint: omnino ad probandum, utramque rem videam infirmam, nugatoriamque eſſe: ad dicendum autem, in altera videar mihi aliquid reperire poſſe, non fuiſſe armatos eos, qui neque ferri quidquam, neque ſcutum ullum habuerint: hìc verò hæream, ſi mihi defendendum ſit, eum, qui pulſus, fugatuſque ſit, non eſſe dejectum. Atque illud in tota defenſione tua mihi maximè mirum videbatur, te dicere, *juriſconſultorum auctoritati obtemperari non oportere.* Quod ego, tametſi non nunc primùm, neque in hac cauſa ſolùm audio, tamen admodum mirabar, abs te quam ob rem diceretur. nam ceteri tum ad iſtam hortationem decurrunt, cùm ſe in cauſa putant habere *æquum & bonum*, quod defendant. ſi contrà verbis & literis, & (ut dici ſolent) *ſummo jure* contenditur: ſolent ejuſmodi iniquitati boni, & æqui nomen, dignitatemque opponere. Tum illud, [5] quod dicitur, SIVE, NIBE, irrident: tum aucupia verborum, & literarum tendiculas in invidiam vocant: tum vociferantur, EX ÆQUO & bono, non ex callido, verſutoque jure rem judicari oportere: ſcriptum ſequi, calumniatoris eſſe: boni judicis, voluntatem ſcriptoris, auctoritatemque defendere. In iſta verò cauſa, cùm tu ſis is, qui te verbo, literaque defendas: cùm tuæ ſint hæ partes, Unde dejectus es? an inde, quò prohibitus es accedere? ejectus es, non dejectus. cùm tua ſit hæc oratio, Fateor, me homines coëgiſſe: fateor, armaſſe: fateor, tibi mortem eſſe minitatum: fateor, hoc interdicto prætoris vindicari, ſi voluntas & æquitas valeat: ſed ego invenio in interdicto *verbum unum, ubi deliteſcam:* non dejeci te ex eo loco,
quem in locum prohibui ne venires. 24
In iſta defenſione accuſas eos, qui conſuluntur, quòd æquitatis cenſeant rationem, non verbi, haberi oportere? Et hoc loco Scævolam

dixiſti

1. *Verba ſubtiliter exquiri omnia noluerunt.*] Excludere nolui vocem *ſubtiliter* repertam in Pal. ſec. & Turingico. facit enim mirè ad ſententiam.

2. *Non quod idem ſit ſervulus unus.*] Dictionem *unus* admovi auctoritate codicis jam laudati Turing.

3. *Quod inermes armati judicarentur.*] Pal. ſec. *inermi*, veteri declinatione.

4. *Atque auctoritate retinetur.*] *Retinere* enim eſt comprehendere, ne elabi poſſit. unde *retinacula.*

5. *Quod dicitur*, SIVE, NIBE, *irrident.*] Hæc eſt lectio Pall. duorum, item aliorum mſſ. Gulielmius in Aſinaria Plauti cap. 9 *Nibe* ſcriptum pro *Nive*, ἀρχαϊκῶς, dicit: reſpicit autem ad formulas ſponſionum, quarum initium, SI, SIVE, NI, NIVE. vide Briſſonium lib. v. de Formulis.

1. Et

dixiſti cauſam apud centumviros non tenuiſſe: quem ego antea commemoravi, quòd idem faceret, quod tu nunc (tametſi ille in aliqua cauſa faciebat, tu in nulla facis) tamen probaſſe nemini quod defendit, quia verbis oppugnare æquitatem videbatur. Cùm id miror, te hoc in hac re, alieno tempore, & contrà, quam iſta cauſa poſtulaſſet, defendiſſe: tum illud vulgò in judiciis, & nonnumquam ab ingenioſis hominibus defendi, mihi mirum videri ſolet, nec juriſconſultis concedi, nec jus civile in cauſis ſemper valere oportere. Nam qui hoc diſputant, ſi id dicunt, non rectè aliquid ſtatuere eos, qui conſulantur: non hoc debent dicere, *juri civili*, ſed *hominibus ſtultis*, obtemperari non oportere. ſin illos rectè reſpondere concedunt, & aliter judicari dicunt oportere: malè judicari oportere dicunt. neque enim fieri poteſt, ut aliud judicari de jure, aliud reſponderi oporteat: nec ut quiſquam juris numeretur peritus, qui id ſtatuat eſſe jus, quod non oporteat judicari. At eſt aliquando contrà judicatum. Primùm utrùm rectè, an perperam? ſi rectè: id fuit jus, quod judicatum eſt. ſin aliter: non dubium eſt, utrùm judices, an juriſconſulti vituperandi ſint. deinde ſi de jure vario quippiam judicatum eſt: non potiùs contra juriſconſultos ſtatuunt, ſi aliter pronuntiatum eſt, ac Mucio placuit, quàm ex eorum auctoritate, ſi, ut Manilius ſtatuebat, ſic eſt judicatum. Etenim ipſe Craſſus non ita cauſam apud centumviros egit, ut *contra juriſconſultos* diceret, ſed ut hoc doceret, illud, quod Scævola defendebat, non eſſe juris: & in eam rem non ſolùm rationes afferret, ſed etiam Q. Mucio, ſocero ſuo, multiſque peritiſſimis hominibus auctoribus uteretur.

25 Nam QUI JUS civile contemnendum putat, is vincula revellit non modò judiciorum, ſed etiam utilitatis, vitæque communis. qui autem interpretes juris vituperat: ſi imperitos juris eſſe dicit: de hominibus, non de jure civili detrahit. ſin peritis non putat eſſe obtemperandum: non homines lædit, ſed leges, ac jura labefactat. Quod vobis venire in mentem profectò neceſſe eſt: nihil eſſe in civitate tam diligenter, quàm jus civile, retinendum. etenim, *hoc ſublato*, nihil eſt, quare exploratum cuiquam poſſit eſſe, quid ſuum, aut quid alienum ſit: nihil eſt, quod æquabile inter omneis, atque unum omnibus eſſe poſſit. Itaque in ceteris controverſiis, atque judiciis, cùm quæritur, aliquid factum, necne ſit: verùm, an falſum proferatur: & fictus teſtis ſubornari ſolet, [1] & imponi falſæ tabulæ: nonnumquam, honeſto, ac probabili nomine, bono viro, judici, error objici: improbo facultas dari, ut, cùm ſciens perperam judicarit, teſtamentum, aut tabulas ſecutus eſſe videatur. In jure nihil eſt ejuſmodi, recuperatores: non tabulæ falſæ, non teſtis improbus: denique nimia iſta, quæ dominatur in civitate, *potentia*, in hoc ſolo genere quieſcit: quid agat, quomodo aggrediatur judicem, quà denique digitum proferat, non habet. [2] Illud enim poteſt dici judici ab aliquo non tam verecundo homine, quam gratioſo: JUDICA hoc factum eſſe, aut numquam eſſe factum, vel cogitatum: crede huic teſti: has comproba tabulas. Hoc non poteſt: CUI FILIUS agnatus ſit, ejus teſtamentum non eſſe ruptum, judica: quod mulier ſine tutore auctore promiſerit, deberi. non eſt aditus ad hujuſmodi res neque potentiæ cujuſquam, neque gratiæ. denique, quo majus hoc, ſanctiuſque videatur, ne pretio quidem corrumpi judex in ejuſmodi cauſa poteſt. Iſte veſter teſtis, qui auſus eſt dicere, FECISSE VIDERI EUM, de quo ne, cujus rei argueretur quidem, ſcire potuiſſet, ipſe numquam auderet judicare, deberi viro dotem, quam mulier nullo auctore dixiſſet. O rem præclaram, voſque ob hoc retinendam, recuperatores!

26 Quod enim eſt jus civile? QUOD NEQUE inflecti gratia, neque perfringi potentia, neque adulterari pecunia poſſit. quod ſi non modò oppreſſum, ſed etiam deſertum, aut negligentiùs adſervatum erit; nihil eſt, quod quiſquam ſeſe habere certum, aut à patre accepturum, aut relicturum liberis arbitretur. Quid enim refert, ædeis, aut fundum relictum à patre, aut aliqua ratione habere bene partum, [3] ſi incertum ſit, quæ cùm omnia tua, jure mancipii ſint, ea poſſiſne retinere? ſi parum ſit communitum jus? ſi civili, ac publica lege contra alicujus gratiam teneri non poteſt? Quid, inquam, prodeſt, fundum habere, ſi, quæ decentiſſimè deſcripta à majoribus jura finium, poſſeſſionum, aquarum, itinerumque ſunt, hæc perturbari aliqua ratione, commutarique poſſunt? Mihi credite: major hereditas venit, unicuique veſtrûm in iiſdem bonis, *à jure, & à legibus*, quàm ab iis, à quibus illa ipſa bona relicta ſunt. nam, ut perveniat ad me fundus, teſtamento alicujus fieri poteſt: ut retineam quod meum factum ſit, ſine jure civili non poteſt. Fundus à patre relinqui poteſt. at uſucapio fundi: hoc eſt, finis ſollicitudinis, ac periculi litium, non à patre relinquitur, ſed à legibus. Aquæ ductus, hauſtus, iter, actus, à patre: ſed rata auctoritas harum rerum omnium *à jure civili* ſumitur. Quapropter non minùs diligenter ea, quæ a majoribus accepiſtis, publica patrimonia juris, quàm privatæ rei veſtræ retinere debetis: non ſolùm quòd hæc jure civili ſæpta ſunt: ſunt etiam quòd PATRIMONIUM unius incommodo dimittitur: jus amitti non poteſt ſine magno incommodo civitatis.

27 In hac ipſa cauſa, recuperatores, ſi hoc nos non obtinebimus, vi, armatis hominibus, dejectum eſſe eum, quem vi, armatis hominibus, pulſum, fugatumque eſſe conſtet: Cæcina rem non amittet, quam ipſam animo forti, ſi tempus ita ferret, amitteret: in poſſeſſionem in præſentia non reſtituetur: nihil amplius: populi Rom. cauſa, civitatis jus, bona, fortunæ, poſſeſſioneſque in dubium, incertumque revocabuntur: veſtra auctoritate hoc conſtituetur, hoc præſcribetur: quicum tu poſthac de poſſeſſione contendes, eum, ſi ingreſſum modò dejeceris, in prædium reſtituas oportebit: ſin autem ingredienti, cùm armata multitudine obvius fueris, & ita venientem repuleris, fugaris, averteris: non reſtitues. [4] tum ſtatueritis vim in cæde ſolùm, non etiam *in animo*: niſi cruor appareat, vim non eſſe factam: injuriarum delictum eſſe, qui prohibitus ſit, niſi ex eo loco, ubi veſtigium impreſſerit, dejici neminem poſſe. Juris igitur retineri ſententiam, & æquitatem plurimùm valere oportere: an verbo, ac litera jus omne torqueri: vos ſtatuite, recuperatores, utrum utilius eſſe videatur. Hoc loco, percommodè accidit, quòd non adeſt is, qui paullo antè affuit, & adeſſe nobis frequenter in hac cauſa ſolet, vir ornatiſſimus, C. Aquillius. nam ipſo præſente, de virtute ejus, & prudentia timidiùs dicerem, quòd & ipſe *pudore* quodam afficeretur ex ſua laude, & me ſimilis ratio pudoris à præſentis laude tardaret. cujus auctoritati dictum eſt ab illa cauſa concedi nimiùm non oportere. Vereor, de tali viro ne plus dicam, quam vos aut ſentiatis, aut apud vos commemorari velitis. Quapropter hoc dicam, numquam ejus auctoritatem *nimiùm valere*, cujus prudentiam populus Roman. in cavendo, non in decipiendo perſpexerit: qui juris civilis rationem numquam ab æquitate ſejunxerit: qui tot annos ingenium, laborem, fidem ſuam populo Rom. promtam, expoſitamque præbuerit: qui ita juſtus, & bonus vir eſt, ut *natura*, non *diſciplina* conſultus eſſe videatur: ita peritus, ac prudens, ut ex jure civili, non ſcientia ſolùm quædam, verùm etiam bonitas nata videatur: cujus tantum eſt ingenium, ita promta fides, ut, quidquid

---

1. *Et imponi falſæ tabulæ.*] Lambinus *interponi*, malè.

2. *Illud enim poteſt dici judici.*] Erfurd. & Pal. ſec. *pro te eſt dici*, fuerat olim *pote eſt*. Gulielmius.

3. *Si incertum ſit, quæ cum omnia tua, &c.*] Mordicus retinui vulgatam, Palatinis noſtris ſuſtentatam. Hotomanus tentabat, *ſit quæ tua communi jure mancipi ſint*. & certum quidem eſt legendum *mancipi*. ſed quis intruſit illa alia? Gulielmius putabat extrito *quæ*, conſtare lectionem.

4. *Tum ſtatueritis vim in cæde ſolum, non etiam in animo: niſi cruor appareat, vim non, &c.*] Sic quidem patrum ævo impreſſi. at primæ edd. accedunt membranis ſcriptis, in quibus, *res ſi equos veſtes ſi vim non in cæde ſolum ſed etiam in animo libidinis, niſi cruor appareat.*

1. Cùm

quid inde haurias, purum, liquidumque te haurire ſentias. Quare permagnam initis à nobis gratiam, [1] cùm eum auctorem noſtræ defenſionis eſſe dicitis: Illud autem miror, cur vos aliquid contra me ſentire dicatis, cùm eum auctorem vos pro me appelletis; noſtrum nominetis. verumtamen quid ait iſte noſter auctor? [2] Omnibus, quidquid
28 verbis actum, pronuntiatumque ſit, [3] convenit. Ego ex iſto genere conſultorum non nominem, ut opinor, iſtum ipſum, [4] quo nos auctore rem iſtam agere, & defenſionem cauſæ conſtituere vos dicitis. qui cùm iſtam diſputationem mecum ingreſſus eſſet, non poſſe probari quemquam eſſe dejectum, niſi ex eo loco, in quo fuiſſet: rem, & ſententiam interdicti mecum facere fatebatur: verbo me excludi dicebat: à verbo autem poſſe recedi non arbitrabatur. cùm exemplis uterer multis, [5] etiam illa materia æquitatis, *ab verbo & ab ſcripto*, plurimis ſæpe in rebus, jus, & æqui, bonique rationem eſſe ſejunctam: ſemperque id valuiſſe plurimùm, quod in ſe auctoritatis habuiſſet, æquitatiſque plurimum: conſolatus eſt me, & oſtendit, in hac ipſa cauſa nihil eſſe, quòd laborarem. nam verba ipſa ſponſionis facere mecum, ſi vellem diligenter attendere. Quonam, inquam, modo? Quia certè, inquit, dejectus eſt Cæcina vi, hominibus armatis, aliquo ex loco: ſi non ex eo loco, quem in locum venire voluit; at ex eo certè, unde fugit. Quid tum? prætor, inquit, interdixit, ut, unde dejectus eſſet, eò reſtitueretur, hoc eſt, quicumque is locus eſſet, unde dejectus eſſet. Æbutius autem, qui fatetur, aliquo ex loco dejectum eſſe Cæcinam, is, quo modo ſe reſtituiſſe dixit, neceſſe eſt malè fecerit ſponſionem. Quid eſt, Piſo? placet tibi pugnare verbis? placet cauſam juris, & æquitatis, & non noſtræ poſſeſſionis, ſed omnino poſſeſſionum omnium, conſtituere in verbo? Ego, quod mihi videretur, quod à majoribus factitatum, quod horum auctoritate, quibus judicandum eſt, dignum eſſet: oſtendi, id verum, id æquum, id utile omnibus eſſe, ſpectari, *quo conſilio*, & qua ſententia, non, quibus quidque verbis eſſet actum. Tu me ad verbum vocas? non antè venio, quàm recuſaro. nego oportere, nego obtineri poſſe, nego ullam rem eſſe, quæ aut comprehendi ſatis, aut caveri, aut excipi poſſit, ſi aut præterito aliquo verbo, aut ambiguè poſito, ſententia, & re cognita, non id, quod intelligitur, ſed id, quod dicitur, va-
29 lebit. Quoniam ſatis recuſavi: venio jam quò vocas. quæro ab te, ſimne dejectus, non de Fulciniano fundo: (neque enim prætor, ſi ex eo fundo eſſem dejectus, ita me reſtitui juſſit: ſed eò, unde dejectus eſſem) ſum ex proximo vicini fundo dejectus, quà adibam ad iſtum fundum: ſum de via: ſum certè alicundè, ſive de privato, ſive de publico. eò reſtitui ſum juſſus. reſtituiſſe te dixiſti. [6] nego me ex decreto prætoris reſtitutum eſſe. Quid ad hæc dicimus? aut tuo, quemadmodum dicitur, gladio: aut noſtro, defenſio tua conficiatur, neceſſe eſt. Si ad interdicti ſententiam confugis, &, de quo fundo actum ſit tum, cùm Æbutius reſtituere jubebatur, id quærendum eſſe dicis, neque æquitatem rei, *verbi laqueo* capi putas oportere: in meis caſtris, præſidiiſque verſaris. mea, mea eſt iſta defenſio: ego hoc vociferor: ego omneis homines, deoſque teſtor, cùm majores vim armatam nulla juris defenſione texerint, non veſtigium ejus, qui dejectus ſit: ſed factum illius, qui dejecerit, in judicium venire: dejectum eſſe, qui fugatus ſit: vim eſſe factam, cui periculum mortis ſit injectum. Iſtum locum fugis, & reformidas? & me ex hoc, ut ita dicam, *campo æquitatis* ad iſtas verborum anguſtias, & ad omneis literarum angulos revocas? in iis ipſis intercludêre inſidiis, quas mihi conaris opponere. *Non dejeci, ſed ejeci*. Peracutum hoc tibi videtur. hic eſt mucro defenſionis tuæ. in eum ipſum cauſa tua incurrat, neceſſe eſt. Ego enim tibi refero, ſi non ſum ex eo loco dejectus, quò prohibitus ſum accedere: at ex eo ſum dejectus, quò acceſſi, unde fugi. Si prætor non diſtinxit locum, quò me reſtitui juberet, & reſtitui juſſit: non ſum ex decreto reſtitutus. Velim, recuperatores, hoc totum, ſi vobis verſutius, quàm mea conſuetudo defendendi fert, videbitur, ſic exiſtimetis: primùm alium, non me, excogitaſſe: deinde hujus rationis non modò non inventorem, ſed ne probatorem quidem eſſe me: idque me non ad meam defenſionem attuliſſe, ſed illorum defenſioni retuliſſe: me poſſe pro meo jure dicere, [7] neque in hac re, quam ego protuli, quæri oportere, quibus verbis prætor interdixit, ſed de quo loco ſit actum, cùm interdixit: neque in vi armatorum ſpectari oportere, in quo loco ſit facta vis, verùm *ſitne facta*: te verò nullo modo poſſe defendere, in qua re tu velis, verba ſpectari oportere: in qua re nolis, non oportere. Verumtamen ec- 30
quid mihi reſpondetur ad illud, quod antea dixi, non ſolum re, & ſententia, ſed verbis quoque hoc interdictum ita eſſe compoſitum, ut nihil commutandum videretur? Attendite diligenter, quæſo, recuperatores. Eſt enim veſtri ingenii, non meam, ſed majorum prudentiam cognoſcere. non enim ſum id dicturus, quod ego invenerim, ſed quod illos non fugerit. Cùm de vi interdicitur, duo genera cauſarum eſſe intelligebant, ad quæ interdictum pertineret: unum, ſi qui ex eo loco, in quo eſſet: alterum, ſi ab eo loco, quò veniret, vi dejectus eſſet: & horum utrumque, neque præterea quidquam, poteſt accidere, recuperatores. id adeò, ſi placet, conſiderate. Siqui meam familiam de meo fundo dejecerit, ex eo me loco dejecerit. ſiqui mihi præſtò fuerit cum armatis hominibus extra meum fundum, & me introire prohibuerit: non ex eo, ſed ab eo loco me dejecerit. Ad hæc duo genera rerum, unum verbum, quod ſatis declararet utraſque res, invenerunt: ut, ſive ex fundo, ſive à fundo dejectus eſſem, uno, atque eodem interdicto reſtituerer, UNDE TU. Hoc verbum, UNDE, utrumque declarat: & ex quo loco, & à quo loco. Unde dejectus eſt Cinna? ex urbe. Unde dejeciſti? ab urbe. Unde dejecti Galli? à Capitolio. Unde qui cum Graccho fuerunt? ex Capitolio. Videtis igitur, hoc uno verbo ſignificari res duas & ex quo, & à quo loco. Cùm autem eò reſtitui jubet, ita jubet: ut, ſi Galli à majoribus noſtris poſtularent, ut eò reſtituerentur, unde dejecti eſſent, & aliqua vi hoc aſſequi poſſent: non, opinor, eos in cuniculum, quà aggreſſi erant, ſed in Capitolium reſtitui oporteret. hoc enim intelligitur. UNDE TU DEJECISTI, ſive ex quo loco, ſive à quo loco. EO RESTITUAS. hoc jam ſimplex eſt, in eum locum reſtituas: ſive ex hoc loco dejeciſti, reſtitue in hunc locum: ſive ab hoc loco, reſtitue in eum locum, non ex quo, ſed à quo dejectus eſt. Ut, ſiqui ex alto, cùm ad patriam acceſſiſſet, tempeſtate ſubitò rejectus [8] optaret, ut, cùm eſſet à patria dejectus, eò reſtitueretur: hoc, opinor, optaret, ut, à quo loco depulſus eſſet, in eum ſe fortuna reſtitueret, non in ſalum, ſed in ipſam urbem, quam petebat: ſic, quoniam *vim verborum* neceſſariò ſimilitudine rerum aucupamur,

1 qui

1. *Cùm eum auctorem noſtræ defenſionis, &c.*] Non abii à ſcripta, & olim impreſſis.

2. *Omnibus quidquid verbis actum.*] Pal. ille ſecundus, *quidque*.

3. *Convenit. Ego ex iſto genere conſultorum non nominem.*] Lectio mirè diſtorta. nihil tamen medentur noſtri, niſi quod Palat. ſecund. *non neminem iſtum ipſum ut opiner*. P. Manutius edidit, *conveni ego ex iſto genere conſultorum non neminem*. neſcio an melius vulgato.

4. *Quo nos auctorem &c. conſtituere vos dicitis.*] Ita editio prima, & adſtipulatur Pal. ſec. nam pr. *quo vos*, ut vulgata.

5. *Etiam illa materia æquitatis.*] Nihil variant libri. acutè Hotomanus, *etiam illa me tuerer æquitate*.

6. *Nego me ex decreto prætoris.*] Sic Pall. & vetus editio, item Victoriana, tam heic quam mox infra, loco vulgati *edicto*: pro quo Lambinus repoſuit *interdicto*, ſatis licenter.

7. *Neque in hac re, &c.*] Pall. Erfurd. editio vetuſta, *neve*.

8. *Optaret, ut cùm eſſet à patria dejectus, eò reſtitueretur.*] Lambinus publicavit, *optaret ut unde eſſet dejectus, eò reſtituetur: hoc optaret, ut cum eſſet, &c.* tanquam ſi Ciceronis ea eſſent; cum provenerint de timidâ conjecturâ Hotomani.

1. Qui.

[1] qui poſtulat, ut, à quo loco dejectus eſt, hoc eſt, unde dejectus eſt, eò reſtituatur. Cùm verba nos eò ducunt, tum
31 res ipſa hoc ſentire, atque intelligere cogit. Etenim, Piſo, (redeo nunc ad illa principia defenſionis meæ) ſi quis te ex ædibus tuis vi, hominibus armatis dejecerit, quid ageres? opinor, hoc interdicto, quo nos uſi ſumus, perſequerêre. Quid? ſiqui jam de foro redeuntem, armatis hominibus domum tuam te introire prohibuerit, quid ageres? uterêre eodem interdicto. Cùm igitur prætor interdixerit, unde dejectus es, ut eò reſtituaris: tu hoc idem, quod ego dico, & quod perſpicuum eſt, interpretabere: cùm illud verbum, UNDE, in utramque rem valeat, eoque tu reſtitui ſis juſſus: tam te in ædeis reſtitui oportere, ſi è veſtibulo, quàm ſi ex interiore ædium parte dejectus ſis. Ut verò jam, recuperatores, nulla dubitatio ſit, ſive rem, ſive verba ſpectare vultis, quin ſecundum nos judicetis, exoritur hîc jam, obrutis rebus omnibus, & perditis, illa defenſio, eum dejici poſſe, qui tum poſſideat: qui non poſſideat, nullo modo poſſe. itaque, ſi ego ſim à tuis ædibus dejectus, reſtitui non oportere: ſi ipſe ſis, oportere. Numera, quàm multa in iſta defenſione falſa ſint, Piſo: ac primùm illud attende, te jam ex illa ratione eſſe depulſum, quòd negabas quemquam dejici poſſe, niſi qui in eo loco fuerit. nunc, qui poſſideat, eum, etiam ſi non fuerit in eo loco, dejici poſſe concedis. Cur ergo aut in illud quotidianum interdictum, UNDE ILLE ME VI DEJECIT, additur, CUM EGO POSSIDEREM, ſi dejici nemo poteſt, qui non poſſidet: aut in hoc interdictum, DE HOMINIBUS ARMATIS, non additur, ſi oportet quæri, poſſederit, necne? Negas dejici, niſi qui poſſideat. Oſtendo, ſi ſine armatis, coactiſve hominibus dejectus quiſquam ſit, eum, qui fateatur ſe dejeciſſe, vincere ſponſione, ſi oſtendat, eum non poſſediſſe. negas dejici, niſi qui poſſideat. oſtendo ex hoc interdicto, DE ARMATIS HOMINIBUS, qui poſſit oſtendere non poſſediſſe eum, qui dejectus ſit, condemnari tamen ſponſionis neceſſe eſſe, ſi fateatur eſſe dejectum. Dupliciter homines dejiciuntur: aut ſine coactis, armatiſve homini-
32 bus, aut per ejuſmodi rationem, aut vim. Ad duas diſſimileis res duo dejuncta interdicta ſunt. In illa vi quotidiana non ſatis eſt poſſe docere ſe dejectum, niſi oſtendere poſſit, cùm poſſideret, tum dejectum. ne id quidem ſatis eſt, niſi docet ita ſe poſſediſſe, ut nec vi, nec clàm, nec precariò poſſederit. Itaque is, qui ſe reſtituiſſe dixit, magna voce ſæpe confiteri ſolet, ſe vi dejeciſſe: verùm illud addit: *Non poſſidebat:* vel etiam, cùm hoc ipſum conceſſit, vincit tamen ſponſione, ſi planum facit, ab ſe illum aut vi, aut clàm, aut precariò poſſediſſe. Videtiſne, quot defenſionibus eum, [2] qui ſine armis, ac multitudine vim fecerit, uti poſſe majores voluerunt? hunc verò, qui ab jure, officio, bonis moribus, ad ferrum, ad arma, ad cædem confugerit, nudum in cauſa, deſtitutumque videtis: ut, qui armatus de poſſeſſione contendiſſet, inermis planè de ſponſione certaret. Ecquid igitur intereſt, Piſo, inter hæc interdicta? ecquid intereſt, utrùm hoc additum, *Cùm à Cæcina poſſederit,* necne? ecquid te ratio juris, ecquid interdictorum diſſimilitudo, ecquid auctoritas majorum commovet? Si eſſet additum: de eo quæri oporteret. additum non eſt: tamen oportebit? Atque ego in hoc Cæcinam non defendo. poſſedit enim Cæcina, recuperatores: & id, tametſi extra cauſam eſt, percurram tamen brevi, ut non minùs hominem ipſum, quàm jus commune defenſum velitis. Cæſenniam poſſediſſe propter uſumfructum non negas. [3] qui colonus habuit conductum de Cæſennia fundum, cùm idem ex eadem conductione fuerit in fundo, dubium eſt, quin, ſi Cæſennia tum poſſidebat, cùm erat colonus in fundo, poſt ejus mortem heres *eodem jure* poſſederit? deinde ipſe Cæcina, cùm circuiret prædia, venit in iſtum fundum: rationes à colono accepit. ſunt in eam rem teſtimonia. Poſtea cur, Æbuti, de iſto potius fundo, quàm de alio, ſi quem habes, Cæcinæ denuntiabas, ſi Cæcina non poſſidebat? Ipſe porrò Cæcina cur ſe moribus deduci volebat: idque tibi de amicorum, etiam de ipſius C. Aquillii ſententia reſponderat?
At enim Sulla legem tulit. Ut nihil de illo tempore, nihil 33
de calamitate reipubl. querar, hoc tibi reſpondeo: adſcripſiſſe eundem Sullam in eandem legem, SI QUID JUS NON ESSET ROGARI, EJUS EA LEGE NIHILUM ROGATUM. Quid eſt, quod jus non ſit, [4] quod populus jubere, aut vetare non poſſit? Ut ne longiùs abeam, declarat iſta adſcriptio eſſe aliquid. nam, niſi eſſet, hoc in omnibus legibus non adſcriberetur. Sed quæro abs te, puteſne, ſi populus juſſerit, me, tuum, aut item, te, meum ſervum eſſe: id juſſum, ratum, atque firmum futurum. Perſpicis hoc nihil eſſe, [5] ut in ceteris, quæ rogavit. Primùm illud concedis, non, quidquid populus juſſerit, ratum eſſe oportere. deinde nihil rationis affers, quamobrem, ſi libertas *adimi* nullo modo poſſit, civitas poſſit. nam & eodem modo de utraque re traditum nobis eſt: &, ſi ſemel civitas adimi poteſt, retineri libertas non poteſt. Quî enim poteſt jure Quiritium liber eſſe is, qui in numero Quiritium non eſt? Atque ego hanc adoleſcentulus cauſam cùm agerem contra hominem diſertiſſimum noſtræ civitatis, Cottam, probavi. Cùm Arretinæ mulieris libertatem defenderem, & Cotta decemviris religionem injeciſſet, non poſſe ſacramentum noſtrum juſtum judicari, quòd Arretinis ademta civitas eſſet, & ego vehementiùs contendiſſem, civitatem adimi non potuiſſe: decemviri *prima actione* non judicaverunt: poſtea, re quæſita, & deliberata, ſacramentum noſtrum juſtum judicaverunt. Atque hoc, & contrà dicente Cotta, & Sulla vivo, judicatum eſt. Jam verò in ceteris, ut omnes, qui in eadem cauſa ſunt, & lege agant, & ſuum jus perſequantur, & omnes jure civili, ſine cujuſquam aut magiſtratus, aut judicis, aut periti hominis, aut imperiti dubitatione, utantur, quid ego commemorem? dubium nemini veſtrum eſt. Certè quæri hoc ſolere me non præterit (ut ex me ea, quæ tibi in mentem non veniunt, audias) quemadmodum, ſi civitas adimi non poſſit, in colonias Latinas ſæpe noſtri cives profecti ſint. Aut ſua voluntate, aut legis multa profecti ſunt: quam multam ſi ſufferre voluiſſent, tum manere in
civitate potuiſſent. Quid? quem pater patratus dedidit: aut 34
ſuus pater, populuſve vendidit, quo is jure amittit civitatem? Ut *religione* civitas ſolvatur, civis Roman. traditur: qui cùm eſt acceptus, eſt eorum, quibus eſt deditus, ſi non accipiunt, ut Mancinum Numantini, retinet integram cauſam, & jus civitatis. Si pater vendidit eum, quem in ſuam poteſtatem ſuſceperat, ex poteſtate dimittit. Jam populus cùm eum vendidit, qui miles factus non eſt, non adimit ei libertatem: ſed judicat, non eſſe eum liberum, qui, ut liber ſit, adire periculum noluit. cùm autem incenſum vendit, hoc judicat: cùm is, qui in ſervitute juſta fuerit, cenſu liberetur, eùm, qui, cùm liber eſſet, cenſeri noluerit, ipſum ſibi libertatem abjudicaſſe. Quòd ſi maximè iiſce rebus adimi libertas, aut civitas poteſt: non intelligunt qui hæc commemorant, ſi per has rationes adimi majores poſſe voluerunt, alio modo noluiſſe: Nam, ut hæc ex jure civili protulerunt, ſic afferant velim, quibus lege aut Romana civitas, aut libertas erepta ſit. Nam quod ad exilium attinet, perſpicuè intelligi poteſt, quale ſit. EXSILIUM enim, non ſupplicium eſt, ſed perfugium, portuſque ſupplicii. nam qui volunt pœnam aliquam ſubterfugere, aut calamitatem, eò ſolum vertunt: hoc eſt, ſedem ac locum mutant.
Itaque

1. *Qui poſtulat, &c.*] Repræſentamus quod erat in editionibus antiquis. cui accedunt Pall.

2. *Qui ſine armis ac multitudine.*] Editi vetuſtè & Palatini excludunt illud *ſine.*

3. *Qui colonus habuit conductum.*] Pal. ſecund. *quoniam*, quod heic ſanè aptius.

4. *Quod populus jubere.*] Mſſ. noſtri & olim excuſi *quo.*

5. *Et in cæteris quæ rogavit.*] Petrus Victorius habet, *& fateris, ſed qui primum, &c.* Propius ad mſſ. & vett. edd. in quibus, *& cæteris quæ inter primum. &c.*

1. *A. Ca-*

Itaque nulla in lege noſtra reperietur, ut apud ceteras civitates, *maleficium* ullum exſilio eſſe multatum. ſed cum homines, vincula, neces, ignominiaſque vitant, quæ ſunt legibus conſtitutæ: confugiunt, quaſi ad aram, in exſilium: qui ſi in civitate legis vim ſubire vellent, non priùs civitatem, quàm vitam amitterent: quia nolunt; non adimitur his civitas, ſed ab his relinquitur, atque deponitur. Nam, cùm ex noſtro jure *duarum civitatum* nemo eſſe poſſit, tum amittitur hæc civitas denique, cùm is, qui profūgit,

35 receptus eſt in exſilium, hoc eſt, in aliam civitatem. Non me præterit, recuperatores, tametſi de hoc jure multa prætereo, tamen me longiùs prolapſum eſſe, quam ratio veſtri judicii poſtularit. Verum id feci, non quòd vos in hac cauſa hanc defenſionem deſiderare arbitrarer, ſed ut omnes intelligerent, nec ademptam cuiquam civitatem eſſe, nec adimi poſſe. Hoc cùm eos ſcire volui, quibus Sulla voluit injuriam facere, tum omneis ceteros novos, veteresque civeis. neque enim ratio afferri poteſt, cur, ſi cuiquam novo civi potuerit adimi civitas, non omnibus patriciis, omnibus antiquiſſimis civibus poſſit. Nam ad hanc quidem cauſam nihil hoc pertinuiſſe, primum ex eo intelligi poteſt, quòd vos eâ de ea re judicare non debetis: deinde quòd Sulla ipſe ita tulit de civitate, ut non *ſuſtulerit* horum nexa, atque hereditates, jubet enim eodem jure eſſe, quo fuerint Ariminenſes: quos quis ignorat duodecim coloniarum fuiſſe, & à pop. R. hereditates capere potuiſſe? Quòd ſi adimi civitas A. Cæcinæ lege potuiſſet, magis illam rationem tamen omnes boni quæreremus, quemadmodum ſpectatiſſimum, prudentiſſimumque hominem, ſummo conſilio, ſumma virtute, ſumma auctoritate domeſtica præditum, *levatum injuria*, civem retinere poſſemus, quàm uti nunc, cùm de jure civitatis nihil potuerit deperdere, quiſquam exſiſtat, niſi tui, Sexte, ſimilis & ſtultitia, & impudentia, qui huic civitatem ademtam eſſe dicat. Qui quoniam, recuperatores, ſuum jus non deſeruit, neque quicquam illius audaciæ, petulantiæque conceſſit; derelinquo jam communem cauſam, populique Rom. jus in veſtra fide, ac religione depono. Is homo ita 36

ſe probatum vobis, veſtrique ſimilibus ſemper voluit, ut id non minùs in hac cauſa laborarit: nec contenderit aliud, quam ne jus ſuum diſſolutè relinquere videretur: nec minus vereretur, ne contemnere Æbutium, quam ne ab eo contemtus eſſe exiſtimaretur. Quapropter ſiquid extra judicium eſt, quod homini tribuendum ſit: habetis hominem ſingulari pudore, virtute cognita, & ſpectata fide, ampliſſimum, Etruriæ nomine totius, in *utraque fortuna* cognitum multis ſignis & virtutis, & humanitatis. Si quid in contraria parte in homine offendendum ſit: habetis eum, ut nihil dicam amplius, qui ſe homines coëgiſſe fateatur. Sin, hominibus remotis, de cauſa quæritis: cùm judicium de vi ſit: is, qui arguitur, vim ſe hominibus armatis feciſſe fateatur: verbo ſe, non æquitate defendere conetur: id quoque ei verbum ipſum ereptum eſſe videatis: auctoritatem ſapientiſſimorum hominum facere nobiſcum: in judicium non venire, utrum Cæcina poſſederit, necne: tamen doceri poſſediſſe: multo etiam minùs quæri, [1] A. Cæcinæ fundus ſit, necne: me tamen idipſum docuiſſe, fundum eſſe Cæcinæ: cùm hæc ita ſint, ſtatuite quid vos tempora reip. de armatis hominibus, quid illius confeſſio de vi, quid noſtra deciſio de æquitate, quid ratio interdicti de jure admoneant, ut judicetis.

M. TULLII CICERONIS [1]PRO L. MANILIA, SEU De Imperatore Pompeio deligendo, ad populum, ORATIO DECIMATERTIA.

1 QUAMQUAM mihi ſemper frequens conſpectus veſter, multo jucundiſſimus, hic autem locus, ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus, Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui ſemper optimo cuique maximè patuit, non mea me voluntas, ſed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate ſuſceptæ, prohibuerunt. Nam, cum antea *per ætatem* nondum hujus auctoritatem loci [2] contingere auderem: ſtatueremque, nihil huc, niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria, afferri oportere: omne meum tempus [3] amicorum temporibus tranſmittendum putavi. Ita neque, [4] hic locus, vacuus umquam ab iis, qui veſtram cauſam defenderent: & meus labor in privatorum *periculis* caſtè, integreque verſatus, ex veſtro judicio fructum eſt ampliſſimum conſecutus. Nam cùm propter dilationem comitiorum ter prætor primus centuriis cunctis renuntiatus ſum, facilè intellexi, Quirites, & quid de me *judicaretis*, & quid aliis præſcriberetis. Nunc cùm & auctoritatis in me tantum ſit, quantum vos [5] honoribus mandandis eſſe voluiſtis: & ad agen-

1. *A. Cæcinæ fundus ſit.*] Buchananus conjecerat *A Cæcina fundus ſit*, & heic & paullo poſt. quod recepit in contextum Lambinus. ſed emendationem hanc refellit Hotomannus lib. II. Obſervat. cap. 19.

1. P*Ro L. Manilia.*] Palatinis ferè omnibus, item Vuerdenſi, Erfurdenſi, Hittorpiano, è quibus ſubſidia ſibi quæſivit Gulielmius, præſcribitur, *de imperio*, *ſeu de laudibus Gn. Pompeji.* & ita laudant etiam Grammatici. neque novum uni orationi duos eſſe titulos.

2. *Contingere debere.*] Sic Pall. ſex ſeptem omneſque editi, certè originis ultimæ. neque enim animus fuit, inſpicere poſterius natas editiones. Gulielmius tamen malebat è Vuerd. *attingere.*

3. *Amicorum temporibus tranſmittendum.*] Inclinabat Lambinus legere *tribuendum*; additque idem viſum Hotomano; ſed errat. hic enim interpretamenti loco poſuit, non etiam ut quid mutaret. adeantur commentaria ejus.

4. *Hic locus vacuus umquam ab iis*, &c.] Lambinus admonuit requiri *fuit.* & vero id inſeruit Gulielmius è ſuis libris ante *umquam.* ſed enim cùm edd. omn. cum Pall. ſex eo careant, ei non obtempero.

5. *Honoribus mandandis eſſe voluiſtis.*] Hæc eſt quidem lectio Fabriciani cod. ſi non fallit Lambinus, fateturque reſtare in ſuis Gulielmius: verumenimvero Pall. omn. & editi priſci ſervant *mandandum.* ſtat pro altera Muretus lib. XIX. Var. cap. 20.

1. *Et ſ-*

ad agendum facultatis tantum, quantum homini vigilanti ex forenſi uſu propè quotidiana dicendi exercitatio potuit afferre: certè, [1] & ſiquid auctoritatis in me eſt, ea apud eos utar, qui eam mihi dederunt; & ſiquid etiam dicendo conſequi poſſum, iis oſtendam potiſſimum, qui ei quoque rei fructum ſuo judicio tribuendum eſſe cenſuerunt. Atque illud in primis mihi lætandum jure eſſe video, quòd in hac inſolita mihi ex hoc loco ratione dicendi, cauſa talis oblata eſt, in qua oratio deeſſe nemini poteſt. Dicendum eſt enim de Cn. Pompeii ſingulari, eximiaque virtute: hujus autem orationis difficilius eſt *exitum*, quam *principium* invenire. ita mihi non tam copia, quàm modus in dicendo quæren-
2 dus eſt. Atque, ut inde oratio mea proficiſcatur, unde hæc omnis cauſa ducitur: bellum grave, & periculoſum veſtris *vectigalibus*, atque *ſociis*, à duobus potentiſſimis regibus infertur, Mithridate, & Tigrane: quorum alter relictus, alter laceſſitus, *occaſionem* ſibi ad occupandam Aſiam oblatam eſſe arbitratur. Equitibus Romanis honeſtiſſimis viris, afferuntur ex Aſia quotidie literæ, quorum magnæ res aguntur, in veſtris vectigalibus exercendis occupatæ: qui ad me pro neceſſitudine, quæ mihi eſt cum illo ordine, cauſam reipub. periculaque rerum ſuarum detulerunt: Bithyniæ, quæ [2] nunc veſtra *provincia* eſt, vicos exuſtos eſſe complureis: regnum Ariobarzanis, quod finitimum eſt veſtris vectigalibus, totum eſſe [3] in hoſtium poteſtate: Lucullum, magnis rebus geſtis, ab eo bello diſcedere: [4] huic qui ſuccurrerit, non ſatis eſſe paratum ad tantum bellum adminiſtrandum: unum ab omnibus ſociis, & civibus ad id bellum imperatorem depoſci, atque expeti: eundem hunc unum ab hoſtibus metui, præterea *neminem*. Cauſa quæ ſit, videtis: nunc, quid agendum ſit, conſiderate. Primum mihi videtur de genere belli: deinde de magnitudine: tum de imperatore deligendo eſſe dicendum. [5] Genus eſt enim ejuſmodi, quod maximè veſtros animos excitare, [6] atque inflammare debet: in quo agitur populi Rom. *gloria*, quæ vobis *à majoribus* cùm magna in rebus omnibus, tum ſumma in re militari tradita eſt: agitur ſalus ſociorum, atque amicorum, pro qua multa majores veſtri magna, & gravia bella geſſerunt: aguntur certiſſima populi Rom. *vectigalia*, & maxima: quibus amiſſis, & pacis ornamenta, & ſubſidia belli requiretis: aguntur bona multorum civium, [7] quibus eſt & à vobis, & ipſorum, & reip.
3 cauſa conſulendum. Et quoniam ſemper appetentes gloriæ præter ceteras genteis, atque avidi laudis fuiſtis, delenda vobis eſt illa *macula*, Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta: quæ penitus jam inſedit, [8] atque inveteravit in populi R. nomine: quod is, qui *uno die*, tota Aſia, tot in civitatibus, uno nuntio, atque [9] una literarum ſignificatione civeis R. necandos, trucidandoſque denotavit, non modò adhuc *pœnam* nullam ſuo dignam ſcelere ſuſcepit, ſed ab illo tempore annum jam tertium, & viceſimum regnat: & ita regnat, ut ſe non Ponto, neque Cappadociæ latebris occultare velit, ſed emergere è patrio regno, atque in veſtris *vectigalibus*, hoc eſt, in Aſiæ luce verſari. Etenim adhuc [10] ita veſtri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo *inſignia victoriæ*, non victoriam reportarent. Triumphavit 4
L. Sulla, triumphavit L. Murena de Mithridate, [11] duo fortiſſimi viri, & ſummi imperatores: ſed ita triumpharunt, ut ille pulſus, ſuperatuſque regnaret. Verumtamen illis imperatoribus laus eſt tribuenda, quod egerunt: venia danda, quod reliquerunt: propterea quòd ab eo bello Sullam in Italiam reſp. Murenam Sulla revocavit. Mithridates autem omne reliquum tempus, non ad *oblivionem* veteris belli, ſed ad comparationem novi contulit: qui poſteaquam maximas ædificaſſet, ornaſſetque claſſeis; exercituſque permagnos, quibuſcumque ex gentibus potuiſſet, comparaſſet, & ſe Boſphoranis, finitimis ſuis, bellum inferre ſimulaſſet: uſque in Hiſpaniam [12] legatos Ecbatanis miſit ad eos duces, quibuſcum tum bellum gerebamus: ut, cùm duobus in locis disjunctiſſimis, maximeque diverſis, *uno conſilio*, à binis hoſtium copiis bellum terra marique gereretur, vos [13] ancipiti contentione diſtricti, de imperio dimicaretis. Sed tamen alterius partis periculum, Sertorianæ, atque Hiſpanienſis, quæ multo plus firmamenti, ac roboris habebat, Cn. Pompeji divino *conſilio*, ac ſingulari *virtute* depulſum eſt: in altera parte ita res à L. Lucullo, ſummo viro, eſt adminiſtrata, ut initia illa geſtarum rerum magna, atque præclara, non felicitati ejus, ſed virtuti: hæc autem extrema, quæ nuper acciderunt, non *culpæ*, ſed *fortunæ* tribuenda eſſe videantur. Sed de Lucullo dicam alio loco, & ita dicam, Quirites, ut neque vera laus, ei, detracta oratione noſtra, neque falſa, afficta eſſe videatur. [14] de veſtri imperii dignitate, atque gloria, quoniam is eſt exorſus orationis meæ, videte, quem vobis animum ſuſcipiendum putetis. [15] Ma- 5
jores veſtri ſæpe, mercatoribus, [16] ac navigatoribus *injurioſiùs tractatis*, bella geſſerunt: vos tot civium Rom. millibus, uno nuntio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Legati quòd erant *appellati ſuperbiùs*, Corinthum patres veſtri, totius Græciæ lumen, exſtinctum eſſe voluerunt: vos eum regem inultum eſſe patiemini, qui legatum

1. *Et ſi quid, &c.*] Tota hæc periodus debita libris Belgicis, atque Turingicis. Italicis noſtris ſeptem, tota exſulat, requiri tamen nemo non videt.

2. *Nunc veſtra provincia.*] Ita paſſim libri ſcripti: neque aliter fere loquitur tota hac oratione. vulgata *noſtra*.

3. *In hoſtium poteſtate.*] Andr. Schottus noſter lib. 1. cap. 6. Nodor. Cic. contendit legendum *poteſtatem*. & ſic ſane infra locutum cap. 12. ipſe prodidit Agellius lib. 1. Noct. Attic. cap. 7.

4. *Huic qui ſuccurrerit.*] Gulielmiani tres, *ſucceſſerit*; quod etſi ei non placuerit; mihi tamen diſplicere non poteſt. alterum nihilominus reſtat in edd. & Pall. omnibus, neque temere eſt eliminandum, quamvis eo inclinet Modius noſter Epiſtola XCVII. Novantiquorum.

5. *Genus eſt enim ejuſmodi.*] Pall. nibil variant. at Uverd. exemplar addit, *belli hujuſmodi*. Hittorpii Colonienſe, *Genus eſt ejus belli*. quod mihi placet; utique cum & Turingicus habeat item illud *belli*. Gulielmius malebat, *Genus eſt ejus belli hujuſmodi*. ut ut ſit, antiquitatem heic non nimis convenit.

6. *Atque inflammare debet.*] Col. Erph. *atque infl. ad ſtudium perſequendi debeat*. quorum nihil reperi in Italicis, qui Bibliotheca Palatina, aut adeo Gruteriano ſcripto Papiæ: conſulatur Modius d. Epiſt. XCVII.

7. *Quibus eſt & à vobis, & ipſorum, & reip. cauſa conſulendum.*] Longe melius ited Turing. & Fabric. quam ut retro cuſi, *quibus eſt à vobis, & ab imperatoribus rei conſulendum*. P. Manutius publicavit, *& à moderatoribus reipubl. conſul.* non a ſcriptis, verum divinatione Hotomani.

8. *Atque inveteravit.*] Turing. Hittorp. Uverd. *ac nimis inveteravit*, Comice, pro vehementer, admodum.

9. *Una literarum ſignificatione, &c.*] Illud *literarum* non erat in Colonienſi, & Gulielmio rectum videbatur.

10. *Ita veſtri cum illo, &c.*] Gruter. & edd. veteres, *noſtri*. neque ita abſurdum videtur: ut & ſupra cap. 2. *quæ nunc noſtra provincia eſt*. editi priſcè & aliquot habent mſſ. quemadmodum initio cap. 5. iidem *Majores noſtri*. verum nihil præſcribo aliis; imo nihil muto.

11. *Duo fortiſſimi viri, & ſummi impp.*] Vox *viri*, non eſt in ullo Palatinorum, aut Gruter.

12. *Legatos Ecbatanis miſit, &c.*] Fabricianus liber, item Uverd. Col. Erfurd. *legatos at literas miſit*; quod admiſit Lambinus: haud etiam Gulielmius; arbitratus *Ecbatanum*, *Babylonem*, & ſimilia, de quibuſvis remotiſſimis locis vulgo uſurpata. Unde Lucillius libro XIV. *Ad Regem legatus Rhodum, Ecbatanam aut Babylonem Ibo; cercurum ſumam*. Verum hæc interpretatio non convenit Oratori vera narranti: quamvis in eam propendeat quoque Villomarus libro II. cap. 5. Animadverſ. accedam potius Hotomaniæ interpretationi: quæ videatur ad hunc locum. ſuper quo conſulendus item eſt Robertus Titius libro II. Controverſ. cap. 5. ubi præter ſuam conjectationem profert item aliorum. adeundus præterea Modius d. Epiſt. XCVII.

13. *Ancipiti contentione diſtricti.*] Eſt à Fabr. Uverdenſ. item melioribus Palatinis. Vulgata lectio *diſtracti*.

14. *De veſtri imperii dignitate.*] Sic rectè Hittorp. & Uverdenſ. pendent enim hæc adhuc ab illis: *Sed de Lucullo, &c.* vulgata hactenus, *Sed pro veſtri*; minus venuſte.

15. *Majores veſtri ſæpe.*] Editio vetus *noſtri*. acceduntque aliqui Pall. ac Gulielmiani.

16. *Ac Naviculatoribus.*] Sic Pall. omnes & Gulielmiani: niſi quod noſter tertius a prima manu *navicultoribus*. Fabr. lib. *navicularius*.

1. *Inter-*

legatum populi Rom. conſularem, vinculis, ac verberibus, atque omni ſupplicio excruciatum necavit? Illi libertatem civium Rom. imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum illi perſecuti ſunt: vos legatum populi Rom. omni ſupplicio [1] interfectum, inultum relinquetis? Videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam *relinquere:* ſic vobis turpiſſimum ſit, illud, quod accepiſtis, *tueri, & conſervare non poſſe.* Quid, quòd ſalus ſociorum ſummum in periculum, ac diſcrimen vocatur? Regno expulſus eſt Ariobarzanes, rex, ſocius populi Rom. atque amicus: imminent duo reges toti Aſiæ, non ſolùm vobis inimiciſſimi, ſed etiam veſtris *ſociis*, atque amicis: civitates autem omnes, cuncta Aſia, atque Græcia veſtrum auxilium exſpectare, propter periculi magnitudinem, coguntur: imperatorem à vobis certum depoſcere, cùm præſertim vos alium miſeritis, neque *audent*, neque id ſe facere ſummo ſine periculo poſſe arbitrantur. vident, & ſentiunt hoc idem, quod vos, unum virum eſſe, [2] in quo ſumma ſint omnia, & eum propè eſſe, (quo etiam carent ægriùs:) cujus *adventu ipſo, atque nomine*, tametſi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hoſtium repreſſos eſſe intelligunt ac retardatos. Hi vos, quoniam liberè loqui non licet, tacitè rogant, ut ſe quoque ſicut ceterarum provinciarum ſocios, dignos exiſtimetis, quorum *ſalutem* tali viro commendetis. [3] atque hoc etiam magis, quàm ceteros; quòd ejuſmodi in provinciam homines [4] cum imperio mittimus, ut, etiam ſi ab hoſte defendant, tamen ipſorum adventus in urbeis ſociorum, non multum [5] ab *hoſtili expugnatione differant.* Hunc audiebant antea, nunc præſentem vident, tanta temperantia, tanta manſuetudine, tanta humanitate, ut ii beatiſſimi eſſe videantur, apud quos ille diutiſſimè commoratur.
6 Quare, ſi *propter ſocios*, nulla ipſi injuria laceſſiti, [6] majores veſtri cum Antiocho, cum Philippo, cum Ætolis, cum Pœnis bella geſſerunt: quanto vos ſtudio convenit, injuriis provocatos, ſociorum ſalutem una cum imperii veſtri dignitate defendere, præſertim cùm de veſtris maximis *vectigalibus* agatur? nam ceterarum provinciarum vectigalia, Quirites, tanta ſunt, ut iis ad ipſas provincias tutandas vix contenti eſſe poſſimus: Aſia verò tam opima eſt, & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facilè omnibus terris antecellat. Itaque hæc vobis provincia, Quirites, [7] ſi & belli utilitatem, & pacis dignitatem ſuſtinere vultis, non modo à calamitate, ſed etiam à *metu calamitatis* eſt defendenda. nam ceteris in rebus, cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur. at in *vectigalibus* non ſolùm adventus mali; ſed etiam metus ipſe affert calamitatem. nam cùm hoſtium copiæ non longè abſunt, etiam ſi irruptio facta nulla ſit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deſeritur, mercatorum navigatio conquieſcit. ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex ſcriptura vectigal conſervari poteſt. quare ſæpe totius anni fructus uno rumore periculi, atque *uno belli terrore*, amittitur. [8] Quo tandem animo eſſe exiſtimatis aut eos, qui vectigalia nobis penſitant, aut eos, qui exercent, atque exigunt, cùm duo reges cum maximis copiis propè adſint? cùm una excurſio equitatus *perbrevi tempore* totius anni vectigal auferre poſſit? cùm publicani familias maximas, [9] quas in ſalinis habent, quas in agris, quas in portubus, atque cuſtodiis, magno periculo ſe habere arbitrentur? Putatiſne vos illis rebus frui poſſe, niſi eos, [10] qui vobis fructuoſi ſunt, conſervaveritis, non ſolùm (ut antea dixi)
calamitate, ſed etiam calamitatis formidine liberatos? Ac 7
ne illud quidem vobis negligendum eſt, quod mihi ego extremum propoſueram, cum eſſem de belli genere dicturus, quod ad multorum bona civium Rom. pertinet: quorum vobis, pro veſtra ſapientia, Quirites, habenda eſt ratio diligenter. Nam & *publicani*, homines & honeſtiſſimi, & ornatiſſimi, ſuas rationes, & copias in illam provinciam contulerunt: quorum ipſorum per ſe res, & fortunæ, curæ vobis eſſe debent. etenim ſi VECTIGALIA, NERVOS ESSE REIP. SEMPER DUXIMUS: eum certè ordinem, qui exercet illa, firmamentum ceterorum ordinum rectè eſſe dicemus. Deinde ceteris ex ordinibus homines gnavi, & induſtrii, [11] partim in Aſia negotiantur, quibus vos abſentibus conſulere debetis: partim ſuas, & ſuorum in ea provincia pecunias magnas collocatas habent. Erit igitur humanitatis veſtræ, magnum eorum civium numerum calamitate prohibere: ſapientiæ, videre, *multorum civium calamitatem à repub. ſejunctam eſſe non poſſe.* Etenim illud primùm parvi refert, vos publicanis amiſſa vectigalia poſtea victoria recuperare. neque enim iiſdem redimendi facultas erit, propter calamitatem, neque aliis voluntas, propter timorem. Deinde, quòd nos eadem Aſia, atque idem iſte Mithridates initio belli Aſiatici docuit; id quidem certè *calamitate docti* memoria retinere debemus. nam tum, cùm in Aſia res magnas permulti amiſerant, ſcimus, Romæ, ſolutione impedita, fidem concidiſſe. NON ENIM poſſunt una in civitate multi rem, atque fortunas amittere, ut non plureis ſecum in eandem calamitatem trahant. A quo periculo prohibete remp. & mihi credite, id quod ipſi videtis. hæc fides, atque hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, quæ in foro verſatur, implicita eſt cum illis pecuniis Aſiaticis, & cohæret. ruere illa non poſſunt, ut hæc non *eodem labefactata motu* concidant. Quare videte, num dubitandum vobis ſit, omni ſtudio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis veſtri, ſalus ſociorum, vectigalia maxima, fortunæ [12] plurimorum civium cum repub. defenduntur.
Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca 8
dicam. Poteſt enim hoc dici: belli genus eſſe ita neceſſarium, ut ſit gerendum. non eſſe ita magnum, ut ſit pertimeſcen-

1. *Interfectum, inultum relinquetis?*] Dictio *inultum* non eſt in melioribus Pall. neque agnoſcunt eam editiones primæ.

2. *In quo ſumma ſint omnia.*] Adblandiebatur Gulielmio lectio Hittorp. *in quo ſint omnia*, formula Græca. ego adhærere malui vulgatæ.

3. *Atque hoc etiam magis quàm ceteros, quod ejuſmodi in provinciam homines, &c.*] Gulielmius repoſuerat ex Erfurd. Colonienſ. Uverd. *quod ceteros ejuſmodi in provincias.* & vero Pall. plerique habent tantum, *quam ceteros ejuſmodi.* haud auſim tamen ejicere vulgatam. ad quid enim heic requiritur? *ceteros.* itaque mallem reſcribi; *atque hoc etiam magis, quod ejuſmodi;* ut illa *quàm ceteros*, fuerint à mala manu.

4. *Cum imperio mittimus.*] Vulgata, *miſimus*; ſed noſtrum extat in antiquiſſ. edd. & Pall. omnibus. nec video cur improbare debeat Brutus.

5. *Ab hoſtili expugnatione.*] Gruter. *impugnatione.* quod non eſt negligendum. Pal. ſext. *pugnatione.*

6. *Majores veſtri.*] Uverdenſ. & Grut. *noſtri*, neque diſplicere poteſt. haud tamen ideo deſero vulgatam.

7. *Si & belli utilitatem, & pacis dignitatem ſuſtinere*] Ita Pall. omnes & cuſi avorum memoria. Gulielmius vero ex Uverdenſ. ſubſtituit: *Si ad belli utilitatem & pacis dignitatem retinere;* quod *retinere* etiam exſtat in Hittorp. ſententiâ apertâ, laudatque Modius d. Epiſtola XCVII.

8. *Quo tandem animo.*] Hittorp. amplius, *Quo tandem igitur animo*, non inepte. idem mox habet, *propter adſint*, non *prope*, uti publicatur. ita & cap. 5. m. *& eum propter eſſe* eædem membranæ, haud *propè*, arriſitque Gulielmio.

9. *Quas in ſalinis habent.*] Turnebus lib. 1. Adverſ. cap. 5. corrigit, *in ſilvis.* quem ſequitur Lambinus. P. Manutius edidit *ſalictis*, obſecutus ſcilicet conjectaneo Hotomani: qui præterea tamen annotarat legi poſſe *ſaltibus.* placuit Lipſio noſtro libro II. de Magnitudine Rom. ſed enim Pall. noſtri, Erfurd. Colon. Uverd. Grut. uno ore laudant illud *ſalinis*: quod & retinuimus.

10. *Qui vobis fructuoſi ſunt.*] Fabric. *fructui*, quem ſequitur Lambinus, alioſque veteres, ut ait. at enim noſtri omnes ſtant à vulgato.

11. *Partim in Aſia negotiantur.*] Hittorp. & Uverd. *partim ipſi in Aſia negot.* ad ſententiam illuſtrandam non incommodum, inquit Gulielmius.

12. *Plurimorum civium cum republ. defenduntur.*] Uverd. Hittorp. & Erfurd. *cum republ. conjunctæ defendantur.* appoſitè ad ea quæ antecesſerunt. ſed tale nihil in Pall. aut retro editis. tuetur id tamen & Modius d. loco.

meſcendum. In quo maximè laborandum eſt, [1] ne forte à vobis quæ diligentiſſime *providenda* ſunt, contemnenda eſſe videantur. Atque, ut omnes intelligant, me L. Lucullo tantum impertire laudis, quantum forti viro, & ſapientiſſimo homini, & magno imperatori debeatur: dico, ejus adventu maximas Mithridatis copias omnibus rebus ornatas, atque [2] inſtructas fuiſſe; urbemque Aſiæ clariſſimam, nobiſque amiciſſimam, Cyzicenorum, obſeſſam eſſe ab ipſo rege magna multitudine, & oppugnatam vehementiſſimè, [3] quam L. Lucullus virtute, aſſiduitate, conſilio, ſummis obſidionis periculis liberavit: ab eodem imperatore claſſem magnam, & ornatam, quæ ducibus Sertorianis ad Italiam [4] ſtudio inflammato raperetur, ſuperatam eſſe, atque depreſſam: magnas hoſtium præterea copias *multis prœliis* eſſe deletas: patefactumque noſtris legionibus eſſe Pontum, qui antè populo Romano ex omni aditu clauſus eſſet: Sinopen, atque Amiſum: quibus in oppidis erant domicilia regis, [5] omnibus rebus ornata, atque referta; ceteraſque urbeis Ponti, & Cappadociæ permultas, uno aditu, atque [6] adventu eſſe captas: regem ſpoliatum regno patrio, atque avito, ad alios ſe reges, atque alias genteis *ſupplicem* contuliſſe: atque hæc omnia, ſalvis populi Romani ſociis, atque integris vectigalibus, eſſe geſta. Satis opinor hoc eſſe laudis; [7] atque ita, Quirites, ut hoc vos intelligatis, à nullo iſtorum, qui huic obtrectant legi, atque cauſæ, L. Lucul-

9 lum ſimiliter ex hoc loco eſſe laudatum. Requiretur fortaſſe nunc, quemadmodum, cùm hæc ita ſint, reliquum poſſit eſſe *magnum bellum*. Cognoſcite, Quirites. [8] non enim hoc ſine cauſa quæri videtur. Primùm ex ſuo regno ſic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugiſſe dicitur: quam prædicant in fuga, fratris ſui membra in iis locis, quà ſe parens perſequeretur, diſſipaviſſe, ut eorum collectio diſperſa, mærorque patrius, *celeritatem* perſequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens, maximam vim auri, atque argenti, pulcherrimarumque rerum omnium, quas & à majoribus acceperat, & ipſe bello ſuperiore ex tota Aſia direptas, in ſuum regnum congeſſerat, in Ponto omnem reliquit. hæc dum noſtri *colligunt* omnia diligentiùs, rex ipſe è manibus effugit. ita illum in perſequendi ſtudio mæror, hos lætitia retardavit. [9] Hunc in illo timore, & fuga, Tigranes, rex Armenius, excepit: diffidentemque rebus ſuis confirmavit, & afflictum erexit, perditumque recreavit. cujus in regnum poſteaquàm L. Lucullus cum exercitu venit: plures etiam gentes contra imperatorem noſtrum concitatæ ſunt. Erat enim *metus injectus* iis nationibus quas numquam populus Romanus neque laceſſendas bello, neque tentandas putavit. erat etiam alia gravis, atque vehemens opinio, quæ per animos gentium barbararum pervaſerat, *fani* locupletiſſimi, & religioſiſſimi diripiendi cauſa in eas oras noſtrum exercitum eſſe adductum. Ita nationes multæ, atque magnæ novo quodam terrore, ac metu concitabantur. Noſter autem exercitus, etſi urbem ex Tigranis regno ceperat, & prœliis uſus erat ſecundis, tamen nimia *longinquitate locorum*, ac deſiderio ſuorum commovebatur. Hic jam plura non dicam. fuit enim illud extremum, ut ex iis locis à militibus noſtris reditus magis maturus, [10] quàm proceſſio longior quæreretur. [11] Mithridates autem & ſuam manum jam confirmarat, & eorum, qui ſe ex ejus regno collegerant, [12] & magnis adventitiis multorum regum, & nationum copiis juvabatur. Hoc jam ferè ſic *fieri ſolere* accepimus, ut REGUM afflictæ fortunæ facilè multorum opes alliciant ad miſericordiam, maximeque eorum, qui aut reges ſunt, aut vivunt in regno; [13] quòd regale iis nomen *magnum, & ſanctum* eſſe videatur. Itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolumis numquam eſt auſus optare. nam cùm ſe in regnum recepiſſet ſuum, non fuit eo contentus, quod ei præter ſpem acciderat, ut illam, poſteaquàm pulſus erat, terram umquam attingeret: ſed in exercitum veſtrum, clarum, atque victorem, impetum fecit. Sinite hoc loco, Quirites, (ſicut poëtæ ſolent, qui res Romanas ſcribunt) præterire me noſtram calamitatem: quæ tanta fuit, ut eam ad aureis L. Luculli non ex prœlio nuntius, ſed ex ſermone rumor afferret. Hic in ipſo illo malo, graviſſimaque belli offenſione, L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi fortaſſe potuiſſet, veſtro juſſu coactus, quòd *imperii diuturnitati modum ſtatuendum*, veteri exemplo putaviſtis, [14] partem militum, qui jam [15] ſtipendiis confecti erant, dimiſit, partem Glabrioni tradidit. Multa prætereo conſultò: ſed ea vos [16] conjectura perſpicitis, [17] quantum illud bellum futurum putetis, quod conjungant reges potentiſſimi, renovent agitatæ nationes, ſuſcipiant integræ gentes, *novus imperator* veſter accipiat, [18] vetere pulſo exercitu. Satis mihi multa verba feciſſe vi- 10
deor,

1. *Ne forte à vobis.*] Lambinus abjecit *à*. Gulielmius ei addidit literulam, *forteat*. quomodo Pal. ſec. ſed diviſis vocibus *forte an*.

2. *Inſtructas fuiſſe; urbemque.*] Eſt ab Hittorp. & Uverd. neque abeuat Pall. aut Gruter. editive antiquitus, quam quod deſtituantur illo *fuiſſe* inepte nupere vulgati, *inſtructas eſſe deletas*. certe ſic nullus Palatinorum, vel Gruter. vel Erfurd. nimirum oratoriè hoſtem laudat, ut major fiat Lucullus qui talem ſuperavit. Ceterum monet præterea heic Gulielmius. in Uverd. eſſe *Mithridati*, veteri ratione ſcribendi; ut etiam infra hoc libro *ex Tigrani regno*, in Hittorp.

3. *Quam L. Lucullus, &c. liberavit.*] Sic rurſus omnes Pall. Hitt. Uverd. & Gruter. item avorum ævo ſcripti, pro quo repoſitum à poſterioribus, *L. Luculli, &c. liberatam*. cur quæſo?

4. *Studio inflammato raperetur.*] Colonienſis liber Hittorpii, *ſtudio, atque odio inflammata raperetur*. quod tanto magis ſatisfacit, quia & Erfurd. ſervet illud *inflammata*; habeatque Uverdenſis.

5. *Omnibus rebus ornata atque referta.*] Erfurd. *ornatas, & refertas*: quod & in B. & Pal. ſec. placebatque Gulielmio, non etiam mihi, vel ob terminationes ſimiliter deſinentes.

6. *Adventu eſſe captas.*] Sic quidem hodie legitur. Verum exoletæ edd. item Pall. omn. item Grut. B. Uverd. *eſſe clauſas*. attendent ei curioſiores. nam non eſt temeraria talis conſpiratio libraria.

7. *Atque ita Quirites, ut hoc vos, &c.*] Ejeci illud *reputo*, quod hactenus vulgatum fuit tanquam ſpurium. certè aptior heic foret Puteani emendatio, *atque id repeto*. verum quid? Pal. pr. ejus habet loco *r. p.* quod & in ſexto, ſed is excluſit *ita*. quintus exhibet *ita reipubl.* neque aliter Grut. adeo ut dubium non ſit quin admittenda veniret ſcriptura Hitt. & Uverd. *ita Q. R. ut vos*. ea enim nota deſignat *Quirites*, quod ipſum cum omnibus literis perſcriptum fuiſſe in Turingico teſtaretur Suffridus noſter, jure id auctori noſtro redonavi.

8. *Non enim hoc ſine cauſa.*] Sic Erfurd. Hittorp. Uverd. quod ἐμφατικώτερον putabat Gulielmius. prius aberat *hoc*.

9. *Hunc in illo timore & fuga.*] Forte *ex fuga*. Erfurd. habebat, *tempore & fuga*: quod præclarum Gulielmio viſum, pro *periculo & calamitate*.

10. *Quam proceſſio longior.*] Ita Pall. aliorumque ſcripti, imo etiam primitus cuſi. deinceps, *proceſſus*. ſic autem Cicero *contemptionem* ſemper, *contemptum*, nunquam dixit, inquit Gulielmius.

11. *Mithridates autem & ſuam manum, &c.*] Non minus bene Hittorp. codex, *confirmarat eorum opera, qui ad eum ex ipſius regno conceſſerant*.

12. *Et magnis adventitiis auxiliis multor. reg. &c.*] Sic quidem Fabric. item Uverd. & Hitt. ſed, ſi ſtandum fidei ſex Pall. & libri Gruteriani, item editionis anni CCCCLXXX. Venetæ, illud *auxiliis* eradicandum, utpote quod ibidem nullum conſpiciatur, non magis quam antea vulgatum *copiis*, quod tamen exſtat in publicatis anno CCCCLXXIII.

13. *Quod regale iis nomen.*] Si auſcultandum Pall. & aliorum ſcriptis, reſcribendum, *ut his*, quomodo & ſuperiore ſæculo cuſi.

14. *Partem militum &c.*] Gulielmius divinat, *partim militum, &c. Partim Glabrioni tradidit*, quod ultimum illud *partim* inveniſſet in Hittorp. de quo loquendi genere Agellius lib. x. cap. 13.

15. *Stipendiis confecti.*] Haud aliter Pall. omnes reliquorumque, nec non edd. vett. neoterici *confectis*.

16. *Conjectura perſpicitis.*] B. & Uverd. item Gruter. *perſpicite*, quod vehementius putat Gulielmius.

17. *Quantum illud bellum factum putetis.*] Ita Pall. ita Gruter. ita Uverd. Hittorp. & B. neque divertunt edd. veteres. recentiores, *futurum* Hittorp. præterea removerat *illud*; mihi ferè & *factum*, & *futurum*, gloſſam olet.

18. *Vetere pulſo exercitu.*] Eſt ab Fabr. Hitt. Uverd. prius vulgati *expulſo*, quod & in Pall. omn.

1. Quare

deor, [1] quare hoc bellum eſſet, genere ipſo neceſſarium, magnitudine periculoſum. reſtat, ut de imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo, dicendum eſſe videatur. Utinam, Quirites, virorum fortium, atque *innocentium* copiam tantam haberetis, ut hæc vobis deliberatio difficilis eſſet, quemnam potiſſimum tantis rebus, ac tanto bello præficiendum putaretis. Nunc verò cùm ſit unus Cn. Pompejus, qui non modò eorum hominum, qui nunc ſunt, gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriam virtute ſuperarit: quæ res eſt, quæ cujuſquam animum in hac cauſa dubium facere poſſit? Ego enim ſic exiſtimo, IN SUMMO IMPERATORE quattuor has res ineſſe oportere, ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur hoc homine ſcientior umquam aut fuit, aut eſſe debuit? [2] qui *è ludo*, atque pueritiæ diſciplina, bello maximo, atque acerrimis hoſtibus, ad patris exercitum, atque in militiæ diſciplinam profectus eſt? qui extrema pueritia [3] miles fuit ſummi imperatoris? ineunte adoleſcentia maximi ipſe exercitus imperator? qui ſæpiùs *cum hoſte conflixit*, quam quiſquam cum inimico concertavit? plura bella geſſit, quàm ceteri legerunt? plureis provincias confecit, quàm alii concupiverunt? cujus adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis præceptis, ſed ſuis imperiis: non offenſionibus belli, ſed victoriis: non ſtipendiis, ſed [4] *triumphis* eſt erudita? Quod denique genus belli eſſe poteſt, in quo illum non exercuerit fortuna reip.? Civile, Africanum, Tranſalpinum, Hiſpanienſe, [5] miſtum ex civitatibus, atque ex bellicoſiſſimis nationibus, ſervile, navale bellum, varia & diverſa genera, & bellorum, & hoſtium, non ſolùm *geſta* ab hoc uno, ſed etiam *confecta*, nullam rem eſſe declarant, in uſu militari poſitam, quæ hujus viri ſcientiam fugere poſſit.

11 Jam verò virtuti Cn. Pompeji, quæ poteſt par oratio inveniri? quid eſt, quod quiſquam aut dignum illo, aut vobis novum, aut cuiquam inauditum poſſit afferre? Neque enim illæ ſunt ſolæ *virtutes imperatoriæ*, quæ vulgò exiſtimantur, labor in negotio, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in providendo: quæ tanta ſunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus, aut audivimus, nón fuerunt. Teſtis eſt Italia, quam ille ipſe victor, L. Sulla, [6] hujus virtute, & ſubſidio confeſſus eſt liberatam. teſtis eſt Sicilia, quam multis undique cinctam periculis, non terrore belli, ſed celeritate conſilii, explicavit. teſtis eſt Africa, quæ magnis oppreſſa hoſtium copiis, eorum ipſorum ſanguine redundavit. teſtis eſt Gallia, per quam legionibus noſtris in Hiſpaniam iter, Gallorum [7] internicione patefactum eſt. teſtis eſt Hiſpania, quæ ſæpiſſimè plurimos hoſteis ab hoc ſuperatos, proſtratoſque conſpexit. teſtis eſt iterum, & ſæpiùs Italia, quæ cùm *ſervili bello* tætro, periculoſoque premeretur, ab hoc auxilium abſente expetivit: quod bellum *exſpectatione* Pompeji attenuatum, atque imminutum eſt: *adventu* ſublatum, ac ſepultum. [8] teſtes verò jam omnes oræ, atque omnes exteræ gentes, ac nationes: denique maria omnia, tum univerſa, tum in ſingulis oris omnes ſinus, atque portus. Quis enim toto mari locus per hos annos, aut tam firmum habuit præſidium, ut tutus eſſet? aut tam fuit abditus, ut lateret? Quis navigavit, qui non ſe aut *mortis*, aut *ſervitutis* periculo committeret, cùm aut hyeme, aut referto prædonum mari navigaret? Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam latè diviſum, atque diſperſum, quis umquam arbitraretur aut ab *omnibus imperatoribus* uno anno, aut omnibus annis ab *uno imperatore* confici poſſe? [9] Quam provinciam tenuiſtis à prædonibus liberam per hoſce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? quem ſocium defendiſtis? cui, præſidio, claſſibus veſtris, fuiſtis? quam multas exiſtimatis inſulas eſſe deſertas? quàm multas aut metu relictas, aut à prædonibus captas urbeis eſſe ſociorum? Sed quid ego longinqua commemoro? Fuit hoc 12
quondam, fuit proprium populi Rom. longè à domo bellare, & *propugnaculis imperii ſociorum fortunas*, non ſua tecta defendere. Sociis veſtris ego mare clauſum per hoſce annos dicam fuiſſe, cùm exercitus noſtri [10] Brundiſio numquam, niſi ſumma hieme, tranſmiſerint? [11] Qui ad vos ab exteris nationibus venirent, captos querar; cum legati populi Rom. redempti ſint? mercatoribus tutum mare non fuiſſe dicam, cùm duodecim ſecures in prædonum poteſtatem pervenerint? [12] Cnidum aut Colophonem, aut Samum, nobiliſſimas urbeis, innumerabileiſque alias, captas eſſe commemorem, cùm veſtros portus, atque eos portus, quibus *vitam & ſpiritum ducitis*, in prædonum fuiſſe poteſtatem ſciatis? An verò ignoratis, portum Cajetæ celeberrimum, atque pleniſſimum navium, inſpectante prætore, à prædonibus eſſe direptum? Ex Miſeno autem, ejus ipſius liberos, qui cum prædonibus antea ibi bellum geſſerat, à prædonibus eſſe ſublatos? Nam quid ego Oſtienſe incommodum, atque illam labem, atque *ignominiam reip.* querar, cùm, propè inſpectantibus vobis, claſſis ea, cui conſul populi Romani præpoſitus eſſet, à prædonibus [13] capta, atque oppreſſa eſt? Prô dii immortales! tantamne unius hominis incredibilis, ac divina virtus tam brevi tempore lucem afferre reip. potuit, ut vos, qui modò ante oſtium Tiberinum claſſem hoſtium videbatis, ii nunc nullam [14] intra Oceani oſtium prædonum navem eſſe audiatis? Atque hæc, *qua celeritate* geſta ſint, quanquam videtis, tamen à me in dicendo prætereunda non ſunt. Quis enim umquam, aut obeundi negotii, aut conſequendi quæſtus ſtudio, tam brevi tempore, tot loca adire, tantos curſus conficere potuit, quàm celeriter, Cn. Pompejo duce, [15] belli impetus navigavit?

[1] qui

1. *Quare hoc bellum eſſet.*] Præfert Gulielmius, tanquam aptius, *quale*, quod in Hittorp.

2. *Qui è ludo atque pueritiæ diſciplina.*] Colon. & Uverd. liber, *atque è pueritiæ diſciplinis.* quod maluit Gulielmius: ut intelligat eas artes quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet.

3. *Miles fuit ſummi imp.*] Iidem, *miles in exercitu ſummi fuit imp.* placuitque Gulielmio. cum abſit tot Palatinis, videri queant à librariis: etſi non negem numeroſius.

4. *Triumphis eſt erudita.*] Præpoſui & hanc lectionem Fabr. repertam item in Erfurd. Uverd. Hittorp. vulgatæ, *eſt traducta*; præſertim quod in mſſ. noſtris & vett. hæreret, *tradita.* pugnat tamen ſpecioſè pro recepta lectione, amicus noſter Schottus lib. 1. Nodor. Ciceron. cap. 7.

5. *Mixtum ex civitatibus atque ex bell.*] Colonienſ. *civilibus & bell.* unde lubens fecerit Gulielmius *civilibus & bell.* ut loquatur de Hiſpanienſi bello. ego non receſſerim à lectione recepta, quæ in edd. omnibus & Pall.

6. *Hujus virtute & ſubſidio.*] Ita uno conſenſu Pall. & Gulielmiani, nec non edd. antiquæ poſteriores *conſilio.*

7. *Internicione.*] Lambinus e ſuis *interitione.* quod & videtur fuiſſe in Pall. quinto. nam ſecundo, tertio *internitione*, quod & in H. V. B. at enim pr. *incuſſione.* ſext. *intenſione.* ſept. *interruptione.* Grut. *interemptione*; quod & in editionibus omnium primis.

8. *Teſtes verò jam omnes oræ, atque omnes exteræ gentes.*] Haud ſecus Pall. at enim Colon. *teſtes nunc verò jam omnes oræ, atque omnes, terræ, gentes, nationes.* quod valde amplectitur Gulielmius.

9. *Quam provinciam tenuiſtis à prædonibus liberam.*] Dictionem *liberam* expunxerat Gulielmius, auctoritate Colonienſ. non auſim ſequi, & repugnant tot alioquin libri calamo exarati.

10. *Brundiſio nunquam, &c.*] Pall. & olim cuſi, *à Brundiſio.* nihilo pejus.

11. *Qui ad vos ab exteris nation. ven. captos querar.*] Inſignis hæc emendatio, eſt ab Colon. & Uverd. cum prius legeremus, ſine ulla gratia, *Quid, ad nos cum ab exteris, &c.*

12. *Cnidum aut Colophonem.*] Sic egregiè Fabric. Uverd. Hittorp. nam Italici noſtri, *Quid aut Colophon.* ut & antea cuſi.

13. *Capta atque oppreſſa eſt.*] Sic Pall. omn. at Colonienſ. *deprehenſa eſt.* ex quo facit Gulielmius, *depreſſa eſt*; ut & Modius d. Epiſt. XCVII.

14. *Intra Oceani oſtium.*] Accedit eis Gulielmius, qui maluerunt *Oceanum oſtium*, quod & Salluſtius dixiſſet *Oceanum mare.* at auribus meis injucunda eſt vox *oſtium*, cupiamque mutatam aliâ.

15. *Belli impetus navigavit.*] Fabr. Hittorp. Uverd. *tanti belli impetus.* quod & admiſit Lambinus.

1. *Qui*

[1] qui nondum tempeſtivo ad navigandum mari Siciliam adiit, Africam exploravit: inde Sardiniam cum claſſe venit: atque hæc tria frumentaria ſubſidia reip. firmiſſimis præſidiis, claſſibuſque munivit. Inde, ſe cum in Italiam recepiſſet, duabus Hiſpaniis, [2] & Gallia Ciſalpina præſidiis, ac navibus confirmata, miſſis item in oram Illyrici maris, & in Achaiam, omnemque Græciam navibus, Italiæ duo maria maximis *claſſibus*, firmiſſimiſque præſidiis adornavit: ipſe autem, [3] ut à Brundiſio profectus eſt, undequinquageſimo die totam ad imperium populi Romani Ciliciam adjunxit: omnes, qui ubique prædones fuerunt, partim *capti, interfectique* ſunt, partim unius hujus imperio, ac poteſtati ſe *dediderunt*. Idem Cretenſibus, cùm ad eum [4] uſque in Pamphiliam legatos, deprecatoreſque miſiſſent, ſpem deditionis non ademit, obſideſque imperavit. Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longe, lateque diſperſum, quo bello omnes gentes, ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hieme *apparavit*, ineunte vere *ſuſcepit*, media
3 æſtate *confecit*. Eſt hæc divina, atque incredibilis virtus imperatoris. quid ceteræ, quas paulo ante commemorare cœperam, quantæ, atque quam multæ ſunt? non enim *ſolùm bellandi virtus* in ſummo, atque perfecto imperatore quærenda eſt: ſed multæ ſunt artes eximiæ, hujus adminiſtræ, comiteſque virtutis. Ac primum quanta innocentia debent eſſe imperatores! quanta deinde omnibus in rebus temperantia! quanta fide! quanta facilitate! quanto ingenio! quanta humanitate! Quæ breviter, qualia ſint in Cn. Pompejo, conſideremus. ſumma enim omnia ſunt, Quirites: ſed ea magis ex *aliorum contentione*, quàm ipſa per ſeſe cognoſci, atque intelligi poſſunt. Quem enim poſſumus imperatorem [5] aliquo in numero putare, cujus in exercitu *veneant* centuriatus, atque venierint? quid hunc hominem magnum, aut amplum de repub. cogitare, qui pecuniam ex ærario depromtam ad bellum adminiſtrandum, aut propter cupiditatem provinciæ magiſtratibus diviſerit, aut propter avaritiam Romæ in quæſtu reliquerit? Veſtra admurmuratio facit, Quirites, ut *agnoſcere* videamini, qui hæc fecerint. ego autem neminem nomino. quare iraſci mihi nemo poterit, niſi qui antè de ſe voluerit confiteri. Itaque propter hanc avaritiam imperatorum, [6] quantas calamitates, quocumque ventum ſit, noſtri exercitus ferant, quis ignorat? Itinera, quæ per hoſce annos in Italia per agros, atque oppida civium Roman. noſtri imperatores fecerunt, recordamini. tum faciliùs ſtatuetis, quid *apud exteras nationes* fieri exiſtimetis. Utrum plureis arbitramini per hoſce annos militum veſtrorum armis hoſtium urbeis, an *hibernis*, ſociorum civitates eſſe deletas? NEQUE enim POTEST EXERCITUM IS CONTINERE IMPERATOR, QUI SE IPSUM NON CONTINET: neque ſeverus eſſe in judicando, qui alios in ſe ſeveros eſſe judices non vult. Hìc miramur, hunc hominem tantum excellere ceteris, cujus legiones ſic in Aſiam pervenerunt, ut non modò manus tanti exercitus, ſed ne *veſtigium* quidem cuiquam pacato nocuiſſe dicatur? Jam verò, quemadmodum milites hibernent, quotidie ſermones, ac literæ perferuntur. non modò, ut ſumtum faciat in militem, nemini vis affertur: ſed *ne cupienti quidem* cuiquam permittitur. HIEMIS enim non avaritiæ perfugium majores noſtri in ſociorum atque amicorum tectis eſſe voluerunt. Agè verò ceteris in re- 14
bus [7] quali ſit temperantia, conſiderate. Unde illam tantam celeritatem, & tam [8] incredibilem curſum initum putatis? non enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudita quædam gubernandi, aut venti aliqui novi, tam celeriter in ultimas terras pertulerunt: ſed hæ res, quæ *ceteros remorari ſolent*, non retardarunt: non avaritia ab inſtituto curſu [9] ad prædam aliquam devocavit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipſe ad quietem. poſtremò ſigna, & tabulas, ceteraque ornamenta Græcorum oppidorum, quæ ceteri tollenda eſſe arbitrantur, ea ſibi ille ne viſenda quidem exiſtimavit. Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompejum, ſicut aliquem non ex hac urbe miſſum, ſed *de cœlo delapſum*, intuentur: nunc denique incipiunt credere, fuiſſe homines Romanos hac quondam abſtinentia: quod jam nationibus exteris *incredibile*, ac falsò memoriæ proditum videbatur: [10] nunc imperii noſtri ſplendor illis gentibus lucet: nunc intelligunt, non ſine cauſa majores ſuos tum, cùm hac temperantia magiſtratus habebamus, *ſervire* populo Romano, quàm *imperare* aliis, maluiſſe. Jam verò ita *faciles aditus* ad eum privatorum, ita liberæ querimoniæ de aliorum injuriis eſſe dicuntur; ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis eſſe videatur. Jam quantum conſilio, quantum dicendi gravitate, & copia valeat, in quo ipſo ineſt quædam *dignitas imperatoria*, [11] vos, Quirites, hoc ipſo in loco ſæpe cognoſtis. *Fidem* verò ejus inter ſocios quantam exiſtimari putatis, [12] quam hoſtes omnium gentium ſanctiſſimam judicarint? *Humanitate* jam tanta eſt, ut difficile dictu ſit, utrùm hoſtes magis virtutem ejus pugnantes timuerint, an manſuetudinem victi dilexerint. Et quiſquam dubitabit, quin huic [13] tantum bellum hoc tranſmittendum ſit, qui ad omnia noſtræ memoriæ bella conficienda, divino quodam conſilio natus eſſe videatur? Et, quoniam *auctoritas* multum in bellis 15
quoque adminiſtrandis, atque imperio militari valet; certè nemini dubium eſt, quin ea re idem ille imperator plurimùm poſſit. Vehementer autem pertinere ad bella adminiſtranda, quid hoſtes, quid ſocii de imperatoribus veſtris exiſtiment, quis ignorat, cùm ſciamus, homines in tantis rebus, ut aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament,

1. *Qui nondum tempeſtivo ad navigandum mari, &c.*] Tota hæc tranſpoſitio debetur Hittorp. & Uverd. at iſtos librorum corruptores rideamus albis dentibus, qui in Sardinia jam mari vixdum navigabili fuiſſe mentiuntur. quando ergo in Africa? quando in Cilicia? hieme ſumma ſcilicet. *Gulielmius*. Palatini tamen ſtant à vulgato. cui non deeſt quo ſe defendat.

2. *Et Gallia Ciſalpina.*] Pal. tert. Hittorp. & Turingicus *Tranſalpina.* rectè inquit Gulielmius. & quod propinquior Hiſpaniis, & quod nuper ab ipſo Pompejo devicta. poſtea Colon. legit *confirmatis* minus remoti à communi ratione loquendi.

3. *Ut a Brundiſio profectus eſt.*] Sic Pall. Hittorp. Uverd. omiſerunt *à*. Gulielmius malebat, *à Brundiſio provectus eſt.*

4. *Uſque in Pamphiliam.*] Non diſplicet Gulielmio Colon. lectio, *uſque Pamphiliam.*

5. *Aliquo in numero.*] Hittorp. atque Erfurd. *ullo in numero.*

6. *Quantas calam. noſtri exercitus ferant.*] Colonienſ. *adferant*: quod admittendum putabat Modius Novantiq. Epiſt. XCVII. ob ambiguitatem vulgati, neſcias enim an velit Ducis avaritiam nocere militi, an eis quibus adveniunt.

7. *Quali ſit temperantia.*] Pall. ferè *qualis*, quod & in olim cuſis & V. ac B. ſed Hittorp. *qua.* unde minimo negotio fiat *qua ſit*, quomodo placebat Modio noſtro.

8. *Incredibilem curſum inventum.*] Non potui excludere iſtud, inventum in Pall. & Gulielmianis omnibus: quamvis diſplicuerit Lambino qui ſuppoſuit *natum.* mecum facit Modius, qui videatur Epiſt. XCVII. quid quod *initum* illud vulgatum, reſpuunt editiones antiquiores: quas nemo conſulet ſine fructu. ſit *inventæ ſalutis*, eſt pro Sulla.

9. *Ad prædam devocavit.*] Eſt à pleriſque Pall. quibus ſecundas faciunt, B. H. V. E. Gulielmiani. antea erat *revocavit.* maluiſſem *ſevocavit*, quam prius vulgatum.

10. *Nunc imperii noſtri ſplendor illis gentibus lucet.*] Meliores Palatini, *veſtri*; at Colon. præterea, *illis gentibus lucem adferre cœpit.*

11. *Vos Quirites, &c.*] Colon. *vos quoque*, quod placet Modio, niſi potius quod putet vos quoque Quirites, *ſæpe hoc loco cognoſtis.* Epiſtolar. LXIX.

12. *Quam hoſtes omnium gentium ſanctiſſimam jud.*] Lambinus ex Fabric. *omnes omnium generum.* neque aliter membranæ quas excuſſit Gulielmius. ſed tamen vulgatam putat haud pejorem, ſi non meliorem. hæc enim eleganter ſceleſtiſſimos hoſtes opponit fidei ſanctiſſimæ.

13. *Tantum bellum tranſmittendum.*] Colon. *permittendum*, in quod inclinant Gulielmius & Modius. verum cum in noſtris omnibus perſtet alterum, minus notum librariis, haud facilè id vulgatiore iſto vocabulo permutaverim. Videatur tamen Modius Novantiq. epiſtola LXIX.

ament, [1] OPINIONE non minùs famæ, quàm aliqua certa ratione commoveri? Quod igitur nomen umquam in orbe terrarum clarius fuit? cujus res geſtæ pares? de quo homine vos, id quod maximè facit auctoritatem, tanta, & tam *præclara judicia* feciſtis? An vero ullam uſquam eſſe oram tam deſertam putatis, quò non illius diei fama pervaſerit, cùm univerſus populus Romanus referto foro, repletiſque omnibus templis, ex quibus hic locus conſpici poteſt, unum ſibi ad *commune omnium gentium bellum* Cn. Pompejum imperatorem depopoſcit? Itaque, ut plura non dicam, neque aliorum exemplis confirmem, quantum hujus auctoritas valeat in bello: ab eodem Cn. Pompejo omnium rerum egregiarum exempla ſumantur: qui, quo die à vobis maritimo bello præpoſitus eſt imperator, [2] tanta repentè *vilitas annonæ* ex ſumma inopia, & caritate rei frumentariæ conſecuta eſt, [3] unius ſpe & nomine, quantam [4] vix ex ſumma ubertate agrorum diuturna pax efficere potuiſſet. [5] Jam, accepta in Ponto calamitate, ex eo prælio, de quo vos paullò antè invitus admonui: cùm ſocii pertimuiſſent; hoſtium opes, animique creviſſent: ſatis firmum præſidium provincia non haberet: amiſiſſetis Aſiam, Quirites, [6] niſi ad id ipſum ejus temporis divinitus Cn. Pompejum ad eas regiones fortuna populi Romani attuliſſet. Hujus adventus & Mithridatem [7] inſolita inflammatum victoria continuit, & Tigranem magnis copiis minitantem Aſiæ retardavit. Et quiſquam dubitabit, quid *virtute* perfecturus ſit, qui tantum *auctoritate* perfecerit? aut quàm facilè imperio, atque exercitu ſocios, & vectigalia conſervaturus ſit, qui ipſo nomine, ac rumore defenderit?

16 Age verò, illa res quantam declarat ejuſdem hominis apud hoſteis populi Rom. auctoritatem, quod ex locis tam *longinquis*, tamque *diverſis*, tam brevi tempore [8] omnes unà huic ſe dediderunt? [9] quòd Cretenſium legati, cùm in eorum inſula noſter imperator, exercituſque eſſet, ad Cn. Pompejum in ultimas propè terras venerunt, eique ſe omnes Cretenſium civitates dedere velle dixerunt? Quid? idem iſte Mithridates, nonne ad eundem Cn. Pompejum, legatum uſque in Hiſpaniam miſit: [10] eumque Pompejus legatum ſemper judicavit: [11] ii, quibus ſemper erat moleſtum, ad eum potiſſimùm eſſe miſſum, ſpeculatorem, quàm legatum judicari maluerunt? Poteſtis igitur jam conſtituere, Quirites, hanc auctoritatem, multis poſteà rebus geſtis, magniſque veſtris judiciis amplificatam, quantum apud illos reges, quantum apud exteras nationes valituram eſſe exiſtimetis? Reliquum eſt, ut *de felicitate*, quam præſtare de ſe ipſo nemo poteſt, meminiſſe, & commemorare de altero poſſumus: ſicut æquum eſt homini de poteſtate deorum, *timidè* & pauca dicamus. Ego enim ſic exiſtimo: Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & ceteris magnis imperatoribus, NON SOLUM propter virtutem, ſed etiam propter fortunam, ſæpiùs imperia mandata, atque exercitus eſſe commiſſos. fuit enim profectò quibuſdam ſummis viris quædam ad amplitudinem, & gloriam, & ad res magnas benè gerendas *divinitus adjuncta fortuna*. de hujus autem hominis felicitate, quo de nunc agimus, hac utar moderatione dicendi, non ut in illius poteſtate fortunam poſitam eſſe dicam, ſed ut præterita meminiſſe, reliqua ſperare videamur, ne aut inviſa diis immortalibus oratio noſtra, aut ingrata eſſe videatur. Itaque non ſum prædicaturus, Quirites, quantas ille res domi, militiæque, terra, marique, quantaque felicitate geſſerit: ut ejus ſemper voluntatibus non modò cives aſſenſerint, ſocii obtemperarint, hoſtes obedierint: ſed etiam venti, tempeſtateſque *obſecundarint*. hoc breviſſimè dicam, neminem umquam tam impudentem fuiſſe, qui à diis immortalibus tot, & tantas res *tacitus auderet optare*, quot, & quantas dii immortales ad Cn. Pompejum detulerunt. quod ut illi proprium, ac perpetuum ſit, Quirites, cùm communis ſalutis, atque imperii, tum ipſius hominis cauſa (ſicuti facitis) velle & optare debetis. Quare cùm & bellum ita neceſſarium ſit, ut negligi non poſſit: ita magnum, ut accuratiſſimè ſit adminiſtrandum: & cùm ei imperatorem præficere poſſitis, in quo ſit eximia belli ſcientia, ſingularis virtus, clariſſima auctoritas, egregia fortuna: dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, [12] quod vobis à diis immortalibus oblatum, & datum eſt, in rempublicam conſervandam, atque amplificandam conferatis?

17 Quòd ſi Romæ Cn. Pompejus privatus eſſet hoc tempore: tamen [13] ad tantum bellum is erat deligendus, atque mittendus. nunc, cùm ad ceteras ſummas utilitates hæc quoque *opportunitas* adjungatur, ut in iis ipſis locis adſit, ut habeat exercitum, ut ab iis, qui habent, accipere ſtatim poſſit: quid exſpectamus? aut cur non, ducibus diis immortalibus, eidem, cui cetera ſumma cum ſalute reipublicæ commiſſa ſunt, hoc quoque [14] bellum regium committimus? At enim vir clariſſimus, [15] amantiſſimus reipublicæ, veſtris beneficiis ampliſſimis affectus, Q. Catulus: itemque ſummis ornamentis honoris, fortunæ, virtutis, ingenii præditus, Q. Hortenſius, ab hac ratione diſſentiunt: quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimùm valuiſſe, & valere oportere confiteor: ſed in hac cauſa, tametſi cognoſcitis auctoritates contrarias virorum fortiſſimorum, & clariſſimorum, tamen,

---

1. *Opinione non minus famæ, quàm.*] Colon. *ac fama*, quod rectum putat Gulielmius. aut enim inquit, ſuſpicionibus, aut rumoribus hominum temerè credimus. verum eſt: ſed nihil heic mutandum. *opinio famæ* eſt heic ipſa fama; vel potius exiſtimatio ac rumor à fama natus. nam *opinari*, notare, loqui ac ſentire de aliquo in hanc, vel illam partem, diu eſt quod prodiderunt Critici; & inprimis inſignis ille Petrus Faber libro III. Semeſtrium.

2. *Tanta repentè vilitas annonæ ex ſumma, &c.*] Hittorp. *repentina*, quod mutat Gulielm. in *repentino*. Modius ait in ſuo ſcripto non reſtare dictionem *annonæ*, putatque commodius abeſſe.

3. *Unius ſpe ac nomine.*] Aliquando ſuſpicabar, *unius hujus ſpe*. ſed nunc non abhorreo ab Hittorp. & Uverd. *unius hominis ſpe*. de quo item adeatur Modius Epiſt. LXIX.

4. *Vix ex ſumma ubertate, &c.*] Colon. *vix in ſumma*, quod præponit vulgato Modius ibidem. mihi ſecus videtur.

5. *Jam accepta.*] Delevi heic *verò*, & paullo poſt voculam *cùm*, ſecutus cum Pall. meos, aliorumque ſcriptos.

6. *Niſi ad id ipſum ejus temporis.*] Sic vett. edd. neque abeunt aliquot Pall. aliud quid latet; vel, *niſi illo ipſo puncto temporis*, vel ſimile quid. Colonienſe exemplar quoque non male, *niſi ad ipſum diſcrimen ejus temporis*. quod laudant Gulielmius, ac Modius Epiſtola LXIX. ſed mihi vix dubium ſit, interpolatum quoque illud ipſum.

7. *Inſolita inflammatum victoria.*] Colon. *ſolita*. unde Gulielmius ſuſpicatur verum eſſe *ſolida*.

8. *Omnes una huic ſe dediderunt?*] Haud aliter Pall. ſed melius Turing. Uverd. Colon. *Omnes hinc ſe uni ded.* nam *unà* quei poterant tam diverſi ac diſſiti?

9. *Quod Cretenſium legati, &c.*] Colonienſe exemplar, *quod communi Cretenſium leg.* adeo ut nihil certius ſit quam immittendam, ut placebat Gulielmio, præpoſitionem, ſcribendamque *quod à communi Cretenſium &c.* Sic Frument. in Verrem, *cui ſtatuæ ſtant Romæ inauratæ à communi Siciliæ, &c.* Vult ergo, communiter ab omnibus Cretenſium populis miſſos legatos. quod tametſi aliter eſt, tamen in hac Pompejana laude commodum eſt M. Tullio, temporis cauſa. re quidem ipſa, quam dedititiis Cretenſibus durus fuerit, videndum apud Plutarchum.

10. *Eumque Pompejus legatum ſemper judicavit.*] Colon. & Uverd. *eum quem Pompejus*. admodum quam ſuaviter, inquit Gulielm.

11. *Ii quibus ſemper erat moleſtum, &c.*] Illud *ſemper* aberat Baſilicano Colon. quod tamen ceteri libri agnoſcunt. itaque emendandum putabat Gulielmius, *ii quibus per erat moleſtum*. & amat hanc τμῆσιν hic noſter ad Atticum lib. I. Epiſt. poſtrema: *Per mihi, per, inquam, gratum feceris, &c.* iterum lib. V. Epiſt. 10. & lib. X. Epiſt. I.

12. *Quod vobis à diis immort.*] Diſertim Hitt. & Uverd. expreſſerant illud *vobis*, ut viri docti conjecerant, quod hactenus defuit editis libris.

13. *Ad tantum bellum erat deligendus, &c.*] Non mihi leviter arridet ſcriptura Colon. *erat adigendus*.

14. *Regium bellum committimus.*] Optimi è mſſ. *committamus*. unde fit ut admodum placeat ſcriptura Hittorp. *commendamus*.

15. *Amantiſſimus reip.*] Sic præter Fabric. Hitt. & Uverd. prius deſiderabatur illud *amantiſſimus*.

men, omiſſis auctoritatibus, *ipſa re & ratione* exquirere poſſumus veritatem: atque hoc faciliùs, quòd ea omnia, quæ adhuc à me dicta ſunt, iidem iſti vera eſſe concedunt, & neceſſarium bellum eſſe, & magnum, & in uno Cn. Pompejo ſumma eſſe omnia. Quid igitur ait Hortenſius? Si uni omnia tribuenda ſunt, unum digniſſimum eſſe Pompejum: ſed *ad unum tamen omnia deferri non oportere.* Obſolevit jam iſta oratio, re multò magis quàm verbis, refutata. Nam tu idem, Quinte Hortenſi, multa, pro tua ſumma copia, ac ſingulari facultate dicendi, & in ſenatu contra virum fortem A. Gabinium, graviter, ornateque dixiſti, cùm is de uno imperatore contra prædones conſtituendo legem promulgaſſet: & ex hoc ipſo loco [1] permulta item contra legem eam verba feciſti. Quid? tum, per deos immortaleis, ſi plus apud populum R. auctoritas tua, quàm ipſius populi R. ſalus, & vera cauſa valuiſſet, hodie hanc gloriam, atque hoc orbis terræ imperium teneremus? An tibi tum *imperium* eſſe hoc videbatur, cùm populi R. legati, prætores, quæſtoreſque capiebantur? cùm ex omnibus provinciis commeatu & privato, & publico prohibebamur? cùm ita clauſa erant nobis omnia maria, ut neque [2] privatam rem tranſmarinam, neque pu-
18 blicam jam obire poſſemus? Quæ civitas antea umquam fuit, non dico Athenienſium, quæ ſatis latè quondam mare tenuiſſe dicitur: non Carthaginienſium, qui permultùm claſſe, maritimiſque rebus valuerunt: non Rhodiorum, quorum uſque ad noſtram memoriam diſciplina navalis, & gloria remanſit: quæ civitas umquam antea tam tenuis, quæ tam parva inſula fuit, quæ non portus ſuos, & agros, & aliquam partem regionis, atque oræ maritimæ per ſe ipſa defenderet? At hercle aliquot annos continuos ante legem Gabiniam ille populus Romanus, cujus, uſque ad noſtram memoriam, *nomen invictum* in navalibus pugnis permanſerat, magna, ac multo maxima parte non modò utilitatis, ſed dignitatis, atque imperii caruit. Nos, quorum majores Antiochum regem claſſe, Perſenque ſuperarunt, omnibuſque navalibus pugnis Carthaginienſeis, homines in maritimis rebus exercitatiſſimos, paratiſſimoſque vicerunt: ii nullo in loco jam *prædonibus pares* eſſe poteramus. nos quoque, qui anteà non modò Italiam tutam habebamus, ſed omneis ſocios in ultimis oris auctoritate noſtri imperii ſalvos præſtare poteramus, tum, cùm inſula Delos tam procul à nobis in Ægeo mari poſita, quò omnes undique cum mercibus, atque oneribus commeabant, referta divitiis, parva, *ſine muro nihil timebat:* iidem non modò provinciis, atque oris Italiæ maritimis, ac portubus noſtris, ſed etiam Appia jam via carebamus: & his temporibus [3] non pudebat magiſtratus populi Romani, in hunc ipſum locum aſcendere, cùm eum vobis majores veſtri exuviis nauticis, & claſſium ſpoliis ornatum reliquiſſent. Bono te animo tum, Q. Hortenſi, populus Romanus, 19
& ceteros, qui erant in eadem ſententia, dicere exiſtimavit ea, quæ ſentiebatis: ſed tamen *in ſalute communi* idem populus Romanus dolori ſuo maluit, quàm auctoritati veſtræ obtemperare. Itaque una lex, unus vir, unus annus, non modò nos illa miſeria, ac turpitudine liberavit: ſed etiam effecit, [4] ut aliquando verè videremur omnibus gentibus, ac nationibus terra, marique imperare. Quo mihi etiam indigniùs videtur obtrectatum eſſe adhuc, Gabinio dicam, anne Pompejo, an utrique? (id quod eſt verius:) ne legaretur Aulus Gabinius Cn. Pompejo expetenti, ac poſtulanti. Utrùm ille, qui poſtulat legatum ad tantum bellum, quem velit, idoneus non eſt, qui impetret, cùm ceteri *ad expilandos ſocios*, diripiendaſque provincias, quos voluerint, legatos eduxerint: an ipſe, cujus lege ſalus, ac dignitas populo Romano, atque omnibus gentibus conſtituta eſt, expers eſſe debet gloriæ ejus imperatoris, atque ejus exercitus, qui conſilio ipſius, atque periculo eſt conſtitutus? an C. Falcidius, Q. Metellus, [5] Q. Cœlius Latinienſis, Cn. Lentulus, quos omneis honoris cauſa nomino, cùm tribuni plebis fuiſſent, anno proximo legati eſſe potuerunt: in hoc uno Gabinio [6] ſunt tam diligentes, qui in hoc bello, quod [7] lege Gabinia geritur, in hoc imperatore, atque exercitu, [8] quem per ſe ipſe conſtituit, etiam præcipuo jure eſſe deberet? de quo legando ſpero conſules ad ſenatum relaturos. qui ſi dubitabunt, aut gravabuntur: ego me profiteor *relaturum:* [9] neque me impediet cujuſquam, Quirites, inimicum edictum, quo minùs, fretus vobis, veſtrum jus, beneficiumque defendam: neque, præter interceſſionem, quidquam audiam: de qua (ut arbitror) iſti ipſi, [10] qui minantur, etiam atque etiam, quî id liceat, conſiderabunt. Mea quidem ſententia, Quirites, unus A. Gabinius, belli maritimi, [11] rerumque geſtarum auctor; comes Cn. Pompejo adſcribitur: propterea quòd alter uni id bellum ſuſcipiendum veſtris ſuffragiis detu-
20 lit; alter delatum, ſuſceptumque confecit. Reliquum eſt, ut de Q. Catuli auctoritate, & ſententia dicendum eſſe videatur. qui cùm ex vobis quæreret, ſi in uno Cn. Pompejo omnia poneretis, [12] ſi quid eo factum eſſet, in quo ſpem eſſetis habituri: cepit magnum ſuæ virtutis fructum, ac dignitatis, cùm omnes propè una voce, IN EO IPSO vos ſpem habituros eſſe dixiſtis. Etenim talis eſt vir, ut nulla res tanta ſit, ac tàm difficilis, quam ille non & [13] conſilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere poſſit. ſed in hoc ipſo ab eo vehementiſſimè diſſentio, quod, QUO MINUS certa eſt hominum, ac minus diuturna vita, hoc magis reſp. dum per deos immortaleis licet, frui

---

1. *Permulta item contra legem eam verba fec.*] Sic Hitt. & Uverd. prius editi, *permulta idem contra legem verba fec.* Modius Epiſtola CXXIX.

2. *Privatam rem tranſmarinam.*] Haud aliter Hitt. & Uverd. non ut vulgo *privatam rem maritimam*, quod in nullo Palatinorum; qui, *rem marinam.*

3. *Non pudebat mag. pop. Roman. in hunc ipſum locum aſcendere.*] Corrigendum e Colon. *nonne pudebat in hunc ipſum locum eſcendere.* quæ ultima vox ſæpe loco ſuo mota ab imperitis librariis.

4. *Aliquando verè videremur.*] Magis populare eſt *videremini*, quod habent membranæ Colon. nec obſtat quod præceſſerit *nos.* hoc enim fere heic ſervat Tullius, ut lætiora populo vindicet: triſtia etiam ſibi communicet.

5. *Qu. Cælius Latinienſis.*] Colon. *Latienſis.* Pal. quint. & ſext. *Laterinenſes*, in quibus item eſt *Cæcilius*, quod in tertio quoque conſpicitur.

6. *Sunt tam diligentes.*] Reſpicit, ut puto, ad Leges Liciniam atque Ebutiam, de quibus II. Agrar. & pro Dejotaro. Hotomanus ad majorum morem refert: male. ſic Cl. Puteanus.

7. *Quod lege Gabinia geritur.*] Hittorpianus *gereretur.* probabat Gulielmius.

8. *Quem per ſe ipſe conſtituit.*] Inepte vero. & rectè Colonienſ. & Uverd. *quem per vos ipſe conſtituit.* hoc eſt Pompejo id bellum ſuſcipiendum veſtris ſuffragiis detulit. adeatur Mod. Epiſt. CXXIX.

9. *Neque me impediet cujuſquam, Quirites, iniquum edictum.*] Pro his ſolum habet Hittorp. *neque me imped. cu uſquam iniquitas:* quod non diſplicuit Modio. Gulielmius nihil mutabat niſi quod cenſeret reponi poſſe *iniquum*, pro illo *inimicum.*

10. *Qui minantur.*] Malebat Gulielmius lectionem niſi *minitantur.* & ita infra ex iiſdem membranis legebat, *quæ huic urbi maximè minitabantur.*

11. *Rerumque geſtarum auctor, comes Cn. Pompejo adſcribitur.*] Col. *rerumque geſtarum Gn. Pompejo ſocius adſcribitur.* Sed tamen cum vulgata exſtet in Erfurd. mſ. nihil audet loco movere Gulielmius, cui & ego adſentior. Modius tamen ſequitur ſcripturam alteram, d. Epiſtola CXXIX. Andr. Schottus lib. I. cap. 2. Nodor. adſentitur Lambino expungenti vocem *auctor:* diſceditque à Manutiana vulgante, *comes Cn. Pompejus adſc.* Pall. noſtri, ut & Lambiniani, non agnoſcunt illa *auctor comes*, neque exſtant in editionibus annorum centum triginta, quæ editiones ſolum exhibent, *rerumque geſtarum Gn. Pomp. adſcribitur.* neque aliter Pal. ſec. tert. ſext. reliqui enim omnibus literis *Gn. Pompejo.* adſcriptum ad oram ſec. *geſtarum gloriæ.* ad tert. *geſtarum ſocius:* alias *par.* Gruteri exemplar præfert, *rerumque geſtarum auctor Gn. Pomp. adſcribitur.*

12. *Si quid eo factum eſſet.*] Eſt a Fabric. & Hittorp. malè vulgata, *ſi quid de eo factum.*

13. *Conſilio regere.*] Tuetur hanc ſcripturam egregiè contra novas editt. Schottus noſter lib. I. Nodor. cap. 20.

1. *Summi*

frui debet [1] ſummi hominis vita, atque virtute. [2] At enim nihil novi fiat contra exempla atque inſtituta majorum. Non dico hoc loco, majores noſtros ſemper in pace, conſuetudini: in bello, *utilitati paruiſſe:* ſemper ad novos caſus temporum, novorum conſiliorum rationes accommodaſſe: non dicam, duo bella maxima, Punicum, & Hiſpanienſe, ab uno imperatore eſſe confecta: duas urbeis potentiſſimas, quæ huic imperio maximè minabantur, Karthaginem, atque Numantiam, ab eodem Scipione eſſe deletas: non commemorabo, nuper ita vobis, patribuſque veſtris eſſe viſum, ut in uno C. Mario *ſpes imperii* poneretur. ut idem cum Jugurtha, idem cum Cimbris, idem cum Theutonis bellum adminiſtraret. in ipſo Cn. Pompejo, in quo novi conſtitui nihil vult Q. Catulus, quàm multa ſint nova, [3] ſummaque Catuli voluntate conſtituta, recordamini.

21 Quid enim TAM NOVUM, quàm adoleſcentulum, privatum, exercitum difficili reipublicæ tempore conficere? confecit. huic præeſſe? præfuit. rem optimè ductu ſuo gerere? geſſit. Quid tam præter conſuetudinem, quàm homini peradoleſcenti, cujus à ſenatorio gradu ætas longè abeſſet, imperium, atque exercitum dari? Siciliam permitti, atque Africam, bellumque in ea adminiſtrandum? fuit in his provinciis ſingulari innocentia, gravitate, virtute: bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit. Quid verò tam inauditum, quàm *equitem Romanum triumphare?* at eam quoque rem populus Romanus non modò vidit, ſed [4] etiam ſtudio omni viſendam putavit. Quid tam inuſitatum, quàm ut, cùm duo conſules clariſſimi, fortiſſimique eſſent, eques Romanus ad bellum maximum, formidoloſiſſimumque pro conſule mitteretur? miſſus eſt. quo quidem tempore, cùm eſſet non nemo in ſenatu, qui diceret, NON OPORTERE MITTI HOMINEM PRIVATUM PRO CONSULE: L. Philippus dixiſſe dicitur, NON SE ILLUM SUA SENTENTIA PRO CONSULE, SED PRO CONSULIBUS MITTERE. Tanta in eo reipub. benè gerendæ ſpes conſtituebatur, ut duorum conſulum munus unius adoleſcentis virtuti committeretur. Quid tam ſingulare, quàm ut ex ſenatuſconſulto *legibus ſolutus*, conſul antè fieret, quàm ullum alium magiſtratum per leges capere licuiſſet? quid tam incredibile, quàm ut iterum eques Rom. S. C. triumpharet? quæ in omnibus hominibus nova *poſt hominum memoriam* conſtituta ſunt, ea tam multa non ſunt, quàm hæc, quæ in hoc uno homine vidimus. Atque hæc tot exempla, tanta, ac tam nova, profecta ſunt in eundem hominem à Q. Catulo, atque à ceterorum ejuſdem dignitatis ampliſſimorum hominum auctoritate.

22 Quare videant, ne ſit periniquum, & non ferendum, illorum auctoritatem de Cn. Pompeji dignitate à vobis comprobatam ſemper eſſe: veſtrum ab illis de eodem homine judicium, populique Romani auctoritatem improbari: præſertim cùm jam *ſuo jure* populus Romanus in hoc homine ſuam auctoritatem vel contra omneis, qui diſſentiunt, poſſit defendere: propterea [5] quòd, iſtis reclamantibus, vos unum illum ex omnibus delegiſtis, quem bello prædonum præponeretis. Hoc ſi vos temerè feciſtis, & reipub. parum conſuluiſtis: rectè iſti ſtudia veſtra *ſuis conſiliis regere* conantur. ſin autem vos plus tum in repub. vidiſtis: vos, his repugnantibus, per voſmetipſos dignitatem huic imperio, ſalutem orbi terrarum attuliſtis: aliquando iſti principes, & ſibi, & ceteris, populi Romani univerſi auctoritati parendum eſſe fateantur. Atque in hoc bello Aſiatico, & regio, non ſolùm militaris illa virtus, quæ eſt in Cn. Pompejo ſingularis, ſed aliæ quoque virtutes animi multæ, & magnæ requiruntur. difficile eſt in Aſia, Cilicia, Syria, [6] regniſque interiorum nationum ita verſari veſtrum imperatorem, ut *nihil aliud, quam de hoſte, ac de laude, cogitet*. deinde etiam ſi qui ſunt pudore, ac temperantia moderatiores: tamen eos eſſe taleis, propter *multitudinem* cupidorum hominum nemo arbitratur. Difficile eſt dictu, Quirites, quanto in odio ſimus apud exteras nationes, propter eorum, [7] quos ad eas per hos annos cum imperio miſimus, injurias, ac libidines. Quod enim fanum putatis in illis terris noſtris magiſtratibus religioſum, quam civitatem ſanctam, quam domum ſatis clauſam, ac munitam fuiſſe? urbes jam locupletes, ac copioſæ *requiruntur*, quibus *cauſa belli* [8] propter diripiendi cupiditatem inferatur. Libenter hæc coràm cum Q. Catulo, & Q. Hortenſio diſputarem, ſummis, & clariſſimis viris. noverunt enim ſociorum vulnera: vident eorum calamitates: querimonias audiunt. PRO SOCIIS vos contra hoſteis exercitum mittere putatis, an hoſtium ſimulatione, contra ſocios, atque amicos? quæ civitas eſt in Aſia, quæ [9] non modò imperatoris, aut legati, ſed *unius tribuni militum* animos, ac ſpiritus capere poſſit? Quare, etiam ſi quem habetis, qui collatis ſi- 23
gnis, exercitus regios ſuperare poſſe videatur: tamen, niſi erit idem, qui ſe à pecuniis ſociorum, qui ab eorum conjugibus, ac liberis, [10] qui ab ornamentis fanorum, atque oppidorum, qui ab auro, gazaque regia, *manus, oculos, animum cohibere* poſſit: non erit idoneus, qui ad bellum Aſiaticum, regiumque mittatur. Ecquam putatis civitatem pacatam fuiſſe, quæ locuples ſit? ecquam eſſe locupletem, quæ iſtis pacata eſſe videatur? Ora maritima, Quirites, Cn. Pompejum non ſolùm propter rei militaris gloriam, ſed etiam propter *animi continentiam* requiſivit. [11] Videbat enim Prætores locupletari quotannis pecunia publica, præter paucos; neque nos quidquam aliud aſſequi *claſſium nomine*, niſi ut, detrimentis accipiendis, majore affici turpitudine videremur. Nunc, qua cupiditate homines in provincias, [12] quibus

1. *Summi hominis vita.*] Gulielm. ſubſtituit ex Uverd. & Hitt. *viri*, non modo ob παρήχησιν in vocibus his, *viri vita virtuti;* ſed quia à *viro* dicta *virtus;* & eo plerumque hæc conjungantur.

2. *At enim nihil novi fiat.*] Gulielmius reponebat è ſuis: *At enim ne quid novi fiat*, eſtque efficacius altero.

3. *Summaque Catuli voluntate, &c.*] Conjicit Gulielmius, *ſumma Qu. Catuli*, non inepte.

4. *Etiam omni ſtudio viſendam putavit.*] Uverd. *omnium etiam ſtudio, &c.* Baſilicanus Colon. more ſuo optimè, *etiam omnium ſtudio viſendam & concelebrandam put.* prodidit & iſtud Modius lib. Novant. Epiſt. XXXII. qui tamen citat, *omni*, non *omnium*. male puto. nam in Pall. omnibus hæret ultimum illud, non alterum.

5. *Quod iſtis reclamantibus.*] Auctiores voce Uverd. atque Hitt. *quod iiſdem iſtis.* unde ſententiæ emphaſis permagna accedit.

6. *Regniſque interiorum nationum.*] Revocavi ſcripturam Pall. omnium, item Grut. H. V. B. nec non olim impreſſorum: inferioris ætatis enim obtruſerant *exterarum*. conſulatur Modius d. Epiſt. XXXII.

7. *Quos ad eas per hos annos.*] Eſt à Colon. & Uverd. inſulſiſſimè hactenus cuſi, *eas hoc anno.* neque enim uno peccatum fuit anno, ſed pluribus: multique anni indignationem cieant, non unus.

8. *Propter diripiendi cupiditatem.*] Hittorp. *facultatem*, ſi accederet & alius codex, reciperem in contextum. Modius interim ita loquitur, ac ſi plures libri eam proderent lectionem d. Epiſt. XXXII. ſed impropriè.

9. *Non modò imperatoris.*] Antea publicati amplius, *unius imperatoris.* ſed præter omnes Pall. aliorumque mſſ.

10. *Qui ab ornamentis fanorum atque oppidorum.*] Ita Baſilicanus Colonienſis, quorum tamen hactenus nihil fuit in libris vulgatis. Aſiam abundaſſe pulcherrimis antiquiſſimiſque ſignis, nemo eſt qui neſciat, de quibus tacuiſſe heic Ciceronem veriſimile non eſt.

11. *Videbat enim prætores locupletari quotan. pec. publica præter paucos; neque nos quidquam.*] Nefas putavi non excipere egregiam hanc ſcripturam Baſilicani codicis & Uverdenſis, ejectâ jam receptâ, *Videbat enim pop. Rom. non locuplet. &c. neque eos quidquam.* nam quid dicam Hotomani conjectaneum à Lambino receptum, nihilominus & obſcurum, & parum dignum Cicerone? favent autem huic lectioni Pal. pr. ac ſext. in quibus diſertim: *Videbat enim P. R. locupletari*, excluſa negativa *non*.

12. *Quibus jacturis, quibus conditionibus, &c.*] Vocat *jacturas*, largitiones illas pecuniarum factas in eos per quos obtinuere provincias: de quibus ſæpius dixit Orationibus in Verrem: etiam hac ipſa, capite 14. circa medium. itaque non eſt quod momentum aliquod ponamus viro eruditiſſ. conjicienti: *quibus verſuris, quibus condit.* tanquam ſcilicet ea vox degeneraverit in *verſuris*. libri certe Pall. omnes, reliquorumque, nihil variant; niſi quod Colon. *quibus injuriis*. cujus ſcribam apparet etiam non aſſecutum vim vocis *jacturæ*.

1. Qui

bus jacturis, quibus conditionibus proficiſcantur, ignorant videlicet iſti, qui ad unum deferenda eſſe omnia non arbitrantur? quaſi verò Cn. Pompejum non cùm ſuis virtutibus, tum etiam *alienis vitiis magnum* eſſe videamus. Quare nolite dubitare, quin huic uni credatis omnia, [1] qui inter annos tot unus inventus ſit, quem ſocii in urbeis ſuas *cum exercitu veniſſe gaudeant*. Quòd ſi auctoritatibus hanc cauſam, Quirites, confirmandam putatis: eſt vobis auctor, vir bellorum omnium, maximarumque rerum peritiſſimus, P. Servilius: cujus tantæ res geſtæ terra marique exſtiterunt, ut, cùm de bello deliberetis, auctor vobis gravior eſſe nemo debeat: eſt C. Curio [2] ſummis veſtris beneficiis, maximiſque rebus geſtis, ſummo ingenio, & prudentia præditus: eſt Cn. Lentulus, in quo omnes, pro ampliſſimis veſtris honoribus, ſummum conſilium, ſummam gravitatem eſſe cognoſcitis: eſt C. Caſſius, integritate, virtute, conſtantia ſingulari. Quare videte, [3] ut horum *auctoritatibus*, illorum orationi, qui diſſentiunt, reſpondere poſſe videamur.
21 Quæ cùm ita ſint, C. Manili, primùm iſtam tuam & legem, & voluntatem, & ſententiam laudo, vehementiſſimeque comprobo: deinde te hortor, ut auctore populo Romano, maneas in ſententia, neve cujuſquam vim, aut minas pertimeſcas. Primùm in te ſatis eſſe [4] animi, perſeverantiæque arbitror: deinde cùm tantam multitudinem cum *tanto ſtudio* adeſſe videamus, [5] quantam non iterum in eodem homine præficiendo vidimus: quid eſt, quòd aut de re, [6] aut de perficiendi facultate dubitemus? Ego autem, quidquid in me eſt ſtudii, conſilii, laboris, ingenii, quidquid hoc beneficio populi Romani, atque hac poteſtate prætoria, quidquid auctoritate, fide, conſtantia poſſum; id omne ad hanc rem conficiendam, tibi, & populo Romano polliceor, ac defero. teſtorque omneis deos, & eos maximè, qui huic loco, temploque præſident, qui *omnium menteis eorum, qui ad rempub. adeunt, maximè perſpiciunt*, me hoc neque rogatu facere cujuſquam, neque quò Cn. Pompeji gratiam mihi per hanc cauſam conciliari putem, neque quo mihi ex cujuſquam amplitudine, aut *præſidia* periculis, aut *adjumenta* honoribus quæram: propterea quòd pericula facilè, ut hominem præſtare oportet, [7] innocentia tecti pellemus: [8] honorem autem neque ab uno, neque ex hoc loco, ſed eadem noſtra illa laborioſiſſima ratione vitæ, ſi veſtra voluntas feret, conſequemur. Quamobrem, quidquid in hac cauſa mihi ſuſceptum eſt, Quirites, id omne me *reipub. cauſa ſuſcepiſſe* confirmo: tantumque abeſt, ut aliquam bonam gratiam mihi quæſiſſe videar, ut multas etiam ſimultates partim obſcuras, partim apertas intelligam, mihi non neceſſarias, vobis non inutileis, ſuſcepiſſe. ſed ego me hoc honore præditum, tantis veſtris beneficiis affectum, ſtatui, Quirites, veſtram voluntatem, & reipubl. dignitatem, & ſalutem provinciarum, atque ſociorum, *meis omnibus* commodis, & rationibus præferre oportere.

M. TULLII CICERONIS PRO A. CLUENTIO AVITO, ORATIO DECIMAQUARTA.

1 ANIMADVERTI, judices, omnem accuſatoris orationem, in duas diviſam eſſe parteis: quarum altera mihi niti, & magnopere confidere videbatur *invidiâ* jam inveteratâ judicii Juniani: [1] altera tantummodo conſuetudinis cauſa timidè, & diffidenter attingere rationem *veneficii* criminum: qua de re lege eſt hæc quæſtio conſtituta. Itaque mihi certum eſt hanc eandem diſtributionem, invidiæ, & criminum, ſic in defenſione ſervare, ut omnes intelligant, nihil me nec ſubterfugere voluiſſe reticendo, nec obſcurare dicendo. Sed cùm conſidero, quomodo mihi in utraque re ſit elaborandum, altera pars, ea quæ propria eſt judicii veſtri, & legitimæ veneficii quæſtionis, per mihi brevis, & non magnæ in dicendo contentionis fore videtur: altera autem, quæ procul à judicio remota eſt, quæ concionibus ſeditioſe concitatis accommodatior eſt, quàm tranquillis, moderatiſque judiciis, proſpicio, quantum in agendo difficultatis, & quantum laboris ſit habitura. Sed in hac tanta difficultate illa me res tamen, judices, conſolatur, quòd vos de *criminibus* ſic audire conſueſtis, ut eorum omnem diſſolutionem ab oratore quæratis: ut non exiſtimetis, plus vos ad ſalutem reo largiri oportere, quàm quantum defenſor, *purgandis* criminibus, conſequi, & dicendo probare potuerit. De *invidia* autem ſic inter vos diſceptare debetis, ut non, quid dicatur à nobis, ſed quid oporteat dici, conſideretis. Agitur enim in criminibus, A. Cluentii proprium periculum: in invidia, cauſa communis. Quamobrem alteram partem cauſæ ſic agemus, ut vos doceamus: alteram ſic, ut oremus. in altera, *diligentia* veſtra nobis adjungenda eſt:

1. *Qui inter annos tot unus inventus, &c.*] Sic Pall. omnes & Grut. ne auſcultemus Lambino tranſponenti vocem tertiam. at Schottus noſter illud *annos*, ut intruſum ac ſupervacuum, jugulat: & alioquin uſitatam minus Oratori noſtro talem anaſtrophen.

2. *Summis veſtris beneficiis maximiſque, &c. præditus.*] Lambinus addidit, *beneficiis uſus*, ſed non e fide mſſ noſtrorum ſane, qui nihil variant, niſi quod Colon. haberet *maximus rebus*, ut forte repeti debeat ea vox, *ſummis veſtris beneficiis maximus, maximus rebus geſtis.*

3. *Ut horum auctoritatibus.*] Reſtitui auctori ſuam vocem volentibus Pall. pr. quint. ſext. ſept. neque aliter B. H. V. Gruter. imo ſic quoque priſcæ edd. recentiores enim *unum*.

4. *Animi perſeverantiæque.*] Debetur Turingico libro, ut & Uverd. & Hittorp. vulgo, *conſtantiæque.*

5. *Quantam non iterum in eod. homine præficiendi vidimus.*] Hitt. membranæ, *quantum nunc iterum in eod. hom. præfic. videmus.* non male. *nunc iterum*, dicit, quia idem viderant antea quoque cum Pompejus præficeretur bello maritimo.

6. *Aut de perficiendi facultate.*] Idem codex *reficiendi*, quod minimè repudiandum. *refici* propriè dicuntur, qui in magiſtratu aut poteſtate ſunt, cum iis magiſtratus vel imperia continuantur in annum ſequentem. accedunt ad hanc lectionem Palat. ſext. ſept. Gruter. in quibus *præficiendi.*

7. *Innocentia tecti pellemus.*] Idem exemplar, item Uverd. *repellimus*; γνησίως, inquit Gulielmius.

8. *Honorem autem neque ab uno.*] Haud ſecus olim cuſi, Pall. noſtri Grut. Hittorp. &c. poſterius editi, *honores*; haud ſcio quam benè. unus enim Ciceroni reliquus ex annuis magiſtratibus, conſulatus.

1. *Altera tantummodo.*] Gulielmius legit *alteram*. ſed poterat ſubaudiri, *videbatur*, quod præceſſit.

eſt: in altera, *fides* imploranda. nemo eſt enim, qui invi-
diæ, ſine veſtro, ac ſine talium virorum ſubſidio poſſit reſi-
2 ſtere. Equidem quod ad me attinet, quò me vertam, ne-
ſcio. negem fuiſſe illam infamiam judicii corrupti? negem
illam rem agitatam in concionibus? jactatam in judiciis?
commemoratam in ſenatu? evellam ex animis hominum
tantam opinionem? tam penitus inſitam? tam vetuſtam?
non eſt noſtri ingenii: veſtri auxilii eſt, judices, hujus in-
nocentiæ ſic in hac calamitoſa fama, quaſi in aliqua perni-
cioſiſſima flamma, atque in *communi incendio* ſubvenire.
Etenim ſicut aliis in locis parum firmamenti, & [1] *parum
virium veritas habet*: ſic in hoc loco *falſa invidia* imbecilla
eſſe debet. DOMINETUR in concionibus, jaceat in judi-
ciis: valeat in opinionibus, ac ſermonibus imperitorum,
ab ingeniis prudentium repudietur: vehementeis habeat
repentinos impetus, ſpacio interpoſito, & cauſa cognita
conſeneſcat. denique illa definitio judiciorum æquorum,
quæ nobis à majoribus tradita eſt, retineatur: ut in judiciis
& ſine invidia culpa plectatur, & ſine culpa invidia pona-
tur. Quamobrem à vobis, judices, antequam de ipſa cauſa
dicere incipio, hæc poſtulo: primùm id, quod æquiſſimum
eſt, ut nequid huc *præjudicati* afferatis. etenim non modò
auctoritatem, ſed etiam nomen judicum amittemus, niſi
hîc ex ipſis cauſis judicabimus, ac ſi ad cauſas judicia jam
facta domo deferemus. deinde ſiquam opinionem jam ve-
ſtris mentibus comprehendiſtis, ſi eam ratio convellet,
[2] ſi ratio labefactabit, ſi denique veritas extorquebit: ne re-
pugnetis, eamque animis veſtris aut libentibus, aut æquis
remittatis: tum autem, cùm ego unaquaque de re dicam,
& diluam, ne ipſi quæ *contraria* ſunt, taciti cogitationi ve-
ſtræ ſubjiciatis: ſed ad extremum exſpectetis, & me meum
dicendi ordinem ſervare patiamini: cùm peroraro, tum, ſi
3 quid erit præteritum, à me requiratis. Ego me, judices,
ad eam cauſam accedere, quæ jam per annos octo continuos
ex contraria parte audiatur, atque ipſa opinione hominum
tacita propè convicta, atque damnata ſit, facilè intelligo:
ſed, ſiquis mihi deus veſtram ad me audiendum benivolen-
tiam conciliarit: efficiam profectò, ut intelligatis, *nihil eſſe
homini tam timendum, quàm invidiam*: nihil innocenti, ſu-
ſcepta invidia, tam optandum, quàm *æquum judicium*, quod
in hoc uno denique falſæ infamiæ finis aliquis, atque exi-
tus reperiatur. Quamobrem magna me ſpes tenet, ſi ea, quæ
ſunt in cauſa, explicare, atque omnia dicendo conſequi po-
tuero, hunc locum, conſeſſumque veſtrum, quem illi hor-
ribilem A. Cluentio, ac formidoloſum fore putaverunt,
eum tandem ejus fortunæ miſeræ, multumque jactatæ por-
tum, ac *perfugium* futurum. Tametſi permulta ſunt, quæ
mihi, antequàm de cauſa dicam, de communibus invidiæ
periculis dicenda eſſe videantur: tamen, ne diutius oratio-
ne mea ſuſpenſa exſpectatio veſtra teneatur, aggrediar ad
crimen cum illa deprecatione, judices, qua mihi ſæpius
utendum eſſe intelligo, ſic ut me audiatis, quaſi hoc tem-
pore hæc cauſa primùm dicatur, ſicuti dicitur; non quaſi
ſæpe jam dicta, & numquam probata ſit. hodierno enim
die primùm veteris iſtius criminis diluendi poteſtas eſt da-
ta: ante hoc tempus *error* in hac cauſa, atque *invidia* verſata
eſt. Quamobrem dum multorum annorum accuſationi
breviter, dilucideque reſpondeo, quæſo, ut me, judices,
4 ſicuti facere inſtituiſtis, benignè, attenteque audiatis. Cor-
rupiſſe dicitur A. Cluentius judicium *pecunia*, quò inimi-
cum ſuum innocentem, Statium Albium, condemnaret.
Oſtendam, judices, primùm, quoniam caput illius atroci-
tatis, atque invidiæ fuit, innocentem pecunia circumven-
tum, neminem umquam majoribus criminibus, graviori-
bus teſtibus eſſe in judicium vocatum: deinde ea de eo
præjudicia eſſe facta ab ipſis judicibus, à quibus condemna-
tus eſt, ut non modò ab iiſdem, ſed ne ab aliis quidem ul-
lis, abſolvi ullo modo poſſet. Cùm hæc docuero, tum illud
oſtendam, quod maximè requiri intelligo, judicium illud
pecunia eſſe tentatum, non à Cluentio, ſed contra Cluen-
tium: faciamque, ut intelligatis, in tota illa cauſa quid res
ipſa tulerit, quid error affinxerit, quid invidia conflarit.
Primùm igitur illud eſt, ex quo intelligi poſſit, debuiſſe
Cluentium magnopere cauſæ confidere, quòd certiſſimis
criminibus, & *teſtibus* fretus ad accuſandum deſcenderit.
Hoc loco faciendum mihi, judices, eſt, ut vobis breviter
illa, quibus Albius condemnatus eſt, crimina exponam.
Abs te peto, Oppianice, ut me invitum de patris tui cauſa
dicere exiſtimes, adductum fide, atque officio defenſionis.
etenim tibi ſi in præſentia ſatisfacere non potuero, tamen
multæ mihi ad ſatisfaciendum reliquo tempore facultates
dabuntur: Cluentio niſi nunc ſatisfecero, poſtea mihi ſatiſ-
faciendi poteſtas non erit. ſimul & illud quis eſt, qui du-
bitare debeat, *contra damnatum, & mortuum, pro incolumi,
& vivo dicere*: cùm illi, in quem dicitur, damnatio omne
ignominiæ periculum jam abſtulerit, mors verò etiam do-
loris? huic autem, pro quo dicitur, nihil poſſit offenſionis
accedere ſine acerbiſſimo animi ſenſu, ac dolore, & ſine
ſummo dedecore vitæ, ac turpitudine? Atque, ut intelli-
gatis, Cluentium non accuſatorio animo, non oſtentatione
aliqua, aut gloria adductum, ſed nefariis injuriis, quotidia-
nis inſidiis, propoſito ante oculos vitæ periculo, nomen
Oppianici detuliſſe, paullo longiùs exordium rei demon-
ſtrandæ repetam: quod quæſo, judices, ne moleſtè patia-
mini. PRINCIPIIS enim cognitis, multò faciliùs extrema
intelligetis. A. Cluentius Avitus, fuit pater hujuſce, judi- 5
ces, homo non ſolùm municipii Larinatis, ex quo erat, ſed
etiam regionis illius, & vicinitatis, virtute, exiſtimatione,
nobilitate facilè princeps. Is cùm eſſet mortuus, Sulla, &
Pompejo Coſs. reliquit hunc annos XV natum: grandem
autem, & nubilem filiam: quæ brevi tempore poſt patris
mortem nupſit A. Aurio Melino, conſobrino ſuo, adole-
ſcenti in primis, ut tum habebatur, inter ſuos & honeſto,
& nobili. Cùm eſſent hæ nuptiæ plenæ dignitatis, plenæ
concordiæ, repentè eſt exorta mulieris importunæ nefaria
libido, non ſolùm dedecore, verùm etiam [3] *ſcelere* con-
victa. Nam Saſſia mater hujus Aviti (mater enim à me,
[4] *nominis cauſa*, tametſi in hunc hoſtili odio, & crudelitate
eſt, mater, inquam, appellabitur: neque umquam illa ita de
ſuo ſcelere, & immanitate audiet, ut naturæ nomen amit-
tat. quo enim ipſum nomen amantius, indulgentiuſque
maternum, hoc illius matris, quæ multos jam annos, &
nunc cùm maximè filium interfectum cupit, ſingulare ſce-
lus, majore odio dignum eſſe ducetis.) Ea igitur mater Avi-
ti, Melini illius adoleſcentis, generi ſui, contrà quàm fas
erat, *amore capta*, primò, neque id ipſum diu, quoquo mo-
do poterat, neque in illa cupiditate continebatur: deinde
ita flagrare cœpit amentia, ſic inflammata ferri libidine, ut
eam non *pudor*, non pudicitia, non pietas, non macula fa-
miliæ, non hominum fama, non filii dolor, non filiæ mœ-
ror à

1. *Parum virium veritas habet.*] Propugnat hanc ſcripturam Victorius lib. XXIV. Variar. Lection. cap. 2. reperique ego in ſex Palatinis calamo exaratis. nam unus eorum frontiſpicio iſto deſtituebatur, ſed idem reperit in exemplari S. Victoris Gulielmius. defendit tamen amicus noſter Urſinus vulgatum *falſitas*, tanquam ſubnixum libris ſcriptis, qui & videatur. nam in editis antiquis extare ipſe teſtor. ſed quis aſſeverabit ipſos non ſubiiſſe manum correctoris? lectionem noſtram pluribus Græcorum Latinorumque auctorum quaſi tibicinibus fulci ad illud Livii libro XXII. cap. 39. *Laborare nimis jus ſæpe ajunt: exſtingui numquam*, quam lectionem ibidem ſtabilio, contra Mureti veterem, contra amici noſtri Scipionis Gentilis recentem emendationem.

2. *Si ratio labefactabit.*] Lambinus *oratio*, ex mſſ. ſuis, ut ait; quos puto reſtringendos ad unicum exemplar S. Victoris, in quo ita extare adnotavit Gulielmius. noſtri certè Pall. ſtant à vulgato, neque deſerunt edd. antiquæ.

3. *Scelera convincta.*] Ita eſt in mſſ. noſtris, ſed literis adeo ambiguis, ut inde etiam fieri poſſit *conjuncta*: quomodo habent editiones poſteriores: priores enim *convicta*, ita tamen ut ultimæ originis exhibeant item *conjuncta*.

4. *Nominis cauſa.*] Lambin. *in omni cauſa*, ex mſ. ut ait, ſed inſulſe, ſi modo quid ſentio, & contra Pall. noſtros, & edit. antiq.

ror à cupiditate revocaret. Animum adoleſcentis, nondum conſilio, ac ratione firmatum, pellexit iis omnibus rebus, quibus illa *ætas* capi, ac deliniri poteſt. filia, quæ non ſolùm illo communi dolore muliebri in ejuſmodi viri injuriis angeretur, ſed nefarium matris pellicatum ferre non poſſet, de quo *ne queri quidem* ſine ſcelere ſe poſſe arbitraretur, ceteros ſui tanti mali ignaros eſſe cupiebat: in hujus amantiſſimi ſui fratris manibus, & gremio, *mœrore*, & lacrymis conſeneſcebat. Ecce autem ſubitum *divortium:* quod *ſolatium* malorum omnium fore videbatur. diſcedit à Melino Cluentia: ut in tantis injuriis, non invita: ut à viro, non libenter. Tum verò illa egregia, ac præclara mater, palàm exſultare lætitia, ac triumphare gaudio cœpit, victrix filiæ, non libidinis. Itaque diutius *ſuſpicionibus obſcuris* lædi famam ſuam noluit: lectum illum genialem, quem biennio ante filiæ ſuæ nubenti ſtraverat, in eadem domo ſibi ornari, & ſterni, expulſa, atque exturbata filia, jubet. nubit genero ſocrus, nullis auſpicibus, nullis aucto-
6 ribus, funeſtis ominibus omnium. O mulieris ſcelus incredibile, &, præter hanc unam, in omni vita inauditum! ô libidinem effrenatam, & indomitam! ô audaciam ſingularem! non timuiſſe, ſi minùs *vim deorum, hominumque famam*, at illam ipſam noctem, faceiſque illas nuptialeis? non limen cubiculi? non cubile filiæ? non parietes denique ipſos, ſuperiorum teſteis nuptiarum? perfregit, ac proſtravit omnia cupiditate, ac furore: vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Tulit hoc commune dedecus jam familiæ, cognationis, nominis, graviter filius: augebatur autem ejus moleſtia quotidianis querimoniis, & aſſiduo fletu ſororis. ſtatuit tamen nihil ſibi in tantis injuriis, ac tanto ſcelere matris, graviùs faciendum, quàm ut illa matre ne uteretur: ne, quam videre ſine ſummo animi dolore non poterat, ea ſi matre uteretur, non ſolùm videre, ſed etiam *probare* ſuo judicio putaretur. Initium quod huic cum matre fuerit ſimultatis, audiſtis. pertinuiſſe hoc ad cauſam, tunc, cùm reliqua cognoveritis, intelligetis. nam illud me non præterit, CUJUSMODICUMQUE MATER SIT, tamen in judicio filii de turpitudine parentis dici vix oportere. non eſſem ad ullam cauſam idoneus, judices, ſi hoc, quod in communibus hominum ſenſibus, atque in ipſa natura poſitum, atque infixum eſt, id ego, cùm ad amici pericula depellenda adhiberer, non viderem. Facilè intelligo NON MODO reticere homines parentum injurias, ſed etiam animo æquo ferre oportere. Sed ego ea, quæ ferri poſſunt, ferenda: quæ taceri, tacenda eſſe arbitror. Nihil in vita vidit calamitatis A. Cluentius, nullum periculum mortis adiit, nihil mali timuit, quod non totum à matre eſſet conflatum & profectum. quæ hoc tempore ſileret omnia, atque ea, ſi oblivione non poſſet, tamen taciturnitate ſua tecta eſſe pateretur. ſed ea verò ſic agit, ut prorſus reticere nullo modo poſſit. Hoc enim ipſum judicium, hoc periculum, [1] illa accuſatio, omnis teſtium copia, quæ futura eſt, *à matre* initio eſt adornata, à matre hoc tempore inſtruitur, atque omnibus ejus opibus, & copiis comparatur: ipſa denique nuper Larino, hujus opprimendi cauſa, Romam advolavit. præſtò eſt mulier audax, pecunioſa, crudelis: [2] inſtituit accuſatores, inſtruit teſteis: ſqualore hujus, & ſordibus lætatur: exitium exoptat: ſanguinem ſuum profundere omnem cupit, dummodò profuſum hujus *antè videat*. Hæc niſi omnia perſpexeritis in cauſa: temerè à nobis illam appellari putatote. ſin autem erunt & aperta, & nefaria: Cluentio ignoſcere debetis, quod hæc à me dici
7 patiatur: mihi ignoſcere non deberetis, ſi tacerem. Nunc jam ſummatim exponam, quibus criminibus Oppianicus damnatus ſit: ut & conſtantiam A. Cluentii, & rationem accuſationis perſpicere poſſitis. Ac primùm cauſa accuſandi quæ fuerit, oſtendam: ut id ipſum A. Cluentium *vi & neceſſitate coactum* feciſſe videatis. Cùm manifeſtò venenum deprehendiſſet, quod vir matris Oppianicus ei paraviſſet; & res non conjectura, ſed oculis, ac manibus teneretur, neque in cauſa ulla dubitatio poſſet eſſe: accuſavit Oppianicum. quàm conſtanter, & quàm diligenter, poſtea dicam: nunc hoc ſcire vos volui, nullam huic aliam accuſandi cauſam fuiſſe, niſi uti propoſitum vitæ periculum, & quotidianas *capitis inſidias* hac una ratione vitaret. Atque, ut intelligatis, his accuſatum eſſe criminibus Oppianicum, ut neque accuſator timere, neque reus ſperare debuerit: pauca vobis illius judicii crimina exponam: quibus cognitis, nemo veſtrûm mirabitur, illum, diffidentem rebus ſuis, [3] ad Stalenum, atque *ad pecuniam confugiſſe.* Larinas quædam fuit Dinea, ſocrus Oppianici: quæ filios habuit M. & Numerium Aurios, & Cn. Magium, & filiam Magiam, nuptam Oppianico. M. Aurius adoleſcentulus, bello Italico captus apud Aſculum, in Q. Sergii ſenatoris, ejus, qui inter ſicarios damnatus eſt, manus incidit, & apud eum fuit *in ergaſtulo.* Numerius autem Aurius frater, mortuus eſt, heredemque Cn. Magium, fratrem ſuum, reliquit. poſtea Magia, uxor Oppianici, mortua eſt. poſtremò unus, qui reliquus erat, Dineæ filius, Cn. Magius, eſt mortuus. is fecit heredem illum adoleſcentem Oppianicum, ſororis ſuæ filium, eumque partiri cum Dinea matre juſſit. interim venit index ad Dineam, neque obſcurus, neque incertus, qui nuntiaret ei, filium ejus, M. Aurium, vivere: & in agro Gallico eſſe in ſervitute. Mulier, amiſſis liberis, cùm unius filii recuperandi ſpes eſſet oſtentata, omneis ſuos propinquos, filiique ſui neceſſarios convocavit, & ab iis flens petivit, ut negotium ſuſciperent, adoleſcentem inveſtigarent, ſibi reſtituerent eum filium, [4] quem tantùm *unum ex multis* fortuna reliquum eſſe voluiſſet. Hæc cùm agere inſtituiſſet, oppreſſa morbo eſt. itaque teſtamentum fecit ejuſmodi, ut illi filio H-S CCCCIↃↃↃↃ millia legaret, heredem inſtitueret eundem illum Oppianicum, nepotem ſuum. atque his diebus paucis eſt mortua. propinqui tamen illi, quemadmodum viva Dinea inſtituerant, ita mortua illa ad inveſtigandum Aurium cum eodem illo indice in agrum
Gallicum profecti ſunt. Interim Oppianicus, ut erat, ſicuti 8
multis ex rebus reperietis, ſingulari ſcelere, & audacia, per quendam Gallicanum, familiarem ſuum, primùm illum *indicem pecunia corrupit:* deinde ipſum Aurium, non magna jactura facta, *tollendum,* interficiendumque curavit. Illi autem, qui erant ad propinquum inveſtigandum, & recuperandum profecti, litteras Larinum ad Aurios, illius adoleſcentis propinquos, ſuoſque neceſſarios, mittunt: ſibi difficilem eſſe inveſtigandi rationem, quòd intelligerent indicem ab Oppianico eſſe corruptum. Quas litteras A. Aurius, vir fortis, & experiens, & domi nobilis, M. illius Aurii propinquus, in foro, palàm multis audientibus, cùm adeſſet Oppianicus, recitat, & clariſſima voce ſe nomen Oppianici, ſi interfectum M. Aurium comperiſſet, delaturum eſſe teſtatur. Interim brevi tempore illi, qui erant in agrum Gallicum profecti, Larinum revertuntur: interfectum eſſe M. Aurium renuntiant. animi non ſolùm propinquorum, ſed etiam omnium Larinatium odio Oppianici, & illius adoleſcentis *miſericordia* commoventur. Itaque cum A. Aurius, qui antea denuntiarat, clamore hominem, ac minis inſequi

1. *Illa accuſatio.*] Lambinus, *hæc accuſatio.* ſed contra mſſ. & aſſentior Gulielmio arbitranti binas iſtas voces, eſſe interpretis. idem tamen deleto ſolum *illa*, putabat legi poſſe; *accuſatio omnis, omnis teſtium copia*, &c.

2. *Inſtituit accuſatores, inſtruit teſtes.*] Invertit hæc perverſe Lambinus, *inſtituit accuſatores*, materia ſcilicet, *inſtruit teſtes*, pecunia. adnotat Gulielmius.

3. *Ad Stalenum, atque ad pecuniam.*] Videtur in Victoriano codice ſcripto *ex Staleno*, factum deinde *Stajenum.* & vero utroque modo legi in exemplaribus vetuſtis, diu eſt quod judicavit Rivius. adeatur quoque P. Victorius lib. XXXVII. Var. lect. cap. 11.

4. *Quem tantum unum.*] Sic ex ſeptem Pall. unus tantum, reliqui ſex, *tandem.* quod & pro *tamen* ſumi, exemplis palam fecit Schottus noſter libro IV. Nodor. cap. 18. Lambinus edidit *tum*, quod & in libro S. Victoris; ſed ita ut & ſuperſcriptum haberet illud *tamen.*

1. Illam

inſequi cœpiſſet: Larino profûgit, & ſe in caſtra clariſſimi viri, Q. Metelli, contulit. Poſt illam *fugam & ſce.eru*, & *conſcientiæ teſtem*, nunquam ſe judiciis, numquam legibus, numquam inermem inimicis committere auſus eſt: ſed per illam L. Sullæ vim, atque victoriam, Larinum in ſummo timore omnium, cum armatis advolavit: quattuor viros, quos municipes fecerant, ſuſtulit: ſe à Sulla, & alios præterea treis, factos eſſe dixit: & ab eodem ſibi eſſe imperatum, ut Aurium illum, qui ſibi delatiónem nominis, & capitis periculum oſtentarat, & alterum Aurium, & ejus C. filium, & Sex. Virbium, quo ſequeſtre in illo indice corrumpendo dicebatur eſſe uſus, *proſcribendos*, interficiendoſque curaret. Itaque, illis crudeliſſimè interfectis, non mediocri ab eo ceteri proſcriptionis, & mortis metu terrebantur. His rebus in cauſa, judicioque patefactis, quis eſt,
9 qui illum abſolvi potuiſſe arbitraretur? Atque hæc parva ſunt: cognoſcite reliqua: ut non aliquando condemnatum eſſe Oppianicum, ſed aliquandiu incolumem fuiſſe miremini. Primùm videte hominis audaciam. Saſſiam in matrimonium ducere, Aviti matrem, illam, cujus virum A. Aurium occiderat, concupivit. Utrùm *impudentior* hic, qui poſtulet: an *crudelior* illa, ſi nubat, difficile dictu eſt. ſed tamen utriuſque humanitatem, conſtantiamque cognoſcite. Petit Oppianicus, ut ſibi Saſſia nubat, & id magnopere contendit. illa autem non admiratur audaciam, non impudentiam aſpernatur, non denique [1] illam Oppianici domum viri ſui ſanguine redundantem, reformidat: ſed quòd haberet treis ille *filios*, idcircò ſe ab his nuptiis abhorrere reſpondit. Oppianicus, qui pecuniam Saſſiæ concupiviſſet, domo ſibi quærendum remedium exiſtimavit ad eam moram, quæ nuptiis afferebatur. Nam, cum haberet ex Novia infantem filium: alter autem ejus filius, Papia natus, Theani Appuli, quod abeſt à Larino decem & octo millia paſſuum, apud matrem educaretur: arceſſit ſubitò ſine cauſa puerum Theano: quod facere, niſi *ludis publicis*, aut feſtis diebus, antea non ſolebat. Mater nihil mali miſera ſuſpicans, mittit. Ille ſe Tarentum proficiſci cum ſimulaſſet, eo ipſo die puer, cùm hora undecima in publico *valens* viſus eſſet, ante noctem mortuus, & poſtridie, antequàm luceret, combuſtus eſt. Atque hunc tantum mœrorem matri prius hominum rumor, quàm quiſquam ex Oppianici familia renuntiavit. Illa cùm uno tempore audiſſet ſibi non ſolùm filium, ſed etiam exſequiarum munus ereptum, Larinum confeſtim exanimata venit, & ibi de integro funus jam ſepulto filio fecit. Dies nondum decem interceſſerant, cùm ille alter filius infans *necatur*. Itaque nubit Oppianico continuò Saſſia, [2] lætanti jam animo, & ſpe optima confirmato. nec mirum, quæ ſe non *nuptialibus donis*, ſed filiorum funeribus delinitam videret. [3] ita quod ceteri PROPTER liberos pecuniæ cupidiores ſolent eſſe, ille propter pecuniam liberos amittere jucundum eſſe duxit.
10 Sentio, judices, vos pro veſtra humanitate, his tantis ſceleribus breviter à me demonſtratis, vehementer eſſe *commotos*. Quo tandem igitur animo fuiſſe illos arbitramini, quibus his de rebus non modò audiendum fuit, verùm etiam judicandum? Vos auditis de eo, in quem judices non eſtis: de eo, quem non videtis: de eo, quem odiſſe, jam non poteſtis: de eo, qui & naturæ, & legibus ſatisfecit: quem leges exſilio, natura morte multavit: auditis non ab inimico, auditis ſine teſtibus: auditis, cùm ea, quæ copioſiſſimè dici poſſunt, breviter à me, ſtrictimque dicuntur. Illi audiebant de eo, de quo *jurati* ſententias ferre debebant: de eo, cujus præſentis nefarium, & conſceleratum vultum intuebantur: de eo, quem oderant propter audaciam: de eo, quem omni ſupplicio dignum eſſe ducebant. audiebant ab accuſatoribus: audiebant verba multorum teſtium: audiebant, cùm unaquaque de re à P. Canutio, homine eloquentiſſimo, graviter, & diu diceretur. Et eſt quiſquam, qui, cùm hæc cognoverit, ſuſpicari poſſit, Oppianicum judicio oppreſſum, & circumventum eſſe innocentem? Acervatim jam reliqua, judices, dicam, ut ad ea, quæ propiora hujus cauſæ, & adjunctiora ſunt, perveniam. Vos, quæſo, memoria teneatis, non mihi hoc eſſe propoſitum, ut accuſem Oppianicum mortuum: ſed, cùm hoc perſuadere vobis velim, judicium ab hoc non eſſe corruptum, hoc uti initio, ac fundamento defenſionis: Oppianicum, hominem ſceleratiſſimum, & nocentiſſimum, eſſe damnatum: qui uxori ſuæ Cluentiæ, quæ amita hujus Aviti fuit, cùm ipſe *poculum dediſſet*, ſubitò illa in media potione exclamavit, ſe maximo cum dolore mori: nec diutius vixit, quàm locuta eſt. nam in ipſo ſermone hoc, & vociferatione mortua eſt. & ad hanc mortem tam repentinam, vocemque morientis, omnia præterea, quæ ſolent eſſe *indicia*, & veſtigia veneni, in illius mortuæ corpore fuerunt. Eodemque veneno C. Oppianicum, fratrem, necavit. Neque eſt hoc ſatis: tametſi in ipſo fraterno parricidio nullum ſcelus prætermiſſum videtur: tamen, ut ad hoc nefarium facinus accederet, aditum ſibi *aliis ſceleribus* antè munivit. Nam cùm eſſet gravida Auria, fratris uxor, & jam appropinquare partus videretur: mulierem veneno interfecit, ut unà illa, & quod erat ex fratre conceptum, necaretur. Poſtea fratrem aggreſſus eſt: qui ſerò, jam [4] exhauſto illo poculo mortis, cum & de ſuo, & de uxoris interitu clamaret, teſtamentumque mutare cuperet, in ipſa ſignificatione hujus voluntatis, eſt mortuus. Ita mulierem, ne partu ejus ab hereditate fraterna excluderetur, necavit: fratris autem liberos prius vita privavit, quàm illi hanc ab natura propriam lucem accipere potuerunt: ut omnes intelligerent, *nihil ei clauſum*, nihil ſanctum eſſe poſſe: cujus ab audacia, fratris liberos ne materni quidem corporis cuſtodia tegere potuiſſet. Memoria teneo, Mileſiam quandam mulierem, cùm eſſem in Aſia, quod ab heredibus ſecundis accepta pecunia, *partum ſibi ipſa medicamentis abegiſſet*, rei capitalis eſſe damnatam: neque injuria: quæ ſpem parentis, memoriam nominis, ſubſidium generis, heredem familiæ, deſignatum reipub. civem, ſuſtuliſſet. Quanto Oppianicus in eadem injuria majore ſupplicio dignus? ſiquidem illa, cùm ſuo corpori vim attuliſſet, ſe ipſam cruciavit: hic autem idem illud effecit per alieni corporis mortem, atque cruciatum. Ceteri non videntur in ſingulis hominibus multa parricidia ſuſcipere poſſe: Oppianicus inventus eſt, qui *in uno corpore plureis necaret*. Itaque cùm hanc conſuetudinem, audaciamque cognoſceret avunculus illius adoleſcentis, Oppianici, Cn. Magius: iſque gravi morbo affectus eſſet, & heredem, illum ſororis ſuæ filium, faceret: amicis adhibitis, præſente matre ſua, Dinea, uxorem ſuam interrogavit, eſſetne prægnans: quæ cùm ſe eſſe reſpondiſſet: ab ea petivit, ut, ſe mortuo, apud Dineam, quæ tum ei mulieri ſocrus erat, quoad pareret, habitaret, diligentiamque adhiberet, ut id, quod conceperat, ſervaret, ut *ſalvum parere poſſet*. Itaque ei, teſtamento legat grandem pecuniam à filio, ſiqui natus eſſet: ab ſecundo herede nihil legat. Quid de Oppianico ſuſpicatus ſit, videtis: quid judicarit, obſcurum non eſt. Nam, cùm ejus filium faceret heredem, eum tutorem liberis non adſcripſit. Quid Oppianicus fecerit, cognoſcite: ut illum Magium intelligatis longè animo proſpexiſſe

11

12

1. *Illam Oppianici domum viri ſui ſanguine redundantem.*] Ita primitus cuſi, firmavitque ſcriptis ſuis P. Victorius lib. xv. Var. lect. cap. 20. nam poſterius editi, *Opp. dexteram*, quod in Pal. ſexto ac ſept. quippe pr. *manum*. at enim reliqui, neque *domum* agnoſcunt, neque *dexteram*, ut ſuſpicer aliud quid adhuc ſubeſſe, de quo cogitare poſſint ſubtilioris ingenii Critici. obvium quidem eſt, *villam Oppianici*, ſed non placet.

2. *Lætanti jam animo & ſpe optima confirmato.*] Ita editio anni CCCCLXXXIX. & Pal. ſec. nec non exemplar S. Victoris. vulgata, *confirmata*.

3. *Ita quod ceteri.*] Conjicit Gulielmius, *cum ceteri*. ſcripſi autem *Ita*, ex Pal. ſec. & S. Victor. nec non edd. antiquis. nam ceteri noſtri ſcripti, *Itaque ceteri*. ſed *Itaque* heic locum non habet, quod ſtatim præceſſerat.

4. *Exhauſto illo poculo mortis.*] Gulielmius tentat, *mortifero*. ſed Pall. omnes adhærent vulgato. malim deleri potius illud *mortis*.

ſpexiſſe morientem. Quæ pecunia mulieri legata erat à filio, ſiqui natus eſſet, eam præſentem Oppianicus non debitam mulieri ſolvit: ſi hæc ſolutio legatorum, & non *merces abortionis* appellanda eſt. Quo illa pretio accepto, multiſque præterea muneribus, quæ tum ex tabulis Oppianici recitabantur, ſpem illam, quam in alvo commendatam à viro continebat, victa avaritia ſceleri Oppianici vendidit. Nihil poſſe jam ad hanc improbitatem addi videtur. attendite exitum. Quæ mulier obteſtatione viri decem illis menſibus ne domum quidem ullam, niſi ſocrus ſuæ, noſſe debuit, hæc quinto menſe poſt viri mortem ipſi Oppianico nupſit. quæ nuptiæ non diuturnæ fuerunt. erant enim non matrimonii dignitate, ſed *ſceleris ſocietate* conjunctæ. Quid? illa cædes Aſinii Larinatis, adoleſcentis pecunioſi, [1] quàm clara tum, recenti re? quàm omnium ſermone celebra-
13 ta? [2] Fuit Avilius quidam Larinas perdita nequitia, & ſumma egeſtate, [3] arte quadam præditus ad libidines adoleſcentulorum excitandas accommodata: qui, ut ſe blanditiis, & aſſentationibus in Aſinii conſuetudinem penitus immerſit, Oppianicus continuo ſperare cœpit, hoc ſe Avilio, tanquam aliqua machina admota, capere Aſinii adoleſcentiam, & fortunas ejus patrias expugnare poſſe. Ratio excogitata Larini eſt: res tranſlata Romam. iniri enim id conſilium facilius *in ſolitudine*, perfici rem ejuſmodi commodiùs *in turba* poſſe arbitrati ſunt. Aſinius cum Avilio Romam eſt profectus. Hos veſtigiis Oppianicus conſecutus eſt. Jam ut Romæ vixerint, quibus conviviis, quibus flagitiis, quantis, & quàm profuſis ſumtibus, non modò conſcio, ſed etiam conviva, & adjutore Oppianico: longum eſt mihi dicere, præſertim ad alia properanti. Exitum hujus *aſſimulatæ familiaritatis* cognoſcite. Cùm eſſet adoleſcens apud mulierculam quandam, atque ibi pernoctaret, [4] & ibi diem poſterum commoraretur: Avilius, ut erat conſtitutum, ſimulat ſe ægrotare, & teſtamentum facere velle. Oppianicus *obſignatores* ad eum, qui neque Aſinium, neque Avilium noſſent, adducit, & illum, Aſinium appellat: ipſe teſtamento, Aſinii nomine obſignato, diſcedit. Avilius illicò convaleſcit. Aſinius autem brevi illo tempore, quaſi in hortulos iret, in arenarias quaſdam extra portam Eſquilinam, perductus, occiditur. qui cùm unum jam, & alterum diem deſideraretur: neque in iis locis, ubi ex conſuetudine quærebatur, inveniretur, & Oppianicus in foro Larinatium dictitaret, nuper ſe, & ſuos amicos teſtamentum ejus obſignaſſe: liberti Aſinii, & nonnulli amici, quòd eo die, quo poſtremùm Aſinius viſus erat, Avilium cum eo fuiſſe, & à multis viſum eſſe conſtabat, in eum invadunt, & hominem ante pedes Q. Manilii, qui tum erat triumvir, conſtituunt. Atque ille continuò, nullo teſte, nullo indice, *recentis maleficii conſcientia perterritus*, omnia, ut à me paullo antè dicta ſunt, exponit, Aſiniumque ab ſe, conſilio Oppianici, interfectum fatetur. Extrahitur domo latitans Oppianicus à Manilio: index Avilius ex altera parte coràm tenetur. Hìc jam quid reliqua quæritis? Manilium plerique noratis. non ille honorem à pueritia, non ſtudia virtutis, non ullum *exiſtimationis bonæ fructum* umquam cogitarat: ſed ex petulanti, atque improbo ſcurra, in diſcordiis civitatis ad eam columnam, ad quam multorum ſæpè convitiis perductus erat, cum ſuffragiis populi pervenerat. Itaque rem cum Oppianico *tranſigit*: pecuniam ab eo accipit: cauſam & ſuſceptam, & manifeſtam relinquit. Ac tum in Oppianici cauſa, crimen hoc Aſinianum cùm teſtibus multis, tum verò indicio Avilii probabatur. in quo, [5] inter alligatos, Oppianici nomen, *primum* eſſe conſtabat, ejus, quem vos miſerum, atque innocentem, falſo judicio circumventum eſſe dicitis. Quid? aviam tuam, Oppianice, 14
Dineam, cui tu es heres, pater tuus non manifeſtò necavit? ad quam cùm adduxiſſet medicum illum ſuum, jam cognitum, & ſæpe victorem, [[6] per quem interfecerat plurimos] mulier exclamat, ſe ab eo nullo modo velle curari, quo curante ſuos *omneis perdidiſſet*. Tum repentè Anconitanum quendam, L. Clodium, pharmacopolam circumforaneum, qui caſu tum Larinum veniſſet, aggreditur, & cum eo H-S quadringentis, id quod ipſius tabulis tum eſt demonſtratum, tranſigit. L. Clodius, qui properaret, cui fora multa reſtarent, ſimul atque introductus eſt, rem confecit: prima *potione* mulierem ſuſtulit: neque poſtea Larini punctum eſt temporis commoratus. Eadem hac Dinea teſtamentum faciente, cùm tabulas prehendiſſet Oppianicus, qui gener ejus fuiſſet, digito legata delevit: &, cùm id multis locis feciſſet, poſt mortem ejus, ne lituris coargui poſſet, teſtamentum in alias tabulas transſcriptum, *ſignis adulterinis* obſignavit. Multa prætereo conſulto. etenim vereor, ne hæc ipſa nimium multa eſſe videantur. vos tamen eum ſimilem ſui fuiſſe [7] in ceteris quoque vitæ partibus exiſtimare debebitis. Illum tabulas publicas Larini cenſorias corrupiſſe, decuriones univerſi judicaverunt. cum illo jam nemo rationem, nemo rem ullam contrahebat: nemo illum ex tam multis cognatis, & affinibus tutorem umquam liberis ſuis ſcripſit: nemo illum aditu, nemo congreſſione, nemo ſermone, nemo convivio dignum judicabat. omnes aſpernabantur, omnes *abhorrebant*, omnes, ut aliquam immanem, ac perincioſam beſtiam, peſtemque fugiebant. Hunc tamen hominem tam audacem, tam nefarium, tam nocentem, numquam accuſaſſet Avitus judices, ſi id prætermittere, ſalvo capite ſuo, potuiſſet. Erat huic inimicus Oppianicus: erat: ſed tamen *erat vitricus*: crudelis, & huic infeſta mater: attamen *mater*. poſtremò nihil tam remotum ab accuſatione, quàm Cluentius, & natura, & voluntate, & inſtituta ratione vitæ. Sed cùm eſſet hæc illi propoſita conditio, ut aut juſtè, pieque accuſaret, aut acerbè, indigneque moreretur: *accuſare*, quoquo modo poſſet, quàm illo modo *emori*, maluit. Atque, ut hæc ita eſſe perſpicere poſſitis, exponam vobis Oppianici facinus manifeſtò compertum, atque deprehenſum: ex quo ſimul utrumque, & huic, accuſare, & illum condemnari neceſſe fuiſſe, intelligetis. Martiales quidam Larini appellabantur, 15
miniſtri publici Martis, atque ei deo veteribus inſtitutis, religionibuſque Larinatium conſecrati: quorum cùm ſatis magnus numerus eſſet, cumque item, ut in Sicilia permulti Venerei ſunt: ſic illi Larini in Martis familia numerarentur: repentè Oppianicus eos omneis, *liberos eſſe*, civeiſque Rom. cœpit defendere. Graviter id decuriones Larinatium, cunctique municipes tulerunt. Itaque ab Avito petiverunt, ut eam cauſam ſuſciperet, publiceque defenderet. Avitus cùm ſe ab omni ejuſmodi negotio removiſſet, tamen pro loco, pro antiquitate generis ſui, pro eo, quod ſe NON SUIS ſolùm commodis, ſed etiam ſuorum municipum, ceterorumque neceſſariorum natum eſſe arbitrabatur, tantæ voluntati univerſorum Larinatium deeſſe noluit. Suſcepta cauſa, Romamque delata, magnæ quotidie *contentiones* inter Avitum, & Oppianicum ex utriuſque ſtudio defenſionis excitabantur. Erat ipſe immani, acerbaque natura Oppianicus.

1. *Quàm clara tum, recenti re?*] Eſt ab codice S. Victoris recepitque Lambinus, neque aliter plerique Pall. niſi quod ii *recenti fuit*. Vulgata: *quàm clara cùm recens fuit?*

2. *Fuit Avilius quidam.*] Ita editio prima, & fere Pall. noſtri, & S. Victoris: etſi quidam ita ſcripti ſint, ut poſſit putari *Ajulius*, ut antea publicabatur. Gulielmius emendat *A. Villius*.

3. *Arte quadam præditus, &c. accommodata.*] Gulielmio ſuſpectum fuit illud *præditus*. & vero cum in pleriſque Pall. & edd. antiq. exſtet *accommodatus*, omnino venit tollendum.

4. *Et ibi diem poſterum.*] Sic quidem Pal. ſec. & editio vetus. ſed Pall. ceteri & S. Victoris, *& ibidem poſterum*.

5. *Inter alligatos.*] Eſt a Turnebi conjectura, quam prodidit libro XX. cap. 5. Adverſar. editi enim & ſcripti omnes *allegatos*, niſi quod Pal. pr. *iter ad legatos*.

6. *Per quem interfecerat plurimos.*] Lambinus iſthæc pro ſpuriis ducebat. cum tamen ſint in omnibus ſcriptis, non ejeci quidem, ſed incluſi uncis.

7. *In ceteris quoque vitæ partibus exiſtimare debebitis.*] Eſt à Pall. omnibus. neque aliter Vict. codex mſ. quid quod & ed. vetus habet illud *quoque*. poſterius cuſi, *in ceteris vitæ part. exiſtimare debetis*.

1. *Studio,*

cus. Incendebat ejus amentiam infeſta, atque inimica filio mater Aviti. magni autem illi ſua intereſſe arbitrabantur, hunc à cauſa Martialium demovere. Suberat etiam alia cauſa major, quæ Oppianici, hominis avariſſimi, atque audaciſſimi, mentem maximè commovebat. nam Avitus uſque ad illius judicii tempus, nullum *teſtamentum* umquam fecerat. neque enim legare ejuſmodi matri poterat in animum inducere: neque teſtamento nomen omnino prætermittere *parentis*. Id cùm Oppianicus ſciret (neque enim erat obſcurum) intelligebat, Avito mortuo, bona ejus omnia ad matrem eſſe ventura: quæ ab ſeſe poſtea, aucta pecunia, majore præmio; orbata filio, minore periculo, necaretur. itaque his rebus incenſus, qua ratione Avitum
16 veneno tollere conatus ſit, cognoſcite. C. & L. Fabricii, fratres gemini fuerunt ex municipio Aletrinate, homines inter ſe cùm forma, tum moribus ſimiles: municipum autem ſuorum diſſimillimi: in quibus quantus ſplendor ſit, quàm propè æquabilis, quàm ferè omnium conſtans, & moderata ratio vitæ, nemo veſtrûm, ut mea fert opinio, ignorat. His Fabriciis ſemper uſus eſt Oppianicus familiariſſimè. Jam hoc ferè ſcitis omnes, QUANTAM VIM habeat ad conjungendas amicitias, ſtudiorum, ac naturæ ſimilitudo. Cùm illi ita viverent, ut *nullum quæſtum turpem* eſſe arbitrarentur: cùm omnis ab his fraus, omnes inſidiæ, circumſcriptioneſque adoleſcentium naſcerentur, cumque eſſent vitiis, atque improbitate omnibus noti: [1] ſtudio, ut dixi, ad eorum ſe familiaritatem multis jam antè annis Oppianicus applicarat. Itaque, tum ſic ſtatuit, per C. Fabricium (nam L. erat mortuus) inſidias Avito comparare. Erat illo tempore infirma valetudine Avitus. utebatur autem medico ignobili, ſed ſpectato homine, Cleophanto: cujus ſervum Diogenem Fabricius *ad venenum* Avito dandum ſpe & pretio ſollicitare cœpit. Servus non incallidus, [2] ſed, ut ipſa res declaravit, frugi, atque integer, ſermonem Fabricii non eſt aſpernatus: rem ad dominum detulit: Cleophantus autem cum Avito eſt locutus. Avitus autem ſtatim cum M. Bebrio ſenatore, familiariſſimo ſuo, communicavit: qui qua fide, qua prudentia, [3] qua dignitate fuerit, meminiſſe vos arbitror. ei placuit, ut Diogenem Avitus emeret à Cleophanto, quo faciliùs aut comprehenderetur res ejus indicio, aut falſa eſſe cognoſceretur. Ne multis: Diogenes emitur: [4] venenum diebus paucis, (multi viri boni cùm *ex occulto interveniſſent*) pecuniaque obſignata, quæ ad eam rem dabatur, in manibus Scamandri, liberti Fabriciorum, deprehenditur. Prô dii immortales! Oppianicum quiſquam, his rebus co-
17 gnitis, circumventum [5] eſſe dicet? Quis umquam audacior? quis nocentior? quis apertior in judicium adductus eſt? Quod ingenium, quæ facultas dicendi, quæ à quoquam excogitata defenſio, huic uni crimini potuit obſiſtere? ſimul & illud quis eſt, qui dubitet, quin hac re comperta, manifeſtoque deprehenſa, aut obeunda mors Cluentio, aut ſuſcipienda accuſatio fuerit? Satis eſſe arbitror demonſtratum, judices, iis criminibus accuſatum eſſe Oppianicum, ut honeſtè abſolvi nullo modo potuerit. Cognoſcite nunc ita reum citatum eſſe illum, ut, re ſemel, atque iterum *præjudicata*, condemnatus, in judicium venerit. Nam Cluentius, judices, primùm nomen ejus detulit, cujus in manibus venenum deprehenderat. is erat libertus Fabriciorum, Scamander. integrum conſilium: judicii corrupti nulla ſuſpicio: ſimplex in judicium cauſa, certa res, verum crimen allatum eſt. Hìc tum Fabricius, is, de quo antè dixi, qui, *liberto damnato*, ſibi illud impendere periculum videret: quòd mihi cum Aletrinatibus vicinitatem, & cum pleriſque eorum magnum uſum eſſe ſciebat, frequentes eos ad me domum adduxit. Qui quamquam de homine, ſicut neceſſe erat, exiſtimabant: tamen, quod erat ex *eodem municipio*, ſuæ dignitatis eſſe arbitrabantur, eum, quibus rebus poſſent, defendere: idque à me, ut facerem, & ut cauſam Scamandri ſuſciperem, petebant: in qua cauſa patroni omne periculum continebatur. Ego, qui neque illis talibus viris, ac tam amantibus mei, rem poſſem ullam negare: neque illud crimen, tantum, ac *tam manifeſtum* eſſe arbitrarer, ſicut nec illi quidem ipſi, qui mihi tum illam cauſam commendabant, arbitrabantur: pollicitus iis ſum, me omnia, quæ vellent, eſſe facturum. Res agi cœpta eſt: 18
citatus eſt Scamander reus: accuſabat P. Cannutius, homo in primis ingenioſus, & in dicendo exercitatus, accuſabat autem ille quidem Scamandrum verbis tribus, VENENUM ESSE DEPREHENSUM. Omnia tela totius accuſationis in Oppianicum conjiciebantur: aperiebatur cauſa inſidiarum: Fabriciorum familiaritas commemorabatur: hominis vita, & audacia proferebatur: denique omnis accuſatio variè, graviterque tractata, ad extremum manifeſta veneni deprehenſione concluſa eſt. Hìc ego cùm ad reſpondendum ſurrexi, qua cura? dii immortales! qua ſollicitudine animi? quo timore? Semper equidem magno *cum metu* incipio dicere. quotieſcumque dico, toties mihi videor in judicium venire, non ingenii ſolùm, ſed etiam virtutis, atque officii: ne aut id profiteri videar, quod non poſſim implere, quod eſt *impudentiæ*: aut id non efficere, quod poſſim, quod eſt aut *perfidiæ*, aut *negligentiæ*. tum verò ita ſum perturbatus, ut omnia timerem: ſi nihil dixiſſem, ne infantiſſimus: ſi multa in ejuſmodi cauſa dixiſſem, ne impudentiſſimus exiſtimarer. Collegi me aliquando, & 19
ita conſtitui, fortiter eſſe agendum: illi ætati, qua tum eram, ſolere *laudi dari*, etiam ſi in minùs firmis cauſis hominum periculis non defuiſſem. itaque feci: ſic pugnavi, ſic omni ratione contendi, ſic ad omnia confugi, quantum ego aſſequi potui, remedia, ac perfugia cauſarum, ut hoc, quod timidè dicam, conſecutus ſim, nequis illi cauſæ patronum defuiſſe arbitraretur. Sed, ut quidquid ego apprehenderam, ſtatim accuſator extorquebat è manibus. Si quæſieram, an *inimicitiæ* Scamandro cum Avito: fatebatur, nullas fuiſſe: ſed Oppianicum, cujus ille miniſter fuiſſet, huic inimiciſſimum fuiſſe, atque eſſe dicebat. Sin autem illud egeram, nullum ad Scamandrum morte Aviti venturum *emolumentum* fuiſſe, concedebat; ſed ad uxorem Oppianici, hominis in uxoribus necandis exercitati, omnia bona Aviti ventura eſſe dicebat. Cùm illa defenſione uſus eſſem, quæ in libertinorum cauſis honeſtiſſima ſemper exiſtimata eſt, Scamandrum *patrono eſſe probatum*: fatebatur: ſed quærebat, cui probatus eſſet ipſe patronus. Cùm ego pluribus verbis in eo commoratus eſſem, Scamandro factas inſidias eſſe per Diogenem, conſtitutumque inter eos de alia re fuiſſe, ut *medicamentum, non venenum*, Diogenes afferret: hoc cuivis uſu venire poſſe: quærebat, cur in ejuſmodi *locum*, tam abditum, cur ſolus, [6] cur cum obſignata pecunia, veniſſet. Denique hoc loco cauſa *teſtibus*, honeſtiſſimis hominibus, premebatur. M. Bebrius de ſuo conſilio Diogenem emtum: ſe præſente Scamandrum cum veneno, pecuniaque deprehenſum eſſe dicebat. [7] P. Quintius

1. *Studio, ut dixi.*] Revocanda mihi fuit lectio omnium Pall. item cod. S. Victoris. impreſſi ante, *ſtudioſè*; nimis lenè.

2. *Sed ut ipſa res declaravit.*] Legitur alias in exemplari S. Victoris, *& ut*, quod fere malim.

3. *Qua dignitate fuerit.*] Lambinus prodit in ſuis mſſ. fuiſſe, *diligentia.* ego teſtor in Pall. ſex comparuiſſe illud alterum, hæretque item in edd. antiquiſſimis.

4. *Venenum diebus paucis, multi, &c.*] Sic omnes Pall. & S. Vict. vetuſtius editi, *paucis comparatur: multi &c.* a qua tamen lectione recentiores jure receſſerunt. pendent enim hæc ab eo quod ſequitur, *deprehenditur.*

5. *Eſſe dicet.*] Ita alias legi annotatum in S. Victorino, ſonorius multo quàm illud vulgo receptum *dicit eſſè*; quod tamen in Pall. o.

6. *Cùm obſignata pecunia veniſſet.*] Ita ſolum Pal. ſecund. reliqui quinque, *tenuiſſet*, quæ ſcriptura etiam in S. Victoris in textu. altera vero ſuperſcripta, ceu alia.

7. *P. Quintius Varus.*] Lambinus voluit *Quintilius*, & id omnino etiam reſtituendum auctori urget Paullus Merula Notis ad Ennium; ſed non obſequor, contra mſſ. contra rationem meliorem.

tius Varus, homo ſumma religione, & ſumma auctoritate præditus, de inſidiis, quæ fierent Avito, & de ſollicitatione Diogenis, recenti re, ſecum Cleophantum locutum eſſe dicebat. Atque in illo judicio cùm Scamandrum nos defendere videremur, *verbo* ille reus erat, *re quidem vera*, & periculo, & tota accuſatione Oppianicus. Neque id obſcurè ferebat, nec diſſimulare ullo modo poterat: aderat frequens, advocabat, [1] omni ſtudio, gratiaque pugnabat: poſtremò, id quod maximo malo illi cauſæ fuit, hoc ipſo in loco, quaſi reus ipſe eſſet, ſedebat. Oculi omnium judicum non in Scamandrum, ſed in Oppianicum conjiciebantur: timor ejus, *perturbatio*, ſuſpenſus, incertuſque vultus, crebra coloris mutatio, quæ erant antea *ſuſpicioſa*, hæc,
20 aperta, ac manifeſta faciebant. Cùm in conſilium iri oporteret, quæſivit ab reo C. Junius, quæſitor ex lege illa Cornelia, quæ tum erat, clàm, an palam, de ſe ſententiam ferri vellet. De Oppianici ſententia reſponſum eſt, quòd is Aviti familiarem Junium eſſe dicebat, clàm velle ferri. Itum eſt in conſilium. omnibus ſententiis, *præter unam*, quam ſuam Stalenus eſſe dicebat, Scamander prima actione condemnatus eſt. Quis tum erat omnium, qui, Scamandro condemnato, non judicium Oppianico factum eſſe arbitraretur? quid eſt illa damnatione judicatum, niſi venenum id, quod Avito daretur, eſſe quæſitum? quæ porrò tenuiſſima ſuſpicio collata in Scamandrum eſt, aut conferri potuit, ut is *ſua ſponte* necare voluiſſe Avitum putaretur? Atque, hoc tum judicio facto, & Oppianico, re, & exiſtimatione, jam: lege, & pronuntiatione, nondum condemnato, tamen Avitus Oppianicum reum ſtatim non fecit. voluit cognoſcere, utrùm judices in eos ſolos eſſent ſeveri, quos venenum habuiſſe ipſos comperiſſent: an etiam *conſilia*, *conſcientiaſque* ejuſmodi facinorum, ſupplicio dignas judicarent. Itaque C. Fabricium, quem propter familiaritatem Oppianici conſcium illi facinori fuiſſe arbitrabatur, reum ſtatim fecit: [2] utque ei locus primus conſtitueretur, propter cauſæ conjunctionem impetravit. Hìc tum Fabricius non modò ad me meos vicinos, & amicos, Aletrinateis, non adduxit, ſed ipſe iis neque defenſoribus uti poſtea, neque laudatoribus potuit. REM enim INTEGRAM hominis non alieni, quamvis ſuſpicioſam, defendere, humanitatis eſſe putabamus: judicatam labefactare conari, impudentiæ. Itaque tum ille, inopia, & neceſſitate coactus, in cauſa ejuſmodi [3] ad Cepaſios fratres confûgit, homines induſtrios [4] atque eo animo, ut, quæcunque dicendi poteſtas eſſet data, in honore, atque *in beneficio ponerent*.
21 Jam hoc quoque propè iniquiſſimè comparatum eſt, quòd IN MORBIS CORPORIS, ut quiſque eſt difficillimus, ita medicus nobiliſſimus, atque optimus quæritur: in periculis capitis, ut quæque cauſa difficillima eſt, ita deterrimus, obſcuriſſimuſque patronus adhibetur. [5] niſi fortè hæc cauſa eſt, quòd medici nihil, præter *artificium*, oratores etiam *auctoritatem* præſtare debent. Citatur reus: agitur cauſa: paucis verbis accuſat, ut de re judicata, Canutius. Incipit, longo, & altè petito prooemio, reſpondere major Cepaſius. primò attentè auditur ejus oratio. erigebat animum, jam demiſſum, & oppreſſum, Oppianicus. gaudebat ipſe Fabricius. non intelligebat, animos judicum, non illius eloquentia, ſed *defenſionis impudentia* commoveri. poſteaquàm de re cœpit dicere, ad ea, quæ erant in cauſa, addebat etiam ipſe nova quædam vulnera. Hoc quamquam ſedulò faciebat, tamen interdum non defendere, [6] ſed *prævaricari* accuſationi videbatur. Itaque cùm calidiſſimè ſe dicere putaret, & cùm illa verba graviſſima ex intimo artificio depromſiſſet: RESPICITE, JUDICES, HOMINUM FORTUNAS: RESPICITE DUBIOS, VARIOSQUE CASUS: RESPICITE C. FABRICII SENECTUTEM. cùm hoc, RESPICITE, ornandæ orationis cauſa ſæpè dixiſſet, reſpexit ipſe: at C. Fabricius à ſubſelliis, demiſſo capite, diſceſſerat. Hìc judices ridere: ſtomachari, atque acerbè ferre patronus, cauſam ſibi eripi; & ſe cetera de illo loco, RESPICITE JUDICES, non poſſe dicere: nec quidquam propiùs eſt factum, quàm ut illum perſequeretur, &, collo obtorto, ad ſubſellia reduceret; ut reliqua poſſet perorare. [7] Jam tum Fabricius primum *ſuo judicio*, quod eſt graviſſimum: deinde legis vi, & ſententiis judicum eſt condemnatus. Quid eſt, [8] quod jam de Oppianici cauſa plura 22
dicamus? Apud eoſdem judices reus eſt factus, cùm is duobus *præjudiciis* jam damnatus eſſet: ab iiſdem autem judicibus, qui Fabriciorum damnatione de Oppianico judicarant, locus ei primus eſt conſtitutus: accuſatus eſt criminibus graviſſimis, [9] & iis, quæ à me breviter dicta ſunt, & præterea multis, quæ ego omnia nunc omitto: accuſatus eſt apud eos, qui & Scamandrum, miniſtrum Oppianici, & Fabricium, conſcium maleficii, condemnarant: Utrùm, per deos immortaleis, magis eſt mirandum, quòd is condemnatus eſt, an quòd omnino *reſpondere auſus* eſt? Quid enim illi judices facere potuerunt? qui ſi innocenteis Fabricios condemnaſſent, tamen in Oppianico ſibi conſtare, & ſuperioribus conſentire judiciis debuerunt. [10] An verò illa ſua per ſe ipſi *judicia reſcinderent*, cùm ceteri ſoleant, in judicando, ne ab aliorum judiciis diſcrepent, providere? & illi, qui Fabricii libertum, quia miniſter in maleficio fuerat: patronum, quia conſcius, condemnaſſent: ipſum principem, atque *architectum ſceleris* abſolverent? & qui ceteros, nullo præjudicio facto, tamen ex ipſa cauſa condemnaſſent: hunc, quem bis condemnatum jam acceperant, liberarent? Tum verò illa judicia ſenatoria, non falſa invidia, ſed vera, atque inſigni turpitudine notata, [11] atque operta dedecore, & infamia, defenſioni locum nullum reliquiſſent. Quid enim tandem illi judices reſponderent, ſi quis ab iis quæreret? Condemnaſtis Scamandrum, quo crimine? nempe quod Avitum per ſervum medici, veneno [12] necare voluiſſet. Quid Aviti morte Scamander conſequebatur? nihil, ſed *adminiſter* erat Oppianici. Condemnaſtis C. Fabricium. quid ita? quia, cùm ipſe familiariſſimè Oppianico uſus, libertus autem ejus in maleficio deprehenſus eſſet:

1. *Omni ſtudio gratiaque pugnabat.*] Dictio *pugnabat*, abeſt aliquot editionibus Lambini; prorſus male, & præter edd. ſcriptoſque.

2. *Utque ei locus primus conſtitueretur.*] S. Victor. & Pal. pr. ſec. quart. ſext. *utique ei.* non inepte.

3. *Ad Cepaſios fratres.*] Legitur aliàs in S. Vict. *Cepaſinos*. quod mutandum putabat Gulielmius in *Ceparios*, a *cepis*; ut *Fabii a fabis*. ſic *Papirii*. iidem cum *Papiſiis*.

4. *Atque eo animo.*] Haud aliter quidem editiones antiquatæ; ſed id verbum ſolum reſtat in Palat. ſec. ceteri omnes *atque eo modo*, quod & in S. Victoris; hactenus tamen ut veluti altera lectio ſuperſcriptum ſit *animo*.

5. *Niſi fortè hæc cauſa eſt, &c.*] Sic S. Victoris exemplar, non ut vulgata, *hæc*. Verum quod miremur, tota hæc periodus non comparet in ullo Pall. neque admiſerunt editiones tres primæ.

6. *Sed prævaricari accuſationi videbatur.*] Lambinus neſcio quas varietates lectionum profert è ſuis. ego teſtor Palatinos ſex, ſtare a receptà.

7. *Jam tum Fabricius primùm.*] Vividius mihi longè ſcriptura quæ S. Victoris libro ad oram, *ita tum Fabr.*

8. *Quid jam de Oppianici cauſa plura dicamus.*] S. Victoris amplius, *de Oppianici perſona cauſaque plura*. quod & citat Lambinus. unde colligo nullum habuiſſe ad manum exemplar ſcriptum perpetuo hac oratione quàm illud ipſum S. Victoris.

9. *Et iis quæ à me breviter.*] Copulam invexi, volentibus mſſ. noſtris & Gallicano; quæ prius aberat.

10. *An verò illa ſua per ſe ipſi judicia reſcinderent.*] Ita emendavi ſuaſu Palat. tert. neque abibant reliqui ſex quàm quod haberent vulgatum *illi*. vox *ipſa* vulgatis hactenus defuit. invexit quidem ex Victoriano Lambinus, ſed recidit *per ſe*, quod & ibidem comparet & in Pall. omnibus.

11. *Atque operta dedecore.*] Sic noſtri Pall. omn. niſi quod ſecund. *operata*. Lambinus annotat, alias legi, *& cooperta*: & id quidem etiam viſitur in Pal. quarto, ſed tanquam interpretamentum prioris, addito, *id eſt*.

12. *Necare voluiſſet. Quid Aviti, &c.*] Divinat Gulielmius, *necare voluit. ſed quid Aviti, &c.* dextrè. ſi id recipimus, tum erit mutandum mox ſequens *ſed* in *at*, quomodo diſertè extat in Pal. pr. tert. quart. quint. pro quo vulgo, *ſed adminiſter*.

eſſet: illum *expertem ejus conſilii* fuiſſe non probabatur. Si igitur ipſum Oppianicum, bis ſuis judiciis condemnatum, abſolviſſent, quis tantam turpitudinem judiciorum, quis tantam inconſtantiam rerum judicatarum, quis tantam libidinem judicum, ferre potuiſſet? Quòd ſi hoc videtis, quod jam hac omni oratione patefactum eſt, illo judicio reum condemnari, præſertim ab iiſdem judicibus, qui duo præjudicia feciſſent, neceſſe fuiſſe: ſimul illud videatis, neceſſe eſt, nullam accuſatori *cauſam eſſe* potuiſſe, cur judicium
23 vellet corrumpere. Quæro enim abs te, T. Atti, relictis jam ceteris argumentis omnibus, num Fabricios quoque innocenteis condemnatos exiſtimes? num etiam illa judicia, pecunia corrupta eſſe dicas; quibus judiciis alter à Staleno ſolo abſolutus eſt, alter etiam ipſe ſe condemnavit. Age, ſi nocentes: cujus maleficii? numquid præter venenum quæſitum, quo Avitus necaretur, objectum eſt? numquid aliud in illis judiciis verſatum eſt, præter haſce inſidias Avito ab Oppianico per Fabricios factas? [1] nihil, nihil, inquam aliud, judices, reperietis. exſtat memoria: ſunt tabulæ publicæ, redargue me, ſi mentior: teſtium dicta recita: doce, in illorum judiciis quid, præter hoc venenum Oppianici, non modò in criminis, ſed in maledicti loco ſit objectum. Multa dici poſſunt, quare ita neceſſe fuerit judicari: ſed ego occurram exſpectationi veſtræ, judices. Nam, etſi à vobis ſic audior, ut numquam benigniùs, neque attentiùs quemquam auditum putem: tamen vocat me aliò jamdudum tacita veſtra exſpectatio, quæ mihi obloqui videtur. Quid ergo, negaſne, illud judicium eſſe corruptum? non nego: ſed *ab hoc corruptum non eſſe* confirmo. A quo igitur eſt corruptum? opinor, primùm, ſi incertum fuiſſet, quiſnam exitus illius judicii futurus eſſet: veriſimilius tamen eſſet, eum potiùs corrupiſſe, *qui metuiſſet*, ne ipſe condemnaretur, quàm illum, qui veritus eſſet, ne alter abſolveretur: deinde, cùm eſſet nemini dubium, quid judicari neceſſe eſſet, eum certè potiùs, qui ſibi aliqua ratione *diffideret*, quàm eum, qui omni ratione confideret: poſtremò, certè potius illum, qui bis apud eos judices offendiſſet, quàm eum, qui bis cauſam iis probaviſſet. unum quidem certè, nemo erit tam iniquus Cluentio, qui mihi non concedat, ſi conſtet corruptum illud eſſe judicium, aut ab Avito, aut ab Oppianico eſſe corruptum. ſi doceo non ab Avito, vinco ab Oppianico. ſi oſtendo ab Oppianico, purgo Avitum. Quare, etſi ſatis docui, rationem nullam huic corrumpendi fuiſſe, ex quo intelligitur, ab Oppianico eſſe corruptum: tamen de illo ipſo ſeparatim
24 cognoſcite. Atque ego illa non argumentabor, quæ ſunt gravia vehementer: eum corrupiſſe, qui *in periculo fuerit*: eum, qui metuerit: eum, qui ſpem ſalutis in alia ratione non habuerit: eum, qui ſemper ſingulari fuerit audacia. multa ſunt ejuſmodi. verùm cùm habeam rem non dubiam, ſed apertam, atque manifeſtam, enumeratio ſingulorum argumentorum non eſt neceſſaria. Dico, C. Ælio Staleno, judici pecuniam grandem Statium Albium ad corrumpendum judicium dediſſe. numquis negat? Te appello, Oppianice, te T. Atti: quorum alter eloquentia damnationem illam, alter tacita pietate *deplorat*. audete negare, ab Oppianico Staleno judici pecuniam datam: [2] negate, negate, inquam, in eo loco. quid reticetis? At negare non poteſtis, quod repetiſtis, quod confeſſi eſtis, quod abſtuliſtis. Quo tandem igitur ore mentionem corrupti judicii facitis, cùm ab iſta parte, judici pecuniam ante judicium datam, poſt judicium ereptam eſſe fateamini? Quonam igitur hæc modo geſta ſunt? repetam paullò altiùs, judices, & omnia, quæ in diuturna obſcuritate latuerunt, ſic aperiam, ut ea cernere oculis videamini. Vos quæſo, ut adhuc me attentè audiſtis, item, quæ reliqua ſunt, audiatis: profectò nihil à me dicetur, quod non dignum hoc conventu, & ſilentio, dignum veſtris ſtudiis, atque auribus eſſe videatur. Nam, ut primùm Oppianicus, ex eo, quòd Scamander reus erat factus, quid ſibi impendêret, cœpit ſuſpicari: ſtatim ſe ad hominis egentis, audacis, in judiciis corrumpendis *exercitati*, tum autem judicis, Staleni familiaritatem applicavit. Ac primùm Scamandro reo, tantum *donis* datis, muneribuſque perfecerat, [3] ut eo auctore uteretur cupidiore, quàm fides judicis poſtulabat. Pòſt autem, cùm eſſet Scamander unius Staleni ſententia abſolutus, patronus autem Scamandri ne ſua quidem ſententia liberatus: acrioribus ſaluti ſuæ remediis ſubveniendum putavit. Tum à Staleno, ſicut ab homine ad excogitandum acutiſſimo, ad audendum impudentiſſimo, ad efficiendum acerrimo: (hæc enim ille & aliqua ex parte habebat, & majore ex parte ſe habere *ſimulabat*,) auxilium capiti, & fortunis ſuis petere cœpit. [4] Jam hoc non ignoratis, judices, 25
ut etiam BESTIÆ, [5] FAME DOMINANTE, plerumque ad eum locum, ubi paſtæ aliquando ſint, revertantur. Stalenus ille biennio antè, cum cauſam bonorum Safinii Atellæ recepiſſet, ſexcentis millibus nummûm ſe judicium corrupturum eſſe dixerat. quæ cùm accepiſſet à pupillo, ſuppreſſit: judicioque facto, nec Safinio, nec bonorum emtoribus reddidit. Quam cùm pecuniam profudiſſet, & ſibi nihil non modò ad *cupiditates* ſuas, ſed ne ad *neceſſitatem* quidem reliquiſſet: ſtatuit ad eaſdem ſibi prædas, ac ſuppreſſiones judicialeis revertendum. Itaque cùm Oppianicum jam perditum, & duobus jugulatum præjudiciis videret: promiſſis eum ſuis excitavit abjectum, & ſimul ſaluti deſperare vetuit. Oppianicus orare hominem cœpit, ut ſibi rationem oſtenderet judicii corrumpendi. Ille autem (quemadmodum ex ipſo Oppianico poſtea eſt auditum) negavit, quemquam eſſe in civitate, præter ſe, qui id efficere poſſit. ſed primò gravari cœpit, quod ædilitatem ſe petere cum hominibus nobiliſſimis, & *invidiam*, atque *offenſionem* timere dicebat. poſt exoratus, initiò permagnam pecuniam popoſcit, deinde ad id pervenit, quod confici potuit, & ſeſtertiûm ſexcenta quadraginta deferri ad ſe domum juſſit. Quæ pecunia ſimulatque ad eum delata eſt, homo impuriſſimus ſtatim cœpit in ejuſmodi mente, & cogitatione verſari: nihil eſſe ſuis rationibus utilius, quàm Oppianicum *condemnari*: illo abſoluto, pecuniam illam aut judicibus diſpertiendam, aut ipſi eſſe reddendam: damnato, repetiturum eſſe neminem. Itaque rem excogitat ſingularem. Atque hæc, judices, quæ verè dicuntur à nobis, faciliùs credetis, ſi cum animis veſtris longo intervallo recordari C. Staleni vitam, & naturam volueritis. nam PERINDE UT opinio eſt de cujuſque moribus, ita, quid ab eo factum, & non factum ſit, exiſtimari poteſt. Cùm eſſet egens, ſumtuoſus, audax, callidus, perfidioſus, & cùm domi ſuæ, 26
[6] miſerrimis in locis & inaniſſimis, tantum nummorum poſitum videret: ad omnem malitiam, & fraudem [7] verſare

ſare

1. *Nihil, nihil, inquam aliud.*] Eſt à Pal. tert. quart. quint. ſept. & S. Victoris. vulgata enim hactenus, *ſemel tantum*, poſuerat vocem *nihil*.

2. *Negate in eo loco.*] Ita Pall. ſext. nam ſec. *meo loco*. quod & habet quo ſe tueatur. ſed prius dextre explicat P. Manutius. Gulielmius divinabat *in loco*, pro *illico*. ſic apud Herennium legitur, *vim in loco attulit*, id eſt, *confeſtim*.

3. *Ut eo auctore uteretur cupidiore.*] Sic Pall. omnes. S. Victoris *fautore*, quod recepit Lambinus.

4. *Jam hoc non ignoratis.*] Negativa ſolum reſtat in Palatino ſeptimo.

5. *Fame dominante.*] Haud aliter Pal. ſext. nam pr. *dominatione*, annotatum autem ad S. Victoris, aliàs *monitu*, quod mihi magis arridet.

6. *Miſerrimis in locis & inaniſſimis.*] Haud potui excludere hanc lectionem inventam mihi in Pal. ſexto, Victorio, in Florentino, Gulielmio vero in S. Victoris. maluit ille tamen ſubſtitui *ſecis*. antea cuſi, *miſerrimus & inaniſſimus*.

7. *Verſare mentem ſuam cœpit.*] Admiſi ſcripturam illam fide Palatini ſec. & ſext. tanto confidentius quod ſic quoque extaret in manu prima in ſcripto S. Victoris. hactenus vulgata, *verſare mentem ſuam, hæc ſecum cogitans, cœpit*. talia emblemata ſæpius profectò inſerta Tullio; neque de eis temere quid muſſemus, niſi moneamur a libris authenticis.

5. Ex

ſare mentem ſuam, cœpit: Demne judicibus? mihi igitur ipſi, præter periculum, & infamiam, quid quæretur? nihil excogitem, quamobrem Oppianico damnari neceſſe ſit? qui tandem? nihil enim eſt, quod fieri non poſſit. Siquis eum fortè caſus ex periculo eripuerit, nonne reddendum eſt? præcipitantem igitur *impellamus*, inquit, & perditum proſternamus. Capit hoc conſilium, ut pecuniam quibuſdam judicibus leviſſimis polliceatur: deinde eam poſtea ſupprimat: ut, quoniam graveis homines ſua ſponte ſeverè judicaturos putabat: hos, qui leviores erant, *deſtitutione iratos* Oppianico redderet. Itaque, ut erat ſemper præpoſterus, atque perverſus, initium facit à Bulbo: & eum, quod jamdiu nihil quæſierat, triſtem, atque oſcitantem, leviter impellit. Quid tu, inquit? ecquid me adjuvas, Bulbe, *ne gratis reipublicæ ſerviamus*? Ille verò, ſimul atque hoc audivit, NE GRATIS: Quò voles, inquit, ſequar. ſed quid affers? Tum ei quadraginta millia, ſi eſſet abſolutus Oppianicus, pollicetur: & eum, ut ceteros appellet, quibuſcum loqui conſueſſet, rogat: atque etiam ipſe conditor totius negotii, Guttam adſpergit huic Bulbo. Itaque minimè amarus is viſus eſt, qui aliquid [1] ex ejus ſermone ſpeculæ deguſtarat. Unus, & alter dies interceſſerat, cùm res parùm certa videbatur: ſequeſter, & confirmator pecuniæ deſiderabatur. Tum appellat hilari vultu hominem Bulbus, ut blandiſſimè poteſt: [2] Quid tu, inquit, Pœte? (hoc enim ſibi Stalenus cognomen ex imaginibus Æliorum delegerat, ne, ſi ſe Ligurem feciſſet, nationis magis ſuæ, quàm generis uti cognomine videretur) qua de re mecum locutus es, quærunt à me, *ubi ſit pecunia*. Hic ille planus improbiſſimus, quæſtu judiciario paſtus, qui illi pecuniæ, quàm condiderat, ſpe jam, atque animo incubaret, contrahit frontem: (recordamini faciem, atque illos ejus fictos, ſimulatoſque vultus) queritur ſe ab Oppianico deſtitutum: &, qui eſſet totus ex fraude, & mendacio factus, quique ea vitia, quæ à natura habebat, etiam *ſtudio*, atque artificio quodam malitiæ condiviſſet, pulchrè aſſeverat ſe ab Oppianico deſtitutum: atque hoc addit teſtimonii, ſua illum ſententia, quam
27 palàm omnes laturi eſſent, condemnatum iri. Manarat ſermo in conſilio, pecuniæ quandam mentionem inter judices eſſe verſatam. res neque tam fuerat occulta, quàm erat occultanda: neque tam erat aperta, quàm reip. cauſa aperienda. In ea obſcuritate, ac dubitatione omnium, Cannutio, perito homini, qui quodam *odore ſuſpicionis* Stalenum corruptum eſſe ſenſiſſet, neque tum rem perfectam arbitraretur, [3] placuit repentè pronuntiare judices. dixerunt, ſe id velle. Hic tum Oppianicus non magnopere pertimuit. rem à Staleno perfectam eſſe arbitrabatur. In conſilium erant ituri judices triginta, & duo. ſententiis decem, & ſex abſolutio confici poterat. H-S IↃCXL in ſingulos judices diſtributa, eum numerum ſententiarum conficere debebant, ut ad cumulum, ſpe majorum præmiorum, ipſius Staleni ſententia ſeptima decima accederet. Atque etiam caſu tum quod illud repentè erat factum, Stalenus ipſe non aderat. cauſam neſcio quam apud judicem defendebat. Facilè hoc Avitus patiebatur: facilè Cannutius: at non Oppianicus, neque patronus ejus L. Quintius: qui cùm eſſet eo tempore tribunus plebis, convicium C. Junio, judici quæſtionis, maximum fecit, UT NE SINE STALENO IN CONSILIUM IRETUR: cumque id ei per viatores conſultò negligentiùs agi videretur, [4] ipſe è publico judicio ad privatum Staleni judicium profectus eſt, & illud *pro poteſtate* dimitti juſſit: Stalenum ipſe ad ſubſellia adduxit. Conſurgitur in conſilium, cùm ſententias Oppianicus, quæ tum erat poteſtas, *palàm ferri velle* dixiſſet, ut Stalenus ſcire poſſet, quid cuique deberetur. Varia judicum genera: nummarii pauci: ſed omnes irati. Ut qui accipere in campo conſueverunt, iis candidatis, quorum nummos ſuppreſſos eſſe putant, inimiciſſimi ſolent eſſe: ſic ejuſmodi judices, infeſti tum reo venerant: [5] ceteri nocentiſſimum eſſe arbitrabantur: ſed ſpectabant ſententias eorum, quos corruptos putabant: ut ex iis conſtituerent, à quo *judicium corruptum* videretur. Ecce tibi ejuſmodi ſortitio, ut in primis Bulbo, 28
& Staleno, & Guttæ eſſet judicandum. Summa omnium exſpectatio, quidnam ſententiæ ferrent, leves ac nummarii judices. Atque illi omnes ſine ulla dubitatione condemnant. Hic tum injectus eſt hominibus ſcrupulus, & quædam dubitatio, quidnam eſſet actum. deinde homines ſapientes, ex *vetere illa diſciplina* judiciorum, qui neque abſolvere hominem nocentiſſimum poſſent, neque eum, de quo eſſet orta ſuſpicio, pecunia oppugnatum, re illa incognita, primò condemnare vellent; NON LIQUERE dixerunt. Nonnulli autem ſeveri homines, hoc ſtatuerunt, QUO QUISQUE ANIMO quid faceret, ſpectari oportere: &, ſi alii pecunia accepta verum judicabant, tamen nihilo minus ſe ſuperioribus ſuis judiciis conſtare putabant oportere. Itaque damnarunt. Quinque omnino fuerunt, qui illum veſtrum innocentem Oppianicum ſive imprudentia, ſive miſericordia, ſive aliqua [6] ſuſpicione, ſive ambitione adducti, abſolverent. Condemnato Oppianico, ſtatim L. Quintius, homo maximè popularis, qui omneis rumorum, & concionum ventos colligere conſueſſet, oblatam ſibi facultatem putavit, ut ex invidia ſenatoria poſſet *creſcere*, quod ejus ordinis judicia minus jam probari populo arbitrabatur. Habetur una, atque altera concio vehemens, & gravis: accepiſſe pecuniam judices, ut innocentem reum condemnarent, tribunus plebis clamitabat: *agi fortunas omnium* dicebat: nulla eſſe judicia: qui pecunioſum inimicum haberet, incolumem eſſe neminem poſſe. Homines totius ignari negotii, qui Oppianicum nunquam vidiſſent, virum optimum, & [7] hominem pudentiſſimum, pecunia oppreſſum arbitrarentur: incenſi ſuſpicione, rem in medium vocare cœperunt, & cauſam illam totam depoſcere. Atque illo ipſo tempore in ædeis T. Annii, hominis honeſtiſſimi, neceſſarii, & amici mei, noctu Stalenus, arceſſitus ab Oppianico, venit. Jam cetera nota ſunt omnibus: ut cum illo Oppianicus egerit de pecunia: ut ille ſe redditurum eſſe dixerit: ut eorum ſermonem omnem audierint viri boni, [8] qui tum *conſultò* propè in occulto ſtetiſſent: ut res patefacta, atque in forum prolata, & pecunia omnis à Staleno extorta, atque erepta ſit. Hujus Staleni perſona, populo 29
jam nota, atque perſpecta, ab nulla *turpi ſuſpicione* abhorrebat: ſuppreſſam eſſe ab eo pecuniam, quam pro reo pronunciaſſet, qui erant in concione, non intelligebant. neque enim docebantur. verſatam eſſe in judicio mentionem pecuniæ ſentiebant: innocentem reum condemnatum eſſe audiebant: Staleni ſententia condemnatum videbant: *non gratis* id ab eo factum eſſe, quod hominem norant, judicabant. ſimilis in Bulbo, in Gutta, in aliis nonnullis ſuſpicio conſiſtebat. Itaque confiteor (licet enim jam impunè, hoc præſertim in loco, confiteri) quòd Oppianici non modò vita,

---

1. *Ex ejus ſermone ſpeculæ deguſtarat.*] Pall. ſeptem, *ſpe gulæ*, quod & eruerat e ſuo Briſſonius, placebatque ipſi.

2. *Quid tu inquit Pæte?*] Ita quidem recentius editi. ſed vetuſtius, *facete*. eſt in Pall. in S. Victoris, in iis quos excuſſit Rivius, *Pacete*; quomodo & Victorius aliique. ſed natum forte ex veteri ratione ſcribendi *Pacte*. *Pætum* eſſe inter cognomina Æliæ gentis, omnino conſtat.

3. *Placuit repente pronuntiare judices. dixerunt ſe id velle.*] Eſt à majore parte Pall. nam ſec. ac ſext. item ille S. Victoris, *placuit repente pronuntiare. dixerunt. Hic.* vulgata, *placuit repente Judices pronuntiare. Judices ſe id velle dixerunt.*

4. *Ipſe è publico judicio.*] Haud ſecus omnes mſſ. noſtri, non *à*, ut antea cuſi.

5. *Ceteri nocentiſſimum eſſe arbitrabantur.*] Lambini edit. præferunt *innocentiſſimum*. ſed præter impreſſos & ſcriptos omnes; neque video cauſam.

6. *Suſpicione adducti.*] Legitur aliàs in S. Victoris codice, *abducti*.

7. *Et hominem pudentiſſimum.*] Miror adhuc eſſe qui Manutianos ſequantur, edantque *prudentiſſimum*; omnino inſipide.

8. *Qui tum conſultò propè in occulto ſtetiſſent.*] S. Victoris ſcriptus, item Pal. ſec. & quint. *propter*. æque bonum, ſi non melius.

1. *Summam*

vita, ſed etiam nomen ante illud tempus populo ignotum fuiſſet: indigniſſimum porò videretur, circumventum eſſe innocentem pecunia: hanc deinde ſuſpicionem augeret Staleni improbitas, & nonnullorum ejus ſimilium *judicum* turpitudo: cauſam autem ageret L. Quintius, homo cùm ſumma poteſtate præditus, tum ad inflammandos animos multitudinis accommodatus: [1] ſummam illi judicio invidiam, infamiamque eſſe conflatam. atque in hanc flammam recentem, C. Junium, qui illi quæſtioni præfuerat, injectum eſſe memini, & illum hominem ædilitium, jam prætorem opinionibus hominum conſtitutum, non diſceptatione dicendi, ſed clamore hominum, de foro atque adeo de civitate eſſe ſublatum. Neque me pœnitet hoc potiùs tempore, quàm illo, cauſam A. Cluentii defendere. Cauſa enim manet eadem, quæ mutari nullo modo poteſt: *temporis iniquitas*, atque invidia receſſit, ut, quod in tempore mali fuit, nihil obſit: quod in cauſa boni fuit, proſit. Itaque nunc quemadmodum audiar, ſentio, non modò ab iis, quorum judicium, atque poteſtas eſt: ſed etiam ab illis, quorum tantum eſt *exiſtimatio*. At tum ſi dicerem, non audirer: non quòd alia res eſſet, immò eadem, ſed tempus
30 aliud. Id adeò ſic cognoſcite. Quis tum auderet dicere, nocentem condemnatum eſſe Oppianicum? quis nunc id audet negare? Quis tum poſſet arguere, ab Oppianico judicium tentatum eſſe pecunia? quis id hoc tempore infitiari poteſt? Cui tum liceret docere, Oppianicum reum factum eſſe tum denique, cùm duobus proximis præjudiciis condemnatus eſſet? quis eſt, qui id hoc tempore infirmare conetur? Quare, invidia remota, quam *dies mitigavit*, oratio mea deprecata eſt, veſtra fides, atque æquitas à veritatis diſceptatione rejecit; quid eſt præterea, quod in cauſa relinquatur? Verſatam eſſe in judicio pecuniam, conſtat: ea quæritur unde profecta ſit; ab accuſatore, an ab reo. Accuſator dicit hæc: Primùm, graviſſimis criminibus accuſabam, ut nihil opus eſſet pecunia: deinde, condemnatum adducebam, ut ne eripi quidem pecunia poſſet: poſtremò, etiam ſi abſolutus eſſet, mearum tamen omnium fortunarum ſtatus incolumis maneret. Quid contrà reus? Primùm, ipſam multitudinem, & *atrocitatem* criminum pertimeſcebam: deinde, Fabriciis, propter *conſcientiam* mei ſceleris, condemnatis, me eſſe condemnatum, ſentiebam: poſtremò, in eum caſum veneram, ut omnis mearum fortunarum ſtatus unius judicii periculo contineretur. Age, quoniam corrumpendi judicii cauſas ille multas, & graveis habuit, hic nullam: profectio ipſius pecuniæ requiratur. Confecit *tabulas* diligentiſſimè Cluentius. hæc autem res habet hoc certè, ut nihil poſſit neque additum, neque detractum de re familiari latêre. anni ſunt octo, cùm iſta cauſa in iſta meditatione verſatur: cùm omnia, quæ nunc ad eam rem pertinent, & ex hujus, & ex aliorum tabulis, agitatis, tractatis, inquiritis: cùm interea Cluentianæ pecuniæ veſtigium nullum invenitis. Quid? Albiana pecunia veſtigiiſne [2] nobis odoranda eſt, an ad ipſum *cubile*, vobis ducibus, venire poſſumus? [3] Tenentur uno in loco H-S ıↄCXL: tenentur apud hominem audaciſſimum: tenentur apud judicem. quid vultis amplius? At enim Stalenus non fuit ab Oppianico, ſed à Cluentio ad judicium corrumpendum conſtitutus. Cur eum, cùm in conſilium iretur, Cluentius, & Cannutius abeſſe patiebantur? [4] cur cùm in conſilium mittebant, Stalenum judicem, cui pecuniam dederant, non requirebant? [5] Oppianicus quærebat? Quintius flagitabat? ſine Staleno ne in conſilium iretur, *tribunitia poteſtate* perfectum eſt. At condemnavit. Hanc enim damnationem dederat obſidem Bulbo, & ceteris, ut deſtitutus ab Oppianico videretur. Quare ſi iſtinc cauſa corrumpendi judicii, iſtinc pecunia, iſtinc Stalenus, iſtinc denique omnis fraus, & audacia eſt: hinc pudor, honeſta vita, & nulla ſuſpicio pecuniæ, nulla corrumpendi judicii cauſa: [6] patimini, *veritate patefacta*, atque omni errore ſublato, eò tranſire illius turpitudinis infamiam, ubi cetera maleficia conſiſtant: ab eo invidiam diſcedere aliquando, ad quem numquam acceſ-
ſiſſe culpam videtis? At enim pecuniam Staleno dedit Op- 31
pianicus, non ad corrumpendum judicium, ſed ad conciliationem gratiæ. Tene hoc, Atti, dicere, tali prudentia, etiam uſu, atque exercitatione præditum? SAPIENTISSIMUM ESSE dicunt eum, cui quod opus ſit, ipſi veniat in mentem: proximè accedere illum, qui alterius bene inventis obtemperet. In ſtultitia contrà eſt. MINUS enim STULTUS eſt is, cui nihil in mentem venit, quàm ille, qui, quòd ſtultè alteri venit in mentem, comprobat. Iſtam conciliationem gratiæ Stalenus tum recenti re, cùm faucibus premeretur, excogitavit, ſive ut homines tum loquebantur, à P. Cethego admonitus, iſtam [7] dedit conciliationis, & gratiæ fabulam. Nam fuiſſe hunc hominum ſermonem recordari poteſtis. Cethegum, quòd hominem odiſſet, & quòd ejus improbitatem verſari in rep. nollet, & quòd videret, eum, qui ſe ab reo pecuniam, cùm judex eſſet, clàm, atque extra ordinem accepiſſe confeſſus eſſet, ſalvum eſſe non poſſe, minùs ei *fidele conſilium* dediſſe. In hoc ſi improbus Cethegus fuit, videtur mihi adverſarium removere voluiſſe. ſin erat ejuſmodi cauſa, ut Stalenus nummos ſe accepiſſe negare non poſſet: nihil autem erat periculoſius, nec turpius, quàm, *ad quam rem accepiſſet*, confiteri: non eſt conſilium Cethegi reprehendendum. Verùm alia cauſa tum Staleni fuit, alia nunc, Atti, tua eſt. Ille, cùm repremeretur, quodcumque diceret, honeſtiùs diceret, quàm ſi, *quod erat factum*, fateretur. te verò illud idem, quod tum exploſum, & ejectum eſt, nunc retuliſſe demiror. Quî enim poterat tum in gratiam redire cum Oppianico Cluentius? [8] qui cum matre habebat ſimultates: hærebat in tabulis publicis reus, & accuſator: condemnati erant Fabricii: nec elabi alio accuſatore poterat Albius, nec ſine ignominia calumniæ relinquere accuſationem Cluentius. an ut *prævaricaretur*?
Jam id quoque ad corrumpendum judicium pertinet. Sed 32
quid opus erat ad eam rem judice ſequeſtre? & omnino, quamobrem tota iſta res per Stalenum potius, hominem ab utroque alieniſſimum, ſordidiſſimum, turpiſſimum, quàm *per bonum aliquem virum* ageretur, & amicum, neceſſariumque communem? Sed quid ego hæc pluribus, quaſi de re obſcura, diſputo, cùm ipſa pecunia, quæ Staleno data eſt, numero ac ſumma ſua non modò, quanta fuerit, ſed etiam ad quam rem data fuerit, oſtendat? Sexdecim dico judices, ut Oppianicus abſolveretur, corrumpendos fuiſſe: ad Stalenum ſexcenta & quadraginta millia nummûm eſſe delata.

1. *Summam illi judicio invidiam infamiamque conflatam.*] Ita hodie quidem vulgatur, ſed avorum ſæculo cuſi non habent illud *judicio*, abeſtque item Pall. ſeptem; quorum pr. & quart. præterea præferunt *ſummam illam invidiam*. Gulielmius annotavit variantem lectionem membranarum S. Victoris, quæ hæc: *ſummam illi judicio invid.* aliàs, *illi Avito invid.*

2. *Nobis odoranda.*] Et à Pall. omn. & egregiè opponitur ſequenti, vobis *ducibus*. male antea *vobis*.

3. *Tenentur uno in loco* H-S ıↄ CXL: *tenentur.*] Pal. ſec. abeſt adhuc illud H-S. & poterat ſubintelligi.

4. *Cur cùm in concilium.*] Admiſit Lambinus illud iteratum *cur*, fide codicis, ut puto, S. Victoris, qui ita aliàs legi, adnotatum habebat. Pall. noſtris non adeſt.

5. *Oppianicus quærebat.*] Malim ferè, *requirebat*; quod in Pal. pr. nam Lambinus recepit *quærebatur*, quod & in S. Victoris & Pall. cæteris. neque nimis obſtem quin revocetur.

6. *Patimini veritate patefacta, &c.*] Omnes Pall. habent hanc ſcripturam; etiam vetuſtius cuſi, etiam S. Victoris, & tamen poſteriores maluere, *patiamini*.

7. *Dedit conciliationis & gratiæ fabulam.*] Lambinus miſſam fecit copulam &. quomodo ſolum Pal. tert. ubi tamen ſtatim repoſita eſt ab eadem manu. ceteri omnes firmant vulgatam.

8. *Qui cum matre habebat ſimultates; hærebat in tabulis, &c.*] Nihil variant quidem editi. ſed Pall. ſeptem omnes ad unum excludunt illud *habebat ſimultates*. id an acciderit, ob ſyllabam finalem *bat*, quæ in voce ſequenti, an quod tale nihil reſtaret in authenticis, excutiant otioſiores. ego enim & feſtino, & urgeor; ideoque diutius non audeo ſubſiſtere.

delata. Si, ut tu dicis, *gratiæ conciliandæ cauſa*, [1] quadraginta iſtorum acceſſio millium quid valet? ſi, ut nos dicimus, ut IO CXL millia nummûm ſexdecim judicibus darentur; non Archimedes meliùs potuit deſcribere. At enim *judicia facta permutata* ſunt, à Cluentio judicium eſſe corruptum. Immò verò ante hoc tempus omnino iſta ipſa res ſuo nomine in judicium numquam eſt vocata. Ita multùm agitata, ita diu jactata iſta res eſt, ut hodierno die primùm cauſa illa defenſa ſit, hodierno die primùm *veritas vocem contra invidiam*, his judicibus freta, *miſerit*. Verumtamen multa iſta judicia quæ ſunt? [2] Ego enim me ad omnia confirmavi, & ſic paravi, ut docerem, quæ facta poſtea judicia de illo judicio dicerentur, partim ruinæ ſimiliora aut tempeſtati, quàm judicio & diſceptationi fuiſſe: partim nihil contra Avitum valere: partim etiam pro hoc eſſe: partim eſſe ejuſmodi, ut neque appellata umquam judicia ſint, neque exiſtimata. Hîc ego, magis, ut conſuetudinem ſervem, quàm, quòd vos non veſtra hoc ſponte faciatis, petam à vobis, ut me, dum de his ſingulis diſputo
33 judiciis, attentè audiatis. Condemnatus eſt C. Junius, qui ei *quæſtioni præfuerat*. adde etiam illud, ſi placet: tum eſt condemnatus, cùm eſſet judex quæſtionis. Non modò cauſæ, ſed ne legi quidem quidquam per tribunum plebis laxamenti datum eſt. Quo tempore illum à quæſtione ad nullum aliud reip. munus abduci licebat, eo tempore ad quæſtionem ipſe abreptus eſt. At quam quæſtionem? Vultus enim veſtri, judices, me invitant, ut, quæ reticenda putaram, libeat jam liberè dicere. Quid? illa tandem quæſtio, aut diſceptatio, aut judicium fuit? [3] putabo fuiſſe. dicat, qui vult hodie de illo *populo concitato*, cui tum mos geſtus eſt: qua de re Junius cauſam dixerit. quemcunque rogaris, hoc reſpondebit, quòd pecuniam acceperit, quòd innocentem circumvenerit. Eſt hæc opinio. At, ſi ita eſſet: hac lege accuſatum eſſe oportuit, qua accuſatur Avitus. At ipſe ea lege quærebat. Paucos dies exſpectaſſet Quintius. At neque privatus accuſare, nec, *ſedata jam invidia*, volebat. Videtis igitur non in *cauſa*, ſed in *tempore*, ac *poteſtate* ſpem omnem accuſatoris fuiſſe. Multam petivit. Qua lege? quòd in legem non juraſſet: quæ res nemini umquam fraudi fuit: & quod C. Verres, prætor urbanus, homo ſanctus, & diligens, ſubſortitionem ejus in eo codice non haberet, qui tum interlitus proferebatur. His de cauſis C. Junius condemnatus eſt, judices, leviſſimis, & infirmiſſimis: quas omnino in judicium afferri non oportuit. itaque oppreſſus eſt non cau-
34 ſa, ſed tempore. Hoc vos Cluentio judicium putatis obeſſe oportere? Quam ob cauſam? Si ex lege ſubſortitus non erat Junius, aut ſi in legem aliquando non juraverat: idcirco illius damnatione aliquid de Cluentio judicabatur? Non, inquit: ſed ille idcircò his legibus condemnatus eſt, quòd contra aliam legem commiſerat. Qui hoc confitentur, poſſunt, [4] illud idem judicium non fuiſſe, defendere. Ergo idcirco, inquit; *infeſtus* tum prætor Junio fuit, quòd illud judicium corruptum per eum putabatur. Num igitur hoc tempore cauſa mutata eſt? num alia res, alia ratio illius judicii, alia natura totius negotii nunc eſt, ac tum fuit? non opinor, ex iis rebus, quæ geſtæ ſunt, rem ullam potuiſſe mutari. Quid ergo eſt cauſæ, quòd nunc noſtra defenſio audiatur tanto ſilentio, tunc Junio defendendi ſui poteſtas erepta ſit? Quia tum *in cauſa* nihil erat, præter invidiam, errorem, ſuſpicionem, conciones quotidianas, ſeditioſe, ac populariter concitatas. accuſabat tribunus plebis idem in concionibus, idem ad ſubſellia: ad judicium non modò de concione, ſed etiam cum ipſa concione veniebat. Gradus illi Aurelii tum novi, quaſi pro theatro illi judicio ædificati videbantur: quos ubi accuſator concitatis hominibus complerat, non modò *dicendi ab reo*, ſed ne ſurgendi quidem poteſtas erat. Nuper apud [5] C. Orchinium, collegam meum, locus ab judicibus Fauſto Sullæ de pecuniis reſiduis non eſt conſtitutus: non quo illi aut exlegem eſſe Sullam, aut cauſam pecuniæ publicæ, contemtam, atque abjectam putarent: ſed quòd, accuſante tribuno plebis, *conditione æqua* diſceptari poſſe non putaverunt. Quid? conferam Sullamne cum Junio? an hunc tribunum plebis cùm Quintio? an verò tempus cum tempore? Sulla maximis opibus, cognatis, affinibus, neceſſariis, clientibus plurimis: hæc autem apud Junium parva, & infirma, & ipſius labore quæſita, atque collecta. Hic tribunus plebis, modeſtus, prudens, non modò non ſeditioſus, ſed etiam ſeditioſis adverſarius: ille autem acerbus, criminoſus, popularis homo ac turbulentus. Tempus hoc tranquillum, ac pacatum: illud omnibus *invidiæ tempeſtatibus* concitatum. Quæ cùm ita eſſent, [6] in Fauſto tamen illi judices ſtatuerunt, iniqua conditione reum cauſam dicere, cùm adverſario ejus ad jus
accuſationis ſumma vis poteſtatis accederet. Quam qui- 35
dem rationem vos, judices, diligenter pro veſtra ſapientia, & humanitate cogitare, & penitus perſpicere debetis, quid mali, quantum periculi unicuique noſtrûm inferre poſſit vis tribunitia, conflata præſertim invidia, & concionibus ſeditioſe concitatis. *Optimis* hercle *temporibus*, tum, cùm homines ſe non jactatione populari, ſed dignitate, atque innocentia tuebantur, tamen nec C. Popillius, nec Q. Metellus, clariſſimi, atque ampliſſimi viri, vim tribunitiam ſuſtinere potuerunt: ne dum his temporibus, *his moribus*, his magiſtratibus, ſine veſtra ſapientia, [7] ac judiciorum remediis, ſalvi eſſe poſſimus. Non fuit igitur illud judicium, judicii ſimile, judices, non fuit: in quo non modus eſt adhibitus, non mos, conſuetudoque ſervata, non cauſa defenſa. vis illa fuit, & ut ſæpè jam dixi, *ruina quædam*, atque tempeſtas, & quidvis potiùs, quàm judicium, aut diſceptatio, aut quæſtio. Quòd ſi quis eſt, qui illud judicium fuiſſe arbitretur, & qui his rebus judicatis ſtandum putet: is tamen hanc cauſam ab illa debet ſejungere. ab illo enim ſive quòd in legem non juraſſet, ſive quòd ex lege ſubſortitus judicem non eſſet, multa petita eſſe dicitur. Cluentii autem ratio cum illis legibus, quibus ab Junio multa petita eſt, nulla poteſt ex parte eſſe conjuncta. At etiam Bulbus eſt condemnatus. Adde, *majeſtatis*: ut intelligas, hoc judicium cum illo non eſſe conjunctum. At eſt hoc illi crimen objectum. Fateor: ſed etiam legionem eſſe ab eo *ſollicitatam* in Illyrico C. Coſconii litteris, & multorum teſtimoniis planum factum eſt. quod crimen erat proprium illius quæſtionis, & quæ res lege majeſtatis tenebatur. At hoc obfuit ei maximè. Jam iſta *divinatio* eſt: qua ſi uti licet: vide, ne mea conjectura multo ſit verior. Ego enim ſic arbitror, Bulbum, quòd homo nequam, turpis, improbus, multis flagitiis contaminatus in judicium ſit adductus, idcircò *faciliùs* eſſe damnatum. tu mihi ex tota cauſa Bulbi, quod tibi commodum eſt, eligis, ut id eſſe ſecutos judices
dicas. Quapropter hoc Bulbi judicium non plus obeſſe 36
huic cauſæ debet, quàm illa, quæ commemorata ſunt ab accuſatore, duo judicia, P. Popillii, & T. Guttæ: qui cauſam de ambitu dixerunt: qui accuſati ſunt ab iis, qui erant

ipſi

1. *Quadraginta iſtorum acceſſio millium.*] Lambinus tranſponit vocem ultimam, ſed contra mſſ. ego mallem auferre tanquam à librariis ortam.

2. *Ego me ad omnia confirmavi.*] Lambinus conjicit, *conformavi.* cui bono?

3. *Putabo fuiſſe.*] Lamb. aliique *putato.* Brutus repoſuit, *reputatote*, ut ad judices referatur. ſed contra olim cuſos, contra Pall. ſept.

4. *Judicium illud non fuiſſe.*] Criticus quietior examinet quæſo ſcripturam, non ſolum Palatinorum ſeptem, ſed S. Victoris, ſed veterum editionum. in iis enim cunctis, nulla uſpiam reperitur negatio; quod ſanè fortuitum eſſe non poteſt. Tu Pichena, tu Contarena, ſubvenite mihi tantum non fatiſcenti ſub onere, & tamen currenti.

5. *C. Orchinium.*] Pal. tert. ac quart. *Orchivium.*

6. *In Fauſto tamen illi judices ſtatuerunt.*] Non habentur in Pall. ſex, aut S. Victoris, *illi judices.* & poterant ſane abeſſe abſque ſententiæ damno.

7. *Ac judiciorum remediis.*] Pal. ſec. *ac ſine judic.* quod & recepit Lambinus; forte quod deprehendiſſet item ad oram S. Victoris, tanquam lectionem alteram, ut enotavit Gulielmius.

1. *Conti-*

ipſi ambitus condemnati: quos ego non idcirco eſſe arbitror in integrum reſtitutos, quòd planum fecerint, illos ob rem judicandam pecuniam accepiſſe: ſed quòd judicibus probarint, quòd in eodem genere, in quo ipſi offendiſſent, alios reprehendiſſent, ſe ad præmia legis venire oportere. Quapropter neminem dubitare exiſtimo, quin illa *damnatio ambitus* nulla ex parte cum cauſa Cluentii, veſtroque judicio conjuncta eſſe poſſit. Quid, quòd Stalenus eſt condemnatus? non dico hoc tempore, judices, id quod neſcio an dici oporteat, illum majeſtatis eſſe damnatum: non recito teſtimonia hominum honeſtiſſimorum, quæ in Stalenum ſunt dicta ab iis, qui M. Æmilio, clariſſimo viro, legati, & præfecti, & tribuni militares fuerunt: quorum teſtimoniis planum factum eſt, maximè ejus opera, cùm quæſtor eſſet, in exercitu *ſeditionem* eſſe conflatam. Ne illa quidem teſtimonia recito, quæ dicta ſunt, de H-S IↃC; quæ ille cùm accepiſſet nomine judicii Safiniani; ſicut in Oppianici judicio poſtea, retinuit, atque ſuppreſſit. Omitto & hæc, & alia permulta, quæ illo judicio in Stalenum dicta ſunt: hoc dico, eandem tum fuiſſe P. & L. Cominiis, equitibus R. honeſtiſſimis hominibus, & diſertis, controverſiam cum Staleno, quem accuſabant, quæ nunc mihi eſt cum Attio. Cominii dicebant idem, quod ego dico: Stalenum ab Oppianico pecuniam accepiſſe, ut judicium corrumperet: Stalenus [1] *conciliandæ gratiæ* cauſa ſe accepiſſe dicebat. Irridebatur hæc illius reconciliatio, & perſona viri boni ſuſceptis, ſicut in ſtatuis inauratis, quas poſuit ad Juturnæ: quibus ſubſcripſit, REGES AB SE IN GRATIAM ESSE REDUCTOS. Exagitabantur omnes ejus fraudes, atque fallaciæ: tota vita in ejuſmodi ratione verſata aperiebatur: egeſtas domeſtica, quæſtus forenſis in medium proferebatur: *nummarius interpres pacis, & concordiæ, non probabatur.* Itaque tum Stalenus, cùm idem defenderet, quod Attius, condemnatus eſt. Cominii cùm hoc agerent, quod nos in tota cauſa egimus, probaverunt. Quamobrem ſi Staleni damnatione, Oppianicum judicium corrumpere voluiſſe, Oppianicum judici ad emendas ſententias dediſſe pecuniam, judicatum eſt: cùm ita conſtitutum ſit, uti in illa culpa aut Cluentius ſit, aut Oppianicus: Cluentii nummus nullus judici datus ullo veſtigio reperitur: Oppianici pecunia poſt judicium factum à judice ablata eſt: poteſt eſſe dubium, quin illa damnatio Staleni, non modò non ſit contra Cluentium, ſed maximè
37 noſtram cauſam, defenſionemque confirmet? Ergo adhuc Junii judicium video eſſe ejuſmodi, ut incurſionem potius ſeditionis, *vim multitudinis*, impetum tribunitium, quàm judicium appellandum putem. Quòd ſi quis illud judicium appellet, tamen hoc confiteatur neceſſe eſt, nullo modo illam multam, quæ à Junio petita ſit, cum Cluentii cauſa poſſe conjungi. Illud igitur Junianum, per vim factum eſt: Bulbi, & Popillii, & Guttæ, contra Cluentium non eſt: Staleni, etiam pro Cluentio eſt. Videamus ecquod aliud judicium, quod pro Cluentio ſit, proferre poſſimus. Dixitne tandem cauſam C. Fidiculanius Falcula, qui Oppianicum condemnarat, cùm præſertim, id quod fuit in illo judicio *invidioſiſſimum*, [2] paucos dies ex ſubſortitione ſediſſet? dixit, & bis quidem dixit. In ſummam enim L. Quintius invidiam concionibus eum quotidianis, ſeditioſis, & turbulentis adduxerat. Uno judicio multa eſt ab eo petita, ſicut ab Junio, quòd non ſuæ decuriæ munere, neque ex lege ſediſſet. paullo ſedatiore tempore eſt accuſatus, quàm Junius, ſed eadem ferè lege, & crimine. Quia nulla in judicio ſeditio, [3] neque vis, neque turba verſata eſt, prima actione facillimè eſt abſolutus. Non numero hanc abſolutionem. nihilominus enim poteſt, ut illam multam non commiſerit, accepiſſe tamen [4] ob rem judicandam, pecuniam, quam captam nuſquam Stalenus eadem lege dixit. proprium crimen illud quæſtionis ejus non fuit. Fidiculanius quid feciſſe dicebatur? accepiſſe à Cluentio H-S CCCC. Cujus erat ordinis? ſenatorii, qua lege in eo genere à ſenatore ratio repeti ſolet, de pecuniis repetundis, ea lege accuſatus, honeſtiſſimè eſt abſolutus. Acta eſt enim cauſa *more majorum*, ſine vi, ſine metu, ſine periculo: dicta, & expoſita, & demonſtrata ſunt omnia: adducti judices ſunt, non modò potuiſſe honeſtè ab eo reum condemnari, qui non perpetuò ſediſſet, ſed, ſi aliud is judex nihil ſciſſet, niſi, quæ præjudicia de eo facta eſſe conſtarent, audire præterea nihil debuiſſe. Tum etiam illi quinque, qui 38
imperitorum hominum rumuſculos aucupati, tum illum abſolverunt, jam ſuam clementiam laudari magnopere nolebant. à quibus ſiqui quæreret, ſediſſentne judices in C. Fabricium: ſediſſe ſe dicerent. ſi interrogarentur, num quo crimine is eſſet accuſatus, præterquam veneni ejus, quod quæſitum Avito diceretur: negarent. ſi deinde eſſent rogati, quid judicaſſent: condemnaſſe ſe dicerent. nemo enim abſolvit. Eodem modo quæſitum ſi eſſet de Scamandro, certè idem reſpondiſſent: tametſi ille una ſententia eſt abſolutus: ſed illam unam nemo tum iſtorum ſuam dici vellet. Uter igitur facilius ſuæ ſententiæ rationem redderet: iſne, qui ſe & ſibi, & rei judicatæ conſtitiſſe dicit: an ille, qui ſe in *principem maleficii*, *lenem:* in adjutores ejus, & conſcios, vehementiſſimum eſſe reſpondit? Quorum ego de ſententia non debeo diſputare. neque enim dubito, quin ii tales viri, *ſuſpicione* aliqua perculſi repentina, de ſtatu ſuo declinarint. Quare eorum, qui abſolverunt, miſericordiam non reprehendo: eorum, qui in judicando ſuperiora judicia ſecuti ſunt ſua ſponte, non Staleni fraude, conſtantiam comprobo: eorum verò, qui ſibi non liquere dixerunt, *ſapientiam* laudo: qui abſolvere eum, quem nocentiſſimum cognorant, & quem ipſi bis jam antea condemnarant, nullo modo poterant: condemnare, cùm tanta conſilii infamia, & tam atrocis rei ſuſpicio eſſet injecta, paullo poſterius patefacta re, maluerunt. Ac ne *ex facto* ſolùm ſapienteis illos judicetis, [5] ſed etiam ex *nominibus* ipſis, quod ii fecerint, rectiſſimè, ac ſapientiſſimè factum probetis: quis P. Octavio Balbo ingenio prudentior, jure peritior, fide, religione, officio, diligentior, aut ſanctior commemorari poteſt? non abſolvit. Quis Qu. Conſidio conſtantior? quis judiciorum, atque ejus dignitatis, quæ in judiciis publicis verſari debet, peritior? quis virtute, conſilio, auctoritate præſtantior? ne is quidem abſolvit. Longum eſt de ſingulorum virtute ita dicere: quæ, quia cognita ſunt ab omnibus, *verborum ornamenta* non quærunt. Qualis vir M. Juventius Pedo fuit ex vetere illa judicum diſciplina? qualis L. Caulius Mergus? M. Baſilus? C. Caudinus? qui omnes in judiciis publicis, jam tum florente rep. floruerunt. Ex eodem numero L. Caſſius, [6] Cn. Hejus, pari & integritate, & prudentia: quorum nullius ſententia eſt Oppianicus

1. *Conciliandæ gratiæ cauſa.*] Gulielmius arbitratur illud *gratiæ* adſutum ab interprete aliquo.

2. *Paucos dies ex ſubſortitione.*] Vulgata recentior, *poſt paucos dies.* ſed non ita quoque antiquiores: excluſitque item liber S. Victoris.

3. *Neque vis, neque turba.*] Manutiani excludunt *neque vis*, ſed contra edd. antiquiſſimas, & mſſ.

4. *Ob rem judicandam pecuniam, quam captam nuſquam Stalenus eadem, &c.*] Hæc quidem eſt lectio recepta, ſed non etiam antiqua. Pall. noſtri omnes heic mutilati ſunt integro folio. quare eorum fidem non produco. at Gulielmius, annotavit legi in ſcripto S. Victoris, *ob rem judicandam captanus quam Stalenus.* ex iis veſtigiis finxit Lambinus & recepit in contextum, *pecuniam quam Stalenus, qui cauſam nuſquam eadem lege dixit.* non poterat propius ad litteras & ſyllabas. Gulielmius nihil mutabat, ſed diviſis vocibus legebat, *ob rem judicandam, capta. nuſquam. Stalenus eadem &c.* antiquæ edd. *ob rem judicandam captam nuſquam Stalenus eadem, &c.* Fr. Silvius reſtituebat: *ob rem judicandam pecuniam accuſatus eſt.*

5. *Sed etiam ex nominibus ipſis.*] S. Victoris exemplar *hominibus*, arripuitque Lambinus. nihil mihi in eo videtur cur vulgato præferatur: nedum cur tantopere prædicetur Lambino, placueritque item Bruto. adverſatur enim ei vocaliter præcedens *illos*.

6. *Cn. Hejus.*] Ita Pall. & S. Victoris, alluduntque ultimæ originis editiones, in quibus *Heujus.* unde poſteriores formarunt *Nævius*, quod in hunc diem uſque regnavit.

pianicus abſolutus. Atque ex his omnibus, natu minimus, ingenio, & diligentia, & religione par iis, quos antea commemoravi, [1] P. Saturius, in eadem ſententia fuit. O innocentiam Oppianici ſingularem! quo in reo, qui abſolvit, ambitioſus: qui diſtulit, cautus: qui condemnavit,
39 conſtans exiſtimatur. Hæc tum agitante Quintio, neque in concione, neque in judicio demonſtrata ſunt. neque enim ipſe dici patiebatur, nec per multitudinem concitatam conſiſtere cuiquam in dicendo *licebat*. Itaque ipſe, poſtquam Junium pervertit, cauſam totam reliquit. paucis enim diebus illis & ipſe privatus eſt factus, & hominum ſtudia deferbuiſſe intelligebat. Quòd ſi, per quos dies Junium accuſavit, Fidiculanium accuſare voluiſſet: reſpondendi Fidiculanio poteſtas facta non eſſet. Ac primò quidem, omnibus illis judicibus, qui Oppianicum condemnarant, minabatur. Jam inſolentiam noratis hominis: noratis animos ejus, ac *ſpiritus tribunitios*. Quod erat odium? dii immortales! quæ ſuperbia? quanta ignoratio ſui? quàm gravis, atque intolerabilis arrogantia? qui illud etiam ipſum acerbè tulerit (ex quo illa nata ſunt omnia) non ſibi, ac defenſioni ſuæ *condonatum* eſſe Oppianicum: proinde quaſi non ſatis ſigni eſſe debuerit, ab omnibus eum fuiſſe deſertum, qui ſe ad patronum illum contuliſſet. Erat enim Romæ ſumma copia patronorum, hominum eloquentiſſimorum, atque ampliſſimorum, quorum certè aliquis defendiſſet equitem Rom. in municipio ſuo nobilem, ſi *honeſte* putaſſet ejuſmo-
40 di cauſam poſſe defendi. Nam Quintius quidem, quam cauſam umquam antea dixerat, cùm annos ad quinquaginta natus eſſet? quis eum umquam non modò in patroni, ſed in laudatoris, aut advocati loco viderat? qui quòd Roſtra jamdiu vacua, locumque illum, poſt adventum L. Sullæ à tribunitia voce deſertum, oppreſſerat, multitudinemque jam deſuefactam à concionibus, ad veteris conſuetudinis ſimilitudinem revocaverat, idcirco cuidam hominum generi paullisper jucundior fuit. Atque idem quanto in odio poſtea *ſuis illis* ipſis fuit, per quos in altiorem locum adſcenderat? neque injuria. Facite enim, ut non ſolum mores ejus, & arrogantiam, ſed etiam vultum, atque amictum, atque illam uſque ad talos demiſſam purpuram recordemini. Is, quaſi non eſſet ullo modo ferendum, ſe ex judicio *diſceſſiſſe victum*, rem ab ſubſelliis in Roſtra detulit. [2] Et jam querimur ſæpe, *hominibus novis non ſatis magnos in hac civitate eſſe fructus*? nego uſquam umquam fuiſſe majores: [3] ubi, SI QUIS IGNOBILI loco natus, ita vivat, ut nobilitatis dignitatem virtute tueri poſſe videatur, uſque eò pervenit, quoad eum induſtria cum innocentia proſecuta eſt. Si quis autem hoc uno nititur, quòd ſit ignobilis: procedit ſæpe longiùs, quàm ſi idem ille eſſet cum iiſdem *ſuis vitiis* nobiliſſimus. ut Quintius (nihil enim dicam de ceteris) ſi fuiſſet homo nobilis; quis eum cum illa ſuperbia, atque intolerantia *ferre* potuiſſet? Quòd eo loco fuit: ita tulerunt, ut, ſi quid haberet à natura boni, prodeſſe ei putarent oportere: ſuperbiam autem, atque arrogantiam ejus, deridendam magis arbitrarentur propter humilitatem hominis, quàm per-
41 timeſcendam. Sed, ut illuc revertar: quo tempore Fidiculanius eſt abſolutus, tu, qui ea judicia facta commemoras, quæro, quid tum eſſe exiſtimas judicatum? certè *gratis judicaſſe*. At condemnarat: at cauſam totam non audierat: at in concionibus omnibus à L. Quintio vehementer erat, & ſæpe vexatus. Illa igitur omnia Quintiana, iniqua, falſa, turbulenta, popularia, ſeditioſa judicia fuerunt. Eſto: potuit eſſe innocens Falcula. Jam ergo aliquis Oppianicum gratis condemnavit: jam non eos Junius ſubſortitus eſt, qui pecunia accepta condemnarent: Jam potuit aliquis ab initio non ſediſſe, & tamen Oppianicum *gratis* condemnaſſe. Verum ſi innocens Falcula, [4] quæſo, quis nocens? ſi hic gratis condemnavit, quis accepit? Nego rem eſſe ullam in quemquam illorum, objectam, quæ Fidiculanio objecta non ſit: neque aliquid fuiſſe in Fidiculanii cauſa, quod idem non eſſet in ceterorum. Aut hoc judicium reprehendas tu, cujus accuſatio rebus judicatis niti videbatur, neceſſe eſt: aut, ſi hoc verum eſſe concedis, Oppianicum gratis condemnatum eſſe fateare. Quamquam ſatis magno argumento eſſe debet, quod ex tam multis judicibus, abſoluto Falcula, nemo reus factus eſt. Quid enim mihi damnatos ambitus colligitis, alia lege, certis criminibus, plurimis teſtibus? cùm primùm illi ipſi debuerint potius accuſari de pecuniis repetundis, quam ambitus. nam, ſi in ambitus judiciis hoc his obfuit, cum alia lege cauſam dicerent: certè, *ſi propria lege* hujus peccati adducti eſſent, multo plus obfuiſſet. Deinde, ſi tanta vis fuit iſtius criminis, ut, qua quiſque lege ex illis judicibus reus factus eſſet, tamen hac plaga periret: cur in tanta multitudine accuſatorum, tantis præmiis, ceteri, rei facti non ſunt? Hic profertur id, quod judicium appellari non oportet, P. Septimio Scævolæ litem eo nomine eſſe æſtimatam. Cujus rei quæ conſuetudo ſit, quoniam apud homines peritiſſimos dico, pluribus verbis docere non debeo. Numquam enim ea diligentia, quæ ſolet adhiberi in ceteris judiciis, eadem, *reo damnato*, adhibita eſt. In litibus æſtimandis ferè judices, aut, quòd ſibi eum, quem ſemel condemnarunt, inimicum putant eſſe, ſi qua in eum lis capitis illata eſt, non admittunt: aut, quòd ſe perfunctos jam eſſe arbitrantur, cùm de reo judicarunt, negligentius attendunt cetera. Itaque & *majeſtatis* abſoluti ſunt permulti, quibus damnatis, de pecuniis repetundis, lites eſſent æſtimatæ: & hoc quotidie fieri videmus, ut, reo damnato de pecuniis repetundis, ad quos perveniſſe pecunias in litibus æſtimandis ſtatutum ſit, eos illi judices abſolvant. quod cùm ſit, non judicia reſcinduntur, ſed hoc ſtatuitur, *æſtimationem litium, non eſſe judicium*. Scævola condemnatus eſt aliis criminibus, frequentiſſimis Apuliæ teſtibus. omni contentione pugnatum eſt, ut lis hæc, capitis æſtimaretur. quæ res, ſi rei judicatæ pondus habuiſſet, ille poſtea vel iiſdem, vel aliis inimicis, reus hac lege ipſa
factus eſſet. Sequitur id, quod illi judicium appellant. 42
majores autem noſtri numquam neque judicium nominarunt, neque perinde, ut rem judicatam, obſervaverunt, [5] *animadverſionem atque auctoritatem cenſoriam*. [6] qua de re antequam incipio, perpauca mihi de meo officio verba facienda ſunt: ut à me cùm hujuſce periculi, tum ceterorum quoque officiorum, & amicitiarum ratio conſervata eſſe videatur. Nam mihi cum viris fortibus qui cenſores proximè fuerunt, ambobus eſt amicitia: cum altero verò (ſicuti & plerique veſtrum ſciunt) magnus uſus, & ſumma utriuſque officiis [7] conſtituta neceſſitudo eſt. Quare, quidquid de ſubſcriptionibus eorum mihi dicendum erit, eo dicam animo, ut omnem rationem meam non de illorum facto, ſed de ratione cenſoria habitam exiſtimari velim: à Lentulo autem, familiari meo, qui à me pro eximia ſua virtute, ſummiſque honoribus, quos à populo R. adeptus eſt, hono-

1. *P. Saturius.*] Sic ſolum initio fuit in Pal. quart. factumque inde *Statarius*. at reliquis adeſt *Satarius*, quomodo & S. Victoris. ſolum Pal. pr. *Satacius*. unde veniebat mihi in mentem *Satagius*. nam certe & alias legitur in S.Vict. *Satacius*, ſi non mentitur manus Gulielmi.

2. *Et jam querimur, &c.*] Gulielmius junctim legebat, *Etiam qu.* mihi alterum lepidius videtur.

3. *Ubi ſi quis ignobili loco natus.*] Petri Victorii editio, *nobili*. ſed pro noſtra faciunt mſſ. eamque bene tuetur Lambinus.

4. *Quæſo quis nocens?*] Nihilo debilius lectio Pall. ſec. tert. quint. ſexti, *quæro*, quomodo & olim cuſi.

5. *Animadverſionem atque auctoritatem cenſoriam.*] Eſt à P. Victorio, neque aliter ultimæ vetuſtatis edd. quibus reſpondent ſeptem Pall. nam heic videtur deſinere codex S. Victoris. vulgo tamen paſſim excuditur; *animadverſio atque auctoritas cenſoria*.

6. *Qua de re antequam incipio.*] Ita reſcripſi auctoritate Pal. ſec. recepta enim lectio amplius, *antequam dicere incipio*. ceteri vero Pall. *qua de re initio, &c.*

7. *Conſtituta neceſſitudo eſt.*] Haud ſecus Pall. ſeptem, niſi quod ſextus, *conſtituta conſuetudo vel neceſſitudo eſt*. unde liquet illud *conſuetudo* mſſ. Lambini, ortum à librariorum manu.

1. In

honoris cauſa nominatur, facilè hoc, judices, impetrabo, ut, quam ipſe adhibere conſuevit in amicorum periculis *fidem, & diligentiam*, tum vim animi, libertatemque dicendi, [1] in hac mihi concedat, ut tantum mihi ſumam, quantum ſine hujus periculo prætcrire non poſſum. A me tamen, ut æquum eſt, omnia cautè, pedetentimque dicentur, ut neque fides hujus defenſionis relicta, neque cujuſquam aut dignitas læſa, aut amicitia violata eſſe videatur. Video igitur, judices, animadvertiſſe cenſores in judices quoſdam illius conſilii Juniani, cùm iſtam ipſam cauſam ſubſcriberent. Hîc primum illud commune proponam, numquam animadverſionibus cenſoriis hanc civitatem ita *contentam*, ut rebus judicatis, fuiſſe. neque in re nota conſumam tempus exemplis. ponam [2] illud unum: C. Getam, cùm à L. Metello, & Cn. Domitio, cenſoribus, ex ſenatu ejectus eſſet, cenſorem ipſum poſtea eſſe factum: &, cujus mores à cenſoribus erant reprehenſi, hunc poſtea & populi Romani & eorum, qui in ipſum animadverterant, *moribus præfuiſſe*. Quòd ſi illud judicium putaretur: ut ceteri, turpi judicio damnati, in perpetuum omni honore, ac dignitate privantur: ſic hominibus ignominia notatis, neque ad honorem aditus, neque in curiam reditus eſſet. Nunc, ſi quem Cn. Lentuli, aut L. Gellii libertus furti *condemnarit*: is, omnibus ornamentis amiſſis, numquam ullam honeſtatis ſuæ partem recuperabit. quos autem ipſe L. Gellius, & Cn. Lentulus, duo cenſores, clariſſimi viri, ſapientiſſimique homines, furti, & captarum pecuniarum nomine, *notaverunt*: ii non modò in ſenatum redierunt, ſed
43 etiam illarum ipſarum rerum judiciis abſoluti ſunt. Neminem voluerunt majores noſtri non modò de exiſtimatione cujuſquam, ſed ne pecuniaria quidem de re minima eſſe judicem, niſi qui inter adverſarios *conveniſſet*. Quapropter in omnibus legibus, quibus exceptum eſt, de quibus cauſis aut magiſtratum capere non liceat, aut judicem legi, aut alterum accuſare, hæc ignominiæ cauſa prætermiſſa eſt. *Timoris* enim cauſam, non vitæ pœnam in illa poteſtate eſſe voluerunt. Itaque non ſolùm, judices, illud oſtendam, quod jam videtis, populi Romani ſuffragiis ſæpenumero cenſorias ſubſcriptiones eſſe deletas, verum etiam judiciis eorum, qui *jurati* ſtatuere majore cum religione, & diligentia debuerunt. Primùm judices, ſenatores, equiteſque Rom. in compluribus jam reis, quos contra leges pecunias accepiſſe ſubſcriptum eſt, ſuæ potius religioni, quàm *cenſorum opinioni*, paruerunt. Deinde prætores urbani, qui jurati debent optimum quemque [3] in ſelectos judices referre, numquam ſibi ad eam rem cenſoriam ignominiam impedimento eſſe oportere duxerunt. Cenſores denique ipſi ſæpenumero ſuperiorum cenſorum judiciis (ſi iſta judicia appellari vultis) non ſteterunt. atque etiam ipſi inter ſe cenſores ſua judicia tanti eſſe arbitrantur, ut alter alterius judicium non modò reprehendat, ſed etiam *reſcindat*: ut alter de ſenatu moveri velit, alter retineat, & ordine ampliſſimo dignum exiſtimet: ut alter in ærarios referri, aut tribu moveri jubeat, alter vetet. Quare quî vobis in mentem venit, hæc appellare judicia, quæ à populo Romano reſcindi, ab juratis judicibus repudiari, à magiſtratibus negligi, ab iis, qui eandem poteſtatem adepti ſunt, commutari, inter collegas diſcrepare vi-
44 deatis? Quæ cùm ita ſint: videamus, quid tandem cenſores de illo judicio corrupto judicaſſe dicantur. Ac primùm illud ſtatuamus: utrùm, quia cenſores ſubſcripſerint, ita ſit: an, quia ita fuerit, illi ſubſcripſerint. Si ideò, quia ſubſcripſerint: videte, quid agatis, ne in unumquemque noſtrûm, cenſoribus in poſterum *poteſtatem regiam* permittatis: ne ſubſcriptio cenſoria non minus calamitatis civibus, quàm illa acerbiſſima proſcriptio poſſit afferre: ne cenſorium ſtilum, cujus mucronem multis remediis majores noſtri retuderunt, æquè poſthac, atque illum *dictatorium gladium* pertimeſcamus. Sin autem quod ſubſcriptum eſt, quia verum eſt, idcirco grave debet eſſe: hoc quæramus, verum ſit, an falſum: removeantur auctoritates cenſoriæ: tollatur id ex cauſa, quod in cauſa non eſt: doce, quam pecuniam Cluentius dederit, unde dederit, quemadmodum dederit: unum denique aliquod à Cluentio profectæ pecuniæ *veſtigium* oſtende. Vince deinde, virum bonum fuiſſe Oppianicum, hominem integrum: nihil de illo umquam ſecus eſſe exiſtimatum: nihil denique præjudicatum. tum auctoritatem cenſorum [4] amplexator: tum illorum judicium cum re conjunctum eſſe defendito. Dum verò eum fuiſſe Oppianicum conſtabit, qui tabulas publicas municipii ſui corrupiſſe judicatus ſit: qui teſtamentum interleverit: qui, ſuppoſita perſona, falſum teſtamentum obſignandum curarit: qui eum, cujus nomine id obſignatum eſt, interfecerit: qui avunculum filii ſui in ſervitute, ac vinculis necarit: qui municipes ſuos proſcribendos, occidendoſque curavit: qui ejus uxorem, quem occiderat, in matrimonium duxerit: qui pecuniam pro abortione dederit: qui ſocrum, qui uxorem, qui uno tempore fratris uxorem, ſperatoſque liberos, fratremque ipſum, qui denique *ſuos liberos interfecerit*: qui cùm venenum privigno ſuo quæreret, manifeſtò ſit deprehenſus: cujus miniſtris, conſciiſque damnatis, ipſe adductus, in judicium pecuniam judici dederit ad ſententias judicum corrumpendas: dum hæc, inquam, de Oppianico conſtabunt, nec ullo argumento Cluentianæ pecuniæ crimen tenebitur: quid eſt, quòd te iſta cenſoria ſive voluntas, ſive opinio fuit, adjuvare, aut hunc innocentem opprimere poſſe videatur? Quid igitur cenſores ſecuti ſunt? Ne ipſi quidem, 45
ut graviſſimè dicam, quidquam aliud dicent, præter *ſermonem, atque famam*. nihil ſe teſtibus, nihil tabulis, nihil gravi aliquo argumento comperiſſe, nihil denique, cauſâ cognita, ſtatuiſſe dicent. Quod ſi ita feciſſent: tamen id non ita fixum eſſe deberet, ut *convelli non liceret*. Non utar exemplorum copia, quæ ſumma eſt: non rem veterem, non hominem potentem aliquem, aut gratioſum proferam. Nuper hominem tenuem, ſcribam ædilitium, D. Matrinium cùm defendiſſem apud M. Junium, Q. Publicium prætores, & M. Plætorium, C. Flaminium, ædileis curuleis: perſuaſi, ut ſcribam jurati legerent eum, quem iidem iſti cenſores ærarium reliquiſſent. Cùm enim in homine nulla culpa reperiretur: *quid ille meruiſſet*, non quid de eo ſtatutum eſſet, quærendum eſſe duxerunt. Nam hæc quidem, quæ de judicio corrupto ſubſcripſerint, quis eſt, qui ab illis ſatis cognita, & diligenter judicata arbitretur? in M'. Aquillium, & in T. Guttam video eſſe ſubſcriptum. Quid eſt hoc? duos eſſe corruptos ſolos pecunia. Quid ceteri? videlicet gratis condemnarunt. Non eſt igitur circumventus, non eſt oppreſſus pecunia, non, ut illæ Quintianæ conciones habebantur, omnes, qui Oppianicum condemnarunt, in culpa ſunt, ac ſuſpicione ponendi. duos ſolos video auctoritate cenſorum affineis ei turpitudini judicari. [5] Aut illud afferant, [aliquid eſſe] quod de iis duobus habue-

1. *In hac mihi concedat, &c.*] Id eſt, libertate, adnotat Gulielmius. ſed Lambiniani conjectaneum, *hoc*, reſtat in Pall. pr. quart. quint. ſept.

2. *Illud unum: C. Getam.*] Pal. pr. *Guttam*. tert. *Gretani*. ſept. *Gutam*. ſec. *illud Vinium C. Getam*. ſed nihil mutandum: notat enim *Licinium Getam*, cujus meminere plures; niſi forſan & iidem corrupti.

3. *In ſelectos judices.*] Illuſtrantur iſthæc à Turnebo libro XXIX. Adverſar. cap. 16. f.

4. *Amplexator.*] Pal. prim. habet quoque illud Lambino placitum, *amplexato*.

5. *Aut illud adferant [aliquid eſſe] quod de iis duobus, &c.*] Retinui ſcripturam veterrimam trium editionum. ſolummodo circumſcripſi duas voces, quæ mihi viſæ ſupervacuæ. Palatinos citare nequeo, quod heic iterum omnes ad unum integro deſtituantur folio. Patrum ævo lectio fuerat; *Nam ut illud adferant, nihil eſt, quod de iis duobus, &c.* Lambinus jactitat ſic ſe locum redintegrare è mſſ. *Nam illud, quod adferunt, nihil eſt: aliquid eſſe quod de his duobus habuerint compertum, de ceteris nihil comperiſſe.* ſed non ego credulus illis vereorque ne emendatiunculam eam ſumſerit è notis Franc. Silvii.

46 habuerint compertum, de ceteris comperiſſe. Nam illud quidem minimè probandum eſt, ad notationes, auctoritatemque cenſoriam, exemplum illos à conſuetudine militari tranſtuliſſe. Statuerunt enim ita majores noſtri, ut, SI A MULTIS eſſet flagitium rei militaris admiſſum, ſortitione in quoſdam animadverteretur: ut metus videlicet ad omneis, *pœna ad paucos* perveniret. Quod idem facere cenſores in delectu dignitatis, & in judicio civium, & in animadverſione vitiorum, qui convenit, nam MILES, QUI locum non tenuit, qui hoſtium impetum, vimque pertimuit, poteſt idem poſtea & miles eſſe melior, & vir bonus, & civis utilis. Quare, ne in bello, propter hoſtium metum, delinqueret, amplior ei mortis, & ſupplicii metus eſt à majoribus conſtitutus. ne autem nimium multi pœnam capitis ſubirent, idcirco illa ſortitio comparata eſt. Hoc tu idem facies, cenſor, in ſenatu legendo? ſi erunt plures, qui, ob innocentem condemnandum, pecuniam acceperint, ut non animadvertas in omneis, ſed carpas, ut velis, & *paucos ex multis* ad ignominiam ſortiare? Habebit igitur, te ſciente, & vidente, curia ſenatorem, populus Rom. judicem, reſp. civem ſine ignominia quemquam, qui ad perniciem innocentis, fidem ſuam, & religionem pecunia commutarit? &, qui pretio adductus eripuerit patriam, fortunas, liberos civi innocenti, is cenſoriæ ſeveritatis *nota non inuretur*? Tu es præfectus moribus, magiſter veteris diſciplinæ, & ſeveritatis, ſi aut retines quemquam ſciens in ſenatu, ſcelere tanto contaminatum: aut ſtatuis, qui in eadem culpa ſit, non eadem pœna affici convenire? & quam conditionem ſupplicii majores in bello timiditati militis propoſitam eſſe voluerunt, eandem tu in pace conſtitues improbitati ſenatoris? Quòd ſi exemplum ex re militari ad animadverſionem cenſoriam transferendum fuit: ſortitione id ipſum factum eſſe oportuit. Sin autem *ſortiri* ad pœnam, atque hominum delictum fortunæ judicio committere, minimè cenſorium eſt: certè in multorum peccato carpi paucos ad ignominiam,
47 & turpitudinem, non oportet. Verùm omnes intelligimus, in iſtis ſubſcriptionibus ventum quendam popularem eſſe quæſitum. Jactata res erat in concione à tribuno ſeditioſo: incognita cauſa probatum illud erat. [1] MULTITUDINEM ILLICITUM EST CONTRA DICERE: nemo denique, ut defenderet contrariam partem, laborabat. In invidiam porrò magnam illa judicia venerant. etenim paucis poſtea menſibus alia vehemens erat in judiciis ex notatione tabularum invidia verſata. Prætermitti à cenſoribus, & negligi macula judiciorum poſſe non videbatur. homines, quos ceteris vitiis, atque omni dedecore infameis videbant, eos hac quoque ſubſcriptione notare voluerunt, & eo magis, quòd illo ipſo tempore, illis cenſoribus erant judicia cum equeſtri ordine communicata: ut viderentur per hominum idoneorum ignominiam *ſua auctoritate* illa judicia cum equeſtri ordine reprehendiſſe. Quòd ſi hanc apud eos ipſos cenſores mihi, aut alii cauſam agere licuiſſet: hominibus tali prudentia certè probaviſſem: (res enim indicat) nihil ipſos habuiſſe cogniti, nihil comperti: ex tota ipſa ſubſcriptione rumorem quendam, & plauſum popularem eſſe quæſitum. Nam in L. Popillium, qui Oppianicum condemnarat, ſubſcripſit L. Gellius, quòd is pecuniam accepiſſet, quo innocentem condemnaret. Jam id ipſum quantæ divinationis eſt, ſcire, *innocentem fuiſſe reum, quem fortaſſe numquam viderat*, cùm homines ſapientiſſimi, judices, ut nihil dicam de iis, qui condemnarunt, cauſa cognita, ſibi dixerint NON LIQUERE? Verùm eſto. condemnat Popillium Gellius: judicat, accepiſſe à Cluentio pecuniam. Negat hoc Lentulus. nam Popillium, quòd erat libertini filius, in ſenatum non legit: locum quidem ſenatorium ludis, & cetera ornamenta reliquit, & eum omni ignominia liberat. quod cùm facit, judicat, ejus ſententia gratis eſſe Oppianicum condemnatum. & eundem Popillium poſtea Lentulus in ambitus judicio pro teſtimonio diligentiſſimè laudat. Quare, ſi neque L. Gellii judicio ſtetit Lentulus, neque Lentuli exiſtimatione contentus fuit Gellius: &, ſi uterque cenſor cenſoris opinione ſtandum non putavit: quid eſt, quamobrem quiſquam noſtrûm cenſorias ſubſcriptiones omneis *fixas*, & in perpetuum ratas putet eſſe oportere? At in ipſum Avitum animadverterunt. nullam 48
quidem ob turpitudinem, nullum ob totius vitæ non dicam vitium, ſed erratum. neque enim hoc homine ſanctior, neque probior, neque in omnibus officiis retinendis diligentior eſſe quiſquam poteſt: neque illi aliter dicunt: ſed eandem illam *famam* judicii corrupti ſecuti ſunt: neque ipſi ſecus exiſtimant, quam nos exiſtimari volumus, de hujus pudore, integritate, virtute: ſed putarunt PRÆTERMITTI accuſatorem non potuiſſe, cùm animadverſum eſſet in judices. Qua de re tota ſi unum factum ex omni antiquitate protulero, plura non dicam. Non enim mihi exemplum ſummi & clariſſimi viri, P. Africani, prætereundum videtur: qui cùm eſſet cenſor, & in equitum cenſu C. Licinius Sacerdos prodiiſſet: clara voce, ut omnis concio audire poſſet, dixit *ſe ſcire, illum verbis conceptis pejeraſſe. ſiquis contrà dicere vellet: uſurum eſſe eum ſuo teſtimonio.* deinde cùm contrà nemo diceret: juſſit equum traducere. Itaque is, cujus arbitrio & populus Rom. & exteræ gentes, contentæ eſſe conſueverunt, [2] ipſe ſua conſcientia ad ignominiam alterius contentus non fuit. Quod ſi hoc Avito facere licuiſſet, facilè, illis ipſis judicibus, & falſæ ſuſpicioni, & invidiæ populariter excitatæ reſtitiſſet. Unum etiam eſt, quod me maximè conturbat, cui loco reſpondere poſſe vix videor, [3] quod *elogium* recitaſti de teſtamento Cn. Egnatii, patris, hominis honeſtiſſimi, videlicet, & ſapientiſſimi, idcirco ſe *exheredaſſe filium*, quòd is ob Oppianici damnationem pecuniam accepiſſet. De cujus hominis levitate, & inconſtantia, plura non dicam. Hoc teſtamentum ipſum, quod recitas, ejuſmodi eſt, ut ille, cùm eum filium exheredaret, quem oderat, ei filio coheredes homines *alieniſſimos* conjungeret, quem diligebat. Sed tu, Atti, conſideres, cenſeo, diligenter, utrùm cenſorum judicium grave velis eſſe, an Egnatii. Si Egnatii: leve eſt, quod cenſores de ceteris ſubſcripſerunt. ipſum enim Cn. Egnatium, quem tu gravem eſſe vis, ex ſenatu ejecerunt. ſin autem cenſorum: hunc Egnatium, quem pater cenſoria ſubſcriptione exheredavit, cenſores in ſenatu, cùm patrem ejicerent, retinuerunt. At enim ſenatus univerſus judicavit, illud *corruptum* 49
eſſe judicium. Quomodo? ſuſcepit cauſam. An potuit rem delatam ejuſmodi repudiare? cum tribunus pleb. *populo concitato*, rem pænè ad manus revocaſſet: cùm vir optimus, & homo innocentiſſimus, pecunia circumventus eſſe diceretur: cùm invidia flagraret ordo ſenatorius: potuit nihil decerni? potuit illa concitatio multitudinis ſine ſummo periculo reip. repudiari? At quid eſt decretum? quam juſte? quam ſapienter? quam diligenter? SI QUI SUNT, QUORUM OPERA FACTUM SIT, UT JUDICIUM PUBLICUM CORRUMPERETUR. Utrùm videtur ſenatus id factum judicare: an, ſi factum ſit, moleſtè, graviterque ferre? ſi ipſe A. Cluentius ſententiam de judiciis rogaretur, aliam non diceret, atque ii dixerunt, quorum ſententiis Cluentium condemnatum eſſe dicitis. Sed quæro à vobis, num iſtam legem ex iſto S. C. L. Lucullus conſul, homo ſapientiſſimus, tulerit: num anno poſt M. Lucullus, & C. Caſſius, in quos tum conſules deſignatos idem illud ſenatus decreverit,

1. *Multitudinem illicitum eſt contra dicere.*] Non divertunt ab hac ſcriptura vetuſtius caſi. Lambinus obtruſit nobis; *multit. illam non illicitum eſt contradicere.* Gulielmius divinabat: *probatum illud erat multitudine, nulli licitum &c.*

2. *Ipſe ſua conſcientia.*] P. Victorius *ſcientia*, quod melius viſum Camerario: à quo diſſentio.

3. *Quod elogium recitaſti.*] Haud aliter Palatini noſtri ſeptem, quibus adhærere malo, quam Lambini licentiæ; invitis libris omnibus, neſcio quæ obtrudenti.

1. Vtbi

verit, non tulerunt. & quod tu Aviti pecunia factum eſſe arguis, neque id ulla vel tenuiſſima ſuſpicione confirmas, factum eſt primò illorum æquitate, & ſapientia conſulum, ut id, quod ſenatus decreverat, ad illud *invidiæ præſens incendium reſtinguendum*, id poſtea referendum ad populum non arbitrarentur. ipſe deinde populus Rom. qui L. Quintii tribuni pl. fictis querimoniis antea concitatus, rem illam, & rogationem flagitarat, idem C. Junii filii, pueri parvuli, lacrymis commotus, maximo clamore, & concurſu totam illam legem, & quæſtionem repudiavit. Ex quo intelligi potuit id, quod ſæpe dictum eſt: UT MARE, quod ſua natura tranquillum ſit, ventorum vi agitari, atque turbari, ſic & populum Romanum ſua ſponte eſſe placatum, hominum ſeditioſorum vocibus, ut violentiſſimis tempe-
50 ſtatibus, concitari. Eſt etiam reliqua permagna *auctoritas*, quam ego turpiter pæne præterii. mea enim eſſe dicitur. Recitavit ex oratione neſcio qua Attius, quam meam eſſe dicebat, cohortationem quandam judicum ad honeſtè judicandum, & commemorationem tum illorum judiciorum, quæ probata non eſſent, tum illius ipſius judicii Juniani: perinde quaſi ego non ab initio hujus defenſionis dixerim, invidioſum illud fuiſſe judicium: aut, cùm de infamia judiciorum diſputarem, potuerim illud, quod tam populare eſſet, in illo tempore præterire. Ego verò, ſiquid ejuſmodi dixi, neque cognitum commemoravi, neque pro teſtimonio dixi, & illa oratio potiùs temporis mei, quàm judicii, & auctoritatis fuit. Cùm enim accuſarem, & mihi initiò propoſuiſſem, ut animos & populi Romani, & judicum commoverem: cumque omneis offenſiones judiciorum non ex mea opinione, ſed ex hominum rumore proferrem: iſtam rem, quæ tam populariter eſſet agitata, præterire non potui. Sed errat vehementer, ſi quis in orationibus noſtris, quas in judiciis habuimus, auctoritates noſtras conſignatas ſe habere arbitratur. omnes enim illæ orationes, *cauſarum, & temporum ſunt*, non hominum ipſorum, ac patronorum. Nam, SI CAUSÆ ipſæ pro ſe loqui poſſent: nemo adhiberet oratorem. nunc adhibemur, ut ea dicamus, non quæ noſtra auctoritate conſtituantur: ſed quæ ex re ipſa, cauſaque ducantur. Hominem ingenioſum, M. Antonium, ajunt ſolitum eſſe dicere, *idcirco ſe nullam umquam orationem ſcripſiſſe, ut ſi quid aliquando, quod non opus eſſet, ab ſe eſſet dictum: poſſet ſe negare dixiſſe:* perinde quaſi, quid à nobis dictum, aut actum ſit, id niſi litteris mandaverimus, hominum memoria non comprehen-
51 datur. Ego verò in iſto genere libentiùs cum multorum, tum hominis eloquentiſſimi, & ſapientiſſimi, L. Craſſi, auctoritatem ſequor. qui cum L. Plancium defenderet, accuſante M. Bruto, homine in dicendo [1] vehementi, & callido, cùm Brutus, duobus recitatoribus conſtitutis, ex duabus ejus orationibus capita alterna, inter ſe contraria, recitanda curaſſet, quòd in diſſuaſione rogationis ejus, quæ contra coloniam Narbonenſem ferebatur, quantum poteſt, de *auctoritate ſenatus* detrahit: in ſuaſione legis Serviliæ ſummis ornat ſenatum laudibus: & multa in equites Rom. cùm ex ea oratione aſperiùs dicta recitaſſet, quo animi illorum judicum in Craſſum incenderentur: aliquantum eſſe commotus dicitur. Itaque in reſpondendo primùm expoſuit utriuſque *rationem temporis*: ut oratio ex re, & cauſa, habita videretur: deinde, ut intelligere poſſet Brutus, quem hominem, & non ſolùm qua eloquentia, verùm etiam quo lepore, & quibus facetiis præditum laceſſiſſet: treis & ipſe excitavit recitatores cum ſingulis libellis, quos M. Brutus, pater illius accuſatoris de jure civili reliquit. Eorum initia cùm recitarentur, ea, quæ vobis nota eſſe arbitror: FORTE EVENIT, UT RURI IN PRIVERNATE ESSEMUS, EGO, ET BRUTUS FILIUS: fundum Privernatem flagitabat: IN ALBANO ERAMUS EGO, ET BRUTUS FILIUS. Albanum poſcebat. IN TIBURTE FORTE CUM ASSEDISSEMUS, EGO, ET BRUTUS FILIUS. Tiburtem fundum requirebat: Brutum autem, hominem ſapientem, quod filii *nequitiam* videret: quæ prædia ei relinqueret, teſtificari dicebat voluiſſe. quòd ſi potuiſſet honeſte ſcribere, ſe in balneis cum id ætatis filio fuiſſe: non præteriiſſet. eas ſe tamen ab eo balneas non ex libris patris, ſed ex tabulis, & ex cenſu quærere. Craſſus tum ita Brutum ultus eſt, ut illum recitationis ſuæ pœniteret. moleſtè enim fortaſſe tulerat, ſe in iis orationibus reprehenſum, quas de rep. habuiſſet: in quibus forſitan magis requiratur conſtantia. Ego autem illa recitata eſſe non moleſtè fero. neque enim ab illo tempore, quod tum erat, neque ab ea cauſa, quæ tum agebatur, aliena fuerunt: neque mihi quidquam oneris ſuſcepi, cùm iſta dixi, quo minùs honeſte hanc cauſam, & liberè poſſem defendere. Quòd ſi velim confiteri, me cauſam A. Cluentii nunc cognoſcere, antea fuiſſe in illa opinione populari: quis tandem id poſſit reprehendere? præſertim, judices, cùm à vobis quoque ipſis hoc impetrare ſit æquiſſimum, quod ego & ab initio petivi, & nunc peto, ut, ſiquam huc graviorem de illo judicio *opinionem attuliſtis*, hanc, cauſa perſpecta, atque omni veritate cognita, deponatis. Nunc, quoniam ad o- 52
mnia, quæ abs te dicta ſunt, T. Atti, de Oppianici damnatione reſpondi: confiteare neceſſe eſt, te opinionem multum fefelliſſe, quòd exiſtimaris, me cauſam A. Cluentii non facto ejus, ſed lege defenſurum. Nam hoc perſæpe dixiſti, tibi ſic renuntiari, me habere in animo cauſam hanc præſidio legis defendere. Itane eſt? AB AMICIS videlicet imprudentes prodimur? & eſt neſcio quis de iis, quos amicos nobis arbitramur, qui noſtra conſilia ad adverſarios deferat? Quiſnam tibi hoc renuntiavit? quis tam improbus fuit? cui ego autem narravi? nemo, ut opinor, in culpa eſt: ſed nimirum tibi iſtuc lex ipſa renuntiavit. [2] Sed num tibi ita defendiſſe videor, ut tota in cauſa mentionem ullam fecerim legis? num ſecus hanc cauſam [3] defendiſſem, ac ſi lege Avitus teneretur? certè ut hominem confirmare oportet, nullus eſt locus à me purgandi iſtius invidioſi criminis prætermiſſus. Quid ergo eſt? quæret fortaſſe quiſpiam, diſpliceatne mihi, præſidio à capite periculum propulſare. Mihi verò, judices, non diſplicet: ſed utor inſtituto meo. In hominis honeſti, pudentiſque judicio, non ſolùm meo conſilio uti conſuevi, ſed multùm etiam ejus, quem defendo, & conſilio, & voluntati obtempero. Nam, ut hæc de me cauſa delata eſt: qui leges eas, ad quas adhibemur, & in quibus verſamur, noſſe deberem: dixi Avito ſtatim, de eo, QUI COISSET, QUO QUIS CONDEMNARETUR, illum eſſe liberum: teneri autem noſtrum ordinem. Atque ille me orare, & obſecrare cœpit, ut ne ſeſe lege defenderem. Cùm ego, quæ mihi viderentur, dicerem: traduxit me ad ſuam ſententiam. affirmabat enim lacrymans, non ſe cupidiorem eſſe civitatis retinendæ, quàm exiſtimationis. Morem homini geſſi: & tamen idcirco feci (neque enim id *ſemper* facere debemus) quòd videbam, per ſe, ipſam cauſam copioſiſſimè ſine lege poſſe defendi. Videbam, in hac defenſione, qua jam ſum uſus, plus dignitatis: in illa, qua me hic uti noluit, minus laboris futurum. Quòd ſi nihil aliud eſſet actum, niſi ut hanc cauſam obtinerem: lege recitata, peroraſſem. Neque me illa oratio commove- 53
ret, qnòd ait Attius, [4] INDIGNUM ESSE FACINUS, ſi ſenator judicio quemquam circumvenerit, legibus eum teneri: ſi eques Rom. hoc idem fecerit, non teneri. Ut tibi concedam,

1. *Vehementi & callido.*] P. Victorius maluit *calido*, libro Variar. Lect. XXXIII. cap. 6. quem refutat nimis quàm acerbè Lambin.

2. *Sed num tibi ita defendiſſe videor, &c.*] Lambinus ſubſtituit, *non*, præter mſſ. noſtros.

3. *Defendiſſem, ac ſi lege Avitus teneretur?*] Haud ſecus mſſ. noſtri. Lambinus expreſſit, *defendiſſem, ſi lege.* vetuſtius cuſi, *defendiſſem hac ſi lege.* recentius *defendiſſe, ac ſi lege, &c.* Gulielmius conjicit *defendiſſem, etſi lege, &c.*

4. *Indignum eſſe facinus.*] Locutio eſt popularis, quæ cuique in ore qui ſecum male agi putat. at eam tamen Lambinus ita examinat, ac ſi nunquam Comicum aliquem legiſſet, certe non eſſe poſſet hujus loci.

1. Qua

dam, hoc indignum eſſe (quod cujuſmodi ſit, jam videro) tu mihi concedas neceſſe eſt, multo eſſe *indignius*, *in ea civitate*, [1] *quæ legibus contineatur*, *diſcedi a legibus*. Hoc enim VINCULUM eſt hujus dignitatis, qua fruimur in rep. hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis. mens, & animus, & conſilium, & ſententia civitatis, poſita eſt in legibus. Ut corpora noſtra ſine mente: ſic civitas ſine lege, ſuis partibus, ut nervis, ac ſanguine, & membris, uti non poteſt. Legum miniſtri, magiſtratus: legum interpretes, judices: LEGUM denique IDCIRCO omnes ſervi ſumus, ut liberi eſſe poſſimus. Quid eſt, Qu. Naſo, [2] cur tu in hoc ſexto loco ſedeas? quæ vis eſt, qua abs te hi judices, tali dignitate præditi, coërceantur? vos autem, judices, quamobrem ex tam magna multitudine civium tam pauci de hominum fortunis ſententiam fertis? quo jure Attius, quæ voluit, dixit? cur mihi tamdiu poteſtas dicendi datur? quid ſibi autem illi ſcribæ, quid lictores, quid ceteri, quos apparêre huic quæſtioni video, volunt? opinor hæc omnia lege fieri, totumque hoc judicium (ut antea dixi) [3] quaſi *mente quadam regi legis*, & adminiſtrari. Quid ergo eſt? hæc quæſtio ſola ita gubernatur? quid M. Plætorii, & C. Flaminii inter ſicarios? quid C. Orchinii peculatus? quid mea de pecuniis repetundis? quid C. Aquillii, apud quem nunc de ambitus cauſa dicitur? quid reliquæ quæſtiones? circumſpicite omneis reipub. parteis. *omnia legum imperio, & præſcripto fieri videbitis.* Si quis apud me, te, T. Atti, reum velit facere: clames, te lege pecuniarum repetundarum non teneri. neque hæc tua recuſatio, confeſſio ſit captæ pecuniæ: ſed

54 laboris, ſed periculi non legitimi declinatio. Nunc, quid agatur, & quid abs te juris conſtituatur, vide. Jubet lex ea, qua lege hæc quæſtio conſtituta eſt, judicem quæſtionis, hoc eſt, Q. Voconium, cum iis judicibus, qui ei obvenerint (vos appellat, judices) quærere de veneno. In quem quærere? infinitum eſt. QUICUMQUE FECERIT, VENDIDERIT, EMERIT, HABUERIT, DEDERIT. Quid eadem lex ſtatim adjungit? Recita. DEQUE EJUS CAPITE QUÆRITO. Cujus? qui coierit? convenerit? non ita eſt. Quid ergo eſt? dic. QUI TRIBUNUS MILITUM LEGIONIBUS QUATTUOR PRIMIS, QUIVE QUÆSTOR, TRIBUNUS PL. Deinceps omneis magiſtratus nominavit. QUIVE IN SENATU SENTENTIAM DIXIT, DIXERIT. Quid tum? QUI EORUM COIIT, COIERIT, CONVENIT, CONVENERIT, QUO QUIS JUDICIO PUBLICO CONDEMNARETUR. Qui eorum. quorum? videlicet, qui ſuprà ſcripti ſunt. quid intereſt, utro modo ſcriptum ſit? Etſi eſt apertum, tamen ipſa lex docet. Ubi enim omneis mortaleis alligat, ita loquitur: *QUI VENENUM MALUM FECIT, FECERIT.* omnes viri, mulieres, liberi, ſervi in judicium vocantur. Si item de coitione voluiſſet: adjunxiſſet, *QUIVE COIERIT.* Nunc ita eſt, *DEQUE EJUS CAPITE QUÆRITO, QUI MAGISTRATUM HABUERIT, QUIVE IN SENATU SENTENTIAM DIXERIT: QUI EORUM COIIT, COIERIT.* Num is eſt Cluentius? certè non eſt. Quis ergo eſt Cluentius? qui tamen defendi cauſam ſuam lege nolit. Itaque abjicio legem: morem Cluentio gero: tibi tamen, Atti, pauca, quæ ab hujus cauſa ſejuncta ſunt, reſpondebo. eſt enim quiddam in hac cauſa, quod Cluentius ad ſe: eſt aliquid, quod ego ad me putem pertinere. hic ſua putat intereſſe, ſe re ipſa, & geſto negotio, non lege defendi: ego autem mea exiſtimo intereſſe, me nulla in diſputatione ab Attio videri eſſe ſuperatum. non enim mihi hæc cauſa ſola dicenda eſt. omnibus hic labor meus propoſitus eſt, quicumque hac facultate defenſionis contenti eſſe poſſunt. nolo, quemquam eorum, qui adſunt, exiſtimare, me, quæ de lege ab Attio dicta ſunt, ſi reticuerim, comprobare. Quamobrem, Cluenti, de te tibi obſequor: neque ego legem recito: neque hoc loco pro te dico: ſed ea, quæ à me deſiderari arbitror, non relinquam. Iniquum tibi videtur, Atti, eſſe, *non iiſdem le-* 55 *gibus omneis teneri.* Primùm (ut id iniquiſſimum eſſe confitear) hujuſmodi eſt, ut, commutatis eis opus ſit legibus, non ut iis, quæ ſunt, non pareamus. Deinde quis umquam hoc ſenator accuſavit, ut, cùm *altiorem gradum dignitatis*, beneficio populi Romani eſſet conſecutus, eò ſe putaret durioribus legum conditionibus uti non oportere? QUAM MULTA ſunt commoda, quibus caremus: quàm multa moleſta, ac difficilia, quæ ſubimus? [4] atque hæc omnia tantum honoris, & amplitudinis commodis compenſantur. Converte nunc ad equeſtrem ordinem, atque in ceteros ordines; eaſdem vitæ conditiones non perferent. putant enim minùs multos ſibi *laqueos legum*, & conditionum, ac judiciorum propoſitos eſſe oportere, qui in ſummum locum civitatis aut non potuerunt adſcendere, aut non petiverunt. Atque, ut omittam leges alias omneis, quibus nos tenemur, ceteri autem ſunt ordines liberati: hanc ipſam legem, NE QUIS JUDICIO CIRCUMVENIRETUR, C. Gracchus tulit: eam legem pro plebe, non in plebem tulit. Poſtea L. Sulla, homo à populi cauſa remotiſſimus, tamen, cùm ejus rei quæſtionem hac ipſa lege conſtitueret, qua vos hoc tempore judicatis, populum Romanum quem ab hoc genere liberum acceperat, alligare *novo quæſtionis genere* auſus non eſt. Quod ſi fieri poſſe exiſtimaſſet: pro illo odio, quod habuit in equeſtrem ordinem, nihil feciſſet libentius, quàm omnem illam acerbitatem proſcriptionis ſuæ, [5] queſtus in veteres judices, in hanc unam quæſtionem contuliſſet. Nec nunc quidquam agitur (mihi credite, judices, & proſpicite id, quod providendum eſt) niſi, ut equeſter ordo in hujuſce legis periculum includatur. Neque hoc agitur ab omnibus, ſed à paucis. nam ii ſenatores, qui ſe *facilè tuentur* integritate, & innocentia, quales (ut vere dicam) vos eſtis, & ceteri, qui ſine cupiditate vixerunt, equites ordini ſenatorio dignitate proximos, concordia conjunctiſſimos eſſe cupiunt: ſed ii, qui ſe volunt *poſſe omnia*, neque præterea quidquam eſſe aut in homine ullo, aut in ordine: hoc uno metu ſe putant equites Roman. in poteſtatem ſuam redacturos, ſi conſtitutum eſt, ut de iis, qui rem judicarent, hujuſmodi judicia fieri poſſint. Vident enim auctoritatem hujus ordinis confirmari: vident judicia comprobari, hoc metu propoſito, evellere ſe *aculeum ſeveritatis* veſtræ poſſe confidunt. Quis enim *de homine* audeat, paullo majoribus opibus prædito, verè, & fortiter judicare; cùm videat, ſibi de eo, quod coierit, aut conſenſerit, cauſam eſſe dicendam? O viros forteis, 56 equites Roman. qui homini clariſſimo, ac potentiſſimo, M. Druſo, tribuno pl. reſtiterunt, cùm ille nihil aliud ageret cum illa cuncta, [6] quæ tum erat, nobilitate, niſi uti, qui res judicaſſent, hujuſcemodi quæſtionibus in judicium vocarentur. Tunc C. Flavius Puſio, Cn. Titinnius, C. Mecœnas, illa *robora populi Rom.* [7] ceterique hujuſcemodi ordinis, non fecerunt idem, quod nunc Cluentius, ut aliquid culpæ ſuſcipere ſe putarent, recuſando: ſed apertiſſimè repugnarunt,

1. *Quæ legibus teneatur.*] Vulgati, *contineatur*. ſed alterum reſtat in Pall. & primitus cuſis.

2. *Cur tu in hoc ſexto loco ſedeas?*] P. Victorius laudat hanc ſcripturam ex Longobardico ſuo libro XXIV. Var. Lection. cap. 2. at enim ita quoque extare in Pall. ſeptem, in edd. exoletis, ego teſtor. vulgata, *cur tu in iſto loco ſedeas?*

3. *Quaſi mente quadam regi legis.*] Illud *legis*, nunc primum redhibeo auctori e Pall. & edd. paullo antiquioribus. Lambinus finxit, *quaſi mente quadam, lege regi, &c.*

4. *Atque hæc omnia tantum, &c.*] Lambinus edidit, *tamen*. quid ſi? *tacitè*, aut *tandem*.

5. *Queſtus in veteres judices.*] Habet iſtud Lambinus pro notâ marginali, temere deinde admiſsâ in contextum. mihi ſecus videtur. ideoque non abjeci, ut ille. Heic tamen iterum deſtituor præſidio Palatinorum: deficiente integro folio.

6. *Quæ tum erat, nobilitate.*] Acquieſco huic ſcripturæ unà cum Camerario; valefacta ea quam induxit Victorius, quam adſiguntque ad oram alii.

7. *Ceterique hujuſcemodi ordinis.*] Gulielmius putabat *ordinis* adventitium, exterendumque.

1. *Sella*

pugnarunt, cùm hæc recuſarent, & palàm fortiſſimè, atque honeſtiſſimè dicerent, ſe potuiſſe judicio populi Rom. in ampliſſimum locum *pervenire*, ſi ſua ſtudia ad honores petendos conferre voluiſſent: ſeſe vidiſſe, in ea vita qualis ſplendor ineſſet, quanta ornamenta, quæ dignitas: quæ ſe non contemſiſſe, ſed ordine ſuo, patrumque ſuorum, contentos fuiſſe: & *vitam illam tranquillam*, & quietam, remotam à procellis invidiarum, & hujuſcemodi judiciorum amfractu, ſequi maluiſſe. aut ſibi ad honores petendos ætatem integram reſtitui oportere: aut, quoniam id non poſſet, eam conditionem vitæ, quam ſecuti, petitionem reliquiſſent, manere: iniquum eſſe, eos, qui honorum ornamenta, *propter periculorum multitudinem*, prætermiſiſſent, populi beneficiis eſſe privatos, judiciorum novorum periculis non carere: ſenatorem hoc queri non poſſe, propterea, quòd ea conditione propoſita petere cœpiſſet: quodque permulta eſſent ornamenta, quibus eam *mitigare* moleſtiam poſſet: locus, auctoritas, domi ſplendor, apud exteras nationes nomen, & gratia, toga prætexta, [1] ſella curulis, inſignia, faſces, exercitus, imperia, provinciæ: quibus in rebus cùm ſummum rectè factis majores noſtri præmium, tum plura peccatis pericula propoſita eſſe voluerunt. Illi non hoc recuſabant, ea ne lege accuſarentur, qua nunc Avitus accuſatur, quæ tunc erat Sempronia, nunc eſt Cornelia: intelligebant enim, ea lege equeſtrem ordinem non teneri: ſed ne nova lege alligarentur, laborabant. Avitus ne hoc quidem umquam recuſavit, quo minùs vel ea lege *rationem vitæ ſuæ redderet*, qua non teneretur. Quæ ſi vobis conditio placet: omnes id agamus, ut hæc quàm primùm
57 in omneis ordines quæſtio perferatur. Interea quidem, per deos immortaleis, quoniam omnia commoda noſtra, jura, libertatem, ſalutem denique legibus obtinemus, à legibus non recedamus: ſimul & illud quàm ſit indignum, cogitemus, populum Rom. aliud nunc agere: vobis rempub. & fortunas ſuas commiſiſſe: ipſum ſine cura eſſe: non metuere, ne lege ea, quam numquam ipſe juſſerit, & quæſtione, quâ ſe ſolutum, liberumque eſſe arbitretur, per paucos judices adſtringatur. Agit enim ſic cauſam T. Attius, adoleſcens bonus, & diſertus: *omneis civeis legibus teneri omnibus:* [2] vos attenditis & auditis ſilentio, ſicut facere debetis. A. Cluentius, eques Rom. cauſam dicit ea lege, qua lege ſenatores, & ii, qui magiſtratum habuerunt, ſoli tenentur: mihi per eum recuſare, & in arce legis, præſidia conſtituere defenſionis meæ non licet. Si obtinuerit cauſam Cluentius: (ſicuti veſtra æquitate nixi confidimus) exiſtimabunt, id quod erit, obtinuiſſe propter innocentiam, quoniam ita defenſus ſit: in lege autem, quam attingere noluerit, præſidii nihil fuiſſe. Hic nunc eſt quiddam, quod ad me pertineat, de quo antè dixi, quod ego populo Rom. præſtare debeam, quoniam is meæ vitæ ſtatus eſt, ut omnis mihi cura, atque opera, poſita ſit in omnium periculis defendendis. Video, quanta, & quam pericuſoſa, & quàm infinita quæſtio tentetur, ab accuſatoribus, cùm eam legem, quæ in noſtrum ordinem ſcripta ſit, in populum R. transferre conentur. qua in lege eſt, QUI COIERIT: quod quàm latè pateat, videtis. CONVENERIT. æquè infinitum, & incertum eſt. CONSENSERIT. hoc verò cùm incertum, & infinitum: tum obſcurum, & occultum eſt. FALSUMVE TESTIMONIUM DIXERIT. Quis de plebe Romana teſtimonium dixit umquam, cui non hoc periculum, T. Attio auctore, paratum eſſe videatis? nam dicturum quidem certè, ſi hoc judicium plebi Rom. propoſitum ſit, neminem umquam eſſe confirmo. ſed hoc polliceor omnibus, ſi cui fortè hac lege negotium faceſſetur, qui lege non teneatur, ſi is uti me defenſore voluerit, me ejus cauſam legis præſidio defenſurum: & vel his judicibus, vel eorum ſimilibus, facilè probaturum, & omni me defenſione uſurum eſſe legis: qua nunc ut utar, ab eo, cujus voluntati mihi obtemperandum eſt, non conceditur. Non enim debeo dubitare, judi- 58
ces, quin, ſi qua ad vos cauſa hujuſmodi delata ſit ejus, qui lege non teneatur, etiam ſi is invidioſus, aut multis offenſus eſſe videatur, etiam ſi eum oderitis, etiam ſi *inviti abſoluturi ſitis*, tamen abſolvatis: & religioni potius veſtræ, quàm odio pareatis. [3] EST ENIM SAPIENTIS judicis, cogitare, tantum ſibi à populo Rom. eſſe permiſſum, quantum commiſſum, & creditum ſit: & non ſolùm ſibi *poteſtatem datam*, verùm etiam *fidem habitam* eſſe meminiſſe: poſſe, quem oderit, abſolvere: quem non oderit, condemnare: & ſemper non quid ipſe velit, ſed quid lex, & religio cogat, cogitare: animadvertere, qua lege reus citetur, de quo reo cognoſcat, quæ res in quæſtione verſetur. Cùm hæc ſunt videnda, tum verò illud eſt hominis magni, judices, atque ſapientis, cùm illam, judicandi cauſa, tabellam ſumſerit, [4] NON SE PUTARE ESSE SOLUM, neque ſibi, quodcumque concupierit, licere: ſed habere in conſilio legem, religionem, æquitatem, fidem: libidinem autem, odium, invidiam, metum, cupiditateſque omneis amovere: [5] maximèque æſtimare *conſcientiam mentis ſuæ*, quam ab diis immortalibus accepimus, quæ à nobis divelli non poteſt: quæ ſi optimorum conſiliorum, atque factorum teſtis in omni vita nobis erit, ſine ullo metu, & ſumma cum honeſtate vivemus. Hæc ſi T. Attius aut cognoviſſet, aut cogitaſſet: profectò ne conatus quidem eſſet dicere id, quod multis verbis egit: judicem, *quod ei videatur*, ſtatuere, & non devinctum legibus eſſe oportere. quibus de rebus mihi pro Cluentii voluntate, nimiùm; pro reip. dignitate, parum; pro veſtra prudentia, ſatis dixiſſe videor. Reliqua perpauca ſunt, quæ, quia veſtræ quæſtionis erant, idcirco illi ſtatuerunt ſibi fingenda eſſe, & proferenda, ne omnium turpiſſimi reperirentur, ſi in judicium nihil, præter invidiam, attuliſſent. Atque, ut exiſti- 59
metis, neceſſariò me de his rebus, de quibus jam dixerim, pluribus egiſſe verbis, attendite reliqua. profectò intelligetis, ea, quæ paucis demonſtrari potuerunt, breviſſimè eſſe defenſa. Cn. Decio Samniti, ei, qui proſcriptus eſt, *injuriam in calamitate* ejus ab hujus familia factam eſſe dixiſtis. Ab nullo ille liberaliùs, quàm à Cluentio tractatus eſt. hujus illum opes in rebus ejus incommodis ſublevarunt. atque hoc cum ipſe, tum omnes ejus amici, neceſſariique cognoverunt. Ancarii, & Paceni [6] paſtoribus, hujus villicos vim, & manus attuliſſe. Cùm quædam in collibus (ut ſolet) controverſia paſtorum eſſet orta: Aviti villici *rem domini*, & privatam poſſeſſionem defenderunt. cùm eſſet expoſtulatio facta: cauſa illis demonſtrata; ſine judicio, controverſiaque diſceſſum eſt. P. Ælii teſtamento propinquus exheredatus cum eſſet, heres hic alienior inſtitutus eſt. P. Ælius Aviti *merito* fecit: neque hic in teſtamento faciendo interfuit: idque teſtamentum, ab hujus inimico Oppianico eſt obſignatum. Florio legatum ex teſtamento, infitiatum eſſe. non eſt ita. ſed cùm H-S XXX ſcripta eſſent, pro H-S CCC; neque ei ſatis cautum videretur? voluit, eum aliquid acceptum referre liberalitati ſuæ. primò debere negavit: pòſt ſine controverſia ſolvit. Cœlii cujuſdam Samnitis uxorem poſt bellum ab hoc eſſe

1. *Sella curulis, inſignia, faſceis.*] Invectum heic temerè arbitrabatur illud *inſignia* Gulielmius.

2. *Vos attenditis & auditis ſilentio.*] Lambinus ejecit *& auditis*, contra mſſ. & edd. alias.

3. *Eſt enim ſapientis judicis, cogitare tantum, &c.*] Sic tota cohors mſſ. Pall. neque aliter edidit olim Victorius; ne quis putet primum à Lambino proditum. vulgò legitur: *eſt enim ſapientis judicis, meminiſſe ſe hominem: cogitare tantum, &c.*

4. *Non ſe putare eſſe ſolum.*] Lambinus contendit legendum, *reputare non ſe eſſe ſolum.* ſed cur quæſo? & quibus libris auctoribus? vulgata omnis, ſtat ab altera, firmantque Pall. ſeptem, niſi quod ſec. *non ſic putare eſſe ſolum.*

5. *Maximèque æſtimare.*] Mallet Lambinus, *maximique*, præter mſſ. editoſque. neque eſt tamen noſtro, aut robuſtius aut venuſtius.

6. *Paſtoribus, hujus villicum vim, &c.*] Sic malui cum edd. & mſſ. vett. quàm ut hodie excuditur, *villicos.*

eſſe repetitam. [1] Mulierem cùm emiſiſſet de ſectoribus: quo tempore eam primùm liberam eſſe audivit, ſine judicio reddidit Cœlio. Ennium eſſe quendam, cujus bona teneat Avitus. Eſt hic Ennius egens quidam, calumniator, mercenarius Oppianici, qui permultos annos quievit: deinde aliquando cum ſervo Aviti furti egit: nuper ab ipſo Avito petere cœpit. Hic illo privato judicio (mihi credite) nobis iiſdem fortaſſe patronis, *calumniam* non effugiet. Atque etiam, ut nobis renuntiatur, hominem multorum hoſpitum [2] A. Binnium quendam, coponem, de via Latina, ſubornatis: qui ſibi à Cluentio, ſerviſque ejus, in taberna ſua manus allatas eſſe dicat. Quo de homine, nihil etiam nunc dicere nobis eſt neceſſe. Si *invitaverit*, id quod ſolet, ſic hominem accipiemus, ut moleſtè ferat, ſe de via deceſſiſſe. Habetis, judices, quæ in totam vitam de moribus A. Cluentii, quem illi invidioſum reum volunt eſſe, annos octo meditati accuſatores collegerunt. quam levia, genere ipſo! quam falſa, re! quam brevia, reſpon-
60 ſu! Cognoſcite nunc id, quod ad veſtrum jusjurandum pertinet, quod veſtri judicii eſt, quod vobis oneris impoſuit ea lex, qua coacti huc conveniſtis, de criminibus veneni: ut omnes intelligant, quàm paucis verbis hæc cauſa perorari potuerit, & quàm multa à me dicta ſint, quæ ad hujus voluntatem maximè, ad veſtrum judicium minimè pertinerent. Objectum eſt, C. Vibium Capacem ab hoc A. Cluentio *veneno eſſe ſublatum*. Opportunè adeſt homo ſumma fide, & omni virtute præditus, L. Plætorius, ſenator, qui illius Capacis hoſpes fuit, & familiaris. apud hunc ille Romæ habitavit, apud hunc ægrotavit, hujus domi eſt mortuus. At *heres eſt Cluentius*. Inteſtatum dico eſſe mortuum, poſſeſſionemque ejus bonorum, prætoris edicto, huic illius ſororis filio, adoleſcenti pudentiſſimo, & in primis honeſto, equiti Rom. datam, Numerio Cluentio, quem videtis. Alterum veneficii crimen, Oppianico huic adoleſcenti, cùm ejus in nuptiis, more Larinatium, multitudo hominum pranderet, venenum Aviti conſilio paratum: id cùm daretur in mulſo, Balbutium quendam, ejus familiarem, *intercepiſſe*, bibiſſe, ſtatimque eſſe mortuum. Hæc ego ſi ſic agerem, tanquam mihi crimen eſſet diluendum, hæc pluribus verbis dicerem, quæ nunc paucis percurrit oratio mea. QUID UMQUAM Avitus in ſe admiſit, ut hoc tantum ab eo facinus non abhorrere videatur? quid autem magnopere Oppianicum metuebat, cùm ille verbum omnino in hac ipſa cauſa nullum facere potuerit: huic autem accuſatores, matre viva, deeſſe non poſſent? quod jam intelligetis. An ut de cauſa ejus periculi nihil decederet, ad cauſam *novum crimen* accederet? quod autem tempus veneni dandi, illo die? in illa frequentia? per quem porrò datum? unde ſumtum? quæ deinde interceptio poculi? cur non de integro autem datum? Multa ſunt, quæ dici poſſunt. ſed non committam, ut videar non dicendo voluiſſe dicere. res enim jam ſeipſa defendat. Nego, illum adoleſcentem, quem ſtatim epoto poculo mortuum eſſe dixiſtis, omnino illo die eſſe mortuum. magnum, & impudens mendacium. Perſpicite cetera. dico, illum, cùm ad illud prandium *crudior veniſſet*, &, ut ætas illa fert, ſibi tum non pepercisſet; aliquot dies ægrotaſſe, & ita eſſe mortuum. Quis huic rei teſtis eſt? idem, qui ſui luctus, pater: pater, inquam, illius adoleſcentis: quem, propter animi dolorem, pertenuis *ſuſpicio* potuiſſet ex illo loco teſtem in A. Cluentium conſtituere: is hunc ſuo teſtimonio ſublevat. quod recita. Tu autem, niſi moleſtum eſt, paulliſper exſurge, & perfer hunc dolorem commemorationis neceſſariæ: in qua ego diutius non morabor, quoniam, quod fuit viri optimi, feciſti, uti necui innocenti mæror tuus calamitatem, & falſum crimen afferret. TESTIMONIUM BALBUTII PATRIS. Unum etiam mihi reliquum ejuſ- 61
modi crimen eſt, judices, ex quo illud perſpicere poſſitis, quod à me initio orationis meæ dictum eſt: quidquid mali per hos annos A. Cluentius viderit, quidquid hoc tempore habeat ſollicitudinis, ac negotii, id omne *à matre* eſſe conflatum. Oppianicum veneno necatum eſſe, quod ei datum ſit in pane per M. Aſellium quendam, familiarem illius: idque Aviti conſilio factum eſſe, dicitis. In quo primùm illud quæro, *quæ cauſa* Avito fuerit, cur interficere Oppianicum vellet. Inimicitias enim inter ipſos fuiſſe confiteor: ſed homines, INIMICOS ſuos morte affici volunt, vel quòd metuunt, vel quòd oderunt. Quo tandem igitur Avitus metu adductus, tantum in ſe facinus ſuſcipere conatus eſt? quid erat, quòd jam Oppianicum pœna affectum pro maleficiis, ejectum è civitate, quiſquam timeret? quid metuebat: [3] ut oppugnaretur à perdito? an ne accuſaretur à condemnato, an ne exſulis teſtimonio læderetur? Sin autem, quòd oderat Avitus, idcirco illum vita frui noluit: adeone erat ſtultus, UT ILLAM, quam tum ille vivebat, vitam eſſe arbitraretur, damnati, exſulis, deſerti ab omnibus? quem propter animi importunitatem, nemo recipere tecto, [4] nemo audire, nemo alloqui, [5] nemo reſpicere vellet? hujus igitur vitæ Avitus invidebat? hunc ſi acerbè, & penitus oderat, non eum quam diutiſſimè vivere velle debebat? huic mortem maturabat inimicus, quod illi unum *in malis perfugium* erat calamitatis? qui ſi quid animi, ac virtutis habuiſſet (ut multi ſæpe fortes viri in ejuſmodi dolore) mortem ſibi ipſe conſciſſet: huic quamobrem id vellet inimicus offerre, quid ipſe ſibi optare deberet? Nam nunc quidem quid tandem illi mali mors attulit? niſi fortè ineptiis, ac *fabulis ducimur*, ut exiſtimemus, illum apud inferos impiorum ſupplicia perferre, ac plureis illic offendiſſe inimicos, quàm hic reliquiſſe: à ſocrus, ab uxorum, à fratris, à liberûm *pœnis* actum eſſe præcipitem in ſceleratorum ſedem, atque regionem. quæ ſi falſa ſunt, id quod omnes intelligunt, quid ei tandem aliud mors eripuit, præter *ſenſum doloris*? Age verò, venenum per quem datum? per M. Aſellium. Quid huic cum 62
Avito? nihil: atque adeò, quòd ille Oppianico familiariſſimè eſt uſus, [6] potius etiam ſimultas. Eine igitur, quem ſibi offenſiorem, Oppianico familiariſſimum ſciebat eſſe, potiſſimum & ſuum ſcelus, & illius periculum committebat? cur deinde tu, qui pietate ad accuſandum excitatus es, hunc Aſellium eſſe inultum tamdiu ſinis? cur non Aviti exemplo uſus es, ut per illum, qui attuliſſet venenum, de hoc præjudicaretur? Jam verò illud quàm non probabile, quàm inuſitatum, judices, quàm novum, *in pane datum venenum*? [7] Faciliuſne potuit, quàm in poculo?

[1] latiùs

1. *Mulierem cùm emiſſet de ſectoribus.*] Lambinus *à ſectoribus*: cum tamen vulgata lectione nihil ſit uſitatius; tueaturque ſe ſcriptis editiſque omnibus.

2. *A. Binnium quendam.*] Paullus Merula ad Ennium cupiebat *A. Binium*, quoniam hæc gens nota, illa non. tanquam ſcilicet tale quid requiratur in caupone. ſed tamen hominis hujus nomen valde variat. nam olim cuſi, *Brivium* vocat. Pal. prim. quart. ſept. *Binium*. ſecund. *Birium*. tert. quint. *Binum*, qui quint. ſuperſcriptum habet *Bibium*. ſext. *A. Albinum*, quod & in octavo, ſed ſine prænomine.

3. *Ut oppugnaretur à perdito?*] Vetus editio, item Pal. ſec. *ne oppugnaretur*, & acriter defendit Lambinus. ſed enim cum in pleriſque edd. item Pall. ſeptem reſtet altera ſcriptura; non video cur temerè ejici debeat.

4. *Nemo audire, nemo alloqui.*] Non potui excludere hanc lectionem tutam non ſolum Palatinis octo, item ſcriptis Lambini, ſed & vetuſtioribus editionibus. haud tamen inepte prius publicata, *nemo adire*.

5. *Nemo reſpicere.*] Lambinus, *adſpicere*. cur quæſo? nam alterum profecto omnes occupavit libros.

6. *Potius etiam ſimultas.*] Eſt à ſeptem Palatinis. ſolus enim primus habuit illud hodie vulgatum, *etiam contra ſimultas*; quod reſpuunt alioqui antiquitus cuſi.

7. *Faciliuſne potuit quàm in poculo.*] Non reprehendo. libet tamen indicare, amicum noſtrum conjicere; in *pane datum venenum potius, quam in poculo*. omiſſo illo *faciliuſne*.

1. *Latius*

[1] latiùs potuit, abditum aliqua in parte panis, quàm ſi totum colliquefactum in potione eſſet? celeriùs potuit [2] comeſtum, quàm epotum in venas, atque in omneis parteis corporis permanare? facilius fallere in pane (ſi eſſet animadverſum) quàm in poculo, cùm ita confuſum eſſet, ut ſecerni nullo modo poſſet? At *repentina morte* periit. [3] Quod ſi eſſet ita factum: tamen ea res, propter multorum ejuſmodi mortem, ſatis firmam veneni ſuſpicionem non haberet. ſi eſſet ſuſpicioſum: tamen ad alios potiùs, quàm ad Avitum pertineret. Verùm in eo ipſo homines impudentiſſimè mentiuntur. Id ut intelligatis: & mortem ejus, &, quemadmodum poſt mortem, in Avitum ſit crimen à matre quæſitum, cognoſcite. Cùm vagus, & exſul erraret, atque undique excluſus Oppianicus, in Falernum ſe ad C. Quintilium contuliſſet: ibi primùm in morbum incidit, ac ſatis vehementer, diuque ægrotavit. Cùm eſſet una Saſſia, & Statio Albio quodam, colono, homine *valente*, qui ſimul eſſe ſolebat, familiarius uteretur, quàm vir diſſolutiſſimus, incolumi fortuna, pati poſſet: & jus illud matrimonii caſtum, atque legitimum, damnatione viri ſublatum arbitraretur: Nicoſtratus quidam, fidelis Oppianici ſervulus, percurioſus, & minimè mendax, multa dicitur renuntiare domino ſolitus eſſe. Interea Oppianicus cum jam convaleſceret, neque in Falerno improbitatem coloni diutiùs ferre poſſet, & huc ad urbem profectus eſſet (ſolebat enim extra portam aliquid habere conducti) cecidiſſe ex equo dicitur, & homo infirma valetudine *latus offendiſſe* vehementer, &, poſteaquàm ad urbem cum febri venerit, paucis diebus eſſe mortuus. Mortis ratio, judices, ejuſmodi eſt, ut aut nihil habeat ſuſpicionis, aut, ſiquid habet, id *intra parietes* in domeſtico
63 ſcelere verſetur. Poſt mortem ejus Saſſia ſtatim moliri nefaria mulier cœpit inſidias filio: quæſtionem habere de viri morte conſtituit. emit de A. Rupilio, quo erat uſus Oppianicus medico, Stratonem quendam, quaſi ut idem faceret, quod Avitus in emendo Diogene fecerat. De hoc Stratone, & de aſſecla quodam ſervo ſuo quæſituram eſſe dixit. præterea ſervum illum Nicoſtratum, quem *nimium loquacem* fuiſſe, ac nimium domino fidelem arbitrabatur, ab hoc adoleſcente Oppianico in quæſtionem poſtulavit. Hic cùm eſſet illo tempore puer, & illa quæſtio de patris ſui morte conſtitui diceretur: etſi illum ſervum, & ſibi benivolum eſſe, & patri fuiſſe arbitrabatur; nihil tamen eſt auſus recuſare. Advocantur amici: & hoſpites Oppianici, & ipſius mulieris multi, homines honeſti, atque omnibus rebus ornati. tormentis omnibus vehementiſſimis quæritur. Cùm eſſent animi ſervorum, & *ſpe, & metu tentati*, ut aliquid in quæſtione dicerent: tamen (ut arbitror) auctoritate advocatorum, & vi tormentorum adducti, in veritate manſerunt, neque ſe quidquam ſcire dixerunt. Quæſtio illo die de amicorum ſententia dimiſſa eſt. Satis longo intervallo pòſt iterum advocantur, habetur de integro quæſtio: nulla vis tormentorum acerrimorum prætermittitur: *averſari advocati*, & jam vix ferre poſſe: furere crudelis, atque importuna mulier, ſibi nequaquam, ut ſperaſſet, ea, quæ cogitaſſet, procedere. Cùm jam tortor, atque eſſent tormenta ipſa defeſſa, neque tamen illa finem facere vellet: quidam ex advocatis, homo & honoribus populi ornatus, & ſumma virtute præditus, intelligere ſe dixit, non id agi, ut verum inveniretur: ſed ut *aliquid falſi dicere cogerentur*. Hoc poſtquàm ceteri comprobarunt: ex omnium ſententia conſtitutum eſt, ſatis videri eſſe quæſitum. Redditur Oppianico Nicoſtratus: Larinum ipſa proficiſcitur cum ſuis, mærens, quòd jam certè incolumem filium fore putabat, ad quem non modò verum crimen, ſed ne ficta quidem ſuſpicio perveniret: & cui non modò aperta inimicorum oppugnatio, ſed ne occultæ quidem matris inſidiæ nocere potuiſſent. Larinum poſtquàm venit: quæ à Stratone illo venenum antea viro ſuo datum, ſibi perſuaſum eſſe ſimulaſſet, inſtructam ei continuò, & ornatam Larini medicinæ exercendæ cauſa *tabernam* dedit. Unum, alterum, tertium annum Saſſia quieſce- 64
bat, ut velle, atque optare aliquid calamitatis filio potiùs, quàm id ſtruere, & moliri videretur. Tum interim Hortenſio, Metello Coſs. ut hunc Oppianicum aliud agentem, ac nihil ejuſmodi cogitantem, ad hanc accuſationem detraheret, invito deſpondit ei filiam ſuam, illam, quam ex genero ſuſceperat, ut eum nuptiis *alligatum* ſimul, & teſtamenti ſpe *devinctum*, poſſit habere in poteſtate. Hoc ipſo ferè tempore Strato ille medicus domi furtum fecit, & cædem ejuſmodi. Cùm eſſet in ædibus armarium, in quo ſciret eſſe nummorum aliquantum, & auri: noctu duos conſervos dormienteis occidit, in piſcinamque dejecit: ipſe *armarii fundum exſecuit*, & HS. * & auri quinque pondo abſtulit, uno ex ſervis puero non grandi conſcio. Furto poſtridie cognito, omnis ſuſpicio in eos ſervos, qui *non comparebant*, commovebatur. Cùm exſectio illa fundi in armario animadverteretur, quærebant homines, quonam modo fieri potuiſſet. Quidam ex amicis Saſſiæ recordatus eſt, ſe nuper in auctione quadam vidiſſe in rebus minutis aduncam ex omni parte dentium, & tortuoſam venire ſerrulam, qua illud potuiſſe ita circumſecari videretur. Ne multa: perquiritur à coactoribus: invenitur ea ſerrula ad Stratonem perveniſſe. Hoc *initio ſuſpicionis* orto, & apertè inſimulato Stratone, puer ille conſcius pertimuit: rem omnem dominæ indicavit: homines in piſcina inventi ſunt: Strato in vincula conjectus eſt: atque etiam in taberna ejus nummi, nequaquam omnes, reperiuntur. Conſtituitur quæſtio de furto. nam quid quiſquam ſuſpicari aliud poteſt? An hoc dicitis? armario expilato, pecunia ablata, non omni recuperata, occiſis hominibus inſtitutam eſſe quæſtionem de morte Oppianici? cui probatis? quid eſt, quod minùs veriſimile proferre potuiſtis? Deinde, ut omittam cetera, triennio poſt mortem Oppianici de ejus morte quærebatur? Atque etiam *incenſa odio priſtino*, Nicoſtratum eundem illum tum ſine cauſa in quæſtionem poſtulavit. Oppianicus primò recuſavit. poſteaquàm illa abducturam ſe filiam, mutaturam eſſe teſtamentum minaretur: mulieri crudeliſſimæ ſervum fideliſſimum, non in quæſtionem tulit, ſed planè *ad ſupplicium* dedit. Poſt triennium igitur agitata denique 65
quæſtio de viri morte habebatur: & de quibus ſervis habebatur? Nova, credo, res objecta, novi quidam homines in ſuſpicionem vocati ſunt. de Stratone, & de Nicoſtrato. Quid? Romæ quæſitum de iſtis hominibus non erat? Itane tandem? mulier jam non morbo, ſed ſcelere furioſa, cùm quæſtionem habuiſſet Romæ, cùm de T. Annii, L. Rutilii, P. Saturii, & ceterorum honeſtiſſimorum virorum ſententia conſtitutum eſſet, ſatis quæſitum videri: eadem de re triennio poſt, iiſdem de hominibus, nullo adhibito, non dicam viro (ne colonum fortè abſuiſſe dicatis) ſed *bono viro*: in filii caput quæſtionem habere conata eſt. An hoc dicitis? mihi enim venit in mentem, quid dici poſſit, tametſi adhuc non eſſet dictum: [4] cùm haberetur de furto quæſtio, Stratonem aliquid de veneno eſſe confeſſum? Hoc uno modo, judices, ſæpe multorum *improbitate depreſſa veritas emergit*, & innocentiæ defenſio intercluſa reſpirat: quod aut ii, QUI AD FRAUDEM callidi ſunt, non tantum audent, quantum excogitant: aut illi, QUORUM EMINET auda-

1. *Latius potuit, abditum.*] Quei potuiſſem includere ſcripturam octo Palatinorum? qui omnes ſibi conſtabant in *latius potuit*, ſolum variabant in tertia voce, *aditum*, *additum*. ſed & ſic quoque omnis editio vetus; ut taceam membranas, à Lambino productas; recentius cuſi, *latentius potuit,&c.* malè. nam id mox ſequitur: *facilius fallere in pane.*

2. *Comeſtum.*] Datum hoc Priſciano. nam plutearii noſtri adhærebant vulgato; ni quod pr. & octavus, *comeſſum.*

3. *Quod ſi eſſet ita factum.*] Nihil variant mſſ. noſtri. mallem tamen, *Si eſſet ita; tamen, &c.*

4. *Cùm haberetur de furto quæſtio.*] Præmittunt vetuſtè cuſi, *mementote, cum haberetur.* neque abeunt mſſ. Palatin. adeo ut diſpiciendum ſit, quomodo heic iterum locum ſuum occupare queat.

audacia, atque projecta eſt, à conſiliis malitiæ deſeruntur. quòd *ſi aut confidens aſtutia, aut callida eſſet audacia, vix ullo obſiſti modo poſſet:* Utrùm furtum factum non eſt? At nihil clarius Larini fuit. An ad Stratonem ſuſpicio non pertinuit? At is & ex ſerrula inſimulatus, & à puero conſcio eſt indicatus. An id actum non eſt in quærendo? Quæ fuit alia igitur cauſa quærendi? an, id quod dicendum vobis eſt, & quod tum Saſſia dictitabat, cùm de furto quæreretur, tum Strato iiſdem in tormentis dixit de veneno? En hoc illud eſt, quod antè dixi: *mulier abundat audacia: conſilio & ratione deficitur.* nam tabellæ quæſtionis plures proferuntur, quæ recitatæ, vobiſque editæ ſunt, illæ ipſæ, quas tum obſignatas eſſe dixi: in quibus tabellis de furto littera nulla invenitur. Non venit in mentem, primam orationem Stratonis conſcribere de furto, poſt aliquid adjungere dictum de veneno; quod non percontatione quæſitum, ſed *dolore expreſſum* videretur. Quæſtio de furto eſt, veneni jam ſuſpicione, ſuperiore quæſtione, ſublata: quod ipſum hæc eadem mulier indicarat: quæ ut Romæ de amicorum ſententia ſtatuerat ſatis eſſe quæſitum, poſtea per triennium maximè ex omnibus ſervis Stratonem illum dilexerat, in honore habuerat, commodis omnibus affecerat. Cùm igitur *de furto quæreretur*, & eo furto, quod ille ſine controverſia fecerat: tum ille de eo, quod quærebatur, verbum nullum fecit? de veneno ſtatim dixit? de furto, ſi non eo loco, quo debuit, ne in extrema quidem, aut media, aut in aliqua denique parte quæſtionis, verbum fecit ullum?

66 Jam videtis, illam nefariam mulierem, judices, eadem manu, qua, ſi detur poteſtas, interficere filium cupiat, hanc fictam quæſtionem conſcripſiſſe. Atque iſtam ipſam quæſtionem, dicite, quis obſignavit? Unum aliquem nominate: neminem reperietis, niſi fortè ejuſmodi hominem, quem ego proferri malim, quàm neminem nominari. Quid ais, T. Atti? tu periculum capitis, tu indicium ſceleris, tu fortunas alterius litteris conſcriptas in judicium afferas: neque earum *auctoritatem litterarum*, neque obſignatorem, neque teſtem ullum nominabis? &, quam tu peſtem innocentiſſimo filio ex matris ſinu depromſeris, hanc hi tales viri comprobabunt? [1] Eſto: in tabellis nihil eſt auctoritatis: quid? ipſa quæſtio, judicibus: quid? amicis, hoſpitibuſque Oppianici, quos adhibuerat antea: quid? huic tandem ipſi tempori, cur non reſervata eſt? quid iſtis hominibus factum eſt, Stratone, & Nicoſtrato? quæro abs te, Oppianice, ſervo tuo Nicoſtrato quid factum eſſe dicas. quem tu, cùm hunc brevi tempore accuſaturus eſſes, Romam deducere, dare poteſtatem indicandi, incolumem denique *ſervare quæſtioni*, ſervare his judicibus, ſervare huic tempori debuiſti. Nam Stratonem quidem, judices, in crucem actum eſſe exſecta ſcitote lingua: quod nemo eſt Larinatium, qui neſciat. Timuit mulier amens non ſuam conſcientiam; non odium municipum, non famam omnium: ſed, quaſi non omnes, ejus ſceleris teſtes eſſent futuri, ſic metuit, ne condemnaretur extrema *ſervuli voce morientis*. Quod hoc portentum, dii immortales? quod tantum monſtrum in ullis locis? quod tam infeſtum ſcelus, & immane, aut unde natum eſſe dicamus? Jam enim videtis profectò, judices, non ſine neceſſariis me, ac maximis cauſis, principio orationis meæ de matre dixiſſe. nihil eſt enim mali, nihil ſceleris, quod illa non ab initio filio voluerit, optaverit, cogitaverit, effecerit. Mitto illam primam libidinis injuriam: mitto nefarias generi nuptias: mitto cupiditate matris expulſam ex matrimonio filiam: quæ nondum ad hujuſce vitæ periculum, ſed *ad commune familiæ dedecus* pertinebant. nihil de alteris Oppianici nuptiis queror: quarum illa cùm obſides filios ab eo mortuos accepiſſet, tum denique in familiæ luctum, atque in privignorum funus nupſit. Præterea, quòd Aurium Melinum, cujus illa quondam ſocrus, paullò antè uxor fuiſſet, cùm Oppianici eſſe opera proſcriptum, occiſumque cognoſceret, eam ſibi domum, ſedemque conjugii delegit, in qua quotidie ſuperioris viri mortis indicia, & ſpolia fortunarum videret. Illud primùm queror, de illo ſcelere, quod nunc denique patefactum eſt, Fabriciani veneni: quod jam tum recens, ſuſpicioſum ceteris, huic incredibile, nunc verò apertum jam omnibus, ac manifeſtum videtur. Non eſt profectò de illo veneno *celata mater*: nihil eſt ab Oppianico ſine conſilio mulieris cogitatum: quod niſi eſſet: certè poſtea, deprehenſa re, non illa ut ab improbo viro diſceſſiſſet: ſed ut à crudeliſſimo hoſte fugiſſet, domumque illam, in perpetuum, ſcelere omni affluentem, reliquiſſet. non modò id non fecit, ſed ab illo tempore nullum locum prætermiſit, in quo non inſtrueret inſidias aliquas, ac dies omneis, ac nocteis tota mente mater *de pernicie filii* cogitaret. quæ primùm, ut iſtum confirmaret Oppianicum accuſatorem filio ſuo, [2] donis muliebribus, collocatione filiæ, ſpe hereditatis obſtrinxit. [3] Itaque apud ceteros, novis inter propinquos ſuſceptis inimicitiis, ſæpe fieri *divortia*, [4] atque affinitatum diſcidia vidimus: hæc mulier ſatis firmum accuſatorem filio ſuo fore neminem putavit, niſi qui in matrimonium ſororem ejus antè duxiſſet. 67 ceteri NOVIS AFFINITATIBUS adducti, veteres inimicitias ſæpe deponunt: illa ſibi ad confirmandas inimicitias, affinitatis conjunctionem pignori fore putavit. Neque in eo ſolum diligens fuit, ut accuſatorem filio ſuo compararet: ſed etiam cogitavit, quibus eum rebus *armaret*. hinc enim illæ ſollicitationes ſervorum & minis, & promiſſis: hinc illæ infinitæ, crudeliſſimæque de morte Oppianici quæſtiones: quibus finem aliquando non muliebris modus, ſed amicorum auctoritas fecit. ab eodem ſcelere illæ triennio poſt habitæ Larini quæſtiones: ejuſdem amentiæ falſæ conſcriptiones quæſtionum: ex eodem furore etiam illa conſcelerata *exſecti lingua*: totius denique hujus ab illa eſt & inventa, & adornata comparatio criminis. Atque his rebus cùm inſtructum accuſatorem filio ſuo Romam ipſa miſiſſet: paulliſper, conquirendorum, & conducendorum teſtium cauſa, Larini eſt commorata: poſtea autem, cùm appropinquare hujus judicium, ei nuntiatum eſt, confeſtim huc advolavit, ne aut accuſatoribus diligentia, aut pecunia teſtibus deeſſet: aut ne fortè mater hoc ſibi optatiſſimum ſpectaculum hujus ſordium, atque luctus, & tanti ſqualoris amitteret. Jam verò quod iter Romam ejus mulieris fuiſſe exiſtimatis? 68 quod ego propter vicinitatem Aquinatium, [5] & Venafranorum, ex multis audivi, & comperi: quos concurſus in his oppidis? quantos & virorum, & mulierum *gemitus* eſſe factos? mulierem quandam Larino, [6] atque illam uſque à mari ſupero Romam proficiſci, cum magno comitatu, & pecunia, quo faciliùs circumvenire judicio capitis, atque *opprimere filium* poſſet. Nemo erat illorum, pænè dicam, quin expiandum illum locum eſſe arbitraretur, quacumque illa iter feciſſet: nemo, quin terram ipſam violari,

1. *Eſto: in tabellis nihil eſt auctoritatis.*] Frigida admodum eſt conjectura, *nonnihil eſt.* imo quam magis elevat auctoritatem tabellarum, tanto plus ſerviunt argumentationi. & verò vulgata reſtat in omnibus Pall. & edd. vett.

2. *Donis muliebribus, collocatione filiæ.*] Legitur ferè hodie, *donis, muneribus, coll.* quod eruit è ſuis Victorius, firmavitque lib. XI. Var. lect. cap. 22. offendique item in Palat. ſec. ſed enim cum in ceteris octo, item in vetuſte cuſis, reſtet illud prius, nolui id temere eliminare; præcipue cum annotarit Gulielmius ſic quoque locatum libro 1. Livium.

3. *Itaque apud ceteros, &c.*] Lambinus, *Itaque quod.* ſi è libris, non carpo. mallem tamen, ut eſt in Pal. ſec. *Ita quod apud cet.*

4. *Atque adſinitatum diſcidia videmus.*] Sic editiones a prima proximæ. nam princeps, *atque diſſinicatum diſc.* Lambinus edidit, *atque adſinium diſc.* ſed ne ſic quidem rem aut tetigit. nam Palatini plerique *atque infimum diſc.* unus etiam *intimari.* ut forte fuerit intimum, ἀντὶ τοῦ *intimorum.*

5. *Et Venafranorum.*] Pall. & olim cuſi, *Afraternorum*; vel ſimile quid; ut dubium mihi non ſiat legendum *Alfaternorum*, quorum meminit Plinius lib. III. cap. 5.

6. *Atque illam.*] Gulielmius adnotavit fortè legendum, *illim.*

1. Cujus

lari, quæ mater eſt omnium, veſtigiis conſceleratæ matris putaret. Itaque nullo in oppido conſiſtendi poteſtas ei fuit: nemo ex tot hoſpitibus inventus eſt, qui non *contagionem adſpectus* fugeret. nocti ſe potiùs, ac ſolitudini, quàm ulli aut urbi, aut hoſpiti committebat. Nunc verò quid agat, quid moliatur, quid denique quotidie cogitet, quem ignorare noſtrûm putat? quos appellarit, quibus pecuniam promiſerit, quorum fidem pretio labefactare conata ſit, tenemus. quin etiam *nocturna ſacrificia*, quæ putat occultiora eſſe, ſceleratasque ejus preces, & nefaria vota cognovimus: quibus illa etiam deos immortaleis de ſuo ſcelere teſtatur, neque intelligit, PIETATE, & religione, & juſtis precibus, deorum menteis, non contaminata ſuperſtitione, neque ad ſcelus perficiendum cæſis hoſtiis poſſe placari. cujus ego furorem, atque crudelitatem deos immortaleis à ſuis
69 aris, atque templis aſpernatos eſſe confido. Vos, judices, quos huic A. Cluentio quoſdam alios deos ad omne vitæ tempus fortuna eſſe voluit, hujus importunitatem matris à filii capite depellite. multi ſæpe in judicando, *peccata liberûm, parentum miſericordiæ conceſſerunt:* vos, ne hujus honeſtiſſimè actam vitam matris crudelitati condonetis, rogamus: præſertim cùm ex altera parte totum municipium videre poſſitis. Omneis ſcitote, judices, (incredibile dictu eſt, ſed à me veriſſimè dicitur) omneis Larinateis, qui valuerunt, veniſſe Romam, ut hunc ſtudio, frequentiaque ſua, quantum poſſent, in tanto ejus periculo ſublevarent. Pueris illud, hoc tempore, & mulieribus, oppidum ſcitote eſſe traditum, idque in præſentia, in *communi Italiæ pace*, domeſticis copiis eſſe tutum. quos tamen ipſos æquè, & eos, quos præſenteis videtis, hujus exſpectatio judicii dies, nocteiſque ſollicitat. Non illi vos de unius municipis fortunis arbitrantur, ſed de totius municipii ſtatu, dignitate, commodiſque omnibus ſententias eſſe laturos. ſumma eſt enim, judices, hominis in communem municipii rem diligentia, in ſingulos municipes benignitas, in omneis homines juſtitia, & fides. præterea nobilitatem illam inter ſuos, locumque à majoribus traditum, ſic tuetur, ut *majorum* gravitatem, conſtantiam, gratiam, liberalitatem aſſequatur. Itaque iis eum verbis publicè laudant, ut non ſolùm teſtimonium ſuum, judiciumque ſignificent, verùm etiam curam animi, ac dolorem. quæ dùm laudatio recitatur, vos quæſo, qui eam detuliſtis, aſſurgite. LAUDATIO CLUENTII, EX DECURIONUM LARINATIUM DECRETO. Ex lacrymis horum, judices, exiſtimare poteſtis, omneis hæc decuriones decreviſſe lacrymanteis. Agè verò, vicinorum quantum ſtudium, quam incredibilis benivolentia, quanta cura eſt? non illi *in libellis* laudationum decreta miſerunt, ſed homines honeſtiſſimos, quos noſſemus omnes, huc frequenteis adeſſe, & hunc præſenteis laudare voluerunt. Adſunt Ferentani, homines nobiliſſimi, Marrucini item pari dignitate: Theano, Appulo, atque Luceria equites Romanos, honeſtiſſimos homines, laudatores videtis: Boviano, totoque ex Samnio cùm laudationes honeſtiſſimæ miſſæ ſunt, tum homines ampliſſimi, nobiliſſimique venerunt. Jam qui in agro Larinati prædia, qui negotia, qui res pecuarias habent, honeſti homines, & ſummo ſplendore præditi, difficile dictu eſt, quàm ſint ſolliciti, quàm laborent. Non multi mihi *ab uno ſic diligi* videntur,
70 ut hic ab his univerſis. Quàm non abeſſe ab hujus judicio L. Voluſienum, ſummo ſplendore hominem, ac virtute præditum, vellem? quàm vellem præſentem poſſe P. Helvidium Rufum, equitem Roman. omnium ornatiſſimum, nominare: qui, cùm, hujus cauſa, dies, nocteiſque vigilaret, & cùm me hanc cauſam doceret; in morbum gravem, periculoſumque incidit: in quo tamen non minùs de capite hujus, quam de ſua vita laborat. Cn. Tudici ſenatoris, viri optimi, & honeſtiſſimi, par ſtudium, & teſtimonio, & laudatione cognoſcetis. Eadem ſpe, ſed majore verecundia, de te, P. Volumni, quoniam judex es in A. Cluentium, dicimus. Et, ne longum ſit, omnium vicinorum ſummam eſſe in hunc benivolentiam, confirmamus. Horum omnium ſtudium, curam, diligentiam, meumque una laborem, qui totam hanc cauſam, vetere inſtituto, ſolus peroravi, veſtramque ſimul, judices, æquitatem, & manſuetudinem una mater oppugnat. At quæ *mater?* quam cæcam crudelitate, & ſcelere ferri videtis: cujus cupiditatem nulla umquam turpitudo retardavit: quæ vitiis animi in deterrimas parteis jura hominum convertit omnia: cujus ea ſtultitia eſt, ut eam nemo hominem: ea vis, ut nemo fæminam: ea crudelitas, ut nemo matrem appellare poſſit. atque etiam nomina neceſſitudinum, non ſolùm *naturæ nomen, & jura mutavit:* uxor generi, noverca filii, filiæ pellex: eò jam denique adducta eſt, ut ſibi, præter formam, nihil ad ſimilitudinem hominis reſervarit. Quare, judices, ſi ſcelus odiſtis: prohibete aditum matris à filii ſanguine: date parenti hunc incredibilem dolorem ex ſalute, ex victoria liberûm: patimini, matrem, ne orbata filio lætetur, victam potiùs veſtra æquitate diſcedere. Sin autem, id quod veſtra natura poſtulat, pudorem, bonitatem, virtutemque diligitis: levate hunc aliquando ſupplicem veſtrum, judices, tot annos in *falſa invidia*, periculiſque verſatum: qui nunc primùm poſt illam flammam, aliorum facto, & cupiditate excitatam, ſpe veſtræ æquitatis erigere animum, & paullum reſpirare à metu cœpit: cui poſita ſunt in vobis omnia: quem ſervatum eſſe plurimi cupiunt, ſervare ſoli vos poteſtis. Orat vos Avitus, judices, & flens obſecrat, ne ſe *invidiæ, quæ in judiciis valere non debet:* ne matri, cujus vota, & preces à veſtris mentibus repudiare debetis: ne Oppianico, homini nefario, condemnato jam, & mortuo, condonetis. Quòd ſiqua calamitas hunc 71
in hoc judicio afflixerit innocentem: næ iſte miſer, judices, ſi, id quod difficile factu eſt, in vita remanebit, ſæpe, & multùm queretur, deprehenſum eſſe illud quondam Fabricianum venenum. quod ſi tum indicatum non eſſet: non huic ærumnoſiſſimo venenum illud fuiſſet, ſed multorum *medicamentum laborum:* poſtremò etiam fortaſſis mater exſequias illius funeris proſecuta, mortem ſe filii lugere ſimulaſſet. nunc verò quid erit profectum, niſi ut hujus ex mediis mortis inſidiis vita ad luctum reſervata; mors ſepulchro patris privata eſſe videatur? Satis diu fuit in miſeriis, judices: ſatis multos annos ex invidia laboravit. nemo huic tam iniquus, præter parentem, fuit; [1] cujus animum non jam expletum eſſe putemus: vos, qui æqui eſtis omnibus, qui, ut quiſque crudeliſſimè oppugnatur, cum leniſſimè ſublevatis, conſervate A. Cluentium: reſtituite incolumem municipio: amicis, vicinis, hoſpitibus, quorum ſtudia videtis, reddite: vobis in perpetuum, liberiſque veſtris obſtringite. veſtrum eſt hoc, judices, veſtræ clementiæ: rectè hoc repetitur à vobis, ut virum optimum, atque innocentiſſimum, plurimiſq; mortalibus carum, atque jucundiſſimum, his aliquando calamitatibus liberetis: ut omnes intelligant, *in concionibus eſſe invidiæ locum, in judiciis veritati.*

M. TUL-

1. *Cujus animum non jam expletum eſſe putemus.*] Pal. pr. ſec. tert. non habent negativam.

M. TULLIUS CICERO DE LEGE AGRARIA, KALENDIS JANUAR. CONTRA P. SERVILIUM RULLUM, TRIBUNUM PL. IN SENATU.

ORATIO DECIMAQUINTA.

Deſunt permulta.

1 * quæ res apertè petebatur, ea nunc occultè *cuniculis* oppugnatur. dicent enim decemviri, id quod & dicitur à multis, & ſæpe dictum eſt; poſt eoſdem conſules, regis Alexandrini teſtamento, regnum illud, populi Rom. eſſe factum. Dabitis igitur Alexandriam *clàm* petentibus iis, quibus *apertiſſimè* pugnantibus reſtitiſtis? hæc, per deos immortaleis, utrum eſſe vobis conſilia ſiccorum, an vinolentorum ſomnia: & utrùm cogitata ſapientum, an optata furioſorum videntur? Videte nunc, proximo capite, ut impurus helluo turbet rempublicam, ut à majoribus noſtris poſſeſſiones *relictas* diſperdat, & diſſipet: ut ſit non minùs in populi Rom. patrimonio nepos, quàm in ſuo. Proſcribit in ſua lege vectigalia, quæ decemviri vendant, hoc eſt, proſcribit auctionem publicorum bonorum. agros emi vult, qui dividantur: quærit pecuniam. videlicet excogitabit aliquid, atque afferet. nam ſuperioribus capitibus dignitas populi Rom. violabatur: nomen imperii in commune odium orbis terræ vocabatur: urbes pacatæ, agri ſociorum, regum ſtatus [1] decemviris donabantur: nunc præſens, certa, pecunia numerata, quæritur. Exſpecto, quid tribunus plebis vigilans, & acutus excogitet. *Veneat*, inquit, *ſilva Scantia*. Utrùm tandem hanc ſilvam in relictis poſſeſſionibus, an in cenſorum paſcuis inveniſti? ſiquid eſt, quod indagaris, inveneris, ex tenebris erueris, quamquam iniquum eſt, tamen conſume, quoniam commodum eſt, quoniam quidem tu attuliſti. ſilvam verò tu Scantiam vendas, nobis conſulibus, atque hoc ſenatu? tu ullum vectigal attingas? tu populi Romani *ſubſidia belli*? tu *ornamenta pacis* eripias? Tum verò hoc me inertiorem conſulem judicabo, quàm illos fortiſſimos viros, qui apud majores noſtros fuerunt: quod, quæ vectigalia, illis conſulibus, populo Romano *parta* ſunt, ea, me conſule, ne *retineri* quidem po-
2 tuiſſe judicabuntur. Vendit Italiæ poſſeſſiones ex ordine omneis. ſanè eſt in eo diligens. nullam enim prætermittit, [2] perſequitur in tabulis cenſoriis totam Siciliam. nullum ædificium; nullos agros relinquit. Audiſtis auctionem populi Romani proſcriptam à tribuno plebis, conſtitutam in menſem Januarium: &, credo, non dubitatis, quin idcirco hæc, ærarii cauſa, non vendiderint ii, qui armis, & virtute pepererunt, ut eſſet, quod nos, *largitionis cauſa*, venderemus. videte nunc, [3] quoad fecerit iter apertius, quàm antea. nam ſuperiore parte legis quemadmodum Pompejum oppugnarent, à me indicati ſunt: nunc jam ſe ipſi indicabunt. Jubent venire agros Attalenſium, atque Olympenorum. hos populo Rom. Servilii, fortiſſimi viri, victoria adjunxit. deinde agros in Macedonia regios, qui partim T. Flaminini, partim L. Paulli, qui Perſen vicit, virtute parti ſunt: deinde [4] agrum optimum, & fructuoſiſſimum Corinthium, qui L. Mummii imperio, ac felicitate ad vectigalia populi Rom. adjunctus eſt: poſt autem agros in Hiſpania apud Karthaginem novam, duorum Scipionum eximia virtute poſſeſſos: tum verò ipſam veterem Karthaginem vendunt, quam P. Africanus *nudatam tectis, ac mœnibus*, ſive ad notandam Karthaginienſium calamitatem, ſive ad teſtificandam noſtram victoriam, ſive ad oblatam aliquam religionem, ad æternam hominum *memoriam* conſecravit. His inſignibus, atque infulis imperii venditis, quibus [5] ornatam vobis majores veſtri rempublicam tradiderunt, jubent eos agros venire, quos rex Mithridates in Paphlagonia, Ponto, Cappadociaque poſſederit. Num obſcurè videntur, propè *haſta præconis*, inſectari Cn. Pompeji exercitum, qui venire jubeant eos ipſos agros, in quibus ille etiam nunc bellum gerat, atque verſetur? Hoc verò cujuſ- 3
modi eſt, quod ejus auctionis, quam conſtituunt, locum ſibi nullum definiunt? nam decemviris, quibus in locis *ipſis videatur*, vendendi poteſtas lege permittitur. Cenſoribus vectigalia locare, niſi in *conſpectu populi Rom.* non licet. his vendere vel in ultimis terris licebit? At hoc etiam nequiſſimi homines, conſumtis patrimoniis, faciunt, ut in atriis auctionariis potiùs, quam in triviis, aut in compitis auctionentur. hic permittit ſua lege decemviris, ut, in quibus commodum ſit tenebris, ut in qua velint ſolitudine, bona populi Rom. poſſint divendere. Jam illa omnibus in provinciis, regnis, liberis populis quàm acerba, quàm formi-

---

PAl. pr. adſcriptum habet; deeſſe à principio folia duo.

1. *Decemviris donabantur.*] Alii emendant *condonabantur.* quod eodem redit, & tamen eſt contra mſſ. editoſque, itaque præter librorum auctoritatem nihil moveo, ut fecit Lambinus, qui correctionem Puteani alioquin inſignem intulit libris Tullii.

2. *Perſequitur in tabulis cenſoriis, &c.*] Puteanus mallet, *perſ. ut in tabulis.* non male.

3. *Quoad fecerit iter apertius.*] Ita libri ſcripti & editiones ante P. Manutium, qui malebat *quo adieclarat iter apert.* quem ſecutus eſt Lambinus, aliique. neſcio quàm bene. vulgata ſanè æquè recta eſt. Gulielmius conjiciebat, *quò adegerit iter.*

4. *Agrum optimum & fructuoſiß.*] P. Manutius publicavit *opimum*, præter ſcripta exemplaria; quæ ſic iterum ſcribunt oratione ſequenti, capite 4.

5. *Ornatam vobis majores veſtri.*] Nihilo deterius Pal. pr. & editi primitus, *nobis majores noſtri.* Manutius recepit prius, abnuit poſterius. quare, neſcio. ſi obtemperandum erit Pal. ſec. illud *veſtri* totum delebimus, utpote cujus nullum in eo exemplari veſtigium.

1. *Duas*

formidoloſa, quam *quæſtuoſa concurſatio* decemviralis futura ſit, non videtis? Hereditatum obeundarum cauſa, quibus vos legationes dediſtis, qui & privati, & privatum ad negotium exierunt, non maximis opibus, neque ſumma auctoritate præditi, tamen auditis profectò, quàm graves eorum adventus ſociis veſtris eſſe ſoleant. Quamobrem quid putatis impendêre hac lege omnibus gentibus terroris & mali, cùm mittantur in orbem terrarum decemviri *ſummo cum imperio*, ſumma cum avaritia, infinitaque omnium rerum cupiditate? quorum cùm adventus graves, cùm faſces formidoloſi, tum verò judicium, ac poteſtas erit non ferenda. licebit enim, quod videbitur, publicum judicare: quod judicarint, vendere. etiam illud, quod homines ſancti non facient, *ut pecuniam accipiant*, *ne vendant:* tamen id iis ipſum per legem licebit. hinc vos quas ſpoliationes, quas pactiones, quam denique in omnibus locis nundinationem juris, ac fortunarum fore putatis? Etenim quod ſuperiore parte legis præfinitum fuit, Sulla, & Pompejo conſulibus, id rurſus liberum, infinitumque fecerunt.

4 Jubet eoſdem decemviros omnibus agris publicis pergrande *vectigal imponere*, ut iidem poſſint & liberare agros, quos commodum ſit, &, quos ipſis libeat, publicare. quo in judicio perſpici non poteſt, utrùm ſeveritas, acerbior; an benignitas, quæſtuoſior ſit futura. Sunt tamen in tota lege exceptiones duæ, non tam iniquæ, quàm *ſuſpicioſæ.* excipit in vectigali imponendo, agrum Recentoricum Sicilienſem: in vendendis agris, eos agros, de quibus cautum ſit fœdere. hi ſunt in Africa, qui ab Hiempſale poſſidentur. Hìc quæro, ſi Hiempſali ſatis eſt cautum fœdere, & Recentoricus ager, privatus eſt: quid attinuerit excipi? ſin & fœdus illud habet aliquam dubitationem, & ager Recentoricus dicitur nonnumquam eſſe publicus: quem putet exiſtimaturum [1] duas cauſas in orbe terrarum repertas, quibus gratis parceret? [2] Nunc quiſnam tam abſtruſus uſquam nummus videtur, quem non architecti hujuſce legis olfecerint? provincias, civitates liberas, ſocios, amicos, reges denique exhauriunt: admovent manus vectigalibus populi Romani. non eſt ſatis. [3] Audite, audite vos, qui ampliſſimo populi, ſenatuſque judicio exercitus habuiſtis, & bella geſſiſtis. QUOD AD QUEMQUE PERVENIT, pervenerit, ex præda, ex manubiis, ex auro coronario, quod neque conſumtum in monumento, neque in ærarium relatum ſit, id ad decemviros referri jubet. Hoc capite multa ſperant: in omneis imperatores, heredeſque eorum *quæſtionem* ſuo judicio comparant: ſed maximam pecuniam ſe à Fauſto ablaturos arbitrantur. quam cauſam ſuſcipere jurati judices noluerunt, hanc iſti decemviri ſuſcepere. idcirco à judicibus fortaſſe prætermiſſam eſſe arbitrantur, quod ſit ipſis reſervata. Deinde etiam *in reliquum tempus* diligentiſſime ſancit, ut, quod quiſque imperator habeat pecuniæ, protinus ad decemviros deferat. Hic tamen excipit Pompejum; ſimillimè, ut mihi videtur, atque in illa lege, qua peregrini Roma ejiciuntur, Glaucippus excipitur. non enim hac exceptione unus afficitur beneficio, [4] ſed unus *privatur injuria.* Sed cui manubias remittit, hujus vectigalia invadit. jubet enim PECUNIAM, ſiqua poſt nos conſules [5] ex novis vectigalibus recipiatur, hac uti decemviros. Quaſi verò non intelligamus, hæc eos vectigalia, quæ Cn. Pompejus adjunxerit, vendere cogitare. Videtis jam P. C. [6] omnibus rebus, & modis con- 5
ſtructam, & coacervatam pecuniam decemviralem. Minuetur hujus pecuniæ invidia. conſumetur enim in *agrorum emtionibus.* Optimè. Quis ergo emet agros iſtos? iidem decemviri: tu Rulle (miſſos enim facio ceteros) emes, quos voles: vendes quos voles: utrumque horum facies, quanti voles. Cavet enim vir optimus, ne emat ab invito. quaſi verò non intelligamus, ab invito emere, *injurioſum* eſſe: ab non invito, *quæſtuoſum.* Quantum tibi agri vendet, ut alios omittam, ſocer tuus? &, ſi ego ejus æquitatem animi probè novi, vendet non invitus. Facient idem ceteri libenter, ut *poſſeſſionis invidiam pecunia commutent:* accipiant, quod cupiunt: dent, quod retinere vix poſſunt. Nunc proſpicite omnium rerum infinitam, atque intolerandam licentiam. Pecunia coacta eſt ad agros emendos: ii porrò ab invitis non ementur. Si conſenſerint poſſeſſores non vendere, quid futurum eſt? referetur pecunia? non licet. exigetur? vetat. Verùm eſto: *nihil eſt, quod non emi poſſit*; *ſi tantum des, quantum velit venditor.* Spoliemus orbem terrarum, vendamus vectigalia, effundamus ærarium, ut, locupletatis aut invidiæ, aut peſtilentiæ poſſeſſoribus, agri tamen emantur. Quid tum? quæ erit in iſtos agros deductio? quæ totius rei ratio, atque deſcriptio? DEDUCENTUR, inquit, COLONIÆ. [7] Quot? quorum hominum? in quæ loca? quis enim non videt, in coloniis eſſe hæc omnia conſideranda? Tibi nos, Rulle, & iſtis tuis, harum omnium rerum machinatoribus, totam Italiam inermem tradituros exiſtimaſti, quam præſidiis confirmaretis? coloniis occuparetis? omnibus *vinclis devinctam*, & conſtrictam teneretis? Ubi enim cavetur, ne in Janiculo coloniam conſtituatis? ne urbem hanc urbe alia premere, atque urgere poſſitis? Non faciemus, inquit. Primùm neſcio: deinde timeo: poſtremò non committam, ut *veſtro beneficio* potiùs, quàm *noſtro conſilio ſalvi* eſſe poſſimus. Quòd verò totam Italiam veſtris colonis complere 6
voluiſtis, id cujuſmodi eſſet, [8] neminemne noſtrum intellecturum exiſtimaviſtis? Scriptum eſt enim: QUÆ IN MUNICIPIA, QUASQUE IN COLONIAS DECEM-VIRI VELINT, DEDUCANT COLONOS, QUOS VELINT: ET IIS AGROS ASSIGNENT, QUIBUS IN LOCIS VELINT: ut, cùm totam Italiam militibus ſuis occuparint, vobis non modò dignitatis retinendæ, ſed ne libertatis quidem recuperandæ ſpes relinquatur. Atque hæc à me ſuſpicionibus & conjectura coarguuntur. Jam omnis omnium tolletur error: jam apertè oſtendent, ſibi nomen hujus reipubl. ſedem urbis, atque imperii: denique hoc templum Jovis optimi maximi, atque hanc arcem omnium gentium diſplicere. Capuam deduci colonos volunt. illam urbem huic urbi rurſus opponere, illuc opes ſuas deferre, *& imperii nomen transferre* cogitant. qui locus propter ubertatem agrorum, abundantiamque rerum omnium, ſuperbiam, & crudelitatem genuiſſe dicitur: ibi noſtri coloni, delecti ad omne facinus, à decemviris collocabuntur. Et, credo, QUA IN URBE homines, in veteri dignitate, fortunaque nati, copiam rerum moderatè ferre non poterunt, in ea iſti *veſtri ſatellites*, modeſtè inſolentiam ſuam continebunt. Majores noſtri Capua magiſtratus, ſenatum, conſilium commune,
omnia

1. *Duas cauſas in orbe terrarum repertas, quibus gratis parceret.*] Gratia magna Claudio Puteano, cujus rationes Lambino manus tenuerunt, ne locum iſtum miſerè truncaret, & ſic tamen Monſtrolienſis ille non adſecutus eſt auctoris noſtri mentem.

2. *Nunc quiſnam tam abſtruſus, &c.*] Pall. duo. (nec enim plures ſunt qui hanc ſervent orationem, *tandem abſtruſus.*

3. *Audite, audite vos, qui &c.*] Vox geminata nunc primum accedit libris noſtris, à Pal. ſec. & Turingico Erfurd.

4. *Sed unus privatur injuria.*] Lambinus obtrudit, *prohibetur*; ſed bene quod addit, id facere omnibus & vulgatis & mſſ. invitis.

5. *Ex novis vectigalibus recipiatur.*] Ita edd. vett. ita Pall. Lambinus juſſit reſcriberemus, *reficiatur.* quo jure?

6. *Omnibus rebus & modis.*] Lambinus *rationibus*; minus bene; nec ſuffragantur libri. *Res* intelligit, quibus conficeretur pecunia; *modos*, conſilia, quibus in ead. conficienda nitebantur. *Gulielm.*

7. *Quot? quorum hominum.*] Eſt à conjectura Bernardini Lauredani; cui favet à ſecunda manu Palat. ſec. qui prius habuerat bis, *Quorum? quorum hominum, &c.* vulgo erat, *Quo? quorum hominum:* quod etiam habet quo ſe tueatur, præcipue loco infra libro altero cap. 27. f. Puteanus quoque vulgatam impugnat, addito: *Quo*, heic non ſignificat locum, ut illi putant, ſed quorſum, quam ob cauſam, quem ad finem. nam in coloniis deducendis, cum alia, tum cauſæ in primis conſiderari oportebat, propter quas coloniæ deducerentur. de quibus Sigonius de Antiquo jure Italiæ. cauſam vero Rullus in Senatu probare voluerat ad exhauriendam plebem urbanam. ſic *quo* ſumitur IV. Verrina, item lib. VII. Ep. fam. 41.

8. *Neminem noſtrum intellecturum exiſtimaviſtis.*] Eſt à Pal. ſec. neque aliter Latine loquendi ratio patitur. prius publicati, *exiſtimatis.*

omnia denique inſignia reipubl. ſuſtulerunt, neque aliud quidquam, niſi inane nomen Capuæ reliquerunt: non crudelitate (quid enim illis fuit clementius, qui etiam externis *hoſtibus victis* ſua ſæpiſſimè reddiderunt?) ſed conſilio: quod videbant, ſi quod reip. veſtigium illis mœnibus contineretur, urbem ipſam imperio *domicilium* præbere poſſe. Vos hæc, niſi evertere remp. cuperetis, ac vobis novam dominationem comparare, credo, quàm pernicioſa
7 eſſent, non videretis. [1] Quid enim cavendum eſt in coloniis deducendis? ſi luxuries Hannibalem ipſum [2] Capua corrupit. ſi ſuperbia: nata inibi eſſe ex Campanorum faſtidio videtur. ſi præſidium: non præponitur huic urbi, iſta colonia, ſed opponitur? At quemadmodum armatur? dii immortaleis! nam bello Punico, quidquid potuit Capua, potuit ipſa per ſeſe. nunc omneis urbes, quæ circum Capuam ſunt, à colonis per eoſdem decemviros occupabuntur. hanc enim ob cauſam permittit ipſa lex, IN OMNIA, QUÆ VELINT, OPPIDA, COLONOS UT DECEMVIRI DEDUCANT, QUOS VELINT. Atque his colonis agrum Campanum, & Stellatem campum dividi jubet. Non queror diminutionem vectigalium, non flagitium hujus jacturæ, atque damni: prætermitto illa, quæ nemo eſt, quin graviſſimè, & veriſſimè conqueri poſſit, nos *caput patrimonii publici*, pulcherrimam populi Romani poſſeſſionem, ſubſidium annonæ, horreum belli, ſub ligno, clauſtriſque reipubl. poſitum vectigal, ſervare non potuiſſe: eum denique nos agrum P. Rullo conceſſiſſe, qui ager ipſe per ſeſe & Sullanæ dominationi, & Gracchorum largitioni reſtitiſſet. non dico, ſolum hoc in republ. vectigal eſſe, quod, *amiſſis aliis*, remaneat: intermiſſis, non conquieſcat: in pace niteat, in bello non obſoleſcat: militem ſuſtentet, hoſtem non pertimeſcat. prætermitto omnem hanc orationem, & concioni reſervo: de periculo ſalutis, ac libertatis loquor. Quid enim exiſtimatis integrum vobis in repub. fore, aut in veſtra libertate, [3] ac dignitate retinendum, cùm Rullus, atque ii, quos multo magis, quàm Rullum, timetis, cum omni egentium, atque improborum manu, cum omnibus copiis, cum omni argento, & auro, Capuam, & urbeis circa Capuam occuparint? His ego rebus, P. C. reſiſtam vehementer, atque acriter: neque patiar, homines ea, me conſule, expromere, quæ *contra remp.* diu cogitarint. Erraſtis, Rulle, vehementer & tu, & nonnulli collegæ tui, qui ſperaſtis, vos contra conſulem, veritate, non *oſtentatione* popularem, poſſe in evertenda republ. populareis exiſtimari. laceſſo vos; in concionem voco; populo Roma-
8 no diſceptatore uti volo. Etenim, ut circumſpiciamus omnia, quæ populo grata, atque jucunda ſunt, NIHIL TAM POPULARE, quàm pacem; quàm concordiam, quàm otium reperiemus. ſollicitam mihi civitatem ſuſpicione, ſuſpenſam metu, perturbatam veſtris legibus, & concionibus, & ſeditionibus tradidiſtis: ſpem improbis oſtendiſtis: timorem bonis injeciſtis: fidem de foro, dignitatem de republ. ſuſtuliſtis. Hoc motu, atque hac perturbatione animorum, atque rerum cùm populo Roman. vox, & auctoritas conſulis repentè in tantis tenebris illuxerit: cùm oſtenderit, nihil eſſe metuendum, nullum exercitum, nullam manum, nullas colonias, nullam venditionem vectigalium, nullum imperium novum, nullum *regnum decemvirale*, nullam alteram Romam, neque aliam ſedem imperii, nobis conſulibus, futuram, ſummamque tranquillitatem pacis, atque otii: verendum, credo, nobis erit, ne veſtra illa præclara lex Agraria, magis popularis eſſe videatur. cùm verò ſcelera conſiliorum veſtrorum, *fraudemque legis*, & inſidias, quæ ipſi populo Romano à popularibus tribunis pl. fiant, oſtendero, [4] pertimeſcam, credo, ne mihi non liceat contra vos in concione conſiſtere: præſertim cùm mihi deliberatum, & conſtitutum ſit, ita gerere conſulatum, quo uno modo geri *graviter*, & *liberè* poteſt, ut neque provinciam, neque honorem, neque ornamentum aliquod, aut commodum, neque rem ullam, quæ à tribuno pl. impediri poſſit, appetiturus ſim. Dicit frequentiſſimo ſenatu conſul, Kalendis Januarii, ſeſe, ſi ſtatus hic reipub. maneat, neque aliud negotium exſtiterit, quod honeſtè ſubterfugere non poſſit, in provinciam non iturum. Sic me [5] in hoc magiſtratu geram populo Rom. ut poſſim tribunum pl. reipub. iratum coërcere: mihi iratum, contemnere. Quamobrem, per deos immortaleis, colligite vos, tri-
buni pl. deſerite eos, à quibus, niſi proſpicitis, brevi tem- 9
pore deſeremini: conſpirate nobiſcum: conſentite cum bonis: communem rempub. *communi ſtudio*, *atque amore* defendite. multa ſunt occulta reipub. vulnera, multa nefariorum civium pernicioſa conſilia: nullum externum periculum eſt, non rex, non gens ulla, non natio pertimeſcenda eſt: incluſum malum, inteſtinum, ac *domeſticum* eſt. huic pro ſe quiſque noſtrûm mederi, atque hoc omnes ſanare velle debemus. Erratis, ſi ſenatum probare ea quæ dicuntur à me, putatis, populum autem eſſe in alia voluntate. Omnes, qui ſe *incolumeis* volunt, ſequentur auctoritatem conſulis, ſoluti à cupiditatibus, [6] liberi à delictis, cauti in periculis, non timidi in contentionibus. Quòd ſi quis veſtrûm ſpe ducitur, ſe poſſe turbulenta ratione *honori velificari* ſuo: primùm, me conſule, id ſperare deſiſtat: deinde habeat me ipſum ſibi documento, quem equeſtri ortum loco conſulem videt, quæ *vitæ via* facillimè viros bonos ad honorem, dignitatemque perducat. Quòd ſi vos veſtrum mihi ſtudium, P. C. ad communem dignitatem defendendam profitemini, perficiam profectò id, quod maximè reſp. deſiderat, ut hujus ordinis auctoritas, quæ apud majores noſtros fuit, eadem nunc longo intervallo reipub. reſtituta eſſe videatur.

M. TUL-

1. *Quid enim cavendum eſt, &c.*] Non opus negatione quod Lambino videtur. diſtinctione clariore opus erat, quam adhibui, ſecutus veſtigia P. Manutii.

2. *Capua corrupit.*] Expreſſi quod erat in Pall. retro enim vulgata *Capuæ*.

3. *Ac dignitate retinendum.*] Erfurd. *retinenda.* cui accedit utcumque Pal. ſec. in quo, *retinendam*.

4. *Pertimeſcam credo, ne mihi non liceat, &c.*] Pal. ſec. haud agnoſcit *non*: & poterat abeſſe.

5. *In hoc magiſtratu geram populo Rom. ut poſſim.*] Recepit Lambinus conjecturam Lauredani, *geram*, *P. C. ut poſſ.* ſed tamen nihil vitii eſt in vulgata.

6. *Liberi à delictis.*] Lambini conjectura, *à delitiis.* ſed quorſum ita tandem? an non hoc palam eſt, Ciceronem dicere; ſibi aſſenſuros, qui neque rerum novarum cupidi, neque ſcelerum ſibi ſint conſcii.

M. TULLIUS CICERO DE LEGE AGRARIA, CONTRA P. SERVILIUM RULLUM, TRIBUNUM PLEBIS, AD POPULUM.

ORATIO DECIMASEXTA.

1 EST hoc in more poſitum, Quirites, inſtitutoque majorum, ut ii, qui beneficio veſtro *imagines* familiæ ſuæ conſecuti ſunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficii veſtri cum ſuorum laude conjungant, qua in oratione nonnulli aliquando digni majorum loco reperiuntur: plerique autem hoc perficiunt, ut tantum majoribus eorum debitum eſſe videatur, unde etiam quod *poſteris ſolveretur*, redundaret. Mihi quidem apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur: non quòd nòn tales fuerint, qualeis nos illorum ſanguine creatos, diſciplinisque inſtitutos videtis: ſed quòd laude populari, atque honoris veſtri luce caruerunt. De me autem ipſo, vereor, ne arrogantis ſit apud vos dicere: ingrati, tacere. nam &, quibus *ſtudiis* hanc dignitatem conſecutus ſim, memetipſum commemorare, perquàm grave eſt: & ſilere de tantis veſtris beneficiis nullo modo poſſum. Quare adhibebitur à me certa ratio, moderatioque dicendi; ut, quid à vobis acceperim, commemorem: quare dignus veſtro ſummo honore, ſingularique judicio ſim, ipſe modicè dicam, ſi neceſſe erit: vos eoſdem exiſtimaturos putem, qui judicaviſtis. Me perlongo intervallo propè memoriæ, temporumque noſtrorum, primum *hominem novum*, conſulem feciſtis: & eum locum, quem nobilitas præſidiis firmatum, atque omni ratione obvallatum tenebat, me duce, reſcidiſtis: *virtutique in poſterum patêre voluiſtis.* neque me tantummodo conſulem, quod eſt ipſum per ſeſe ampliſſimum, ſed ita feciſtis, quomodo pauci nobileis in hac civitate conſules facti ſunt, novus ante me
2 nemo. Nam profectò ſi recordari volueritis, de novis hominibus reperietis eos, qui *ſine repulſa* conſules facti ſunt, diuturno labore, atque aliqua occaſione eſſe factos, cùm multis annis poſt petiſſent, quàm prætores fuiſſent, aliquantò ſeriùs, quàm per ætatem, ac per leges liceret: qui autem anno ſuo petierint, ſine repulſa non eſſe factos: me eſſe unum ex omnibus novis hominibus, de quibus meminiſſe poſſumus, qui conſulatum petierim, cùm primùm licitum ſit: conſul factus ſim, cùm primùm petierim: ut veſter honos ad mei temporis diem petitus, non ad alienæ petitionis occaſionem interceptus, nec diuturnis precibus efflagitatus, ſed *dignitate impetratus* eſſe videatur. Eſt illud ampliſſimum, quod paullo ante commemoravi, Quirites, quod hoc honore ex novis hominibus primùm me, [1] multis poſt annis, affeciſtis: quod prima petitione: quod anno meo: ſed tamen magnificentius, atque ornatius eſſe illo nihil poteſt, quod meis comitiis non [2] tabellam vindicem tacitæ libertatis, ſed *vocem vivam* præ vobis indicem veſtrarum erga me voluntatum, ac ſtudiorum tuliſtis. Itaque me non extrema tribus ſuffragiorum, ſed primi illi veſtri concurſus: neque ſingulæ voces præconum, ſed una voce univerſus populus Romanus conſulem declaravit. Hoc ego tam inſigne, tam ſingulare veſtrum beneficium, Quirites, cùm ad animi mei fructum, atque lætitiam duco eſſe permagnum, tum ad curam, ſollicitudinemque multò majus. Verſantur enim, Quirites, in animo meo multæ, & graves cogitationes, quæ mihi nullam partem neque diurnæ, neque nocturnæ quietis impertiunt: primùm *tuendi conſulatus:* quæ cùm omnibus eſt difficilis, & magna ratio, tum verò mihi, præter ceteros: [3] cui errato, nulla venia; rectè facto, exigua laus, & ab invitis expreſſa proponitur: non, dubitanti fidele conſilium: non, laboranti certum ſubſidium nobilitatis oſtenditur. Quòd ſi ſolus in diſcrimen ali- 3
quod adducerer: ferrem, Quirites, animo æquiore: ſed mihi videntur certi homines, ſi qua in re me non modo conſilio, verùm etiam *caſu lapſum* eſſe arbitrabuntur, vos univerſos, qui me antetuleritis nobilitati, vituperaturi. mihi autem Quirites, omnia potius perpetienda eſſe duco, quàm non ita gerendum conſulatum, ut in omnibus meis factis, atque conſiliis, veſtrum de me *factum*, *conſiliumque laudetur.* Accedit etiam ille mihi ſummus labor, ac difficillima ratio conſulatus gerendi, quòd non eadem, qua ſuperioribus conſulibus, lege, & conditione utendum eſſe decrevi: qui aditum hujus loci, conſpectumque veſtrum partim magnoperè fugerunt, partim non vehementer ſecuti ſunt. Ego autem non ſolùm hoc in loco dicam, ubi eſt id dictu facillimum: ſed in ipſo ſenatu, in quo eſſe locus huic voci non videbatur, POPULAREM ME FUTURUM ESSE CONSULEM, prima mea illa oratione Kal. Januar. dixi. Neque enim ullo modo facere poſſum, ut, cùm me intelligam, non hominum potentium ſtudio, non excellentibus gratiis paucorum, ſed univerſi populi Romani judicio conſulem ita factum, ut nobiliſſimis hominibus longè præponeret: non & in hoc magiſtratu, & in omni vita eſſem popularis. Sed mihi ad hujuſce verbi vim, & interpretationem vehementer opus eſt veſtra ſapientia. verſatur enim magnus error, propter inſidioſas nonnullorum *ſtimulationes:* qui cùm

1. M*Ultis poſt annis, affeciſtis.*] Sic maluerat ex Erfurd. Suffridi Gulielmius; reſpondebatque Pal. ſecund. optimi commatis liber. vulgata, *multis poſthabitis aff.* an vere? neque enim M. Tullius primus homo novus adeptus eſt. prima petitione fortaſſe primus. ſed hoc, ut in gra[illegible]ue, mox ponit. ut heic hoc velit, in ſe primo poſt longum intervallum uſurpatum populi jus. verum nihil pertendo: tantum ſecundas ago Gulielmio.

2. *Tabellam vindicem tacitæ libertatis.*] Secuti ſumus, non tam conjectaneum Lauredani, quàm fidem Erfurd. codicis & Pal. pr. ac ſec. in quibus hæc lectio; non vulgata, *indicem*; quæ nihili eſt; haudque adeo agnoſcitur àb editione anni CCCCLXXXII.

3. *Cui errato nulla venia.*] Edd. vett. *cùm errato*; quod & in Pal. pr. nam ſec. *cujus errato*, ſententia clariſſima. Rivius ad Terentii Hecyram ſtat pro vulgata, qui adeatur.

populi non ſolùm commoda, verùm etiam ſalutem oppugnant, & impediunt, oratione aſſequi volunt, ut populares eſſe videantur. Ego qualem Kalendis Januarii acceperim reipub. Quirites, intelligo: plenam ſollicitudinis, plenam timoris. in qua nihil erat mali, nihil adverſi, quod non boni metuerent, improbi exſpectarent. omnia turbulenta conſilia contra hunc reipubl. ſtatum, & contra veſtrum otium partim iniri, partim, nobis conſulibus deſignatis, inita eſſe dicebantur. ſublata erat de *foro fides*, non ictu aliquo novæ calamitatis, ſed ſuſpicione, ac perturbatione judiciorum, infirmatione rerum judicatarum: novæ dominationes; extraordinaria, non imperia, ſed *regna*, quæri
4 putabantur. Quæ cum ego non ſolùm ſuſpicarer, ſed planè cernerem: (neque enim obſcurè gerebantur.) dixi in ſenatu, in hoc magiſtratu me popularem conſulem futurum. Quid enim eſt tam populare, quàm PAX? qua non modò ii, quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta, atque agri mihi lætari videntur. Quid tam populare, quam LIBERTAS? quam non ſolum ab hominibus, verùm etiam a beſtiis expeti, atque omnibus rebus anteponi videtis. Quid tam populare, quàm OTIUM? quod ita jucundum eſt, ut & vos, & majores veſtri, & fortiſſimus quiſque vir, maximos labores ſuſcipiendos putet, ut aliquando in otio poſſit eſſe, præſertim in imperio, ac dignitate: qui idcircò etiam majoribus noſtris præcipuam laudem, gratiamque debemus, quòd *eorum labore* eſt factum, ut impunè in otio eſſe poſſemus. Quare quî poſſum, non eſſe popularis, cùm videam hæc omnia, Quirites, pacem externam, libertatem propriam generis, ac nominis veſtri, otium domeſticum, denique omnia, quæ vobis cara atque ampla ſunt, in fidem, & quodam modo in patrocinium mei conſulatus eſſe collata? Neque enim, Quirites, illud vobis jucundum, aut populare debet videri, LARGITIO ALIQUA PROMULGATA, quæ verbis oſtentari poteſt, re vera fieri, niſi exhauſto ærario, nullo pacto poteſt. neque verò illa popularia ſunt exiſtimanda, judiciorum perturbationes, rerum judicatarum infirmationes, reſtitutio damnatorum: qui civitatum afflictarum, perditis jam rebus, [1] extremi exitiorum ſolent eſſe exitus. neque ſiqui agros populo Rom. pollicentur, ſi aliud quiddam obſcurè moliuntur, aliud *ſpe ac ſpecie*
5 ſimulationis oſtentant, populares exiſtimandi ſunt. Nam verè dicam, Quirites, genus ipſum legis Agrariæ vituperare non poſſum. venit enim mihi in mentem, duos clariſſimos, ingenioſiſſimos, amantiſſimos plebis Romanæ viros, Ti. & C. Gracchos, plebem in agris publicis conſtituiſſe, qui agri *à privatis* antea poſſidebantur. non ſum autem ego is conſul, qui, ut plerique, nefas eſſe arbitrer, Gracchos laudare: quorum conſiliis, ſapientia, legibus, multas eſſe video reipublicæ parteis conſtitutas. Itaque, ut initio mihi, deſignato conſuli, nuntiabatur, legem Agrariam tribunos plebis deſignatos conſcribere: cupiebam, quod cogitarent, cognoſcere. etenim arbitrabar, quoniam eodem anno gerendi nobis eſſent magiſtratus, eſſe aliquam oportere inter nos *reipublicæ bene adminiſtrandæ ſocietatem.* Cum familiariter me in eorum ſermonem inſinuarem, ac darem; celabar, excludebar, &, cùm oſtenderem, ſi lex utilis plebi Romanæ mihi videretur, auctorem me, atque adjutorem futurum: tamen aſpernabantur hanc liberalitatem meam: negabant, me adduci poſſe, ut ullam largitionem probarem. finem feci *offerendi mei*, ne fortè mea ſedulitas, aut inſidioſa, aut impudens videretur. Interea non deſiſtebant clàm inter ſe convenire, privatos quoſdam adhibere, ad ſuos cœtus occultos noctem adjungere, & *ſolitudinem.* quibus rebus, quanto in metu fuerimus, ex veſtra ſollicitudine, in qua illis temporibus fuiſtis, facilè aſſequi conjectura poteritis. Ineunt tandem magiſtratus tribuni pleb. [2] concio tandem exſpectata P. Rulli, quòd & princeps erat Agrariæ legis, & truculentiùs ſe gerebat, quàm ceteri. [3] Jam deſignatus; alio vultu, alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur: veſtitu obſoletiore, corpore inculto & horrido, capillatior, quàm antè, barbaque majore: ut oculis, & adſpectu denuntiare omnibus *vim tribunitiam,* & minitari reipub. videretur. Legem hominis, concionemque exſpectabam. Lex initiò nulla proponitur: concionem in primis advocari jubet: ſumma cum exſpectatione concurritur. explicat orationem ſanè longam, & verbis valdè bonis. Unum erat, quod mihi vitioſum videbatur, quòd tanta ex frequentia inveniri nemo potuit, qui *intelligere poſſet*, quid diceret. hoc ille utrùm inſidiarum cauſa fecerit, an hoc genere eloquentiæ delectetur, neſcio. Tamen, [4] ſiqui acutiores in concione ſteterant, de *lege Agraria* neſcio quid voluiſſe eum dicere, ſuſpicabantur. Aliquando tandem, me deſignato, [5] lex in publicum proponitur. concurrunt juſſu meo plures uno tempore librarii: deſcriptam legem ad me afferunt. [6] Omni hoc vobis ratione 6
confirmare poſſum, Quirites, hoc animo me ad legendam legem, cognoſcendamque veniſſe, ut, ſi eam vobis accommodatam, atque utilem eſſe intelligerem, auctor ejus, atque adjutor eſſem. non enim natura, neque *diſcidio*, neque *odio* penitus inſito, bellum neſcio quod habet ſuſceptum conſulatus cum tribunatu; [7] quia perſæpe ſeditioſis, atque improbis tribunis plebis, boni & fortes conſules obſtiterunt, & quia vis tribunitia nonnumquam libidini reſtitit conſulari. NON POTESTATUM diſſimilitudo, ſed animorum disjunctio diſſenſionem facit. Itaque hoc animo legem ſumſi in manus, ut eam cuperem eſſe aptam veſtris commodis, & ejuſmodi, quam conſul, re, non oratione, popularis, & honeſtè, & libenter poſſet defendere. Atque ego à primo capite legis, uſque ad extremum, reperio, Quirites, nihil aliud cogitatum, nihil aliud ſuſceptum, nihil aliud actum, niſi ut *decem reges*, ærarii, vectigalium, provinciarum omnium, totius reipublicæ regnorum, liberorum populorum, orbis denique terrarum, domini conſtituerentur, legis Agrariæ ſimulatione, atque nomine. Sic confirmo, Quirites, hac lege Agraria, pulchra atque populari, dari vobis nihil, condonari certis hominibus omnia: *oſtentari populo Romano agros, eripi etiam libertatem:* privatorum pecunias augeri, publicas exhauriri: denique, quod eſt indigniſſimum, per tribunum plebis, quem majores præſidem libertatis, cuſtodemque eſſe voluerunt, reges in civitate conſtitui. Quæ cùm expoſuero, ſi falſa vobis videbuntur eſſe: ſequar auctoritatem veſtram; mutabo meam ſententiam. ſin inſidias fieri libertati veſtræ, ſimulatione largitionis, intelligetis: nolitote dubitare, plurimo ſudore, & [8] ſanguine majorum veſtrorum partam, nobiſque traditam libertatem, nullo veſtro labore, conſule adjutore, defen-
dere. Primum caput eſt legis Agrariæ: quo, ut illi putant, 7
tentamini leviter, quo animo libertatis veſtræ diminutionem ferre poſſitis. Jubet enim TRIBUNUM PLEBIS, QUI EAM LEGEM TULERIT, CREARE DECEMVIROS PER TRIBUS SEPTEMDECIM; UT, QUEM NOVEM TRIBUS FECERINT, IS DECEMVIR SIT. Hic quæro, quam ob cauſam initium

1. *Extremi exitiorum ſolent eſſe exitus.*] Lambinus amoliri cuperet illud *exitiorum.* præter mſſ. e quibus tamen Pal. pr. non habet, *extremi.*

2. *Concio tandem exſpectata.*] Lambinus abjecerat *tandem*, quod tamen bis ponitur in Pal. ſec. nec male. Gulielmius conjiciebat, *exſpectatur.*

3. *Jam deſignatus, &c.*] Lambinus præmittit, *Nam jam deſign.* ſed nullo adminiculante libro vetere.

4. *Si qui acutiores in concione.*] Firmatur & iſtud à mſſ. noſtris, contra pruriginem Lambinianam.

5. *Lex in publicum.*] Lambinus *in publico*; verum invitis Pall. & olim editis.

6. *Omni hoc vobis ratione.*] Lambinus cenſet legendum *aſſeveratione*, & id intulit libris ſuis. ſed quis eum cenſorem conſtituit?

7. *Quia perſæpe, &c.*] Lambinus præpoſuit, *ſed*; nullo ſuffragante exemplari; imo ne ulla quidem ratione.

8. *Sanguine majorum veſtrûm partam vobiſque traditam.*] Sic Pal. pr. non *veſtrorum*, ut editi, item *vobiſque*; verum ſi ſequimur Pal. ſec. reponendum, *majorum noſtrûm.* nam cum is prius exaraſſet *noſtrorum*, id mox induxit ſubſtituitque alterum.

initium rerum, ac legum ſuarum hinc duxerit, ut populus Romanus *ſuffragio privaretur*. toties legibus Agrariis curatores conſtituti ſunt, triumviri, quinqueviri, decemviri: quæro à populari tribuno plebejo, ecquando, niſi per xxxv tribus creati ſint. Etenim cùm *OMNES POTESTATES*, imperia, curationes ab univerſo populo Romano proficiſci convenit, tum eas profectò maximè, quæ conſtituuntur ad populi fructum aliquem, & commodum; in quo & univerſi deligant, quem populo Romano maximè conſulturum putent, & unuſquiſque ſtudio, & ſuffragio ſuo viam ſibi ad beneficium impetrandum munire poſſit. Hoc tribuno plebis potiſſimùm venit in mentem, populum Romanum univerſum privare ſuffragiis, paucas tribus, non certa conditione juris, ſed *ſortis beneficio*, fortuitò, ad uſurpandam libertatem vocare. [1] *ITEM*, inquit, *EODEMQUE MODO*, capite altero, UT COMITIIS PONTIFICIS MAXIMI. Ne hoc quidem vidit, majores noſtros tam fuiſſe populareis, ut, quod per populum creari fas non erat, propter religionem ſacrorum, in eo tamen, propter amplitudinem ſacerdotii voluerint populo ſupplicari. atque hoc idem de ceteris ſacerdotiis Cn. Domitius, tribunus plebis, vir clariſſimus, tulit: quòd populus per religionem ſacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur: ab ea parte qui eſſet factus, is à collegio cooptaretur. Videte, quid interſit inter Cn. Domitium, tribunum plebis, hominem nobiliſſimum, & P. Rullum, qui tentavit, ut opinor, patientiam veſtram, cùm ſe nobilem eſſe diceret. Domitius, quod per cæremonias populi fieri non poterat, *ratione* aſſecutus eſt, ut id, quoad poſſet, quoad fas eſſet, quoad liceret, [2] populi ad parteis daret: hic, quod populi proprium ſemper fuit, quod nemo imminuit, nemo immutavit, quin ii, qui populo agros eſſent aſſignaturi, antè acciperent à populo beneficium, quàm darent: id totum eripere vobis, atque è manibus extorquere conatus eſt. Ille, quod dari populo nullo modo poterat, tamen quodammodo dedit: hic, [3] quod adimi nullo pacto poterat, pote-
8 ſtate; quadam ratione eripere conatur. Quæret quiſpiam, in tanta injuria, tantaque impudentia *quid ſpectarit*. Non defuit conſilium: fides erga plebem Romanam, æquitas in vos, libertatemque veſtram, vehementer defuit. Jubet enim, comitia decemviris habere creandis eum, qui legem tulerit. Hoc dicam planiùs: Jubet Rullus, homo non cupidus, neque appetens, habere comitia Rullum. Nondum reprehendo. *video feciſſe alios*. illud, quod nemo fecit, de minore parte populi, quò pertineat, videte. Habebit comitia: volet eos renuntiare, quibus regia poteſtas hac lege quæritur. univerſo populo neque ipſe committit, neque illi horum conſiliorum auctores committi rectè putant poſſe. Sortietur tribus idem Rullus. homo felix educet, quas volet, tribus. quos novem tribus decemviros fecerint, ab eodem Rullo eductæ: hos omnium rerum (ut jam oſtendam) dominos habebimus. atque ii, ut grati, ac *memores beneficii* eſſe videantur, aliquid ſe novem tribuum notis hominibus debere confitebuntur: reliquis verò ſex, & xx tribubus, nihil erit, quod non putent poſſe ſuo jure denegare. Quos tandem igitur decemviros creari vult? Se primum. Qui licet? leges enim ſunt veteres, neque eæ conſulares, ſi quid intereſſe hoc arbitramini, ſed tribunitiæ, vobis, majoribuſque veſtris vehementer gratæ, atque jucundæ. Licinia eſt lex, atque altera Æbutia: quæ non modò *EUM, QUI TULERIT*, de aliqua curatione, ac poteſtate, ſed etiam collegas ejus, cognatos, affineis excipit, ne eis ea poteſtas, curatiove mandetur. Etenim, ſi populo conſulis: remove te à *ſuſpicione alicujus tui commodi*: fac fidem, te nihil, niſi populi utilitatem, & fructum quærere: ſine ad alios poteſtatem, ad te gratiam beneficii tui pervenire. nam hoc quidem vix eſt liberi populi, vix veſtrorum animorum, ac ma-
gnificentiæ. Quis legem tulit? Rullus. [4] Quis majorem 9
partem populi ſuffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis præfuit? Rullus. Quis tribus, quas voluit, vocavit, nullo cuſtode ſortitus? Quis decemviros, quos voluit, renunciavit? Idem Rullus. Quem principem renuntiavit? Rullum. Vix, mehercule, *ſervis* hoc eum ſuis, [5] non vobis, omnium *gentium dominis* probaturum arbitrarer. Optimæ leges igitur hac lege ſine ulla exceptione tollentur. Idem legis ſibi ſua lege curationem petet: idem, majore parte populi ſuffragiis ſpoliata, comitia habebit: quos volet, atque in iis *ſe ipſum renuntiabit*: & videlicet collegas ſuos, adſcriptores legis Agrariæ non repudiabit, à quibus ei locus [6] primus invidiæ in præſcriptione legis conceſſus eſt: ceteri fructus omnium rerum, qui in ſpe legis hujus poſiti ſunt, communi cautione, atque [7] æqua ſibi parte retinentur. At videte hominis diligentiam, ſi aut Rullum cogitaſſe, aut ſi Rullo potuiſſe in mentem venire arbitramini. Viderunt ii, qui hæc machinabantur, ſi vobis ex omni populo deligendi poteſtas eſſet data, quæcunque res eſſet, in qua *fides*, *integritas*, *virtus*, *auctoritas quæreretur*, vos eam ſine dubitatione ad Cn. Pompejum principem delaturos. Etenim, quem unum ex cunctis delegiſſetis, ut eum omnibus omnium gentium bellis terra, & mari præponeretis: certè in decemviris faciendis, ſive fides haberetur, ſive honos: & committi huic optimè, & ornari hunc juſtiſſimè poſſe intelligebant. Itaque *excipitur* hac lege, non adoleſcentia, non legitimum impedimentum, non poteſtas, non magiſtratus ullus, aliis negotiis, ac legibus impeditus, [8] non reus denique, quo minùs decemvir fieri poſſit. Præſentem eum profiteri jubet, quod nulla alia in lege umquam fuit, ne in his quidem magiſtratibus, quorum certus ordo eſt. Timebat enim, Pompejus ne ſi adeſſet, ferri non poſſet: aut, ne, ſi accepta lex eſſet, illum ſibi collegam adſcriberetis, *cuſtodem*, ac vindicem cupiditatum. Hîc, quoniam video vos 10
hominis dignitate, & contumelia legis eſſe commotos: renovabo

---

1. *Item, inquit, eodemque modo, capite altero, ut comitiis.*] Lauredanus ejicit, *eodemque modo*, ut gloſſema: quod non videtur Gulielmio; ſed libenter legerit, *Item, inquit, capite altero, eodemque modo, ut comitiis.* ſtat etiam pro vulgata Puteanus. quoniam in legibus ſcribundis multa ejuſmodi ad ſignificationem vel pleniorem, vel aptiorem inveniantur.

2. *Populi ad partes daret.*] Sana meo judicio lectio, explicatque auctor ſtatim poſt. ſed tamen Lauredanus mutat *populo*. Gulielmius reſcribit, *populi ad partes traheret.*

3. *Quod adimi nullo pacto poterat, poteſtate, quadam ratione eripere conatur.*] Haud aliter Pall. noſtri. Muretus tamen non admodum dubitat libro v. Variar. Lect. cap. 5. quin legendum ſit, *poterat, poteſtive quadam rat.* cui non aſſenſus fuit Gulielmius, neque ego adeo accedere poſſum.

4. *Quis majorem partem populi ſuffragiis prohibuit.*] Repoſui iſtud, abjecto *privavit*; quod alterum reſtaret in Pall. in Erfurd. & edd. antiquatis.

5. *Non vobis, omn. & arbitrarer.*] Placet lectio Pal. ſec. *arbitror.* Gulielmius mallet, *ne vobis*, *aut nedum vobis.*

6. *Primus invidiæ in præſcriptione legis conceſſus eſt.*] Pall. prim. & vett. edd. *& in præſcr.* quod reſtat item in Pal. ſec. habetque præterea, *primus in indice*: fere quod poſtremum etiam ex Turingicis codd. Suffridus Petri, cui id perplacebat; non etiam Gulielmio. ego hæreo; ac nuto. fereque propendeo in partem Suffridi mei.

7. *Æqua ſibi parte retinentur.*] Pall. ambo & vetuſti cuſi *æqua ei parte.* adeo ut non abhorream a Gulielmii conjectaneo, *æquabili parte.*

8. *Non reus denique.*] Negativa eſt à Lauredana; ne putemus fortè originem debere alicui codici calamo exarato. certe Pal. ſec. heic habet; *impeditus: reus denique, quo minus decemvir fieri poſſit, non excipitur: Cn. Pompejus excipitur, ne cum P. Rullo, taceo de ceteris, decemvir fieri poſſit. præſentem enim profiteri jubet: quod nulla in lege umquam fuit, ne in his quidem magiſtratibus quorum certus ordo eſt. ſive accepta lex eſſet, illum ſibi collegam adſcriberetis cuſtodem ac vindicem cupiditatum. Heic quoniam, &c.* & vero ultima illa clauſula, etiam viſitur in Palatino primo, in editionibus Venetis tribus, annorum nempe CCCCLXXIII. CCCCLXXXIII. ac CCCCXCIX. illius noſtri vulgati: *Timebat enim Pompejus, ne ſi adeſſet, ferri non poſſet: aut ne ſi*, in ſcriptis illis aut editis, vola nulla nec veſtigium. & vero prior pars hujus lectionis ipſiſſima eſt Ciceronis, atque admittenda in contextum. poſterior ſyllaba fortè una alteraque luxata eſt, quam emendabit ordo Criticus. moneo interim Pal. illum ſecundum, magis præ ſe ferre *ſine accepta lex*, quam *ſive*.

novabo illud, quod initiò dixi, *regnum comparari*, libertatem veſtram hac lege funditus tolli. An vos aliter exiſtimabatis, cùm ad omnia veſtra pauci [1] homines cupiditatis oculos adjeciſſent? non eos in primis id acturos, ut ex omni cuſtodia veſtræ libertatis, ex omni poteſtate, curatione, patrocinio veſtrorum commodorum Cn. Pompejus depelleretur? Viderunt, & vident, ſi per imprudentiam veſtram, negligentiam meam, legem incognitam acceperitis: fore, uti poſtea, cognitis inſidiis, cum decemviros crearitis: tum vitiis omnibus, & ſceleribus legis, Cn. Pompeji præſidium opponendum putetis. Et hoc parvum argumentum vobis erit, à certis hominibus dominationem, poteſtatemque omnium rerum quæri, cùm videatis, eum, quem cuſtodem veſtræ libertatis fore videant, *expertem fieri dignitatis?* Cognoſcite nunc, quæ poteſtas decemviris, & quanta detur. Primùm lege Curiata decemviros ornat. Jam hoc inauditum, & plane novo more, uti Curiata lege magiſtratus detur, qui nullis Comitiis antè ſit datus. Eam legem [2] ab eo prætore, qui ſit primus factus, ferri jubet. At quomodo? Ut ii decemviratum habeant, quos plebs deſignaverit. Oblitus eſt, nullos à plebe deſignari. Et is orbem terrarum conſtringit novis legibus, qui, quid in ſecundo capite ſcriptum eſt, non meminit in tertio? Atque hìc perſpicuum eſt, quid juris à majoribus acceperitis, quid ab hoc

11 tribuno plebis vobis relinquatur. [3] MAJORES de omnibus magiſtratibus bis vos ſententiam ferre voluerunt. [4] nam cùm Centuriata lex Cenſoribus ferebatur, cùm Curiata ceteris patriciis magiſtratibus; [5] tum iterum de eiſdem judicabatur, ut eſſet reprehendendi poteſtas, ſi populum *beneficii ſui pœniteret*. Nunc, quia prima illa comitia tenetis, centuriata, & tributa: curiata tantùm auſpiciorum cauſa remanſerunt. Hic autem tribunus plebis, quia videbat, poteſtatem neminem injuſſu populi, aut plebis poſſe habere, curiatis ea comitiis, [6] quæ vos non ſinitis, confirmavit: tributa, quæ veſtra erant, ſuſtulit. Ita, cùm majores [7] binis comitiis voluerint vos de ſingulis magiſtratibus judicare: hic homo popularis ne unam quidem populo comitiorum poteſtatem reliquit. Sed videte hominis religionem, & diligentiam. Vidit, & perſpexit, ſine curiata lege decemviros habere poteſtatem non poſſe, quoniam per novem tribus eſſent conſtituti. [8] Jubet ferre de his legem curiatam: *prætori imperat*. quàm id ipſum abſurdè, nihil ad me attinet. jubet enim, QUI PRIMUS SIT PRÆTOR FACTUS, EUM LEGEM CURIATAM FERRE. SIN IS FERRE NON POSSIT: QUI POSTREMUS SIT: [9] ut aut luſiſſe in tantis rebus, aut profectò neſcio quid ſpectaſſe videatur. Verùm hoc quod eſt aut ita perverſum, ut ridiculum: aut ita malitioſum, ut obſcurum ſit, relinquamus: ad religionem hominis revertamur. Videt ſine lege curiata nihil agi per decemviros poſſe. Quid poſtea, ſi ea lata non erit? Attendite ingenium. TUM II DECEMVIRI, inquit, EODEM JURE SINT, QUO QUI OPTIMA LEGE. Si hoc fieri poteſt, ut in hac civitate, quæ longè jure libertatis ceteris civitatibus antecellit, quiſquam nullis comitiis imperium, aut poteſtatem aſſequi poſſit: quid attinet tertio capite legem curiatam ferre jubere, quoniam quarto permittas, ut ſine lege curiata idem juris habeant, quod haberent, ſi optima lege à populo eſſent creati? [10] *Reges conſtituuntur*, non decemviri, Quirites: iique ab his initiis, fundamentiſque naſcuntur, ut non modò cum gerere cœperint, ſed etiam cum conſtituentur, omne veſtrum jus, poteſtas, libertaſque tollatur. At vide- 12
te, quàm diligenter retineat jus tribunitiæ poteſtatis. Conſulibus legem curiatam ferentibus, à tribunis plebis ſæpe eſt *interceſſum*. Neque tamen nos id querimur, eſſe hanc tribunorum plebis poteſtatem. tantummodò ſi quis ea poteſtate temerè eſt uſus, exiſtimamus. Hic tribunus plebis lege curiata, quam prætor ferat, adimit intercedendi poteſtatem. Atque hoc cùm in eo reprehendendum eſt, quòd per tribunum plebis tribunitia poteſtas minuitur: tum in eo deridendum, quòd conſuli, ſi legem curiatam non habet, attingere *rem militarem* non licet: [11] huic cui vetat, intercedendi poteſtatem, etiam ſi interceſſum ſit, tamen eandem conſtituit, quam, ſi lata eſſet lex: ut non intelligam, quare aut hic vetet intercedere, aut quemquam interceſſurum putet: cùm interceſſio ſtultitiam interceſſoris ſignificatura ſit, non rem impeditura. Sint igitur decemviri neque *veris comitiis*, hoc eſt, populi ſuffragiis, neque illis *ad ſpeciem*; atque ad uſurpationem vetuſtatis, per XXX lictores, auſpiciorum cauſa, adumbratis, conſtituti. Videte nunc, eos, qui à vobis nihil poteſtatis acceperint, quanto majoribus ornamentis afficiat, quàm omnes nos affecti ſumus, quibus vos ampliſſimas poteſtates dediſtis. [12] Jubet auſpicii coloniarum deducendarum cauſa decemviros habere pullarios. *EODEM JURE*, inquit, *QUO HABUERUNT TRESVIRI LEGE SEMPRONIA*. Audes etiam, Rulle, mentionem facere legis Semproniæ? nec te ea lex ipſa commonet, treis viros illos XXXV tribuum ſuffragio eſſe creatos? Et, cùm tu à Ti. Gracchi æquitate, ac pudore longiſſimè remotus ſis: ID QUOD diſſimillima ratione factum ſit, eodem jure putas eſſe oportere? Dat præterea poteſtatem, verbo præto- 13
riam, re vera *regiam*: definit in quinquennium, facit ſempiternam. tantis enim confirmat opibus, & copiis, ut invitis eripi nullo modo poſſit. deinde ornat apparitoribus, ſcribis, librariis, [13] præconibus, architectis: [14] præterea mulis, tabernaculis, centuriis, ſupellectili: ſumtum haurit ex ærario, ſuppeditat à ſociis. [15] janitores ex equeſtri loco ducentos in annos ſingulos, ſtipatores corporis conſtituit: eoſdem miniſtros, & *ſatellites poteſtatis*. Formam adhuc habetis, Quirites, & ſpeciem ipſam tyrannorum: [16] inſignia videtis poteſtatis, nondum ipſam poteſtatem. Dixerit enim fortaſſe quiſpiam, Quid me iſta lædunt, ſcriba, lictor, præco, pullarius? Omnia ſunt hæc hujuſmodi, Quirites, ut ea qui habeat ſine veſtris *ſuffragiis*, aut rex non ferendus, aut privatus

1. *Homines cupiditatis oculos adjeciſſent?*] Gulielmius, non concoquit hanc phraſin, emendatque *homines cupidi atque audaces oculos adjeciſſent*.

2. *Ab eo prætore qui ſit.*] Pall. ambo interſerunt, *Prætore P. R.* hoc eſt, *populi Rom.*

3. *Majores de omnibus magiſtratibus.*] Editio princeps, *de ſingulis*, neque aliter uterque Pall. ut videatur revocandum.

4. *Nam cum centuriata lex cenſoribus ferebatur.*] Sic Pall. noſtri, ſic olim caſi. Gruchius tamen lib. de Comitiis atque Hotomanus lib. v. obſervat. cap. 11. emendant *conſulibus*. quod & receptum à Lambino.

5. *Tum iterum.*] Ita prima quidem editio. ſed Pal. *cum*.

6. *Quæ vos non ſinitis.*] Nihil variant Pall. Pantagathus maluit *ſciviſtis*. Hotomanus *tenetis*, ut & Lambinus.

7. *Binis comitiis voluerint.*] Pall. *voluerunt*. primus præterea *hujus comitiis*.

8. *Jubet ferre de his legem curiatam.*] Hæc eſt recepta lectio. ſed tamen vetuſtius impreſſi & Pall. ambo *centuriatam* omnino perſcripſerunt.

9. *Ut aut luſiſſe in tantis rebus*] Pal. ſec. *ut illuſiſſe in tantis rebus*.

10. *Reges conſtituuntur Quirites, iiſque ab his initiis, &c.*] Editio vetuſtior & Pall. pr. *Quir. itaque ab his in.* ſec. *Reg. conſt. quia itaque ab his init.*

11. *Huc cui vetat, intercedendi poteſtatem*] Nihil abeunt ab hac ſcriptura Pall. aut edd. vett. recentiores tamen, *hic qui vetat intercedendi poteſtatem, &c.* Lambinus, *hic qui vetat intercedend. poteſtatem &c.* quod habet a Manutio.

12. *Jubet auſpicii coloniarum, &c.*] Pall. & ultimæ ætatis editiones, *auſpicia*. quod revocari poterat, introducta alia diſtinctione vocum.

13. *Præconibus, architectis.*] Gulielmius ferè volebat *accenſis*, quod non reperiret *architectos* in magiſtratuum miniſtris; niſi tamen his coloniarum cauſa attributi ſint.

14. *Præterea mulis, tabernaculis, centuriis.*] Pantagathus & P. Manutius *canteriis*, valde placet. tabernacula ferebantur in mulis, ſuppellex in canteriis.

15. *Janitores ex equeſtri.*] Antonius Auguſtinus *finitores*. egregiè.

16. *Inſignia videtis poteſtatis.*] Eſt à Pall. ab Erfurd. imo ab olim impreſſis. poſteriores enim, *veteris*.

1. *Regnorum*

privatus furioſus eſſe videatur. Perſpicite, quanta poteſtas permittatur: non privatorum inſaniam, ſed intolerantiam regis eſſe dicetis. Primùm permittitur infinita poteſtas innumerabilis pecuniæ conficiendæ de veſtris vectigalibus, non fruendis, ſed alienandis: deinde orbis terrarum, gentiumque omnium datur *cognitio ſine conſilio*, pœna ſine provocatione, animadverſio ſine auxilio. judicare per quinquennium, vel de conſulibus, vel de ipſis tribunis pl poterunt. de illis interea nemo judicabit. magiſtratus his gerere licebit: cauſam dicere non licebit. emere agros, à quibus volent, vel quos volent, quàm volent magno, poterunt: colonias deducere novas, renovare veteres, totam Italiam ſuis coloniis ut complere liceat, permittitur: omneis provincias obeundi, liberos populos agris multandi, [1] regnorum vel dandorum ſumma poteſtas datur, cùm velint: Romæ eſſe, cum commodum ſit: quacumque velint ſummo cum imperio, judicioque omnium rerum vagari ut liceat, conceditur. interea *diſſolvant judicia publica:* de conſiliis abducant, quos velint: ſinguli de maximis rebus judicent: quæſtori permittant: finitorem mittant: ratum ſit, quod
14 finitor uni illi, à quo miſſus erit, renuntiaverit. Verbum mihi deeſt, Quirites, cùm ego hanc poteſtatem, *regiam* appello. ſed profectò major eſt quædam. NULLUM enim *regnum fuit* umquam, quod non, ſi minùs jure aliquo, at regionibus tamen certis, contineretur. hoc verò infinitum eſt, quo & regna omnia, & veſtrum imperium, quod latiſſimè patet, & ea, quæ partim libera à vobis, partim etiam ignorata vobis, ſunt, permiſſu legis continentur. Datur igitur eis primùm, ut liceat eis vendere omnia, de quibus vendendis ſenatusconſulta facta ſunt, M. Tullio, Cn. Cornelio Coss. Cur hoc tam eſt obſcurum, atque cæcum? quid? iſta omnia, de quibus ſenatus cenſuit, nominatim in lege perſcribi nonne potuerunt? Duæ ſunt hujus *obſcuritatis cauſæ*, Quirites: una, pudoris, ſiquis pudor eſſe poteſt, in tam inſigni impudentia: altera, ſceleris. nam neque ea, quæ ſenatus nominatim vendenda cenſuit, audet appellare: ſunt enim loca publica urbis, ſunt ſacella, quæ poſt reſtitutam tribunitiam poteſtatem nemo attigit? [2] quæ majores in urbe partim *periculi perfugia* eſſe voluerunt. Hæc lege tribunitia decemviri vendent. Accedet eò mons Gaurus: accedent ſalicta ad Minturnas: adjungetur etiam illa [3] via vendibilis Herculanea, multarum deliciarum, & magnæ pecuniæ: permulta alia, quæ ſenatus propter anguſtias ærarii vendenda cenſuit, conſules *propter invidiam* non vendiderunt. Verùm hæc fortaſſe propter pudorem in lege reticentur. [4] Sed illud magis eſt credendum, & pertimeſcendum, quòd audaciæ decemvirali, corrumpendarum tabularum publicarum, fingendorumque ſenatusconſultorum, *quæ facta numquam ſunt*, cùm ex eo numero, qui per eos annos conſules fuerunt, multi mortui ſint, magna poteſtas permittitur. niſi fortè nihil eſt æquum vos de eorum audacia ſuſpicari, quorum cupiditati nimium anguſtus orbis
15 terrarum eſſe videatur. Habetis unum venditionis genus, quod magnum videri vobis intelligo: ſed attendite animos ad ea, quæ conſequuntur. hunc quaſi gradum quendam, atque aditum [5] ad cetera jactum intelligetis. QUI AGRI, QUÆ LOCA, QUÆ ÆDIFICIA. Quid eſt præterea? multa in mancipiis, in pecore, auro, argento, ebore, veſte, ſupellectili, ceteris rebus. Quid dicam? [6] *invidioſum* putaſſet hoc fore, ſi omnia nominaſſet? non metuit invidiam. quid ergo? longum putavit, & timuit, nequid præteriret: adſcripſit, ALIUDVE QUID. qua brevitate rem nullam eſſe exceptam videtis. Quidquid ergo ſit extra Italiam, quod publicum populi Rom. factum ſit, L. Sulla, Q. Pompejo, conſulibus, aut poſtea, id decemviros jubet vendere. Hoc capite, Quirites, omneis genteis, nationes, provincias, regna, decemvirûm ditioni, judicio, poteſtatique permiſſa, & condonata eſſe dico. [7] Primùm enim hoc quæro, qui tandem locus uſquam ſit, quem non poſſint decemviri dicere *publicum populi Rom.* eſſe factum. nam, CUM IDEM POSSIT judicare, qui dixerit: quid eſt, quod non liceat ei dicere, cui liceat eidem judicare? Commodum erit Pergamum, Smyrnam, Tralleis, Epheſum, Miletum, Cyzicum, totam denique Aſiam, quæ poſt L. Sullam, Q. Pompejum, Coss. recuperata ſit, [8] populi Romani factam eſſe dicere. Utrùm oratio ad ejus rei diſceptationem deerit: an, cùm idem & *diſſeret, & judicabit*, impelli non poterit, ut falſum judicet? an, ſi condemnare Aſiam volet, terrorem damnationis, & minas non, quanti volet, æſtimabit? Quid (quod diſputari contra nullo pacto poteſt, quoniam ſtatutum à vobis eſt, & judicatum,) quam hereditatem jam crevimus, regnum Bithyniæ? quod certè publicum eſt populi Romani factum. numquid cauſæ eſt, quin omneis agros, urbeis, ſtativa, portus, totam denique Bithyniam decemviri venditurі ſint? Quid Mytilenæ? quæ certè veſtræ, Quirites, 16
belli lege, ac victoriæ jure, factæ ſunt: urbs & natura, & ſitu, & deſcriptione ædificiorum, & pulchritudine, in primis nobilis: agri jucundi, & fertiles: nempe eodem capite incluſi continentur. Quid Alexandria, cunctaque Ægyptus? ut occultè latet? ut recondita eſt? ut furtim tota decemviris traditur? Quis enim veſtrûm hoc ignorat, dici, illud regnum *teſtamento* regis Alexandri, populi Rom. eſſe factum? Hic ego conſul populi Rom. non modò nihil judico, ſed ne, quid ſentiam, quidem profero. magna enim mihi res [9] non modò ad ſtatuendum, ſed etiam ad dicendum videtur eſſe. Video, qui teſtamentum factum eſſe confirmet: auctoritatem ſenatus exſtare hereditatis aditæ ſentio, tum, quando Alexandro mortuo, legatos Tyrum miſimus, qui ab illo pecuniam depoſitam, noſtris recuperarent. [10] Hæc L. Philippum ſæpe in ſenatu confirmaſſe memoria teneo. eum, qui regnum illud teneat hoc tempore, neque genere, neque *animo regio* eſſe; inter omneis fere video convenire. Dicitur contrà, nullum eſſe teſtamentum: non oportere populum Rom. omnium regnorum appetentem videri: demigraturos in illa loca noſtros homines, propter *agrorum bonitatem*, & omnium rerum copiam. Hac tanta de re P. Rullus cum ceteris decemviris, collegis ſuis, judicabit? [11] & *verum judicabit?* nam utrumque ita magnum eſt, ut nullo modo neque concedendum, neque ferendum ſit. Volet eſſe popularis. populo Rom. adjudicabit. Ergo idem

1. *Regnorum vel dandorum ſumma poteſtas.*] Retineo retro vulgatam. nam inter mediæ ætatis edd. *agrorum vel dand.* Camerarius fingebat, *regnorum vendendorum*, minus nervosè. plus enim nocet poteſtque, cui donare licet. placebat tamen illa conjectura Puteano; quod ſic quoque infra poneretur; *vectigalia, regna vendiderint.* alibi: *Regna denique poſtremò etiam vectigalia veſtra venierint &c.*

2. *Quæ majores in urbe partim periculi &c.*] Manutius edidit *paſſim;* ſicque ait reſtare in ſcriptis ſuis Fulv. Urſinus. at Lambinus recepit *portus periculi & perfugia*, conjectaneum Puteani. Gulielmius tuetur vulgatam. exſtatque profectò eadem in Pall. & olim publicatis omnibus. *partim* notat, per partes. Lactantius lib. 1. divinar. inſtitut. cap. 19. *At enim, dicet aliquis, & huic ſummæ qui fecit omnia, & illis qui partim profuerunt, ſuam venerationem eſſe tribuendam.*

3. *Via vendibilis Herculanea.*] Edd. vett. & Pall. *Herculentea.*

4. *Sed illud magis eſt credendum.*] Fortean *verendum*, inquit Gulielmius. Verum & vulgata ferri poteſt.

5. *Ad cetera jactum intelligitis.*] Vetus omnis editio & Pall. *jactum.*

6. *Invidioſum putaſſet.*] Inſignis eſt emendatio Claudii Puteani, ablatione unius literulæ, *putaſſe.* ſic tamen nullus è noſtris vett. aut quorundam cuſis.

7. *Primum enim hoc quæro.*] Illud *enim* non viſitur in nuper editis. adeſt tamen in antiquioribus, item Pall. ſed tali poſitu: *Primum hoc quæro enim.*

8. *Populi Rom. eſſe factam.*] Lambinus propoſuit, *publicam pop.* ſed ita nulla editio exoleta, nullus Pal. & quid ea opus?

9. *Non modo ad ſtatuendum.*] Pal. ſec. non admittit *modo*, & bellius ſubauditur: utique cum eadem vox præceſſerit linea priore.

10. *Hæc L. Philippum.*] Conjiciebat Gulielmius: *Ad hæc L. &c.* mihi heic fere videtur eſſe ulcus occultum. neque enim ſatis percipio, quomodo illa: *Eum qui regnum*, ſuperioribus cohæreant.

11. *Et verum judicabit.*] Omnino iſtud retinendum, ejecto conjectaneo Lambinianæ editionis, *utrum.*

 1. *An*

idem ex ſua lege vendet Alexandriam, vendet Ægyptum: urbis copioſiſſimæ, pulcherrimorumque agrorum judex, arbiter, dominus, rex denique opulentiſſimi regni reperietur. Non ſumet ſibi tantum, non appetet: judicabit, Ale-
17 xandriam regis eſſe: à populo Rom. abjudicabit. Primùm populi Rom. hereditatem decemviri judicent, cùm vos volueritis de *privatis hereditatibus* centumviros judicare? deinde quis aget cauſam populi Rom.? ubi res iſta agetur? qui ſunt iſti decemviri, quos perſpiciamus regnum Alexandriæ Ptolemæo gratis adjudicaturos? Quòd ſi Alexandria petebatur: cur non eoſdem curſus hoc tempore, quos, L. Cotta, L. Torquato Coss. cucurrerunt? cur non apertè, ut antea? cur non item, ut cum decreto, & palàm regionem illam petierunt? [1] an quietis iis, qui per curſum rectum regnum tenere non potuerunt, nunc tætris tenebris, & caligine ſe Alexandriam perventuros arbitrati ſunt? Atque illud [2] circumſpicite veſtris mentibus, unaque * legatos noſtros, homines auctoritate tenui, qui *rerum privatarum cauſa* legationes liberas obeunt, tamen exteræ nationes ferre vix poſſunt. GRAVE EST enim nomen imperii, atque id etiam in levi perſona pertimeſcitur, propterea quod veſtro, non ſuo nomine, cùm hinc egreſſi ſunt, *abutuntur*. Quid cenſetis, cùm iſti decemviri cum imperio, cum faſcibus, cum illa delecta finitorum juventute per orbem terrarum vagabuntur? quo tandem animo, quo metu, quo periculo miſeras nationes futuras? eſt in imperio *terror*: patientur. eſt in adventu *ſumtus*: ferent. imperabitur aliquid muneris: non recuſabunt. Illud verò quantum eſt, Quirites, cùm is decemvir, qui aliquam in urbem aut exſpectatus, ut hoſpes, aut repentè, ut dominus, venerit, illum ipſum locum, quò venerit, illam ipſam ſedem hoſpitalem, in quam erit deductus, publicam populi Rom. eſſe dicet? quanta calamitas populi, ſi dixerit? quantus ipſi quæſtus, ſi negarit? Atque iidem, qui hæc appetunt, queri nonnumquam ſolent, omneis terras Cn. Pompejo, atque omnia maria eſſe permiſſa. Simile vero eſt, *multa committi*, & *condonari omnia*? labori, & negotio præponi, an prædæ, & quæſtui? mitti ad ſocios liberandos? an ad opprimendos? denique, ſi quis eſt honos ſingularis, nihilne intereſt, utrum populus Rom. eum, cui velit, deferat: an is impudenter populo Rom. per
18 legis fraudem ſurripiatur? Intellexiſtis, quot res, & quantas decemviri, legis permiſſu, vendituri ſint. Non eſt ſatis. cùm ſeſe ſociorum, cùm exterarum nationum, cùm regum ſanguine implerint: incidant *nervos populi Rom.* adhibeant manus vectigalibus veſtris, irrumpant in ærarium. ſequitur enim caput, quo capite non permittit quidem, ſi fortè deſit pecunia, quæ tanta [3] ex ſuperioribus recipi poteſt, ut deeſſe non debeat: ſed planè, quaſi ea res vobis ſaluti futura ſit, ita cogit, atque imperat, ut decemviri veſtra vectigalia vendant nominatim. Quam tu mihi ex ordine recita de legis ſcripto populi Rom. auctionem: quam mehercule ego præconi huic ipſi luctuoſam, & [4] acerbam prædicationem futuram puto. AUCTIO. Ut in ſuis rebus, ita in rep. luxurioſus eſt nepos, qui priùs ſilvas vendat, quàm vineas. Italiam percenſuiſti: perge in Siciliam. AUCTIONIS PARS EA, QUÆ AD SICILIAM PERTINET. nihil eſt in hac provincia, quod aut in oppidis, aut in agris majores noſtri proprium nobis reliquerint, quin id venire jubeat. Quod parrum recenti victoria majores vobis in ſociorum urbibus, ac finibus, & *vinculum pacis*, & monumentum belli reliquerunt, id vos ab illis acceptum, hoc auctore, vendetis? Hîc mihi parumper menteis veſtras, Quirites, commovere videor, dum patefacio vobis, quas iſti penitus abſtruſas inſidias ſe poſuiſſe arbitrentur contra Cn. Pompeji dignitatem. & mihi, quæſo, ignoſcite, ſi appello talem virum ſæpius. vos mihi prætori biennio antè, Quirites, hoc eodem in loco perſonam hanc impoſuiſtis, ut, quibuſcumque rebus poſſem, illius abſentis dignitatem vobiſcum unà tuerer. feci adhuc, quæ potui, neque familiaritate illius adductus, nec ſpe honoris, atque ampliſſimæ dignitatis: quam ego, etſi libente illo, tamen abſente illo per vos conſecutus ſum. Quamobrem cum intelligam, hanc totam ferè legem ad illius opes evertendas, tanquam *machinam*, comparari: & reſiſtam conſiliis hominum, & perficiam profectò, quod ego video comparari, ut id vos univerſi non ſolùm videre, ve-
rum etiam tenere poſſitis. Jubet venire, quæ Attalenſium, 19
quæ Phaſelitum, quæ Olympenorum fuerint, agrumque Agerenſem, & Orindicum, & Geduſanum. hæc P. Servilii imperio & victoria, clariſſimi viri, veſtra facta ſunt. Adjungit agros Bithyniæ regios, quibus nunc publicani fruuntur: deinde Attalicos agros in Cherroneſo: in Macedonia, qui regis Philippi, ſive Perſæ fuerunt: qui item à cenſoribus locati ſunt, & certiſſimum vectigal. Adſcribit idem auctioni Corinthios agros, opimos, & fertileis, & Cyrenenſeis, qui Appionis fuerunt: & agros in Hiſpania propter Karthaginem novam: & in Africa ipſam veterem Karthaginem vendit: quam videlicet P. Africanus non propter religionem ſedium illarum, ac vetuſtatis, de conſilii ſententia, conſecravit, ſed ut ipſe locus, eorum, qui cum hac urbe de imperio certarunt, *veſtigia calamitatis* oſtenderet. Sed non fuit tam diligens, quam eſt Rullus: aut fortaſſe emtorem ei loco reperire non potuit. Verùm inter hos agros regios, captos veteribus bellis, virtute ſummorum imperatorum, adjungit regios agros Mithridatis, qui in Paphlagonia, qui in Ponto, qui in Cappadocia fuerunt, ut eos decemviri vendant. Itane verò? non legibus datis, non auditis verbis imperatoris, nondum denique bello confecto, cùm rex Mithridates, amiſſo exercitu, regno expulſus, tamen in ultimis terris aliquid etiam nunc moliatur, atque ab invicta Cn. Pompeji manu, Mæotide, & illis paludibus, & itinerum anguſtiis, atque altitudine montium defendatur: cùm imperator in bello verſetur: in locis autem illis etiam nunc belli nomen reliquum ſit: eos agros quorum adhuc penes Cn. Pompejum omne judicium & poteſtas, *more majorum*, debet eſſe, decemviri vendent? Et, credo, P. Rullus: (is enim ſic ſe gerit, ut ſibi jam decemvir deſignatus eſſe videatur) ad eam auctionem potiſſimum proficiſcetur. Is videlicet antequàm veniat in Pon- 20
tum, litteras ad Cn. Pompejum mittet: quarum ego jam exemplum ab iſtis compoſitum eſſe arbitror: P. SERVILIUS RULLUS, TRIBUNUS PLEB. DECEMVIR, S. D. CN. POMPEJO, CN. F. Non credo adſcripturum eſſe, MAGNO. non enim videtur id, quod imminuere lege conatur, conceſſurus verbo. TE VOLO CURARE, UT MIHI SINOPE PRÆSTO SIS, AUXILIUMQUE ADDUCAS, DUM EOS AGROS, QUOS TUO LABORE CEPISTI, EGO MEA LEGE VENDAM. An Pompejum non adhibebit? in ejus provincia vendet manubias imperatoris? ponite ante oculos vobis Rullum in Ponto, inter veſtra, atque hoſtium caſtra, haſta poſita, cum ſuis [5] formoſis finitoribus auctionantem. Neque in hoc ſolum ineſt *contumelia*, quæ vehementer & inſignis eſt, & nova, ut ulla res parta bello, nondum legibus datis, etiam tum imperatore bellum adminiſtrante, non modò venierit, verum etiam locata ſit. Plus ſpectant homines certè, quàm contumeliam: ſperant, ſi conceſſum ſit inimicis Cn. Pompeji, cum imperio, cum judicio omnium rerum, cum infinita poteſtate, cum innumerabili pecunia, non ſolùm aliis in locis vagari, verùm etiam ad ipſius exercitum

1. *An quietis iis, qui per curſum rectum, &c.*] Illuſtris eſt heic correctio Gulielmii, *an qui Eteſiis, qui per curſ.* de quibus ipſe plura in Quæſtionibus Plautinis.

2. *Circumſpicite veſtris mentibus, unaque.*] Sic quidem Pal. prim. ſed ſec. *perſpicite veſtris mentibus, atque.*

3. *Ex ſuperioribus recip., &c.*] Lambinus *refici*, ſed non ex libris, quod heic dico, idem repetitum velim cap. 23. aliiſque, ubi idem cuculus ſemper inculcat ſuum *reficere*.

4. *Acerbam prædicationem.*] Quidam codd. *recitationem*; ut monet Lauredanus, quod tamen Lambinus improbat. male; cum verſu ſuperiore dixerit, *recita.* utraque lectio recta. *Puteanus.*

5. *Formoſis finitoribus.*] Non rectè Faërnus, *famoſis.* ita ſupra dixit cap. 17. *cum illa delecta finitorum juventute.* quo alludat, & quam maculam Rullo adſpergat, palam eſt. *Gulielmius.*

1. Hæc

citum pervenire: aliquid illi inſidiarum fieri, aliquid de ejus exercitu, copiis, gloria, *detrahi poſſe.* putant, ſi quam ſpem in Cn. Pompejo exercitus habeat, aut agrorum, aut aliorum commodorum, hanc non habiturum, cùm viderit, earum rerum omnium poteſtatem ad decemviros eſſe tranſlatam. Patior non moleſtè, tam ſtultos eſſe, qui hæc ſperent: tam impudenteis, qui conentur. illud queror, tam me ab iis eſſe *contemtum*, ut hæc portenta, me conſule, potiſſimùm cogitarent. Atque in omnibus his agris ædificiiſque vendendis, permittitur decemviris, UT VENDANT, QUIBUSCUMQUE IN LOCIS VIDEATUR. O perturbatam rationem! ô libidinem refrenandam! ô conſilia diſſoluta, at-
21 que perdita! VECTIGALIA locare nuſquam licet, niſi in hac urbe, [1] hoc ex loco, hac veſtrûm frequentia. venire veſtras res proprias, & in perpetuum à vobis alienari, in Paphlagoniæ tenebris, atque in Cappadociæ ſolitudine licebit? L. Sulla cùm bona indemnatorum civium, funeſta illa auctione ſua venderet, & ſe *prædam ſuam* diceret *vendere*, tamen ex hoc loco vendidit: nec, quorum oculos offendebat, eorum ipſorum conſpectum fugere auſus eſt. decemviri veſtra vectigalia non modò ne vobis quidem arbitris, ſed ne præcone quidem publico teſte vendent? Sequitur, OMNEIS AGROS EXTRA ITALIAM INFINITO EX TEMPORE, non, ut antea, ab Sulla & Pompejo coss. Cognitio decemvirûm, privatus ſit, an publicus: ſicque agro pergrande vectigal imponitur. Hoc quantum judicium, quàm intolerandum, quàm regium ſit, quem præterit? poſſe, quibuſcumque locis velint, nulla diſceptatione, nullo conſilio, privata publicare, publica liberare? Excipitur hoc capite ager in Sicilia Recentoricus: quem ego excipi, & propter hominum neceſſitudinem, & propter æquitatem, Quirites, [2] ſæpe vehementer gaudeo. Sed quæ hæc impudentia? qui agrum Recentoricum poſſident, *vetuſtate* poſſeſſionis ſe, non *jure*: miſericordia ſenatus, non agri conditione defendunt. nam illum agrum publicum eſſe fatentur. [3] ſe moveri poſſeſſionibus, amiciſſimis ſedibus, ac diis penatibus negant oportere. At, ſi eſt privatus ager Recentoricus, quid eum excipis? ſin autem publicus: quæ eſt iſta *æquitas*, ceteros, etiam ſi privati ſint, permittere ut publici judicentur: hunc excipere nominatim, qui publicus eſſe fateatur? Ergo eorum ager excipitur, qui apud Rullum *alia ratione valuerunt:* ceteri agri omnes, qui ubique ſunt, ſine ullo delectu, ſine populi Romani notione, ſine judicio ſe-
22 natus, decemviris addicentur. Atque etiam eſt alia, ſuperiore capite, quo omnia veneunt, quæſtuoſa exceptio: quæ teget eos agros, de quibus fœdere cautum eſt. Audivit, hanc rem non à me, ſed ab aliis agitari ſæpe in ſenatu, nonnumquam ex hoc loco, poſſidere agros in ora maritima regem Hiempſalem, quos P. Africanus populo Romano adjudicarit: & tamen poſtea per C. Cottam, coſ. *cautum eſſe fœdere.* Hoc quia vos fœdus non juſſeritis, veretur Hiempſal ut ſatis firmum ſit, & ratum. Quid? cujuſmodi eſt illud? tollitur veſtrum judicium: fœdus totum excipitur: comprobatur. Quòd minuit auctionem decemviralem, laudo: quòd regi amico cavet, non reprehendo: quòd non gratis fit, indico. volitat enim ante oculos iſtorum Jubæ regis filius, adoleſcens non minus benè nummatus, quam benè capillatus. Vix jam videtur locus eſſe, qui tantos acervos pecuniæ capiat. auget, addit, accumulat: AURUM, ARGENTUM EX PRÆDA, EX MANUBIIS, EX CORONARIO, AD QUOSCUMQUE PERVENIT, NEQUE RELATUM EST IN PUBLICUM, NEQUE IN MONUMENTO CONSUMTUM, id profiteri apud decemviros, & ad eos referre jubet. Hoc capite etiam quæſtionem de clariſſimis viris, qui populi Rom. bella geſſerunt, judiciumque de pecuniis [4] repetundis, ad decemviros tranſlatum videtis. horum erit nullum judicium, quantæ cujuſque manubiæ fuerint, quid relatum, quid reſiduum ſit. In poſterum verò lex hæc imperatoribus veſtris conſtituitur, ut QUICUMQUE DE PROVINCIA DECESSERIT, APUD EOSDEM DECEMVIROS, QUANTUM HABEAT PRÆDÆ, MANUBIARUM, AURI CORONARII, PROFITEATUR. Hic tamen vir optimus eum, quem amat, excipit, Cn. Pompejum. Unde iſte amor tam improviſus, ac tam repentinus? qui honore decemviratus excluditur propè nominatim: cujus judicium, legumque datio, captorum agrorum ipſius virtute cognitio tollitur: cujus non in provinciam, ſed in ipſa caſtra decemviri cum imperio, infinita pecunia, maxima poteſtate, & judicio rerum omnium, mittuntur: cui *jus imperatorium*, quod ſemper omnibus imperatoribus eſt conſervatum, ſoli eripitur: is excipitur
unus, ne manubias referre debeat. Utrùm tandem hoc ca- 23
pite, honos haberi homini, an *invidia quæri* videtur? Remittit hoc Rullo Cn. Pompejus: beneficio iſto legis, benignitate decemvirali nihil utitur. nam ſi eſt æquum, prædas, ac manubias ſuas imperatores, non in monumenta deorum immortalium, neque in urbis ornamenta conferre, ſed ad decemviros, tanquam ad dominos, reportare: nihil ſibi appetit præcipuè Pompejus, nihil: vult ſe in communi, atque in eodem, quo ceteri, jure verſari. Sin eſt iniquum, Quirites; ſi turpe, ſi intolerandum, hos decemviros, *portitores* omnibus omnium pecuniis conſtitui, qui non modò reges, atque exterarum nationum homines; ſed etiam imperatores noſtros excutiant: non mihi videntur honoris cauſa excipere Pompejum, ſed metuere, ne ille eandem *contumeliam*, quam ceteri, ferre non poſſit: [5] Pompejus autem hoc animo ſit, ut, quidquid vobis placeat, ſibi ferendum putet: quod vos ferre non poteritis, id profectò perficiat, ne diutius inviti ferre cogamini. Verumtamen cavet, ut, SIQUA PECUNIA POST NOS CONSULES EX NOVIS VECTIGALIBUS RECIPIATUR, EA DECEMVIRI UTANTUR. nova porrò vectigalia videt ea fore, quæ Pompejus adjunxerit. Ita remiſſis manubiis, vectigalibus ejus virtute partis ſe frui putat oportere. Parta ſit pecunia, Quirites, decemviris tanta, quanta ſit in terris; nihil prætermiſſum: ſed omnes urbes, agri, regna denique, poſtremò etiam vectigalia veſtra venierint: acceſſerint in cumulum manubiæ veſtrorum imperatorum: quantæ, & quam immanes divitiæ decemviris in tantis auctionibus, tot judiciis, tam in-
finita poteſtate rerum omnium quærantur, videtis. Co- 24
gnoſcite nunc alios immenſos, atque intolerabileis quæſtus, ut intelligatis, ad certorum hominum importunam *avaritiam* hoc populare legis agrariæ nomen eſſe quæſitum. Hac pecunia jubet agros emi, quò deducamini. Non conſuevi homines appellare aſperius, Quirites, niſi laceſſitus. Velim fieri poſſet, ut à me ſine contumelia nominarentur ii, qui ſe decemviros ſperant futuros: jam videretis, quibus hominibus omnium rerum & vendendarum, & emendarum, poteſtatem permitteretis. Sed, quod ego nondum ſtatuo mihi eſſe dicendum, vos tamen id poteſtis cum animis veſtris cogitare. Unum hoc certè videor mihi veriſſimè poſſe dicere: tum, cùm haberet hæc reſp. Luſcinos, Calatinos, Acidinos, homines non ſolùm honoribus populi, re-

1. *Hoc ex loco.*] Pall. & vett. editiones, *Hoc aut illo ex loco.* ita inquam, niſi quod pr. & edd. habeant *hæc aut illo &c.* & forte Cicero digito aut capite oſtendit alium locum, ubi itidem venderentur. verum hæc perpendant Antiquarii. nam mihi otium non eſt penitius inquirere in morem illum veterem.

2. *Sæpe vehementer gaudeo.*] Nihil ab hac abeunt ſcriptura Pall. aut veterrimæ edd. Lambinus admiſit *ſane veh.* conjecturam ſcilicet Lauredani. mallem, *ipſe veh.*

3. *Se moveri poſſeſſionibus, amiciſſ. &c.*] Ita Pall. & olim impreſſi. non ut vulgo, *ſed moveri.* nedum ut Lambiniana, *ſed ſe mov.*

4. *Repetundis, ad decemviros tranſlatum videtis.*] Voces quatuor à fine, non ſunt in Pal. ſec. recte meo judicio. nec laborat priorum verborum ſententia, ſi verbum *quæſtionem*, reſolvitur in *quæſtio eſt.* hoc admiſſo, nemo non intelligit illud quod ſtatim ſequitur: *Horum erit nullum judicium, quantæ &c.* ſic enim reſtituendam duxi ex Pall. item omnibus vett. edd. annorum centum. ridiculus enim heic eſt Lambinus, qui citet editionem anni IↃ LXII. in quo invenerit illud vulgatum: *Horum erit illud judicium.* ecquando enim quæſo teſtimonium petitum fuit ab tam adoleſcentis ævi mangonio?

5. *Pompejus autem hoc animo ſit.*] Ita Pall. & olim cuſi; ne quis putet P. Manutii aut Lambini lectiones ſubnixas auctoritate bonorum librorum. ſubintelligitur autem, *metuere*; quod præceſſit.

1. *Catones*,

li, rebuſque geſtis, verùm etiam *patientia paupertatis ornatos:* & tum, cùm erant [1] Catones, Philippi, Lælii, quorum ſapientiam, temperantiamque in publicis, privatiſque, forenſibus, domeſticiſque rebus perſpexeratis: tamen hujuſcemodi res commiſſa nemini eſt, ut idem *judicaret, & venderet*, & hoc faceret per quinquennium toto in orbe terrarum: idemque agros vectigaleis populi Romani abalienaret, & cùm ſummam tantæ pecuniæ nullo teſte ſibi ipſe ex ſua voluntate feciſſet; tum denique emeret, à quibus vellet, quod videretur. Committite vos nunc, Quirites, his hominibus hæc omnia, quos *odorari* hunc decemviratum ſuſpicamini. reperietis, partem eſſe eorum, quibus ad habendum: partem, quibus ad conſumendum, nihil ſatis

25 eſſe videatur. Hic ego jam illud, quod expeditiſſimum ſit, ne diſputo quidem, Quirites, non eſſe hanc vobis a majoribus relictam *conſuetudinem*, ut emantur agri à privatis, quò plebs publice deducatur: omnibus legibus agris publicis privatos eſſe diductos: hujuſcemodi me aliquid ab hoc horrido, ac truce tribuno pleb. exſpectaſſe: hanc verò emendi, & vendendi quæſtuoſiſſimam, ac turpiſſimam mercaturam, alienam actione tribunitia, alienam dignitate populi Romani ſemper putavi. Libet agros emi. Primùm quæro, quos agros? & quibus in locis? nolo ſuſpenſam, & incertam plebem R. obſcura ſpe, & cæca exſpectatione pendere. Albanus ager eſt, Setinus, Privernas, Fundanus, Veſtinus, Falernus, Linternus, Cumanus, Caſinas. audio. Ab alia porta, Capenas, Faliſcus, Sabinus, Reatinus, Venafranus, Aliſanus, Trebulanus. Habes tantam pecuniam, qua hoſce omneis agros, & ceteros horum ſimileis non modò emere, verùm etiam coacervare poſſis: cur eos non definis, neque nominas, ut ſaltem deliberare plebs Romana poſſit, quid interſit ſua, *quid expediat*, quantum tibi in emendis, & in vendendis rebus committendum putet? Definio, inquit, ITALIAM. Satis certa regio. etenim quantulum intereſt, utrùm in Maſſici radices, [2] an in Italiam, aliove deducamini? [3] Age verò, definis locum. quid naturam agri? verò, inquit, QUI ARARI, AUT COLI POSSIT. inquit, QUI ARARI, AUT COLI POSSIT. Qui poſſit arari, inquit, aut coli: non qui aratus, aut cultus ſit. Utrùm hæc lex eſt, an tabula Veratianæ auctionis? in qua ſcriptum fuiſſe ajunt: JUGERA CC. IN QUIBUS OLIVETUM FIERI POTEST: JUGERA CCC. UBI INSTITUI VINEÆ POSSUNT. Hoc tu emes iſta innumerabili pecunia, quod arari, aut coli poſſit? Quod ſolum tam exile, & macrum eſt, quod aratro perſtringi non poſſit? aut QUOD EST tam aſperum ſaxetum, in quo agricolarum cultus non elaboret? Idcirco, inquit, agros nominare non poſſum, quia tangam nullum ab invito. Hoc quoque multo eſt quæſtuoſius, quam ſi ab invito ſumeret. [4] inibitur enim ratio quæſtus de veſtra pecunia: & tum denique ager emetur, cùm

26 idem expedierit emtori, & venditori. Sed videte vim legis Agrariæ. ne ii quidem, qui publicos poſſident, decedent de poſſeſſione, niſi erunt deducti optima conditione, & pecunia maxima. Converſa ratio. Antea, cùm erat à tribuno pl. mentio legis Agrariæ facta, continuò qui agros publicos, aut qui poſſeſſiones invidioſas tenebant, *pertimeſcebant*. Hæc lex eos homines fortunis locupletat, invidia liberat. Quam multos enim Quirites, exiſtimatis eſſe, qui latitudinem poſſeſſionum tueri, qui invidiam Sullanorum agrorum ferre non poſſint? qui vendere cupiant, emtorem non reperiant? perdere jam denique illos agros ratione aliqua velint? Qui paullo antè diem, noctemque, tribunitium nomen horrebant, veſtram vim metuebant, mentionem legis Agrariæ pertimeſcebant: ii nunc etiam ultro rogabuntur, atque orabuntur, ut agros partim publicos, partim plenos invidiæ, plenos periculi, quanti ipſi velint, decemviris tradant. Atque hoc carmen hic tribunus pl. non vobis, ſed ſibi *intus canit*. Habet ſocerum, virum optimum, qui tantum agri in illis reip. tenebris occupavit, quantum concupivit. Huic ſubvenire vult ſuccumbenti jam, oppreſſo, Sullanis oneribus gravi, ſua lege, ut liceat illi invidiam deponere, pecuniam condere. [5] Et vos non dubitatis, quin vectigalia veſtra vendatis, plurimo majorum veſtrorum ſanguine, & ſudore quæſita, ut Sullanos poſſeſſores divitiis augeatis, periculo liberetis? Nam ad hanc emtionem decemviralem duo genera agrorum ſpectant, Quirites. eorum unum, propter invidiam, domini fugiunt: alterum propter vaſtitatem. Sullanus ager, à certis hominibus latiſſimè continuatus, tantam habet *invidiam*, ut veri, ac fortis tribuni pl. ſtridorem unum perferre non poſſit. hic ager omnis, quoquo precio coëmtus erit, tamen ingenti pecunia vobis inducetur. Alterum genus agrorum, propter *ſterilitatem incultum*, propter peſtilentiam vaſtum, atque deſertum, emetur ab iis, qui eos vident ſibi eſſe, ſi non vendiderint, relinquendos. Et nimirum iſtud eſt, quod ab hoc tribuno pl. dictum eſt in ſenatu: urbanam plebem nimiùm in repub. poſſe: *exhauriendam eſſe:* hoc enim verbo eſt uſus: quaſi de aliqua ſentina, ac non de optimorum civium genere loqueretur. Vos verò, ſi me audire vultis, retinete 27
iſtam poſſeſſionem gratiæ, libertatis, ſuffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, feſtorum dierum, ceterorum omnium commodorum: niſi fortè mavultis, relictis his rebus, atque hac luce reipubl. in Sipontina ſiccitate, aut in Salapinorum peſtilentiæ finibus, Rullo duce, collocari. At dicat, quos agros emturus ſit: oſtendat & quid, & quibus daturus ſit. Ut verò, cùm omneis urbeis, agros, vectigalia, regna vendiderit, tum arenam aliquam, aut paludes emat: id vos poteſtis, quæſo, concedere? Quamquàm illud eſt egregium, quòd hac lege *antè omnia veneunt*, antè pecuniæ coguntur, & coacervantur, quàm glæba una ematur. deinde emi jubet: ab invito vetat. Quæro, ſi, qui velint vendere, non fuerint, quid pecunia fiet? Referre in ærarium lex vetat: exigi prohibet. Igitur pecuniam omnem decemviri tenebunt: vobis ager non emetur. vectigalibus abalienatis, ſociis vexatis, regibus, atque omnibus gentibus exinanitis, illi pecunias habebunt, vos agros non habebitis. Facilè, inquit, adducentur *pecuniæ magnitudine*, ut velint vendere. Ergo ea lex eſt, qua noſtra vendamus, quanti poſſimus: aliena emamus, quanti poſſeſſores velint. Atque in hos agros, qui hac lege emti ſint, colonias ab iis decemviris deduci jubet? Quid? omniſne ejuſmodi locus eſt, ut nihil interſit reipub. colonia deducatur in eum locum, necne? an eſt locus, qui coloniam poſtulet? [6] eſt planè. rectius, & * quo in genere ſicut in ceteris reipub. partibus, eſt operæ pretium diligentiam majorum recordari: qui *colonias ſic idoneis in locis* contra ſuſpicionem periculi collocarunt,

1. *Catones, Philippi, Lælii.*] Recentius editi, *Phili.* ſed præter veterum memoria cuſos, item Pall. eſſe autem à Sigonii conjectura, annotavit Puteanus. intelligique vult L. Furium Philum Conſulem anni U. C. DCXVII.

2. *An in Italiam.*] Non male conjecit P. Manutius *in Apuliam*; libri tamen nihil variant.

3. *Age: non definis locum. quid naturam agri? vero inquit &c.*] Repperi quod erat in Pal. ſec. neque recedebat pr. aut vetuſtius impreſſi, niſi quod ii *natura*. hactenus vulgata: *Age verò definis locum. Quid naturam agri verò inquit &c.* Lambinus architectatus nobis fuerat: *Quid naturam agri? Agri verò inquit, qui &c.* quod & probabat Puteanus. ſed minus neceſſario. deceptique ſunt omnes illo *Vero*, quod inchoare ſermonem, eis non venerit in mentem. at ita plus ſemel Tullius, noſtra hac quidem editione, quam adprobabo veris Muſarum ac Charitum myſtis.

4. *Inibitur enim ratio quæſtus.*] Haud aliter quidem P. Manutii editio, ſed antiquiſſima *inietur*, quomodo & Pal. pr. quippe ſec. *inhibetur*, quod & in Erfurdiano, & quærendum in eam vocem. ſæpe enim exturbata eſt ignorantia ſcribarum.

5. *Et vos non dubitatis, quin vectigalia &c.*] Fortius multo Pal. ſec. *Et vos dubitatis, qui vectig.* Lambini tranſpoſitio vocum, nihil habet bonæ gratiæ. Puteanus faciebat: *Et vos num dubit.*

6. *Eſt planè rectius & * quo in genere &c.*] Malui locum inſignire aſteriſco, atque exprimere cum Victorio lectionem Pall. veterumque edd. quam dare locum Lauredanæ conjecturæ, nimium recedenti a litterarum numero: quamvis eam admiſerint Manutius, Lambinus, alii.

runt, ut eſſe non oppida Italiæ, ſed propugnacula imperii viderentur. Hi deducent colonias in eos agros, quos emerint. Etiamne ſi reipubl. non expediat? ET IN QUÆ LOCA PRÆTEREA VIDEBITUR. Quid igitur eſt cauſæ, quin coloniam in Janiculum poſſint deducere; & ſuum præſidium in capite, atque [1] cervicibus veſtris collocare? Tu non definias, [2] quot colonias, in quæ loca, quo numero colonorum deduci velis? tu occupes locum, quem idoneum *ad vim tuam* judicaris? compleas numero? confirmes præſidio, quo velis? populi Rom. vectigalibus, atque omnibus copiis ipſum populum Rom. coërceas? opprimas? redigas in iſtam decemviralem ditionem, ac poteſta-
28 tem? Ut verò totam Italiam ſuis præſidiis obſidere, atque occupare cogitet, quæſo, Quirites, cognoſcite. Permittit decemviris, ut in omnia municipia, in omneis colonias totius Italiæ colonos deducant, quos velint: iiſque colonis agrum dari jubet. Num obſcurè majores opes, quàm libertas veſtra pati poteſt, & majora præſidia quæruntur? num obſcurè *regnum conſtituitur?* num obſcurè libertas veſtra tollitur. Nam, cùm iidem omnem pecuniam, maximam multitudinem, id eſt, totam Italiam, ſuis opibus obſidebunt: iidem veſtram libertatem ſuis præſidiis, & coloniis interclusam tenebunt: quæ ſpes tandem, quæ facultas recuperandæ veſtræ libertatis relinquetur? At enim ager Campanus hac lege dividetur, orbis terræ pulcherrimus: & Capuam colonia deducetur, urbem ampliſſimam, atque ornatiſſimam. Atqui quid ad hæc poſſumus dicere? De commodo veſtro prius dicam, Quirites: deinde ad amplitudinem, & dignitatem revertar: ut, ſi quis agri, aut oppidi bonitate delectetur, ne quid exſpectet: ſi quem rei dignitas commovet: ut huic *ſimulatæ largitioni* reſiſtat. Ac primum de oppido dicam, ſi quis eſt fortè, quem Capua magis, quàm Roma delectat. Quinque millia colonorum Capuam ſcribi jubet. ad hunc numerum [3] quingenos ſibi ſinguli ſument. Quæſo, nolite voſmetipſos conſolari: verè & diligenter conſiderate. num vobis, aut veſtri ſimilibus integris, quietis, otioſis hominibus, in hoc numero locum fore putatis? Si eſt omnibus vobis, aut majori veſtrûm parti: quamquam me veſter honos vigilare dies, atque nocteis, & intentis oculis omneis reip. parteis intueri jubet: tamen paulliſper, ſi ita commodum veſtrum feret, connivebo. ſed ſi quinque hominum millibus, ad vim, facinus, cædemque delectis, locus, atque *urbs, quæ bellum facere*, atque inſtruere poſſit, quæritur: tamenne patiemini, [4] veſtro nomine contra vos firmari opes? armari præſidia? urbeis, agros, copias comparari? nam agrum quidem Campanum, quem vobis oſtentant, ipſi concupiverunt: deducent ſuos, *quorum nomine ipſi teneant*, & fruantur: coëment præterea: iſta dena jugera continuabunt. Nam, ſi dicent per legem id non licere: ne per Corneliam quidem licet. at videmus (ut longinqua mittamus) agrum Præneſtinum à paucis poſſideri: neque iſtorum pecuniis quidquam aliud deeſſe video, niſi ejuſmodi fundos, quorum ſubſidio familiarum magnitudines, & Cumanorum, ac Puteolanorum *prædiorum ſumtus* ſuſtentare poſſint. Quòd ſi veſtrum commodum ſpectat: veniat, &
coram mecum de agri Campani diviſione diſputet. Quæſivi 29
ex eo Kalendis Jan. quibus hominibus, & quemadmodum illum agrum eſſet diſtributurus. reſpondit, à Romilia tribu ſe initium eſſe facturum. Primùm, quæ eſt iſta ſuperbia, & contumelia, ut populi pars amputetur, *ordo tribuum negligatur?* antè ruſticis detur ager, qui habent, quam urbanis, quibus iſta agri ſpes, & jucunditas oſtenditur? aut, ſi hoc ab ſe dictum negat, & ſatisfacere omnibus vobis cogitat: [5] proferat: in jugera dena deſcribat: [6] à Suburana uſque ad Arnienſem nomina veſtra proponat: Si non modò dena jugera dari vobis, ſed ne conſtipari quidem tantum numerum hominum poſſe in agrum Campanum intelligetis: tamenne vexari remp. contemni majeſtatem populi Rom. deludi voſmetipſos diutiùs à tribuno pl. patiemini? Quòd ſi poſſet ager iſte ad vos pervenire: nonne eum tamen in patrimonio veſtro remanere malletis? unumne fundum pulcherrimum populi Rom. *caput veſtræ pecuniæ*, pacis ornamentum, ſubſidium belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, ſolatium annonæ, diſperire patiemini? An obliti eſtis, Italico bello, amiſſis ceteris vectigalibus, quantos agri Campani fructibus exercitus alueritis? An ignoratis, cetera illa magnifica populi Rom. vectigalia, [7] perlevi ſæpe momento fortunæ, inclinatione temporis pendere? Quid nos Aſiæ portus, quid Syriæ rura, quid omnia tranſmarina vectigalia juvabunt, tenuiſſima *ſuſpicione prædonum*, aut hoſtium injecta? At verò hoc agri Campani vectigal cùm ejuſmodi eſt, ut domi ſit, & omnibus præſidiis oppidorum tegatur: tum neque bellis infeſtum, [8] nec fructibus varium, nec cælo ac loco calamitoſum eſſe ſolet. Majores noſtri non ſolùm id, quod à Campanis ceperant, non imminuerunt, verum etiam, [9] quod ei tenebant, quibus adimi jure non poterat, coëmerunt. Qua de cauſa nec duo Gracchi, qui de plebis Rom. commodis plurimum cogitaverunt, nec L. Sulla, qui omnia ſine ulla religione, quibus voluit, eſt dilargitus, agrum Campanum attingere auſus eſt. Rullus exſtitit, qui ex ea poſſeſſione remp. demoveret: ex qua nec Gracchorum benignitas eam,
nec Sullæ dominatio dejeciſſet. Quem agrum nunc præter- 30
euntes veſtrum eſſe dicitis, [10] & quem per iter qui faciunt, externi homines, veſtrum eſſe audiunt: is cùm erit diviſus, [11] neque erit, neque veſter eſſe dicetur. At qui homines poſſidebunt? Primò quidem acres, ad vim prompti, ad ſeditionem parati, qui ſimulac decemviri concrepuerint, armati in civeis, & expediti ad cædem eſſe poſſint. deinde *ad paucos*, opibus, & copiis affluenteis, totum agrum Campanum perferri videbitis. Vobis interea, qui illas à majoribus pulcherrimas vectigalium ſedes [12] armis captas accepiſtis, glæba nulla de paternis, atque avitis poſſeſſionibus relinquetur: ac tantum intererit inter veſtram, & privatorum

1. *Cervicibus veſtris collocare?*] Abjeci verbum *poſſint*, ſuaſu Pall. tanto facilius, quod mox præceſſiſſet.

2. *Quot colonias, in quæ loca.*] Sic Lambinus aliique, admodum veroſimiliter, ſed non id admittunt mſſ. noſtri aut olim cuſi, in quibus *quo*. adeatur P. Manutius oratione priore cap. 5.

3. *Quingenos ſibi ſinguli ſument.*] Pall. non abeunt ab olim editis, in quibus *quinquagenos*; ſicque reſtat item in Erfurd.

4. *Veſtro nomine contra vos.*] Non videtur inſipida lectio Pal. pr. *contra nos*.

5. *Proferat: in jugera dena deſcribat.*] Lambinus addit, *proferat: in ſingulos jugera dena deſcribat*, non ex ſcriptis, ſed ex loco infra, quem ei oſtendit Manutius. nobis religio eſt diſcedere à libris vetuſtis.

6. *A Suburana uſque ad Arnienſem.*] Emendationis hujus auctores, in Italia Manutius, in Gallia Turnebus, qui videatur lib. XXX. Adverſ. cap. 17. alluduntque omnino Pall. item noſtri & vett. edd. in quibus *ab uſura nam ad uſque ad Arnienſem*; non uti deinceps cuſi, *ab Otriculana uſque ad Narnienſem*. agitur enim de tribubus Romanis, non de regione aliqua.

7. *Perlevi ſæpè momento fortunæ.*] Aliter Lambinus, ſed propius litteras Gulielmius, *à perlevi*, &c.

8. *Nec fructibus varium, nec cælo ac loco.*] Lambinus tentat, *neque fructibus neque cælo*. ineptè. *non varium fructibus*, in quo par atque eadem ſemper ubertas. unde paullo poſt dicit, *ex agro Campano numquam malum nuncium audiri*. monuit me notis patris ſui novum Galliæ ſidus P. Puteanus, Gallicè talem agrum vocari, *qui rencontre tous les ans*.

9. *Quod ei tenebant, &c.*] Sic Lauredani liber. noſtri adhærent vulgatæ, *quod & tenebant*, quæ neſcio an debuerit mutari; cum non obſcure ſubintelligi poſſet, *hi*, aut *illi*.

10. *Et quem per iter qui faciunt.*] Ita rectè P. Manutius ex veteri lectione, *& quem pariter qui faciunt*. quod deinde male degenerarat in, *& quem pariter qui iter faciunt*.

11. *Neque erit, neque veſter eſſe dicetur.*] Hodie ſic quidem vulgatur. ſed enim Pall. item olim impreſſi tantum agnoſcunt, *neque veſtrum dicetur*. maluiſſem ego; *neque erit veſter, neque dicetur*.

12. *Armis captas.*] Lambinus, *partas*; tanquam ſi alterum minus dici poſſet. ô cerebrum!

rum diligentiam, quòd, cùm [1] à majoribus noſtris P. Lentulus, [2] qui princeps ſenatus, in ea loca miſſus eſſet, ut & privatos agros, qui in publicum Campanum incurrebant, pecunia publica coëmeret, dicitur renuntiaſſe, nulla ſe pecunia fundum cujuſdam emere potuiſſe: eumque, qui nollet vendere, ideò negaſſe ſe adduci poſſe, uti venderet, quod, cùm plureis fundos haberet, ex illo ſolo fundo numquam *malum nuntium audiſſet.* Itane verò? privatum hæc cauſa commovit: populus Rom. ne agrum Campanum privatis gratis, Rullo rogante, tradat, non commovebit? Atqui idem populus Rom. de hoc vectigali poteſt dicere, quod ille de ſuo fundo dixiſſe dicitur. Aſia multos annos vobis fructum, Mithridatico bello, non tulit: Hiſpaniarum vectigal temporibus Sertorianis nullum fuit: Siciliæ civitatibus bello fugitivorum M. Aquilius etiam mutuum frumentum dedit. at ex hoc vectigali numquam malus nuntius auditus eſt. Cetera *vectigalia* [3] belli facultatibus affliguntur: hoc vectigali etiam belli facultates ſuſtentantur. Deinde in hac aſſignatione agrorum, ne illud quidem dici poteſt, quod in ceteris, agros deſertos à plebe, atque [4] à
31 cultura hominum liberorum eſſe non oportere. Sic enim dico: ſi Campanus ager dividatur, exturbari, & expelli plebem ex agris, non conſtitui, & collocari. Totus enim ager Campanus colitur, & poſſidetur à plebe optima, & modeſtiſſima: quod genus hominum *optimè moratum*, optimorum & aratorum, & militum, ab hoc plebicola tribuno funditus ejicitur. Atque illi miſeri, nati in illis agris, & educati, glæbis ſubigendis exercitati, quò ſe ſubitò conferant, non habebunt. his robuſtis, & valentibus, & audacibus decemvirûm ſatellitibus agri Campani poſſeſſio tota tradetur. &, ut vos nunc de veſtris majoribus prædicatis: HUNC AGRUM nobis majores noſtri reliquerunt: ſic veſtri poſteri de vobis prædicabunt: HUNC AGRUM patres noſtri acceptum à patribus ſuis, perdiderunt. Equidem exiſtimo, ſi jam campus Martius dividatur, & unicuique veſtrûm, ubi conſiſtat, bini pedes aſſignentur: tamen promiſcuè toto, quam propriè parva frui parte malletis. Quare, etiam ſi ad vos eſſet ſingulos aliquid ex hoc agro perventurum, qui *vobis oſtenditur*, *aliis comparatur*: tamen honeſtiùs eum vos univerſi, quàm ſinguli poſſideretis. Nunc verò, cùm ad vos nihil pertineat, ſed paretur aliis, eripiatur vobis: nonne acerrimè, tanquam armato hoſti, ſic huic legi, pro veſtris agris reſiſtetis? Adjungit Stellatem campum agro Campano: & in eo duodena deſcribit in ſingulos homines jugera. Quaſi verò paullum differat [5] ager Campanus, ac Stellatis. Et multitudo, Quirites, quæritur, qua illa omnia oppida compleantur. Nam dixi antea, lege permitti, ut, quæ velint municipia, quas velint veteres colonias, colonis ſuis occupent. Calenum municipium complebunt: Theanum opprimentt: Atellam, Cumas, Neapolin, Pompejos, Nuceriam ſuis præſidiis devincient: Puteolos verò, qui nunc in ſua poteſtate ſunt, ſuo jure, libertateque utuntur, totos novo populo, atque adventitiis copiis occupabunt.
32 [6] Tunc illud Campanæ vexillum coloniæ, vehementer huic imperio timendum, Capua à decemviris inferetur: tunc contra hanc Romam, communem patriam omnium noſtrûm, illa altera Roma quæretur. In id oppidum homines nefarii remp. noſtram transferre conantur, quo in oppido majores veſtri nullam omnino remp. eſſe voluerunt: qui tres ſolùm urbeis in terris omnibus, Karthaginem, Corinthum, Capuam ſtatuerunt, poſſe *imperii gravitatem, ac nomen ſuſtinere.* Deleta Karthago eſt, quod cùm hominum copiis, tum ipſa natura, ac loco, ſuccincta portubus, armata muris, excurrere ex Africa, [7] imminere ita fructuoſiſſimis inſulis populi Rom. videbatur. Corinthi veſtigium vix relictum eſt. erat enim poſita in anguſtiis, atque in faucibus Græciæ, ſic, ut terra clauſtra locorum teneret, & duo maria maximè navigationi diverſa pænè conjungeret, cùm pertenui diſcrimine ſepararentur. Hæc, quæ procul erant à conſpectu imperii, non ſolùm afflixerunt, ſed etiam, nequando recreata exſurgere, atque erigere ſe poſſent, funditus, ut dixi, ſuſtulerunt. De Capua multùm eſt, & diu conſultum: extant litteræ, Quirites, publicæ: ſunt ſenatuſconſulta complura. Statuerunt homines ſapientes, ſi agrum Campanis ademiſſent, magiſtratus, ſenatum, publicum ex illa urbe conſilium ſuſtuliſſent, imaginem reip. nullam reliquiſſent: nihil fore, quòd Capuam *timeremus.* Itaque hoc perſcriptum in monumentis veteribus reperietis, ut eſſet urbs, quæ res eas, quibus ager Campanus coleretur, ſuppeditare poſſet: ut eſſet locus comportandis, condendiſque fructibus: ut aratores, cultu agrorum defeſſi, urbis domi-
ciliis uterentur: idcirco illa ædificia non eſſe deleta. Vi- 33
dete, [8] quantum intervallum ſit interjectum inter *majorum noſtrorum conſilia*, & inter iſtorum hominum dementiam. Illi Capuam, receptaculum aratorum, nundinas ruſticorum, cællam, atque horreum Campani agri eſſe voluerunt: hi, expulſis aratoribus, effuſis ac diſſipatis fructibus veſtris, eandem Capuam ſedem novæ reip. conſtituunt, molem contra veterem remp. comparant. Quòd ſi majores noſtri exſtimaſſent, quemquam in tam illuſtri imperio, & tam præclara populi Rom. diſciplina, M. Bruti, aut P. Rulli ſimilem futurum (hos enim nos duos adhuc vidimus, qui hanc remp. Capuam totam transferre vellent) profectò nomen illius urbis non reliquiſſent. Verum arbitrabantur, Corintho, & Karthagini, etiam ſi ſenatum, & magiſtratum ſuſtuliſſent, agrumque civibus ademiſſent, tamen non defore, qui illa reſtituerent, atque, qui antè omnia commutarent, quàm nos audire poſſemus: hic verò, in oculis S. P. Q. R. nihil poſſe exſiſtere, quod non antè *exſtingui*, atque opprimi poſſet, quàm planè *exortum*, ac natum eſſet. neque verò ea res fefellit homines, divina mente, & conſilio præditos. nam poſt Q. Fulvium, Q. Fabium, Coss. quibus conſulibus Capua [9] devicta, atque capta eſt, nihil eſt in ea urbe contra hanc remp. non dico factum, ſed nihil omnino excogitatum. Multa poſtea bella geſta cum regibus, Philippo, Antiocho, Perſa, Pſeudophilippo, Ariſtonico, Mithridate, & ceteris: multa præterea bella gravia [10] Karthaginienſium, Corinthium, Numantinum: multæ in hac rep. ſeditiones domeſticæ, quas prætermitto: bella cum ſociis, Fregellanum, Marſicum: quibus omnibus domeſticis, externiſque bellis Capua non modò non obfuit, ſed *opportuniſſimam* ſe nobis præbuit & ad bellum inſtruendum, & ad exercitus ornandos, & tectis, ac ſedibus ſuis recipiendos. Homines non inerant in urbe, qui *malis concionibus*,

1. *A majoribus noſtris.*] Sic Pall. melius recepto, *veſtris*, mea quidem opinione.

2. *Qui princeps Senatus.*] Et hoc quoque à Pall. item edd. vett. niſi quod ex *Senat* *r.* pronomen neglectum fuit à correctoribus ſeculi propioris.

3. *Bell. facultatibus affl. hoc vect. etiam belli facultates ſuſtentantur.*] Palatinus ille ſec. *belli difficultatibus*; & mox, *difficultates ſuſtentantur*; cui profecto potius acceſſerim, quam aliis multis membranis notæ multo ſelectæ.

4. *A cultura hominum liberorum eſſe.*] Puteanus conjicit; *liberos*. cujus nomen, cur hic ſubticeat Lambinus, neſcio. neque enim abſurda eſt emendatio.

5. *Ager Campanus, ac Stellatis. Et multitudo.*] Lambinus heic reponit, *a Stellati, ſcilicet mult. proprius ſumſit à Stellati. Sed mult.* ſed Gulielmius mavult, *ac Stellatis. ſed mult.* quod & nominandi caſu, *Arpinatis*, *Capenatis*, *Stellatis*, vetuſte dicatur, quod vulgo in *as* ferè terminamus, ut oſtendit libro IV. Priſcianus.

6. *Tunc illud Campanæ vexillum coloniæ.*] Minimè excludenda videbatur hæc vox a Lauredano nata. ineptè enim aliæ editt. item ſcripta, *exitium Campanæ coloniæ.* quod tamen probat Fulvius Urſinus.

7. *Imminere ita fructuoſiſſimis.*] Conjecit Ant. Auguſtinus, *imm. Italiæ, & fruct.* quod admiſit ſtatim Lambinus. putabat Gulielmius reſcribendum potius *imm. ſitu fruct.*

8. *Quantum intervallum ſit interjectum inter majorum noſtr. conſilium.*] Sufficiſſet, *quantum ſit inter majorum, &c.* abjectis vocibus aliis illis duabus.

9. *Devicta atque capta eſt.*] Negat hoc Joſephus Scaliger, commentariis ad Euſebium: qui conſulatur.

10. *Karthaginienſium.*] Lauredanus, *Karthaginienſe* III. ingenioſè.

1. *Capua*

cionibus, turbulentis ſenatuſconſultis, iniquis imperiis remp. miſcerent, & rerum novarum cauſam aliquam quærerent. neque enim concionandi poteſtas erat cuiquam, nec conſilii capiundi publici: non gloriæ cupiditate efferebantur, propterea quòd, UBI HONOS publicè non eſt, ibi gloriæ cupiditas eſſe non poteſt: non contentione, non ambitione diſcordes. nihil enim ſupererat, de quo certarent: nihil, quod contrà peterent: nihil, ubi diſſiderent. Itaque illam Campanam arrogantiam, atque intolerandam *ferociam*, ratione, & conſilio majores noſtri ad inertiſſimum, & deſidioſiſſimum otium perduxerunt. Sic & crudelitatis infamiam fugerunt, quòd urbem ex Italia pulcherrimam non ſuſtulerunt: & multum in poſterum providerunt, quòd, nervis urbis omnibus exſectis, urbem ipſam, ſolu-
34 tam, ac debilitatam reliquerunt. Hæc conſilia majorum M. Bruto, ut antea dixi, reprehendenda, & P. Rullo viſa ſunt: neque te, P. Rulle, omina illa M. Bruti, atque auſpicia, à ſimili furore deterrent. nam & ipſe, qui deduxit, & qui magiſtratum [1] Capuæ, ea lege creati, ceperunt, & qui aliquam partem illius deductionis, honoris, muneris attigerunt, omnes acerbiſſimas impiorum *pœnas pertulerunt*. Et quoniam Bruti, atque temporis illius feci mentionem, commemorabo id, quod egomet vidi, cùm veniſſem Capuam coloniam, deductam L. Conſidio, & Sext. Saltio (quemadmodum ipſi loquebantur) prætoribus: ut intelligatis, quantam *locus ipſe afferat ſuperbiam*: quæ paucis diebus, quibus illò colonia deducta fuit; perſpici, atque intelligi potuit. Nam primùm, id quod dixi, cùm ceteris in coloniis duumviri appellentur, hi ſe prætores appellari volebant. Quibus *primus annus* hanc cupiditatem attuliſſet, nonne arbitramini paucis annis fuiſſe conſulum nomen appetituros? Deinde anteibant lictores, non [2] cùm bacillis, ſed, ut hìc prætoribus anteeunt, cum faſcibus duobus. erant hoſtiæ majores in foro conſtitutæ, quæ ab his prætoribus de tribunali, ſicut à nobis conſulibus [3] de conſilii ſententia probatis, ad præconem, & ad tibicinem immolabantur. deinde patres conſcripti vocabantur. Jam verò *vultum Conſidii* videre, ferendum vix erat. Quem hominem [5] vegrandi macie torridum, Romæ contemtum, atque abjectum videbamus, hunc Capuæ Campano ſupercilio, ac regio ſpiritu [4] cùm videremus, Magios, Bloſſios mihi videbar illos videre, ac Jubellios. Jam verò qui *metus* erat tunicatorum illorum? & in Albana, & Seplaſia, quæ concurſatio percontantium, quid prætor edixiſſet? ubi cenaret? [6] quid enuntiaſſet? Nos autem, hinc Roma qui veneramus, jam non hoſpites, ſed peregrini, atque advenæ nominabamur.
35 Hæc qui proſpexerint, majores noſtros dico, Quirites, non eos in deorum immortalium numero *venerandos* à nobis, & colendos putatis? quid enim viderunt? hoc, quod nunc vos, quæſo, perſpicite, atque cognoſcite. NON INGENERANTUR hominibus mores tam à ſtirpe generis, ac ſeminis, quàm ex iis rebus, quæ ab ipſa natura loci, & à vitæ conſuetudine ſuppeditantur: quibus alimur, & vivimus. Karthaginienſes, fraudulenti, & mendaces, non genere, ſed *natura loci*, quòd, propter portus ſuos, multis, & variis mercatorum, & advenarum ſermonibus, ad ſtudium fallendi, ſtudio quæſtus vocabantur. Ligures, montani, duri, atque agreſtes. docuit *ager ipſe*, nihil ferendo, niſi multa cultura, & magno labore quæſitum. Campani, ſemper ſuperbi *bonitate agrorum*, & fructuum magnitudine, urbis ſalubritate, deſcriptione, pulchritudine. Ex hac copia, atque omnium rerum affluentia, [7] primùm illa nata ſunt: arrogantia, quæ à majoribus noſtris alterum Capua conſulem poſtulavit: deinde ea luxuries, quæ ipſum Hannibalem, armis etiam tum invictum, *voluptate vicit*. Huc iſti decemviri [8] cùm numerum colonorum ex lege Rulli deduxerint: centum decuriones, decem augures, ſex pontifices conſtituerint: quos illorum animos, quos impetus, quam ferociam fore putatis? Romam in montibus poſitam, & convallibus, cenaculis ſublatam, atque ſuſpenſam, *non optimis viis*, anguſtiſſimis ſemitis, præ ſua Capua, planiſſimo in loco explicata, [9] ac præ illis ſemitis irridebunt, atque contemnent. agros verò, Vaticanum, & Pupiniam, [10] cum ſuis optimis, atque uberibus campis [11] conferendos ſcilicet non putabunt. oppidorum autem finitimorum illam copiam cum hac per riſum, ac per jocum contendent: Labicos, Fidenas, Collatiam, ipſum hercle Lanuvium, Ariciam, Tuſculum, cum Calibus, Theano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompejis, Nuceria comparabunt. Quibus illi rebus elati, & inflati, fortaſſe *non continuò*, ſed certè, ſi paullum aſſumſerint vetuſtatis, ac roboris, non continebuntur: progredientur longius, efferentur. SINGULARIS HOMO privatus, niſi magna ſapientia præditus, vix facilè ſeſe regionibus officii, magnis in fortunis, & copiis, continet: nedum iſti, ab Rullo, & Rulli ſimilibus conquiſiti, atque electi coloni, Capuæ, in domicilio ſuperbiæ, atque in ſedibus luxuriæ collocati non *ſtatim* conquiſituri ſint aliquid ſceleris, & flagitii. immò verò etiam hoc magis, quàm illi veteres, germanique Campani, quòd in vetere fortuna illos natos, & educatos, nimiæ tamen rerum omnium copiæ depravabant. hi ex ſumma *egeſtate*, in eandem rerum abundantiam traducti, non ſolùm copia, verum etiam inſolentia commovebuntur. Hæc tu, P. Rulle, M. Bruti ſceleris veſtigia, 36
quàm monumenta majorum ſapientiæ ſequi maluiſti: hæc tu [12] cum iſtis tuis actoribus excogitaſti, [13] ut vetera vectigalia venderetis, & expleretis nova. Urbi Capuam [14] ad certamen

tamen

1. *Capuæ ea lege creati.*] Eſt a P. Manutii. monſtroſe enim prius legebatur, *Capuæ & Leocreanti*, quod tamen ferè item in mſſ. Pall. nam Erfurd. *Capuæ locare ante.* editio princeps, *Cap. & Lucienati.*

2. *Cum bacillis, ſed ut hic prætoribus anteeunt, &c.*] Pal. ſec. atque Erfurd. addunt, *Prætoribus urbanis.* Erfurd. præterea *baculis.* ſed alterum reſtat in utroque Pall. qui mox habent, *facibus duabus.*

3. *De conſilii ſententia probatis.*] Retinent iſtud Pall. explicatque Briſſonius libro 1. de Formulis & ſolemnibus pop. Rom. verbis. Lauredanus volebat *probatæ*, quod & admiſit Lambinus, & eſt admodum ſimile vero. Panthagathus *probata.* alii *probantibus.*

4. *Vegrandi macie torridum.*] Placuit iſtud Manutio, Lambino, Urſino. ſcripti tamen *ut grandi*, quomodo & lectio recepta. nam editio omnium prima, *& grandi.* Puteanus maluiſſet *horridum.*

5. *Cum videremus, Magios, Bloſſios, &c.*] Mallem, *viderem.* utique cum reſtet in Pall. editionibuſq; obſoletis, *cùm videremus Bloſſios*, ejecto illo *Magios.* quod tamen an ſit à membranaceis libris, viderint Critici. ego vix puto. neque aliquid umquam commiſiſſe legitur, cur heic inter ſeditioſos proditoreſque locaretur. ſi ſic, tunc ſane maneat, *cum videremus Bloſſios*, *&c.*

6. *Quid enunciaſſet?*] Pall. & edd. vett. *quod enunciaſſet?* ut forte fuerit, *quoi denunciaſſet*, ad cenam ſcilicet, ut etiam in mentem venerat Gulielmio.

7. *Primum illa nata ſunt.*] Sic etiam Victoriana. at vetuſtiores *illa apta ſunt.* omnium prima, *aperta.* quod ultimum alicui placere poſſet, niſi exſtaret in Pal. ſec. *illa capta ſunt*, quod tamen forſan adhuc mutandum in, *cœpta.*

8. *Cum numerum colonorum, &c.*] *Numerus* pro multitudine, ut initio orat. pro Fontejo, & ſæpius aliàs, inquit Gulielmius. verum olim typis informati, *cùm modo colonorum.* ut forte fuerit, *cum modum colonorum*, ſatis apertè. Lauredanus conjiciebat, *cùm* 100 *colonorum.* ingenioſè. Pall. noſtri habent *cum mo.* ſed non ſimpliciter; virgula enim, incubat litteræ *o*, quod notat fere illud *modo*, de quo jam dixi.

9. *Ac præ illis ſemitis.*] Innuit enim nullas fuiſſe Capuæ. itaque nihil mutandum cum Lambino, cum aliis.

10. *Cum ſuis optimis, &c.*] Lambinus *opimis.* Pall. nihil mutant. tantum ſec. *optumis*, veteri ſcripturæ modo.

11. *Conferendos ſcilicet non putabunt.*] Accedo ſententiæ Senatoris Pariſini, Puteani, arbitrantis negationem heic ſupervacuam. hæc enim dici per eironiam, oſtendit particula *ſcilicet*; atque id quod ſequitur, *contendent*, *comparabunt.*

12. *Cum iſtis tuis actoribus.*] Haud aliter quoque Pall. & olim impreſſi. Lambinus, *auctoribus*, de ſuo ſcilicet.

13. *Ut vetera vectigalia venderetis, & expleretis nova.*] Gulielmius conjicit, *exciperetis.* ego *expilaretis.* Pall. heic eunt à vulgata. nam ſec. habet, *ut vetera vectigalia ea expleretis novo.* quod idem in primo. ſed ei eſt vacuum ſpacium, poſt *novo*, litterarum trium, annotatumque ad oram: *deeſt unus verſus.* & vero talis lectio lacunaque litterarum triginta, extat in editione anni CCCCLXXXIII.

14. *Ad certamen dignitatis opponere vis.*] Cum ſequatur, *venderetis & ſubjungeretis*, non vituperat eos Puteanus, qui legunt, *opponeretis.*

1. *Nihil*

tamen dignitatis opponere vis, ut ſub veſtrum jus, juriſdictionem, poteſtatem, urbeis, nationes, provincias, liberos populos, reges, terrarum denique orbem ſubjungeretis: ut, cùm omnem pecuniam ex ærario exhauſiſſetis, ex vectigalibus redegiſſetis, ab omnibus regibus, gentibus, imperatoribus noſtris coëgiſſetis, tamen omnes vobis pecunias *ad nutum veſtrum penderent*: ut iidem partim invidioſos agros à Sullanis poſſeſſoribus, partim deſertos, ac peſtilenteis, à veſtris neceſſariis, à vobiſmetipſis emtos, quanti velletis, populo Rom. induceretis: ut omnia municipia, coloniaſque Italiæ novis colonis occuparetis: ut quibuſcumque in locis vobis videretur, ac quam multis videretur, colonias collocaretis? ut omnem rempub. veſtris militibus, veſtris urbibus, veſtris præſidiis cingeretis, atque *oppreſſam teneretis*, ut ipſum Cn. Pompejum, cujus præſidio ſæpiſſimè populus Rom. contra acerrimos hoſteis, & contra improbiſſimos civeis victor exſtitit, proſcribere, atque horum conſpectu privare poſſetis: ut nihil auro & argento violari, nihil numero, & ſuffragiis declarari, [1] nihil *vi ac manu* perfringi poſſet, quod non vos oppreſſum, atque ereptum teneretis: ut volitaretis interea per genteis, per regna omnia cum imperio ſummo, cum judicio infinito, cum omni pecunia: ut veniretis in caſtra Cn. Pompeji, atque ipſa caſtra, ſi commodum vobis eſſet, venderetis, ut interea magiſtratus reliquos, *legibus omnibus ſoluti*, ſine metu judiciorum, ſine periculo, petere poſſetis: ut nemo ad populum Rom. vos adducere, nemo producere, non ſenatus cogere, non conſul coërcere, non tribunus pl. retinere poſſit. Hæc ego vos concupiiſſe pro veſtra ſtultitia, atque intemperantia non miror: ſperaſſe, me conſule, aſſequi poſſe, demiror. Nam cùm *omnium conſulum* gravis in republ. cuſtodienda cura, ac diligentia debet eſſe, tum eorum maximè, qui non in cunabulis, ſed in campo ſunt conſules facti. nulli populo Rom. pro me majores mei ſpoponderunt: mihi creditum eſt: à me petere, quod debeo, me ipſum appellare debetis. Quemadmodum, cùm petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt: ſic, *ſi quid deliquero*, nullæ ſunt imagines, quæ me à vobis de-
37 precentur. Quare, modò ut vita ſuppetat, quamquam ego ſum is, qui eam poſſim ab iſtorum ſcelere, inſidiiſque defendere: polliceor hoc vobis, Quirites, bona fide: rempubl. vigilanti homini, non timido: diligenti, non ignavo commiſiſtis. Ego is conſul, qui concionem metuam? qui tribunos pleb. perhorreſcam? qui ſæpe, & ſine cauſa tumultuer? qui timeam ne mihi *in carcere habitandum ſit*, ſi tribunus pleb. duci juſſiſſet? [2] Ego nondum veſtris armis armatus, inſignibuſque ampliſſimis ornatus, imperio, auctoritate, [3] non horrui in hunc locum progredi, vobiſque auctoribus improbitati hominis reſiſtere: nunc verear, ne reſp. tantis munita præſidiis, ab iſtis vinci, aut opprimi poſſit? Si antea timuiſſem, hac concione, hoc populo, certè non vererer. Quis enim umquam tam ſecunda concione legem Agrariam ſuaſit, quàm ego diſſuaſi? ſi hoc diſſuadere eſt, ac non *diſturbare*, ac pervertere. Ex quo intelligi, Quirites, poteſt, nihil eſſe tam populare, quàm id, quod ego vobis in hunc annum conſul popularis affero, *pacem*, *tranquillitatem*, *otium*. Quæ nobis deſignatis timebatis, ea ne accidere poſſent, conſilio meo, ac ratione proviſa ſunt. non modò vos eritis in otio, qui ſemper eſſe volueratis, verùm etiam iſtos, [4] quibus otioſi negotium faceſſimus, otioſiſſimos reddam. Etenim illis honores, poteſtates, divitiæ, ex tumultu, atque *ex diſſenſionibus civium* comparari ſolent: vos, quorum gratia in ſuffragiis conſiſtit, libertas in legibus, [5] honos in judiciis & æquitate magiſtratus, & res familiares in pace, omni ratione otium tenere debetis. [6] Nam, ſi ii, qui propter deſidiam in otio vivunt, tamen in ſua *turpi inertia* capiunt voluptatem: ſub ipſo otio, quo vos fortunam regitis, ſi hunc [7] ſtatum, quem habetis, eſſe meliorem non ignoratis, non ut quæſitum, ſed vita partum otium tenueritis. [8] Quod ego & *concordia*, quam mihi conſtitui cum collega, [9] invitiſſimis iis hominibus, quos in conſulatu inimicos eſſe & animis, & corporis actibus providi: omnibus proſpexi ſanè, & revocavi. idem tribunis pleb. denuntiavi, quid turbulenti, me conſule, conflarent. Summum, & firmiſſimum eſt illud *communibus fortunis* præſidium, Quirites, ut, qualeis vos hodierno die maxima concione mihi pro ſalute veſtra præbuiſtis, taleis reliquis temporibus populo Romano præbeatis. [10] pro certo polliceor hoc vobis, atque confirmo, me eſſe perfecturum, ut jam tandem illi, qui honori inviderunt meo, tamen vos univerſos in conſule deligendo *plurimùm vidiſſe* fateantur.

M. TUL-

1. *Nihil vi ac manu.*] Eſt à conjectura Lauredaniana. nam vulgo recepta lectio, *nihil elata*, non viſitur in olim editis, qui *nihil velata*, quod & in Pal. pr. nam ſec. *vel leta.* aliorum ſcripti *vel lecta.* unde faciebat Gulielmius, *nihil ve lecta manu.* divinationes plures ſuppeditant Notæ Lambini.

2. *Ego nondum veſtris armis armatus.*] Locus iſte totus eſt fractus. nam Pal. pr. *Ego cum veſtris*, ſicque editt. vett. Pal. ſec. *Ego tum veſtris*, *&c.* Mox ubi hodie legitur: *nunc verear ne reſpub. &c.* habet Pal. ſec. *reſiſtere*, *vereor ne P. R. tantis.* pr. *reſiſtere: nec vereor ne R. P.* quomodo & olim editi, niſi quod primus *reſp.* Puteanus tentabat; *nunc verear tantis munitus præſidiis*, *ne reſp. ab iſtis*, *&c.*

3. *Non horrui in hunc locum progredi, vobiſque.*] Mſſ. noſtri & editi ante centum & triginta annos, *non horreo in hunc locum progredi poſſe*, *vobiſque.* quod *poſſe* in omnibus ferè adhuc impreſſis, excepta Lambiniana, ejuſque traducibus.

4. *Quibus otioſi negotium faceſſimus.*] Hæc eſt conjectura Sigonii. nam vulgo eſt, *feciſſemus.* at antiquiores edd. *quibus otioſi otium feciſſemus.* quod & in Pal. pr. quippe ſec. adjicit, *atque otioſos reddam.* quod *atque* etiam reſtat in editione anni CCCCLXXXIII. qui tamen, *otioſiſſimos.*

5. *Honos in judiciis & æquitate magiſtratus*, *& res familiares in pace.*] Pall. *hos in judiciis & æquitate magnos timores familiares in pace.* neque aliter editio prima, niſi quod ipſa *hoc.* ſecunda tamen præfert *honos.*

6. *Nam ſi hic*, *&c.*] Pal. prim. *Nam etſi ei.* edd. vett. *Nam etſi hi.* Pal. ſecund. *Tamen ſi hii.*

7. *Statum quem habetis*, *eſſe meliorem non ignoratis*, *non ut quæſitum*, *ſed &c.*] Pal. pr. *ſtatum quem habetis eſſe non ignoravi*, *an quæſitum*, *ſed &c.* ſec. *ſtatum quem hab. eſſe non ignoravi non quæſitum*, *ſed.* quo modo habet quoque editio prima: verum ſecunda retinet, *ignoravi an quæſitum.*

8. *Quod ego & concordia.*] Sic Pall. editioque ſecunda. nam prima, *ex concordia*, quod recepit Lambiniana.

9. *Invitiſſimis iis hominibus, quos &c.*] Proponam Criticis & heic longè meliorem ſcripturam membranarum. Pal. pr. *invitiſſimis iis eſſe hominibus*, *quos vos in* Cos. *inimico eſſe & corporis jactibus providi.* ſec. *invictiſſimus eſſe hominibus quos nos in conſ. inimico eſſe & corporibus actibus provi.i.* atque his ferè ſimilia viſuntur in editionibus exoletis.

10. *Pro certo polliceor hoc vobis, &c.*] Palat. ſec. atque Erfurd. *pro certo reperto polliceor*, *&c.*

1. *Apud*

M. TULLIUS CICERO DE LEGE AGRARIA, CONTRA P. SERVILIUM RULLUM, TRIBUNUM PLEBIS, AD POPULUM.

ORATIO DECIMASEPTIMA.

1 COMMODIUS feciſſent tribuni pleb. Quirites, ſi, quæ [1] apud vos de me deferunt, ea *coràm potius*, me præſente, dixiſſent. nam & æquitatem veſtræ diſceptationis, & conſuetudinem ſuperiorum, & jus ſuæ poteſtatis retinuiſſent. ſed quoniam adhuc præſens certamen, contentionemque fugerunt: nunc, ſi videtur eis, in meam concionem prodeant, &, quò provocati à me, venire noluerunt, revocati ſaltem revertantur. Video quoſdam, Quirites, ſtrepitu ſignificare neſcio quid, & non eoſdem vultus, quos proxima mea concione præbuerunt, in hanc concionem mihi retuliſſe. Quare à vobis, qui nihil de me credidiſtis, ut eam voluntatem, quam ſemper habuiſtis erga me, retineatis, peto: à vobis autem, quos leviter immutatos eſſe ſentio, parvam exigui temporis uſuram *bonæ* de me *opinionis* poſtulo, ut eam, ſi, quæ dixero, vobis probabo, perpetuò retineatis: ſin aliter, hoc ipſo in loco depoſitam, atque abjectam relinquatis. Completi ſunt animi, aureſque veſtræ, Quirites, me gratificantem ſeptem tyrannis, ceteriſque Sullanarum aſſignationum poſſeſſoribus, Agrariæ legi, & *commodis veſtris obſiſtere.* Hæc ſi qui crediderunt, illud priùs crediderint neceſſe eſt, hac lege Agraria, quæ promulgata ſit, adimi Sullanos agros, vobiſque dividi, aut denique minui privatorum poſſeſſiones ut in eas vos deducamini. Si oſtendo, non modò non adimi cuiquam glæbam de Sullanis agris, ſed etiam genus id agrorum, certo capite legis impudentiſſimè [2] confirmari, atque ſanciri: ſi doceo, agris his, qui à Sulla ſunt dati, ſic diligenter Rullum ſua lege conſulere, ut facilè appareat, eam legem, non à veſtrorum commodorum patrono, ſed à Valgii genero eſſe conſcriptam: num quid eſt cauſæ, Quirites, quin illa *criminatione*, qua in me abſentem uſus eſt, non ſolùm meam, ſed etiam veſtram diligentiam,
2 prudentiamque deſpexerit? Caput eſt legis XL, de quo ego conſultò, Quirites, neque apud vos antè feci mentionem, ne aut *refricare* obductam jam reipubl. cicatricem viderer, aut aliquid alieniſſimo tempore novæ diſſenſionis commovere: neque verò nunc ideo diſputabo, quòd hunc ſtatum reip. non magnopere defendendum putem: præſertim qui otii, & *concordiæ patronum* me [3] in hunc annum reipub. profeſſus ſim: ſed ut doceam, Rullum poſthac in his ſaltem tacere rebus, in quibus de ſe, & de ſuis factis taceri velit. Omnium legum iniquiſſimam, diſſimillimamque legis eſſe arbitror eam, quam L. Flaccus, interrex, de Sulla tulit, UT OMNIA, QUÆCUMQUE ILLE FECISSET, ESSENT RATA. nam cùm ceteris in civitatibus *tyrannis inſtitutis*, leges omnes extinguantur, atque tollantur, hic reipub. tyrannum lege conſtituit. Eſt invidioſa lex, ſicut dixi: verumtamen habet excuſationem. non enim videtur hominis lex eſſe, ſed *temporis*. Quid, ſi eſt hæc multo impudentior? Nam Valeria lege, Corneliiſque legibus [4] eripitur, cùm datur: conjungitur impudens gratificatio cum acerba injuria: [5] ſed tamen habet in illis legibus ſpem nonnullam [6] ille, cui ademtus eſt: aliquem ſcrupulum, cui datus eſt. Rulli cautio eſt hæc, QUÆ POST C. MARIUM, CN. PAPIRIUM, CONSULES. Quàm procul à ſuſpicione fugit, quòd eos conſules, qui adverſarii Sullæ maximè fuerunt, potiſſimum nominavit? Si enim Sullam dictatorem nominaſſet: perſpicuum fore, & invidioſum, arbitratus eſt. Sed [7] quem veſtrûm tam tardo ingenio fore putavit, cui poſt eos conſules, Sullam, dictatorem fuiſſe, in mentem venire non poſſet? Quid ergo ait Marianus tribunus pleb. qui nos Sullanos in invidiam rapit? QUÆ POST MARIUM ET CARBONEM, Coſs. agros, ædificia, lacus, ſtagna, loca, [8] poſſeſſiones, cælum, & mare prætermiſit: cetera complexus eſt. PUBLICE DATA, ASSIGNATA, VENDITA, CONCESSA SUNT. à quo, Rulle? Poſt Marium & Carbonem, Coſs. [9] quis aſſignavit? quis dedit? quis conceſſit, præter Sullam? EA OMNIA EO JURE SINT. Quo jure? labefactat videlicet neſcio quid. nimium acer, nimium vehemens tribunus pleb. [10] Sullana reſcindit: [11] UT QUÆ OPTIMO JURE PRIVATA SINT. Etiamne meliore, quàm paterna, & avita? Meliore. At hoc Valeria lex non dicit: Corneliæ leges non ſanciunt: Sulla ipſe non poſtulat. Si iſti agri partem aliquam juris, aliquam

1. A*pud vos de me deferunt.*] Editiones planè neotericæ, *detulerunt.* ſed abeunt ab eis ætatis provectioris, item mſſ. Pall. & liber Cujacii. & tamen vulgata Latina vix eſt. erit, ſi legamus, *differunt.*

2. *Confirmare atque ſanciri.*] Pal. ſec. & Cujac. *ſanari.* prætulerim lectionem receptam.

3. *In hunc annum reipubl. profeſſus ſum.*] Fortaſſe, *annum publicè profeſſ.* inquit Gulielmius.

4. *Eripitur cum datur.*] Melius Pall. Cujac. edd. vett. *cui.*

5. *Sed tamen inhibet illis legibus ſpem, &c.*] Neceſſe habui revocare iſtam ſcripturam, cum non modo extaret in Pall. editiſque antiquitus, ſed etiam Turnebianis; ut prodidit ipſemet libro XXV. Adverſ. cap. 16. qui conſulatur. vulgo hactenus legimus, *ſed tamen habet in illis legibus.*

6. *Ille cui ademptus eſt, &c. datus eſt.*] Mallet Puteanus, *ademptum eſt, &c. datum eſt.*

7. *Quem veſtrum.*] Sic Pal. pr. & olim impreſſi. at ſec. & Cujac. *noſtrum*; quod minus forſan invidioſum.

8. *Poſſeſſiones, cælum, &c. publicè data, &c.*] Turnebus d. cap. emendandum putat, *poſſeſſiones publicæ, cælum, &c.* retracta voce, quæ occupabat ordinem non ſuum.

9. *Quis aſſignavit, quis dedit, quis conceſſit præter Sullam?*] Legendum putabat Puteanus, *quis dedit, quis aſſignavit, quis vendidit*, ut ſingula Serviliæ legis verba repetantur. quod ipſum ſtatim ſecutus eſt Lambinus.

10. *Sullana reſcindit.*] Gulielmius tentabat *Sullæ acta*. Pal. noſter ſec. habet *Sillanis reſcindit.*

11. UT QUÆ OPT. &c.] Lambinus aliter, quem non ſequimur. quippe Feſtus auctor, formulæ magiſtratuum adjici ſolitum, UTI QUEI OPTIMA LEGE FUERINT.

quam ſimilitudinem propriæ poſſeſſionis, aliquam ſpem diuturnitatis attingunt: nemo eſt tam impudens iſtorum, qui non agi ſecum præclarè arbitretur. Tu verò, Rulle, quid quæris? quod habent, ut habeant? quis vetat? ut privatum. At ita latum eſt, ut melior tui ſoceri fundus Irpinus ſit, ſive ager Irpinus (totum enim poſſidet) quàm meus paternus, avituſque fundus Arpinas. id enim caves. OPTIMO enim jure ea ſunt profectò prædia, quæ optima conditione ſunt. Libera, meliore jure ſunt, quàm ſerva. capite hoc, omnia, quæ ſerviebant, non ſervient. Soluta, meliore in cauſa ſunt, quàm obligata. [1] eodem capite obligata omnia, ſi modò Sullana ſunt, liberantur. Immunia, commodiore conditione ſint, quàm illa, quæ penſitant. Ego Tuſculanis pro [2] aqua Crabra vectigal pendam, [3] quia à municipio fundum accepi. ſi à Sulla mihi datus eſſet, Rulli lege non penderem. Video vos, Quirites, ſicuti res ipſa cogit, commoveri vel legis, vel orationis impudentia: legis, quæ jus melius Sullanis prædiis conſtituat, quàm *paternis*: orationis, quæ [4] ejuſmodi cauſa inſimulare quemquam audeat, rationes Sullæ eſſent nimiùm vehementer defendere. At ſi illa

3 ſolùm ſanciret, quæ à Sulla eſſent data: tacerem: modò ipſe ſe Sullanum eſſe confiteretur. ſed non modò illis cavet, verùm etiam aliud quoddam genus donationis inducit: & is, qui à me Sullanas poſſeſſiones defendi criminatur, non eas ſolùm ſancit: verùm ipſe novas aſſignationes inſtituit, & repentinus Sulla nobis exoritur. Nam attendite, quantas conceſſiones agrorum hic noſter objurgator uno verbo facere conetur. QUÆ DATA, DONATA, CONCESSA, VENDITA. Patior. audio. quid deinde? POSSESSA. Hæc tribunus pleb. promulgare auſus eſt, ut, quod quiſque poſt Marium & Carbonem, Coss. poſſidet, id eo jure teneret, [5] quo qui optimo privatum? etiamne ſi vi ejecit? etiamne ſi clàm, ſi precariò venit in poſſeſſionem? Ergo hac lege *jus civile*, cauſæ poſſeſſionum, prætorum interdicta tollentur. Non mediocris res, neque parvum ſub hoc verbo furtum, Quirites, latet. Sunt enim multi agri lege Cornelia publicati, nec cuiquam aſſignati, neque venditi, qui à paucis hominibus *impudentiſſime poſſidentur*. his cavet, hos defendit, hos privatos facit: hos inquam, agros, quos Sulla nemini dedit, Rullus non vobis aſſignare vult, ſed eis condonare, qui poſſident. Cauſam quæro, cur ea, quæ majores vobis in Italia, Sicilia, duabus Hiſpaniis, Macedonia, Aſia quæſiverunt, venire patiamini, cùm ea, quæ veſtra ſunt, condonari poſſeſſoribus eadem lege videatis. Jam, totam legem, intelligetis, cùm ad paucorum dominationem ſcripta ſit, [6] ad Sullanæ aſſignationis rationes eſſe accommodatiſſimam. nam ſocer hujus, vir multum bonus eſt: neque ego nunc de illius bonitate, ſed [7] de generi impudentia diſputo. ille enim, quod habet, retinere vult: neque ſe Sullanum eſſe diſſimulat. Hic, ut ipſe habeat quod non habet, quæ *dubia ſunt*, per vos ſancire vult: &, cum plus 4
appetat, quàm ipſe Sulla: quibus ego rebus reſiſto, Sullanas res defendere criminor. Habet agros nonnullos, inquit, ſocer meus deſertos, atque longinquos. vendet eos mea lege, quanti volet. habet incertos, ac nullo jure poſſeſſos: confirmabuntur optimo jure. habet publicos: reddam privatos. denique eos fundos, quos in agro Caſinati optimos, & fructuoſiſſimos *continuavit*, cùm uſque eò vicinos proſcriberet, [8] quoad oculis confirmando, ex multis prædiis unam fundi regionem, formamque perfecerit: quos nunc cum aliquo metu tenet, ſine ulla cura poſſidebit. Et, quoniam, qua de cauſa & quorum cauſa ille hoc promulgavit, oſtendi: doceat ipſe, num ego quem poſſeſſorem defendam, cùm Agrariæ legi reſiſto. Silvam Scantiam vendis. reſp. poſſidet: defendo. Campanum agrum dividis: vos eſtis in poſſeſſione: non cedo. Deinde Italiæ, Siciliæ, ceterarumque provinciarum poſſeſſiones, venaleis, ac proſcriptas hac lege video: veſtra ſunt prædia, veſtræ poſſeſſiones. reſiſtam, atque repugnabo: neque patiar, à quoquam *populum Romanum de ſuis poſſeſſionibus, me conſule, demoveri*: præſertim cùm vobis nihil quæratur. [9] Hoc enim vos errore verſari diutiùs non oportet. Num quis veſtrûm ad vim, ad facinus, ad cædem accommodatus eſt? nemo. Atqui ei generi hominum, mihi credite, Campanus ager, & præclara illa Capua ſervatur: exercitus contra vos, contra libertatem veſtram, contra Cn. Pompejum conſtituitur: contra hanc urbem, Capua: contra vos, manus hominum audaciſſimorum: contra Cn. Pompejum, decem duces comparantur. Veniant coràm, &, quoniam me in veſtram concionem, [10] vobis flagitantibus, convocaverunt, diſſerant.

M. TUL-

1. *Eodem capite obligata omnia.*] Turnebus d. cap. ait edi, *Eodem capite nota obſignata omnia.* & probat. at enim Pall. Cujac. item edd. vett. exhibent, *Eodem capite ſubſignata omnia*; quod ego omnino malim.

2. *Aqua Crabra.*] Mſſ. & antiquè editi *Crebra*. ſed in epiſtolis ad Tironem, ut heic *Crabram* vocat. *De Crabra quid agatur, etſi nunc quidem etiam nimium eſt aquæ, tamen velim ſcire.* Gulielmius.

3. *Quia à municipio fundum accepi.*] Si libris ſtandum tàm mſſ. quam caſcis editionibus, reſtituendum, *quia mancipio fundum.* videndum tamen, an illa *immunia*, quæ mancipio accepta; annotatum Gulielmio.

4. *Ejuſmodi cauſa.*] Cujuſmodi ea eſt quam Rullus ſuſcepit, quæ cum Sullæ acta confirmet maxime, impudentiſſime Rullus eam ſuſpicionem impingit Ciceroni. hanc ſententiam elici poſſe ex his verbis non putarunt, qui ad conjecturas confugiunt. *Gulielmius.*

5. *Quo qui optimo privatum.*] Eſt a Turnebo. hactenus abſuit particula *qui*; quæ tamen non ideo eſt in Pall. Cujac. aut vett. edd. in quibus ſolum, *quod optimo.*

6. *Tum ad Sullanæ.*] Jam nunc primum accedit particula *tum*, è Pall. Cujac. & vett. edd.

7. *De generi impudentia.*] Ita rectè P. Manutius. inepte prius *de genere.* Rullum enim tangit, Valgii generum.

8. *Quoad oculis confirmando.*] In editis vetuſte, item Pall. & Cujac. legitur, *oculis confirmando*; ideoque excludere non potui: tanto quidem minus, quod vulgata, *oculos continuando*, parum heic quadraret, ob ea quæ proximè præceſſerant. Gulielmius noſtrum illud mutabat in, *oculis conformando.* ſequitur enim, *unam fundi regionem formamque perfecerit.* non damno, fuit etiam quod idem legeret, *angulos conformando.* eandem ſanè inſaniam cupidorum notat Horatius:

------- *ô ſi angulus ille*
Proximus accedat, qui nunc deformat agellum.

9. *Hoc enim vos errore verſari diutius non oportet.*] Sine præpoſitione edidi, ex auctoritate Pall. Cujac. imo & veterrimæ edit. vulgata hactenus *in errore.* minus rectè; certè non neceſſario. nam *verſari*, eſt ludificari & irrideri; ut oſtendit jampridem in Plautinis Quæſtionibus Gulielmius noſter.

10. *Vobis flagitantibus convocaverunt.*] Verbum *convocare* aptè dicitur de multis. neſcio an etiam de uno, annotat Gulielmius. malim igitur, *vob. flag. conſulem vocaverunt.* quod valde ſit heic grave, & tanquam in bono lumine poſitum verbum. error naſci potuit compendio ſcripturæ, *con. vocarunt*, ſanè facile.

M. TULLII CICERONIS
PRO
C. RABIRIO,
PERDUELLIONIS REO,
AD
QUIRITES,
ORATIO DECIMAOCTAVA.

1 ETsi, Quirites, non eſt meæ conſuetudinis, initio dicendi rationem reddere, qua de cauſa quemque defendam, propterea quòd cum omnibus civibus in eorum *periculis* ſemper ſatis juſtam mihi cauſam neceſſitudinis eſſe duxi: tamen in hac defenſione capitis, famæ, fortunarumque omnium C. Rabirii, proponenda ratio videtur eſſe officii mei: propterea quod, quæ juſtiſſima mihi cauſa ad hunc defendendum eſſe viſa eſt, eadem vobis ad abſolvendum debet videri. Nam me cùm amicitiæ vetuſtas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meæ vitæ perpetua conſuetudo, ad C. Rabirium defendendum eſt adhortata: tum verò, ut id ſtudioſiſſimè facerem, ſalus reip. conſulare officium, conſulatus denique ipſe, mihi unà vobiſcum cum ſalute reipub. commendatus, coëgit. Non enim C. Rabirium culpa delicti, [1] non invidia, vitæque turpitudo, non denique veteres, juſtæ, graveſque inimicitiæ civium, in diſcrimen capitis vocaverunt: ſed ut illud ſummum *auxilium majeſtatis*, atque imperii, quod nobis à majoribus eſt traditum, de repub. tolleretur: ut nihil poſthac auctoritas ſenatus, nihil conſulare imperium, nihil conſenſio bonorum contra peſtem, ac perniciem civitatis valeret: idcirco in his rebus evertendis unius hominis ſenectus, infirmitas, ſolitudoque tentata eſt. Quamobrem, ſi eſt *boni conſulis*, cùm cuncta auxilia reipub. labefactari, convellique videat, ferre opem patriæ, ſuccurrere ſaluti, fortuniſque communibus, implorare civium fidem, ſuam ſalutem poſteriorem ſalute communi ducere: eſt etiam bonorum, & fortium civium, qualeis vos omnibus reip. temporibus exſtitiſtis, intercludere omneis ſeditionum vias, munire præſidia reipubl. [2] ſummum in conſulibus imperium, ſummum in ſenatu conſilium, putare: ea qui ſecutus ſit, *laude* potiùs, & *honore*, quàm *pœna*, & *ſupplicio* dignum judicare. Quamobrem labor in hoc defendendo, præcipuè meus eſt: ſtudium verò conſervandi
2 hominis, commune mihi vobiſcum eſſe debebit. Sic enim exiſtimare debetis, Quirites, poſt hominum memoriam rem nullam majorem, magis periculoſam, magis ab omnibus vobis providendam, neque à tribuno pleb. ſuſceptam, neque à conſule defenſam, neque ad populum Romanum eſſe delatam. Agitur enim nihil aliud in hac cauſa, Quirites, quàm ut nullum ſit poſthac in repub. *publicum conſilium*, nulla bonorum conſenſio contra improborum furorem, & audaciam: nullum extremis reipub. temporibus perfugium, & præſidium ſalutis. Quæ cùm ita ſint, primùm, quòd in tanta dimicatione capitis, famæ, fortunarumque omnium fieri neceſſe eſt, ab Jove optimo max. ceteriſque diis, deabuſque immortalibus, quorum ope, & auxilio, multo magis hæc reſp. quàm *ratione hominum*, & conſilio gubernatur, pacem, ac veniam peto: precorque ab iis, ut hodiernum diem, & ad hujus ſalutem conſervandam, & ad remp. conſtituendam, illuxiſſe patiantur. Deinde vos, Quirites, quorum poteſtas proximè ad deorum immortalium numen accedit, oro, atque obſecro, quoniam uno tempore vita C. Rabirii, hominis miſerrimi, atque innocentiſſimi, ſalus reip. veſtris manibus, ſuffragiiſque permittitur, adhibeatis in hominis fortunis miſericordiam, in reip. ſalute ſapientiam, quam ſoletis. Nunc, quoniam, T. Labiene, diligentiæ meæ, temporis anguſtiis obſtitiſti, meque ex comparato, & conſtituto ſpatio defenſionis, [3] in ſemihoræ curriculum coëgiſti, parebitur, &, quod iniquiſſimum eſt, accuſatoris conditioni: &, quod miſerrimum, *inimici poteſtati*. Quamquam in hac præſcriptione ſemihoræ, patroni mihi parteis reliquiſti, conſulis ademiſti: propterea quòd ad defendendum propemodum ſatis erit hoc mihi temporis, verùm ad conquerendum parum. Niſi fortè de locis religioſis, [4] ac de lucis, quos ab hoc violatos eſſe dixiſti, pluribus verbis tibi reſpondendum putas. Quo in crimine nihil eſt umquam abs te dictum, niſi à C. Macro objectum eſſe crimen id C. Rabirio. In quo ego demiror, meminiſſe te, quid objecerit C. Rabirio Macer inimicus: oblitum eſſe, quid æqui, & jurati judices judicarint. An de peculatu fa- 3
cto, an de tabulario incenſo, longa [5] oratio eſt exprimenda? quo in crimine propinquus C. Rabirii judicio clariſſimo [6] C. Curtius pro virtute ſua eſt honeſtiſſimè liberatus: ipſe verò Rabirius non modò in judicium horum criminum, ſed ne in tenuiſſimam quidem ſuſpicionem verbo eſt umquam vocatus. An de ſororis filio diligentiùs reſpondendum eſt? quem ab hoc necatum eſſe dixiſti, cùm ad *judicii moram* familiaris funeris excuſatio quæreretur. Quid enim

1. *NOn invidia vitæque turpitudo.*] Pal. pr. non agnoſcit vocem *turpitudo*, neque exſtat in octavo aut ullis antiquitus editis. habet autem pr. *non invidia vitiaque, non denique.* oct. *non invidia vitæque.* quod & in editione primogenia. nam ſequens, *vitæ, non denique, &c.* ceterum ſciat lector mihi tantum eſſe ad manum Palatinos duos, primum & octavum.

2. *Summum in conſulibus imperium.*] Intermiſcuit Lambinus *eſſe*, ſed præter mſſ. aut edd. vett.

3. *In ſemihoræ curriculum.*] Lambinus *circulum*, quod & in editionum omnium principe. ſed ſequens tamen retinet alterum, viſiturq; in utroque Pall. neque video cur debeat exterminari cauſa indicta.

4. *Ac de lucis.*] Pall. aut cuſi vetuſti, non habent illud *delubris* Lambinianum, ſed ſervant vulgatum.

5. *Oratio eſt exprimenda.*] Libri noſtri ſcripti aut olim editi, nihil variant. Manutius aliique maluerunt *expromenda*.

6. *C. Curtius.*] Secuti ſumus dictos libros, defenditque Turnebus lib. x. Adverſ. cap. 23. maluit tamen Hotomanus *Curius*, qui adeatur lib. VI. obſervat. cap. 8.

1. *Cam-*

enim eſt tam veriſimile, quàm cariorem huic ſororis maritum, quàm ſororis filium fuiſſe? atque ita cariorem, ut alter vita crudeliſſimè privaretur, cùm alteri ad prolationem judicii biduum quæreretur? An de ſervis alienis contra legem Fabiam retentis, aut de civibus Romanis contra legem Porciam verberatis, aut necatis, plura dicenda ſunt, cùm tanto ſtudio C. Rabirius totius Apuliæ, ſingulari voluntate [1]Campaniæ vicinitatis ornetur? cùmque ad ejus propulſandum periculum non modo homines, ſed prope *regiones ipſæ* convenerint: aliquanto etiam latiùs excitatæ, quàm ipſius vicinitatis nomen, ac termini poſtulabant? Nam quid ego ad id longam orationem comparem, quod eſt in eadem [2] multæ irrogatione perſcriptum, hunc nec ſuæ nec alienæ *pudicitiæ* pepercisſe? Quin etiam ſuſpicor, eò mihi ſemihoram a Labieno præſtitutam eſſe, ut ne plura de pudicitia dicerem. Ergo ad hæc crimina, quæ patroni diligentiam deſiderant, intelligis mihi ſemihoram iſtam nimiùm longam fuiſſe. Illam alteram partem de nece Saturnini, nimis exiguam, atque anguſtam eſſe voluiſti: quæ non oratoris ingenium, ſed conſulis auxilium implorat, & flagitat. Nam de perduellionis judicio, quod à meſublatum eſſe criminari ſoles, meum crimen eſt, non Rabirii. Quod utinam, Quirites, ego id aut primus, aut ſolus ex hac repub. ſuſtuliſſem: utinam quod ille crimen eſſe vult, proprium *teſtimonium meæ laudis* eſſet. Quid enim optari poteſt, quod ego mallem, quàm me in conſulatu meo carnificem de foro, crucem de campo ſuſtuliſſe? Sed iſta laus primùm eſt majorum noſtrorum, Quirites, qui expulſis regibus nullum in libero populo veſtigium crudelitatis regiæ retinuerunt: deinde multorum virorum fortium, qui veſtram libertatem non acerbitate ſuppliciorum infeſtam, ſed *lenitate legum munitam* eſſe voluerunt. Quamobrem uter noſtrûm tandem, Labiene, popularis eſt? tune, qui civibus Romanis in concione ipſa carnificem, qui vincla adhiberi putas oportere: qui in campo Martio, comitiis centuriatis, auſpicato in loco, crucem ad civium ſupplicium defigi, & conſtitui jubes: an ego, qui funeſtari concionem contagione carnificis veto? qui expiandum forum populi Romani ab illis nefarii ſceleris veſtigiis eſſe dico? qui caſtam concionem, ſanctum campum, inviolatum corpus omnium civium Roman. integrum jus libertatis defendo ſervari oportere? Popularis verò tribunus pl. cuſtos, defenſorque juris, & libertatis. Porcia lex *virgas* ab omnium civium Rom. corpore amovit: hic miſericors flagella retulit. Porcia lex libertatem civium lictori eripuit: Labienus, homo popularis, carnifici tradidit. C. Gracchus legem tulit, ne de capite civium Roman. injuſſu veſtro judicaretur: hic popularis à duumviris, injuſſu veſtro, non judicari de cive Roman. ſed *indicta cauſa* civem Rom. capitis condemnari coëgit. Tu mihi etiam legis Porciæ, tu C. Gracchi, tu horum libertatis, tu cujuſquam denique hominis popularis mentionem facis, qui non modò ſuppliciis inuſitatis, ſed etiam *verborum* inaudita crudelitate, violare libertatem hujus populi, tentare manſuetudinem, commutare diſciplinam conatus es? [3] Namque hæc tua, quæ te hominem clementem, popularemque delectant, I LICTOR: COLLIGA MANUS: quæ non modò hujus libertatis manſuetudiniſque non ſunt, ſed ne Romuli quidem, aut Numæ Pompilii: ſed Tarquinii, ſuperbiſſimi atque crudeliſſimi regis iſta ſunt cruciatus carmina: quæ tu, homo lenis, ac popularis, libentiſſimè commemoras. CAPUT OBNUBITO, ARBORI INFELICI SUSPENDITO. Quæ verba, Quirites, jampridem in hac repub. non ſolum tenebris vetuſtatis, verum etiam luce libertatis oppreſſa ſunt. An verò, ſi actio iſta popularis eſſet, &, ſi

5 ullam partem æquitatis haberet, aut juris, C. Gracchus eam reliquiſſet? Scilicet tibi graviorem dolorem [4] patrui mors attulit, quàm C. Graccho, *fratris*: & tibi acerbior ejus *patrui* mors eſt? quem nunquam vidiſti, quàm illi, ejus fratris, qui-cum concordiſſimè vixerat: & ſimilis viri tu ulciſceris patrui mortem, atque ille perſequeretur fratris ſui, ſi iſta ratione agere voluiſſet: & par deſiderium ſui reliquit apud populum Rom. Labienus iſte, patruus veſter, quiſquis fuit, ac Ti. Gracchus reliquerat? An pietas tua major, quam Gracchi? an animus? an conſilium? an opes? an auctoritas? an eloquentia? quæ ſi in illo minima fuiſſent: tamen præ tuis facultatibus maxima putarentur. Cùm verò his rebus omnibus C. Gracchus omneis vicerit: [5] quantum intervallum tandem inter te, atque illum interjectum putas? Sed moreretur priùs acerbiſſima morte millies Gracchus, quàm in ejus concione *carnifex* conſiſteret: quem non modò foro, ſed etiam cœlo hoc, ac ſpiritu cenſoriæ leges, atque urbis domicilio carere voluerunt. Hic ſe popularem dicere audet, me alienum à commodis veſtris: cùm iſte omneis [6] & ſuppliciorum, & verborum acerbitates, non ex memoria veſtra, ac patrum veſtrorum, ſed ex annalium monumentis, atque ex regum commentariis conquiſierit: ego omnibus meis opibus, omnibus conſiliis, omnibus dictis, atque factis repugnarim, & reſtiterim crudelitati? Niſi fortè hanc conditionem vobis eſſe vultis, quam *SERVI*, ſi libertatis ſpem propoſitam non haberent, ferre nullo modo poſſent. Miſera eſt ignominia judiciorum publicorum, miſera multatio bonorum, miſerum exſilium: ſed tamen in omni calamitate retinetur aliquod *veſtigium libertatis*. mors denique ſi proponitur, in libertate moriamur. carnifex verò, [7] & obductio capitis, & nomen ipſum crucis, abſit non modò à corpore civium Romanorum, ſed etiam à cogitatione, oculis, auribus. harum enim omnium rerum, non ſolùm eventus, atque perpeſſio, [8] ſed etiam conditio, exſpectatio, mentio ipſa denique, indigna cive Romano, atque homine libero eſt. An verò ſervos noſtros horum ſuppliciorum omnium metu, dominorum benignitas [9] una *vindicta* liberabit: nos à verberibus, ab unco, à crucis denique terrore, neque res geſtæ, neque acta ætas, neque noſtri honores vindicabunt? Quamobrem fateor, atque etiam, T. Labiene, profiteor, & præ me fero, te ex illa crudeli, importuna, non tribunitia actione, ſed regia, meo conſilio, virtute, auctoritate eſſe depulſum. Qua tu in actione, quamquam *omnia exempla majorum*, omneis leges, omnem auctoritatem ſenatus, omneis religiones, atque auſpiciorum publica jura neglexiſti: tamen à me hæc in hoc tam exiguo meo tempore non audies. liberum tempus nobis dabitur ad iſtam diſceptationem. nunc de Saturnini crimine, ac de clariſſimi patrui tui morte dicemus.

Arguis

1. *Campaniæ vicinitatis.*] Reſtat iſtud in Pall. utroque & olim impreſſis, probatque apprime Gulielmius, dictum ut Salluſtio, *mulier Gallia*, alia aliis.

2. *Multæ irrogatione præſcriptum.*] Ita & Pall. noſtri, non ut vulgo *perſcriptum*, quod & Turnebo diſplicuit.

3. *Namque hæc tua, quæ te hominem.*] Ineptè multa heic interjicit Lambinus, ac nolentibus mſſ. noſtris, vetuſteque cuſis.

4. *Patrui mors.*] Habent ſic libri noſtri; quamvis neget Lambinus abeſſe ſuis, *ejus*.

5. *Quantum intervallum tandem inter te atque illum interjectum putas.*] Tollas *intervallum*, tollas *interjectum*, nihil diſceſſerit de auctoris ſententia.

6. *Et ſuppliciorum & verborum acerbitates.*] Haud aliter editio prima & Pal. octavus, locutuſque ita ſupra. Pal. tamen prim. & aliquot olim editi *& ververum*, quod non diſplicebat Gulielmio; verum abſque cauſa.

7. *Et obductio capitum.*] Exſtat hæc ſcriptura in omnium membranis & libris impreſſis, niſi eis quibus præſedit Lambinus, qui admiſit *obnuptio*, placitum Mureto lib. IIX. cap. 9. male. nam *obductio*, non ita protritum eſt vulgo, ut pædagogi lucernam oleat. accedit hoc quoque, quod ut cetera carminis ſuis verbis iteravit Tullius, & pro *lictore* carnificem; pro *arbore infelice*, crucem dixit; ita obductionem capitis videatur appellaſſe, quod iſthic erat, *caput obnubito*. hæc Gulielmius.

8. *Sed etiam conditio.*] Muretus conjicit, *condictio*. aſſentior. nam *condictio* cogitationem, exſpectatio oculos, mentio aures excruciat.

9. *Una vindicta liberabit.*] Recepit iſtud Manutius pater. & nepos. non male, pro quo vulgata *liberavit*. ſcitur enim quæ ſit cognatio inter duas illas litteras.

1. *Inter-*

6 Arguis occiſum eſſe à C. Rabirio L. Saturninum: & id C. Rabirius multorum teſtimoniis, Q. Hortenſio copioſiſſimè defendente, antea falſum eſſe docuit. Ego autem, ſi mihi eſſet integrum, *ſuſciperem hoc crimen*, agnoſcerem, confiterer. Utinam hanc mihi facultatem cauſa concederet, ut poſſem hoc prædicare, C. Rabirii manu, L. Saturninum, hoſtem populi Rom. interfectum. Nihil me clamor iſte commovet, ſed conſolatur, cum indicat eſſe quoſdam civeis imperitos, ſed non multos. numquam, mihi credite, populus Ro. hic, qui ſilet, conſulem me feciſſet, ſi veſtro clamore perturbatum iri arbitraretur. Quanto jam levior eſt acclamatio! quin continetis vocem, indicem ſtultitiæ veſtræ, teſtem *paucitatis?* Libenter, inquam, confiterer, ſi verè poſſem, aut etiam ſi mihi eſſet integrum, C. Rabirii manu L. Saturninum eſſe occiſum: & id *facinus*, *pulcherrimum* eſſe arbitrarer: ſed, quoniam id facere non poſſum, confitebor id, quod ad laudem minus valebit, ad crimen non minus. Confiteor, interficiendi Saturnini cauſa, C. Rabirium arma cepiſſe. Quid eſt, Labiene? quam à me graviorem confeſſionem, aut quod in hunc majus crimen exſpectas? Niſi verò *INTERESSE ALIQUID* putas inter eum, qui hominem occidit, & eum, qui cum telo occidendi hominis cauſa fuit. Si interfici Saturninum nefas fuit: arma ſumta eſſe contra Saturninum, ſine ſcelere non poſſunt. ſi arma jure ſumta concedis: [1] interfectum jure concedas neceſſe eſt.

Paucula quædam deeſſe videntur.

7 Fit S. C. ut C. Marius, L. Valerius, conſules, adhiberent tribunos pl. & prætores, quos eis videretur: operamque darent, UT IMPERIUM populi Romani, majeſtaſque conſervaretur. Adhibent omneis [2] tribunos pl. præter Saturninum, prætores præter Glauciam: qui rempub. ſalvam eſſe vellent, arma capere, & ſe ſequi jubent. Parent omnes. ex ædificiis armamentariiſque publicis arma populo Rom. C. Mario conſule diſtribuente, dantur. Hîc jam, ut omittam cetera, de teipſo, Labiene, quæro: cùm Saturninus Capitolium teneret armatus, eſſet unà C. Glaucia, C. Saufejus, etiam ille ex compedibus atque ergaſtulo Gracchus: addam (quoniam ita vis) eodem Q. Labienum, patruum tuum: in foro autem C. Marius, & L. Valerius Flaccus, Coss. pòſt cunctus ſenatus, atque ille ſenatus, quem etiam vos ipſi, qui hos Patres conſcriptos, qui nunc ſunt, in invidiam vocatis, quo facilius de hoc ſenatu detrahere poſſitis, laudare conſueviſtis: cùm equeſter ordo: at quorum equitum Rom. dii immortales! patrum noſtrorum, atque ejus ætatis, quæ tum magnam partem reip. atque omnem dignitatem judiciorum tenebat: cùm omnes omnium ordinum homines, qui *in ſalute reipub. ſalutem ſuam repoſitam eſſe* arbitrabantur, arma cepiſſent: quid tandem C. Rabirio faciendum fuit? De te ipſo, inquam, Labiene, quæro: cùm ad arma conſules ex S.C. vocaviſſent: cùm armatus M. Æmilius, princeps ſenatus, in comitio conſtitiſſet: qui cùm ingredi vix poſſet, non ad inſequendum ſibi tarditatem pedum, ſed ad fugiendum, impedimento fore putabat: cùm denique Q. Scævola, confectus ſenectute, præpeditus morbo, mancus, & membris omnibus captus, ac debilis, *haſtili nixus*, & animi vim & infirmitatem corporis oſtenderet: cùm L. Metellus, Ser. Galba, C. Serranus, P. Rutilius, C. Fimbria, Q. Catulus, omneſque, qui tum erant, conſulares, pro ſalute communi arma cepiſſent: cùm omnes prætores, cuncta nobilitas, ac juventus accurreret, [3] C. & L. Domitius, L. Craſſus, Q. Mucius, C. Claudius, M. Druſus: cùm omnes Octavii, Metelli, Julii, Caſſii, Catones, Pompeii: cùm L. Philippus, L. Scipio, cùm M. Lepidus, cùm D. Brutus, cùm hic ipſe P. Servilius, quo tu imperatore, Labiene, meruiſti: cùm hic Q. Catulus, admodum tum adoleſcens, cùm hic C. Curio, cùm denique omnes clariſsimi viri cum conſulibus eſſent: quid tandem C. Rabirium facere convênit? utrùm incluſum, atque abditum latêre in occulto, atque *ignaviam ſuam*, tenebrarum, ac parietum cuſtodiis tegere: an in Capitolium pergere, atque ibi ſe cum tuo patruo, & ceteris, ad mortem, propter vitæ turpitudinem, confugientibus, congregare? an cum Mario, Scauro, Catulo, Metello, Scævola, cum bonis denique omnibus coire non modò ſalutis, verùm etiam periculi ſocietatem? Tu denique, Labiene, quid fa- 8
ceres tali in re, ac tempore? cùm ignaviæ ratio te in fugam, atque in latebras impelleret: improbitas, & furor L. Saturnini in Capitolium arceſſeret, conſules ad patriæ ſalutem, ac libertatem vocarent: quam tandem auctoritatem, quam vocem, cujus *ſectam ſequi*, cujus imperio parêre potiſſimùm velles? Patruus, inquit, meus, cum Saturnino fuit. Quid? pater qui-cum? quid? propinqui veſtri, equites Romani? quid? omnis præfectura, regio, vicinitas veſtra? quid? ager Picenus univerſus, utrùm tribunitium furorem, an conſularem auctoritatem ſecutus eſt? Equidem hoc affirmo, quod tu nunc de tuo patruo prædicas, neminem umquam adhuc de ſeſe eſſe confeſſum. nemo eſt, inquam, inventus tam profligatus, tam perditus, tam ab omni non modò honeſtate, ſed etiam *ſimulatione honeſtatis* relictus, qui ſe in Capitolio fuiſſe cum Saturnino fateretur. At fuit veſter patruus. Fuerit: & fuerit nulla deſperatione rerum ſuarum, nullis domeſticis vulneribus coactus: induxerit eum L. Saturnini familiaritas, ut *amicitiam patriæ præponeret*. idcircone oportuit C. Rabirium deſciſcere à republica? non comparere in illa armata multitudine bonorum? conſulum voci, atque imperio non obedire? Atqui videmus, hæc in rerum natura tria fuiſſe: ut aut cum Saturnino eſſet, aut cum bonis, aut lateret. Latêre, mortis erat inſtar turpiſſimæ: cum Saturnino eſſe, furoris, & ſceleris: virtus, & honeſtas, & pudor cum conſulibus eſſe cogebat. Hoc tu igitur in crimen vocas, quòd cum iis fuerit C. Rabirius, quos, amentiſſimus fuiſſet, ſi oppugnaſſet: turpiſſimus, ſi reliquiſſet? At C. Decianus, de quo tu ſæpe commemoras, quia, cum 9
hominem omnibus inſignem notis turpitudinis, P. Furium, accuſaret ſummo ſtudio bonorum omnium, *queri eſt auſus* in concione de morte Saturnini, condemnatus eſt: & Sex. Titius, quòd habuit imaginem L. Saturnini domi ſuæ, condemnatus eſt. Statuerunt equites Romani illo judicio, improbum civem eſſe, & non retinendum in civitate, qui hominis, hoſtilem in modum ſeditioſi, imagine aut mortem ejus honeſtaret, aut deſideria imperitorum miſericordia commoveret, aut ſuam ſignificaret *imitandæ improbitatis* voluntatem. Itaque mihi mirum videtur, unde hanc tu, Labiene, imaginem, quam habes, inveneris. nam Sex. Titio damnato, qui iſtam habere auderet, inventus eſt nemo. Quod tu ſi audiſſes, aut ſi per ætatem ſcire potuiſſes: numquam profectò iſtam imaginem, quæ domi poſita, peſtem, atque exilium Sex. Titio attuliſſet, in roſtra, atque in concionem attuliſſes, nec tuas umquam rationes ad eos *ſcopulos* appuliſſes, ad quos Sex. Titii afflictam navem, & in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres. Sed in his rebus omnibus *imprudentia laberis*. cauſam enim ſuſcepiſti antiquiorem memoria tua: quæ cauſa antè mortua eſt, quàm tu natus eſſes. qua in cauſa tute profectò fuiſſes, ſi per ætatem eſſe potuiſ-

1. *Interfectum jure concedas neceſſe eſt.*] In vetuſtè impreſſis tantum eſt *inter*. ut & in Pall. qui ambo annotant integram deficere paginam in codice vetuſto, medioque ejus collocatas habet binas has voces, *nobis dabit*.

2. *Tribunos plebis præter Saturninum, prætores præter Glauciam.*] Libri ſcripti deſtituuntur illo *prætores*, forte quod expreſſum eſſet litteris binis. requiri tamen, ratio clamat. itaque ſecutus ſum Manutianam. nam Lambinus præterea adſumſit, *omnes*, volente Turnebo.

3. *C. & L. Domitius.*] Bene monet Pighius in Faſtis ad annum U. C. DCLII. legendum *Cn. & L. Domitii.*

potuiſſes, eam cauſam in judicium vocas. An non intelligis, primùm quos homines, & qualeis viros mortuos ſummi ſceleris arguas? deinde quot ex iis, qui vivunt, eodem crimine in ſummum capitis periculum arceſſas? Nam ſi C. Rabirius fraudem capitalem admiſit, quòd arma contra L. Saturninum tulit: huic quidem afferet aliquam *deprecationem periculi ætas* illa, qua tum fuit: Q. vero Catulum, patrem hujus, in quo ſumma ſapientia, eximia virtus, ſingularis humanitas fuit: M. Scaurum, illa gravitate, illo conſilio, illa prudentia, duos Mucios, L. Craſſum, M. Antonium, qui tum extra urbem cum præſidio fuit: quorum in hac civitate longè maxima conſilia, atque ingenia fuerunt: ceteros pari dignitate præditos, cuſtodes, gubernatoreſque reipublicæ, quemadmodum mortuos defendemus? Quid de illis honeſtiſſimis viris atque optimis civibus, equitibus Romanis dicemus, qui tum unà cum ſenatu ſalutem reipublicæ defenderunt? quid de tribunis ærariis, ceterorumque ordinum omnium hominibus, qui tum arma pro communi libertate ceperunt?
10 Sed quid ego de iis omnibus, qui conſulari imperio paruerunt, loquor? de ipſorum Coss. *fama* quid futurum eſt? L. Flaccum, hominem cùm ſemper in republica, tum in magiſtratibus gerendis, in ſacerdotio, cæremoniiſque, quibus præerat, diligentiſſimum, nefarii ſceleris, ac parricidii mortuum condemnabimus? adjungemus ad hanc legem, ignominiamque mortis, etiam C. Marii nomen? C. Marium, quem verè patrem patriæ, parentem, inquam, veſtræ libertatis, atque hujuſce reipublicæ poſſumus dicere, ſceleris, ac parricidii nefarii mortuum condemnabimus? Etenim, ſi C. Rabirio, *quòd iit ad arma*, crucem T. Labienus in campo Martio defigendam putavit: quod tandem excogitabitur in eum ſupplicium, qui vocavit? Ac, ſi fides Saturnino data eſt, quod abs te ſæpiſſimè dicitur: non eam C. Rabirius, ſed C. Marius dedit: idemque violavit ſi in fide non ſtetit. Quæ fides, Labiene, quî potuit *ſine ſenatusconſulto* dari? Adeone hoſpes hujuſce urbis, adeone ignarus es diſciplinæ, conſuetudiniſque noſtræ, ut hæc neſcias? ut peregrinari in aliena civitate, non in tua magiſtratum gerere videare? Quid jam iſta C. Mario, inquit, nocere poſſunt, quoniam ſenſu, & vita caret? Itane verò? *TANTIS IN LABORIBUS* C. Marius, periculiſque vixiſſet, ſi nihil longiùs, quàm vitæ termini poſtulabant, ſpe, atque animo de ſe, & gloria ſua cogitaſſet? At credo, cùm innumerabileis hoſtium copias in Italia fudiſſet, atque obſidione rempublicam liberaſſet, *omnia ſua ſecum unà moritura* arbitrabatur. Non eſt ita, Quirites: neque quiſquam noſtrûm in reipublicæ periculis cum laude, ac virtute verſatur, quin *ſpe poſteritatis*, fructuque ducatur. Itaque cùm multis aliis de cauſis virorum bonorum mentes divinæ mihi, atque æternæ videntur eſſe, tum maximè quòd OPTIMI, & ſapientiſſimi cujuſque animus ita præſentit in poſterum, ut nihil, niſi ſempiternum ſpectare videatur. Quapropter equidem & C. Marii, & ceterorum virorum, ſapientiſſimorum, ac fortiſſimorum civium, menteis, quæ mihi videntur ex hominum vita [1] ad deorum religionem, & ſanctimoniam demigraſſe, teſtor, me pro illorum fama, gloria, memoria, non ſecus, ac pro patriis fanis, atque delubris propugnandum putare: ac, ſi pro illorum laude mihi arma capienda eſſent, non minùs ſtrenuè caperem, quàm illi pro *communi ſalute* ceperunt. Etenim, Quirites, EXIGUUM nobis vitæ curriculum natura circumſcripſit, immenſum gloriæ. Quare, 11
ſi eos, qui jam de vita deceſſerunt, ornabimus: juſtiorem nobis mortis conditionem relinquemus. Sed, ſi illos, Labiene, quos jam videre non poſſumus, negligis: ne his quidem, quos vides, conſuli putas oportere? Neminem eſſe dico ex iis omnibus, qui illo die Romæ fuerint, quem tu diem in judicium vocas, pubeſque tum fuerit, quin arma ceperit, quin *conſules ſecutus* ſit. omnes ii, quorum tu ex ætate conjecturam facere potes, quid tum fecerint, abs te rei capitis, C. Rabirii nomine, citantur. At occidit Saturninum Rabirius. Utinam feciſſet. non ſupplicium deprecarer, ſed præmium poſtularem. Etenim, ſi Scevæ, ſervo Q. Crotonis, qui occidit L. Saturninum, libertas data eſt: quod equiti R. præmium dari par fuiſſet? &, ſi C. Marius, quòd fiſtulas, quibus aqua ſuppeditabatur Jovis Optimi Maximi templis, ac ſedibus, præcidi imperarat, quòd in clivo Capitolino [2] improborum civium.

Deſunt, ut videre eſt, non pauca.

M. TULLII CICERONIS IN L. CATILINAM PRIMA, HABITA IN SENATU.

ORATIO DECIMANONA.

1 QUOUSQUE tandem abutêre, Catilina, patientia noſtra? [1] quamdiu etiam furor iſte tuus nos eludet? quem ad finem ſeſe effrenata jactabit audacia? nihilne te nocturnum præſidium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, [2] nihil concurſus bonorum omnium, nihil hic munitiſſimus habendi ſenatus locus, nihil horum ora, vultuſque

1. *Ad deorum religionem.*] Lambinus ſcribit ſe legere *regionem.* legat ſane, dummodo nobis relinquat alterum.

2. *Improborum civium.*] Pall. ambo adſcriptum habent, deficere heic à fine chartas duas, à neſcio quo exſectas.

1. *QUamdiu etiam furor iſte tuus nos eludet?*] Ita iſthæc collocant Gulielmiani, Fabric. Colon. S. Vict. item edd. vett. ſed tamen, ſi credendum binis Palatinis, ſecundo ac ſexto, abjicietur *etiam*, reſcribeturque, *quamdiu furor iſte tuus nos eludet?* nam voculam illam eſſe a mala manu, arguit Pal. nonus in quo aliter collocatur, ſic nempè: *quàm etiam diu furor iſte tuus nos.* decimus ſolum, *quàm diu nos etiam furor iſte tuus eludet.* quomodo fere vulgo editur.

2. *Nihil concurſus bonorum omnium.*] Gulielmius admiſerat iſtud, ſecutus conſenſum librorum Fabric. Colon. S. Victor. Erfurd. quibus accedunt non ſolum Pall. quatuor, ſed omnis editio vetuſtior. ſuppoſitum eſt, *conſenſus*, non è libris, verum ex Quintiliano: qui quàm ſæpe aliquid citet parum religioſe, notum eſt eis qui verſati in bonis auctoribus.

1. *Vivit?*

tuſque moverunt? *patere tua conſilia* non ſentis? conſtrictam jam omnium horum conſcientia teneri conjurationem tuam non vides? quid proxima, quid ſuperiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid conſilii ceperis, quem noſtrûm ignorare arbitraris? O tempora, ô mores! Senatus hæc intelligit, conſul videt: hic tamen vivit. [1] Vivit? immò verò etiam in ſenatum venit: fit publici conſilii particeps: notat, & deſignat oculis ad cædem unumquemque noſtrûm. Nos autem, viri fortes ſatisfacere reipublicæ videmur, ſi iſtius furorem, ac *tela vitemus*. Ad mortem te, Catilina, duci [2] juſſu conſulis, jampridem oportebat: in te conferri peſtem iſtam, quam tu in nos omneis jamdiu machinaris. An verò vir ampliſſimus, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum, mediocriter *labefactantem* ſtatum reipublicæ, privatus interfecit: Catilinam verò, orbem terræ cæde, atque incendiis vaſtare cupientem, [3] nos conſules perferemus? nam illa nimis antiqua prætereo, quòd [4] Q. Servilius Ahala Sp. Melium, novis rebus ſtudentem, manu ſua occîdit. Fuit, fuit iſta quondam in hac rep. virtus, ut viri fortes acrioribus ſuppliciis *civem pernicioſum*, quam acerbiſſimum hoſtem coërcerent. [5] Habemus enim ſenatuſconſultum in te, Catilina, vehemens, & grave: non deeſt reipub. conſilium, neque auctoritas hujus ordinis: nos,
2 nos, dico apertè, *conſules deſumus*. Decrevit quondam ſenatus, ut L. Opimius conſul videret, nequid reſp. detrimenti caperet. nox nulla interceſſit; interfectus eſt propter quaſdam ſeditionum ſuſpiciones [6] C. Gracchus, clariſſimo patre, avo, majoribus: occiſus eſt *cum liberis* M. Fulvius, conſularis. Simili ſenatuſconſulto, C. Mario, & L. Valerio, coss. permiſſa eſt reſp. num unum diem poſtea L. Saturninum, tribunum pl. & [7] C. Servilium prætorem, mors ac reip. pœna remorata eſt? At nos viceſimum jam diem patimur *hebeſcere aciem* horum auctoritatis. habemus enim hujuſmodi ſenatuſconſultum, verumtamen incluſum in tabulis; [8] tanquam in vagina reconditum: quo ex ſenatuſconſulto confeſtim interfectum te eſſe, Catilina, convenit. Vivis: & vivis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam. Cupio, P.C. me eſſe *clementem:* cupio in tantis reip. periculis non diſſolutum videri: ſed jam me ipſum inertiæ, nequitiæque condemno. Caſtra ſunt in Italia contra Remp. in Etruriæ faucibus collocata: creſcit in dies ſingulos hoſtium numerus: eorum autem imperatorem caſtrorum, ducemque hoſtium, intra mœnia; [9] atque adeo in ſenatu videmus, *inteſtinam* aliquam quotidie *perniciem reipub.* molientem. Si te jam, Catilina, comprehendi, ſi interfici juſſero: credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni *ſerius* à me, quàm quiſquam *crudelius* factum eſſe dicant. Verum ego hoc, quod jampridem factum eſſe oportuit, certa de cauſa nondum adducor ut faciam. [10] tum denique interficiam te, cùm jam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui ſimilis inveniri poterit, qui id non *jure factum* eſſe fateatur. Quamdiu quiſquam erit, qui te defendere audeat, vives: & vives ita, ut nunc vivis, multis meis, & firmis præſidiis *obſeſſus*, ne commovere te contra remp. poſſis. multorum te etiam oculi, & aures non ſentientem, ſicut adhuc fecerunt, ſpeculabuntur, atque cuſtodient. Etenim quid eſt, Catilina, quod jam am- 3
pliùs exſpectes, ſi neque nox tenebris [11] obſcurare cœtus nefarios, nec privata domus parietibus continere vocem conjurationis tuæ poteſt? [12] ſi illuſtrantur, ſi erumpunt omnia? Muta jam iſtam mentem: mihi crede: obliviſcere cædis, atque incendiorum. teneris undique: luce ſunt clariora nobis tua conſilia omnia: quæ etiam mecum licet *recognoſcas*. Meminiſtine, [13] me ante diem XII. Kalendas Novemb. dicere in ſenatu, certo die fore in armis, qui dies futurus eſſet [14] ante diem VI. Kal. Novembreis, [15] C. Manlium, audaciæ ſatellitem, atque adminiſtrum tuæ? num me fefellit, Catilina, non modò res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verùm, id quod multo magis eſt admirandum, dies? Dixi ego idem in ſenatu, cædem te optimatum contuliſſe in ante diem V. Kalendas Nov. tum cùm multi principes civitatis Roma non tam *ſui conſervandi*, quàm tuorum conſiliorum reprimendorum cauſa profugerunt. Num infitiari potes, te illo ipſo die meis præſidiis, mea diligentia circumcluſum, commovere te contra remp. non potuiſſe, cùm tu diſceſſu ceterorum, noſtra tamen, qui remanſiſſemus, cæde contentum te eſſe dicebas? [16] Quid? cùm tute Præneſte Kalendis ipſis Nov. occupaturum nocturno impetu eſſe confideres: ſenſiſtine, illam coloniam meo juſſu, meis præſidiis, cuſtodiis, vigiliiſque eſſe *munitam?* Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego [17] non modo non audiam, ſed etiam non videam, planèque ſentiam. Recognoſce tandem me- 4
cum illam ſuperiorem noctem. jam intelliges multo me vigilare

1. *Vivit? imo verò etiam in Senatum venit.*] Pal. ſec. non agnoſcit *etiam*. ſext. id habet, ſed excluſit *verò*. & meo judicio alterutrum abeſſe poterat, ſi non utrumque. nam ſanè Pal. nonus ſcribit *imò verò etiam*. quod & in edd. antiquis: adeo ut, ex variante lectione, liqueat fermè de mendacio.

2. *Juſſu conſulis.*] Minus invidiæ haberet oratio, ſi legeretur *conſulum*.

3. *Nos conſules perferemus?*] Pal. ſext. *perferre?* non ita ineptè; ne quid aliud dicam.

4. *Q. Servilius Ahala.*] Pigius libro III. Faſt. Rom. docet reſtituendum *C. Servilius*, nos ſecuti ſumus exemplaria ſcripta, in quibus alterum; niſi quod ſextus ejus loco haberet, *è* cum virgula ſuperjacente.

5. *Habemus enim S. C.*] Pal. ſec. *Habemus verò*. alterum tamen remanet in ceteris noſtris, item Gulielmianis, excepto Fabriciano infimæ vetuſtatis. Muretus tamen affirmat, veteribus ſuis abfuiſſe.

6. *C. Gracchus clariſſimo patre, avo, majoribus.*] Hanc emendationem diu eſt quod venditant Carrio lib. I. Antiq. Lect. cap. 17. Modius Epiſtola V. Novantiqq. habuitque item in ſchedis ſuis Gulielmius; annotatumque ita omninò legi in Uverd. quo puto deſignari exemplar S. Victoris prope Pariſios. vulgata; *patre natus, avis, majoribus.*

7. *C. Servilium prætorem mors ac reip. pœna remorata eſt?*] Eſt à quatuor Palatinis, item Gemblacenſi & Colon. imo non aliter vetuſtius cuſi. recentiores enim, *C. Servilium mors ac reip. pœna, &c.* Lambini emendatio longiſſime abit à libris.

8. *Tanquam in vagina.*] Palatinus nullus habuit præterea *gladium*, imo ne editio quidem CCCCLXXXIII. ſervat tamen omnium prima. ſed nec eſt in Mureti, Lambinive codd. ſcriptis; imo nec Hitt. aut Uverd. vocem eam admiſere. itaque delendam putavi cum Gulielmio ac Manutio Nepote.

9. *Atque adeo in Senatu videmus.*] Haud aliter Palatini. at Hitt. & Uverd. *videtis*, quod placuit Gulielmio, ut eo magis arguatur Ciceronis ignavia, quod ſenatores vident & taciti reprehendunt.

10. *Tum denique interficiam te.*] Nihil ab hac diſſentiunt Pall. ſed Lipſius libro III. Var. Lect. cap. 22. Modius Epiſt. V. prodidere reſtare in ſcriptis ſuis, *interficiere*. reperitque in Colon. Gulielmius, videturque modeſtius ac gravitate conſulari dignius.

11. *Obſcurare cœtus nefarios.*] Zinzerlingus noſter promulſidis cap. 43. eruit è Turingico codice *cœptus nef.* declinatione quarta; & ita quoque Pall. noſtri quatuor: ſed plus roboris eſt in vulgato. neque ſequendi libri veteres, niſi ubi & ratio urget.

12. *Si illuſtrantur.*] Nonius *luſtrantur*. alterum tamen reſtat in mſſ. noſtris. Modius d. Epiſtola V. conjicit, *eluſtrantur*, non abſurde.

13. *Me ante diem* XII. *Kal. Novembres.*] Colon. liber, *me inante diem.* ἀρχαϊκῶς. ſic Propertius: *Hic dominam exemplo ponat inante meam.* laudant Modius ac Gulielmius. noſtri Pall. heic nihil diſcrepant à vulgatis: ſed infra ſtatim omnes habent, *in ante diem* IIX. *Kalend. Novemb.* niſi quod ſext. *in ante diem* V. *Kalend. Novemb.* adeo ut dictio ea heic quoque admittenda videatur.

14. *Ante diem* VI. *Kalend. Novemb.*] Quod diſcreparent Palatini, & hanc diem Manlio adſtrueret Salluſtius, auctorique noſtro etiam adſcriberet Priſcianus, ejeci vulgatum prius IIX. *Kalend. Novemb.* hujus rei indicium debeo præceptori meo Juſto Lipſio, qui conſulatur lib. II. Var. lect. cap. 3.

15. *C. Manlium.*] Lipſius d. loco legit è mſſ. ſuis *Mallium*, ſed noſtri & Gulielmiani alterum tuentur, præter unicum Gemblacenſem, ut annotavit Gulielmius.

16. *Quid cùm tute Præneſte, &c.*] Multum vetuſtatis huic periodo acceſſit, revocata vocula *tu* è Pall. duobus & Hitt. ac Uverd.

17. *Non modò non audiam, ſed etiam non videam.*] Obtemperavi ſcriptis libris Cujacii, quorum meminit lib. XII. Obſerv. cap. 32.

vigilare acriùs ad ſalutem, quàm te ad perniciem reipub.
Dico te priori nocte veniſſe inter falcarios (non agam ob-
ſcurè) in M. Leccæ domum: conveniſſe eòdem complu-
reis ejuſdem amentiæ, ſcelerisque ſocios. num negare au-
des? quid taces? convincam, ſi negas. Video enim eſſe
hic in ſenatu quoſdam, qui tecum una fuere. O dii immor-
tales! ubinam gentium ſumus? quam remp. habemus? in
qua urbe vivimus? Hîc, hîc ſunt in noſtro numero, P. C.
in hoc orbis terræ ſanctiſſimo, graviſſimoque conſilio, qui
de meo, noſtrûmque omnium interitu, qui de hujus ur-
bis, atque adeò orbis terrarum exitio cogitent. hoſce ego
video conſul, & de rep. ſententiam rogo: &, quos ferro
trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero. Fuiſti igi-
tur apud Leccam illa nocte Catilina: diſtribuiſti partes Ita-
liæ: ſtatuiſti quò quemque proficiſci placeret: delegiſti
quos Romæ relinqueres, quos tecum educeres: deſcripſi-
ſti urbis parteis ad incendia: confirmaſti, te ipſum jam
eſſe exiturum: dixiſti paullulum tibi eſſe etiam tum *moræ*,
quòd ego viverem. Reperti ſunt duo equites Romani, qui
te iſta cura liberarent, & ſeſe illa ipſa nocte paullo ante lu-
cem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur. Hæc
ego omnia, vix dum etiam cœtu veſtro dimiſſo, comperi:
domum meam majoribus præſidiis munivi, atque firmavi:
excluſi eos, quos tu manè ad me ſalutatum miſeras; cùm
illi ipſi veniſſent, quos ego jam [1] multis ac ſummis viris
5 ad me venturos id temporis eſſe prædixeram. Quæ cum
ita ſint, Catilina, perge quo cœpiſti: egredere aliquando ex
urbe: patent portæ: proficiſcere. nimium diu te impera-
torem illa tua Manliana caſtra deſiderant. educ tecum etiam
omneis tuos: ſi minùs, quàm plurimos. purga urbem.
magno me metu liberabis, dummodo inter me, atque te
murus interſit. nobiſcum verſari jam diutiùs non potes:
non feram, non patiar, non ſinam. Magna diis immorta-
libus habenda eſt gratia, atque huic ipſi Jovi Statori, anti-
quiſſimo cuſtodi hujus urbis, quod hanc tam tætram, tam
horribilem, tamque infeſtam reipublicæ *peſtem* toties jam
effugimus. [2] NON EST ſæpius in uno homine ſalus ſumma
periclitanda reipublicæ. Quam diu mihi, conſuli deſigna-
to, Catilina, inſidiatus es, non publico me præſidio, ſed
privata diligentia defendi. cùm proximis comitiis conſula-
ribus me conſulem in campo, & competitores tuos inter-
ficere voluiſti, compreſſi tuos nefarios conatus amico-
rum præſidio, & copiis, *nullo tumultu* publicè concitato:
denique, quotieſcumque me petiſti, per me tibi obſtiti:
quamquam videbam, perniciem meam cum magna cala-
mitate reip. eſſe conjunctam. nunc jam apertè remp. uni-
verſam petis: templa deorum immortalium, tecta urbis,
vitam omnium civium, Italiam denique totam, ad exi-
tium, & vaſtitatem vocas. Quare, quoniam id, quod pri-
mum, atque hujus imperii, diſciplinæque majorum pro-
prium eſt, [3] facere nondum audeo: faciam id, quod eſt
ad ſeveritatem [4] *lenius*, ad communem ſalutem *utilius*.
nam, ſi te interfici juſſero, reſidebit in repub. reliqua con-
juratorum manus. ſin tu (quod te jamdudum hortor) exie-
ris: exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna, & *per-
nicioſa ſentina reip.* Quid eſt, Catilina? num dubitas id,
me imperante, facere, quod jam tua ſponte faciebas? Ex-
ire ex urbe conſul hoſtem jubet. interrogas me, num in
exſilium? non jubeo: ſed ſi me conſulis, ſuadeo. Quid 6
enim, Catilina, eſt, quod te jam in hac urbe delectare
poſſit? in qua nemo eſt, extra iſtam conjurationem per-
ditorum hominum, qui te non metuat; nemo, qui non
oderit? Quæ *nota* domeſticæ turpitudinis non inuſta vitæ
tuæ eſt? [5] quod privatarum rerum dedecus non hæret in-
famiæ? quæ libido ab oculis, quod facinus à manibus um-
quam tuis, quod flagitium à toto corpore abfuit? cui tu
adoleſcentulo, quem corruptelarum illecebris irretiſſes,
non aut ad audaciam, ferrum, aut ad libidinem, *facem
prætuliſti*? Quid verò? nuper, cùm morte ſuperioris uxo-
ris, [6] novis nuptiis domum vacuam feciſſes, nonne etiam
alio incredibili ſcelere hoc ſcelus cumulaſti? quod ego
prætermitto, & facilè patior ſileri, ne in hac civitate tan-
ti facinoris immanitas *aut exſtitiſſe, aut non vindicata* eſſe
videatur. Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas
omneis impendêre tibi [7] proximis idibus ſenties. ad illa
venio, quæ non ad privatam ignominiam vitiorum, non
ad domeſticam tuam difficultatem, ac turpitudinem, ſed
ad ſummam reipublicæ, atque ad omnium noſtrûm vitam,
ſalutemque pertinent. Poteſtne tibi hujus vitæ hæc lux,
Catilina, aut hujus *cœli ſpiritus eſſe jucundus*, cùm ſcias,
horum eſſe neminem, qui neſciat, te pridie Kalendas Jan.
Lepido, & Tullo, Coss. ſtetiſſe in comitio cum telo?
manum, conſulum, & principum civitatis interficiendo-
rum cauſa, paraviſſe? ſceleri, ac furori tuo non mentem
aliquam, aut timorem tuum, ſed *fortunam reip.* obſtitiſſe?
Ac jam illa omitto. neque enim ſunt aut obſcura, aut
non multo poſtea commiſſa. quoties tu me deſignatum,
quoties me conſulem [8] interficere conatus es? quot ego tuas
petitiones ita conjectas, ut vitari poſſe non viderentur,
parva quadam declinatione, &, ut ajunt, [9] *corpore effugi*.
nihil agis, nihil aſſequeris, nihil moliris, [10] quod mihi la-
têre valeat in tempore: neque tamen conari, ac velle deſi-
ſtis. [11] Quoties jam tibi extorta eſt ſica iſta de manibus?
quoties verò excidit caſu aliquo, & elapſa eſt? tamen ea
carere diutius non potes: quæ quidem quibus abs te initia-
ta ſacris, ac *devota* ſit, neſcio, quòd eam neceſſe putas
conſulis in corpore defigere. Nunc verò, quæ tua eſt iſta 7
vita? ſic enim jam tecum loquar, non ut odio permotus
eſſe videar, quo debeo, ſed ut miſericordia, quæ tibi nul-
la debetur. Veniſti paullo antè in ſenatum. quis te ex hac
tanta frequentia, ex tot tuis amicis, ac neceſſariis ſaluta-
vit? Si hoc poſt hominum memoriam contigit nemini,
vocis exſpectas contumeliam, cùm ſis graviſſimo *judicio
taciturnitatis* oppreſſus? Quid, quod adventu tuo iſta
[1] ſub-

1. *Multis ac ſummis viris.*] Sic Pall. aliorumque mſſ. nam recen-
tius cuſis aberant, *ac ſummis*, etiam Manutianis.

2. *Non eſt ſæpius in uno homine ſalus ſumma periclitanda reipub.*]
Tò *ſalus*, haud dubium magiſtri eſſe gloſſema monuere dudum
alii, idemque in mentem quoque nuper venit Zinzerlingo noſtro,
qui adeat ir Promalſidis cap. XLIIX.

3. *Facere nondum audeo.*] Particulam *dum*, addidi ſuaſu Pall. &
aliorum mſſ.

4. *Lenius, ad communem ſalutem utilius.*] Scripti noſtri, (noſtros
cum dico, tam Pall. ſentio, quàm Gulielmianos) *lenius*, *& ad &c.*
ut non temere ſuſpicemur fuiſſe *ſet*, pro *ſed*. quod adhuc in multis
marmoribus.

5. *Quod privatarum rerum dedecus non hæret infamiæ?*] Forſan *non
inhæret tuæ famæ*? nam Pal. pr. cum haberet, *non habet infamiæ*,
ſuperſcripſit, *hæret tuæ*. præterea Fabr. & Hitt. diſerte præferunt,
inhæret infamiæ. Turnebo lib. XXX. cap. 15. acquieſcit Lambinia-
no, *non hæret in fama*.

6. *Novis nuptiis domum vacuam feciſſes.*] Carrio lib. I. Antiq.
Lect. cap. 18. reponendum monuit ex mſſ. ſuis, *vacuefeciſſes*; &
ita ſane eſt in Pal. nono; item Uverd. Hitt. Fabr. probabatque
item Gulielmius noſter.

7. *Proximis idibus.*] Quare; videſis apud Petrum Pithæum
lib. II. Adverſ. ſubſec. cap. 4.

8. *Interficere conatus es?*] Modius iſtud potius habuit Epiſt. V.
& vero exſtat à prima manu in Hitt. a ſecunda in Pal. ſec. ac
Uverd. neque aliter editio princeps. vulgo *voluiſti?*

9. *Corpore effugi.*] Nihil varietatis reperi in meis, aut Guliel-
mius in ſuis. Giſanius tamen teſtatur ad Lucretium in *Exire*, fuiſſe
in ſuo, *corp. exceſſi*: quomodo hunc locum laudat Servius IX. Ænei-
dos. quod perplacet. gladiatorum enim verbum eſt. Lambino ne-
mo auſcultabit qui novit inimicitias ejus cum altero illo.

10. *Quod mihi latere valeat in tempore.*] Pal. ſextus & nonus & V.
horum verborum nullum habent veſtigium. & vero ſunt ſcribæ
alicujus additamentum. nam & prima editio ſolum habet, *quod me
latere valeat*, ſine illo, *in tempore*. Modius tamen mire digladiatur
contra Fulvium noſtrum pro illo ſuo, *quod me latere poſſit in tempo-
re*: quod etiam in Col. reperit Gulielmius.

11. *Quoties jam tibi extorta.*] Vulgo repetitur, *Quoties jam, quoties
jam tibi*. ſed ſic nulli ſcripti noſtri, nullæ edd. veteres: neque ali-
quid in eo ſubodoror elegantiæ.

1. Sub-

[1] ſubſellia, vacua facta ſunt? [2] quod omnes conſulares, qui tibi perſæpe ad cædem conſtituti fuerunt, [3] ſimulatque aſſediſti, partem iſtam ſubſelliorum nudam, atque inanem reliquerunt? Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? Servi mehercle mei ſi me iſto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem: tu tibi urbem non arbitraris? &, ſi me meis civibus [4] *injuria ſuſpectum* tam graviter, atque offenſum viderem; carere me aſpectu civium, quàm infeſtis oculis omnium conſpici mallem. tu cùm conſcientia ſcelerum tuorum agnoſcas odium omnium juſtum, & jam tibi diu debitum, dubitas, quorum menteis, ſenſusque vulneras, eorum adſpectum, præſentiamque vitare? Si te parentes timerent, atque odiſſent tui, neque eos ulla ratione placare poſſes: ut opinor, *ab eorum oculis aliquò concederes.* nunc te patria, quæ communis eſt omnium noſtrûm parens, odit, ac metuit: & jamdiu de te nihil judicat, niſi de parricidio ſuo cogitare: hujus tu neque auctoritatem verebere, neque judicium ſequêre, neque vim pertimeſces? Quæ tecum, Catilina, ſic agit, & quodammodo tacita loquitur. [5] NULLUM ALIQUOT JAM annis facinus exſtitit, niſi per te: nullum flagitium ſine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio, direptioque ſociorum, *impunita fuit*, ac libera: tu non ſolum ad negligendas leges, ac quæſtiones, verùm etiam [6] ad evertendas, perfringendaſque valuiſti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen, ut potui, tuli. nunc vero me totam eſſe in metu propter te *unum:* quicquid increpuerit, Catilinam timeri: nullum videri contra me conſilium iniri poſſe, quod à tuo ſcelere abhorreat; non eſt ferendum. Quamobrem diſcede, atque hunc mihi timorem eripe: ſi *verus*, ne opprimar; ſin *falſus*, ut tan-
8 dem aliquando timere deſinam. Hæc ſi tecum, ut dixi, patria loquatur, nonne impetrare debeat, etiam ſi vim adhibere non poſſit? Quid? quòd tu te ipſe in cuſtodiam dediſti? quid? quòd, vitandæ ſuſpicionis cauſa, apud M. Lepidum te habitare velle dixiſti? à quo non receptus; etiam ad me venire auſus es: atque, ut domi meæ te aſſervarem, rogaſti. cùm à me quoque id reſponſum tuliſſes, me nullo modo poſſe iiſdem parietibus tutò eſſe tecum, qui magno in periculo eſſem, quòd *iiſdem mœnibus* contineremur: ad Qu. Metellum prætorem veniſti; à quo repudiatus, ad ſodalem tuum, virum optimum, M. Marcellum demigraſti: quem tu vidilicet & ad cuſtodiendum te, diligentiſſimum, & ad ſuſpicandum, ſagaciſſimum, & ad vindicandum, fortiſſimum fore putaſti. Sed QUAM LONGE videtur à carcere, atque à vinculis abeſſe debere, qui ſe ipſum jam dignum cuſtodia judicaverit? Quæ cùm ita ſint, Catilina, dubitas, [7] ſi hîc morari æquo animo non potes, abire in aliquas terras, & vitam iſtam multis ſuppliciis juſtis, debitiſque ereptam, fugæ, ſolitudinique mandare? Refer, inquis, ad ſenatum (id enim poſtulas, &, ſi hic ordo placere ſibi decreverit, te ire in exſilium) obtemperaturum eſſe dicis. Non referam id, quod abhorret à meis moribus: & tamen faciam, ut intelligas, quid hi de te ſentiant. Egredere ex urbe, Catilina: libera rempublicam metu: in exſilium, ſi hanc vocem exſpectas, proficiſcere. Quid eſt, Catilina? ecquid attendis, ecquid animadvertis horum *ſilentium?* patiuntur, tacent. quid exſpectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perſpicis? At ſi hoc idem huic adoleſcenti optimo, P. Sextio, ſi fortiſſimo viro, M. Marcello dixiſſem: jam mihi conſuli hoc ipſo in templo, jure optimo ſenatus vim, & manus intuliſſet. de te autem, Catilina, *cùm quieſcunt, probant:* cùm patiuntur, decernunt: cùm tacent, clamant. neque hi ſolùm, quorum tibi auctoritas eſt videlicet cara, vita viliſſima: ſed etiam illi equites Romani, honeſtiſſimi, atque optimi viri, ceterique fortiſſimi cives, qui circumſtant ſenatum: quorum tu & frequentiam videre, & ſtudia perſpicere, & voces paullo antè exaudire potuiſti. quorum ego vix abs te jamdiu manus, ac tela contineo: eoſdem facilè adducam, ut te hæc, quæ jampridem vaſtare ſtudes, relinquentem, *uſque ad portas proſequantur.* Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat? tu 9
ut umquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? ut ullum tu exſilium cogites? [8] Utinam tibi iſtam mentem dii immortales duint! tametſi video, ſi mea voce perterritus ire in exſilium animum induxeris, quanta tempeſtas invidiæ nobis, ſi minus in præſens tempus, recenti memoria ſcelerum tuorum, at *in poſteritatem* impendeat. Sed eſt mihi tanti, dummodo iſta privata ſit calamitas, & à reipublicæ periculis ſejungatur. Sed ut vitiis tuis commoveare, ut legum pœnas pertimeſcas, ut temporibus reipub. concedas, non eſt poſtulandum. [9] neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore revocarit. Quamobrem, ut ſæpe jam dixi, proficiſcere: ac, ſi mihi inimico, ut prædicas, tuo conflare vis invidiam; rectà perge in exſilium: vix feram ſermones hominum, ſi id feceris: vix molem iſtius invidiæ, ſi in exſulium ieris juſſu conſulis, ſuſtinebo. ſin autem ſervire meæ laudi, & gloriæ mavis: egredere cum importuna ſceleratorum manu: confer te ad Manlium: concita perditos civeis: ſecerne te à bonis: infer patriæ bellum: exſulta impio latrocinio, ut à me non *ejectus*, ad alienos: ſed *invitatus*, ad tuos iſſe videaris. Quamquam quid ego te invitem, à quo jam ſciam eſſe præmiſſos, qui tibi ad forum Aurelium præſtolarentur armati? [10] ſciam pactam & conſtitutam eſſe cum Manlio diem? à quo etiam AQUILAM illam argenteam, quam tibi, ac tuis omnibus pernicioſam eſſe confido, & funeſtam futuram, cui domi tuæ ſacrarium ſcelerum tuorum conſtitutum fuit, ſciam eſſe præmiſſam? Tu ut illa diutius carere poſſis, quam venerari, ad cædem profi-

1. *Subſellia vacua facta ſunt.*] Fabr. Hitt. Uverd. item Pal. nonus, nec non Carrionis ac Lambini mſſ. *vacuefacta ſunt*, ut ſupra.

2. *Quod omnes conſulares.*] Antea præmittatur; *quid quod.* ſed ea non invenitur in mſſ. noſtris aliorumve.

3. *Simulatque adſediſti.*] Colon. Baſilicanus, *ſubſediſti*: nec refugit Gulielmius. etſi enim proprie inſidiatorum, qualis hic Catilina, non nimis abhorret à Senatore. nam à ſubſidere *ſubſellia.* unde Pompejus Senatum *longum ſubſellium* nominabat.

4. *Injuria ſpectatum tam graviter, atque offenſum viderem.*] Muretus probat è ſuis *infenſum.* male. videndum potius an non *ſpectatum* mutandum in *ſuſpectum*, quod eſt in Pal. ſec. ſexto, decimo, Fabr. Uverd. nam Pal. nonus neutram vocem agnoſcit.

5. *Nullum aliquot jam annis facinus.*] Melius ſic mſſ. noſtri quàm ut hactenus lectum; *Nullum jam tot annos facinus.* quod tamen non eſt in exoletis editionibus. Supra etiam reſcripſi, *de te nihil judicat*, volentibus iiſdem membranis.

6. *Ad evincendas perfringendaſque.*] Habent iſtud Pall. item Mureti, nec non aliorum mſſ. firmantque vetuſte editi, niſi quod ii *ad devincendas.* vulgatur tamen paſſim *ad evertendas.* imo ubi præcedit; *non ſolum ad negligendas leges, &c.* eſt in Fabr. & Hitt. *ad vertendas leges:* Gulielmius putabat verum eſſe, *ad evertendas.* ut *evertat* leges ac quæſtiones, qui efficit ne lege lata de maleficiis ſuis quæratur: *evincat*, qui lege jam lata & quæſtione conſtituta vim judiciorum perfringit.

7. *Si heic morari æquo animo non potes.*] Haud aliter Palſ. noſtri, editique. nam Victorius, *Si emori æquo animo, &c.* ſequentes *ſi heic emori*, quod impugnat Zinzerlingus capite XLVIII.

8. *Utinam tibi iſtam mentem dii immortales duint!*] Suppeditavit mihi hanc lectionem Cujacius, affirmatque exſtare in mſſ. quos excuſſit lib. XII. Emendat. cap. 32. prius legebamus, *donarent*, aut *darent*, omnino inſulſe.

9. *Neque enim is es Catilina, ut te aut, &c.*] Idem Cujacius producit ex iiſdem libris: *neque enim ſis Catilina, ſi te aut, &c.* nondum auſim ſequi. alterum illud tuetur ſe mſſ. noſtris omnibus, nec non olim cuſis. nam poſteriores *Catilina, is es, &c.*

10. *Sciam pactam & conſtitutam.*] Omnes mſſ. noſtri præmittunt *cùm*, neque ſecus antiquitus impreſſi. emendat leviter, ſed vere Gulielmius, *cui ſciam pactam, &c.* manifeſte enim captatur πολύπτωτον, à quo, cui, à quo. Mureti correctio, & à libris longius diſcedit, & ſententiam torquet: quam tamen Lambinus jam in libros receperat, & quidem cum elogio; tamquam ſi à mſſ. eſſet, non à conjectura.

proficiſcens, ſolebas? à cujus altaribus ſæpe iſtam dexte-
10 ram impiam ad necem civium tranſtuliſti? Ibis tandem aliquando, quò te jampridem tua iſta cupiditas effrenata, ac furioſa rapiebat. Neque enim tibi hæc res affert dolorem. ſed quandam incredibilem voluptatem. ad hanc te amentiam *natura* peperit, *voluntas* exercuit, *fortuna* ſervavit, numquam tu modò otium, ſed ne bellum quidem, niſi nefarium concupiſti. nactus es ex perditis, atque ab omni non modò fortuna, verum etiam ſpe derelictis, conflatam improborum manum. Hic tu quâ lætitia perfruêre? quibus gaudiis exſultabis? quanta in voluptate bacchabere, cùm in tanto numero tuorum neque *audies virum bonum quemquam*, *neque videbis*? Ad hujus vitæ ſtudium meditati illi ſunt, qui feruntur, labores tui: jacere humi non modò ad obſidendum ſtuprum, verùm etiam ad facinus obeundum: vigilare [1] non ſolùm inſidiantem ſomno maritorum, verùm etiam bonis occiſorum. Habes ubi oſtentes illam præclaram tuam *patientiam* famis, frigoris, inopiæ rerum: quibus te brevi tempore confectum eſſe ſenties. Tantum profeci tum, [2] cùm te à conſulatu repuli, ut exſul potiùs tentare, quàm conſul vexare remp. poſſes: atque ut id, quod eſſet à te ſceleratè ſuſceptum, latrocinium
11 potiùs, quàm bellum nominaretur. Nunc, ut à me, P.C. quandam propè juſtam patriæ querimoniam deteſter, ac deprecer: percipite, quæſo, diligenter, quæ dicam, & ea penitus animis veſtris, mentibuſque mandate. Etenim, ſi mecum patria, quæ mihi *vita* mea multo eſt *carior:* ſi cuncta Italia, ſi omnis reſpublica loquatur: M. Tulli, quid agis? tune eum, quem eſſe hoſtem comperiſti: quem ducem belli futurum vides, quem exſpectari imperatorem in caſtris hoſtium ſentis, auctorem ſceleris, principem conjurationis, evocatorem ſervorum, & civium perditorum, exire patieris, ut abs te non emiſſus ex urbe, ſed immiſſus in urbem eſſe videatur? nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non ſummo ſupplicio mactari imperabis? Quid tandem impedit te? *moſne majorum?* at perſæpe etiam privati in hac republica pernicioſos civeis morte multarunt. An *leges*, quæ de civium Romanorum ſupplicio rogatæ ſunt? at numquam in hac urbe ii, qui à republica defecerunt, civium jura tenuerunt. An *invidiam*, poſteritatis times? præclaram verò populo R. refers gratiam, qui te, hominem per te cognitum, nulla commendatione majorum, tam maturè ad ſummum imperium per omneis honorum gradus extulit, ſi propter invidiam, aut alicujus periculi metum ſalutem civium tuorum negligis. Sed, ſi quis eſt invidiæ metus, num eſt vehementiùs ſeveritatis, ac fortitudinis invidia, quàm inertiæ, ac nequitiæ pertimeſcenda? An, cùm bello vaſtabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt: tum te non exiſtimas
12 *invidiæ incendio* conflagraturum? His ego ſanctiſſimis reipublicæ vocibus, & eorum hominum, qui idem ſentiunt, mentibus, pauca reſpondebo. [3] Ego, ſi hoc optimum factu judicarem, P.C. Catilinam morte multari: unius uſuram horæ gladiatori iſti ad vivendum non dediſſem. Etenim, ſi ſummi viri, & clariſſimi cives, Saturnini, & Gracchorum, & Flacci, & ſuperiorum complurium ſanguine non modò ſe non *contaminarunt*, ſed etiam *honeſtarunt:* certè verendum mihi non erat, ne quid, hoc parricida civium interfecto, invidiæ mihi in poſteritatem redundaret. Quòd ſi ea mihi maximè impenderet: tamen hoc animo ſemper fui, ut INVIDIAM virtute partam, gloriam, non invidiam putarem. Quamquam nonnulli ſunt in hoc ordine, qui aut ea, quæ imminent, non videant: aut ea, quæ vident, diſſimulent: qui ſpem Catilinæ mollibus ſententiis aluerunt, conjurationemque *naſcentem*, non credendo corroboraverunt. quorum auctoritatem ſecuti multi, non ſolùm improbi, verùm etiam imperiti, ſi in hunc animadvertiſſem, crudeliter, & regiè factum eſſe dicerent. Nunc intelligo, ſi iſte, quò intendit, in Manliana caſtra pervenerit, neminem tam ſtultum fore, qui non videat conjurationem eſſe factam: neminem tam improbum, qui non fateatur. Hoc autem uno interfecto, intelligo hanc reipub. peſtem paulliſper reprimi, non in perpetuum comprimi poſſe. Quòd ſi ſe ejecerit, ſecumque ſuos eduxerit, & eodem ceteros undique *collectos naufragos* aggregaverit: exſtinguetur, atque delebitur non modò hæc tam adulta reip. peſtis, verùm etiam ſtirps, ac ſemen malorum o-
mnium. Etenim jamdiu, P.C. in his periculis conjuratio- 13
nis, inſidiiſque verſamur: ſed neſcio quo pacto omnium ſcelerum, ac veteris furoris, & audaciæ maturitas in noſtri conſulatus tempus erupit. Quod ſi ex tantò latrocinio iſte unus tolletur: videbimur fortaſſe ad breve quoddam tempus cura, & metu eſſe relevati: periculum autem reſidebit, & erit incluſum penitus *in venis*, atque in viſceribus reip. Ut ſæpe HOMINES ægri morbo gravi, cum æſtu, febrique jactantur, ſi aquam gelidam biberint, primò relevari videntur: deinde multo gravius, vehementiuſque affictantur: ſic hic morbus, qui eſt in repub. relevatus iſtius pæna, vehementiùs vivis reliquis ingraveſcet. Quare, P.C. ſecedant improbi, ſecernant ſe à bonis, unum in locum congregentur: muro denique, id quod ſæpe jam dixi, ſecernantur à nobis: deſinant inſidiari domi ſuæ conſuli, circumſtare tribunal prætoris urbani, obſidere cum gladiis curiam, [4] malleolos & faceis ad inflammandam urbem comparare. ſit denique *inſcriptum in fronte* uniuſcujuſque civis, quid de rep. ſentiat. Polliceor hoc vobis, P.C. tantam in nobis Coſs. fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in equitibus Rom. virtutem, tantam in omnibus bonis *conſenſionem*, ut Catilinæ profectione omnia patefacta, illuſtrata, oppreſſa, vindicata eſſe videatis. Hiſce ominibus, Catilina, cum ſumma reipub. ſalute, & cum tua peſte, ac pernicie, cumque eorum exitio, qui ſe tecum omni ſcelere, parricidioque junxerunt, proficiſcere ad impium bellum, ac nefarium. Tum tu, Jupiter, qui iiſdem, quibus hæc urbs, auſpiciis à Romulo es conſtitutus: quem *Statorem* hujus urbis, atque imperii verè nominamus: hunc, & hujus ſocios à tuis aris, ceteriſque templis, ac tectis urbis, ac mœnibus, à vita, fortuniſque civium omnium arcebis: & omneis inimicos bonorum, hoſteis patriæ, latrones Italiæ, *ſcelerum fœdere inter ſe*, ac nefaria ſocietate conjunctos; æternis ſuppliciis vivos, mortuoſque mactabis.

M. TUL-

1. *Non ſolùm inſidiantem ſomno maritorum, verùm etiam bonis occiſorum.*] Sic Pal. nonus, item Gembl. & Uverd. inepte antea publicabatur, *non ſolum ad inſidiandum ſomno marit.* idem tres mſſ. item Pal. ſec. ſervant *otioſorum.* quod examinabunt otioſiores me.

2. *Cùm te à conſulatu repuli.*] Lambinus *depuli*, contra libros, & Latine loquentium conſuetudinem. *repellere* verbum eſt comitiale; unde *repulſa.*

3. *Ego ſi hoc optimum factu.*] Cujacii codd. *factum.* quod & in Pal. ſexto.

4. *Malleolos & faces ad inflammandam urbem.*] Eſt à noſtris omnibus. vulgo, *malleolos ad incendendum urbem faceiſque.*

1. *Atque*

M. TULLII CICERONIS IN L. CATILINAM SECUNDA, AD QUIRITES.

ORATIO VICESIMA.

1 TANDEM aliquando, Quirites, L. Catilinam, furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem, vobis, [1] atque huic urbi ferrum, flammamque minitantem, ex urbe vel ejecimus, vel emiſimus, vel ipſum [2] egredientem *verbis proſecuti ſumus*. Abiit, exceſſit, evaſit, erupit. nulla jam pernicies à monſtro illo, atque prodigio mœnibus ipſis intra mœnia comparabitur. Atque hunc quidem unum hujus belli domeſtici ducem *ſine controverſia* vicimus. non enim jam inter latera noſtra ſica illa verſabitur: non in campo, non in foro, non in curia, non denique intra domeſticos parietes pertimeſcemus. loco ille motus eſt, cùm eſt ex urbe depulſus. palàm jam cum hoſte, nullo impediente, *bellum juſtum* geremus. Sine dubio perdidimus hominem, magnificeque vicimus, cùm illum ex occultis inſidiis in apertum latrocinium conjecimus. Quòd verò non cruentum mucronem, ut voluit, extulit, quòd vivis nobis egreſſus eſt, quòd ei ferrum de manibus extorſimus, quòd incolumeis civeis, quòd ſtantem urbem reliquit: quanto tandem illum mœrore afflictum eſſe, & profligatum putatis? Jacet ille nunc proſtratus, Quirites, & ſe perculſum, atque abjectum eſſe ſentit, & retorquet oculos profectò ſæpe ad hanc urbem: quam *ex ſuis faucibus ereptam* eſſe luget. quæ quidem lætari mihi videtur, quòd tantam peſtem evomuerit, foraſque
2 projecerit. At ſi quis eſt talis, qualeis eſſe omneis oportebat, qui in hoc ipſo, in quo exſultat, & triumphat oratio mea, me vehementer accuſet, quòd tam capitalem hoſtem *non comprehenderim* potiùs, quàm emiſerim: non eſt iſta mea culpa, Quirites, ſed temporum. interemtum eſſe L. Catilinam, & graviſſimo ſupplicio affectum jampridem oportebat: idque à me & mos majorum, & hujus imperii ſeveritas, & reſpublica poſtulabat. Sed quàm multos fuiſſe putatis, qui, quæ ego deferrem, non crederent? quàm multos, qui propter ſtultitiam non putarent? quàm multos, qui etiam defenderent? quàm multos, qui propter improbitatem faverent? Ac ſi, ſublato illo, depelli à vobis omne periculum judicarem: jam pridem ego L. Catilinam [3] non modò invidiæ meæ, verùm etiam vitæ periculo ſuſtuliſſem. ſed cùm viderem, ne vobis quidem omnibus re etiam tum probata, ſi illum, ut erat meritus, morte multaſſem, fore, ut ejus *ſocios* invidia oppreſſus perſequi non poſſem: rem huc deduxi, ut tum palàm pugnare poſſetis, cùm hoſtem apertè videretis. Quem quidem ego hoſtem, Quirites, quàm vehementer foris eſſe timendum putem, licet hinc intelligatis, quòd illud etiam moleſtè fero, quod ex urbe *parum comitatus* exierit. Utinam ille omneis ſecum ſuas copias eduxiſſet. Tongillum mihi eduxit; quem amare [4] in prætexta calumnia cœperat: Publicium & Munatium; quorum æs alienum contractum in popina [5] nullum reip. motum afferre poterat: reliquit quos viros? [6] quanto alieno ære? quàm valenteis? quàm nobileis? vos videtis. Itaque ego illum exercitum, [7] & Gallicanis legioni- 3
bus, & hoc delectu, quem in agro Piceno, & Gallico Q. Metellus habuit. [8] & his copiis, quæ à nobis quotidie comparantur, magnoperè contemno; *collectum ex* ſenibus deſperatis, ex agreſti luxuria, [9] ex ruſticis decoctoribus: ex iis, qui vadimonia deſerere, quàm illum exercitum, maluerunt: quibus ego non modò ſi aciem exercitus noſtri, verùm etiam ſi *edictum prætoris* oſtendero, concident. Hos, quos video volitare in foro, quos ſtare ad curiam, quos etiam in ſenatum venire: qui nitent unguentis, qui fulgent purpura, mallem ſecum ſuos milites eduxiſſet: qui ſi hîc permanent, mementote non tam exercitum illum eſſe nobis, quàm hos, qui exercitum deſeruerunt, pertimeſcendos. Atque hoc etiam ſunt timendi magis, quòd, quid cogitent, *me ſcire*, ſentiunt: neque tamen permoventur. Video, cui Apulia ſit attributa, qui habeat Etruriam, qui agrum Picenum, qui Gallicum, qui ſibi has urbanas inſidias cædis, atque incendiorum depopoſcerit. omnia ſuperioris *noctis conſilia* ad me perlata eſſe ſentiunt:

---

1. *ATque huic urbi ferrum flammamque minitantem.*] Gemblacenſis ac U verd. *ferro flammaque.* non diſplicet.

2. *Egredientem verbis proſecuti ſumus.*] Hæc eſt lectio omnium veterum librorum, nec non editionum primariarum. ſubſequentes frigide nimis, *egredientem urbe, proſecuti ſumus.* intelligit omina illa quorum meminit ſub finem orationis præcedentis.

3. *Non modò invidiæ meæ, verum etiam vitæ periculo, &c.*] Apparet de induſtria oppoſita, periculum vitæ ac invidiæ. & quid vetat bene dici; cum præclare dicatur, *invidiâ ſuâ facere.* ideo Lambinum contra omnes libros hæc immutantem non ſequor. Gulielmius.

4. *In prætexta calumnia.*] Pal. ſextus *ſalumpnia.* Locus obſcurus. niſi velimus à prima ſtatim adoleſcentia cum in forum deduceretur, operatum calumniæ, ideoque ab ea amatum. ad quod exemplum dicimus, *Muſæ illum amant, Fides me amat.* hæc Gulielmius.

5. *Nullum reip. motum.*] Antea legebamus *metum*, ſed præter libros mſſ. imo etiam editionem Venetam anni CCCCLXXXIII.

6. *Quanto ære alieno.*] Lambinus addit, *obſtrictus*, quod neque neceſſarium, neque in noſtris mſſ. uſquam erat, aut adeo olim editis: & de elegantia commatum, ſunt enim fere paria, haud parum detrahit.

7. *Et Gallicanis legionibus.*] Lambinus aliud heic ſubſtituit, ſed non accedunt libri noſtri, qui vulgatam tuentur. vett. adjiciunt *ex*, quod & in omnium ætatum editionibus. Palatinus ſec. interpretationis loco adpinxit, reſpectu Gallicanarum legionum.

8. *Et his copiis, &c.*] Eſt a conjectura Mureti, quam ſecuti Manutiani; & præfert Palat. nonus. nam ſext. hanc clauſulam omiſit. Gulielmius ad horum interpretationem, allegarat locum pro Murena cap. 36. m. *his hædinis pelliculis prætura dejectus eſt*, id eſt, propter has pelliculas. mihi tamen non poteſt omnino diſplicere, *contemnere aliquem ex re alia*, præcipue cum meliores fere membranæ lectionem eam oſtentent.

9. *Ex ruſticis decoctoribus.*] Vulgo interjicitur, *ex ruſticis mendiculis & decoctoribus*, verum ſic nullus ſcriptorum Mureti, ſic nullus noſtrorum. prima editio præfert *ex ruſticis metalli decoctoribus.* jocoſe.

tiunt: patefeci in ſenatu heſterno die: Catilina ipſe pertimuit, profugit. hi quid exſpectant? næ illi vehementer errant, ſi illam meam priſtinam lenitatem perpetuam ſperant futuram.
4 Quod exſpectavi, jam ſum aſſecutus, ut vos omnes factam eſſe apertè conjurationem contra rempub. videretis. niſi verò ſi quis eſt, qui Catilinæ *ſimileis* cum Catilina ſentire non putet. Non eſt jam lenitati locus: ſeveritatem res ipſa flagitat. unum etiam nunc concedam: exeant, proficiſcantur, ne patiantur deſiderio ſui Catilinam [1] miſerum tabeſcere. demonſtrabo iter: Aurelia via profectus eſt. ſi accelerare volent, ad veſperam conſequentur. O fortunatam rempub. ſiquidem hanc ſentinam hujus urbis ejecerit! Uno mehercule Catilina exhauſto, *relevata* mihi, & recreata reſpub. videtur. Quid enim mali, aut ſceleris fingi, aut excogitari poteſt, quod non ille conceperit? quis tota Italia veneficus, quis gladiator, quis latro, quis ſicarius, quis parricida, quis teſtamentorum ſubjector, quis circumſcriptor, quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quæ mulier infamis, quis corruptor juventutis, quis corruptus, quis perditus inveniri poteſt, qui ſe cum Catilina non *familiariſſimè vixiſſe* fateatur? quæ cædes per hoſce annos ſine illo facta eſt? quod nefarium ſtruprum non per illum? Jam verò quæ tanta in ullo umquam homine *juventutis illecebra* fuit, quanta in illo? qui alios ipſe amabat turpiſſimè, aliorum amori flagitioſiſſimè ſerviebat: aliis fructum libidinum, aliis mortem parentum, non modò impellendo, verùm etiam adjuvando, pollicebatur. Nunc verò quam ſubitò non ſolùm ex urbe, verum etiam ex agris ingentem numerum perditorum hominum collegerat? nemo, non modò Romæ, [2] ſed nec ullo in angulo totius Italiæ oppreſſus ære alieno fuit, quem non ad hoc incredibile ſceleris fœdus adſciverit. Atque, ut ejus *diverſa ſtudia*
5 in diſſimili ratione perſpicere poſſitis, nemo eſt in ludo gladiatorio paullo ad facinus audacior, qui ſe non intimum Catilinæ eſſe fateatur: nemo in ſcena levior, & nequior, qui ſe non ejuſdem propè ſodalem fuiſſe commemoret. Atque idem tamen, ſtuprorum, & ſcelerum exercitatione aſſuefactus, frigore & fame, & ſiti, ac vigiliis perferendis, [3] *fortis* ab iſtis prædicabatur, cùm induſtriæ ſubſidia, atque inſtrumenta virtutis, in libidine, audaciaque conſumerentur. Hunc verò ſi ſui fuerint comites ſecuti: ſi ex urbe exierint deſperatorum hominum flagitioſi greges: ô nos beatos, ô remp. fortunatam, ô præclaram laudem conſulatus mei! Non enim jam ſunt mediocres hominum libidines, non humanæ audaciæ, ac tolerandæ: nihil cogitant, niſi cædeis, niſi incendia, niſi rapinas: patrimonia ſua profuderunt: fortunas ſuas obligurrierunt: res eos jampridem, fides deficere nuper cœpit: eadem tamen illa, quæ erat in abundantia, *libido permanet*. Quod ſi in vino, & alea commiſſationes ſolùm, & ſcorta quærerent: eſſent illi quidem deſperandi, ſed tamen eſſent ferendi. hoc verò quis ferre poſſit, *inerteis* homines fortiſſimis viris inſidiari, ſtultiſſimos prudentiſſimis, ebrioſos ſobriis, dormienteis vigilantibus? qui mihi accubantes in conviviis, complexi mulieres impudicas, vino languidi, [4] confecti cibo, ſertis redimiti, unguentis obliti, debilitati ſtupris, eructant ſermonibus ſuis cædem bonorum, atque urbis incendia. Quibus ego confido impendere fatum aliquod: & pœnas jamdiu improbitati, nequitiæ, ſceleri, libidini debitas, aut inſtare jam planè, aut certè jam appropinquare. Quos ſi meus conſulatus, quoniam *ſanare non poteſt*, ſuſtulerit: non breve neſcio quod tempus, ſed multa ſæcula propagarit reip. Nulla eſt enim natio, quam pertimeſcamus: nullus rex, qui bellum populo R. facere poſſit. omnia ſunt externa, unius virtute, terra, marique pacata. domeſticum bellum manet: intus inſidiæ ſunt: intus incluſum periculum eſt: *intus eſt hoſtis*. cum luxuria nobis, cum amentia, cum ſcelere certandum eſt. Huic ego bello me ducem profiteor, Quirites: ſuſcipio inimicitias hominum perditorum. quæ ſanari poterunt, quacumque ratione ſanabo. quæ reſecanda erunt, non patiar *ad perniciem* civitatis manare. Proinde aut exeant, aut quieſcant: aut, ſi & in urbe, & in eadem mente permanent: ea, quæ merentur, exſpectent. At etiam ſunt, Quirites, qui dicant, à me in 6
exſilium ejectum eſſe Catilinam. Quod ego ſi verbo aſſequi poſſem, iſtos ipſos ejicerem, qui hæc loquuntur. Homo enim videlicet timidus, & permodeſtus vocem conſulis ferre non potuit: ſimul atque ire in exſilium juſſus eſt, [5] paruit, quievit. Heſterno die, cùm domi meæ pæne interfectus eſſem: ſenatum in ædem Jovis Statoris vocavi: rem omnem ad patres conſcriptos detuli. quò cùm Catilina veniſſet: quis eum ſenator appellavit? quis ſalutavit? quis denique ita adſpexit, ut perditum civem, ac non potiùs, ut importuniſſimum hoſtem? Quinetiam principes ejus ordinis partem illam ſubſelliorum, ad quam ille acceſſerat, nudam, atque inanem reliquerunt. Hìc ego vehemens ille conſul: qui *verbo* civeis in exſilium ejicio, quæſivi à Catilina, an nocturno conventu apud M. Leccam fuiſſet, necne. Cùm ille homo audaciſſimus, conſcientia convictus, primò reticuiſſet: patefeci cetera; quid ea nocte egiſſet, ubi fuiſſet, quid in proxima conſtituiſſet, quemadmodum eſſet ei ratio totius belli deſcripta, edocui. cum hæſitaret, [6] cum teneretur; quæſivi, quid dubitaret eò proficiſci, quò jampridem pararat: cùm arma, cùm ſecureis, cùm faſceis, cùm tubas, cum ſigna militaria, cùm Aquilam illam argenteam, [7] cui ille etiam ſacrarium ſcelerum domi ſuæ fecerat, [8] ſcirem eſſe præmiſſam. In exſilium ejiciebam, quem jam ingreſſum eſſe in bellum videbam? Etenim, credo, Manlius iſte, centurio, qui in agro Feſulano caſtra poſuit, bellum populo R. ſuo nomine, indixit: & illa caſtra nunc non Catilinam ducem exſpectant: & ille ejectus in exſilium, ſe Maſſiliam, ut ajunt, non in hæc
caſtra conferet. O *conditionem miſeram*, non modò admi- 7
niſtrandæ, verum etiam conſervandæ reip. Nunc, ſi L. Catilina, conſiliis, laboribus, periculis meis circumcluſus, ac debilitatus, ſubitò pertimuerit, ſententiam mutaverit, deſeruerit ſuos, conſilium belli faciundi abjecerit, ex hoc curſu ſceleris, & belli, iter ad fugam, atque in exſilium converterit: non ille à me ſpoliatus armis audaciæ, non obſtupefactus, ac perterritus mea diligentia, non de ſpe, conatuque depulſus, ſed *indemnatus*, innocens, in exſilium ejectus à conſule, vi, & minis eſſe dicetur: & erunt, qui illum, ſi hoc fecerit, [9] non improbum, ſed miſerum: me non diligentiſſimum conſulem, ſed crudeliſſimum tyrannum exiſtimari velint. Eſt mihi tanti, Quirites, hujus invidiæ falſæ, atque iniquæ tempeſtatem ſubire, dummodo

---

1. *Miſerum tabeſcere.*] Colon. *tepeſcere*, quod mire huc quadrare putat Gulielmius. vulgatam tamen loco non movet; neque cauſa erat.

2. *Sed nec ullo in angulo totius Italiæ.*] Pall. & Hitt. Fabr. ed. vet. *ſed ne ullo*, quæ formula, inquit Gulielmius, notanda, ut rara: qua tamen etiam uſus ad Atticum.

3. *Fortis ab iſtis prædicabatur.*] Ita & noſtri, & olim editi; non ut poſtea impreſſi, *fortis ab his iſtis ſuis ſociis prædicabatur.*

4. *Conferti cibo.*] Malui iſtud cum libris noſtris plerisque quam vulgatam *confecti*. ita poëta vetus, neſcio quis, *differtite veſtra viſcera.*

5. *Paruit, quievit. Heſterno die.*] Eſt à libro Mureti. prius enim habebamus, *paruit. Quid quòd heſterno die.* edd. antiquæ, *paruit. Qui heſterna die.* quod & in Pal. ſec. nam reliqui, *qui ut heſterna.* at Colon. *quid ut.* Fabr. *Heſterna quidem die.* malè. ſed ex iſtis duobus legit Gulielmius. *paruit, quievit. Heſterna die Quirites, &c.*

6. *Cùm teneretur.*] Ita mſſ. Mureti, item noſtri, nec non vetuſtius cuſi. vulgo *cum cunctaretur*, cui lectioni diem etiam dixerant Modius & Zinzerlingus.

7. *Cui ille etiam ſacrarium ſcelerum domi ſuæ, &c.*] Vox *ſcelerum* non extat in Pal. ſext. aut nono. neque heic requiſiverim; etſi norim priore oratione ita dixiſſe.

8. *Scirem eſſe præmiſſam.*] Baſilicanus *præmiſſa*; ſi rectius, velimus verbum hoc ea omnia quæ antecedant complecti.

9. *Non improbum ſed miſerum.*] Ita vetus editio, ita meliores mſſ. nam quidam *mirum*, ex quibus forteau natum illud vulgatum, *timidum.* quod & Priſcianus reſpuit.

1. *Quam*

modo à vobis hujus horribilis belli, ac nefarii periculum depellatur. Dicatur ſane ejectus eſſe à me, dummodo eat in exſilium. ſed mihi credite, non eſt iturus. Numquam ego à diis immortalibus optabo, Quirites, invidiæ meæ levandæ cauſa, ut L. Catilinam ducere exercitum hoſtium, atque in armis volitare audiatis: ſed triduo tamen audietis: multoque magis illud timeo, ne mihi ſit invidioſum aliquando, quòd illum emiſerim potiùs, quam quòd ejecerim. ſed cùm ſint homines, qui illum, cùm profectus ſit, ejectum eſſe dicant, idem, ſi *interfectus* eſſet, quid dicerent? Quamquam iſti, qui Catilinam Maſſiliam ire dictitant, non tam hoc queruntur, quàm verentur. Nemo eſt iſtorum tam miſericors, qui illum non ad Manlium, quàm ad Maſſilienſeis ire malit. Ille autem, ſi mehercule hoc quod agit, numquam antè cogitaſſet, tamen latrocinantem ſe interfici mallet, quam *exſulem vivere.* nunc verò, cùm ei nihil adhuc præter ipſius voluntatem, cogitationemque acciderit, niſi quod vivis nobis Roma profectus eſt: optemus potiùs, ut eat in exſi-
8 lium, quam queramur. Sed cur tamdiu de uno hoſte loquimur: & de eo hoſte, qui jam fatetur ſe eſſe hoſtem: & quem, quia, quod ſemper volui, murus intereſt, non timeo: de his, qui *diſſimulant*, qui Romæ remanent, qui nobiſcum ſunt, nihil dicimus? quos quidem ego, ſi ullo modo fieri poſſet, non tam ulciſci ſtudeo, [1] quàm ſanare, & ipſos placare reipubl. neque id quare fieri non poſſit, ſi me audire volent, intelligo. Exponam enim vobis, Quirites, ex quibus generibus hominum iſtæ copiæ comparentur: deinde ſingulis [2] medicinam conſilii, atque orationis meæ, ſiquam potero, afferam. [3] Unum genus eſt eorum, qui magno in ære alieno, majores etiam poſſeſſiones habent: quarum amore adducti, diſſolvi nullo modo poſſunt. Horum hominum ſpecies honeſtiſſima: ſunt enim locupletes: voluntas verò, & cauſa impudentiſſima. Tu agris, tu ædificiis, tu argento, [4] tu familia, tu rebus omnibus ornatus, & copioſus ſis [5] & dubites de poſſeſſione detrahere, acquirere ad fidem? Quid enim exſpectas? bellum? quid? ergo in vaſtatione omnium tuas poſſeſſiones ſacroſanctas futuras putas? an tabulas novas? errant, qui iſtas à Catilina exſpectant. meo beneficio tabulæ novæ proferentur, verùm *auctionariæ.* neque enim iſti, qui poſſeſſiones habent, alia ratione ulla ſalvi eſſe poſſunt. quod ſi maturiùs facere voluiſſent, neque (id quod STULTISSIMUM eſt) [6] certare cum uſuris fructibus prædiorum; & locupletioribus his, & melioribus civibus uteremur. Sed hoſce homines minimè puto pertimeſcendos, quod aut deduci de ſententia poſſunt; aut, ſi permanebunt, magis mihi videntur vota facturi contra rempubl. quàm arma
9 laturi. Alterum genus eſt eorum, qui quamquam premuntur ære alieno, dominationem tamen exſpectant: rerum potiri volunt: *honores*, quos quieta rep. deſperant, perturbata conſequi ſe poſſe arbitrantur. Quibus hoc præcipiendum videtur, unum ſcilicet & idem, quod ceteris omnibus, ut deſperent, ſe id, quod conantur, conſequi poſſe: primùm omnium me ipſum vigilare, adeſſe, providere reipubl. deinde magnos animos eſſe in bonis viris, magnam concordiam, maximam multitudinem, magnas præterea copias militum: deos denique immortaleis huic invicto populo, clariſſimo imperio, pulcherrimæ urbi, contra tantam vim ſceleris, *præſenteis* auxilium eſſe laturos. Quòd ſi jam ſint id, quod cum ſummo furore cupiunt, adepti: num illi in cinere urbis, & ſanguine civium, quæ mente conſcelerata, ac nefaria concupierunt, ſe conſules, ac dictatores, aut etiam reges ſperant futuros? non vident id ſe cupere, quod ſi adepti fuerint, fugitivo alicui, aut gladiatori concedi ſit neceſſe? Tertium genus eſt [7] ætate jam affectum, ſed tamen exercitatione robuſtum: quo ex genere eſt ipſe Manlius, cui nunc Catilina ſuccedit. Hi ſunt homines [8] ex iis coloniis, quas Feſulis Sulla conſtituit: quas ego univerſas, civium eſſe optimorum, & fortiſſimorum virorum ſentio: ſed tamen hi ſunt coloni, qui ſe *inſperatis*, repentiniſque pecuniis ſumtuoſiùs, inſolentiuſque jactarunt. hi dum ædificant, tanquam beati: dum prædiis, lecticis, familiis magnis, [9] conviviis apparatis delectantur, in tantum æs alienum inciderunt, ut, ſi ſalvi eſſe velint, Sulla ſit iis ab inferis excitandus. qui etiam nonnullos agreſteis, homines tenueis, atque egenteis, in eandem illam ſpem rapinarum veterum impulerunt. Quos ego utroſque, Quirites, [10] in eodem genere prædatorum, direptorumque pono. Sed eos hoc moneo, deſinant furere, ac proſcriptiones, & dictaturas cogitare. Tantus enim *illorum temporum dolor* inuſtus eſt civitati, ut jam iſta non modò homines, ſed ne pecudes quidem mihi
paſſuræ eſſe videantur. Quartum genus eſt ſanè varium, & 10
miſtum, & turbulentum: qui jampridem premuntur; qui numquam emergent: qui partim inertia, partim malè gerendo negotio, partim etiam ſumtibus, in vetere ære alieno vacillant: qui vadimoniis, judiciis, [11] proſcriptionibus bonorum defatigati, permulti & ex urbe, & ex agris ſe in illa caſtra conferre dicuntur. Hoſce ego [12] non tam milites acreis, quàm *infitiatores lentos* eſſe arbitror. qui homines primùm ſi ſtare non poſſunt, corruant: ſed ita, ut non modò civitas, ſed ne vicini quidem proximi ſentiant. nam illud non intelligo, quamobrem, ſi vivere honeſtè non poſſunt, perire turpiter velint: aut cur MINORE DOLORE perituros ſe cum multis, quàm ſi ſoli pereant, arbitrentur. Quintum genus eſt parricidarum, ſicariorum, denique omnium facinoroſorum: quos ego à Catilina non revoco. nam neque divelli ab eo poſſunt: & pereant ſanè in latrocinio, quoniam ſunt ita multi, ut eos capere carcer non poſſit. Poſtremum autem genus eſt: non ſolùm numero, verùm etiam [13] genere ipſo, atque vita: quod proprium eſt Catilinæ, de ejus delectu, immo verò de complexu

---

1. *Quam ſanare & ipſos placare reip.*] Pall. tres Colon. Fabr. Uverd. *quàm ſanare ſibi ipſos, placare reip.* quod valde probat Gulielmius; quoniam veteres ſceleratos exiſſe à ſe, & mentis impotes ducerent. unde *dementia*, pro ſcelere, & *amentes* pro facinoroſis. adeatur & Modius Epiſtola CIV.

2. *Medicinam conſilii atque orationis.*] Baſilicanus, *orationis*, quod probum Gulielmio.

3. *Unum genus eſt eorum.*] Sic Pall. tres, ſic Hitt. & Uverd. item editio princeps. deincipes: *primum genus.* minus rectè.

4. *Tu familia.*] Pal. ſec. ſuperſcriptum alias legi *tabula.* ut forte fuerit, *tu argento*, *tu tabulis*, *tu familia.*

5. *Et dubites de poſſeſſione detrahere, adquirere ad fidem?*] Eſt à mſſ. potioribus, neque abit nimium editio vetus, quæ, *& dub. de poſſeſſ. detrah. acquirere fidem.* deinceps vulgati, *& dubites aliquid de poſſeſſione detrahere, ac fidem acquirere.*

6. *Certare cum uſuris fructibus prædiorum.*] Pal. ſec. *& fructibus.* quomodo exſtare item in ſuis adnotavit Cujac. lib. XII. Obſervat. cap. 32.

7. *Ætate jam affectum, ſed tamen exercitatione robuſtum.*] Ita Pall. & prima editio. alii mſſ. *effectum.* editi poſterius, brevius, *ætate jam confectum, exercitatione robuſtum*, quod ſolum inveni in Pal. decimo.

8. *Ex iis Coloniis quas Feſulis.*] Pall. tres priores & Vict. item Baſil. codex, *Fæſulas.* unde conjicere eſt, gloſſema eſſe, ad provocabulum *quas*, ſicuti dudum monuit Muretus. & vero Manutius ideo vocem iſtam exturbavit libris ſuis. nam Lambino, affirmanti, non reperiſſe in mſſ. ſuis vix credo.

9. *Conviviis apparatis.*] Sic major pars mſſ. retinetque editio vetus; recentiores, *convivis, apparatibus*, non ita inepte tamen.

10. *In eodem genere prædatorum.*] In Colon. *prædiatorum.* ii ſunt qui prædiis exædificandis & excolendis occupantur. in hoc igitur genere communiter ſe ponere ait colonos illos obæratos & agreſtes, direptionum cupidos. Gulielmius.

11. *Proſcriptionibus bonorum defatigati.*] Gulielmius conjiciebat *diffatigati.*

12. *Non tam milites acreis, quàm infitiatores lentos.*] Pal. ſec. non habet à prima manu illud *acreis.*

13. *Genere ipſo atque vita, quod proprium eſt Catilinæ.*] Divinat Gulielmius, neque male profecto, *vita, Quirites proprium Catilinæ, & de dilectu.* nam mſſ. ſane aliquot *Catilinæ eſt.*

complexu ejus, ac ſinu: quos pexo capillo, nitidos, aut imberbeis, aut bene barbatos videtis: [1] manicatis, & talaribus tunicis; velis amictos, non togis: quorum omnis induſtria vitæ, & vigilandi labor in *antelucanis cenis* expromitur. [2] In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri, impudicique verſantur. hi pueri [3] tam lepidi, ac delicati, non ſolùm amare, & amari, neque cantare, & ſaltare, ſed etiam ſicas vibrare, & ſpargere venena didicerunt: qui niſi exeunt, niſi pereunt, etiam ſi Catilina perierit, ſcitote hoc in rep. *ſeminarium Catilinarium* futurum. Verumtamen quid ſibi iſti miſeri volunt? num ſuas ſecum mulierculas ſunt in caſtra ducturi? quemadmodum autem illis carere poterunt, his præſertim jam noctibus? quo autem pacto illi Apenninum, atque illas pruinas, ac niveis perferent? niſi idcircò ſe faciliùs hiemem toleraturos putant, quòd nudi in conviviis ſaltare didice-

11 runt. O bellum magnoperè pertimeſcendum, cùm hanc ſit habiturus Catilina [4] ſcortorum *cohortem prætoriam*. Inſtruite nunc, Quirites, contra has tam præclaras Catilinæ copias veſtra præſidia, veſtroſque exercitus: & primum gladiatori illi confecto & ſaucio, conſules, imperatoreſque veſtros opponite: deinde contra illam naufragorum ejectam, ac debilitatam manum, florem totius Italiæ, ac robur educite. jam verò urbes coloniarum, ac municipiorum reſpondebunt Catilinæ tumulis ſilveſtribus. Neque verò ceteras copias, ornamenta, præſidia, cùm illius latronis inopia, atque egeſtate *conferre* debeo. Sed, ſi, omiſſis his rebus omnibus, quibus nos ſuppeditamus, eget ille, ſenatu, equitibus R. populo, urbe, ærario, vectigalibus, cuncta Italia, provinciis omnibus, exteris nationibus. ſi, inquam, his rebus omiſſis, *ipſas cauſas*, quæ inter ſe confligunt, contendere velimus: ex eo ipſo, quam valde illi jaceant, intelligere poſſumus. Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc ſtuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc ſcelus: hinc conſtantia, illinc furor: hinc honeſtas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido: denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes, certant cum iniquitate, cùm luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus: [5] poſtremò copiæ cum egeſtate, bona ratio cum perdita, mens ſana cum amentia, bona denique ſpes cum omnium RERUM DESPERATIONE confligit. In hujuſmodi certamine ac prœlio, nonne, *etiam ſi hominum* ſtudia deficiant, dii ipſi immortales cogent ab his præclariſſimis virtutibus, tot, & tanta vitia ſuperari?

12 Quæ cùm ita ſint, Quirites, vos, quemadmodum [6] jam antea dixi, veſtra tecta cuſtodiis, vigiliiſque defendite: mihi, ut urbi ſine veſtro motu, ac ſine ullo tumultu, ſatis eſſet præſidii, conſultum, ac proviſum eſt. Coloni omnes, municipeſque veſtri, certiores à me facti de hac nocturna excurſione Catilinæ, facile urbeis ſuas, fineiſque defendent: gladiatores, quam ſibi ille maximam manum, & certiſſimam fore putavit, quamquam meliore animo ſunt, quam pars patriciorum, [7] poteſtate tamen noſtra continebuntur. Q. Metellus, quem ego proſpiciens hoc, in agrum Gallicanum, Picenumque præmiſi; aut opprimet hominem, aut omneis ejus motus, conatuſque prohibebit. reliquis autem de rebus conſtituendis, maturandis, agendis, jam ad ſenatum referemus, quem vocari videtis. Nunc illos, qui in urbe remanſerunt, atque adeò qui contra urbis ſalutem, omniumque veſtrum, in urbe à Catilina relicti ſunt, quamquam ſunt hoſtes, tamen quia *nati ſunt cives*, monitos etiam, atque etiam volo. Mea lenitas adhuc ſi cui ſolutior viſa eſt, hoc exſpectavit, ut id, quod latebat, erumperet. quod reliquum eſt, jam non poſſum obliviſci, meam hanc eſſe patriam, me horum eſſe conſulem: mihi AUT CUM HIS VIVENDUM, AUT PRO HIS ESSE MORIENDUM. nullus eſt portæ cuſtos, nullus inſidiator viæ: ſiqui exire volunt, conſulere ſibi poſſunt: qui verò in urbe ſe commoverit, cujus ego non modò factum, ſed inceptum ullum, conatumve contra patriam deprehendero: [8] ſentiet in hac urbe eſſe conſules vigilanteis, eſſe egregios magiſtratus, eſſe fortem ſenatum, eſſe arma, eſſe *carcerem*: quem vindicem nefariorum, ac manifeſtorum ſcelerum majores noſtri eſſe voluerunt. Atque hæc omnia 13
ſic agentur, Quirites, ut res maximæ minimo motu, pericula ſumma nullo tumultu, bellum inteſtinum, ac domeſticum, poſt hominum memoriam crudeliſſimum, ac maximum, me uno togato duce & imperatore, ſedetur. quod ego ſic adminiſtrabo, Quirites, ut, ſi ullo modo fieri poterit, *ne improbus quidem* quiſquam in hac urbe pœnam ſui ſceleris ſufferat. ſed ſi vis manifeſtæ audaciæ, ſi impendens patriæ periculum me neceſſariò de hac animi lenitate deduxerint: illud profectò perficiam, quod in tanto, & tam inſidioſo bello vix optandum videtur, [9] *ut ne quis bonus intereat*, paucorumque pœna vos jam omnes ſalvi eſſe poſſitis. Quæ quidem ego neque mea prudentia, neque humanis conſiliis fretus polliceor vobis, Quirites; ſed multis, & non dubiis deorum immortalium ſignificationibus: quibus ego ducibus in hanc ſpem, ſententiamque ſum ingreſſus: qui jam non procul, ut quondam ſolebant, ab extero hoſte, atque longinquo; ſed hîc præſentes *ſuo numine*, atque auxilio ſua templa, atque urbis tecta defendunt: quos vos, Quirites, precari, venerari, atque implorare, debetis, ut, quam urbem pulcherrimam, florentiſſimam, potentiſſimamque eſſe voluerunt, hanc omnibus hoſtium copiis, terra, marique ſuperatis, à perditiſſimorum civium nefario ſcelere defendant.

1. *Manicatis & talaribus tunicis.*] Ejiciunt alii illud *& tritis*, neque habet editio Victorii. abeſtque Hit. & Mureti libris. ſed enim Pal. ſext. ſolum habet *manicatis & tribus tunicis*. editio prima, *man. & ſtrictis tunicis & talaribus*. Pal. ſec. habet tantum, *man. & tritis tunicis*.

2. *In his gregibus, &c.*] Laudat Donatus Adelphis, *in his bonis gregibus*. ubi ironia aptiſſima huic ſententiæ. & ſi libri adjuvent, recipienda. Gulielmius.

3. *Tam lepidi ac delicati.*] Colon. Baſilicanus, *tam lepidi tam delicati*.

4. *Scortorum cohortem prætoriam.*] Nimium diu exulavit iſta vox à libris noſtris, cum tamen eam teneat editio princeps. ſequentes, ignoratione linguæ Latinæ, obtruſerant nobis *ſcortatorum*; quod non eſt in melioribus mſſ. Pal. ſec. ſext. non Hit. Erph. ridiculus eſt Lambinus, arbitratus utrumque retinendum, *ſcortatorum ac ſcortorum*. imo eo ipſo perierit omnis orationis lepos ac vis omnis. ſed quid opus eſt revelare hos monſtroſos?

5. *Poſtremò copiæ cum egeſtate.*] Ita Pall. omnes. Gulielmius tamen melius putat, *copiæ*, quod in Hittorpiano. præferebatque idem Modius.

6. *Jam ante dixi.*] Tollit Muretus verbum *dixi*, ex uno veteri, quod tamen omnes noſtri aliorumque conſtanter habent. divinabat itaque Gulielm. *jam ante edixi*; ἀστόχως.

7. *Poteſtate tamen noſtra continebuntur.*] Ita fere mſſ. noſtri. prius cuſi *pot. tamen in veſtra*. quod ſi retinere volumus, at abjicienda tamen ſyllaba *in*, quæ neque in editionibus antiquis.

8. *Sentiet in hac urbe eſſe conſules vigilantes.*] Haud aliter Pall. at Colonienſis, *conſulem vigilantem*; quod verius arbitratur Gulielmius; tamquam altero conſule non præſente, inquit Modius Epiſt. CIV.

9. *Ut ne quis bonus intereat.*] Poſthabuerim iſtud Manutiano, *ut neque bonus quiſquam intereat*. quod pauciſſimis adeſt mſſ.

M. TULLII CICERONIS IN L. CATILINAM TERTIA, AD QUIRITES.

ORATIO VICESIMAPRIMA.

1 REMPUBLICAM, Quirites, vitamque omnium veſtrûm, bona, fortunas, conjuges, liberoſque veſtros, atque hoc domicilium clariſſimi imperii, fortunatiſſimam, pulcherrimamque urbem, hodierno die, deorum immortalium ſummo erga vos amore, laboribus, conſiliis, periculiſque meis, ex flamma, atque ferro, ac pænè ex *faucibus fati* ereptam, & vobis conſervatam, ac reſtitutam videtis. Et, ſi non minùs nobis jucundi, atque illuſtres ſunt ii dies, quibus *conſervamur*, quàm illi, quibus *naſcimur*; quòd ſalutis certa lætitia eſt, naſcendi incerta conditio: & quòd ſine ſenſu naſcimur, cum voluptate conſervamur: profectò, quoniam illum, [1] qui hanc urbem condidit, Romulum, ad deos immortaleis benivolentia, famaque ſuſtulimus: eſſe apud vos, poſteroſque veſtros in honore debebit is, qui eandem hanc urbem conditam, amplificatamque *ſervavit*. nam totius urbis templis, delubris, [2] tectis ac mœnibus ſubjectos propè jam igneis, circumdatoſque reſtinximus: iidemque [3] gladios in rempub. deſtrictos retudimus, mucroneſque eorum à jugulis veſtris rejecimus. Quæ quoniam in ſenatu illuſtrata, patefacta, compertaque ſunt per me, vobis jam exponam breviter, Quirites: ut & quanta, & quàm manifeſta, & qua ratione inveſtigata, & comprehenſa ſint, vos, qui ignoratis, & exſpectatis, ſcire poſſitis. Principiò, ut Catilina paucis ante diebus erupit ex urbe, cùm ſceleris ſui ſocios, hujuſce nefarii belli acerrimos duces *Romæ reliquiſſet*: ſemper vigilavi, & providi, Quirites, quemadmodum in tantis,
2 & tam obſconditis inſidiis ſalvi eſſe poſſemus. Nam tum, cùm ex urbe Catilinam ejiciebam (non enim jam vereor hujus verbi invidiam, cùm illa magis ſit timenda, quòd vivus exierit) ſed tum, cùm illum exterminari volebam; aut reliquam conjuratorum manum ſimul exituram, aut eos [4] qui reſtitiſſent, infirmos ſine illo, ac debileis fore putabam. [5] atque ego, ut vidi, quos maximo furore, & ſcelere eſſe inflammatos ſciebam, eos nobiſcum eſſe, & Romæ remanſiſſe: in eo omneis dies, nocteiſque conſumſi, ut, *quid agerent*, *quid molirentur*, ſentirem, ac viderem: ut, quoniam auribus veſtris, propter incredibilem magnitudinem ſceleris, minorem fidem faceret oratio mea, rem ita comprehenderem, [6] ut tum demum animis ſaluti veſtræ provideretis, cùm *oculis* maleficium ipſum videretis. Itaque ut comperi, legatos Allobrogum, belli Tranſalpini, & tumultus Gallici excitandi cauſa, à P. Lentulo eſſe ſollicitatos, eoſque in Galliam ad ſuos civeis, eodem itinere, cum litteris, mandatiſque, ad Catilinam eſſe miſſos, comitemque iis adjunctum Vulturcium, atque huic datas eſſe ad Catilinam litteras: facultatem mihi oblatam putavi, ut, quod erat difficillimum, quodque ego ſemper optabam à diis immortalibus, tota res non ſolum à me, ſed etiam à ſenatu, & à vobis *manifeſto deprehenderetur*. Itaque heſterno die L. Flaccum, & C. Pomtinum prætores fortiſſimos, atque amantiſſimos reipubl. viros, [7] ad me vocavi: rem omnem expoſui: quid fieri placeret, oſtendi. Illi autem, qui omnia de republ. præclara, atque egregia ſentirent, ſine recuſatione, ac ſine ulla mora negotium ſuſceperunt, & cùm adveſperaſceret, occultè ad pontem Mulvium pervenerunt: atque ibi in proximis villis ita bipartiti fuerunt, ut Tiberis inter eos, & pons intereſſet. Eôdem autem & ipſi ſine cujuſquam ſuſpicione multos forteis viros eduxerunt, & ego ex præfectura Reatina complureis delectos adoleſcenteis, [8] quorum opera utor aſſiduè in reip. præſidio, cum gladiis miſeram. Interim tertia ferè vigilia exacta, cùm jam *pontem* Mulvium cum magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent, unaque Vulturcius: fit in eos impetus: educuntur & ab illis gladii, & à noſtris. res
erat prætoribus nota ſolis: ignorabatur à ceteris. Tum *in-* 3
terventu Pomtini, atque Flacci, pugna, quæ erat commiſſa, ſedatur. *litteræ*, quæcumque erant in eo comitatu, integris ſignis, prætoribus traduntur: ipſi comprehenſi, ad me, cùm jam diluceſceret, deducuntur. Atque horum omnium ſcelerum improbiſſimum machinatorem Cimbrum Gabinium, ſtatim ad me, nihildum ſuſpicantem, vocavi. Deinde idem arceſſitur P. Statilius, & poſt eum C. Cethegus. tardiſſimè autem Lentulus venit, [9] credo quòd litteris dandis, *præter conſuetudinem*, proxima nocte vigilarat. Cùm verò ſummis, ac clariſſimis hujus civitatis viris,

---

1. Q*Ui hanc urbem condidit Romulum.*] P. Manutius omiſit *Romulum*; quod indicaſſet Muretus abfuiſſe ab uno mſſ. ſuorum. & vero non comparet in Hitt. ſed tamen cum reſtet in tot aliis noſtris, non exturbavi.

2. *Tectis ac mœnibus ſubjectos.*] Ita Pal. ſec. Ah. Hitt. & Uverd. neque ſecus editio antiquiſſima. poſteriores, *tectis omnibus ſubjectos*. Ald. Manutius nepos publicavit, *tectis omnibus ac mœnibus ſubjectos*, minus recte.

3. *Gladios in remp. deſtrictos retudimus.*] In Colon. erat, *retroſimus*, unde lubens fecerit Gulielmius, *retorſimus*: quamvis fuerat qui annotarat in illo libro *retruſimus*.

4. *Qui reſtitiſſent.*] Ita prima quoque editio, ita Victorina, ne hoc forte ſibi Lambiniana arroget. mediæ ætatis, *remanſiſſent*.

5. *Atque ego ut vidi, quos &c.*] Lectio impedita. pendent enim iſthæc adhuc à ſuperioribus. itaque vix eſt ut non debeat reſcribi cum Pal. ſec. atque Hitt. *atque ego vidi, &c.* ita Plautus: *Dum circumſpecto, atque ego tum lembum conſpicor, &c.* tota enim illa oratio huic ſimillima eſt.

6. *Ut tum demum animis ſaluti veſtræ.*] Eſt à Victoriana, & antiquioribus. prima tamen non habet illud *animis*; neque exſtat in Pal. ſec. niſi à manu recenti. ſed & in nono erat, *ut tum demum omnis noſtræ ſaluti.* adeo ut ſuſpicer illud *animis*, eſſe à manu mala.

7. *Ad me vocavi.*] Liber Gul. Ahalæ, quo uſus Gulielmius, tantum habebat pro his, *advocavi*; forſan recte.

8. *Quorum opera utor adſiduè in reip. præſidio.*] Adnotatum erat in eodem Ahalæ libro, à viro quodam docto, *adſiduè reip. præſidio.* optimè.

9. *Credo quod litteris dandis præter, &c.*] Pal. ſec. Ah. Hittorp. Uverd. *in litteris*. ſed malim quod eſt in Pal. ſexto ac nono; *credo quod in litteris iis præter, &c.* ſine voce *dandis*.

viris; qui, audita re, frequentes ad me mane convenerant,
litteras à me prius aperiri, quam [1] ad ſenatum referrem,
placeret: ne, ſi nihil eſſet inventum, temerè à me tantus
tumultus injectus civitati videretur: negavi me eſſe factu-
rum, ut de *periculo publico*, non ad conſilium publicum
rem integram deferrem. Etenim, Quirites, ſi ea, quæ e-
rant ad me delata, reperta non eſſent: tamen ego non ar-
bitrabar in tantis reipub. periculis mihi eſſe *nimiam diligen-
tiam* pertimeſcendam. Senatum frequentem celeriter, ut
vidiſtis, coëgi. Atque interea ſtatim, admonitu Allobro-
gum, C. Sulpicium, prætorem, fortem virum, miſi, qui
ex ædibus Cethegi, ſi quid telorum eſſet, efferret. ex qui-
bus ille maximum ſicarum numerum, & gladiorum ex-
4 tulit. Introduxi Vulturcium ſine Gallis: *fidem ei publicam*,
juſſu ſenatus, dedi: hortatus ſum, ut ea, quæ ſciret, ſi-
ne timore indicaret. [2] Tum ille, cùm vix ſe ex magno ti-
more recepiſſet, dixit: à P. Lentulo ſe habere ad Catili-
nam mandata, & litteras, ut *ſervorum præſidio* uteretur,
& ad urbem quàmprimùm cum exercitu accederet: id au-
tem eo conſilio, ut, cùm urbem omnibus ex partibus,
quemadmodum deſcriptum, diſtributumque erat, *incen-
diſſent*, cædemque infinitam civium feciſſent: præſtò eſſet
ille, qui & fugienteis exciperet, & ſe cum his urbanis du-
cibus conjungeret. Introducti autem Galli, jusjurandum
ſibi, & litteras à P. Lentulo, Cethego, Statilio ad ſuam
gentem datas eſſe dixerunt: atque ita ſibi ab his, & à L.
Caſſio eſſe præſcriptum, ut *equitatum* in Italiam quam pri-
mùm mitterent: pedeſtreis ſibi copias non defuturas: Len-
tulum autem ſibi confirmaſſe [3] ex fatis Sibyllinis, aruſpi-
cumque reſponſis ſe eſſe tertium illum CORNELIUM, ad
quem regnum hujus urbis, atque imperium pervenire eſſet
neceſſe: Cinnam ante ſe, & Sullam fuiſſe: eundemque
dixiſſe, *fatalem* hunc eſſe annum ad interitum hujus ur-
bis, atque imperii, qui eſſet decimus annus poſt virginum
abſolutionem, poſt Capitolii autem incenſionem viceſi-
mus. Hanc autem Cethego cum ceteris controverſiam fuiſ-
ſe dixerunt [4] quòd, Lentulo, & aliis, Saturnalibus cæ-
dem fieri, atque urbem incendi placeret; Cethego nimium
5 id longum videri. Ac, ne longum ſit, Quirites, [5] tabel-
las proferri juſſimus, quæ à quoque dicebantur datæ. Pri-
mùm oſtendimus Cethego *ſignum: cognovit.* [6] nos linum
incidimus: legimus. erat ſcriptum ipſius manu; Allobro-
gum ſenatui, & populo, ſeſe, quæ eorum legatis confir-
maſſet, eſſe facturum: orare, ut item illi facerent, quæ
ſibi legati eorum præcepiſſent. Tum Cethegus, [7] qui paul-
lò antè aliquid de gladiis, ac ſicis, quæ apud ipſum erant de-
prehenſæ, reſpondiſſet, dixiſſetque, ſe ſemper bonorum
ferramentorum ſtudioſum fuiſſe: recitatis litteris debilita-
tus, atque abjectus, *conſcientia convictus*, repentè conti-
cuit. Introductus Statilius, cognovit manum, & ſignum
ſuum. Recitatæ ſunt tabellæ in eandem ferè ſententiam:
confeſſus eſt. Tum oſtendi tabellas Lentulo: & quæſivi,
cognoſceretne ſignum. Annuit. Eſt verò, inquam, ſi-
gnum quidem notum, imago avi tui, clariſſimi viri, qui
amavit unice patriam, & civeis ſuos: quæ quidem te à
tanto ſcelere *etiam muta* revocare debuit. Leguntur ea-
dem ratione ad ſenatum Allobrogum, populumque litte-
ræ. ſi quid de his rebus dicere vellet, feci poteſtatem. Atque
ille primò quidem negavit, pòſt autem aliquanto, toto jam
indicio expoſito, atque edito, ſurrexit: quæſivit à Gallis,
quid ſibi eſſet cum iis: quamobrem domum ſuam veniſ-
ſent; itemque à Vulturcio. qui cùm illi breviter, *conſtan-
terque* reſpondiſſent, per quem ad eum, quotieſque ve-
niſſent: quæſiſſentque ab eo, nihilne ſecum eſſet de fatis
Sibyllinis locutus: tum ille ſubitò, ſcelere demens, quanta
conſcientiæ vis eſſet, oſtendit. nam, cùm id poſſet infitiari,
repentè præter opinionem omnium confeſſus eſt. ita eum
non modò ingenium illud, & dicendi exercitatio, qua ſem-
per valuit, ſed etiam propter vim ſceleris manifeſti, atque
deprehenſi, impudentia, qua ſuperabat omneis, improbitaſ-
que defecit. Vulturcius vero ſubitò proferri litteras, atque
aperiri juſſit, quas ſibi à Lentulo ad Catilinam datas eſſe di-
cebat. Atque ibi vehementiſſimè perturbatus Lentulus, ta-
men & ſignum ſuum; & manum cognovit. erant autem
ſcriptæ ſine nomine, ſed ita: QUI SIM, EX EO, QUEM AD
TE MISI, COGNOSCES. CURA, UT VIR SIS, ET COGITA,
QUEM IN LOCUM SIS PROGRESSUS: ET VIDE, QUID
JAM TIBI SIT NECESSE. CURA, UT OMNIUM TIBI AUXI-
LIA ADIUNGAS, ETIAM INFIMORUM. Gabinius deinde
introductus, cùm primò impudenter reſpondere cœpiſſet,
ad extremum nihil ex iis, quæ Galli inſimulabant, nega-
vit. Ac mihi quidem, Quirites, cùm illa certiſſima ſunt viſa
argumenta, atque indicia ſceleris, *tabellæ, ſigna, manus*, de-
nique uniuſcujuſque *confeſſio*: tum multo illa certiora,
color, oculi, vultus, taciturnitas. ſic enim obſtupuerant, ſic
terram intuebantur, ſic furtim nonnumquam inter ſe ad-
ſpiciebant, ut non jam ab aliis indicari, ſed ipſi à ſe vide-
rentur. Indiciis expoſitis, atque editis, Quirites, ſena- 6
tum conſului [8] de ſumma reip. quid fieri placeret. Dictæ
ſunt à principibus acerrimæ, ac fortiſſimæ ſententiæ, quas
ſenatus ſine ulla varietate eſt conſecutus. Et quoniam non-
dum eſt perſcriptum S. C. ex memoria vobis, Quirites,
[9] quid ſenatus cenſuerit, exponam. Primùm mihi *gratiæ*,
verbis ampliſſimis aguntur, QUOD VIRTUTE, conſilio,
providentia mea, reſp. periculis ſit maximis liberata:
deinde L. Flaccus, & C. Pomtinus, prætores, QUOD EO-
RUM opera forti, fidelique uſus eſſem, meritò, ac jure
laudantur: atque etiam viro forti, [10] collegæ meo, laus
impertitur, QUOD EOS, qui hujus conjurationis participes
fuiſſent, à ſuis, & reip. conſiliis removiſſet. atque ita cen-
ſuerunt, ut P. Lentulus, cùm ſe *prætura abdicaſſet*, tum
in cuſtodiam traderetur: itemque uti C. Cethegus, L. Sta-
tilius, P. Gabinius, qui omnes præſentes erant, in cuſto-
diam traderentur: atque idem hoc decretum eſt in L. Caſ-
ſium, qui ſibi procurationem incendendæ urbis depopo-
ſcerat: in M. Cæparium, cui *ad ſollicitandos paſtores*, Apu-
liam eſſe attributam, erat indicatum: in P. Furium, qui
eſt ex his coloniis, quas Feſulas L. Sulla deduxit: in Q.
Manlium Chilonem, qui unà cum hoc Furio ſemper erat
in hac Allobrogum ſollicitatione verſatus: in P. Umbre-
num, libertinum hominem, à quo primùm Gallos ad
Gabinium perductos eſſe conſtabat. Atque ea lenitate ſena-
tus eſt uſus, Quirites, ut ex tanta conjuratione, tantaque
vi, ac multitudine domeſticorum hoſtium, *novem homi-
num*

1. *Ad ſenatum referrem placeret.*] Eſt à Pal. ſec. non. Uverd. & libris Mureti. neque aliter in excuſis à Manutio aut Lambino. prius editi, *referri.*

2. *Tum ille, cum vix ſe ex magno pavore recepiſſet, dixit.*] Eſt à libro Mureti. mallem adhuc abeſſet, *dixit.* vulgati *recreaſſet*, quod in noſtris ſcriptis ad unum omnibus.

3. *Ex fatis Sibyllinis.*] Carrio lib. III. Antiq. lect. cap. 6. emendat ex Gembl. *faſtis*, quod & inventum in Hitt. in Uverd. Gulielmius ſequitur, tam heic quam infra. ego tueor receptam ob rationes productas ab amico noſtro Joſepho Caſtalione libro I. Obſerv. cap. 3. qui adeatur.

4. *Quod Lentulo, & aliis, &c. longum videri.*] Ita tres Pall. & Hitt. Uverd. nec non editio princeps, niſi quod ei deeſſet illud *& aliis.* prius impreſſi; *quod cùm Lentulo & ceteris, &c. longum videretur.*

5. *Tabellas proferri juſſimus.*] Brevius & melius Colon. *tabellas proferimus.*

6. *Nos linum incidimus.*] Ita Pal. decimus, & editionum prima. alii mſſ. *lignum*, quod placuit Gulielmio, ex Hitt. & Fabr. ego nihil muto.

7. *Qui paullò ante aliquid de gladiis, &c.*] Pall. duo & Hitt. & Uverd. *aliquid tamen*, abſque quo manca & frigida ſententia eſt, infit Gulielmius.

8. *De ſumma reip.*] Lambinus *rep.* conſulatur Cujacius lib. XII. Obſerv. cap. 32.

9. *Quid ſenatus cenſuerit exponam.*] Forſan *expromam*, annotatum à Gulielmio.

10. *Collegæ meo laus impertitur.*] Alii interſerunt, *C. Antonio*, ſed hujus nullum veſtigium in editione prima, non magis quàm in Pall. tribus & Uverd. Hitt. Ab.

1. Ui

num perditiſſimorum pœna, rep. conſervata, reliquorum menteis ſanari poſſe arbitraretur. Atque etiam ſupplicatio diis immortalibus pro ſingulari eorum merito meo nomine decreta eſt, Quirites: quid mihi primùm poſt hanc urbem conditam togato contigit, & his decreta verbis eſt, QUOD URBEM INCENDIIS, CÆDE CIVEIS, ITALIAM BELLO LIBERASSEM. Quæ ſupplicatio ſi cum ceteris conferatur, Quirites, hoc intereſt; quòd ceteræ bene geſta, hæc una, conſervata republ. conſtituta eſt. Atque illud, quod faciendum primùm fuit, factum atque tranſactum eſt. nam P. Lentulus, quamquam patefactus indiciis, & confeſſionibus ſuis, judicio ſenatus, non modò prætoris jus, verùm etiam *civis* amiſerat: tamen magiſtratu ſe abdicavit. ut, quæ religio C. Mario, clariſſimo viro, non fuerat, quo minùs C. Glauciam, de quo nihil nominatim erat decretum, prætorem occideret, ea nos religione in privato P.
7 Lentulo puniendo liberaremur. Nunc, quoniam, Quirites, ſceleratiſſimi, periculoſiſſimique belli nefarios duces captos jam, & comprehenſos tenetis, exiſtimare debetis, omneis Catilinæ copias, omneis ſpes, atque opes, his depulſis urbis periculis, *concidiſſe*. Quem quidem ego cùm ex urbe pellebam, hoc providebam animo, Quirites, remoto Catilina, nec mihi eſſe P. Lentuli ſomnum, nec L. Caſſii adipem, nec Cethegi furioſam temeritatem pertimeſcendam. Ille erat unus timendus ex his omnibus, ſed tamdiu, dum mœnibus urbis continebatur. omnia norat, omnium aditus tenebat: appellare, tentare, ſollicitare poterat, audebat: erat ei conſilium ad facinus aptum, conſilio autem neque lingua, neque manus deerat. Jam ad ceteras res conficiendas certos homines delectos, ac deſcriptos habebat. neque verò cum aliquid mandaverat, confectum putabat. nihil erat, quod non *ipſe obiret*, occurreret, vigilaret, laboraret: frigus, ſitim, famem ferre poterat. Hunc ego hominem tam acrem, tam paratum, tam audacem, tam callidum, tam in ſcelere vigilantem, tam in perditis rebus diligentem, niſi ex domeſticis inſidiis in caſtrenſe latrocinium compuliſſem (dicam id, quod ſentio, Quirites) non facilè hanc tantam molem mali à cervicibus veſtris depuliſſem. Non ille vobis Saturnalia conſtituiſſet, neque tanto antè exitium, ac fati diem reip. denuntiaſſet, neque commiſiſſet, ut ſignum, [1] ut litteræ ſuæ teſtes denique manifeſti ſceleris *deprehenderentur*. quæ nunc, illo abſente, ſic geſta ſunt, ut nullum in privata domo furtum umquam ſit tam palam inventum, [2] quam hæc tanta in rempubl. conjuratio, manifeſtò inventa, atque deprehenſa eſt. Quòd ſi Catilina in urbe ad hanc diem remanſiſſet: quamquam, quoad fuit, omnibus ejus conſiliis occurri, atque obſtiti, tamen, ut leviſſimè dicam, dimicandum nobis cum illo fuiſſet, neque nos umquam, dum ille in urbe hoſtis fuiſſet, tantis periculis rempubl. *tanta*
8 *pace, tanto otio, tanto ſilentio*, liberaſſemus. Quamquam hæc omnia, Quirites, ita ſunt à me adminiſtrata, ut deorum immortalium *nutu*, *atque conſilio* & geſta, & proviſa eſſe videantur. idque cum conjectura conſequi poſſumus, [3] quod vix videtur humani conſilii tantarum rerum gubernatio eſſe potuiſſe: tum verò ita præſentes his temporibus opem, & auxilium nobis tulerunt, ut eos pænè oculis videre poſſemus. Nam, ut illa omittam, viſas nocturno tempore ab occidente faceis, ardoremque cæli, ut fulminum jactus, ut terræmotus, ceteraque, quæ tam multa, nobis conſulibus, facta ſunt, ut hæc, quæ nunc fiunt, canere dii immortales viderentur: hoc certè, Quirites, quod ſum dicturus, neque prætermittendum, neque relinquendum eſt. nam profectò memoria tenetis, Cotta, & Torquato Coſs. [4] complureis in Capitolio turreis de cælo eſſe percuſſas, cùm & *ſimulachra deorum* immortalium depulſa ſunt, & ſtatuæ veterum hominum dejectæ, & legum æra liquefacta: tactus eſt etiam ille, qui hanc urbem condidit, Romulus: quem inauratum in Capitolio parvum, atque lactentem, uberibus lupinis inhiantem fuiſſe meminiſtis. Quo quidem tempore, cùm aruſpices ex tota Etruria conveniſſent, cædeis, atque incendia, & legum interitum, & bellum civile, ac domeſticum, & totius urbis, atque imperii occaſum appropinquare dixerunt, niſi dii immortales omni ratione *placati*, ſuo numine propè fata ipſa flexiſſent. Itaque illorum reſponſis tunc & ludi decem per dies facti ſunt, neque res ulla [5] quæ ad placandum deos pertineret, prætermiſſa eſt, iidemque juſſerunt, ſimulachrum Jovis facere majus, & in excelſo collocare, & contrà, atque antè fuerat, *ad orientem* convertere: ac ſe ſperare dixerunt, ſi illud ſignum, quod videtis, ſolis ortum, & forum, curiamque conſpiceret, fore, ut ea conſilia, quæ clàm eſſent inita contra ſalutem urbis, atque imperii, illuſtrarentur, ut à S. P. Q. R. perſpici poſſent. Atque illud [6] ita collocandum conſules illi ſtatuerunt: ſed tanta fuit operis tarditas, [7] ut neque à ſuperioribus conſulibus, neque à nobis ante hodiernum diem collocaretur. Hìc quis poteſt eſſe, Quirites 9
tam averſus à vero, tam præceps, tam mente captus, qui neget, hæc omnia, quæ videmus, præcipueque hanc urbem, deorum immortalium nutu, atque poteſtate *adminiſtrari?* Etenim cùm eſſet ita reſponſum, cædeis, incendia, interitumque reip. comparari, [8] & ea à perditis civibus, quæ tum propter magnitudinem ſcelerum nonnullis *incredibilia* videbantur: ea non modò cogitata à nefariis civibus, verum etiam ſuſcepta eſſe ſenſiſtis. Illud verò nonne ita præſens eſt, ut nutu Jovis opt. max. factum eſſe videatur, ut, cùm hodierno die manè per forum meo juſſu & conjurati, & eorum indices in ædem Concordiæ ducerentur, eo ipſo tempore ſignum ſtatueretur? quo collocato, atque ad vos, ſenatumque converſo, omnia & ſenatus, & vos, quæ erant [9] contra ſalutem omnium cogitata, illuſtrata, & patefacta vidiſtis. Quo etiam majore ſunt iſti odio, ſupplicioque digni, qui non ſolùm veſtris domi-

1. *Ut litteræ ſuæ teſtes denique man. &c.*] Abeſt à Baſilicano *denique*, libente Gulielmio, ut litteras dicat teſtes manifeſtas ſceleris. & certè, addit, Catilina cavere non potuit, ne à teſtibus & conſciis proderetur, ne litteræ ſuæ deprehenderentur id potuit. ſic ille: at idem ſenſus reſultat ex ſcriptura vulgata, juxta noſtram diſtinctionem; reperique illud *denique* in omnibus Pall. editionibuſque.

2. *Quam hæc tanta in remp. conjuratio.*] Colon. *quàm hæc in tota rep.* Fabr. *hæc in totam remp. conjur.* quod & adnotatum ad Vict. codicem.

3. *Quod vix videtur humani conſilii tantarum rerum gubernatio eſſe potuiſſe.*] Eſt ab editione Victorii, quam ſecutus Muretus, Lambinus, Manutius. antiquitus cuſi, *quod vix videtur humanis conſiliis tantam molem rerum gubernatio conſequi potuiſſe*, quomodo Pal. dec. nam non. ſext. ſec. *tanta mole*. Erfurd. habet; *humani conſilii tantarum molem rerum gubernatio conſequi potuiſſe*. unde legebat paucis tranſpoſitis verbis Suffridus noſter, *quòd videtur humani conſilii gubernatio tantarum molem rerum conſequi pot.* Cujacius d. cap.32. f. legebat ex mſ. *quod vix videtur humanis conſiliis tantam molem rerum gubernatio conſequi pot.*

4. *Complures in Capitolio turres.*] Non temerarium videtur, quod in Pall. tribus, in Uverd. in Fabr. reſtet, *res*, non *turres*. editi tamen non variant. & mea quidem opinione verius, *res*.

5. *Quæ ad placandum Deos.*] Plerique mſſ. *placandos*. at Colon. *quæ ad ſupplicandos pertineret*. forte, inquit Gulielmius, *quæ ad ſupplicandum pertin.* quamvis libentius fecerit, *ad ſupplicia Deorum pertineret*.

6. *Ita collocandum conſules illi locaverunt.*] Haud aliter mſſ. noſtri potiores; quomodo item è ſcripto ſuo emendandum monuerat dudum Cujacius cap. 32. f.

7. *Ut neque à ſuperioribus* Coſs. *neque à nobis, &c.*] Gulielmius amplectitur Colon. ſcripturam; *ut neque ſuperioribus* Coſs. *neque nobis, &c.* hoc eſt, neque hoc neque ſuperiore anno. putatque hactenus locum non fuiſſe intellectum. à conductoribus enim rem fuiſſe collocandam, non à conſulibus. vulgata mihi ſatisfacit. magiſtratus enim ipſemet facere videtur quod per ſuos expedit.

8. *Et ea à perditis civibus.*] Perplacet quod eſt in Colon. *& ea per cives*: utique cum & ſic alias legatur in Fabriciano.

9. *Contra ſalutem omnium cogitata.*] Auctior Baſilicanus, *contra ſenatum & ſalutem omn.*

domiciliis, atque tectis, ſed etiam *deorum templis*, atque delubris ſunt funeſtos ac nefarios igneis inferre conati: quibus ego ſi me reſtitiſſe dicam, nimium mihi ſumam, & non ſim ferendus. ille, ille Jupiter reſtitit: ille Capitolium, ille hæc templa, ille hanc urbem, ille vos *omneis ſalvos eſſe voluit*. diis ego immortalibus ducibus hanc mentem, Quirites, voluntatemque ſuſcepi, atque ad hæc tanta indicia perveni. Jam verò illa Allobrogum ſollicitatio, ſic à Lentulo, ceteriſque domeſticis hoſtibus, tanta res, tam *dementer credita* & ignotis, & barbaris, commiſſæque litteræ numquam eſſent profectò, niſi à diis immortalibus huic tantæ audaciæ conſilium eſſet ereptum. Quid verò? ut homines Galli ex civitate malè pacata, quæ gens una reſtat, quæ populo R. bellum facere & poſſe, & non nolle videatur, ſpem imperii, & rerum ampliſſimarum ultrò ſibi à patriciis hominibus oblatam negligerent, veſtramque ſalutem ſuis opibus anteponerent: id nonne *divinitus factum* eſſe putatis? præſertim qui nos non pugnando,
10 ſed tacendo ſuperare potuerunt? Quamobrem, Quirites, quoniam ad omnia pulvinaria ſupplicatio decreta eſt, celebratote illos dies cum conjugibus ac liberis veſtris. Nam multi ſæpe honores diis immortalibus juſti habiti ſunt, ac debiti, ſed profectò juſtiores numquam. erepti enim ex crudeliſſimo, ac miſerrimo interitu, & *erepti ſine cæde*, ſine ſanguine ſine exercitu, ſine dimicatione, togati, me uno togato duce, & imperatore, viciſtis. Etenim recordamini, Quirites, omneis civileis diſſenſiones, neque ſolùm eas, quas audiſtis, ſed & has, quas voſmetipſi meminiſtis, & vidiſtis: L. Sulla P. Sulpicium oppreſſit: ex urbe ejecit C. Marium, cuſtodem hujus urbis: multoſque forteis viros partim ejecit ex civitate, partim interemit. Cn. Octavius, Cos. armis ex urbe collegam ſuum expulit. omnis hic locus acervis corporum, & civium ſanguine redundavit. Superavit poſtea Cinna cum Mario. tum verò, clariſſimis viris interfectis, *lumina civitatis* exſtincta ſunt. Ultus eſt hujus victoriæ crudelitatem poſtea Sulla. ne dici quidem opus eſt, quanta deminutione civium, & quanta calamitate reipubl. Diſſenſit M. Lepidus à clariſſimo, & fortiſſimo viro Q. Catulo. attulit non tam ipſius interitus reip. luctum, quàm ceterorum. [1] Atque illæ diſſenſiones erant hujuſmodi, Quirites, quæ non ad delendam, ſed ad commutandam rempub. pertinerent. non illi *nullam eſſe remp.* ſed in ea, quæ eſſet, ſe eſſe principes: neque hanc urbem conflagrare, ſed ſe in hac urbe florere voluerunt. Atque illæ tamen omnes diſſenſiones, quarum nulla exitium reipubl. quæſivit, ejuſmodi fuerunt, ut non reconciliatione concordiæ, ſed internicione civium dijudicatæ ſint. In hoc autem uno poſt hominum memoriam maximo, crudeliſſimoque bello, quale bellum nulla umquam *barbaria* cum ſua gente geſſit: quo in bello lex hæc fuit à Lentulo, Catilina, Caſſio, Cethego, conſtituta, ut omnes, qui ſalva urbe ſalvi eſſe poſſent, in hoſtium numero ducerentur: ita me geſſi, Quirites, ut omnes ſalvi conſervaremini: &, cùm hoſtes veſtri tantum civium ſuperfuturum putaſſent, quantum infinitæ cædi reſtitiſſet: tantum autem urbis, quantum flamma obire non potuiſſet: & urbem, & civeis integros, incolumeiſque ſervavi. Quibus pro tantis rebus, Quirites, nullum ego à 11
vobis præmium virtutis, nullum inſigne honoris, [2] nullum monumentum laudis poſtulo, præterquam *hujus diei memoriam* ſempiternam. in animis ego veſtris omneis triumphos meos, omnia ornamenta honoris, monumenta gloriæ, laudis inſignia, condi, & collocari volo. nihil me mutum poteſt delectare, nihil tacitum, nihil denique hujuſmodi, quod etiam minùs digni aſſequi poſſint. Memoria veſtra, Quirites, noſtræ res alentur, ſermonibus creſcent, litterarum monumentis *inveteraſcent*, & corroborabuntur: [3] eandemque diem intelligo, quam ſpero æternam fore, & ad ſalutem urbis, & ad memoriam conſulatus mei, propagatam: unoque tempore in hac repub. duos civeis exſtitiſſe, quorum alter fineis veſtri imperii, non terræ, ſed cæli regionibus terminaret: alter ejuſdem imperii domicilium, ſedemque ſervaret. Sed, quoniam ea- 12
rum rerum, quas ego geſſi, non eſt eadem fortuna, atque conditio, quæ illorum, qui externa bella geſſerunt: quòd mihi *vivendum* ſit cum illis, quos vici, ac ſubegi: iſti hoſteis aut interfectos, aut oppreſſos reliquerunt: veſtrum eſt, Quirites, ſi ceteris recta ſua facta proſunt, mihi mea *nequando obſint*, providere. mentes enim hominum audaciſſimorum ſceleratæ, ac nefariæ ne vobis nocere poſſent, ego providi: ne mihi noceant, veſtrum eſt providere. quamquam, Quirites, mihi quidem ipſi nihil jam ab iſtis noceri poteſt. [4] magnum enim eſt in bonis præſidium, quod mihi in perpetuum comparatum eſt: magna in repub. dignitas, quæ me ſemper tacita defendet: magna vis eſt *conſcientiæ*, quam qui negligent, cùm me violare volent, ſe ipſi indicabunt. Eſt etiam in nobis is animus, Quirites, ut non modò nullius audaciæ cedamus, ſed etiam omneis improbos ultrò ſemper laceſſamus. Quòd ſi omnes *impetus* domeſticorum hoſtium depulſi à vobis, ſe in me unum converterint: vobis erit providendum, Quirites, qua conditione poſthac eos eſſe velitis, qui ſe *pro ſalute veſtra* obtulerint invidiæ, periculiſque omnibus. Mihi quidem ipſi quid eſt, quod jam ad *vitæ fructum* poſſit acquiri, præſertim cùm neque in honore veſtro, neque in gloria virtutis, quidquam videam altius, quò quidem mihi libeat adſcendere? Illud perficiam profectò, Quirites, ut ea, quæ geſſi in conſulatu, privatus tuear, atque ornem: ut, ſi qua eſt invidia in conſervanda rep. ſuſcepta, lædat invidos, mihi valeat ad gloriam. denique ita me in rep. tractabo, ut meminerim ſemper quæ geſſerim, curemque ut ea, *virtute, non caſu*, geſta eſſe videantur. Vos, Quirites, quoniam jam nox eſt, veneramini illum Jovem, cuſtodem hujus urbis, ac veſtrum, atque in veſtra tecta diſcedite: & ea, quamquam jam periculum eſt depulſum, tamen [5] æquè, ac priori nocte, cuſtodiis, vigiliiſque defendite. id ne vobis diutius faciendum ſit, atque ut in perpetua pace eſſe poſſitis, [6] providebo.

M. TUL-

1. *Atque illæ diſſenſiones erant hujuſmodi, &c.*] Editio vetus, *Atque illæ tamen omnes diſſ.* quod & in Pal. ſec. & non. nam dec. item Hittorp. *atque tum illæ omnes diſſ.* habent iſthæc adjecta plurimum energiæ.

2. *Nullum monumentum laudis poſtulo.*] Gulielmius malebat cum Uverd. & Hitt. *poſtulatio*; quomodo item erat in Pall. ſec. ſext. nono, & editione prima. nam dec. & deinde excuſi, ſtant à vulgato, quæ mihi venuſtior viſa.

3. *Eandemque diem intelligo quam ſpero æternam fore, & ad ſalutem, &c. mei propagatam.*] Ita omnes Pall. & impreſſi. at alio poſitu, & forſan firmiori ac ſignificantiori Col. *fore, propagatam eſſe & ad ſal. & conſulatus mei.*

4. *Magnum enim eſt in bonis præſidium.*] Revocavi vocem iſtam à tenebris, fide editionis vetuſtæ, Palatinorum trium, & Erſurd. Hitt. ac Uverd. prius fuerat *in vobis*; quo quid dilutius?

5. *Æquè ac priori nocte, cuſtodiis.*] Eſt a Pal. ſec. neque aliter editus ab P. Victorio. poſteriores, *nocte feciſtis, cuſtodiis.* inſulſe.

6. *Providebo.*] Pall. omnes, item edd. nec non Hittorp. Fabr. Uverd. adjiciunt, *Quirites.*

M. TULLII CICERONIS IN L. CATILINAM QUARTA, HABITA IN SENATU.

ORATIO VICESIMASECUNDA.

1 VIDEO, P. C. in me omnium veſtrum ora, atque oculos eſſe converſos. video, vos non ſolùm de veſtro, ac reip. verùm etiam, ſi id depulſum ſit, *de meo periculo* eſſe ſollicitos. Eſt mihi jucunda in malis, & grata in dolore, veſtra erga me voluntas: ſed eam, per deos immortaleis, quæſo, deponite, atque obliti ſalutis meæ, de vobis, ac de liberis veſtris cogitate. Mihi quidem ſi hæc conditio conſulatus data eſt, ut omneis acerbitates, omneis dolores, cruciatuſque perferrem; feram non ſolùm fortiter, ſed etiam libenter, dummodo meis laboribus, vobis, populoque R. dignitas, ſaluſque pariatur. Ego ſum ille conſul, P. C. cui non [1] *forum*, in quo omnis æquitas continetur: non campus, conſularibus auſpiciis conſecratus: non curia, ſummum auxilium omnium gentium: non *domus*, commune perfugium: non lectus, ad quietem datus: non denique [2] hæc ſedes honoris, ſella curulis: umquam vacua mortis periculo, atque inſidiis fuit. Ego multa tacui, multa pertuli, multa conceſſi, multa [3] meo quodam *dolore*, in veſtro timore, ſanavi. Nunc, ſi hunc exitum conſulatus mei dii immortales eſſe voluerunt, ut vos, P. C. populumque R. ex cæde miſera, conjuges, liberoſque veſtros, virgineſque Veſtaleis ex acerbiſſima vexatione: templa, atque delubra, hanc pulcherrimam patriam omnium noſtrum ex fœdiſſima flamma: totam Italiam ex bello, & vaſtitate eriperem: quæcumque mihi uni proponetur fortuna ſubeatur. Etenim, ſi P. Lentulus ſuum nomen, inductus à vatibus, fatale ad perniciem reipub. fore putavit: cur ego non læter meum conſulatum ad ſalutem reip. pro-
2 pè fatalem exſtitiſſe? Quare, P. C. conſulite vobis, proſpicite patriæ, conſervate vos, conjuges, liberos, fortunaſque veſtras: populi R. nomen, ſalutemque defendite: mihi parcere, ac de me cogitare *deſinite*. Nam primum debeo ſperare, omneis deos, qui huic urbi præſident, pro eo mihi, ac mereor, relaturos gratiam eſſe. deinde, ſi quid obtigerit, æquo animo, paratoque moriar. NEQUE ENIM turpis mors forti viro poteſt accidere, neque immatura conſulari, nec miſera ſapienti. Nec tamen ego ſum ille ferreus, qui fratris cariſſimi atque amantiſſimi præſentis mærore non movear, horumque omnium lachrymis, à quibus me circumſeſſum videtis; neque meam mentem non domum ſæpe revocat exanimata uxor, abjecta metu filia, & parvulus filius, quem mihi videtur amplecti reſpubl. tanquam *obſidem* conſulatus mei: neque ille, qui exſpectans hujus exitium diei, adſtat in conſpectu meo gener. moveor his rebus omnibus, ſed in eam partem, ut ſalvi ſint vobiſcum omnes, etiam ſi vis aliqua me oppreſſerit, potiùs, quam & illi, & nos unà cum rep. pereamus. Quare, P. C. incumbite ad reip. ſalutem: circumſpicite omneis procellas, quæ impendent, niſi providetis. non Ti. Gracchus, qui iterum tribunus plebis fieri voluit: non C. Gracchus, qui agrarios concitare conatus eſt: non L. Saturninus, qui C. Memmium occidit, in diſcrimen aliquod, atque in veſtræ ſeveritatis judicium adducitur: ſed tenentur ii, qui ad urbis incendium, [4] ad veſtram omnium cædem, ad Catilinam accipiendum, Romæ reſtiterunt. tenentur litteræ, ſigna, manus, denique *uniuſcujuſque confeſſio*: ſollicitantur Allobroges: ſervitia excitantur: Catilina arceſſitur: [5] id eſt initum conſilium, ut, interfectis omnibus, nemo ne ad deplorandum quidem reip. nomen, atque ad lamentandam tanti imperii calamitatem relinquatur. Hæc omnia indices detulerunt, rei 3
confeſſi ſunt, vos multis jam judiciis judicaſtis: primùm, quòd mihi gratias egiſtis ſingularibus verbis: & mea virtute, atque diligentia, perditorum hominum patefactam eſſe conjurationem decreviſtis: deinde quòd P. [6] Lentulum, ut ſe abdicaret prætura, coëgiſtis: tum quòd eum, & ceteros, de quibus judicaſtis, in cuſtodiam dandos cenſuiſtis, maximeque quòd meo nomine ſupplicationem decreviſtis: qui honos togato habitus ante me eſt nemini. poſtremò heſterno die *præmia* legatis Allobrogum, Titoque Vulturcio dediſtis ampliſſima: quæ ſunt omnia ejuſmodi, ut ii, qui in cuſtodiam nominatim dati ſunt, ſine ulla dubitatione à vobis *damnati* eſſe videantur. Sed ego inſtitui referre ad vos, P. C. tanquam integrum, & de facto, quid judicetis: & de pœna, quid cenſeatis. illa prædicam, quæ ſunt conſulis. Ego magnum in repub. verſari furorem, & nova quædam miſceri, & concitari mala jampridem videbam: ſed hanc tantam, tam exitioſam haberi conjurationem à civibus, numquam putavi. Nunc, quidquid eſt, quocumque veſtræ mentes inclinant, atque ſententiæ, ſtatuendum vobis *ante noctem* eſt. Quantum facinus ad nos delatum ſit, videtis. huic ſi paucos putatis affineis eſſe, vehementer erratis. Latiùs opinione *diſſeminatum* eſt hoc malum: manavit non ſolùm per Italiam, verùm

---

1. *Forum in quo omnis æquitas continetur.*] Conjicit Gulielmius, *forum, quo omnis, &c.*

2. *Hæc ſedes honoris, ſella curulis.*] Extat item in Pal. ſexto, *honoris, id eſt ſella curulis*; imo in nono erat, *honoris non ſella curulis*; adeo ut aſſentiar Mureto videri à gloſſa, *ſella curulis*, haud tamen adhuc exturbare audeo.

3. *Meo quodam dolore, in veſtro timore.*] Ingenioſe quidem, Lipſius libro IV. Var. lect. cap. 22.; *ſine veſtro timore.* ſed nihil mutandum. timor enim ex conjuratione ad omnes; dolor ad Ciceronem maximè pertinebat; qui impugnabatur maximè. & de timore populi ac Senatus, non Salluſtius tantum, ſed & hi Invectivarum libri pleni.

4. *Ad veſtram omnium cædem.*] Malui iſtud, repertum à me in Pall. tribus, & à Zinzerlingo meo in Turing. quàm hactenus vulgatam, *veſtrûm.*

5. *Id eſt initum conſilium.*] Pal. non. *Initum eſt conſilium.* Colon. *Tale initur conſilium*, quod probat orationis conſecutio, adnotat Gulielm.

6. *Lentulum, ut ſe abdicaret prætura, coëgiſtis.*] Pall. ſec. ſext. Hitt. Fabr. Uverd. *Lentulum ſe abdicare præt. coëg.* melius haud dubio. haud tamen accedunt ulli editi.

3 Itaque

verùm etiam tranſcendit Alpeis, & obſcurè ſerpens, multas jam provincias occupavit. id opprimi ſuſtentando, ac prolatando nullo pacto poteſt. quacumque ratione placet,
4 celeriter vobis vindicandum eſt. Video duas adhuc eſſe ſententias: unam D. Silani, qui cenſet, eos, qui hæc delere conati ſunt, *morte* eſſe multandos: alteram C. Cæſaris, qui mortis pœnam removet, ceterorum ſuppliciorum omneis acerbitates amplectitur. Uterque & pro ſua dignitate, & pro rerum magnitudine in ſumma ſeveritate verſatur. Alter eos, qui nos omneis, qui populum Rom. vita privare conati ſunt, qui delere imperium, qui populi Romani nomen exſtinguere, punctum temporis *frui vita*, & hoc communi ſpiritu, non putat oportere: atque hoc genus pœnæ ſæpe in improbos civeis in hac republ. eſſe uſurpatum recordatur. alter intelligit, *mortem à diis immortalibus non eſſe ſupplicii cauſa conſtitutam:* ſed aut neceſſitatem naturæ, aut laborum, ac miſeriarum quietem eſſe. Itaque EAM SAPIENTES numquam inviti, fortes etiam ſæpe libenter oppetiverunt. vincula verò, & ea ſempiterna certè ad ſingularem pœnam nefarii ſceleris inventa ſunt. [1] Itaque municipiis diſpertiri jubet. Habere videtur iſta res iniquitatem, ſi imperare velis: difficultatem, ſi rogare. decernatur tamen, ſi placet. Ego enim ſuſcipiam, &, ut ſpero, reperiam, qui id, quod ſalutis omnium cauſa ſtatueritis, non putet eſſe ſuæ dignitatis recuſare. Adjungit gravem pœnam municipibus, ſi quis eorum vincula ruperit: horribileis cuſtodias circumdat,[2] & digna ſcelere hominum perditorum. ſancit, ne quis eorum pœnam, quos condemnat, aut per ſenatum, aut per populum *levare* poſſit. eripit etiam *ſpem*, quæ ſola hominem in miſeriis conſolari ſolet. bona præterea publicari jubet: vitam ſolam relinquit nefariis hominibus: quam ſi eripuiſſet, [3] multas uno dolore, animi, atque corporis, & omneis ſcelerum pœnas ademiſſet. Itaque *ut aliqua in vita* formido improbis eſſet poſita, apud inferos ejuſmodi quædam illi antiqui ſupplicia impiis conſtituta eſſe voluerunt: quòd videlicet intelligebant, his remotis, non eſſe mor-
5 tem ipſam pertimeſcendam. Nunc, P. C. ego mea video quid interſit. ſi eritis ſecuti ſententiam C. Cæſaris: quoniam hanc is in rep. viam, quæ popularis habetur, ſecutus eſt, fortaſſe minùs erunt, [4] hoc auctore & cognitore hujuſce ſententiæ, mihi populares impetus pertimeſcendi. [5] ſin illam alteram: neſcio, an amplius mihi negotii contrahatur. ſed tamen meorum periculorum rationes [6] utilitas reip. vincat. Habemus enim à C. Cæſare, ſicut ipſius dignitas, & majorum ejus amplitudo poſtulabat, ſententiam, tanquam obſidem perpetuæ in remp. voluntatis. intellectum eſt, quid interſit, inter lenitatem concionatorum, & animum verè popularem, ſaluti populi conſulentem. Video de iſtis, qui ſe populareis haberi volunt, *abeſſe*, non neminem, ne de capite videlicet civium R. ſententiam ferat. is & nudiuſtertius in cuſtodiam civeis R. dedit, & ſupplicationem mihi decrevit, & indices heſterno die maximis præmiis affecit. Jam hoc nemini dubium *eſt*, QUI REO cuſtodiam, quæſitori gratulationem, indici præmium decrevit, quid de tota re, & cauſa judicarit. At verò C. Cæſar intelligit, legem Semproniam eſſe de civibus R. conſtitutam. qui autem reip. ſit *hoſtis* eum civem eſſe nullo modo poſſe: denique ipſum latorem legis Semproniæ, juſſu populi pœnas reip. dependiſſe. [7] idem ipſum Lentulum largitorem, & prodigum, non putat, cum de pernicie populi R. exitio hujus urbis, tam acerbè, tamque crudeliter cogitarit, appellari poſſe *popularem*. Itaque homo mitiſſimus, atque leniſſimus non dubitat P. Lentulum æternis tenebris, vinculiſque mandare; & ſancit in poſterum, ne quis hujus ſupplicio levando ſe jactare, & in pernicie populi R. poſthac popularis eſſe poſſit. adjungit etiam publicationem bonorum, ut omneis animi cruciatus, & corporis, etiam egeſtas, ac *mendicitas* conſequatur. Quamobrem ſive hoc ſtatueritis: dederitis mihi comitem ad concionem, populo carum, atque jucundum: ſive Silani ſententiam ſequi malueritis: facilè me, atque vos [8] à crudelitatis vituperatione defendetis: atque obtinebo, eam multo leviorem fuiſſe. Quamquam, P. C. quæ poteſt eſſe in tanti ſceleris 6
immanitate punienda *crudelitas?* ego enim de meo ſenſu judico. Nam ita mihi ſalva repub. vobiſcum perfrui liceat, ut ego, quod in hac cauſa vehementior ſum, non atrocitate animi moveor, (quis enim eſt me mitior?) ſed ſingulari quadam humanitate, & miſericordia. Videor enim mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, ſubito uno incendio concidentem: cerno animo [9] *ſepulta in patria* miſeros, atque inſepultos acervos civium: verſatur mihi ante oculos adſpectus Cethegi, & furor, in veſtra cæde bacchantis. Cùm verò mihi propoſui regnantem Lentulum, ſicut ipſe ſe ex fatis ſperaſſe confeſſus eſt, purpuratum eſſe hunc Gabinium, cum exercitu veniſſe Catilinam, tum lamentationem matrumfamiliâs, tum fugam virginum, atque puerorum, ac vexationem virginum Veſtalium perhorreſco: &, quia mihi vehementer hæc videntur miſera, atque *miſeranda*, idcirco in eos, qui ea perficere voluerunt, me ſeverum, [10] vehementemque præbeo. Etenim quæro, SI QUIS PATERFAMILIAS, liberis ſuis à ſervo interfectis, uxore occiſa, incenſa domo, [11] ſupplicium de ſervo quàm acerbiſſimum ſumſerit: utrum is clemens, ac miſericors, an inhumaniſſimus & crudeliſſimus eſſe videatur? mihi verò importunus, ac ferreus, qui non dolore ac cruciatu nocentis, ſuum dolorem cruciatumque lenierit. Sic nos in his hominibus, qui nos, qui conjuges, qui liberos noſtros trucidare voluerunt: qui ſingulas uniuſcujuſque noſtrûm domos, & hoc univerſum reip. domicilium delere conati ſunt: qui id egerunt, ut gen-

1. *Itaque municipiis diſpertiri, jubet.*] Vox *itaque* non reperta mihi in edd. vett. aut Palatinis; ſed nec Gulielmio in Hitt. Fabr. Uverd. mirorque cur non expunxerit: hoc etiam; aſſeverare Lambinum reſtare in ſuis fere omnibus *municipibus*; cum alterum perſtet in noſtris & vetuſte cuſis.

2. *Et digna ſcelere hominum perditorum. ſancitne, &c.*] Mureti Lambinique editio, *& dignas*. ſed nullus ſuffragatur liber; eſtque ineptum. male tantum prius cuſi interpunxerant, *perditorum ſancit: ne*.

3. *Multas uno dolore animi atque corporis.*] Nihil variant Pall. quam quod ſext. *multos*, quod placet, niſi forte malimus cum Colon. *animi atque corporis multos uno dolore*, ſubaudi *dolores*, quod qui non viderunt, ſententiam corruperunt.

4. *Hoc auctore & cognitore.*] Miror iſtud alios ſequi non potuiſſe, inventum in mſſ. ſuis, & retinuiſſe, *hoc monitore & auctore*, quod in nullo fere noſtrorum; qui omnes alterum illud præſcribunt. & venuſtiſſime profecto C. Cæſar auctor dicitur ejus ſententiæ quam dixit, & cognitor, quam ut ſuam defendit.

5. *Sin illam alteram.*] Editi adjecerant, *ſecuti eritis*, repetitum è ſuperioribus, neque habebant mſſ. meliores: unde & reſecuerat Lambinus.

6. *Utilitas reipub. vincat.*] Eſt à conjectura Mureti; editi olim & Pall. aliique ſcripti *vindicat*. niſi quod Suffridus innuere videtur in ſchedis ſuis, prius illud quoque inventum ſibi in cod. veteri.

7. *Idem ipſum Lentulum, largitorem & prodigum, non putat, cùm de pernicie populi Rom. exitio hujus urbis, &c.*] Emendatio omnis tranſpoſitioque eſt a Pall. & Hitt. Fabr. Uverd. illud præterea *populi Rom.* ab olim editis, quos ratio Ciceronis adjuvat, è conjugatis ducta. eadem de cauſa & infra quoque paucis interjectis verſibus, ſcripſimus, *in pernicie populi Rom.* ex fide earumdem membranarum.

8. *A crudelitatis vituperatione defenditis.*] Pal. ſext. & dec. interponunt, *P. R. def.* & vero veterrima ed. *populum defend.* colon. *à crud. vitup. P. R. exſolvitis*. unde faciebat Gulielmius, aut, *populo Rom. exſolvetis*, aut *certè P. C. exſolvetis*.

9. *Sepulta in patria.*] Sic & præter Lambinianos Ah. & Uverd. vulgata prius, *ſepultam patriam*, quod non omnino etiam damnem.

10. *Vehementemque præbeo.*] Pall. duo & Gulielmiani, item ed. vet. *præbebo*. videtur tamen melior altera.

11. *Supplicium de ſervis non quàm acerbiſſimum, &c.*] Secutus ſum Lambini ſententiam, niſi quod retinui, *ſervis*, quod reperitur in omnibus exemplaribus retro editis, nedum ſcriptis. moris enim Romanis legibus, omnes ſervos qui ſub eodem manſerant tecto, necare ob parricidium unius. quemadmodum videre apud Tacitum libro XIV. cap. 42. & deincipibus.

ut gentem Allobrogum in veſtigiis hujus urbis, atque in cinere deflagrati imperii collocarent: ſi vehementiſſimi fuerimus, miſericordes habebimur: ſin remiſſiores eſſe voluerimus, ſummæ nobis *crudelitatis* in patriæ, civiumque pernicie fama ſubeunda eſt. niſi verò cuipiam L. Cæſar, vir fortiſſimus, & amantiſſimus reip. crudelior nudiuſtertius viſus eſt, cùm ſororis ſuæ, fæminæ electiſſimæ, virum præſentem, & audientem, vita privandum eſſe dixit, cùm avum juſſu Cos. interfectum, filiumque ejus impuberem, legatum à patre miſſum, in carcere necatum eſſe dixit, quorum, quod ſimile factum? quod initum delendæ reipub. conſilium? largitionis *voluntas* tum in rep. verſata eſt, & partium quædam contentio. Atque illo tempore hujus avus Lentuli, clariſſimus vir, [1] armatus Gracchum eſt perſecutus: ille etiam grave tum vulnus accepit, nequid [2] de ſumma dignitate reip. minueretur. hic ad evertenda fundamenta reipub. Gallos arceſſivit, ſervitia concitavit, Catilinam evocavit, attribuit nos trucidandos Cethego, ceteros civeis interficiendos Gabinio, urbem inflammandam Caſſio, totam Italiam vaſtandam, diripiendamque Catilinæ. Vereamini, cenſeo, ne in hoc ſcelere tam immani, ac nefando nimis, aliquid ſeverè ſtatuiſſe videamini; cùm multo magis ſit verendum, ne *remiſſione pœnæ* crudeles in patriam, quàm ne ſeveritate animadverſionis nimis vehementes in acerbiſſimos hoſteis fuiſſe videamur. Sed quæ exaudio P. C. diſſimulare non poſſum. [3] jactantur enim voces, quæ perveniunt ad aureis meas, eorum, qui vereri videntur, ut habeam *ſatis præſidii* ad ea, quæ vos ſtatueritis
7 hodierno die, tranſigunda. Omnia & proviſa, & parata, & conſtituta ſunt, P. C. cùm mea ſumma cura, atque diligentia, tum multo etiam majore populi Rom. ad ſummum imperium retinendum, & ad communeis fortunas conſervandas voluntate: [4] omnes adſunt omnium ordinum homines, omnium denique ætatum: plenum eſt forum, plena templa circa forum, pleni omnes aditus hujus loci ac templi. Cauſa enim eſt poſt urbem conditam hæc inventa ſola, in qua omnes *ſentirent unum, atque idem*, præter eos, qui cùm ſibi viderent eſſe pereundum, cum omnibus potius, quàm ſoli perire voluerunt. hoſce ego homines excipio, & ſecerno libenter. [5] neque enim in improborum civium, ſed in acerbiſſimorum hoſtium numero habendos puto. Ceteri verò, dii immortales, qua frequentia, quo ſtudio, qua virtute ad communem dignitatem, ſalutemque conſentiunt? Quid ego hîc *equites Rom.* commemorem? qui vobis [6] ita ſummam ordinis, conſiliique concedunt, ut vobiſcum de amore reip. certent: quos ex multorum annorum diſſenſione ad hujus ordinis ſocietatem, concordiamque revocatos, hodiernus dies vobiſcum, atque hæc cauſa conjungit: quam conjunctionem ſi in conſulatu confirmatam meo, perpetuam in repub. tenuerimus; confirmo vobis, nullum poſthac malum civile, ac domeſticum ad ullam reip. partem eſſe venturum. Pari ſtudio defendendæ reip. conveniſſe video *tribunos ærarios*, fortiſſimos viros: ſcribas item univerſos: quos cum caſu hic dies [7] ad ærarium frequentaſſet, video ab exſpectatione ſortis ad communem ſalutem eſſe converſos. Omnis ingenuorum adeſt multitudo, etiam *tenuiſſimorum*. Quis eſt enim, cui non hæc templa, adſpectus urbis, poſſeſſio libertatis, lux denique hæc ipſa, & hoc commune patriæ ſolum, cùm ſit carum, tum verò dulce, atque jucundum? Operæ pretium 8
eſt, P. C. *libertinorum* hominum ſtudia cognoſcere, [8] qui fortuna ſua civitatis jus conſecuti, hanc verè ſuam patriam eſſe judicant: quam quidam hinc nati, & ſummo nati loco, non patriam ſuam, ſed urbem hoſtium eſſe judicaverunt. [9] Sed quid ego hujuſce ordinis homines commemorem, quos privatæ fortunæ, quos communis reſpub. quos denique libertas ea, quæ dulciſſima eſt, ad ſalutem patriæ defendendam excitavit? *ſervus* eſt nemo, [10] qui modo tolerabili conditione ſit ſervitutis, [11] qui non audaciam civium perhorreſcat. [12] qui non hæc ſtare cupiat: qui non tantum, quantum audet, & quantum poteſt, conferat [13] ad communem ſalutem voluntatis. Quare ſi quem veſtrûm fortè commovet hoc, quod auditum eſt, lenonem quendam Lentuli concurſare circum tabernas; [14] *pretio* ſperare ſollicitari poſſe animos egentium, atque imperitorum: eſt id quidem cœptum, atque tentatum: ſed nulli ſunt inventi tam aut fortuna miſeri, aut voluntate perditi, qui non ipſum illum ſellæ, atque operis, & quæſtus quotidiani locum: qui non cubile, ac lectulum ſuum: qui denique non curſum hunc otioſum vitæ ſuæ, ſalvum eſſe velint. multo verò maxima pars eorum, qui in tabernis ſunt: [15] immo verò (id enim potius eſt dicendum) genus hoc univerſum, amantiſſimum eſt otii. etenim omne eorum inſtrumentum, omnis opera, ac quæſtus, frequentia civium ſuſtinetur, alitur otio: quorum ſi quæſtus, *occluſis tabernis*, minui ſolet; [16] quid tandem incenſis futurum eſt? Quæ cùm ita ſint, P. C. vobis populi Rom. præſidia non deſunt: vos ne populo Rom. deeſſe videamini, providete. Habetis con- 9
ſulem

1. *Armatus Gracchum eſt perſecutus.*] Ita Pall. quinque. at enim Hitt. *conſecutus*, quod plane melius viſum Gulielmio.

2. *De ſumma reip. dignitate minueretur.*] Pal. nonus non habet illud *dignitate*, ſextus præterea eo excluſo ſervat *de ſumma rep.* quod perplacet.

3. *Jactantur enim voces.*] Pal. pr. & ſec. non agnoſcunt illud *enim*. Zinzerlingius monuit cap. 48. Promulſidis exſtare in Turing. *Jaciuntur enim.* res eodem redit.

4. *Omnes adſunt omnium ordinum homines, omnium, &c.*] Pal. ſec. *omnes adſunt omnium hominum ordines.* Hitt. *omnes adſunt omnium ordinum, hominum, omnium, &c.* quod amplectitur Gulielmius ut intelligat præter patres equitem, plebem, etiam libertinos.

5. *Neque enim in improborum civium, ſed in acerbiſſimorum, &c.*] Videri queat verius, quod in Fabr. & Uverd. *neque improborum civium, ſed acerbiſſ. hoſtium numero, &c.*

6. *Ita ſummam ordinis conſiliique concedunt.*] Eſt à quatuor Pall. & Hitt. Fabr. Uverd. neque aliter ultimæ originis editio. recentiores enim *ſumma*, dilute.

7. *Ad ærarium frequentaſſet.*] Ita editum voluit Gulielmius cum Lambino, voce Plautina. & ſic erat in Colonienſi & Uverd. quorum prior ſtatim etiam commate auctior eſt: *video ab amore debitæ pecuniæ, ab expectatione ſortis.* quod ad obruſſam veritatis adfricabunt critici otioſiores.

8. *Qui ſua virtute fortunam hujus civitatis conſecuti.*] Ita legebatur paſſim, antequam Muretus prodiderat, eſſe mſſ. in quibus hæreret, *qui fortunâ ſua civitatis jus conſ.* id enim invaſit Lambinus ejuſque adſeclæ. at prius tamen hærere in Pal. ſec. in Erfurd. Hitt. Fabr. Uverd. aperte teſtor. ceteros autem Palatinos retinere potius, *qui ſua fortunam hujus civitatis.* nam decimus ſolum præfert, *qui fortunam civitatis conſecuti.*

9. *Sed quid ego hujuſce ordinis homines commemorem, &c.*] Mavult Gulielmius quod eſt in Hitt. & Uverd. *Sed quid ego hoſce homines ordineſque comm.* quomodo item Pall. quatuor & editio vetus. nam Pal. pr. *ego hos & hujuſce ordinis homines comm.*

10. *Qui modo tolerabili conditione ſit ſervitutis.*] Pal. ſec. *qui non modo tolerabili conditione ſit ſervus.* ſext. non agnoſcit *modo*.

11. *Qui non audaciam civium perhorreſcat.*] Ita omnes Pall. & Hittorp. Grut. Ah. Uverd. & olim excuſi. poſteriores *civium perditorum perhorreſcat*, minus ingenue.

12. *Qui non hæc ſtare cupiat.*] Sic iidem noſtri, niſi quod pr. & ſextus Pal. *hic ſtare.* ſenſu non ita abſurdo. editi prius ante Lambinum, *non obſtare cup.*

13. *Ad communem ſalutem voluntatis.*] Eſt à Pal. pr. ſec. nono atque Gembl. & Uverd. repertque in ſuis aliquot Muretus: unde admiſit Lambinus.

14. *Pretio ſperare ſollicitari, &c.*] Haud aliter noſtri & Uverd. nec non Gembl. vulgata *ſperantem*.

15. *Imo verò id enim, &c.*] Sic quidem hodie legitur, ſed ſupremæ vetuſtatis cuſi, *niſi verò*, quod & exſtat in Pall. omnibus, at in Uverd. eſt, *niſi videro*; quem ſolum excuſſit Gulielmius. aliorum variantes lectiones, nactus videtur ab aliis.

16. *Quid tandem incenſis futurum fuit.*] Ita Pall. omn. at reſtat in Hitt. *futurum fiet.* quod ultimum putarim interpretamentum prioris. Gulielmius tamen conjicit, *futurum fiet.* niſi tamen, inquit, ſuſpicari libet, alterutrum è gloſſemate eſſe, & forteaſ ſcribendum, *quid tandem incenſis fiet?* cur autem magis putem illud *futurum*, heic legitimum, nec requiri *eſt*, facit liber Mureti, & Fabr. & Ah. & Uverd. in quibus *futurum fuit?* hæc enim diverſitas arguit fucum.

eundem ex plurimis periculis, & inſidiis, atque ex media morte, non ad vitam ſuam, ſed ad ſalutem veſtram reſervatum: omnes ordines ad conſervandam rempub. mente, voluntate, ſtudio, virtute, voce, conſentiunt: obſeſſa facibus, & telis impiæ conjurationis, vobis ſupplex manus tendit patria communis: vobis ſe, vobis vitam omnium civium, vobis arcem, & Capitolium, vobis aras Penatium, vobis [1] illum *ignem Veſtæ* perpetuum, ac ſempiternum, vobis omnia templa deorum, atque delubra, vobis muros, atque urbis tecta commendat. Præterea de veſtra vita, de conjugum veſtrarum, ac liberorum anima, de fortunis omnium, de ſedibus, de focis veſtris, hodierno die vobis judicandum eſt. Habetis ducem, *memorem veſtri*, *obiitum ſui*: quæ non ſemper facultas datur: habetis omneis homines, univerſum populum Rom. [2] id quod in civili cauſa hodierno die primùm videmus, unum atque idem ſentientem. Cogitate, quantis laboribus fundatum imperium, quanta virtute ſtabilitam libertatem, quanta deorum benignitate auctas, exaggerataſque fortunas [3] *una nox* pænè delerit. Id ne umquam poſthac non modò confici, ſed [4] ne cogitari quidem poſſit à civibus, hodierno die providendum eſt. Atque hæc non ut vos, qui mihi ſtudio pænè præcurritis, excitarem, locutus ſum: ſed ut mea vox, quæ debet eſſe in rep. princeps, officio functa conſulari videretur.

10 Nunc antè quàm ad ſententiam redeo, de me pauca dicam. Ego, quanta manus eſt, conjuratorum, quam videtis eſſe permagnam, tantam me inimicorum multitudinem ſuſcepiſſe video: ſed eam eſſe judico, *turpem*, & infirmam, & contemtam, & abjectam. Quòd ſi aliquando alicujus furore, & ſcelere concitata manus iſta plus valuerit, quàm veſtra, ac reipub. dignitas: me tamen meorum factorum, atque conſiliorum numquam, P. C. pœnitebit. Etenim *mors*, quam illi mihi fortaſſe minitantur, *omnibus eſt parata*: vitæ tantam laudem, quanta vos me veſtris decretis honeſtaſtis, nemo eſt aſſecutus. [5] Ceteris enim ſemper bene geſtæ, mihi uni conſervatæ reip. gratulationem decreviſtis. Sit Scipio clarus, ille, cujus conſilio, atque virtute Hannibal in Africam redire, atque ex *Italia decedere* coactus eſt: ornetur alter eximia laude Africanus, qui duas urbeis huic imperio infeſtiſſimas, Karthaginem, Numantiamque delevit: habeatur vir egregius, L. Paullus ille, cujus currum rex potentiſſimus quondam, & nobiliſſimus, Perſes honeſtavit: ſit in æterna gloria Marius, qui bis Italiam obſidione, & metu ſervitutis liberavit: anteponatur omnibus Pompejus, cujus res geſtæ, atque virtutes, iiſdem, quibus *ſolis curſus*, regionibus, ac terminis continentur. erit profectò inter horum laudes aliquid loci noſtræ gloriæ: niſi forte MAJUS EST patefacere nobis provincias, quò exire poſſimus, quàm curare, ut etiam illi, qui abſunt, habeant quò victores revertantur. Quamquam eſt uno loco conditio melior externæ victoriæ, quàm domeſticæ: quòd hoſteis alienigenæ aut oppreſſi, ſerviunt, [6] aut recepti, beneficio ſe obligatos putant: qui autem ex numero civium dementia aliqua depravati, hoſtes patriæ ſemel eſſe cœperunt, eos, cùm à pernicie reip. repuleris, nec *vi* coërcere, nec *beneficio* placare poſſis. Quare mihi cum perditis civibus æternum bellum ſuſceptum eſſe video: quod ego veſtro, bonorumque omnium auxilio, memoriaque tantorum periculorum, quæ non modò in hoc populo, qui ſervatus eſt, ſed etiam in omnium gentium *ſermonibus*, *ac mentibus* ſemper hærebit, à me, atque à meis facile propulſari poſſe confido. neque ulla profectò tanta vis reperietur, quæ conjunctionem veſtram, equitumque Rom. & tantam conſpirationem bonorum omnium perfringere, & labefactare poſſit. Quæ cùm ita ſint, Patres Conſcripti, pro im- II
perio, pro exercitu, pro provincia, quam neglexi, pro triumpho, ceteriſque laudis inſignibus, quæ ſunt à me, propter urbis, veſtræque ſalutis cuſtodiam, repudiata, pro clientelis, hoſpitiiſque provincialibus, quæ tamen urbanis opibus non minore labore tueor, quam comparo: [7] pro his igitur omnibus rebus, & pro meis in vos ſingularibus ſtudiis, proque hac, quam conſpicitis, ad conſervandam rempub. diligentia, nihil aliud à vobis, niſi hujus temporis, totiuſque mei conſulatus *memoriam* poſtulo: quæ dum erit veſtris mentibus infixa, firmiſſimo me muro ſæptum eſſe arbitrabor. Quòd ſi meam ſpem vis improborum fefellerit, atque ſuperaverit: commendo vobis parvum meum filium: cui profectò ſatis erit præſidii, non ſolùm ad ſalutem, verùm etiam ad dignitatem, ſi ejus, [8] qui hæc omnia ſuo ſolus periculo conſervaverit, illum eſſe *filium* memineritis. Quapropter de ſumma ſalute veſtra, populique R. P. C. de veſtris conjugibus, ac liberis: [9] de aris ac focis; de fanis, ac templis; de totius urbis tectis, ac ſedibus; de imperio, de libertate, de ſalute Italiæ, deque univerſa repub. decernite diligenter, ut inſtituiſtis, ac fortiter. [10] Habetis enim conſulem, qui & parere veſtris decretis non dubitet: & ea, quæ ſtatueritis, quoad vivet, defendere, [11] & per ſe ipſum præſtare poſſit.

M. TUL-

1. *Illum ignem Veſtæ perpetuum ac ſempiternum.*] Lambinus delevit *perpetuum ac*, aberatque Ah. Hitt. Uverd. ſed tamen cum hæreat in edd. antiqq. & Pall. omn. locum ei ſuum reliqui.

2. *Id quod in civili cauſa hodierno die primum videmus.*] Hitt. & Ah. non habent *die*, probaturque Gulielmio, ut ſit adverbium temporis, ut *horno*, *annò*, *derepentinò*, ſexcenta alia.

3. *Una nox penè delerit.*] Turingicus & Col. *una nox quàm penè delerit.* longe venuſtius.

4. *Ne cogitari poſſit à civibus vobis, hodierno die prov. &c.*] Reſtitui editionis primæ ſcripturam, quæ & extabat in Hittorp. Fabr. Uverd. alludebantque Pall. in quibus *à vobis.* ſcilicet exaratum fuit primitus, *civibos.* vulgata; *poſſit, vobis hodierno.*

5. *Ceteris enim bene geſtæ, mihi uni conſervatæ reip.*] Abjecimus *ſemper*, ſuaſu Hitt. & Uverd. & ferè erat ut adhuc admiſiſſemus lectionem ejuſdem Hitt. ut & Fabr. *bene geſta, mihi uni conſervata rep.* quomodo & alias legi, annotatum ad Pal. ſec. & ſic locutus fuit libro ſuperiore.

6. *Aut recepti, beneficio, &c.*] Additur ad oram Lamb. ed. alias legi in vulgg. *aut recepti in amicitiam*; ineptè. notum vel ex Terentio quid ſit, *recipere.*

7. *Pro his igitur omnibus.*] Illud *igitur*, mutatum in Hitt. in *ergo*: faciebat inde Gulielmius *ego.*

8. *Qui hæc omnia ſuo ſolus periculo.*] Erfurd. Hitt. Uverd. *ſuo ſolius periculo.* nihilo deterius vulgato. Pal pr. videtur malle *ſui ſolius periculo*, quod etiam non malum.

9. *De aris ac focis.*] Has quatuor voculas omiſere editiones Lambinianæ, quæ tamen in omni ſcripta lectione atque edita.

10. *Habetis enim conſulem.*] Editio princeps, *Habetis enim eum conſulem.* noſtri ſcripti pleríque: *Habetis eum*, ſine illo *enim.* non male.

11. *Et per ſe ipſum præſtare poſſit.*] Sic Pall. & edd. vett. ſed Colon. *præſtare quoad poſſit*, quod genuinum habet Gulielmius; & eſſe videtur.

M. TULLIUS CICERO PRO L. MURÆNA.

ORATIO VICESIMATERTIA.

1 [1] QUÆ deprecatus ſum à diis immortalibus, judices, more, inſtitutoque majorum, illo die, quo auſpicatò, comitiis centuriatis, L. Muræna conſulem renuntiavi: ut [2] ea res mihi, magiſtratuique meo, populo, plebique Romanæ, *bene atque feliciter* eveniret: eadem precor ab iiſdem diis immortalibus ob ejuſdem hominis conſulatum unà cum ſalute obtinendum, & ut veſtræ mentes, atque ſententiæ [3] cum populi Rom. voluntate, ſuffragiiſque conſentiant, eaque res vobis, populoque Rom. pacem, tranquillitatem, otium, concordiamque afferat. Quòd ſi illa ſollemnis comitiorum precatio conſularibus auſpiciis conſecrata, tantam habet in ſe vim, & religionem, quantam reip. dignitas poſtulat: idem ego ſum precatus, ut eis quoque hominibus, quibus hic conſulatus, me rogante, datus eſſet, ea res fauſtè, feliciter, proſpereque eveniret. Quæ cùm ita ſint, judices, & cùm omnis deorum immortalium poteſtas, aut tranſlata ſit ad vos, aut certè *communicata* vobiſcum: idem conſul eum veſtræ fidei commendat, qui anteà diis immortalibus commendavit: ut ejuſdem hominis voce & declaratus conſul, & defenſus, beneficium populi Rom. cum veſtra, atque omnium civium ſalute tueatur. Et, quoniam in hoc officio ſtudium meæ defenſionis, ab accuſatoribus, atque etiam ipſa ſuſceptio cauſæ reprehenſa eſt: antequàm pro L. Muræna dicere inſtituo, pro me ipſo pauca dicam: non quò mihi potior, hoc quidem in tempore, ſit officii mei, quàm hujuſce ſalutis defenſio: ſed ut, meo facto vobis probato, majore *auctoritate* ab hujus honore, fama, fortuniſque omnibus, inimicorum impetus

2 propulſare poſſim. Et primùm M. Catoni, vitam ad certam rationis normam dirigenti, & diligentiſſimè perpendenti momenta officiorum omnium, de officio meo reſpondebo. Negat fuiſſe rectum Cato, me & conſulem, & legis ambitus latorem, & tam ſeverè geſto conſulatu, cauſam L. Murænæ attingere. cujus reprehenſio me vehementer movet, non ſolùm ut vobis, judices, quibus maximè debeo, verùm etiam ut ipſi Catoni, graviſſimo, atque integerrimo viro, rationem facti mei probem. A quo tandem, M. Cato, eſt æquius conſulem defendi, quàm à conſule? Quis mihi in repub. poteſt, aut debet eſſe conjunctior, quàm is, cui reſpub. [4] à me unà traditur ſuſtinenda, magnis meis laboribus, & periculis ſuſtentata? Quòd ſi in iis rebus repetendis, [5] quæ mancipi ſunt, is *periculum* judicii præſtare debet, qui ſe nexu obligavit: profectò etiam rectius in judicio conſulis deſignati, is potiſſimùm conſul, qui conſulem declaravit, auctor beneficii populi Rom. defenſorque periculi eſſe debebit. Ac, ſi, ut nonnullis in civitatibus fieri ſolet, patronus huic cauſæ publicè conſtitueretur: is potiſſimè honore affecto defenſor daretur, qui eodem honore præditus non minus afferret ad dicendum auctoritatis, quàm facultatis. Quòd ſi E PORTU SOLVENTIBUS, ii, qui jam in portum ex alto invehuntur, [6] præcipere ſummo ſtudio ſolent & tempeſtatum rationem, & prædonum, & locorum; quòd natura affert, ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur: quo tandem me animo eſſe oportet, propè jam ex magna jactatione terram videntem, in hunc, cui video maximas reip. tempeſtates eſſe ſubeundas? Quare ſi eſt *boni conſulis*, non ſolùm videre, quid agatur, verùm etiam providere, quid futurum ſit: oſtendam alio loco, quantum ſalutis communis interſit, duos conſules in rep. Kalendis Jan. eſſe. Quod ſi ita eſt, non tam me officium debuit ad hominis amici fortunas, quàm reſpub. conſulem ad communem ſalutem defendendam vocare. Nam quòd legem de ambitu tuli, certè ita tuli, ut eam, quam mihimetipſi jampridem tulerim de civium *periculis defendendis*, non abrogarem. Etenim ſi largitionem factam eſſe confiterer, idque rectè factum eſſe defenderem: facerem improbè, etiam ſi alius legem tuliſſet. cùm verò nihil commiſſum contra legem eſſe defendam, quid eſt, quod meam defenſionem latio legis impediat? [7] Negat eſſe ejuſdem ſeveritatis, Catilinam, exitium reip. intra mœnia molientem, verbis, & pænè imperio urbe expuliſſe: & nunc pro L. Muræna dicere. Ego autem has parteis lenitatis, & miſericordiæ, quas me natura ipſa docuit, ſemper egi libenter: illam verò gravitatis, ſeveritatiſque perſonam non appetivi: ſed ab repub. mihi *impoſitam ſuſtinui*, ſicut hujus imperii dignitas in ſummo periculo civium poſtulabat. Quòd ſi tum, cùm reſpub. vim, & ſeveritatem deſiderabat, vici naturam, & tam vehemens fui, quàm cogebar, non quàm volebam: nunc, cùm omnes me cauſæ ad miſericordiam, atque ad humanitatem vocent, quanto tandem ſtudio debeo naturæ meæ, conſuetudinique ſervire? Ac de officio defenſionis meæ, ac de ratione accuſationis tuæ, fortaſſe etiam alia in parte orationis dicendum nobis erit. Sed me, judices, non minus hominis ſapientiſſimi, atque ornatiſſimi, Ser. Sulpicii, conqueſtio, [8] quàm Catonis accuſatio commovebat: qui graviſſimè, & acerbiſſimè ferre dixit, me familiaritatis, neceſſitudiniſque *oblitum*, cauſam L. Murænæ contra ſe defendere. Huic ego, judices, ſatisfacere cupio, voſque adhibere arbitros. Nam cùm GRAVE EST verè accuſari in amicitia, tum, etiam ſi falſo accuſeris, non eſt negligendum. Ego, Servi Sulpici, me in petitione tua tibi omnia ſtudia, atque officia

1. *Quæ deprecatus ſum à Diis, &c.*] Revocandum putavi prioris ſæculi ſcripturam. hodierni enim *precatus* tantum ſervant, contra olim cuſos & mſſ. Pall. quatuor, item cod. S. Victoris.

2. *Ea res mihi magiſtratuique meo.*] S. Vict. Pal. ſec. tert. *ea res mihi fides magiſt.* oct. *ea res mihi ſibi magiſt.* Pal. tamen pr. aut editio prima reſpuunt vocem aliam.

3. *Cum populi Rom. voluntatibus.*] Coactus ſum admittere hanc lectionem ob concordiam quatuor Palat. S. Victoris & Memmiani, item editionis CCCCLXXVIII. nam antiquior quinque annis, habet illud vulgatum, *voluntate.*

4. *A me una traditur, &c.*] Conjicit Lambinus *uno.* ſed quare potius non reddit rationem cur vulgata ferri non debeat?

5. *Quæ mancipi ſunt.*] Neoterici contra vett. libros, *mancipii.* quomodo neque in melioribus editionibus.

6. *Præcipere ſummo ſtudio.*] Conjiciunt alii, *prædicere*, ſed male. à præcipiendo enim *præceptores.*

7. *Negat eſſe ejuſdem ſeveritatis, Catilinam.*] Hotomanus interponit, *Cato, Catilinam.* ſed à conjectura. videatur lib. II. Obſervat. cap. II.

8. *Quam Catonis accuſatio commovebat.*] Non de nihilo eſt, in Pal. ſec. *quam Catonis captio:* neque multum abit ab hac voce S. Vict. in quo *cautio.* & certè *captio* heic belle convenire videtur.

officia pro noſtra neceſſitudine & debuiſſe confiteor, & præſtitiſſe arbitror. nihil tibi, conſulatum petenti, à me defuit, quod eſſet aut ab amico, aut à gratioſo, aut à conſule poſtulandum. abiit illud tempus: mutata ratio eſt: ſic exiſtimo, ſic mihi perſuadeo, me tibi contra honorem L. Murænæ, quantum tu à me poſtulare auſus ſis, tantum debuiſſe: *contra ſalutem*, nihil debere. Neque enim ſi tibi tum, cùm peteres conſulatum, affui, idcirco nunc, cùm Murænam ipſum petas, adjutor eodem pacto eſſe debeo. Atque hoc non modò non laudari, ſed ne concedi quidem poteſt, ut *amicis noſtris accuſantibus*, non etiam alieniſſimos defendamus.

4 Mihi autem cùm Muræna, judices, & vetus, & magna amicitia eſt, quæ in capitis dimicatione à Ser. Sulpicio non idcirco obruetur, quod ab eodem in honoris contentione ſuperata eſt. Quæ ſi cauſa non eſſet, tamen vel dignitas hominis, vel honoris ejus, quem adeptus eſt, amplitudo, ſummam mihi ſuperbiæ, [1] crudelitatiſque famam inuſſiſſet, ſi hominis, & ſuis, & populi Rom. ornamentis ampliſſimi cauſam tanti periculi repudiaſſem. Neque enim jam mihi licet, neque eſt integrum, ut meum laborem, hominum periculis *ſublevandis* non impertiam. Nam cùm præmia mihi tanta pro hac induſtria ſint data, quanta antea nemini: labores, per quos ea ceperis, cùm adeptus ſis, deponere, eſſet hominis & aſtuti, & ingrati. Quòd ſi licet deſinere, ſi te auctore poſſum, [2] ſi nulla inertiæ, nulla ſuperbiæ turpitudo, nulla inhumanitatis culpa ſuſcipitur: ego verò libenter deſino. Sin autem fuga laboris, deſidiam: repudiatio ſupplicum, ſuperbiam: amicorum neglectio, improbitatem coarguit: nimirum hæc cauſa eſt ejuſmodi, [3] quam nec induſtrius, nec miſericors, nec officioſus deſerere poſſit. Atque hujuſce rei conjecturam de tuo ipſius ſtudio, Servi, facillimè ceperis. Nam ſi tibi neceſſe putas, etiam adverſariis amicorum tuorum de jure conſulentibus reſpondere: &, ſi turpe exiſtimas, te *advocato*, illum ipſum, quem contra veneris, cauſa cadere: noli tam eſſe injuſtus, ut, cùm tui fontes vel inimicis tuis pateant, noſtros rivulos etiam amicis putes clauſos eſſe oportere. Etenim, ſi me tua familiaritas ab hac cauſa removiſſet, &, ſi hoc idem Q. Hortenſio, M. Craſſo, clariſſimis viris, ſi item ceteris, à quibus intelligo, tuam gratiam magni æſtimari, accidiſſet: in ea civitate conſul deſignatus defenſorem non haberet, in qua nemini umquam infimo majores noſtri patronum deeſſe voluerunt. Ego verò, judices, ipſe me exiſtimarem nefarium, ſi amico: crudelem, ſi miſero: ſuperbum, ſi conſuli defuiſſem. Quare quod dandum eſt *amicitiæ*, largè dabitur à me, ut tecum agam, Servi, non ſecus, [4] ac ſi meus eſſet frater, qui mihi eſt cariſſimus, iſto in loco. quod tribuendum eſt officio, fidei, religioni, id ita moderabor, ut meminerim me contra amici ſtudium pro amici periculo dicere.

5 Intelligo, judices, treis totius accuſationis parteis fuiſſe, & earum unam in reprehenſione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus eſſe verſatam. Atque harum trium partium prima illa, quæ graviſſima eſſe debebat, ita fuit infirma, & levis, ut illos lex magis quædam accuſatoria, quàm vera maledicendi facultas de vita L. Murænæ dicere aliquid coegerit. Objecta eſt enim Aſia: quæ ab hoc non ad voluptatem, & luxuriam expetita eſt, ſed in militari labore peragrata. qui ſi adoleſcens patre ſuo imperatore non meruiſſet: aut hoſtem, aut patris imperium timuiſſe, aut à parente repudiatus videretur. An, cùm ſedere in equis triumphantium prætextati potiſſimùm filii ſoleant, huic donis militaribus patris triumphum decorare fugiendum fuit, ut rebus *communiter geſtis* pæne ſimul cum patre triumpharet? Hic verò, judices, & fuit in Aſia, & viro fortiſſimo, parenti ſuo, magno adjumento in periculis, ſolatio in laboribus, gratulationi in victoria fuit. Et, ſi habet Aſia ſuſpicionem luxuriæ quandam: non Aſiam numquam vidiſſe, ſed in Aſia *continenter vixiſſe*, laudandum eſt. Quamobrem non Aſiæ nomen objiciendum Murænæ fuit, ex qua laus familiæ, memoria generi, honos & gloria nomini conſtituta eſt: ſed aliquod aut in Aſia ſuſceptum, aut ex Aſia deportatum flagitium, ac dedecus. Meruiſſe verò ſtipendia in eo bello, quod tum populus Rom. non modò maximum, ſed etiam ſolum gerebat, virtutis: patre imperatore libentiſſimè meruiſſe, pietatis: finem ſtipendiorum, patris victoriam, ac triumphum fuiſſe, felicitatis fuit. *maledicto* quidem idcirco nihil in hiſce rebus loci eſt, quòd omnia *laus* occupavit.

6 Saltatorem appellat L. Murænam Cato. Maledictum eſt, ſi verè objicitur, vehementis accuſatoris: ſin falsò, maledici conviciatoris. Quare cùm iſta ſis auctoritate, non debes, M. Cato, *arripere maledictum ex trivio*, [5] aut ex ſcurrarum aliquo convicio, neque temerè conſulem populi Rom. ſaltatorem vocare: [6] ſed conſpicere, quibus præterea vitiis affectum eſſe neceſſe ſit eum, cui verè iſtud objici poſſit. NEMO enim ferè ſaltat ſobrius, niſi forte inſanit: neque in ſolitudine, neque in convivio moderato, atque honeſto [7] *tempeſtivi convivii*, amœni loci, multarum deliciarum comes eſt extrema ſaltatio. Tu mihi arripis id, quod neceſſe eſt omnium vitiorum eſſe poſtremum: relinquis illa, quibus remotis, hoc vitium omnino eſſe non poteſt. nullum turpe convivium, non amor, non comiſſatio, non libido, non ſumtus oſtenditur. &, cùm ea non reperiantur, quæ voluptatis nomen habent, quæque vitioſa ſunt: IN QUO ipſam luxuriam reperire non potes, in eo te umbram luxuriæ reperturum putas? Nihil igitur in vitam L. Murænæ dici poteſt? nihil, inquam, omnino, judices. Sic à me conſul deſignatus defenditur, ut ejus nulla fraus, nulla avaritia, nulla perfidia, nulla crudelitas, nullum *petulans dictum* in vita proferatur. Bene habet: jacta ſunt fundamenta defenſionis. Nondum enim noſtris laudibus, quibus utar poſtea, ſed propè inimicorum confeſſione, virum bonum, atque integrum hominem defendimus.

7 Quo conſtituto, facilior eſt mihi aditus ad contentionem dignitatis: quæ pars altera fuit accuſationis. Summam video eſſe in te, Servi Sulpici, dignitatem generis, integritatis, induſtriæ, ceterorumque ornamentorum omnium, quibus *fretum*, ad conſulatus petitionem aggredi par eſt. Paria cognoſco eſſe iſta in L. Muræna, atque ita paria, ut neque ipſe dignitate vinci potuerit, neque te dignitate ſuperarit. Contemſiſti L. Murænæ genus: extuliſti tuum. Quo loco ſi tibi hoc ſumis, NISI QUI patricius ſit, neminem bono eſſe genere natum: facis, ut rurſus plebs in Aventinum ſevocanda eſſe videatur. Sin autem ſunt ampiæ, & honeſtæ familiæ plebejæ, & proavus L. Murænæ, & avus, prætores fuerunt, & pater cùm ampliſſimè,

---

1. *Crudelitatiſque famam inuſſiſſet.*] Gulielmius conjiciebat *infamiam.*

2. *Si nulla inertiæ, nulla ſuperbiæ &c.*] Sic Pall. omn. & editt. Lambinus addebat de conjectura, *inertiæ nota.*

3. *Quam nec induſtrius, nec miſericors.*] Ita ſolum Pall. pr. nam alii repetunt, *quam nec miſericors*, ut & vetuſtius cuſi. unde ſuſpicabatur Gulielmius ſyllaba inſerta legi poſſe, *quam nec induſtrius quiſquam, nec miſericors.*

4. *Ac ſi meus eſſet frater, qui mihi eſt cariſſimus, iſto in loco.*] Secutus ſum Pall. meos & vett. cod. in quibus omnibus *eſſet*, non ut hodie editur, *eſſes.* diſtinctio ſolum eſt a mea manu. antea enim interpungebatur: *ac ſi meus eſſes frater, qui mihi eſt cariſſimus: iſto in loco, quod mihi trib. &c.*

5. *Aut ex ſcurrarum aliquo convicio.*] Lambinus repoſuerat, *convivio*, tanquam ibi locus proprie ſcurrarum. ſed largiter errat. ſcurræ fere erant, qui creditum flagitabant per vias, affectabanturque obvios. unde lux accedit Suetonio capite LVII. de vita Tiberii.

6. *Sed conſpicere quibus, &c.*] Non malè conjicit Gulielmius, *ſed circumſpicere.*

7. *Tempeſtivi convivii, amœni loci &c.*] Citant paſſim hunc locum Critici, tanquam ſcriptum eſſet, *intempeſtivi.* ſed alterum profecto inveni in omnibus Pall. eratque in exemplari S. Victoris. adeo ut mirari ſatis nequeam contrarium inhærere omnibus editionibus ætatis priſcæ. fuiſſe autem *convivium tempeſtivum*, quod longè ante horam ſuam inſtituebatur, &c. diu eſt quod nos docuit eximius ille noſter Juſtus Lipſius ad XIV. Annal. Taciti; cui adquieſco.

1. Cùm

pliſſimè, atque honeſtiſſimè ex prætura triumphaſſet, hoc *faciliorem* huic gradum conſulatus adipiſcendi reliquit, quòd is jam patri debitus, à filio petebatur. Tua verò nobilitas, Servi Sulpici, tametſi ſumma eſt, tamen hominibus litteratis, & hiſtoricis eſt notior: populo verò, & ſuffragatoribus obſcurior. Pater enim fuit equeſtri loco: avus nulla illuſtri laude celebratus. Itaque non ex ſermone hominum recenti, ſed ex annalium vetuſtate eruenda eſt memoria nobilitatis tuæ. Quare ego te ſemper in noſtrum numerum aggregare ſoleo, quòd *virtute, induſtriaque* perfeciſti, ut, cum equitis Rom. eſſes filius, ſumma tamen amplitudine dignus putarère: nec mihi umquam minùs in Q. Pompeio, novo homine, & fortiſſimo viro, virtutis eſſe viſum eſt, quàm in homine nobiliſſimo, M. Æmilio. Etenim *EJUSDEM ANIMI*, atque ingenii eſt, poſteris ſuis, quod Pompejus fecit, amplitudinem nominis, quam non acceperit, tradere: &, ut Scaurus, memoriam propè in-
8 termortuam generis ſui, virtute renovare. Quamquam ego jam putabam, judices, multis viris fortibus ne ignobilitas objiceretur generis, meo labore eſſe perfectum: qui non modò Curiis, Catonibus, Pompeiis, antiquis illis, fortiſſimis viris, novis hominibus, ſed his recentibus, Mariis, & Didiis, & Cœliis commemorandis jacebant. Cùm ego verò tanto intervallo *clauſtra* iſta nobilitatis *refregiſſem*, ut aditus ad conſulatum poſthac, ſicut apud majores noſtros fuit, *non magis nobilitati, quàm virtuti, pateret*: non arbitrabar, cùm ex familia vetere, & illuſtri conſul deſignatus ab equitis Rom. filio, conſule, defenderetur, de generis novitate accuſatores eſſe dicturos. Etenim mihi ipſi accidit, ut cum duobus patriciis, altero improbiſſimo, atque audaciſſimo: altero modeſtiſſimo, atque optimo viro peterem: ſuperavi tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam. Quòd ſi id crimen homini novo eſſe deberet: profectò mihi neque inimici, neque invidi defuiſſent. Omittamus igitur de genere dicere, cujus eſt magna in utroque dignitas: videamus cetera. Quæſturam unà petiit, & ſum ego factus prior. Non eſt reſpondendum ad omnia. neque enim quemquam veſtrûm fugit, [1] cùm multi *pares dignitate* fiant; [2] unus autem primum ſolus poſſit obtinere: non eundem eſſe ordinem dignitatis, & renuntiationis: propterea quòd renuntiatio, gradus habeat: dignitas autem, ſit perſæpe eadem omnium. Sed quæſtura utriuſque propemodum pari momento ſortis fuit. Habuit hic lege Titia
[3] provinciam tacitam, & quietam: tu illam, cui cùm quæſtores ſortiuntur, etiam acclamari ſolet, Oſtienſem, non tam gratioſam, & illuſtrem, quàm negotioſam, & moleſtam. Conſedit utriuſque nomen in quæſtura. nullum enim vobis ſors *campum* dedit, in quo excurrere virtus, cognoſcique poſſet. Reliqui temporis ſpacium in contentionem
9 vocatur. ab utroque diſſimillima ratione tractatum eſt. Servius hîc nobiſcum hanc urbanam militiam reſpondendi, ſcribendi, cavendi, plenam ſollicitudinis, ac ſtomachi, ſecutus eſt: *JUS CIVILE DIDICIT*: multum vigilavit: laboravit: præſtò multis fuit: multorum ſtultitiam perpeſſus eſt: arrogantiam pertulit: difficultatem exſorbuit: vixit ad aliorum arbitrium, non ad ſuum. *MAGNA LAUS*, & grata hominibus, unum hominem elaborare in ea ſcientia, quæ ſit multis profutura. Quid Muræna interea? fortiſſimo, & ſapientiſſimo viro, ſummo imperatori, legatus L. Lucullo fuit: qua in legatione *DUXIT EXERCITUM*: ſigna contulit: manum conſeruit: magnas copias hoſtium fudit: urbeis partim vi, partim obſidione cepit: Aſiam iſtam refertam, & eandem delicatam, ſic obiit, ut in ea neque avaritiæ, neque luxuriæ *veſtigium* reliquerit: maximo in bello ſic eſt verſatus, ut hic multas res, & magnas ſine imperatore geſſerit, nullam ſine hoc imperator. Atque hæc, quamquam præſente L. Lucullo loquar, tamen, ne ab ipſo, propter periculum noſtrum, conceſſam videamur habere licentiam fingendi, *publicis litteris* teſtata ſunt omnia: quibus L. Lucullus tantum laudis impertit, quantum neque ambitioſus imperator, neque invidus, tribuere alteri in communicanda gloria debuit. Summa in utroque eſt honeſtas, ſumma dignitas: quam ego, ſi mihi per Servium liceat, pari, atque eadem in laude ponam. ſed non licet. agitat REM militarem: inſectatur totam hanc legationem: aſſiduitatis, & operarum harum quotidianarum putat eſſe conſulatum. *Apud exercitum* mihi fueris, inquit, tot annos? forum non attigeris?
[4] abfueris tamdiu? &, cùm longo intervallo veneris, cum iis, qui in foro habitarunt, dignitate contendas? Primùm iſta noſtra *aſſiduitas*, Servi, neſcis, quantum interdum afferat hominibus faſtidii, quantum ſatietatis. mihi quidem vehementer expediit, poſitam in oculis eſſe gratiam: ſed tamen ego mei ſatietatem magno meo labore ſuperavi: & tu idem fortaſſe: veruntamen utrique noſtrûm *deſiderium* nihil obfuiſſet. Sed, ut, hoc omiſſo, ad ſtudiorum, atque artium contentionem revertamur: quî poteſt dubitari, quin ad *conſulatum adipiſcendum*, multo plus afferat dignitatis, rei militaris, quàm juris civilis gloria? Vigilas tu de nocte, ut tuis conſultoribus reſpondeas: ille, ut eò, quò intendit, maturè cum exercitu perveniat. te gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat. tu actionem inſtituis: ille aciem inſtruit. tu caves, ne tui conſultores: ille, ne urbes, aut caſtra capiantur. [5] Ille tenet, & ſcit, ut hoſtium copiæ: tu ut aquæ pluviæ arceantur. Ille exercitatus eſt in propagandis finibus; tu in regendis, ac nimirum (dicendum eſt enim quod ſentio) *rei militaris virtus* præſtat ceteris omnibus. HÆC NOMEN populo 10
Rom. hæc huic urbi æternam gloriam peperit: hæc orbem terrarum parêre huic imperio coëgit: omnes urbanæ res, omnia hæc noſtra præclara ſtudia, & hæc forenſis laus, & induſtria, latent in tutela, ac præſidio bellicæ virtutis. ſimulatque increpuit ſuſpicio tumultus; artes illico noſtræ conticeſcunt. Et, quoniam mihi videris iſtam ſcientiam juris, tanquam *filiolam* oſculari tuam, non patiar te in tanto errore verſari, ut iſtud neſcio quid, [6] quod tantopere didiciſti, præclarum aliquid eſſe arbitrêre. Aliis ego te virtutibus, continentiæ, gravitatis, juſtitiæ, fidei, ceteris omnibus, conſulatu, & omni honore ſemper digniſſimum judicavi. quòd quidem jus civile didiciſti: non dicam, operam perdidiſti: ſed illud dicam, nullam eſſe in illa diſciplina *munitam* ad conſulatum viam. omnes enim artes, quæ nobis populi Rom. ſtudia conciliant, & admirabilem dignitatem, & pergratam utilitatem debent habere. Summa dignitas eſt in iis, qui militari laude antecellunt. 11
omnia enim, quæ ſunt in imperio, & in ſtatu civitatis, ab iis defendi, & firmari putantur. ſumma etiam utilitas: ſiquidem eorum conſilio, & periculo, cùm repub. tum etiam noſtris *rebus perfrui poſſumus*. Gravis etiam illa eſt, & plena dignitatis, dicendi facultas, quæ ſæpe valuit in conſule deligendo, poſſe conſilio, atque oratione, & ſenatus, & populi, & eorum, qui res judicant, menteis permovere. Quæritur conſul, qui *dicendo* nonnumquam comprimat tribunitios furores, qui concitatum populum flectat, qui largi-

1. *Cum multi pares dignitate.*] Pall. duo meliores *pari dignitate*, nam tertio hæc omnia deſunt, neque etiam conſpiciuntur in editionibus duabus primis anni CCCCLXXIII. & LXXIIX. ſed & S. Victoris liber habet *pare*; adeo ut iſtud revocandum videatur.

2. *Unus autem primum ſolus poſſit obtinere.*] Lambinus *primus*, ſed fruſtra. *primum obtinere*, recte dicitur, ut ſit nomen a *primo*, non adverbium. videatur tamen Hotomanus libro II. Obſervat. c. 12. qui locum habet pro mutilo.

3. *Provinciam tacitam.*] Pighius noſter libro VI. Faſtorum putat heic excidiſſe nomen provinciæ, aut ſine negligenter ab Oratore præteritam; qui conſulatur junioribus, ſuper illo: *cui etiam adclamari ſolet*, quod ſtatim ſequitur.

4. *Abſueris tam diu.*] S. Victoris membranæ habent *afueris*, veteri ratione ſcribendi.

5. *Ille tenet & ſcit, ut hoſtium &c.*] Hæc iſta citat Quintilianus libro IX. Inſtit. Orat. cap. 3. ſed alia facie in mſ. Palatino, quam hodie viſuntur: neque tamen ſine multis nævis.

6. *Quod tantopere didiciſti.*] S. Victoris *tanto opere*.

largitioni reſiſtat. Non mirum, ſi ob hanc facultatem homines ſæpe etiam non nobiles conſulatum conſecuti ſunt: præſertim cum hæc eadem res plurimas *gratias*, firmiſſimas amicitias, maxima ſtudia pariat. quorum in iſto veſtro artificio, Sulpici, nihil eſt. Primùm dignitas in tam *tenui ſcientia* quæ poteſt eſſe? res enim ſunt parvæ, propè in ſingulis litteris, atque interpunctionibus verborum occupatæ. Deinde, etiam ſi quid apud majores noſtros fuit in iſto ſtudio, admirationis: id, enuntiatis veſtris myſteriis, totum eſt contemtum, & abjectum. Poſſet agi lege, necne, pauci quondam ſciebant. faſtos enim vulgò non habebant. erant in magna potentia qui conſulebantur: à quibus etiam dies, tanquam à Chaldæis, petebantur. Inventus eſt ſcriba quidem Cn. Flavius, qui *cornicum oculos confixerit*, & ſingulis diebus ediſcendos faſtos populo propoſuerit, & ab ipſis cautis juriſconſultis eorum ſapientiam compilarit. Itaque irati illi, quòd ſunt veriti, ne, dierum ratione pervulgata, & cognita, ſine ſua opera lege poſſet agi, notas quaſdam compoſuerunt, ut omnibus in rebus
12 ipſi intereſſent. Cùm hoc fieri belliſſime poſſet: Fundus Sabinus, meus eſt. immo meus: deinde judicium: noluerunt. FUNDUS, inquit, QUI EST IN AGRO, QUI SABINUS VOCATUR. Satis verboſè. cedò, quid poſtea? EUM EGO EX JURE QUIR. MEUM ESSE AIO. Quid tum? INDE EGO TE EX JURE MANU CONSERTUM VOCO. Quid huic tam loquaciter litigioſo reſponderet ille, unde petebatur, non habebat. Tranſit idem jureconſultus, tibicinis Latini modo: UNDE TU ME, inquit, EX JURE MANU CONSERTUM VOCASTI, INDE IBI EGO TE REVOCO. Prætor interea, ne pulchrum ſe, ac beatum putaret, atque aliquid ipſe ſua ſponte loqueretur, ei quoque carmen compoſitum eſt, cùm ceteris rebus abſurdum, [1] tum verò in illo: SUIS UTRISQUE SUPERSTITIBUS, PRÆSENTIBUS: ISTAM VIAM DICO: [2] INITE VIAM. Præſtò aderat ſapiens ille, qui inire viam doceret: REDITE VIAM. eodem duce redibant. Hæc jam tum apud illos barbatos, ridicula, credo, videbantur. homines, cùm rectè, atque in loco conſtitiſſent: juberi abire: ut, unde abiſſent, eodem ſtatim redirent. Iiſdem ineptiis fucata ſunt illa omnia, QUANDO TE IN JURE CONSPICIO. & hæc, [3] SED ANNE TU DICIS, QUI CAUSA VINDICAVERIS? quæ dum erant occulta, neceſſariò ab eis, qui ea tenebant, petebantur: poſteà verò pervulgata, atque in manibus jactata, & excuſſa, inaniſſima prudentiæ reperta ſunt: *fraudis* autem, & *ſtultitiæ* pleniſſima. Nam cùm permulta præclarè legibus eſſent conſtituta, ea jureconſultorum ingeniis pleraque corrupta, ac depravata ſunt. Mulieres omneis propter infirmitatem conſilii majores in *tutorum poteſtate* eſſe voluerunt: hi invenerunt genera tutorum, [4] quæ poteſtate mulierum continerentur. Sacra interire illi noluerunt: horum ingenio ſenes ad coëmtiones faciendas, *interimendorum* ſacrorum cauſa, reperti ſunt. In omni denique jure civili æquitatem reliquerunt, verba ipſa tenuerunt: [5] ut, quia in alicujus libris, exempli cauſa, id nomen invenerant, putarunt, omneis mulieres, quæ coëmtionem facerent, CAJAS vocari. Jam illud mihi quidem mirum videri ſolet, tot homines, tamen ingenioſos, per tot annos etiam nunc ſtatuere non potuiſſe, utrùm *diem tertium*, an *perendinum*: *judicem*, an *arbitrum*: *rem*, an
litem dici oporteret. Itaque (ut dixi) dignitas in iſta ſcien- 13
tia conſularis numquam fuit: quæ tota ex rebus fictis, commentitiiſque conſtaret, [6] gratiæ verò multo etiam minores. Quod enim omnibus patet, & æquè promtum eſt mihi, & adverſario meo, id eſſe gratum nullo pacto poteſt. Itaque non modò beneficii collocandi ſpem, ſed etiam illud, [7] quod aliquandiu fuit, LICET CONSULERE, jam perdidiſtis. SAPIENS exiſtimari nemo poteſt in ea prudentia, quæ neque extra Romam uſquam, neque Romæ, rebus prolatis, quidquam valet. peritus ideò haberi nemo poteſt, quòd in eo, quod ſciunt omnes, nullo modo poſſunt inter ſe diſcrepare. difficilis autem res ideò non putatur, quòd & perpaucis, & minimè obſcuris litteris continetur. Itaque, ſi mihi, homini vehementer occupato, ſtomachum moveritis, triduo me juriſconſultum eſſe profitebor. Etenim quæ de ſcripto aguntur, ſcripta ſunt omnia: neque tamen quidquam tam anguſtè ſcriptum eſt, quò ego non poſſim, QUA DE RE AGITUR, addere. Quæ conſuluntur autem, minimo periculo reſpondentur. Si id, quod oportet, reſponderis: idem videare reſpondiſſe, quod Servius. ſin aliter: etiam *controverſum jus* noſſe, & tractare videare. Quapropter non ſolùm illa gloria militaris, veſtris formulis, atque actionibus anteponenda eſt: verùm etiam dicendi conſuetudo, longè, & multùm iſti veſtræ exercitationi [8] ad honorem antecellet. Itaque mihi videntur plerique initiò multo hoc maluiſſe. pòſt, cùm id aſſequi non potuiſſent, iſtuc potiſſimùm ſunt delapſi: ut ajunt in Græcis artificibus, eos *auledos* eſſe, qui *citharœdi* fieri non potuerint: ſic nonnullos videmus, qui oratores evadere non potuerunt: eos ad juris ſtudium devenire. Magnus dicendi labor, magna res, magna dignitas, [9] ſumma autem gratia. Etenim à vobis ſalubritas quædam: ab iis, qui dicunt, ſalus ipſa petitur. Deinde veſtra reſponſa, atque decreta, & evertuntur ſæpe dicundo, & ſine *defenſione* oratoris firma eſſe non poſſunt: [10] in qua re ſi ſatis profeciſſem, parciùs de ejus laude dicerem: nunc nihil de me dico, ſed
de iis, qui in dicendo magni ſunt, aut fuerunt. Duæ ſunt 14
artes, quæ poſſunt locare homines in ampliſſimo *gradu dignitatis*: una imperatoris, altera oratoris boni. ab hoc enim pacis ornamenta retinentur: ab illo belli pericula repelluntur. Ceteræ tamen virtutes ipſæ per ſe multùm valent: juſtitia, fides, pudor, temperantia: quibus te, Servi, excellere omnes intelligunt: ſed nunc [11] de ſtudiis ad honorem

1. *Tum verò in illo:* SUIS UTRISQUE SUPERSTITIBUS, &c.] Debebunt mihi aliquam gratiam, puto, Critici, quod hunc locum eis ſervaverim, præeuntibus Pall. quatuor. antea legebamus, *tum verò in illo ujus:*, UTRISQUE &c. plura in hunc locum noſter Schottus libro I. Nodor. cap. 10.

2. INITE VIAM.] Sic omnes Pall. & olim cuſi, quemadmodum & ſtatim *inire viam*; ubi vulgo ITE, & *ire viam*.

3. SED ANNE TU DICIS QUI CAUSA VINDICAVERIS.] Editio prima, QUI IN. Pal. pr. QUI EANDEM VINDICAVERIS. ceteri tres, ut & S. Victoris, præferunt ferè, SED ANNE TU DICIS QUI CAUSA VIND. Gulielmius annotavit legendum videri: DICIS QUI CAUSA &c. Lambinus abjecit illud QUI, quod nec in editis ab Victorio. conſulatur inter alios Cujacius libro V. Obſervat. cap. 33.

4. *Quæ poteſtate mulierum continerentur*, &c.] Gulielmius adnotarat forte legendum, *mulierum quæ in poteſtate tutorum*. ſed ignorabat, quæ producit Cujacius libro VII. Obſervat. cap. 11. eis commode addas alia licet ex Gutherii libris de Jure Pontificio, quibus nihil hac noſtra ætate prodiit ſelectius.

5. *Ut quia in alicujus libris.*] Pal. pr. *ut Gaja*; neque de nihilo eſt hæc ſcriptura; nam & reliqui Pall. item S. Vict. diſerte habent *caia*. & verò cum addat, *exempli cauſa*, apparet præceſſiſſe quid hujuſmodi. forte corrupta ſunt verba ſequentia, & reſcribendum, *ut Cajam in alicujus libris, exempli cauſa invenerant, putarunt* &c.

6. *Gratiæ verò multo etiam minores.*] Non potui excludere lectionem Pall. omnium & S. Victoris, confirmatam præterea omnibus editionibus notæ antiquæ. poſteriores enim nobis ingeſſere, *etiam minus*. non male, ſi Ciceroni noſtram linguam affingere poſſemus. at ſic & ſupra dixit cap. XI. *plurimas gratias*. locum hunc annotarat. item Gulielmius, tanquam de quo diſſerendum haberet, in ſchedis ſuis.

7. *Quod aliquamdiu fuit.*] Eſt ab iiſdem libris univerſis impreſſi patrum ævo noſtroque *dimanando*.

8. *Ad honorem antecellet.*] Lambinus jactanter annotavit, ante fuiſſe in libris vulgg. illud noſtrum; reſtitutum a ſe autem *antecellit*. inepte profecto; & contra omnes mſſ. noſtros & S. Victoris. itaque id rejeci.

9. *Summa autem gratia.*] Etiam iſtud revocavi, urgentibus mſſ. & olim editis. recentiores *etiam* maluerunt.

10. *In qua re ſi ſatis*, &c.] Pall. Vict. ed. vett. non habent illud *re*, ut ſubaudiatur *defenſione*. ideoque forſan abjiciendum.

11. *De ſtudiis ad honorem diſpoſitis.*] Pall. omnes, *ab honore depoſitis*. edd. vett. *ad hon. depoſitis*. S. Victoris *depoſſitis*. forſan tres voces à fine, ſunt interpretum.

honorem diſpoſitis, non de inſita cujuſque virtute diſputo. Omnia iſta nobis ſtudia de manibus excutiuntur, ſimulatque aliquis motus novus bellicum canere cœpit. Etenim, ut ait ingenioſus poëta, & auctor valde bonus, prœliis promulgatis, *pellitur è medio* non ſolum iſta veſtra verboſa ſimulatio prudentiæ, ſed etiam ipſa illa domina rerum, *ſapientia: vi geritur res. Spernitur orator*, non ſolùm odioſus in dicendo, ac loquax, verùm etiam *bonus: horridus miles amatur.* Veſtrum verò ſtudium totum jacet. *Non ex jure manum conſertum, ſed mage ferro*, inquit, *rem repetunt.* Quòd ſi ita eſt, cedat, opinor, Sulpici, forum caſtris, otium militiæ, ſtilus gladio, umbra ſoli: ſit denique in civitate [1] ea prima res, propter quam ipſa eſt civitas omnium princeps. Verùm hæc, Cato, nimiùm nos noſtris verbis magna facere demonſtrat: & oblitos eſſe, bellum illud omne Mithridaticum *cum mulierculis* eſſe geſtum. quod ego longè ſecus exiſtimo, judices: deque eo pauca diſſeram. neque enim cauſa in hoc continetur. Nam, ſi omnia bella, quæ cum Græcis geſſimus, contemnenda ſunt: derideatur de rege Pyrrho triumphus M. Curii: de Philippo, T. Flaminini: de Ætolis, M. Fulvii: de rege Perſe, L. Paulli: de Pſeudophilippo, Q. Metelli: de Corinthiis, L. Mummii. ſin hæc bella, graviſſima, victoriæque eorum bellorum, graviſſimæ fuerunt: cur Aſiaticæ nationes, atque ille à te hoſtis contemnitur? Atqui ex veterum rerum monumentis, vel maximum bellum populum Rom. cum Antiocho geſſiſſe video; cujus belli victor [2] L. Scipio, parta cum Publio fratre gloria, quam laudem ille, Africa oppreſſa, cognomine ipſo præ ſe ferebat, eandem hic ſibi ex Aſiæ nomine aſſumſit. Quo quidem in bello virtus enituit egregia M. Catonis, proavi tui. quò ille, quum eſſet, [3] ut ego mihi ſtatuo, talis, qualem te eſſe video, numquam cum Scipione eſſet profectus, ſi cum mulierculis *bellandum* eſſe arbitraretur. Neque verò cùm P. Africano ſenatus egiſſet, *ut legatus fratri proficiſceretur:* cùm ipſe, paullo ante, Hannibale ex Italia expulſo, ex Africa ejecto, Karthagine oppreſſa, maximis periculis remp. liberaviſſet, niſi illud grave bellum, & vehemens
15 putaretur. Atqui, ſi diligenter, quid Mithridates potuerit, & quid effecerit, & qui vir fuerit, conſideraris: omnibus regibus, quibuſcum populus Rom. bellum geſſit, [4] hunc regem nimirum antepones. quem L. Sulla, maximo, & fortiſſimo exercitu, [5] pugna excitatum, non rudis imperator, ut aliud nihil dicam, eum bello invectum totam in Aſiam, cum pace dimiſit: quem L. Muræna, pater hujuſce, vehementiſſimè, vigilantiſſimèque vexatum, *repreſſum* magna ex parte, non *oppreſſum* reliquit: qui rex, ſibi aliquot *annis* ſumtis ad confirmandas rationes, & copias belli, tantum ipſe opibus, conatuque invaluit, ut ſe Oceanum cum Ponto, Sertorii copias cum ſuis conjuncturum putaret. Ad quod bellum duobus conſulibus ita miſſis, ut [6] alter Mithridatem perſequeretur, alter Bithyniam tueretur: alterius res & terra, & mari *calamitoſæ*, vehementer & opes regis, & nomen auxerunt: L. Luculli verò res, tantæ exſtiterunt, ut neque majus bellum commemorari poſſit, neque majore conſilio, & virtute geſtum. Nam, cùm totius impetus belli ad Cyzicenorum mœnia conſtitiſſet, eamque urbem ſibi Mithridates *Aſiæ januam* fore putaviſſet, qua effracta, & revulſa, tota pateret provincia: perfecta ab Lucullo hæc ſunt omnia: ut urbs fideliſſimorum ſociorum defenderetur, ut omnes copiæ regis, [7] diuturnitate obſidionis conſumerentur. Quid? illam pugnam navalem ad Tenedum, cum contento curſu, acerrimis *ducibus*, hoſtium claſſis Italiam ſpe atque animis inflata peteret, mediocri certamine, & parva dimicatione commiſſam arbitraris? Mitto prœlia: prætereo oppugnationes oppidorum. *expulſus regno* tandem aliquando, tantum tamen conſilio, atque auctoritate valuit, ut ſe, rege Armeniorum adjuncto, novis opibus, copiiſque renovarit. Ac, ſi mihi nunc 16
de rebus geſtis eſſet noſtri exercitus, imperatoriſque dicendum, plurima, & maxima prœlia commemorare poſſem. ſed non id agimus. hoc dico: ſi bellum hoc: ſi hic hoſtis, ſi ille rex *contemnendus* fuiſſet: neque tanta cura ſenatus, & populus Roman. ſuſcipiendum putaſſet, neque tot annos geſſiſſet, neque tanta gloria L. Luculli: neque verò [8] ejus belli conficiendi curam tanto ſtudio populus Rom. ad Cn. Pompejum detuliſſet: cujus ex omnibus pugnis, quæ ſunt innumerabiles, vel acerrima mihi videtur illa, quæ cum rege commiſſa eſt, & ſumma contentione pugnata. qua ex pugna cùm ſe ille eripuiſſet, & Boſphorum confugiſſet, quò exercitus *adire* non poſſet: etiam in extrema fortuna, & fuga, *nomen* tamen retinuit regium. Itaque ipſe Pompejus, regno poſſeſſo, ex omnibus oris, ac notis ſedibus hoſte pulſo, tamen tantum in unius *anima* poſuit, ut, cùm omnia, quæ ille tenuerat, adierat, ſperarat, victoria poſſideret; tamen non antè, quàm illum vita expulit, bellum confectum judicarit. Hunc tu hoſtem, Cato, contemnis, quo-cum per tot annos, tot prœliis, tot imperatores bella geſſerunt? cujus expulſi, & ejecti vita, tanti æſtimata eſt, ut, morte ejus nuntiata, [9] tum denique bellum confectum arbitraretur? Hoc igitur in bello L. Murænam, legatum fortiſſimi animi, ſummi conſilii, maximi laboris cognitum eſſe defendimus: & hanc ejus operam non minùs ad conſulatum adipiſcendum, quàm hanc noſtram forenſem induſtriam, dignitatis habuiſſe. At enim 17
in præturæ petitione prior renuntiatus eſt Servius. Pergitiſne vos, tanquam ex *ſyngrapha*, agere cum populo, ut, quem locum ſemel honoris cuipiam dederit, eundem reliquis honoribus debeat? QUOD ENIM FRETUM, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum; quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum? Dies *intermiſſus* unus, aut nox interpoſita, ſæpe perturbat omnia: & totam opinionem parva nonnumquam commutat aura rumoris. Sæpe etiam ſine nulla aperta cauſa fit aliud, atque exiſtimamus, ut nonnumquam *ita factum eſſe* etiam populus admiretur: quaſi verò non ipſe fecerit. *Nihil eſt* incertius vulgo, nihil obſcurius voluntate hominum, nihil fallacius ratione tota comitiorum. Quis L. Philippum [10] ſummo ingenio, opera, gratia, nobilitate, à M. Herennio ſuperari poſſe arbitratus, eſt? quis Qu. Catulum, humanitate, ſapientia, integritate antecellentem, à Cn. Manlio? quis M. Scaurum, hominem graviſſimum, civem egregium, fortiſſimum ſenatorem, à Qu. Maximo? non modò horum nihil ita fore putatum eſt, ſed ne cùm eſſet factum quidem, *quare ita factum eſſet*, intelligi potuit. Nam ut tempeſtates ſæpe certo

1. *Ea prima res.*] Lambinus, *ea prima ars*, præter libros tamen.

2. *L. Scipio parta cum P. fratre gloria, &c.*] Mſſ. & editi quondam voculis duabus auctiores, *L. Scipio ſi qua parta.* habebatque S. Victoris *ſi qua partha.* Gulielmius conjiciebat, *ſic quaſi partita cum, &c.* non malè.

3. *Ut ego mihi ſtatuo, talis.*] Cohors mſſ. item editiones exoletæ, *ſtatuam.* quæ vera lectio, vel ducit ad veram.

4. *Hunc regem nimirum antepones.*] Gulielmius mutare cupit *nimirum* in *nimium.* ego ſuſpicor, *regem nimirum*, eſſe gloſſulam ad pronomen *hunc*, quamvis & illud abeſſe item poterat.

5. *Pugna excitatum.*] Ita Pal. pr. nam ceteri *excitaret*, quod & in edd. vett. S. Vict. *exetaceret.* Lambinus heic multa divinat, ſed ſuo Apolline. videtur par iſtud dictionum eſſe à manu mala. certè, ſi abſit, nihil defuerit ſententiæ.

6. *Alter Mithridatem perſequeretur.*] Imo contra fuit, ſi ſtandum mſſ. & edd. vett. quibus interpoſita negatio, *non perſequeretur.*

7. *Diuturnitate obſidionis.*] S. Victoris & Pal. ſec. tert. oct. *obſeſſionis*, neque video cur rejici debeat.

8. *Ejus belli conficiendi curam.*] Ita quidem paſſim editur: ſed antiquitus cuſi, ſed Pall. & S. Victoris *conficiendum exitum.* videtur dictio *conficiendum* ab interpretibus.

9. *Tum denique bellum confectum arbitraretur.*] Παθητικῶς. nec aliter omnes mſſ. noſtri aut quondam excuſi. Lambinus maluit *arbitraremur.*

10. *Summo ingenio, opera, gratia.*] Hotomanus lib. 11. Obſervat. cap. 13. reponit, *opibus.* ſed præter libros vett. intelligitur autem *forenſi*; quod annotavit ad oram Gulielmius.

aliquo cæli ſigno commoventur, ſæpe improvisò nulla ex certa ratione, obſcura aliqua ex cauſa excitantur: [1] ſic in hac comitiorum tempeſtate populari; ſæpe intelligas, quo ſigno commota ſit: ſæpe ita obſcura eſt, ut *caſu* excitata
18 eſſe videatur. Sed tamen, ſi eſt reddenda ratio: duæ res vehementer in prætura deſideratæ ſunt, quæ ambæ in conſulatu tum Murænæ profuerunt, una, *exſpectatio muneris*, quæ & rumore nonnullo, & ſtudiis, ſermonibuſque competitorum creverat: altera, quòd ii, quos in provincia, [2] ac legatione omnis & liberalitatis, & virtutis ſuæ teſteis habuerat, nondum deceſſerant. Horum utrumque ei fortuna ad conſulatus petitionem reſervavit. nam & L. Luculli exercitus, qui ad triumphum convenerat, [3] idem comes L. Murænæ præſtò fuit: & munus ampliſſimum, quod petitio præturæ deſiderabat, prætura reſtituit. Num tibi hæc parva videntur adjumenta, & ſubſidia conſulatus? *voluntas militum?* quæ cùm per ſe valet multitudine, cùm apud ſuos gratia, tum verò in conſule declarando multum etiam apud univerſum populum Roman. auctoritatis habet: ſuffragatio militaris? imperatores enim comitiis conſularibus, non verborum interpretes deliguntur. quare gravis eſt illa oratio, *ME SAUCIUM* recreavit: me præda donavit: hoc duce caſtra cepimus, ſigna contulimus: numquam iſte plus militi laboris impoſuit, [4] quàm ſibi ſumſit ipſe; cùm fortis, tum etiam felix. Hoc quanti putas eſſe ad famam hominum, ac voluntatem? etenim, ſi tanta illis comitiis religio eſt, ut adhuc ſemper *omen* valuerit *prærogativum:* quid mirum eſt, in hoc felicitatis famam,
19 ſermonemque valuiſſe? Sed, ſi hæc leviora ducis, quæ ſunt graviſſima, & hanc urbanam ſuffragationem militari anteponis: noli ludorum hujus elegantiam, & ſcenæ magnificentiam valde contemnere: quæ huic admodum profuerunt. Nam quid ego dicam, populum, ac vulgus imperitorum *ludis magnopere delectari*, minùs eſt mirandum. quamquam huic cauſæ id ſatis eſt. ſunt enim populi, ac multitudinis comitia. Quare ſi populo ludorum magnificentia voluptati eſt, non eſt mirandum, eam L. Murænæ apud populum profuiſſe. [5] Sed ſi noſmetipſi, qui & ab delectatione omni negotiis impedimur, & in ipſa occupatione *delectationes alias* multas habere poſſumus, ludis tamen oblectamur, & ducimur; quid tu admirere de multitudine indocta? L. Otho, vir fortis, meus neceſſarius, equeſtri ordini reſtituit non ſolùm dignitatem, ſed etiam voluptatem. Itaque lex hæc, quæ ad ludos pertinet, eſt omnium gratiſſima, quòd honeſtiſſimo ordini cum ſplendore fructus quoque jucunditatis eſt reſtitutus. Quare delectant homines, mihi crede, ludi, etiam illos, qui *diſſimulant*, non ſolùm eos, qui fatentur: quod ego in mea petitione ſenſi. nam nos quoque habuimus ſcenam competitricem. Quòd ſi ego, qui trinos ludos ædilis feceram, tamen Antonii ludis commovebar: tibi, qui caſu nullos feceras, nihil hujus iſtam ipſam, quam irrides argenteam ſcenam, adverſatam putas? Sed hæc ſanè ſint paria omnia: ſit par forenſis opera militari: ſit par militari ſuffragatio urbana: ſit idem, magnificentiſſimos, & nullos umquam feciſſe ludos: quid? in ipſa prætura nihilne exiſtimas inter tuam, & iſtius ſortem interfuiſſe? Hujus ſors ea fuit, quam omnes tui neceſſarii tibi optabamus, juris dicundi: in qua gloriam conciliat *magnitudo negotii:* gratiam, æquitatis largitio: qua in ſorte ſapiens prætor, qualis hic fuit, offenſionem vitat æquabilitate decernendi, benivolentiam adjungit lenitate audiendi. Egregia, & ad conſulatum apta provincia, in qua laus æquitatis, integritatis, facilitatis, ad extremum ludorum voluptate *concluditur*. Quid tua ſors? triſtis, atrox: quæſtio peculatus, ex altera parte, lachrymarum, & ſqualoris: ex altera, [6] plena catenarum, atque indicum. cogendi judices inviti, retinendi contra voluntatem: ſcriba damnatus, ordo totus alienus: Sullana gratificatio reprehenſa: multi viri fortes, & propè pars civitatis offenſa eſt: lites ſeverè æſtimatæ: *cui placet, obliviſcitur: cui dolet, meminit.* Poſtremò tu in provinciam ire noluiſti. non poſſum id in te reprehendere, quod [7] in me ipſo & prætor, & conſul probavi. ſed tamen L. Murænæ provincia multas bonas gratias cum optima exiſtimatione attulit. habuit proficiſcens delectum in Umbria: dedit ei facultatem reſp. liberalitatis: qua uſus, multas ſibi tribus, quæ municipiis Umbriæ conficiuntur, adjunxit. ipſe autem in Gallia, ut noſtri homines deſperatas jam pecunias exigerent, *æquitate*, diligentiaque perfecit. Tu interea Romæ ſcilicet amicis præſtò fuiſti. fateor: ſed tamen illud cogita, nonnullorum amicorum ſtudia minui ſolere in eos, à quibus provincias contemni intelligant. Et, quoniam oſtendi, judices, 21
parem dignitatem ad conſulatus petitionem, diſparem fortunam provincialium negotiorum in Muræna, atque in Sulpicio fuiſſe: dicam jam apertiùs, in quo meus neceſſarius fuerit inferior, Servius, & ea dicam, vobis audientibus, amiſſo jam tempore, quæ ipſi ſoli, re integra, ſæpe dixi. Petere conſulatum neſcire te, Servi, perſæpe tibi dixi: & in iis rebus ipſis, quas te magno, & forti animo & agere, & dicere videbam, tibi ſolitus ſum dicere, magis te *fortem ſenatorem* mihi videri, quàm ſapientem candidatum. Primum accuſandi terrores, & minæ, quibus tu quotidie uti ſolebas, ſunt fortis viri; ſed & populi opinionem à ſpe adipiſcendi avertunt, & amicorum ſtudia debilitant. Neſcio quo pacto *ſemper hoc fit:* neque in uno, aut altero animadverſum eſt, ſed jam in pluribus: ſimulatque candidatus accuſationem meditari viſus eſt, ut honorem *deſperaſſe* videatur. Quid? ergo acceptam injuriam perſequi non placet? imò vehementer placet: ſed aliud tempus eſt petendi, aliud perſequendi. petitorem ego, præſertim conſulatus, magna ſpe, magno animo, magnis copiis & in forum, & in campum deduci volo: non placet mihi inquiſitio candidati, prænuntia repulſæ: non teſtium potiùs, quàm ſuffragatorum comparatio: non minæ magis, quam blanditiæ: non [8] declamatio potiùs, quàm perſalutatio: præſertim cùm jam hoc novo more omnes ferè domos omnium concurſent, & ex vultu candidatorum conjecturam faciant, quantum quiſque animi & facultatis habere videatur. Videſne tu illum triſtem? demiſſum: jacet, diffidit, abjecit haſtas. Serpit hic rumor: [9] SCIS TU ILLUM accuſationem cogitare? inquirere in competitores? teſteis quærere? alium faciam, quoniam ſibi hic ipſe deſperat.

---

1. *Sic in hac comitiorum tempeſtate, &c.*] Lambinus hæc omnia pro libita mutat, invitis libris, nec ulla urgente ratione.

2. *Et legatione, omnis & liberalitatis.*] Malim cum S. Victoris *omnis*.

3. *Idem comes L. Murænæ.*] Egregie; comitatus eſt enim exercitus ſuum candidatum. ſic eſt in omnibus noſtris, itaque non eſt quod recipiamus Lambini *comitatus*, ortum a divinatione Hotomani, d. cap. 13.

4. *Quam ſibi ſumſit ipſe; cùm fortis &c.*] Diſtinctionem bene mutavit Gulielmius. antea impreſſi; *ſumſit: ipſe cùm fortis &c.* minus venuſte.

5. *Sed ſi noſmetipſi, qui & ab delectatione, &c.*] Lambinus bene hæc tuetur contra Hotomani emendationem. idem tamen minus recte ſtatim conjicit, *multitudinem indoctam*.

6. *Plena catenarum, & indicum.*] Ita reponendum, non *judicum*; quod in vulgata. Pal. oct. præterea habebat, alias legi *vinculum*. vix auſim probare.

7. *In me ipſo & prætor & conſul probavi.*] S. Vict. Pal. ſec. *& præſ. conſule prob.* tert. *& preſi conſule.* oct. *in me ipſo & proconſule prob.* primus, *in me ipſo proconſule probavi*; quod verius videtur, niſi potius fuit, *& prætore & conſule prob.* certè compendium ſcripturæ heic nocuiſſe, prodit editio prima, quæ, *& patres conſulte probavi.*

8. *Declamatio potius, quàm perſalutatio.*] Haud aliter Pal. ſec. tert. & S. Victoris, alludebat Pal. oct. in quo *perſultatio.* vulgato hactenus defuit illud *per.* eſt autem *perſalutare*, obire omnium domos ſalutandi cauſa. qua voce utitur Tullius pro Flacco c. 18. pr.

9. *Scis tu illum accuſationem.*] Lambinus, *Neſcis tu illum.* ſed ex ſupervacuo. ſane præter libros.

22 deſperat. Ejuſmodi candidatorum amici intimi debilitantur, ſtudia deponunt, [1] aut teſtatam rem abjiciunt, aut ſuam operam, & gratiam judicio, & accuſationi reſervant. Accedit eodem, ut etiam ipſe candidatus, totum animum, atque omnem curam, operam, diligentiamque ſuam in petitione non poſſit ponere. adjungitur enim *accuſationis cogitatio*, non parva res, ſed nimirum omnium maxima. magnum eſt enim, te comparare ea, quibus poſſis hominem è civitate, præſertim non inopem, neque infirmum, exturbare: qui & per ſe, & per ſuos, & verò etiam per alienos defendatur. omnes enim ad pericula propulſanda concurrimus. & QUI NON apertè inimici ſumus, etiam alieniſſimis, in capitis periculis, amiciſſimorum officia, & ſtudia præſtamus. Quare ego expertus & petendi, & defendendi, & accuſandi moleſtiam, ſic intellexi; in petendo, ſtudium eſſe acerrimum: in defendendo, officium: in accuſando, laborem. Itaque ſic ſtatuo, fieri nullo modo poſſe, ut idem accuſationem, & petitionem conſulatus diligenter adornet, atque inſtruat. unum ſuſtinere pauci poſſunt, utrumque nemo. [2] Tu, cùm te de curriculo petitionis deflexiſſes, animumque ad accuſandum tranſtuliſſes, exiſtimaſti, te utrique negotio ſatisfacere poſſe? vehementer erraſti. quis enim dies fuit, poſteaquàm in iſtam accuſandi denuntiationem ingreſſus es, quem tu non totum in
23 iſta ratione conſumſeris? Legem *ambitus* flagitaſti, quæ tibi non deerat. erat enim ſeveriſſimè ſcripta Calpurnia. geſtus eſt mos & voluntati, & dignitati tuæ. ſed tota illa lex accuſationem tuam, ſi haberes nocentem reum, fortaſſe armaſſet: petitioni verò refragata eſt. Pœna gravior in plebem tua voce efflagitata eſt. commoti animi ſunt tenuiorum. Exſilium in noſtrum ordinem. Conceſſit ſenatus poſtulationi tuæ: ſed non libenter duriorem fortunæ communi conditionem, te auctore, conſtituit, *Morbi excuſationi* pœna addita eſt: voluntas offenſa multorum, quibus aut contra valitudinis commodum laborandum eſt, aut incommodo morbi etiam ceteri vitæ fructus relinquendi. Quid ergo? hæc quis tulit? is, qui auctoritati ſenatus, voluntati tuæ paruit: denique is tulit, [3] cui minimè proderant. Illa, quæ mea ſumma voluntate ſenatus frequens, repudiavit, mediocriter adverſata tibi eſſe exiſtimas? *confuſionem ſuffragiorum* flagitaſti, [4] prorogationem legis Maniliæ, æquationem gratiæ, dignitatis, ſuffragiorum. Graviter homines honeſti, atque [5] in ſuis civitatibus, & municipiis gratioſi tulerunt, à tali viro eſſe pugnatum, ut omnes & *dignitatis, & gratiæ gradus tollerentur*. Idem edititios judices eſſe voluiſti, ut odia occulta civium, quæ tacitis nunc diſcordiis continentur, in fortunas optimi cujuſque erumperent. Hæc omnia, tibi accuſandi viam muniebant, adipiſcendi obſæpiebant. Atque ex omnibus illa *plaga eſt* injecta petitioni tuæ, non tacente me, maxima: de qua ab homine ingenioſiſſimo, & copioſiſſimo, Hortenſio, multa graviſſimè dicta ſunt: quo etiam mihi durior locus eſt dicendi datus: ut, cùm ante me & ille dixiſſet, & vir ſumma dignitate, & diligentia, & facultate dicendi, M. Craſſus, ego in extremo non partem aliquam agerem cauſæ, ſed de tota re dicerem, quod mihi videretur. itaque in iiſdem rebus ferè verſor, & quod poſſum, judices, [6] occurro veſtræ
24 ſapientiæ. Sed tamen, Servi, quam te *ſecurim* putas injeciſſe petitioni tuæ, cùm tu populum Rom. in eum metum adduxiſti, ut pertimeſceret, ne conſul Catilina fieret, dum tu accuſationem comparares, depoſita, atque abjecta petitione? Etenim te inquirere videbant, triſtem ipſum: mœſtos amicos, obſervationes, teſtificationes, ſeductiones teſtium, ſeceſſionem ſubſcriptorum animadvertebant: quibus rebus certè ipſi candidatorum vultus, obſcuriores videri ſolent. Catilinam interea alacrem, atque lætum, ſtipatum choro juventutis, [7] vallatum indicibus, atque ſicariis, inflatum cùm ſpe militum, tum collegæ mei, quemadmodum dicebat ipſe, promiſſis, circumfluente colonorum Arretinorum, & Feſulanorum exercitu. quam turbam diſſimillimo ex genere, diſtinguebant homines [8] perculſi Sullani temporis calamitate. vultus erat ipſius plenus furoris: oculi, ſceleris: ſermo, arrogantiæ: ſic ut ei jam exploratus, & domi conditus conſulatus videretur. Muranam contemnebat: Sulpicium accuſatorem ſuum numerabat, non competitorem: ei vim denuntiabat: reipubl. minabatur. Quibus rebus, qui timor bonis omnibus inje- 25
ctus ſit, quantaque deſperatio reipubl. ſi ille factus eſſet, nolite à me commoneri velle: voſmetipſi vobiſcum recordamini. meminiſtis enim, cùm illius nefarii gladiatoris voces percrebruiſſent, quas habuiſſe in concione domeſtica dicebatur, cùm *miſerorum fidelem defenſorem negaſſet inveniri poſſe*, niſi eum, qui ipſe miſer eſſet: integrorum, & fortunatorum promiſſis ſaucios, & miſeros credere non oportere: quare qui conſumta replere, erepta recuperare vellent, ſpectarent quid ipſe deberet, quid poſſideret, quid auderet: minimè timidum, & valde calamitoſum eſſe oportere eum, qui eſſet futurus dux, & ſignifer calamitoſorum. Tum igitur, his rebus auditis, meminiſtis fieri ſenatuſconſultum, referente me, ne poſtero die comitia haberentur, ut de his rebus in ſenatu agere poſſemus. Itaque poſtridie, frequenti ſenatu, Catilinam excitavi, atque eum de his rebus juſſi, ſi quid vellet, quæ ad me allatæ eſſent, dicere. Atque ille, ut ſemper fuit apertiſſimus, non ſe purgavit, [9] ſed indicavit, atque induit. tum enim dixit, DUO CORPORA eſſe reipubl. unum debile, infirmo capite: alterum firmum, ſine capite: huic, cùm ita de ſe meritum eſſet, caput, ſe vivo, non defuturum. Congemuit ſenatus frequens, neque tamen ſatis ſeverè, pro rei indignitate, decrevit. nam partim ideò fortes in decernendo non erant, quia nihil timebant: partim, quia timebant. Tum erupit è ſenatu, triumphans gaudio, quem omnino vivum illinc exire non oportuerat: præſertim cùm idem ille in eodem ordine paucis diebus antè, Catoni, fortiſſimo viro, judicium minitanti, ac denuntianti, reſpondiſſet, SI QUOD ESSET in ſuas fortunas *incendium* excitatum, id ſe non
aqua, ſed *ruina* reſtincturum. His tum rebus commotus, 26
& quòd homines jam tum conjuratos cum gladiis in campum deduci à Catilina ſciebam, deſcendi in campum cum firmiſſimo præſidio fortiſſimorum virorum, & cum illa lata, inſignique lorica, non quæ me tegeret (etenim ſciebam Catilinam non latus, aut ventrem, ſed caput, & collum ſolere petere) verùm ut omnes boni animadverterent, & cùm in metu, & periculo conſulem viderent, id quod eſt factum, ad opem, præſidiumque meum concurrerent. Itaque cùm te, Servi, remiſſiorem in petendo putarent, Catilinam & ſpe, & cupiditate inflammatum viderent: omnes, qui illam ab republica *peſtem* depellere cupiebant, ad Mu-

1. *Aut teſtatam rem.*] Vetuſte publicati, *aut certam rem.* S. Vict. & Pal. ſec. tert. *teſtam rem.* oct. *aut teſtem eſſe rem.* reſtat tamen vulgata in Pal. pr. forte fuit, *aut teſtantem abjiciunt*, annotat Gulielmius. unde, *Deos & homines teſtari.*

2. *Tu cum te de curriculo petitionis, &c.*] Ita mſſ. noſtri omnes, neque ſecus edd. vett. recentiores omiſerant *te*.

3. *Cui minimè proderant.*] Gulielmius conjecerat *probarunt*.

4. *Prorogationem legis Maniliæ.*] Haud aliter quidem Pal. pr. ſed ſec. tert. oct. & S. Victoris *prærogationum*. Gulielmius jubet videamus ne fuerit *abrogationem*.

5. *In ſuis civitatibus.*] S. Victoris, *vicinitatibus*, quod non contemſerim.

6. *Occurro veſtræ ſapientiæ.*] Ita Pall. omnes. Hotomanus divinat lib. 11. cap 13. obſervat. *ſatietati*. & vero in Mem. & S. Victoris reſtat, *ſapietati*.

7. *Vallatum indicibus atque ſicariis.*] Lambinus *audacibus atque ſicar.* ſtulte. *indicum* horum multa paſſim apud noſtrum mentio, & nominatim pro Sulla cap 24.

8. *Perculſi Sullani temporis calamitate.*] Lambinus *perculſi*, ſed non reſpondentibus mſſ. & alioquin eſt apud noſtrum ſæpius, ut pro Flacco cap. 19. f.

9. *Sed indicavit atque induit.*] Ita primum conjecerat Hotomanus, adprobaturque à Pal. ſec. tert. & S. Victoris, nam vulgo *innuit*, quod nihili eſt. alterum eſt à feris ſumtum, qui cum ferrum declinare poſſent, in id quaſi ultro incurrunt.

ad Murænam ſe ſtatim contulerunt. Magna eſt autem comitiis conſularibus repentina *voluntatum inclinatio*, præſertim cùm incubuit ad virum bonum, & multis aliis adjumentis petitionis ornatum. qui cum honeſtiſſimo patre, atque majoribus modeſtiſſima adoleſcentia, clariſſima legatione, prætura probata in jure, grata in munere, ornata in provincia, petiſſet diligenter, & ita petiſſet, ut neque minanti cederet, neque cuiquam minaretur: huic mirandum eſt magno adjumento Catilinæ ſubitam ſpem conſulatus adipiſcendi fuiſſe? Nunc mihi tertius ille locus eſt orationis de *ambitus* criminibus, perpurgatus ab iis, qui ante me dixerunt: à me, quoniam ita Muræna voluit, retractandus: quo in loco Poſtumio, familiari meo, ornatiſſimo viro, de diviſorum indiciis, & de deprehenſis pecuniis: adoleſcenti ingenioſo & bono, Ser. Sulpicio, de equitum centuriis: M. Catoni, homini in omni virtute excellenti, de ipſius accuſatione, de ſenatuſconſulto, de repu-
27 blica reſpondebo. Sed pauca, quæ meum animum repentè moverunt, prius de L. Murænæ fortuna conquerar. Nam cùm ſæpe antea, judices, & ex aliorum miſeriis, & ex meis curis, laboribuſque quotidianis, *fortunatos* eos homines judicarem, qui remoti a ſtudiis ambitionis, otium, ac tranquillitatem vitæ ſecuti ſunt: tum verò in his L. Murænæ tantis, tamque improviſis periculis ita ſum animo affectus, ut non queam ſatis neque communem omnium noſtrûm conditionem, neque hujus eventum, fortunamque miſerari: qui primùm dum ex honoribus continuis familiæ, majorumque ſuorum unum adſcendere gradum dignitatis conatus eſt, venit in periculum, ne & ea, quæ relicta; & hæc, quæ ab ipſo parta ſunt, *amittat*: deinde propter ſtudium novæ laudis, etiam in veteris fortunæ diſcrimen adducitur. quæ cùm ſunt gravia, judices, tum illud acerbiſſimum eſt, quod habet eos accuſatores, non qui odio inimicitiarum ad accuſandum, ſed qui ſtudio accuſandi ad inimicitias deſcenderent. Nam, ut omittam Servium Sulpicium, quem intelligo non injuria L. Murænæ, ſed honoris contentione permotum: accuſat paternus amicus, [1] Cn. Poſtumius, vetus, ut ait ipſe, vicinus, ac neceſſarius: qui neceſſitudinis cauſas complureis protulit, ſimultatis nullam commemorare potuit: accuſat Ser. Sulpicius, ſodalis filii, cujus ingenio paterni omnes neceſſarii *munitiores* eſſe debebant: accuſat M. Cato, qui quamquàm à Muræna nulla re umquam alienus fuit, tamen ea conditione nobis erat in hac civitate natus, ut ejus opes, & ingenium, præſidio multis etiam [2] alieniſſimis vix cuiquam inimico, exitio eſſe deberet. Reſpondebo igitur Poſthumio primùm, qui neſcio quo pacto mihi videtur prætorius candidatus in conſularem, quaſi *deſultorius* in quadrigarum curriculum incurrere. cujus competitores ſi nihil deliquerunt, dignitati eorum conceſſit, cùm petere deſtitit. ſin autem eorum aliquis largitus eſt: expetendus amicus eſt, qui alienam potius injuriam, quàm ſuam perſequatur.

Ea omnia, quæ & Poſtumio, & Ser. Sulpicio, adoleſcenti, reſponſa ſunt, deſiderantur.

28 Venio nunc ad M. Catonem, quod eſt firmamentum, ac robur totius accuſationis: qui tamen ita gravis eſt accuſator, & vehemens, ut multo magis ejus auctoritatem, quàm criminationem pertimeſcam. In quo ego accuſatore, judices, primùm illud deprecabor, ne quid L. Murænæ dignitas illius, ne quid exſpectatio tribunatus, ne quid totius vitæ ſplendor, & gravitas noceat: denique ne ea ſoli huic obſint bona M. Catonis, quæ ille adeptus eſt, ut *multis prodeſſe* poſſet. Bis conſul fuerat P. Africanus, & duos terrores hujus imperii, Karthaginem, Numantiamque deleverat; cùm accuſavit, L. Cottam. erat in eo ſumma eloquentia, ſumma fides, ſumma integritas, auctoritas tanta, [3] quanta in ipſo imperio populi Romani, quod illius opera tenebatur. Sæpe hoc majores natu dicere audivi, hanc accuſatoris eximiam dignitatem plurimùm L. Cottæ *profuiſſe*. noluerunt ſapientiſſimi homines, qui tum rem illam judicabant, ita quemquam cadere in judicio, ut nimiis adverſarii viribus abjectus videretur. Quid? Ser. Galbam (nam traditum memoriæ eſt) nonne proavo tuo, fortiſſimo, atque florentiſſimo viro, M. Catoni, incumbenti ad ejus perniciem, populus Rom. eripuit? Semper in hac civitate NIMIS MAGNIS accuſatorum opibus & populus univerſus, & ſapientes, ac multùm in poſterum proſpicientes judices reſtiterunt. Nolo accuſator in judicium potentiam afferat, non vim majorem aliquam, non auctoritatem excellentem, non nimiam gratiam. valeant hæc omnia *ad ſalutem* innocentium, ad opem impotentium, ad auxilium calamitoſorum: in periculo verò, & in pernicie civium, repudientur. Nam ſi quis hoc fortè dicet, Catonem deſcenſurum ad accuſandum non fuiſſe, niſi priùs de cauſa judicaſſet: iniquam legem, judices, & miſeram conditionem inſtituet periculis hominum, ſi exiſtimabit, judicium accuſatoris in reum pro aliquo *præjudicio* valere oportere. Ego tuum conſilium, Cato, propter ſingulare animi mei de tua virtute judicium, vituperare non audeo: [4] nonnulla in re forſitan conformare, & leviter emendare poſſim. *Non multa peccas*, inquit ille fortiſſimo viro ſenior magiſter: *ſed ſi peccas, te regere poſſum*. At ego te veriſſimè dixerim peccare 29
nihil, neque ulla in re te eſſe hujuſmodi, ut corrigendus potiùs, quàm leviter inflectendus eſſe videare. finxit enim te ipſa natura ad honeſtatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, juſtitiam, ad omneis denique virtutes *magnum hominem*, & excelſum. acceſſit his tot, doctrina non moderata, nec mitis, ſed, ut mihi videtur, paullò aſperior, & durior, quàm veritas, aut natura patiatur. Et quoniam non eſt nobis hæc oratio habenda aut cum imperita multitudine, aut in aliquo conventu agreſtium: audaciùs paullò de ſtudiis humanitatis, quæ & mihi, & vobis nota, & jucunda ſunt, diſputabo. In M. Catone, judices, hæc bona, quæ videmus divina, & egregia, ipſius ſcitote eſſe propria. quæ nonnumquam requirimus, ea ſunt omnia non *à natura*, ſed à magiſtro. Fuit enim quidam ſummo ingenio vir, Zeno, cujus inventorum æmuli Stoici nominantur. Hujus ſententiæ ſunt, & præcepta ejuſmodi: SAPIENTEM gratia numquam moveri, numquam cujuſquam delicto ignoſcere: neminem miſericordem eſſe, niſi ſtultum, & levem: viri non eſſe, neque exorari, neque placari, ſolos ſapienteis eſſe, ſi diſtortiſſimi ſint, formoſos: ſi mendiciſſimi, diviteis: ſi ſervitutem ſerviant, reges: nos autem, qui ſapienteis non ſumus, fugitivos, exſules, hoſteis: inſanos denique eſſe dicunt: omnia peccata eſſe paria: omne delictum, ſcelus eſſe nefarium: nec minùs delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cùm opus non fuerit, quam eum, qui patrem ſuffocaverit: ſapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, ſententiam mutare numquam. Hæc homo ingenioſiſſimus, 30
M. Cato, auctoribus eruditiſſimis inductus, arripuit: neque *diſputandi* cauſa, ut magna pars, ſed ita vivendi. Petunt aliquid publicani? cave quidquam habeat momenti *gratia*.

1. *Cn. Poſtumius.*] Si adquieſcendum mſſ. noſtris, & edd. obſoletis, reponendum tam heic quam ſupra & infra *Poſtumo*. ſicque etiam reſtare in S. Victoris, annotavit Gulielmius.

2. *Alieniſſimis, vix cuiquam inimico, exitio eſſe deberet.*] Eſt à Lambini conjectura, cum in mſ. Memmii fuiſſet, *eximo*. prius publicabatur, *alieniſſimis, vix cuiquam inimicus eſſe deberet*. S. Victoris præfert, *alienis, ex imo vix cuiquam inimico eſſe deberet*. cui ſcripturæ alludunt Pall. in quibus, *alieniſſimo vix cuiquam*. adeo ut appareat verbis tranſpoſitis legi *alienis, exitio vix cuiquam inimico eſſe deberet*.

3. *Quanta in ipſo imperio populi Rom. &c.*] Sic ſolum Pall. pr. quippe ſec. tert. oct. S. Vict. editio CCCCLXXXIII. adhuc tollunt voculam *ipſo*, neque requiritur. vulgabatur ante aliquot annos, *quanta in homine quoquam, quanta in ipſo, &c.* ſed priora illa non comparent in noſtris mſſ. ideoque jure abjecere Lambinus, Manutius, alii.

4. *Nonnulla in re forſitan.*] Ita editio prima & Victoriana. at Lambinus *in te*; inſulſe. ſi ſequimur Pall. omnes & S. Victoris exemplar, utramque voculam abjiciemus.

gratia. Supplices aliqui veniunt, miſeri, & calamitoſi? ſceleratus, & nefarius fueris, ſi quidquam, *miſericordia* adductus, feceris. Fatetur aliquis ſe peccaſſe, & ejus delicti veniam petit? nefarium eſt facinus, *ignoſcere.* At leve delictum eſt. omnia peccata ſunt paria. Dixiſti quippiam. fixum, & ſtatutum eſt. Non re ductus es, ſed opinione. ſapiens nihil opinatur. Erraſti aliqua in re. malè dici putat. Hac ex diſciplina illa nobis ſunt. Dixi in ſenatu me nomen conſularis candidati delaturum. Iratus dixiſti. numquam, inquit, ſapiens iraſcitur. At temporis cauſa. Improbi, inquit, hominis eſt, mendacio fallere: mutare ſententiam, turpe eſt: exorari, ſcelus: miſereri, flagitium. Noſtri autem illi (fatebor enim, Cato, me quoque in adoleſcentia, diffiſum ingenio meo, quæſiſſe *adjumenta doctrinæ*) noſtri, inquam, illi à Platone, & Ariſtotele, moderati homines, & temperati, ajunt, APUD SAPIENTEM valere aliquando gratiam: viri boni eſſe miſereri: diſtincta genera eſſe delictorum, & diſpares pœnas: eſſe apud hominem conſtantem ignoſcendi locum: ipſum ſapientem ſæpe aliquid opinari, quod neſciat: iraſci nonnumquam: exorari eundem, & placari: quod dixerit, interdum, ſi ita rectiùs ſit, mutare: de ſententia decedere aliquando: omneis virtutes mediocritate quadam eſſe mo-
31 deratas. Hos ad magiſtros ſiqua te fortuna, Cato, cum iſta natura detuliſſet: non tu quidem vir melior eſſes, nec fortior, nec temperantior, nec juſtior, (neque enim eſſe potes) ſed paullo *ad lenitatem propenſior.* non accuſares nullis adductus inimicitiis, nulla laceſſitus injuria, pudentiſſimum hominem, ſumma dignitate, atque honeſtate præditum: putares, cùm in ejuſdem anni cuſtodia te, atque L. Murænam fortuna poſuiſſet, aliquo te, cum hoc, *reipublicæ vinculo* eſſe conjunctum: quod atrociter in ſenatu dixiſti, aut non dixiſſes, [1] aut ſepoſuiſſes, aut mitiorem in partem intepretarere. Ac te ipſum (quantum ego opinione auguror) nunc & animi quodam impetu concitatum, & vi naturæ, atque ingenii elatum, & recentibus præceptorum ſtudiis flagrantem jam, *uſus flectet, dies leniet, ætas mitigabit.* Etenim iſti ipſi mihi videntur veſtri præceptores, & virtutis magiſtri, fineis officiorum paullo longiùs, quàm natura vellet, protuliſſe: ut, cùm ad ultimum animo contendiſſemus, ibi tamen, [2] ubi oportet, conſiſteremus. Nihil ignoveris. Immò aliquid, non omnia. [3] Nihil gratiæ cauſa feceris. Immò reſiſtito gratiæ, cùm officium, & fides poſtulabit. [4] Miſericordia commotus ne ſis. Etiam; in diſſolvenda ſeveritate: ſed tamen eſt laus aliqua humanitatis. In ſententia permaneto. [5] Verò; niſi ſententiam alia vicerit melior. Hujuſcemodi Scipio ille fuit, quem non pœnitebat facere idem, quod tu, habere eruditiſſimum hominem,[6] & pœnè *domi*: cujus oratione, & præceptis, quamquam erant eadem iſta, quæ te delectant, tamen aſperior non eſt factus, ſed (ut accepi à ſenibus) leniſſimus. Quis verò C. Lælio comior? quis jucundior, eodem ex ſtudio iſto? [7] quis illo gravior? ſapientior? Poſſum de L. Philippo, de C. Gallo dicere hæc eadem: ſed te domum jam deducam tuam. Quemquamne exiſtimas Catone, proavo tuo, [8] commodiorem, comiorem, moderatiorem fuiſſe, ad omnem rationem humanitatis? de cujus præſtanti virtute cùm verè, graviterque diceres, *domeſticum* te habere dixiſti *exemplum* ad imitandum. Eſt illud quidem exemplum tibi propoſitum domi: ſed tamen naturæ ſimilitudo illius ad te magis, qui ab illo ortus es, quam ad unumquemque noſtrûm pervenire potuit: ad imitandum verò tam mihi propoſitum *exemplar* illud eſt, quàm tibi. Sed, ſi illius comitatem, & facilitatem tuæ gravitati, ſeveritatique adſperſeris: non iſta quidem erunt meliora, quæ nunc ſunt optima, ſed certè *condita jucundius.* Quare, ut ad id, quod in- 32
ſtitui, revertar, tolle mihi è cauſa nomen Catonis: remove, ac prætermitte AUCTORITATEM, quæ in judiciis aut nihil valere, aut ad ſalutem debet valere: congredere mecum criminibus ipſis. Quid accuſas, Cato? quid affers in judicium? quid arguis? Ambitum accuſas? non defendo. Me reprehendis, quòd idem defendam, quod [9] lege punierim. Punivi *ambitum*, non innocentiam. ambitum verò ipſum vel tecum accuſabo, ſi voles. Dixiſti, ſenatusconſultum, me referente, eſſe factum, SI MERCEDE CORRUPTI, obviam candidatis iſſent, ſi conducti ſectarentur, ſi gladiatoribus [10] vulgò locus tributim, & item prandia ſi vulgò eſſent data; contra legem Calpurniam factum videri. Ergo ita ſenatus judicat, contra legem facta hæc videri, ſi facta ſint: decernit, quod nihil opus eſt, dum candidatis morem gerit. nam factum ſit, necne, vehementer quæritur. ſi factum ſit, quin contra legem ſit, dubitare nemo poteſt. Eſt igitur ridiculum, quod eſt dubium, id relinquere incertum: quod nemini dubium poteſt eſſe, id judicare. Atque id decernitur omnibus poſtulantibus candidatis: ut ex S. C. neque cujus interſit, neque contra quem ſit, intelligi poſſit. Quare doce, à L. Muræna illa eſſe commiſſa. tum egomet tibi contra legem commiſ-
ſa eſſe concedam. Multi obviam prodierunt de provincia 33
decedenti, conſulatum petenti. *Solet fieri.* eccui autem non proditur revertenti? quæ fuit iſta multitudo? Primum, ſi tibi iſtam rationem non poſſim reddere: quid habet admirationis, tali viro advenienti, candidato conſulari, obviam *prodiſſe* multos? quod niſi eſſet factum, magis mirandum videretur. Quid, ſi etiam illud addam, quod à conſuetudine non abhorret, *rogatos eſſe multos?* num aut criminoſum ſit, aut mirandum, qua in civitate rogati infimorum hominum filios propè de nocte ex ultima ſæpe urbe deductum venire ſoleamus, in ea non eſſe gravatos homines prodire hora tertia in campum Martium, præſertim talis viri nomine rogatos? Quid, ſi omnes ſocietates venerunt, quarum ex numero multi hîc ſedent judices? quid, ſi multi homines noſtri ordinis honeſtiſſimi? quid, ſi illa officioſiſſima, quæ neminem patitur, non honeſtè in urbem introire, tota *natio candidatorum*? ſi denique ipſe accuſator noſter Poſtumius obviam cum bene magna caterva ſua

---

1. *Aut ſepoſuiſſes, aut mitiorem.*] Lambinus, *aut ſi potuiſſes*, *mitiorem*, quod tamen non eſt à libris ſed conjectura Hotomani l. 11. obſervat. cap. 12. quæ neceſſaria heic non erat. nam *ſeponuntur*, quæ tegimus & occulimus. videatur lib. 1. de Oratore, capite 35.

2. *Ubi oportet conſiſteremus.*] Apage hinc Lambini negativum *non conſiſteremus*; contra mentem auctoris, contra membranas. neque aliquid deeſt, ut viſum Hotomano. conſulatur Lipſius, Manuductione ad Stoica.

3. *Nihil gratiæ cauſa feceris.*] Sic nunc quidem editur. ante annos centum legebatur, *nihil gratiæ confeceris*; quod & in Pall. & S. Victoris. forte, *conceſſeris*, inquit Gulielmius.

4. *Miſericordia commotus ne ſis. Etiam; in diſſolvenda &c.*] Interpunctione mutata, forti auctori ſua reddita eſt ſententia; ut velit: ita eſt, abſit miſericordia ea quæ diſſolvat ſeveritatem, &c. Lambinus admiſit Hotomani divinationem: *ne ſis. ſed tamen eſt etiam in diſſolvenda ſeveritate laus aliqua, &c.* d. cap. 35. nimis licenter, & minus verè.

5. *Verò; niſi ſententiam alia vicerit melior.*] Eſt à Pall. noſtris & S. Victoris prius cuſi, *Enimverò niſi ſententia alia, &c.*

6. *Et penè domi.*] Vulgata, *& pene divinum domi.* ſed illud domi non eſt in editione prima, *divinum* verò in altera, neque habet adeo codex S. Victoris, aut Pal. ſec. tert. oct. extat in primo, ſed is quoque excluſit *domi.* Vult nimirum, Panætium tantum non habitaſſe cum Scipione unis ædibus. poſſet etiam legi *planè.* nam S. Victoris habet *pæne.*

7. *Quis illo gravior?*] Non ineptè conjicit Gulielmius, *Philo gravior?* ego præterea mallem, *gratior?*

8. *Commodiorem comiorem.*] S. Vict. *communiorem*, quod & in Pal. ſec. tert. oct. item editione CCCCLXXXIII. & æque heic convenit quam alterum.

9. *Lege punierim. Punivi.*] Lambinus heic ſecutus eſt ſcripturam exemplaris S. Victoris, *pœnierim Pœnivi.* majora alia ſunt quæ erant redonanda Ciceroni, quàm vetus ſcribendi ratio. ideoque tanti non habui, ut imitarer.

10. *Vulgo locus tributim.*] Non aliter Pall. noſtri & olim editi, & S. Victoris codex. vulgata, *tributus*; quod & damnarat Hotomanus.

va ſua venit, quid habet iſta multitudo admirationis? omitto clienteis, vicinos, tribuleis, exercitum totum Luculli, qui ad triumphum per eos dies venerat. hoc dico, frequentiam in iſto officio gratuitam, non modò *dignitati* ullius umquam, ſed ne *voluntati* quidem defuiſſe. At ſectabantur multi. Doce, mercede: concedam eſſe crimen. hoc
34 quidem remoto, quid reprehendis? Quid opus eſt, inquit, ſectatoribus? A me tu id quæris, quid opus ſit eo, quo ſemper uſi ſumus? Homines tenues unum habent in noſtrum ordinem [1] aut promerendi, aut proferendi beneficii locum, hanc in noſtris petitionibus operam, atque *aſſectationem*. neque enim fieri poteſt, neque poſtulandum eſt à nobis, aut ab equitibus Romanis, ut ſuos neceſſarios candidatos ſectentur totos dies. à quibus ſi domus noſtra celebratur, ſi interdum ad forum deducimur, ſi uno baſilicæ ſpatio honeſtamur, *diligenter obſervari* videmur & coli. Tenuiorum, & non occupatorum amicorum eſt iſta aſſiduitas: quorum copia bonis, & beneficis deeſſe non ſolet. Noli igitur eripere hunc inferiori generi hominum fructum officii, Cato: ſine eos, qui *omnia à nobis ſperant*, habere ipſos quoque aliquid, quod nobis tribuere poſſint. Si nihil erit, præter ipſorum ſuffragium, tenue eſt: ſi, ut ſuffragantur, nihil valent gratia. Ipſi denique, ut ſolent loqui, non dicere pro nobis, non ſpondere, non vocare domum ſuam poſſunt: atque hæc à nobis petunt omnia: neque ulla re alia, quæ à nobis conſequuntur, niſi *opera ſua*, compenſari putant poſſe. Itaque & legi Fabiæ, quæ eſt de numero ſectatorum, & S. C. quod eſt L. Cæſare conſule factum, reſtiterunt. nulla eſt enim pœna, quæ poſſit *obſervantiam* tenuiorum ab hoc vetere inſtituto officiorum excludere. At ſpectacula ſunt tributim data, & ad prandium vulgò vocati. Etſi hoc factum à Muræna omnino, judices, non eſt: ab ejus amicis autem more, & modo factum eſt: tamen admonitus re ipſa, recordor quantum hæ quæſtiones, in ſenatu habitæ, punctorum nobis, Servi, detraxerint. Quod enim tempus fuit aut noſtra aut patrum noſtrorum memoria, quo hæc, ſive ambitio eſt, ſive liberalitas, non fuerit, ut locus & in circo, & in foro daretur amicis, & tribulibus? [2] hæc homines tenuiores primùm, nondum qui à ſuis tribulibus vetere inſtituto aſſequebantur.

Deeſt nonnihil.

35 Præfectum fabrûm ſemel locum tribulibus ſuis dediſſe: quid ſtatuent in viros primarios, qui in circo totas tabernas, tribulium cauſa, compararunt? Hæc omnia ſectatorum, ſpectaculorum, prandiorum item crimina, à multitudine in tuam nimiam diligentiam, Servi, conjecta ſunt, in quibus tamen Muræna ab ſenatus auctoritate defenditur. Quid enim? Senatus num obviam prodire crimen putat? non: [3] ſed *mercede:* convince. num ſectari multos? non, ſed conductos: doce. num locum ad ſpectandum dare? aut ad prandium invitare? minimè. ſed vulgò, paſſim. quid eſt *vulgo?* univerſos. Non igitur, ſi L. Natta, ſummo loco adoleſcens, qui, & quo animo jam ſit, & qualis vir futurus ſit, videmus, in equitum centuriis voluit eſſe & ad hoc officium neceſſitudinis, & ad reliquum tempus, gratioſus, id erit ejus vitrico fraudi, aut crimini: nec, ſi virgo Veſtalis, hujus propinqua, & neceſſaria, [4] locum ſuum gladiatorium conceſſit huic, non & illa piè fecit, & hic à culpa eſt remotus. omnia hæc ſunt officia neceſſariorum, commoda tenuiorum, munia candidatorum. At enim agit mecum auſterè, & Stoicè Cato. negat verum eſſe, *allici benevolentiam cibo:* negat judicium hominum in magiſtratibus mandandis corrumpi voluptatibus oportere. Ergo ad cœnam, petitionis cauſa: ſi quis vocat, condemnetur. quippe, inquit, tu mihi ſummum imperium, ſummam auctoritatem, tu gubernacula reipublicæ petas fovendis hominum ſenſibus, & deliniendis animis, & adhibendis voluptatibus? Utrùm lenocinium, inquit, à grege delicatæ juventutis, an orbis terrarum imperium à populo Rom. petebas? Horribilis oratio, ſed *eam uſus, vita, mores, civitas* ipſa reſpuit. Neque tamen Lacedæmonii, auctores iſtius vitæ, atque orationis, qui quotidianis epulis [5] in robore accumbunt: neque verò Cretes, quorum nemo guſtavit umquam cubans, meliùs, quàm Romani homines, qui tempora voluptatis, laboriſque *diſpertiunt*, reſp. ſuas retinuerunt: quorum alteri, uno adventu noſtri exercitus, deleti ſunt: alteri noſtri imperii præſidio diſciplinam ſuam, legeſque conſervant. Quare noli, Cato, ma- 36
jorum inſtituta, [6] quæ res ipſa publica, quæ diuturnitas imperii comprobat, nimiùm ſevera oratione reprehendere. Fuit eodem ex ſtudio vir eruditus apud patres noſtros, & honeſtus homo, & nobilis, Q. Tubero. is, cùm epulum Q. Maximus, Africani patrui ſui nomine, populo Romano daret, rogatus eſt à Maximo, ut *triclinium ſterneret*, cùm eſſet Tubero ejuſdem Africani ſororis filius. Atque ille, homo eruditiſſimus, ac Stoicus, ſtravit pelliculis hædinis lectulos Punicanos, & expoſuit vaſa Samia: quaſi verò eſſet Diogenes Cynicus mortuus, & non divini hominis Africani mors honeſtaretur: quem cùm ſupremo ejus die Maximus laudaret, gratias egit diis immortalibus, quòd ille vir in hac republ. *potiſſimum natus* eſſet. neceſſe enim fuiſſe, ibi eſſe terrarum imperium, ubi ille eſſet. hujus in morte celebranda graviter tulit populus Rom. hanc *perverſam ſapientiam* Tuberonis. Itaque homo integerrimus, civis optimus, cùm eſſet L. Paulli nepos, P. Africani, ut dixi, ſororis filius, his hædinis pelliculis prætura dejectus eſt ODIT POPULUS Roman. privatam luxuriam: publicam magnificentiam diligit: non amat profuſas epulas: ſordeis, & inhumanitatem multo minùs. diſtinguit rationem officiorum, ac temporum: viciſſitudinem laboris, ac voluptatis. Nam, quòd ais, *nulla re allici* hominum menteis oportere ad magiſtratum mandandum, niſi dignitate: hoc tu ipſe, in quo ſumma eſt dignitas, non ſervas. cur enim quemquam, ut ſtudeat tibi, ut te adjuvet, rogas? Rogas tu me, ut mihi præſis, ut committam ego me tibi. Quid tandem? iſtuc me rogari oportet abs te, an te potiùs à me, ut pro mea ſalute laborem, periculumque ſuſcipias? Quid, quòd habes *nomenclatorem?* in eo quidem fallis, & decipis. nam, ſi nomine appellari abs te civeis tuos, honeſtum eſt: turpe eſt eos notiores eſſe ſervo tuo, quàm tibi. ſin etiam noris: tamen per monitorem appellandi ſunt. [7] cur antè petis, quam inſuſurravit? aut quid, cùm admoneris, tamen, quaſi tute noris, ita ſalutas? quid, poſtea quàm es deſignatus, multo ſalutas *negligentiùs?* Hæc omnia ad rationem civitatis ſi dirigas, recta ſunt. ſin perpendere ad diſciplinæ præcepta velis, reperiantur praviſſima. Quare nec plebi Rom. eripiendi fructus iſti ſunt ludorum, gladiatorum,

1. *Aut promerendi, aut proferendi beneficii locum.*] Lambinus *referendi*. in illo *promeremus* beneficium alterius, *proferimus* noſtrum.

2. *Hæc homines tenuiores primum nondum qui à ſuis, &c.*] Vetuſtius impreſſi, *qui ea ſuis*, quomodo & Pall. noſtri, item S. Victoris; qui tamen non agnoſcit illud, *primum nondum qui*. Gulielmius conjiciebat, *primum ſum*.

3. *Sed mercede: convince &c.*] Lambinus heic, ſecutus Hotomanum, voces aliquot repetit. ſed quid ſi non repetantur? quid ſi ſubintelligantur? non eſſe in mſſ. hoc ſcio: ideoque non admitto.

4. *Locum ſuum gladiatorium, &c.*] Lambinus iſthæc quoque tranſpoſuit, nolentibus mſſ. idem ex membranis reſtituit *gladiatoribus*; quod forte probari queat. ego non inveni in Pall. aut Gulielmius in S. Victore.

5. *In robore accumbunt.*] Explicat P. Victorius lib. 3. Var. lect. cap. 15.

6. *Quæ res ipſa publica.*] Vox *publica* non eſt in Pall. aut S. Victoris. & videtur ſuperflua; neque comparet in editione anni CCCCLXXXIII.

7. *Cur ante petis, quàm inſuſurravit.*] Valde placet lectio quam ex mſ. neſcio quo citat rejicitque Lambinus, *pellis?* nam qui nomen norant, nolebant inſuſurrari ſibi; ideoque rejiciebant nomenclatorem.

diatorum, conviviorum: quæ omnia majores noſtri com-
paraverunt: nec candidatis iſta benignitas adimenda eſt,
37 quæ *liberalitatem* magis ſignificat, quàm largitionem. At
enim te ad accuſandum reſpublica adduxit. Credo, Cato,
te iſto animo, atque ea opinione veniſſe: ſed tu imprudentia
laberis. Ego quod facio, judices, cùm amicitiæ, digni-
tatiſque L. Murænæ gratia facio, tum me pacis, otii, con-
cordiæ, libertatis, ſalutis, vitæ denique omnium noſtrûm
cauſa facere clamo, atque teſtor. Audite, audite conſulem,
judices, nihil dicam arrogantius, tantùm dicam, totos dies,
atque nocteis de republica cogitantem. [1] NON USQUE cò
L. Catilina remp. deſpexit, atque contemſit, ut ea copia,
quam ſecum eduxit, ſe hanc civitatem oppreſſurum arbi-
traretur. latiùs patet illius ſceleris contagio, quàm quiſ-
quam putat: ad plureis pertinet. Intus, intus, inquam, eſt
equus Trojanus: à quo numquam, me conſule, dormien-
tes opprimemini. Quæris a me, quid ego Catilinam me-
tuam. Nihil: & curavi, ne quis metueret: ſed copias il-
lius, quas hîc video, dico eſſe metuendas: nec tam timen-
dus eſt nunc exercitus L. Catilinæ, quam iſti, qui illum
exercitum deſeruiſſe dicuntur. non enim deſeruerunt:
ſed ab illo *in ſpeculis*, atque inſidiis relicti, in capite, atque
in cervicibus noſtris reſtiterunt. Hi & integrum conſulem,
& bonum imperatorem, & natura, & fortuna, cum rei-
publicæ ſalute conjunctum, dejici de urbis præſidio, &
de cuſtodia civitatis, veſtris ſententiis, deturbari volunt.
quorum ego ferrum, & audaciam rejeci in campo, debili-
tavi in foro, compreſſi etiam domi meæ ſæpe, judices. his
vos ſi alterum conſulem tradideritis, plus multo erunt *ve-
ſtris ſententiis*, quàm ſuis gladiis conſecuti. Magni intereſt,
judices, id quod ego multis repugnantibus egi, atque per-
feci eſſe Kalendis Jan. in republica [2] duo conſules. [3] No-
lite arbitrari, mediocribus conſiliis, aut uſitatis viis, aut
non improba, non pernicioſa largitio, non auditum ali-
quando aliquod malum reipublicæ quæritur. inita ſunt in
hac civitate conſilia, judices, urbis delendæ, civium tru-
cidandorum, nominis Romani exſtinguendi. Atque hæc
cives, *cives*, inquam, (ſi eos hoc nomine appellari fas eſt)
de patria ſua & cogitant, & cogitaverunt. horum ego quo-
tidie conſiliis occurro, audaciam debilito, ſceleri reſiſto.
Sed vos moneo, judices: in exitu eſt jam meus conſulatus:
nolite mihi ſubtrahere vicarium meæ diligentiæ: nolite
adimere eum, cui remp. cupio tradere incolumem, ab his
38 tantis periculis defendendam. Atque ad hæc mala, judices,
quid accedat aliud, non videtis? [4] te, te appello, Cato:
nonne proſpicis *tempeſtatem* anni tui? jam enim heſterna
concione intonuit vox pernicioſa [5] deſignati tribuni, col-
legæ tui: contra quem multum tua mens, multum omnes
boni providerunt, qui te ad tribunatus petitionem voca-
verunt. Omnia, quæ per hoc triennium agitata ſunt jam
ab eo tempore, quo a Lucio Catilina, & Cneo Piſone in-
itum conſilium ſenatus interficiendi ſcitis eſſe; in hos dies,
in hos menſeis, in hoc tempus *erumpunt*. Qui locus eſt,
judices, quod tempus, qui dies, quæ nox, cùm ego non
ex iſtorum inſidiis, ac mucronibus, non ſolum meo, ſed
multò etiam magis divino conſilio eripiar, atque evolem?
Neque iſti me *meo nomine* interfici, ſed vigilantem conſu-
lem de reipubl. præſidio demovere volunt: nec minùs vel-
lent, Cato, te quoque aliqua ratione, ſi poſſent, tollere: id
quod, mihi crede, & agunt, & moliuntur. vident, quan-
tum in te ſit animi, quantum ingenii, quantum auctorita-
tis, quantum reip. præſidii: ſed cùm conſulari auctoritate,
& auxilio ſpoliatam vim tribunitiam viderint, tum ſe faci-
lius inermem, & *debilitatum* te oppreſſuros arbitrantur.
nam ne ſufficiatur conſul, non timent. vident in tuorum
poteſtate collegarum fore: ſperant ſibi Silanum, clarum
virum, ſine collega, te ſine conſule, remp. ſine præſidio
objici poſſe. His tantis in rebus, tantiſque in periculis, eſt
tuum, M. Cato, qui non mihi, non tibi, ſed *patriæ natus
es*, videre quid agatur, retinere adjutorem, defenſorem,
ſocium in rep., conſulem non cupidum, conſulem (quod
maximè tempus hoc poſtulat) fortuna conſtitutum ad am-
plexandum otium: ſcientia, ad bellum gerendum: animo,
& uſu, *ad quod velis* negotium. Quamquam hujuſce rei po-
teſtas omnis in vobis ſita eſt, judices: totam rempubl. vos
in hac cauſa tenetis, vos gubernatis. Si L. Catilina cum ſuo
consilio nefariorum hominum, quos ſecum eduxit, hac 39
de re poſſet judicare, condemnaret L. Murænam: ſi inter-
ficere poſſet, occideret. Petunt enim rationes illius, ut
orbetur auxilio reſp. ut minuatur contra ſuum furorem im-
peratorum copia: ut major facultas tribunis plebis detur,
depulſo adverſario, ſeditionis, ac diſcordiæ concitandæ.
Idemne igitur delecti ampliſſimis ex ordinibus honeſtiſſi-
mi, atque ſapientiſſimi viri *judicabunt*, quod ille importu-
niſſimus gladiator, hoſtis reipublicæ judicaret? Mihi cre-
dite, judices, in hac cauſa non ſolùm de L. Murænæ, ve-
rùm etiam de veſtra ſalute ſententiam feretis. In diſcrimen
extremum venimus: nihil eſt jam, unde nos reficiamus,
aut ubi lapſi reſiſtamus. non ſolùm minuenda non ſunt
auxilia, quæ habemus: ſed etiam nova, ſi fieri poſſit, com-
paranda. hoſtis eſt enim non apud Anienem, quod bello
Punico graviſſimum viſum eſt, ſed in urbe, in foro: (dii
immortales! ſine gemitu hoc dici non poteſt:) non nemo
etiam in illo *ſacrario reipublicæ*, in ipſa, inquam, curia
non nemo hoſtis eſt. Dii faxint, ut meus collega, vir for-
tiſſimus, hoc Catilinæ nefarium latrocinium armatus op-
primat: ego togatus, vobis, boniſque omnibus adjutori-
bus, hoc, quod conceptum reſpublica periculum parturit,
conſilio diſcutiam, & comprimam. Sed quid tandem fiet,
ſi hæc elapſa de manibus noſtris, in eum annum, qui con-
ſequitur, redundarint? Unus erit conſul, & is non in ad-
miniſtrando bello, ſed in ſufficiendo collega occupatus.
hunc jam [6] qui impedituri ſint, * * illa *peſtis immanis*, im-
portuna, Catilinæ prorumpet, [7] quà poterit: & jam popu-
lo Romano minatur: in agros ſuburbanos repentè advola-
bit: verſabitur in caſtris furor, in curia timor, in foro con-
juratio, in campo exercitus, in agris vaſtitas: omni autem
in ſede, ac loco ferrum, flammamque metuemus. quæ
jamdiu comparantur, eadem iſta omnia, ſi ornata ſuis præ-
ſidiis erit reſpublica, facilè & magiſtratuum conſiliis, &
privatorum [8] diligentia opprimentur. Quæ cùm ita ſint,
judices, primum reipublicæ cauſa, *qua nulla res cuiquam* 40
potior debet eſſe, vos, pro mea ſumma, & vobis cognita in
remp. diligentia, moneo, pro auctoritate conſulari hortor,
pro

1. *Non uſque eo, &c.*] Lambinus ſibi arrogat hanc lectionem. fruſtra prodita antea fuerat à Victorio. prius vulgati deſtituebantur illo *non*, quod nec in mſſ. noſtris.

2. *Duo conſules.*] Ita etiam erat in S. Victoris membranaceo, veteri ratione ſcribendi, pro quo vulgo *duos*.

3. *Nolite arbitrari; mediocribus conſiliis, aut uſitatis viis, aut. non lex improba, non pernicioſa largitio, non auditum aliquando aliquod malum Reipub. quæritur.*] Repræſentavi omnibus apicibus ſcripturam Pall. quatuor, olim euſorum. niſi quod ii, *vitis* vel *vitiis*, quod cupiam reformari in *viris*. item *largitionum*. verum alterum eſt a Memmiano. locus eſt ſanus meo judicio. *aut*, illud puncto clauditur, ut auctor tertium quid voluerit inferre: ſed figura notâ ſubticuerit. vulgata habebat, *Nolite arbitrari, mediocribus conſiliis, aut uſitatis viis, aut lege improba, aut pernicioſa largitione aud. aliq. al. mal. Reip. quæri.*

4. *Te te appello Cato.*] Syllaba repetita, addita eſt fide Pall. S. Victoris habetque etiam Victoriana editio, nedum antiquiores.

5. *Deſignati tribuni collegæ.*] Lambinus ait, *tribuni*, abeſſe mſſ. ejus. at meis omnibus adeſt, item editis vetuſtius. omiſit Victoriana.

6 *Qui impedituri ſint* * *] Neoterici adjecerunt, *parati ſunt*. ſed ita nulli antiquitus excuſi, aut Pall. *qui* ferè habent vacuum ſpatium unius alteriuſque lineæ: ideoque locum notavi aſteriſco.

7 *Qua poterit: & jam populo Ro. minatur.*] S. Victoris hic quoque vacuum reliquit, inter qua *po* . . . . . . *minatur*, quod & in Pal. tert. & oct. nam pr. continuò ſcribit, *qua poterit minabitur in agros*. ſecund. *qua populo Ro. minatur*. qui idem, ut & tert. & oct. S. Victoris ſervat *perrumpet*, non *prorumpet*.

8. *Diligentia opprimentur.*] S. Victor. Pall. tres *confirmentur*. ac primus *comprimentur*.

1. Deinde

pro magnitudine periculi obteſtor, ut otio, ut paci, ut ſaluti, ut vitæ veſtræ, & ceterorum civium, conſulatis: [1] deinde ego fidem veſtram, vel defenſoris, & amici officio adductus, oro, atque obſecro, judices, ut ne hominis miſeri, & cùm corporis morbo, tum animi dolore confecti, L. Murænæ, recentem gratulationem nova [2] lamentatione obruatis. modò maximo beneficio pop. Rom. ornatus, *fortunatus* videbatur, quòd primus in familiam veterem, primus in municipium antiquiſſimum, conſulatum attuliſſet: nunc idem ſqualore ſordidus, confectus morbo, lacrymis, ac mœrore perditus, veſter eſt *ſupplex*, judices, veſtram fidem obteſtatur, miſericordiam implorat, veſtram poteſtatem, ac veſtras opes intuetur. Nolite, per deos immortaleis, judices, hac eum re, qua ſe honeſtiorem fore putavit, etiam ceteris antè partis honeſtatibus, atque omni dignitate, fortunaque privare. Atque ita vos Muræna, judices, orat, atque obſecrat, ſi injuſtè neminem læſit, ſi nullius aureis, voluntatemve violavit: ſi nemini, ut leviſſimè dicam, odio nec domi, nec militiæ fuit: ſit apud vos modeſtiæ locus, ſit demiſſis hominibus perfugium, ſit auxilium pudori. Miſericordiam ſpoliatio conſulatus magnam habere debet, judices. unà enim eripiuntur cum conſulatu omnia. *invidiam* verò his temporibus habere conſulatus ipſe nullam poteſt. objicitur enim concionibus ſeditioſorum, inſidiis conjuratorum, telis Catilinæ, ad omne denique periculum, atque ad omnem invidiam ſolus opponitur. Quare quid invidendum Murænæ, aut cuiquam noſtrûm ſit in hoc præclaro conſulatu, non video, judices. quæ verò miſeranda ſunt, ea & mihi ante oculos verſantur,
41 & vos videre, & perſpicere poteſtis. Si (quod Jupiter omen avertat) hunc veſtris ſententiis afflixeritis: quò ſe miſer vertet? domumne? ut eam *imaginem* clariſſimi viri, parentis ſui, quam paucis antè diebus laureatam in ſua gratulatione conſpexit, eandem deformatam ignominia, lugentemque videat? an ad *matrem*, quæ miſera modò conſulem oſculata filium ſuum, nunc cruciatur, & ſollicita eſt, ne eundem paullo pòſt ſpoliatum omni dignitate conſpiciat? Sed quid ego matrem, aut domum appello, quem nova pœna legis & domo, & parente, & omnium ſuorum conſuetudine, conſpectuque privat? Ibit igitur in exſilium miſer? quò? ad Orientiſne parteis, in quibus annos multos legatus fuit, & exercitus duxit, & res maximas geſſit? At HABET MAGNUM dolorem, unde cum honore deceſſeris, eodem cum ignominia reverti. An ſe in contrariam partem terrarum abdet, ut Gallia Tranſalpina, quem nuper ſummo cum imperio libentiſſimè viderit, eundem lugentem, mœrentem, exſulem videat? in ea porrò provincia, quo animo C. Murænam, *fratrem* ſuum, adſpiciet? qui hujus dolor? qui illius mœror erit? quæ utriuſque lamentatio? quanta autem perturbatio fortunæ, atque ſermonis, quòd, quibus in locis paucis antè diebus factum eſſe conſulem Murænam, nuntii, litteræque celebraſſent, & unde hoſpites, atque amici gratulatum Romam concurrerint, [3] repentè eò accedat ipſe nuntius ſuæ calamitatis? Quæ ſi acerba, ſi miſera, ſi luctuoſa ſunt, ſi alieniſſima à manſuetudine, & miſericordia veſtra, judices: conſervate populi Rom. beneficium: reddite reip. conſulem: date hoc ipſius pudori, date patri mortuo, date generi, & familiæ, date etiam Lanuvio, municipio honeſtiſſimo: quod in hac tota cauſa, frequens, mœſtumque vidiſtis. nolite à ſacris patriis *Junonis Soſpitæ*, cui omnes conſules facere neceſſe eſt, domeſticum, & ſuum conſulem potiſſimum avellere. Quem ego vobis, ſi quid habet aut momenti commendatio, aut auctoritatis confirmatio mea, conſul conſulem, judices, ita commendo, ut cupidiſſimum otii, ſtudioſiſſimum bonorum, acerrimum contra ſeditionem, fortiſſimum in bello, inimiciſſimum huic conjurationi, quæ nunc remp. labefactat, futurum eſſe promittam, & ſpondeam.

M. TULLIUS CICERO PRO L. FLACCO.

ORATIO VICESIMAQUARTA.

1 CUM in maximis periculis hujus urbis, atque imperii, graviſſimo, atque acerbiſſimo reipubl. caſu; ſocio, atque adjutore conſiliorum, periculorumque meorum, L. Flacco, cædem à vobis, conjugibus, liberis veſtris, vaſtitatem à templis, delubris, urbe, Italia depellebam: ſperabam, judices, [1] *honoris* potius L. Flacci me adjutorem futurum, quam miſeriarum deprecatorem. Quod enim eſſet præmium dignitatis, quod populus Rom. cum hujus majoribus ſemper detuliſſet, huic denegaret: cùm L. Flaccus *veterem* Valeriæ gentis in liberanda patria laudem propè quingenteſimo anno reipubl. retuliſſet? Sed ſi fortè aliquando aut beneficii hujus obtrectator, aut virtutis hoſtis, aut laudis invidus exſtitiſſet, exiſtimabam L. Flacco multitudinis potiùs imperitæ, nullo tamen cum periculo, quàm ſapientiſſimorum, & lectiſſimorum virorum judicium eſſe ſubeundum. etenim, quibus auctoribus, & defenſoribus, omnium tum ſalus eſſet non civium ſolum, verùm etiam gentium defenſa, ac retenta, neminem umquam putavi per eos ipſos periculum hujus fortunis, atque inſidias *creaturum*. Quòd ſi eſſet aliquando futurum, ut aliquis de L. Flacci pernicie cogitaret: numquam tamen exiſtimavi, judices, D. Lælium, optimi viri filium, optima ipſum ſpe præditum, ſummæ dignitatis, eam ſuſcepturum accuſationem, quæ ſceleratorum civium potiùs odio, & furori, quàm ipſius virtuti, [2] atque inſtitutæ adoleſcentiæ conveniret. Etenim cùm à clariſſimis viris *juſtiſſimas inimicitias* ſæpe cum bene meritis civibus depoſitas eſſe vidiſſem, non ſum arbitratus, quemquam amicum reipubl. poſteaquàm L. Flacci amor in patriam perſpectus eſſet, novas huic inimicitias, nulla accepta injuria, denuntiaturum. Sed, quoniam, judices, MULTA NOS & in noſtris rebus, & in repub. fefellerunt: ferimus ea, quæ ſunt ferenda. tantum à vobis petimus, ut omnia

1. *Deinde ego fidem veſtram, vel defenſoris, &c.*] Locus fractus. nam S. Victor. non habet *fidem*. at Pall. pr. ſec. exhibet *fide in vos defenſoris*, neque aliter tert. aut oct. niſi quod ii *fide in vos def.*
2. *Lamentatione obruatur.*] Quatuor Pall. *obſtruatis*. cogitandum. nam & S. Victor, *obſervatis*.
3. *Repente eo accedat, &c.*] Vetus editio aut Pall. atque S. Victoris non habent *eo*. omnibuſque ſcribitur *excidet*. legendum *exiſtet* cum Gulielmo, aut aliud quid argutius.

1. H*onoris potius L. Flacci, &c.*] Id eſt conſulatus. malè enim iſtud mutat in *bonorum* Lambinus, & contra libros.

2. *Atque inſtitutæ adoleſcentiæ conveniret.*] Hæc eſt lectio octo plus minus Palatinorum. Lambiniana tamen editio, *inſtituto adoleſcentiæ*.

1. *Omnem*

omnia *reipubl. ſubſidia*, totum ſtatum civitatis, omnem memoriam temporum præteritorum, ſalutem præſentium, ſpem reliquorum, in veſtra poteſtate, in veſtris ſententiis, in hoc uno judicio poſitam eſſe, & defixam putetis. Si umquam reſp. conſilium, gravitatem, ſapientiam, providentiam judicum imploravit: hoc tempore, hoc, inquam,
2 tempore implorat. Non eſtis de Lydorum, aut Myſorum, aut Phrygum, qui huc compulſi, concitatique venerunt, ſed de veſtra republ. judicaturi, de civitatis ſtatu, de communi ſalute, de *ſpe bonorum* omnium, ſi qua reliqua eſt etiam nunc, quæ fortium civium menteis, cogitationeſque ſuſtentet. omnia alia perfugia bonorum, præſidia innocentium, ſubſidia reip., conſilia, auxilia, jura occiderunt. Quem enim alium appellem? quem obteſter? quem implorem? ſenatumne? at is ipſe auxilium petit à vobis, & confirmationem auctoritatis ſuæ, veſtræ poteſtati permiſſam eſſe ſentit. an equites Romanos? judicabitis principes ejus ordinis quinquaginta, quid cum omnibus ſenſeritis. an populum Romanum? at is quidem [1] omnem ſuam de bonis poteſtatem tradidit vobis. Quamobrem, niſi hoc loco, niſi apud vos, niſi per vos, judices, non auctoritatem, quæ amiſſa eſt, ſed ſalutem noſtram, quæ ſpe exigua, extremaque pendet, tenuerimus; nihil eſt præterea, quo confugere poſſimus: niſi fortè quæ res hoc judicio tentetur, quid agatur, cui cauſæ fundamenta jaciantur, judices, non videtis. Damnatus eſt is, qui Catilinam, ſigna patriæ inferentem, interemit: quid eſt cauſæ, cur non is, qui Catilinam ex urbe repulit, pertimeſcat? [2] repetitur ad pœnam, qui indicia communis exitii excepit: cur ſibi confidat is, qui ea proferenda, & patefacienda curavit? ſocii conſiliorum, miniſtri, comiteſque vexantur: quid *auctores*, quid *duces*, quid *principes* ſibi exſpectent? Atque utinam inimici noſtri, ac bonorum omnium, mecum potiùs [3] contendant; utrùm tum omnes boni, *duces noſtri*, *an comites fuerint* ad communem conſervandam ſalutem *

Permulta deſunt.

3 Hunc igitur virum, Læli, quibus tandem rebus oppugnas? Fuit, P. Servilio imperatore, in Cilicia tribunus mil. ea res ſiletur. Fuit M. Piſoni quæſtor in Hiſpania. vox de quæſtura nulla miſſa eſt. Bellum Cretenſe ex magna parte geſſit, atque unà cum ſummo imperatore ſuſtinuit. muta eſt hujus temporis accuſatio. Præturæ *juriſdictio*, res varia, & multiplex ad ſuſpiciones, & ſimultates; non attingitur. [4] ea verò in ſummo, & periculoſiſſimo reip. tempore, etiam ab inimicis laudatur. [5] At à TESTIBUS læditur. Antequam dico, à quibus, qua ſpe, [6] qua vi, qua re concitatis, qua levitate, qua egeſtate, qua perfidia, qua audacia præditis; dicam de genere univerſo, & de conditione omnium noſtrûm. Per deos immortaleis, judices, vos, quomodo is, qui anno antè Romæ jus dixerat, anno pòſt in Aſia jus dixerit, à teſtibus quæretis *ignotis*? ipſi conjectura nihil judicabitis? in tam varia juriſdictione tam multa decreta, tot hominum gratioſorum læſæ voluntates. quæ eſt umquam jacta non *ſuſpicio*, quæ tamen ſolet eſſe falſa, ſed iracundiæ vox, aut doloris? Et is eſt reus avaritiæ, qui in uberrima re turpe compendium, [7] in maledicentiſſima civitate, in ſuſpicioſiſſimo negotio, maledictum omne, non modò crimen effugit. Prætereo illa, quæ prætereunda non ſunt: nullum hujus in *privatis rebus* factum avarum, nullam in re pecuniaria contentionem, nullam in re familiari ſordem poſſe proferri. Quibus igitur teſtibus ego hoſce poſſum refutare, niſi vobis? [8] Timolites ille vicanus, homo non modò nobis, ſed ne inter ſuos quidem notus, vos docebit, qualis ſit L. Flaccus? quem vos modeſtiſſimum *adoleſcentem*, provinciæ maximæ ſanctiſſimum virum, noſtri exercitus fortiſſimum militem, diligentiſſimum ducem, temperatiſſimum legatum, quæſtoremque cognoverunt? quem vos præſentes conſtantiſſimum ſenatorem, juſtiſſimum prætorem, ac amantiſſimum reip. civem judicaſtis? De 4
quibus vos aliis teſtes eſſe debetis, de iis ipſi alios teſteis audietis? At quos teſteis? primùm dicam (id quod eſt commune) *Græcos*: non quo nationi huic ego unus maxime fidem derogem. nam, ſi quis unquam de noſtris hominibus à genere iſto, ſtudio, ac voluntate non abhorrens fuit: me & eſſe arbitror, & magis etiam tum, cùm plus erat otii, fuiſſe: ſed ſunt in illo numero multi boni, docti, pudentes, qui ad hoc judicium deducti non ſunt: multi impudentes, illitterati, leves; quos variis de cauſis video *concitatos*. Verumtamen hoc dico de toto genere Græcorum: tribuo illis litteras, do multarum artium diſciplinam, non adimo ſermonis lepôrem, ingeniorum acumen, dicendi copiam: denique etiam, ſiqua ſibi alia ſumunt, non repugno: teſtimoniorum religionem, & *fidem numquam iſta natio coluit*: totiuſque hujuſce rei quæ ſit vis, quæ auctoritas, quod pondus, ignorant. Unde illud eſt? DA MIHI TESTIMONIUM MUTUUM. num Gallorum, num Hiſpanorum putatur? totum iſtud Græcorum eſt: ut etiam qui Græcè neſciunt, hoc, quibus verbis à Græcis dici ſoleat, ſciant. Itaque videte, quo vultu, *qua confidentia* dicant: tum intelligetis, qua religione dicant. numquam nobis ad rogatum reſpondent: ſemper accuſatori plus, quàm ad rogatum. numquam laborant, quemadmodum probent, quod dicunt: ſed quemadmodum ſe explicent dicendo. Iratus Flacco dixit M. Lurco, quod (ut ipſe ajebat) libertus erat ejus turpi judicio condemnatus. nihil dixit, [9] quod læderet eum, cùm cuperet. impediebat enim religio. tamen id, quod dixit, quanto cum pudore, quo tremore, & pallore dixit? Quàm promtus homo, P. Septimius? quàm iratus de judicio, & de villico? tamen hæſitabat: tamen ejus iracundiæ *religio* nonnumquam repugnabat. Inimicus M. Cælius, quòd, cùm in re manifeſta putaſſet nefas eſſe, publicanum judicare contra publicanum, ſublatus erat è numero recuperatorum. tamen tenuit ſe, neque attulit in judicium quidquam ad lædendum, niſi *voluntatem*. Hi ſi 5
Græci fuiſſent, ac niſi *noſtri mores*, ac diſciplina plus valerent, quàm dolor, ac ſimultas: omnes ſe ſpoliatos, vexatos, fortunis everſos eſſe dixiſſent. Græcus teſtis cum ea voluntate proceſſit, ut lædat: non jurisjurandi, ſed lædendi verba meditatur. vinci, refelli, coargui putat eſſe turpiſſimum: ad id ſe parat: nihil aliud curat. Itaque non optimus quiſque: nec graviſſimus, ſed impudentiſſimus, loquaciſſimuſque deligitur. Vos autem in privatis minimarum

1. *Omnem ſuam de bonis poteſtatem tradidit vobis.*] Nihil variant Pall. niſi quod quidam *tradit*, ut expreſſum à mediæ ætatis correctoribus. Gruteri ſcriptus habet *cecidit vobis*. an voluit? *credidit*. Lambinus ex Memmio nobis exhibuit, *de nobis*; neque damnem.

2. *Repetitur ad pœnam.*] Plerique Palat. *Rapitur*. ſed id factum, quod fuiſſet in authentico, *reperitur*, *er* immixtis p. quomodo inveni in ſexto. at prius illud extat in quint. ſept. oct. & ad oram plurium, erat autem quarto *petitur*.

3. *Contendant, utrum tum omnes boni duces noſtri, &c.*] Lectio hæc viſa mihi maximè omnium tolerabilis.

4. *Ea verò in ſummo, &c.*] Sic quidem vetuſtius cuſi, item Pal. ſec. ac tert. ſed ſex alii, uno ore: *At verò in ſummo & peric. reipub. tempore etiam ab inimicis ead. prætura laudatur.* quod fortè revocandum: niſi reponendum, *ac*, quomodo habet liber S. Victoris, conſpirans alioquin cum vulgata.

5. *At à teſtibus læditur.*] Faërnus conjicit, *at Aſiatica à teſtibus læditur*, præter mſſ. veroſimilius eſt, aliquam multa deſiderari.

6. *Qua vi.*] Sic veterrima fere editio, ſic Grut. ſed in nullo Pal. reperitur biga ea verborum. ſolum eſt in tertio a manu emendatrice, cum prius fuiſſet *quam*, quod & in ſec.

7. *In maledicentiſſima civitate, &c.*] Scripti noſtri nihil prorſus diſcrepant. Lambinus tamen edidit, de ſuone, an adjutus à Faërni libris neſcio (nam Faërnum nondum licuit videre) & Lambini notæ nihil heic loquuntur: *in maledicentiſſima civitate, maledictum omne, in ſuſpicioſiſſimo negotio, omnem ſuſpicionem, non modò crimen effugit?* non placet tamen.

8. *Timolites ille vicanus.*] Sic omnes Pall. niſi quod pr. & quart. *vitanus*. Turnebus lib. XXX. Adverſar. cap. 4. conjicit *Timolites Nicænus*; quem ſequitur Lambinus, niſi quod ſcripſerit *L. Timolites*, quod & in Manutianis.

9. *Quod læderet cum cùm cuperet.*] Sic meliores Palatini. Henricus Stephanus invenit in mſ. *quem cuperet*.

1. *Qui*

ma: enim rerum judiciis teſtem *diligenter expenditis.* etiam ſi tutemini hominis, ſi nomen, ſi tribum noſtis, mores tamen exquirendos putatis. [1] qui autem dicit teſtimonium ex noſtris hominibus, ut ſe ipſe ſuſtentat! ut omnia verba moderatur! ut timet, ne quid cupidè, ne quid iracundè, ne quid plus, minuſve, quam ſit neceſſe, dicat! Num illos item putatis? quibus *jusjurandum jocus eſt*: teſtimonium, ludus: exiſtimatio veſtra, tenebræ: laus, merces, gratia, gratulatio, propoſita eſt omnis in impudenti mendacio. Sed non dilatabo orationem meam. etenim poſſet eſſe infinita, ſi mihi libeat totius gentis in teſtimoniis dicendis explicare vanitatem. [2] ſed propiùs accedam: de his veſtris teſtibus dicam. Vehementem accuſatorem nacti ſumus, judices, & inimicum in omni genere odioſum, ac moleſtum: [3] quem ſpero his rebus fore magno uſui & amicis, & reip. ſed certe inflammatus incredibili cupiditate, hanc cauſam, accuſationemque ſuſcepit. qui comitatus *in inquirendo?* comitatum dico? immò verò quantus exercitus? quæ jactura? qui ſumtus? quanta largitio? quæ quamquam utilia ſunt cauſæ, timidè tamen dico; quòd vereor, ne Lælius ex his rebus, quas ſibi ſuſcepit gloriæ cauſa, putet aliquid, oratione mea, ſermonis in ſeſe, aut invidiæ eſſe quæſitum.

6 Itaque hanc partem totam relinquam: tantùm à vobis petam, judices, ut, ſi quid ipſi audiſtis *communi fama*, atque ſermone, de vi, de manu, de armis, de copiis: memineritis, quarum rerum invidia, lege hac recenti, ac nova, certus eſt inquiſitioni comitum numerus conſtitutus. Sed, ut hanc vim omittam, quanta illa ſunt? quæ quoniam *accuſatorio jure*, & more ſunt facta, reprehendere non poſſumus, queri tamen cogimur: primum, quòd, diſtributis partibus, ſermo eſt tota Aſia diſſipatus, Cn. Pompejum, quòd L. Flacco eſt vehementer inimicus, contendiſſe à Lælio, paterno amico, ac perneceſſario, ut hunc hoc judicio arceſſeret: omnemque ei ſuam auctoritatem, gratiam, copias, opes ad hoc negotium conficiendum detuliſſe. Id hoc veriſimilius Græcis hominibus videbatur, qui paullò ante familiarem Lælium in eadem provincia Flacco viderant. Pompeii autem auctoritas cùm apud omneis tanta eſt, quanta eſſe debet, tùm excellit in iſta provincia, quam nuper & prædonum, & regum bello liberavit. Adjunxit illa, ut eos, qui domo exire nolebant, teſtimonii denuntiatione terreret: qui domi ſtare non poterant, largo, & liberali viatico commoveret. Sic adoleſcens, ingenii plenus, *locupletes metu, tenues præmio, ſtultos errore permovit.* ſic ſunt expreſſa iſta præclara, quæ recitantur, pſephiſmata, non ſententiis, neque auctoritatibus declarata, nec jurejurando conſtricta, ſed porrigenda manu, profundendoque clamore multitudinis concitatæ.

7 O morem præclarum, diſciplinamque, quam à majoribus accepimus, ſi quidem teneremus! ſed neſcio quo pacto jam de manibus elabitur. nullam illi noſtri ſapientiſſimi, & ſanctiſſimi viri, vim concionis eſſe voluerunt. quæ ſciſceret plebes, aut quæ populus juberet: ſummota concione, diſtributis partibus, tributim, & centuriatim deſcriptis ordinibus, claſſibus, ætatibus, auditis auctoribus, re multos dies promulgata, & cognita, juberi, vetarique voluerunt. Græcorum autem totæ reſp. *ſedentis concionis* temeritate adminiſtrantur. Itaque, ut hanc Græciam, quæ jamdiu ſuis conſiliis perculſa, & afflicta eſt, omittam: illa vetus, quæ quondam opibus, imperio, gloria floruit, hoc uno malo concidit, *libertate* immoderata, ac licentia *concionum.* Cùm in theatro imperiti homines, rerum omnium rudes, ignarique conſederant: tum bella inutilia ſuſcipiebant: tum ſeditioſos homines reipublicæ præficiebant: tum optimè meritos civeis è civitate ejiciebant. Quòd ſi hæc Athenis tum, cùm illæ non ſolùm in Græcia, ſed propè cunctis gentibus enitebant, accidere ſunt ſolita: quam *moderationem* putatis in Phrygia, aut in Myſia concionum fuiſſe? Noſtras conciones, illarum nationum homines plerumque perturbant. quid, cùm ſoli ſunt ipſi, tandem fieri putatis? Cæſus eſt virgis [4] Cymæus ille Athenagoras, qui *in fame* frumentum exportare erat auſus. data concio Lælio eſt. proceſſit ille, & Græcus apud Græcos non de culpa ſua dixit, ſed de pœna queſtus eſt. porrexerunt manus: pſephiſma natum eſt. Hoc teſtimonium eſt? Nuper epulati, paullo ante omni largitione ſaturati Pergameni, quod Mithridates, qui multitudinem illam non auctoritate, ſed *ſagina*, tenebat, ſe velle dixit, [5] id ſutores, & zonarii conclamarunt. Hoc teſtimonium eſt civitatis? Ego teſteis à Sicilia publicè duxi. verùm erant ea teſtimonia non concitatæ concionis, ſed jurati ſenatus. Quare jam non eſt mihi contentio cum teſte: [6] vobis videndum eſt, ſintne hæc *teſtimonia* putanda. Adoleſcens bonus, honeſto loco natus, diſertus, cum maximo, 8
ornatiſſimoque comitatu venit in oppidum Græcorum: poſtulat concionem: locupletes homines, & graveis, ne ſibi adverſentur, teſtimonii denuntiatione deterret: egenteis, & leveis [7] ſpe legationis, & viatico publico, privata etiam benignitate prolectat. opifices, & tabernarios, atque illam omnem fæcem civitatum, quid eſt negotii concitare, in eum præſertim, qui nuper ſummo cum imperio fuerit, ſummo autem *in amore* eſſe, propter nomen ipſum imperii, non potuerit? Mirandum verò eſt, homines eos, quibus odio ſunt noſtræ ſecures: nomen, acerbitati: ſcriptura, decumæ, portorium, morti: libenter arripere facultatem lædendi, quæcumque detur. Mementote igitur, cùm audietis pſephiſmata, non audire vos teſtimonia; audire temeritatem vulgi, audire vocem leviſſimi cujuſque, audire *ſtrepitum imperitorum*, audire concionem concitatam leviſſimæ nationis. Itaque perſcrutamini penitus naturam, rationemque criminum: jam nihil præter ſpem, nihil præter terrorem, ac minas reperietis. *

Deeſſe videntur nonnulla.

In ærario nihil habent civitates, nihil in vectigalibus. duæ 9
rationes *conficiendæ pecuniæ*, aut verſura, aut tributo. nec tabulæ creditoris proferuntur, nec tributi confectio ulla recitatur. Quàm verò facilè falſas rationes inferre, & in tabulas, quodcumque commodum eſt, referre ſoleant, ex Cn. Pompeii litteris ad Hypſæum, & Hypſæi ad Pompejum miſſis, quæſo cognoſcite. LITTERÆ POMPEII, ET HYPSÆI. Satiſne vobis coarguere his auctoribus diſſolutam Græcorum conſuetudinem, licentiamque impudentem videmur? niſi fortè, qui Cn. Pompejum, qui præſentem, qui nullo impellente, fallebant, eos, urgente Lælio, in abſentem, & in L. Flaccum aut timidos fuiſſe, aut religioſos putamus. Sed fuerint incorruptæ litteræ domi: nunc verò, quam habere auctoritatem, aut quam fidem poſſunt? Triduo

1. *Qui tum dicit teſtimonium.*] Malui hoc cum pleriſque Pall. & S. Victoris, quam vulgatum *autem.*

2. *Sed propiùs accedam. de his, &c.*] Dictio *accedam* non eſt in Pal. ſec. aut tertio. neque admodum *requiritur.*

3. *Quem ſpero his rebus.*] Tuetur hanc lectionem P. Victorius lib. xxvII. Var. lect. cap. 9. ſed deridet Lambinus; qui mavult cum Faërno *moderi*..., a quo ne hic ego adhorruerim. mſſ. tamen noſtri Pall. item Grut. & S. Victor. nec non vetuſte cuſi retinent mordicus, tenbo.

4. *Cymæus ille Athenagoras.*] Haud aliter emendandum putabat Turnebus lib. xxx. confirmantque Pall. plerique. antea legebatur *Cynicus*, &c. Ceterum in noſtris aliquot & S. Victoris erat *Antenagoras*; quod excutient alii.

5. *Id ſutores & zonarii conclamarunt.*] Eſt in S. Victoris *coriarii*, placet quod Turnebo d. cap. 4. placeret & mihi, niſi noſtri pertinaciter ſtarent pro altero; reſtaretque in omni editione veteri.

6. *Vobis videndum eſt, &c.*] Sic ſolùm Gruteri ſcriptus. Pall. omnes *dividendum*, aut *devidendum*, adſcriptumque uni, *valde videndum.* ſed & in S. Victoris exemplari, ſyllaba illa *di.*

7. *Spe legationis.*] Triumphat valde in illo ſuo *largitionis* Lambinus, quomodo item conjiciebat Henricus Stephanus, extatque in Gruteriano, & ad oram Pal. tert. ac ſexti, ſed tamen omnes præferunt *legationis*, quod verum eſt: ſpem enim eis faciebat non abituros ut teſteis, ſed ut legatos a repub. ſua mittendos.

1. *Hono-*

Triduo lex ad prætorem deferri, judicum ſignis *obſignari* jubet. triceſimo die vix deferuntur. Ne corrumpi tabulæ facilè poſſint, idcirco lex obſignatas in publico poni voluit. At obſignantur corruptæ. Quid refert igitur, tanto poſt ad judices deferantur, an omnino non deferantur? Quid, ſi teſtium ſtudium cum accuſatore ſociatum eſt? tamenne
10 iſti teſtes habebuntur? Ubi eſt igitur illa exſpectatio, quæ verſari in judiciis ſolet? nam antea, cùm dixerat accuſator acriter, & vehementer, cumque defenſor ſuppliciter, demiſſeque reſponderat; tertius ille erat exſpectatus locus teſtium, qui aut ſine *ullo ſtudio* dicebant, aut cum *diſſimulatione* aliqua cupiditatis. Hoc verò quid eſt? Unà ſedent, ex accuſatorum ſubſelliis ſurgunt, non diſſimulant, non verentur: de ſubſelliis queror? una ex domo prodeunt. ſi verbo titubarint, quò revertantur, non habebunt. An quiſquam eſſe teſtis poteſt, quem accuſator ſine cura interroget: nec metuat, ne ſibi aliquid, quod ipſe nolit, reſpondeat? Ubi eſt igitur illa laus oratoris, quæ vel in accuſatore antea, vel in patrono ſpectari ſolebat? Bene teſtem interrogavit: callidè acceſſit: reprehendit: quò voluit, adduxit: convicit, & elinguem reddidit. Quid tu iſtum roges, Læli, qui, priuſquàm hoc, TE ROGO, dixeris, plura etiam effundet, quàm tu ei domi antè præſcripſeris? Quid ego autem defenſor rogem? nam aut *oratio teſtium refelli ſolet, aut vita lædi.* Qua diſputatione orationem refellam ejus, qui dicit, Dedimus: nihil ampliùs? In hominem dicendum eſt igitur, cùm oratio argumentationem non habet. Quid dicam in ignotum? Querendum eſt ergo, & deplorandum, id quod jamdudum facio, de omni accuſationis iniquitate: primùm de communi genere teſtium. dicit enim natio minimè in teſtimoniis dicendis religioſa. propiùs accedo. nego eſſe iſta teſtimonia, quæ tu ipſe pſephiſmata appellas: ſed & fremitum egentium, & motum quendam temerarium Græculæ concionis. Intrabo etiam magis. qui geſſit, non adeſt: qui numeraſſe dicitur, non eſt deductus: privatæ litteræ nullæ proferuntur, publicæ retentæ ſunt in accuſatorum poteſtate. ſumma eſt in teſtibus. *hi vivunt cum inimicis:* adſunt cum adverſariis. habitant cum accuſatoribus. Utrùm hìc tandem diſceptationem, & cognitionem veritatis, an innocentiæ labem aliquam, aut ruinam fore putatis? Multa enim ſunt ejuſmodi, judices, ut etiam ſi in homine ipſo, de quo agitur, negligenda ſint, tamen in conditione, atque in *exemplo* pertimeſcenda
11 videantur. Si quem infimo loco natum, nullo ſplendore vitæ, nulla commendatione famæ defenderem: tamen civem à civibus communis humanitatis jure, ac miſericordia deprecarer, ne ignotis teſtibus, ne incitatis, ne accuſatoris conſeſſoribus, convivis, contubernalibus: ne hominibus, levitate Græcis, crudelitate barbaris, civem ac ſupplicem veſtrum dederetis: ne periculoſam imitationem exempli reliquis in poſterum proderetis. ſed, cùm L. Flacci res agatur, cujus ex familia qui primus conſul factus eſt, primus in hac civitate conſul fuit: cujus virtute regibus exterminatis, *libertas* in repub. conſtituta eſt: quæ uſque ad hoc tempus [1] honoribus, imperio, rerum geſtarum gloria, continuata permanſit: cumque ab hac peremni, conteſtataque virtute majorum, non modò *non degenerarit* L. Flaccus, [2] ſed, id quod maximè florere in generis ſui gloria viderat, laudem patriæ in libertatem vindicandæ prætor adamarit: in hoc ego reo ne quod pernicioſum exemplum prodatur, pertimeſcam, in quo, etiam ſi quid erraſſet, omnes boni *connivendum* eſſe arbitrarentur? Quod quidem ego non modò non poſtulo, ſed contra, judices, vos oro, & obteſtor, ut totam cauſam quàm maximè intentis oculis, (ut ajunt) acerrimè contemplemini. nihil religione teſtatum, nihil veritate fundatum, nihil dolore expreſſum: contraque omnia corrupta libidine, iracundia, ſtudio, pretio, perjurio reperientur. Etenim jam univerſa iſtorum 12
cognita cupiditate, accedam ad ſingulas querelas, criminationeſque Græcorum. Claſſis nomine pecuniam civitatibus imperatam queruntur. quod nos factum, judices, confitemur. Sed, ſi hoc crimen eſt: aut in eo eſt, quod *non licuerit* imperare: aut in eo, quod *non opus* fuerit navibus: aut in eo, quòd nulla, hoc prætore, claſſis navigarit. Licuiſſe ut intelligas, cognoſce, quid, me conſule, ſenatus decreverit, cùm quidem nihil à ſuperioribus continuorum annorum decretis deceſſerit. SENATUSCONSULTUM. Proximum eſt ergo, ut, opus fuerit claſſe, necne, quæramus. Utrùm igitur hoc Græci ſtatuent, aut ullæ exteræ nationes, an [3] veſtri prætores, veſtri duces, veſtri imperatores? Equidem exiſtimo, in ejuſmodi regione, atque provincia, quæ mari cincta, [4] portibus diſtincta, inſulis circumdata eſſet, non ſolùm *præſidii*, ſed etiam ORNANDI IMPERII CAUSA, navigandum fuiſſe. Hæc enim ratio, ac magnitudo animorum, in majoribus noſtris fuit: ut CUM IN PRIVATIS rebus, ſuiſque ſumtibus, minimo contenti, tenuiſſimo cultu viverent: in imperio, atque in publica dignitate omnia ad gloriam, ſplendoremque revocarent. Quæritur enim in re domeſtica, *continentiæ* laus: in publica, *dignitatis.* Quod ſi etiam præſidii cauſa claſſem habuit, quis erit tam iniquus, qui reprehendat? Nulli erant prædones. Quid? nullos fore, quis præſtare poterat? Minuis, inquit, gloriam Pompeii. Immò tu auges moleſtiam. Ille enim claſſeis prædonum, urbeis, portus, receptacula ſuſtulit: pacem maritimam ſumma virtute, atque incredibili celeritate confecit: illud verò neque ſuſcepit, neque ſuſcipere debuit, ut, ſiqua uſpiam *navicula prædonum* apparuiſſet, accuſandus videretur. Itaque ipſe in Aſia, cùm omnia jam bella terra, marique confeciſſet, claſſem tamen iiſdem iſtis civitatibus imperavit. Quod ſi tum ſtatuit opus eſſe, cùm ipſius præſentis nomine tuta omnia, & pacata eſſe poterant: quid, cum ille deceſſiſſet, Flacco exiſtimatis ſtatuendum, & faciendum fuiſſe? Quid nos hìc? nonne ipſo Pompejo auctore, Silano, & Muræna Coſs. decrevimus, ut claſſis in Italia navigaret? nonne eo ipſo tempore, cùm L. Flaccus in Aſia remiges imperabat, nos hìc in mare ſuperum, & inferum [5] ſeſtertiûm ter & quadragies rogabamus? Quid poſtremo anno? nonne [6] M. Curio, & P. Sex- 13
tilio quæſtoribus, *pecunia in claſſem* eſt erogata? quid? hoc omni tempore equites in ora maritima non fuerunt? Illa eſt enim gloria divina Pompeii: primùm prædones eos, qui tum, cùm illi bellum maritimum gerendum datum eſt, toto mari diſperſi vagabantur, redactos eſſe omneis in poteſtatem: deinde Syriam eſſe noſtram, Ciliciam teneri, Cyprum per Ptolemæum regem nihil audere: præterea Cretam Metelli virtute eſſe noſtram: nihil eſſe, unde *proficiſcantur:* nihil quò *revertantur:* omneis ſinus, promontoria, litora, inſulas, urbeis maritimas, clauſtris imperii noſtri contineri. Quòd ſi, Flacco prætore, nemo in mari prædo fuiſſet, tamen hujus diligentia reprehendenda non eſſet.

1. *Honoribus, imperio, rerum geſtarum.*] Ita ſolum unus Pal. numero ſec. ceteri omnes, ut & Grut. *imperii*, nec diſplicet. S. Victoris habet *imperiis*, quod Lambino placuit.

2. *Sed, id quod maxime florere in generis, &c.*] Ita editio Victorii, & anni CCCCLXXXIII. nam prior, *ſed in qua max. fl. in generis ſui gloriam viderat.* quod & in ſeptem Pall. ſine illo *in*, recepitque in contextum Lambinus; non ego. reſtat enim vulgata in S. Victoris libro, omnium emendatiſſimo: reſtat in Pal. ſecund. à manu prima.

3. *Veſtri prætores, veſtri duces.*] Sic ſolùm Grut. & Pal. ſec. ceteri, *judices*; è quibus quint. ſext. ſept. oct. *noſtri prætores, noſtri judices, noſtri Impp.* etiam S. Victoris *judices* præfert. examinent otioſiores.

4. *Portibus diſtincta.*] Haud aliter meliores mſſ. imò & veterrima editio, non *portubus.*

5. *Seſtertiûm ter quadragies rogabamus?*] Scilicet *populum.* ideoque non admittendum Lambini *erogabamus*, contra libros. eſt enim Turnebi conjectaneum lib. XX. Adverſ. cap. 28.

6. *M. Curio, P. Sextilio.*] Mſſ. noſtri ferè *M. Curtio, P. Seſtullio.* Grut. vero *M. Cicero P. Serpillo*, ſed plura ſanè reſtant adhuc in libris manuſcriptis, majoris rei, quàm ut veritati nominum attendere debeamus.

eſſet. idcirco enim, quòd hic claſſem habuiſſet, exiſtimarem non fuiſſe. Quid ſi L. [1] Oppii, L. Agrii, C. Ceſtii, equitum Rom. hujus etiam clariſſimi viri, Cn. Domitii, qui in Aſia tum legatus fuit, teſtimonio doceo, eo ipſo tempore, quo tu ipſe negas claſſem habendam fuiſſe, compluréis à prædonibus eſſe *captos*? Tamen Flacci conſilium in remigibus imperandis reprehendetur? Quid ſi etiam occiſus eſt à piratis Adramitenus, homo nobilis, cujus eſt ferè nobis omnibus nomen auditum, [2] Atinas pugil, Olympionices? hoc eſt apud Græcos (quoniam de eorum gravitate dicimus) propè majus, & glorioſius, [3] quàm Romæ triumphaſſe? At neminem cepiſti. Quàm multi oræ maritimæ clariſſimi viri præfuerunt, qui cùm prædonem nullum cepiſſent, *mare* tamen *tutum præſtiterunt*? caſus eſt enim in capiendo, locus, eventus, occaſio. defendendi facilis eſt cautio, non ſolùm latibulis occultorum locorum, ſed etiam tempeſtatum moderatione, &
14 converſione. Reliquum eſt, ut quæratur, utrum iſta claſſis, [4] curſu, & remis, an *ſumtu* tantum, & *litteris* navigarit. [5] Num id igitur negari poteſt, cujus rei cuncta teſtis eſt Aſia, bipartitò claſſem diſtributam fuiſſe, ut una pars ſupra Epheſum, altera infra Epheſum navigaret? hac claſſe M. Craſſus, vir ampliſſimus, [6] ab Æno in Aſiam, his navibus Flaccus ex Aſia in Macedoniam navigavit. In quo igitur prætoris eſt diligentia requirenda? in numero navium, & in deſcriptione æquabili ſumtus? dimidium ejus, quo Pompejus erat uſus, imperavit. num potuit parcius? deſcripſit autem pecuniam ad Pompeii rationem, quæ fuit accommodata L. Sullæ deſcriptioni: qui cùm omnes Aſiæ civitates [7] proportione in provincias deſcripſiſſet; illam rationem in imperando ſumtu, & Pompejus, & Flaccus ſecutus eſt. neque eſt adhuc tamen ea ſumma completa. Non refert verò. Quid lucretur? cum enim genus *imperatæ pecuniæ* ſuſcipit: id, quod tu crimen eſſe vis, confitetur. Quî igitur probari poteſt, in ea pecunia non referenda, crimen ſibi ipſum facere, in qua crimen eſſet nullum, ſi referret? At enim negas fratrem meum, qui L. Flacco ſucceſſerit, pecuniam ullam in remiges imperaſſe. Equidem Q. fratris mei laude delector: ſed aliis magis, gravioribus, atque majoribus. aliud quiddam ſtatuit, aliud vidit. exiſtimavit, quocumque tempore auditum quid eſſet de prædonibus, quàm vellet ſubitò, ſe claſſem comparaturum. denique hoc primus frater meus in Aſia fecit, ut hoc ſumtu remigum civitates levaret. crimen autem rum videri ſolet, cùm aliquis ſumtus inſtituit eos, qui antea non erant inſtituti, non cùm ſucceſſor aliquid *immutat* de inſtitutis priorum. Flaccus, quid alii poſtea facturi eſ-
15 ſent, ſcire non poterat: quid feciſſent, videbat. Sed, quoniam [8] de totius communis Aſiæ crimine dictum eſt, aggrediar jam ad ſingulas civitates: ex quibus ſit ſanè nobis prima civitas Acmonenſis. Citat præco voce maxima legatos Acmonenſeis. Procedit unus Aſclepiades. prodeant. Etiamne præconem mentiri coëgiſti? eſt enim credo, is vir, iſte, ut *civitatis nomen* ſua auctoritate ſuſtineat: damnatus turpiſſimis judiciis domi, notatus litteris publicis: cujus de probris, adulteriis, ac ſtupris exſtant Acmonenſium litteræ: quas ego non ſolum propter longitudinem, ſed etiam propter turpiſſimam *obſcœnitatem verborum*, prætereundas puto. [9] Dixit publice data drachmarum CCVI millia. dixit tantum: nihil oſtendit, nihil protulit: ſed adjunxit id, quod certè quoniam erat domeſticum, docere debuit: ſe privatim drachmarum CCVI millia dediſſe. Quantum ſibi ablatum homo impudentiſſimus dicit, tantum numquam eſt auſus, ut haberet, optare. Ab Aulo Sextilio dicit ſe dediſſe, & à ſuis fratribus. Potuit dare Sextilius. nam fratres quidem, conſortes ſunt mendicitatis. Audiamus igitur Sextilium: fratres denique ipſi prodeant: quàm volent, impudenter mentiantur: &, quod numquam habuerint, dediſſe ſe dicant. tamen aliquid fortaſſe coràm *producti dicent*, in quo reprehendantur. Non deduxi, inquit, Sextilium. Cedò tabulas. non deportavi. Fratres ſaltem exhibe. non denuntiavi. Quod ergo unus Aſclepiades, fortuna egens, vita turpis, exiſtimatione damnatus, impudentia, atque audacia fretus, ſine tabulis, [10] ſine auctore jecerit, id nos, quaſi crimen, aut teſtimonium pertimeſcamus? Idem laudationem, quam nos ab Acmonenſibus Flacco datam proferebamus, falſam eſſe dicebat. cujus quidem laudationis jactura exoptanda nobis fuit. Nam ut ſignum publicum inſpexit præclarus iſte auctor ſuæ civitatis, ſolere ſuos civeis, ceteroſque Græcos *ex tempore*, quod opus ſit, obſignare dixit. Tu verò tibi habeto iſtam laudationem. nec enim Acmonenſium teſtimonio Flacci vita, & dignitas nititur. das enim mihi, quod hæc cauſa maxime poſtulat, nullam *gravitatem*, nullam conſtantiam, nullum firmum in Græcis hominibus conſilium, nullam denique eſſe teſtimonii fidem. niſi verò hactenus iſta formula teſtimonii, atque orationis tuæ, deſcribi, ac diſtingui poteſt, ut Flacco abſenti aliquid civitates tribuiſſe dicantur: Lælio præſenti, per ſe agenti, vi legis, jure accuſationis, opibus præterea ſuis terrenti, ac minanti, nihil temporis cauſa ſcripſiſſe, aut obſignaſſe videantur. Equidem IN MINIMIS rebus ſæpe res magnas 16
vidi, judices, deprehendi, ac teneri, ut in hoc Aſclepiade. Hæc, quæ à nobis prolata laudatio, obſignata erat creta illa Aſiatica: quæ ferè eſt omnibus nota nobis: qua utuntur omnes non modò in publicis, ſed etiam in privatis litteris, quas quotidie videmus mitti à publicanis, ſæpe unicuique noſtrûm. neque enim teſtis ipſe ſigno inſpecto *falſum* nos proferre dixit, ſed levitatem totius Aſiæ protulit, de qua nos & libenter, & facilè concedimus. Noſtra igitur laudatio, quam ille temporis cauſa nobis datam dicit, datam quidem confitetur, conſignata *creta* eſt: in illo autem teſtimonio, quod accuſatori dicitur datum, *ceram* eſſe videmus. Hîc ego, judices, ſi vos Acmonenſium decretis, ſi ceterorum Phrygum litteris permoveri putarem, vociferarer, &, [11] quantum maximè poſſem, contenderem: teſtarer publicanos, excitarem negotiatores, veſtram etiam conſcientiam implorarem: cera deprehenſa, confiderem totius teſtimonii fictam audaciam manifeſtò comprehenſam, atque oppreſſam teneri. Nunc verò non inſultabo vehementiùs, nec volitabo in hoc inſolentiùs, neque in iſtum nugatorem, tanquam in aliquem *teſtem*, invehar, neque in toto Acmonenſium teſtimonio, ſive hîc confictum eſt, ut appâret: ſive miſſum domo eſt, ut dicitur, commovebor. etenim, quibus ego iſtam laudationem remittam, quoniam ſunt (ut Aſclepiades dicit) leves, horum teſtimonium non pertimeſcam. Venio nunc ad Doryleníium teſtimo- 17
nium: qui producti, tabulas ſe publicas *ad ſpeluncas* perdidiſſe

1. *Oppii.*] Sic ſolum Pal. tertius. ceteri omnes, ut & S. Victor. & Grut. & olim cuſi *L. Eppi.* puto verè.

2. *Atinas pugil.*] Eo alludunt Palatini noſtri. at S. Victor. inclinabat in *Utinas*.

3. *Quam Romæ triumphaſſe.*] Explicat eximiè P. Faber libro II. Agoniſtic. cap. 16.

4. *Curſu & remis*] Illud *curſu &*, abeſt S. Victoris. abeſt etiam *curſu* Pall. quinque, ſed ii tamen retinent illud *&*.

5. *Num id igitur negari poteſt, &c.*] Revocavi voculam *id*, aliquot intermediis editionibus excluſam.

6. *Ab Æno in Aſiam.*] Sic reſtituit Turnebus d. cap. 28. ex mſſ. puto. certe noſtri nulli agnoſcunt illud prius receptum *Hæmo*.

7. *Proportione in provincias deſcripſiſſet.*] Magnas heic nugas blaterat Lambinus, dum, profligata recepta lectione, obtrudit nobis ſuum *pro portione pecuniam, &c.*

8. *De totius communis Aſiæ crimine.*] Eſt à mſſ. noſtris: antea editi, *de communi totius Aſiæ*; quod aliam habet ſententiam.

9. *Dixit publicè data drachmarum* CCVI. *millia.*] Locus ſuſpectus. Pall. enim, *datum*. ſed & mox iidem, *in drachm.* CCVII. aut *in drachmis* CVII. pro quo hodie habemus, *drachmarum* CCVI. *millia*. conciliari iſta poſſent: ſed non eſt mei temporis.

10. *Sine auctore jecerit.*] Victorianum eſt, qui videatur lib. XIII. Var. lect. cap. 22. libri enim omnes *legerit*; quæ litteræ ſæpe tranſmutantur.

11. *Quantum maximè poſſem contenderem.*] Conjiciebat Gulielmius *contendere*, non nimis ineptè,

1. *Dory-*

diſſe dixerunt. O paſtores, neſcio quos, cupidos littera-rarum: ſiquidem nihil iſtis, præter litteras, abſtulerunt. Sed aliud eſſe cauſæ ſuſpicamur, ne fortè iſti parum verſuti eſſe videantur. Pœna eſt, ut opinor, [1] Dorylenſium gravior, quàm apud alios, falſarum, & corruptarum litterarum. ſi veras protuliſſent, criminis nihil erat: ſi falſas, erat pœna. belliſſimum putarunt, dicere amiſſas. Quieſcant igitur, & me hoc *in lucro ponere*, atque aliud agere patiantur. Non ſinunt. ſupplet enim ille neſcio quis, & privatim dicit ſe dediſſe. Hoc verò ferri nullo modo poteſt. [2] Qui de tabulis publicis recitat, iis, quæ in accuſatoris poteſtate fuerunt, non debet habere auctoritatem: ſed tamen judicium fieri videtur, cùm tabulæ illæ ipſæ, cujuſquemodi ſunt, proferuntur. cùm verò is, quem nemo veſtrûm vidit umquam; nemo, qui mortalis eſſet, audivit: tantùm dicit, DEDI: dubitatis, judices, quin ab hoc ignotiſſimo Phryge nobiliſſimum civem vindiceris. Atque huic eidem nuper tres equites Romani honeſti, & graves, cùm in cauſa liberali eum, qui aſſerebatur, cognatum ſuum eſſe diceret, non crediderunt. [3] Quî hoc evenit, ut, qui locuples teſtis doloris, & *ſanguinis ſui* non fuerit, idem ſit gravis auctor injuriæ publicæ? Atque hic Dorylenſis nuper cùm efferretur magna frequentia, conſeſſuque veſtro, mortis illius invidiam in L. Flaccum Lælius conferebat. Facis injuſtè, Læli, ſi putas periculo noſtro vivere tuos contubernaleis, [4] præſertim quòd tua negligentia factum arbitremur. homini enim Phrygi, qui arborem fici numquam vidiſſet, fiſcinam ficorum objeciſti: cujus mors te ex aliqua parte relevavit. *edacem* enim *hoſpitem* amiſiſti. Flacco verò quid profuit, qui valuit tamdiu, dum huc prodiret? mortuus eſt, *aculeo* jam dimiſſo, ac dicto teſtimonio? [5] Ut iſtud columen actionis tuæ, Mithridates, poſteaquàm biduum retentus teſtis à nobis, effudit, quæ voluit, omnia; reprehenſus, convictus, fractuſque diſceſſit, *ambulat cum lorica:* metuit homo doctus, & ſapiens, ne L. Flaccus nunc ſcelere ſe alliget, cùm jam teſtem illum effugere non poſſit: ut, qui ante dictum teſtimonium ſibi temperarit, cùm tamen aliquid aſſequi poſſet, is nunc id agat, ut ad falſum avaritiæ teſtimonium, verum etiam maleficii crimen ad-
18 jungat. Sed de hoc teſte, [6] totoque Mithridatico diſſeruit & ſubtiliter, & copioſè Q. Hortenſius: nos, ut inſtituimus, ad reliqua pergamus. Caput eſt omnium Græcorum concitandorum, qui cum accuſatoribus ſedet, Heraclides ille Temnites, homo ineptus, & loquax, ſed (ut ſibi videtur) ita doctus, ut etiam [7] *magiſtrum* illorum ſe eſſe dicat: &, qui ita ſit ambitioſus, ut omnes vos, noſque quotidie perſalutet. Temni uſque ad illam ætatem in ſenatum venire non potuit: &, qui ſe artem dicendi traditurum etiam ceteris profiteatur, ipſe omnibus turpiſſimis judiciis convictus eſt. Pari felicitate unà legatus venit Nicomedes, qui neque in ſenatum ulla conditione pervenire potuit, & furti, & pro ſocio damnatus eſt. Nam princeps legationis Lyſanias, adeptus eſt ordinem ſenatorium: ſed cùm remp. *nimiùm amplecteretur*, peculatus damnatus, & bona, & ſenatorium nomen amiſit. Hi tres etiam ærarii noſtri tabulas falſas eſſe voluerunt. nam ſervos novem ſe profeſſi ſunt habere, cùm omnino ſine comite veniſſent. Decreto ſcribendo primùm video affuiſſe Lyſaniam: cujus fratris bona, quòd is populo non ſolvebat, prætore Flacco publicè venierunt. præterea Philippus, eſt Lyſaniæ gener, & Hermobius: cujus frater Poles, item pecuniæ publicæ eſt condemnatus. Dicunt ſe Flacco, & iis, qui ſimul eſſent, drach- 19
marum xv. millia dediſſe. [8] Cum civitate mihi res eſt acerrima, & *conficientiſſima* litterarum; in qua nummus commoveri nullus poteſt ſine quinque prætoribus, tribus quæſtoribus, quattuor menſariis, qui apud illos à populo creantur. Ex hoc tanto numero deductus eſt nemo: &, cùm illam pecuniam nominatim Flacco datam referant: majorem etiam aliam cùm huic iidem darent, in ædem ſacram reficiendam, ſe perſcripſiſſe dicunt: quod minimè convenit. nam aut omnia *occultè* referenda fuerunt, aut apertè omnia. cùm perſcribunt nominatim Flacco: nihil timent, nihil verentur. cùm operi publico referunt: iidem homines ſubitò eundem, quem contemſerant, pertimeſcunt. Si prætor dedit, ut eſt ſcriptum: à quæſtore numeravit: quæſtor à menſa publica: menſa aut ex vectigali, aut ex tributo. Numquam erit iſtud ſimile criminis, niſi mihi totam rationem omni & perſonarum genere, & litterarum explicaris: vel, quod eſt in eodem decreto ſcriptum, homines clariſſimos civitatis, ampliſſimis uſos honoribus, hoc prætore circumventos. cur hi neque in judicio adſunt, neque in decreto nominantur? non enim credo ſignificari iſto loco illum, qui ſe erigit, Heraclidem. utrum enim in clariſſimis eſt civibus is, quem judicatum hic duxit Hermippus? qui hanc ipſam *legationem*, quam habet, non accepit à ſuis civibus, ſed uſque Tmolo petivit? cui nullus honos in ſua civitate habitus eſt umquam. res autem ea, quæ tenuiſſimis committebatur, huic uni in vita commiſſa ſola eſt. cuſtos, T. Aufidio prætore, frumento publico eſt poſitus. pro quo cùm à P. Varino prætore pecuniam accepiſſet: celavit ſuos civeis, ultroque iis ſumtum intulit. Quod poſteaquàm Temni, litteris à P. Varino miſſis, cognitum, atque patefactum eſt: cumque eadem de re Cn. Lentulus, qui cenſor fuit, Temnitarum patronus, litteras miſiſſet: Heraclidem iſtum Temni nemo poſtea vidit. Atque, ut ejus impudentiam perſpicere poſſitis, cauſam ipſam, quæ leviſſimi hominis animum in Flaccum incitavit, quæſo, cognoſcite. Fundum Cymæum Romæ mer- 20
catus eſt de pupillo Meculonio. Cùm *verbis ſe locupletem faceret*, haberet nihil præter illam impudentiam, quam videtis: pecuniam ſumſit mutuam [9] à Sex. Stola, judice hoc noſtro, primario viro, qui & rem agnoſcit, neque hominem ignorat: qui tamen credidit P. Fulvii Veratii, lectiſſimi hominis, fidei. ei cùm ſolveret, ſumſit à C. & M. Fufiis, equitibus Roman. primariis viris. Hic hercule, *cornici oculum*, ut dicitur. nam hunc Hermippum, hominem eruditum, civem ſuum, cui debebat eſſe notiſſimus, [10] percuſſit. ejus enim fide ſumſit à Fufiis. Securus Hermippus

---

1. *Dorylenſium gravior.*] Vetuſtiores *Dorylai*, neque aliter Pall. & S. Victoris, nam Grut. *Dorylii.* an fuit? *Dorylaum.*

2. *Qui de tabulis publicis, &c.*] Pall. ferè, *quia de tabulis*, reſtat etiam in ed. veteri. at Henricus Stephanus prodit repertum ſibi in veteri cod. *quia qui de tabulis.* fieri poteſt. ſed non ideo ſollicitaveram receptam.

3. *Quî hoc evenit, ut qui, &c.*] Gulielmius tentabat, *convenit.*

4. *Præſertim quod tua negligentia factum arbitremur.*] S. Victoris, *præſertim quod aut tua neglig. fact. arbitrare.* Pall. ferè habent, *quod haud neglig. fact. arbitremur*, ſive *arbitraremur.*

5. *Ut iſtud columen actionis.*] Ita Pal. ſec. tert. quint. oct. nam prim. quart. ſext. *Et.* ſolùm erat illud *At*, vulgo receptum, in ſeptimo.

6. *Totoque Mithridatico.*] Lambinus neſcio quæ heic adjicit, ſed præter libros noſtros; in quibus nec reperimus, illud *crimine*, nec Henr. Stephani, *teſtimonio.* Pal. pr. habet, *totoque Mithridate.* ſec. *Sed de hoc teſtimonio Mithridatico.* reliqui ſtant à vulgata. & videtur alludere Tullius ad pharmacum quod nomen habebat Mithridatis; ut quemadmodum illud conſtabat ex aliquot venenis bonis, ita illud ex malis, &c.

7. *Magiſtratum illorum ſe eſſe dicat.*] Vulgo *aliorum*, ſed contra Pall. & edd. vet.

8. *Cum civitate mihi res eſt acerrima, & conficientiſſima litterarum.*] Habent iſtud edd. vett. item Pal. ſec. ſed non etiam reliqui ſeptem, aut S. Victor. iis enim ſolum adeſt *cum civitate mihi res eſt acerrima litterarum.* Grut. ſcriptum habet, *& conficientiſſimarum litterarum*, Turneb. lib. xxx. Adverſar. cap. 4. conjicit, *& conficiendarum litterarum diligentiſſima;* quod occupavit ſtatim Lambinus, aitque ita legi in codice qui eſt cœnobii D. Dionyſii.

9. *A Sex. Stola.*] Nihil variabant meliores Pall. in hac voce: neque aliter S. Victoris, aut Grut. antea erat *Scola.* Ceterùm nec ſincerum videtur id quod antecedit, *pupillo Meculonio.* nihil tamen juvant mſſ. niſi quod ſept. & oct. Pall. *pupilo Metulonio.* an fuit? *P. Meculonio.*

10. *Percuſſit.*] Pantagathus, *perculit:* minus rectè, nam percutere & ferire, item tangere uſitatum Plauto, in circumventionibus iſtis.

mippus Temnum proficiſcitur, cum iſte ſeſe pecuniam, quam hujus fide ſumſerat, à diſcipulis ſuis deceret Fuſiis perſoluturum. habebat enim rhetor iſte adoleſcenteis quoſdam locupleteis, quos *dimidio redderet ſtultiores*, quam acceperat, ubi nihil poſſent diſcere, niſi ignorantiam litterarum. neminem quidem adeò infatuare potuit, ut ei nummum ullum crederet. Itaque, cùm Roma clàm eſſet profectus, multoſque *minutis mutuationibus fraudaviſſet*: in Aſiam venit, Hermippoque percontanti de nomine Fuſiano reſpondet, ſe omnem pecuniam Fuſiis perſolviſſe. Interim, neque ita longo intervallo, libertus à Fuſiis cum litteris ad Hermippum venit: pecunia petitur ab Hermippo. Hermippus ab Heraclide petit: ipſe tamen Fuſiis ſatisfacit abſentibus, & fidem ſuam liberat. Hunc *æſtuantem*, & tergiverſantem judicio ille perſequitur. à recuperatoribus cauſa cognoſcitur. Nolite exiſtimare, judices, non unam, & eandem omnibus in locis eſſe *fraudatorum*, & infitiatorum impudentiam. fecit eadem omnia, quæ noſtri debitores ſolent. negavit ſeſe omnino verſuram ullam feciſſe Romæ: Fuſiorum ſe affirmavit numquam omnino nomen audiſſe: Hermippum verò ipſum, pudentiſſimum, atque optimum virum, veterem amicum, atque hoſpitem meum, ſplendidiſſimum, atque ornatiſſimum civitatis ſuæ, probris omnibus, maledictiſque vexavit. Sed, cùm ſe homo volubilis quadam præcipiti celeritate dicendi illa oratione jactaret, repentè teſtimoniis Fuſiorum, nominibuſque recitatis, homo audaciſſimus pertimuit, loquaciſſimus *obmutuit*. Itaque recuperatores contra iſtum rem minimè dubiam prima actione judicaverunt. Cùm judicatum non fa-
21 ceret, addictus Hermippo, & ab hoc ductus eſt. Habetis & honeſtatem hominis, & auctoritatem teſtimonii, & cauſam omnem ſimultatis. Atque is ab Hermippo miſſus, cùm ei pauca mancipia vendidiſſet, Romam ſe contulit: deinde in Aſiam rediit, cùm jam frater meus Flacco ſucceſſiſſet. ad quem adiit, cauſamque ita detulit; recuperatores *vi Flacci coactos*, & metu, falſum invitos judicaviſſe. Frater meus, pro ſua æquitate, prudentiaque, decrevit, ut, ſi judicatum negaret: in duplum iret. ſi metu coactos diceret: haberet eoſdem recuperatores. Recuſavit: &, quaſi nihil eſſet actum, nihil judicatum, ab Hermippo ibidem mancipia, quæ ipſe ei vendiderat, petere cœpit. M. Gratidius, legatus, ad quem eſt aditum, actionem ſe daturum negavit: re judicata ſtari oſtendit placere. Iterum iſte, cui nullus eſſet uſquam conſiſtendi locus, Romam ſe retulit: perſequitur Hermippus, qui numquam iſtius impudentiæ ceſſit. petit Heraclides à C. Plotio ſenatore, viro primario, qui legatus in Aſia fuerat, mancipia quædam, quæ ſe, cum judicatum eſſet, *per vim* vendidiſſe dicebat. Qu. Naſo, vir ornatiſſimus, qui prætor fuerat, judex ſumitur: qui cùm ſententiam ſecundùm Plotium ſe dicturum oſtenderet, & ab eo judice abiret, quòd judicium lege non erat, cauſam totam reliquit. Satiſne vobis, judices, videor ad ſingulos teſteis accedere, neque, ut primò conſtitueram, tantummodò cum univerſo genere confligere? Venio ad Lyſaniam ejuſdem civitatis, peculiarem tuum, Deciane, teſtem: quem tu cùm ephebum Temni cognoſſes, quoniam te *nudus* delectarat, ſemper nudum eſſe voluiſti. abduxiſti Temno Apollonidem. pecuniam adoleſcentulo grandi fænore, fiducia tamen accepta, occupaviſti. hanc fiduciam commiſſam tibi dicis: tenes hodie, ac poſſides. Eum tu teſtem *ſpe recuperandi fundi* paterni venire ad teſtimonium dicendum coëgiſti: qui quoniam teſtimonium nondum dixit, quidnam ſit dicturus, exſpecto. novi genus hominum, novi conſuetudinem, novi libidinem. Itaque etſi teneo, quid ſit dicere paratus, nihil tamen *contra diſputabo* priùs, quàm dixerit. totum enim convertet, atque alia finget. Quamobrem & ille ſervet, quod paravit: & ego me ad id, quod attulerit, integrum conſervabo. Venio 22
nunc ad eam civitatem, in quam ego multa & magna ſtudia & officia contuli: & quam meus frater in primis colit, atque diligit: quæ ſi civitas per viros bonos, graveiſque homines, querelas ad vos detuliſſet, paullo commoverer magis. nunc verò quid putem? Trallianos Mæandrio *cauſam commiſiſſe*, homini egenti, ſordido, ſine honore, ſine exiſtimatione, ſine cenſu? Ubi erant illi, [1] Pythodori, Ætideni, Lepiſones, ceteri homines apud nos noti, inter ſuos nobiles? ubi illa magnifica, & glorioſa oſtentatio civitatis? nonne eſſet puditum, ſi hanc cauſam agerent ſeverè, non modò legatum, ſed Trallianum omnino dici Mæandrium? huic tali legato, huic publico teſti patronum ſuum jam inde à patre, atque majoribus, L. Flaccum *mactandum* civitatis teſtimonio tradidiſſent? Non eſt ita, judices, non eſt profectò. vidi ego in quodam judicio nuper Philodorum teſtem Trallianum, vidi Parrhaſium, vidi Archidemum, cûm quidem idem hic mihi Mæandrius, quaſi miniſtrator, aderat, ſubjiciens, quid in ſuos civeis, civitatemque ſi vellem, dicerem. nihil enim illo homine levius, nihil egentius, nihil inquinatius. Quare ſi hunc habent auctorem Tralliani, doloris ſui, ſi hunc cuſtodem litterarum, ſi hunc teſtem injuriæ, ſi hunc auctorem querelarum, remittant ſpiritus, comprimant animos ſuos, ſedent arrogantiam, fateantur in Mæandrii perſona eſſe [2] *expreſſam faciem* civitatis. ſin iſtum ſemper illi ipſi domi proterendum eſſe, & conculcandum putaverunt: deſinant putare auctoritatem eſſe in eo teſtimonio, cujus auctor inventus eſt nemo. Sed exponam, quid in re ſit, ut, quam- 23
obrem iſta civitas, neque ſeverè Flaccum oppugnarit, neque benignè defenderit, ſcire poſſitis. Erat ei Caſtriciano nomine *irata*: de quo toto reſpondit Hortenſius: in vita ſolverat Caſtricio pecuniam, jamdiu debitam. Hinc totum odium, hinc omnis offenſio. Quò cùm veniſſet Lælius ad iratos, & illud Caſtricianum vulnus dicendo refricuiſſet; [3] exſiluerunt principes, neque in illa concione adfuerunt, neque ipſius decreti, ac teſtimonii auctores eſſe voluerunt. uſque eò orba fuit ab optimatibus illa concio, ut princeps principum eſſet Mæandrius: cujus lingua, quaſi *flabello ſeditionis*, illa tum eſt egentium concio ventilata. Itaque civitatis pudentis, ut ego ſemper exiſtimavi, & gravis, ut ipſi exiſtimari volunt, juſtum dolorem, querelaſque cognoſcite. Quæ pecunia fuerit apud ſe, Flacci patris nomine, collata à civitatibus, hanc à ſe eſſe ablatam queruntur. Alio loco quæram, quid licuerit Flacco: nunc tantùm à Trallianis requiro, quam pecuniam à ſe ablatam queruntur, ſuamne dicant, ſibi à civitatibus collatam in uſum ſuum. cupio audire. non, inquit, dicimus. Quid igitur? delatam ad nos, creditam nobis, L. Flacci patris nomine, ad hujus *dies feſtos*, atque ludos. Quid tum? Hanc te, inquit, capere non licuit. Jam id videro: ſed primùm illud tenebo. queritur gravis, locuples, ornata civitas, quòd *non retinet alienum*: ſpoliatam ſe dicit, quòd id non habet, quod ejus non fuit. quid hoc impudentius dici, aut fingi poteſt? delectum eſt oppidum, quo in oppido uno pecunia à tota Aſia ad honores L. Flacci poneretur. hæc pecunia tota ab honoribus tranſlata eſt in quæſtum, & fænerationem: recuperata eſt multis pòſt annis. Quæ civitati 24
facta eſt injuria? At moleſte fert civitas. [4] Credo: avulſum eſt enim præter ſpem, quod erat *ſpe devoratum lucrum*. At queritur. impudenter facit. Non enim omnia, quæ dolemus,

1. *Pithodori, Ætideni, Lepiſones.*] Talia ferè erant in Pal. pr. ac tert. nam ceteri omnes, ut & S. Victor. & Grut. mutilati folio integro.

2. *Expreſſam faciem civitatis.*] Lambinus *ſpeciem*; quod etiam in Pal. pr. ſed tert. alterum retinebat, item editio vetus.

3. *Exſiluerunt principes, &c.*] Ita ex mſ. uno Henr. Stephanus, ſed præter noſtros omnes & veterem ed. in quibus *ſiluerunt principes, &c.* quod *principes*, exulat ab excuſis poſterioribus. male. putarim tamen reponi iterum poſſe illud *ſiluerunt*.

4. *Credo: avulſum eſt enim, &c.*] Vulgò *amiſſum*. ſed alterum eſt in Pall. aliorumque ſcriptis. ſic Terentius Eunucho: *ſperat ſe à me avellere.*

1. Fidem

mus, eadem jure queri poſſumus. At accuſat verbis graviſſimis. Non civitas, ſed imperiti homines, à Mæandrio concitati. Quo loco etiam, atque etiam facite ut recordemini, quæ ſit *temeritas multitudinis*, quæ levitas propria Græcorum, quid in concione ſeditioſa valeat oratio. Hic, in hac graviſſima, & moderatiſſima civitate, cùm eſt forum plenum judiciorum, plenum magiſtratuum, plenum optimorum virorum, & civium, cùm ſpeculatur, atque obſidet roſtra vindex temeritatis, & moderatrix officii, curia: tamen quantos fluctus excitari concionum videtis? quid vos fieri cenſetis Trallibus? an id, quod Pergami? niſi fortè hæ civitates exiſtimari volunt, faciliùs una ſe *epiſtola* Mithridatis moveri, impellique potuiſſe, ut amicitiam populi Rom. [1] fidem ſuam, jura omnia officii, humanitatiſque violarent; quàm ut filium teſtimonio læderent, cujus patrem armis pellendum ſuis mœnibus cenſuiſſent. Quare nolite mihi iſta nomina civitatum nobilium opponere. quos enim *hoſteis* hæc familia contemſit, numquam eoſdem *teſteis* pertimeſcet. Vobis autem eſt confitendum, ſi conſiliis principum veſtræ civitates reguntur: non multitudinis temeritate, ſed optimatum conſilio bellum ab iſtis civitatibus cum populo Romano eſſe ſuſceptum. ſin ille tum motus eſt temeritate imperitorum excitatus: patiamini me
25 delicta vulgi à publica cauſa ſeparare. At enim iſtam pecuniam huic capere non licuit. Utrùm vultis patri Flacci licuiſſe, necne? ſi licuit, ſicuti certè licuit: ad ejus honores collatam, ex quibus ipſe nihil capiebat, patris pecuniam rectè abſtulit filius. ſi non licuit: tamen illo mortuo, non modò filius, ſed *quivis heres* rectiſſimè potuit auferre. Ac tum quidem Tralliani, cùm ipſi gravi fænore iſtam pecuniam multos annos occupaviſſent, à Flacco tamen omnia, quæ voluerunt, impetraverunt: neque tam fuerunt impudentes, ut id, quod Lælius dixit, dicere auderent, hanc ab ſe pecuniam abſtuliſſe Mithridatem. Quis enim erat, qui non ſciret, in ornandis ſtudioſiorem Mithridatem, quàm in ſpoliandis Trallianis fuiſſe? Quæ quidem à me ſi, ut dicenda ſunt, dicerentur, graviùs agerem, judices, quàm adhuc egi: quantam Aſiaticis teſtibus fidem habere vos conveniret: revocarem animos veſtros ad Mithridatici belli memoriam, ad illam univerſorum civium Rom. per tot urbeis, *uno puncto temporis*, miſeram, crudelemque cædem: prætores noſtros deditos, legatos in vincula conjectos, nominis propè Romani memoriam cum veſtigio imperii non modò [2] ex ædibus Græcorum, verum etiam ex litteris eſſe deletam. Mithridatem, *deum* illum *patrem*, illum *conſervatorem Aſiæ*, [3] illum *Evium*, *Nyſium*, *Bacchum*, *Liberum* nominabant. unum, atque idem erat tempus, cùm L. Flacco conſuli portas tota Aſia claudebat: Cappadocem autem illum non modò recipiebat ſuis urbibus, verùm etiam ultrò vocabat. Liceat hæc nobis, ſi obliviſci non poſſumus, at *tacere*: liceat mihi potiùs de levitate Græcorum queri, quàm de crudelitate. Auctoritatem iſti habeant apud eos, quos eſſe omnino noluerunt? nam, quoſcumque potuerunt, togatos, interemerunt: nomen civium Romanorum, quantum in ipſis fuit, ſuſtulerunt.
[4] In hac igitur urbe ſe *jactent*, quam oderunt? apud eos, 26
quos inviti vident? in ea rep ad quam opprimendam non animus eis, [5] ſed vires defuerunt? Adſpiciant hunc florem legatorum, laudatorumque Flacci, ex vera, atque integra Græcia. tum ſe ipſi expendant, tum cum his ſe comparent: tum, ſi audebunt, [6] dignitati horum componant ſuam. Adſunt Athenienſes, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in omneis terras diſtributæ putantur: de quorum [7] urbis poſſeſſione, propter *pulchritudinem* etiam inter deos certamen fuiſſe proditum eſt: quæ vetuſtate ea eſt, ut ipſa ex ſeſe ſuos civeis genuiſſe dicatur: & eorum eadem terra parens, altrix, patria, dicatur: auctoritate autem tanta eſt, ut jam fractum propè, ac debilitatum Græciæ nomen, hujus urbis laude *nitatur*. Adſunt Lacedæmonii. cujus civitatis ſpectata, ac nobilitata virtus, non ſolùm *natura* corroborata, verùm etiam *diſciplina* putatur: qui ſoli toto orbe terrarum ſeptingentos jam annos ampliùs unis moribus, & numquam mutatis legibus vivunt. Adſunt ex Achaja cuncta multi legati, Bœotia, Theſſalia: quibus locis nuper legatus L. Flaccus, imperatore Metello, præfuit. Neque verò te, Maſſilia, prætereo, [8] quæ L. Flaccum militem, quæſtoremque cognoſti: cujus ego civitatis diſciplinam, atque gravitatem non ſolùm Græciæ, ſed haud ſcio an cunctis gentibus [9] anteponendam jure dicam: quæ tam procul à Græcorum omnium regionibus, diſciplinis, linguaque diviſa, cùm in ultimis terris cincta Gallorum gentibus, barbariæ fluctibus alluatur, ſic optimatum conſilio gubernatur, ut omnes ejus inſtituta *laudare faciliùs* poſſint, *quàm æmulari*. Hiſce utitur laudatoribus Flaccus, his innocentiæ teſtibus, ut Græcorum cupiditati, Græcorum auxilio reſiſtamus. Quamquam 27
quis ignorat, qui modò umquam mediocriter res iſtas ſcire curavit, quin tria Græcorum genera ſint verè? quorum uni ſunt Athenienſes, quæ gens Ionum habebatur: Æoles alteri: Dores tertii nominabantur. atque hæc cuncta Græcia, quæ fama, quæ gloria, quæ doctrina, quæ plurimis artibus, quæ etiam imperio, & bellica laude floruit, *parvum quendam locum*, ut ſcitis, Europæ tenet, ſemperque tenuit. Aſiæ maritimam oram, bello ſuperatam, cinxit urbibus, [10] non ut munitam, coloniis illam augeret, ſed ut obſeſſam teneret. Quamobrem quæſo à vobis Aſiatici teſtes, cùm verè recordari voletis, quantum auctoritatis in judicium afferatis, voſmetipſi deſcribatis Aſiam: nec, quid alienigenæ de vobis loqui ſoleant, ſed quid voſmetipſi de genere veſtro ſtatuatis, memineritis. Namque, ut opinor, Aſia veſtra conſtat ex Phrygia, Myſia, Caria, Lydia. Utrùm igitur noſtrum eſt, [11] an veſtrum, hoc proverbium, *Phrygem plagis fieri ſolere meliorem?* Quid de tota Caria? nonne hoc veſtra voce vulgatum eſt, ſiquid cum periculo expe-

1. *Fidem ſuam, jura omnia officii humanitatiſque.*] Henr. Stephanus producit è ſcripto ſuo, *omnia officia ſocietatis humanitatiſque.* ſed ſic nulli noſtrorum: quorum quidam *humanitateſquè*; omnes verò *ſedem ſuam*, quod & in olim cuſis.

2. *Ex ædibus Græcorum.*] Non abeunt ab hac ſcriptura Pall. S.Victor. Grut. aliàs admiſiſſem *ſedibus*, quod in uno ſcripto teſtatur à ſe inventum Henricus noſter Stephanus.

3. *Illum Evium, Nyſium, Bacchum, Liberum.*] Hæc eſt conſonans ſcriptura Pall. & S.Victoris, quam & è ſuis eruit Turneb. lib.xx. Adverſ. cap. 28. Lambinus alia nobis ſubſtituit nomina, ſed non ſanè è Libris.

4. *In hac igitur urbe ſe jactent.*] Ita Pal. tert. ac ſept. quod malui quam alterum *jactant.* quamvis non multum differat.

5. *Sed vires defuerunt.*] Neſcio an ſcribendum ſit auctoritate omnium mſſ. noſtrorum, *ſed vires defecerunt & defuerunt.* an verò reponendum unum, *defecerunt*, quod inuſitatius alteri etiam præbuerit locum. prima editio præfert, *deficiunt & defuerunt*, quod & in Gruteri ſcripto.

6. *Dignitati horum componant ſuam.*] Haud aliter etiam plerique libri noſtri; quorum fide hac eadem ferè linea ſupra ſcripſi, *tum cum his.* neque ſecus etiam primitus publicati. ſed tamen, non poteſt mihi diſplicere quod erui e Pal. ſecundo, *dignitati horum anteponant*; ſine vocula *ſuam.*

7. *Urbes poſſeſſione.*] Prius *poſitione*, ſed præter aliorum mſſ. item noſtros ferè. nam Gruteri codex vulgatæ adhæret.

8. *Quæ L. Flaccum militem quæſtoremque.*] Adſcripſit Gulielmius, forte legendum *tribunum militum*; uti eſt infra cap.40.

9. *Anteponendam jure dicam.*] Lambinus delevit ſuaſu ſuorum *jure*, & reperi ſanè tantum in Pal. ſec. & Grut. ſed non videtur aliena: certè non eſt ſuperflua.

10. *Non ut munitam coloniis illam augeret: ſed &c.*] Hæc eſt lectio Pal. pr. quint. ſext. ſept. nam ſec. & Grut. *illam gentem*, ſed ſine voce *augeret*, quæ neque in tert. qui tamen à prima manu habuit *generet*; quod ipſum adhuc hæret in quarto & octavo. placuit Gulielmio lectio S.Victoris, *illam generaret.* ſed haud ei adquieverim. potius adhuc ſuſtulerim vocem *illam*; ut fieret, *non ut munitam coloniis augeret.*

11. *An veſtrum hoc proverbium.*] Recepta lectio interpoſuerat *vetus*, ſed ejus vocis, nihil eſt reliqui in mſſ. noſtris, in editionibus omnium antiquiſſimis: neque neceſſaria dici poteſt, ut viſum Lambino.

1. *In*

experiri velis, [1] *in Care id potiſſimùm eſſe faciendum?* Quid porrò in Græco ſermone tam tritum, atque celebratum eſt, quàm, ſi quis deſpicatui ducitur, ut *Myſorum ultimus* eſſe dicatur? Nam quid ego dicam de Lydia? quis umquam Græcus Comœdiam ſcripſit, in qua ſervus primarum partium non *Lydus* eſſet? Quamobrem quæ vobis fit injuria, ſi ſtatuimus veſtro nobis judicio ſtandum eſſe de vobis? Equidem mihi jam ſatis ſuperque dixiſſe videor de Aſiatico genere teſtium: ſed tamen veſtrum eſt, judices, omnia, quæ dici poſſunt in hominum levitatem, inconſtantiam, cupiditatem, etiamſi à me minùs dicuntur, ve-
28 ſtris animis, & *cogitatione comprehendere.* Sequitur [2] auri illa invidia Judaici. Hoc nimirum eſt illud, quòd non longe à gradibus Aureliis hæc cauſa dicitur. [3] ob hoc crimen hic locus abs te, Læli, atque illa turba quæſita eſt. ſcis, quanta ſit manus, quanta concordia, quantum valeat in concionibus. [4] ſummiſſa voce agam, tantùm ut judices audiant. neque enim deſunt, qui iſtos in me, atque in optimum quemque incitent: quos ego, quo id faciliùs faciant, non adjuvabo. Cùm aurum, Judæorum nomine, quotannis ex Italia, & ex omnibus veſtris provinciis Hieroſolymam exportari ſoleret, Flaccus ſanxit edicto, ne ex Aſia exportari liceret. Quis eſt, judices, qui hoc non verè laudare poſſit? Exportari aurum non oportere, cùm ſæpe antea ſenatus, tum me conſule, graviſſimè judicavit. Huic autem *barbaræ ſuperſtitioni* reſiſtere, ſeveritatis: multitudinem Judæorum, flagrantem nonnumquam in concionibus, pro rep. contemnere, gravitatis ſummæ fuit. At Cn. Pompejus, captis Hieroſolymis, victor ex illo fano nihil attigit. In primis hoc, ut multa alia, ſapienter, quòd in tam ſuſpicioſa, ac maledica civitate locum *ſermoni obtrectatorum* non reliquit. non enim, credo, religionem & Judæorum, & hoſtium, impedimento præſtantiſſimo imperatori, ſed pudorem, fuiſſe. Ubi ergo crimen eſt? quoniam quidem furtum nuſquam reprehendis, edictum probas, judicatum fateris, [5] quæſitum, & prolatum palàm non negas, actum eſſe per viros primarios res ipſa declarat. [6] Apameæ manifeſto comprehenſum, ante pedes prætoris in foro expenſum eſt auri pondo centum paullo minus per [7] Sex. Cæſium, equitem Romanum, *caſtiſſimum* hominem, atque integerrimum: Laodiceæ viginti pondo paullo amplius [8] per hunc ipſum L. Peducæum, judicem noſtrum: Hadrumeti per Cn. Domitium, legatum: Pergami non multum. Auri ratio conſtat: aurum in ærario eſt: furtum non reprehenditur: *invidia quæritur:* à judicibus [9] oratio avertitur: vox in coronam, turbamque effunditur. Sua cuique civitati religio, Læli, eſt, noſtra nobis. Stantibus Hieroſolymis, pacatiſque Judæis, tamen iſtorum religio ſacrorum à ſplendore hujus imperii, gravitate nominis noſtri, majorum inſtitutis, abhorrebat: nunc verò hoc magis, quòd illa gens, quid de imperio noſtro ſentiret, *oſtendit armis:* quàm cara diis immortalibus eſſet, docuit, [10] quòd eſt victa, quòd elocata, quòd ſervata. Quamobrem, quoniam, quòd crimen eſſe voluiſti, id to- 29
tum vides in laudem eſſe converſum: veniamus jam ad civium Romanorum querelas. Ex quibus ſit ſanè prima Deciani. Quid tibi tandem, Deciane, injuriæ factum eſt? negotiaris in libera civitate: primum patere me eſſe *curioſum.* quouſque negotiabere? præſertim cum ſis iſto loco natus. annos jam triginta in foro verſaris; ſed tamen in Pergameno. longo intervallo, ſi quando tibi peregrinari commodum eſt, Romam venis: affers faciem novam, nomen vetus, purpuram Tyriam. in qua tibi invideo, quòd unis veſtimentis tamdiu lautus es. Verùm eſto: negotiari libet: cur non Pergami? Smyrnæ? Trallibus? ubi & multi cives Romani ſunt, & jus à noſtro magiſtratu dicitur? otium te delectat: lites, turba, prætor, odio eſt: Græcorum libertate gaudes. Cur ergo unus tu Apollonidenſes amantiſſimos populi Rom. fideliſſimoſque ſocios, miſeriores habes, quàm aut Mithridates, aut etiam pater tuus habuerit umquam? cur his per te frui libertate ſua, cur denique eſſe liberis non licet? homines ſunt tota ex Aſia frugaliſſimi, ſanctiſſimi, à Græcorum *luxuria, & levitate* remotiſſimi, patres familias ſuo contenti, aratores, ruſticani: agros habent & natura perbonos, & diligentia, culturaque meliores. in hiſce agris tu prædia habere voluiſti. [11] omnino mallem, (& magis erat tuum, ſi te craſſi agri delectabant) hìc alicubi in Cruſtumino, aut in Capenati paraviſſes. Verùm eſto: Catonis eſt dictum, *Pedibus compenſari pecuniam.* longe omnino à Tiberi ad Caicum: quo in loco etiam [12] Agamemnon cum exercitu erraſſet, niſi ducem Telephum inveniſſet. Sed concedo id quoque: placuit oppidum: regio delectavit: emiſſes. Amyntas eſt genere, honore, 30
exiſtimatione, pecunia, princeps illius civitatis. cujus ſocrum, *mulierem imbecilli conſilii*, ſatis locupletem, pellexit Decianus ad ſeſe: &, cùm illa, quid ageretur, neſciret, in poſſeſſione prædiorum ejus familiam ſuam collocavit: uxorem abduxit ab Amynta *prægnantem:* quæ peperit apud Decianum filiam, hodieque apud Decianum eſt uxor Amyntæ, & filia. Numquid harum rerum à me fingitur, Deciane? ſciunt hæc omnes nobiles, ſciunt boni viri, ſciunt denique noſtri homines, ſciunt mediocres negotiatores. Exſurge Amynta: repete à Deciano, non pecuniam, non prædia: ſocrum denique ſibi habeat: reſtituat uxorem: reddat miſero patri filiam. nam membra, quæ debilitavit lapidibus, fuſtibus, ferro: manus, quas contudit: digitos, quos confregit: nervos, quos concîdit, reſtituere non poteſt, filiam, filiam, inquam, ærumnoſo patri, Deciane, redde. Hæc Flacco non probaſſe te miraris? cui, quæſo, tandem probaſti? emtiones falſas, [13] prædiorum proſcri-

1. *In Care id potiſſimum eſſe faciendum.*] Sic bene conjecit Eraſmus, probatque P. Victorius lib. v. Var. lect. cap. 12. cum tamen retinerent mſſ. omnium, *in Cariam*, quomodo item Pall. ſeptem. nam ſec. habet in *ea re.* ex quo facile fiat *in Care*, uti diſerte perſcribitur in Gruteriano. Gulielmius tamen viſus eſt adprobare *in Caria.* rationes nullas perſcripſit; neque ego facile exputo. niſi ſi *Cariam* ſumſit, pro femina ejus loci.

2. *Auri illa invidia Judaici.*] De eo videndus Cujacius ad lib. x. Cod. Juſtiniani tit. LXXV.

3. *Ob hoc crimen.*] Henrici Stephani liber ſcriptus, *ad hoc crimen.* ſicque editio Lugdunenſis. at veterrima quæque, at mſſ. noſtri decem ſtant pro vulgato.

4. *Summiſſa voce agam, &c.*] Antiquitus cuſi & mſſ. Pall. S.Vict. habent voce amplius, *ſi.* & poterat legi, *in concionibus, ſi ſubmiſſa voce agam, &c.* Lambinus edidit, *Sic ſubmiſſa voce, &c.*

5. *Quæſitum & prolatum.*] Vulgata *probatum.* ſed contra plures mſſ & olim publicatos, quorum quidam *ploratum.*

6. *Apameæ manifeſto comprehenſum, ante pedes prætoris in foro expenſum eſt auri pondo centum, &c.*] Vides illis *pondo centum* apponi verba ſingularia. At *centum* utique ſingulare nunquam eſt. Nempe integrum erat: *comprehenſum eſt & expenſum pondus auri centum librarum, quæ ſunt pondo, ſive pondere pendendo & examinando.* Gronovius.

7. *Sex. Cæſium.*] Pall. partim *Sex. Ecinium.* partim *Ceſinium.* S. Victoris *Sex. Coſinium.* quod fortè non improbandum.

8. *Per hunc ipſum L. Peducæum, &c.*] Pall. & S. Vict. & Grut. ut & antiquitus impreſſi, *per huc C. Lucium Peduceum.* Gulielmius juſſit quærere, an *Peducæi* eſſent gentis *Luciliæ.* idem annotavit forte tranſlatis verbis reſtituendum, *Laodiceæ viginti pondo per hunc C. Peducæum jud. noſtrum: Adrymeti paullo amplius per Cn. Domitium.*

9. *Oratio avertitur.*] Grut. *advertitur.* Pall. & S. Victoris *convertitur.* ego, ut verum fatear, parum heic video.

10. *Quod & victa.*] Pal. ſec. & oct. *vincta.* quint. *juncta.* S. Vict. *unita.* forſan *domita*, inquit Gulielmius.

11. *Omnino mallem, & magis erat tuum, ſi te craſſi, &c.*] Ita ferè mſſ. noſtri. vulgata immiſit *jam*, quod nuſquam in mſſ. immò in edd. vett. ſed tamen ſciendum Pall. omnes, præter ſecundum, exhibere, *ſed te craſſi agri*, niſi quod illud *agri* abſit octavo, cui neque adeſt *tuum.* habet Grut. liber: *omnino malle magis erat tuum, ſi te jam craſſi, &c.* ex quibus facilè fingeretur: *Omninò malè. magis erat tuum (ſi te tam craſſi delectabant) heic alicubi.* ſed quid opus conjecturis in re tam tenebroſa?

12. *Agamemnon cum exercitu.*] Explicat P. Victorius lib. v. Var. lect. cap. 12.

13. *Prædiorum præſcriptiones.*] Pall. noſtri partim *præſcriptiones*, partim *perſcriptiones.* non heic modò, ſed & infra.

1. *Tutor*

proſcriptiones cum mulierculis, aperta circumſcriptione, feciſti. [1] *tutor* his rebus Græcorum legibus adſcribendus fuit. Ptolemocratem ſcripſiſti, mercenarium, & adminiſtrum conſiliorum tuorum. adductus eſt in judicium Polemocrates [2] de dolo malo, & de fraude, à Dione, hujus ipſius tutelæ nomine. Qui concurſus ex oppidis finitimis undique? qui dolor animorum? quæ querela? Condemnatus eſt Polemocrates ſententiis omnibus: [3] irritæ venditiones: irritæ proſcriptiones. [4] Non reſtituis. defers ad Pergamenos, ut illi reciperent in ſuas litteras publicas, præclaras proſcriptiones, & emtiones tuas. repudiant, rejiciunt. At qui homines? Pergameni, laudatores tui. Ita enim mihi gloriari viſus es laudatione Pergamenorum, quaſi [5] *honorem majorum* tuorum aſſecutus eſſes: & hoc te ſuperiorem putabas eſſe, quàm Lælium, quòd te civitas Pergamena laudaret. Num honeſtior eſt civitas Pergame-
31 na, quàm Smyrnæ? At ne ipſi quidem dicunt. Vellem tantum habere otii, ut poſſem recitare [6] pſephiſma Smyrnæorum, quod fecerunt in Caſtricium mortuum: primùm ut in oppidum introferretur: quod aliis non conceditur: deinde, ut ferrent ephebi: poſtremò ut imponeretur aurea corona mortuo. Hæc *P. Scipioni*, clariſſimo viro, cùm eſſet Pergami mortuus, facta non ſunt. At Caſtricium quibus verbis, dii immortales! *decus patriæ*, *ornamentum populi Rom. florem juventutis* appellant! Quare, Deciane, ſi cupidus es gloriæ, alia ornamenta cenſeo, quæras. Pergameni te deriſerunt. Quid? tu ludi te non intelligebas, cum tibi hæc recitabant, *Clariſſimum virum*, præſtantiſſima ſapientia, ſingulari ingenio: mihi crede, ludebant. cùm verò coronam auream litteris imponebant: re vera non plus aurum tibi, quàm monedulæ committebant. *Ne tum quidem* hominum venuſtatem, & facetias perſpicere potuiſti? Iſti igitur, iſti Pergameni perſcriptiones, quas tu afferebas, repudiaverunt. P. Orbius, homo & prudens,
32 & innocens, contra te omnia decrevit. [7] * In P. Globulum, meum neceſſarium, fuiſti gratioſior. Utinam neque ipſum neque me pœniteret. Flaccum in curia decreviſſent. Veridicas adjungis *cauſas inimicitiarum*, quòd patri L. Flacci, ædili curuli, pater tuus, tribunus plebis diem dixerit. At iſtud, ne ipſi quidem patri Flacci valde moleſtum eſſe debuit: præſertim cùm ille, cui dies dicta eſt, prætor poſteà factus ſit, & conſul: ille, qui diem dixit, non potuerit privatus in civitate conſiſtere. Sed, ſi juſtas inimicitias putabas, cur, cùm tribunus militum Flaccus eſſet, in ejus legione miles fuiſti, cum tibi per *leges militares* effugere liceret iniquitatem tribuni? Cur autem prætor te, inimicum paternum in conſilium vocavit? quæ quidem quàm ſanctè ſolita ſint obſervari, ſcitis omnes. Nunc accuſantur ab iis, qui in conſilio nobis fuerunt. Decrevit Flaccus. Num aliud, atque oportuit? In liberos. Num aliter, ac cenſuit ſenatus? In abſentem decrevit. Cùm ibidem eſſes, cùm prodire nolles. non eſt hoc in abſentem reum. SENATUSCONSULTUM ET DECRETUM FLACCI. Quid, ſi non decreviſſet, ſed edixiſſet? quis poſſet verè reprehendere? Num etiam fratris mei litteras, pleniſſimas humanitatis, & æquitatis, reprehenſurus es? quas eaſdem mulieri à me datas, apud Pataranos requiſivit. Recita litteras Qu. Ciceronis. LITTERÆ Q. CICERONIS. Quid? hæc [8] Apollonidienſes, occaſione facta, ad Flaccum detulerunt? apud Orbium acta non ſunt? ad Globulum delata non ſunt? Ad ſenatum noſtrum, me conſule, nonne legati Apollonidienſes omnia poſtulata de injuriis unius Deciani detulerunt? [9] Adhæc prædia etiam in cenſu dedicaviſti. Mitto, quòd aliena: mitto, quòd poſſeſſa *per vim*: mitto, quòd convicta ab Apollonidienſibus: mitto, quòd à Pergamenis repudiata: mitto etiam, quòd à noſtris magiſtratibus in integrum reſtituta: mitto, quòd nullo jure, neque in re, neque in poſſeſſione, tua. Illud quæro, ſintne iſta prædia *cenſui cenſendo*: habeant jus civile: ſint, necne ſint, mancipi: ſubſignari apud ærarium, apud cenſorem poſſint: in qua tribu denique iſta prædia cenſuiſti? Commiſiſti, ſi tempus aliquod gravius accidiſſet, ut ex iiſdem prædiis & Apollonide, & Romæ imperatum eſſet tributum. Verum eſto. *glorioſus* fuiſti. voluiſti magnum agri modum cenſeri, & ejus agri, qui dividi plebi Romanæ non poteſt. Cenſus es præterea numeratæ pecuniæ centum triginta H-S millia. [10] Eam opinor tibi numeratam non eſſe abs te. Sed hæc omitto. Cenſus es mancipia Amyntæ. neque huic ullam in eo feciſti injuriam. poſſidet enim ea mancipia Amyntas. ac primò quidem pertimuit, cùm te audiſſet ſervos ſuos eſſe cenſum. Retulit ad juriſconſultos. Conſtabat inter omnes, ſi aliena cenſendo, Decianus ſua facere poſſet, [11] eum ** [maximam habiturum eſſe familiam. Reſponſum eſt, ejus facta non videri. Idem viſum eſt poſtea Flacco, cùm rem cognoſceret: itaque decrevit.]
Habetis cauſam inimicitiarum, qua cauſa inflammatus De- 33
cianus ad Lælium detulerit hanc opimam accuſationem. Nam ita queſtus eſt Lælius, cùm de perfidia Deciani diceret: Qui mihi auctor fuit, qui cauſam ad me detulit, quem ego ſum ſecutus: is à Flacco corruptus eſt, is me deſeruit, ac prodidit. Siccine tu auctor tandem eum, cui tu in conſilio fuiſſes, apud quem omneis gradus dignitatis tuæ retinuiſſes, pudentiſſimum hominem, nobiliſſima familia natum, optimè de rep. meritum, in diſcrimen omnium fortunarum vocaviſti? Sed defendam Decianum: qui tibi in ſuſpicionem *nullo ſuo delicto* venit. Non eſt, mihi crede, corruptus. Quid enim fuit, quod ab eo redimeretur? ut duceret judicium? cui ſex horas omnino lex dedit. Quantum tandem ex his horis detraheret, ſi tibi morem gerere voluiſſet? Nimirum illud eſt, quod ipſe ſuſpicatur. Invidiſti ingenio ſubſcriptoris tui. quòd ornabat facilè locum, quem prehenderat, & acutè teſteis interrogabat, aut circumveniebat: fortaſſe feciſti. & tu, & populi ſermo, ne exciperes. Idcirco Decianum uſque ad coronam applicuiſti. Sed, ut hoc veriſimile eſt, ita haud veriſimile, Decianum à Flacco eſſe corruptum. Ita ſcitote, judices, eſſe cetera: vel quod ait Lucejus, L. Flaccum ſibi dare cupiſſe, ut à *fide ſe abduceret*, ſeſtertium vicies. Et eum tu accuſas avari-

1. *Tutor his rebus, Græcorum moribus, &c.*] Lambinus omiſit, *rebus*, ſed præter mſſ. noſtros, & rationem; ſecutus ſcil. Faërnum.

2. *De dolo malo, de fraude à Dione hujus, &c.*] Sic priùs cuſi; quæ ſcriptura in pleriſque mſſ. noſtris. ſolùm Pal. pr. *de fraude ad Jovem; hujus &c.* at Henr. Stephanus nobis è libro ſuo neſcio quo, produxit, *de fraudatione, hujus.* quam lectionem video exſtare in editione Aldi Nepotis. numquam auſim ſequi. habuerim enim *Dionem* pro accuſatore Polemocratis.

3. *Irritæ venditiones, irritæ proſcriptiones.*] Aliquot mſſ. noſtri numero ſingulari, *venditionis, irritæ præſcriptionis*; ſive *perſcriptionis.*

4. *Non reſtituis.*] Melioris notæ mſſ. *Num reſtituis?* nihilo pejus. imò meliùs.

5. *Honorem majorum tuorum aſſecutus eſſes.*] *Noſtri ſecutus* item edit. vet.

6. *Pſephiſma Smyrnæorum quod fecerunt.*] Haud aliter Pall. & edd. vett. ſequentes *Pſephiſmata Smyrn. quæ fecit.*

7. * *In P. Globulum, &c.*] Inſignivi locum aſteriſco, alios ſecutus. Henr. Stephanus linea ſequenti producit quædam è mſ. ſed ea pedibus trahit Lambinus; neque tamen ſubſtituit meliora. Mſſ. noſtri omneis heic mutilantur integro folio; etiam ille qui eſt S. Victoris. deſunt hæc etiam tribus editionibus veterrimis. tempus perdere, laudandis aliorum conjecturis, non putavi operæ pretium.

8. *Apollonidienſes occaſione facta.*] Adnotavit Gulielmius forte legendum *concurſione facta.*

9. *Adhæc prædia etiam in cenſu dedicaviſti.*] Lipſius lib. III. Var. lect. cap. I. emendat *in cenſum*, quomodo locutus P. Africanus apud Agellium.

10. *Eam opinor tibi numeratam non eſſe abs te.*] Lipſius noſter d. cap. I. arbitratur ſuperare hoc loco pronomen *tibi*, ut velit erraſſe in numerando male. *abs te*, eſt, de tuo.

11. *Eum ** [maximam habiturum, &c.*] Hæc uncis circumſepta, Lambinus invenit in veteri codice. editionibus aliis abſunt: neque nos habemus pro germanis. cùm tamen conſtaret locum defectuoſum, nemini ſic nocere poſſe putabamus.

1. *Si*

avaritiæ, quem dicis ſeſtertium vicies voluiſſe perdere? nam quid emebat, cùm te emebat? ut ad ſe tranſires? quam partem cauſæ tibi daremus? an ut enuntiares conſilia Læli? qui teſtes ab eo prodirent? quid? nos non videbamus habitare unà? quis hoc neſcit? tabulas in Lælii poteſtate fuiſſe, num dubium eſt? an ne vehementer, ne copiosè accuſares? Nunc facis ſuſpicionem. ita enim dixiſti, ut neſcio
34 quid abs te impetratum eſſe videatur. At enim Androni Sextilio gravis injuria facta eſt, & non ferenda: quòd, cùm eſſet uxor ejus Valeria, *inteſtatò mortua*, ſic egit eam rem Flaccus, quaſi ad ipſum hereditas pertineret. In quo quid reprehendas, ſcire cupio. quòd falſum intenderit? qui doces? Ingenua, inquit, fuit. O peritum juris hominem! Quid? ab ingenuis mulieribus hereditates lege non veniunt? In manum, inquit, convenerat. Nunc audio. ſed quæro, uſu; an coëmtione. uſu non potuit. nihil enim poteſt de tutela legitima ſine omnium tutorum auctoritate deminui. coëmtione? omnibus ergo auctoribus. in quibus certè Flaccum fuiſſe non dices. Relinquitur illud, quod vociferari non deſtitit, non debuiſſe, cùm prætor eſſet, *ſuum negotium agere*, aut mentionem facere hæreditatis. Maximas audio tibi, L. Luculle, qui de L. Flacco ſententiam laturus es, pro tua eximia liberalitate, maximiſque beneficiis in tuos, veniſſe hereditates, cùm Aſiam provinciam conſulari imperio obtineres. ſi quis eas, ſuas eſſe dixiſſet, conceſſiſſes? Tu, T. Vecti, ſiqua tibi in Africa venerit hereditas, uſu amittes? an tuum, nulla avaritia, ſalva dignitate, retinebis? At iſtius hereditatis, jam Globulo prætore, Flacci nomine, petita poſſeſſio eſt. non igitur impreſſio, non occaſio, non vis, non tempus, non imperium, non ſecures ad injuriam faciendam Flacci animum impulerunt. Itaque eodem etiam M. Lurco, vir optimus, meus familiaris, convertit aculeum teſtimonii ſui. negavit, à privato pecuniam in provincia prætorem petere oportere. Cur tandem, M. Lurco, non oportet? *eripere, extorquere*, accipere contra leges non oportet: petere non oportere, numquam oſtendes, niſi docueris non licere. An legationes ſumere liberas, exigendi cauſa, ſicut & tu ipſe nuper, & multi viri boni ſæpe fecerunt, rectum eſt: quod ego non reprehendo: ſocios video queri. prætorem, [1] ſi hereditatem in provincia non reliquerit, non ſolùm reprehendendum, verùm etiam condemnandum putas? Doti, inquit, Valeria pecuniam omnem ſuam dixerat.
35 Nihil doti iſtorum explicari poteſt, niſi oſtenderis, illam in tutela Flacci non fuiſſe. ſi fuit, quæcumque ſine hoc auctore eſt dicta dos, nulla eſt. Sed tamen Lurconem, quamquam pro ſua dignitate moderatus eſt in teſtimonio dicendo religioni ſuæ, tamen iratum Flacco eſſe vidiſtis. neque enim occultavit *cauſam iracundiæ* ſuæ, neque reticendam putavit. queſtus eſt, libertum ſuum, Flacco prætore, eſſe damnatum. O CONDITIONES MISERAS ADMINISTRANDARUM PROVINCIARUM! in quibus diligentia, plena ſimultatum eſt: negligentia, vituperationum: ubi ſeveritas, periculoſa eſt: liberalitas, ingrata: ſermo, inſidioſus: aſſentatio, pernicioſa: frons omnium, familiaris: multorum animus, iratus: iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ: venienteis prætores exſpectant, præſentibus inſerviunt, abeunteis deſerunt. Sed omittamus querelas, ne noſtrum conſilium in prætermittendis provinciis laudare videamur. Litteras miſit de villico P. Septimii, hominis ornati, qui villicus cædem fecerat. Septimium ardentem iracundia videre potuiſtis. In Lurconis libertum judicium ex edicto dedit. hoſtis eſt Lurco. Quid igitur? hominum gratioſorum, ſplendidorumque libertis fuit Aſia tradenda? an ſimultates neſcio quas cum libertis veſtris Flaccus exercet? an vobis in veſtris, veſtrorumque cauſis *ſeveritas* odio eſt: eandem laudatis, cùm de nobis judicatis? At iſte Andro, ſpoliatus bonis, ut dicitis, ad dicendum 36
teſtimonium non venit. Quid, ſi veniat? Deciſionis arbiter C. Cæcilius fuit. quo ſplendore vir? qua fide? qua religione? obſignator C. Sextilius, Lurconis ſororis filius: homo & pudens, & conſtans, & gravis. Si vis erat, ſi *fraus*, ſi *metus*, ſi *circumſcriptio*: quis pactionem fieri, quis adeſſe iſtos coëgit? Quid, ſi iſta omnis pecunia huic adoleſcentulo, L. Flacco reddita eſt? ſi petita, ſi redacta? ſi per hunc Antiochum, paternum hujus adoleſcentis libertum, ſeni illi Flacco probatiſſimum? videmurne non ſolùm avaritiæ crimen effugere, ſed etiam liberalitatis laudem aſſequi ſingularem? communem enim hereditatem, quæ æqualiter ad utrumque lege veniſſet, conceſſit adoleſcenti, propinquo ſuo: nihil ipſe attigit de Valerianis bonis. quod ſtatuerat facere, adductus hujus pudore, & non ampliſſimis patrimonii copiis, id non ſolùm fecit, ſed etiam prolixè cumulateque fecit. Ex quo intelligi debet, eum contra leges pecunias non cepiſſe, qui tam fuerit in hereditate concedenda liberalis. [2] At Falcidianum crimen eſt ingens. talenta quinquaginta ſe Flacco dicit dediſſe. Audiamus hominem. Non adeſt. Quomodo igitur dicit? Epiſtolam mater ejus profert, & alteram ſoror: ſcriptum ad ſe dicunt eſſe ab illo, tantam pecuniam Flacco datam. Ergo is, qui ſi *aram tenens juraret*, crederet nemo, per epiſtolam, quod volet, injuratus probabit? At qui vir? quàm non amicus ſuis civibus? qui patrimonium ſatis lautum, quod hîc nobiſcum conficere potuit, Græcorum conviviis maluit diſſipare. Quid attinuit relinquere hanc urbem? libertate tam præclara carere? adire periculum navigandi? *quaſi bona comeſſe Romæ non liceret*. nunc denique materculæ ſuæ feſtivus filius, aniculæ minimè ſuſpicioſæ, purgat ſe per epiſtolam, [3] ut eam pecuniam, quacum trajecerat, non conſumſiſſe, ſed Flacco dediſſe videatur. At fructus iſti Tral- 37
lianorum, Globulo pr. venierunt: Falcidius emerat HS nongentis millibus. Si dat tantam pecuniam Flacco, nempe idcirco dat, ut rata ſit emtio. emit igitur aliquid, quod certè multo pluris eſſet: [4] dat de lucro: nihil detrahit de vivo. minus igitur lucri facit. Cur Albanum venire jubet? cur matri præterea blanditur? cur epiſtolis, & ſororis, & matris imbecillitatem aucupatur? poſtremo cur non audimus ipſum? Retinetur, credo, in provincia: mater negat. veniſſet, inquit, ſi eſſet denuntiatum. Tu certè coëgiſſes, ſi ullum firmamentum in illo teſte poſuiſſes. ſed hominem ab negotio abducere noluiſti. magnum erat ei *certamen* propoſitum, magna cum Græcis contentio: qui tamen, ut opinor, jacent victi. nam iſte unus totam Aſiam magnitudine poculorum, bibendoque ſuperavit. Sed tamen

men

1. *Si hereditatem in provincia non reliquerit.*] Eſt iſtud in S. Vict. in Grut. in Palatinis octo, in omnibus denique editionibus avorum patrumque ævo natis. Lambinus primum; quod inveniſſet librum in quo non compareret negativa, divinavit, *in provincia creverit*; quod omnibus ſtatim viſum fuit genuinum, etiam Gulielmio. Sed cedo mihi eum, quæſo, codicem, qui præferat *in provincia reliquerit*, deſcendam forte in ſententiam aliorum. interim adhærebo vulgatæ; admodum meo judicio argutæ.

2. *At Falcidianum crimen eſt ingens. Talenta quinquaginta.*] Hanc ſummam *nongenta ſeſtertia* vocat capite ſequenti: *At fructus iſti Trallianorum*, &c. *Falcidius emerat* HS. *nongentis millibus*, &c. Ergo Manucius inquit, *Talenta quinquaginta*, ſcutatorum triginta ſex millia, id eſt, ſeſtertium nongenta millia, ut infra: ſtatimque, HS. DCCCC. talenta quinquaginta ſupra nominata. Sed iſtæ ſummæ nequaquam conveniunt. Nam talenta quinquaginta ſunt ſeſtertium duodecies, ſcutatorum triginta millia: nongenta vero ſeſtertia ſunt talenta triginta ſeptem cum triginta minis, ſcutati viginti duo millia quingenti. Ergo hic ſcribendum eſt, *talenta quadraginta*. Ea ſeſtertium ſunt nongenta ſexaginta millia, ſcutatorum viginti quatuor millia: ſed ſexaginta millia ſilentur, ut ſumma ſit rotunda. *Gronov.* de Seſtertiis pag. 225.

3. *Ut eam pecuniam, quacum trajecerat, &c.*] Auſus ſum recipere emendationem Palatini tertii in quo prius fuerat, *qua contrajecerat*: omnibus enim pateſcit ejus veritas: à qua parum antea diſtabant ceteri Pall. item S. Victorii, aliorumque, *quam contrajecerat*. ex quibus Gulielmius alioquin hanc noſtram divinarat.

4. *Dat de lucro.*] Benè explicat Cujacius tractatu IIX. ad Africanum.

1. *Negant*

men quis tibi, Læli, de epiſtolis iſtis indicavit? mulieres [1] negant ſe ſcire qui ſis. ipſe igitur ille tibi, ſe ad matrem & ſororem ſcripſiſſe, narravit? [2] an etiam ſcripſit oratu tuo? At verò M. Æbutium, & conſtantiſſimum, & pudentiſſimum hominem, Falcidii affinem, nihil interrogas? nihil ejus generum, pari fide præditum, C. Manilium? qui profectò de tanta pecunia, ſi eſſet data, nihil audiſſe non poſſet. His tu igitur epiſtolis, Deciane, recitatis, his *mulierculis* productis, illo abſente auctore laudato, tantum te crimen probaturum putaſti: præſertim, cùm ipſe non deducendo Falcidium, judicium feceris, plus falſam epiſtolam habituram ponderis, quàm ipſius præſentis fictam vocem, & ſimulatum dolorem? Sed quid ego de epiſtolis Falcidii, aut de Androne Sextilio, aut de Deciani cenſu tamdiu [3] diſputo, poſtulo? de ſalute omnium noſtrûm, de fortunis civitatis, *de ſumma reip.* taceo? quam vos univerſam in hoc judicio veſtris humeris, veſtris, inquam, humeris, judices, ſuſtinetis. videtis, in quo motu temporum, quanta in converſione rerum, ac perturba-
38 tione verſemur. Cùm alia multa certi homines, tum hoc vel maximè moliuntur, ut veſtræ quoque mentes, veſtra judicia, veſtræ ſententiæ, optimo cuique infeſtiſſimæ, atque inimiciſſimæ reperiantur. gravia judicia pro reipubl. dignitate, multa de conjuratorum ſcelere feciſtis. non putant ſatis converſam rempubl. niſi in eandem *impiorum pœnam optimè meritos* civeis detruſerint. Oppreſſus eſt C. Antonius. eſto: habuit quandam ille infamiam ſuam: neque tamen ille ipſe, pro meo jure dico, vobis judicibus damnatus eſſet: cujus damnatione ſepulchrum L. Catilinæ, floribus ornatum, hominum audaciſſimorum, ac domeſticorum hoſtium conventu, epuliſque celebratum eſt: juſta Catilinæ facta ſunt. Nunc à Flacco Lentuli pœnæ per vos expetuntur. Quam poteſtis P. Lentulo, qui vos in complexu liberorum, conjugumque veſtrarum trucidatos, incendio patriæ ſepelire conatus eſt, mactare victimam gratiorem, quam ſi L. Flacci ſanguine illius nefarium in nos omneis odium ſaturaveritis? Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego, revocemus ejectos: nimiæ pietatis, & ſummi amoris in patriam viciſſim nos pœnas, ſi ita placet, ſufferamus. nos jam ab indicibus nominamur: in nos crimina finguntur: nobis pericula comparantur: quæ ſi per alios agerent: ſi denique per populi nomen, *civium imperitorum* multitudinem concitaſſent: æquiore animo ferre poſſemus. illud verò ferri non poteſt, quod per ſenatores, & per equites Roman. qui hæc omnia pro ſalute omnium, communi conſilio, una mente, atque virtute geſſerunt, harum rerum auctores, duces, principes ſpoliari omnibus fortunis, atque civitate expelli poſſe arbitrantur. [4] Etenim populi Romani perſpiciunt eam mentem, & voluntatem: omnibus rebus, quibus poteſt, populus Rom. ſignificat, quid ſentiat: nulla varietas eſt inter homines opinionis, nulla voluntatis, nulla ſermonis. Quare, ſi quis illuc me vocat, venio: populum Rom. *diſceptatorem* non modò non recuſo, ſed etiam depoſco. Vis abſit: ferrum, ac lapides removeantur: operæ faceſſant: ſervitia ſileant. nemo erit tam injuſtus, qui me audierit, ſit modò liber, & civis, quin potiùs de præmiis meis, quàm de pœna cogitandum
39 putet. O dii immortales! quid hoc miſerius? nos, qui P. Lentulo ferrum, & flammam, de manibus extorſimus, imperitæ *multitudinis judicio* confidimus: lectiſſimorum civium, & ampliſſimorum ſententias pertimeſcimus. M. Aquilium patres noſtri multis avaritiæ criminibus, teſtimoniiſque convictum, quia cum fugitivis fortiter bellum geſſerat, judicio liberaverunt. Conſul ego nuper defendi C. Piſonem: qui quia conſul fortis, conſtanſque fuerat, incolumis eſt reipubl. conſervatus. defendi item conſul L. Murænam, conſulem deſignatum. nemo illorum judicum, clariſſimis viris accuſantibus, audiendum ſibi de ambitu putavit, cùm, bellum jam gerente Catilina, omnes, me auctore, duos conſules Kalendis Janu. ſcirent eſſe oportere. Innocens, & bonus vir, & omnibus rebus ornatus, bis hoc anno, me defendente, abſolutus eſt A. Thermus. Quanta, reip. cauſa, lætitia populi Rom. quanta gratulatio conſecuta eſt? Semper GRAVES, ET SAPIENTES judices in rebus judicandis, quid utilitas civitatis, quid communis ſalus, quid reip. tempora poſcerent, cogitaverunt. Cùm tabella vobis dabitur, judices, non *de Flacco* dabitur ſolum: dabitur de ducibus, auctoribuſque conſervandæ civitatis: dabitur de omnibus bonis civibus: dabitur de vobiſmetipſis: dabitur de liberis veſtris, de vita, de patria, de ſalute communi. non judicatis in hac cauſa de exteris nationibus, non de ſociis: de vobis, ac veſtra rep. judicatis. Quòd ſi provinciarum vos ratio magis movet,
quam veſtra: ego verò non modò non recuſo, ſed etiam 40
poſtulo, ut provinciarum auctoritate moveamini. Etenim opponemus Aſiæ provinciæ primum magnam partem ejuſdem provinciæ, quæ pro hujus periculis legatos, laudatoreſque miſit: deinde provinciam Galliam, provinciam Ciliciam, provinciam Hiſpaniam, provinciam Cretam. Græcis autem, Lydis, & Phrygibus, & Myſis obſiſtent Maſſilienſes, Rhodii, Lacedæmonii, Athenienſes, cuncta Achaja, Theſſalia, Bœotia. Septimio, & Cælio, teſtibus, P. Servilius, [5] & A. Metellus, hujus pudoris, integritatiſque teſtes repugnabunt. Aſiaticæ juriſdictioni urbana juriſdictio reſpondebit. *annui temporis criminationem* omnis ætas L. Flacci, & perpetua vita defendet. Et, ſi prodeſſe L. Flacco, judices, debet, quòd ſe tribunum militum, quòd quæſtorem, quòd legatum imperatoribus clariſſimis, exercitibus ornatiſſimis, provinciis graviſſimis, dignum *ſuis majoribus* præſtitit: proſit, quòd hic, vobis videntibus, in periculis communibus omnium veſtrûm, ſua pericula cum meis conjunxit: proſint honeſtiſſimorum municipiorum, coloniarumque laudationes: proſit etiam ſenatus, populique Roman. præclara, & vera laudatio. O nox illa, quæ pænè æternas huic urbi tenebras attuliſti, cùm Galli ad bellum, Catilina ad urbem, conjurati ad ferrum, & flammam vocabantur: cùm ego te, Flacce, cælum, noctemque conteſtans, flens flentem obteſtabar: cùm tuæ fidei optimæ, & ſpectatiſſimæ, ſalutem urbis, & civium commendabam. [6] Tu, tum, Flacce, prætor, communis exitii nuntios cepiſti: tu incluſam in litteris reipub. *peſtem deprehendiſti*: tu periculorum indicia, tu ſalutis auxilia, ad me, & ad ſenatum attuliſti. Quæ tibi tum gratiæ ſunt à me actæ? quæ ab ſenatu? quæ à bonis omnibus? quis tibi, quis C. Pomtinio, fortiſſimo viro, quemquam bonum putaret umquam non ſalutem, verùm *honorem* ullum denegaturum? O nonæ illæ Decembres, quæ, me conſule, fuiſtis: quem ego diem verè *natalem* hujus urbis, aut certè ſalutarem appellare poſſum. O nox 41
illa, quam iſte eſt dies conſecutus, fauſta huic urbi: miſerum me, metuo ne funeſta nobis. Qui tum animus L. Flacci? (nihil dicam enim de me) qui amor in patriam? [7] quæ virtus? quæ gravitas exſtitit? Sed quid ea commemoro, quæ tum, cùm agebantur, uno conſenſu omnium, una

1. *Negant ſe ſcire qui ſis. ipſe igitur ille tibi, ſe, &c.*] Secutus ſum mſſ. noſtros, imo vero literas lectionis receptæ. tantummodo cum Gulielmio, illud *ſcire. quis? is ipſe? igitur, &c.* nullius ſenſus, coëgi in alias voces. ſententia aperta eſt.

2. *An etiam ſcripſit oratu tuo?*] Firmant & hanc lectionem mſſ. noſtri. niſi quod Pal. pr. & ſec. *hortatu.* quod æque bonum cenſuerim.

3. *Diſputo, poſtulo?*] Ita & Pall. noſtri Lambinus edidit ex Memmiano, *diſputo & expoſtulo?*

4. *Etenim populi Rom. perſpiciunt eam mentem.*] Ita noſtri. Lambinus *eam* delet. Gulielmius mutat in *eandem.* Gruteri liber habet, *Etenim ſi perſpiciunt eam mentem.*

5. *Et à Metello.*] Vulgata *Q. Metelli.* olim cuſi *M. Metelli.* quod exhibeo eſt à Pall. & S. Vict. exemplari.

6. *Tu tum Flacce prætor.*] Prius erat *tu.* ſed adjeci literam ſuaſu omnium mſſ. noſtrorum; niſi quod Grut. *amen.*

7. *Quæ virtus? quæ gravitas ext.*] Pal. pr. tert. ſext. oct. *qui viratus?* nec aliter S. Victoris.

una voce populi Roman. uno orbis terræ teſtimonio, in cœlum laudibus efferebantur? nunc vereor, ne non modò non proſint, verùm etiam aliquid obſint. Etenim MULTO ACRIOREM improborum interdum memoriam eſſe ſentio, quàm bonorum. Ego te, ſi quid gravius accideret, [1] ego te, inquam, Flacce, prodidero: mea dextera illa, mea fides, mea promiſſa, cùm te, ſi rempubl. conſervaremus, omnium bonorum præſidio, quoad viveres, non modò munitum, ſed etiam ornatum fore pollicebar. putavi, ſperavi, etiam ſi honos noſter vobis vilior fuiſſet, ſalutem certè caram futuram. At, L. Flaccum quidem, judices, ſi (quod dii immortales omen avertant) gravis injuria afflixerit: numquam tamen proſpexiſſe veſtræ saluti, conſuluiſſe vobis, liberis, conjugibus, fortunis veſtris, *pœnitebit*. ſemper ita ſentiet, talem ſe animum & generis dignitati, & pietati ſuæ, & patriæ debuiſſe: vos ne pœniteat tali civi non peperciſſe, per deos immortaleis, judices, providete. quotus enim quiſque eſt, qui hanc in rep. *ſectam* ſequatur? qui vobis, qui veſtri ſimilibus placere cupiat? qui optimi, atque ampliſſimi cujuſque hominis, atque ordinis auctoritatem magni putet; cùm illam viam ſibi videant expeditiorem ad honores, & ad omnia, quæ concupiverunt? Sed
42 cetera ſint eorum: ſibi habeant potentiam, ſibi honores, ſibi ceterorum commodorum ſummas facultates. Liceat iis, qui hæc ſalva eſſe voluerunt, ipſis eſſe ſalvis. nolite, judices, exiſtimare, eos, quibus integrum eſt, qui nondum ad honores acceſſerunt, non exſpectare hujus exitum judicii. Si L. Flacco tantus amor in bonos omneis, tantum in remp. ſtudium, calamitati fuerit: quem poſthac tam amentem fore putatis: qui non illam *viam vitæ*, quam antè præcipitem, & lubricam eſſe ducebat, huic planæ, & ſtabili præponendam eſſe arbitretur? Quod ſi talium civium vos, judices, tædet: oſtendite: mutabunt ſententiam, qui potuerint: conſtituent, quid agant, quibus integrum eſt. nos, qui jam *progreſſi* ſumus, hunc exitum noſtræ temeritatis feremus. ſin hoc animo quàm plurimos eſſe vultis, declarabitis hoc judicio, [2] quid ſentiatis. huic, huic miſero puero, veſtro ac liberorum veſtrorum ſupplici, judices, hoc judicio, *vivendi præcepta* dabitis. cui ſi patrem conſervatis; qualis ipſe debeat eſſe, civis, præſcribetis. ſin eripitis; oſtendetis, bonæ rationi, & conſtanti, & gravi nullum à vobis fructum eſſe propoſitum. qui vos, quoniam eſt id ætatis, ut *ſenſum* jam percipere poſſit ex mœrore patrio, auxilium nondum patri ferre poſſit: orat, ne ſuum luctum, patris lacrymis, patris mœrorem, ſuo fletu augeatis. qui etiam me intuetur, me vultu appellat, meam quodammodo flens fidem implorat: ac repetit eam, quam ego patri ſuo quondam pro ſalute patriæ ſpoſponderim, dignitatem. Miſeremini familiæ, judices, miſeremini fortiſſimi patris, miſeremini filii: nomen clariſſimum, & fortiſſimum, vel *generis*, vel *vetuſtatis*, vel *hominis* cauſa, reip. reſervate.

1. *Ego te, inquam Flacce prodidero.*] Melius iſtud fide mſſ. noſtrorum, quam prius vulgatum *perdidero*; quod & Manutio antea diſplicuerat.

2. *Quid ſentiatis. huic huic, &c.*] Sic Pal. ſec. ſext. Grut. editioneſque: exoletæ nam ceteri non habent illud *quid ſentiatis*, aut ſequentia, uſque ad *vivendi præcepta*. quæ tamen heic prorſus requiruntur. Victoriana editio, iſthæc omnia habet, ac præterea, *ſentiatis. præclara illa hæc oratio quidem, ſi huic huic, &c.* ineptè.

M. TULLIUS CICERO PRO P. SULLA.

ORATIO VICESIMAQUINTA.

1 MAXIME vellem, judices, ut P. Sulla & antea dignitatis ſuæ ſplendorem obtinere, &, poſt calamitatem acceptam, modeſtiæ fructum aliquem potuiſſet percipere. ſed, quoniam ita tulit caſus infeſtus, ut ampliſſimo in honore cùm communi ambitionis invidia, tum ſingulari Autronii odio everteretur, & in his priſtinæ fortunæ reliquiis miſeris, & afflictis, tamen haberet quoſdam, quorum animos *ne ſupplicio* quidem ſuo ſatiare poſſet: quamquam ex hujus incommodis magnam animo moleſtiam capio, tamen in ceteris malis facilè patior oblatum mihi tempus, in quo boni viri lenitatem meam, miſericordiamque, notam omnibus quondam, nunc, quaſi intermiſſam, agnoſcerent: improbi, ac perditi cives, [1] redomiti, atque victi, *præcipitante repub.* vehementem me fuiſſe, atque fortem: *conſervata*, mitem, ac miſericordem faterentur. Et, quoniam L. Torquatus, meus familiaris, ac neceſſarius, judices, exiſtimavit, ſi noſtram in accuſatione ſua neceſſitatem, familiaritatemque violaſſet, aliquid ſe de auctoritate meæ defenſionis poſſe detrahere: cum hujus periculi propulſatione conjungam defenſionem officii mei: quo quidem genere non uterer orationis, judices, hoc tempore, ſi mea ſolum intereſſet. multis enim mihi locis, & data facultas eſt, & ſæpe dabitur de mea laude dicendi. ſed, ut ille, judices, quantum de mea *auctoritate* deripuiſſet, tantum ſe de hujus [2] præſidiis deminuturum: ſic hoc ego ſentio, ſi mei facti rationem vobis, conſtantiamque hujus officii, ac defenſionis probavero; cauſam quoque me P. Sullæ probaturum. Ac primùm abs te illud, L. Torquate, quæro. cur me à ceteris clariſſimis viris, ac principibus civitatis, in hoc officio, atque in defenſionis jure *ſecernas*. quid enim eſt, quamobrem abs te Q. Hortenſii factum, clariſſimi viri, atque ornatiſſimi civis, non reprehendatur, reprehendatur meum? nam ſi initum eſt conſilium à P. Sulla inflammandæ civitatis, hujus exſtinguendi imperii, delendæ urbis: mihi majorem hæ res dolorem quàm Q. Hortenſio, mihi majus odium afferre debent? meum denique gravius eſſe judicium, qui adjuvandus in his cauſis, qui oppugnandus, qui defendendus, qui deſerendus eſſe videatur? Ita, inquit. tu enim inveſtigaſti, tu patefeciſti conjurationem. 2
Quod cùm dicit, non attendit, eum, qui patefecerit, hoc curaſſe, ut id omnes viderent, quod antea fuiſſet occultum. Quare iſta conjuratio, ſi patefacta per me eſt,

1. *Redomiti atque victi.*] Hæc eſt ſcriptura veterum impreſſionum, hæc Palatinorum octo, novem, decem, hæc codicis S. Victoris, Busbequii, ac Gruteri. recentius cuſi, *edomiti*.

2. *Præſidiis deminuturum: ſic hoc ego ſentio.*] Non potui excludere ſcripturam Pall. noſtrorum novem, item olim cuſorum. nam ſequioris ævi editiones, *diminuturum ſperavit: ſic, &c.* cujus vocis in aliis nullum veſtigium. ſolum erat ad oram quinti, *ſcilicet, ſenſit.* octavi, *exiſtimat*, S. Victoris habebat in contextu *putavit*, ſi non fallit manus Gulielmii; qui tamen nihil annotavit præterea, quàm illud *ſperavit* abfuiſſe etiam libro Busbequii noſtri.

eſt, [1] tam patet Hortenſio, quàm mihi. quem cùm videas hoc honore, auctoritate, virtute, conſilio præditum, non dubitaſſe, quin innocentem P. Sullam defenderet: quæro, cur, qui *aditus* ad cauſam Hortenſio patuerit, mihi interclusus eſſe debuerit. quæro illud etiam, ſi me, qui defendo, reprehendendum putas eſſe, quid tandem de his exiſtimes ſummis viris, & clariſſimis civibus, quorum ſtudio, & dignitate, [2] celebrari hoc judicium, ornari cauſam, defendi hujus innocentiam vides? non enim una eſt ratio defenſionis ea, quæ poſita eſt in oratione. omnes, qui adſunt, qui laborant, qui ſalvum volunt, pro ſua parte, atque auctoritate defendunt. An verò, in quibus ſubſelliis hæc ornamenta, ac lumina reip. viderem, in his me apparere nollem, quorum ego opera illum in locum, atque in hanc *celſiſſimam ſedem dignitatis*, atque honoris, multis meis, ac magnis laboribus, & periculis, adſcendiſſem? Atque, ut intelligas, Torquate, quem accuſes, ſi te id offendit, quod ego, qui hoc genere quæſtionis defenderim neminem, non deſim P. Sullæ: recordare de ceteris, quos adeſſe huic vides. intelliges, & de hoc, & de ceteris judicium meum, & horum, par, atque unum fuiſſe. Quis noſtrûm adfuit Vargunteio? nemo: ne hic quidem Q. Hortenſius, præſertim qui illum ſolus antea de ambitu defendiſſet. non enim jam ſe ullo officio cum illo conjunctum arbitrabatur, cùm ille, tanto ſcelere commiſſo, *omnium officiorum ſocietatem diremiſſet*. Quis noſtrûm [3] Ser. Sullam? quis P.? quis M. Leccam? quis Cornelium, defendendum putavit? quis his horum adfuit? nemo. quid ita? quia ceteris in cauſis, etiam nocentes viri boni, [4] ſi *neceſſarii ſunt*, deſerendos eſſe non putant. in hoc crimine, non ſolum levitatis eſt culpa, verùm etiam quædam contagio ſceleris, ſi defendas eum, [5] quem obſtrictum eſſe patriæ parricidio ſuſpicere. Quid Autronio? nonne ſodales, non collegæ ſui, non veteres amici, quorum ille copia quondam abundarat, non hi omnes, qui ſunt in republ. principes, defuerunt? immò etiam teſtimonio plerique læſerunt? STATUERANT, tantum illud eſſe maleficium, quod [6] non modò non occulta-
3 ri per ſe, ſed etiam aperiri, illuſtrarique deberet. Quamobrem quid eſt, quòd mirere, ſi cum iiſdem me in hac cauſa vides adeſſe, cum quibus in ceteris intelligis abfuiſſe? niſi verò me unum vis ferum, præter ceteros, me aſperum, me inhumanum exiſtimari: me ſingulari immanitate, & crudelitate præditum. Hanc mihi tu ſi, propter res meas geſtas, imponis *in omni vita* mea perſonam, Torquate, vehementer erras. me natura miſericordem, patria ſeverum: crudelem nec patria, nec natura eſſe voluit. denique iſtam ipſam perſonam vehementem, & acrem, quam mihi tum tempus, & reſp. impoſuit, jam voluntas, & natura ipſa detraxit. illa enim ad breve tempus ſeveritatem poſtulavit: hæc *in omni vita* miſericordiam, lenitatemque deſiderat. Quare nihil eſt, quòd ex tanto comitatu virorum ampliſſimorum me unum abſtrahas. ſimplex officium, atque una eſt bonorum omnium cauſa. nihil erit, quod admirere poſthac, ſi in ea parte, in qua hos animadverteris, me videbis. nulla eſt enim in republ. cauſa mea propria. tempus agendi fuit magis mihi proprium, quam ceteris: doloris verò, & timoris, & periculi fuit illa cauſa communis. neque enim *princeps* tunc ad ſalutem eſſe potuiſſem, ſi eſſe alii comites noluiſſent. Quare neceſſe eſt, quod mihi conſuli præcipuum fuit præter alios, id jam privato cum ceteris eſſe commune. Neque ego hoc partiendæ invidiæ, ſed communicandæ laudis cauſa loquor. ONERIS MEI PARTEM NEMINI IMPERTIO, GLORIÆ BONIS OMNIBUS. In Autronium teſtimonium dixiſti, inquit: Sullam defendis. Hoc totum ejuſmodi eſt, judices, ut, ſi ego ſim inconſtans, ac levis, nec teſtimonio fidem tribui convenerit, nec defenſioni auctoritatem. ſin eſt in me ratio reip. religio privati officii, ſtudium retinendæ voluntatis bonorum: nihil minùs accuſator debet dicere, quàm à me defendi Sullam, teſtimonio læſum eſſe Autronium. videor enim non ſolùm ſtudium ad defendendas cauſas, verùm opinionis aliquid, & auctoritatis afferre: qua & moderatè ego utar, judices, & omnino non uterer, ſi ille me non coëgiſſet. Duæ conjurationes abs te, Torquate, conſti- 4
tuuntur; una, [7] quæ Lepido, & L. Tullo, Coss. patre tuo conſule deſignato, facta eſſe dicitur: altera, quæ me conſule. Harum in utraque Sullam dicis fuiſſe. Patris tui, fortiſſimi viri, atque optimi conſulis, ſcis, me conſiliis non interfuiſſe: ſcis, me, cùm mihi ſummus tecum uſus eſſet, tamen illorum expertem temporum, & ſermonum fuiſſe: credo, quòd nondum penitus in republ. verſabar, quòd nondum ad propoſitum mihi finem honoris perveneram, [8] quòd mea me *ambitio*, *& forenſis labor* ab omni illa cogitatione abſtrahebat. Quis ergo intererat veſtris conſiliis? omnes hi, quos vides huic adeſſe, & in primis Q. Hortenſius: qui cùm propter honorem, ac dignitatem, atque animum eximium in rempubl. tum propter ſummam familiaritatem, ſummumque amorem in patrem tuum, tum communibus, tum præcipuis patris tui periculis commovebatur. Ergo iſtius conjurationis crimen, defenſum ab eo eſt, qui interfuit, qui cognovit, qui particeps & conſilii veſtri fuit, & timoris. cujus in hoc crimine propulſando cum eſſet copioſiſſima, atque ornatiſſima oratio, tamen non minus inerat *auctoritatis* in ea, quàm facultatis. Illius igitur conjurationis, quæ facta contra vos delata ad vos, à vobis prolata eſſe dicitur, ego teſtis eſſe non potui. non modò enim nihil comperi, ſed vix ad aureis meas iſtius ſuſpicionis fama pervenit. Qui vobiſcum in conſilio fuerunt, qui vobiſcum illa cognorunt, quibus ipſis periculum tum conflari putabatur, qui Autronio non adfuerunt, qui in illum teſtimonia gravia dixerunt, hunc defendunt, huic adſunt, in hujus periculo declarant, ſe non crimine conjurationis, ne adeſſent ceteris, ſed *hominum maleficio*, deterritos eſſe. Mei conſulatus autem tempus, & crimen maximæ conjurationis

1. *Tam patet Hortenſio, &c.*] Gulielmius mallet *paret*, quod ſcribit à prima manu fuiſſe in S. Victoris, & reſtare in ed. Lugdunenſi. noſtri omnes propugnant vulgatam.

2. *Celebrari hoc judicium, ornari cauſam, defendi hujus innocentiam vides.*] Nec heic volui excludere ſcripturam Palatini, numero quidem noni, ſed bonitate primi. antea edebatur compoſitione admodum dura, *judicium, & ornari, cauſam defendi hujus innocentis vid.* & vero copula *&*, nullo comparet in mſſ. aut vetuſtius cuſis.

3. *Servium Sullam? quis P.? quis M. Leccam? &c.*] Revoco lectionem omnium mſſ. Pall. item S. Vict. Grut. & Busb. atque editionum veterum. poſt impreſſi, ridiculè nobis immiſerant, *quis P. Lentulum.* qui numquam accuſatus fuit, ſed deprehenſus, ſtatimque interemptus. nimirum nominantur à Salluſtio inter conjuratos Serv. & P. Sullæ Servii, filii, hos indicat Tullius noſter.

4. *Si neceſſarii ſunt deſerendos eſſe non putant.*] Gemma hujus lectionis nata è Palatino illo nono. alii enim noſtri, *ſi neceſſ. ſunt defendendos eſſe non putant*; contra mentem auctoris: itaque Critici correctores, vulgatis alterum adhuc interſeruerant negativum, *non defendendos eſſe non putant.* quam ineptè quilibet jam animadvertit.

5. *Quem obſtrictum eſſe patriæ parricidio ſuſpicere.*] Ita eſſe in Turingico codice nuper prodidit in promulſide ſua meus Zinzerlingus, annotaratque è Suffridi ſchedis ad librum ſuum Gulielmius. quod ipſum nunc confirmamus auctoritate Pal. noni. itaque viderint alii deinceps, quomodo vulgatam tueri poſſint, cui aberat vox *parricidio.* volente alioquin Gulielmio.

6. *Non modo non occultari.*] Idem nonus, *non modò occultari.* & ſic ſæpe locutos auctores, diu eſt quod oſtenderunt critici, verùm parcius deinde laudabo nonum noſtrum; ne ſi lectioni ejus nimium incumbam, finem nunquam ponam huic operi. hoc tantum obiter dicam, ex eo codice ſexcentis vocibus nunc meliorem, nunc leviorem fieri poſſe Tullium noſtrum. reperi autem inter libros Bibliothecæ Othonis Henrici Electoris Palatini memoriæ ſempiternæ Principis, vel ea de cauſa, quod ipſe auſpicium fecit adornandæ librariæ hoc ævo toto orbe terrarum famoſiſſimæ.

7. *Quæ Lepido & Volcatio* Coss.] Excludere non potui hanc ſcripturam ſubnixam fide editionum veterum omnium, Palatinorum novem, denique libris S. Vict. Busb. Grut. poſterius publicati *Lepido & L. Tullo* Coss. non malè. ſed unde id natum?

8. *Quod mea me ambitio.*] Scribendum ſine *mea* ex nono, *quod me ambitio.* nam alii ſcripti, *quod mea ambitio*, abſque *me*.

nis à me defenderetur. Atque inter nos partitio non eſt fortuitò, judices, nec temere facta: ſed, cùm videremus, eorum criminum nos patronos adhiberi, quorum teſtes eſſe poſſemus, uterque noſtrûm id ſibi ſuſcipiendum putavit,
5 de quo aliquid ſcire, atque exiſtimare potuiſſet. Et, quoniam de criminibus ſuperioris conjurationis Hortenſium diligenter audiſtis, de hac conjuratione, quæ, me conſule, facta eſt, hoc primùm attendite. Multa, cùm eſſem conſul, de ſummis reipubl. periculis audivi, multa quæſivi, multa cognovi. nullus umquam de Sulla nuntius ad me, nullum indicium, nullæ litteræ pervenerunt, [1] *nulla ſuſpicio*. Multùm hæc vox fortaſſe deberet valere ejus hominis, qui conſul inſidias reipub. conſilio inveſtigaſſet, veritate aperuiſſet, magnitudine animi vindicaſſet, cùm ipſe nihil audiſſe de P. Sulla, nihil ſuſpicatum eſſe diceret. ſed ego nondum utor hac voce ad hunc defendendum: ad purgandum me potiùs utor: ut miràri Torquatus deſinat, me qui Autronio abfuerim, Sullam defendere. Quæ enim Autronii fuit cauſa? quæ Sullæ eſt? ille ambitus judicium tollere, ac diſturbare primùm conflato voluit gladiatorum, ac fugitivorum tumultu: deinde, id quod vidimus omnes, lapidatione, atque concurſu. Sulla, ſi ſibi ſuus pudor, ac dignitas non prodeſſet, nullum auxilium requiſivit. Ille damnatus ita ſe gerebat, non ſolùm conſiliis, & ſermonibus, verùm etiam *adſpectu, atque vultu*, ut inimicus eſſe ampliſſimis ordinibus, infeſtus bonis omnibus, hoſtis patriæ videretur. hic ſe ita fractum illa calamitate, atque afflictum putavit, ut nihil ſibi ex priſtina dignitate ſupereſſe arbitraretur, niſi quod modeſtia retinuiſſet. Hac verò in conjuratione, quid tam conjunctum, quàm ille cum Catilina, cum Lentulo? quæ tanta ſocietas ullis inter ſe rerum optimarum, quanta ei cum illis, ſceleris, libidinis, audaciæ? quod flagitium Lentulus non cum Autronio concepit? quod *ſine eodem illo* Catilina facinus admiſit? cùm interim Sulla cum eiſdem illis non modò noctem, ſolitudinemque non quæreret, ſed ne mediocri quidem ſermone, & congreſſu conjungeretur. Illum Allobroges, maximarum rerum veriſſimi indices, illum multorum litteræ, ac nuntii coarguerunt: Sullam interea nemo inſimulavit, nemo nominavit. Poſtremò, ejecto, ſive emiſſo jam ex urbe Catilina, ille arma miſit, cornua, [2] tubas, falceis, ſigna, legiones: ille relictus intus, exſpectatus foris, Lentuli pœna compreſſus, convertit ſe aliquando ad timorem, numquam *ad ſanitatem*. hic contrà ita quievit, ut eo tempore omni Neapoli fuerit, ubi neque homines fuiſſe putantur hujus affines ſuſpicionis; & locus eſt ipſe non tam ad inflammandos calamitoſorum animos, quàm ad conſolandos
6 accommodatus. Propter hanc igitur tantam diſſimilitudinem hominum, atque cauſarum, diſſimilem me in utroque præbui. Veniebat enim ad me, & ſæpe veniebat, Autronius, multis cum lacrymis, ſupplex, ut ſe defenderem: & ſe meum *condiſcipulum* in pueritia, familiarem in adoleſcentia, collegam in quæſtura commemorabat fuiſſe: multa mea in ſe, nonnulla etiam ſua in me proferebat officia. quibus ego rebus, judices, ita flectebar animo, atque frangebar, ut etiam ex memoria, quas mihi ipſi fecerat inſidias, deponerem: ut jam immiſſum eſſe ab eo C. Cornelium, qui me [3] in ſedibus meis, in conſpectu uxoris meæ, ac liberorum meorum trucidaret, obliviſcerer. quæ ſi de *uno me* cogitaſſet: qua mollitia ſum animi, ac lenitate, numquam mehercule illius lacrymis, ac precibus reſtitiſſem. Sed, cùm mihi patriæ, cùm veſtrorum periculorum, cùm hujus urbis, cùm illorum delubrorum, atque templorum, cùm puerorum infantium, cùm matronarum, ac virginum veniebat in mentem: & cùm illæ infeſtæ, ac funeſtæ faces, univerſumque totius urbis incendium, cùm tela, cùm cædes, cùm civium cruor, cùm *cinis patriæ* verſari ante oculos, atque animum memoria refricare ceperat: tum denique ei reſiſtebam, neque ſolum illi hoſti, ac parricidæ, ſed his etiam propinquis illius Marcellis, patri, & filio, quorum alter apud me *parentis* gravitatem, alter *filii* ſuavitatem obtinebat: neque me arbitrabar ſine ſummo ſcelere poſſe, quod maleficium in aliis vindicaſſem, idem in illorum ſocio, cùm ſcirem, defendere. Atque idem ego neque P. Sullam ſupplicem ferre, neque eoſdem [4] Marcellos, pro hujus periculis lachrymantes adſpicere, neque hujus M. Meſſallæ, hominis neceſſarii, preces ſuſtinere potui. neque enim eſt cauſa adverſata naturæ: nec homo, nec res miſericordiæ meæ repugnavit. nuſquam nomen, nuſquam veſtigium fuerat: nullum crimen, [5] nullum indicium, nulla ſuſpicio. Suſcepi cauſam, Torquate, ſuſcepi, & feci libenter, ut me, quem boni conſtantem ſemper, ut ſpero, exiſtimaſſent, eundem ne improbi quidem crudelem dicerent. Hic ait ſe ille, judices, *regnum meum* ferre non 7
poſſe. Quod tandem, Torquate, regnum? conſulatus, credo, mei: in quo ego imperavi nihil, ſed contrà patribus conſcriptis, & bonis omnibus *parui*. quo in magiſtratu non inſtitutum eſt à me, judices, regnum, [6] ſed non permiſſum. [7] An tum, in tanto imperio, tanta poteſtate, non dicis fuiſſe regem; nunc privatum, regnare dicis? quo tandem nomine? Quòd, in quos teſtimonia dixiſti, inquit, damnati ſunt: quem defendis, ſperat ſe abſolutum iri. Hìc tibi ego de teſtimoniis meis hoc reſpondeo: ſi falſum dixerim, te in eos dixiſſe. ſin verum; non eſſe hoc regnare, [8] cùm verum juratus dicas, probare. De hujus ſpe tantum dico, nullas à me opes P. Sullam, nullam potentiam, nihil denique, præter fidem defenſionis, exſpectare. Niſi tu, inquit, cauſam recepiſſes, numquam mihi reſtitiſſet: ſed, indicta cauſa, profugiſſet. Si jam hoc tibi concedam, Q. Hortenſium, tanta gravitate hominem, ſi hos taleis viros non ſuo ſtare judicio, ſed meo: ſi hoc tibi dem, quod credi non poteſt, niſi ego huic adeſſem, hos adfuturos non fuiſſe: uter tandem *rex* eſt, iſne, cui innocentes homines non reſiſtunt, an is, qui calamitoſos non deſerit? At hìc etiam, id quod tibi neceſſe minimè fuit, facetus eſſe voluiſti, cum Tarquinium, & Numam, & me, *tertium peregrinum regem*, eſſe dixiſti. Mitto jam de rege quærere: illud quæro, peregrinum cur me eſſe dixeris. nam, ſi ita ſum, non tam eſt admirandum, regem eſſe me, quia, ut tu vis, etiam peregrini, reges Romæ fuerunt, quàm conſulem Romæ fuiſſe peregrinum. Hoc dico, inquit, te eſſe ex municipio. Fateor, & addo etiam, ex eo municipio, unde iterum jam ſalus huic urbi, imperioque miſſa eſt. Sed ſcire ex te pervelim, quamobrem, qui ex municipiis veniant, peregrini tibi eſſe videantur. nemo enim iſtuc M. illi Catoni ſeni, cùm plurimos haberet inimicos, nemo T. Coruncanio, nemo Curio, nemo huic ipſi noſtro C. Mario, cùm ei multi inviderent, objecit umquam. Equidem vehementer lætor, eum eſſe

1. *Nulla ſuſpicio.*] Henr. Stephani liber, *nulla denique ſuſpicio.*] ſed voculam eam Pall. non agnoſcunt.

2. *Tuba, falceis, ſigna, legiones.*] Pal. nonus *faſces*. probabili emendatione, ſed forſan minus vera. nam *Falcariorum* meminit noſter 1. Catilin. cap. IV. pr. ſed quid ſi *falceis* comprehendantur nomine armorum, quod præceſſit.

3. *In ſedibus meis.*] Lamb. *ædibus*. ſed invitis manuſcriptis noſtris aliiſque editionibus.

4. *Marcellos, pro hujus periculis lacrymantes adſpicere, neque.*] Lacunam explevi ex membranis Erfurd. tanto promptius quod totidem apicibus exſtaret in Palat. nono. meminit & hujus loci noſter Gulielmius ad Truculentum Plautinum cap. 5.

5. *Nullum judicium, nulla ſuſpicio.*] Duæ voces ſunt à duobus iiſdem libris, repetita ſcilicet ex capitis quinti principio.

6. *Sed non permiſſum.*] Meliores Pall. non habent negativam: adeo ut veroſimile ſit reſtituendum quod eſt in Pal. nono, *ſed repreſſum*.

7. *An tum, in tanto, &c.*] Ita omnes mſſ. noſtri, requiritque ſermonis conſecutio; neque aliter vett. edd. neotericæ enim, *Quem tum in, &c.*

8. *Cum verum juratus dicas probare.*] Eſt à Pal. nono, & ita intelligebat vulgatum illud *juratos* Gulielmius, ſcriptum ſcilicet ratione ſcribendi antiqua. ineptè igitur Lambinus, *cùm verum dicas, juratis probare.*

1. A Tor-

eſſe me, in quem tu, cum cuperes, nullam contumeliam jacere potueris, quæ non ad maximam partem civium con-
8 veniret. Sed tamen te à me, pro magnis cauſis noſtræ neceſſitudinis, monendum eſſe etiam atque etiam puto. *non poſſunt omnes eſſe patricii.* ſi verum quæris, ne curant quidem: nec ſe æquales tui, propter iſtam cauſam, abs te anteiri putant. Ac, ſi tibi nos *peregrini* videmur, quorum jam & nomen, & honos, inveteravit & huic urbi, & hominum famæ, ac ſermonibus: quàm tibi illos competitores tuos, peregrinos videri neceſſe erit, qui jam ex tota Italia delecti, tecum de honore, & de omni dignitate contendunt? quorum cave tu quemquam peregrinum appelles, ne peregrinorum ſuffragiis obruare. qui ſi attulerint nervos, & induſtriam: mihi crede excutient tibi iſtam verborum jactationem, & te ex ſomno ſæpe excitabunt: nec patientur, ſe abs te, *niſi virtute vincentur*, *honore ſuperari.* Ac, ſi, judices, ceteris patriciis me, & vos peregrinos videri oporteret, [1] à Torquato tamen hoc vitium ſileretur. eſt enim ipſe à materno genere, municipalis, honeſtiſſimi, ac nobiliſſimi generis, ſed tamen Aſculani. Aut igitur doceat, Picenteis ſolos non eſſe peregrinos, aut gaudeat ſuo generi [2] me meum ante non ponere. Quare neque me peregrinum poſthac dixeris, ne gravius refutère: neque regem, ne derideare. niſi fortè REGIUM tibi videtur, ita vivere, ut non modo homini nemini, ſed ne cupiditati quidem ulli ſervias: contemnere omneis libidines: non auri, non argenti, non ceterarum rerum indigere: in ſenatu ſentire liberè: populi utilitati magis conſulere, quàm voluntati: nemini cedere, multis obſiſtere. ſi hoc putas eſſe regium; me regem eſſe confiteor. ſin te potentia mea, ſi dominatio, ſi denique aliquod dictum arrogans, aut ſuperbum movet: quin tu id potius profers, quàm *verbi invi-*
9 *diam*, contumeliamque maledicti? Ego tantis à me beneficiis in repub. poſitis, ſi nullum aliud mihi præmium à ſenatu, populoque Romano, niſi honeſtum otium poſtularem, quis non concederet? ſibi haberent honores, ſibi imperia, ſibi provincias, ſibi triumphos, ſibi alia præclaræ laudis inſignia: mihi liceret ejus urbis, quam conſervaſſem, conſpectu, tranquillo animo, & quieto frui? Quid, ſi hoc non poſtulo? ſi ille labor meus priſtinus, ſi ſolicitudo, ſi officia, ſi operæ, ſi vigiliæ deſerviunt amicis, præſto ſunt omnibus? ſi neque amici in foro requirunt ſtudium meum, neque reſp. in curia? ſi me non modò rerum geſtarum *vacatio*, ſed neque honoris, neque ætatis excuſatio vendicat à labore? ſi voluntas mea, ſi induſtria, ſi domus, ſi animus, ſi aures patent omnibus? ſi mihi ne ad ea quidem, quæ pro ſalute omnium geſſi, recordanda, & cogitanda quidquam relinquitur temporis? tamen hoc regnum appellabitur? cujus *vicarius* qui velit eſſe, inveniri nemo poteſt. [3] longè abeſt regni ſuſpicio. Si quæris, qui ſint Romæ regnum occupare conati, ut ne replices annalium memoriam, ex domeſticis imaginibus invenies. Res enim geſtæ, credo, meæ, me nimis extulerunt, ac mihi neſcio quos ſpiritus attulerunt. quibus de rebus tam claris, tam immortalibus, judices, hoc poſſum dicere me, qui è ſummis eripuerim periculis urbem hanc, & vitam omnium civium; ſatis adeptum fore, ſi ex hoc tanto in omneis mortaleis beneficio nullum in me *periculum* redundarit. Etenim, in qua civitate res tantas geſſerim, memini, [4] & in qua urbe verſer, intelligo. plenum forum eſt eorum hominum, quos ego à veſtris cervicibus depuli, judices, à meis non removi. niſi vero paucos fuiſſe arbitramini, qui conari, aut ſperare poſſent, ſe tantum imperium poſſe delere. Horum ego faces eripere de manibus, & gladios extorquere potui, ſicut feci: *voluntates* vero conſceleratas, ac nefarias nec ſanare potui, nec tollere. Quare non ſum neſcius, quanto periculo vivam in tanta multitudine improborum, cum mihi unicum omnibus improbis *æternum*
videam *bellum* eſſe ſuſceptum. Quod ſi illis meis præſidiis 10
fortè invides: &, ſi ea tibi regia videntur, quod omnes boni omnium generum, atque ordinum, ſuam ſalutem cum mea conjungunt: conſolare te, quod omnium mentes improborum mihi uni maximè ſunt infenſæ, & adverſæ. qui me non ſolum idcirco oderunt, quod eorum conatus impios, & furorem conſceleratum repreſſi: ſed eo etiam magis, quod nihil jam ſe ſimile, me vivo, conari poſſe arbitrantur. At vero QUID EGO miror, ſi quid ab improbis de me improbè dicitur; cum L. Torquatus, primum ipſe his fundamentis adoleſcentiæ jactis, ea ſpe propoſita ampliſſimæ dignitatis, deinde L. Torquati, fortiſſimi conſulis, conſtantiſſimi ſenatoris, ſemper optimi civis, filius, interdum *efferatur* immoderatione verborum? qui cum *ſuppreſſa voce* de ſcelere P. Lentuli, de audacia conjuratorum omnium dixiſſet, tantummodò ut vos, qui ea probatis exaudire poſſetis: de ſupplicio P. Lentuli, de carcere, magna, & queribunda voce dicebat. in quo primum illud erat abſurdum, quòd, cùm ea, [5] quæ leviter dixerat, vobis probare volebat: eos autem, qui circum judicium ſtabant, audire nolebat: non intelligebat, ea, quæ *clarè* diceret, ita illos audituros, quibus ſe venditabat, ut vos quoque audiretis, qui id non probatis. Deinde alterum jam oratoris vitium, non videre, quid quæque cauſa poſtulet. NIHIL eſt enim tam alienum ab eo, qui alterum conjurationis accuſet, quàm videri conjuratorum pœnam, mortemque lugere. [6] Quod cùm is tribunus pl. facit, qui unus videtur ex illis ad lugendos conjuratos relictus, non mirum eſt. difficile eſt enim *tacere*, cùm doleas. te, ſi quid ejuſmodi facis, non modò talem adoleſcentem, ſed in ea cauſa, in qua te vindicem conjurationis velis eſſe, vehementer admiror. ſed reprehendo tamen illud maximè, quòd iſto ingenio, & prudentia præditus, cauſam reipubl. non tenes, qui arbitrere, plebi Romanæ res eas non probari, quas, me conſule, omnes bo-
ni pro ſalute communi geſſerunt. Et quem tu horum qui 11
adſunt, quibus te contra ipſorum voluntatem venditabas, aut tam ſceleratum ſtatuis fuiſſe, ut hæc omnia perire voluerit, aut tam miſerum, ut & ſe perire cuperet, & nihil haberet, quod ſalvum eſſe vellet? An verò clariſſimum virum generis veſtri, ac nominis, nemo reprehendit, qui *filium ſuum vita privavit*, ut in ceteris firmaret imperium: tu remp. reprehendis, quæ domeſticos hoſteis, ne ab iis ipſa necaretur, necavit? Itaque attende jam, Torquate, [7] quàm ego defugiam auctoritatem conſulatus mei. maxima voce, ut omnes exaudire poſſint, dico, ſemperque dicam: adeſtote omnes animis, qui adeſtis corporibus, quorum ego frequentia magnopere lætor: erigite menteis, aureiſque veſtras, & me de *invidioſis rebus*, ut ille putat, dicentem attendite. Ego conſul, cùm exercitus perditorum civium,

1. *A Torquato tamen hoc vitium ſileretur.*] Gulielmius inclinat legere, *convitium*, quod ipſum quoque in mentem venit Rubenio lib. 1. Elector. cap. 3. ſed neceſſarium non eſt ut quid mutemus.

2. *Me meum ante non ponere.*] Ita Pall. ita Busb. ita S. Vict. ita Grut. quæ tmeſis Ciceroni non eſt nova. vulgata, *non anteponere.*

3. *Longè abeſt à me regni ſuſpicio.*] Lambinus fruſtra laboravit in conſtituenda ſententia, diſtinctione alia, verbiſque interpoſitis. veterem ſcripturam repoſui veramque è Turingicis & Pal. nono.

4. *Et in qua urbe verſer intelligo.*] Addidimus ex iiſdem binis membranis *verſer.* antea etiam iiſdem jubentibus reſcriptum, *redundarit*, pro vulgato *redundabit.*

5. *Quæ leviter dixerat.*] Hoc eſt ſummiſſe & preſſe, neque opus ut invitis libris intrudat Lambinus *leniter.* idem utroque ſignificari docet Catullus: *Audibant eadem hæc leniter & leviter.*

6. *Quod cum is, &c.*] Mutat hîc quædam Lambinus, ſed libris noſtris invitis. ii tamen in illo, *non mirum eſt*, mirè diſſentiunt. nam Pal. pr. quart. quint. ſept. oct. *neque hoc mirum eſt.* ſec. ſext. S. Vict. Busb. Grut. *re . . . . . . mirum eſt.* tert. *minimè quidem mirum eſt.* quod & in nono, ſed ſine *quidem.* quod mihi ſaniſſimum videtur: quamvis Gulielmius amplectatur *nec rectum eſt*, quod reſtat in editione proxima primæ.

7. *Quàm ego defugiam auctoritatem conſulatus mei.*] Verè & erudite ſic Lambinus correxit è mſſ. ſuis, neque aliter Pall. Busb. S. Vict. Grut. imò edd. tres quatuor antiquæ, recentiores enim, *quam ego non defugiam.*

civium, clandeſtino ſcelere conflatus, crudeliſſimum, & luctuoſiſſimum exitium patriæ comparaſſet: cùm ad occaſum, interitumque reip. Catilina in caſtris, in his autem templis, atque tectis dux Lentulus eſſet conſtitutus: meis conſiliis, meis laboribus, mei capitis periculis, *ſine tumu tu*, ſine delectu, ſine armis, ſine exercitu, [1] quinque hominibus comprehenſis, atque confoſſis, incenſione urbem, internecione civeis, vaſtitate Italiam, interitu rempubl. liberavi: ego vitam omnium civium, ſtatum orbis terræ, urbem hanc denique, ſedem omnium noſtrûm, arcem regum, ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperii, *quinque hominum* amentium, ac perditorum *pœna* redemi. An me exiſtimaſti hæc injuratum in judicio non eſſe dicturum, quæ juratus in maxima con-
12 cione dixiſſem? Atque etiam illud addam, nequi fortè incipiat improbus ſubitò te amare, Torquate, & aliquid ſperare de te: atque, ut idem omnes exaudiant, clariſſima voce dicam. Harum omnium rerum, quas ego [2] in conſulatu pro ſalute communi ſuſcepi, & geſſi; L. ille Torquatus, cùm eſſet meus contubernalis in conſulatu, atque etiam in prætura fuiſſet auctor, adjutor, particeps exſtitit: cùm princeps, cùm auctor, cùm *ſignifer eſſet juventutis*, parens ejus, homo amantiſſimus patriæ, maximi animi, ſummi conſilii, ſingularis conſtantiæ, cùm eſſet æger, tamen omnibus rebus illis interfuit: numquam eſt à me digreſſus: ſtudio, conſilio, auctoritate unus adjuvit plurimum, cùm infirmitatem corporis *animi virtute* ſuperaret. Videſne, ut eripiam te ex improborum ſubita gratia, & reconciliem bonis omnibus? qui te & diligunt, & retinent, retinebuntque ſemper: nec, ſi à me fortè deſciveris, idcirco te à ſe, & à rep. & à tua dignitate deficere patientur. Sed jam redeo ad cauſam: atque hoc vos, judices, teſtor: mihi de memetipſo tam multa dicendi neceſſitas quædam impoſita eſt ab illo. Nam, ſi Torquatus Sullam ſolùm accuſaſſet: ego quoque hoc tempore nihil aliud agerem, niſi eum, qui accuſatus eſſet, defenderem: ſed cùm ille tota illa oratione in me eſſet invectus, & cùm initio, ut dixi, defenſionem meam auctoritate ſpoliare voluiſſet: etiam ſi dolor meus reſpondere non cogeret, tamen ipſa cauſa hanc
13 à me orationem flagitaſſet. Allobrogibus *nominatum* Sullam eſſe dicis. [3] Quis negat? ſed lege indicium; & vide, quemadmodum nominatus ſit. L. Caſſium dixerunt commemoraſſe, cum ceteris Autronium ſecum facere. Quæro, num Sullam dixerit Caſſius? [4] nuſquam. ſeſe ajunt quæſiſſe de Caſſio *quid Sulla ſentiret*. Videte diligentiam Gallorum: qui vitam hominum, naturamque non noſſent, ac tantùm audiſſent, eos, pari calamitate eſſe; quæſiverunt, eſſentne eadem voluntate? Quid tum? Caſſius ſi reſpondiſſet idem ſentire, & ſecum facere Sullam, tamen mihi non videretur in hunc id criminoſum eſſe debere. Quid ita? quia qui barbaros homines ad bellum impelleret, non debebat *minuere illorum ſuſpicionem*, & purgare eos, de quibus illi aliquid ſuſpicarentur. Non reſpondit tamen unà facere Sullam. Etenim eſſet abſurdum, cùm ceteros ſua ſponte nominaſſet, mentionem Sullæ facere nullam, niſi admonitum, & interrogatum. niſi fortè veriſimile eſt, P. Sullæ nomen in memoria Caſſio non fuiſſe. ſi nobilitas hominis, ſi afflicta fortuna, ſi reliquiæ priſtinæ dignitatis, non tam illuſtres fuiſſent: tamen Autronii commemoratio memoriam Sullæ retuliſſet. etiam, ut arbitror, cùm auctoritates principum conjurationis ad incitandos animos Allobrogum colligeret Caſſius, & cùm ſciret exteras nationes maximè nobilitate moveri, non priùs Autronium, quàm Sullam nominaſſet. Jam verò illud probari minimè poteſt, Gallos, Autronio nominato, putaſſe, propter calamitatis ſimilitudinem, ſibi aliquid de Sulla eſſe quærendum: Caſſio, ſi hic eſſet in eodem ſcelere, ne cùm appellaſſet quidem Autronium, hujus in mentem venire potuiſſe. Sed tamen quid reſpondit de Sulla Caſſius? *Se neſcire certum.* Non purgat, inquit. Dixi antea: ne ſi argueret quidem tum denique, cùm eſſet interrogatus, id mihi criminoſum videretur. [5] Sed ego *in judiciis*, & in quæſtionibus non hoc quærendum arbitror, num purgetur aliquis: ſed num arguatur. etenim cùm negat ſe ſcire Caſſius, utrùm ſublevat Sullam, an ſatis probat ſe neſcire? Sublevat apud Gallos. Quid ita? ne indicent? Quid? ſi periculum eſſe putaſſet, ne illi umquam indicarent, de ſeipſo confeſſus eſſet? neſcivit. Credo, judices, celatum eſſe Caſſium de Sulla uno. nam de ceteris certè ſciebat: & ea domi ejus pleraque conflata eſſe conſtabat. Qui negare noluit eſſe in eo numero Sullam, quo *plus ſpei* Gallis daret: dicere autem falſum non auſus eſt: neſcire dixit. Atqui hoc perſpicuum eſt, cùm is, qui de omnibus ſcierit, de Sulla ſe ſcire negarit; eandem vim eſſe negationis hujus, quàm ſi *extra conjurationem* hunc eſſe, ſe ſcire dixiſſet. nam, CUJUS SCIENTIAM de omnibus conſtat fuiſſe, ejus ignoratio de aliquo, purgatio debet videri. Sed jam non quæro, purgetne Caſſius Sullam: illud mihi tantùm ſatis eſt, contra Sullam
nihil eſſe in indicio. Excluſus hac criminatione Torqua- 14
tus rurſus in me irruit, me accuſat. ait me aliter, ac dictum eſt, in tabulas publicas retuliſſe. O dii immortaleis! (vobis enim tribuam, quæ veſtra ſunt: nec verò poſſum meo tantum ingenio dare, ut tot res, tantas, tam varias, tam repentinas, in illa turbulentiſſima tempeſtate reipublicæ mea *ſponte diſpexerim)* vos profectò animum meum tum conſervandæ patriæ cupiditate incendiſtis: vos me ab omnibus ceteris cogitationibus [6] ad unam ſalutem reipublicæ contuliſtis: vos denique in tantis tenebris erroris, & inſcientiæ clariſſimum lumen prætuliſtis menti meæ. Vidi ego hoc, judices, niſi *recenti memoria* ſenatus, auctoritatem hujus indicii monumentis publicis teſtatus eſſem, fore, ut aliquando non Torquatus, neque Torquati quiſpiam ſimilis (nam id me multum fefellit) ſed ut aliquis patrimonio naufragus, inimicus otii, bonorum hoſtis, aliter indicata hæc eſſe diceret, quò facilius, vento aliquo in optimum quemque excitato, poſſet in malis reip. *portum* ſuorum malorum aliquem invenire. Itaque introductis in ſenatum indicibus: conſtitui ſenatores, qui omnia indicum dicta, interrogata, reſponſa *perſcriberent*. At quos viros? non ſolum ſumma virtute, & fide, cujus generis in ſenatu facultas maxima: ſed etiam quos ſciebam memoria, ſcientia, conſuetudine, & celeritate ſcribendi, facillime, quæ dicerentur, perſequi poſſe: C. Coſconium, qui tunc erat prætor: M. Meſſallam, qui tum præturam petebat: P. Nigidium, App. Claudium. credo eſſe neminem, [7] qui his hominibus ad verè referendum, aut etiam ſcribendum,

1. *Quinque hominibus comprehenſis atque confoſſis.*] Neſcio an ultima vox pura. meliores enim Pall. *atque confeſſis*. quod minus fuerit invidioſum. & ita certe ſcripſit Cicero; ut demum de ſupplicio loquatur periodo ſequenti.

2. *In conſulatu, atque etiam in prætura fuiſſet auctor.*] Coactus ſum obtemperare ſcripturæ Pal. noni, deletis intermediis *cum ſignifer eſſet juventutis*. aliter hæc conſtituit Lambinus, ſed ex conjectura Henrici Stephani.

3. *Quis negat? ſed lege indicium, & vide, &c.*] Corrrexi eleganter e Turingicis, accedebatque prorſus proxime Pal. nonus. ne emendationem hanc ſibi adſcriberet Gulielmius, imputandum Zinzerlingo noſtro, qui pridem ipſam oſtentavit in Promulſide ſua.

4. *Nuſquam. ſeſe, &c.*] Ex Pal. nono & Turingico conſtitui etiam hujus periodi ſententiam; cum antea falſo & obſcurè legeretur: *numquam ſeſe, &c. calamitate qui fuerant eſſe in eadem voluntate.*

5. *Sed ego in judiciis & in quæſtionibus.*] Ita Pall. noſtri ſcripti & aliorum. Lambinus intulit *indiciis*. minus benè. nam quæſtionibus judicia utique exercentur.

6. *Ad unam ſalutem reip. contuliſtis.*] Pal. nonus, *convertiſtis*.

7. *Qui his hominibus ad verè referendum; aut etiam ſcribendum, aut fidem putet, aut ingenium defuiſſe.*] Repræſentavi quod erat in Pal. nono & Turingico, excepto quod iis aberat *aut etiam ſcribendum*, quod nec in ullo mſſ. noſtrorum aut aliorum. Lambinus de ſuo heic multa auctori largitus eſt. at vulgata præferebat, *qui his omnibus aut ad verè referendis, aut etiam ſcribendis putet ingenium defuiſſe*. atque hoc ſtatim loco deficit Palatinus noſter nonus.

1. *Emiſi*

15 bendum, aut fidem putet, aut ingenium defuiſſe. Quid deinde? quid feci? cùm ſcirem, ita indicium in tabulas publicas relatum, ut illæ tabulæ privata tamen cuſtodia, more majorum, continerentur: *non occultavi*, non continui domi, ſed deſcribi ab omnibus ſtatim librariis, dividi paſſim, & pervulgari, atque edi populo Romano imperavi. diviſi toti Italiæ, [1] diviſi in omnes provincias: ejus indicii, è quo ſalus oblata eſſet omnibus, expertem eſſe neminem volui. Itaque dico, locum in orbe terrarum eſſe nullum, quo in loco populi Romani nomen ſit, quin eodem perſcriptum hoc indicium pervenerit. In quo ego tam ſubito, & exiguo, & turbido tempore multa divinitus, ita ut dixi, non mea ſponte, providi primum, ne qui poſſet tantum aut de reipubl. aut de alicujus periculo meminiſſe, quantum vellet: deinde, ne cui liceret unquam reprehendere illud indicium, aut temerè creditum criminari: poſtremò, ne quid jam à me, ne quid ex meis commentariis quæreretur: ne *oblivio* mea, aut *memoria*, videretur nimia: ne denique aut negligentia, turpis: aut diligentia, crudelis putaretur. Sed tamen abs te, Torquate, quæro, cùm indicatus tuus inimicus eſſet, & eſſet ejus rei frequens ſenatus, & recens memoria teſtis: tibi, meo familiari, & contubernali, priùs etiam edituri fuerint indicium ſcribæ mei, ſi voluiſſes, quàm in codicem retuliſſent: cum videres aliter fieri, cur tacuiſti? paſſus es? non mecum, aut cum familiari meo queſtus es? aut, quoniam tam facilè inveheris in amicos, iracundiùs, aut vehementius expoſtulaſti? Tu, cum tua vox numquam ſit audita: cum, indicio lecto, deſcripto, divulgato, quieveris, tacueris, repentè tantam rem enuntiare audeas? & in eum locum te deducas, ut antè, quàm me commutati indicii coargueris, te ſummæ negligentiæ,
16 [2] tuo judicio, convictum eſſe fateare? MIHI CUJUSQUAM ſalus tanti fuiſſet, ut meam negligerem? per me ego veritatem patefactam contaminarem aliquo mendacio? quemquam denique ego juvarem, à quo & crudeleis inſidias in rempublicam factas, [3] & in me potiſſimum conſulem conſtitutas, putarem? Quòd ſi jam eſſem oblitus ſeveritatis, & conſtantiæ meæ, tamne amens eram, ut, cum *litteræ* poſteritatis cauſa repertæ ſint, quæ ſubſidio oblivioni eſſe poſſent, ego recentem putarem memoriam cuncti ſenatus commentario meo poſſe ſuperari? Fero ego te, Torquate, jamdudum, fero: & nonnumquam animum incitatum ad ulciſcendam orationem tuam, revoco ipſe, & reflecto. permitto aliquid iracundiæ tuæ, *do adoleſcentiæ*, cedo amicitiæ, tribuo parenti. ſed [4] niſi tibi aliquem modum tute conſtitueris: coges oblitum me noſtræ amicitiæ, habere rationem meæ dignitatis. Nemo umquam me tenuiſſima ſuſpicione perſtrinxit, [5] quem non præverterim. Sed mihi hoc credas velim. non iis libentiſſimè ſoleo reſpondere, quos mihi videor facillimè poſſe ſuperare. Tu, quoniam minimè ignoras conſuetudinem dicendi meam, noli hac nova lenitate abuti mea: noli *aculeos* orationis meæ, qui reconditi ſunt, excuſſos arbitrari: noli id putare [6] omnino à me eſſe omiſſum, ſi quid eſt tibi remiſſum, atque conceſſum. cum illæ valent apud me excuſationes injuriæ tuæ, iratus animus tuus, ætas, amicitia noſtra: tum nondum ſtatuo, te virium ſatis habere, ut ego tecum luctari, & congredi debeam. quòd ſi eſſes uſu, atque ætate robuſtior: eſſem idem, qui ſoleo, cùm ſum laceſſitus. nunc tecum ſic agam, tuliſſe ut potius injuriam, [7] quam retuliſſe gratiam videar.
Neque verò, quid mihi iraſcare, intelligere poſſum. ſi, quòd 17
eum defendo, quem tu accuſas: cur tibi quoque ipſe non ſuccenſeo, qui accuſes eum, quem ego defendo? Inimicum, inquis, accuſo meum. Et amicum ego defendo meum. Non debes tamen quemquam in conjurationis quæſtione defendere. Immò nemo magis eum, [8] de quo nihil eſt unquam ſuſpicatus, quàm is, [9] qui de aliis multa cogitavit. Cur dixiſti teſtimonium in alios? Quia coactus. Cur damnati ſunt? Quia creditum eſt. REGNUM eſt, dicere in quem velis, ac defendere quem velis. Immò SERVITUS eſt, [10] non dicere in quem velis, ac defendere quem velis. Ac, ſi conſiderare cœperis, utrùm magis mihi hoc neceſſe fuerit facere [11] an iſtud tibi: intelliges, honeſtiùs te inimicitiarum modum ſtatuere potuiſſe, quàm me *humanitatis*. At verò cum honos agebatur ampliſſimus familiæ veſtræ, hoc eſt, conſulatus parentis tui, ſapientiſſimus vir familiariſſimis ſuis non ſuccenſuit pater tuus, cum Sullam & defenderent, & laudarent. Intelligebat, hanc nobis à majoribus eſſe traditam diſciplinam, ut NULLIUS amicitia ad propulſanda pericula impediremur. Et erat huic judicio longè diſſimilis illa contentio. tum, afflicto P. Sulla, conſulatus vobis pariebatur, ſicuti partus eſt: honoris erat certamen: ereptum repetere vos clamitabatis, ut victi in campo, in foro vinceretis. tum qui contra vos prò hujus ſalute pugnabant, amiciſſimi veſtri, quibus non iraſcebamini, conſulatum vobis eripiebant, honori veſtro repugnabant, & tamen id inviolata veſtra amicitia, integro officio, veteri exemplo, at-
que *inſtituto optimi cujuſque* faciebant. Ego verò quibus 18
ornamentis adverſor tuis? aut cui dignitati veſtræ repugno? Quid eſt, quod jam ab eo expetas? honor ad patrem, inſignia honoris ad te delata ſunt. [12] Tu ornatus exuviis hujus venis ad eum lacerandum, quem interemiſti: ego jacentem, & ſpoliatum defendo, & protego. Atque hic tu & reprehendis me, quia defendam, & iraſceris. Ego autem non modò tibi non iraſcor, ſed ne reprehendo quidem factum tuum. Te enim exiſtimo tibi ſtatuiſſe, quid faciendum putares, & ſatis idoneum [13] officii judicem poſuiſſe. At accuſat C. Cornelii filius, idemque valere debet, ac ſi pater indicaret. O patrem Cornelium *ſapientem!* qui, quod præmii ſolet eſſe in indicio, reliquerit: quod turpitudinis in confeſſione, id per accuſationem filii ſuſceperit. Sed quid eſt tandem, quod indicat per iſtum puerum Cornelius? Si eſt cauſa mihi ignota, cum Hortenſio communicata: reſpondeat Hortenſius. ſin tu ais illum comitatum Autronii & Catilinæ, cùm in campo, conſularibus comitiis, quæ à me habita ſunt, cædem facere voluerunt: Autronium tum in campo vidimus: &, quid dixi vidiſſe nos? ego vidi. vos enim tum, judices, nihil laborabatis,
neque

---

1. *Emiſi in omnes provincias.*] Eſt a Turingico. vulgata prius *diviſi*, quod non ineptè mutabat in *dimiſi* Erricus Memmius. at *emittuntur* quæ publicantur.

2. *Tuo judicio.*] Gulielmius adnotavit è ſuis *judicio*, quod reperitur etiam in Pal. uno alteroque.

3. *Et in me potiſſimum conſulem conſtitutas putarem.*] Adjeci è Turin. *conſtitutas.* recte conſtituit enim qui rei agundæ locum tempuſve deſtinat.

4. *Niſi tibi aliquem modum tute conſtitueris.*] Longè ſic melius Turing. quàm vulgata *vitæ.* prodidit & iſtam correctionem è mſſ. Rubenius noſter Electorum cap. 3.

5. *Quem non præverterim.*] Non debet iſtud mutari cum Lambino. *prævertit* qui occupat, inopinantemque antevenit evertitque. Turingicus heic etiam auctior voce, *ac perfregerim.* forte *peregerim.* Rubenius eruit è ſuis, *non pertulerim ac perfregerim.* quod primum mutat in *perculerim.*

6. *Omnino eſſe à me amiſſum, &c.*] Vulgo *omiſſum.* ſed Gulielmius ſequitur Turingicum.

7. *Quàm retuliſſe gratiam.*] Lambinus fere in eo fuit, ut expungeret *gratiam*, minus gratioſè. nam in eo lepos totius ſententiæ.

8. *De quo nihil eſt umquam ſuſpicatus.*] Dictio *umquam* adſcripta ex membranis Turing. qua redduntur numeri pleniores.

9. *Qui de aliis multa cogitavit.*] Lambinus divinat *cognovit.* fruſtra. explicat enim noſter ſe ipſum poſt aliquot capita.

10. *Non dicere in quem velis ac defendere quem velis.*] Lambinus, *nec defendere*: præter libros. bis ſumenda negatio, quaſi dixiſſet, *non & dicere, & defendere.*

11. *An iſtud tibi.*] Tranſſcripſi iſtud è Turing. reperitque item in ſuis Rubenius d. cap. 3.

12. *Tu ornatus exuviis hujus, venis, &c.*] Eſt à Turingico, invenitque item in ſuis Rubenius, Electorum cap. 9. vulgata, *tu orn. ærumnis venis.* in ſpeciem bona; non etiam ſi excutias.

13. *Officii judicem poſuiſſe.*] Erfurd. liber *officii tui jud.* non malè. ceterum malè Lambinus, qui emendat *poſui te.* quid ni enim bellè dicatur *ponere judicem*, ut *capere*, *ſumere*? Gulielmius conjiciebat, *judicem fuiſſe.*

1. Num

neque ſuſpicabamini. ego *tectus præſidio* firmo amicorum, Catilinæ tum, & Autronii copias, & conatum repreſſi. Num quis eſt igitur, qui tum dicat in campum adſpiraſſe Sullam? Atqui ſi tum ſe cum Catilina ſocietate ſceleris conjunxerat, cur ab eo diſcedebat? cur cum Autronio non erat? cur *in pari cauſa* non paria ſigna reperiuntur criminis? Sed quoniam Cornelius ipſe etiam nunc de indicando dubitat, ut dicitis, informat ad hoc adumbratum indicium, filium: quid tandem de illa nocte dicit, cùm inter falcarios ad M. Leccam nocte ea, quæ conſecuta eſt poſterum diem nonarum Novemb. me conſule, Catilinæ denuntiatione convenit? quæ nox omnium temporum conjurationis acerrima fuit, atque acerbiſſima. Tum Catilinæ dies exeundi, tum ceteris manendi conditio, tum deſcriptio totam per urbem cædis, atque incendiorum conſtituta eſt: tunc tuus pater, Corneli, id quod tandem aliquando confitetur, illam ſibi officioſam provinciam depopoſcit: ut, cum prima luce conſulem ſalutatum veniret, intromiſſus meo more, & *jure amicitiæ*, me in meo lectulo trucidaret.

19 Hoc tempore, cùm arderet acerrimè conjuratio: cùm Catilina egrederetur ad exercitum: Lentulus in urbe relinqueretur: Caſſius incendiis, Cethegus cædi præponeretur: Autronio, ut occuparet Etruriam præſcriberetur: cùm omnia ordinarentur, inſtituerentur, pararentur: ubi fuit Sulla, Corneli? num Romæ? Immò longè abfuit. [1] num in iis regionibus, quo ſe Catilina inferebat? multo etiam longiùs. num in agro Camerti, Piceno, Gallico: quas oras maximè quaſi morbus quidam illius furoris pervaſerat? nihil verò minus. fuit enim, ut jam antè dixi, Neapoli: fuit in ea parte Italiæ, quæ maximè ea *ſuſpicione* caruit. Quid ergo indicat, aut quid affert, aut ipſe Cornelius, aut vos, qui ab eo hæc mandata defertis? Gladiatores emptos eſſe, Fauſti ſimulatione, ad cædem ac tumultum. Ita prorſus: interpoſiti ſunt gladiatores, quos teſtamento patris videmus deberi. [2] Arrepta eſt familia: quæ ſi eſſet prætermiſſa, poſſet alia familia Fauſti munus præbere. Utinam quidem hæc ipſa non modò iniquorum invidiæ, ſed & æquorum exſpectationi ſatisfacere poſſet. Properatum vehementer, cùm longè tempus muneris abeſſet. Quaſi vero tempus dandi muneris non valde appropinquaret. Necopinante Fauſto, cùm is neque ſciret, neque vellet, familia eſt comparata. At litteræ ſunt Fauſti, per quas ille precibus à P. Sulla petit, ut emat gladiatores, & ut hos ipſos emat: neque ſolùm ad Sullam miſſæ, ſed ad L. Cæſarem, Quintum Pompejum, C. Memmium: quorum de ſententia tota res geſta eſt. At præfuit familiæ Cornelius. Jam ſi in comparanda familia ſuſpicio eſt nulla: quòd præfuit, nihil ad rem pertinet. Sed tamen *munere ſervili* obtulit ſe ad ferramenta proſpicienda: præfuit verò nunquam: eaque res [3] per Balbum Fauſti libertum, omni tempore adminiſtrata

20 eſt. [4] At enim Cincius eſt ab hoc in ulteriorem Hiſpaniam miſſus, ut eam *provinciam perturbaret*. Primum Cincius, judices, L. Julio, C. Figulo, conſulibus, profectus eſt aliquanto ante furorem Catilinæ, & ante ſuſpicionem hujus conjurationis: deinde eſt profectus non tum primùm, ſed cum in iiſdem locis aliquanto antè eadem de cauſa aliquot annos fuiſſet. ac profectus eſt non modo ob cauſam, ſed etiam neceſſariam cauſam, [5] magna ratione cum Mauritaniæ rege contracta. Tum autem, illo profecto, Sulla procurante ejus rem, & gerente, plurimis, & pulcherrimis P. Cincii prædiis venditis, æs alienum ejuſdem diſſolutum eſt: ut, quæ cauſa ceteros ad facinus impulit, *cupiditas retinendæ poſſeſſionis*, ea Cincio non fuerit prædiis deminutis. Jam verò illud quam incredibile? quàm abſurdum? qui Romæ cædem facere, qui hanc urbem inflammare vellet, eum familiariſſimum ſuum dimittere ab ſe, & mandare in ultimas terras? utrum quò facilius Romæ ea, quæ conabatur, efficeret, ſi in Hiſpania turbatum eſſet? At hæc ipſa per ſe ſine ulla conjunctione agebantur. An in tantis rebus, tam novis conſiliis, tam periculoſis, tam turbulentis, hominem amantiſſimum ſui, familiariſſimum, conjunctiſſimum officiis, uſu, conſuetudine, dimittendum eſſe arbitraretur? [6] veriſimile non eſt, ut, quem in ſecundis rebus, quem in otio ſecum ſemper habuiſſet, hunc in adverſis, & in eo tumultu, quem ipſe comparabat, ab ſe dimitteret. Ipſe autem Cincius (non enim mihi deferenda eſt cauſa *amici veteris*, atque hoſpitis) is homo eſt, aut ea familia, ac diſciplina, ut hoc credi poſſit; [7] eum bellum reipublicæ facere voluiſſe? ut, cujus pater cum ceteri deficerent finitimi ac vicini, ſingulari exſtiterit in rempubl. noſtram officio, & fide, is ſibi nefarium bellum contra patriam ſuſcipiendum putaret? cujus *æs alienum* videmus, judices, non libidine, ſed negotii gerendi ſtudio eſſe contractum: qui ita Romæ debuit, ut in provinciis, & in regnis maximæ ei pecuniæ deberentur: quas cùm peteret, non commiſit, ut ſui procuratores quidquam oneris, abſente ſe, ſuſtinerent: venire omnes ſuas poſſeſſiones, & patrimonio ſe ornatiſſimo ſpoliari maluit, quàm *ullam moram* cuiquam fieri creditorum ſuorum. A quo quidem genere, judices, ego numquam timui, cùm in illa reipublicæ tempeſtate verſarer. illud erat genus hominum horribile, & pertimeſcendum, qui tanto amore ſuas poſſeſſiones amplexi tenebant, ut ab his *membra* divelli citius, ac diſtrahi poſſe diceres. Cincius numquam ſibi cognationem cum prædiis eſſe exiſtimavit ſuis. itaque ſe non modò ex ſuſpicione tanti ſceleris, verum etiam ex omni hominum ſermone, non armis, ſed patrimonio ſuo vindicavit. Jam verò, quod ſubjicit, Pompejanos eſſe à 21

Sulla *impulſos*, ut ad iſtam conjurationem, & ad hoc nefarium facinus accederent: id cujuſmodi ſit, intelligere non poſſum. An tibi Pompejani conjuraſſe videntur? quis hoc umquam dixit? aut quæ fuit iſtius rei vel minima ſuſpicio? disjunxit, inquit, eos à colonis, ut hoc diſcidio, ac diſſenſione facta, oppidum in ſua poteſtate poſſet, & Pompejanos habere. Primum, omnis Pompejanorum, colonorumque diſſenſio, delata ad patronos eſt, cùm jam inveteraſſet, ac multos annos eſſet exagitata: deinde ita à patronis res cognita eſt, ut nulla in re à ceterorum ſententiis Sulla diſſenſerit: poſtremò coloni ipſi ſic intelligunt, non Pompejanos à Sulla magis, quàm ſeſe eſſe defenſos. Atque hoc, judices, ex hac frequentia colonorum, honeſtiſſimorum hominum, intelligere poteſtis: qui adſunt, laborant: hunc patronum, defenſorem, cuſtodem illius coloniæ, ſi in omni fortuna, atque omni honore incolumem habere non potuerunt, in hoc tamen caſu, quo afflictus jacet per vos tutari, conſervareque cupiunt. Adſunt pari ſtudio Pompejani, qui ab illis etiam in crimen vocantur: [8] qui ita de ambulatione, & de ſuffragiis ſuis cum colonis diſſenſerunt, ut idem de *communi ſalute* ſentirent. Ac ne hæc quidem P. Sullæ mihi

1. *Num in iis regionibus, quo ſe Catilina inferebat.*] Vulgo *referebat*, ſed contra mſſ. noſtros omnes, in quibus tamen hærebat illud receptum *legionibus*, pro quo malui alterum, inventum alioquin in libris aliorum pluteariis.

2. *Arrepta eſt familia.*] Lambinus, *At empta eſt fam.* invitis libris. magiſque ſignificatur cupiditas emendi, arripiendi verbo.

3. *Per Balbum Fauſti libertum.*] Maluit hoc e Turingico Gulielmius; quod nomen eſſet Romanum. prius cuſi *Bellum*, quod & in Pall. omnibus.

4. *At enim Cincius.*] Noſtrûm quidam *Sittius*, quod & in Turingico: & Suffridus Petrejus eundem putat, quem bello Africo Hirtius, ſi e quis alius eſt, nominat.

5. *Magna ratione, &c.*] Subintellige *pecuniaria*. malè enim ii codd. ſcripti, qui ſufficiunt, *magna ratione pecuniæ*; neque ea vox reperta in mſſ. melioribus.

6. *Veriſimile non eſt, ut quem.*] Lambinus voces tres priores, quamvis omnium librorum ſcriptorum, editorumque, tamen pro imperio ſuo exturbarat. ego repoſui. neque enim a Lambino docendi ſumus, quæ loquendi ratio ſordida ſit, quæ minus.

7. *Eum bellum reipub. facere voluiſſe.*] Maluiſſet Gulielmius, *populo Rom.* ſed non reſpondent libri.

8. *Qui ita de ambulatione & de ſuffragiis.*] Anteà legebamus, *ambitione*; non fide mſſ. aut veterum editionum, ſed Critici alicujus. Certe alteram ſcripturam inveni in omnibus Pall. reperitque in Busb. & S. Vict. Gulielmius, ut etiam in Memmiano Lambinus; qui tamen quærit, quidnam heic ſibi velit? Gulielmius interpretatur

læ mihi videtur ſilentio prætereunda eſſe virtus, quòd, cùm ab hoc illa colonia deducta ſit, & cùm commoda colonorum à fortunis Pompejanorum reipublicæ [1] fortuna dijunxerit, ita carus utriſque eſt, atque jucundus, ut non alteros demoviſſe,
22 ſed utroſque conſtituiſſe videatur. At enim & gladiatores, & omnis iſta vis, rogationis Cæciliæ cauſa comparabantur. atque in hoc loco in L. Cæcilium pudentiſſimum, atque ornatiſſimum virum, vehementer invectus eſt: cujus ego de virtute, & conſtantia, judices tantum dico: talem hunc in iſta rogatione, quam promulgavit non de tollenda, ſed de *levanda calamitate fratris ſui*, fuiſſe, [2] ut conſultum eſſe voluerit fratri: tamen cum repub. pugnare noluerit: promulgarit impulſus amore fraterno, deſtiterit fratris auctoritate deductus. Atque in ea re per L. Cæcilium Sulla accuſatur, in qua re eſt uterque laudandus. [3] primùm Cæcilius, * qui id promulgarit, in quo res judicatas videbatur voluiſſe reſcindere, ut ſtatueretur: Sulla rectè reprehendit. STATUS enim reipublicæ maximè judicatis rebus continetur. neque ego tantum fraterno amori dandum arbitror, ut quiſquam de ſalute ſuorum conſulat, communem relinquat. Nihil de judicio ferebat. [4] Sed pœnam ambitus eam ferebat, quæ fuerat nuper ſuperioribus legibus conſtituta. itaque hac rogatione, non judicum ſententiam, ſed legis vitium corrigebat. *Nemo* judicium reprehendit, cùm de pœna queritur, ſed legem. damnatio enim eſt judicum, quæ manebat: pœna, legis, quæ levabatur. Noli igitur animos eorum ordinum, qui præſunt judiciis ſumma cum gravitate, & dignitate, *alienare à cauſa.* nemo labefactare judicium eſt conatus. nihil eſt ejuſmodi promulgatum. Semper Cæcilius in calamitate fratris ſui, [5] judicum poteſtatem perpetuandam, legis acerbitatem miti-
23 gandam putavit. Sed quid ego de hoc plura diſputem? Dicerem fortaſſe, & facilè, & libenter dicerem. Si paullò etiam longiùs, quàm finis quotidiani officii poſtulat, pietas, & [6] fraternus amor L. Cælium protuliſſet: implorarem ſenſus veſtros: uniuſcujuſque *indulgentiam in ſuos* teſtarer: peterem errato veniam L. Cæcilii ex intimis veſtris cogitationibus, atque ex humanitate communi. lex dies fuit propoſita paucos: ferri cœpta numquam: [7] poſita eſt in ſenatu, populum Romanum latuit. cùm in Capitolium nos ſenatum convocaſſemus, nihil eſt actum priùs: & id mandato Sullæ Q. Metellus prætor ſe loqui dixit, Sullam illam rogationem de ſe nolle ferri. Ex illo tempore L. Cæcilius multa de republica egit: Agrariæ legi, quæ tota à me reprehenſa & abjecta eſt, interceſſorem fore profeſſus eſt: improbis largitionibus reſtitit: ſenatus auctoritatem numquam impedivit: ita ſe geſſit in tribunatu, ut, onere depoſito domeſtici officii, nihil poſtea niſi de reipublicæ commodis cogitarit. Atque in ipſa rogatione, ne per vim quid ageretur, [8] quis tamen noſtrûm Sullam, aut Cæcilium verebatur? [9] nonne omnis ille terror, omnis ſeditionis timor, atque opinio, ex Autronii improbitate pendebat? ejus voces, ejus minæ ferebantur: ejus adſpectus, concurſatio, ſtipatio, greges hominum perditorum, metum nobis, ſeditioneſque afferebant. Itaque P. Sulla, hoc importuniſſimo tum *honoris*, tum etiam *calamitatis ſocio*, atque comite, & ſecundas fortunas amittere coactus eſt, & in adverſis ſine ullo remedio, atque allevamento permanere. 24
Hic tu epiſtolam meam ſæpe recitas, quam ego ad Cn. Pompejum de meis rebus geſtis, & de ſumma reipublicæ miſi: & ex ea crimen aliquod in P. Sullam quæris: [10] &, ſi furorem incredibilem biennio antè conceptum, erupiſſe in meo conſulatu ſcripſi, me hoc demonſtraſſe dicis, Sullam in illa fuiſſe ſuperiore conjuratione. Scilicet is ſum, qui exiſtimem, Cn. Piſonem, & Catilinam, & Vargunteium, & Autronium nihil ſceleratè, nihil audacter ipſos *per ſeſe* ſine P. Sulla facere potuiſſe. de quo etiam ſiquis dubitaſſet antea, num, id quod tu arguis, cogitaſſet, interfecto patre tuo, conſule, deſcendere Kalendis Januariis cum lictoribus: ſuſtuliſti hanc ſuſpicionem, cùm dixiſti, hunc, ut Catilinam conſulem efficeret, contra patrem tuum operas, & manum comparaſſe. Quod ſi tibi ego confiteor, tu mihi concedas neceſſe eſt, hunc, cùm Catilinæ ſuffragaretur, nihil de ſuo conſulatu, quem *judicio amiſerat*, per vim recuperando cogitaviſſe. neque enim iſtorum facinorum tantorum, tam atrocium crimen, judices, P. Sullæ perſona ſuſcipit. Jam enim faciam, criminibus omnibus ferè diſſolutis, contrà, atque in ceteris cauſis fieri *ſolet*, ut nunc denique de vita hominis ac de moribus dicam. Etenim de principio ſtuduit animus occurrere magnitudini criminis, ſatisfacere exſpectationi hominum, [11] de me aliquid ipſo, qui accuſatus eram, dicere. nunc jam revocandi eſtis eò, quò vos ipſa cauſa, etiam tacente me, [12] cogit, animos menteſque convertere. Omnibus in rebus, judices, quæ graviores, majoreſ- 25
que ſunt, QUID QUISQUE voluerit, cogitarit, admiſerit, non ex crimine, ſed ex moribus ejus, qui arguitur, eſt ponderandum. Neque enim poteſt quiſquam noſtrûm *ſubitò fingi*, neque cujuſquam repentè vita mutari, aut natura converti. Circumſpicite paulliſper mentibus veſtris, ut alia omittamus, hoſce ipſos homines, qui huic affines ſceleri fuerunt. Catilina contra rempubl. conjuravit. Cujus *aures* umquam hoc reſpuerunt, conatum eſſe, hominem uſque à pueritia non ſolùm intemperantia, & ſcelere, ſed etiam conſuetudine, & ſtudio in omni flagitio, [13] ſtupro, cæde verſatum?

---

tatur *porticum*; ut in ipſo Cicerone ſæpe aliàs. & Catullo: *In Magni ſimul ambulatione.* De porticu ergo diſſenſere cum colonis Pompejani. qua de cauſa paullò poſt Turingicum libenter ſecuti ſumus, Palatinoſque omnes, in quibus *Reip. fortuna*, non *populi Rom.* quod ne quidem in antiquitus cuſis. accipiendaque reſpub. Pompejorum, diſtracta disjunctione veterum novorumque incolarum. fuiſſe autem hominum iſtud genus naturâ turbidum, hauriamus etiam ex Tacito lib. XIV. Annal. cap. 13.

1. *Fortuna dijunxerit.*] Ita libuit ſcribere, cum animadvertiſſem hærere in Turing. *disjunxerit*, haberentque quidam noſtrûm *dimiſerit*, quidam *dijuſſerit*. vulgata *diviſerit*. quod natum ex *divixerit*, in quam vocem degenerarat *dijunxerit*.

2. *Ut conſultum eſſe voluerit: cum rep. pugnare noluerit.*] Secutus mſſ. noſtros ejeci voculam *tamen*, quæ in nullo comparebat. iidem præterea agnoſcunt *conſul eſſe*; quod mutari poterat in *conſulere*, uti venerat in mentem Gulielmio.

3. *Primùm Cæcilius*, *&c.*] Malui locum notare aſteriſco, quàm admittere Memmiani codicis ſcripturam Lambini conjectura ferruminatam. Erat viri probi ſeorſim exhibere codicis mſ. lectionem, & ſic deinde ſubjicere divinationem ſuam. Noſtri Palatini octo nihil variant, niſi quod ſept. *Cæcilium*. Henr. Stephanus laudat è mſ. *primum Cæcilius qui id primum promulgavit, quo fratris caſum levare poſſet: quem quia res judicatas*, *&c.* quod ſane admiſiſſem, ſi tale quid offendiſſem in noſtris, aut ulla veteri editione. interim uno ſtare libro, & tali quidem, qui nunquam fortè fuit in rerum natura non eſt noſtrum. vix oculis meis credo, nedum ut linguæ alienæ.

4. *Sed pœnam ambitus eam ferebat.*] Lambinus citat codd. in quibus *ambitus auferebat*. ita nulli è noſtris. itaque ſuſtineo me cum P. Manutio.

5. *Judicum poteſtatem, perpetuandam, legis acerbitatem*, *&c.*] Pal. ſec. *perpetuam quandam legis acerbitatem*, *&c.*

6. *Fraternus amor L. Cæcilium protuliſſet.*] Gulielmius mutari voluit ultimam in *propuliſſet*, ex Turing. translatione à paſtoribus ducta. noſtri nihil variabant.

7. *Depoſita eſt in Senatu.*] Ita ex Suffridi Turing. Gulielmius. noſtri tamen adhærent vulgatæ *poſita*.

8. *Quis tamen noſtrum.*] Recentiores *veſtrum*. ſed alterum eſt à mſſ. & vett. edd. Lambinus voluit, *quis tandem veſtrum*.

9. *Nonne omnis ille terror omnis*, *&c.*] Poſterioribus editionibus exciderant, *omnis ille terror*; repoſui ex mſſ. & vetuſtè impreſſis.

10. *Et ſi furorem.*] Liber Busbequii, *ubi ſi fur.* Pal. pr. *& quia ſi fur.* emendatumque in quinta, *quia furorem*, omiſſis *& ſi*, quod ferri fortè poſſit.

11. *De me aliquid ipſo, qui accuſatus eram.*] Gratia Zinzerlingo qui propius inſpexit codicem Turingicum, hancque inde eruit ſcripturam minimè tenebroſam. prius enim habebamus, *aliquid, & de ipſo qui accuſatus eſt*; cùm interim nihilo melius mſſ. noſtri, *aliquid, de ipſo qui accuſatus erat.* in quo mire ſe torſit Gulielmius, dum indulget conjecturis.

12. *Cogit animos menteſque convertere.*] Clauſula iſthæc eſt ab Erfurd. prius enim vulgati, *cogit*, *animis*, ceteris excluſis.

13. *Stupro cæde verſatum.*] Turingicus vehementius, *graſſatum.*

verſatur? quis eum contra patriam pugnantem periiſſe miratur, quem ſemper omnes ad civile latrocinium natum putaverunt? Quis Lentuli ſocietates cum indicibus, quis inſaniam libidinum, quis perverſam, atque impiam religionem recordatur, qui illum [1] aut nefarie cogitaſſe, aut ſtulte ſperaſſe miretur? Quis de C. Cethego, atque ejus in Hiſpaniam profectione, ac de vulnere Q. Metelli Pii cogitat, cui non ad illius pœnam carcer ædificatus eſſe videatur? omitto ceteros, ne ſit infinitum: tantum a vobis peto, ut taciti de omnibus, quos conjuraſſe cognitum eſt, cogitetis. intelligetis, unumquemque illorum prius a *ſua vita*, quam noſtra ſuſpicione eſſe damnatum. Ipſum illum Autronium (quoniam ejus nomen finitimum maxime eſt hujus periculo, & crimini) [2] non ſua hæc vita convincit? ſemper audax, petulans, libidinoſus. quem in ſtuprorum defenſionibus non ſolùm *verbis* uti improbiſſimis ſolitum eſſe ſcimus, verùm etiam pugnis, & calcibus, quem exturbare homines è poſſeſſionibus, cædem facere vicinorum, ſpoliare fana ſociorum, vi conatum & armis diſturbare judicia, in bonis rebus omneis contemnere, in malis pugnare contra bonos, non reipublicæ cedere, non fortunæ ipſi ſuccumbere. hujus ſi cauſa non manifeſtiſſimis rebus teneretur, tamen eum mores ipſius, ac vita convincerent.

26 [3] Agedum, conferte nunc cum illius vita vitam P. Sullæ, vobis, populoque Romano notiſſimam, judices, & eam ante oculos veſtros proponite. Ecquod hujus factum, aut commiſſum non dicam audacius, ſed quod cuiquam paullò *minus conſideratum* videretur? factum quæro. verbum ecquod umquam ex ore hujus excidit, unde quiſquam poſſet offendi? At verò in illa gravi L. Sullæ victoria, turbulentaque, quis P. Sulla mitior? [4] quis miſericordior inventus eſt? quàm multorum hic vitam eſt à L. Sulla deprecatus! quàm multi ſunt ſummi homines, & ornatiſſimi, & noſtri, & equeſtris ordinis, quorum pro ſalute ſe hic Sullæ obligavit? quos ego nominarem: neque enim ipſi nolunt, & huic, animo gratiſſimo, adſunt: ſed quia *majus eſt beneficium*, quam poſſe debet civis civi dare, ideò à vobis peto, ut, quod potuit, tempori tribuatis: quod fecit, ipſi. Quid reliquam conſtantiam vitæ commemorem? dignitatem? liberalitatem? moderationem in privatis rebus? ſplendorem in publicis, quæ ita à *fortuna* deformata ſunt, ut tamen à *natura* inchoata compareant. Quæ domus? quæ celebratio quotidiana? quæ familiaris dignitas? quæ ſtudia amicorum? quæ ex quoque ordine multitudo? [5] Hæc diu, multumque, & multo labore quæſita, una eripuit hora. Accepit P. Sulla, judices, vehemens vulnus, & mortiferum: verumtamen ejuſmodi, quod videretur ejus vita, & natura accipere potuiſſe. Honeſtatis, & dignitatis habuiſſe nimis magnam judicatus eſt cupiditatem: quam ſi nemo alius habuit in conſulatu petendo, cupidior judicatus eſt hic fuiſſe, quàm ceteri. ſin etiam in aliis nonnullis fuit iſte conſulatus amor: fortuna in hoc fuit fortaſſe gravior, quàm in ceteris. Poſtea verò quis P. Sullam, niſi mœrentem, demiſſum, afflictumque vidit? quis umquam eſt ſuſpicatus, hunc magis odio, quàm pudore hominum adſpectum, *lucemque vitare*? Qui cùm multa haberet invitamenta urbis, & fori, propter ſumma ſtudia amicorum, quæ tamen ei ſola in malis reſtiterunt: abfuit ab oculis veſtris: &, cùm lege retineretur, ipſe ſe exſulio pænè multavit. In hoc vos pudore judicii, & in hac vita, tanto ſceleri locum fuiſſe creditis? Adſpicite ipſum: contuemini 27
os: [6] *conferte crimen cum vita:* vitam, ab initio ad hoc tempus explicatam, cum crimine recognoſcite. mitto rempublicam, quæ fuit ſemper Sullæ cariſſima: hoſne amicos, taleis viros, tam cupidos ſui, per quos res ejus ſecundæ quondam erant ornatæ, nunc ſublevantur adverſæ, crudeliſſimè perire voluit, ut cum Lentulo, & Catilina, & Cethego fœdiſſimam vitam, ac miſerrimam, turpiſſima morte propoſita, degeret? Non, cadit, non inquam, cadit in hos mores, non in hunc pudorem, non in hanc vitam, non in hunc hominem iſta ſuſpicio. nova quædam illa immanitas exorta eſt: incredibilis fuit, ac ſingularis furor: ex multis ab adoleſcentia collectis perditorum hominum vitiis repentè tanta iſta importunitas inauditi ſceleris exarſit. Nolite, judices, arbitrari, hominum illum *impetum, & conatum* fuiſſe. neque enim ulla gens tam barbara, aut tam immanis umquam fuit, in qua non modò tot, ſed unus tam crudelis hoſtis patriæ ſit inventus. belluæ quædam illæ ex portentis immanes, ac feræ, forma hominum indutæ, exſtiterunt. perſpicite etiam atque etiam, judices. nihil enim eſt, quod in hac cauſa dici poſſit vehementiùs. penitus introſpicite Catilinæ, Autronii, Cethegi, Lentuli, ceterorumque menteis. quas vos in his libidines, quæ flagitia, quas turpitudines, quantas audacias, quàm incredibileis furores, quas notas ſcelerum, quæ indicia parricidiorum, quantos *acervos facinorum* reperietis? ex magnis, & diuturnis, & jam deſperatis reipublicæ morbis iſta repentè vis erupit, ut, ea confecta, & ejecta, convaleſcere aliquando, & ſanari civitas poſſit. Neque enim eſt quiſquam, qui arbitretur, illis incluſis in republica peſtibus, diutiùs hæc ſtare potuiſſe. itaque eos non ad perficiendum ſcelus, ſed *ad luendas reipublicæ pœnas* Furiæ quædam in-
citaverunt. In hunc igitur gregem vos nunc P. Sullam, ju- 28
dices, ex his, qui cum hoc vivunt, atque vixerunt, honeſtiſſimorum hominum gregibus, rejicietis? ex hoc hominum numero, ex hac familiari dignitate, in impiorum partem, atque in parricidarum cœtum, ac numerum transferetis? Ubi erit igitur illud fortiſſimum *præſidium pudoris*? quo in loco nobis vita antè acta proderit? quod ad tempus exiſtimationis partæ fructus reſervabitur, ſi in extremo diſcrimine, ac dimicatione fortunæ deſerit? ſi non aderit? ſi nihil adjuvabit? Quæſtiones nobis ſervorum, ac tormenta accuſator minitatur: in quibus quamquam nihil periculi ſuſpicamur: tamen illa TORMENTA GUBERNAT DOLOR, moderatur natura cujuſque tum animi, tum corporis, [7] regit quæſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, ut in tot rerum anguſtiis nihil veritati loci relinquatur. [8] Vita P. Sullæ torqueatur: ex ea quæratur, num quæ occultetur libido, num quod lateat facinus, num quæ crudelitas, num quæ audacia. nihil erroris erit in cauſa, nec obſcuritatis, judices, ſi a vobis *vitæ perpetuæ vox*, ea, quæ graviſſima debet eſſe, audietur. Nullum in hac cauſa teſtem

1. *Aut nefariè cogitaſſe, aut ſtultè ſperaſſe miretur?*] Ita venuſtiſſime Turingici. Nefarie cogitarat patriæ everſionem, ſtulte ſperarat regnum, &c. vulgata *aut nefariè aut ſtultè cogitaſſe miretur?*

2. *Non ſua hæc vita convincit.*] Vulgata, *non ſua conſuetudo ac vita convincit.* malè, certe contra editionem anni CCCCLXXXIII. & Pall. octo. quos ſi liberet excutere, multa tollerem adhuc ſphalmata. nunc illud moneo tantum: ne arbitrentur homines, Ciceroni nihil iam amplius addi, nihil auferri poſſe. imò nullo auctore hodiernam in diem utimur vitioſiore.

3. *Agedum conferte.*] Haud aliter Pall. 1. Lambinus enim *Agitedum*, præter libros. ſicque Propertius: *En agedum, dominæ mentem convertite noſtræ*, &c. quamquam velim mihi ignoſcat lector, ſi deinceps rarius annotem mutationes ejus temerarias. ubi ab eo recedo, ſciat fieri fide membranarum veterum. nam hiſce immorari, nullum video operæ pretium.

4. *Quis miſericordior inventus eſt?*] Clauſulam quoque hanc enotavit e Turingicis Gulielmius. hactenus nobis defuit. nam Ciceronis eſſe, nemo ſpero negabit.

5. *Hæc diu multumque, & multo, &c.*] Eſt illud *què* ex iiſdem membranis: & ita Cicero tantum loquitur.

6. *Conferte crimen cum vita: vitam ab initio ad hoc tempus explicatam cum crimine recognoſcite, &c.*] Expreſſi ad verbum Erfurdici codicis ſcripturam, cum quo hactenus conſentiunt Pall. quod habeant *cum crimine rec.* Vulgati heic mutili.

7. *Regit quæſitor.*] Gulielmius heic capit *quæſitorem* pro tortore: cui accedere non poſſum. puto enim eum intelligi qui tormentis præſidet. in quo quantum fuerit momenti pluribus oſtendi exemplis ad Tacitum lib. VI. Annal. cap. 47. f.

8. *Vita P. Sullæ torqueatur: ex ea.*] Commodi lectio; niſi obſtarent Pall. noſtri & cuſi antiquitus; in quibus, *Vita P. Sullæ, Torquate: ex ea:* quod auribus certe meis non parum blanditur.

ſtem timemus: nihil quemquam ſcire, nihil vidiſſe, nihil audiſſe arbitramur. Sed tamen, ſi nihil vos P. Sullæ fortuna movet, judices, veſtra moveat. veſtra enim, qui cum ſumma elegantia, atque integritate vixiſtis, hoc maximè intereſt, non ex libidine, aut ſimultate, aut levitate *teſtium* cauſas honeſtorum hominum ponderari, ſed in magnis diſquiſitionibus, repentiniſque periculis vitam uniuſcujuſque eſſe teſtem. Quam vos, judices, nolite armis ſuis ſpoliatam, atque nudatam objicere invidiæ, dedere ſuſpicioni. munite communem arcem bonorum, obſtruite perfugia improborum. valeat ad pœnam, & ad ſalutem plurimùm, quam ſolam videtis ipſam ex vi ſua, naturaque facillimè perſpici: ſubitò flecti, *fingique non poſſe.* Quid
29 verò hæc auctoritas (ſemper enim de ea dicendum eſt: quamquam à me timidè, modiceque dicetur) quid, inquam, hæc auctoritas noſtra? qui à ceteris conjurationis cauſis abſtinuimus, P. Sullam defendimus: nihil hunc tandem juvabit? [1] Grave eſt hoc dictum fortaſſe, judices, ſi appetimus aliquid: ſi, cùm ceteri de nobis ſilent, non etiam noſmetipſi tacemus, grave. ſed, ſi lædimur, ſi accuſamur, ſi in invidiam vocamur: profectò conceditis, judices, ut nobis libertatem retinere liceat, ſi minùs liceat dignitatem. Accuſati ſunt uno nomine conſulares, ut jam videatur honoris ampliſſimi nomen plus *invidiæ*, quàm dignitatis afferre. Affuerunt, inquit, Catilinæ, illumque laudarunt. Nulla tum patebat, nulla erat cognita conjuratio: defendebant amicum, aderant ſupplici, vitæ ejus turpitudinem *in ſummis ejus periculis* non inſequebantur. Quinetiam parens tuus, Torquate, conſul reo de pecuniis repetundis Catilinæ fuit advocatus: Improbo homini: At ſupplici: Fortaſſe audaci: At aliquando amico. Cui cùm adfuit poſt delatam ad eum primam illam conjurationem: indicavit ſe audiſſe aliquid, non credidiſſe. At idem non adfuit alio in judicio, cùm adeſſent ceteri. Si poſtea cognorat ipſe aliquid, quod in conſulatu ignoraſſet: ignoſcendum eſt iis, qui poſtea nihil audierunt. [2] ſin illa res de pecuniis repetundis, prima valuit: non inveterata, quàm recens, debuit eſſe gravior. Sed, ſi tuus parens etiam in illa ſuſpicione periculi ſui, tamen humanitate adductus advocationem hominis improbiſſimi ſella curuli, atque ornamentis & ſuis, & conſulatus honeſtavit: quid eſt, quamobrem conſulares, qui Catilinæ adfuerunt, reprehendantur? At iidem iis, qui ante hunc cauſam de conjuratione dixerunt, non adfuerunt. TANTO SCELERE adſtrictis hominibus, ſtatuerunt nihil à ſe adjumenti, nihil opis, nihil auxilii ferri oportere. Atque, ut de eorum conſtantia, atque animo in remp. dicam, quorum tacita gravitas, & fides de unoquoque loquitur, neque cujuſquam ornamenta orationis deſiderat: poteſt quiſquam dicere umquam meliores, fortiores, conſtantiores conſulareis fuiſſe, quàm iis temporibus, & periculis, quibus pænè oppreſſa eſt reſpublica? Quis non de communi ſalute apertiſſimè, quis non fortiſſimè, quis non conſtantiſſimè ſenſit? Neque ego præcipuè de conſularibus diſputo. nam hæc & hominum ornatiſſimorum, qui prætores fuerunt, & univerſi ſenatus, *communis eſt laus:* ut conſtet, poſt hominum memoriam numquam in illo ordine plus virtutis, plus amoris in rempub. plus gravitatis fuiſſe. Sed quia ſunt deſcripti conſulares, de his tantùm mihi dicendum putavi, quod ſatis eſſet, [3] atteſtantem memoriam omnium, neminem eſſe ex illo honoris gradu, qui non omni ſtudio, virtute, auctoritate, incubuerit ad remp. conſervandam.
30 Sed quid? ego, qui Catilinam non laudavi, qui reo Catilinæ conſul non adfui, qui teſtimonium de conjuratione dixi in alios, adeone vobis alienos à ſanitate, adeò oblitus conſtantiæ meæ, adeò immemor rerum à me geſtarum eſſe videor, ut, cùm conſul bellum geſſerim cum conjuratis, nunc eorum *ducem conſervare* cupiam, & in animum inducam, cujus nuper ferrum retuderim, flammamque reſtinxerim, ejuſdem nunc cauſam, vitamque defendere? Si medius fidius, judices, non me ipſa reſpublica, meis laboribus, & periculis conſervata, ad gravitatem animi, & conſtantiam ſua dignitate revocaret; tamen hoc natura eſt inſitum, UT, QUEM timueris, quicum de vita, fortuniſque contenderis, cujus ex inſidiis evaſeris, hunc ſemper oderis. Sed, cùm agatur honos meus ampliſſimus, gloria rerum geſtarum ſingularis: cùm, quoties quiſquam eſt in hoc ſcelere convictus, toties renovetur memoria per me inventæ ſalutis: ego ſim tam demens, ego committam, ut ea, quæ pro ſalute omnium geſſi, *caſu magis, & felicitate* à me, quàm virtute, & conſilio geſta eſſe videantur? Quid ergo? hoc tibi ſumus, dicet fortaſſe quiſquam, ut, quia tu defenderis, innocens judicetur? Ego verò, judices, non modò nihil mihi aſſumo, in quo quiſpiam repugnet: ſed etiam ſi quid ab omnibus conceditur, id reddo, ac remitto. non in ea republica verſor, non iis temporibus caput meum obtuli pro patria periculis omnibus, non aut ita ſunt extincti, quos vici, aut ita grati, quos ſervavi, ut ego mihi plus appetere coner, quàm quantum omnes inimici, invidique patiantur. Grave eſſe videretur, eum, qui inveſtigarit conjurationem, qui patefecerit, qui oppreſſerit, cui ſenatus ſingularibus verbis gratias egerit, cui uni togato ſupplicationem decreverit, dicere in judicio: non defenderem, ſi conjuraſſet. non dico id, quod grave eſt: dico illud, quod in his cauſis conjurationis non auctoritati aſſumam, ſed pudori meo: Ego ille conjurationis inveſtigator, atque ultor, *certè non defenderem Sullam*, ſi conjuraſſe arbitrarer. Ego, judices, de tantis omnium periculis cùm quærerem omnia, multa audirem, non crederem omnia, caverem omnia: dico hoc, quod initio dixi, nullius indicio, nullius ſuſpicione, nullis litteris, de re P. Sullæ rem ullam ad me eſſe delatam. Quamobrem vos, dii 31
patrii, ac penates, qui huic urbi, atque huic imperio præſidetis, qui hoc imperium, qui hanc libertatem, populumque Romanum, qui hæc tecta, atque templa, me conſule, *veſtro numine*, auxilioque ſervaſtis, teſtor, integro me animo, ac libero, P. Sullæ cauſam defendere: nullum à me ſciente facinus occultari, nullum ſcelus ſuſceptum contra ſalutem omnium, defendi, ac tegi. nihil de hoc conſul comperi, nihil ſuſpicatus ſum, nihil audivi. Itaque idem ego ille, qui vehemens in alios, qui inexorabilis in ceteros eſſe viſus ſum, perſolvi patriæ quod debui: reliqua jam à me meæ perpetuæ conſuetudini, naturæque debentur. tam ſum miſericors, judices, quàm vos: tam mitis, quàm qui leniſſimus. In quo vehemens fui vobiſcum, nihil feci, *niſi coactus:* reipublicæ præcipitanti ſubveni: patriam demerſam extuli: miſericordia civium adducti, tunc fuimus tam vehementes, quàm neceſſe fuit. ſalus eſſet omnium amiſſa una nocte, niſi eſſet ſeveritas illa ſuſcepta. Sed ut ad ſceleratorum pœnam amore reipublicæ ſum adductus: ſic ad ſalutem innocentium voluntate deducor. Nihil video eſſe in hoc P. Sulla, judices, odio dignum, miſericordia digna multa. Neque enim nunc propulſandæ calamitatis ſuæ cauſa ſupplex ad vos, judices confugit: ſed ne qua generi, ac nomini ſuo *nota* nefariæ turpitudinis inuratur. Nam ipſe quidem, ſi erit veſtro judicio liberatus, quæ habet ornamenta, quæ ſolatia reliquæ vitæ, quibus lætari, & perfrui poſſit? domus erit, credo, exornata: aperientur
majorum

1. *Grave eſt hoc dictum fortaſſe, judices, grave, ſi appetimus, &c.*] Sex voces priores hodie demum adſpiciunt lucem, productæ e tenebris codicis Turingici, non ſine pleniſſima graviſſimi affectus iteratione.

2. *Sin illa res de pecuniis repetundis, &c.*] Pleriſque mſſ. noſtris abſunt, *de pecuniis repetundis.* reperi tamen in Pal. pr. & editionum principe.

3. *Atteſtantem memoriam omnium.*] Verè. neque aliter Pall. aut S. Vict. B. ſatis, inquit, erit me dicere de Conſularibus, cum tamen atteſter interim memoriam omnium, de voluntate ceterorum. malit tamen Gulielmius *anteſtantem.* prius impreſſi *atteſtante memoria.*

1. Labem

majorum imagines, ipſe ornatum, ac veſtitum recuperabit. omnia, judices, hæc amiſſa ſunt: omnia generis, nominis, honoris inſignia atque ornamenta unius judicii calamitate occiderunt. ſed ne exſtinctor patriæ, ne proditor, ne hoſtis appelletur, ne hanc [1] labem tanti generis in familia relinquat: id laborat, [2] id metuit; ne denique hic miſer conjurati & conſcelerati & proditoris filius nominetur: huic puero: qui eſt ei vita ſua multò charior, metuit cui honoris integros fructus non ſit traditurus, ne æternam *memoriam dedecoris* relinquat. hic vos orat, judices, parvus, ut ſe aliquando, ſi non integra fortuna, at afflicta, patri ſuo gratulari ſinatis. huic miſero notiora ſunt judiciorum itinera, & fori, [3] quàm campi & diſciplinarum. Non jam de vita P. Sullæ, judices, ſed de ſepultura contenditur. vita erepta eſt ſuperiore judicio: nunc, ne corpus ejiciciatur, laboramus. Quid enim eſt huic reliqui, quod eum in vita hac teneat? aut quid eſt, quamobrem hæc cuiquam vita
2 videatur? Nuper is homo fuit in civitate P. Sulla, ut nemo ei ſe neque honore, neque gratia, nec fortunis anteferret. nunc ſpoliatus omni dignitate, quæ erepta ſunt, non repetit: quod fortuna in malis reliqui fecit, ut cum parente, cum liberis, cum fratre, cum his neceſſariis lugere ſuam calamitatem liceat, id ſibi ne eripiatis, judices, vos obteſtatur. Te ipſum jam, Torquate, [4] expletum eſſe hujus miſeriis par erat. etſi nihil aliud Sullæ, niſi conſulatum abſtuliſſetis, tamen eo vos contentos eſſe oportebat. honoris enim contentio vos ad cauſam, non inimicitiæ deduxerunt. Sed cum huic *omnia cum honore* detracta ſint, cùm in hac fortuna miſera, ac luctuoſiſſima deſtitutus ſit: quid eſt, quod expetas ampliùs? luciſne hanc uſuram eripere vis, plenam lacrymarum, atque mœroris, in qua cum maximo cruciatu, atque dolore retinetur? libenter reddiderit, adempta ignominia fœdiſſimi criminis. an verò inimicum ut expellas? cujus ex miſeriis, ſi eſſes crudeliſſimus, *videndo* fructum caperes majorem, quàm audiendo. O miſerum, & infelicem illum diem, quo conſul omnibus centuriis P. Sulla renuntiatus eſt! ò falſam ſpem! [5] ò volucrem fortunam! ò cæcam cupiditatem! ò præpoſteram gratulationem! [6] quàm *cito illa omnia* ex lætitia, & voluptate ad luctum, & lachrymas reciderunt, ut, qui paullo antè conſul deſignatus fuiſſet, retineret repentè nullum veſtigium priſtinæ dignitatis! Quid enim erat mali, quod huic ſpoliato honore, fama, fortunis, deeſſe videretur? aut cui novæ calamitati locus ullus relictus eſſet? urget eadem fortuna, quæ cœpit: reperit novum mœrorem: non patitur, hominem calamitoſum uno modo afflictum, uno in luctu 33
perire. Sed jam impedior egomet, judices, dolore animi, ne de hujus miſeria plura dicam. veſtræ jam ſunt partes, judices: in veſtra manſuetudine, atque humanitate cauſam totam repono. vos & rejectione interpoſita, nihil ſuſpicantibus nobis, repentini in nos judices conſediſtis, ab accuſatoribus delecti ad ſpem acerbitatis, à fortuna nobis ad præſidium innocentiæ conſtituti. Ut ego, quid de me pop. Roman. exiſtimaret, quia ſeverus in improbos fueram, laboravi, &, quæ prima innocentis mihi defenſio eſt oblata, ſuſcepi: ſic vos ſeveritatem judiciorum, quæ per hos menſeis in homines audaciſſimos facta eſt, lenitate ac miſericordia *mitigate*. Hoc cùm impetrare à vobis ipſa cauſa debet: tum eſt veſtri animi, atque virtutis declarare, non eſſe eos vos, ad quos potiſſimùm, interpoſita rejectione, devenire convenerit. In quo ego, judices, vos, quantum meus amor in vos poſtulat, tantum hortor, ut communi ſtudio, quoniam in rebus conjuncti ſumus, manſuetudine, & miſericordia veſtra falſam à nobis crudelitatis famam repellamus.

1. *Labem tanti generis in familiam, &c.*] Putat iſtud retineri poſſe, contra ſententiam Lambini, Gulielmius: & ſic ſane Pall. noſtri. mſ. Henr. Stephani *tanti ſceleris*.

2. *Id metuit; ne denique hic miſer, conjurati & conſcelerati & proditoris filius nominetur: huic puero, qui eſt ei vita ſua multò carior, metuit; cui honoris, &c.*] Heîc viginti nunc primum accedunt voces auctori noſtro, ex Turingico exemplari, quæ prorſus requirebantur, & ſine quibus ſenſus mutilus.

3. *Quàm campi & diſciplinarum.*] Egregiè & hoc Erfurdienſis ille. nam vulgata tantum, *quàm diſciplinarum*. Lambinus ex Stephani mſ. *quàm ſcholæ & diſcipl.*

4. *Expletum eſſe par erat.*] Ita quoque Erfurdienſe exemplar, ut deinceps nemo dubitare debeat de lectionis veritate. vulgo, *pateat*.

5. *O volucrem fortunam.*] Citat Laur. Valla, *ò vanam volucremque fortunam*.

6. *Quàm cito illa omnia.*] Gulielmius ſubſtitutum cuperet *omina*.

M. TULLIUS CICERO
PRO
A. LICINIO ARCHIA
POETA.
ORATIO VICESIMASEXTA.

1 SI QUID eſt in me ingenii, judices, quod ſentio quàm ſit exiguum: aut ſi qua exercitatio dicendi, in qua me non infitior mediocriter eſſe verſatum: aut, ſi hujuſce rei ratio aliqua, ab optimarum artium ſtudiis, ac diſciplina profecta, à qua ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe: earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius fructum à me repetere propè ſuo jure debet. Nam quoad longiſſimè poteſt mens mea reſpicere ſpatium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordari ultimam, inde uſque repetens, hunc video mihi *principem*, & ad ſuſcipiendam, & ad ingrediendam rationem horum ſtudiorum exſtitiſſe. Quòd ſi hæc *vox* hujus hortatu, præceptiſque conformata, nonnullis aliquando ſaluti fuit: à quo id accepimus, quo ceteris opitulari, & alios ſervare poſſemus, huic profectò ipſi, quantum eſt ſitum in nobis, & opem, & ſalutem ferre debemus. Ac, ne quis à nobis hoc ita dici fortè miretur, quòd alia quædam in hoc facultas ſit ingenii, neque hæc dicendi ratio, aut diſciplina: [1] ne nos quidem huic cuncti ſtudio penitus umquam dediti fuimus. [2] Etenim omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent

1. *NE nos quidem huic cuncti ſtudio.*] Non malè corculum Galliæ ſive Claudius Puteanus *huicce uni ſtudio*: ſed mſſ. nihil mutant. recepit id tamen in contextum Lambinus.

2. *Etenim omnes artes, &c.*] Arbitratur Gulielmius legendum, *Set enim*. non malè.

bent quoddam *commune vinculum*, & *quaſi cognatione* qua-
2 dam inter ſe continentur. Sed ne cui veſtrûm mirum eſſe videatur, me in quæſtione legitima, & in judicio publico, cùm res agatur apud prætorem populi Romani lectiſſimum virum, & apud ſeveriſſimos judices, tanto conventu hominum, ac frequentia, hoc uti genere dicendi, quod non modo à conſuetudine judiciorum, verum etiam à forenſi ſermone abhorreat: quæſo à vobis, ut in hac cauſa mihi detis hanc veniam, accommodatam huic reo, vobis, quemadmodum ſpero, non moleſtam: ut me pro ſummo poëta, atque eruditiſſimo homine, dicentem, hoc concurſu hominum litteratiſſimorum, hac veſtra humanitate, hoc denique prætore exercente judicium, patiamini de *ſtudiis humanitatis*, ac litterarum, paullo loqui liberiùs: & in ejuſmodi perſona, quæ propter otium, ac ſtudium, minimè in judiciis, periculiſque tractata eſt, uti propè novo quodam, & inuſitato genere dicendi. Quod ſi mihi à vobis tribui, concedique ſentiam: perficiam profectò, ut hunc A. Licinium non modò non ſegregandum, cùm ſit civis, à numero civium: verùm etiam, ſi non eſſet, putetis *aſci-*
3 *ſcendum fuiſſe*. Nam ut primùm ex pueris exceſſit Archias, atque ab iis artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, ſe ad ſcribendi ſtudium contulit: primùm Antiochiæ (nam ibi natus eſt, loco nobili, celebri quondam urbe, & copioſa, atque eruditiſſimis hominibus, liberaliſſimiſque ſtudiis affluenti) celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit. poſt in ceteris [1] Aſiæ partibus, cunctæque Græciæ, ſic ejus adventus celebrabantur, ut famam ingenii, exſpectatio hominis: exſpectationem, ipſius [2] *adventus*, admiratioque ſuperaret. Erat Italia tunc plena Græcarum artium, ac diſciplinarum: ſtudiaque hæc & in Latio vehementiùs tum colebantur, quàm nunc iiſdem in oppidis: & hîc Romæ, propter tranquillitatem reip. non negligebantur. Itaque hunc & Tarentini, & Rhegini, & Neapolitani, civitate, ceteriſque *præmiis donarunt*: & omnes, qui aliquid de ingeniis poterant judicare, cognitione, atque hoſpitio dignum exiſtimarunt. Hac tanta celebritate famæ cùm eſſet jam abſentibus notus, Romam venit, Mario conſule, & Catulo. nactus eſt primùm conſules eos, quorum alter res ad ſcribendum maximas, alter cùm res geſtas, tum etiam ſtudium, atque aureis adhibere poſſet. Statim Luculli, cùm prætextatus etiam tum Archias eſſet, eum *domum ſuam* receperunt. [3] ſed etiam hoc non ſolum ingenii, ac litterarum, verùm etiam naturæ, atque virtutis, ut domus, quæ hujus *adoleſcentiæ* prima fuerit, eadem eſſet familiariſſima ſenectuti. Erat temporibus illis jucundus Q. Metello illi, Numidico, & ejus Pio Filio. audiebatur à M. Æmilio: vivebat cum Q. Catulo, & patre, & filio. à L. Craſſo colebatur: Lucullos vero, & Druſum, & Octavios, & Catonem, & totam Hortenſiorum domum, devinctam conſuetudine cùm teneret, afficiebatur ſummo honore, quòd eum non ſolùm colebant, qui aliquid percipere, atque audire ſtudebant, verùm et-
4 iam, ſi qui fortè *ſimulabant*. Interim ſatis longo intervallo, cùm eſſet cum L. Lucullo [4] in Ciliciam profectus, & cùm ex ea provincia cum eodem Lucullo decederet, venit Heracleam: quæ cùm eſſet civitas æquiſſimo jure, ac fœdere, adſcribi ſe in eam civitatem voluit: idque, cùm ipſe per ſe dignus putaretur, tum auctoritate, & gratia Luculli ab Heraclienſibus impetravit. [5] Data eſt civitas Silvani lege, & Carbonis, SI QUI FOEDERATIS CIVITATIBUS ADSCRIPTI FUISSENT: SI TUM, CUM LEX FEREBATUR, IN ITALIA DOMICILIUM HABUISSENT: &, ſi SEXAGINTA DIEBUS APUD PRÆTOREM ESSENT PROFESSI. Cùm hic domicilium Romæ multos jam annos haberet, profeſſus eſt apud prætorem, Q. Metellum, familiariſſimum ſuum. Si nihil aliud, niſi de civitate, ac lege dicimus, nihil dico ampliùs: cauſa dicta eſt. [6] quid enim horum infirmari, Grati, poteſt? Heracleæ ne [7] eſſe tum adſcriptum negabis? Adeſt vir ſumma auctoritate, & religione, & fide [8] M. Lucullus, qui ſe non opinari, ſed *ſcire*: non audiviſſe, ſed vidiſſe: non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. Adſunt Heraclienſes legati, nobiliſſimi homines: [9] hujus judicii cauſa, cum mandatis, & cum publico teſtimonio venerunt; qui hunc [10] adſcriptum Heraclienſem dicunt. Hîc tu tabulas deſideras Heraclienſium publicas, quas Italico bello, incenſo tabulario, interiſſe ſcimus omnes. Eſt ridiculum, ad ea, quæ habemus, nihil dicere: quærere quæ habere non poſſumus: & de hominum memoria tacere, litterarum memoriam flagitare: &, cùm habeas ampliſſimi viri religionem, integerrimi municipii jusjurandum, fidemque: ea, quæ *depravari* nullo modo poſſunt, repudiare: tabulas, quas idem dicis ſolere corrumpi, deſiderare. At domicilium Romæ non habuit: is, qui tot annis ante civitatem datam, ſedem omnium rerum, ac fortunarum ſuarum Romæ collocavit. At non eſt profeſſus. Immò verò iis tabulis profeſſus, quæ ſolæ ex illa profeſſione, collegioque prætorum, obtinent publicarum tabularum *auctoritatem*. Nam 5
cùm Appii tabulæ, negligentiùs aſſervatæ dicerentur, Gabinii, quamdiu incolumis fuit, levitas, poſt damnationem, calamitas, omnem tabularum fidem reſignaſſet: Metellus, homo ſanctiſſimus, modeſtiſſimuſque omnium, tanta diligentia fuit, ut ad L. Lentulum prætorem, & ad judices venerit, & unius nominis litura ſe commotum eſſe dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomen A. Licinii videtis. Quæ cùm ita ſint, quid eſt, quod de ejus civitate dubitetis, præſertim cùm aliis quoque in civitatibus fuerit adſcriptus? Etenim cùm mediocribus multis, & aut nulla, aut humili aliqua arte præditis, *gratuitò* civitatem in Græcia homines impertiebantur, Rheginos credo, aut Locrenſeis, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quod ſcenicis artificibus largiri ſolebant, id huic, ſumma ingenii prædito gloria, noluiſſe. Quid? cùm ceteri non modò poſt civitatem datam, ſed etiam [11] poſt legem Papiam, aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepſerint: hic, qui nec utitur quidem illis, in quibus eſt ſcriptus, quod ſemper ſe Heraclienſem eſſe voluit, rejicietur? Cenſus noſtros requiris ſcilicet. eſt enim obſcurum, pro-

ximis

---

1. *Aſiæ partibus cunctæque Græciæ.*] Secutus ſum ſcriptos libros & antique cuſos. vulgò, *cunctaque Græcia*; quod malebat Puteanus.

2. *Adventus admiratioque ſuperaret.*] Pal. nonus, *admirationemque*, quaſi dicat auctam præſentiâ famam, contra quam vulgò ſoleat. Gulielimus argutius exiſtimabat: *ut famam ingenii exſpectatio; exſpectationem hominis ipſius adventus*, &c.

3. *Sed etiam hoc*, &c.] Sic omnes vett. ſcripti editique recentiores, *Sed enim hoc*. Tò *fuit*, quoque abjeci, iiſdem ſcriptis auctoribus.

4. *In Siciliam profectus.*] Reduxi lectionem veterum edd. confirmatam, non ſolùm omnibus Pall. ſed & libris S. Victoris, Busbequii, Cujacii, Gembl. Erfurd. quos citat Gulielmius.

5. *Data eſt civitas Silvani lege.*] Ita quidem hodie vulgatur: ſed mſſ. tamen *Silani*. aut *Sullani*. alterum eſt à Criticis, de quo videndi ii qui ſcripſere de Romanorum legibus.

6. *Quid enim horum infirmari, Grati, poteſt?*] Eſt ab Erfurdiano. cui alludunt noſtri, aliorumque, in quibus *gratis*. prius cuſi, *Graeche*. ſed ævo illo recentiori. quippe in antiquioribus viſitur item illud *gratus*. Gulielmius putabat intelligi poſſe de *Gratio* illo qui poëtica ſcripſit.

7. *Eſſe tum adſcriptum negabis?*] Vulgò *eum*. ſed, non ſcripti modò ſed etiam cuſi majorum ſæculo alterum ſervant. intellige, cùm è Sicilia decederet cum Lucullo.

8. *M. Lucullus.*] Coactus ſum ſequi omnes libros, ejecto *L. Lucullus*. ut fratri Legatus fuerit in Sicilia. quod & probat P. Victorius lib. XXVII. Var. lect. cap. 8.

9. *Hujus judicii cauſa.*] Lectio recepta præpoſuerat, *qui hujus*, &c. ſed verbulum illud excluditur omnibus membranaceis, imò & edd. exoletis. quid quod & Pal. ſec. poſtea quoque non agnoſcit alterum *qui*: benè, ut puto.

10. *Adſcriptum Heraclienſem.*] Lambinus conjectura, *Heracliæ eſſe*. non malè. ſed mutationem ſententia nullam poſtulat plana & perſpicua.

11. *Poſt legem Papiam.*] De peregrinis urbe pellendis. nam Ant. Auguſtinus malè corrigit *Papiriam*.

ximis cenſoribus, hunc cum clariſſimo imperatore, L. Lucullo, apud exercitum fuiſſe: ſuperioribus, cum eodem quæſtore fuiſſe in Aſia: primis, Julio, & Craſſo, nullam populi partem [1] eſſe cenſam. Sed, quoniam *cenſus* non jus civitatis confirmat, ac tantummodò indicat, eum, qui ſit cenſus, ita ſe jam tum geſſiſſe pro cive: iis temporibus quæ tu criminaris, ne ipſius quidem judicio eum in civium Roman. jure eſſe verſatum: & teſtamentum ſæpe fecit noſtris legibus, & adiit hæreditates civium Rom. & in beneficiis ad ærarium delatus eſt à L. Lucullo prætore, & con-
6 ſule. Quære argumenta, ſiqua potes. numquam enim hic neque ſuo, neque amicorum judicio revincetur. [2] Quæres à nobis, Grati, cur tantopere hoc homine *delectemur*. Quia ſuppeditat nobis, ubi & animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur, & aures convitio defeſſæ conquieſcant.. An tu exiſtimas aut ſuppetere nobis poſſe, quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum, niſi animos noſtros doctrina excolamus: aut ferre animos tantam poſſe contentionem, niſi eos doctrina eadem *relaxemus*? Ego verò fateor, me his ſtudiis eſſe deditum. ceteros pudeat, ſiqui ita ſe litteris *abdiderunt*, ut nihil poſſint ex his neque ad communem afferre fructum, neque in adſpectum, lucemque proferre. me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, judices, [3] ut ab nullius umquam me tempore aut commodo, aut otium meum abſtraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique ſomnus retardarit? Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi jure ſuccenſeat, ſi, quantùm ceteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipſam requiem animi, & corporis conceditur temporum: quantum alii [4] tribuunt tempeſtivis convivis: quantum denique aleæ, quantum pilæ; tantum mihi egomet ad hæc *ſtudia recolenda* ſumſero? Atque hoc adeò mihi concedendum eſt magis, quòd ex his ſtudiis, [5] hæc quoque cenſetur oratio, & facultas: quæ quantacumque in me, numquam amicorum periculis defuit. quæ ſi cui levior videtur: illa quidem certè, quæ ſumma ſunt, ex quo fonte hauriam, ſentio. Nam, niſi multorum præceptis, multiſque litteris mihi ab adoleſcentia ſuaſiſſem, NIHIL ESSE in vita magnopere expetendum, niſi laudem, atque honeſtatem: in ea autem perſequenda omneis cruciatus corporis, omnia pericula mortis, atque exſilii, parvi eſſe ducenda: numquam me pro ſalute veſtra in tot, ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objeciſſem. Sed pleni omnes ſunt libri, plenæ ſapientum voces, plena exemplorum vetuſtas: quæ jacerent in tenebris omnia, niſi *litterarum lumen* accederet. Quàm multas nobis *imagines*, non ſolùm ad intuendum, verùm etiam ad imitandum, fortiſſimorum virorum, expreſſas, ſcriptores & Græci, & Latini reliquerunt? quas ego mihi ſemper in adminiſtranda rep. proponens, animum & mentem meam ipſa
7 *cogitatione hominum excellentium* conformabam. Quæret quiſpiam, quid? illi ipſi ſummi viri, quorum virtutes litteris proditæ ſunt, iſtanc doctrina, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? Difficile eſt hoc de omnibus confirmare. ſed tamen eſt certum, quid reſpondeam. Ego multos homines excellenti animo, ac virtute fuiſſe, & ſine doctrina, naturæ ipſius habitu propè divino, per ſeipſos & moderatos, & graveis exſtitiſſe fateor. etiam illud adjungo, SÆPIUS ad laudem, atque virtutem naturam ſine doctrina, quàm ſine natura valuiſſe doctrinam. Atque idem ego contendo, CUM AD naturam eximiam, atque illuſtrem acceſſerit ratio quædam, confirmatioque doctrinæ: tum illud neſcio quid præclarum, ac ſingulare ſolere exſiſtere. Ex hoc eſſe hunc numero, quem patres noſtri viderunt, *divinum hominem*, Africanum: ex hoc C. Lælium, L. Furium, moderatiſſimos homines, & continentiſſimos: ex hoc fortiſſimum virum, & illis temporibus doctiſſimum, M. Catonem illum ſenem: qui profectò SI NIHIL ad percipiendam, colendamque virtutem, litteris adjuvarentur; numquam ſe ad earum ſtudium contuliſſent. Quòd ſi non hic tantus fructus oſtenderetur, & ſi ex his ſtudiis *delectatio ſola* peteretur: tamen, ut opinor, [6] hanc animi adverſionem, humaniſſimam, ac liberaliſſimam judicaretis. Nam ceteræ neque temporum ſunt, neque ætatum omnium, neque locorum. hæc ſtudia [7] ADOLESCENTIAM agunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium, ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur. Quòd ſi ipſi hæc neque attingere, neque ſenſu noſtro guſtare poſſemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cùm in aliis videremus. Quis noſtrum tam animo agreſti, ac duro fuit, ut Roſcii morte nuper non commoveretur? [8] qui cùm eſſet ſenex mortuus, tamen, propter, excellentem artem, ac venuſtatem, videbatur omnino *mori non debuiſſe*. Ergo ille corporis motu tantum amorem ſibi conciliarat à nobis omnibus: nos animorum incredibileis motus, celeritatemque ingeniorum
negligemus? Quoties ego hunc Archiam vidi, judices, 8
(utar enim veſtra benignitate, quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis) quoties ego hunc vidi, cum litteram ſcripſiſſet nullam, magnum numerum optimorum verſuum de his ipſis rebus quæ tum agerentur, dicere ex tempore? quoties revocatum eandem rem dicere, commutatis verbis, atque ſententiis? Quæ verò accuratè, cogitateque ſcripſiſſet: ea ſic vidi probari, ut ad veterum ſcriptorum laudem perveniret. Hunc non ego diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? Atqui ſic à ſummis hominibus, eruditiſſimiſque accepimus, CETERARUM rerum ſtudia, & doctrina, & præceptis, & arte conſtare: poëtam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi [9] divino quodam ſpiritu inflari. Quare ſuo jure noſter ille Ennius *ſanctos* appellat *poëtas*, quòd quaſi deorum aliquo dono, atque munere [10] commendati nobis eſſe videantur. Sit igitur, judices, ſanctum, apud vos, humaniſſimos homines, hoc poëtæ nomen, quod nulla

1. *Eſſe cenſam.*] Aliquot mſſ. Pall. *cenſitam*, quomodo & primitus editi.

2. *Quæres, à nobis, Grati.*] Haud aliter Erfurd. nam Pall. non *Gratii*. ceteri fere *Gracci*; pauci ſanè *Graccæ*.

3. *Ut ab nullius umquam me tempore aut commodo aut otium, &c.*] Ita Palatini plerique, neque aliter quos excuſſit P. Victorius, qui lectionem iſtam ſtabilit lib. II. Var. lect. cap. 8. *tempus* notare etiam *periculum*, jam notum eſt.

4. *Tribuunt tempeſtivis conviviis.*] Irrepſerat heic quoque *intempeſtivis*, ſed præter omnes mſſ. item edd. rejectitias. paullò antea etiam, repoſui *temporum*, iiſdem libris auctoribus. male hactenus *temporis*.

5. *Hæc quoque cenſetur.*] Ita Gruteri mſ. neque aliter editio princeps. nam ceteri mſſ. noſtri fere habent *creſcit oratio*, quemadmodum vulgata. ineptè, certè nullo lepôre; ut multis exemplis firmat Gulielmius, heic odioſè producendis. *cenſeri* enim eſt æſtimari, in pretio haberi.

6. *Hanc animi adverſionem.*] Secutus ſum apices litterarum Palatini noni, cui accedunt ceteri, in quibus *animadverſionem*, quod & in olim cuſis. nam quod hodie in libris habitat, *animi remiſſionem*, eſt conjectaneum Laz. Bonamici. Muretus maluit *averſionem*, quomodo eſt item in uno ſcripto Cujacii. ſed bene propugnat illud noſtrum P. Victorius lib. XXIX. cap. 7. qui conſulatur.

7. *Adoleſcentiam agunt.*] Sic reponi juſſit Muretus libro XII. Var. lect. cap. 15. & ante eum P. Victorius lib. XXVI. Var. cap. 14. neque aliter vetuſtius editi, omneſque mſſ. noſtri recentiores critici maluerunt, *alunt*. minus rectè ſed *nec agunt* placuit Gulielmio, malebat enim *acuunt*, egregia conjectura. cos enim adoleſcentum litteræ. iis eniteſcit ingenii nativa indoles, hebes aliàs.

8. *Qui cum eſſet ſenex mortuus.*] Maluiſſem, *qui etſi ſenex*, duabus aliis vocibus remotis.

9. *Divino quodam ſpiritu inflari.*] Eſt à mſſ. noſtris omnibus; & id propius ad vim Græci verbi ἐνθουσιάζεσθαι, quàm quod publicatur *afflari*.

10. *Commendati nobis eſſe videantur.*] Accedo Gulielmianæ conjecturæ, *commodati*. quæ vox ſæpius migravit in alteram, ut pluribus oſtendi ante XXIV. fere annos, in Animadverſionibus meis ad Senecam Philoſophum.

1. *Saxa*

nulla umquam barbaria violavit. [1] Saxa & ſolitudines voci reſpondent, beſtiæ ſæpe immanes *cantu flectuntur*, atque conſiſtunt: non inſtituti rebus optimis non poëtarum voce moveamur? Homerum Colophonii civem eſſe dicunt ſuum: Chii ſuum vendicant, Salaminii repetunt, Smyrnæi verò ſuum eſſe confirmant. itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt. permulti alii præterea pu-
9 gnant inter ſe, atque contendunt. Ergo illi alienum, quia poëta fuit, poſt *mortem* etiam expetunt: nos hunc *vivum*, qui & voluntate, & legibus [2] noſter eſt, repudiabimus? præſertim cùm omne olim ſtudium, atque omne ingenium contulerit Archias ad populi Romani gloriam, laudemque celebrandam? nam & Cimbricas res adoleſcens attingit, & ipſi illi C. Mario, qui durior ad hæc ſtudia videbatur, jucundus fuit. NEQUE ENIM quiſquam eſt tam averſus à Muſis, qui non mandari verſibus æternum ſuorum laborum facile præconium patiatur. Themiſtoclem illum, ſummum Athenis virum, dixiſſe ajunt, cùm ex eo quæreretur, *quod acroama, aut cujus vocem libentiſſimè audiret: ejus, à quo ſua virtus optime prædicaretur.* Itaque ille Marius item eximiè [3] L. Plotium dilexit: cujus ingenio putabat, ea, quæ geſſerat, poſſe celebrari. Mithridaticum verò bellum magnum, atque difficile, & in multa varietate, terra, marique verſatum, totum ab hoc expreſſum eſt: qui libri non modò L. Lucullum, fortiſſimum, & clariſſimum virum, verùm etiam populi Rom. nomen illuſtrant. Populus enim Rom. aperuit, Lucullo imperante, Pontum, & regiis quondam opibus, & ipſa natura regionis vallatum: populi Rom. exercitus, eodem duce, non maxima manu innumerabileis Armeniorum copias fudit: populi Rom. laus eſt, urbem amiciſſimam Cyzicenorum, ejuſdem conſilio, ex omni impetu regio, ac totius belli ore, ac faucibus ereptam eſſe, atque ſervatam: noſtra ſemper feretur, & prædicabitur, L. Lucullo dimicante, cum *interfectis ducibus* depreſſa hoſtium claſſis, & incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis: noſtra ſunt tropæa, noſtra monumenta, noſtri triumphi. Quare, quorum ingeniis hæc feruntur, ab iis populi Romani fama celebratur. Carus fuit Africano ſuperiori noſter Ennius. itaque etiam in *ſepulchro* Scipionum putatur is eſſe [4] conſtitutus, è marmore. At iis laudibus certè non ſolùm ipſi, qui laudantur, ſed etiam populi Romani nomen ornatur. In cœlum hujus proavus Cato tollitur. magnus honos populi Romani rebus adjungitur. omnes denique illi maximi, Marcelli, Fulvii, non ſine *communi* omnium noſtrûm
10 *laude* decorantur. Ergo illum, qui hæc fecerat, Rudium hominem, majores noſtri in civitatem receperunt: nos hunc Heraclienſem, multis civitatibus expetitum, in hac autem legibus conſtitutum, de noſtra civitate ejiciemus? Nam ſi quis minorem *gloriæ fructum* putat ex Græcis verſibus percipi, quàm ex Latinis, vehementer errat, propterea quòd Græca leguntur in omnibus ferè gentibus: Latina ſuis finibus, exiguis ſanè, continentur. Quare ſi res hæ, quas geſſimus, orbis terræ regionibus definiuntur: cupere debemus, [5] quò minus manuum noſtrarum tela pervenerint, eòdem gloriam, famamque penetrare: quòd cùm ipſis populis, de quorum rebus ſcribitur, hæc ampla ſunt: tum iis certè, qui de vita, gloriæ cauſa, dimicant, hoc maximum & periculorum incitamentum eſt, & laborum. Quàm multos ſcriptores rerum ſuarum Magnus ille Alexander ſecum habuiſſe dicitur? Atque is tamen, cùm in Sigæo ad Achillis tumulum adſtitiſſet, *O fortunate*, inquit, *adoleſcens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris.* Et vere. nam, [6] niſi Ilias illa exſtitiſſet: idem tumulus, qui corpus ejus contexerat, nomen etiam obruiſſet. Quid? noſter hic Magnus, qui cum virtute fortunam adæquavit, nonne Theophanem Mitylenæum, ſcriptorem rerum ſuarum, in concione militum civitate donavit, & noſtri illi, fortes viri, ſed ruſtici, ac milites, dulcedine quadam gloriæ commoti, quaſi participes ejuſdem laudis, magno illud clamore approbaverunt? Itaque, credo, ſi civis Romanus Archias legibus non eſſet, ut ab aliquo imperatore civitate donaretur, perficere non potuit. Sulla, cùm Hiſpanos, & Gallos donaret: credo, hunc petentem repudiaſſet: quem nos in concione vidimus, cùm ei libellum [7] malus poëta de populo ſubjeciſſet, quòd epigramma in eum feciſſet tantummodo alternis verſibus longiuſculis, ſtatim ex iis rebus, quas tunc vendebat, jubere ei præmium tribui ſub ea conditione, *nequid poſtea ſcriberet.* Qui ſedulitatem mali poëtæ duxerit aliquo tamen præmio dignam, [8] cujus ingenium, & virtutem in ſcribendo, & copiam non expetiſſet? Quid? à Q. Metello Pio, familiariſſimo ſuo, qui civitate multos donavit, neque per ſe, neque per Lucullos impetraviſſet? qui præſertim uſque eò de ſuis rebus ſcribi cuperet, ut etiam Cordubæ natis poëtis, pingue quiddam ſonantibus, atque peregrinum, tamen aureis ſuas deberet. Neque enim eſt hoc diſſimulandum, 11
quod obſcurari non poteſt: ſed præ nobis ferendum: TRAHIMUR omneis laudis ſtudio: & optimus quiſque maximè gloria ducitur. Ipſi illi Philoſophi, [9] etiam in illis libellis, quos *de contemnenda gloria* ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt: in eo ipſo, in quo prædicationem, nobilitatemque deſpiciunt, prædicari de ſe, ac nominari volunt. Decimus quidem Brutus, ſummus ille vir, & imperator, Attii, amiciſſimi ſui carminibus, templorum ac monumentorum aditus exornavit ſuorum. Jam verò ille, qui cum Ætolis, Ennio comite, bellavit, Fulvius, non dubitavit Martis manubias *Muſis conſecrare.* Quare, in qua urbe imperatores propè armati, poëtarum nomen, & Muſarum delubra coluerunt, in ea non debent togati judices à Muſarum honore, & à poëtarum ſalute abhorrere. Atque, ut id libentiùs faciatis, jam me vobis, judices, indicabo, & de meo quodam amore gloriæ, nimis acri fortaſſe, verumtamen honeſto, vobis confitebor. Nam, quas res nos in conſulatu noſtro vobiſcum ſimul pro ſalute [10] hujus urbis, atque imperii, & pro vita civium, proque univerſa republica geſſimus, attigit hic verſibus, atque inchoavit: quibus auditis, quòd mihi magna res, & jucunda viſa eſt, [11] hunc ad

1. *Saxa & ſolitudines voci reſpondent.*] Sic citat Victorius l. XIII. cap. 16. ubi hunc locum tuetur contra Quintilianum: ſed edd. vett. & mſſ. noſtri *voce.*

2. *Noſter eſt repudiabimus?*] Pall. aliique ſcripti *repudiamus?*

3. *L. Plotium dilexit.*] Lambinus *Plautius.* idem id quidem, ſed libri, ut edidi.

4. *Conſtitutus è marmore. At iis laudibus.*] Antiquitus editi, item Pall. noſtri aliorumque membranacei, *inſtitutus & marmoratis laudibus.* Gulielmius arbitratur lacunam heic eſſe majorem quam quivis è vulgo ſuſpicari poſſit.

5. *Quo minus manuum noſtrarum tela pervenerint, &c.*] Monuit P. Victorius lib. 1. Var. cap. 4. à pluribus ſcriptis abeſſe *minus*; & verò non agnoſcunt Pal. ſec. tert. ſed habent tamen alii, etiam ille nonus; omneſque Gulielmiani; qui Gulielmius conjiciebat, *quo cminus manuum, &c.* at ego ſemper putavi ob ſimilitudinem delituiſſe ſyllabam, & fuiſſe primitus, *quò cominus manuum.*

6. *Niſi Ilias illa exſtitiſſet.*] Sic quidem legimus, non male forſan. at vetus editio & mſſ. omnes omnium, *niſi illi ars illa exſtitiſſet.* hoc moneo, quod Muretus hodierna ſecutus exemplaria, in quibus, *niſi Ilias exſtitiſſet illa;* conjiciat, *niſi Ilias exſtitiſſet, ille idem tumulus, &c.*

7. *Malus poëta de populo.*] Dictio *malus* videtur Gulielmio è gloſſa irrepſiſſe, ex iis quæ mox ſequuntur.

8. *Cujus ingenium & virtutem.*] Haud aliter Pall. & aliorum ſcripti vulgo, *hujus.* ſed γενικώτερον & aptius alterum. notandumque Pal. præterea nonum habere, *tantum non expetiſſet?* quod habuerim pro auctoris genuino.

9. *Etiam illis libellis.*] Vulgarii addunt præpoſitionem *in*, ſed non habent ullæ membranæ.

10. *Hujus urbis atque imperii.*] Gulielmiani mſſ. *hujus atque imperii,* aut *æque imp.* quod utrumque in Pall. quoque noſtris, quorum tamen pr. quart. & editio prima, *hujuſce imperii:* credo verum eſſe.

11. *Hunc ad perficiendum hortatus ſum.*] Meliores mſſ. *adhortavi.* alii *hortavi;* ita quidem, ut membranæ unæ Cujacii cum prius alterum perſcripſiſſent, id deleverint, expreſſo poſteriore.

1. *Abſu-*

ad perficiendum hortatus ſum. NULLAM enim virtus aliam mercedem laborum, periculorumque deſiderat, præter hanc laudis, & gloriæ: qua quidem detracta, judices, quid eſt, quòd in hoc tam exiguo vitæ *curriculo*, & tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus? Certè, SI NIHIL animus præſentiret in poſterum, &, ſi, quibus regionibus vitæ ſpatium circumſcriptum eſt, eiſdem omneis cogitationes terminaret ſuas: nec tantis ſe laboribus frangeret, neque tot curis, vigiliiſque angeretur, neque toties de vita ipſa dimicaret. nunc inſidet quædam in optimo quoque *virtus*, quæ nocteis, & dies animum gloriæ ſtimulis concitat, atque admonet, non cum vitæ tempore eſſe dimittendam commemorationem nominis noſtri, ſed
12 cum omni poſteritate adæquandam. An verò tam parvi animi videamur eſſe omnes, qui in republica, atque in his vitæ periculis, laboribuſque verſamur, ut, cùm uſque ad extremum ſpatium, nullum tranquillum, atque *otioſum ſpiritum* duxerimus, nobiſcum ſimul moritura omnia arbitremur? An, cùm ſtatuas, & imagines, non animorum ſimulacra, ſed corporum, ſtudioſè multi ſummi homines reliquerunt, conſiliorum relinquere, ac virtutum noſtrarum effigiem nonne multo malle debemus, ſummis ingeniis expreſſam, & politam? Ego verò omnia, quæ gerebam, jam tum in gerendo *ſpargere* me, ac diſſeminare arbitrabar in orbis terræ memoriam ſempiternam. Hæc verò ſive à meo ſenſu poſt mortem [1] abfutura eſt, ſive, ut ſapientiſſimi homines putaverunt, ad aliquam *animi* mei partem pertinebit: nunc quidem certè cogitatione quadam, ſpeque delector. Quare conſervate, judices, hominem pudore eo, [2] quem amicorum *ſtudiis* videtis comprobari, tum dignitate, tum etiam venuſtate: ingenio autem tanto, quantum id convenit exiſtimari, quod ſummorum hominum ingeniis expetitum eſſe videatis: cauſa verò ejuſmodi, quæ beneficio legis, auctoritate municipii, teſtimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Quæ cùm ita ſint: petimus à vobis, judices, ſiqua non modò humana, verùm etiam divina in tantis negotiis commendatio debet eſſe: ut eum, qui vos, qui veſtros imperatores, qui populi Rom. res geſtas ſemper ornavit: qui etiam his recentibus noſtris, veſtriſque domeſticis periculis *æternum* ſe *teſtimonium* laudum daturum eſſe profitetur: [3] quique eſt eo numero, qui ſemper apud omneis *ſancti* ſunt habiti, atque dicti: ſic in veſtram accipiatis fidem, ut humanitate veſtra levatus potius, quàm acerbitate violatus eſſe videatur. Quæ de cauſa pro mea conſuetudine, breviter, ſimpliciterque dixi, judices, ea confido probata eſſe omnibus: [4] quæ non fori, neque judiciali conſuetudine, & de hominis ingenio, & communiter de ipſius ſtudio locutus ſum, ea, judices, à vobis ſpero eſſe in bonam partem accepta: ab eo, qui judicium exercet, certè ſcio.

1. *Abfutura eſt, &c. ad aliquam animi mei partem pertinebit.*] Sic potiores mſſ. non *ſunt*, aut *pertinebunt*. reſtatque etiam in iiſdem *animi*. nec probem Mureti, *ad reliquam mei partem*: de quo tamen videatur amicus noſter Scottus lib. 1. Nodor. cap. 1.

2. *Quem amicorum videtis comprobari tum dignitate tum venuſtate.*] Hæc eſt lectio plurium mſſ. quorum omnes excludunt, vocem *ſtudiis*, & amplectuntur *venuſtate*, non *vetuſtate*. pro ultimo tamen pugnat præter Muretum lib. XII. Var. lect. cap. 15. Villiomarus lib. IX. contra Titium cap. 9. contra quos ſtat noſter Scottus d. libro 1. cap. 9.

3. *Iſque eſt eo numero.*] Vulgata, *quique eſt eo numero*, ſed contra omnes ſcriptos, & vetuſtè cuſos, imo & Victorianam.

4. *Quæ non fori neque judiciali conſuetudine.*] Editio princeps, *quæ firme à me judiciali conſ.* neque ſecus Pall. & Gulielmiani, niſi quod ii *judicialique*. Habui ego aliquando mſ. exemplar, ubi illud *à me* mutatum erat in *aliena*. ferè non improbem.

M. TULLIUS CICERO AD QUIRITES POST REDITUM.

ORATIO VICESIMA SEPTIMA.

1 QUOD precatus à Jove Optimo, Maximo, ceteriſque diis immortalibus, ſum, Quirites, eo tempore, cùm me, fortunaſque meas pro veſtra incolumitate, otio, concordiaque *devovi*, ut, ſi meas rationes umquam veſtræ ſaluti antepoſuiſſem: ſempiternam pœnam ſuſtinerem, mea voluntate ſuſceptam. ſin & ea, quæ ante geſſeram, conſervandæ civitatis cauſa geſſiſſem, & illam miſeram profectionem veſtræ ſalutis gratia ſuſcepiſſem: ut, quod odium ſcelerati homines, & audaces in rempublicam, & in omneis bonos conceptum jamdiu continerent, id [1] in *me uno potiùs*, quàm in optimo quoque, & in univerſa republica deficeret: hoc ſi animo in vos, liberoſque veſtros fuiſſem, ut aliquando vos, patres conſcriptos, Italiamque univerſam, memoria mei, miſericordia, deſideriumque teneret: ejus devotionis me eſſe convictum judicio deorum immortalium, teſtimonio ſenatus, conſenſu Italiæ, confeſſione inimicorum, beneficio divino, immortalique veſtro, maximè lætor, Quirites. Et ſi homini nihil eſt *magis optandum*, quàm proſpera, æquabilis, perpetuaque fortuna, ſecundo vitæ ſine ulla offenſione curſu: tamen, ſi mihi tranquilla, & placata omnia fuiſſent: incredibili quadam, & pænè divina, qua nunc, veſtro beneficio, fruor, lætitiæ voluptate caruiſſem. Quid dulcius hominum generi à natura datum eſt, quàm ſui cuique *liberi*? mihi verò & propter indulgentiam meam, & propter excellens eorum ingenium, vita ſunt mea cariores. tamen non tanta voluptate erant ſuſcepti, quanta nunc ſunt reſtituti. Nihil cuiquam fuit umquam jucundius, quàm mihi meus frater. non tam id ſentiebam, *cùm fruebar*, quàm tunc, cùm carebam: & poſteaquam vos me illi, & mihi eum reddidiſtis. Res familiaris ſua quemque delectat: reliquæ meæ fortunæ recuperatæ, plus mihi nunc voluptatis afferunt, quàm [2] tunc incolumitates afferebant. Amicitiæ, conſuetudines, vicinitates, clientelæ, ludi denique, & dies feſti, quid haberent voluptatis, *carendo* magis intellexi, quàm *fruendo*. Jam verò honos, dignitas, locus, ordo, beneficia veſtra, quam-

1. *In me uno potius, quam in optimo quoque, & in univerſa repub. deficeret.*] Ab exilio reduxi lectionem editionum primarum, confirmatam Pall. S. Victoris, Erfurd. Gemblacenſ. reperitque idem in ſuis Lambinus, ſed non adſecutus fuit auctoris mentem; quæ hæc, optaſſe ut ſceleratorum odium in ſe potius deficeret & conſumeretur, quam in aliis. vulgata, *in me, unum p. q. in optimum (quemque & in univerſam rempub. deflecteret.)*

2. *Tunc incolumitates afferebant.*] Haud aliter vetuſtior quæque editio, niſi quod ea *incolumitatis*, quod etiam reſtat ferè in Pall. noſtris. locum bene explicat Turnebus lib. XXIII. Adverſ. cap. 4. vulgo, *tunc incolumi aff.*

1. *Carniſſi-*

quamquam mihi ſemper clariſſima viſa ſunt, tamen ea nunc renovata, illuſtriora videntur, quàm ſi obſcurata non eſſent. Ipſa autem *patria*, dii immortales, dici vix poteſt, quid caritatis, quid voluptatis habet! quæ ſpecies Italiæ! quæ celebritas oppidorum! quæ forma regionum! qui agri! quæ fruges! quæ pulchritudo urbis! quæ humanitas civium! quæ reipublicæ dignitas! quæ veſtra majeſtas! quibus ego omnibus antea rebus ſic fruebar, ut nemo magis. Sed tanquam BONA VALITUDO jucundior eſt eis, qui è gravi morbo recreati ſunt, quàm qui numquam ægro corpore fuerunt: ſic ea omnia deſiderata magis, quàm 2 aſſiduè percepta, delectant. Quorſum igitur hæc diſputo? quorſum? ut intelligere poſſitis, neminem umquam tanta eloquentia fuiſſe, neque tam divino, atque incredibili genere dicendi, qui veſtrorum magnitudinem, multitudinemque beneficiorum, quæ in me, fratremque meum, & liberos noſtros contuliſtis, non modò augere, aut ornare oratione, ſed enumerare, aut conſequi poſſit. A parentibus, id quod neceſſe erat, *parvus* ſum procreatus: à vobis natus ſum conſularis. Illi mihi fratrem, incognitum, qualis futurus eſſet, dederunt: vos ſpectatum, & incredibili pietate cognitum reddidiſtis. Rempublicam illis accepi temporibus eam, quæ pænè amiſſa eſt: à vobis jam recuperavi, quam aliquando omnes unius opera ſervatam judicaverunt. Dii immortales mihi liberos dederunt: vos reddidiſtis. multa præterea à diis immortalibus optata conſecuti ſumus. niſi veſtra voluntas fuiſſet, omnibus divinis muneribus [1] caruiſſemus. veſtros denique honores, quos eramus *gradatim* ſingulos aſſecuti, nunc à vobis univerſos habemus: ut, quantum antea parentibus, quantum diis immortalibus, quantum vobiſmetipſis, tantum hoc tempore [2] univerſo cuncta populo Romano debeamus. Nam, cùm in ipſo beneficio veſtro tanta magnitudo eſt, ut eam complecti oratione non poſſim: tum in ſtudiis veſtris tanta animorum declarata eſt voluntas, ut non ſolùm *calamitatem* mihi detraxiſſe, ſed 3 etiam *dignitatem* auxiſſe videamini. 3 Non enim pro meo reditu, ut pro P. Popillii, nobiliſſimi hominis, adoleſcentes filii, & multi præterea cognati, atque affines deprecati ſunt: non, ut pro Q. Metello, clariſſimo viro, jam ſpectata ætate [4] filius L. Diadematus, conſularis, ſumma auctoritate vir: non [5] C. Metellus cenſorius, non eorum liberi, non Qu. Metellus Nepos, qui tum conſulatum petebat, non ſororum filii, Luculli, Servilii, Scipiones: permulti enim tum Metelli, aut Metellarum liberi pro Qu. Metelli reditu vobis, ac patribus veſtris ſupplicaverunt. quòd ſi ipſius ſumma dignitas, maximæque res geſtæ non ſatis valerent: tamen filii pietas, *propinquorum preces*, adoleſcentium ſqualor, majorum natu lacrymæ populum Romanum movere potuerunt. Nam C. Marii, qui poſt illos veteres clariſſimos conſulareis, veſtra, patrumque memoria, tertiùs antè me conſularis, ſubiit indigniſſimam fortunam præſtantiſſima ſua gloria, diſſimilis fuit ratio. Non enim ille deprecatione rediit, ſed [6] in diſceſſu civium, *exercitu* ſe, armiſque revocavit. Me autem nudum à propinquis, nulla cognatione munitum, nullo armorum, ac tumultus metu, C. Piſonis, generi mei, [7] divina quædam, & inaudita auctoritas, atque virtus, fratriſque mei miſerrimi, atque optimi quotidianæ lacrymæ, ſordeſque lugubres à vobis deprecatæ ſunt. Frater erat unus, qui ſuo ſqualore veſtros oculos inflecteret: qui ſuo fletu deſiderium mei, memoriamque renovaret: qui ſtatuerat, Quirites, ſi vos me ſibi non reddidiſſetis, eandem ſubire fortunam: & tanto in me amore exſtitit, ut negaret fas eſſe non modò domicilio, ſed *ne ſepulchro quidem* ſe à me eſſe ſejunctum. Pro me præſente ſenatus, hominumque præterea viginti millia *veſtem mutaverunt*: pro eodem me abſente unius ſqualorem, ſordeiſque vidiſtis. [8] Unus hic, qui domi, qui in foro poſſet eſſe mihi pietate filius, inventus eſt beneficio parens, amore idem, qui ſemper fuit, frater. Nam conjugis miſeræ ſqualor, & luctus, atque optimæ filiæ mœror aſſiduus, filiique parvi deſiderium mei, lacrymæque pueriles, aut itineribus neceſſariis, [9] aut magnam partem tectis, ac tenebris continebantur. Quare hoc majus eſt veſtrum in 4 nos promeritum, quòd non multitudini propinquorum, ſed nobiſmetipſis nos reddidiſtis. Sed quemadmodum propinqui, quos ego parare non potui, mihi ad deprecandam calamitatem meam non affuerunt: ſic, illud, quod mea virtus præſtare debuit, adjutores, auctores, hortatoreſque ad me reſtituendum ita multi fuerunt, ut longè ſuperiores omneis hac dignitate, copiaque ſuperarem. Numquam de P. Popillio, clariſſimo, atque fortiſſimo viro: numquam de Q. Metello, nobiliſſimo, & conſtantiſſimo cive: numquam de C. Mario, cuſtode civitatis, atque imperii veſtri, *in ſenatu* mentio facta eſt. Tribunitiis ſuperiores illi rogationibus, nulla auctoritate ſenatus ſunt reſtituti. Marius verò non modò non à ſenatu, ſed etiam oppreſſo ſenatu eſt reſtitutus: nec rerum geſtarum memoria in reditu C. Marii, ſed exercitus, atque arma valuerunt. at de me ut valeret, ſemper ſenatus flagitavit: ut aliquando perficeretur, cùm primum licuit, [10] frequentia, atque auctoritate perfecit. nullus in eorum reditu motus municipiorum, & coloniarum factus eſt. at me in patriam ter ſuis decretis *Italia cuncta* revocavit. Illi, inimicis interfectis, magna civium cæde facta, reducti ſunt. ego iis, à quibus ejectus ſum, provincias obtinentibus, [11] inimico autem optimo viro, & mitiſſimo, altero conſule referente reductus ſum: cùm is inimicus, qui ad meam perniciem vocem ſuam communibus hoſtibus præbuiſſet, ſpiritu duntaxat viveret, re quidem infra omneis mortuos amandatus eſſet. Numquam de P. Popillio 5 L. Opimius, fortiſſimus conſul, numquam de Qu. Metello non modò C. Marius, qui erat inimicus, ſed ne is quidem, qui ſecutus eſt, M. Antonius, homo eloquentiſſimus, cum A. Albino collega ſenatum, aut populum eſt cohortatus. At pro me ſuperiores conſules ſemper, ut referrent, efflagitati ſunt: ſed veriti ſunt, ne *gratiæ cauſa* facere viderentur,

---

1. *Caruiſſemus.*] Pall. partim *careremus*, ut edidit Lambinus; partim *caruerimus*; quod & in S. Vict. libro.

2. *Univerſim cuncto populo Rom. debeamus.*] Ita prodidit primum Lambinus, firmatque omnino codex Erfurdianus, videturque item fuiſſe in Pal. pr.

3. *Non enim pro meo reditu.*] Gulielmius nihil heic adnotavit. at Pall. noſtri oggerunt *meo reatu*.

4. *Filius L. Diadematus.*] Sic Lambinus è Memmiano, neque abeunt Erfurdianæ ſchedæ, aut Gemblacenſes: quibus accedunt S. Vict. & Pall. ſed ii non omittunt negativam, quæ fuerat in hactenus vulgatis, ſic: *non L. Delmaticus conſ. ſumma auct. vir*; *non Q. Metellus.* Pal. nonus exhibet, *filius Lucius; non Diadematus.* quod excutient faſtis intenti. conferentque cum ſequentis orationis cap. 15. m. & Turnebianis lib. XXIII. Adverſ. cap. 4.

5. *C. Metellus.*] Eſt à Pall. & Erfurd. Gembl. S. Vict. & Cujacii codice, requiritque hiſtoria. quam perſequitur egregiè Pighius noſter lib. XIV. Annal. Rom. ad annum urbis DCLI.

6. *In diſceſſu civium.*] Hæc eſt ſcriptura priſcæ editionis, reſpondetque cohors integra mſſ. noſtrorum. *diſcedere* eſt diſſidere, unde *diſceſſio*, pro conjugum divortio apud Terentium Andria. vulgata, *in diſſenſu civ.* ſupra etiam reſcripſi, membranis omnibus volentibus, *At me nudum, &c.* ejecto *Me autem nudum, &c.* quod in nullo erat vetere.

7. *Divina quædam auctoritas.*] Gulielmio ſuſpectum verbum *auctoritas*. reſtat tamen in noſtris vett. & edd.

8. *Unus hic qui domi, qui in foro poſſet, &c.*] Lectio fracta: non improbo conjecturam Lambini; ſed ſic nulli ſcripti, in quibus, *unus hic quidem in foro poſſet, &c.* aut certè, *unus hic qui deinde in foro.*

9. *Aut magnam partem tectis.*] Ita & vetuſtior editio, mſ. quod ea *lectis*, quomodo & mſſ. noſtri. recepta ſcriptura, *magna parte.* ad captum vulgi.

10. *Frequentia atque auctoritate perfecit.*] Gulielmio placebat S. Victoris lectio, *perfregit*, & id habet quoque Pal. ſec. ac nonus. nam totum gregem excutere, non eſt otium.

11. *Inimico autem optimo viro, &c.*] Lambinus heic ſibi aliiſque negotium fruſtra facit, & præter libros; in quibus tamen hæret non, *autem*, ſed ejus loco *hoc*, aut adeò *h* ſolum. & vero *hoc* item reſtat in primis edd.

tur, quòd alter mihi affinis erat: alterius cauſam capitis receperam: qui [1] provinciarum fœdere irretiti, totum illum annum querelas ſenatus, luctum bonorum, Italiæ gemitum pertulerunt. Kalendis verò Jan. poſteaquam orba reſp. conſulis fidem, tanquam *legitimi tutoris*, imploravit, P. Lentulus conſul, parens, deus, ſalus noſtræ vitæ, fortunæ, memoriæ, nominis, ſimul ac de ſollemni religione retulit, nihil humanarum rerum ſibi priùs, quàm de me agendum judicavit. Atque eo die confecta res eſſet, niſi is tribunus pleb quem ego maximis *beneficiis* quæſtorem conſul ornaveram, cum & cunctus ordo, & multi eum ſummi viri orarent, & Cn. Oppius ſocer, optimus vir, ad pedes ejus flens jaceret: noctem ſibi ad deliberandum poſtulaſſet: quæ deliberatio non in reddenda, quemadmodum nonnulli arbitrabantur: ſed, ut patefactum eſt, in *augenda mercede* conſumta eſt. Poſtea res acta eſt in ſenatu alia nulla; cùm variis rationibus impediretur, [2] & voluntate tamen perfecta ſenatus cauſa, ad vos menſe Jan. deferebatur. Hic tantum interfuit inter me, & inimicos meos. Ego, cùm homines in tribunali Aurelio palàm conſcribi, centuriarique vidiſſem: cùm intelligerem, veteres ad ſpem cædis, Catilinæ copias eſſe revocatas: cùm viderem, ex ea parte homines, cujus partis nos vel principes numerabamur, partim quòd mihi inviderent, partim quòd ſibi timerent, aut *proditores* eſſe, aut *deſertores* ſalutis meæ: cùm duo conſules, emti pactione provinciarum auctores ſe inimicis reipubl. tradidiſſent: cùm egeſtatem, avaritiam, libidines ſuas viderent expleri non poſſe, niſi me conſtrictum domeſticis hoſtibus dediſſent: cùm ſenatus, equiteſque Roman. flere pro me, ac, mutata veſte, vobis ſupplicare edictis, atque imperiis vetarentur: cùm omnium provinciarum pactiones, cùm omnia cum omnibus fœdera, reconciliationes gratiarum, *ſanguine meo ſancirentur*: cùm omnes boni non recuſarent, quin vel pro me, vel mecum perirent: armis decertare pro mea ſalute nolui, quòd & vincere, & vinci *luctuoſum* reipublicæ fore putavi. At inimici mei menſe Jan. cùm de me ageretur, corporibus civium trucidatis, *flumine ſanguinis* meum reditum inter-
6 cludendum putaverunt. Itaque cùm ego abfui, eam rempublicam habuiſtis, ut æque me, atque illam, reſtituendam putaretis. ego autem, in qua civitate nihil valeret ſenatus, omnis eſſet impunitas, nulla judicia, vis & ferrum in foro verſarentur: cùm privati ſe *parietum præſidio*, non legum tuerentur: tribuni pleb. vobis inſpectantibus vulnerarentur, ad magiſtratuum domos cum ferro, & facibus iretur, conſulis faſces frangerentur, deorum immortalium templa incenderentur: rempubl. eſſe nullam putavi. itaque neque repub. exterminata, mihi locum in hac urbe eſſe duxi: nec, ſi illa reſtitueretur, dubitavi, quin me ſecum ipſa reduceret. An ego, cùm mihi eſſet exploratiſſimum, P. Lentulum proximo anno conſulem futurum, qui illis ipſis reip. periculoſiſſimis temporibus ædilis curulis, me conſule, omnium meorum conſiliorum particeps, periculorumque ſocius fuiſſet: dubitarem, quin is me, confectum *conſularibus vulneribus*, conſulari medicina ad ſalutem reduceret? Hoc duce, collega autem ejus, clementiſſimo, atque optimo viro, primò non adverſante, pòſt etiam adjuvante, reliqui magiſtratus pænè omnes, fuerunt defenſores ſalutis meæ. ex quibus excellenti animo, [3] virtute, auctoritate, præſidio, copiis, T. Annius, & P. Sextius, [4] præſtanti in me benivolentia, & divino ſtudio extiterunt. eodemque P. Lentulo auctore, & pariter referente collega, frequentiſſimus ſenatus, *uno diſſentiente*, nullo intercedente, dignitatem meam quibus potuit verbis ampliſſimis ornavit: ſalutem vobis, municipiis, coloniiſque omnibus commendavit. Ita me nudum à propinquis, nulla cognatione munitum, conſules, prætores, tribuni pleb. ſenatus, Italia cuncta, ſemper à vobis deprecata eſt: denique omnes, qui veſtris maximis beneficiis, honoribuſque ſunt ornati, [5] producti ad vos ab eodem, non ſolùm ad me conſervandum vos cohortati ſunt, ſed etiam rerum mearum geſtarum auctores, teſtes, laudatores fuerunt. Quorum princeps ad cohortandos vos, & ad rogandos fuit 7
Cn. Pompejus, vir omnium, qui ſunt, fuerunt, erunt, virtute, ſapientia, ac gloria princeps: qui mihi unus uni privato amico eadem omnia dedit, quæ univerſæ reipublicæ, ſalutem, otium, dignitatem. cujus oratio fuit quemadmodum accepi, tripartita. primùm vos docuit, meis conſiliis rempub. eſſe ſervatam: cauſamque meam cum *communi ſalute* conjunxit: hortatuſque eſt, ut auctoritatem ſenatus, ſtatum civitatis, fortunas civis bene meriti defenderetis: tum in perorando poſuit, vos rogari à ſenatu, rogari ab equitibus Rom. rogari ab Italia cuncta: denique ipſe ad extremum pro mea vos ſalute non rogavit ſolùm, verùm etiam obſecravit. Huic ego homini, Quirites, tantum debeo, quantum hominem homini debere vix fas eſt. Hujus conſilia, P. Lentuli ſententiam, ſenatus auctoritatem vos ſecuti, in eo me loco, in quo veſtris beneficiis fueram, iiſdem centuriis, quibus collocaratis, repoſuiſtis. Eodem tempore audiſtis eodem ex loco ſummos viros, ornatiſſimos, atque ampliſſimos homines, principes civitatis, omneis conſulareis, omneis prætorios, *eadem dicere*, ut omnium teſtimonio per me unum remp. conſervatam eſſe conſtaret. Itaque cùm P. Servilius, graviſſimus vir, & ornatiſſimus civis, dixiſſet, opera mea rempubl. incolumem magiſtratibus deinceps traditam, dixerunt in eandem ſententiam ceteri. Sed audiſtis eo tempore clariſſimi viri non ſolùm auctoritatem, ſed etiam teſtimonium L. Gellii: qui, quia ſuam claſſem attentatam magno cum ſuo periculo pænè ſenſit: dixit in concione veſtra: ſi ego conſul, cùm fui, non fuiſſem, rempub. *funditus* interituram fuiſſe. En ego tot teſtimoniis, Quirites, hac 8
auctoritate ſenatus, tanta conſenſione Italiæ, tanto ſtudio bonorum omnium, agente P. Lentulo, conſentientibus ceteris magiſtratibus, deprecante Cn. Pompejo, omnibus hominibus faventibus, diis denique immortalibus, *frugum ubertate*, copia, vilitate, reditum meum comprobantibus, mihi, meis, reipub. reſtitutus, tantum vobis, quantum facere poſſum, Quirites, pollicebor: primùm, qua ſanctiſſimi homines pietate erga deos immortaleis eſſe ſolent, eadem me erga populum Roman. ſemper fore: numenque veſtrum æquè mihi grave, & ſanctum, ac deorum immortalium in omni vita futurum: deinde, quoniam me in civitatem reſpubl. ipſa reduxit, nullo me loco reipubl. defuturum. Quòd ſi quis exiſtimat, me aut voluntate eſſe mutata, aut debilitata virtute, aut animo fracto, vehementer errat. mihi, quod potuit vis, & injuria, & [6] ſceleratorum hominum furor detrahere; eripuit, abſtulit, diſſipavit: quod viro forti *adimi non poteſt*, id manet, & permanebit. Vidi ego fortiſſimum virum, municipem meum, C. Marium, quoniam nobis quaſi aliqua fatali neceſſitate, non ſolùm cum his, qui hæc delere voluiſſent, ſed

1. *Provinciarum fœdere irretiti.*] Vetus impreſſio *irritati*, quod etiam in pleriſque mſſ. etiam Pall. in quibus tamen quidam, *irritaque*, nonus verò ille *irritatus*. S. Victoris *irinati*.

2. *Et voluntate tamen perfecta Senatus cauſa, &c.*] Ita P. Victorii editio. ne que diſſentiunt noſtri. vulgata copulam & hoc loco non habebat, ſed verbis quatuor prioribus; retinebatque *perfecta*.

3. *Virtute, auctoritate, præſidio, copiis, T. Annius*] Reſtitui veterem lectionem, quæ & in antiquis edd. & mſſ. noſtris. recentiores omiſerant *copiis*. Lambinus inſuper *præſidio* mutarat in *gradu*.

4. *Præſtanti in me benevolentia.*] Gemblacenſis *præſenti*, quod ſalivam movit Gulielmio; & verò mihi etiam arridet.

5. *Producti ad vos ab eodem.*] Pal. non item ſec. & S. Vict. *ab eadem*, Italia ſcilicet, invenitque in ſuis Lambinus. & ita legendum conjecerat Henricus Stephanus.

6. *Et ſceleratorum hominum furor.*] Lambinus teſtatur ſuos ſcriptos habere *ſceleratus*. quatuor Pall. meliores ſtant a vulgato (nam ceteros examinare non libet) idemque teſtatur de S. Victoris Gulielmius.

ſed etiam cum fortuna belligerandum fuit: eum tamen vidi, cùm eſſet ſumma ſenectute, [1] non modò non infracto animo propter magnitudinem calamitatis, ſed confirmato atque *renovato*. quem egomet dicere audivi, [2] tum ſe fuiſſe miſerum, cùm careret patria, quam obſidione liberaviſſet: cùm ſua bona poſſideri ab inimicis, ac diripi audiret: cùm adoleſcentem filium videret ejuſdem ſocium calamitatis: cùm in paludibus demerſus, concurſu, ac miſericordia Minturnenſium corpus, ac vitam ſuam conſervaſſet, cùm [3] parva navicula trajectus in Africam, quibus *regna ipſe dederat*, ad eos inops, ſupplexque veniſſet: recuperata verò ſua dignitate, ſe non commiſſurum, ut, cùm ea, quæ amiſerat, ſibi reſtituta eſſent, virtutem animi non haberet, quam numquam perdidiſſet. Sed hoc inter me, atque illum intereſt: quòd ille, qua re plurimùm potuit, ea ipſe re inimicos ſuos ultus eſt, armis: [4] ego, qua conſuevi, utar: quoniam illi arti in bello, ac ſeditione locus eſt: huic in pace, atque otio. quamquam ille animo irato nihil niſi de inimicis ulciſcendis agebat: ego de ipſis inimicis tantum, quantum mihi *reſp. permittet*, cogitabo.
9 Denique, Quirites, quoniam me quattuor omnino genera hominum violarunt: unum eorum, qui odio reip. quòd eam ipſis invitis conſervaram, mihi inimiciſſimi fuerunt: alterum, qui per ſimulationem amicitiæ, nefariè prodiderunt: tertium, qui cùm propter *inertiam* ſuam, eadem aſſequi non poſſent, inviderunt laudi, & dignitati meæ: quartum, qui cum cuſtodes reipubl. eſſe debuerunt, ſalutem meam, ſtatum civitatis, dignitatem ejus imperii, quod erat penes ipſos, vendiderunt: [5] ſic ulciſcar facinorum ſingula, quemadmodum à quibuſque ſum provocatus: malos civeis, remp. bene gerendo: perfidos amicos, nihil credendo, atque omnia cavendo: invidos, virtuti, & gloriæ ſerviendo: mercatores provinciarum, revocando domum, atque ab iis provinciarum rationem repetendo. [6] Quamquam mihi majori curæ eſt, quemadmodum quidem vobis, qui de me eſtis optimè meriti, gratiam referam, quàm, quemadmodum inimicorum injurias, crudelitatemque perſequar. Etenim ULCISCENDÆ injuriæ facilior ratio eſt, quam beneficii remunerandi, propterea quòd ſuperiorem eſſe contra improbos, minus eſt negotii, quàm bonis exæquari: tum etiam ne tam *neceſſarium* quidem eſt, malè meritis, quàm optimè meritis, referre quod debeas. [7] Odium vel precibus mitigari poteſt, vel temporibus reip. communique utilitate deponi, vel difficultate ulciſcendi teneri, vel vetuſtate ſedari. bene meritos quin colas, nec exorari fas eſt, nec id reip. repetere utcumque neceſſe eſt, neque eſt excuſatio difficultatis, neque æquum eſt tempore, & die memoriam beneficii definire. Poſtremò QUI IN ulciſcendo remiſſior fuit, [8] mox apertè laudatur: at graviſſimè vituperatur, qui in tantis beneficiis, quanta vos in me contuliſtis, remunerandis, eſt tardior: neque ſolùm ingratus, quod ipſum grave eſt, verùm etiam impius appelletur, neceſſe eſt. Atque in officio perſolvendo diſſimilis eſt ratio, & pecuniæ debitæ: propterea quòd pecuniam qui retinet, non diſſolvit: qui reddidit, non habet: *gratiam & qui retulit, habet: & qui habet, diſſolvit.* Quapropter memoriam veſtri beneficii 10
colam benivolentia ſempiterna, [9] non ſolùm dum anima ſpirabo mea, ſed etiam cum mortuo monumenta veſtri in me beneficii permanebunt. In referenda autem gratia hoc vobis repromitto, ſemperque præſtabo, mihi neque in conſiliis de rep. capiendis, diligentiam, neque in periculis à rep. propulſandis, animum, neque in ſententia ſimpliciter referenda, fidem, neque in hominum voluntatibus pro repub. lædendis, libertatem, nec in perferendo labore, induſtriam, nec in veſtris commodis augendis, gratam animi benivolentiam defuturam. Atque hæc cura, Quirites, erit infixa animo meo ſempiterna, ut, cùm vobis, qui apud me deorum immortalium vim, & numen tenetis, tum poſteris veſtris, cunctiſque gentibus digniſſimus ea civitate videar, quæ ſuam dignitatem non poſſe tenere ſe, niſi me recuperaſſet, cunctis ſuffragiis judicavit.

1. *Non modò non infracto animo.*] Notavit heic Gulielmius, *infractum* poni pro *fracto*. neque aliter fere uſurpatum claſſicis auctoribus. quis tamen imitatur?

2. *Tum ſe fuiſſe miſerum, cum careret patria.*] S. Victoris & Pall. electiores, *ſi careret*. & verò quàm magis excutio nexum argumenti, tam minus invenio in hac vulgata.

3. *Parva navicula trajectus in Africam.*] Non alienus eſt Gulielmius à S. Victoris ſcriptura, *provectus*. in noſtris aliquot eſt *pervectus*. medium videtur optimum.

4. *Ego qua conſuevi utar: quoniam.*] Vulgata adjecit, *pietate*, ſed ea & Pall. & Lambinianis abeſt: meo animo recte. intelligitur enim *re* quod præceſſit. & alioqui *pietas* non minus eſt belli virtus quàm pacis. adeatur Lambinus, qui heic ſeriò judicat.

5. *Sic ulciſcar facinorum ſingula.*] Sic S. Victoris, ſic duo Lambiniani, neque recedunt Pall. aut edd. vett. niſi quod ii *facinora ſingula*. vulgata hodie, *genera ſingula*.

6. *Quamquam mihi majori curæ eſt, quemad. quidem vobis.*] Mſſ. noſtri & S. Victoris non habent illud *quidem*, & videtur omninò inveniſſe in authenticis ſuis; *Quamquam mihi Quirites majori*; ut monuit idem Gulielmius.

7. *Odium vel precibus mitigari poteſt.*] S. Victoris: *vindicari*. ex quo Gulielmius conjiciebat *medicari*.

8. *Mox apertè laudatur.*] Pal. pr. *in os apertè laudatur*, quod & in tert. ſed is præterea habet, *in os cum apertè laudatur*. at ceteri ſervant, *in eorum apertè utitur*, quod & reperit in ſuis Lambinus. equidem in oratione multa ſunt mendoſa; quæ forte mſſ. librorum collatione purgari poſſent. Sed cui otium excutere novem, decem, undecim membranas?

9. *Non ſolum dum anima ſpirabo mea.*] S. Victoris liber non habet illud, *non ſolum*, præfertque *cum animo exſpirabo mea*. neque aliter Pal. nonus, quam quod is, *anima*. quomodo & pr. & tert. nam ſec. *exſpirando*. ſequentia quoque in Pall. mirifice abeunt à vulgatis, quorum varietatem depromerem ſi vacaret. juniorum hoc erat, & quibus nullæ curæ, nulla negotia.

M. TULLIUS CICERO
POST
REDITUM IN SENATU.
ORATIO VICESIMAOCTAVA.

1 SI, patres conſcripti, pro veſtris immortalibus in me, fratremque meum, liberoſque noſtros meritis parum vobis cumulatè gratias egero; quæſo, obteſtorque, ne meæ naturæ potiùs, quàm magnitudini beneficiorum, id tribuendum putetis. Quæ enim tanta poteſt exſiſtere ubertas ingenii, quæ tanta dicendi copia, quod tam divinum, atque incredibile genus orationis, quo quiſquam poſſit veſtra in nos univerſa promerita, non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando? qui mihi fratrem optatiſſimum, me fratri amantiſſimo, liberis noſtris parenteis, nobis liberos: qui dignitatem, qui ordinem, qui fortunas, qui ampliſſimam rempubl. qui patriam, qua nihil poteſt eſſe *jucundius*, qui denique noſmetipſos nobis reddidiſtis. Quòd ſi parenteis *cariſſimos* habere debemus, quòd ab iis nobis vita, patri-

patrimonium, libertas, civitas tradita eſt: ſi deos immortaleis, quorum beneficio & hæc tenuimus, & ceteris rebus aucti ſumus: ſi populum Roman. cujus honoribus in ampliſſimo conſilio, & in altiſſimo gradu dignitatis, atque in hac omnium terrarum arce collocati ſumus: ſi hunc ipſum ordinem, à quo ſæpe magnificentiſſimis decretis ſumus honeſtati: immenſum quiddam & infinitum eſt, quod vobis debeamus, qui veſtro ſingulari ſtudio, atque conſenſu parentum beneficia, deorum immortalium munera, populi Rom. honores, veſtra de me multa judicia, nobis omnia *uno tempore* reddidiſtis: ut, cùm multa vobis, magna populo Roman. innumerabilia parentibus, omnia diis immortalibus debeamus, quòd hæc antea ſingula per illos habuerimus: nunc univerſa per vos recuperaverimus.

2 Itaque, P. C. quod ne *optandum* quidem eſt homini, immortalitatem quandam per vos adepti videmur. quod enim tempus erit umquam, quo veſtrorum in nos beneficiorum memoria, ac fama moriatur, qui illo ipſo tempore, cùm vi, ferro, metu, minis obſeſſi teneremini, non multo poſt diſceſſum meum univerſi me revocaviſtis, [1] referente L. Ninnio, fortiſſimo, atque optimo viro? quem habuit ille peſtifer annus & maxime fidelem, & minimè timidum, ſi dimicare placuiſſet, defenſorem ſalutis meæ. poſteaquàm vobis poteſtas decernendi non eſt permiſſa per eum tribunum pleb. qui, cùm per ſe rempub. lacerare non [2] poſſet, ſub *alieno* ſcelere delevit: numquam de me ſiluiſtis, numquam meam ſalutem non ab his conſulibus, qui vendiderant, flagitaviſtis. Itaque veſtro ſtudio, atque auctoritate perfectum eſt, ut ille ipſe annus, quem ego mihi, quàm patriæ, malueram eſſe fatalem, hos tribunos haberet, qui promulgarent de ſalute mea, & ad vos ſæpenumero referrent. nam conſules modeſti, legumque metuentes, *impediebantur lege*, non ea, quæ de me, ſed ea, quæ de ipſis lata erat, cùm meus inimicus promulgavit, ut, ſi revixiſſent ii, qui hæc pænè delerunt, tum ego redirem: quo facto utrumque confeſſus eſt, & ſe illorum vitam deſiderare, & magno in periculo rempub. futuram, ſi aut hoſtes, atque interfectores reipubl revixiſſent, aut ego

3 non revertiſſem. Itaque illo ipſo tamen anno, cùm ego ceſſiſſem: princeps autem civitatis, non *legum præſidio*, ſed parietum, vitam ſuam tueretur; [3] reſp. ſine conſulibus eſſet, neque ſolùm parentibus perpetuis, verùm etiam tutoribus annuis eſſet orbata: ſententias dicere prohiberemini: caput meæ proſcriptionis recitaretur: numquam dubitaſtis meam ſalutem cum communi ſalute conjungere. Poſteà verò quàm ſingulari, & præſtantiſſima virtute P. Lentuli conſulis, ex ſuperioris *anni caligine*, & tenebris [4] lucem in rep. Kal. Jan. reſpicere cœpiſtis: cùm Q. Metelli, nobiliſſimi hominis, atque optimi viri, ſumma dignitas, cùm prætorum, tribunorum pleb. pænè omnium virtus, & fides, reip. ſubveniſſet: cùm virtute, gloria, rebus geſtis Cn. Pompejus, omnium gentium, omnium ſæculorum, omnis memoriæ facilè princeps, tutò ſe in ſenatum venire arbitraretur: tantus veſter conſenſus de ſalute mea fuit, [5] ut corpus abeſſet meum, *dignitas* jam in patriam revertiſſet. Quo quidem menſe, quid inter me, & meos inimicos intereſſet, exiſtimare potuiſtis. ego meam ſalutem deſerui, ne propter me civium vulneribus reſp. cruentaretur: illi meum reditum non populi Rom. ſuffragiis, ſed flumine ſanguinis intercludendum putaverunt. Itaque poſtea nihil vos civibus, nihil ſociis, nihil regibus *reſpondiſtis*: nihil judices ſententiis, nihil populus ſuffragiis, nihil hic ordo auctoritate declaravit: mutum forum, elinguem curiam, tacitam & fractam civitatem videbatis. Quo quidem tempore, cùm is exceſſiſſet, qui cædi & flammæ vobis auctoribus reſtiterat: cum ferro & facibus homines tota urbe volitanteis, magiſtratuum [6] tecta impugnata, deorum templa inflammata, ſummi viri, & clariſſimi conſulis faſceis fractos, fortiſſimi, atque optimi viri, tribuni pleb. ſanctiſſimum corpus [7] non tactum, ac violatum manu, ſed vulneratum ferro, confectumque vidiſtis. Qua ſtrage nonnulli permoti magiſtratus, partim metu mortis, partim deſperatione reipub. paullum à mea cauſa receſſerunt. reliqui fuerunt, quos neque *terror*, neque vis, nec ſpes, nec metus, nec promiſſa, nec minæ, nec tela, nec faces à veſtra auctoritate, à populi Rom. dignitate, à mea ſalute depellerent. Princeps P. Lentulus, 4
parens, ac deus noſtræ vitæ, fortunæ, memoriæ, nominis, hoc ſpecimen virtutis, hoc indicium animi, hoc lumen conſulatus ſui fore putavit, ſi me mihi, ſi meis, ſi vobis, ſi reipub. reddidiſſet, qui ut eſt deſignatus, numquam dubitavit ſententiam de ſalute mea, ſe, & repub. dignam, dicere. Cum à Tribuno pleb. vetaretur, cùm præclarum caput recitaretur, NE QUIS AD VOS REFERRET, NE QUIS DECERNERET, NE DISPUTARET, NE LOQUERETUR, NE PEDIBUS IRET, NE SCRIBENDO ADESSET: [8] totam illam, ut antè dixi, proſcriptionem, non legem, putavit, qua civis optimè de repub. meritus, nominatim, ſine judicio, unà cum ſenatu, reipub. eſſet ereptus. Ut verò iniit magiſtratum, non dicam, quid egit prius, ſed quid omnino egit aliud, niſi, ut, me conſervato, veſtram in poſterum dignitatem, auctoritatemque ſanciret? Dii immortales, quantum mihi beneficium dediſſe videmini, quòd hoc anno [9] P. Lentulus conſul eſt? quanto majus dediſſetis, ſi ſuperiore anno fuiſſet? nec enim eguiſſem medicina conſulari, niſi conſulari vulnere concidiſſem. Audieram ex ſapientiſſimo homine, atque optimo civi, & viro, Q. Catulo, non ſæpe *unum conſulem improbum*, duos verò [10] numquam, poſt Romam conditam, excepto illo Cinnano tempore, fuiſſe. quare meam cauſam ſemper fore firmiſſimam dicere ſolebat, dum vel unus in republ. conſul eſſet. Quod verè dixerat, ſi illud de duobus conſulibus quod antè in rep. non fuerat, peremne, ac proprium manere potuiſſet. Quòd ſi Q. Metellus illo tempore conſul fuiſſet, unicus: dubitatis, quo animo fuerit in me conſervando futurus, cùm in reſtituendo auctorem fuiſſe, adſcriptoremque videatis? [11] ſed fuerunt duo conſules, quorum mentes anguſtæ, [12] humiles, pravæ, oppletæ tenebris, ac ſordibus, nomen ipſum conſulatus, ſplendorem illius honoris, magnitudinem tanti imperii nec intueri, nec ſuſtinere,

1. *Referente L. Ninnio.*] Accedunt & ad hanc ſcripturam Palatini. niſi quod ita litteras conceperint, ut inde fieri poſſit *Nunio*, *Minio*, aut ſimile quid. unde & natum vulgare *Munio*. conſtlatur Turnebus lib. xxiix. cap. 17.

2. *Poſſet, ſub alieno ſcelere delevit.*] Alii aliter. Gulielmius tentabat, *poſſet ſuo, alieno ſcelere delevit.*

3. *Reſpub. ſine conſulibus eſſet.*] S. Victoris *reſpub. ſine repub. ſine conſ. eſſet*, cujus & meminit Lambinus.

4. *Lucem reſpicere cœpiſtis.*] Lambinus admiſit fide libri veteris, reſtatque in Pall. in Pithœano, in S. Victoris; ſed littera una diverſum: hi enim *deſpicere*: quod & in edd. vett. nam recentiores *reſpicere*.

5. *Ut corpus abeſſet*, &c.] Haud aliter etiam Pall. & libri Aldæ, Pithœi, S. Victoris. quippe vulgata amplius, *ut licet corpus*.

6. *Tecta impugnata.*] Eſt item ab iiſdem, quibus accedit etiam Erfurdianus. vulgo, *oppugnata*.

7. *Non tactum ac violatum manu.*] Recepta lectio, *non ſolum tactum*, &c. ſed contra mſſ. eoſdem.

8. *Totam illam, ut ante dixi, proſcriptionem.*] Libri recentius publicati, *totam illam cauſam*, aut adeo, *clauſulam*. ſed neutra vocum exſtat in vetuſtè cuſis, ſpernuntque à ſe Pall. omnes, item Erf. Ah. S. Vict. reſpicit ſcilicet ad illud capitis 3. *caput meæ proſcriptionis*.

9. *P. Lentulus conſul.*] Vulgo *fuit*, ſed hoc in nullis eſt ſcriptis, imò neque in noſtris, præterquam in Pal. nono, aut Erfurd.

10. *Numquam poſt Romam conditam.*] Tres voces poſtremas inſerui ex iiſdem libris. in editis, *numquam antea viſæ ſunt*.

11. *Sed fuerunt duo conſules.*] Pall. aliquot, *hi conſules*, aut *ii*, quod natum ex binario per notam expreſſo. Lambinus tollit *Conſules*, præter ſcriptos noſtros & olim cuſos. & poterat ſubſiſtere.

12. *Humiles, pravæ.*] Etiam Pall. habent *parvæ*, & forſan ita ſcripſit.

1. Ad

ſtinere, nec capere potuerunt: non conſules, ſed *mercatores provinciarum*, ac venditores veſtræ dignitatis. quorum alter à me Catilinam, amatorem ſuum, multis audientibus: alter Cethegum, conſobrinum, repoſcebat: qui me duo ſceleratiſſimi poſt hominum memoriam, non conſules, ſed latrones, non modò deſeruerunt, in cauſa præſertim publica, & conſulari, ſed prodiderunt, oppugnarunt, omni auxilio non ſolum ſuo, ſed etiam veſtro, ceterorumque ordinum, ſpoliatum eſſe voluerunt: quorum
5 alter tamen neque me, neque quemquam fefellit. Quis enim ullam ullius boni *ſpem* haberet in eo, cujus primum tempus ætatis palam fuiſſet [1] ad omnium libidines divulgatum? qui ne à ſanctiſſima quidem parte corporis potuiſſet hominum impuram intemperantiam propulſare? qui cùm ſuam rem non minùs ſtrenuè, quam poſtea publicam confeciſſet: egeſtatem & luxuriam domeſtico *lenocinio* ſuſtentavit? qui niſi in aram tribunatus confugiſſet: neque vim prætoris, nec multitudinem creditorum, nec bonorum proſcriptionem effugere potuiſſet. [2] quo in magiſtratu niſi rogationem de piratico bello tuliſſet: profectò egeſtate, & improbitate coactus piraticam ipſe feciſſet: ac minore quidem cum reip. detrimento, quàm quòd intra mœnia nefarius hoſtis, prædoque verſatus eſt: quo inſpectante ac ſedente, legem tribunus plebis tulit, NE AUSPICIIS obtemperaretur: ne obnuntiare concilio, aut comitiis: ne legi intercedere liceret: ut lex Ælia, & Fuſia ne valerent: quæ noſtri majores certiſſima ſubſidia reip. contra tribunitios furores eſſe voluerunt. Idemque poſtea, cùm innumerabilis multitudo bonorum de Capitolio ſupplex ad eum ſordidata veniſſet, cumque adoleſcentes nobiliſſimi, cunctique equites Rom. ſe ad [3] lenonis impudiciſſimi pedes abjeciſſent: quo vultu cincinnatus ganeo non ſolùm civium lacrymas, verum etiam *patriæ preces* repudiavit? Neque contentus fuit, ſed etiam [4] in concionem adſcendit: eaque dixit, quæ, ſi ejus vir Catilina revixiſſet, dicere non eſſet auſus: ſe nonarum Decembr. quæ, me conſule fuiſſent, clivique Capitolini pœnas ab equitibus Rom. eſſe repetiturum: neque ſolùm id dixit, ſed quos ei commodum fuit, compellavit: L. verò Lamiam, equitem Rom. præſtanti dignitate hominem, & [5] ſaluti meæ pro familiaritate, reipubl. pro fortunis ſuis, amiciſſimum, conſul imperioſus exire urbe juſſit: & cùm vos veſtem mutandam cenſuiſſetis, cunctique mutaſſetis, atque idem omnes boni jam antè feciſſent: ille unguentis oblitus, cum toga prætexta, quam omnes prætores, ædileſque tum abjecerant, irriſit ſqualorem veſtrum, & luctum [6] gratiſſimæ civitatis: fecitque quod nemo unquam tyrannus, ut quo minùs *occultè veſtrum malum gemeretis*, nihil diceret: ne apertè incommoda patriæ lugeretis, ediceret. Cùm verò 6
in Circo Flaminio, non à tribuno plebis conſul in concionem, ſed à latrone archipirata, productus eſſet: primùm proceſſit, qua auctoritate vir? vini, ſomni, ſtupri plenus, madenti coma, compoſito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis, preſſa voce, & temulenta: quod in civeis indemnatos eſſet animadverſum, id ſibi dixit *gravis auctor* vehementiſſimè diſplicere. Ubi nobis hæc auctoritas tamdiu tanta latuit? cur in luſtris, & helluationibus hujus calamiſtrati ſaltatoris tam eximia virtus tamdiu ceſſavit? Nam ille alter Cæſoninus Calventius, ab adoleſcentia verſatus eſt in foro, cùm eum, [7] præter ſimulatam, verſutamque triſtitiam, nulla res commendaret: [8] non juris ſtudium, non dicendi, non rei militaris, non cognoſcendorum hominum, non liberalitas. quem præteriens cùm incultum, horridum, mœſtumque vidiſſes; etiam ſi agreſtem, & inhumanum exiſtimares, tamen libidinoſum, & perditum [9] non putares. Cum hoc homine, an [10] cum *ſtipite Æthiope* ſi in foro conſtitiſſes, nihil crederes intereſſe. ſine ſenſu, ſine ſapore, elinguem, [11] tardum, inhumanum negotium, Cappadocem modò abreptum de grege venalium diceres. Idem domi quàm libidinoſus? quàm impurus? quàm intemperans, non janua receptis, ſed *pſeudothyro* intromiſſis voluptatibus? cùm verò etiam [12] litteras ſtudere incipit, & helluo immanis cum Græculis philoſophari, tum eſt Epicureus, non penitus illi diſciplinæ, quæcumque eſt, deditus: ſed captus uno verbo voluptatis. Habet autem magiſtros non ex iſtis *ineptis*, qui dies totos de officio, ac de virtute diſſerunt: qui ad laborem, ad induſtriam, ad pericula pro patria ſubeunda adhortantur: ſed eos, qui diſputent, HORAM nullam vacuam voluptate eſſe debere: in omni parte corporis ſemper oportere aliquod gaudium, delectationemque verſari. His utitur quaſi præfectis libidinum ſuarum: hi voluptates omneis veſtigant, atque odorantur: hi ſunt conditores, inſtructoreſque convivii: iidem expendunt, atque æſtimant voluptates, ſententiamque dicunt, & judicant, quantum cuique libidini tribuendum eſſe videatur. horum ille artibus eruditus, ita contemſit hanc pudentiſſimam civitatem, ut omneis ſuas libidines, omnia flagitia latere poſſe arbitraretur, ſi modò *vultum importunum* in forum detuliſſet. [13] Is me (quam- 7
quam me quidem non; cognoram enim, propter Piſonum affinitatem, quàm longè hunc ab hoc genere cognatio materna Tranſalpini ſanguinis abſtuliſſet) ſed vos, populumque Rom. non conſilio, neque eloquentia, quod in multis ſæpe accidit, ſed rugis, ſuperciliſque *decepit*. L. Piſo, tune auſus es iſto oculo, non dicam iſto animo: iſta fronte, non vita: tanto ſupercilio, non enim poſſum dicere, tantis rebus

---

1. *Ad omnium libidines.*] Multo iſtud odioſius eſt in Gabinium, vulgato, *ad omnes lib.* reperi id in Pal. nono; Suffridus verò in Turingico.

2. *Quo in magiſtratu.*] Ita Lambinus; neque aliter Pal. nonus. recepta lectio *qui*.

3. *Lenonis impudiciſſimi pedes.*] Eſt à Pall. item Gembl. Ahalæ, S. Vict. libris, epitheton lenonum proprium. ante cuſi *impuriſſimi*.

4. *In concionem adſcendit*] S. Vict. *deſcendit*. unde Gulielmius facit *eſcendit*.

5. *Saluti meæ, pro familiaritate, reipub. pro fortunis, &c.*] Quid ſibi hæc velint, quæro; ait Lambinus. offecerat ei ſcilicet interpunctio vitioſior. eam ſanavimus, immiſſo commate, quod & in aliis editis.

6. *Gratiſſimæ civitatis.*] Sic S. Victoris, & plerique Pall. item edd. vett. dictum autem reſpectu Ciceronis. id ipſum Lambinus, admiſſum priore editione, altera ejecit, reducto, *graviſſimæ*. conſule Turnebum lib. XXIIX. cap. 17.

7. *Præter ſimulatam verſutamque triſtitiam.*] Turnebus d. cap. 17. ait in mſſ. haberi *ſimul. mutamque triſt.* & videtur melius. certè Pall. noſtri, *irritamque*. nonus verò *victamque*.

8. *Non juris ſtudium, non dicendi, non rei militaris, non, &c.*] Miſerabiliter heic multa mutarat Lambinus. nos expreſſimus quod erat in Pall. illo nono, de quorum verborum ſinceritate, neminem dubitare patietur veritas ac ratio. antea ineptè legebamus, *non conſulis ſtudium, non diſcendi initia rei militaris, non, &c.* Turnebus conjecerat, *non conſulendi ſtudium, non dicendi.* admodum dextrè.

9. *Non putares.*] Scripti noſtri ferè omnes, *putares*, aut *putaſti*; non ut hactenus editi, *dubitares*. vult enim eo frontis fuiſſe ſupercilio, ut ignotis facile imponeret. noſtram lectionem probavit & Turnebus d. cap. 17.

10 *Cum ſtipite Æthiope.*] Lectio hæc appensè placet, quidquid dicat Lambinus. quid turpius Æthiope, quid ridiculum præterea magis *ſtipite*? convitium enim eſſe in bardum blennum, &c. notius eſt quam ut doceri debeat.

11. *Tardum, inhumanum negotium, Cappadocem.*] Non potui rejicere Pall. omnium ſcripturam, firmatam ab editione principe, item Ahalæ libro. recentiores exhibent, *neglectum Capp.* ſine omni gratia; quæ pluſculum habitat in altero noſtro; ſed non item cuivis obvia eſt.

12. *Litteras ſtudere.*] Palatini noſtri meliores, item editio prima *litteris*: quod mallem, quamvis ſciam alterum etiam habere ſcriptorum auctoritatem.

13. *Is me (quamquam me quidem non; cognoram enim propter Piſonum affinitatem, &c.*] Ita hunc locum reſtitui, præeuntibus Pall. quibus alludebat item liber S. Victoris; conjeceratque noſter Gulielmius. vetuſtiſſima lectio habebat: *Is me quamquam equidem non cognoveram cum propter, &c.* at vulgata *Is non me (quamquam equidem non cognoram eum propter.)* ex qua meras nugas exſculpſit Lambinus.

 1. Non

rebus geſtis, cum A. Gabinio conſociare conſilia peſtis meæ? non te illius unguentorum odor, non vini anhelitus, [1] non frons calamiſtri notata veſtigiis, in eam cogitationem adducebat, ut, cùm illius re ſimilis fuiſſes, frontis tibi integumento ad occultanda tanta flagitia diutiùs uti non liceret? cum hoc coire auſus es, ut conſularem dignitatem, ut reipubl. ſtatum, ut ſenatus auctoritatem, ut civis optimè meriti fortunas provinciarum fœdere addiceres? te conſule, tuis edictis, & imperiis, ſenatui, populoque Romano non eſt licitum, non modò ſententiis, atque auctoritate ſua, ſed ne luctu quidem, ac veſtitu *reipub. ſubvenire*. Capuæne te putabas, in qua urbe domicilium quondam ſuperbiæ fuit, conſulem eſſe, ſicut eras eo tempore: an Romæ, in qua civitate omnes ante vos conſules ſenatui paruerunt? tu es auſus in Circo Flaminio productus cum tuo illo pari dicere, te ſemper miſericordem fuiſſe? quo verbo ſenatum, atque omneis bonos tum, [2] cùm à patria peſtem depuliſſem, crudeleis demonſtrabas fuiſſe. Tu miſericors me affinem tuum, quum comitiis, prærogativæ primum cuſtodem præfeceras, quem Kalendis Jan. tertio loco ſententiam rogaras, conſtrictum inimicis reipub. tradidiſti: tu meum generum, propinquum tuum: tu affinem tuam, filiam meam, ſuperbiſſimis, & crudeliſſimis verbis à genibus tuis repuliſti: idemque tu clementia, ac miſericordia ſingulari, cùm ego una cum republ. non tribunitio, ſed conſulari ictu concidiſſem, tanto ſcelere, tantaque intemperantia fuiſti, ut ne unam quidem *horam* intereſſe paterere inter meam peſtem, & tuam prædam; ſaltem dum conticeſceret illa lamentatio, & gemitus urbis. [3] Nondum palàm factum erat occidiſſe rempubl. cum tibi arbitraria funeris ſolvebantur. uno, eodemque tempore domus mea diripiebatur, ardebat: bona ad vicinum conſulem de Palatio: de Tuſculano ad item vicinum alterum conſulem deferebantur: cùm, iiſdem operis ſuffragium ferentibus, eodem gladiatore latore, vacuo non modò à bonis, ſed etiam à liberis, atque inani foro, *ignaro* populo Rom. quid ageretur, ſenatu verò oppreſſo, & afflicto, duobus impiis, nefariiſque conſulibus, ærarium, provin-
8 ciæ, legiones, imperia donabantur. Horum conſulum ruinas vos conſules veſtra virtute fulſiſtis; ſumma tribunorum plebis, prætorumque fide, & diligentia [4] ſublevati. Quid ego de præſtantiſſimo viro, T. Annio, dicam? aut quis de tali cive ſatis dignè umquam loquetur? qui cùm videret, ſceleratum civem, aut domeſticum potiùs hoſtem, ſi *legibus* uti liceret, judicio eſſe frangendum: ſin ipſa judicia vis impediret, ac tolleret, audaciam virtute, furorem fortitudine, temeritatem conſilio, [5] manum manu, vim vi eſſe ſuperandam: primò de vi poſtulavit. poſteaquam ab eodem judicia ſublata eſſe vidit: ne ille omnia vi poſſet efficere, curavit: qui docuit, neque tecta, neque templa, neque forum, neque curiam, ſine ſumma virtute, ac maximis opibus, & copiis ab inteſtino latrocinio poſſe defendi: qui primus, poſt meum diſceſſum, [6] metum bonis, ſpem audacibus, timorem huic ordini, ſervitutem depulit civitati. Quam rationem pari virtute, animo, fide, P. Sextius ſecutus, pro mea ſalute, pro veſtra auctoritate, pro ſtatu civitatis, nullas ſibi inimicitias, nullam vim, nullos impetus, nullum vitæ diſcrimen vitandum umquam putavit: qui cauſam ſenatus exagitatam *concionibus* improborum, ſic ſua diligentia multitudini commendavit, ut nihil tam populare, quàm veſtrum nomen: nihil tam omnibus carum aliquando, quàm veſtra auctoritas videretur: qui me cùm omnibus rebus, quibus tribunus pleb. potuit, defendit, tum reliquis officiis, juxta, ac ſi meus *frater* eſſet, ſuſtentavit: cujus ego clientibus, libertis, familia, copiis, litteris ita ſum ſuſtentatus, ut meæ calamitatis non adjutor ſolùm, verùm etiam *ſocius* videretur. Jam ceterorum officia, ſtudia vidiſtis: quàm cupidus mei [7] C. Ceſtilius, quàm ſtudioſus veſtri, quàm non varius fuerit in cauſa. [8] Quid Moſopius? cui ego ipſi, parenti, fratrique ejus, ſentio quantum debeam: qui cùm à me voluntas eorum in privato judicio eſſet offenſa, publici mei beneficii memoria *privatam offenſionem* oblitteraverunt. Jam T. Fadius, qui mihi quæſtor fuit, M. Curtius, cujus ego patri quæſtor fui, ſtudio, amore, animo, huic neceſſitudini non defuerunt. Multa de me [9] C. Meſſius, & amicitiæ, & reipub. cauſa dixit: [10] legem ſeparatim initiò de ſalute mea promulgavit. Q. Fabricius, ſi, quæ de me agere conatus eſt, ea contra vim, & ferrum perficere potuiſſet: menſe Januario noſtrum ſtatum recuperaſſemus. quem ad ſalutem meam voluntas impulit, vis retardavit, auctoritas veſtra revocavit. Jam verò prætores quo animo in me fuerint, vos exiſtimare potuiſtis, cùm L. Cæcilius pri- 9
vatim me ſuis omnibus copiis ſtuduerit ſuſtentare: publicè promulgarit de mea ſalute cum collegis pæne omnibus: direptoribus autem meorum bonorum in jus adeundi poteſtatem non fecerit. M. autem Calidius, ſtatim deſignatus, ſententia ſua, quàm eſſet cara ſibi mea ſalus, declaravit. Omnia officia C. Septimii, Q. Valerii, P. Craſſi, Sex. Quintilii, C. Cornuti, ſumma & in me, & in remp. conſtiterunt. quæ cùm libenter commemoro, tum non invitus nonnullorum in me nefariè commiſſa prætereo. non eſt mei temporis injurias meminiſſe: quas ego etiam ſi ulciſci poſſem, tamen *oblivviſci mallem*. aliò transferenda mea tota vita eſt, ut benè de me meritis referam gratiam: [11] amicitias igne perſpectas tuear: cum apertis hoſtibus bellum geram: timidis amicis ignoſcam: [12] proditoribus meis non indicem dolorem profectionis meæ: defenſores reditus dignitate conſoler. Quòd ſi mihi nullum aliud eſſet officium in omni vita reliquum, niſi ut erga duces ipſos, & principes, atque auctores ſalutis meæ, ſatis gratus judicarer: tamen exiguum reliquæ vitæ tempus non modò ad *referendam*, verùm etiam ad commemorandam gratiam mihi relictum putarem. Quando enim ego huic homini, ac libe-

1. *Non frons calamiſtri notata veſt. &c.*] Sic optimi fere Palatini, nam quidam *torta*. Gulielmius malebat cum Lugdunenſi editione *intorta*. primitus cuſi *calamiſtri inis torta veſtigiis*. noſter nonus, *calamiſtri non notata veſt.*

2. *Cum à patria peſtem depuliſſem.*] Secutus ſum Pal. nonum. vulgati, *expuliſſem*, aut *expellerent*.

3. *Nondum palam factum erat occidiſſe remp.*] Metaphora funebris; de qua diximus in Suſpicionum libellis. ideoque malui *occidiſſe*, cum libris potioribus, quàm ut erat in vulgata *concidiſſe*.

4. *Sublevati.*] Idem etiam Pall. noſtri. vulgati recentiores, *ſublevati eſtis*.

5. *Manum manu, vim vi.*] Pall. aliquot, item Gembl. & Erf. *manum copiis*. quod ſi admittimus, rectius forte fuerit mox *vim viribus*, ut conjicit Gulielmius.

6. *Metum bonis, ſpem audacibus, timorem, &c.*] Hoc κόμμα *ſpem audacibus*, quin γνήσιον ſit nemo dubitabit. exſtat autem in Pal. nono & Turing. nec recedit editio vetus; niſi quod loco *ſpe* ſeriet &c.

7. *C. Ceſtilius.*] Sic Pall. Gembl. S. Vict. vulgo, *Seſtilius*, alias *Sextilius*.

8. *Quid M. Ciſpius.*] Eſt à Pal. nono, nam ceteri, *M. Orſius*; aut verò *Morſius*. *Ciſpii* mentio in Planciana cap. 31. cujus loci memoria, editioni ſuæ iſtud intulerat P. Manutius ejecto vulgato, *Moſopius*; quod & damnat Pighius noſter ad annum U. C. DCXCVI.

9. *C. Meſſius.*] Haud ſecus Pall. noſtri, & Gembl. S. Vict. Erf. non *Meſſinius*, ut vulgò. quem item rejecerat d. loco Pighius.

10. *Legem ſpeciatim de, &c.*] Ita Pall. & Erfurd. non *ſeparatim*, ut hodie legitur.

11. *Amicitias igne perſpectas tuear.*] Clauſulam iſtam tribuunt auctori noſtro Pal. nonus, Erfurd. & S. Victoris, niſi quod illi præferant *digne perſpectas*; hic, *amicitia ſigni perſp.* ex quo elicuit Gulielmius *igni*. ſine dubio verè. ſicque dixit noſter libro II. de Officiis *igne ſpectatus*; qui nulla re ab honeſto deducitur.

12. *Proditoribus meis, &c.*] Sic ſolum Pal. ſec. ac tert. nam Erfurd. item Pal. non. & pr. *proditores meos non judicem: dolorem profectionis meæ, reditus dignitate conſoler*. neque aliter quart. aut oct. niſi quod ii *vindicem*. ſententiæ ſunt bellæ: haud tamen præferam vulgatis, cum Gulielmio, qui videatur Plautina Truculenti cap. 5.

1. *Ter.*

ac liberis ejus, quando omnes mei gratiam referent: quæ memoria, quæ vis ingenii, quæ magnitudo obſervantiæ, tot, tantiſque beneficiis reſpondere poterit? qui mihi primus afflicto, & jacenti conſularem fidem, dexteramque porrexit: qui me à morte ad vitam, à deſperatione ad ſpem, ab exitio ad ſalutem revocavit. qui tanto amore in me, ſtudio in remp. fuit, ut excogitaret, quemadmodum calamitatem meam non modò levaret, ſed etiam honeſtaret. quid enim magnificentius, quid præclarius mihi accidere potuit, quàm quòd, illo petente, vos decreviſtis, ut *cuncti ex omni Italia*, qui remp. ſalvam vellent, ad me unum, hominem fractum, & propè diſſipatum, reſtituendum, & defendendum venirent? ut, qua voce [1] ter omnino poſt Romam conditam conſul uſus eſſet pro univerſa rep. apud eos ſolùm, qui ejus vocem exaudire poſſent: eadem voce ſenatus [2] omnibus agris, atque oppidis, civeis, totamque Ita-
10 liam ad unius ſalutem defendendam excitaret. Quid ego glorioſius meis poſteris potui relinquere, quàm hoc ſenatum judicaſſe, qui civis me non defendiſſet, eum remp. ſalvam noluiſſe? Itaque tantum veſtra auctoritas, tantum eximia conſulis dignitas valuit, [3] ut dedecus & flagitium ſe committere putaret, ſi quis non veniret. Idemque conſul, cùm illa incredibilis multitudo Romam, & pænè Italia ipſa veniſſet, vos frequentiſſimos in Capitolium convocavit. quo tempore quantam vim [4] *naturæ bonitas* haberet, aut vera nobilitas, intelligere potuiſtis. nam Qu. Metellus, & inimicus, & frater inimici, perſpecta veſtra voluntate, omnia privata odia depoſuit: quem P. Servilius, vir cùm clariſſimus, tum verò optimus, mihique amiciſſimus, & auctoritatis, & orationis ſuæ divina quadam gravitate, ad ſui generis, communiſque ſanguinis facta, virtuteſque, revocavit, ut haberet in conſilio & fratrem ab inferis, ſocium rerum mearum, & omneis Metellos, præſtantiſſimos civeis, pænè ex Acheronte excitatos: in quibus Numidicum illum, cujus quondam [5] de patria diſceſſus, honeſtus ipſi, omnibus luctuoſus tandem viſus eſt. [6] Itaque dimittitur non modò ſalutis defenſor, qui ante hoc unum beneficium fuerat inimicus; verùm etiam adſcriptor dignitatis meæ. Quo quidem die [7] cùm CCCCXVII. ex ſenatu eſſetis, magiſtratus autem hi omnes adeſſent, *diſſenſit unus*, is, qui ſua lege conjuratos etiam ab inferis excitandos putarat. Atque illo die, quo remp. meis conſiliis conſervatam graviſſimis verbis, & plurimis judicaſſetis, idem conſul curavit, ut eadem à principibus civitatis in concione, poſtero die, dicerentur: cùm quidem ipſe egit ornatiſſimè cauſam meam, perfecitque, adſtante, atque audiente Italia tota, ut nemo cujuſquam conducti, aut perditi *vocem acerbam*, atque
11 inimicam bonis, poſſet audire. Ad hæc non modò adjumenta ſalutis, ſed etiam ornamenta dignitatis meæ, reliqua vos iidem addidiſtis: decreviſtis, ne quis ulla ratione rem impediret: qui id impediſſet, graviter, moleſteque laturos: illum contra remp. ſalutemque bonorum, concordiamque civium facturum: & [8] ut ad vos ea ſtatim referrentur: meque etiam, ſi diutiùs calumniarentur, redire juſſiſtis. Quid? ut agerentur gratiæ, qui è municipiis veniſſent? quid? ut ad illam diem, res cùm rediſſent, rogarentur, ut pari ſtudio convenirent? [9] Quid denique illo die, quem P. Lentulus mihi, fratrique meo, liberiſque noſtris *natalem* conſtituit, non modò ad noſtram, verùm etiam ad ſempiterni memoriam temporis? quo die nos comitiis centuriatis, quæ maximè majores comitia juſta dici, haberique voluerunt, arceſſivit in patriam: ut eædem centuriæ, quæ me conſulem fecerant, conſulatum meum *comprobarent*. Quo die quis civis fuit, qui fas eſſe putaret, quacumque aut ætate, aut valitudine eſſet, non ſe de ſalute mea ſententiam ferre? quando tantam frequentiam in campo, tantum ſplendorem Italiæ totius, ordinumque omnium: quando illa dignitate rogatores, diribitores, cuſtodeſque vidiſtis? Itaque P. Lentuli beneficio excellenti, atque divino, [10] non reducti ſumus in patriam, ſicut nonnulli clariſſimi cives; ſed equis inſignibus, & curru aurato reportati. Poſſum ego ſatis in Cn. Pompejum umquam gratus videri, qui non ſolùm apud vos, qui omnes idem ſentiebatis, ſed etiam apud univerſum populum Rom. ſalutem reipub. & conſervatam per me, & *conjunctam eſſe cum mea* dixerit? qui cauſam meam prudentibus commendarit, imperitos edocuerit, eodemque tempore improbos auctoritate ſua compreſſerit? bonos excitarit? qui populum Rom. pro me, tanquam pro fratre, aut pro parente, non ſolùm hortatus ſit, verùm etiam obſecrarit? qui ipſe cùm propter metum dimicationis, & ſanguinis, domo ſe teneret, etiam à ſuperioribus tribunis petierit, ut de ſalute mea & promulgarent, & ferrent? qui in colonia nuper conſtituta, cùm ipſe gereret magiſtratum, in qua nemo erat [11] emtus interceſſor, vim & crudelitatem privilegii, auctoritate honeſtiſſimorum hominum, & publicis litteris conſignavit, princepſque, Italiæ totius præſidium ad meam ſalutem implorandum putavit? qui, cùm ipſe mihi ſemper amiciſſimus fuiſſet, etiam ut ſuos *neceſſarios* mihi amicos
redderet, elaborarit? Quibus autem officiis T. Annii be- 12
neficia remunerabor? cujus [12] omnis actio, ratio, cogitatio, totus denique tribunatus, nihil aliud fuit, niſi conſtans, perpetua, fortis, invicta defenſio ſalutis meæ? Quid de P. Sextio loquar? qui ſuam ergà me benivolentiam, & fidem non ſolùm animi dolore, ſed etiam corporis vulneribus oſtendit? Vobis verò, P.C. ſingulis [13] & egi, & agam gratias. univerſis, egi ab initio, quantum potui: ſatis ornatè agere nullo modo poſſum. Et quamquam ſunt in me præcipua merita multorum, quæ ſileri nullo modo poſſunt, tamen hujus temporis ac timoris mei non eſt, conari commemorare beneficia in me ſingulorum. nam difficile eſt, non aliquem; nefas, quemquam præterire. Ego vos univerſos, patres conſcripti, *deorum numero* colere debeo. Sed, ut in ipſis diis immortalibus non ſemper eoſdem, atque aliàs alios ſolemus & venerari, & precari: ſic in hominibus de me divinitus meritis omnis erit ætas mihi ad eorum

1. *Ter omnino poſt Romam conditam.*] Ingenioſe ſic quidem Barn. Briſſonius. de qua emendatione, ne quis ultra dubitet; ſciat exſtare in Erfurd. in Pal. nono, & codice Ahalæ. & ita quoque conjecerat Turnebus lib. XXV. cap. 25.

2. *Omnibus agris atque oppidis.*] Inſinuarat ſe recentioribus edd. *omnibus agris vicis atque oppidis.* ſed vocula illa media, in nullo eſt mſſ. noſtrorum, aut vetuſtius impreſſis.

3. *Ut dedecus & flagitium ſe, &c.*] Integratio hujus loci debita Pal. nono. alluditque S. Vict. in quo *deus flag.* nam ſec. *reus flagitium.* hactenus vulgata, *ut omnis flagitium, &c.*

4. *Naturæ bonitas haberet.*] Lambinus, *vera bonitas hab.* contra mſſ. Pall. omnes, editoſque antiquitus.

5. *De patria diſceſſus, honeſtus ipſi, omnibus luctuoſus tandem viſus eſt.*] Editio prima, *honeſtus omnibus, &c.* quomodo & S. Victoris exemplar & Pall. plerique. nam nonus ille; *diſceſſus moleſtus omnibus; ipſi non luctuoſus quidem eſt viſus.*

6. *Itaque dimittitur non modò ſalutis, &c.*] Eſt ab editione vetuſtiſſima. proba it Gulielmius, intelligebatque poſt orationem Servilii ſoluto Senatu, quem convocarat Lentulus, & quò Metellus inimicus venerat. mſſ. noſtri *dimittit*, niſi quod Pal. nonus *extitit.*

7. *Cum* CCCCXVII. *ex ſenatu eſſetis, magiſtratus autem hi omnes, &c.*] Numerus hic exſtat in Pal. nono habetque item Turingicus, qui præterea ſervabat *ex ſenatu.* conveniebant enim in ſenatum; non ſenatores tantum, ſed & ii quibus ſententiæ dicendæ jus.

8. *Ut ad vos de ea ſtatim referretur.*] Uſitatius iſtud tueturque ſe fide cod. Pal. noni, Erfurd. & Gembl. editi antea; *ut ad vos ea ſtatim referrentur.*

9. *Quid denique illo die, quem, &c.*] Pal. nonus, *ille dies.*

10. *Non reducti ſumus in patriam, ut nonnulli clariſſimi cives.*] Eſt à Pal. ſec. nono & S. Vict. nam vulgo erat, *non ſolum reducti ſumus in patr. ut n. cl. viri.*

11. *Nullus emptus interceſſor.*] Habent iſtud Pal. nonus atque Erfurd. non *interceſſorem*, quod in vulgata.

12. *Omnis actio, ratio, &c.*] Abeſt à libris aliquot, *actio.* non rectè. refellunt enim attributa totidem ſingulis his nominibus adjecta.

13. *Et egi, & ago gratias. univerſis ab initio.*] Ita Pal. non. & Erfurd. diſtinctio præterea eſt à Gulielmio.

1. *Mihi*

rum erga me merita prædicanda, atque recolenda. Hodierno autem die nominatim à me magiſtratibus ſtatui gratias eſſe agendas, & de privatis uni: qui pro ſalute mea municipia, coloniaſque adiſſet, populum Rom. ſupplex obſecraſſet, ſententiam dixiſſet eam, quam vos ſecuti, mihi dignitatem meam reddidiſtis. vos me florentem ſemper ornaſtis: laborantem, mutatione veſtis, & propè luctu veſtro, quoad licuit, defendiſtis. Noſtra memoria ſenatores ne *in ſuis quidem periculis* mutare veſtem ſolebant: in meo periculo ſenatus veſte mutata fuit, quoad licuit per eorum edicta, qui mea pericula non modò ſuo præſidio, ſed etiam veſtra deprecatione nudarunt. Quibus ego rebus objectis, cùm mihi privato confligendum viderem cum eodem exercitu, quem conſul non armis, ſed veſtra au-
13 ctoritate ſuperaram: multa mecum ipſe reputavi. Dixerat in concione conſul, ſe clivi Capitolini pœnas ab equitibus Rom. repetiturum. nominatim alii compellabantur, alii citabantur, alii relegabantur: aditus templorum erant non ſolum præſidiis, & manu, verùm etiam demolitione ſublati. Alter conſul, ut me, & rempub. non modò deſererent, ſed etiam hoſtibus reip. proderent, *pactionibus* eos ſuorum præmiorum obligarat. Erat alius ad portas cum imperio in multos annos, magnoque exercitu: quem ego inimicum mihi fuiſſe non dico: tacuiſſe, cùm diceretur eſſe inimicus, ſcio. Duæ partes eſſe in repub. cùm putarentur: altera me depoſcere, propter inimicitias: altera timidè defendere, propter ſuſpicionem cædis putabatur. Qui autem me depoſcere videbantur, in hoc auxerunt dimicationis metum, quòd numquam inficiando ſuſpicionem hominum, curamque minuerunt. Quare cùm viderem ſenatum ducibus orbatum, me à magiſtratibus partim oppugnatum, partim proditum, partim derelictum: ſervos ſimulatione *collegiorum* nominatim eſſe conſcriptos, copias omneis Catilinæ pænè iiſdem ducibus ad ſpem cædis, & incendiorum eſſe revocatas: Equites Rom. proſcriptionis: municipia, vaſtitatis: omneis, cædis metu eſſe permotos: potui, potui, P. C. multis auctoribus fortiſſimis viris, me vi, armiſque defendere: nec mihi ipſe ille animus idem meus, vobis non incognitus, defuit. ſed videbam, ſi viciſſem præſentem adverſarium, nimiùm multos mihi alios eſſe vincendos. ſi victus eſſem: multis bonis & pro me, & mecum, etiam poſt me eſſe pereundum: tribunitiique ſanguinis ultores, eſſe præſenteis: meæ mortis pœnas, *judicio,*
14 *& poſteritati* reſervari. Nolui, cùm conſul communem ſalutem ſine ferro defendiſſem, meam privatus armis defendere: bonoſque viros lugere malui meas fortunas, quàm ſuis deſperare. ac ſi ſolus eſſem interfectus, mihi turpe: ſi cum multis, reip. funeſtum fore videbatur. Quod ſi mihi æternam eſſe ærumnam propoſitam arbitrarer: morte me ipſe potius, quàm ſempiterno dolore multaſſem. ſed cùm viderem, me non diutiùs, quàm ipſam remp. ex hac urbe abſuturum: neque ego illa exterminata [1] mihi remanendum amplius putavi: & illa, ſimulatque revocata eſt, me ſecum pariter reportavit. Mecum leges, mecum quæſtiones, mecum jura magiſtratuum, mecum ſenatus auctoritas, mecum libertas, mecum etiam *frugum ubertas*, mecum deorum, & hominum ſanctitates omnes, & religiones abfuerunt. Quæ ſi ſemper abeſſent, magis veſtras fortunas lugerem, quàm deſiderarem meas. ſin aliquando revocarentur: intelligebam, mihi cum illis unà eſſe redeundum. Cujus mei ſenſus certiſſimus teſtis eſt hic idem, qui cuſtos capitis fuit, Cn. Plancius, qui, omnibus provincialibus ornamentis, commodiſque depoſitis, totam ſuam quæſturam in me ſuſtentando, & conſervando collocavit. qui ſi mihi quæſtor imperatori fuiſſet: in filii loco fuiſſet. nunc certè erit in parentis, cùm fuerit quæſtor non imperii, ſed doloris mei. Quapropter, patres conſcripti, quoniam in remp. ſum pariter cum repub. reſtitutus: non modò in ea defendenda nihil minuam de libertate mea priſtina, ſed
etiam adaugebo. Etenim, ſi eam tum defendebam, cùm 15
mihi aliquid illa debebat: quid nunc me facere oportet, cùm ego illi *plurimùm debeo*? nam quid eſt, quod animum meum frangere, aut debilitare poſſit, cujus ipſam calamitatem non modò nullius delicti, ſed etiam divinorum in rempub. beneficiorum teſtem eſſe videatis? nam & importata eſt, quia defenderam civitatem: & mea voluntate ſuſcepta eſt, ne à me defenſa reſpub. per eundem me extremum in diſcrimen vocaretur. Pro me non, ut pro P. Popillio, nobiliſſimo homine, adoleſcentes filii, non propinquorum multitudo populum Roman. eſt deprecata, non, ut pro Q. Metello, ſummo & clariſſimo viro, ſpectata jam adoleſcentia filius: non L. & C. Metelli, conſulares, non eorum liberi, non Q. Metellus Nepos, qui tum conſulatum petebat, non Luculli, Servilii, Scipiones, [2] Metellorum filii, flentes, ac ſordidati, populo Rom. ſupplicaverunt: ſed *unus frater*, qui in me pietate, filius; conſiliis, parens; amore, (ut erat) frater inventus eſt: ſqualore & lacrymis, & quotidianis precibus, deſiderium mei nominis renovari, & rerum geſtarum memoriam uſurpari coëgit. qui cùm ſtatuiſſet, niſi per vos me recuperaſſet, eandem ſubire fortunam, atque idem ſibi domicilium & vitæ, & mortis depoſceret: tamen numquam nec magnitudinem negotii, nec ſolitudinem ſuam, nec vim inimicorum, ac tela pertimuit. Alter fuit propugnator mearum fortunarum, & defenſor aſſiduus, ſumma virtute, & pietate, C. Piſo, *gener*: qui minas inimicorum meorum: qui inimicitias affinis mei, propinqui ſui, conſulis: qui Pontum, & Bithyniam quæſtor pro mea ſalute neglexit. Nihil umquam ſenatus de P. Popillio decrevit, numquam in hoc ordine Q. Metelli mentio facta eſt. Tribunitiis ſunt illi rogationibus, interfectis inimicis, denique nulla auctoritate ſenatus, reſtituti; cùm alter eorum ſenatui paruiſſet, alter vim, cædemque fugiſſet. Nam C. quidem Marius, qui hac hominum memoria tertius ante me conſularis, tempeſtate civili expulſus eſt, non modò à ſenatu non eſt reſtitutus: ſed *reditu ſuo* ſenatum cunctum pænè delevit. nulla de illis magiſtratuum conſenſio, nulla ad remp. defendendam populi Rom. convocatio, nullus Italiæ motus, nulla decreta municipiorum, & coloniarum exſtiterunt. Quare cùm me veſtra auctoritas arceſſierit, populus Rom. revocarit, reſp. implorarit, Italia cuncta pænè ſuis *humeris* reportarit: non committam, P. C. ut, cùm ea mihi ſint reſtituta, quæ in poteſtate mea non fuerunt, ea non habeam, quæ ipſe præſtare poſſim, præſertim cùm illa amiſſa recuperarim, *virtutem* & *fidem* numquam amiſerim.

M. TUL-

1. *Mihi remanendum putavi.*] Vox amplius inſerta eſt auctoritate Pal. noni & Erfurd. idem tamen nonus non agnoſcebat dictiunculam *putavi*.

2. *Metellorum filii.*] Manutius Paulus conjicit *Metellarum*, quomodo item fuerat in oratione præcedenti. & abſurdum ſanè Metellas iſtas ſorores Metellis ejuſdem familiæ nuptas fuiſſe; ut obſervat Pighius lib. XIV. Rom. Annalium.

1. Ponti-

M. TULLIUS CICERO PRO DOMO SUA, AD PONTIFICES.

ORATIO VICESIMANONA.

1 CUM multa divinitus, pontifices, à majoribus noſtris inventa, atque inſtituta ſunt: tum nihil præclarius, quàm quòd vos eoſdem & religionibus deorum immortalium, & ſummæ reipubl. præeſſe voluerunt: ut ampliſſimi, & clariſſimi cives remp. bene gerendo; [1] pontifices religiones ſapienter interpretando, remp. conſervarent. Quòd ſi ullo tempore [2] magna cauſa ſacerdotum populi Rom. judicio, ac poteſtate verſata eſt: hæc profectò tanta eſt, ut omnis reipub. dignitas, omnium civium ſalus, vita, libertas, aræ, foci, dii penates, bona, fortunæ, domicilia, veſtræ ſapientiæ, fidei, poteſtatique commiſſa, creditaque eſſe videantur. Vobis hodierno die conſtituendum eſt, utrùm poſthac amenteis, ac perditos magiſtratus improborum, ac ſceleratorum civium præſidio nudare, an etiam deorum immortalium *religione armare* malitis. Nam ſi illa labes, ac flamma reipub. ſuum illum peſtiferum, & funeſtum tribunatum, quem æquitate humana tueri non poteſt, divina religione defenderit: aliæ cæremoniæ nobis erunt, alii antiſtites deorum immortalium, alii interpretes religionum requirendi. ſin autem veſtra auctoritate, ſapientiaque, pontifices, ea, quæ furore improborum in repub. ab aliis oppreſſa, ab aliis deſerta, ab aliis prodita, geſta ſunt, reſcinduntur: erit cauſa, cur conſilium majorum in ampliſſimis viris ad ſacerdotia deligendis, jure, ac meritò laudare poſſimus. Sed, quoniam ille demens, ſi ea, quæ ego per hos dies in ſenatu de rep. ſenſi, vituperaſſet, aliquem ſe aditum ad aureis veſtras eſſe habiturum putavit: omittam ordinem dicendi meum: reſpondebo hominis furioſi non orationi, qua ille uti non poteſt, ſed convicio, cujus exercitationem cùm intolerabili petulantia, tum etiam diuturna *impunitate* munivit.

2 Ac primùm illud à te, homine veſano, ac furioſo, requiro, quæ te tanta pœna tuorum ſcelerum, flagitiorumque vexet, ut hos taleis viros, qui non ſolùm conſiliis ſuis, ſed etiam *ſpecie ipſa*, dignitatem reip. ſuſtinent, quòd ego in ſententia dicenda ſalutem civium cum honore Cn. Pompeii conjunxerim, mihi eſſe iratos, & aliud [3] de ſumma hoc tempore religione ſenſuros, ac me abſente ſenſerint, arbitrere. Fuiſti tu, inquit, apud pontifices ſuperior: ſed jam, [4] quoniam te ad populum contuliſti, ſis inferior, neceſſe eſt. Itane verò? quod in imperita multitudine eſt vitioſiſſimum, *varietas*, & inconſtantia, & crebra, tanquam tempeſtatum, ſic ſententiarum, commutatio, hoc tu ad hos transferas, quos ab inconſtantia gravitas, à libidinoſa ſententia certum & definitum jus religionum, vetuſtas exemplorum, auctoritas litterarum, monumentorumque deterret? Tune es ille, inquit, quo ſenatus carere non potuit? quem boni luxerunt? quem reſp. deſideravit? quo reſtituto, ſenatus auctoritatem reſtitutam putabamus? quam primum adveniens prodidiſti? Nondum de mea ſententia dico. impudentiæ primùm reſpondebo tuæ.

3 Hunc igitur, funeſta reip. *peſtis*, hunc tu civem ferro, & armis, & exercitus terrore, & conſulum ſcelere, & audaciſſimorum hominum minis, ſervorum delectu, obſeſſione templorum, occupatione fori, oppreſſione curiæ, domo, & patria, ne cum improbis boni ferro dimicarent, cedere curaſti, quem à ſenatu, quem à bonis omnibus, quem à cuncta Italia deſideratum, arceſſitum, revocatum, conſervandæ reip. cauſa, confiteris? At enim in ſenatum venire, in capitolium intrare turbulento illo die non debuiſti. Ego verò neque veni, & [5] domo me tenui, quamdiu *turbulentum tempus* fuit: cùm ſervos tuos [6] ad rapinam, ad bonorum cædem paratos, cum illa tua conſceleratorum, ac perditorum manu, armatos, in Capitolium tecum veniſſe conſtabat, quòd cùm mihi nuntiaretur, ſcio me domi manſiſſe, & tibi, & gladiatoribus tuis inſtaurandæ cædis poteſtatem non feciſſe. poſteà quàm mihi nuntiatum eſt, populum Rom. in Capitolium, propter metum, atque inopiam rei frumentariæ, conveniſſe: miniſtros autem ſcelerum tuorum perterritos, partim amiſſis gladiis, partim ereptis, diffugiſſe: veni non ſolùm ſine ullis copiis, ac manu, verùm etiam cum paucis amicis. An ego, cùm P. Lentulus conſul, optimè de me, ac de rep. meritus, cùm Q. Metellus, qui, cùm meus inimicus eſſet, frater tuus, & diſſenſioni noſtræ, & precibus tuis ſalutem, ac dignitatem meam prætuliſſet, me arceſſerent in ſenatum: cùm tanta multitudo civium tam recenti officio ſuo me ad referendam gratiam nominatim vocarent: non venirem, cùm præſertim te jam illinc cum tua fugitivorum manu diſceſſiſſe conſtaret? Hîc tu me etiam cuſtodem, defenſoremque Capitolii, templorumque omnium, hoſtem *Capitolinum* appellare auſus es, quòd, cùm in Capitolio ſenatum duo conſules haberent, eò venirem? UTRUMNE eſt tempus aliquod, quo in ſenatum veniſſe turpe ſit? an res illa talis erat, de qua agebatur, ut rem ipſam repudiare, & eos, qui agebant, condemnare deberem?

4 Primùm dico ſenatoris eſſe boni, ſemper in ſenatum venire: nec cum his ſentio, qui ſtatuunt minùs bonis temporibus in ſenatum ipſi non venire: non intelligentes, hanc ſuam nimiam perſeverantiam, vehementer iis, quorum animum offendere voluerunt, gratam, & jucundam fuiſſe. At enim nonnulli propter timorem, quòd ſe in ſenatu tutò non eſſe arbitrabantur, diſceſſerunt. non reprehendo: nec quæro, fueritne aliquid pertimeſcendum. puto, [7] *ſuo quemque arbitratu timere oportere.* cur ego non timuerim, quæris? quia te illinc abiiſſe conſtabat. Cur, cùm viri boni nonnulli putarint, tutò ſe in ſenatu eſſe non poſſe, ego non idem ſenſerim? Cur, cùm ego me exiſtimaſſem tutò omnino in civitate eſſe [8] non poſſe, illuc irem? an aliis

1. *Pontifices, religiones.*] Sic plerique Pall. nam aliquot habent *religiones religionibus*, omiſſo eo *Pontifices*. vett. edd. *pontifices religiones religiones*. Panthagatus conjecit, *religioſiſſimi religiones*, quod invaſit Lambinus.

2. *Magna cauſa ſacerdotum, &c.*] Ita Pall. & Ahalæ liber nec non S. Victoris, atque editio prima, ſine præpoſitione *in*.

3. *De ſumma hoc tempore religione, &c.*] Pal. nonus *hujus temporis*. quarto utraque vox deeſt.

4. *Quoniam te ad populum contuliſti.*] Lambinus *ad Pompejum*. ſed invitis omnibus mſſ.

5. *Domo me tenui.*] Vulgò *domi*, ſed contra omnes membranas & antiquitus impreſſos.

6. *Ad rapinam, ad bonorum cædem.*] Pal. non. atque Erfurd. *ad impiam prædam*.

7. *Suo quemque arbitratu timere op.*] Haud aliter S.Vict.Ah.Pal. nonus. recepta lectio, *arbitrio ſuo quemque tim.*

8. *Non poſſe, illuc irem?*] P. Manutius è Bargæi mſ. *illo non item?* Erfurd. habet, *illi ſenſerunt*, quod & in Pall. nono; ſed idem etiam habet loco *exiſtimaſſent, ſenſiſſent*.

an aliis licet, & rectè licet, in meo metu ſibi nihil timere: mihi uni neceſſe erit & meam, & aliorum vicem pertimeſcere? An, quia non condemnavi ſententia mea [1] duos conſules, ſum reprehendendus? eos igitur ego potiſſimùm damnare debui, quorum lege perfectum eſt, ne ego indemnatus, atque optimè de rep. meritus, damnatorum pœnam ſuſtinerem? quorum etiam *delicta*, propter eorum egregiam in me conſervando voluntatem, non modò me, ſed omneis bonos ferre oporteret, eorum optimum conſilium ego potiſſimum, per eos in meam priſtinam dignitatem reſtitutus, conſilio repudiarem meo? At quam ſententiam dixi? Primùm eam, quam populi ſermo in animis noſtris jam ante defixerat: deinde eam, quæ erat ſuperioribus diebus agitata in ſenatu: deinde eam, quam ſenatus frequens, tum, cùm mihi eſt aſſenſus, ſecutus eſt: ut neque allata ſit à me res inopinata, ac recens: nec, ſi quod in ſententia vitium eſt: magis ſit ejus, qui dixerit, quàm omnium, qui probarint. At enim liberum ſenatus judicium, propter *metum*, non fuit. Si timuiſſe eos facis, qui diſceſſerunt, concede, non timuiſſe eos, qui remanſerunt: ſin autem ſine iis, qui tum abfuerunt, nihil decerni liberè potuit: cùm omnes adeſſent, cœptum eſt referri de inducendo S. C. Ab univerſo ſenatu reclamatum

5 eſt. Sed quæro, in ipſa ſententia, quoniam princeps ego ſum ejus, atque auctor, quid reprehendatur. Utrùm cauſa capiendi novi conſilii non fuit? an meæ partes in ea cauſa non præcipuæ fuerunt? an aliò potiùs confugiendum fuit? [2] quæ res, quæ cauſa major eſſe, quàm *fames*, potuit? quàm *ſeditio*? quàm conſilia tua, tuorumque: qui, facultate oblata, ad imperitorum animos incitandos, renovaturum te tua illa funeſta latrocinia ob annonæ cauſam putarunt? Frumentum provinciæ frumentariæ partim non habebant; partim in alias terras, credo, propter varietatem venditorum miſerant, partim, quo gratius eſſet, tum, cum in ipſa fame ſubveniſſent, cuſtodiis ſuis clauſum continebant, ut ſubitò novum mitterent. Res erat non in opinione dubia, [3] ſed in præſentia, atque ante oculos propoſito periculo: neque id conjectura proſpiciebamus, ſed jam experti videbamus. nam, cum ingraveſceret annona, ut jam planè inopia, ac fames, non caritas timeretur: concurſus eſt ad [4] templum Concordiæ factus, ſenatum illuc vocante Metello conſule: qui ſi verus fuit, ex *dolore* hominum, & *fame*: certè conſules cauſam ſuſcipere, certè ſenatus aliquid conſilii capere potuit. ſin in cauſa fuit annona, [5] ſeditionis quidem inſtimulator, & concitator tu fuiſti: nonne id agendum nobis omnibus fuit, ut materiem ſubtraheremus furori tuo? Quid, ſi utrumque fuit, & ut fames ſtimularet homines, & tu [6] in hoc ulcere, tanquam unguis, exſiſteres? nonne fuit eo major adhibenda medicina, quæ & illud nativum, & hoc delatum malum ſanare poſſet? Erat igitur & præſens caritas, & futura fames. [7] non eſt ſatis: facta lapidatio eſt. Si ex dolore plebei, nullo incitante: magnum malum. ſi P. Clodii impulſu: uſitatum hominis facinoroſi ſcelus. ſi utrumque, ut & res eſſet ea, quæ ſua ſponte multitudinis animos incitaret, & parati, atque armati ſeditionis duces: videturne ipſa reſp. & conſulis auxilium imploraſſe, & ſenatus fidem? Atqui utrumque fuiſſe perſpicuum eſt, difficultatem annonæ, ſummamque inopiam rei frumentariæ? ut homines non jam diuturnam caritatem, ſed ut famem planè timerent, nemo negat. hanc iſtum, otii & pacis hoſtem, cauſam arrepturum fuiſſe ad incendia, cædem, rapinas, nolo, pontifices, ſuſpicemini, niſi videritis. Qui ſunt homines à Q. Metello, fratre tuo, conſule, in ſenatu palàm nominati, à quibus ille ſe *lapidibus appetitum*, etiam percuſſum eſſe dixit? L. Sergium, & M. Lollium nominavit. Quis eſt iſte Lollius? qui ſine ferro ne nunc quidem tecum eſt: qui, te tribuno pleb. nihil de me dicam, ſed qui Cn. Pompejum interficiendum depopoſcit. Quis eſt Sergius? armiger Catilinæ, ſtipator tui corporis, ſignifer ſeditionis, concitator tabernariorum, damnatus injuriarum, percuſſor, lapidator, fori depopulator, obſeſſor curiæ. His, atque hujuſmodi ducibus, cùm tu in annonæ caritate in conſules, in ſenatum, in bona, fortunaſque locupletium, per cauſam inopum, atque imperitorum, repentinos impetus comparares: cùm tibi ſalus eſſe in otio nulla poſſet: cùm deſperatis ducibus decuriatos, ac deſcriptos haberes exercitus perditorum: nonne providendum ſenatui fuit, ne in hanc tantam materiem ſeditionis iſta funeſta *fax* adhæreſceret? Fuit igitur cauſa capiendi novi conſilii. Videte 6

nunc, fuerintne partes meæ pœnè præcipuæ. Quem tum Sergius ille tuus, quem Lollius, quem ceteræ peſtes in lapidatione illa nominabant? quem annonam præſtare oportere dicebant? nonne me? quid? puerorum illa concurſatio nocturna? num à te ipſo inſtituta, me frumentum flagitabant? Quaſi verò ego aut rei frumentariæ præfuiſſem, aut compreſſum aliquod frumentum tenerem, aut in iſto genere omnino quidquam, aut curatione, aut poteſtate valuiſſem. Sed homo ad cædem imminens, meum nomen [8] operis ediderat, imperitis injecerat. Cum de mea dignitate in templo Jovis Optimi Maximi ſenatus frequentiſſimus, uno iſto diſſentiente, decreviſſet: ſubitò, illo ipſo die, cariſſimam annonam nec-opinata vilitas conſecuta eſt. Erant qui deos immortaleis (id quod ego ſentio) numine ſuo reditum meum dicerent *comprobaſſe*. nonnulli autem illam rem ad illam *rationem*, conjecturamque revocabant, qui, quòd in meo reditu ſpes otii; & concordiæ ſita videbatur, in diſceſſu autem quotidianus ſeditionis timor, jam pæne belli depulſo metu, commutatam annonam dicebant: quæ quia rurſus in meo reditu facta erat durior, à me, cujus adventu fore vilitatem boni viri dictitabant, annona flagitabatur. Ego denique non ſolùm ab operis tuis, 7

impulſu tuo, nominabar, ſed etiam, depulſis, ac diſſipatis tuis copiis, à populo Rom. univerſo, qui tum in Capitolium convenerat, cùm illo die minus valerem, nominatim in ſenatum vocabar. Veni exſpectatus. multis ſententiis jam dictis, rogatus ſum ſententiam. dixi reip. ſaluberrimam, mihi neceſſariam. Petebatur à me frumenti copia, annonæ vilitas; [9] quaſi poſſem aliquid in ea re gerenda: non habebatur. flagitabar bonorum expoſtulatione. improborum convicia ſuſtinere non poteram. delegavi amico locupletiori, non quo illi, ita de me merito, onus illud imponerem (ſuccubuiſſem enim potius ipſe) ſed quia videbam id, quod omnes: quod nos de Cn. Pompejo polliceremur, id illum fide, conſilio, virtute, auctoritate, *felicitate* denique ſua facillimè perfecturum. Itaque, ſive hunc dii immortales

1. *Duo conſules.*] Eſt à Pal. nono & S. Victoris, pro eo quod vulgata, *duos*.

2. *Quæ res, quæ cauſa major, &c.*] Pall. S. Vict. editioque vetus, *fuit? vis. quæ cauſa*.

3. *Sed in præſenti atque ante oculos poſito periculo.*] Nata lectio, ex editione P. Manutii, item veteris Lugdunenſis: hæc enim habet illud *poſito*, illa *præſenti*. at vulgata, *ſed in præſentia atque ante oculos propoſito*; quod idem in mſſ. Pall.

4. *Ad templum Concordiæ.*] Gulielmius habet verbum *templum* pro ſpurio.

5. *Seditionis quidem inſtimulator.*] Cur excluderem iſtud? inventum in Pall. pluribus (nam omnes excutere nimis operoſum) & codice S. Victoris. vulgo *ſtimulator*.

6. *In ulcere unguis.*] S. Victoris, *in viſcere inguen*, quod *inguen* deprehendi item in Pal. nono. nam ceteri fere *ungue*.

7. *Non eſt ſatis: facta lapidatio.*] Idem iſtud quoque in Pall. noſtris, nec non Erf. ac S. Vict. nam vulgata: *inde ſaxis facta lapidatio*: quod ne quidem in antiquis edd. quæ, *inde ſatisfacta lapid.*

8. *Operis ediderat, imperitis injecerat.*] Pall. aliquot *operariis*. at enim nonus *peritis*, ediderat. quod ad obryzam examinabunt otioſiores. Gulielmius conjiciebat, *obæratis*.

9. *Quaſi poſſem aliquid in ea re gerenda: non habebatur.*] Ita omnis lectio eſa. at ſcripti Pall. *non debebatur*. unde aliquando conjiciebam: *annona debebatur*. ſed ab hac ſcriptura recedit Pal. nonus, in quo ſine *quaſi* illo: *poſſem aliquod mea regere accuſatione habebatur*. S. Vict. item, *poſſem aliquid in ea re generatio non habebatur*. in Pal. octavo extat vulgata, ſed à recenti manu emendatum, *bærebatur*, adnotatumque *dubitabatur*.

1. *Rem*

mortales fructum mei reditus populo Rom. tribuunt, ut, quemadmodum diſceſſu meo frugum inopia, fames, vaſtitas, cædes, incendia, rapinæ, ſcelerum impunitas, fuga, formido, diſcordia fuiſſet: ſic reditu meo ubertas agrorum, frugum copia, ſpes otii, tranquillitas animorum, judicia, leges, concordia populi, ſenatus auctoritas, mecum ſimul reducta videantur: ſive egomet aliquid adventu meo, conſilio, auctoritate, diligentia pro tanto beneficio populi Rom. præſtare debui: præſto, promitto, ſpondeo: nihil dico amplius: hoc, quod ſatis eſt huic tempori, dico, rempub. annonæ nomine, in id diſcrimen, quò vocaba-
8 tur, non eſſe venturam. Num igitur in hoc officio, quod fuit præcipuè meum, ſententia mea reprehenditur? [1] Rem maximam eripui è peſte ſummi periculi, non ſolum eam, ſed etiam vos à cæde, incendiis, vaſtitate: nemo negat: cùm ad cauſam caritatis accederet iſte *ſpeculator* communium miſeriarum, qui ſemper in reip. malis, ſceleris ſui faceis inflammarit. Negat oportuiſſe quidquam uni extra ordinem decerni. Non jam tibi ſic reſpondebo, ut ceteris: Gn. Pompejo plurima, periculoſiſſima, maxima, terra, marique bella extra ordinem eſſe commiſſa: quarum rerum ſi quem pœniteat, eum victoriæ populi Rom. pœnitere. non ita tecum ago. cum his hæc à me haberi oratio poteſt, qui ita diſputant, ſe, ſi qua res ad unum deferenda ſit, ad Cn. Pompejum delaturos potiſſimùm: ſed ſe *extra ordinem* nihil cuiquam dare: cùm Pompejo datum ſit, id ſe pro dignitate hominis ornare, ac tueri ſolere. Horum ego ſententiam ne laudem, impedior Cn. Pompeji triumphis, quibus ille, cùm eſſet extra ordinem ad patriam defendendam vocatus, auxit nomen populi Rom. imperiumque honeſtavit: conſtantiam probo, qua mihi quoque utendum fuit, quo ille auctore extra ordinem bellum cum Mithridate, Tigraneque geſſit. Sed cum illis tamen poſſum aliquid diſputare: tua verò quæ tanta impudentia eſt, ut audeas dicere, extra ordinem dari nihil cuiquam oportere? qui cùm lege nefaria Ptolemæum, regem Cypri, fratrem regis Alexandrini, eodem jure regnantem, *cauſa incognita*, publicaſſes, populumque Rom. ſcelere obligaſſes: cùm in ejus regnum, bona, fortunas, [2] patrocinium hujus imperii immiſiſſes, cujus cum patre, avo, majoribus ſocietas nobis, & amicitia fuiſſet: hujus pecuniæ deportandæ, & ſi quis ſuum jus defenderet, bello gerendo, M. Catonem præfeciſti. Dices, Quem virum? Sanctiſſimum, prudentiſſimum, fortiſſimum, amiciſſimum reipub. virtute, conſilio, ratione, vita, mirabili ad laudem, & propè ſingulari. Sed quid ad te, qui negas eſſe verum, quem-
9 quam ulli reipublicæ extra ordinem præfici? Atque in hoc ſolùm inconſtantiam redarguo tuam: qui in ipſo Catone, [3] quem tu non pro illius dignitate produxeras, ſed pro tuo ſcelere *ſubduxeras*; quem tuis Sergiis, Lolliis, Titiis, ceteriſque, cædis, & incendiorum ducibus, objeceras: quem carnificem civium, quem indemnatorum necis principem, quem crudelitatis auctorem fuiſſe dixeras: ad hunc, honorem, & imperium, extra ordinem nominatim rogatione tua detuliſti: & tanta fuiſti intemperantia, ut illius tui ſceleris rationem occultare non poſſes. Litteras in concione recitaſti: quas tibi à C. Cæſare miſſas diceres. CÆSAR PULCHRO: cùm etiam es argumentatus, amoris eſſe hoc ſignum, cùm nominibus tantum uteretur, neque adſcriberet, PROCONSUL, aut TRIBUNO PL. deinde gratulari tibi, [4] quod idem in poſterum M. Catonem tribunatu tuo removiſſes, & quòd idem in poſterum de extraordinariis poteſtatibus libertatem ademiſſes. quas aut numquam tibi ille litteras miſit: aut, ſi miſit, *in concione recitari* noluit: aut, ſive ille miſit, ſive tu finxiſti: certè conſilium tuum de Catonis honore, illarum litterarum recitatione patefactum eſt Sed omitto Catonem, cujus eximia virtus, dignitas, & in eo negotio, quod geſſit, fides, & continentia, tegere videntur improbitatem & legis, & actionis tuæ. [5] quis provinciam homini poſt homines natos turpiſſimo, ſceleratiſſimo, contaminatiſſimo: quis illam opimam, fertilemque Syriam, quis bellum pacatiſſimis gentibus, quis pecuniam ad emendos agros conſtitutam, [6] ereptam vi ex Cæſaris rebus actis, quis *imperium infinitum* dedit? Cui quidem cum Ciliciam dediſſes, mutaſti pactionem, & Ciliciam ad prætorem item extra ordinem tranſtuliſti: Gabinio, pretio amplificato, Syriam nominatim dediſti. Quid? homini tæterrimo, crudeliſſimo, fallaciſſimo, omnium ſcelerum, libidinumque maculis notatiſſimo, L. Piſoni, nonne nominatim *populos liberos*, multis ſenatuſconſultis, etiam [7] recenti lege ſoceri ipſius liberatos, vinctos, & conſtrictos tradidiſti? nonne, cùm ab eo merces tui beneficii, pretiumque provinciæ, meo ſanguine tibi eſſet perſolutum, tamen ærarium cum eo partitus es? Itane verò? tu provincias conſulareis, quas C. Gracchus, qui unus maximè popularis fuit, non modò non abſtulit ab ſenatu, ſed etiam, ut neceſſe eſſet quotannis [8] conſtitui per ſenatum, decreta lege ſanxit: eas lege Sempronia per ſenatum decretas, reſcidiſti? *extra ordinem*, ſine ſorte, nominatim dediſti, non conſulibus, ſed reipub. peſtibus? nos, quod nominatim rei maximæ pænè jam deſperatæ, ſummum virum ſæpe ad extrema reipub. diſcrimina delectum, præfecimus, à te reprehendemur? Quid tan- 10
dem? ſi, quæ tum illis reipub. tenebris, cæciſque nubibus, & procellis, cùm ſenatum à gubernaculis dejeciſſes, populum è navi exturbaſſes, ipſe archipirata cum grege prædonum impuriſſimo *pleniſſimis velis* navigares: ſi, quæ tum promulgaſti, conſtituiſti, promiſiſti, vendidiſti, perferre potuiſſes, qui locus in orbe terrarum vacuus extraordinariis faſcibus, atque imperio Clodiano fuiſſet? Sed excitatus aliquando Cn. Pompeii (dicam ipſo audiente, quod ſenſi, & ſentio, quoquo animo me auditurus eſt) excitatus, inquam, aliquando Cn. Pompeji nimium diu reconditus, & penitus abſtruſus animi dolor, ſubvenit ſubitò reipub. civitatemque fractam malis, mutam, debilitatam, abjectam metu, ad aliquem ſpem libertatis, & priſtinæ dignitatis *erexit*. Hic vir extra ordinem rei frumentariæ præficiendus non fuit? Scilicet tu [9] heluoni ſpurciſſimo, prægustatori libidinum tuarum, homini egentiſſimo, & facinoroſiſſimo [10] Sex. Clodio, ſocio tui ſanguinis, qui ſua lingua

1. *Rem maximam eripui è peſte ſummi periculi, non ſolum eam, ſed etiam vos.*] Pall. ferè *à peſte.* at nonus: *Rem maximam fuiſſe ſuum periculum non ſolum eam, ſed etiam à cæde, &c.* S. Vict. *Rem maximam potuiſſe ſummi periculi, non ſolum e.e me, ſed etiam à cæde.* Gulielmius tentabat, *po. fuiſſe & ſummi periculi, non ſolum jam me ſed, &c.*

2. *Patrocinium hujus imperii, &c.*] Reduxi lectionem veterum editionum, & omnium Pall. item Gembl. & S. Victoris recentior enim *latrocinium.* voce duriore forſan quam uti debuerit Cicero Romæ ad Senatores populi Rom.

3. *Quem tu non pro illius dignitate produxeras.*] Pal. nonus, *quem tu meo produxeras pro illius dig.* editio prima, *quem tu non modo pro ill. &c.* quod mutat Gulielmius in, *quem tu non domo.* producebantur enim magiſtratus uſque ad portam à familiaribus neceſſariiſque imprimis, quorum lege aut ſuffragatione provenerant.

4. *Quod idem in poſterum M. Catonem.*] Illud, *idem in poſterum* irreptitium arbitratur Gulielmius, ex membro ſtatim ſequenti, ubi præterea cuperet legi, *& quod eidem in poſterum.*

5. *Quis provinciam homini poſt, &c.*] Lectio minus proba: neque enim dictio *provinciam*, viſitur in olim excuſis, in quibus: *Quid homini poſt*, neque aliter Pall. niſi quod ii, *quod homini*, iſthæc annectentes ſuperioribus. ſolus tertius habet: *Quis hominum poſt, &c.*

6. *Ereptam vi ex Cæſaris rebus actis.*] Pall. omnes & S. Victoris, *ereptam ex vi Cæſaris.* an fuit, *ereptam ex Sex. Cæſaris.*

7. *Recenti lege ſoceri ipſius.*] Lambinus *generi*, ex conjectura Paſſeratii, ſed non reſpondentibus mſſ.

8 *C nſtitui per ſenatum, decreta lege ſanxit.*] Lambinus *decretas*, ſubintellige provincias, inquit, libris omnibus invitis.

9. *Heluoni ſpurciſſimo.*] Lambinus ex lectione S. Victoris facit *impuratiſſimo.* Gulielmius *ſpurcatiſſimo*, & propius literas, & flagitio ejus convenientius.

10. *Sex Clodio, &c.*] Pal. nonus *Delio.* voluit fortè *Clælio*, quod in S. Victoris codice, ſicque ſemper heic invenit in melioribus mſſ. Suffridus noſter.

 1. *Non*

lingua etiam ſororem tuam à te abalienavit, omne frumentum privatum, & publicum, omneis provincias frumentarias, omneis mancipes, omneis horreorum claveis lege tua tradidiſti. qua ex re primùm *caritas* nata eſt: deinde inopia: impendebat fames, incendia, cædes, direptio: imminebat tuus furor omnium fortunis, & bonis. Queritur etiam importuna peſtis, ex ore impuriſſimo Sex. Clodii rem frumentariam eſſe ereptam, ſummiſque in periculis, ejus viri auxilium imploraſſe remp. à quo ſæpe ſe & ſervatam, & amplificatam eſſe meminiſſet. Extra ordinem ferri nihil placet Clodio. Quid? de me quod tuliſſe te dicis, patricida, fratricida, ſororicida, nonne extra ordinem tuliſti? An de peſte civis, quemadmodum omnes jam dii, atque homines judicaverunt, conſervatoris reipub. quemadmodum autem tute ipſe confiteris, non modò indemnati, ſed *ne accuſati quidem*, licuit tibi ferre non legem, ſed nefarium privilegium, lugente ſenatu, mœrentibus bonis omnibus, totius Italiæ precibus repudiatis, oppreſſa, captaque repub.: mihi, populo Rom. implorante, ſenatu poſcente, temporibus reipub. flagitantibus, [1] non licuit de ſalute populi Roman. ſententiam dicere? Qua quidem in ſententia, ſi Cn. Pompeii dignitas aucta eſt, conjuncta cum utilitate communi, certè laudandus eſſem, ſi ejus dignitati ſuffragatus viderer, qui meæ ſaluti opem, & auxilium tu-
11 liſſet. Deſinant, deſinant homines iiſdem machinis ſperare me reſtitutum poſſe labefactari, quibus anteà ſtantem perculerunt. Quod enim *par amicitiæ* conſularis fuit umquam in hac civitate conjunctius, quàm fuimus inter nos, ego, & Cn. Pompejus? quis apud populum Rom. [2] de illius dignitate induſtriùs, quis ſenatui ſæpius dixit? qui tantus fuit labor, quæ ſimultas, quæ contentio, quam ego non pro illius dignitate ſuſceperim? qui ab illo in me honos, quæ prædicatio de mea laude, quæ remuneratio benivolentiæ prætermiſſa eſt? Hanc noſtram conjunctionem, hanc conſpirationem in repub. bene gerenda, hanc jucundiſſimam vitæ, atque officiorum omnium ſocietatem, certi homines *fictis ſermonibus*, & falſis criminibus diremerunt: cùm iidem illum, ut me metueret, me caveret, monerent: iidem apud me, mihi illum eſſe uni inimiciſſimum, dicerent: ut neque ego, ab illo quæ mihi petenda eſſent, ſatis audaciter petere poſſem: neque ille, tot ſuſpicionibus certorum hominum, & ſcelere exulceratus, quæ meum tempus poſtularet, ſatis prolixè mihi polliceretur. Data merces eſt erroris mei magna, pontifices, ut me non ſolùm pigeat ſtultitiæ meæ, ſed etiam pudeat: qui, cum me non repentinum aliquod meum tempus, ſed veteres multo antè ſuſcepti, & proviſi labores, cum viro fortiſſimo, & clariſſimo conjunxiſſent, ſim paſſus à tali amicitia diſtrahi: neque intellexerim, quibus aut ut *apertis inimicis* obſiſterem, aut ut *inſidioſis amicis* non crederem. Proinde deſinant aliquando me iiſdem inflammare verbis: Quid ſibi iſte vult? neſcit, quantùm auctoritate valeat, quas res geſſerit, qua dignitate ſit reſtitutus. cur ornat eum à quo deſertus eſt? Ego verò neque me tum deſertum puto, ſed pænè deditum: nec, quæ ſint in illa reip. flamma geſta contra me, neque quomodo, neque per quos, patefaciundum mihi eſſe arbitror. Si utile reip. fuit, haurire me *unum pro omnibus* illam indigniſſimam calamitatem: etiam hoc utile ſit, quorum id ſcelere conflatum ſit, me occultare, & tacere. Illud verò eſt hominis ingrati, tacere. Itaque libentiſſimè prædicabo, Cn. Pompejum ſtudio, & auctoritate æquè, ut unumquemque veſtrûm, opibus, contentione, precibus, periculis denique, præcipuè pro ſalute
mea laboraſſe. Hic tuis, P. Lentule, cum tu nihil aliud 12
dies, & noctes, niſi de ſalute mea cogitares, conſiliis omnibus interfuit: hic tibi graviſſimus auctor ad inſtituendam, fideliſſimus ſocius ad comparandam, fortiſſimus adjutor ad rem perficiendam fuit: hic municipia, coloniaſque adiit: hic Italiæ totius auxilium cupientis imploravit: hic in ſenatu princeps ſententiæ fuit: idemque cum dixiſſet, tum etiam pro ſalute mea populum Rom. obſecravit. Quare iſtam orationem, qua es uſus, omittas licet: poſt illam ſententiam, quam dixeram de annona, pontificum animos eſſe mutatos: perinde, quaſi iſti aut de Cn. Pompejo aliter, atque ego exiſtimo, ſentiant: aut, quid mihi pro exſpectatione populi Rom. pro Cn. Pompeii meritis erga me, pro ratione mei temporis faciendum fuerit, ignorent: aut etiam, ſi cujus fortè pontificis animum, quod certò ſcio aliter eſſe, mea ſententia offendit, alio modo ſit conſtituturus, aut de religione [3] pontificum, aut de repub. quàm eum aut cæremoniarum jus, aut *civitatis ſalus* coëgerit. Intelligo, pontifices, me plura extra cauſam dixiſſe, quàm aut opinio tulerit, aut voluntas mea: ſed cum me purgatum vobis eſſe cuperem, tum etiam veſtra in me attentè audiendo benignitas provexit orationem meam. Sed hoc compenſabo brevitate ejus orationis, quæ pertinet ad ipſam cognitionem veſtram: quæ cùm ſit in jus religionis, & in jus reipub. diſtributa, religionis partem, quæ multo eſt verboſior, prætermittens, de jure reipub. dicam. Quid eſt enim aut tam arrogans, quàm de religione, de rebus divinis, cæremoniis, ſacris, pontificum collegium *docere* conari: aut tam ſtultum, quàm, ſi quis quid in veſtris libris invenerit, id narrare vobis: aut tam curioſum, quàm ea ſcire velle, de quibus majores noſtri vos ſolos & conſuli, & ſcire voluerunt? Nego potuiſſe jure publico, le- 13
gibus iis, quibus hæc civitas utitur, quemquam civem ulla ejuſmodi calamitate affici, *ſine judicio*: hoc juris in hac civitate, etiam tum, cùm reges eſſent, dico fuiſſe: hoc nobis eſſe à majoribus traditum: hoc eſſe denique proprium liberæ civitatis, UT NIHIL DE capite civis, aut de bonis, ſine judicio ſenatus, aut populi, aut eorum, qui de quaque re conſtituti judices ſint, detrahi poſſit. [4] Videſne me non radicitus evellere omneis actiones tuas? neque illud agere, quod apertum eſt, te omnino nihil geſſiſſe jure, non fuiſſe tribunum pleb.? [5] hoc dico, eſſe parricidium: dico apud pontifices: augures adſunt: verſor in medio jure publico. Quod eſt, pontifices, *jus adoptionis*? nempe ut is adoptet, qui neque procreare jam liberos poſſit, &, cùm potuerit, ſit expertus. Quæ deinde cauſa cuique ſit adoptionis, quæ ratio generum, ac dignitatis, quæ ſacrorum, quæri à Pontificum collegio ſolet. Quid eſt horum in iſta adoptione quæſitum? Adoptat annos viginti natus, etiam minor, ſenatorem. Liberorumne cauſa? At procreare poteſt. habet uxorem: [6] ſuſcepit etiam liberos: exheredabit igitur pater filium. Quid? ſacra Clodiæ gentis cur intereunt, quod in te eſt? quæ omnis notio pontificum, cum adoptarere, eſſe debuit. Niſi fortè ex te ita quæſitum eſt, num perturbare rempublicam ſeditionibus velles: & ob eam cauſam [7] adoptari, non ut filius eſſes, ſed ut tribunus plebis fieres, & funditus everteres civitatem. Reſpondiſti,

1. *Non licuit de ſalute populi Rom. dicere ſententiam.*] Gemblacenſis, *ſalute publicam dicere ſent.* ut appareat reſcribendum, dempta litera, *publica.*

2. *De illius dignitate induſtrius.*] P. Manutius ac Lambinus *illuſtrius*, ſed non ſuffragantur libri editi ſcriptive.

3. *Pontificum aut de republ. quàm eum, &c.*] Locus minimè integer. nam editio vetus & Pall. *pontificis, aut de rep. cujuſquam.* neque aliter S. Vict. quam quod is *pontifices*, quod etiam in nono. adeo ut videatur reſcribendum cum Gulielmio, *aut de religione pontifices, aut de republ. cives.* ſententia ſimillima illi, quam initio ſtatim libri poſuit.

4. *Videſne me non radicitus, &c.*] Lambinus ſuſtulit negativam, nolentibus libris; & ſtatim pro *neque illud*, reſcribit, *me illud.* non male ſi licet auctori adfingere quod libet.

5. *Hoc dico eſſe patricium.*] Placet magis quod habet Pal. nonus, *eſſe patricium*, ejecto illo, *hoc dico.*

6. *Suſcepit etiam liberos. exheredabit.*] Ed. vet. item Pal. o. *exheredarit.* quod reſpondet priori clauſulæ: quæ tamen ſic habetur in Pal. nono atque Erfurd. *ſuſcipiet ex ea liberos.* quod forſan verius.

7. *Adoptari, non ut filius eſſes.*] S. Vict. & Pal. nonus, *optari, non ut ejus filius eſſes.* forſan rectius.

1. Nil

ſpondiſti, credo, te ita velle. Pontificibus bona cauſa viſa eſt: approbaverunt. non *ætas* ejus, qui adoptabat, quæſita eſt, ut in Cn. Aufidio, M. Puppio: quorum uterque noſtra memoria, ſumma ſenectute, alter Oreſtem, alter Piſonem adoptavit. quas adoptiones, ſicut alias innumerabileis, hereditates nominis, pecuniæ ſacrorum ſecutæ ſunt. Tu neque Fontejus es, qui eſſe debebas: neque patris heres: neque, amiſſis ſacris paternis, in hæc adoptiva veniſti. Ita perturbatis ſacris, contaminatis gentibus, & quam deſeruiſti, & quam polluiſti, jure Quiritium legitimo tutelarum, & hereditatum relicto, factus es ejus filius contra
14 fas, cujus per ætatem *pater eſſe* potuiſti. Dico apud pontifices. nego, iſtam adoptionem pontificio jure eſſe factam: primùm, quòd hæ veſtræ ſint ætates, ut is, qui te adoptavit, vel filii tibi loco per ætatem eſſe potuerit; [1] vel eo quo fuit. deinde quod cauſa quæri ſoleat adoptandi, ut & is adoptet, qui, quod *natura* jam aſſequi non poteſt, & legitimo, & pontificio jure quærat: & ita adoptet, ut nequid aut de dignitate generum, aut de ſacrorum religione minuatur. illud in primis, nequa calumnia, nequa fraus, nequis dolus adhibeatur: [2] ut hæc ſimulata adoptio filii, quàm maximè *veritatem* illam ſuſcipiendorum liberorum imitata eſſe videatur. Quæ major calumnia eſt, quàm [3] venire imberbum adoleſcentulum, bene valentem, ac maritum: dicere, filium ſenatorem populi Romani ſibi velle adoptare: id autem ſcire, & videre omneis, non ut ille filius inſtituatur, ſed ut è patriciis exeat, & tribunus plebis fieri poſſit, idcirco adoptari? neque id obſcurè. nam adoptatum *emancipari* ſtatim, ne ſit ejus filius, qui adoptarit. [4] Cur ergo adoptatur? probate genus adoptionis. jam omnium ſacra interierint, quorum cuſtodes vos eſſe debetis, *patricius* nemo relinquetur. cur enim quiſquam vellet tribunum plebis ſe fieri non licere? anguſtiorem ſibi eſſe petitionem conſulatus? in ſacerdotium cùm poſſit venire, quia patricio non ſit locus, non venire? Ut cuique aliquid acciderit, quare commodius ſit eſſe plebejum, ſimili ratione adoptabitur. [5] ita populus Romanus brevi tempore, neque regem ſacrorum, neque flamines, nec ſalios habebit, nec ex parte dimidia reliquos ſacerdotes: neque auctores centuriatorum, & curiatorum comitiorum: auſpiciaque populi Romani, ſi magiſtratus patricii creati non ſint, intereant neceſſe eſt, cùm interrex nullus ſit, quòd & ipſum, patricium eſſe, & à patricio prodi neceſſe eſt. Dixi apud pontifices, iſtam adoptionem nullo decreto hujus collegii probatam, contra omne pontificium jus factam, pro nihilo eſſe habendam: qua ſublata, intelligis, totum
15 tribunatum tuum concidiſſe. Venio ad augures. quorum ego libros, ſi qui ſunt reconditi, non ſcrutor: non ſum in exquirendo jure augurum *curioſus*. hæc, quæ unà cùm populo didici, quæ ſæpe in concionibus reſponſa ſunt, novi. Negant fas eſſe *agi cum populo*, cùm de cælo ſervatum ſit. Quo die de te lex curiata lata eſſe dicatur, audes negare de cælo eſſe ſervatum? Adeſt præſens vir ſingulari virtute, conſtantia, gravitate præditus, M. Bibulus. hunc conſulem illo ipſo die contendo ſervaſſe de cælo. [6] Infirma ſunt igitur, tua ſententia, acta C. Cæſaris, viri fortiſſimi? Minimè. neque enim mea jam quidquam intereſt, exceptis his telis, quæ ex illius actionibus in meum corpus immiſſa ſunt. Sed hæc de auſpiciis, quæ ego nunc perbreviter attingo, acta ſunt à te. tu, tuo præcipitante jam, & debilitato tribunatu, auſpiciorum patronus ſubitò exſtitiſti: tu M. Bibulum in concionem, tu augures produxiſti. te interrogante augures reſponderunt, cùm de cælo ſervatum ſit, cum populo agi non poſſe. tibi M. Bibulus quærenti, ſe de cælo ſervaſſe reſpondit: idemque in concione dixit, ab Appio, fratre tuo, productus, te omnino, quòd contra auſpicia adoptatus eſſes, tribunum plebis non fuiſſe. Tua denique omnis actio poſterioribus menſibus fuit: omnia, quæ C. Cæſar egiſſet, quæ contra auſpicia eſſent acta, per ſenatum reſcindi oportere. quod ſi fieret, dicebas te tuis humeris me cuſtodem urbis in urbem relaturum. Videte hominis amentiam, ubi per ſuum tribunatum Cæſaris actis illigatus teneretur. Si & ſacrorum jure pontifices, & auſpiciorum religione augures totum evertunt tribunatum tuum, quid quæris amplius? an etiam apertiùs aliquod jus populi, atque legum? [7] Hora fortaſſe ſexta dici queſtus 16
ſum in judicio, cùm C. Antonium, collegam meum defenderem, quædam de republica, quæ mihi viſa ſunt, ad illius miſeri cauſam pertinere. hæc homines improbi ad quoſdam viros forteis *longè aliter*, atque à me dicta erant, detulerunt. Hora nona, illo ipſe die, tu es adoptatus. Si, quod in ceteris legibus trinûm nundinûm eſſe oportet, id in adoptione ſatis eſt, trium eſſe horarum: nihil reprehendo. ſin eadem obſervanda ſunt: decrevit ſenatus, M. Druſi legibus, QUÆ CONTRA legem Cæciliam, & Didiam latæ eſſent, populum non teneri. Jam intelligis, omni genere juris, quod in ſacris, quod in auſpiciis, quod in legibus ſit, te tribunum plebis non fuiſſe? Atque ego hoc totum non ſine cauſa relinquo. video enim quoſdam clariſſimos viros, principes civitatis, aliquot locis judicaſſe, te cum plebe jure agere potuiſſe: qui etiam de me ipſo, cum tua rogatione *funere* elatam rempub. eſſe dicerent, tamen id funus, etſi miſerum, atque acerbum fuiſſet, jure indictum eſſe dicebant. quod de me civi, ac de repub. bene merito tuliſſes, funeſtum funus te indixiſſe reipublicæ: quod ſalvis auſpiciis tuliſſes, jure egiſſe dicebant. Quare licebit, ut opinor, nobis eas actiones non infirmare, quibus illi actionibus conſtitutum tribunatum tuum comprobaverunt. Fueris ſanè tribunus plebis tam jure, quàm lege, quam fuit hic ipſe Rullus, vir omnibus rebus clariſſimus, atque ampliſſimus: quo jure, quo more, quo exemplo legem nominatim *de capite civis indemnati* tuliſti? Vetant leges ſacratæ, vetant XII. tabulæ, [8] leges privatis ho-
minibus irrogari: id eſt enim *privilegium*. nemo umquam 17
tulit: nihil eſt crudelius, nihil pernicioſius, nihil, quod minus hæc civitas ferre poſſit. Proſcriptionis miſerrimum nomen illud, & omnis acerbitas Sullani temporis, quid habet, quod maximè ſit inſigne ad memoriam crudelitatis? opinor, pœnam in civeis Romanos nominatim *ſine judicio* conſtitutam. Hanc vos igitur, pontifices, judicio, atque auctoritate veſtra tribuno plebis poteſtatem dabitis, ut proſcribere poſſit, quos velit? quæro enim, quid ſit aliud proſcribere. VELITIS, JUBEATIS, UT M. TULLIUS IN CIVITATE NE SIT, BONAQUE EJUS UT MEA SINT. Ita enim fecit, etſi aliis verbis tulit. Hoc plebeiſcitum eſt? hæc lex? hæc rogatio eſt? hoc vos pati poteſtis? hoc ferre civitas, ut ſinguli cives ſingulis verſiculis è civitate tollantur? Equidem jam perfunctus ſum: nullam vim, nullum impetum

1. *Vel eo quo fuit.*] Quadrigulam hanc verborum redono Ciceronianis, auctoritate omnium librorum, antiquitus editorum ac mſſ. niſi quod illi habebant. *quod.* & ſignificat ſanè iſtis, loco Ganymedis fuiſſe Clodio Fontejum.

2. *Ut hæc ſimulata adoptio filii.*] Pal. nonus & Gembl. *aditio.* S. Victoris *adjectio.* quod eſſet *adlectio:* utrumque præponendum vulgato.

3. *Venire imberbum.*] Ita laudat Cariſius libro I. non ut hodie vulgatur *imberbem.* ſed tamen an de hoc loco Tullii ſenſerit neſcio. itaque viderit Lambinus, an iſtud heic potiſſimum intrudi debuerit.

4. *Cur ergo adoptatur.*] Videntur à gloſſa. certè nihil habent quo firment ſententiam. variantque libri. nam Pal. nonus legit *adoptabatur?* S. Vict. *adoptabat.* ceteri *adoptat?*

5. *Ita populus Rom.*] Recentiores *itaque*, ſed præter ætatis priſcæ editiones, omneſque mſſ.

6. *Infirma ſunt igitur tua ſententia, acta C. Cæſaris.*] Vox *ſententia*, non eſt a libris vetuſte cuſis, nedum plutearis noſtris. itaque vide num tollendum veniat pronomen, *tua*, an aliud quid ſub eo lateat.

7. *Hora fortaſſe ſexta dici.*] *Fortaſſe* eſt, circiter, plus minus: nihil auctoribus vulgatius, & tamen ecce, Lambinus præter libros emendat, *Hora circiter ſexta.*

8. *Leges privatis hominibus irrogare.*] Malè Lambinus *privatas.* melius Scaliger Joſephus apud Feſtum in *Privos*, *privis hominibus*: ſequentia enim ita legendum clare evincunt.

impetum metuo: explevi animos invidorum: placavi odia improborum: ſaturavi etiam perfidiam, & ſcelus proditorum: denique de mea cauſa, quæ videbatur perditis civibus ad invidiam eſſe propoſita, jam omnes urbes, omnes ordines, omnes dii, atque homines *judicaverunt*. Vobiſmetipſis, pontifices, & veſtris liberis, ceteriſque civibus, pro veſtra auctoritate, & ſapientia conſulere debetis. nam, cùm tam moderata judicia populi ſint à majoribus conſtituta: primùm, ut ne pœna capitis *cum pecunia* conjungatur: deinde [1] ne, niſi prodicta die, quis accuſetur: [2] ut ter antè magiſtratus accuſet, intermiſſa die, quam multam irroget, aut judicet: quarta ſit accuſatio trinûm nundinûm prodicta die, qua die judicium ſit futurum: tum multa etiam ad placandum, atque ad miſericordiam *reis conceſſa* ſunt: deinde exorabilis populus, facilis ſuffragatio pro ſalute: denique etiam ſi qua res illum diem aut auſpiciis, aut excuſatione ſuſtulit: tota cauſa judicium-
18 que ſublatum eſt. Hæc cum ita ſint in re, ubi crimen eſt? ubi accuſator? ubi teſtes? QUID INDIGNIUS, quàm, qui neque adeſſe ſit juſſus, neque citatus, neque accuſatus, de ejus capite, liberis, fortunis omnibus, conductos, & ſicarios, egenteis, & perditos ſuffragium ferre, & eam legem putare? At, ſi hoc de me potuit, quem honos, quem dignitas, quem cauſa, quem reſpublica tuebatur, cujus denique *pecunia* non expetebatur, cui nihil oberat præter converſionem ſtatus, & inclinationem communium temporum: quid tandem futurum eſt iis, quorum vita remota ab honore populari, & ab hac illuſtri gratia eſt: pecuniæ autem tantæ ſunt, ut eas nimium multi, egentes, ſumtuoſi, nobileis concupiſcant? Date hanc tribuno plebis licentiam, & intuemini pauliſper animis *juventutem*, & eos maximè, qui imminere jam cupiditate videntur in tribunitiam poteſtatem: collegia, medius fidius, tribunorum plebis tota reperientur, hoc jure firmato, quæ coëant de hominum locupletiſſimorum bonis, præda præſertim populari, & ſpe largitionis oblata. At quid tulit legum ſcriptor peritus, & callidus? VELITIS, JUBEATIS, UT M. TULLIO AQUA, ET IGNI INTERDICATUR? crudele, nefarium, ne in ſceleratiſſimo quidem civi ſine judicio ferundum. Non tulit, ut interdicatur. quid ergo? ut interdictum ſit. O cœnum, ô portentum, ô ſcelus! hanc tibi legem Clodius ſcripſit, [3] ſpurciorem lingua ſua, ut interdictum ſit, cui non ſit interdictum? Sexte noſter [4] bona venia, quoniam jam dialecticus, & hoc quoque ligurris: quod factum non eſt, ut ſit factum, ferri ad populum, aut verbis ullis ſanciri, aut ſuffragiis confirmari poteſt? Hoc tu ſcriptore, hoc conſiliario, hoc miniſtro, omnium non bipedum ſolùm, ſed etiam quadrupedum impuriſſimo, rempublicam perdidiſti. neque tu eras tam excors, tamque demens, ut neſcires hunc Clodium eſſe, qui contra leges faceret: alios, qui leges ſcribere ſolerent. ſed neque eorum, neque ceterorum, in quibus eſſet, aliquid modeſtiæ, cujuſquam tibi poteſtas fuit: neque tu legum ſcriptoribus iiſdem potuiſti uti, quibus ceteri, neque operum architectis: neque pontificem adhibere quem velles: poſtremò ne in prædæ quidem ſocietate mancipem, aut prædæ ſocium, extra tuorum gladiatorum numerum: [5] aut denique ſuffragii latorem in iſta tua proſcriptione quemquam, niſi *furem*, *aut ſicarium*, reperire potuiſti. Itaque cum tu florens, ac potens 19
[6] per medium forum popularis volitares: amici illi tui, te uno amico tecti, & beati, qui ſe populo commiſerant, ità repellebantur, ut etiam Palatinam tuam perderent. qui in judicium venerant: ſive accuſatores erant, ſive rei: te deprecante damnabantur. denique etiam ille [7] novitius Ligur, venalis adſcriptor, & ſubſcriptor tuus, cum M. Papirii, ſui fratris, eſſet teſtamento, & judicio improbatus, mortem ejus ſe velle perſequi dixit: nomen Sexti Propertii detulit. accuſare alienæ damnationis, ſceleriſque ſocios, propter *calumniæ* metum, non eſt auſus. De hac igitur lege dicimus, quæ jure rogata videatur: cujus quam quiſque partem tetigit, digito, voce, præda, ſuffragio: quocumque venit, repudiatus, convictuſque diſceſſit. Quid, ſi iis verbis ſcripta eſt iſta proſcriptio, ut ſe ipſa diſſolvat? eſt enim, QUOD M. TULLIUS FALSUM SENATUSCONSULTUM RETULERIT. Si igitur retulit falſum ſenatuſconſultum, tum eſt rogatio: ſi non retulit, nulla eſt. Satiſne tibi videtur à ſenatu judicatum, me non modò non ementitum eſſe auctoritatem ejus ordinis, ſed etiam unum poſt urbem conditam diligentiſſimè ſenatui paruiſſe? Quot modis doceo, legem iſtam, quam vocas, non eſſe legem? Quid, ſi etiam pluribus de rebus *uno ſortitu* retuliſti? tamenne arbitraris, id, quod [8] M. Druſus in legibus ſuis pleriſque, bonus ille vir, M. Scaurus, & L. Craſſus conſularis non obtinuerint, id te poſſe, omnium facinorum, & ſtuprorum omnium Decumis, & Clodiis auctoribus obtinere? Tuliſti de me, ne reciperet, non ut exirem: quem tu ipſe non poteras dicere non licere eſſe Romæ. Quid enim diceres: damnatum? certè non. 20
expulſum? quî licuit? ſed tamen ne id quidem eſt ſcriptum, ut exirem? pœna eſt, *qui receperit*: quam omnes neglexerunt. ejectio nuſquam eſt. Verùm ſit. quid? operum publicorum exactio: quid? nominis inſcriptio, tibi num aliud videtur eſſe, ac meorum bonorum *direptio*: præterquàm quòd ne id quidem per legem Liciniam, ut ipſe tibi curationem ferres, facere potuiſti? Quid hoc ipſum, quod nunc apud pontifices agis, te meam domum conſecraſſe, te monumentum feciſſe, in meis ædibus te ſignum dedicaſſe, eaque te ex una *rogatiuncula* feciſſe: unum, & idem videtur eſſe, atque id, quod de me ipſo nominatim tuliſti? Tam hercule eſt unum, quàm quod idem tu lege una tuliſti: ut Cyprius rex, cujus majores huic populo ſocii, atque amici ſemper fuerunt, cum bonis omnibus ſub præcone ſubjiceretur, & exſules Byzantium reducerentur. Eidem, inquit, utraque de re negotium dedi. ſed quid, ſi eidem negotium dediſſes, ut in Aſia Ciſtophorum flagitaret, inde iret in Hiſpaniam: cùm Roma deceſſiſſet, conſulatum ei petere liceret: cùm factus eſſet, provinciam Syriam obtineret? quoniam de uno homine ſcriberes, una res eſſet? Quòd ſi jam populus Romanus de iſta re *conſultus* eſſet, & non omnia per ſervos, latroneſque geſſiſſes, nonne fieri poterat, ut populo de Cyprio rege placeret, de exſulibus Byzantinis diſpliceret? Quæ eſt quaſi alia vis, quæ ſententia Cæciliæ legis, & Didiæ, niſi hæc, ne populo neceſſe ſit in *conjunctis rebus* compluribus, aut id, quod nolit, accipere,

1. *Ne niſi prodicta die.*] Victorina, *prædicta*: quod eodem redit, at enim vetus editio, & Pall. plures. *ne promdicta die.* nonus ſolum. deinde *promdicta die* S. Vict. *ne in prædicta die.*

2. *Ut ter ante magiſtratus accuſet.*] Lambinus; *mag. citet*, tanquam id ratio & veritas probet. contra omnes libros; ideoque inepte. Ald. Nepos edidit; *tertiò ut ante mag. accuſet.* nimis profectò licentioſe. ſed cum Augiæ ſtabulo mihi res fuerit, ſi criticorum produxero tantas correctiones omnes.

3. *Spurciorem lingua ſua.*] Offendi in aliquot mſſ. *ſpurciciorem*, quod antiquariis forte non diſplicebit.

4. *Bona venia, quoniam jam dialecticus, & hoc quoque ligurris.*] Ita Palatini ſex, non ut vulgata, *bona venia dic, quoniam dial. es, & hoc quoque Liguris.* & verò binas illas voculas eſſe a Criticis, produnt & edd. primæ, quæ eas non habent.

5. *Aut denique ſuffragii latorem.*] Pal. nonus *ſuffragatorem*. unde adblanditur ſcriptio codicis S. Victorii *ſuffragulatorem*.

6. *Per medium forum popularis volitaris.*] Lectio minus vera. nam Pall. & S. Victor. *per medium ſcortum populare volitares.* quod admiſit Lambinus, ſed præterea recepit illud *forum*. præter ullos libros. nam & editi vetuſtè; *per medium ſortitum popularem vol.*

7. *Novitius Ligur.*] Nihilo pejus Gembl. ac Pal. nonus, *Ligus*; qua terminatione & alibi uſus.

8. *M. Druſus in legibus ſuis pleriſque, bonus ille vir, M. Scaurus, & L. Craſſus conſularis non obtinuerint.*] Examinet quæſo critica natio ſcripturam hanc. Pal. pr. & ſec. *tuis pleriſque in bonis ille vir M. Scauro, & L. Craſſo Coſſ. non obtinuerit.* ſenſus ſane inde reſultat egregius reformato *tuis* in *ſuis*. rejectoque *ille vir*. ut bina faciat legum genera Druſi; bona, & mala. ne in bonis quidem inquit obtinuit quæ voluit, anno quo conſul erat Scaurus, anno quo Craſſus. inſpexi obiter Faſtos; ſed nihil ſtatim ultrò occurrit.

1. *Tibi*

accipere, aut id, quod velit, repudiare? Quid, ſi per vim tuliſti? tamenne lex eſt? aut quidquam jure geſtum videri poteſt, quod per vim geſtum eſſe conſtet? an, ſi in ipſa latione tua, capta jam urbe, lapides jacti, ſi manus collata non eſt, idcircò tu ad illam labem, atque eluviem civitatis, ſine
21 ſumma vi pervenire potuiſti? Cùm in tribunali Aurelio conſcribebas palàm non modò liberos, ſed etiam ſervos, ex omnibus vicis concitatos, vim tum videlicet non parabas. cùm edictis tuis *tabernas claudi* jubebas, non vim imperitæ multitudinis: ſed hominum honeſtorum modeſtiam, prudentiamque quærebas. cùm arma in ædem Caſtoris comportabas, nihil aliud, niſi uti ne quid per vim agi poſſet, machinabare. cùm verò gradus Caſtoris convelliſti, ac removiſti: tum, ut modeſtè tibi agere liceret, homines audaceis ab ejus templi aditu, atque adſcenſu repuliſti. cùm eos, qui in conventu virorum bonorum verba de ſalute mea fecerant, adeſſe juſſiſti, eorumque advocationem, manibus, ferro, lapidibus diſcuſſiſti: tum profectò oſtendiſti, vim tibi maximè *diſplicere*. Verum hæc furioſa vis veſani tribuni plebis facilè ſuperari, frangique potuit virorum bonorum vel virtute, vel multitudine. Quid? cùm Gabinio Syria dabatur, Macedonia Piſoni, utrique infinitum imperium, ingens pecunia, ut tibi omnia permitterent, te adjuvarent, tibi manum, copias, [1] tibi ſuos paratos centuriones, tibi pecunias, tibi familias compararent: te ſuis ſceleratis concionibus ſublevarent, ſenatus auctoritatem irriderent, equitibus Romanis mortem, proſcriptionemque minitarentur: me terrerent minis: mihi cædem & dimicationem denuntiarent: meam domum, refertam viris bonis, [2] per amicos ſuos complerent: proſcriptionis metu me frequentia nudarent virorum bonorum, me præſidio ſpoliarent: ſenatum pro me non modò pugnare, ampliſſimum ordinem; ſed etiam plorare, & ſupplicare, mu-
22 tata veſte, prohiberent: ne tum quidem *vis* erat? Quid igitur ego geſſi, aut qui timor fuit? non dicam in me: fac me timidum eſſe natura: quid? illa tot virorum fortiſſimorum millia: [3] quid? noſtri equites Romani: quid? ſenatus: quid? denique omnes boni, ſi nulla erat vis, cur me flentes potiùs proſecuti ſunt, quàm aut increpantes retinuerunt, aut irati reliquerunt? An hoc timebam, ſi mecum ageretur *more, inſtitutoque majorum*, ut poſſem præſens ſuſtinere? Utrum ſi dies dicta eſſet, judicium mihi fuit pertimeſcendum: an ſine judicio privilegium? judicium in cauſa tam turpi? ſcilicet is homo ſum, qui etiam ſi cauſa eſſet ignota, dicendo non poſſem explicare. an eam cauſam probare non poteram, cujus tanta bonitas eſt, ut ea ipſa non modò ſe, [4] ſed etiam *me abſentem* probarit? an ſenatus, an ordines ii, qui cuncta ex Italia ad me revocandum convolaverunt, ſegniores me præſente ad me retinendum, & conſervandum fuiſſent in ea cauſa, quam ipſe jam parricida talem dicat fuiſſe, ut me ab omnibus ad meam priſtinam dignitatem exſpectatum, atque revocatum queratur? An verò in judicio periculi nihil fuit: privilegium pertimui, ne, mihi præſenti ſi multa irrogaretur, nemo intercederet? Tam inops autem ego eram ab *amicis*, aut tam nuda reſpublica à magiſtratibus? Quid? ſi vocatæ tribus eſſent, proſcriptionem non dicam in me, ita de ſua ſalute merito, ſed omnino in ullo civi comprobaviſſent? An, ſi ego præſens fuiſſem, veteres illæ copiæ conjuratorum, tuique perditi milites, atque egentes, & nova vis ſceleratiſſimorum conſulum corpori meo pepercisſent? qui cùm eorum omnium crudelitati, ſcelerique ceſſiſſem, ne abſens quidem luctu meo menteis illorum *ſatiare*
potui. Quid enim vos uxor mea miſera violarat? quam 23
vexaviſtis, raptaviſtis, omni crudelitate laceraviſtis. quid mea filia? cujus fletus aſſiduus, ſordeſque lugubres, vobis erant jucundæ, ceterorum omnium menteis, oculoſque flectebant: quid parvus filius? quem, quamdiu abfui, nemo niſi lacrymantem, confectumque vidit: quid fecerat, quòd eum toties per inſidias interficere voluiſtis? Quid frater meus? qui cùm aliquanto poſt meum diſceſſum ex provincia veniſſet, neque ſibi vivendum, niſi me reſtituto, putaret, cum ejus mœror, ſqualor incredibilis, & inauditus, omnibus mortalibus miſerabilis videretur: quoties ex veſtro ferro, ac manibus eſt elapſus? Sed quid ego veſtram crudelitatem expromo, quam in ipſum me, ac meos adhibuiſtis: [5] qui *parietibus*, qui tectis, qui columnis, ac poſtibus meis [6] horrificum quoddam, & nefarium, omni imbutum odio bellum intuliſtis? non enim te arbitror, cùm poſt meum diſceſſum, omnium locupletium fortunas, omnium provinciarum fructus; tetrarcharum, ac regum bona, ſpe & avaritia *devoraſſes*, argenti, & ſupellectilis meæ cupiditate eſſe cæcatum: non exiſtimo, Campanum illum conſulem cum ſaltatore collega, cum alteri totam Achaiam, Theſſaliam, Bœotiam, Græciam, Macedoniam, omnemque barbariam, bona civium Romanorum condonaſſes: alteri Syriam, Babylonem, Perſas, integerrimas, pacatiſſimaſque genteis *ad diripiendum* tradidiſſes: illos tam cupidos liminum meorum, & columnarum, & valvarum fuiſſe. Neque porrò illa manus, copiæque Catilinæ, [7] cæmentis, ac teſtis tectorum meorum ſe famem ſuam expleturas putaverunt. Sed, ut hoſtium urbes, [8] nec omnium hoſtium, verùm eorum, [9] quibuſcum acerbum bellum, inteſtinumque ſuſcepimus, non *præda* adducti, ſed *odio* [10] ſolemus excipere, quòd, in quos propter eorum crudelitatem, inflammatæ mentes noſtræ fuerunt, cum horum etiam tectis, ac ſedibus reſidere ali-
quando bellum ſemper videtur: * * Nihil erat latum de 24
me; non adeſſe eram juſſus; [11] non citatus. abfueram: eram etiam tuo judicio civis incolumis, cùm domus in Palatio, villa in Tuſculano, altera ad alterum conſulem, transferebatur: [12] ſenatuſconſulta volabant: columnæ marmoreæ ex ædibus meis, inſpectante populo Romano, [13] ad ſocerum conſulis portabantur: in fundum autem vicini conſulis

1. *Tibi ſuos ſperatos centuriones, &c.*] Eſt à Gemblacenſi S. Vict. & Pal. nono, fateturque eod. modo ſcriptum in ſuis Lambinus, qui ridicule inde facit *ſparatos*. eos enim innuit quos ſe in Syriam educturum ſperabat, aves concoloreis ſcilicet.

2. *Per amicos ſuos complerent.*] Uti fieret, quod de domo Anci, ut diſpari planè habitaretur domino. ego nihil muto, ſecutus mſſ. Pall. meliores.

3. *Quid? noſtri equites Rom. &c.*] Haud aliter quoque S. Vict. & Pall. primores, recepta lectio, *quid? illi equi, illi equites Romani*, ridiculè præter edd. vett.

4. *Sed etiam me abſentem probarit.*] Vulgò amplius, *abſentem per ſe prob.* quas voculas abjeci ſuaſu Pal. nonus. alia heic molitur Lambinus, ſed ſine mſſ. miſer.

5. *Qui parietibus, qui tectis, &c.*] S. Victoris præmittit, *his qui parietibus.* Videndum, an ſub aſpectum Oratoris cadere poterat aliquid ſuorum, eo loci ubi perorabat.

6. *Horrificum quoddam.*] S. Vict. Pal. nonus ad oram primi, *hoſtificum.* quod nolim mutare cum Lambino in aliud quid, ſi præcedere debet vulgatam.

7. *Cæmentis ac teſtis tectorum meorum.*] Vetus editio habebat *tectis*, itaque recepi *teſtis*: quod erat in Pal. nono, in Erfurd. in S. Victoris. recentius cuſi ſubſtituerunt *tegulæ*, quod in nullo eſt Pall. qui mediam oſtentant lectionem.

8. *Nec omnium hoſtium.*] Forte legendum *nec communem hoſtium*, quod reſtat in Pal. nono, admiſſa præterea altera ſcriptura; *ſic nec communium omnium vel hoſtium, &c.*

9. *Quibuſcum acerbum bellum inteſtinumque.*] Vox *inteſtinumque* non agnoſcit idem nonus, habetque *quiſcum* utrumque placet.

10. *Solemus excipere.*] Repoſui quod erat in omn. Pall. & edd. vett. Vulgata *excidere*. Lambinus *exſcindere*.

11. *Non citatus. abfueram.*] Sic diſtinguendum ac legendum ex S. Victoris, in quo *afueram*; quod ab aliis male mutatum in *affueram*, quomodo edd. vett. & mſſ. plerique, recentiores enim, *non citatus fueram.*

12. *Senatuſconſulta volebant.*] Exhibui quod erat in Erfurd. neque abit Pal. nonus, quàm quod is *Senatus conſ. volabant*. Pall. alii, *Senatus conſules vocabant.* vetuſte cuſi, *Senatus conſules vocabant*, poſterius, *Senatum Conſules vetabant.*

13. *Ad ſocerum Conſulis.*] Lambinus, *ſocrum*: neſcio quàm vere, certe ſoceri hujus ſupra meminit cap. 9.

1. Nam

conſulis [1] non inſtrumentum, aut ornamenta villæ, ſed etiam arbores transferebantur: cum ipſa villa non prædæ cupiditate (quid enim erat prædæ?) ſed *odio*, *& crudelitate* funditus everteretur. domus ardebat in palatio non fortuito, ſed oblato incendio: conſules epulabantur, & in conjuratorum gratulatione verſabantur, cùm alter ſe Catilinæ delicias, alter Cethegi conſobrinum fuiſſe diceret. Hanc ego vim, pontifices, hoc ſcelus, hunc furorem meo corpore oppoſito, ab omnium bonorum cervicibus depuli, omnemque impetum diſcordiarum, omnem diu collectam vim improborum, quæ inveterata, compreſſo odio, atque tacito, jam erumpebat, [2] nacta tam audaceis duces, excepi meo corpore. in me uno conſulares faces jactæ manibus tribunitiis: in me omnia, quæ ego quondam retuderam, conjurationis nefaria tela adhæſerunt. Quòd ſi, ut multis fortiſſimis viris placuit, vi & armis contra vim decertare voluiſſem: aut *viciſſem* cum magna internicione improborum, ſed tamen civium: aut, interfectis bonis omnibus, quod illis optatiſſimum erat, unà cum republica *concidiſſem*. Videbam, vivo ſenatu, populoque Romano celerem mihi ſumma cum dignitate reditum: nec intelligebam fieri diutiùs poſſe, ut mihi non liceret eſſe in ea republica, quam ipſe ſervaſſem. quòd ſi non liceret: audieram, & legeram, clariſſimos noſtræ civitatis viros, ſe in medios hoſteis ad perſpicuam mortem pro *ſalute* exercitus injeciſſe. ego pro ſalute reipublicæ univerſæ [3] dubitarem hoc meliore conditione eſſe, quàm Decii? quòd illi ne auditores quidem ſuæ gloriæ, ego etiam ſpectator meæ laudis eſſe potuiſſem. [4] Itaque infractus furor tuus, inaneis faciebat impetus. omnem enim vim omnium ſceleratorum acerbitas mei caſus exceperat. non erat in tam im-

25 mani injuria, tantiſque ruinis novæ crudelitati locus. [5] Cato fuerat proximus. quid ageres? non erat, ut qui modus moribus fuerat, idem eſſet injuriæ. quid? poſſes extrudere ad Cypriam pecuniam. præda perierit. alia non deerit: hunc modò amandandum eſſe. Sic M. Cato, inviſus, quaſi *per beneficium*, Cyprum relegatur. ejiciuntur duo, quos improbi videre non poterant: alter per honorem turpiſſimum: alter per honeſtiſſimam calamitatem. Atque ut ſciatis, non hominibus iſtum, ſed virtutibus hoſtem ſemper fuiſſe: me expulſo, Catone amandato, in eum ipſum ſe convertit, quo *auctore*, quo adjutore, in concionibus, ea, quæ gerebat, omnia, quæque geſſerat, [6] ſe feciſſe, & facere dicebat. Cn. Pompejum, quem omnium judicio longè principem eſſe civitatis videbat, diutiùs furori ſuo veniam daturum non arbitrabatur. qui ex ejus cuſtodia, per inſidias regis amici filium, hoſtem, captivum, ſurripuiſſet, & ea injuria virum fortiſſimum laceſſiſſet: ſperavit iiſdem ſe copiis cum illo poſſe confligere, quibuſcum ego noluiſſem, bonorum periculo, dimicare: & primò quidem, adjutoribus conſulibus: poſtea fregit fœdus Gabinius: Piſo tamen in fide manſit. Quas iſte tum cædeis, quas lapidationes, quas fugas fecerit: quàm facilè ferro, quotidianiſque inſidiis, cùm jam à firmiſſimo robore copiarum ſuarum relictus eſſet, Cn. Pompejum foro, curiaque privarit, domumque conjecerit, vidiſtis. ex quo judicare poteſtis, quanta vis illa fuerit oriens, & *congregata*, cùm hæc Cn. Pompejum terruerit jam diſtracta, & exſtincta.

26 Hoc vidit in ſententia [7] dicenda Kalendis Januariis vir prudentiſſimus, & cùm reipublicæ, tum mihi, tum etiam veritati amiciſſimus, L. Cotta, qui legem de meo reditu ferendam non cenſuit: qui me conſuluiſſe reipubl. ceſſiſſe *tempeſtati*: amiciorem vobis, ceteriſque civibus, quàm mihi, ac meis exſtitiſſe: vi, armis, diſſenſione hominum ad cædem inſtituta, novoque dominatu pulſum eſſe dixit: nihil de meo capite potuiſſe ferri: [8] nihil eſſe inſcriptum, aut poſſe valere: omnia contra leges, moreſque majorum temerè, turbulente, per vim, per furorem eſſe geſta. quòd ſi illa lex eſſet, nec referre ad ſenatum conſules, nec ſententiam dicere ſibi licere: quorum utrumque cùm fieret, non oportere, ut de me lex ferretur, decerni: ne illa, quæ nulla eſſet, eſſe lex judicaretur. Sententia verior, gravior, utilior, melior reipublicæ nulla eſſe potuit. hominis enim ſcelere, & furore notato, ſimilis à republica labes in poſterum demovebatur. Neque hoc Cn. Pompejus, qui ornatiſſimam de me ſententiam dixit, voſque, pontifices, qui me veſtris ſententiis, auctoritatibuſque defendiſtis, non vidiſtis, illam eſſe nullam, atque eſſe potiùs *flammam temporis*, interdictum ſceleris, vocem furoris: ſed proſpexiſtis, nequa popularis in vos aliquando invidia redundaret, ſi ſine populi judicio reſtituti videremur. eodemque conſilio, M. Bibuli, fortiſſimi viri, ſenatus ſententiam ſecutus eſt, ut vos de mea domo ſtatueretis: non quòd dubitaret, quin ab iſto nihil legibus, nihil religionibus, nihil jure eſſet actum: ſed nequis oriretur aliquando in tanta *ubertate* improborum, qui in meis ædibus aliquam religionem reſidere diceret. nam legem quidem iſtam, nullam eſſe, quotieſcumque de me ſenatus ſententiam dixit, toties judicavit: quoniam quidem ſcripto illo iſtius, ſententiam dicere vetabatur. Atque hanc rem par illud ſimile, Piſo, & Gabinius, vidit. Homines legum, judiciorumque metuentes, cùm frequentiſſimus ſenatus eos, ut de me referrent, quotidie flagitaret, non ſe rem improbare dicebant, ſed *lege* iſtius impediri. Erat hoc verum. nam impediebantur, verùm ea lege, quam idem iſte de Macedonia, Syriaque tulerat. Hanc tu P. Lentule, neque pri- 27

vatus, neque conſul legem eſſe umquam putaſti. nam tribunis plebis referentibus, ſententiam de me deſignatus conſul ſæpe dixiſti: ex Kalendis Januariis, quoad perfecta res eſt, de me retuliſti, legem promulgaſti, tuliſti: quorum tibi, ſi eſſet illa lex, nihil liceret. At etiam Q. Metellus, collega tuus, vir clariſſimus, quam legem eſſe homines alieniſſimi à P. Clodio, judicarant, Piſo & Gabinius, eam nullam eſſe frater P. Clodii, cùm de me ad ſenatum tecum unà retulit, judicavit. Sed iſti, qui Clodii leges timuerunt, quemadmodum ceteras obſervarunt? Senatus quidem, cujus eſt graviſſimum judicium de jure legum, quotieſcumque de me conſultus eſt, toties eam *nullam eſſe* judicavit. quod idem tu, Lentule, vidiſti in ea lege, quam de me tuliſti. nam non eſt ita latum, ut mihi Romam venire liceret, ſed ut venirem. non enim voluiſti, id, quod licebat, ferre, ut liceret: ſed me ita eſſe in republica, magis ut arceſſitus imperio populi Romani viderer, quàm ad adminiſtrandam civitatem reſtitutus. Hunc tu etiam, portentuoſa peſtis, exſulem appellare auſus es, cùm tantis ſceleribus eſſes, & factis notatus, ut omnem locum, quò adiſſes, exſilii ſimillimum redderes? quid eſt enim *exſul*? ipſum per ſe nomen, *calamitatis*, non *turpitudinis*. Quando igitur eſt turpe? re vera, quando eſt pœna peccati: opinione autem hominum, etiam ſi eſt pœna

1. *Non inſtrumentum aut ornamenta.*] Ita ad unum omnes Pall. S. Vict. edd. antiquæ. nam multeæ; *non modo inſtrumentum.*

2. *Nacta tam audaceis duces.*] Emendatio manavit a Mureto libro VI. Var. lect. cap. 19. nec recedit Pal. nonus, quàm quod is, *nactam audacis ducis.* Vulgata, *in actum tam audaceis duc.*

3. *Dubitarem hoc meliore conditione eſſe quam Decii?*] Diſtinctio à me eſt. Lambinus non ſe expedit ſine mutatione vocis.

4. *Itaque infractus furor tuus inaneis faciebat impetus.*] Sic Pall. omn. ſententia non incommoda. ſed cùm in veterrima exſtaret ed. *furor tuus immanis, faciebat ipſe impetus.* mutabat id Gulielmius in, *ſatiſciebat ipſe impetus.*

5. *Cato fuerat proximus, &c.*] Adhæſimus mſſ. noſtris Pall. quibus paria fere faciebant vetuſtius cuſa exemplaria, Lambinus multa admiſcuit quorum nihil exſtat in noſtris. ſed & Henrici Stephani mſ. mihi heic nimium quàm ſuſpectus eſt.

6. *Se feciſſe & facere.*] Pal. nonus & S. Vict. liber, *ſe effeciſſe.* facit inde Gulielmius *ſe & feciſſe, & facere.*

7. *Dicenda Kal. Januariis.*] Pal. nonus & Erfurd. *dicenda* III. *Kal. Januar.* & verum videtur.

8. *Nihil eſſe in ſcriptum, &c.*] Potior forſan ſcriptura eorundem, *proſcriptum.* nam Lambiniani *jure ſcriptum*, non eſt a libris.

1. Neque

pœna damnati. Utrum igitur peccato meo exſulis nomen ſubeo, an re judicata? Peccato? Jam neque tu id dicere audes, quem iſti ſatellites tui *felicem Catilinam* nominant, [1] neque quiſquam eorum, qui ſolebant. non modò jam nemo eſt tam imperitus, qui ea, quæ geſſi in conſulatu, peccata eſſe dicat: ſed nemo eſt tam inimicus patriæ, qui
28 non meis conſiliis patriam conſervatam eſſe fateatur. Quod enim eſt in terris commune tantum, tantulumve conſilium, quod non de meis rebus geſtis ea, quæ mihi eſſent optatiſſima, & pulcherrima, judicarit? [2] Summum eſt populi Romani, populorumque, & gentium omnium, ac regum conſilium, ſenatus. decrevit, ut omnes, qui rempublicam ſalvam eſſe vellent, ad me unum defendendum venirent: oſtenditque, nec ſtare potuiſſe rempublicam, [3] ſi ego non fuiſſem, nec futuram eſſe ullam, ſi non rediiſſem. Proximus eſt huic dignitati ordo equeſter. [4] omnes omnium publicorum ſocietates de meo conſulatu, ac de meis rebus geſtis ampliſſima, atque ornatiſſima *decreta* fecerunt. Scribæ, qui nobiſcum in rationibus, monumentiſque publicis verſantur, non obſcurum de meis in remp. beneficiis ſuum judicium, decretumque eſſe voluerunt. Nullum eſt in hac urbe collegium, nulli pagani, aut montani (quoniam plebei quoque urbanæ majores noſtri conventicula, & quaſi conſilia quædam eſſe voluerunt) qui non ampliſſimè non modò de ſalute mea, ſed etiam de dignitate decreverint. Nam quid ego illa divina, atque immortalia municipiorum, & coloniarum, & totius *Italiæ* decreta commemorem, quibus, tanquam gradibus, mihi videor in cælum adſcendiſſe, non ſolùm in patriam revertiſſe? Ille verò dies quis fuit, cùm te, P. Lentule, legem de me ferentem [5] populus Romanus ipſe vidit, ſenſitque, quantus, & quanta dignitate eſſes? conſtat nullis umquam comitiis campum Martium tanta celebritate, tanto ſplendore omnis generis hominum, ætatum, ordinum floruiſſe. Omitto civitatum, nationum, provinciarum, regum, orbis denique terrarum de meis in omneis mortaleis meritis *unum judicium*, unumque conſenſum: adventus meus, atque introitus in urbem qui fuit? utrùm me patria ſic accepit, ut lucem, ſalutemque redditam ſibi, ac reſtitutam accipere debuit, an ut *crudelem tyrannum*? quod vos Catilinæ gregales de me dicere ſolebatis. Itaque ille unus dies, quo die me populus Roman. à porta in Capitolium, atque inde domum ſua celebritate, lætitiaque comitatum honeſtavit, tantæ mihi jucunditati fuit, ut tua mihi conſcelerata illa vis, non modò non propulſanda, ſed etiam *emenda* fuiſſe videatur. Quare illa calamitas (ſi ita eſt appellanda) excuſſit hoc genus totum maledicti, ne quiſquam audeat jam reprehendere conſulatum meum tot, tantis, tam ornatis judiciis,
29 teſtimoniis, auctoritatibus comprobatum. Quod ſi in iſto tuo maledicto probrum non modò mihi nullum objectas, ſed etiam laudem illuſtras meam: quid te aut fieri, aut fingi dementius poteſt? uno enim maledicto, bis à me patriam ſervatam eſſe concedis: ſemel, cùm id feci, quod omnes non negent immortalitati, ſi fieri poteſt, mandandum, tu ſupplicio puniendum putaſti: iterum, cùm tuum, multorumque propter te, inflammatum in bonos omneis impetum, meo corpore excepi, ne eam civitatem, quam ſervaſſem inermis, armatus in diſcrimen adducerem. Eſto, non fuit in me pœna ulla peccati; at fuit *judicii*. Cujus? quis me umquam ulla lege interrogavit? quis poſtulavit? quis diem dixit? poteſt igitur damnati pœnam ſuſtinere indemnatus? hoc tribunitium eſt? hoc populare? quamquam ubi tu te popularem, [6] niſi cum pro populo feciſti, potes dicere? Scilicet cùm hoc juris à majoribus proditum ſit, ut nemo civis Romanus aut libertatem, aut civitatem poſſit amittere, niſi ipſe auctor factus ſit? quod tu ipſe potuiſti in tua cauſa diſcere. credo enim, quamquam in illa adoptione legitimè factum eſt nihil, tamen te eſſe interrogatum, AUCTORNE ESSES, ut in te P. Fontejus vitæ, neciſque poteſtatem haberet, ut in filio. Quæro, ſi aut negaſſes, aut tacuiſſes, ſi tamen id XXX. curiæ juſſiſſent, num id juſſum eſſet ratum? certè non. quid ita? quia jus à majoribus noſtris, qui non ficte, & fallaciter populares, ſed verè, & ſapienter fuerunt, ita comparatum eſt, ut civis Romanus libertatem nemo poſſit *invitus* amittere. Quinetiam, ſi decemviri ſacramentum in libertatem injuſtum judicaſſent, tamen, quotieſcumque vellet quis, in hoc [7] genere ſolo rem judicatam referre poſſe voluerunt. Civitatem vero nemo umquam ullo populi juſſu amittet invitus. Qui cives Romani in colonias Latinas proficiſce- 30
bantur, fieri non poterant Latini, qui non erant auctores facti, nomenque dederant. qui erant rerum capitalium condemnati, non priùs hanc civitatem amittebant, quàm erant in eam recepti, quò vertendi, hoc eſt, mutandi ſoli cauſa venerant. id autem ut eſſet faciundum, non ademtione civitatis, ſed tecti, & aquæ, & ignis interdictione faciebant. Populus Romanus, L. Sulla dictatore ferente, comitiis centuriatis, municipiis civitatem ademit: ademit iiſdem agros. de agris ratum eſt: (fuit enim *populi poteſtas*) de civitate, ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt. Hanc verò Volaterranis, cùm etiam tum eſſent in armis, L. Sulla victor, republica recuperata, comitiis centuriatis, civitatem eripere non potuit: hodieque Volaterrani non modò cives, ſed etiam optimi cives, fruuntur nobiſcum ſimul hac civitate. Conſulari homini P. Clodius, everſa republica, civitatem adimere potuit, concilio advocato, conductis operis non ſolùm egentium, ſed etiam ſervorum, [8] Sedulio principe, qui ſe illo die confirmavit Romæ non fuiſſe? Quòd ſi non fuit, quid te audacius, [9] qui in ejus nomen incideris? quid deſperatius, qui ne *ementiendo* quidem potueris auctorem adumbrare meliorem? ſin autem is primus ſcivit, quod facilè potuit, propter inopiam tecti, in foro pernoctans: cur non juret ſe Gadibus fuiſſe, cum tu te fuiſſe Interamnæ probaveris? Hoc tu igitur homo popularis, jure munitam civitatem, & libertatem noſtram putas eſſe oportere, ut, ſi, tribuno plebis rogante, [10] VELITIS, JUBEATISNE, Sedulii centum *ſe velle, & jubere* dixerint, poſſit unuſquiſque noſtrûm amittere? Tum igitur majores noſtri, populares non fuerunt, qui de civitate, & libertate, ea jura ſanxerunt,

1. *Neque quiſquam eorum qui ſolebant.*] S. Vict. & noſter nonus, *qui ei ſolebant.*

2. *Summum eſt populi Rom. &c.*] Haud aliter quoque S. Vict. aut Pal. nonus, ceterique.

3. *Si ego non fuiſſem, nec, &c.*] Vulgata interjecit, *fuiſſem reſtitutus, nec, &c.* ſed ea non eſt in S. Vict. aut Pal. nono.

4. *Omnes omnium publicorum ſocietates.*] Recepta lectio *publicanorum*, ſed præter Palatinos omnes exemplarque S. Victoris. Sic Plautus Truculento: *Metuit publicos*, id eſt qui redemerunt opera publica.

5. *Populus Rom. ipſe vidit, ſenſitque, &c. eſſes.*] Arridet Faërni conjectura *ipſe ſe vidit, ſenſitque, &c. eſſet.* ſed ita nulli ſcripti; qui ferè deſtituuntur præterea illo *ipſe*, præferuntque *eſſem*.

6. *Niſi cum pro populo feciſti.*] Si ſequimur ſcripta exemplaria, tollenda ſyllaba *pro.* in nullo enim noſtrorum viſitur. In antecedenti proximè quædam addidi, quædam delevi; ſed membranis iiſdem auctoribus.

7. *Genere ſolo rem judicatam referre poſſe voluerunt.*] Eſt à conjectura Faërni, quam admiſit P. Manutius. nam Rom. liber, item S. Vict. & Pal. nonus, *genere ſororem jud.* vulgò, *genere ſe rem judic. &c.*

8. *Sedulio principe qui ſe illo die confirmavit.*] Gembl. & Turing. *Fidulio principe, Quæſtoris filio, qui ſe ex.* ex quo fingit Gulielmius, *Q. F.* ſed ego putavi illud *filio*, natum ex *ſe illo*: ſane Pal. nonus tantum habet *Fiduli principe filio illo diem confirmat*, & verò *Fidulius* iſte poſtea recipitur ab omnibus Pall. & S. Vict. ut excludendus hinc non videatur.

9. *Qui in æs ejus nomen incideris.*] Eſt rurſus à conjectura P. Manutii aut Faërni. nam editi, *qui in ejus nom. incid.* Pal. nonus habet. *quis ei nom. inc* reliqui, *qui ejus nomen incideris*, quod ultimum placere cui poſſet, ut ſubintelligeretur, alterum in æs, in tabulas ærarii, aut ſimile quid.

10. *Velitis jubeatiſne.*] Sic plerique etiam mſſ. Pal. Gemblacenſ. S. Vict. non *ve.*

xerunt, quæ nec vis temporum, [1] nec potentia magiſtratuum, nec res tum judicata, nec denique univerſi populi Rom. poteſtas, quæ ceteris in rebus eſt maxima, labefactare poſſit. At tu etiam, ereptor civitatis, legem de injuriis publicis tuliſti Anagnino neſcio cui Menullæ, per gratiam, qui tibi ob eam legem ſtatuam in meis ædibus poſuit; ut locus ipſe in tua tanta injuria legem, & inſcriptionem ſtatuæ refelleret. quæ res municipibus Anagninis ornatiſſimis multo majori dolori fuit, quam quæ idem ille gladiator ſcelera Anagniæ fecerat. Quid, ſi [2] ne ſcriptum quidem umquam eſt in iſta ipſa rogatione, quam ſe Sedulius negat ſciviſſe: tu hujus, ut acta tui præclari tribunatus hominis dignitate cohoneſtes, *auctoritatem* ampleꝺteris?

31 Sed, tametſi nihil de me tuliſti, quo minùs eſſem non modò in civium numero, ſed etiam in eo loco, in quo me honores populi Romani collocaverunt: tamenne eum tua voce violabis, quem poſt nefarium ſcelus conſulum ſuperiorum, tot vides judiciis ſenatus, populi Romani, totius Italiæ honeſtatum? quem ne tum quidem, cùm aberam, negare poteras eſſe tua lege ſenatorem? Ubi enim tuleras, ut mihi *aqua, & igni* interdiceretur? quod Gracchus de P. Popillio, Saturninus de Metello tulit. homines ſeditioſiſſimi de optimis, ac fortiſſimis civibus non, ut eſſet interdictum, quod fieri non poterat, tulerunt, ſed ut interdiceretur. Ubi caviſti, ne meo me loco cenſor in ſenatum legeret? quod de omnibus, [3] etiam quibuſdam damnatis interdictum eſt, ſcriptum eſt in legibus. Quære hoc è Sex. Clodio ſcriptore legum tuarum: jube adeſſe: latitat omnino: ſed ſi requiri juſſeris, invenient hominem apud ſororem tuam, occultantem ſe, capite demiſſo. Sed ſi patrem tuum, civem medius fidius egregium, diſſimilemque veſtri, nemo umquam ſanus exſulem appellavit, qui cum de eo tribunus plebis promulgaſſet, adeſſe propter iniquitatem illius Cinnani temporis noluit, eique imperium eſt abrogatum: ſi in illo pœna legitima turpitudinem non habuit *propter vim temporum:* in me, cui dies dicta numquam eſt, qui reus non fui, qui numquam ſum à tribuno plebis citatus: damnati pœna eſſe potuit, ea præſertim, quæ ne in ipſa quidem rogatione perſcripta eſt.

32 At vide, quid interſit inter illum iniquiſſimum patris tui caſum, & hanc fortunam, conditionemque noſtram. patrem tuum, civem optimum, clariſſimi viri filium, qui ſi viveret, qua ſeveritate fuit, tu profectò non viveres, L. Philippus cenſor avunculum ſuum præteriit in recitando ſenatu. nihil enim poterat dicere, quare rata non eſſent, quæ erant acta in ea republica, in qua ſe illis ipſis temporibus cenſorem eſſe voluiſſet. me L. Cotta, homo cenſorius, in ſenatu juratus dixit, ſe, ſi cenſor tum eſſet, cum ego abeſſem, meo loco ſenatorem recitaturum fuiſſe. Quis in meum locum judicem ſubdidit? quis meorum amicorum teſtamentum diſceſſu meo fecit, qui mihi non idem tribuerit, quod & ſi adeſſem? quis me non modò civis, ſed ſocius recipere *contra tuam legem*, & juvare dubitavit? Denique univerſus ſenatus multo ante, quàm eſt lata lex, de me GRATIAS AGENDAS CENSUIT CIVITATIBUS IIS, QUÆ M. TULLIUM: tantumne? immò etiam, CIVEM OPTIME DE REPUBLICA MERITUM, RECEPISSENT. Et tu unus peſtifer civis, eum reſtitutum negas eſſe civem, quem ejectum univerſus ſenatus non modò civem, ſed etiam egregium civem ſemper putavit? At verò, ut annales populi Romani, & monumenta vetuſtatis loquuntur, [4] Cæſo ille Quintius, & M. Furius Camillus, & M. Servilius Ahala, cùm eſſent optimè de republica meriti, tamen populi incitati vim, iracundiamque ſubierunt: damnatique comitiis centuriatis cùm in exſilium profugiſſent, rurſus ab eodem populo placato ſunt in ſuam priſtinam dignitatem *reſtituti*. Quòd ſi iis damnatis non modò non imminuit calamitas clariſſimi nominis gloriam, ſed etiam honeſtavit: (nam, ETSI OPTABILIUS eſt, curſum vitæ conficere ſine dolore, & ſine injuria, tamen ad immortalitatem gloriæ plus affert deſideratum eſſe à ſuis civibus, quàm omnino numquam eſſe violatum) mihi ſine ullo judicio populi profecto, tum ampliſſimis omnium judiciis reſtituto, maledicti locum, aut criminis obtinebit? Fortis, & conſtans in optima ratione civis, P. Popillius, ſemper fuit. tamen ejus in omni vita nihil eſt ad laudem illuſtrius, quàm calamitas ipſa. quis enim jam meminiſſet, eum bene de republica meritum, niſi & ab improbis expulſus eſſet, & per bonos reſtitutus? Qu. Metelli præclarum imperium in re militari fuit, egregia cenſura, omnis vita plena gravitatis: tamen hujus viri laudem ad ſempiternam memoriam temporis *calamitas* propagavit.

Quòd ſi & illis, qui expulſi ſunt iniquè, ſed tamen legibus reducti, inimicis interfectis, rogationibus tribunitiis, non auctoritate ſenatus, non comitiis centuriatis, non decretis Italiæ, non deſiderio civitatis, inimicorum injuria probro non fuit: in me, qui profectus ſum integer, abfui ſimul cum republica, [5] dicam maxima cum dignitate, te vivo, fratre tuo altero conſule reducente, [6] altero prætore petente; tuum ſcelus, meum probrum putas eſſe oportere? Ac, ſi me populus Romanus incitatus iracundia, aut invidia, è civitate ejeciſſet, idemque poſtea mea in remp. beneficia recordatus, ſe collegiſſet, temeritatem, atque injuriam ſuam reſtitutione mea *reprehendiſſet:* tamen profectò nemo tam eſſet amens, qui mihi populi tale judicium non dignitati potiùs, quàm dedecori putaret eſſe oportere. nunc verò, cùm me in judicium populi nemo omnium vocarit, condemnari non potuerim, qui accuſatus non ſim: denique ne expulſus quidem ita ſim, ut, ſi contenderem, ſuperare non poſſem: contraque à populò Rom. ſemper ſim defenſus, amplificatus, ornatus: quid eſt, quare quiſquam mihi ſe ipſa populari ratione anteponat? An tu populum Romanum eſſe illum putas, qui conſtat ex iis, qui mercede conducuntur? qui impelluntur, ut vim afferant magiſtratibus? ut obſideant ſenatum? optent quotidie cædem, incendia, rapinas? quem tu tamen populum, niſi *tabernis clauſis*, frequentare non poteras: cui populo duces Lentidios, Lollios, Sergios præfeceras. O ſpeciem, dignitatemque populi Romani, quam reges, quam nationes exteræ, quam gentes ultimæ pertimeſcunt, multitudinem hominum ex ſervis conductis, ex facinoroſis, ex egentibus congregatam! Illa fuit pulchritudo populi Rom. illa forma, quam in campo vidiſti tum, cùm etiam tibi contra ſenatus, totiuſque Italiæ auctoritatem, & ſtudium, dicendi poteſtas fuit. Ille, ille populus eſt *dominus regum*, victor, atque imperator omnium gentium, quem illo clariſſimo die, ſcelerate, vidiſti tum, cum omnes principes civitatis, omnes ordinum, atque ætatum omnium ſuffragium ſe non de civis, ſed de civitatis ſalute ferre cenſebant: cum denique homines in campum non tabernis, ſed municipiis clauſis venerunt.

Hoc ego populo, ſi tum conſules aut fuiſſent in republica, aut omnino non fuiſſent: nullo labore, tuo præcipiti furori, atque impio ſceleri reſtitiſſem. ſed publicam cauſam contra vim armatam, ſine populi præſidio ſuſcipere nolui: non quo mihi P. Scipionis, fortiſſimi viri, [8] vis intima privati hominis, diſpliceret: ſed Scipionis factum

1. *Nec potentia magiſtratuum.*] Adnotatum Gulielmo, forte legendum *impotentia.*

2. *Ne ſcriptum quidem umquam, &c.*] Fortean, inquit Gulielm. *uſquam*, hoc eſt, ulla parte pri legis Clodianæ.

3. *Etiam quibuſdam damnatis.*] Lambinus *quibus damnatis*, ex conjectura Petri Fabri. reſpuunt libri noſtri.

4. *Cæſo ille Quintius.*] Haud aliter Erfurd. atque Pal. nonus, P. Manutius, maluit *Ceſo.* vulgati, *Cenſor ille* inepte.

5. *Dicam maxima cum dignitate.*] Vulgatur paſſim hodie in libris *reddi maxima, &c.* ſed eſt a conjectura Lambini. ſcripti editique omnes ſtant a noſtra.

6. *Altero prætore petente*] Aldus Nepos edidit *patiente.* habebat Pal. nonus, *dicente*, Gembl. *ducente*, quod ultimum excutiendum eſt.

7. *Plaguleios*] Erfurd *Placuleios*. & ſic quoque Pal. nonus, niſi quod etiam eſſe poſſet *Placuleios*. edit. vulgatis, totum illud nomen deeſt.

8. *Vis intima*] Pal. nonus non agnoſcit illud *intima*. Gulielmius mutat in *recta*, aut *legitima*. P. Manutius conjiciebat *ultima.* quod non diſplicet.

1. Quod

factum ſtatim P. Mucius conſul, qui in gerenda republ.
putabatur fuiſſe ſegnior geſta, multis ſenatuſconſultis non
modò defendit, ſed etiam ornavit: mihi aut, te interfecto,
cum conſulibus: aut, te vivo, & tecum, & cum illis, ar-
mis decertandum fuit. Erant eo tempore multa etiam alia
metuenda. ad ſervos medius fidius res perveniſſet. tantum
homines impios ex vetere illa conjuratione inuſtum nefa-
riis mentibus bonorum odium retinebat. Hîc tu me etiam
gloriari vetas: negas eſſe ferenda, quæ ſoleam de me præ-
dicare: & homo facetus, inducis etiam ſermonem urba-
num, ac venuſtum: me dicere ſolere, eſſe me *Jovem:*
eundemque dictitare, *Minervam* eſſe ſororem meam. Non
tam inſolens ſum, [1] quod Jovem eſſe me dico: quàm in-
eruditus, quod Minervam ſororem Jovis eſſe exiſtimo.
ſed tamen, ego mihi ſororem virginem aſciſco: tu ſoro-
rem tuam virginem eſſe non ſiviſti. Sed vide, [2] ne tu te de-
beas Jovem dicere, quod tu jure eandem ſororem, & uxo-
35 rem appellare poſſis. Et quoniam hoc reprehendis, quòd
ſolere me dicas de me ipſo *glorioſius* prædicare: quis um-
quam audivit, cùm ego de me, niſi coactus, ac neceſſariò
dicerem? nam ſi, cum mihi furta, largitiones, libidines
objiciuntur, ego reſpondere ſoleo, meis conſiliis, pericu-
lis, laboribus, patriam eſſe conſervatam, non tam ſum
exiſtimandus de geſtis rebus gloriari, [3] quàm de objectis
non confiteri. ſed ſi mihi ante hæc duriſſima reipublicæ
tempora nihil umquam aliud objectum eſt, niſi [4] crudelitas
illius temporis, cum à patria perniciem depuli: quid? me
huic maledicto utrùm non reſpondere, an demiſsè reſpon-
dere decuit? Ego verò etiam reipublicæ ſemper intereſſe
putavi, me illius pulcherrimi facti, quod ex auctoritate
ſenatus, conſenſu bonorum omnium, pro ſalute patriæ,
geſſiſſem, ſplendorem *verbis*, dignitatemque retinere: præ-
ſertim cùm mihi uni in hac republica audiente populo Ro-
mano opera mea hanc urbem, & hanc rempublicam eſſe
ſalvam *jurato* dicere fas fuiſſet. Exſtinctum eſt jam illud
maledictum crudelitatis, quod me non ut crudelem tyran-
num, ſed ut mitiſſimum parentem omnium civium ſtu-
diis deſideratum, repetitum, arceſſitum vident. Aliud
exortum eſt. objicitur mihi meus ille diſceſſus: cui ego
crimini reſpondere ſine mea maxima laude non poſſum.
Quid enim, pontifices, debeo dicere? peccati me con-
ſcientia profugiſſe? At id, quod mihi crimini dabatur, non
modò peccatum non erat, ſed erat res, poſt natos homines
pulcherrima. Judicium populi pertimuiſſe? At id, nec
propoſitum ullum fuit, &, ſi fuiſſet, duplicata gloria diſ-
ceſſiſſem. Bonorum mihi præſidium defuiſſe? Falſum eſt.
36 Me mortem timuiſſe? Turpe eſt. Dicendum igitur eſt
id, quod non dicerem, niſi coactus: (nihil enim umquam
[5] de me dixi ſublatiùs aſciſcendæ laudis cauſa potiùs, quàm
criminis depellendi) dico igitur, & quàm poſſum maxima
voce dico: Cum omnium perditorum, & [6] conjuratorum
incita vis, duce tribuno pleb. conſulibus auctoribus, af-
flicto ſenatu, perterritis equitibus Romanis, ſuſpenſa, ac
ſollicita tota civitate, non tam in me impetum faceret,
quàm *per me* in omneis bonos: me vidiſſe, ſi viciſſem, te-
nueis reipublicæ reliquias: ſi victus eſſem, nullas futuras.
quod cum judicaſſem: deflevi conjugis miſeræ diſcidium,
liberorum cariſſimorum ſolitudinem, fratris abſentis,
amantiſſimi, atque optimi caſum, ſubitas fundatiſſimæ
familiæ ruinas. ſed his omnibus rebus vitam antepoſui
meorum civium: remque publicam [7] concedere unius diſ-
ceſſu, quàm omnium interitu occidere malui. ſperavi, id
quod accidit, me jacentem poſſe à vivis viris fortibus ex-
citari: ſi unà cum bonis interiiſſem, nullo modo poſſe re-
creari. Accepi, pontifices, magnum, atque incredibilem
dolorem: non nego: neque iſtam mihi aſciſco ſapientiam,
quàm nonnulli in me requirebant, qui me animo nimis
fracto eſſe, atque afflicto loquebantur. An ego poteram,
cum à tot rerum tanta varietate divellerer, (quas idcirco
prætereo, quòd ne nunc quidem ſine fletu commemorare
poſſum) infitiari me eſſe hominem, & communem *naturæ
ſenſum* repudiare? Tum verò neque illud meum factum
laudabile, nec beneficium ullum à me in rempublicam
profectum dicerem, ſi quidem ea reipublicæ cauſa reliquiſ-
ſem, quibus æquo animo carerem: eamque animi duri-
tiam, ſicut corporis, quod cum uritur, non ſentit, ſtupo-
rem potiùs, quàm virtutem putarem. Suſcipere tantos 37
animi dolores, atque ea, quæ, capta urbe, accidunt victis,
ſtante urbe unum perpeti, & jam ſe videre diſtrahi à com-
plexu ſuorum, diſturbari tecta, diripi fortunas, patriæ
denique cauſa patriam ipſam amittere, ſpoliari populi Ro-
mani beneficiis ampliſſimis, præcipitari ex altiſſimo di-
gnitatis gradu, [8] videre prætextatos inimicos, nondum
morte complorata, arbitria petenteis funeris: hæc omnia
ſubire conſervandorum civium cauſa, atque ita, ut dolen-
ter abſis, non tam ſapiens, quàm ii, qui nihil curant, ſed
tam amans tuorum, ac tui, quàm communis humanitas
poſtulat: ea laus præclara, atque divina. Nam, qui ea, quæ
numquam cara, ac jucunda duxit, animo æquo reipublicæ
cauſa deſerit, nullam benevolentiam inſignem in rempu-
blicam declarat. qui autem ea relinquit, reipub. cauſa, à
quibus cum ſummo dolore divellitur, ei patria cara eſt:
cujus ſalutem caritati anteponit ſuorum. [9] Quare, diſrum-
patur licet iſta furia, atque audiat hæc ex me, quoniam la-
ceſſivit. bis ſervavi, ut conſul, togatus armatos vicerim:
privatus, conſulibus armatis ceſſerim. Utriuſque temporis
fructum tuli maximum: ſuperioris, quòd ex ſenatus au-
ctoritate, & ſenatum, & omneis bonos, meæ ſalutis cau-
ſa, mutata veſte vidi: poſterioris, quod & ſenatus, & po-
pulus Romanus, & omnes mortales, & privatim, & pu-
blicè judicarunt, ſine meo reditu rempublicam ſalvam eſſe
non poſſe. Sed hic meus reditus, pontifices, veſtro judi-
cio continetur. nam, ſi vos me in meis ædibus collocatis,
id quod in omni mea cauſa ſemper ſtudiis, conſiliis, au-
ctoritatibus, ſententiiſque feciſtis: video me planè, ac
ſentio reſtitutum. ſin *mea domus* non modò mihi non red-
ditur, ſed etiam monumentum præbet inimico, doloris
mei, ſceleris ſui, publicæ calamitatis: quis erit, qui hunc
reditum potius, quàm pœnam ſempiternam putet? In con-
ſpectu præterea totius urbis domus eſt mea, pontifices: in
qua

1. *Quod Jovem eſſe me dico. quàm ineruditus, quod Minervam ſororem Jovis eſſe exiſtimo.*] Exhibui ſcripturam Gemblacenſis ſcripti, cui adſtipulatur liber S. Victoris; niſi quod is, *eruditus*, quomodo & Pal. nonus: qui tamen, *me dicam tam eruditus quod Min. ſororem Jov. eſſe exiſtimo.* Ineptiſſimè vulgata, *qui Jovem eſſe me dicam: non tam ineruditus qui Minervam Jovis ſororem, meam eſſe ſororem exiſtimem.* neque adſtipulantur ei meliores Palatini.

2. *Ne tu te debeas Jovem dicere.*] Pal. nonus, Gembl. Vict. *ſoleas.* quod ſi recipimus, reſcribendum præterea *ducere.*

3 *Quam de objectis non confiteri.*] Examinent quæſo penſius otioſiores lectionem Pall. noni & cod. Victorini, quibus abeſt negativa. oratorio acumine ita loqui poſſet, quoniam nihil ad objecta reſpondeat. Tu Contarene, tu Rigalti, tu Meurſi, conferte conſilium.

4. *Crudelitas illius temporis.*] Turing. Vict. Pal. IX. *crudelitas ea unius.*

5. *De me dixi ſublatius.*] Forte *ſufflatius*, adnotavit reſcribendum Gulielmius; ſed nihil ejus aves addicunt, hoc eſt, libri veteres.

6. *Conjuratorum incita vis.*] Sic Pal. nonus & S. Vict. nec vidi cur heic æque ferri non poſſet, quàm vulgatum *incitata*; quod non comparet alioquin in Pal. tertio, quarto, octavo.

7. *Concedere unius diſceſſu, quàm om. int. occidere.*] Ita Pal. pr. non S. Victor. aliorumque mſſ. non ut vulgò *condere.* Lambinus fecit *concidere*; ineptè. quod enim diſcrimen ejus quod *concidit* & *occidit*? Audacius Gulielmius, *concedere* & *int. occedere*? hac ſententia; maluiſſe Ciceronem, remp. furori Clodiano cedere ſuo diſceſſu. quàm eandem conductæ multitudini obviam ire, & repugnare cum omnium interitu: in quam ſententiam ſæpius hoc libro locutus eſt, *concedere* pro cedere, uſus eſt noſter pro Murena. *occedere* autem eſſe obviam ire, notum vel è Plauto.

8. *Videre prætextatos inimicos, &c.*] Pall. omnes *prætextos*, & ſic quoque S. Victor. neque omnino diſplicet; ut agmine magno & quaſi indagine quadam inſtiterint.

9. *Quare diſrumpatur licet, &c.*] Reddidimus lectori omnium ætatum lectionem, mirificè inquinatam nugis Lambini.

qua ſi manet illud non monumentum urbis, ſed ſepulchrum inimico nomine inſcriptum: demigrandum potius aliquò eſt, quàm habitandum in ea urbe, in qua *tropæa* &
38 de me, & de republica videam conſtituta. An ego tantam aut animi duritiem habere, aut oculorum impudentiam poſſim, ut, cujus urbis ſervatorem me eſſe ſenatus omnium aſſenſu toties judicarit, in ea poſſim intueri domum meam everſam non ab inimico meo, ſed ab hoſte communi, & ab eodem exſtructam, & poſitam in oculis civitatis, ne umquam conquieſcere poſſit fletus bonorum? Sp. Melii, regnum appetentis, domus eſt complanata. ecquid aliud? æquum accidiſſe Melio populus Romanus judicavit, nomine ipſo *Æquimelii*, ſtultitia pœna comprobata eſt. Sp. Caſſii domus ob eandem cauſam everſa: atque in eodem loco ædes poſita Telluris. In Vacci pratis domus fuit M. Vacci, quæ publicata eſt, & everſa, ut illius facinus, memoria, & nomine loci notaretur. M. Manlius cùm ab adſcenſu Capitolii Gallorum impetum repuliſſet, non fuit contentus beneficii ſui gloria: regnum appetiſſe eſt judicatus. ergo ejus domum everſam, duobus lucis conveſtitam videtis. Quam igitur majores noſtri ſceleratis, ac nefariis civibus maximam *pœnam* conſtitui poſſe arbitrati ſunt, eandem ego ſubibo, ac ſuſtinebo, ut apud poſteros noſtros non exſtinctor conjurationis, & ſceleris, ſed auctor, & dux fuiſſe videar? Hanc verò pontifices, labem turpitudinis, & inconſtantiæ poterit populi Rom. dignitas ſuſtinere, vivo ſenatu, vobis principibus publici conſilii, ut domus M. Tullii Ciceronis cum domo Fulvii Flacci, ad memoriam pœnæ publicæ conſtitutæ conjuncta eſſe videatur? M. Flaccus, quia cum C. Graccho contra ſalutem reip. fecerat, & ſenatus ſententia eſt interfectus, & ejus domus everſa, & publicata eſt: in qua porticum pòſt aliquanto Q. Catulus de manubiis Cimbricis fecit. Iſta autem fax, ac furia patriæ, cùm urbem, Piſone & Gabinio ducibus, cepiſſet, occupaſſet, teneret: uno, eodemque tempore & clariſſimi viri mortui monumenta delebat, & meam domum cum M. Flacci domo conjungebat: ut, qua pœna ſenatus effecerat everſorem civitatis, eadem iſte, oppreſſo ſenatu, afficeret eum, quem P. C. cuſto-
39 dem patriæ judicaſſent. Hanc vero in Palatio, atque in pulcherrimo urbis loco porticum eſſe patiemini, furoris tribunitii, ſceleris conſularis, crudelitatis conjuratorum, calamitatis reipub. doloris mei defixum indicium ad *memoriam* omnium gentium ſempiternam? quam porticum pro amore, quem habetis in remp. & ſemper habuiſtis, non modò ſententiis, ſed, ſi opus eſſet, manibus veſtris diſturbare cuperetis. niſi quem fortè illius caſtiſſimi ſacerdotis ſuperſtitioſa dedicatio deterret. O rem, quam [1] homines ſoluti, ridere non deſinant: triſtiores autem ſine maximo dolore audire non poſſint! P. ne Clodius, qui ex pontificis maximi domo religionem eripuit, is in meam intulit? [2] hunccin' vos, qui eſtis antiſtites cæremoniarum, & ſacrorum, auctorem habetis, & magiſtrum publicæ religionis? O dii immortaleis! (vos enim hæc audire cupio) P. Clodius veſtra ſacra curat? veſtrum numen horret? res omneis humanas religione veſtra contineri putat? hic non illudit auctoritati horum omnium, qui adſunt, ſummorum virorum? non veſtra, pontifices, gravitate abutitur? ex iſto ORE, religionis verbum excidere, aut elabi poteſt? cùm tu eodem ore, accuſando ſenatum, quòd ſeverè de religione decerneret, impuriſſimè, tæterrimeque violaſti.
40 Adſpicite, adſpicite, pontifices, hominem religioſum, &, ſi vobis videtur (quod eſt bonorum pontificum) monete eum, modum quendam eſſe religionis: *nimium eſſe ſuperſtitioſum non oportere.* Quid tibi neceſſe fuit anili ſuperſtitione, homo fanatice, ſacrificium, quod alienæ domi fieret, inviſere? quæ autem te tanta mentis imbecillitas tenuit, ut non putares, deos ſatis poſſe placari, niſi etiam muliebribus religionibus te implicuiſſes? quem umquam audiſti majorum tuorum, qui & ſacra privata coluerunt, & publicis ſacerdotiis præfuerunt, cùm ſacrificium bonæ Deæ fieret, interfuiſſe? neminem, ne illum quidem, qui cæcus eſt factus. Ex quo intelligitur, MULTA in vita falſo homines opinari, cùm ille, qui nihil viderat ſciens, quod nefas eſſet, lumina amiſit: iſtius, qui non ſolùm adſpectu, ſed etiam inceſto flagitio, & ſtupro polluit cæremonias, pœna omnis oculorum ad cæcitatem mentis eſt converſa. Hoc auctore tam caſto, tam religioſo, tam ſancto, tam pio, poteſtis, pontifices, non commoveri, cùm ſuis dicat ſe manibus domum civis optimi evertiſſe, & eam iiſdem manibus conſecraſſe? Quæ tua fuit conſecratio? Tuleram, inquit, ut mihi liceret. Quid? non exceperas, ut, ſi quod jus non eſſet rogare, ne eſſet rogatum? Jus igitur ſtatuetis eſſe, uniuſcujuſque veſtrûm ſedes, aras, focos, deos penateis, ſubjectos eſſe libidini tribunitiæ? in quem quiſque per homines concitatos irruerit, quem impetu perculerit, hujus domum non ſolùm affligere, quod eſt præſentis inſaniæ, quaſi tempeſtatis repentinæ, ſed etiam in poſterum
tempus religione ſempiterna obligare? Equidem ſic accepi, 41
pontifices, IN RELIGIONIBUS ſuſcipiendis, caput eſſe, interpretari, quæ voluntas deorum immortalium eſſe videatur: nec eſt ulla erga deos pietas, niſi honeſta de numine eorum, ac mente opinio, cùm expeti nihil ab iis, quod ſit injuſtum, atque inhoneſtum, arbitrere. Hominem invenire iſta labes tum, cùm omnia tenebat, neminem potuit, cui meas ædeis addiceret, cui traderet, cui donaret: ipſe cùm loci illius, cùm ædium cupiditate flagraret, [3] ob eamque cauſam unam, una juſta illa rogatione ſua vir bonus dominum ſe in meis bonis eſſe voluiſſet: tamen ille ipſo in furore ſuo non eſt auſus meam domum, cujus cupiditate inflammatus erat, poſſidere. deos immortaleis exiſtimatis, cujus labore & conſilio ſua ipſi templa tenuerunt, in ejus domum afflictam, [4] & everſam per vim hominis ſceleratiſſimi nefarium latrocinium immigrare voluiſſe? Civis eſt nemo in tanto populo, extra contaminatam illam, & cruentam P. Clodii manum, qui rem ullam de meis bonis attigerit, qui non pro ſuis opibus in illa tempeſtate defenderit. at, qui aliqua ſe contagione prædæ, ſocietatis, emtionis, contaminaverunt, nullius neque privati, neque publici judicii *pœnam effugere* potuerunt. Ex his igitur bonis, quorum nemo rem ullam attigit, qui non omnium judicio ſceleratiſſimus haberetur, dii immortales domum meam concupiverunt? Iſta tua pulchra Libertas, deos penateis, & familiareis meos Lares expulit, [5] ut te ipſa, tanquam in captivis ſedibus collocaret? QUID EST ſanctius, quid omni religione munitius, quàm domus uniuſcujuſque civium? hìc aræ ſunt, hìc foci, hìc dii penates, hìc ſacra, religiones, cæremoniæ, continentur: hoc perfugium eſt
ita ſanctum omnibus, ut inde *abripi* neminem fas ſit. Quo 42
magis eſt furor iſtius ab auribus veſtris repellendus, qui, quæ majores noſtri religionibus tuta nobis, & ſancta eſſe voluerunt, ea iſte non ſolùm contra religionem labefactavit, ſed etiam ipſius religionis nomine, evertit. At quæ dea eſt? Bonam eſſe oportet, quandoquidem eſt abs te dedicata. *Libertas*, inquit, eſt. Eam tu igitur domi meæ collocaſti, quam ex urbe tota ſuſtuliſti? Tu, cùm collegas tuos, ſumma poteſtate præditos, negares liberos eſſe: cùm in templum Caſtoris aditus eſſet apertus nemini: cùm hunc clariſſimum

1. *Homines ſ[illegible] ridere, &c.*] Expreſſi quod erat in Pal. nono & Gemblacenſi, vulgati amplius, *ſoluti, à cura liberati*, notabili gloſſemate. quod mirum a Lambino non animadverſum: qui variis conjecturis heic uſus.

2. *Hunccin' vos qui eſtis.*] Haud ſecus Pal. nonus & S. Victoris, editi amplius, *hunc, inquam, etiam vos qui eſtis, &c.* cui bono?

3. *Ob eamque cauſam unam, una juſta illa rogatione.*] Forte, *unam, iſta illa rog.*

4. *Et everſam per vim hominis.*] Eſt à Pal. nono & S. Victor. editi *per unius hominis.*

5. *Ut te ipſe tanquam, &c. collocaret?*] Sic quoque Pal. nonus & S. Victoris, exhibuitque item ex ſuis Lambinus. vulgata; *ut à te ipſa, &c. collocaretur.* minus nervosè.

1. Et

riſſimum virum, ſummo genere natum, ſummis populi beneficiis uſum, pontificem, & conſularem, & ſingulari bonitate, & modeſtia præditum (quem ſatis mirari quibus oculis adſpicere audeas, non queo) audiente populo Rom. à pediſequis conculcari juberes: cùm indemnatum exturbares, privilegiis tyrannicis irrogatis: cùm principem orbis terræ virum, incluſum domi contineres: cùm forum armatis catervis perditorum hominum poſſideres: Libertatis ſimulacrum in ea domo collocabas, quæ domus erat ipſa judicio tui crudeliſſimi dominatus, & miſerrimæ populi Rom. ſervitutis? Eumne potiſſimum Libertas domo ſua debuit pellere, qui niſi fuiſſet, in ſervorum poteſtatem

43 civitas tota veniſſet? At unde inventa eſt iſta Libertas? quæſivi enim diligenter. Tanagræa quædam meretrix fuiſſe dicitur. ejus non longè à Tanagris ſimulacrum è marmore *in ſepulcro* poſitum fuit. Hoc quidam homo nobilis, non alienus ab hoc religioſo Libertatis ſacerdote, ad ornatum ædilitatis ſuæ deportavit. etenim cogitarat omneis ſuperiores muneris ſplendore ſuperare. Itaque omnia ſigna, tabulas, ornamentorum quod ſuperfuit in fanis [1] & communibus locis, tota è Græcia, atque inſulis omnibus, honoris populi Rom. cauſa, ſanè *frugaliter* domum ſuam deportavit. Is poſteaquam intellexit, poſſe ſe, interverſa ædilitate, à L. Piſone conſule prætorem renuntiari, ſi modò [2] eadem prima littera competitorem habuiſſet aliquem: ædilitatem duobus in locis, partim in arca, partim in hortis ſuis collocavit: ſignum de buſto meretricis ablatum iſti dedit, quod eſſet ſignum magis iſtorum, quàm publicæ libertatis. Hanc deam quiſquam violare audeat, *imaginem meretricis*, ornamentum ſepulcri, à fure ſublatam, à ſacrilego collocatam? hæc me domo mea pellet? hæc ultrix afflictæ civitatis reip. ſpoliis ornabitur? hæc erit in eo monumento quod poſitum eſt, ut eſſet *indicium* oppreſſi ſenatus [3] ad memoriam ſempiternam turpitudinis? O Q. Catule, (patremne appellem, an filium? recentior memoria filii eſt, & cum rebus meis geſtis conjunctior:) tantumne te fefellit, cùm mihi ſumma, & quotidie majora præmia in repub. fore putabas? negabas fas eſſe, *duos conſules* eſſe in hac civitate inimicos reipub. Duo ſunt inventi, qui ſenatum tribuno furenti conſtrictum traderent: qui pro me patres conſcriptos deprecari, & populo ſupplices eſſe, edictis, atque imperio, vetarent: quibus inſpectantibus domus mea diſturbaretur, diriperetur: qui denique ambuſtas fortunarum mearum reliquias ſuas in domos comportari juberent. Venio nunc ad patrem. Tu Q. Catule, M. Fulvii domum, cùm is fratris tui ſocer fuiſſet, monimentum tuarum manubiarum eſſe voluiſti, ut ejus, qui pernicioſa reipublicæ conſilia cepiſſet, omnis *memoria* funditus ex oculis hominum, ac mentibus tolleretur. Hoc ſi quis tibi ædificanti illam porticum diceret, fore tempus, cùm is tribunus plebis, qui auctoritatem ſenatus, judicium bonorum omnium neglexiſſet, tuum monumentum, conſulibus non modò inſpectantibus, verùm adjuvantibus diſturbaret, everteret, idque cum ejus civis, qui rempublicam ex ſenatus auctoritate conſul defendiſſet, domo conjungeret: nonne reſponderes, id, niſi everſa civitate, accidere non

44 poſſe? At videte hominis intolerabilem audaciam cum projecta quadam, & effrenata cupiditate. Monumentum iſte numquam, aut religionem ullam excogitavit: habitare laxè, & magnificè voluit: duaſque & magnas, & nobileis domos conjungere. eodem puncto temporis, quo meus diſceſſus iſti cauſam cædis eripuit, à Q. Seio contendit, ut Q. Poſtumius ſibi domum venderet. cùm ille id negaret: primò ſe luminibus ejus eſſe obſtructurum minabatur. Affirmabat Poſtumius, *ſe vivo*, illam domum iſtius numquam futuram. Acutus adoleſcens ex ipſius ſermone intellexit, quid fieri oporteret: hominem veneno apertiſſimè ſuſtulit: emit domum [4] licitatoribus defatigatis, propè dimidio cariùs, quàm æſtimabat. Quorſum igitur hæc oratio pertinet? domus mea illa propè tota vacua eſt: vix pars ædium mearum decima ad Catuli porticum acceſſit. cauſa fuit ambulatio, & monumentum, & iſta Tanagræa, oppreſſa libertate, Libertas. in Palatio, pulcherrimo proſpectu, porticum cum conclavibus pavimentatam trecentum pedum concupierat, ampliſſimum periſtylum; cetera ejuſmodi, facilè ut omnium domos & laxitate, & dignitate ſuperaret. Et homo religioſus, cùm ædeis meas idem emeret & venderet: tamen illis tantis tenebris non eſt auſus ſuum *nomen* emtioni illi adſcribere. poſuit ſcilicet [5] Scatonem illum, hominem ſua virtute egentem, ut is, qui in Marſis, ubi natus eſt, tectum, quo imbris vitandi cauſa ſuccederet, nullum haberet, ædeis in Palatio nobiliſſimas emiſſe ſe diceret. Inferiorem ædium partem aſſignavit non ſuæ genti Fonteiæ, ſed Clodiæ, quam reliquit. quem in numerum ex multis Clodiis nemo nomen dedit, niſi aut egeſtate, aut ſcelere perditus. Hanc vos, pontifices, 45

tam variam, tam novam [6] in omni genere voluntatem, impudentiam, audaciam, cupiditatem, comprobabitis? *Pontifex*, inquit, affuit. Non te pudet, cùm apud pontifices res agatur, pontificem dicere, non collegium pontificum affuiſſe: præſertim cùm tribunus plebis, vel denuntiare potueris, vel etiam cogere? Eſto: collegium non adhibuiſti. quid? de collegio quis tandem affuit? poſuerat enim auctoritatem in uno, quæ eſt in his omnibus: ſed tamen auget & *ætas*, & *honos* dignitatem. opus erat etiam *ſcientia*: quam etſi omnes conſecuti ſunt, [7] tamen certè peritiores VETUSTAS facit. Quis ergo affuit? Frater, inquit, uxoris meæ. Si auctoritatem quærimus, etſi id eſt ætatis, ut nondum conſecutus ſit: tamen quanta eſt in adoleſcente auctoritas, ea, propter tantam conjunctionem affinitatis, minor eſt putanda. ſin autem ſcientia eſt quæſita: quis erat minùs peritus, quàm is, qui paucis illis diebus in collegium venerat? qui etiam tibi erat magis obſtrictus beneficio recenti, cùm ſe, fratrem uxoris tuæ, fratri tuo germano antelatum videbat. Etſi in eo providiſti, ne frater te accuſare poſſet. Hanc tu igitur dedicationem appellas, ad quam non collegium, non honoribus populi Romani ornatum pontificem, non denique adoleſcentem quemquam, cum haberes in collegio familiariſſimos, adhibere potuiſti? Affuit is, ſi modo affuit, quem tu *impuliſti*: ſoror rogavit, mater coëgit. Videte igitur, pontifices, quid ſtatuatis in mea cauſa de omnium fortunis. Verbone, pontifices, putatis, ſi is poſtem tenuerit, & aliquid dixerit, domum uniuſcujuſque conſecrare poſſe? An iſtæ dedicationes, & templorum, & delubrorum religiones, ad honorem deorum immortalium, ſine ulla civium *calamitate* à majoribus noſtris conſtitutæ ſunt? Eſt inventus tribunus plebis, qui conſularibus copiis inſtructus, omni impetu furoris in eum civem irrueret: quem perculſum ipſa reſpublica ſuis manibus extolleret. Quid, ſiquis ſimi- 46

lis iſtius (neque enim jam deerunt, qui *imitari* velint) aliquem mei diſſimilem, cui reſpub. non tantum debeat, per vim afflixerit, domum ejus per pontificem dedicarit: id vos iſta auctoritate conſtituetis ratum eſſe oportere? Dicetis, quem reperiet pontificem? Quid? & tribunus plebis idem eſſe non poteſt pontifex? M. Druſus ille clariſſimus vir,

1. *Et communibus locis.*] Dictio *locis* non eſt in S. Vict. aut Pal. nono, & poterat abeſſe. *communia* enim τὰ κοινά.

2. *Eadem prima litera competitorem, &c.*] Pluribus modis veliſicatur ad hujus loci emendationem And. Scottus noſter, qui videatur lib. 1. Nodor. cap. 18.

3. *Ad memoriam ſempiternam turpitudinis.*] Iidem libri *ſempiternæ turp.* forſan rectè.

4. *Licitatoribus defatigatis.*] Ita conjecit Anton. Auguſtinus. libri enim *litigatoribus*.

5. *Scatonem illum.*] Vulgo *Statonem*. ſed alterum reſtat in Erfurd. in S. Vict. & Pal. nono.

6. *In omni genere voluntatem, impudentiam.*] Vix eſt ut reponi non debeat *volutatam impudentiam*, quod Gulielmio in mentem veniebat.

7. *Tamen certè peritiores, &c.*] Gemblac. *Arte*, at enim Pal. nonus abjicit illud *tamen*, & ſervat *certè*. quod magis probem.

vir, tribunus plebis, pontifex fuit. ergo, ſi is Q. Cæpionis, inimici ſui, poſtem ædium tenuiſſet, & pauca verba feciſſet, ædes Cæpionis eſſent dedicatæ? Nihil loquor de pontificio jure, nihil de ipſius verbis dedicationis, nihil de religione, cæremoniis: non diſſimulo me neſcire ea, quæ etiam ſi ſcirem, diſſimularem, ne aliis moleſtus, vobis etiam curioſus viderer: etſi effluunt multa ex veſtra diſciplina, quæ etiam ad noſtras aureis ſæpe permanant. Poſtem teneri in dedicatione oportere videor audiſſe *templi.* ibi enim poſtis eſt, ubi templi aditus eſt, & valvæ. Ambulationis poſteis nemo umquam tenuit in dedicando. Simulacrum autem, aut aram ſi dedicaſti, ſine religione loco moveri poteſt. Sed jam hoc dicere tibi non licebit, quoniam pontificem poſtem tenuiſſe dixiſti. Quamquam quid ego de dedicatione loquar? aut quid de veſtro jure, & reli-
47 gione contrà, quàm propoſueram, diſputabo? Ego verò, ſi omnia ſolemnibus verbis, veteribus, & priſcis inſtitutis acta eſſe dicerem: tamen me *reipub. jure* defenderem. An, cùm tu ejus civis diſceſſu, cujus unius opera ſenatus, atque omnes boni civitatem eſſe incolumem toties judicaſſent, oppreſſam tæterrimo latrocinio cum duobus ſceleratiſſimis conſulibus rempubl. teneres: domum ejus, qui patriam à ſe ſervatam perire ſuo nomine noluiſſet, per pontificem aliquem dedicaſſes: poſſet recreata reſpublica ſuſtinere. [1] Date de hac religione *aditum*, pontifices: jam nullum fortunis communibus exitum reperietis. An, ſi poſtem tenuerit pontifex, & verba ad religionem deorum immortalium compoſita, ad pernicem civium tranſtulerit, [2] valebit ad injuriam nomen ſanctiſſimum religionis: ſi tribunus plebis verbis non minus priſcis, & pæne ſollemnibus bona civis cujuſpiam conſecrarit, non valebit? Atqui C. Atinius, patrum memoria, bona Q. Metelli, qui eum ex ſenatu cenſor ejecerat, avi tui, Q. Metelle, & tui, P. Servili, & proavi tui, P. Scipio, conſecravit, foculo poſito in roſtris, adhibitoque tibicine. Quid tum? num ille furor tribuni plebis. [3] ductus ex nonnullis veterum temporum exemplis, fraudi Metello fuit, ſummo illi, & clariſſimo viro? Certè non fuit. Vidimus, hoc idem Cn. Lentulo cenſori tribunum plebis facere. Numquid igitur is bona Lentuli religioni obligavit? Sed quid ego ceteros? Tu, tu, inquam, capite velato, concione advocata, foculo poſito, bona tui Gabinii, cui regna omnia Syrorum, Arabum, Perſarumque donaras, conſecraſti. Quod ſi tum *nihil eſt actum:* quid in meis bonis agi potuit? ſin eſt ratum, cur ille gurges, heluatus tecum ſimul reipublicæ ſanguinem, ad cælum tamen exſtruxit villam in Tuſculano viſceribus ærarii; mihi meas ruinas, quarum ego ſimilem totam urbem
48 eſſe paſſus non ſum, adſpicere non licuit? Omitto Gabinium: Quid? exemplo tuo bona tua nonne L. Mummius, vir omnium fortiſſimus, atque optimus, conſecravit? quòd ſi quia ad te pertinet, ratum eſſe negas oportere: ea jura conſtituiſti in præclaro tribunatu tuo, quibus *in te converſis*, recuſares, alios everteres? ſin iſta conſecratio legitima eſt: quid eſt, quod profanum in tuis bonis eſſe poſſit? An conſecratio nullum habet jus, dedicatio eſt religioſa? Quid ergo illa tua tum obteſtatio tibicinis? quid foculus? quid preces? quid priſca verba voluerunt? ementiri, fallere, abuti deorum immortalium numine ad hominum timorem quid voluiſti? Nam ſi eſt illud ratum: mitto Gabinium: tua domus certè, & quicquid habes aliud, eſt Cereri conſecratum. [4] ſin ille tibi ludus fuit, quid te impurius, qui religiones omneis pollueris aut ementiendo, aut ſtuprando? Jam fateor, inquit, in Gabinio me nefarium fuiſſe. Quippe vides, pœnam illam à te in alium inſtitutam, in te ipſum eſſe converſam. Sed homo omnium ſcelerum, flagitiorumque documentum, quod in Gabinio fateris, cujus impudicitiam pueritiæ, libidines adoleſcentiæ, dedecus, & egeſtatem reliquæ vitæ, latrocinium conſulatus vidimus: cui ne iſta quidem ipſa calamitas *injuriâ* potuit accidere: id in me infirmas? & gravius eſſe dicis, quod uno adoleſcente, quàm quod, concione tota teſte, feciſti? Dedicatio magnam, inquit, habet religionem. Non- 49
ne vobis Numa Pompilius videtur loqui? diſcite orationem, pontifices, & vos flamines: etiam tu rex, diſce à gentili homine tuo: quamquam ille gentem iſtam reliquit: ſed tamen diſce ab homine religionibus dedito, juſto, tum omnium religionum perito. Quid? in dedicatione nonne & quis dicit, & quid, & quomodo, quæritur? An tu hæc ita confundis, & perturbas, ut, quicumque velit, quod velit, quomodo velit, poſſit dedicare? quis eras tu, qui dedicabas? quo jure? qua lege? quo exemplo? qua poteſtate? ubi te iſti rei populus Rom. præfecerat? video enim eſſe legem veterem tribunitiam, quæ vetet, *injuſſu plebis* ædeis, terram, aram conſecrare. neque tum hoc ille Q. Papirius, qui hanc legem rogavit, ſenſit, neque ſuſpicatus eſt, fore periculum, ne domicilia, aut poſſeſſiones indemnatorum civium conſecrarentur. neque enim id fieri fas erat, neque quiſquam fecerat, neque erat cauſa, cur prohibendo non tam deterrere videretur, quam *admonere.* Sed quia conſecrabantur ædes, non privatorum domicilia, ſed quæ ſacræ nominantur: conſecrabantur agri, non ita ut noſtra prædia, ſi quis vellet, ſed ut imperator agros de hoſtibus captos conſecraret: ſtatuebantur aræ, quæ religionem afferrent, ipſo ſi loco eſſent conſecratæ: hæc, niſi plebs juſſiſſet, fieri vetuit, quæ ſi tu interpretaris de noſtris ædibus, atque agris ſcripta eſſe: non repugno. ſed quæro, quæ lex lata ſit, ut tu ædeis meas conſecrares: ubi tibi hæc poteſtas data ſit: quo jure feceris. Neque ego nunc de religione, ſed de bonis omnium noſtrûm, nec de pontificio, ſed de jure
publico diſputo. Lex Papiria vetat, ædeis injuſſu plebis con- 50
ſecrari. Sit ſanè hoc de noſtris ædibus, ac non de publicis templis. Unum oſtende verbum conſecrationis in ipſa tua lege: ſi illa *lex* eſt, ac non vox ſceleris, & crudelitatis tuæ. Quòd ſi tibi tum in illo reipub. naufragio omnia in mentem venire potuiſſent, aut ſi tuus ſcriptor in illo incendio civitatis non ſyngraphas cum Byzantiis exſulibus, & cum legatis regiis faceret, ſed vacuo animo tibi iſta non ſcita, ſed portenta conſcriberet: eſſes omnia, ſi minus re, at verbis legitimis conſecutus. Sed uno tempore cautiones fiebant pecuniarum, fœdera feriebantur provinciarum, regum appellationes venales erant, ſervorum omnium vicatim celebrabatur tota urbe deſcriptio, inimici in gratiam reconciliabantur. [5] imperia adſcribebantur novæ juventuti, Q. Seio venenum miſero parabatur, de Cn. Pompejo, propugnatore, & cuſtode imperii, interficiendo conſilia inibantur, ſenatus nequid eſſet, ut lugerent boni ſemper, ut capta reſpub. conſulum proditione, vi tribunitia teneretur. Hæc cùm tot, tantaque agerentur: non mirum eſt, præſertim in furore animi, & cæcitate multa illum, & te fefelliſſe. At videte, quanta vis ſit hujus Papiriæ legis, in re tali [6] non qualem tu affers, ſceleris plenam, & furoris, Q. Marcius, cenſor, ſignum Concordiæ fecerat, idque in publico collocarat, hoc ſignum C. Caſſius cenſor cùm in curiam tranſtuliſſet, collegium veſtrum conſuluit, numquid eſſe cauſæ videretur, quin id ſignum, curiamque Concordiæ de-
dicaret. Quæſo, pontifices, & hominem cum *homine* & 51
tempus cum *tempore*, & rem cum *re* comparate. Ille erat ſumma modeſtia, & gravitate cenſor: hic tribunus plebis, ſcelere,

1. *Date huic religioni aditum Pontifices.*] Longè melius ſic Pal. nonus, Erf. Gembl. quam vulgatum: *Date de hac religione aditum.*
2. *Valebit ad injuriam nomen.*] Pal. nonus & S. Vict. valebit *injuria;* forte *in injuria.*
3. *Ductus ex nonnullis veterum temporum.*] Nihilo pejus iidem libri *perveterum.*
4. *Sin ille tibi ludus fuit.*] Pronomen *tibi* adjectum ex Turingico ac Pal. nono.
5. *Imperia adſcribebantur novæ juventuti.*] Lambinus pro imperio delevit *novæ juventuti*, & ſyllabam præterea detraxit ab *adſcribebantur.* Gulielmius conabatur potius *nova è juventute.*
6. *Non qualem tu adfers.*] Turing. & Pal. nonus, *aſſeris.*

1. *Magis*

ſcelere, & audacia ſingulari. tempus illud erat tranquillum, & in libertate populi, & gubernatione poſitum ſenatus: tuum porò tempus, libertate populi Rom. oppreſſa, ſenatus auctoritate deleta. res illa plena juſtitiæ, ſapientiæ, dignitatis. cenſor enim, penes quem majores noſtri (id quod tu ſuſtuliſti) judicium ſenatus de dignitate eſſe voluerunt, Concordiæ ſignum volebat in curia, curiamque ei deæ dedicare. Præclara voluntas, atque omni laude digna. præſcribere enim ſe arbitrabatur, ut, *ſine ſtudiis* diſſenſionis, ſententiæ dicerentur, ſi ſedem ipſam, ac templum publici conſilii, religione Concordiæ devinxiſſet. Tu cùm ferro, cùm metu, cùm edictis, cùm privilegiis, cùm præſentibus copiis perditorum, abſentis exercitus terrore, & minis, conſulum ſocietate, & nefario fœdere, ſervitute oppreſſam civitatem teneres: Libertatis ſignum poſuiſti [1] magis ad ludibrium impudentiæ, quàm ad ſimulationem religionis. Ille in curia, quæ poterat, ſine cujuſquam incommodo, dedicabat: tu in civis optimè de repub. meriti cruore, ac pænè oſſibus, ſimulacrum non *libertatis* publicæ, ſed *licentiæ*, collocaſti. Atque ille tamen ad collegium retulit: tu ad quem retuliſti? Si quid deliberares, ſi quid tibi aut piandum, aut inſtituendum fuiſſet religione domeſtica: tamen inſtituto ceterorum vetere, ad pontificem detuliſſes. novum delubrum cùm in urbis clariſſimo loco, nefando quodam, atque inaudito inſtituto, inchoares: referendum ad ſacerdotes publicos non putaſti? At, ſi collegium pontificum adhibendum non videbatur: nemone horum tibi idoneus viſus eſt, qui *ætate, honore, auctoritate* antecellunt, ut cum eo dedicationem communicares? quorum quidem
52 tu non contemſiſti, ſed *pertimuiſti* dignitatem. An tu auderes quærere ex P. Servilio, aut ex M. Lucullo: quorum ego conſilio, atque auctoritate rempub. conſul ex veſtris manibus, ac faucibus eripui: quibuſnam verbis, aut quo ritu, primùm hoc dico, civis domum conſecrares, deinde civis ejus, cui princeps ſenatus, [2] cui etiam ordines omnes, deinde Italia tota, poſt cunctæ gentes, teſtimonium hujus urbis, atque imperii conſervati dediſſent? Quid diceres, ô nefanda, & pernicioſa labes civitatis? Ades, ades, Luculle, Servili, dum dedico domum Ciceronis, [3] ut mihi præeatis, poſtemque teneatis. Es tu quidem cum audacia, tum impudentia ſingulari: ſed tibi tamen oculi, vultus, verba cecidiſſent, cùm te viri, qui ſua dignitate perſonam populi Rom. atque auctoritatem imperii ſuſtinerent, verbis graviſſimis perterruiſſent: neque ſibi fas eſſe dixiſſent, furori intereſſe tuo, atque in patriæ parricidio, & ſcelere. Quæ cùm videres, tum te ad tuum affinem non delectum à te, ſed relictum à ceteris contuliſti. quem ego tamen credo, ſi eſt ortus ab illis, quos memoriæ proditum eſt ab ipſo Hercule, perfuncto jam laboribus, ſacra didiciſſe, in viri fortis ærumnis, non ita crudelem fuiſſe, ut in vivi, & jam ſpirantis caput buſtum ſuis manibus imponeret: qui aut nihil dixit, aut, ſi fecit, omnino *pœnam* hanc maternæ temeritatis tulit, ut mutam in delicto perſonam, nomenque præberet: aut, ſi dixit aliquid, verbis hæſitantibus, poſtemque tremebunda manu tetigit. certè nihil ritè, nihil caſtè, nihil more, inſtitutoque perfecit. Viderat ille Muræнam, vitricum ſuum, conſulem deſignatum, ad me conſulem cum Allobrogibus communis exitii indicia afferre: audierat ex illo, ſe à me bis ſalutem accepiſſe, ſeparatim ſemel, iterum cum univerſis. Quare quis eſt, qui exiſtimare poſſit, huic novo pontifici, primam hanc poſt ſacerdotium initum religionem inſtituenti, vocemque mittenti, non & linguam obmutuiſſe, & manum obtorpuiſſe, & mentem debilitatam metu concidiſſe: præſertim cùm ex collegio tanto, non regem, non flaminem, non pontificem videret: fierique particeps alieni ſceleris *invitus* cogeretur, & graviſſimas pœnas affinitatis impuriſſimæ ſuſtineret? Sed, ut revertar [4] ad jus publicum vindicandum, quod ipſi pontifices ſemper non ſolùm ad ſuas cæremonias, ſed etiam ad populi juſſa accomodaverunt: habetis in commentariis veſtris, C. Caſſium cenſorem de ſigno Concordiæ dedicando ad pontificum collegium retuliſſe, eique M. Æmilium, pontif. maximum, pro collegio reſpondiſſe, niſi eum populus Roman. nominatim præfeciſſet, atque ejus juſſu faceret: non videri ea rectè poſſe dedicari. Quid, cùm Licinia virgo Veſtalis, ſummo loco nata, ſanctiſſimo ſacerdotio prædita, T. Flaminino, Q. Metello, Coſs. aram, & ædiculam, & pulvinar ſub ſaxo ſacro dedicaſſet, non eam rem ex auctoritate ſenatus ad hoc collegium Sex. Julius prætor retulit? cùm P. Scævola, pontif. Max. pro collegio reſpondit, quod in loco publico Licinia, C. F. injuſſu populi dedicaſſet, [5] *ſacrum non videri* eſſe. Quam quidem rem quanta ſeveritate, quantaque diligentia ſenatus ſuſtulerit, ex ipſo S. C. facilè cognoſcetis. Recita S. C. SENATUS CONSULTUM. Videtiſne, prætori urbano negotium datum, ut curaret, ne id ſacrum eſſet? & ut, ſi quæ eſſent inciſæ, aut inſcriptæ litteræ, tollerentur? O tempora, ô mores! Tum cenſorem, hominem ſanctiſſimum, ſimulacrum Concordiæ dedicare pontifices in templo inaugurato prohibuerunt: pòſt autem ſenatus in loco auguſto conſecratam eam aram, tollendam ex auctoritate pontificum cenſuit, neque ullum eſt paſſus ex ea dedicatione, litterarum exſtare *monumentum*. tu procella patriæ, turbo, ac tempeſtas pacis, atque otii, quod in naufragio reip. tenebris offuſis, demerſo populo Roman. everſo, atque ejecto ſenatu dirueris, ædificaris, religione omni violata, reip. tantum nomine contaminaris: in civis hujuſce ædibus, & in urbe, quàm ſuis laboribus, ac periculis conſervaſſet, monumentum deletæ reip. collocaris ad equitum notam, ad dolorem bonorum omnium, ſublatoque Q. Catuli nomine incideris: id ſperaſti rempub. diutius, quàm, quoad mecum ſimul expulſa careret his mœnibus, eſſe laturam? At, ſi, pontifices, neque is, cui licuit, neque id, quod fas fuit, dedicavit: quid me attinet jam illud tertium, quod propoſueram, docere, non his inſtitutis, ac verbis, quibus cæremoniæ poſtulant, dedicaſſe? Dixi 54
à principio, nihil me de ſcientia veſtra, nihil de ſacris, nihil de abſcondito jure pontificum, dicturum. quæ ſunt adhuc à me de jure dedicandi diſputata, non ſunt quæſita ex occulto aliquo genere litterarum, ſed ſumta de medio, ex rebus palàm per magiſtratus actis, ad collegiumque delatis, ex S. conſulto, ex lege. Illa *interiora*, jam veſtra ſunt, quid diei, quid præcipere, quid tangi, quid teneri jus fuerit. quæ ſi omnia ex Coruncanii ſcientia, qui peritiſſimus pontifex fuiſſe dicitur, acta eſſe conſtarent: aut ſi M. Horatius ille Pulvillus, qui, cùm ejus dedicationem multi, propter invidiam, fictis religionibus impedirent, reſtitit, & conſtantiſſima mente Capitolium dedicavit, hujuſmodi alicui dedicationi præfuiſſet: tamen *in ſcelere religio non valeret*: nedum valeat id, quod imperitus adoleſcens, novus ſacerdos, ſororis precibus, matris minis adductus, ignarus, invitus, ſine collegis, ſine libris, ſine auctore, [6] ſine fictore, furtim, mente, ac lingua titubante feciſſe dicatur: præſertim cùm iſte impurus, atque impius hoſtis omnium religionum, qui contra fas inter viros ſæpe mulier, & inter mulieres vir fuiſſet, ageret illam
rem

1. *Magis ad ludibrium pudicitiæ.*] Ita aliàs legi adnotatum aliis; placetque præ vulgato, *impudentiæ*; quod tamen in pleriſque Pal. nam nonus *impudicitiæ*.

2. *Cui etiam ordines omnes.*] Pall. fere, *tui etiam ordines omnes*; lectione, in ſpeciem bona ſed malim quod reſtat in nono firmatque S. Victoris liber, *tum autem ordines omnes*.

3. *Ut mihi præeatis.*] Meliores mſſ. noſtri *pareatis*, quod Gulielmius omittendum non putabat.

4. *Ad jus publicum vindicandum.*] Libri ſelectiores *judicandi*. Pal. pr. *dedicandi*.

5. *Sacrum non videri eſſe.*] Erfurd. *viderier eſſe*. codex S. Victoris *eſſe* abjicit, retinetque tantum *viderier*.

6. *Sine fictore.*] Reſtitui Tullio propriam ſuam vocem, conſpiratione omnium Pall. item editionum veterum, præterquam primæ, quæ verbulum iſtud totum omiſit. at poſteriores nobis obtruſerant, *ſine ſcriptore*, Ennii verſus eſt: *Libaque fictores, Argeos & tutelatos.*

1. Nam

rem ita raptim, & turbulentè, ut neque mens, neque vox,
55 neque lingua conſiſteret. Delatum tum eſt ad vos pontifices, & poſt omnium ſermone celebratum, quemadmodum iſte præpoſteris verbis, ominibus obſcœnis, identidem ſe ipſe revocando, dubitans, timens, hæſitans, omnia aliter, ac vos in monumentis habetis, & pronuntiarit, & fecerit. Quod quidem minimè mirum eſt, in tanto ſcelere, tantaque dementia, ne *audaciæ* quidem locum ad timorem comprimendum fuiſſe. Etenim, ſi nemo umquam prædo tam barbarus, atque immanis fuit, qui cùm fana ſpoliaſſet, deinde aram aliquam in litore deſerto, *ſomnu ſtimulatus*, aut religione aliqua, conſecraret, non horreret animo, cùm divinum numen ſcelere violatum, placare precibus cogeretur: qua tandem iſtum perturbatione mentis, omnium templorum, atque tectorum, totiuſque urbis prædonem, fuiſſe cenſetis, cùm pro deteſtatione tot ſcelerum unam aram nefariè conſecraret? [1] Non potuit ullo modo (quamquam & inſolentia dominatus extulerat animos, & erat incredibili armatus audacia) non in agendo ruere, ac ſæpe peccare, præſertim illo pontifice, & magiſtro, qui cogeretur docere, antequàm ipſe didiciſſet. MAGNA VIS eſt cùm in deorum immortalium numine, tum verò in ipſa rep. Dii immortales ſuorum templorum cuſtodem, ac præſidem ſceleratiſſimè pulſum cùm viderent, ex ſuis templis in ejus ædeis immigrare nolebant. itaque iſtius vecordiſſimi mentem cura, metuque terrebant. Res verò publica, quamquam erat exterminata mecum, tamen obverſabatur ante oculos [2] exſtinctoris ſui, & ab iſtius [3] inflammato, atque ignito furore jam tum me, ſeque repetebat. Quare quid eſt mirum, ſi iſte metus furore inſtinctus, ſcelere præceps, neque inſtitutas cæremonias perſequi,
56 neque verbum ullum ſollemne potuit effari? Quæ cum ita ſint, pontifices, revocate jam animos veſtros ab hac ſubtili noſtra diſputatione ad univerſam rempub. quam anteà cum viris fortibus multis, in hac verò cauſa ſolis veſtris cervicibus ſuſtinetis. Vobis univerſi ſenatus perpetua auctoritas, cui voſmetipſi præſtantiſſimi ſemper in mea cauſa præfuiſtis: vobis Italiæ magnificentiſſimus ille motus, municipiorumque concurſus, vobis campus, centuriarumque una vox omnium, quarum vos principes, atque auctores fuiſtis, vobis omnes ſocietates, omnes ordines, omnes, qui aut re, aut ſpe denique ſunt boni, omne vobis erga meam dignitatem ſtudium, & judicium non modò commiſſum, verùm etiam commendatum eſſe arbitrabuntur. denique ipſi dii immortales, qui hanc urbem, atque hoc imperium tuentur, ut eſſet omnibus gentibus, poſteritatique perſpicuum, divino me numine eſſe reipubl. redditum, idcirco mihi videntur fructum ipſum reditus, & gratulationis meæ, ad ſuorum ſacerdotum poteſtatem, judiciumque revocaſſe. Hic eſt enim *reditus*, pontifices, hæc reſtitutio, in domo, in ſedibus, in aris, in focis, in diis penatibus recuperandis. quorum ſi iſte ſuis ſceleratiſſimis manibus tecta, ſedeſque convellit: ducibuſque conſulibus, tanquam urbe capta, hanc unam domum, quaſi acerrimi propugnatoris, ſibi delendam putavit: tamen illi dii penates, ac familiares mei, per vos in meam domum mecum
erunt reſtituti. Quocirca te, Capitoline, quem propter 57
beneficia populus Roman. *optimum*, propter vim, *maximum* nominavit, teque, Juno regina, & te, cuſtos urbis, Minerva, quæ ſemper adjutrix conſiliorum meorum, teſtis laborum exſtitiſti, precor, ac quæſo: voſque, qui maxime me repetiſtis, atque revocaſtis, quorum de ſedibus hæc mihi propoſita eſt contentio, patrii penates, familiareſque, qui huic urbi, & reipubl. [4] præſidetis, vos obteſtor, quorum ego à templis, ac delubris peſtiferam illam, & nefariam flammam depuli: teque, Veſta mater, cujus caſtiſſimas ſacerdotes ab hominum amentia, furore, & ſcelere defendi: cujuſque ignem illum ſempiternum non ſum paſſus aut *ſanguine* civium reſtingui, aut cum totius urbis incendio commiſceri: ut, ſi in illo pænè fato reipub. objeci meum caput pro veſtris cæremoniis, atque templis, perditiſſimorum civium furori, atque ferro: &, ſi iterum, cùm ex mea contentione interitus bonorum omnium quæreretur, vos ſum teſtatus, vobis me, ac meos commendavi, meque, ac meum caput ea conditione devovi, ut, ſi & eo ipſo tempore, & antè, & in conſulatu meo, commodis meis omnibus, emolumentis, præmiis prætermiſſis, cura, cogitatione, vigiliis omnibus, nihil, niſi de ſalute meorum civium laboraſſem: tum mihi republ. aliquando reſtituta liceret frui: ſin autem mea conſilia patriæ non profuiſſent, ut perpetuum dolorem, avulſus à meis, ſuſtinerem: hanc ego *devotionem capitis* mei, cùm ero in ſedes meas reſtitutus, tum denique convictam eſſe, & commiſſam putabo. nam nunc quidem, pontifices, non ſolum domo, de qua cognoſcitis, ſed tota urbe careo, in quam videor eſſe reſtitutus. Urbis enim celeberrimæ, & maximæ partes adverſum illud non monumentum, ſed vulnus patriæ contuentur. quem cùm mihi conſpectum morte magis vitandum, fugiendumque eſſe videatis: nolite, quæſo, eum, cujus reditu reſtitutam rempub. fore putaſtis, non ſolùm dignitatis ornamentis, ſed etiam urbis
partibus velle eſſe privatum. Non me bonorum direptio, 58
non tectorum exciſio, non depopulatio prædiorum, non præda conſulum ex meis fortunis crudeliſſimè capta permovet: *caduca* ſemper, & mobilia hæc eſſe duxi: non virtutis, atque ingenii: ſed fortunæ, & temporum munera: quorum ego non tam facultatem umquam, & copiam, [5] extendendam putavi, quàm & in utendo *rationem*, & in carendo *patientiam*. Etenim ad noſtrum uſum propemodum jam eſt definita moderatio rei familiaris: liberis autem noſtris ſatis amplum *patrimonium* paterni nominis, ac noſtræ memoriæ relinquemus: domo per ſcelus erepta, per latrocinium occupata, per religionis vim ſceleratiùs etiam ædificata, quàm everſa, carere ſine maxima ignominia reipub meo dedecore, ac dolore non poſſum. Quapropter, ſi diis immortalibus, ſi ſenatui, ſi populo Rom. ſi cunctæ Italiæ, ſi provinciis, ſi exteris nationibus, ſi vobiſmetipſis, qui in mea ſalute principem ſemper locum, auctoritatemque tenuiſtis, gratum & jucundum meum reditum intelligitis eſſe: quæſo, obteſtorque vos, pontifices, ut me, quem auctoritate, ſtudio, ſententiis reſtituiſtis, nunc, quoniam ſenatus ita vult, *manibus* quoque veſtris in ſedibus meis collocetis.

M. TUL-

1. *Non potuit ullo modo*] Efficacius iſtud omnium ſcriptorum, quam quod in editis *poterat*.

2. *Exſtinctoris ſui.*] Vett. edd. & mſſ. Pall. aliorumque omnes iſtud habebant itaque mirarer cur id poſterius nati mutarint in *exterminatoris*, niſi putaſſent Deos non exſtingui. at nec exterminantur, ſi ſunt Dei.

3. *Inflammato & ignito furore.*] Iidem libri omnes, *inito*, niſi quod Pal. nonus *inico*. quod mutari queat in *iniquo*, in *inigo*; imò in *unico*. ſed viderint alii. ego feſtino nimis.

4. *Præſidetis.*] Ediderat ſic Lambinus, non addito an è libris. ſed ſic reperit in Erfurdiano Suffridus, ego autem in Palatino nono. vulgata, *præſides eſtis*.

5. *Extendendam putavi.*] Irrepſerat *expetendam*, ſed invitis Pall. noſtris omnibus & vetuſte impreſſis. hujuſmodi mille mutationes erueret, qui olim cuſos, qui membranas bibliothecarum non raptim & carptim legeret, ſed verbatim imò ſyllabatim perſequeretur. quod quis facere capiatur, hoc ſæculo noſtro, cujus pompa tota conſumitur in parergis?

M. TULLIUS CICERO DE HARUSPICUM RESPONSIS, IN SENATU.

ORATIO TRICESIMA.

1 HESTERNO die, P.C. cùm me, & veſtra dignitas, & frequentia equitum Romanorum, quibus ſenatus dabatur, [1] magnoperè commoſſet: putavi mihi reprimendam eſſe P. Clodii impudicam impudentiam, cùm is publicanorum cauſam ſtultiſſimis interrogationibus impediret, & P. Tullioni Syro navaret operam, atque ei ſeſe, cui totus *venierat*, etiam vobis inſpectantibus venditaret. Itaque hominem furentem, exſultantemque continui, ſimulac periculum judicii intendi: duobus inceptis verbis omnem impetum gladiatoris, ferociamque compreſſi. Attamen ignarus ille, qui conſules eſſent, exſanguis, atque æſtuans, ſe ex curia repentè proripuit, cum quibuſdam fractis jam, atque inanibus minis, & cum illius Piſoniani temporis, Gabinianique terroribus. Quem cùm egredientem inſequi cœpiſſem: cepi equidem fructum maximum & ex *conſurrectione* omnium veſtrûm, & ex comitatu publicanorum. ſed vecors repentè ſine ſuo vultu, ſine colore, ſine voce conſtitit: deinde reſpexit; & ſimulac Cn. Lentulum coſ. adſpexit, concidit in curiæ pænè limine, recordatione, credo, Gabinii ſui, deſiderioque Piſonis: cujus ego de effrenato, & præcipiti furore [2] quid dicam? haud poteſt gravioribus à me verbis vulnerari, quam eſt ſtatim, in facto ipſo, à graviſſimo viro, P. Servilio confectus, ac trucidatus. [3] cujus ſi etiam vim, & gravitatem illam ſingularem, ac pænè divinam, aſſequi poſſent: tamen non dubito, quin ea tela, quæ conjecerit inimicus, quàm ea, quæ *collega patris* emiſit, leviora, atque hebe-
2 tiora eſſe videantur. Sed tamen mei facti rationem exponere illis volo, qui heſterno die dolore me elatum, & iracundia [4] longiùs propè digreſſum arbitrabantur, quàm ſapientis hominis cogitata ratio poſtularet. Nihil feci iratus, nihil impotenti animo, nihil non diu conſideratum, ac multo antè meditatum. Ego enim, P. C. inimicum me ſemper eſſe profeſſus ſum duobus, [5] qui me, qui rempublicam cum defendere deberent, ſervare poſſent; cumque ad conſulare officium ipſis inſignibus illius imperii, ad meam ſalutem non ſolùm auctoritate, ſed etiam precibus veſtris vocarentur: primò reliquerunt, deinde prodiderunt, poſtremo oppugnaverunt, præmiiſque [6] nefariæ pactionis funditus unà cum repub. oppreſſum, exſtinctumque voluerunt: quique ſuo ductu, & imperio cruento illo, atque funeſto ſupplicia neque à ſociorum mœnibus prohibere, neque hoſtium urbibus inferre potuerunt: exciſionem, inflammationem, everſionem, depopulationem, [7] vaſtitatem eam, ſua cum præda, meis omnibus tectis, atque agris intulerunt. cum his furiis, & facibus, cum his, inquam, exitioſis prodigiis, ac pænè hujus imperii peſtibus, bellum mihi inexpiabile dico eſſe ſuſceptum: neque id tamen ipſum tantum, quantum meus, ac meorum, ſed tantum, quantum veſter, atque omnium *bonorum dolor* poſtulavit.
In Clodium vero non eſt hodie meum majus odium, quàm 3
illo die fuit, cùm illum ambuſtum religioſiſſimis ignibus, cognovi muliebri ornatu, ex inceſto ſtupro, atque ex domo pontificis maximi emiſſum. tum, inquam, tum vidi, ac multò antè proſpexi, quanta tempeſtas excitaretur, quanta impenderet procella reipub. Videbam, illud ſcelus tam importunum, audaciam tam immanem adoleſcentis furentis, nobilis, vulnerati, non poſſe arceri *otii finibus:* erupturum illud malum aliquando, ſi impunitum fuiſſet, ad perniciem civitatis. non multum mihi ſane pòſt ad odium acceſſit. nihil enim contra me fecit odio mei, ſed odio ſeveritatis, odio dignitatis, odio reipub. non me magis violavit, quàm ſenatum, quàm equites Rom. quàm omneis bonos, quàm Italiam cunctam. non denique in me ſceleratior fuit, quàm in ipſos deos immortaleis. Etenim illos eo ſcelere violavit, quo nemo antea. in me fuit eodem animo, [8] quo etiam ejus familiaris Catilina, ſi viciſſet, fuiſſet. Itaque eum numquam à me eſſe accuſandum putavi, non plus, quam *ſtipitem* illum, qui, quorum hominum eſſet, neſciremus, niſi ſe Ligurem ipſe eſſe diceret. Quid enim hunc perſequar, pecudem, ac belluam, pabulo inimicorum meorum, & glande corruptum? qui ſi ſenſit, quo ſeſe ſcelere divinxerit: non dubito, quin ſit *miſerrimus*. ſin autem id non videt: periculum eſt, ne ſe ſtuporis excuſatione defendat. Accedit etiam, quòd, exſpectatione omnium, fortiſſimo, & clariſſimo viro, T. Annio, devota, & conſtituta iſta hoſtia eſſe videtur: cui me præripere deſponſam jam, & deſtinatam laudem, cùm ipſe ejus opera & dignitatem, &
ſalutem recuperarim, valde eſt iniquum. Etenim, ut P. 4
ille Scipio, *natus* mihi videtur ad interitum, exitiumque Karthaginis, qui illam à multis imperatoribus obſeſſam, oppugnatam, labefactatam, pænè captam aliquando, quaſi fatali eventu, ſolus evertit: ſic T. Annius ad illam peſtem comprimendam, exſtinguendam, funditus delendam natus eſſe videtur, & quaſi divino munere donatus reipub. Solus ille cognovit, quemadmodum armatum civem, qui lapidibus, qui ferro alios fugaret, alios domi contineret, qui urbem totam, qui curiam, qui forum, qui templa omnia

1. M*Agnopere commoſſet.*] Ita Pall. omnes, item Gembl. S. Vict. ac Toſanus. vulgo *commoviſſet.* quod eodem quidem redit. ſed non eſt noſtrum augere ſyllabis Tullium.

2. *Quid dicam? haud poteſt.*] Scripti fere, *quid dicam? aut poteſt, &c. trucidatus.* Lambinus *aut* expunxit, & verò abeſt libro S. Victoris.

3. *Cujus ſi etiam vim.*] Gulielmius putabat *ſi etiam* poſitum pro *etiamſi.* non repugno. Pall. tamen habent tantum, *cujus ſi jam vim.* editio princeps, *cujus etſi jam vim.*

4. *Longius prope digreſſum.*] S. Victor. & Pal. nonus *progreſſum.* quod recepit quidem Lambinus, ſed abjecit *prope*, quod in omnibus noſtris.

5. *Qui me, qui remp. cum defendere, &c.*] Ita longe melius Pal. nonus & Turing. quam vulgatum, *qui rem meam cum.* ad hanc lectionem duxit Lambinum conjectura.

6. *Nefariæ pactionis.*] Neſcio an non melius, *factionis* quod in mſſ. noſtris, nec non editionibus vetuſtis.

7. *Vaſtitatem eam ſua cum præda, &c.*] Lambini licentioſa nimis eſt exerratio, qui repoſuit, *vaſtitatem, aucti præda, meis, &c.* mſſ. nihil mutant, quàm quod quidam *meam.* quidam *mea*, quidam *ea.* Gulielmius tentabat, *vaſtitate mea.*

8. *Quam ejus familiaris.*] Temerariumne eſt, an aliquid ſubeſt, quod Pall. omnes *meus familiaris?*

omnia cæde, incendiiſque terreret, [1] non modò *vincere*, verum etiam *vincire* oporteret. Huic ego, & tali, & ita de me, ac de patria merito viro, numquam mea voluntate præripiam eum præſertim reum, cujus ille inimicitias non ſolùm ſuſcepit propter ſalutem meam, verùm etiam appetivit. Sed ſi etiam nunc illaqueatus jam omnium legum periculis, irretitus odio bonorum omnium, exſpectatione ſupplicii jam non diuturna implicatus, feretur tamen hæſitans, & in me impetum impeditus facere conabitur: reſiſtam, & aut concedente, aut etiam adjuvante Milone, ejus conatum refutabo: velut heſterno die, cùm mihi ſtanti tacens minaretur, voce tantum attigi legum initium, & judicii. conſedit ille. conticuit. Diem dixiſſet, ut fecerat. feciſſem, ut ei ſtatim tertius à prætore dies diceretur. Atque hoc ſic moderetur: & cogitet, ſi contentus ſit iis ſceleribus, quæ commiſit, eſſe jam conſecratum Miloni: [2] ſiquod in me telum intenderit, ſtatim me eſſe arrepturum *arma judiciorum*, atque legum. Atqui paullo antè, P. C. concionem habuit, quæ eſt ad me tota delata: cujus concionis primùm univerſum argumentum, ſententiamque audite. cùm riſeritis impudentiam hominis, tum à me
5 de tota concione audietis. De religionibus ſacris, & cæremoniis eſt concionatus, patres conſcripti, Clodius: P. inquam, Clodius ſacra, & religiones negligi, violari, pollui, queſtus eſt. non mirum, ſi hoc vobis ridiculum videtur. etiam ſua concio *riſit hominem*, quomodo ipſe gloriari ſolet, ducentis confixum ſenatuſconſultis: quæ ſunt omnia contra illum pro religionibus facta, hominemque eum, qui pulvinaribus Bonæ deæ ſtuprum intulerit, eaque ſacra, quæ *viri oculis*, ne imprudentis quidem, adſpici fas eſt, non ſolum adſpectu virili, ſed flagitio, ſtuproque violarit, in concione de religionibus neglectis conqueri. Itaque nunc proxima concio ejus exſpectatur *de pudicitia*. Quid enim intereſt, utrùm ab altaribus religioſiſſimis fugatus, de ſacris, & religionibus conqueratur, an ex ſororum cubiculo egreſſus, pudorem, pudicitiamque defendat? Reſponſum Haruſpicum hoc recens de fremitu in concione recitavit: in quo cum aliis multis ſcriptum etiam illud eſt (id quod audiſtis) *loca ſacra, & religioſa profana haberi*. In ea cauſa eſſe dixit domum meam, à religioſiſſimo ſacerdote, P. Clodio, conſecratam. Gaudeo mihi de toto hoc oſtento, quod haud ſcio, an graviſſimum multis his annis huic ordini nuntiatum ſit, datam non modò juſtam, ſed etiam neceſſariam cauſam eſſe dicendi. Reperietis enim ex hoc toto prodigio, atque reſponſo, nos de iſtius ſcelere, ac furore, ac de impendentibus periculis maximis, propè jam *voce* Jovis optimi maximi præmoneri. Sed primùm expiabo religionem ædium mearum ſi id facere verè, ac ſine cujuſquam dubitatione potero. ſin ſcrupulus tenuiſſimus reſidere aliquis videbitur: non modò patienti, ſed etiam libenti animo portentis deorum im-
6 mortalium, religionique parebo. Sed quæ tandem eſt in hac urbe tanta domus, ab iſta religionis ſuſpicione tam vacua, atque pura? Quamquam veſtræ domus, P. C. ceterorumque civium, multo maxima ex parte ſunt liberæ religione, tamen una mea domus judiciis omnibus liberata, in hac urbe, ſola eſt. Te enim appello, Lentule, & te, Philippe. ex hoc Haruſpicum reſponſo decrevit ſenatus, ut de locis ſacris religioſis, ad hunc ordinem referretis. poteſtiſne referre de mea domo? quæ (ut dixi) ſola, in hac urbe, omni religione, omnibus judiciis, liberata eſt quam primùm inimicus ipſe in illa tempeſtate, ac *nocte reipub.* cùm cetera ſcelera ſtilo illo impuro [3] Sex. Clodius ore tincto conſcripſiſſet, ne una quidem attigit littera religionis. deinde eandem domum populus Rom. cujus eſt ſumma poteſtas omnium rerum, comitiis centuriatis, omnium ætatum, ordinumque ſuffragiis, eodem jure eſſe juſſit, quo fuiſſet. Poſtea vos, P. C. non quòd dubia res eſſet, ſed ut huic furiæ, ſi diutius in hac urbe, quam delere cuperet, maneret, [4] vox interdiceretur, decreviſtis, ut de mearum ædium religione ad pontificum collegium referretur. Quæ tanta religio eſt, qua non in noſtris dubitationibus, atque in maximis ſuperſtitionibus, unius P. Servilii, ac M. Luculli reſponſo, ac verbo liberemur? De ſacris publicis, de ludis maximis, de deorum Penatium, Veſtæq; matris cæremoniis, de illo ipſo ſacrificio, quod fit pro ſalute populi Romani, quod poſt Romam conditam, hujus unius *caſti tutoris* religionum ſcelere violatum eſt, quod tres pontifices ſtatuiſſent, id ſemper populo Rom. ſemper ſenatui, ſemper ipſis diis immortalibus ſatis ſanctum, ſatis auguſtum, ſatis religioſum eſſe viſum eſt. At verò meam domum P. Lentulus, cos. & pontifex, P. Servilius, M. Lucullus, Q. Metellus, M. Glabrio, M. Meſſala, L. Lentulus, flamen Martialis: P. Galba, [5] Q. Metellus Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Claudius, rex ſacrorum: M. Scaurus, M. Craſſus, C. Curio, Sex. Cæſar, flamen Quirinalis: Q. Cornelius, P. Albinovanus, Q. Terentius, pontifices minores, cauſa cognita, duobus locis dicta, maxima frequentia ampliſſimorum, ac ſapientiſſimorum civium adſtante, omni religione, una mente, omnes liberaverunt.
Nego umquam poſt ſacra conſtituta, quorum eadem eſt 7
antiquitas, quæ ipſius urbis, ulla de re, ne de capite quidem virginum Veſtalium, tam frequens collegium judicaſſe. quamquam AD FACINORIS diſquiſitionem intereſt adeſſe quampiurimos. Ita eſt enim interpretatio illa pontificum, ut iidem poteſtatem habeant judicum. Religionis explanatio vel ab uno pontifice perito rectè fieri poteſt: quod idem in judicio capitis *durum*, atque iniquum eſt. tamen ſic reperietis, frequentiores pontifices de mea domo, quàm umquam de cæremoniis virginum judicaſſe. Poſtero die frequentiſſimus ſenatus, te conſule deſignato, Lentule, ſententiæ principe, P. Lentulo, & Q. Metello, coss. referentibus, ſtatuit, cùm omnes pontifices, qui erant hujus ordinis, adeſſent: cumque alii, qui honoribus populi Rom. antecedebant, multa de collegii judicio verba feciſſent, omneſque iidem ſcribendo adeſſent: domum meam, judicio pontificum, *religione liberatam* videri. De hoc igitur loco ſacro potiſſimum videntur Haruſpices dicere, qui locus ſolus ex privatis locis omnibus hoc præcipuè juris habet, ut ab ipſis, qui *ſacris* præſunt, ſacer non eſſe judicatus ſit? Verum referte: quod ex S. C. facere debetis. aut vobis cognitio dabitur, qui primi de hac domo ſententiam dixiſtis, & eam religione omni liberaſtis: aut ſenatus ipſe judicabit, qui, uno illo ſolo antiſtite ſacrorum diſſentiente, frequentiſſimus antea judicavit: aut, id quod certè fiet, ad pontifices rejicietur, quorum auctoritati, fidei, prudentiæ majores noſtri ſacra, religioneſque & *privatas*, & *publicas* commendarunt. Quid ergo hi poſſunt aliud judicare ac judicaverunt? Multæ ſunt domus in hac urbe, P. C. atque haud ſcio, an pænè cunctæ jure optimo: ſed tamen jure privato. jure hereditario, jure auctoritatis, jure mancipi, jure nexi. nego eſſe ullam domum aliam, æquè privato jure, atque optima

1. *Non modo vincere, verùm etiam vincire oporteret.*] Lambinus, *non modo vincire, verum etiam vincere, &c.* meo judicio ineptiſſime. longe enim plus artis vincere, quam vincire belluam indomitam. vincitur mortua, vincitur viva. quo ipſo jucundius ſanè nobis aliiſque præbet ſpectaculum. ait idem ita eſſe in mſſ. de ſuis, ſcire ipſe poteſt. at Pall. noſtri *vinci verùm etiam vincere.* Pal. nonus totum iſtud omiſit.

2. *Si quod in me telum intenderit.*] Malui iſtud cum Pal. nono, Erfurd. & S. Vict. quam cum vulgg. *interſerit.* iiſdem auctoribus antea ſcripſi *eſſe jam conſecratum.*

3. *Sex. Clodii ore tincto conſcripſiſſet.*] Amariſſimum convitium, at illud *ore tincto* hactenus defuit libris noſtris. exſtat tamen in Pal. nono, in Toſano, in Gemblacenſi, in S. Victoris, meminitque etiam Lambinus. vulgata, *Sex Clodius conſcripſiſſet*, miniatos fuiſſe ſtylos ſcriptorum alibi erit dicendi locus.

4. *Vox interdiceretur.*] Alii *intercluderetur* legunt. Gulielmius conabatur *interciperetur.* ego vulgatæ adhæſerim.

5. *Q. Metellus Scipio.*] Vox *Metellus*, nunc primum accedit vulgato, ſuadentibus Gembl. Toſ. Erfurd. S. Vict. ac Palat. nono.

1. *Meis*

optima lege, publico verò omni præcipuo, & humano, & divino jure munitam. quæ primum ædificatur ex auctoritate ſenatus, pecunia publica: deinde contra vim nefariam hujus gladiatoris, tot ſenatusconſultis munita, atque ſæ-
8 pta eſt. Primùm negotium iiſdem magiſtratibus eſt datum anno ſuperiore, ut curarent, ut ſine vi mihi ædificare liceret, quibus in maximis periculis, univerſa reſpubl. commendari ſolet: deinde, cùm ille ſaxis, & ignibus, & ferro vaſtitatem [1] meis ſedibus intuliſſet: decrevit ſenatus, eos, qui id feciſſent, lege de vi, quæ eſt in eos, qui univerſam rempub. oppugnaſſent, teneri. Vobis verò referentibus, ô poſt hominum memoriam fortiſſimi, atque optimi conſules, decrevit idem ſenatus frequentiſſimus, qui meam *domum violaſſet*, contra rempub. eſſe facturum. Nego, ullo de opere publico, de monumento, de templo, tot ſenatus exſtare conſulta, quot de mea domo, quam ſenatus unam, poſt hanc urbem conſtitutam, ex ærario ædificandam, à pontificibus liberandam, à magiſtratibus defendendam, [2] à judicibus puniendam putaret. P. Valerio, pro maximis in rempub. beneficiis, data domus eſt [3] in villa publica: at mihi in Palatio reſtituta. illi locus: at mihi etiam parietes, atque tectum. illi, quam ipſe privato jure tueretur: mihi, quam publicè magiſtratus omnes defenderent. Quæ quidem ego ſi aut per me, aut ab aliis haberem: non prædicarem apud vos, ne nimis gloriari viderer. ſed, cùm ſint mihi data à vobis, cùm ea attententur ejus lingua, cujus anteà manu everſa vos mihi, & liberis meis, manibus veſtris reddidiſtis: non ego de meis, ſed de veſtris factis loquor: nec vereor, ne hæc mea veſtrorum beneficiorum prædicatio, non grata potius, quàm arrogans videatur. Quamquam, ſi me tantis laboribus pro communi ſalute perfunctum efferret aliquando ad gloriam in refutandis maledictis improborum hominum, *animi quidam dolor*, quis non ignoſceret? Vidi enim heſterno die quendam murmurantem: quem ajebant negare ferre me poſſe, quia, cùm ab hoc eodem impuriſſimo parricida rogarer, cujus eſſem civitatis, reſpondi, me, probantibus & vobis, & equitibus Rom. ejus eſſe, quæ carere me non potuiſſet. Ille, ut opinor, ingemuit. Quid igitur reſponderem? (quæro ex eo ipſo, qui ferre me non poteſt) me civem eſſe Romanum? litteratè reſpondiſſem. Tacuiſſem? deſertum negotium. POTEST QUISQUAM vir in rebus magnis cum invidia verſatus, ſatis graviter contra inimici contumeliam ſine ſua laude reſpondere? At ipſe non modò reſpondet, quidquid poteſt, cum eſt laceſſitus: ſed etiam
9 gaudet, ſe ab amicis, quid reſpondeat, admoneri. Sed, quoniam mea cauſa expedita eſt; videamus nunc, quid haruſpices dicant. Ego enim fateor, me, & magnitudine oſtenti, & gravitate reſponſi, & una, atque conſtanti haruſpicum voce vehementer eſſe commotum. Neque is ſum, qui, ſi cui fortè videor plus, quàm ceteri, qui æquè, atque ego, ſunt occupati, verſari in ſtudio litterarum, his delecter, aut utar omnino litteris, quæ noſtros animos deterrent, atque avocant à religione. Ego verò primùm habeo auctores; ac magiſtros *religionum colendarum*, majores noſtros: quorum mihi tanta fuiſſe ſapientia videtur, ut ſatis, ſuperque prudentes ſint, qui illorum prudentiam non dicam aſſequi, ſed, quanta fuerit, perſpicere poſſint: qui ſtatas, ſollemneiſque cæremonias, pontificatu: rerum bene gerendarum auctoritates, augurio: fatorum veteres prædictiones Apollinis, vatum libris: [4] portentorum explanationes, Etruſcorum diſciplina contineri putarunt: quæ quidem tanta eſt, ut noſtra memoria primùm Italici belli funeſta illa principia, pòſt Sullani, Cinnanique temporis extremum pænè diſcrimen, tum hanc recentem urbis inflammandæ, delendique imperii conjurationem non obſcurè nobis paullo antè *prædixerint*. [5] Deinde etiam cognovi, multa homines doctiſſimos, ſapientiſſimoſque & dixiſſe, & ſcripta de deorum immortalium numine reliquiſſe: quæ quamquam divinitus perſcripta video, tamen ejuſmodi ſunt, ut ea majores noſtri docuiſſe illos, non ab illis didiciſſe videantur. Etenim QUIS ETS TAM vecors, qui aut, cùm ſuſpexerit in cælum, deos eſſe non ſentiat, & ea, quæ tanta mente fiunt, ut vix quiſquam arte ulla [6] ordinem rerum, ac neceſſitudinem perſequi poſſit, caſu fieri putet: aut, cùm deos eſſe intellexerit, non intelligat, eorum numine hoc tantum imperium eſſe natum, & auctum, & retentum? Quàm volumus licet, P. C. ipſi nos amemus, tamen nec numero Hiſpanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipſo hujus gentis, ac terræ domeſtico, nativoque ſenſu, Italos ipſos, ac Latinos, ſed *pietate*, *ac religione*, atque hac una ſapientia, quod deorum immortalium numine omnia regi, gubernarique perſpeximus, omneis genteis nationeſque ſuperavimus. Quare, ne plura de re minimè 10
loquar dubia, adhibete animos, & menteis veſtras, non ſolùm aureis, ad haruſpicum vocem admovete: QUOD [7] IN AGRO LATINIENSI AUDITUS EST STREPITUS CUM FREMITU. Mitto haruſpices, mitto illam veterem ab ipſis diis immortalibus, ut hominum fama eſt, Etruriæ datam diſciplinam: nos nonne haruſpices eſſe poſſumus? EXAUDITUS IN AGRO PROPINQUO, ET SUBURBANO EST STREPITUS QUIDAM RECONDITUS, ET HORRIBILIS FREMITUS ARMORUM. Quis eſt ex gigantibus illis, quos poëtæ ferunt bellum diis immortalibus intuliſſe, tam impius, qui hoc tam novo, tantoque motu non magnum aliquid deos populo Rom præmonſtrare, & præcinere fateatur? De ea re ſcriptum eſt, [8] poſtulationes eſſe Jovi, Saturno, Neptuno, Telluri, diis cæleſtibus. Audio, quibus diis violatis expiatio debeatur: ſed, hominum quæ ob delicta, quæro. LUDOS MINUS DILIGENTER FACTOS, POLLUTOSQUE. Quos ludos? te appello, Lentule, (tui ſacerdotii ſunt tenſæ, curricula, præcentio, ludi, libationes, epulæque ludorum publicorum) voſq; pontifices, ad quos *epulones Jovis* max. optimi, ſi quid eſt prætermiſſum, aut commiſſum, afferunt: quorum de ſententia illa eadem renovata, atque inſtaurata celebrantur: qui ſunt ludi minùs diligenter facti? quanto, aut quo ſcelere polluti? reſpondebis & pro te, & pro collegis tuis, & pro pontificum collegio, nihil cujuſquam aut negligentia contemtum, aut ſcelere eſſe pollutum: omnia ſollemnia, ac juſta ludorum, omnibus rebus obſervatis, ſumma cum cæremonia eſſe ſervata. Quos igitur haruſpices ludos minùs diligenter factos, pol- 11
lutoſque eſſe dicunt? eos, quorum ipſi dii immortales, [9] atque illa *Mater dea*, te, te, Cn. Lentule, [10] cujus ab avia manibus eſſet accepta, ſpectatorem eſſe voluit. quòd ni tu Me-

1. *Meis ſedibus intuliſſet.*] Prius erat *ædibus.* ſed contra Pall. omnes & S. Vict.

2. *A judicibus puniendam, &c.*] Petrus Faber, conjicit, *muniendam*, quod arripuit Lambinus.

3. *In villa publica.*] Annotavit Gulielmius Janum Palmerium ex Aſconio in Piſonem emendaſſe, *in Velia publicè:* neque aliter nuper conjecit Rubenius libro 1. Elect. cap. 7. & verum dicunt, quod ad locum. ſed diſpiciant quæſo Critici, num non & ibidem fuerit *villa publica.* ſi ſic: nihil profecto mutandum. mihi otium non eſt excutiendi antiquitates meas.

4. *Portentorum explanationes.*] Sigonius ad Livium, & Pighius ad Val. Maximum conjiciunt, *expiationes.* videantur præterea Lambini Notæ.

5. *Deinde etiam cognovi, &c.*] Interjicit Palatinus nonus, *Deinde ſi quid habuit tolli;* quod & in S. Victoriano, quàm quod is littera minus, *habui.*

6. *Ordinem rerum ac neceſſitudinem.*] E fuga retraxi hanc lectionem Pall. omnibus admirantibus, item S. Vict. ut & edd. vetuſtis. recentiores quippe *viciſſitudinem.* iiſdem volentibus ſtatim repoſui *tantum*, ἀντὶ τοῦ *totum*; ut & mox *hujus* pro *ejus.*

7. *In agro Latinienſi.*] Vetus editio, S. Vict. & Pall. *Latienſi.*

8. *Poſtulationes eſſe Jovi, &c.*] Suaſu Pall. omnium abjeci vocem quæ in hactenus editis, *poſtul. decretas eſſe, &c.*

9. *Atque illa Mater Dea.*] Haud aliter mſſ. noſtri & vett. edd. nam Lambinus *Idæa.* quod tamen eod. redit.

10. *Cujus ab avia eſſet accepta.*] P. Manutius publicavit *abavi manibus*, malletque legi *atavi.* noſtri ſcripti nihil recedunt à vulgata.

tu Megaleſia illo die ſpectare voluiſſes: haud ſcio an vivere nobis, atque his de rebus jam queri liceret. vis enim innumerabilis incitata ex omnibus vicis collecta ſervorum ab hoc ædili religioſo, repentè fornicibus, oſtiiſque omnibus, in ſcenam, ſigno dato, immiſſa irrupit. Tua tum, tua, Cn. Lentule, eadem virtus fuit, quæ in privato quondam tuo proavo. te, nomen, imperium, vocem, adſpectum, impetum tuum ſtans ſenatus, equiteſque Romani & omnes boni ſequebantur: cùm ille ſervorum, & ludorum multitudini S.P.Q.R. vinctum ipſo conſeſſu, & conſtrictum ſpectaculis, atque impeditum turba, & anguſtiis tradidiſſet. An, ſi ludius conſtitit, aut tibicen repentè conticuit, aut puer ille patrimus, & matrimus ſi terram non tenuit, aut tenſam, [1] aut lorum omiſit, aut, ſi ædilis verbo, [2] aut ſimpulo aberravit, ludi ſunt non ritè facti, eaque errata expiantur, & mentes deorum immortalium, ludorum inſtauratione placantur: ſi ludi ab *lætitia* ad metum traducti ſunt, ſi non intermiſſi, ſed peremti, atque ſublati ſunt: ſi civitati univerſæ ſcelere ejus, qui ludos ad luctum conferre voluit, exſtiterunt [3] dies illi feſti pænè funeſti: dubitabimus, quos ille fremitus nuntiet ludos eſſe pollutos? Ac, ſi volumus ea, quæ de quoque deo nobis tradita ſunt, recordari, hanc Matrem magnam, cujus ludi violati, polluti, pænè ad cædem, & ad funus civitatis converſi ſunt, hanc, inquam, accepimus, agros, & ne-
12 mora cum quodam ſtrepitu, fremituque peragrare. Hæc
igitur vobis, hæc populo Rom. & ſcelerum indicia oſtendit, & periculorum ſigna patefecit. nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio noſtri majores ante templum, in ipſo Matris magnæ conſpectu, Megalenſibus fieri, celebrarique voluerunt? qui ſunt more, inſtitutiſque maximè caſti, ſollemnes, religioſi: quibus ludis primum ante populi conſeſſum ſenatui locum P. Africanus iterum conſul ille major dedit: ut eos ludos hæc lues impura polluerit: quò ſiqui liber aut ſpectandi, aut etiam religionis cauſa, acceſſerat: manus afferebantur. quò matrona nulla adiit, propter vim, conſeſſumque ſervorum. Ita ludos eos, quorum religio tanta eſt, ut *ex ultimis terris* arceſſita in hac urbe conſederit: qui uni ludi ne verbo quidem appellantur Latino, ut vocabulo ipſo & appetita religio externa, & Matris magnæ nomine ſuſcepta declaretur: hos ludos ſervi fecerunt, ſervi ſpectaverunt: tota denique, hoc ædile, ſervorum Megaleſia fuerunt. Pro dii immortales! qui magis *nobiſcum loqui* poſſetis, ſi eſſetis, verſareminique nobiſcum? ludos eſſe pollutos ſignificatis, ac planè dicitis. Quid magis deformatum, inquinatum, perverſum, conturbatum dici poteſt, quàm, omne ſervitium, permiſſu magiſtratus, liberatum, in alteram ſcenam immiſſum, alteri præpoſitum, ut alter conſeſſus poteſtati ſervorum objiceretur, alter ſervorum totus eſſet? Si examen apum ludis in ſcenam veniſſet, haruſpices acciendos ex Etruria putaremus: videmus univerſi repentè examina tanta ſervorum immiſſa in populum Rom. ſæptum, atque incluſum, & non commovemur? Atque in apum fortaſſe examine, nos ex Etruſcorum ſcriptis haruſpices, ut *à ſervitio caveremus*, monerent. Quod igitur ex aliquo disjuncto, diverſoque monſtro ſignificatum caveremus, id cùm ſibi ipſum monſtrum eſt, & cùm in eo ipſo periculum eſt, ex quo periculum portenditur, non pertimeſcemus? Iſtiuſmodi Megaleſia fecit pater tuus? iſtiuſmodi patruus? Is mihi etiam generis ſui mentionem facit, cum Athenionis, aut Spartaci exemplo ludos facere maluerit, quam Caji, aut Appii, Claudiorum? Illi cum ludos facerent, ſervos de cavea exire jubebant: tu in alteram ſervos immiſiſti, ex altera liberos ejeciſti. itaque qui anteà voce præconis à liberis ſemovebantur, tuis ludis non voce, ſed manu
liberos à ſe ſegregabant. Ne hoc quidem tibi in mentem 13
veniebat, Sibyllino ſacerdoti, hæc ſacra majores noſtros ex veſtris libris expetiſſe? ſi illi ſunt veſtri, quos tu impia mente conquiris, violatis oculis legis, contaminatis manibus attrectas. Hac igitur vate ſuadente quondam, defeſſa Italia Punico bello, atque ab Annibale vexata, ſacra iſta majores noſtri aſcita ex Phrygia Romæ collocaverunt: quæ vir is accepit, [4] qui eſt *optimus* populi Rom. judicatus, P. Scipio: fæmina autem, quæ matronarum *caſtiſſima* putabatur, Q. Claudia: cujus priſcam illam ſeveritatem ſacrificii [5] mirificè tua ſoror exiſtimatur imitata. Nihil te igitur neque majores tui, conjuncti cum his religionibus, neque ſacerdotium ipſum, quo eſt hæc tota religio conſtituta, neque curulis ædilitas, quæ maximè hanc tueri religionem ſolet, permovit, quo minùs caſtiſſimos ludos omni flagitio pollueres, dedecore maculares, ſcelere obligares? Sed quid ego id admiror? qui accepta pecunia Peſſinuntem ipſum, ſedem domiciliumque Matris deorum, vaſtaris, & Brogitaro Gallogræco, impuro homini, ac nefario, cujus legati, te tribuno, dividere in æde Caſtoris *tuis operis* nummos ſolebant, [6] totum illum locum, fanumque vendideris? ſacerdotem ab ipſis aris, pulvinaribuſque detraxeris? [7] omina illa, quæ vetuſtas, quæ Perſæ, quæ Syri, quæ reges omnes, qui Europam, Aſiamque tenuerunt, ſemper ſumma religione coluerunt, perverteris? quæ denique noſtri majores tam ſancta duxerunt, ut, cum refertam urbem, atque Italiam fanorum haberemus, tamen noſtri imperatores maximis, & periculoſiſſimis bellis huic deæ *vota facerent*, eaque in ipſo Peſſinunte ad illam ipſam principem aram, & in illo loco, fanoque perſolverent. Quod cùm Deiotarus religione ſua caſtiſſimè tueretur, quem unum habemus in orbe terrarum fideliſſimum huic imperio, atque amantiſſimum noſtri nominis: Brogitaro, ut ante dixi, addictum pecunia tradidiſti. Atque hunc tamen Deiotarum, ſæpè à ſenatu regali nomine dignum exiſtimatum, clariſſimorum imperatorum teſtimoniis ornatum, tu etiam regem appellari cum Brogitaro jubes. ſed alter eſt rex, judicio ſenatus, per nos: *pecunia*, Brogitarus, per te appellatus: alterum putabo regem, ſi habuerit unde tibi ſolvat, quod ei per ſyngrapham credidiſti. nam cùm multa regia ſunt in Deiotaro, tum illa maximè, quod tibi nummum nullum dedit: quod eam partem legis tuæ, quæ congruebat cum judicio ſenatus, ut ipſe rex eſſet, non repudiavit: quod Peſſinuntem per ſcelus à te violatum, & ſacerdote ſacriſque ſpoliatum, recuperavit, ut in priſtina religione ſervaret: quod cæremonias ab omni vetuſtate acceptas, à Brogitaro pollui non ſinit, mavultque generum ſuum munere tuo, quàm illud fanum antiquitate religionis carere. Sed, ut ad hæc haruſpicum reſponſa redeam, ex quibus eſt primum de ludis: quis eſt, qui id non totum in iſtius ludos prædictum, & reſponſum eſſe fateatur? Se-
quitur de locis ſacris, religioſis. O impudentiam miram! 14
de mea domo dicere audes? Committe vel conſulibus, vel ſenatui, vel collegio pontificum tuam. Ac mea quidem his tribus omnibus judiciis, ut dixi antea, liberata eſt. At in iis ædibus, quas tu, Qu. Seio, equite Romano, viro optimo, per

1. *Aut lorum omiſit.*] Pal. nonus, *ſi lorum amiſit.* S. Vict. *ſi lorum omiſit.*

2. *Aut ſimpulo aberravit.*] Repræſentavi ſcripturam Pal. noni, quomodo diu eſt quod conjecerat Lambinus, & Lipſius lib. 1. Antiq. lect. cap. 3. S. Victoris codex habebat *ſymbolo.* quemadmodum & aliorum libri vett. quod etiam quis commode tueatur. at vulgo legitur, *aut ſi nutu aberravit.*

3. *Dies illi feſti penè funeſti*] Vetuſtior editio, *profeſti*; neque ſecus Pall. plerique. nam nonus *profeſſi*; de quo cogitabunt acutiores. Franciſci Fabricii liber, ac S. Victoris præferunt, *pro feſtis*, vocibus diviſis.

4. *Qui eſt optimus populi Rom. jud.*] Sic Gembl. & S. Victoris, neque aliter puto Pall. in quibus omnibus *P. R.* nam editi, *optimus à populo Rom.*

5. *Mirificè tua ſoror.*] Sic collocat voces Pal. nonus & S. Vict. qui iidem præterea exhibent, *mirifica*; quod & in ceteris Pall.

6. *Totum illum locum fanumque.*] Repoſitum cuperet Gulielmius, *lucum* paullo poſt. ſi recte ibi; & heic idem valeret.

7. *Omina illa, quæ vetuſtas, &c.*] Ita reſcripſi, flagitante ſententia, intelligit enim ſortes eiſque aſſinia. vulgò erat *omnia.*

1. *Telluri*

mo, per te apertiſſimè interfecto, tenes, ſacellum dico fuiſſe, & aras. tabulis hoc cenſorum, memoria multorum firmabo, ac docebo. agatur modò hæc res; quod ex eo S. C. quod nuper eſt factum, referri ad vos neceſſe eſt: habeo quæ de locis religioſis velim dicere. cùm de domo tua dixero: in quâ tamen ita eſt inædificatum ſacellum, ut alius fecerit, tibi tantummodo ſit demoliendum: tum videbo, num mihi neceſſe ſit de aliis etiam aliquid dicere. putant enim nonnulli ad me pertinere, *armamentarium Telluris* aperire. nuper id patuiſſe dicunt, & ego recordor. nunc ſanctiſſimam partem, ac ſedem maximæ religionis privato dicunt veſtibulo contineri. Multa me movent: quòd ædes Telluris, eſt curationis meæ: quòd is, qui illud armamentarium ſuſtulit, meam domum pontificum judicio liberatam, ſecundum fratrem ſuum judicatam eſſe dicebat. movet me etiam in hac caritate annonæ, ſterilitate agrorum, inopia frugum, religio Telluris, & eò magis, quòd eodem oſtento [1] Telluri poſtulatio deberi dicitur. Vetera fortaſſe loquimur: quamquam hoc ſi minus civili jure perſcriptum eſt, lege tamen naturæ, communi jure gentium ſancitum eſt, ut NIHIL MORTALES à diis im-
15 mortalibus uſu capere poſſint. Verumtamen antiqua negligimus: etiamne ea negligemus, [2] quæ fiunt cum maximè? quæ videmus? L. Piſonem quis neſcit, his ipſis temporibus, maximum & ſanctiſſimum Dianæ ſacellum in Cœliculo ſuſtuliſſe? adſunt vicini ejus loci: multi ſunt etiam in hoc ordine, qui ſacrificia gentilia illo ipſo in ſacello, [3] ſtatuto loco, anniverſarii factitarint. Et conquirimus, dii immortales quæ loca deſiderent, quid ſignificent, de quo loquantur? A Sex Serrano ſanctiſſima ſacella ſuffoſſa, incenſa, inædificata, oppreſſa, ſumma denique turpitudine eſſe fœdata neſcimus? Tu meam domum religioſam facere potuiſti? [4] Ecqua mente? quam amiſeras. qua manu? qua diſturbaras. qua voce? qua incendi juſſeras. qua lege? quam ne in illa quidem impunitate tua ſcripſeras. quo pulvinari? quod ſtupraras. quo ſimulacro? quod ereptum ex meretricis ſepulchro in imperatoris monumento collocaras. Quid habet mea domus religioſi, niſi quòd impuri, & ſacrilegi parietem tangit? Itaque, ne quis meorum imprudens introſpicere poſſit tuam domum, ac te ſacra illa tua facientem videre: tollam altiùs tectum: non ut ego te deſpiciam, ſed ne tu adſpicias urbem eam,
16 quam delere voluiſti. Sed jam haruſpicum reliqua reſponſa videamus. ORATORES, CONTRA JUS, FASQUE INTERFECTOS. Quid eſt hoc? de Alexandrinis eſſe video ſermonem: quem ego non refuto. ſic enim ſentio, *jus legatorum* cùm hominum præſidio munitum ſit, tum etiam divino jure eſſe vallatum. Sed quæro ab illo, [5] qui omneis judices tribunus è carcere in forum effudit, cujus arbitrio ſicæ omnes nunc, atque omnia venena tractantur, qui cum Hermacho Chio ſyngraphas fecit: ecquid ſciat, unum acerrimum adverſarium Hermachi, Theodoſium, legatum ad ſenatum à civitate libera miſſum, ſica percuſſum? quod non minus, quàm de Alexandrinis, indignum diis immortalibus eſſe viſum, certò ſcio. Nec confero nunc in te unum omnia. ſpes major eſſet ſalutis, ſi, *præter te*, nemo eſſet impurus. plures ſunt. hoc & tu tibi *confidas* magis, & nos propè jure diffidimus. Quis Platorem ex Oreſtide, quæ pars Macedoniæ libera eſt, hominem in illis locis clarum, ac nobilem, legatum Theſſalonicam ad noſtrum (ut ſeipſe appellavit) imperatorem veniſſe neſcit? quem ille, *propter pecuniam*, quam ab eo extorquere non poterat, in vincula conjecit, & medicum intromiſit ſuum, qui legato, ſocio, amico, libero fœdiſſimè & crudeliſſime venas incideret. Secureis ſuas cruentari ſcelere noluit: nomen quidem populi Romani tanto ſcelere contaminavit, ut id nulla re poſſit, niſi ipſius ſupplicio, expiari. Qualeis hunc carnifices putamus habere, qui etiam *medicis* ſuis non ad ſalutem, ſed
ad necem utatur? Sed recitemus, quid ſequatur. FIDEM, 17
ET JUSJURANDUM NEGLECTUM. Hoc quid ſit, per ſe ipſum non facilè interpretor: ſed ex eo, quod ſequitur, ſuſpicor de tuorum judicum manifeſto perjurio dici: quibus olim erepti eſſent nummi, niſi à ſenatu præſidium poſtulaſſent. quare autem de his dici ſuſpicer, hæc cauſa eſt, quòd ſic ſtatuo, & illud in hac civitate eſſe maximè illuſtre, atque inſigne perjurium, & te ipſum tamen in perjurii pœnam ab iis, quibuſcum conjuraſti, non vocari. Et video, in haruſpicum reſponſis hæc eſſe ſubjuncta, SACRIFICIA VETUSTA, OCCULTAQUE, MINUS DILIGENTER FACTA, POLLUTAQUE. Haruſpices hæc loquuntur, an patrii, penateſque dii? multi enim ſunt, credo, in quos hujus maleficii ſuſpicio cadat. Quis præter hunc unum? obſcurè dicitur, quæ ſacra polluta ſint? quid planiùs, quid graviùs, quid religioſiùs dici poteſt? VETUSTA, OCCULTAQUE. nego ulla verba Lentulum, gravem oratorem, ac diſertum, ſæpius, cùm te accuſaret, uſurpaſſe, quàm hæc, quæ nunc ex Etruſcis libris in te converſa, atque interpretata dicuntur. Etenim quod ſacrificium, tam vetuſtum eſt, quàm hoc, quòd à regibus æquale huic urbi accepimus? quod autem tam occultum, quàm id, quòd non ſolùm curioſos *oculos* excludit, ſed etiam erranteis? quò non modò improbitas, ſed ne imprudentia quidem poſſit intrare? quod quidem ſacrificium nemo ante P. Clodium in omni memoria violavit, nemo umquam adiit, nemo neglexit, nemo vir adſpicere non horruit: quod fit per virgines Veſtaleis, fit pro populo Rom. fit in ea domo, quæ eſt in imperio; fit incredibili cæremonia; fit ei deæ, cujus ne nomen quidem viros ſcire fas eſt: quam iſte id-
circo *Bonam* dicit, quòd in tanto ſibi ſcelere ignoverit. Non 18
ignovit, mihi crede, non. niſi fortè tibi ignotum putas, quòd te judices [6] dimiſerunt excuſſum, & exhauſtum: ſuo judicio, abſolutum: omnium, condemnatum: aut quòd oculos, ut opinio illius religionis eſt, non perdidiſti. Quis enim ante te ſacra illa vir ſciens viderat, ut quiſquam pœnam, quæ ſequeretur illud ſcelus, ſcire poſſet? An tibi luminis obeſſet cæcitas plus, quàm libidinis? ne id quidem ſentis, conniventeis illos oculos abavi tui, magis optandos fuiſſe, quàm hos flagranteis ſororis? Tibi verò, ſi diligenter attenderis, intelliges hominum pœnas deeſſe adhuc, non deorum. homines te in re fœdiſſima defenderunt: homines turpiſſimum, nocentiſſimumque laudarunt: [7] homines confitentem judicio liberaverunt: hominibus injuria tui ſtupri illata in ipſos, dolori non fuit: homines [1] tibi arma, alii in me, alii pòſt in illum invictum civem dederunt: hominum

---

1. *Telluri poſtulatio deberi dicitur.*] Ita ferè Pall. ſed nonus ille *poſtillo*. quod eſſet Scaligeri *poſtilio*, de quo videatur ipſemet Appendice ad Conjectanea libro IV. in Varronem de ling. Lat. illud *poſtillo* extare item à prima manu in cod. S. Victoris, prodidit Gulielmius.

2. *Quæ fiunt cùm maxime?*] Sic S. Vict. & Pal. nonus. Lambinus *nunc maximè*, quod non offendi in mſſ. aut editis. qui ſimpliciter *quæ fiunt maxime*.

3. *Statuto loco anniverſarii factitarunt.*] Hæc eſt ſcriptura edd. vett. & Pall. item S. Vict. poſt cuſi, *anniverſaria*. quærendum tamen num locum heic habere non debeat *foco*, quod video ad oram, ceu variantem poni ſcripturam.

4. *Ecqua mente? quam amiſeras?*] Eſt & iſtud ex priſca lectione cuſorum ſcriptorumque, in cujus locum ſæculi poſterioris homines ſuppoſuerant, *qua invaſeras?*

5. *Qui omnes judices trib. è carcere, &c.*] Lambinus ſubſtituit *audaces*, præter libros. ſi quid mutandum, mallem *indices*. ſed cur mutemus, cùm judicum iſtorum mox mentionem faciat capite proximo?

6. *Emiſerunt excuſſum & exhauſtum.*] Malui iſtud fide Pal. noni & S. Vict. quod reſtaret in ceteris noſtris, *omiſerunt*, non vulgatum illud *dimiſerunt*. ſicque rurſus loquitur infra cap. 21. pr. *excuſſus* heic eſt, qui nudus evaſit nummis pluribus redemtus ſcilicet, metaphora ab eis qui in latrones inciderunt.

7. *Homines confitentem judicio liberarunt.*] Eſt à Pal. nono. neque aliter S. Victoris, quam quod is *propè confitentem*, qua voce non erat opus. & videtur nata à gloſſariis, qui adſcripſerant *prope*. volebantque intelligi *pro pecunia*. & verò editio princeps habet *prope pecunia*, ex quo Critici poſteriores nobis fecerunt, *propter pecuniam*. ſed invitis mſſ. certe Pall. quorum quidam, *homines quippe judicio*, alii *homines prope judicio*. quod ultimum ferri poſſet.

minimum beneficia prorſus concedo tibi; ac majora non eſſe quærenda. A diis quidem immortalibus QUÆ POTEST hominum major eſſe pœna, furore, atque dementia? niſi fortè in tragœdiis, quos vulnere, ac dolore corporis cruciari vides, & conſumi, graviores deorum immortalium iras ſubire, quàm illos, qui furentes inducuntur, putas. Non ſunt illi ejulatus, & gemitus Philoctetæ tam miſeri (quamquam ſunt acerbi) quam illa exſultatio Athamantis, [2] & quàm ſomnium matricidarum. Tu, cùm furialeis in concionibus voces mittis, cùm domos civium evertis, cùm lapidibus optimos viros foro pellis, cùm ardenteis faceis in vicinorum tecta jactas, cùm ædeis ſacras inflammas, cùm ſervos concitas: cùm ſacra, ludoſque conturbas: cùm uxorem, ſororemque non diſcernis: cùm, quod ineas cubile, non ſentis: cùm baccharis: cùm furis: tum das eas *pœnas*, quæ ſolæ ſunt hominum ſceleri à diis immortalibus conſtitutæ. Nam corporis quidem noſtri infirmitas multos ſubit caſus per ſe: denique ipſum corpus tenuiſſima ſæpe de cauſa conficitur: *deorum tela* in impiorum mentibus figuntur. quare miſerior es, cùm in omnem fraudem raperis oculis, quàm
19 ſi omnino oculos non haberes. Sed, quoniam de iis omnibus, quæ haruſpices commiſſa eſſe dicunt, ſatis eſt dictum, videamus, quid iidem haruſpices à diis jam immortalibus dicant moneri: *NE PER OPTIMATIUM DISCORDIAM, DISSENSIONEMQUE, PATRIBUS, PRINCIPIBUSQUE CÆDES, PERICULAQUE CREENTUR,* [3] *AUXILIOQUE DEMINUTI DEFICIANTUR, QUARE AD UNUM IMPERIUM PROVINCIÆ REDEANT, EXERCITUSQUE PULSUS, DIMINUTIOQUE ACCEDAT.* Haruſpicum verba ſunt hæc omnia: nihil addo de meo. Quis igitur hanc optimatium diſcordiam molitur? idem iſte: nec ulla vi ingenii, aut conſilii ſui, ſed quodam errore noſtro: quem quidem ille, quòd obſcurus non erat, facilè perſpexit. hoc enim etiam turpius afflictatur reſpubl. quòd ne ab eo quidem vexatur, ut tanquam fortis in pugna vir, acceptis à forti adverſario [4] *vulneribus adverſis* cadere videatur. Ti. Gracchus convellit ſtatum civitatis. qua gravitate vir! qua eloquentia! qua dignitate! nihil ut à patris, avique Africani præſtabili, inſignique virtute, præterquàm quòd à ſenatu deſciverat, deflexiſſet. Secutus eſt C. Gracchus. quo ingenio! quanta vi! quanta gravitate dicendi! ut dolerent boni omnes, non illa tanta ornamenta ad meliorem mentem, voluntatemque eſſe converſa. Ipſe L. Saturninus ita fuit effrenatus, & pænè demens, ut auctor eſſet egregius, & ad animos imperitorum excitandos, inflammandoſque perfectus. Nam quid ego de P. Sulpicio loquar? cujus tanta in dicendo gravitas, tanta jucunditas, tanta brevitas fuit, ut poſſet, vel ut prudentes errarent, vel ut boni minus bene ſentirent, *perficere dicendo*. Cum his confligari, & pro ſalute patriæ quotidie dimicare, erat omnino illis, qui tum rempub. gubernabant, moleſtum: ſed habebat ea moleſtia quandam tamen *digni-*
20 *tatem*. Hic verò, de quo ego ipſe tam multa nunc dico, prò dii immortales, quid eſt? quid valet? quid affert, ut tanta civitas, ſi cadet (quod dii omen obruant) à viro tamen confecta videatur? qui poſt patris mortem, primam illam *ætatulam* ſuam ad ſcurrarum locupletium libidines detulit: quorum intemperantia expleta, in domeſticis eſt *germanitatu* ſtupris volutatus: deinde jam robuſtus, provinciæ ſe, ac rei militari dedit, atque ibi piratarum contumelias perpeſſus, etiam Cilicum libidines, Barbarorumque ſatiavit: poſt, exercitu L. Luculli ſollicitato, per nefandum ſcelus, fugit illinc: Romæque, recenti adventu ſuo, cum propinquis ſuis decidit, ne reos faceret: à Catilina pecuniam accepit, ut turpiſſimè prævaricaretur. inde cum Muræna ſe in Galliam contulit: in qua provincia *mortuorum* teſtamenta conſcripſit, pupillos necavit, nefarias cum multis ſcelerum pactiones, ſocietateſque conflavit. unde ut rediit, quæſtum illum maximè fæcundum uberemque, campeſtrem, totum ad ſe ita redegit, ut homo popularis fraudaret improbiſſimè populum, idemque vir clemens diviſores omnium tribuum domi ipſe ſuæ crudeliſſima morte mactaret. Exorta eſt illa, reipubl. ſacris, religionibus, auctoritati veſtræ, judiciis publicis funeſta quæſtura: in qua idem iſte deos, homineſque, pudorem, pudicitiam, ſenatus auctoritatem, jus, fas, leges, judicia, violavit. Atque hic ei gradus (ò miſera tempora, ſtultaſque noſtras *diſcordias!*) P. Clodio gradus ad remp. hic primus eſt aditus ad popularem jactationem, atque adſcenſus. Nam Ti. Graccho invidia Numantini fœderis, cui feriendo, quæſtor C. Mancini Cos. cùm eſſet, interfuerat, & in eo fœdere improbando ſenatus ſeveritas dolori, & timori fuit [5] iſtaque res illum, fortem, & clarum virum, à gravitate patrum deſciſcere coëgit. C. autem Gracchum mors fraterna, pietas, dolor, magnitudo animi, ad expetendas domeſtici ſanguinis pœnas excitavit. Saturninum, quod in annonæ caritate quæſtorem à ſua frumentaria procuratione ſenatus amovit, eique rei M. Scaurum præfecit, ſcimus, *dolore*, factum eſſe popularem. Sulpicium ab optima cauſa profectum, [6] Cajoque Julio, conſulatum contra leges petenti, reſiſtentem, longius, quàm voluit, popularis *aura* provexit. Fuit in his omnibus cauſa, etſi non juſta (NULLA 21
enim poteſt cuiquam malè de republ. merendi juſta eſſe cauſa) gravis tamen, & cum aliquo animi, & virili dolore conjuncta. P. Clodius à crocota, à mitra, à muliebribus ſoleis, purpureiſque faſciolis, à ſtrophio, à pſaltrio, à flagitio, à ſtupro, eſt factus repentè popularis. Niſi eum mulieres exornatum ita deprehendiſſent: niſi ex eo loco, quò eum adire fas non erat, ancillarum beneficio emiſſus eſſet: populari homine populus Roman. reſp. cive tali careret. Hanc ob *amentiam* in diſcordiis noſtris, de quibus ipſis, his prodigiis recentibus, à diis immortalibus admonemur, arreptus eſt unus ex patriciis, cui tribuno pleb. fieri non liceret. quod anno antè frater Metellus, & concors etiam tum ſenatus, principi Cn. Pompeio ſententiam dicenti excluſerat, acerrimeque una voce, ac mente reſtiterat: id poſt diſſidium optimatium, de quo ipſo nunc monemur, ita perturbatum, itaque permutatum eſt, ut, quod frater conſul, ne fieret, obſtiterat: quod affinis, & ſodalis, clariſſimus vir, qui illum reum non laudarat, excluſerat: id is conſul efficeret in diſcordiis principum, qui illi unus inimiciſſimus eſſe debuerat: & eo feciſſe auctore ſe diceret, cujus *auctoritatu* neminem poſſet pœnitere. Injecta eſt *fax* fœda, ac luctuoſa reipubl. petita eſt auctoritas veſtra: gravitas ampliſſimorum ordinum, conſenſio bonorum omnium, totus denique civitatis ſtatus. hæc enim certè petebatur, cùm in me, cognitorem harum omnium rerum, illa flamma illorum temporum conjiciebatur. Excepi, & pro patria ſolus exarſi: ſic tamen, ut vos iiſdem ignibus circumſæpti, me primùm ictum pro vobis, & fumantem videretis. Non ſedabantur diſcordiæ: ſed etiam creſcebat 22
in eos odium, à quibus nos defenſi putabamur. Ecce, iiſdem auctoribus, Pompejo principe, qui cupientem Italiam, populum Roman. deſiderantem flagitanteis vos, non aucto-

1. *Ubi arma, clamor, &c.*] Trigam verborum ultimam poſtliminio quaſi reſtituo Ciceroni. abfuerunt auctori, quamdiu regnum poſſedit editio Lambiniana.

2. *Et quam ſomnium matricidarum.*] Lectio ſi non minus vera; at damnata ſane ab omni antiquiore libro edito, ab omnibus Pall. item S. Victoris, qui plane præterunt, *ſomnium*.

3. *Auxilioque deminuti, &c.*] Multa hic mutat & intrudit de ſuo Lambinus. nos maluimus retinere vulgatam, parum adjuti à mſſ. noſtris; quorum ne quidem variantes lectiones exhibere operæ videtur pretium; adeo diſcrepant.

4. *Vulneribus adverſis cadere videatur.*] Vulgata adjicit, *adverſis & honeſtis*, quod quidem eſt in nonio, verum non etiam in ceteris ſcriptis editiſque, quibus adeſt ejus loco, *homines*.

5. *Iſtaque res fortem, &c.*] S. Victoris, *itaque res fortem*. ſed melius adhuc nonus, *itaque fortem, &c.*

6. *Cajoque Julio conſulatum.*] Sic quidem editiones neotericæ, ſed a conjectura Faërni. vett. enim & mſſ. noſtri *Tuccio*, ſive *Tutio*, aut denique *Thuſcio*.

1. Uh

auctoritate ſua ſolùm, ſed etiam precibus ad meam ſalutem excitavit; reſtituti ſumus. Sit diſcordiarum finis aliquando: à diuturnis diſſenſionibus conquieſcamus. non ſinit eadem iſta labes: eas habet conciones, ea miſcet, ac turbat, [1] ut modò vendat illis: nec tamen ita, ut ſe quiſquam, ſi ab iſto laudatus ſit, laudatiorem putet. ſed ut eos, quos *non amant*, ab eodem gaudeant vituperari. Atque ego hunc non miror. quid enim faciat aliud? illos homines ſapientiſſimos, graviſſimoſque miror: primum quòd quemquam clarum hominem, atque optimè de rep ſæpe meritum, impuriſſimi voce hominis violari facilè patiuntur: deinde quòd exiſtimant, perditi hominis, profligatique *maledictu* poſſe, id quod minimè conducit ipſis, cujuſquam gloriam, dignitatemque violari: poſtremò, quòd non ſentiunt id, quod tamen mihi jam ſuſpicari videntur, illius [2] furenteis, ac violentos impetus, in ſe ipſos poſſe converti. Atque ex hac nimia nonnullorum alienatione, & quibuſdam hærentia tela in rep. quæ quamdiu hærebant in uno me, graviter equidem, ſed aliquanto levius ferebam. An iſte, niſi primò ſe dediſſet iis, quorum animos à veſtra auctoritate ſejunctos eſſe arbitrabatur: niſi eos in cælum ſuis laudibus præclarus auctor extolleret: niſi exercitum C. Cæſaris, [3] in quo *fallebat*, ſed eum nemo redarguebat, niſi eum, inquam, exercitum ſignis infeſtis in curiam ſe immiſſurum minitaretur: niſi Cn. Pompejo adjutore, M. Craſſo auctore, quæ faciebat, facere clamaret: niſi conſules cauſam conjunxiſſe ſecum, in quo uno non mentiebatur, confirmaret: tam crudelis mei, tam ſceleratus reipubl. vexator eſſe potuiſſet?

23 Idem, poſteaquam reſpirare vos à metu cædis, emergere auctoritatem veſtram è fluctibus illis ſervitutis, reviviſcere memoriam, ac deſiderium mei vidit, vobis ſe cœpit ſubitò fallaciſſimè venditare. Tum leges Julias contra auſpicia latas, & hìc, & in concionibus dicere: in quibus legibus inerat curiata illa lex, quæ totum ejus tribunatum continebat: quam cæcus amentia non videbat: producebat fortiſſimum virum, M. Bibulum: quærebat ex eo, C. Cæſare leges ferente, de cælo ſemperne ſervaſſet? ſemper ſe ille ſervaſſe dicebat. Augures interrogabat, quæ ita lata eſſent, rectene lata eſſent? illi vitio lata eſſe dicebant. Ferebant in oculis hominem quidam boni viri, & de me optimè meriti: ſed illius, ut ego arbitror, furoris *ignari*. Longiùs proceſſit: in ipſum C. Pompejum, auctorem, ut prædicare eſt ſolitus, conſiliorum ſuorum, invehi cœpit. inibat gratiam à nonnullis. Tum verò eſt ratus ſe poſſe, quoniam togatum domeſtici belli exſtinctorem nefario ſcelere fœdaſſet, illum etiam, illum externorum bellorum, hoſtiumque victorem, affligere. tum eſt illa in templo Caſtoris ſcelerata, & pænè deletrix hujus imperii ſica deprehenſa. tum ille, cui nulla hoſtium diutius urbs umquam fuit clauſa, qui omneis anguſtias, omneis altitudines, omnium objecta tela, ſemper vi & virtute perfregit: obſeſſus eſt ipſe *domi*; meque non nonnulla imperitorum vituperatione timiditatis meæ, conſilio, & facto ſuo liberavit. nam, ſi Cn. Pompejo, viro uni omnium fortiſſimo, quicumque nati ſunt, miſerum magis fuit, quàm turpe, quamdiu ille tribunus pleb. fuit, lucem non adſpicere, carere publico, minas ejus perferre: cùm in concionibus diceret, velle ſe in Carinis ædificare alteram porticum, quæ Palatio reſponderet: certè mihi exire domo mea, ad privatum dolorem fuit luctuoſum, ad rationem

24 reipubl. glorioſum. Videtis igitur hominem per ſeipſum jampridem afflictum, ac jacentem, pernicioſis optimatium *diſcordiis èxcitari*. cujus initia furoris, diſſenſionibus eorum, qui tum à vobis ſejuncti videbantur, ſuſtentata ſunt. Reliqua jam præcipitantis tribunatus, etiam poſt tribunatum obtrectatores eorum, atque adverſarii defenderunt: ne à rep. reip. peſtis removeretur, reſtiterunt: etiam, ne cauſam diceret: etiam, ne privatus eſſet. Etiamne in ſinu, atque in deliciis quidam optimi viri *viperam* illam venenatam, ac peſtiferam habere potuerunt? quo tandem decepti munere? Volo, inquiunt, eſſe, qui in concione detrahat de Pompejo. Detrahat ille vituperando? Velim ſic hoc vir ſummus, atque optimè de mea ſalute meritus accipiat, ut à me dicitur: dicam quidem certè, quod ſentio. Mihi, mediusfidius, tum de illius ampliſſima dignitate *detrahere*, cum maximis laudibus efferebat, videbatur. Utrùm tandem C. Marius ſplendidior, cùm eum C. Glaucia laudabat, an cùm eundem iratus poſteà vituperabat? an ille demens, & jampridem ad pœnam, exitiumque præceps, fœdior, atque inquinatior in Cn. Pompejo accuſando, quàm in univerſo ſenatu vituperando fuit? quod quidem miror, cùm alterum gratum ſit iratis, alterum eſſe tam bonis civibus non acerbum. Sed, ne id viros optimos diutius delectet, legant hanc ejus concionem, de qua loquor: in qua Pompejum *ornat*, an potiùs *deformat*? Certè laudat, & unum eſſe in hac civitate dignum hujus imperii gloria dicit: & ſignificat, ſe illi amiciſſimum eſſe, & reconciliationem eſſe gratiæ factam. Quod ego quamquam, quid ſit, neſcio: tamen hoc ſtatuo, hunc, ſi amicus eſſet Pompejo, laudaturum illum non fuiſſe. Quid enim, ſi illi inimiciſſimus eſſet, amplius ad ejus laudem minuendam facere potuiſſet? Videant ii, qui illum Cn. Pompejo inimicum eſſe gaudebant, ob eamque cauſam in tot, tantiſque ſceleribus connivebant, & nonnumquam ejus indomitos, atque effrenatos furores plauſu etiam ſuo proſequebantur, quàm ſe citò inverterit. nunc enim jam laudat illum: in eos invehitur, quibus ſe anteà venditabat. Quid exiſtimatis, eum, ſi reditus ei gratiæ patuerit, eſſe facturum, qui tam libenter in opinionem gratiæ irrepat?

Quas ego alias optimatium diſcordias à diis immortalibus definiri putem? 25 nam hoc quidem verbo neque P. Clodius, neque quiſquam de gregalibus ejus, aut de conſiliariis deſignatur. Habent Etruſci libri certa nomina, quæ in id genus civium cadere poſſunt. DETERIORES, REPULSOS, (quos jam audietis) hos appellant, quorum & mentes, & res ſunt perditæ, longeque à communi ſalute disjunctæ. Quare, cùm dii immortales monent de optimatium diſcordiis: de clariſſimorum, & optimè meritorum civium diſſenſione prædicunt. cùm principibus periculum, cædemque portendunt: in tuto collocant Clodium, qui tantum abeſt à principibus, quantum à puris, quantum à religioſis. Vobis, ô clariſſimi, atque optimi cives, & veſtræ ſaluti conſulendum, & proſpiciendum vident. cædes principum oſtenditur: id, quod interitum optimatium ſequi neceſſe eſt, adjungitur. etiam, [4] ne in unius imperium res recidat, admonemur. ad quem metum ſi deorum monitis non duceremur, tamen ipſi noſtro ſenſu, conjecturaque raperemur. NEQUE ENIM ullus alius diſcordiarum ſolet eſſe exitus inter claros, & potenteis viros, niſi aut univerſus interitus, aut victoris dominatus, aut regnum. Diſſenſit cum Mario, clariſſimo cive, conſul nobiliſſimus, & fortiſſimus, L. Sulla. Horum uterque ita cecidit victus, ut victor idem regnaverit. Cum Octavio collega Cinna diſſenſit. utriſque horum ſecunda fortuna regnum eſt largita, adverſa mortem. Idem iterum Sulla ſuperavit: tum ſine dubio habuit regalem poteſtatem, quamquam rempub. recuperat. Ineſt hoc tempore haud obſcurum odium, atque id inſitum penitus, & inuſtum animis hominum ampliſſimorum: diſſident principes: captatur occaſio. qui non tantum opibus valent, neſcio quam *fortunam* tamen, ac tempus

1. *Ut modo vendat illis.*] Lambinus, *ut ſe modo his, modo vendat illis.* ſed præter Pall. & olim impreſſos: jactat tamen neſcio quem calamo exaratum codicem, unde ea depromſerit. ſed quis eſt? cujus eſt, aut fuit?

2. *Furentes ac violentos impetus.*] Pall. quidam etiam *volaticos.* ſed meliores tamen *furentis ac violenti* C O S. *impetus.* nonus verò, *furentis ac violari quos impetus.* Gulielmius conabatur *ac fanaticos.*

3. *In quo fallebat.*] Patrum ævo cuſi, ſubnectunt, *multos*, ſed cujus nulla nota in olim impreſſis, in mſſ. noſtris.

4. *Ne in unius imperium res recidat.*] Vulgata *decidat*; ſed alterum vintur in Erfurd. Pal. nono & S. Vict.

1. So-

tempus exſpectant. qui ſine controverſia plus poſſunt, hi fortaſſe nonnumquam conſilia, ac ſententias inimicorum ſuorum extimeſcunt. Tollatur hæc è civitate diſcordia. jam omnes iſti, qui portenduntur metus, exſtinguentur: jam iſta *ſerpens*, quæ tum hîc deliteſcit, tum ſe emergit &
26 fertur illuc; compreſſa, atque illiſa morietur. Monent enim iidem, ne occultis conſiliis reſpub. lædatur. Quæ ſunt occultiora, quàm ejus, qui in concione auſus eſt dicere, juſtitium edici oportere, juriſdictionem intermitti, claudi ærarium, judicia tolli? niſi fortè exiſtimatis, hanc tantam colluvionem illi, tantamque everſionem civitatis, in mentem ſubitò in roſtris nec cogitanti venire potuiſſe. Eſt quidem ille plenus vini, ſtupri, ſomni, plenuſque inconſideratiſſimæ, ac dementiſſimæ temeritatis. verumtamen nocturnis vigiliis, etiam coitione hominum, juſtitium illud, conceptum, ac meditatum eſt. Mementote, patres conſcripti, verbo illo nefario tentatas aureis veſtras, & pernicioſam viam, audiendi conſuetudine, eſſe munitam. Sequitur illud, NE DETERIORIBUS, REPULSISQUE HONOS AUGEATUR. Repulſos videamus: nam deteriores qui ſint, pòſt docebo. ſed tamen in eum cadere hoc verbum maximè, qui ſit unus omnium mortalium ſine ulla dubitatione deterrimus, concedendum eſt. Qui ſunt igitur *repulſi?* non, ut opinor, ii, qui aliquando honorem, vitio civitatis, non ſuo, non ſunt aſſecuti. nam id quidem multis ſæpe optimis civibus, atque honeſtiſſimis viris accidit. Repulſi ſunt ii, quos ad omnia progredienteis, quos munera contra leges gladiatoria paranteis, quos apertiſſimè largienteis, non ſolùm alieni, ſed etiam ſui, vicini, tribules: urbani, ruſtici repulerunt. Hi ne honore augeantur, monemur. Debet eſſe gratum, quod prædicunt: ſed tamen huic malo populus Rom. ipſe nullo haruſpicum admonitu, ſua ſponte proſpexit. Deteriores cavete: quorum quidem magna eſt *natio:* ſed tamen eorum omnium hic dux eſt, atque princeps. Etenim, ſi unum hominem deterrimum poëta præſtanti aliquis ingenio, fictis, conquiſitiſque vitiis deformatum, vellet inducere: nullum profectò dedecus reperire poſſet, quod in hoc non ineſſet: multaque in eo penitus defixa, atque hærentia præteriret.
27 *Parentibus*, & diis immortalibus, & patriæ nos primùm natura conciliat. eodem enim tempore & ſuſcipimur in lucem, & hoc cæleſti ſpiritu augemur, & certam in ſedem civitatis, ac libertatis adſcribimur. Iſte parentum nomen, ſacra, memoriam, gentem, Fontejano nomine obruit. deorum igneis, [1] ſollemneis menſas, abditos, ac penetraleis focos, occulta, & maribus non inviſa ſolùm, ſed etiam inaudita ſacra, inexpiabili ſcelere pervertit. idemque earum templum inflammavit dearum, quarum ope etiam aliis incendiis ſubvenitur. Quid de patria loquar? qui primùm eum civem, [2] vi, ferro, periculis, urbe, omnibus patriæ præſidiis depulit, quem vos patriæ conſervatorem eſſe ſæpiſſimè judicaveratis: deinde everſo ſenatus, ut ego ſemper dixi, comite: duce, ut ille dicebat, ſenatum ipſum, principem ſalutis, mentiſque publicæ, vi, cæde, incendiiſque pervertit: ſuſtulit duas leges, Æliam, & Fufiam, maxime reipub. *ſalutareis:* cenſuram exſtinxit: interceſſionem removit: auſpicia delevit: conſules, ſceleris ſui ſocios, ærario, provinciis, exercitu armavit: reges, qui erant, vendidit: qui non erant, appellavit: Cn. Pompejum vi, ferro, domum compulit: imperatorum monumenta evertit: inimicorum domos diſturbavit: veſtris monumentis nomen ſuum inſcripſit. Infinita ſunt ſcelera, quæ ab illo in patriam ſunt edita. Quid, quæ in ſingulos civeis, quos necavit? ſocios, quos diripuit? imperatores, quos prodidit? exercitus, quos tentavit? Quid verò? ea, quanta ſunt, quæ *in ipſum ſe ſcelera*, quæ in ſuos edidit? quis minus umquam pepercit hoſtium caſtris, quàm ille omnibus corporis ſui partibus? quæ navis umquam in flumine publico tam vulgata omnibus, quàm iſtius ætas fuit? quis umquam nepos tam liberè eſt cum ſcortis, quàm hic cum ſororibus volutatus? quàm denique tam immanem Charybdim poëtæ fingendo exprimere potuerunt, quæ tantos exhaurire gurgites poſſet, quantas iſte [3] Byzantiorum, Brogitarorumque prædas exſorbuit? aut tam eminentibus canibus Scyllam, tamque jejunis quàm, quibus iſtum videtis, [4] Gelliis, Clodiis, Titiis roſtra ipſa mandentem? Quare, id quod extremum eſt in Haruſpicum reſponſis, PROVIDETE, NE REIPUB. STATUS COMMUTETUR. etenim vix hæc, ſi undique fulciamus, jam labefacta, vix, inquam, innixa in omnium noſtrûm humeris cohærebunt.
Fuit quondam ita firma hæc civitas, & valens, ut negli- 28
gentiam ſenatus, vel etiam injurias civium ferre poſſet. Jam non poteſt. ærarium nullum eſt: vectigalibus non fruuntur, qui redemerunt: auctoritas principum cecidit: conſenſus ordinum eſt divulſus: judicia perierunt: [5] ſuffragia deſcripta tenentur à paucis: bonorum animus, ad nutum noſtri ordinis expeditus jam non erit: civem, qui ſe pro patriæ ſalute opponat *invidiæ*, fruſtra poſthac requiretis. Quare hunc ſtatum, qui nunc eſt, qualiſcumque eſt, nulla alia re, niſi concordia, retinere poſſumus. nam, ut meliore ſimus loco, ne optandum quidem eſt, illo impunito: deteriore autem ſtatu ut ſimus, unus eſt inferior gradus, aut interitus, aut ſervitutis. quò ne trudamur, dii immortales nos admonent, quoniam jampridem *humana conſilia* ceciderunt. Atque ego hanc orationem, P. C. tam triſtem, tam gravem [6] non ſuſcepiſſem, non, inquam, niſi hanc perſonam, & has parteis, honoribus populi Rom. veſtris plurimis ornamentis mihi tributis, deberem, & poſſem ſuſtinere: ſed tamen facile tacentibus ceteris, reticuiſſem: ſed hæc oratio omnis fuit non auctoritatis meæ, ſed publicæ religionis. mea fuerunt verba fortaſſe plura: ſententiæ quidem omnes haruſpicum: ad quos aut referri nuntiata oſtenta non convenit, aut eorum reſponſis commoveri neceſſe eſt. Quòd ſi cetera magis pervulgata nos ſæpe, & leviora moverunt: vox ipſa deorum immortalium non menteis omnium permovebit? nolite enim id putare accidere poſſe, quod in fabulis ſæpe videtis fieri, ut [7] deus aliquis *elapſus de cælo*, cœtus hominum adeat, verſetur in terris, cum hominibus colloquatur. cogitate genus ſonitus ejus, quem Latinienſes nuntiarunt: recordamini illud etiam, quod nondum eſt relatum, quòd eodem ferè tempore factus in agro Piceno Potentiæ nuntiatur terræmotus horribilis, cum quibuſdam multis, metuendiſque rebus. hæc eadem profectò, quæ futura proſpicimus, impendentia pertimeſcetis. Etenim hæc deorum immortalium *vox*, hæc pæne oratio judicanda eſt, cum ipſe mundus, [8] cùm aër atque terræ, motu quodam novo contremiſcunt, & inuſitato aliquid ſono, incredibilique prædicunt. in quo conſtituendæ nobis quidem ſunt procurationes, & obſecratio, quemadmodum monemur. ſed faciles ſunt preces apud eos, qui ultrò nobis *viam* ſalutis oſtendunt: noſtræ nobis ſunt inter nos iræ, diſcordiæque placandæ.

M. TUL-

1. *Solemneis menſas.*] Pal. & S. Victoris *ſolia*, *menſas*. an forte hîc locum habere poteſt Feſti *Solla?* doce me Guitheri. nam vix mihi dubium ſit quin intelligat Deis ſacra ſolia.

2. *Vi, ferro, periculis.*] Gulielmius tentabat *terriculis*.

3. *Byzantiorum, Brogitarorumque prædas.*] Pal. nonus *Largitanorumque*, de quo cogitandum eſt. quippe ſic quoque Gemblacenſe exemplar, ſic Turingicum.

4. *Gelliis, Clodiis, Titiis.*] Jam ſemel dixi, mſſ. ferè ſemper *Sextum* hunc appellare *Cloelium*. itaque viderint Critici an non queat revocari in uſum. nam & heic quoque inculcat diſerte triga dictorum ſcriptorum, inſuperque ſcriptus S. Victoris.

5. *Suffragia deſcripta habentur à paucis.*] In locum ſuum reduxi lectionem firmatam omnibus vett. edd. ſuffragantibus item Pall. & S. Victoris, niſi quod ultimus ille, *deſcriptus*. vulgata *diſtricta*. non rectè. conſulatur noſter pro Plancio cap. 18. f.

6. *Non ſuſcepiſſem, non, inquam, niſi hanc, &c.*] Lambinus vulgavit, *non quin hanc*. & ſic quoque S. Victoris & Pal. nonus.

7. *Deus aliquis delapſus è cælo.*] Haud aliter idem nonus, & ſuffragatur S. Victoris, niſi quod is littera minus *aliqui*: etiam rectè. publicata prius, *aliquis elapſus*.

8. *Cùm aër atque terræ motu.*] Eſt à S. Victoris, produxitque è ſuo Fulvius noſter Urſinus.

1. *Actu-*

M. TULLIUS CICERO PRO CN. PLANCIO.

ORATIO TRICESIMAPRIMA.

1 CUM propter egregiam, & ſingularem Cn. Plancii, judices, in mea ſalute cuſtodienda fidem, tam multos, & bonos viros ejus honori viderem eſſe fautores, capiebam animo non mediocrem voluptatem, quòd, cujus officium mihi ſaluti fuiſſet, ei meorum temporum memoriam ſuffragari videbam. Cùm autem audirem, meos partim inimicos, partim invidos, huic [1] accuſationi eſſe fauturos, eamdemq; rem adverſariam eſſe in judicio, Cn. Plancio, quæ in petitione fuiſſet adjutrix: dolebam, judices, & acerbè ferebam, ſi hujus ſalus ob eam ipſam cauſam eſſet infeſtior, quòd is meam *ſalutem*, atque vitam ſua benivolentia, præſidio, cuſtodiaque texiſſet. Nunc autem veſter, judices, conſpectus, & conſeſſus iſte reficit, & recreat mentem meam, cum intueor, & contemplor unumquemque veſtrûm. video enim hoc in numero neminem, cui mea ſalus cara non fuerit: cujus [2] non exſtet in me ſuum meritum: cui non ſim obſtrictus memoria beneficii ſempiterna. Itaque non extimeſco, ne Cn. Plancio cuſtodia meæ ſalutis apud eos obſit, qui [3] meipſum maximè ſalvum videre voluerunt. Sæpiuſque, judices, mihi venit in mentem, admirandum eſſe, M. Laterenſem, hominem [4] ſtudioſiſſimum, & dignitatis, & ſalutis meæ, reum ſibi hunc potiſſimum delegiſſe, quàm metuendum, ne vobis id ille magna ratione feciſſe videatur. Quamquam mihi non ſumo tantum, judices, neque arrogo, ut Cn. Plancium ſuis erga me meritis *impunitatem* conſecuturum putem. niſi ejus integerrimam vitam, modeſtiſſimos mores, ſummam fidem, continentiam, pietatem, innocentiam oſtendero: nihil de pœna recuſabo. ſin omnia præſtitero, quæ ſunt à bonis viris expetenda: petam à vobis, judices, ut, cujus miſericordia ſalus mea cuſtodita ſit, ei vos veſtram miſericordiam, me deprecante, tribuatis. Equidem ad reliquos labores, quos in hac cauſa majores ſuſcipio, quàm in ceteris, etiam hanc moleſtiam aſſumo, quòd mihi non ſolùm pro Cn. Plancio dicendum eſt, cujus ego ſalutem non ſecus, ac meam, tueri debeo: ſed etiam pro me ipſo, de quo accuſatores

2 plura pænè, quàm de re, reoque dixerunt. Quamquam, judices, ſi quid eſt in me ipſo ita reprehenſum, [5] ut id ab hoc ſejunctum ſit, non me id magnopere conturbet. non enim timeo, ne, quia *perrarò grati homines reperiantur*, idcirco, cùm me nimium gratum illi eſſe dicant, id mihi criminoſum eſſe poſſit. quæ verò ita ſunt agitata ab illis, ut aut merita Cn. Plancii erga me minora eſſe dicerent, quàm à me ipſo prædicarentur: aut, ſi eſſent ſumma, negarent ea tamen ita magni, ut ego putarem, ponderis apud vos eſſe debere: hæc mihi ſunt tractanda, judices, & modicè, ne quid ipſe offendam: & tum denique, cùm reſpondero criminibus, ne non tam innocentia reus ſua, quàm recordatione meorum temporum, defenſus eſſe videatur. Sed mihi in cauſa facili, atque explicata, perdifficilis, judices, & lubrica defenſionis ratio proponitur. nam, ſi tantummodo mihi neceſſe eſſet contra Laterenſem dicere: tamen id ipſum eſſet in tanto uſu noſtro, tantaque amicitia moleſtum. vetus enim eſt lex illa juſtæ, veræque amicitiæ, quæ mihi cum illo jam diu eſt, UT IDEM AMICI SEMPER VELINT. neque eſt ullum certius amicitiæ vinculum, quàm conſenſus, & ſocietas conſiliorum, & voluntatum. [6] Mihi autem non modo id eſt in hac re moleſtiſſimum, contra illum dicere, ſed multò illud magis, quod in ea cauſa contrà dicendum eſt, in qua quædam hominum ipſorum videtur facienda eſſe *contentio*. Quærit enim Laterenſis, atque hoc uno maximè urget, qua ſe virtute, qua laude Plancius, qua dignitate ſuperarit. Ita, ſi cedo illius ornamentis, quæ multa, & magna ſunt: non ſolùm hujus dignitatis jactura facienda eſt, ſed etiam largitionis recipienda ſuſpicio eſt. ſin hunc illi antepono: contumelioſa habenda eſt oratio, & dicendum eſt id, quod ille me flagitat, Laterenſem à Plancio dignitate eſſe ſuperatum. Ita aut amiciſſimi hominis exiſtimatio offendenda eſt, ſi illam accuſationis conditionem ſequar: aut optimè de me meriti ſalus deſerenda eſt. Sed ego, Laterenſis, cæcum me, & præcipitem ferri 3
confitear in cauſa, ſi te aut à Plancio, aut ab ullo, dignitate potuiſſe ſuperari dixero. Itaque diſcedam ab ea contentione, ad quam tu me vocas, & veniam ad illam, ad quam me cauſa ipſa deducit. [7] Quid? tu non inanem dignitatis *judicem* putas eſſe populum? Fortaſſe nonnunquam eſt. utinam verò ſemper eſſet: ſed eſt perrarò, & ſi quando eſt, in iis magiſtratibus eſt mandandis, quibus ſalutem ſuam committi putat: his levioribus comitiis, diligentia, & gratia petitorum honos paritur, non iis ornamentis, quæ eſſe in te videmus. Nam, quod ad populum pertinet, ſemper dignitatis *iniquus judex* eſt, qui aut invidet, aut favet. Quamquam nihil potes in te, Laterenſis, conſtituere, quod ſit proprium laudis tuæ, quin id tibi ſit commune cum Plancio. Sed hoc totum agetur alio loco: nunc tantum diſputo de jure populi: qui & poteſt, & ſolet nonnumquam *dignos præterire*: nec, ſi à populo præteritus eſt, quem non oportuit, à judicibus condemnandus eſt, qui præteritus non eſt. Nam ſi ita eſſet: quod patres apud majores noſtros tenere non potuerunt, ut reprehenſores eſſent comitiorum, id haberent judices; vel quod multo etiam minus eſt ferendum. tum enim magiſtratum non gerebat is, qui ceperat, ſi patres, auctores non erant facti: nunc poſtulatur à vobis, ut ejus exſilio, qui creatus ſit, judicium populi Rom.

1. *ACcuſationi eſſe futuros.*] Pall. octo, *fautores*. Lambinus tamen, non ſine ratione, tuetur alterum.

2. *Non exſtet in me ſuum meritum.*] Editio Lambini, *ſummum*, ſed ſine omni gratia, ac præter omnes typis mandatos calamoque exaratos codices.

3. *Meipſum maximè ſalvum videre voluerunt.*] Gulielmius putabat dictionem *videre* ſuperfluam, & a manu librarii magis quam Ciceronis.

4. *Studioſiſſimum & dignitatis & ſalutis meæ.*] Ita hodie primùm legimus fide membranarum Turingicarum. prius vulg., *ſtudioſiſſimum & dignitiſſimum ſalutis meæ*: pro quo tamen Pall. aliquot & *digniſſimum*.

5. *Ut id ab hoc ſejunctum ſit.*] Eſt & iſtud ab Erfurdiano libro. vulgati enim nuper, *alienum ſit*. nam primitus cuſi, *ut id ad hoc dictum ſit*, quomodo & Pall. aliquot; aut, *ab hoc dictum*. at plures tantum, *ab hoc ſit*, ſine alia voce.

6. *Mihi autem non modo, id eſt, in hac re moleſtiſſimum.*] Hæc eſt lectio editionis primæ, quam adſerunt item plures Palatini. poſteriores objecere nobis; *non eſt in hac re ſolum moleſtum.* vellem ſcire cauſam.

7. *Quid? tu non inanem, &c.*] Lambinus habet, *tune æquum.* ſed ita nulli libri, in quibus tantum, *tu inanem*, aut *tum inanem*. ut forte fuerit, *tu ne inanem*.

li Rom. reprehendatis. Itaque quamquam, [1] qua nolui, janua ſim ingreſſus in cauſam, ſperare videor tantum abfuturam eſſe orationem meam à minima ſuſpicione offenſionis tuæ, te ut potiùs objurgem, quòd iniquum in diſcrimen adducas dignitatem tuam, quàm ut ego eam ulla
4 contumelia coner attingere. Tu continentiam, tu induſtriam, tu animum in remp. tu virtutem, tu innocentiam, tu fidem, tu labores tuos, quòd ædilis non ſis factus, *fractos* eſſe, & abjectos, & repudiatos putas? Vide tandem, Laterenſis, quantum à te diſſentiam. Si medius fidius decem ſoli eſſent in civitate viri boni, ſapientes, juſti, graves, qui te indignum ædilitate judicaviſſent: graviùs de te judicatum putarem, quàm eſt hoc, quod tu metuis, ne à populo judicatum eſſe videatur. NON ENIM comitiis judicat ſemper populus, ſed movetur plerumque gratia: cedit precibus: facit eos, à quibus eſt maximè ambitus. denique, ſi judicat, non delectu aliquo, aut ſapientia ducitur ad judicandum, ſed impetu nonnumquam, & quadam etiam temeritate. Non eſt enim *conſilium* in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia: ſemperque ſapientes ea, quæ populus feciſſet, ferenda, non ſemper laudanda duxerunt. Quare cùm te ædilem fieri oportuiſſe dicis, populi culpam, non competitoris, accuſas. At fueris dignior, quàm Plancius: de quo ipſo ita tecum contendam paullo poſt, ut conſervem dignitatem tuam: ſed, ut fueris dignior: non *competitor*, à quo es victus, ſed *populus*, à quo es præteritus, in culpa eſt. In quo primùm illud debes putare, comitiis, præſertim ædilitiis, ſtudium eſſe populi, non judicium. eblandita illa, non enucleata eſſe ſuffragia: eos, qui ſuffragium ferant, [2] quid denique ipſi debeant, conſiderare ſæpius, quàm, quid cuique à rep. videatur deberi. Sin autem mavis eſſe judicium: non tibi id reſcindendum eſt, ſed ferendum. Malè judicavit populus. At judicavit. Non debuit. At potuit. Non fero. At multi clariſſimi, & ſapientiſſimi cives *tulerunt*. [3] eſt enim hæc conditio liberorum populorum, præcipueque hujus principis populi, & omnium gentium domini, ac victoris, poſſe ſuffragiis vel dare, vel detrahere, quod velit, cuique: noſtrum eſt autem, qui in hac *tempeſtate* populi jactemur, ac fluctibus, ferre modicè populi voluntates, allicere alienas, retinere partas, placare turbatas: honores ſi magni non putemus, non ſervire populo: ſin eos expetamus, non defatigari ſup-
5 plicando. Venio nunc ad ipſius populi parteis, ut illius contra te oratione potiùs, quàm mea, diſputem. qui ſi tecum congrediatur, & ſi una voce loqui poſſit, hæc dicat: EGO TIBI, Laterenſis, Plancium non antepoſui: ſed, cùm eſſetis æquè boni viri, meum beneficium potiùs ad eum detuli, qui à me contenderat, quàm ad eum, qui mihi non nimis ſubmiſsè ſupplicarat. Reſpondebis, credo, te ſplendore, & *vetuſtate familiæ* fretum, non valde ambiendum putaſſe. at verò te ille ad ſua inſtituta, ſuorumque majorum exempla revocabit: [4] ſemper ſe dicet rogari voluiſſe, ſemper ſibi placuiſſe. M. Sejum, qui ne equeſtrem quidem ſplendorem incolumem à calamitate judicii retinere potuiſſet, homini nobiliſſimo, innocentiſſimo, eloquentiſſimo, M. Piſoni, prætuliſſe: præpoſuiſſe ſe Qu. Catulo, ſumma in familia nato, ſapientiſſimo, & ſanctiſſimo viro, non dico [5] C. Serenum ſubtiliſſimum hominem (fuit enim & animi ſatis magni, & conſilii) ſed Cn. Manlium, non ſolùm ignobilem, verùm ſine virtute, ſine ingenio, vita etiam *contemta*, ac ſordida. Deſiderarunt te, inquit, oculi mei, cùm tu eſſes Cyrenis. me enim, quàm ſocios, tua frui virtute malebam: &, quo plus intererat, eo plus aberas à me. certè non videbam. deinde ſitientem me virtutis tuæ deſeruiſti, ac dereliquiſti. cœperas enim petere tribunatum pleb. temporibus iis, quæ iſtam eloquentiam, & virtutem requirebant. quam petitionem cum reliquiſſes, [6] ſi hoc indicaſti, tanta in *tempeſtate* te gubernare non poſſe: de virtute tua dubitavi: ſi nolle, de voluntate. ſin, quod magis intelligo, temporibus te aliis reſervaſti: ego quoque, inquam, & reſpub. ad ea te tempora revocavi, ad quæ tu te ipſe ſervaras. Pete igitur eum magiſtratum, in quo mihi magnæ utilitati eſſe poſſis. ædiles quicumque erunt, [7] idem mihi ſunt judices parati: tribuni plebis per magni intereſt qui ſint. quare aut redde mihi quod oſtenderas: aut, ſi, quod mea minus intereſt, id te magis fortè delectat; reddam tibi iſtam ædilitatem, etiam negligenter petenti. Sed ampliſſimos honores ut pro dignitate tua conſequare, condiſcas cenſeo mihi paullo *diligentiùs ſupplicare.*
Hæc populi oratio eſt: mea verò, Laterenſis, hæc: QUARE 6
VICTUS ſis, non debere judicem quærere, modò ne largitione ſis victus. nam, ſi, quotieſcumque præteritus erit is, qui non debuerit præteriri, toties oportebit, eum, qui factus erit, condemnari: nihil jam eſt, quòd populo ſupplicetur: [8] nihil, quòd direptio; nihil, quòd ſupplicatio magiſtratuum, renuntiatio ſuffragiorum exſpectetur: ſimul ut qui ſint profeſſi, video quid dicam: hic familia conſulari eſt, ille prætoria: reliquos video eſſe ex equeſtri loco: ſunt omnes ſine macula, ſunt æquè boni viri, atque integri: ſed ſervari neceſſe eſt gradum. cedat conſulari generi prætorium, nec contendat cum prætorio equeſter locus. ſublata ſunt *ſtudia*, exſtinctæ ſuffragationes, nullæ contentiones, nulla libertas populi in mandandis magiſtratibus, nulla exſpectatio ſuffragiorum: nihil, ut plerumque evenit, præter opinionem accidet: nulla erit poſthac varietas comitiorum. Sin hoc perſæpe accidit, ut & factos aliquos, & non factos eſſe miremur: ſi campus, atque illæ undæ comitiorum, ut *mare* profundum, & immenſum, ſic effervescunt quodam quaſi æſtu, ut ad alios accedant, ab aliis autem recedant: in tanto nos impetu ſtudiorum, & motu temeritatis, modum aliquem, & conſilium, & rationem requiramus? Quare noli me ad contentionem veſtram revocare, Laterenſis. Etenim, ſi populo grata eſt *tabella*, quæ fronteis aperit hominum, menteis tegit: datque eam libertatem, ut, quod velint, faciant: promittant autem, quod rogentur: cur tu in judicio exprimis, quod non fit in campo? hic, quàm ille, dignior: perquàm grave eſt dictu. Quomodo igitur eſt æquum? Sic credo; quod agitur: quod ſatis eſt judici; hic factus eſt. Cur iſte potius, quàm ego? Vel neſcio, vel non dico, vel denique, quod

1. *Qua nolui janua.*] Sic & prima editio, & meliores mſſ. Pall. etiam S. Vict. intermediæ edd. *volui.* quæ etiam habet qua ſe tueatur.

2. *Quid denique ipſi debeant, &c.*] Lambinus, *quid cuique ipſi deb. &c.*] ſic liber Turing. idemque codex poſtea, ubi habemus, *à repub. videatur deberi,* ſolum exhibet, *à repub. debeatur.*

3. *Eſt enim hæc conditio.*] Interpoſui particulam *hæc*, ſuaſu Erfurd. ut & ſupra *ipſo*, quæ multum adferunt venuſtatis.

4. *Semper ſe rogari voluiſſe, ſemper ſibi placuiſſe.*] Illud *ſibi* eſt à Turingicis; recte. amans quippe ſui populus, ideoque non patitur poteſtatem ſuam imminui arrogantia candidatorum. Lambinus heic obtruſerat nobis: *rogari, ſemper ſibi ſupplicari voluiſſe*, ſed nullo librorum ſuffragio.

5. *C. Serenum ſubtiliſſimum hominem.*] Pall. ferè omnes, item Erfurd. ac S. Victoris, denique editio vetus, *ſtultiſſimum.* quod admiſit Lambinus addita negativa. recte profectò ſi cui tantum liceet in opere alterius. ceterum Erfurd. idem ut & Gruterianus, præferunt, *Seranum*, quod oppido placuiſſet P. Manutio, proditum ſe vivo. is enim *Serranum* reponendum omnino putabat.

6. *Si hoc indicaſti.*] Eſt a Lambino, ſed jam firmatum uno alteroque Palatino, item codice Grut. prius editi *judicaſti*; quod non video cur tantopere exagitare debuerit Monſtrolienſis ille.

7. *Idem mihi ſunt judices parati: tribuni plebis permagni intereſt, qui ſint. quare aut redde mihi quod oſtenderas, &c.*] Integrat hunc locum egregiâ clauſulâ Turingicus liber. immiſſis vocibus quatuordecim. prius enim ſolùm habebamus, *idem mihi, quod oſtenderas.*

8. *Nihil quod direptio.*] Reduxi editionum priſcarum omniumque mſſ. vocem, ejectis neotericis, *diribitio*, *diremptio*, aliiſque; dum Senatus Criticus conſulto ſuo firmabit quidnam potiſſimum admittere habeamus. *Diripi*, heic eſt, prenſari, ambiri a pluribus. cujus vocis exempla plura poſui ante xx. aliquot annos in Animadverſionib. ad Senecam lib. III. De Ira cap. 23. uſus & Tullius noſter diſertè lib. II. Epiſt. ad Q. fratrem: *Direptum iri te à tuis, &c.*

quod mihi graviſſimum eſſet ſic dicere, ſed impunè tamen deberem dicere; *Non rectè.* nam quid aſſequerere, ſi illa extrema defenſione uterer, *Populum, quod voluiſſet, feciſ-*
7 *ſe, non quod debuiſſet?* Quid, ſi populi quoque factum defendo, Laterenſis, & doceo, Cn. Plancium non obrepſiſſe ad honorem, ſed eo veniſſe curſu, qui ſemper patuerit hominibus hoc noſtro equeſtri loco? poſſumne eripere orationi tuæ contentionem veſtrûm, quæ tractari ſine contumelia non poteſt, [1] & te ad cauſam aliquando crimenque deducere? Si, quòd equitis Rom. filius eſt, inferior eſſe debuit: omnes tecum equitum Romanorum filii petiverunt. nihil dico amplius. hoc tamen miror, cur tu huic potiſſimùm iraſcare, qui longiſſimè à te abfuit. Equidem, ſi quando, ut fit, jactor in turba, non illum accuſo, qui eſt in ſumma ſacra via, cùm ego ad Fabium fornicem impellor: ſed eum, qui in me ipſum incurrit, atque incidit. Tu neque Q. Pedio, forti viro, ſuccenſes, neque huic A. Plotio, ornatiſſimo homini, familiari meo: & ab eo, qui hos dimovit, potius, quàm ab iis, qui in te ipſum incubuerunt, te depulſum putas. Sed tamen hæc tibi eſt prima cum Plancio, generis veſtri, familiæque contentio, qua abs te vincitur. Cur enim non confitear, quod neceſſe eſt? ſed non hic magis, quàm ego à meis competitoribus & alias, & in conſulatus petitione vincebar. Sed vide, ne hæc ipſa, quæ deſpicis, huic ſuffragata ſint. Sic enim conferamus. Eſt tuum nomen utraque familia conſulare. Num dubitas igitur, quin omnes, qui favent nobilitati, qui id putant eſſe pulcherrimum, qui imaginibus, qui nominibus veſtris ducuntur, te ædilem fecerint? Equidem non dubito. Sed, ſi parum multi ſunt, qui nobilitatem ament: num iſta eſt noſtra culpa? etenim ad caput, & ad fon-
8 tem utriuſque generis veniamus. Tu es ex municipio antiquiſſimo Tuſculano, [2] ex quo plurimæ familiæ ſunt conſulares: in quibus eſt etiam Juventia, quot è reliquis municipiis omnibus non ſunt. Hic eſt è præfectura Atinati, non tam priſca, non tam honorata, non tam ſuburbana. Quantum intereſſe vis *ad rationem petendi?* Primùm utrùm magis favere putas Atinateis, an Tuſculanos, ſuis? alteri (ſcire enim hoc propter vicinitatem facilè poſſum) cùm hujus ornatiſſimi, atque optimi viri, Cn. Saturnini, patrem ædilem, cùm prætorem viderunt, quòd primus ille non modò in eam familiam, ſed etiam in præfecturam illam, *ſellam curulem* attuliſſet: mirandum in modum lætati ſunt. alteros (credo, quia refertum eſt municipium conſularibus: nam malevolos non eſſe certò ſcio) numquam intellexi [3] vehementiùs hoſpitum ſuorum honore lætari. Habemus hoc nos: habent noſtra municipia. Quid ego de me, de fratre meo loquar? quorum honoribus agri propè dicam ipſi, monteſque faverunt. num quando vides Tuſculanum aliquem de M. Catone illo in omni virtute principe, [4] num de Ti. Coruncanio, municipe ſuo, num de tot Fabiis gloriari? verbum nemo facit. At, in quemcumque Arpinatem incideris, etiam ſi nolis, erit tamen tibi fortaſſe de nobis aliquid, [5] aliquid certè de C. Mario audiendum. Primùm igitur hic habuit ſtudia ſuorum ardentia: tu tanta, quanta in hominibus jam *ſaturatis* honoribus eſſe potuerunt. Deinde tui municipes, ſunt illi quidem ſplendidiſſimi homines: ſed tamen pauci, ſi quidem cum Atinatibus conferantur. hujus præfectura, plena virorum fortiſſimorum, ſic ut nulla tota Italia frequentior dici poſſit. quam quidem nunc multitudinem videtis, judices, in ſqualore, & luctu ſupplicem vobis. Hi tot equites Romani, tot tribuni ærarii (nam plebem à judicio dimiſimus, quæ cuncta comitiis adfuit) quid roboris, quid dignitatis hujus petitioni attulerunt? non enim tribum Terentinam, de qua dicam alio loco, ſed dignitatem, ſed oculorum conjectum, ſed ſolidam, & robuſtam, & aſſiduam frequentiam præbuerunt. Jam municipia conjunctione etiam *vicinitatis* vehementer moventur. Omnia, quæ dico de Plancio, dico 9
expertus in nobis. ſumus enim finitimi Atinatibus. laudanda eſt, vel etiam amanda vicinitas, retinens veterem illum officii morem, non infuſcata malevolentia, non aſſueta mendaciis, non fucata, non fallax, non erudita artificio *ſimulationis* vel ſuburbano, vel etiam urbano. nemo Arpinas non Plancio ſtuduit, nemo Soranus, nemo Caſinas, nemo Aquinas. totus ille tractus celeberrimus, Venafranus, Allifanus: tota denique noſtra illa aſpera, & montuoſa, & fidelis, & ſimplex, & fautrix ſuorum regio, ſe hujus honore ornari, ſe augeri dignitate arbitrabatur: iiſdemque nunc à municipiis adſunt equites Rom. publicè, cum legationis teſtimonio: nec minore nunc ſunt ſollicitudine, quàm tum erant ſtudio. etenim eſt GRAVIUS ſpoliari fortunis, quàm non augeri dignitate. Ergo ut alia in te erant illuſtriora, Laterenſis, quæ tibi majores tui reliquerant: ſic te Plancius hoc non ſolum municipii, verùm etiam vicinitatis genere vincebat. niſi fortè te Lavicana, aut Bovillana, aut Gabina vicinitas adjuvabat. quibus è municipiis vix jam, qui *carnem* Latinis petant, inveniuntur. Adjungam, ſi vis, id, quod tu etiam huic obeſſe putas, patrem publicanum: qui ordo quanto adjumento ſit in honore, quis neſcit? flos enim equitum Rom. ornamentum civitatis, firmamentum reipub. *publicanorum* ordine continetur. Quis eſt igitur qui neget, ordinis ejus ſtudium fuiſſe in honore Plancii ſingulare? neque injuria: vel quòd erat pater, is qui eſt princeps jam diu publicanorum: vel quòd is ab ſociis unicè diligebatur: vel quòd diligentiſſimè rogabat: vel quia pro filio ſupplicabat, vel quia hujus in illum ordinem ſumma officia quæſturæ, tribunatuſque conſtabant: vel quòd illi in hoc ornando *ordinem ſe ornare,*
& conſulere liberis ſuis arbitrabantur. Aliquid præterea, 10
(timidè dico, ſed tamen dicendum eſt:) non enim opibus, non invidioſa gratia, non potentia vix ferenda, ſed commemoratione beneficii, ſed miſericordia, ſed precibus aliquid attulimus etiam nos. appellavi populum, [6] tribubus ſubmiſi me, & ſupplicavi: ultro mehercules ſe mihi etiam offerenteis, ultro pollicenteis rogavi. valuit *cauſa rogandi,* non gratia: nec, ſi vir ampliſſimus, cui nihil eſt, quod roganti concedi non jure poſſit, de aliquo, ut dicis, non impetravit, ego ſum arrogans, quòd me valuiſſe dico. Nam, ut omittam illud, quòd ego pro eo laborabam, qui valebat ipſe per ſeſe: ROGATIO ipſa ſemper eſt gratioſiſſima, quæ eſt officio neceſſitudinis conjuncta maximè. [7] neque ego ſic rogabam, ut petere viderer, quia familiaris eſſet meus, quia vicinus, quia hujus parente ſemper plurimùm eſſem uſus: ſed ut quaſi parenti, & cuſtodi meo. non potentia mea, ſed cauſa rogationis fuit gratioſa. nemo mea reſtitutione lætatus eſt, nemo injuria doluit, cui non hujus in me miſericordia grata fuerit. Etenim, ſi ante reditum Cn. Plancio ſe vulgò viri boni, cùm hic tribunatum peteret, ultro offerebant: [8] cui nomen meum abſentis

1. *Et te ad cauſam aliquando.*] Vox ultima immiſſa ſuaſu Turingici codicis; editionibus aliis omnibus defuit.

2. *Ex quo plurimæ familiæ ſunt.*] Anton. Auguſtinus *plures* malebat; Gulielmius *primæ.*

3. *Vehementius hoſpitum ſuorum honore.*] Erfurd. *municipium.* Pall. nihil variant, & ferri poterat vulgata. inclinabat tamen Gulielmius in *hominum,* quod erat in Urſini mſ.

4. *Num de Tiberio Coruncanio municipe ſuo, &c.*] Stephanus Pighius adeundus lib. VI Faſtorum. putat enim excidiſſe, *Camerinum.* ſed & mox loco illi *Fabiis*, legendum autumat, *Fulvios Tiburtem gloriari?* At ego arbitrabar faciliore medicina ſanari locum poſſe; ſi inquam, reponeretur, *Coruncanio, municipes ſuos, num de tot Fabiis gloriari.*

5. *Aliquid certè de C. Mario audiendum.*] Ita optimè Erfurdiana membrana. antea erat inſulsè, *aliquid & de C. Mar.*

6. *Tribubus ſubmiſi me.*] Turingicus liber *tributim.* non diſplicet.

7. *Neque enim ego ſic rogavi.*] Particulam *enim* venuſtè accedit ex eodem exemplari.

8. *Cui nomen meum abſentis honori, &c.*] Vox *abſentis* reddita modò auctori, liberalitate codicis Jenenſis. ibidem enim nunc ſervatur ille olim Erfurdianus. videatur Zinzerlingus noſter Promulſidis Criticæ cap. XXXV.

ſentis honori fuiſſet, ei meas *præſentis* preces non putas profuiſſe? An Minturnenſes coloni, quòd C. Marium [1] ex civili errore, atque ex impiis manibus eripuerunt, quòd tecto receperunt: quòd feſſum inedia, fluctibuſque recrearunt: quòd viaticum congeſſerunt: quòd navigium dederunt: quòd eum linquentem terram eam, quam ſervaverat, lacrymis, [2] votiſque omnibus proſecuti ſunt, æterna in laude verſantur: Plancio, quòd me vel vi pulſum, [3] vel ratione cedentem receperit, juverit, cuſtodierit, his, & ſenatui, populoque Rom. ut haberent quod reducerent, conſervarit: honori hanc fidem, miſericordiam, virtutem
11 fuiſſe miraris? Vitia mehercule, res hæ, Cn. Planci, de quibus dixi, tegere potuerunt: ne tu in ea vita, de qua jam dicam, tot, & tanta adjumenta, huic, honori fuiſſe mirere. Hic eſt enim, qui adoleſcentulus cum A. Torquato profectus in Africam, ſic ab illo graviſſimo, & ſanctiſſimo, atque omni laude, & honore digniſſimo viro dilectus eſt, ut & *contubernii* neceſſitudo, & adoleſcentuli modeſtiſſimi pudor poſtulabat. [4] qui ſi adeſſet: non minùs ille declararet, quàm hic illius frater patruelis, & ſocer T. Torquatus, illi omni virtute, & laude par: qui eſt quidem cum illo maximis vinculis & propinquitatis, & affinitatis conjunctus: ſed ita magni amoris, ut illæ neceſſitudinis cauſæ, leves eſſe videantur. Fuit in Creta poſtea contubernalis Saturnini, propinqui ſui: miles hujus Q. Metelli. quibus cùm fuerit probatiſſimus, hodiqúe ſit: omnibus eſſe ſe probatum debet ſperare. In ea provincia legatus fuit C. Sacerdos: qua virtute, qua conſtantia vir? L. Flaccus: qui homo? qui civis? qualem hunc putent: aſſiduitate, teſtimonioque declarant. In Macedonia tribunus militum fuit: in eadem provincia poſtea quæſtor. Primùm Macedonia ſic eum diligit, ut indicant hi principes civitatum ſuarum: qui cùm miſſi ſint ob aliam cauſam, tamen hujus repentino periculo commoti, huic aſſident, pro hoc laborant: huic ſi præſtò fuerint, gratius ſe civitatibus ſuis facturos putant, quàm ſi legationem, & mandata ſua confecerint. L. verò Apuleius hunc tanti facit, ut morem illum majorum, qui præſcribit, in *parentum loco* quæſtoribus ſuis prætores eſſe oportere, officiis, benevolentiaque ſuperarit. Tribunus plebis fuit non fortaſſe tam vehemens, quàm iſti, [5] quos tu jure laudas: ſed certè talis, quales ſi omnes ſemper fuiſſent, numquam deſideratus vehemens eſſet tri-
12 bunus. Omitto illa, [6] quæ ſi minus in ſcena ſunt, at certè, cùm ſunt prolata, laudantur: ut vivat cum ſuis: primùm cum parente (nam meo judicio PIETAS fundamentum eſt omnium virtutum) quem veretur, ut deum, (neque enim multo ſecus parens liberis) amat verò, ut ſodalem, ut fratrem, ut æqualem. Quid dicam cum patruo? cum affinibus? cum propinquis? cum hoc Cn. Saturnino, ornatiſſimo viro? cujus quantam honoris hujus cupiditatem fuiſſe creditis, cùm videatis luctus ſocietatem? Quid de me dicam? qui mihi in hujus periculo reus eſſe videor? quid de his tot viris talibus, quos videtis veſte mutata? Atqui hæc ſunt indicia ſolida, judices, & expreſſa; hæc ſigna probitatis, non *fucata* forenſi ſpecie, ſed domeſticis inuſta notis veritatis. facilis eſt illa occurſatio, & blanditia popularis: adſpicitur, non attrectatur: procul apparet, non excutitur: non in manus ſumitur. Omnibus igitur rebus ornatum hominem, [7] quà externis, quà domeſticis: nonnullis rebus inferiorem, quàm te, generis & nominis, dico: ſuperiorem aliis, municipum, vicinorum, ſocietatum ſtudio, temporum meorum memoria: [8] parem virtute, integritate, modeſtia; ædilem factum eſſe miraris? Hunc tu vitæ ſplendorem maculis adſpergis iſtis? Jacis adulteria, quæ nemo [9] non modò nomine, ſed ne ſuſpicione quidem poſſit agnoſcere. [10] Bimaritum appellas, ut verba fingas, non ſolùm crimina. Ductum eſſe ab eo in provinciam aliquem dicis, libidinis cauſa. quod non crimen eſt, ſed [11] impunitum in maledico mendacium. Raptam eſſe mimulam. quod dicitur Atinæ factum à juvene, vetere quodam in ſcenicos jure, maximeque oppidano. O adoleſcentiam traductam eleganter! cui quidem cùm, quod *licuerit*, objiciatur, tamen id ipſum falſum reperiatur. Emiſſus aliquis è carcere, & quidem emiſſus (ut cognoſtis) neceſſarii hominis, optimique adoleſcentis rogatu: idem [12] poſtea præmandatis requiſitus. Atque hæc, nec ulla alia, ſunt conjecta maledicta in ejus vitam, de cujus vos pudore, religione, integritate dubitetis. Pater verò, inquit, etiam *obeſſe filio* debet. O vocem duram, atque indignam tua probitate, Laterenſis! Pater ut in judicio capitis, pater ut in 13
dimicatione fortunarum, pater ut apud taleis viros obeſſe filio debeat? qui ſi eſſet turpiſſimus, ſordidiſſimus: tamen ipſo nomine patrio valeret apud clementeis judices, & miſericordes: valeret, inquam, communi ſenſu omnium, & dulciſſima *commendatione naturæ*. Sed cùm ſit Cn. Plancius is eques Rom. ea primùm vetuſtate equeſtris ordinis, ut pater, ut avus, ut majores ejus omnes, equites Rom. fuerint, ſummum in præfectura florentiſſima gradum tenuerint & dignitatis, & gratiæ: deinde, ut ipſe in legionibus P. Craſſi, imperatoris, inter ornatiſſimos homines, equites Rom. ſummo ſplendore fuerit: ut poſtea princeps inter ſuos: plurimarum rerum ſanctiſſimus, & juſtiſſimus judex: maximarum ſocietatum auctor: plurimarum magiſter: ſi non modò in eo *nihil umquam reprehenſum*, ſed laudata ſunt omnia: tamen is oberit honeſtiſſimo filio pater, qui vel minùs honeſtum, & alienum tueri vel auctoritate ſua, vel gratia poſſit? Aſperius, inquit, locutus eſt aliquid aliquando. Immò fortaſſe liberiùs. At id ipſum, inquit, non eſt ferendum. Ergo hi ferendi ſunt, qui queruntur, libertatem equitis Rom. ſe ferre non poſſe? ubinam ille mos? ubi illa æquitas juris? ubi illa *antiqua libertas*, quæ malis oppreſſa civilibus extollere jam caput, & aliquando recreata, ſe erigere debebat? equitum ego Rom. etiam in homines nobiliſſimos maledicta, publicanorum in Q. Scævolam, virum omnibus ingenio, juſtitia, integritate præſtantem, aſperè, & ferociter, & liberè dicta commemorem? Conſuli P. Naſicæ præco Granius, medio in foro, 14
cùm ille, edicto juſtitio, domum deſcendens rogaſſet Granium, quid triſtis eſſet: an quòd auctiones eſſent? Immò verò, inquit, quòd legiones. Idem tribuno pleb. potentiſſimo homini, M. Druſo, ſed multa in rempub. molienti, cùm ille eum ſalutaſſet, ut fit, dixiſſetque, Quid agis Grani? Reſpondit, Immò verò, [13] tu Druſe, quid agis? ille L. Craſſi, illi M. Antonii voluntatem aſperioribus facetiis

1. *Ex civili errore.*] Pal. ſeptimus *civili cruore*, ſine illo *ex*, quod alioquin omnibus abeſt miſſ.

2. *Votiſque omnibus proſecuti.*] Lambinus, *votis ominibuſque*. ſed non juvant libri; neque opus eſt.

3. *Vel ratione cedentem receperit.*] Ejeci dictionem *tempore*, inculcatam patrum ævo. nam in vetuſte cuſis, in Pall. in aliorum ſcriptis non comparet.

4. *Qui ſi adeſſet.*] Ita aliquot Pall. quomodo conjecerat Ant. Auguſtinus. vulgo, *quod*.

5. *Quos tu jure laudas.*] Alii conjiciunt *dilaudas*. at Gulielmius, *mire laudas*.

6. *Quæ ſi minus in ſcena ſunt.*] Haud aliter etiam ſcripti noſtri, non quomodo vulgò cuſi: *minus neceſſaria ſunt*.

7. *Quà externis, quà domeſticis.*] Eſt a Lambino qui hauſit à conjectura Puteani; cui accedit utcumque Pal. ſec. in quo *quam ext. quàm dom.* nam ceteris adhærent vulgatæ, *quem ext. quem dom.*

8. *Parem virtute, &c.*] Debetur iſtud Erfurdienſi. nam editi inepte, *patris virtute, &c.*

9. *Non modo nomine, ſed ne, &c.*] Conjicit Lambinus *crimine*; ſed fruſtra. *nomen* enim idem quod *crimen*, ut pluribus oſtendi in ſuſpicionibus ad Senecæ Epiſtolam CIV.

10. *Bimaritum appellas.*] Acute. neque aliter Turingicus. minus rectè hactenus impreſſi, *Maritum appellas, &c.*

11. *Impunitum in maledico mend.*] Sic omn. Pall. ſic edd. vett. imo & Victoriana. Erfurd. *maledicto*. recentius excuſi *in maleficio*.

12. *Poſtea præmandatis requiſitus.*] Turnebus conjicit *prætoris mandatis*, idque ſequitur Lambinus; minus neceſſariò.

13. *Tu Druſe, quid agis?*] Jocus acerbus in formula eſt. qua non unam ad rem utebantur. nam & obvios ita compellabant, quaſi quærerent, *ſatin' ſalva?* & quos reprehenderent iiſdem verbis incre-

tiis ſæpe perſtrinxit impunè. nunc uſque eò oppreſſa veſtra arrogantia civitas eſt, ut, quæ fuit olim *præconi* in ridendo, nunc *equiti Rom.* in plorando, non ſit conceſſa libertas. Quæ enim umquam fuit Plancio vox contumeliæ potiùs, quàm doloris? quid eſt autem umquam queſtus, niſi cùm à ſociis, & à ſe injuriam propulſaret? Cùm ſenatus impediretur, quo minùs, id quod hoſtibus ſemper erat tributum, reſponſum equitibus Rom. redderetur: omnibus illa injuria dolori publicanis fuit: ſed eum ipſum dolorem hic tulit paullo apertiùs. communis ille ſenſus, in aliis fortaſſe latuit: hic, quod cum ceteris animo ſentiebat, id magis, quàm ceteri, & *vultu promptum habuit*, *& lingua*. Quamquam, judices (agnoſco enim ex me) permulta in Plancium, quæ ab eo numquam dicta ſunt, conferuntur. Ego quia dico aliquid aliquando, non ſtudio adductus, ſed contentione dicendi, aut laceſſitus, & quia, ut fit in multis, exit aliquando aliquid, ſi non perfacetum, attamen fortaſſe non ruſticum: quod quiſque dixit, me id dixiſſe dicunt. Ego autem, ſi quid eſt, quod mihi ſcitum eſſe videatur, & homine ingenuo dignum, atque docto: non aſpernor. ſtomachor verò, cùm aliorum non me digna in me conferuntur. Nam quòd primus ſcivit legem de publicanis, tum, cùm vir ampliſſimus conſul id illi ordini per populum dedit, quod per ſenatum, ſi licuiſſet, dediſſet: ſi in eo crimen eſt, quia ſuffragium tulit: quis non tulit publicanus? ſi, quia primus ſcivit: utrùm id ſortis eſſe vis, an ejus, qui illam legem ferebat? ſi ſortis: nullum crimen eſt *in caſu*. ſi conſulis; ſplendor etiam Plan-
15 cii, hunc à ſummo viro principem ordinis judicatum. Sed aliquando veniamus ad cauſam. in qua tu nomine legis Liciniæ, quæ eſt de ſodalitiis, omneis ambitus leges complexus es. neque enim quidquam aliud in hac lege, niſi edititios judices es ſecutus. quod genus judiciorum ſi eſt æquum nulla in re, niſi hac tribuaria: non intelligo, quamobrem ſenatus hoc uno in genere tribus edi voluerit ab accuſatore, neque eandem editionem tranſtulerit in ceteras cauſas: de ipſo denique ambitu, de rejectione, fieri voluerit judicium alternorum: cumque nullum genus acerbitatis prætermitteret, hoc tamen unum prætereundum putarit. Quid? hujus rei obſcura cauſa eſt? an & agitata, cùm iſta in ſenatu res agebatur, & diſputata heſterno die copioſiùs à Q. Hortenſio? cui tum eſt ſenatus aſſenſus. hoc igitur ſenſimus: cujuſcumque tribus largitor eſſet, & per conſenſionem magiſtratuum, quæ honeſtè *ſodalitas* nominaretur, quam quiſque tribum turpi largitione corrumperet, eum maximè iis hominibus, qui ejus tribus eſſent, eſſe notum. Ita putavit ſenatus, cùm reo tribus ederentur, eæ, quas is largitione devinctas haberet, eoſdem fore teſteis, & judices. Acerbum omnino genus judicii: ſed tamen, ſi vel ſua, vel ea, quæ maximè eſſet cuique conjuncta, tri-
16 bus ederetur, vix recuſandum. Tu autem, Laterenſis, quas tribus edidiſti? [1] Terentinam, credo. Fuit id æquum, & certè exſpectatum eſt, & fuit dignum conſtantia tua. cujus tu tribus venditorem, & corruptorem; & ſequeſtrem Plancium fuiſſe clamitas: eam tribum profectò, ſeveriſſimorum præſertim hominum, & graviſſimorum, edere debuiſti, at Voltiniam. libet enim tibi neſcio quid etiam de illa tribu criminari. hanc igitur ipſam cur non edidiſti? quid Plancio cum Lemonia? [2] quid cum Vejentina? quid cum Cruſtumina? [3] nam tertiam etiam, non quæ judicaret, ſed quæ rejiceretur, eſſe voluiſti. Dubitatis igitur, judices, quin vos M. Laterenſis ſuo judicio, non ad ſententiam legis, ſed ad *ſuam ſpem* aliquam de civitate delegerit? dubitatis, quin eas tribus, in quibus magnas neceſſitudines habet Plancius, cùm ille non ediderit, judicarit [4] officiis ab hoc obſervatas, non largitione? Quid enim poteſt dicere, cur iſta editio non ſummam habeat acerbitatem, remota ratione illa, quam in decernendo ſecuti ſumus? Tu deligas ex omni populo aut amicos tuos, aut inimicos meos, aut denique eos, quos inexorabileis, quos inhumanos, quos crudeleis exiſtimes? Tu, me ignaro, [5] nec-opinante, inſcio, notes & tuos, & tuorum neceſſarios, vel *iniquos meos*, vel etiam defenſorum meorum? eodemque adjungas, quos natura putes aſperos, atque omnibus iniquos? deinde effundas repentè, ut antè conſeſſum eorum judicum videam, quàm potuerim, qui eſſent futuri, ſuſpicari? apud eoſque me, ne quinque quidem rejectis, quod in proximo reo de conſilii ſententia conſtitutum eſt, cogas cauſam de fortunis omnibus dicere? Non enim, ſi aut Plancius ita vixit, ut offenderet ſciens neminem, aut tu ita erraſti, ut eos ederes imprudens, ut nos, invito te, tamen ad judices, non ad carnifices veniremus: idcirco iſta editio per ſe non acerba
eſt. An verò nuper clariſſimi cives [6] nomen editi judicis 17
non tulerunt, cùm ex CXXV judicibus, principibus equeſtris ordinis, quinque & LXX reus rejiceret, L referret, omniaque potiùs permiſcuerunt, quàm ei legi, conditionique parerent: nos neque ex delectis judicibus, ſed ex omni populo, neque editos ad rejiciendum, ſed ab accuſatore conſtitutos judices ita feremus, ut neminem rejiciamus? Neque ego nunc *legis iniquitatem* queror, ſed factum tuum à ſententia legis doceo diſcrepare: & illud acerbum judicium, ſi, quemadmodum ſenatus cenſuit, populuſque juſſit, ita feciſſes, ut in hunc & ſuam, & ab hoc [7] obſervatas tribus ederes; non modò non quererer, ſed hunc, judicibus editis, qui teſtes iidem eſſe poſſent, abſolutum putarem: neque nunc multò ſecus exiſtimo. cùm enim has tribus edidiſti: ignotis te judicibus uti malle, quàm notis indicaviſti. fugiſti ſententiam legis: æquitatem omnem rejeciſti: in *tenebris*, quam in luce, cauſam verſari maluiſti. Voltinia tribus ab hoc corrupta: Terentinam habuerat venalem. Quid diceret apud Voltinienſes, aut tribuleis ſuos judices? immò verò tu quid diceres? quem judicem ex illis aut tacitum teſtem haberes, aut verò etiam excitares? Etenim, ſi reus tribus ederet, Voltiniam fortaſſe Plancius, propter vicinitatem, ac neceſſitudinem ſuam, non edidiſſet. &, ſi quæſitor edendus fuiſſet, quem tandem potiùs, quàm hunc C. Alfium, quem habet, cui notiſſimus eſſe debet, vicinum, tribulem, graviſſimum hominem, juſtiſſimumque edidiſſet? cujus quidem æquitas, & meæ ſimilis voluntas erga Cn. Plancii ſalutem, quam ille ſine ulla cupiditatis ſuſpicione præ ſe fert, facilè declarat, non fuiſſe fugiendum tribulem huic judicem,
cui quæſitorem tribulem exoptandum fuiſſe videatis. Ne- 18
que ego nunc conſilium reprehendo tuum, quòd non eas tribus, quibus hic maximè notus eras, ediderìs: ſed a te doceo conſilium non ſervatum ſenatus. etenim quis te tum audiret illorum? aut quid diceres? ſequeſtremne Plancium? reſpue-

---

increpabant. Terentius Adelphis: *venit ad me ſæpe clamitans, quid agis Mitio?* ubi videatur Donatus. itaque heic Granius vultu ſubducto quaſi reprehendebat cædem Gracchi & Flacci aliorumque. *Gulielmius.*

1. *Terentinam credo.*] Suffridus adnotat in Erfurd. ſemper extare *Terentinam*. alterum reſtat in Pall.

2. *Quid cum Vejentina.*] Tribus hæc planè controverſa eſt apud mſſ. & olim cuſos. hi enim *Mentinam* vocant, quomodo & Pal. pr. atque oct. iſti nominant vel *Vientinam*, vel *Vegientinam*; S. verò Vict. *Bientinam*. adeo ut arbitrer reſcribendum cum Turing. *Uſentinam*.

3. *Nam tertiam etiam, non, &c.*] Inclinaverim in Lambini conjecturam, *nam Metiam, non, &c.* cum invenerim in mſſ. noſtris, *nam vi etiam*; aut *ii etiam*.

4. *Officiis ab hoc obſervatas, non largitione?*] Adjicit verbum Erfurd. *largitione corruptas*. eſt vix eſt ut debeat excludi.

5. *Nec-opinante, inſcio.*] Cubat in mendo vox poſtrema. nam Pall. præferunt partim, *in ſicco*, partim *in ſicio*. S. Vict. habuit *inſuto*, alias *inſicio*. nam proverbialiter dicitur, *in ſicco quid agere?* an aliud quid ſubeſt?

6. *Nomen editi judicis non tulerunt.*] Turingicus, *edititii*: quemadmodum iterum mox *edititios*, ubi vulgata *editos*.

7. *Obſervatas tribus ederes.*] Immiſi vocem *tribus*, volente Erfurdiano, quæ plane requirebatur.

1. In

reſpuerent aures, nemo agnoſceret, repudiaretur. an gratioſum? illi libenter audirent: nos non timide confiteremur. noli enim putare, Laterenſis, legibus iſtis, quas ſenatus de *ambitu* ſancire voluerit, id eſſe actum, ut ſuffragatio, ut obſervantia, ut gratia tolleretur. Semper fuerunt boni viri, qui apud tribuleis ſuos gratioſi eſſe vellent. Neque verò tam durus in plebem noſter ordo fuit, ut eam coli noſtra modica liberalitate noluerit: neque hoc liberis noſtris interdicendum eſt, ne obſervent tribuleis ſuos, ne diligant, ne reficere neceſſariis ſuis ſuam tribum poſſint, ne par ab iis munus [1] in ſua petitione reſpectent: hæc enim plena ſunt officii, plena obſervantiæ, plena etiam antiquitatis. Iſto in genere & fuimus ipſi, cùm ambitionis noſtræ tempora poſtulabant, & clariſſimos viros eſſe vidimus, & hodie eſſe videmus quamplurimos gratioſos. Decuriatio tribulium, deſcriptio populi, ſuffragia largitione devincta, ſeveritatem ſenatus, & bonorum omnium, *vim, ac dolorem* excitarunt. hæc doce, hæc profer, huc incumbe, Laterenſis, decuriaſſe Plancium, conſcripſiſſe, ſequeſtrem fuiſſe, pronuntiaſſe, diviſiſſe: tum mirabor, te iis armis uti, quæ tibi lex dabat, noluiſſe. tribulibus enim judicibus, non modò ſeveritatem illorum, ſi iſta vera ſunt, ſed ne vultus quidem ferre poſſemus. Hanc tu rationem cùm fugeris, cumque eos judices habere nolueris, quorum in hujus delicto cùm ſcientia certiſſima, tum dolor graviſſimus eſſe debuerit: quid apud hos dices, qui abs te taciti requirunt, cur hoc ſibi oneris impoſueris, cur ſe potiſſimùm delegeris, cur denique ſe *divinare* malueris, quàm eos, qui ſcirent judicare?

19 Ego Plancium, Laterenſis, & ipſum gratioſum eſſe dico, & habuiſſe in petitione multos cupidos ſui, gratioſos: quos tu ſi ſodaleis vocas: officioſam amicitiam nomine inquinas crimino ſo. ſin, quia gratioſi ſunt, accuſandos putas: noli mirari, te id, quod tua dignitas poſtularit, repudiandis gratioſorum amicitiis non eſſe aſſecutum. Jam, ut ego doceo, gratioſum eſſe tribulibus Plancium, quòd multis benignè fecerit, pro multis ſpoponderit, in operas plurimos patris auctoritate, & gratia miſerit: quòd denique omnibus officiis per ſe, per patrem, per majores ſuos totam Atinatem præfecturam comprehenderit: ſic tu doce, ſequeſtrem fuiſſe, largitum eſſe, conſcripſiſſe, tribules decuriaviſſe. quod ſi non potes: noli tollere ex ordine noſtro liberalitatem, *noli maleficium putare eſſe gratiam*, noli obſervantiam ſancire pœna. Itaque hæſitantem te in hoc ſodalitiorum tribuario crimine, ad communem ambitus cauſam contuliſti, in qua deſinamus aliquando (ſi videtur) vulgari, & pervagata declamatione contendere. ſic enim tecum ago. Quam tibi commodum eſt, [2] unam tribum delige tu: doce id, quod debes, per quem ſequeſtrem, quo diviſore corrupta ſit. ego, ſi id facere non potueris, quod, ut opinio mea fert, ne incipies quidem, per quem tulerit, docebo. Eſtne hæc vera contentio? placetne ſic agi? [3] non poſſum magis pedem conferre (ut ajunt) aut propriùs accedere. Quid taces? quid diſſimulas? quid tergiverſaris? etiam atque etiam inſto, atque urgeo, inſector, poſco, atque adeò flagito crimen: quamcumque tribum, inquam, delegeris, quam tulerit Plancius, tu oſtendito, ſi poteris, vitium: ego, qua ratione tulerit, docebo: nec erit hæc alia ratio Plancio, ac Laterenſi. nam ut, quas tribus tu tuliſti, ſi jam ex te requiram, poſſis, quorum ſtudio tuleris, explicare: ſic ego hoc contendo, me tibi ipſi adverſario, cujuſcumque tribus rationem popoſceris, redditurum.

20 Sed cur ego ſic ago? quaſi non comitiis jam ſuperioribus ſit Plancius deſignatus ædilis. quæ comitia primùm habere cœpit conſul cum omnibus in rebus ſumma auctoritate, tum harum ipſarum legum ambitus auctor: deinde habere cœpit *ſubitò*, præter opinionem omnium: ut ne ſi cogitaſſet quidem quiſpiam largiri, daretur ſpacium comparandi. Vocatæ tribus: latum ſuffragium: deſcriptæ, renuntiatæ. longè plurimùm valuit Plancius. nulla largitionis nec fuit, nec eſſe potuit ſuſpicio. An tandem una centuria *prærogativa*, tantum habet auctoritatis, ut nemo umquam prior eam tulerit, quin renuntiatus ſit: tu aut his ipſis comitiis conſularibus, aut certè in illum annum ædilem Plancium factum miraris, in quo non exigua pars populi, ſed univerſus populus voluntatem ſuam declararit? cujus in honore non unius tribus pars, ſed comitia tota comitiis fuerint prærogata? Quo quidem tempore, ſi id, Laterenſis, facere voluiſſes, aut ſi gravitatis eſſe putaſſes tuæ, quod multi nobiles ſæpe fecerunt, ut, cùm minùs valuiſſent ſuffragiis, quàm putaſſent, poſtea, prolatis comitiis, *proſternerent ſe*, & populo Rom. fracto animo, atque humili ſupplicarent: non dubito, quin omnis ad te converſura ſe fuerit multitudo. [4] NUMQUAM ENIM nobilitas, integra præſertim, atque innocens, à populo Rom. ſupplex repudiata fuit. Sed, ſi tibi gravitas tua, & magnitudo animi, pluris fuit, ſicut eſſe debuit, quàm ædilitas: noli, cùm habeas id, quod malueris, deſiderare id, quod minoris putaris. Equidem primùm ut honore dignus eſſem, maximè ſemper laboravi: ſecundò ut exiſtimarer: tertium mihi fuit illud, quod pleriſque primum eſt, ipſe honos: qui IIS DENIQUE debet eſſe jucundus, quorum dignitati populus Rom. teſtimonium, non beneficium ambitioni dedit.

21 Quæris etiam, Laterenſis, quid imaginibus tuis, quid ornatiſſimo, atque optimo viro, patri tuo, reſpondeas mortuo. Noli iſta meditari: atque illud cave potiùs, ne tua iſta querela, dolorque nimius, ab illis ſapientiſſimis viris reprehendatur. vidit enim pater tuus, Appium Claudium, nobiliſſimum hominem, vivo patre ſuo, potentiſſimo, & clariſſimo cive, C. Claudio, ædilem non eſſe factum, & eundem ſine repulſa factum eſſe conſulem: vidit, hominem ſibi maximè conjunctum, egregium virum, L. Volcatium: vidit, M. Piſonem in iſta ædilitate, offenſiuncula accepta, ſummos à populo Rom. eſſe honores adeptos. Avus verò tuus, & P. Naſicæ tibi ædilitiam prædicaret *repulſam*, quo cive neminem ego ſtatuo in hac repub. fortiorem: & C. Marii, qui duabus ædilitatis acceptis repulſis, ſepties conſul eſt factus: & L. Cæſaris, Cn. Octavii, M. Tullii: quos omneis ſcimus ædilitate præteritos, conſules eſſe factos. Sed quid ego ædilitias repulſas colligo? quæ ſæpe ejuſmodi habitæ ſunt, ut iis, qui præteriti eſſent, *benignè* à populo factum videretur. Tribunus militum, L. Philippus, ſumma nobilitate, & eloquentia; quæſtor, C. Cælius, clariſſimus, ac fortiſſimus adoleſcens: tribuni pleb. P. Rutilius Rufus, C. Fimbria, C. Caſſius, Cn. Oreſtes, facti non ſunt: quos tamen omnes conſules factos ſcimus eſſe. Quæ tibi ultro pater, & majores tui non conſolandi tui gratia dicerent, neque verò quo te liberent aliqua culpa, quam tu vereris, ne à te ſuſcepta videatur: ſed ut te *ad curſum* iſtum tenendum, quem à prima ætate ſuſcepiſti, cohortentur. nihil eſt enim, mihi crede, Laterenſis, de te detractum: detractum dico? ſi mehercules verè, quod accidit, interpretari velis, eſt aliquid etiam de virtute ſignificatum tua.

22 Noli enim exiſtimare, non magnum quendam motum fuiſſe illius petitionis tuæ, de qua ne aliquid jurares, deſtitiſti. Denuntiaſti, homo adoleſcens, quid de ſumma reipub. ſentires. fortiùs tu quidem; quàm nonnulli defuncti honoribus, ſed apertiùs, quàm vel ambitionis, vel ætatis tuæ ratio poſtulabat. Quamobrem in diſſentiente populo noli putare, nullos fuiſſe, quorum animos tuus ille fortis animus offenderet:

---

1. *In ſua petitione reſpectent.*] Lambinus heic mallet *exſpectent*, & neſcio quas reſpectandi fingit interpretationes: cum ſimpliciter velit noſter quod verſus Catulli: *Nec meum reſpectat, ut ante, amorem.* Gulielmius.

2. *Unam tribum delige tu: doce id quod debes.*] Non male tentabat Gulielm. *delige: tum doce id quod debes.*

3. *Non poſſum magis pedem conferre, &c.*] Idem ſententia gratioſiore: *num poſſum magis*, per interrogationem.

4. *Numquam enim nobilitas, &c.*] Turingicus interferit *ferè:* hoc modo; *numquam enim ferè nobilitas.* & tutius ſane ſic loquatur.

1. *Atque*

deret: qui te incautum fortaſſe nunc tuo loco demovere potuerunt, providentem ante, & præcaventem numquam certe movebunt. An te illa argumenta duxerunt? Dubitabitis, inquit, quin coitio facta ſit, cùm tribus pleraſque cum Plotio tulerit Plancius? An unà fieri potuerunt, ſi unà tribus non tuliſſent? At nonnullas punctis pæne totidem. Quippe cùm jam facti propè ſuperioribus comitiis, declaratique veniſſent. quamquàm ne id quidem ſuſpicionem coitionis habuerit. neque enim umquam majores noſtri *ſortitionem* conſtituiſſent ædilitiam, niſi viderent accidere poſſe, ut competitores pares ſuffragiis eſſent. Et ais, prioribus comitiis Anienſem à Plotio, Terentinam à Plancio tibi eſſe conceſſam: nunc ab utroque eas avulſas, ne in anguſtum venirent. Quam convenit, nondum cognita populi voluntate, hos, quos jam tum conjunctos fuiſſe dicis, jacturam ſuarum tribuum, quo vos adjuvaremini, feciſſe: eoſdem, cùm jam eſſent experti, quid valerent, reſtrictos, & tenaceis fuiſſe? Etenim verebantur, credo, anguſtias. quaſi res in contentionem, aut in diſcrimen aliquod poſſet venire. Sed tamen tu an Plotium, virum ornatiſſimum, in idem crimen vocandum judicas? an dicis eum re arripuiſſe, à quo non ſis rogatus? Nam quòd queſtus es, pluréis te teſteis habere de Voltinia, quàm quot in ea tribu puncta tuleris: indicas, aut eos teſteis te adducere, qui, quia nummos acceperint, te præterierint:

23 aut, te ne gratuita quidem eorum ſuffragia tuliſſe. Illud verò crimen de nummis, quos in circo Flaminio *deprehenſos* eſſe dixiſti, caluit re recenti: nunc in cauſa refrixit. neque enim, qui illi nummi fuerint, nec, quæ tribus, nec, qui diviſor, oſtenderis. [1] Atque is quidem eductus ad conſules, qui tum in crimen vocabatur, ſe iniquè à tuis jactatum graviter querebatur. qui ſi erat diviſor, præſertim ejus, quem tu habebas reum, cur abs te reus non eſt factus? cur non ejus damnatione aliquid ad hoc judicium præjudicii comparaſti? Sed neque tu habes hæc, neque eis confidis. alia te ratio, alia cogitatio ad ſpem hujus opprimendi excitavit. magnæ ſunt in te opes: latè patet gratia: multi amici, multi cupidi tui, multi fautores laudis tuæ: multi huic invident: multis etiam pater, optimus vir, nimiùm retinens equeſtris juris & *libertatis* videtur: multi etiam communes inimici reorum omnium: qui ita ſemper teſtimonium de ambitu dicunt, [2] quaſi aut moveant animos judicum ſuis teſtimoniis, aut gratum populo Romano ſit, aut ab eo faciliùs ob eam cauſam, *dignitatem*, quam volunt, conſequantur. Quibuſcum me, judices, pugnantem meo more priſtino non videbitis: [3] non quò mihi fas ſit quidquam defugere, quod ſalus Plancii poſtulet: ſed quia neque neceſſe eſt, me id perſequi voce, quod vos mente videatis, & quòd ita de me meriti ſunt illi ipſi, quos ego teſteis video paratos, ut eorum reprehenſionem vos veſtræ prudentiæ aſſumere, meæ modeſtiæ remittere debeatis. Illud unum vos magnopere oro, atque obſecro, judices, cùm hujus, quem defendo, tum communis periculi cauſa, ne *fictis auditionibus*, ne diſſeminato, diſperſoque ſermoni, fortunas innocentium ſubjiciendas putetis. Multi amici accuſatoris, nonnulli etiam noſtri iniqui, multi communes obtrectatores, atque omnium invidi multa finxerunt. NIHIL EST autem tam volucre, quàm maledictum: nihil faciliùs emittitur, nihil citiùs excipitur, nihil latiùs diſſipatur. Neque ego, ſi fontem maledicti reperietis: ut aut negligatis, aut diſſimuletis, umquam poſtulabo. ſed, ſi quid ſine capite manabit, aut ſi quid erit ejuſmodi, ut non exſtet auctor, qui audierit: aut ita negligens vobis eſſe videbitur, ut, unde audierit, oblitus ſit: aut ita levem habebit auctorem, ut memoria dignum non putarit: [4] hujus illa vox vulgaris AUDIVI, ne quid reo innocenti noceat, oramus. Sed venio jam ad 24

L. Caſſium, familiarem meum, cujus ex oratione ne illum quidem Juventium tecum expoſtulavi: quem ille omni & virtute, & humanitate ornatus adoleſcens, primum de plebe ædilem curulem factum eſſe dixit. In quo, Caſſi, ſi ita tibi reſpondeam, neſciſſe id populum Romanum, neque fuiſſe qui id nobis narraret, præſertim mortuo Longino: non, ut opinor, admirere, cùm ego ipſe non abhorrens à ſtudio antiquitatis, me hîc id ex te primùm audiſſe confitear. Et, quoniam tua fuit perelegans, ac perſubtilis oratio, digna equitis Romani vel *ſtudio*, vel pudore: quoniamque ſic ab his es auditus, ut magnus honos & ingenio, & humanitati tuæ tribueretur: reſpondebo ad ea, quæ dixiſti, quæ [5] pleraque de ipſo fine fuerunt: in quibus ipſi aculei, ſi quos habuiſti in me reprehendendo, tamen mihi non ingrati acciderunt. Quæſiſti, utrum mihi putarem, equitis Romani filio, faciliorem fuiſſe ad adipiſcendos honores viam, an futuram eſſe filio meo, qui eſſet familia conſulari. Ego verò, quamquam illi *omnia malo*, quàm mihi, tamen illi honorum aditus numquam faciliores optavi, quàm mihi fuerunt. quinetiam, ne fortè ille ſibi me potiùs peperiſſe jam honores, quàm iter demonſtraſſe adipiſcendorum putet: hæc illi ſoleo præcipere (quamquam ad præcepta ætas non eſt gnati) quæ ille à Jove ortus, ſuis præcipit filiis:

Vigilandum eſt ſemper: multæ inſidiæ ſunt bonis.

noſtis cetera:

Non te id quod multi invideant,

quæ ſcripſit gravis ille, & ingenioſus poëta: ſcripſit, non ut illos regios pueros, qui jam nuſquam erant, ſed ut nos, & noſtros liberos ad laborem, & laudem *excitaret*? Quæris, quid potuerit amplius aſſequi Plancius, ſi Cn. Scipionis fuiſſet filius. Magis ædilis fieri non potuiſſet: [6] ſed hoc præſtare, quòd ei minùs invideretur. Etenim HONORUM gradus ſummis hominibus, & infimis ſunt pares: gloriæ, diſpares. Quis noſtrûm ſe dicit M. Curio, quis C. Fabricio, 25

quis P. Duellio parem? quis Atilio Calatino? quis C. & P. Scipionibus? quis Africano, Marcello, Maximo? [7] tamen eoſdem ſumus honorum gradus, quos illi, aſſecuti. Eſt enim in virtute multis adſcenſus: ut is gloria maximè excellat, qui *virtute* plurimùm præſtet. honorum populi finis eſt, conſulatus: quem magiſtratum jam octingenti ferè conſecuti ſunt. horum, ſi diligenter quæras, [8] vix decimam partem reperis gloria dignam. ſed nemo umquam ſic egit, ut tu: Cur iſte ſit conſul? quid potuit amplius, ſi L. Brutus eſſet, qui civitatem dominatu regio liberavit? honore nihil amplius, laude multum. Sic igitur Plancius nihilominus quæſtor eſt factus, & tribunus plebis, & ædilis, quàm ſi eſſet ſummo loco natus: ſed hæc, pari loco orti, ſunt innumerabiles alii conſecuti. Profers triumphos Ti. Gracchi, & C. Marii: & quæris, quid ſimile in Plancio. Quaſi verò iſti, quos commemoras, propterea magis laude fuerint digni, quod *triumpharunt*, & non, quia commiſſi ſunt iis magiſtratus, in quibus re bene geſta triumpharent. Rogas, quæ caſtra viderit: [9] qui & miles in Creta, Metello hoc imperatore, & tribunus in Macedonia militum fuerit, & quæ-

1. *Atque is quidem eductus ad Conſulem.*] Hæc eſt concors librorum omnium lectio. itaque abjeci *adductus* nuper natum.

2. *Quaſi aut moveant animos judicum, &c.*] Verbum *judicum*, jam modo primum accedit Tullio ex Turingicis ſchedis.

3. *Non quo mihi fas ſit quidquam defugere.*] Ultima vox eſt à duabus mſſ. Lambini. cetera ſe tuentur fide Palatinorum. editi fere, *non quod fas ſit quidquam effugere.*

4. *Hujus illa vox vulgaris Audivi, &c.*] Amplexus ſum Errici Memmii conjecturam *Audivi*, quod eam item deprehenderim in Pal. tertio ceteri adhæreſcebant vulgato, *auditu*, verbo nihili.

5. *Pleraquè de ipſo fine fuerunt.*] Lambinus conjecit *de ipſo me fuerunt*: ſed ei libri non favent.

6. *Sed hoc præſtare quod ei minus invideretur.*] Gulielmius conjicit, *ſed hoc præſtaret; ei minus inv.*

7. *Tamen eoſdem ſumus.*] Vocabulum *ſumus* addidi ex Erfurdiano; & multum facit ad decoram ſententiæ.

8. *Vix decimam partem reperis, &c.*] Ita erat in exoletis edd. & Pall. noſtris.

9. *Qui miles in Creta Metello hoc imperatore.*] Vox *Metello*, non viſitur in edd. vett. ut nec in Pall. aut S. Vict. aut Gruteriano.

3. *Niſi*

& quæſtor tantùm ex re militari detraxit temporis, quantum in me cuſtodiendum transferre maluerit. Quæris, num diſertus. Immò, id quod ſecundum eſt, ne ſibi quidem videtur. Num juriſconſultus. Quaſi quiſquam ſit, qui ſibi hunc falſum de jure reſpondiſſe dicat. Omnes enim iſtiuſmodi artes in iis *reprehenduntur*, qui cùm profeſſi fuerint, ſatisfacere non poſſunt: non in iis, qui abfuiſſe ab iſtis ſtudiis confitentur. VIRTUS, probitas, integritas in candidato, non linguæ volubilitas, non ars, non ſcientia requiri ſolet. Ut nos in mancipiis parandis, quamvis frugi hominem ſi pro fabro, aut pro textore emimus, ferre moleſte ſolemus, ſi eas arteis, quas in emendo ſecuti ſumus, forte neſciverit: ſin autem emimus, quem villicum imponeremus, quem pecori præficeremus, nihil in eo, niſi *frugalitatem*, laborem, vigilantiam, eſſe curamus: ſic populus Romanus deligit magiſtratus, quaſi reipublicæ villicos: in quibus ſiqua præterea eſt ars, facilè patitur. ſin minùs: virtute eorum, & innocentia contentus eſt. quotus enim quiſque diſertus: quotus quiſque juris peritus eſt, ut eos numeres, qui volunt eſſe? quod ſi præterea honore dignus nemo, quidnam tot optimis, & ornatiſſimis civi-

26 bus eſt futurum? Jubes Plancium de vitiis Laterenſis dicere. Nihil poteſt [1] niſi eum nimis in ſe iracundum putabis fuiſſe. Idem efferes Laterenſem laudibus. Facilè patior, id te agere multis verbis, quod ad judicium non pertineat: & id te accuſantem tamdiu dicere, quod ego defenſor ſine periculo poſſim confiteri. Atqui non modò confiteor ſumma in Laterenſe ornamenta eſſe: ſed te etiam reprehendo, quòd ea non enumeres: alia quædam inania, & levia conquiras. Præneſte feciſſe ludos. Quid? alii quæſtores nonne fecerunt? Cyrenis liberalem in publicanos, juſtum in ſocios fuiſſe. Quis negat? ſed ita multa Romæ geruntur, ut vix ea, quæ fiunt in provinciis, *audiantur*. Non vereor, ne mihi aliquid, judices, videar arrogaſſe, ſi de quæſtura mea dixero. Quamvis enim illa floruerit, tamen eum me poſteà fuiſſe in maximis rebus arbitror, ut non ita mihi multum ſit ex quæſturæ laude repetendum: ſed tamen non vereor, ne quis audeat dicere, ullius in Sicilia quæſturam, aut gratiorem, aut clariorem fuiſſe. Verè mehercules hoc dicam: ſic tum exiſtimabam, [2] nihil homines unquam aliud Romæ, *niſi de quæſtura mea*, loqui. Frumenti in ſumma caritate maximum numerum miſeram: negotiatoribus comis, mercatoribus juſtus, municipibus liberalis, ſociis abſtinens, omnibus eram viſus in omni officio diligentiſſimus. excogitati quidam erant [3] à Siculis honores inauditi. Itaque hac ſpe decedebam, ut mihi populum Romanum ultrò omnia delaturum putarem. At ego, cùm caſu diebus iis, itineris faciendi cauſa, decedens è provincia, Puteolos forte veniſſem, cum plurimi, & lautiſſimi ſolent eſſe in iis locis: concidi pæne, judices, cùm ex me quidam quæſiſſet, quo die Roma exiſſem, & numquid in ea eſſet novi. cui cùm reſpondiſſem, me è provincia decedere: etiam mehercules, inquit, ut opinor,

27 ex Africa. Huic ego jam ſtomachans faſtidioſè, immò ex Sicilia, inquam. Tum quidem, quaſi qui omnia ſciret, quid: tu neſcis, inquit, hunc Syracuſis quæſtorem fuiſſe? Quid multa? deſtiti ſtomachari, & me unum ex iis feci, qui ad aquas veniſſent. Sed ea res, judices, haud ſcio an plus mihi profuerit, quàm ſi mihi tum eſſent omnes congratulati. nam poſteaquàm ſenſi, populum Rom. *aureis hebetiores, oculos acreis, atque acutos habere:* deſtiti, quid de me audituri eſſent homines, cogitare: feci, ut poſtea quotidie me præſentem viderent: habitavi in oculis: preſſi forum: neminem à congreſſu meo, neque janitor meus, neque ſomnus abſterruit. Ecquid ego dicam de occupatis meis temporibus, cui fuerit ne otium quidem umquam otioſum? nam, quas tu commemoras, Caſſi, legere te ſolere orationes, cùm otioſus ſis: has ego ſcripſi ludis, & feriis, ne omnino umquam eſſem otioſus. Etenim M. Catonis illud, quod in principio ſcripſit Originum ſuarum, ſemper magnificum, & præclarum putavi, CLARORUM VIRORUM, ATQUE MAGNORUM, NON MINUS OTII, QUAM NEGOTII RATIONEM EXSTARE OPORTERE. Ita, ſi quam habeo laudem, quæ, quanta ſit, neſcio, parta Romæ eſt, quæſita in foro: meaque privata conſilia publici quoque caſus comprobaverunt, ut etiam ſumma reſpub. mihi domi fuerit gerenda, & urbs in urbe ſervanda. Eadem igitur, Caſſi, via munita Laterenſi eſt, idem virtutis curſus ad gloriam: hoc facilior fortaſsè, quòd ego huc *à me ortus*, & per me nixus, adſcendi: iſtius egregia virtus adjuvabitur commendatione majorum. Sed, ut redeam ad Plancium, 28

numquam ex urbe abfuit, niſi forte lege, neceſſitate. non valuit rebus iiſdem, quibus fortaſſe nonnulli. at valuit aſſiduitate, at [4] valuit ſervandis amicis, valuit liberalitate: fuit in oculis: petivit: ea eſt uſus *ratione*, qua, minima invidia, novi homines plurimi eoſdem honores conſecuti ſunt. Nam, quòd ais, Caſſi, non plus me Plancio debere, quàm bonis omnibus, quòd iis æquè mea ſalus cara fuerit: ego me debere bonis omnibus fateor. [5] ſed etiam hi, quibus ego debeo, boni viri, & cives, ædilitiis comitiis aliquid ſe meo nomine debere Plancio dicebant. Verùm fac me multis debere, & in iis Plancio: utrùm igitur me *conturbare* oportet: an ceteris, cum cujuſque dies venerit, hoc nomen, quod urget, nunc cùm petitur, diſſolvere? Quamquam DISSIMILIS eſt pecuniæ debitio, & gratiæ. nam qui pecuniam diſſolvit, ſtatim non habet id, quod reddidit: [6] qui autem debet, æs retinet alienum. gratiam autem & qui refert, habet: & qui habet, in eo ipſo, quod habet, refert. neque ego nunc Plancio deſinam debere, ſi hoc ſolvero: nec minus ei redderem voluntate ipſa, ſi hoc moleſtiæ non accidiſſet. Quæris à me, Caſſi, quid pro fratre meo, qui mihi eſt cariſſimus, quid pro meis liberis, quibus nihil poteſt eſſe jucundius, ampiius, quàm pro Plancio facio, facere poſſim: nec vides, iſtorum ipſorum caritate ad hujus ſalutem defendendam maximè ſtimulari me, atque excitari. Nam neque illis hujus ſalute, à quo meam ſciunt eſſe defenſam, quidquam eſt optatius: & ego ipſe numquam illos *adſpicio*, quin per hunc me his conſervatum eſſe meminerim, hujuſque meriti in me recorder. Opimium damnatum eſſe commemoras: ſervatorem ipſum reip. Calidium adjungis, cujus lege Q. Metellus in civitatem ſit reſtitutus: reprehendis meas pro Plancio preces, quòd nec Opimius ſuo nomine liberatus ſit, nec Q. Metelli Calidius. De Calidio tibi tantum reſpondeo, quod ipſe vidi: Q. Metellum Pium, conſulem, prætoriis comitiis, petente Q. Calidio, populo Rom. ſupplicaſſe, cùm quidem non dubitaret & conſul, & homo nobiliſſimus, patronum illum eſſe ſuum, & familiæ ſuæ nobiliſſimæ dicere. Quo loco quæro ex te, num id in judicio Calidii putes, quod ego in Plancii facio, aut Metellum Pium, ſi Romæ eſſe potuiſſet, aut patrem ejus, ſi vixiſſet, non fuiſſe facturum. Nam Opimii quidem calamitas utinam ex hominum *memoria* poſſet evelli. vulnus illud reip. dedecus hujus imperii, turpitudo populi Rom. non judicium putandum

1. *Niſi eum nimis in ſe iracundum putabis fuiſſe.*] Pal. ſec. *putabit.* quod melius forſan vulgato. ceteri nihil variant: adeo ut ſatis mirari nequeam ea quæ ex ſuis promit Lambinus; qui tamen nihil hariolationibus ſuis proficit. Gulielmius locum conſtitui poſſe putabat deleto illo *putabis*.

2. *Nihil homines aliud Romæ.*] Vulgata, *unquam aliud Romæ.* ſed id vocis non eſt in vetuſtius editis aut mſſ. noſtris.

3. *A Siculis honores inauditi.*] Erfurd. interpoſuit, *honores à me inauditi.* fortean fuit, *ante*, aut *ſanè*.

4. *Valuit ſervandis amicis.*] Recentius excuſi *obſervandis*, ſed contra antiquitus editos & mſſ. noſtros.

5. *Sed etiam hi quibus ego debeo.*] Iidem neoterici, *iis quibus*, invitis libris vetuſtis, in quibus alterum, aut *ii*.

6. *Qui autem debet, æs retinet alienum.*] Ita correctiſſima exemplaria Gellii libro 1. cap. 4. neque aliter Urſini noſtri vetus liber. antea editi, *is retinet*, quod fere item in noſtris pluteariis, niſi quod quidam *his*. Lambinus hei; mire ſui ſimilis eſt, nulli vult cedere.

1. *At*

putandum eſt. Quam enim illi judices, ſi judices, & non parricidæ patriæ nominandi ſunt: graviorem potuerunt reipubl. infligere ſecurim, quàm, cùm illum è civitate ejecerunt, qui prætor finitimo conſuli domeſtico bello rempubl. liberarat? [1] At enim nimis ego magnum beneficium Plancio, &, ut ais, id verbis exaggero. quaſi verò me tuo arbitratu, & non meo, *gratum* eſſe oporteat. Quod iſtius tantum meritum, inquit? an quia te non jugulavit? immò verò, quia jugulari paſſus non eſt. Quo quidem tu loco, Caſſi, etiam purgaſti inimicos meos, meæque vitæ nullas ab illis inſidias fuiſſe dixiſti. Poſuit hoc idem Laterenſis. Quamobrem de iſto paullo pòſt plura dicam: de te tantum requiro, utrum putes [2] odium in me mediocre inimicorum fuiſſe. quod fuit ullorum tantum? requiro, utrùm putes odium umquam barbarorum tam immane, ac tam crudele in hoſtem: an fuiſſe in iis aliquem aut *famæ metum, aut pœnæ*: quorum vidiſti toto illo anno ferrum in foro, flammam in delubris, vim in tota urbe verſari. [3] niſi fortè exiſtimas, eos idcirco vitæ meæ pepercisſe, quòd de reditu meo non timerent. Ecquem putas fuiſſe tam excordem, qui, vivis his, ſtante urbe & curia, rediturum me, ſi viverem, non putaret? Quamobrem non debet is homo, & is civis, prædicare, vitam meam, quæ fidelitate amicorum conſervata ſit, inimicorum *modeſtia* non eſſe appetitam.

30 Reſpondebo tibi nunc, Laterenſis, minùs fortaſſe vehementer, quam abs te ſum provocatus: ſed profectò nec conſideratè minùs, nec minùs amice. nam primùm illud fuit aſperius, me, quæ de Plancio dicerem, mentiri, & temporis cauſa fingere. ſcilicet homo ſapiens excogitavi, quamobrem viderer maximis beneficii vinculis obſtrictus, cùm liber eſſem, & ſolutus. Quid enim? mihi ad defendendum Plancium parum multæ, parum juſtæ neceſſitudines erant familiaritatis, vicinitatis, patris amicitiæ? quæ ſi non eſſent, vereor, credo, ne turpiter facerem, ſi hoc ſplendore, & hac dignitate hominem defenderem. fingenda fuit mihi, judices, cauſa peracuta, ut ei, quem mihi debere oporteret, ego me omnia debere dicerem. At id etiam gregarii milites faciunt inviti, *ut coronam dent civicam*, & ſe ab aliquo ſervatos eſſe fateantur: non quo turpe ſit, protectum in acie, hoſtium manibus eripi (nam id accidere, niſi forti viro, & pugnanti comminus, non poteſt) ſed onus beneficii reformidant, quòd permagnum eſt, alieno debere idem, quod parenti. Ego, cùm ceteri vera beneficia, etiam minora, *diſſimulent*, ne obligati eſſe videantur: eo me beneficio obſtrictum eſſe ementiar, cui ne referri quidem gratia poſſe videatur? An hoc tu, Laterenſis, ignoras? qui, cùm mihi eſſes amiciſſimus, cùm vel periculum vitæ tuæ mecum ſociare voluiſſes: cùm me in illo triſti, & acerbo luctu, atque diſceſſu, non lacrymis ſolùm tuis, ſed animo, corpore, copiis proſecutus eſſes: cùm meos liberos, & uxorem, me abſente, tuis opibus, auxilioque defendiſſes: ſic mecum ſemper egiſti, te mihi remittere, atque concedere, ut omne ſtudium meum in Cn. Plancii honorem conſumerem; quòd ejus in me meritum tibi etiam gratum eſſe dicebas. nihil autem me novi, nihil temporis cauſa dicere, nonne etiam illa teſtis eſt oratio, quæ eſt à me prima habita in ſenatu? in qua cùm perpaucis nominatim egiſſem gratias, quòd omnes enumerari nullo modo poſſent, ſcelus autem eſſet quemquam præteriri: ſtatuiſſemque eos ſolùm nominare, qui cauſæ noſtræ duces, & quaſi *ſigniferi* fuiſſent: in his Plancio gratias egi. Recitetur oratio, quæ propter ejus magnitudinem, dicta de ſcripto eſt: in qua ego homo aſtutus [4] ei me dedam, cui nihil magnopere deberem, & hujus tanti officii ſervitutem adſtringam teſtimonio ſempiterno. Nolo cetera, quæ à me mandata ſunt litteris, recitare: prætermitto illa, ne aut proferre videar ad tempus, aut eo genere uti litterarum, quod meis ſtudiis aptius, quàm conſuetudini judiciorum, eſſe videatur. Atque etiam clamitas, Laterenſis: 31 Quouſque iſta dicis? nihil in Ciſpio profeciſti. abſolutæ jam ſunt preces tuæ. De Ciſpio mihine tu objicies, quem ego de me bene meritum quia te teſte cognoveram, te eodem auctore defendi? & ei dices, *Quouſque*, quem negas, quod pro Ciſpio contenderit, impetrare potuiſſe? Nam iſtius verbi, *Quouſque*, hæc poterat eſſe invidia. datus eſt tibi ille: condonatus ille: non facis finem: ferre non poſſumus. Ei quidem, qui pro uno laborarit, & ipſum id non obtinuerit, dici, *Quouſque*, irridentis magis eſt, quàm reprehendentis. niſi forte ego unus ita me geſſi in judiciis: ita & cùm his, & inter hos vixi: is in cauſis patronus, is in republica civis & ſum, & ſemper fui, ſolus ut à te conſtituar, qui nihil à judicibus debeam umquam impetrare. Et mihi lacrymulam Ciſpiani judicii objectas. ſic enim dixiſti: *Vidi ego tuam lacrymulam.* Vide, quàm me verbi tui pœniteat. non modò lacrymulam, ſed multas lacrymas, & fletum cum ſingultu videre potuiſti. An ego, qui meorum lacrymis, me abſente, commotus, ſimultates, quas mecum habebat, depoſuiſſet, meæque ſalutis non modò non oppugnator (ut inimici mei putarant) ſed etiam defenſor fuiſſet, hujus in periculo non dolorem meum ſignificarem? Tu autem, Laterenſis, qui tum lacrymas meas gratas eſſe dicebas, nunc eaſdem vis invidioſas videri. 32 Negas, tribunatum Plancii quidquam attuliſſe adjumenti dignitati meæ. atque hoc loco (quod veriſſimè facere potes) L. Racillii, fortiſſimi, & conſtantiſſimi viri, divina in me merita commemoras: cui quidem ego, [5] ſicut in Plancio, numquam diſſimulavi me plurimum debere, ſemperque præ me feram. nullas enim ſibi ille neque contentiones, neque inimicitias, neque vitæ dimicationes, nec pro republica, nec pro me defugiendas putavit. Atque utinam, quàm ego ſum in illum gratus, tam licuiſſet per hominum vim, [6] & injuriam populi Romani, ei gratiam referri. Sed, ſi non eadem contendit in tribunatu Plancius: exiſtimare debes, non huic voluntatem defuiſſe, ſed me, cùm jam Plancio deberem, Racillii beneficiis fuiſſe contentum. An verò putas, judices idcirco minus mea cauſa facturos, quòd me eſſe gratum crimineris? an, cùm populus Roman. illo ſenatuſconſulto, quod in monumento Marii factum eſt, quo mea ſalus omnibus eſt gentibus commendata, uni Cn. Plancio gratias egerit (unus enim fuit [7] de magiſtratibus, aut pro magiſtratibus, defenſor ſalutis meæ: cui ſenatus pro me gratias agendas putavit) ei ego à me referendam gratiam non putem? Atqui, eum cùm vides, quo me tandem animo in te putas eſſe, Laterenſis? ullum eſſe tantum periculum, tantum laborem, tantam contentionem, quam ego non modò pro ſalute tua, ſed etiam pro dignitate defugerem? Quo quidem etiam magis ſum, non dicam miſer ([8] nam hoc quidem abhorret à virtute verbum) ſed certè exercitus: non quia multis debeo *(leve enim onus, beneficii gratia)* ſed quia ſæpe concurrit pro-

1. *At enim nimis ego magnum beneficium Plancio, & ut ais.*] Sic Victorii editio & antiquior; neque ſecus Pall. noſtri, item Grut. Erfurd. S. Victoris; niſi quod quidam ad oram, quidam in contextum, *jacto ſcilicet me debere.* vulgata recentius, *beneficium Plancii facio, & ut ais.*

2. *Odium in me mediocre inimicorum fuiſſe. quod fuit, ullorum tantum? requiro.*] Iſthæc omnia verba non invenias in Pal. ſec. ſexto, S. Victoris aut Gruteriano. & poterant abeſſe.

3. *Niſi fortè xiſtimas, &c.*] Illud *fortè* eſt ab Erfurdienſi codice.

4. *Ei me dedam.*] Ita quidem hodie vulgati. ſed enim olim impreſſi ac Pall. aliique, *debeam*, nihilo deterius.

5. *Sicut in Plancio.*] Præpoſitio deſit editionibus hodiernis, ſed reſtat in antiquis ac mſſ. noſtris.

6. *Et injuriam populi Rom.*] Aliquot mſſ. *P. R.* unde fieri poſſet *prætoris*, aut ſimile quid, ut innuit Gulielmius. Lambinus utramque vocem omiſit, pro jure ſuo ſcilicet.

7. *De magiſtratibus, aut pro magiſtratibus.*] Poſteriores duas dictiones remiſi in locum ſuum, unde quinquaginta aliquot annis abfuerant, fidejubentibus mſſ. noſtris omnibus.

8. *Nam hoc quidem abhorret à virtute verbum.*] Eſt à Turingico libro, inepte antea cuſi; *natura quidem abhorret à virtute verbi.*

rit propter aliquorum de me meritorum inter ipſos contentiones, ut eodem tempore in omneis verear ne vix poſſim gratus videri. Sed ego hoc meis ponderibus examinabo, non ſolum quid cuique debeam, ſed etiam quid cujuſque interſit, & quid à me cujuſque tempus poſcat.
33 Agitur ſtudium tuum, vel etiam, ſi vis, exiſtimatio, laus, ædilitas: at Cn. Plancii ſalus, patria, fortunæ. Salvum tu me eſſe cupiſti: hic fecit etiam, ut eſſe poſſem. diſtineor tamen, & divellor dolore, & in cauſa diſpari offendi te à me, doleo: ſed medius fidius multo citius meam [1] ſalutem pro te objecero, quam Cn. Plancii ſalutem tradidero contentioni tuæ. Etenim, judices, cum omnibus virtutibus me affectum eſſe cupiam, tamen nihil eſt, quod malim, quam me & gratum eſſe, & videri. Hæc eſt enim una virtus non ſolum maxima, ſed etiam *mater virtutum* omnium reliquarum. Quid eſt *pietas*, niſi voluntas grata in parenteis? qui ſunt boni cives? qui belli, qui domi de patria bene merentes, niſi qui patriæ beneficia meminerunt? qui ſancti, qui religionum colentes, niſi qui meritam diis immortalibus gratiam juſtis honoribus, & memori mente perſolvunt? QUÆ POTEST eſſe jucunditas vitæ, ſublatis amicitiis? quæ porrò amicitia poteſt eſſe inter ingratos? Quis eſt noſtrûm liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magiſtri ſui, atque doctores, cui non locus ille mutus, [2] ubi ipſe altus, aut doctus eſt, cum grata recordatione in mente verſetur? cujus opes tantæ eſſe poſſunt, aut umquam fuerunt, quæ, ſine multorum amicorum officiis ſtare poſſint? quæ certè, ſublata memoria, & gratia, nulla exſtare poſſunt. Equidem nil tam proprium hominis exiſtimo, quàm non modò beneficio, ſed etiam benivolentiæ ſignificatione alligari: nihil porrò tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm committere, ut *beneficio* non dicam indignus, ſed *victus* eſſe videare. Quæ cùm ita ſint, jam [3] ſuccumbam, Laterenſis, iſti tuæ orationi; in eo ipſo, in quo nihil poteſt eſſe nimium, quoniam ita tu vis, nimium me gratum eſſe concedam: petamque à vobis, judices, ut eum beneficio complectamini, quem qui reprehendit, in eo reprehendit, quòd gratum præter modum dicat eſſe. Neque enim ad negligendam meam gratiam debet valere, quòd dixit idem, vos nec nocenteis, nec litigioſos eſſe, quo minùs me apud vos valere oporteret. Quaſi verò in amicitia mea non hæc præſidia (ſiqua fortè ſunt in me) *parata* ſemper amicis eſſe maluerim, quàm neceſſaria. Etenim ego de me tantum audeo dicere, amicitiam meam voluptati pluribus, quam præſidio fuiſſe: meque vehementer vitæ meæ pœniteret, ſi in mea familiaritate locus
34 eſſet nemini, niſi litigioſo, aut nocenti. Sed hoc neſcio quomodo frequenter in me congeſſiſti, ſaneque in eo creber fuiſti, te idcirco [4] in locos cauſam conjicere noluiſſe, ne ego mea conſuetudine aliquid de thenſis miſericordiæ cauſa dicerem: quod in aliis ædilibus antè feciſſem. Nonnihil egiſti hoc loco. nam mihi eripuiſti *ornamentum* orationis meæ. deridebor, ſi mentionem thenſarum fecero, cùm tu id prædixeris. ſine thenſis autem quid potero dicere? Hic etiam addidiſti, [5] me idcirco mea lege ex iſto ambitu traxiſſe, ut miſerabiliores epilogos poſſem dicere. Non vobis videor cum aliquo declamatore, [6] non cum laboris, & fori diſcipulo diſputare? Rhodi enim, inquit, non fui. Me vult fuiſſe: [7] ſed fui, inquit, Nicæis (putabam in Vacceis dicturum) bis in Bithynia. Si locus habet reprehenſionis anſam aliquam, neſcio cur ſeveriorem Nicæam putes, quàm Rhodum. ſi ſpectanda cauſa eſt: & tu in Bithynia ſumma cum dignitate fuiſti, & ego Rhodi non minore. Nam, quòd in eo me reprehendiſti, quòd nimiùm multos defenderim: utinam & tu, qui potes, & ceteri, qui defugiunt, vellent me labore hoc levare. ſed fit veſtra diligentia, qui in cauſis ponderandis omneis ferè repudiatis, [8] ut ad nos pleræque confluant, qui miſeris, & laborantibus *nihil negare* poſſumus. Admonuiſti etiam, quòd [9] in Creta fuiſſes, dictum aliquod in petitione tua dici potuiſſe: me id perdidiſſe. Uter igitur noſtrûm eſt cupidior dicti? egone, qui, quod dici potuit, non dixerim: an tu, qui etiam ipſe in te dixeris? Te ajebas de tuis rebus geſtis nullas litteras miſiſſe, quòd mihi meæ, [10] quas ad aliquem miſiſſem, obfuiſſent. quas ego mihi obfuiſſe non intelligo: reipub. video prodeſſe potuiſſe. Sed ſunt hæc 35
leviora: illa verò graviora, atque magna, quòd meum diſceſſum, quem ſæpe defleras: nunc quaſi reprehendere, & ſubaccuſare voluiſti. dixiſti enim, non auxilium mihi, ſed me auxilio defuiſſe. Ego vero fateor mehercule, quòd viderim mihi auxilium non deeſſe, idcirco me illi auxilio peperciſſe. [11] qui enim ſtatus, quod diſcrimen, quæ fuerit in republica *tempeſtas* illa, quis neſcit? Tribunitius me terror; an conſularis furor movit? decertare mihi ferro magnum fuit cum reliquiis eorum, quos ego florenteis, atque integros ſine ferro viceram? Conſules poſt hominum memoriam tæterrimi, atque turpiſſimi, ſicut & illa principia, & hi recentes rerum exitus declararunt: quorum alter exercitum perdidit, alter vendidit, emtis provinciis, à ſenatu, à republica, à bonis omnibus defecerant: qui exercitibus, qui armis, qui opibus plurimùm poterant, cùm, quid ſentirent, neſciretur, furialis illa vox nefariis ſtupris, religioſis altaribus effæminata, [12] ſecum & illos, & conſules facere acerbiſſimè perſonabat. egenteis in locupleteis, perditi in bonos, ſervi in dominos armabantur. Aderat mecum ſenatus, & quidem veſte mutata: quod pro me uno poſt hominum memoriam publico conſilio ſuſceptum eſt. Sed recordare, qui tum fuerint conſulum nomine hoſtes, qui ſoli in hac urbe ſenatum ſenatui parêre non ſiverint: edictoque ſuo non luctum patribus conſcriptis, *ſed luctus indicia* ademerint. Aderat mecum cunctus equeſter ordo: quem quidem in concionibus ſaltator ille Catilinæ conſul, proſcriptionis denuntiatione terrebat. at tota Italia convenerat: cui quidem belli inteſtini, & vaſtitatis
metus inferebatur. [13] Hiſce ego auxiliis ſtudentibus, atque 36
incitatis uti me, Laterenſis, potuiſſe confiteor: ſed erat non jure, non legibus, non diſceptando decertandum (nam profectò, præſertim tam *bona in cauſa*, numquam, quo ceteri abundarunt, id mihi ipſi auxilium meum defuiſſet) armis fuit, armis, inquam, fuit dimicandum: quibus à ſervis,

1. *Salutem pro te ob[illegible].*] Erfurd. *abjecero.*

2. *Ubi ipſe altus aut doctus.*] Haud aliter etiam Pall. noſtri, item G[illegible], *altus*, vulgatam hodie abeſt & olim cuſis.

3. *Succumbam, Laterenſis, iſti tuæ orationi; in eo ipſo.*] Lectio recens eſt. [illegible] Victoris *iſti tuo verbo.* at antiquior, *iſti tuo [illegible] nimio*, [illegible] quomodo & Pall. decem. Grut. & S. Victoris, niſi quod in iis [illegible] copula, *nimioque.*

4. *In locos cauſam conjicere noluiſſe.*] Fulvii liber, item Tur. *in ludos.* Grut. *[illegible].* quod & in Pal. ſec. item ſexto: ſed is præterea ſcribit, *[illegible] tamen convincere noluiſti.* habeo quo defendam illud *ludos.* ſed [illegible], [illegible] Contarene, onus illud ſubite, ſi placeo. nam nimis quam [illegible].

5. *Me idcirco mea lege ex iſto.*] Carnificem heic agit Lambinus non medicum. ego contentus eſſe malo iſtis, quam abuti impotenti ingenio.

6. *Non cum laboris & fori diſcipulo diſputare.*] Quàm longè iſthæc abeunt a Lambinianis. ſciamus eſſe e codice Erfordiano. nam vulgata; *non cauſa [illegible] & fori diſputare.* a quo abibant in eo Pall. meliores, quod præferrent, *non cum lab. &c.*

7. *Sed fui inquit Nicæis (putabam in Vacceis dicturum.*] Sic aliquot Pall. a manu ſecunda. a prima verò omnes deſtituebantur illo *Nicæis*, quod [illegible] olim cuſi. poſtea enim editi; *ſed fui, inquit (putabam in V[illegible]ceis dicturum.*)

8. *Ut ad nos pleræque confluant.*] Fortaſſis melius Ta[illegible]ing. liber *pleriq.*

9. *In Creta fuiſſes.*] Πρὸς κρῆτα κρητίζειν. fuerat enim etiam in Creta Plancius; & iidem ambo candidati.

10. *Quas ad aliquem miſiſſem.*] Intelligit ad Pompeium miſſas, in quibus ſe Lælium, ipſum Africanum [illegible]. Ca[illegible].

11. *Qui enim ſtatus.*] Con[illegible] idem noſter *ſtatus*, ut & mox *emtis provinciis*, ubi habemus; *emtis.*

12. *Secum illos, & Conſules.*] Illud & ante *conſules*, non extat in poſterioribus edd. aut mſſ. noſtris.

13. *Hiſce ego auxiliis ſtudentibus.*] Gulielmius mallet *[illegible]*; non inepte.

1. Tamen

ſervis, atque à ſervorum ducibus cædem fieri ſenatus, & bonorum, reipublicæ exitioſum fuiſſet. Vinci autem improbos à bonis, fateor fuiſſe præclarum, ſi finem eum vincendi viderem: quem profectò non videbam. Ubi enim præſtò fuiſſet mihi aut tam fortis conſul, quàm L. Opimius? quàm C. Marius? quàm L. Flaccus? quibus ducibus improbos civeis reſpublica vicit armatis: aut, ſi minus fortes, attamen tam juſti, quàm P. Mucius, qui arma, quæ privatus P. Scipio ſumſerat, ea, Ti. Gracchο interemto, *jure optimo* ſumta eſſe defendit? Eſſet igitur pugnandum cum conſulibus. nihil ampliùs dico, niſi illud, Victoriæ noſtræ graveis adverſarios paratos: interitus nullos ultores eſſe videbam. Hiſce ego auxiliis ſalutis meæ ſi idcirco defui, quia nolui dimicare: fatebor, id quod vis, non mihi auxilium, ſed me auxilio defuiſſe. ſin autem, QUO MAJORA ſtudia in me bonorum fuerunt, hoc iis magis conſulendum, & parcendum putavi: tu id in me reprehendis, quod Qu. Metello laudi datum eſt, hodieque eſt, & ſemper erit maximæ gloriæ? quem, ut potes ex multis audire, qui tum affuerunt, invictiſſimis viris, conſtat bonis ceſſiſſe: nec fuiſſe dubium, quin contentione, & armis ſuperior poſſet eſſe. Ergo ille cùm ſuum, non cùm ſenatus factum defenderet: cùm perſeverantiam ſententiæ ſuæ, non ſalutem reipublicæ retinuiſſet: [1] tamen ob illam conſtantiam, qua illud voluntarium vulnus accepit, juſtiſſimos omnium Metellorum, & clariſſimos triumphos gloriæ laude *ſuperavit*, quòd & illos ipſos improbiſſimos civeis interfici noluit, &, ne quis bonus interiret in eadem cæde, providit: ego, tantis periculis propoſitis, cum, ſi victus eſſem, interitus reipublicæ: ſi viciſſem, infinita dimicatio pararetur: committerem, ut idem perditor reipublicæ nominarer, qui ſervator fuiſſem? Mortem me timuiſſe dicis.

37 Ego verò NE IMMORTALITATEM quidem contra rempublicam accipiendam putarem, nedum emori cum pernicie reipublicæ vellem. nam, qui [2] pro republica vitam dediderunt (licet me deſipere dicatis) numquam mehercule eos mortem potiùs, quàm immortalitatem aſſequutos putavi. Ego verò, ſi tum illorum impiorum ferro, ac manu concidiſſem, in perpetuum reſpublica civile præſidium ſalutis ſuæ perdidiſſet. Quin etiam, ſi me vis aliqua morbi, aut natura ipſa conſumſiſſet: tamen auxilia poſteritatis eſſent imminuta, quòd peremtum eſſet mea morte id *exemplum*, qualis futurus in me retinendo fuiſſet ſenatus, populuſque Romanus. An, ſi umquam in me vitæ cupiditas fuiſſet, ego menſe Decembri mei conſulatus, omnium parricidarum tela commoſſem? quæ, ſi viginti *quieſſem* dies, [3] in aliorum vigiliam conſulum recidiſſent. Quamobrem, ſi vitæ cupiditas contra rempublicam eſt turpis, certè multo mortis cupiditas mea turpior fuiſſet cum pernicie civitatis. Nam quòd te in republica liberum eſſe gloriatus es, id ego & fateor, & lætor, & tibi etiam in hoc gratulor. quòd me autem negaſti; in eo neque te, neque quemquam
38 diutius patiar errare. Nam, ſi quis idcirco aliquid de libertate mea deminutum putat, quòd non ab omnibus eiſdem, à quibus antea ſolitus ſum diſſentire, diſſentiam: primùm, ſi bene de me meritis gratum me præbeo, non deſino incurrere in crimen hominis nimiùm memoris, nimiumque grati. ſin autem ſine ullo reipublicæ *detrimento*, reſpicio etiam aliquando ſalutem tum meam, tum meorum: certè non modò non ſum reprehendendus, ſed etiam, ſi ruere vellem, boni viri me, ut id ne facerem, rogarent. res verò ipſa publica, ſi loqui poſſet, ageret mecum, ut, quoniam ſibi ſerviſſem ſemper, numquam mihi: fructus autem ex ſeſe non, ut oportuiſſet, lætos, & uberes, ſed magna acerbitate permixtos tuliſſem: ut jam mihi ſervirem, conſulerem meis: ſe non modò ſatis habere à me, ſed etiam vereri, ne parum mihi pro eo, [4] quod tum à me haberet, reddidiſſet. Quid, ſi horum ego nihil cogito? & idem ſum in republica, qui fui ſemper? tamenne tu libertatem requires meam? quam tu ponis in eo, ſi ſemper cum iis, quibuſcum aliquando contendimus, *depugnemus*. quod eſt longè ſecus. Stare enim omnes debemus, tanquam in orbe aliquo reipublicæ, qui quoniam verſetur, eam deligere partem, ad quam nos illius utilitas, ſaluſque converterit. Ego autem Cn. Pompejum, non dico auctorem, 39
ducem, defenſorem ſalutis meæ (nam hæc privatim fortaſſe officiorum memoriam, & gratiam quærunt) ſed dico hoc, quod ad ſalutem reipubl. pertinet: ego eum non tuear, quem omnes in republica principem eſſe concedunt? ego C. Cæſaris laudibus deſim, quas primùm populi Romani nunc etiam ſenatus, cui me ſemper addixi, plurimis, atque ampliſſimis judiciis videam eſſe celebratas? Tum hercule me confitear non judicium aliquod habuiſſe de reipub. utilitate, ſed hominibus amicum, aut inimicum fuiſſe. An, cùm videam navem ſecundis ventis curſum tenentem ſuum, ſi non ea eum petat portum, quem ego aliquando probavi, ſed alium non minus tutum, atque tranquillum: cum *tempeſtate* pugnem periculosè potius, quàm illi, ſalute præſertim propoſita, obtemperem, & paream? NEQUE ENIM inconſtantis puto, ſententiam, tanquam aliquod navigium, atque curſum, ex reipubl. tempeſtate moderari. Ego verò hæc didici, hæc vidi, hæc ſcripta legi: hæc de ſapientiſſimis, & clariſſimis viris, & in hac repub. & in aliis civitatibus [5] monumenta nobis litteræ prodiderunt: NON SEMPER eaſdem ſententias ab iiſdem, ſed, quaſcumque reipub. ſtatus, inclinatio temporum, ratio concordiæ poſtularet, eſſe defendendas. quod ego & facio, Laterenſis, & ſemper faciam: libertatemque, quam in me requiris, quam ego neque dimiſi umquam, neque dimittam, non in pertinacia, ſed in quadam moderatione poſitam putabo. Nunc venio ad illud extremum, quod dixiſti, dum Plancii in me meritum verbis extollerem, me arcem facere ex cloaca, lapidemque è ſepulchro venerari pro deo. neque enim mihi inſidiarum periculum ullum, neque mortis fuiſſe. Cujus ego temporis rationem explicabo brevi, neque invitus. nihil enim ex meis eſt temporibus, quod minùs pervagatum, quodque minùs aut mea commemoratione celebratum ſit, aut hominibus auditum, atque notum. Ego enim, Laterenſis, ex illo *incendio* legum, juris, ſenatus, bonorum omnium, cedens, cùm mea domus ardore ſuo deflagrationem urbi, atque Italiæ toti minaretur, niſi quieviſſem: Siciliam petivi animo, quæ & ipſa erat mihi, ſicut domus una, conjuncta: & obtinebatur [6] à C. Virgilio: quo-cum me uno vel maximè cùm vetuſta amicitia, tum mei fratris collegia, tum reſp. ſociarat. Vide nunc *caliginem temporum* illorum. Cùm ipſa pæne inſula mihi ſeſe obviam ferre vellet: prætor ille ejuſdem tribuni pleb. concionibus propter eandem reipub. cauſam ſæpe vexatus, nihil amplius dico, niſi me in Siciliam venire noluit. Quid dicam? C. Virgilio, tali civi, & viro, benivolentiam in me, memoriam communium temporum, pietatem, humanitatem, fidem defuiſſe? [1] ni-

---

1. *Tamen ob illam conſtantiam qua illud, &c.*] Pall. S. Vict. Grut. *tamen ob illam quo illud, &c.* omiſſa voce *conſtantiam* ſed nec habent edd. vett. hoc loco. iidem tamen collocant infra, *Metellorum conſtantiam & clariſſimos triumphos*, quomodo tamen nulli mſſ. noſtri.

2. *Pro rep. vitam dediderunt.*] Neceſſe habui iſtud recipere, abjecto *reddiderunt*, quod reſtaret in editionibus vetuſtioribus, firmaretque tota cohors codicum Pall. item S. Vict. & Grut.

3. *In aliorum vigiliam conſulum recidiſſent.*] Invitus & heic exturbavi vulgatum, *jugulum*, quod in nullo reperiſſem cuſo antiquiore, in nullis membranis Pall. negaretque Lambinus fuiſſe in ſuis. & alluſum puto ad objectos, ad alios, quibus res eſt cum hoſte. iis enim nox quæque diviſa in vigilias quatuor; quibus ſingulis mutabantur excubitores.

4. *Quod tum à me haberet.*] Gulielmius non abſurde, *quod ortum à me hab.*

5. *Monumenta nobis litteræ prodiderunt.*] Nihil variant mſſ. Pantagathus tamen malebat, *litterarum*, in cujus item ſententiam ibat Gulielmius.

6. *A C. Virgilio.*] Lambinus *Virginio*, præter libros editos typis, calamiſque ſcriptos.

ſe? [1] nihil videlicet eſt eorum: ſed, quam tempeſtatem nos vobiſcum non tuliſſemus, metuit ut eam ipſe poſſet opibus ſuis *ſuſtinere*. Tum conſilio repentè mutato, iter à Vibone Brundiſium terra petere contendi. nam maritimos curſus præcludebat hiemis magnitudo. Cùm omnia illa muni-
41 cipia, quæ ſunt à Vibone Brundiſium, in fide mea, judices, eſſent: iter mihi tutum, multis minitantibus, magno cum ſuo metu præſtiterunt. Brundiſium veni, vel potius ad mœnia acceſſi. urbem unam mihi amiciſſimam declinavi, quæ ſe vel potiùs exſcindi, quàm è ſuo complexu ut eriperer, facile pateretur. In hortos me M. Lenii Flacci contuli. cui cùm omnis metus, publicatio bonorum, exſilium, mors proponeretur, hæc perpeti, ſi acciderent, *maluit*, quàm cuſtodiam mei capitis dimittere. Hujus ego, & parentis ejus prudentiſſimi, atque optimi ſenis, & utriuſque filiorum manibus, in navi tuta, ac fideli collocatus, eorumque preces, & vota de meo reditu exaudiens, Dyrrhachium, quod erat in fide mea, petere contendi. Quò cùm veniſſem, cognovi, id quod audieram, refertam eſſe Græciam ſceleratiſſimorum hominum, ac nefariorum: quorum impium ferrum, igneiſque peſtiferos meus ille conſulatus è manibus extorſerat: qui antequam de meo adventu audire potuiſſent, cum tum abeſſent aliquorum dierum viam, in Macedoniam, ad Planciumque perrexi. Hic verò ſimul atque me mare tranſiſſe cognovit: (audi, audi, atque attende, Laterenſis, ut ſcias, quid ego Plancio debeam: confiteareque aliquando, quod faciam: me & gratè, & piè facere: huic, quæ pro ſalute mea fecerit, ſi minùs profutura ſint, obeſſe certè non oportere.) Nam, ſimulac me Dyrrhachium attigiſſe audivit: ſtatim ad me, lictoribus dimiſſis, inſignibus abjectis, *veſte mutata*, profectus eſt. O acerbam mihi, judices, memoriam temporis illius, & loci, cùm hic in me incidit, complexus eſt, conſperſitque lacrymis, nec loqui præ mœrore potuit! ô rem cùm auditu crudelem, tum viſu nefariam! ô reliquos omneis dies, nocteiſque eas, quibus iſte à me non recedens, Theſſalonicam me, in quæſtoriumque perduxit! Hic ego nunc de prætore Macedoniæ nihil dicam amplius, niſi, cum & civem optimum ſemper, & mihi amicum fuiſſe: ſed eadem *timuiſſe*, quæ ceteros. Cn. Plancium fuiſſe unum, non, qui minus timeret, ſed, ſi acciderent ea, quæ timerentur, mecum ea ſubire, & perpeti vellet. Qui, cùm ad me L. Tubero, meus neceſſarius, qui fratri meo legatus fuiſſet, decedens ex Aſia veniſſet, eaſque inſidias, quas mihi paratas ab exſulibus conjuratis audierat, animo amiciſſimo detuliſſet: in Aſiam me ire ([2] propter ejus provinciæ mecum, & cum meo fratre neceſſitudinem) comparantem, non eſt paſſus. vi me, inquam, Plancius, & complexu ſuo retinuit, multoſque menſes à capite meo non diſceſſit, abjecta quæſtoria *perſona*, comitiſque ſumta.

O excubias tuas, Cn. Planci, miſeras! ô flebileis vigilias! 42
ô nocteis acerbas! ô cuſtodiam etiam mei capitis infelicem! ſi quidem ego tibi vivus non proſum, qui fortaſſe mortuus profuiſſem. memini enim, memini, neque umquam obliviſcar noctis illius, cùm tibi vigilanti, aſſidenti, mœrenti, vana quædam miſer, atque inania, falſa ſpe inductus, pollicebar: me, ſi eſſem in patriam reſtitutus, [3] præſentem, tibi gratiam relaturum: ſi autem vitam mihi ſors ademiſſet, aut vis aliqua major reditum peremiſſet: hos, hos (quos enim ego tum alios animo intuebar?) omnia tibi illorum laborum præmia pro me perſoluturos. Quid me adſpectas? quid mea promiſſa *repetis*? quid meam fidem imploras? nihil tibi ego tum de meis opibus pollicebar, ſed horum erga me benivolentiam promittebam: hos pro me lugere, hos gemere, hos decertare pro meo capite, vel vitæ periculo velle videbam: de eorum deſiderio, luctu, querelis quotidie aliquid tecum ſimul audiebam: nunc timeo, ne nihil tibi, præter lacrymas, queam reddere: quas tu in meis acerbitatibus plurimas effudiſti. Quid enim poſſum aliud, niſi mœrere? niſi flere? niſi te cum mea ſalute complecti? ſalutem tibi iidem dare poſſunt, qui mihi reddiderunt. Huc exſurge tamen, quæſo. retinebo, & complectar: nec me ſolùm deprecatorem fortunarum tuarum, ſed comitem, ſociumque profitebor: atque (ut ſpero) nemo erit tam crudeli animo, tamque inhumano, nec tam immemor meorum non dicam in bonos meritorum, ſed bonorum in me, qui à me mei *ſervatorem* capitis divellat, ac diſtrahat. Non ego meis ornatum beneficiis à vobis deprecor, judices, ſed cuſtodem ſalutis meæ: non opibus contendo, non auctoritate, non gratia; ſed precibus, ſed lacrymis, ſed miſericordia: mecumque vos ſimul miſerrimus, & optimus obteſtatur parens, & pro uno filio duo patres deprecamur. Nolite, judices, per vos, per fortunas veſtras, per liberos, inimicis meis, his præſertim, quos ego pro veſtra ſalute ſuſcepi, dare lætitiam, glorantibus vos jam oblitos mei, ſalutiſque ejus, à quo mea ſalus conſervata eſt, hoſteis exſtitiſſe. nolite animum meum debilitare tum luctu, tum etiam metu commutatæ veſtræ voluntatis erga me: ſinite me, quod vobis fretus huic ſæpe promiſi, id à vobis ei perſolvere. Teque, C. Flavi, oro, & obteſtor, qui meorum conſiliorum in conſulatu ſocius, periculorum particeps, rerum, quas geſſi, adjutor fuiſti, meque non modò ſalvum ſemper, ſed etiam ornatum, florentemque eſſe voluiſti: ut mihi per hos conſerves eum, per quem me tibi, & his conſervatum vides. Plura ne dicam, tuæ me etiam *lacrymæ* impediunt, *veſtræque*, judices, non ſolùm meæ: quibus ego, magno in metu meo, ſubitò inducor in ſpem, vos eoſdem in hoc conſervando futuros, qui fueritis in me: quoniam iſtis veſtris lacrymis de illis recordor, quas pro me ſæpe, & multum profudiſtis.

M. TUL-

1. *Nihil, judices, eſt eorum.*] Quanto iſtud melius illo vulgato; *nihil videlicet eſt eorum*. eruit autem id e Turingicis Suffridus noſter Petrejus.

2. *Propter ejus provinciæ mecum, &c. comparantem.*] Ita legendum duxi omnibus Pall. volentibus; item S. Victoris ac Grut. qui ultimus, duxit me ad hanc lectionem, cum haberet, *me comparantem*, *propter ejus provin. &c.* illud *mecum* tamen ſolùm erat apertè in Pal. pr. nam reliqui *metum*. vulgata, *metum, &c. comparatam*. quod *comparatam* etſi aſſirmet comparere in ſcriptis omnibus Lambinus; haud ei credam. noſtrum ſane conſpicitur in cod. S. Victoris, & cæd. priſcis.

3. *Præſentem tibi gratiam relaturum.*] Ambiguitas conſtructionis omnino tolletur, ſi legimus cum Erfurdienſi, *gratias*.

M. TULLIUS CICERO [1]PRO P. SEXTIO.

ORATIO TRICESIMASECUNDA.

1 SI quis antea, judices, mirabatur, quid eſſet, quòd pro tantis opibus reipub. tantaque dignitate imperii, nequaquam ſatis multi cives forti, & magno animo invenirentur, qui auderent ſe, & ſalutem ſuam in diſcrimen offerre pro ſtatu civitatis, & pro communi libertate: ex hoc tempore miretur potiùs, ſi quem *bonum & fortem* civem viderit, quàm ſi quem aut timidum, aut ſibi potiùs, quàm reipubl. conſulentem. Nam, ut omittatis de uniuſcujuſque caſu cogitando recordari, uno adſpectu intueri poteſtis, eos, qui cum ſenatu, cum bonis omnibus, rempub. afflictam excitarint, & latrocinio domeſtico liberarint, mœſtos, ſordidatos, reos, de capite, de fama, de civitate, de fortunis, de liberis dimicanteis: eos autem, qui omnia divina, & humana violarint, vexarint, perturbarint, everterint, non ſolùm alacreis, lætoſque volitare, [2] ſed etiam *voluntarios* fortiſſimis, atque optimis civibus periculum moliri, de ſe nihil timere. In quo cùm multa ſunt indigna, tum nihil minùs eſt ferendum, quàm quòd jam non per latrones ſuos, non per homines egeſtate, & ſcelere perditos, ſed per vos nobis, per optimos viros optimis civibus periculum inferre conantur: &, quos lapidibus, quos ferro, quos facibus, quos vi, manu, copiis delere non potuerunt, hos veſtra *auctoritate*, veſtra religione, veſtris ſententiis ſe oppreſſuros arbitrantur. Ego autem, judices, qua voce mihi in agendis gratiis, commemorandoque eorum, qui de me optimè ſunt meriti, beneficio, eſſe utendum putabam, ea nunc uti cogor in eorum periculis depellendis. iis potiſſimùm vox hæc ſerviat, quorum opera & mihi, & vobis, & populo
2 Romano reſtituta eſt. Et, quamquam à Q. Hortenſio, clariſſimo viro, atque eloquentiſſimo, cauſa eſt P. Sextii perorata: nihilque ab eo prætermiſſum eſt, quod aut pro repub. conquerendum fuit, aut pro reo diſputandum: tamen aggrediar ad dicendum, ne mea propugnatio ei potiſſimùm defuiſſe videatur, per quem eſt perfectum, ne ceteris civibus deeſſet. Atque ego ſic ſtatuo, judices, à me in hac cauſa, atque hoc extremo dicendi loco, *pietatis* potiùs, quàm defenſionis: *querelæ*, quàm eloquentiæ: *doloris*, quàm ingenii parteis eſſe ſuſceptas. Itaque, ſi aut acriùs egero, aut liberiùs, quàm qui ante me dixerunt: peto à vobis, ut tantum orationi meæ concedatis, quantum & pio dolori, & juſtæ iracundiæ concedendum putetis. neque enim officio conjunctior dolor ullius eſſe poteſt, quàm hic meus, ſuſceptus ex hominis, de me optimè meriti, periculo: neque iracundia magis ulla *laudanda*, quam ea, quæ me inflammat eorum ſcelere, qui cum omnibus ſalutis meæ defenſoribus bellum eſſe ſibi gerendum judicaverunt. Sed, quoniam ſingulis criminibus ceteri reſponderunt, dicam ego de omni ſtatu P. Sextii, de genere vitæ, de natura, de moribus, de incredibili amore in bonos, de ſtudio conſervandæ ſalutis communis, atque otii: contendamque, ſi modò id conſequi potero, ut in hac confuſa, atque univerſa defenſione, nihil à me, quod ad veſtram quæſtionem, nihil, quod ad reum, nihil, quod ad remp. pertineat, prætermiſſum eſſe videatur. Et, quoniam in graviſſimis temporibus civitatis, atque in ruinis everſæ, atque afflictæ reip. P. Sextii tribunatus eſt à fortuna ipſa collocatus: non aggrediar ad illa maxima, atque ampliſſima priùs, quàm docuero, quibus initiis, ac *fundamentis* hæ tantæ ſummis in rebus laudes excitatæ ſint. Parente P. Sextius natus eſt, judices, ho- 3
mine, ut plerique meminiſtis, & ſapiente, & ſancto, & ſevero: qui cùm tribunus pleb. primus inter homines nobiliſſimos temporibus optimis factus eſſet, reliquis honoribus non tam uti voluit, quàm *dignus videri*. Eo auctore, duxit honeſtiſſimi, & ſpectatiſſimi viri, C. Albini filiam: ex qua hic eſt puer, & nupta jam filia. [3] Duobus his graviſſimæ antiquitatis viris ſic probatus fuit, ut utrique eorum, & carus maximè, & jucundus eſſet. [4] Ademit Albino ſoceri nomen mors filiæ, ſed *caritatem* illius neceſſitudinis, & benevolentiam non ademit. hodie ſic hunc diligit, ut vos facillimè poteſtis ex hac vel aſſiduitate ejus, vel ſollicitudine, & moleſtia judicare. Duxit uxorem, patre vivo, optimi, & calamitoſiſſimi viri [5] filiam, C. Scipionis. clara in hoc P. Sextii pietas exſtitit, & omnibus grata, quòd & Maſſiliam ſtatim profectus eſt, ut ſocerum videre, conſolarique poſſet, fluctibus reipub. expulſum, in alienis terris jacentem, quem in majorum ſuorum veſtigiis ſtare oportebat: & ad eum filiam ejus adduxit, [6] ut illo *inſperato* adſpectu, complexuque, ſi non omnem, at aliquam partem mœroris ſui deponeret: & maximis officiis & illius ærumnam, quoad vixit, & filiæ ſolitudinem ſuſtentavit. Poſſum multa dicere de liberalitate, de domeſticis officiis, de tribunatu militari, de provinciali in eo magiſtratu *abſtinentia:* ſed mihi ante oculos obverſatur reipub. dignitas, quæ me ad ſeſe rapit, hæc minora relinquere hortatur. Quæſtor hic C. Antonii, collegæ mei, judices, fuit ſorte, ſed ſocietate conſiliorum, meus. Impedior nonnullius officii, ut ego interpretor, religione, quo minùs exponam, quàm multa ad me detulerit, quanto antè providerit. Atque ego de Antonio nihil dico, præter unum: numquam illum in illo ſummo timore, ac periculo civitatis, neque communem metum omnium, neque propriam nonnullorum de ipſo ſuſpicionem, aut *inſitiando* tollere, aut *diſſimulando* ſedare voluiſſe. In quo collega ſuſtinendo, atque moderando, ſi meam in illum indulgentiam, conjunctam cum

1. PRo Sextio.] Pal. ſec. ac nonus, item Erfurd. & Gemblac. hunc hominem ſemper appellant *Seſtium*; ut etiam liber S. Victoris. adeo ut ſic reſcribendum videatur: ut fecit P. Victorius. annotatum tamen Cl. Puteano ſcribendum *Sextio*, quoniam ſit familiæ plebeiæ. *Seſtium* enim notare patriciam.

2. *Sed etiam voluntarios fortiſſimis.*] Monuit Lambinus illud *voluntarios* non hærere in aliquot mſſ. ideoque delendum putat. & vero abeſt aliquot item Palatinis, ſed tamen cum compareat in eis quos habeo notæ optimæ, in pr. in ſec. in nono, haud temere ei manus intulero.

3. *Duobus his graviſſimæ antiquitatis viris*, &c.] Ita malui cum Pal. tert. quart. quinto, oct. & ed. vet. quam *graviſſimis*, quod in vulgata. iidem noſtri non agnoſcebant voculam *his*. & poterat item deleri. interim quæ frons Lambini? ſupponentis, *duobus his graviſſimis ac ſanctiſſimis viris.*

4. *Ademit Albino ſoceri nomen.*] Gembl. & S. Victoris *ceterum nomen*, cui alludit & Palat. nonus, in quo *ceterorum*. & non videtur fortuitum illud *ceterum*.

5. *Filiam C. Scipionis.*] Non vacat inquirere quo prænomine aliis vocetur hic Scipio. reddidi tamen ei *Caii* volentibus Pall. Gembl. Erfurd. item editt. primis. poſterioribus placuit *Lucius*.

6. *Ut illo inſperato adſpectu, amplexuque.*] Pal. tert. quart. quint. *adſpectu*, non nimium diſplicet; utique cum & invenerim item in edd. antiquiſſimis.

cum ſumma cuſtodia reipub. laudare verè ſolebatis: par prope laus P. Sextii eſſe debet, qui ſuum ita conſulem obſervavit, ut & illi quæſtor bonus, & vobis omnibus optimus civis videretur.
4 Idem, cùm illa conjuratio ex latebris, atque ex tenebris erupiſſet, palamque armata volitaret. venit cum exercitu Capuam: quam urbem, propter plurimas belli *opportunitates*, ab illa impia, & ſcelerata manu [1] attentari ſuſpicabamur: [2] & inde M. Aulanum, tribunum militum Antonii, Capua præcipitem ejecit, hominem perditum, & non obſcurè Piſauri, & in aliis agri Gallici partibus, in illa conjuratione verſatum. Idemque C. Marcellum, cùm is non ſolùm Capuam veniſſet, verùm etiam ſe, quaſi armorum ſtudio, [3] in maximam familiam conjeciſſet, exterminandum ex illa urbe curavit. qua de cauſa & tum conventus ille Capuæ, qui propter ſalutem illius urbis conſulatu conſervatam meo me unum patronum adoptavit, huic apud me P. Sextio maximas gratias egit; & hoc tempore iidem homines, nomine commutato, coloni, decurioneſque fortiſſimi, atque optimi viri, beneficium P. Sextii, *teſtimonio* declarant, periculumque decreto ſuo deprecantur. Recita, quæſo, P. Sexti, quid decreverint Capuæ decuriones, [4] ut jam puerilis tua vox poſſit aliquid ſignificare inimicis noſtris, quidnam, cùm ſe corroborarit, effectura eſſe videatur. DECRETUM DECURIONUM. Non recito decretum officio aliquo *expreſſum* vicinitatis, aut clientelæ, aut hoſpitii publici, aut ambitionis, aut commendationis gratia: ſed recito memoriam perfuncti periculi, prædicationem ampliſſimi beneficii, [5] vicem officii præſentis, teſtimonium præteriti temporis. Atque illis temporibus iiſdem, cùm jam Capuam metu Sextius liberaſſet, urbem ſenatus, atque omnes boni, deprehenſis, atque oppreſſis domeſticis hoſtibus, me duce, ex periculis maximis extraxiſſent: ego litteris eum Capua arceſſivi cum illo exercitu, quem tum ſecum habebat. quibus hic litteris lectis ad urbem confeſtim incredibili celeritate advolavit. Atque, ut illius temporis atrocitatem recordari poſſitis, audite litteras, & veſtram memoriam ad timoris præteriti
5 cogitationem excitate. LITTERÆ CICERONIS, CONSULIS. Hoc adventu P. Sextii, tribunorum pleb. novorum, qui tum extremis diebus conſulatus mei, res eas, quas geſſeram, vexare cupiebant, reliquique conjurationis impetus, & conatus, ſunt *retardati*. Ac, poſteaquàm eſt intellectum, Catone tribuno pleb. fortiſſimo, atque optimo cive, rempubl. defendente, per ſeipſum S.P.Q.R. ſine militum præſidio tueri facilè majeſtatem ſuam, & dignitatem eorum, qui ſalutem communem periculo ſuo defendiſſent: Sextius, cùm illo ſuo exercitu ſumma celeritate eſt Antonium conſecutus. Hic ego quid prædicem, quibus hic rebus conſulem ad rem gerendam excitarit? quot ſtimulos admoverit homini ſtudioſo fortaſſis victoriæ, ſed tamen nimiùm *communem Martem*, bellique caſum metuenti? longum eſt ea dicere: ſed hoc breve dicam. Si M. Petreii [6] non excellens animo, & amore reip. non præſtans in rep. virtus, non ſumma auctoritas apud milites, non mirificus uſus in re militari exſtitiſſet, neque [7] adjutor ei P. Sextius ad excitandum Antonium, cohortandum, impellendum fuiſſet, [8] datus illo in bello eſſet *hiemi* locus, neque umquam Catilina, cùm è pruina Apennini, atque è nivibus illis emerſiſſet, atque æſtatem integram nactus, Italiæ calleis, & paſtorum ſtabula præclara cepiſſet, ſine multo ſanguine, ac [9] ſine totius Italiæ vaſtitate miſerrima concidiſſet. Hunc igitur animum ad tribunatum attulit P. Sextius; ut quæſturam Macedoniæ relinquam, & aliquando ad hæc propiora veniam. quamquam non eſt omittenda ſingularis illa integritas provincialis, cujus ego nuper in Macedonia vidi veſtigia non preſſa leviter ad exigui prædicationem temporis, ſed fixa ad *memoriam* illius provinciæ ſempiternam. Verùm hæc ita prætereamus, ut tamen intuentes, & reſpectantes relinquamus. Ad tribunatum, quia ipſe 6
ad ſeſe jam dudum vocat, & quodammodo abſorbet orationem meam, contento ſtudio, curſuque veniamus. De quo quidem tribunatu ita dictum à Q. Hortenſio, ut ejus oratio [10] non defenſionem modò criminum videretur continere, [11] ſed etiam memoria digna eſſet, uti, & reip. capeſſendæ auctoritatem, diſciplinamque præſcriberet. Sed tamen, quoniam tribunatus quidem totus P. Sextii nihil aliud, niſi meum nomen, cauſamque ſuſtinuit, neceſſariò mihi de iiſdem rebus eſſe arbitror, ſi non ſubtiliùs diſputandum, at certè, judices, dolentiùs deplorandum. Qua in oratione ſi aſperiùs in quoſdam homines invehi vellem, quis non concederet, ut eos, quorum ſceleris furore violatus eſſem, *vocis libertate* perſtringerem? [12] Sed ut agam moderate, & huic potiùs tempori ſerviam, quàm dolori meo. ſi qui occultè à ſalute noſtra diſſentiunt, lateant. ſi qui fecerunt aliquid aliquando, atque iidem nunc tacent, & quieſcunt: nos quoque ſimus obliti. [13] ſi qui ſe offerunt inſolenter, & inſectantur: quoad ferri poterunt, perferemus; neque quemquam offendet oratio mea, niſi qui ſe ita obtulerit, ut in eum non invaſiſſe, ſed incurriſſe videamur. Sed neceſſe eſt, antequam de tribunatu P. Sextii di-

1. *Attentari ſuſpicabamur.*] Pall. aliquot *tentari.* nonus præterea *conſpicabamus.* Gembl. *conſpicabamur.* editio princeps *conſpiciebamus.*

2. *Et inde M. Aulanum.*] Sic Pal. pr. ſec. nam tert. quart. quint. *me Aulanum.* at nonus *conſpicabamus C. Menulanum.* quod nomen idem in Gembl. & Erfurd. alluditque S. Victoris: *ſuſpicabamur C. Mevulcanum.* Pal. oct. *& inde Meaulcanum.* adſcriptumque, *al. M. Aulum.* & inquirendus profectò ille *C. Menulanus.* nam & primitus cuſi *Mevulanum* exhibent. P. Manutius edidit *Aulianum.*

3. *In maximam familiam.*] Servorum, interpretatur P. Manutius. at ego, gladiatorum, qui ibi in ludo frequentes ut diſcimus, vel ex loco huc pertinente C. Cæſaris libro 1. Bell. civ. cap. 15. m.

4. *Ut jam puerilis tua vox, &c.*] Locum hunc muto, invito Gulielmio, qui diſæreſcebat plane vulgatæ ſcripturæ, *virili*; tamquam ſcilicet in puero eſſet vox virilis. fateor; ſed idem non tollitur, ſubſtituto *puerilis*, quod omninò ſervatur in Pal. nono illo, in Gembl. in Erfurd. libris extra controverſiam innocentiſſimis.

5. *Vicem officii præſentis.*] Lambinus recepit neſcio cujus emendationem, *vicem off.* præter omnes libros, & non neceſſariò, quamvis ita autumet.

6. *Non excellens animo & amore reip. non præſtans, &c.*] Reduxi quod erat in olim editis, in P. Manutio, in P. Victoriano; quibus firmandis accedit Pal. nonus. item liber S. Victoris; niſi quod is *animus.* unde tentabat Gulielmius, *non exc. animus & amor reip. non præſtans*, quod non ſpreverim. nam inſulse vulgata: *non excellens animus, & amore reip. præſtans*; omiſſo *non.*

7. *Adjutor ei P. Sextius ad excitandum Antonium, cohortandum, impellendum fuiſſet.*] Sic vetus editio, ſed adhuc verbo auctior, *cohortandum, accuſandum, impellendum.* ſed enim cùm reſtet tantum in Pal. nono, *adjutor reipub. cohortandum, accuſandum, impell. f.* ſuſpicor Ciceroni ſcriptum: *adjutor ei Publius ad excitandum, cohort. accuſandum, imp.* omiſſo nomine *Antonii.*

8. *Datus illo in bello eſſet hiemi locus.*] Sic malui diſtinguere cum Gulielmio, quàm ut eſt in hactenus vulgatis *fuiſſet datus: illo in bello.* quod quam infeliciter explicat P. Manutius.

9. *Sine totius Italiæ vaſtitate.*] Pal. nonus *viciſſitate.* cui voci attendet auceps verborum minus frequentium. nam & heic ei quoque ſuus locus; ſi voluit exprimere Cicero aleam Martis ancipitem. ſive enim conjurati perirent, ſive eorum adverſarii damno id erat communi matri Italiæ.

10. *Non defenſionem modo criminum vid. cont.*] Pal. nonus non agnoſcit vocabulum *criminum*; neque requiritur.

11. *Sed etiam memoria digna eſſet, uti reip. cap. &c. præſcriberet.*] Cuilibet jam patet quàm hæc aptiora ſint huic ſententiæ, quàm quæ de Turnebi conjectura ſubſtituerat nobis Lambinus. ſic autem reſtat omnino in Pal. nono & Erf.

12. *Sed ut agam moderate, & huic.*] Scribendum cum Pal. ſec. ac nono: *ſed ut quam moderatè, &c.* quomodo item in prima editione, præterquam quod ea *ut qua.* ceteri noſtri habent, *ſed quàm moderatè, & huic.*

13. *Si qui ſe offerunt inſolenter & inſectantur.*] In nullo mſſ. aut vett. edd. inveni illud *inſolenter*, &c. habentque Pal. nonus, ac Gemblac. *ſi qui offendunt, inſequuntur.* neque aliter Erfurd. niſi quod immiſſa copula, *& inſequuntur.* Pal. tert. quint. oct. habent, *ſi qui ſe efferunt inſectanter.* pr. quart. *efferunt, inſectantur.*

1. *Supe-*

tii dicere incipiam, me totum [1] ſuperioris anni reipub. *naufragium* exponere: in quo colligendo, ac reficienda ſa-
7 lute communi, omnia reperientur P. Sextii dicta, facta, conſilia, verſata. [2] Fuerat ille annus in reipub. magno motu, & multorum timore, tanquam intentus arcus in me unum, ſicut vulgò ignari rerum loquebantur, re quidem vera in univerſam remp. traductione ad plebem furibundi hominis, ac perditi, mihi irati, ſed multo acriùs otii, & *communis ſalutis* inimici. Hunc vir clariſſimus, mihique, multis repugnantibus, amiciſſimus, Cn. Pompejus, omni cautione, fœdere, exſecratione devinxerat, nihil in tribunatu contra me eſſe facturum. At ille nefarius, ex omnium ſcelerum colluvione natus, parum ſe fœdus violaturum eſt arbitratus, niſi ipſum cautorem alieni periculi ſuis propriis periculis terruiſſet. Hanc tætram, immanemque belluam, vinctam auſpiciis, alligatam more majorum, conſtrictam legum ſacratarum catenis, [3] ſolvit ſubitò legum conſul, vel, ut ego arbitror, exoratus, vel, ut nemo putaret, mihi iratus: ignarus quidem certè, & imprudens impendentium tantorum ſcelerum, ac malorum. qui tribunus pleb. felix in evertenda rep. fuit nullis ſuis nervis. qui enim in ejuſmodi vita nervi eſſe potuerunt, hominis, fraternis flagitiis, ſororiis ſtupris, omni inaudita [4] libidine infamis? Sed fuit profectò quædam illa reipub. *fortuna fatalis*, ut ille cæcus, atque amens tribunus pleb. nanciſceretur, quid dicam conſules? hoccine ut ego appellem nomine everſores hujus imperii? proditores veſtræ dignitatis? hoſteis bonorum omnium? qui ad delendum ſenatum, affligendum equeſtrem ordinem, exſtinguenda omnia jura, atque inſtituta majorum, ſe illis faſcibus, ceteriſque inſignibus ſummi honoris atque imperii *ornatos* eſſe arbitrabantur? Quorum, per deos immortaleis, ſi nondum ſcelera, vulneraque inuſta reipub. vultis recordari, vultum, atque inceſſum *animis* intueamini. faciliùs facta eorum occurrent mentibus veſtris, ſi ora ipſa oculis
8 propoſueritis. Alter unguentis affluens, calamiſtrata coma, deſpiciens conſcios ſtuprorum, ac veteres vexatores ætatulæ ſuæ, puteali, & fæneratorum [5] gregibus inflatus, atque perculſus, olim ne Scyllæo illo æris alieni in freto ad columnam adhæreſceret, in tribunatus *portum* perfugerat. contemnebat equites Romanos, minitabatur ſenatui, venditabat ſe operis, atque ab iis ſe ereptum, ne de ambitu cauſam diceret, prædicabat, ab iiſdemque ſe, etiam, invito ſenatu, provinciam ſperare dicebat: eamque niſi adeptus eſſet, ſe incolumem nullo modo fore arbitrabatur. Alter, ô dii boni! quàm tæter incedebat! quàm truculentus! [6] quàm terribilis adſpectu! unum aliquem te ex *barbatis* illis, exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis, columen reipub. diceres intueri. [7] veſtitus aſper è noſtra hac pupura plebeia, ac pænè fuſca: capillo ita horrido, ut Capua, in qua ipſe tum [8] imaginis ornandæ cauſa duumviratum gerebat; Seplaſiam ſublaturus videretur. nam quid ego de ſupercilio dicam? quod tum hominibus non ſupercilium, ſed *pignus reipub.* videbatur. tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, [9] ut illo ſupercilio reſpub. tanquam Atlante cælum, niti videretur. erat denique hic omnium ſermo: EST TAMEN reip. magnum, firmumque ſubſidium: habeo quem opponam labi illi, atque cœno: vultu medius fidius collegæ ſui libidinem, levitatemque franget, habebit ſenatus, in hunc annum quem ſequatur: non deerit auctor, & dux bonis. mihi denique homines præcipuè gratulabantur, quòd habiturus eſſem contra tribunum pleb. furioſum, & audacem, cùm amicum, & affinem, tum etiam fortem, & gravem conſulem. Atque 9
eorum alter fefellit neminem. quis enim *clavum* tanti imperii tenere, & gubernacula reipub. tractare in maximo curſu, ac fluctibus poſſe arbitraretur hominem emerſum ſubitò ex diuturnis tenebris luſtrorum, ac ſtuprorum? vino, ganeis, lenociniis, adulteriiſque confectum? cùm is *præter ſpem* in altiſſimo gradu alienis opibus poſitus eſſet? qui non modò tempeſtatem impendentem intueri temulentus, ſed ne lucem quidem inſolitam adſpicere poſſet? Alter multos planè in omneis parteis fefellit. erat enim hominum opinioni, nobilitate ipſa, *blanda conciliatricula*, commendatus. Omnes boni ſemper nobilitati favemus, & quia utile eſt reipub. nobileis homines eſſe dignos majoribus ſuis, & quia valet apud nos, clarorum hominum [10] & bene de repub. meritorum memoria etiam mortuorum. Quia triſtem ſemper, quia taciturnum, quia ſubhorridum, atque incultum videbant, & quòd erat eo nomine, [11] ut ingenerata *familiæ* frugalitas videretur: favebant, gaudebant, & ad integritatem majorum, ſpe ſua hominem vocabant, materni generis obliti. Ego autem (verè hoc dicam, judices,) tantum eſſe in homine ſceleris, audaciæ, crudelitatis, quantum ipſe cum repub. ſenſi, numquam putavi. nequam eſſe hominem, & levem, & falſa opinione, errore hominum, ab adoleſcentia commendatum, ſciebam. etenim animus ejus vultu, flagitia parietibus tegebantur: ſed hæc obſtructio, nec *diuturna* eſt, nec obducta ita, ut curioſis oculis perſpici non poſſit. Videbamus 10
genus vitæ, deſidiam, inertiam: incluſas ejus libidines, qui paullo propiùs acceſſerant, intuebantur. denique etiam ſermonis anſas dabat, quibus reconditos ejus ſenſus tenere poſſemus. Laudabat homo doctus philoſophos neſcio quos: neque eorum tamen *nomina* poterat dicere: ſed tamen eos laudabat maximè, qui dicuntur præter ceteros eſſe auctores, & laudatores voluptatis: cujus, & quo tempore, & quo modo, non quærebat. verbum ipſum omnibus modis animi, & corporis devorabat: eoſdemque præclarè dicere aiebat, SAPIENTEIS OMNIA SUA CAUSA FACERE: remp. capeſſere hominem bene ſanum non oportere: nihil eſſe præſtabilius otioſa vita, & plena, & conferta

1. *Superioris anni reipub. naufragium.*] Non diſplicet Turingici exemplaris ſcriptura, *in repub.*

2. *Fuerat ille annus, in reipub. magno motu, &c. tanquam intentus.*] Pall. omnes heic mire mutilati ſunt a librariis, præter nonum. is exhibet: *Fuerat ille annus, tam in rep. videlicet quam in magno metu, &c. intentus*; ſine illo, *tanquam*. neque aliter S. Victoris quam quod is, *in repub. judices, quam in magno metu.* quod & in codice ſcripto Henrici Stephani, niſi quod is *motu*.

3. *Solvit ſubitò legum.*] Hæc eſt primæ editionis lectio, neque ſecus imprimi curavit Victorius, reliatque in Pal. nono. aliæ habent, *ſolvit ſubitò cura legum.* aliæ, *ſolv. ſubitò legum vinculis.* Lambinus recepit conjecturam Turnebi, *ſolvit ſubitò lege curiata*; de qua videantur illius Adverſaria libro xx. cap. 3.

4. *Libidine infamis?*] Pall. o. edd. vett. S. Victoris, Erfurd. Gembl. *inſanis*, quod iterum recepiſſem, niſi occurriſſet inſanos numquam eſſe ſine nervis, & iis quidem quibus ſanos longe antecant. & ſic tamen habet quo ſe defendat.

5. *Gregibus inflatus atque perculſus.*] Sic primitus editi. nam Pall. noſtri non habent illud, *atque perculſus*, excepto nono; in quo *atque compulſus*; quomodo etiam extat in S. Victoris. Gulielmius conjicit *inlatus*. ego vulgatam interpretor; tanquam primo fuerit inflatus ab illis ſectatoribus, ſed tandem deſertus; ut ſæpe ſolet fieri, cum ducem ſuum tueri nequeunt iſti Satagei. exemplum videatur apud Tullium in Quintiana cap. 22. prooemio item Verrino cap. 4. m.

6. *Quam terribilis aſpectu.*] Ita mſſ. noſtri omn. & olim impreſſi. non, ut hodie, *terribili aſp.*

7. *Veſtitus aſpere, noſtra hac.*] Eſt a mſſ. noſtris & quondam editis. nam poſteriores *aſper*.

8. *Imaginis ornandæ cauſa.*] Conjecit ita quondam Turnebus, ſed nunc firmatur auctoritate Palatini noni: alii enim, tota hac oratione nihil habent hiſtoricum, nihil niſi quod liquidò adſequebantur librarii.

9. *Ut illo ſupercilio reſp. tanquam Atlante cælum, niti videretur.*] Lectio ficticia. neque melior ea, quam ſubſtituit Lambinus. primæ edd. habent; *ut illo ſupercilio annantias ille niti tanquam videretur*; a qua nihil recedant mſſ. noſtri. nam Pal. nonus exhibet, *ſupercilio vel amanteus anancius, ille niti tanquam videretur.* S. Victoris *ſupercilio anantius ille niti tanquam videretur.* Videatur Turnebus libro xx. Adverſ. 3. nam ego hic nihil video, niſi lateat *ananceum*. adplicet rei propoſitæ qui poteſt.

10. *Et bene de republ. meritorum.*] Editio vetus, item Gemblac. S. Victoris Pal. tert. *& ſenex de repub. merit.*

11. *Ut ingenerata familiæ frugalitas.*] Pal. ſecundus & Gemblac. item edd. vet. *familia.* unde Gulielmius faciebat *a familia*.

1. r

tenta voluptatibus: eos autem, qui dicerent, DIGNITATI ESSE SERVIENDUM, reip. conſulendum, officii rationem in omni vita, non commodi, eſſe ducendam, ſubeunda pro patria pericula, vulnera excipienda, mortem oppetendam: vaticinari, atque inſanire dicebat. Ex his aſſiduis ejus, quotidianiſque ſermonibus, & quòd videbam, quibuſcum hominibus in interiore ædium parte viveret, & quòd ita domus ipſa *fumabat*, ut multa ejus ſermonis indicia redoleret: ſtatuebam ſic, boni nihil ab illis nugis exſpectandum, mali quidem certè nihil pertimeſcendum. Sed ita eſt, judices, ut, SI GLADIUM parvo puero, aut ſi imbecillo ſeni, aut debili dederis, ipſe impetu ſuo nemini noceat: ſin ad nudum vel fortiſſimi viri corpus acceſſerit, poſſit acie ipſa, & ferri viribus vulnerari: ita cùm hominibus enervatis, atque exſanguibus, conſulatus, tanquam gladius, eſſet datus: qui per ſe pungere neminem umquam potuiſſent, hi ſummi imperii nomine armati remp. contrucidaverunt. fœdus fecerunt cum tribuno pleb. palàm, ut ab eo provincias acciperent, quas ipſi vellent: exercitum, & pecuniam, quantam vellent, ea lege, ſi ipſi priùs tribuno pleb. [1] afflictam & conſtrictam remp. tradidiſſent. id autem *fœdus* meo ſanguine ictum ſanciri poſſe dicebant. Qua re patefacta (neque enim diſſimulari tantum ſcelus poterat, nec latere) promulgantur uno, eodemque tempore rogationes ab eodem tribuno de mea pernicie, & de provinciis conſulum nominatim.
11 Hîc tum ſenatus ſollicitus, vos equites excitati, Italia cuncta permota, omnes denique omnium generum, atque ordinum cives ſummæ reip. à conſulibus, atque à ſummo imperio petendum eſſe auxilium arbitrabantur, cùm illi ſoli eſſent, præter furioſum illum tribunum, duo reip. *turbines*, qui non modò præcipitanti patriæ non ſubvenirent, ſed etiam nimiùm tardè concidere mœrerent. Flagitabatur ab his quotidie cùm querelis bonorum omnium, tum etiam precibus ſenatus, ut meam cauſam ſuſciperent, agerent; aliquid denique ad ſenatum referrent. hi non modò negando, ſed etiam irridendo, ampliſſimum quemque illius ordinis inſequebantur. Hîc ſubitò cùm incredibilis in Capitolium multitudo ex tota urbe, cunctaque Italia conveniſſet: veſtem mutandam omnes, meque etiam omni ratione, *privato conſilio* (quoniam publicis ducibus reſp. careret) defendendum putarunt. Erat eodem tempore ſenatus in æde Concordiæ quod ipſum templum repræſentabat memoriam conſulatus mei, cùm flens univerſus ordo cincinnatum conſulem orabat. nam alter ille horridus, & ſeverus conſultò ſe domi continebat. Qua tum ſuperbia cœnum illud, ac labes, ampliſſimi ordinis preces, & clariſſimorum civium lacrymas repudiavit? me ipſum ut contemſit *heluo* patriæ? nam quid ego patrimonii dicam, quod ille cùm quaſi queſtum faceret, amiſit? Cùm veniſſet ad ſenatum, vos, inquam, equites Roman. & omnes boni veſte mutata, vos, inquam, pro meo capite ad pedes lenonis impuriſſimi projeciſtis, cùm veſtris precibus à latrone illo repudiatis, vir incredibili fide, magnitudine animi, conſtantia, [2] L. Mummius, ad ſenatum *de repub.* retulit. ſenatuſque frequens veſtem pro mea ſalute mutandam cenſuit.
12 O diem illum, judices, funeſtum ſenatui, boniſque omnibus: reipub. luctuoſum: mihi ad domeſticum mœrorem, gravem: ad poſteritatis memoriam, glorioſum! QUID ENIM quiſquam poteſt ex omni memoria ſumere illuſtrius, quam, pro uno cive & bonos omneis privato conſenſu, & univerſum ſenatum publico conſilio mutaſſe veſtem? quæ quidem tum mutatio non deprecationis cauſa eſt facta, ſed luctus. quem enim deprecarentur, cùm omnes eſſent ſordidati? cumque hoc ſatis eſſet ſigni, eſſe improbum, qui mutata veſte non eſſet? Hac mutatione veſtis facta, tanto in luctu civitatis, omitto quid ille tribunus, omnium rerum divinarum, humanarumque prædo, fecerit: qui adeſſe nobiliſſimos adoleſcenteis, honeſtiſſimos equites Roman. deprecatores ſalutis meæ juſſerit, eoſque operarum ſuarum gladiis, & lapidibus objecerit: de conſulibus loquor, quorum fide *reſp. niti* debuit. Exanimatus evolat ex ſenatu, non minus perturbato animo, atque vultu, quàm ſi paucis antè annis in creditorum conventum incidiſſet: advocat concionem: habet orationem talem conſul, qualem numquam Catilina victor habuiſſet: ERRARE homines, ſi etiam tum ſenatum aliquid in rep. poſſe arbitrarentur: equites verò Roman. daturos [3] illius dies pœnas, quo, me conſule, cum gladiis, in clivo Capitolino fuiſſent: veniſſe tempus iis, qui in timore fuiſſent, (conjuratos videlicet dicebat) ulciſcendi ſe. Si dixiſſet hoc ſolùm, omni ſupplicio eſſet dignus. nam ORATIO ipſa conſulis pernicioſa, poteſt rempubl. labefactare. quid fecerit, videte. L. Lamiam, qui cùm me ipſum pro ſumma familiaritate, qui mihi cum fratre, cum patre ejus erat, unicè diligebat, tum *pro repub.* vel mortem oppetere cupiebat, in concione relegavit: edixitque, ut ab urbe abeſſet millia paſſuum ducenta: quòd eſſet auſus pro civi, pro bene merito civi, pro amico, pro republ. deprecari. Quid 13
hoc homine facias? aut quò civem importunum, aut quò potiùs hoſtem tam ſceleratum reſerves? qui, ut omittam cetera, quæ ſunt ei cum collega immani, impuroque conjuncta, atque communia, hoc unum habet proprium, ut expulerit ex urbe, relegarit, non dico equitem Romanum, non ornatiſſimum, atque optimum virum, non amiciſſimum reipub. civem, non illo ipſo tempore unà cum ſenatu, & cum bonis omnibus caſum amici, reique publ. lugentem: ſed civem Romanum *ſine ullo judicio*, *aut edicto* ex patria conſul ejecerit. [4] Nihil acerbius ſocii Latini ferre ſoliti ſunt, quàm id quod perrarò accidit, ex urbe exire à conſulibus juberi. Atque illis tum erat reditus in ſuas civitates, ad ſuos lares familiareis: & in illo communi incommodo nulla in quemquam propria ignominia nominatim cadebat. Hoc verò quid eſt? exterminabit civeis Romanos edicto conſul à ſuis diis penatibus? expellet à patria? deliget quem volet? damnabit, atque ejiciet nominatim? hic, ſi umquam vos eos, qui nunc eſtis in republ. fore putaſſet, ſi denique *imaginem* judiciorum, aut ſimulacrum aliquod futurum in civitate reliquum crediddiſſet, umquam auſus eſſet ſenatum de republ. tollere? equitum Roman. preces aſpernari? civium denique omnium, novis, & inauditis edictis, jus, libertatemque pervertere? Etſi me attentiſſimis animis, ſumma cum benignitate auditis, judices: tamen vereor, nequis fortè veſtrûm miretur, quid hæc mea oratio tam longa, ac tam altè repetita velit, aut quid ad P. Sextii cauſam, eorum, qui ante hujus tribunatum rempub. vexarunt, delicta pertineant. mihi autem hoc propoſitum eſt oſtendere, omnia conſilia P. Sextii, mentemque totius tribunatus hanc fuiſſe, ut afflictæ, & perditæ reipub. quantum poſſet, mederetur. Ac, ſi in exponendis vulneribus illis, de me ipſo plura dicere videbor, ignoſcite. nam & illam meam cladem vos, & omnes boni maximum eſſe *reipub. vulnus* judicaſtis: & P. Sextius eſt reus non ſuo, ſed meo nomine: qui cùm omnem vim ſui tribunatus in mea ſalute conſumſerit: neceſſe eſt meam cauſam præteriti temporis cum hujus præſenti defenſione eſſe conjunctam. Erat igitur in luctu ſenatus: ſqualebat civitas, 14
publico conſilio mutata veſte: nullum erat Italiæ municipium, nulla colonia, nulla præfectura, nulla Romæ ſocietas vectigalium, nullum collegium, aut concilium, aut omnino aliquod commune conſilium, quod tum non honorificentiſſimè decreviſſet de mea ſalute: cùm ſubitò edicunt

1. *Afflictam & conſtrictam rempub.*] Ita Pal. nonus, Erfurd. Gembl. nam Henr. Stephani liber, *circumſcriptam*. vulgatæ deerat illud, *& conſtrictam*.

2. *L. Mummius.*] Neſcio iſtud ne ſit in Pal. nono, an vero *Ninnius*, quod hæret in S. Victoris: adeo litteræ ſunt dubiæ.

3. *Illius dies pœnas.*] Sic citat hunc locum Agell. lib. IX. cap. 14.

4. *Nihil acerbius ſocii Latini ferre ſoliti ſunt.*] Vetus editio, *acerbius ſocietati inferre ſoliti*. S. Victoris *ſocii Reatini*.

1. Ne

tunt duo conſules, ut ad ſuum veſtitum ſenatores redirent. QUIS UMQUAM conſul ſenatum ipſius decretis parere prohibuit? quis tyrannus miſeros lugere vetuit? Parumne eſt, Piſo, ut omittam Gabinium, quòd tantum homines fefelliſti, ut negligeres auctoritatem ſenatus? optimi cujuſque conſilia contemneres? rempub. proderes? conſulare nomen affligeres? etiamne edicere audeas, ne mœrerent homines meam, ſuam, reipub. calamitatem? [1] ne hunc ſuum dolorem veſte ſignificarent? ſive illa veſtis mutatio ad luctum ipſorum, ſive ad deprecandum valebat, quis umquam tam crudelis fuit, qui prohiberet quemquam *aut ſibi mœrere, aut ceteris ſupplicare?* Quid? ſua ſponte homines in amicorum periculis veſtitum mutare non ſolent? pro te ipſo, Piſo, nemone mutavit? ne iſti quidem, quos legatos non modò nullo ſenatusconſulto, ſed etiam repugnante ſenatu, tute tibi legaſti? Ergo hominis deſperati, & proditoris reipub. caſum lugebunt fortaſſe qui volent: civis florentiſſimi benivolentia bonorum, & optimè de ſalute patriæ meriti, periculum, conjunctum cum periculo civitatis, lugere ſenatui non licebit? Iidem conſules, ([2] ſi appellandi ſunt conſules, quos nemo eſt, qui non modò ex memoria, ſed etiam ex faſtis [3] evellendos putet) pacto jam fœdere provinciarum, producti in circo Flaminio in concionem ab illa furia, ac peſte patriæ, maximo cum gemitu veſtro, illa omnia, quæ tum contra me, contraque remp. dixerat; voce ac ſententia ſua comprobaverunt. Iiſdem conſulibus ſedentibus, atque inſpectantibus lata lex eſt, ne auſpicia valerent, ne quis obnuntiaret, ne quis legi intercederet: ut omnibus faſtis diebus legem ferri liceret: ut lex Ælia, lex Fuſia ne valeret. qua una rogatione, quis eſt, qui non intelligat, univerſam rempub. eſſe *deletam?* Iiſdem conſulibus inſpectantibus, ſervorum delectus habebatur pro tribunali Aurelio, nomine collegiorum, cùm vicatim homines conſcriberentur, decuriarentur: ad vim, ad manus, ad cædem, ad direptionem incitarentur.
15 Iiſdem coſſ. arma in templum Caſtoris palàm comportabantur, gradus ejuſdem templi tollebantur: armati homines forum, & conciones tenebant: cædes, lapidationeſque fiebant: nullus erat ſenatus, nihil reliqui magiſtratus: unus omnem omnium poteſtatem armis, & latrociniis poſſidebat, non aliqua vi ſua, ſed cùm duo conſules à rep. provinciarum, fœdere retraxiſſet, inſultabat, dominabatur: aliis pollicebatur: terrore, ac metu multos, plureis etiam *ſpe, & promiſſis* tenebat. Quæ cùm eſſent ejuſmodi, judices, cum ſenatus duces nullos, ac pro ducibus proditores, aut potiùs apertos hoſteis haberet: equeſter ordo reus à conſulibus citaretur: Italiæ totius auctoritas repudiaretur: alii nominatim relegarentur, alii metu, ac periculo terrerentur: arma eſſent in templis, armati in foro: eaque non ſilentio conſulum diſſimularentur, ſed & voce, & ſententia comprobarentur: cùm omnes urbem nondum exciſam, & everſam, ſed jam captam, atque oppreſſam videremus: tamen his tantis malis, tanto bonorum ſtudio, judices, reſti-
16 tiſſemus. Sed me alii metus, atque aliæ curæ, ſuſpicioneſque moverunt. Exponam enim hodierno die, judices, omnem rationem facti, & conſilii mei: neque huic veſtro tanto ſtudio audiendi, neque verò huic tantæ multitudini, quanta, mea memoria, numquam ullo in judicio fuit, deero. nam, ſi ego in cauſa tam bona, tanto ſtudio ſenatus, conſenſu tam incredibili bonorum omnium, tam parato, tota denique Italia ad omnem contentionem expedita, ceſſi tribuni pleb. deſpicatiſſimi hominis, furori, contemtiſſimorum conſulum levitatem, audaciamque pertimui: nimiùm me timidum, nullius animi, nullius conſilii fuiſſe confiteor. Quid enim ſimile fuit in Q. Metello? cujus cauſam etſi omnes boni probabant, tamen neque ſenatus publicè, neque ullus ordo propriè, neque ſuis decretis Italia tota ſuſceperat. ad ſuam enim magis quandam ille gloriam, quàm ad perſpicuam [4] ſalutem reip. ſumſerat, cùm unus in legem per vim latam jurare noluerat: denique videbatur ea conditione tam fortis fuiſſe, ut cum patriæ caritate *conſtantiæ gloriam* commutaret. Erat autem ei res cum exercitu C. Marii invicto: habebat inimicum C. Marium, conſervatorem patriæ, ſextum jam illum conſulatum gerentem: res erat cum L. Saturnino iterum tribuno pleb. vigilante homine, & in cauſa populari ſi non moderatè, at certè populariter, abſtinenterque verſato. ceſſit, ne aut victus à fortibus viris, cum dedecore caderet: aut victor, multis, & fortibus civibus remp. *orbaret.* Meam cauſam ſenatus palàm, equeſter ordo acerrimè, cuncta Italia publicè, omnes boni propriè, enixeque ſuſceperant. eas res geſſeram, quarum non unus auctor, ſed dux omnium voluntatis fuiſſem, quæque non modo ad ſingularem meam gloriam, ſed ad ſalutem communem omnium civium, & propè gentium, pertinerent: ea conditione geſſeram, ut meum factum
ſemper omnes præſtare, tuerique deberent. Erat autem 17
mihi contentio non cum victore exercitu, ſed cum operis conductis, & ad diripiendam urbem concitatis. habebam inimicum non C. Marium, terrorem hoſtium, ſpem, ſubſidiumque patriæ: ſed duo importuna prodigia, quos *egeſtas*, quos æris alieni magnitudo, quos levitas, quos improbitas tribuno pl. conſtrictos addixerat. Nec mihi res erat cum Saturnino, qui, quod à ſe, quæſtore Oſtienſi, per ignominiam, ad principem & ſenatus, & civitatis, M. Scaurum, rem frumentariam tranſlatam ſciebat, dolorem ſuum magna contentione animi perſequebatur: ſed cum ſcurrarum locupletium ſcorto, cum ſororis adultero, cum ſtuprorum ſacerdote, cum venefico, cum teſtamentario, cum ſicario, cum latrone. quos homines, ſi, id quod facile factu fuit, & quod fieri debuit, quodque à me optimi, & fortiſſimi cives flagitabant, vi armiſque ſuperaſſem, non verebar, ne quis aut *vim vi* repulſam reprehenderet, aut perditorum civium, vel potius domeſticorum hoſtium mortem mœreret: ſed me illa moverunt: omnibus in concionibus illa Furia clamabat, ſe, quæ faceret contra ſalutem meam, facere auctore Cn. Pompeio, clariſſimo viro, mihique & nunc, & quoad licuit, amiciſſimo, M. Craſſus, quocum mihi erant omnes amicitiæ neceſſitudines, vir fortiſſimus, ab eadem illa peſte infeſtiſſimus eſſe meis fortunis prædicabatur. C. Cæſar, qui à me nullo meo merito alienus eſſe debebat, inimiciſſimus eſſe meæ ſaluti ab eodem quotidianis concionibus dicebatur. His ſe tribus auctoribus in conſiliis capiendis, *adjutoribus* in re gerenda eſſe uſurum dicebat. ex quibus unum, habere exercitum in Italia maximum: [5] duo, qui privati tum eſſent; & præeſſe, & parare, ſi vellent, exercitum poſſe: idque facturos eſſe dicebat. nec mihi ille judicium populi, nec legitimam aliquam contentionem, nec diſceptationem, aut cauſæ dictionem, ſed vim, arma, exercitus, imperatores, caſtra denuntiabat.
Quid ergo? inimici oratio, vana præſertim, tam improbè 18
in clariſſimos viros conjecta, me *movit?* [6] Me verò non illius oratio, ſed etiam eorum taciturnitas, in quos illa oratio tam improba conferebatur: qui tum, quamquam ob aliam cauſam tacebant, tamen hominibus, omnia timentibus, *tacendo loqui*, non infitiando confiteri videbantur. illi autem aliquo tum timore perterriti, quòd acta illa, atque

1. *Ne hunc dolorem veſte ſignificarent.*] Ita S. Vict. & Pal. nonus. nam editi *neve hunc dol. veſte mutata ſign.*

2. *Si appellandi ſunt Conſules.*] Hæc quatuor vocabula iniquè abſunt editionibus Lambinianis.

3. *Evellendos putet.*] Vulgata *non putet*, ſed præter mſſ. Pall. & S. Victoris, imò præter vetuſtius editos.

4. *Salutem reipub. ſumſerat.*] Hoc quoque eſt ab omni ſcripta atque olim impreſſa lectione, neoterica oggeſſit, *ſpectarat.*

5. *Duo qui privati tum eſſent.*] Pro *duos* antiquè fide mſſ. noſtrorum, quomodo etiam ſupra reſcripſi cap. 15. *duo Conſules*, iiſdem membranis volentibus.

6. *Me verò, non illius oratio, ſed etiam eorum taciturnitas, &c.*] Hæc eſt ſcriptio Pal. noni, à qua non abit codex S. Victoris, niſi quod non habeat illud *etiam;* quod heic unicè quadrat. vulgata præferebat, *non movit illius oratio.* ſed id verbi jucundè ſubauditur.

atque omneis res anni ſuperioris labefactari à prætoribus, infirmari à ſenatu, atque principibus civitatis putabant, tribunum popularem à ſe alienare nolebant, ſuaque ſibi *propiora* pericula eſſe quàm mea, loquebantur. Sed tamen & Craſſus à conſulibus meam cauſam [1] ſuſcipiendam eſſe dicebat, & eorum fidem Pompejus implorabat; neque ſe privatum publicè ſuſceptæ cauſæ defuturum eſſe dicebat, quem virum ſtudioſum mei, cupidiſſimum reipub. conſervandæ, domi meæ certi homines [2] ad eam rem compoſiti monuerunt, ut eſſet cautior: ejuſque vitæ à me inſidias apud me domi poſitas eſſe dixerunt: atque hanc ei ſuſpicionem alii litteris mittendis, alii nuntiis, alii coràm ipſi excitaverunt, ut ille, cùm à me certè nihil timeret, ab illis, ne quid meo nomine molirentur, ſibi cavendum putaret. Ipſe autem Cæſar, quem maximè homines ignari veritatis, mihi eſſe iratum putabant, erat ad portas, erat cum imperio: erat in Italia ejus exercitus, inque eo exercitu ipſius tribuni pleb. inimici mei fratrem præfecerat.

19 Hæc ego cùm viderem (neque enim erant occulta) *ſenatum*, ſine quo civitas ſtare non poſſet, omnino de civitate eſſe ſublatum: conſules, qui publici conſilii duces eſſe deberent, perfeciſſe, ut per ipſos publicum conſilium funditus tolleretur: eos, qui plurimùm poſſent, opponi omnibus concionibus falsò, ſed formidoloſè tamen, auctores ad perniciem meam: conciones haberi quotidie contra me, vocem pro me, ac pro repub. neminem mittere: intenta ſigna legionum exiſtimari cervicibus, ac bonis veſtris, falsò, ſed putari tamen: conjuratorum copias veteres [3] & effuſam illam, ac ſuperatam Catilinæ manum importunam, *novo duce*, & inſperata commutatione rerum eſſe renovatam: hæc cum viderem, quid agerem, judices? ſcio enim, tum non mihi veſtrum ſtudium, ſed meum propè veſtro defuiſſe. contenderem contra tribunum pleb. privatus armis? viciſſent improbos boni, fortes inerteis: interfectus eſſet is, qui hac una medicina ſola potuit à reipub. peſte depelli. [4] Quid deinde? quid reliquiarum reſtaret? quid denique? erat dubium, quin ille ſanguis tribunitius, nullo præſertim publico conſilio profuſus, conſules ultores, & defenſores eſſet habiturus? cùm quidem in concione dixiſſet, aut mihi ſemel pereundum, aut bis eſſe vincendum. Quid erat bis vincere? Id profectò, ut, cum amentiſſimo tribuno pleb. cùm decertaſſem, cum conſulibus, ceteriſque ejus ultoribus dimicarem. Ego verò, ſi mihi uni pereundum fuiſſet, ac non accipienda plaga [5] mihi ſanabilis, illis mortifera, qui eam impoſuiſſent: *ſemel perire* tamen, judices, maluiſſem, quàm bis vincere. Erat enim illa altera ejuſmodi contentio, ut neque victi, neque victores rempub. tenere poſſemus. Quid, ſi in prima contentione, vi tribunitia victus, in foro, cum multis bonis viris concidiſſem? Senatum conſules, credo, vocaſſent, quem totum de civitate delerant: ad arma vocarent, qui ne veſtitu quidem defendi [6] rempublicam ſiſſent: à tribuno pleb. poſt interitum meum diſſidiſſent, qui eandem horam
20 meæ peſtis, & ſuorum præmiorum eſſe voluiſſent. Unum enim mihi reſtabat illud, quod forſitan non nemo vir fortis, & acris animi, magnique dixerit: reſtitiſſes, repugnaſſes, mortem pugnans oppetiſſes. De quo te, te, inquam, [7] patria, teſtor, & vos penates, patriique dii, me veſtrarum ſedium, templorumque cauſa, me propter ſalutem meorum civium, quæ mihi ſemper fuit *mea carior vita*, dimicationem, cædemque fugiſſe. Etenim, ſi mihi in aliqua nav* cum meis amicis naviganti, hoc, judices, accidiſſet, ut multi ex multis locis prædones claſſibus eam navem ſe oppreſſuros minitarentur, niſi me unum ſibi dediſſent: ſi id vectores negarent, ac mecum ſimul interire, quàm me tradere hoſtibus mallent: jeciſſem *me ipſe potiùs* in profundum, ut ceteros conſervarem, quàm illos mei tam cupidos non modò ad certam mortem, ſed in magnum vitæ diſcrimen adducerem. Cùm verò in hanc reipublicæ navem, ereptis ſenatui gubernaculis, fluitantem in alto tempeſtatibus ſeditionum ac diſcordiarum, armatæ tot claſſes, niſi ego unus deditus eſſem, incurſuræ viderentur: cùm proſcriptio, cædes, direptio denuntiarentur: cùm alii me ſuſpicione periculi ſui non defenderent, alii vetere odio bonorum incitarentur, alii inviderent, alii obſtare ſibi me arbitrarentur, alii ulciſci dolorem ſuum aliquem vellent, alii rem ipſam publicam, atque hunc bonorum ſtatum, otiumque odiſſent, & ob haſce cauſas, tot, tamque varias, me unum depoſcerent: *depugnarem* potiùs cum ſummo, non dicam exitio, ſed periculo certè veſtro, liberorumque veſtrorum, quàm non id, quod omnibus impendebat, unus pro omnibus ſuſciperem, ac ſubirem? Victi eſſent improbi. At cives: at ab eo privato, qui ſine armis etiam conſul 21
remp. conſervarat. ſin victi eſſent boni: quid ſupereſſet? non ad ſervos videtis rem venturam fuiſſe? An mihi ipſi, ut quidam putant, fuit mors æquo animo oppetenda? quid? tum mortemne fugiebam? an erat res ulla, quam mihi magis optandam putarem? aut ego illas res tantas, in tanta improborum multitudine cùm gerebam, non mihi mors, non exſilium ob oculos verſabantur? non hæc denique à me tum, tanquam fata, [8] in ipſa re gerenda concinebantur? an erat mihi in tanto luctu meorum, tanta disjunctione, tanta acerbitate, tanta ſpoliatione omnium rerum, quas mihi aut natura, aut fortuna dederat, vita retinenda? tam eram rudis? tam ignarus rerum? tam expers conſilii, aut ingenii? nihil audieram? nihil videram? nihil ipſe legendo, quærendoque cognoveram? neſciebam VITÆ BREVEM ESSE CURSUM, GLORIÆ SEMPITERNUM? cùm eſſet omnibus definita mors, optandum eſſe, ut vita, quæ neceſſitati deberetur, patriæ potiùs donata, quàm reſervata naturæ videretur? neſciebam, inter ſapientiſſimos homines hanc contentionem fuiſſe, ut alii dicerent animos hominum, ſenſuſque morte reſtingui, alii autem tum maximè menteis ſapientium, ac fortium virorum, cùm è corpore exceſſiſſent, [9] *ſentire, ac vigere?* quorum alterum, fugiendum non eſſe, carere ſenſu: alterum etiam optandum, meliore eſſe ſenſu. denique, cùm omnia ſemper ad dignitatem retuliſſem, nec ſine ea quidquam expetendum eſſe homini in vita putaſſem mortem, quam etiam virgines Athenis, regis, opinor, Erechthei filiæ, pro patria contemſiſſe dicuntur, ego *vir conſularis*, tantis rebus geſtis, timerem? præſertim cùm ejus eſſem civitatis, ex qua Q. Mucius ſolus in caſtra Porſenæ veniſſet, eumque interficere, propoſita ſibi morte, conatus eſſet? ex qua P. Decius primùm pater, poſt aliquot annos patria virtute præditus filius, ſe, ac vitam ſuam, inſtructa acie, pro ſalute populi Rom. victoriaque devoviſſet? ex qua innumerabiles alii partim adipiſcendæ laudis, partim *vitandæ turpitudinis* cauſa, mortem in variis bellis, æquiſſimis animis, oppetiſſent? in qua civitate ipſe meminiſſem, patrem hujus M. Craſſi,

1. *Suſcipiendam eſſe dicebat.*] Cùm idem verbum ſtatim rurſus ſequatur, malim, *ducebat*.

2. *Ad eam rem compoſiti.*] Pal. nonus & S. Victoris *poſiti*.

3. *Et effuſam illam, &c.*] Gulielmius ſyllabam aufert, retinetque *fuſam*.

4. *Quid deinde? quid reliquiarum reſtaret?*] Sic quidem editi omnes. ſed ſcripti, *quis reliqui reſtaret*, aut, *quid reliqui reſt*. S. Vict. *quis reliqua ire ſtaret*. Gulielmius tentabat: *quis reliqua præſtaret? cui denique erat, &c.*

5. *Mihi ſanabilis, illis mortifera, qui eam impoſuiſſent.*] Eſt à Lambini conjectura: ſed proxime tamen mſſ. quorum Pal. nonus; *mihi ſanabilis illi mortifera qua eum poſuiſſet*. S. Vict. *mihi inſanabilis illis mortifera quæ impoſuiſſet*. editio prima, *mihi inſanabilis illa mortifera qua ei impoſuiſſet*. vulgata, *mihi inſanabilis, illi mortifera, quam reipub. impoſuiſſem*.

6. *Remp. ſiſſent, à, &c. diſſidiſſent.*] Ita editi à Victorio, & reſpondent mſſ. noſtri. recepta lectio *remp. ſiviſſent, à, &c. diſſediſſent*.

7. *Patria teſtor.*] Vulgò *obteſtor*, ſed contra Pall. S. Vict. Gembl. Erfurd.

8. *In ipſa re gerenda concinebantur.*] Edd. primæ *concanebantur*, mſſ. fere *cavebantur*. Gulielmius fingit *Conſule canebantur*.

9. *Sentire ac vigere.*] Gulielmius inclinabat legere *vegere*.

1. Et

M. Craſſi, fortiſſimum virum, ne videret victorem vivus inimicum, eadem ſibi manu vitam exhauſiſſe, qua mor-
22 tem ſæpe hoſtibus obtuliſſet? Hæc ego, & multa alia cogitans, hoc videbam, ſi cauſam publicam mea mors peremiſſet: neminem umquam fore, qui auderet ſuſcipere contra improbos civeis reip. ſalutem. Itaque non ſolùm ſi vi interiſſem, ſed etiam ſi morbo exſtinctus eſſem, fore putabam, ut *exemplum* reipub. conſervandæ mecum ſimul interiret. Quis enim umquam, me à ſenatu, populoque Rom. tanto omnium bonorum ſtudio, non reſtituto, (quòd certè, ſi eſſem interfectus, accidere non potuiſſet) ullam reipub. partem cum ſua minima invidia auderet attingere? Servavi igitur remp. diſceſſu meo, judices: cædem à vobis, liberiſque veſtris: vaſtitatem, incendia, rapinas, meo dolore, luctuque depuli: & unus remp. *bis ſervavi*, ſemel gloria, iterum ærumna mea. neque enim in hoc me hominem eſſe infitiabor umquam, ut me optimo fratre, cariſſimis liberis, fideliſſima conjuge, veſtro conſpectu, patria, hoc honoris gradu, ſine dolore caruiſſe glorier. quod ſi feciſſem: quod a me beneficium haberetis, cùm pro vobis ea, quæ mihi eſſent vilia, reliquiſſem? hoc, meo quidem animo, ſummi in patriam amoris mei ſignum eſſe debet certiſſimum, quòd, cùm abeſſe ab ea non poſſem ſine ſummo dolore, hunc me perpeti, quàm illam labefactari ab improbis, malui. Memineram, judices, divinum illum virum, atque ex iiſdem, quibus nos, radicibus natum, ad ſalutem imperii hujus, C. Marium, ſumma ſenectute, cùm vim propè juſtorum armorum profugiſſet, primo ſenile corpus paludibus occultaſſe demerſum: deinde ad infimorum, ac tenuiſſimorum hominum Minturnis miſericordiam confugiſſe: inde navigio perparvo, cùm omneis portus, terraſque fugeret, in oras Africæ deſertiſſimas perveniſſe. Atque ille vitam ſuam, *ne inultus eſſet*, ad incertiſſimam ſpem, [1] & ad reipub. ſtatum reſervavit: ego qui (quemadmodum multi in ſenatu, me abſente, dixerunt) periculo reip. vivebam, quique ob eam cauſam conſularibus litteris de ſenatus ſententia exteris nationibus commendabar, nonne, ſi meam vitam deſeruiſſem, remp. prodidiſſem? in quo quidem nunc, me reſtituto, vivit mecum ſimul exemplum fidei publicæ, exemplum reip. defendendæ. quod ſi immortale retinetur, quis non intelligit, immortalem hanc civitatem
23 futuram? Nam externa bella regum, gentium, nationum, jampridem ita exſtincta ſunt, ut præclarè cùm iis agamus, quos pacatos eſſe patiamur. denique EX BELLICA victoria non ferè quemquam eſt invidia civium conſecuta. domeſticis malis, & audacium civium conſiliis ſæpe eſt reſiſtendum: eorumque periculorum eſt in repub. retinenda *medicina:* quam omnem, judices, perdidiſſetis, ſi meo interitu ſenatui, populoque Rom. doloris ſui de me declarandi poteſtas eſſet erepta. Quare moneo vos, adoleſcentes, atque hoc meo jure præcipio, qui dignitatem, qui rempub. qui gloriam ſpectatis: ne, ſi qua vos aliquando neceſſitas ad rempub. contra improbos civeis defendendam vocabit, ſegniores ſitis, & recordatione mei caſus à *conſiliis fortibus* refugiatis. Primùm, non eſt periculum, ne qui umquam ſint in civitate ejuſmodi conſules, præſertim ſi erit his id, quod debetur, perſolutum. deinde numquam jam, ut ſpero, quiſquam improbus, conſilio, & auxilio bonorum ſe oppugnare remp. dicet, *illis tacentibus:* nec armati exercitus terrorem opponet, togatis: neque erit juſta cauſa ad portas ſedenti imperatori, quare terrorem ſuum falſo jactari, opponique patiatur. numquam enim erit tam oppreſſus ſenatus, ut ei ne ſupplicandi quidem, ac lugendi ſit poteſtas: tam captus equeſter ordo, ut equites Romani à conſule relegentur. Quæ cùm omnia, atque etiam multo alia majora, quæ conſultò prætereo, accidiſſent, vidiſſetis me tamen in priſtinam meam dignitatem, brevi temporis dolore interjecto, reip. voce eſſe revocatum. Sed, ut re- 24
vertar ad illud, quod mihi in hac omni eſt oratione propoſitum, omnibus malis illo anno, ſcelere conſulum, remp. eſſe confectam: primum illo ipſo die, qui mihi funeſtus fuit, omnibus bonis luctuoſus, cum ego me è complexu patriæ, conſpectuque veſtro eripuiſſem, & metu *veſtri periculi, non mei*, furori hominis, ſceleri, perfidiæ, telis, minisque ceſſiſſem, patriamque, quæ mihi erat cariſſima, propter ipſius patriæ caritatem reliquiſſem: cùm meum illum caſum tam horribilem, tam gravem, tam repentinum, non ſolùm homines, ſed tecta urbis, ac templa lugerent: nemo veſtrûm forum, nemo curiam, nemo lucem adſpicere vellet: illo, inquam, ipſo die, die dico? immò hora, atque etiam puncto temporis eodem, mihi reique publ. pernicies: Gabinio, & Piſoni provincia rogata eſt. Pro dii immortales, cuſtodes, & conſervatores hujus urbis, atque imperii! quænam illa in repub. *monſtra*, quæ ſcelera vidiſtis? civis erat expulſus, is, qui remp. ex ſenatus auctoritate cum omnibus bonis defenderat, & expulſus non alio aliquo, ſed eo ipſo crimine. erat autem expulſus ſine judicio, vi, lapidibus, ferro, ſervitio denique concitato: lex erat lata, vaſtato, ac relicto foro, & ſicariis, ſerviſque tradito, & ea lex, quæ ut ne ferretur, ſenatus fuerat veſte mutata. Hac tanta perturbatione civitatis, ne noctem quidem conſules [2] inter meum diſcrimen, & eorum prædam intereſſe paſſi ſunt: ſtatim, me perculſo, ad meum ſanguinem hauriendum, &, ſpirante etiam rep. ad ejus ſpolia detrahenda advolaverunt. omitto gratulationes, epulas, partitionem ærarii, beneficia, ſpem, promiſſa, prædam, lætitiam paucorum, in luctu omnium. vexabatur uxor mea: liberi ad necem quærebantur: [3] gener, & Piſo gener, à Piſonis conſulis pedibus ſupplex rejiciebatur: bona diripiebantur, eaque ad conſules deferebantur: domus ardebat in Palatio: *conſules epulabantur*. Quòd ſi meis incommodis
lætabantur, urbis tamen periculo commoverentur. Sed, ut 25
à mea cauſa jam recedam, reliquas illius anni peſteis recordamini. ſic enim facillimè perſpicietis, quantam vim omnium remediorum à magiſtratibus proximis reſp. deſiderarit. legum multitudinem, cùm earum, quæ latæ ſunt, tum verò, quæ promulgatæ fuerunt. nam latæ quidem ſunt conſulibus illis tacentibus dicam? immo verò approbantibus etiam, [4] ut cenſoria notatio, & graviſſimum judicium ſanctiſſimi magiſtratus de repub. tolleretur: ut collegia non modò illa vetera contra S. C. reſtituerentur, ſed ab uno gladiatore innumerabilia *alia nova* conſcriberentur: ut, remiſſis ſemiſſibus, & trientibus, quinta propè pars vectigalium tolleretur: ut Gabinio pro illa ſua Cilicia, quam ſibi, ſi rempubl. prodidiſſet, pactus erat, Syria daretur: ut uni heluoni bis de eadem re deliberandi, &,
rogata lege, poteſtas fieret provinciæ commutandæ. Mitto 26
eam legem, quæ omnia jura religionum, auſpiciorum, poteſtatum, omneis leges, quæ ſunt de jure, & de tempore legum rogandarum, una rogatione delevit: mitto omnem domeſticam labem: etiam exteras nationes illius anni furore *conquaſſatas* videbamus. lege tribunitia Matris Magnæ Peſſinuntius ille ſacerdos, expulſus, & ſpoliatus ſacerdotio eſt, fanumque ſanctiſſimarum, atque antiquiſſimarum religionum venditum pecunia grandi, Brogitaro, impuro homini, atque indigno illa religione: præſertim cùm ea ſibi ille non colendi, ſed violandi cauſa appetiſſet: appellati reges à populo, qui id numquam ne à ſenatu quidem poſtulaſſent: reducti exſules Byzantium condemnati tum, cùm indemnati cives è civitate ejiciebantur. Rex Ptolemæus, qui ſi

1. *Et ad reipub ſtatum reſervavit.*] S.Vict. *& ad remp. ratam.* Lambini ſcripti *ſpem rep. rata. forſan, repub. irata.* inquit Gulielmius.

2. *Inter meum diſcrimen, & eorum prædam.*] Sic & primæ edd. ſed enim Pall. plerique, *inter meum caſum & ſuam prædam.* verùm noſtrus ille, *inter meum & ſui arma præda.* S. Vict. *inter meum & ſuum præda:* conjicit Gulielmius, *inter meum & ſuum præmium.*

3. *Gener, & Piſo gener.*] Magna emphaſis in iſtis. quare malè Lambinus qui primum *gener*, abjecit.

4. *Ut cenſoria notatio.*] Haud aliter editi antiquitus. ſed Pal. non. & S. Vict. *notio.* quod ferri queat.

qui ſi nondum erat ipſe à ſenatu ſocius appellatus, erat tamen frater ejus regis, qui cùm eſſet in eadem cauſa, jam erat a ſenatu honorem iſtum conſecutus: erat eodem genere, iiſdemque majoribus, eadem vetuſtate ſocietatis: denique erat rex, ſi nondum ſocius, at non hoſtis: pacatus, quietus, *fretus imperio populi Romani*, regno paterno, atque avito: regali otio perfruebatur. de hoc nihil cogitante, nihil ſuſpicante, eiſdem operis ſuffragium ferentibus, eſt rogatum, ut ſedens, cum purpura, & ſceptro, & illis inſignibus regiis, præconi publico ſubjiceretur: & imperante populo Romano, qui etiam bello victis regibus regna reddere conſuevit, rex amicus, nulla injuria commemorata, nullis
27 repetitis rebus, cum bonis omnibus publicaretur. Multa acerba, multa turpia, multa turbulenta habuit ille annus: tamen illi ſceleri, quod in me illorum immanitas edidit, haud ſcio, an rectè hoc proximum eſſe dicam. Antiochum illum Magnum, majores noſtri magna belli contentione terra, marique ſuperatum, intra montem Taurum regnare juſſerunt: Aſiam, qua illum multarunt, Attalo, ut is regnaret in ea, *condonaverunt*. Cum Armeniorum rege, Tigrane, grave bellum, perdiuturnumque geſſimus; cùm ille injuriis in *ſocios* noſtros inferendis bello prope nos laceſſiſſet, hic & ipſe per ſe vehemens fuit, & acerrimum hoſtem hujus imperii Mithridatem, pulſum Ponto, opibus ſuis, regnoque defendit: & à Lucullo, ſummo viro, atque imperatore, pulſus, animo tamen hoſtili cum reliquis copiis ſuis in priſtina mente manſit. hunc Cn. Pompejus, cùm in ſuis caſtris ſupplicem, abjectumque vidiſſet, erexit, atque inſigne regium, quod ille de ſuo capite abjecerat, repoſuit & *imperatis* certis rebus, regnare juſſit: nec minùs & ſibi, & huic imperio *glorioſum* putavit, conſtitutum à ſe regem, quàm conſtrictum videri. tulit, geſſit. Qui & ipſe hoſtis fuit populi Romani, & acerrimum hoſtem in regnum recepit: qui conflixit, qui ſigna contulit, qui de imperio pænè certavit, regnat hodie, & amicitiæ nomen, ac ſocietatis, quod armis violarat, id precibus eſt conſecutus. Ille Cyprius miſer, qui ſemper ſocius, ſemper amicus fuit: de quo nulla umquam ſuſpicio durior aut ad ſenatum, aut ad imperatores noſtros allata eſt: vivus (ut ajunt) eſt, & videns, cum victu, ac veſtitu ſuo publicatus. En, cur ceteri reges *ſtabilem* eſſe ſuam fortunam arbitrentur, cùm hoc illius [1] funeſti anni prodito exemplo videant, per tribunum aliquem, & ſexcentas operas, ſe fortunis ſpoliari, &
28 regno omni poſſe nudari. At etiam eo negotio M. Catonis ſplendorem maculare voluerunt, ignari, quid gravitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid denique virtus valeret: quæ IN TEMPESTATE ſæva, quieta eſt, & lucet in tenebris, & pulſa loco manet tamen, atque hæret in patria, ſplendetque per ſe ſemper, neque alienis umquam ſordibus obſoleſcit. Non illi ornandum M. Catonem, ſed relegandum: nec illi committendum illud negotium, ſed imponendum putaverunt: qui in concione palàm dixerint, *linguam ſe evelliſſe* M. Catoni, quæ ſemper contra extraordinarias poteſtates libera fuiſſet. Sentient, ut ſpero, brevi tempore, manere libertatem illam: atque hoc etiam, ſi fieri poterit, eſſe majorem, quòd cum conſulibus illis M. Cato, etiam, cùm jam deſperaſſet aliquid auctoritate ſua profici poſſe, tamen voce ipſa, ac dolore pugnavit, & poſt meum diſceſſum, iis Piſonem verbis, flens meum, & reipub. caſum, vexavit, ut illum hominem perditiſſimum, atque impudentiſſimum pænè jam provinciæ pœniteret. Cur igitur rogationi *paruit?* Quaſi verò ille non in alias quoque leges, quas injuſtè rogatas putaret, jam antè jurarit. non offert ſe ille iſtis temeritatibus, ut, cùm reipub. nihil proſit, ſe cive remp. privet. Conſule me, cùm eſſet deſignatus tribunus plebis, obtulit in diſcrimen vitam ſuam: dixit eam ſententiam, cujus invidiam capitis periculo ſibi præſtandam videbat: dixit vehementer: egit acriter; ea, *quæ ſenſit, præ ſe tulit:* dux, auctor, actor rerum illarum fuit: non quo periculum ſuum non viderit: ſed in tanta reip. tempeſtate nihil ſibi, niſi de patriæ periculis cogitandum putabat. Conſecutus eſt ipſius tribunatus. Quid 29
ego de ſingulari magnitudine animi ejus, ac de incredibili virtute dicam? meminiſtis illum diem, cùm, templo à collega occupato, nobis omnibus de vita ejus viri, & civis timentibus, ipſe animo fortiſſimo venit in templum, & clamorem hominum, auctoritate: impetum improborum, virtute ſedavit. Adiit tum periculum, ſed adiit ob cauſam: quæ quanta fuerit, jam mihi dicere non eſt neceſſe. At, ſi iſti Cypriæ rogationi ſceleratiſſimæ non paruiſſet: hæreret illa nihilominus in repub. turpitudo. Regno enim jam publicato, de ipſo Catone erat nominatim rogatum. quod ille ſi repudiaſſet, dubitatis, quin ei *vis eſſet allata*, cùm omnia acta illius anni per illum unum labefactari viderentur? Atque etiam hoc videbat: quoniam illa in rep. macula regni publicati maneret, quam nemo jam poſſet eluere, quod ex malis boni poſſit in rep. provenire, id utilius eſſe [2] per ſe conſervari, quàm per alios. Atque ille etiam [3] ſi alia quapiam vi expelleretur illis temporibus ex hac urbe, facilè pateretur. etenim, qui ſuperiore anno ſenatu caruiſſet, quò ſi tum veniret, me tamen ſocium ſuorum in repub. conſiliorum videre poſſet: is æquo animo tum, me expulſo, & meo nomine cùm univerſo ſenatu, tum ſententia ſua condemnata, in hac urbe eſſe poſſet? Ille verò eidem tempori, cui nos, eidem furori, eiſdem conſulibus, eiſdem minis, inſidiis, periculis ceſſit. luctum nos hauſimus majorem, dolorem ille animi non minorem. His de tot, tantiſque 30
injuriis in *ſocios*, in *reges*, in *liberas civitates*, conſulum querela eſſe debuit. in ejus magiſtratus tutela, reges, atque exteræ nationes ſemper fuerunt. ecquæ vox umquam eſt audita conſulum? quamquam quis auderet, ſi maximè queri vellet? de Cyprio rege quererentur, qui me civem nullo meo crimine, patriæ nomine laborantem non modò ſtantem non defenderunt, ſed ne jacentem quidem protexerunt? Ceſſeram, ſi alienam à me plebem fuiſſe vultis, quæ non fuit, invidiæ: ſi commoveri omnia videbantur, tempori: ſi vis ſuberat, armis: ſi ſocietas, magiſtratuum pactioni: ſi periculum civium, reip. Cur, cùm de capite civis (non diſputo, cujuſmodi civis) & de bonis, proſcriptio ferretur, cùm & ſacratis legibus, & XII tabulis ſancitum eſſet, UT NEQUE PRIVILEGIUM irrogari liceret, neque de capite, niſi comitiis centuriatis, rogari, nulla vox eſt audita conſulum? conſtitutumque eſt illo anno, quantum in illis duabus hujus imperii peſtibus fuit, jure poſſe per operas concitatas quemvis civem nominatim tribuni plebis conſilio ex civitate exturbari? Quæ verò promulgata illo anno fuerant? quæ promiſſa multis? quæ conſcripta? quæ ſperata? quæ cogitata? quid dicam? qui locus orbis terræ jam non erat alicui deſtinatus? cujus negotii publici cogitari, optari, [4] fingi curatio potuit, quæ non eſſet attributa, atque deſcripta? quod genus imperii, aut quæ provincia. [5] quæ ratio aut flandæ, aut conflandæ pecuniæ non reperiebatur? quæ regio, orave terrarum erat latior, in qua non *regnum* aliquod ſtatueretur? quis autem rex, qui illo anno non aut emendum ſibi, quod non habebat, aut redimendum, quod habebat, arbitraretur? quis provinciam, quis pecuniam, quis legationem ab ſenatu petebat? Damnatis de vi, reſtitutio: conſulatus petitio ipſi illi populari ſacerdoti

1. *Funeſti anni prodito exemplo.*] Malui iſtud cum S. Vict. & Pal. non. quàm ut hucuſque vulgatum *perdito*.

2. *Per ſe conſervari, quàm per alios.*] Gulielmius putat excidiſſe verbum *dilapidare*, aut aliud tale.

3. *Si aliqua quapiam vi.*] Pal. nonus, *aliapiam*, Gemblacenſ. *aliquatiam*.

4. *Fingi curatio potuit.*] Ita etiam Pal. non. & S. Victoris. nam ed. prima *fingique ratio potuit*. vulgo erat, *fingique procuratio potuit*.

5. *Quæ ratio aut flandæ, aut conflandæ.*] Habent Pal. tert. quart. quint. oct. *quæ ratio auferendæ aut conflandæ*. ſed noſtrum iſtud perdurat in Pal. ſec. ac nono. neque ſecus S. Vict. Erf. Gembl. ideoque revocavi. nam & ſic quoque edd. antiquæ. dictum autem figurata locutione; ne Lambino quis adhæreat lectionem iſtam exſibilanti præ vulgata.

1. Reſe-

doti comparabatur. Hæc gemebant boni, ſperabant impro-
31 bi, agebat tribunus pl. conſules adjuvabant. Hic aliquanto, ſerius, quam ipſe vellet, Cn. Pompejus, invitiſſimis iis, qui mentem optimi, ac fortiſſimi viri, ſuis conſiliis, fictiſque terroribus à defenſione meæ ſalutis averterant, excitavit illam ſuam non ſopitam, ſed ſuſpicione aliqua retardatam conſuetudinem reip. bene gerendæ. Non eſt paſſus ille vir, qui ſceleratiſſimos civeis, qui acerrimos hoſteis, qui maximas nationes, qui reges, qui genteis feras, atque inauditas, qui prædonum infinitam manum, qui etiam ſervitia virtute, victoriaque domuiſſet: qui omnibus bellis terra, marique compreſſis, imperium populi Rom. orbis terrarum terminis definiſſet, remp. everti ſcelere paucorum: quam ipſe non ſolum conſiliis, ſed etiam ſanguine ſuo ſæpe ſervaſſet; acceſſit ad cauſam publicam; reſtitit auctoritate ſua, reliquis rebus: de præteritis queſtus eſt. fieri quædam ad meliorem ſpem inclinatio viſa eſt. decrevit ſenatus frequens de meo reditu kalendis Jun. diſſentiente nullo, [1] referente L. Ninnio, cujus in mea cauſa numquam fides, virtuſque contremuit. Interceſſit Ligus iſte neſcio qui, additamentum inimicorum meorum. res erat, & cauſa noſtra eo jam loci, ut *erigere oculos*, & vivere videretur. Quiſquis erat, qui aliquam partem in meo luctu ſceleris Clodiani attigiſſet, quocumque venerat, quod judicium cumque ſubierat, damnabatur. Inveniebatur nemo, qui ſe ſuffragium de me tuliſſe confiteretur. deceſſerat ex Aſia frater meus magno ſqualore, ſed multo etiam majore mœrore. huic ad urbem venienti tota obviam civitas cum lacrymis, gemituque proceſſerat: loquebatur liberiùs ſenatus: concurrebant equites Romani: Piſo ille, gener meus, cui fructum pietatis ſuæ neque ex me, neque à populo Rom. ferre licuit, à propinquo ſuo ſocerum ſuum flagitabat: omnia ſenatus rejiciebat, niſi de me primum conſu-
32 les retuliſſent. Quæ cùm res jam manibus teneretur, & cùm conſules provinciarum pactione libertatem omnem perdidiſſent, qui, cùm in ſenatu privatim, ut de me ſententias dicerent, flagitabantur, legem illi ſe Clodiam timere dicebant. cùm hæc non poſſent jam diutiùs ſuſtinere: initur conſilium de interitu Cn. Pompeji: quo patefacto, ferroque deprehenſo, ille incluſus domi tamdiu fuit, quamdiu inimicus meus in tribunatu. De meo reditu octo tribuni promulgarunt. ex quo intellectum eſt, mihi *abſenti creviſſe amicos*, in ea præſertim fortuna, in qua nonnulli etiam, quos eſſe putaveram, non erant: ſed eos voluntatem ſemper eandem, libertatem non eandem ſemper habuiſſe. nam ex novem tribunis, quos tunc habueram, unus, me abſente, defluxit. qui cognomen ſibi ex Æliorum imaginibus arripuit, quo magis nationis ejus eſſe, quàm generis, videretur. Hoc igitur anno, magiſtratibus novis deſignatis, cum omnes boni omnem ſpem melioris ſtatus in eorum fidem convertiſſent: princeps P. Lentulus auctoritate, ac ſententia ſua, Piſone & Gabinio repugnantibus, cauſam ſuſcepit, tribuniſque plebis octo referentibus, præſtantiſſimam de me ſententiam dixit. qui cum ad gloriam ſuam, atque ad ampliſſimi beneficii gratiam magis pertinere videret, cauſam illam integram ad ſuum conſulatum *reſervari*, tamen rem talem per alios citius, quàm
33 per ſe tardiùs confici malebat. Hoc interim tempore P. Sextius, judices, deſignatus, iter ad C. Cæſarem pro mea ſalute ſuſcepit. Quid egerit, quantum profecerit, nihil ad cauſam. equidem exiſtimo, ſi ille (ut arbitror) æquus nobis fuerit, nihil ab hoc profectum: ſin iratior, non multùm. ſed tamen *ſeduitatem*, atque integritatem hominis videtis. Ingredior jam in Sextii tribunatum. nam hoc primum iter deſignatus, reip. cauſa ſuſcepit. pertinere & ad concordiam civium putavit, & ad perficiundi facultatem, animum Cæſaris à cauſa non abhorrere. Abiit ille annus. reſpiraſſe homines videbantur, nondum re, ſed ſpe reip. recuperandæ. exierunt malis ominibus, atque exſecrationibus *duo vulturii* paludati: quibus utinam ipſis eveniſſent ea, quæ tum homines precabantur. neque nos provinciam Macedoniam cum exercitu, neque equitatum in Syria, & cohorteis optimas, perdidiſſemus. Ineunt magiſtratum tribuni pl. qui omnes ſe de me promulgaturos confirmarant. ex his princeps emitur ab inimicis meis, is, quem homines in luctu irridentes, Gracchum vocabant: quoniam id etiam fatum civitatis fuit, ut illa [2] ex vepreculis extracta nitedula rempub. conaretur arrodere. Alter verò non ille Serranus ab aratro, [3] ſed ex deſerto Gavi Oleli horreo calatis granis, in Calatinos Attilios inſitus, ſubitò nominibus in tabulas relatis, nomen ſuum de tabula ſuſtulit. Veniunt kalendæ Januarii, vos hæc meliùs ſcire poteſtis: equidem audita dico: quæ tum frequentia ſenatus, quæ exſpectatio populi, qui concurſus legatorum ex Italia cuncta, quæ virtus, actio, gravitas P. Lentuli conſulis fuerit, quæ etiam collegæ ejus moderatio de me: qui cùm inimicitias ſibi mecum *ex reipub. diſſenſione* ſuſceptas eſſe dixiſſet, eas ſe patribus conſcriptis dixit, [4] & temporibus reip. permiſſu-
rum. Tum princeps rogatus ſententiam L. Cotta, dixit id, 34
quod digniſſimum rep. fuit, NIHIL DE ME actum eſſe jure, nihil more majorum, nihil legibus: non poſſe quemquam de civitate tolli ſine judicio: de capite non modò ferri, ſed ne judicari quidem poſſe, niſi comitiis centuriatis: vim fuiſſe illam, flammam quaſſatæ reip. perturbatorumque temporum, jure, judiciiſque ſublatis: magna rerum perturbatione impendente, declinaſſe me paullulum, &, ſpe reliquæ tranquillitatis, præſenteis fluctus, tempeſtatemque *fugiſſe*. Quare, cùm abſens remp. non minùs magnis periculis, quàm quodam tempore præſens liberaſſem, non reſtitui me ſolùm, ſed etiam ornari à ſenatu decere. Diſputavit etiam multa prudenter, ita de me illum amentiſſimum, & profligatiſſimum hoſtem pudoris, & pudicitiæ, ſcripſiſſe quæ ſcripſerat, iis verbis, rebus, ſententiis, ut, etiam ſi *jure* eſſet rogatum, tamen vim habere non poſſet. quare me, qui nulla lege abeſſem, non reſtitui lege, ſed revocari ſenatus auctoritate oportere. Hunc nemo erat, quin veriſſimè ſentire diceret. Sed poſt eum rogatus Cn. Pompejus, approbata, laudataque Cottæ ſententia, dixit, ſeſe *otii mei cauſa*, ut omni populari concitatione defungerer, cenſere, ut ad ſenatus auctoritatem, populi quoque Rom. beneficium erga me adjungeretur. Cùm omnes certatim, aliuſque alio graviùs, atque ornatiùs de mea ſalute dixiſſet, fieretque ſine ulla varietate diſceſſio: ſurrexit, ut ſcitis, Atilius hic Gavianus: nec auſus eſt, cùm eſſet emtus, intercedere; noctem ſibi ad deliberandum poſtulavit. Clamor ſenatus, querelæ, preces, [5] ſocer ad pedes abjectus. Ille ſe affirmare, poſtero die moram nullam eſſe facturum. Creditum eſt: diſceſſum eſt. illi intereà deliberatori

1. *Referente L. Ninnio.*] Pall. noſtri præter nonum ambigue prorſus ſcriptum, inclinant ad *Mimium* aut *Mumium*, aut ſane *Numium*. vulgata erat *Mummio*.

2. *Ex vepreculis extractæ nitedula.*] Ita Pal. pr. quart. quint. oct. nonus; quod ad primam vocem attinet. nam ultima perſcripta eis fere *nicedula*. & ſic placuit Gulielmio, ut à *ſpe ſpecula*, ſic a *vepre* fiat *veprecula*, qui videatur libro I. Veriſimilium cap. 13. vulgata *vepretulis*. conſulatur Hadr. Junius Centuria IX. Adagio 5. pro *vepreculis* ſtat etiam Priſcianus lib. III.

3. *Sed ex deſerto Gavi Oleli horreo, calatis granis in Calatinos Atilios.*] Sic prima editio, niſi quod ea *at illos*, quomodo item ſcripti; qui præterea parum variant in prioribus. nam Pal. nonus habet, *gravi leliore à calatis gravis*, &c. S. Vict. *gavi lætior ea calatis gavius in*, &c. Gemblac. *gavi oleli orea calathis granis, in Calatinos at illos*, &c. conſulatur ſuper hujus loci emendatione Turnebus lib. XX. cap. 3. an fuit? *Calavii ofellii horreo calatis granis, in Calatinos Atilios.* ut fuerit inter familiares quibus ceſſerat Ofellii Calavii Campani horreum, cujus hominis meminit Livius libro IIX. At *Gavius* tamen eſt quidam P. Clodii canis, ad Atticum libro VI. Epiſt. 3.

4. *Et temporibus reipub. permiſſurum.*] Sic Pal. noſter, ſic S. Vict. Ahala annotarat ad oram codicis ſui, eſſe libros in quibus legeretur *& temporibus reipub. remiſſ.* ſed contentus ſum lectione priore quæ item reſtat in edd. primis. nam ſeqq. immiſſa copula, *& temp. & reip. per m.*

5. *Socer ad pedes abjectus.*] Gulielmius putat auctorem loqui de Piſone; itaque cuperet *gener*: ſed præter mſſ.

 1. *Con-*

liberatori *merces*, longa interpoſita nocte, duplicata eſt. Conſecuti dies pauci omnino Januario menſe, per quos ſenatum haberi liceret: ſed tamen actum nihil, niſi de me.
35 Cum omni mora, ludificatione, calumnia, ſenatus auctoritas impediretur: venit tandem [1] concilii de me agendi dies VIII. kalendas Febr. Princeps rogationis, vir mihi amiciſſimus, Q. Fabricius, templum aliquanto ante lucem occupavit. Quietus eo die Sextius, is, qui eſt de vi reus. actor hic, defenſorque cauſæ meæ: nihil progreditur, conſilia exſpectat inimicorum meorum. Quid illi, quorum conſilio P. Sextius in judicium vocatur? quo ſe pacto gerunt? cùm forum, comitium, curiam multa de nocte armatis hominibus, [2] ac ſervis pleriſque occupaviſſent, impetum faciunt in Fabricium, manus afferunt, occidunt nonnullos, vulnerant multos: venientem in forum, virum optimum, & conſtantiſſimum, M. Ciſpium, tribunum pl. vi depellunt: *cædem in foro* maximam faciunt: univerſique, deſtrictis gladiis, & cruentis, in omnibus fori partibus, fratrem meum, virum optimum, fortiſſimum, meique amantiſſimum, oculis quærebant, voce poſcebant. quorum ille telis libenter, in tanto luctu, ac deſiderio mei, non repugnandi, ſed moriendi cauſa corpus obtuliſſet ſuum, niſi ſuam vitam ad ſpem mei reditus reſervaſſet. ſubiit tamen vim illam nefariam conſceleratorum latronum: &, cùm ad fratris ſalutem à populo Rom. deprecandam veniſſet, pulſus è roſtris, in comitio jacuit, ſeque ſervorum, & libertorum corporibus obtexit, vitamque tum ſuam noctis & fugæ *præſidio*, non juris, judiciorumque defendit. Meminiſtis tum, judices, corporibus civium Tiberim compleri, cloacas referciri, è foro [3] ſpongiis effingi ſanguinem, ut omnes tantam illam copiam, & tam magnificum apparatum, non privatum, aut plebejum, ſed patri-
36 cium, & prætorium eſſe arbitrarentur. Nihil neque ante hoc tempus, neque hoc ipſo turbulentiſſimo die criminamini Sextium. Atqui vis in foro verſata eſt. Certè. quando enim major? lapidationes perſæpe vidimus: non ita ſæpe, ſed nimiùm tamen ſæpe gladios: cædem verò tantam, tantos acervos corporum exſtructos, niſi fortè illo Cinnano, atque Octaviano die, quis umquam in foro vidit? qua ex concertatione animorum? nam ex pertinacia, aut conſtantia interceſſoris oritur ſæpe *ſeditio*, culpa, atque improbitate latoris, commodo aliquo imperitis, aut largitione propoſita: oritur ex concertatione magiſtratuum: oritur ſenſim ex clamore primùm: deinde aliqua diſceſſione concionis: vix, ſerò, & rarò ad manus pervenitur: nullo verò verbo facto, nulla concione advocata, [4] nulla lege recitata concitatam nocturnam ſeditionem quis audivit? An veriſimile eſt, ut civis Romanus, aut homo liber quiſquam cum gladio in forum deſcenderit ante lucem, ne de me ferri pateretur, præter eos, qui ab illo peſtifero, ac perdito cive jampridem reipublicæ ſanguine ſaginantur? Hìc jam de ipſo accuſatore quæro, qui P. Sextium queritur cum multitudine in tribunatu, & cum præſidio magno fuiſſe: num *illo die* fuerit. [5] certè certè non fuit. Victa igitur eſt cauſa reipublicæ, & victa, non auſpiciis, non interceſſione, non ſuffragiis: ſed vi, manu, ferro. nam ſi obnuntiaſſet Fabricio [6] is prætor, qui ſe ſervaſſe de cælo dixerat: accepiſſet reſpublica plagam, ſed eam, quam acceptam gemere poſſet. Si interceſſiſſet collega Fabricio, læſiſſet rempublicam, ſed rempublicam jure læſiſſet. Gladiatores tu novitios, pro exſpectata ædilitate ſuppoſitos cum ſicariis è carcere emiſſis [7] ante lucem immittas? magiſtratus templo dejicias? cædem maximam facias? [8] forum purges? & cùm omnia vi, & armis egeris, accuſes eum, qui ſe præſidio munierit, non ut te oppugnaret, ſed ut vitam ſuam poſſet *defendere?* Atqui ne ex eodem quidem tem- 37
pore id egit Sextius, ut à ſuis munitus [9] tutò in foro tum magiſtratum gereret, rempublicam adminiſtraret. Itaque fretus ſanctitate tribunatus, cùm ſe non modò contra vim, & ferrum, ſed etiam [10] contra verba, atque interfationem legibus ſacratis eſſe armatum putaret: venit in templum Caſtoris: obnuntiavit conſuli: cùm ſubitò manus illa Clodiana, in cæde civium ſæpe jam victrix, exclamat, incitatur, invadit: inermem, atque imparatum tribunum alii gladiis adoriuntur, alii fragmentis ſæptorum, & fuſtibus: à quibus hic, multis vulneribus acceptis, ac debilitato corpore, & contrucidato, ſe abjecit exanimatus: neque ulla alia re ab ſe mortem, niſi *opinione mortis* depulit. quem cùm jacentem, & conciſum plurimis vulneribus extremo ſpiritu exſanguem, & confectum viderent: defatigatione magis, & errore, quàm miſericordia, & modo, aliquando cædere deſtiterunt. Et cauſam dicit Sextius de vi? quid ita? quia vivit. At id non ſua culpa. plaga una illa extrema defuit: quæ ſi acceſſiſſet, reliquum ſpiritum exhauſiſſet. accuſa Lentidium: non percuſſit locum: [11] maledicito Sabinio, homini Reatino, [12] cur tam tempori exclamarit occiſum. ipſum verò quid accuſas? num defuit gladiis? [13] num repugnavit? num, ut gladiatoribus imperari ſolet, ferrum non recepit? An hæc ipſa *vis* eſt, non poſſe emori? an illa, 38
quòd tribunus plebis templum cruentavit? an, quòd, cùm eſſet ablatus, primumque [14] reſipiſſet, non ſe referri juſſit? ubi eſt crimen, quod reprehenditis? Hìc quæro, judices, ſi illo die gens iſta Clodia, quod facere voluit, effeciſſet: ſi P. Sextius, qui pro occiſo relictus eſt, occiſus eſſet: fuiſtiſne ad arma ituri? fuiſtiſne vos ad patrium illum animum, majorumque virtutem excitaturi? fuiſtiſne aliquando rempublicam à funeſto latrone repetituri? an etiam tunc quieſceretis, cunctaremini, timeretis, cùm rempublicam à facinoroſiſſimis ſicariis, & à ſervis eſſe [15] oppreſſam, atque occupatam videretis? Cujus igitur mortem ulciſceremini, ſiquidem liberi eſſe, & habere rempublicam cogitaretis: de ejus virtute viri quid vos loqui, quid ſentire, quid cogitare,

---

1. *Concilii de me agendi dies.*] Scripſi *concilii* pro vulgato *conſilii*. agere concilium quid ſit nemo ignorat. Lambinus tamen edidit, proculdubio a ſe, *venit tandem, in comitio de me agendi dies*.

2. *Ac ſervis pleriſque occupaviſſent.*] Forſan *operiſque* annotatum Gulielmio.

3. *Spongiis effingi ſanguinem.*] Ita citat Servius ad lib. IIX. Æneidos: prodiditque Hotomannus libro II. Obſervat. cap. 14. & firmavit Iſidori Etymologico lib. XII. cap. 6. Fulvius Urſinus. publicatur paſſim *effundi*. conſulatur & Cujacius lib. XIII. Obſervat. cap. 13.

4. *Nulla lege recitata.*] Hauſi hanc vocem è Pal. nono & Turing. prius enim deerat nobis *recitata*, ejuſque loco Lambinus de conjectura ſubjecerat, *promulgata*.

5. *Certè certè non fuit.*] Verbum ita geminatum reperitur in Pal. nono, in Gembl. in Erfurd. imo S. Victoris geminatum etiam habet præcedens *illo*.

6. *Is prætor qui ſe ſervaſſe.*] Vulgata, *is tribunus plebis qui ſervaſſe*. ſed alterum eſt a Pal. nono & S. Vict.

7. *Ante lucem immittas.*] Editi alii *in forum immittas*. ſed voces eæ non ſunt in mſſ. illis noſtris.

8. *Forum purges.*] Nihil variant mſſ. ſupradicti: & poteſt intelligi de illo ſuperiore, cap. 35. ſ. *è foro ſpongiis effundi ſanguinem*. videatur etiam Turnebus lib. XX. cap. 3. P. Manutius maluit *ſpurces*.

9. *Tuto in foro tuo magiſtratum.*] Illud *tuo* ſumtum ex S. Vict. & Pal. nono. vulgò *tum*, quod neſcio cur Gulielmius mutet in *tamen*. *tuum forum*, in quo dominaris, vocatur admodum energeticè.

10. *Contra verba & interfationem.*] Retinui iſtud Turnebi, alludentibus Pal. nono & Gembl. in quo *interfectionem*. habebat id tamen apertè liber S. Victoris. vulgò erat, *interceſſionem*.

11. *Maledicito Sabinio.*] Ita erat in S. Victoris exemplari; nec recedit Palatinus, quàm quod is *Salinio*. dictum, ut *Gallii*, *Græcii*, *Latinii*, *Appuleii*.

12. *Cur tam tempori exclamarit.*] Auctores hujus emendationis Erfurd. Gembl. neque abeunt Pall. ſex. quàm quod ii *tempore*, quod & in edd. priſcis. nam nuper natæ, *temerè*.

13. *Num repugnavit.*] Haud ſecus iidem libri omnes. poſteriores, *repudiavit*.

14. *Primumque reſipiſſet.*] Et hoc quoque eſt ab eiſdem libris, expreſſitque item P. Victorius. recentiores *reſipuiſſet*.

15. *Oppreſſam atque occupatam.*] Habent quidem iſtud plerique Pall. ſed nonus præfert *occultam*, neque ſecus Gembl. aut S. Vict. Gulielmius conjicit *conculcatam* ſive *occulcatam*. quod ultimum non diſplicet.

1. Mulio-

gitare, quid judicare oporteat, dubitandum putatis? At verò illi ipſi parricidæ, quorum effrenatus furor alitur *impunitate* diuturna, adeò vim facinoris ſui perhorruerant, ut, ſi paullò longior opinio mortis Sextii fuiſſet, Gracchum illum ſuum, transferendi in nos criminis cauſa, occidere cogitarint. Senſit ruſticulus non incautus, (neque enim homines nequam tacere potuerunt) ſuum ſanguinem *quæri* ad reſtinguendam invidiam facinoris Clodiani: [1] mulionicam penulam arripuit, cum qua primùm Romam ad comitia venerat: meſſoria ſe corbe contexit. Cùm quærerent alii [2] Numerium, alii Quintium, *gemini nominis* errore ſervatus eſt. Atque hoc ſcitis omnes, uſque adeò hominem in periculo fuiſſe, quoad ſcitum ſit Sextium vivere. quod niſi eſſet patefactum paullo citiùs, quàm vellem: non illi quidem morte mercenarii ſui transferre potuiſſent invidiam in quos putabant, ſed acerbiſſimi ſceleris infamiam grato quodam ſcelere minuiſſent. Ac, ſi tunc P. Sextius, judices in templo Caſtoris animam, quàm vix retinuit, edidiſſet: non dubito, quin, ſi modò eſſet in republica ſenatus, ſi majeſtas populi Romani revixiſſet, aliquando *ſtatua* huic ob rempublicam interfecto, in foro ſtatueretur. Nec verò illorum quiſquam, quos à majoribus noſtris, morte obita, poſitos in illo loco, atque in roſtris collocatos videtis, eſſet P Sextio aut acerbitate mortis, aut animo in rempublicam præponendus: qui cùm cauſam civis calamitoſi, cauſam amici, cauſam bene de republica meriti, cauſam ſenatus, cauſam Italiæ, cauſam reipublicæ ſuſcepiſſet: cumque auſpiciis, religionique parens, obnuntiaret, quod ſenſerat: luce palàm à nefariis peſtibus in deorum, hominumque conſpectu eſſet occiſus, ſanctiſſimo in templo, ſanctiſſima in cauſa, ſanctiſſimo in magiſtratu. Ejus igitur vitam quiſquam ſpoliandam ornamentis eſſe dicet, cujus mortem ornandam monumento ſempiterno putaretis? Ho-
39 mines, inquit, emiſti, coëgiſti, paraſti. Quid uti faceret? ſenatum obſideret? civeis indemnatos expelleret? bona diriperet? ædeis incenderet? tecta diſturbaret? templa deorum immortalium inflammaret? tribunos plebis ferro è roſtris expelleret? provincias, quas vellet, quibus vellet, venderet? reges appellaret? rerum capitalium condemnatos, in liberas civitates per legatos noſtros reduceret? principem civitatis ferro obſeſſum teneret? hæc ut efficere poſſet, quæ fieri, niſi armis *oppreſſa republica*, nullo modo poterant, idcircò, credo, manum ſibi P. Sextius, & copias comparavit. At nondum erat maturum: nondum res ipſa ad ejuſmodi præſidia viros bonos compellebat: pulſi nos eramus, non omnino iſta manu ſola, ſed tamen non ſine iſta: [3] vos taciti mœrebamini. Captum erat forum anno ſuperiore, æde Caſtoris, tanquam arce aliqua, à fugitivis occupata: ſilebatur: omnia, hominum, cùm egeſtate, tum audacia perditorum, clamore, concurſu, vi, manu gerebantur: perferebatis. magiſtratus templis pellebantur: alii omnino aditu, ac foro prohibebantur: nemo reſiſtebat. gladiatores ex prætoris comitatu comprehenſi, in ſenatum introducti, confeſſi, in vincula conjecti à Milone, [4] emiſſi à Serrano. mentio nulla. forum corporibus civium Rom. conſtratum cæde nocturna. non modò nulla nova *quæſtio*, ſed etiam vetera judicia ſublata. tribunum plebis plus viginti vulneribus acceptis jacentem, moribundumque vidiſtis: alterius tribuni plebis, divini hominis (dicam enim quod ſentio, & quod mecum ſentiunt omnes) divini, inſigni quadam, inaudita, nova magnitudine animi, gravitate, fide præditi, domus eſt oppugnata ferro, facibus, exercitu
Clodiano. Et tu hoc loco laudas Milonem, & jure laudas. 40
quem enim umquam virum [5] tam immortali virtute vidimus? qui, nullo præmio propoſito, præter hoc, quod jam contritum, & contemtum putatur, *judicium bonorum*, omnia pericula, ſummos labores, graviſſimas contentiones, inimicitiaſque ſuſcepit? qui mihi unus ex omnibus civibus videtur re docuiſſe, non verbis, quid oporteret à præſtantiſſimis viris in republica fieri, & quid neceſſe eſſet: OPORTERE hominum audacium, everſorum reipublicæ ſceleri, legibus, & judiciis reſiſtere. ſi leges non valerent, judicia non eſſent, ſi reſpublica vi, conſenſuque audacium, armis oppreſſa teneretur: præſidio, & copiis defendi vitam, & libertatem neceſſe eſſe. Hoc ſentire, prudentiæ eſt: facere, fortitudinis: & ſentire verò, & facere: perfectæ, cumulatæque virtutis. Adiit ad rempublicam tribunus plebis, Milo: de cujus laude plura dicam, non quo aut ipſe hæc dici, quàm exiſtimari malit, aut ego hunc laudis fructum præſenti libenter impertiam, præſertim cùm verbis conſequi non poſſim: ſed quòd exiſtimo, ſi Milonis cauſam accuſatoris voce collaudatam probaro, vos in hoc crimine parem Sextii cauſam exiſtimaturos. Adiit igitur T. Annius ad cauſam reipublicæ, ſic ut civem patriæ [6] recuperare vellet ereptum. ſimplex cauſa, conſtans ratio, plena *conſenſionis* omnium, plena concordiæ. collegas adjutores habebat: conſulis alterius ſummum ſtudium, alterius animus pæne placatus. de prætoribus unus alienus: ſenatus incredibilis voluntas: equitum Romanorum animi ad cauſam excitati, erecta Italia. duo ſoli erant emti ad impediendum: qui ſi homines deſpecti, & contemti, tantam rem ſuſtinere non potuiſſent: ſe cauſam, quam ſuſceperat, nullo labore peracturum videbat. agebat auctoritate, agebat conſilio, agebat per ſummum ordinem, agebat exemplo bonorum, & fortium civium: quid republica, quid ſe dignum eſſet, quis ipſe eſſet, quid ſperare, quid majoribus ſuis *reddere* deberet, diligentiſſimè cogitarat.
Huic gravitati hominis, videbat ille gladiator, ſe, ſi mo- 41
ribus ageret, parem eſſe non poſſe: ad ferrum, ad faceis, ad quotidianam cædem, incendia, rapinas, ſe cum exercitu ſuo contulit: domum oppugnare, itineribus occurrere, vi laceſſere, & terrere cœpit. Non movit hominem ſumma gravitate, ſummaque conſtantia: ſed quamquam dolor animi, innata libertas, prompta excellenſque virtus, fortiſſimum virum hortabantur, *vi vim* oblatam, præſertim ſæpius, ut frangeret, & refutaret: tanta moderatio fuit hominis, tantum conſilium, ut contineret dolorem, neque eadem ſe re ulciſceretur, qua eſſet laceſſitus: ſed illum tot jam funeribus reipublicæ exſultantem, ac tripudiantem, legum, ſi poſſet, laqueis conſtringeret. Deſcendit ad accuſandum. quis umquam tam propriæ reipublicæ cauſa; nullis inimicitiis, nullis præmiis, nulla hominum poſtulatione, aut etiam opinione, id umquam eſſe facturum? fracti erant animi hominis. hoc enim accuſante priſtini illius ſui judicii turpitudinem deſperabat. Ecce tibi conſul, prætor, tribunus plebis, nova novi generis edicta proponunt: NE REUS adſit, ne citetur, ne quæratur, ne mentionem omnino cuiquam judicum, aut judiciorum facere liceat. Quid ageret vir ad virtutem, dignitatem, gloriam natus, vi ſceleratorum hominum corroborata, legibus, judiciiſque ſublatis? cervices tribunus plebis, privato, præſtantiſſimus vir profligatiſſimo homini daret: an cauſam ſuſceptam affligeret? an ſe domi contineret? Et

vinci

1. *Mulionicam penulam.*] Servat iſtud Priſcianus. nam mſſ. noſtri, *mulioniam.*

2. *Numerium.*] Editio princeps *Numejum.* Pall. plerique *Numerum.* nonus, *Numenium*; quomodo & Erfurd. Gembl. quod forſan verius eſſet tam heic quam infra cap. 43. ubi & iidem libri & Pal. nonus *Numemium* præferunt.

3. *Vos taciti mærebamini.*] Inde forte, *mæſtus ſum.* alii ediderunt *mirabamini.* ſed forte reſcribendum cum Pal. nono, cum Erfurd. cum Gembl. *mærebatis.*

4. *Emiſſi à Serrano.*] Haud aliter librorum eorum triga, non *miſſi*, ut vulgo.

5. *Tam immortali virtute vidimus.*] Ejeci *præditum*, quod occupat ceteras edd. quoniam non compareret in Pal. nono aut S. Victoris exemplari.

6. *Recuperare vellet ereptum. ſimplex.*] Eſt à conjectura Lambini, proximè tamen veſtigia S. Victoris, in quo, *velle te re p. tum ſimplex.* at vulgata, *vellet reipub. tum ſimplex.* P. Manutius divinabat, *recuperare vellet, reipub. civem. ſimplex, &c.*

1. *Etiam*

vinci turpe putavit, & deterreri. [1] etiam è rep. credidit, ut, quoniam ſibi in illum *legibus* uti non liceret, illius vim neque in ſuo, neque in reipublicæ periculo pertime-
42 ſceret. Quomodo igitur hoc in genere præſidii comparati accuſas Sextium, cùm idem laudes Milonem? AN, QUI SUA tecta defendit: qui ab aris, focis, ferrum, flammamque depellit: qui ſibi licere vult tutò eſſe in foro, in templo, in curia: qui vitæ præſidium comparat: qui vulneribus quæ cernit quotidie toto corpore, movetur, ut aliquo præſidio caput, & cervices, & jugulum, ac latera tutetur, hunc de vi accuſandum putas? Quis enim veſtrûm, judices, ignorat, ita *naturam* rerum tuliſſe, ut quodam tempore homines, nondum neque naturali, neque civili jure deſcripto, fuſi per agros, ac diſperſi vagarentur, tantumque haberent, quantum manu, ac viribus per cædem, ac vulnera aut eripere, aut retinere potuiſſent? Qui igitur primi virtute, & conſilio præſtanti exſtiterunt, ii perſpecto genere humanæ docilitatis, atque ingenii, [2] diſſipatos, unum in locum congregarunt, eoſque ex feritate illa ad juſtitiam, atque manſuetudinem tranſduxerunt. [3] Tum res, ad communem utilitatem, quas *publicas* appellamus, tum conventicula hominum, quæ poſtea *civitates* nominatæ ſunt, tum domicilia conjuncta, quas *urbes* dicimus, invento & divino, & humano jure, mœnibus ſæpſerunt. Atque inter hanc vitam perpolitam humanitate, & illam immanem, nihil tam intereſt, quàm *jus*, atque *vis*. horum utro uti nolimus, altero eſt utendum. Vim volumus exſtingui? jus valeat neceſſe eſt, id eſt, judicia, quibus omne jus continetur. Judicia diſplicent, aut nulla ſunt? vis dominetur neceſſe eſt. Hæc vident omnes: Milo & vidit, & fecit, ut jus experiretur, vim depelleret. altero uti voluit, ut virtus audaciam vinceret: altero uſus neceſſariò eſt, ne virtus ab audacia vinceretur. Eademque ratio fuit P. Sextii, ſi minùs in accuſando (neque enim per omneis fuit idem neceſſe fieri) at certe in neceſſitate defendendæ ſalutis ſuæ, præſidioque contra vim, & manum
43 comparando. O dii immortales! quemnam oſtenditis exitum nobis? quam ſpem reip. datis? quotus quiſque invenietur tanta virtute vir, qui *optimam quamque cauſam* reip. amplectatur? qui bonis viris deſerviat? qui ſolidam laudem, veramque quærat? cùm ſciat, duo illa reip. pænè fata, Gabinium & Piſonem, alterum haurire quotidie ex pacatiſſimis, atque opulentiſſimis Syriæ gazis innumerabile pondus auri? bellum inferre quieſcentibus, ut eorum veteres, illibataſque divitias, in profundiſſimum libidinum ſuarum gurgitem profundat? villam ædificare in oculis omnium tantam, *tugurium* ut jam videatur eſſe illa villa, quam ipſe tribunus plebis pictam olim in concionibus explicabat, quo fortiſſimum, ac ſummum civem in invidiam homo caſtus, ac non cupidus vocaret? alterum Thracibus, ac Dardanis primum pacem maxima pecunia vendidiſſe? deinde, ut illi pecuniam conficere poſſent, vexandam his Macedoniam, & ſpoliandam tradidiſſe? eundemque bona creditorum, civium Romanorum, cum debitoribus Græcis diviſiſſe? cogere pecunias maximas à Dyrrhachinis, ſpoliare Theſſalos, certam Achæis in annos ſingulos pecuniam imperaviſſe: neque tamen ullo in publico, aut religioſo loco, ſignum, aut tabulam, aut ornamentum *reliquiſſe*? Hos ſic illudere, quibus omne ſupplicium, atque omnis jure optimo pœna debetur? reos eſſe hos duos, quos videtis? omitto jam Numerium, Serranum, Ælium, quiſquilias ſeditionis Clodianæ: ſed tamen hi quoque etiam nunc volitant, ut videtis: nec, dum vos de vobis aliquid timebitis, illi umquam de ſe pertimeſcent.
Nam quid ego de ædile ipſo loquar, qui etiam diem dixit, 44
& accuſavit de vi Milonem? neque hic tamen ulla umquam injuria adducetur, ut eum tali virtute, tantaque firmitate animi ſe in rempublicam fuiſſe pœniteat: ſed, qui hæc vident, *adoleſcentes*, quonam ſuas menteis conferent? ille, qui monumenta publica, qui ædeis ſacras, qui domos inimicorum ſuorum oppugnavit, excidit, incendit, qui ſtipatus ſemper ſicariis, ſæptus armatis, munitus indicibus fuit, quorum hodie copia redundat, qui & peregrinam manum facinoroſorum concitavit, & ſervos ad cædem idoneos emit, & in tribunatu carcerem totum in forum effudit: volitat ædilis: accuſat eum, qui aliqua ex parte ejus furorem exſultantem repreſſit. hic, qui ſe eſt tutatus ſic, ut in privata re *deos penateis* ſuos, in republica *jura tribunatus*, auſpiciaque defenderet: accuſare eum moderatè, à quo ipſe nefariè accuſatur, per ſenatus auctoritatem non eſt ſitus. Nimirum hoc illud eſt, quod de me potiſſimum tu in accuſatione quæſiſti, quæ eſſet noſtra *natio optimatium*. ſic enim dixiſti. Rem quæris præclaram juventuti ad diſcendum, nec mihi difficilem ad perdocendum. de qua pauca, judices, dicam: &, ut arbitror, nec ab utilitate eorum, qui audient, nec ab officio noſtro, nec ab ipſa cauſa P. Sextii abhorrebit oratio mea. Duo genera ſemper 45
in hac civitate fuerunt eorum, qui verſari in republica, atque in ea ſe excellentiùs gerere ſtuduerunt: quibus ex generibus alteri ſe *populareis*, alteri *optimateis* & haberi, & eſſe voluerunt. Qui ea, quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini jucunda eſſe volebant, populares: qui autem ita ſe gerebant, ut ſua conſilia optimo cuique probarent, optimates habebantur. [4] Quis ergo iſte optimus quiſque? de numero ſi quæris, innumerabiles. neque enim aliter ſtare poſſemus. ſunt principes conſilii publici: ſunt, qui eorum ſectam ſequuntur: ſunt maximorum ordinum homines, quibus patet curia: ſunt municipales, ruſticique Romani: [5] ſunt negotia gerentes: ſunt etiam libertini optimates. numerus, ut dixi, hujus generis, latè, & variè diffuſus eſt: ſed genus univerſum (ut tollatur error) brevi circumſcribi, & definiri poteſt. Omnes OPTIMATES ſunt, qui neque nocentes ſunt, nec natura improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti. Eſto igitur, ut hi ſint, (quam tu nationem appellaſti) quiqui integri ſunt, & ſani, & bene de rebus domeſticis conſtituti. horum qui voluntati, commodis, opinioni in gubernanda republica ſerviunt, defenſores optimatium, ipſique optimates graviſſimi, & [6] clariſſimi cives numerantur, & principes civitatis. Quid eſt igitur propoſitum his reipub. gubernatoribus, quod intueri, & quò curſum ſuum dirigere debeant? id quod eſt præſtantiſſimum, maximeque optabile omnibus ſanis, & bonis, & beatis, CUM DIGNITATE OTIUM. Hoc qui volunt, omnes optimates: qui efficiunt, ſummi viri, & conſervatores civitatis putantur. neque enim rerum gerendarum dignitate homines *efferri* ita convenit: ut otio non proſpiciant: neque ullum amplexari otium, quod abhorreat à dignitate. Hujus autem otioſæ dignitatis hæc fundamenta 46
ſunt, hæc membra, quæ tuenda principibus, & vel capitis periculo defendenda ſunt: religiones, auſpicia, poteſtates magiſtratuum, ſenatus auctoritas, leges, mos majorum, judicia, juriſdictio, fides, provinciæ, ſocii, imperii laus, res mi-

---

1. *Etiam è repub. credidit, ut.*] Et iſtud quoque parte ſui eſt à divinatione Lambini. cùm antea legeretur nullo bono ſenſu, *etiam eripi rejecit, ut, &c.*

2. *Diſſipatos unum in locum, &c.*] Sic plerique Pall. at nonus, *diſputatos*. Gembl. *diſparatos*. quod meretur examinari.

3. *Tum res ad communem utilitatem; quas, &c.*] Secuti ſumus veterrimas editiones, item Pal. octavum, nonum & S. Victoris ejecto *continenteis*, & adſcito *ad*. certe nullus Pall. agnoſcit grandem illam vocem, quamvis deſtituantur etiam præpoſitiuncula. ſolum tertius præfert: *Tum res propter communem utilitatem, &c.*

4. *Quis ergo iſte optimus quiſque? de numero, &c.*] Reſtitui lectionem antiquatam, cui accedit Pal. nonus & S. Victoris poſtea excuſi, *Quis ergo optimus iſte? quis? de numero*. at Lambinus finxit: *Quid ergo iſti optimates? qui?* inſubidè. reſpicit enim ad proximè præcedens, *ut ſua conſilia optimo cuique probarentur*; rogatque, eo quis ſit ille *optimus quiſque*.

5. *Sunt negotia gerentes.*] Lambinus recepit *negotii*, & ita Pal. pr. ſec. quart. octavus, & ſic, ſi benè memini, locutus pro Quintio.

6. *Clariſſimi cives numerantur.*] Vulgo *nominantur*, ſed contra omnes Palatinos noſtros.

1. *Uſque*

res militaris, ærarium. Harum rerum tot, atque tantarum eſſe *defenſorem*, & patronum, magni animi eſt, magni ingenii, magnæque conſtantiæ. Etenim in tanto civium numero magna multitudo eſt eorum, qui aut propter *metum pœnæ*, peccatorum ſuorum conſcii, novos motus, converſioneſque reipublicæ quærant, aut qui propter inſitum quendam *animi furorem*, diſcordiis civium, ac ſeditione paſcantur: aut qui, propter *implicationem rei familiaris*, communi incendio malint, quàm ſuo, deflagrare. qui cùm auctores ſunt, & duces ſuorum ſtudiorum, vitiorumque nacti, in republica fluctus excitantur: ut vigilandum ſit iis, qui ſibi gubernacula patriæ depopoſcerunt: enitendumque omni ſcientia, ac diligentia, ut, conſervatis his, quæ ego paullo antè fundamenta, ac membra eſſe dixi, tenere curſum poſſint, & capere otii illum portum, & dignitatis. Hanc ego viam, judices, ſi aut aſperam, aut arduam, aut plenam eſſe periculorum, aut inſidiarum negem, mentiar: præſertim cùm id non modò intellexerim ſemper, ſed
47 etiam præter ceteros ſenſerim. Majoribus præſidiis, & copiis oppugnatur reſpublica, quàm defenditur, propterea quod audaces homines, & perditi, *nutu* impelluntur: & ipſi etiam *ſponte* ſua contra remp. incitantur: boni neſcio quomodo tardiores ſint, &, principiis rerum neglectis, ad extremum ipſa denique neceſſitate excitantur: ita ut nonnumquam cunctatione, ac tarditate, dum otium volunt etiam ſine dignitate retinere, ipſi *utrumque* amittant. Propugnatores autem reip. qui eſſe voluerunt, ſi leviores ſunt, deſciſcunt: ſi timidiores, deſunt: permanent illi ſoli, atque omnia reip. cauſa perferunt, qui ſunt tales, qualis pater tuus, M. Scaure, fuit, qui à Graccho [1] uſque ad Q. Varium ſeditioſis omnibus reſtitit: quem nulla umquam vis, nullæ minæ, nulla invidia labefecit: aut qualis Q. Metellus, patruus matris tuæ: qui cùm florentem hominem in populari ratione, L. Saturninum cenſor notaſſet, cumque inſitivum Gracchum contra vim multitudinis incitatæ cenſu prohibuiſſet: cumque in eam legem, quam non jure rogatam judicarat, jurare unus noluiſſet; de civitate maluit, quàm de ſententia *dimoveri*: aut, ut vetera exempla, quorum eſt copia digna hujus imperii gloria, relinquam; neve eorum aliquem, qui vivunt, nominem: qualis nuper Q. Catulus fuit, quem neque periculi tempeſtas, neque honoris aura potuit umquam de ſuo curſu, aut ſpe, aut me-
48 tu demovere. Hæc imitamini, per deos immortaleis, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis. hæc ampla ſunt, hæc divina, hæc immortalia: hæc fama celebrantur, monumentis annalium mandantur: poſteritati propagantur. Eſt labor: non nego. pericula magna: fateor. „ *Multæ inſidiæ ſunt bonis:* veriſſimè dictum eſt. „ *Sed, te id, quod multi invideant, multique expetant, Inſcitia ſit*, inquit, *poſtulare*, [2] *ſi tu laborem ſumma cum cura efferas Nullum.* Idem alio loco dixit, quod exciperent improbi cives, *Oderint, dum metuant.* Præclara enim illa præcepta dederat juventuti: ſed tamen hæc via, hæc ratio reipublicæ capeſſendæ, olim erat magis pertimeſcenda, cùm multis in rebus multitudinis ſtudium ad populi commodum ab utilitate reipublicæ diſcrepabat. Tabellaria lex ab L. Caſſio ferebatur. Populus libertatem agi putabat ſuam. diſſentiebant principes, & in ſalute optimatium, temeritatem multitudinis, & tabellæ licentiam pertimeſcebant. Agrariam Ti. Gracchus legem ferebat. grata erat populo. fortunæ conſtitui tenuiorum videbantur. nitebantur contra optimates, quòd ea diſcordiam excitari videbant: &, cum locupletes *poſſeſſionibus diuturnis* moverentur, ſpoliari rempublicam propugnatoribus arbitrabantur. Frumentariam legem C. Gracchus ferebat. jucunda res plebi Romanæ. victus enim ſuppeditabatur largè ſine labore. repugnabant boni, quòd & ab induſtria plebem ad *deſidiam* avocari putabant, &
ærarium exhauriri videbatur. Multa etiam, noſtra memo- 49
ria, quæ conſultò prætereo, fuerunt in ea contentione, ut popularis cupiditas à conſilio principum diſſideret. Nunc jam nihil eſt, quòd populus à delectis, principibuſque diſſentiat: nec flagitat rem ullam, neque novarum rerum eſt cupidus, & otio ſuo, & dignitate optimi cujuſque, & univerſæ reipub. gloria delectatur. Itaque homines ſeditioſi, ac turbulenti, quia nulla jam largitione populum Rom. concitare poſſunt, quòd plebs perfuncta graviſſimis ſeditionibus, ac diſcordiis, *otium* malle videatur, conductas habent conciones: neque id agunt, ut ea dicant, aut ferant, quæ illi velint audire, qui in concione ſunt: ſed *pretio*, ac mercede perficiunt, ut, quidquid dicant, id illi velle audire videantur. Num vos exiſtimatis, Gracchos, aut Saturninum, aut quemquam illorum veterum, qui populares habebantur, ullum umquam in concione habuiſſe conductum? nemo habuit. ipſa enim largitio, & ſpes commodi propoſiti, ſine mercede ulla multitudinem concitabat. Itaque temporibus illis, qui populares erant, offendebant illi quidem apud graveis, & honeſtos homines, ſed populi judiciis atque omni ſignificatione florebant. his in theatro plaudebatur: hi ſuffragiis, quod contenderant, conſequebantur. horum homines nomen, orationem, vultum, inceſſum amabant. Qui autem adverſabantur ei generi, graves, & magni homines habebantur: ſed valebant in ſenatu multùm, apud bonos viros plurimum: multitudini jucundi non erant: ſuffragiis offendebatur ſæpe eorum voluntas: plauſum verò etiam ſi quis eorum aliquando acceperat, *ne quid peccaſſet*, pertimeſcebat. Attamen, ſi qua res erat major, idem ille populus, horum auctoritate maximè
commovebatur. Nunc, niſi me fallit, in eo ſtatu civitas 50
eſt, ut, ſi operas conductorum removeris, omneis idem de republica ſenſuri eſſe videantur. Etenim tribus locis ſignificari maximè populi Romani judicium, ac voluntas poteſt, *concione, comitiis, ludorum, gladiatorumque conſeſſu.* Quæ concio fuit per hos annos, quæ quidem eſſet non conducta, ſed vera, [3] in qua populi Romani conſenſus perſpici poſſet? Habitæ ſunt multæ de me à gladiatore ſceleratiſſimo, ad quas nemo adibat incorruptus, nemo integer: nemo illum fœdum vultum aſpicere, nemo furialem vocem bonus audire poterat. Erant, erant illæ conciones perditorum hominum neceſſariò turbulentæ. Habuit de eodem me P. Lentulus conſul concionem. concurſus eſt populi Romani factus: omnes ordines, tota in illa concione Italia conſtitit. egit cauſam ſumma cum gravitate, copiaque dicendi, tanto ſilentio, tanta approbatione omnium, nihil ut umquam videretur tam populare ad populi Romani aureis acccidiſſe. Productus eſt ab eo Cn. Pompejus, qui ſe non ſolùm auctorem meæ ſalutis, ſed etiam ſupplicem populo Rom. exhibuit. hujus oratio & pergravis, & grata concioni fuit. ſic contendo, numquam neque ſententiam ejus, auctoritate, neque eloquentiam, jucunditate fuiſſe majorem. Quo ſilentio ſunt auditi de me ceteri principes civitatis? quos idcircò non appello hoc loco, ne mea oratio, ſi minùs de aliquo dixero, ingrata: ſi ſatis de omnibus, infinita eſſe videatur. Cedò nunc ejuſdem illius inimici mei de me eodem ad *verum populum* in campo Martio concionem. Quis non modò approbavit, ſed non indigniſſimum facinus putavit, illum non dicam loqui, ſed vivere, ac ſpirare? quis fuit, qui non ejus voce maculari rempublicam: ſeque, ſi eum audiret, ſcelere adſtringi
arbitraretur? Venio ad comitia ſive magiſtratuum placet, 51
ſive legum. Leges videmus ſæpe ferri multas. omitto eas, quæ

1. *Uſque ad Q. Varium.*] Exhibet iſtud, præter libros Lambini, Erfurd. Gembl. nec abit S. Vict. niſi quod is; *Quarium.* vulgata habet *C. Marium.*

2. *Si tu laborem.*] Pal. nonus *ſuum laborem.* S. Vict. *ſi tui laborem.* Guliel. [illegible] tent, *ſi tuum lab.* Verſu quoque præcedenti, ubi legimus hodie, *Inſcitia ſit*, habet Gembl. *eſt*, quod & in Pal. nono; ſed is tamen præterea præfert *Inſcientia.*

3. *In quo populi Rom. conſenſus perſpici poſſet.*] Lambinus autumat excidiſſe negationem: ſed injuriæ, & contra omnes libros.

quæ feruntur ita, vix ut quini, [1] & hi ex alia tribu, qui
ſuffragium ferant, reperiantur. De me, quem tyran-
num, atque ereptorem libertatis eſſe dicebat, in illa rui-
na reipublicæ dixit ſe legem tuliſſe. Quis eſt, qui ſe, cùm
contra me ferebatur, iniſſe ſuffragium confiteatur? cùm
autem de me eodem ex ſenatuſconſulto, comitiis cen-
turiatis, ferebatur, quis eſt, qui non profiteatur ſe affuiſ-
ſe, & ſuffragium de ſalute mea tuliſſe? Utra igitur *cauſa
popularis* debet videri: in qua omnes honeſtates civitatis,
omnes ætates, omnes ordines unà conſentiunt? an in qua
Furiæ concitatæ, tanquam ad funus reip. convolant? An,
ſicubi aderit Gellius, homo & fratre indignus, viro cla-
riſſimo, atque optimo conſule, & ordine equeſtri, cujus
ille ordinis nomen retinet, ornamenta confecit: id erit
populare? eſt enim homo iſte populo Romano deditus.
Nihil vidi magis. qui cum ejus adoleſcentia in ampliſſimis
honoribus ſummi viri, L. Philippi, vitrici, florere potuiſ-
ſet, uſque eo non fuit popularis, ut bona *ſolus* comeſſet.
deinde ex impuro adoleſcente, & petulante, poſteaquàm
rem paternam [2] ab idiotarum divitiis ad philoſophorum
regulam perduxit: Græculum ſe, atque otioſum putari vo-
luit: ſtudio litterarum ſe ſubitò dedidit. [3] Nihil ſanè Attæ
juvabant. anagnoſtæ, libelli etiam pro vino ſæpe *oppigne-
rabantur*: manebat inſaturabile abdomen, copiæ deficie-
bant. itaque ſemper verſabatur in ſpe rerum novarum:
52 otio, & tranquillitate reipublicæ conſeneſcebat. Ecquæ
ſeditio umquam fuit, in qua non ille princeps? ecqui ſe-
ditioſus, cui ille non familiaris? ecquæ turbulenta concio,
cujus ille non concitator? cui bene dixit umquam bono?
bene dixit? immò, quem fortem, & bonum civem non
petulantiſſimè eſt inſectatus? qui, ut credo, non libidinis
cauſa, ſed ut poplicola videretur, libertinam duxit uxo-
rem. Is de me ſuffragium tulit, is affuit, is interfuit epu-
lis, & gratulationibus parricidarum. in quo tamen eſt me
ultus, cùm illo ore inimicos eſt meos ſaviatus. qui, quaſi
mea culpa bona perdiderit, ita ob eam ipſam cauſam eſt
mihi inimicus, quia nihil habet. Utrum ego tibi patrimo-
nium eripui, Gelli, an tu comediſti? quid? tu meo peri-
culo, gurges, ac vorago patrimonii, heluabare: ut, ſi ego
conſul rempublicam contra te, & gregaleis tuos defendiſ-
ſem, in civitate eſſe me nolles? te nemo tuorum videre
vult: omnes aditum, ſermonem, congreſſum tuum fu-
giunt: te ſororis filius Poſtumus, adoleſcens gravis, ſenili
judicio, notavit, cùm in magno numero tutorem liberis
non inſtituit. Sed elatus odio, & meo, & reipublicæ no-
mine, quorum ille utri ſit inimicior, neſcio. plura dixi,
quam dicendum fuit, in furioſiſſimum, atque egentiſſi-
mum ganeonem. Illuc revertor: contra me cùm ſit actum,
capta urbe, atque oppreſſa, Gellium, Firmidium, Titium,
ejuſdem modi Furias, illis mercenariis gregibus duces, &
auctores fuiſſe, cùm ipſe lator nihil ab horum turpitudine,
audacia, ſordibus abhorreret. At, cùm de dignitate mea
ferebatur: nemo ſibi nec valitudinis excuſationem, nec
ſenectutis, ſatis juſtam putavit. nemo fuit, qui ſe non
remp. mecum ſimul revocare in ſuas ſedes arbitraretur.
53 Videamus nunc comitia magiſtratuum. Fuit collegium nu-
per tribunitium, in quo tres minimè, vehementer duo
populares exiſtimabantur. ex his, qui populares non ha-
bebantur, quibus in illo genere conductarum concionum
conſiſtendi poteſtas non erat, duos à populo Rom. præto-
res video eſſe factos: &, quantum ſermonibus vulgi, & ſuf-
fragiis intelligere potui, præ ſe populus Rom. ferebat, ſibi
illum in tribunatu C. Domitii animum conſtantem, &
egregium, & Q. Ancharii fidem, ac fortitudinem, etiam
ſi nihil agere potuiſſent, tamen *voluntate ipſa* gratum fuiſ-
ſe. Jam de C. Fannio quæ ſit exiſtimatio, videmus: quod
judicium populi Rom. in honoribus ejus futurum ſit, ne-
mini dubium eſſe debet. Quid? populares illi duo quid
egerunt? alter, qui tamen ſe continuerat, tulerat nihil:
ſenſerat tantùm de republica aliud, atque homines exſpe-
ctabant, vir & bonus, & innocens, & bonis viris ſemper
probatus: quòd parùm videlicet intellexit in tribunatu,
quid *vero populo* probaretur, & quòd illum eſſe populum
Rom. qui in concione erat, arbitrabatur, non tenuit eum
locum, in quem, niſi popularis eſſe voluiſſet, facillimè
perveniſſet. alter, qui ita ſe in populari ratione jactarat, ut
auſpicia, legem Æliam, ſenatus auctoritatem, conſulem,
collegas, bonorum judicium, nihil putaret, ædilitatem
petivit cum bonis viris, & hominibus primis, ſed non
præſtantiſſimis opibus, & gratia: tribum ſuam non tulit:
Palatinam denique, per quam omnes illæ peſtes vexare po-
pulum Rom. dicebantur, perdidit: nec quidquam illis co-
mitiis, quod boni viri vellent, niſi repulſam, tulit. Vi-
detis igitur, populum ipſum, ut ita dicam, jam non eſſe
popularem: qui ita vehementer eos, qui populares haben-
tur, reſpuat: eos autem, qui ei generi adverſantur, honore
digniſſimos judicet. Veniamus ad ludos. Facit enim, ju- 54
dices, veſter in me [4] animorum, oculorumque conje-
ctus, ut mihi jam licere putem remiſſiore uti genere dicen-
di. Comitiorum, & concionum ſignificationes, interdum
veræ ſunt, nonnumquam *vitiatæ*, atque corruptæ: theatra-
les, gladiatoriique conſeſſus, dicuntur omnino ſolere, le-
vitate nonnullorum, emtos plauſus & exileis, & raros ex-
citare. attamen facile eſt, cùm id fit, quemadmodum, &
à quibus fiat, & quid integra multitudo faciat, videre.
Quid ego nunc dicam, quibus viris, aut cui generi civium
maxime *applaudatur*? neminem veſtiûm fallit. ſit hoc
ſanè leve: quod non ita eſt, quoniam optimo cuique im-
pertitur: ſed, ſi eſt leve, homini gravi leve eſt: ei verò,
qui pendet à rebus leviſſimis: qui rumore, & (ut ipſi lo-
quuntur) favore populi tenetur, & ducitur: plauſum, *im-
mortalitatem*: ſibilum, *mortem* videri neceſſe eſt. Ex te
igitur, Scaure, potiſſimùm quæro, qui ludos apparatiſſi-
mos, magnificentiſſimoſque feciſti, ecquis iſtorum popu-
larium tuos ludos adſpexerit: ecquis ſe theatro, populoque
Roman. commiſerit. Ipſe ille maximè ludius, non ſolum
ſpectator, ſed actor, & acroama: qui omnia ſororis embo-
lia novit: qui in cœtum mulierum pro pſaltria adducitur:
nec tuos ludos adſpexit in illo ardenti tribunatu ſuo, nec
ullos alios, niſi eos, à quibus vix vivus effugit. Semel, in-
quam, ſe ludis homo popularis commiſit omnino, cùm
[5] in templo Honoris-Virtutis, honos habitus eſſet virtuti,
C. quæ Marii, conſervatoris hujus imperii, monumentum,
municipi ejus, & reipublicæ defenſori ſedem ad ſalutem
præbuiſſet. Quo quidem tempore, quid populus Romanus 55
ſentire ſe oſtenderit, utroque in genere declaratum eſt:
primò, cùm, audito S. C. ore ipſi, atque abſenti ſenatui
plauſus eſt ab univerſis datus: deinde, cùm ſenatoribus
ſingulis ſpectatum è ſenatu redeuntibus. Cùm verò ipſe,
qui ludos faciebat, conſul aſſedit: ſtantes, &, manibus
paſſis, gratias agentes, & lacrymantes gaudio, ſuam erga
me benivolentiam, ac miſericordiam declararunt. At,
cùm ille furibundus, incitata illa ſua vecordi mente, ve-
niſſet: vix ſe populus Romanus tenuit: vix homines odium
ſuum à corpore ejus impuro, atque infando repreſſerunt.
voces quidem, & palmarum intentus, & *maledictorum cla-
morem* omnes profuderunt. Sed quid ego populi Rom. ani-
mum, virtutemque commemoro, libertatem jam ex diu-
turna

1. *Et hi ex aliena tribu.*] Vulgò *alia.* ſed noſtrum reſtat in nono, Erfurd. ac Gembl.

2. *Ab idiotarum divitiis.*] Probè explicat Victorius libro XXII. Var. lect. cap. 6.

3. *Nihil ſanè Attæ juvabant.*] Haud aliter liber S. Victoris ac Gembl. nam Pal. non. *atc.* vulgò erat *à te juvabatur.* noſtram probat explicatque Victorius libro XXII. cap. 17. Vincentius Contarenus libro Varior. tentabat *attenuabat.*

4. *Animorum oculorumque conjectus.*] Ita exemplar S. Victoris, acceditque Pal. nonus, in quo, *contectus.* vulgata *contuitus.*

5. *In templo Honoris Virtutis, honos habitus, &c.*] Sic Erfurd. & Gemblac. nam Pal. nonus, *in templo Honoris honos hab.* S. Vict. *in templo virtus honoris honos hab.* vulgo erat, *in templo Virtutis honos habitus.*

turna ſervitute reſpicientis in eo homine, cui tum petenti jam ædilitatem ne hiſtriones quidem coràm ſedenti pepercerunt? Nam cùm ageretur Togata, *Simulans*, ut opinor, caterva tota, clariſſima concentione in ore impuri hominis imminens concionata eſt. [1] *Huic vitæ tuæ* -- &; *Poſt-principia, atque exitus vitioſæ vitæ!* ſedebat exanimatus: & is, qui antea cantorum convicio conciones celebrare ſuas ſolebat, cantorum ipſorum vocibus ejiciebatur. Et, quoniam facta mentio eſt ludorum, ne illud quidem prætermittam, in magna varietate ſententiarum, numquam ullum fuiſſe locum, in quo aliquid à poëta dictum, cadere in *tempus noſtrum* videretur, quod aut populum univerſum fugeret, aut non exprimeret ipſe actor. Et, quæſo, hoc loco, judices, ne qua me levitate ductum ad inſolitum genus dicendi labi putetis, ſi de poëtis, de hiſtrionibus, de
56 ludis in judicio loquar. Non ſum tam ignarus, judices, cauſarum, non tam inſolens in dicendo, ut omni ex genere orationem aucuper, & omneis undique floſculos carpam, atque delibem. ſcio, quid gravitas veſtra, quid hæc advocatio, quid illi conventus, quid dignitas P. Sextii, quid periculi magnitudo, quid ætas, quid honos meus poſtulet. Sed mihi ſumſi hoc loco doctrinam quandam *juventuti*, qui eſſent optimates. in ea explicanda demonſtrandum eſt, non eſſe populareis omneis eos, qui putentur. Id facillimè conſequar, ſi univerſi populi judicium verum, & incorruptum, &, ſi intimos ſenſus civitatis expreſſero. Quid fuit illud, quòd, recenti nuntio de illo S. C. quod factum eſt in templo Virtutis, ad ludos, ſcenamque perlato, conſeſſu maximo, ſummus artifex, & mehercule ſemper partium in republica, tanquam in ſcena, optimatium, flens, & recenti lætitia, & miſto dolore, ac deſiderio mei, egit apertè multo gravioribus verbis meam cauſam, quàm egomet de me agere potuiſſem? ſummi enim poëtæ ingenium non ſolùm arte ſua, ſed etiam dolore exprimebat. [2] ,, *Quid enim? qui rempublicam certo animo adjuverit, ſtatuerit, ſteterit cum Achivis.* Vobiſcum me ſtetiſſe dicebat, veſtros ordines demonſtrabat. revocabatur ab univerſis. ,, *Re dubia, nec dubitarit vitam offerre, nec capiti pepercerit.* Hæc quantis ab illo clamoribus agebantur? cùm jam, omiſſo geſtu, verbis poëtæ, & ſtudio actoris, & exſpectationi noſtræ plauderetur? ,, *Summum amicum, ſummum in bello* -- (nam illud ipſi actor adjungebat amico animo: & fortaſſis homines propter aliquod deſiderium approbabant) ,, *ſummo ingenio præ-*
57 *ditum.* Tum illa, quanto cum gemitu populi Romani ab eodem paullo pòſt in eadem fabula ſunt acta? ,, *O pater!* -- Me, me ille abſentem, ut patrem deplorandum putarat, quem Qu. Catulus, quem multi alii ſæpe in ſenatu patrem patriæ nominarant. Quanto cum fletu de illis noſtris incendiis, ac ruinis, cum patrem pulſum, patriam afflictam deploraret, domum incenſam, everſamque? ſic egit, ut demonſtrata priſtina fortuna, cùm ſe convertiſſet, ,, *Hæc omnia vidi inflammari:* -- fletum etiam inimicis, atque invidis excitaret. Prò, dii immortaleis! quid? illa quemadmodum dixit idem? quæ mihi quidem ita & acta, & ſcripta videntur eſſe, ut vel à Catulo, ſi revixiſſet, præclarè poſſe dici viderentur. is enim liberè reprehendere, & accuſare populi nonnumquam temeritatem ſolebat, aut errorem ſenatus; ,, *O ingratifici Argivi, inanes Graii, immemores beneficii!* Non erat illud quidem verum. non enim ingrati, ſed miſeri, quibus reddere ſalutem à quo acceperant, non liceret: nec unus in quemquam umquam gratior, quàm in me univerſi. ſed tamen illud ſcripſit diſertiſſimus poëta pro me: egit fortiſſimus actor, non ſolum optimus, de me, cùm omnes ordines, demonſtraret, ſenatum, equites Rom. univerſum populum Rom. accuſaret: ,, *Exſulare ſinitis, ſiviſtis pelli, pulſum patimini.* Quæ tum ſignificatio fuerit omnium, quæ declaratio voluntatis ab univerſo populo Romano in cauſa hominis non popularis, equidem audiebamus: exiſtimare faciliùs poſſunt,
58 qui adfuerunt. Et, quoniam me huc provexit oratio, hiſtrio caſum meum toties collacrymavit, cùm ita dolenter ageret cauſam meam, ut vox ejus illa præclara, lacrymis impediretur. neque poëtæ, quorum ego ſemper ingenia dilexi, tempori meo defuerunt: eaque populus Romanus non ſolùm plauſu, ſed etiam, gemitu ſuo comprobavit. Utrùm igitur hæc Æſopum potiùs pro me, aut Accium dicere oportuit, ſi populus Roman. liber eſſet, an principes civitatis? Nominatim ſum appellatus in Bruto. ,, *Tullius, qui libertatem civibus ſtabiliverat.* millies revocatum eſt. Parumne videbatur populum Romanum judicare, id à me, & à ſenatu eſſe conſtitutum, quod perditi cives ſublatum per nos criminabantur? Maximum verò populi Romani judicium univerſo conſeſſu gladiatorio declaratum eſt. erat enim munus Scipionis, dignum & eo ipſo, & illo Qu. Metello, cui dabatur. Id autem ſpectaculi genus erat, quod omni frequentia, atque omni genere hominum celebratur: quo multitudo maximè *delectatur*. In hunc conſeſſum P. Sextius tribunus pleb. cùm ageret nihil aliud in eo magiſtratu, niſi meam cauſam, venit, & ſe populo dedit, non plauſus cupiditate, ſed ut ipſi inimici noſtri voluntatem univerſi populi viderent. venit (ut ſcitis) ad columnam Mæniam. tantus eſt ex omnibus ſpectaculis uſque à Capitolio, tantus ex fori cancellis plauſus excitatus, ut numquam major conſenſio, aut apertior populi Romani univerſi fuiſſe ulla in cauſa diceretur. Ubi erant tum illi concionum moderatores, legum domini, civium expulſores? aliuſne eſt aliquis improbis civibus peculiaris populus, cui nos offenſi, inviſique fuerimus? Equidem exi- 59
ſtimo, nullum tempus eſſe frequentioris populi, quàm illud *gladiatorium*: neque concionis ullius, neque verò ullorum comitiorum. Hæc igitur innumerabilis hominum multitudo, hæc populi Romani tanta ſignificatio, ſine ulla varietate univerſi, cùm illis ipſis diebus de me actum iri putaretur, quid declaravit, niſi optimorum civium ſalutem, & dignitatem, populo Rom. caram eſſe univerſo? At verò & ille tribunus pleb. qui de me, non patris, avi, proavi, majorum denique ſuorum omnium, ſed Græculorum inſtituto, concionem interrogare ſolebat, *Velletne me redire:* &, cùm erat reclamatum ſemivivis mercenariorum vocibus; *populum Roman. negare:* dicebat: is, cùm quotidie gladiatores ſpectaret, [3] numquam eſt conſpectus, cùm veniret, emergebat ſubitò, cùm ſub tabulas ſubrepſerat, ut; ,, *Mater te appello* -- dicturus videretur. Itaque illa via latebroſa, qua ſpectatum ille veniebat, Appia jam vocabatur. qui tamen, quoquo tempore conſpectus erat, non modò gladiatores, ſed equi ipſi gladiatorum repentinis ſibilis extimeſcebant. Videtiſne igitur, quantum inter populum Rom. & concionem interſit? dominos concionum omni odio populi notari? quibus autem conſiſtere in operarum concionibus non liceat, eos omni populi Rom. ſignificatione decorari? Tu mihi etiam M. Atilium Regulum commemoras, qui redire ipſe Karthaginem ſua voluntate ad ſupplicium, quam ſine iis captivis, à quibus ad ſenatum miſſus erat, Romæ manere maluerit? & mihi negas optandum reditum fuiſſe per familias comparatas, & homines armatos. Vim ſcilicet ego deſideravi, qui, dum vis fuit, 60
nihil egi, & quem, ſi vis non fuiſſet, nulla res labefactare potuiſſet. Hunc ego reditum repudiarem, qui ita florens fuit, ut verear, ne quis me ſtudio gloriæ putet iccirco *exiſſe, ut ita redirem?* Quem enim umquam ſenatus civem, niſi me, nationibus exteris commendavit? cujus umquam propter

1. *Huic vitæ tuæ, &c. Poſt principia, &c.*] Gembl. *Huic Tite, & tua poſt principia.* Pal. nonus *Huic tuæ, & tua poſtpr.* S. Victoris *Huic vitæ tua poſtprincipia.*

2. *Quid enim? qui rempub. certo animo adjuverit, ſtatuerit. ſteterit cum Achivis.*] Non aliter Gembl. Erfurd. S. Vict. & Pal. nonus. nolim tamen adfirmare locum jam perſanatum.

3. *Numquam eſt conſpectus cùm veniret.*] Pal. nonus repetiit, *numquam, numquam eſt conſp.*

propter ſalutem, niſi meam, ſenatus publicè ſociis populi
Rom. gratias egit? de me uno P. C. decreverunt, UT, QUI
PROVINCIAS cum imperio obtinerent, qui quæſtores, lega-
tique eſſent, ſalutem, & vitam meam cuſtodirent. In una
mea cauſa poſt Romam conditam factum eſt, ut litteris
conſularibus ex ſenatuſconſulto, cuncta ex Italia, omnes,
qui remp. ſalvam vellent, convocarentur. Quod num-
quam ſenatus in univerſæ reip. periculo decrevit, id in
unius mea ſalute conſervanda decernendum putavit. Quem
curia magis requiſivit? quem forum luxit? quem æquè ipſa
tribunalia deſideraverunt? Omnia diſceſſu meo deſerta,
horrida, muta, plena luctus, & mœroris fuerunt. Quis
eſt Italiæ locus, in quo non fixum ſit in publicis monu-
mentis, *ſtudium ſalutis* meæ, teſtimonium dignitatis?
61 Nam quid ego illa de me divina ſenatuſconſulta comme-
morem? vel quod in templo Jovis optimi maximi factum
eſt, cùm vir is, qui tripartitas orbis terrarum oras, atque
regiones tribus triumphis adjunctas huic imperio notavit,
de ſcripto ſententia dicta, mihi uni teſtimonium patriæ
conſervatæ dedit? cujus ſententiam ita frequentiſſimus ſe-
natus ſecutus eſt, ut unus diſſentiret hoſtis: idque ipſum
tabulis publicis mandaretur, ad *memoriam* poſteri temporis
ſempiternam: vel quod eſt poſtridie decretum in curia, po-
puli ipſius Rom. & eorum, qui ex municipiis convene-
rant, admonitu, ne quis de cælo ſervaret? ne quis moram
ullam afferret? ſi quis aliter feciſſet, eum planè everſorem
reip. fore, idque ſenatum graviſſimè laturum: & ut ſtatim
de ejus facto referretur? Qua gravitate ſua, cùm frequens
ſenatus nonnullorum ſcelus, audaciamque tardaſſet; ta-
men illud addidit, [1] ſi DIEBUS quinque, quibus agi de me
potuiſſet, non eſſet actum, redirem in patriam, dignitate
62 omni recuperata. Decrevit eodem tempore ſenatus, ut iis,
qui ex tota Italia ſalutis meæ cauſa convenerant, agerentur
gratiæ: atque ut iidem ad res redeuntes, ut venirent, ro-
garentur. Hæc erat ſtudiorum in mea ſalute contentio:
ut ii, qui à ſenatu de me rogabantur, iidem ſenatui pro me
ſupplicarent. Atque ita in his rebus unus eſt ſolus inven-
tus, qui ab hac tam impenſa voluntate bonorum palàm diſ-
ſideret, ut etiam Q. Metellus conſul, qui mihi vel maxi-
mè ex magnis contentionibus reipub. fuiſſet inimicus, de
mea ſalute retulerit. Qui excitatus [2] ſumma cum auctori-
tate, P. Servilii quadam gravitate dicendi, cùm ille omneis
propè ab inferis evocaſſet Metellos, & ad illius generis,
quod ſibi cum eo commune eſſet, dignitatem, propinqui
ſui mentem à Clodianis latrociniis reflexiſſet: cumque eum
ad domeſtici exempli memoriam, & ad unum dicto citius
Metelli caſum vel glorioſum, vel gravem convertiſſet:
collacrymavit, ut vir egregius, ac verè Metellus, totum-
que ſe P. Servilio dicenti etiam tum tradidit: nec illam di-
vinam gravitatem, plenam antiquitatis, diutius homo
ejuſdem ſanguinis potuit ſuſtinere, & mecum abſens bene-
ficio rediit in gratiam. Quod certè, ſi eſt aliqui ſenſus in
morte præclarorum virorum, cùm omnibus Metellis,
tum verò uni viro fortiſſimo, & præſtantiſſimo civi, gra-
tiſſimum, fratri ſuo, fecit, ſocio laborum, periculorum,
63 conſiliorum meorum. Reditus verò meus qui fuerit, quis
ignorat? quemadmodum mihi advenienti tanquam totius
Italiæ, atque ipſius patriæ dexteram porrexerint Brundiſi-
ni; cùm ipſis nonis Sext. [3] idem dies adventus mei fuiſſet,
reditusque, natalis idem cariſſimæ filiæ (quam ex graviſſi-
mo tum primùm deſiderio, luctuque conſpexi) idem et-
iam ipſius [4] coloniæ Brundiſinæ; idemque ſalutis. cum-
que me domus eadem optimorum, & doctiſſimorum vi-
rorum, Lenii Flacci & patris, & fratris ejus lætiſſima ac-
cepiſſet, quæ proximo anno mœrens receperat, & ſuo
præſidio, periculoque defenderat? cumque itinere toto ur-
bes Italiæ *feſtos dies* agere adventus mei videbantur? viæ
multitudine legatorum, undique miſſorum celebrabantur?
ad urbem acceſſus incredibili hominum multitudine, &
gratulatione florebat? iter à porta, in Capitolium adſcenſus,
domum reditus erat ejuſmodi, ut ſumma in lætitia illud
dolerem, civitatem tam gratam, tam miſeram, atque op-
preſſam fuiſſe? Habes igitur, quod ex me quæſiſti, qui
eſſent optimates. non eſt *natio*, ut dixiſti: quod ego ver-
bum agnovi: eſt enim illius, à quo uno maximè P. Sextius
ſe oppugnari videt, hominis ejus, qui hanc nationem de-
leri, & concidi cupivit: qui C. Cæſarem, mitem homi-
nem, & à cæde abhorrentem, ſæpe increpuit, ſæpe accu-
ſavit, cùm affirmaret, illum numquam, dum hæc natio
viveret, ſine cura futurum. nihil profecit de univerſis: de
me agere non deſtitit: me oppugnavit primùm per indi-
cem Vettium, quem in concione de me, & de clariſſimis
viris interrogavit. in quo tamen eos civeis conjunxit eo-
dem periculo, & crimine, ut à me inierit gratiam, quòd
me cum ampliſſimis, & fortiſſimis viris congregavit. Sed 64
poſtea mihi, *nullo meo merito*, niſi quod bonis placere cu-
piebam, omneis eſt inſidias ſceleratiſſimè machinatus. Ille
ad eos, à quibus audiebatur, quotidie aliquid defecti affe-
rebat: ille hominem mihi amiciſſimum, Cn. Pompejum,
monebat, ut meam domum metueret, atque à me ipſo ca-
veret: ille ſe ſic cum inimico meo copularat, ut illum meæ
proſcriptionis, quam adjuvabat Sex. Clodius, homo iis di-
gniſſimus, quibuſcum vivit, *tabulam* eſſe, ſe *ſcriptorem*
diceret: ille unus ordinis noſtri diſceſſu meo, luctu veſtro
palàm exſultavit. de quo ego, cùm quotidie rueret, ver-
bum feci, judices, numquam: neque putavi, cùm omni-
bus machinis, ac tormentis, vi, exercitu, copiis oppu-
gnarer, de uno ſagittario me queri convenire. [5] Acta mea
ſibi ait diſplicere, quis neſcit? qui legem eam contemnat,
quæ dilucidè vetat, gladiatores biennio, quo quis petierit,
aut petiturus ſit, dare? In quo ejus temeritatem ſatis mi-
rari, judices, non queo. facit apertiſſimè contra legem:
facit is, qui neque elabi ex judicio jucunditate ſua, neque
emitti gratia poteſt: neque opibus, & potentia leges, ac
judicia perfringere. Quæ res hominem impellit, ut ſit tam
intemperans? iſta *nimia gloriæ cupiditate* familiam gladia-
toriam, credo, nactus eſt, ſpecioſam, nobilem, glorio-
ſam. norat ſtudia populi: videbat clamores, & concurſus
futuros. Hac exſpectatione elatus homo, flagrans cupidi-
tate gloriæ, tenere ſe non potuit, quin hos gladiatores in-
duceret, quorum eſſet ipſe pulcherrimus. Si ob eam cau-
ſam peccaret, & pro recenti populi Rom. in ſe beneficio,
populari ſtudio elatus: tamen ignoſceret nemo. cùm
verò ne de venalibus quidem homines electos, ſed ex er-
gaſtulis emtos, nominibus gladiatoriis ornarit, & ſortitò
alios *Samniteis*, [6] alios *Provocatores* fecerit. tanta licentia,
tanta legum contemtio, [7] nonne quem habitura ſit exitum,
pertimeſcit? Sed habet defenſiones duas: primùm, Do,
inquit,

1. *Si diebus quinque quibus.*] Pal. idem *diebus is quibus*, neque aliter Gembl. & videtur verum, is ſcilicet pro *iis*. degeneravit id primum in *quindecim*, deinde in *quinque* paulo ante ex iiſdem mſſ. & S. Victoris repoſui *tamen*, pro vulgato *tum*.

2. *Summa cum auctoritate P. Servilii quadam.*] Nihil recedunt ab hac ſcriptura libri noſtri. itaque non auſus ſum ſequi Lambinum, qui admiſit conjectaneum P. Manutii.

3. *Idem dies adventus mei fuiſſet reditusque, natalis idem.*] Haud aliter S. Victoris liber, item editio P. Victorii: niſi quod ii, *reditus qui natalis, idem, &c.* Paulus Manutius heic ſecutus eſt ingenium, ſuum etiam Lambinus, apud quem videatur item conjectura Petri Fabri.

4. *Coloniæ Brundiſinæ; idemque Salutis.*] Illud *Salutis*, eſt à divinatione Manutii; cùm prius hæreret in libris, *idem ut ſcitis*; quomodo ſervat item Pal. nonus, ſed cum enclitica, *idemque*. quam heic expreſſimus.

5. *Acta mea ſibi ait diſplicere.*] Eſt à conjectura Errici Memmii, ſed quam præeunt libri ſcripti. quippe Pal. nonus, *ſibi ali diſpl.* quod & in S. Victoris ac Gembl. ſed littera amplius *alii.* vulgata habebat: *Acta mea illi diſplicere, &c.* Fide eorundem librorum ſtatim etiam addidi particulam *eam*, editis prius omiſſam.

6. *Alios Provocatores.*] Conſule Lipſium lib. II. Saturn. ſermonum cap. II.

7. *Nonne quem habitura ſit exitum pertimeſcit?*] Melius iſtud longè; ex Erfurd. ac Gembl. item S. Vict. ac pal. nono, quam vulgatum, *contemptio ne non habitura ſit exitum, non pertimeſcit?*

1. *Aci-*

inquit, beſtiarios: lex eſt ſcripta de gladiatoribus. Feſtive. Accipite aliquid etiam acutius. dicit ſe non gladiatores, ſed unum gladiatorem dare, & totam ædilitatem in munus hoc tranſtuliſſe. Præclara ædilitas. unus leo: ducenti beſtiarii. Verùm utatur hac defenſione: cupio eum ſuæ cauſæ confidere. Solet enim tribunos pleb. appellare, & vi judicium diſturbare, cum diffidit. quem non tam admiror, quod meam legem contemnat, hominis inimici, quàm quòd ſe ſtatuit omnino conſularem legem nullam putare. [1] Aciliam, Didiam, Liciniam, Juniam contemſit. Etiamne ejus, quem ſua lege, & ſuo beneficio ornatum, munitum, armatum ſolet gloriari, C. Cæſaris legem de pecuniis repetundis, non putat eſſe legem? Et ajunt, alios eſſe, qui acta Cæſaris reſcindant, cùm hæc optima lex, &
65 ab illo ſocero ejus, [2] & ab hoc aſſecla negligatur? Et cohortari auſus eſt accuſator in hac cauſa vos, judices, ut aliquando eſſetis *ſeveri*, aliquando medicinam adhiberetis reip. NON EST ea medicina, cùm ſanæ parti corporis ſcalpellum adhibetur, atque integræ: carnificina eſt iſta, & crudelitas. hi medentur reip. qui exſecant peſtem aliquam, tanquam ſtrumam civitatis. Sed, ut extremum habeat aliquid oratio mea, & ut ego antè dicendi finem faciam, quàm vos me tam attentè audiendi, concludam illud de optimatibus, eorumque principibus, ac reip. defenſoribus: voſque, adoleſcentes, &, qui nobiles eſtis, ad majorum veſtrûm imitationem excitabo, & qui ingenio, & virtute nobilitatem poteſtis conſequi, ad eam rationem, in qua multi homines novi & honore, & gloria floruerunt, cohortabor. Hæc eſt *una via*, mihi credite, & laudis, & dignitatis, & honoris: à bonis viris, ſapientibus, & bene natura conſtitutis, laudari, & diligi: noſſe deſcriptionem civitatis, à majoribus noſtris ſapientiſſimè conſtitutam: qui cùm regum poteſtatem non tuliſſent, ita magiſtratus annuos creaverunt, ut conſilium ſenatus reip. proponerent ſempiternum, deligerentur autem in id conſilium ab univerſo populo, aditusque in illum ſummum ordinem omnium civium *induſtriæ*, ac *virtuti* pateret. ſenatum reip. cuſtodem, præſidem, propugnatorem collocaverunt: hujus ordinis auctoritate uti magiſtratus, & quaſi miniſtros graviſſimi conſilii eſſe voluerunt: ſenatum autem ipſum, proximorum ordinum ſplendore confirmari: plebis liberta-
66 tem, & commoda tueri, atque augere voluerunt. Hæc qui pro virili parte defendunt, *optimates* ſunt, cujuſcumque ſint ordinis: qui autem præcipuè ſuis cervicibus tanta munia, atque rempublicam ſuſtinent, ii ſemper habiti ſunt optimatium principes, auctores, & conſervatores civitatis. Huic hominum generi fateor, ut antè dixi, multos adverſarios, inimicos, invidos eſſe, multa proponi pericula, [3] multas inferri injurias, magnos eſſe experiundos & ſubeundos labores: ſed mihi omnis oratio eſt cum virtute, non cum deſidia: cum dignitate, non cum voluptate: cum iis, qui ſe patriæ, qui ſuis civibus, qui laudi, qui gloriæ, non qui ſomno, & conviviis, & delectationi natos arbitrantur. Nam, ſiqui voluptatibus ducuntur, & ſe vitiorum illecebris, & cupiditatum lenociniis dediderunt: miſſos faciant honores; ne attingant rempublicam. patiantur viros forteis labore, ſe otio ſuo perfrui. Qui autem bonam famam bonorum, quæ ſola verè *gloria* nominari poteſt, expetunt, aliis otium quærere debent, & voluptates, non ſibi. ſudandum eſt his pro communibus commodis, adeundæ inimicitiæ, ſubeundæ ſæpe pro republica tempeſtates: cum multis audacibus, improbis, nonnumquam etiam potentibus, dimicandum. Hæc audivimus de clariſſimorum virorum conſiliis, & factis: hæc accepimus, hæc legimus. neque eos *in laude poſitos* videmus, qui incitarunt aliquando populi animos ad ſeditionem, aut qui largitione cæcarunt menteis imperitorum, aut qui forteis, & claros viros, & bene de republica meritos in invidiam aliquam vocaverunt. Leveis hos ſemper noſtri homines, & audaceis, & malos, & pernicioſos civeis putaverunt. At verò qui horum impetus, & conatus repreſſerunt: qui auctoritate, qui fide, qui conſtantia, qui magnitudine animi, conſiliis audacium reſtiterunt: ii graves, ii principes, ii duces, [4] ii auctores hujus ordinis & dignitatis, atque imperii ſemper habiti ſunt. At, ne quis ex noſtro, aut 67
aliquorum prætereà caſu hanc vitæ viam *pertimeſcat*: unus in hac civitate, quem quidem ego poſſim dicere, præclarè vir de repub. meritus, L. Opimius, indigniſſimè concidit: cujus monumentum celeberrimum in foro, ſepulchrum deſertiſſimum in littore Dyrrhachino relictum eſt. Atque hunc tamen flagrantem invidia propter interitum C. Gracchi, ſemper ipſe populus Rom. periculo liberavit. alia quædam civem egregium iniqui judicii procella pervertit. ceteri verò aut repentina vi perculſi, ac tempeſtate populari, per populum tamen ipſum *recreati* ſunt, atque revocati: aut omnino invulnerati, inviolatique vixerunt. At verò ii, qui ſenatus conſilium, qui auctoritatem bonorum, qui inſtituta majorum neglexerunt, & imperitæ, aut concitatæ multitudini jucundi eſſe voluerunt: omnes ferè reipublicæ pœnas aut præſenti morte, aut turpi exſilio *dependerunt*. Quòd ſi apud Athenienſeis, homines Græcos, longè à noſtrorum hominum gravitate disjunctos, non deerant qui rempublicam contra populi temeritatem defenderent, cùm omnes, qui ita fecerant, è civitate ejicerentur: ſi Themiſtoclem illum, conſervatorem patriæ, non *deterruit* à repub. defendenda nec Miltiadis calamitas, qui illam civitatem paullò antè ſervarat; nec Ariſtidis fuga, qui unus omnium juſtiſſimus fuiſſe traditur: ſi poſtea ſummi ejuſdem civitatis viri, quos nominatim appellari non eſt neceſſe, propoſitis tot exemplis iracundiæ, levitatiſque popularis, tamen ſuam rempub. illam defenderunt: quid nos tandem facere debemus, primùm in ea civitate nati, unde orta mihi *gravitas*, & magnitudo animi videtur? tum in tanta gloria inſiſtentes, ut omnia humana leviora videri debeant? deinde, ad eam rempub. tuendam aggreſſi, quæ tanta dignitate eſt, ut eam defendentem occidere non aliud ſit, quam oppugnantem rerum potiri? Homines Græci, 68
quos antea nominavi, inique à ſuis civibus damnati, atque expulſi, tamen, quia bene ſunt de ſuis civitatibus meriti, tanta hodie *gloria* ſunt, non in Græcia ſolùm, ſed etiam apud nos, atque in ceteris terris, ut eos, à quibus illi oppreſſi ſunt, nemo nominet: horum calamitatem dominationi illorum omnes anteponant. Quis Karthaginienſium pluris fuit Annibale, conſilio, virtute, rebus geſtis: qui unus cum tot imperatoribus noſtris per tot annos de imperio, & de gloria decertavit? hunc ſi cives è civitate ejecerunt: nos etiam hoſtem litteris noſtris, & memoria videmus eſſe celebratum. Quare *imitemur* noſtros Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Æmilios, innumerabileis alios, qui hanc rempublicam ſtabiliverunt: quos equidem in deorum immortalium cœtu, ac numero, repono. amemus patriam, pareamus ſenatui, conſulamus bonis: præſenteis fructus negligamus, [5] poſteritatis gloriæ ſerviamus: id eſſe OPTIMUM putemus, quod erit rectiſſimum: ſperemus quæ volumus, ſed quod acciderit, feramus: cogitemus denique, CORPUS virorum fortium, magnorumque hominum, eſſe mortale: animi verò motus, & virtutis

1. *Aciliam.*] Pal. nonus, Gembl. S. Vict. *Anciliam.* attendat Criticus.

2. *Et ab hoc aſſecula negligatur.*] Exprimere iſtud auſus ſum, ſuſtentatus auctoritate codd. Pal. noni, S. Vict. ac Gemblacenſis. neque enim temeraria illa ſcriptio in tot libris.

3. *Multas inferri injurias.*] Pal. ille idem & S. Vict. *invidias*, quod non ſpernam.

4. *Ii auctores hujus ordinis & dignitatis, &c.*] Binas voculas adjeci fide editionum veterum, item Pall. omnium, excepto nono. in quo, ut antea vulgatis, *ii auctores hujus dignitatis*; quodque ideo Gulielmius mutatum cupiebat in *civitatis*.

5. *Poſteritatis gloriæ ſerviamus.*] Præſtat iſtud longè publicato, *poſteritati & gloriæ.* exſtat autem in Pall. nono, in S. Victor. in Gemblac.

1. *Immor-*

tutis gloriam, ſempiternam: neque hanc opinionem ſi in illo ſanctiſſimo Hercule conſecratam videmus, cujus corpore ambuſto, vitam ejus, & virtutem immortalitas excepiſſe dicitur, minùs exiſtimemus, eos, qui hanc tantam rempublicam ſuis conſiliis, aut laboribus aut auxerint, aut defenderint, aut ſervarint, eſſe [1] immortalem gloriam
69 conſecutos. Sed me repentè, judices, de fortiſſimorum, & clariſſimorum civium dignitate, & gloria dicentem, & plura etiam dicere parantem, horum adſpectus in ipſo curſu orationis repreſſit. Video P. Sextium, meæ ſalutis, veſtræ auctoritatis, publicæ cauſæ defenſorem, propugnatorem, auctorem; reum: video hunc prætextatum ejus filium oculis lacrymantibus me intuentem: video Milonem, vindicem veſtræ libertatis, cuſtodem ſalutis meæ, ſubſidium afflictæ reipublicæ, exſtinctorem domeſtici latrocinii, repreſſorem cædis quotidianæ, defenſorem templorum, atque tectorum, præſidium curiæ; ſordidatum & reum: video P. Lentulum, cujus ego patrem, deum, ac parentem ſtatuo fortunæ, ac nominis mei, & fratris, rerumque noſtrarum, in hoc miſero ſqualore, & ſordibus: cui ſuperior annus idem & virilem, patris; & prætextam, populi judicio, togam dederit, hunc hoc anno in hac toga, rogationis injuſtiſſimæ ſubitam acerbitatem pro patre fortiſſimo, & clariſſimo cive deprecantem. Atque hic tot, & talium ſqualor, hic luctus, hæ ſordes, ſuſceptæ ſunt propter unum me, quia me defenderunt, quia meum caſum, luctumque doluerunt, quia me lugenti patriæ, flagitanti ſenatui, poſcenti Italiæ, vobis omnibus orantibus reddiderunt. Quod tantum eſt in me ſcelus? quid tantoperè deliqui illo, illo die, cum ad vos indicia, litteras, confeſſiones communis exitii detuli? cùm parui vobis? At, ſi ſceleſtum eſt amare patriam, [2] pertuli pœnarum ſatis: everſa domus eſt, fortunæ vexatæ, diſſipati liberi, raptata conjux, frater optimus, incredibili pietate, amore inaudito, maximo in ſqualore volutatus eſt ad pedes inimiciſſimorum: ego pulſus aris, focis, diis penatibus, diſtractus à meis, carui patria, quam (uti leviſſimè dicam) certè texeram: pertuli crudelitatem inimicorum, ſcelus infidelium, fraudem invidorum. Si hoc non eſt ſatis, quod hæc omnia deleta videntur reditu meo: multo mihi, multo, inquam, judices, præſtat, in eandem illam recidere fortunam, quàm tantam importare meis defenſoribus, & conſervatoribus calamitatem. An ego in hac urbe eſſe poſſim, his pulſis, qui me hujus urbis compotem fecerunt? non ero. non potero eſſe, judices, neque hic umquam puer, qui his lacrymis, qua ſit pietate, declarat, amiſſo patre ſuo propter me, me ipſum incolumem videbit: nec, quotieſcumque me viderit, ingemiſcet, ac peſtem ſuam, & patris ſui, ſeſe dicet videre. Ego verò vos in omni fortuna, quæcumque erit oblata, complectar: nec me ab iis, quos meo nomine ſordidatos videtis, umquam ulla fortuna divellet, neque eæ nationes, quibus me ſenatus commendavit, quibus de me gratias egit, hunc exſulem propter me ſine me videbunt. Sed hæc dii immortales, qui me ſuis templis advenientem receperunt, ſtipatum ab his viris, [3] & P. Lentulo conſule, atque ipſa reſpublica, qua nihil eſt ſanctius, veſtræ poteſtati, judices, commiſerunt. vos hoc judicio omnium bonorum menteis confirmare, improborum reprimere poteſtis: vos his civibus uti optimis, vos me reficere, [4] & renovare rempub. Quare vos obteſtor, atque obſecro, ut, ſi me ſalvum eſſe voluiſtis, eos conſervetis, per quos me recuperaviſtis.

1. *Immortalem gloriam conſecutos.*] Sic malui, cum editione Victorii, cum Pal. pr. ſec. nono, quàm *conſecuturos*, quod aliis etiamnum perplacet.

2. *Pertuli pœnarum ſatis.*] Reſtitui lectionem priſcam. nam Lambinianæ edd. *periculi, pœnarum ſatis*; contra omnes mſſ. noſtros.

3. *Et P. Lentulo Conſule, atque, &c.*] Eſt iſtud à Pal. non. & libro S. Victoris. ineptè meo judicio antea excuſi, *& P. Lentulus conſul, &c.*

4. *Et renovare rempub.*] Reſecui *poteſtis*; revocatum malè è linea præcedenti, idque ſuaſu ſupradictorum exemplarium.

M. TULLIUS CICERO IN VATINIUM.

ORATIO TRICESIMATERTIA.

1 [1] SI TUA tantummodò, Vatini, quid indignitas poſtularet, ſpectare voluiſſem, feciſſem id, quod his vehementer placebat, ut te, cujus teſtimonium, propter turpitudinem vitæ, ſordeiſque domeſticas, *nullius momenti* putaretur, tacitus dimitterem. nemo enim horum aut ita te refutandum, ut gravem adverſarium, aut ita rogandum, ut religioſum teſtem, arbitrabatur. [2] ſed fui paullo in te intemperantior fortaſſe, quàm debui. odio enim tui, in quo, etſi omneis propter tuum in me ſcelus, ſuperare debeo, tamen ab omnibus pænè vincor, ſic ſum incitatus, ut, cùm te non minùs contemnerem, quàm odiſſem, tamen vexatum potiùs, quàm deſpectum, vellem dimittere. Quare, ne tibi hunc honorem à me haberi fortè mirere, quod interrogem, quem nemo congreſſu, nemo aditu, nemo ſuffragio, nemo civitate, nemo luce dignum putet: nulla me ad id cauſa impuliſſet, niſi ut ferocitatem tuam iſtam comprimerem, & audaciam frangerem, & loquacitatem pauciſſimis interrogationibus irretitam retardarem. Etenim debuiſti, Vatini, etiam ſi falsò veniſſes in ſuſpicionem P. Sextio, tamen mihi ignoſcere, ſi in tanto hominis de me optimè meriti *periculo*, & tempori ejus, & voluntati parere voluiſſem. [3] Sed heſternò pro teſtimonio eſſe mentitum, cum affirmares nullum tibi omnino cum Albinovano ſermonem non modò de Sextio accuſando, ſed nulla numquam de re fuiſſe; paullò ante imprudens indicaſti: qui & T. Claudium tecum communicaſſe, & à te conſilium P. Sextii accuſandi petiſſe, & Albinovanum, quem antea vix tibi notum eſſe dixiſſes, domum tuam veniſſe, multa tecum locutum dixeris: denique conciones P. Sextii ſcriptas, quas neque noſſet, neque reperire poſſet, te

1. *SI tua tantummodo, Vatini, quid indignitas.*] S. Victoris membranæ non admiſerunt *tua*. quod placet. Pal. nonus habet, *quæ indignitas*. forſan non malè. at alii aliquot noſtri; nempe quintus & octavus, *quid dignitas*. forſan melius.

2. *Sed fui paullo in te intemperantior.*] Editio prima, *paullo temperantior*. & vero Pall. aliquot reſpuunt illud *in te*. nonus & S. Vict. ejus loco habent *ante*. imo ille nonus leg. *ſi fui*. cui otium eſt, iſthæc penſiculatius examinet. neque enim ita temere diſſident libri veteres.

3. *Heſterno pro teſtimonio, &c.*] Lambinus alia adhibet, non neceſſario; ſi ſumamus *heſterno* pro *heri*.

1. *Eaſque*

ſet, te Albinovano dediſſe, [1] eaſque in hujus judicio eſſe
recitatas. In quorum altero es confeſſus, à te accuſatores
eſſe inſtructos, & ſubornatos: in altero inconſtantiam
tuam cùm levitate, tum etiam *perjurio* implicatam refelli-
ſti: cùm, quem alieniſſimum à te eſſe dixiſſes, eum domi
tuæ fuiſſe: quem prævaricatorem ab initio judicaſſes, ei te,
2 quos rogaſſet, ad accuſandum libros dixeris dediſſe. Ni-
miùm es vehemens, feroxque natura, non putas fas eſſe
verbum ex ore exire cujuſquam, quod non jucundum, &
honorificum ad aureis tuas accidat. veniſti iratus omnibus:
quod ego, ſimulac te adſpexi, priùs quàm loqui cœpiſti,
cùm antè Gellius, *nutricula* ſeditioſorum omnium, teſti-
monium diceret, ſenſi, atque providi. repentè enim te,
tanquam ſerpens è latibulis, oculis eminentibus, inflato
collo, tumidis cervicibus intuliſti: ut mihi renovatus [2] ille
tuus in te * * veterem meum amicum, ſed tamen tuum
familiarem defenderim, cùm in hac civitate oppugnatio
ſoleat, qua tu nunc uteris, nonnumquam, defenſio num-
quam vituperari. Sed quæro à te, cur C. Cornelium non
defenderem. num legem aliquam Cornelius contra auſpi-
cia tulerit: num Æliam, num Fufiam legem neglexerit:
num conſuli vim attulerit: num armatis hominibus, tem-
plum tenuerit: num interceſſorem vi dejecerit: num reli-
giones polluerit: ærarium exhauſerit: rempublicam com-
pilarit. Tua ſunt, tua ſunt hæc omnia. Cornelio ejuſmodi
nihil objectum eſt. Codicem legiſſe dicebatur. defende-
batur, teſtibus collegis ſuis, non recitandi cauſa legiſſe,
ſed *recognoſcendi*. Conſtabat tamen, Cornelium concilium
illo die dimiſiſſe, interceſſioni paruiſſe. Tu verò, cui Cor-
nelii defenſio diſplicet, quam cauſam ad patronos tuos,
aut quod os afferes? quibus jam præſcribis, quanto illis
probro futurum ſit, ſi te defenderint, cùm tu mihi Corne-
lii defenſionem in maledictis objiciendam putaris. Atta-
men hoc, Vatini, memento paullo poſt iſtam defenſio-
nem meam, quam tu bonis viris diſplicuiſſe dicis, me cum
univerſi populi Romani ſumma voluntate, tum optimi
cujuſque ſingulari ſtudio, magnificentiſſimè poſt hominum
memoriam conſulem factum, omniaque ea me *pudenter
vivendo* conſecutum eſſe, quæ tu impudenter vaticinando
3 ſperare te ſæpe dixiſti. Nam quòd mihi diſceſſum obje-
ciſti meum, & quòd horum, quibus ille dies acerbiſſimus
fuit, qui idem tibi lætiſſimus, luctum & gemitum reno-
vare voluiſti: tantum tibi reſpondeo, ne, cùm tu, cete-
ræque reipublicæ peſtes, armorum cauſam quæreretis, &
cùm *per meum nomen* fortunas locupletium diripere, ſan-
guinem principum civitatis exſorbere, crudelitatem ve-
ſtram, odiumque diuturnum, quod in bonos jam invete-
ratum habebatis, ſaturare cuperetis: ſcelus, & furorem
veſtrum *cedendo* maluiſſe frangere, quàm reſiſtendo. Qua-
re peto à te, ut mihi ignoſcas, Vatini, cùm patriæ peper-
cerim, quam ſervaram: &, ſi ego te perditorem, & vexa-
torem reipublicæ fero, tu me conſervatorem, & cuſto-
dem feras. deinde ejus viri diſceſſum increpas, quem vi-
des, omnium civium deſiderio, ipſius denique reipublicæ
luctu eſſe revocatum? At enim dixiſti, *non mea*, ſed rei-
publicæ cauſa homines de meo reditu laboraſſe. Quaſi verò
quiſquam vir excellenti animo in rempublicam ingreſſus,
optabilius quidquam arbitretur, quàm ſe à ſuis civibus reip.
cauſa diligi. Scilicet aſpera mea natura: difficilis aditus:
gravis vultus: ſuperba reſponſa: inſolens vita: nemo hu-
manitatem meam, nemo conſuetudinem, nemo conſi-
lium, nemo auxilium requirebat: cujus deſiderio (ut hæc
minima dicam) forum mœſtum, muta curia, omnia deni-
que bonarum artium ſtudia ſiluerunt. Sed nihil ſit factum
mea cauſa: omnia illa ſenatuſconſulta: populi juſſa: Italiæ
totius, cunctarum ſocietatum, collegiorum omnium de-
creta de me, reipublicæ cauſa eſſe facta fateamur. Quid
ergo, homo imperitiſſime ſolidæ laudis, ac veræ dignitatis,
præſtantius mihi potuit accidere? quid optabilius ad im-
mortalitatem gloriæ, atque ad memoriam mei nominis
ſempiternam, quàm omneis hoc civeis meos judicare, ci-
vitatis ſalutem cum mea unius ſalute eſſe *conjunctam*? Quod
quidem ego tibi reddo tuum. nam, ut tu me carum eſſe
dixiſti ſenatui, populoque Rom. non tam mea cauſa, quàm
reip. ſic ego te, quamquam ſis omni diritate, atque imma-
nitate tæterrimus, tamen dico eſſe odio civitati non tam
tuo, quàm reip. nomine. Atque, ut aliquando ad te ve- 4
niam, de me hoc ſit extremum. QUID QUISQUE noſtrûm
de ſe ipſe loquatur, [3] non eſt ſanè non eſt requirendum:
boni viri judicent. id eſt maximi momenti, & ponderis.
Duo ſunt tempora, quibus noſtrorum civium ſpectentur
judicia de nobis: unum honoris, alterum ſalutis. Honos
talis populi Rom. voluntate paucis eſt delatus, ac mihi:
ſalus tanto ſtudio civitatis nemini reddita. de te autem ho-
mines quid ſentiant, in honore experti ſumus: in ſalute,
exſpectamus. [4] Et, ut te cum homine uno, non ſolùm
impudentiſſimo, atque infimo conferam: de te ipſo, ho-
mine & arrogantiſſimo, & mihi inimiciſſimo, quæro,
Vatini, utrum tandem putes, huic civitati, huic reip. huic
urbi, his templis, ærario, curiæ, viris his, quos vides,
horum bonis, fortunis, liberis, civibus ceteris; denique
deorum immortalium delubris, auſpiciis, religionibus,
melius fuiſſe, & præſtabilius, me civem in hac civitate
naſci, an te? cùm mihi hæc reſponderis, aut ita impuden-
ter, ut manus à te homines vix abſtinere poſſint: aut ita
dolenter, ut aliquando [5] iſta ilia, quæ ſunt inflata, rum-
pantur: tum memoriter reſpondeto ad ea, quæ de te ipſo
rogaro. At illud *tenebricoſiſſimum* tempus ineuntis ætatis 5
tuæ patiar latêre. licet impunè per me parietes in adole-
ſcentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris.
habeat hoc præmium tua indignitas, ut adoleſcentiæ turpi-
tudo, obſcuritate, & ſordibus tuis obtegatur. Quæſturam
petiſti cum P. Sextio, cùm hic nihil loqueretur, niſi quod
agebat: tu de altero conſulatu gerendo te diceres cogitare.
Quæro abs te, teneaſne memoria, cùm P. Sextius quæ-
ſtor ſit cunctis ſuffragiis factus, tunc te vix, invitis omni-
bus, non populi beneficio, ſed conſulis, extremum *adhæ-
ſiſſe*? in eo magiſtratu, cùm tibi magno clamore [6] aquaria
provincia ſorte obtigiſſet, miſſuſne ſis à me conſule Puteo-
los, ut inde aurum exportari, argentumque prohiberes? in
eo negotio, cùm te non *cuſtodem* ad continendas, ſed por-
titorem ad partiendas merceis miſſum putares, cumque
omnium domos, apothecas, naveis, furaciſſimè ſcrutare-
re, [7] homineſque negotia gerenteis, judiciis iniquiſſimis
irretires, mercatores e navi egredienteis terreres, conſcen-
denteis morarere: teneaſne memoria, tibi in conventu Pu-
teolis manus eſſe allatas? ad me conſulem, Puteolanorum
querelas eſſe delatas? poſt quæſturam exieriſne legatus in
ulterio-

1. *Eaſque in hujus judicio eſſe, &c.*] Sic Erfurd. & Pal. nonus; non paulo evelatius quàm vulgatum *in hoc judicio*.

2. *Ille tuus in te * * veterem amicum, &c.*] Turnebus heic in mſ. vacantem vidit totam paginam. ideoque meritò inſignitur locus aſteriſco.

3. *Non eſt ſanè, non eſt requirendum.*] Eſt à Pall. omnibus. prius publicati deſtituebantur illo altero, *non eſt*, cui tamen ſua emphaſis; habetque editio exoleta.

4. *Et ut te cum homine uno, &c.*] Expreſſi editionem vulgatam avorum ævo, cui accedit Pal. ſec. quart. quint. dec. nam primus, *Et ut tecum homine uno, &c.* ſept. *Et ut me tecum homine uno*, quomodo Victoriana. at nonus: *ſed ut te cum homine uno, &c.* Gulielmius heic ita confuſius eſt, ut neſciam bona fide repræſentare quid fuerit in S. Vict. & Erfurd. niſi quod non videantur ii omnino recedere à Lambinianis.

5. *Iſta quæ ſunt inflata rumpantur.*] Haud abii à lectione prima, confirmata a Palatinis novem. vulgata interſeruit *illa*, ſed ejus nullum veſtigium in iiſdem.

6. *Aquaria provincia.*] De ea bella multa noſter Lipſius, lib. I. Antiq. lectionum cap. 12.

7. *Homineſque negotia gerentes.*] Gembl. & S. Victoris iterùm heic habent *negotii*; probabatque impenſe Gifanius. neque aliter Orationis pro Quintio capite 19. ſ. *ſui negotii bene gerens*: quem locum item adnotarat Gulielmius.

[illegible]

ulteriorem Hiſpaniam, C. Coſconio proconſule? cùm illud
iter Hiſpanienſe pedibus ferè confici ſoleat, aut, ſi quis
navigare velit, certa ſit ratio navigandi: veneriſne in Sar-
diniam, atque inde in Africam? fueriſne, quod ſine ſena-
tuſconſulto tibi facere non licuit, in regno Hiempſalis?
fueriſne in regno Maſtaneſoſi? veneriſne ad fretum per
Mauritaniam? quem ſcias umquam legatum Hiſpanienſem
iſtis itineribus in illam provinciam perveniſſe? factus es tri-
bunus plebis (quid enim te de Hiſpanienſibus flagitiis tuis,
ſordidiſſimiſque furtis interrogem?) [1] quæro abs te primùm
universè, quod genus improbitatis, & ſceleris in eo ma-
giſtratu prætermiſeris? Ac tibi jam inde præſcribo, ne tuas
ſordeis cum clariſſimorum virorum ſplendore permiſceas.
Ego te, quæcumque rogabo, de te ipſo rogabo, neque te
ex ampliſſimi viri dignitate, ſed ex tuis tenebris extraham:
omniaque mea tela ſic in te conjicientur, ut nemo, *per tuum
latus* (quod ſoles dicere) ſaucietur. in tuis pulmonibus, ac
6 viſceribus hærebunt. Et, quoniam omnium rerum ma-
gnarum à diis immmortalibus principia ducuntur, volo ut
mihi reſpondeas tu, qui te Pythagoricum ſoles dicere, &
hominis doctiſſimi nomen tuis immanibus, & barbaris
moribus prætendere, quæ te tanta pravitas mentis tenuerit,
qui tantus furor, ut, cùm inaudita, ac nefaria ſacra ſuſce-
peris, cùm inferorum animas elicere, cùm *puerorum extis*
deos manes mactare ſoleas: auſpicia, quibus hæc urbs con-
dita eſt, quibus omnis reſpublica atque imperium tenetur,
contemſeris? initioque tribunatus tui ſenatui denuntiaris,
tuis actionibus augurum reſponſa, atque ejus collegii ar-
rogantiam impedimento non futuram? Secundum ea quæ-
ro, ſervariſne in eo fidem? num quando tibi moram attu-
lerit, quo minùs concilium advocares, legemque ferres,
quod eo die ſcires de cœlo eſſe ſervatum? Et, quoniam
hic locus unus eſt, quem tibi cum Cæſare communem eſſe
dicas: ſejungam te ab illo, non ſolùm reip. cauſa, verùm
etiam Cæſaris, nequa ex tua ſumma indignitate *labes* illius
dignitati adſperſa videatur. Primùm quæro, num tu ſe-
natui cauſam tuam permittas, quod facit Cæſar? deinde,
quæ ſit auctoritas ejus, qui ſe alterius facto, non ſuo de-
fendat? deinde (erumpet enim aliquando ex me vera vox,
& dicam ſine cunctatione quod ſentio) ſi jam violentior
aliqua in re C. Cæſar fuiſſet, ſi eum magnitudo conten-
tionis, ſtudium gloriæ, præſtans animus, excellens no-
bilitas aliquò impuliſſet, quod in illo viro & tum feren-
dum eſſet, & maximis rebus, quas poſteà geſſit, *oblitte-
randum:* id tu tibi, furcifer, ſumes, & Vatinii latronis,
ac ſacrilegi vox audietur, hoc poſtulantis, ut idem ſibi con-
7 cedatur, quod Cæſari? Sic enim ex te quæro. Tribunus
pleb. fuiſti. [2] ſejunge te à conſule. collegas habuiſti viros
forteis novem. ex his tres erant, quos tu quotidie ſciebas
ſervare de cælo: quos irridebas, quos privatos eſſe dice-
bas: de quibus duos prætextatos ſedenteis vides, te ædili-
tiam prætextam togam, quam fruſtrà confeceras, vendi-
diſſe: tertium ſcis ex illo obſeſſo, atque afflicto tribunatu,
conſularem auctoritatem, hominem eſſe adoleſcentem
conſecutum: reliqui ſex fuerunt: ex quibus partim planè
tecum ſentiebant, partim medium quendam curſum tene-
bant. omnes habuerunt leges promulgatas: in his multas
meus neceſſarius, etiam de mea ſententia, C. Coſconius,
judex noſter: quem, tu diſrumperis, cùm ædilitium vi-
des. Volo uti mihi reſpondeas, num quis ex toto collegio
legem ſit auſus ferre, præter unum te? quæ tanta in te fuit
audacia: quæ tanta vis: ut, cùm novem tui collegæ ſibi ti-
mendum eſſe duxerint, id unus tu, emerſus *è cæno*, o-
mnium facilè omnibus rebus *infimus*, contemnendum,
deſpiciendum, irridendum putares? num quem poſt ur-
bem conditam ſcias tribunum pleb. egiſſe cum plebe, cùm
conſtaret ſervatum eſſe de cœlo? Simul etiam illud volo
uti reſpondeas, cùm, te tribuno plebis, eſſet etiam tum
in repub. lex Ælia, & Fufia: quæ leges ſæpenumero tribu-
nitios furores debilitarunt, & repreſſerunt, quas contra,
præter te, nemo umquam eſt facere conatus, quæ quidem
leges anno pòſt, ſedentibus in templo duobus non conſu-
libus, ſed proditoribus hujus civitatis, ac peſtibus, unà
cum auſpiciis, cum interceſſionibus, cum omni jure pu-
blico conflagraverunt: ecquando dubitaris contra eas leges
cum plebe agere, & concilium convocare? numquem ex
tribunis pleb. quicumque ſeditioſi fuerint, tam audacem
audieris fuiſſe, ut umquam contra legem Æliam, aut Fu-
fiam concilium advocaret? Quæro illud etiam ex te, co- 8
natuſne ſis, volueriſne, denique cogitaris, (eſt enim res
ejuſmodi, ut, ſi tibi modò in mentem venit, nemo ſit,
qui te nullo cruciatu eſſe indignum putet) cogitariſne, in
illo tuo intolerabili, non *regno* (nam cupis id audire) ſed
latrocinio, augur fieri in Q. Metelli locum? ut, quicumque
te adſpexiſſet, duplicem dolorem, gemitumque ſuſciperet,
& ex deſiderio clariſſimi, & fortiſſimi civis, & ex honore
turpiſſimi, atque improbiſſimi? Adeone non labefactam
remp. te tribuno, neque conquaſſatam civitatem, ſed ca-
ptam hanc urbem, atque everſam putares, ut augurem Va-
tinium ferre poſſemus? Hoc loco quæro, ſi, id quod con-
cupieras, augur factus eſſes: in qua tua cogitatione nos, qui
te oderamus, vix dolorem ferebamus: illi autem, quibus
eras in deliciis, vix riſum tenebant: ſed quæro, ſi ad cetera
vulnera, quibus putaſti rempub. deleri, hanc quoque mor-
tiferam plagam inflixiſſes auguratus tui, utrùm decreturus
fueris id, quod augures omnes uſque à Romulo decreve-
runt, Jove fulgente, cum populo agi nefas eſſe, an quia
tu ſemper ſic egiſſes, auſpicia fueris augur diſſoluturus?
Ac, ne diutiùs loquar de auguratu tuo, quod invitus facio,
ut *recorder ruinas reipub.* neque enim tu umquam, ſtante
non modò majeſtate horum, ſed etiam urbe, te augurem
fore putaſti. Verùm tamen, ut ſomnia tua relinquam, 9
ad ſcelera veniam, volo uti mihi reſpondeas: cùm M. Bi-
bulum conſulem, non dicam bene de repub. ſentientem,
ne tu mihi homo potens iraſcare, qui ab eo diſſenſiſti: ſed
hominem certè nuſquam progredientem, nihil in repub.
molientem, tantùm animo ab actionibus tuis diſſentien-
tem: cùm eum tu conſulem in vincla duceres, & à tabula
Valeria collegæ tui mitti juberent: feceriſne ante Roſtra
pontem, continuatis tribunalibus per quem conſul populi
Rom. moderatiſſimus, & conſtantiſſimus, ſublato auxilio,
excluſis amicis, vi perditorum hominum incitata, turpiſſi-
mo, miſerrimoque ſpectaculo, non in *carcerem*, ſed ad
ſupplicium, & ad necem duceretur? quæro, num quis
ante te tam fuerit nefarius, qui id fecerit? ut ſciamus,
utrùm veterum facinorum ſis imitator, an inventor novo-
rum. Idemque tu cùm his, atque hujuſmodi conſiliis, ac
facinoribus, nomine C. Cæſaris, clementiſſimi, atque opti-
mi viri, ſcelere verò, atque audacia tua, M. Bibulum foro,
curia, templis, locis publicis omnibus expuliſſes, *inclu-
ſum domi* contineres, cumque non majeſtate imperii, non
jure legum, ſed januæ præſidio, & parietum cuſtodiis,
conſulis vita tegeretur: miſeriſne viatorem, qui M. Bibu-
lum domo vi extraheret, ut, quod in privatis ſemper eſt
ſervatum, id, te tribuno pleb. conſuli domus exſilium eſſe
non poſſet? Simulque mihi reſpondeto tu, qui nos, qui
de communi ſalute conſentimus, *tyrannos* vocas, fueriſne
non tribunus pleb. ſed intolerandus [3] ex cœno neſcio qui,
atque ex tenebris tyrannus? qui primùm eam rempubli-
cam, quæ auſpiciis inventis conſtituta eſt, iiſdem auſpi-
ciis ſublatis conarere pervertere: deinde ſanctiſſimas leges,
Æliam, & Fufiam dico, quæ in Gracchorum ferocitate, &
in auda-

1. *Quæro abs te primum universè.*] Verbum *universè* reddidit au-
ctori primum Turnebus lib. XXI. Adverſ. cap. II. comparetque
in exemplari S. Victoris.
2. *Sejunge te à Conſule.*] Pal. nonus *ſejungere*, at Erfurd. *à Con-
ſulibus*. quod ultimum placet.
3. *Ex cœno neſcio qui, &c.*] Hæc eſt antiquatarum editionum
lectio, cui adſtipulantur Pall. item Gembl. niſi quod nonnulli,
quis. vulgata, *quo*.

1. Sceleri

in audacia Saturnini, & in colluvione Druſi, & in contentione Sulpicii, & in cruore Cinnano, etiam inter Sullana arma vixerunt, ſolus conculcaris, ac pro nihilo putaris: qui conſulem morti objeceris, incluſum obſederis, extrahere ex ſuis tectis conatus ſis: qui in eo magiſtratu non modò emerſeris *ex mendicitate*, ſed etiam divitiis nos jam tuis terreas: fueriſne tanta crudelitate, ut delectos viros, & principes civitatis tollere, & delere tua rogatione conareris?

10 Cùm L. Vettium, qui in ſenatu confeſſus eſſet ſe cum telo fuiſſe, Cn. Pompejo, ſummo, & clariſſimo civi, ſuis manibus necem afferre voluiſſe, in concionem produxeris, indicem in Roſtris, in illo, inquam, augurato templo, ac loco collocaris, quò auctoritatis exquirendæ cauſa ceteri tribuni pleb. principes civitatis producere conſueverunt, ibi tu indicem Vettium, linguam, & vocem ſuam [1] ſceleri, & menti tuæ præbere voluiſti, ut diceret L. Vettius in concione tua, rogatus à te, ſe auctores, & impulſores, & ſocios habuiſſe ſceleris illius eos viros, quibus è civitate ſublatis, quod tu eo tempore moliebare, civitas *ſtare* non poſſet? M. Bibulum, cujus incluſione contentus non eras, interficere volueras, ſpoliaveras conſulatu, patria privare cupiebas: L. Lucullum, cujus tu rebus geſtis, quod ipſe ad imperatorias laudes à puero videlicet ſpectatas, vehementiùs invidebas: C. Curionem, perpetuum hoſtem improborum omnium, auctorem publici conſilii, libertate communi tuenda maximè liberum, cum filio principe juventutis, cum reip. conjunctiore etiam, quàm ab illa *ætate* poſtulandum fuit, delere voluiſti: L. Domitium, cujus dignitas, & ſplendor [2] præſtringebat, credo, oculos Vatinii, quem tu propter commune odium in bonos, oderas: in poſterum autem propter omnium ſpem, quæ de illo eſt, atque erat, antè aliquanto timebas: L. Lentulum hunc judicem noſtrum, flaminem Martialem, quòd erat eo tempore Gabinii tui competitor, ejuſdem Vettii indicio opprimere voluiſti. Qui ſi tum illam labem, peſtemque viciſſet, quod ei tuo ſcelere non licuit, reſp. victa non eſſet. Hujus etiam filium eodem indicio, & crimine, ad patris interitum aggregare voluiſti. L. Paullum, qui tum quæſtor Macedoniam obtinebat, quem civem? quem virum? qui duos nefarios patriæ proditores, domeſticos hoſteis, *legibus* exterminarat, hominem ad conſervandam remp. natum, in idem Vettii indicium, atque in eundem hunc numerum congregaſti. Quid ego de me querar? qui etiam gratias tibi agere debeo, quòd me ex fortiſſimorum civium numero ſejungendum non putaris.

11 Sed qui fuit ille tuus tantus furor, ut, cùm jam Vettius ad arbitrium tuum peroraſſet, & civitatis lumina notaſſet, deſcendiſſetque de Roſtris, eum repentè revocares, colloquerere, populo Romano vidente? deinde interrogares, ecquoſnam alios poſſet nominare? inculcariſne, ut C. Piſonem, generum meum, nominaret: qui in ſumma copia optimorum adoleſcentium, pari continentia, virtute, pietate reliquit neminem? itemque M. Laterenſem, hominem dies, atque nocteis de laude, & de rep. cogitantem? promulgariſne, impuriſſime, & perditiſſime hoſtis, quæſtionem de tot ampliſſimis, & talibus viris, [3] indicium Vettio, *præmia ampliſſima*? quibus rebus, omnium mortalium non voluntate, ſed convicio repudiatis, fregeriſne in carcere cervices ipſi illi Vettio, nequod indicium corrupti indicii extaret, ejuſque ſceleris in te ipſum *quæſtio* flagitaretur? Et, quoniam crebrò uſurpas, legem te de alternis conſiliis rejiciendis tuliſſe, ut omnes intelligant, te ne rectè quidem facere ſine ſcelere potuiſſe, quæro, cùm lex eſſet æqua promulgata initio magiſtratus, multas etiam alias tuliſſes, exſpectariſne, dum C. Antonius reus fieret [4] apud Cn. Lentulum Clodianum? & poſteaquàm ille eſt reus factus, ſtatim tuleris in eum, qui tuam poſt legem reus factus eſſet: ut homo conſularis excluſus, miſer, puncto temporis ſpoliaretur *beneficio*, & æquitate legis tuæ? Dices, familiaritatem tibi fuiſſe cum Q. Maximo. Præclara defenſio facinoris tui. nam Maximi quidem ſumma laus eſt, ſumtis inimicitiis, ſuſcepta cauſa, quæſitore, conſilioque delecto, commodiorem [5] inimico ſuo conditionem rejectionis dare noluiſſe: nihilque Maximus fecit alienum aut ſua virtute, aut illis viris clariſſimis, Paulis, Maximis, Africanis: quorum gloriam hujus virtute renovatam non modò ſperamus, verùm etiam jam videmus. tua fraus, tuum maleficium, tuum ſcelus illud eſt, te id, quod promulgaſſes *miſericordiæ* nomine, ad crudelitatis tempus diſtuliſſe. Ac nunc quidem C. Antonius hac una re miſeriam ſuam conſolatur, quòd imagines patris, & fratris ſui, fratriſque filiam, non in familia, ſed in carcere collocatas audire maluit, quàm videre.

12 Et quoniam pecunias aliorum deſpicis, de tuis *divitiis* intolerantiſſimè gloriaris, volo uti mihi reſpondeas, feceriſne fœdera tribunus pleb. cum civitatibus, cum regibus, cùm tetrarchis? erogariſne pecunias ex ærario tuis legibus: eripueriſne parteis illo tempore cariſſimas partim à Cæſare, partim à publicanis? Quæ cùm ita ſint, quæro ex te, ſiſne ex pauperrimo dives factus illo ipſo anno, quo lex lata eſt de pecuniis repetundis acerrima: ut omnes intelligere poſſent, à te non modò noſtra acta, quos tyrannos vocas, ſed etiam amiciſſimi tui legem eſſe contemtam. apud quem tu etiam nos criminari ſoles, qui illi ſumus amiciſſimi, cùm tu ei contumelioſiſſimè toties maledicas, quoties illi affinem te eſſe dicis. Atque illud etiam ſcire ex te cupio, quo conſilio, aut qua mente feceris, ut in epulo Q. Arrii, familiaris mei, cum toga pulla accumberes? quem umquam videris? quem audieris? quo exemplo, quo more feceris? Dices, ſupplicationes te illas non probaſſe. optime. nullæ fuerint ſupplicationes. videſne, me nihil de anni illius cauſa, nihil de eo, quod tibi cum ſummis viris commune eſſe videatur, ſed de tuis propriis ſceleribus ex te quærere? Nulla ſupplicatio fuerit. cedò, quis umquam cenarit atratus? ita enim illud epulum eſt funebre, ut munus ſit funeris: epulæ quidem ipſæ, dignitatis.

13 Sed omitto epulum populi Rom. feſtum diem, argento, veſte, omni apparatu, ornatuque viſendo. quis umquam in *luctu domeſtico*, quis in funere familiari cenavit cum toga pulla? cui de balneis exeunti, præter te, toga pulla umquam data eſt? cùm tot hominum millia accumberent, cùm ipſe epuli dominus, Q. Arrius, albatus eſſet, tu in templum Caſtoris [6] te cum C. Fidulo atrato, ceteriſque tuis Furiis funeſtum intuliſti. Quis tum non ingemuit? quis non doluit reip. caſum? quis ſermo alius in illo epulo fuit, niſi, hanc tantam, & tam gravem civitatem, ſubjectam eſſe non modò furori, verùm etiam, irriſioni tuæ? Hunc tu morem ignorabas? numquam epulum videras. numquam puer aut adoleſcens *inter coquos* fueras? Fauſti, adoleſcentis nobiliſſimi, paullo ante ex epulo magnificentiſſimo famem illam veterem tuam non expleras? quem accumbere atratum videras, dominum cum toga pulla, & ejus amicos ante convivium? quæ te tanta tenuit amentia, ut tu, niſi id feciſſes, quod fas non fuit, niſi violaſſes templum Caſtoris, nomen epuli, oculos civium, morem veterem, ejus, qui te invitarat, auctoritatem, parum putares teſtificatum eſſe, ſupplicationes te illas non putare?

---

1. *Sceleri & menti tuæ præbere.*] Pal. ſec. *neci tuæ.* Gulielmius conjiciebat *dementiæ tuæ.* ſed poteſt ſtare vulgata, reſpicitque ad ſequens *moliebare.*

2. *Præſtringebat.*] Sic Pal. ſec. quart. oct. non dec. vulgò erat *perſtringebat.*

3. *Indicium Vettio, præmia ampliſſima.*] Malè hodie editi, *indici.* alterum ſ: tuetur olim cuſis ac Pall. item libro S. Victoris.

4. *Apud Cn. Lentulum Clodianum.*] Vulgata *Cn. Lentulum & Q. Claudium*, ſed præter mſſ. noſtros aliorumque. imo & editio vetuſtior *Cn. Lentulum Q. Claudianum.* videatur Turnebus lib. XXI. cap. II.

5. *Inimico tuo conditionem.*] Ita quidem Erfurd. recepitque Lambinus, ſed Pall. & S. Vict. *concionem.* vulgata, *contentionem.*

6. *Te cum C. Fidulo.*] Nihil variant Palatini. at S. Victoris *Fibulo.* alii legunt *Figulo.* Gulielmius *Fidulio.* Supra ubi erat *cenarit*, repoſui ſuaſu mſſ. *cenarit.*

putare? Quæro illud etiam ex te, quod privatus admiſiſti: in quo certe jam tibi dicere non licebit, cum clariſſimis viris cauſam tuam eſſe *conjunctam:* poſtulatuſne ſis lege [1] Licinia & Junia? edixeritne C. Memmius prætor ex ea lege, ut adeſſes die triceſimo? cùm is dies veniſſet, feceriſne, quod in hac repub. non modò factum ante numquam eſt, ſed in omni memoria ſit omnino inauditum? appellariſne tribunos plebis, ne *cauſam diceres?* levius dixi: quamquam idipſum eſſet & novum, & non ferendum: ſed appellariſne nominatim peſtem illius anni, Furiam patriæ, tempeſtatem reip. Clodium? qui tamen cùm jure, cùm more, cùm poteſtate judicium impedire non poſſet, rediit ad illam vim, & furorem ſuum, ducemque ſe mi-
14 litibus tuis præbuit. In quo, ne quid à me dictum in te potiùs putes, quàm abs te eſſe quæſitum; nullum onus imponam mihi teſtimonii: quæ mihi brevi tempore ex eodem iſto loco video eſſe dicenda, ſervabo, teque non arguam, ſed, ut in ceteris rebus feci, rogabo. Quæro ex te, Vatini, num quis in hac civitate poſt urbem conditam tribunos pleb. appellarit, ne cauſam diceret? num quis reus in tribunal ſui quæſitoris adſcenderit, eumque vi deturbarit? ſubſellia diſſiparit? [2] urnas delegerit? eas denique omneis res in judicio diſturbando commiſerit, quarum rerum cauſa judicia ſunt conſtituta? ſciaſne tum fugiſſe Memmium? accuſatores eſſe tuos de tuis, tuorumque manibus ereptos? judices quæſtionum de proximis tribunalibus eſſe depulſos? in foro, luce, inſpectante populo Rom. quæſtionem, magiſtratus, morem majorum, leges, judices, ſcelerum pœnam eſſe ſublatam? hæc omnia ſciaſne diligentia C. Memmii publicis tabulis eſſe notata, atque teſtata? Atque illud etiam quæro, quod, poſteà quàm es poſtulatus, ex legatione redieris, ne quis te judicia defugere arbitraretur: teque, cùm tibi, utrum velles, liceret, dictitaris cauſam dicere maluiſſe: qui conſentaneum fuerit, cùm *legationis perfugio* uti noluiſſes, appellatione im-
15 probiſſima te ad auxilium nefarium confugiſſe? Et quoniam legationis tuæ facta mentio eſt, volo etiam audire de te, quo tandem S. C. legatus ſis? de geſtu intelligo quid reſpondeas: *tua lege*, dicis. Eſne igitur patriæ certiſſimus parricida? [3] ſperaraſne id, ut patres conſcripti ex repub. funditus tollerentur? ne hoc quidem ſenatui relinquebas, quod nemo umquam ademit, ut legati [4] ex ejus ordinis auctoritate legarentur? adeone tibi ſordidum conſilium publicum viſum eſt? adeo afflictus ſenatus, adeo miſera & proſtrata reſpub. ut non nuntios pacis ac belli, [5] non curatores, non interpretes, non bellici conſilii auctores, non miniſtros muneris provincialis ſenatus more majorum deligere poſſet? Eripueras ſenatui provinciæ decernendæ poteſtatem, imperatoris deligendi judicium, ærarii diſpenſationem: quæ numquam ſibi populus Romanus appetivit, [6] qui numquam hæc à ſummi conſilii gubernatione *auferre* conatus eſt. Age: factum eſt horum aliquid in aliis: raro: ſed tamen factum eſt, ut populus deligeret imperatorem. Quis legatos umquam audivit ſine ſenatuſconſulto? ante te nemo. pòſt continuò fecit idem in duobus prodigiis reip. Clodius: quo etiam majore es malo mactandus, quòd non ſolùm facto tuo, ſed etiam *exemplo* rempub. vulneraſti: neque tantùm es improbus ipſe, ſed etiam alios docere voluiſti. [7] Atque illud etiam audire à te cupio: quare, cum ego legem de ambitu ex S. C. tulerim, ſine vi tulerim, ſalvis auſpiciis tulerim, ſalva lege Ælia & Fufia, tu eam eſſe legem non putes: præſertim cùm ego legibus tuis, quoquo modo latæ ſint, paream. Cùm mea lex dilucidè vetet, BIENNIO, QUO QUIS PETAT, PETITURUSVE SIT, GLADIATORES DARE, NISI EX TESTAMENTO PRÆSTITUTA DIE: quæ tanta in te ſit amentia, ut in ipſa petitione gladiatores audeas dare? num quem putes illius tui certiſſimi gladiatoris [8] ſimilem tribunum pleb. poſſe reperiri, qui ſe interponat, quo minùs reus mea lege fias? [9] Ob haſce omneis res, ſciaſne te ſeveriſſimorum hominum, Sabinorum, fortiſſimorum virorum, Marſorum & Pelignorum, tribulium tuorum judicio notatum, nec poſt Romam conditam, præter te, tribulem quemquam, tribum Sergiam perdidiſſe? Ac ſi hæc omnia contemnis, 16
ac deſpicis, quòd ita tibi perſuaſeris, ut palàm dictitas, te *diis, hominibuſque invitis,* amore in te incredibili quodam C. Cæſaris, omnia, quæ velis, conſecuturum: ecquid audieris, ecquiſnam tibi dixerit, C. Cæſarem nuper Aquilejæ, cùm de quibuſdam eſſet mentio facta, dixiſſe, C. Alfium præteritum permoleſtè tuliſſe, quòd in homine ſummam fidem, probitatemque cognoſſet: graviterque etiam ſe ferre, prætorem aliquem eſſe factum, qui à ſuis rationibus diſſenſiſſet? tum quæſiſſe quendam, de Vatinio quemadmodum ferret, ipſum reſpondiſſe, Vatinium in tribunatu *gratis* nihil feciſſe? qui omnia in pecunia poſuiſſet, honore animo æquo carere debere? Quod ſi ipſe, qui te ſuæ dignitatis augendæ cauſa, periculo tuo, nullo ſuo delicto ferri præcipitem eſt facilè paſſus, tamen te omni honore indigniſſimum judicat: ſi te vicini, [10] ſi affines, ſi tribules ita oderunt, ut repulſam tuam, triumphum ſuum duxerint: ſi nemo adſpicit, quid ingemiſcat, nemo mentionem facit, quin execretur: ſi vitant, fugiunt, audire de te nolunt: cùm viderunt, tanquam *auſpicium malum* deteſtantur: ſi cognati reſpuunt, tribules exſecrantur, vicini metuunt, affines erubeſcunt; ſtrumæ denique ab ore improbo demigrarunt, & aliis jam ſe locis collocarunt: ſi es odium publicum populi, ſenatus [11] univerſorum hominum ruſticanorum; quid eſt, quam ob rem præturam potius exoptes, quàm mortem? præſertim cùm popularem te velis eſſe, neque ulla in re populo gratius facere poſſis? Sed ut, aliquando audiamus, [12] quàm copioſè mihi ad rogata reſpondeas, concludam jam interrogationem meam, teque in extremo pauca de ipſa cauſa rogabo.
Quæro, quæ tanta in te vanitas, tanta levitas fuerit, ut in 17
hoc judicio T. Annium iiſdem verbis laudares, quibus eum laudare & boni viri, & boni cives conſueverunt, cùm in eundem nuper ab eadem illa tæterrima Furia productus ad populum, cupidiſſimè *falſum teſtimonium* dixeris? An

erit

---

1. *Licinia & Junia.*] Haud aliter quoque Palatini, niſi quod quidam inclinare videntur in *Viniam.* ſed ita omnino quoque Erfurd. ac S. Victoris. recepta lectio, *Julia.* adeatur d. cap. 11. Turnebus.

2. *Urnas delegerit.*] Reduxi in fundum ſuum lectionem vett. editionum, firmatam à Pall. & S. Victoris. poſitumque pro *dejecerit*, ut nonnullis videtur. nam alii nihil putant mutandum. Sic Plauti Caſina: *Hinc med. amantem ex ædibus delegit hujus mater.*

3. *Speraraſne id.*] Ita neotericæ edd. nam veteres *ſpectariſne*, quod & in Pal. quart. quint. ſept. non. & S. Victoris. veterrimæ, *ſpectaraſne*, quomodo & Pal. pr. ſec.

4. *Ex ejus ordinis auctoritate legarentur.*] Pal. nonus *relegarentur*; quod eſſet, *rurſus legarentur.*

5. *Non curatores.*] Pal. idem, *non accuſatores.* Gulielmius inclinat legere *oratores.*

6. *Qui numquam hæc à ſummi conſilii gubernatione auferre conatus eſt.*] Pall. omnes, ut & olim cuſi, *qui numquam aut ſummi conſ. gubernationem auferre con.* unde fecit Lambinus, *ante ſummo conſilio.* non ineptè.

7. *Atque illud etiam audire.*] Lambinus è mſſ. præmiſit his illud quod paullo poſt ſequitur, *ob haſce, &c. perdidiſſe.* & ita quoque viſebatur in exemplari S. Victoris, item Pal. noni: neque abſurdum fuerit. abſunt enim ceteris Pall. item editionibus priſcis.

8. *Similem tribunum plebis poſſe reperiri.*] Non eſt contemnendum quod erui è S. Victoris codice ac Pal. nono, *plebis eſſe reperiri.*

9. *Ob haſce omneis res, ſciaſne te, &c.*] Ita legit e mſſ. Turnebus, reperitque in S. Victoris Gulielmius, neque aliter Pal. nonus. particula *ne* exſulat ab aliis edd.

10. *Si affines.*] Voculas iſtas duas recepi, quod extarent in S. Vict. in Pal. nono aliiſque.

11. *Univerſorum hominum ruſticanorum.*] Illud *ruſticanorum* recepit in contextum Lambinus, reperiturque in S. Victoris, & Pal. nono item Erfurd. aliis libris deeſt.

12. *Quam copioſè mihi ad rogata.*] Eſt iſtud quoque ab iiſdem libris. vulgo enim eſt, *quàm copioſè ad interrogata.*

1. Oppu-

erit hæc optio, & poteſtas tua, ut, cùm Clodianas operas, & facinoroſorum hominum, & perditorum manum videris, Milonem dicas, id quod in concione dixiſti, gladiatoribus, & beſtiariis obſediſſe rempub. cùm autem ad taleis viros veneris, non audeas civem ſingulari virtute, fide, conſtantia vituperare? Sed, cùm T. Annium tantopere laudes, & clariſſimo viro nonnullam laudatione tua labeculam adſpergas (in illorum enim numero mavult T. Annius eſſe, qui à te *vituperantur*) verum etiam quæro, cùm in rep. adminiſtranda T. Annio cum P. Sextio conſiliorum omnium ſocietas fuerit (id quod non ſolum bonorum, verùm etiam improborum judicio declaratum eſt: eſt enim reus uterque ob eandem cauſam, & eodem crimine: alter die dicta ab eo, quem tu unum improbiorem eſſe, quàm te, numquam ſoles confiteri: alter tuis conſiliis, illo tamen adjuvante) quæro, qui poſſis eos, quos crimine conjungis, teſtimonio disjungere. Extremum illud eſt, quod mihi abs te reſponderi velim: cùm multa in Albinovanum de prævaricatione diceres, dixeriſne, nec tibi placuiſſe, nec oportuiſſe Sextium de vi reum fieri? quavis lege, quovis crimine accuſandum potiùs fuiſſe? etiam illud dixeris, cauſam Milonis, fortiſſimi viri, conjunctam cum hoc exiſtimari? quæ pro me à Sextio facta ſint, bonis eſſe grata? Non coarguo *inconſtantiam* orationis, ac teſtimonii tui. Quas enim hujus actiones probatas bonis eſſe dicis, in eas pluribus verbis teſtimonium dixiſti: quicum autem ejus cauſam, periculumque conjungis, eum ſummis laudibus extuliſti. Sed hoc quæro, num P. Sextium, qua lege accuſandum omnino fuiſſe negas, ea lege condemnari putes oportere? aut, ſi te in teſtimonio conſuli nolis, ne quid tibi auctoritatis à me tributum eſſe videatur, dixeriſne in eum teſtimonium de vi, quem negaris reum omnino de vi fieri debuiſſe?

M. TULLIUS CICERO PRO M. COELIO.

ORATIO TRICESIMAQUARTA.

1 SI QUIS judices, fortè nunc adſit, ignarus legum, judiciorum, conſuetudinis noſtræ: miretur profectò, quæ ſit tanta *atrocitas* hujuſce cauſæ, quod diebus feſtis, ludiſque publicis, omnibus negotiis forenſibus intermiſſis, unum hoc judicium exerceatur: nec dubitet, quin tanti facinoris reus arguatur, ut, eo neglecto, civitas ſtare non poſſit. Idem, cùm audiat eſſe legem, quæ de ſeditioſis, conſceleratiſque civibus, qui armati ſenatum obſederint, magiſtratibus vim attulerint, remp. oppugnarint, quotidie quæri jubeat: legem non improbet: crimen, quod verſetur in judicio, requirat. cùm audiat, nullum facinus, nullam audaciam, nullam vim in judicium vocari: ſed adoleſcentem illuſtri ingenio, induſtria, gratia, accuſari ab ejus filio, quem ipſe in judicium & vocet, & vocarit: [1] oppugnari autem hunc *opibus meretriciis:* [2] Atratini illius pietatem non reprehendat, muliebrem libidinem comprimendam putet; vos laborioſos exiſtimet, quibus otioſis ne in communi quidem otio liceat eſſe. Etenim, ſi [3] attendere diligenter, exiſtimareve de omni hac cauſa volueritis; ſic conſtituetis, judices, nec deſcenſurum quemquam ad hanc accuſationem fuiſſe, cui, utrum vellet, liceret: nec, cùm deſcendiſſet, quidquam habiturum ſpei fuiſſe, niſi alicujus intolerabili *libidine*, & nimis acerbo *odio* niteretur. ſed ego Atratino, humaniſſimo, atque optimo adoleſcenti meo, neceſſario, ignoſco, qui habet excuſationem vel *pietatis*, vel *neceſſitatis*, vel *ætatis*. ſi voluit accuſari: pietati tribuo. ſi juſſus eſt: neceſſitati. ſi ſperavit aliquid: pueritiæ. ceteris non modò nihil ignoſcendum, ſed etiam acriter eſt
2 reſiſtendum. Ac mihi quidem videtur, judices, hic introitus defenſionis, adoleſcentiæ M. Cœlii maximè convenire, ut ad ea, quæ accuſatores, deformandi hujus cauſa, detrahendæ, ſpoliandæque dignitatis gratia, dixerunt, primùm reſpondeam. Objectus eſt pater variè, quòd aut parum ſplendidus ipſe, aut *parum piè* tractatus à filio diceretur. De dignitate, Cœlius notis, ac majoribus natu, etiam ſine mea oratione, tacitus, facilè ipſe reſpondet. quibus autem, propter ſenectutem, quod jam diu minùs in foro nobiſcum verſatur, [4] non æquè eſt cognitus: hi ſic habeant: quæcumque in equite Romano dignitas eſſe poſſit, quæ certè poteſt eſſe maxima, eam ſemper in M. Cœlio habitam eſſe ſummam, hodieque haberi, non ſolum à ſuis, ſed etiam ab omnibus, quibus potuerit aliqua de cauſa eſſe notus. Equitis autem Rom. eſſe filium, criminis loco poni ab accuſatoribus, neque his judicantibus oportuit, neque defendentibus nobis. Nam, quod de pietate dixiſtis, eſt quidem iſta noſtra exiſtimatio, ſed *judicium* certè parentis. quid nos opinemur, audietis ex juratis. quid parentes ſentiant, lacrymæ matris, incredibiliſque mœror, ſqualor patris, & hæc præſens mœſtitia, quam cernitis, luctuſque declarat. Nam, quod eſt objectum, municipibus eſſe adoleſcentem non probatum ſuis: [5] nemini umquam præſenti Puteolani majores honores habuerunt, quàm abſenti M. Cœlio: quem & abſentem in ampliſſimum ordinem cooptarunt, & ea non petenti detulerunt, quæ multis petentibus denegarunt: iidemque nunc lectiſſimos viros, & noſtri ordinis, & equites Rom. cum legatione ad hoc judicium, & cum graviſſima, atque ornatiſſima laudatione miſerunt. Videor mihi jeciſſe fundamenta defenſionis meæ: quæ firmiſſima ſunt, ſi nituntur *judicio ſuorum*. neque enim vobis ſatis commendata hujus ætas eſſe poſſet, ſi non modò parenti, tali viro, verùm etiam municipio tam illuſtri, ac tam gravi diſpliceret. Equidem, ut ad me revertar, ab 3
his fon-

1. *OPpugnari autem hunc opibus meretriciis.*] Pall. meliores, *oppugnari hæc opibus mer.* deteriores habent quidem *autem*, ſed in nullo exſtat *hunc*, ejuſque loco habet editio vetus, *hoc*.

2. *Atratini illius.*] Sic omnes quidem libri. ſed Muretus ad 1. Catilin. delet illud *Atratini*, tanquam irreptitium.

3. *Attendere diligenter, exiſtimareve de omni, &c.*] Recepi ſcripturam Pal. ſec. cui omnino accedunt ceteri, in quibus, *exiſtimare verè*, quomodo & S. Victoris exemplar & vetuſtius cuſi. recentiores finxere, *exiſtimare verò de.* quod quàm non agnoverint veteres, inde liqueat, quod ad marginem S. Vict. videatur, *att. dilig. atque exiſtimare.*

4. *Non æquè eſt cognitus.*] Apparet Lambinum paucos inſpexiſſe mſſ. cum affirmet iſtud *æquè* iis abeſſe. equidem non comparet in Pal. tertio; ſed viſitur tamen in ceteris omnibus, pr. ſec. quart. oct. nono, item in olim cuſis.

5. *Nemini umquam præſenti Puteolani.*] Vox *Puteolani* non eſt Tullii noſtri, certè editiones tres ævi priſci, præferunt *Prætoriani*, neque aliter plerique ſcripti noſtri; inter quos tert. quintus & octavus habent, *præſenti Prætori*, quod mihi non omnino abſurdum. ſed cum S. Vict. habeat ad oram aliàs *pirieſtutiani*; videtur fuiſſe *prætutiani*. *Prætutianam* ſanè religionem claram inter Italicas notum cuilibet, vel ex Plinii lib. III. Nat. Hiſt. cap. 13. & 14.

his fontibus profluxi ad hominum famam: [1] & meus hic forenſis labor, vitæque ratio dimanavit ad exiſtimationem hominum paullo latiùs commendatione ac judicio meorum. Nam, quod objectum eſt de pudicitia, quodque omnium accuſatorum non criminibus, ſed vocibus, maledictiſque celebratum eſt, id numquam tam acerbè feret M. Cœlius, ut eum pœniteat non deformem eſſe natum. ſunt etenim iſta *maledicta* pervulgata in omneis, quorum in adoleſcentia forma & ſpecies fuit liberalis. Sed ALIUD eſt maledicere, aliud accuſare. accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, [2] hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet. maledictio autem nihil habet propoſiti, præter contumeliam: quæ [3] ſi petulantiùs jactatur, *convicium*: ſi facetiùs, *urbanitas* nominatur. quam quidem partem accuſationis admiratus ſum, & moleſte tuli potiſſimum eſſe Atratino datam. neque enim decebat, neque *ætas* illa poſtulabat, neque id quod animadvertere poteratis, pudor patiebatur optimi adoleſcentis, in tali illum oratione verſari. Vellem aliquis ex vobis robuſtioribus hunc maledicendi locum ſuſcepiſſet. aliquanto liberiùs, & fortiùs, & magis more noſtro refutaremus iſtam maledicendi licentiam. Tecum, Atratine, agam leviùs, quòd & pudor tuus moderatur orationi meæ: & meum erga te, parentemque tuum beneficium tueri debeo. Illud tamen te eſſe admonitum volo: [4] primum QUALIS ES, TALEM TE ESSE EXISTIMES; ut, quantum à rerum turpitudine abes, tantum te à verborum libertate ſejungas: deinde, ut ea in alterum ne dicas, quæ cùm tibi falsò reſponſa ſint, *erubeſcas*. Quis eſt enim, cui via iſta non pateat? qui [5] iſti ætati atque etiam dignitati, non poſſit quam velit petulanter, etiam ſi ſine ulla ſuſpicione, at non ſine argumento, maledicere? Sed iſtarum partium culpa eſt eorum, qui te agere voluerunt: laus pudoris tui, quod ea te invitum dicere videbamus: ingenii, quòd ornatè, politeque dixiſti.

4 Verum ad iſtam omnem orationem brevis eſt defenſio. nam quod ætas M. Cœlii dare potuit iſti ſuſpicioni locum, fuit primum ipſius pudore, deinde etiam patris diligentia, diſciplinaque *munita*: qui ut huic virilem togam dedit, [6] nihil hoc loco de me (tantum ſit, quantum vos exiſtimatis) hoc dicam, hunc à patre continuò ad me eſſe deductum. nemo hunc M. Cœlium in illo ætatis flore vidit, niſi aut cum patre, aut mecum, aut in M. Craſſi caſtiſſima domo, cùm artibus honeſtiſſimis erudiretur. Nam quòd Catilinæ *familiaritas* objecta Cœlio eſt, longe ab iſta ſuſpicione abhorrere debet. Hoc enim adoleſcente ſcitis conſulatum mecum petiſſe Catilinam. ad quem ſi acceſſit, aut ſi a me diſceſſit umquam, (quamquam multi boni adoleſcentes illi homini nequam, atque improbo ſtuduerunt:) tum exiſtimetur Cœlius Catilinæ nimium familiaris fuiſſe. At enim poſtea ſcimus, & vidimus eſſe hunc in illius amicis. Quis negat? ſed ego illud tempus ætatis, quod ipſum *ſua ſponte* infirmum aliorum libidine infeſtum eſt, id hoc loco defendo. fuit aſſiduus mecum, prætore me: non noverat Catilinam. Africam tum prætor ille obtinebat. ſecutus eſt annus. cauſam de pecuniis repetundis Catilina dixit. mecum erat hic: illi ne advocatus quidem venit umquam. deinceps fuit annus, quo ego conſulatum petivi. petebat Catilina mecum. numquam ad illum acceſſit: à me numquam receſſit.

5 Tot igitur annos verſatus in foro ſine ſuſpicione, ſine infamia, ſtuduit Catilinæ iterum petenti. Quem ergo ad finem putas cuſtodiendam illam ætatem fuiſſe? Nobis quidem olim annus erat unus ad cohibendum brachium *toga*, conſtitutus: & ut exercitatione, ludoque [7] campeſtri tunicati uteremur. eademque erat, ſi ſtatim mereri ſtipendia cœperamus, caſtrenſis ratio, ac militaris. qua in ætate niſi qui ſe ipſe ſua gravitate, & caſtimonia, & cùm diſciplina domeſtica, tum etiam *naturali quodam bono* defenderat; quoquo modo à ſuis cuſtoditus eſſet, tamen infamiam veram effugere non poterat. [8] Sed qui prima illa imperia ætatis, integra, atque inviolata præſtitiſſet: de ejus fama, ac pudicitia, cùm is jam ſe corroboraviſſet, ac vir inter viros eſſet, nemo loquebatur. Studuit Catilinæ, cùm jam aliquot annos eſſet in foro, Cœlius. & multi hoc *idem* ex omni ordine, atque ex omni ætate fecerunt. habuit enim ille, ſicuti meminiſſe vos arbitror, permulta maximarum non expreſſa ſigna, ſed adumbrata virtutum. utebatur hominibus improbis multis: & quidem optimis ſe viris deditum eſſe ſimulabat. erant apud illum illecebræ libidinum multæ: erant etiam induſtriæ quidam ſtimuli, ac laboris. flagrabant vitia libidinis apud illum: vigebant etiam ſtudia rei militaris. neque ego umquam fuiſſe tale *monſtrum* in terris ullum puto, tam ex contrariis, diverſiſque inter ſe pugnantibus naturæ ſtudiis, cupiditatibuſque conflatum.

6 Quis clarioribus viris quodam tempore jucundior? quis turpioribus conjunctior? quis civis meliorum partium aliquando? quis tætrior hoſtis huic civitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior? quis in largitione effuſior? Illa verò, judices, in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos *amicitia*, tueri obſequio, cum omnibus communicare quod habebat, ſervire temporibus ſuorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, ſcelere etiam, ſi opus eſſet, & audacia: verſare ſuam naturam, & regere ad tempus, atque huc, & illuc torquere, & [9] *flectere*: cum triſtibus ſevere, cum remiſſis jucundè, cum ſenibus graviter, cum juventute comiter, cum facinoroſis audaciter, cum libidinoſis luxurioſè vivere. Hac ille tam varia, multiplicique natura, cùm omneis omnibus ex terris homines improbos, audaceiſque collegerat: tum etiam multos forteis viros, & bonos *ſpecie quadam virtutis* aſſimulatæ tenebat. neque umquam ex illo delendi hujus imperii [10] tam conſceleratus impetus exſtitiſſet, niſi tot vitiorum tanta immanitas quibuſdam facilitatis, & patientiæ radicibus niteretur. Quare iſta conditio, judices, reſpuatur, nec Catilinæ familiaritatis crimen hæreat. eſt enim commune cum multis, & cum quibuſdam etiam bonis. Me ipſum, me, inquam, quondam pænè ille decepit, cùm & civis mihi bonus, & optimi cujuſque cupidus, & firmus amicus, ac fidelis videretur. cujus ego facinora oculis prius, quàm opinione, manibus antè, quàm ſuſpicione, deprehendi. cujus in magnis catervis amicorum, ſi fuit etiam Cœlius, magis eſt, ut ipſe moleſte ferat erraſſe ſe, ſicuti nonnunquàm

1. *Et meus hic forenſis labor.*] Pal. nonus & Turingicus liber, & *omnis hic*, ix. c. t et non ut meus vulgato.

2. *Hominem ut notet*, &c.] Hotomanus Diſputationum juris civilis tomo 1. emendat, *nomen ut notet*: meo judicio parum venuſte, & tamen P. Manutius publicavit, *nomine ut notet*; præter libros profecto.

3. *Si petulantius jactatur.*] Muretus lib. IIX. Var. lect. cap. 10. conjicit. *jactatur*. quaſi altera ferri æquè nequeat.

4. *Primum, qualis es, talem te eſſe, exiſtimes.*] Lambinus locum iſtum e ſede collocavit, prætextu mſſ. ſuorum. at vulgata hæc, diſerte reſtat in Pal. octavo & Gruteriano, neque abeunt pr. quart. quint. ut nec omnis editio vetuſtate rancidior, niſi quod omittant illud *eſſe*. in nullo autem noſtrorum extat illud Lambinianum *ut* poſt *primum*, niſi in S. Victoris, ſed a manu ſecunda. *hi* verò eius, omnes ad unum reſpuunt.

5. *Iſti ætati atque etiam dignitati.*] Non eſt quod iſta repetamus; ab Agrætio: reſtant in primis edd. praeque ſe ferunt Pall. plures, *item* Grut.

6. *Nihil hoc loco de me.*] Vocabulum *dicam*, eſſe à librariis; certè non eſſe in Pal. nono aut ſec. aut Grut. oculatus ſum teſtis, ideoque abjeci. belle quis repetit ex mox ſequentibus.

7. *Campeſtri tunicati.*] Pal. nonus & Erfurd. *campeſtri cauti*. reſtat tamen alterum in ceteris mſſ. niſi quod Grut. liber, *tunica*; quod & in editione principe.

8. *Sed qui prima illa imperia ætatis*, &c.] Malui iſtud cum Pal. ſec. cum accederet item nonus, in quo *illa imputatis*; quam retrò vulgatum, *illa initia ætatis*. haud infitior tamen in Pal. tert. ac Gruteriano eſſe tantum, illa *ætatis* ſine voce media.

9. *Flectere & torquere.*] Pal. ille nonus, *torquere, affligere*. diſpiciant otioſiores. neque enim temerarium eſt.

10. *Tam conſceleratus impetus.*] Ita Pall. noſtri item Gembl. ac S. Victoris. vulgata *ſceleratus*.

1. In

quàm in eodem homine me quoque erroris mei pœnitet,
7 quam ut iſtius *amicitiæ crimen* reformidet. Itaque à maledictis pudicitiæ ad conjurationis invidiam oratio eſt veſtra delapſa. poſuiſtis enim, atque id tamen titubanter, & ſtrictim, conjurationis hunc, propter amicitiam Catilinæ, participem fuiſſe. [1] in quo non modò crimen non hærebat, ſed vix diſerti adoleſcentis cohærebat oratio. Qui enim tantus furor in Cœlio? quod tantum aut in *moribus*, *naturaque* vulnus, aut in re, *atque fortuna*? ubi denique eſt in iſta ſuſpicione Cœlii nomen auditum? Nimiùm multa de re minimè dubia loquor: hoc tamen dico, non modò ſi ſocius conjurationis, ſed niſi inimiciſſimus iſtius ſceleris fuiſſet, numquam conjurationis accuſatione adoleſcentiam ſuam potiſſimùm commendare voluiſſet: quod, haud ſcio, an de ambitu, & de criminibus iſtis ſodalium, ac ſequeſtrium (quoniam huc incidi) ſimiliter reſpondendum putem. numquam enim tam Cœlius amens fuiſſet, ut, ſi ſe iſto infinito ambitu commaculaſſet, ambitus alterum *accuſaret:* neque ejus facti in altero ſuſpicionem quæreret, cujus ipſe ſibi perpetuam licentiam optaret: nec, ſi ſibi ſemel periculum ambitus ſubeundum putaret, ipſe alterum iterum ambitus crimine arceſſeret. quod quamquam nec ſapienter, & me invito facit, [2] tamen eſt ejuſmodi cupidinis, ut magis inſectari alterius innocentiam, quàm de ſe timidè cogitare videatur. Nam quod æs alienum objectum eſt, ſumtus reprehenſi, tabulæ flagitatæ: videte, quàm pauca reſpondeam. Tabulas, qui in *patris* poteſtate eſt, nullas conficit. verſuram numquam omnino fecit ullam. Sumtus unius generis objectus eſt, habitationis: triginta millibus dixiſtis eum habitare. Nunc demum intelligo, P. Clodii inſulam eſſe venalem, cujus hic [3] in ædiculis habitet, decem, ut opinor, millibus: vos autem, dum illi placere vultis, ad tempus ei mendacium veſtrum accommodaviſtis. Reprehendiſtis, à patre quòd *ſemigrarit*. quod quidem jam in hac ætate minimè reprehendendum eſt. qui cùm & ex reipub. cauſa, eſſet mihi quidem moleſtam, ſibi tamen glorioſam, victoriam conſecutus, & per ætatem magiſtratus petere poſſet, non modò permittente patre, ſed etiam ſuadente, ab eo ſemigravit: &, cùm domus patris à foro longè abeſſet, quo facilius & noſtras domus obire, & ipſe à ſuis coli poſſet, conduxit in Palatio,
8 non magno, domum. Quo loco poſſum dicere id, quod clariſſimus, M. Craſſus, cùm de adventu regis Ptolemæi quereretur, paulo antè dixit, ,, *Utinam ne in nemore Pelio* -- ac longius quidem mihi contexere hoc carmen, liceret. ,, *Nam numquam hera errans* hanc moleſtiam nobis exhiberet, ,, *Medea animo ægra, amore ſævo ſaucia.* -- Sic enim, judices, reperietis, quòd, cùm ad id loci venero, oſtendam, hanc Palatinam Medeam, migrationemque huic adoleſcenti cauſam ſive malorum omnium, ſive potius ſermonum fuiſſe. Quamobrem illa, quæ ex accuſatorum oratione præmuniri jam, & fingi intelligebam, fretus veſtra prudentia, judices, non pertimeſco. Ajebant enim fore teſtem ſenatorem, qui ſe pontificiis comitiis *pulſatum* à Cœlio diceret. à quo quæram, ſi prodierit: primùm cur ſtatim nihil egerit: deinde, ſi id queri, quàm agere maluerit, cur productus à vobis potiùs, quàm ipſe per ſe: cur tanto pòſt potius, quàm continuò, queri maluerit. Si mihi ad hæc acutè, arguteque reſponderit: tum quæram denique ex quo iſte fonte ſenator emanet. nam ſi ipſe orietur, & naſcetur ex ſeſe: fortaſſe, ut ſoleo, commovebor. [4] ſin autem, ut rivulus, arceſſitus, & ductus ab ipſo capite accuſationis veſtræ: lætabor, cùm tanta gratia, tantiſque opibus accuſatio veſtra nitatur, unum ſenatorem ſolum eſſe, qui vobis gratificari vellet, inventum. Nec tamen illud genus alterum nocturnorum teſtium pertimeſco. eſt enim dictum ab illis, fore qui dicerent, uxores ſuas à cena redeunteis, *attrectatas* eſſe à Cœlio. Graves erunt homines, [5] qui hoc jurati dicere audebunt: cùm ſit his confitendum, numquam ſe, ne congreſſu quidem, & conſtitutò cœpiſſe de tantis injuriis experiri. Sed totum genus oppu- 9
gnationis hujus, judices, & jam proſpicitis animis, &, cùm inferetur, propulſare debebitis. non enim ab iiſdem accuſatur M. Cœlius, à quibus oppugnatur. palam in eum tela jaciuntur, *clam ſubminiſtrantur*. Neque id ego dico, ut invidioſum ſit in eos, quibus glorioſum hoc etiam eſſe debet. funguntur officio: defendunt ſuos: faciunt quod viri fortiſſimi ſolent. læſi dolent, irati efferuntur, pugnant laceſſiti. ſed veſtræ ſapientiæ tamen eſt, judices, non, ſi cauſa juſta eſt viris fortibus oppugnandi M. Cœlium, ideo vobis quoque vos cauſam putare eſſe juſtam alieno dolori potiùs, quam veſtræ fidei conſulendi. Quæ ſit multitudo in foro, quæ genera, quæ ſtudia, quæ varietas hominum, videtis. ex hac copia quam multos eſſe arbitramini, qui hominibus potentibus, gratioſis, diſertis, cùm aliquid eos velle arbitrentur, *ultro ſe offerre* ſoleant, operam navare, teſtimonium polliceri? Hoc ex genere ſi qui ſe in hoc judicium forte projecerint: excluditote eorum cupiditatem, judices, ſapientia veſtra: ut eodem tempore & hujus ſaluti, & religioni veſtræ, & contra periculoſiſſimas hominum potentias conditioni omnium civium providiſſe videamini. Equidem vos abducam à teſtibus: neque hujus judicii veritatem, quæ mutari nullo modo poteſt, in voluntate teſtium collocari ſinam: [6] quæ facillimè fingi, nullo negotio flecti, ac detorqueri poteſt. argumentis agemus: ſignis omni luce clarioribus crimina refellemus. res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione pugnabit. Itaque illam 10
partem cauſæ facilè patior graviter, & ornatè à M. Craſſo eſſe peroratam, de ſeditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum pulſatione Puteolana, de bonis Pallæ. Vellem dictum eſſet ab eodem etiam de Dione. de quo ipſo tamen quid eſt, quod expectetis: quod is, qui fecit, aut non timet, aut etiam fatetur? [7] eſt enim reus, qui hujus dictus eſt & adjutor fuiſſe, & conſcius, P. Aſcitius, is judicio eſt liberatus. Quod igitur eſt hujuſmodi crimen, ut, qui commiſit, non neget: [8] qui negavit, abſolutus ſit: id hic pertimeſcat, qui non modò à facto, verùm etiam à *conſcientiæ* ſuſpicione abfuit? &, ſi Aſcitio cauſa plus profuit, quam nocuit invidia, huic oberit tuum maledictum, qui iſtius facti non modò ſuſpicione, ſed ne infamia quidem eſt adſperſus? At prævaricatione eſt Aſcitius liberatus. Perfacile eſt iſti loco reſpondere, mihi præſertim, à quo illa cauſa defenſa eſt. Sed Cœlius optimam cauſam Aſcitii eſſe arbitratur: cujuſmodi autem ſit, à ſua putat eſſe *ſejunctam*: neque ſolùm Cœlius, ſed etiam adoleſcentes humaniſſimi, & doctiſſimi, rectiſſimis ſtudiis; atque optimis artibus præditi,

1. *In quo non modò crimen non hærebat.*] Aſſeverat Lambinus libros veteres omnes habere *non inhærebat.* at ego contra teſtor nullum e Palatinis illud firmare præterquam tertium. & tantum abeſt ut ita legi debeat, ut palam ſtet pro altera ſcriptura Tullius pro Comœdo cap. 6. *poteſt hoc hoc homini huic hærere peccatum?* item heic infra cap. 23 *num petivit? ne crimen hæreret?*

2. *Tamen eſt ejuſmodi cupidinis.*] Prius erat *cupidus.* ſuppoſui alterum e Gemblacenſi; cum nihil juvarent Pall.

3. *In ædiculis habitat.*] Placuit Gulielmio *habet*, quod alicubi legitur, antiquè pro *habitat.*

4. *Sin autem eſt rivulus, arceſſitus, &c.*] Ita Pall. noſtri & S. Victoris, non ut hodie cuſi, *ut rivulus.* nam antiquior editio, *ex rivulis.* Ceterùm indicavit Turnebus lib. xxvii. Adverſ. cap. 23. Donatum in Terentii Eunucho iſthæc laudare actu v. ſcena 8. hac forma: *ſin erit ex iſto fonte manans.* acutè: ut ludat in ambiguo. poterit enim intelligi, rivalis Cœlii in Clodiam.

5. *Qui hoc jurati dicere audeant.*] Lambinus *audebunt*, & ſic exemplar S. Vict. ac Grut.

6. *Quæ facillimè fingi.*] Sic Pal. non ſec. tert. Gulielmius conjicit *confingi.* quod non video cur præferri debeat vulgato. ſed deceptus fuerat vulgato [illegible].

7. *Eſt enim reus qui hujus dictus eſt adjutor fuiſſe & ſocius P. Aſitius.*] Ita fere Pal. nonus, & ceteri, niſi quod plerique eorum, *eſt enim rex*, item *& conſcius.* ſed neque conſentiunt in nomine hominis. habent enim *Aſius*, *Aſicius*, *Aſinius*, *Aſitius*, *Aſſitius.*

8. *Qui negat, abſolutus ſit.*] Sic Pall. omnes; item olim cuſi; poſteriores enim *qui non negat.*

prædici, Titus, Cajuſque Coponii: qui ex omnibus maximè Dionis mortem doluerunt: qui cùm doctrinæ ſtudio, atque humanitatis, tum etiam hoſpitio Dionis tenebantur. Habitabat is apud L. Lucceium, ut audiſtis. fuerat ei cognitus Alexandriæ. Quid aut hic, aut ſummo ſplendore præditus, frater ejus, de M. Cœlio exiſtimet, ex ipſis, ſi producti erunt, audietis. Ergo hæc removeantur, ut ali-
11 quando, in quibus cauſa nititur, ad ea veniamus. Animadverti enim, judices, audiri à vobis meum familiarem, L. Herennium, perattente. in quo etſi magna ex parte ingenio ejus, & dicendi genere quodam tenebamini: tamen nonnumquam verebar, ne illa ſubtiliter ad criminandum inducta oratio, [1] ad animos veſtros ſenſim, ac leniter accideret. dixit enim multa de luxuria, multa de libidine, multa de vitiis juventutis, multa de moribus: &, qui in reliqua vita mitis eſſet, & in hac ſuavitate humanitatis, qua prope jam delectantur homines, verſari perjucundè ſoleret, fuit in hac cauſa pertriſtis quidam *patruus*, *cenſor*, *magiſter*. objurgavit M. Cœlium, ſicut neminem umquam parens. multa de incontinentia, intemperantiaque diſſeruit. Quid quæritis, judices? ignoſcebam vobis attentè audientibus, propterea quòd egomet tam triſte illud, & tam aſperum genus orationis horrebam. Ac prima pars fuit illa, quæ me minùs movebat, fuiſſe meo neceſſario Beſtiæ Cœlium familiarem: cenaſſe apud eum, ventitaſſe domum, ſtuduiſſe præturæ. Non me hæc movent, quæ perſpicuè falſa ſunt. etenim eos unà cenaſſe dicit, qui aut abſunt, aut quibus neceſſe eſt idem dicere. Neque verò illud me commovet, quòd ſibi in *Lupercis* ſodalem eſſe Cœlium dixit. Fera quædam ſodalitas, & planè paſtoritia, atque agreſtis germanorum Lupercorum: quorum coitio illa ſilveſtris, antè eſt inſtituta, quàm humanitas, atque leges. ſi quidem non modò nomina deferunt inter ſe ſodales, ſed etiam commemorant ſodalitatem in accuſando, ut ne, ſi quis id fortè neſciat, timere videatur. Sed hæc omittam: ad illa, quæ me magis moverunt, reſpondebo. Deliciarum objurgatio fuit longa, & ea lenior: pluſque diſputationis habuit, quàm atrocitatis: quo etiam audita eſt attentiùs. nam P. Clodius, amicus meus, cùm ſe graviſſimè, vehementiſſimeque jactaret, & omnia inflammatus ageret triſtiſſimis verbis, voce maxima: tametſi probabam ejus eloquentiam, tamen non pertimeſcebam. aliquot enim in cauſis eum videram fruſtra litigantem. tibi autem, Balbe, reſpondebo primùm precariò, ſi licet, ſi fas eſt defendi à me eum, qui nullum convivium renuerit, qui unguenta
12 ſumſerit, qui Bajas viderit. Equidem multos & vidi in hac civitate, & audivi, non modò qui primoribus labris guſtaſſent genus hoc vitæ, & *extremis*, ut dicitur, *digitis*, attigiſſent, ſed qui totam adoleſcentiam voluptatibus dediſſent, emerſiſſe aliquando, & ſe ad frugem bonam, ut dicitur, recepiſſe, graveiſque homines, atque illuſtreis fuiſſe. Datur enim conceſſu omnium huic aliquis *ludus ætati*, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates: quæ ſi ita erumpunt, ut nullius vitam labefactent, nullius domum evertant: faciles, & tolerabiles haberi ſolent. Sed tu mihi videbare ex communi infamia juventutis aliquam invidiam Cœlio velle conflare. Itaque omne illud ſilentium, quod eſt orationi tributum tuæ, fuit ob eam cauſam, quod uno reo propoſito de multorum vitiis cogitabamus. Facile eſt accuſare luxuriem. dies jam me deficiet, ſi, quæ dici in eam ſententiam poſſunt, coner expromere: de corruptelis, de adulteriis, de protervitate, de ſumtibus, immenſa oratio eſt. ut tibi reum neminem, ſed vitia proponas, res tamen ipſa & copioſè, & graviter accuſari poteſt. ſed veſtræ ſapientiæ eſt, judices, non abduci ab reo: nec, quos aculeos habeat ſeveritas, gravitaſque veſtra, cùm eos accuſator erexerit in rem, in vitia, in mores, in tempora, emittere in *hominem*, & in reum: cùm is non ſuo crimine, ſed multorum vitio ſit in quoddam odium injuſtum vocatus. Itaque ſeveritati tuæ, ut oportet, ita reſpondere non audeo: [2] erat enim meum deprecari vacationem adoleſcentiæ, veniamque petere: non, inquam, audeo: perfugiis non utor ætatis: conceſſa omnibus jura dimitto: tantum peto, ut, ſiqua eſt invidia communis hoc tempore æris alieni, petulantiæ, libidinum juventutis, quam video eſſe magnam, ne huic aliena peccata, ne ætatis, ac temporum vitia *noceant*. Atque ego idem, qui hæc poſtulo, quin criminibus, [3] quæ in hunc nondum propriè conferuntur, diligentiſſimè reſpondeam, non recuſo. Sunt au- 13
tem duo crimina, auri, & veneni: in quibus una, atque [4] eadem perſona verſatur. *Aurum* ſumtum à Clodia: *venenum* quæſitum, quod Clodiæ daretur, dicitur. omnia ſunt alia, non crimina, ſed maledicta jurgii petulantis magis, quàm publicæ quæſtionis. Adulter, impudicus, ſequeſter, convicium eſt, non accuſatio. nullum eſt enim fundamentum horum criminum, nulla ſedes. voces ſunt contumelioſæ, temerè ab irato accuſatore, nullo auctore, emiſſæ. Horum duorum criminum video fontem, video auctorem, video certum nomen, & caput. Auro opus fuit: ſumſit à Clodia, ſumſit *ſine teſte*, habuit quamdiu voluit. maximum video ſignum cujuſdam egregiæ familiaritatis. necare eandem voluit, quæſivit venenum; ſollicitavit quos potuit; paravit; locum conſtituit; attulit. magnum rurſus odium video cum crudeliſſimo diſcidio exſtitiſſe. Res eſt omnis in hac cauſa nobis, judices, cum Clodia, muliere non ſolùm nobili, ſed etiam nota: de qua ego nihil dicam, niſi depellendi criminis cauſa. Sed intelligis pro tua præſtanti prudentia, Cn. Domiti, cum hac ſola rem eſſe nobis: quæ ſi ſe aurum Cœlio commodaſſe non dicit, ſi venenum ab hoc ſibi paratum eſſe non arguit: petulanter facimus, ſi matremfamiliâs, ſecus, quàm matronarum *ſanctitas* poſtulat, nominamus. ſin, iſta muliere remota, nec crimen ullum, nec opes ad oppugnandum Cœlium illis relinquentur, quid eſt aliud, quod nos patroni facere debeamus, niſi ut eos, qui inſectantur, repellamus? quod quidem facerem vehementiùs, niſi intercederent mihi inimicitiæ cum iſtius mulieris viro: fratrem volui dicere: ſemper hìc erro. nunc agam modicè, nec longiùs progrediar, quàm me mea fides, & cauſa ipſa coget. neque enim *muliebreis* umquam inimicitias mihi gerendas putavi, præſertim cum ea, quam omnes ſemper amicam omnium potiùs, quàm cujuſquam inimicam putaverunt. Sed tamen ex ipſa quæram priùs, utrùm 14
me ſecum ſeverè, & graviter, & priſcè agere malit, an remiſsè, ac leniter, & urbanè. ſi illo auſtero more, ac modò: aliquis mihi ab inferis excitandus eſt, ex barbatis illis, non hac barbula, qua iſta delectatur: ſed illa horrida, quam in ſtatuis antiquis, & in imaginibus videmus: qui objurget mulierem, & pro me loquatur, ne iſta mihi fortè ſuccenſeat. Exſiſtat igitur ex hac ipſa familia aliquis: ac potiſſimùm Cæcus ille. minimum enim dolorem capiet, qui iſtam non *videbit*. qui profectò ſi exſtiterit, ſic aget, & ſic loquetur: MULIER, quid tibi cum Cœlio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno? cur aut tam *familiaris* huic fuiſti, ut aurum commodares: aut tam inimica, ut venenum timeres?

1. *Ad animos veſtros, &c. accideret.*] Sic Ahalæ liber, ſic Gruteri, ſic S. Victoris. vulgata ſine *ad* exhibebat, *animos veſtros*, *&c. accenderet*. quod ultimum tamen reſpuebant Pal. ſec. tert. nonus, in quibus *ad animos veſtros, &c. accederet*.

2. *Erat meum deprecari vacationem adoleſcentiæ, veniamque petere.*] Neſcio quid ſentire debeam de lectione Pal. ſec. tert. Grut. & edd. vett. *erat meum de prævaricatione adoleſcentiæ veniam petere.* certe ſalivam mihi moverent, niſi inventis verbis litteriſque totidem in nono, offendiſſem ibidem *veniamque petere*.

3. *Quæ in hunc nondum propriè conferuntur.*] Vox *nondum* jam primum accedit auctori, ex 1 al. ſec. cui fere reſpondent nonus & Gembl. in quibus, *mundum*, item tert. in quo *mundis*.

4. *Eadem perſona urgetur.*] Reduxi lectionem omnium veterum librorum editorum ac calamo exaratorum, niſi quod reſtet in nonnullis *urguetur*; unde natum Erfurdienſis *arguetur*. vulgata, *verſatur*.

1. Non

timeres? non patrem tuum videras? non patruum, [1] non avum, proavum, atavum audieras conſules fuiſſe? non denique modò te Q. Metelli matrimonium tenuiſſe ſciebas, clariſſimi, ac fortiſſimi viri, patriæque amantiſſimi? qui ſimulac pedem limine extulerat, omneis propè civeis virtute, gloria, dignitate ſuperabat? cui cùm ex ampliſſimo genere in familiam clariſſimam nupſiſſes, cur tibi Cœlius tam conjunctus fuit? cognatus? affinis? viri tui familiaris? nihil horum. quid igitur fuit, niſi quædam temeritas, ac *libido*? nonne te ſi noſtræ imagines viriles non commovebant, ne progenies quidem mea, Q. illa Claudia, æmulam domeſticæ laudis in gloria muliebri eſſe admonebat? non virgo illa Veſtalis Claudia, quæ patrem complexa triumphantem ab inimico tribuno pleb. de curru detrahi paſſa non eſt? cur te fraterna vitia potiùs, quàm bona paterna, & avita, & uſque à nobis cùm in viris, tum etiam in fœminis repetita, moverunt? ideone ego pacem Pyrrhi diremi, ut tu amorum turpiſſimorum quotidie fœdera ferires? ideò aquam adduxi, ut ea tu inceſtè uterere? ideò viam munivi, [2] ut eam tu alienis viris comitata celebrares?

15 Sed quid ego, judices, ita gravem perſonam induxi, ut verear, ne ſe idem Appius repentè convertat, & Cœlium incipiat accuſare illa ſua gravitate cenſoria? Sed videro hoc poſteriùs, atque ita, judices, ut vel ſeveriſſimis diſceptatoribus M. Cœlii vitam me probaturum eſſe confidam. Tu verò mulier (jam enim ipſe tecum nulla perſona introducta loquor) ſi ea, quæ facis, quæ dicis, quæ inſimulas, [3] quæ in ſororem tuam moliris, quæ arguis, probare cogitas: rationem tantæ familiaritatis, tantæ conſuetudinis, tantæ conjunctionis reddas, atque exponas neceſſe eſt. Accuſatores quidem libidines, amores, adulteria, [4] Bajas, actas, convivia, comiſſationes, cantus, ſymphonias, navigia jactant: iidemque ſignificant, nihil ſe, *te invita*, dicere. quæ tu, quoniam mente neſcio qua effrenata, atque præcipiti in forum deferri, judiciumque, voluiſti: aut diluas oportet, & falſa eſſe doceas, aut nihil neque crimini tuo, neque teſtimonio credendum eſſe fateare. Sin autem urbaniùs me agere mavis: ſic agam tecum. removebo illum ſenem durum, ac pænè agreſtem: [5] ex his igitur tuis ſumam aliquem, ac potiſſimùm minimum fratrem, qui eſt in iſto genere urbaniſſimus: qui te amat plurimùm: qui, propter neſcio quam, credo, *timiditatem*, & nocturnos quoſdam inaneis metus, tecum ſemper puſio cum majore ſorore cubitavit. eum putato tecum loqui: Quid tumultuaris ſoror? quid inſanis? quid clamore exorſa, verbis, parvam rem, magnam facis? vicinum adoleſcentulum adſpexiſti: candor hujus te, & proceritas vultus, oculique perpulerunt: ſæpius videre voluiſti: nonnumquam in iiſdem hortis viſa nobilis mulier: illum filium familiâs *patre parco*, ac tenaci, habere tuis copiis devinctum non potes: calcitrat, reſpuit, non putat tua dona eſſe tanti. confer te alio. habes hortos ad Tiberim: ac diligenter eo loco præparaſti, quò omnis juventus natandi cauſa venit. hinc licet conditio-
16 nes quotidie legas. cur huic, qui te ſpernit, moleſta es? Redeo nunc ad te, Cœli, viciſſim, ac mihi auctoritatem patriam, ſeveritatemque ſuſcipio: ſed dubito, quem patrem potiſſimùm ſumam. Cæcilianumne aliquem, vehementem, atque durum? „ *Nunc enim demum mihi animus ardet, nunc meum cor cumulatur ira:* Aut illum, -- *O infelix, o ſceleſte.* -- Ferrei ſunt iſti patres. --- „ *Egóne quid dicam? egóne quid velim? quæ tu omnia tuis fœdis factis, facis, ut nequidquam velim.* Vix ferenda diceret talis pater, CUR TE in iſtam vicinitatem meretriciam contuliſti? cur illecebris cognitis non refugiſti? cur alienam ullam mulierem noſti? [6] dide ac diſſice, per me licebit. ſi egebis, tibi dolebit: mihi ſat eſt, qui ætatis quod reliquum eſt, oblectem meæ. [7] Huic triſti, ac decrepito ſeni reſponderet Cœlius, ſe nulla cupiditate inductum de via deceſſiſſe. Quid ſigni? nulli ſumtus, nulla jactura, nulla verſura. At fuit *fama*. Quotus quiſque iſtam effugere poteſt in tam maledica civitate? Vicinum ejus mulieris miraris male audiſſe, cujus frater germanus ſermones iniquorum effugere non potuit? Leni verò, & clementi patri, cujuſmodi ille eſt: -- „ *Fores effregit? reſtituentur: diſcidit veſtem? reſarcietur*, Cœlii cauſa eſt expeditiſſima. Quid enim eſſet, in quo ſe non facilè defenderet? nihil jam in iſtam mulierem dico: ſed, ſi eſſet aliqua diſſimilis iſtius, quæ ſe omnibus pervulgaret, quæ haberet palàm [8] *decretum* ſemper aliquem, cujus in hortos, domum, Bajas, jure ſuo libidines omnium commearent: quæ etiam aleret adoleſcenteis, & parſimoniam patrum ſuis ſumtibus ſuſtentaret: ſi vidua liberè, proterva petulanter, dives effuſè, libidinoſa meretricio more viveret; *adulterum* ego putarem, ſi quis hanc paullò liberiùs ſalutaſſet? Dicet aliquis. 17
Hæc igitur eſt tua diſciplina? ſic tu inſtituis adoleſcenteis? ob hanc cauſam tibi hunc puerum parens commendavit, & tradidit, ut in amore, & voluptatibus adoleſcentiam ſuam collocaret: & hanc tu vitam, atque hæc ſtudia defenderes? Ego, ſi qui, judices, hoc robore animi, atque hac indole virtutis, ac continentiæ fuit, ut reſpueret omneis voluptates, omnemque vitæ ſuæ curſum in labore corporis, atque in animi contentione conficeret: quem non quies, non remiſſio, non æqualium ſtudia, non ludi, non convivia delectarent: nihil in vita expetendum putaret, niſi quod eſſet *cum laude, & cum dignitate* conjunctum: hunc mea ſententia divinis quibuſdam bonis inſtructum, atque ornatum puto. Ex hoc genere illos fuiſſe arbitror, Camillos, Fabricios, Curios, omneiſque eos, qui hæc ex minimis tanta fecerunt. Verùm hæc genera virtutum non ſolùm in moribus noſtris, ſed vix jam in libris reperiuntur. chartæ quoque, quæ illam priſtinam ſeveritatem continebant, obſoleverunt, neque ſolùm apud nos, qui hanc ſectam, rationemque vitæ, *re magis, quàm verbis*, ſecuti ſumus, ſed etiam apud Græcos, doctiſſimos homines: quibus, cùm facere non poſſent, loqui tamen, & ſcribere honeſtè, & magnificè licebat. Alia quædam, mutatis Græciæ temporibus, præcepta exſtiterunt. Itaque alii *voluptatis cauſa omnia ſapientes facere* dixerunt: neque ab hac orationis turpitudine eruditi homines refugerunt. alii cum voluptate *dignitatem* conjungendam putaverunt, ut res maximè inter ſe repugnanteis dicendi facultate conjungerent. illud unum directum iter ad laudem cum labore qui probaverunt, propè jam ſoli in ſcholis ſunt relicti. multa enim nobis blandimenta natura ipſa genuit, [9] quibus ſopita virtus conniveret: & interdum multas vias adoleſcentiæ lubricas oſtendit, quibus illa inſiſtere,

1. *Non avum, proavum, atavum audieras.*] Pal. nonus, *non avum, non atavum audieras.* neque aliter ſec. tert. Grut. niſi quod omittant negativam.

2. *Ut eam alienis viris comitata celebrares.*] Pal. nonus atque Erfurd. *tenebrares.*

3. *Quæ in ſororem tuam moliris.*] Supplevi clauſulam iſtam ex veteribus edd. & Pall. item S. Vict. & Grut. omiſerant enim poſteriores, *in ſororem tuam.*

4. *Bajas, actas, convivia.*] Reſtitui ex S. Victoris, neque abibant Pall. quàm quod ii *Bajes, acta conviv.* male vulgò, *Bajis acta convivia.* imò tria potius objiciebant; *Bajas* & *actas*, & præterea *convivia.* de Bajis ſatis notum vel ex Epiſtolis Senecæ. de acta & actis, diximus, aut dixere alii in Verrinis.

5. *Ex his igitur tuis.*] Hæc eſt lectio edd. vet. librorumque omnium mſſ. certe Pall. Grut. S. Vict. recepta tamen præfert *ex biſque tuis.*

6. *Dide ac diſſice, &c.*] Eſt à conjectura Lambini ac Puteani, ſed ſatis firmata a libris noſtris. Pal. enim pr. *dede ac diſſice.* ſec. non. *di dea a ldiſci*, neque aliter ceteri, niſi quod longius abeant à vero. etiam in editione prima remanet, *videte ac diſce.* ſequiores, *dede te ac diſjice.*

7. *Huic triſti ac directo ſeni.*] Sic Pal. nonus, ſic S. Vict. & libri Lambini, placuitque admodum Gulielmio præ vulgato *decrepito*; ſed is tamen *directum* ſumit pro vetulo; adducitque Pedonem in Mecenatis obitum: *Viſcera directi mutaverat arietis agni, &c.* ubi male ait Scaliger *diſſecti.*

8. *Decretum ſemper aliquem.*] Ita meliores Pall. niſi quod ſec. ac tert. *diſcretum*, quod etiam habet quo ſe tueatur. Guliel. conjiciebat *ſecretum*: ſed hoc idem cum *diſcreto.*

9. *Quibus ſopita virtus conniveret.*] Malè editiones Lambinianæ, *conniveret.* videtur tamen ſcribendum *conivea*, quia inde *conivoli.*

1. *Sine*

ſiſtere, aut ingredi [1] ſine caſu aliquo, aut prolæſione vix poſſet, & multarum rerum jucundiſſimarum *varietatem* dedit, quæ non modò hæc ætas, ſed etiam jam corroborata caperetur. Quamobrem ſiquem fortè inveneritis, qui aſpernetur oculis pulchritudinem rerum, non odore ullo, non tactu, non ſapore capiatur, excludat auribus omnem ſuavitatem: huic homini ego fortaſſe, & pauci, *deos propitios*, ple-
18 rique autem iratos putabunt. Ergo hæc deſerta via, & inculta, atque interclusa jam frondibus, & virgultis, relinquatur: detur aliquid ætati: ſit adoleſcentia liberior: non omnia voluptatibus denegentur: non ſemper ſuperet vera illa, & directa ratio: vincat aliquando cupiditas, voluptaſque rationem, dummodò illa in hoc genere præſcriptio, moderatioque teneatur: PARCAT JUVENTUS pudicitiæ ſuæ, ne ſpoliet alienam: ne effundat patrimonium, ne fænore trucidetur, ne incurrat in alterius domum, atque famam: ne probrum caſtis, labem integris, infamiam bonis inferat: [2] ne quem vi terreat: ne interſit inſidiis: ſcelere careat: poſtremò, cum paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum ætatis, atque ad inaneis haſce adoleſcentiæ cupiditates: *revocet* ſe aliquando ad curam rei domeſticæ, rei forenſis, reipublicæ: ut ea, quæ ratione antea non perſpexerat, *ſatietate* abjeciſſe, experiendo contemſiſſe videatur. Ac multi & noſtra, & patrum, majorumque memoria, judices, ſummi homines, & clariſſimi cives fuerunt, quorum cùm adoleſcentiæ cupiditates defervisſent, eximiæ virtutes, firmata jam ætate, exſtiterunt. ex quibus neminem mihi neceſſe eſt nominare: voſmet vobiſcum recordamini. nolo enim cujuſquam fortis, atque illuſtris viri ne minimum quidem erratum cum maxima laude conjungere. quod ſi facere vellem, multi à me ſummi, atque ornatiſſimi viri prædicarentur: quorum partim nimia *libertas* in adoleſcentia, partim profuſa luxuries, magnitudo æris alieni, [3] ſumtus, libidines, nominarentur: quæ multis poſtea virtutibus obtecta, adoleſcentiæ, qui
19 vellet, excuſatione defenderet. At verò in M. Cœlio (dicàm enim jam confidentiùs de ſtudiis ejus honeſtis, quoniam audeo quædam, fretus veſtra ſapientia, liberè confiteri) nulla luxuries reperietur, nulli ſumtus, nullum æs alienum, nulla conviviorum, ac luſtrorum libido. quod quidem [4] vitium ventris & gutturis, non modò non *minuit* ætas hominibus, ſed etiam auget. Amores autem, & hæ deliciæ quæ vocantur, quæ firmiore animo præditis diutiùs moleſtæ non ſolent eſſe (maturè enim, & celeriter defloreſcunt) numquam hunc occupatum, impeditumque tenuerunt. Audiſtis, cùm pro ſe diceret: audiſtis anteà, cùm accuſaret (defendendi hæc cauſa, non gloriandi loquor:) genus orationis, facultatem, copiam ſententiarum, atque verborum, quæ veſtra prudentia eſt, perſpexiſtis. Atque in eo non ſolùm ingenium elucere ejus videbatis: quod ſæpe etiam ſi induſtria non *alitur*, valet tamen ipſum ſuis viribus: ſed inerat, niſi me propter benivolentiam fortè fallebat, [5] ratio & bonis artibus inſtituta, & cura & vigiliis elaborata. Atque ſcitote, judices, eas cupiditates, quæ objiciuntur Cœlio, atque hæc ſtudia, de quibus diſputo, non facilè in eodem homine eſſe poſſe. FIERI ENIM non poteſt, ut animus libidini deditus; amore, deſiderio, cupiditate, ſæpe nimia copia, inopia etiam nonnumquam impeditus, hoc quidquid eſt, quod nos facimus in dicendo, [6] non modo agendo, verùm etiam cogitando poſſit ſuſtinere. An vos aliam cauſam eſſe ullam putatis, cur in tantis præmiis eloquentiæ, tanta voluptate dicendi, tanta laude, tanta gratia, tanto honore, tam ſint pauci ſemperque fuerint, qui in hoc labore verſentur? [7] obterendæ ſunt omnes voluptates; relinquenda [8] ſtudia delectationis, judices, ludus, jocus, convivium, ſermo eſt pænè familiarium deſerendus. quæ res in hoc genere homines à labore, ſtudioque dicendi *deterret*; non quo aut ingenia deficiant, aut doctrina puerilis. An hic, ſi ſeſe iſti vitæ dediſſet, conſularem hominem admodum adoleſcens in judicium vocaviſſet? hic, ſi laborem fugeret, ſi obſtrictus voluptatibus teneretur, in hac acie quotidie verſaretur? appeteret inimicitias? in judicium vocaret? ſubiret periculum capitis? ipſo inſpectante populo Romano tot menſes aut de ſalute, aut de
gloria dimicaret? Nihil igitur illa vicinitas redolet? ni- 20
hil hominum fama? nihil Bajæ denique ipſæ loquuntur? illæ verò non loquuntur ſolùm, verùm etiam *perſonant*, huc unius mulieris libidinem eſſe prolapſam, ut ea non modò ſolitudinem, ac tenebras, atque hæc flagitiorum integumenta non quærat, ſed in turpiſſimis rebus frequentiſſima celebritate, & clariſſima luce lætetur. Verùm ſi quis eſt, qui etiam meretriciis amoribus *interdictum* juventuti putet: eſt ille quidem valde ſeverus: negare non poſſum: ſed abhorret non modò ab hujus ſæculi licentia, verùm etiam à majorum conſuetudine, atque conceſſis. quando enim hoc factum non eſt? quando reprehenſum? quando non permiſſum? quando denique fuit, ut, quod licet, non liceret? Hic ego jam rem definiam: mulierem nullam nominabo: tantum in medio relinquam. Siquæ non nupta mulier domum ſuam *patefecerit* omnium cupiditati, palamque ſeſe in meretricia vita collocarit, virorum alieniſſimorum conviviis uti inſtituerit: ſi hoc in urbe, ſi in hortis, ſi in Bajarum illa celebritate faciet: ſi denique ita ſeſe geret, non inceſſu ſolùm, ſed ornatu atque comitatu; non flagrantia oculorum, non libertate ſermonis; ſed etiam complexu, oſculatione, aquis, navigatione, conviviis, ut [9] non ſolum meretrix, ſed etiam procax videatur: cum hac ſi quis adoleſcens fortè fuerit, utrùm hic tibi, L. Herenni, *adulter*, an *amator*: expugnare pudicitiam, an explere libidinem voluiſſe videatur? Obliviſcor jam injurias, Clodia: depono memoriam doloris mei: quæ abs te crudeliter in meos, me abſente, facta ſunt, negligo. ne ſint hæc in te dicta, quæ dixi. ſed ex te ipſa requiro, quoniam & crimen accuſatores abs te, & teſtem ejus criminis te ipſam dicunt ſe habere: ſiqua mulier ſit hujuſmodi, qualem ego paullo antè deſcripſi, tui diſſimilis, vita, inſtitutoque meretricio; cum hac aliquid adoleſcentem hominem habuiſſe rationis, num tibi perturpe, aut perflagitioſum eſſe videatur? Ea ſi tu non es, ſicut ego malo: quid eſt, quod objiciant Cœlio? ſin eam te volunt eſſe: quid eſt, cur nos crimen

1. *Sine caſu aliquo aut prolæſione.*] Haud potui omittere lectionem illam repertam in Pal. ſec. tert. nono, item in Erfurd. & Gembl. vulgata *pro lapſione*; quod parum ſane diſtat a *caſu*.

2. *Ne quem vi terreat.*] Sic Gembl. S. Vict. & Pall. omnes præter unum in quo, *ne quem intereat.* nam Grut. *interreat.* & verò nostra lectio extat etiam in editione Veneta anni CIↃ CCCCLXXXIII. poſteriores, *ne quem interimat*; quod nimium eſt profectò; mirorque non improbatum Lambino.

3. *Sumtus, libidines nominarentur.*] Habent & noſtrûm pleriquæ, & unanimum illud *ſumtus libidinis*; ſed nihil ideo muto; quod arbitrer eos ſcripturam veterum ſequi.

4. *Vitium ventris & gutturis.*] Si obſequendum eſt melioribus membranis Pal. pr. ſec. quart. non. Gembl. S. Vict. revocandum *gurgites*.

5. *Ratio & bonis artibus inſtituta.*] Malui iſtud cum omnibus Pall. quam vulgatum *oratio*, quod tamen ne in vetuſte quidem cuis.

6. *Non modo agendo.*] Gembl. & Pall. noſtri omnes, item Grut. *quoquo modo agendo.*

7. *Obterendæ ſunt omnes voluptates.*] Eſt à pleriſque mſſ. quorum vix unus habebat illud *omittendæ.* in Pal. erat *conterendæ*, æque bonum. prius tamen noſtrum firmabat Erfurd. Gembl. S. Vict.

8. *Studia delectationis judices: ludus, jocus, convivium, ſermo eſt penè famil. &c.*] Nihil abii a Pal. nono, quem ſtabilibat codex Turingicus. publicabatur prius *ſtudia delectationis; ludus, jocus, convivium, ſermo etiam pænè omnium familiarium.* plane contra mſſ. Pall. qui nec *etiam* habent nec *omnium*, non magis quam Nonius in *Jocus*: ubi tamen fallitur Lambinus dum negat eidem abeſſe item *penè*; ideoque editione ſua excluſit.

9. *Non ſolum meretrix, ſed etiam procax videatur.*] Si ſequendi ſunt melioris notæ mſſ. Pall. ſec. tert. quart. nonus, reſcribendum *meretrix procaxque videatur*, omiſſis intermediis quæ nec in Gruteriano. Pal. pr. nihilominus habet, *non ſolum meretrix, ſed etiam proterva procaxque.*

1. *Aurum*

men hoc, ſi tu contemnis, pertimeſcamus? Quare nobis da viam, rationemque defenſionis. nam aut pudor tuus defendet, nihil à M. Cœlio petulantius eſſe factum: aut impudentia, & huic, & ceteris magnam ad ſe defendendum

21 facultatem dabit. Sed quoniam emerſiſſe jam è vadis, & ſcopulos prætervecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus curſus oſtenditur. Duo ſunt enim crimina una in muliere ſummorum facinorum: auri, quod ſumtum à Clodia dicitur: & veneni, quod ejuſdem Clodiæ necandæ cauſa paraſſe Cœlium criminantur. Aurum ſumſit, ut dicitis, quod L. Lucceii ſervis daret, per quos Alexandrinus Dio, qui tum apud Luccejum habitabat, necaretur. magnum crimen vel in *legatis* inſidiandis, vel in *ſervis* ad hoſpitem domi necandum ſollicitandis, plenum ſceleris conſilium, plenum audaciæ. Quo quidem in crimine primum illud requiram, dixeritne Clodiæ, quam ad rem [1] aurum tum ſumeret, an non dixerit. ſi non dixit, cur dedit? ſi dixit, eodem ſe *conſcientiæ ſcelere* devinxit. tune aurum ex armario tuo promere auſa es? tune Venerem illam tuam ſpoliatricem ſpoliare ornamentis? [2] Ceterum cum ſcires, quantum ad facinus aurum hoc quæreretur, [3] ad necem legati, ad L. Lucceii, ſanctiſſimi hominis, atque integerrimi, labem ſceleris ſempiterni: huic facinori tanto tua mens liberalis, conſcia; tua domus popularis, miniſtra; [4] tua denique hoſpitalis illa Venus, adjutrix eſſe non debuit. [5] Vidit hoc Balbus: celatam eſſe Clodiam dixit: atque ita Cœlium ad illam attuliſſe, ſe ad ornatum ludorum aurum quærere. Si tam familiaris erat Clodiæ, quàm tu eſſe vis, cùm de libidine ejus tam multa dicis: dixit profectò, quò vellet aurum. ſi tam familiaris non erat: non dedit. Ita ſi verum tibi Cœlius dixit, ô immoderata mulier, ſciens tu aurum ad facinus dediſti! ſi non eſt auſus dicere: non dediſti.

22 Quid ego nunc argumentis huic crimini, quæ ſunt innumerabilia, reſiſtam? poſſum dicere, *mores* M. Cœlii longiſſimè à tanti ſceleris atrocitate eſſe disjunctos: minimè eſſe credendum, homini tam ingenioſo, tamque prudenti non veniſſe in mentem, rem tanti ſceleris, ignotis, alieniſque ſervis non eſſe *credendam*. poſſum etiam illa & ceterorum patronorum, & mea conſuetudine, ab accuſatore perquirere, ubi ſit *congreſſus* cum ſervis Lucceii Cœlius: qui ei fuerit aditus. ſi per ſe, qua temeritate? ſi per alium, per quem? Poſſum omneis latebras ſuſpicionum peragrare dicendo. non cauſa, non locus, non facultas, non conſcius, non perficiendi, non occultandi maleficii ſpes, non ratio ulla, non veſtigium maximi facinoris reperietur. Sed hæc, quæ ſunt oratoris propria: quæ mihi non propter ingenium meum, ſed propter hanc exercitationem, uſumque dicendi fructum aliquem ferre potuiſſent, cùm à me ipſo laborata proferri viderentur, brevitatis cauſa relinquo omnia. habeo enim, judices, quem vos ſocium veſtræ religionis, juriſque jurandi facilè eſſe patiamini, L. Luccejum, ſanctiſſimum hominem, & graviſſimum teſtem: qui tantum facinus, in famam atque fortunas ſuas neque non audiſſet illatum à Cœlio, neque neglexiſſet, neque tuliſſet. An ille vir, illa humanitate præditus, illis ſtudiis, artibus, atque doctrina, illius *ipſius periculum*, quem propter hæc ipſa ſtudia diligebat, negligere potuiſſet? &, quod facinus in alienum hominem illatum ſeverè acciperet, id omiſiſſet curare in hoſpite? quod per ignotos actum cùm comperiſſet, doleret, id à ſuis tentatum eſſe negligeret? quod in agris, lociſve publicis factum reprehenderet, id in urbe, ac *ſua domi* cœptum eſſe, leviter ferret? quod in alicujus agreſtis periculo non prætermitteret, id homo eruditus in inſidiis doctiſſimi hominis diſſimulandum putaret? Sed cur diutiùs vos, judices, teneo? ipſius jurati religionem, auctoritatemque percipite, atque omnia diligenter teſtimonii verba cognoſcite. Recita teſtimonium Lucceii. TESTIMONIUM LUCCEII. Quid exſpectatis amplius? an aliquam vocem putatis ipſam pro ſe cauſam, & veritatem poſſe mittere? hæc eſt innocentiæ defenſio, hæc ipſius cauſæ oratio: hæc una *vox veritatis*. In crimine ipſo nulla ſuſpicio eſt, & in re nihil eſt argumenti: in negotio, quod actum eſſe dicitur, nullum veſtigium ſermonis, loci, temporis: nemo teſtis, nemo conſcius nominatur: totum crimen profertur ex *inimica*, ex infami, ex crudeli, ex facinoroſa, ex libidinoſa domo: domus autem illa, quæ tentata ſcelere iſto nefario dicitur, plena eſt integritatis, officii, religionis: ex qua domo recitatur vobis jurejurando devincta auctoritas: ut res minimè dubitanda, in contentione ponatur, utrùm temeraria, procax, irata *mulier* finxiſſe crimen, an gravis, ſapiens, moderatuſque *vir* religioſè teſtimonium dixiſſe videatur. Reliquum eſt igitur crimen de veneno: cujus ego neque principium invenire, neque evolvere exitum 23
poſſum. Quæ fuit enim cauſa, quamobrem iſti mulieri venenum vellet dare Cœlius? ne aurum redderet? num petivit? ne crimen hæreret? num quis objecit? num quis denique feciſſet mentionem, ſi hic nemini nomen detuliſſet? Quin etiam Herennium dicere audiſtis, verbo ſe moleſtum non futurum fuiſſe Cœlio, niſi iterum eadem de re ſuo familiari abſoluto nomen hic detuliſſet. Credibile eſt igitur, tantum facinus *nullam ob cauſam* eſſe commiſſum? & vos non videtis fingi ſceleris maximi crimen, ut alterius cauſa ſceleris ſuſcipiendi fuiſſe videatur? cui denique commiſit? quo adjutore uſus eſt? quo ſocio? quo conſcio? cui tantum facinus, cui ſe, cui ſalutem ſuam credidit? ſervisne mulieris? ſic enim objectum eſt. Et erat tam demens hic, cui vos ingenium certè tribuitis, etiam ſi cetera, inimica oratione detrahitis, ut omneis ſuas fortunas *alienis ſervis* committeret? At quibus ſervis? refert enim magnopere idipſum: hiſne, quos intelligebat non communi conditione ſervitutis uti, ſed licentiùs, liberiùs, familiariùs cum domina vivere? quis enim hoc non videt, judices? aut quis hoc ignorat, IN EJUSMODI DOMO, in qua materfamilias meretricio more vivat: in qua nihil geratur, quod foras proferendum ſit: in qua luſtra, libidines, luxuries, omnia denique inaudita vitia, atque flagitia verſentur: hîc ſervos, non eſſe ſervos? quibus omnia committantur? per quos gerantur? qui ſerventur iiſdem in voluptatibus? quibus occulta credantur? ad quos aliquantum etiam quotidianis ſumtibus, ac luxuria *redundet*? Id igitur Cœlius non videbat? ſi enim tam familiaris erat mulieris, quam vos vultis: iſtos quoque ſervos familiareis eſſe dominæ ſciebat. ſin ei tanta conſuetudo, quanta à vobis inducitur, non erat: quæ cum ſervis potuit familiaritas eſſe tanta? Ipſius autem veneni 24
quæ ratio fingitur? ubi quæſitum eſt? quemadmodum paratum? quo pacto? cui, quo in loco traditum? Habuiſſe ajunt domi, vimque ejus eſſe expertum in ſervo quodam, ad rem ipſam parato: cujus perceleri interitu eſſe ab hoc comprobatum venenum. Pro dii immortales! cur interdum in hominum ſceleribus maximis, aut connivetis, aut præſentis fraudis pœnas *in diem* reſervatis? Vidi enim, vidi: & illum hauſi dolorem vel acerbiſſimum in vita, cum Q. Metellus abſtraheretur è ſinu, gremioque patriæ, cumque ille vir, qui ſe natum huic imperio putavit, tertio die poſt, quàm in curia, in Roſtris, in republ. floruiſſet, integerrima ætate, optimo habitu, maximis viribus, eripetur indigniſſimè bonis omnibus, atque univerſæ civitati. quo quidem tempore ille moriens, cùm jam ceteris ex partibus

1. *Aurum tum ſumeret.*] Pal. quart. non. Gembl. S. Vict. *aurum tum iret.* quintus atque oct. adhuc *aurum* adjiciunt.

2. *Ceterum cum ſcires, quantum, &c.*] Rectum putat Gulielmius quod alias legitur in S. Victoris, *ceterorum cum ſcires.*

3. *Ad necem legati.*] Ejeci vocem *ſcilicet*, quæ in publicatis, ſuaſu plerorumque Pall. & S. Victoris & Gruteriani codicis.

4. *Tua denique hoſpitalis illa Venus.*] Janus Palmerius emendabat *auſpicalis*, in Spicilegio ſuo; ſed minus recte, vel Gulielmio judice: alluſum enim ad amatorum receptionem, ut & Verrina quarta.

5. *Vidit hoc Balbus; celatam eſſe Clodiam dixit.*] Abjeci duo vocabula, *facinoris tantum*, primum quod non comparerent, in veteribus edd. neque agnoſcerent Pall. potiores, S. Vict. Grut.

tibus oppreſſa mens eſſet, extremum ſenſum ad *memoriam*
reipubl. reſervabat: cùm me intuens flentem ſignificabat
interruptis, atque morientibus vocibus, quanta impendê-
ret procella urbi, quanta tempeſtas civitati: & cùm parie-
tem ſæpe feriens eum, qui cum Q. Catulo fuerat ei com-
munis, crebrò Catulum, ſæpe me, ſæpiſſimè rempub. no-
minabat: ut non tam ſe emori, quam ſpoliari ſuo præſidio
cùm patriam, tum etiam me doleret. Quem quidem virum
ſi nulla vis repentini ſceleris ſuſtuliſſet: quonam modo ille
furenti fratri ſuo patrueli conſularis reſtitiſſet, qui conſul
incipientem furere, atque conantem, ſua ſe manu interfe-
cturum, audiente ſenatu, dixerit? Ex hac igitur domo pro-
greſſa iſta mulier, de veneni celeritate dicere audebit?
nonne ipſam domum metuet, [1] ne quam vocem eliciat?
non parietes conſcios, non noctem illam funeſtam, ac lu-
ctuoſam perhorreſcet? Sed revertar ad crimen. etenim hæc
facta illius clariſſimi, ac fortiſſimi viri mentio, & vocem
25 meam fletu debilitavit, & mentem dolore impedivit. Sed
tamen venenum unde fuerit, quemadmodum paratum ſit,
non dicitur. Datum eſſe hoc ajunt P. Licinio, pudenti ado-
leſcenti, & bono, Cœlii familiari: conſtitutum factum
eſſe cum ſervis, ut venirent [2] ad balneas Senias: eodem Li-
cinium eſſe venturum, atque iis veneni pyxidem tradi-
turum. Hîc primùm illud requiro: quid attinuerit illud
[3] ferri in eum locum conſtitutum: cur illi ſervi non ad
Cœlium domum venerint. ſi manebat tanta illa conſuetudo
Cœlii cum Clodia, tantaque familiaritas: quid ſuſpicionis
eſſet, ſi apud Cœlium mulieris ſervus viſus eſſet? ſin autem
jam ſuberat ſimultas, exſtincta erat conſuetudo, diſcidium
exſtiterat: hinc *illæ lacrymæ* nimirum, & hæc cauſa eſt ho-
rum omnium ſcelerum, atque criminum. Immo, inquit,
cum ſervi ad dominam rem iſtam, & maleficium Cœlii
detuliſſent, mulier ingenioſa præcepit ſuis, ut omnia Cœ-
lio pollicerentur: ſed, ut venenum, cùm à Licinio trade-
retur, manifeſtò comprehendi poſſet, conſtitui locum juſ-
ſit, balneas Senias, ut eò mitteret amicos, qui deliteſcerent:
deinde repentè, cùm veniſſet Licinius, ut venenum trade-
26 ret; proſilirent, hominemque comprehenderent. Quæ qui-
dem omnia, judices, perfacilem rationem habent repre-
hendendi. Cur enim balneas publicas potiſſimum conſti-
tuerat? in quibus non invenio quæ *latebra* togatis homini-
bus eſſe poſſit. Nam, ſi eſſent in veſtibulo balnearum:
non laterent. ſin ſe in intimum conjicere vellent: nec ſatis
commodè calceati, & veſtiti id facere poſſent, & fortaſſe
non reciperentur: niſi fortè mulier potens [4] *quadrantaria*
illa permutatione familiaris facta erat balneatori. Atque
equidem vehementer exſpectabam, quinam iſti viri boni,
teſtes hujus manifeſtò deprehenſi veneni dicerentur. nulli
enim ſunt adhuc nominati. ſed non dubito, quin ſint *per-
graves*, qui primùm ſint talis fœminæ familiares; deinde
eam provinciam ſuſceperint, ut in balneas contruderentur:
quod illa, niſi à viris honeſtiſſimis, ac pleniſſimis dignita-
tis, quàm velit, ſit potens, numquam impetraviſſet. Sed
quid ego de dignitate iſtorum teſtium loquor? virtutem
eorum, diligentiamque cognoſcite: *in balneis delituerunt:*
teſteis egregios. deinde temere proſilierunt: [5] homines gra-
vitati deditos. ſic enim fingunt, cùm Licinius veniſſet,
pyxidem teneret in manu, conaretur tradere, nondum tra-
didiſſet, tum repentè evolaſſe iſtos præclaros teſteis ſine
nomine: Licinium autem, cùm jam manum ad traden-
dum pyxidem porrexiſſet, retraxiſſe, atque illo repentino
hominum impetu ſe in fugam conjeciſſe. O MAGNA VIS
VERITATIS, quæ contra hominum ingenia, calliditatem,
ſollertiam, contraque fictas omnium inſidias, facilè per
ſeipſam defendat! Verùm hæc tota fabella veteris, & plu- 27
rimarum fabularum poëtriæ, quàm eſt ſine argumento?
quàm nullum invenire exitum poteſt? Quid enim iſti tot
viri (nam neceſſe eſt fuiſſe non paucos, ut & comprehendi
Licinius facilè poſſet, & res [6] multorum oculis eſſet teſta-
tior) cur Licinium de manibus amiſerunt? qui minus
enim Licinius comprehendi potuit, cùm ſe retraxit, ne
pyxidem traderet, quàm ſi non retraxiſſet? erant enim
illi poſiti, ut comprehenderent Licinium: ut manifeſtò
Licinius teneretur, aut cùm retineret venenum, aut cùm
tradidiſſet. Hoc fuit totum conſilium mulieris, hæc iſto-
rum provincia, qui rogati ſunt: quos quidem tu quamob-
rem temerè *proſiluiſſe* dicas, atque ante tempus, non repe-
rio. fuerant hoc rogati: fuerant ad hanc rem collocati, ut
venenum, ut inſidiæ, facinus denique ipſum ut manifeſtò
comprehenderetur. potueruntne meliori tempore proſilire,
quàm cùm Licinius veniſſet? cùm in manu teneret ve-
neni pyxidem? quæ ſi cum jam erat tradita ſervis, evaſiſ-
ſent ſubitò ex balneis mulieris amici, Liciniumque com-
prehendiſſent: imploraret hominum fidem, atque à ſe il-
lam pyxidem traditam *pernegaret:* quem quomodo illi re-
prehenderent? vidiſſe ſe dicerent? primùm ad ſe revoca-
rent maximi facinoris crimen: deinde id ſe vidiſſe dice-
rent, quod, quo loco collocati fuerant, non potuiſſent vi-
dere. Tempore igitur ipſo ſe oſtenderunt, cùm Licinius
veniſſet, pyxidem expediret, manum porrigeret, venenum
traderet. [7] Mimi ergo eſt jam exitus, non *fabulæ:* in quo
cùm clauſula non invenitur, fugit aliquis è manibus:
deinde [8] ſcabilla concrepant, aulæum tollitur. Quæro 28
enim, cur Licinium titubantem, hæſitantem, cedentem,
fugere conantem, mulieraria manus iſta de manibus emi-
ſerit: cur non *comprehenderint:* cur non ipſius confeſſio-
ne, multorum oculis, facinoris denique voce, tanti ſceleris
crimen expreſſerint? an timebant, ne tot unum, valentes
imbecillum, alacres perterritum ſuperare non poſſent?
Nullum argumentum in re, nulla ſuſpicio in cauſa, nullus
exitus criminis reperietur. Itaque hæc cauſa, ab argumen-
tis, à conjectura, ab iis ſignis, quibus *veritas* illuſtrari ſolet,
ad teſteis tota traducta eſt. quos quidem ego teſteis, judices,
non modò ſine ullo timore, ſed etiam cum aliqua ſpe dele-
ctationis exſpecto. Prægeſtit animus jam videre, primùm
lautos juvenes, mulieris beatæ, ac nobilis familiareis: de-
inde forteis viros, ab *imperatrice* in inſidiis, atque in præſi-
dio balnearum locatos. ex quibus requiram, quonam mo-
do latuerint, aut ubi. alveuſne ille, an equus Trojanus fue-
rit, qui tot invictos viros, muliebre bellum gerenteis tule-
rit, ac texerit. Illud verò reſpondere cogam, cur tot viri,
ac tales, hunc & unum, & tam imbecillum, quàm vide-
tis, non aut ſtantem comprehenderint, aut fugientem con-
ſecuti ſint. qui ſe numquam profectò, ſi iſtum in locum
proceſſerint, explicabunt: quàm volent *in conviviis* faceti,
dicaces, nonnumquam etiam ad vinum diſerti ſint. alia
fori vis eſt, alia triclinii: alia ſubſelliorum ratio, alia le-
ctorum: non idem judicum commiſſatorumque conſpe-
ctus: lux denique longè alia eſt ſolis, & lychnorum.
Quamobrem excutiemus omneis iſtorum delicias, omneis
ineptias,

---

1. *Ne quam vocem eliciat, &c.*] Muretus lib. 11. Var. lect. cap. 17. conjicit *ejiciat*, admodum probabiliter. ita quoque Giſanius in *Ejicere*.

2. *Ad balneas Senias.*] Reſtitui quod erat in exoletis edd. & Pall. noſtris, ejecto illo *Xenias*; quod & reſpuebant Gembl. ac S. Vict. Lambinus valde hæret in eis prioribus, *Conſtitutum factum eſſe cum ſervis ut veniret:* ego arbitrabar ſimplicius, *conſtitutum cum ſervis ad balneas Senias*, ejectis intermediis, tanquam à librario aliquo manaſſent.

3. *Ferri ad eum locum.*] Pall. præſtantiores, item Erf. Gembl. & S. Vict. *fieri*; quomodo & Gruterianus, editioque priſca.

4. *Quadrantaria, &c.*] Explicat Hadr. Junius Cent. 1. Adagio 77.

5. *Homines gravitati deditos.*] Lambinus adfirmat, omnes libros veteres habere *homines temperantes*. ſcias ab eo inſpectum codicem ſolum S. Victoris. nam Pall. certè noſtri omnes & Grut. & vetuſtius cuſi, nihil recedunt à vulgato; quæ ſaniſſima eſt.

6. *Multorum oculis eſſet teſtatior.*] Gulielmius mallet abjecta littera, *eſſe*.

7. *Mimi ergo eſt jam exitus, non fabulæ.*] Nihil heic boni profert P. Manutius. adeundus Seneca Epiſtola CXIV.

8. *Scabilla concrepant.*] Videantur Pierii Hieroglyphica; & qui commentati ſunt ad Suetonium.

ineptias, ſi prodierint. ſed, ſi me audiant, navent aliam operam, aliam ineant gratiam, in aliis ſe rebus oſtentent: vigeant apud iſtam mulierem venuſtate: dominentur ſumtibus: hæreant, jaceant, deſerviant: capiti verò innocentis, & fortunis parcant. At ſunt ſervi illi de cognato-
29 rum ſententia nobiliſſimorum, & clariſſimorum hominum, *manumiſſi*. [1] Tandem aliquid invenimus, quod iſta mulier de ſuorum propinquorum, fortiſſimorum virorum, ſententia, atque auctoritate feciſſe videatur. Sed ſcire cupio, quid habeat argumenti iſta manumiſſio: in qua aut crimen eſt Cœlio quæſitum, aut quæſtio ſublevata, aut multarum rerum conſciis ſervis cum cauſa præmium perſolutum. At propinquis placuit. cur non placeret, cùm rem tute ad eos non ab aliis tibi allatam, ſed à te ipſa compertam, deferre diceres? Hic etiam miramur, ſi illam commentitiam pyxidem obſcœniſſima ſit fabula conſecuta? Nihil eſt quod in ejuſmodi mulierem non cadere videatur. [2] Audita, & percelebrata ſermonibus res eſt. percipitis animis, judices, jamdudum quid velim, vel potiùs, quid nolim dicere. quod etiam ſi eſt factum, certè à Cœlio non eſt factum. Quid enim attinebat? Eſt enim ab aliquo fortaſſe adoleſcente, non tam inſulſo, quàm non verecundo. ſin autem eſt fictum: [3] non illud quidem modeſtum, ſed tamen eſt non inficetum mendacium. quod profectò numquam hominum ſermo, atque opinio *comprobaſſet*, niſi omnia, quæ cum turpitudine aliqua dicerentur, in iſtam quadrare aptè viderentur. Dicta eſt à me cauſa, judices, & perorata. Jam intelligitis, quantum judicium ſuſtineatis, quanta res ſit commiſſa vobis. De vi quæritis. quæ lex ad imperium, ad majeſtatem, ad ſtatum patriæ, ad ſalutem omnium pertinet: quam legem Q. Catulus [4] armata diſſenſione civium, reipublicæ pæne extremis temporibus tulit: quæque lex, ſedata illa flamma conſulatus mei, fumantis reliquias conjurationis exſtinxit. Hac enim lege Cœlii adoleſcentia non ad reipublicæ pœnas, ſed ad mulieris libidines, & delicias
30 depoſcitur. Atque hoc etiam loco M. Camurti, & [5] C. Eſerni damnatio prædicatur. [6] O ſtultitiamne dicam, an impudentiam ſingularem! audetiſne, cum ab ea muliere veniatis facere iſtorum hominum mentionem? audetiſne excitare tanti flagitii *memoriam*, non exſtinctam illam quidem, ſed repreſſam vetuſtate? Quo enim illi crimine, peccatoque perierunt? nempe quòd ejuſdem mulieris dolorem, & injuriam Vettiano nefario ſunt ſtupro perſecuti. Ergo, ut audiretur Vettii nomen in cauſa, ut illa vetus [7] Afrania fabula refricaretur, idcirco Camurti, & Eſerni cauſa eſt renovata? qui quamquam lege de vi certè non tenebantur, eo maleficio tamen erant implicati, ut ex nullius legis laqueis emittendi viderentur. M. verò Cœlius cur in hoc judicium vocatur? cui neque proprium quæſtionis crimen objicitur, nec verò aliquid ejuſmodi, [8] quod ſit à lege ſejunctum, & cum veſtra ſeveritate conjunctum. cujus *prima ætas* dedita diſciplinis fuit, iiſque artibus, quibus inſtruimur ad hunc uſum forenſem, ad capeſſendam rempublicam, ad honorem, gloriam, dignitatem. iis autem fuit amicitiis majorum natu, quorum imitari induſtriam, continentiamque maximè velit: iis æqualium ſtudiis, ut eundem, quem optimi, ac nobiliſſimi, petere curſum laudis videretur. Cùm autem paullùm jam roboris acceſſiſſet ætati, in Africam profectus eſt, Q. Pompejo proconſuli contubernalis, caſtiſſimo viro, atque omnis officii diligentiſſimo: in qua provincia cùm res erant, & poſſeſſiones paternæ, tum etiam uſus quidam provincialis, non ſine cauſa à majoribus huic ætati tributus. diſceſſit illinc Pompeji judicio probatiſſimus, ut ipſius teſtimonio cognoſcetis. voluit vetere inſtituto, eorum adoleſcentium exemplo, qui poſt in civitate ſummi viri, & clariſſimi cives exſtiterunt, induſtriam ſuam à populo Romano ex aliqua *illuſtri accuſatione* cognoſci. Vellem aliò potius eum cupi- 31
ditas gloriæ detuliſſet. ſed abiit hujus tempus querelæ. Accuſavit C. Antonium, collegam meum: cui miſero præclari in rempublicam beneficii memoria nihil profuit, nocuit *opinio* maleficii cogitati. poſtea nemini conceſſit æqualium, plus ut in foro, plus ut in negotiis verſaretur, cauſiſque amicorum, plus ut valeret inter ſuos gratia. quæ niſi vigilanteis homines, niſi ſobrii, niſi induſtrii, conſequi non poſſunt, omnia *labore*, & *diligentia* eſt conſecutus. In hoc flexu quaſi ætatis (nihil enim occultabo, fretus humanitate, ac ſapientia veſtra) fama adoleſcentis paullum hæſit ad metas notitia nova mulieris, & infelici vicinitate, & *inſolentia* voluptatum. quæ cum incluſæ diutiùs, & prima ætate compreſſæ, & conſtrictæ fuerunt, ſubitò ſe nonnumquam profundunt, atque ejiciunt univerſæ. qua ex vita, vel dicam, quo ex ſermone (nequaquam enim tantum erat, quantum homines loquebantur) verùm ex eo, quidquid erat, emerſit, totumque ſe ejecit, atque extulit: tantumque abeſt ab illius familiaritatis infamia, ut ejuſdem nunc ab ſeſe inimicitias, odiumque propulſet. Atque ut iſte interpoſitus ſermo deliciarum, deſidiæque moreretur, (fecit me mehercule invito, & multum repugnante, ſed tamen fecit) nomen amici mei de ambitu detulit: quem abſolutum inſequitur, revocat: nemini noſtrûm obtemperat: eſt *violentior*, quàm vellem. Sed ego non loquor de ſapientia, quæ non cadit in hanc *ætatem*: de impetu animi loquor, de cupiditate vincendi, de ardore mentis ad gloriam: quæ ſtudia in his jam ætatibus noſtris contractiora eſſe debent: in adoleſcentia verò, tanquam in herbis, ſignificant, quæ virtutis maturitas, & quantæ *fruges* induſtriæ ſint futuræ. Etenim ſemper MAGNO INGENIO adoleſcentes refrenandi potiùs à gloria, quàm incitandi fuerunt: amputanda plura ſunt illi ætati, ſiquidem efflorеſcit ingenii laudibus, quàm inſerenda. Quare, ſi cui nimium efferviſſe videtur hujus vel in ſuſcipiendis, vel in gerendis inimicitiis vis, ferocitas, pertinacia: ſiquem etiam minimorum horum aliquid offendit, ſi purpuræ genus, ſi amicorum catervæ, ſi ſplendor, ſi nitor: jam iſta deferverint: *jam ætas omnia,*
jam iſta dies mitigarit. Conſervate igitur reipublicæ, judi- 32
ces, civem bonarum artium, bonarum partium, bonorum virorum. Promitto hoc vobis, & reipublicæ ſpondeo, ſi modò nos ipſi reipublicæ ſatisfecimus, numquam hunc à noſtris rationibus ſejunctum fore. quod cùm fretus noſtra familiaritate promitto, tum quòd duriſſimis ſe ipſe legibus jam *obligarit*. neque enim poteſt, qui hominem conſularem, quòd ab eo rempublicam violatam diceret, in judicium vocarit, ipſe eſſe in republica civis turbulentus: non poteſt, qui ambitu ne abſolutum quidem patitur eſſe abſolutum, ipſe impunè umquam eſſe largitor. Habet à M. Cœlio reſpublica, judices, duas accuſationes, vel obſides periculi, vel *pignora voluntatis*. Quare oro, obteſtorque vos, judices, ut qua in civitate paucis his diebus Sex. Clodius abſolutus ſit, quem vos per biennium aut miniſtrum ſeditionis, aut ducem vidiſtis: qui ædeis ſacras, qui cenſum populi Rom. qui memoriam publicam ſuis manibus incendit, hominem ſine re, ſine fide, ſine ſpe, ſine ſede, ſine fortunis: ore, lingua, manu, vita omni *inquinatum*: qui

1. *Tandem aliquid invenimus, quod, &c. feciſſe videatur.*] Debetur hæc emendatio Pall. Erf. Gembl. vulgata inficetè, *inveniemus quod, &c. feciſſe dicatur.*

2. *Audita & percelebrata, &c.*] Abjeci quoque, *& pervulgata*, quod aberat Pall. S. Vict. Grut.

3. *Non illud quidem moleſtum eſt.*] Ita libri mſſ. præſtantiores, non *modeſtum*, quod in hactenus vulgatis.

4. *Armata diſſenſione civium.*] S. Victoris aliàs *diſceſſione*.

5. *C. Eſerni.*] Hoc maluit, P. Manutius, & Pantagathus. vulgata enim *Ceſerni*.

6. *O ſtultitiam ne dicam, an impud. &c.*] Concinnius iſtud eſt, quàm vulgatum retro: *O ſtultitiam! ſtultitiamne dicam, &c.* neque reperitur in edd. exoletis, nedum mſſ. melioribus.

7. *Afrania fabula refricaretur.*] Mſſ. noſtri *Afraria fabula reficeretur*; neque aliter etiam Erfurd. Gembl. S. Vict. qui ultimus alias habet *æraria fabula referretur*.

8. *Quod ſit à lege ſejunctum, &c.*] Leodegarius à Quercu conjicit, *quod non ſit, &c.*

qui Catuli monumentum afflixit, meam domum diruit, mei fratris incendit: qui in Palatio atque in urbis oculis ſervitia ad cædem, & inflammandam urbem incitavit: in ea civitate ne patiamini illum abſolutum muliebri gratia, M. Cœlium, libidini muliebri condonatum: ne eadem mulier cum ſuo conjuge, & fratre, turpiſſimum latronem eripuiſſe, & honeſtiſſimum adoleſcentem oppreſſiſſe videatur. Quòd cùm hujus vobis adoleſcentiam propoſueritis, conſtituitote vobis ante oculos etiam hujus miſeri ſenectutem, qui hoc *unico filio* nititur, in hujus ſpe requieſcit, hujus unius caſum pertimeſcit: quem vos ſupplicem veſtræ miſericordiæ, ſervum poteſtatis, abjectum non tam ad pedes, quàm ad mores, ſenſuſque veſtros, vel recordatione parentum veſtrorum, vel liberorum jucunditate ſuſtentate: ut in alterius dolore, vel pietati, vel indulgentiæ veſtræ ſerviatis. Nolite, judices, aut hunc jam natura ipſa occidentem, velle maturiùs exſtingui vulnere veſtro, quàm ſuo fato: aut hunc nunc primùm floreſcentem, firmata jam ſtirpe virtutis, tanquam turbine aliquo, aut ſubita tempeſtate *pervertere*. Conſervate parenti filium, parentem filio: ne aut ſenectutem jam propè deſperatam contemſiſſe, aut adoleſcentiam plenam ſpei maximæ, non modò non aluiſſe vos, ſed etiam perculiſſe, atque afflixiſſe videamini. Quem ſi vobis, ſi ſuis, ſi reipub. conſervatis, addictum, deditum obſtrictum vobis, ac liberis veſtris habebitis: omniumque hujus nervorum, ac laborum vos potiſſimùm, judices fructus uberes, diuturnoſque capietis.

M. TULLIUS CICERO DE PROVINCIIS CONSULARIBUS.

ORATIO TRICESIMAQUINTA.

1 SI QUIS veſtrûm, P. C. exſpectat, quas ſim provincias decreturus, conſideret ipſe ſecum, qui mihi homines [1] ex provinciis potiſſimùm detrahendi ſint: non dubitabit, quid me ſentire conveniat, cùm, quid mihi ſentire neceſſe ſit, cogitarit. Ac, ſi princeps eam ſententiam dicerem: laudaretis profectò. ſi ſolus; certè ignoſceretis. etiam ſi paullo minùs utilis vobis ſententia videretur: veniam tamen aliquam *dolori* meo tribueretis. Nunc verò P. C. non parva afficior voluptate, vel quòd hoc maximè reipub. conducit, Syriam, Macedoniamque decerni, ut dolor meus nihil à communi utilitate diſſentiat: vel quod habeo auctorem P. Servilium, qui ante me ſententiam dixit, virum clariſſimum, & cùm in univerſam rempublicam, tum etiam erga meam ſalutem, fide, ac benevolentia ſingulari. Quòd ſi ille & paullo antè, &, quotieſcumque ei locus dicendi, ac poteſtas fuit, Gabinium, & Piſonem, duo *reipub. portenta, ac penè funera*, cum propter alias cauſas, tum maximè propter illud inſigne ſcelus eorum, & importunam in me crudelitatem, non ſolùm ſententia ſua, ſed etiam verborum gravitate eſſe notandos putavit: quonam me animo in eos eſſe oportet, cujus illi ſalutem pro pignore tradiderunt [2] ad expiandas ſuas cupiditates? Sed ego in hac ſententia dicenda non parebo dolori meo, nec iracundiæ ſerviam. quo animo unuſquiſque veſtrûm debet eſſe in illos, hoc ero: præcipuum illum, & proprium ſenſum doloris mei, quem tamen vos communem ſemper vobis mecum eſſe duxiſtis, à *ſententia dicenda* amovebo: ad ulciſcendi tempora reſervabo.

2 Quattuor ſunt provinciæ, P. C. de quibus adhuc intelligo ſententias eſſe dictas: Galliæ duæ, quas hoc tempore uno imperio videmus eſſe conjunctas: & Syria, & Macedonia: quas, vobis invitis, & oppreſſis, peſtiferi illi conſules pro everſæ reipublicæ *præmiis* occupaverunt. Decernendæ nobis ſunt lege Sempronia duæ. quid eſt, quod poſſimus de Syria, Macedoniaque dubitare? Mitto, quòd eas ita partas habent ii, qui nunc obtinent, ut non antè attigerint, quàm hunc ordinem condemnarint: quàm auctoritatem veſtram è civitate exterminarint: quàm fidem publicam, quàm perpetuam populi Romani ſalutem, quàm me, ac meos omneis fœdiſſimè, crudeliſſimeque vexarint. Omnia domeſtica illa, atque urbana mitto; quæ tanta ſunt, ut numquam Hannibal huic urbi tantum mali optarit, quantum illi effecerint. Ad ipſas venio provincias. quarum Macedonia, quæ erat antea munita plurimorum imperatorum non turribus, ſed tropæis, quæ multis victoriis erat jamdiu, triumphiſque pacata, ſic à Barbaris, quibus eſt, *propter avaritiam*, pax erepta, vexatur, ut Theſſalonicenſes, poſiti in gremio imperii noſtri, relinquere oppidum, & [3] arcem munire cogantur: ut via illa noſtra, quæ per Macedoniam eſt uſque ad Helleſpontum militaris, non ſolùm excurſionibus Barbarorum ſit infeſta, ſed etiam caſtris Threciis diſtincta, ac notata. Ita gentes eæ, quæ, ut pace uterentur, vim argenti dederant præclaro noſtro imperatori: ut exhauſtas domos replere poſſent, pro *emta pace* bellum nobis propè juſtum intulerunt. Jam verò exercitus ille noſter ſuperbiſſimo delectu, & duriſſima conquiſitione collectus, omnis interiit. Magno hoc dico cum dolore. 3
miſerandum in modum milites populi Rom. capti, necati, deſerti, diſſipati ſunt; incuria, fame, morbo, vaſtitate *conſumti*: [4] ut, quod eſt indigniſſimum, ſcelus imperatoris, in pœnam exercitus expetitum eſſe videatur. Atque hanc Macedoniam, domitis jam gentibus finitimis, Barbariaque compreſſa, pacatam ipſam per ſe, & quietam, tenui præſidio, atque exigua manu, etiam *ſine imperio*, per legatos nomine ipſo populi Rom. tuebamur: quæ nunc conſulari imperio, atque exercitu ita vexata eſt, [5] vix ut ſe poſſit diuturna pace recreare: cùm intereà, quis veſtrûm hoc non audivit, quis ignorat, Achæos ingentem pecuniam pendere L. Piſoni quotannis? vectigal, ac portorium Dyrrha-

1. *EX provinciis potiſſimum detrahendi ſint.*] Lambinus publicavit *retrahendi ſint*; ſed præter libros profectò, & ineptè. ſic iterum loquitur infra capite 8.

2. *Ad expiandas ſuas cupiditates.*] Coactus ſum obedire omnibus antiquitus cuſis, & ſeptem Pall. in quibus iſthæc ſcriptura, niſi quod octavus haberet *expediendas*, ſuperſcriptum verò à gloſſatore *purgandas*. recentius cuſi obtruſere nobis, *ad explendas*. quod neque exſtare in Erfurd. aut S. Vict. fidem facit nota Gulielmii.

3. *Arcem munire cogantur.*] Pal. nonus & Turing. *cogitarint*.

4. *Ut, quod eſt indigniſſimum, ſcelus imperatoris, in pœnam exercitus expetitum eſſe videatur.*] Hæc eſt lectio S. Victoris, nec abit Pal. nonus, Erfurd. Gembl. quàm quod ii, *expetitus eſſe*. unde Gulielmius conjiciebat, *expetiiſſe*; recte; niſi amamus ſumere alterum active; quod non inſolens auctoribus. prius vulgabatur, *indigniſſimum ſcelus, is imperator in pœnam exerc. expetitus eſſe videatur*; ſenſu ſatis frigido, ne quid amplius dicam. at noſtrum vult exercitum luiſſe peccata Imperatoris ſui.

5. *Vix ut ſe poſſit diuturna pace recreare.*] Pal. nonus atque Erf. *vix ut poſſit diuturna pace recreari*. æque benè.

1. *Neſt-*

Dyrrhachinorum totum in hujus unius quæſtum eſſe converſum? urbem Byzantiorum, vobis, atque huic imperio fideliſſimam, hoſtilem in modum eſſe vexatam? quò ille, poſteaquam nihil exprimere ab egentibus, nihil ulla vi à miſeris *extorquere* potuit, cohorteis in hiberna miſit: his præpoſuit, quos putavit fore diligentiſſimos ſatellites ſcelerum, miniſtros cupiditatum ſuarum. Omitto juriſdictionem in libera civitate contra leges, ſenatuſque conſulta: cædeis relinquo, libidines prætereo: quarum acerbiſſimum exſtat indicium, & ad inſignem memoriam turpitudinis, & pænè ad juſtum imperii noſtri *odium*, quòd conſtat, nobiliſſimas virgines ſe in puteos abjeciſſe, & morte voluntaria [1] nefariam turpitudinem depuliſſe. Nec hæc idcirco omitto, quòd non graviſſima ſint: ſed quia
4 nunc ſine teſte dico. Ipſam verò urbem Byzantiorum, fuiſſe refertiſſimam atque ornatiſſimam ſignis, quis ignorat? quæ illi exhauſti ſumtibus, belliſque maximis, cùm Mithridaticos impetus, totumque Pontum armatum, effervescentem in Aſiam, atque [2] erumpentem, ægrè repulſum, & cervicibus interclusum ſuis, ſuſtinerent; tum, inquam, Byzantii, & poſtea ſigna illa, & reliqua urbis ornamenta, ſanctiſſimè cuſtodita, tenuerunt. te imperatore infeliciſſimo, & tæterrimo, Cæſonine Calventi, civitas libera, & proximis ſuis beneficiis à ſenatu, & à populo Romano liberata, ſic ſpoliata, atque nudata eſt, ut, niſi [3] C. Virginius, legatus, vir fortis, & innocens, interveniſſet, unum *ſignum* Byzantii ex maximo numero nullum haberent. Quod fanum in Achaja, qui locus, aut lucus in Græcia tota, tam ſanctus fuit, in quo ullum ſimulacrum, ullum ornamentum reliquum ſit? Emiſti à fœdiſſimo tribuno plebis, tum in illo naufragio hujus urbis, quam tu idem, qui gubernare debueras, everteras: tum, inquam, emiſti grandi pecunia, ut tibi de pecuniis creditis jus in liberos populos contra ſenatuſconſultum, & contra legem generi tui dicere liceret. id emtum ita vendidiſti, ut aut *jus non diceres*, aut bonis civeis Romanos everteres. [4] quorum ego nihil nunc, patres conſcripti, in hominem ipſum: de provincia diſputo. Itaque omnia illa, quæ & ſæpe audiſtis, & tenetis animis, etiam ſi non audiatis, prætermitto: nihil de hac ejus urbana, quam ille præſens in oculis veſtris, mentibuſque defixit, audacia loquor: nihil de ſuperbia, nihil de contumacia, nihil de crudelitate diſputo. lateant libidines ejus illæ tenebricoſæ, quas fronte, & ſupercilio, non pudore, & temperantia *contegebat*: de provincia, quod agitur, id diſputo. [5] Huic vos non ſummittetis? hunc diutiùs manere patiemini? cujus, ut provinciam tetigit, ſic fortuna cum improbitate certavit, ut nemo poſſet, [6] utrùm poſterior, an infelicior eſſet, judicare. An verò in Syria diutius eſt Semiramis illa retinenda? cujus iter in provinciam fuit ejuſmodi, ut rex Ariobarzanes conſulem veſtrum ad cædem faciendam, tanquam aliquem Threcem conduceret. Deinde adventus in Syriam primus, equitatus habuit interitum: poſt conciſæ ſunt optimæ cohortes. Igitur in Syria, imperatore illo, [7] nihil aliud actum eſt, niſi [8] *pactiones* pecuniarum cum tyrannis, deciſiones, direptiones, latrocinia, cædes, cùm palam populi Romani imperator, inſtructo exercitu, *dexteram tendens*, non ad laudem milites [9] hortaretur, ſed omnia ſibi & emta, & emenda eſſe clamaret. Jam verò publicanos miſeros (me etiam miſerum, illorum ita de me meritorum miſeriis, ac dolore) 5
tradidit in ſervitutem Judæis, & Syris, nationibus natis ſervituti. Statuit ab initio, & in eo perſeveravit, jus publicano non dicere: pactiones ſine ulla injuria factas reſcidit: *cuſtodias* ſuſtulit, vectigaleis multos, ac ſtipendiarios liberavit. quo in oppido ipſe eſſet, aut quò veniret, ibi publicanum, aut publicani ſervum eſſe vetuit. quid multa? crudelis haberetur, ſi in hoſtem animo fuiſſet eo, quo fuit in civeis Rom. ejus ordinis præſertim, qui eſt ſemper dignitate ſua, benignitate magiſtratus *ſuſtentatus*. Itaque videtis, patres conſcripti, non temeritate redemtionis, aut negotii gerendi inſcitia, ſed avaritia, ſuperbia, crudelitate Gabinii, pænè afflictos jam, atque everſos publicanos: quibus quidem vos, in his anguſtiis ærarii, tamen ſubveniatis neceſſe eſt: etſi jam multis non poteſtis: qui propter illum hoſtem ſenatus, inimiciſſimum ordinis equeſtris, bonorumque omnium, non ſolùm bona, ſed etiam *honeſtatem* miſeri deperdiderunt: quos non parſimonia, non continentia, non virtus, non labor, non ſplendor tueri potuit contra illius helluonis, & prædonis audaciam. Quid? qui ſe etiam nunc ſubſidiis patrimonii, aut amicorum liberalitate ſuſtentant, hos perire patiemur? An, ſi qui frui publico non potuit *per hoſtem*, hic tegitur ipſa lege cenſoria: quem is frui non ſinit, qui eſt, etiam ſi non appellatur, hoſtis, huic ferri auxilium non oportet? Retinete igitur in provincia diutiùs eum, qui de ſociis cum hoſtibus, de civibus cum ſociis faciat pactiones: qui hoc etiam ſe pluris eſſe, quàm collegam, putet, quod ille vos triſtitia, vultuque deceperit, ipſe numquam ſe minùs, quàm erat, nequam eſſe ſimularit. Piſo autem alio quodam modo *gloriatur*, ſe brevi tempore perfeciſſe, ne C. Gabinius, unus omnium nequiſſimus exiſtimaretur. Hos vos de provinciis, 6
ſi non aliquando deducendi eſſent, deripiendos non putaretis? [10] & has dupliceis peſteis ſociorum, militum cladeis, publicanorum ruinas, provinciarum vaſtitates, imperii maculas, teneretis? At iidem vos, anno ſuperiore, hos eoſdem revocabatis, cùm in provincias jam perveniſſent. quo tempore ſi liberum veſtrum judicium fuiſſet, nec toties dilata res, nec ad extremum è manibus erepta eſſet: reſtituiſſetis, id quod cupiebatis, veſtram *auctoritatem*, iis, per quos erat amiſſa, revocatis, & his ipſis præmiis extortis, quæ erant pro ſcelere, atque everſione patriæ conſecuti. [11] Quam pœnam ſi tum aliorum opibus, non ſuis, invitiſſimis vobis, evolarunt: at aliam multo majorem, gravioremque ſubierunt. quæ enim homini, in quo aliquis ſi non *famæ pudor*, at ſupplicii timor eſt, gravior pœna accidere potuit, quàm non credi litteris iis, quæ rem bene geſtam

1. *Nefariam turpitudinem depuliſſe.*] Videtur reducendum quod exſtat in Pall. omnibus & vetuſte cuſis *neceſſariam*, niſi forte libri reperiantur, in quibus hæreat alterum.

2. *Erumpentem, ægrè repulſum*, &c.] Pal. quart. quint. nonus, *ore repulſum*. Gemblacenſis utrumque admiſit, ſic; *erumpentem ægrè ore repulſum.*

3. *C. Virginius.*] Si ſcriptis ſtandum eſt, reſcribendum *Virgilius*. ita enim Pall. ita Gembl. & S. Vict.

4. *Quorum ego nihil nunc P.C. in hominem ipſum, de provincia*, &c.] Reſtitui hunc locum ex Pal. nono. nec abit S. Vict. niſi quod adhuc habeat *dico*. vulgata enim, *nihil dico nunc P. C. hominem ipſum relinquo: de prov.* inepte.

5. *Huic vos non ſubmittetis? hunc diutius*, &c.] S. Victoris non agnoſcit negativam, quod placebat Gulielmio: etſi ſciret *ſubmittere* etiam extendi ad miſſionem ſucceſſoris. verùm cùm illud non exſtet in Pall. id mutarim cum quarto in *num*. certè orationis numeri tale quid requirunt.

6. *Utrum poſterior, an infelicior*, &c.] Auſus ſum locum ſuum dare voci iſti, quod exiſteret in olim editis, in Pall. in Ahalæ ſcripto, neque minus quadraret, quam ſuppoſitum illud *deterior*. nam Lambini *protervior*, conjecturam ejus ſapit. conſulatur Turnebus lib. xx. cap. 9.

7. *Nihil aliud actum eſt.*] Pall. & S. Victoris liber, item olim cuſi, *nihil aliud neque actum eſt*; pro quo nobis obtruſit Lambinus, *nihil aliud uſque actum eſt*. quod non ſatisfacit. maluiſſem *utique*. ſed aliud adhuc quid latet.

8. *Pactiones pecuniarum cum tyrannis.*] Pal. nonus verbo amplius, *pactiones pecuniarum magis cum tyrannis*. ſupra etiam ubi eſt *igitur in Syria*, iidem mſſ. omnes agnoſcunt *Syriam* aut *Suriam*.

9. *Hortetur, ſed*, &c. *clamaret.*] Meliores membranæ, *hortetur, ſed*, &c. *clamet*. neque abjiciendum erat.

10. *Has dupliceis peſteis*, &c.] Lambinus aſſeverat hanc eſſe lectionem omnium ſcriptorum; ſed fallitur. Pall. omnes præter nonum retinent vulgatam *publicas*. verum eam ejeci quod altera item exſtaret in S. Vict. item Erfurdienſi.

11. *Quam pœnam ſi tum aliorum.*] Mſſ. noſtri omnes, *quâ pœnâ*. niſi quod Pal. nonus, *quæ pœna*. & tamen *evolare pœnam*, neſcio an non melius, quam *pœnâ*.

geſtam in bello nuntiarent? Hoc ſtatuit ſenatus, cùm frequens ſupplicationem Gabinio denegavit: primùm, homini, ſceleribus, flagitiis contaminatiſſimo, nihil eſſe credendum: deinde, à proditore, atque eo, quem præſentem hoſtem reipublicæ cognoſſet, *bene rem geri* non potuiſſe: poſtremò, ne deos quidem immortaleis velle aperiri ſua templa, & ſibi ſupplicari hominis impuriſſimi, & ſceleratiſſimi nomine. Itaque ille alter, aut ipſe eſt homo doctus, & à ſuis Græcis ſubtiliùs eruditus, quibuſcum jam [1] in exoſtra helluatur, antea poſt ſiparium ſolebat: aut amicos habet *prudentiores*, quàm Gabinius, cujus nullæ litteræ
7 perferuntur. Hoſce igitur imperatores habebimus? quorum alter non audet nos certiores facere, ne imperator appelletur: alterum, ſi tabellarii non ceſſarint, neceſſe eſt paucis diebus pœniteat audere. cujus amici ſiqui ſunt, aut ſi belluæ tam immani, tamque tætræ poſſunt ulli eſſe amici, hac conſolatione utuntur, *etiam* T. Albucio ſupplicationem hunc ordinem denegaſſe. [2] Quod eſt primùm diſſimile. res in Sardinia [3] cum maſtrucatis latrunculis à proprætore una cohorte auxiliaria geſta, & bellum cum maximis Syriæ gentibus, tyrannis, conſulari exercitu, imperioque confectum. deinde Albucius, quod à ſenatu, petebat, ipſe ſibi in Sardinia antè decreverat. conſtabat enim, Græcum hominem, ac levem, in ipſa provincia quaſi triumphaſſe. Itaque hanc ejus temeritatem ſenatus ſupplicatione denegata *notavit*. Sed fruatur ſanè hoc ſolatio: atque hanc inſignem ignominiam, quoniam uni, præter ſe, inuſta eſt, putet eſſe leviorem: dummodo, cujus exemplo ſe conſolatur, ejus exitum exſpectet: præſertim cùm in Albucio nec Piſonis libidines, nec audacia Gabinii fuerit: hac tamen una plaga conciderit, ignominia ſenatus. Atqui duas Gallias qui decernit conſulibus duobus, [4] hos retinet ambo: qui autem alteram Galliam, & aut Syriam, aut Macedoniam; tamen alterum retinet, & in utriuſque *pari ſcelere* diſparem conditionem facit. Faciam, inquit, illas prætorias, ut Piſoni, & Gabinio ſuccedatur ſtatim. Si hic ſinat. Tum enim tribunus intercedere poterit, nunc non poteſt. Itaque ego idem, qui nunc conſulibus iis, qui deſignati erunt, Syriam, Macedoniamque decerno, decernam eaſdem prætorias, ut & prætores annuas provincias habeant, & eos quàm primùm videamus, quos animo
8 æquo videre non poſſumus. Sed mihi credite: numquam ſuccedetur illis, niſi cùm ea lege referetur, qua intercedi de provinciis non licebit. Itaque, hoc tempore amiſſo, annus eſt integer vobis *exſpectandus*: quo interjecto, civium calamitas, ſociorum ærumna, ſceleratiſſimorum hominum impunitas propagatur. Quòd ſi eſſent illi optimi viri, tamen ego mea ſententia C. Cæſari ſuccedendum nondum putarem. Qua de re dicam patres conſcripti, quod ſentio, atque illam interpellationem mei familiariſſimi, qua paullo ante interrupta eſt oratio mea, non pertimeſcam. Negat me vir optimus inimiciorem Gabinio debere eſſe, quàm Cæſari. omnem enim illam *tempeſtatem*, cui ceſſerim, Cæſare impulſore, atque adjutore eſſe excitatam. Cui ſi primùm ſic reſpondeam, me *communis utilitatis* habere rationem, non doloris mei: poſſimne probare, cùm id me facere dicam, quod exemplo fortiſſimorum, & clariſſimorum civium facere poſſim? [5] An non Ti. Gracchus, (patrem dico, cujus utinam filii ne degeneraſſent à gravitate patria) tantam laudem eſt adeptus, quòd tribunus plebis ſolus ex toto illo collegio L. Scipioni auxilio fuit, inimiciſſimus & ipſius, & fratris ejus, Africani, juravitque in concione, ſe in gratiam non rediiſſe; ſed alienum ſibi videri dignitate imperii, quòd duces eſſent hoſtium, Scipione triumphante, ducti, eodem ipſum duci, qui triumphaſſet? Quis plenior inimicorum fuit C. Mario? L. Craſſus, M. Scaurus. aliine inimici? omnes Metelli. At hi non modò illum inimicum ex Gallia ſententiis ſuis non detrahebant, ſed & propter rationem Gallici belli, provinciam extra ordinem decernebant. Bellum in Gallia maximum geſtum eſt: domitæ ſunt à Cæſare maximæ nationes, ſed nondum legibus, nondum jure certo, nondum ſatis firma pace *devinctæ*. bellum affectum videmus, &, verè ut dicam, pænè confectum: ſed ita, ut, ſi idem extrema perſequitur, qui inchoavit, jam omnia perfecta videamus. ſi ſucceditur: periculum ſit, ne inſtauratas maximi belli reliquias, ac renovatas audiamus. Ergo ego ſenator, inimicus, ſi ita vultis, homini; amicus eſſe, ſicut ſemper fui, reipublicæ debeo. Quid, ſi ipſas inimicitias *depono* reipublicæ cauſa? quis me tandem jure reprehendat? præſertim cum ego omnium meorum conſiliorum, atque factorum exempla ſemper ex ſummorum hominum factis mihi cenſuerim petenda. [6] An verò M. ille Lepidus, qui bis conſul, 9
& pontifex maximus fuit, [7] non ſolùm memoria & teſtimonio, ſed etiam annalium litteris, & ſummi poëtæ voce laudatus eſt, quòd cum M. Fulvio collega, quo die cenſor eſt factus, homine inimiciſſimo, in campo ſtatim rediit in gratiam, ut commune officium cenſuræ *communi animo*, ac voluntate defenderent? Atque, ut vetera, quæ ſunt innumerabilia, mittam; tuus pater, Philippe, nonne uno tempore cum ſuis inimiciſſimis in gratiam rediit? quibus eum omnibus eadem reſpublica reconciliavit, quæ alienarat. Multa prætereo, quòd intueor coràm hæc lumina, atque ornamenta reipublicæ P. Servilium, & M. Lucullum, ([8] utinam etiam L. Lucullus ille viveret.) Quæ fuerunt inimicitiæ graviores in civitate, quàm Lucullorum, atque Serviliorum? quas in viris fortiſſimis non ſolùm exſtinxit *reipublicæ dignitas*, & ipſorum; ſed etiam ad amicitiam, conſuetudinemque traduxit. Quid? Q. Metellus Nepos, nonne conſul in templo Jovis optimi, maximi, permotus cùm auctoritate veſtra, tum illius P. Servilii incredibili gravitate dicendi, abſens mecum, ſummo ſuo beneficio, rediit in gratiam? An ego poſſum huic eſſe inimicus, cujus literis, fama, nuntiis, celebrantur aures quotidie meæ novis nominibus gentium, nationum, locorum? Ardeo, mihi credite, patres conſcripti (id quod voſmet de me exiſtimatis, & facitis ipſi) incredibili quodam amore patriæ: qui me amor & ſubvenire olim impendentibus periculis maximis cum dimicatione capitis, & rurſum, cùm omnia tela undique eſſe intenta in patriam viderem, ſubire coëgit, atque excipere unum pro univerſis. hic me meus in rempublicam animus priſtinus, ac perennis, cum C. Cæſare reducit, reconciliat, reſtituit in gratiam. Quod volent denique, homines exiſtiment; NEMINI EGO POSSUM ESSE BENE DE REPUBLICA MERENTI NON AMICUS.
Etenim ſi iis, qui hæc omnia flamma, ac ferro delere voluerunt, non inimicitias ſolùm, ſed etiam bellum indixi, 10
atque intuli, cùm partim mihi illorum familiares, partim etiam,

1. *In exoſtra helluatur.*] Sic etiam potiſſimi librorum noſtrorum. de qua voce conſulatur Turnebus lib. xx. Adverſar. cap. 9. antea erat *orcheſtra*, a conjectura neotericorum. nam edd. vett. *in exedra*.

2. *Quod eſt primum diſſimile*, &c.] Gembl. S. Vict. Pal. nonus, *quid*. unde diſtinguit Gulielmius; *Quid eſt? primum diſſ.*

3. *Cum maſtrucatis latrunculis.*] Interpretatio petenda à Turnebo d. c. 9.

4. *Hos retinet ambo.*] Ita Lambinus, fide exemplaris S. Victoris, cui reſpondet Pal. nonus. antique pro *ambos*, ut in vulgatis.

5. *An non Tiberius Gracchus.*] Periodum hanc poſteriores editiones diſtraxerant. revocavi heic in ſuum locum, volentibus omnibus mſſ. noſtris, nec non edd. priſcis, etiam Petri Victorii; ne id forte ſibi arroget Lambinus, ut tamen facit.

6. *An verò M. ille Lepidus.*] Reduxi ſcripturam olim cuſam, firmatamque Pall. poſt impreſſi, *an non M.* male.

7. *Non ſolùm memoriæ teſtimonio.*] Sic Pal. nonus, reſpondetque Plutearius S. Victoris. vulgata, *memoria & teſtimonio*.

8. *Utinam etiam L. Lucullus ille viveret.*] Lectionem hanc damnant editi libri antiquitus, item ſcripti noſtri. illi præferunt *ille deſiveret*; hi, *deſineret*; niſi quod Pal. nonus & S. Vict. *deſiderat*. non libet aut licet inquirere in annum quo obiit: ſed tamen ex his facilè quis finxerit, *utinam etiam L. Lucullus ille ſe ſineret*, ſcilicet *intueri*. Ahalæ liber præfert *veniret*, quod etiam habet quo ſe tueatur.

1. *Ut*

etiam, me defendente, capitis judiciis eſſent liberati: cur eadem reſpublica, quæ me in amicos inflammare potuit, inimicis placare non poſſit? Quod mihi *odium* cum P. Clodio fuit, niſi quòd perniciosum patriæ civem fore putabam, qui turpiſſima libidine incenſus, duas res ſanctiſſimas, religionem, & pudicitiam uno ſcelere violaſſet? Num eſt igitur dubium ex iis rebus, quas is egit, agitque quotidie, quin ego, in illo oppugnando, reipublicæ plus, quàm otio meo: nonnulli, in eodem defendendo, ſuo plus otio, quàm communi, proſpexerint? Ego me à C. Cæſare in republica diſſenſiſſe fateor, & ſenſiſſe vobiſcum: ſed nunc iiſdem vobis aſſentior, cùm quibus anteà ſentiebam. Vos enim, ad quos litteras L. Piſo de ſuis rebus non audet mittere: qui Gabinii litteras inſigni quadam nota, atque ignominia nova condemnaſtis, C. Cæſari ſupplicationes decreviſtis, numero, [1] ut nemini ullo ex bello: honore, ut omnino nemini. Cur igitur exſpectem hominem aliquem, qui me cum illo in gratiam reducat? reduxit ordo ampliſſimus, & ordo is, qui eſt & publici conſilii, & meorum omnium conſiliorum auctor & princeps. Vos ſequor, patres conſcripti: vobis obtempero, vobis aſſentior: qui, quamdiu C. Cæſaris conſilia in republica non maximè diligebatis, me quoque cum illo minùs conjunctum videbatis. poſteaquàm rebus geſtis menteis veſtras, voluntateiſque *mutaſtis*: me non ſolùm comitem eſſe ſententiæ veſtræ, ſed etiam laudatorem vidiſtis.

11 Sed quid eſt, quod in hac cauſa maximè homines admirentur, & reprehendant meum conſilium, cùm ego idem anteà multa decrerim, quæ magis ad hominis dignitatem, quàm ad reipublicæ neceſſitatem pertinerent? Supplicationem quindecim dierum decrevi ſententia mea Reip. ſatis erat tot dierum, quot C. Mario. Diis immortalibus non erat exigua eadem *gratulatio*, quæ ex maximis bellis. Ergo ille cumulus dierum, hominis eſt dignitati tributus. In quo ego, quo conſule referente, primùm decem dierum ſupplicatio decreta Cn. Pompejo, Mithridate interfecto, confectoque Mithridatico bello, cujus ſententia primùm duplicata eſt ſupplicatio conſularis (mihi enim eſtis aſſenſi, cùm, ejuſdem Pompeii litteris recitatis, confectis omnibus maritimis, terreſtribuſque bellis, ſupplicationem dierum duodecim decreviſtis) ſum Cn. Pompeii virtutem & animi magnitudinem admiratus, quòd, cùm ipſe ceteris omnibus eſſet omni honore antelatus, ampliorem honorem *alteri tribuebat*, quàm ipſe erat conſecutus. Ergo in illa ſupplicatione, quam ego decrevi, res ipſa tributa eſt diis immortalibus, & majorum inſtitutis, & utilitati reipublicæ: ſed dignitas verborum, honos, & novitas, & numerus dierum, Cæſaris ipſius laudi, gloriæque conceſſus eſt. Relatum eſt ad nos nuper de *ſtipendio exercitus*. non decrevi ſolùm, ſed etiam, ut vos decerneretis, laboravi: multa diſſentientibus reſpondi: ſcribendo affui. tum quoque homini plus tribui, quàm neſcio cui neceſſitati. illum enim arbitrabar etiam ſine hoc ſubſidio pecuniæ retinere exercitum præda antè parta, & bellum conficere poſſe: ſed decus illud, & ornamentum triumphi, minuendum noſtra parſimonia non putavi. Actum eſt de decem legatis, quos alii omnino non dabant, alii *exempla quærebant*, alii tempus differebant, alii ſine ullis verborum ornamentis dabant. in ea quoque re ſic ſum locutus, ut omnes intelligerent, me id, quod reipublicæ cauſa ſentirem, facere uberiùs propter ipſius Cæſaris dignitatem.

12 At ego idem nunc in provinciis decernendis, qui illas omneis res egi ſilentio, interpellor: cùm ſuperioribus cauſis hominis ornamenta fuerint, in hac me nihil aliud, niſi ratio belli, niſi ſumma utilitas reipublicæ moveat. Nam ipſe Cæſar, quid eſt, cur in provincia commorari velit, niſi ut ea, quæ per eum affecta ſunt, perfecta reipublicæ tradantur? *Amœnitas* eum, credo, locorum, urbium pulchritudo, hominum, nationumque illarum humanitas, & lepos, victoriæ cupiditas, finium imperii noſtri propagatio retinet. Quid illis terris aſperius? quid incultius oppidis? quid nationibus immanius? quid porrò tot victoriis præſtabilius? quid Oceano longiùs inveniri poteſt? An reditus in patriam habet aliquam offenſionem? utrùm apud populum, à quo miſſus: an apud ſenatum, à quo ornatus eſt? an *dies auget ejus deſiderium*? an magis oblivionem, ac laurea illa magnis periculis parta, amittit longo intervallo viriditatem? Quare, ſi qui hominem non diligunt, nihil eſt, quòd eum de provincia devocent. ad gloriam devocant: ad triumphum, ad gratulationem, ad ſummum honorem ſenatus, equeſtris ordinis gratiam, populi caritatem. Sed, ſi ille hac tam eximia fortuna propter utilitatem reipublicæ frui non properat, ut omnia illa conficiat: quid ego ſenator facere debeo, quem, etiam ſi ille aliud vellet, reipublicæ conſulere oporteret? Ego verò ſic intelligo, patres conſcripti, nos hoc tempore in provinciis decernendis, perpetuæ pacis habere oportere rationem. [2] nam quis hoc non ſentit, omnia alia eſſe nobis vacua ab omni periculo, atque etiam ab omni ſuſpicione belli? [3] Jamdiu *mare* videmus illud immenſum, cujus fervore non ſolùm maritimi curſus, ſed urbes etiam, & viæ militares jam tenebantur, virtute Cn. Pompeii ſic à populo Rom. ab Oceano uſque ad ultimum Pontum, tanquam unum aliquem portum, tutum, & clauſum teneri: nationes eas, quæ numero hominum, ac *multitudine* ipſa poterant in provincias noſtras redundare, ita ab eodem eſſe partim reciſas, partim repreſſas, ut Aſia, quæ imperium antea noſtrum terminabat, nunc tribus novis provinciis ipſa cingatur. Poſſum de omni regione, de omni hoſtium genere dicere. nulla gens eſt, [4] quæ non aut ita ſubacta ſit, ut vix exſtet: aut ita domita, ut quieſcat: aut ita pacata, ut victoria noſtra, imperioque lætetur. Bellum Gallicum, patres conſcripti, C. Cæſare imperatore, geſtum eſt: antea 13
tantummodò repulſum. ſemper illas nationes noſtri imperatores *refutandas* potiùs bello, quàm laceſſendas putaverunt. Ipſe ille C. Marius, cujus divina, atque eximia virtus magnis populi Rom. luctibus, funeribuſque ſubvenit, influenteis in Italiam Gallorum maximas copias repreſſit, non ipſe ad eorum urbeis, ſedeiſque penetravit. Modò ille meorum laborum, periculorum, conſiliorum ſocius, C. Pomtinius, fortiſſimus vir, ortum repentè bellum Allobrogum, atque hac ſcelerata conjuratione excitatum, prœliis fregit, eoſque domuit, qui laceſſierant: & ea *victoria contentus*, republica metu liberata, quievit. C. Cæſaris longè aliam video fuiſſe rationem. non enim ſibi ſolùm cum iis, quos jam armatos contra populum Romanum videbat, bellandum eſſe duxit, ſed totam Galliam in noſtram ditionem eſſe redigendam. Itaque cum acerrimis nationibus, & maximis, Germanorum, & Helvetiorum, prœliis feliciſſimè decertavit: [5] ceteras contrivit, domuit, compulit, imperio populi Romani parere aſſuefecit, &, quas regiones, quaſque genteis nullæ nobis antea litteræ, nulla vox, nulla fama notas fecerat, has noſter imperator, noſterque exercitus, & populi Romani arma *peragrarunt*. Semitam tantùm Galliæ tenebamus anteà, patres conſcripti: ceteræ partes à gentibus aut inimicis huic imperio, aut infidis, aut incognitis, aut certè immanibus, & barbaris, & bellicoſis teneban-

1. *Ut nemini uno ex bello.*] Invitus delevi lectionem receptam, ſed coëgit me Pall. conſenſus minimè diſcors, neque aliter S. Victoris. prius erat *ullo*.

2. *Nam quis non hoc ſentit.*] Sic editio Victorii, neque aliter Pall. recentius cuſi, *hoc tempore non ſentit*. ineptè.

3. *Jam diu mare videmus.*] Quidam codices mſſ. illud *jam diu* adplicant interrogationi priori. quidam habent *Jadrium mare*, nonnulli *jamdudum mare*. haud tamen putem ſubeſſe occultius ulcus.

4. *Quæ non aut ita ſubacta ſit.*] Non diſplicet quod reperi in Pal. nono & Gemblacenſi, *ſublata ſit*. gens enim ſubacta non etiam una abolita eſt.

5. *Ceteras contrivit, domuit, compulit, &c.*] Ita collocat Pal. nonus: qui tamen habet *conteruit* præterito antiquo; cui proximè accedunt Gembl. ac Victor. in quibus, *conterruit*. Lambinus ultimum illud mutavit in *contudit*.

1. *Maximè*

tenebantur: quas nationes nemo umquam fuit, qui non frangi, domarique cuperet: nemo ſapienter de republica noſtra cogitavit jam inde à principio hujus imperii, quin Galliam [1] maximè timendam huic imperio putaret: ſed propter vim, ac multitudinem gentium illarum, numquam eſt anteà *cum omnibus* dimicatum. reſtitimus ſemper laceſſiti. nunc denique eſt perfectum, ut imperii noſtri, terra-
14 rumque illarum idem eſſet extremum. Alpibus Italiam *muniërat* antè natura, non ſine aliquo divino numine. nam, ſi ille aditus Gallorum immanitati, multitudinique patuiſſet: numquam hæc urbs ſummo imperio domicilium, ac ſedem præbuiſſet: quæ jam licet conſidant. nihil eſt enim ultra illam altitudinem montium uſque ad Oceanum, quod ſit Italiæ pertimeſcendum. Sed tamen una atque altera æſtas, vel metu, vel ſpe, vel pœna, vel præmiis, vel armis, vel legibus poteſt totam Galliam *ſempiternis vinculis* adſtringere. impolitæ verò res, & acerbæ ſi erunt relictæ: [2] quamquam ſunt abſciſſæ, tamen efferent ſe aliquando, & [3] ad renovandum bellum revireſcent. Quare ſit in ejus tutela Gallia, cujus virtuti, fidei, felicitati commendata eſt. Etenim ſi fortunæ muneribus ampliſſimis ornatus, ſæpius ejus deæ periculum facere nollet: ſi in patriam, ſi ad deos penateis, ſi ad eam dignitatem, quam in civitate ſibi propoſitam videt, ſi ad jucundiſſimos liberos, ſi ad clariſſimum generum redire properaret: ſi in Capitolium invehi victor [4] cum illa inſigni laurea geſtiret: ſi denique timeret caſum aliquem, qui illi *tantum addere* jam non poteſt, quantum auferre: vos tamen oporteret ab eodem illa omnia, à quo profligata ſunt, confici velle. Cùm verò ille ſuæ gloriæ jampridem, reipub. nondum ſatisfecerit, & malit tamen tardiùs ad ſuorum laborum fructus pervenire, quàm non explere ſuſceptum reipubl. munus: nec imperatorem incenſum ad remp. bene gerendam revocare, nec totam Gallici belli rationem, propè jam explicatam,
15 perturbare, atque impedire debemus. Nam illæ ſententiæ virorum clariſſimorum minimè probandæ ſunt: quorum alter ulteriorem Galliam decernit cum Syria, alter citeriorem. qui ulteriorem: omnia illa, de quibus diſſerui paullo antè, *perturbat*: ſimul oſtendit, eam ſe ſciſcere legem, quam eſſe legem neget: &, quæ pars provinciæ ſit, cui non poſſit intercedi, hanc ſe avellere: quæ defenſorem habeat, non tangere: ſimul & illud facit, ut, quod illi à populo datum ſit, id non violet: quod ſenatus dederit, id ſenator properet auferre. Alter belli Gallici rationem habet: fungitur officio boni ſenatoris: legem, quam non putat, eam quoque ſervat. præfinit enim ſucceſſori diem. [5] qui mihi nihil videtur minùs à dignitate, diſciplinaque majorum diſſidere, quàm ut, qui conſul Kalendis Jan. habere provinciam debet, is ut eam deſponſam, non decretam habere videatur. Fuerit toto in conſulatu ſine provincia, cui fuerit, antequàm deſignatus eſſet, provincia decreta. ſortietur, an non? nam & non ſortiri abſurdum eſt, & quod ſortitus ſis, non habere. Proficiſcetur paludatus? quò? quò pervenire ante certam diem non licebit. Januario, Februario, provinciam non habebit. Kalendis ei denique Martii, naſcetur repentè provincia. Attamen his ſententiis Piſo in provincia permanebit. Quæ cùm gravia ſunt, tum nihil gravius illo, quod [6] multari imperatorem deminutione provinciæ, *contumelioſum eſt*: neque ſolùm ſummo in viro, ſed etiam mediocri in homine ne accidat, providendum. Ego vos intelligo, P. C. multos de- 16
creviſſe honores eximios C. Cæſari, & propè [7] ſingulareis; quod ita meritus erat, gratis; ſin etiam, ut quàm conjunctiſſimus huic ordini eſſet; ſapientes, ac divini fuiſtis. NEMINEM umquam eſt hic ordo complexus honoribus, & beneficiis ſuis, qui ullam dignitatem præſtabiliorem ea, quam per vos eſſet adeptus, putarit. nemo umquam hic potuit eſſe princeps, qui maluerit eſſe popularis. Sed homines aut propter dignitatem ſuam diffiſi ipſi ſibi, aut propter reliquorum obtrectationem, ab hujus ordinis conjunctione depulſi, ſæpe ex hoc portu ſe in illos fluctus propè neceſſariò contulerunt. qui ſi ex illa *jactatione*, curſuque populari, bene geſta republica referunt adſpectum in curiam, atque huic ampliſſimæ dignitati commendati eſſe volunt: non modò non repellendi ſunt, verùm etiam expetendi. Monemur à fortiſſimo viro, atque optimo poſt hominum memoriam conſule, ut provideamus, ne citerior Gallia nobis invitis alicui decernatur, poſt eos conſules, qui nunc erunt deſignati: perpetuoque poſthac ab iis, qui hunc ordinem oppugnent, populari, ac turbulenta ratione teneatur. [8] Quam ego plagam etſi non contemno, P. C. præſertim monitus à ſapientiſſimo conſule, & diligentiſſimo cuſtode pacis, & otii, tamen vehementiùs arbitror pertimeſcendum, ſi hominum clariſſimorum, ac potentiſſimorum aut honorem minuero, aut ſtudium erga hunc ordinem repudiaro. nam ut C. Julius omnibus à ſenatu [9] eximiis; aut novis rebus ornatus, per manus hanc provinciam tradat ei, cui minimè vos velitis: per quem ordinem ipſe ampliſſimam ſit gloriam conſecutus, ei ne libertatem quidem relinquat, adduci ad ſuſpicandum nullo modo poſſum. Poſtremò, quo quiſque *animo* futurus ſit, neſcio: quid ſperem, video. præſtare hoc ſenator debeo, quantum poſſum, ne quis vir clarus, aut potens, huic ordini jure iraſci poſſe videatur. Atque hoc, ſi inimiciſſimus eſſem C. Cæſari, ſentirem tamen reip. cauſa. Sed non alie- 17
num eſſe arbitror, quo minùs ſæpe aut interpeller à nonnullis, [10] aut tacitorum exiſtimatione reprehendar, explicare breviter, quæ mihi ſit ratio, & cauſa cum Cæſare. Ac primùm illud tempus familiaritatis, & conſuetudinis, quæ mihi cum illo, quæ fratri meo, quæ C. Varroni, conſobrino noſtro, ab omnium noſtrûm adoleſcentia fuit, prætermitto. [11] Poſteaquàm ſum penitus in remp. ingreſſus, ita diſſenſi ab illo, ut in disjunctione ſententiæ, conjuncti tamen amicitia maneremus. Conſul ille egit eas res, quarum

1. *Maximè timendam huic imperio putaret.*] Liber S. Vict. Ahalæ, Pal. nonus, *deputaret*, & vix improbem.

2. *Quamquam ſunt abſciſſæ, &c.*] Turing. & Pal. nonus, *acciſæ*, meo animo melius.

3. *Ad renovandum bellum revireſcent.*] Pal. pr. ſec. tert. *reviridſcent*. S. Vict. *revirdeſcent*.

4. *Cum illa inſigni laurea.*] Mſſ. noſtri item S. Vict. olimque impreſſi *inſigni laude*.

5. *Qui mihi nihil videtur minus à dignitate diſciplinaque majorum diſſidere.*] Ita Pall. omnes, præter nonum, in quo non viſitur, *diſciplinaque majorum diſſidere*; habetque, *que*, non *qui*; quod & in S. Vict. qui item deſtituitur illo *diſſidere*. tentant heic P. Manutius, ac Lambinus, aliter atque aliter, ſed quibus nondum poſſum accedere.

6. *Multari imperatorem deminutione provinciæ.*] S. Vict. *demunitione*, quod arriſit Gulielmio.

7. *Singulareis; quod ita meritus erat gratis; ſin etiam, ut, &c. eſſet; ſapientes ac divini fuiſtis.*] Hanc lectionem ante triginta annos, produxit Gulielmius in Quæſtionibus Plautinis, Mercatoris cap. v. ex membranis Gembl. ac Turing. quorum auctoritatem firmat item Pal. nonus. habuit ipſe Janus locum pro integrato, at mihi adhuc ſyllaba deeſſe videtur, abſorpta à voce præcedenti, ſcribendum littera una minus: *ſingulareis; ſi quod ita meritus erat, grati; ſin etiam ut quàm conjunctiſſimus huic ordini eſſet; ſapientes ac divini fuiſtis*; ſenſu bono & apertiſſimo, hoc eſt mere Ciceroniano. antea legebatur; *ſingulareis, quod ita meritus erat; gratis etiam ut, &c. eſſet. Sapientes ac divini fuiſtis.*

8. *Quam ego plagam etſi non contemno; &c.*] Videtur attendiſſe Gulielmius ſcripturæ Gemblacenſis, in quo *palam*, quod & inveni in Pal. nono. ſed quid heic *pala* iſta velit, nondum adſequor. ſubeſſe ei figuratum quippiam, video, verùm quale, non video.

9. *Eximiis aut novis rebus.*] Ita S. Vict. & Pal. nonus, non *ac* ut retrò cuſi, nec eſt quod Lambinus oggerat nobis *honoribus*. intelligit enim res aut præſtantia, aut novitate inſignes.

10. *Aut tacitorum exiſtimatione.*] Eſt lectio plerorumque Pall. dicerem omnium; ſi nonnulli non præferrent *extimationem*; habentque & Gembl. & S. Vict. Vulgata, *tacita æſtimatio*, quod ne quidem in edd. primis. Palatinus nonus ſolum habet, *aut exiſtimatione*; quod forſan genuinum eſt.

11. *Poſtea quam ſum penitus in remp. ingreſſus.*] Neſcio cur Lambinus ejecerit libris ſuis *penitus*: hoc ſcio, extare in edd. aliis & noſtris mſſ.

I. Si

rum me participem eſſe voluit: quibus ego ſi minùs aſſentiebar, tamen illius mihi judicium, gratum eſſe debebat. me ille, ut quinqueviratum acciperem; rogavit: me in tribus ſibi conjunctiſſimis conſularibus eſſe voluit: mihi legationem, quam vellem, quanto cum honore vellem, detulit. quæ ego omnia non ingrato animo, ſed *obſtinatione* quadam ſententiæ repudiavi. quàm ſapienter, non diſputo: multis enim non probabo: conſtanter quidem, & fortiter certè. qui cùm me firmiſſimis opibus contra ſcelus inimicorum munire, & populareis impetus populari præſidio propulſare poſſem, quamvis excipere fortunam, ſubire vim, atque injuriam malui, quam aut à veſtris ſanctiſſimis mentibus diffidere, aut de meo ſtatu declinare. Sed NON IS ſolum gratus debet eſſe, qui accepit beneficium, verùm etiam is, cui poteſtas accipiendi fuit. Ego illa ornamenta, quibus ille me ornabat, decere me, & convenire iis rebus, quas geſſeram, non putabam. Illum quidem amico animo me habere eodem loco, quo principem civem, ſuum generum, ſentiebam. Traduxit ad plebem inimicum meum: ſive iratus mihi, quòd me ſecum ne beneficiis quidem videbat poſſe conjungi: ſive exoratus. Ne hoc quidem fuit injuria. nam poſtea me, ut ſibi eſſem legatus, non ſolùm ſuaſit, verùm etiam rogavit. Ne id quidem accepi: non quo alienum mea dignitate arbitrarer, ſed quòd tantum reipub. ſceleris impendere à
18 conſulibus proximis non ſuſpicabar. Ergo adhuc magis eſt mihi verendum, ne mea ſuperbia in illius liberalitate, quàm ne illius injuria in noſtra amicitia reprehendatur. Ecce illa tempeſtas, caligo bonorum, & ſubita, atque improviſa formido, tenebræ reipublicæ, ruina, atque *incendium civitatis*. terror injectus Cæſari de ejus actis, metus cædis bonis omnibus: conſulum ſcelus, cupiditas, egeſtas, audacia. [1] Si non ſum adjutus; non debui. ſi deſertus: ſibi fortaſſe providit. ſi etiam oppugnatus, ut quidam aut putant, aut volunt: violata amicitia eſt: accepi injuriam, inimicus eſſe debui, non nego. ſed, ſi idem ille tum me ſalvum eſſe voluit, cùm vos me, ut cariſſimum filium deſiderabatis: & ſi vos iidem pertinere ad cauſam illam putabatis, voluntatem C. Cæſaris à ſalute mea non abhorrere: &, ſi illius voluntatis generum ejus habeo teſtem, qui idem Italiam, in municipiis, populum Romanum in concione, vos, mei ſemper cupidiſſimos, in Capitolio, ad meam ſalutem incitavit: ſi denique Cn. Pompejus idem mihi teſtis de voluntate Cæſaris, & ſponſor eſt illi de mea: nonne vobis videor & ultimi temporis recordatione, & proximi memoria, medium illud triſtiſſimum tempus debere, ſi ex *rerum natura* non poſſem evellere, ex animo quidem certè excidere? Ego verò, ſi mihi non licet per aliquos ita gloriari, me dolorem, atque inimicitias meas reipubl. conceſſiſſe, quod magni cujuſdam hominis, & perſapientis videtur: utar hoc, quod non tam ad laudem adipiſcendam, quàm ad vitandam vituperationem valet, hominem me eſſe gratum, & non modò tantis beneficiis, ſed etiam mediocri hominum benivolentia commoveri.
19 A viris fortiſſimis, & de me optimè meritis quibuſdam peto, ut, ſi ego illos meorum laborum, & incommodorum participes eſſe nolui, ne illi me ſuarum *inimicitiarum* ſocium velint eſſe, præſertim cum mihi iidem illi conceſſerint, ut etiam acta illa Cæſaris, quæ neque oppugnavi anteà, neque defendi, meo jam jure poſſim defendere. nam ſummi civitatis viri, quorum ego conſilio remp. conſervavi, & quorum auctoritate illam conjunctionem Cæſaris defugi, Julias leges, & ceteras, illo conſule, rogatas, jure latas negant. iidem illam proſcriptionem capitis mei, contra ſalutem reipubl. ſed ſalvis auſpiciis rogatam eſſe dicebant. Itaque vir ſumma auctoritate, ſumma eloquentia, dixit graviter, caſum illum meum, *funus eſſe reipubl.* ſed funus juſtum, & indictum. mihi ipſi omnino perhonorificum, diſceſſum meum funus dici reipubl. Reliqua non reprehendo: ſed mihi ad id, quod ſentio, aſſumo. nam, ſi illud jure rogatum dicere auſi ſunt, quod nullo exemplo fieri potuit, nulla lege licuit, quia nemo de cælo ſervarat: oblitine erant, tum, cùm ille, qui id egerat, plebejus eſt lege curiata factus, dici de cælo eſſe ſervatum? qui ſi plebejus omnino eſſe non potuit, qui tribunus pleb. potuit eſſe? &, cujus tribunatus ſi ratus eſt, [2] nihil eſt, quod irritum ex actis Cæſaris poſſit eſſe: ejus non ſolùm tribunatus, ſed etiam pernicioſiſſimæ res, auſpiciorum religione conſervata, jure latæ videbuntur? Quare aut vobis ſtatuendum eſt, legem Æliam manere, legem Fufiam non eſſe abrogatam, non omnibus faſtis legem ferri licere: cùm lex feratur, de cælo ſervari, obnuntiari, intercedi licere: cenſorium judicium, ac notionem, & [3] illud morum ſeveriſſimum magiſterium, non eſſe nefariis legibus de civitate ſublatum: ſi patricius, tribunus pleb. fuerit, contra leges ſacratas: ſi plebejus, contra auſpicia fuiſſe: aut mihi concedant homines oportet, aut in *rebus bonis* non exquirere jura ea, quæ ipſi in perditis non exquirunt, præſertim cum ab illis aliquoties conditio C. Cæſari lata ſit, ut eaſdem res alio modo ferret: qua conditione auſpicia requirebant, leges comprobabant: in Clodio auſpiciorum ratio ſit eadem, leges omnes ſint everſæ, ac perditæ civitatis. Extremum illud eſt. 20
ego, ſi eſſent inimicitiæ mihi cum C. Cæſare, tamen hoc tempore reip. conſulere, inimicitias *in aliud tempus* reſervare deberem. poſſem etiam ſummorum virorum exemplo inimicitias reipubl. cauſa deponere: ſed, cùm inimicitiæ fuerint numquam: opinio injuriæ, beneficio ſit exſtincta ſententia mea, P. C. ſi dignitas agitur C. Cæſaris, homini tribuam: ſi honos quidam, ſenatus concordiæ conſulam: ſi auctoritas decretorum veſtrorum, conſtantiam ordinis in eodem ornando imperatore ſervabo: ſi perpetua ratio Gallici belli, reipubl. providebo: ſi aliquod meum privatum officium, me non ingratum eſſe præſtabo. Atque hoc velim probare omnibus, patres conſcripti: ſed leviſſimè feram, ſi fortè aut iis minùs probaro, qui meum inimicum, repugnante veſtra auctoritate, texerunt: aut iis, ſi qui meum cum inimico ſuo reditum in gratiam vituperabunt, cùm ipſi, & cum meo, & cum ſuo inimico in gratiam non dubitarint redire.

M. TUL-

1. *Si non ſum adjutus, non debui.*] Vulgata *debuit*. ſed contra Pall. Ahalæque librum, item S. Victoris.

2. *Nihil eſt quod irritum ex Cæſaris, &c.*] Lambinus addita negatione, *quod non irritum, &c.* ſed invitis libris.

3. *Et illud morum ſeveriſſimum magiſterium.*] Reſtat & iſtud in Pal. nono & Turing. item S. Victor. expreſſitque Petrus Victorius. Vulgata, *& illum morem ſeveriſſimum magiſtratuum.*

M. TULLIUS CICERO PRO L. CORNELIO BALBO.

ORATIO TRICESIMASEXTA.

1 SI auctoritates patronorum in judiciis vale-
rent, ab ampliſſimis viris L. Cornelii cauſa
defenſa eſt: ſi uſus, à peritiſſimis: ſi inge-
nia, ab eloquentiſſimis: ſi ſtudia, ab ami-
ciſſimis, & cùm beneficiis cum L. Corne-
lio, tum maxima familiaritate conjunctis.
Quæ ſunt igitur meæ partes? auctorita-
tis tantæ, quantam vos in me eſſe voluiſtis, uſus me-
diocris, ingenii minimè voluntati paris. [1] nam ceteris, à
quibus eſt defenſus, hunc debere plurimum video: ego,
[2] quantum ei debeam, alio loco. Principio orationis hoc
oppono, me omnibus, qui amici fuerint ſaluti & dignitati
meæ, ſi minùs *referenda gratia* ſatisfacere potuerim, at
prædicanda, & habenda certè ſatis eſſe facturum. Quæ
fuerit heſterno die Cn. Pompeii gravitas in dicendo, judi-
ces, quæ facultas, quæ copia, non opinione tacita veſtro-
rum animorum: ſed perſpicua admiratione declarari vide-
batur. nihil enim umquam audivi, quod mihi de jure ſub-
tiliùs dici videretur, [3] nihil de memoria, de more, de
exemplis acutius, nihil peritiùs de fœderibus, nihil illu-
ſtriore auctoritate de bellis, nihil de repub. graviùs, nihil
de ipſo modeſtiùs, nihil de cauſa, & crimine ornatiùs: ut
mihi jam verum videatur illud eſſe, quod nonnulli [4] litte-
ris, ac ſtudiis doctrinæ dediti, quaſi quiddam incredibile
dicere putabantur, eum, qui omneis animo virtutes peni-
tus comprehendiſſet, *omnia, quæ facere vellet*, facillimè
tractare. Quæ enim in L. Craſſo potuit, homine nato ad
dicendi ſingularem quandam facultatem, ſi hanc cauſam
ageret, major eſſe ubertas, varietas, copia, quàm fuit in
eo, qui tantum potuit impertire huic ſtudio temporis,
quantum ipſe à pueritia uſque ad hanc ætatem à continuis
bellis, & victoriis conquievit? Quo mihi difficilior eſt hic
extremus perorandi locus. etenim ei ſuccedo orationi,
quæ non prætervecta ſit aureis veſtras, ſed in animis o-
mnium penitus inſederit: ut plus voluptatis ex recordatio-
ne illius orationis, quam non modò ex mea, ſed cujuſ-
2 quam oratione capere poſſitis. Sed mos eſt gerendus non
modò Cornelio, cujus ego voluntati in ejus periculis nullo
modo deeſſe poſſum: ſed etiam Cn. Pompejo, qui ſui fa-
cti, ſui judicii, ſui beneficii, voluit me eſſe, ut apud eoſ-
dem vos, judices, nuper in alia cauſa fuerim, [5] & prædi-
catorem, & actorem. Ac mihi quidem hoc dignum reo vi-
detur, hoc deberi hujus excellentis viri præſtantiſſimæ
gloriæ, hoc proprium eſſe veſtri officii, hoc ſatis eſſe
cauſæ, ut, quod feciſſe Cn. Pompejum conſtet, id omnes
& licuiſſe concedant. Nam verius nihil eſt, quàm quod
heſterno die dixit ipſe, ita L. Cornelium de fortunis omni-
bus dimicare, ut nullius in delicti crimen vocaretur. Non
enim furatus eſſe civitatem, non genus ſuum ementitus,
non in aliquo impudenti mendacio delituiſſe, non irre-
pſiſſe in cenſum dicitur: unum objicitur, natum eſſe Ga-
dibus: quod negat nemo. [6] ceterùm accuſator fatetur, hunc
in Hiſpania, duriſſimo bello, cum Qu. Metello, cum
C. Memmio, & in claſſe, & in exercitu fuiſſe, &, ut Pom-
pejus in Hiſpaniam venerit, Memmiumque habere quæ-
ſtorem cœperit, numquam à Memmio diſceſſiſſe: Kartha-
ginem eſſe profectum: acerrimis illis præliis, & maximis,
Sucronenſi, & Durienſi interfuiſſe: cum Pompejo ad extre-
mum belli tempus fuiſſe. Hæc ſunt prœlia Cornelii: talis
in remp. noſtram labor, aſſiduitas, dimicatio, virtus di-
gna ſummo imperatore, ſpes pro periculis præmiorum.
præmia quidem ipſa non ſunt in ejus facto, qui adeptus eſt,
ſed in ejus, qui dedit. Donatus igitur eſt ob eas cauſas 3
à Cn. Pompejo civitate. id accuſator non negat: ſed repre-
hendit: ut in Cornelio cauſa ipſius probetur, pœna quæ-
ratur: in Pompejo cauſa lædatur, pœna ſit nulla. Sic fa-
mam, ſic innocentiſſimi hominis fortunas, præſtantiſſimi
imperatoris factum condemnari volunt. Ergo in judicium,
caput Cornelii: factum Pompeii vocatur. hunc enim in
ea civitate, in qua ſit natus *honeſtiſſimo loco* natum eſſe con-
cedis, & ab ineunte ætate relictis rebus ſuis omnibus, in
noſtris bellis, noſtris cum imperatoribus eſſe verſatum:
nullius laboris, nullius obſeſſionis, nullius prœlii exper-
tem fuiſſe. hæc ſunt omnia cùm plena laudis, tum propria
Cornelii: nec in his rebus crimen eſt ullum. Ubi igitur eſt
crimen? quòd eum Pompejus civitate donavit. [7] Hujuſce-
modi crimen? minimè: niſi honos, ignominia putanda
eſt. Cujus igitur? Revera nullius: actione accuſatoris,
ejus unius, qui donavit. [8] qui ſi *adductus gratia*, minùs
idoneum hominem præmio affeciſſet; qui etiam ſi virum
bonum, ſed non ita meritum; ſi denique aliquid, quod
non contra, ac liceret, factum diceretur, ſed contrà, atque
oporteret: tamen eſſet [9] omnis ejuſmodi reprehenſio à vobis,
judices, repudianda. Nunc verò quid dicitur? quid ait accu-
ſator? feciſſe Pompejum quod ei facere non licuerit? quod
gravius eſt, quàm, ſi id factum ab eo diceret, quod non
oportuiſſet. EST ENIM aliquid, quod non oporteat,
etiam ſi licet. quidquid verò non licet, certè non oportet.
Hîc ego nunc cuncter ſic agere, judices, non eſſe fas du- 4
bitari, quin, quod Cn. Pompejum feciſſe conſtet, id
[10] non ſolùm decuiſſe, ſed etiam debuiſſe fateamur? Quid
enim abeſt huic homini, quod ſi adeſſet, [12] jure hoc tribui,
& con-

1. N*Am ceteris. &c.*] Hotomanus lib. II. Obſerv. cap. 20. lacunam heic aliquam putat. & certè oratio non cohæret.

2. *Quantum ei debeam, alio loco.*] In vulgatis ſequebatur, *oſtendam.* ſed id verbi ejeci, quod non compareret in Pal. pr. ſec. quar. nono, item exemplari S. Victoris.

3. *Nihil de memoria, de more, de exemplis.*] Nihil variant Pall. præter nonum, in quo, *nihil de memoria majore exemplis.* Lambinus emendavit, *nihil de more majorum, de exemplis.* non male, ſi conjecturæ recipiendæ in contextum. quid enim ſi contendam Tullium ſcripſiſſe *de memoria majorum, &c.* quid ſi alius aliter?

4. *Literis ac ſtudiis doctrinæ.*] Haud aliter Erfurd. & accedit fere Pal. nonus ac S. Vict. Vulgata, *literati, ac ſtudiis doctrinisque.*

5. *Et prædicatorem & actorem.*] Ita quoque præter Lambinianos Pal. nonus antea editi, *auctorem.*

6. *Ceterum accuſator fatetur, &c.*] Pal. nonus *cetera*, ut & alias exemplar S. Victoris.

7. *Hujuſcemodi crimen?*] Hodie vulgatur; *Hujuſcene crimen?* ſed invitis Pall. & olim impreſſis.

8. *Qui ſi adductus gratia, &c.*] Hotomanus lib. II. Obſervat. cap. 20. emendat, *quaſi add.* & mox: *ſi non denique aliquid feciſſet, &c.* videatur.

9. *Omnis ejuſmodi reprehenſio.*] Vulgata, *ejuſmodi mali repreh.* verum præter Pall. & avorum ævo cuſos, & ipſam rationem.

10. *Non ſolum decuiſſe, ſed etiam debuiſſe.*] Male Lambinus, *ſolum licuiſſe*; ſanè invitis libris noſtris.

11. *Jure hoc tribui & concedi, &c.*] Mſſ. noſtri immittunt particulam *&* tribui; quæ & ferri queat, niſi malimus mutare in *ei.*

1. *Plus*

& concedi putaremus? uſuſne rerum? qui pueritiæ tempus extremum, principium habuit bellorum, atque *imperiorum* maximorum? cujus plerique æquales minùs ſæpe caſtra viderunt, quàm hic triumphavit? qui tot habet triumphos, quot oræ ſunt, parteſque terrarum? tot victorias bellicas, quot ſunt in rerum natura genera bellorum? an ingenium? cùm etiam ipſi caſus, eventuſque rerum, non duces, ſed comites ejus conſiliorum fuerint? in quo uno ita ſumma fortuna cum ſumma virtute certavit, ut omnium judicio, [1] plus homini, quàm deæ, tribueretur? an pudor, an integritas, an religio in eo, an diligentia umquam requiſita eſt? quem provinciæ noſtræ, quem liberi populi, quem reges, [2] quem exteræ gentes, caſtiorem, moderatiorem, ſanctiorem, non modò viderunt, ſed aut ſperando umquam, aut optando cogitaverunt? Quid dicam de auctoritate? quæ tanta eſt, quanta in his tantis virtutibus, ac laudibus eſſe debet. cui S. P. Q. R. ampliſſimæ dignitatis præmia dedit, non poſtulanti imperia, verùm etiam *recuſanti:* hujus de facto, judices, ita quæri, ut id agatur, licueritne ei facere, quod fecit, an verò non dicam, non licuerit, ſed nefas fuerit (contra fœdus enim, id eſt, contra populi Rom. religionem, & fidem feciſſe dicitur) non turpe
5 populo Rom. nonne vobis? Audivi hoc de parente meo puer: cùm Q. Metellus, L. F. cauſam de pecuniis repetundis diceret, ille, ille vir, cui patriæ ſalus, dulcior, quàm conſpectus, fuit: qui de civitate decedere, quàm de ſententia maluit: hoc igitur cauſam dicente, cùm ipſius tabulæ circumferrentur inſpiciendi nominis cauſa, fuiſſe judicem ex illis equitibus Romanis, graviſſimis viris, neminem, quin removeret oculos, & ſe totum averteret, ne fortè, quòd ille in tabulas publicas retuliſſet, *dubitaſſe* quiſquam, verumne, an falſum eſſet, videretur. nos Cn. Pompeii [3] decretum, judicium, de conſilii ſententia pronuntiatum recognoſcemus? cum legibus conferemus? [4] cum fœderibus, omnia acerbiſſima diligentia, perpendemus? Athenis ajunt, cum quidam apud eos, qui ſanctè graviterque vixiſſet, & teſtimonium publicè dixiſſet, & (ut mos Græcorum eſt) jurandi cauſa ad aras accederet, una voce omneis judices, ne is juraret, reclamaſſe. Cum Græci homines, ſpectati viri, noluerint, religione videri potiùs, quàm *veritate*, fidem eſſe conſtrictam: nos etiam in ipſa religione & legum, & fœderum conſervanda, qualis fuerit Cn. Pompejus, dubitabimus? Utrùm enim inſcientem vultis contra fœdera feciſſe, an ſcientem? ſi ſcientem? ô nomen noſtri imperii! ô populi Rom. excellens dignitas! ô Cn. Pompeji ſic latè, longeque diffuſa laus, ut ejus gloriæ domicilium communis imperii finibus terminetur! ô nationes, urbes, populi, reges, tetrarchæ, tyranni, teſtem Cn. Pompeii non ſolum virtutis in bello, ſed etiam *religionis* in pace! vos denique mutæ regiones imploro, & ſola terrarum ultimarum: vos maria, portus, inſulæ, litoraque. Quæ eſt enim ora, quæ ſedes, qui locus, in quo non exſtent hujus cùm fortitudinis, tum verò humanitatis, tum animi, tum conſilii impreſſa veſtigia? Hunc quiſquam incredibili quadam, atque inaudita gravitate, virtute, conſtantia præditum, fœdera ſcientem neglexiſſe, violaſſe, rupiſſe, dicere audebit? Gratificatur mihi geſtu accuſator: *inſcientem* 6
Cn. Pompejum feciſſe ſignificat. quaſi verò levius ſit, cùm in tanta repub. verſere, & maximis negotiis præſis, [5] facere aliquid, quod ſcias non licere: an omnino neſcire quid liceat. Etenim cùm in Hiſpania bellum acerrimum, & maximum geſſerat, quo jure Gaditana civitas eſſet, neſciebat? an, cujus linguam populi non noſſet, interpretationem fœderis non tenebat? Id igitur quiſquam Cn. Pompejum ignoraſſe dicere audebit, quod mediocres homines, quod nullo uſu, nullo ſtudio militari præditi, quod *librarioli* denique ſcire profiteantur? Equidem contra exiſtimo, judices, cùm in omni genere, ac varietate artium, etiam illarum, quæ ſine ſummo otio non facilè diſcuntur, Cn. Pompejus excellat, ſingularem quandam laudem ejus, & præſtabilem eſſe *ſcientiam* in fœderibus, pactionibus, conditionibus, populorum, regum, exterarum nationum: in univerſo denique belli jure, ac pacis. niſi fortè, quæ nos libri docent in umbra, & otio, ea Cn. Pompejum, neque cum requieſceret, litteræ: neque, cùm rem gereret, res ipſæ docere potuerunt. Atque ut ego ſentio, judices, cauſa dicta eſt [6] temporis magis. ego non hujus, inquam, genere judicii plura dicam. [7] Eſt enim hujus *ſæculi labes* quædam, & macula, virtuti invidere, velle ipſum florem dignitatis infringere. Etenim, ſi Cn. Pompejus abhinc annos quingentos fuiſſet, is vir, à quo ſenatus adoleſcentulo, atque equite Romano ſæpe communis ſalutis auxilium expetiſſet: cujus res geſtæ omneis genteis, cum clariſſima victoria, terra, marique peragraſſent: cujus tres triumphi teſtes eſſent, totum orbem terrarum noſtro imperio teneri: quem populus Roman. [8] ſingularibus honoribus decoraſſet: ſi nunc apud vos, id, quod is feciſſet, contra fœdus factum diceretur, quis audiret? nemo profectò. mors enim cùm exſtinxiſſet *invidiam*, res ejus geſtæ ſempiterni nominis gloria niterentur. Cujus igitur audita virtus dubitationi locum non daret: hujus præſens, experta, atque perſpecta, obtrectatorum voce lædetur? Omittam igitur Pompejum jam oratione 7
mea reliqua: ſed vos, judices, animis, ac memoria tenetote. de lege, de fœdere, de exemplis, de perpetua conſuetudine civitatis noſtræ, renovabo ea, quæ dicta ſunt. nihil enim mihi novi, nihil integri neque M. Craſſus, qui totam cauſam & pro facultate, & pro fide ſua diligentiſſimè vobis explicavit, neque Cn. Pompejus, cujus oratio omnibus ornamentis abundavit, ad dicendum reliquit. Sed, quoniam, me recuſante, placuit ambobus adhiberi hunc à me quaſi perpoliendi quendam operis extremum laborem: peto à vobis, ut me officii potiùs, quam dicendi ſtudio hanc ſuſcepiſſe operam, ac munus putetis. Ac priùs, quam aggrediar ad jus, cauſamque Cornelii, quiddam de communi conditione omnium noſtrûm, deprecandæ malivolentiæ cauſa, breviter commemorandum videtur. Si, quo quiſque

1. *Plus homini quam Deæ tribueretur.*] Reſtitui locum peregregiè, auctoritate Pal. noni, Turing. & S. Vict. prius cuſi, *quàm decet trib.* nam illud nuperum, *plus homini quam poſſit, minus quàm decet;* argutum quidem eſt, ſed non etiam firmatum, aut editione aliqua veteri, aut libro pluteario. vult ergo noſtra lectio, plus debuiſſe Pompejum virtuti ſuæ quam fortunæ. & verò eam fuiſſe Romæ de felicitate ejus opinionem, ut in manu ejus fortunam poſitam vulgò exiſtimarent; liquet ex Maniliana.

2. *Quem exteræ gentes.*] Aliter legendum, fide edd. veterum, & Pall. in quibus *alteræ*, niſi quod nonus, *ultra regentes.* quod excutiant Critici quibus vacat.

3. *Decretum, judicium, de conſilii ſententia, &c.*] Pal. nonus non agnoſcit *judicium*, & per me licet ejiciatur ſede iſta, quamvis ſciam conjunxiſſe utrumque libro II. in Verrem fine capitis 23.

4. *Cum fœderibus omnia acerbiſſima diligentia perpendemus.*] Produxi ſcripturam Pal. noni, Erfurd. & S. Victoris, quod quidem attinet ad vocem *omnia.* nam duo priores habent *perpendimus*, tertius vulgatum *pertendemus.* Lambinus iſthæc quoque perſanare voluit, ſed non potuit. & alioquin malè mutat illud *acerbiſſima* in *acerrima.* eſt enim *acerba diligentia;* quæ contumelioſa in eum in quem anquiritur.

5. *Facere aliquid, quod ſcias non licere, an omnino, neſcire quid liceat.*] Retinui hanc lectionem omnium librorum, neglectis à Lambino productis conjecturis; nimium acutis, & præter mentem auctoris.

6. *Temporis magis. ego non hujus inquam genere judicii plura dicam, &c.*] Lambinus locum ſupplet ex neſcio quorum libris, noſtri ſcripti nihil variant; niſi quod Pal. nonus habeat, *temporum magis. Ego nunc ut vis inquam, &c.* ad quam lectionem aliquot alii alludunt; quorum variantes ſcripturas producere heic pudet, ſatis eſt alleviſſe oræ librorum meorum. Hotomanus tamen ait ſe locum ita reſtituere ex mſſ. *temporis magis hujus vitio, quam hominis: neque ego de tam iniquo genere.*

7. *Eſt enim hujus ſæculi labes quædam & macula.*] Pal. nonus: *Eſt enim hæc ſæculi quædam macula atque labes.* nec reſpuo.

8. *Singularibus honoribus decoraſſet.*] Lectio minus ſana. nam mſſ. noſtri & S. Vict. *in ſingularibuſque decoraſſet.* editio prima *in ſingularibus Quir. decoraſſet.*

que loco noſtrûm eſt, judices, natus, aut, ſi in qua fortuna eſt naſcendi initio conſtitutus, hunc vitæ ſtatum uſque ad ſenectutem *obtinere* debet, &, ſi omnes, quos aut fortuna extulit, aut ipſorum illuſtravit labor, & induſtria, pœna ſunt afficiendi: non gravior, L. Cornelio, quàm multis viris bonis, atque fortibus, conſtitui lex vitæ, & conditio videtur. Sin autem multorum virtus, ingenium, humanitas, ex infimo genere, & fortunæ gradu non modò amicitias, & rei familiaris copias conſecuta eſt, ſed ſummam laudem, honores, gloriam, dignitatem: non intelligo, cur potiùs invidia violatura virtutem L. Cornelii, quam æquitas veſtra pudorem ejus adjutura videatur. Itaque, quod maxime petendum eſt, à vobis idcirco non peto, judices, ne de veſtra ſapientia, atque de veſtra humanitate *dubitare* videar. Eſt autem petendum, ne oderitis ingenium, ne inimici ſitis induſtriæ, ne humanitatem opprimendam [1] ne virtutem puniendam putetis. illud peto, ut, ſi cauſam ipſam per ſe firmam eſſe & ſtabilem videritis, hominis ipſius *ornamenta* adjumento cauſæ potiùs, quam impedi-
8 mento eſſe malitis. Naſcitur, judices, cauſa Cornelii ex ea lege, quam L. Gellius, Cn. Cornelius ex ſenatus ſententia tulerunt. qua lege videmus, ſatis eſſe ſanctum, uti cives Romani ſint ii, quos Cn. Pompeius de conſilii ſententia ſigillatim civitate donaverit. Donatum eſſe L. Cornelium præſens Pompejus dicit: indicant publicæ tabulæ: accuſator fatetur. ſed negat ex fœderato populo quemquam potuiſſe, niſi is populus fundus factus eſſet, in hanc civitatem venire. O præclarum interpretem juris, auctorem antiquitatis: correctorem, atque emendatorem, noſtræ civitatis, qui hanc *pœnam fœderibus* adſcribat, ut omnium præmiorum, beneficiorumque noſtrorum experteis faciat fœderatos. Quid enim potuit dici imperitiùs, quam fœderatos populos, fieri fundos oportere? nam id non magis eſt proprium fœderatorum, quàm omnium liberorum. Sed totum hoc, judices, in ea fuit poſitum ſemper ratione, atque ſententia, ut, cùm juſſiſſet P. R. aliquid: ſi id aſciviſſent ſocii populi, ac Latini, &, ſi ex ea lex, quam nos haberemus, eadem in populo aliquo, tanquam in fundo, reſediſſet: ut tum lege eadem is populus teneretur: non ut de noſtro jure aliquid minueretur: ſed ut illi populi aut jure eo, quod à nobis eſſet conſtitutum, aut aliquo commodo, aut beneficio uterentur. Tulit apud majores noſtros legem C. Furius de teſtamentis: tulit Q. Voconius de mulierum hereditatibus: innumerabiles aliæ leges de civili jure ſunt latæ. quas Latini voluerunt, adſciverunt. ipſa denique Julia, qua lege civitas eſt ſociis, & Latinis data, [2] qui *fundi* populi facti non eſſent, civitatem non haberent. In quo magna contentio Heracleenſium, & Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis civitatibus [3] fœderis ſui libertatem civitate anteferret. Poſtremò hæc vis eſt iſtius & juris, & verbi, ut fundi populi, beneficio noſtro, non ſuo jure fiant. Cùm aliquid populus Romanus juſſit, id ſi eſt ejuſmodi, ut quibuſdam populis ſive fœderatis, ſive liberis, permittendum eſſe videatur, ut ſtatuant ipſi non de noſtris, ſed de ſuis rebus, quo jure uti velint: tum, utrùm fundi facti ſint, an non, quærendum eſſe videatur. de noſtra verò repub. de noſtro imperio, de noſtris bellis,
9 de victoria, de ſalute, fundos populos fieri noluerunt. Atqui, ſi imperatoribus noſtris, ſi ſenatui, ſi populo Romano non licebit propoſitis *præmiis elicere* ex civitatibus ſociorum, atque amicorum, fortiſſimum, atque optimum quemque ad ſubeunda pro ſalute noſtra pericula: ſumma utilitate, ac maximo ſæpe præſidio in periculis, atque aſperis temporibus carendum erit. Sed, per deos immortaleis, quæ eſt iſta ſocietas, quæ amicitia, quod fœdus, ut aut noſtra civitas careat in ſuis periculis Maſſilienſi propugnatore, careat Gaditano, careat Saguntino: aut, ſi quis ex illis populis ſit exortus, qui noſtros duces auxilio laboris, commeatus, periculo ſuo juverit, qui cum hoſte noſtro comminus in acie ſæpe pugnarit, qui ſe ſæpe telis hoſtium, qui dimicationi capitis, qui morti objecerit: *nulla conditione* hujus civitatis præmiis affici poſſit? Etenim in populum Romano grave eſt, non poſſe uti ſociis excellenti virtute præditis, qui velint cum periculis noſtris ſua communicare: in ſocios verò ipſos, & in eos, de quibus agimus, fœderatos, injurioſum, & *contumelioſum* eſt, his præmiis, & his honoribus excluſos eſſe fideliſſimos, & conjunctiſſimos ſocios, quæ pateant ſtipendiariis, pateant hoſtibus, pateant ſæpe ſervis. Nam & ſtipendiarios ex Africa, Sicilia, Sardinia, ceteris provinciis multos civitate donatos videmus: &, qui hoſtes ad noſtros imperatores perfugiſſent, & magno uſui reip. noſtræ fuiſſent, ſcimus civitate eſſe donatos: ſervos denique, [4] quorum jus, & fortunæ conditio infima eſt, bene de rep. meritos, perſæpe libertate, id eſt, civitate publicè donari videbamus.
Hanc tu igitur, patrone fœderum, ac fœderatorum, condi- 10
tionem ſtatuis Gaditanis, tuis civibus, ut, quod iis [5] quos Gaditanis adjutoribus armis ſubegimus, atque in ditionem noſtram redegimus, liceat, ſi populus Rom. permiſerit, ut ab ſenatu, ab imperatoribus noſtris, civitate donentur: id ne liceat ipſis? qui ſi ſuis decretis, legibuſve ſanxiſſent, ne quis ſuorum civium, caſtra imperatorum populi Romani iniret: ne quis ſe pro noſtro imperio in periculum capitis, atque in vitæ diſcrimen inferret: Gaditanorum auxiliis, cùm vellemus, uti nobis non liceret. privatim verò, ne quis vir & animo, & virtute *præcellens*, pro noſtro imperio periculo ſuo dimicaret: graviter id jure ferremus, minui auxilia populi Romani, debilitari animos fortiſſimorum virorum, alienigenarum nos hominum ſtudiis, [6] atque externa virtute privari. Atqui nihil intereſt, judices, utrum hæc fœderati jura conſtituant, ut ne cui liceat ex his civitatibus ad noſtrorum bellorum pericula accedere: an, quæ nos eorum civibus, virtutis cauſa, tribuerimus, ea rata eſſe non poſſint. nihil enim magis uteremur his adjutoribus, ſublatis *præmiis virtutis*, quam, ſi omnino his verſari in noſtris bellis non liceret. Etenim, cùm pro ſua patria pauci poſt genus hominum natum, reperti ſint, [7] qui nullis præmiis propoſitis, vitam ſuam hoſtium telis objecerint: PRO ALIENA rep. quemquam fore putatis, qui ſe opponat periculis, non modò nullo propoſito præmio, ſed etiam inter-
dicto? Sed, cùm eſt illud imperitiſſime dictum de populis 11
fundis, quod commune eſt liberorum populorum, non proprium fœderatorum: ex quo intelligi neceſſe eſt, aut neminem ex ſociis civem fieri poſſe; aut etiam poſſe ex fœderatis: tum verò jus omne noſter iſte magiſter mutandæ civitatis ignorat: quod eſt, judices, non ſolùm in legibus publicis poſitum, ſed etiam in *privatorum voluntate*. Jure enim noſtro neque mutare civitatem quiſquam invitus poteſt, neque, ſi velit, mutare non poteſt, modò adſciſcatur ab ea civitate, cujus eſſe ſe civitatis velit: ut, ſi Gaditani ſciverint nominatim de aliquo cive Rom. ut ſit is civis Gaditanus, magna poteſtas ſit noſtro civi mutandæ civi-

1. *Ne virtutem puniendam putetis.*] Erfurd. S. Victor. Pal. nonus *pœnitendam.* hoc ne vult? an potius dormitavit librarius; cum ei exprimendum eſſet *pœniendam*?

2. *Qui fundi populi facti non eſſent.*] Hotomanus, putat quædam ante hæc deeſſe, qui conſulatur lib. 11. Obſervat. cap. 20.

3. *Fœderis ſui libertatem civitate anteferrent.*] Ita Pall. meliores, item Erfurd. & S. Victor. prius cuſi. *juris ſui libert. civitati anteſ.* Hotomanus lib. 11. Obſerv. cap. 20. adjiciendam putat *civitati noſtræ.*

4. *Quorum jus & fortunæ conditio infima eſt.*] Copula & non eſt in pleriſque ſcriptis. ideoque malebat Gulielmius, *vi fortunæ.* at ego præpoſuerim lectionem S. Victoris, *quorum, vis, fortuna, conditio, infima eſt*: niſi forte præſtet *jus.*

5. *Quos Gaditanis adjutoribus, armis, &c.*] Pal. nonus Turing. S. Vict. *quos magnis adjutoribus tuis armis.*

6. *Atque paterna virtute privari.*] Revocavi ſcripturam edd. antiqq. item Pall. & Gembl. S. Vict. poſtea impreſſi prætulere *externa virtute.*

7. *Qui nullis præmiis propoſitis, &c.*] Stultè admodum Lambinus nobis objecit *multis*, libris omnibus invitis; imò & ratione.

1. *Civi-*

civitatis, nec fœdere impediatur, quò minus ex cive Ro-
mano civis Gaditanus poſſit eſſe. *Duarum* civitatum civis
eſſe noſtro jure civili nemo poteſt: non eſſe hujus civita-
tis civis, qui ſe alii civitati dicarit, poteſt. Neque ſolùm
dicatione, quod in *calamitate* clariſſimis viris Q. Maximo,
C. Lænati, Q. Philippo, Nuceriæ, C. Catoni Tarracone,
Q. Cœpioni, P. Rutilio, Smyrnæ, vidimus accidiſſe, ut
earum civitatum fierent cives, hanc antè amittere non po-
tuiſſent, quàm hujus ſolum civitatis mutatione vertiſſent:
ſed etiam poſtliminio poteſt civitatis fieri mutatio. neque
enim ſine cauſa de Cn. Publicio Menandro, libertino ho-
mine, quem apud majores legati noſtri in Græciam profi-
ciſcentes interpretem ſecum habere voluerunt, ad popu-
lum latum, ut is Publicius ſi domum reveniſſet, & inde
Romam rediiſſet, *ne minus* civis eſſet. Multi etiam ſupe-
riore memoria cives Romani ſua voluntate indemnati, &
incolumes, his rebus relictis, alias ſe in civitates contule-
12 runt. Quod ſi civi Romano licet eſſe Gaditanum ſive exſilio,
ſive poſtliminio, ſive rejectione hujus civitatis: ut jam ad
fœdus veniam, quod ad cauſam nihil pertinet (de civitatis
enim jure, non de fœderibus diſceptamus) quid eſt, quam-
obrem civi Gaditano in hanc civitatem venire non liceat?
Equidem longè ſecus ſentio. nam cùm ex omnibus civita-
tibus via ſit in noſtram, cumque noſtris civibus pateat iter
ad ceteras civitates: tum verò, ut quæque nobiſcum maxi-
mè ſocietate, amicitia, ſponſione, pactione, fœdere conjun-
cta eſt; ita mihi maximè *communionem beneficiorum*, præ-
miorum, civitatis, continere videtur. Atqui ceteræ [1] civita-
tes omnes non dubitarent noſtros recipere in ſuas civitates,
ſi idem nos juris haberemus, quod ceteri. ſed nos non poſ-
ſumus & hujus eſſe civitatis, & cujuſvis præterea: ceteris
conceſſum eſt. Itaque in Græcis civitatibus videmus, Athe-
nis Rhodios, Lacedæmonios, ceteros undique adſcribi,
multarumque eſſe eoſdem homines civitatum. Quo errore
ductos vidi egomet nonnullos imperitos homines, noſtros
civeis, Athenis in numero judicum, atque Areopagita-
rum, certa tribu, certo numero; cùm ignorarent, ſi il-
lam civitatem eſſent adepti, hanc ſe perdidiſſe, niſi *poſtlimi-
nio* recuperaſſent. Peritus verò noſtri juris, ac moris nemo
umquam, qui hanc civitatem retinere vellet, in aliam civi-
13 tatem ſe dicavit. Sed hic totus locus diſputationis, atque
orationis meæ, judices, pertinet ad commune jus mutan-
darum civitatum: nihil habet, quod ſit proprium religio-
nis, ac fœderum. Defendo enim rem univerſam, nullam
eſſe gentem ex omni regione terrarum, neque tam diſſiden-
tem à pop. Rom. odio quodam, atque diſcidio, neque tam fi-
de, benevolentiaque conjunctam, ex qua nobis interdictum
ſit, ut neque aſciſcere civem, aut civitate donare poſſimus.
O jura præclara, atque divinitùs jam inde à principio Ro-
mani nominis à majoribus noſtris comparata, ne quis no-
ſtrûm plus quàm unius civitatis eſſe poſſit: (diſſimilitudo
enim civitatum, *varietatem juris* habeat neceſſe eſt) ne quis
invitus civitate mutetur: neve in civitate maneat invitus.
Hæc ſunt enim fundamenta firmiſſima noſtræ libertatis,
ſui quemque juris & retinendi, & dimittendi eſſe domi-
num. Illud verò ſine ulla dubitatione maximè noſtrum
fundavit imperium, & populi Romani nomen auxit, quod
princeps ille, creator hujus urbis, Romulus, fœdere Sa-
bino docuit, ETIAM HOSTIBUS recipiendis augeri hanc
civitatem oportere. cujus auctoritate, & exemplo num-
quam eſt intermiſſa à majoribus noſtris largitio, & com-
municatio civitatis. Itaque & ex Latio multi, & Tuſcu-
lani, & Lanuvii, & ex ceteris generibus gentes univerſæ
in civitatem ſunt receptæ; ut Sabinorum, Volſcorum, Her-
nicorum: quibus ex civitatibus nec coacti eſſent civita-
tem mutare, ſi qui *noluiſſent*: nec, ſi qui eſſent civitatem
noſtram beneficio populi Rom. conſecuti, violatum fœ-
dus eorum videretur. At enim quædam fœdera exſtant, 14
ut Germanorum, Inſubrium, Helvetiorum, Iapidum,
nonnullorum item ex Gallia Barbarorum, quorum in fœ-
deribus exceptum eſt, NE QUIS eorum a nobis civis reci-
piatur. Quòd ſi exceptio facit, ne liceat: ibi neceſſe eſt li-
cere, ubi non eſt exceptum. Ubi eſt igitur exceptum fœ-
dere Gaditano, ne quem populus Rom. Gaditanum reci-
piat civitate? nuſquam. ac ſicubi eſſet; [2] lex id Gellia, &
Cornelia, [3] quæ definitè poteſtatem Pompeio civitatem do-
nandi dederat, ſuſtuliſſet. Exceptum eſt, inquit, fœdus,
ſiquidem ſacroſanctum eſt. Ignoſco tibi, ſi neque Pœno-
rum jura calles: (reliqueras enim civitatem tuam:) neque
noſtras potuiſti leges inſpicere: ipſæ enim te à cognitione
ſua judicio publico repulerunt. Quid fuit in rogatione ea,
quæ de Pompejo à Gellio, & à Lentulo, Coſs. lata eſt, [4] in
qua aliquid ſacroſanctum exceptum videretur? Primùm
enim, ſancroſanctum eſſe nihil poteſt, niſi quod populus,
plebeſve ſanxiſſet: deinde ſanctiones *ſacrandæ* ſunt, aut
genere ipſo, aut obteſtatione, & conſecratione legis, aut
pœnæ, cùm caput ejus, qui contrà facit, conſecratur. Quid
habes igitur dicere de Gaditano fœdere ejuſmodi? Utrùm
capitis conſecratione, an obteſtatione legis ſacroſanctum
eſſe confirmas? nihil omnino umquam de iſto fœdere
ad populum, nihil ad plebem latum eſſe dico: de quibus
etiam ſi latum eſſet, neque legem, [5] neque pœnam latam
eſſe, ne quem civem reciperemus: tamen id eſſet, quod
populus poſtea juſſiſſet, ratum: neque quidquam illis ver-
bis, ſi quid ſacroſanctum eſſet, eſſe exceptum videretur. de
his, cùm populus Rom. nihil umquam juſſerit, quidquam
audes dicere ſacroſanctum fuiſſe? Nec verò hæc oratio 15
mea ad infirmandum fœdus Gaditanorum, judices, per-
tinet. neque enim eſt meum, contra opinionem vetuſtatis,
contra jus optimè meritæ civitatis, contra auctoritatem ſe-
natus dicere. *Duris* enim quondam temporibus reipub.
noſtræ, cùm præpotens terra, marique Karthago, nixa dua-
bus Hiſpaniis, huic imperio immineret, & cum [6] duo ful-
mina noſtri imperii ſubitò, in Hiſpania, Cn. & P. Scipio-
nes, exſtincti occidiſſent: L. Marcius, primipili centurio,
cum Gaditanis fœdus iciſſe dicitur. quod cùm magis fide
illius populi, juſtitia veſtra, vetuſtate denique ipſa, quàm
aliquo *publico vinculo* religionis teneretur: ſapientes ho-
mines, & publici juris periti, Gaditani, M. Lepido, Q. Ca-
tulo Coſs. à ſenatu de fœdere poſtulaverunt. Tum eſt cum
Gaditanis fœdus vel renovatum, vel ictum. de quo fœ-
dere populus Roman. ſententiam non tulit: qui injuſſu
ſuo, nullo pacto poteſt religione obligari. Ita Gaditana ci-
vitas, quod beneficiis ſuis erga rempub. noſtram conſequi
potuit, quod imperatorum teſtimoniis, quod vetuſtate,
quod Q. Catuli, ſummi viri, auctoritate, quod judicio ſe-
natus, quod fœdere, conſecuta eſt: quod publica religione
ſanciri potuit, id abeſt. populus enim ſe nuſquam obliga-
vit. neque ideò eſt Gaditanorum cauſa *deterior*. graviſſi-
mis enim, & plurimis rebus eſt fulta. ſed iſti diſputationi
certè

1. *Civitates omnes non dubitarent noſtros recipere, &c.*] Hæc eſt lectio Pall. omnium, quibus accedit Erfurd. ac S. Vict. nam vulgata tranſpoſuit, *civitates non dubitarent noſtros omneis, &c.* qua inductus fuit Gulielmius, ut conjiceret, *noſtros homines*; quod nulla tam capax eſſet civitas, quæ omnes Roman. ad ſe reciperet. videatur cap. v. in Pœnulum.

2. *Lex id Gellia*] Pal. nonus, *Abalæ* & Vict. codd. *Agellia*. cùm tamen ſupra cap. 8. præferrent *Gellium*.

3. *Quæ definitè poteſtatem.*] Hotomanus lib. II. Obſervat. cap. 20. corrigit *indefinitè*. Pall. habent *definitam*, nonnulli etiam *definita*. nam nonus *definita eſt poteſtatem*. vulgata ſatisfacit.

4. *In qua aliquid ſacroſanctum exceptum videretur.*] Sic Gemblacenſis & Erfurd. vox *exceptum* ſententiæ damno à libris hactenus abfuit. reperitur autem etiam in omnibus Pall. expreſſitq; & prima editio.

5. *Neque pœnam latam eſſe, ne quem civem.*] Editio princeps, *gratatam vel ratam eſſe*. quod *ratam* extat in noſtris mſſ. item Gembl. S. Vict. mutatque Gulielmius in *rogatam*. verba denique ſic tranſponenda putat: *nihil ad plebem latum eſſe dico; neque legem, neque pœnam rogatam eſſe, ne quem civem reciperemus*. modeſtiore conjectura, addo & veriſimiliore, quam Lambini, cujus audacem diligentiam merito deteſtemur.

6. *Duo fulmina noſtri imperii.*] Lambinus *lumina*. malè & certè contra Pall. & quondam excuſos. imò contra Virgilium; cui *Scipiadæ, duo fulmina belli*?

certè nihil eſt loci. SACROSANCTUM enim nihil poteſt
16 eſſe, niſi quod per populum, plebemve ſancitum eſt. Quòd ſi hoc fœdus, quod populus Roman. auctore ſenatu, commendatione, & judicio vetuſtatis, voluntate, & ſententiis ſuis comprobat, idem ſuffragiis comprobaſſet: quid erat, cur ex ipſo fœdere Gaditanum in civitatem noſtram recipi non liceret? nihil eſt enim aliud in fœdere, niſi, UT PIA ET ÆTERNA PAX ſit. Quid id ad civitatem? Adjunctum illud etiam eſt, quod non eſt in omnibus fœderibus: MAJESTATEM POPULI ROM. [1] COMITER CONSERVANTO. id habet hanc vim, ut ſit ille in fœdere inferior. Primùm verbi genus hoc conſervandi, quo magis in legibus, quàm in fœderibus, uti ſolemus, imperantis eſt, non precantis. Deinde, cùm alterius populi majeſtas conſervari jubetur, de altero ſiletur: certè ille populus, in ſuperiori conditione, cauſaque ponitur, cujus majeſtas fœderis ſanctione defenditur. In quo erat accuſatoris interpretatio indigna reſponſione, qui ita dicebat, *Comiter* eſſe *communiter*: quaſi verò priſcum aliquod, aut inſolitum verbum interpretarentur. Comes, benigni, faciles, ſuaves homines eſſe dicuntur. --- ,, *qui erranti* [2] *comiter monſtrat viam*, benignè, & non gravatè: [3] *communiter* quidem certè, non convenit. & ſimul abſurda res eſt, caveri fœdere, ut majeſtatem populi Romani communiter conſervent: id eſt, ut populus Roman. ſuam majeſtatem eſſe ſalvam velit. quod ſi jam ita eſſet, ut eſſe non poteſt: tamen de noſtra majeſtate, nihil de illorum caveretur. Poteſtne igitur noſtra majeſtas à Gaditanis benignè conſervari, ſi ad eam retinendam Gaditanos præmiis elicere non poſſumus? poteſt eſſe ulla denique *majeſtas*, ſi impedimur, quo minùs per populum Roman. beneficiorum, virtutis cauſa tribuendorum poteſtatem imperatoribus noſtris deferamus? Sed quid ego diſputo, quæ mihi tum, ſi Gaditani contra me dicerent, verè poſſe dici viderentur? illis enim repetentibus L. Cornelium, reſponderem, legem populum Roman. juſſiſſe de civitate tribuenda. [4] huic generi legum fundos
17 populos fieri non ſolere. Cn. Pompeium de conſilii ſententia civitatem huic dediſſe, nullum populi noſtri juſſum Gaditanos habere: itaque nihil eſſe ſacroſanctum, quod lege exceptum videretur. ſi eſſet: tamen in fœdere nihil eſſe cautum, præter pacem. additum etiam eſſe illud, ut majeſtatem illi noſtram conſervare deberent: quæ certè minueretur, ſi aut adjutoribus illorum civibus uti in bellis nobis non liceret, aut præmii tribuendi poteſtatem nullam haberemus. Nunc verò quid ego contra Gaditanos loquar, cùm id, quod defendo, voluntate eorum, auctoritate, legatione ipſa comprobetur? qui à principio ſui generis ac reipub. ab omni ſtudio, ſenſuque Pœnorum menteis ſuas ad noſtrum imperium, nomenque flexerunt? quos, cùm maxima bella nobis inferrentur, mœnibus excluſerunt? claſſibus inſecuti ſunt? corporibus, copiis, opibus depulerunt? qui & veterem illam ſpeciem fœderis Marciani, [5] ſemper omni arce duxerunt ſanctiorem, & hoc fœdere, Catuli, ſenatuſque auctoritate, ſe nobiſcum conjunctiſſimos eſſe arbitrati ſunt: quorum mœnia, delubra, agros, ut ipſe Hercules, itinerum, ac laborum ſuorum, ſic majores noſtri imperii, ac nominis populi Rom. terminos eſſe voluerunt? Teſtantur & mortuos noſtros imperatores, quorum vivit *immortalis memoria*, & gloria, Scipiones, Brutos, Horatios, Caſſios, Metellos, & hunc præſentem Cn. Pompejum, quem procul ab eorum mœnibus, acre & magnum bellum gerentem, commeatu, pecuniaque juverunt: & hoc tempore ipſo pop. Rom. quem in caritate annonæ, ut ſæpe antè fecerant, frumento ſuppeditato, levaverunt: ſe hoc jus eſſe velle, ut ſibi, & liberis, ſi qui *eximia virtute* fuerint, ſit in noſtris caſtris, ſit in imperatorum prætoriis: ſit denique inter ſigna, atque in acie locus, ſit his gradibus adſcenſus etiam ad civitatem. Quod ſi 18
Afris, ſi Sardis, ſi Hiſpanis, agris, ſtipendioque multatis, virtute adipiſci licet civitatem: Gaditanis autem, officiis, vetuſtate, fide, periculis, fœdere conjunctis, hoc idem non licebit: non *fœdus* ſibi nobiſcum, ſed iniquiſſimas leges impoſitas à nobis eſſe arbitrabuntur. Atque hanc, judices, non à me fingi orationem, ſed me dicere, quæ Gaditani judicarint, res ipſa declarat. Hoſpitium multis annis ante hoc tempus, cum L. Cornelio Gaditanos feciſſe publicè dico. proferam teſteis, proferam legatos: excitabo *laudatores*, quos ad hoc judicium, ſummos homines, ac nobiliſſimos, deprecatores hujus periculi, miſſos videtis. re denique multo antè Gadibus inaudita, fore, huic ut ab illo periculum crearetur, [6] graviſſima tum in iſtum civem ſuum Gaditani ſenatuſconſulta fecerunt. Potuit magis fundus populus Gaditanus fieri (quoniam hoc magnopere delectare verbo) ſi tum ſit fundus, cùm ſcita, ac juſſa noſtra ſua ſententia comprobat, quàm cùm hoſpitium fecit, ut & civitate illum mutatum eſſe fateretur, & jus civitatis honore digniſſimum judicaret? potuit certius interponere judicium voluntatis ſuæ, quàm cùm etiam accuſatorem hujus, multa, & pœna *multavit*? potuit magis de re judicare, quàm cùm ad veſtrum judicium civeis ampliſſimos legavit, teſteis hujus juris, vitæ laudatores, periculi deprecatores? Etenim quis eſt tam demens, quin ſentiat, jus hoc Gaditanis eſſe retinendum, ne *interſæptum* ſit iis iter perpetuò ad hoc ampliſſimum præmium civitatis: & magnopere iis eſſe lætandum, hujus L. Cornelii benivolentiam erga ſuos remanere Gadibus: gratiam, & facultatem commendandi, in hac civitate verſari? Quis enim noſtrûm eſt, cui non illa civitas ſit hujus ſtudio, cura, diligentia, commendatior? Omitto, quantis ornamentis populum 19
iſtum C. Cæſar, cùm eſſet in Hiſpania prætor, affecerit, controverſias ſedarit, jura ipſorum permiſſu ſtatuerit, inveteratam quondam barbariam ex Gaditanorum moribus, diſciplinaque delerit, ſumma in eam civitatem, hujus rogatu, ſtudia, & beneficia contulerit. multa ptætereo: quæ quotidie labore hujus, & ſtudio, aut omnino, aut certè faciliùs conſequuntur. Itaque & adſunt principes civitatis, & defendunt: [7] amore, ut ſuum civem: teſtimonio, ut noſtrum: officio, [8] ut ex nobiliſſimo civi ſanctiſſimum hoſpitem: ſtudio, ut diligentiſſimum defenſorem commodorum ſuorum. Ac, ne ipſi Gaditani arbitrentur, quamquam nullo incommodo afficiantur, ſi liceat eorum civeis *virtutis cauſa* in noſtram civitatem venire, tamen hoc ipſo inferius eſſe ſuum fœdus, quàm cæterorum: conſolabor & hos præſenteis viros optimos, & illam fideliſſimam, atque amiciſſimam nobis civitatem, ſimul & vos, non ignoranteis, judices, admonebo, quo de jure hoc judicium conſtitutum ſit, de eo numquam omnino eſſe dubitatum. Quos igitur prudentiſſimos interpretes fœderum, quos peritiſſimos

---

1. *Comiter conſervanto, &c.*] Haud rejeci Lambinianum. quod Pal. nonus, item ora S. Victoris haberent *conſervant*; non vulgatum *conſervent*. nolui tamen ſequi in altero ob cauſam; & quod non addicerent mſſ. noſtri.

2. *Comiter monſtrat viam.*] Obtemperavi membranis Pall. & S.Vict. in quibus erat ſingulare, non *monſtrant*, ut hodie vulgatur.

3. *Communiter quidem certè non convenit.*] Eſt à veteri editione & ſcriptis noſtris omnibus. recentius excuſi admiſerant, *comiter quidem certè, non communiter convenit.*

4. *Huic generi legum fundos, &c.*] Iſtud quoque eſt à priſca editione & mſſ. noſtris. vulgati deinceps, *hoc genere legum.*

5. *Semper omni arce duxerunt ſanctiorem.*] Haud aliter Erfurd. codex, & a manu prima S. Victoris, alluditque Pal. pr. ſec. nonus, in quibus *arte.* alii *Marte*, quod probat Manutius, tanquam exaudiatur in eo nomen *Marciani. Arces*, ut aras ſanctas eſſe, docuit ad hunc locum Gulielmius cap. 5. Pœnuli Plautini.

6. *Graviſſima Senatus conſulta fecerunt.*] Si obtemperandum libris olim impreſſis ſcriptiſque, reſtituendum *convitia.* neque aliter etiam S. Vict. capiundum autem iſtud, non de Balbo, ſed de accuſatore Balbi Gaditano, ut liquet ex capite 14. hæc timidè pono, quia otium non eſt penitius rem indagandi.

7. *Amore, ut ſuum civem.*] Monet Gulielmius, exſtirpandum videri illud *civem.*

8. *Officio, ut ex nobiliſſimo civi ſanctiſſimum hoſpitem, &c.*] Sic primum Lambinus, firmantque Erfurd. S. Vict. Pal. nonus. prius editi *officio, ut nobiliſſimum & ſanctiſſ. hoſp.*

1. Ad

ritiſſimos bellici juris, quos diligentiſſimos in exquirendis conditionibus civitatum, atque cauſis, eſſe arbitrabamur?
20 eos profectò, qui jam imperia, ac bella geſſerunt. Etenim, ſi Q. Scævola ille augur, cum de *jure prædiatorio* conſuleretur, homo juris peritiſſimus, conſultores ſuos nonnumquam [1] ad Furium, & Caſcellium, prædiatores, rejiciebat: ſi nos de aqua noſtra Tuſculana M. Tugionem potiùs, quàm C. Aquillium conſulebamus, quòd ASSIDUUS uſus uni rei deditus, & ingenium, & artem ſæpe vincit: quis dubitet de fœderibus, & de toto jure pacis, & belli, omnibus juris peritiſſimis imperatores noſtros anteferre? Poſſumuſne igitur tibi probare auctorem exempli, atque facti illius, quod à te reprehenditur, C. Marium? quæris aliquem graviorem? conſtantiorem? præſtantiorem virtute, prudentia, religione, æquitate? Is igitur M. Annium Appium, fortiſſimum virum, ſumma virtute præditum, civitate donavit, cùm Camertinum fœdus, ſanctiſſimum, atque æquiſſimum ſciret eſſe. Poteſt igitur, judices, L. Cornelius condemnari, ut non C. Marii factum condemnetur? Exſiſtat ergo ille vir parumper cogitatione veſtra, quoniam re non poteſt: ut conſpiciatis eum *mentibus*, quem oculis non poteſtis. dicat, ſe non imperitum fœderis, non rudem exemplorum, [2] non ignarum belli fuiſſe: ſe P. Africani diſcipulum, ac militem: ſe ſtipendiis, ſe legationibus bellicis eruditum: ſe, ſi tanta bella legiſſet, quanta geſſit, & confecit: ſi tot conſulibus meruiſſet, quoties ipſe conſul fuiſſet, omnia jura belli perdiſcere, ac noſſe potuiſſe: ſibi non fuiſſe dubium, quin nullo fœdere à republ. bene gerenda impediretur: à ſe ex conjunctiſſima, atque amiciſſima civitate fortiſſimum quemque eſſe delectum: [3] neque Fulginatium, neque Camertium fœdere eſſe exceptum: quo minùs eorum civibus à populo Romano præmia virtu-
21 tis tribuerentur. Itaque, cum paucis annis poſt hanc civitatis donationem acerrima de civitate quæſtio, Licinia, & Mucia lege, veniſſet: num quis eorum, qui de fœderatis civitatibus eſſet civitate donatus, in judicium eſt vocatus? nam [4] Spoletinus L. Matrinius, unus ex iis, quos C. Marius civitate donaſſet, dixit cauſam ex colonia Latina, in primis firma, & illuſtri. quem cùm diſertus homo L. Antiſtius accuſaret, Spoletinus dixit, fundum populum Spoletinum non eſſe factum. videbat enim, populos de ſuo jure, non de noſtro, fundos fieri ſolere; ſed, cùm lege Apuleia coloniæ non eſſent deductæ, qua lege Saturninus C. Mario tulerat, ut in ſingulas colonias ternos civeis Roman. facere poſſet, negabat hoc beneficium, *re ipſa ſublata*, valere debere. Nihil habet ſimilitudinis iſta accuſatio: ſed tamen tanta auctoritas in C. Mario fuit, ut non per L. Craſſum, affinem ſuum, hominem incredibili eloquentia, ſed paucis ipſe verbis cauſam illam gravitate ſua defenderit, & probarit. Quis enim eſſet, judices, qui imperatoribus noſtris, in bello, in acie, in exercitu, delectum virtutis: qui ſociis, qui fœderatis, in defendenda repub. noſtra *ſpem præmiorum* eripi vellet? Quòd ſi vultus C. Marii, ſi vox, ſi ille imperatorius ardor oculorum, ſi recentes triumphi, ſi præſens valuit *adſpectus*: valeat auctoritas, valeant res geſtæ, valeat memoria, valeat fortiſſimi, & clariſſimi viri nomen æternum. ſit hoc diſcrimen inter gratioſos civeis, atque forteis, ut illi vivi fruantur opibus ſuis: horum, etiam mortuorum, (ſi quiſquam hujus imperii defenſor mori poteſt) vivat *auctoritas immortalis*. Quid? Cn. Pompejus, 22
pater, rebus Italico bello maximis geſtis, P. Cæſium, equitem Rom. virum bonum, qui vivit Ravennæ, fœderato ex populo, nonne civitate donavit? quid? cohorteis duas univerſas Camertium? [5] quid? Heraclienſium legionem, P. Craſſus, vir ampliſſimus, ex ea civitate, quacum propè ſingulare fœdus Pyrrhi temporibus, C. Fabricio conſule, ictum putatur? quid? Maſſilienſem Ariſtonem Sulla? quid? quoniam de Gaditanis agimus, [6] idem heros novem Gaditanos? quid? vir ſanctiſſimus, & ſumma religione, ac modeſtia, Q. Metellus Pius, Q. Fabium Saguntinum? quid? hic, qui adeſt, à quo hæc, quæ ego nunc percurro, ſubtiliſſimè ſunt omnia perpolita, M. Craſſus, non [7] Aletrinenſem fœderatum civitate donavit, homo tum gravitate, & prudentia præſtans, tum vel nimium parcus in largienda civitate? Hic tu, Cn. Pompeii beneficium, vel potius judicium, & factum infirmare conaris, qui fecit, quod C. Marium feciſſe *audierat*: fecit quod P. Craſſum, quod L. Sullam, quod Q. Metellum, quod denique domeſticum auctorem, patrem ſuum, facere viderat? neque verò in uno Cornelio id fecit. nam & Gaditanum Haſdrubalem ex bello illo Africano, & [8] Mamertinos obvios, & quoſdam Uticenſeis, & Saguntinos fabros, civitate donavit. Etenim, *cum ceteris* præmiis digni ſunt, qui ſuo labore, & periculo noſtram remp. defendunt: tum certè digniſſimi ſunt, qui civitate ea donentur, pro qua pericula, ac tela ſubierunt. Atque utinam qui ubique ſunt propugnatores hujus imperii, poſſent in hanc civitatem venire, & contrà, oppugnatores reip. de civitate exterminari. Neque enim ille ſummus poëta noſter, Hannibalis illam magis cohortationem, quam communem imperatorum, voluit eſſe, „ [9] *Hoſtem qui feriet*, *erit*, inquit, *mihi Karthaginienſis*, *Quiſquis erit*, *cujatis*: etſi id habent hoc leve, & ſemper habuerunt. Itaque & civeis undique forteis viros adſciverunt, & hominum ignobilium virtutem perſæpe *nobilitatis inertiæ* prætulerunt. Habetis imperatorum ſummorum, 23
& ſapientiſſimorum hominum, clariſſimorum virorum, interpretationem juris, ac fœderum: dabo etiam judicum, qui huic quæſtioni præfuerunt: dabo univerſi populi Rom. dabo ſanctiſſimum etiam judicium ſenatus. Judices cum præ ſe ferrent, palamque loquerentur, quid eſſent lege Papia de M. Craſſo, Mamertinis repetentibus, judicaturi: Mamertini, publicè ſuſcepta cauſa, deſtiterunt. Multi in civitatem recepti ex liberis, [10] fœderatiſque populis, ſunt liberati: nemo umquam eſt de civitate accuſatus, quòd aut populus, fundus factus non eſſet, aut quod fœdere civitatis mutandæ jus impediretur. Audebo etiam hoc contendere, numquam eſſe comdemnatum, quem conſtaret, ab imperatore noſtro civitate donatum. Cognoſcite nunc populi Rom.

1. *Ad Furium & Caſcellium.*] Eſt à Gembl. & Pal. nono. nam ceteri *Cæſccilum*, quomodo & S. Vict. vulgata *Caſellium*. Si ſtandum exemplaribus Valerii Maximi lib. VIII. cap. 12. reſcribendum potius *Cæſellius*. hocque item aliis argumentis evincit amicus noſter Pighius, qui videatur in Faſtis ad annum urbis conditæ DCXXXIII.

2. *Non ignarum belli fuiſſe*] Pal. nonus, *neque ignarum* Gembl. *non æquè ignarum*. unde faciundum fortaſſis, inquit Gulielmius, *non denique ignarum*, &c.

3. *Neque Iguinatium neque Camertium*, &c.] Neceſſe habui ſcripturæ huic dare locum, inductus a Pal. nono, Erfurd. & Gembl. alludebantque ceteri noſtri Pall. ac S. Vict. in quibus *Ignatium*, quomodo & primitus editi. nam poſteriores, quibus *Iguvium* iſtud ignotum, ſuppoſuere nobis, *Fulginatium*.

4. *Spoletinus L. Matrinius.*] Ita ferè iidem noſtri ſcripti. non *T. Macrinus*, ut vulgata.

5. *Quid Heraclienſium legionem*, &c.] Locus deſperatus. nam editio vetus; *Quid Eracliſina lex? At P. Craſſus*, quomodo & Pall. præter nonum, in quo, *Quid deradeſe malexat P. Craſſus*. S. Vict. *Quid Heracles imalexam P. Craſſus*.

6. *Idem heros novem Gaditanos.*] Ita mſſ. noſtri meliores omnibus literis, neque aliter edd. primæ. nam ceteri Pall. IX. *Gaditanos*. nuper vulgata, LX. *Gaditanos*. Victorii *idem prætor* LX. *Gadit.*

7. *Aletrinenſem.*] Pal. ſec. *Avernienſem* ſec. *Avenienſem*. nonus *Avennenſem*. S. Vict. *Avennienſem*.

8. *Mamertinos obvios.*] An voluit? *obbios*. Nihil eſt hac parte Orationis inquinatius. itaque pudet pigetque immorari talibus.

9. *Hoſtem qui feriet, erit, inquit mih. Carthag.*] Hæc eſt ſcriptura edd. obſoletarum, item Pall. nec non Gembl. ac S. Vict. neque verbum adjectum, emphaſi ſua; neque vocum trajectio gratia caret; occultatu verſu longo, quem Cicero intexere ne alienum quidem orationi, niſi rariſſimè ſolet. *Gulielmius.*

10. *Fœderatiſque populis ſunt liberati.*] Judicum ſcilicet ſententiis. Binas voces, *ſunt liberati*, modò adjeci ex Pal. nono, Erfurd. & S. Vict.

Rom. judicium, multis rebus interpoſitum, atque in maximis cauſis, re ipſa, atque uſu comprobatum. Cum Latinis omnibus fœdus ictum, Sp. Caſſio, Poſtumio Cominio, Coſs. quis ignorat? quod quidem nuper in *columna ænea* meminimus poſt Roſtra inciſum, & perſcriptum fuiſſe. Quomodo igitur [1] L. Coſſinius Tiburs, pater hujus equitis Rom. optimi, atque ornatiſſimi viri, damnato T. Cœlio, quomodo ex eadem civitate T. Coponius, civis item ſumma virtute, & dignitate (nepotes T. & C. Coponios noſtis) damnato C. Maſſone civis Rom. eſt factus? an lingua, & ingenio patefieri aditus ad civitatem potuit: manu & virtute non potuit? anne de nobis trahere ſpolia fœderatis licebit: de hoſtibus non licebit? an, quod adipiſci poterunt dicendo, id eis aſſequi pugnando non licebit? an accuſatori majores noſtri majora præmia, quam bellatori, eſſe volue-
24 runt? Quod ſi acerbiſſima lege Servilia principes viri, ac graviſſimi, & ſapientiſſimi cives, hanc Latinis, id eſt, fœderatis, viam ad civitatem populi juſſu patere paſſi ſunt: neque in his eſt hoc reprehenſum Licinia & Mucia lege, cùm præſertim genus ipſum accuſationis, & nomen, ejuſmodi præmium, quod nemo aſſequi poſſit, niſi ex ſenatoris *calamitate*, neque ſenatori, neque bono cuiquam nimis jucundum eſſe poſſet: dubitandum fuit, quin, quo in genere, judicum præmia rata eſſent, in eodem judicia imperatorum valerent? num fundos igitur factos populos Latinos arbitramur, aut Servilia lege, aut ceteris, quibus, Latinis hominibus erat propoſitum aliqua ex re præmium civitatis? Cognoſcite nunc judicium ſenatus, quod ſemper eſt judicio populi *comprobatum*. Sacra Cereris, judices, ſumma majores noſtri religione confici, cæremoniaque voluerunt: quæ cùm eſſent aſſumta de Græcia, & per Græcas ſemper curata ſunt ſacerdotes, & Græca omnia nominata: ſed cum illam, quæ Græcum illud ſacrum monſtraret, & faceret, ex Græcia deligerent: tamen ſacra pro civibus civem facere voluerunt, ut deos immortaleis ſcientia peregrina, & externa; [2] *mente domeſtica*, & civili precarentur. Has ſacerdotes video fere aut Neapolitanas, aut Velienſeis fuiſſe, fœderatarum ſine dubio civitatum. Mitto vetera: proxima dico: ante civitatem Velienſibus datam, de ſenatus ſententia C. Valerium Flaccum, prætorem Urbanum, nominatim ad Populum de Calliphana Velienſe, ut ea civis Romana eſſet, tuliſſe. Num igitur aut fundos factos Velienſeis, aut ſacerdotem illam, civem Rom. factam non eſſe, aut fœdus & à ſenatu, & à populo Rom.
25 violatum arbitrabimur? Intelligo, judices, in cauſa aperta, minimeque dubia, multo & plura, & à pluribus peritiſſimis eſſe dicta, quàm res poſtularet. ſed id factum eſt, non ut vobis rem tam perſpicuam, dicendo probaremus, verùm ut omnium malevolorum, iniquorum, invidorum animos frangeremus: quos ut accuſator incenderet, ut aliqui ſermones hominum, *alienis bonis mœrentium*, etiam ad veſtras aureis permanarent, & in judicio ipſo redundarent, idcirco illa in omni parte orationis ſumma arte adſpergi videbatis: tum pecuniam L. Cornelii, quæ neque invidioſa eſt, &, quantacumque eſt, ejuſmodi eſt, ut conſervata magis, quam correpta eſſe videatur: tum luxuriam, quæ non crimine aliquo libidinis, ſed *communi maledicto* notabatur: tum Tuſculanum, quod Q. Metelli fuiſſe meminerat, & L. Craſſi: Craſſum emiſſe de libertino homine, Soterico Marcio: ad Metellum perveniſſe de Venonii Vindicii bonis non tenebat: ſimul illud neſciebat, prædiorum nullam eſſe gentem: emtionibus ea ſolere ſæpe ad alienos homines, ſæpe ad infimos, non legibus, [3] tanquam tutelas, pervenire. Objectum eſt etiam, quod in tribum Cruſtuminam pervenerit: quod hic aſſecutus eſt legis de ambitu præmio, minùs invidioſo, quam qui legum præmiis prætoriam ſententiam, & prætextam togam conſequuntur. Et [4] adoptio Theophani agitata eſt: per quam Cornelius, nihil eſt, præterquàm propinquorum ſuorum hereditates, aſſecutus. Quamquam iſtorum animos, qui ipſi 26
Cornelio invident, non eſt difficillimum mitigare. more hominum *invident*, in conviviis rodunt, [5] in circulis vellicant: [6] non illo inimico, ſed hoc maledico dente carpunt. Qui amicis L. Cornelii aut inimici ſunt, aut invident, hi ſunt huic multò vehementiùs pertimeſcendi. nam huic quidem ipſi quis eſt umquam inventus inimicus? aut quis jure eſſe potuit? quem bonum non coluit? cujus fortunæ, dignitatique non conceſſit? Verſatus in intima familiaritate hominis potentiſſimi, in maximis noſtris malis, atque diſcordiis neminem umquam alterius rationis, ac partis non re, non verbo, non vultu denique *offendit*. fuit hoc ſive meum, ſive reip. fatum, [7] ut in me unum omnis illa inclinatio communium temporum incumberet. non modò non exſultavit in ruinis veſtris, noſtriſque diſcordiis Cornelius: ſed omni officio, lacrymis, opera, conſolatione, omneis, me abſente: meos ſublevavit. quorum ego teſtimonio, ac precibus munus hoc meritum huic, &, ut à principio dixi, juſtam, & debitam gratiam refero: ſperoque, judices, ut eos, qui principes fuerunt conſervandæ ſalutis, aut dignitatis meæ, diligitis, & caros habetis: ſic, quæ ab hoc pro facultate hujus, pro loco facta ſunt, & grata eſſe vobis, & probata. Non igitur à ſuis, quos nullos habet, ſed à ſuorum, qui & multi, & potentes ſunt, *urgetur* inimicis quos quidem heſterno die Cn. Pompejus copioſa oratione, & gravi, ſecum, ſi vellent, contendere jubebat. [8] ab hoc impari certamine, atque injuſta contentione avocabat. Et erat æqua lex, & nobis, judices, atque omnibus, qui 27
noſtris familiaritatibus implicantur, vehementer utilis, UT NOSTRAS inimicitias ipſi inter nos geramus, amicis noſtrorum inimicorum temperemus. Ac, ſi mea auctoritas ſatis apud illos in hac re ponderis haberet, cùm me præſertim rerum varietate, atque uſu ipſo jam perdoctum viderent: etiam ab illis eos majoribus diſcordiis avocarem. [9] id enim contendere mihi de repub. cùm id defendas, quod eſſe optimum ſentias, & fortium virorum, & magnorum hominum ſemper putavi: neque huic umquam labori, officio, muneri defui. ſed CONTENTIO, tamdiu ſapiens eſt, quamdiu aut proficit aliquid, aut, ſi non proficit, non obeſt civitati. Voluimus quædam, contendimus, experti ſumus: obtenta non ſunt. dolorem alii, nos luctum, mœroremque ſuſcepimus. Cur ea, quæ mutare non poſſumus, convellere malumus, quam tueri? C. Cæſarem ſenatus & genere ſupplicationum ampliſſimo ornavit, & numero dierum novo. Idem in anguſtiis ærarii victorem, exercitum ſtipendio affecit: imperatori decem legatos decrevit, lege Sempronia ſuccedendum non cenſuit. Harum ego ſententiarum & princeps, & auctor fui: neque me diſſenſioni meæ priſtinæ putavi potius aſſentiri, quam præſen-

---

1. *L. Coſſinius Tiburs, &c.*] Eſt à mſſ. noſtris; adjuvatque editio vetus.

2. *Mente domeſtica precarentur.*] Ita omnes vett. non *precarentur*, quomodo nuper vulgati. videturque & paulò ante legendum *conficeri*, loco *confici*, cum exitet in Pal. nono *conficere*. ſed & ubi habemus *Græca omnia nominarentur*, monet liber S. Victoris alias ſcribi *omnia*. oppido bene.

3. *Tanquam tutelas pervenire.*] Hotomannus interponendum putat, *tutelas ad agnatos pervenire* lib. xx. obſerv. cap. 20.

4. *Adoptio Theophani agitata eſt.*] Delevi literam a fine, juſſu Pal. noni Gembl. & S. Vict. neque abſcedunt ceteri Pall. niſi quod ii *Theophanii*. unde edd. priſcæ *Theophanti*. ex quibus liquet hodiernum *Theophanis* verè eſſe nuper natum.

5. *In circulis vellicant.*] Mſſ. omn. amplius, *in circulis idcirco vell.* an fuit? *in circulis in circo vell.*

6. *Non illo inimico, &c.*] Lambinus *inimico*. neſcio an rectè. imò puto quod non rectè.

7. *Ut in me unum omnis, &c.*] Revocavi voculam *unum* jubentibus edd. vetuſtis & ſcriptis omnibus. neque dubitandum quin ſententiæ neceſſitatique ſerviat, & elegantiæ.

8. *Ab hoc impari.*] Ita diſerte Pal. nonus; ceteri *imperito*. vulgata *improbo*.

9. *Id enim contendere mihi de rep.*] Sic Pall. omnes. & editio vetus, quæ quidem addit *videtur*, ſed præter ſcriptos vulgata, *mecum de rep.*

1. Nun-

præſentibus reipubl. *temporibus*, & concordiæ, convenire. Non idem aliis videtur. ſunt fortaſſe in ſententia firmiores. reprehendo neminem: ſed aſſentior non omnibus: NEQUE ESSE inconſtantis puto, ſententiam aliquam, tanquam aliquod navigium, atque curſum, ex reipub. tempeſtate moderari. Sed, ſi qui ſunt, quibus *infinitum ſit odium*, in quos ſemel ſuſceptum ſit, quos video eſſe nonnullos: cum ducibus ipſis, non cum comitatu, aſſectatoribuſque confligant. Illam enim fortaſſe pertinaciam nonnulli, virtutem alii putabunt: hanc verò iniquitatem omnes cum aliqua crudelitate conjunctam. Sed, ſi certorum hominum menteis nulla ratione placare, judices, poſſumus: veſtros quidem animos certè confidimus, non oratione noſtra, sed humanitate veſtra eſſe placatos. 28 Quid enim eſt, cur non potiùs ad ſummam *laudem* huic, quàm ad minimam fraudem, Cæſaris familiaritas valere debeat? cognovit adoleſcens: placuit homini prudentiſſimo: in ſumma amicorum copia cum familiariſſimis ejus eſt adæquatus. in prætura, in conſulatu præfectum fabrûm detulit: conſilium hominis probavit, fidem eſt complexus: officia, obſervantiamque dilexit. fuit hic multorum illi laborum ſocius aliquando: eſt fortaſſe nunc nonnullorum particeps commodorum. quæ quidem ſi huic obfuerint apud vos, non intelligo, quod *bonum* cuiquam ſit apud taleis viros profuturum. Sed, quoniam C. Cæſar abeſt longiſſimè, atque in iis eſt nunc locis, quæ regione, orbem terrarum: rebus illius geſtis, imperium populi Romani definiunt: nolite, per deos immortaleis, judices, hunc illi acerbum [1] nuntium velle perferri, ut ſuum præfectum fabrûm, ut hominem ſibi cariſſimum, & familiariſſimum, non ob ipſius aliquod delictum, ſed ob ſuam *familiaritatem* veſtris oppreſſum ſententiis audiat. Miſeremini ejus, qui non de ſuo peccato, ſed de hujus ſummi, & clariſſimi viri facto: non de aliquo crimine, [2] ſed periculo ſuo, de publico jure diſceptat: quod jus ſi Cn. Pompejus ignoravit, ſi M. Craſſus, ſi Qu. Metellus, ſi Cn. Pompejus pater, ſi L. Sulla, ſi L. Craſſus, ſi C. Marius, ſi ſenatus, ſi populus Rom. ſi, qui de re ſimili judicarunt, ſi fœderati populi, ſi ſocii, ſi illi antiqui Latini: videte, ne utilius vobis, & honeſtius ſit, illis ducibus errare, quam hoc magiſtro erudiri. Sed, ſi de certo, de perſpicuo, de utili, de probato, de judicato vobis jure eſſe conſtituendum videtis: nolite committere, ut in re tam inveterata quidquam novi ſentiatis. Simul & illa, judices, omnia ante oculos veſtros proponite: primùm eſſe omneis etiam poſt mortem reos, clariſſimos illos viros, qui fœderatos civitate donarunt: deinde ſenatum, qui perſæpe hoc judicavit: populum, qui juſſit: judices, qui approbarunt. tum etiam illud cogitatote: ſic vivere, ac vixiſſe Cornelium, ut, cùm omnium peccatorum quæſtiones ſint, non de vitiorum ſuorum pœna, ſed de virtutis præmio in judicium vocetur. Accedat etiam illud, ut ſtatuatis hoc judicio, utrùm poſthac amicitias clarorum virorum calamitati hominibus, an ornamento eſſe malitis. Poſtremò illud, judices, fixum in animis veſtris tenetote, vos in hac cauſa non de maleficio L. Cornelii, ſed de beneficio Cn. Pompeii judicaturos.

1. *Nuncium velle perſerri.*] Vulgati *deferri*. Pal. nonus *proferri*. ſed alterum eſt ex S. Vict. Gembl. Erfurd.

2. *Sed periculo ſuo de publico jure, &c.*] Editur paſſim, *ſed de periculo*. præter Pall. omnes, quorum auctoritate motus particulam eam expunxi; tanto libentius, quod & ſuſpecta eſſet Lambino.

M. TULLIUS CICERO
IN
L. CALPURNIUM PISONEM.
ORATIO TRICESIMASEPTIMA.

Deeſt principium.

Jamne vides, bellua, jamne ſentis, quæ ſit hominum querela frontis tuæ? nemo queritur, Syrum, neſcio quem, de grege novitiorum, factum eſſe conſulem. non enim nos color iſte ſervilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt: oculi, ſupercilia, frons, *vultus* denique totus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, [1] hic in fraudem homines impulit: hic eos, quibus erat ignotus, [2] decepit, fefellit, induxit. pauci iſta tua lutulenta vitia noveramus: pauci tarditatem ingenii, ſtuporem, debilitatemque linguæ. numquam erat audita vox in foro: numquam periculum factum conſilii: nullum non modò illuſtre, ſed ne notum quidem factum aut militiæ, aut domi. obrepſiſti ad honores errore hominum, *commendatione* fumoſarum imaginum: quarum ſimile habes nihil, præter colorem. Is mihi etiam gloriabitur, ſe omneis magiſtratus *ſine repulſa* aſſecutum? mihi iſta licet de me vera gloria prædicare. omneis enim honores populus Roman. mihi ipſi, homini novo, detulit. Nam, tu cùm quæſtor es factus, etiam qui te numquam viderant, tamen illum honorem nomini mandabant tuo. Ædilis es factus. Piſo eſt à populo Romano factus, non iſte Piſo. Prætura item majoribus delata eſt tuis. noti erant illi mortui: te vivum nondum noverat quiſquam. Me cùm quæſtorem in primis, ædilem priorem, prætorem primùm cunctis ſuffragiis populus Rom. faciebat: homini ille honorem, non generi: moribus, non majoribus meis: virtuti perſpectæ, non auditæ nobilitati deferebat. Nam quid ego de conſulatu loquar? parto vis, anne geſto? Miſerum me! cùm hac me nunc peſte, atque labe confero? ſed nihil comparandi cauſa loquar: [3] ac tamen ea, quæ ſunt longiſſimè disjuncta, comprehendam. Tu conſul es renuntiatus (nihil dicam gravius, quàm quod omnes fatentur) *impeditis reip. temporibus*, diffidentibus Coss. Cæſare & Bibulo, cùm hoc non recuſares, quin ii, à quibus dicebare conſul, te luce dignum non putarent, niſi nequior, quàm Gabinius, exſtitiſſes. Me cuncta Italia, me omnes ordines, me univerſa civitas non priùs tabella, quàm voce priorem conſulem declaravit. Sed omitto, 2
ut ſit factus uterque noſtrûm. Sit ſanè *Fors domina campi*. magnificentius eſt dicere, quemadmodum geſſerimus conſulatum, quàm, quemadmodum ceperimus. Ego Kalendis Jan. ſenatum, & bonos omneis, legis Agrariæ, maximarumque largitionum metu liberavi. ego agrum Campanum, ſi dividi non oportuit, conſervavi: ſi oportuit, melioribus auctoribus reſervavi. ego in C. Rabirio, perduellionis reo, XL. annis ante me conſulem interpoſitam ſenatus

1. *HIc in fraudem homines impulit.*] Sic Pal. ſec. & oct. nam ſec. *fraudes*. vulgata *in errorem*. ſed præter Pal. pr. ac ſec. & Faërnianos.

2. *Decepit, fefellit, induxit.*] Aliæ ferè in edd. *in fraudem induxit*.

3. *Ac tamen ea quæ ſunt, &c.*] Turnebus libro XX. cap. 15. malebat, *attamen*; quod in contextum recepit Lambinus.

tus auctoritatem ſuſtinui contra invidiam, atque defendi. ego adoleſcenteis bonos, & forteis, ſed uſos ea conditione fortunæ, ut, ſi eſſent magiſtratus adepti, reip. ſtatum convulſuri viderentur, meis inimicitiis, nulla ſenatus mala gratia, comitiorum ratione privavi. Ego Antonium collegam, cupidum provinciæ, multa in repub. molientem, patientia, atque obſequio meo *mitigavi*. ego provinciam Galliam, ſenatus auctoritate, exercitu & pecunia inſtructam, & ornatam, [1] quam cum Antonio communicavi, quòd ita exiſtimabam tempora reipubl. ferre, in concione depoſui, reclamante populo Roman. ego L. Catilinam, cædem ſenatus, interitum urbis, non obſcurè, ſed palàm molientem, egredi ex urbe juſſi: ut, à quo legibus non poteramus, *mœnibus tuti* eſſe poſſemus. ego tela extremo menſe conſulatus mei intenta jugulis civitatis, de conjuratorum nefariis manibus extorſi. ego faceis jam accenſas ad hujus urbis incendium, comprehendi, protuli, exſtin-
3 xi. Me Qu. Catulus, princeps hujus ordinis, & auctor publici conſilii, frequentiſſimo ſenatu, *parentem patriæ* nominavit. mihi hic vir clariſſimus, qui propter te ſedet, L. Gellius, his audientibus, civicam coronam deberi à repub. dixit. mihi togato ſenatus, non ut multis bene geſtæ, ſed ut nemini, [2] conſervatæ reipub. ſingulari genere ſupplicationis, deorum immortalium templa patefecit. Ego cùm in concione, abiens magiſtratu, dicere à tribuno pleb. prohiberer, quæ conſtitueram: cumque is mihi tantummodò ut jurarem, permitteret: ſine ulla dubitatione juravi, rempub. atque hanc urbem mea unius opera eſſe ſalvam. Mihi populus Rom. univerſus illa in concione non unius diei gratulatione, ſed *æternitatem*, immortalitatemque donavit, cum meum jusjurandum tale, atque tantum, juratus ipſe, una voce, & conſenſu approbavit. Quo quidem tempore is meus domum fuit è foro reditus, ut nemo, niſi qui mecum eſſet, civium eſſe in numero videretur. Atque ita eſt à me conſulatus peractus, ut nihil *ſine conſilio* ſenatus, nihil non approbante populo Roman. egerim: ut ſemper in Roſtris curiam, in ſenatu populum defenderim: ut multitudinem cum principibus, equeſtrem
4 ordinem cum ſenatu conjunxerim. Expoſui breviter conſulatum meum. Aude nunc, ô furia, de tuo dicere: cujus fuit initium ludi Compitalitii, tum primùm facti [3] poſt L. Metellum, & Q. Marcium Coſs. contra auctoritatem hujus ordinis: quos Q. Metellus (facio injuriam fortiſſimo viro mortuo, qui illum, cujus paucos pares hæc civitas tulit, cum hac importuna bellua conferam) ſed ille deſignatus conſul, cùm quidem tribunus pleb. ſuo auxilio [4] magnos ludos contra ſenatusconſultum facere juſſiſſet, privatus fieri vetuit: atque id, quod nondum poteſtate poterat, obtinuit *auctoritate*. [5] Tu, cùm III. Kalendas Jan. [6] Compitaliorum dies incidiſſent, Sex. Clodium, qui numquam antea prætextatus fuiſſet, ludos facere, & prætextatum volitare paſſus es, hominem impurum, atque non modò facie, ſed etiam oculo tuo digniſſimum. Ergo his fundamentis poſitis conſulatus tui, triduo pòſt, inſpectante, & tacente te, à P. Clodio, fatali portento, prodigioque reip. [7] lex Ælia, & Fuſia, everſa eſt, propugnacula, murique *tranquillitatis*, atque otii: collegia, non ea ſolùm, quæ ſenatus ſuſtulerat, [8] reſtituta, ſed innumerabilia quædam nova ex omni fece urbis, ac ſervitio concitata. ab eodem homine, in ſtupris inauditis, nefariiſque verſato, vetus illa magiſtra pudoris, & modeſtiæ, *ſeveritas cenſoria*, ſublata eſt: cùm tu interim, buſtum reip. qui te conſulem tum Romæ dicis fuiſſe, verbo numquam ſignificaris ſententiam tuam tantis in naufragiis civitatis. Nondum, quæ feceris, ſed quæ fieri paſſus 5
ſis, dico. NEQUE VERO multum intereſt, præſertim in conſule, utrùm ipſe pernicioſis legibus, improbis concionibus rempub. vexet, an alios vexare patiatur. An poteſt ulla eſſe excuſatio non dicam male ſentienti, ſed ſedenti, cunctanti, dormienti in maximo reipub. motu conſuli? centum propè annos legem Æliam, & Fuſiam tenueramus: quadringentos [9] judicium, notionemque cenſoriam. quas leges auſus eſt non nemo improbus, potuit quidem nemo umquam convellere: quam poteſtatem minuere, quo minus de moribus noſtris quinto quoque anno judicaretur, nemo tam effuſè *petulans* conatus eſt. Hæc ſunt, ô carnifex, in gremio ſepulta conſulatus tui. Perſequere connexos his funeribus dies. Pro Aurelio tribunali, ne connivente quidem te, quod ipſum eſſet ſcelus, ſed etiam hilarioribus oculis, quàm ſolitus eras, intuente, delectus ſervorum habebatur ab eo, qui nihil ſibi umquam nec facere, nec pati *turpe* duxit: arma in templo Caſtoris, (ô proditor templorum omnium,) vidente te, conſtituebantur ab eo latrone, cui templum illud fuit, te conſule, arx civium perditorum, receptaculum veterum Catilinæ militum, caſtellum forenſis latrocinii, buſtum legum omnium, ac religionum. Erat non ſolùm domus mea, ſed totum Palatium ſenatu, equitibus Roman. civitate omni, Italia cuncta, refertum: cùm tu non modò ad eum Ciceronem (mitto enim domeſtica, quæ negari poſſunt: hæc commemoro, quæ ſunt palàm) non modò, inquam, ad eum, cui primam comitiis tuis dederas tabulam prærogativæ, quem in ſenatu ſententiam rogabas tertium, numquam adſpiraſti: ſed omnibus conſiliis, quæ ad me opprimendum parabantur, non interfuiſti ſolùm, verum etiam crudeliſſimè *præfuiſti*. Mihi verò ipſi coram genero meo, propinquo tuo, 6
quæ dicere auſus es? egere, foris eſſe Gabinium: ſine provincia ſtare non poſſe: ſpem habere à tribuno plebis, ſi tua conſilia cum illo conjunxiſſes, à ſenatu quidem deſperaſſe: hujus te cupiditati obſequi, ſicuti ego feciſſem in collega meo: nihil eſſe, quòd præſidium conſulum implorarem: *ſibi quemque conſulere oportere*. Atque hæc dicere vix audeo. vereor, ne qui ſit, qui iſtius inſignem nequitiam, frontis involutam integumentis, nondum cernat: dicam tamen. ipſe certè agnoſcet, & cum aliquo dolore, flagitiorum ſuorum recordabitur. Meminiſtine, cœnum, cum ad te quinta ferè hora, cum C. Piſone veniſſem, neſcio quo è gurguſtio te prodire, involuto capite, ſoleatum? &, cum iſto ore fœtido tæterrimam nobis popinam inhalaſſes, excuſatione te uti valitudinis, quod diceres, *vinolentus* te quibuſdam medicaminibus ſolere curari? quam nos cauſam cùm

1. *Quam cum Antonio communicavi.*] Nihil diſcrepant libri veteres. propugnat tamen Lambini *commutavi*, Hotomanus lib. VIII. Obſervat. cap. 7.

2. *Conſervatæ reip. ſingulari.*] Ita Pall. & editio vetus, at Lambinus, *reip. teſtimonium dedit, & ſingulari*. vellem ſcire e quibus ſcriptis. nam ipſe tacet.

3. *Poſt L. Metellum & Q. Marcium Coſſ.*] Eſt à P. Manutio, ſive Gab. Faërno, cujus notas aveam videre. prius cuſi, *poſt L. Aurelium & C. Marium*. at Victoriana, poſt *L. Luſcellium & C. Marium*, quomodo item mſſ. noſtri. ſed monuit d. cap. 15. Turnebus, auctore Aſconio, legendum *L. Julium & C. Marium*.

4. *Magiſtros ludos contra S. C. &c.*] Eſt à Turnebo; ſed reſpondent Mſſ. Erfurd. Pal. pr. ac ſec. vulgò erat *magnos*. inepte ut pluribus hauries è Pighio noſtro ad annum v. c. DCXCII. in Faſtis Annal. Rom.

5. *Tu cum* III. *Kalend. Jan. &c.*] Turnebus reponit *in* III. *Kal. Januar.* & quidem è mſſ. quòd cum etiam adnotaſſet Ahala, auſus ſum exhibere quod videtis, ſecutus membranas noſtras. *in* enim facilè migret in III. Hotomanus quidem lib. VIII. Obſerv. cap. 7. improbat hanc emendationem, ſed tamen non enervat argumenta pro Turnebo militantia.

6. *Compitaliorum dies incidiſſent.*] Lambinus ſecutus Manutium *incidiſſet*, ſed nolentibus libris.

7. *Lex Ælia atque Fuſia everſa eſt.*] Pighius noſter in Faſtis ad annum Urbis DXCVII. tentat *legg. Ælia. &c. everſæ*. duæ enim erant leges, ut exiſtimat P. Manutius.

8. *Reſtituta, ſed innum. &c. concitata.*] Haud aliter Pall. omnes, tres ſcilicet pr. ſec. oct. item editio vetus: ne laudem Erfurdienſem codicem à Suffrido conſultum.

9. *Judicium rationemque cenſoriam.*] Turnebus d. cap. iſtud præferebat quomodo publicarat Victorius. malebat Lambinus *notationem*. ſed non adſentiuntur libri. & edd. vett. Palatinique noſtri propugnant iſtud noſtrum, quamvis habeat Manutius *notionem*.

cùm accepiſſemus, (quid enim facere poteramus?) paulliſper ſtetimus in illo ganearum tuarum nidore, atque fumo: unde tu nos cùm improbiſſimè reſpondendo, tum turpiſſimè eructando ejeciſti. Idem illo ferè biduo productus in concionem ab eo, cui ſic æquatum præbebas conſulatum tuum, cùm eſſes interrogatus, quid ſentires de conſulatu meo: gravis auctor, Calatinus credo aliquis, aut Africanus, aut Maximus, & non Cæſoninus, ſemiplacentinus Calventius, reſpondes, altero ad frontem ſublato, altero ad mentum depreſſo ſupercilio, *Crudelitatem tibi non placere.*
7 Hîc te ille homo digniſſimus tuis laudibus collaudavit. Crudelitatis, tu furcifer, ſenatum conſul in concione condemnas? non enim me, qui ſenatui parui. nam relatio illa ſalutaris, & diligens, fuerat conſulis: animadverſio quidem, & judicium, ſenatui. quæ cùm reprehendis, oſtendis, qualis tu, ſi ita fortè accidiſſet, fueris illo tempore conſul futurus. ſtipendio mehercule, & frumento Catilinam eſſe putaſſes *juvandum*. Quid enim interfuit inter Catilinam, & eum, cui tu ſenatus auctoritatem, ſalutem civitatis, totam rempubl. provinciæ præmio vendidiſti? Quæ enim L. Catilinam conantem conſul prohibui, ea P. Clodium facientem conſules adjuverunt. voluit ille ſenatum interficere, vos ſuſtuliſtis: leges incendere, vos abrogaſtis: interire patriam, vos adjuviſtis. Quid eſt, vobis Coſs. geſtum ſine armis? incendere illa conjuratorùm manus voluit urbem: vos ejus domum, quem propter urbs incenſa non eſt. Ac ne illi quidem, ſi habuiſſent veſtri ſimilem conſulem; de urbis incendio cogitaſſent. non enim ſe tectis privare voluerunt: ſed his ſtantibus nullum domicilium ſceleri ſuo fore putaverunt. cædem illi civium, vos ſervitutem expetiſtis. Hîc vos etiam crudeliores. huic enim populo ita fuerat ante vos Coſs. libertas inſita, ut *emori* potius, *quàm ſervire* præſtaret. Illud verò geminum conſiliis Catilinæ, & Lentuli, quod me domo mea expuliſtis, Cn. Pompejum domum ſuam compuliſtis. neque enim, me ſtante, & manente in urbis vigilia, neque reſiſtente Cn. Pompejo, omnium gentium victore, umquam ſe illi rempub. delere poſſe duxerunt. à me quidem etiam pœnas expetiſtis, quibus conjuratorum manes mortuorum expiaretis: omne odium incluſum nefariis ſenſibus impiorum, in me profudiſtis. quorum ego furori niſi ceſſiſſem, in Catilinæ buſto, vobis ducibus, mactatus eſſem. Quod autem majus indicium exſpectatis, nihil inter vos, & Catilinam interfuiſſe, quàm quòd eandem illam manum ex intermortuis Catilinæ reliquiis concitaſtis? quòd omneis undique perditos collegiſtis? quod in me carcerem effudiſtis? quòd conjuratos armaſtis? [1] quòd eorum ferro ac furori meum corpus, atque omnium bonorum vitam objicere voluiſtis? Sed jam redeo ad præclaram illam concionem
8 tuam. Tu es ille, cui crudelitas diſplicet? cui, cum ſenatus luctum, ac dolorem ſuum veſtis mutatione declarandum cenſuiſſet, cùm videres mœrere rempub. ampliſſimi ordinis luctu, ô noſter miſericors, quid facis? quod nulla in barbaria quiſquam tyrannus. omitto enim illud, conſulem edicere, ut ſenatus ſenatuſconſulto ne obtemperet: quo *fœdius* nec fieri, nec cogitari quidquam poteſt. ad miſericordiam redeo ejus, cui nimis videtur ſenatus in conſervanda patria fuiſſe crudelis. Edicere eſt auſus cum illo ſuo pari, quem tamen omnibus vitiis ſuperare cupiebat, ut ſenatus, contrà, quàm ipſe cenſuiſſet, ad veſtitum rediret. Quis hoc fecit ulla in Scythia tyrannus, ut eos, quos luctu afficeret, *lugere non ſineret*? mœrorem relinquis: mœroris aufers inſignia. eripis lacrymas non conſolando, ſed minando. Quòd ſi veſtem non publico conſilio, patres conſcripti, ſed privato officio, aut miſericordia mutaviſſent, tamen id iis non licere per interdicta crudelitatis tuæ, poteſtatis erat non ferendæ. cùm verò id ſenatus frequens cenſuiſſet: ordines reliqui jam antè feciſſent: tu ex tenebricoſa popina conſul extractus, cum illa ſaltatrice tonſa, [2] ſenatum populi Rom. occaſum, atque interitum reip. lugere vetuiſti. At quærebat etiam paullo antè de me, 9
quid ſuo mihi opus fuiſſet auxilio: cur non meis inimicis, meis copiis reſtitiſſem. Quaſi verò non modò ego, qui multis ſæpe auxilio fuiſſem, ſed quiſquam tam inops fuerit umquam, qui, iſto non modò propugnatore, tutiorem ſe, ſed advocato, aut adſtipulatore, paratiorem fore putaret. Ego iſtius pecudis, ac [3] putidæ carnis conſilio ſcilicet, aut præſidio niti volebam? ab hoc ejecto cadavere quidquam mihi aut opis, aut ornamenti expetebam? Conſulem ego tum requirebam, conſulem, inquam, non illum quidem, [4] quem in hoc animali invenire non poſſem, qui tantam reipub. cauſam gravitate, & conſilio ſuo tueretur: ſed qui, tanquam truncus, atque ſtipes, ſi *ſtetiſſet* modo, poſſet ſuſtinere tamen titulum conſulatus. Cum enim eſſet omnis cauſa illa mea conſularis & ſenatoria, auxilio mihi opus fuerat & conſulis, & ſenatus: quorum alterum etiam ad perniciem meam erat à vobis conſulibus converſum: alterum reipub. penitus ereptum. Attamen, ſi conſilium exquiris meum: neque ego ceſſiſſem, & me ipſa ſuo complexu patria tenuiſſet, ſi mihi cum illo buſtuario gladiatore, & tecum, & cum collega tuo decertandum fuiſſet. Alia enim cauſa præſtantiſſimi viri, Q. Metelli, fuit: quem ego civem, meo judicio, cum deorum immortalium laude conjungo: qui C. illi Mario, fortiſſimo viro, & conſuli, & ſextùm conſuli, & ejus invictis legionibus *ne armis confligeret*, cedendum eſſe duxit. Quod mihi igitur certamen eſſet hujuſmodi? cum C. Mario ſcilicet, aut cum aliquo pari, an cum altero, barbato Epicureo, cum altero, [5] Catilinæ laternario? quos neque hercule ego, neque ſupercilium tuum, neque collegæ tui cymbala, ac crotala fugi: neque tam fui timidus, ut, qui in maximis turbinibus ac fluctibus reipub. navem gubernaſſem, ſalvamque in portu collocaſſem, frontis tuæ *nubeculam*, tum collegæ tui contaminatum ſpiritum pertimeſcerem. Alios ego vidi ventos: alios proſpexi animo procellas: aliis impendentibus tempeſtatibus non ceſſi, ſed his unum me pro omnium ſalute obtuli. Itaque diſceſſu tum meo omnes illi nefarii gladii de manibus crudeliſſimis exciderunt: cùm quidem tu, ô vecors, & amens, cùm omnes boni abditi, incluſique mœrerent, templa gemerent, tecta ipſa urbis lugerent, complexus es illud funeſtum animal ex nefariis ſtupris, ex civili cruore, ex omnium ſcelerum importunitate, & flagitiorum impunitate concretum, atque eodem in templo, eodem & loci veſtigio, & temporis, *arbitria* non mei ſolum, ſed patriæ *funeris* abſtuliſti.
Quid ego illorum dierum epulas, quid lætitiam, & gratu- 10
lationem tuam, quid cum tuis ſordidiſſimis gregibus intemperantiſſimas perpotationes prædicem? quis te illis diebus ſobrium, quis agentem aliquid, quod eſſet *libero* dignum, quis denique in publico vidit? cùm collegæ tui domus

1. *Quod eorum ferro ac furori.*] Ita locum ſupplevi è Pal. ſec. atque Turingico. prius aberat, *ac furori.* quod tamen heic appoſitiſſimum eſt.

2. *Senatum populi Rom. occaſum atque interitum reip. lugere.*] Redintegravi locum hunc ex Pall. tribus, quibus accedit editio priſca. itaque non eſt quod quis putet iſtud deberi ingenio Lambini.

3. *Putidæ carnis.*] Non abſurde Petrus Faber *canis*, lib. I. c. II. Semeſtrium. ſed enim ſi retinemus mox ex Iſidoro *majalem*, non videtur abjiciendum *carnis*: ut alluſerit ad proverbium vulgi, *ſui animam pro ſale datam, ne putiſceret*; cujus & alibi meminit noſter.

4. *Quem in hoc majali.*] Non potui contemnere auctoritatem Iſidori ſic laudantis hunc locum libro II. Etymolog. cap. 31. quamvis diſpliceat Hotomano libro VIII. Obſervat. cap. 7.

5. *Catilinæ laternario? &c.*] Turnebus lib. XXI. cap. 18. probat quorundam Codd. ſcripturam, *lantumiario.* Lipſius lib. III. Var. lect. cap. 18. totum locum ſic reſtituendum autumat: *barbaro Epicuro? cum altero Catilina? At timui ais. quos? nempe hercule ego, &c.* Vulgatum exſtat in Pal. pr. niſi quod addita litera exhibeat *lanternario.* nam ſec. *lancernario*, quod etiam in ſuo fortean invenit qui primum has orationes publicavit. expreſſit enim *lancemario.* Pal. oct. habet *lanterario.* Gulielmius conjiciebat *lauto amaſio*, producebatque Tullium pro domo ſua cap. 24. ubi vocat delitias *Catilinæ.*

mus cantu, & cymbalis perſonaret, cumque ipſe nudus in convivio ſaltaret: in quo ne tum quidem, cum illum ſuum ſaltatorium verſaret orbem, *fortunæ rotam* pertimeſcebat. Hic autem non tam concinnus heluo, nec tam muſicus, jacebat in ſuo Græcorum fætore, atque vino. quod quidem iſtius, in illis reip. luctibus, quaſi aliquod Lapitharum, aut Centaurorum convivium ferebatur: in quo nemo poteſt dicere, utrùm iſte plus biberit, aut vomuerit, an effuderit. Tu etiam mentionem facies conſulatus tui? aut te fuiſſe Romæ conſulem dicere audebis? quid? tu IN LICTORIBUS, in toga, & prætexta eſſe conſulatum putas? quæ ornamenta etiam in Sex. Clodio, te conſule, eſſe voluiſti. Hujus tu Clodiani canis inſignibus conſulatum declarari putas? ANIMO conſulem eſſe oportet, conſilio, fide, gravitate, vigilantia, cura; toto denique munere conſulatus [1] omni officio tuendo, maximeque, id quod vis nominis præſcribit, reip. conſulendo. ego conſulem eſſe putem, qui ſenatum eſſe in repub. non putavit? & ſine eo conſilio conſulem numerem, ſine quo Romæ ne reges quidem eſſe potuerunt? Etenim illa jam omitto: cùm ſervorum delectus haberetur in foro; arma in templum Caſtoris luce, & palàm comportarentur: id autem templum, ſublato aditu, revulſis gradibus à conjuratorum reliquiis, atque à Catilinæ prævaricatore quondam, tum ultore, armis teneretur: cùm equites Rom. relegarentur, viri boni lapidibus è foro pellerentur, *ſenatui* non ſolùm juvare remp. ſed ne lugere quidem liceret: cùm civis is, quem hic ordo, aſſentiente Italia, cunctiſque gentibus, conſervatorem patriæ judicarat, nullo judicio, nulla lege, nullo more, ſervitio, atque armis pelleretur, non dicam auxilio veſtro, quod verè licet dicere, ſed certè ſilentio: tum Romæ fuiſſe conſules quiſquam exiſtimabit? Qui latrones igitur, ſi quidem vos conſules? qui prædones, qui hoſtes, qui pro-
11 ditores, qui tyranni nominabuntur? Magnum nomen eſt, magna ſpecies, magna dignitas, magna *majeſtas conſulis:* non capiunt anguſtiæ pectoris tui, non recipit levitas iſta, non egeſtas animi: non infirmitas ingenii ſuſtinet, non inſolentia rerum ſecundarum tantam perſonam, tam gravem, tam ſeveram. Seplaſia mehercle, ut dici audiebam te, ut primùm adſpexit, Campanum conſulem repudiavit. Audierat Decios, Magios, & de Taurea illo Jubellio aliquid acceperat: in quibus ſi moderatio illa, quæ in noſtris ſolet eſſe conſulibus, non fuit: at fuit pompa, fuit ſpecies, fuit inceſſus, ſaltem Seplaſia *dignus*, & Capua. Gabinium denique ſi vidiſſent duumvirum veſtri illi unguentarii: citiùs agnoviſſent. erant illi comti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ, & fluentes, ceruſſatæque buccæ, dignæ Capua: ſed illa vetere. nam hæc quidem, quæ nunc eſt, ſplendidiſſimorum hominum, fortiſſimorum virorum, optimorum civium, mihique amiciſſimorum multitudine redundat. quorum Capuæ te prætextatum nemo adſpexit, qui non gemeret deſiderio mei: cujus conſilio cùm univerſam rempub. tum illam ipſam urbem meminerant eſſe ſervatam. me *inaurata ſtatua* donarant: me patronum unum adſciverant: à me ſe habere vitam, fortunas, liberos arbitrabantur: me & præſentem contra latrocinium tuum ſuis decretis, legatiſque defenderunt, & abſentem, principe Cn. Pompejo referente, & de corpore reipub. tuorum ſcelerum tela revellente, revocarunt. An tu eras conſul, cùm in Palatio mea domus ardebat, non caſu aliquo, ſed *ignibus injectis*, inſtigante te? Ecquod in hac urbe majus umquam incendium fuit, cui non conſul ſubvenerit? At tu illo ipſo tempore apud ſocrum tuam propè à meis ædibus, cujus domum ad meam exhauriendam patefeceras, ſedebas non exſtinctor, ſed auctor incendii, & ardenteis faceis furiis Clodianis pænè ipſe conſul miniſtrabas.
12 An verò reliquo tempore conſulem te quiſquam duxit? quiſquam tibi paruit? quiſquam in curiam venienti aſſurrexit? quiſquam conſulenti reſpondendum putavit? numerandus eſt ille *annus* denique in repub. cùm obmutuiſſet ſenatus, judicia conticuiſſent, mœrerent boni, vis latrocinii veſtri tota urbe volitaret, neque civis unus ex civitate, ſed ipſa civitas tuo, & Gabinii ſceleri, furorique ceſſiſſet? At ne tum quidem emerſiſti, lutulente Cæſonine, ex miſerrimis naturæ tuæ ſordibus, cùm *experrecta tandem virtus* clariſſimi viri, celeriter & verum amicum, & optimè meritum civem, & ſuum priſtinum morem requiſivit: neque eſt ille vir paſſus, in ea republica quam ipſe decorarat, atque auxerat, diutius veſtrorum ſcelerum peſtem morari: cùm tamen ille, qualiſcumque eſt, qui eſt ab uno te improbitate victus, Gabinius, collegit ipſe ſe vix: ſed collegit tamen, & contra ſuum Clodium, primum ſimulate, deinde non libenter; ad extremum tamen pro Cn. Pompejo verè, vehementerque pugnavit. quo quidem in ſpectaculo mira populi Romani æquitas erat. *uter* eorum periſſet, tamquam laniſta, in ejuſmodi pari lucrum fieri putabat: immortalem verò quæſtum, ſi uterque cecidiſſet. Sed ille tamen agebat aliquid: tuebatur auctoritatem ſummi viri. erat ipſe ſceleratus, erat gladiator: cum ſcelerato tamen, & cum pari gladiatore pugnabat. Tu ſcilicet homo religioſus, & ſanctus, fœdus, quod meo ſanguine in pactione provinciarum iceras, frangere noluiſti. caverat enim ſibi ille ſororius adulter, ut, ſi tibi pecuniam, ſi exercitum, ſi pecuniam ereptam ex reip. viſceribus dediſſet, omnium ſuorum ſcelerum ſocium te, adjutoremque præberes. Itaque in illo tumultu fracti faſces: ictus ipſe: quotidie tela, lapides, fugæ: deprehenſus denique cum ferro ad ſenatum is, quem ad Cn. Pompejum interimendum collocatum fuiſſe conſtabat. Et quis audivit non 13
modò actionem aliquam, aut relationem, ſed vocem omnino, aut querelam tuam? Conſulem tum te fuiſſe putas, cujus in imperio, qui rempub. ſenatus auctoritatem ſervarat, [2] idemque in Italia qui omneis omnium gentium parteis tribus triumphis devinxerat, is ſe in *publico* tutò ſtatuit eſſe non poſſe? An tum eratis conſules, cùm, quacumque de re verbum facere cœperatis, aut referre ad ſenatum; cunctus ordo reclamabat, oſtendebatque, nihil eſſe vos acturos, niſi priùs de me retuliſſetis? cùm vos, quamquam fœdere obſtricti tenebamini, tamen cupere vos diceretis, ſed lege impediri? quæ lex privatis hominibus eſſe lex non videbatur, inuſta per ſervos, inciſa per vim, impoſita per latrocinium, ſublato ſenatu, pulſis è foro bonis omnibus, capta repub. contra omneis leges, nullo ſcripta *more*: hanc qui ſe metuere dicerent, conſules, non dicam animi hominum, ſed faſti, ulli ferre poſſunt? Nam, ſi illam legem non putabitis, quæ erat contra omneis leges, indemnati civis, atque integri capitis, bonorumque tribunitia proſcriptio: hac tamen obſtricti pactione tenebamini: quis vos non modò conſules, ſed liberos fuiſſe putet, quorum mens fuerit oppreſſa præmio, lingua adſtricta mercede? Sin illam vos ſoli legem putabitis: quiſquam vos conſules tunc fuiſſe, aut nunc eſſe conſulareis putet, qui ejus civitatis, in qua in principum numero vultis eſſe, non leges, non inſtituta, non mores, non jura *noritis*? An, cùm proficiſcebamini paludati in provincias vel emtas, vel ereptas, conſules vos quiſquam putavit? Itaque, credo, ſi minùs frequentia ſua veſtrum egreſſum ornando, atque celebrando: *at ominibus ſaltem bonis*, ut conſules: non triſtiſſimis, ut hoſteis, aut proditores proſequebantur. Tune etiam, immaniſſimum, ac fœdiſſi- 14
mum monſtrum, auſus es meum diſceſſum illum, teſtem ſceleris, & crudelitatis tuæ, maledicti & contumeliæ loco ponere? Quo quidem tempore cepi, P. C. fructum immortalem veſtri in me, & amoris, & judicii; qui non admurmu-

1. *Omni officio tuendo, maximeque, id quod vis nominis ipſa præſcribit reipubl. conſulendo.*] Hæc verba omnia nunc primum Ciceroni accedunt, eruta e Pal. ſec. neque longe aliter codex Turingicus, ut & prodidit Gulielmius noſter cap. v. ad Truculentum Planti.

2. *Idemque in Italia qui omnes.*] Egregiè conjicit Gulielmius; *fidemque in Italia, qui omnes.*

3. Cum

murmuratione, ſed voce, & *clamore*, abjecti hominis, & ſemivivi furorem, petulantiamque fregiſtis. Tu luctum ſenatus, tu deſiderium equeſtris ordinis, tu ſqualorem Italiæ, tu curiæ taciturnitatem annuam, tu ſilentium perpetuum judiciorum, ac fori, tu cetera illa in maledicti loco pones, quæ meus diſceſſus reip. vulnera inflixit: Qui ſi calamitoſiſſimus fuiſſet: tamen miſericordia dignior, quàm contumelia: & cum gloria potius eſſe conjunctus, quam cum probro putaretur: atque ille, dolor meus duntaxat, veſtrum quidem ſcelus, ac dedecus haberetur. [1] cùm verò (forſitan hoc, quod dicturus ſum, mirabile auditu eſſe videatur, ſed certe id dicam, quod ſentio) cùm tantis à vobis, P.C. beneficiis affectus ſim, tantis honoribus non modò illam *calamitatem* eſſe non duco: ſed, ſi quid mihi poteſt à repub. eſſe ſejunctum, quod vix poteſt: privatim ad meum nomen augendum, optandam duco mihi fuiſſe illam, expetendamque fortunam. Atque, ut tuum lætiſſimum diem cum triſtiſſimo meo conferam, utrùm tandem bono viro, & ſapienti optabilius putas, ſic exire à patria, ut omnes ſui cives ſalutem, incolumitatem, reditum precentur, quod mihi accidit: an, quod tibi proficiſcenti evenit, ut omnes exſecrarentur, malè precarentur, unam tibi illam viam, & *perpetuam* eſſe vellent? Mihi medius fidius in tanto omnium mortalium odio, juſto præſertim, & debito, quævis fuga potiùs, quàm ulla
15 provincia eſſet optatior. Sed perge porro. nam ſi illud meum turbulentiſſimum tempus profectionis, tuo tranquilliſſimo præſtat, quid conferam reliqua, quæ in te dedecoris plena fuerunt, in me dignitatis? Me Kalendis Jan. qui dies poſt obitum, occaſumque noſtrum reipub. primus illuxit, frequentiſſimus ſenatus, concurſu Italiæ, referente clariſſimo, atque fortiſſimo viro, P. Lentulo, [2] conſentiente populo Roman. atque *una voce* revocavit. me idem ſenatus exteris nationibus, me legatis, magiſtratibuſque noſtris auctoritate ſua, conſularibus litteris, [3] non, ut tu Inſuber dicere auſus es, orbatum patria, ſed ut ſenatus illo ipſo tempore appellavit, civem conſervatorem reipub. commendavit. ad meam unius ſalutem ſenatus auxilium omnium civium cuncta ex Italia, qui rempubl. ſalvam eſſe vellent, conſulis voce, & litteris implorandum putavit. mei capitis ſervandi cauſa Romam uno tempore, *quaſi ſigno dato*, Italia tota convenit. de mea ſalute, P. Lentuli, præſtantiſſimi viri, atque optimi conſulis, Cn. Pompeii, clariſſimi, atque invictiſſimi civis, ceterorumque principum, celeberrimæ, & gratiſſimæ conciones fuerunt. de me ſenatus ita decrevit, Cn. Pompejo auctore, & ejus ſententiæ principe, UT, SI QUIS impediſſet reditum meum, in hoſtium numero putaretur: iiſque verbis ea de me ſenatus auctoritas declarata eſt, ut nemini ſit triumphus honorificentiùs, quàm mihi ſalus, reſtitutioque perſcripta. de me, cùm omnes magiſtratus promulgaſſent, præter unum prætorem, à quo non fuit *poſtulandum*, fratrem inimici mei, prærerque duos de lapide emtos tribunos plebis, legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus conſul de collegæ Q. Metelli ſententia: quem mecum eadem reſpublica, quæ in tribunatu ejus disjunxerat, in conſulatu, virtute optimi, ac juſtiſſimi viri, ſapientiaque, conjunxit. Quæ lex quemadmodum accepta ſit, quid me attinet dicere? ex vobis audio, nemini civi ullam, quo minus adeſſet, ſatis juſtam excuſationem eſſe viſam: nullis comitiis umquam multitudinem hominum tantam, neque ſplendidiorem fuiſſe: hoc certè video, quod indicant tabulæ publicæ, vos rogatores, [4] vos diſtributores, vos cuſtodes fuiſſe tabularum: &, quod in honoribus veſtrorum *propinquorum* non tacitis vel ætatis excuſatione, vel honoris, id in ſalute mea,
16 nullo rogante, vos veſtra *ſponte* feciſtis. Confer nunc, Epicure noſter, ex hara producte, non ex ſchola, confer, ſi audes, abſentiam tuam, cum mea. Obtinuiſti provinciam conſularem finibus iis, quos *lex cupiditatis* tuæ, non quos lex generi tui pepigerat. nam lege Cæſaris juſtiſſima, atque optima, populi liberi, planè, & verè erant liberi? lege autem ea, quam nemo legem, præter te, & collegam tuum, putavit, omnis erat tibi Achaja, Theſſalia, Athenæ, cuncta Græcia addicta. habebas exercitum tantum, quantum tibi non ſenatus, aut populus Rom. dederat, ſed quantum tua libido conſcripſerat. ærarium exhauſeras. Quas res geſſiſti in imperio, exercitu, provincia conſulari? quas res geſſerit, quæro? qui ut venit ſtatim (nondum commemoro rapinas, nondum exactas pecunias, non captas, non imperatas, non neces ſociorum, non cædem hoſpitum, non perfidiam, non immanitatem, non *ſcelera* prædico: mox, ſi videbitur, ut cum fure, ut cum ſacrilego, ut cum ſicario, diſputabo: nunc meam ſpoliatam fortunam conferam cum florente fortuna imperatoris.) Quis umquam provinciam cum exercitu obtinuit, qui nullas ad ſenatum litteras miſerit? tantam verò provinciam cum tanto exercitu, Macedoniam præſertim, quæ tantis barbarorum gentibus attingitur, ut ſemper Macedonicis imperatoribus iidem fines provinciæ fuerint, qui *gladiorum*, atque pilorum: ex qua aliquot prætorio imperio, conſulari quidem nemo rediit, qui incolumis fuerit, qui non triumpharit. eſt hoc novum: multo illud magis. appellatus eſt hic vulturius illius provinciæ (ſi diis placet) *imperator*. Ne 17
tum quidem, Paulle noſter, tabulas Romam cum laurea mittere audebas? Miſi, inquit. Quis umquam recitavit? quis, ut recitarentur, poſtulavit? nihil enim mea refert, utrùm tu, conſcientia oppreſſus ſcelerum tuorum, nihil umquam auſus ſis ſcribere ad eum ordinem, quem deſpexeras, quem afflixeras, quem deleveras: an amici tui tabulas abdiderint, iidemque *ſilentio* ſuo temeritatem, atque audaciam tuam condemnarint. Atque haud ſcio, an malim, te videri nullo pudore fuiſſe in litteris mittendis, an amicos tuos plus habuiſſe & pudoris, & conſilii, quàm aut te videri pudentiorem fuiſſe, quàm ſoles, aut tuum factum non eſſe condemnatum judicio amicorum. Quòd ſi non tuis nefariis in hunc ordinem contumeliis in perpetuum tibi curiam præcluſiſſes: quid tandem erat actum, aut geſtum in illa provincia, de quo ad ſenatum cum *gratulatione* aliqua ſcribi abs te oporteret? vexatio Macedoniæ? an oppidorum turpis amiſſio? an ſociorum direptio? an agrorum depopulatio? an munitio Theſſalonicæ? an obſeſſio militaris viæ? an exercitus noſtri interitus, ferro, fame, frigore, peſtilentia? Tu verò, qui ad ſenatum nihil ſcripſeris: ut in urbe nequior inventus es, quàm Gabinius, ſic in provincia paullo tamen, quàm ille, demiſſior. nam ille gurges, atque heluo, *natus abdomini* ſuo, non laudi, atque gloriæ, cùm equites Rom. in provincia, cùm publicanos, nobiſcum & voluntate, & dignitate conjunctos, omneis fortunis, multos fama, vitaque privaſſet, cùm egiſſet aliud nihil in illo exercitu, niſi ut urbeis depopularetur, agros vaſtaret, exhauriret domos: auſus eſt (quid enim ille non auderet?) à ſenatu ſupplicationem per litteras poſtulare.
18 O dii immortales! tune etiam, atque adeò vos, geminæ voragines, ſcopulique reip. vos meam fortunam deprimitis? veſtram extollitis? cùm de me ea ſenatuſconſulta abſente facta ſint, eæ conciones habitæ, is motus fuerit municipiorum, & coloniarum omnium, ea decreta publicanorum, ea collegiorum, ea denique generum, ordinumque omnium, quæ ego non modò *optare* numquam auderem, ſed cogitare non poſſem? vos autem ſempiternas fœdiſſimæ turpitudinis notas ſubieritis? An ego, ſi te, & Gabinium cruci ſuffixos viderem, majore afficerer lætitia ex corporis veſtri laceratione, quàm afficior ex infamia? NUL-

LUM

1. *Cum verò : forſitan, &c.*] Sic. Paul Manutius, reſpondetque Pal. ſec. atque oct.

2. *Conſentiente populo Rom.*] Noſtri ſcripti habent illud *populo Rom.* quod Lambinus ejecit cum Faërno. Gulielmius mutabat in *populi Rom.*

3. *Non ut tu Inſuber, &c.*] Manavit a conjectura Turnebi, cum reperiſſet in mſſ *inſuper*; quod editi male mutarant in *mox* ſive *nuper*.

4. *Vos diſtributores.*] Nihil variant mei libri: itaque non accepi proditum Turnebo lib. XXI. cap. 15. *diribitores*, quod item omnium libros occupat.

1. Nulla

LUM eſt ſupplicium putandum, quo affici caſu aliquo etiam boni viri, forteſque poſſunt. Atque hoc quidem etiam iſti tui dicunt voluptarii, Græci: quos utinam ita audires, ut erant audiendi. numquam te in tot flagitia ingurgitaſſes. verùm audis in præſepibus: audis in ſtupris: audis in cibo, & vino. Sed dicunt iſti ipſi, qui mala dolore; bona voluptate definiunt, SAPIENTEM, etiam ſi in Phalaridis tauro incluſus, ſuccenſis ignibus torreatur, dicturum tamen, *ſuave illud eſſe*, ſeſeque ne tantulum quidem commoveri. tantam virtutis eſſe vim voluerunt, ut non poſſet umquam eſſe vir bonus non beatus. Quæ eſt igitur pœna? quod ſupplicium? Id mea ſententia, quod accidere nemini poteſt, niſi *nocenti*, ſuſcepta fraus, impedita, & oppreſſa mens conſcientia, bonorum omnium odium, [1] nota juſti ſenatus, amiſſio dignitatis.
19 Nec mihi ille M. Regulus, quem Karthaginienſes, reſectis palpebris, illigatum in machina, vigilando necaverunt, ſupplicio videtur affectus: nec C. Marius, quem Italia ſervata ab illo, demerſum in Minturnenſium paludibus, Africa devicta ab eodem, expulſum, & naufragum vidit. fortunæ enim iſta tela ſunt, non culpæ: *ſupplicium* autem, eſt pœna peccati. neque verò ego, ſi umquam vobis mala precarer, quod ſæpe feci, in quo dii immortales meas preces audiverunt, morbum, aut mortem, aut cruciatum precarer. Thyeſtea iſta exſecratio eſt, poëtæ, vulgi animos, non ſapientum, moventis:

Ut tu naufragio expulſus, uſpiam ſaxis fixus aſperis,
[2] *Eviſceratus latere penderes* (ut ait ille) *ſaxa ſpargens tabo, Sanie, ſanguine atro.* -----

Non ferrem omnino moleſtè, ſi ita accidiſſet: ſed id tamen eſſet humanum. M. Marcellus, qui ter conſul fuit, ſumma virtute, pietate, gloria militari, periit in mari: qui tamen ob virtutem *gloriæ laude vivit.* in fortuna quadam eſt illa mors, non in pœna, putanda. Quæ eſt igitur pœna? quod ſupplicium? quæ ſaxa? quæ cruces? [3] Ecce, duos duces in provinciis populi Rom. habere exercitus, appellari imperatores: horum alterum ſic fuiſſe infirmatum *conſcientia ſcelerum*, & fraudum ſuarum, ut ex ea provincia, quæ fuerit ex omnibus una maximè triumphalis, nullas ſit ad ſenatum litteras mittere auſus. Ex qua provincia modò vir omni dignitate ornatiſſimus, L. Torquatus, magnis rebus geſtis, me referente, abſens imperator ſit appellatus: unde his paucis annis Cn. Dolabellæ, C. Curionis, M. Luculli juſtiſſimos triumphos vidimus, ex ea, te imperatore, nuntius ad ſenatum allatus eſt nullus. ab altero allatæ litteræ, recitatæ, relatum ad ſenatum. Dii immortales! idne ego optarem, ut inimicus meus, ea, qua nemo umquam, ignominia notaretur? ut ſenatus is, qui in eam jam benignitatis *conſuetudinem* venit, ut eos, qui bene rempub. geſſerint, novis honoribus afficiat, & numero dierum, & genere verborum: hujus unius litteris nuntiantibus non
20 crederet? poſtulantibus denegaret? His ego rebus paſcor, his delector, his perfruor: quòd de vobis hic ordo opinatur non ſecus, ac de tæterrimis hoſtibus: quòd vos equites Rom. quòd ceteri ordines, quòd cuncta civitas odit; quòd nemo bonus, nemo denique civis eſt, qui modò ſe civem eſſe meminerit, qui vos non oculis fugiat, auribus reſpuat, animo aſpernetur, recordatione denique ipſa conſulatus veſtri *perhorreſcat.* Hæc ego ſemper de vobis expetivi, hæc optavi, hæc precatus ſum. plura etiam acciderunt, quàm vellem. nam, ut amitteretis exercitum, numquam mehercule optavi. illud etiam accidit præter optatum meum: ſed valde ex voluntate. mihi enim non venerat in mentem, furorem, & inſaniam optare vobis, in quam incidiſtis. Atqui fuit optandum. me tamen fugerat, deorum immortalium has eſſe *in impios*, & conſceleratos pœnas certiſſimas conſtitutas. Nolite enim putare, P.C. ut in ſcena videtis, homines conſceleratos impulſu deorum terreri Furiarum tædis ardentibus. SUA QUEMQUE fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, ſua audacia de ſanitate, ac mente deturbat. hæ ſunt impiorum furiæ, hæ flammæ, hæ faces. Ego te non vecordem, non furioſum, non mente captum, non tragico illo Oreſte, aut Athamante dementiorem putem, qui ſis auſus primùm facere (nam id eſt caput) deinde paullo antè, Torquato, graviſſimo, & ſanctiſſimo viro, premente, confiteri, te provinciam Macedoniam, in quam tantum exercitum tranſportaſſes, ſine ullo milite reliquiſſe? Mitto de amiſſa maxima parte exercitus. ſit hoc infelicitatis tuæ. dimittendi verò exercitus quam potes afferre *cauſam*? quam poteſtatem habuiſti? quam legem? quod ſenatuſconſultum? quod jus? quod exemplum? [4] Quid eſt aliud FURERE, non cognoſcere homines, non cognoſcere leges, non ſenatum, non civitatem? cruentare corpus ſuum? major hæc eſt vitæ, famæ, ſalutis ſuæ vulneratio. Si familiam tuam dimiſiſſes, quod ad neminem, niſi ad ipſum te, pertineret, amici te tui conſtringendum putarent. præſidium tu populi Rom. *cuſtodiam provinciæ*, injuſſu populi, ſenatuſque dimiſiſſes, ſi tuæ mentis compos fuiſſes? Ecce tibi 21
alter, effuſa jam maxima præda, quam ex fortunis publicanorum, ex agris, urbibuſque ſociorum exhauſerat, [5] cùm partim ejus prædæ profundæ libidines devoraſſent, partim nova quædam, & inaudita luxuries, partim etiam in illis locis, ubi omnia diripuit, emtiones, partim permutationes ad hunc Tuſculanum montem exſtruendum; [6] cùm jam egeret, cùm illa ejus immenſa, & intolerabilis ædificatio conſtitiſſet: ſe ipſum, faſceis ſuos, exercitum populi Rom. numen, interdictumque deorum immortalium, reſponſa ſacerdotum, auctoritatem ſenatus, juſſa populi, nomen ac dignitatem imperii, regi Ægyptio vendidit. Cùm fineis provinciæ tantos haberet, quantos voluerat, quantos optaverat, quantos mei capitis pretio, periculoque emerat: his ſe tenere non potuit. exercitum eduxit ex Syria. Quî licuit *extra provinciam?* Tribuit ſe mercenarium comitem regi Alexandrino. Quid hoc turpius? in Ægyptum venit: ſigna contulit cum Alexandrinis. Quando hoc bellum, aut hic ordo, aut populus ſuſceperat? Cepit Alexandriam. Quid aliud exſpectamus à furore ejus, niſi ut ad ſenatum tantis de rebus geſtis litteras mittat? Hic ſi mentis eſſet ſuæ, niſi pœnas patriæ, diiſque immortalibus eas, quæ graviſſimæ ſunt, furore, atque inſania penderet: auſus eſſet (mitto exire de provincia) educere exercitum, *bellum ſua ſponte gerere*, in regnum injuſſu populi, aut ſenatus accedere? quæ cùm plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia majeſtatis, Julia de pecuniis repetundis, planiſſimè vetant: ſed hæc omitto. Ille, ſi non acerrimè fureret, auderet, quam provinciam P. Lentulus amiciſſimus huic ordini, cùm & auctoritate ſenatus, & ſorte haberet, interpoſita religione ſine ulla dubitatione depoſuiſſet, eam ſibi tum aſciſcere, cùm, etiam ſi religio non impediret, *mos majorum* tamen, & exempla, & graviſſimæ legum pœnæ vetarent? Sed, quoniam fortunarum contentionem facere 22
cœpimus: de reditu Gabinii omittamus: quem etſi ſibi ipſi præcidit, ego tamen os ut videam hominis, exſpecto. Tuum, ſi placet, reditum cum meo conferamus. Ac meus quidem is fuit, ut à Brunduſio uſque Romam agmen perpetuum

1. *Nota juſti ſenatus.*] Lambinus recepit conjecturam Faërni; *nota inuſta a ſenatu.* at mihi magis placet quod invenit in vett. libris, *nota juſta ſenatus.*

2. *Eviſceratus latere penderes.*] Conjicit Gulielmius *lacerè.*

3. *Ecce, duos duces in provinciis, &c.*] Pal. ſec. *duo duces*, ſcriptura & declinatio e veteri.

4. *Quid eſt aliud furere, non cognoſcere, &c.*] Obſecutus Pall. abjeci dictionem *niſi*, quæ in eis non comparebat, ut neque in edd. ultimæ antiquitatis. abfuiſſe & aliorum ſcriptis, hauriamus ex notis Lambini.

5. *Cum partim ejus prædæ profundæ libid. devor.*] Etiam noſtri mſſ. agnoſcunt *prædam.* ſed quid hoc? videtur ea vox ſimul cum præcedenti exturbanda, tanquam adſuta a librariis, ut & viſum Gulielmio.

6. *Cum jam egeret.*] Tres hæ voces viſuntur in Manutianis & Lambinianis. ſed non invenio in Pall. aut edd. vett. manarunt forſan a Faërno. iidem mox etiam *præferunt intermiſſa* pro *immenſa.*

1. *Patres*

petuum totius Italiæ viderem. neque enim regio fuit ulla, neque municipium, neque præfectura, aut colonia, ex qua non publicè ad me venerint gratulatum. Quid dicam adventus meos? quid effuſiones hominum ex oppidis? quid concurſum ex agris patrum familiâs cum conjugibus, ac liberis? quid eos dies, qui, quaſi deorum immortalium *feſti*, ac ſollemnes, ſunt adventu meo, redituque celebrati? Unus ille dies mihi quidem immortalitatis inſtar fuit, quo in patriam redii, cùm ſenatum egreſſum vidi, populumque Rom. univerſum, cùm mihi ipſa Roma propè convulſa ſedibus ſuis, ad complectendum conſervatorem ſuum procedere viſa eſt. quæ me ita accepit, ut non modò omnium generum, ætatum, ordinum omnes viri, ac mulieres, omnis fortunæ, ac loci: ſed etiam mœnia ipſa viderentur, & tecta urbis, ac templa *lætari*. Me conſequentibus diebus in ea ipſa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, pontifices, conſules, [1] patres conſcripti collocaverunt, mihique, quod ante me nemini, *pecunia publica* ædificandam domum cenſuerunt. Habes reditum meum. Confer nunc viciſſim tuum, quandoquidem, amiſſo exercitu, nihil incolume domum, præter os illud priſtinum tuum, retuliſti: qui primùm, quà veneris cum laureatis tuis lictoribus, quis ſcit? quos tum Mæandros, dum omneis ſolitudines perſequeris, quæ diverticula, flexionéſque quæſiſti? quod te municipium vidit? quis amicus invitavit? quis hoſpes adſpexit? nonne tibi *nox erat pro die*? non ſolitudo pro frequentia? caupona pro oppido? non ut redire ex Macedonia nobilis imperator, ſed ut mortuus infamis referri videretur? Ro-
23 mam verò ipſam fœdavit adventus tuus. O familiæ non dicam Calpurniæ, ſed Calventiæ: neque hujus urbis, ſed Placentini municipii: neque paterni generis, ſed *braccatæ* cognationis dedecus, quemadmodum veniſti? quis tibi, non dicam horum, aut civium ceterorum, ſed tuorum legatorum obviam venit? mecum enim L. Flaccus, vir tua legatione indigniſſimus, atque iis conſiliis, quibus mecum in conſulatu meo conjunctus fuit ad conſervandam remp. dignior, mecum fuit tum, cùm te quidam non longè à porta cum lictoribus errantem viſum eſſe narrabat. ſcio item virum fortem in primis, belli ac rei militaris peritum, familiarem meum, Q. Marcium, quorum tu legatorum prœlio imperator appellatus eras, [2] cùm non longè abfuiſſes, adventu iſto tuo domi fuiſſe otioſum. Sed quid ego enumero, qui tibi obviam non venerint? qui dico veniſſe pænè neminem, ne de *officioſiſſima* quidem natione candidatorum, cùm vulgò eſſent & illo ipſo, & multis antè diebus admoniti, & rogati. Togulæ lictoribus ad portam præſtò fuerunt: quibus illi acceptis, ſagula rejecerunt, & catervam imperatori ſuo novam præbuerunt. Sic iſte, tanto exercitu, tanta provincia, triennio pòſt, *Macedonicus imperator*, in urbem ſe intulit, ut nullius negotiatoris obſcuriſſimi reditus umquam fuerit deſertior. in quo me tamen, qui eſſet paratus ad ſe defendendum, reprehendit. cùm ego Cœlimontana porta introiſſe dixiſſem, [3] ſponſione me, ni Eſquilina introiſſet, homo promtiſſimus laceſſivit: quaſi verò id aut ego ſcire debuerim, [4] ut veſtrûm quiſpiam audierit; aut ad rem pertineat, qua tu porta introieris, modò ne *triumphali*: quæ porta Macedonicis ſemper proconſulibus ante te patuit. tu inventus es, qui conſulari imperio
24 præditus, ex Macedonia non triumphares. At audiſtis, P. C. philoſophi vocem. negavit, ſe *triumphi cupidum* umquam fuiſſe. O ſcelus, ô peſtis, ô labes! cùm exſtinguebas ſenatum, vendebas auctoritatem hujus ordinis, addicebas tribuno pleb. conſulatum tuum, remp. evertebas, prodebas caput & ſalutem meam una mercede provinciæ: ſi triumphum non cupiebas, cujus tandem rei te cupiditate arſiſſe defendes? ſæpe enim vidi, qui & mihi, & ceteris cupidiores provinciæ viderentur, triumphi nomine tegere, atque *velare cupiditatem* ſuam. Hoc modò D. Silanus conſul in hoc ordine, hoc meus etiam collega dicebat. neque enim quiſquam poteſt exercitum cupere, aperteque petere, ut non prætexat cupiditatem triumphi. Quòd ſi te ſenatus, populuſque Rom. aut non appetentem, aut etiam recuſantem, bellum ſuſcipere, exercitum ducere coëgiſſet: tamen erat anguſti animi, atque demiſſi, [5] juſti triumphi honorem, atque dignitatem contemnere. nam, UT LEVITATIS eſt, inanem aucupari rumorem, ut omneis umbras etiam falſæ gloriæ conſectari: ſic levis eſt animi, lucem ſplendoremque fugientis, juſtam gloriam, qui eſt fructus veræ virtutis honeſtiſſimus, repudiare. Cùm verò non modò non poſtulante, atque cogente, ſed invito, atque oppreſſo ſenatu, non modò nullo populi Rom. ſtudio, ſed nullo ferente ſuffragium libero, provincia tibi iſta manupretium fuerit [6] non everſæ per te, ſed perditæ civitatis: cumque omnium tuorum ſcelerum hæc *pactio* exſtiterit, ut, ſi tu totam rempub. nefariis latronibus tradidiſſes, Macedonia tibi ob eam rem, quibus tu finibus velles, redderetur: cùm exhauriebas ærarium: cùm orbabas Italiam juventute: cùm mare vaſtiſſimum hieme tranſibas: ſi triumphum contemnebas, quæ te, prædo amentiſſime, niſi prædæ, ac rapinarum cupiditas tam cæca rapiebat? Non eſt integrum Cn. Pompejo, conſilio jam uti tuo. erravit enim. non guſtarat iſtam tuam philoſophiam. ter jam homo ſtultus triumphavit. Craſſe, pudet me tui. quid eſt, quòd confecto formidoloſiſſimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris à ſenatu? P. Servili, Q. Metelle, C. Curio, P. Africane, cur non hunc audiſtis tam doctum hominem, tam eruditum, prius quàm in iſtum errorem induceremini? C. ipſi Pomtino, neceſſario meo, jam non eſt integrum. religionibus enim ſuſceptis impeditur. O ſtultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos! ô amentem Paullum, ruſticum Marium, nullius conſilii patres iſtorum amborum conſulum, qui triumpharunt! Sed, quoniam præterita mutare non 25
poſſumus, quid ceſſat hic homullus, ex argilla, & luto fictus Epicureus, dare [7] hæc præclara præcepta ſapientiæ, clariſſimo, & ſummo imperatori, genero ſuo? [8] fertur ille vir, mihi crede, gloria: flagrat, ardet cupiditate juſti, & magni triumphi. non didicit eadem iſta, quæ tu. mitte ad eum libellum. ſed jam, ſi ipſe coram congredi poteris, meditare, quibus verbis incenſam illius cupiditatem comprimas, atque reſtinguas. valebis apud hominem volitantem gloriæ cupiditate, vir moderatus, & conſtans, apud indoctum eruditus, apud generum ſocer. dices enim, ut es homo facetus, ad perſuadendum concinnus, perfectus, politus è ſchola: QUID EST CÆSAR, quòd te ſupplicationes toties decretæ, tot dierum, tantoperè delectent? in quibus homines errore dúcuntur: quas dii negligunt: qui (ut noſter ille divinus dixit Epicurus) *neque propitii cuiquam eſſe ſolent, neque irati*. Non facies fidem ſcilicet, cùm hæc

---

1. *Patres conſcripti collocaverunt.*] Ita quoque Pall. editioque vetus, ſed litteris duabus *P. C.* quod ſequentes male mutarunt in *prætores*.

2. *Cùm non longè abfuiſſes.*] Immiſi negativam fide Pall. editionumque vett. neotericæ abjecerant.

3. *Sponſione me, ni Eſquilina introiſſet, homo promptiſſimus, &c.*] Eſt à libris Faërni, quibus accedunt utcunque Pall. certè non omninò exprimunt illud vulgo antea receptum, *reſponſione me inimica, Eſq. introiſſe, &c.*

4. *Ut veſtrûm quiſpiam audierit.*] Vulgata, prius *aut veſtrum*, quæ & Faërnum vexavit, & Lambinum. noſtra eſt è Pall. illo ſecundo, ſententia aperta.

5. *Juſti triumphi honorem.*] Extat & vox *juſti*, in Erfurd. ejuſque loco erat in Pal. ſec. *juſſi*. editionibus remotioribus deeſt. primum invexit Faërnus.

6. *Non everſæ per te, ſed perditæ.*] Turnebus lib. XXI. cap. 15. Adverſar. mallet *proditæ*.

7. *Hæc præclara præcepta ſapientiæ.*] Pal. pr. *hac paratæ pr.* forſan non male; niſi aliud quid ſubſit. nam ſec. & Turing. *paratæ clara.* oct. *parare clare.*

8. *Fertur ille vir mihi, &c.*] Lambinus cuperet *fervet*. at plus eſt. certè longè aliud, *fervere gloria*, & *ferri gloriâ*, hoc eſt, duci, agi, rapi.

1. *Deus*

hæc diſputabis. tibi enim & eſſe, & fuiſſe [1] deos videbis iratos. Vertes te ad alteram ſcholam: diſſeres de triumpho. Quid tandem habet iſte currus? quid vincti ante currum duces? quid ſimulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis, & tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? inania ſunt iſta, mihi crede, delectamenta pæne puerorum, captare plauſus, vehi per urbem, conſpici velle. quibus ex rebus nihil eſt, quod ſolidum tenere: nihil, quod referre ad voluptatem corporis poſſis. Quin tu me vides, qui, ex qua provincia T. Flamininus, L. Paullus, Qu. Metellus, T. Didius, innumerabiles alii, levi cupiditate commoti, triumpharunt, ex ea ſic redii, ut ad portam Eſquilinam, Macedonicam lauream conculcarim; ipſe cum hominibus quindecim malè veſtitis ad portam Cœlimontanam ſitiens pervenerim? quo in loco mihi libertus, præclaro imperatori, domum ex hac die biduo antè conduxerat: quæ vacua ſi non fuiſſet, in campo Martio mihi tabernaculum collocaſſem. nummus interea mihi, Cæſar, neglectis [2] vehiculis triumphalibus domi manet, & manebit. rationes ad ærarium retuli continuò, ſicut tua lex jubebat: neque alia ulla in re legi tuæ parui. quas rationes ſi cognoris: intelliges, nemini plus, quam mihi, *litteras profuiſſe*. ita enim ſunt perſcriptæ ſcitè, & litteratè, ut ſcriba, ad ærarium qui eas retulit, perſcriptis rationibus, ſecum ipſe, caput ſiniſtra manu perfricans, commurmuratus ſit, *Ratio quidem hercle apparet*, [3] *argentum οἴχεται*. Hac tu oratione non dubito, quin illum jam ad-
26 ſcendentem in currum poſſis revocare. O tenebræ, ô lutum, ô ſordes, ô paterni generis oblite, materni vix memor! ita neſcio quid iſtuc fractum, humile, demiſſum, ſordidum, inferius etiam eſt, quàm ut Mediolanenſi præcone, avo tuo dignum eſſe videatur. L. Craſſus, homo ſapientiſſimus noſtræ civitatis, ſpiculis propè ſcrutatus eſt Alpeis: ut, ubi hoſtis non erat, ibi triumphi *cauſam* aliquam quæreret. Eadem cupiditate vir ſummo ingenio præditus, C. Cotta, nullo certo hoſte, flagravit, eorum neuter triumphavit, quòd alteri illum honorem collega; alteri mors ademit. Irriſa abs te paullo antè M. Piſonis cupiditas triumphandi, à qua te longè dixiſti abhorrere. qui etiam ſi minùs magnum bellum geſſerat, ut abs te dictum eſt, tamen iſtum honorem contemnendum non putavit. Tu eruditior, quàm Piſo, prudentior, quàm Cotta, abundantior conſilio, ingenio, ſapientia, quàm Craſſus, ea contemnis, quæ illi *idiotæ*, ut tu appellas, præclara duxerunt. Quòd ſi reprehendis, quòd cupidi laureæ fuerint, cùm bella aut parva, aut nulla geſſiſſent: tu, tantis nationibus ſubactis, tantis rebus geſtis, minimè fructum laborum tuorum, præmia periculorum, *virtutis inſignia*, contemnere debuiſti. neque verò contemſiſti, [4] licet Themiſta ſapientior, [5] ſi os tuum ferreum ſenatus convicio verberari noluiſti. Jam vides, quandoquidem ita mihimet fui inimicus, ut me tecum compararem, & degreſſum meum, & abſentiam, & reditum ita longè tuo præſtitiſſe, ut mihi illa omnia immortalem gloriam dederint, tibi ſempiternam turpitudinem inflixerint. nunc etiam in hac quotidiana, aſſidua, urbanaque vita ſplendorem tuum, gratiam, celebritatem domeſticam, operam forenſem, conſilium, auxilium, auctoritatem, ſententiam ſenatoriam nobis, aut, ut veriùs dicam, cuiquam es infirmiſſimo, ac deſperatiſſimo antelaturus? Agè, ſenatus odit te, quod eum tu face- 27
re jure concedis, [6] afflictorem, & perditorem non modò dignitatis, & auctoritatis, ſed omnino ordinis, ac *nominis* ſui: videre equites Romani, non poſſunt, quo ex ordine vir præſtantiſſimus, L. Ælius, eſt, te conſule, relegatus: plebs Romana perditum cupit, in cujus tu infamiam ea, quæ per latrones, & per ſervos de me egeras, contuliſti: Italia cuncta exſecratur, cujus idem tu ſuperbiſſimè decreta, & preces repudiaſti. Fac hujus odii tanti, ac tam univerſi periculum, ſi audes. Inſtant poſt hominum memoriam apparatiſſimi, magnificentiſſimique ludi, quales non modò numquam fuerunt, ſed ne quomodo fieri quidem poſthac poſſint, poſſum ullo pacto ſuſpicari. Da te populo, committe ludis. ſibilum metuis? ubi ſunt veſtræ ſcholæ? ne acclametur? ne id quidem eſt curare philoſophi. manus tibi ne afferantur, times. dolor enim eſt malum, ut diſputas: exiſtimatio, dedecus, infamia, turpitudo, verba ſunt, atque ineptiæ. Sed de hoc non dubito. non audebit accedere ad ludos. convivium publicum non dignitatis gratia inibit ([7] niſi fortè, ut cum P. Clodio, hoc eſt, cum *amoribus* ſuis cenet) ſed planè animi ſui cauſa. ludos nobis idiotis relinquet. ſolet enim in diſputationibus ſuis, oculorum, & aurium delectationi abdominis voluptates anteferre. nam, quòd vobis iſte tantummodò improbus, crudelis olim furunculus, nunc verò etiam rapax, quòd ſordidus, quòd contumax, quòd ſuperbus, quòd fallax, quòd perfidioſus, quòd impudens, quòd audax eſſe videatur: nihil ſcitote eſſe luxurioſius, nihil libidinoſius, nihil poſterius, nihil nequius. *luxuriam* autem in iſto nolite hanc cogitare. eſt enim quædam, quamquam omnis eſt vitioſa, atque turpis, tamen ingenuo, ac libero dignior. nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquiſitum (laudabo inimicum) ne magnopere quidem quidquam, præter libidines, ſumtuoſum. toreuma nullum: maximi calices, & hi, ne contemnere ſuos videatur, Placentini: exſtructa menſa, non conchyliis, aut piſcibus: ſed multa carne ſubrancida. ſervi ſordidati miniſtrant: nonnulli etiam ſenes: idem coquus, idem atrienſis: piſtor domi nullus, nulla cælla: [8] panis & vinum à propala, [9] atque de cupa: Græci ſtipati, quini in lectulis, ſæpe plures; ipſe ſolus: [10] bibiturus quæ eodem de ſolio miniſtrentur. ubi galli cantum audivit, avum ſuum revixiſſe putat: menſam tolli jubet. Di- 28
cet aliquis, Unde tibi hæc nota ſunt? non mehercule, contumeliæ cauſa deſcribam quemquam, præſertim ingenioſum hominem, atque eruditum, cui generi eſſe ego iratus, ne ſi cupiam quidem, poſſum. [11] Eſt quidam Græcus, qui cum iſto vivit, homo, verè ut dicam (ſic enim cognovi) humanus, ſed tamdiu, quamdiu cum aliis eſt, aut *ipſe ſecum*. is cùm iſtum adoleſcentem jam tum cum hac diis irata fronte

---

1. *Deos videbis iratos.*] Poſteriores edd. *videbit*, ſed contra Pall. vetuſtius cuſos. etiam Victorinam.

2. *Vehiculis triumphalibus.*] Novitiæ edd. *ferculis*, ſed præter Pall. præter vett. ed. reſpuitque P. Victorius.

3. *Argentum οἴχεται.*] Prius edebatur verbo addito, *argentum decoctum οἴχεται*, ejuſque veſtigia diſertè in Pall. omnibus. ſed pro hac noſtra acriter diſputat contra Victorium Turnebus lib. IV. Variar. lect. cap. 19. qui conſulatur.

4. *Licet Themiſta ſapientior.*] Turnebus dicto capite 15. libenter legerit, *licet tu in iſto ſapientior*. Lipſius lib. 1. Variar. lect. cap. 18. ſic conſtituit iſthæc, *licet Themi ſis ſap. ſed os.* non placet, quid enim huic bardo cum Themide?

5. *Si os tuum ferreum.*] Aldus Manutius & Lambinus, *ſed os, &c.* contra libros, & tuetur veterem Paullus pater.

6. *Afflictorem & perditorem.*] Ita legendum quoque monuit, auctoritate mſſ. Turnebus libro XXI. vulgata *proditorem*. nata ex typographico ſphalmate editionis primæ, in qua tranſpoſita litera, *præditorem*. niſi dicamus voluiſſe *prædatorem*.

7. *Niſi ut cum P. Clodio, hoc eſt, cum amatoribus.*] Non diſplicet vetus lectio tam edita quàm calamo exarata, *cum Patribus conſcriptis*. certè & veterrima editio, *P. C.*

8. *Panis & vinum à propala.*] Revoco lectionem mſſ. Palatinorum, imò vero editionum priſcarum, quam ſtabilit Turnebus lib. 1. Adverſ. cap. 1.

9. *Atque de cupa.*] Joſeph. Scaliger *cupam* capit pro *caupone*, quaſi dixerint; *cupo, caupo, cupa, caupa.* videatur conjectaneis ad Varronem de Lingua Latina, ſive mavis ad Virgilii Catalecta; ubi eſt, *Copa Syriſca caput, &c.*

10. *Bibiturus quæ eodem de ſolio miniſtrentur.*] Hæc eſt ſcriptura editionum veterum, quibus adſtipulantur Pall. neque aliter publicavit Victorius. Faërnus invexit, *bibitur eo uſque dum de ſolio miniſtretur.* quod & Turnebo placuit, ut videre eſt libro XXI. cap. 15. ſequunturque Aldus junior & Lambinus, me non adnuente.

11. *Eſt quidam Græcus.*] Philodemum Horatii deſignari, oſtendit d. cap. 15. Turnebus.

ta fronte vidiſſet, non fugit ejus amicitiam, cùm eſſet præſertim appetitus: dedit ſe in conſuetudinem, ut ſic prorſus unà viveret, nec ferè ab iſto umquam diſcederet. Non apud indoctos, ſed, ut ego arbitror, in hominum eruditiſſimorum, & humaniſſimorum cœtu loquor. Audiſtis profectò dici, philoſophos Epicureos, *omneis res, quæ ſunt homini expetendæ, voluptate metiri.* rectè, an ſecus, nihil ad nos: aut, ſi ad nos, nihil ad hoc tempus. ſed tamen lubricum genus orationis *adoleſcenti* non acriter intelligenti, ſæpe præceps. Itaque admiſſarius iſte, ſimulatque audivit, à philoſopho voluptatem tantoperè laudari, nihil expiſcatus eſt: ſic ſuos ſenſus voluptarios omneis incitavit, ſic ad illius hanc orationem adhinniit, ut non magiſtrum virtutis, ſed auctorem libidinis à ſe illum inventum arbitraretur. Græcus primò *diſtinguere*, atque dividere illa, quemadmodum dicerentur: iſte claudus (quomodo ajunt) pilam, retinere quod acceperat; teſtificari; tabulas obſignare velle, [1] Epicurum diſertum decernere; & tamen dictum opinor, SE NULLUM BONUM INTELLIGERE POSSE, DEMTIS CORPORIS VOLUPTATIBUS. Quid multa? Græcus facilis, & valde venuſtus, nimis pugnax contra ſenatorem populi Ro-
29 mani eſſe noluit. Eſt autem hic, de quo loquor, non philoſophia ſolùm, ſed etiam litteris, quod ferè ceteros Epicureos negligere dicunt, perpolitus. Poëma porrò facit ita feſtivum, ita concinnum, ita elegans, nihil ut fieri poſſit argutius. in quo repehendat eum licet, ſi qui volet, modo leviter, non ut impurum, non ut improbum, non ut audacem, ſed ut Græculum, ut *aſſentatorem*, ut poëtam. devenit, aut potiùs incidit in iſtum eodem deceptus ſupercilio Græcus, atque advena, quo tam ſapiens, & tanta civitas. revocare ſe non poterat, familiaritate implicatus: & ſimul inconſtantiæ famam verebatur: rogatus, invitatus, coactus, ita multa ad iſtum de iſto ſcripſit, ut omneis hominis libidines, omnia cenarum genera, conviviorumque adulteria ejus, delicatiſſimis verſibus expreſſerit. in quibus, ſi quis velit, poſſit iſtius tanquam *in ſpeculo* vitam intueri: ex quibus multa à multis lecta, & audita recitarem, niſi vererer, ne hoc ipſum genus orationis, quo nunc utor, ab hujus loci more abhorreret: & ſimul de ipſo, qui ſcripſit, detrahi nolo. qui ſi fuiſſet in diſcipulo comparando meliore fortuna, fortaſſe auſterior, & gravior eſſe potuiſſet: ſed eum caſus in hanc conſuetudinem ſcribendi induxit, philoſopho valde indignam: ſiquidem PHILOSOPHIA, ut fertur, virtutis continet, & officii, & bene vivendi diſciplinam: quam qui profitetur, graviſſimam mihi ſuſtinere perſonam videtur. ſed idem caſus [2] illum ignarum quid profiteretur, cùm ſe philoſophum eſſe diceret, iſtius impuriſſimæ, atque intemperantiſſimæ pecudis cœno, & ſordibus inquinavit: qui modò cùm res geſtas conſulatus mei collaudaſſet (quæ quidem laudatio hominis turpiſſimi, mihi ipſi erat *penè turpis.*) Non ulla tibi, inquit, invidia nocuit, ſed verſus tui. Nimis magna pœna, te conſule, conſtituta eſt ſive malo poëtæ, ſive libero. Scripſiſti enim verſus. CEDANT ARMA TOGÆ. --- Quid tum? Hæc res tibi fluctus illos excitavit. At hoc nuſquam opinor ſcriptum fuiſſe in illo elogio, quod, te conſule, in ſepulcro reipubl. inciſum eſt, VELITIS, JUBEATIS, UT, quòd
30 M. Cicero verſum fecerit: ſed quòd vindicarit. Verùm tamen, quoniam te non Ariſtarchum, ſed Phalarim grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum verſum, ſed poëtam armis perſequare: ſcire cupio, quid tandem iſto in verſu reprehendas, CEDANT ARMA TOGÆ. Tuæ dicis, inquit, togæ ſummum imperatorem eſſe ceſſurum. Quid nunc te, aſine, litteras doceam? non opus eſt verbis, ſed *fuſtibus.* non dixi hanc togam, qua ſum amictus: nec arma, ſcutum, & gladium unius imperatoris: ſed, quòd pacis eſt inſigne, & otii, toga: contrà autem arma, tumultus, atque belli: more poëtarum locutus, hoc intelligi volui, *bellum, ac tumultum paci, atque otio conceſſurum.* Quære ex familiari tuo, Græco illo poëta: probabit genus ipſum, & agnoſcet, neque te nihil ſapere mirabitur. At in illo altero, inquit, hæres, [3] CONCEDAT LAUREA LINGUÆ. Immò mehercule, habeo tibi gratiam. hærerem enim, niſi tu me expediſſes. nam cùm tu timidus, ac tremens, tuis ipſe furaciſſimis manibus detractam è cruentis faſcibus lauream ad portam Eſquilinam abjeciſti: indicaſti, non modo ampliſſimæ, ſed etiam minimæ laudi lauream conceſſiſſe. Atque iſta oratione hoc tamen intelligi, ſcelerate, vis, Pompejum inimicum mihi iſto verſu eſſe factum: ut, ſi verſus mihi nocuerit, ab eo, quem is verſus offenderit, videatur mihi pernicies eſſe quæſita. Omitto, nihil iſtum verſum pertinuiſſe ad illum: non fuiſſe meum, quem, quantum potuiſſem, multis ſæpe orationibus, ſcriptiſque decoraſſem, hunc uno violare verſu. Sed ſit offenſus. primò nonne compenſabit cum uno verſiculo tot mea volumina laudum ſuarum? Quòd ſi eſt commotus, ad *perniciemne* non dicam amiciſſimi, non ita de ſua laude meriti, non ita de republica, non conſularis, non ſenatoris, non civis, non liberi: in hominis caput ille tam crudelis propter verſum fuiſſet? Tu quid, tu apud quos, tu de quo dicas, 31
intelligis? complecteris ampliſſimos viros ad tuum & Gabinii ſcelus: neque id occultè. nam paullò antè dixiſti, me cum iis confligere: quos deſpicerem: non attingere eos, qui plus poſſent, quibus iratus eſſe deberem. quorum quidem (quis enim non intelligit, quos dicas?) quamquam non eſt una cauſa omnium, tamen eſt omnium mihi probata. Me Cn. Pompejus, multis obſiſtentibus ejus erga me ſtudio, atque amori, ſemper dilexit, ſemper ſua conjunctione digniſſimum judicavit, ſemper non modò incolumem, ſed etiam ampliſſimum, atque ornatiſſimum voluit eſſe. veſtræ fraudes, veſtrum ſcelus, veſtræ criminationes inſidiarum mearum, illius periculorum, nefariè fictæ, ſimul eorum, qui familiaritatis licentia, ſuorum improbiſſimorum ſermonum *domicilium* in auribus ejus, impulſu veſtro, collocaverunt, veſtræ cupiditates provinciarum effecerunt, ut ego excluderer, omneſque, qui me, qui illius gloriam, qui rempub. ſalvam eſſe cupiebant, ſermone, atque aditu prohiberentur. Quibus rebus eſt perfectum, ut illi planè ſuo ſtare judicio non liceret, cùm certi homines non ſtudium ejus à me alienaſſent, ſed auxilium retardaſſent. Nonne ad te L. Lentulus, qui tum erat, prætor, non Q. Sanga, non L. Torquatus pater, non M. Lucullus venit? qui omnes ad eum, multique mortales oratum in Albanum, obſecratumque venerant, ne meas fortunas deſereret, *cum republicæ ſalute conjunctas.* quos ille ad te, & ad tuum collegam remiſit, ut cauſam publicam ſuſciperetis, ut ad ſenatum referretis: ſe contra armatum tribunum pleb. ſine conſilio publico decertare nolle: conſulibus ex S. C. remp. defendentibus, [4] ſe arma ſumturum. Ecquid infelix recordaris, quid reſponderis? in quo illi omnes quidem, ſed Torquatus, præter ceteros, furebat contumacia reſponſi tui, te non eſſe tam fortem, quam ipſe Torquatus in conſulatu fuiſſet, aut ego: nihil opus eſſe armis, nihil contentione: me poſſe iterum rempublicam ſervare, *ſi ceſſiſſem:* infinitam cædem fore, ſi reſtitiſſem: deinde ad extremum, neque ſe, neque generum, neque collegam ſuum, tribuno pleb. defuturum. Hic tu hoſtis, ac proditor, aliis me inimiciorem, quàm tibi debere eſſe dicis? Ego C. Cæſarem 32
non eadem de repub. ſenſiſſe, quæ me, ſcio: ſed tamen, quod jam de eo, his audientibus, ſæpe dixi, me ille ſui totius

1. *Epicurum diſertum decernere, & tamen dictum opinor.*] Gulielmius in Amphitruonem cap. 3. ait proditum a Faërno, legi in optimis mſſ. *Epicurum diſertim dicere. Eſt tamen dicit, ut opinor.* Pall. nihil variant, niſi quod lec. *diſſertè.*

2. *Illum gnarum quod profitetur.*] Emendatio eſt à Victorii, quam confirmat lib. v. Var. lect. cap. 5. vulgò erat *ignarum*, planè contra rationem.

3. *Concedat laurea linguæ.*] Defendit hanc lectionem Victorius libro v. cap. 24. contra Quintiliani *laudi*, quod tamen in mſſ. noſtris.

4. *Se arma ſumpturum.*] Recentius vulgati *ſuſcepturum*, ſed alterum illud reſtat in Pall. in Turing. in edd. obſoletis.

 1. Rei-

tius conſulatus, eorumque honorum, quos cum proximis communicavit, ſocium eſſe voluit, detulit, invitavit, rogavit. non ſum ego, propter nimiam fortaſſe conſtantiæ cupiditatem, adductus ad cauſam: non poſtulabam, ut ei cariſſimus eſſem, cujus ego ne beneficiis quidem *ſententiam* meam tradidiſſem. Adducta res in certamen, te conſule, putabatur, utrùm, quæ ſuperiore anno ille geſſiſſet, manerent, an reſcinderentur. Quid loquar plura? ſi tantum ille in me eſſe uno roboris, & virtutis putavit, ut ea, quæ ipſe geſſerat, conciderent, ſi ego reſtitiſſem: cur ei non ignoſcam, ſi *antepoſuit* ſuam ſalutem meæ? Sed præterita omitto. me ut Cn. Pompejus omnibus ſuis ſtudiis, laboribus, vitæ periculis complexus eſt, cùm municipia pro me adiret, Italiæ fidem imploraret, P. Lentulo conſuli, auctori ſalutis meæ, frequens aſſideret, ſenatui ſententiam præſtaret, in concionibus non modò ſe defenſorem ſalutis meæ, ſed etiam ſupplicem pro me profiteretur: hujus voluntatis eum, quem multùm poſſe intelligebat, mihi non inimicum eſſe cognorat, ſocium ſibi, & adjutorem C. Cæſarem adjunxit. Jam vides, me tibi non inimicum, ſed hoſtem: illis, quos deſcribis, non modò non iratum, ſed etiam amicum eſſe debere? quorum alter, id quod meminero ſemper, æquè mihi fuit amicus, ac ſibi: alter, id quod obliviſcar aliquando, *ſibi amicior*, quam mihi. Deinde hoc ita fit, ut viri fortes, ETIAMSI ferro inter ſe comminus decertarint, tamen illud contentionis odium ſimul cum ipſa pugna, armiſque ponant. Atqui me ille odiſſe numquam potuit, ne tum quidem, cùm diſſidebamus. habet hoc virtus (quam tu ne de facie quidem noſti) ut VIROS FORTEIS ſpecies ejus, & pulchritudo etiam in hoſte poſita

33 delectet. Equidem dicam ex animo, P. C. quod ſentio, & quod vobis audientibus, ſæpe jam dixi. Si mihi numquam amicus C. Cæſar fuiſſet, ſed ſemper iratus: ſi aſpernaretur amicitiam meam, ſeſeque mihi implacabilem, inexplicabilemque præberet: tamen ei, cùm tantas res geſſiſſet, gereretque quotidie, non *amicus* eſſe non poſſem. cujus ego imperio non Alpium, vallum contra adſcenſum, tranſgreſſionemque Gallorum, non Rheni foſſam, gurgitibus illis redundantem, Germanorum immaniſſimis gentibus objicio, & oppono. Perfecit ille, ut, ſi montes reſediſſent, amnes exaruiſſent, non *naturæ* præſidio, ſed victoria ſua, rebuſque geſtis Italiam munitam haberemus. Sed, cùm me expetat, diligat, omni laude dignum putet: tu me à tuis inimicitiis ad ſimultatem revocabis? ſic tuis ſceleribus [1] reipub. præterita fata refricabis? quod quidem tu, qui bene noſſes conjunctionem meam, & Cæſaris, eludebas, cùm à me trementibus omnino labris, ſed tamen, cur tibi nomen non deferrem, requirebas. Quamquam, quod ad me attinet:

„ *Numquam iſtam imminuam curam infitiando tibi:*

tamen eſt mihi conſiderandum, quantum illi, tantis reip. negotiis, tantoque bello impedito, ego homo amiciſſimus, ſollicitudinis, atque oneris imponam. nec deſpero tamen, quamquam languet juventus, nec perinde, atque debeat, in laudis, & gloriæ *cupiditate* verſatur, futuros aliquos, qui abjectum hoc cadaver, conſularibus ſpoliis nudare non nolint, præſertim tam afflicto, tam infirmo, tam enervato reo: qui te ita geſſeris, ut timeres, ne indignus beneficio videreris, niſi ejus, à quo miſſus eras, ſimillimus exſtitiſſes.

34 An verò tu parum putas inveſtigatas eſſe à nobis labes imperii tui, ſtrageſque provinciæ? quas quidem nos non veſtigiis odorantes ingreſſus tuos, ſed totis volutationibus corporis, & *cubilibus* perſecuti ſumus. Notata à nobis ſunt, & prima illa ſcelera in adventu, cùm, accepta pecunia à Dyrrhachinis ob necem hoſpitis tui Platoris, ejus ipſius domum evertiſti, cujus ſanguinem addixeras, eumque, ſervis ſymphoniacis, & aliis muneribus acceptis, timentem, multumque dubitantem confirmaſti, & Theſſalonicam fide tua venire juſſiſti. quem ne majorum quidem more ſupplicio affeciſti, cùm miſer ille ſecuribus hoſpitis ſui cervices ſubjicere geſtiret: ſed ei *medico*, quem tecum eduxeras, imperaſti, ut venas hominis incideret. [2] cùm equidem tibi etiam acceſſio fuit ad necem Platoris, Pleuratus ejus comes. quem necaſti verberibus, ſumma ſenectute confectum. Idemque tu Rabocentum, Beſſicæ gentis principem, cùm te trecentis talentis regi Cotto vendidiſſes, ſecuri percuſſiſti: cùm ille ad te legatus in caſtra veniſſet, & tibi magna præſidia, & auxilia, à Beſſis, peditum, equitumque polliceretur. neque eum ſolùm, ſed etiam ceteros legatos, qui ſimul venerant: quorum omnium capita regi Cotto vendidiſti. Denſeletis, quæ natio *ſemper obediens* huic imperio, etiam in illa omnium barbarorum defectione Macedonica, [3] C. Sentium prætorem, tutata eſt, nefarium bellum, & crudele intuliſti: eiſque cùm fideliſſimis ſociis uti poſſes, *hoſtibus* uti acerrimis maluiſti. ita perpetuos defenſores [4] Macedoniæ, vexatores, ac perditores effeciſti. vectigalia noſtra perturbarunt, urbeis ceperunt, vaſtarunt agros, ſocios noſtros in ſervitutem abduxerunt, familias abripuerunt, pecus abegerunt, Theſſalonicenſeis, cùm oppido deſperaſſent, munire arcem coëgerunt. [5] A te Jo- 35
vis Urii fanum antiquiſſimum barbarorum, ſanctiſſimumque direptum eſt. tua ſcelera dii immortales in noſtros milites *expiaverunt:* qui cùm uno genere morbi affligerentur, neque ſe recreare quiſquam poſſet, qui ſemel incidiſſet: dubitabat nemo, quin violati hoſpites, legati necati: pacati, atque ſocii, nefario bello laceſſiti, fana vexata, hanc tantam efficerent vaſtitatem. Cognoſcis ex particula parva, ſcelerum & crudelitatis tuæ genus univerſum. Quid avaritiæ, quæ criminibus infinitis implicata eſt, ſummam nunc explicem? Generatim ea, quæ maximè nota ſunt, dicam. Nonne ſeſtertiûm centies, & octogies, quod, quaſi *vaſarii nomine*, in venditione mei capitis adſcripſeras, ex ærario tibi attributum, Romæ in quæſtu reliquiſti? nonne [6] cum cc. talenta tibi Apolloniatæ Romæ dediſſent, ne pecunias creditas ſolverent, ultrò Fufidium, equitem Roman. hominem ornatiſſimum creditorem, debitoribus ſuis addixiſti? nonne, *hiberna* cùm legato, præfectoque tradidiſſes, evertiſti miſeras funditus civitates: quæ non ſolùm bonis ſunt exhauſtæ, ſed etiam nefarias libidinum contumelias, turpitudineſque ſubierunt? Qui modus tibi fuit frumenti æſtimandi? qui honorarii? ſi quidem poteſt vi, & metu extortum, honorarium nominari. quod cùm pleræque omnes, tum acerbiſſimè Bœotii, & Byzantii, Cherroneſes, Theſſalonica ſenſit. unus tu *dominus*, unus æſtimator, unus venditor, tota in provincia, per triennium, frumenti omnis fuiſti. Quid ego rerum capitalium *quæſtiones*, reo- 36
rum pactiones, redemtiones, acerbiſſimas damnationes, libidinoſiſſimas liberationes proferam? tantum locum aliquem cum mihi notum ſenſeris, tecum ipſe licebit, quot in eo genere, & quanta ſint crimina, recordere. Quid? illam *armorum officinam* ecquid recordaris, cum omni totius provinciæ pecore compulſo, pellium nomine, omnem quæſtum illum domeſticum, paternumque renovaſti? videras enim grandis jam puer bello Italico, repleri quæſtu veſtram

1. *Reipubl. præterita fata refricabis.*] Ita Pall. noſtri, quomodo & antea conjecerat amicus noſter Fulvius Urſinus. prius erat *falſa.*

2. *Cum equidem tibi.*] Sic Pall. publicata, *tum quidem*. iiſdem auctoribus ſtatim poſt feci, *cùm te trecentis* pro *tu*. neque aliter Victoriana, abjecit tamen pronomen Turnebus d. libro XXI.

3. *C. Sentium prætorem.*] Recepta lectio habebat *Sextium*. ſed libuit eam ejicere, quod alterius mentio fieret tanquam Macedonici prætoris apud alios auctores, exhiberetque illam ſcripturam Turingicus liber, cui ſecundas faciebat Pal. ſecundus.

4. *Macedoniæ vexatores ac perditores eff.*] Idem Erfurd. *prædatores*, neque longe abit Pal. ſec. in quo *preditores*.

5. *A te Jovis Urii fanum.*] O. tum a conjectura Turnebi, quam firmat egregie lib. XXI. d. cap. 15. alludit Pal. ſec. in quo *Suriis* nam pr. *vel Suri*. vocibus diviſis. vulgata, *Vel ſuri*.

6. *Cùm cc. talenta.*] Pal. ſec. *centum* ſolummodo agnoſcit. & videtur ſatis fuiſſe ad corrumpendum hunc truncum, ſi modò ſatis.

veſtram domum, cum pater armis faciendis tuus præfuiſſet. quid? vectigalem provinciam, ſingulis rebus, quæcumque venirent, *certo portorio* impoſito, ſervis tuis publicanis à te factam eſſe meminiſti? quid? centuriatus palàm venditos? quid? per tuum ſervulum ordines aſſignatos? quid? ſtipendium militibus per omneis annos *à civitatibus*, menſis palàm propoſitis, eſſe numeratum? quid illa in Pontum profectio, & conatus tuus? quid debilitatio, atque abjectio animi tui, Macedonia prætoria nunciata, cum tu non ſolum, quòd tibi ſuccederetur, ſed quòd Gabinio non ſuccederetur, exſanguis & mortuus concidiſti? quid [1] quæſtor ædilitius rejectus? [2] præpoſitus legatorum tuorum optimus abs te quiſque violatus? tribuni militum non recepti? M. Bæbius, vir fortis, interfectus juſſu tuo? quid, quòd tu toties diffidens, ac deſperans rebus tuis, in ſordibus, lamentis, luctuque jacuiſti? quod populari illi ſacerdoti ſexcentos *ad beſtias* amicos, ſociosque miſiſti? quid, quòd, cum ſuſtentare vix poſſes mœrorem tuum, doloremque deceſſionis, [3] Samothraciam te primum, poſt inde Thaſum cum tuis teneris ſaltatoribus, & cum Autobulo, Athamante, & Timocle, formoſis fratribus contuliſti? quid, quòd, cum inde te recipiens, in villa Euchadiæ, [4] quæ fuit uxor Exegiſti, jacuiſti mœrens aliquot dies; atque inde obſoletus Theſſalonicam, omnibus inſcientibus, noctuque veniſti? qui cum concurſum plorantium, ac tempeſtatem querelarum ferre non poſſes, in oppidum devium [5] Beroeam profugiſti: quo in oppido cum tibi ſpe falſa, quòd Q. Ancharium non eſſe ſucceſſurum putares, animos rumor inflaſſet: quo te modo ad tuam intemperantiam, ſcelerate,

37 innovaſti? Mitto *aurum coronarium*, quod te diutiſſimè torſit, cùm modò velles, modò nolles. lex enim generi tui & decerni, & te accipere vetabat, niſi decreto triumpho. In quo tu, accepta tamen, & devorata pecunia, [6] ut in Achæorum centum talentis, evomere non poteras: *vocabula* tantum pecuniarum, & genera mutabas. Mitto diplomata tota in provincia paſſim data: mitto numerum navium, ſummamque prædæ: mitto rationem exacti, imperatique frumenti: mitto ereptam libertatem populis, ac ſingulis, qui erant affecti præmiis nominatim, quorum nihil eſt, quod non ſit lege Julia. ne fieri liceat, ſancitum diligenter. Ætoliam, quæ procul à barbaris disjuncta gentibus in *ſinu pacis* poſita, medio ferè Græciæ gremio continetur, (ô pœna, ô furia ſociorum!) decedens, miſeram perdidiſti. [7] Arſinoën, Stratum, Naupactum, ut modò tute judicaſti, nobileis urbeis, atque plenas, fateris ab hoſtibus eſſe captas. quibus autem hoſtibus? nempe iis, quos tu Ambraciæ ſedens, primo tuo adventu ex oppidis Agrinarum, atque Dolopum demigrare, & aras & focos relinquere coëgiſti. Hoc tu in exitu, præclare imperator, cùm tibi ad priſtinas cladeis acceſſio fuiſſet Ætoliæ repentinus interitus, exercitum dimiſiſti: neque ullam pœnam, quæ tanto facinori deberetur, non maluiſti ſubire, quàm nu-

38 merum tuorum militum, reliquiaſque *cognoſcere*. Atque, ut duorum Epicureorum ſimilitudinem in re militari, imperioque videatis: Albucius, cùm in Sardinia triumphaſſet, Romæ damnatus eſt: hic cùm ſimilem exitum ſpectaret, in Macedonia tropæa poſuit: eaque quæ bellicæ laudis, victoriæque omnes gentes inſignia, & monumenta eſſe voluerunt, noſter hic *præpoſterus* imperator, amiſſorum oppidorum, cæſarum legionum, provinciæ præſidio, & reliquis militibus orbatæ, ad ſempiternum dedecus ſui generis, & nominis, [8] funeſta indicia conſtituit: idemque, ut eſſet, quod *in baſi* tropæorum incidi, inſcribique poſſet, Dyrrhachium ut venit, decedens, obſeſſus eſt ab iis ipſis militibus, quos paullò antè Torquato reſpondit beneficii cauſa ab ſe eſſe dimiſſos. quibus cum juratus affirmaſſet, ſe, quæ deberentur, poſtero die perſoluturum, domum ſe abdidit: inde nocte intempeſta, crepidatus, veſte ſervili, navem conſcendit, Brundiſiumque vitavit, & ultimas Hadriani maris oras petivit: cùm interim Dyrrhachii milites domum, in qua iſtum eſſe arbitrabantur, obſidere cœperunt, &, cùm latere hominem putarent, igneis circumdederunt. quo metu commoti Dyrrhachini, profugiſſe noctu crepidatum imperatorem indicaverunt. Illi autem *ſtatuam*, iſtius perſimilem, quam ſtare celeberrimo in loco voluerat, ne ſuaviſſimi hominis memoria moreretur, deturbant, affligunt, comminuunt, diſſipant. ſic odium, quod in ipſum attulerant, id in ejus imaginem, ac ſimulacrum profuderunt. Quæ cùm ita ſint, non dubito, quin, cùm hæc, quæ excellunt, me noſſe videas; non exiſtimes, medium illam partem, & turbam flagitiorum tuorum mihi eſſe inauditam. nihil eſt, quòd me hortêre: nihil eſt, quod invites. admoneri me ſatis eſt. admonebit autem nemo alius, niſi reip. tempus: quod mihi quidem magis videtur, quàm tu umquam arbitratus es, appropinquare. Ecquid vides, ec- 39
quid ſentis, lege judiciaria lata, quos poſthac judices ſimus habituri? non æquè legetur quiſquis *voluerit*: nec, quiſquis *noluerit*, non legetur. nulli conjicientur in illum ordinem, nulli eximentur: non ambitio ad gratiam, [9] non iniquitas ad ſimulationem conjicietur. Judices judicabunt ii, quos lex ipſa, non quos hominum libido delegerit. Quòd cùm ita ſit, mihi crede, neminem invitus invitabis: res ipſa, & reipubl. tempus aut me ipſum, quod nolim, aut alium quempiam, aut invitabit, aut dehortabitur. Equidem, ut paullò antè dixi, non eadem ſupplicia eſſe in hominibus exiſtimo, quæ fortaſſe plerique, damnationes, expulſiones, neces: denique NULLAM mihi pœnam videtur habere id, quod accidere innocenti, quod forti, quod ſapienti, quod bono viro, & civi poteſt. Damnatio iſta, quæ in te flagitatur, obtigit P. Rutilio: quod ſpecimen habuit hæc civitas innocentiæ. major mihi *judicum*, & reipub. pœna illa viſa eſt, quàm Rutilii. L. Opimius ejectus è patria, is, qui prætor, & conſul, maximis rempub. periculis liberarat. non in eo, cui facta eſt injuria, ſed in iis, qui fecerunt, ſceleris, ac conſcientiæ [10] pœna permanſit. At contra bis Catilina abſolutus: emiſſus etiam ille auctor tuus provinciæ, cùm ſtuprum Bonæ deæ pulvinaribus intuliſſet. Quis fuit in tanta civitate, qui illum inceſto liberatum, non eos, *qui ita judicarunt*, [11] pari ſcelere adſtrictos arbitraretur? An ego exſpectem, dum de te quinque, 40
& ſeptuaginta tabellæ diribeantur, de quo jampridem omnes mortales omnium generum, ætatum, ordinum judicaverunt? quis enim te aditu, quis ullo honore, quis denique communi ſalutatione dignum putet? omnes memoriam conſulatus tui, facta, mores, faciem denique, ac nomen à repub. deteſtantur. legati, qui unà fuere, alienati: tribuni militum inimici? centuriones, & ſi qui ex tanto exercitu reliqui milites exſiſtunt, non dimiſſi ab te, ſed diſſipati, te oderunt, tibi peſtem exoptant, *te exſecrantur*. Achaja, exhauſta: Theſſalia, vexata: laceratæ Athenæ: Dyrrha-

1. *Quæſtor ædilitius rejectus.*] Nihil variant noſtri. Gulielmius legebat *ædilitius rejectis.*

2. *Præpoſitus legatorum tuorum optimus, &c.*] Ita noſtri. nam vulgati amplius, *tuorum turpiſſimus, optimus*; quæ vox ne quidem in libris alicujus vetuſtatis.

3. *Samothraciam te primum, poſt inde Thaſum.*] Vocula *poſt*, nunc primum accedit Ciceroni ex Turing. & Pal. ſec.

4. *Quæ fuit uxor Exegiſti.*] Turnebus loco dicto emendat *uxoris Ægiſthi*, item paullo antea *Leucadiæ* pro noſtra *Euchadiæ*.

5. *Beroeam profugiſti.*] Sic Pal. ſec. atque Erfurd. prius editi, *perfugiſti*.

6. *Ut in Achæorum centum talentis.*] Eſt à mſſ. non Turnebi modò, ſed & noſtris. publicatur enim *Utinachorum, centum talenta*.

7. *Arſinoen, Stratum, Naupactum.*] Et hoc eſt à Turnebo. Pall. tamen, *Arſinoan Thracum, Naup.*

8. *Funeſta indicia.*] Dictio *funeſta*, additur ex Pal. ſec. atque Turingico. inventam item in P. Manutii antiquis, commentarii ejus innuunt, filius tamen non animadvertit.

9. *Non iniquitas ad ſimulationem conjicietur.*] Sic & noſtri, niſi quod pr. *concientur*. Faërnus conjecit *connitetur*. Lambinus, *ad ſimultatem connitetur*.

10. *Pœna permanſit.*] Eſt à Pal. ſec. & Turingico. vulgata *remanſit*.

11. *Pari ſcelere obſtrictos.*] Et hoc iiſdem debemus. recepta enim lectio *adſtrictos*,

Dyrrhachium, & Apollonia, exinanita: Ambracia, direpta: Parthini, & Bullienſes, illuſi: Epirus, excisa: Locri, Phocii, Bœotii, exuſti: Acarnania, Amphilochia, Perrhæbia, Athamanumque gens, vendita: Macedonia, condonata barbaris: Ætolia, amiſſa: Dolopes, finitimique montani, oppidis, atque agris exterminati: cives Romani, qui in iis locis negotiantur, te unum, ſolum, ſuum *depeculatorem*, vexatorem, prædonem, hoſtem, veniſſe ſenſerunt. Ad horum omnium judicia tot, atque tanta, *domeſticum* judicium acceſſit ſententiæ damnationis tuæ: occultus adventus, furtivum iter per Italiam, introitus in urbem deſertus ab amicis, nullæ ad ſenatum è provincia litteræ, [1] nulla ex trinis æſtivis gratulatio, nulla triumphi mentio: non modo quid geſſeris, ſed ne quibus in locis quidem fueris, dicere audes. Ex illo fonte, & ſeminario triumphorum, cùm arida folia laureæ retuliſſes; cum ea abjecta ad portam reliquiſti: tum *tu* [2] *ipſe* de te FECISSE VIDERI, pronuntiaviſti. qui ſi nihil geſſeras dignum honore, ubi exercitus? ubi ſumtus? ubi imperium? ubi illa uberrima ſupplicationibus triumphiſque provincia? ſin autem aliquid ſperare volueras, ſi cogitaras id, quod imperatoris nomen, quod laureati faſces, quod illa tropæa, plena dedecoris, & riſus, te commentatum eſſe declarant: quis te miſerior, quis te damnatior, qui neque ſcribere ad ſenatum, à te bene remp. eſſe geſtam, neque præſens dicere
41 auſus es? An tu mihi, cui ſemper ita perſuaſum fuerit, NON EVENTIS ſed factis, cujuſque fortunam [3] ponderari, dicere audes, neque in tabellis paucorum judicum, ſed in ſententiis omnium civium, famam noſtram, fortunamque pendere? te indemnatum videri putas, quem ſocii, quem fœderati, quem liberi populi, quem ſtipendiarii, quem negotiatores, quem publicani, quem univerſa civitas, quem legati, quem tribuni militares, quem reliqui milites, qui ferrum, [4] qui famem, qui morbum effugerunt, *omni cruciatu* digniſſimum putant? cui non apud ſenatum, non apud ullum ordinem, non apud equites Rom. non in urbe, non in Italia, maximorum ſcelerum venia ulla ad ignoſcendum dari poſſit? qui ſe ipſum oderit, qui metuat omneis, qui ſuam cauſam nemini committere audeat, qui *ſeipſum* condemnet? Numquam ego ſanguinem expetivi tuum: numquam illud extremum, quod poſſet eſſe improbis, & probis commune, ſupplicium, legis, ac judicii; ſed abjectum, contemtum, deſpectum à ceteris, à te ipſo deſperatum, & relictum: circumſpectantem omnia: *quidquid increpuiſſet*, pertimeſcentem: diffidentem tuis rebus: ſine voce, ſine libertate, ſine auctoritate, ſine ulla ſpecie conſulari: horrentem, trementem, adulantem omneis, videre te volui: vidi. Quare, ſi tibi evenerit, quod metuis, ne accidat: equidem non moleſtè feram: ſin id tardiùs fortè fiet, fruar tamen tua indignitate: nec minùs libenter metuentem videbo, ne reus fias, quam reum: nec minùs lætabor, cùm te ſemper ſordidum, quàm ſi [5] paulliſper ſordidatum viderem.

1. *Nullæ ex trinis æſtivis.*] Præpoſitionem adjectam voluit è mſſ. ſuis Turnebus, exſtatque omnino in Pall.

2. *Ipſe de te, feciſſe* VIDERI *pronuntiaviſti.*] Sic libri Faërni, neque divertit Pal. pr. nam ſic, *te videri provincia feciſſe juſti.* vulgò *ipſe de te ſententiam tuliſſe videris, tam judicium pronunciaſti.* editio prima, *ipſe de te feciſſe videris judicium pronuntiaſſe.*

3. *Ponderari dicere audes, neque.*] Manutius & Lambinus abjecere *dicere audes*, credo ſuaſu Faërni. ſed cum deſtituar ejus notis; reſtentque in Pall. noſtris, retinui eis ſuum locum.

4. *Qui famem, qui morbum effugerunt.*] Melius iſtud è Pal. ſec. atque Erfurdiano vulgatis, qui *mortem*.

5. *Paulliſper ſordidatum viderem.*] Gulielmius mallet, *videris.*

M. TULLIUS CICERO
PRO
T. ANNIO MILONE.
ORATIO TRICESIMAOCTAVA.

1 ETSI vereor, judices, ne turpe ſit, pro fortiſſimo viro dicere incipientem, timere, minimeque deceat, cum T. Annius Milo ipſe magis de reipublicæ ſalute, quàm de ſua perturbetur, me ad ejus cauſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe; tamen hæc novi judicii nova forma *terret oculos:* qui quocumque inciderint, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum [1] morem judiciorum requirunt. non enim corona conſeſſus veſter cinctus eſt, ut ſolebat: non uſitata frequentia ſtipati ſumus. nam illa præſidia, quæ pro templis omnibus cernitis, etſi contra vim collocata ſunt, [3] non afferunt tamen oratori aliquid; ut in foro, & in judicio, quamquam præſidiis ſalutaribus, & neceſſariis ſæpti ſumus, tamen ne non timere quidem ſine aliquo timore poſſimus. Quæ ſi oppoſita Miloni putarem: *cederem tempori*, judices, nec inter tantam vim armorum exiſtimarem [2] oratori locum eſſe. Sed me recreat, & reficit Cn. Pompeii, ſapientiſſimi, & juſtiſſimi viri, conſilium: qui profectò nec juſtitiæ ſuæ putaret eſſe, quem reum *ſententiis* judicum tradidiſſet, eundem telis militum dedere: nec ſapientiæ, temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publica armare. Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, ſed *præſidium* denuntiant: neque ſolum, ut quieto, ſed etiam ut magno animo ſimus, hortantur: neque auxilium modò defenſioni meæ, verùm etiam ſilentium pollicentur. Reliqua verò multitudo, quæ quidem eſt civium, tota noſtra eſt: neque eorum quiſquam, quos undique intuenteis ex hoc ipſo loco cernitis, unde aliqua pars fori adſpici poteſt, & hujus exitum judicii exſpectanteis, non cùm virtuti Milonis favet, tum *de ſe*, de liberis ſuis, de patria, de fortunis hodierno die decertari putat. Unum genus eſt adverſum, infeſtumque nobis, eorum, quos P. Clodii furor rapinis, & incendiis, & omnibus exitiis publicis pavit: qui heſterna etiam 2
concione incitati ſunt, ut vobis voce *præirent*, quid judicaretis. quorum clamor ſiquis fortè fuerit, admonere vos debebit, ut eum civem retineatis, qui ſemper genus illud hominum,

1. M*orem judiciorum requirunt.*] Quam varie legatur locus iſte in mſſ. patet ex editionibus. nec eæ diſcrepant ſolum, ſed etiam Grammatici veteres, quos laudat amicus noſter And. Schottus libro 1. Nodor. cap. 14.

2. *Non adferunt tamen oratori aliquid.*] Lambinus fidem ſecutus Mureti emendat *adferunt tamen oratori horroris aliquid;* quod etiam reperi in uno alteroque meorum, verùm cum additâ negativâ. itaque negationem quei tollam contra omnes libros? præſertim cùm plura ſint exemplaria quæ ſtent pro vulgato.

3. *Oratori locum eſſe.*] Aliquot mſſ. *orationi*, quod ultimum aptius opponi armis, putabat Gulielmius.

1. *Amii*

minum, clamoreſque maximos pro veſtra ſalute neglexit. Quamobrem adeſte animis, judices, & timorem, ſi quem habetis, deponite. Nam, ſi umquam de bonis, & fortibus viris: ſi umquam de benemeritis civibus poteſtas vobis judicandi fuit: ſi denique umquam locus ampliſſimorum ordinum delectis viris datus eſt, ubi ſua ſtudia erga forteis, & bonos civeis, quæ vultu, & verbis ſæpe ſignificaſſent, re, & ſententiis declararent: hoc profectò tempore eam poteſtatem omnem vos habetis, ut ſtatuatis, utrùm nos, qui ſemper veſtræ auctoritati dediti fuimus, ſemper miſeri lugeamus: an diu vexati à perditiſſimis civibus, aliquando per vos, ac veſtram fidem, virtutem, ſapientiamque recreemur. Quid enim nobis duobus, judices, *laborioſius?* quid magis ſollicitum, magis exercitum, dici, aut fingi poteſt: qui ſpe ampliſſimorum præmiorum ad rempubl. adducti, metu crudeliſſimorum ſuppliciorum carere non poſſumus? Equidem ceteras tempeſtates, & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum ſemper putavi Miloni eſſe ſubeundas, quòd ſemper pro bonis contra improbos ſenſerat: in judicio verò, & in eo conſilio, in quo ex cunctis ordinibus ampliſſimi viri judicarent, numquam exiſtimavi ſpem ullam eſſe habituros Milonis inimicos, ad ejus non *ſalutem* modò exſtinguendam, ſed etiam *gloriam* per taleis viros infringendam. Quamquam in hac cauſa, judices T.[1] Annii tribunatu, rebuſque omnibus pro ſalute reipublicæ geſtis, ad hujus criminis defenſionem non abutemur, niſi oculis videritis inſidias Miloni à Clodio factas: nec deprecaturi ſumus, ut crimen hoc nobis multa propter præclara in rempublicam *merita* condonetis: nec poſtulaturi, ut, ſi mors P. Clodii ſalus veſtra fuerit, idcirco eam virtuti Milonis potiùs, quàm populi Romani felicitati aſſignetis. ſed ſi illius inſidiæ clariores hac luce fuerint: tum denique obſecrabo, obteſtaborque vos, judices, ſi cetera amiſimus, hoc ſaltem nobis ut relinquatur, ab inimicorum audacia,
3 teliſque vitam ut impunè liceat defendere. Sed, antequam ad eam orationem venio, quæ eſt propria noſtræ quæſtionis, videntur ea eſſe refutanda, [2] quæ & in ſenatu, ab inimicis ſæpe jactata ſunt, & in concione, ab improbis, & paullò antè ab accuſatoribus: [3] ut, omni terrore ſublato, rem planè, quæ venit in judicium, videre poſſitis. Negant *intueri lucem* eſſe fas ei, qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur. In qua tandem urbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? nempe in ea quæ primum judicium de capite vidit M. Horatii, fortiſſimi viri: qui, nondum libera civitate, tamen populi Rom. comitiis liberatus eſt, cum ſua manu ſororem interfectam eſſe fateretur. An eſt quiſquam, qui hoc ignoret, cùm de homine occiſo quæratur, aut negari ſolere omnino eſſe factum: aut rectè, ac *jure factum* eſſe defendi? Niſi verò exiſtimatis, dementem P. Africanum fuiſſe, qui cum à C. Carbone, tribuno plebis, in concione ſeditioſè interrogaretur, quid de Ti. Gracchi morte ſentiret, reſpondit *jure cæſum videri.* Neque enim poſſet aut Ahala ille Servilius, aut P. Naſica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut, me conſule, ſenatus non nefarius haberi, ſi ſceleratos civeis interfici nefas eſſet. Itaque hoc, judices, non ſine cauſa etiam fictis fabulis doctiſſimi homines memoriæ prodiderunt, eum, qui patris ulciſcendi cauſa matrem necaviſſet [4] variatis hominum ſententiis, [5] non ſolum divina, ſed etiam ſapientiſſimæ deæ ſententia liberatum. Quòd ſi duodecim tabulæ *nocturnum furem*, quoquo modo: diurnum autem, ſi ſe telo defenderit, interfici impunè voluerunt: [6] quis eſt, qui, quoquo modo quis interfectus ſit, puniendum putet, cùm videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipſis porrigi legibus? Atqui ſi tempus eſt ullum jure hominis necandi, quæ 4
multa ſunt, certè illud eſt non modò juſtum, verum etiam neceſſarium, cùm *vi vis* illata defenditur. Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus ejus imperatoris: interfectus ab eo eſt, cui vim afferebat: FACERE enim probus adoleſcens periculoſè, quam perpeti turpiter maluit. atque hunc ille vir ſummus, ſcelere ſolutum, periculo liberavit. INSIDIATORI verò & latroni, quæ poteſt afferri injuſta nex? Quid comitatus noſtri, quid gladii volunt? quos habere certè non liceret, ſi uti illis nullo pacto liceret. [7] Eſt igitur hæc, judices, non ſcripta, ſed *nata lex:* quam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus: ut, ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, ſi in tela aut latronum, aut inimicorum incidiſſet: omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis. SILENT enim leges inter arma, nec ſe exſpectari jubent, cùm ei, qui exſpectare velit, ante injuſta pœna luenda ſit, quam juſta repetenda. Etſi perſapienter, & quodam modo tacitè, dat ipſa lex poteſtatem defendendi: [8] quæ non modò hominem occidi, ſed eſſe cum telo hominis occidendi cauſa vetat: ut, cùm *cauſa,* non telum quæreretur: qui ſui defendendi cauſa [9] telo eſſet uſus, non hominis occidendi cauſa habuiſſe telum judicaretur. Quapropter hoc maneat in cauſa, judices. non enim dubito, quin probaturus ſim vobis defenſionem meam, ſi id memineritis, quod oblivìſci non poteſtis, inſidiatorem jure interfici poſſe. Sequitur illud, 5
quod à Milonis inimicis ſæpiſſimè dicitur, [10] CÆDEM, in qua P. Clodius occiſus eſt, ſenatum judicaſſe contra rempublicam eſſe factam. Illam verò ſenatus non ſententiis ſuis ſolùm, ſed etiam ſtudiis comprobavit. Quoties enim eſt illa cauſa à nobis acta in ſenatu? quibus aſſenſionibus univerſi ordinis? quàm nec tacitis, nec occultis? Quando enim frequentiſſimo ſenatu quattuor, ad ſummum quinque ſunt inventi, qui Milonis cauſam non probarent? declarant hujus ambuſti tribuni plebis illæ intermortuæ conciones, quibus quotidie meam potentiam invidioſè criminabatur, cùm diceret, ſenatum non *quod ſentiret*, ſed quod ego vellem, decernere. Quæ quidem ſi potentia eſt appellanda potiùs, quàm propter magna in remp. merita, mediocris in bonis cauſis auctoritas, aut propter officioſos labores meos nonnulla apud bonos *gratia:* appelletur ita ſanè, dummodo ea nos utamur pro ſalute bonorum contra amentiam perditorum. Hanc verò quæſtionem, etſi non eſt iniqua, numquam tamen ſenatus conſtituendam putavit. erant enim leges, erant quæſtiones, vel de cæde, vel de vi; nec tantum mœrorem, ac luctum ſenatui mors P. Clodii afferebat, ut nova quæſtio conſtitueretur. Cujus enim ſenatui, de illo inceſto ſtupro judicium decernendi poteſtas eſſet erepta:

1. *Annii tribunatu, rebuſque omnibus pro, &c.*] Sic mſſ. aliquot, niſi quod Pall. tertio abſit illud *omnibus.*

2. *Quæ & in Senatu ab inimicis ſæpe jactata ſunt, & ab improbis in concione, & paullò.*] Ita omnino Uverdenſis codex, item Hittorpianus & Turingicus. adeatur & Modius Novantiquorum Epiſtola XXXIX.

3. *Ut omni terrore ſublato.*] Sic omnes undique mſſ. etiam Schotti, qui adeatur libro III. Nodor. cap. 13. vulgata *errore.*

4. *Variatis hominum ſententiis.*] Ita omnino retinendum, quidquid contra garriat Lambinus.

5. *Non ſolum divina, ſed etiam ſapientiſſ. Deæ.*] Haud aliter conjecerat P. Faber lib. II. Semeſtrium cap. 25. adprobantque modò Pall. omnes, item codd. Erf. Hitt. Uverd. niſi quod hi, *divinæ.* antea vulgabatur, *humana.*

6. *Quis eſt, qui quoquomodo quis interf. &c.*] Legit Modius d. Epiſt. XXXIX. *quis eum, à quoquo modo quis, &c.* idque ex membranis.

7. *Eſt igitur hæc judices.*] Ita omnes Pall. aliorumque mſſ. ut ſit quaſi concluſio. male prius cuſi; *Eſt enim hæc.*

8. *Quæ non modò hominem occidi, &c.*] Dictio *modò* ſententiæ nubeculam offundit: itaque reſcribit Gulielmius, *quæ non omnimodo.* Lambinus eam vocem delet. & verò abeſt exemplari Baſilicæ Colonienſis. perſtat tamen in Palatinis novem & Gruteriano.

9. *Telo eſſet uſus, non hominis.*] Nihil libri variant & ſententia claret. ea re miratur Gulielmius unde Lambinus huc tot aliena verba inferciat.

10. *Cædem in qua P. Clodius occiſus eſt, &c.*] Haud aliter Uverdenſ. Hittorp. & Turing. hactenus deſuit nobis illud *in* male, occiſi enim in ea cæde alii quinque præter Clodium.

erepta: de ejus interitu quis poteſt credere ſenatum judicium novum conſtituendum putaſſe? Cur igitur incendium curiæ, oppugnationem ædium M. Lepidi, cædem hanc ipſam, contra rempublicam ſenatus factam eſſe decrevit? Quia NULLA vis umquam eſt in libera civitate ſuſcepta inter civeis, non contra rempublicam. [1] Non enim eſt illa defenſio contra vim umquam optanda: ſed nonnumquam eſt *neceſſaria*. niſi verò aut ille dies, in quo Ti. Gracchus eſt cæſus, aut ille, quo Cajus, [2] aut quo arma Saturnini oppreſſa ſunt, etiam ſi è republica, rempublicam
6 tamen non vulnerarunt. Itaque ego ipſe decrevi, cùm cædem in Appia factam eſſe conſtaret non eum, qui ſe defendiſſet, contra remp. feciſſe: ſed, cum ineſſet in re vis, & inſidiæ, crimen judicio reſervavi, *rem notavi*. Quod ſi per furioſum illum tribunum, ſenatui, quod ſentiebat, perficere licuiſſet, novam quæſtionem nunc nullam haberemus. decernebat enim ut veteribus legibus tantummodò extra ordinem quæreretur. Diviſa ſententia eſt, poſtulante neſcio quo. nihil enim neceſſe eſt omnium flagitia proferre. ſic reliqua auctoritas ſenatus, emta interceſſione ſublata eſt. At enim Cn. Pompejus rogatione ſua & de re, & de cauſa judicavit. tulit enim de cæde, quæ in Appia via facta eſſet: in qua P. Clodius occiſus fuit. Quid ergo tulit? nempe ut quæreretur. Quid porrò quærendum eſt? factumne ſit? At conſtat. à quo? At patet. Vidit, etiam in confeſſione facti, juris tamen defenſionem ſuſcipi poſſe. Quod niſi vidiſſet, poſſe abſolvi eum, qui fateretur: cùm videret nos fateri: neque quæri umquam juſſiſſet, nec vobis tam *ſalutarem* hanc in judicando litteram, quàm illam triſtem dediſſet. Mihi vero Cn. Pompejus non modò nihil gravius contra Milonem judicaſſe, ſed etiam ſtatuiſſe videtur, quid vos in judicando ſpectare oporteret. Nam qui non pœnam confeſſioni, ſed defenſionem dedit, is cauſam interitus, quærendam, non interitum putavit. Jam illud dicet ipſe profecto, quod ſua ſponte fecit, P. ne Clodio
7 tribuendum putet, an *tempori*. Domi ſuæ nobiliſſimus vir, ſenatus propugnator, atque, illis quidem temporibus, pænè patronus, avunculus hujus noſtri judicis, fortiſſimi viri, M. Catonis, tribunus pleb. M. Druſus, occiſus eſt. Nihil *de ejus morte* populus conſultus, nulla quæſtio decreta à ſenatu eſt. Quantum luctum in hac urbe fuiſſe à noſtris patribus accepimus, cùm P. Africano domi ſuæ quieſcenti illa nocturna vis eſſet illata? quis tum non gemuit? quis non arſit dolore? quem *immortalem*, ſi fieri poſſet, omnes eſſe cuperent, ejus ne neceſſariam quidem expectatam eſſe mortem? Num igitur ulla quæſtio de Africani morte lata eſt? certè nulla. Quid ita? quia non alio facinore clari homines, alio obſcuri necantur. Interſit inter vitæ *dignitatem* ſummorum, atque infimorum. mors quidem illata per ſcelus iiſdem & pœnis teneatur, & legibus. Niſi fortè magis erit parricida, ſi quis conſularem patrem, quam ſi quis humilem necaverit: aut eo mors atrocior erit P. Clodii, quòd is in monumentis majorum ſuorum ſit interfectus. hoc enim ſæpe ab iſtis dicitur. perinde quaſi Appius ille Cæcus viam munierit, non qua populus uteretur, ſed ubi impunè ſui poſteri latrocinarentur. Itaque in eadem iſta Appia via, cùm ornatiſſimum [3] equitem Romanum P. Clodius M. Papirium occidiſſet, non fuit illud facinus puniendum. homo enim nobilis in ſuis monumentis equitem Romanum occiderat. Nunc ejuſdem Appiæ nomen quantas tragœdias excitat? quæ cruentata anteà cæde honeſti, atque innocentis viri, *ſilebatur*, eadem nunc crebrò uſurpatur, poſteaquam latronis, & parricidæ ſanguine imbuta eſt. Sed quid ego illa commemoro? comprehenſus eſt in templo Caſtoris ſervus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompejum interficiendum collocarat. extorta eſt confitenti ſica de manibus. caruit foro poſteà Pompejus: caruit ſenatu: caruit publico. janua ſe, ac parietibus, non jure legum, judiciorumque texit. num quæ rogatio lata? num quæ nova quæſtio decreta eſt. Atqui, ſi *res*, ſi *vir*, ſi *tempus* ullum dignum fuit, certè hæc in illa cauſa ſumma omnia fuerunt. Inſidiator erat in foro collocatus, atque in veſtibulo ipſo ſenatus: ei viro autem mors parabatur, cujus in vita nitebatur *ſalus* civitatis: eo porrò reipublicæ tempore, quo ſi unus ille occidiſſet, non hæc ſolum civitas, ſed gentes omnes concidiſſent. niſi fortè quia perfecta res non eſt, non fuit puniendа: perinde QUASI exitus rerum, non hominum conſilia legibus vindicentur. minùs dolendum fuit re non perfecta, ſed puniendum certè nihilo minùs. Quoties ipſe, judices, ex P. Clodii telis, & ex cruentis ejus manibus effugi? ex quibus ſi me non mea, vel reipublicæ *fortuna* ſervaſſet, quis tandem de interitu meo quæſtionem tuliſſet?
Sed ſtulti ſumus, qui Druſum, qui Africanum, Pompejum, 8
noſmetipſos, cum P. Clodio conferre audeamus. tolerabilia fuerunt illa: P. Clodii mortem æquo animo nemo ferre poteſt. luget ſenatus: mœret equeſter ordo: tota civitas confecta ſenio eſt: ſqualent municipia: afflictantur coloniæ: agri denique ipſi tam beneficum, tam ſalutarem, tam manſuetum civem deſiderant. Non fuit ea profectò cauſa, judices, non fuit, cur ſibi cenſeret Pompejus quæſtionem ferendam: ſed homo ſapiens, & alta quadam mente præditus, multa vidit: fuiſſe ſibi illum inimicum, familiarem Milonem. in communi omnium lætitia ſi etiam ipſe gauderet, timuit, ne videretur infirmior fides *reconciliatæ gratiæ*. multa etiam alia vidit, ſed illud maximè: quamvis atrociter ipſe tuliſſet, vos tamen fortiter judicaturos. Itaque delegit à florentiſſimis ordinibus ipſa lumina: neque verò, quod nonnulli dictitant, ſecrevit in judicibus legendis amicos meos. neque enim hoc cogitavit vir juſtiſſimus, neque in bonis viris legendis id aſſequi potuiſſet, etiamſi cupiiſſet. non enim mea gratia familiaritatibus continetur, quæ latè patere non poſſunt, propterea quòd conſuetudines victus non poſſunt eſſe cum multis. ſed, ſi quid poſſumus, ex eo poſſumus, quod [4] reſpublica nos conjunxit cum bonis. ex quibus ille cùm optimos viros legeret, idque maximè ad fidem ſuam pertinere arbitraretur, non potuit legere non ſtudioſos mei. [5] Quòd verò te, L. Domiti, huic quæſtioni præeſſe maximè voluit, nihil quæſivit aliud, niſi juſtitiam, gravitatem, humanitatem, fidem. tulit, ut conſularem neceſſe eſſet: credo, quod PRINCIPUM munus eſſe ducebat, reſiſtere & levitati multitudinis, & perditorum temeritati. ex conſularibus te creavit potiſſimum. dederas enim, quàm contemneres populareis inſanias, jam ab adoleſcentia documenta maxima.
Quamobrem, judices, ut aliquando ad cauſam, crimenque 9
veniamus: ſi neque omnis confeſſio facti eſt inuſitata: neque de cauſa quidquam noſtra aliter, ac nos vellemus, à ſenatu judicatum eſt: & lator ipſe legis, cùm eſſet controverſia nulla *facti*, juris tamen diſceptationem eſſe voluit: & electi judices, & iſti præpoſitus quæſtioni, qui hæc juſtè, ſapienterque diſceptet: reliquum eſt, judices, ut nihil jam aliud quærere debeatis, niſi, *uter utri inſidias fecerit:*

---

1. *Non enim eſt illa defenſio, &c.*] Δεικτικῶς, de qua ſcilicet paullò ante egit. antea erat *ulla*. ſed ſic non eſt in Pall. in Uverdenſi.

2. *Aut quo arma Saturnini oppreſſa ſunt, etiamſi è repub. &c.*] Baſilicanus non habet *quo*; & delendum cenſet Gulielmius, legendumque totum hoc colon ex cod. & Uverdenſi, paullo aliter collocatis verbis; *aut armis Saturnini etiamſi & rep. oppreſſa ſint, remp. &c.*

3. *Equitem Romanum P. Clodius M. Papirium occidiſſet.*] Vitium fuit revocare quod legebatur in Uverdenſ. & Hittorp. liquido enim paret in P. Clodii appellatione emphaſin quæſitam. & alioquin nomen iſtud præfert etiam liber Erfurdienſis. mirandum ſolummodo abeſſe noſtris Pall. Italicis.

4. *Reſp. nos conjunxit cum bonis.*] Eſt à Turing. & Uverdenſ. nam prius cuſi *cum multis*. falſò. illum verò reſp. dijunxerat à multis, hoc eſt, niſi Latine loqui volumus, a malis; ut annotarat Gulielmius. erat in Fabriciano, *cum multis equitibus*; adeo ut pateat alterum manaſſe a librariis.

5. *Quod vero te L. Domiti, &c.*] Ita Aſconius, ita mſſ. noſtri, non *Cn.* cui etiam controverſiam movet Andr. Schottus lib. III. Nodor. cap. 3.

ſecerit: quod quo facilius argumentis perſpicere poſſitis, rem geſtam vobis dum breviter expono, quæſo diligenter attendite. P. Clodius cùm ſtatuiſſet omni ſcelere in prætura vexare rempublicam, videretque ita tracta eſſe comitia anno ſuperiore, ut non multos menſes præturam gerere poſſet: qui non *honoris gradum* ſpectaret, ut ceteri, ſed & L. Paullum collegam effugere vellet, ſingulari virtute civem, & annum integrum ad dilacerandam rempublicam quæreret: ſubitò reliquit annum ſuum, ſeque in annum proximum tranſtulit, non religione aliqua, ſed ut haberet, quod ipſe dicebat, ad præturam gerendam, hoc eſt, ad evertendam rempublicam, plenum annum, atque integrum. Occurrebat, *mancam* ac debilem præturam ſuam futuram, conſule Milone: eum porrò ſummo conſenſu pop. Rom. conſulem fieri videbat. contulit ſe ad ejus competitores: ſed ita, totam ut petitionem ipſe ſolus, etiam invitis illis, gubernaret: tota ut comitia ſuis, ut dictitabat, humeris ſuſtineret. convocabat tribus: ſe interponebat: [1] Collinam novam, delectu perditiſſimorum civium conſcribebat. Quanto ille plura miſcebat, tanto hic magis in dies convaleſcebat. Ubi vidit homo ad omne facinus paratiſſimus, fortiſſimum virum, inimiciſſimum ſuum, certiſſimum conſulem, idque intellexit non ſolùm ſermonibus, ſed etiam ſuffragiis populi Romani ſæpe eſſe declaratum: palam agere cœpit, & aperte dicere, *occidendum Milonem.* Servos agreſteis, & barbaros, quibus ſilvas publicas depopulatus erat, Etruriamque vexarat, ex Apennino deduxerat, quos videbatis. res erat minimè obſcura. etenim palàm dictitabat, conſulatum Miloni eripi non poſſe: vitam poſſe. ſignificavit hoc ſæpe in ſenatu: dixit in concione. quinetiam Favonio, fortiſſimo viro, quærenti ex eo, qua ſpe fureret, Milone vivo: reſpondit, triduo illum,
10 ad ſummum quatriduo periturum. quam vocem ejus ad hunc M. Catonem ſtatim Favonius detulit. Interim cùm ſciret Clodius (neque enim erat difficile ſcire) iter ſollemne, legitimum, neceſſarium, ante diem XIII. Kalendas Feb. Miloni eſſe Lanuvium ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuvii Milo: Roma ſubitò ipſe profectus pridie eſt, ut ante ſuum fundum (quod re intellectum eſt) Miloni inſidias collocaret. atque ita profectus eſt, ut concionem turbulentam, in qua ejus furor deſideratus eſt, quæ illo ipſo die habita eſt, relinqueret: quam, niſi obire facinoris locum, tempuſque voluiſſet, numquam reliquiſſet. Milo autem cùm in ſenatu fuiſſet eo die, quoad ſenatus dimiſſus eſt: domum venit: calceos, & veſtimenta mutavit: paulliſper, dum ſe uxor, (ut fit) comparat, commoratus eſt: deinde profectus eſt *id temporis*, cùm jam Clodius, ſiquidem eo die Romam venturus erat, redire potuiſſet. obviam fit ei Clodius expeditus, in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus, ut ſolebat: ſine uxore, quod numquam ferè: cùm hic inſidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparaſſet, cum uxore veheretur in rheda, pænulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri & delicato ancillarum, puerorumque comitatu. Fit obviam Clodio ante fundum ejus hora ferè undecima, aut non multo ſecus. ſtatim complures cum telis in hunc faciunt *de loco ſuperiore* impetum. adverſi rhedarium occidunt. cum autem hic de rheda rejecta pænula, deſiluiſſet, ſeque acri animo defenderet: illi, qui erant cum Clodio, gladiis eductis, partim recurrere ad rhedam, ut *à tergo* Milonem adorirentur: partim, quòd hunc jam interfectum putarent, cædere incipiunt ejus ſervos, qui pòſt erant: ex quibus qui animo fideli in dominum erant, & præſenti fuerunt, partim occiſi ſunt, partim, cùm ad rhedam pugnari viderent, & domino ſuccurrere prohiberentur, Milonemque occiſum etiam ex ipſo Clodio audirent, & ita eſſe putarent: fecerunt id ſervi Milonis (dicam enim non derivandi criminis cauſa, ſed ut factum eſt) neque imperante, neque ſciente, neque præſente domino, quod *ſuos quiſque* ſervos in tali re facere voluiſſet. Hæc, ſicut expo- 11
ſui, ita geſta ſunt, judices: inſidiator ſuperatus, vi victa vis, vel potius oppreſſa virtute audacia eſt. Nihil dico, quid reſp. conſecuta ſit: nihil, quid vos: nihil, quid omnes boni: nihil ſanè id proſit Miloni, qui hoc fato natus eſt, ut ne ſe quidem ſervare potuerit, quin unà rempublicam, voſque ſervaret. Si id jure non poſſet: nihil habeo, quod defendam. ſin hoc & *ratio*, doctis, & *neceſſitas* barbaris, & *mos* gentibus, & feris *natura* ipſa præſcripſit, ut omnem ſemper vim, quacumque ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent: non poteſtis hoc facinus improbum judicare, quin ſimul judicetis, omnibus, qui in *latrones* inciderint, aut illorum telis, aut veſtris ſententiis eſſe pereundum. Quod ſi ita putaſſet: certè optabilius Miloni fuit dare jugulum P. Clodio, non ſemel ab illo, neque tum primum petitum, quàm jugulari à vobis, quia ſe illi non jugulandum tradidiſſet. ſin hoc nemo veſtrum ita ſentit: illud jam in judicium, venit, non, occiſuſne ſit, quod fatemur: ſed *jure, an injuria:* quod multis antea in cauſis jam quæſitum eſt. Inſidias factas eſſe conſtat: & id eſt, quod ſenatus contra rempub. factum judicavit. ab utro factæ ſint, incertum eſt. de hoc igitur latum eſt ut quæreretur. Ita & ſenatus rem, non hominem, notavit: & Pompejus de jure, non de facto, quæſtionem tulit. Numquid 12
igitur aliud in judicium venit, niſi, uter utri inſidias fecerit? profectò nihil. ſi hic illi: ut ne ſit impune. ſi ille huic: tum nos ſcelere ſolvamur. Quonam igitur pacto probari poteſt, inſidias Miloni feciſſe Clodium? ſatis eſt quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua, docere, magnam ei cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas *utilitates* fuiſſe. Itaque illud Caſſianum, CUI BONO FUERIT, in his perſonis valeat. etſi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi ſæpe parvo. Atqui, Milone interfecto, Clodius hoc aſſequebatur, non modò ut prætor eſſet non eo conſule, quo ſceleris nihil facere poſſet: ſed etiam ut his conſulibus prætor eſſet, quibus ſi non adjuvantibus, at conniventibus certè, ſperaſſet ſe poſſe rempub. eludere in illis ſuis cogitatis furoribus. cujus illi conatus, ut ipſe ratiocinabatur, [2] nec, ſi poſſent, reprimere cuperent, cùm tantum beneficium ei ſe debere arbitrarentur: &, ſi vellent, fortaſſe vix poſſent, frangere hominis ſceleratiſſimi corroboratam jam *vetuſtate* audaciam. An verò, judices, vos ſoli ignoratis, vos hoſpites in hac urbe verſamini? veſtræ peregrinantur aures, neque in hoc pervagato civitatis ſermone verſantur, quas ille leges (ſi leges nominandæ ſunt, ac non *faces urbis, & peſtes reip.*) fuerit impoſiturus nobis omnibus atque inuſturus? [3] Exhibe, quæſo, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum veſtrarum, quod te ajunt eripuiſſe è domo, & ex mediis armis, turbaque nocturna, tanquam Palladium ſuſtuliſſe, ut præclarum inde munus, ac inſtrumentum tribunatus ad aliquem, ſi nactus eſſes qui tuo arbitrio tribunatum gereret, deferre poſſes. Et adſpexit me illis quidem oculis, quibus tum ſolebat, cùm omnia omnibus minabatur. Movet me quippe 13
lumen curiæ? Quid? tu me iratum, Sexte, putas tibi, cujus tu inimiciſſimum multo crudeliùs etiam punitus es, quàm erat humanitatis meæ poſtulare? Tu P. Clodii cruentum cadaver ejeciſti domo, tu in publicum ejeciſti: tu ſpoliatum imaginibus, exſequiis, pompa, laudatione, infeliciſſimis lignis ſemiuſtulatum, nocturnis *canibus* dilaniandum reliquiſti. quam rem etſi neceſſariò feciſti, tamen, quoniam in meo

1. *Collinam novam delectu perd. civ. conſcr.*] Debetur codicibus Ahalæ, Uverd. & Fabriciano. prius erat, *Coloniam novam. delectum, &c.* illud *Collinam* firmant item Pall. plerique, quorum tamen nonnulli *colluviem*, quod examinari meretur.

2. *Nec ſi poſſent, cuperent reprimere.*] Ita P. Manutius legendum cenſuit, nam vulgata inverſo ordine, *nec ſi cuperent repr. poſſent.* probabatque Gulielmius, & requirit ratio, haud tamen juvant illi mſſ. noſtri: quamvis de ſuis id affirmet Lambinus.

3. *Exhibe quæſo Sex. Clodi, exhibe, &c.*] Turingicus, *Exhibe, exhibe, Sex. Clodi, exhibe.* quæ repetitio otioſa non eſt. & advertant Critici, heic rurſus cum ſcribam vocari *Clælium*, non in illo tantum libro, ſed & aliis.

1. Metus

in meo inimico crudelitatem expromiſiſti tuam, laudare non poſſum, iraſci certè non debeo. P. Clodii præturam non ſine maximo rerum novarum [1] metu proponi, & ſolutam fore videbatis, niſi eſſet is conſul, qui eam auderet, poſſetque conſtringere. eum Milonem eſſe cum ſentiret univerſus populus Rom. quis dubitaret ſuffragio ſuo, ſe metu, periculo remp. liberare? [2] At non, P. Clodio remoto, uſitatis jam rebus enitendum eſt Miloni, ut tueatur dignitatem ſuam. ſingularis illa huic uni conceſſa gloria, quæ quotidie augebatur frangendis furoribus Clodianis, jam morte Clodii cecidit. Vos adepti eſtis, ne quem civem metueretis: hic *exercitationem virtutis*, ſuffragationem conſulatus, fontem perennem gloriæ ſuæ perdidit. Itaque Milonis conſulatus, qui, vivo Clodio, labefactari non poterat, mortuo denique tentari cœptus eſt. non modò igitur nihil prodeſt, ſed obeſt etiam P. Clodii mors Miloni. At valuit odium, fecit iratus, fecit inimicus, [3] fuit ultor injuriæ, punitor doloris ſui. Quid, ſi hæc, non dico majora fuerunt in Clodio, quàm in Milone, ſed in illo maxima, nulla in hoc? quid vultis amplius? quid enim odiſſet Clodium Milo, *ſegetem, ac materiam ſuæ gloriæ*, præter hoc civile odium, quo omnes improbos odimus? Ille erat ut odiſſet, primùm defenſorem ſalutis meæ; deinde vexatorem furoris, domitorem armorum ſuorum; poſtremò etiam accuſatorem ſuum. reus enim Milonis, lege Plotia, fuit Clodius, quoad vixit. Quo tandem animo hoc tyrannum tuliſſe creditis? quantum odium illius, [4] &, in homi-
14 ne injuſto, quàm etiam juſtum? Reliquum eſt, ut jam illum natura ipſius, conſuetudoque defendat: hunc autem hæc eadem coarguant: nihil per vim umquam Clodius, omnia per vim Milo. Quid ergo, judices? cum mœrentibus vobis, urbe ceſſi, [5] judiciumne timui? non ſervos, non arma, non vim? Quæ fuiſſet igitur cauſa reſtituendi mei, niſi ei fuiſſet injuſta ejiciendi? Diem mihi, credo, dixerat: multam irrogarat: actionem perduellionis intenderat: & mihi, judices, [6] in cauſa aut veſtra mala, aut mea nec præclariſſima, etiam judicium timendum fuit. Servorum, & egentium civium, & facinoroſorum, armis meos civeis, meis conſiliis, periculiſque ſervatos, pro me objici nolui. Vidi enim, vidi hunc ipſum Qu. Hortenſium, lumen, & ornamentum reip. pænè interfici ſervorum manu, cum mihi adeſſet: qua in turba C. Vibienus, ſenator, vir optimus, cum hoc cum eſſet una, ita eſt multatus, ut vitam amiſerit. Itaque quando illius poſtea ſica illa, quam à Catilina acceperat, conquievit? Hæc intentata nobis eſt: huic ego vos objici pro me non ſum paſſus: hæc inſidiata Pompejo eſt: [7] hæc iſtam Appiam, monumentum ſui nominis, nece Papirii cruentavit: [8] hæc, hæc eadem longo intervallo converſa rurſus eſt in me: nuper quidem, ut ſcitis, me ad regiam pænè confecit. Quid ſimile Milonis? cujus vis omnis hæc ſemper fuit, ne P. Clodius, cùm in judicium *detrahi* non poſſet, vi oppreſſam civitatem teneret. quem ſi interficere voluiſſet, quantæ quoties occaſiones, quàm præclaræ fuerunt? Potuitne, cùm domum, ac deos penates ſuos, illo oppugnante, defenderet jure ſe ulciſci? potuitne, cive egregio, & viro fortiſſimo, P. Sextio, collega ſuo, vulnerato? potuitne, Q. Fabricio, viro optimo, cùm de reditu meo legem ferret, pulſo, crudeliſſima in foro cæde facta? potuitne, L. Cæcilii, juſtiſſimi, fortiſſimique prætoris, oppugnata domo? potuitne illo die, cum eſt lata lex de me? cùm totius Italiæ concurſus, quem mea ſalus concitarat, facti illius gloriam libens *agnoviſſet*: ut, etiam ſi id Milo feciſſet, cuncta civitas eam laudem pro ſua vindicaret? [9] Atqui erat id temporis clariſſimus, & 15
fortiſſimus conſul, inimicus Clodio, P. Lentulus, ultor ſceleris illius, propugnator ſenatus, defenſor veſtræ voluntatis, patronus illius publici conſenſus, reſtitutor ſalutis meæ: ſeptem prætores, octo tribuni plebis, illius adverſarii, defenſores mei: Cn. Pompejus auctor, & dux mei reditus, illius hoſtis: cujus ſententiam ſenatus omnis de ſalute mea graviſſimam, & ornatiſſimam ſecutus eſt: qui populum Rom. cohortatus eſt: qui, cùm de me decretum Capuæ feciſſet: ipſe cunctæ Italiæ cupienti, & ejus fidem imploranti, *ſignum dedit*, ut ad me reſtituendum Romam concurrerent. omnia tum denique in illum odia civium ardebant deſiderio mei: quem qui tum interemiſſet, non de impunitate ejus, ſed de *præmiis* cogitaretur. Tamen ſe Milo continuit, & P. Clodium ad judicium bis, ad vim numquam vocavit. Quid? privato Milone, & reo ad populum, accuſante P. Clodio, cùm in Cn. Pompejum pro Milone dicentem impetus factus eſt: quæ tum non modò occaſio, ſed etiam cauſa illius opprimendi fuit? Nuper verò cùm M. Antonius ſummam ſpem ſalutis bonis omnibus attuliſſet, graviſſimamque adoleſcens nobiliſſimus reip. partem fortiſſimè ſuſcepiſſet, atque illam belluam *judicii laqueos* declinantem, jam irretitam teneret: qui locus, quod tempus illud, dii immortales, fuit? cùm ſe ille fugiens in ſcalarum tenebras abdidiſſet, magnum Miloni fuit conficere illam peſtem nulla ſua invidia, Antonii verò maxima gloria? Quid? comitiis in campo quoties poteſtas fuit? [10] cùm ille vi in ſæpta irruiſſet, gladios diſtringendos, lapides jaciendos curaſſet, deinde ſubitò, vultu Milonis perterritus, fugeret ad Tiberim, vos, & omnes boni vota faceretis, ut Miloni uti virtute ſua liberet? Quem 16
igitur cum *omnium gratia* noluit: hunc voluit cum aliquorum querela? quem jure, quem loco, quem tempore, quem impunè non eſt auſus: hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis, non dubitavit occidere? præſertim, judices, cùm honoris ampliſſimi contentio, & dies comitiorum ſubeſſet: quo quidem tempore (ſciò enim, quàm *timida ſit ambitio*, quantaque, & quam ſollicita cupiditas conſulatus) omnia non modò, quæ reprehendi palàm, ſed etiam quæ obſcurè cogitari poſſunt, timemus: rumorem, fabulam fictam, falſam perhorreſcimus: ora omnium, atque oculos intuemur. nihil enim eſt tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quàm voluntas erga nos, ſenſuſque civium: qui non modò improbitati iraſcuntur candidatorum, ſed etiam [11] in rectè factis ſæpe faſtidiunt. Hunc diem igitur campi ſperatum, atque exoptatum ſibi proponens Milo, cruentis manibus ſcelus, & facinus [12] præ ſe ferens, & confitens, ad illa auguſta centuriarum auſpicia veniebat? quàm hoc non credibile in hoc?
quàm

---

1. *Metu proponi, & ſolutam fore videbatis, niſi eſſet is Conſul, &c. conſtringere.*] Exhibui lectionem mſſ librorum, tantumque interpoſui mandato Gulielmii, &. nam illud *ſolutam*, erat in Uverdenſi; ſicque legendum ſuadet ſequens *conſtringere.* Vulgata habebat, *metu proponi ſolitam eſſe, &c. confringere.*

2. *At non, P. Clodio remoto, uſitatis jam rebus enitendum, &c.*] Sic Erfurd. & Uverd. extatque illud *enitendum*, etiam in Pall. recepta lectio habebat *mortuo*, item *obnitendum.* male pervertit heic ſententiam Lambinus. nec quid profecit Victorius lib. XXI. c. 18.

3. *Fuit ultor injuriæ.*] Sic omnes Pall. non *fecit*, ut vulgò.

4. *Et in homine injuſto quàm etiam juſtum?*] Secutus ſum P. Victorium libenter admodum, cùm vidiſſem ei favere Palat. ſecundum, quartum, alioſque. nam aliæ edd. inepte adjecerant, *juſtum eſſe?* vel, *juſtum fuiſſe.*

5. *Judiciumne timui, &c.*] Locus ſuppletus eſt ex Turing. Uverdenſ. & Fabr. indeque habuit Lambinus, licet taceat.

6. *In cauſa veſtra, &c.*] Melius fortè Uverd. inquit Gulielmius; *in cauſa* aut mala, aut mea, non & præclariſſima, & veſtra judicium timendum fuit.

7. *Hæc iſtam Appiam, monumentum, &c.*] Abjeci *viam*, quod non extaret in Pall. in Grut. imò ne quidem in olim impreſſis. nimis quam exprimitur per *iſtam.*

8. *Hæc, hæc eadem longo intervallo, &c.*] Sic Erfurd. vocula geminata, valde eleganter.

9. *Atqui erat id temporis clariſſimus, &c.*] Baſilic. & Uverdienſis; *At quod erat tempus? clariſſimus.* cui alludunt etiam aliqui Pall. in quibus, *At qui erat tempus.*

10. *Cum ille vi in ſæpta irruiſſet.*] Abeſt à mſſ. *vi*, & variant iidem in verbo *irruiſſet.* quare Gulielmius legit cum Baſil. *cùm ille in ſæpta irrupiſſet.*

11. *In rectè factis ſæpe faſtidiunt.*] Ita uno ore Pall. & à Gulielmio excuſſ. non ut vulgò, *rectè facta ſæpe faſt.*

12. *Præ ſe ferens & confitens.*] Colon. *confidens:* quod arridebat Gulielm. *confidebant* enim candidati dum auſpicium perageret augur.

1. *Quin*

quàm idem in Clodio non dubitandum : [1] quin ſe ille in-
terfecto Milone, regnaturum putaret? Quid? quod caput
audaciæ eſt, judices: quis ignorat, MAXIMAM illecebram
eſſe peccandi, impunitatis ſpem? In utro igitur hæc fuit?
in Milone? qui etiam nunc reus eſt facti, aut præclari, aut
certè neceſſarii? an in Clodio? qui ita judicia, pœnamque
contemſerat, ut eum nihil delectaret, quod aut *per naturam
fas* eſſet, aut per leges liceret? Sed quid ego argumentor?
quid plura diſputo? te, Q. Petilli, appello, optimum, &
fortiſſimum civem: te, M. Cato, teſtor: quos mihi divina
quædam ſors dedit judices. Vos ex M. Favonio audiſtis,
Clodium ſibi dixiſſe, & audiſtis, vivo Clodio periturum
Milonem triduo. poſt diem tertium geſta res eſt, quàm
dixerat. Cùm ille non dubitaret *aperire*, quid cogitaret,
17 vos poteſtis dubitare, quid fecerit? Quemadmodum igitur
eum dies non fefellit? dixi equidem modò. Dictatoris La-
nuvini ſtata ſacrificia noſſe, negotii nihil erat. vidit neceſſe
eſſe Miloni proficiſci Lanuvium illo ipſo, quo profectus
eſt, die. itaque antevertit. At quo die? quo, ut ante dixi,
inſaniſſima concio ab ipſius mercenario tribuno pl. eſt con-
citata: quem diem ille, quam concionem, quos clamores,
niſi ad cogitatum facinus approperaret, numquam reliquiſ-
ſet. Ergo illi ne cauſa quidem itineris, etiam cauſa manen-
di: Miloni manendi nulla facultas, exeundi non cauſa ſo-
lùm, ſed etiam neceſſitas fuit. Quid, ſi, ut ille ſcivit, Milo-
nem fore eo die in via, ſic Clodium Milo ne ſuſpicari qui-
dem potuit? Primùm quæro, qui ſcire potuerit. quod vos
idem in Clodio quærere non poteſtis. ut enim neminem
alium, niſi T. Patinam, familiariſſimum ſuum, rogaſſet,
ſcire potuit, illo ipſo die Lanuvii à dictatore Milone prodi
flaminem neceſſe eſſe. ſed erant permulti alii, ex quibus
id facillimè ſcire poſſet: omnes ſcilicet Lanuvini. Milo de
Clodii reditu unde quæſivit? quæſierit ſanè. videte, quid
vobis largiar. ſervum etiam, ut Arrius, meus amicus, dixit,
corruperit Legite teſtimonia teſtium veſtrorum. dixit
[2] C. Caſſinius, cognomento Scola, Interamnis [3] familiariſ-
ſimus, & idem comes P. Clodii: cujus jampridem teſti-
monio Clodius eadem hora Interamnæ fuerat, & Romæ,
P. Clodium illo die in Albano manſurum fuiſſe: ſed ſubitò
ei eſſe nuntiatum, Cyrum Architectum eſſe mortuum: ita-
que Romam repentè conſtituiſſe proficiſci. dixit hoc co-
18 mes item P. Clodii, C. Clodius. Videte, judices, quantæ
res his teſtimoniis ſint confectæ. primum certè liberatur
Milo, non eo conſilio profectus eſſe, ut inſidiaretur in via
Clodio: quippe qui ei obvius futurus omnino non erat.
deinde (non enim video, cur non meum quoque agam ne-
gotium) ſcitis, judices, fuiſſe, qui in hac rogatione ſuaden-
da dicerent, Milonis *manu* cædem eſſe factam, *conſilio* verò
majoris alicujus. Videlicet me latronem, ac ſicarium ab-
jecti hominis, & perditi deſcribebant. Jacent ſuis teſtibus
ii, qui Clodium negant eo die Romam, [4] niſi de Cyro au-
diſſet, fuiſſe rediturum. Reſpiravi: liberatus ſum: non
vereor, ne, quod ne ſuſpicari quidem potuerim, videar id
cogitaſſe. Nunc perſequar cetera: nam occurrit illud: ne
Clodius quidem de inſidiis cogitavit, quoniam fuit in Al-
bano manſurus, ſiquidem exiturus ad cædem è villa non
fuiſſet. Video enim, illum, qui dicitur de Cyri morte
nuntiaſſe, non id nuntiaſſe, ſed Milonem appropinquare.
nam quid de Cyro nuntiaret, quem Clodius Roma profi-
ciſcens reliquerat morientem? Unà fui: teſtamentum ſi-
mul obſignavi cum Clodio: teſtamentum autem *palàm* fe-
cerat, & illum heredem, & me ſcripſerat. Quem pridie hora
tertia animam efflantem reliquiſſet, eum mortuum poſtrí-
die hora decima denique ei nuntiabatur? Age, ſit ita fa- 19
ctum: quæ cauſa, cur Romam properaret? cur in noctem
ſe conjiceret? [5] quid afferebat cauſa feſtinationis? quòd
heres erat? primùm erat nihil, cur *properato* opus eſſet:
deinde, ſi quid eſſet. quid tandem erat, quod ea nocte con-
ſequi poſſet, amitteret autem, ſi poſtridie manè Romam
veniſſet? Atque, ut illi nocturnus ad urbem adventus vi-
tandus potius, quàm expetendus fuit: ſic Miloni, cum in-
ſidiator eſſet, ſi illum ad urbem noctu acceſſurum ſciebat,
ſubſidendum, atque exſpectandum fuit. noctu, invidioſo,
& pleno latronum in loco occidiſſet. nemo ei neganti non
crediſſet, quem eſſe omnes ſalvum, etiam confitentem,
volunt. Suſtinuiſſet hoc crimen primùm ipſe ille latro-
num occultator, & receptator *locus*, dum neque muta ſo-
litudo indicaſſet, neque cæca nox oſtendiſſet Milonem:
[6] deinde ubi multi ab illo violati, ſpoliati, bonis expulſi,
multi etiam hæc timentes in ſuſpicionem caderent: tota
denique *rea* citaretur Etruria. Atque illo die certè Aricia
rediens [7] devertit Clodius ad ſe Albanum. Quòd niſi ſciret
Milo, illum Ariciæ fuiſſe, ſuſpicari tamen debuit, eum,
etiamſi Romam illo die reverti vellet, ad villam ſuam, quæ
viam tangeret, deverſurum. cur neque ante occurrit, ne
ille in villa reſideret: nec eo in loco ſubſedit, quò ille
noctu venturus eſſet? Video adhuc conſtare omnia, judi-
ces: Miloni etiam utile fuiſſe Clodium vivere: illi ad ea,
quæ concupierat, optatiſſimum interitum Milonis: odium
fuiſſe illius in hunc acerbiſſimum, in illum hujus nullum:
conſuetudinem illius perpetuam in vi inferenda; hujus
tantum in repellenda: mortem ab illo denuntiatam Mi-
loni, & prædictam palàm; nihil umquam auditum ex Mi-
lone: profectionis hujus diem illi notum; reditum illius
huic ignotum fuiſſe. hujus iter neceſſarium; illius etiam
potiùs alienum: hunc præ ſe tuliſſe, ſe illo die Roma exi-
turum; illum eo die ſe diſſimulaſſe rediturum: hunc nul-
lius rei mutaſſe conſilium; illum cauſam mutandi conſilii
finxiſſe: huic, ſi inſidiaretur, noctem prope urbem exſpe-
ctandam; illi, etiam ſi hunc non timeret, tamen acceſſum
ad urbem nocturnum fuiſſe metuendum. Videamus nunc 20
id, quod caput eſt: locus ad inſidias ille ipſe, ubi congreſſi
ſunt, utri tandem fuerit aptior. Id verò, judices, etiam du-
bitandum, & diutius cogitandum eſt? Ante fundum Clo-
dii: quo in fundo, propter inſanas illas ſubſtructiones, fa-
cilè mille hominum verſabatur valentium. [8] edito adver-
ſarii atque *excelſo loco* ſuperiorem ſe fore putabat Milo, &
ob eam rem eum locum ad pugnam potiſſimùm elegerat?
an in eo loco eſt potiùs exſpectatus ab eo, qui ipſius loci
ſpe facere impetum cogitarat? Res loquitur, judices, ipſa:
quæ ſemper valet plurimùm. Si hæc non geſta audiretis,
ſed picta videretis: tamen appareret, uter eſſet inſidiator,
uter nihil cogitaret mali, cùm alter veheretur in rheda pæ-
nulatus, unà ſederet uxor. quid horum non *impeditiſſimum?*
veſtitus an vehiculum, an comes? quid minus promtum
ad pugnam, cùm pænula irretitus, rheda impeditus, uxo-
re pænè conſtrictus eſſet? Videte nunc illum, primùm
egredientem [9] è villa, ſubito; cur? veſperi; quid neceſſe
eſt? tarde; quî convenit, id præſertim temporis? Divertit
in villam Pompeji. Pompejum ut videret? ſciebat in Al-
ſienſi

1. *Quin ſe ille interfecto Milone, &c.*] Sic Uverd. Erfurd. & Fabr. etiam Pall. ſed excludunt *ille*.

2. *C. Caſſinius cogn. Scola.*] Erfurd. & Baſil. *C. Auſinius Scola Interamnanus*, quos ſequitur Gulielmius.

3. *Familiariſſimus & idem comes.*] Ita quoque Uverd. & Hitt. probavitque item è ſuis Modius noſter Epiſt. XXXIX. Novantiquor. retrò vulgata, *familiaris meus*.

4. *Niſi de Cyro audiſſet, fuiſſe rediturum.*] Ita Hitt. Erfurd. aliique ſcripti. Pall. tamen *auditum*, *rediturum fuiſſe*. editi, *auditum eſſe*, *red. fuiſſe*.

5. *Quid adferebat cauſa feſtinationis.*] Eſt ab Baſil. nam Pall. non habent *cauſa*, ſed tamen *feſtinationis*. vulgò *feſtinationem*.

6. *Deinde ubi multi ab eo violati.*] Tò *ubi* à Baſil. abeſt, & videtur Gulielmio aut tollendum, aut mutandum in *ibi*. tametſi non neget defendi etiam poſſe vulgatum.

7. *Divertit Clodius ad ſe ad Albanum.*] Id eſt ad villam ſuam. ita liber Colonienſis. nam ceteri deſtituuntur illo *ad ſe*.

8. *Edito adverſarii atque excelſo loco, &c.*] Sic ferè Erfurd. & Colon. quibus hujus loci reſtitutio haud dubiè debetur: qui in publicatis libris & mutilus & corruptus.

9. *E villa, ſubitò; cur? &c.*] Flagitium Lambini, qui hæc omnia perverterat duobus verbis ejectis, omninò neceſſariis; adhibita quidem interpunctionis Gulielmianæ luce.

fienſi eſſe. villam ut perſpiceret? millies in ea fuerat. [1] quid ergo erat? mora, & tergiverſatio. dum hic veniret, locum re-
21 linquere noluit. Agè: nunc iter expediti latronis, cum Milonis impedimentis comparate. Semper ille antea cum uxore: tum ſine ea. numquam non in rheda: tum in equo. comites Græculi, quocumque ibat, etiam cùm *in caſtra* Etruſca properabat: tum nugarum in comitatu nihil. Milo, qui numquam, tum caſu pueros ſymphoniacos uxoris ducebat, & ancillarum greges. ille, qui ſemper ſecum ſcorta, ſemper exoletos, ſemper lupas ducebat, tum neminem, niſi ut *virum à viro lectum* eſſe diceres. Cur igitur victus eſt? quia NON SEMPER viator à latrone, nonnumquam etiam latro à viatore occiditur: quia, quamquam paratus [2] in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros. Nec verò ſic erat umquam non paratus Milo contra illum, ut non ſatis ferè eſſet paratus. ſemper ille & quantum intereſſet P. Clodii ſe perire, & quanto illi odio eſſet, & quantum ille auderet, cogitabat. Quamobrem vitam ſuam, quam maximis præmiis propoſitam, & pænè addictam ſciebat, numquam in periculum ſine præſidio, & [3] ſine cuſtodia projiciebat. adde caſus, adde incertos exitus pugnarum, *Martemque* communem: qui ſæpe ſpoliantem jam, & exſultantem evertit, & perculit ab abjecto. adde inſcitiam pranſi, poti, oſcitantis ducis: qui cùm à tergo hoſtem interclusum reliquiſſet: nihil de ejus extremis comitibus cogitavit: in quos incenſos ira, vitamque domini deſperanteis cùm incidiſſet, hæſit in iis pœnis, quas ab eo ſervi fideles pro domini vita expetiverunt. Cur igitur eos manumiſit? [4] metuebat ſcilicet, ne indicarent: ne dolorem perferre non poſſent: ne tormentis cogerentur, occiſum eſſe à ſervis Milonis in Appia via P. Clodium confiteri. Quid opus eſt tortore? quid quæris? occideritne? occidit. Jure, an injuria? nihil ad tortorem. FACTI enim in eculeo quæ-
22 ſtio eſt, juris in judicio. Quod igitur in cauſa quærendum eſt, [5] id agamus hic: quod tormentis invenire vis, id fatemur. Manu verò cur miſerit, ſi id potiùs quæris, quàm cur parum amplis affecerit præmiis: neſcis inimici factum reprehendere. Dixit enim hic idem, qui omnia ſemper conſtanter, & fortiter, M. Cato: dixitque in turbulenta concione, quæ tamen hujus auctoritate placata eſt, non libertate ſolùm, ſed etiam omnibus præmiis digniſſimos fuiſſe, qui *domini caput* defendiſſent. Quod enim præmium, ſatis magnum eſt tam benevolis, tam bonis, tam fidelibus ſervis, propter quos vivit? etſi id quidem non tanti eſt, quàm quòd propter eoſdem non ſanguine, & vulneribus ſuis, crudeliſſimi inimici mentem, oculoſque *ſatiavit*. quos niſi manumiſiſſet, tormentis etiam dedendi fuiſſent, conſervatores domini, ultores ſceleris; defenſores necis. Hic verò nihil habet in his malis, quod minùs moleſtè ferat, quàm, etiam ſi quid ipſi accidat, eſſe tamen illis meritum præmium perſolutum. Sed quæſtiones urgent Milonem, quæ ſunt habitæ nunc in atrio Libertatis. Quibuſnam de ſervis? rogas? de P. Clodii. Quis eos poſtulavit? Appius. quis produxit? Appius. unde? ab Appio. Dii boni, quid poteſt agi ſeveriùs? De ſervis nulla quæſtio eſt in dominum, niſi de inceſtu, ut fuit in Clodium. Proxime deos acceſſit Clodius, propiùs quàm tum, cùm ad ipſos penetrarat: cujus de morte, tamquam de cæremoniis violatis, quæritur. Sed tamen majores noſtri in dominum de ſervo quæri noluerunt, non quia non poſſet verum inveniri, ſed quia VIDEBATUR indignum, [6] & dominis morte ipſa triſtius. In reum de ſervis accuſatoris cùm quæritur, verum inveniri poteſt? Age verò, quæ erat, aut qualis quæſtio? [7] Heus ubi Ruſcio (verbi cauſa) Clodius inſidias fecit Miloni? Fecit. Certa crux. Nullas fecit. ſperata libertas. Quid hac quæſtione certius? Subitò arrepti in quæſtionem, tamen ſeparantur à ceteris, & in arcas conjiciuntur, ne quis cum iis colloqui poſſit. Hi centum dies penes accuſatorem cum fuiſſent, ab eo ipſo *accuſatore* producti ſunt. Quid hac quæſtione dici poteſt integrius? quid incorruptius? Quòd ſi 23
nondum ſatis cernitis, cùm res ipſa tot, tam claris argumentis, [8] ſigniſque luceat, pura mente, atque integra Milonem, nullo ſcelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla conſcientia exanimatum, Romam revertiſſe: recordamini, per deos immortaleis, quæ fuerit celeritas reditus ejus: qui ingreſſus in forum, ardente curia: quæ magnitudo animi, qui vultus, quæ oratio. Neque verò ſe populo ſolùm, ſed [9] etiam ſenatui commiſit: neque ſenatui modò, ſed etiam publicis præſidiis, & armis: neque his tantùm, verum etiam ejus poteſtati, cui ſenatus totam rempublicam, omnem Italiæ pubem, cuncta populi Rom. arma commiſerat. cui nunquam ſe hic profectò tradidiſſet, niſi cauſæ ſuæ confideret; præſertim omnia audienti, magna metuenti, multa ſuſpicanti, nonnulla credenti. MAGNA VIS eſt conſcientiæ, judices, & magna in utramque partem: ut neque timeant, qui nihil commiſerint: & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarint. Neque verò ſine ratione certa, cauſa Milonis ſemper à ſenatu probata eſt. videbant enim ſapientiſſimi homines facti rationem, præſentiam animi, defenſionis conſtantiam. An verò obliti eſtis, judices, recenti illo nuntio necis Clodianæ, non modò inimicorum Milonis ſermones, & opiniones, ſed nonnullorum etiam [10] imperitorum? negabant eum Romam eſſe *rediturum*. Sive enim illud animo irato, ac percito feciſſet, ut incenſus odio trucidaret inimicum: arbitrabantur, eum tanti mortem P. Clodii putaſſe, ut æquo animo patria careret, cùm ſanguine inimici expleſſet odium ſuum: ſive etiam illius morte patriam liberare voluiſſet, non dubitaturum fortem virum, quin, cùm ſuo periculo ſalutem reip. attuliſſet, cederet æquo animo legibus, ſecum auferret gloriam ſempiternam, nobis hæc fruenda relinqueret, quæ ipſe ſervaſſet. Multi etiam Catilinam, atque illa portenta loquebantur: ERUMPET, occupabit aliquem locum, bellum patriæ faciet. Miſeros interdum civeis, optimè de rep. meritos! in quibus homines non modò res præclariſſimas obliviſcuntur, ſed etiam nefarias *ſuſpicantur*. Ergo illa falſa fuerunt: quæ certè vera exſtitiſſent, ſi Milo admiſiſſet aliquid, quod non poſſet honeſtè, vereque defendere. Quid, quæ poſteà ſunt in eum conge- 24
ſta? [11] quæ quemvis etiam mediocrium delictorum conſcientia perculiſſent, ut ſuſtinuit, dii immortales? ſuſtinuit? immò verò ut contemſit, ac pro nihilo putavit? quæ neque maximo animo nocens, neque innocens, niſi fortiſſimus vir, negligere potuiſſet. ſcutorum, gladiorum, frenorum, ſparorum, pilorumque etiam multitudo deprehendi poſſe indicabatur. nullum in urbe vicum, nullum angi-

1. *Quid ergo erat? mora, & tergiverſatio.*] Sic Baſil. melius quam vulgati, *erat moræ & tergiverſationis?*

2. *In imparatos Clodius, tamen mulier, &c.*] In eod. Baſilic. *Clodius, ipſe Clodius tamen mulier;* repetitione non injucunda quidem, ſed quam neſcias, an gloſſema ſit ad vocem *mulier*.

3. *Sine cuſtodia provehebat.*] Non diſplicuit ſcriptura Erfurd. Hittorp. & Uverd. *projiciebat.* antea impreſſi, *provehebat.*

4. *Metuit ſcilicet ne indicarent.*] Malui iſtud cum Turingico, cùm ſequeretur, *poſſent* & *cogerentur.* vulgò *indicaretur.*

5. *Id agamus hic: quod.*] Haud aliter iidem mſſ. *hic*, in cauſæ cognitione ſcilicet, & ipſo judicio.

6. *Et dominis morte ipſa triſtius.*] Egregia hæc emendatio debetur Colon. vulgata lectio ineptit, *& domini morte, &c.* quam & dudum in jus rapuit Modius Epiſt. XXXIX.

7. *Heus tu Ruſcio (verbi cauſa) Clodius, &c.*] Secutus ſum Pall. prius editi, *Ruſcio, ubi Caſca? Clodius.* ridiculè Ahalæ liber item Erf. & Uverd. habebant amplius, *verbi cauſa, cave mentiaris. Clodius.* neque reprehenderim.

8. *Signiſque luceat.*] Gulielmius conjicit *liqueat.* non malè.

9. *Etiam ſenatui commiſit.*] Eſt ab Erf. Hitt. & Uverd. nam Pall. & Grut. verbum nullum heic agnoſcunt, nedum vulgatam *tradidit.*

10. *Imperitorum negabant eum, &c.*] Expunxi voculam *qui*, interpoſitam auctoritate Pall. item Gulielmianorum.

11. *Quæ quemvis etiam med. del. conſcientia perculiſſent.*] Ita lego ex Col. Fab. & Uverd. ſententia planiſſima; licet neget Lambinus, homo aliquando Lynceo oculatior, aliquando talpa cæcus magis. mecum heic ſentit Andr. Schottus amicus, qui adeatur lib. 3. Nod. cap. 13.

1. *Pro*

angiportum eſſe dicebant, in quo Miloni non eſſet conducta domus: arma in villam Ocriculanam devecta Tiberi: domus in clivo Capitolino ſcutis referta: plena omnia malleolorum ad urbis incendia comparatorum. Hæc non delata ſolùm, ſed pænè credita: nec antè repudiata ſunt, quàm quæſita. Laudabam equidem incredibilem diligentiam Cn. Pompeii: ſed dicam, ut ſentio, judices, NIMIS MULTA audire coguntur, neque aliter facere poſſunt ii, quibus tota commiſſa eſt reſp. Quin etiam audiendus ſit Popa Licinius, neſcio quis, de circo maximo: ſervos Milonis apud ſe *ebrios* factos, ſibi confeſſos eſſe de interficiendo Cn. Pompejo conjuraſſe: deinde poſtea ſe gladio percuſſum eſſe ab uno de illis, ne indicaret. Pompejo in hortos nuntiavit. Arceſſor in primis. de amicorum ſententia rem defert ad ſenatum. Non poteram in illius mei, patriæque cuſtodis tanta ſuſpicione non metu exanimari: ſed mirabar tamen, credi Popæ: confeſſionem ſervorum audiri: vulnus in latere, quod acu punctum videretur, [1] pro ictu gladiatoris probari. Verùm tamen, ut intelligo, cavebat magis Pompejus, quam timebat, non ea ſolum, quæ timenda erant, ſed omnino omnia, *ne aliquid vos timeretis*. Oppugnata domus C. Cæſaris, clariſſimi, & fortiſſimi viri, per multas noctis horas nuntiabatur. nemo audierat tam celebri loco, nemo ſenſerat. tamen audiebatur. non poteram Cn. Pompejum, præſtantiſſima virtute civem, timidum ſuſpicari: [2] diligentiam, tota repub. ſuſcepta, nimiam nullam putabam. Frequentiſſimo ſenatu nuper in Capitolio ſenator inventus eſt, qui Milonem cum telo eſſe diceret. nudavit ſe in ſanctiſſimo templo, quoniam *vita* talis & civis, & viri, fidem non faciebat, niſi, eo tacente,

25 res ipſa loqueretur. Omnia falſa, atque inſidioſè ficta comperta ſunt. Quòd ſi tamen metuitur etiam nunc Milo, non hoc jam Clodianum crimen timemus, ſed tuas, Cn. Pompei, (te enim jam appello ea voce, ut me audire poſſis) [3] tuas, tuas, inquam, *ſuſpiciones* perhorreſcimus. Si Milonem times, ſi hunc de tua vita nefariè aut nunc cogitare, aut molitum aliquando aliquid putas: ſi Italiæ delectus, ut nonnulli conquiſitores tui dictitant, ſi hæc arma, ſi Capitolinæ cohortes, ſi excubiæ, ſi vigiliæ, ſi delecta juventus, quæ tuum corpus, domumque cuſtodit, contra Milonis impetum armata eſt, atque illa omnia in hunc unum inſtituta, parata, intenta ſunt: magna in hoc certè vis, & incredibilis animus, & non unius viri vires, atque opes indicantur, ſi quidem in hunc unum & præſtantiſſimus dux electus, & tota reſp. armata eſt. Sed quis non intelligit, omneis tibi reip. parteis *ægras*, & labanteis, ut eas his armis ſanares, & confirmares, eſſe commiſſas? Quòd ſi Miloni locus datus eſſet: probaſſet profectò tibi ipſi, neminem umquam hominem homini cariorem fuiſſe, quàm te ſibi: nullum ſe umquam periculum pro tua dignitate fugiſſe: cum illa ipſa tæterrima peſte ſæpiſſimè pro tua gloria contendiſſe: tribunatum ſuum ad ſalutem meam, quæ tibi cariſſima fuiſſet, conſiliis tuis gubernatum: ſe à te poſtea defenſum in periculo capitis, adjutum in petitione præturæ: duos ſe habere ſemper amiciſſimos ſperaſſe: te tuo beneficio, me ſuo. quæ ſi non probaret: ſi tibi ita [4] penitus inſediſſet iſta ſuſpicio; nullo ut evelli modo poſſet: ſi denique Italia à delectu, urbs ab armis, ſine Milonis clade numquam eſſet conquietura: næ iſte haud dubitans ceſſiſſet patria, is, qui ita natus eſt, & ita conſuevit: te, Magne, tamen anteſtaretur; quod nunc etiam facit. [5] Vide, QUAM 26

SIT varia vitæ, commutabiliſque ratio, quàm vaga, volubiliſque fortuna, quantæ infidelitates in amicis, quàm ad tempus aptæ ſimulationes, quantæ in periculis fugæ proximorum, quantæ timiditates. erit, erit, illud profectò tempus, & illuceſcet aliquando ille dies, cùm tu, ſalutaribus, ut ſpero, rebus tuis, ſed fortaſſe motu aliquo communium temporum immutatis (qui quàm crebrò accidat, experti debemus ſcire) & amiciſſimi benivolentiam, & graviſſimi hominis fidem, & unius poſt homineis natos fortiſſimi viri magnitudinem animi deſideres. Quamquam quis hoc credat, Cn. Pompeium, juris publici, moris majorum, rei denique publicæ peritiſſimum, cùm ſenatus ei commiſerit, ut videret, NE QUID RESPUBLICA DETRIMENTI CAPERET: quo uno verſiculo ſatis armati ſemper conſules fuerunt, etiam nullis armis datis: hunc exercitu, hunc delectu dato, judicium exſpectaturum fuiſſe in ejus conſiliis vindicandis, [6] qui vel judicia ipſa tolleret? [7] Satis judicatum eſt à Pompejo, ſatis; falsò iſta conferri in Milonem: qui legem tulit, qua, ut ego ſentio, Milonem [8] abſolvi à vobis oporteret: ut omnes confitentur, liceret. Quòd verò in illo loco, atque in illis publicorum præſidiorum copiis circumfuſus ſedet: ſatis declarat, ſe non terrorem inferre vobis (quid enim illo minùs dignum, quàm cogere, ut vos eum condemnetis, in quem animadvertere ipſe & more majorum, & ſuo jure poſſet?) ſed præſidio eſſe: ut intelligatis, contra heſternam concionem illam licere vobis, quod ſentiatis, liberè judicare. Nec verò me, judices, Clodianum 27

crimen movet: nec tam ſum demens, tamque veſtri ſenſus ignarus, atque expers, ut neſciam, quid de morte Clodii *ſentiatis*. de qua ſi jam nollem ita diluere crimen, ut dilui, tamen impunè Miloni palàm clamare, [9] atque mentiri glorioſè liceret: occidi, occidi, non Sp. Melium, qui annona levanda, jacturiſque rei familiaris, quia *nimis amplecti* plebem putabatur, in ſuſpicionem incidit regni appetendi: non Ti. Gracchum, qui collegæ magiſtratum per ſeditionem abrogavit: quorum interfectores implerunt orbem terrarum nominis ſui gloria: ſed eum (auderet enim dicere, cùm patriam periculo ſuo liberaſſet) cujus nefandum adulterium in pulvinaribus ſanctiſſimis nobiliſſimæ fæminæ comprehenderunt: eum, cujus ſupplicio ſenatus ſollemneis religiones expiandas ſæpe cenſuit: eum, quem cum ſorore germana nefarium ſtuprum feciſſe L. Lucullus juratus ſe, quæſtionibus habitis, dixit comperiſſe: eum, qui civem, quem ſenatus, quem populus, quem omnes gentes, urbis ac vitæ civium conſervatorem judicabant, ſervorum armis exterminavit: eum, qui regna dedit, ademit: orbem terrarum, quibuſcum voluit, partitus eſt: eum, qui, plurimis cædibus in foro factis, ſingulari virtute, & gloria civem domum vi, & armis compulit: eum, cui *nihil umquam nefas* fuit nec in facinore: nec in libidine: eum, qui ædem Nympharum incendit, ut [10] memoriam publicam recenſionis, tabulis publicis impreſſam, exſtingueret: eum denique, cui jam nulla lex erat, nullum civile jus, nulli poſſeſſionum *termini*: qui non calumnia litium, non injuſtis vindiciis ac ſacramentis alienos fundos, ſed caſtris, exer-

1. *Pro ictu gladiatoris probari.*] Turing. & Hittorp. iſtud nobis largiuntur. præferendum omnino vulgatæ lectioni, in qua *putari*. ſic Terentius; *facito ut pro eunucho probes*. conſule Modium quoque Epiſtola XXXIX.

2. *Diligentiam tota rep. ſuſcepta, nimiam nullam, &c.*] Pal. ſec. *ſuſpecta*. Colon. *dil. pro tota, &c.* arbitratur Gulielmius reponendum, *dil. pro tota repub. ſuſceptam, nimiam*, egregia planaque ſententia.

3. *Tuas, tuas, inquam ſuſpiciones.*] Geminavi vocem ſuaſu Uverdenſis, longe παθητικωτέρως id ſimplice.

4. *Penitus inhæſiſſet iſta ſuſpicio.*] Ita Uverd. Hitt. Erfurd. quos cur non ſecutus ſit Lambinus cauſam non video. vulgò *inſediſſet*.

5. *Vide quàm ſit varia.*] Hittorp. codex, *Vides*. & videtur ſententiæ convenientius.

6. *Qui vel judicia ipſa tolleret.*] Baſilic. *qui vi judicia, &c.* & videtur verius.

7. *Satis judicatum eſt à Pompejo, ſatis, &c.*] Elegans ἐπάνοδος, quam habet Erfurt. & Uverdenſis.

8. *Abſolvi à vobis oporteret.*] Supplevi è Uverd. & Hittorpiano.

9. *Atque mentiri glorioſè.*] Gulielmius probat quod reperit in Baſil. *metiri. glorioſè metiri*, eſt jactare ſe & oſtentare rem geſtam. Sic Lælio: *nec virtutem verborum magnificentia metiamur.*

10. *Memoriam recenſionis.*] Servat hanc vulgatam præter Pall. Ahalæ liber, item Baſilic. atque Uverd. tueturque contra Lambinum amiciſſimus Schottus, libro III. Nod. cap. 13.

exercitu, ſignis inferendis petebat: qui non ſolùm Etruſcos (eos enim penitus contemſerat) [1] ſed hunc Cn. Pompejum, virum fortiſſimum, atque optimum civem, judicem noſtrum, pellere poſſeſſionibus, armis caſtriſque conatus eſt: qui cum architectis, & decempedis villas multorum, hortoſque peragrabat: qui Janiculo, & Alpibus ſpem poſſeſſionum *terminabat* ſuarum: qui cùm ab equite Romano, ſplendidiſſimo, & forti viro, T. Pacavio non impetraſſet, ut inſulam in lacu Pretio venderet, repentè lintribus in eam inſulam materiam, calcem, cæmenta, atque arma convexit: dominoque trans ripam inſpectante, non dubitavit ædificium exſtruere *in alieno:* qui huic T. Furfanio, cui viro, dii immortales? ([2] quid enim ego de muliercula Scantia? quid de adoleſcente Apronio dicam? quorum utrique mortem eſt minitatus, niſi ſibi hortorum poſſeſſione ceſſiſſet) ſed auſus eſt Furfanio dicere, ſi ſibi pecuniam, quantam popoſcerat, non dediſſet, mortuum ſe in domum ejus illaturum: qua invidia huic eſſet tali viro conflagrandum: qui Appium fratrem, hominem mihi conjunctum fidiſſima gratia, abſentem de poſſeſſione fundi dejecit: qui parietem ſic per veſtibulum ſororis inſtituit ducere, ſic agere fundamenta, ut ſororem non modò veſtibulo priva-
28 ret, ſed omni [3] aditu, & limine. Quamquam hæc quidem jam tolerabilia videbantur: etſi æquabiliter in remp. in privatos: in longinquos, in propinquos: in alienos, in ſuos irruebat: ſed neſcio quomodo jam uſu obduruerat, & percalluerat civitatis incredibilis *patientia.* Quæ verò aderant jam, & impendebant, quonam modo ea aut depellere potuiſſetis, aut ferre? [4] Imperium ſi ille nactus eſſet (omitto ſocios, exteras nationes, reges, tetrarchas. vota enim faceretis, ut in eos ſe potiùs mitteret, quam in veſtras poſſeſſiones) veſtra tecta, veſtras pecunias. pecunias dico? à liberis, à liberis medius fidius, & conjugibus veſtris numquam ille effrenatas ſuas libidines cohibuiſſet. Fingi hæc putatis, quæ patent? [5] hæc quæ nota ſunt omnibus? quæ tenentur? ſervorum exercitus illum in urbe conſcripturum fuiſſe, per quos totam rempub. reſque privatas omnium poſſideret? Quamobrem, ſi cruentum gladium tenens clamaret T. Annius, ADESTE, quæſo, atque audite cives: P. Clodium interfeci: ejus furores, quos nullis jam legibus, nullis judiciis frenare poteramus, hoc ferro, & hac dextera à cervicibus veſtris repuli; [6] per me ut unum, jus, æquitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in civitate manerent: [7] eſſet verò timendum, quonam modo id ferret civitas. nunc enim quis eſt, qui non probet? qui non laudet? qui non unum poſt hominum memoriam T. Annium plurimùm *reip. profuiſſe*, maxima lætitia populum Rom. cunctam Italiam, nationes omneis affeciſſe, & dicat, & ſentiat? Nequeo, vetera illa populi Rom. quanta fuerint gaudia, judicare. multas tamen jam ſummorum imperatorum clariſſimas victorias ætas noſtra vidit: quarum nulla neque tam diuturnam attulit lætitiam, nec tantam. Mandate hoc memoriæ, judices. ſpero multa vos, liberoſque veſtros [8] in rep. bona eſſe viſuros. in his ſingulis ita ſemper exiſtimabitis, vivo P. Clodio, nihil eorum vos viſuros fuiſſe. in ſpem maximam, & quemadmodum confido, veriſſimam adducti ſumus, hunc ipſum annum, hoc ipſo ſummo viro conſule, [9] compreſſa hominum licentia, cupiditatibus fractis, legibus & judiciis conſtitutis, ſalutarem civitati fore. Num quis igitur eſt tam demens, qui hoc, P. Clodio vivo, contingere potuiſſe arbitretur? Quid? ea, quæ tenetis, *privata*, atque veſtra, dominante homine furioſo, quod jus perpetuæ poſſeſſionis habere potuiſſent?
Non timeo, judices, ne odio inimicitiarum mearum in- 29
flammatus, libentiùs hæc in illum evomere videar, quàm veriùs. etenim etſi præcipuum eſſe debebat; tamen ita communis erat omnium ille hoſtis, ut in communi odio pænè æqualiter verſaretur odium meum. Non poteſt dici ſatis, ne cogitari quidem, quantum in illo ſceleris, quantum exitii fuerit. Quin ſic attendite, judices. nempe hæc eſt quæſtio de interitu P. Clodii. fingite animis: *liberæ* enim ſunt *cogitationes* noſtræ; & quæ volunt, ſic intuentur, [10] ut ea cernimus, quæ videmus: fingite igitur cogitatione imaginem hujus conditionis meæ: ſi poſſim efficere, ut Milonem abſolvatis: ſed ita, ſi P. Clodius revixerit. quid vultu extimuiſtis? quonam modo ille vos vivus afficeret, qui *mortuus* inani cogitatione percuſſit? Quid? ſi ipſe Cn. Pompejus, qui [11] ea virtute, ac fortuna eſt, ut ea potuerit ſemper, quæ nemo præter illum: ſi is, inquam, potuiſſet, ut quæſtionem de morte P. Clodii ferre, ſic ipſum ab inferis excitare: utrum putatis potius facturum fuiſſe? etiam ſi propter amicitiam vellet illum ab inferis revocare, propter remp. non feciſſet. Ejus igitur mortis ſedetis ultores, cujus vitam ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis: & de ejus nece lata quæſtio eſt, qui ſi eadem lege reviviſcere poſſet, lata lex numquam eſſet. [12] Hujus ergo interfector ſi eſſet; in confitendo ab iiſne pœnam timeret, quos liberaviſſet? Græci homines deorum honores tribuunt iis viris, qui *tyrannos* necaverunt. Quæ ego vidi Athenis? quæ aliis in urbibus Græciæ? quas res divinas talibus inſtitutas viris? quos cantus? quæ carmina? [13] propè ad immortalitatis & religionem, & memoriam conſecrantur. Vos tanti conſervatorem populi, tanti ſceleris ultorem, non modò honoribus nullis afficietis, ſed etiam ad ſupplicium rapi patiemini? Confiteretur, confiteretur, inquam, ſi feciſſet, [14] & magno animo, & libente ſe feciſſe, libertatis omnium cauſa. [15] quod ei certè non confitendum modò, verùm etiam præ-
dicandum. Etenim, ſi id non negat, ex quo nihil petit, niſi 30
ut ignoſcatur: dubitaret id fateri, ex quo etiam præmia laudis eſſent petenda? niſi verò gratius putat eſſe vobis [16] ſui ſe capitis, quàm veſtri ordinis defenſorem fuiſſe: cùm præſertim in ea confeſſione, ſi grati eſſe velletis, honores aſſequeretur ampliſſimos. ſi factum vobis non probaretur (quamquam qui poterat *ſalus ſua* cuique non probari?) ſed

tamen

1. *Sed hunc Q. Varium.*] Sequor Erfurd. exemplar, cui proximum quod Ahala contulit, in quo, *Q. Varium.* nam Hitt. *P. Varum.* Uverd. *P. Varium.* Pall. noſtri Italici vulgato adhærent, præferuntque *Cn. Pompejum.*

2. *Quid enim ego de muliercula Scantia? quæ de adol. Aponio.*] Pronomen *ego* eſt ab Erfurd. & Colon. de *Scantia* & *Aponio* conſule d. cap. Schottum noſtrum. nam libri noſtri mirè variant.

3. *Aditu & limine.*] Ita & ſcripti noſtri & Victorii, qui adeatur libro XX. Var. lect. cap. 18.

4. *Imperium ſi ille nactus eſſet, &c.*] Periodos has tres quatuor diſtinxi præeunte Schotto noſtro: ſcriptura verò ad verbum ſumpta eſt à Baſilicano. laborarunt heic multum præter Lambinum P. Victorius lib. XX. cap. 18. Franc. Modius Novantiquarum lectionum Epiſtola XLV.

5. *Hæc quæ nota ſunt.*] Addidi pronomen fide ejuſdem codicis; & robur aliquod eſt in repetitione ejus.

6. *Per me ut unum, jus, æquitas, &c.*] Eſt & iſtud ab eodem libro, cui etiam reſpondent Pall. & Grut. & Uverd.

7. *Eſſet verò timendum, &c.*] Et hujus loci ſanitas acceptum ferenda Erfurd. Colonienſ. & Uverdenſ. membranis. abeſt quidem Italicis noſtris illud *factum*; ſed ſervant tamen *enimverò*.

8. *In rep. bona eſſe viſuros.*] Uverdenſis repetit, *in rep. multa bona, &c.* Ciceronianè; adſcripſit Gulielmius.

9. *Compreſſa hominum licentia.*] Eſt à Uverdenſ. & Hittorp. vulgata enim *concuſſa*; quæ neſcio an omnino damnanda fuerit.

10. *Ut ea cernimus quæ videmus.*] Gulielmio perplacet lectio Baſilic. *cernamus quæ non videmus.*

11. *Ea virtute ac fortuna eſt.*] Ita liber Ahalæ & Uverdenſis; non *ſapientia eſt*, ut prius cuſi. Ex eodem Uverd. & Hittorp. ſtatim addidi voculam *potius.*

12. *Hujus ergo interfector.*] Lectio item debita poſtremis duobus, firmataque à Priſciano. conſulatur Lambinus.

13. *Prope ad immortalitatis & religionem, &c.*] Ita lego ex Colon. atque Erfurd. pro vulgato *immortalitatem.*

14. *Et magno animo & libente ſe feciſſe.*] Minus concinnè recepta lectio *libenter*. altera eſt ab Hittorpiano.

15. *Quod ei certè non confitendum modò, &c.*] Vulgata adjecerat *fuiſſet*, quod abjeci ſuadentibus Pall. in quibus non comparebat.

16. *Sui ſe capitis quàm veſtri ordinis, &c.*] Vox *ordinis* non eſt in Colonienſi, & verè abundat. neque enim judicum ordinem intelligit tantum, quamvis eos alloquatur; ſed per eos συνεκδοχικῶς populum Rom.

1. Qui

tamen ſi minùs fortiſſimi viri virtus civibus grata cecidiſſet: magno animo, conſtantique cederet ex ingrata civitate. nam QUID ESSET ingratius, quam lætari ceteros, lugere eum ſolum, propter quem ceteri lætarentur? Quamquam hoc animo ſemper fuimus omnes in patriæ proditoribus opprimendis, ut, quoniam noſtra futura eſſet gloria, periculum quoque, & invidiam, noſtram putaremus. nam quæ mihi ipſi tribuenda laus eſſet, cùm tantum in conſulatu meo pro vobis, ac liberis veſtris auſus eſſem, ſi id, quod conabar, ſine maximis dimicationibus meis me eſſe auſurum arbitrarer? quæ mulier ſceleratum ac pernicioſum civem occidere non auderet, ſi *periculum* non timeret? PROPOSITA invidia, morte, pœna, qui nihilo ſegniùs remp. defendit, is vir verè putandus eſt. Populi *grati* eſt, præmiis afficere benè meritos de rep. civeis: viri fortis, ne ſuppliciis quidem moveri, ut fortiter feciſſe *pœniteat*. Quamobrem uteretur eadem confeſſione T. Annius, qua Ahala, qua Naſica, qua Opimius, qua Marius, qua noſmetipſi: &, ſi grata reſp. eſſet, lætaretur: ſi ingrata, tamen in gravi fortuna, *conſcientia* ſua niteretur. Sed hujus beneficii gratiam, judices, fortuna populi Rom. & veſtra felicitas, & dii immortales ſibi deberi putant. nec verò quiſquam aliter arbitrari poteſt, niſi [1] qui nullam vim eſſe ducit, *numenve divinum:* quem neque imperii veſtri magnitudo, neque ſol ille, nec cæli, ſignorumque motus, nec viciſſitudines rerum, atque ordines movent, neque, id quod maximum eſt, majorum noſtrorum ſapientia: qui ſacra, qui cæremonias, qui auſpicia & ipſi ſanctiſſime coluerunt, & nobis,
31 ſuis poſteris, prodiderunt. EST, EST PROFECTO illa vis: neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate noſtra ineſt quiddam, quod vigeat, & ſentiat, & non ineſt in hoc tanto naturæ, tam præclaro motu. niſi fortè idcirco eſſe non putant, quia non apparet, nec *cernitur:* proinde quaſi noſtram ipſam mentem, qua ſapimus, qua providemus, qua hæc ipſa agimus, ac dicimus, videre, aut planè qualis, aut ubi ſit, ſentire poſſimus. [2] ea vis, ea igitur ipſa, quæ ſæpe incredibileis huic urbi felicitates, atque opes attulit; quæ illam perniciem exſtinxit, ac ſuſtulit: cui primùm mentem injecit, ut vi irritare, ferroque laceſſere fortiſſimum virum auderet, vinceretur que ab eo, quem ſi viciſſet, habiturus eſſet impunitatem, & licentiam ſempiternam. Non eſt *humano conſilio*, ne mediocri quidem, judices, deorum immortalium cura, res illa perfecta. [3] religiones mehercule ipſæ, quæ illam belluam cadere viderunt, commoſſe ſe videntur, & jus in illo ſuum retinuiſſe. [4] Vos enim jam, Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro, atque teſtor, voſque Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum populi Rom. ſociæ, & æquales, quas ille præceps amentia, cæſis, proſtratiſque ſanctiſſimis lucis, ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat: [5] veſtræ tum aræ, veſtræ religiones viguerunt, veſtra vis valuit, quam ille omni ſcelere polluerat: [6] tuque ex tuo edito monte Latiari, ſancte Jupiter, [7] cujus ille lacus, nemora, fineiſque ſæpe omni nefario ſtupro, & ſcelere macularat, aliquando ad eum puniendum [8] oculos aperuiſtis: vobis illæ, vobis veſtro in conſpectu *feræ, ſed juſtæ* tamen, & debitæ pœnæ ſolutæ ſunt. niſi fortè hoc etiam [9] caſu factum eſſe dicemus, ut ante ipſum ſacrarium Bonæ deæ, quod eſt in fundo [10] T. Sextii Galli, in primis honeſti, & ornati adoleſcentis, ante ipſam, inquam, Bonam deam, cùm prœlium commiſiſſet, primùm illud vulnus acciperet, quo tæterrimam mortem obiret: ut non abſolutus judicio illo nefario videretur, ſed ad hanc inſignem pœnam *reſervatus*. Nec verò non eadem ira deo- 32
rum hanc ejus ſatellitibus injecit amentiam, ut ſine imaginibus, ſine cantu, atque ludis, ſine exſequiis, ſine lamentis, ſine laudationibus, ſine funere, oblitus cruore, & luto, ſpoliatus illius ſupremi diei celebritate, quam concedere etiam *inimici* ſolent, ambureretur abjectus. non fuiſſe credo fas clariſſimorum virorum formas illi tæterrimo parricidæ aliquid decoris afferre, neque ullo in loco potiùs mortem ejus lacerari, quàm in quo vita eſſet damnata. Dura mihi, medius fidius, jam fortuna populi Romani & crudelis videbatur, quæ tot annos illum in hanc rempub. inſultare videret, & pateretur. Polluerat ſtupro ſanctiſſimas religiones: ſenatus graviſſima decreta perfregerat: pecunia ſe palàm à judicibus *redemerat:* vexarat in tribunatu ſenatum: omnium ordinum conſenſu pro ſalute reipub. geſta reſciderat: me patria expulerat: bona diripuerat: domum incenderat: liberos, conjugem meam vexaverat: Cn. Pompejo nefarium bellum indixerat: magiſtratuum, privatorumque cædeis effecerat: domum mei fratris incenderat: vaſtarat Etruriam: multos ſedibus, ac fortunis ejecerat: inſtabat, urgebat: *capere* ejus amentiam civitas, Italia, provinciæ, regna non poterant: incidebantur jam domi leges, quæ nos noſtris ſervis addicerent: nihil erat cujuſquam, quod quidem ille *adamaſſet*, quod non hoc anno ſuum fore putaret: obſtabat ejus cogitationibus nemo, præter Milonem. [11] ipſum illum qui poterat obſtare, novo reditu in gratiam quaſi devinctum arbitrabatur: Cæſaris potentiam, [12] ſuam eſſe dicebat: bonorum animos etiam in meo caſu contemſerat: Milo unus urgebat. Hìc dii im- 33
mortales, ut ſuprà dixi, mentem dederunt illi perdito, ac furioſo, ut huic faceret inſidias. aliter perire peſtis illa non potuit: numquam illum reſp. ſuo jure eſſet ulta. Senatus credo, *prætorem* eum circumſcripſiſſet. ne cùm ſolebat quidem id facere in privato eodem hoc, aliquid profecerat. An conſules in prætore coërcendo fortes fuiſſent? Primùm Milone occiſo, habuiſſet *ſuos conſules*. deinde quis in eo prætore conſul fortis eſſet, [13] per quem tribunum, virtutem conſularem crudeliſſimè vexatam eſſe meminiſſet? oppreſſiſſet omnia, poſſideret, teneret, lege nova, quæ eſt inventa apud eum cum reliquis legibus Clodianis: ſervos noſtros, libertos ſuos feciſſet. poſtremò, niſi eum dii immortales in eam mentem impuliſſent, ut homo effæminatus fortiſſimum virum conaretur occidere, hodie *rempub. nullam haberetis*. An ille prætor, ille verò conſul, ſi modò hæc

1. *Qui nullam vim eſſe ducit numenve divinum.*] Sic Pall. aliquot, ſic Uverd. Hittorp. Grut. nam nonnulli, *qui nullam majeſtatem eſſe putat numenve divinum*, quomodo & primitus impreſſi. poſteriores enim *vim cœleſtem eſſe exiſtimat, numenve d.*

2. *Ea vis, ea igitur ipſa, quæ, &c.*] Eſt ab Erfurdiano, elegantius ſanè quam ſi adderetur *eſt* vulgo receptum.

3. *Religiones mehercule ipſæ, quæ illam belluam, &c.*] Haud aliter Uverd. item Baſilicanus, niſi quod hic præferat *regiones*, quod amplectitur Gulielmius. vulgata, *ipſa aræque cum illam*. ſed ita nulli mſſ. qui omnes habent, *ipſæ cùm illam, &c.*

4. *Vos enim jam Albani, &c. imploro atque teſtor.*] Sic Colonienſis, non *obteſtor*, additaque particula *jam*; quæ item in Uverdano.

5. *Veſtræ tum aræ, veſtræ religiones.*] Modius malebat Epiſt. XLV. *veſtræ tum religiones*. ego, *veſtræ tum, veſtræ religiones:* ut librarii repetitionis illius elegantia minime capti interpoſuerint illud *aræ*.

6. *Tuque ex tuo edito monte Latiari, ſancte Jupiter.*] Exhibui ſcripturam Colonienſis exemplaris, neque abibat Uverdenſis, niſi quod is *Latiaret*, ut videatur ſcriptum primitus *Latiarei*.

7. *Cujus ille lacus, nemora, &c.*] Sic reſcripſi, ejecto Lambini, *lucos*, invecto libris omnibus editis ſcriptiſque invitiſſimis. & cui ignotus *Lacus Albanus?* illum enim intelligit.

8. *Oculos aperuiſtis.*] Ita Pall. aliquot, & Grut. & Colon. reſpondetque magis ſequentibus.

9. *Caſu factum eſſe dicemus.*] Efficacius, iſtud, repertumque in Pall. aliquot ac Colonienſ. & Uverdenſ. quam receptum *dicimus*.

10. *T. Sextii Galli.*] Libri calamo exarati in Germania, *Sertii*. & vero *Cn. Sertii* mentio in Verrem lib. II. cap. 48.

11. *Ipſum illum qui poterat obſtare, novo reditu, &c.*] Ita Colon. & Uverd. neque verò aliter aut legendum, aut interpungendum. *Cn. Pompejum*, quem vulgati adjiciunt. nominare de induſtria omiſit, vitandæ invidiæ cauſa. & ſanè in Pall. aliquot reperias vel *Gn. Pompeii*, vel *Gn.* tantum; appareat additum a librariis.

12. *Suam eſſe dicebat.*] Auctoritate Colonienſis delevi verbum *potentiam*, quod neque in Gruteriano erat.

13. *Per quem tribunum, virtutem conſularem crudeliſſimè vexatam eſſe meminiſſet? oppreſſiſſet omnia, teneret, poſſideret, lege nova, quæ eſt, &c.*] Præclara hæc caſtigatio debita Turingico libro nec non Colon. atque Uverd. & verò *virtute*, exſtat in aliquot Pall. ceterùm oratio plenior planiorque foret, voce repetita: *Oppreſſiſſet omnia, omnia teneret, &c.*

hæc templa, atque ipſa mœnia ſtare eo vivo tamdiu, & conſulatum ejus exſpectare potuiſſent, ille denique vivus, mali nihil feciſſet, qui mortuus, uno ex ſuis ſatellitibus Sex. Clodio duce, curiam incenderit? Quo quid miſerius, quid acerbius, quid luctuoſius vidimus? Templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici, [1] caput urbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem ab univerſo populo Romano conceſſam uni ordini, inflammari, exſcindi, funeſtari? neque id fieri à multitudine imperita, quamquam eſſet miſerum id ipſum, ſed *ab uno*: qui [2] cùm tantum auſus ſit uſtor pro mortuo, quid ſignifer pro vivo non eſſet auſus? In curiam potiſſimùm abjecit, ut eam mortuus incenderet, quam vivus everterat. Et ſunt qui de via Appia querantur, taceant de curia? [3] & qui ab eo ſpirante forum putent potuiſſe defendi, cujus non reſtiterit cadaveri curia? Excitate, excitate eum, ſi poteſtis, ab inferis. frangetis impetum vivi, cujus vix ſuſtinetis furias inſepulti? niſi verò ſuſtinuiſtis eos, qui cum facibus ad curiam cucurrerunt, [4] cum falcibus ad Caſtoris, cum gladiis toto foro volitarunt. Cædi vidiſtis populum Rom. concionem gladiis diſturbari, cùm audiretur ſilentio M. Cœlius, tribunus plebis, [5] vir & in rep. fortiſſimus, & in ſuſcepta cauſa firmiſſimus, & bonorum voluntati, & auctoritati ſenatus deditus, & in hac Milonis ſive invidia ſive fortuna,
34 ſingulari, divina, & incredibili fide. Sed jam ſatis multa de cauſa: extra cauſam etiam nimis fortaſſe multa. Quid reſtat, niſi ut orem, obteſterque vos, judices, ut eam *miſericordiam* tribuatis fortiſſimo viro, quam ipſe non implorat: ego etiam, repugnante hoc, & imploro, & expoſco? Nolite, ſi in noſtro omnium fletu nullam lacrymam adſpexiſtis Milonis: ſi vultum ſemper eundem, ſi vocem, ſi orationem ſtabilem, ac non mutatam videtis, hoc minùs ei parcere: atque haud ſcio, an multo etiam ſit *adjuvandus* magis. Etenim ſi in gladiatoriis pugnis, & in infimi generis hominum conditione, atque fortuna, timidos & ſupplices, &, ut vivere liceat, obſecranteis, etiam odiſſe ſolemus: forteis, & [6] animoſos, & ſe acriter ipſos morti offerenteis, ſervare cupimus: eorumque nos magis miſeret, qui noſtram miſericordiam non requirunt, quàm qui illam efflagitant: quanto hoc magis in fortiſſimis civibus facere debemus? Me quidem, judices, exanimant, & interimunt hæ voces Milonis, quas audio aſſiduè, & quibus interſum quotidie. [7] *Valeant*, valeant, inquit, cives mei, valeant: ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati: ſtet hæc urbs præclara, mihique patria cariſſima, quoquo modo merita de me erit. tranquilla rep. cives mei (quoniam mihi cum illis non licet) ſine me ipſi, ſed per me tamen, perfruantur. ego cedam, atque abibo. ſi mihi rep. bona frui non licuerit, at *carebo mala*: & quam primùm tetigero bene moratam, & liberam civitatem, in ea conquieſcam. O fruſtra, inquit, ſuſcepti mei labores! ô ſpes fallaces! ô cogitationes inanes meæ! Ego, cum tribunus pleb. rep. oppreſſa, me ſenatui dediſſem, quem exſtinctum acceperam: equitibus Romanis, quorum vires erant debiles: bonis viris, qui omnem auctoritatem Clodianis armis abjecerant: mihi umquam bonorum *præſidium* defuturum putarem? Ego, cùm te (mecum enim ſæpiſſimè loquitur) patriæ reddidiſſem, mihi futurum in patria non putarem locum? Ubi nunc ſenatus eſt, quem ſecuti ſumus? ubi equites Rom. illi, illi, inquit, tui? ubi ſtudia municipiorum? ubi Italiæ voces? ubi denique tua, M. Tulli, quæ plurimis fuit auxilio, vox, & defenſio? mihine ea ſoli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil poteſt opitulari? Nec verò hæc, 35
judices, ut ego nunc, flens, ſed hoc eodem loquitur vultu, quo videtis. negat enim, ſe, negat *ingratu* civibus feciſſe, quæ fecit: timidis, & omnia circumſpicientibus pericula, non negat. plebem, & infimam multitudinem, quæ P. Clodio duce, fortunis veſtris imminebat, [8] eam, quo tutior eſſet vita noſtra ſuam ſe feciſſe commemorat; ut non modò virtute flecteret, ſed etiam tribus ſuis patrimoniis deliniret: nec timet, ne, cùm plebem muneribus placarit, vos non conciliarit meritis in rempub. ſingularibus. Senatus erga ſe benivolentiam temporibus his ipſis ſæpe eſſe perſpectam: veſtras verò, & veſtrorum ordinum occurſationes, ſtudia, ſermones, quemcumque [9] curſum fortuna dederit, ſecum ſe ablaturum eſſe dicit. Meminit etiam, ſibi vocem præconis modò defuiſſe, quam minime deſiderarit: populi verò cunctis ſuffragiis, quod unum cupierit, ſe conſulem declaratum. nunc denique, ſi hæc arma contra ſe ſint futura, ſibi facinoris ſuſpicionem, non facti crimen obſtare. Addit hæc, quæ certè vera ſunt, FORTEIS, ET SAPIENTEIS VIROS non tam præmia ſequi ſolere rectè factorum, quàm ipſa rectè facta: ſe nihil in vita, niſi præclariſſimè feciſſe; ſi quidem nihil ſit præſtabilius viro, quàm periculis patriam liberare: beatos eſſe, quibus ea res honori fuerit à ſuis civibus: nec tamen eos miſeros, qui beneficio civeis ſuos vicerint: ſed tamen ex omnibus præmiis virtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorum, ampliſſimum eſſe præmium, *gloriam*: eſſe hanc unam, quæ brevitatem vitæ poſteritatis memoria conſolaretur: quæ efficeret, ut abſentes adeſſemus, mortui viveremus: hanc denique eſſe, cujus gradibus etiam homines in cælum videantur adſcendere. De me, inquit, ſemper populus Rom. ſemper omnes gentes loquentur, nulla umquam obmuteſcet *vetuſtas*. quin hoc tempore ipſo, cùm omnes [10] à meis inimicis faces meæ invidiæ ſubjiciantur, tamen omni in hominum cœtu, gratiis agendis, & gratulationibus habendis, & omni ſermone celebramur. Omitto Etruriæ feſtos, & actos, & inſtitutos dies. centeſima lux eſt hæc ab interitu P. Clodii, [11] &, ut opinor, altera: quà fines imperii populi Rom. ſunt, ea non ſolùm fama jam de illo, ſed etiam *lætitia* peragravit. Quamobrem, ubi corpus hoc ſit, non, inquit, laboro, quoniam omnibus in terris & jam verſatur, & ſemper habitabit nominis mei gloria. Hæc tu mecum ſæpe, his ab- 36
ſentibus: ſed iiſdem audientibus, hæc ego tecum, Milo. Te quidem, quòd iſto animo es, ſatis laudare non poſſum: ſed, quo eſt iſta magis divina virtus, eo majore à te dolore divellor. nec verò, ſi mihi eriperis, [12] reliqua eſt illa ſaltem ad conſolandum querela, ut his iraſci poſſim, à quibus tantum vulnus accepero. non enim inimici mei te mihi eripient, ſed amiciſſimi: non malè aliquando de me meriti, ſed ſemper optimè. Nullum umquam, judices, mihi tantum dolorem inuretis (etſi quis poteſt eſſe tantus?) ſed ne hunc quidem ipſum, ut obliviſcar, quanti me ſemper feceritis.

1. *Caput urbis.*] Baſilicanus, *orbis*. forſan vere; imò certò, ſi alicubi *orbem* dixit pro *orbe terrarum*. de quo quærat otioſior me.

2. *Cum tantum auſus ſit uſtor pro mortuo, &c.*] Hæc placuit ſcriptio pro publicato *alter*. eſt autem à Colonienſibus membranis.

3. *Et qui ab eo ſpirante putent potuiſſe defendi, &c.*] Hæc eſt ſcriptura præclaræ illius trigæ, Erfurd. Colon.

4. *Cum falcibus ad Caſtoris.*] Mallet Gulielmius aliorum *faſcibus*: quod ſcribat Aſconius concitatam multitudinem cum faſcibus ex Libitinæ [illegible] raptis per urbem pervagatam.

5. *Vir & in rep. fortiſſimus, &c.*] Supplevit locum Colon. ac Uverdenſis.

6. *Animoſos, & ſe acriter ipſos morti off.*] Liquidò iſtud habet, Baſilicanus, vulgò *ipſi*. Gulielmius præterea cuperet *alacriter*.

7. *Valeant, valeant, inquit mei cives, valeant.*] Ita haud parum παθητικώτερον Colonienſis.

8. *Eam quo tutior eſſet vita noſtra, ſuam ſe feciſſe.*] Rectiſſimè & hoc Colonienſis. ſic Terentius: *Paullatim plebem primulum facio meam.* Dictio *ſuam* antea aberat libris editis.

9. *Curſum fortuna dederit.*] Propugnat hanc ſcriptionem Victorius libro XXII. cap. 22. vulgata *caſum*. Colon. *fortunæ ceperit*.

10. *A meis inimicis faces meæ invidiæ.*] Ita maluit jubente libro Colon. Gulielmius, quam hiſdem omnibus invitis Lambinum ſequi, reſcribentem *tuis*. vulgata *ſuis*.

11. *Et ut opinor altera: qua fines imp. pop. Rom. ſunt, ea non, &c.*] Sic Hitt. & Uverd. nec dubitandum de integritate, *qua*, id eſt, quam longè. Horatius: ---- *ò quà Sol habitaleis Illuſtrat oras, maxime Principum.* neque aliter Pall. meliores, niſi quod ii deſtituantur illo *ea*.

12. *Reliqua eſt illa ſaltem.*] Appoſitè magis ſic Colon. quàm *tamen*, quod in vulgato.

1. Si

ritis. quæ ſi vos cepit oblivio, aut ſi in me aliquid offendiſtis: cur non id *meo capite* potiùs luitur, quàm Milonis? præclarè enim vixero, ſi quid mihi acciderit priùs, quàm hoc tantum mali videro. Nunc me una conſolatio ſuſtentat, quod tibi, T. Anni, nullum à me amoris, nullum ſtudii, nullum pietatis officium defuit. Ego *inimicitias potentium* pro te appetivi: ego meum ſæpe corpus, & vitam objeci armis inimicorum tuorum: ego me plurimis pro te ſupplicem abjeci: bona, fortunas meas, ac liberorum meorum, in communionem tuorum temporum contuli: hoc denique ipſo die, ſi qua vis eſt parata, [1] ſi qua diminutio capitis futura, depoſco. Quid jam reſtat? quid habeo, quod dicam? quod faciam pro tuis in me meritis, niſi ut eam fortunam, quæcumque erit tua, *ducam meam?* Non recuſo, non abnuo: voſque obſecro, judices, ut veſtra beneficia, quæ in me contuliſtis, aut in hujus ſalute augeatis,
37 aut in ejuſdem exitio [2] occaſura eſſe videatis. His lacrymis non movetur Milo. eſt quodam [3] incredibili robore animi: EXSILIUM ibi eſſe putat, ubi virtuti non ſit locus: mortem, naturæ finem eſſe, non pœnam. [4] Sit hic ea mente, qua natus eſt. quid vos, judices? quo tandem animo eritis? memoriam Milonis retinebitis: ipſum ejicietis? & erit dignior locus in terris ullus, qui hanc *virtutem excipiat*, quàm hic, qui procreavit? Vos, vos appello, fortiſſimi viri, qui multum pro rep. ſanguinem effudiſtis: vos in viri, & in civis invicti appello periculo, centuriones, voſque milites: vobis non modò inſpectantibus, ſed etiam armatis, & huic judicio præſidentibus, hæc tanta virtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? projicietur? O me miſerum, ô infelicem! revocare tu me in patriam, Milo, potuiſti per hos: ego te in patria per eoſdem retinere non potero? quid reſpondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi, Q. frater, qui nunc abes, conſorti mecum temporum illorum? [5] me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eoſdem, per quos noſtram ille ſervaſſet? At *in qua cauſa* non potuiſſe? quæ eſt grata gentibus. à quibus non potuiſſe? ab iis, qui maximè P. Clodii morte acquierunt. quo deprecante? me. Quodnam ego concepi tantum ſcelus? aut quod in me tantum facinus admiſi, judices, cùm illa judicia communis exitii indagavi, pateſeci, protuli, exſtinxi? omnes in me, meoſque redundant ex fonte illo dolores. Quid me reducem eſſe voluiſti? an ut, inſpectante me, expellerentur ii, per quos eſſem reſtitutus? Nolite, obſecro vos, pati, mihi acerbiorem reditum eſſe, quàm fuerit ille ipſe diſceſſus. nam qui poſſum putare me reſtitutum eſſe, ſi diſtrahor ab iis, per quos reſtitutus ſum? Utinam dii immortales feciſſent (pace tua, patria, 38
dixerim: metuo enim, ne ſceleratè dicam in te, quod pro Milone dicam piè) utinam P. Clodius non modò *viveret*, ſed etiam prætor, conſul, dictator eſſet, antequàm hoc ſpectaculum viderem. O dii immortales! fortem, & à vobis, judices, conſervandum virum. Minimè, minimè inquit. immò verò pœnas ille debitas luerit: nos ſubeamus, ſi ita neceſſe eſt, non debitas. Hiccine vir patriæ natus, uſquam, niſi in patria, morietur? [6] aut, ſi fortè, pro patria? hujus vos animi monumenta retinebitis: corporis in Italia nullum ſepulcrum eſſe patiemini? hunc ſua quiſquam ſententia ex hac urbe expellet, quem omnes urbes expulſum à vobis ad ſe vocabunt? O terram illam *beatam*, quæ hunc virum exceperit: hanc ingratam, ſi ejecerit: miſeram, ſi amiſerit. Sed finis ſit. neque enim præ lacrymis jam loqui poſſum: & hic ſe lacrymis defendi vetat: vos oro, obteſtorque, judices, ut in ſententiis ferendis, quod ſentietis, id audeatis. Veſtram virtutem, juſtitiam, fidem, mihi credite, is maximè probabit, qui in judicibus legendis, optimum, [7] & ſapientiſſimum, & fortiſſimum quemque legit.

1. *Si qua diminutio capitis futura.*] Optimè eo modo Erfurdienſis. hocque ſignificavit paullò ante: *cur non id meo capite luitur?* vulgata *dimicatio.*
2. *Occaſura eſſe videatis.*] Haud ſecus Uverd. & Hittorp. vulgata *jubeatis.*
3. *Incredibili robore animi.*] Vulgati patrum ævo *animi ſeptus.* ſed ea vox non viſitur in avorum editionibus, nedum mſſ. ullis.
4. *Sit hic ea mente, qua natus eſt.*] Pall. *Sed hic ea mente ornatus eſt.* unde fecit Lambinus *natus eſt*, ceteris retentis.
5. *Me non potuiſſe Milonis.*] Hitt. & Uverd. *mené non potuiſſe.*
6. *Aut ſi fortè, pro patria? hujus, &c.*] Diſtinctio eſt à Mureto, quam prodidit libro XVI. Var. lect. cap. 9.
7. *Et ſapientiſſimum & fortiſſimum quemque legit.*] Ita ſupplent Pal. pr. tert. Grut. Erfurd. Hitt. quorum tamen tres priores *delegit*: ultimus verò *elegit.* & tertium certè epitheton neceſſarium erat, ob tribunos ærarios.

M. TULLIUS CICERO
PRO
C. RABIRIO POSTUMO.
ORATIO TRICESIMANONA.

1 SI quis eſt, judices, qui C. Rabirium, [1] quòd ſuæ fortunæ, fundatas præſertim, atque optimè conſtitutas, opes, *poteſtati regiæ*, libidinique commiſerit, reprehendendum putet: adſcribat ad judicium ſuum, non modo meam, ſed hujus etiam ipſius, qui commiſit, ſententiam. neque enim cuiquam ejus conſilium vehementiùs, quàm ipſi diſplicet. Quamquam hoc plerumque facimus, ut conſilia *eventis* ponderemus: &, cui bene quid proceſſerit, multum illum providiſſe: qui ſecus, [2] nihil ſenſiſſe dicamus. Si exſtitiſſet in rege fides, nihil ſapientius Poſtumo. quia fefellit rex: nihil hoc amentius dicitur: ut jam nihil eſſe videatur, niſi *divinare*, ſapientis. Sed tamen, ſi quis eſt, judices, qui illam Poſtumi ſive inanem ſpem, ſive inconſultam rationem, ſive (graviſſimo verbo utar) temeritatem, vituperandam putet, ego ejus opinioni non repugno: illud tamen deprecor, ut, cùm ab ipſa fortuna crudeliſſimè videat hujus conſilia eſſe multata: nequid ad eas ruinas quibus hic oppreſſus eſt, addendum *acerbitatis* putet. SATIS eſt, homines imprudentia lapſos non erigere: urgere verò jacenteis, aut præcipitanteis impellere, certè eſt inhumanum: præſertim, judices, cùm ſit hoc generi hominum propè natura datum, uti, QUA IN FAMILIA laus aliqua fortè floruerit, hanc ferè, qui ſunt ejus ſtirpis, quòd ſermo hominum ad memoriam prodendam patrum virtute celebretur, cupidiſſimè perſequantur. ſiquidem non modò in gloria rei militaris Paullum Scipio, aut Maximum filius, ſed etiam in devotione vitæ, & in ipſo genere mortis, *imitatus* eſt P. Decium filius. Sint igitur ſimilia, judices, parva magnis.

1. QUod *ſuæ fortunæ, fundatas præſertim, &c.*] Muretus lib. XVII. cap. 5. Var. lect. legit ex duobus mſſ. *ſuas fortunas fund. præſ. atque optimè conſtitutas.* noſtri nihil variant, aut edd. vetuſtæ.
2. *Nihil ſenſiſſe.*] Ita Pall. duo, in quibus iſthæc tantum perſcripta oratio, inſignitis numero primi & octavi. Lambinus emendat, *nihil vidiſſe.* at Catullus tamen, *Mihi nihil ſenſus.*

1. C. Cu-

2 gnis. Fuit enim, pueris nobis, hujus pater [1] C. Curius, princeps ordinis equeſtris, fortiſſimus, & maximus publicanus cujus in negotiis gerendis magnitudinem animi non tam homines probaſſent, niſi in eodem benignitas incredibilis fuiſſet: ut in augenda re non avaritiæ prædam, ſed *inſtrumentum bonitati* quærere videretur. Hoc ille natus, [2] quamvis patrem ſuum numquam viderat, tamen & *natura* ipſa duce, quæ plurimum valet, & aſſiduis domeſticorum ſermonibus, in paternæ culpæ ſimilitudinem deductus eſt. multa geſſit: multa contraxit: [3] magnas parteis habuit publicorum: credidit populis: in pluribus provinciis ejus verſata res eſt: dedit ſe etiam regibus: huic ipſi Alexandrino grandem jam antea pecuniam credidit: nec interea locupletare amicos umquam ſuos deſtitit, mittere in negotium, dare parteis, [4] re augere, fide ſuſtentare. quid multa? cùm magnitudine animi, tum liberalitate, vitam patris, & conſuetudinem expreſſerat. Pulſus interea regno Ptolemæus *doloſis conſiliis* (ut dixit Sibylla, ſenſit Poſtumus) Romam venit. huic egenti, & roganti hic infelix pecuniam credidit: nec tum primum. nam regnanti crediderat abſens: nec temerè ſe credere putabat, quòd erat nemini dubium, quin is in regnum reſtitueretur à ſenatu, populoque Roman. In dando autem, & credendo proceſſit longiùs: nec *ſuam ſolùm* pecuniam credidit, ſed etiam amicorum: ſtultè: quis negat? aut quis jam non admonet? quod
3 malè cecidit, benè conſultum putares. ID EST DIFFICILE, quod cum ſpe magna ſis ingreſſus, id non exſequi uſque ad extremum. Supplex erat rex: multa rogabat: omnia pollicebatur: ut jam metuere Poſtumus cogeretur, ne, quod crediderat, perderet, ſi credendi conſtituiſſet modum. nihil autem erat illo blandius, nihil hoc benignius: ut magis pœniteret cœpiſſe, quàm liceret deſiſtere. Hinc primùm exoritur crimen illud: ſenatum corruptum eſſe dicunt. O dii immortales! hæc eſt illa exoptata judiciorum *ſeveritas*? corruptores noſtri cauſam dicunt: nos, qui corrupti ſumus, non dicimus. [5] Quid ergo ſenatum defendam hoc loco, judices? omni equidem loco debeo. ita de me eſt meritus ille ordo: ſed id nec agitur hoc tempore, nec cum Poſtumi cauſa res iſta conjuncta eſt. Quamquam ad ſumtum itineris, ad illam magnificentiam apparatus, comitatumque regium, ſuppeditata pecunia à Poſtumo eſt, factæque ſyngraphæ ſunt in Albano Cn. Pompeii, cùm ille Roma profectus eſſet: tamen non debuit is, qui dabat, quò ille, qui accipiebat, conſumeret, quærere. non enim latroni, ſed *regi* credidit: nec regi inimico populi Rom. ſed ei, [6] cujus reditum conſuli datum à ſenatu videbat: nec ei regi, qui alienus hoc ab imperio eſſet, ſed ei, qui cum fœdus fieri in Capitolio viderat. Quòd ſi creditor in culpa ſit, non qui eſt improbè credita pecunia uſus: damnetur is, qui *fabricatus gladium* eſt, & vendidit, non is, qui illo gladio civem aliquem interemit. Quamobrem neque tu, C. Memmi, hoc facere debes, ut ſenatum, cujus auctoritati te ab adoleſcentia dediſti, in tanta infamia verſari velis, neque ego id, quod non agitur, defendere. Poſtumi enim cauſa, quæcumque eſt, ſejuncta à ſenatu eſt. Quòd ſi item à Gabinio ſejunctam oſtendero, certè quod dicas, nihil habebis. Eſt enim hæc cauſa, QUO EA PECUNIA PERVENERIT, 4
quaſi quædam appendicula cauſæ judicatæ, atque damnatæ. Sunt lites æſtimatæ A. Gabinio: nec prædes dati, [7] nec ex ejus bonis, quanta ſumma litium fuiſſet, à populo recipi. Lex æqua eſt. Jubet lex Julia perſequi ab iis, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus ſit, pervenerit. Si eſt hoc novum in lege Julia, ſicuti multa ſunt *ſeveriùs* ſcripta, quàm in antiquis legibus, & ſanctiùs judicata: ſanè etiam conſuetudo hujus generis judiciorum, nova. ſin hoc totidem verbis tranſlatum caput eſt, quod fuit non modò in Cornelia, ſed etiam antè in lege Servilia: per deos immortaleis, quid agimus, judices? aut quem hunc morem novorum judiciorum in rempub. inducimus? Erat enim hæc conſuetudo nota vobis quidem omnibus, ſed, ſi *uſus, magiſter eſt optimus*, mihi debet eſſe notiſſima. Accuſavi de pecuniis repetundis: judex ſedi: prætor quæſivi: defendi plurimos. nulla pars, [8] quæ aliquam facultatem dicendi afferre poſſet, non mea fuit. ita contendo, neminem umquam, QUO EA PECUNIA PERVENISSET, cauſam dixiſſe, qui in æſtimandis litibus appellatus non eſſet. in litibus autem nemo appellabatur, niſi ex teſtium dictis, aut tabulis privatorum, aut rationibus civitatum. [9] Itaque in inferendis litibus adeſſe ſolebant, qui aliquid de ſe verebantur: &, cùm erant appellati; ſi videbatur, ſtatim contrà dicere ſolebant. ſin ejus temporis recentem *invidiam* pertimuerant: reſpondebant poſtea. quod cùm feciſſent, permulti ſæpe vicerunt. Hoc verò novum eſt, ante hoc tempus 5
omnino inauditum. in litibus, Poſtumi nomen eſt nuſquam. in litibus dico? modò vos iidem in A. Gabinium judices ſediſtis. num quis teſtis Poſtumum appellavit? teſtis autem? num accuſator? num denique toto illo judicio Poſtumi nomen audiſtis? Non igitur reus ex ea cauſa, quæ judicata eſt, redundat Poſtumus: ſed eſt arreptus unus eques Rom. de pecuniis repetundis reus. quibus tabulis? quæ in judicio à Gabinio recitatæ non ſunt. quo teſte? à quo tum appellatus nuſquam eſt. qua appellatione litium? in qua Poſtumi mentio facta nulla eſt. qua lege? qua non tenetur. Hic jam, judices, veſtri conſilii res eſt, veſtræ ſapientiæ. quid *deceat* vos, non, quantum *liceat* vobis, ſpectare debetis. ſi enim, quid liceat, quæritis: poteſtis tollere è civitate, quem vultis. tabella eſt, quæ dat poteſtatem, occultat eadem libidinem. [10] cujus conſcientia, nihil eſt, quòd quidquam timeat, ſi non pertimeſcat ſuam. Ubi eſt igitur ſapientia judicis? In hoc, ut non ſolùm, quid poſſit, ſed etiam quid debeat, ponderet: nec, quantum ſibi permiſſum, meminerit ſolùm, ſed etiam, *quatenus commiſſum* ſit. Datur tibi tabella judicii: qua lege? Julia de pecuniis repetundis. quo de reo? de equite Romano. At iſte ordo lege ea non tenetur. Illo, inquit, capite, quod erat in Poſtumum, quòd in Gabinium judex eſſes, [11] nihil Gabinio datum, cùm in eum lites æſtimarentur. At nunc audio, reus igitur Poſtumus eſt ea lege, qua non modò ipſe, ſed totus etiam ordo ſolutus, ac liber eſt. Hic ego nunc non vos priùs implorabo, 6
equites Rom. quorum jus judicio tentatur, quàm vos ſenatores,

1. *C. Curius, &c.*] Legendum cenſuit *Curtius* Turnebus. ſed alterum ſe tuetur membranis noſtris, propugnatque Hotomanus lib. VI. Obſervat. cap. 8.

2. *Quamvis patrem ſuum numquam viderat.*] Pal. pr. non agnoſcit *ſuum*, & prodit Muretus dicto cap. abfuiſſe item mſſ. ſuis.

3. *Magnas partes habuit publicorum.*] Sic Pall. ambo, neque aliter citat Turnebus lib. X. Adverſar. cap. 23. legique ſic voluit Cujacius lib. X. Obſervat. cap. 25. Muretus d. cap. 5. vulgata *publicanorum*.

4. *Re augere, fide ſuſtentare.*] Eſt à mſſ. Lambini. noſtri enim ignorant *re*, item editio vetus.

5. *Quid ergo ſenatum, &c.*] Sic Pall. & Lambiniani, vulgo recepta *ego*.

6. *Cujus reditum conſuli datum à ſenatu.*] Mſſ. Mureti, *conſilicum datum*. unde facit *conſuli commendatum*. d. cap. 5. Muretus.

7. *Nec ex ejus bonis, quanta ſumma litium fuiſſet, à populo recipi, &c.*] Lectio corruptiſſima quomodo legatur in ſcriptis ſuis prodidit Turnebus d. cap. 23. nam, ut veteris editionis & Pall. variantes adſcribam, otium non eſt. Muretus ait erutam à ſe veram lectionem e Ciofani libro; *litium fuit, ſervari poteſt*. Cujacius Paratitlis ad D. Lege Julia repetundarum legendum eſſe aſſerit *litium fuiſſet, pecuniæ ſervatæ*.

8. *Quæ aliquam facultatem dicendi.*] Hotomanus reponit *diſcendi* lib. II. Obſervat. cap. 6. valde veroſimiliter.

9. *Itaque in inferendis litibus, &c.*] Sic editio Victorii, ſic Pall. ne quis forte adſcribat conjecturæ Lambini.

10. *Cujus conſcientia nihil eſt quod quidquam timeat, &c.*] Emendavi locum hunc è Pall. vulgo erat *quiſquam*: quod fruſtra conatur explicare Manutius. at Lambinus qui emendat è mſſ. ſuis, *cujus conſcientiam*; libros habet ſibi, credo, obnoxios cùm vult, & quales vult.

11. *Nihil Gabinio datum, &c.*] Conatur explicare iſthæc Turnebus loco citato. at Muretus d. cap. 5. putat legendum, *nihil de Rabirio auditum, cum ei lites, &c.* qui videatur etiam in verbis antecedentibus, quæ nititur conſtituere.

1. *Quid*

tores, quorum agitur fides in hunc ordinem: quæ quidem cùm ſæpe antè, tum in hac ipſa cauſa nuper eſt cognita. nam cùm, optimo, & præſtantiſſimo conſule, Cn. Pompejo, de hac ipſa quæſtione referente, exſiſterent nonnullæ, ſed perpaucæ tamen *acerbæ ſententiæ*, quæ cenſerent, ut tribuni, ut præfecti, ut ſcribæ, ut comites omnes magiſtratuum, lege hac tenerentur: vos, vos, inquam, ipſi, & ſenatus frequens reſtitit: &, quamquam tum, propter *multorum delicta*, etiam ad innocentium periculum tempus illud exarſerat, tamen, cùm odium non reſtingueretis, huic ordini ignem novum ſubjici non ſiviſtis. Hoc animo igitur ſenatus. quid? vos equites Romani, quid tandem eſtis acturi? Glaucia ſolebat, homo impurus, ſed tamen acutus, populum monere, ut, cum lex aliqua recitaretur, primùm verſum attenderet. Si eſſet dictator, conſul, prætor, magiſter equitum: ne laboraret: ſciret nihil ad ſe pertinere. ſin autem, QUICUMQUE POST HANC LEGEM: videret, nequa nova quæſtione alligaretur. Nunc vos, equites Romani videte. ſcitis, me ortum è vobis: omnia ſemper ſenſiſſe pro vobis: nihil horum ſine magna cura, & ſumma caritate veſtri ordinis loquor. alius alios homines, & ordines: ego vos ſemper complexus ſum. moneo, & prædico: integra re, cauſaque denuntio: omneis homines, deoſque teſtor; dum poteſtis, dum licet, providete, ne duriorem vobis conditionem ſtatuatis, ordinique veſtro, quàm ferre poſſit. *ſerpet hoc malum* (mihi credite) longiùs, quàm
7 putatis. Potentiſſimo, & nobiliſſimo tribuno pleb. M. Druſo, unam in equeſtrem ordinem quæſtionem ferenti, SI QUIS OB REM JUDICATAM PECUNIAM CEPISSET: apertè equites Romani reſtiterunt. Quid? hoc licere volebant? minimè: neque ſolùm hoc genus pecuniæ capiendæ turpe, ſed etiam nefarium arbitrabantur. attamen ita diſputabant: eos teneri legibus oportere, qui ſuo judicio eſſent illam conditionem vitæ ſecuti. delectat ampliſſimus civitatis gradus, ſella curulis, faſces, imperia, provinciæ, ſacerdotia, triumphi, denique *imago* ipſa, ad poſteritatis memoriam prodita. eſt ſimul etiam ſollicitudo aliqua, & legum, & judiciorum major quidam metus. nos iſta numquam contemſimus (ita enim diſputabant) ſed hanc vitam quietam, atque otioſam ſecuti ſumus. quæ quoniam *honore caret, careat etiam moleſtia*. Tam es tu judex, quàm ego ſenator. Ita eſt: ſed tu iſtud petiiſti, ego hoc cogor. Quare aut judici mihi non eſſe liceat, aut legem lege ſenatoria non timere. Hoc vos, equites Rom. jus à patribus acceptum amittetis? moneo, ne faciatis. rapientur homines in hæc judicia ex omni non modò invidia, ſed ſermone malevolorum, niſi cavetis. Si jam vobis nuntiaretur, in ſenatu ſententias dici, ut his legibus teneremini: concurrendum ad curiam putaretis. ſi lex ferretur: convolaretis ad Roſtra. vos ſenatus liberos hac lege eſſe voluit: populus numquam alligavit: ſoluti huc conveniſtis: ne conſtricti diſcedatis, cavete. nam, ſi Poſtumo fraudi fuerit, qui nec tribunus, nec præfectus, nec ex Italia comes, nec familiaris Gabinii fuit: quonam ſe modo defendent poſthac, qui veſtri ordinis cum magiſtratibus noſtris fuerint his cauſis implicati? Tu, inquit, Gabinium, ut regem reduceret, impuliſti.
8 Non patitur mea me jam fides de Gabinio gravius agere. quem enim ex tantis inimicitiis receptum in gratiam ſummo ſtudio defenderim, hunc afflictum *violare* non debeo. quocum ſtante, ſi me Cn. Pompeii auctoritas in gratiam non reduxiſſet, nunc jam ipſius fortuna reduceret. ſed tamen, cum ita dicis, Poſtumi impulſu Gabinium profectum Alexandriam: ſi defenſioni Gabinii fidem non habes, obliviſceriſne etiam accuſationis tuæ? Gabinius ſe id feciſſe dicebat reipub. cauſa, quòd claſſem Archelai timeret, quòd mare refertum fore prædonum putaret. lege etiam id ſibi licuiſſe dicebat. tu inimicus negas. Ignoſco: & eo magis quod eſt contra illud judicatum. Redeo igitur ad crimen, & accuſationem tuam. [1] Quid vociferabare, decem millia talentûm Gabinio eſſe promiſſa? [2] Huic videlicet perblandus reperiendus fuit, qui hominem, ut tu vis, avariſſimum, exoraret, ſeſtertiûm bis millies, & quadringenties ne magnopere contemneret. Gabinius illud, quoquo conſilio fecit, fecit certè ſuo. quæcumque mens illa fuit, Gabinii fuit. ſive, ille, ut ipſe dicebat, gloriam: ſive, ut tu vis, pecuniam quæſivit: *quæſivit ſibi*. Num Gabinii comes, vel ſectator? negat. non enim ad Gabinii, cujus id negotium non erat, ſed ad P. Lentuli, clariſſimi viri, auctoritatem, à ſenatu profectam, & conſilio certo, & ſpe non dubia, Romam contenderat. At dioecetes fuit regius. Et quidem in cuſtodia etiam fuit regia: [3] & vita ejus oblata pœnè eſt. multa præterea, quæ libido regis, quæ neceſſitas coegit ferre; pertulit. quarum omnium rerum una reprehenſio eſt, quòd *regnum intrarit*, quòd poteſtati ſe regis commiſerit. verum ſi quærimus, ſtultè. quid enim ſtultius, quàm equitem Rom. ex hac urbe, hujus, inquam, reipub. civem, quæ eſt una maximè, & fuit ſemper libera, venire in eum locum, ubi parendum alteri, & ſerviendum ſit? Sed ego 9
in hoc tandem, Poſtumo non ignoſcam, homini mediocriter docto, quo videam ſapientiſſimos homines eſſe *lapſos*? Virum unum totius Græciæ facilè doctiſſimum, Platonem, iniquitate Dionyſii, Siciliæ tyranni, cui ſe ille commiſerat, in maximis periculis, inſidiiſque eſſe verſatum accepimus: Calliſthenem, doctum hominem, comitem Magni Alexandri, ab Alexandro necatum. [4] Demetrium & ex repub. Athenis, quam optimè geſſerat, & ex doctrina nobilem, & clarum, qui PHALEREUS vocitatus eſt, in eodem iſto Ægypti regno aſpide ad corpus admota, vita eſſe privatum. Plane confitear, FIERI NIHIL poſſe dementiùs, quàm ſcientem in eum locum venire, ubi libertatem ſis perditurus. ſed hujus iſtius facti ſtultitiam, major jam ſuperior ſtultitia defendit: quæ facit, ut hoc ſtultiſſimum facinus, quòd in regnum venerit, quòd regi ſe commiſerit, ſapienter factum eſſe videatur. ſiquidem [5] TAM SEMPER ſtulti, quàm ſerò ſapientis eſt, cùm ſtultitia ſua impeditus ſit, quoquo modo poſſit, ſe expedire. quamobrem illud maneat, & *fixum ſit*, quod neque moveri, neque mutari poteſt: in quo æqui ſperaſſe Poſtumum dicunt, peccaſſe iniqui, ipſe etiam inſaniſſe confitetur, quòd ſuam, quòd amicorum pecuniam regi crediderit cum tanto fortunarum ſuarum periculo. Hoc quidem ſemel ſuſcepto, atque contracto, *perpetienda* illa fuerunt, ut ſe aliquando ad ſuos vindicaret. Itaque objicias licet, quam voles ſæpe, palliatum fuiſſe, aliqua habuiſſe non Romani hominis inſignia. quoties eorum quippiam dices, toties unum dices, atque illud, temerè hunc pecuniam regi credidiſſe: ſuas fortunas, atque famam libidini regiæ commiſiſſe. Fecerat temerè: fateor: mutari factum jam nullo modo poterat, aut pallium ſumendum Alexandriæ, ut & Romæ togato eſſe liceret, *aut omnes fortunæ abjiciendæ*, ſi togam retinuiſſet. Deliciarum cauſa, & 10
voluptatis, non modò civeis Romani ſed & nobileis adoleſcenteis, & quoſdam etiam ſenatores ſummo loco natos, non in hortis, aut ſuburbanis ſuis, ſed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella ſæpe videmus. chlamydatum L. Sullam

1. *Quid vociferabare, decem millia talentûm Gabinio, &c.*] Nimirum mille talentum Romana computatione eſt ducenties quadragies; & facit utrumque nobis ſexcenta millia Philippeum: decem millia talentum bis millies quadringenties; & utraque ſumma nobis ſexagies centena millia Philippeum, ſeu ſex milliones Italicos conficit. Vide Gronovium de Seſtertiis, pag. 222.

2. *Huic videlicet perblandus, &c.*] Muretus corrigit ex mſ. *Hui! videlicet puer blandus, &c.*

3. *Et vita ei ablata penè eſt.*] Sic mſſ. Mureti, neque recedunt Pall. niſi quod ii, *ejus.* vulgata, *& vita ejus oblata pœnæ eſt.*

4. *Demetrium, & ex rep. Athenis, quam optimè geſſerat, &c.*] Gulielmius delet vocem *Athenis*, & verbum ultimum mutat in *dageſſerat.* δυςόχως.

5. *Tam ſemper ſtulti eſſe.*] Stultè prorſus loco huic negativo addidit Lambinus, ignorantia ſententiæ Ciceronianæ: quæ hoc vult, ſapientis eſſe bono modo ſe extricare naſſæ, malo more, ſeu quocunque, ſtulti. id ipſum velle, vocaliter clamat concluſio: *quamobrem illud maneat, &c.*

Sullam imperatorem: L. verò Scipionis, qui bellum in Aſia
geſſit, Antiochumque devicit, non ſolùm cum chlamyde,
ſed etiam cum crepidis in Capitolio ſtatuam videtis. quo-
rum *impunitas* fuit non modò à judicio, ſed etiam à ſermo-
ne. Faciliùs certè P. Rutilium Rufum neceſſitatis excuſatio
defendet: qui cùm à Mithridate Mitylenis oppreſſus eſſet,
crudelitatem regis in togatos veſtitus mutatione vitavit.
Ergo ille P. Rutilius, qui documentum fuit hominibus no-
ſtris virtutis, antiquitatis, prudentiæ, conſularis homo
ſoccos habuit, & pallium? nec verò id homini tum quiſ-
quam, ſed *tempori aſſignandum* putavit: Poſtumo crimen
veſtitus afferet is, in quo ſpes fuit, poſſe ſeſe aliquando ad
fortunas ſuas pervenire? Nam, ut ventum eſt Alexandriam
ad Auletem, judices, hæc una ratio à rege propoſita Poſtu-
mo eſt ſervandæ pecuniæ, ſi curationem, & quaſi diſpen-
ſationem regiam ſuſcepiſſet. id autem facere non poterat,
niſi diœcetes: hoc enim nomine utitur, qui à rege eſſet con-
ſtitutus. Odioſum negotium Poſtumo videbatur: ſed erat
nulla omnino recuſatio. moleſtum etiam nomen ipſum:
ſed res habebat nomen hoc apud illos, non hic impoſuerat.
oderat veſtitum etiam illum: ſed ſine eo nec nomen illud
poterat, nec munus tueri. Ergo aderat vis (ut ait poëta ille
noſter) *quæ ſummas frangit, infirmatque opes*. Moreretur,
inquies. nam id ſequitur. Feciſſet certè, ſi ſine maximo
dedecore, tamen impeditis ſuis rebus, potuiſſet emori.
11 Nolite igitur fortunam convertere in culpam: neque regis
injuriam, hujus crimen putare: nec conſilium ex neceſſi-
tate, nec voluntatem ex vi interpretari: niſi fortè eos et-
iam, qui in hoſteis, aut in prædones inciderint, ſi aliter
quippiam coacti faciant, quàm *liberè*, vituperandos putes.
Nemo noſtrûm ignorat, etiam ſi experti non ſumus, con-
ſuetudinem regiam. Regum autem hæc ſunt imperia,
[1] *animadverte, & dicto pare. & præter rogitatum ſi querare:*
& illæ minæ, „ *Si te ſecundo lumine hìc offendero*, Moriere.
quæ non ut delectemur ſolùm, legere, & ſpectare debe-
mus, ſed ut cavere etiam, & effugere diſcamus. At ex hoc
ipſo crimen exoritur. ait enim, dum Gabinio pecuniam
Poſtumus cogeret, [2] ex decumis imperatorum, pecuniam
ſibi coëgiſſe. Non intelligo, hoc quale ſit: utrùm acceſſio-
nem decumæ, ut noſtri facere coactores ſolent, centeſimæ:
an deceſſionem de ſumma fecerit. ſi acceſſionem: unde-
cim millia talentûm ad Gabinium pervenerunt. At non
modò abs te decem millia objecta ſunt, ſed etiam ab his
æſtimata. Addo illud etiam: qui tandem convenit, aut
tam gravi onere tributorum ad tantam pecuniam cogendam
mille talentûm acceſſionem eſſe factam: aut in tanta mer-
cede hominis, ut vis, avariſſimi, mille talentûm deceſſio-
nem eſſe conceſſam? neque enim fuit Gabinii, remittere
tantum de ſuo: nec regis, imponere tantum pati ſuis. Ad-
erunt teſtes, legati Alexandrini. hi nihil in Gabinium di-
xerunt. imò hi Gabinium laudaverunt. Ubi ergo ille mos?
ubi conſuetudo judiciorum? ubi exempla? ſoletne is dicere
in eum, qui pecuniam redegit, qui in illum, cujus nomine
ea pecunia redigeretur, non dixerit? Age, ſi is, qui non
dixit, ſolet: etiamne is ſolet, qui laudavit, iiſdem teſtibus,
& quidem non productis, ſed dictis teſtium recitatis, quaſi
12 præjudicata res, ad has cauſas deferri ſolet. Et ait etiam
meus familiaris, & neceſſarius, eandem cauſam Alexan-
drinis fuiſſe, cur laudarent Gabinium, quæ mihi fuerit,
cur eundem defenderem. Mihi, C. Memmi, cauſa defen-
dendi Gabinii fuit reconciliatio gratiæ. NEQUE ME verò
pœnitet mortaleis inimicitias, ſempiternas amicitias habe-
re. nam ſi me invitum putas, ne C. Pompeii animum offen-
derem, defendiſſe cauſam; & illum, & me vehementer
ignoras. neque enim Pompeius me ſua cauſa quidquam fa-
cere voluiſſet invitum: neque ego, cui omnium civium li-
bertas cariſſima fuiſſet, meam projeciſſem. Quamdiu ini-
miciſſimus Gabinio fui, non amiciſſimus mihi non Pom-
pejus fuit: nec, poſtea quàm illius auctoritati eam dedi ve-
niam, quam debui, quidquam *ſimulavi*: ne cum mea per-
fidia illi etiam ipſi facerem, cui beneficium dediſſem, in-
juriam. nam non redeundo in gratiam cum inimico, non
violabam Pompejum. ſi per eum reductus inſidioſè rediſ-
ſem: me ſcilicet maximè, ſed proximè illum quoque fefel-
liſſem. At de me omittamus: ad Alexandrinos iſtos rever-
tamur. quod habent os? quam audaciam? modò, vobis in-
ſpectantibus, in judicio Gabinii tertio quoque verbo exci-
tabantur. negabant, pecuniam Gabinio datam. recitabatur
identidem Pompeii teſtimonium: regem ad ſe ſcripſiſſe,
nullam pecuniam Gabinio, niſi in rem militarem, datam.
Non eſt, inquit, tum Alexandrinis teſtibus creditum.
Quid? poſtea creditum? non. quamobrem? quia nunc
ajunt, quod tunc negabant. Quid? ergo iſta conditio eſt
teſtium, ut, quibus creditum non ſit *negantibus*, iiſdem
credatur *dicentibus*? At, ſi verum [3] tum, cùm veriſſima
fronte dixerunt: nunc mentiuntur. ſi tunc mentiti ſunt:
doceant nos verum. Quid vultis? ſileant. [4] dicere audie-
bamus Alexandriam, nunc cognoſcimus. illinc omnes
præſtigiæ: illinc, inquam, omnes fallaciæ: omnia deni-
que ab his [5] mimorum argumenta nata ſunt. nec mihi lon-
gius quidquam eſt, judices, quàm videre hominum vul-
tus. Dixerunt hìc modo nobiſcum ad hæc ſubſellia, quibus 13
ſuperciliis renuentes huic decem millium crimini? jam
noſtis inſulſitatem Græcorum. humeris geſtum agebant.
tum *temporis*, credo, cauſa: nunc ſcilicet tempus nullum
eſt. UBI SEMEL quis pejeraverit, ei credi poſteà, etiam ſi
per plureis deos juret, non oportet: præſertim, judices,
cùm in his judiciis, ne locus quidem novo teſti ſoleat eſſe:
ob eamque cauſam iidem judices retineantur, qui fuerint
de reo: ut his nota ſint omnia, neque quid fingi novi poſ-
ſit. Lites, QUO EA PECUNIA PERVENERIT, non ſuis
propriis judiciis, ſed in reum factis condemnari ſolent. Ita-
que ſi aut prædes dediſſet Gabinius, aut tantum ex ejus bo-
nis, [6] quanta ſumma litium fuiſſet, populus recepiſſet:
quamvis magna ad Poſtumum ab eo pecunia perveniſſet,
non redigeretur: ut intelligi facile poſſit, quòd ex ea pecu-
nia ad quem eorum, qui damnatus eſt, perveniſſe in illo
primo judicio planum factum ſit, id hoc genere judicii re-
digi ſolere. Nunc verò quid agitur? ubi terrarum ſumus?
quid tam inſolens, tam perverſum, præpoſterumve dici,
aut excogitari poteſt? Accuſatur is, qui non abſtulit à rege,
ſicut Gabinius judicatus eſt: ſed qui maximam regi pecu-
niam credidit. Ergo is Gabinio dedit, qui non huic reddi-
dit. Jam cedò, cùm is, qui pecuniam Poſtumo debuit, non
huic, ſed Gabinio dederit condemnato Gabinio, utrum
illi eam pecuniam reddidit, an etiam nunc debet? At ha- 14
bet, & celat. ſunt enim qui ita loquantur. Quod genus
tandem eſt iſtud *oſtentationis*, & gloriæ? Si nihil habuiſſet
umquam, tamen, ſi quæſiſſet, cur is diſſimularet habere,
cauſa non eſſet. qui verò duo lauta, & copioſa patrimonia
accepiſſet, remque præterea bonis, & honeſtis rationibus
auxiſſet: quid eſſet tandem cauſæ, cur exiſtimari vellet ni-
hil habere? An, cùm credebat inductus uſuris, id agebat,
ut haberet quam plurimum: poſteaquam exegit quod cre-
diderat: ut exiſtimaretur egere, *novum genus* hoc gloriæ
concupiſcit? Dominatus eſt enim, inquit, Alexandriæ.
Immò verò in ſuperbiſſimo dominatu fuit: pertulit ipſe
cuſtodiam: vidit in vinculis familiareis ſuos: mors ob ocu-
los

1. *Animadverte, &c.*] Explicat iſthæc Columna commentariis ſuis ad Q. Ennium.

2. *Decumis imperatorum.*] Id eſt, pecuniæ imperatæ, ut ſcribit Turnebus d. cap. 23.

3. *Tum cum veriſſima fronte*] Gulielmius conjicit *ſeveriſſima*.

4. *Dicere audiebamus Alexandriam, &c.*] Explicat Turnebus d. cap. 23.

5. *Minorum argumenta.*] Ita & ſcripti noſtri, niſi quod alter *minorum*. recepta lectio *numerorum*; quam primum damnavit Turnebus.

6. *Quanta ſumma litium fuiſſet, populus recepiſſet.*] Cujacius d. l. legendum ducit *fuiſſet, pecuniæ redegiſſet*. & mox ubi habemus; *pecunia ad quem eorum qui damnatus eſt perveniſſe, &c.* reſcribit ejus loco, *pecuniam quam ceperit is qui damnatus, &c.* ſed mſſ. noſtri nihil recedunt de ſcriptura vulgata.

1. Uia

los ſæpe verſata eſt: nudus, atque egens ad extremum fugit è regno. At permutata aliunde pecunia eſt: ductæ naves Poſtumi Puteolis ſunt: auditæ, viſæque merces. Fallaces quidem, & fucoſæ, chartis, & linteis, & vitro delatæ: quibus cùm multæ naves refertæ fuiſſent, [1] una non patuit parva. Cataplus ille Puteolanus, ſermo illius temporis, vectorumque curſus, atque oſtentatio, tum ſubinviſum apud malevolos Poſtumi nomen propter *opinionem* pecuniæ neſcio quam, æſtatem unam, non plureis, aureis referſit iſtis
15 ſermonibus. Verum autem, judices, ſi ſcire vultis: niſi C. Cæſaris ſumma in omneis, incredibilis in hunc eadem liberalitas exſtitiſſet, nos hunc Poſtumum jam pridem in foro non haberemus. ille onera multorum hujus amicorum excepit unus: quæque multi homines neceſſarii *ſecundis* Poſtumi rebus deſcripta ſuſtinuerunt, nunc ejus afflictis fortunis univerſa ſuſtinet. Umbram equitis Romani & imaginem videtis, judices, unius amici conſervatam auxilio, & fide. nihil huic eripi poteſt, præter hoc ſimulacrum priſtinæ dignitatis, quod Cæſar ſolus tuetur, & ſuſtinet: quæ quidem, in miſerrimis rebus, huic tamen tribuenda eſt maxima. niſi verò hoc mediocri virtute effici poteſt, ut tantus ille vir tanti ducat hunc; & afflictum præſertim, & abſentem, & in tanta fortuna ſua, ut *aliena reſpicere* magnum ſit; tanta oppugnatione maximarum rerum, quas gerit, atque geſſit, ut vel obliviſci aliorum non ſit mirum; vel, ſi meminerit, oblitum eſſe, facilè poſſit probare. Multas equidem C. Cæſaris virtutes, magnas, incredibileiſque cognovi. ſed ſunt ceteræ majoribus quaſi theatris propoſitæ, & pænè populares: caſtris locum capere, exercitum inſtruere, expugnare urbeis, aciem hoſtium profligare: hanc *vim frigorum*, hiememque, quam nos vix hujus urbis tectis ſuſtinemus, excipere: his ipſis diebus hoſtem perſequi, tum, cùm etiam feræ latibulis ſe tegant, atque omnia bella jure gentium conquieſcant. ſunt ea quidem magna: quis negat? ſed magnis excitata ſunt præmiis ad memoriam hominum ſempiternam. quo minùs admirandum eſt, eum
16 facere illa, qui *immortalitatem* concupiverit. Hæc mira laus eſt, quæ non poëtarum carminibus, non annalium monumentis celebratur, ſed prudentium judicio expenditur. Equitem Roman. veterem amicum ſuum, ſtudioſum, amantem, obſervantem ſui, non libidine, non turpibus impenſis cupiditatum, atque jacturis, ſed experientia patrimonii amplificandi, *labentem* excepit, corruere non ſivit, fulſit & ſuſtinuit, re, fortuna, fide: hodieque ſuſtinet: nec amicum pendentem corruere patitur: nec illius animi aciem perſtringit ſplendor ſui nominis, nec mentis quaſi *luminibus* officit altitudo fortunæ, & gloriæ. Sint ſanè illa magna, quæ re vera magna ſunt. de judicio animi mei, ut volet, quiſque ſentiat. ego enim hanc in tantis opibus, tanta fortuna, liberalitatem in ſuos, memoriam amicitiæ, reliquis virtutibus omnibus antepono. Quam quidem vos, judices, in novo genere bonitatem *inuſitatam* claris, ac præpotentibus viris, non modò non aſpernari, ac refutare, ſed complecti etiam, & augere debetis: & eo magis, quod videtis, hos quaſi ſumtos dies ad labefactandum illius dignitatem: ex qua illi nihil detrahi poteſt, quod non aut fortiter ferat, aut facilè reſtituat. amiciſſimum hominem ſi honeſtate ſpoliatum audierit; nec ſine magno dolore feret, nec id amiſerit, quod poſſe ſperet recuperari. Satis multa hominibus non iniquis hæc eſſe debent: nimis etiam multa vobis, quos æquiſſimos eſſe confidimus. Sed, ut omnium vel ſuſpicioni, vel malevolentiæ, vel crudelitati ſatis fiat, occultat pecuniam Poſtumus, latent regiæ divitiæ. Ecquis eſt ex tanto populo, qui bona C. Rabirii Poſtumi nummo ſeſtertio ſibi addici velit? Sed, miſerum me. quanto hæc dixi cum dolore! hem, Poſtume, tune es Curii filius, C. Rabirii judicio, & voluntate filius, natura ſororis filius? tune ille in omneis tuos liberalis? cujus multos *bonitas* locupletavit? qui nihil profudiſti? nihil ullam in libidinem contuliſti? tua, Poſtume, nummo ſeſtertio à me addicuntur? O meum miſerum, acerbumque præconium! At hoc etiam optat miſer, ut condemnetur à vobis: ita bona veneant, ut ſolidum ſuum cuique ſolvatur. nihil jam aliud niſi *fidem curat:* nec vos huic, ſi jam obliviſci veſtræ manſuetudinis volueritis, quidquam præterea poteſtis eripere. quod, judices, ne faciatis, oro, obteſtorque vos, atque eo magis, ſi adventitia pecunia petitur ab eo, cui ſua non redditur. nam in eum, cui miſericordia opitulari debeat, invidia quæſita eſt. Sed jam, quoniam, ut ſpero, fidem, quàm potui, tibi præſtiti, Poſtume, reddam etiam lacrymas, quas debeo. quas quidem ego tuas in meo caſu plurimas vidi. verſatur ante oculos luctuoſa nox meis omnibus, cùm tu totum te cum tuis copiis ad me detuliſti. tu comitibus, tu præſidio, tu etiam tanto pondere auri, quantum tempus illud poſtulabat, diſceſſum illum ſuſtentaſti: tu numquam meis, me abſente, liberis, numquam conjugi meæ *defuiſti*. Poſſum excitare multos reductos teſteis liberalitatis tuæ: quòd ſæpe audivi patri tuo, qui id feciſſet, magno adjumento in judicio capitis fuiſſe. ſed jam omnia timeo: bonitatis ipſius invidiam reformido. jam indicat tot hominum fletus, quàm ſis carus tuis: & me dolor debilitat, includitque vocem. Vos obſecro, judices, ut huic optimo viro, quo nemo melior umquam fuit, nomen equitis Romani & uſuram hujus lucis, & veſtrum conſpectum ne eripiatis. Hic vos aliud nihil orat, niſi ut rectis oculis hanc urbem ſibi intueri, atque in hoc foro veſtigium facere liceat: quod ipſum fortuna eripuerat, niſi *unius amici* opes ſubveniſſent.

1. *Una cum patuerit parva. Cataplus ille Puteolanus, &c.*] Emendatio fere eſt à Turnebo & libris; interpunctio eſt à Lambino; qui tamen vix aſſecutus videtur mentem auctoris. *Cataplus* enim notat claſſem Alexandrinam.

M. TULLIUS CICERO PRO M. MARCELLO.

ORATIO QUADRAGESIMA.

1 [1] DIUTURNI ſilentii, P. C. quo eram his temporibus uſus, non timore aliquo, ſed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit: idemque initium, quæ vellem, quæque *ſentirem*, meo priſtino more dicendi. Tandem enim manſuetudinem, tam inuſitatam, inauditamque clementiam, tantum in ſumma poteſtate, rerum omnium *modum*, tam denique incredibilem ſapientiam, ac pænè divinam, tacitus nullo modo præterire poſſum. M. enim Marcello vobis, P. C. reique pub. reddito, non ſolum illius, ſed meam etiam vocem, & auctoritatem, & vobis, & reipub. conſervatam, ac reſtitutam puto. Dolebam

1. *Diuturni ſilentii, P. C. quo.*] Hotomanus lib. IV. cap. 3. reponendum putat *C. C. quo*, hoc eſt, *Cai Cæſar.* ſed mſſ. Pall. octo, décem, ſtant pro vulgata, tam heic, quàm infra. & probo. neque aliter ſtet eadem repetitio infra initio capitis quinti.

bam enim, P. C. & vehementer angebar, [1] cum viderem, virum talem, tum in eadem cauſa, in qua ego fuiſſem, non in eadem eſſe fortuna? nec mihi perſuadere poteram, nec fas eſſe ducebam, verſari me [2] in noſtro veteri curriculo, illo æmulo, atque imitatore ſtudiorum, ac laborum meorum, quaſi quodam ſocio, à me, & comite diſtracto. [3] Ergo & mihi, & meæ priſtinæ vitæ conſuetudinem, C. Cæſar, interclusam aperuiſti, & his omnibus ad bene de omni rep. ſperandum, quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti. Intellectum eſt enim mihi quidem in multis, & maximè in me ipſo, [4] ſed paullo ante omnibus, cùm M. Marcellum ſenatui, populoque Rom. conceſſiſti, commemoratis præſertim offenſionibus, te auctoritatem hujus ordinis, dignitatemque reip. tuis vel *doloribus*, vel ſuſpicionibus anteferre. Ille quidem fructum [5] omnis vitæ ante-actæ hodierno die maximum cepit, cum ſummo conſenſu ſenatus, tum præterea judicio tuo graviſſimo, & maximo: ex quo profectò intelligis, QUANTA in dato beneficio ſit laus, cum in accepto tanta ſit gloria. [6] Eſt verò *fortunatus* ille, cujus ex ſalute non minor pænè ad omneis, quàm ad illum ventura ſit, lætitia pervenerit. quod ei quidem meritò, atque optimo jure contigit. quis enim eſt illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium ſtudio, aut innocentia, aut ullo
2 genere laudis præſtantior? Nullius tantum eſt flumen ingenii, [7] nulla dicendi, aut ſcribendi tanta vis, tanta copia, quæ non dicam exornare, ſed enarrare, C. Cæſar, res tuas geſtas poſſit. tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his eſſe *laudem* ampliorem, quam eam, quam hodierno die conſecutus es. Soleo ſæpe ante oculos ponere, idque libenter crebris uſurpare ſermonibus: omneis noſtrorum imperatorum, omneis exterarum gentium, potentiſſimorumque populorum, omneis clariſſimorum regum res geſtas cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero prœliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec diſſimilitudine bellorum poſſe *conferri*. nec verò disjunctiſſimas terras citiùs cujuſquam paſſibus potuiſſe peragrari, quàm tuis non dicam curſibus, ſed victoriis illuſtratæ ſunt. Quæ quidem ego niſi ita magna eſſe fatear, ut ea vix cujuſquam mens, aut cogitatio capere poſſit, amens ſim: ſed tamen ſunt alia majora. nam BELLICAS laudes ſolent quidam extenuare verbis, eaſque detrahere ducibus, [8] communicare cum militibus, ne propriæ ſint imperatorum. & certè IN ARMIS, militum virtus, locorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, commeatus, multum juvant. maximam verò partem quaſi ſuo jure *fortuna* ſibi vindicat: &, quidquid eſt proſperè geſtum, id pænè omne ducit ſuum. At verò hujus gloriæ, C. Cæſar, quam es paullo antè adeptus, ſocium habes neminem. totum hoc, quantumcumque eſt, quod certè maximum eſt, totum eſt, inquam, tuum. nihil ſibi ex iſta laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. quin etiam illa ipſa rerum humanarum domina, Fortuna, in iſtius ſe ſocietatem gloriæ non offert: tibi cedit: tuam eſſe totam, & propriam fatetur. NUMQUAM enim temeritas cum ſapientia commiſcetur, nec ad conſilium caſus admittitur. Domuiſti genteis immanitate barbaras, multitudine 3
innumerabileis, locis infinitas, omni copiarum genere abundanteis: ſed tamen ea viciſti, quæ & naturam, & conditionem, ut vinci poſſent, habebant. nulla eſt enim [9] tanta vis, quæ non *ferro*, ac *viribus* debilitari frangique poſſit. animum vincere, iracundiam cohibere, [10] victoriam temperare, adverſarium nobilitate, ingenio, virtute præſtantem, non modò extollere jacentem, ſed etiam amplificare ejus priſtinam dignitatem: hæc qui faciat, non ego eum cum ſummis viris comparo, ſed *ſimillimum deo* judico. Itaque, C. Cæſar, bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem non ſolùm noſtris, ſed pænè omnium gentium litteris, atque linguis: [11] neque ulla umquam ætas de tuis laudibus conticeſcet. Sed tamen ejuſmodi res, neſcio quomodo, [12] etiam cum leguntur, obſtrepi clamore militum videntur, & tubarum ſono. At verò cùm aliquid clementer, manſuetè, juſtè, moderatè, ſapienter factum, in *iracundia* præſertim, quæ eſt inimica conſilio, & in *victoria*, quæ natura inſolens, & ſuperba eſt, aut audimus, aut legimus: quo ſtudio incendimur, non modò in geſtis rebus, ſed etiam in fictis, ut eos ſæpe, quos numquam vidimus, diligamus? Te verò, quem *præſentem* intuemur, cujus mentem, ſenſuſque, & os cernimus, ut, quidquid belli fortuna reliquum reipub. fecerit, id eſſe ſalvum velis, quibus laudibus efferemus? quibus ſtudiis proſequemur? qua benivolentia complectemur? [13] Parietes, medius fidius, C. Cæſar, [14] ut mihi videtur, hujus curiæ, tibi gratias agere geſtiunt, quod [15] brevi tempore futura ſit illa auctoritas in his majorum ſuorum, & ſuis ſedibus. Equidem cum C. Marcelli, 4
viri optimi, & [16] commemorabili pietate præditi lacrymas modò vobiſcum viderem, omnium [17] Marcellorum meum pectus

1. *Cum viderem virum talem, tum in eadem, &c.*] Sic Pal. ille nonus, cujus bonitas mihi multis argumentis perſpecta eſt. alii enim præferunt, *angebar virum talem cum in ead. cauſa, &c. fuiſſem*, vel, *angebar virum talem, qui in eadem cauſa, &c. fuiſſet.* & verò media lectio etiam erat in Colonienſi ac S. Victoris, probaratque initio Gulielmius, ſed deinde cancellavit.

2. *In noſtro veteri curriculo.*] Ita etiam Pall. non *veſtro.* neque enim omnes Patres conſcripti eloquentes.

3. *Ergo & mihi, & meæ.*] Particula & geminata eſt à Pall. omnibus, à Baſil. S. Vict. Gelberdenn & Grut.

4. *Sed paullo ante omnibus.*] Eſt à conjectura P. Victorii, quam [illegible] lib. XVIII. Var. lect. cap. 6. vulgata, *in omnibus* [illegible] omnes omnium mſſ. itaque Gulielmius mutabat in [illegible].

5. *Omnis vitæ ante actæ hodierno.*] Secutus ſum poſitionem Pal. noni, auribus meis gratiorem. Erfurd. tamen habet, *fructum anteactæ ætatis.* quod præfert alteri Gulielmius.

6. *Eſt verò fortunatus ille.*] Sic nonus, & aliquot præterea Pall. item S. Vict. & Grut. ſecutuſque eſt Lambinus, ſed is male abjecit *ille.* Vulgo, *verè.*

7. *Nulla dicendi vis.*] Pall. plures & Hittorp. duo & S. Vict. *nulli*, eleganti πολυπτώτῳ, inquit Gulielmius.

8. *Communicare cum militibus.*] Haud aliter Pall. omnes & Put. d. tres Colonienſes. recepta lectio *cum militibus.* male.

9. *Tanta vis quæ non ferro.*] Additum præterea editis, *tanta copia.* ſed id ſpernunt omnes fere mſſ. noſtra aliorumque, neque agnovit Lactantius lib. 1. Divin. Inſt. cap. 9. videatur Modius Novantiq. Epiſt. CXXXI.

10. *Victoriam temperare.*] Pal. nonus *victum.* quomodo & tres Coll. ſed mutato genere, *victiam.* adeo ut videatur reponendum *victis temperare*: quod item in aliquot Palatinis & Put. Plautus Moſtellaria: *Tibi temperem, cùm tu mihi nequeas? temperare eſt parcere.*

11. *Nec ulla unquam ætas.*] Colonienſis. *uſquam*, quod omnino recipiendum putat Modius noſter.

12. *Etiam cùm leguntur, obſtrepi.*] Revocavi lectionem antiquitus cuſam, ſtabilitamque decem minimum Pall. item tribus Colon. & S. Victoris & Grut. poſterius publicati *etiam dum audiuntur, aut dum leguntur.* Puteani mſ. præterea volebat, *obſtrepit clamor militum, & tubarum ſoni.*

13. *Parietes mediusfidius, C. Cæſar, &c.*] Sic integrum videtur: *Ita me Dius Fidius juvet.* Sic hæc pars ſalva eſt. De reliquis ita ſentio, mutandum nihil eſſe, & illa, *majorum ſuorum*, non ad *parietes*, ſed ad *auctoritatem*, magis tamen ad ſenſum, quam ad vocem referri. Significat futurum brevi, ut reſpublica reſtituta ſit in poteſtatem bonorum ſeu optimatium & ſenatus. Itaque auguratur Cicero propediem ſenatum illa priſtina & antiqua auctoritate fore in his majorum ſuorum & ſuis ſedibus: & τὸ *ſuorum* reſpicit non tam vocabulum *auctoritatis*, quam rem & perſonas eo vocabulo deſignatas. *Gronov.* Obſerv. lib. 4. cap. 16.

14. *Ut mihi videtur.*] Colonienſes duo *videntur*, quod probat Modius Epiſt. CXXXI. mihi coactius habetur.

15. *Brevi tempore futura ſit, &c.*] Hotomanus libro IV. Obſervat. cap. 3. cuperet legi, *brevi tempore illa majorum ſuorum auctoritas in his ſuis ſedibus futura ſit.*

16. *Commemorabili pietate præditi.*] Vulgata interjecit, *pietate & virtute pr.* ſed nulla littera talis in edd. vett. in mſſ. noſtris. teſtaturque idem de tribus ſuis Lambinus. quin imo, ſi res eſſet mei arbitrii, adhuc delerem illud *præditi*, cum Gulielmio.

17. *Marcellorum meum pectus memoria obfudit.*] Eſt à Pal. nono, neque aliter Gemblac. aut Mauricianus, alluduntque Lambiniani, in quibus *offudit.* vulgo legitur *effodit*, quod propugnat quidem Victorius lib. XXIV. Var. lect. cap. 9. ſed durius videtur.

1. *Tali*

pectus memoria obfudit. quibus tu etiam *mortuis* M. Marcello conſervato, dignitatem ſuam reddidiſti, nobiliſſimamque familiam, jam ad paucos redactam, pæne ab interitu vindicaſti. Hunc tu igitur diem tuis maximis, & innumerabilibus gratulationibus jure antepones. hæc enim res unius eſt propria Cæſaris: ceteræ duce te geſtæ, magnæ illæ quidem, ſed tamen multo, magnoque *comitatu*. hujus autem rei tu idem es & dux, & comes: quæ quidem tanta eſt, ut tropæis, monumentiſque [1] tuis allatura ſit finem ætas: NIHIL ENIM eſt opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & conſumat vetuſtas. at verò hæc tua juſtitia, & lenitas animi floreſcet quotidie magis, [2] ita, ut, quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, [3] tantum afferat laudibus. Et ceteros quidem omneis victores bellorum civilium, jam ante æquitate, & miſericordia viceras: hodierno verò die *te ipſum viciſti*. Vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu poſſit, atque ego ipſe cogitans ſentio. ipſam victoriam viciſſe videris, cum ea ipſa, quæ illa erat adepta, victis remiſiſti. nam cùm ipſius [4] victoriæ conditione jure omnes victi occidiſſemus, clementiæ tuæ judicio conſervati ſumus. rectè igitur unus invictus es, à quo etiam ipſius victoriæ conditio, viſque devicta
5 eſt. Atque hoc C. Cæſaris judicium, P. C. quàm latè pateat, attendite. omnes enim, qui ad illa arma *fato* ſumus neſcio quo reipub. miſero, funeſtoque compulſi, etſi aliqua culpa tenemur erroris humani, [5] à ſcelere certè liberati ſumus. nam cùm M. Marcellum, deprecantibus vobis, reipub. conſervavit: memet mihi, & item reipub. nullo deprecante, reliquos ampliſſimos viros, & ſibi ipſis, & patriæ reddidit: quorum & frequentiam, & dignitatem hoc ipſo in conſeſſu videtis: non ille hoſteis induxit in curiam, ſed judicavit, à *pleriſque* ignoratione potius, & falſo, atque inani metu, quàm cupiditate, aut crudelitate civile bellum eſſe ſuſceptum. quo quidem in bello [6] ſemper de pace agendum, audiendum, putavi, ſemperque dolui non modò pacem, ſed orationem etiam civium, pacem efflagitantium, repudiari. neque enim ego illa, nec ulla umquam ſecutus ſum arma civilia, ſemperque mea *conſilia*, pacis, & togæ ſocia, non belli, atque armorum fuerunt. hominem ſum ſecutus privato officio, non publico: tantumque apud me [7] grati animi fidelis memoria valuit; ut nulla non modò cupiditate, ſed ne ſpe quidem, prudens & ſciens, tanquam ad interitum ruerem voluntarium. Quod quidem meum conſilium minimè obſcurum fuit. nam & in hoc ordine, integra re, multa de pace dixi, & in ipſo bello eadem etiam [8] cum capitis mei periculo ſenſi. [9] Ex quo nemo erit tam injuſtus rerum æſtimator, qui dubitet, quæ Cæſaris voluntas de bello fuerit, cum pacis auctores conſervandos ſtatim cenſuerit, ceteris fuerit iratior. Atque id [10] minus mirum fortaſſe tum, cum eſſet incertus exitus, & anceps fortuna belli. QUI VERO victor, pacis auctores diligit, is profectò
declarat, ſe maluiſſe non dimicare, quam vincere. Atque 6
hujus quidem rei M. Marcello ſum teſtis. noſtri enim ſenſus, ut in pace ſemper, ſic tum etiam in bello congruebant. Quoties ego eum, & quanto cum dolore vidi, cum inſolentiam certorum hominum, tum etiam ipſius *victoriæ ferocitatem* extimeſcentem? quo gratior tua liberalitas, C. Cæſar, nobis, qui illa vidimus, debet eſſe. non enim jam cauſæ ſunt inter ſe, ſed victoriæ comparandæ. Vidimus tuam victoriam, *præliorum exitu* terminatam: gladium vagina vacuum in urbe non vidimus. quos amiſimus civeis, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ: ut dubitare debeat nemo, quin multos, ſi fieri poſſet, C. Cæſar ab inferis excitaret; quoniam ex eadem acie conſervat, quos poteſt. Alterius verò partis, nihil ampliùs dicam, quàm id, quod omnes verebamur, *nimis iracundam* futuram fuiſſe victoriam. quidam enim non modò armatis, ſed interdum etiam otioſis minabantur: nec, quid quiſque *ſenſiſſet*, ſed ubi fuiſſet, cogitandum eſſe dicebant: ut mihi quidem videantur dii immortales, etiam ſi pœnas à populo Romano ob aliquod delictum expetiverunt, qui civile bellum tantum, & tam luctuoſum excitaverunt, vel placati jam, vel etiam ſatiati, aliquando, omnem ſpem ſalutis ad clementiam victoris, & ſapientiam contuliſſe. Quare gaude tuo iſto tam excellenti bono: & fruere cùm fortuna, & gloria, tum etiam natura & moribus tuis: ex quo quidem maximus eſt fructus, jucunditaſque *ſapienti*. Cetera cùm tua recordabere, etſi perſæpe virtuti; tamen plerumque felicitati tuæ congratulabere. de nobis [11] quos in republica tecum ſimul ſalvos eſſe voluiſti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de ſingulari ſapientia tua cogitabis: quæ non modò *ſumma bona*, ſed nimirum audebo vel ſola dicere. tantus eſt enim ſplendor in laude vera, tanta in magnitudine animi, & conſilii, dignitas, ut hæc à virtute donata, cetera à fortuna commodata eſſe videantur. Noli igitur in conſervandis bonis viris defatigari, non cupiditate præſertim, aut pravitate aliqua lapſis, ſed opinione *officii*, ſtulta fortaſſe, certè non improba, & ſpecie quadam reipublicæ. Non enim tua ulla culpa eſt, ſi te aliqui timuerunt: contraque ſumma laus,
[12] quòd plerique minimè timendum fuiſſe ſenſerunt. Nunc 7
verò venio ad graviſſimam querelam, & atrociſſimam ſuſpicionem tuam: quæ non tibi ipſi magis, quam cum omnibus civibus tum maximè nobis, qui à te conſervati ſumus, providenda eſt. quam etſi ſpero eſſe falſam, numquam tamen verbis extenuabo. Tua enim cautio, *noſtra cautio eſt*: ut, ſi in alterutro peccandum ſit, malim videri nimis timidus, quam parum prudens. Sed quiſnam eſt iſte tam

1. *Tuis allatura.*] P. Victorius lib. XVI. Var. lect. cap. 21. conjicit, *tuis nonnulla*: quem impugnat Rob. Titius ſtatque pro olim vulgato *tuis nulla unquam allatura*, &c. lib. II. controverſorum cap. 31. at alterum Victorii tuetur Villiomarus; à quo diverſum ſenſit Gulielmius, hac interpretatione: ne, inquit, nihil actum arbitreris; ſtabiliviſti hoc facto monumenta rerum, à te geſtarum, & perpetuaſti. quæ enim conficiet temporis diuturnitas, ea quaſi recreabit laudum commemoratio. ſic ille. ſed ad oram adſcripſerat, legi in Mauriciano uno ac S. Victoris, *tuis allatura*, ſine illis *nulla umquam*; quæ lectio ſane pleniſſima & ideo a me recepta in contextum; præſertim quod prodidiſſet Faërnus, ſic quoque legi in codice Medicæo. neque aliter inveniſſem in Puteani libro.

2. *Ita ut quantum.*] Mauricianus poſterior, non habet illud *ut*, & ſi abſit, Latinè magis loquetur auctor.

3. *Tantum adferat laudibus.*] Vix mihi eripi poteſt non legendum, *adferet*, aut ſanè reponendum cum aliquot Pall. & Baſilic. *adferet*, quomodo & olim cuſi.

4. *Victoriæ conditione jure omnes*, &c.] Colon. & Pal. pr. ſec. tert. non habent illud *jure*: neque putat eſſe a Cicerone Gulielmius, tanquam adulatio major: qui cùm alibi ſemper, tum hoc ipſo libro non ſemel Pompejanorum partes ſublevet. itaque ſi non arbitramur delendam, putat mutandam in *vique*; quod reperi ad oram libri Puteanorum. ego nihil muto. jus enim Victoriæ, eſt jus ſtrictum. notaque eſt fabula Æſopi, de Ciconia involuta reti cum aliis avibus.

5. *A ſcelere certè.*] Mſſ. *ferè ab*. Gulielmius inde faciebat, *at*.

6. *Semper de pace agendum, audiendum putavi.*] Sic Pall. tres, quatuor, nam ceteri excludunt adhuc *illud agendum*. vulgata, *audiendumque eſſe putavi*. Put. adhuc litera minus *audiendum*.

7. *Grati animi fidelis memoria.*] Malebat Gulielmius *grata*, quod in Col. & Pall. aliquot.

8. *Cum capitis periculo.*] Petrus Victorius annotat fuiſſe in mſſ. quibuſdam *partis*. neque aliter Hittorp. juvant tamen Pall. vulgatum.

9. *Ex quo jam nemo erit tam injuſtus*, &c.] Particula *jam*, eſt ab Erfurd. atque Colon. leve hoc: ſed gratiæ non parum ſecum adfert ad ſententiam.

10. *Minus mirum fortaſſe tum.*] Ejeci dictionem *videretur*, ſuaſu Pall. plurium, à quibus aberat, ut & Colon. & Maur. poſteriore denique Puteaniano.

11. *Quos in rep. tecum ſimul ſalvos eſſe voluiſti.*] Pall. plerique ejiciunt illud *ſalvos*, neque habuit Col. Put. Maur. poſterior. putatque a gloſſa Gulielmius.

12. *Quod plerique minime timendum.*] Abeſt à Palatinis pleriſque illud *plerique*, neque reperit in Coll. Gulielmius, putatque non requiri à ſententia; numerorum verò elegantiam etiam repudiare. at nihil contra videtur. opponitur enim diſerte illi ſuperiori, *aliqui*.

tam demens? de tuiſne? tametſi qui magis ſunt tui, quàm quibus tu ſalutem inſperantibus reddidiſti? an ex eo numero, qui una tecum fuerunt? non eſt credibilis tantus in ullo furor, ut, quo duce omnia ſumma ſit adeptus, hujus vitam non anteponat ſuæ. [1] An ſi tui nihil cogitant ſceleris; cavendum eſt, ne quid inimici. Qui? omnes enim qui fuerunt, aut ſua pertinacia vitam amiſerunt, aut tua miſericordia retinuerunt: ut aut nulli ſuperſint de inimicis, aut, qui ſuperfuerunt, amiciſſimi ſint. Sed tamen, cùm in animis hominum tantæ *latebræ* ſint, & tanti receſſus, augeamus ſane ſuſpicionem tuam, ſimul enim augebimus & diligentiam. nam quis eſt omnium tam ignarus rerum, tam rudis in republica, tam nihil umquam nec de ſua, nec de communi ſalute cogitans, qui non intelligat, *tua ſalute* contineri ſuam? & ex unius tua vita pendere omnium? Equidem de te dies, noctеiſque, ut debeo, cogitans, caſus duntaxat humanos, & incertos eventus valitudinis, & naturæ communis fragilitatem extimeſco: doleoque, cùm reſpublica immortalis eſſe debeat, eam in unius mortalis anima conſiſtere. ſi verò ad humanos caſus, [2] incertoſque eventus valitudinis, ſceleris etiam accedat, inſidiarumque conſenſio; [3] quem deum, etiam ſi cupiat, opitulari poſſe
8 reipublicæ credamus? Omnia ſunt excitanda tibi, C. Cæſar, uni, quæ jacere ſentis, belli ipſius impetu, quod neceſſe fuit, perculſa, atque proſtrata: conſtituenda judicia, revocanda fides, comprimendæ libidines, propaganda ſoboles: omnia, quæ dilapſa jam fluxerunt, ſeveris legibus vincienda ſunt. Non fuit recuſandum in tanto civili bello, tantoque animorum ardore, & armorum, quin quaſſata reſpublica, quicumque belli eventus fuiſſet, multa perderet, & ornamenta dignitatis, & præſidia ſtabilitatis ſuæ: multaque uterque dux faceret armatus, quæ idem togatus *fieri prohibuiſſet*. quæ quidem nunc tibi omnia belli vulnera curanda ſunt: quibus, præter te mederi nemo poteſt. [4] Itaque illam tuam præclariſſimam & ſapientiſſimam vocem invitus audivi: *ſatis te diu vel naturæ vixiſſe, vel gloriæ.* Satis, ſi ita vis, naturæ fortaſſe, addo etiam, ſi placet, gloriæ: at, quod maximum eſt, *patriæ certè parum.* Quare omitte, quæſo, iſtam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam: noli noſtro periculo ſapiens eſſe. Sæpe enim venit ad aureis meas, te idem iſtud nimis crebrò dicere, ſatis te tibi vixiſſe. Credo: ſed tum id audirem, ſi tibi ſoli viveres, aut ſi tibi etiam *ſoli natus* eſſes. nunc, cùm omnium ſalutem civium, cunctamque rempublicam res tuæ geſtæ complexæ ſint: tantum abes à perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quæ cogitas, nondum jeceris. Hîc tu modum tuæ vitæ, non ſalute reipublicæ, ſed æquitate animi definies? quid, ſi iſtud ne gloriæ quidem tuæ ſatis eſt? cujus te eſſe *avidiſſimum*, quamvis ſis ſapiens, non negabis. [5] Parumne igitur, inquies, gloriam magnam relinquemus? immo verò aliis, quamvis multis, ſatis: tibi uni parum. QUIDQUID enim eſt, quamvis amplum ſit, id certè parum eſt tum, cùm eſt aliquid amplius. Quòd ſi rerum tuarum immortalium, C. Cæſar, hic exitus futurus fuit, ut, devictis adverſariis, rempublicam in eo ſtatu relinqueres, in quo nunc eſt: vide, quæſo, ne tua divina virtus admirationis plus ſit habitura, quam gloriæ: ſiquidem *gloria*, eſt illuſtris, ac pervagata multorum, & magnorum, [6] vel in ſuos, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum. Hæc igitur tibi reliqua 9
pars eſt: hic reſtat actus, in hoc elaborandum eſt, ut *rempublicam conſtituas*, eaque tu in primis compoſita, ſumma tranquillitate, & otio perfruare: tum te, ſi voles, cùm & patriæ, quod debes, ſolveris, & naturam ipſam expleveris ſatietate vivendi, ſatis diu vixiſſe dicito. QUID EST enim omnino hoc ipſum diu, in quo eſt aliquid extremum, quod cùm venerit, omnis voluptas præterita pro nihilo eſt, quia poſtea nulla futura ſit? quamquam iſte tuus animus numquam his anguſtiis, quas natura nobis ad vivendum dedit, contentus fuit, ſemperque *immortalitatis amore* flagravit. Nec verò [7] hæc tua vita ducenda eſt, quæ corpore, & ſpiritu continetur. illa, inquam, illa vita eſt tua, quæ vigebit memoria ſæculorum omnium: quam poſteritas alet, quam ipſa [8] æternitas ſemper tuebitur. Huic tu inſervias, huic te oſtentes, oportet: quæ quidem, quæ miretur, jampridem multa habet: nunc etiam, quæ laudet, exſpectat. obſtupeſcent poſteri certè imperia, provincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas, innumerabileis, incredibiles victorias, [9] monumenta, munera, triumphos audientes & legentes tuos. ſed, niſi hæc urbs ſtabilita tuis conſiliis, & inſtitutis erit, vagabitur modò nomen tuum longè, atque latè: ſedem quidem ſtabilem, & domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui naſcentur, ſicut inter nos fuit, magna diſſenſio, cum alii laudibus ad cælum res tuas geſtas efferent: alii fortaſſe aliquid requirent, idque vel maximum, niſi belli civilis incendium *ſalute patriæ* reſtinxeris: ut illud fati fuiſſe videatur, hoc conſilii. Servi igitur iis etiam judicibus, qui multis pòſt ſæculis de te judicabunt: & quidem haud ſcio, an *incorruptiùs*, quàm nos. nam & ſine amore, & ſine cupiditate, & rurſus ſine odio, & ſine invidia judicabunt. id autem etiam ſi tunc ad te, ut quidam falsò putant, non pertinebit: nunc certè pertinet, eſſe te talem, ut tuas laudes obſcuratura nulla umquam ſit oblivio. [10] Diverſæ voluntates civium fuerunt, diſtractæ- 10
que ſententiæ. non enim conſiliis ſolùm, & ſtudiis, ſed armis etiam, & caſtris diſſidebamus. erat autem obſcuritas quædam, erat certamen inter clariſſimos duces: multi dubitabant, quid *optimum* eſſet: multi, quid ſibi expediret: multi, quid deceret: nonnulli etiam, quid liceret. Perfuncta reſpublica eſt hoc miſero, fatalique bello: vicit is, qui non fortuna inflammaret odium ſuum, ſed bonitate leniret: [11] nec qui omneis, quibus iratus eſſet, eoſdem etiam exſilio, aut morte dignos judicaret. Arma ab aliis poſita, [12] ab aliis erepta ſunt. Ingratus eſt, injuſtuſque civis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum: ut etiam ille ſit melior, [13] qui in acie cecidit, qui in cauſa

1. *An ſi tui nihil cogitant, &c.*] Sic Colon. mutatione ſi verba ſpectes parva: ſin elegantiam, maxima. neque aliter uterque Mauritianus. prius erat *At*.

2. *Incertoſque eventus valitudinis ſceleris, &c.*] Pall. omnes & Coll. Put. tres & Ahalæ *incertoſque motus*. neque ſecus olim cuſi. idemque de ſuis omnibus teſtatur Lambinus.

3. *Quem Deum ſi cupiat.*] Ita Pall. noſtri meliores præter nonum, neque aliter S. Victoris, Colonienſ. duo Put. non, *etiamſi* ut vulgati: ſicque Plautus & Terentius. *Nec ſalus nobis ſaluti jam eſſe, ſi cupiat, &c.*

4. *Itaque illam tuam præclariſſimam.*] Malim *præſentiſſimam*, cùm mſ. Puteani.

5. *Parumne igitur inquies gloriam magnam relinquemus?*] Pall. plures, *inquies magna relinquemus*, quod & in Col. & Maur. poſter. placetque Gulielmio. cum intueor ſequentia, etiam præterea videtur abjiciendum *magna*.

6. *Vel in ſuos vel in patriam, &c.*] Eſt à Pal. nono & Baſilic. cuſi prius voce amplius, *ſuos cives, vel.* à gloſſa ſcilicet.

7. *Hæc tua vita ducenda eſt.*] Ita Gembl. & Colon. non *dicenda*, ut antea impreſſi.

8. *Æternitas ſemper tuebitur.*] Sic Pall. & Put. item uterque Maur. prius erat *intuebitur*. malè. creſcere enim debebat oratio.

9. *Monumenta, munera, victorias, &c.*] Habet quidem Gruteri mſ. illud Puteani *innumera*. ſed tamen reſpicere potuit ad *munera* populo à Cæſare data, hoc eſt, ſpectacula ac ludos. ſed ne hæc quidem aptè cohærent cum bellis, monumentis, triumphis, & *innumera* vix dixit cùm præceſſerit, *innumerabiles*. hæc Gulielmius.

10. *Diverſæ voluntates civium fuerunt.*] Malit Gulielmius *Diviſæ*. nam à *divido*, *dividia* pro diſcordiis.

11. *Nec qui omnes quibus iratus erat, &c.*] Haud aliter Pall. aliquot & Col. pungit enim acrius Pompejum, quàm vulgatum *neque*.

12. *Ab aliis erepta ſunt.*] Gulielmius putabat vix iſtud eſſe Latinum, niſi abjecto *ab*.

13. *Qui in acie cecidit, qui in cauſa animam profudit*] Hæc lectio eſt Pal. pr. ſec. tert. neque ſecus Put. Colon. & Mauriciani duo, quod dudum prodidit Modius noſter Epiſtola CXXXI. Miſere heic ſe torſit Lambinus, neque hilum profecit. Hotomanus lib. IV. Obſervat. cap. 3. non magis quàm Victorius lib. XVI. Var. lect. cap. 21.

1 Sua

cauſa animam profudit. quæ enim pertinacia quibuſdam, eadem aliis *conſtantia* videri poteſt. [1] Sed jam omnis fracta diſſenſio eſt armis, & exſtincta æquitate victoris: reſtat, ut omnes unum velint, qui modò habent aliquid non ſolùm ſapientiæ, ſed etiam ſanitatis. Niſi te, C. Cæſar, ſalvo, & in iſta ſententia, qua cùm antea, tum hodie vel maximè uſus es, manente, ſalvi eſſe non poſſumus. Quare omnes te, qui hæc ſalva eſſe volumus, & hortamur, & obſecramus, ut vitæ, ut ſaluti tuæ conſulas: omneſque tibi, ut pro aliis etiam loquar, quod de me ipſo ſentio, quoniam ſubeſſe aliquid putas, quod cavendum ſit, non modò excubias, & cuſtodias, ſed etiam laterum noſtrorum oppoſitus, & corpo-
11 rum pollicemur. [2] Sed, unde eſt orſa, in eodem terminetur oratio: maximas tibi omnes gratias agimus, C. Cæſar, majores etiam habemus. nam omnes idem ſentiunt: quod ex omnium precibus, & lacrymis ſentire potuiſti. [3] Sed quia non eſt [4] ſtantibus omnibus neceſſe dicere; à me certè dici volunt: cui [5] neceſſe eſt quodammodo, & quod volunt, & quod decet, & quod M. Marcello à te huic ordini, populoque Romano, & reipublicæ reddito, fieri intelligo. nam lætari omneis, non ut de *unius* ſolùm, ſed ut de communi omnium ſalute, ſentio. Quod autem ſummæ benevolentiæ eſt, quæ mea erga illum omnibus ſemper nota fuit, ut vix C. Marcello, optimo, & amantiſſimo fratri, præter eum quidem, cederem nemini, cùm id ſollicitudine, cura, labore tamdiu præſtiterim, quamdiu eſt de illius ſalute dubitatum: certe hoc tempore, magnis curis, moleſtiis, doloribus liberatus, præſtare debeo. Itaque, C. Cæſar, ſic tibi gratias ago, ut omnibus me rebus à te non conſervato ſolùm, ſed etiam ornato, tamen ad tua in me unum innumerabilia merita, quod fieri jam poſſe non arbitrabar, maximus hoc tuo facto, cumulus acceſſerit.

1. *Sed jam omnis, &c.*] Exterminavimus *quia* volentibus Pall. omnibus, item Cerb. S. Vict. Put. Colon. tribus & Grut. neque heic tantum, ſed & periodo ſequenti: ubi erat: *quia niſi te C. Cæſar*, & hæc quoque eorundem codicum concordi calculo.

2. *Sed unde eſt orſa in eod. term. oratio: maximas.*] Sic Pall. ferè omnes & Coll. duo prius editi: *Sed ut unde, &c. oratio mea maximas, &c.*

3. *Sed quia non eſt, &c.*] Pal. nonus & quint. ſext. ſept. oct. dec. item Coll. tres, *& quia*, quod forſan propius accedit ad verum, videtur enim legendum: *Id quia*, ut referatur ad ſuperiora.

4. *Stantibus omnibus, &c.*] E more veteri Senatorum, qui aut ſententiam ſuam ipſi, & ſi quid vellent præterea, dicebant, idque ſtantes: aut quibus videbatur, aſſentiebantur ſedentes. Epiſtola ad Q. Metellum. Gulielmius.

5. *Neceſſe eſt quodammodo, & quod volunt, & quod decet, & quod M. Marcello à te, &c. reddito, fieri intelligo.*] Exhibui fere ſcripturam primarum editionum. nam poſteriores nimium ab iis divertunt. & ſic quoque Pall. aliquot. notæ tamen melioris, item Colonienſis ille, tantum habebant, *neceſſe eſt quodammodo. & quod fieri decet M. Marcello à te, &c. reddito fieri id intelligo.* talia ferè reperta Lambino: apparet ex ejus Notis; neque ſecus erat in excuſſis à Puteano.

M. TULLIUS CICERO PRO Q. LIGARIO AD C. CÆSAREM.

ORATIO QUADRAGESIMAPRIMA.

1 Novum crimen, C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum, propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuiſſe. idque C. Panſa, præſtanti vir ingenio, fretus fortaſſe ea familiaritate, quæ eſt ei tecum, auſus eſt *confiteri*. Itaque, quò me vertam, neſcio. paratus enim veneram, cum tu id [1] neque per te ſcires, neque audire aliunde potuiſſes, ut ignoratione tua ad hominis miſeri ſalutem abuterer: ſed quoniam diligentia inimici [2] inveſtigatum eſt, quod latebat: confidendum eſt, ut opinor: præſertim cùm meus neceſſarius, C. Panſa, fecerit, ut id jam integrum non eſſet: omiſſaque controverſia, omnis oratio ad miſericordiam tuam conferenda eſt, qua plurimi ſunt conſervati, [3] cùm à te non *liberationem culpæ*, ſed errati veniam impetraviſſent. Habes igitur, Tubero, quod eſt accuſatori maximè optandum, confitentem reum: ſed tamen ita confitentem, ſe in ea parte fuiſſe, qua te, Tubero, qua virum omni laude dignum, patrem tuum. itaque prius de *veſtro delicto* confiteamini neceſſe eſt, quam Ligarii ullam culpam reprehendatis. [4] Q. igitur Ligarius, cum eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio, legatus in Africam [5] cum C. Conſidio, profectus eſt: qua in legatione, & civibus, & ſociis ita ſe *probavit*, ut decedens Conſidius provincia, ſatisfacere hominibus non poſſet, ſi quemquam alium provinciæ præfeciſſet. Itaque Q. Ligarius, cùm diu recuſans nihil profeciſſet, [6] provinciam accepit invitus: cui ſic præfuit in pace, ut & civibus, & ſociis gratiſſima eſſet ejus integritas, & fides. Bellum ſubitò exarſit: quod, qui erant in Africa, ante audierunt *geri*, quàm parari. quo audito, partim cupiditate inconſiderata, partim cæco quodam timore, [7] primò ſalutis, poſt etiam ſtudii ſui, quærebant aliquem *ducem*. [8] cum Ligarius domum ſpectans, & ad ſuos redire cupiens, nullo ſe implicari negotio paſſus eſt. Interim P. Accius Varus, qui prætor Africam obtinuerat, Uticam venit. ad eum ſtatim concurſum eſt. Atque ille non mediocri cupiditate [9] arripuit imperium, ſi illud *imperium* eſſe potuit, quod ad privatum clamore multitudinis imperitæ, nullo publico conſilio deferebatur. Itaque Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paullum adventu Vari conquievit. Adhuc, C. Cæſar, Q. Ligarius omni culpa vacat. domo eſt 2
egreſſus non modò nullum ad bellum, ſed ne ad minimam quidem ſuſpicionem belli: legatus in pace profectus, in provincia pacatiſſima ita ſe geſſit, ut ei pacem eſſe expediret. Profectio certè animum tuum non debet offendere. num igitur remanſio? multò minùs. nam profectio voluntatem

1. *Neque per te ſcires, &c.*] Libri aliquot ſcripti *ſcire*. haud tamen ii quos plurimum æſtimo.

2. *Inveſtigatum eſt id quod latebat.*] Sic Erfurd. ſic Pal. nonus, Colonienſ. & Gruter. imò & editio vetus. quos ſequor.

3. *Cùm à te, non liberationem culpæ.*] In integrum reſtitui lectionem priſcam. ſic ſane vetuſtius cuſi ac mſſ. noſtri ac Gulielm. & Lamb. omnes. male poſtea vulgati, *non ſolum liberationem, &c.*

4. *Quintus igitur Ligarius.*] Ita Pall. ille nonus, & duo tres alii, item Grut. reliqui autem *Q. enim Lig.* quod inventum in quinque etiam ſuis, malebat Gulielmius.

5. *Cum C. Conſidio.*] Delevi vocem *proconſule*, tamquam novitii fœtus, & quod abeſſet aliorum mſſ. & noſtris pleriſque, niſi quod nonus *conſule*, quomodo & prima editio; & quod Africa tunc nondum eſſet provincia proconſularis.

6. *Provinciam accepit invitus.*] Et iſtud revocavi ex vett. editis ſcriptiſque. neoterici enim, *accepit*.

7. *Primò ſalutis, poſt etiam ſtudii ſui quærebant aliquem ducem.*] Ita recte Lambinus, neque aliter Pall. omnes, aut Grut. Erfurd. Celb. Hitt. Maur. S. Victoris. vulgata, *primò ſalutis cauſa, poſt.*

8. *Cum Ligarius domum ſpectans, &c.*] Recepta hodie lectio *tum*, ſed præter mſſ. noſtros.

9. *Arripuit imperium.*] Vim multam habet dictio quæ præmittitur in membr. Hitt. *ſtatim arrip.*

1. *Utica*

luntatem habuit, non turpem, remanſio etiam neceſſitatem honeſtam. Ergo hæc duo tempora carent crimine: unum, cùm eſt legatus profectus: alterum, cùm efflagitatus à provincia, præpoſitus Africæ eſt. Tertium eſt tempus, quo poſt adventum Vari in Africa reſtitit. quod ſi eſt criminoſum, *neceſſitatis* crimen eſt, non voluntatis. An ille, ſi potuiſſet illinc ullo modo evadere, [1] Uticæ *potius*, quàm Romæ: cum P. Accio, quàm cum concordiſſimis fratribus: cum alienis eſſe, quàm cum ſuis maluiſſet? cùm ipſa legatio plena deſiderii, ac ſollicitudinis fuiſſet, propter incredibilem quendam fratrum amorem, hic æquo animo eſſe potuit, belli diſcidio diſtractus à fratribus? Nullum igitur habes, Cæſar, adhuc in Qu. Ligario ſignum alienæ à te voluntatis. cujus ego cauſam animadverte, quæſo, [2] qua fide defendam, cum prodo meam. O clementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, litteris, monumentiſque decorandam! M. Cicero apud te defendit, alium in ea voluntate non fuiſſe, in qua ſeipſum confitetur fuiſſe: nec tuas *tacitas cogitationes* extimeſcit: nec quid tibi de alio
3 audienti, de ſe ipſo occurrat, reformidat. Vide, quàm non reformidem: vide, quanta lux liberalitatis, & ſapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur. [3] quantum potero, voce contendam, ut hoc populus Romanus exaudiat. Suſcepto bello, Cæſar, geſto etiam ex magna parte, nulla *vi* coactus, [4] judicio ac voluntate ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumta contra te. Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui cum hoc ſciret, tamen me, antequam vidit, reipublicæ reddidit: qui ad me ex Ægypto litteras miſit, ut eſſem idem, qui fuiſſem: qui cum ipſe imperator in toto imperio populi Romani unus eſſet, eſſe me alterum paſſus eſt: à quo, hoc ipſo C. Panſa mihi nuntium perferente, conceſſos faſceis laureatos tenui, quoad tenendos putavi: qui mihi tum denique ſe [5] *ſalutem* putavit reddere, ſi eam nullis ſpoliatam ornamentis redderet. Vide, quæſo, Tubero, ut, qui de meo facto [6] non dubitem dicere, de Ligarii non audeam confiteri. Atque hæc propterea de me dixi, ut mihi Tubero, cùm de ſe eadem dicerem, ignoſceret. cujus ego induſtriæ, gloriæque faveo, vel propter propinquam *cognationem*, vel quòd ejus ingenio, ſtudiiſque delector, vel quod laudem adoleſcentis propinqui exiſtimo etiam ad meum aliquem fructum redundare. Sed hoc quæro, quis putet eſſe crimen, fuiſſe in Africa Ligarium? nempe is, qui & ipſe in eadem Africa eſſe voluit, & prohibitum ſe à Ligario queritur, & certè contra ipſum Cæſarem eſt *congreſſus* armatus. Quid enim, Tubero, diſtrictus ille tuus in acie Pharſalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Nimis urgeo: commoveri videtur adoleſcens: ad me revertar. iiſdem in armis fui. Quid autem aliud egimus, 4
Tubero, niſi, ut, quod hic poteſt, nos poſſemus? Quorum igitur *impunitas*, Cæſar, tuæ clementiæ laus eſt, eorum ipſorum ad crudelitatem te acuet oratio? Atque in hac cauſa nonnihil equidem, Tubero, etiam tuam, ſed multo magis patris tui prudentiam deſidero: quòd homo cùm ingenio, tum etiam doctrina excellens genus hoc cauſæ quòd eſſet, non viderit. nam, ſi vidiſſet, quovis profectò, quàm iſto modo à te agi maluiſſet. Arguis fatentem. non eſt ſatis. accuſas eum, qui *cauſam* habet, aut, ut ego dico, meliorem quàm tu: aut, ut tu vis, parem. [7] Hæc non modo mirabilia ſunt, ſed prodigii ſimile eſt, quod dicam. Non habet eam vim iſta accuſatio, ut Q. Ligarius condemnetur, ſed ut necetur. Hoc egit civis Rom. ante te nemo. [8] externi iſti ſunt mores. uſque *ad ſanguinem* incitari ſolet odium aut levium Græcorum, aut immanium barbarorum. nam quid aliud agis? ut Romæ ne ſit? ut domo careat? ne cum optimis fratribus, ne cum hoc T. Brocho, avunculo ſuo, ne cum ejus filio, conſobrino ſuo, ne nobiſcum vivat? [9] ne ſit in patria? num eſt? [10] num poteſt magis carere his omnibus, quàm caret? Italia prohibetur, exſulat. Non tu ergo hunc patria privare, qua caret, ſed vita, vis. At iſtud ne apud eum quidem dictatorem, qui omneis, *quos oderat*, morte multabat, quiſquam egit iſto modo. [11] ipſe jubebat occidi, nullo poſtulante: præmiis etiam invitabat. quæ tamen crudelitas ab eodem aliquot annis pòſt, quem nunc crudelem eſſe vis *vindicata* eſt. Ego verò iſtud non poſtulo, 5
inquies. Ita me hercle exiſtimo, Tubero novi enim te, novi patrem, novi domum, nomenque veſtrum: ſtudia denique generis, ac familiæ veſtræ, virtutis, humanitatis, doctrinæ plurimarum artium, atque optimarum, nota ſunt mihi omnia. Itaque certo ſcio, vos non petere ſanguinem: ſed parum attenditis. res enim eò ſpectat, ut ea pœna, in qua adhuc Q. Ligarius ſit, non videamini eſſe contenti. quæ eſt igitur alia, præter *mortem*? Si enim in exſilio eſt, ſicuti eſt, quid amplius poſtulatis. [12] an, ne ignoſcatur? hoc verò multo acerbius, multoque eſt durius. [13] quod nos domi petimus, precibus, & lacrymis, proſtrati ad pedes, non tam noſtræ cauſæ fidentes, quam hujus humanitati, id ne impetremus, pugnabis? & in noſtrum fletum irrumpes? & nos jacenteis ad pedes, [14] *ſupplicum voce* prohibebis? Si, cum hoc domi faceremus, quod & fecimus, &, ut ſpero, non fruſtrà fecimus, tu derepentè irrupiſſes, & [15] clamare cœpiſſes, CÆSAR, cave ignoſcas, cave te fratrum, pro fratis ſalute obſecrantium, miſereatur: nonne omnem humani-

1. *Uticæ potius quam Rom.*] Pall. pr. ſec. tert. non agnoſcunt *potius*, abſuitque etiam Puteani libro & Modianis; & profectò non deſideratur.

2. *Qua fide defendam, cùm prodo meam.*] Gulielmiani tres, item Put. non agnoſcunt *cùm*. & videtur a librario irrepſiſſe.

3. *Quantum potero, voce contendam.*] Lambinus admiſit *vocem*, ſed repugnantibus libris omnibus.

4. *Judicio ac voluntate.*] Abjeci pronomen *meo*, jubentibus codd. pluteariis.

5. *Salutem dare, ſi, &c. dediſſet.*] Ita ferè omnes noſtri libri. vulgo *ſalutem reddere, ſi, &c. redderet.*

6. *Non dubitem dicere, de Ligarii non audeam confiteri.*] Sic Pal. nonus, quintus, ſextus & aliquot præterea. ceteri omittunt alterum *non*. quidam præterea *dicere*; quod ultimum probat Gulielmius, tanquam reſpondeat mſſ. ejus. *ut* pro *an*.

7. *Hæc non modo mirabilia ſunt; ſed prodigii ſimile eſt, quod dicam.*] Ita mſſ. Lambini, ita Pall. ferè omnes. ſed tamen non poſſum non exoſculari ſcripturam exemplaris Colon. in quo ſolum: *Hæc admirabilia ſunt, ſed prodigii, &c.* conſule & Modium noſtrum Novantiq. Epiſt. LXXXVII.

8. *Externi iſti ſunt mores, uſque ad ſanguinem incitari ſolet odium aut levium Græcorum.*] Ita plerique mſſ. noſtrorum, ſolum facinus meum eſt quod detraxi literam à *ſolent* quod iiſdem libris. Vulgata: *externi mores uſque ad ſang. excitare ſolent odium aut, &c.* Modius legebat, *Externi iſti ſunt mores, uſque ad ſanguinem incitari odio; aut levium Gr.* quod etiam non damnem. nam & e noſtris nonnulli ſic ſcriptum habent; quibus tamen omnibus adeſt illud *ſolent*, quod invitis eis expunxit amicus ille noſter; quemadmodum ipſemet fatetur, dicta Epiſtola. *Externi iſti mores uſque ad ſanguinem incitare ſolent odium aut levium Græcorum aut immanium barbarorum.*] Hoc eſt, leves Græci aut immanes barbari, more iſtiuſmodi ſuo, nobis externo & peregrino, ſolent incitare odium uſque ad ſanguinem, ſervere odio uſque ad cædem. *Gronov.*

9. *Ne ſit in patria? num eſt?*] Ita Pall. ita aliorum ſcripti. vulgata, *num in patria eſt?* quam lectionem damnavit & auctoritate librorum ſuorum P. Victorius libro XXI. Var. lect. cap. 15.

10. *Num poteſt magis, &c.*] Gulielmius præponit, *non*, quod exſtat in quibuſdam mſſ. tanquam aptiùs, cum locum concludat.

11. *Ipſe jubebat occidi, nullo poſtulante.*] Hitt. & Pal. nonus, *videbat*, quod placebat Gulielmio; tanquam paverit oculos tam horrendo ſpectaculo, itaque diſtinguebat, *ipſe videbat occidi: nullo poſtulante, præmiis etiam, &c* non placet.

12. *An ne ignoſcatur.*] Mſſ. noſtri *ignoſcat?* nihilo pejus. iiſdem jubentibus ſtatim vulgatum *gravius* mutavi in *durius*.

13. *Quod nos domi petimus, precibus & lacrimis.*] Gulielmius è Colonienſi legebat, *quodne nos domi petimus, precibus, lacrimis. petimus* pro *petiimus*. & ſic quoque Put. liber, ſed is excludebat *domi*.

14. *Supplicum voce prohibebis?*] Manuſcripta lectio Gulielmii codicum *ſupplicium*, quod adprobabat. verum Pal. nonus *ſupplici*; nihilo profecto pejus.

15. *Clamare cœpiſſes: Cæſar, cave ignoſces, &c.*] Sic duo libri Gulielmii, ſine illo C. &, *cave credas*. quod ultimum abeſt etiam aliquot Pall. eſt clamor irruentis.

1. *Hæc*

humanitatem exuiſſes? quanto hoc durius, quod nos domi petimus, id à te in foro oppugnari? & in tam miſeria multorum *perfugium miſericordiæ* tollere? Dicam planè, C. Cæſar, quod ſentio. ſi in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non eſſet, quantam tu per te, *per te*, inquam, obtines (intelligo, quid loquar) acerbiſſimo luctu redundaret iſta victoria. quàm multi enim eſſent de victoribus, qui te crudelem eſſe vellent, cùm etiam de victis reperiantur? quàm multi, qui, cùm à te nemini ignoſci vellent, impedirent clementiam tuam, cùm etiam ii, quibus ipſe *ignoviſti*, nolint te in alios eſſe miſericordem? Quòd ſi probare Cæſari poſſemus, in Africa Ligarium omnino non fuiſſe: ſi honeſto, & miſericordi mendacio, ſaluti civis calamitoſi conſultum eſſe vellemus: tamen hominis non eſſet, in tanto diſcrimine, & periculo civis, refellere, & coarguere noſtrum mendacium: &, ſi eſſet alicujus, ejus certè non eſſet, qui in ea-
6 dem cauſa, & fortuna fuiſſet. Sed tamen aliud eſt errare Cæſarem nolle, aliud nolle miſereri. Tum diceres: CAVE, CÆSAR, credas: fuit in Africa Ligarius: tulit arma contra te. nunc quid dicis? cave ignoſcas. [1] nec hæc hominis, nec ad hominem vox eſt: qua qui apud te, C. Cæſar, utetur, ſuam citiùs abjiciet humanitatem, quàm extorquebit tuam. Ac primus aditus, & poſtulatio Tuberonis, hæc, ut opinor, fuit, velle ſe de Q. Ligarii *ſcelere* dicere. Non dubito, quin admiratus ſis, vel quòd de nullo alio quiſquam, vel quòd is, qui in eadem cauſa fuiſſet, vel quidnam novi facinoris afferret. Scelus tu illud vocas, Tubero? [2] cur? iſto enim nomine illa adhuc cauſa caruit. alii errorem appellant: alii timorem: qui duriùs, ſpem, cupiditatem, odium, pertinaciam: qui graviſſimè, *temeritatem*: ſcelus, præter te, adhuc nemo. Ac mihi quidem, ſi proprium, & verum nomen noſtri mali quæratur, fatalis quædam calamitas incidiſſe videtur, & improvidas hominum menteis occupaviſſe: ut nemo mirari debeat, HUMANA conſilia divina neceſſitate eſſe ſuperata. Liceat eſſe miſeros, quamquam hoc victore eſſe non poſſumus. ſed non loquor de nobis: de illis loquor, qui occiderunt. Fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces: ſceleris verò crimine, furoris, parricidii, liceat Cn. Pompejo mortuo, liceat multis aliis carere. Quando hoc quiſquam ex te, Cæſar, audivit, aut tua quid aliud arma voluerunt, niſi à te *contumeliam propulſare*? quid egit tuus ille invictus exercitus, niſi ut ſuum jus tueretur, & dignitatem tuam? quid? tu, cum pacem eſſe cupiebas, idne agebas, ut tibi cum ſceleratis, an ut cum bonis civibus conveniret? Mihi verò, Cæſar, tua in me maxima merita, tanta certè non viderentur, ſi me, ut ſceleratum, à te conſervatum putarem. Quomodo autem tu de rep. benemeritus eſſes, ſi tot ſceleratos incolumi dignitate eſſe voluiſſes? *Seceſſionem* tu illam exiſtimaviſti, Cæſar, initio, non bellum. non hoſtile odium, ſed civile diſſidium, utriſque cupientibus remp. ſalvam, ſed partim conſiliis, partim ſtudiis à communi utilitate aberrantibus. Principum dignitas erat pæne par: non par fortaſſe eorum, qui ſequebantur: cauſa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte, quod *probari* poſſet: nunc melior certè ea judicanda eſt, quàm etiam *dii adjuverunt*. cognita verò clementia tua, quis non eam victoriam probet, in qua occiderit nemo, niſi armatus? Sed, ut omittam communem cau- 7
ſam, veniamus ad noſtram: utrùm tandem exiſtimas facilius fuiſſe, Tubero, [3] Ligario ex Africa exire, an vobis in Africam non venire? Poteramuſne, inquis, cum ſenatus cenſuiſſet? Si me conſulis, nullo modo. ſed tamen Ligarium ſenatus idem legaverat. Atque ille eo tempore paruit, cum parere ſenatui *neceſſe* erat: vos tum paruiſtis, cum paruit nemo, qui noluit. Reprehendo igitur? minimè verò. neque enim licuit aliter veſtro generi, nomini, familiæ, diſciplinæ. ſed hoc NON CONCEDO, ut quibus rebus gloriemini in vobis, eaſdem in aliis reprehendatis. Tuberonis ſors conjecta eſt ex S. C. cum ipſe non adeſſet, morbo etiam impediretur: ſtatuerat ſe excuſare. Hæc ego novi [4] propter omneis neceſſitudines, quæ mihi ſunt cum L. Tuberone. domi una eruditi, militiæ contubernales, pòſt affines, in omni denique vita familiares. magnum etiam *vinculum*, quod iiſdem ſtudiis ſemper uſi ſumus. Scio igitur Tuberonem domi manere voluiſſe. [5] ſed ita quidam ajebat, ita reipublicæ ſanctiſſimum nomen opponebat, ut, etiam ſi aliter ſentiret, verborum tamen ipſorum pondus ſuſtinere non poſſet. ceſſit auctoritati ampliſſimi viri, vel potius *paruit*. Una eſt profectus cum iis, quorum erat una cauſa, tardius iter fecit. Itaque in Africam venit jam occupatam. Hinc in Ligarium crimen oritur, vel ira potius. [6] nam, ſi crimen eſt ullum *voluiſſe*; non minùs magnum eſt, vos Africam, omnium provinciarum arcem, natam ad bellum contra hanc urbem gerendum, obtinere voluiſſe, [7] quam aliquem ſe maluiſſe. atque is tamen *aliquis*, Ligarius non fuit. Varus imperium ſe habere dicebat: faſceis certè habebat. Sed quoquo modo ſeſe illud habet, hæc querela veſtra, Tubero, quid valet? Recepti in provinciam non ſumus. Quid ſi eſſetis? Cæſarine eam traditurи fuiſſetis, an contra Cæſarem retenturi? Vide, quid li- 8
centiæ, Cæſar, nobis tua liberalitas det, vel potius audaciæ. Si reſponderit Tubero, Africam, quò ſenatus eum, ſorſque miſerat, tibi patrem ſuum traditurum fuiſſe: non dubitabo apud ipſum te, cujus id eum facere interfuit, graviſſimis verbis ejus conſilium reprehendere. non enim ſi tibi ea res *grata* fuiſſet, eſſet etiam *probata*. Sed jam hoc totum omitto, non tam ut ne offendam tuas patientiſſimas aureis, quàm ne Tubero, quod numquam cogitavit, facturus fuiſſe videatur. Veniebatis igitur in Africam provinciam, unam ex omnibus huic victoriæ maximæ infeſtam: in qua erat rex potentiſſimus, inimicus huic cauſæ, aliena voluntas, conventus firmi, atque magni. Quæro, quid facturi fuiſſetis? quamquam quid [8] facturi fueritis, dubitem, cùm videam, quid feceritis? Prohibiti eſtis in provincia veſtra pedem ponere, [9] & prohibiti, ut perhibetis, ſumma cum injuria. Quomodo id tuliſtis? acceptæ injuriæ querelam ad quem

1. *Hæc nec hominis, nec ad hominem, vox eſt.*] Adblanditur valde ſcriptura Pal. ſec. ac tertii: *hæcne hominis ad hominem vox eſt?*

2. *Cur? iſto enim nomine, &c.*] Colon. *cur? enim iſto nomine.* non inſolenti, ait Gulielmius, bonis auctoribus loquendi genere: quod tamen ferè mutavit correctorum audacia; qui illud & heic partim ejecerant omnino; partim è principiis ad poſtprincipia rejecerant.

3. *Ligario ex. &c. an vobis.*] Eſt à Lambinianis atque aliquot noſtris. vulgata *Ligarium ex, &c. an vos.*

4. *Propter omneis neceſſitudines, &c.*] Novatores induxerant, *propter communes neceſſ.* ſed contra vetuſtius impreſſos & mſſ. ut dudum indicavit Victorius lib. XXI. cap. 19.

5. *Sed ita quidam ajebat, &c.*] Eſt à libro Erfurd. nec abibat S. Vict. quàm quod is *agiebant.* etiam Colon. unus *ajebant.* illud *opponebat*, nititur fide præterea Palatinorum. & niſi fallor, Catonem heic innuit. prius cuſi, *agebant*, item *opponebant.* quod vel damnabant ſequentia.

6. *Nam ſi crimen eſt ullum, voluiſſe; non, &c.*] Reſtitutio hujus loci ſatis certa eſt. ſanè ſententia liquet; & ita erat in Pal. ſexto ac nono. quod ſi malius, *illud voluiſſe*, ſciamus licet, id exſtare in Pal. oct. & decimo. vulgabatur antea; *nam ſi crimen eſt illum prohibere voluiſſe, non, &c.* ſed enim adfirmo, vocem *prohibere*, non comparere in ullo Pall. aut in Gruteriano, teſtatuſque eſt idem Modius noſter de ſuis omnibus, Novantiq. Epiſtola LXXXVII.

7. *Quàm aliquem ſe maluiſſe.*] Ejeci & heic binas voces *imperatorem eſſe*, auctoritate Pall. pr. ſec. tert. quart. noni, item exemplaris S. Victoris atque Lambinianis aliquot, duobuſque Colon. ſubintelligitur ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *provinciam obtinere.*

8. *Facturi fueritis, dubitem.*] Eſt à Colon. & Lambiniano, vulgatis enim adhuc aderat negativa *non*. quæ tamen in omnibus Pal. adeo ut videatur mutanda in *omnino*; aut adeò revocanda lectio diſtinctioque prior.

9. *Et prohibiti, ut perhibetis, ſumma cum injuria.*] Lambinus abjecit illud, *ut perhibetis*, neque arbitratur ullum Muſis tam iniſum qui non ſentiat jure feciſſe. equidem quo hoc Muſæ modo laturæ ſint, neſcio: id ſcio, gemmam ablatam hoc pacto Ciceronianæ ſententiæ. fateor quidem abeſſe etiam iſtud aliquot noſtris. ſed quis non videt accidiſſe, propter litterarum ſyllabarumque geminam quaſi ſimilitudinem?

ad quam [illegible]? nempe ad eum, cujus auctoritatem ſecuti, in ſocietatem belli veneratis. Quod ſi Cæſaris cauſa in provinciam veniebatis: ad eum profectò excluſi provincia veniſſetis. veniſtis ad Pompejum. Quæ eſt ergo apud Cæſarem querela, cùm eum accuſatis, à quo queramini vos prohibites contra Cæſarem bellum gerere? Atque in hoc quidem vel cum mendacio, ſi vultis, gloriari per me licet, vos provinciam fuiſſe Cæſari tradituros, etiamſi à Varo, & quibuſdam aliis prohibiti eſſetis. ego autem confitebor culpam eſſe Ligarii, qui vos tantæ laudis occaſione privaverit.
9 Sed vide, quæſo, C. Cæſar, conſtantiam ornatiſſimi viri, L. Tuberonis: quam ego, quamvis ipſe probarim, ut probo, tamen non commemorarem, niſi à te cognoviſſem in primis eam virtutem ſolere laudari. Quæ fuit igitur umquam in ullo homine tanta conſtantia? conſtantiam dico? neſcio, an meliùs patientiam poſſem dicere. QUOTUS enim iſtud quiſque feciſſet, [1] ut, a quibus in diſſenſione civili non eſſet receptus, eſſetque etiam cum crudelitate rejectus, ad eas ipſas rediret? magni cujuſdam animi, atque ejus viri eſt, quem de ſuſcepta cauſa, propoſitaque ſententia, nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum poſſet depellere. Ut enim cætera paria Tuberoni cum Varo fuiſſent; honos, nobilitas, ſplendor, ingenium, quæ nequaquam fuerunt: hoc certè præcipuum Tuberonis fuit, quòd juſto cum imperio ex S. C. in provinciam ſuam venerat. Hinc prohibitus non ad Cæſarem, ne iratus: non domum, ne iners: non aliquam in regionem, ne condemnare cauſam illam, quam ſecutus eſſet, videretur: [2] in Macedonia, ad Cn. Pompeii caſtra venit, in eam ipſam cauſam, à qua erat rejectus *cum injuria*. Quid? cum iſta res nihil commoviſſet ejus animum, ad quem veneratis: languidiore, credo, ſtudio in cauſa fuiſtis. tantummodo in præſidiis eratis: animi verò à cauſa abhorrebant. an, ut fit in civilibus bellis, nec in vobis magis, quam in reliquis, omneis vincendi ſtudio tenebamur? Pacis equidem ſemper auctor fui: ſed tum ſerò. erat enim *amentis*, cum aciem videres, pacem cogitare. Omnes, inquam, vincere volebamus: tu certè præcipuè, qui in eum locum veniſſes, ubi tibi eſſet *pereundum*, niſi viciſſes: quamquam, ut nunc ſe res habet, non dubito, quin
10 hanc ſalutem anteponas illi victoriæ. Hæc ego non dicerem, Tubero, ſi aut vos conſtantiæ veſtræ, aut Cæſarem beneficii ſui pœniteret. Nunc quæro, utrùm veſtras injurias, an reipublicæ perſequamini. ſi reipublicæ: quid de veſtra in ea cauſa perſeverantia reſpondebitis? ſi veſtras: videte, ne erretis, qui Cæſarem veſtris inimicis iratum fore putetis, cùm *ignoverit ſuis*. Itaque num tibi videor, Cæſar, in cauſa Ligarii occupatus eſſe? num de ejus facto dicere? quidquid dixi, ad unam ſummam referri volo vel humanitatis, vel clementiæ, vel miſericordiæ tuæ. Cauſas, Cæſar, egi multas, & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum: certè numquam hoc modo, *Ignoſcite, judices: erravit: lapſus eſt: non putavit: ſi umquam poſthac.* ad parentem ſic agi ſolet. ad judices, *Non fecit, non cogitavit, falſi teſtes, fictum crimen.* Dic, te, Cæſar, de facto Ligarii judicem eſſe: quibus in præſidiis fuerit, quære. taceo. ne hæc quidem colligo, quæ fortaſſe valerent etiam apud judicem. Legatus *ante bellum* profectus, relictus in pace, bello oppreſſus, in eo non acerbus; tum etiam totus animo, & ſtudio tuus. Ad judicem ſic agi ſolet. ſed ego ad parentem loquor, Erravi, temerè feci, pœnitet: ad clementiam tuam confugio: delicti veniam peto: ut ignoſcas, oro. ſi *nemo* impetravit, arroganter: ſi plurimi, tu idem fer opem, qui ſpem dediſti. An ſperandi Ligario cauſa non ſit, cum *mihi* apud te ſit locus etiam pro altero deprecandi? Quamquam neque in hac oratione ſpes eſt poſita cauſæ, nec in eorum ſtudiis, qui à te pro Ligario petunt, tui neceſſarii. Vidi enim, & cognovi, quid maximè ſpecta- 11
res, cùm pro alicujus ſalute multi laborarent: [3] cauſas apud te rogantium, gratiores eſſe, quàm vultus: neque ſpectare, quàm tuus eſſet neceſſarius is, qui te oraret: [4] ſed quàm illius, pro quo laboraret. Itaque tribuis tu quidem tuis ita multa, ut mihi *beatiores* illi eſſe videantur interdum, qui tua liberalitate fruuntur, quàm tu ipſe, qui illis tam multa concedis. Sed video tamen, apud te cauſas, ut dixi, rogantium valere plus, quàm preces: ab iiſque te moveri maximè, quorum juſtiſſimum dolorem videas in petendo. In Qu. Ligario conſervando multis tu quidem gratum facies, neceſſariis tuis: ſed hoc, quæſo, conſidera, quod ſoles. poſſum fortiſſimos viros, Sabinos, tibi probatiſſimos, totumque agrum Sabinum, florem Italiæ, ac robur reipublicæ proponere. *noſti optimè homines.* animadverte horum omnium mœſtitiam, & dolorem. hujus T. Brocchi, de quo non dubito, quid exiſtimes, lacrymas, ſqualoremque ipſius, & filii vides. Quid de fratribus dicam? noli, Cæſar, putare de unius capite nos agere. aut tres tibi Ligarii retinendi in civitate ſunt, aut tres ex civitate exterminandi. quodvis exſilium his eſt optatius, quàm patria, [5] quàm domus, quàm dii penates, *uno illo* exſulante. Si fraternè, ſi piè, ſi cum dolore faciunt: moveant te horum lacrymæ, moveat pietas, moveat germanitas: valeat tua vox illa, quæ vicit. te enim dicere audiebamus, Nos, OMNEIS adverſarios putare, niſi qui nobiſcum eſſent: te omneis, qui contra te non eſſent, tuos. Videſne igitur hunc ſplendorem, omnem hanc Brocchorum domum, hunc L. Marcium, C. Cæſetium, L. Corfidium, hoſce omneis equites Rom. qui adſunt veſte mutata, non ſolùm notos tibi, verùm etiam [6] probatos viros, tecum fuiſſe? atque his maximè iraſcebamur, & hos requirebamus, & his nonnulli etiam minabantur. Conſerva igitur tuis ſuos: ut, quemadmodum cetera, quæ dicta ſunt à te, ſic hoc veriſſimum reperiatur. Quod ſi 12
penitus perſpicere poſſes concordiam Ligariorum: omneis fratres tecum judicares fuiſſe. An poteſt quiſquam dubitare, quin, ſi Q. Ligarius in Italia eſſe potuiſſet, in eadem ſententia futurus fuerit, in qua fratres fuerunt? quis eſt, qui horum conſenſum conſpirantem, & pænè *conflatum*, in hac propè æqualitate fraterna non noverit? qui hoc non ſentiat, quidvis priùs futurum fuiſſe, quàm, ut hi fratres diverſas ſententias, fortunaſque ſequerentur? Voluntate igitur omnes tecum fuerunt: *tempeſtate* abreptus eſt unus: qui, ſi conſilio id feciſſet, eſſet eorum ſimilis, quos tu tamen ſalvos eſſe voluiſti. Sed ierit ad bellum: [7] diſſenſerit non à te ſolum, verum etiam à fratribus. hi te orant tui. Equidem cum tuis omnibus negotiis intereſſem, memoria teneo, qualis T. Ligarius, quæſtor urbanus fuerit, erga te, & dignitatem tuam. ſed parum eſt me hoc meminiſſe: ſpero etiam te, qui *oblivisci nihil ſoles, niſi injurias*, quoniam hoc eſt animi, quoniam etiam ingenii tui, te aliquid [8] de hujus illo quæſtoris officio cogitantem, etiam de aliis quibuſdam quæſtoribus reminiſcentem recordari. Hic igitur T. Ligarius, qui tum nihil egit aliud (neque enim hæc divi-

1. *Ut a quibus in diſſenſione, &c.*] Ejeci vocem *partibus*, non comparentem in pall. melioribus. Colon. libri habent præterea *diſceſſione.* quod non improbaſſem, ſi annuiſſet ullus Palatinus.

2. *In Macedoniam, ad Cn. Pompeii caſtra venit.*] Eſt à mſſ. noſtris. Gulielmius tentabat, *ac Cn.* vulgata, *in Cn.*

3. *Cauſas gratiores quàm vultus.*] Ita antiquiſſima exemplaria à P. Victorio excuſſa. vulgo *preces.* quod ipſum quoque reſpuunt aliquot Pall. & Gruterianus, in quibus reſtat alterum. adeatur optimus ille Criticorum lib. XXIV. Var. lect. cap. 8.

4. *Sed quam illius pro quo, &c.*] Pall. aliquot, *illius cauſa*, quomodo & S. Victoris membranæ, editioque vetuſtior.

5. *Quam domus.*] Iſtud accedit Ciceroni è Pall. aliiſque edd. Lambinianis enim edd. injuriè exulavit.

6. *Probatos viros tecum fuiſſe.*] Sic duo Coll. & plures Pall. melius profecto vulgatis, *qui tecum fuerunt.*

7. *Diſceſſerit non à te ſolum.*] Eſt à Pall. aliquot & uno Colon. leni verbo utitur, ut ſupra cap. 6. f. *Diſceſſionem tu illam.* vulgatur *diſſenſerit.*

8. *De hujus illo quæſtoris, &c.*] Vox *illo* adjicitur è vetuſtis noſtris codd. & ſuam habet emphaſim. fuitque item in Puteani ſcriptis.

1. *Niſi*

divinabat) [1] niſi ut tu eum ſtudioſum, & bonum virum judicares, nunc à te ſupplex fratris ſalutem petit. quam hujus admonitus officio cum utrîſque his dederis, treis fratres optimos, & integerrimos, non ſolùm ſibi ipſos, neque his tot ac talibus viris, neque nobis neceſſariis ſuis, ſed etiam *reip. condonaveris.* Fac igitur, quod de homine nobiliſſimo, & clariſſimo, M. Marcello feciſti nuper in curia, nunc idem in foro de optimis, & huic omni frequentiæ probatiſſimis fratribus. Ut conceſſiſti illum ſenatui, ſic da hunc populo: cujus voluntatem cariſſimam ſemper habuiſti. &, ſi ille dies tibi glorioſiſſimus, pop. Rom. gratiſſimus fuit: noli, obſecro, dubitare, C. Cæſar, ſimilem illi gloriæ laudem quàm ſæpiſſimè quærere. NIHIL eſt enim tam populare, quàm bonitas: nulla de virtutibus tuis plurimis nec admirabilior nec gratior, miſericordia eſt. HOMINES enim ad deos nulla re propiùs accedunt, [2] quam ſalutem hominibus dando. nihil habet nec fortuna tua majus, quàm ut poſſis: nec natura tua melius, quam ut velis conſervare quàm plurimos. Longiorem orationem cauſa forſitan poſtulat, tua certè natura breviorem. Quare, cum utilius eſſe arbitrer, te ipſum, quàm aut me, aut quemquam, *loqui tecum*, finem jam faciam: tantum te ipſum admonebo, ſi illi abſenti ſalutem dederis, præſentibus his omnibus te daturum.

1. *Niſi ut tu eum ſtudioſum & bonum virum judicares.*] Gulielmius bene conjecit, *tui*; neque aliter ſchedæ Cl. Puteani.

2. *Quàm ſalutem hominibus dando.*] Male Lambinus, præter mſſ. certè & ceteras edd. *ſalute hom. danda.*

M. TULLIUS CICERO PRO REGE DEJOTARO AD C. CÆSAREM.

ORATIO QUADRAGESIMASECUNDA.

1 CUM in omnibus cauſis gravioribus, C. Cæſar, initio dicendi commoveri ſoleam vehementiùs, quàm videtur vel uſus, vel ætas mea poſtulare: tum in hac cauſa ita me multa perturbant, ut quantum mea fides ſtudii mihi afferat ad ſalutem regis Dejotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat. Primùm dico pro capite fortuniſque regis: quod ipſum etſi non iniquum eſt, in tuo duntaxat periculo: tamen eſt ita *inuſitatum*, regem, capitis reum eſſe, ut ante hoc tempus non ſit auditum. Deinde eum regem, [1] quem ornare antea cuncto cum ſenatu ſolebam, pro perpetuis ejus in noſtram rempublicam meritis, nunc contra atrociſſimum crimen cogor defendere. Accedit, ut accuſatorum alterius crudelitate, [2] alterius indignitate perturber. [3] Crudelem Caſtorem, ne dicam ſceleratum, & impium, qui nepos avum in diſcrimen capitis adduxerit, adoleſcentiæque ſuæ terrorem intulerit ei, cujus ſenectutem *tueri*, & tegere debebat: commendationemque ineuntis ætatis ab impietate, & ſcelere duxerit: avi ſervum, corruptum præmiis, ad accuſandum dominum impulerit, & à legatorum pedibus abduxerit. Fugitivi autem dominum accuſantis, & dominum abſentem, & dominum amiciſſimum noſtræ reipub. cùm os videbam, cùm verba audiebam: non tam afflictam regiam conditionem dolebam, quàm de *fortunis communibus* extimeſcebam. Nam, cùm more majorum de ſervo in dominum, ne tormentis quidem, quæri liceat: in qua quæſtione *dolor* veram vocem elicere poſſit, etiam ab invito. exortus eſt ſervus, qui, quem in eculeo appellare non poſ-
2 ſet, eum accuſet ſolutus. Perturbat me, C. Cæſar, etiam illud interdum: quod tamen, cùm te penitus recognovi, timere deſino. re enim iniquum eſt, ſed tua ſapientia fit æquiſſimum. nam dicere apud eum de facinore, contra cujus vitam conſilium facinoris iniſſet arguare, ſi per ſeipſum conſideres, grave eſt. NEMO enim ferè eſt, qui ſui periculi judex, non ſibi ſe æquiorem, quàm reo præbeat. Sed tua, C. Cæſar, præſtans, ſingulariſque natura hunc mihi metum minuit. non enim tam timeo, quid tu de rege Dejotaro, quàm intelligo, quid *de te* ceteros velis judicare. Moveor etiam loci ipſius inſolentia, quòd tantam cauſam, quanta nulla umquam in diſceptatione verſata eſt, dico intra domeſticos parietes, dico extra conventum, & eam frequentiam, in qua oratorum ſtudia niti ſolent: in tuis oculis, in tuo ore, vultuque acquieſco: te unum intueor: ad te unum omnis mea ſpectat oratio: quæ mihi ad ſpem obtinendæ veritatis graviſſima ſunt, ad motum animi, & ad omnem impetum dicendi, contentionemque leviora. Hanc enim, C. Cæſar, cauſam ſi in foro dicerem, eodem audiente, & diſceptante te, quantam mihi alacritatem populi Rom. concurſus afferret? quis enim civis ei regi non faveret, cujus omnem ætatem in populi Rom. bellis conſumtam eſſe meminiſſet? ſpectarem curiam, intuerer forum, cœlum denique teſtarer ipſum. Sic, cùm & deorum immortalium, & populi Rom. & ſenatus beneficia in regem Dejotarum recordarer, nullo modo mihi deeſſe poſſet oratio. Quæ quoniam anguſtiora parietes faciunt, actioque cauſæ maximè debilitatur loco: tuum eſt, Cæſar, qui pro multis ſæpe dixiſti, quid nunc mihi animi ſit, ad te ipſum referre; quo faciliùs tum æquitas tua, tum audiendi diligentia minuat hanc perturbationem meam. Sed antequam de accuſatione ipſa dico, de accuſatorum ſpe pauca dicam. qui cùm videantur neque ingenio, neque uſu, atque exercitatione rerum valere, tamen ad hanc cauſam non ſine aliqua ſpe, & cogitatione venerunt. *Iratum* te regi Dejotaro 3
fuiſſe non erant neſcii, affectum illum quibuſdam incommodis, & detrimentis, propter offenſionem animi tui, meminerant: teque cum huic iratum, tum ſibi amicum cognoverant: cumque apud ipſum te de tuo periculo dicerent, fore putabant, ut in *exulcerato animo* facilè fictum crimen inſideret. Quamobrem hoc nos primùm metu, C. Cæſar, per fidem & conſtantiam, & clementiam tuam, libera, ne reſidere in te ullam partem iracundiæ ſuſpicemur. Per dexteram te iſtam oro, quam regi Dejotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti: iſtam, inquam, dexteram, non tam in bellis, & in prœliis, quàm in promiſſis, & fide firmiorem. Tu illius domum inire, tu vetus hoſpitium renovare voluiſti: te ejus dii penates acceperunt: te amicum, & placatum Dejotari regis aræ, focique viderunt. [4] Cùm facile exorari, Cæſar, tum ſemel exorari ſoles. nemo umquam te placavit inimicus, qui ullas *reſediſſe* in te ſimultatis reliquias ſenſerit. Quamquam cui ſunt inauditæ cum Dejotaro querelæ tuæ? numquam tu illum accuſaviſti, ut hoſtem, ſed

1. *Quem ornare antea cuncto cum Senatu ſolebam.*] Sic nonus, & ſec. & Grut. unà cum duobus mſſ. S. Victoris. quod res ipſa probat. prius cuſi *ſolebamus.*

2. *Alterius indignitate conturber.*] Ita quatuor Gulielmio excuſſi, & aliquot Pall. non *perturber*, ut retrò editi.

3. *Crudelem Caſtorem, ne, &c.*] Eſt & hoc a pleriſque Pall. & Grut. imò & vetuſtius cuſis poſteriores, *Crudelis Caſtor eſt, ne, &c.*

4. *Cum facile exorari, Cæſar, &c.*] Mſſ. aliquot noſtri, *orari*: quos ſequitur Gulielmius; nondum ego.

ſed [1] ut amicum officio parum functum, quòd propenſior in Cn. Pompeii amicitiam fuiſſet, quam in tuam. cui tamen ipſi regi veniam te daturum fuiſſe dicebas, ſi cum auxilia Pompejo, vel ſi etiam filium miſiſſet, ipſe tamen *excuſatione ætatis* uſus eſſet. Itaque cum maximis eum rebus liberares, perparvam amicitiæ culpam relinquebas. Itaque non ſolùm in eum non animadvertiſti, ſed omni metu liberaviſti, hoſpitem agnoviſti, regem reliquiſti. neque enim ille odio tui progreſſus, ſed *errore communi* lapſus eſt. Is rex, quem ſenatus hoc nomine ſæpe honorificentiſſimis decretis appellaviſſet, quique illum ordinem ab adoleſcentia graviſſimum, ſanctiſſimumque duxiſſet, iiſdem rebus eſt perturbatus, homo longinquus, & alienigena, quibus
4 nos in media rep. nati, ſemperque verſati. Cùm audiret ſenatus conſentientis auctoritate arma ſumta: conſulibus, prætoribus, tribunis pleb. novis imperatoribus remp. defendendam datam: movebatur animo, & vir huic imperio amiciſſimus, de ſalute populi Rom. extimeſcebat, in qua etiam *ſuam incluſam* eſſe videbat. in ſummo tamen timore quieſcendum ſibi eſſe arbitrabatur. maxime verò perturbatus eſt, ut audivit, conſules ex Italia profugiſſe: omneiſque conſulares (ſic enim nuntiabatur) cunctum ſenatum, totam Italiam eſſe effuſam. talibus enim nuntiis, & rumoribus patebat ad Orientem via, nec ulli veri ſubſequebantur. nihil ille de conditionibus tuis, nihil de ſtudio concordiæ, & pacis, nihil de conſpiratione audiebat certorum hominum contra dignitatem tuam. quæ cum ita eſſent, tamen uſque eò ſe tenuit, quoad à Cn. Pompejo ad eum legati, litteræque venerunt. Ignoſce, ignoſce, Cæſar, ſi ejus viri *auctoritati* rex Dejotarus ceſſit, quem nos omnes ſecuti ſumus: in quem cùm dii, atque homines omnia ornamenta congeſſiſſent, tum tu ipſe plurima, & maxima. neque enim ſi tuæ res geſtæ cæterorum laudibus obſcuritatem attulerunt, idcircò Cn. Pompeji memoriam amiſimus. quantum nomen ejus fuerit, quantæ opes, quanta in omni genere bellorum gloria, quanti honores populi Rom. quanti ſenatus, quanti tui, quis ignorat? tanto ille ſuperiores vicerat gloria, quanto tu omnibus præſtitiſti. Itaque Cn. Pompeii bella, victorias, triumphos, conſulatus admirantes numerabamus: tuos enumerare non poſſumus.
5 Ad eum igitur rex Dejotarus venit, hoc miſero, fatalique bello, quem antea juſtis, hoſtilibuſque bellis adjuverat, quo-cum erat non hoſpitio ſolum, verùm etiam *familiaritate* conjunctus: & venit vel rogatus, ut amicus: vel arceſſitus, ut ſocius: vel evocatus, ut is, qui ſenatui parêre didiciſſet: poſtremò venit, ut ad fugientem, non ut ad inſequentem, id eſt, ad periculi, non ad victoriæ ſocietatem. Itaque, Pharſalico prœlio facto, à Pompejo diſceſſit: *ſpem infinitam* perſequi noluit. vel officio, ſi quid debuerat: vel errori, ſi quid neſcierat, ſatisfactum eſſe duxit: domum ſe contulit: teque Alexandrinum bellum gerente, utilitatibus tuis paruit. Ille exercitum Cn. Domitii, ampliſſimi viri, ſuis tectis, & copiis ſuſtentavit: ille Epheſum ad eum, quem tu ex tuis fideliſſimum, & probatiſſimum omnibus delegiſti, pecuniam miſit: ille iterum, ille tertiò *auctionibus factis* pecuniam dedit, qua ad bellum utereris: ille corpus ſuum periculo objecit, tecumque in acie contra Pharnacem fuit, tuumque hoſtem eſſe duxit ſuum. Quæ quidem à te in eam partem accepta ſunt, C. Cæſar, ut eum ampliſſimo regis honore, & homine affeceris. Is igitur non modò à te periculo liberatus, ſed etiam honore ampliſſimo ornatus, arguitur domi te ſuæ *interficere* voluiſſe. quod tu, niſi eum furioſiſſimum judicas, ſuſpicari profectò non potes. Ut enim omittam, cujus tanti ſceleris fuerit, in conſpectu deorum penatium necare hoſpitem: cujus tantæ importunitatis, omnium gentium, atque omnis memoriæ clariſſimum lumen exſtinguere: cujus tantæ ferocitatis, victorem orbis terrarum non *extimeſcere*: cujus tam inhumani, & ingrati animi, à quo rex appellatus eſſet, in eum, tyrannum inveniri: ut hæc omittam, cujus tanti furoris fuit, omneis reges, quorum multi erant finitimi, omneis liberos populos, omneis ſocios, omneis provincias, omnia denique omnium arma contra ſe unum *excitare*? quonam ille modo cum regno, cum domo, cum conjuge, cum cariſſimo filio diſtractus eſſet, tanto ſcelere non modò perfecto, ſed etiam cogitato? At, credo, hæc homo inconſultus, & temera- 6
rius *non videbat*. Quis conſideratior illo? quis tectior? quis prudentior? quamquam hoc loco Dejotarum non tam ingenio, & prudentia, quam fide, & religione vitæ defendendum puto. Nota tibi eſt, C. Cæſar, hominis probitas, noti mores, nota conſtantia. Cui porro, qui modò populi Rom. nomen audivit, Dejotari integritas, gravitas, virtus, fides non audita eſt? Quod igitur facinus nec in hominem imprudentem cadere poſſet, propter metum præſentis exitii, nec in facinoroſum, niſi eſſet idem amentiſſimus, id vos & à viro optimo, & ab homine minimè ſtulto cogitatum eſſe confingitis. At quàm non modò non credibiliter, ſed ne *ſuſpicioſè* quidem. [2] Cum, inquit, in caſtellum Luceium veniſſes, & domum regis, hoſpitis tui, devertiſſes: locus erat quidam, in quo erant ea compoſita, quibus rex te munerare conſtituerat, huc te è balneo, priùs quàm accumberes, ducere volebat. ibi enim erant armati, qui te interficerent, in eo ipſo loco collocati. En crimen, en cauſa, cur regem fugitivus, dominum ſervus accuſet. Ego mehercule, C. Cæſar, initio, cùm eſt ad me iſta cauſa delata, Phidippum medicum, ſervum regium, qui cum legatis miſſus eſſet, [3] ab iſto adoleſcente eſſe corruptum; [4] hac ſuſpicione ſum percuſſus: medicum indicem ſubornabit: finget videlicet aliquod *crimen veneni*. etſi à veritate longè, tamen à conſuetudine criminandi non multum res abhorrebat. Quid ait medicus? nihil de veneno. At id fieri potuit: primò occultiùs in potione, vel in cibo: deinde etiam *impunitius* fit, quod, cùm eſt factum, negari poteſt. Si palàm te intereiniſſet: omnium in ſe gentium non ſolum odia, ſed etiam arma convertiſſet: ſi veneno: Jovis illius quidem hoſpitalis numen numquam celare potuiſſet, homines fortaſſe celaviſſet. Quod igitur & occultius conari, & efficere cautiùs potuit: id tibi, & medico callido, & ſervo, ut putabat, fideli, non credidit: de armis, de ferro, de inſidiis celare te noluit? At quàm feſtivè crimen contexitur? Tua te, inquit, eadem, quæ ſemper, *fortuna* ſervavit. negaviſti tum te inſpicere velle. Quid poſtea? an Dejotarus, re 7
illo tempore non perfecta, continuo dimiſit exercitum? nullus erat alius inſidiandi locus? At eodem te, cùm cenaviſſes, rediturum dixeras: itaque feciſti: horam unam, aut duas eodem loco armatos, ut collocati fuerunt, retinere magnum fuit? cum in convivio comiter, & jucundè fuiſſes, tum illuc iviſti, ut dixeras. quo in loco Dejotarum talem erga te cognoviſti, qualis rex Attalus in P. Africanum fuit: cui *magnificentiſſima dona*, ut ſcriptum legimus, uſque ad Numantiam miſit ex Aſia: quæ Africanus, inſpectante exercitu, accepit. Quod cùm præſens Dejotarus regio & animo, & more feciſſet, tu in cubiculum diſceſſiſti. Obſecro, Cæſar, repete temporis illius memoriam: pone illum ante oculos diem: vultus hominum te intuentium, atque admirantium, recordare. num quæ trepidatio? num qui tumul-

1. *Ut amicum officio parum functum.*] Vulgò *amici*: ſed contra mſſ. noſtros meliores, in quibus etiam poſtea erat *cum*, non *tum*. de quo videatur etiam Muretus lib. 11. Var. lect. cap. 16.

2. *Cum, inquit, in caſtellum Luceium veniſſes.*] Puteanus monuit legendum *veniſſes*. nam quod mox narrat, actum fuit antequam Cæſar Luceium veniſſet, ut liquet ex alio hujus paginæ loco: *in poſterum*, inquit, *diem distulit*; *ut cùm in caſtellum Luceium ventum eſſet*, &c. Sequatur ergo id actum fuiſſe in domo Dejotari; ad quam Cæſar in Luceium proficiſcens deverterat.

3. *Ab iſto adoleſcente eſſe corruptum.*] Vulgata interpoſuit *exiſtimari*. ſed vocis ejus nullum veſtigium in Pall. quod & notavit Puteanus; item Muretus d. cap. 16. qui tamen minus bene illud *ſubornabit* mutat in *ſubornavit*. ſic quidem etiam ſcripti aliquot noſtris: ſed id veteri illa conſuetudine ſcribendi, idem eſt quod priore.

4. *Hac ſuſpicione percuſſum.*] Re... *percuſſum*, ſed alterum magis heic convenit, reſtatque in pleriſque noſtris.

1. Dii

tumultus? num quid, niſi moderatè, niſi quietè, niſi ex hominis graviſſimi, & ſanctiſſimi diſciplina? Quid igitur cauſæ excogitari poteſt, cur te lautum voluerit, cœnatum noluerit occidere? In poſterum, inquit, diem diſtulit, ut, cùm in caſtellum Lucejum ventum eſſet, ibi cogitata perficeret. Non video cauſam loci mutandi: ſed tamen acta res criminosè eſt. Cùm, inquit, vomere te poſt cenam velle dixiſſes, in balneum te ducere cœperunt. ibi enim erant inſidiæ. at te eadem tua fortuna ſervavit: in cubiculum te ire malle dixiſti. [1] Dii te perdant, fugitive: ita non modò nequam, & improbus, ſed fatuus, & amens es. Quid? ille ſigna ænea in inſidiis poſuerat, quæ è balneo in cubiculum [2] transferri non poſſent? Habes crimina inſidiarum. nihil enim dixit amplius. horum, inquit, eram conſcius. Quid tum? ita demens ille erat, ut cum, quem *conſcium* tanti ſceleris habebat, à ſe dimitteret? Romam etiam mitteret, ubi & inimiciſſimum ſciret eſſe, nepotem ſuum, & C. Cæſarem, cui feciſſet inſidias? præſertim cùm is unus eſſet, qui poſſet [3] de abſente ſe vindicare? Et fratres meos, inquit, quòd erant conſcii, in vincula conjecit. Cùm igitur eos vinciret, quos ſecum habebat, te ſolutum Romam mittebat, qui ea-
8 dem ſcires, quæ illos ſcire dicis? Reliqua pars accuſationis duplex fuit: una, regem ſemper in ſpeculis fuiſſe, cùm à te animo eſſet alieno: altera, exercitum eum contra te magnum comparaſſe. De exercitu dicam breviter, ut cetera. Numquam eas copias res Dejotarus habuit, quibus inferre bellum populo Rom. poſſet: ſed quibus *fines ſuos* ab excurſionibus hoſtium, & latrociniis tueretur, & imperatoribus noſtris auxilia mitteret. Atque antea quidem majores copias alere poterat: nunc exiguas vix tueri poteſt. [4] At miſit ad Cælium neſcio quem: ſed eos, quos miſit, quòd ire noluerunt, in vincula conjecit. Non quæro, quàm veriſimile ſit, aut non habuiſſe regem, quos mitteret: aut eos, quos miſiſſet, non paruiſſe: aut, qui dicto audientes in tanta re non fuiſſent, eos vinctos potius, quàm *necatos* fuiſſe. ſed tamen cùm ad Cælium mittebat, utrùm cauſam illam victam eſſe neſciebat, an Cælium iſtum, magnum hominem putabat? quem profectò is, qui optime noſtros homines novit, [5] vel quia noſſet, vel quia non noſſet, contemneret. Addidit etiam illud, equites *non optimos* miſiſſe. veteres, credo, Cæſar: nihil ad tuum equitatum: ſed miſit ex iis, quos habuit, electos. Ait neſcio quem ex eo numero, ſervum judicatum. non arbitror: non audivi. ſed in eo, etiam ſi accidiſſet, culpam regis nullam fuiſſe arbi-
9 trarer. Alieno autem à te animo fuit. quomodo? ſperavit, credo, difficileis tibi Alexandriæ fore *exitus* propter regionis naturam, & fluminis. At eo ipſo tempore pecuniam dedit, exercitum aluit: ei quem Aſiæ præfeceras, nulla in re defuit: tibi victori, non ſolum ad hoſpitium, ſed ad periculum etiam, atque ad aciem præſtò fuit. Secutum eſt bellum Africanum. [6] graves de te rùmores ſparſi: qui etiam furioſum illum Cælium excitaverunt. [7] Quo tum erga te rex animo fuit? qui auctionatus ſit, [8] ſeſeque exſpoliare maluerit, quàm tibi pecuniam non ſubminiſtrare. At eo, inquit, tempore ipſe Nicæam, Epheſumque mittebat, qui rumores Africanos *exciperent*, & celeriter ad ſe referrent. itaque cùm eſſet ei nuntiatum, Domitium naufragio periiſſe, te in caſtello circumſideri: de Domitio dixit verſum Græcum eadem ſententia, qua etiam nos habemus Latinum: ,, *Pereant amici, dum unà inimici intercidant:* quod ille, ſi eſſet tibi inimiciſſimus, numquam tamen dixiſſet. ipſe enim manſuetus; verſus immanis. Qui autem Domitio poterat eſſe amicus, qui tibi eſſet inimicus? tibi porrò inimicus *cur eſſet*, à quo cum vel interfici belli lege potuiſſet, regem & ſe, & filium ſuum conſtitutos eſſe meminiſſet? Quid deinde? furcifer quo progreditur? ait, hac lætitia Dejotarum elatum, vino ſe obruiſſe, in convivioque nudum ſaltaviſſe. Quæ crux huic fugitivo poteſt ſatis ſupplicii afferre? Dejotarum *ſaltantem* quiſquam, aut *ebrium* vidit umquam? omnes ſunt in illo regiæ virtutes, quod te, Cæſar, ignorare non arbitror: ſed præcipuè ſingularis, & admiranda frugalitas. etſi hoc verbo ſcio laudari reges non ſolere. FRUGI HOMINEM dici non multùm habet laudis in rege: fortem, juſtum, ſeverum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ ſunt regiæ laudes: illa privata eſt. Ut volet, quiſque accipiat: ego tamen frugalitatem, id eſt, modeſtiam, & temperantiam, virtutem eſſe maximam judico. hæc in illo eſt ab ineunte ætate, tum à cuncta Aſia, tum à magiſtratibus, legatiſque noſtris, tum ab equitibus Rom. qui in Aſia negotiati ſunt, perſpecta, & cognita. Multis ille quidem gradibus officiorum erga remp. noſtram ad hoc regium nomen aſcendit: ſed tamen, quidquid à bellis populi Rom. vacabat, cum hominibus noſtris conſuetudines, amicitias, res rationeſque jungebat: ut non ſolùm tetrarcha nobilis, ſed optimus paterfamilias, & diligentiſſimus agricola, & pecuarius haberetur. Qui igitur *adoleſcens*, nondum tanta gloria præditus, nihil umquam niſi ſeveriſſimè, & graviſſimè fecerit, is ea exiſtimatione,
eaque ætate ſaltavit? Imitari potiùs, Caſtor, avi tui mores, 10
diſciplinamque debebas, quam optimo, & clariſſimo viro fugitivi ore maledicere. Quod ſi ſaltatorem avum habuiſſes, neque eum virum, unde pudoris, pudicitiæque exempla peterentur: tamen hoc maledictum minimè in illam *ætatem* conveniret. quibus ille ſtudiis ab ineunte ætate ſe imbuerat, non ſaltandi, ſed benè ut armis, optime ut equis uteretur; ea tamen illum cuncta, jam ætate exacta, defecerant. itaque Dejotarum cum plures in equum ſuſtuliſſent, quòd hærere in eo ſenex poſſet, admirari ſolebamus. Hic verò adoleſcens, qui meus in Cilicia miles, in Græcia commilito fuit, cùm in illo noſtro exercitu equitaret cum ſuis delectis equitibus, quos unà cum eo ad Pompejum pater miſerat, quos concurſus facere ſolebat? quàm ſe jactare? quàm oſtentare? quàm nemini in illa cauſa ſtudio, & cupiditate concedere? Cùm verò, exercitu amiſſo, ego, qui pacis auctor ſemper fui, poſt Pharſalicum autem prœlium ſuaſor fuiſſem armorum non deponendorum, ſed *abjiciendorum*, hunc ad meam auctoritatem non potui adducere, quòd & ipſe ardebat ſtudio ipſius belli, & patri ſatisfaciendum eſſe arbitrabatur. Felix iſta domus, quæ non impunitatem ſolum adepta ſit, [9] ſed etiam accuſandi licentiam: calamitoſus Dejotarus, qui & ab eo, qui in iiſdem caſtris fuerit, non modò apud te, ſed etiam *à ſuis* accuſetur. vos veſtra ſecunda fortuna, Caſtor, non poteſtis ſine pro-
pinquorum calamitate eſſe contenti. Sint ſane inimicitiæ, 11
quæ eſſe non debebant. rex enim Dejotarus veſtram familiam abjectam, & obſcuram, e tenebris *in lucem* evocavit. quis

1. *Dii te perduint fugitive, &c.*] Sic omnino Pal. pr. tert. & Celberdenſis. aut certe *perduint*. vox ea notiſſima vel ex Plauto. vulgò erat *perdant*. ſic legendum diu eſt quod monuit Cujacius lib. XII. Obſerv. cap. 32.

2. *Transferri non poſſent.*] Mallet Gulielmius *transferre*, quod etiam in uno, alteroque noſtrorum. ſed alterum videtur mihi lepidius.

3. *De abſente ſe vindicare.*] Gulielmius eruebat è veſtigiis unius libri, *abſente ſoli indicare*. quanquam ei non diſpliceret Victorii, *ſe indicare*, de quo ille libro XII. Var. lect. cap. 28. ferri poteſt & vulgata. de injuria enim fratribus illata vindicare ſe indicio potuiſſe ſignificat.

4. *At miſit ad Cælium neſcio quem.*] Exſtat & iſtud in Pall. item Lambini *Cæcilius*: ſed tamen Pal. nonus præfert *Telium*.

5. *Vel quia noſſet, vel quia non noſſet.*] Ita & Pal. nonus. vulgata: *vel quia non noſſet, vel ſi noſſet, &c.*

6. *Graves de te rumores ſparſi.*] Habet iſtud ultimum verbum Pal. nonus. aliquam multis aliis abeſt. & poterat rectius forſan ſubaudiri.

7. *Quo tum erga te rex animo fuit?*] Admiſit & iſtud optimus Palatinorum nonus. ſecundus verò amplius habet, *animo rex etiam erga te fuit*. alii quidam non agnoſcunt *erga te*, abjecitque Lambinus.

8. *Seſeque exſpoliare maluit.*] Vulgata intermiſcuit, *& filium ſuum*, quod inſertum ex loco inferiore, neque habent mſſ. ferè ulli.

9. *Sed etiam accuſandi licentiam.*] Vulgò interſeritur *habet*: ſed invitis mſſ. noſtris item omnibus.

 1. *Neceſ-*

quis tuum patrem antè, qui eſſet, quam cujus gener eſſet, audivit? Sed quamvis ingrate, & impie [1] neceſſitudinis nomen repudiaritis, tamen inimicitias, *hominum more* gerere poteratis, non ficto crimine inſectari, non expetere vitam, non capitis arceſſere. Eſto: concedatur hæc quoque acerbitatis, & odii magnitudo. adeone, ut etiam omnia vitæ, ſalutiſque communis, atque etiam *humanitatis jura* violentur? ſervum ſollicitare verbis, ſpe, promiſſiſque corrumpere: adducere domum, contra dominum armare: hoc eſt, non uni propinquo, ſed omnibus familiis bellum nefarium indicere. nam ISTA CORRUPTELA ſervi, ſi non modò impunita fuerit, ſed etiam à tanta auctoritate approbata: nulli parietes noſtram ſalutem, nullæ leges, nulla jura cuſtodient. ubi enim id, quod intus eſt, atque noſtrum, impunè evolare poteſt, contraque nos pugnare: fit in dominatu ſervitus, in ſervitute dominatus. O tempora, ô mores! Cn. Domitius ille, quem nos pueri conſulem, cenſorem, pontificem maximum vidimus, cùm tribunus pleb. M. Scaurum, principem civitatis, in judicium populi vocaſſet, Scaurique ſervus ad eum clàm domum veniſſet, & *crimina in dominum* delaturum ſe eſſe dixiſſet: [2] prehendi hominem juſſit, ad Scaurumque deduci. Vide, quid interſit: etſi inique Caſtorem cum Domitio comparo: ſed tamen ille inimico ſervum remiſit: tu ab avo abduxiſti: ille incorruptum audire noluit, tu corrupiſti: ille adjutorem ſervum contra dominum repudiavit, tu etiam accuſatorem adhibuiſti. At ſemel iſte eſt corruptus à vobis? nonne, [3] cum eſſet productus, & cum tecum fuiſſet, refugit ad legatos? nonne etiam ad hunc Cn. Domitium venit? nonne audiente hoc Ser. Sulpicio, clariſſimo viro, qui tum caſu apud Domitium cenabat, & hoc T. Torquato, optimo adoleſcente, ſe à te corruptum, tuis promiſſis in fraudem impulſum eſſe confeſſus eſt?

12 Quæ eſt iſta tam impudens, tam crudelis, tam immoderata inhumanitas? idcirco in hanc urbem veniſti, ut hujus urbis jura, & exempla corrumperes, [4] domeſticaque tua immanitate noſtræ civitatis humanitatem inquinares? At quàm acutè collecta crimina? Bleſamius, inquit, (ejus enim nomine, [5] optimi hominis, nec tibi ignoti, maledicebat tibi) ad regem ſcribere ſolebat, [6] TE IN INVIDIA eſſe: tyrannum exiſtimari: ſtatua inter reges poſita, animos hominum vehementer offenſos: plaudi tibi non ſolere. Nonne intelligis, Cæſar, ex urbanis malevolorum ſermunculis hæc ab iſtis eſſe collecta? Bleſamius tyrannum Cæſarem ſcriberet? multorum enim civium capita viderat: multos juſſu Cæſaris vexatos, verberatos, necatos: multas afflictas, & everſas domos: armatis militibus refertum forum, quæ ſemper in civili victoria ſenſimus, ea te victore non vidimus. ſolus, inquam, es, C. Cæſar, cujus in victoria ceciderit nemo, niſi armatus. & quem nos liberi, [7] in ſumma populi Rom. libertate nati, non modò non tyrannum, ſed etiam [8] clementiſſimum in victoria ducimus: is Bleſamio, qui *vivit in regno*, tyrannus videri poteſt? Nam de ſtatua quis queritur, una præſertim, cum tam multas videat? valde enim invidendum eſt ejus ſtatuis, cujus tropæis non invidemus. Nam, ſi *locus* affert invidiam, nullus locus eſt ad ſtatuam quidem Roſtris clarior. De plauſu autem quid reſpondeam? qui nec deſideratus umquam à te eſt, & nonnumquam, obſtupefactis hominibus *ipſa admiratione* compreſſus eſt: & fortaſſe eò prætermiſſus, quia nihil vulgare te dignum videri poteſt.

13 Nihil à me arbitror prætermiſſum, ſed aliquid ad extremam cauſæ partem reſervatum. id autem aliquid eſt, te ut planè Dejotaro reconciliet oratio mea. non enim jam metuo, ne tu illi ſuccenſeas, illud vereor, ne tibi illum ſuccenſere aliquid ſuſpicere. quod abeſt longiſſimè, mihi crede, Cæſar. quid enim retineat per te, meminit, non quid amiſerit: neque ſe à te multatum arbitratur: ſed, cùm exiſtimaret *multa tibi multa eſſe tribuenda*, quo minùs à ſe qui in altera parte fuiſſet, ea ſumeres, non recuſavit. Etenim ſi Antiochus Magnus ille, rex Aſiæ, cùm, poſtea quam à Scipione devictus, Tauro tenus regnare juſſus eſſet, omnemque hanc Aſiam, quæ eſt nunc noſtra provincia, amiſiſſet: dicere eſt ſolitus, Benignè ſibi à populo Rom. eſſe factum, quod nimis *magna procuratione liberatus*, modicis regni terminis uteretur: poteſt multo faciliùs ſe Dejotarus conſolari. Ille enim [9] furoris multam ſuſtinuerat, hic erroris. omnia tu Dejotaro, Cæſar, tribuiſti, cùm & ipſi, & filio nomen regium conceſſiſti. hoc *nomine* retento, atque conſervato, nullum beneficium populi Romani, nullum judicium de ſe ſenatus imminutum putat: magno animo, & erecto eſt, nec umquam ſuccumbet inimicis, ne *fortunæ* quidem. Multa ſe arbitratur & peperiſſe antefactis, & habere in animo, atque virtute: quæ nullo modo poſſit amittere. quæ enim fortuna, aut quis caſus, aut quæ tanta poſſit injuria, omnium imperatorum de Dejotaro decreta delere? [10] ab omnibus enim his ornatus eſt, qui, poſtquàm in caſtris eſſe potuit per ætatem, in Aſia, Cappadocia, Ponto, Cilicia, Syria, bella geſſerunt. Senatus verò judicia de illo tam multa, tamque honorifica, quæ publicis populi Romani litteris, monumentiſque conſignata ſunt, quæ umquam vetuſtas obruet, aut quæ tanta delebit oblivio? Quid de virtute ejus dicam? quid de magnitudine animi, gravitate, conſtantia? quæ omnes docti, atque ſapientes, ſumma: quidam etiam *ſola bona* eſſe dixerunt: hiſque non modò ad bene, ſed etiam ad beatè vivendum contentam virtutem eſſe. Hæc ille reputans, & dies, & nocteis cogitans, non modò tibi non ſuccenſet, (eſſet enim non ſolum ingratus, ſed etiam amens) verum omnem tranquillitatem, & quietem ſenectutis, acceptam refert clementiæ tuæ.

[11] Quo quidem animo cùm antea fuit, tum non dubito, quin 14 tuis litteris, quarum exemplum legi, quas ad eum Tarracone huic Bleſamio dediſti, ſe magis etiam erexerit, ab omnique ſollicitudine abſtraxerit. jubes enim eum bene ſperare, & bono eſſe animo: quod ſcio te non fruſtra ſcribere ſolere. memini enim iiſdem ferè verbis ad me te ſcribere, meque tuis litteris *bene ſperare* non fruſtra eſſe juſſum. Laboro equidem regis Dejotari cauſa, quo cum mihi amicitiam reſp. conciliavit, hoſpitium voluntas utriuſque conjunxit, familiaritatem conſuetudo attulit, ſummam verò neceſſitudinem magna ejus officia in me, & in exercitum meum effecerunt: ſed cùm de illo laboro, tum de multis ampliſſimis viris, quibus ſemel ignotum à te eſſe oportet, nec beneficium tuum in dubium vocari, nec hærere in animis hominum ſollicitudinem ſempiternam, nec accidere, ut quiſ-

1. *Neceſſitudinis nomen repudiaritis.*] Sic mſſ. aut *repudiaveritis*. ſupra quoque, iiſdem auctoribus, reſcripſi, *evocarit*.

2. *Prehendi hominem juſſit.*] Ita Colonienſes; melius quàm *putatum comprehendi*. at Pall. *apprehendi*.

3. *Cum eſſet productus, & cum tecum fuiſſet.*] Publicati adjecerant *tamen*. ſed ea vox non comparet in mſſ. imò Pal. ſec. & quart. adhuc abjecerant *cum*, me ſane volente. eorundem tamen aliquot, [illegible].

4. *Domeſticaque immanitate.*] Sic malui cum Col. & aliorum libris, quam *inhumanitate*. neſcio enim quomodo παρονομασία ſuavior eſt

5. *Optimi hominis, &c.*] Ita Pall. noſtri meliores. nam Lambinianum, *viri optimi*, reſtat tantum in notæ ſecundæ libris.

6. *Te in invidia eſſe. tyrannum exiſtimari, &c.*] Præſtat iſtud longè vulgato, *te invidioſe tyrannum exiſt.* quomodo & in tribus ſuis mſſ. legi, dudum indicavit Modius Epiſtola CXXXI. habentque aliquot etiam Pall.

7. *In ſumma populi Rom.*] Haud aliter quoque Pall. noſtri. niſi quod primus non agnoſcat *populi Rom.* prius excuſi, *in ſumma reipubl.* quod alioquin non ſpreverim.

8. *Clementiſſimum in victoria ducimus.*] Sic plerique Pall. & Colonienſ. nam vulgati, *clementiſſimum in victoria videmus ducem*.

9. *Furoris mulctam ſuſtinuerat.*] Ita meliores Pall. deteriores enim *mulctam ſubierat*. at in nullo reperi Lambinianum illud *multuram*, niſi in uno. Gulielmius conjiciebat *multam ſui tulerat*, quod inveniſſet in Colon. *ſuſtulerat*.

10. *Ab omnibus enim his ornatus eſt.*] Sic Pall. quidam neque aliter Colonienſ. quam quod is, *ab omnibus eſt enim iis ornatus*.

11. *Quo quidem animo cum antea fuit.*] Male heic vulgati, *fuerit*, & contra mſſ.

Quonam

ut quiſquam te timere incipiat, eorum, qui ſemel à te ſint liberati timore. Non debeo, C. Cæſar, quod fieri ſolet in tantis periculis, tentare, [1] quonam modo dicendo miſericordiam tuam commovere poſſim. nihil opus eſt. occurrere ipſa ſolet ſupplicibus, & calamitoſis, nullius oratione evocata. Propone tibi duos reges: & id animo contemplare, quod oculis non potes. dabis profectò miſericordiæ, quod iracundiæ negaviſti. Multa ſunt tuæ clementiæ monumenta: ſed maxime eorum *incolumitates*, quibus ſalutem dediſti. quæ ſi in privatis glorioſa ſunt, multo magis commemorabuntur *in regibus*. Semper regium nomen in hac civitate ſanctum fuit: ſociorum verò regum & amico-
15 rum, ſanctiſſimum. Quod nomen hi reges ne amitterent, te victore, timuerunt: retentum verò, & à te confirmatum, poſteris etiam ſuis tradituros eſſe confido. Corpora verò ſua, pro ſalute regum ſuorum hi legati tibi regii tradunt, Hieras, & Bleſamius, & Antigonus, tibi, nobiſque omnibus jam diu noti, eademque fide & virtute præditus Dorylaus, qui nuper cum Hiera legatus eſt ad te miſſus: tum regum amiciſſimi, tum tibi etiam, ut ſpero, probati. Exquire de Bleſamio, numquid ad regem contra dignitatem tuam ſcripſerit. Hieras quidem cauſam omnem ſuſcipit, & criminibus illis pro rege ſe *ſupponit reum*, memoriam tuam implorat, qua vales plurimum: negat umquam ſe à te in Dejotari tetrarchia pedem diſceſſiſſe: in primis finibus tibi ſe præſtò fuiſſe dicit, uſque ad ultimos proſecutum: cùm è balneo exiſſes, tecum ſe fuiſſe, cùm illa munera inſpexiſſes cenatus, cùm in cubiculo recubuiſſes: eandemque aſſiduitatem tibi ſe præbuiſſe poſtridie. quamobrem, ſi quid eorum, quæ objecta ſunt, cogitatum ſit, non recuſat, quin id facinus, ſuum judices. Quocirca, C. Cæſar, velim exiſtimes, hodierno die ſententiam tuam, aut cum ſummo dedecore miſerrimam peſtem importaturam eſſe regibus, aut incolumem famam cum ſalute: quorum alterum optare, illorum crudelitatis eſt: alterum conſervare, clementiæ tuæ.

1. *Quonam modo dicendo miſericordiam tuam, &c.*] Vetus Baſilicanus, *&* *quonam*: videlicet verum eſſe, *ecquo. nam modo.* inquit Gulielmius.

M. TULLII CICERONIS
IN M. ANTONIUM
PHILIPPICARUM
LIBER PRIMUS,
SEU
PHILIPPICA PRIMA.
ORATIO QUADRAGESIMATERTIA.

1 ANTEQUAM de republica, patres conſcripti, dicam ea, quæ dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis breviter conſilium & profectionis, & reverſionis meæ. Ego, cùm ſperarem aliquando ad veſtrum conſilium, auctoritatemque rempublicam eſſe revocatam, manendum mihi ſtatuebam, quaſi in *vigilia* quadam conſulari, ac ſenatoria. nec verò uſquam diſcedebam, nec à republica dejiciebam oculos, ex eo die, quo in ædem Telluris convocati ſumus. in quo templo, quantum in me fuit, jeci fundamenta pacis: Athenienſiumque [1] renovavi vetus exemplum: Græcum etiam verbum uſurpavi, quo tum in ſedandis diſcordiis erat uſa civitas illa: atque omnem memoriam diſcordiarum *oblivione* ſempiterna delendam cenſui. Præclara tum oratio M. Antonii: egregia etiam voluntas: pax denique per eum, & per liberos ejus cum præſta ntiſſimis civibus confirmata eſt. Atque his principiis reliqua conſentiebant. ad deliberationes eas, quas habebat domi de republica, principes civitatis adhibebat: ad hunc ordinem res optimas [2] *deferebat:* ſumma cum dignitate, & conſtantia ad ea, quæ quæſita erant, reſpondebat: nihil tum, niſi quod erat notum omnibus, in C. Cæſaris commentariis reperiebatur. numqui exſules reſtituti? unum ajebat, præterea neminem. num imm unitates datæ? nullæ, reſpondebat. Aſſentiri etiam nos Ser. Sulpicio, clariſſimo viro, voluit, nequa tabula poſt idus Martias ullius decreti Cæſaris, aut beneficii figeretur. Multa prætereo, eaque præclara. ad ſingulare enim M. Antonii factum feſtinat oratio. Dictaturam, quæ vim jam *regiæ poteſtatis* obſederat, funditùs ex rep. ſuſtulit. de qua ne ſententias quidem diximus. ſcriptum ſenatuſconſultum, quod fieri vellet, attulit. quo recitato, auctoritatem ejus ſummo ſtudio ſecuti ſumus, eique ampliſſimis verbis per ſenatuſconſultum gratias egimus. Lux quædam videbatur obla- 2
ta, non modo regno, quod pertuleramus: ſed etiam regni *timore* ſublato: magnumque pignus ab eo reipublicæ datum, ſe liberam civitatem eſſe velle, cùm *dictatoris* nomen, quod ſæpe juſtum fuiſſet, proper perpetuæ dictaturæ recentem memoriam, funditùs ex republica ſuſtuliſſet. Liberatus cædis periculo paucis pòſt diebus ſenatus, uncus impactus eſt fugitivo illi, [3] qui in C. Marii nomen invaſerat. atque hæc omnia communiter cum collega. alia porrò propria Dolabellæ: quæ, niſi collega abfuiſſet: credo eis fuiſſe futura communia. Nam, cùm ſerperet in urbe infinitum malum, idque manaret in dies latiùs: iidemque buſtum in foro facerent, [4] qui illam inſepultam ſepulturam refecerant: & quotidie magis, magiſque perditi homines, cum ſui ſimilibus ſervis, tectis, ac templis urbis minarentur: talis animadverſio fuit Dolabellæ, cùm in audaceis, ſceleratoſque ſervos, tum in impuros, & nefarios liberos; taliſque everſio illius exſecratæ columnæ, ut mirum mihi videatur, tam valde reliquum tempus ab illo uno die *diſſenſiſſe*.

1. R*Encvari vetus exemplum*, *&c.*] Ita Pall. noſtri duo. ii enim ſoli erant ad manum. aliæ aliquot edd. *revocari*, quod reſpuendum vel ideo, quod proxime præceſſit, *convocati*.

2. *Deferebat: ſumma cum dignitate*, *&c.*] Hunc ordinem verborum ſervant Pall. & vetuſte cuſi. inepte Lambinus, qui Hier. Ferrario aſſenſus mutavit, nihil enim horridius tranſpoſitione illa periodi iſtius, dummodò quis propius attendat.

3. *Quin C. Marii nomen invaſerat.*] Sic Pall. ſic olim editi. at Gulielmius fide Lilienſis omittebat præpoſitionem.

4. *Qui illam inſepultam ſepulturam reſecerant.*] Ita Lilienſis codex, melius omnino vulgato, *effecerant*. inſtauratum enim funus Cæſari. eſt autem heic imitatio Græcorum, τάφος ἄταφος, quod exſtat apud Euripidem Phœniſſis.

1. *Multa*

ſiſſe. Ecce enim Kalendis Juniis, quibus ut adeſſemus edixerat, mutata omnia: nihil per ſenatum, [1] multa & magna per populum, & abſente populo, & invito. conſules deſignati ſe audere negabant in ſenatum venire: patriæ liberatores [2] urbe carebant ea, cujus à cervicibus jugum ſervile dejecerant. quos tamen ipſi conſules & in concionibus, & in omni ſermone laudabant. [3] Veterani, qui appellantur, quibus hic ordo diligentiſſimè caverat, non ad conſervationem earum rerum, quas habebant, ſed ad ſpem novarum prædarum incitabantur. Quæ cùm *audire* mallem, quàm videre, haberemque jus legationis liberum, ea mente diſceſſi, ut adeſſem Kalendis Januariis, quod initium ſenatus cogen-
3 di fore videbatur. Expoſui, P. C. profectionis conſilium: nunc reverſionis, quæ plus admirationis habet, breviter exponam. Cùm Brundiſium, iterque illud, quod tritum in Græciam eſt, non ſine cauſa vitaviſſem, Kalendis Sextilibus veni Syracuſas, quòd ab urbe ea tranſmiſſio in Græciam laudabatur. quæ tamen urbs mihi conjunctiſſima, plus una me nocte cupiens retinere, non potuit. veritus ſum, ne meus repentinus ad meos neceſſarios adventus, *ſuſpicionis* aliquid afferret, ſi eſſem commoratus. Cùm autem me ex Sicilia ad Leucopetram, quod eſt promontorium agri Rhegini, venti detuliſſent: ab eo loco conſcendi, ut tranſmitterem: nec ita multùm provectus, rejectus auſtro ſum in eum ipſum locum, unde conſcenderam. cumque intempeſta nox eſſet, manſiſſemque in villa P. Valerii, comitis, & familiaris mei, poſtridieque apud eundem, ventum exſpectans, manerem: municipes Rhegini complures ad me venerunt: ex his quidam Roma recentes: à quibus primùm accipio M. Antonii concionem: quæ ita mihi placuit, ut, ea lecta, de reverſione primùm cœperim cogitare. nec multò pòſt edictum Bruti affertur, & Caſſii. quod quidem mihi, fortaſsè quòd eos etiam plus reip. quàm familiaritatis gratia, diligo, *plenum æquitatis* videbatur. Addebant præterea (fit enim plerumque, ut ii, qui boni quid volunt afferre, *affingant* aliquid, quo faciant id, quod nuntiant, lætius) [4] rem conventuram: Kalendis Sextilibus ſenatum frequentem fore: Antonium, repudiatis malis ſuaſoribus, remiſſis Galliis provinciis, ad auctoritatem ſenatus eſſe re-
4 diturum. Tum verò tanta ſum cupiditate incenſus ad reditum, ut mihi nulli neque remi, neque venti ſatisfacerent: non quo me ad tempus occurſurum putarem, ſed ne tardiùs, quàm cuperem, reip. gratularer. Atque ego celeriter Veliam devectus, Brutum vidi, quanto meo dolore, non dico. *turpe* mihi ipſi videbatur, in eam urbem me audere reverti, [5] ex qua Brutus cederet: & ibi velle tutò eſſe, ubi ille non poſſet. Neque verò illum ſimiliter, atque ipſe eram, commotum eſſe vidi. erectus enim maximi, ac pulcherrimi facti *conſcientia*, nihil de ſuo caſu, multa de noſtro querebatur. Ex quo primùm cognovi, quæ Kalendis Sextilibus in ſenatu fuiſſet L. Piſonis oratio: qui quamquam parum erat (id enim ipſum à Bruto audieram) à quibus debuerat, adjutus: tamen & Bruti teſtimonio (quo quid poteſt eſſe gravius?) & omnium prædicatione, quos poſtea vidi, magnam mihi videbatur gloriam conſecutus. Hunc igitur ut ſequerer, properavi, quem præſentes non ſunt ſecuti: non ut proficerem aliquid (neque enim ſperabam id, neque præſtare poteram) ſed ut, ſi quid mihi humanitùs accidiſſet (multa autem impendere videbantur *præter naturam* etiam, præterque fatum) hujus diei vocem teſtem reip. relinquerem meæ perpetuæ erga ſe voluntatis. Quoniam utriuſque conſilii cauſam, P. C. probatam vobis eſſe confido, prius quàm de rep. dicere incipio, pauca querar de heſterna M. Antonii injuria, cui ſum amicus. [6] idque me nonnullo ejus officio debere eſſe, præ me ſemper tuli. Quid 5
tandem erat cauſæ, cur in ſenatum heſterno die tam acerbè cogerer? ſoluſne aberam? an non ſæpe minùs frequentes fuiſtis? an ea res agebatur, ut etiam ægrotos *deferri* oporteret? Annibal, credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur: ad quam cauſam etiam Appium illum & cæcum, & ſenem, delatum eſſe memoriæ proditum eſt. De ſupplicationibus referebatur: quo in genere ſenatores deeſſe non ſolent. coguntur enim non pignoribus, ſed eorum, quorum de honore agitur, gratia. quod idem fit, cùm de triumpho refertur. Ita ſine cura conſules ſunt, ut pænè liberum ſit ſenatori non adeſſe. qui cum mihi mos notus eſſet, cumque de via languerem, & mihimet diſplicerem: miſi, pro amicitia, qui hoc ediceret. At ille, vobis audientibus, cum fabris ſe domum meam venturum eſſe dixit. Nimis iracundè hoc quidem, & valde intemperanter. cujus enim maleficii iſta pœna eſt, ut dicere in hoc ordine auderet, ſe publicis operis diſturbaturum publicè ex ſenatus ſententia ædificatam domum? quis autem umquam *tanto damno* ſenatorem coëgit? aut quid eſt ultra pignus, aut multam? qui ſi ſciſſet, quam ſententiam dicturus eſſem, remiſiſſet aliquid profectò de ſeveritate cogendi. An me cenſe- 6
tis, P. C. quod vos *inviti* ſecuti eſtis, decreturum fuiſſe, ut parentalia cum ſupplicationibus miſcerentur? ut inexpiabiles religiones in remp. inducerentur? ut decernerentur ſupplicationes mortuorum? [7] nihil dico, cui. Fuerit ille L. Brutus, qui & ipſe regio dominatu remp. liberavit, & ad ſimilem virtutem, & ſimile factum ſtirpem in propè quingenteſimum annum propagavit: adduci tamen non poſſem, ut quemquam mortuum conjungerem cum deorum immortalium religione: [8] ut, cujus ſepulcrum uſquam exſtet, ubi parentetur, ei publicè ſupplicetur. Ego verò eam ſententiam dixiſſem, patres conſcripti, ut me adverſus populum R. ſi qui accidiſſet gravior reip. caſus, ſi bellum, ſi morbus, ſi fames: facilè poſſem defendere: quæ partim jam ſunt, partim timeo ne impendeant. Sed hoc ignoſcant dii immortales, velim, & populo Rom. qui id non probat, & huic ordini, qui *decrevit invitus*. Quid? de reliquis reip. malis licetne dicere? mihi verò licet, & ſemper licebit dignitatem tueri, mortem contemnere. poteſtas modò veniendi in hunc locum ſit: dicendi periculum non recuſo. Atque utinam, P. C. Kalendis Sextilibus adeſſe potuiſſem: non quo profici potuerit aliquid: ſed ne unus modò conſularis, quod tum accidit, dignus illo honore, dignus rep. inveniretur. Qua quidem ex re magnum accipio dolorem, homines ampliſſimis populi R. beneficiis uſos, L. Piſonem, ducem optimæ ſententiæ non ſecutos. Idcircone nos populus R. conſulareis fecit, ut in altiſſimo, ampliſſimoque *gradu* dignitatis locati, remp. pro nihilo haberemus? non modò voce nemo L. Piſoni conſularis, ſed ne vultu quidem aſſenſus eſt. Quænam (malùm) eſt iſta *voluntaria ſervitus*? fuerit quædam neceſſaria. nec ego hoc ab omnibus iis deſidero, qui ſententiam loco conſulari dicunt. alia cauſa eſt eorum, quorum ſilentio ignoſco: alia eorum, quorum vocem requiro. quos quidem doleo in ſuſpicionem P. R. venire, non metu, [9] quod ipſum eſſet turpe, ſed alium alia de cauſa

1. *Multa & magna per populum, & abſente populo.*] Sic Pal. ſec. S. Victoris, & Ferrarii mſſ. omnes. vulgati, *per ipſum, & abſ.*

2. *Urbe carebant ea, &c.*] Mauricianus omittebat *ea*, quod perplacet Gulielmio.

3. *Veterani qui appellantur.*] Ita Gulielmius è ſuis legebat, non male. editi tamen olim & Pall. noſtri nihil diſſentiunt a vulgata prius, *appellabantur*, prorſus inepte.

4. *Rem conventuram.*] Haud aliter Pal. ſec. non ut antea vulgati, *rem conventuram*. Sic Livius lib. xxx. *ac ſpem facere ſæpius ultro citroque agitantibus, rem conventuram.* Videatur Ferrarius.

5. *Ex qua Brutus cederet.* Sic Pal. ſec. primus etiam *excederet*, ut vulg.

6. *Idque me nonnullo, &c. debere eſſe.*] Ita & noſtri. male Lambinus & Manutius, qui *eſſe* mutarunt in *etiam*: adducti conjectura Faërni. quod idem dictum velim ſuper voce *ediceret*, quam mutarunt in *ei dicerent*, præter omnes libros.

7. *Nihil dico cui.*] Eſt a conjectura Ferrarii, confirmata deinde exemplaribus vetuſtis: & accedunt Pall. in quibus *qui*.

8. *Ut cujus ſepulcrum uſquam exſtet, &c.*] Ita alias legi, eſt ad oram ed. Lambini; ſicque Maurit. ac S. Victoris membranæ. rectè. tangit morem Romanum. Diis enim ſupplicabant, ut Romulo, cujus nuſquam ſepulcrum. at viris illuſtribus ad ſepulcrum cujuſque parentabant, ut Tatio, aliis, &c.

9. *Quod ipſum eſſet turpe.*] Habebat & iſtud Pal. ſec. & S. Victoris, item Maur. & P. non ut vulgatur *eſt*.

1. *Non*

7 de cauſa deeſſe dignitati ſuæ. Quare primùm maximas gratias & habeo, & ago L. Piſoni, qui [1] non, quid efficere poſſet in rep. cogitavit, ſed quid ipſe *facere deberet:* deinde à vobis, P. C. peto, ut, etiam ſi ſequi minùs audebitis orationem, atque auctoritatem meam, benignè tamen me, ut feciſtis adhuc, audiatis. Primùm igitur acta Cæſaris ſervanda cenſeo: non quò probem: quis enim id quidem poteſt? ſed quia rationem habendam maximè arbitror *pacis, & otii.* Vellem adeſſet Antonius, modò ſine advocatis. ſed, ut opinor, licet ei minùs valere: quod mihi heri per illum non licebat. doceret me, vel potiùs vos, P. C. quemadmodum ipſe Cæſaris acta defenderet. An in commentariolis, & chirographis, & libellis *ſe uno auctore* prolatis; ac ne prolatis quidem, ſed tantummodò dictis, acta Cæſaris firma erunt: quæ ille in æs incidit, in quo populi juſſa, perpetuaſque leges eſſe voluit, pro nihilo habebuntur? Equidem ſic exiſtimo: nihil tam eſſe in actis Cæſaris, quàm leges Cæſaris. An, ſi cui quid ille promiſit, id erit [2] fixum quod idem facere non potuit? ut multis multa promiſſa non fecit. quæ tamen multo plura reperta ſunt, *illo mortuo*; quàm vivo beneficia per omneis annos tributa, & data. ſed ea non muto, non moveo: ſummo etiam ſtudio præclara illius acta defendo. pecunia utinam ad Opis maneret; cruenta illa quidem, ſed his temporibus, cùm iis, quorum eſt, non redditur, neceſſaria. quamquam ea quoque ſit effuſa, ſi ita in actis fuit. Ecquid eſt, quod tam propriè dici poſſit actum ejus, qui togatus in rep. cum poteſtate, imperioque verſatus ſit, quàm lex? Quære acta Gracchi: leges Semproniæ proferentur. quære Sullæ: Corneliæ. quid? Cn. Pompeji tertius conſulatus in quibus actis conſtitit? nempe in legibus. à Cæſare ipſo ſi quæreret, quidnam egiſſet in urbe, & toga: leges multas reſponderet ſe, & præclaras tuliſſe. *chirographa* verò aut mutaret, aut non daret: aut, ſi dediſſet, non iſtas res [3] in actis ſuis duceret. Sed ea ipſa concedo: quibuſdam in rebus etiam conniveo: in maximis verò rebus, id eſt, legibus acta Cæſaris diſſolvi, ferendum non puto.

8 Quæ lex melior, utilior, optima etiam rep. ſæpius flagitata, quàm ne prætoriæ provinciæ plus quàm *annum*, neve plus quàm biennium conſulares obtinerentur? Hac lege ſublata, videnturne vobis acta Cæſaris ſervari? quid? ea lege, quæ promulgata eſt de tertia decuria judicum, nonne omnes judiciariæ leges Cæſaris diſſolvuntur? Et vos acta Cæſaris defenditis, qui leges ejus evertitis? niſi fortè, ſi quid memoriæ cauſa retulit in libellum, id numerabitur in actis, & quamvis *iniquum*, & inutile ſit, defendetur: quod ad populum centuriatis comitiis tulit, id in actis Cæſaris non habebitur. At quæ eſt iſta tertia decuria? Centurionum, inquit. Quid? iſti ordini judicatus lege Julia, etiam antè Pompeja, Aurelia non patebat? Cenſus præfiniebatur, inquit. Non centurioni quidem ſolùm, ſed equiti etiam Romano. Itaque viri fortiſſimi, atque honeſtiſſimi, qui ordines duxerunt, res & judicant, & judicaverunt. Non quæro, inquit, iſtos. quicumque ordinem duxit, judicet. At ſi ferretis, quicumque equo meruiſſet, quod eſt laudatius, nemini probaretis. IN JUDICE enim ſpectari & fortuna debet, & dignitas. Non quæro, inquit, iſta: addo etiam judices manipulareis ex legione Alaudarum. aliter enim noſtri negant poſſe ſe ſalvos eſſe. O contumelioſum honorem iis, quos ad judicandum nec opinanteis vocatis! hic enim eſt legis index, ut ii in tertia decuria judicent, qui liberè judicare non audeant. in quo quantus eſt error, dii immortales, eorum, qui iſtam legem excogitaverunt? ut enim quiſque ſordidiſſimus videbitur, ita libentiſſimè *ſeveritate judicandi* ſordeis ſuas eluet: laborabitque, ut honeſtis decuriis potiùs dignus videatur, quàm in turpeis jure conjectus. Altera promulgata lex eſt, ut & de *vi*, & de 9
majeſtate damnati ad populum provocent, ſi velint. Hæc utrùm tandem lex eſt, an legum omnium diſſolutio? quis enim eſt hodie, cujus interſit iſtam legem manere? nemo reus eſt iſtis legibus: nemo eſt, quem futurum putemus. ARMIS enim geſta, numquam profectò in judicium vocabuntur. At res popularis. Utinam quidem vellet is aliquid eſſe populare. omnes enim jam cives de reipub. ſalute una & mente, & voce conſentiunt. Quæ eſt igitur iſta cupiditas ejus legis ferendæ, quæ turpitudinem ſummam habeat, gratiam nullam? quid enim turpius, quàm qui majeſtatem populi Rom. per vim minuerit, eum damnatum judicio, ad eam ipſam vim *reverti*, propter quam ſit jure damnatus? Sed quid plura de lege diſputo? quaſi verò id agatur, ut quiſquam provocet. id agitur, id fertur, ne quis omnino umquam iſtis legibus reus fiat. Quis enim aut accuſator tam amens reperietur, qui reo condemnato, objici ſe multitudini conductæ velit? aut judex, qui reum damnare audeat, ut ipſe ad operas mercenarias ſtatim protrahatur? Non igitur provocatio iſta lege datur: ſed duæ maximè ſalutares leges, quæſtioneſque tolluntur. [4] Quid eſt aliud igitur, *adhortari adoleſcenteis*, ut turbulenti, ut ſeditioſi, ut pernicioſi cives velint eſſe? quam autem ad reipub. peſtem furor tribunitius impelli non poterit, his duabus quæſtionibus, de vi, & de majeſtate, ſublatis? [5] Quid, quod obrogatur legibus Cæſaris, quæ jubent, ei, qui de vi, itemque ei, qui majeſtatis damnatus ſit, aqua & igni interdici? quibus cùm provocatio datur, nonne acta Cæſaris reſcinduntur? Quæ quidem ego, Patres conſcripti, qui illa numquam probavi, ita conſervanda concordiæ cauſa arbitratus ſum, ut non modò, quas vivus Cæſar leges tuliſſet, infirmandas hoc tempore non putarem: ſed ne illas quidem, quas poſt mortem Cæſaris prolatas eſſe, & fixas videtis. De exilio redu- 10
cti à mortuo: *civitas data* non ſolùm ſingulis, ſed nationibus, & provinciis univerſis à mortuo: immunitatibus infinitis ſublata vectigalia à mortuo. Ergo hæc uno viro optimo auctore *domo prolata* defendimus: eas leges, quas ipſe, vobis inſpectantibus, recitavit, pronuntiavit, tulit, quibus latis gloriabatur, iiſque legibus remp. contineri putabat, de provinciis, de judiciis, eas, inquam, Cæſaris leges, nos, qui defendimus acta Cæſaris, evertendas putabimus? Ac de iis tamen legibus, quæ promulgatæ ſunt, ſaltem queri poſſumus: de iis, quæ jam latæ dicuntur, ne illud quidem licuit. illæ enim nulla promulgatione latæ ſunt antè quàm ſcriptæ. Quærunt quid ſit, cur aut ego, aut quiſquam veſtrûm, P. C. bonis tribunis pl. leges malas metuat. paratos habemus, qui *intercedant:* paratos, qui rempub. religione defendant: vacui metu eſſe debemus. Quas tu mihi, inquit, interceſſiones, [6] quas religiones? Eas ſcilicet, quibus reip. ſalus continetur. Negligimus iſta, & nimis antiqua, & *ſtulta ducimus.* forum ſæpietur: omnes claudentur aditus: armati in præſidiis multis locis collocabuntur. Quid tum? [7] Quod erit ita geſtum, id lex erit; & in æs incidi videbitis. cedò illa legitima: CONSULES POPULUM JURE ROGAVERUNT (hoc enim à majoribus accepimus jus rogandi) POPULUSQUE JURE SCIVIT. Qui populus? iſne, qui excluſus eſt? quo jure? an eo, quod vi, & armis omne ſublatum eſt? Atque ego hoc dico *de futuris*, quod eſt amicorum, antè dicere ea, quæ vitari poſſunt:

1. *Non quid efficere poſſet in republ. cogitavit.*] Malim accedere mſſ. iis Ferrarii, in quibus, *non quid in remp. cogitarit.*

2. *Fixum quod idem facere non potuit?*] Secutus ſum diſtinctionem Turnebi, quam habet lib. xv. Adverſ. cap. 2.

3. *In actis ſuis duceret.*] Pal. ſec. & S. Vict. Maur. P. *diceret*, rectè. reſpondentem enim facit Antonio Cæſarem.

4. *Quid eſt aliud igitur adhortari.*] Ejeci *quàm* juſſu S. Vict. & ſec. quibus auctoribus adhuc poterat exturbari *igitur.*

5. *Quid quod obrogatur legibus Cæſaris.*] Habent & iſtud Pal. quoque ſec. ac S. Victoris, non, ut antea publicati, *abrogatur his legibus.*

6. *Quas religiones? Eas, &c.*] Sic Pal. noſtri, & Mauric. item P. ſine verbo *nominas*, quod jure tolli juſſit Ferrarius.

7. *Quod erit ita geſtum, id lex erit; & in æs incidi videbitis.*] Secutus ſum Gulielmium, qui iſtud repererat in fragmento Colonienſi atque libro S. Victoris: neque aliter Pal. ſec. vulgo erat, *jubebitis.* minus rectè. non enim Senatus id juſſurus erat; neque exſpectaturus Antonius juſſum Senatus. quod ipſum omnino produnt, & præcedentia & ſequentia.

ſunt: quæ ſi facta non erunt, refelletur oratio mea. Loquor de legibus promulgatis: de quibus eſt integrum vobis. demonſtro vitia: tollite. [1] denuntio vim, arma: re-
11 movete. Iraſci vos quidem mihi, Dolabella, pro rep. dicenti, non oportebit. quamquam te quidem id facturum non arbitror. novi enim facilitatem tuam. collegam tuum ajunt in hac ſua fortuna, quæ *bona* ipſi videtur: mihi, ne gravius quippiam dicam, avorum, & avunculi ſui conſulatum ſi imitaretur, fortunatior videretur: ſed eum iracundum audio factum. Video autem, quam ſit odioſum habere *iratum* eundem, & *armatum*, cum tanta præſertim gladiorum ſit impunitas. ſed proponam jus, ut opinor, æquum: quod M. Antonium non arbitror repudiaturum. Ego, ſi quid in vitam ejus, aut in mores contumelioſè dixero, quo minùs mihi inimiciſſimus ſit, non recuſabo. ſin conſuetudinem meam, quam in rep. ſemper habui, tenuero, id eſt, ſi liberè, quæ ſentiam, de rep. dixero: primum deprecor, ne iraſcatur: deinde, ſi hoc non impetro, peto, ut ſic iraſcatur, ut civi. armis utatur, ſi ita neceſſe eſt, ut dicit, ſui defendendi cauſa: iis, qui *pro rep.* quæ ipſis viſa erunt, dixerint, iſta arma ne noceant. Quid hac poſtulatione dici poteſt æquius? Quòd ſi, ut à quibuſdam mihi ejus familiaribus dictum eſt, omnis eum, quæ habetur contra voluntatem ejus, oratio, graviter offendit, etiam ſi nulla ineſt contumelia: feremus amici naturam. ſed iidem illi ita mecum, Non idem tibi adverſario Cæſaris licebit, quod Piſoni *ſocero*. & ſimul admonent quiddam, quod cavebimus: nec erit juſtior, P. C. in ſenatum non veniendi morbi cauſa, quam
12 mortis. Sed per deos immortaleis, te enim intuens, Dolabella, qui es mihi cariſſimus, non poſſum de utriuſque veſtrum errore reticere. Credo enim vos, homines nobileis, *magna quædam ſpectanteis*, non pecuniam, ut quidam nimis creduli ſuſpicantur, quæ SEMPER ab ampliſſimo quoque, clariſſimoque contemta eſt, non opes violentas, & populo R. minimè ferendam potentiam, ſed *caritatem* civium, & gloriam concupiſſe. Ea autem eſt GLORIA, laus rectè factorum, magnorumque in remp. meritorum: quæ cum optimi cujuſque, tum etiam multitudinis teſtimonio comprobatur. Dicerem, Dolabella, qui rectè factorum fructus eſſet, [2] niſi te paulliſper eſſe expertum viderem. Quem potes recordari in vita tibi illuxiſſe diem lætiorem, quàm cùm, expiato foro, diſſipato concurſu impiorum, principibus ſceleris [3] pœna affectis, te domum recepiſti? cujus ordinis, cujus generis, cujus denique fortunæ ſtudia tum laudi, & [4] gratulationi tuæ ſe non obtulerunt? Quin mihi etiam, quo auctore te in iis rebus uti arbitrabantur, & gratias boni viri agebant, & tuo nomine gratulabantur. Recordare, quæſo, Dolabella, conſenſum illum theatri, cùm omnes earum rerum obliti, propter quas [5] tibi fuerant infenſi, ſignificaverunt, ſe NOVO BENEFICIO memoriam veteris doloris abjeciſſe. Hanc tu, Dolabella (magno loquor cum dolore) hanc tu, inquam, animo æquo potuiſti tantam dignitatem
13 deponere? Te autem, M. Antoni, (abſentem appello) unum illum diem, quo in æde Telluris ſenatus fuit, non omnibus iis menſibus, quibus te quidam, multum à me diſſentientes, *beatum* putant, anteponis? quæ fuit oratio de concordia? quanto metu veterani, quanta ſollicitudine civitas tum à te liberata eſt? Tuum collegam, depoſitis inimicitiis, oblitus auſpiciorum, auguria te ipſo augure nuntiante, illo primum die collegam tibi eſſe voluiſti: reip. tuus parvulus filius in Capitolium à te miſſus *pacis obſes* fuit. quo ſenatus die lætior? quo populus R. qui quidem nulla in concione umquam frequentior fuit. tum denique liberati per viros fortiſſimos videbamur; quia, ut illi voluerant, libertatem pax ſequebatur. Proximo, altero, tertio, reliquis conſecutis diebus, non intermittebas quaſi donum aliquod quotidie afferre reipub. maximum autem illud, quòd dictaturæ nomen ſuſtuliſti. hæc inuſta eſt à te, à te, inquam, mortuo Cæſari nota ad ignominiam ſempiternam. Ut enim propter unius M. Manlii ſcelus, decreto gentis Manliæ, [6] neminem patricium M. Manlium vocari licet: ſic tu propter unius dictatoris odium, nomen dictatoris funditus ſuſtuliſti. Num hujuſce, cùm pro ſalute reipub. tanta geſſiſſes, fortunæ te, num amplitudinis, num claritatis, num gloriæ *pœnitebat*? Unde igitur ſubitò tanta iſta mutatio? non poſſum adduci, ut ſuſpicer, te pecunia captum. LICET, quod cuique libet, loquatur. credere non eſt neceſſe. nihil enim umquam in te ſordidum, nihil humile cognovi. quamquam nihil eſt tam ſanctum, quod non ſoleant *domeſtici* depravare nonnumquam. ſed novi firmitatem tuam. atque utinam, ut culpam, ſic etiam ſuſpicionem vitare potuiſſes. Illud magis vereor, ne IGNORANS verum iter glo- 14
riæ, glorioſum putes, plus te unum poſſe, quàm omneis: & metui à civibus tuis, quàm diligi malis. quod ſi ita putas, totam ignoras viam gloriæ. CARUM eſſe civem, bene de rep. mereri, laudari, coli, diligi, glorioſum eſt. metui verò, & in odio eſſe, invidioſum, deteſtabile, imbecillum, caducum. Quod videmus etiam in fabulis, ipſi illi, qui „ *Oderint, dum metuant*, dixerit, pernicioſum fuiſſe. Utinam, Antoni, avum tuum meminiſſes: de quo tamen multa audiſti ex me ſæpiſſimè. Putaſne illum *immortalitatem mereri* voluiſſe, ut propter armorum habendorum licentiam metueretur? illa erat vita, illa ſecunda fortuna, libertate eſſe *parem* cum ceteris, *principem* dignitate. Itaque, ut omittam res avi tui proſperas, acerbiſſimum ejus diem ſupremum malim, quàm L. Cinnæ dominatum, à quo ille crudeliſſimè eſt interfectus. Sed quid oratione te flectam? ſi enim *exitus C. Cæſaris* efficere hoc non poteſt, ut malis carus eſſe, quàm metui, nihil cujuſquam proficiet, nec valebit oratio. quem qui beatum fuiſſe putant, miſerrimi ipſi ſunt. BEATUS eſt nemo, qui ea lege vivit, ut non modò impunè, ſed etiam cum ſumma interfectoris gloria interfici poſſit. Quare flecte te, quæſo, & majores tuos reſpice, atque ita guberna remp. ut natum eſſe te cives tui *gaudeant*: ſine quo nec beatus, [7] nec clarus, nec unctus quiſquam eſſe omni poteſtate poteſt. Et populi quidem Rom. judicia 15
multa ambo habetis, [8] quibus non ſatis moveri permoleſtè fero. Quid enim gladiatoribus clamores innumerabilium civium? [9] quid populi concurſus? quid Pompeii ſtatuæ plauſus infiniti? quid iis tribunis pleb. qui vobis adverſantur? parumne hæc ſignificant, incredibiliter conſentientem populi Rom. univerſi voluntatem? Quid? Apollinarium ludorum *plauſus*, vel teſtimonia potius, & judicia populi Rom. vobis parva videbantur? O beatos illos, qui, cum

1. *Denuntio vim, arma: removete.*] De hac diſtinctione optimus virorum P. Victorius lib. XXXII. cap. 13. in quem dum heic invehitur Lambinus Lycambeis armis, oſtendit quàm ſit animi puſilli, imo nullius.

2. *Niſi te paulliſper eſſe expertum te viderem.*] Lambinus & Manutius ita interponunt: ſed ita nulli mſſ. noſtri, ita nulli vetuſtius impreſſi.

3. *Pœna affectis, te domum.*] Iidem intertextum habent, *adſ. urbe incendio, & cædis metu liberata, te domum.* præter vett. noſtros & olim editos.

4. *Gratulationi tuæ ſe non obtulerunt?*] Lilienſis amplius, *tuæ defuerunt, & ſe non obtul.* non male, niſi inveniſſem in Pal. pr. *gratulationi tuæ ſe non aptarunt?* quod mihi genuinum magis videtur; ut cetera ſcilicet fuerint ab interprete.

5. *Tibi fuerant infenſi.*] Ita mſſ. noſtri quatuor & vetus editio. poſtea vulgati, *infeſti.*

6. *Neminem patricium M. Manlium vocari licet.*] Delet Ferrarius *Manlium.* Guhelmius tranſponit ſolummodò, *neminem patricium Manlium, Marcum vocari licet.*

7. *Nec clarus, nec unctus quiſquam eſſe omni poteſtate poteſt.*] Hæc eſt lectio Vaticani codicis. Muretus *unctus* mutat in *auctus.* non culpo. at vulgata, *nec clarus eſſe quiſquam poteſt.* Lambinus, heic eſt Lambinus, interpolat faciem pulcram merdoſo fuco. videatur tamen Turnebus lib xv. Adverſ. cap. 2.

8. *Quibus non ſatis moveri, &c.*] Abjeci pronomen *vos* fide Pall. duorum, exemplariſque S. Victoris.

9. *Quid populi concurſus.*] Ita è ſuis Ferrarius. ſed non diſplicet mihi reliquorum mſſ. item editorum lectio *verſus.* Pal. quidem ſec. agnoſcit *curſus.* ſed id depravari potius potuit è *verſus*, quam ut mutari debuerit in *concurſus.*

1. *Plaudi,*

cùm adeſſe ipſis propter vim armorum non licebat, aderant tamen, & in medullis populi Rom. ac *viſceribus hærebant.* niſi fortè Accio tum [1] plaudi, & ſexageſimo poſt anno palmam dari putabatis, non Bruto; qui ludis ſuis ita caruit, ut in illo apparatiſſimo ſpectaculo ſtudium populus Rom. tribuerit abſenti, deſiderium liberatoris ſui perpetuo plauſu, & clamore lenierit. Equidem is ſum, qui iſtos plauſus, cùm à popularibus civibus tribuerentur, ſemper contemſerim: idemque cùm à ſummis, mediis, infimis, cùm denique ab univerſis hoc idem fit, cumque ii, qui antè ſequi populi conſenſum ſolebant, fugiunt: non plauſum illum, ſed *judicium* puto. Sin hæc leviora vobis videntur, quæ ſunt graviſſima: num etiam hoc contemnitis, quod ſenſiſtis, tam caram populo Rom. vitam A. Hirtii fuiſſe? ſatis enim erat, probatum illum eſſe populo Rom. ut eſt: jucundum amicis, in quo vincit omneis: carum ſuis, quibus eſt cariſſimus: tantam tamen ſollicitudinem bonorum, tantum *timorem omnium* in quo meminimus? certè in nullo. Quid igitur? hoc vos, per deos immortaleis, quale ſit, non interpretamini? quid eos de veſtra vita cogitare cenſetis, quibus eorum, quos ſperant reip. conſulturos, vita tam cara ſit? Cepi, P. C. reverſionis meæ fructum: quoniam ea dixi, ut, quicumque caſus conſecutus eſſet, exſtaret conſcientiæ meæ teſtimonium: & ſum à vobis benignè, ac diligenter auditus. Quæ poteſtas ſi mihi ſæpiùs ſine meo, veſtroque periculo fiet, utar. ſi minùs, quantum potero, non tam mihi me, quàm *reip.* reſervabo. Mihi ferè ſatis eſt, quod vixi, vel ad ætatem, vel ad gloriam. huc ſi quid acceſſerit, non tam mihi, quàm vobis, reique publ. acceſſerit.

1. *Plaudi, & ſexageſimo poſt anno palmam dari putabatis, non Bruto.*] Pal. ſec. *plaudi ſexag. poſt anno, & palmam dari non putabatis Bruto.*

M. TULLII CICERONIS IN M. ANTONIUM PHILIPPICA SECUNDA.

ORATIO QUADRAGESIMAQUARTA.

1 QUONAM meo fato, P. C. fieri dicam, ut nemo his annis viginti reipub. hoſtis fuerit, qui non bellum eodem tempore mihi quoque indixerit? Nec verò neceſſe eſt à me quemquam nominari. vobiſcum ipſi recordamini. mihi pœnarum illi plus, quàm optarem, dederunt. Te miror, Antoni, QUORUM FACTA imitere, eorum exitus non perhorreſcere. Atque hoc in aliis minùs mirabar. nemo illorum inimicus mihi fuit voluntarius: omnes à me reip. cauſa laceſſiti. tu, ne verbo quidem violatus, ut audacior, quàm L. Catilina, furioſior, quàm P. Clodius, viderere, ultro maledictis me laceſſiſti: [1] tuamque à me alienationem tibi ad civeis impios gloriæ fore putaviſti. Quid putem? *contemtumne* me? non video nec in vita, nec in gratia, nec in rebus geſtis, nec in hac mea mediocritate ingenii, quid diſpicere poſſit Antonius. An in ſenatu facillimè de me detrahi poſſe credidit? qui ordo clariſſimis civibus bene geſtæ reip. teſtimonium multis, mihi uni conſervatæ dedit? An decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium eſt. quid enim plenius, quid uberius, quàm mihi & pro me, & contra Antonium dicere? Illud profectò eſt. non exiſtimavit, *ſui ſimilibus* probari poſſe, ſe eſſe hoſtem patriæ, niſi mihi eſſet inimicus. Cui priùs quàm de ceteris rebus reſpondeo: de amicitia, quam à me violatam eſſe criminatus eſt, quod ego graviſſimum *crimen*
2 judico, pauca dicam. Contra rem ſuam veniſſe me neſcio quando queſtus eſt. An ego non venirem contra alienum pro familiari, & neceſſario meo? non venirem contra gratiam, [2] non virtutis ſpecie, ſed ætatis flore collectam? non venirem contra injuriam, quam iſte interceſſoris iniquiſſimi beneficio obtinuit, non jure prætorio? Sed hoc idcirco commemoratum à te puto, ut te infimo ordini commendares, cùm te omnes recordarentur libertini generum, & liberos tuos, nepotes Q. Fadii, libertini hominis, fuiſſe. At enim te in diſciplinam meam tradideras: (nam ita dixiſti) domum meam ventitaras. Næ tu, ſi id feciſſes, meliùs famæ, meliùs pudicitiæ tuæ conſuluiſſes. ſed nec feciſti, nec, ſi cuperes, tibi id per C. Curionem facere licuiſſet. Auguratus petitionem mihi te conceſſiſſe dixiſti. O incredibilem audaciam! ò impudentiam prædicandam! Quo enim tempore me augurem à toto collegio expetitum Cn. Pompjus, & Q. Hortenſius nominaverunt (neque enim licebat à pluribus nominari) tu nec ſolvendo eras, nec te ullo modo, niſi everſa rep. *incolumem* fore putabas. Poteras autem eo tempore auguratum petere, cùm in Italia Curio non eſſet? aut tum, cùm es factus, unam tribum ſine Curione ferre potuiſſes? cujus etiam familiares de vi condemnati ſunt, quod tui nimis ſtudioſi fuiſſent. At beneficio ſum uſus 3
tuo. Quo? quamquam illud ipſum, quod commemoras, ſemper præ me tuli. MALUI me tibi debere confiteri, quàm cuiquam minus prudenti non ſatis gratus videri. Sed quo beneficio? quòd me Brundiſii *non occideris?* quem ipſe victor, qui tibi, ut tute gloriari ſolebas, detulerat ex latronibus ſuis principatum, ſalvum eſſe voluiſſet, in Italiam ire juſſiſſet, eum tu occideres? Fac potuiſſe. quod eſt aliud, P.C. *beneficium latronum*, niſi ut commemorare poſſint, iis ſe dediſſe vitam, quibus non ademerint? Quod ſi eſſet beneficium, numquam ii, qui illum interfecerunt, à quo erant ſervati, quos tu ipſe viros clariſſimos appellare ſoles, tantam eſſent gloriam conſecuti. QUALE autem beneficium eſt, quod te abſtinueris nefario ſcelere? qua in re non tam jucundum videri mihi debuit, non interfectum à te, quàm miſerum, id te impunè facere potuiſſe. Sed ſit beneficium, quandoquidem [3] majus accipi à latrone nullum potuit: in quo potes me dicere ingratum? an de interitu reip. queri non debui, ne in te ingratus viderer? Nam in illa querela, miſera quidem, & luctuoſa, ſed mihi pro hoc gradu, in quo me ſenatus, populuſque Rom. collocavit, neceſſaria, quid eſt dictum à me cum contumelia? quid non moderatè? quid non amicè? Et quidem cujus temperantiæ fuit, de M. Antonio querentem, abſtinere maledicto? præſertim cùm tu reliquias reip. diſſipaviſſes? cum domi tuæ *turpiſſimo mercatu* omnia eſſent venalia? cum leges eas, quæ numquam promul-

1. *Tuamque à me alienationem, tibi ad civeis impios gloriæ fore putaſti.*] Retinui lectionem vulgatam; quæ item reſtat in Pal. pr. Ferrarii emendatio, *alienationem, commendationem tibi ad imp. civ. fore putaviſti*, recipit ſane gloſſam. alteraque tantumdem valet.

2. *Non virtutis ſpecie.*] Pal. ſec. atque Mauritianus *virtutis ſpe.* neque aliter exemplar S. Victoris.

3. *Majus à latrone accipi nullum potuit.*] Mſ. Lilienſis *à latronum principe*; quod non male iis reſpondet quæ præceſſerunt.

promulgatæ eſſent, & de te, & à te latas confiterere? cùm auſpicia augur, interceſſionem conſul ſuſtuliſſes? cùm eſſes fœdiſſimè ſtipatus armatis? cùm omneis impuritates pudica in domo quotidie ſuſciperes, vino, luſtriſque confectus? At ego, tanquam mihi cum M. Craſſo contentio eſſet, quocum multæ, & magnæ fuerunt, non cum uno gladiatore nequiſſimo, de rep. graviter querens, de homine nihil dixi.

4 Itaque hodie proficiam, ut intelligat, quantum tum à me beneficium acceperit. At etiam litteras, quas me ſibi miſiſſe diceret, recitavit, homo & humanitatis expers, & vitæ communis ignarus. QUIS ENIM UMQUAM, qui paullum modò bonorum conſuetudinem noſſet, litteras ad ſe ab amico miſſas, offenſione aliqua interpoſita, in medium protulit, palamque recitavit? [1] quid eſt aliud, tollere è vita vitæ ſocietatem, [2] quàm tollere amicorum colloquia abſentium? quam multa joca ſolent eſſe in epiſtolis, quæ prolata ſi ſint, inepta eſſe videantur? quàm multa ſeria, neque tamen ullo modo divulganda? Sit hoc inhumanitatis tuæ: ſtultitiam incredibilem videte. Quid habes, quod mihi opponas, *homo diſerte*, ut Muſtellæ Tamiſio, & Tironi Numiſio videris? [3] qui cùm hoc ipſo tempore ſtent cum gladiis in conſpectu ſenatus, ego quoque te diſertum putabo, ſi oſtenderis, quomodo ſis eos inter ſicarios defenſurus. Sed quid opponas tandem, ſi negem, me umquam iſtas litteras ad te miſiſſe? quo me teſte convinces? an chirographo? in quo habes ſcientiam quæſtuoſam. Qui poſſis? [4] ſunt enim librarii manu. Jam invideo magiſtro tuo, qui te tanta mercede, quantam jam proferam, *nihil ſapere* docuit. Quid enim eſt minùs non dico oratoris, ſed hominis, quàm id objicere adverſario, quod ille ſi *verbo negarit*, longiùs progredi non poſſit, qui objecerit? At ego non nego: teque in iſto ipſo convinco, non inhumanitatis ſolùm, ſed etiam amentiæ. Quod enim verbum in iſtis litteris eſt non plenum humanitatis, officii, benivolentiæ? omne autem crimen tuum eſt, quòd de te in his litteris non malè exiſtimem: quòd ſcribam tanquam ad civem, tanquam ad bonum virùm; non tanquam ad ſceleratum, & latronem. At ego tuas litteras, etſi jure poteram à te laceſſitus, tamen non proferam: quibus petis, ut tibi per me liceat quendam de exſilio reducere: adjuraſque, id te, invito me, non eſſe facturum: idque à me *impetras*. quid enim me interponerem audaciæ tuæ: quam neque auctoritas hujus ordinis, neque exiſtimatio populi Romani, neque leges ullæ poſſent coërcere? Verumtamen quid erat, quòd me rogares, ſi erat is, de quo rogabas, Cæſaris lege reductus? Sed videlicet meam gratiam voluit eſſe: in quo ne ipſius quidem ulla
5 poterat eſſe, lege lata. Sed cum mihi, patres conſcripti, & pro me aliquid; & in M. Antonium multa dicenda ſint: alterum peto à vobis, ut pro me dicentem, benignè: alterum ipſe efficiam, ut, contra illum cum dicam, attentè audiatis. ſimul illud oro: ſi meam cùm in omni vita, tum in dicendo moderationem, modeſtiamque cognoſtis, ne me hodie, cùm iſti, ut *provocavit*, reſpondebo, oblitum eſſe putetis mei. non tractabo ut conſulem: ne ille quidem me ut conſularem. etſi ille nullo modo conſul, vel quòd ita vivit, vel quòd ita remp. gerit, vel quòd ita factus eſt conſul: ego ſine ulla controverſia conſularis. Ut igitur intelligeretis, qualem ipſe ſe conſulem profiteretur, objecit mihi conſulatum meum. qui conſulatus, verbo meus, P.C. re, *veſter fuit*. quid enim conſtitui, quid geſſi, niſi ex hujus ordinis conſilio, auctoritate, ſententia? Hæc tu homo ſapiens, non ſolùm eloquens, apud eos, quorum conſilio, ſapientiaque geſta ſunt, auſus es vituperare? Quis autem meum conſulatum, præter P. Clodium, qui vituperaret, inventus eſt? cujus quidem te fatum, ſicuti C. Curionem, manet: quoniam id domi tuæ eſt, quod fuit illorum utrique fatale. Non placet Marco Antonio conſulatus meus. At placuit P. Servilio, ut eum primum nominem ex illius temporis conſularibus, qui proximè mortuus eſt: placuit Q. Lutatio Catulo, cujus ſemper in hac rep. vivet auctoritas: placuit duobus Lucullis, M. Craſſo, Q. Hortenſio, C. Curioni, M. Lepido, C. Piſoni, [5] M. Glabrioni, L. Volcatio, C. Figulo, D. Silano, L. Murenæ, qui tum erant conſules deſignati: placuit idem, quod conſularibus, M. Catoni: qui cùm multa, vita excedens, *providit:* tum quòd te conſulem non vidit. Maximè verò conſulatum meum Cn. Pompejus probavit: qui ut me primum decedens ex Syria vidit, complexus, & gratulans, meo beneficio patriam ſe viſurum eſſe dixit. Sed quid ſingulos commemoro? frequentiſſimo ſenatui ſic placuit, ut eſſet nemo, qui mihi non, ut parenti, gratias ageret: qui non mihi vitam ſuam,
liberos, [6] fortunas, rempub. referret acceptam. Sed quo- 6
niam illis, quos nominavi, tot & talibus viris reſp. orbata eſt: [7] veniamus ad vivos, qui duo è conſulari numero reliqui ſunt. L. Cotta, vir ſummo ingenio, ſummaque prudentia, rebus iis geſtis, quas tu reprehendis, ſupplicationem decrevit verbis ampliſſimis: eique illi ipſi, quos modò nominavi, conſulares, ſenatuſque cunctus aſſenſus eſt. qui honos poſt conditam hanc urbem habitus eſt *togato* ante me nemini. L. Cæſar, avunculus tuus, qua oratione, qua conſtantia, qua gravitate ſententiam dixit in ſororis ſuæ virum, vitricum tuum? hunc tu cùm auctorem, & præceptorem omnium conſiliorum, totiuſque vitæ debuiſſes habere, vitrici te ſimilem, quàm avunculi eſſe maluiſti. hujus ego conſiliis *alienus* conſul uſus ſum: tu ſororis filius, ecquid ad eum umquam de repub. retuliſti? ad quos refert? dii immortales! ad eos ſcilicet, quorum nobis etiam dies natales audiendi ſunt. Hodie non deſcendit Antonius. cur? dat natalitia in hortis. cui? neminem nominabo. putatote eum Phormioni alicui, tum Gnatoni, tum Ballioni. O fœditatem hominis flagitioſam! ô impudentiam, nequitiam, libidinem non ferendam! tu cùm principem ſenatorem, civem ſingularem, tam propinquum habeas, ad eum de repub. nihil refers: ad eos refers, *qui domum ſuam nullam habent*, tuam exhauriunt? Tuus videlicet ſalutaris conſu-
latus, pernicioſus meus. Adeone pudorem cum pudicitia 7
perdidiſti, ut hoc in eo templo dicere auſus ſis, in quo ego ſenatum illum, qui quondam florens orbi terrarum præſidebat, conſulebam: tu homines perditiſſimos cum gladiis collocaviſti? At etiam auſus es (quid autem eſt, quod tu non audeas?) Clivum Capitolinum dicere, me conſule, plenum ſervorum armatorum fuiſſe. Ut illa, credo, nefaria ſenatuſconſulta fierent, *vim* afferebam ſenatui. O miſerum, ſive illa tibi nota non ſunt (nihil enim boni noſti) ſive ſunt, qui apud taleis viros tam impudenter loquare! Quis enim eques Roman. quis, præter te, adoleſcens nobilis, qui ullius ordinis, qui ſe civem meminiſſet, cùm ſenatus in hoc templo eſſet, in Clivo Capitolino non fuit? quis nomen non dedit? quamquam nec ſcribæ ſufficere, nec tabulæ nomina illorum capere potuerunt. Etenim cùm homines nefarii de patriæ parricidio *confiterentur:* conſciorum indiciis, ſua manu, voce pænè litterarum coacti, ſe urbem inflammare, civeis trucidare, vaſtare Italiam, delere rempub. conſenſiſſe: quis eſſet, qui ad ſalutem communem defen-

1. *Quid eſt aliud, tollere è vita, &c.*] Ita omnes ferè libri quibus uſus Ferrarius; neque ſecus Pall. ſec. ac S. Vict.

2. *Quam tollere amicorum.*] Melius iſtud, è tribus mſſ. noſtris, quam vulgatum, *ſocietatem? tollere am. &c.* Gulielmius.

3. *Qui cum hoc ipſo tempore.*] Muretus indicat exſtare in Vaticano cod. *ipſumo*, quod mutare religio fuit Gulielmio. quid enim, addit, vetat, veteres dixiſſe *ipſumus*, cum iidem frequentarint *ipſiſſimus*? At Turnebus lib. xv. Adverſ. cap. 2. tranſpoſitis elementis leviterque mutatis, inde faciebat, *qui cum hoc peſſimo, &c.*

4. *Sunt enim librarii manu.*] Pal. pr. & Maur. item P. *libera manu*. ſec. *libere*. unde ſuſpicemur verum eſſe *liberti manu*. Lilienſis tamen legit *ſum enim libera manu*. omnino neſcio quid latet.

5. *M. Glabrioni.*] Eſt a conjectura Ferrarii, ſed quam ſuſtentat Pal. ſec. in quo *Clebrioni* vulgata *M. Labioni*.

6. *Fortunas, remp. referret acceptam.*] Fragmentum Colonienſe, *accepta*. quod melius: niſi forte rectum eſt, *acceptum*.

7. *Veniamus ad vivos.*] Eſt a Pal. ſec. Maur. & S. Victoris. prius vulgati, *ad eos*.

1. *Quod*

defendendam non excitaretur? præſertim cùm ſenatus, po-
pulusque Roman. haberet ducem, qualis ſi qui nunc eſſet,
tibi idem, quod illis accidit, contigiſſet. Ad ſepulturam
corpus vitrici ſui negat à me datum. Hoc verò ne P. qui-
dem Clodius dixit umquam. quem, quia jure ei fui inimi-
cus, doleo à te jam omnibus *vitiis* eſſe ſuperatum. Qui au-
tem tibi venit in mentem, redigere in memoriam noſtram,
te domi P. Lentuli eſſe educatum? an verebare, ne non pu-
taremus natura te potuiſſe tam improbum evadere, niſi ac-
8 ceſſiſſet etiam *diſciplina*? Tam autem eras excors, ut tota
in oratione tecum ipſe pugnares: ut non modò non cohæ-
rentia inter ſe diceres, ſed maximè disjuncta, atque con-
traria? ut non tanta mecum, quanta tecum tibi eſſet con-
tentio? Vitricum tuum in tanto fuiſſe ſcelere fatebare, *pœna*
affectum querebare. ita, [1] quod propriè meum eſt, lauda-
ſti: quod totum ſenatus eſt, reprehendiſti. [2] nam, com-
prehenſio ſontium, mea; animadverſio, ſenatus fuit: homo
diſertus non intelligit, eum, quem contra dicit, laudari à
ſe: eos, apud quos dicit, vituperari. Jam illud cujus eſt
non dico audaciæ (cupit enim ſe audacem dici) ſed, quod mi-
nimè vult, ſtultitiæ, qua vincit omneis, Clivi Capitolini
mentionem facere, cùm inter ſubſellia noſtra verſentur ar-
mati? cùm in hæc cælla Concordiæ, ô dii immortales! in
qua me conſule, ſalutares ſententiæ dictæ ſunt, quibus ad
hanc diem viximus, cum gladiis homines collocati ſtent?
Accuſa ſenatum: accuſa equeſtrem ordinem, qui tum cum
ſenatu copulatus fuit; accuſa omneis ordines, omneis ci-
veis, dum confiteare, hunc ordinem, hoc ipſo tempore,
ab Ithyreis circumſederi. Hæc tu non propter audaciam di-
cis tam impudenter, ſed quia tantam rerum *repugnantiam*
non videas. nihil profectò ſapis. Quid eſt enim demen-
tius, quàm, cum [3] ipſe reip. pernicioſa arma ceperis, ob-
jicere alteri ſalutaria? [4] At etiam quodam loco facetus eſſe
voluiſti. Quam id (dii boni) non decebat! in quo eſt tua
culpa nonnulla. aliquid enim ſalis ab uxore mima trahere
potuiſti. CEDANT ARMA TOGÆ. Quid? tum nonne ceſſe-
runt? At poſtea tuis armis ceſſit toga. Quæramus igitur,
utrum melius fuerit: libertati populi Rom. ſceleratorum
arma, an libertatem noſtram armis tuis cedere. Nec verò
tibi de verſibus reſpondebo: tantum dicam breviter; neque
illos, neque ullas te omnino litteras noſſe: me nec reip.
nec amicis umquam *defuiſſe*, & tamen omni genere mo-
numentorum meorum perfeciſſe operis ſubſecivis, ut meæ
vigiliæ, meæque litteræ & juventuti, utilitatis, & nomini
Roman. laudis aliquid afferrent. Sed hæc non hujus tem-
poris, ad majora veniamus. P. Clodium meo conſilio
9 interfectum eſſe dixiſti. Quidnam homines putarent, ſi
tum occiſus eſſet, cum tu illum in foro, inſpectante po-
pulo Rom. gladio ſtricto inſecutus es, negotiumque tranſ-
egiſſes [5] niſi ille ſe ſub ſcalas tabernæ librariæ conjeciſſet,
hiſque oppilatis impetum tuum compreſſiſſet. [6] Sed quid?
ego *faviſſe* me tibi fateor, *ſuaſiſſe* ne tu quidem dicis. At
Miloni ne favere quidem potui. priùs enim rem tranſegit,
quàm quiſquam eum ſuſpicaretur facturum eſſe. At ego
ſuaſi. Scilicet is animus erat Milonis, ut prodeſſe reip. ſine
ſuaſore non poſſet. At lætatus ſum. Quid? ergo in tanta læ-
titia cunctæ civitatis me *unum triſtem* eſſe oportebat? Quam-
quam de morte P. Clodii fuit quæſtio non ſatis prudenter
illa quidem conſtituta. Quid enim attinebat nova lege quæ-
ri de eo, qui hominem occidiſſet, cùm eſſet legibus quæſtio
conſtituta? quæſitum eſt tamen. Quod ergo, cùm res age-
batur, nemo in me dixit; id tot *annis* pòſt, tu es inventus,
qui diceres? Quòd verò dicere auſus es, idque multis ver-
bis, opera mea Pompejum à Cæſaris amicitia eſſe disjun-
ctum, ob eamque cauſam mea culpa *civile bellum* eſſe na-
tum: in eo non tu quidem tota re, ſed, quod maximum
eſt, temporibus erraſti. Ego M. Bibulo, præſtantiſſimo ci- 10
vi, conſule, nihil prætermiſi, quantum facere, enitique
potui, quin Pompejum à Cæſaris conjunctione avocarem,
in quo Cæſar fuit felicior. ipſe enim Pompejum à mea fa-
miliaritate disjunxit. Poſtea verò, quàm ſe totum Pompe-
jus Cæſari tradidit: quid ego illum ab eo diſtrahere conarer?
ſtulti erat *ſperare*: *ſuadere*, impudentis. Duo tamen tem-
pora inciderunt, quibus aliquid contra Cæſarem Pompejo
ſuaſerim. ea velim reprehendas, ſi potes: unum, ne quin-
quennii *imperium* Cæſari prorogaretur: alterum, [7] ne pate-
retur fieri, ut *abſentis* ejus ratio haberetur. quorum ſi utrum-
vis perſuaſiſſem: in has miſerias numquam incidiſſemus.
Atque idem cùm jam omneis opes & ſuas, & populi Rom.
Pompejus ad Cæſarem detuliſſet, ſeroque eadem ſentire
cœpiſſet, quæ ego antè multo prævideram: inferrique pa-
triæ bellum nefarium viderem: pacis, concordiæ, compo-
ſitionis auctor eſſe non deſtiti: meaque illa vox eſt nota
multis, UTINAM, Cn. Pompei, cum C. Cæſare ſocietatem
aut numquam coiſſes, aut numquam diremiſſes. fuit alte-
rum gravitatis, alterum prudentiæ tuæ. Hæc mea, M. An-
toni, ſemper & de Pompejo, & de repub conſilia fuerunt.
quæ ſi valuiſſent: reſpublica ſtaret: tu tuis flagitiis, egeſta-
te, infamia, concidiſſes. Sed hæc vetera: illud verò re- 11
cens, Cæſarem meo conſilio interfectum. Jam vereor, pa-
tres conſcripti, ne, quod turpiſſimum eſt, prævaricatorem
mihi appoſuiſſe videar, qui me non ſolùm *meis* laudibus
ornaret, ſed etiam oneraret alienis. Quis enim meum [8] in
iſtius glorioſiſſimi facti conſcientia nomen audivit? cujus
autem, qui in eo numero fuiſſet, nomen eſt occultatum?
occultatum dico? cujus non ſtatim divulgatum? citiùs di-
xerim *jactaſſe* ſe aliquos, ut fuiſſe in iſta ſocietate [9] videren-
tur, qui ſocii non fuiſſent, quàm ut quiſquam celare vellet.
Quam veriſimile porrò eſt, in tot hominibus partim obſcu-
ris, partim adoleſcentibus neminem occultantibus, meum
nomen latere potuiſſe? Etenim ſi auctores ad liberandam pa-
triam deſiderarentur illis auctoribus, Brutos ego impelle-
rem, quorum uterq; L. Bruti imaginem quotidie videret, al-
ter etiam Ahalæ? His igitur majoribus orti ab alienis potius
conſilium peterent, quam *à ſuis*? & foris potiùs, quàm
domo? Quid? C. Caſſius, in ea familia natus, quæ non
modò dominatum, ſed ne potentiam quidem cujuſquam
ferre potuit, me auctorem, credo, deſideravit: qui etiam
ſine his clariſſimis viris, hanc rem in Cilicia ad oſtium flu-
minis Cydni confeciſſet, ſi ille ad eam ripam, quam con-
ſtituerat, non ad contrariam, [10] navi appuliſſet. Cn. Do-
mitium non patris interitus, clariſſimi viri, non avunculi
mors,

---

1. *Quod propriè meum eſt, laudaſti: quod totum Senatus, &c.*] Ita mſſ. Ferrarii, acceduntque Pal. ſec. Maur. P. S. Victoris. prius impreſſ., *quod propriè meum, &c. totius Senatus.*

2. *Nam comprehenſio ſontium, &c.*] Habent & iſtud quoque noſtrûm quatuor quæ adnoto quod P. Manutius & Lambinus iſthæc quoque receperint in textum, neq; tamen meminerint unde. e mſſ. ſcil. Hier. Ferrarii. cui Philippicæ iſtæ nimium quantum debent.

3. *Ipſe reip. pernicioſa arma.*] Et hoc ab iiſdem membranis, nec non Pal. primo. prius editi, *ipſe contra remp. pern.*

4. *At etiam quodam loco facetus eſſe voluiſti.*] Conjicit And. Schottus, *joco.* lib. I. Nodor. cap. 12. qui adeatur.

5. *Niſi ille ſe in ſcalas, &c.*] Sic duo vetuſtiſſimi Ferrario inſpecti, probatque Aſconius, nec recedit Pal. ſec. aut S. Vict. antea cuſi, *ſub ſcalas.*

6. *Sed quid ego? faviſſe me tibi, &c.*] Ita videtur diſtinguendum, non ut publicatur? *Sed quid? ego faviſſe, &c.* non male etiam Gulielmius conjiciebat: *Ecquid ego? faviſſe.*

7. *Ne pateretur fieri, ut abſentis, &c.*] Victorius lib. XXII. Var. lect. putat legendum *ferri*; non male.

8. *In iſtius glorioſiſſimi facti conſcientia.*] Editi prius *ſocietate*, proculdubio ignoratione vocis prioris, quam neque cepit Ferrarius, a quo tamen ſcimus eam hærere in omnibus libris ſcriptis: neque aliter Pall. Gembl. Maur. & P. nec non S. Vict.

9. *Viderentur ſocii, cum ſocii non fuiſſent.*] Hæc eſt ſcriptura priſcarum editionum, neque abeunt mſſ. noſtri, niſi quod Pal. pr. *viderentur ſocii quod fuiſſent.* recentiores admiſerunt conjecturam Ferrarii, *viderentur qui ſocii non fuiſſent.* non rectè, ſi enim attendimus, videbimus voces aliquot a librariorum ſtulta liberalitate. itaque legendum erat; *viderentur, quàm ut quiſquam, &c.* etſi non negem, poſſe etiam abjici, *quàm ut quiſquam, &c.*

10. *Navi appuliſſet.*] Sic omnes Ferrariani. nam noſtri *navis appuliſſet.* editio recepta, *navim applicuiſſet.*

mors, non ſpoliatio dignitatis, ad recuperandam libertatem, ſed mea auctoritas excitavit? An C. Trebonio perſuaſi? cui ne ſuadere quidem auſus eſſem. quo etiam majorem ei reſp. gratiam debet, qui libertatem populi Rom. *unius amicitiæ* præpoſuit: depulſorque dominatus, quam particeps eſſe maluit. An L. Tillius Cimber me eſt auctorem ſecutus? quem ego magis feciſſe illam rem ſum admiratus, quam facturum putavi. admiratus ſum autem ob eam cauſam, quod immemor beneficiorum, memor *patriæ* fuiſſet. Quid duos Servilios? Caſcas dicam, an Ahalas? & hos auctoritate mea cenſes excitatos potiùs, quam caritate reip.? Longum eſt perſequi ceteros: idque reip. [1] præclarum fuiſ-
12 ſe; tum multò ipſis glorioſius eſt. At quemadmodum me coarguerit homo acutus, recordamini. Cæſare interfecto, inquit, ſtatim cruentum altè extollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamavit, atque ei recuperatam libertatem eſt gratulatus. Cur mihi potiſſimum? quod ſciebam? Vide ne illa cauſa fuerit appellandi me, quòd cum rem geſſiſſet conſimilem rebus iis, quas ipſe geſſeram, me potiſſimùm teſtatus eſt, ſe æmulum mearum laudum exſtitiſſe. Tu autem omnium ſtultiſſime, non intelligis, ſi id, quod me arguis, voluiſſe interfici Cæſarem, crimen ſit: etiam *lætatum* eſſe morte Cæſaris, crimen eſſe? QUID ENIM intereſt inter ſuaſorem facti, & probatorem? aut quid refert, utrùm voluerim fieri, an gaudeam factum? ecquis eſt igitur, [2] te excepto, & iis qui illum regnare gaudebant, qui illud aut fieri noluerit, aut factum improbarit? omnes enim in culpa. etenim omnes boni, quantum in ipſis fuit, Cæſarem occiderunt. aliis conſilium, aliis animus, aliis occaſio defuit: *voluntas* nemini. Sed ſtuporem hominis, vel dicam pecudis, attendite. ſic enim dixit, M. BRUTUS, QUEM EGO HONORIS CAUSA NOMINO, CRUENTUM PUGIONEM TENENS, CICERONEM EXCLAMAVIT: EX QUO INTELLIGI DEBET, EUM CONSCIUM FUISSE. Ergo ego ſceleratus appellor à te, quem tu ſuſpicatum aliquid ſuſpicaris: ille, qui ſtillantem præ ſe pugionem [3] tulit, is à te *honoris cauſa* nominatur? Eſto: ſit in verbis tuis hic ſtupor. quanto in rebus, ſententiiſque major? Conſtitue hoc, conſul, aliquando; Brutorum, C. Caſſii, Cn. Domitii, C. Trebonii, reliquorum, quam velis eſſe cauſam: edormi crapulam, inquam, & exhala. An faces admovendæ ſunt, quæ te excitent, tantæ cauſæ indormientem? numquamne intelliges, ſtatuendum tibi eſſe, utrùm illi, qui iſtam rem geſſerunt, [4] *homicidæ* ſint, an
13 vindices libertatis? Attende enim paulliſper, cogitationemque ſobrii hominis punctum temporis ſuſcipe. etenim ego, qui ſum illorum, ut ipſe fateor, familiaris: ut à te arguor, ſocius, nego quidquam eſſe medium: confiteor eos, niſi liberatores populi Rom. conſervatoreſque reipub. ſint, plus quàm ſicarios, plus quàm homicidas, plus etiam quàm parricidas eſſe: ſiquidem eſt atrocius patriæ parentem, quàm ſuum occidere. Tu homo ſapiens, & conſiderate, quid dicis? ſi parricidæ: cur honoris cauſa à te ſunt, & in hoc ordine, & apud populum Rom. ſemper appellati? cur M. Brutus, te referente, legibus eſt ſolutus, ſi ab urbe plus, quàm decem dies abfuiſſet? cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati? cur provinciæ Caſſio, & Bruto datæ? cur quæſtores additi? cur legatorum numerus auctus? Atque hæc acta per te. non igitur homicidæ. ſequitur, ut liberatores tuo judicio ſint: quandoquidem tertium nihil poteſt eſſe. Quid eſt? num conturbo te? non enim fortaſſe ſatis, quæ diſtinctiùs dicuntur, intelligis. ſed tamen hæc eſt ſumma concluſionis meæ: quoniam ſcelere à te liberati ſunt, ab eodem te ampliſſimis *præmiis* digniſſimi judicati ſunt. Itaque jam retexo orationem meam. ſcribam ad illos, ut, ſiqui fortè, quod à te mihi objectum eſt, quærent, ſitne verum: ne cui negent. etenim vereor, ne aut celatum me ab ipſis, illis non honeſtum: aut invitatum refugiſſe, mihi ſit turpiſſimum. Quæ enim res umquam (prò ſancte Jupiter) non modò in hac urbe, ſed in omnibus terris eſt geſta major? quæ glorioſior? quæ [5] commendatior erit hominum memoriæ ſempiternæ? In hujus me conſilii ſocietatem, tanquam in equum Trojanum [6] cum principibus includis? non recuſo. ago etiam gratias, quoquo animo facis. tanta enim res eſt, ut *invidiam* iſtam, quam tu in me vis concitare, cum laude non comparem. Quid enim beatius illis, quos tu expulſos à te prædicas, & relegatos? qui locus eſt aut tam deſertus, aut tam inhumanus, qui illos, quò acceſſerint, non affari, atque appetere videatur? qui homines tam agreſtes, qui ſe, cùm eos adſpexerint, non maximum cepiſſe vitæ fructum putent? quæ verò tam immemor *poſteritas*, quæ tam ingratæ litteræ reperientur, quæ eorum gloriam non immortalitatis memoria proſequantur? Tu verò adſcribe me talem in numerum. Sed 14
unam rem vereor, ne non probes. ſi enim fuiſſem, non ſolùm regem, ſed regnum etiam de rep. ſuſtuliſſem: &, ſi meus ſtilus ille fuiſſet (ut dicitur) mihi crede, non ſolùm unum actum, ſed totam fabulam confeciſſem. Quamquam ſi interfici Cæſarem voluiſſe, crimen eſt, vide, quæſo, Antoni, quid tibi futurum ſit, quem & Narbone hoc conſilium cum C. Trebonio cepiſſe notiſſimum eſt, & ob ejus conſilii ſocietatem, cum interficeretur Cæſar, tum te à Trebonio vidimus ſevocari. Ego autem (vide quàm tecum agam non inimicè) quòd benè cogitaſti aliquando, laudo: quòd non indicaſti, gratias ago: quòd non feciſti, ignoſco. *virum* res illa quærebat. Quòd ſi te in judicium quis adducat, uſurpetque illud Caſſianum, CUI BONO FUERIT: vide, quæſo, ne hæreas. quamquam illud quidem fuit, ut tu dicebas, omnibus bono, [7] qui *ſervire* nolebant: tibi tamen præcipuè, qui non modò non ſervis, ſed etiam regnas: qui maximo te ære alieno ad ædem Opis liberaſti: qui per eaſdem tabulas innumerabilem pecuniam diſſipaviſti; ad quem è domo Cæſaris tam multa delata ſunt: cujus domus, quæſtuoſiſſima eſt falſorum commentariorum, & chirographorum *officina*: agrorum, oppidorum, immunitatum, vectigalium, flagitioſiſſimæ *nundinæ*. Etenim quæ res egeſtati, & æri alieno tuo, præter mortem Cæſaris, ſubvenire potuiſſet? Neſcio quid conturbatus mihi eſſe videris. numquid ſubtimes, ne ad te hoc crimen pertinere videatur? libero te metu: nemo credet umquam: non eſt tuum de repub. benè mereri: habet iſtius pulcherrimi facti clariſſimos viros reſpub. auctores: ego te tantum *gaudere* dico: feciſſe non arguo. Reſpondi maximis criminibus: nunc etiam reliquis reſpondendum eſt. Caſtra mihi Pompeii, atque il- 15
lud omne tempus objeciſti. quo quidem tempore ſi, ut dixi, meum conſilium, auctoritaſque valuiſſet: tu hodiè egeres, nos liberi eſſemus; reſp. non tot duces, & exercitus amiſiſſet. Fateor enim, me, cùm ea, quæ acciderunt, providerem futura, tanta in mœſtitia fuiſſe, quanta cæteri optimi cives, ſi idem providiſſent, fuiſſent. Dolebam, dolebam,

1. *Præclarum fuiſſe tum multo ipſis glorioſius eſt.*] Ita edd. priſcæ. ita Pal. ambo. niſi quod ſec. *tamen*, & vero teſtatus eſt, noſtram extare in omnibus ſuis ſcriptis Ferrarius. probo, ſed ſuperat adhuc vox *fuiſſe*, quæ ſpurium quid ſapit. deinde abjiciendam *eſt* a fine, ſtudio Pal. pr. neoterici receperunt Ferrarii conjectaneum, *præclarum fuiſſe tam multos, ipſis glorioſius eſt*. at Victoriana, *fuiſſe tam multos, tum multo ipſis glorioſius*.

2. *Te excepto & iis qui etiam regnare gaudebant.*] Redintegravi hanc periodum ex Pal. ſec. Gembl. Lil. & S. Victoris. alludebatque item Pal. pr. in quo *te excepto is qui etiam regnare gaudebat*.

3. *Tulit, is à te honoris, &c.*] Abundat heic, aut *ille* aut *is* & pro hoc agnoſcebat Mauricianus *his*, unde fecerat Gulielmius *hic*.

4. *Homicidæ ſint.*] Ita & Pal. ſec. & Maur. non, *homicidæ ne ſint*, quomodo vulgata.

5. *Commendatior erit hominum memoriæ ſempiternæ, &c.*] Adjeci illud *erit* e Pall. & Maur. quam injurie abjiciendam curarat Ferrarius, habuitque obſequentes P. Manutium & Dion. Lambinum. at loquitur prius membrum de præſenti, poſterius de futuro.

6. *Cum principibus includis? non recuſo.*] Ita Pall. ita Lilienſis & Maur. non, *includi cum principibus non recuſo*, uti retrò cuſi.

7. *Qui ſervire nolebant.*] Vulgata *qui uni ſervire*, quod neque in Pall. aut Maur. Col. aut Ferrarii membranis; niſi quod quidam *inſervire*; unde procuIdubie natum alterum illud.

1. Ne

lebam, P.C. remp. veſtris quondam, meiſque conſiliis conſervatam, brevi tempore eſſe perituram. neque verò eram tam indoctus, ignaruſque rerum, ut frangerer animo propter *vitæ cupiditatem*, quæ me manens conficeret angoribus: dimiſſa, moleſtiis omnibus liberaſſet. illos ego præſtantiſſimos viros, lumina reip. vivere volebam, tot conſulareis, tot prætorios, tot honeſtiſſimos ſenatores, omnem præterea florem nobilitatis, ac juventutis, tum optimorum civium exercitus: qui ſi viverent, quamvis iniqua conditione pacis (*mihi* enim omnis pax cum civibus bello civili utilior videbatur) rempub. hodie teneremus. Quæ ſententia ſi valuiſſet, ac non ii maximè mihi, quorum ego vitæ conſulebam, ſpe victoriæ elati, obſtitiſſent: ut alia omittam, tu certè numquam in hoc ordine, vel potiùs numquam in hac urbe manſiſſes. At verò Cn. Pompeii voluntatem à me abalienabat oratio mea. An ille quemquam plus dilexit? cum ullo aut ſermones, aut conſilia contulit ſæpius? quod quidem erat magnum, de *ſumma re* diſſentienteis, in eâdem conſuetudine amicitiæ permanere. Sed & ego quid ille, & contrà ille, quid ego ſentirem, & ſpectarem, videbat. ego incolumitati civium primùm, & poſtea dignitati: ille præſenti dignitati potiùs conſulebat. quòd autem habebat uterque quod *ſequeretur*, idcirco tolerabilior erat noſtra diſſenſio. Quid verò ille conſularis vir, ac pænè divinus de me ſenſerit, ſciunt qui eum Pharſalica fuga Paphum proſecuti ſunt. numquam ab eo mentio de me, niſi honorifica; niſi plena amiciſſimi deſiderii, cùm me *vidiſſe plus* fateretur, ſe *ſperaviſſe meliora*. Et ejus viri nomine me inſectari audes, cujus me amicum,
16 te ſectorem eſſe fateare? Sed omittatur bellum illud, in quo tu nimium felix fuiſti. Ne jocis quidem reſpondebo, quibus me in caſtris uſum eſſe dixiſti. Erant illa quidem caſtra plena curæ: verumtamen HOMINES quamvis in turbidis rebus ſint, tamen, ſi modò homines ſunt, interdum animis relaxantur. Quòd autem idem mœſtitiam meam reprehendit, idem jocum: magno argumento eſt, me in utroque fuiſſe moderatum. Hereditates mihi negaſti venire. Utinam hoc tuum verum crimen eſſet: plures amici mei, & neceſſarii *viverent*. Sed qui iſtuc venit tibi in mentem? ego enim ampiius H-S ducenties acceptum hereditatibus retuli. Quamquam in hoc genere fateor feliciorem eſſe te. me nemo, niſi amicus, fecit heredem, ut cum illo commodo, ſi quod erat, animi quidam *dolor* jungeretur: te is, quem tu vidiſti nunquam, L. Rubrius Caſſinas, fecit heredem. & quidem vide, quàm te amarit is, qui, albus, aterve fueris, ignorans, fratris filium *præteriit*: Q. Furii honeſtiſſimi equitis Romani, ſuique amiciſſimi, quem palàm heredem ſemper factitarat, [1] ne nomen quidem perſcripſit: te, quem numquam viderat, ac numquam ſalutaverat, fecit heredem. Velim mihi dicas, niſi moleſtum eſt, L. Turſelius qua facie fuerit, qua ſtatura, quo municipio, qua tribu: nihil ſcio, inquies, niſi quæ *prædia* habuerit. Igitur fratrem exheredans, te faciebat heredem. In multas præterea pecunias alieniſſimorum hominum, ejectis veris heredibus, *tanquam* heres eſſet, invaſit. Quamquam hoc maximè admiratus ſum, mentionem te hereditatum auſum eſſe facere, cùm ipſe hereditatem patris non
17 adiſſes. Hæc ut colligeres, homo amentiſſime, tot dies in aliena villa declamaſti? quamquam tu quidem (ut tui familiariſſimi dictitant) vini exhalandi, non *ingenii acuendi* cauſa declamitas. Et verò adhibes joci cauſa magiſtrum; ſuffragio tuo, & compotorum tuorum, rhetorem: cui conceſſiſti, [2] ut in te, quæ vellet, diceret. Salſum omnino hominem! ſed materia facilis, in te, [3] & in tuos dicta dicere. Vide autem, inter te, & avum tuum, quid interſit. ille ſenſim dicebat, quod cauſæ prodeſſet: tu curſim dicis aliena. At quanta *merces* rhetori data eſt? Audite, audite, P.C. & cognoſcite reip. vulnera. duo millia jugerum campi Leontini Sex. Clodio rhetori aſſignaſti, & quidem immunia, ut pro tanta mercede *nihil ſapere* diſceres. Num etiam hoc, homo audaciſſime, ex Cæſaris commentariis? Sed dicam alio loco & de Leontino agro, & de Campano: quos iſte agros ereptos *reipub.* turpiſſimis poſſeſſoribus inquinavit. Jam enim, quoniam criminibus ejus ſatis reſpondi, de ipſo emendatore, & correctore noſtro quædam dicenda ſunt. nec enim omnia effundam, ut, ſi ſæpiùs decertandum ſit, ut erit, ſemper novus veniam: quam facultatem mihi multitudo iſtius vitiorum, peccatorumque largitur. Viſne igitur te inſpiciamus à puero? ſic opinor. à prin-
cipio ordiamur. Teneſne memoria, prætextatum te *deco-* 18
xiſſe? Patris, inquies, iſta culpa eſt. concedo. etenim eſt pietatis plena defenſio. Illud tamen audaciæ tuæ, quòd ſediſti in quattuordecim ordinibus, cùm eſſet lege Roſcia decoctoribus certus locus conſtitutus, quamvis quis fortunæ vitio, non ſuo decoxiſſet. Sumſiſti virilem togam, [4] quam ſtatim muliebrem ſtolam reddidiſti. primò vulgare ſcortum: certa flagitii merces, nec ea parva: ſed citò Curio intervenit, qui te à meretricio quæſtu abduxit: &, tanquam ſtolam dediſſet, in matrimonio ſtabili, & certo locavit. Nemo umquam puer emtus libidinis cauſa, tam fuit in domini poteſtate, quam tu in Curionis. quoties te pater ejus domo ſua ejecit? quoties cuſtodes poſuit, ne limen intrares? cum tamen tu, nocte ſocia, hortante libidine, cogente mercede, per tegulas demitterere. [5] quæ flagitia domus illa diutiùs ferre non potuit. Sciſne me de rebus mihi notiſſimis dicere? recordare tempus illud, cum pater Curio mœrens jacebat in lecto: filius ſe ad pedes meos proſternens, lacrymans, te mihi commendabat: orabat, ut te contra ſuum patrem, ſi ſeſtertiûm ſexagies peteret, defenderem: [6] tantum enim ſe pro te interceſſiſſe. ipſe autem amore ardens confirmabat, quod deſiderium tui diſcidii ferre non poſſet, ſe in exſilium eſſe iturum. Quo ego tempore tanta mala florentiſſimæ [7] familiæ ſedavi, vel potius ſuſtuli. patri perſuaſi, ut æs alienum filii diſſolveret: redimeret adoleſcentem, ſumma ſpe & animi, & ingenii præditum, rei familiaris facultatibus: eumque à tua non modò familiaritate, ſed etiam congreſſione, *patrio jure*, & poteſtate prohiberet. Hæc tu, cùm per me acta meminiſſes: niſi illis, quos videmus, gladiis confideres, maledictis me provocare auſus eſſes? Sed jam ſtupra, & flagitia omittam, ſunt quæ-
dam, quæ *honeſtè* non poſſum dicere: tu autem eo liberior, 19
quòd ea in te admiſiſti, quæ à verecundo inimico audire non poſſes. Sed reliquum vitæ curſum videte: quem quidem celeriter perſtringam. ad hæc enim, quæ in civili bello, in maximis reip. miſeriis fecit, & ea, quæ quotidie facit, feſtinat animus. quæ peto, ut, quamquam multo notiora vobis, quàm mihi ſunt, tamen, ut facitis, attentè audiatis. debet enim talibus in rebus excitare animos non cognitio ſolùm rerum, ſed etiam *recordatio*. tametſi incidamus oportet media, ne nimis ſerò ad extrema veniamus. Intimus erat in tribunatu Clodio: qui ſua erga me beneficia commemorat. ejus omnium incendiorum fax. cujus etiam domi

1. *Ne nomen quidem perſcripſit.*] Lambinus aliique varie emendant, ſed præter libros noſtros.

2. *Ut in te quæ vellet diceret.*] Sic Pall. edd. que antiquæ, item Victoriana. at Lambiniana non una; *ut non in te quæ vellet diceret; ſed in quem vellet, diceret*, repræſentat in contextu; quod natum ſuſpicor a male intellecto Ferrario.

3. *Et in tuos dicta dicere.*] Schottus noſter cap. XII. abjiciendum cenſet *dicta*, aut *dicere* mutandum in *jacere*.

4. *Quam ſtatim muliebrem ſtolam reddidiſti.*] Nihil variant mſſ noſtri. Idem amicus noſter monet Faërnum edidiſſe è veteri cod. Romano, *muliebrem togam*. ego totam illam vocem eradicatam mallem. Lambinus togam Faërni recepit in contextum.

5. *Quæ flagitia domus illa diutius ferre non potuit.*] Gemblacenſis, *quo flagitio domus illa diutius ſtare non potuit*. quod adſtipulabunt ad hiſtoriæ Lydium lapidem otioſiores. nam mihi valde adlubeſcit.

6. *Tantum enim ſe pro te interceſſiſſe.*] Secutus ſum tres Ferrarii codd. vulgati adjecerant adhuc vocem *dicebat*.

7. *Familiæ ſedavi vel potius ſuſtuli.*] Lilienſis ac Maur. *non ſedavi, ſed potius ſuſt.*

1. *Inde*

domi quiddam jam tum molitus eſt. quid dicam, ipſe optime intelligit. [1] Inde itum Alexandriam contra ſenatus auctoritatem, contra religionem. ſed habebat ducem Gabinium, quicum quid quidvis rectiſſimè facere poſſet. Qui tum inde reditus, aut qualis? prius in ultimam Galliam ex Ægypto, quam domum. Quæ autem erat domus? ſuam enim quiſque domum tum obtinebat, neque erat uſquam tua. domum dico? quid erat in terris, ubi in tuo *pedem* poneres, præter unum Miſenum, quod cum ſociis, tan-
20 quam Siſaponem tenebas? Veniſti è Gallia ad quæſturam
petendam. aude dicere, [2] te priùs ad patrem tuum veniſſe, quàm ad me. acceperam enim jam antè Cæſaris litteras, ut mihi ſatisfieri paterer à te. itaque ne *loqui* quidem ſum te paſſus de gratia. [3] Poſtea cuſtoditus ſum à te, tu à me obſervatus in petitione quæſturæ. quo quidem tempore P. Clodium, approbante populo Rom. in foro es conatus occidere: cumque eam rem tua ſponte conarere, non impulſu meo: tamen ita prædicabas, te non exiſtimare, niſi illum interfeciſſes, umquam mihi pro tuis in me *injuriis* ſatis eſſe facturum. In quo demiror, cur Milonem impulſu meo rem illam egiſſe dicas, cùm te ultrò mihi idem illud deferentem numquam ſim adhortatus. quamquam, ſi in eo perſeverares, ad tuam gloriam rem illam referri malebam, quàm ad meam gratiam. Quæſtor es factus. deinde continuò ſine ſenatuſconſulto, ſine ſorte, ſine lege ad Cæſarem cucurriſti. id enim unum in terris, egeſtatis, æris alieni, nequitiæ, perditis vitæ rationibus *perfugium* eſſe ducebas. Ibi te cùm & illius largitionibus, & tuis rapinis expleviſſes (ſi hoc eſt explere, quod ſtatim effundas) advolas egens ad tribunatum, ut in eo magiſtratu, ſi poſſes, viri tui ſimilis
21 eſſes. Accipite nunc, quæſo, non ea, quæ ipſe in ſe, atque
in domeſticum dedecus impurè atque intemperanter, ſed quæ in nos, fortunaſque noſtras, id eſt, in univerſam remp. impiè, ac nefariè fecerit. ab hujus enim ſcelere omnium malorum *principium* natum reperietis. Nam, cum L. Lentulo, C. Marcello, conſulibus, calendis Januar. labentem, & propè cadentem remp. fulcire cuperetis, ipſique C. Cæſari, ſi ſana mente eſſet, conſulere velletis: tum iſte venditum, atque emancipatum tribunatum, conſiliis veſtris oppoſuit, cervicesque ſuas ei ſubjecit ſecuri, qua multi *minoribus* in peccatis occiderunt. In te autem, M. Antoni, id decrevit ſenatus, & quidem incolumis, nondum tot luminibus exſtinctis, [4] quod in *hoſtem togatum* decerni eſt ſolitum more majorum. Et tu apud patres conſcriptos contra me dicere auſus es, cùm ab hoc ordine ego conſervator eſſem, tu hoſtis reip. judicatus? Commemoratio illius tui ſceleris intermiſſa eſt, non memoria deleta. dum genus hominum, dum populi Rom. nomen exſtabit (quod quidem erit, ſi per te licuerit, ſempiternum) tua illa peſtifera *interceſſio* nominabitur. Quid cupidè à ſenatu, quid temerè fiebat, cum tu, unus adoleſcens, univerſum ordinem decernere de ſalute reip. prohibuiſti? neque id ſemel, ſed ſæpius? neque tu tecum de ſenatus auctoritate agi paſſus es? quid autem agebatur, niſi ne delere, & evertere remp. funditus velles, cùm te neque principes civitatis rogando, neque majores natu monendo, [5] neque frequens ſenatus agendo, de vendita, atque addicta *ſententia* movere potuit? Tum illud, multis rebus antè tentatis, neceſſariò tibi vulnus inflictum, quod paucis ante te, quorum incolumis fuit nemo. Tum contra te dedit arma hic ordo conſulibus, reliquiſque imperiis, & poteſtatibus: quæ non effugiſſes:
niſi te ad arma Cæſaris contuliſſes. Tu, tu, inquam, M. 22
Antoni, princeps C. Cæſari, omnia perturbare cupienti, *cauſam belli* contra patriam inferendi dediſti. Quid enim aliud ille dicebat? quam cauſam dementiſſimi ſui conſilii, & facti afferebat, niſi quod interceſſio neglecta, jus tribunitium ſublatum, [6] circumſcriptus à ſenatu eſſet Antonius? omitto, quàm hæc falſa, quàm levia: præſertim cum omnino nulla cauſſa juſta cuiquam eſſe poſſit *contra patriam* arma capiendi. [7] Sed nihil Cæſari: tibi certè confitendum eſt, cauſam pernicioſiſſimi belli in perſona tua conſtitiſſe. O miſerum te, ſi intelligis: miſeriorem, ſi non intelligis, hoc litteris mandari, hoc memoriæ prodi, hujus rei ne poſteritatem quidem omnium ſæculorum umquam immemorem fore, [8] conſules ex Italia expulſos, cumque his Cn. Pompejum, qui imperii P. R. decus, ac lumen fuit: omneis conſulareis, qui per valitudinem exſequi cladem illam fugamque potuiſſent: prætores, prætorios, tribunos plebis, magnam partem ſenatus, omnem ſobolem juventutis, unoque verbo *remp.* expulſam, atque exterminatam ſuis ſedibus. Ut igitur *in ſeminibus eſt cauſa arborum*, & ſtirpium: ſic hujus luctuoſiſſimi belli ſemen tu fuiſti. Doletis, treis exercitus populi Rom. interfectos: interfecit Antonius. deſideratis clariſſimos civeis: eos quoque eripuit vobis Antonius. auctoritas hujus ordinis afflicta eſt: afflixit Antonius. omnia denique, quæ poſteà vidimus (quid autem mali non vidimus?) ſi rectè ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio. ut Helena Trojanis, ſic iſte huic reipub. cauſa belli, cauſa peſtis, atque exitii fuit. Reliquæ partes tribunatus principio ſimiles. omnia perfecit, quæ ſenatus, ſalva repub. ne fieri poſſent, perfecerat. cujus
tamen *ſcelus in ſcelere* cognoſcite. Reſtituebat [9] multos ca- 23
lamitoſos. in his patrui nulla mentio. ſi ſeverus: cur non in omneis? ſi miſericors, cur non in ſuos? ſed omitto ceteros. [10] Licinium Denticulam, de alea condemnatum, colluſorem ſuum, reſtituit: [11] quaſi verò ludere cum condemnato non liceret: ſed ut, quod ille in alea perdiderat, beneficio legis diſſolveret. Quam attuliſti rationem populo Rom. cur eum *reſtitui* oporteret? abſentem credo in reos relatum: rem indicta cauſa judicatam: nullum fuiſſe de alea lege judicium: vi oppreſſum, & armis: poſtremò, quod de patruo tuo dicebatur, pecunia judicium eſſe corruptum. Nihil horum. At vir bonus: & repub. dignus. Nihil id quidem ad rem: ego tamen, quoniam condemnatum eſſe, pro nihilo eſt, ſi ita eſſet, ignoſcerem. hominem verò omnium nequiſſimum, qui non dubitaret vel in foro alea ludere, lege, quæ eſt de alea, condemnatum qui in integrum reſtituit, is non apertiſſimè *ſtudium ſuum* ipſe profitetur? in eodem verò tribunatu, cùm Cæſar in Hiſpaniam proficiſcens, huic conculcandam Italiam tradidiſſet: quæ fuit ejus peragratio itinerum; luſtratio municipiorum; Scio me in rebus celebratiſſimis ſermone

1. *Inde itum Alexandriam, &c.*] Pall. & Maur. *iter*, ut etiam edidit Lambinus, neque aliter editio prima.

2. *Te prius ad parentem tuam.*] Eſt à Buchanani conjectura. nam mſſ. meliores *parentem tuum.* vulgati, *patrem tuum.* Muretus lib. XIIX Var. lect. cap. 6. conjicit *amatorem tuum.*

3. *Poſtea cuſtoditus ſum à me, tu à me obſervatus.*] Ita quidem Pal. pr. ſed ſec. *poſtea cultus à te.* quod & in uno Ferrarii, neque mihi admodum diſplicet: quamvis pro vulgato pugnet Gulielmius in Aſinariam Plautinam cap. 5. Muretus lib. XIIX. Var. lect. cap. 7. quod inveniſſet in uno mſ. *beatus*, in altero *ovatus*, conjiciebat, *ſublevatus.*

4. *Quod in hoſtem togatum decerni ſolitum.*] Explicat Schottus noſter d. cap. 11.

5. *Neque frequens Senatus, &c.*] Nihil muto: ſed tamen in duobus libris reperi, *neque Rom. eques aut ſenatus*; inquit Gulielmius. neque aliter Pal. pr. aut ii quos excuſſit Ferrarius.

6. *Circumſcriptus à Senatu eſſet Antonius.*] Sic & Pal. ſec. & Maur. quemadmodum & Ferrariani.

7. *Sed nihil Cæſari.*] Ita Pall. & plures à Ferrario excuſſi. vulgata, *ſed nihil de Cæſare.*

8. *Conſules ex Italia excuſſos.*] Eſt à Mauriciano. vulgata *expulſos*, minus recte. ſic Philippica XII. cap. 7. *juventutem omnem ex Italia excuſſimus*; ubi perperam vulgati *excivimus.*

9. *Multos calamitoſos.*] Scriptus Ferrarii unus *damnoſos.* quod placuit Gulielmio. & Plautus quidem ea voce uſus eſt in patrem talem.

10. *Licinium Denticulam.*] Ita hodie paſſim publicatur, reſtatque in Pal. ſec. antea cuſi *Lenticulam.* quod & in pr. ſtat tamen & pro priore ſcriptura Mauricianus.

11. *Quaſi vero ludere cum condemnato non liceret.*] Sic Pall. noſtri. Lambinus edidit, *non ut luderet cum condemnato, quaſi vero, &c.* nimis de ſuo largus, inquit Schottus noſter, qui malebat legere cum Mureto, *non quaſi luderet cum condemnato.* videatur ipſe cap. 12. quemadmodum etiam Muretus lib. XIIX. Var. lect. cap. 7.

1. *Seque-*

mone omnium verſari, eaque quæ dico, dicturuſque ſum, notiora omnibus eſſe, qui in Italia tum fuere, quàm mihi, qui non fui. notabo tamen ſingulas res: etſi nullo modo poterit oratio mea ſatisfacere veſtræ ſcientiæ. etenim quod umquam in terris tantum flagitium exſtitiſſe auditum eſt?
24 tantam turpitudinem? tantum dedecus? Vehebatur in eſſedo tribunus pleb. lictores laureati antecedebant: inter quos, *aperta lectica*, mima portabatur: quam ex oppidis municipales, homines honeſti, obviam neceſſariò prodeuntes, non noto illo, & mimico nomine, ſed Volumniam conſalutabant. [1] ſequebatur rheda cum lenonibus, comites nequiſſimi, rejecta mater amicam impuri filii, tanquam nurum, ſequebatur. O miſeræ mulieris fæcunditatem calamitoſam! Horum flagitiorum iſte veſtigiis omnia municipia, præfecturas, colonias, totam denique Italiam impreſſit. Reliquorum factorum ejus, P. C. difficilis eſt ſanè reprehenſio, & lubrica. verſatus in bello eſt: ſaturavit ſe ſanguine diſſimillimorum ſui civium. fuit felix, SI POTEST ulla eſſe in ſcelere felicitas. Sed, quoniam veteranis cautum eſſe volumus, quamquam diſſimilis eſt militum cauſa, & tua: illi ſecuti ſunt: tu quæſiſti ducem: tamen, ne apud illos me in invidiam voces, nihil de belli genere dicam. Victor è Theſſalia Brundiſium cum legionibus reverſiſti. ibi me non occidiſti. magnum beneficium. potuiſſe enim fateor. quamquam nemo erat eorum, qui tunc tecum fuerunt, qui mihi non cenſeret parci oportere. tanta enim eſt caritas patriæ, ut veſtris etiam legionibus *ſanctus* eſſem, quòd eam à me ſervatam eſſe meminiſſent. ſed fac id te dediſſe mihi, quod non ademiſti; meque à te habere vitam, quia à te non ſit erepta: [2] liceatne mihi per tuas contumelias hoc beneficium tueri, ut tuebar, præſertim cùm te
25 hæc auditurum videres? Veniſti Brundiſium, in ſinum quidem, & in complexum tuæ mimulæ. Quid eſt? num mentior? *quàm miſerum* eſt id negare non poſſe, quod ſit turpiſſimum confiteri! Si te municipiorum non pudebat: ne veterani quidem exercitus? quis enim miles fuit, qui Brundiſii illam non viderit? quis, qui neſcierit veniſſe eam tibi tot dierum viam gratulatum? quis, qui non indoluerit, tam ſerò ſe, quem hominem ſecutus eſſet, cognoſcere? Italiæ rurſus percurſatio eadem comite mima: in oppida militum crudelis, & miſera *deductio*: in urbe auri, argenti, maximeque vini, fœda *direptio*. Acceſſit, ut, Cæſare ignaro, cum ille eſſet Alexandriæ, beneficio amicorum ejus magiſter equitum conſtitueretur. tum exiſtimavit ſe ſuo jure cùm Hippia vivere, & equos vectigaleis [3] Sergio mimo tradere. Quid ego iſtius decreta, quid rapinas, quid *hereditatum* poſſeſſiones datas, quid ereptas proferam? cogebat egeſtas: quò ſe verteret, non habebat. nondum ei tanta à L. Rubrio, non à L. Turſelio hereditas venerat: nondum in Cn. Pompeii locum, multorumque aliorum, qui aberant, repentinus heres ſucceſſerat. erat ei vivendum *latronum ritu*, ut tantum haberet, quantum rapere potuiſſet. Sed hæc, quæ robuſtioris improbitatis ſunt, omittamus: loquamur potius de nequiſſimo genere levitatis. Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauſeras, ut tibi neceſſe eſſet in populi Rom. conſpectu *vomere* poſtridie. O rem non modò viſu fœdam, ſed etiam auditu! [4] Si inter cenam, in ipſis tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? in cœtu verò populi Rom. negotium publicum gerens, magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens, fruſtis eſculentis, vinum redolentibus, gremium ſuum, & totum tribunal implevit. Sed hoc ipſe fatetur eſſe in ſuis ſordibus: veniamus ad ſplendida. [5] Cæ- 26
ſar Alexandria ſe recepit, felix, ut ſibi quidem videbatur: mea autem ſententia, SI QUIS reipub. ſit infelix, felix eſſe non poteſt. haſta poſita pro æde Jovis Statoris, bona (miſerum me: conſumtis enim lacrymis, tamen infixus animo hæret dolor) bona, inquam, Cn. Pompeii Magni, voci acerbiſſimæ ſubjecta præconis. una in illa re ſervitutis oblita civitas ingemuit, [6] ſervientibuſque animis, gemitus tamen populi Romani liber fuit. exſpectantibus omnibus, quiſnam eſſet tam impius, tam demens, tam diis, hominibuſque hoſtis, qui ad illud ſcelus ſectionis auderet *accedere*, inventus eſt nemo, præter Antonium, præſertim cùm tot eſſent circum haſtam illam, qui alia omnia auderent. unus inventus eſt, qui id auderet, quod omnium fugiſſet, & reformidaſſet audacia. Tantus igitur te ſtupor oppreſſit, vel, ut veriùs dicam, tantus furor, ut primùm, cùm ſector ſis iſto loco natus, deinde cùm Pompeii ſector, non te exſecrandum populo Romano, non deteſtabilem, non omneis tibi deos, omneis homines, & eſſe inimicos, & futuros ſcias? At quàm inſolenter ſtatim helluo invaſit in ejus viri fortunas; cujus virtute *terribilior* erat populus Romanus exteris gentibus, juſtitia carior? In ejus igitur co- 27
pias cùm ſe ſubitò ingurgitaviſſet, exſultabat gaudio, perſona de mimo, [7] modò egens, repentè dives. Sed, ut eſt apud poëtam neſcio quem, *Malè parta, malè dilabuntur.* Incredibile, ac ſimile portenti eſt, quonam modo illa tam multa, quàm paucis non dico menſibus, ſed paucis diebus effuderit: maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretioſa veſtis, multa & lauta ſupellex, & magnifica multis locis, non illa quidem luxurioſi hominis, ſed tamen *abundantis*. horum paucis diebus nihil erat. Quæ Charybdis tam vorax? Charybdin dico? quæ ſi fuit, fuit animal unum: Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam citò abſorbere potuiſſe. Nihil erat clauſum, nihil obſignatum, nihil ſcriptum. apothecæ totæ nequiſſimis hominibus condonabantur. alia mimi rapiebant, alia mimæ: domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum: totos dies *potabatur*, atque id locis pluribus: ſuggerebantur etiam ſæpè (non enim ſemper ipſe felix) damna aleatoria. conchyliatis Cn. Pompeii periſtromatis, ſervorum in cællis, lectos ſtratos videres. Quamobrem deſinite mirari, hæc tam celeriter eſſe conſumta. non modò unius patrimonium, quamvis amplum, ut illud fuit, ſed urbeis, & regna celeriter tanta nequitia *devorare* potuiſſet. At ejuſdem ædeis etiam, & hortos. O audaciam immanem! tu ingredi illam domum auſus es? tu illud ſanctiſſimum limen intrare? tu illarum ædium diis penatibus os importuniſſimum oſtendere? quam domum aliquamdiu nemo adſpicere poterat, nemo ſine lacrymis præterire, hac te in domo tamdiu deverſari non pudet? in qua, quamvis nihil ſapias, tamen nihil tibi poteſt eſſe jucundum. An tu, illa veſtibula, roſtra, ſpolia cum ad- 28
ſpexiſti, domum tuam te introire putas? fieri non poteſt. quamvis enim ſine mente, ſine ſenſu ſis, ut es: tamen & te, & tua, & tuos noſti. nec verò te umquam neque vigilantem, neque in ſomnis credo *mente* poſſe *conſiſtere*. neceſſe eſt, quamvis ſis, ut es, [8] vinolentus, & furens, cum

1. *Sequebatur rheda cum lenonibus.*] Exhibent hanc lectionem Pall. noſtri, & retinet omnino contra Victorium Ferrarius: is enim lib. XVI. Var. lect. contenderat emendandum *cum leonibus.*

2. *Liceatne mihi per, &c.*] Ferrarius timidè & modeſtè conjiciebat, *liceatne*, quod receperunt P. Manut. & Lamb. ſed non reſpondent libri. prius impreſſi, *liceat nunc mihi.*

3. *Sergio mimo tradere. Quid ego, &c.*] Lambini editio amplius habet, *tradere. tum ſibi, non hanc quam nunc malè tuetur, ſed M. Piſonis domum, ubi habitaret, legerat. Quid ego, &c.* deprompta ei forte è Faërni aut Mureti libellis, quos nondum videre licuit.

4. *Si inter cenam.*] Quintilianus lib. IIX. laudat, *ſi hoc tibi inter cenam.* mox reddidi Tullio *ipſis*, ſuaſu Pal. ſec. ac Maur. ut & Ferrarii ſcriptis: eorundemque fide, mutavi *iniquiſſimum*, in *nequiſſimum.*

5. *Cæſar Alexandria ſe recepit.*] Ita nunc habent omnes libri editi: ſed de conjectura Ferrarii. mſſ. enim & antiquitus cuſi, *Alexandriam.*

6. *Servientibuſque animis, gemitus tamen, &c.*] Nihil variant mſſ. noſtri; Lambinus tamen interpoſuit: *animus, cùm omnia metu tenerentur.* an ex Faërni, aut Mureti libris?

7. *Modò egens, repentè dives.*] Non temere conjicit d. cap. 12. Schottus noſter, iſtud ex poëta aliquo depromptum.

8. *Vinolentus & furens.*] Iſtud recepi, quod inveniſſet in ſuis aliquot Ferrarius, reſtaretque in Pal. illo ſec. atque Maur. prius

cum tibi objecta ſit ſpecies ſingularis viri, perterritum te de ſomno excitari, furere etiam ſæpe vigilantem. Me quidem miſeret parietum ipſorum, atque tectorum. quid enim umquam domus illa viderat, niſi pudicum, niſi ex optimo more, & ſanctiſſima diſciplina? fuit enim ille vir, P. C. ſicut ſcitis, cùm foris clarus, tùm domi admirandus: neque rebus externis magis laudandus, quàm inſtitutis domeſticis. hujus in ſedibus [1] pro cubiculis ſtabula, pro tricliniis popinæ ſunt. Et ſi jam negat. nolite, nolite quærere. frugi factus eſt. illam ſuam ſuas res ſibi habere [2] juſſit, ex duodecim tabulis: claveis ademit, foraſque exegit. quàm porrò ſpectatus civis, quàm probatus: cujus ex omni vita nihil eſt *honeſtius*, quàm quòd cum mima fecit divortium? At quàm crebrò uſurpat, & *conſul* & *Antonius*? hoc eſt dicere, & conſul, & impudiciſſimus: & conſul, & homo nequiſſimus. quid enim eſt aliud Antonius? nam ſi dignitas ſignificaretur in nomine: dixiſſet, credo, aliquando, [3] avus tuus, *Et conſul, & Antonius*. numquam dixit. dixiſſet etiam collega meus; patruus tuus. niſi tu ſolus es Antonius. Sed omitto ea peccata, quæ non ſunt earum partium propria, quibus tu rempub. vexaviſti: ad ipſas tuas parteis redeo, id eſt, ad civile bellum: quod natum, con-
29 flatum, ſuſceptum opera tua eſt. Cur ei bello tum propter timiditatem tuam, tum propter libidines defuiſti? guſtaras civilem ſanguinem, vel potiùs exſorbueras: fueras in acie Pharſalica anteſignanus: L. Domitium, nobiliſſimum, & clariſſimum virum, occideras: multos, qui de prœlio effugerant, quos Cæſar, ut nonnullos, fortaſſe ſervaſſet, crudeliſſimè perſecutus trucidaras. quibus rebus tantis, talibus geſtis, quid fuit cauſæ, cur in Africam Cæſarem non ſequerere, cùm præſertim belli *pars tanta* reſtaret? Itaque quem locum apud ipſum Cæſarem poſt ejus ex Africa reditum obtinuiſti? quo numero fuiſti? cujus tu imperatoris quæſtor fueras, dictatoris magiſter equitum, belli princeps, crudelitatis auctor, prædæ ſocius, teſtamenti, ut dicebat, ipſe, filius, appellatus es de pecunia, quam pro domo, pro hortis, pro ſectione debebas. Primò reſpondiſti plane ferociter: &, ne omnia videar contra te, propemodum æqua, & juſta dicebas. A me C. Cæſar pecuniam? cur potius, quàm ego ab illo? an ille ſine me vicit? at ne potuit quidem. ego ad illum belli civilis cauſam attuli: ego leges pernicioſas rogavi. ego arma contra conſules, imperatoreſque populi Rom. contra ſenatum, populumque Rom. contra deos patrios, araſque, & focos, contra patriam tuli. num ſibi ſoli vicit? QUORUM facinus eſt commune, cur non ſit eorum præda communis? Jus poſtulabas: ſed quid ad rem? plus ille poterat. Itaque, excuſſis tuis vocibus, & ad te, [4] & ad prædes tuos milites miſit: cum repentè, à te præclara illa tabula prolata, qui riſus hominum de te erat? tantam eſſe tabulam, tam varias, tam multas poſſeſſiones, ex quibus, præter partem Miſeni, nihil erat, quod is, qui auctionaretur, poſſet *ſuum* dicere. Auctionis verò miſerabilis adſpectus: veſtis Pompeii non multa, eaque maculoſa: ejuſdem quædam argentea vaſa colliſa: ſordidata mancipia: ut doleremus quidquam eſſe ex illis reliquiis, quod videre poſſemus. hanc tamen auctionem heredes L. Rubrii decreto Cæſaris prohibuerunt. Hærebat nebulo. quò ſe verteret, non habebat. [5] quippe in his ipſis temporibus domi Cæſaris *percuſſor* ab iſto miſſus, deprehenſus dicebatur eſſe cum ſica. de quo Cæſar in ſenatu, apertè in te invehens, queſtus eſt. Proficiſcitur in Hiſpaniam Cæſar, paucis tibi ad ſolvendum, propter inopiam tuam, prorogatis diebus. ne tum quidem ſequeris. tam bonus gladiator rudem tam citò accepiſti? Hunc igitur quiſquam, qui in ſuis partibus, id eſt, in ſuis fortunis tam timidus fuerit, pertimeſcat? Profectus 30
eſt tandem aliquando in Hiſpaniam: ſed tutò, ut ait, pervenire non potuit. Quonam modo igitur Dolabella pervenit? Aut NON SUSCIPIENDA fuit iſta cauſa, Antoni: aut, cùm ſuſcepiſſes, defendenda uſque ad extremum. Ter depugnavit Cæſar cum civibus, in Theſſalia, Africa, Hiſpania. omnibus affuit his pugnis Dolabella: in Hiſpanienſi etiam vulnus accepit. Si de meo judicio quæris: nollem, ſed tamen conſilium [6] à primo reprehendendum, *laudanda conſtantia*. [7] Tu verò quis es? Cn. Pompeii liberi primùm patriam repetebant. eſto: fuerit hæc partium cauſa communis. repetebant præterea deos, penates patrios, aras, focos, larem ſuum familiarem: in quæ tu invaſeras. hæc cùm repeterent armis ii, quorum erant legibus: etſi IN REBUS iniquiſſimis quid poteſt eſſe æqui? tamen erat æquiſſimum contra Cn. Pompeii liberos Cn. Pompeii pugnare ſectorem. [8] An tu Narbone menſas hoſpitum convomeres, Dolabella pro te in Hiſpania dimicaret? qui verò Narbone [9] reditus? & tamen quærebat, cur ego ex ipſo curſu tam ſubitò reverTiſſem. Expoſui nuper, P. C. cauſam reditus mei. volui, ſi poſſem, etiam ante Kalendas Jan. prodeſſe reip. nam, quod quærebas, quomodo rediſſem: primùm luce, non tenebris: deinde cum calceis, & toga, [10] nullis nec Gallicis, nec lacerna. At etiam adſpicis me, & quidem, ut videris, iratus. Næ tu jam mecum in gratiam redeas, ſi ſcias, quàm me *pudeat* nequitiæ tuæ, cujus te ipſum non pudet. ex omnibus omnium flagitiis nullum turpius vidi, nullum [11] audivi. qui magiſter equitum fuiſſe tibi viderere, in proximum annum conſulatum peteres, vel potiùs rogares; is per municipia, coloniaſque Galliæ, à qua, nos tum, cum conſulatus petebatur, non rogabatur, petere conſulatum ſolebamus, cum Gallicis, & lacerna cucurriſti. At videte levitatem. Cum hora diei decima ferè, ad Saxa rubra 31
veniſſet, delituit in quadam cauponula, atque ibi ſe *occultans*, perpotavit ad veſperum: inde ciſio celeriter ad urbem advectus, domum venit capite involuto. Janitor, Quis tu? à Marco tabellarius. Confeſtim ad eam, cujus cauſa venerat, deducitur: eique epiſtolam tradit. quam cùm illa legeret flens (erat enim amatoriè ſcripta: caput autem litterarum, ſibi cum illa mima poſthac nihil futurum: omnem ſe amorem abjeciſſe illinc, atque in hanc transfudiſſe) cùm mulier fleret uberiùs: homo miſericors ferre non potuit: caput aperuit; in collum invaſit. O hominem nequam! (quid enim aliud dicam? magis proprie nihil poſſum dicere.)

---

erat *violentus*. inepte. ebrietas enim & furor duo ſunt, quæ non patiantur ſimulacra in ſomnis liquido nobis imprimi. itaque miror hactenus exſulaſſe libris lectionem ratione maxime ſubnixam.

1. *Pro cubiculis ſtabula, pro tricliniis popinæ ſunt.*] Sic Pall. & olim editi. itaque non eſt quod conjecturas ullius admittamus.

2. *Juſſit, ex duodecim tabulis, claveis ademit, foraſque exegit.*] Ita fere Nonius in *Exigere*. probabatque hanc lectionem Victorius lib. II. Var. lect. cap. 2. item Muretus lib. V. Variar. lect. cap. 8. & addit Pal. ſec. in quo, *claves fecit ademit, exegit*. vulgo antea erat, *juſſit. ex duodecim tabulis cauſam addidit; exegit*. videatur Ferrarius, item Lambinus. Adamus Theodorus Siberus, has literas noſtras eximie doctus, putabat gloſſema illud, *ex* XII. *tabulis*. Supra quoque edidi; *illam ſuam ſuas res habere, &c.* ejecta voce *mimam*. quæ non erat in mſſ. noſtris.

3. *Avus tuus, Et Conſul & Antonius.*] Pal. pr. *avus tuus ſe conſulem & Antonium*. neque aliter ſec. niſi quod is, *Antonius* a manu prima. vulgata, *ſe & conſulem & Antonium*: noſtra eſt a conjectura Ferrarii. mea ſententia, quadriga iſta verborum eſt à librariis; ſcripſitque Cicero tantum; *id dixiſſet credo aliquando avus tuus; numquam dixit: dixiſſet etiam collega meus, &c.*

4. *Et ad prædes tuos, milites miſit.*] Ita conjecit quidem Ferrarius, ſed firmat Mauritianus noſter. vulgò, *prædas tuas*.

5. *Quippe in his ipſis temporibus, &c.*] Ita omnes libri; unde ſuſpicio fuit Gulielmio fuiſſe; *quippe in his ipſis*. ut Cicero ſignificet, merito trepidaſſe; utpote qui inſidiarum etiam manifeſtus fuerit,

6. *A primo reprehendendum.*] Eſt & hoc in Pall. ac Maur.

7. *Tu vero quis es?*] Pal. ſec. *tu verò quid cenſes?*

8. *An tu Narbone menſas hoſpitum convomeres.*] Haud aliter etiam Pal. ſec. publicata enim, *in menſas hoſp. cum vomeres*. Maur. præferebat, *hoſpitum convomeres*.

9. *Reditus? & tamen quærebat, cur ego.*] Ferrarii mſ. *reditus ejus? jam quærebat*. unde facit Gulielmius, *reditus ejus, qui jam quærebat, &c.* non placet. certe a vulgato ſtant Pall. & vetus impreſſio.

10. *Nullis nec Gallicis.*] Recepta lectio, *caligis*. ſed Gellius libro XIII. cap. 20. laudat alterum.

11. *Audivi: qui magiſter, &c.*] Abjeci, *quàm quod*, volentibus aliquot mſſ. Ferrarii; reſpondetque noſter Pal. ſec.

1. *Præ-*

re.) ergo, ut te catamitum, nec-opinato cùm oſtendiſſes, præter ſpem mulier adſpiceret: idcirco urbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu *perturbaſti?* Et domi quidem cauſam amoris habuit; foris etiam turpiorem, ne L. Plancus [1] prædes tuos venderet. productus autem in concionem à tribuno plebis, cùm reſpondiſſes, te rei tuæ
32 cauſa veniſſe, populum etiam *dicacem* in te reddidiſti. Sed nimis multa de nugis. ad majora veniamus. Cæſari ex Hiſpania redeunti obviam longiſſimè proceſſiſti. celeriter iſti, & rediſti, ut cognoſceret te, ſi minus fortem, attamen ſtrenuum. factus es ei rurſus neſcio quomodo familiaris. habebat hoc omnino Cæſar: quem planè perditum ære alieno, egentemque, ſi eundem nequam hominem, audacemque cognoverat, hunc in *familiaritatem* libentiſſimè recipiebat. His igitur rebus præclarè commendatus, juſſus es renuntiari conſul, & quidem cum ipſo. nihil queror de Dolabella, qui tum eſt impulſus, inductus, eluſus. qua in re quanta fuerit utriuſque veſtrûm perfidia in Dolabellam, quis ignorat? ille induxit, ut peteret: promiſſum, & receptum intervertit, ad ſeque tranſtulit: tu ejus perfidiæ voluntatem tuam adſcripſiſti. Veniunt Kalendæ Januariæ. cogimur in ſenatum: invectus eſt copioſiùs multo in iſtum, & paratiùs Dolabella, quàm nunc ego. hic autem iratus quæ dixit, dii boni? primùm cùm Cæſar oſtendiſſet, ſe, priùs quàm proficiſceretur, Dolabellam conſulem eſſe juſſurum: quem negant *regem*, qui & faceret ſemper ejuſmodi aliquid, & diceret: ſed cum Cæſar ita dixiſſet; tum hic bonus augur, eo ſe ſacerdotio præditum eſſe dixit, ut comitia auſpiciis vel impedire, vel vitiare poſſet, idque ſe facturum eſſe aſſeveravit. In quo primùm incredibilem ſtupiditatem hominis cognoſcite. Quid enim? iſtuc, quod te ſacerdotii jure facere poſſe dixiſti, ſi augur non eſſes, & conſul eſſes, minùs facere potuiſſes? Vide ne etiam faciliùs. nos enim nuntiationem ſolùm habemus: conſules, & reliqui [2] magiſtratus etiam inſpectionem. Eſto: hoc imperitè (NEC ENIM eſt ab homine numquam ſobrio poſtulanda prudentia) ſed videte impudentiam. multis antè menſibus in ſenatu dixit, ſe Dolabellæ comitia aut prohibiturum auſpiciis, aut id facturum eſſe, quod fecit. quiſquamne divinare poteſt, quid vitii in auſpiciis futurum ſit, niſi qui de cœlo ſervare conſtituit? quod neque licet comitiis per leges, &, ſi quis ſervavit: non habitis comitiis, ſed priùs quàm habeantur, debet nuntiare. Verùm implicata inſcitia, *impudentia* eſt, ſi nec ſcit quod augurem, nec facit quod pudentem decet. Atque ex illo die recordamini ejus uſque ad Idus Martias conſulatum. Quis umquam apparitor tam humilis, tam abjectus? nihil ipſe poterat: omnia rogabat: caput in adverſam lecticam inferens, beneficia, quæ venderet, à collega pe-
33 tebat. Ecce Dolabellæ comitiorum dies, ſortitio prærogativæ. quieſcit. renuntiatur: tacet. prima claſſis vocatur: renuntiatur: deinde, ut aſſolet, ſuffragia. tum ſecunda claſſis: quæ omnia citiùs ſunt facta, quàm dixi. Confecto negotio bonus augur (Lælium diceres) ALIO DIE, inquit. O impudentiam ſingularem! quid videras? quid ſenſeras? quid audieras? nec enim te de cœlo ſervaſſe dixiſti, neque hodie dicis. id igitur obvenit vitium, quòd tu jam Kalendis Januariis futurum eſſe provideras, & tanto antè prædixeras. Ergo, hercule, magna, ut ſpero, tua potius, quàm reipublicæ calamitate ementitus es auſpicia: obſtrinxiſti populum Romanum religione. augur auguri, conſul conſuli obnuntiaviſti. Nolo plura, ne acta Dolabellæ videar convellere: quæ neceſſe eſt aliquando ad noſtrum collegium deferantur. Sed arrogantiam hominis, inſolentiamque cognoſcite. quamdiu tu voles, vitioſus conſul Dolabella: rurſus, *cum voles*, ſalvis auſpiciis creatus. Si nihil eſt, cùm augur iis verbis nuntiat, quibus nuntiaſti: confitere te, cùm ALIO DIE, dixeris, ſobrium non fuiſſe. ſin eſt aliqua vis in iſtis verbis, ea quæ ſit, augur à collega requiro. Sed, ne fortè ex multis rebus geſtis, M. Antonii rem unam pulcherrimam tranſiliat oratio, ad Lupercalia veniamus. Non diſ- 34
ſimulat, P.C. apparet eſſe commotum: ſudat, pallet. quidlibet, modò ne nauſeet, faciat, quod in porticu Minutia fecit. quæ poteſt eſſe turpitudinis tantæ defenſio? cupio audire: ut videam, ubi rhetoris tanta merces, ubi campus Leontinus appareat. Sedebat in Roſtris collega tuus, amictus toga purpurea, in ſella aurea, coronatus: adſcendis; accedis ad ſellam (ita eras Lupercus, ut te conſulem eſſe meminiſſe deberes) *diadema* oſtendis. gemitus toto foro. unde diadema? non enim abjectum ſuſtuleras, ſed attuleras domo meditatum, & cogitatum ſcelus. tu diadema imponebas cum plangore populi: ille cum plauſu rejiciebat. tu ergo unus, ſcelerate, inventus es, qui cùm [3] auctor regni eſſes; eum, quem collegam regni habebas, dominum habere velles: & idem tentares, quid populus Romanus *ferre & pati poſſet*. At etiam miſericordiam captabas: ſupplex te ad pedes abjiciebas: quid petens? ut ſervires? tibi uni peteres qui ita à puero vixeras, ut omnia paterere, ut facilè ſervires: à nobis, populoque Rom. mandatum id certè non habebas. O præclaram illam eloquentiam tuam, cùm es nudus concionatus! Quid hoc turpius? quid fœdius? quid ſuppliciis omnibus dignius? num exſpectas, dum te ſtimulis fodiam? hæc te, ſi ullam partem habes ſenſus, lacerat, hæc *cruentat* oratio. Vereor, ne imminuam virorum ſummorum gloriam. dicam tamen dolore commotus. [4] Quid indignius, quàm vivere eum, qui impoſuerit diadema, cùm omnes fateantur jure interfectum eſſe, qui abjecerit? At etiam adſcribi juſſit in faſtis, ad Lupercalia, C. CÆSARI, DICTATORI PERPETUO, M. ANTONIUM CONSULEM, POPULI JUSSU REGNUM DETULISSE, CÆSAREM UTI NOLUISSE. Jam jam minimè miror, te otium perturbare: non modo urbem odiſſe, ſed etiam lucem: cum perditiſſimis latronibus non ſolùm de die, ſed etiam in diem vivere. Ubi enim tu in pace conſiſtes? qui locus tibi in legibus, & judiciis eſſe poteſt, quæ tu, quantum in te fuit, dominatu regio ſuſtuliſti? Ideone L. Tarquinius exactus: Sp. Caſſius, Melius, M. Manlius, necati, ut multis pòſt ſæculis, à M. Antonio, quod fas non eſt, rex Romæ conſtitueretur? Sed ad auſpicia redeamus. De quibus rebus idibus Martiis fuit 35
in ſenatu Cæſar acturus, quæro tum tu quid egiſſes. audiebam quidem te paratum veniſſe, quòd me de ementitis auſpiciis, quibus tamen parere neceſſe erat, putares eſſe dicturum. Suſtulit illum diem *fortuna populi Rom.* num etiam tuum de auſpiciis judicium interitus Cæſaris ſuſtulit? Sed incidi in id tempus, quod iis rebus, in quas ingreſſa erat oratio, prætereundum non ſit. Quæ tua fuga? quæ formido illo die? quæ propter *conſcientiam* ſcelerum deſperatio vitæ? cùm ex illa fuga, beneficio eorum, qui te, ſi ſanus eſſes, ſalvum eſſe voluerunt, clàm te domum recepiſti? O mea fruſtra ſemper veriſſima auguria rerum futurarum! dicebam illis in Capitolio liberatoribus noſtris, cùm me ad te ire vellent, ut ad defendendam remp. te adhortarer: quoad metueres, omnia te promiſſurum: ſimulac timere deſiiſſes, ſimilem te futurum tui. Itaque cùm ceteri conſulares irent, redirent: in ſententia manſi: neque te illo die, neque poſtero vidi: neque illam ſocietatem optimis civibus cum importuniſſimo *hoſte* fœdere ullo confirmari poſſe credidi. Poſt diem tertium veni in ædem Telluris, & quidem invitus, cùm omnes aditus armati obſiderent. Qui tibi ille

1. *Prædes tuos venderet.*] Mauricianus, *ſuos.* quomodo conjecerat legendum Ferrarius, aut reſcribendum, *habuiſti.* & verò *ſuos,* admittit Mauritius; *habuiſti* Lambinus.

2. *Magiſtratus etiam inſpectionem.*] Sic Pall. ſic Gembl. Lil. Maur. non *ſpectionem*, quod receperunt Manutius ac Lambinus fretus Ferrario, qui ſic reperit in libro uno.

3. *Auctor regni eſſes.*] Ejeci verbum *inventus* auctoritate item Pal. ſec. Maur. & librorum quos conſuluit Ferrarius.

4. *Quid indignius, quam vivere eum qui, &c.*] Ita ipſe Cicero primum ſcripſit lib. XVI. ad Atticum Epiſt. II. quod & in Pall. primam ſec. *Nonne indignus tu tueri*, quomodo & in ſuis reperit Ferrarius; conjecit autem, *Nonne indignum eſt vivere eum*, quod recepit Lambinus. at ſi Tullio obſequemur reſcribendam fuerat, *commotus, indigniſſimum eſſe, vivere hunc qui impoſuerit, &c.*

dies M. Antoni fuit? quamquam mihi ſubitò inimicus ex-
36 ſtitiſti, tamen me tui miſeret, quòd tibi invideris. Qui tu vir, dii immortales, & quantus fuiſſes, ſi illius diei mentem ſervare potuiſſes! pacem haberemus, quæ erat facta per obſidem puerum, nobilem, M. Antonii filium, M. Bambalionis nepotem. quamquam te bonum *timor* faciebat, non diuturnus magiſter officii: improbum fecit ea, quæ, dum timor abeſt, à te non diſcedit, audacia. Etſi tum, cum optimum te putabant, me quidem diſſentiente, [1] funeri tyranni illius ſceleratiſſimi præfuiſti. tua illa pulchra laudatio, tua miſeratio, tua cohortatio. tu, tu illas faces incendiſti, & eas, quibus ſemiuſtulatus ille eſt, & eas, quibus incenſa L. Bellieni domus deflagravit. tu illos impetus perditorum hominum, &, ex maxima parte, *ſervorum*, quos nos vi, manuque repulimus, in noſtras domos immiſiſti. idem tamen, quaſi fuligine abſterſa, reliquis diebus in Capitolio præclara S. C. feciſti, ne qua poſt Idus Martias immunitatis tabula, neve cujuſquam beneficii figeretur. meminiſti ipſe, de exſulibus: ſcis, de immunitate quid dixeris. optimum verò, quòd dictaturæ nomen in perpetuum de rep. ſuſtuliſti. quo quidem facto tantum te cepiſſe odium regni videbatur, ut ejus omnem, propter proximum dictatorem, tolleres *metum*. Conſtituta reſp. videbatur aliis, mihi verò nullo modo, qui omnia, te gubernante, naufragia metuebam. Num me igitur fefellit? aut num diutius ſui potuit eſſe diſſimilis? inſpectantibus vobis, toto Capitolio tabulæ figebantur: neque ſolùm ſingulis venibant *immunitates*, ſed etiam populis univerſis. civitas non jam ſingillatim, ſed provinciis totis dabatur. Itaque ſi hæc manent, quæ ſtante republica manere non poſſunt, provincias univerſas, P.C. perdidiſtis: neque vectigalia ſolùm, ſed etiam imperium populi Rom. hujus domeſticis nundinis demi-
37 nutum eſt. Ubi eſt ſepties millies ſeſtertium, [2] quod in tabulis, quæ ſunt ad Opis, patebat? funeſtæ illius quidem pecuniæ, ſed tamen, ſi iis, quorum erat, non redderentur, quæ nos à *tributis* poſſet vindicare. Tu autem quadringenties HS quod idibus Martiis debuiſti, quonam modo ante Kalendas April. debere [3] deſiiſti? Sunt ea quidem innumerabilia, quæ à diverſis emebantur, non inſciente te: ſed unum egregium de rege Dejotaro, populo Rom. amiciſſimo, decretum in Capitolio fixum. quo propoſito nemo erat, qui in ipſo dolore *riſum* poſſet continere. Quis enim cuiquam inimicior, quàm Dejotaro Cæſar? æquè, atque huic ordini, ut equeſtri, ut Maſſilienſibus, ut omnibus, quibus remp. populi Rom. caram eſſe ſentiebat. Is igitur, à quo vivo, nec præſens, nec abſens quidquam æqui boni impetravit, apud mortuum [4] factus eſt gratioſus. compellarat hoſpitem præſens: computarat, pecuniam imperarat, [5] in ejus tetrarchiam ex Græcis comitibus ſuis collocarat: Armeniam abſtulerat à ſenatu datam. hæc vivus eripuit, reddidit mortuus. At quibus verbis? modò *æquum ſibi* videri, modò *non iniquum*. mira verborum complexio. at ille nunquam (ſemper enim abſenti affui Dejotaro) quicquam ſibi, quod nos pro illo poſtularemus, æquum dixit videri. Syngrapha HS centies per legatos, viros bonos, ſed timidos, & imperitos, [6] ſine Sexti, ſine reliquorum hoſpitum regis ſententia, facta *in gynæceo*: quo in loco plurimæ res veniere, & veneunt. qua ex ſyngrapha quid ſis acturus, meditere cenſeo. Rex enim ipſe ſua ſponte, nullis commentariis Cæſaris, ſimulatque audivit ejus interitum, ſuo Marte res ſuas recuperavit. Sciebat homo ſapiens, jus ſemper hoc fuiſſe, ut, *quæ tyranni* eripuiſſent, ea, tyrannis interfectis, ii, quibus erepta eſſent, recuperarent. Nemo igitur jureconſultus, ne iſte quidem, qui tibi uni eſt jureconſultus, per quem hæc agis, ex iſta ſyngrapha deberi dicit pro iis rebus, quæ erant ante ſyngrapham recuperatæ. non enim à te emit: ſed prius, quam tu ſuum ſibi venderes, ipſe poſſedit. Ille vir fuit: nos quidem contemnendi, qui *auctorem odimus*, *acta defendimus*. Quid ergo de commen- 38
tariis infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? quorum etiam imitatores ſunt, qui ea, tanquam gladiatorum libellos, palàm venditent. Itaque tanti acervi nummorum apud iſtum conſtruuntur, ut jam appendantur, non *numerentur* pecuniæ. At quàm *cæca avaritia* eſt? nuper fixa tabula eſt, qua civitates locupletiſſimæ Cretenſium vectigalibus liberantur: ſtatuiturque, ne poſt M. Brutum proconſulem, ſit Creta provincia. Tu mentis es compos? tu non conſtringendus? an Cæſaris decreto Creta poſt M. Bruti deceſſum potuit liberari, cùm Creta nihil ad Brutum, Cæſare vivo pertineret? At hujus venditione decreti (ne nihil actum putetis) provinciam Cretam perdidiſtis. Omnino nemo ullius rei fuit emtor, cui defuerit hic *venditor*. Et de exſulibus legem, quam fixiſti, Cæſar tulit? Nullius inſector calamitatem: tantum queror, primùm eorum reditus inquinatos, quorum cauſam diſſimilem Cæſar judicaverit: deinde neſcio cur reliquis idem non tribuas. neque enim plus quàm tres, aut quattuor reliqui ſunt, qui ſimili calamitate fuerint. cur tua miſericordia ſimili non fruuntur? cur eos habes in loco patrui? de quo ferre, cum de reliquis ferres, noluiſti: quem etiam ad cenſuram petendam impuliſti, eamque petitionem comparaſti, quæ & riſus hominum, & querelas moveret. Cur autem ea comitia non habuiſti? an quia tribunus plebis ſiniſtrum fulmen nuntiabat? [7] cum tua quid intereſt, nulla auſpicia ſint, cum tuorum, tum ſis *religioſus*. Quid? eundem in ſeptemviratu nonne deſtituiſti? intervenit enim. quid metuiſti? credo, [8] ne ſalvo capite negare non poſſes. omnibus eum contumeliis oneraſti, quem *patris loco* ſi ulla pietas in te eſſet, colere debebas. filiam ejus, ſororem tuam, ejeciſti, alia conditione quæſita, & ante perſpecta. non eſt ſatis. probri inſimulaſti pudiciſſimam fæminam. quid eſt, quod addi poſſit? contentus eo non fuiſti. frequentiſſimo ſenatu Kalendis Jan. ſedente patruo, hanc tibi eſſe cum Dolabella cauſam odii dicere auſus es, quod ab eo ſorori, & uxori tuæ ſtuprum oblatum eſſe comperiſſes. Quis interpretari poteſt, impudentiorne, qui in ſenatu: an improbior, qui in Dolabellam: an impurior, qui patre audiente: an crudelior, qui in illam miſeram tam ſpurcè, tam impiè dixeris? Sed ad chirographa redeamus. quæ fuit tua cognitio? 39
acta enim Cæſaris pacis cauſa confirmata ſunt à ſenatu: quæ quidem Cæſar egiſſet, non ea, quæ Cæſarem egiſſe dixiſſet Antonius. Unde iſta erumpunt? quo auctore proferuntur? ſi ſunt falſa, cur probantur? ſi vera, cur *veneunt*? At ſic placuerat, ut ex Kalendis Juniis de Cæſaris actis cum conſilio cognoſceretis. quod fuit conſilium? quem umquam advocaſti? quas Kalendas Junias exſpectaſti? an eas, ad quas te, peragratis veteranorum coloniis, ſtipatum armis retuliſti? o præclaram illam percurſationem tuam menſe Aprili,

1. *Funeri tyranni illius ſceleratiſſimi præfuiſti.*] Sic mſſ. Ferrarii, neque ſecus noſtri. vulgata, *ſceleratiſſimè*, ut non referatur ad Antonium. et Lambinus amplius habet, *funeri tyranni, ſi illud funus fuit, ſcelerat. &c.* ſi è libris Faërni aut Mureti; probo.

2. *Quod in tabulis quæ ſunt ad Opis patebat.*] Ita legendum putabat Budæus lib. IV. de Aſſe. cùm prius publicaretur *petebatur*. neque aliter Pall. noſtri. et Lambinus et Manutius edidere, *quod eſt in tabulis quæ ſunt ad Opis?*

3. *Deſiiſti? Sunt ea, &c.*] Vulgata lectio, *deſiiſti? Quid ego de commentariis infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? Sunt ea, &c.* Verum ea huc non faciunt, neque comparent in multis mſſ. interjecta verò ſunt ex capite infra 38. ipſo principio.

4. *Factus eſt gratioſus.*] Pal. pr. *gnatus*. ſecundus heic mutilus eſt. olim cuſi *gratus*, nam illud *gratioſus* eſt à conjectura Ubaldini.

5. *In ejus tetrarchiam, &c.*] Prima editio, *Mediæ tetrarchiam*. locum benè explicat P. Victorius lib. III. cap. 23.

6. *Sine Sexti, ſine reliquorum.*] Omnes mſſ. *ſine ſua, ſine reliquorum, &c.* illud *Sexti* natum eſt à Ferrario, cui in mentem erat locus Tullii lib. XVI. ad Atticum Epiſt.

7. *Cùm tua quid intereſt, nulla, &c.*] Habent iſtud Manutius & Lambinus, puto à Faërni aut Mureti libris. nam noſtri, non recedunt à vulgatis: *tua quid intereſt? nulla auſpicia ſunt tuorum, cum ſis religioſus.* ineptè.

8. *Ne ſalvo capite negare non poſſes.*] Conjecit Ferrarius, ſed timide, *ne. are.* id ſtatim recepit Lambinus, addito de ſuo, *cum*.

1. *Grandi*

Aprili, atque Majo, tum, cum etiam Capuam coloniam deducere conatus es. Quemadmodum illinc abieris, vel potius pæne non abieris, ſcimus. cui tu urbi minitaris. utinam conere, ut aliquando illud, *Pæne*, tollatur. At quam nobilitata eſt tua illa peregrinatio! quid prandiorum apparatus, quid furioſam vinolentiam tuam proferam? tua iſta detrimenta ſunt: illa noſtra. Agrum Campanum, qui cum de *vectigalibus* eximebatur, ut militibus daretur, tamen infligi magnum reipublicæ vulnus putabamus: hunc tu compranſoribus tuis, & colluſoribus dividebas. mimos dico, & mimas, P. C. in agro Campano collocatos. Quid jam querar de agro Leontino? quandoquidem hæ quondam arationes Campani, & Leontini in populi Rom patrimonio [1] grandi fænore, & fructuoſæ ferebantur. Medico tria millia jugerum, quaſi te ſanum feciſſet: rhetori duo, quaſi diſertum facere potuiſſet. Sed ad iter, Italiamque redea-
40 mus. Deduxiſti coloniam Caſilinum, quo Cæſar antè deduxerat. Conſuluiſti me per litteras de Capua tu quidem: ſed idem de Caſilino reſpondiſſem: poſſeſne, ubi colonia eſſet, eo coloniam novam jure deducere. Negavi, in eam coloniam, quæ eſſet *auſpicato* deducta, dum eſſet incolumis, coloniam novam jure deduci: colonos novos adſcribi poſſe reſcripſi. Tu autem inſolentia elatus, omni auſpiciorum jure turbato, Caſilinum coloniam deduxiſti, quo erat paucis annis ante deducta, ut [2] vexillum videres, & aratrum circumduceres: cujus quidem vomere portam Capuæ pæne perſtrinxiſti, ut florentis coloniæ territorium minueretur. Ab hac religionum perturbatione advolas in M. Varronis, ſanctiſſimi, atque integerrimi viri, fundum Caſſinatem. quo jure? quo ore? eodem, inquies, quo in heredum L. Rubrii, quo in heredum L. Turſelii prædia, quo in reliquas innumerabiles poſſeſſiones. [3] Et ſi ab haſta valeant tabulæ, modò Cæſaris, non tuæ: quibus *debuiſti*, non quibus tu te liberaviſti. Varronis quidem Caſſinatem fundum quis veniiſſe dicit? quis haſtam iſtius venditionis vidit? quis vocem præconis audivit? Miſiſſe te dicis Alexandriam, qui emeret à Cæſare. Ipſum enim exſpectare magnum fuit. Quis verò audivit umquam (nullius autem ſalus curæ pluribus fuit) de fortunis Varronis rem ullam eſſe detractam? [4] Quòd ſi etiam ſcripſit ad te Cæſar, ut redderes: quid ſatis poteſt dici de tanta impudentia? remove gladios parumper illos, quos videmus. jam intelliges aliam cauſam eſſe haſtæ Cæſaris, aliam confidentiæ, & temeritatis tuæ. non enim te dominus modò illis ſedibus, ſed qui-
41 vis amicus, vicinus, hoſpes, procurator arcebit. At quam multos dies in ea villa turpiſſimè eſt perbacchatus? ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur. O tecta ipſa miſera, *quàm diſpari domino!* quamquam quomodo iſte dominus? ſed tamen quàm à diſpari tenebantur! ſtudiorum enim ſuorum M. Varro voluit eſſe illud, non libidinum deverſorium. quæ in illa villa antè dicebantur? quæ cogitabantur? quæ litteris mandabantur? jura populi Romani, monumenta majorum, omnis ſapientiæ ratio, omniſque doctrina. At verò, te inquilino (non enim domino) perſonabant omnia vocibus ebriorum: natabant pavimenta vino: madebant parietes: ingenui pueri cum meritoriis: ſcorta inter matres familias verſabantur. Caſſino ſalutatum veniebant, Aquino, Interamna. admiſſus eſt nemo. jure id quidem. in homine enim turpiſſimo *obſolebant* dignitatis inſignia. Cùm inde Romam proficiſcens ad Aquinum accederet, obviam ei proceſſit (ut eſt frequens municipium) magna ſane multitudo. ut iſte operta lectica latus eſt per oppidum, ut mortuus. Stultè Aquinates: ſed tamen in via habitabant. quid Anagnini? qui cum eſſent devii, obviam ei deſcenderant, ut iſtum, tamquam *ſi eſſet* conſul, ſalutarent. [5] incredibile dictu; tamen inter omnes conſtabat, neminem eſſe reſalutatum: præſertim cùm duos ſecum Anagninos haberet, Muſtelam, & Laconem: quorum alter gladiatorum eſt princeps, alter poculorum. Quid ego illas iſtius minas, contumeliaſque commemorem, quibus invectus eſt in Sidicinos? vexavit Puteolanos, quòd C. Caſſium, [6] quòd Brutos *patronos* adoptaſſent? magno quidem judicio, ſtudio, benivolentia, caritate, non ut te, [7] ut Baſilum, vi & armis, & alios veſtri ſimileis, quos clienteis nemo habere velit, non modo eſſe illorum cliens. Interea 42
dum tu abes, qui dies ille collegæ tui; cùm illud, quod tu venerari ſolebas, buſtum in foro evertit? qua re tibi nuntiata, ut conſtabat inter eos, qui una fuerunt, concidiſti. quid evenerit poſtea, neſcio. metum credo valuiſſe, & arma. Collegam quidem *de cælo detraxiſti:* effeciſtique non tu quidem etiam nunc, ut ſit ſimilis tui, ſed certè, ut diſſimilis eſſet ſui. Qui verò reditus inde Romam? quæ perturbatio totius urbis? memineramus Cinnam nimis potentem: Sullam poſtea dominantem, modò regnantem Cæſarem videramus. erant fortaſſe gladii, ſed ii abſconditi, nec ita multi. iſta verò quæ, & quanta barbaria eſt? [8] *agmine quadrato* cum gladiis ſequuntur milites: ſcutorum lecticas portari videmus. Atque his quidem jam inveteratis, P. C. conſuetudine obduruimus. Kalendis Juniis cùm in ſenatum, ut erat conſtitutum, venire vellemus, metu perterriti repentè diffugimus. At iſte, qui ſenatu non egeret, neq; deſideravit quemquam, & potiùs diſceſſu noſtro lætatus eſt, ſtatim illa mirabilia facinora effecit. qui chirographa Cæſaris defendiſſet *lucri ſui cauſa:* is leges Cæſaris eaſque præclaras, ut rempublicam concutere poſſet, evertit. numerum annorum provinciis prorogavit: idemque, cum actorum Cæſaris defenſor eſſe deberet, & in publicis, & in privatis rebus acta Cæſaris reſcidit. IN PUBLICIS actis nihil eſt lege gravius: in privatis firmiſſimum eſt teſtamentum. Leges alias ſine promulgatione ſuſtulit: alias, ut tolleret promulgatas, promulgavit. Teſtamentum irritum fecit: quod etiam *infimus* civibus ſemper obtentum eſt. Signa, tabulas, quas populo Cæſar una cum hortis legavit, eas hic partim in hortos Pompeji deportavit, partim in villam Scipionis. Et tu in Cæſaris memoria diligens? tu illum amas 43
mortuum? quem is majorem honorem conſecutus erat, quam ut haberet pulvinar, ſimulacrum, faſtigium, flaminem? eſt ergo flamen, ut Jovi, ut Marti, ut Quirino, ſic divo Julio M. Antonius? Quid igitur ceſſas? cur non inaugurare? ſume diem: vide, qui te inauguret: collegæ ſumus; nemo negabit. O deteſtabilem hominem, ſive quod tyranni ſacerdos es, ſive quod mortui! Quæro deinceps, num, hodiernus dies qui ſit, ignores. neſcis, heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuiſſe? te ipſum autem ad populum tuliſſe, ut *quintus* præterea dies Cæſari tribueretur? cur non ſumus prætextati? cur honorem Cæſari tua

1. *Grandi fænore & fructuoſæ.*] Eſt ab uno ſcripto Lambini, cui accedebat Maur. codex & Aldi prius editi, *glandiferæ*. Pal. pr. *grandificare*. ſec. *grandifacere*.

2. *Vexillum videres.*] Vetus editio ſic habet ac Palatini noſtri. recentiores *tolleres*. unde? nimis quam cuperem incidere in Faerni, in Mureti ad has orationes monumenta. nam num Manutius, num Lambinus inde ſua hauſerint, an aliunde; conſtare nemini poteſt.

3. *Et ſi ab haſta, valeant tabulæ.*] Supradictorum editiones, *ab haſta, valeat haſta, valeant tab.* quod non videtur ab ingenio, haud tamen variant noſtri, aut vetuſtius editi.

4. *Quod ſi etiam ſcripſit, &c.*] Erat etiam in Pal. ſec. illud aliorum *Quod*. ſed Ciceronianum magis ſapit alterum; ſicque Pal. pr. & olim excuſi.

5. *Incredibile dictu: tamen inter omnes conſtabat.*] Eſt à Ferrariana conjectura. priſca lectio, *dictu; ſed tum nimis inter omnes conſtabat.* quomodo & Pal. pr. nam ſec. *dictum & ſimul inter omn. conſ.*

6. *Quod Brutos patronos adoptaſſent.*] Sic Pall. at Lambinus delevit *patronos*.

7. *Ut Baſilum, vi & armis, & alios.*] Reponendum fortaſſe *ut Baſilum, ut Tamiſium, ut alios*, ſicuti in mentem venit Schotto d. cap. 12. de quo gladiatore, non ſemel ſupra, & ad Atticum.

8. *Agmine quadrato, cum gladiis ſequuntur milites: ſcutorum lecticas portari.*] Ita a Palatino ſec. niſi quod is inverſa voce *ſequuntur ſcutorum milites lecticas p.* quod ſi quis cenſet delendum adhuc verbum *milites*, quod abeſt uno libro Ferrarii, per me licet. ineptè Lambiniana: *ſequuntur ſcutati milites: ſcutorum lecticas.* nam lecticæ ſcutis gravidæ erant, ut arriperentur ſtatim a militibus ſi neceſſe.

tua lege deum, deſeri patimur? an ſupplicationes addendo diem contaminari paſſus es: pulvinaria noluiſti? aut undique religionem tolle, aut uſquequaque conſerva. Quæres, placeatne mihi pulvinar eſſe, faſtigium, flaminem. mihi verò nihil iſtorum placet. ſed tu, qui acta Cæſaris defendis, quid potes dicere, cur alia defendas, alia non cures? niſi fortè vis fateri, te omnia *quæſtu* tuo, non illius dignitate metiri. Quid ad hæc tandem? exſpecto enim eloquentiam tuam. diſertiſſimum cognovi avum tuum: at te etiam apertiorem in dicendo. ille nunquam nudus eſt concionatus: tuum hominis ſimplicis pectus vidimus. Reſpondebiſne ad hæc? aut omnino hiſcere audebis: ecquid reperies ex tam longa oratione mea, cui te reſpondere poſſe

44 confidas? Sed præterita omittamus. hunc unum diem, hunc unum, inquam, hodiernum diem, hoc punctum temporis, quo loquor, defende, ſi potes. cur armatorum corona ſenatus ſæptus eſt? cur me tui ſatellites cum gladiis audiunt? cur valvæ Concordiæ non patent? cur homines omnium gentium maximè barbaros, Ithyreos, cum ſagittis deducis in forum? Præſidii ſui cauſa ſe facere dicit. Nonne igitur MILLIES perire eſt melius, quàm in ſua civitate ſine armatorum præſidio non poſſe vivere? Sed nullum eſt iſtuc, mihi crede, præſidium. *caritate*, & benivolentia civium ſæptum oportet eſſe, non armis. Eripiet, extorquebit tibi iſta populus Roman. utinam ſalvis nobis: ſed quoquo modo nobiſcum egeris, dum iſtis conſiliis uteris, non potes, mihi crede, eſſe diuturnus. etenim iſta tua minimè avara conjux, quam ego ſine contumelia deſcribo, nimium debet diu populo Romano penſionem tertiam. Habet populus Romanus ad quos gubernacula reip. deferat: qui ubicumque terrarum ſunt, ibi eſt omne reip. præſidium, vel potius *ipſa reſp.* quæ ſe adhuc tantummodo ulta eſt, nondum recuperavit. habet quidem certè reſp. adoleſcenteis nobiliſſimos, paratos defenſores. quàm volent, illi cedant, otio conſulentes: tamen à repub. revocabuntur. Et nomen pacis dulce eſt, & ipſa res ſalutaris. ſed inter *pacem*, & *ſervitutem* plurimum intereſt. pax, eſt tranquilla libertas: ſervitus malorum omnium poſtremum, non modò bello, [1] ſed morte etiam repellendum. Quòd ſi ſe ipſos illi noſtri liberatores è conſpectu noſtro abſtulerunt: at *exemplum* facti reliquerunt. illi quod nemo fecerat, fecerunt. Tarquinium Brutus bello eſt perſecutus: qui tamen rex fuit, cum eſſe Romæ regem liceret. Sp. Caſſius, Sp. Melius, M. Manlius propter ſuſpicionem regni appetendi ſunt necati. hi primi cum gladiis, non in regnum appetentem, ſed in regnantem impetum fecerunt. quod cum ipſum factum per ſe præclarum, atque divinum eſt, tum expoſitum ad imitandum, præſertim cum illi eam gloriam conſecuti ſint, quæ vix *cœlo capi* poſſe videatur. ETSI ENIM ſatis in ipſa conſcientia pulcherrimi facti fructus erat, tamen mortali immortalitatem non arbitror contemnendam.

Recordare igitur, illum, M. Antoni, diem quo dictaturam 45
ſuſtuliſti: pone ante oculos lætitiam ſenatus, populique Roman. confer [2] cum nummatione tua, tuorumque: tum intelliges, quantum inter *laudem*, *& lucrum* interſit. Sed nimirum, ut quidam, morbo aliquo, & ſenſus ſtupore, ſuavitatem cibi non ſentiunt: ſic libidinoſi, avari, facinoroſi, *veræ laudis guſtum* non habent. Sed, ſi te laus allicere ad rectè faciendum non poteſt, ne metus quidem à fœdiſſimis factis poteſt avocare? Judicia non metuis. ſi propter innocentiam, laudo: ſi propter vim, non intelligis, ei, qui iſto modo judicia non timeat, quid timendum ſit? Quòd ſi non metuis viros forteis, egregioſque civeis, quod à corpore tuo prohibentur armis; *tui* te, mihi crede, diutius non ferent. [3] QUÆ EST autem vita, dies & nocteis timere à ſuis? niſi verò aut majoribus habes *beneficiis obligatos*, quàm ille quoſdam habuit ex iis, à quibus eſt interfectus: aut tu es ulla re cum eo comparandus. fuit in illo ingenium, ratio, memoria, litteratura, cogitatio, diligentia: res bello geſſerat, quamvis reipub. calamitoſas, attamen magnas: multos annos regnare eſt meditatus; magno labore, magnis periculis, quod cogitarat, effecerat: muneribus, monumentis, congiariis, epulis, multitudinem imperitam lenierat: ſuos præmiis, adverſarios clementiæ ſpecie devinxerat. quid multa? attulerat jam liberæ civitati, partim metu, partim patientia, *conſuetudinem ſerviendi*.
Cum illo ego te dominandi cupiditate conferre poſſum, 46
ceteris verò rebus nullo modo es comparandus. Sed ex plurimis malis, quæ ab illo reip. ſunt inuſta, hoc tamen boni eſt, quod didicit jam populus Romanus quantum cuique crederet, quibus ſe committeret, à quibus caveret. Hæc igitur non cogitas? nec intelligis ſatis eſſe viris fortibus didiciſſe, QUAM SIT pulchrum, beneficio gratum, fama glorioſum, tyrannum occidere? an, cùm illum homines non tulerint, te ferent? Certatim poſthac, mihi crede, ad hoc opus curretur, nec occaſionis tarditas exſpectabitur. Reſpice, quæſo, aliquando remp. M. Antoni: quibus ortus ſis, non quibuſcum vivas, conſidera: mecum, ut voles: cum republica redi in gratiam. Sed de te tu ipſe videris: ego de me ipſo profitebor. defendi remp. adoleſcens, non deſeram ſenex: contemſi Catilinæ gladios, non pertimeſcam tuos. Quin etiam corpus libenter obtulerim, ſi repræſentari *morte mea* libertas civitatis [4] poteſt; ut aliquando dolor populi Rom. pariat, quod jamdiu parturit. Etenim ſi abhinc annos propè viginti hoc ipſo in templo negavi POSSE MORTEM immaturam eſſe conſulari: quanto veriùs nunc negabo ſeni? Mihi verò, P. C. jam etiam optanda mors eſt, perfuncto rebus iis, quas adeptus ſum, quaſque geſſi. duo modò hæc opto: unum, ut moriens populum Romanum liberum relinquam: hoc mihi majus à diis immortalibus dari nihil poteſt: alterum, ut ita cuique *eveniat*, ut de republica quiſque mereatur.

M. TUL-

1. *Sed morte etiam repellendum.*] Haud ſecus mſſ. noſtri. at Iſidorus lib. xi. cap. 30. Originum laudat *repellenda*, ut monuit Schottus lib. 1. Nodor. Cic. cap. 14.

2. *Cum hac nummatione tua.*] Pal. pr. *nuntiatione* ſec. *nimi vacatione*, ut videatur reſtituendum, *numinatione* aut *nummutatione*, quomodo diu eſt quod viri docti conjecerunt.

3. *Quæ eſt autem vita, dies, &c.*] Eſt ab uno Ferrarii ſcripto; neque recedit multum Pal. niſi quod is *multa*, pro *vita*. inſulsè vulgata: *Quid eſt autem multos dies.*

4. *Poteſt; ut aliquando, &c.*] Confirmat hanc Ferrarii Codicum lectionem Pal. ſec. vulgata, *poteſt. Utinam aliquando.* fatuè.

M. TULLII CICERONIS IN M. ANTONIUM PHILIPPICA TERTIA.

ORATIO QUADRAGESIMAQUINTA.

1 SErius omnino, P. C. quàm tempus reipublicæ poſtulavit, aliquando tamen convocati ſumus: quod flagitabam equidem quotidie: quippe cùm bellum nefarium contra aras, & focos: contra vitam, fortunaſque noſtras, ab homine profligato, ac perdito non *comparari*, ſed geri jam viderem. Exſpectantur Kalendæ Januar. quas non exſpectat Antonius, qui in provinciam D. Bruti, ſummi, & ſingularis viri, cum exercitu impetum facere conatur: ex qua ſe inſtructum, & paratum ad urbem venturum eſſe minitatur. Quæ eſt igitur exſpectatio, aut quæ vel minima dilatio temporis? quamquam enim adſunt Kalendæ Jan. tamen BREVE tempus longum eſt imparatis. dies enim affert, & hora potius, niſi *proviſum* eſt, magnas ſæpe cladeis. certus autem dies non ut ſacrificii, ſic conſilii exſpectari ſolet. Quòd ſi aut Kalendæ Jan. fuiſſent eo die, quo primùm ex urbe fugit Antonius, aut hæ non eſſent exſpectatæ: bellum jam nullum haberemus. auctoritate enim ſenatus, conſenſuque populi Romani facilè hominis amentis fregiſſemus audaciam. quod confido equidem conſules deſignatos, ſimulac magiſtratum inierint, eſſe facturos. ſunt enim optimo animo, ſummo conſilio, ſingulari *concordia*. mea autem feſtinatio non victoriæ ſolum avida eſt, ſed etiam celeritatis. Quo enim uſque tantum bellum, tam crudele, tam nefarium privatis conſiliis propulſabitur? cur non quam-
2 primum publica accedit auctoritas? C. Cæſar adoleſcens, pænè potius puer, incredibili ac divina quadam mente, atque virtute, tum, cum maximè furor arderet Antonii, cumque ejus à Brundiſio crudelis, & peſtifer reditus timeretur, nec poſtulantibus, nec cogitantibus, [1] ne optantibus quidem nobis (quia fieri poſſe non videbatur) firmiſſimum exercitum invicto genere *veteranorum* militum comparavit, patrimoniumque ſuum effudit. quamquam non ſumus uſi eo verbo, quo decuit. non enim effudit, ſed in ſalute reipublicæ collocavit. Cui quamquam gratia referri tanta non poteſt, quanta debetur: habenda tamen tanta eſt, quantam maximam animi noſtri capere poſſunt. Quis enim eſt tam ignarus rerum, tam nihil de republica cogitans, qui hoc non intelligat: ſi M. Antonius à Brundiſio cum iis copiis, quas ſe habiturum putaverat, Romam, ut minabatur, venire potuiſſet, nullum genus eum *crudelitatis* præteriturum fuiſſe? quippe qui in hoſpitis tectis Brundiſii fortiſſimos viros, civeis optimos, jugulari juſſit: quorum ante pedes ejus morientium ſanguine os uxoris reſperſum eſſe conſtabat. Hac ille crudelitate *imbutus*, cum multo bonis omnibus veniret iratior, quàm illis fuerat, quos trucidarat: cui tandem veſtrûm, aut cui omnino bono pepercisſet? Qua peſte rempublicam privato conſilio (nec enim fieri potuit aliter) Cæſar liberavit. qui niſi in hac republica *natus* eſſet, rempublicam ſcelere Antonii nullam haberemus. Sic enim perſpicio, ſic judico, niſi unus adoleſcens illius furentis impetus, crudeliſſimoſque conatus cohibuiſſet, rempubl. funditus interituram fuiſſe. Cui quidem hodierno die, Patres conſcripti, (nunc enim primùm ita convenimus, [2] ut illius beneficio poſſemus, *quæ ſentiremus*, liberè dicere) tribuenda eſt auctoritas, ut rempublic. non modò à ſe ſuſceptam, ſed etiam à nobis commendatam poſſit defendere. Nec verò de legione Martia 3
(quoniam longo intervallo loqui nobis de repub. licet) ſileri poteſt. Quis enim unus fortior, quis amicior umquam reip. fuit, quàm legio Martia univerſa? quæ cum *hoſtem* populi Rom. M. Antonium judicaſſet, comes eſſe ejus amentiæ noluit: reliquit conſulem: quod profectò non feciſſet, ſi eum conſulem judicaviſſet: quem nihil aliud agere, nihil moliri, niſi cædem civium, atque interitum civitatis, videret. Atque ea legio conſedit Albæ. quam potuit urbem eligere, aut opportuniorem ad res gerendas, aut fideliorem, aut fortiorum virorum, aut amiciorum populo Romano civium? Hujuſce legionis virtutem *imitata* Quarta legio, duce L. Egnatulejo quæſtore, cive optimo, & fortiſſimo, Cæſaris [3] auctoritatem, atque exercitum perſecuta eſt. Faciundum eſt igitur nobis, Patres conſcripti, ut ea, quæ ſua ſponte clariſſimus adoleſcens, atque omnium præſtantiſſimus geſſit, & gerit, hæc auctoritate noſtra *comprobentur:* veteranorumque, fortiſſimorum virorum, tum legionis Martiæ, Quartæque mirabilis conſenſus ad remp. recuperandam laude, & teſtimonio noſtro confirmetur: eorumque commoda, honores, *præmia*, cùm conſules deſignati magiſtratum inierint, curæ nobis fore, hodierno die ſpondeamus. Atque ea quidem, quæ dixi de Cæſare, 4
deque ejus exercitu, jam diu nota ſunt nobis. virtute enim admirabili Cæſaris, conſtantiaque militum veteranorum, legionumque earum optimo judicio, quæ auctoritatem noſtram, libertatem populi Rom. virtutem C. Cæſaris ſecutæ ſunt, à cervicibus noſtris eſt depulſus Antonius. Sed, ut dixi, hæc ſuperiora: hoc verò recens edictum D. Bruti, quod paullo ante propoſitum eſt, certè ſilentio non poteſt præteriri. pollicetur enim, ſe provinciam Galliam retenturum in ſenatus, populique Romani poteſtate. O civem natum reipublicæ, memorem ſui nominis, imitatoremque *majorum!* neque enim Tarquinio expulſo, majoribus noſtris tam fuit optata libertas, quàm eſt repulſo Antonio retinenda nobis. Illi regibus parêre jam à condita urbe didicerant: nos poſt reges exactos *ſervitutis* oblivio ceperat. Atque ille Tarquinius, quem majores noſtri non tulerunt, non crudelis, non impius, ſed ſuperbus habitus eſt, & dictus. quod nos vitium in privatis ſæpe tulimus, id majores noſtri ne *in rege* quidem ferre potuerunt. L. Brutus regem ſuperbum non tulit: Decimus ſceleratum, atque impium regnare patietur Antonium? quid Tarquinius tale, qualia innumerabilia, & fecit, & facit Antonius? Senatum etiam reges habebant: nec tum, ut Antonio ſenatum habenti, in conſilio regis verſabantur barbari armati. ſervabant auſpicia reges, quæ hic conſul, augurque neglexit, neque ſolùm legibus contra auſpicia ferendis, ſed etiam collega unà referente, eo, quem ipſe ementitis auſpiciis vitioſum fecerat. Quis autem rex umquam fuit tam inſignitè

1. NE *optantibus quidem nobis.*] Ita quoque liber Gemblacenſis. vulgo *nec opinantibus.*

2. *Ut illius beneficio poſſimus.*] Sic tres mſſ. quibus uſus eſt Ferrarius, ſic Pal. & ſec. melius longe eſt illo hactenus recepto, *ut de illius beneficio.*

3. *Auctoritatem atque exercitum perſecuta eſt.*] Haud aliter etiam ſec. reſtat tamen in primo *proſecuta*; quemodo Philipp. 11. cap. 15. fine, etſi tamen ibidem Ferrarii vett. cod. *perſecuti.*

1. Quàm

gnitè impudens, ut haberet omnia commoda, beneficia, jura regni *venalia*? quam hic immunitatem, quam civitatem, quod præmium, non vel ſingulis hominibus, vel civitatibus, vel univerſis provinciis vendidit? Nihil humile de Tarquinio, nihil ſordidum accepimus. At verò hujus domi *inter quaſilla* pendebatur aurum, numerabatur pecunia: una in domo omnes, quorum intererat, totum imperium populi Romani nundinabantur. Supplicia verò in civeis Romanos nulla Tarquinii accepimus. At hic & Sueſſæ jugulavit eos, quos in cuſtodiam dederat, & Brundiſii trecentos fortiſſimos viros, civeiſque optimos trucidavit. Poſtremò Tarquinius pro populo Romano bellum gerebat tum, cùm eſt expulſus: Antonius contra populum Romanum exercitum adducebat tum, cùm à legionibus *relictus*, nomen Cæſaris, exercitumque pertimuit, neglectiſque ſacrificiis ſollemnibus, ante lucem vota ea, quæ numquam ſolveret, nuncupavit: & hoc tempore in provinciam populi Romani conatur invadere. Majus igitur à Decimo Bruto beneficium populus Rom. & habet, & exſpectat, quàm majores noſtri acceperunt à L. Bruto, principe hujus maxi-
5 mè conſervandi generis, & nominis. Cum autem OMNIS eſt ſervitus miſera, tum verò intolerabile eſt ſervire impuro, impudico, effæminato: numquam, ne in metu quidem, *ſobrio*. Hunc igitur qui Gallia prohibet, privato præſertim conſilio, judicat, veriſſimeque judicat, non eſſe conſulem. Faciendum eſt igitur, P. C. nobis, ut D. Bruti privatum conſilium auctoritate publica comprobemus. Nec verò M. Antonium conſulem poſt Lupercalia putare debuiſtis. quo enim ille die, populo Rom. inſpectante, nudus, unctus, ebrius concionatus eſt, & id egit, ut collegæ diadema imponeret: eo die non modò conſulatu, ſed etiam libertate ſe abdicavit. eſſet enim ipſi certè ſtatim ſerviendum, ſi Cæſar ab eo regni inſigne accipere voluiſſet. Hunc igitur ego conſulem, hunc civem Romanum, hunc liberum, hunc denique hominem putem, qui fœdo illo, & flagitioſo die, & quid pati, Cæſare vivo, poſſet, & quid, eo mortuo, conſequi ipſe cuperet, oſtendit? Nec verò de virtute, conſtantia, & gravitate provinciæ Galliæ taceri poteſt. eſt enim ille flos Italiæ, illud firmamentum imperii populi Romani, illud ornamentum dignitatis. Tantus autem eſt conſenſus municipiorum, coloniarumque provinciæ Galliæ, ut omnes ad auctoritatem hujus ordinis, majeſtatemque populi Romani, defendendam *conſpiraſſe* videantur. Quamobrem, tribuni pleb. quamquam vos nihil aliud, niſi de præſidio, ut ſenatum tutè conſules Kalendis Jan. habere poſſent, retuliſtis, tamen mihi videmini magno conſilio, atque optima mente poteſtatem nobis de tota republica feciſſe dicendi. cum enim tutò ſenatum haberi ſine præſidio non poſſe judicaviſtis; illud etiam ſtatuiſtis, intra muros
6 Antonii ſcelus audaciamque verſari. Quamobrem omnia, mea ſententia, complectar, vobis, ut intelligo, non invitis, ut & præſtantiſſimis ducibus à nobis detur *auctoritas*, & fortiſſimis militibus *ſpes* oſtendatur præmiorum: & judicetur non verbo, ſed re, non modò non conſul, ſed etiam hoſtis Antonius. nam, ſi ille conſul; fuſtuarium meruerunt legiones, quæ conſulem reliquerunt: ſceleratus Cæſar, Brutus nefarius, qui contra conſulem privato conſilio exercitus comparaverunt. ſin autem militibus exquirendi ſunt honores novi, propter eorum divinum, atque immortale meritum: ducibus autem ne referri quidem poteſt gratia: quis eſt, qui eum non hoſtem exiſtimet, quem qui armis perſequuntur, *conſervatores reipublicæ* judicantur? At quàm contumelioſus in edictis? [1] quàm barbarus? quàm rudis? Primùm in Cæſarem ut maledicta congeſſit, depromta ex recordatione impudicitiæ, & ſtuprorum ſuorum! Quis enim hoc adoleſcente caſtior? quis modeſtior? quod in juventute habemus illuſtrius exemplum *veteris* ſanctitatis? quis autem illo maledico impurior? Ignobilitatem objicit C. Cæſaris filio, cujus etiam naturalis pater, ſi vita ſuppeditaſſet, conſul factus eſſet. Aricina mater. Trallianam, aut Epheſiam putes dicere. Videte, quàm deſpiciamur omnes, qui ſumus *è municipiis*, id eſt, omnes planè. quotus enim quiſque non eſt? quod autem municipium non contemnit is, qui Aricinum tantopere deſpicit, vetuſtate antiquiſſimum, jure fœderatum, propinquitate pænè finitimum, ſplendore municipum honeſtiſſimum? hinc Voconiæ, hinc Scatiniæ leges: hinc multæ ſellæ curules, & patrum memoria, & noſtra: hinc equites Romani, lautiſſimi plurimi, & honeſtiſſimi. Sed ſi Aricinam uxorem non probas, [2] cur probas Tuſculanam? quamquam hujus ſanctiſſimæ fæminæ, atque optimæ pater M. Attius Balbus, in primis honeſtus, prætorius fuit: tuæ conjugis, bonæ fæminæ, *locupletis quidem certè*, [3] Bambalio quidam pater, homo nullo numero. nihil illo contemtius, qui propter hæſitantiam linguæ, ſtuporemque cordis, cognomen ex contumelia traxerit. At avus nobilis. Tuditanus nempe ille, qui cum palla, & coturnis nummos populo de Roſtris ſpargere ſolebat. vellem hanc contemtionem pecuniæ ſuis reliquiſſet. [4] habetis nobilitatem generis glorioſam. Qui autem evenit, [5] ut tibi Julia natus, ignobilis videatur, cùm tu eodem materno genere ſoleas *gloriari*? quæ porrò amentia eſt, eum dicere aliquid de uxorum ignobilitate, cujus pater Numitoriam Fregellanam, *proditoris* filiam habuerit uxorem: ipſe ex libertini filia ſuſceperit liberos? Sed hoc clariſſimi viri viderint, L. Philippus, qui habet Aricinam uxorem, C. Marcellus, qui Aricinæ filiam: quos certè ſcio dignitatis optimarum fæminarum non pœnitere. Idem etiam Q. Ci- 7
ceronem, fratris mei filium, compellat edicto: nec ſentit amens, *commendationem* eſſe compellationem ſuam. Quid enim accidere huic adoleſcenti potuit optatius, [6] quàm cognoſci ab hominibus, Cæſaris conſiliorum eſſe ſocium, Antonii furoris inimicum? At etiam gladiator auſus eſt ſcribere, hunc de patris, & patrui *parricidio* cogitaſſe. O admirabilem impudentiam, audaciam, temeritatem! in eum adoleſcentem hæc ſcribere audere, quem ego, & frater meus, propter ejus ſuaviſſimos, atque optimos mores, præſtantiſſimumque ingenium, certatim amamus, omnibuſque horis, oculis, auribus, complexu tenemus? [7] Nam me eiſdem edictis neſcit, lædat, an laudet. cùm idem ſupplicium minatur optimis civibus, quod ego de ſceleratiſſimis ſumſerim, laudare videtur, quaſi imitari velit. cùm autem illam pulcherrimi facti memoriam refricat: tum à ſui ſimilibus invidiam aliquam in me commoveri putat. Sed ipſe quid fecit? cùm tot edicta propoſuiſſet: edixit, ut 8
adeſſet ſenatus frequens, a. d. VIII. Kalendas Decembreis; eo die ipſe non affuit. At quomodo edixit? hæc ſunt, ut opinor, verba in extremo. *Si quis non affuerit; hunc omnes exiſtimare poterunt & interitus mei, & perditiſſimorum conſiliorum auctorem fuiſſe.* Quæ ſunt *perdita conſilia*? an ea, quæ pertinent ad libertatem populi Romani recuperandam? quorum conſiliorum Cæſari me auctorem, & hortatorem & eſſe, & fuiſſe fateor. quamquam ille non eguit conſilio cujuſquam: ſed tamen, *currentem* ut dicitur, *incitavi*. Nam interitus quidem tui quis bonus non eſſet auctor, cùm in eo ſalus,

1. *Quàm barbarus, quàm rudis!*] Lambinus variè conjectat: ſed fruſtra. nihil vitii eſt in vulgata. taxat enim imperitiam morum legumque Quiritium; imo & Linguæ Latinæ.

2. *Cur probas Tuſculanam.*] Qua ratione Fulviam vocet *Tuſculanam*, prodidit Paullus Merula commentariis ſuis ad Ennium.

3. *Bambalio quidam pater.*] Explicat Victorius libro VII. Var. lect. cap. 14. at Carrio emendat *Bambalo* Lect. Antiq. lib. II. cap. 2.

4. *Habetis nobilitatem.*] Secutus ſum fidem Gemblacenſis, cui accedit item liber Ferrarii; licet ipſe mallet, *haberetis*. vulgata *haberetis nobilitatem*.

5. *Ut tibi Julia natus.*] Sic quidem editio prima. ſed mſſ. mirè variant, ut liquet ex Ferrarii Emendationum libro. Pal. pr. habet, *ut is tibi Julia natus*. ſec. *ut is tibi Aricina natus*, quod & in Lil. & Gembl. forte fuit, *ut is tibi natus ignobilis videatur*, excluſis ceteris.

6. *Quàm cognoſci ab hominibus.*] Lambinus *omnibus*. non probem. neque patitur ſententia; aut ætas adoleſcentis.

7. *Nam me eiſdem edictis.*] Ita conjecerat Ferrarius, approbatque Pal. ſec. in quo: *nam meis de me dictis*.

1. *Vino*

eo ſalus, & vita optimi cujuſque, & libertas populi Romani, dignitaſque conſiſteret? Sed cùm tam atroci edicto nos concitaviſſet, cur ipſe non affuit? num putatis aliqua re triſti, ac ſevera? [1] *vino atque epulis* retentus & alea eſt: ſi epulæ potiùs, quàm popinæ nominandæ ſunt. diem edicti obire neglexit: in ante diem quartum Kalendarum Decembris diſtulit. adeſſe in Capitolio juſſit: [2] quod in templum ipſe neſcio quà, per Gallorum cuniculum adſcendit. convenerunt corrogati, & quidem ampli quidam homines, ſed immemores dignitatis ſuæ. is enim erat dies, ea fama, is, qui ſenatum vocarat; ut turpe ſenatori eſſet, *nihil timere.* Ad eos tamen ipſos, qui convenerant, ne verbum quidem auſus eſt facere de Cæſare, cùm de eo conſtituiſſet ad ſenatum referre. Scriptam attulerat conſularis quidam ſententiam. [3] Quid eſt aliud, ſeipſum hoſtem judicare, niſi de eo referre non audere, qui contrà ſe conſulem exercitum duceret? neceſſe erat enim alterutrum eſſe hoſtem: nec poterat aliter de adverſariis ducibus judicari. Si igitur C. Cæſar, hoſtis, cur conſul nihil refert ad ſenatum? ſin ille à ſenatu notandus non fuit: quid poteſt dicere, quin, cùm de illo tacuerit, ſe hoſtem eſſe confeſſus ſit? quem in edictis Spartacum appellat, hunc in ſenatu ne improbum quidem dicere au-
9 det. At in rebus triſtiſſimis quantos excitat riſus? ſententiolas edicti cujuſdam memoriæ mandavi, quas videtur ille peracutas putare: ego autem, qui intelligeret, quid dicere vellet, adhuc neminem inveni. [4] *Nulla contumelia eſt, quam facit dignus.* Primùm quid eſt, Dignus? nam etiam malo digni multi, ſicut ipſe. an quam facit is, qui cum dignitate eſt? quæ autem poteſt eſſe *major?* quid eſt porrò, Facere contumeliam? quis ſic loquitur? Deinde: *Nec timor, quem denuntiat inimicus.* Quid ergo? ab amico timor denuntiari ſolet? horum ſimilia deinceps. Nonne ſatius eſt mutum eſſe, quàm, quod nemo intelligat, dicere? En, cur magiſter ejus ex oratore, arator factus ſit: poſſideat in agro publico populi Romani campi Leontini duo millia jugerum immunia, ut hominem ſtultum magis etiam infatuet mercede publica. Sed hæc leviora fortaſſe. illud quæro, cur tam ſubito manſuetus in ſenatu fuerit, cùm in edictis tam fuiſſet ferus. quid autem attinuerit, L. Caſſio, tribuno pleb. fortiſſimo, & conſtantiſſimo civi, mortem denuntiare, ſi in ſenatum veniſſet: D.Carfulenum, bene de repub. ſentientem, è ſenatu vi & minis mortis expellere: T.Canutium, à quo erat honeſtiſſimis *contentionibus* & ſæpe, & jure vexatus, non templo ſolum, verùm etiam aditu prohibere Capitolii. Cui S. C. ne intercederent, verebatur? de ſupplicatione, credo, M.Lepidi, clariſſimi viri. atque id erat periculum, de cujus honore *extraordinario* quotidie aliquid cogitabamus, ne ejus uſitatus honos impediretur. Ac, ne ſine cauſa videretur edixiſſe, ut ſenatus adeſſet, cùm de republica relaturus fuiſſet; allato nuntio de legione Quarta, mente concidit: effugere feſtinans, ſenatuſconſultum de ſupplicatione per diſceſſionem fecit, cùm id factum
10 eſſet antea *numquam.* Quæ verò profectio poſtea? quod iter paludati? quæ vitatio oculorum, lucis, urbis, fori? quàm miſera fuga? quàm fœda? quàm turpis? præclara tamen ſenatuſconſulta in illo ipſo die veſpertina, provinciarum religioſa *ſortitio:* divina verò opportunitas, ut, quæ cuique apta eſſet, ea cuique obveniret. Præclarè igitur facitis, tribuni plebis, qui de præſidio conſulum, ſenatuſque referatis: meritoque veſtro maximas vobis gratias omnes & agere & habere debemus. qui enim carere metu, & periculo poſſumus in tanta hominum *cupiditate*, & *audacia?* Ille autem homo afflictus, & perditus, quæ de ſe exſpectat *judicia* graviora, quàm amicorum ſuorum? familiariſſimus ejus, mihi homo conjunctus, L. Lentulus, & P. Naſo, omni carens cupiditate, nullam ſe habere provinciam, nullam Antonii ſortitionem fuiſſe judicaverunt. quod idem fecit L. Philippus, vir patre, avo, majoribus ſuis, digniſſimus. in eadem ſententia fuit homo ſummæ integritate, atque innocentia, [5] M. Turranius. idem fecit [6] Sp. Oppius. ipſi etiam, qui amicitiam M. Antonii veriti, plus ei tribuerunt, quàm fortaſſe vellent, M. Piſo, meus neceſſarius, & vir, & civis egregius, parique innocentia M.Vehilius, ſenatus auctoritati ſe *obtemperaturos* eſſe dixerunt. Quid ego de L. Cinna loquar? cujus ſpectata multis, magniſque rebus ſingularis integritas, minùs admirabilem fecit hujus honeſtiſſimi facti gloriam: qui omnino provinciam neglexit: quam item magno animo, & conſtanti [7] C. Cæſetius repudiavit. Qui ſunt igitur reliqui, quos ſors divina delectet? [8] L. Antonius, & M. Antonius. O felicem utrumq;! nihil enim maluerunt. C.Antonius Macedoniam. hunc quoque felicem, hanc enim ſemper habebat in ore provinciam. C. Calviſius Africam. nihil felicius. modò enim ex Africa deceſſerat, & quaſi divinans ſe rediturum, duos legatos Uticæ reliquerat, deinde [9] M.Iccius Siciliam, Q.Caſſius Hiſpaniam. non habeo, quid ſuſpicer. duarum credo provinciarum ſorteis minùs divinas fuiſſe. [10] O C.Cæ- 11
ſar, (adoleſcentem appello) quam tu *ſalutem reip.* attuliſti? quàm improviſam? quàm repentinam? qui enim hæc fugiens fecerit, quid faceret inſequens? etenim in concione dixerat, ſe cuſtodem futurum urbis: uſque ad Kalendas Majas ad urbem exercitum habiturum. O præclarum *cuſtodem ovium* (ut ajunt) lupum. cuſtoſne urbis, an direptor, & vexator eſſet Antonius? Et quidem ſe introiturum in urbem dixit, exiturumque cùm vellet. Quid illud? nonne audiente populo, ſedens pro æde Caſtoris, dixit, niſi qui viciſſet, victurum neminem? Hodierno die primùm, P.C. longo intervallo in poſſeſſionem libertatis *pedem ponimus:* cujus quidem ego, quoad potui, non modò defenſor, ſed etiam conſervator fui. cùm autem id facere [11] non poſſem, quievi: nec abjectè, nec ſine aliqua dignitate caſum illum temporum, & dolorem tuli. Hanc verò tæterrimam belluam, quis ferre poſſet, aut quomodo? quid eſt in Antonio, præter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam? ex his totus *conglutinatus eſt.* nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum. Quapropter, quoniam res in id diſcrimen adducta eſt, utrùm ille pœnas reip. luat, an nos ſerviamus: aliquando, per deos immortaleis, P.C. patrium animum, virtutemque capiamus, ut aut libertatem propriam Romani generis, & nominis recuperemus, aut *mortem ſervituti* anteponamus. Multa, quæ in libera civitate ferenda non eſſent,

1. *Vino atque epulis retentus, & alea eſt.*] Hæc eſt lectio vetus. nam P. Manutius & D. Lambinus invexerunt, *vino atque epulis retentus; ſi epulæ.* ſed non video cur abjici debuerit illud *alea.* quia abſit uno libro Ferrarii, quin imò cum offenderim in Pal. ſec. *vino atque epulis retentus eſt alea*, capior ferè legere, *vino atque epulis retentus alvo ſi epulæ.*

2. *Quod in templum.*] Tres iſtas voces non agnoſcit ſec. neque admodum requiruntur.

3. *Quid eſt aliud ſeipſum hoſtem, &c.*] Tranſpoſitio horum verborum, eſt à Pall. & mſſ. Ferrarii omnibus.

4. *Nulla contumelia eſt, &c.*] Explicat iſtud Schottus noſter libro v. Tuſculanar. quæſtionum. addatur item Muretus lib. vi. Var. lect. cap. 18.

5. *M. Turranius.*] Ita omnino reſcribendum, non *C. Turranius*, ut eſt in aliis. nam vulgatam *M. Anturanius*, corruptam eſſe, ex *Manius Turannius*, quis non videt?

6. *P. Oppius.*] Ita plerique ſcripti. prima editio *P. Appius.* ſequentes *Sp. Oppius.* P. pr. *P.appius.*

7. *C. Ceſetius.*] Malui iſtud quàm vulgatum *Ceſſetius*, fide Pal. ſecundi. Fulvius noſtèr *Ceſtium* reponi volebat tam heic quam pro L. Flacco, cap. 13.

8. *L. Antonius.*] Locus corruptus. Pall. *T. Antonius*, ut & ſcripti Ferrariani. Maur. *L. Annius*, quod placuit Lambino. iidem tamen noſtri poſt, pro *maluerunt*, exhibent *metuerunt.*

9. *M. Iccium.*] Urſinus mallet & heic *M. Itium.* qui videatur in iſta familia.

10. *O C. Cæſar (adoleſcentem appello.)*] Lilienſis, *Cæſar adoleſcens! te appello*, non improbarem, niſi eſſet in memoria locus alter: *O M. Druſe! patrem appello.*

11. *Non poſſem, quievi: nec abjectè.*] Rectè iſtud quidem occupat edd. neotericas: ſed tamen eſt conjectaneum Vict., qui conſulatur l. 1. Var. lect. c. 6. prius vulgata, *qui fui.* à qua ſtat lectio omnis ſcripta.

ſent, tulimus, & perpeſſi ſumus: alii ſpe recuperandæ libertatis, alii vivendi nimia cupiditate. ſed, ſi illa tulimus; quæ nos neceſſitas ferre coëgit, quæ vis quædam pæne fatalis (quæ tamen ipſa non tulimus) etiamne hujus impuri latronis feremus tæterrimum, crudeliſſimum-
12 que *dominatum*? Quid hic faciat, ſi potuerit, iratus, qui cùm ſuccenſere nemini poſſet, omnibus bonis fuerit inimicus? quid hic victor non audebit, qui nullam adeptus victoriam, tanta ſcelera poſt Cæſaris interitum fecerit? refertam ejus domum exhauſerit? hortos compilarit? ad ſe ex his omnia ornamenta tranſtulerit? cædis, & incendiorum cauſam quæſierit ex funere? duobus aut tribus S. C. bene, & è rep. factis, reliquas res *ad lucrum*, prædamque revocaverit? vendiderit immunitates? civitates liberaverit? provincias univerſas ex imperii populi Rom. jure ſuſtulerit? exſules reduxerit? falſas leges C. Cæſaris nomine, & falſa decreta in æs incidenda, & in Capitolio figenda curaverit, earumque rerum omnium domeſticum mercatum inſtituerit? populo Rom. leges impoſuerit? armis, & præſidiis, & populum Rom. & magiſtratus foro excluſerit? [1] ſenatum ſtiparit armis? armatos in cælla Concordiæ, cùm ſenatum haberet, incluſerit? ad legiones Brundiſium cucurrerit? ex his optimè ſentienteis centuriones jugulaverit? cum exercitu Romam ſit ad interitum noſtrum, & [2] ad diſperditionem urbis venire conatus? Atque is ab hoc impetu abſtractus conſilio, & copiis Cæſaris, conſenſu veteranorum, virtute legionum: ne *fortuna* quidem fractus minuit audaciam: nec ruere demens, nec furere deſinit. in Galliam mutilatum ducit exercitum: cum una legione, & ea vacillante, L. fratrem exſpectat: quo neminem reperire poteſt ſui ſimiliorem. Ille autem ex mirmillone dux, ex gladiatore imperator, quas fecit ſtrages, ubicumque poſuit veſtigia? cædit greges armentorum, reliquique pecoris, quodcumque nactus eſt: epulantur milites: ipſe autem ſe, ut fratrem imitetur, [3] obruit vino: vaſtantur agri: diripiuntur villæ: matres familiâs, virgines, pueri ingenui abripiuntur, militibus traduntur. hæc eadem, quacumque
13 exercitum duxit, fecit M. Antonius. His vos tæterrimis fratribus portas aperietis? hos umquam in urbem recipietis? non, *tempore oblato*, ducibus paratis, animis militum incitatis, populo Rom. conſpirante, Italia tota ad libertatem recuperandam excitata, deorum immortalium beneficio utemini? nullum erit tempus, hoc amiſſo: à tergo, à fronte, à lateribus tenetur. ſi in Galliam venerit, non ille armis ſolùm, ſed etiam noſtris decretis urgendus eſt. MAGNA vis eſt, magnum nomen, unum & idem ſentientis ſenatus. Videtiſne refertum forum? populumque Rom. ad ſpem recuperandæ libertatis erectum? qui longo intervallo cùm frequenteis hîc videt nos, tum ſperat etiam liberos conveniſſe. Hunc ego diem exſpectans, M. Antonii ſcelerata arma vitavi, tum cùm ille in me abſentem invehens, non intelligebat, ad quod tempus me, & meas vireis *reſervarem*. *ſi* enim illi tum cædis initium à me quærenti reſpondere voluiſſem, nunc reip. conſulere non poſſem. Hanc verò nactus facultatem, nullum tempus, P.C. dimittam, neque diurnum, neque nocturnum, quin de libertate populi Rom. de dignitate veſtra quod cogitandum ſit, cogitem: quod agendum, atque faciendum, idem non modò non recuſem, ſed appetam etiam, atque depoſcam. Hoc feci ſemper, dum licuit: intermiſi, quoad non licuit. jam non ſolum licet, ſed etiam neceſſe eſt, niſi *ſervire* malumus, quam, ne ſerviamus, animis, armiſque decernere. Dii immortales nobis hæc præſidia dederunt: urbi Cæſarem, Brutum Galliæ. Si enim ille urbem opprimere potuiſſet ſtatim: ſi Galliam tenere paullo pòſt: optimo cuique
pereundum, reliquis eſſet ſerviendum. Hanc igitur occa- 14
ſionem oblatam tenete, per deos immortaleis, P.C. & ampliſſimi orbis terræ conſilii principes vos eſſe aliquando recordamini. ſignum date populo Rom. *conſilium* veſtrum non deeſſe reip. quoniam ille virtutem ſuam non defuturam eſſe profitetur. Nihil eſt, quod moneam. nemo eſt, tam ſtultus, qui non intelligat, ſi indormierimus huic tempori, non modò crudelem, ſuperbamque dominationem nobis, ſed ignominioſam etiam, & flagitioſam eſſe ferendam. Noſtis inſolentiam Antonii, noſtis amicos, noſtis totam domum. libidinoſis, petulantibus, impuris, impudicis, aleatoribus, ebriis *ſervire*, ea eſt ſumma miſeria, ſummo dedecore conjuncta. Quòd ſi jam (quod dii omen avertant) fatum extremum reipub. venit: quod gladiatores nobiles faciunt, ut honeſtè decumbant, faciamus nos, principes orbis terrarum, gentiumque omnium, ut *cum dignitate* potiùs cadamus, quàm cum ignominia ſerviamus. NIHIL eſt deteſtabilius dedecore, nihil fœdius ſervitute. ad decus, & libertatem nati ſumus, aut hæc teneamus, aut cum dignitate moriamur. Nimium diu teximus, quid ſentiremus: nunc jam apertum eſt: omnes jam patefecerunt, in utramque partem quid ſentiant, quid velint. Sunt impii cives [4] pro caritate reipub. nimium multi: pro multitudine bene ſentientium, admodum pauci, quorum opprimendorum dii immortales incredibilem reipub. poteſtatem, & fortunam dederunt. ad ea enim præſidia, quæ habemus, jam accedunt conſules ſumma prudentia, virtute, *concordia*, multos menſes de populi Rom. libertate commentati, atque meditati. His auctoribus, & ducibus, diis juvantibus, nobis vigilantibus, & multùm in poſterum providentibus, populo Rom. conſentiente, erimus profectò liberi brevi tempore. *jucundiorem* autem faciet libertatem ſervitutis re-
cordatio. Quas ob res, quod tribuni pleb. verba fecerunt, 15
ut ſenatus Kalendis Januar. tutò haberi, ſententiæque [5] de ſumma reip. liberè dici poſſint: de ea re ita cenſeo, UT C. PANSA, A. HIRTIUS, conſules deſignati, dent operam, ut ſenatus Kalendis Januar. tutò haberi poſſit: quodque edictum D. Bruti, imperatoris, conſulis deſignati, optimè de repub. meriti, propoſitum ſit, ſenatum exiſtimare, D. Brutum, imperatorem, conſulem deſignatum, optime de repub. promereri, cùm ſenatus auctoritatem, populique Rom. libertatem, imperiumque defendat: quodque Galliam provinciam citeriorem, optimorum, & fortiſſimorum virorum, amiciſſimorum populo Rom. civium, exercitumque in ſenatus poteſtate retineat, id eum, exercitumque ejus, municipia, colonias provinciæ Galliæ, rectè, atque ordine, exque repub. feciſſe, & facere: ſenatum ad ſummam reipub. pertinere arbitrari, à D. Bruto, & ab L. Planco, imperatoribus, coſs. deſignatis, itemque à ceteris, qui provincias obtinent, [6] obtineri ex lege Julia, quoad ex S. C. cuique eorum ſucceſſum ſit: eoſque dare operam, [7] ut eæ provinciæ, exercituſque in ſenatus, populique Rom. *poteſtate*, præſidioque reipub. ſint: cumque opera, virtute, conſilio C. Cæſaris, ſummoque conſenſu militum veteranorum, qui ejus auctoritatem ſecuti, reipub. præſidio ſunt, & fuerunt; & à graviſſimis periculis populus Rom. defenſus ſit, & hoc tempore defendatur: cumque legio Martia Albæ conſtiterit, in municipio fideliſſimo, & fortiſſimo: ſeſeque ad ſenatus auctoritatem, populique Rom.

1. *Senatum ſtiparit armis.*] Sic quoque Pal. ſec. Lil. Gemblac. vulgata *armatis*. et Pal. pr. *armatis arma in cella, &c.*

2. *Ad diſperditionem urbis.*] Adhærent huic ſcripturæ etiam Pall. noſtri.

3. *Obruit vino.*] Lil. atque Gembl. *obruit, ingurgitat vino.*

4. *Pro caritate reip. &c.*] Libri noſtri nihil mutant, niſi quod Pal. pr. anteponat *ſed*, non neceſſario. itaque nulli conjecturæ dederim locum, nedum deſultoriæ levitati Lambini.

5. *De ſumma reipubl.*] Non abeo ab eis qui repoſitum eunt *rep.* ſed tantum indico, in eo nimis nobis non eſſe laborandum; quandoquidem mſſ. exprimant ferè duabus literis *R. P.* quod ſemel dictum, ſæpius dictum lector putato.

6. *Obtineri ex lege Julia.*] Si auctoritati aliquid damus reponendum ex Pal. ſec. Gembl. Lilienſi & Mauriciano *Tulia*. diſpicite quæſo, Contarene, Guitheri, Pontane. mihi non vacat.

7. *Ut eæ provinciæ exercituſque.*] Eſt ab unico Colotiano. ceteri mſſ. *provinciæ Galliæque exercitus.*

1. Cra

Rom. libertatem contulerit: quod pari conſilio, eademque virtute legio quarta uſa, L. Egnatuleio duce, civi egregio, ſenatus auctoritatem, populique Rom. libertatem defendat, defenderit: ſenatui magnæ curæ eſſe, ac fore, ut pro tantis eorum in rempub. meritis *honores* eis habeantur, gratiæque referantur: ſenatui placere, uti C. Panſa, A. Hirtius, conſules deſignati, [1] cum magiſtratum inierint, ſi eis videbitur, primo quoque tempore de his rebus ad hunc ordinem referant, ita uti è reipub. fideque ſua cenſuerint.

1. *Cum magiſtratum inierint, &c.*] Pal. ſec. ferè accedit duobus Ferrarianis, quos ſecutus eſt Lambinus; habetque *cùm magiſtratum iniſſent, ſi eis videretur. pr. q. tempore de his reb. ad, &c. ita ut è rep. fideque ſui videretur cenſuerunt.*

M. TULLII CICERONIS
IN
M. ANTONIUM AD QUIRITES;
PHILIPPICA QUARTA.
ORATIO QUADRAGESIMASEXTA.

1 FREQUENTIA veſtrûm incredibilis, Quirites, concioque tanta, quantam meminiſſe non videor, & alacritatem mihi ſummam affert reipub. defendendæ, & ſpem recuperandæ libertatis. Quamquam, animus quidem mihi numquam defuit, *tempora* defuerunt: quæ ſimulac primùm aliquid lucis oſtendere viſa ſunt, princeps veſtræ libertatis defendendæ fui. quod ſi antè facere conatus eſſem, nunc facere non poſſem. hodierno enim die, Quirites, ne adhuc mediocrem rem actam arbitremini, *fundamenta* jacta ſunt reliquarum actionum. nam eſt hoſtis à ſenatu nondum verbo appellatus, ſed re jam judicatus Antonius. Nunc verò multo ſum erectior, quod vos quoque hoſtem illum eſſe tanto conſenſu, tantoque clamore approbaviſtis. Nec enim fieri poteſt, ut non aut ii ſint impii, qui contra conſulem exercitus comparaverunt: aut ille hoſtis, contra quem jure arma ſumta ſunt. Hanc igitur dubitationem, quamquam nulla erat, tamen nequa poſſet eſſe, ſenatus hodierno die ſuſtulit. C. Cæſar, qui rempub. libertatemque veſtram ſuo ſtudio, conſilio, patrimonio denique tutatus eſt, & tutatur: maximis ſenatus laudibus ornatus eſt. Laudo, laudo vos, Quirites, cùm gratiſſimis animis proſequimini nomen clariſſimi adoleſcentis, vel pueri potiùs. ſunt enim facta ejus, *immortalitatis*; [1] nomen *ætatis*, multa memini, multa audivi, multa legi: nihil ex omni ſæculorum memoria tale cognovi: qui cum ſervitute premeremur, & in dies malum creſceret, præſidii nihil haberemus, capitalem & peſtiferum Brundiſio M. Antonii reditum timeremus: hoc inſperatum omnibus conſilium, incognitum certè ceperit, ut exercitum invictum ex Hiſpanis militibus conduceret, Antoniique furorem crudeliſſimis conſiliis incita-
2 tum à pernicie reipub. averteret. Quis eſt enim, qui hoc non intelligat; niſi Cæſar exercitum paraviſſet, non ſine exitio noſtro futurum Antonii reditum fuiſſe? Ita enim ſe recipiebat ardens odio veſtri, cruentus ſanguine civium, quos Sueſſæ, quos Brundiſii occiderat, ut nihil, niſi de reipub. pernicie cogitaret. Quod autem erat præſidium ſalutis, libertatiſque veſtræ, ſi C. Cæſaris, fortiſſimorumque ſui patris militum exercitus non fuiſſet? cujus de *laudibus*, & *honoribus*, qui ei pro divinis, & immortalibus meritis divini, immortaleſque debentur, mihi ſenatus aſſenſus paullo antè decrevit, ut primo quoque tempore referretur. Quo decreto quis non perſpicit Antonium hoſtem eſſe judicatum? quem enim appellare poſſumus eum, contra quem qui exercitus ducunt, iis ſenatus arbitratur ſingulareis exquirendos honores? Quid *legio Martia*? quæ mihi videtur divinitus ab eo deo traxiſſe nomen, à quo populum Rom. generatum accepimus. nonne ipſa ſuis decretis prius, quàm ſenatus, hoſtem judicavit Antonium? nam ille ſi non hoſtis: qui *conſulem reliquerunt*, hoſteis neceſſe eſt judicemus. [2] Præclara & luculenta reclamatione veſtra factum pulcherrimum Martialium comprobaſtis: qui ſe ad ſenatus auctoritatem, ad libertatem veſtram, ad univerſam remp. contulerunt: hoſtem illum, & latronem, & parricidam patriæ reliquerunt. Nec ſolum id animoſè, & fortiter, ſed conſideratè etiam, ſapienterque fecerunt. Albæ conſtiterunt, in urbe opportuna, munita, propinqua, fortiſſimorum virorum, fideliſſimorum civium, atque optimorum. Hujus Martiæ legionis legio Quarta imitata virtutem, duce L. Egnatuleio, quem ſenatus meritò paullo ante laudavit, [3] C. Cæſaris exercitum perſecuta eſt. Quæ 3
exſpectas, M. Antoni, judicia graviora? Cæſar fertur in cœlum, qui contra te exercitum comparavit. laudantur exquiſitiſſimis verbis legiones, quæ te reliquerunt, quæ à te arceſſitæ ſunt: quæ tuæ eſſent, ſi te conſulem, quàm hoſtem maluiſſet. quarum legionum fortiſſimum, veriſſimumque judicium confirmat ſenatus, comprobat univerſus populus Rom. niſi fortè vos, Quirites, conſulem, non hoſtem, judicatis Antonium. Sic arbitrabar Quirites, vos judicare, ut oſtenditis. quid municipia, colonias, præfecturas, num aliter judicare cenſetis? omnes mortales *una mente* conſentiunt: omnia arma eorum, qui hæc ſalva velint, contra illam peſtem eſſe capienda. Quid? D. Bruti judicium, Quirites, quod ex hodierno ejus edicto perſpicere potuiſtis, num cui tandem contemnendum videtur? Rectè, & verè negaſtis, Quirites. Eſt enim quaſi deorum immortalium beneficio, & *munere* datum reip. Brutorum genus, & nomen, ad libertatem populi Rom. vel conſtituendam, vel recuperandam. Quid igitur D. Brutus de M. Antonio judicavit? excluſit provincia: exercitu obſtitit: Galliam totam hortatur ad bellum, ipſam ſua ſponte, ſuoque judicio excitatam. Si conſul Antonius: Brutus hoſtis. ſi conſervator reip. Brutus: hoſtis Antonius. Num igitur, utrum horum ſit dubitare poſſumus? Atqui, ut vos 4
una mente, unaque voce dubitare vos negatis: ſic modo decrevit ſenatus, D. Brutum optimè de rep. *mereri*, cum ſenatus auctoritatem, populique Rom. libertatem, imperiumque defenderit. A quo defenderit? nempe ab hoſte. quæ eſt enim alia laudanda defenſio? Deinceps laudatur provincia Gallia, meritoque ornatur verbis ampliſſimis à ſenatu, quòd reſiſtat Antonio. quem ſi conſulem illa provincia putaret, neque eum reciperet; magno ſcelere ſe adſtringeret: omnes enim ſub conſulis jure, & imperio debent

1. *Nomen ætatis.*] Haud aliter membranacei Ferrarii, confirmatque Pal. ſec. ac liber Puteani. nam vulgata, *non ætatis.* fatuè.

2. *Præclarè, & loco, reclamatione.*] Itaque quoque Pal. ſec. Maur. & Lil. vulgata, *Præclara ac luculenta reclamatione.* inſubidè. Puteanus adhuc interſerit *Quirites reclam.*

3. *Cæſaris exercitum perſecuta.*] Pal. pr. *proſecuta.* ſed alterum reſtat in ſec. habentque omnes libri Ferrarii.

bent eſſe provinciæ. Negat hoc D. Brutus imperator, conſul deſignatus, natus reipub. civis: negat Gallia, negat cuncta Italia, negat ſenatus, negatis vos. Quis igitur illum conſulem, niſi *latrones* putant? quamquam ne ii quidem ipſi, quod loquuntur, id ſentiunt: nec à judicio omnium mortalium, quamvis impii, nefariique ſint, ſicut ſunt, diſſentire poſſunt. ſed ſpes rapiendi, atque prædandi occæcat animos eorum: [1] quos non bonorum damnatio, non agrorum aſſignatio, [2] non illa infinita Pompeji haſta ſatiavit: qui ſibi urbem, qui bona, & fortunas civium ad prædam propoſuerunt. qui, dum ſit quod rapiant, quod auferant, nihil ſibi defuturum arbitrantur: quibus M. Antonius (ô dii immortales, avertite, & deteſtamini, quæſo, hoc omen) urbem ſe *diviſurum* eſſe promiſit. Ita verò, Quirites, ut precamini, eveniat, [3] hujuſque amentiæ pœna in ipſum, familiamque ejus recidat, quod ita futurum eſſe confido. jam enim non ſolum homines, ſed etiam deos immortaleis ad rempub. conſervandam arbitror conſenſiſſe. Sive enim *prodigiis*, atque portentis dii immortales nobis futura prædicunt: ita ſunt apertè denuntiata, ut & illi pœna, & libertas nobis appropinquet: ſive tantus conſenſus omnium, ſine *impulſu* deorum eſſe non potuit; quid eſt, quod de voluntate cœleſtium dubitare poſſimus? Reliquum eſt, Quirites, ut vos in iſta ſententia, quam præ vobis fertis,
5 perſeveretis. Faciam igitur, ut imperatores inſtructa acie ſolent: quamquam paratiſſimos milites ad prœliandum videant, ut eos tamen *adhortentur:* ſic ego vos ardenteis, & erectos ad libertatem recuperandam, cohortabor. Non eſt, non eſt vobis, Quirites, cum eo hoſte certamen, quocum aliqua pacis conditio eſſe poſſit. neque enim ille ſervitutem veſtram, ut antea, ſed jam iratus *ſanguinem* concupiſcit. nullus ei ludus videtur eſſe jucundior, quàm cruor, quàm cædes, quàm ante oculos trucidatio civium. Non eſt vobis, Quirites, res cum ſcelerato homine, atque nefario, ſed cum immani, tætraque *bellua:* quæ quoniam in foveam incidit, obruatur. ſi enim illinc emerſerit, nullius ſupplicii crudelitas erit recuſanda. ſed tenetur, premitur, urgetur, nunc iis copiis, quas jam habemus: mox iis, quas paucis diebus novi conſules comparabunt. Incumbite in cauſam, Quirites, ut facitis. Numquam veſter conſenſus major in ulla cauſa fuit: numquam tam vehementer cum ſenatu conſociati fuiſtis. nec mirum. agitur enim non qua conditione victuri, ſed victurine ſimus, an cum ſupplicio, ignominiaque *perituri*. QUAMQUAM mortem quidem omnibus natura propoſuit: crudelitatem mortis, & dedecus, virtus propulſare ſolet: quæ propria eſt Romani generis, & ſeminis. hanc retinete, quæſo, Quirites, quam vobis tamquam hæreditatem, majores veſtri reliquerunt. quamquam OMNIA alia, incerta ſunt, caduca, mobilia: virtus eſt una altiſſimis defixa radicibus: quæ numquam ulla vi labefactari poteſt, numquam demoveri loco. hac virtute majores veſtri primùm univerſam Italiam devicerunt: deinde Karthaginem exſciderunt, Numantiam everterunt, potentiſſimos reges, bellicoſiſſimas gentes, in ditionem hujus imperii redegerunt. Ac majoribus quidem veſtris, 6
Quirites, cum eo hoſte res erat, qui haberet remp. curiam, ærarium, conſenſum, & concordiam civium, rationem aliquam, ſi res ita tuliſſet, *pacis & fœderis:* hic veſter hoſtis veſtram remp. oppugnat, ipſe habet nullam: ſenatum, id eſt, orbis terræ conſilium, delere geſtit, ipſe conſilium publicum nullum habet: ærarium veſtrum exhauſit, ſuum non habet. nam concordiam civium qui habere poteſt, nullam qui habeat civitatem? pacis verò quæ poteſt eſſe cum eo ratio, in quo eſt incredibilis crudelitas, *fides nulla?* [4] Eſt igitur populo Rom. victori omnium gentium, omne certamen cum exeurſore, cum latrone, cum Spartaco. nam, quòd ſe ſimilem eſſe Catilinæ gloriari ſolet: ſcelere par eſt; belli induſtria inferior. ille cùm exercitum nullum haberet, repentè conflavit: hic eum ipſum exercitum, quem accepit, amiſit. Ut igitur Catilinam diligentia mea, ſenatus auctoritate, veſtro ſtudio, & virtute fregiſtis: ſic Antonii nefarium latrocinium veſtra cum ſenatu concordia tanta, quanta numquam fuit, *felicitate & virtute* exercituum, ducumque veſtrorum, brevi tempore oppreſſum audietis. Equidem, quantum cura, labore, vigiliis, auctoritate, conſilio, eniti, atque efficere potero, nihil prætermittam, quod ad libertatem veſtram pertinere arbitrabor. neque enim id pro veſtris in me ampliſſimis beneficiis ſcelere facere poſſum. hodierno autem die primùm, referente viro fortiſſimo, vobiſque amiciſſimo, M. hoc Servilio, collegiſque ejus, ornatiſſimis viris, optimis civibus, longo intervallo, me auctore, & principe, ad ſpem libertatis exarſimus.

1. *Quos non bonorum damnatio.*] Auſus ſum ejicere vulgatum *donatio*, perſuaſus a Palatinis, item Lil. & Gembl. & ita quoque initio fuerat in Mauriciano Colonienſi.

2. *Non illa infinita Pompeii haſta.*] P. Manutius & D. Lambinus non admiſerunt illud *Pompeii*. ego inventum in Gemb. Lil. Maur. Pall. & edd. vett. excludere non potui: præcipuè cùm non viderim monumenta in has Philippicas, Faërni, aut Mureti; ex quibus cognoſcerem, num tale aliquid item abeſſet libris Romanis.

3. *Hujuſque amentiæ pœna.*] Placet illud Colotiani codicis, præ recepto, *quo hujus am.* eratque item in Put. qui præmittebat, *Quirites*.

4. *Eſt igitur populo Rom. victori omnium gentium, &c.*] Vulgata adjectum habet *Quirites*, quod reſecui volentibus exemplaribus Ferrarii.

M. TULLII CICERONIS IN M. ANTONIUM PHILIPPICA QUINTA.

ORATIO QUADRAGESIMASEPTIMA.

1 NIHIL umquam longius Kalendis Jan. mihi viſum eſt, patres conſcripti: quod idem intelligebam per hos dies unicuique veſtrûm videri. qui enim bellum cum rep. gerunt, hunc diem non exſpectant. [1] nos autem tum, cum maximè conſilio noſtro ſubvenire communi ſaluti oporteret, in ſenatum non convocabamur. Sed querelam præteritorum dierum ſuſtulit oratio conſulum: qui ita locuti ſunt, ut magis exoptatæ Kalendæ Jan. quàm ſeræ eſſe videantur. Atque ut oratio conſulum animum meum erexit, ſpemque attulit non modò ſalutis conſervandæ, verum etiam dignitatis priſtinæ recuperandæ: ſic me perturbaſſet ejus ſententia, qui primus rogatus eſt, niſi veſtræ virtuti, conſtantiæque confiderem. Hic enim vobis, patres conſcripti, dies illuxit: hæc *poteſtas* data eſt, ut, quantum virtutis, quantum conſtantiæ,

1. *Nos autem tum, cum maximè conſilio, &c. non vocabamur.*] Eſt ab Ferrarii conjectura, qui forſan non attenderat voci primæ. ſane Pall. ex Hittorp. exhibent; *non autem tum, &c. vocabamur*.

1. *Quam*

ſtantiæ, quantum gravitatis in hujus ordinis conſilio eſſet,
populo Rom. declarare poſſetis. Recordamini, qui dies
nudiuſtertiuſdecimus fuerit, quantus conſenſus veſtrûm,
quanta virtus, quanta conſtantia: [1] quam ſitis à populo
Rom. laudem, quam gloriam, quam gratiam conſecuti.
Atque illo die, P. C. ea conſtituiſtis, ut vobis nihil jam ſit
integrum, niſi aut *honeſta pax*, aut *bellum neceſſarium*. Pa-
cem vult M. Antonius? arma ponat, roget, deprecetur. ne-
minem æquiorem me reperiet: cui dum ſe civibus impiis
commendat, inimicus eſſe, quàm amicus maluit. nihil eſt
profectò, quod *dari* poſſit bellum gerenti. erit fortaſſe ali-
2 quid, quod concedi poſſit roganti. Legatos verò ad eum
mittere, de quo graviſſimum judicium nudiuſtertiuſdeci-
mus feceritis, non jam levitatis eſt, ſed, ut, quod ſentio,
dicam, dementiæ. Primùm duces eos laudaviſtis, qui con-
tra illum bellum privato conſilio ſuſcepiſſent: deinde mi-
lites veteranos, qui cum ab Antonio in colonias eſſent de-
ducti, illius *beneficio* libertatem populi Rom. antepoſue-
runt. Quid? legio Martia: quid? Quarta, cur laudantur?
ſi enim conſulem ſuum reliquerunt, vituperandæ ſunt: ſi
inimicum reipub. jure laudantur. Atqui cum conſules
nondum haberetis, decreviſtis, ut & de præmiis militum,
& de honoribus imperatorum primo quoque tempore re-
ferretur. Placet eodem tempore præmia conſtituere iis, qui
contra Antonium arma ceperunt, & legatos ad Antonium
mittere? ut jam pudendum ſit, honeſtiora decreta eſſe le-
gionum, quàm ſenatus. ſiquidem legiones decreverunt ſe-
natum defendere contra M. Antonium: ſenatus decernit
legatos ad Antonium. Utrùm hoc eſt confirmare militum
animos, an debilitare virtutem? [2] Hoc *dies duodecim profe-
cerunt*, ut, quem nemo, præter Cotylam, tum inventus ſit,
qui defenderet, is habeat jam patronos etiam conſulareis.
qui utinam omnes ante me ſententiam rogarentur. (quam-
quam ſuſpicor, quid dicturi ſunt quidam eorum, qui poſt
me rogabuntur.) faciliùs contra dicerem, ſi quid videretur.
eſt enim opinio, decreturum aliquem M. Antonio illam
ultimam Galliam, quam Plancus obtinet. [3] Quid hoc aliud
eſt, quàm ad bellum civile *hoſti arma largiri*? primùm ner-
vos belli, pecuniam infinitam, qua nunc eget: deinde equi-
tatum, quantum velit. equitatum dico? dubitabit, credo,
genteis barbaras ſecum adducere. Hoc qui non videt, ex-
cors: qui, cùm videt, decernit, impius. Tu civem ſcelera-
tum, & perditum, Gallorum, & Germanorum exercitu,
pecunia, peditatu, equitatu, copiis inſtrues? nullæ iſtæ ex-
cuſationes ſunt: Meus amicus eſt. [4] ſit patriæ priùs. Meus
cognatus. an poteſt COGNATIO ulla propior eſſe, quam pa-
triæ in qua parentes etiam continentur? Mihi pecuniam
attribuit. cupio videre, qui id audeat dicere. Quid autem
agatur, cum aperuero, facile erit ſtatuere, quam ſententiam
3 dicatis, aut quam ſequamini. Agitur, utrùm M. Antonio
facultas detur, opprimendæ reip. cædis faciendæ bonorum,
diripiendæ urbis, agrorum ſuis latronibus condonandi, po-
pulum Rom. ſervitute opprimendi: an horum nihil facere
ei liceat. dubitate quid agatis. At non cadunt hæc in An-
tonium. hoc ne Cotyla quidem dicere auderet. quid enim
in eum non cadit? qui, cujus *acta* ſe defendere dicit, ejus
eas *leges* pervertit, quas maximè laudare poteramus. Ille
paludes ſiccare voluit: hic omnem Italiam moderato ho-
mini, L. Antonio dividendam dedit. Quid? hanc legem
populus Rom. accepit? quid? per auſpicia ferre potuit?
Sed augur verecundus ſine collegis de auſpiciis. quamquam
illa auſpicia non egent interpretatione augurum. Jove enim
tonante cum populo agi non eſſe fas, quis ignorat? Tri-
buni pleb. tulerunt de provinciis contra acta Cæſaris, ille
biennii, iſte ſexennii. num etiam hanc legem populus
Rom. accepit? quid? promulgata fuit? quid? nonne ante
lata, quàm ſcripta? nonne ante *factam* vidimus, quàm fu-
turam quiſquam eſt ſuſpicatus? ubi lex Cæcilia, & Didia?
ubi promulgatio, trinundinum? ubi pœnæ recenti lege Ju-
nia, & Licinia? poſſuntne hæ leges ratæ eſſe ſine *interitu*
legum reliquarum? Eccui poteſtas in forum introëundi
fuit? quæ porro illa tonitrua? quæ tempeſtas? ut, ſi au-
ſpicia M. Antonium non moverent, ſuſtinere tamen eum,
ac ferre potuiſſe tantam vim tempeſtatis, imbris, ac turbi-
num, mirum videretur. Quam legem igitur ſe augur dicit
tuliſſe, non modo tonante Jove, ſed prope *cæleſti clamore
prohibente*, hanc dubitabit contra auſpicia latam confiteri?
Quid? quòd cum eo collega tulit, quem ipſe fecit ſua nun-
tiatione vitioſum, nihil ne ad auſpicia bonus augur arbitra-
tus eſt pertinere? Sed auſpiciorum nos fortaſſe erimus in- 4
terpretes, qui ſumus ejus collegæ. num ergo etiam armo-
rum interpretes quærimus? Primùm omnes fori aditus ita
ſunt ſæpti, ut etiam ſi nemo obſtaret armatus, tamen, niſi
ſæptis revulſis, introiri in forum nullo modo poſſet. ſic
verò erant *diſpoſita præſidia*, [5] ut quomodo aditus hoſtium
prohibetur caſtellis, & operibus, ita ab ingreſſione fori po-
pulum, tribunoſque pl. propulſari videres. Quibus de cau-
ſis eas leges, quas M. Antonius tuliſſe dicitur, omneis cen-
ſeo per vim, & contra auſpicia latas, iiſque legibus popu-
lum non teneri. Si quam legem de actis Cæſaris confir-
mandis, deve dictatura in perpetuum tollenda, [6] deve colo-
niis in agros deducendis, tuliſſe M. Antonius dicitur; eaſ-
dem leges de integro, ut populum teneant, ſalvis auſpiciis
ferre placet. Quamvis ergo leges bonas vitioſe, per vimque
tulerit: tamen hæ leges non ſunt habendæ: omniſque au-
dacia gladiatoris amentis, auctoritate noſtra repudianda eſt.
Illa verò diſſipatio *pecuniæ publicæ* ferenda nullo modo eſt,
per quam ſeſtertium ſepties millies falſis perſcriptionibus,
donationibuſque avertit: ut portenti ſimile videatur, tan-
tam pecuniam populi Rom. tam brevi tempore perire po-
tuiſſe. Quid? illi immanes *quæſtus*, ferendine, quos M. An-
tonii tota exhauſit domus? decreta falſa vendebat. regna,
civitates, immunitates, in æs, accepta pecunia, jubebat in-
cidi. hæc ſe ex commentariis Cæſaris, quorum ipſe auctor
erat, agere dicebat. [7] calebant in interiore ædium parte to-
tius reip. nundinæ: mulier ſibi felicior, quam viris, au-
ctionem provinciarum, regnorumque faciebat: reſtitue-
bantur exſules, quaſi lege, ſine lege: quæ niſi auctoritate
ſenatus reſcinduntur, quoniam ingreſſi in ſpem reip. re-
cuperandæ ſumus, imago nulla liberæ civitatis relinque-
tur. Neque ſolum commentariis commentitiis, chirogra-
phiſque venalibus innumerabilis pecunia congeſta in illam
domum eſt, cum, quæ vendebat Antonius, ea ſe ex actis
Cæſaris agere diceret: ſed ſenatus etiam conſulta, pecu-
nia accepta, *falſa* referebat: ſyngraphæ obſignabantur: ſena-
tuſconſulta, tanquam facta, ad ærarium referebantur. Hu-
jus turpitudinis teſtes erant etiam exteræ nationes. Fœdera
interea facta: regna data: populi, provinciæque liberatæ:
earumque rerum falſæ tabulæ, gemente populo Rom. toto
Capitolio figebantur. quibus rebus tanta pecunia una in
domo

1. *Quam ſitis à pop. Rom. laudem, quam gloriam, quam gratiam conſecuti.*] Ita fere mſſ. ſed non uni: e diverſis erutum eſt. nimirum *quantum* ter repetitum excipit tribus *quàm*. id dum non attendunt librarii mirè hallucinati ſunt.

2. *Hoc duodecim dies profecerunt.*] Revocavi lectionem veterum editionum ſubnixam plurium librorum mſſ. auctoritate. Ferrario alterum placuit *perfecerunt*. ſtatimque id amplexi Manutius ac Lambinus, ſed ſine ratione.

3. *Quid eſt aliud, omnia ad bellum civile, &c.*] Hanc ſcripturam codicum Ferrarii, firmat Pal. ſec. prius cuſi: *Quid hoc aliud, quàm ad bellum civ.* inepte; nam *arma* heic interpretatur pecuniam ac militem.

4. *Sit patriæ prius.*] Stultè Lambinus *patria.* numquam ita loquitur Cicero; & abjudicant omnes mſſ.

5. *Ut quomodo hoſtium aditus prohibentur caſtellis & operibus, ita, &c.*] Sic Pal. quoque ſec. niſi quod is *à caſtellis*. mſſ. Ferrarii habent, *ut quom. hoſt. ad proh. ita caſtellis, &c. operibus ab ing. &c.* at Manutius & Lambinus exhibent nobis: *aditus urbe prohibentur, ita caſtellis, &c.*

6. *Deve Coloniis in agris deducendis.*] Maur. Lil. Gembl. Pal. ſec. *colonis in agrum.* alluditque pr. in quo *colonis in agrum.*

7. *Calebant in interiore ædium, &c.*] Ita quidem Man. & Lamb. ſed noſtris in libris non exſtat illud *calebant*, quod plurimum tamen confert ſententiæ.

domo coacervata eſt, ut, ſi hoc genus in unum redigatur,
5 non ſit pecunia populo Rom. defutura. Is *legem* etiam *judiciariam* tulit, homo caſtus atque integer: judiciorum, & juris auctor. in quo nos fefellit. Anteſignanos, & manipulareis, & Alaudas, judices ſe conſtituiſſe dicebat. at ille legit aleatores, legit exſules, legit Græcos. O conſeſſum judicum præclarum! ô dignitatem conſilii admirandam! [1] avet animus apud conſilium illud pro reo dicere. Cydam Cretenſem, portentum inſulæ, hominem audaciſſimum, & perditiſſimum. ſed fac ita non eſſe, num Latinè ſcit? num eſt [2] ex judicum genere, & forma? [3] num leges noſtras, moreſve novit? num denique homines? eſt enim Creta vobis notior, quàm Roma Cydæ. Delectus autem, & notatio judicum, etiam in noſtris civibus haberi ſolet. Gortynium verò judicem quis novit, aut quis noſſe potuit? Nam Lyſiadem Athenienſem plerique novimus. eſt enim Phædri, philoſophi nobilis, filius: homo præterea feſtivus, ut ei M. Curio, conſeſſore eodem, & colluſore, facillimè poſſit convenire. Quæro igitur, ſi Lyſiades citatus judex non reſponderit, excuſeturque Areopagites eſſe, nec debere eodem tempore Romæ, & Athenis res judicare: accipietne excuſationem is, qui quæſtioni præerit, Græculi judicis, modò palliati, modò togati? An Athenienſium antiquiſſimas leges negliget? Qui porrò ille conſeſſus, dii boni? Cretenſis judex, iſque nequiſſimus. [4] quem ad hunc reus alleget? quomodo accedat? *dura natio* eſt. At Athenienſes *miſericordes*. puto ne Curium quidem eſſe crudelem, qui quotidie periculum fortunæ faciat. Sunt item lecti judices, qui fortaſſe excuſabuntur. habent enim legitimam excuſationem, exſilii cauſa ſolum vertiſſe, nec eſſe poſtea reſtitutos. Hos ille demens judices legiſſet: horum nomina ad ærarium detuliſſet: his magnam partem reip. credi-
6 diſſet, ſi ullam *ſpeciem reip.* cogitaviſſet? Atque ego de notis judicibus dixi. quos minus noſtis, nolui nominare: ſaltatores, cithariſtas, totum denique comeſſationis Antonianæ chorum, in tertiam decuriam judicum ſcitote [5] eſſe conjectum. hæc cauſa, cur lex tam egregia, tamque præclara, maximo imbri, tempeſtate, ventis, procellis, turbinibus, inter fulmina, & tonitrua ferretur, ut eos judices haberemus, [6] quos ſocios ad epulas hoſpites habere nemo velit. ſcelerum magnitudo, conſcientia maleficiorum, direptio ejus pecuniæ, cujus ratio in æde Opis confecta eſt, hanc tertiam decuriam excogitavit: nec antè turpes judices quæſiti, [7] quàm honeſtis judicibus *nocentium ſalus* deſperata eſt. [8] Sed illud os, illam impuritatem cœni feciſſe, ut hos judices legere auderet! quorum lectione duplex imprimeretur reip. dedecus: unum, quòd tam turpes judices eſſent: alterum, quòd patefactum eſſet, quàm multos in civitate turpeis haberemus. [9] Hanc ergo, & reliquas ejuſmodi leges, etiam ſi ſine vi, ſalvis auſpiciis, eſſent rogatæ, cenſerem tamen abrogandas. [10] nunc vero cur non abrogandas cenſeam, quas judico non rogatas? An illa non graviſſimis ignominiis, monumentiſque hujus ordinis ad poſteritatis memoriam, ſunt notanda, quòd unus M. Antonius in hac urbe poſt urbem conditam palam ſecum habuit *armatos?* quod neque reges fecerunt, neque ii, qui, regibus exactis, regnum occupare voluerunt. Cinnam memini: vidi Sullam: modò Cæſarem. hi enim tres poſt civitatem à L. Bruto liberatam, plus potuerunt quam univerſa reſp. non poſſum affirmare, nullis telis eos ſtipatos fuiſſe: hoc dico, nec multis, *& occultis.* At hanc peſtem agmen armatorum ſequebatur: Claſſitius, Muſtela, Tiro, gladios oſtentantes, ſui ſimileis greges ducebant per forum: certum agminis locum tenebant barbari ſagittarii. cum autem erat ventum ad ædem Concordiæ, gradus complebantur, lecticæ collocabantur: non quo ille ſcuta occulta eſſe vellet, ſed ne familiares, ſi ſcuta ipſi ferrent, laborarent. Illud verò tæterrimum auditu, non modo ad- 7
ſpectu, in cælla Concordiæ collocari armatos, latrones, ſicarios: è templo carcerem fieri: [11] opertis valvis Concordiæ, cùm inter ſubſellia ſenatus verſarentur latrones, patres conſcriptos ſententias dicere. Huc etiam niſi venirem Kalend. Septemb. fabros ſe miſſurum, & domum meam diſturbaturum eſſe dixit. Magna res, credo, agebatur. de ſupplicatione referebatur. Veni poſtridie: ipſe non venit. locutus ſum de rep. minùs equidem *liberè*, quàm mea conſuetudo: liberiùs tamen, quàm pericula, minæque poſtulabant. At ille homo vehemens, & violentus, qui hanc conſuetudinem liberè dicendi excluderet (fecerat enim hoc idem maxima cum laude L. Piſo XXX. diebus ante me) inimicitias mihi denuntiavit: adeſſe in ſenatu juſſit ad XIII. Kalend. Octob. ipſe interea decem & ſeptem dies [12] (ut digeſtio potius, quàm declamatio, videretur) de me in Tiburtino Scipionis declamitavit, ſitim quærens. hæc enim ei cauſa eſſe ſolet declamandi. Cum is dies, quo me adeſſe juſſerat, veniſſet, tum verò agmine quadrato in ædem Concordiæ venit, atque in me abſentem orationem ore impuriſſimo evomuit. quo die, ſi per amicos mihi cupienti in ſenatum venire licuiſſet, cædis initium feciſſet à me. ſic enim ſtatuerat. cum autem *ſemel* gladium ſcelere imbuiſſet, nulla res ei finem cædendi, niſi defatigatio, & ſatietas, attuliſſet. etenim aderat L. frater, gladiator Aſiaticus, qui mirmillo Mylaſis depugnarat: ſanguinem noſtrum ſitiebat, ſuum in illa gladiatoria pugna multum profuderat. hic pecunias noſtras æſtimabat: poſſeſſiones notabat & urbanas & ruſticas: hujus mendicitas *aviditate* conjuncta, in fortunas noſtras imminebat: dividebat agros, quibus, & quos volebat: nullus aditus erat privato, nulla æquitatis deprecatio. tantum quiſque habebat poſſeſſor, quantum reliquerat diviſor Antonius. Quæ quamquam, ſi leges irritas feceritis, rata eſſe non poſſunt: tamen ſeparatim ſuo nomine notanda cenſeo: judicandumque, nullos ſeptemviros fuiſſe: nihil placere ratum eſſe, quod ab iis actum diceretur. M. verò Antonium 8
quis eſt, qui civem poſſit judicare potius, quàm tæterrimum, & crudeliſſimum hoſtem, qui pro Caſtoris æde ſedens, audiente pop. Rom. dixerit, *niſi victorem, victurum neminem?* num putatis, P. C. dixiſſe eum minaciùs, [13] quàm factu-

1. *Avet animus.*] Haud aliter Man. & Lamb. & recte. ſed tamen edd. priores & mſſ. noſtri, *Pavet animus.*

2. *Ex judicum genere & forma.*] Quidam libri Ferrarii, *& fortuna.*

3. *Num leges noſtras, &c.*] Lamb. & Man. *num quod maximum eſt, leges.* malim quod iidem habent ad oram: *numquod caput eſt, leges.* ſcripti tamen noſtri nihil horum agnoſcunt.

4. *Quem ad hunc reus alleget.*] Sic & Pall. ſec. & Mauric. nam vulgata, *quemadmodum ad hunc.* at Pal. pr. *quomodo ad hunc reus alleget? quemadmodum ad hunc accedat?*

5. *Eſſe conjectum.*] Conjecit iſtud Victorius lib. x. Var. lect. cap. 7. prius enim *collectum*, neque aliter mſſ.

6. *Quos ſocios ad epulas hoſpites habere nemo velit.*] Invenitur hæc lectio in omnibus noſtris mſſ. item Ferrarianis. indicat tamen Lambinus Vaticanum exemplar detrahere illud *ſocios ad epulas*; atque inclementiſſime invehitur in optimum Victorium, qui l. XXIX. cap. 11. conjecerat *hoſpes habere.* quin proculdubio noſtram hanc ſcripturam invenerat in libris ſuis ſcriptis.

7. *Quàm honeſtis judicibus, &c.*] Mauricianus *judiciis.* reſtat tamen altera in Pall. quamvis & illa in Maturantiana.

8. *Sed illud os, illam impuritatem cœni feciſſent.*] Hæc eſt ſcriptura librorum olim excuſorum, atque mſſ. nam Man. & Lamb. *fuiſſe.* Pal. pr. loco *cœni* habet lacunulam. ſec. verò ita ſcriptus eſt, ut præferat omninò CCIII. & videndum acutioribus. numne heic numerus judicum latere poſſit.

9. *Hanc ergo & reliqua, &c.*] Vulgò *ego.* ſed noſtrum reſtat in Pall. Maur. & ſcriptis aliquot Ferrarii, videturque vehementius.

10. *Nunc verò cur non abrogandas cenſeam, &c.*] Hæc eſt recepta lectio. at Pal. ſec. & Maur. *cur abrog.* ſine negativa, quæ non ſolum abeſt Pal. pr. ſed etiam *cur.* illud *non* etiam neglexit Man. ac Lamb.

11. *Opertis valvis Concordiæ.*] Haud ſecus etiam Pal. ſec. & Maurit. non *apertis*, ut olim cuſi.

12. *Ut digeſtio potius quàm declamatio videretur.)*] Totum iſtud abjecere Man. & Lamb. ſuaſu Ferrarii, qui tamen fatetur exſtare in ſuis omnibus; idemque teſtor de Pall.

13. *Quàm facturum fuiſſe.*] Dictio *fuiſſe*, mihi ſupervacua videtur.

1. *Ad*

factúrum fuiſſe? Quid verò, quòd in concione dicere auſus eſt, ſe, cum magiſtratu abiiſſet, [1] ad urbem venturum cum exercitu? introiturum, quotieſcumque vellet? quid erat aliud, niſi denuntiare populo Rom. *ſervitutem*? Quod autem ejus iter Brundiſium? quæ feſtinatio? quæ ſpes, niſi ut [2] ad urbem vel in urbem potius, exercitum maximum adduceret? qui autem delectus centurionum? quæ effrenatio impotentis animi? Cùm ejus promiſſis legiones fortiſſimæ reclamaſſent, domum ad ſe venire juſſit centuriones, quos bene de rep. ſentire cognoverat: eoſque ante pedes ſuos, uxoriſque ſuæ, quam ſecum *gravis* imperator ad exercitum duxerat, jugulari coegit. Quo animo hunc futurum fuiſſe cenſetis in nos, quos oderat, cùm in eos, quos numquam viderat, tam crudelis fuiſſet? & quàm avidum in *pecuniis* locupletum, qui pauperum ſanguinem concupiſſet? quorum ipſorum bona, quantacunque erant, ſtatim comitibus ſuis, compotoribuſque deſcripſit. Atque ille furens infeſta jam patriæ ſigna Brundiſio inferebat: cùm Cæſar *deorum* immortalium beneficio, divini animi, ingenii, conſilii magnitudine, [3] quamquam ſua ſponte, eximiaque virtute, tamen approbatione auctoritatis meæ, colonias patris adiit: veteranos milites convocavit: paucis diebus exercitum fecit: incitatos latronis impetus retardavit. Poſteà verò, quàm legio Martia ducem præſtantiſſimum vidit, nihil egit aliud, niſi, ut aliquando liberi eſſemus: quam
9 eſt imitata quarta legio. Quo ille nuntio audito, cùm ſenatum vocaſſet, adhibuiſſetque conſularem, qui ſua ſententia C.Cæſarem hoſtem judicaret, repentè concidit. pòſt autem neque ſacrificiis ſollemnibus factis, neque votis nuncupatis, [4] non profectus eſt, ſed profugit paludatus. At quo? in provinciam firmiſſimorum, & fortiſſimorum civium: qui illum, ne ſi ita quidem veniſſet, ut nullum bellum inferret, *ferre* potuiſſent: impotentem, iracundum, contumelioſum, ſuperbum, ſemper poſcentem, ſemper rapientem, ſemper ebrium. At ille, cujus ne pacatam quidem nequitiam quiſquam ferre poſſet, bellum intulit provinciæ Galliæ: circumſedit Mutinam, firmiſſimam, & ſplendidiſſimam populi Romani coloniam: oppugnat D. Brutum imperatorem, conſulem deſignatum, civem non ſibi, ſed nobis, & reip. natum. Ergo Hannibal hoſtis, civis Antonius? quid ille fecit hoſtiliter, quod hic non aut fecerit, aut faciat, aut moliatur, & cogitet? Totum iter Antonii quid habuit, niſi depopulationes, vaſtationes, cædeis, rapinas? quas non faciebat Hannibal, quia multa *ad uſum ſuum* reſervabat. at hi, qui in horam viverent, non modò de fortunis, & de bonis civium, ſed ne de utilitate quidem ſua cogitaverunt. Ad hunc (dii boni) legatos mitti placet? norunt iſti homines formam reip. jura belli, exempla majorum? cogitant, quid populi Rom. majeſtas, quid ſenatus ſeveritas poſtulet? *Legatos* decernitis: ſi ut deprecentur, contemnet; ſi ut imperetis, non audiet: denique quamvis ſevera legatis mandata dederimus, nomen ipſum legatorum, hunc, quem videmus, populi Rom. reſtinguet ardorem: municipiorum, atque Italiæ franget animos. ut omittam hæc, quæ magna ſunt: certè iſta legatio moram, & tarditatem afferet bello. Quamvis dicant, quod quoſdam audio dicturos: Legati proficiſcantur: bellum nihilominùs paretur: tamen legatorum nomen ipſum & animos mol-
10 liet, & belli celeritatem morabitur. MINIMIS momentis, P.C. maximæ inclinationes temporum fiunt, cùm in omni caſu reip. tum in bello, & maximè civili: quod opinione plerumque, & fama gubernatur. Nemo quæret, quibuſcum mandatis legatos miſerimus: nomen ipſum legationis ultrò miſſæ, *timoris* eſſe ſignum videbitur. Recedat à Mutina, deſinat oppugnare Brutum, decedat ex Gallia: non eſt verbis rogandus, cogendus eſt armis. non enim ad Hannibalem mittimus, ut à Sagunto recedat, ad quem miſerat olim ſenatus [5] P. Valerium Flaccum, & Q. Bœbium Tampilum: qui, ſi Hannibal non pareret, Karthaginem ire juſſi ſunt. noſtros legatos quò jubebimus ire, [6] niſi paruerit Antonius, ne imperatorem, ne coloniam populi Rom. oppugnet? Itane verò? hoc per legatos rogandus eſt? Quid *intereſt*, per deos immortaleis, utrùm hanc urbem oppugnet, an hujus urbis propugnaculum, coloniam populi Rom. præſidii cauſa collocatam? Belli Punici ſecundi, quod contra majores noſtros Hannibal geſſit, cauſa fuit Sagunti oppugnatio. rectè ad eum legati miſſi. mittebantur ad Pœnum, [7] mittebantur pro Hannibalis hoſtibus, noſtris ſociis. Quid ſimile tandem? nos *ad civem* mittemus, ne imperatorem populi Rom. ne exercitum, ne coloniam circumſedeat, ne oppugnet, ne agros depopuletur, ne ſit hoſtis? Age, ſi paruerit, hoc cive uti aut volumus, aut poſſumus? Ante diem XIII. Kalendas Jan. decretis veſtris, 11
eum concidiſtis: conſtituiſtis, ut hæc ad vos Kalend. Jan. referrentur, quæ referri videtis, de honoribus, & præmiis bene de rep. meritorum, & merentium: quorum principem judicaviſtis eum, qui fuit, C.Cæſarem, qui M.Antonii impetus nefarios ab urbe [8] in Galliam vertit: deinde milites veteranos, qui primi Cæſarem ſecuti ſunt: tum illas cœleſteis, divinaſque legiones, Martiam, & Quartam, quibus, cùm conſulem ſuum non modò reliquiſſent, ſed bello etiam perſequerentur, honores & præmia ſpopondiſtis: eodemque die D.Bruti, præſtantiſſimi civis, edicto allato, atque propoſito, factum ejus collaudaviſtis: quodque ille bellum *privato* conſilio ſuſceperat, id vos auctoritate publica comprobaſtis. Quid igitur illo die aliud egiſtis, niſi ut re hoſtem judicaretis Antonium? his veſtris decretis aut ille vos æquo animo adſpicere poterit, aut vos illum ſine ſummo dolore videbitis? Excluſit illum à rep. diſtraxit, ſegregravit non ſolùm ſcelus ipſius, ſed etiam, ut mihi videtur, fortuna quædam reip. qui ſi legatis paruerit, Romamque redierit: num quando perditis civibus *vexillum*, quò concurrant, defuturum putatis? Sed hoc minùs vereor. ſunt alia, ob quæ magis numquam parebit ille legatis. novi hominis inſaniam, arrogantiam: novi perdita *conſilia amicorum*, quibus ille eſt deditus. Lucius quidem frater ejus, utpote qui peregrè depugnarit, familiam ducit. ſi per ſe ipſe ſanus, quod numquam erit; per hos eſſe ei tamen non licebit. Teretur intereà tempus: belli apparatus refrigeſcent. unde eſt adhuc bellum, niſi ex retardatione, & *mora*? ut primùm poſt diſceſſum latronis, vel potius deſperatam fugam, liberè ſenatus haberi potuit; ſemper flagitavi, ut convocaremur. quo die primum convocati ſumus, cùm deſignati conſules non adeſſent, jeci, ſententia mea, maximo veſtro conſenſu, *fundamenta reip.* ſeriùs omnino, quàm decuit: nec enim ante potui: ſed tamen ſi ex eo tempore dies nullus intermiſſus eſſet, bellum profecto nullum haberemus. OMNE MALUM naſcens facile opprimitur: inveteratum, fit plerumque robuſtius. Sed tum exſpectabantur Kalendæ Jan. fortaſſe non rectè. Verùm 12
præterita omittamus. etiamne hanc moram afferemus, dum proficiſcantur legati? dum revertantur? quorum exſpecta-

tio

1. *Ad urbem venturum cum exercitu.*] Sic noſtri & olim cuſi. Man. & Lamb. *futurum.* ſi è pluteariis libris, approbo.

2. *Ad urbem, vel in urbem potius.*] Non aliter quoque Pal. ſec. retrò impreſſi tantum, *ad urbem potius;* tanquam ſi illud *vel in urbem*, fuiſſet lectio varians.

3. *Quamquam, &c. tamen.*] Eſt ſic quoque in Pal. ſec. non ut in olim publicatis, *cùm, &c. tamen.*

4. *Non profectus eſt, ſed profugit.*] Habet hoc etiam Pal. ſec. negatio enim ceteris edd. vetuſtis abeſt, item *ſed.*

5. *P. Valerium Flaccum.*] Reperi in Pal. ſec. quod Ferrarius, in ſuis, minimè ſcilicet convenire cum vulgatis in cognomine hujus legati. habet is autem *Anſalcum.* ut fuerit forte, *P. Valerium A. N. Flaccum.* hoc eſt, *Auli Nepotem.* ſed quis ille eximius?

6. *Niſi paruerit Antonius, ne Imper. &c. oppugnet?*] Eſt ab omnibus mſſ. Ferrarii, ſtabilitque Pal. ſec. male hactenus toleravimus, *Antonius? ad civem noſtrum mittimus, ne imperatorem, &c.* quæ media huc inculcata ex iis quæ mox deinde ſequentur.

7. *Mittebantur pro Hannibalis hoſtibus, noſtris ſociis.*] Nihil divertit ab hac ſcriptura Pal. ſec. niſi quod præferat *Hannibale.* Vulgata vetuſtius, *mitt. pro Hannibale hoſtib. noſtris & ſociis.* poſterior, *mittes. ad Hannibalem pro hoſpitib. noſtris & ſociis.*

8. *In Galliam vertit.*] Lambinus avertit, quod & in libro Maur.

1. Fa-

tio dubitationem belli afferet. BELLO autem dubio, quod poteſt ſtudium eſſe delectus? Quamobrem, P.C. legatorum mentionem nullam cenſeo faciendam: rem adminiſtrandam arbitror ſine ulla mora, & confeſtim gerendam: tumultum decerni, juſtitium indici, ſaga ſumi dico oportere, delectum haberi, ſublatis vacationibus in urbe, & in Italia, præterea Gallia tota. quæ ſi erunt facta: opinio ipſa, & fama veſtræ ſeveritatis obruet ſcelerati gladiatoris amentiam. ſentiet ſibi bellum cum rep. eſſe ſuſceptum: experietur conſentientis ſenatus nervos, atque vireis. nam nunc quidem *partium contentionem* eſſe dictitat. quarum partium? alteri victi ſunt, alteri ſunt è mediis C. Cæſaris partibus. niſi fortè Cæſaris parteis à Panſa, & Hirtio conſulibus, & à filio C. Cæſaris oppugnari putamus. Hoc verò bellum non eſt ex diſſenſione partium, ſed ex nefaria ſpe perditiſſimorum civium excitatum: quibus bona, fortunæque noſtræ notatæ ſunt, & jam ad cujuſque opinionem diſtributæ. Legi epiſtolam Antonii, quam ad quendam ſeptemvirum, capitalem hominem, collegam ſuum, miſerat. QUID CONCUPISCAS, TU VIDERIS: QUOD CONCUPIVERIS, CERTE HABEBIS. Hem, ad quem legatos mittamus: cui bellum moremur inferre: qui ne ſorti quidem [1] fortunas noſtras deſtituit, ſed libidini cujuſque nos ita addixit, ut ne ſibi quidem quidquam integrum, quod non alicui promiſſum jam ſit, reliquerit. cum hoc, P.C. bello, bello, inquam, decertandum eſt, idque confeſtim. legatorum tarditas repudianda eſt. Quapropter, ne multa nobis quotidie decernenda ſint: conſulibus totam rempub. committendam cenſeo, hiſque permittendum, ut remp. defendant, provideantque, ne quid reſp. detrimenti accipiat: cenſeoque, ut iis, qui in exercitu Antonii ſunt, ne ſit ea res fraudi, ſi ante Kalendas Febr. ab eo *diſceſſerint*. Hæc ſi cenſueritis, patres conſcripti, brevi tempore libertatem populi Rom. auctoritatemque veſtram recuperabitis. ſin autem lenius agetis: tamen eadem, ſed fortaſſe ſeriùs decernetis. De rep.
13 quoad retuliſtis, ſatis decreviſſe videor. Altera res eſt de honoribus: de quibus deinceps intelligo eſſe dicendum. Sed qui ordo in ſententiis rogandis ſervari ſolet, eundem tenebo in viris fortibus honorandis. A Bruto igitur, conſule deſignato, more majorum capiamus exordium: cujus ut ſuperiora omittam, quæ ſunt maxima illa quidem, ſed adhuc hominum magis *judiciis*, quàm publicè laudata: quibuſnam verbis ejus laudes hujus ipſius temporis conſequi poſſumus? neque enim ullam mercedem tanta virtus, præter hanc laudis, gloriæque deſiderat. qua etiam ſi careat, tamen ſit ſeipſa contenta, atque in memoria gratorum civium, tamquam *in luce*, poſita lætetur. laus igitur judicii, teſtimoniique veſtri, tribuenda Bruto eſt. Quamobrem his verbis, P.C. ſenatuſconſultum faciendum cenſeo: CUM D. BRUTUS, imp. cos. deſignatus, provinciam Galliam in ſenatus, populique Rom. poteſtate teneat: cumque exercitum tantum, tam brevi tempore, ſummo ſtudio municipiorum, coloniarumque provinciæ Galliæ, optimè de repub. meritæ, merentiſque, conſcripſerit, compararit: id eum rectè, & ordine, exque repub. feciſſe: idque D. Bruti præſtantiſſimum meritum in remp. ſenatui, populoque Rom. gratum eſſe, & fore. itaque ſenatum, populumque Rom. exiſtimare, D. Bruti, imp. cos. deſignati opera, conſilio, virtute, incredibilique ſtudio, & conſenſu provinciæ Galliæ, reip. *difficillimo tempore* eſſe ſubventum. Huic tanto merito Bruti, P.C. tantoque in remp. beneficio, quis eſt tantus honos, qui non debeatur? nam ſi M. Antonio patuiſſet Gallia, ſi oppreſſis municipiis, & coloniis imparatis, in illam ultimam Galliam penetrare potuiſſet: quantus reip. terror impenderet? dubitaret, credo, homo amentiſſimus, atque omnibus conſiliis præceps, & devius, non ſolum cum exercitu ſuo, ſed etiam cum omni immanitate barbariæ bellum inferre nobis: ut ejus furorem ne Alpium quidem *muro* cohibere poſſemus. Hæc igitur habenda gratia eſt D. Bruto, qui illum, nondum interpoſita auctoritate veſtra, ſuo conſilio, atque judicio, non ut conſulem recepit, ſed, ut hoſtem, arcuit Gallia; ſeque obſideri, quàm hanc urbem, maluit. Habeat ergo hujus tanti facti, tamque præclari decreto veſtro teſtimonium *ſempiternum:* Galliaque, quæ ſemper præſidet, atque præſedit huic imperio, libertatique communi, meritò, vereque laudetur, quòd ſe, ſuaſque vireis non tradidit, ſed oppoſuit Antonio.
Atque etiam M. Lepido pro ejus egregiis in remp. meritis 14
decernendos honores quàm ampliſſimos cenſeo. ſemper ille populum R. liberum voluit, maximumque ſignum illo die dedit voluntatis, & judicii ſui, cùm, Antonio diadema Cæſari imponente, ſe avertit, gemituque & mœſtitia declaravit, quantum haberet odium *ſervitutis:* quàm populum Rom. liberum cuperet: quàm illa, quæ tulerat, temporum magis neceſſitate, quàm judicio tuliſſet. Quanta verò is moderatione uſus ſit in illo tempore civitatis, quod poſt mortem Cæſaris conſecutum eſt, quis noſtrûm oblivíſci poteſt? Magna hæc: ſed ad majora properat oratio. Quid enim, (ô dii immortales!) admirabilius omnibus gentibus, quid optatius populo Rom. accidere potuit, quàm, cùm bellum civile maximum eſſet, cujus belli exitum omnes timeremus, *ſapientia* ejus id potiùs exſtingui, quàm armis, & ferro rem in diſcrimen adducere? Quòd ſi eadem ratio Cæſaris fuiſſet, in illo tætro, miſeroque bello: ut omittam patrem, duos Cn. Pompeii, ſummi, & ſingularis viri, filios incolumeis haberemus: quibus certè *pietas* fraudi eſſe non debet. Utinam omneis M. Lepidus ſervare potuiſſet. facturum fuiſſe declaravit in eo, quod potuit; cùm Sextum Pompejum reſtituit civitati, maximum ornamentum reipublicæ, clariſſimum monumentum clementiæ ſuæ. gravis illa fortuna populi Romani, grave fatum. Pompejo enim patre, quod imperii populi Romani lumen fuit, exſtincto, interfectus eſt patris ſimillimus filius. [2] Sed omnia mihi videntur deorum immortalium ju-
dicio expiata, Sex. Pompejo reip. conſervato. Quam ob 15
cauſam juſtam, atque magnam, & quod periculoſiſſimum civile bellum, maximumque, humanitate, & ſapientia ſua M. Lepidus ad pacem, concordiamque convertit, ſenatuſconſultum his verbis cenſeo perſcribendum CUM A M. LEPIDO, imp. pontifice max. ſæpenumerò reſp. & benè, & feliciter geſta ſit, populuſque Rom. intellexerit, ei dominatum regium maximè diſplicere: cumque ejus opera, virtute, conſilio, ſingularique clementia, & manſuetudine bellum acerbiſſimum civile ſit reſtinctum: Sextuſque Pompejus, Cn. F. Magnus, hujus ordinis auctoritate ab armis diſceſſerit, & à M. Lepido, imp. pont. max. ſumma ſenatus, populique Rom. voluntate civitati reſtitutus ſit: ſenatum, populumque Rom. pro maximis, plurimiſque in remp. M. Lepidi meritis, magnam ſpem in ejus virtute, auctoritate, felicitate, reponere otii, pacis, concordiæ, libertatis: ejuſque in remp. meritorum ſenatum, populumque Rom. memorem fore, eique *ſtatuam equeſtrem* inauratam in Roſtris, aut quo alio loco in foro vellet, ex hujus ordinis ſententia ſtatui placere. qui honos, P.C. mihi maximus videtur primùm, quia juſtus eſt. non enim ſolùm datur propter ſpem temporum reliquorum, ſed pro ampliſſimis meritis redditur: nec verò cuiquam poſſumus commemorare hunc honorem à ſenatu tributum judicio ſena-
tus ſoluto, & libero. Venio ad C. Cæſarem, P.C. qui niſi fuiſ- 16
ſet, quis noſtrûm eſſe potuiſſet? advolabat ad urbem à Brundiſio homo impotentiſſimus, ardens odio, animo hoſtili in omneis bonos, cum exercitu, Antonius. quid hujus audaciæ, & ſceleri poterat opponi? nondum ullos duces habebamus, non copias: nullum erat conſilium publicum,

1. *Fortunas noſtras deſtituit.*] Hæc eſt lectio vulgata, maluique quam Ferrarianam, *deſtinavit*. Pal. ſec. heic deficit neque redit ad officium, niſi Oratione ſeptima. at pr. habet *deſtinuit:* de quo tu Meurſi, tu Sibere cogitabitis.

2. *Sed omnia mihi, &c.*] A quocunque hæc ſit lectio, potior certè eſt olim vulgata; *Sed omnia mihi facta videntur Deor. im. jud. & pietate Sex. Pomp.*

1. *Genera*

eum, nulla libertas: dandæ cervices erant crudelitati nefariæ: fugam quærebamus omnes, quæ ipſa exitum, non habebat. Quis tum nobis, quis populo Rom. obtulit hunc *divinum* adoleſcentem, deus qui, cùm omnia ad perniciem noſtram peſtifero illi civi paterent, ſubitò præter ſpem omnium exortus, prius confecit exercitum: quem furori M. Antonii opponeret, quàm quiſquam hoc eum cogitare ſuſpicaretur. Magni honores habiti Cn. Pompejo, cùm eſſet adoleſcens: & quidem jure. ſubvenit enim reip. Sed ætate multo robuſtior, & militum ducem quærentium ſtudio paratior, & in alio genere belli. non enim omnibus Sullæ *cauſa* grata. declarat multitudo proſcriptorum, tot municipiorum maximæ calamitates. Cæſar autem annis multis minor, veteranos cupientes jam requieſcere, armavit: eam complexus eſt cauſam, quæ eſſet ſenatui, quæ populo, quæ cunctæ Italiæ, quæ diis omnibus *gratiſſima*. Et Pompejus ad L. Sullæ maximum imperium, victoremque exercitum acceſſit: Cæſar ſe ad neminem adjunxit: ipſe princeps exercitus faciendi, & præſidii comparandi fuit. Ille in adverſariorum partibus agrum Picenum habuit inimicum: hic ex Antonii amicis, ſed amicioribus libertatis, contra Antonium confecit exercitum. Illius opibus Sulla regnavit: hujus præſidio Antonii dominatus oppreſſus eſt. Demus igitur imperium Cæſari: ſine quo res militaris adminiſtrari, teneri exercitus, bellum geri non poteſt. ſit pro prætore eo jure, quo qui optimo. qui honos, quamquam eſt magnus *illi ætati*, tamen ad neceſſitatem rerum
17 gerendarum, non ſolùm ad dignitatem valet. Itaque illa quæramus, quæ vix hodierno die conſequemur. Sed ſæpe ſpero fore, hujus adoleſcentis ornandi, honorandique & nobis, & populo Rom. poteſtatem. hoc autem tempore ita cenſeo decernendum: QUOD C. CÆSAR, C. F. pont. pro pr. ſummo reip. tempore milites veteranos ad libertatem populi Rom. cohortatus ſit, eoſque conſcripſerit: quodque legio Martia, Quartaque ſummo ſtudio, optimoque in remp. conſenſu, C. Cæſare duce, & auctore, remp. libertatem populi Rom. defendant, defenderint: & quòd C. Cæſar, pro pr. Galliæ provinciæ cum exercitu ſubſidio profectus ſit: equites, ſagittarios, elephantos in ſuam, populique Rom. poteſtatem redegerit, difficillimoque reip. tempore, ſaluti, dignitatique populi Rom. ſubvenerit: ob eas cauſas ſenatui placere, C. Cæſarem, C. F. pontificem, proprætorem, ſenatorem eſſe, ſententiamque loco prætorio dicere: ejuſque rationem, quemcumque magiſtratum appetet, ita haberi, prout haberi lege liceret, ſi anno ſuperiore quæſtor fuiſſet. Quid eſt enim, P. C. cur eum non quàm primùm ampliſſimos honores capere cupiamus? LEGIBUS enim annalibus cùm grandiorem ætatem ad conſulatum conſtituebant, adoleſcentiæ temeritatem verebantur. C. Cæſar ineunte ætate docuit, ab excellenti, eximiaque virtute progreſſum ætatis exſpectari non oportere. Itaque majores noſtri, veteres illi, admodum antiqui, leges annales non habebant: quas multis pòſt annis attulit *ambitio*, ut gradus eſſent petitionis inter æqualeis. ita ſæpe magna indoles virtutis, priùs quam reip. prodeſſe potuiſſet, exſtincta fuit. At verò apud antiquos, Rulli, Decii, Corvini, multique alii: recentiore autem memoria, ſuperior Africanus, T. Flamininus, admodum adoleſcentes conſules facti, tantas res geſſerunt, ut populi Rom. imperium auxerint, nomen ornarint. Quid Macedo Alexander? cùm ab ineunte ætate res maximas gerere cœpiſſet, nonne tertio & triceſimo anno mortem obiit? quæ eſt ætas noſtris legibus decem annis minor, quàm conſularis. ex quo judicari poteſt, VIRTUTIS eſſe, quàm ætatis curſum celeriorem.
18 Nam quòd ii, qui Cæſari invident, ſimulant, ſe timere: ne verendum quidem eſt, ut tenere ſe poſſit, ut moderari, ne honoribus noſtris elatus intemperantius ſuis opibus utatur. EA NATURA rerum eſt, P. C. ut, qui ſenſum veræ gloriæ ceperit, quique ſe ab ſenatu, ab equitibus, populoque Rom. univerſo ſenſerit civem carum haberi, ſalutaremque reip. nihil cum hac gloria comparandum putet. Utinam C. Cæſari, patri dico, contigiſſet adoleſcenti, ut eſſet ſenatui, atque optimo cuique cariſſimus. quod cùm conſequi neglexiſſet: omnem vim ingenii, quæ ſumma fuit in illo, in *populari levitate* conſumſit. Itaque cùm reſpectum ad ſenatum, & ad bonos non haberet, eam ſibi viam ipſe patefecit ad opes ſuas amplificandas, quam virtus liberi populi ferre non poſſet. Ejus autem filii longiſſimè diverſa ratio: qui cum omnibus eſt, tum optimo cuique cariſſimus. in hoc ſpes libertatis poſita eſt: ab hoc accepta jam ſalus: huic ſummi honores & exquiruntur, & parati ſunt. Cujus igitur ſingularem prudentiam admiramur, ejus ſtultitiam timemus? quid enim *ſtultius*, quàm inutilem potentiam, invidioſas opes, cupiditatem dominandi præcipitem & lubricam anteferre veræ, gravi, ſolidæ gloriæ? An hoc vidit puer: ſi ætate proceſſerit, non videbit? At eſt quibuſdam inimicus clariſſimis, atque optimis civibus. Nullus iſte timor eſſe debet. omnes Cæſar inimicitias reip. condonavit: hanc ſibi judicem conſtituit, hanc moderatricem omnium factorum. Ita enim ad remp. acceſſit, ut eam confirmaret, non ut everteret. omneis habeo cognitos ſenſus adoleſcentis. nihil eſt illi rep. carius, nihil veſtra auctoritate gravius, nihil bonorum virorum judicio optatius, nihil vera gloria dulcius. Quamobrem ab eo non modo nihil timere, ſed majora, & meliora exſpectare debetis: neque, in eo, qui ad D. Brutum obſidione liberandum profectus ſit, timere, ne *memoria* maneat domeſtici doloris, quæ plus apud eum poſſit, quàm ſalus civitatis. Audebo etiam obligare fidem meam, P. C. vobis, populoque Rom. quod profecto, cùm me nulla vis cogeret, facere non auderem, pertimeſceremque in re maxima periculoſam opinionem temeritatis: promitto, recipio, ſpondeo, patres conſcripti, C. Cæſarem, talem ſemper fore civem, qualis hodie ſit, qualemque eum maximè eſſe velle, & optare debemus. Quæ cùm ita ſint, de Cæſare ſatis hoc tempore dictum habebo. Nec verò de 19
L. Egnatuleio, fortiſſimo, & conſtantiſſimo cive, amiciſſimo reip. ſilendum arbitror: ſed tribuendum teſtimonium virtutis egregiæ, quòd is legionem quartam ad Cæſarem adduxerit, quæ præſidio conſulibus, ſenatui, populoque Rom. reique pub. eſſet: ob eam cauſam placere, uti L. Egnatuleio triennium ante *legitimum tempus* magiſtratus petere, capere, gerere liceat. In quo, P. C. non tam commodum tribuitur L. Egnatuleio, quàm honos. in tali enim re ſatis eſt nominari. De exercitu autem C. Cæſaris ita cenſeo decernundum: Senatui placere, militibus veteranis, qui Cæſaris, pontificis, auctoritatemque hujus ordinis defenderint, atque defendant, his, liberiſque eorum, militiæ *vacationem* eſſe: utique C. Panſa, A. Hirtius, conſules, alter, ambove, cognoſcerent, qui ager his coloniis eſſet, quò milites veterani deducti eſſent, qui contra legem Juliam poſſideretur, ut is militibus veteranis divideretur: de agro Campano ſeparatim cognoſcerent, inirentque rationem de commodis militum veteranorum augendis: legionique Martiæ, & legioni quartæ, & iis militibus, qui de legione ſecunda, triceſimaquinta, ad C. Panſam, A. Hirtium, conſules, veniſſent, ſuaque nomina dediſſent: quòd iis ſenatus, populique Rom. libertas cariſſima ſit, & fuerit, vacationem militiæ ipſis, *liberiſque* eorum eſſe placere; extra tumultum Gallicum Italicumque: eaſque legiones, bello confecto, miſſas fieri placere: quantamque pecuniam militibus earum legionum in ſingulos C. Cæſar, pontifex, proprætor pollicitus ſit tantam dari placere: utique C. Panſa, A. Hirtius, conſules, alter, ambove, rationem agri habeant, qui ſine *injuria* privatorum dividi poſſit: iſque militibus legionis Martiæ, & legionis quartæ ita daretur, aſſignaretur, ut quibus militibus ampliſſimè dati, aſſignati eſſent. Dixi ad ea omnia, conſules, de quibus retuliſtis: quæ ſi ſint ſine mora, matureque decreta, faciliùs apparabitis ea, quæ tempus, & neceſſitas flagitat. *celeritate* autem opus eſt: qua ſi eſſemus uſi, bellum, ut ſæpe dixi, nullum haberemus.

M. TULLII CICERONIS
IN
M. ANTONIUM AD QUIRITES,
PHILIPPICA SEXTA.
ORATIO QUADRAGESIMAOCTAVA.

1 AUDITA vobis eſſe arbitror, Quirites, quæ ſint acta in ſenatu, quæ fuerit cujuſq; ſententia. res enim ex Kal. Jan. agitata, paulo ante confecta eſt: minùs quidem illa ſeverè, quàm decuit, non tamen omnino diſſolute. mora eſt allata bello, non cauſa ſublata. Quamobrem, quod quæſivit à me P. Apulejus, homo & multis officiis mihi, & ſumma familiaritate conjunctus, & vobis amiciſſimus, ita reſpondebo, ut ea, quibus non interfuiſtis, noſſe poſſitis. Cauſa fortiſſimis, optimiſque conſulibus Kalendis Januar. de repub. primùm referendi fuit ex eo, quod XIII. Kalendas Jan. ſenatus me auctore decrevit. Eo die primùm, Quirites, *fundamenta* jacta ſunt reip. Fuit enim longo intervallo ita liber ſenatus, ut vos aliquando liberi eſſetis. Quo quidem tempore, etiam ſi ille dies vitæ finem mihi allaturus eſſet, ſatis magnum ceperam fructum, cum vos univerſi una mente, atque voce iterùm à me conſervatam eſſe remp. conclamaſtis. Hoc veſtro judicio tanto, tamque præclaro excitatus, ita, Kalendis Jan. veni in ſenatum, ut meminiſſem, quàm perſonam impoſitam à vobis ſuſtinerem. Itaque bellum nefarium illatum reipub. cùm viderem, nullam moram interponendam inſequendi M. Antonium putavi: hominemque audaciſſimum, qui multis nefariis rebus antè commiſſis, hoc tempore imperatorem populi Romani oppugnaret, coloniam veſtram fidiſſimam, fortiſſimamque obſideret, *bello* cenſui perſequendum: tumultum eſſe decerni, juſtitium edici, ſaga ſumi, dixi placere: quo omnes acriùs, graviuſque incumberent ad ulciſcendas reip. injurias, ſi omnia graviſſimi belli inſignia ſuſcepta à ſenatu viderent. Itaque hæc ſententia, Quirites, ſic per triduum valuit, ut, quamquam diſceſſio facta non eſſet, tamen, præter paucos, omnes mihi aſſenſuri viderentur. Hodierno autem die, neſcio qua objecta re, remiſſior ſenatus fuit. nam plures eam ſententiam ſecuti ſunt, ut, quantum ſenatus auctoritas, veſterque conſenſus apud An-
2 tonium valiturus eſſet, per legatos experiremur. Intelligo, Quirites, à vobis hanc ſententiam repudiari: neque injuria. ad quem enim legatos? ad eumne, qui pecunia publica diſſipata, atque effuſa, per vim, & contra auſpicia impoſitis populo Rom. legibus, fugata concione, obſeſſo ſenatu, ad opprimendam rempub. Brundiſio legiones arceſſierit? ab his relictus cum latronum manu in Galliam irruperit? Brutum oppugnet? Mutinam circumſedeat? quæ vobis poteſt cum hoc gladiatore conditionis, æquitatis, *legationis eſſe communitas?* Quamquam, Quirites, non eſt illa legatio, ſed denuntiatio belli, niſi paruerit. ita enim eſt decretum, ut ſi legati ad Hannibalem mitterentur. mittuntur enim qui nuntient, ne oppugnet conſulem deſignatum, ne Mutinam obſideat, ne provinciam depopuletur, ne delectus habeat; ſit in ſenatus, populique Rom. poteſtate. Facile verò huic denuntiationi parebit, ut in patrum conſcriptorum, atque in veſtra poteſtate ſit, qui in ſua numquam fuerit! Quid enim ille umquam arbitrio ſuo fecit, ſemper eò tractus, quò libido rapuit, quò levitas, quò furor, quò vinolentia? ſemper eum duo diſſimilia [1] genera tenuerunt, lenonum, & latronum: ita domeſticis ſtupris, forenſibus parricidiis delectatur, ut mulieri citiùs avariſſimæ paruerit, quam ſenatui, populoque Rom. Itaque quod paulo ante 3
feci in ſenatu, faciam apud vos. teſtificor, denuntio, antè prædico, nihil M. Antonium eorum, quæ ſunt legatis mandata, facturum: vaſtaturum agros, Mutinam obſeſſurum, delectus, quà poſſit, habiturum. is eſt enim ille, qui ſemper ſenatus judicium, & auctoritatem, ſemper voluntatem veſtram, poteſtatemque contemſerit. An ille id faciat, quod paulo antè decretum eſt, ut exercitum citra flumen Rubiconem qui finis eſt Galliæ, educeret, dum ne propiùs urbem Romam CC. mill. admoveret? huic denuntiationi ille pareat? ille ſe fluvio Rubicone CC. mill. circumſcriptum eſſe patiatur? *non is eſt Antonius.* nam ſi eſſet: non commiſiſſet, ut ei ſenatus, tamquam Hannibali initio belli Punici, denuntiaret, ne oppugnaret Saguntum. Quòd verò ita avocatur à Mutina, ut ab urbe, tamquam peſtifera flamma, arceatur, quam habet ignominiam? quod judicium ſenatus? Quid, quod à ſenatu dantur mandata legatis, ut D. Brutum, militeſque ejus adeant, iiſque demonſtrent, ſua in remp. merita, beneficiaque eorum *grata eſſe* ſenatui, populoque Romano, eiſque eam rem magnæ laudi, magnoque honori fore? paſſurumne cenſetis Antonium introire Mutinam legatos? exire inde tuto? numquam patietur, mihi credite. novi violentiam, novi impudentiam, novi audaciam. nec verò de illo, ſicut de homine aliquo debemus, ſed ut de importuniſſima bellua cogitare. Quæ cùm ita ſint, non omnino diſſolutum eſt, quod decrevit ſenatus. habet atrocitatis aliquid legatio: utinam nihil haberet moræ. nam cùm PLERISQUE in rebus gerendis tarditas, & procraſtinatio odioſa eſt: tum hoc bellum indiget celeritatis. ſuccurrendum eſt D. Bruto: omnes undique copiæ colligendæ: [2] horam exhibere nullam in tali cive liberando ſine ſcelere non poſſumus. An ille non potuit, ſi Antonium conſulem, ſi Galliam Antonii provinciam judicaſſet, legiones Antonio, & provinciam tradere? domum redire? triumphare, primus in hoc ordine eſſe, quo ad magiſtratum iniret,[3] ſententiam dicere, quid negotii fuit? Sed, cùm ſe Brutum eſſe meminiſſet, veſtræque libertati natum non otio ſuo: quid egit aliud, niſi ut pænè corpore ſuo Gallia prohiberet Antonium? Ad hunc utrùm legatos, an legiones ire oportebat? Sed præterita omittamus. Properent legati, quod video eſſe facturos. vos ſaga parate. eſt enim ita decretum, ut, ſi ille auctoritati ſenatus non paruiſſet, ad ſaga iretur. ibitur: non parebit: nos amiſſos tot dies rei gerendæ *queremur.* Non metuo, Quirites, ne, cùm audierit Antonius, 4
me hoc in ſenatu, & in concione confirmaſſe, numquam illum futurum in ſenatus poteſtate, refellendi mei cauſa, ut ego

1. *Genera tenuerunt, lenonum & latronum: ita, &c.*] Eſt à mſſ. Ferrarii, cui aſſentitur Palatinus. Vulgati tamen prius, *genera lenonum & latronum, ita, &c.* delectatus nihilo forte pejus. alterum tamen arripuere Manutius ac Lambinus.

2. *Horam exhibere nullam in tali, &c.*] Hæc eſt lectio omnium fere mſſ. itaque retinendam putavi, contra Ferrarium ac Lambinum; quibus placebat, *eximere*, &, *excubare*; ſed ſine ratione. amicus tamen meus ſuggerebat, *horam exigere ullam.* Monuit Cl. Puteanus, Petrum Delbenium putaſſe reponendum, *moram exhibere ullam, &c.* quod & ipſi probabatur.

3. *Sententiam dicere, quid negotii fuit.*] Illud *ſententiam dicere*, obſidet omnes libros hodie; ſed non hæret in vett. edd. aut mſſ. noſtris. manavit forte à libris Faërni aut Mureti.

1. *Quam*

ut ego nihil vidiſſe videar, vertat ſe, ſenatui pareat. numquam faciet: non invidebit huic meæ gloriæ: malet, me ſapientem à vobis, quàm ſe modeſtum exiſtimari. Quid? ipſe ſi velit, num etiam L. fratrem paſſurum arbitramur? nuper quidem dicitur ad Tibur, ut opinor, cum ei labare M. Antonius videretur, mortem fratri eſſe minitatus. Etiamne ab hoc mirmillone Aſiatico ſenatus mandata, legatorum verba audientur? nec enim ſecerni à fratre poterit, tanta præſertim auctoritate. nam hic inter illos Africanus eſt: pluris habetur, quàm L. Trebellius, pluris, [1] quàm T. Plancus, adoleſcens nobilis: qui omnibus ſententiis maximo veſtro plauſu condemnatus, neſcio quomodo ſe conjecit in turbam, atque ita mœſtus rediit, ut retractus, non reverſus videretur: ſic contemnit, tamquam ſi illi aqua, & igni interdictum ſit. aliquando negat ei locum eſſe oportere in curia, qui incenderit curiam. Nam Trebellium valde jam diligit: oderat tum, cùm ille tabulis novis adverſabatur: jam fert in oculis, poſtquam ipſum Trebellium vidit ſine tabulis novis *ſalvum eſſe* non poſſe. audiſſe enim vos arbitror, Quirites, quod etiam videre potuiſtis, quotidie ſponſores, & creditores L. Trebellii convenire. O fides (hinc enim puto Trebellium ſumſiſſe cognomen) quæ poteſt eſſe major fides, quam fraudare creditores? domo profugere? propter æs alienum venire ad arma? ubi plauſus ille in triumpho eſt? ſæpe ludis? ubi ædilitas delata ſummo ſtudio bonorum? quis eſt, qui hunc non caſu exiſtimet re-
5 cte feciſſe? nequitia eſt, ſcelus eſt. Sed redeo ad amores, deliciaſque noſtras, L. Antonium, qui vos omneis in fidem ſuam recepit. negatis? num quiſpiam eſt veſtrûm, qui tribum non habeat? certè nemo. Atqui illum quinque & triginta tribus patronum adoptarunt. Rurſus reclamatis? Adſpicite à ſiniſtra illam equeſtrem ſtatuam inauratam, in qua quid inſcriptum eſt? QUINQUE, ET TRIGINTA TRIBUS PATRONO. Populi Rom. igitur eſt patronus L. Antonius? malam quidem illi peſtem. Clamori enim veſtro aſſentior. non modò hic latro: quem clientem habere nemo velit: ſed quis umquam tantis opibus, tantis rebus geſtis fuit, qui ſe populi Rom. victoris, dominique omnium gentium *tutorem* dicere auderet? in foro, L. Antonii ſtatuam videmus: [2] ſicut illam Q. Tremuli, qui Hernicos devicit, ante Caſtoris. O impudentiam incredibilem! tantumne ſibi ſumſit, quia Mylaſis mirmillo Thracem jugulavit, familiarem ſuum? quonam modo iſtum ferre poſſemus, ſi in hoc foro, ſpectantibus vobis, depugnaſſet? Sed hæc una ſtatua. altera ab equitibus Roman. equo publico: qui item adſcribunt, PATRONO. Quem umquam iſte ordo patronum adoptavit? ſi quemquam, debuit me. ſed me omitto. quem cenſorem? quem imperatorem? agrum his diviſit. O ſordidos; qui acceperunt! improbum, qui dederit! Statuerunt etiam tribuni militares, qui in exercitibus Cæſaris duobus fuerunt. Quis eſt iſte ordo? multi fuerunt multis in legionibus per tot annos. his quoque diviſit Semurium. Campus Martius reſtabat, niſi priùs cum fratre fugiſſet. Sed hæc agrorum aſſignatio paullo antè, Quirites, L. Cæſaris, clariſſimi viri, & præſtantiſſimi ſenatoris ſententia diſſoluta eſt. huic enim aſſenſi, ſeptemvirûm acta ſuſtulimus. Jacent beneficia Nuculæ: friget patronus Antonius. nam poſſeſſores animo æquiore diſcedent: nullam impenſam fecerant: nondum inſtruxerant, partim quia non confidebant, partim quia non habebant. Sed illa ſtatua palmaris, de qua, ſi meliora tempora eſſent, non poſſem ſine riſu dicere: L. ANTONIO JANI MEDII PATRONO. Itane? Janus medius in L. Antonii clientela ſit? quis umquam in illo Jano inventus eſt, qui L. Antonio mille nummûm ferret expenſum. Sed 6
nimis multa de nugis: ad cauſam, bellumque redeamus: quamquam non alienum fuit perſonas quaſdam à vobis recognoſci: ut, quibuſcum bellum gereretur, poſſitis taciti cogitare. Ego autem vos hortor, Quirites, ut, etiam ſi melius aliud fuit, tamen legatorum reditum exſpectetis animo æquo. celeritas detracta de cauſa eſt: boni tamen aliquid acceſſit ad cauſam. cùm enim legati renuntiarint, quod certè renuntiabunt, non in veſtra poteſtate, non in ſenatus eſſe Antonium: quis erit tam improbus civis, qui illum civem habendum putet? Nunc enim ſunt pauci illi quidem, ſed tamen plures, quàm rep. dignum eſt, qui ita loquantur. Ne legatos quidem exſpectabimus? Iſtam certè vocem, ſimulationemque clementiæ, extorquebit iis res ipſa publica. Quo etiam, ut confitear vobis, Quirites, minùs hodierno die contendi, minùs laboravi, ut mihi ſenatus aſſentiens tumultum decerneret, ſaga ſumi juberet. malui viginti diebus poſt ſententiam meam laudari ab omnibus, quàm à paucis hodie vituperari. Quapropter, Quirites, exſpectate legatorum reditum, & paucorum dierum moleſtiam devorate. qui cùm redierint, ſi pacem afferent: cupidum me. ſi bellum: providum judicatote. An ego non provideam meis civibus? non dies, nocteiſque de veſtra libertate, de reip. ſalute cogitem? Quid enim non debeo vobis, Quirites, quem vos *à ſe ortum*, hominibus nobiliſſimis, omnibus honoribus, prætuliſtis? an ingratus ſum? quis minùs? qui, partis honoribus, eoſdem geſſi in foro labores, quos in petendis. rudis in republica? quis exercitatior, qui viginti jam annos bellum geram cum improbis civibus? Quamobrem, Quirites, conſilio, quantum 7
potero, labore plus pænè, quam potero, excubabo, vigilaboque pro vobis. etenim quis eſt civis, præſertim hoc gradu, quo me vos eſſe voluiſtis, tam oblitus beneficii veſtri, tam immemor patriæ, tam inimicus dignitatis ſuæ, quem non excitet, non inflammet tantus veſter iſte conſenſus? multas, magnaſque habui conſul conciones, multis interfui, nullam umquam vidi tantam, quanta nunc veſtra eſt. Unum ſentitis omnes, unum ſtudetis, M. Antonii conatum avertere à rep. furorem exſtinguere, opprimere audaciam. idem volunt omnes ordines: eodem incumbunt municipia, coloniæ, cuncta Italia. Itaque ſenatum ſua ſponte bene firmum, *firmiorem* veſtra auctoritate feciſtis. Venit tempus, Quirites, ſeriùs omnino, quam dignum populo Rom. fuit: ſed tamen ita maturum, ut differri jam hora non poſſit. fuit aliquis fatalis caſus, ut ita dicam, quem tulimus, quoquo modo ferendus fuit. nunc, ſi quis erit, erit voluntarius. populum Rom. ſervire fas non eſt: quem dii immortales omnibus gentibus imperare voluerunt. res in extremum eſt adducta diſcrimen. de libertate decernitur. aut vincatis oportet, Quirites, quod profectò & pietate veſtra, & tanta concordia conſequemini, aut quidvis potius, quàm ſerviatis. ALIÆ nationes ſervitutem pati poſſunt, [3] populi Romani eſt propria libertas.

M. TUL-

1. *Quàm T. Plancus, adoleſcens nobilis: qui, &c.*] Editio Lambini amplius, *Plancus, quam Exitius, adoleſcens nobilis Plancum, qui, &c.* quod tamen non exſtat in noſtris, aut Manutiana.

2. *Sicut illam Q. Tremuli.*] *Trebelli* mſſ. unde fecit *Tremellii* Ferrarius. malui ego *Tremuli*. fuit enim cognomen Marciorum, de quo videndus amicus noſter Stephanus Pighius libro v. Faſtorum.

3. *Populi Romani eſt propria libertas.*] Pal. ſec. *P. R. res eſt propria libertas.*

M. TULLII CICERONIS IN M. ANTONIUM AD QUIRITES, PHILIPPICA SEPTIMA.

ORATIO QUADRAGESIMANONA.

1 PARVIS de rebus, ſed fortaſſe neceſſariis, conſulimur, P.C. De Appia via, & de Moneta, conſul: de Lupercis tribunus pleb. refert. quarum rerum etſi facilis explicatio videtur, tamen animus aberat à ſententia, ſuſpenſus curis majoribus. Adducta eſt enim, P. C. res in maximum periculum, & extremum pænè diſcrimen. Non ſine cauſa legatorum iſtam miſſionem ſemper timui, numquam probavi: quorum reditus quid ſit allaturus, ignoro: *exſpectatio* quidem quantum afferat languoris animis, quis non videt? non enim ſe tenent ii, qui ſenatum dolent auctoritatis [1] priſtinæ ſpem reviviſcere, conjunctum huic ordini populum Rom. conſpirantem Italiam, paratos exercitus, expeditos duces. jam nunc fingunt reſponſa Antonii, eademque defendunt. alii, poſtulare illum, ut omnes exercitus dimittantur. Scilicet legatos ad eum miſimus, non ut pareret, & dicto audiens eſſet huic ordini, ſed ut conditiones ferret, leges imponeret, reſerare nos exteris gentibus Italiam juberet: ſe præſertim incolumi, à quo majus periculum, quàm ab ullis nationibus extimeſcendum eſt. alii, remittere eum nobis Galliam citeriorem: illam ultimam poſtulare. Præclarè: ex qua non legiones ſolum, ſed etiam nationes ad urbem conetur adducere. alii, nihil eum jam niſi modeſti poſtulare. Macedoniam ſuam vocat omnino: quoniam C. frater eſt inde revocatus. Sed quæ provincia eſt, ex qua illa fax excitare non poſſet *incendium*? Itaque iidem, quaſi providi cives, & ſenatores diligentes, bellicum me ceciniſſe dicunt. Suſcipiunt partis patrocinium, qui ſic diſputant: Irritari Antonium non oportuit: nequam eſt homo ille, atque confidens: multi præterea improbi (quos quidem à ſe primùm numerare poſſunt, qui hæc loquuntur) eos cavendos eſſe denuntiant. Utrùm igitur in nefariis civibus ulciſcendis, *cum poſſis*, an pertimeſcendis, diligentior cautio
2 eſt? Atque hæc illi loquuntur, qui quondam propter levitatem populares appellabantur. ex quo intelligi poteſt, animo illos abhorruiſſe ſemper ab optimo civitatis ſtatu, non voluntate fuiſſe populareis. quî enim convenit, ut, qui in rebus improbis populares fuerint, iidem in re una maximè populari, quòd eadem ſalutaris populo Rom. ſit, improbos ſe, quàm populareis eſſe malint? me quidem ſemper (ut ſcitis) adverſatum multitudinis temeritati, hæc fecit præclariſſima cauſa popularem. Et quidem dicuntur, vel potiùs iidem ipſi ſe dicunt conſulareis: quo *nomine* dignus eſt nemo, niſi qui tanti honoris nomen poteſt ſuſtinere. Faveas tu hoſti? litteras tibi ille mittat de ſua ſpe rerum ſecundarum? eas tu lætus proferas? recites? deſcribendas etiam des improbis civibus? eorum augeas animos? bonorum ſpem, virtutemque debilites? & te conſularem, aut ſenatorem, aut denique civem putes? Accipiet in optimam partem C. Panſa, fortiſſimus conſul, atque optimus. etenim dicam animo amiciſſimo: hunc ipſum, mihi hominem familiariſſimum, niſi talis conſul eſſet, ut omneis vigilias, curas, [2] cogitationes in reip. ſalute configeret, conſulem non putarem. quamquam nos ab ineunte illius ætate uſus, conſuetudo, ſtudiorum etiam honeſtiſſimorum ſocietas, ſimilitudoque [3] devinxit: ejuſdemque cura incredibilis in aſperrimis belli civilis periculis perſpecta, docuit non modò ſalutis, ſed etiam dignitatis meæ fuiſſe fautorem: tamen eundem, ut dixi, niſi talis conſul eſſet, negare eſſe conſulem auderem. idem non modò conſulem eſſe dico, ſed etiam memoria mea præſtantiſſimum, atque optimum conſulem, non quia non pari virtute, & voluntate alii fuerint: ſed tantam *cauſam* non habuerunt, in qua & virtutem, & voluntatem ſuam declararent. Hujus magnitudini animi, gravitati, ſapientiæ, tempeſtas eſt oblata formidoloſiſſimi temporis. Tum autem illuſtratur conſulatus, cùm gubernat remp. ſi non optabili, at neceſſario tempore. magis autem neceſſarium, P.C. nullum tempus umquam fuit.
Itaque ego ille, qui ſemper pacis auctor fui, cuique *pax*, 3
præſertim civilis, quamquam omnibus bonis, mihi tamen in primis fuit optabilis: (omne enim curriculum induſtriæ noſtræ, in foro, in curia, in amicorum periculis propulſandis, elaboratum eſt: hinc honores ampliſſimos, hinc mediocreis opes, hinc dignitatem, ſi quam habemus, conſecuti ſumus:) ego itaque pacis, ut ita dicam, alumnus, qui, quantuſcumque ſum (nihil enim mihi arrogo) ſine pace civili certè non fuiſſem (periculosè dico: quemadmodum accepturi, P. C. ſitis, horreo: ſed pro mea perpetua cupiditate veſtræ dignitatis retinendæ, & augendæ, quæſo, oroque vos, P. C. ut primò ſi erit vel acerbum auditu, vel incredibile à M. Cicerone eſſe dictum, accipiatis ſine offenſione, quod dixero: neve id priùs, quàm, quale ſit, explicavero, repudietis.) Ego ille, dicam ſæpius, pacis ſemper laudator, ſemper auctor, pacem cum M. Antonio eſſe nolo. Magna ſpe ingredior in reliquam orationem, P.C. quoniam periculoſiſſimum locum ſilentio ſum prætervectus. Cur igitur *pacem nolo*? quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe non poteſt. quæ tria dum explico, peto à vobis, P. C. ut eadem benignitate, qua ſoletis, verba mea audiatis. QUID EST inconſtantia, mobilitate, levitate, cùm ſingulis hominibus, tum verò univerſo ſenatui, turpius? quid porrò inconſtantius, quàm, quem modò hoſtem non verbo, ſed re, multis decretis, judicaviſtis, [4] cum hoc ſubitò pace velle conjungi? quaſi verò, cum C. Cæſari meritos illi quidem honores, & debitos, ſed tamen ſingulareis, & immortaleis decreviſtis, unam ob cauſam, quod contra M. Antonium exercitum comparaviſſet, non hoſtem Antonium judicaveritis: nec tum hoſtis eſt à vobis judicatus Antonius, cùm laudati auctoritate veſtra veterani milites, qui Cæſarem ſecuti eſſent: nec tum hoſtem Antonium judicaviſtis, cum fortiſſimis legionibus, quòd illum, qui conſul appellabatur, cùm eſſet hoſtis, reliquiſſent, vacationes, pecunias, agros ſpopondiſtis. Quid? cum Brutum, omine 4
quodam illius generis, & nominis, natum ad remp. liberandam, exercitumque ejus pro libertate populi Rom bellum

1. *Priſtinæ ſpem reviviſcere.*] Lambinus *revireſcere*: non video quare. certe ſic nulli mſſ. noſtri, ſic nulla editio.

2. *Cogitationes in reip. ſalute configeret.*] Ita Pall. & vetuſtius cuſ. Lambinus & Manutius *defigeret*. Gulielmius annotavit, forte *conficeret*.

3. *Devinxit ejuſdemque cura incredibilis, &c.*] Secutus ſum fidem Lambini, qui ita legi in Vaticano exemplari proditum ait à Mureto. noſtri enim adhærent vulgato; *conjunxit: ejuſdemque curam incredibilem, &c. perſpexi non modo ſalutis, &c. meæ: tamen, &c.*

4. *Cum hoc ſubitò pace velle conjungi?*] Sic Pal. pr. at ſec. *pacem velle conjungitur.* forte fuit, *pacem velle?* ſine altera voce.

lum gerentem cum Antonio, provinciamque fideliſſimam, atque optimam, Galliam laudibus ampliſſimis affeciſtis, tum non hoſtem judicaſtis Antonium? quid? cùm decreviſtis, ut Cos. alter, ambove ad bellum proficiſcerentur: quod erat bellum, ſi hoſtis Antonius non erat? Quò igitur profectus eſt vir fortiſſimus, meus collega, & familiaris, A. Hirtius conſul? at qua imbecillitate? qua macie? ſed animi vireis, corporis *infirmitas* non retardavit. æquum, credo, putavit, vitam, quam populi Rom. votis retinuiſſet, pro libertate populi Rom. in diſcrimen adducere. Quid? cùm delectus haberi tota Italia juſſiſtis, cum vacationes omneis ſuſtuliſtis, tum ille hoſtis non eſt judicatus? armorum officinas in urbe videtis: milites cum gladiis ſequuntur conſulem: præſidio ſunt, ſpecie, conſuli: re, & veritate, nobis: omnes ſine ulla recuſatione, ſummo etiam cum ſtudio nomina dant: parent auctoritati veſtræ. non eſt judicatus hoſtis Antonius? At legatos miſimus. Heu, me miſerum! cur ſenatum cogor, quem laudavi ſemper, reprehendere? quid? vos cenſetis, P. C. legatorum miſſionem populum Rom. probaviſſe? non intelligitis, non auditis, meam ſententiam flagitari? cui cùm pridie frequentes eſſetis aſſenſi, poſtridie ad ſpem eſtis inanem pacis devoluti. Quàm turpe porrò eſt, legiones ad ſenatum legatos mittere, ſenatum ad Antonium? quamquam illa *legatio* non eſt: denuntiatio eſt, paratum illi exitium, niſi paruerit huic ordini. Quid refert? tamen opinio eſt gravior. miſſos enim legatos omnes vident: decreti veſtri non omnes verba
5 noverunt. Retinenda eſt igitur vobis conſtantia, gravitas, perſeverantia. repetenda eſt vetus illa ſeveritas: ſiquidem *auctoritas ſenatus*, decus, honeſtatem, laudem, dignitatem deſiderat: quibus hic ordo caruit nimiùm diu. Sed erat tunc excuſatio oppreſſis, miſera illa quidem, ſed tamen juſta. nunc nulla eſt. [1] Liberati tum regio dominatu videbamur: multo poſtea gravius urgebamur armis domeſticis. ea ipſa depulimus nos quidem, ſed extorquenda ſunt. quod ſi non poſſumus facere (dicam, quod dignum eſt & ſenatore, & Romano homine) *moriamur*. Quanta enim erit illa reipub. turpitudo, quantum dedecus, quanta labes, dicere in hoc ordine ſententiam M. Antonium conſulari loco? cujus ut omittam innumerabilia ſcelera urbani conſulatus, in quo pecuniam publicam maximam diſſipavit, exſules ſine lege reſtituit, vectigalia vendidit, provincias de populi Rom. imperio ſuſtulit, regna addixit pecunia, leges civitati per vim impoſuit, armis aut obſedit, aut excluſit ſenatum: ut hæc, inquam, omittam: ne hoc quidem cogitatis, eum, qui Mutinam coloniam populi Romani [2] firmiſſimam oppugnarit, imperatorem populi Rom. conſulem deſignatum obſederit, depopulatus agros ſit, hunc in eum ordinem recipi, à quo toties ob has ipſas cauſas hoſtis judicatus ſit, quam fœdum flagitioſumque ſit. Satis multa de turpitudine. Dicam deinceps, ut propoſui, de periculo: quod etſi minùs eſt fugiendum, quàm *turpitudo*: tamen offen-
6 dit animos majoris partis hominum magis. Poteritis igitur exploratam habere pacem, cùm in civitate Antonium videbitis, vel potiùs Antonios? niſi fortè contemnitis Lucium. ego ne Cajum quidem. ſed, ut video, dominabitur Lucius. eſt enim patronus XXXV. tribuum, quarum ſua lege, qua cum C. Cæſare magiſtratus partitus eſt, ſuffragium ſuſtulit: patronus centuriarum equitum Rom. quas idem ſine ſuffragio eſſe voluit: patronus eorum, qui tribuni militares fuerunt: patronus Jani medii. [3] ô dii! quis hujus potentiam poterit ſuſtinere? præſertim cùm eoſdem, in agros etiam deduxerit. quis umquam omneis tribus? quis equites Romanos? quis tribunos militareis? Gracchorum potentiam majorem fuiſſe arbitramini, quàm hujus gladiatoris futura ſit? quem *gladiatorem* non ita appellavi, ut interdum etiam M. Antonius gladiator appellari ſolet, ſed ut appellant ii, qui planè, & Latinè loquuntur. Mirmillo in Aſia depugnavit. cùm ornaſſet Thræcidicis comitem, & familiarem ſuum, illum miſerum fugientem jugulavit: luculentam tamen ipſe plagam accepit, ut declarat cicatrix. Qui familiarem jugularit, quid hic, occaſione data, faciet inimico? & qui illud animi cauſa fecerit, hunc prædæ cauſa quid facturum putatis? non rurſus improbos decuriabit? non ſollicitabit rurſus agrarios? non quæret expulſos? M. verò Antonius non is erit, ad quem omni motu concurſus fiat civium perditorum? Ut nemo ſit alius, niſi ii, qui unà ſunt, & ii, qui hîc ei nunc apertè favent: parumne erunt multi? præſertim cùm bonorum præſidia ceſſerint, illi parati ſint *ad nutum* futuri? Ego verò metuo, ſi hoc tempore conſilio lapſi erimus, ne illi brevi tempore nimis multi nobis eſſe videantur. Nec ego pacem nolo, ſed *pacis nomine* bellum involutum reformido. Quare ſi pace frui volumus: bellum gerendum eſt. ſi bellum omittemus: pace numquam fruemur. Eſt autem veſtri conſilii, patres con- 7
ſcripti, in poſterum quàm longiſſimè providere. Idcirco in hac cuſtodia, tanquam *in ſpecula*, collocati ſumus, ut vacuum metu populum Roman. noſtra vigilia, [4] & proſpicientia redderemus. Turpe eſt ſummo conſilio orbis terræ, perſertim in re tam perſpicua, conſilium intelligendi defuiſſe. Eos conſules habemus, eam populi Romani alacritatem, eum conſenſum Italiæ, eos duces, eos exercitus, ut nullam calamitatem reſp. accipere poſſit ſine culpa ſenatus. Equidem non deero, monebo, prædicabo, denuntiabo, & teſtabor ſemper deos, hominesque, quid ſentiam: nec ſolùm *fidem meam*, quod fortaſſe videtur ſatis eſſe, ſed in principe civi non eſt ſatis, curam, conſilium, vigilantiamque præſtabo. Dixi de periculo: docebo, ne coagmentari quidem poſſe pacem. de tribus enim, quæ propoſui, hoc extremum eſt. Quæ poteſt eſſe pax M. Antonio pri- 8
mùm cum ſenatu? quo ore ille vos poterit, quibus viciſſim vos illum oculis intueri? quis veſtrûm illum, quem ille veſtrûm non oderit? Agè, vos ille ſolum, & vos illum? quid? ii, qui Mutinam circumſedent, qui in Gallia delectus habent, qui in noſtras fortunas imminent, amici umquam nobis erunt, aut nos illis? an equites Romanos amplectetur? occulta enim fuit eorum voluntas, judiciumque de M. Antonio: qui frequentiſſimi in gradibus Concordiæ ſteterunt: qui vos ad libertatem recuperandam excitaverunt: arma, ſaga, bellum flagitaverunt: me unà cum populo Romano in concionem vocaverunt. hi Antonium diligent? cum his pacem ſervabit Antonius? Nam quid ego de univerſo populo Roman. dicam? qui pleno, ac referto foro, bis me una mente, atque voce in concionem vocavit, declaravitque maximam libertatis recuperandæ cupiditatem. Itaque quod erat optabile anteà, ut populum Rom. comitem haberemus, nunc habemus *ducem*. Quæ eſt igitur ſpes, qui Mutinam circumſedent, imperatorem populi Rom. exercitumque oppugnant, iis pacem cum populo Roman. eſſe poſſe? An cum municipiis pax erit, quorum tanta ſtudia cognoſcuntur in decretis faciendis, militibus dandis, pecuniis pollicendis, [5] ut in ſingulis oppidis curiam populi Romani non deſideretis? Laudandi ſunt ex 9
hujus ordinis ſententia Firmani, qui principes pecuniæ pollicendæ fuerunt. reſpondendum honorificè eſt Marrucinis, qui ignominia notandos cenſuerunt eos, qui militiam

1. *Liberati tum regio dominatu, &c.*] Secutus ſum Manutium & Lambinum, arbitratus hanc eorum lectionem manaſſe à codice Vaticano. nam lectio vulgata turpiter mutila erat, quod decepti ſimilitudine literarum librarii tranſilierant, *multo poſtea gravius urgebamur*.

2. *Firmiſſimam oppugnarit, imperatorem populi Rom.*] Et hæc adſumpſi ex eorundem libris, prius cuſis omninò deſunt; neque habent mſſ. noſtra.

3. *O dii! quis hujus potentiam, &c.*] Abeſt utrique Palatino, illud *ô dii!* idemque teſtatur de ſuis omnibus Ferrarius.

4. *Et proſpicientia.*] Ita Lambinus, neque aliter Langii codd. ſicque Terentius: *Hera lacrumas mitte, & quod ad hanc rem attinet, porro proſpice.* Vulgata *providentia*.

5. *Ut in ſingulis oppidis curiam populi Rom. non deſideretis.*] Ferrarii mſſ. omnes item Pal. ſec. *curiam P. R. non deſideret.* quod eſſet, *populus Romanus*.

tiam *ſubterfugiſſent* hæc jam tota Italia fiunt. magna pax Antonio cum eiſdem, his cum illo. quæ poteſt major eſſe diſcordia? IN DISCORDIA autem pax civilis ullo pacto eſſe poteſt? Ut omittam multitudinem: [1] L. Viſidio, equiti Roman. homini in primis ornato, atque honeſto, civique ſemper egregio, cujus ego excubias, & cuſtodias mei capitis cognovi in conſulatu meo: qui vicinos ſuos non cohortatus eſt ſolum, ut milites fierent, ſed etiam *facultatibus* ſuis ſublevavit: huic, inquam, tali viro, quem nos ſenatusconſulto collaudarimus, poteritne eſſe pacatus Antonius? quid? C. Cæſari? qui illum urbe: quid D. Bruto, qui Gallia prohibuit? Jam verò ipſe ſe placabit, & leniet provinciæ Galliæ, [2] à qua excluſus, & repudiatus eſt? Omnia videbitis, P.C. niſi proſpicitis, plena odiorum, plena diſcordiarum: ex quibus *oriuntur* bella civilia. Nolite igitur id velle, quod fieri non poteſt: & cavete, per deos immortaleis, P.C. ne ſpe præſentis pacis perpetuam pacem amittatis. Quorſum hæc omnis ſpectat oratio? quid enim legati egerint, nondum ſcimus. At verò erecti, citati, parati, armati animis jam eſſe debemus, ne blanda, aut ſupplici oratione, aut æquitatis *ſimulatione* fallamur. omnia fecerit oportet, quæ interdicta, & denuntiata ſunt, priùs, quàm aliquid poſtulet: Brutum, exercitumque ejus oppugnare: urbeis, & agros provinciæ Galliæ populari deſtiterit: ad Brutum adeundi legatis poteſtatem fecerit, exercitum citra flumen Rubiconem eduxerit, nec propius urbem millia paſſuum ducenta admoverit: fuerit in ſenatus, populique Rom. poteſtate. hæc ſi fecerit: erit integra poteſtas nobis deliberandi. ſi ſenatui non paruerit: non illi ſenatus, ſed ille populo Rom. *bellum indixerit.* Sed vos moneo, P. C libertas agitur populi Rom. quæ eſt commendata vobis: vita, & fortunæ optimi cujuſque, quò cupiditatem infinitam cum immani crudelitate jampridem intendit Antonius: auctoritas veſtra, quam nullum habebitis, niſi nunc retinueritis. tætram, & peſtiferam belluam, ne incluſam, & conſtrictam *dimittatis*, cavete. Te ipſum, moneo, Panſa, (quamquam non eges conſilio, quo vales plurimùm: tamen ETIAM ſummi gubernatores in magnis tempeſtatibus à vectoribus admoneri ſolent) hunc tantum tuum apparatum, tamque præclarum, ne ad nihilum recidere patiare. tempus habes tale, quale nemo habuit umquam. hac gravitate ſenatus, hoc ſtudio equeſtris ordinis, hoc ardore populi Rom. potes in perpetuum remp. metu & periculo liberare. [3] Quibus de rebus refers; P. Servilio adſentior.

1. *L. Viſidio.*] Occupat iſtud edd. neotericas, ſive quod acquieverint manuſcriptis Ferrarii, ſive quod ita quoque Faërno aut Mureto excuſſi libri. nam vulgata *Naſidio*. Pal. verò pr. præfert *Inſidius*, ſec. *Niſidius*.

2. *A qua excluſus & repudiatus eſt?*] Sic Pal. pr. at ſec. rejicit à quod & à manu recenti in Hittorpiano, videturque prius fuiſſe *e*.

3. *Quibus de rebus refers, P. Servilio adſentior.*] Hæc recenter accedunt Ciceroni, patrum editionibus nondum aderant. credo orta à Faërni aut Mureti Notis. interim comparent parte ſui in Pal. ſec. abeſt enim ei, *de rebus*.

M. TULLII CICERONIS
IN
M. ANTONIUM
PHILIPPICA OCTAVA.
ORATIO QUINQUAGESIMA.

1 CONFUSIUS heſterno die eſt acta res, C. Panſa, quàm poſtulabat inſtitutum conſulatus tui. Parum mihi viſus es eos, quibus cedere non ſoles, ſuſtinere. Nam cùm ſenatus ea virtus fuiſſet, quæ ſolet: & cùm re viderent omnes eſſe bellum, quidamque id verbum removendum arbitrarentur: tua voluntas in diſceſſione fuit ad *lenitatem* propenſior. Victa eſt igitur propter verbi aſperitatem, te auctore, noſtra ſententia. Vicit L. Cæſar, ampliſſimus vir, qui verbi atrocitate demta, *oratione* fuit, quàm *ſententia*, lenior. Quamquam is quidem, antequam ſententiam diceret, *propinquitatem* excuſavit. Idem fecerat, me conſule, in ſororis viro, quod hoc tempore in ſororis filio, [1] ut & luctu ſororis moveretur, & ſaluti reip. provideret. Atque ipſe tamen Cæſar præcepit vobis quodammodo, P. C. ne ſibi aſſentiremini, cùm ita dixit, aliam ſententiam ſe dicturum fuiſſe, eamque ſe, ac rep. dignam, niſi propinquitate *impediretur*. Ergo ille avunculus. num etiam vos avunculi, qui illi eſtis aſſenſi? At in quo fuit controverſia? *Belli* nomen ponendum in ſententia quidam non putabant: *tumultum* appellare malebant, ignari non modò rerum, ſed etiam verborum. poteſt enim eſſe bellum ſine tumultu: tumultus eſſe ſine bello non poteſt. quid enim eſt aliud tumultus, niſi perturbatio tanta, [2] ut major timor oriatur? unde etiam nomen ductum eſt tumultus. Itaque majores noſtri, *tumultum Italicum*, quòd erat domeſticus: *tumultum Gallicum*, quòd erat Italiæ finitimus, prætereà nullum tumultum nominabant. Gravius autem tumultum eſſe, quàm bellum, hinc intelligi licet, [3] quòd bello vacationes valent, tumultu non valent. ita fit, quemadmodum dixi, ut bellum ſine tumultu poſſit, tumultus ſine bello eſſe non poſſit. Etenim cùm INTER bellum, & pacem medium nihil ſit: neceſſe eſt, tumultum, ſi belli non ſit, pacis eſſe. quo quid abſurdius dici, aut exiſtimari poteſt? Sed nimis multa de verbo: rem potiùs videamus, P. C. quam quidem intelligo verbo
fieri interdum deteriorem ſolere. Nolumus hoc bellum 2
videri. Quam igitur municipiis, & coloniis ad excludendum Antonium auctoritatem damus? quam, ut milites fiant ſine vi, ſine mulcta, ſtudio, & voluntate? quam, ut pecunias in rempub. polliceantur? Si enim belli nomen tollitur, municipiorum ſtudia tolluntur: conſenſus populi R. qui jam deſcendit in cauſam, ſi nos langueſcimus, debilitetur neceſſe eſt. Sed quid plura? D. Brutus oppugnatur. non eſt bellum? Mutina obſidetur. ne hoc quidem bellum eſt? Gallia vaſtatur: quæ poteſt pax eſſe certior? Illud verò [4] quis poteſt bellum eſſe dicere, quò [5] fortiſſimum virum cum exercitu miſimus? qui cùm eſſet infirmus ex gravi, diutur-

1. *UT & luctu ſororis moveretur, & ſaluti, &c.*] Sic quidem Pal. pr. at ſec. pro his ipſis habet, *ne in nepotem moveretur, & ſaluti*, quod & in omnibus ferè libris Ferrarii, ideoque omnia cenſuit delenda. at malim ego; *ut & in nepotem moveretur, & ſaluti, &c.*

2. *Ut major timor oriatur.*] Janus noſter Douſa pater in Plautinis, reponendum putabat *tumor*, qui conſulatur lib. priore cap. 4. Explanationum. vix enim eſt quin ea vox ſubſtitui debeat vulgatæ.

3. *Quod bello vacationes valent.*] Ita ferè hodiernæ editiones, rationem ſecutæ, non libros, in quibus, *bello Gallico*.

4. *Quis poteſt bellum eſſe dicere.*] Prius cuſi, *bellum non eſſe dic.* ſed præter mſſ. à quibus abeſt illa negatio.

5. *Quo fortiſſimum virum cum exercitu, &c.*] Sic mſſ. noſtri, & olim cuſi, at Man. & Lamb. *conſulem fortiſſ. &c.* ſi fide librorum, non improbem.

1. Si

diuturnoque morbo, nullam ſibi putavit excuſationem eſſe oportere, cùm ad reip. præſidium vocaretur. C. quidem Cæſar non exſpectavit noſtra decreta, præſertim cùm eſſet illius ætatis: bellum contra Antonium ſua ſponte ſuſcepit. decernendi enim tempus nondum venerat: belli autem gerendi *tempus* ſi prætermiſiſſet: videbat, rep. oppreſſa, nihil poſſe decerni. Ergo illi nunc, & eorum exercitus in pace verſantur. non eſt hoſtis is, cujus præſidium Claterna dejecit Hirtius: non eſt hoſtis, qui conſuli armatus obſiſtit: deſignatum conſulem oppugnat: nec illa hoſtilia verba, nec bellica, quæ paullo ante ex collegæ litteris Panſa recitavit: *Dejeci præſidium: Claterna potitus ſum: fugati equites: prœlium commiſſum: occiſi aliquot.* Quæ pax poteſt eſſe major? Delectus tota Italia decreti, ſublatis vacationibus: ſaga cras ſumentur: conſul ſe cum præſidio deſcenſurum eſſe dixit. Utrùm hoc bellum non eſt? an etiam tantum bellum, quantum numquam fuit? Ceteris enim bellis, maximeque civilibus, contentionem, *reipub. cauſa* faciebat. Sulla cum Sulpicio de jure legum, quas per vim latas Sulla dicebat: Cinna cum Octavio de novorum civium ſuffragiis: rurſus cum Mario, & Carbone Sulla, ne dominarentur indigni, & ut clariſſimorum hominum crudeliſſimam puniretur necem. Horum omnium bellorum cauſæ ex reipub. contentione natæ ſunt. de proximo bello civili
3 non libet dicere: ignoro cauſam: deteſtor exitum. Hoc
bellum quintum civile geritur: atque omnia in noſtram ætatem inciderunt, primùm non modò in diſſenſione, & diſcordia civium, ſed in maxima conſenſione, incredibilique concordia. omnes idem volunt, idem defendunt, idem ſentiunt. Cùm omneis dico, eos excipio, quos nemo civitate dignos putat. Quæ eſt igitur in medio, belli cauſa poſita? nos deorum immortalium templa, nos muros, nos domicilia, ſedeſque populi Romani, penates, aras, focos, ſepulcra majorum: nos leges, judicia, libertatem, conjuges, liberos, patriam defendimus: contra M. Antonius id molitur, id pugnat, ut hæc omnia perturbet, evertat, prædam reipub. cauſam belli putet, fortunas noſtras partim diſſipet, partim diſpertiat parricidis. In hac tam diſpari ratione belli miſerrimum illud eſt, quod ille latronibus ſuis *pollicetur* primum domos: urbem enim ſe diviſurum confirmat: deinde omnibus portis, quò velint, deducturum. omnes Caphones, omnes Saxæ, ceteræque peſtes, quæ ſequuntur Antonium, ædeis ſibi optimas, hortos, Tuſculana, Albana definiunt. atque etiam homines agreſtes, [1] ſi homines illi, ac non pecudes potius, inani ſpe ad aquas uſque & Puteolos provehuntur. Ergo habet Antonius, quod ſuis polliceatur. Quid nos? numquid tale habemus? Dii meliora. id enim ipſum agimus, ne quis poſthac ejuſmodi quidquam poſſit polliceri. Invitus dico, ſed dicendum eſt. *Haſta Cæſaris*, patres conſcripti, multis improbis & ſpem affert, & audaciam. viderunt enim, ex mendicis fieri repentè divites. itaque haſtam ſemper videre cupiunt ii, qui noſtris bonis imminent: quibus omnia pollicetur Antonius. Quid nos? noſtris exercitibus quid pollicemur? multo meliora, atque majora. SCELERUM enim promiſſio, & iis, qui exſpectant, pernicioſa eſt: & iis, qui promittunt. Nos noſtris militibus libertatem, jura, leges, judicia, imperium orbis terræ, dignitatem, pacem, otium pollicemur. Antonii igitur promiſſa, cruenta, tætra, ſcelerata, diis, hominibuſque inviſa, nec diuturna, nec ſalutaria: noſtra contra, honeſta, integra, glorioſa, plena lætitiæ,
4 plena pietatis. Hîc mihi etiam Q. Fufius, vir fortis, ac ſtre-
nuus, amicus meus, *pacis commoda* commemorat. quaſi verò, ſi laudanda pax eſſet, ego id æquè commodè facere non poſſem. ſemel enim pacem defendi: non ſemper otio ſtudui: quod cum omnibus bonis utile eſt, tum præcipuè mihi. Quem enim curſum induſtria mea tenere potuiſſet, ſine forenſibus cauſis, ſine legibus, ſine judiciis? quæ eſſe non poſſunt, civili pace ſublata. Sed quæſo, Calene, quid? tu *ſervitutem*, pacem vocas? Majores quidem noſtri non modo, ut liberi eſſent, ſed etiam, ut imperarent, arma capiebant. at tu arma abjicienda cenſes, ut ſerviamus. QUÆ CAUSA juſtior eſt belli gerendi, quàm ſervitutis depulſio? in qua etiam ſi non ſit moleſtus dominus: tamen eſt miſerrimum, *poſſe*, ſi velit. Immò aliæ cauſæ juſtæ; hæc neceſſaria eſt. niſi fortè ad te hoc non putas pertinere, quod te ſocium fore ſperas dominationis Antonii. in quo bis falleris: primum quòd tuas rationes communibus anteponis: deinde, quòd quidquam *ſtabile* in regno, aut jucundum putas. non, ſi tibi antea profuit, ſemper proderit. Quinetiam, memini, de illo homine queri ſolebas: quid te facturum de bellua putas? [2] Atqui is es, qui ſemper pacem optaris, ſemper omneis civeis ſalvos volueris. Honeſta oratio: ſed ita, ſi bonos, & utileis reipub. civeis: ſin eos, qui natura cives ſunt, voluntate hoſteis, ſalvos velis: quid tandem intereſt inter te, & illos? Pater quidem tuus, [3] quo utebar ſene adoleſcens, homo ſeverus, & prudens, *primas* omnium civium P. Naſicæ, qui Ti. Gracchum interfecit, dare ſolebat. ejus enim virtute, conſilio, magnitudine animi, liberatam rempublicam arbitrabatur. Quid? nos à patribus num aliter accepimus? Ergo is tibi civis, ſi temporibus illis fuiſſes, non probaretur, quia non omneis ſalvos eſſe voluiſſet. *Quod L. Opimius conſul verba fecit de republica, de ea re ità cenſuerunt*, UTI OPIMIUS CONSUL REMP. DEFENDERET. Senatus hæc verbis, Opimius armis. Num igitur eum, ſi tum eſſes, temerarium civem, aut crudelem putares? aut Q. Metellum, cujus quattuor filii conſulares? aut P. Lentulum, principem ſenatorem? complureis alios ſummos viros, qui cum L. Opimio conſule armati Gracchum in Aventinum perſecuti ſunt? quo in prœlio Lentulus grave vulnus accepit: interfectus eſt Gracchus, & M. Fulvius conſularis, ejuſque duo adoleſcentuli
filii. Illi igitur viri vituperandi. non enim civeis omneis 5
ſalvos eſſe voluerunt. Ad propiora veniamus. C. Mario, L. Valerio, conſulibus, ſenatus rempublicam defendendam dedit: L. Saturninus tribunus plebis, Glaucia prætor eſt interfectus. omneis illo die Scauri, Metelli, Claudii, Catuli, Scævolæ, Craſſi, arma ſumſerunt. num aut conſules illos, aut clariſſimos viros vituperandos putas? Ego Catilinam *perire volui*. num tu, qui *omneis ſalvos* vis, Catilinam ſalvum eſſe voluiſti? Hoc intereſt, Calene, inter meam ſententiam, & tuam: ego nolo quemquam civem committere, ut morte multandus ſit: tu, etiam ſi commiſerit, conſervandum putas. *In corpore* ſi quid ejuſmodi eſt, quod reliquo corpori noceat, uri, ſecarique patimur; ut membrorum aliquod potius, quam totum corpus intereat: ſic in reipublicæ corpore, ut totum ſalvum ſit, quidquid eſt peſtiferum, amputetur. Dura vox. Multò illa durior: *Salvi ſint improbi*, ſcelerati, impii: deleantur innocentes, honeſti, boni, tota reſpublica. Uno in homine, Q. Fufi, fateor te vidiſſe plus, quàm me. Ego P. Clodium arbitrabar pernicioſum civem, ſceleratum, libidinoſum, impium, audacem, facinoroſum: tu contrà ſanctum, temperantem, innocentem, modeſtum, retinendum civem, & optandum. in hoc uno te plurimum vidiſſe, [4] multum me erraſſe concedo. Nam me tecum iracundè agere dixiſti ſolere: non eſt ita. vehementer me agere fateor, iracundè nego. omnino IRASCI amicis non temere ſoleo, ne ſi merentur quidem. Itaque ſine verborum contumelia à te diſſentire poſſum, ſine animi ſummo dolore non poſſum. parva eſt enim mihi tecum, aut parva de re diſſenſio? ego huic videlicet faveo, tu illi? Immò vero ego D. Bruto faveo,

1. *Si homines illi, ac non.*] Secutus ſum Manutianam ac Lamb. ratus hæc nata ex Faërniana aut Muretana. certe potior eſt vulgata.
2. *Atqui is es, qui ſemper pacem optaris.*] Pal. ſec. habet, *Atqui ais eum te eſſe qui, &c.* quomodo fere è Faërnianis Manut. & Lamb. ſed non ſequor. videtur enim magis interpretatio alterius ſcripturæ, quam emendatio.
3. *Quo utebar ſene adoleſcens.*] Sic Pal. ſec. & Ferrarii aliquot codd. vulgata, *ſene auctore adol*
4. *Multum me erraſſe.*] Lambiniana, *me ſtultum eſſe erraſſe.* præter libros noſtros, & olim impreſſos.

veo, tu M. Antonio: ego conſervare coloniam populi Ro-
6 mani cupio, tu expugnare ſtudes. An hoc negare potes: qui omneis moras interponis, quibus infirmetur Brutus, melior fiat Antonius? quouſque enim dices, pacem velle te? res geritur: conductæ vineæ ſunt: pugnatur acerrimè: qui intercurrerent, miſimus treis principes civitatis. hos contemſit, rejecit, repudiavit Antonius. tu tamen permanes conſtantiſſimus defenſor Antonii. Et quidem, quo melior ſenator videatur, negat ſe illi amicum eſſe debere: [1] cum ſuo magno beneficio, veniſſe eum contra ſe. Vide quanta caritas ſit patriæ. cùm homini ſit iratus, tamen reip. cauſa defendit Antonium. Ego te, cùm in Maſſilienſeis tam ſis acerbus, Fuſi, non animo æquo audio. Quouſque enim Maſſiliam oppugnabis? ne triumphus quidem finem fecit belli? per quem ſublata eſt urbs ea, ſine qua numquam ex Tranſalpinis gentibus majores noſtri triumpharunt. quo quidem tempore populus Romanus ingemuit. quamquam enim *proprios dolores* ſuarum rerum omnes habebant: tamen hujus civitatis fideliſſimæ miſerias, nemo erat civis, qui à ſe alienas arbitraretur. Cæſar ipſe, qui illis fuerat iratiſſimus: tamen propter ſingularem ejus civitatis gravitatem, & fidem, quotidie aliquid iracundiæ remittebat: te nulla ſua calamitate civitas ſatiare tam fidelis poteſt? Rurſus me jam iraſci fortaſſe dices. Ego autem ſine iracundia dico, ut omnia, nec tamen ſine dolore: Neminem illi civitati inimicum eſſe arbitror, qui amicus ſit huic civitati. Excogitare, quæ tua ratio ſit, Calene, non poſſum. antea deterrere te, ne popularis eſſes, non poteramus: ut nunc ſis popularis, exorare non poſſumus. Satis multa cum Fuſio, ac ſine odio omnia, nihil ſine dolore. Credo autem, QUI GENERI querelam moderate ferat,
7 æquo animo laturum amici. Venio nunc ad reliquos conſulareis, quorum eſt nemo, (jure meo hoc dico) qui non mecum habeat aliquam conjunctionem gratiæ, alii maximam, alii mediocrem, nemo nullam. Quam heſternus dies nobis, conſularibus dico, turpis illuxit? iterum legatos? quid? ille faceret inducias? ante conſulis, oculoſque legatorum, tormentis Mutinam verberavit: opus oſtendebat, munitionemque legatis: ne punctum quidem temporis, cùm legati adeſſent, oppugnatio reſpiravit. Ad hunc legatos? cur? an ut eorum reditu vehementiùs pertimeſcatis? Equidem cùm antea legatos decerni non cenſuiſſem: hoc me tamen conſolabar, quòd cum illi ab Antonio contemti, & rejecti revertiſſent, dixiſſentque ſenatui, non modò illum è Gallia non diſceſſiſſe, uti cenſuiſſemus, ſed ne à Mutina quidem receſſiſſe: poteſtatem ſibi D. Bruti conveniendi non fuiſſe: fore, ut omnes inflammati odio, excitati dolore, [2] armis, equis, viris D. Bruto ſubveniremus. nos etiam *languidiores* facti ſumus, poſtquam Antonii non ſolum audaciam, & ſcelus, ſed etiam inſolentiam, ſuperbiamque perſpeximus. Utinam L. Cæſar valeret, Servius Sulpicius viveret, multò melius hæc cauſa [3] ageretur à tribus, quàm nunc agitur ab uno. dolenter hoc dicam potiùs, quàm contumelioſè. deſerti, deſerti, inquam, ſumus, P. C. à principibus. Sed, ut ſæpe jam dixi, omnes in tanto periculo, qui rectè & fortiter ſentient, erunt conſulares. animum nobis afferre legati debuerunt: timorem attulerunt: quamquam mihi quidem nullum umquam timorem, quamvis de illo, ad quem miſſi ſunt, benè
8 exiſtiment: à quo etiam *mandata* acceperunt. Pro, dii, immortales! ubi eſt ille mos, virtuſque majorum? C. Popillius apud majores noſtros, cum ad Antiochum regem legatus miſſus eſſet, & verbis ſenatus denuntiaſſet, ut ab Alexandria diſcederet, quam obſidebat: cùm tempus ille differret, virgula ſtantem *circumſcripſit:* dixitque, [4] ſe non antè renuntiaturum ſenatui, niſi priùs ſibi reſpondiſſet, quid facturus eſſet, quàm ex illa circumſcriptione excederet. Præclarè: ſenatus enim faciem ſecum attulerat, auctoritatem reipublicæ: cui qui non paret, non ab eo mandata accipienda ſunt, ſed ipſe eſt totus repudiandus. AN EGO ab eo mandata acciperem, qui ſenatus mandata contemneret? aut ei cum ſenatu quidquam commune judicarem, qui imperatorem populi Rom. ſenatu prohibente, obſideret? At quæ mandata? qua arrogantia? quo ſtupore? quo ſpiritu? Cur autem ea legatis noſtris dabat, cùm ad nos Cotylam mitteret, ornamentum, atque arcem amicorum ſuorum, hominem ædilitium? ſi verò tum fuit ædilis, cùm eum juſſu Antonii in convivio ſervi publici loris ceciderunt. At quam modeſta mandata! ferrei ſumus, P. C. qui quidquam huic negemus. *Utramque Provinciam, inquit, remitto: Exercitum depono: privatus eſſe non recuſo.* Hæc ſunt enim verba. redire ad ſe videtur. *omnia obliviſcor. in gratiam redeo.* Sed quid adjungit? *ſi legionibus meis ſex, ſi equitibus, ſi cohorti prætoriæ prædam, agrumque dederitis.* His etiam præmia poſtulat, quibus ut *ignoſcatur* ſi poſtulet, impudentiſſimus judicetur? Addit præterea, QUOS IPSE CUM DOLABELLA DEDERIT AGROS, TENEANT II, QUIBUS DATI SUNT. Hic eſt Campanus ager, & Leontinus, quæ duo majores noſtri annonæ perfugia ducebant. Cavet mimis, aleatoribus, lenonibus: Caphoni etiam, & Saxæ cavet: quos centuriones pugnaces, & lacertoſos, inter mimorum, & mimarum greges collocavit. Poſtulat præterea, 9
UT CHIROGRAPHORUM ET COMMENTARIORUM SUA, COLLEGÆQUE SUI DECRETA MANEANT. Quid laborat, ut habeat, quod quiſque mercatus eſt, ſi quid accepit, habeat, qui vendidit? ET NE TANGANTUR RATIONES AD OPIS: id eſt, ne ſeſtertiûm ſepties millies recuperetur: NE FRAUDI SIT SEPTEMVIRIS, QUOD EGISSENT. Nucula hoc, credo, admonuit. verebatur fortaſſe, ne amitteret tantas clientelas. Caveri etiam vult IIS, QUI SECUM SUNT, QUIDQUID CONTRA LEGES COMMISERUNT. Muſtelæ, & Tironi proſpicit: de ſe nihil laborat. Quid enim commiſit umquam? num aut pecuniam publicam attigit, aut hominem occidit, aut ſecum habuit armatos? Sed quid eſt, quod de iis laboret? Poſtulat enim, NE SUA JUDICIARIA LEX ABROGETUR. quo impetrato, quid eſt quod metuat? an ne ſuorum aliquis à Cyda, Lyſiade, Curio condemnetur? neque tamen nos urget mandatis pluribus. remittit aliquantum, & relaxat. GALLIAM, inquit, TOGATAM REMITTO, COMATAM POSTULO. Otioſus videlicet eſſe mavult. *Cum ſex legionibus*, inquit, *iiſque ſuppletis ex D. Bruti exercitu*, non modò ex delectu ſuo: *tam diuque ut obtineat, quamdiu M. Brutus, C. Caſſius, conſules, prove* coss. *provincias obtinebunt.* hujus comitiis C. frater (ejus eſt enim jam annus) jam repulſam tulit. IPSE AUTEM *ut quinquennium*, inquit *obtineam.* At iſtud vetat lex Cæſaris, & tua. & tu acta Cæſaris
10 defendis? Hæc tu mandata, L. Piſo, & tu, L. Philippe, principes civitatis, non dico animo ferre, verùm auribus accipere potuiſtis? Sed, ut ſuſpicor, terror erat quidam: nec vos ut legati apud illum fuiſtis, nec ut conſulares: nec vos veſtram, nec reipublicæ dignitatem tenere potuiſtis. & tamen neſcio quo pacto, ſapientia quadam, credo, quod ego non poſſum, non nimis irati revertiſtis. vobis M. Antonius nihil tribuit, clariſſimis viris, legatis populi Romani. Nos, quid non legato Antonii Cotylæ conceſſimus? cui *portas* hujus urbis patere jus non fuit, huic hoc templum patuit: huic aditus in ſenatum fuit: hic heſterno die ſententias noſtras in codicillos, & omnia verba referebat: huic ſe etiam

1. *Cum ſuo magno beneficio, veniſſe eum contra ſe.*] Poſtremæ edd. *beneficio eſſet, veniſſe, &c.* ex Vaticano inquiunt: & ſic quoque Hittorp. item fere Pal. ſec. ſed tamen malim vulgatam, quæ idem dicit quod altera.

2. *Armis, equis, viris.*] Vulgo, *viribus.* ſed alterum defendit, tamquam meliorum exemplarium lectionem Gifanius noſter in obſervat. linguæ Latinæ. neque iterum lib. III. de officiis *cum his viris equiſque, &c.*

3. *Ageretur à tribus quàm nunc agitur ab uno.*] Sic mſſ. Ferrarii. antiquitus cuſi, *quam nunc agantur ab omnibus*, quod & in Pal. pr. nam ſec. *ageretur ab uno*, omiſſis intermediis.

4. *Se non ante renuntiaturum Senatui.*] Ita quidem etiam Pall. ſed non placet. Manutius ac Lambinus edidere, *ſe renuntiaturum Senatui.* nihilo magis placet.

1. Et

etiam ſummis honoribus uſi contra dignitatem ſuam *venditabant*. O dii immortales: QUAM magnum eſt, perſonam in republica tueri principis! quæ non animis ſolum debet, ſed etiam oculis ſervire civium. Domum recipere legatum hoſtium, in cubiculum admittere, etiam ſeducere, hominis eſt nihil de dignitate, nimium de periculo cogitantis. Quod autem eſt periculum? nam ſi maximum in diſcrimen venietur, aut libertas parata victori eſt aut mors expoſita victo. quorum alterum optabile eſt, alterum effugere nemo poteſt TURPIS autem fuga mortis, omni eſt morte pejor. Nam illud quidem non adducor ut credam, eſſe quoſdam, qui invideant alicujus conſtantiæ, qui laboribus, qui ejus perpetuam in republica adjuvanda voluntatem & à ſenatu, & à populo Romano probari moleſtè ferant. Omnes id quidem facere debebamus: eaque erat non modò apud majores noſtros, ſed etiam nuper ſumma laus conſularium, *vigilare*, cogitare, adeſſe animo, ſemper aliquid pro republica aut facere, aut dicere. Ego Q. Scævolam augurem memoria teneo, bello Marſico, cùm eſſet ſumma ſenectute, & perdita valitudine, quotidie, ſimulatque luceret, facere omnibus *conveniendi* ſui poteſtatem: neque eum quiſquam illo bello vidit in lecto: ſenexque, & debilis, primus veniebat in curiam. Hujus induſtriam maximè equidem vellem, ut imitarentur ii, quos oportebat: ſecundo autem loco, ne *alterius labori inviderent*.

11 Etenim, P. C. cùm in ſpem libertatis ſexennio ſimus ingreſſi, diutiuſque ſervitutem perpeſſi, quam captivi frugi, & diligentes ſolent: quas vigilias, quas ſollicitudines, quos labores, liberandi populi Romani cauſa recuſare debemus? Equidem, P. C. quamquam hoc honore uſi, togati eſſe ſolent, cùm eſt in ſagis civitas: ſtatui tamen, à vobis, ceteriſque civibus in tanta atrocitate temporis, tantaque perturbatione populi Rom. non differre veſtitu. Non enim ita gerimus nos hoc bello conſulares, ut *æquo animo* populus Rom. viſurus ſit noſtri honoris inſignia: cùm partim è nobis ita timidi ſint, ut omnem ii populi Rom. beneficiorum memoriam abjecerint: partim ita à rep. averſi, ut huic ſe hoſti favere præ ſe ferant: legatos noſtros ab Antonio deſpectos eſſe, & irriſos facile patiantur: legatum Antonii ſublevatum velint. huic enim reditum ad Antonium prohiberi negabant oportere, & in eodem excipiendo ſententiam meam corrigebant. quibus geram morem. Redeat ad imperatorem ſuum Varius, ſed ea lege, ne umquam Romam *revertatur*. ceteris autem, ſi errorem ſuum depoſuerint, [1] & cum rep. in gratiam redierint, veniam, & impunitatem dandam puto. Quas ob res ita cenſeo: EORUM, qui cum M. Antonio ſunt, qui ab armis diſceſſerint, & aut ad Panſam, aut ad Hirtium, conſules, aut ad Decium Brutum, imperatorem cos. deſignatum, aut ad C. Cæſarem pro prætore, [2] ante idus Martias primas adierint, iis fraudi ne ſit, quod cum M. Antonio fuerint. ſi quis eorum, qui cum M. Antonio ſunt, fecerit, [3] quod honore, præmiove dignum eſſe videatur; uti C. Panſa, A. Hirtius, coss. alter, ambove, ſi eis videbitur, de ejus honore, præmiove, primo quoque die ad ſenatum referant. Si quis poſt hoc S. C. ad Antonium profectus fuerit, præter L. Varium, ſenatum, exiſtimaturum eum *contra rempublicam feciſſe*.

1. *Et cum repub. in gratiam, &c.*] Sic & Pal. ſec. uti eſt in Manut. & Lamb. prius culi, *& in reipub. gratiam, &c.*

2. *Ante idus Martias primas.*] Vox ultima addita ex mſſ. Ferrarii, exſtabatque item in Pal. ſec.

3. *Quod honore præmiove dignum eſſe videatur, &c.*] Mutuatus ſum iſtud à Man. & Lambin. opinione, ea eſſe à mſſ. libris. nam vulgata mirè inſipidè: *quo honore præmiove quis dignus eſſe videatur*.

M. TULLII CICERONIS IN M. ANTONIUM PHILIPPICA NONA.

ORATIO QUINQUAGESIMAPRIMA.

1 VELLEM, dii immortales feciſſent, P. C. ut vivo potiùs Ser. Sulpicio gratias ageremus, quàm mortuo honores quæreremus. Nec verò dubito, quin, ſi ille vir legationem renuntiare potuiſſet, reditus ejus & nobis gratus fuerit, & reipublicæ ſalutaris futurus: non quò L. Philippo, & L. Piſoni aut ſtudium, aut cura defuerit in tanto officio, tantoque munere: ſed cum Ser. Sulpicius [1] *ætate* illis anteiret, ſapientia omnibus, [2] ſubitò ereptus è cauſa, totam legationem orbam, & debilitatam reliquit. Quòd ſi cuiquam juſtus honos habitus eſt in morte legato, in nullo juſtior, quàm in Ser. Sulpicio, reperietur. Ceteri, qui in legatione mortem obierunt, ad incertum vitæ periculum, ſine ullo *mortis metu* profecti ſunt: Ser. Sulpicius cum aliqua perveniendi ad M. Antonium ſpe profectus eſt, nulla revertendi. qui cùm ita affectus eſſet, ut, ſi ad gravem valitudinem labor viæ acceſſiſſet, ſibi ipſe diffideret: non recuſavit, quo minus vel extremo ſpiritu, ſi quam opem reipublicæ ferre poſſet, experiretur. Itaque non illum vis hiemis, non nives, non longitudo itineris, non aſperitas viarum, non morbus ingraveſcens retardavit: cumque jam ad congreſſum, colloquiumque ejus perveniſſet, ad quem erat miſſus: in ipſa cura, & meditatione obeundi ſui muneris exceſſit è vita. Ut igitur alia, ſic hoc, C. Panſa, præclarè, quòd nos ad ornandum Ser. Sulpicium cohortatus es, & ipſe multa copioſè de illius laude dixiſti. quibus à te dictis, nihil præter ſententiam dicerem, niſi P. Servilio reſpondendum putarem, qui hunc *honorem ſtatuæ* nemini tribuendum cenſuit, niſi qui ferro eſſet in legatione interfectus. Ego autem, P. C. ſic interpretor ſenſiſſe majores noſtros, ut cauſam mortis cenſuerint, non genus eſſe quærendum. Etenim cui legatio ipſa morti fuiſſet, ejus monumentum exſtare voluerunt, ut in bellis periculoſis obirent homines legationis munus audaciùs. Non igitur exempla majorum quærenda, ſed *conſilium* eſt eorum, à quo ipſa exempla nata ſunt, explicandum. Lartes Tolumnius, rex Vejentum, 2
quattuor legatos populi Rom. Fidenis interemit: quorum ſtatuæ in Roſtris ſteterunt uſque ad noſtram memoriam. *juſtus honos*. iis enim majores noſtri, qui ob remp. mortem obierant, pro brevi vita diuturnam memoriam reddiderunt. Cn. Octavii, clari, & magni viri: qui primus in eam fami-

1. *ÆTate illis anteiret, ſapientia omnibus.*] Manutii introduxerant, *ætat. illos ant. ſap. omnes*. ſed invitis libris noſtris & priſca editione.

2. *Subito ereptus è cauſa, &c.*] Illud *è cauſa* nunc primum accedit publicis editionibus, diuque fuit quod id e mſſ. ſuis erueret probaritque Ferrarius neque aliter Pal. ſec.

familiam, quæ poſtea viris fortiſſimis floruit, attulit conſulatum, ſtatuam videmus in Roſtris. nemo tum *novitati invidebat:* nemo virtutem non honorabat. At ea fuit legatio Octavii, in qua periculi ſuſpicio non ſubeſſet. Nam, cùm eſſet miſſus à ſenatu ad animos regum perſpiciendos, liberorumque populorum, maximeque, ut nepotem Antiochi regis, ejus, qui cum majoribus noſtris bellum geſſerat, claſſeis habere, elephantos alere prohiberet: Laodiceæ in gymnaſio à quodam Leptine eſt interfectus. Reddita eſt ei tum à majoribus *ſtatua pro vita:* quæ multos per annos progeniem ejus honeſtaret, nunc ad tantæ familiæ memoriam ſola reſtaret. Atqui & huic, [1] & Tullo Cluvio, & L. Roſcio, & Sp. Antio, & C. Fulcinio, qui à Vejentium rege cæſi ſunt, non ſanguis, qui profuſus eſt in morte, ſed ipſa
3 mors ob remp. obita, honori fuit. Itaque, P. C. ſi Ser. Sulpicio caſus mortem attuliſſet, dolerem quidem tanto reip. vulnere: mortem verò ejus non monumentis, ſed luctu publico eſſe honorandam putarem. nunc autem quis dubitat, quin ei vitam abſtulerit ipſa legatio? ſecum enim ille mortem extulit: quam, ſi nobiſcum remanſiſſet, ſua cura, optimi filii, fideliſſimæ conjugis diligentia, vitare potuiſſet. At ille, cum videret, ſi veſtræ auctoritati non paruiſſet, diſſimilem ſe futurum ſui. ſi paruiſſet, munus ſibi illud pro rep. ſuſceptum, vitæ finem allaturum: maluit in maximo reip. diſcrimine, mori, quàm minùs, quàm potuiſſet, videri reip. profuiſſe. Multis illi in urbibus, quà iter faciebat, reficiendi ſe, & curandi poteſtas fuit. aderat & hoſpitum invitatio liberalis pro dignitate ſummi viri, & eorum hortatio, qui unà erant miſſi, ad requieſcendum, & vitæ ſuæ conſulendum. At ille properans, feſtinanſque, mandata noſtra conficere cupiens, in hac conſtantia, morbo adverſante, perſeveravit. Cujus cùm adventu maximè perturbatus eſſet Antonius, quòd ea, quæ ſibi juſſu noſtro denuntiarentur, auctoritate erant, & ſententia Ser. Sulpicii conſtituta: declaravit, quàm odiſſet ſenatum, cùm auctorem ſenatus exſtinctum, lætè, atque *inſolenter tulit.* Non igitur magis Octavium Leptines, nec Vejentium rex, eos, quos modò nominavi, quàm Ser. Sulpicium occidit Antonius. Is ENIM profectò mortem attulit, qui cauſa mortis fuit. Quocirca ad poſteritatis etiam memoriam pertinere arbitror, exſtare, quod fuerit de hoc bello judicium ſenatus. erit enim ſtatua ipſa teſtis, bellum tam grave fuiſſe,
4 ut legati interitus, honoris memoriam conſecutus ſit. Quòd ſi excuſationem Ser. Sulpicii, P. C. legationis obeundæ recordari volueritis, nulla dubitatio relinquetur, [2] quin honores mortui, qui vivo injuriam fecimus, ſarciamus. Vos enim, patres conſcripti (grave dictu eſt, ſed dicendum tamen) vos, inquam, Ser. Sulpicium vita privaſtis. quem cum videretis ſe magis morbo, quam oratione, excuſantem, non vos quidem crudeles fuiſtis, (quid enim minùs in hunc ordinem convenit?) ſed, cùm ſperaretis nihil eſſe, quod non illius *auctoritate*, & *ſapientia* effici poſſet, vehementiùs excuſationi obſtitiſtis: atque eum, qui ſemper veſtrum conſenſum, graviſſimum judicaviſſet, de ſententia dejeciſtis. Ut verò Panſæ conſulis acceſſit cohortatio gravior, quàm aures Ser. Sulpicii ferre didiciſſent, tum vero denique filium, meque ſeduxit, atque ita locutus eſt, ut auctoritatem veſtram vitæ ſuæ ſe diceret anteferre. cujus nos virtutem admirati, non auſi ſumus ejus adverſari voluntati. movebatur ſingulari pietate filius: non multùm ejus perturbationi meus dolor concedebat: ſed uterque noſtrûm cedere cogebatur magnitudini animi, orationiſque gravitati: cùm quidem ille maxima laude, & gratulatione omnium veſtrûm pollicitus eſt, ſe, quod velletis, eſſe facturum, neque ejus ſententiæ periculum vitaturum, cujus ipſe *auctor* fuiſſet, quem exſequi mandata veſtra properantem, manè poſtridie proſecuti ſumus. qui quidem diſcedens, mecum ita locutus eſt, ut ejus oratio, OMEN FATI videretur. Reddite igitur, P. C. ei vitam, cui ademiſtis. 5
vita enim mortuorum in memoria vivorum eſt poſita. perficite, ut is, quem vos ad mortem inſcii miſiſtis, immortalitatem habeat à vobis. cui ſi ſtatuam in Roſtris decreto veſtro ſtatueritis, nulla ejus legationem poſteritatis inobſcurabit oblivio. Nam reliqua Ser. Sulpicii vita multis erit, præclariſque monumentis ad omnem memoriam commendata. ſemper illius gravitatem, conſtantiam, fidem, præſtantiam, in republica tuenda curam, atque prudentiam, omnium *mortalium fama* celebrabit. Nec verò ſilebitur admirabilis quædam, & incredibilis, & pænè divina ejus in legibus interpretandis, æquitate explicanda, ſcientia. Omnes, ex omni ætate, qui hac in civitate intelligentiam juris habuerunt, ſi unum in locum conferantur, cum Ser. Sulpicio non ſunt comparandi. Neque enim ille magis juris conſultus, quàm *juſtitiæ* fuit. Itaque quæ proficiſcebantur à legibus, & à jure civili; ſemper ad facilitatem, æquitatemque referebat: neque conſtituere litium actiones malebat, quàm controverſias tollere. Ergo hoc ſtatuæ monumento non eget: habet alia majora. hæc enim ſtatua, mortis honeſtæ teſtis erit: illa, memoria vitæ glorioſæ: ut hoc magis monumentum *grati ſenatus*, quàm clari viri, futurum ſit. Multùm etiam voluiſſe ad patris honorem pietas filii videbitur: qui quamquam afflictus luctu non adeſt, tamen ſic animati eſſe debetis, ut ille ſi adeſſet. eſt autem ita affectus, ut nemo umquam unici filii mortem magis doluerit, quàm ille mœret patris. Equidem etiam ad famam Ser. Sulpicii filii arbitror attinere, ut videatur honorem debitum patri præſtitiſſe. quamquam nullum monumentum clarius Ser. Sulpicius relinquere potuerit, quàm *effigiem morum* ſuorum, virtutis, conſtantiæ, pietatis, ingenii, filium. cujus luctus aut hoc honore veſtro, aut nullo ſolatio levari poteſt. Mihi autem recordanti Ser. Sulpicii 6
[3] multos in noſtra familiaritate ſermones, gratior illi videtur, ſi qui eſt ſenſus in morte, ænea ſtatua futura, & ea pedeſtris, quàm inaurata equeſtris: qualis eſt L. Sullæ prima ſtatua. [4] mirificè enim Ser. Sulpicius majorum *continentiam* diligebat: hujus ſæculi inſolentiam vituperabat. Ut igitur, ſi ipſum conſulam, quid velit, ſic pedeſtrem ex ære ſtatuam, tamquam ex ejus auctoritate, & voluntate, decerno: quæ quidem magnum civium dolorem, & deſiderium, honore monumenti minuet, & leniet. Atque hanc meam ſententiam, P. C. P. Servilii ſententia probari neceſſe eſt: qui ſepulcrum publicè decernendum Ser. Sulpicio cenſuit, ſtatuam non cenſuit. Nam ſi mors legati ſine cæde, atque ferro nullum honorem deſiderat: cur decernit *honorem ſepulturæ:* qui maximus haberi poteſt mortuo? Sin id tribuit Ser. Sulpicio, quod non eſt datum Cn. Octavio: cur, quod illi datum eſt, huic dandum eſſe non cenſet? Majores, quidem noſtri ſtatuas multis decreverunt: ſepulcra paucis. ſed *ſtatuæ* intereunt tempeſtate, vi, vetuſtate: ſepulcrorum autem ſanctitas in ipſo ſolo eſt: quod nulla vi moveri, neque deleri poteſt. atque, ut cetera exſtinguuntur, ſic *ſepulcra* fiunt ſanctiora vetuſtate. Augeatur igitur iſto etiam honore is vir, cui nullus honor tribui non debitus poteſt. grati ſimus in ejus morte decoranda, cui nullam jam aliam gratiam referre poſſumus. notetur etiam M. Antonii, nefarium bellum gerentis, ſcelerata audacia. his enim honoribus habitis Ser. Sulpicio, repudiatæ, rejectæque legationis ab Antonio, manebit teſtificatio ſempiterna. Quas ob res ita cenſeo. CUM Ser. Sulpicius, Qu. F. 7
Lemonia, Rufus, difficillimo reipublicæ tempore, gravi, peri-

1. *Et Tullo Cluvio.*] Vide ne reponendum ſit *L. Julio*, admonet Pighius noſter libro III. Faſtorum. at Fulvius Urſinus in *Cloulia* mallet *Tito Clœlio*, ut idem nominatur apud Livium lib. IV. Plinium libro III. cap. 6.

2. *Quin honore mortui.*] Ita Lambinus, neqne recedit. Pall. ſec. nam pr. *honorem mortuo*; quomodo & olim editi. recentiores enim, ſecuti conjecturam Ferrarii, admiſere, *quin honore mortui.*

3. *Multos in noſtra familiaritate ſermones.*] Gulielmius oræ adſcripſit, fortean, *pro noſtra.*

4. *Mirificè enim Ser. Sulpicius majorum continentiam, &c.*] Sic hodie paſſim cuditur. patrum tamen ævo impreſſi, *magnificè*, quod & in mſſ. noſtris.

periculoſoque morbo affectus, auctoritatem ſenatus, ſalutemque reipubl. vitæ ſuæ præpoſuerit, contraque vim, gravitatemque morbi contenderit, ut ad caſtra Antonii, quo ſenatus eum miſerat, perveniret: iſque, cùm jam prope caſtra veniſſet, vi morbi oppreſſus, [1] vitam amiſerit in maximo reipub. munere: ejuſque *mors conſentanea vitæ* fuerit, ſanctiſſimè, honeſtiſſimeque actæ, in qua ſæpe magno uſui reip. Ser. Sulpicius & privatus, & in magiſtratibus fuerit: cum talis vir, ob rempublicam in legatione mortem obierit: Senatui placere, Ser. Sulpicio ſtatuam pedeſtrem æneam in Roſtris ex hujus ordinis ſententia ſtatui, circumque eam ſtatuam locum gladiatoribus, ludiſque liberos, poſteroſque ejus quaque verſus pedes quinque habere, [2] quod is *ob rempub.* mortem obierit, eamque cauſam in baſi inſcribi: utique C. Panſa, A. Hirtius, conſules, alter, ambove, ſi eis videbitur, quæſtoribus urbis imperent, ut eam baſim, ſtatuamque faciendam, & in Roſtris ſtatuendam locent: quantique locaverint, tantam pecuniam redemtori ſolvendam, attribuendamque curent: cumque antea ſenatus auctoritatem in virorum fortium funeribus, ornamentiſq; oſtenderit; placere, eum quàm ampliſſimè ſupremo die ſuo efferri: &, cùm Ser. Sulpicius, Q. F. Lemonia, Rufus, ita de repub. meritus ſit, ut his ornamentis decorari debeat: Senatum cenſere, atque à repub. exiſtimare, ædileis curuleis edictum, quod de funeribus habeant, Ser. Sulpicii, Q. F. Lemonia, Rufi, funeri mittere: utique locum ſepulcro in campo Eſquilino C. Panſa conſul, ſeu quo alio in loco videtur, pedes triginta quoquò verſus deſignet, quò Ser. Sulpicius inferatur. quod *ſepulcrum*, ipſius, liberorum, poſterorumque ejus ſit: uti quod optimo jure ſepulcrum publicè datum eſt.

1. *Vitam amiſerit in maximo reipub. munere.*] Manutius atque Lamb. *vit. am. maximo reip. tempore*, & interpretatur hic, *difficillimo.* non placet; neque reſpondet libris noſtris.

2. *Quod is ob rempub. mortem obierit.*] Scaliger noſter in Euſebianis, cenſet immittendam copulam, *quodque.* & neceſſaria eſt.

M. TULLII CICERONIS IN M. ANTONIUM PHILIPPICA DECIMA.

ORATIO QUINQUAGESIMASECUNDA.

1 MAXIMAS tibi, Panſa, gratias, omnes & habere, & agere debemus: qui, cùm hodierno die ſenatum te habiturum non arbitraremur: ut M. Bruti, præſtantiſſimi civis, litteras accepiſti, ne minimam quidem moram interpoſuiſti, quin quàm primùm maximo gaudio, & gratulatione frueremur. Cùm factum tuum gratum omnibus debet eſſe, tum verò oratio, qua, recitatis litteris, uſus es. declaraſti enim, verum eſſe id, quod ego ſemper ſenſi, NEMINEM alterius, qui ſuæ confideret, virtuti invidere. Itaque mihi, qui plurimis officiis ſum cum Bruto, & maxima familiaritate conjunctus, minùs multa de illo dicenda ſunt. [1] quas enim mihi ipſe parteis ſumſeram, eas præoccupavit oratio tua. Sed mihi, P. C. neceſſitatem attulit paullo plura dicendi, ſententia ejus, qui rogatus eſt ante: à quo ita ſæpe *diſſentio*, ut jam verear, ne, id quod minimè fieri debet, minuere amicitiam noſtram videatur perpetua diſſenſio. Quæ eſt enim iſta tua ratio, Calene? quæ mens? qui numquam poſt Kalendas Jan. idem ſenſeris, quod is, qui te ſententiam primùm rogat? cur numquam tam frequens ſenatus fuit, ut unus aliquis tuam ſententiam ſecutus ſit? cur ſemper tui diſſimileis defendis? cur, cùm te & vita, & fortuna tua ad otium, & ad dignitatem invitet, ea probas, ea decernis, ea ſentis, quæ ſunt inimica & otio communi, &
2 dignitati tuæ? Nam, ut ſuperiora omittam, hoc certè, [2] quod mihi maximam admirationem movet, non tacebo. Quod eſt tibi cum Brutis bellum? cur eos, quos omnes pænè venerari debemus, ſolus oppugnas? alterum circumſederi non moleſtè fers, alterum tua ſententia ſpolias iis copiis, quas ipſe ſuo labore, & periculo ad reipub. non ad ſuum præſidium, per ſe, *nullo adjuvante*, confecit? Quis eſt iſte tuus ſenſus, quæ cogitatio, Brutos ut non probes, Antonios probes? quos omnes cariſſimos habent, tu oderis? quos acerbiſſimè omnes oderunt, tu conſtantiſſimè diligas? Ampliſſimæ tibi fortunæ ſunt, ſummus honoris gradus, filius, ut & audio, & ſpero, *natus ad laudem:* cui cùm reip. cauſa faveo, tum etiam tua. Quæro igitur, eum Brutine ſimilem malis, an Antonii? Ac permitto, ut de tribus Antoniis eligas, quem velis. [3] Dii meliora, inquies. [4] Cur igitur non eis faves? cur non eos laudas, quorum ſimilem filium tuum eſſe vis? ſimul enim reip. conſules, & propones illi exempla ad imitandum. Hoc verò, Q. Fufi, copioſius ſine offenſione noſtræ amicitiæ, ſic tecum, ut à te diſſentiens, ſenator quæro. ita enim dixiſti, & quidem de ſcripto. nam te inopia verbi lapſum putarem, niſi tuam in dicendo facultatem noſſem. litteras Bruti rectè, & ordine ſcriptas videri. quid eſt aliud, quàm librarium Bruti laudare, non Brutum? Uſum in rep. Calene, magnum jam habere, & debes, & potes. quando ita decerni vidiſti? aut quod S. C. hujus generis (ſunt enim innumerabilia) bene ſcriptas litteras decretum à ſenatu? quod verbum tibi non excidit, ut ſæpe fit, fortuitu: ſcriptum, meditatum, cogitatum attuliſti. Hanc tibi conſuetudinem pleriſque in
rebus [5] *bonis obtrectandi* ſi quis detraxerit: [6] quid tibi quod 3
ſibi quiſque velit, non relinquetur? Quamobrem collige te, placaque animum iſtum aliquando, & mitiga: audi viros bonos, [7] quibus uteris multùm: loquere cum ſapientiſſimo homine, genero tuo, ſæpius, quàm *ipſe tecum:* tum denique ampliſſimi honoris nomen obtinebis. An verò hoc pro

1. *QUas enim ipſe mihi partes ſumpſeram.*] Eſt hoc quidem in editis, ſed Ferrarii mſſ. omnes, item noſtræ: *quas enim ſententias mihi ipſe ſumpſeram.* quod non video cur non debeat quis præferre alteri.

2. *Quod mihi maximam admirationem movet.*] Propendeam magis in Hittorp. & Pal. ſec. item omnes Ferrarii ſcriptos, *quod me maxima admiratione movet.*

3. *Dii meliora, inquies.*] Adhæſimus P. Manutio & Lambino. nam noſtri libri vulgatis ſecundas faciebant, habebantque; *D. Brutus melior eſt, inquies.* fatuè, damnavitque etiam Ferrarius.

4. *Cur igitur non eis faves? cur non eos laudas, &c.*] Non eſt in Pall. aut Hitt. *cur non*, ultimo loco poſitum. & poterat abeſſe. Ferrarius tamen malebat, *faves quos laudas, &c.* neque diſplicet.

5. *Bonis obtrectandi.*] Mſſ. noſtri, ac Ferrarii omnes ad unum, *bonos.*

6. *Quid tibi, quod ſibi quiſque velit, non relinquetur.*] Ita etiam ſupplet hanc ſententiam Pal. ſec. acceditque Hittorpianus.

7. *Quibus uteris multum.*] Manut. & Lamb. *quibus uteris multis.* neſcio an præferendum vulgato.

hoc pro nihilo putas (in quo equidem pro amicitia tuam vicem dolere ſoleo) efferri hæc foras, & ad populi Rom. aureis pervenire, ei, qui primus ſententiam dixerit, *neminem aſſenſum*? quod etiam hodie futurum arbitror. Legiones abducis à Bruto quas? nempe eas, quas ille ab Antonii ſcelere avertit, & ad remp. ſua auctoritate traduxit. Rurſus igitur vis nudatum illum, atque ſolum à rep. relegatum videri. Vos autem, P.C. ſi M.Brutum deſerueritis, & prodideritis, [1] quem tandem civem umquam ornabitis? cui favebitis? niſi fortè eos, qui diadema impoſuerint, conſervandos: eos, qui regis nomen ſuſtulerint, deſerendos putatis. Ac de hac quidem divina, atque immortali laude M. Bruti ſilebo: quæ gratiſſima memoria omnium civium incluſa, nondum *publica auctoritate* teſtata eſt. Tantamne patientiam, dii boni! tantam moderationem, tantam in injuria tranquillitatem, & modeſtiam? qui cum prætor urbanus eſſet, urbe caruit, jus non dixit, cùm omne jus populi Rom. recuperaſſet: cumque concurſu quotidiano bonorum omnium, qui admirabilis ad eum fieri ſolebat, præſidioque Italiæ cunctæ ſæptus poſſet eſſe, abſens judicio bonorum defenſus eſſe maluit, quàm præſens manu: qui ne Apollinareis quidem ludos, pro ſua, populique Rom. dignitate apparatos, præſens fecit, ne quam viam pateface-
4 ret ſceleratiſſimorum hominum audaciæ. Quamquam, qui umquam aut ludi, aut dies, lætiores fuerunt, quàm cùm in ſingulis verſibus populus Rom. maximo *clamore, & plauſu* Bruti memoriam proſequebatur? corpus aberat liberatoris, libertatis memoria aderat: in qua Bruti imago cerni videbatur. At hunc his ipſis ludorum diebus videbam in inſula clariſſimi adoleſcentis, Luculli, propinqui ſui, nihil niſi de pace, & concordia civium cogitantem. Eundem vidi poſtea Veliæ, *cedentem* Italia, nequa oriretur belli civilis cauſa propter ſe. O ſpectaculum illud non modò hominibus, ſed undis ipſis, & litoribus luctuoſum, cedere è patria ſervatorem ejus, manere in patria perditores! Caſſii claſſis paucis pòſt diebus conſequebatur: ut me puderet, P.C. in eam urbem redire, ex qua illi abirent. Sed, quo conſilio redierim, initiò audiſtis, pòſt eſtis experti. Exſpectatum igitur tempus à Bruto eſt. nam quoad vos omnia pati vidit, uſus eſt ipſe incredibili patientia. poſteaquàm vos ad libertatem ſenſit erectos; præſidia veſtræ libertati paravit. At cui peſti, quantæque reſtitit? Si enim C. Antonius, quod animo intenderat, perficere potuiſſet (potuiſſet autem, niſi ejus ſceleri virtus M. Bruti obſtitiſſet) Macedoniam, Illyricum, Græciam perdidiſſemus. eſſet vel receptaculum pulſo Antonio, vel agger oppugnandæ Italiæ Græcia: quæ quidem nunc M. Bruti imperio, auctoritate, copiis non inſtructa ſolùm, ſed etiam ornata, tendit dexteram Italiæ, ſuumque ei præſidium pollicetur. quod qui ab illo [2] abducit, exercitum, & reſpectum pulcherrimum, & præſidium firmiſſimum adimit reipublicæ. Equidem cupio, hæc quamprimùm Antonium audire, ut intelligat, non D. Brutum, quem vallo circumſedet, ſed ſeipſum ob-
5 ſideri. Tria tenet oppida toto in orbe terrarum: habet inimiciſſimam Galliam: eos etiam, quibus confidebat, alieniſſimos Tranſpadanos: Italia omnis infeſta eſt: exteræ nationes à prima ora Græciæ uſque ad Ægyptum, optimorum, & fortiſſimorum civium imperiis, & præſidiis tenentur. Erat ei ſpes una in C. Antonio: qui duorum fratrum ætatibus medius interjectus, *vitiis* cum utroque certabat; qui, tamquam extruderetur à ſenatu in Macedoniam, & non contra prohiberetur proficiſci, ita cucurrit. Quæ tempeſtas, dii immortales, quæ flamma, quæ vaſtitas, quæ peſtis Græciæ fuiſſet, niſi incredibilis, [3] ac divina virtus furentis hominis conatum, atque audaciam compreſſiſſet? Quæ *celeritas* illa Bruti? quæ cura? quæ virtus? Etſi ne C. quidem Antonii celeritas contemnenda eſt: quem niſi in via caducæ hereditates retardaſſent, volaſſe eum, non iter feciſſe diceres. Alios ad *negotium publicum* ire cùm cupimus, vix ſolemus extrudere: hunc retinentes excluſimus. At quid ei cum Apollonia? quid cum Dyrrachio? quid cum Illyrico? quid cum P. Vatinii imperatoris exercitu? ſuccedebat, ut ipſe dicebat, Hortenſio. Certi fines Macedoniæ, certa conditio, [4] certus erat etiam illius exercitus. cum Illyrico verò, & cum Vatinii legionibus quid erat Antonio? At ne Bruto quidem. id enim fortaſſe quiſpiam improbus dixerit. Omnes legiones, omnes copiæ, quæ ubique ſunt, *populi Romani ſunt*. neque hæ legiones, quæ M. Antonium reliquerunt, Antonii potiùs, quàm reipublicæ fuiſſe dicuntur. OMNE ENIM exercitus, & imperii jus amittit is, qui eo imperio, & exercitu rempublicam oppugnat. Quòd ſi ipſa reſpub. judicaret, aut ſi omnes jus 6
decretis ejus ſtatueretur: Antonione, an Bruto legiones populi Rom. adjudicaret? Alter advolarat ſubitò ad direptionem, peſtemque ſociorum, ut quacumque iret, omnia vaſtaret, diriperet, auferret: exercitu populi Rom. contra ipſum populum Rom. utebatur. alter eam ſibi legem ſtatuerat, ut, quocumque veniſſet, *lux veniſſe* quædam, & ſpes ſalutis videretur. denique alter ad evertendam remp. præſidia quærebat, alter ad conſervandam. Nec verò nos hoc magis videbamus, quàm ipſi milites: à quibus tanta in judicando prudentia non erat poſtulanda. Cum VII. cohortibus iſſe Apolloniam ſcribit Antonium, qui jam aut captus eſt (quod dii dent) aut certè homo verecundus in Macedoniam non accedit, ne contra S. C. feciſſe videatur. Delectus habitus in Macedonia eſt ſummo Q. Hortenſii ſtudio, & induſtria. cujus animum egregium, dignumque & ipſo, & majoribus ejus ex Bruti litteris perſpicere potuiſtis. Legio, quam L. Piſo ducebat, legatus Antonii, Ciceroni ſe filio meo tradidit. equitatus, qui in Syriam ducebatur bipertitò, alter eum, à quo ducebatur, reliquit in Theſſalia, ſeſeque ad Brutum contulit: alterum in Macedonia Cn. Domitius adoleſcens ſumma virtute, & conſtantia, ab legato Syriaco abduxit. P. autem Vatinius, qui & antea jure laudatus à nobis, & hoc tempore meritò laudandus eſt, aperuit Dyrrachii portas Bruto, & exercitum tradidit. Tenet igitur populus Romanus Macedoniam, tenet Illyricum, tuetur Græciam: noſtræ ſunt legiones, noſtra levis armatura, noſter equitatus, maximeque noſter eſt Brutus, ſemperque noſter, cùm ſua excellentiſſima virtute reipub. natus, tum *fato quodam* paterni, maternique generis, & nominis. Ab 7
hoc igitur quiſquam bellum timet, qui antequam nos id coacti ſuſcepimus, in pace jacere, quàm in bello vigere maluit? quamquam ille quidem numquam jacuit, nec hoc cadere verbum in tantam virtutis præſtantiam poteſt. Erat enim in deſiderio civitatis, in ore, in ſermone omnium. Tantum autem aberat à bello, ut, cùm cupiditate libertatis Italia arderet, defuerit civium ſtudiis potiùs, quàm eos in armorum diſcrimen adduceret. Itaque illi ipſi, ſi qui ſunt, qui tarditatem Bruti reprehendant, tamen iidem moderationem, patientiamque mirantur. Sed jam video, quid loquantur. neq; enim id occultè faciunt. timere ſe dicunt, quomodo ferant veterani, exercitum Brutum habere. Quaſi verò quidquam interſit inter A. Hirtii, C. Panſæ, D. Bruti, C. Cæſaris, & hunc exercitum M. Bruti. Nam ſi quattuor exercitus ii, de quibus dixi, propterea laudantur, quòd pro pop. Rom. libertate arma ceperunt: quid eſt, cur hic M. Bruti exercitus non in eadem cauſa reponatur? At enim veteranis ſuſpectum

1. *Quem tandem civem umquam ornabitis? cui favebitis?*] Eſt à Pal. ſec. & libris omnibus Ferrarii. prius impreſſi *umquam habebitis quem ornetis?*

2. *Abducit exercitum, & reſpectum pulcerrimum, &c.*] Illud, *& reſpectum* inſertum è Romanis codd. à Faërno, monuit me libro I. Nodor. Cicer. cap. 15. Andr. Schottus.

3. *Ac divina virtus, furentis, &c.*] Eſt à libris Ferrarii, quibus adſtipulatur Pal. ſec. aliæ edd. *virtus Cæſaris.* perperam. Lambinus edidit, *virtus M. Bruti Cæpionis*, ab ingenio forſan.

4. *Certus erat etiam illius exercitus.*] Pall. Hitt. & olim impreſſi, *certiſſimo modo erat etiam ii.ius exer.* at Man. & Lamb. publicarunt, *certus, ſi modò erat ullus exercitus;* ſecuti puto P. Victorium, qui lib. XV. cap. 12. legendum cenſebat, *certus (ſi modo erat, etiam illius exercitus.* is conſulatur.

I. Soci-

ctum eſt nomen M. Bruti. magiſne quàm Decimi? Equidem non arbitror. etſi eſt enim Brutorum commune factum, & laudis [1] ſocietas æqua: D. tamen Bruto iratiores ii, qui id factum dolebant, quo minus ab illo rem illam dicebant fieri *decuiſſe*. Quid ergo nunc agunt tot exercitus, niſi ut obſidione D. Brutus liberetur? qui autem hos exercitus ducunt? hi, credo, qui C. Cæſaris res actas everti, qui cauſam
8 veteranorum prodi volunt. Si ipſe viveret C. Cæſar, acriùs, credo, acta ſua defenderet, quam vir fortiſſimus defendit Hirtius: aut amicior cauſæ quiſquam poteſt inveniri, quàm *filius*? At horum alter, nondum ex longinquitate graviſſimi morbi recreatus, quidquid habuit virium, id in eorum libertatem defendendam contulit, quorum votis judicavit ſe à morte revocatum: alter virtutis robore firmior, quàm ætatis, cum iſtis ipſis veteranis ad D. Brutum liberandum profectus eſt. Igitur illi certiſſimi, iidemque acerrimi Cæſaris actorum patroni, pro D. Bruti ſalute bellum gerunt: quos veterani ſequuntur. de libertate enim populi Rom. non de ſuis commodis, armis decernendum vident. Quid eſt igitur, cur iis, qui D. Brutum omnibus opibus conſervatum velint, M. Bruti ſit ſuſpectus exercitus? An verò, ſi quid eſſet, quod à M. Bruto timendum videretur, Panſa id non videret? aut, ſi videret, non laboraret? quis aut ſapientior ad conjecturam rerum futurarum? aut ad propulſandum metum diligentior? Atqui hujus animum erga M. Brutum, ſtudiumque vidiſtis. præcepit oratione ſua, quid decernere nos de Bruto, quid ſentire oporteret: tantumque abfuit, ut periculoſum reip. M. Bruti putaret exercitum, ut in eo firmiſſimum reip. præſidium, & graviſſimum poneret. Scilicet hoc Panſa aut non videt (hebeti enim ingenio eſt) aut negligit. quæ enim Cæſar egit, ea rata eſſe non curat: de quibus confirmandis, & ſanciendis legem comitiis
9 centuriatis ex auctoritate noſtra laturus eſt. Deſinant igitur, aut ii, qui non timent, ſimulare ſe timere, ſe proſpicere reip. aut ii, qui omnia verentur, nimiùm eſſe timidi; [2] ne illorum ſimulatio, horum obſit ignavia. Quæ (malùm) eſt iſta ratio, ſemper optimis cauſis veteranorum nomen opponere? quorum etiam ſi amplecterer virtutem, ut facio: tamen, ſi eſſent arrogantes, non poſſem ferre *faſtidium*. An nos conanteis ſervitutis vincula rumpere, impediet, ſiquis veteranos id nolle dixerit? non ſunt enim, credo, innumerabiles, qui pro communi libertate arma capiant. nemo eſt præter veteranos milites, qui ad ſervitutem propulſandam ingenuo dolore excitetur. Poteſt igitur ſtare reſp. freta veteranis ſine magno ſubſidio juventutis? quos quidem vos libertatis adjutores complecti debetis: ſervitutis auctores ſequi non debetis Poſtremò (erumpat enim aliquando vera, & me digna vox) ſi veteranorum nutu [3] mentes hujus ordinis gubernantur, omniaque ad eorum voluntatem dicta, factaque noſtra referuntur: optanda mors eſt, quæ civibus Rom. ſemper fuit *ſervitute potior*. Omnis eſt miſera ſervitus: ſed fuerit quædam neceſſaria: [4] ecquodnam principium putatis libertatis capeſſendæ? an, cùm illum neceſſarium, & fatalem pænè caſum non tulerimus, hunc feremus voluntarium? Tota Italia deſiderio libertatis exarſit: ſervire diutiùs non poteſt civitas: ſeriùs populo Rom. hunc veſtitum, atque arma dedimus, quàm ab eo
10 flagitati ſumus. Magna nos quidem ſpe, & propè exploratа, libertatis cauſam ſuſcepimus. ſed, ut concedam INCERTOS exitus eſſe belli, Martemque communem: tamen pro libertate, vitæ periculo decertandum eſt. non enim in ſpiritu vita eſt, ſed ea nulla eſt omnino ſervienti. omnes nationes ſervitutem ferre poſſunt: noſtra civitas non poteſt: nec ullam aliam ob cauſam, niſi quod illæ *laborem, doloremque fugiunt*, quibus ut careant, omnia perpeti poſſunt: nos ita à majoribus inſtituti, atque imbuti ſumus, ut omnia conſilia, atque facta ad virtutem, & dignitatem referamus. ITA PRÆCLARA eſt recuperatio libertatis, ut ne mors quidem ſit in repetenda libertate fugienda. Quòd ſi immortalitas conſequeretur præſentis periculi fugam, [5] tamen eo magis ea fugienda videretur, quo diuturnior ſervitus eſſet. cùm verò dies, & nocteis omnia nos undique fata circumſtent: [6] non eſt viri, minimeque Romani, dubitare, eum ſpiritum, quem naturæ quis debeat, *patriæ reddere*. Concurritur undique ad commune incendium reſtinguendum. veteranique primi Cæſaris auctoritatem ſecuti, conatum Antonii repulerunt: poſt ejuſdem furorem Martia legio fregit. Quarta afflixit. Sic à ſuis legionibus condemnatus, irrupit in Galliam, quam ſibi armis, animiſque infeſtam, inimicamque cognovit. hunc A. Hirtii, C. Cæſaris exercitus inſecuti ſunt: poſt Panſæ delectus urbem, totamque Italiam erexit. unus omnium eſt *hoſtis*. quamquam habet ſecum L. fratrem, cariſſimum populo Rom. civem: cujus deſiderium civitas ferre diutius non poteſt. Quid illa tætrius belua? quid immanius? [7] qui ob eam cauſam natus videtur, ne omnium mortalium turpiſſimus eſſet M. Antonius. eſt unà Trebellius, qui jam cum tabulis novis redit in gratiam: T. Plancus, ceteri pares: qui id pugnant, id agunt, ut contra remp. reſtituti eſſe videantur: ſollicitant homines imperitos Saxæ, & Caphones, ipſi ruſtici, atque agreſtes, qui hanc remp. nec viderunt umquam nec videre conſtitutam volunt: qui non Cæſaris, ſed Antonii acta defendunt: quos avertit agri Campani *infinita poſſeſſio*: cujus eos nos non pudere miror, cùm videant, ſe
mimos, & mimas habere vicinos. Ad has peſteis opprimen- 11
das, quid eſt cur moleſtè feramus, quòd M. Bruti acceſſit exercitus? Immoderati, credo, hominis, & turbulenti. Vide, ne nimium pænè patientis. etſi in illius viri conſiliis, atque factis, [8] nihil nec nimium, nec parum fuit umquam. Omnis voluntas M. Bruti, P. C. omnis cogitatio, tota mens, auctoritatem ſenatus, libertatem populi Rom. intuetur: hæc habet propoſita, hæc tueri vult. tentavit, [9] quid patientia perficere poſſet. nihil cùm proficeret: *vi contra vim* experiendum putavit. Cui quidem, P. C. vos idem tribuere hoc tempore debetis, quod a. d. XIII. Kal. Jan. D. Bruto, & C. Cæſari, me auctore, tribuiſtis: quorum privatum de rep. conſilium, & factum auctoritate veſtra eſt comprobatum, atque laudatum. quod idem in M. Bruto facere debetis, à quo inſperatum, & repentinum reip. præſidium legionum, equitatus, auxiliorum magnæ & firmæ copiæ comparatæ ſunt: adjungenduſque eſt Q. Hortenſius, qui cùm Macedoniam obtineat, adjutorem ſe Bruto ad comparandum exercitum, fideliſſimum, & conſtantiſſimum præbuit. nam de M. Apulejo ſeparatim cenſeo referendum: cui teſtis eſt per litteras Brutus, eum principem fuiſſe ad conatum exercitus comparandi. Quæ cùm ita ſint: QUOD C. PANSA, CONSUL, verba fecit de litteris, quæ à Q. Cæpione Bruto, procoſ. allatæ, & huic ordini recitatæ ſunt, de ea re ita cenſeo: CUM Q. Cæpionis Bruti proconſulis opera, conſilio, induſtria, virtute, difficillimo

1. *Societas æqua, Decimo tamen iratiores ii, qui, &c.*] Conjecerat ſic Ferrarius; ſed nunc id etiam confirmat Pal. ſec.

2. *Ne illorum ſimulatio, horum obſit ignavia.*] Ita Muretus. nam Faërnus *ill. æmulatio*, fide Vaticani. retro vulgati, *horum ſit ignavia*, quod & in Pall.

3. *Mentes hujus ordinis gubernantur, &c. noſtra referuntur.*] Si libet obedire libris ſcriptis, reſcribendum, *gubernabuntur*, item *referentur*.

4. *Ecquodnam principium putatis libertatis capeſſendæ?*] Nihil variant mſſ. noſtri. Lambinus tamen edidit *Principium P. C. datis libert.*

5. *Tamen eo magis ea fugienda videretur.*] Ferrarius interponit negativam; quam rejicit, tueturque vulgatum M. Ant. Muretus libro XVI. Var. lect. cap. 17. qui adeatur.

6. *Non eſt viri, minimeque Rom.*] Retinui quod erat in Manut. & Lamb. cum ſpe, eſſe a mſſ. nam certe etiam Pal. ſec. habet *viri nominiſque*. vulgata prius, *non eſt veſtri nominiſque Rom.*

7. *Qui ob eam cauſam natus.*] Pal. ſec. Hittorp. & omnes libri Ferrarii, *quid ſi ob, &c.* divinat ipſe, *qui quaſi ob.*

8. *Nihil nec nimium, &c.*] Etiam illud *nihil* reperi in Hittorp. & Pal. ſec. nedum in Ferrarianis.

9. *Quid patientia perficere.*] Ita aliàs legi annotatum ad oras librorum. quod cum inveniſſem in Pal. ſec. præpoſui vulgato, *proficere.*

ficillimo reip. tempore provincia Macedonia, Illyricum, cuncta Græcia, legiones, exercitus, equitatus, in conſulum, ſenatus, populique Rom. poteſtate ſint: id Q. Cæpionem Brutum, procoſ. bene & è rep. & ſua, majorumque ſuorum dignitate, conſuetudineque reip. bene gerendæ feciſſe, eamque rem ſenatui, populoque Rom. gratam eſſe, & fore: utique Q. Cæpio Brutus, procoſ. provinciam Macedoniam, Illyricum, totamque Græciam tueatur, defendat, cuſtodiat, incolumemque conſervet: eique exercitui, quem ipſe conſtituit, comparavit, præſit: [1] pecuniaque ad rem militarem, ſi qua opus ſit, quæ publica ſit, & exigi poſſit, utatur, exigat: pecuniaſque à quibus videatur, ad rem militarem mutuas ſumat; frumentum imperet: operamque det, ut cum ſuis copiis quàm proximè Italiam ſit: cumque ex litteris Q. Cæpionis Bruti, procoſ. intellectum ſit, Q. Hortenſii procoſ. opera, & virtute vehementer rempub. adjutam, omniaque ejus conſilia cum conſiliis Q. Cæpionis Bruti, procoſ. conjuncta fuiſſe, eamque rem magno uſui reipub. fuiſſe: Q. Hortenſium procoſ. rectè, & ordine, exque repub. feciſſe: ſenatuique placere, Q. Hortenſium, procoſ. cum quæſtoribus, prove quæſtoribus, & legatis ſuis provinciam Macedoniam obtinere, quoad ei ex S. C. ſucceſſum ſit.

1. *Pecuniaque ad rem militarem.*] Lambinus, *pecuniamque.* quomodo & Pall. & Hittorp. antiquè.

M. TULLII CICERONIS IN M. ANTONIUM PHILIPPICA UNDECIMA.
ORATIO QUINQUAGESIMATERTIA.

1 MAGNO in dolore ſum, P. C. vel mœrore potius, quem ex crudeli, & miſerabili morte C. Trebonii, optimi civis, moderatiſſimique hominis, accepimus, ineſt tamen *aliquid*, quod reip. profuturum putem. perſpeximus enim, quanta in iis, qui contra patriam ſcelerata arma ceperunt, ineſſet immanitas. nam duo hæc capita nata ſunt poſt homines natos tæterrima, & ſpurciſſima, Dolabella, & Antonius: quorum alter effecit, quod optabat: de altero patefactum eſt, quid cogitaret. L. Cinna crudelis: C. Marius in iracundia perſeverans: L. Sulla vehemens: neque ullius horum in ulciſcendo acerbitas progreſſa *ultra mortem* eſt. quæ tamen pœna in civeis nimis crudelis putabatur. Ecce tibi geminum in ſcelere par, inuſitatum, inauditum, ferum, barbarum. Itaque quorum ſummum quondam inter ipſos odium, bellumque meminiſtis, eoſdem poſtea ſingulari inter ſe conſenſu, & amore devinxit impuriſſimæ naturæ, & turpiſſimæ vitæ *ſimilitudo*. Ergo id, quod fecit Dolabella, in quo potuit, multis idem minatur Antonius. ſed ille cùm procul abeſſet à conſulibus, exercitibuſque noſtris, nec dum ſenatum cum populo Rom. conſpiraſſe ſenſiſſet: fretus Antonii copiis ea ſcelera ſuſcepit, quæ Romæ jam ſuſcepta arbitrabatur à ſocio furoris ſui. Quid ergo hunc aliud moliri, quid optare cenſetis, aut quam omnino cauſam eſſe belli? omneis, qui liberè de rep. ſenſimus, qui dignas nobis ſententias diximus, qui populum Rom. liberum eſſe voluimus, ſtatuit ille quidem non *inimicos*, ſed *hoſteis*: majora tamen in nos, quàm in hoſtem, ſupplicia meditatur: mortem naturæ pœnam putat eſſe, iracundiæ tormenta, atque cruciatum. qualis igitur hoſtis habendus eſt is, à quo victore ſi cruciatus abſit, mors
2 *in beneficii parte* numeretur? Quamobrem, P. C. quamquam hortatore non egetis, (ipſi enim veſtra ſponte exarſiſtis ad libertatis recuperandæ cupiditatem) tamen eo majore animo, ſtudioque libertatem defendite, quo majora propoſita victis ſupplicia ſervitutis videtis. In Galliam invaſit Antonius, in Aſiam Dolabella: in alienam uterque provinciam: alteri ſe Brutus objecit, impetumque furentis, atque omnia divexare, & diripere cupientis, vitæ ſuæ periculo colligavit, progreſſu arcuit, à reditu refrenavit: obſideri ſe paſſus, ex utraque parte conſtrinxit Antonium. Alter [1] in Aſiam irrupit curſim, cui in Syriam patebat via certa, neque longa. [2] quid opus fuit cum legione? præmiſſo Marſo neſcio quo Octavio, ſcelerato latrone, atque *egente*, qui popularetur agros: vexaret urbeis non ad ſpem conſtituendæ rei familiaris, quam tenere eum poſſe negant qui norunt: (mihi enim hic ſenator ignotus eſt) ſed ad præſentem paſtum mendicitatis ſuæ. conſecutus eſt Dolabella, nulla ſuſpicione belli. quis enim id putaret? ſecutæ collocutiones familiariſſimæ cum Trebonio: complexuſque ſummæ benivolentiæ falſi indices exſtiterunt in amore ſimulato: dextræ, quæ fidei teſtes eſſe ſolebant, perfidia ſunt, & ſcelere violatæ: nocturnus introitus Smyrnam, quaſi in hoſtium urbem: quæ eſt fideliſſimorum, antiquiſſimorumque ſociorum: oppreſſus Trebonius; ſi ut ab eo, qui apertè hoſtis eſſet, incautus: ſi ut ab eo, qui civis etiam tum ſpeciem haberet, miſer. Ex quo nimirum documentum nos capere fortuna voluit, quid eſſet *victis* extimeſcendum. Conſularem hominem, conſulari imperio provinciam Aſiam obtinentem, [3] Samiario exſuli tradidit: interficere captum ſtatim noluit, ne nimis, credo, in victoria liberalis videretur. cum verborum contumeliis optimum virum inceſto ore laceraſſet, tum verberibus, ac tormentis quæſtionem habuit pecuniæ publicæ, idque per biduum. [4] poſt cervicibus caput abſcidit, [5] idque fixum geſtari juſſit in pilo: reliquum corpus tractum, [6] atque laniatum abjecit in mare. [7] Cum hoc bellandum hoſte eſt; à cujus tæterrima crudelitate omnis barbaria ſuperata eſt. Quid loquar de cæde civium Romanorum? de direptione fanorum? quis eſt, qui pro rerum atrocitate deplorare tantas calamitates queat? & nunc tota Aſia vagatur, volitat ut rex,

1. IN *Aſiam irrupit curſim, cui in Syriam, &c.*] Manut. & Lamb. *irrupit. cur ſi, ut in Syriam: patebat, &c.* ſi ex mſſ. laudo. nam noſtræ membranæ; *curſim uti in Syr.* videantur & emendationes Ferrarii.

2. *Quid opus fuit cum legione.*] Lambinus præmittit: *ſin ut ad Trebonium; quid opus, &c.* ſed tale nihil Manutius, aut ſcripti noſtri.

3. *Samiario exuli.*] Itaque quoque Pal. ſec. alii tamen tres *Samario* uti publicatum fuerat prius. reſtat tamen noſtrum, etiam in Hittorpiano, à manu prima.

4. *Poſt à cervicibus caput abſcidit.*] Scripſi iſtud ſuaſu Palatini ſec. nam ceteri tres *poſt autem cerv.* Manutius & Lamb. *poſt, cervicibus fractis, caput abſc.* neſcio an è mſſ.

5. *Idque fixum.*] Editores iidem *affixum*, ſed præter Pall. quatuor & vetuſtius editos.

6. *Atque laniatum.*] Sic & Lambinus, neque aliter Pal. ſec. antea culi *laceratum*: quod improbavi, quod præceſſiſſet, *inceſto ore laceraſſet.*

7. *Cum hoc bellandum hoſte eſt, à cujus, &c.*] Hoc modo poſita ſunt verba in Pal. ſec. habebatque idem illud *à*, quod vulgatæ deerat, repræſentatque editio Mureti.

1. Nec

rex, nos alio bello diſtineri putat. quaſi verò non unum,
idemque bellum ſit contra hoc *jugum impiorum* nefarium.
3 Imaginem M. Antonii crudelitatis in Dolabella cernitis:
ex hoc illa effecta eſt: ab hoc illa Dolabellæ ſcelerum præcepta
ſunt tradita. Num leniorem, quàm in Aſia Dolabella
fuit, in Italia, ſi liceat, fore putatis Antonium? mihi quidem
& ille perveniſſe videtur, quoad progredi potuerit feri
hominis amentia: neque Antonius ullius ſupplicii adhibendi,
ſi poteſtatem habeat, ullam partem eſt relicturus.
Ponite igitur ante oculos, P. C. miſeram illam quidem, &
flebilem ſpeciem, ſed ad incitandos animos veſtros neceſſariam:
nocturnum impetum in urbem Aſiæ clariſſimam,
irruptionem armatorum in Trebonii domum, cum miſer
ille prius latronum gladios videret, quàm, quæ res eſſet,
audiſſet: furentis introitum Dolabellæ, vocem impuram,
atque os illud infame, vincula, verbera, eculeum, carnificem,
tortoremque Samiarium. quæ tuliſſe illum fortiter,
& patienter ferunt. magna laus, meoque judicio omnium
maxima. EST ENIM ſapientis, quidquid homini accidere
poſſit, id præmeditari ferendum modicè eſſe, ſi advenerit.
majoris omnino eſt conſilii, providere, ne quid tale accidat:
ſed animi non minoris, fortiter ferre, ſi evenerit. Ac
Dolabella quidem tam fuit immemor humanitatis, quamquam
ejus numquam particeps fuerit, ut ſuam inſatiabilem
crudelitatem exercuerit non ſolum in vivo, ſed etiam in
mortuo: ac in ejus corpore lacerando, atque vexando, cum
4 animum ſatiare non poſſet, oculos paverit ſuos. O multò
miſerior Dolabella, quàm ille, quem tu miſerrimum eſſe
voluiſti! Dolores Trebonius pertulit magnos: multi, ex
morbi gravitate majores: quos tamen non miſeros, ſed
laborioſos dicere ſolemus. longus fuit dolor bidui: at compluribus,
annorum ſæpe multorum. [1] nec verò graviora
ſunt carnificum tormenta, quàm interdum cruciamenta
morborum. Alia ſunt, alia, inquam, ô perditiſſimi homines,
& amentiſſimi, multò miſeriora. nam, quo major vis
eſt animi, quàm corporis, hoc ſunt graviora ea, quæ concipiuntur
animo, quàm illa, quæ corpore. MISERIOR igitur,
qui ſuſcipit in ſe ſcelus, quàm is, qui alterius facinus
ſubire cogitur. Cruciatus eſt à Dolabella Trebonius: &
quidem à Karthaginienſibus Regulus. In qua re cùm crudeliſſimi
Pœni judicati ſint in hoſte: quid in cive Dolabella
judicandus eſt? An verò hoc conferendum eſt? an
dubitandum, uter miſerior: iſne, cujus mortem ſenatus,
populuſque Rom. ulciſcitur; [2] an is, qui cuncti ſenatus ſententia
hoſtis eſt judicatus? nam ceteris quidem vitæ partibus,
quis eſt, qui poſſit ſine Trebonii maxima contumelia
conferre vitam Trebonii cum Dolabella? alterius conſilium,
ingenium, humanitatem, innocentiam, magnitudinem
animi in patria liberanda, quis ignorat? [3] alteri à
puero pro deliciis crudelitas fuit: deinde ea libidinum turpitudo,
ut in hoc ſit ſemper lætatus, quòd ea faceret, quæ ſibi
objici ne ab inimico quidem poſſent verecundo. Et hic,
dii immortales, [4] aliquando fuit meus. occulta enim erant
vitia non inquirenti. neque nunc fortaſſe alienus ab eo eſſem,
niſi ille vobis, niſi mœnibus patriæ, niſi huic urbi,
niſi diis penatibus, niſi aris, & focis omnium noſtrûm;
niſi denique naturæ, & humanitati inventus eſſet inimicus.
à quo admoniti, diligentius, & vigilantius caveamus Anto-
5 nium. Etenim Dolabella non ita multos ſecum habuit
notos, ac inſigneis latrones. at videtis, quos & quàm multos
habeat Antonius. primum L. fratrem: quam facem,
dii immortales? quod facinus? quod ſcelus? quem gurgitem?
quam voraginem? quid eum non ſorbere animo, quid
non haurire cogitatione, cujus *ſanguinem* non bibere cenſetis?
in cujus poſſeſſiones, atque fortunas, non impudentiſſimos
oculos, ſpe, & mente defigere? Quid Cenſorinum?
qui ſe verbo prætorem eſſe urbanum cupere dicebat,
re certè noluit. quid Beſtiam? qui ſe conſulatum in
Bruti locum petere profitetur. atque hoc quidem deteſtabile
omen avertat Jupiter. Quàm abſurdum autem, qui
prætor fieri non potuerit, eum petere conſulatum? niſi
fortè damnationem pro prætura putat. Alter Cæſar Vopiſcus,
ille homo ſummo ingenio, ſumma potentia, [5] qui ex
ædilitate ad conſulatum. ſolvatur legibus. quamquam leges
eum non tenent. [6] credo dignitate. At hic, me defendente,
quinquies abſolutus eſt. ſexta palma urbana, etiam in
gladiatore difficilis. Sed hæc judicum culpa, non mea eſt.
ego defendi fide optima: illi debuerunt clariſſimum, &
præſtantiſſimum ſenatorem in civitate retinere. qui tamen
nunc nihil aliud agere videtur niſi ut intelligamus, [7] illos,
quorum res judicatas irritas fecimus, bene, & *è rep.* judicaviſſe.
Neque hoc in hoc uno eſt. ſunt alii in eiſdem caſtris
honeſtè condemnati, turpiter reſtituti. Quod horum conſilium,
qui omnibus bonis hoſtes ſunt, niſi crudeliſſimum,
putatis fore? Accedit Saxa, neſcio quis, quem nobis Cæſar
ex ultima Celtiberia tribunum pl. dedit, caſtrorum antea
metator, nunc, ut ſperat, urbis: à qua cum ſit alienus, [8] ſuo
capiti, ſalvis nobis, ominetur. Cum hoc veteranus Capho:
quo neminem veterani pejus oderunt. His, quaſi præter
dotem, quam in civilibus malis acceperant, agrum Campanum
eſt largitus Antonius, ut haberent reliquorum nutriculas
prædiorum: quibus utinam contenti eſſent: ferremus:
etſi tolerabile non erat: ſed quidvis patiendum fuit,
ut hoc tæterrimum bellum non haberemus. Quid? illa ca- 6
ſtrorum M. Antonii lumina, nonne ante oculos proponitis?
primùm duos [9] collegas Antoniorum, & Dolabellæ,
Nuculam, & Lentonem, Italiæ diviſores lege ea, quam
ſenatus per vim latam judicavit. quorum alter commentatus
eſt mimos, alter egit tragœdiam. Quid dicam de Apulo
Domitio? cujus bona modo proſcripta vidimus: tanta procuratorum
eſt negligentia. At hic nuper ſororis filio infudit
venenum, non dedit. Sed NON poſſunt non prodigè vivere,
qui noſtra bona ſperant, cùm effundunt ſua. Videte
etiam P. Decii auctionem, clariſſimi viri: qui majorum
ſuorum exempla perſequens, pro alieno ſe ære devovit.
emtor tamen in ea auctione inventus eſt nemo. Hominem
ridiculum, qui ſe exire ære alieno putet poſſe, cùm
vendat aliena. Nam quid ego de Trebellio dicam? quem
ultæ videntur furiæ debitorum: vindicem enim tabularum
novarum novam tabulam vidimus. Quid de L. Planco?
quem præſtantiſſimus civis, Aquila, Pollentia expulit, &
quidem crure fracto: quod utinam antè illi accidiſſet, ne
huc redire potuiſſet. *Lumen*, & decus illius exercitus pænè
præterii, T. Annium Cimbrum, Lyſidici filium, Lyſidicum
ipſum Græco verbo, quoniam omnia jura diſſolvit:
niſi fortè jure Germanum Cimber occîdit. Cum hanc, &
hujus generis copiam tantam habeat Antonius, quod ſcelus
omittet, cum Dolabella tantis ſe obſtrinxerit parricidiis, nequa-

1. *Nec vero graviora.*] Ita Longobardicus Ferrarii, ut & Pal. ſec. alii, *nec graviora verè.* quod mutat Rivius, in *ferè.* non acquieſco.

2. *An is qui cuncti ſenatus ſententia.*] Sic Pall. quatuor. Manutius tamen & Lambinus, *cunctis ſenatus ſententiis.*

3. *Alteri à puero pro deliciis crudelitas fuit.*] Pal. ſec. tantum habet, *alteri pro deliciis crudel. f.* & verò illud *à puero*, extat quidem in Hittorp. à manu recenti, cum prius aliud quid fuiſſet.

4. *Aliquando fuit meus.*] Haud aliter quoque Pal. ſec. aut Hittorp. nam vulgati ante Manutium, voce amplius, *amicus.* ſuperfluè.

5. *Qui ex ædilitate ad conſulatum.*] Neceſſe mihi fuit ſequi libros ſcriptos Ferrarii, cum & aliorum idem præ ſe ferrent, & Pal. ſec. vulgata, *ex ædilitate conſulatum petit;* quomodo ſolum Pal. tert. nam pr. & quart. *ædilitate conſulatum, penè ſalvatur legibus.*

6. *Credo dignitate.*] Pal. ſec. tert. *dignitatem*, quod in Hittorpio. Manut. & Lamb. edidere: *propter eximiam credo dignitatem.* an è mſſ.

7. *Illos quorum res judicatas irritas.*] Vulgo additur *illos judices. ſunt*, vocem eam reſpuunt Pal. ſec. & Hitt.

8. *Suo capiti ſalvis nobis ominetur.*] Eſt à conjectura Ferrarii: ſed ſic tamen fuerat initio in Hittorpiano, factumque deinde *dominetur* vulgatum.

9. *Collegas Antoniorum.*] Hittorp. & Pal. ſec. item Ferrariani *Antonii:* forſan melius. nam iſti Marco erant omnia potius quam fratri ejus.

1. *Tabella*

quaquam pari latronum manu & copia? Quapropter, ut invitus ſæpe diſſenſi à Qu. Fuſio, ita ſum ejus ſententiæ libenter aſſenſus. ex quo judicare debetis, me non cum homine ſolere, ſed cum *cauſſa* diſſidere. Itaque non aſſentior ſolùm, ſed etiam gratias ago Qu. Fuſio. dixit enim ſeveram, gravem, rep. dignam ſententiam: judicavit hoſtem Dolabellam: bona ejus cenſuit publicè poſſidenda. quo cum addi nihil poſſet (quid enim atrocius potuit, quid ſeverius decernere?) dixit tamen ſi quis eorum, qui poſt ſe rogati eſſent, graviorem ſententiam dixiſſet: in eam ſe

7 iturum. quam ſeveritatem quis poteſt non laudare? Nunc quoniam hoſtis eſt judicatus Dolabella, bello eſt perſequendus. neque enim quieſcet: habet legionem, habet fugitivos, habet ſceleratam impiorum manum: eſt ipſe confidens, impotens, gladiatorio generi mortis addictus. Quamobrem, quoniam cum Dolabella heſterno die hoſte decreto bellum gerendum eſt, imperator eſt deligendus. Duæ dictæ ſunt ſententiæ: quarum neutram probo: alteram, quia ſemper, niſi cum eſt neceſſe, periculoſam arbitror: alteram, quia alienam his temporibus exiſtimo. Nam *extraordinarium* ſemper imperium populare atque ventoſum eſt, minimè noſtræ gravitatis, minimè hujus ordinis. Bello Antiochi magno & gravi, cum L. Scipioni, Publii filio, obveniſſet Aſia, parumque in eo putaretur eſſe animi, parum roboris, ſenatuſque ad collegam ejus,[1] C. Lælium, hujus Sapientis patrem, negotium deferret: ſurrexit P. Africanus, frater major L. Scipionis, & illam ignominiam familiæ deprecatus eſt: dixitque & in fratre ſuo ſummam virtutem eſſe, ſummumque conſilium, neque ſe ei legatum id ætatis, iiſque rebus geſtis, defuturum. quod cùm ab eo eſſet dictum; nihil eſt de Scipionis provincia commutatum: nec plus extraordinarium imperium ad id bellum quæſitum, quàm duobus antea maximis Punicis bellis, quæ à conſulibus, aut à dictatoribus geſta & confecta ſunt: aut quàm Pyrrhi, quàm Philippi, quàm poſt Achaico bello, quàm Punico tertio: ad quod pop. Rom. ita ipſe ſe delegit idoneum ducem, P. Scipionem, ut eum tamen bellum gerere conſulem

8 vellet. Cum Ariſtonico bellum gerendum fuit, L. Valerio, P. Licinio conſulibus. rogatus populus, quem id bellum gerere placeret: Craſſus conſul, & pontifex maximus, Flacco collegæ, flamini Martiali, multam dixit, ſi à ſacris diſceſſiſſet. quam multam populus remiſit: pontifici tamen flaminem parere juſſit. ſed ne tum quidem pop. R. ad privatum detulit bellum. quamquam erat Africanus, qui anno antè de Numantinis triumphaverat: qui cum longe omneis belli gloria, & virtute ſuperaret, duas *tantum* tribus tulit. ita pop. R. conſuli potiùs Craſſo, quàm privato Africano bellum gerendum dedit. De Cn. Pompeji imperiis, ſummi viri, atque omnium principis, tribuni plebis turbulenti tulerunt. nam Sertorianum bellum à ſenatu privato datum eſt, quia conſules recuſabant: cùm L. Philippus *pro conſulibus* ſe eum mittere dixit, non pro conſule. Quæ igitur hæc comitia? aut quam ambitionem conſtantiſſimus, & graviſſimus civis, L. Cæſar in ſenatum introduxit? clariſſimo viro, atque innocentiſſimo decrevit imperium, privato tamen. in quo maximum nobis onus impoſuit. Aſſenſero: ambitionem induxero in curiam. negavero: videbor ſuffragio meo, tamquam comitiis, honorem homini amiciſſimo denegaviſſe. Quòd ſi comitia placet in ſenatu habere: petamus, ambiamus. [2] tabella modo detur nobis, ſicut populo data eſt. Cur committis Cæſar, ut aut præſtantiſſimus vir, ſi tibi non ſit aſſenſum, repulſam tuliſſe videatur: aut unuſquiſque noſtrûm præteritus, ſi, cum pari dignitate ſimus, eodem honore digni non putemur. At enim (nam id exaudio) C. Cæſari adoleſcentulo imperium extraordinarium mea ſententia dedi. Ille enim mihi præſidium extraordinarium dederat. cùm dico mihi, ſenatui dico, populoque Rom. A quo reſp. præſidium ne cogitatum quidem, tantum haberet, ut ſine eo ſalva eſſe non poſſet, huic extraordinarium imperium non darem? aut exercitus adimendus, aut imperium dandum fuit. Quæ eſt enim ratio, aut quî poteſt fieri, ut ſine imperio teneatur exercitus? Non igitur, quod ereptum non eſt, eſt id exiſtimandum eſſe *datum*. eripuiſſetis C. Cæſari, P. C. imperium, niſi dediſſetis. milites veterani, qui illius auctoritatem, imperium, nomen ſecuti, pro rep. arma ceperant, volebant ſibi ab illo imperari: legio Martia, & Quarta, ita ſe contulerat ad auctoritatem ſenatus, populique Rom. dignitatem, ut eum depoſcerent imperatorem, & ducem. Cæſari bellum neceſſitas, faſceis ſenatus dedit. otioſo verò, nihil agenti, privato, obſecro te, L. Cæſar, (cum peritiſſimo homine mihi res eſt) quando imperium ſenatus dedit?

9 Sed de hoc quidem hactenus, ne refragari homini amiciſſimo, ac de me optime merito videar. etſi QUIS poteſt refragari non modò non petenti, verum etiam recuſanti? illa verò, P. C. aliena conſulum dignitate, aliena temporum gravitate ſententia eſt, ut conſules, Dolabellæ perſequendi cauſa, Aſiam, & Syriam ſortiantur. Dicam, cur inutile reip. ſed prius, quàm turpe conſulibus ſit, videte. Cum conſul deſignatus obſideatur, in eoque liberando ſalus ſit poſita reip.: cumque à populo Rom. peſtiferi cives, parricidæque deſciverint: cumque id bellum geramus, quo bello de dignitate, de libertate, de vita decernamus: &, ſi in poteſtatem quis Antonii venerit, propoſita ſint tormenta, atque cruciatus: cumque harum rerum omnium decertatio conſulibus optimis, & fortiſſimis commiſſa, & commendata ſit: Aſiæ, & Syriæ mentio fiet, ut aut ſuſpicioni crimen, aut invidiæ materiam dediſſe videamur? At verò ita decernunt, ut liberato Bruto: id enim reſtabat: ut relicto, deſerto, prodito. Ego verò mentionem omnino provinciarum factam dico alieniſſimo tempore. quamvis enim intentus animus tuus ſit, C. Panſa, ſicut eſt, ad fortiſſimum virum, & omnium clariſſimum, liberandum: tamen rerum natura cogit te neceſſario referre animum aliquando ad Dolabellam perſequendum, & partem aliquam in Aſiam, & Syriam derivare curæ, & cogitationis tuæ. Si autem fieri poſſet, vel plureis te *animos* habere vellem, quos omneis ad Mutinam intenderes. quod quoniam fieri non poteſt, iſtoc animo, quem habes præſtantiſſimum, atque optimum, nihil te volumus, niſi de Bruto cogitare. Facis tu id quidem, & eò maximè incumbis: duas tamen res, magnas præſertim, non modò agere uno tempore, ſed ne cogitando quidem explicare quiſquam poteſt. incitare, & inflammare tuum iſtud præſtantiſſimum ſtudium, non ad aliam ulla ex parte curam transferre debemus. Adde iſtuc *ſermones* hominum, 10
adde ſuſpiciones, adde invidiam. Imitare me, quem tu ſemper laudaſti: qui inſtructam ornatamque à ſenatu provinciam depoſui, ut incendium patriæ, omiſſa omni cogitatione, reſtinguerem. nemo erit, præter unum me, quicum profectò, ſi quid intereſſe tua putaſſes, pro ſumma familiaritate noſtra communicaſſes, qui credat, te invito, provinciam tibi eſſe decretam. Hanc, quæſo, pro tua ſingulari ſapientia reprime famam: atque effice, ne id, quod non curas, cupere videare. Quod quidem eo vehementiùs tibi laborandum eſt, quia in eandem cadere ſuſpicionem collega, vir clariſſimus, non poteſt. nihil horum ſcit, nihil ſuſpicatur: bellum gerit: in acie ſtat: de ſanguine, & de ſpiritu decertat: ante provinciam ſibi decretam audiet, quàm potuerit tempus ei rei datum ſuſpicari. Vereor, ne exercitus quoque noſtri, qui non delectus neceſſitate, ſed *voluntariis ſtudiis* ſe ad remp. contulerunt, tardentur animis, ſi quidquam aliud à nobis, niſi de inſtanti bello cogitatum putabunt. Quod ſi provinciæ conſulibus expetendæ videntur, ſicut ſæpe multis clariſſimis viris expetitæ ſunt: reddite priùs nobis Brutum, lumen, & decus civitatis: qui ita conſervandus eſt, ut id ſignum, quod de cælo delapſum,

Veſtæ

1. *C. Lælium, Sapientis patrem.*] Pighius noſter in Faſtis ſuis ad annum urbis conditæ DLXIII. corrigendum putat *C. Lælium Lælii Sap.* neque enim tunc vixiſſe Lælium illum nedum fuiſſe in Senatu cum hæc Cicero diceret, veroſimile.

2. *Tabella modò detur nobis.*] Ita Man. & Lamb. neque aliter Pal. ſec. vulgata: *tabula modo nova detur, &c.*

1. Non

Veſtræ cuſtodiis continetur: quo ſalvo, ſalvi ſumus futuri. tunc vel in cælum vos, ſi fieri poterit, humeris noſtris tollemus: provincias certè digniſſimas vobis deligemus. nunc quod agitur, agamus. agitur autem, liberine vivamus, an mortem obeamus: quæ certè ſervituti anteponenda eſt. Quid ſi etiam affert tarditatem iſta ſententia, ad Dolabellam perſequendum? quando enim veniet conſul? an id exſpectamus, quo ne veſtigium quidem Aſiæ civitatum, atque urbium relinquatur? At mittent aliquem de ſuo numero. Valde mihi probari poteſt, qui paullo ante clariſſimo viro privato imperium extra ordinem non dedi. At hominem dignum mittent. Num P. Servilio digniorem? at eum quidem civitas non habet. Quod ergo ipſe nemini putat dandum, ne à ſenatu quidem, id ego *unius judicio* delatum comprobem? Expedito nobis homine, & parato, P. C. opus eſt, & eo, qui imperium legitimum habeat: qui præterea auctoritatem, nomen, exercitum, perſpectum ani-
11 mum in rep. liberanda. Quis igitur is eſt? aut M. Brutus, aut C. Caſſius, aut uterque. Decernerem planè, ſicut multa, conſulem alterum, amboſve, ni Brutum colligaſſemus in Græcia, & ejus auxilium ad Italiam vergere, quam ad Aſiam maluiſſemus: [1] non ut ex ea acie reſpectum haberemus, ſed ut ipſa acies ſubſidium haberet etiam tranſmarinum. Præterea P. C. M. Brutum retinet etiam nunc C. Antonius, qui tenet Apolloniam, magnam urbem, & gravem: tenet, opinor, Byllidem: tenet Amantiam: inſtat Epiro: urget Illyricum: habet aliquot cohorteis, habet equitatum. hinc ſi Brutus erit traductus ad aliud bellum, Græciam certè amiſerimus. Eſt autem etiam de Brundiſio, atque illa ora Italiæ providendum. quamquam miror tamdiu morari Antonium. ſolet enim accipere ipſe manicas, nec diutiùs obſidionis metum ſuſtinere. Quod ſi confecerit Brutus, & intellexerit plus ſe reip. profuturum, ſi Dolabellam perſequatur, quàm ſi in Græcia maneat: aget ipſe *per ſeſe*, ut adhuc quoque fecit: neque in tot incendiis, quibus confeſtim ſuccurrendum eſt, exſpectabit ſenatum. Nam & Brutus, & Caſſius multis jam in rebus ipſe ſibi ſenatus fuit. NECESSE eſt enim in tanta converſione & perturbatione rerum, temporibus potius parere, quàm moribus. nec enim nunc primùm aut Brutus, aut Caſſius *ſalutem*, libertatemque patriæ, legem ſanctiſſimam, & morem optimum judicavit. Itaque ſi ad nos nihil referretur de Dolabella perſequendo, tamen ego pro decreto putarem, cum eſſent tales virtute, auctoritate, nobilitate ſummi viri: quorum alterius jam notus nobis eſt exercitus, alterius auditus.
12 Non igitur Brutus exſpectavit decreta noſtra, cum ſtudia noſſet. neque enim eſt in provinciam ſuam Cretam profectus: in Macedoniam alienam advolavit: omnia ſua putavit, quæ vos veſtra eſſe velletis: legiones conſcripſit novas, excepit veteres: equitatum ad ſe abduxit Dolabellæ, atque eum nondum tanto parricidio oblitum, hoſtem ſua ſententia judicavit. nam ni ita eſſet, quo jure equitatum à conſule abduceret? Quid? C. Caſſius, pari magnitudine animi & conſilii præditus, nonne eo ex Italia conſilio profectus eſt, ut prohiberet Syria Dolabellam? qua lege? quo jure? eo, quo JUPITER ipſe ſanxit, ut omnia, quæ reipublicæ ſalutaria eſſent, legitima, & juſta haberentur. Eſt enim lex nihil aliud, niſi recta, & à numine deorum tracta ratio, imperans honeſta, prohibens contraria. Huic igitur legi paruit Caſſius, cum eſt in Syriam profectus, alienam provinciam, ſi homines legibus ſcriptis uterentur: his verò oppreſſis, ſuam, lege naturæ. Sed ut ex veſtra quoque auctoritate firmetur, cenſeo: CUM P. Dolabella, quique ejus crudeliſſimi, & tæterrimi facinoris miniſtri, ſocii, adjutores fuerunt, hoſtes populi Romani à ſenatu judicati ſint, cumque ſenatus P. Dolabellam bello perſequendum cenſuerit, ut is, qui omnia deorum, hominumque jura novo, inaudito, expiabili ſcelere polluerit, nefarioque patriæ ſe parricidio obſtrinxerit, pœnas diis, hominibuſque meritas debitaſque perſolvat: ſenatui placere, C. Caſſium, proconſulem provinciam Syriam obtinere, uti qui eam optimo jure provinciam obtinuerit: cumque à Q. Marcio Criſpo, proconſule, L. Statio Murco proconſule, A. Allieno legato, exercitus accipere, eoſque ei tradere: cumque his copiis, & ſi quas præterea paraverit, bello P. Dolabellam terra, marique perſequi: ejus belli gerendi cauſa, quibus ei videatur naveis, nautas, pecuniam, cetera, quæ ad bellum gerendum pertineant, ut imperandi in Syria, Aſia, Bithynia, Ponto, jus, poteſtatemque habeat: utque, quamcumque in provinciam ejus belli gerendi cauſa advenerit, ibi majus imperium, C. Caſſii, procoſ. ſit, quam ejus erit, qui eam provinciam tum obtinebit, cum C. Caſſius procoſ. in eam provinciam venerit: regem Dejotarum patrem, & regem Dejotarum filium, ſi, ut multis bellis ſæpenumero imperium populi Rom. juverint, item C. Caſſium proconſulem copiis ſuis, opibuſque juviſſent, ſenatui, populoque Rom. gratum eſſe facturos: itemque ſi ceteri reges, tetrarchæ, dynaſtæque feciſſent, S. P. Q. R. eorum officii *non immemorem* futurum: utique C. Panſa, A. Hirtius, conſules, alter, ambove, ſi eis videretur, rep. recuperata, de provinciis conſularibus, prætoriis, ad hunc ordinem primo quoque tempore referant. interea provinciæ ab iis, à quibus obtinentur, obtineantur, quoad cuique ex S. C. ſucceſſum ſit. Hoc S. conſulto ardentem inflammabitis, & ar- 13
matum armabitis Caſſium. nec enim animum ejus poteſtis ignorare, nec copias. [2] animus is eſt, quem videtis: copiæ, quas audiſtis, fortis, & conſtantis viri, qui ne vivo quidem Trebonio Dolabellæ latrocinium in Syriam penetrare ſiviſſet. Allienus, familiaris, & neceſſarius meus, poſt interitum Trebonii profectus, ne dici quidem ſe legatum Dolabellæ volet. Eſt Q. Cæcilii Baſſi, *privati* illius quidem, ſed fortis, & præclari viri, robuſtus, & victor exercitus: Dejotari regis & patris, & filii, & magnus, & noſtro more inſtructus exercitus: ſumma in filio ſpes, ſumma ingenii indoles, ſummaque virtus. Quid de patre dicam? cujus benivolentia in populum Rom. eſt ipſius æqualis ætati: qui non ſolum ſocius imperatorum noſtrorum fuit in bellis, verum etiam dux copiarum ſuarum. Quæ de illo viro Sulla, quæ Muræna, quæ Servilius, quæ Lucullus, quàm ornatè, quàm honorificè, quàm graviter ſæpe in ſenatu prædicaverunt? Quid de Cn. Pompejo loquar? qui unum Dejotarum in toto orbe terrarum *ex animo* amicum, vereque benivolum, unum fidelem populo Romano judicavit. Fuimus imperatores ego, & M. Bibulus in propinquis, finitimiſque provinciis. ab eodem rege adjuti ſumus & equitatu, & pedeſtribus copiis. ſecutum eſt hoc acerbiſſimum, & calamitoſiſſimum civile bellum. in quo quid faciendum Dejotaro? quid omnino RECTIUS fuerit, dicere non eſt neceſſe: præſertim, cum contra, ac Dejotarus ſenſit, victoria belli judicarit. quo in bello ſi fuit error, communis ei fuit cum ſenatu: ſin recta ſententia, NE VICTA quidem cauſa vituperanda eſt. Ad has copias accedent alii reges, etiam delectus accedent. neque vero claſſes deerunt: tanti Tyrii Caſſium faciunt, tanti ejus in Syria nomen, atque Phœnice eſt. Paratum habet imperatorem, 14
C. Caſſium, P. C. reſp. contra Dolabellam, nec paratum ſolùm, ſed peritum, atque fortem. magnas ille res geſſit ante Bibuli ſummi viri adventum, [3] cum Pacori nobiliſſimos duces, maximaſque copias fudit, Syriamq; immani Parthorum impetu liberavit. Maximam ejus, & ſingularem laudem prætermitto. cujus enim prædicatio nondum omnibus grata eſt, hanc memoriæ potius, quàm vocis teſtimonio conſervemus. Animadverti, P. C. dici jam à quibuſdam, exornari etiam nimiùm à me Brutum, nimiùm Caſ-
ſium

1. *Non ut ex ea acie reſpectum haberemus.*] Explicat hunc locum egregie contra Gabr. Faërnum Schottus noſter, libro 1. Nodor. Cic. cap. 15.

2. *Animus is eſt quem videtis.*] Sic omnes libri noſtri atque Ferrarii, qui tamen malebat, *vidiſtis*; ſcilicet *Idibus Martiis*, quod ipſum textu dignatus Lambinus.

3. *Cum Pacori nobiliſſimos duces.*] MSſ. omnes *Parthorum*; quod tamen reſpuit linea ſequens.

1. *Ferio*

ſium ornari: Caſſio verò ſententia mea dominatum, & principatum dari. Quos ego orno? nempe eos, qui ipſi ſunt *ornamenta* reipub. Quid? D. Brutum nonne omnibus ſententiis ſemper ornavi? num igitur reprehenditis? an Antonios potius ornarem, non modò ſuarum familiarum, ſed Rom. nominis probra, atque dedecora? an Cenſorinum ornem, in bello hoſtem, in pace ſectorem? an cetera ex eodem latrocinio *naufragia* colligam? Ego verò iſtos, otii, concordiæ, legum, judiciorum, libertatis inimicos, tantum abeſt ut ornem, ut effici non poſſit, quin eos tam oderim, quàm rempub. diligo. Vide, inquit, ne *veteranos* offendas. hoc enim vel maximè exaudio. Ego autem veteranos tueri debeo: ſed hos, quibus ſanitas eſt: certè timere non debeo. eos veteranos, qui pro repub. arma ceperunt, ſecutique ſunt C. Cæſarem auctoritate beneficiorum paternorum, hodieque rempub. defendunt cum magno periculo, non tueri ſolum, ſed etiam commodis augere debeo. qui autem *quieſcunt*, ut VI. & IIX. legio, in magna gloria, & laude ponendos puto. comites verò Antonii, qui poſtquam beneficia Cæſaris comederunt, conſulem deſignatum obſident, huic urbi [1] ferro ignique minitantur: Saxæ ſe, & Caphoni tradiderunt, ad facinus, prædamque natis, numquis eſt, qui tuendos putet? Ergo aut boni ſunt, quos etiam ornare: aut quieti, quos conſervare debemus: aut impii, quorum contra furorem, & bellum, & juſta arma ſuſcepimus. Quorum igitur veteranorum animos ne offendamus, 15 veremur? eorumne, qui D. Brutum obſidione cupiunt liberare? quibus cùm Bruti ſalus cara ſit, qui poſſunt Caſſii nomen odiſſe? an eorum, qui utriſque armis vacant? non vereor, ne acerbus civis quiſquam iſtorum ſit, qui *otio* delectantur. Tertio verò generi non militum veteranorum, ſed importuniſſimorum hoſtium, cupio quàm acerbiſſimum dolorem inurere. quamquam, P. C. quouſque dicemus ſententias veteranorum arbitratu? quod eorum tantum *faſtidium* eſt, quæ tanta arrogantia, ut ad arbitrium illorum imperatorem etiam deligamus? Ego autem (dicendum eſt enim, P. C. quod ſentio) non tam veteranos intuendos nobis arbitror, quam quid tirones milites, flos Italiæ, quid novæ legiones, ad liberandum patriam paratiſſimæ, quid cuncta Italia de veſtra gravitate ſentiat. NIHIL enim ſemper floret: ætas ſuccedit ætati. diu legiones Cæſaris viguerunt: nunc vigent Panſæ, vigent Hirtii, vigent Cæſaris filii, vigent Planci: vincunt numero, vincunt ætatibus: nimirum etiam auctoritate vincunt. id enim bellum gerunt, quod ab omnibus gentibus comprobatur. itaque his præmia promiſſa ſunt: illis perſoluta. fruantur his illi, perſolvantur his, quæ ſpopondimus. id enim deos immortaleis ſpero æquiſſimum judicare. Quæ cùm ita ſint, eam, quam dixi, ſententiam, vobis, P. C. cenſeo comprobandam.

1. *Ferro ignique minitantur.*] Lambinus *ferrum ignemque*, ex conjectura Ferrarii. quæ mihi neceſſaria non videtur, quamvis is velit.

M. TULLII CICERONIS IN M. ANTONIUM PHILIPPICA DUODECIMA.

ORATIO QUINQUAGESIMAQUARTA.

1 ETSI minimè decere videtur, P. C. falli, decipi, errare eum, cui vos maximis ſæpe de rebus aſſentiamini: conſolor me tamen, quoniam *vobiſcum* pariter, & unà cum ſapientiſſimo conſule erravi. nam cùm duo conſulares ſpem honeſtæ pacis nobis attuliſſent, quòd erant familiares M. Antonii, quòd domeſtici; noſſe aliquod ejus vulnus quod nobis ignotum eſſet, videbantur. apud alterum uxor, liberi: alter, quotidie litteras mittere, accipere, apertè favere Antonio. Hi ſubitò hortari ad pacem, quod jamdiu non feciſſent, non ſine cauſa videbantur. Acceſſit conſul hortator. atqui conſul? ſi prudentiam quærimus, qui minimè falli poſſet: ſi virtutem, qui nullam pacem probaret, niſi Antonio cedente, atque victo: ſi magnitudinem animi, qui præferret *mortem ſervituti*. Vos autem, P. C. non tam immemores veſtrorum graviſſimorum decretorum videbamini, quàm [1] ſpe allata (deditionem quam amici, pacem appellare ut alieni) de imponendis, non de accipiendis legibus cogitare. Auxerat autem meam quidem ſpem, credo item veſtram, quòd domum Antonii afflictam mœſtitia audiebam, lamentari uxorem. hinc etiam fautores Antonii, quorum in vultu habitant oculi mei, triſtiores videbam. Quod ſi non ita eſt, cur à Piſone, & à Caleno potiſſimum, cur hoc tempore, cur tam improvisò, cur tam repentè pacis eſt facta mentio? Negat Piſo ſe ſcire, negat audiſſe quidquam: negat Calenus rem ullam novam allatam eſſe. atque id nunc negant, poſteaquam nos pacificatoria legatione implicatos putant. QUID ERGO opus eſt novo conſilio, ſi in re nihil omnino novi eſt? Decepti, decepti, inquam, ſumus, patres conſcripti: Antonii eſt acta 2
cauſa ab amicis ejus, non *publica*. quod videbam equidem, ſed quaſi per caliginem. reſtrinxerat aciem animi D. Bruti ſalus. Quòd ſi in bello dari vicarii ſolerent: libenter me, ut D. Brutus emitteretur, pro illo includi paterer. Atqui hac voce Q. Fufii capti ſumus: Ne ſi à Mutina quidem receſſerit, audiamus Antonium? [2] ne ſi in ſenatus quidem poteſtate futurum ſe dixerit? durum videbatur. itaque fracti ſumus: ceſſimus. Recedit igitur à Mutina? Neſcio. Paret ſenatui? Credo, inquit Calenus: ſed ita, ut teneat *dignitatem*. Valde hercule vobis laborandum eſt, P. C. ut veſtram dignitatem amittatis, quæ maxima eſt: Antonii, quæ neque eſt ulla, neque eſſe poteſt, retineatis: ut eam per vos recuperet, quam per ſe perdidit. Si jacens vobiſcum aliquid ageret, audirem fortaſſe: quamquam (ſed hoc malo dicere) audirem. ſtanti reſiſtendum eſt, aut concedenda unà cum dignitate libertas. At non eſt integrum. conſtituta legatio eſt. QUID autem integrum non eſt ſapienti, quod reſtitui poteſt? cujuſvis hominis eſt errare: nullius, niſi inſipientis, in errore perſeverare. poſteriores enim *cogitationes*, (ut ajunt) ſapientiores ſolent eſſe. Diſcuſſa eſt illa caligo, quam paulo antè dixi: diluxit, patet, vide-

1. *SPe allata (deditionem quam amici, pacem appellarent alieni) de impon. &c.*] Eſt a conjectaneo Ferrarii, quo tamen nihil abit à mſſ. quam quod *deditionem* facit, ex vulgato *deditionis*; pro quo tamen in Pal. pr. ac quart. *deditio in amici*, tert. *deditioni amici*; ut fortè fuerit; *deditionem amici, pacem app. alieni*. recepta lectio; *ſpe allata deditionis, quam amici pacem appellare mallent de imp.*

2. *Ne ſi in ſenatus quidem poteſtatem.*] Mſſ. noſtri *poteſtatem*, antiquè. quod & monuit Suffridus noſter.

videmus omnia, neque per nos ſolùm, ſed admonemur à noſtris. Attendiſtis paullo antè, præſtantiſſimi viri quæ eſſet oratio. Mœſtam, inquit, domum offendi, conjugem, liberos. Admirabantur boni viri, accuſabant amici, quòd ſpe pacis legationem ſuſcepiſſem. nec mirum, P. Servili. [1] tuis enim veriſſimis, graviſſimiſque ſententiis omni eſt non dico dignitate, ſed etiam ſpe ſalutis ſpoliatus Antonius. Ad eum ire te legatum quis non miraretur? de me experior: cujus idem conſilium, quod tuum, ſentio quàm reprehendatur. nos reprehendimur ſoli? quid? vir fortiſſimus Panſa ſine cauſa tam accuratè paullo antè locutus eſt tamdiu? quid egit, niſi uti [2] falſam proditionis à ſe ſuſpicionem depelleret? unde autem eſt iſta ſuſpicio? ex pacis patrocinio repentino, quod ſubitò ſuſcepit, eodem captus errore, quo nos. Quòd ſi eſt erratum, P. C. ſpe falſa, atque fallaci: redeamus in viam. *optimus* eſt portus pœnitenti, mutatio
3 conſilii. Quid enim per deos immortaleis, poteſt reip. prodeſſe noſtra legatio? prodeſſe dico? quid ſi etiam obfutura eſt? obfutura? quid ſi jam nocuit? an vos acerrimam illam, & fortiſſimam populi Rom. libertatis recuperandæ cupiditatem, non imminutam, ac debilitatam putatis legatione pacis audita? quid municipia cenſetis? quid colonias? quid cunctam Italiam? futuram eodem ſtudio, quo contra commune incendium exarſerat? an non putamus fore, ut eos *pœniteat* profeſſos eſſe, & præ ſe tuliſſe odium in Antonium, qui pecunias polliciti ſunt, qui arma, qui ſe totos & animis, & corporibus in ſalutem reipub. contulerunt? Quemadmodum veſtrum hoc conſilium Capua probabit, quæ temporibus his Roma altera eſt? illa impios civeis judicavit, ejecit, excluſit. illi, illi, inquam, urbi fortiſſimè conanti, è manibus eſt ereptus Antonius. Quid? legionum noſtrarum nervos nonne his conſiliis incidimus? quis eſt enim, qui ad bellum inflammato animo ſit futurus, *ſpe pacis* oblata? ipſa illa Martia, cœleſtis, & divina legio, hoc nuntio langueſcet, & mollietur, atque illud pulcherrimum Martium nomen amittet: excident gladii: fluent arma de manibus. Senatum enim ſecuta, non arbitrabitur ſe graviori odio in Antonium eſſe debere, quam ſenatum. Pudet hujus legionis, pudet Quartæ, quæ pari virtute noſtram auctoritatem probans, non ut conſulem, & imperatorem ſuum, ſed ut hoſtem, & oppugnatorem patriæ reliquit Antonium: pudet optimi exercitus, qui conjunctus eſt ex duobus: qui jam luſtratus, qui profectus ad Mutinam eſt: qui ſi pacis, id eſt, *timoris noſtri* nomen audiverit: [3] ut non referat pedem, inſiſtet certe. [4] quid enim, revocante, & receptui canente ſenatu, properet dimicare?
4 Quid autem hoc injuſtius, quam nos, inſcientibus iis, qui bellum gerunt, de pace decernere? nec ſolùm inſcientibus, ſed etiam invitis? An vos A. Hirtium, præclariſſimum conſulem, C. Cæſarem, deorum beneficio natum ad hæc tempora, quorum epiſtolas, ſpem victoriæ declaranteis, in manu teneo, pacem velle cenſetis? vincere illi expetunt: paciſque dulciſſimum, & pulcherrimum nomen non *pactione*, ſed victoria concupierunt. Quid? Galliam quo tandem animo hanc rem audituram putatis? illa enim hujus belli propulſandi, adminiſtrandi, ſuſtinendi principatum tenet. Gallia D. Bruti nutum ipſum, ne dicam imperium, ſecuta, armis, viris, pecunia, belli principia firmavit: eadem crudelitati M. Antonii ſuum totum *corpus* objecit: exhauritur, vaſtatur, uritur. omneis æquo animo belli patitur injurias, dummodò repellat periculum ſervitutis. Et, ut omittam reliquas parteis Galliæ (nam ſunt omnes pares,) Patavini alios excluſerunt, alios ejecerunt, miſſos ab Antonio: pecunia, militibus, &, quod maximè deerat, armis noſtros duces adjuverunt. fecerunt idem reliqui, qui quondam in eadem cauſa erant, & propter multorum annorum *injurias* alienati à ſenatu putabantur. quos minimè mirum eſt, communicata cum his rep. fideleis eſſe, qui etiam expertes ejus, fidem ſuam ſemper præſtiterunt. His 5
igitur omnibus victoriam ſperantibus pacis nomen afferemus, id eſt, deſperationem victoriæ? Quid, ſi ne poteſt quidem ulla eſſe pax? QUÆ ENIM eſt conditio pacis, in qua ei, cum quo pacem facias, nihil concedi poteſt? Multis rebus à nobis invitatus ad pacem Antonius: bellum tamen maluit. miſſi legati, repugnante me: ſed tamen miſſi. delata mandata: non paruit. denuntiatum eſt, ne Brutum obſideret, à Mutina diſcederet: oppugnavit etiam vehementius. & ad eum legatos de pace mittemus, qui pacis nuntios repudiavit? verecundioremne *coram* putamus in poſtulando fore, quàm fuerit tum, cùm miſit mandata ad ſenatum? Atqui tum ea petebat, quæ videbantur improba omnino, ſed tamen aliquo modo poſſe concedi: nondum erat veſtris tam graviſſimis, tamque multis judiciis, ignominiiſque conciſus: nunc ea petit, quæ dare nullo modo poſſumus, niſi priùs volumus nos *bello victos* confiteri. Senatuſconſulta falſa delata ab eo judicavimus. num ea vera poſſumus judicare? Leges ſtatuimus per vim, & contra auſpicia latas: iiſque nec populum, nec plebem teneri. num eas reſtitui poſſe cenſetis? Seſtertiûm ſepties millies avertiſſe Antonium pecuniæ publicæ judicaviſtis. num fraude poterit carere peculatus? Immunitates ab eo, civitates, ſacerdotia, regna venierunt. num figentur rurſus eæ tabulæ, quas vos decretis veſtris refixiſtis? Quòd ſi ea, quæ 6
decrevimus, obruere volumus, num etiam memoriam rerum delere poſſumus? quando enim obliviſcetur ulla poſteritas, cujus ſcelere [5] in hac veſtitus fœditate fuerimus? ut centurionem legionis Martiæ Brundiſii profuſus ſanguis eluatur, num elui *prædicatio* crudelitatis poterit? [6] ut media prætercam, quæ vetuſtas tollet operum circa Mutinam tætra monumenta, ſceleris indicia, latrociniique veſtigia? Huic igitur importuno, atque impuro parricidæ, quid habemus, per deos immortaleis, quod remittamus? An Galliam ultimam, & exercitum? [7] quid eſt aliud quàm, non pacem facere, ſed *differre bellum*? [8] nec ſolùm prorogare bellum, ſed concedere etiam victoriam? An ille non vicerit, quacumque conditione in hanc urbem cum ſuis venerit? armis nunc omnia tenemus: auctoritate valemus plurimum: abſunt tot perditi cives, nefarium ſecuti ducem. tamen eorum ora, ſermones, qui in urbe ex eo numero relicti ſunt, ferre non poſſumus. quid cenſetis, cùm tot uno tempore irruperint? [9] nos arma poſuerimus, illi non? nonne nos *noſtris conſiliis* victos in perpetuum fore? Ponite ante oculos M. Antonium conſularem: ſperantem conſulatum Lucium adjungite: ſupplete ceteros, neque noſtri ordinis ſolum, honores & imperia meditanteis: nolite ne Tirones quidem, Numiſios, & [10] Muſtellas, Saxaſve contemnere. cum his facta pax, non erit pax, ſed pactio ſervitutis. L. Piſonis, ampliſſimi viri, præclara vox, à te non ſolum

1. *Tuis enim veriſſimis, &c.*] Gulielmius legit *ſeveriſſimis*, ut ſupra XI. cap. 6. ſub finem.

2. *Falſam proditionis à ſe ſuſpicionem, &c.*] Vox *proditio* nunc demum poſtliminio accedit Ciceroni. ætatem integram exulavit. reſtat in edd. primis & mſſ. noſtris omnibus, item Suffridi & Hittorpiano.

3. *Ut non referat pedem, inſiſtet, ſanè.*] Gulielmius legebat, *ſiſtet.* at quid ſi idem notet vulgata? quæ in mſſ. omnium.

4. *Quid enim revocante, &c.*] Retro vulgati, *quis.* ſed alterum eſt à Pal. ſec. & membranis Suffridi; ſicque videtur initio fuiſſe in Hittorp.

5. *In hac veſtitus fœditate.*] Codices quidam à Suffrido inſpecti, *veſtiti.* antique.

6. *Ut media prætercam, &c.*] Hittorp. *mediam.* unde putat Gulielmius reſcribendum *inediam.*

7. *Quid eſt aliud quam, non pacem facere.*] Lambinus ſuſtulit negativam, non auctoritate librorum, ſed de conjectura Ferrarii.

8. *Nec ſolum prorogare bellum.*] Ferrarii mſſ. *propagare*, recepitque in contextum Manutius. habet ſic quoque Pal. ſec. ſed non eſt in eo vox *bellum.*

9. *Nos arma poſuerimus, illi non?*] Poſteriores addiderunt, *non poſuerint.* & vero noſtri, item Suff. eam vocem habent, ſed auctiorem ſyllaba, *depoſuerint.*

10. *Muſtellas Saxaſve.*] Diſpiciant otioſiores. Pal. pr. ſec. habent, *Sejoſve.* tert. quart. item Hittorp. *ſocioſve.* & verò Ferrarianis quoque exulant *Saxa*; repræſentantque *Sejos* aut *Seios.*

ſolum in hoc ordine, Panſa, ſed etiam in concione jure laudata eſt. Exceſſurum ſe ex Italia dixit, deos penateis, & ſedeis patrias relicturum, ſi (quod dii omen averterint)
7 remp. oppreſſiſſet Antonius. Quæro igitur à te, Piſo, nonne oppreſſam remp. putes, ſi tot, tam impii, tam audaces, tam facinoroſi recepti ſint? quos nondum tantis parricidiis contaminatos vix ferebamus, hos nunc omni ſcelere coopertos, tolerabileis cenſes civitati fore? Aut iſto tuo, mihi crede, conſilio erit utendum, ut cedamus, abeamus, vitam inopem, & vagam perſequamur, aut cervices latronibus dandæ, atque in patria cadendum. Ubi ſunt, C. Panſa, illæ cohortationes pulcherrimæ tuæ, quibus à te excitatus ſenatus, inflammatus populus Rom. non ſolùm audivit, ſed etiam didicit, NIHIL ESSE homini Rom. fœdius ſervitute? Idcircone ſaga ſumſimus, arma cepimus, juventutem omnem [1] ex tota Italia excivimus, [2] ut exercitu florentiſſimo, & maximo legati [3] ad pacem mitterentur? ſi poſtulandam, quid timemus? ſi accipiendam, cur non rogamur? in hac ego legatione ſim, aut ad id conſilium admiſcear, in quo, ne ſi diſſenſero quidem a ceteris, ſciturus populus Rom. ſit? Ita fiet, ut, ſi quid remiſſum, aut conceſſum ſit, meo ſemper periculo peccet Antonius, cùm ei peccandi poteſtas à me conceſſa videatur. Quòd ſi habenda cum Antonii latrocinio pacis ratio fuit, mea tamen perſona ad iſtam pacem conciliandam minimè fuit deligenda. Ego numquam legatos mittendos cenſui: ego ante legatorum reditum auſus ſum dicere, Pacem ipſam ſi afferrent: quoniam *ſub nomine pacis bellum lateret*, [4] reipub. repudiandam. ego princeps ſagorum: ego ſemper illum hoſtem appellavi, cùm alii adverſarium: ſemper hoc bellum, cum alii tumultum. nec hæc in ſenatu ſolùm: eadem ad populum ſemper egi: ne ſolùm in ipſum, ſed in ejus ſocios, facinorum miniſtros, & præſenteis, & eos, qui unà ſunt: in totam denique M. Antonii domum ſum ſemper invectus. Itaque, ut alacres, & læti, ſpe pacis oblata, inter ſe impii cives, quaſi viciſſent, gratulabantur: ſic me iniquum ejurabant: de me querebantur. diffidebant etiam Servilio. meminerant, ejus ſententiis confixum Antonium: L. Cæſarem, fortem quidem illum, & conſtantem ſenatorem, *avunculum tamen*: Calenum, procuratorem: Piſonem, familiarem: te ipſum, Panſa, vehementiſſimum, & fortiſſimum conſulem, factum jam putant leniorem: non quò ita ſit, aut eſſe poſſit: ſed mentio à te facta pacis, ſuſpicionem multis attulit immutatæ voluntatis. Inter has perſonas me interjectum amici Antonii moleſtè ferunt: quibus gerendus mos eſt, quoniam
8 ſemel liberales eſſe cœpimus. Proficiſcantur legati optimis ominibus: ſed ii proficiſcantur, in quibus *non offendatur* Antonius. Quòd ſi de Antonio non laboratis, mihi certè, P. C. conſulere debetis. parcite oculis ſaltem meis, & aliquam veniam juſto dolori date. Quo enim adſpectu videre potero, (mitto hoſtem patriæ: ex quo mihi odium in illum commune vobiſcum eſt,) quomodo adſpiciam mihi uni crudeliſſimum hoſtem, ut declarant ejus de me acerbiſſimæ conciones? Adeone me ferreum putatis, ut cum eo congredi, aut illum adſpicere poſſim? qui nuper, cùm in concione donaret eos, qui ei de parricidis audaciſſimi videbantur, *mea bona* donare ſe dixit [5] Petiſſio Urbinati, qui ex naufragio luculenti patrimonii ad hæc Antoniana ſaxa projectus eſt. An L. Antonium adſpicere potero? cujus ego crudelitatem effugere non potuiſſem, niſi me mœnibus, & portis, & ſtudio municipii mei defendiſſem. Atque idem hic mirmillo Aſiaticus, latro Italiæ, collega Lentonis, & Nuculæ, cum aquilæ primipili nummos aureos daret, de meis bonis ſe dare dixit. ſi enim de ſuis dixiſſet, ne aquilam quidem ipſam credituram putavit. Non ferent, inquam, oculi Saxam, Caphonem, non duos prætores, non tribunum pl. non duos deſignatos tribunos, non Beſtiam, non Trebellium, non Plancum. non poſſum animo æquo videre tot, tam importunos, tam ſceleratos hoſteis: nec id fit faſtidio meo, ſed *caritate reip.* Sed vincam animum, mihique imperabo: dolorem juſtiſſimum, ſi non potero frangere, occultabo. Quid? vitæ cenſetiſne, P. C. habendam mihi aliquam eſſe rationem? quæ mihi quidem minimè cara eſt, præſertim cùm Dolabella fecerit, ut optanda mors eſſet, modò ſine cruciatu, atque tormentis: vobis tamen, & populo Rom. vilis eſſe ſpiritus meus non debet. [6] is enim ſum, niſi fortè me fallo, qui vigiliis, curis, ſententiis, periculis etiam, quæ plurima adii propter acerbiſſimum omnium in me odium impiorum, perfecerim, [7] ut non obſtarent reip. ne quid arrogantiùs videar dicere. Quod cùm ita ſit, nihilne mihi de periculo meo cogitandum putatis? Hic cùm eſſem in urbe, ac domi, tamen multa 9
ſæpe tentata ſunt, ubi me non ſolùm amicorum fidelitas, ſed etiam univerſæ *civitatis oculi* cuſtodiunt. quid cenſetis, cùm iter ingreſſus ero, longum præſertim? nullaſne inſidias pertimeſcendas? Tres viæ ſunt ad Mutinam, quò feſtinat animus, ut quàm primùm illud pignus libertatis populi Rom. D. Brutum, adſpicere poſſim: cujus in complexu libenter extremum vitæ ſpiritum ediderim, cum omnes actiones horum menſium, omnes ſententiæ meæ pervenerint ad eum, qui mihi fuit propoſitus, exitum. Tres ergo, ut dixi, viæ: à ſupero mari, Flaminia: ab infero, Aurelia: media, Caſſia. Nunc quæſo, attendite, num aberret à conjectura ſuſpicio periculi mei. Etruriam diſcriminat Caſſia. ſcimuſne igitur, Panſa, quibus in locis nunc ſit Lentonis Ceſenii ſeptemviralis auctoritas? nobiſcum nec animo certe eſt, nec corpore. ſi autem aut domi eſt, aut non longè à domo, certè in Etruria eſt, id eſt, in via. Quis igitur mihi præſtat, Lentonem *uno capite* eſſe contentum? Dic mihi præterea, Panſa, Ventidius ubi ſit, cui fui ſemper amicus, antequàm ille reip. boniſque omnibus tam apertè eſt factus inimicus. Poſſum Caſſiam vitare, tenere Flaminiam. quid, ſi Anconam, ut dicitur, Ventidius venerit? poterone Ariminum tutò accedere? Reſtat Aurelia. [8] hic quidem etiam præſidia habebo. poſſeſſiones enim ſunt P. Clodii. tota familia occurret: hoſpitio invitabit; propter familiaritatem notiſſimam. Hiſce ego me 10
viis committam, qui Terminalibus nuper in ſuburbium, ut eodem die reverterer, ire non ſum auſus? domeſticis me parietibus vix tueor, ſine amicorum cuſtodiis. Itaque in urbe maneo. ſi licebit, manebo. hæc mea ſedes eſt, hæc vigilia, hæc cuſtodia, hoc præſidium ſtativum. teneant alii caſtra, regna, res bellicas: [9] oderint hoſtem: [10] nos, ut dicimus, ſemperque fecimus, urbem, & res urbanas vobiſcum pariter tuebimur. Neque vero recuſo munus hoc: quamquam populum Roman. video pro me recuſare. nemo me mi-

1. *Ex tota Italia excuſſimus.*] Ita voluit Gulielmius, fide Nonii Marcelli. Pall. tamen *excivimus*, quod & in retrò vulgatis.

2. *Ut exercitu florentiſſimo.*] Lambinus, *ut de exerc.* neque aliter Pall. noſtri.

3. *Ad pacem mitterentur? ſi poſtulandam, quid timemus? ſi accipiendam, cur non rogamur?*] Pal. pr. ac ſec. non agnoſcunt, *ſi accipiendam, cur non rogamur?* neque ſecus Hittorp. qui tamen habet ſuperius *ſi*, ante *poſtulandum*, quo noſtri deſtituuntur. Lambinus & Manutius ordine inverſo; *ſi accipiendam, cur non rogamur? ſi poſtulandam, quid timemus?* quod & in Pal. tertio.

4. *Reipubl. repellendam.*] Illud *reipub* nunc primum additur Tullio, è Pal. pr. ſec. quarto, eratque è Suffridæis.

5. *Petiſſio Urbinati.*] Varie ſcribitur utrumque nomen noſtris. ultimum quidem, *Urvinati*, aut *Uriinati*. at prius *Præſidio*, *Præſidi*, *Piaſio*, *Pitiſio*.

6. *Is enim ſum, &c. periculis etiam, quæ plurima adii propter, &c. impiorum perfecerim.*] Sic ſolum Pal. tert. & quart. nam pr. & ſec. item Hitt. & omnes ferè Ferrariani præferunt; *is enim eſt, &c. periculis, etiam perſece, im quæ plurima propter, &c. impiorum pertulerim.* neutra lectio ſatisfacit.

7. *Ut non obſtarent reipubl.*] Nihil variant ſcripti noſtri. Muretus & Lambinus edidere *obſtarem*. neſcio quàm rectè.

8. *Hic quidem etiam præſidia habebo.*] Eſt à Pal. ſec. cui ſecundas faciunt mſſ. Suffridi noſtri. vulgò erat *habeo*.

9. *Oderint hoſtem.*] Melius iſtud, meo judicio, quam Faërni conjectaneum, quod libris ſuis adplicuit Lambinus, *fuderint*.

10. *Nos ut dicimus.*] Diu eſt quod in Suſpicionum libellis poſuerim, legendum videri *didicimus*.

1. *Cum*

me minùs timidus, nemo cautior. res declarat. vigeſimus annus eſt, cùm omnes ſcelerati me unum petunt. itaque ipſi, ne dicam mihi, reipub. pœnas dederunt: me ſalvum adhuc reſp. conſervavit ſibi. Timidè hoc dicam: ſcio enim QUIDVIS homini accidere poſſe: verumtamen ſemel circumſeſſus lectis valentiſſimorum hominum viribus cecidi ſciens, ut honeſtiſſimè poſſem exſurgere. Poſſumne igitur ſatis videri cautus, ſatis providus, ſi me huic itineri tam infeſto, tamque periculoſo commiſero? gloriam in morte debent ii, qui in rep. verſantur, non *culpæ reprehenſionem*, & ſtultitiæ vituperationem relinquere. Quis bonus non luget mortem Trebonii? quis non dolet interitum talis & civis, & viri? At ſunt qui dicant (durè illi quidem, ſed tamen dicunt) minùs dolendum, quòd ab homine impuro, nefarioque non caverit. etenim QUI MULTORUM cuſtodem ſe profiteatur, eum ſapientes ſui primùm capitis ajunt cuſtodem eſſe oportere. Cùm *ſeptus* ſis legibus, & judiciorum metu, non ſunt omnia timenda, neque ad omneis inſidias præſidia quærenda. quis enim audeat luci, quis in militari via, quis benè comitatum, quis illuſtrem aggredi? hæc neque hoc tempore, neque in me valent. non modò enim pœnam non extimeſcet, qui mihi vim attulerit: ſed etiam
11 gloriam ſperabit à latronum gregibus, & præmia. Hæc ego in urbe prævideo: facilis eſt circumſpectus, unde exeam, quo progrediar, quid ad dextram, quid ad ſiniſtram ſit. num idem in Apennini tramitibus facere potero? in quibus, etiam ſi non erunt inſidiæ, quæ facillimè eſſe poterunt, animus tamen erit *ſollicitus*, ut nihil poſſit de officiis legationis attendere. Sed effugi inſidias: perrupi Apenninum. nempe in Antonii congreſſum, colloquiumque veniendum eſt. quinam locus capietur? ſi extra caſtra: ceteri viderint ego mortem actutum futuram puto. novi hominis furorem, novi effrenatam violentiam. Cujus acerbitas morum immanitaſque naturæ, ne vino quidem permiſta *temperari* ſolet: hic ira, dementiaque inflammatus, adhibito fratre Lucio, tæterrima bellua, numquam profectò à me ſacrilegas manus, atque impias abſtinebit. Memini colloquia & cum acerrimis hoſtibus, & cum graviſſimè diſſentientibus civibus. Cn. Pompejus, Sexti filius, conſul, me præſente, cum eſſem tiro in ejus exercitu, [1] cum P. Vettio Scatone, duce Marſorum, inter bina caſtra collocutus eſt. quò quidem memini Sex. Pompejum, fratrem conſulis, ad colloquium ipſum Roma venire, doctum virum, atque ſapientem: quem cùm Scato ſalutaſſet, Quem te appellem? inquit. At ille, *Voluntate, hoſpitem: neceſſitate, hoſtem.* Erat in illo colloquio æquitas: nullus timor, nulla ſuberat ſuſpicio: mediocre etiam odium. non enim ut eriperent nobis ſocii civitatem, ſed ut in eam reciperentur, petebant. Sulla cum Scipione inter Cales, & Teanum, cùm alter nobilitatis florem, alter belli ſocios adhibuiſſet, de auctoritate ſenatus, de ſuffragiis populi, & de jure civitatis, [2] leges inter ſe, conditiones contulerunt. non tenuit omnino colloquium illud fidem: à vi tamen, periculoque abfuit. Poſſumuſne igitur in Antonii latrocinio [3] æquè eſſe tuti? 12
non poſſumus: aut, ſi ceteri poſſunt, me poſſe diffido. Quòd ſi non extra caſtra congrediemur: quæ ad colloquium caſtra ſumentur? in noſtra ille numquam veniet: multo minus nos in illius. reliquum eſt, ut & accipiantur, & remittantur poſtulata *per litteras*. ergo erimus in caſtris. mea ad omnia poſtulata una ſententia: quàm cùm hîc, vobis audientibus, dixero, iſſe, & rediſſe me putatote: legationem confecero. omnia ad ſenatum mea ſententia rejiciam, quæcumque poſtulabit Antonius. neque enim licet aliter, neque permiſſum eſt nobis ab hoc ordine, ut, bellis confectis, decem legatis permitti ſolet *more majorum*: neque ulla omnino à ſenatu mandata accepimus, quæ cùm agam in conſilio, nonnullis, ut arbitror, repugnantibus, nonne metuendum eſt, ne imperita militum multitudo per me pacem diſtineri putet? Facite, hoc meum conſilium legiones novas non improbare. nam Martiam, & quartam, [4] nihil cogitetis præter dignitatem, & decus, comprobaturas eſſe, certò ſcio. Quid? veteranos non veremur? nam timeri ſe ne ipſi quidem volunt. Sed quonam modo accipient ſeveritatem meam? Multa enim *falſa* de me audierunt: multa ad eos improbi detulerunt. quorum commoda, ut vos optimi teſtes eſtis, ſemper ego ſententia, auctoritate, oratione firmavi: ſed credunt improbis, credunt turbulentis, credunt ſuis. Sunt autem fortes illi quidem, ſed propter memoriam rerum, quas geſſerunt pro populi Rom. libertate, & ſalute reip. *nimis feroces*, & ad ſuam vim omnia noſtra conſilia revocantes. horum ego cogitationem non vereor: *impetum* pertimeſco. Hæc quoque pericula tanta ſi effugero, ſatiſne tutum reditum putatis fore? Cùm enim & veſtra auctoritate, & meo me more defendero, & meam fidem reipub. conſtantiamque præſtitero: tum erunt mihi non hi ſolum, qui me oderunt, ſed illi etiam, qui *invident*, extimeſcendi. Cuſtodiatur igitur mea vita reip. eaque, quoad vel dignitas, vel natura patietur, patriæ reſervetur: mors autem neceſſitatem habeat fati, aut, ſi antè oppetenda eſt, oppetatur cum gloria. Hæc cùm ita ſint, etſi hanc legationem reſp. ut leviſſimè dicam, non deſiderat, tamen, ſi tutò licebit ire, proficiſcar. omnino, P.C. totum hujuſce rei conſilium non periculo meo, ſed utilitate reipub. metiar. de qua mihi quoniam liberum eſt ſpatium, multum etiam, atque etiam conſiderandum puto, idque potiſſimum faciendum, quod maximè intereſſe reipub. judicavero.

M. TUL-

---

1. *Cum P. Vettio Scatone.*] Sic Pall. noſtri, ſic Lilienſis atque Hitt. niſi quod quidam *Statone*. Vulgata, *Catone*.

2. *Leges inter ſe, conditiones, contulerunt.*] Ita mſſ. Suffridi. neque aliter Ferrarius, qui adhuc encliticam adjiciebat, recepitque in contextum Lambinus. vulgata, *legis inter ſe conditiones contulerunt*.

3. *Æquè eſſe tuti.*] Conjectura eſt Ubaldi, ſed admodum appoſita. nam editi, ut *hi*. mſſ. ut *ii*.

4. *Nihil cogitetis præter dignitatem, &c.*] Repræſentavi ſcripturam Pall. omnium, item olim editorum recentiores ejecta voce, *cogitetis*, diſtinxerant; *nihil præter dign. & decus probaturos eſſe, certo ſcio.*

M. TULLII CICERONIS IN M. ANTONIUM PHILIPPICA DECIMATERTIA.

ORATIO QUINQUAGESIMAQUINTA.

1 [1] A PRINCIPIO hujus belli, P. C. quod cum impiis civibus, ſceleratiſque ſuſcepimus, timui, ne conditio inſidioſa pacis, libertatis recuperandæ ſtudia reſtingueret. DULCE enim nomen eſt pacis: res verò ipſa cùm jucunda, tum ſalutaris. nam nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis jura, cara habere poteſt, quem diſcordiæ, quem cædes civium, quem bellum civile delectat: eumque ex numero hominum ejiciendum, ex finibus humanæ naturæ exterminandum puto. Itaque ſive Sulla, ſive Marius, ſive uterque, ſive Octavius, ſive Cinna, ſive iterum Sulla, ſive alter Marius, & Carbo, ſive quis alius civile bellum optavit, eum deteſtabilem civem reip. natum judico. Nam quid ego de proximo dicam, cujus acta defendimus, cùm ipſum jure cæſum fateamur? Nihil igitur hoc cive, nihil hoc homine tætrius: ſi aut civis, aut homo habendus eſt, qui civile bellum concupiſcit. Sed hoc primum videndum eſt, P. C. cum omnibuſne pax eſſe poſſit, an ſit aliquod bellum inexpiabile: in quo [2] *pactio pacis*, lex ſit ſervitutis. Pacem cum Scipione Sulla [3] ſive faciebat, ſive ſimulabat; non erat deſperandum, ſi conveniſſent, fore aliquem tolerabilem ſtatum civitatis. Cinna ſi concordiam cum Octavio confirmare voluiſſet, hominum in repub. ſanitas remanere potuiſſet. Proximo bello ſi aliquid de ſumma gravitate Pompejus, multum de cupiditate Cæſar dimiſiſſet: & pa-
2 cem ſtabilem, & aliquam remp. nobis habere licuiſſet. Hoc verò quid eſt? cum Antoniis pax poteſt eſſe? cum Cenſorino, Ventidio, Trebellio, Beſtia, Nucula, Munatio, Lentone, Saxa? exempli cauſa, paucos nominavi: genus infinitum, [4] immanitatemque ipſi cernitis reliquorum. Addite illa naufragia Cæſaris amicorum, Barbas, Caſſios, Barbatios, Polliones, addite Antonii colluſores, & ſodaleis, Eutrapelum, Melam, Cœlium, Pontium, Craſſicium, Tironem, [5] Muſtellam, Petiſſium: comitatum relinquo: duces nomino. huc accedunt Alaudæ, ceterique veterani, ſeminarium judicum tertiæ decuriæ, qui, ſuis rebus exhauſtis, beneficiis Cæſaris *devoratis*, fortunas noſtras concupierunt. ô fidam dexteram Antonii, qua ille plurimos civeis trucidavit! ô ratum, religioſumque fædus, [6] quod cum Antoniis fecerimus! hoc ſi Marcus violare conabitur, Lucii eum ſanctitas à ſcelere revocabit. illis locus ſi in hac urbe fuerit, urbi ipſi locus non erit. Ora vobis eorum ponite, P. C. antè oculos, & maximè Antoniorum: inceſſum, adſpectum, vultum, ſpiritum, latera tegenteis alios, ſequenteis alios, [7] alios progredienteis amicos. [8] quam *vim anhelitus*? quas contumelias fore cenſetis, minaſque verborum? niſi fortè eos pax ipſa leniet, maximeque cum in hunc ordinem venerint: ſalutabunt benignè, comiter appellabunt unumquemque noſtrûm. Non recordamini, per deos immor- 3
taleis, quas in eos ſententias dixeritis? acta Antonii reſcidiſtis! leges refixiſtis: per vim, & contra auſpicia latas decreviſtis: totius Italiæ delectus excitaſtis: collegam, & ſocium ſcelerum omnium, hoſtem judicaviſtis, cum hoc *qua pax* poteſt eſſe? Si eſſet externus hoſtis, tamen id ipſum vix, talibus factis, poſſet aliquo modo. maria, montes, regionum magnitudines intereſſent, odiſſetis eum, quem non videretis. hi in oculis hærebunt, &c., cùm licebit, in faucibus. quibus enim *ſeptis* tam immaneis beluas continebimus? At incertus exitus belli eſt. EST OMNINO fortium virorum, quales vos eſſe debetis; virtute præſtare tantum, ut poſſint fortunæ culpam noo extimeſcere. Sed quoniam ab hoc ordine non fortitudo ſolùm, verum etiam *ſapientia* poſtulatur: quamquam vix videntur hæc poſſe ſejungi, ſejungamus tamen. fortitudo dimicare jubet, [9] juſtum odium incendit, ad confligendum impellit, vocat ad periculum. Quid ſapientia? cautioribus utitur conſiliis, in poſterum providet, eſt omni ratione protectio. quid igitur cenſet? PARENDUM eſt enim: atque id optimum judicandum, quod ſit ſapientiſſimè conſtitutum. Si hoc præcipit, ne quid vita exiſtimem antiquius, ne decernam capitis periculo, fugiam omne diſcrimen, quæram ex ea, etiamne fuerit, cùm id fecero, ſerviendum. ſi annuerit: næ ego ſapientiam iſtam, quamvis ſit erudita, non audiam. ſin reſponderit, Tu verò ita vitam, corpuſque ſervato, ita fortunas, ita rem familiarem, ut poſteriora libertate ducas, itaque his uti velis, ſi liberare remp. poſſis: nec pro his libertatem, ſed pro libertate hæc projicias, tamquam pignora injuriæ: tum ſapientiæ vocem audire videar, eique, *uti deo*, paream. Itaque ſi, receptis illis, poſſumus eſſe liberi, vincamus odium, pacemque patiamur: [10] ſin jus incolumibus his, nullum eſſe poteſt: lætemur decertandi oblatam eſſe fortunam. aut enim, victis his, fruemur victrice rep. aut oppreſſi, (quod omen avertat Jupiter) ſi non ſpiritu, at

1. A *Principio hujus belli.*] Sic noſtri mſſ. omnes, præter unum, cui deerat littera princeps. ſcias relictam à ſcriba, ut minio depingeretur. illudque ipſum decepit acutiſſimum Ferrarii judicium, qui juſſit fide mſſ. ſuorum *In* vulgatum expungeremus.

2. *Pactio pacis, lex ſit ſervitutis.*] Non poteſt mihi diſplicere, quod inveni in Pal. ſec. *aër ſit ſerv.*

3. *Sive faciebat ſive ſimulabat.*] Ita Manut. & Lamb. ex Faërni opinor libris alluditque Pal. ſec. qui, ſive *faciebat*; ut appareat, ſcribam aliquem initio tranſiliiſſe illud, *ſive ſimulabat*, ob ſimilitudinem ſyllabæ finalis cum voce præcedente, alios verò poſt præterea ſuſtuliſſe illud, *ſive.*

4. *Immanitatemque ipſi cernitis reliquorum. Addite, &c.*] Falſa lectio, delegitque Pal. pr. ac ſec. in quibus *cernitis belli. quorum numero addita illa*, &c. & ita initio fuiſſe videtur in Hittorpiano; certè retinet illud *numero*, excluſum hodie vulgo. & vix eſt, uti ei cedere non debeat publicata.

5. *Muſtellam, Petiſſium.*] Ultimi hujus mentio fit auctori noſtro oratione præcedenti, cap. 8. & tamen Pall. noſtri ferè, ut etiam Ferrariani, *Muſtellam, peditum*; aut *peditem*, vel *peditium.*

6. *Quod cum Antoniis fecerimus.*] Manut. & Lamb. *Antonio.* malui alterum cum Pal. ſec. vulgata tamen *cum his fec.*

7. *Alios prægredientes amicos.*] Reſtitui, quod erat in olim editis reſtatque in Pal. tribus & Mauriciano. poſt natæ edd. *progredientes.* minus rectè. *comites* enim, aut anteambulones, aut laterones, aut pediſſequi.

8. *Quam vim anhelitus.*] Robuſtè! enervat tamen Ferrarius dum conjicit *vini*; refelliturque ab P. Victorio libro XXIX. Var. lect. cap 16.

9. *Juſtum odium incendit.*] Gulielmiani duo, *intendit*, quod probat. neque aliter eo verbo utitur ad Lentulum: *cùm tribunus pleb. intendere cœpit.*

10. *Sin jus incolumibus his nullum eſſe poteſt.*] Ita omn. mſſ. Ferrarii, acceditque Pal. ſec. Lil. & Gembl.

1. *Præ-*

4 tu, at *virtutis laude vivemus.* At enim nos M. Lepidus, imperator iterum, pontifex maximus, optimè proximo civili bello de rep. meritus, ad pacem adhortatur. Nullius apud me, patres conſcripti, auctoritas major eſt, quam M. Lepidi, vel propter ipſius virtutem, vel propter familiæ dignitatem. accedunt eodem multa privata: magna ejus in me merita, ac mea quædam in illum. maximum verò ejus beneficium numero, quòd hoc animo in remp. eſt: quæ mihi *vita* mea ſemper fuit carior. Nam cum Magnum Pompejum, clariſſimum adoleſcentem, præſtantiſſimi viri filium, auctoritate adduxit ad pacem, remque publicam ſine armis, maximo civilis belli periculo liberavit: tum me ejus beneficio plus quam pro virili parte obligatum puto. Itaque ei & honores decrevi, quam potui ampliſſimos: in quibus vos mihi eſtis aſſenſi: nec umquam de illo & ſperare optimè, & loqui deſtiti. magnis, & multis pignoribus M. Lepidum reſp. illigatum tenet. ſumma nobilitas eſt hominis, ſummi honores, ampliſſimum ſacerdotium, plurima urbis ornamenta, ipſius, fratris, majorumque monumenta: probatiſſima uxor, optatiſſimi liberi, res familiaris cùm ampla, tum caſta à cruore civili. nemo ab eo civis violatus, multi beneficio, & miſericordia *liberati.* Talis igitur vir, & civis, opinione labi poteſt, voluntate à rep. diſſidere nullo pacto poteſt. Pacem vult M. Lepidus. Præclarè: ſi talem poteſt efficere, qualem nuper effecit: qua pace Cn. Pompeii filium reſp. adſpiciet, ſuoque ſinu, complexuque recipiet: neque ſolùm illum, ſed cum illo ſeipſam ſibi reſtitutam putabit. Hæc cauſa fuit, cur decerneretis ſtatuam in Roſtris cum inſcriptione præclara: cur *abſenti triumphum.* quamquam enim magnas res bellicas geſſerat, & triumpho dignas, non erat tamen ei tribuendum, quod nec L. Æmilio, nec Æmiliano Scipioni, nec ſuperiori Africano, nec Mario, nec Pompejo, qui majora bella geſſerunt: ſed, quòd *ſilentio* civile bellum confecerat, primùm ut licuit,
5 honores in eum maximos contuliſtis Exiſtimaſne igitur, M. Lepide, qualem Pompejum reſp. habitura ſit civem, taleis futuros Antonios? in altero pudor, gravitas, moderatio, integritas: in illis (& cum hos compello, [1] prætereo omnino ex grege latrocinii neminem) libidines, ſcelera, ad omne facinus immanis audacia. Deinde obſecro vos, patres conſcripti, quis hoc veſtrûm non videt, quod Fortuna ipſa, quæ dicitur *cæca*, vidit? ſalvis enim actis Cæſaris, quæ concordiæ cauſa defendimus, Pompejo ſua domus patebit: eamque non minoris, quàm emit Antonius, redimet: redimet, inquam, Cn. Pompeii domum filius. O rem acerbam! Sed hæc ſatis diu, multumque defleta ſunt. Decreviſtis tantam pecuniam Pompejo, quantam ex bonis patriis in prædæ diſſipatione inimicus victor redegiſſet. Sed hanc mihi diſpenſationem pro paterna neceſſitudine, & conjunctione depoſco: redimet hortos, ædeis, urbana quædam, quæ poſſidet Antonius. nam argentum, veſtem, ſuppellectilem, vinum amittet æquo animo, quæ ille helluo diſſipavit. Albanum, Firmanum à Dolabella recuperabit: etiam ab Antonio Tuſculanum. hique, qui nunc Mutinam oppugnant, D. Brutum obſident, de Falerno Anſeres depellantur. Sunt alii plures fortaſſe: ſed mea memoria dilabuntur. Ego etiam eos dico, qui hoſtium numero non ſunt, Pompejanas poſſeſſiones, quanti emerint, filio reddituros. Satis inconſiderati fuit, ne dicam audacis, rem ullam ex illis attingere. retinere verò quis poterit, clariſſimo domino reſtituto? An is non reddet, qui domini patrimonium circumplexus, quaſi *theſaurum draco*, Pompeii ſervus, libertus Cæſaris, agri Lucani poſſeſſiones occupavit? Atque illud ſepties millies, quod adoleſcenti, P. C. ſpopondiſtis, ita deſcribite, ut videatur à vobis Cn. Pompeii filius in patrimonio ſuo collocatus. Hæc ſenatus. reliqua populus Rom. in ea familia, quam vidit ampliſſimam, perſequetur: in primis paternum auguratus locum, in quem ego eum, ut, quod à patre accepi, *filio reddam*, mea nominatione cooptabo. Utrum igitur augurem Jovis optimi maximi, cujus interpretes, internuntiique conſtituti ſumus, utrum populus Rom. libentiùs ſanciet, Pompejum, an Antonium? Mihi quidem numine deorum immortalium videtur hoc fortuna voluiſſe, ut actis Cæſaris firmis, ac ratis, Cn. Pompeii filius poſſet & dignitatem, & fortunas
patrias recuperare. Ac ne illud quidem ſilentio, P. C. præ- 6
tereundum puto, quòd clariſſimi viri legati, L. Paullus, Q. Thermus, C. Fannius, quorum habetis cognitam voluntatem in rempub. eamque perpetuam, atque conſtantem, nuntiant, ſe Pompeii conveniendi cauſa divertiſſe Maſſiliam, eumque cognoviſſe paratiſſimo animo, ut cum ſuis copiis iret ad Mutinam, ni vereretur veteranorum animos offendere. Eſt verò ejus patris filius, qui ſapienter faciebat non minùs multa, quàm fortiter. Itaque intelligitis & animum ei præſtò fuiſſe, nec conſilium defuiſſe. Atque etiam hoc M. Lepido providendum eſt, ne quid arrogantius, quàm ejus mores ferunt, facere videatur. Si enim nos exercitu terret, non meminit, illum exercitum, ſenatus, populique Rom. atque univerſæ reip. eſſe, non *ſuum.* At uti poteſt pro ſuo. Quid tum? OMNIANE viris bonis, quæ facere poſſunt, facienda ſunt? etiamne ſi turpia, ſi pernicioſa erunt? ſi facere omnino non licebit? quid autem turpius, aut fœdius, aut quod minùs deceat, quàm contra ſenatum, contra civeis, contra patriam exercitum ducere? quid verò magis vituperandum, quàm id facere, quod *non liceat?* Licet autem nemini contra patriam ducere exercitum: ſi quidem *licere* dicimus, quod legibus, quod more majorum inſtitutiſque conceditur. Neque enim, quod quiſque poteſt, id ei licet: nec, ſi non obſtatur, propterea etiam permittitur. tibi enim exercitum, Lepide, tamquam majoribus tuis, patria pro ſe dedit. hoc tu arcebis hoſtem: fineis imperii propagabis: ſenatui, populoque Rom. parebis, ſiquam
ad aliam rem te fortè traduxerit. Hæc ſi cogitas, es, M. 7
Lepide, pontifex maximus, M. Lepidi, pontificis maximi pronepos. ſin hominibus tantum licere judicas, quantum poſſunt: vide, ne alienis exemplis, iiſque recentibus, uti, quàm & antiquis, & domeſticis malle videare. Quod ſi auctoritatem interponis ſine armis, magis equidem laudo: ſed vide, ne hoc ipſum non ſit neceſſe. Quamquam enim eſt tanta in te auctoritas, quanta debet in homine nobiliſſimo: tamen ſenatus ſe ipſe non contemnit: nec verò fuit umquam gravior, conſtantior, fortior. INCENSI omnes rapimur ad libertatem recuperandam: non poteſt ullius auctoritate tantus ſenatus, populique Rom. ardor exſtingui: odimus: irati pugnamus: extorqueri de manibus arma non poſſunt: receptui ſignum, aut revocationem à bello audire non poſſumus: ſperamus optima: pati vel difficillima malumus, quàm *ſervire.* Cæſar confecit invictum exercitum: duo fortiſſimi conſules adſunt cum copiis: L. Planci conſulis deſignati, varia, & magna auxilia non deſunt: de D. Bruti ſalute certatur. unus furioſus gladiator cum tæterrimorum latronum manu, contra patriam, contra deos penateis, contra aras, & focos, contra quattuor conſules gerit bellum. Huic cedamus? hujus conditiones audiamus? cum hoc pacem fieri poſſe credamus? At periculum eſt, ne ab hoc oppri-
mamur. Non metuo, ne is, qui ſuis ampliſſimis fortunis, 8
niſi bonis ſalvis, frui non poteſt, prodat ſalutem ſuam. BONOS civeis primùm natura efficit, adjuvat deinde fortuna. omnibus enim bonis expedit, ſalvam eſſe remp. ſed in iis, qui fortunati ſunt, magis id apparet. Quis fortunatior Lepido, ut antè dixi? quis eodem ſanior? vidit ejus mœſtitiam, atque lacrymas populus Rom. Lupercalibus: vidit, quàm abjectus, quàm confectus eſſet, cum Cæſari diadema imponens Antonius, ſervum ſe illius, quàm collegam eſſe malebat. qui ſi reliquis flagitiis, & ſceleribus abſti-

1. *Prætereo omnino ex grege latrocinii neminem.*] Illud *omnino* hæret in nuper editis omnibus, ſed eſt tamen à conjectura Ferrarii. prius cuſi, *pr. illius ex grege, &c.* quomodo item aliquot Pall. ſed ſec. habet *prætereo anno ex grege latrocinio neminem;* virgulaque incumbit illi *anno.*

1. *Niſi*

abſtinere potuiſſet, tamen unum ob hoc factum, dignum illum omni pœna putarem. nam, ſi ipſe *ſervire* poterat, nobis dominum cur imponebat? &, ſi ejus pueritia pertulerat libidines eorum, qui erant in eum tyranni, etiamne in noſtros liberos dominum, & tyrannum comparabat? Itaque illo interfecto, qualem eum in nos eſſe voluit, talis ipſe in ceteros exſtitit. Qua enim in barbaria quiſquam tam tæter, tam crudelis tyrannus, quàm in hac urbe armis barbarorum ſtipatus Antonius? Cæſare dominante veniebamus in ſenatum, ſi non liberè, attamen tutò. hoc archipirata, (quid enim dicam tyranno?) hæc ſubſellia ab Ithyreis occupabantur. Prorupit ſubitò Brundiſium, ut inde, agmine quadrato, ad urbem accederet: lautiſſimum oppidum, nunc municipium, honeſtiſſimorum quondam colonorum, Sueſſam, fortiſſimorum militum ſanguine implevit: Brundiſii in ſinu, non modò avariſſimæ, ſed etiam crudeliſſimæ uxoris, delectos Martiæ legionis centuriones trucidavit. inde ſe quo furore, quo ardore, ad urbem, id eſt, ad cædem optimi cujuſque rapiebat? Quo tempore dii immortales ipſi præſidium improviſum nec-opinantibus nobis obtulerunt.

9 Cæſaris enim incredibilis, ac divina virtus, latronis impetus crudeleis, ac furibundos retardavit: quem tum ille demens lædere ſe putabat edictis, ignorans, quæcumque falſo is diceret in ſanctiſſimum adoleſcentem, ea verè recidere in memoriam *pueritiæ* ſuæ. Ingreſſus urbem eſt, quo comitatu, vel potiùs agmine? cum dextra, ſiniſtra, gemente populo Rom. minaretur dominis, notaret domos, diviſurum ſe urbem palam ſuis polliceretur. Rediit ad milites, ibi peſtifera illa Tiburi concio. inde ad urbem curſus: ſenatus in Capitolium: parata de circumſcribendo adoleſcente ſententia conſularis: cùm repentè (nam Martiam legionem Albæ conſediſſe ſciebat) affertur ei de quarta nuntius. quo perculſus, abjecit conſilium referendi ad ſenatum de Cæſare. egreſſus eſt non viis, ſed tramitibus, paludatus: eoque die ipſo innumerabilia ſenatuſconſulta fecit: quæ quidem omnia citiùs lecta, quàm ſcripta ſunt. Ex eo non iter, ſed curſus, & fuga in Galliam. Cæſarem ſequi arbitrabatur cùm legione Martia, cum quarta, cum veteranis: quorum ille *nomen* præ metu ferre non poterat: eique in Galliam penetranti, D. ſe Brutus objecit: qui ſe totius belli fluctibus circumiri, quàm illum aut regredi, aut progredi maluit, Mutinamque illi exſultanti, tamquam *frenos* furoris injecit. quam cum operibus, munitionibuſque ſæpſiſſet, nec eum florentiſſimæ coloniæ dignitas, neque conſulis deſignati majeſtas à parricidio deterreret: tum, me, (teſtor & vos, & populum Rom. & omneis deos, qui huic urbi præſident,) invito, & repugnante, legati miſſi tres conſulares ad latronem M. Antonium gladiatorum ducem. Quis tam barbarus umquam? tam immanis? tam ferus? non audivit: non reſpondit: neque eos ſolum præſenteis, ſed multò magis *nos*, à quibus illi erant miſſi, ſprevit, & pro nihilo putavit. Poſtea, quod ſcelus, quod facinus parricida non edidit? circumſedit colonos veſtros, exercitum populi Rom., imperatorem, conſulem deſignatum: agros divexat civium optimorum: hoſtis tæterrimus omnibus bonis cruces, ac tormenta minitatur.

10 Cum hoc, M. Lepide, pax eſſe quæ poteſt? cujus ne ſupplicio quidem ullo ſatiari videtur poſſe populus Rom. Quòd ſi quis adhuc dubitare potuit, quin nulla ſocietas huic ordini, populoque Rom. cum illa importuniſſima bellua poſſit eſſe: deſinat profectò dubitare, his cognitis litteris, quas mihi miſſas ab Hirtio conſule modo accepi. Eas dum recito, dumque de ſingulis ſententiis breviter diſputo, velim, P. C. ut adhuc feciſtis, me attente audiatis. *Antonius Hirtio, & Cæſari.* Neque ſe imperatorem, neque Hirtium conſulem, nec pro prætore Cæſarem. ſatis hoc quidem ſcitè, deponere alienum nomen ipſe maluit, quàm illis ſuum reddere. *Cognita morte C. Trebonii, non plus gaviſus ſum, quam dolui.* Videte quid ſe gaviſum, quid doluiſſe dicat: facilius de pace deliberabitis. *dediſſe pœnas ſceleratum cineri, atque oſſibus clariſſimi viri, & apparuiſſe numen deorum intra finem anni vertentis, aut jam ſoluto ſupplicio parricidæ, aut impendente, lætandum eſt.* ô Spartace! quem enim te potiùs appellem? cujus propter nefaria ſcelera tolerabilis fuiſſe videtur Catilina: lætandum eſſe, auſus es ſcribere, Trebonium dediſſe pœnas? ſceleratum Trebonium? quo ſcelere, niſi quod te idibus Martiis à debita tibi peſte ſeduxit? Age, hoc lætaris: videamus, quid moleſte feras. *Hoſtem judicatum hoc tempore Dolabellam, eo, quod ſicarium occiderit, & videri cariorem populo Rom. filium ſcurræ, quam C. Cæſarem, patriæ parentem, ingemiſcendum eſt.* Quid ingemiſcis hoſtem Dolabellam judicatum? quid? te non intelligis delectu tota Italia habito, conſulibus miſſis, Cæſare ornato, ſagis denique ſumtis hoſtem judicatum? quid eſt autem, ſcelerate, quòd gemas hoſtem Dolabellam judicatum à ſenatu? quem tu ordinem omnino eſſe nullum putas. ſed eam tibi cauſam belli gerendi proponis, ut ſenatum funditus *deleas*: reliqui boni, & locupletes omnes ſummum ordinem ſubſequantur. At ſcurræ filium appellat. Quaſi vero ignotus nobis fuerit ſplendidus eques Rom. Trebonii pater. Is autem humilitatem deſpicere audet cujuſquam, qui ex Fadia ſuſtulerit liberos?

11 *acerbiſſimum vero eſt, te, A. Hirti, ornatum eſſe beneficiis Cæſaris, & talem ab eo relictum, qualem ipſe miraris.* Equidem negare non poſſum, à Cæſare Hirtium ornatum: ſed illa ornamenta, in virtute, & induſtria poſita lucent. Tu verò, qui te ab eodem Cæſare ornatum negare non potes, *quid eſſes*, ſi tibi ille non tam multa tribuiſſet? ecquo te tua virtus provexiſſet? ecquo genus? in luſtris, popinis, alea, vino, tempus ætatis omne conſumſiſſes, ut faciebas, cum in gremiis mimarum, mentum, mentemque deponeres. *& te, ô puer.* puerum appellat, quem non modò virum, ſed etiam fortiſſimum virum ſenſit, & ſentiet. Eſt iſtuc quidem nomen ætatis, ſed ab eo minimè uſurpandum, qui ſuam amentiam puero huic præbet ad gloriam. *qui omnia ejus nomini debes.* debet verò, ſolvitque præclarè. ſi enim ille patriæ parens eſt, ut tu appellas (ego, quid ſentiam, videro:) cur non hic parens verior, à quo certè vitam habemus, è tuis facinoroſiſſimis manibus ereptam? *id agere, ut jure damnatus ſit Dolabella?* Turpem verò actionem, qua defenditur ampliſſimi auctoritas ordinis contra crudeliſſimi gladiatoris amentiam. *& ut venefica hæc liberetur obſidione?* veneficam audes appellare eum virum, qui tuis veneficiis remedia invenit? quem ita obſides, nove Hannibal, aut ſi quis acutior imperator fuit, ut te ipſe obſideas, neque te iſtinc, ſi cupias, poſſis explicare. receſſeris: undique omnes inſequentur. manſeris: hærebis. nimirum rectè veneficam appellas, à quo tibi præſentem peſtem vides comparatam. *ut quam potentiſſimus ſit Caſſius, atque Brutus?* Putes Cenſorinum dicere, aut Ventidium, aut etiam ipſos Antonios. cur autem nolint potenteis eſſe non modò optimos, & nobiliſſimos viros, ſed ſecum etiam in reipub. defenſione conjunctos? *nimirum eodem modo hæc adſpicitis, ut priora.* quæ tandem? *caſtra Pompeii ſenatum appellatis.*

12 An verò tua caſtra potius ſenatum appellaremus? in quibus tu videlicet conſularis, cujus totus conſulatus eſt ex omni monumentorum memoria revulſus: duo prætores ſine cauſa diffiſi ſe aliquid habituros: nos enim Cæſaris beneficia defendimus: prætorii, Philadelphus Annius, & innocens Gallius: ædilitii, Coricus laterum, & vocis meæ Beſtia, & fidei patronus: fraudator creditorum Trebellius, & homo diruptus, dirutuſque, Q. Cœlius, columenque amicorum Antonii, Cotyla Varius: quos Antonius deliciarum cauſa loris in convivio cædi jubebat [1] à ſervis publicis: Septemvirales, Lento, Nucula: tum deliciæ, atque amores populi Romani L. Antonius: tribuni primum duo deſignati, Tullus Hoſtilius, qui ſuo jure in porta nomen inſcripſit: qui cum prodere imperatorem ſuum non poſſet, reliquit. alter

---

1. *A ſervis publicis.*] Eſt ab emendatione Ferrarii, licet occupet omnium neotericorum libros. olim editi & ſcripti, *ſuis publicè.*

1. *Vit*

alter eſt deſignatus, [1] Viſejus neſcio qui, fortis (ut ajunt) latro: quem tamen temperantem fuiſſe ferunt Piſauri balneatorem. Sequuntur alii, tribunitii, T. Plancus in primis: qui ſi ſenatum dilexiſſet, numquam curiam incendiſſet. quo ſcelere damnatus in eam urbem rediit armis, è qua exceſſerat legibus. ſed hoc ei [2] commune cum plurimis diſſimillimis. illud tamen verum, quod in hoc Planco proverbii loco dici ſolet, *perire* eum non poſſe, [3] niſi ei crura fracta eſſent. fracta ſunt, & vivit. hoc tamen, ut

13 alia multa, Aquilæ fertur acceptum. Eſt etiam ibi Decius, ab illis, ut opinor, Muribus Deciis. [4] itaque Cæſaris munere, Deciorum quidem multo intervallo, per hunc præclarum virum memoria renovata eſt. Saxam verò Decidium præterire quî poſſum, hominem deductum ex ultimis gentibus, ut eum tribunum pleb. videremus, quem civem numquam videramus? Eſt quidem alter Saſerna: ſed omnes tamen tantam habent ſimilitudinem inter ſe, ut in eorum prænominibus errem. Nec verò Exitius, Philadelphi frater, quæſtor, prætermittendus eſt, ne, ſi de clariſſimo adoleſcente ſiluero, invidiſſe videar Antonio. Eſt etiam Aſinius quidam ſenator voluntarius, lectus ipſe à ſe. apertam curiam vidit poſt Cæſaris mortem: mutavit calceos: pater conſcriptus repente factus eſt. Non novi Sex. Albedium: ſed tamen neminem tam maledicum offendi, qui illum negaret dignum Antonii ſenatu. Arbitror me aliquos præteriiſſe: de iis tamen, qui occurrebant, tacere non potui. Hoc igitur fretus ſenatu, Pompejanum ſenatum deſpicit: in quo decem fuimus conſulares: qui ſi omnes *viverent*, bellum omnino hoc non fuiſſet: auctoritati ceſſiſſet audacia. Sed quantum præſidii fuerit in ceteris, hinc intelligi poteſt, quòd ego unus relictus è multis, contudi, & fregi, adjuvantibus vobis, exſultantis prædonis audaciam.

14 Quòd ſi fortuna nobis modò non eripuiſſet Ser. Sulpicium, ejuſque collegam antè Marcum Marcellum: quos civeis? quos viros? ſi duos conſules, amiciſſimos patriæ, ſimul ex Italia ejectos: ſi L. Afranium, ſummum ducem: ſi P. Lentulum, civem cùm in ceteris rebus, tum in ſalute mea ſingularem: ſi Bibulum, cujus eſt in rempub. merito ſemper laudata conſtantia: ſi L. Domitium, præſtantiſſimum civem: ſi Appium Claudium, pari nobilitate, & voluntate præditum: ſi P. Scipionem, clariſſimum virum, majorumque ſuorum ſimillimum, reſp. tenere potuiſſet: certè his conſularibus non eſſet Pompejanus deſpiciendus ſenatus. Utrum igitur æquius, utrum melius reip. fuit, Cn. Pompejum, an ſectorem Cn. Pompeii vivere Antonium? Qui verò prætorii? quorum princeps M. Cato, idemque omnium gentium virtute princeps. Quid reliquos clariſſimos viros commemorem? noſtis omneis. magis vereor, ne longum me in enumerando, quàm ne ingratum in prætereundo putetis. qui ædilitii? qui tribunitii? qui quæſtorii? Quid multa? talis ſenatorum & dignitas, & multitudo fuit, ut magna excuſatione opus iis ſit, qui illa in caſtra

15 non venerunt. Nunc reliqua attendite. *victum Ciceronem ducem habuiſtis.* Eo libentius ducem audio, quod certè ille dicit invitus. nam de victo nihil laboro. fatum enim meum eſt, ſine repub. nec vinci poſſe, nec vincere. *Macedoniam munitis exercitibus.* Et quidem fratri tuo, qui à vobis nihil degenerat, extorſimus. *Africam commiſiſtis Varo bis capto.* Hic cum C. fratre putat ſe litigare. *In Syriam Caſſium miſiſtis.* Non igitur ſentis, huic cauſæ orbem terræ parêre: te, extra munitiones tuas, veſtigium ubi imprimas, non habere? *Caſcam tribunatum gerere paſſi eſtis.* Quid ergo? ut Marullum, ut Ceſetium à rep. removeremus, eum, per quem, ut neque idem hoc poſthac, neque multa hujuſmodi accidere poſſent, conſecuti ſumus? *vectigalia Juliana Lupercis ademiſtis.* Lupercorum mentionem facere audet? neque illius diei memoriam perhorreſcit, quo auſus eſt, obrutus vino, unguentis oblitus, nudus, gementem populum Rom. ad ſervitutem cohortari? *veteranorum colonias, deductas lege, & ſenatuſconſulto ſuſtuliſtis.* Nos ſuſtulimus, an contra lege comitiis centuriatis lata ſanximus? vide ne tu veteranos, tamen eos, qui erant perditi, perdideris: in eumque locum deduxeris, ex quo ipſi jam ſentiunt ſe numquam exituros. *Maſſilienſibus jure belli ademta reddituros vos pollicemini.* Nihil diſputo de jure belli. magis facilis diſputatio eſt, quàm neceſſaria. illud tamen advertite, P. C. quàm ſit huic reip. natus hoſtis Antonius, qui tantopere eam civitatem oderit, quam ſcit huic reip.
ſemper fuiſſe amiciſſimam. *Neminem Pompejanum, qui vi-* 16
vat, tenere lege Hirtia dignitates? Quiſquam jam legis Hirtiæ mentionem facit? cujus non minus arbitror latorem ipſum, quàm eos, de quibus lata eſt pœnitere? Omnino, mea quidem ſententia, legem illam appellare fas non eſt: &, ut ſit lex, non debemus illam Hirtii legem putare. *Apulejana pecunia Brutum ſubornaſtis.* Quid, ſi omnibus ſuis copiis excellentem virum reſp. armaſſet? quem tandem bonum pœniteret? nec enim ſine pecunia exercitum alere, nec ſine exercitu fratrem tuum capere potuiſſet. *Securi percuſſos [5] Petrum & Menedemum, civitate donatos, & hoſpites Cæſaris, laudaſtis.* Non laudamus, quod ne audivimus quidem. valde enim nobis in tanta perturbatione reip. de duobus nequiſſimis Græculis cogitandum fuit. *Theopompum, nudum, expulſum à Trebonio, [6] confugere Alexandriam, neglexiſtis.* Magnum crimen ſenatus. de Theopompo, ſummo homine, negleximus: qui ubi terrarum ſit, quid agat, vivat denique an mortuus ſit, quis aut ſcit, aut curat? *Ser. Galbam eodem pugione ſuccinctum in caſtris videtis.* Nihil tibi de Galba reſpondeo, fortiſſimo, & conſtantiſſimo cive: coram aderit: præſens tibi & ipſe, & ille, quem inſimulas, pugio reſpondebit. *milites aut meos, aut veteranos contraxiſtis, tamquam ad exitium eorum, qui Cæſ. occiderant. & eoſdem nec-opinanteis ad quæſtoris ſui, aut Imp. aut commilitonum ſuorum pericula impuliſtis.* Scilicet verba dedimus, decepimus: ignorabat legio Martia, quarta: nec ſciebant veterani quid ageretur. non illi ſenatus auctoritatem, [7] non libertatem populi Romani ſequebantur: Cæſaris mortem ulciſci volebant, quam omnes fatalem fuiſſe arbitrabantur: te videlicet ſalvum, beatum, florentem eſſe
cupiebant. O miſer cum re, tum hoc ipſo, quod *non ſentis,* 17
quàm miſer ſis! Sed maximum crimen audite. *denique quid non aut probaviſtis, aut feciſtis? quid faciat, ſi reviviſcat?* quis? credo enim, afferet aliquod ſcelerati hominis exemplum! *Cn. Pompejus ipſe?* O nos turpeis, ſi quidem Cn. Pompejum imitaturi ſumus. *aut filius ejus, ſi domi poſſit?* poterit, mihi crede. nam paucis diebus & in domum, & in hortos paternos immigrabit. *poſtremo negatis pacem poſſe fieri, niſi aut emiſero Brutum, aut frumento juvero.* Alii iſtuc negant: ego verò, [8] ne ſi iſta quidem feceris, umquam tecum pacem huic civitati futuram puto. *quid? hoc placetne veteranis iſtis? quibus adhuc omnia integra ſunt.* nihil vidi tam

1. *Vis ejus.*] Pal. ſec. *niſi ejus.* Maurit. *in ſenis.* unde fingebat Gulielmius, *M. Senius.* malim ego *Inſtejus.* Ferrarii enim vett. *Inſejus*, quomodo & Pal. pr. tert. quart. niſi quod & eſſe poterat *Niſejus.*

2. *Commune cum plurimis diſſimillimis.*] Pighius in faſtis ad annum U. C. DCCII. conjicit, *plurimis ſibi ſimillimis.*

3. *Niſi ei crura fracta.*] Lil. & Gembl. *niſi ei & crura fr.* noſtri tamen nihil diſcrepant.

4. *Itaque Cæſaris munere, &c.*] Maur. *Cæſaris numero ſe ſit.* Unde fecit conjectura Gulielmius, *hæſit.* ob majores ſuos hæſit in numero familiarium Cæſaris. videatur libro II. Veroſimilium cap. II.

5. *Petrum & Menedemum.*] Ita omnes libri mſſ. & noſtri, & aliorum. olim vulgati *Petum*, typothetæ errore qui omiſerat litteram caninam. quod ſequentes mutarunt tamen in *Pætum*, contra omnem rationem.

6. *Confugere Alexandriam neglexiſtis.*] Mauric. *neglegiſtis*, quod recipi voluit in contextum Gulielmius, quoniam Antonius dicatur Suetonio affectaſſe antiquitatem. videatur ipſe lib. II. Veriſ. cap. undecimo.

7. *Non libertatem populi ſequebantur.*] Illud *non* eſt à Pal. ſec. prius cuſi *an lib.* poſteriores *aut.*

8. *Ne ſi iſta quidem feceris.*] Pal. tert. quart. Mauric. *ita*, quod melius putabat Gulielmius.

tam integrum, quàm ut oppugnare imperatorem incipiant, quem tanto ſtudio, conſenſuque offenderint. *Quoniam vos aſſentationibus, & venenatis muneribus veniſtis.* Depravati, an corrupti, ſunt, quibus perſuaſum eſt, tœdiſſimum hoſtem juſtiſſimo bello perſequi? *at militibus incluſis opem fertis.* [1] *nihil moror eos ſalvos eſſe, & ire quo jubetis: ſi tamen patiuntur perire eum, qui meruit.* Quam benigne! denique uſi liberalitate Antonii milites imperatorem reliquerunt, & ſe ad hoſtem metu perterriti contulerunt: per quos ſi non ſtetiſſet, non Dolabella prius imperatori ſuo, quàm Antonius etiam collegæ parentaſſet. *concordiæ factam eſſe mentionem ſcribitis in ſenatu, & legatos eſſe conſulares quinque. difficile eſt credere,* [2] *eos, qui me præcipitem egerint, æquiſſimas conditiones ferentem, & tamen ex his aliquid remittere cogitantem; putare aliquid moderate, aut humane eſſe facturos. vix etiam veriſimile eſt, qui judicaverint hoſtem Dolabellam ob rectiſſimum facinus, eoſdem nobis parcere poſſe, idem ſentientibus.* [3] Parumne videtur, omnium facinorum ſibi cum Dolabella ſocietatem initam confiteri? nonne cernitis, ex uno fonte omnia ſcelera manare? Ipſe denique fatetur, hoc quidem ſatis acutè, non poſſe eos, qui hoſtem Dolabellam judicaverint ob rectiſſimum facinus, (ita, enim videtur Antonio) ſibi parcere, idem ſentienti.
18 Quid huic facias, qui hæc litteris, memoriæque mandarit, ita ſibi convenisse cum Dolabella, ut ille Trebonium, &, ſi poſſet, etiam Brutum, Caſſium, diſcruciatos necaret, [4] eademque inhiberet ſupplicia nobis? conſervandus civis cum tam pio, juſtoque fœdere. Is etiam queritur conditiones ſuas repudiatas, æquas quidem, & verecundas, ut haberet Galliam ultimam, aptiſſimam ad bellum renovandum, inſtruendumque, provinciam: ut Alaudæ in tertia decuria judicarent, id eſt, ut perfugium ſcelerum eſſet cum turpiſſimis reipub. ſordibus: ut acta ſua rata eſſent, cujus nullum remanet conſulatus veſtigium. cavebat etiam L. Antonio, qui fuerat æquiſſimus agri privati, & publici decempedator, Nucula, & Lentone collega. *Quamobrem vos potius animadvertite utrum ſit elegantius, & partibus utilius, Trebonii mortem perſequi, an Cæſaris: & utrum ſit æquius, concurrere nos, quo facilius reviviſcat Pompeianorum cauſa, toties jugulata: an conſentire, ne ludibrio ſimus inimicis.* ſi eſſet jugulata, numquam exſurgeret: quod tibi, tuiſque contingat. [5] *Utrum,* inquit, *elegantius.* Atqui hoc bello de elegantia quæritur. *Et partibus utilius.* Partes, furioſe, dicuntur in foro, in curia. bellum contra patriam nefarium ſuſcepiſti: oppugnas Mutinam: circumſedes conſulem deſignatum: bellum contra te duo conſules gerunt, cumque his pro præt. Cæſar: cuncta contra te Italia armata eſt. iſtas tu parteis potius, [6] quàm à populo Rom. defectionem vocas? *Potius Trebonii mortem, quam Cæſaris perſequamur?* Trebonii ſatis perſecuti ſumus, hoſte judicato Dolabella: Cæſaris mors facillimè defenditur oblivione, & ſilentio. Sed videte, quid moliatur. cum mortem Cæſaris ulciſcendam putat: mortem proponit non iis ſolùm, qui illam rem
19 geſſerunt, ſed iis etiam, ſi qui non moleſtè tulerunt. *Quibus utri noſtrûm ceciderint, lucro futurum eſt. quod ſpectaculum adhuc ipſa fortuna vitavit, ne videret unius corporis duas acies, laniſta Cicerone, dimicanteis: qui uſque eo felix eſt, ut iiſdem ornamentis deceperit vos, quibus deceptum Cæſarem gloriatus eſt.* Pergit in mea maledicta, quaſi verò ei pulcherrimè priora proceſſerint: quem ego inuſtum veriſſimis maledictorum notis tradam hominum memoriæ ſempiternæ. Ego *laniſta?* & quidem non inſipiens. deteriores enim jugulari cupio, meliores vincere. *Utri ceciderint,* ſcribit lucro nobis futurum. O præclarum lucrum! quo, te victore, (quod dii omen avertant) beata mors eorum futura ſit, qui è vita exceſſerint ſine tormentis. A me deceptos ait eiſdem *ornamentis,* Hirtium & Cæſarem. Quod, quæſo, adhuc à me eſt tributum Hirtio ornamentum? nam Cæſari plura, & majora debentur. Deceptum autem patrem à me Cæſarem dicere audes? Tu, tu, inquam, illum occidiſti Lupercalibus: cujus, homo ingratiſſime, flaminium cur reliquiſti? Sed jam videte magni & clari viri admirabilem gravitatem, atque conſtantiam. *Mihi quidem conſtat, nec meam contumeliam, nec meorum ferre: nec deſerere partes, quas Pompejus odivit, nec veteranos ſedibus ſuis moveri pati, nec ſingulos ad cruciatum trahi, nec fallere fidem, quam dedi Dolabellæ.* Omitto alia: *fidem Dolabellæ* ſanctiſſimi viri, deſerere homo pius non poteſt. quam fidem? an optimi cujuſque cædis, urbis, & Italiæ partitionis: ſuis dandarum, diripiendarumque provinciarum? nam quid erat aliud, quod inter Antonium, & Dolabellam, impuriſſimos parricidas, fœdere, ac fide ſanciretur? *Nec Lepidi ſocietatem violare, piiſſimi hominis.* Tibi cum Lepido ſocietas, aut cum ullo, non dicam bono civi, ſicut ille eſt, ſed homine ſano? Id agis, ut Lepidum aut impium, aut inſanum exiſtimari velis. nihil agis. quamquam AFFIRMARE de altero difficile eſt, de Lepido præſertim, quem ego metuam numquam, bene ſperabo, dum licebit. Revocare te à furore Lepidus voluit, non adjutor eſſe dementiæ. tu porrò ne pios quidem ſed *piiſſimos* quæris: & quod verbum omnino nullum in lingua Latina eſt, id, propter tuam divinam pietatem, novum inducis. *Nec Plancum prodere, participem conſiliorum.* Plancum participem? cujus memorabilis, ac divina virtus lucem affert reipublicæ. niſi fortè eum ſubſidio tibi venire arbitraris cum fortiſſimis legionibus, magno equitatu, peditatu Gallorum: quique, niſi ante ejus adventum reip. pœnas dederis, ille hujus belli feret principatum. Quamquam enim PRIMA præſidia utiliora reip.
ſunt, tamen extrema ſunt gratiora. Sed jam ſe colligit, & 20
ad extremum incipit philoſophari. *Si me rectis ſenſibus euntem dii immortales, ut ſpero, adjuverint: vivam libenter. Sin autem aliud me fatum manet: præcipio gaudia ſuppliciorum veſtrorum. Namque, ſi victi Pompejani tam inſolentes ſunt: victores quales futuri ſint, vos potius experiemini.* Præcipias licet gaudia: non enim tibi cum Pompejanis, ſed cum univerſa republica bellum eſt. omnes te dii, homines, ſummi, medii, infimi; cives, peregrini; viri, mulieres; liberi, ſervi oderunt. ſenſimus hoc nuper falſo nuntio: vero propediem ſentiemus. quæ ſi tecum ipſe recolis: æquiore animo, & majore conſolatione moriere. *Denique ſumma judicii mei ſpectat huc, ut meorum injurias ferre poſſim, ſi aut oblivisci velint ipſi feciſſe, aut ulciſci parati ſint una nobiſcum Cæſaris mortem.* Hac Antonii ſententia cognita, dubitaturoſne A. Hirtium, C. Panſam, conſules, putatis, quin ad Antonium tranſeant? Brutum obſideant? Mutinam expugnare cupiant? Quid de Panſa, & Hirtio loquar? Cæſar, ſingulari pietate adoleſcens, poteritne ſe tenere, quin D. Bruti ſanguine pœnas patrias perſequatur? Itaque fecerunt, uti his litteris lectis ad munitiones propiùs accederent. Quo major adoleſcens Cæſar, majoreque deorum immortalium beneficio reip. natus eſt, qui nulla ſpecie paterni nominis, nec pietate, abductus umquam eſt. Intelligit, MAXIMAM pietatem conſervatione patriæ contineri. Quòd ſi partium certamen eſſet, quarum omnino nomen extinctum

1. *Nihil moror eos ſalvos eſſe & ire quo jubetis.*] Haud aliter Lilienſis. recte. antiqua enim formula ſacramenti erat, *ibo quò S. P. Q. R. juſſerit.* prius edebatur *lubet.* ſed invito etiam Pal. ſec. in quo alterum, prætereaque, *eſſe, &, ſe ad hoſtem, & ire, &c.* quam clauſulam, excutiant quæſo Camdenus, Coſterenus, alii.

2. *Eos qui me præcipitem egerint.*] Lil. & Gembl. Cos. ſive Coss. & id potius duxerat Gulielmius. habet quidem etiam Pal. ſec. *conſ. credere qui me.* ſed adhæſerim vulgato.

3. *Parumne videtur omnium facinorum.*] Abjeci apertè, quod in medii ævi editionibus, ſed non etiam priſcis, aut ullis denique mſſ.

4. *Eademque inhiberet ſupplicia nobis?*] Eſt ab edd. antiquis & mſſ. noſtris omnibus, item Ferrarii, cujus Emendationes conſulantur. vulgata, *adhiberet.*

5. *Utrum, inquit, elegantius.*] Tuetur iſtud contra Tullium P. Victorius, lib. XXIII. Var. lect. cap. 8.

6. *Quàm à populo Rom. defectionem.*] Eſt & hæc à Ferrario aſſerta lectio, etiam in Pal. ſec. & Mauric.

1. *Atque*

ctum eſt, Antoniuſne potius, & Ventidius partes Cæſaris defenderent, quàm primum Cæſar, adoleſcens ſumma pietate, & memoria parentis ſui? Deinde Panſa, & Hirtius, qui quaſi cornua duo tenuerunt Cæſaris, tum, cum illæ verè partes vocabantur? Hæ verò quæ ſunt partes cùm alteris ſenatus auctoritas, populi Rom. libertas reip. ſalus propoſita ſit: alteris cædes bonorum, urbis, Italiæque partitio?
21 Veniamus aliquando ad clauſulam. *Legatos venire non credo.* Bene me novit. *bellum quo veniat.* propoſito præſertim exemplo Dolabellæ. ſanctiores erunt, credo, jure legati, quàm duo conſules, contra quos arma fert: quàm Cæſar, cujus patris flamen eſt: quàm cos. deſignatus, quem oppugnat: quàm Mutina, quam obſidet: quàm patria, cui igni ferroque minitatur. *Cum venerint, quæ poſtulent, cognoſcam.* Quin tu abis in malam peſtem, malumque cruciatum? Ad te quiſquam veniat, niſi Ventidii ſimilis? oriens incendium qui reſtinguerent, ſummos viros miſimus: repudiaſti: nunc in tantam flammam, tamque inveteratam mittamus, cùm locum tibi reliquum non modo ad pacem, ſed ne ad deditionem quidem feceris? Hanc ego epiſtolam, P. C. non quò illum dignum putarem, recitavi, ſed ut confeſſionibus ipſius omnia patefacta ejus parricidia videretis. Cum hoc pacem M. Lepidus, vir ornatiſſimus omnibus virtutis, & fortunæ bonis, ſi hæc videret, denique aut vellet, aut fieri poſſe arbitraretur? „ *Prius undas, flammamque*, ut ait poëta neſcio quis, prius denique omnia, quàm aut cum Antoniis reſp. aut cum rep. Antonii redeant in gratiam. Monſtra quædam ſunt iſta, & portenta, & prodigia reip. Moveri ſedibus ſuis huìc urbi melius eſt, [1] atque alias, ſi fieri poſſit, terras demigrare, unde Antoniorum nec facta, nec nomen audiat, quàm illos Cæſaris virtute ejectos, Bruti retentos, intra hæc mœnia videre. OPTATISSIMUM EST vincere: ſecundum eſt, nullum caſum pro dignitate, & libertate patriæ non ferendum putare. quod reliquum eſt, non eſt tertium, ſed poſtremum omnium, maximam *turpitudinem* ſuſcipere vitæ cupiditate. Quæ cum ita ſint, de mandatis, litteriſque M. Lepidi viri, clariſſimi, Servilio aſſentior: & hoc amplius cenſeo, Magnum Pompejum, Cn. F. pro patris, majorumque ſuorum animo, ſtudioque in remp. ſuaque priſtina virtute, induſtria, voluntate, feciſſe, quod ſuam, eorumque, quos ſecum haberet, operam ſenatui, populoque Rom. pollicitus eſſet, eamque rem S. P. Q. R. gratam, acceptamque eſſe, eique, honori, dignitatique eam rem fore. Hoc vel conjungi cum hoc S. C. licet, vel ſejungi poteſt, ſeparatimque perſcribi, ut proprio S. C. Pompejus collaudatus eſſe videatur.

1. *Atque alias, ſi fieri, &c.*] Vulgata, *atque in alias, &c.* ſed ita nullus Palatinorum, aut Mauritianus.

M. TULLII CICERONIS IN M. ANTONIUM PHILIPPICA DECIMAQUARTA.

ORATIO QUINQUAGESIMASEXTA.

1 SI, ut ex litteris, quæ recitatæ ſunt, P. C. ſceleratiſſimorum hoſtium exercitum, cæſum, fuſumque cognovi; ſic id, quod & omnes maximè optamus, & ex ea victoria, quæ parta eſt, conſecutum arbitramur, D. Brutum egreſſum jam Mutina eſſe cognoviſſem: propter cujus periculum ad ſaga [1] iſſemus, propter ejuſdem ſalutem redeundum ad priſtinum veſtitum ſine ulla dubitatione cenſerem. Antè verò, quàm ea res, quam avidiſſimè civitas exſpectat, allata ſit, *lætitia* uſus, ſatis eſt maximæ, præclariſſimæque pugnæ: reditum ad veſtitum confectæ victoriæ reſervate. confectio autem hujus belli eſt, D. Bruti ſalus. Quæ autem eſt iſta ſententia, ut in hodiernum diem veſtitus mutetur, deinde cras ſagati prodeamus? Nos verò cùm ſemel ad eum, quem cupimus, optamuſque veſtitum, redierimus, id agamus, ut eum in perpetuum retineamus. nam hoc quidem cùm turpe eſt, tum ne diis quidem immortalibus gratum, ab eorundem aris, ad quas togati adierimus, ad ſaga ſumenda diſcedere. Atque animadverto, patres conſcripti, quoſdam huic favere ſententiæ: quorum ea mens, idque conſilium eſt, ut, cùm videant, glorioſiſſimum illum D. Bruto futurum diem, quo die, propter ejus ſalutem [1] redierimus ad veſtitum, hunc ei fructum eripere cupiant, ne memoriæ, poſteritatique prodatur, propter unius civis periculum populum Romanum ad ſaga iiſſe, propter ejuſdem ſalutem rediſſe ad togas. tollite hanc, nullam tam pravæ ſententiæ cauſam reperietis. Vos vero, patres conſcripti, conſervate auctoritatem veſtram, manete in ſententia, tenete veſtra memoria, quod ſæpe oſtendiſtis, hujus totius belli in unius viri fortiſſimi, & maximi *vita* poſitum eſſe diſcrimen. Ad D. 2
Brutum liberandum legati miſſi, principes civitatis, qui illi hoſti, ac parricidæ denuntiarent, ut à Mutina diſcederet: ejuſdem D. Bruti conſervandi gratia [2] conſul ſortitu ad bellum profectus A. Hirtius; cujus imbecillitatem valitudinis, animi virtus, & ſpes victoriæ confirmavit: Cæſar, [3] cùm exercitu per ſe comparato, à primis peſtibus rempublicam liberaſſet, nequid poſtea ſceleris oriretur, profectus eſt ad eundem Brutum liberandum, vicitque dolorem aliquem *domeſticum* patriæ caritate. Quid C. Panſa egit aliud delectibus habendis, pecuniis comparandis, ſenatuſconſultis faciendis graviſſimis in Antonium, nobis cohortandis, populo Romano ad cauſam libertatis vocando, niſi ut D. Brutus liberaretur? à quo populus Romanus frequens ita ſalutem D. Bruti una voce depopoſcit, ut eam non ſolùm *commodis* ſuis, ſed etiam neceſſitati victus anteferret. quod ſperare nos quidem debemus, P. C. aut inibi eſſe, aut jam eſſe confectum: ſed ſpei fructum rei convenit, & eventui reſervari, ne aut deorum immortalium beneficium feſtinatione præripuiſſe, aut *vim fortunæ* ſtultitia contemſiſſe videamur. Sed quoniam ſignificatio veſtra ſatis declarat, quid hac de re ſentiatis: ad litteras veniam, quæ ſunt à conſulibus, & à proprætore miſſæ, ſi pauca antè, quæ ad ipſas litteras pertineant, dixero. Imbuti ſanguine gladii, patres 3
conſcripti, legionum, exercituumque noſtrorum, vel madefacti potiùs duobus conſulum, tertio Cæſaris prœlio. Si hoſtium fuit ille ſanguis, ſumma militum pietas: nefarium ſcelus, ſi civium. Quouſque igitur is, qui omneis hoſtes

1. *Redierimus ad veſtitum.*] Pal. ſec. non habet illud, *ad veſtitum.* Mauritianus ejus loco ſubſtituit, *ad togam.* aliud quid videtur latuiſſe. an? *redierimus ad nos.*

2. *Conſul ſortitu ad bellum, &c.*] Ita omnes ferè Ferrariani, neque aliter Pal. ſec. aut Maur. vulgata *Conſules ſortiti: ad bellum, &c.* quæ lectio etiam non mala. *ſortito*, atque *ſortitu*, ut *ſortitu* & *ſortuito* promiſcue uſi veteres.

3. *Cum exercitu per ſe comp. à prim. &c.*] Sic Maur. & Pal. tert. quart.

ſtes ſcelere ſuperavit, nomine hoſtis carebit? niſi mucrones etiam noſtrorum militum tremere vultis, & dubitare, utrùm in cive, an in hoſte figantur. Supplicationem decernitis: hoſtem non appellatis. Gratæ verò noſtræ diis immortalibus gratulationes erunt, gratæ victimæ, cùm interfecta ſit civium multitudo. *De improbis*, inquit, *& audacibus*. nam ſic eos appellat clariſſimus vir. quæ ſunt urbanarum maledicta litium, non inuſtæ belli internecini notæ. teſtamenta, credo, ſubjiciunt, aut ejiciunt vicinos; aut adoleſcentulos circumſcribunt. his enim vitiis affectos, & talibus, malos, & audaceis appellare conſuetudo ſolet. [1] Bellum inexpiabile infert quattuor Coss. unus omnium latronum tæterrimus: gerit idem bellum cum ſenatu, populoque Romano. omnibus, (quamquam ruit ipſe ſuis cladibus) peſtem, vaſtitatem, cruciatum, tormenta denuntiat: Dolabellæ ferum, & immane facinus, quod nulla [2] barbaria poſſet agnoſcere, id ſuo conſilio factum eſſe teſtatur: quæque eſſet facturus in hac urbe, niſi eum hinc ipſe Jupiter ab hoc templo, atque mœnibus repuliſſet, declaravit in Parmenſium calamitate, quos, optimos viros, honeſtiſſimoſque homines, maximè cum auctoritate hujus ordinis, populique Romani dignitate conjunctos, crudeliſſimis exemplis interemit [3] proludium illud, & portentum L. Antonius, inſigne odium omnium hominum, vel, ſi etiam dii oderint *quos oportet*, omnium deorum. Refugit animus, Patres conſcripti, eaque dicere reformidat, quæ L. Antonius in Parmenſium liberis, & conjugibus effecerit. quas enim turpitudines Antonii libenter ſubierunt, eaſdem per vim lætantur aliis ſe intuliſſe. ſed vis calamitoſa eſt, quam illis intulerunt: libido flagitioſa, qua Anto-
4 niorum oblita eſt vita. Eſt igitur quiſquam, qui hoſteis appellare non audeat, quorum ſcelere crudelitatem Karthaginienſium victam eſſe fateatur? qua enim in urbe tam immanis Hannibal capta, quàm in Parma ſurrepta Antonius? niſi fortè hujus coloniæ, & ceterarum, in quas eodem eſt animo, non eſt *hoſtis* Antonius putandus. Si verò coloniarum, & municipiorum ſine ulla dubitatione hoſtis eſt, quid tandem hujus cenſetis urbis, quam ille [4] ad expiandas egeſtates latrocinii ſui concupivit? [5] quam jam peritus metator, & callidus, decempeda ſua Saxa diviſerat? Recordamini, per deos immortaleis, P. C. quid hoc biduo timuerimus à domeſticis hoſtibus, rumoribus improbiſſimis diſſipatis. Quis liberos, quis conjugem adſpicere poterat ſine fletu? quis domum? quis tecta? quis larem familiarem? Jam aut fœdiſſimam mortem omnes, aut miſerabilem fugam cogitabant. Hæc à quibus timebantur, eos hoſteis appellare dubitamus? gravius ſi quis attulerit nomen, libenter aſſentiar: hoc vulgari contentus vix ſum, leviore non utar. Itaque cum ſupplicationes juſtiſſimas ex iis litteris, quæ recitatæ ſunt, decernere debeamus, Serviliuſque decreverit: augebo omnino numerum dierum, præſertim cùm non uni, ſed tribus ducibus ſint decernendæ. Sed hoc primùm faciam, ut *imperatores* appellem eos, quorum virtute, conſilio, felicitate, maximis periculis ſervitutis, atque interitus liberati ſumus. Etenim cui viginti his annis ſupplicatio decreta eſt, ut non imperator appellaretur, aut minimis rebus geſtis, aut plerumque nullis? Quamobrem aut ſupplicatio ab eo, qui antè dixit, decernenda non fuit: aut uſitatus honos, pervulgatuſque tribuendus iis, quibus etiam novi, & ſingulares debentur. At ſi quis Hiſpanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille, 5
aut duo millia occidiſſet, non eum hac conſuetudine, quæ increbuit, imperatorem appellaret Senatus? tot legionibus cæſis, tanta multitudine interfecta, *hoſtium* dico; ita, inquam, hoſtium, quamvis hoc iſti hoſtes domeſtici nolint, clariſſimis ducibus ſupplicationum honorem tribuemus, imperatorum nomen adimemus? Quanto enim honore, lætitia, gratulatione in hoc templum ingredi debent illi ipſi hujus urbis liberatores, cùm heſterno die propter eorum res geſtas me ovantem, & propè triumphantem populus Romanus in Capitolium domo tulerit, domum inde reduxerit? Is enim demum eſt, mea quidem ſententia, juſtus triumphus, ac verus: cùm bene de republica meritis teſtimonium à conſenſu civitatis datur. nam ſive in communi gaudio populi Romani uni gratulabantur, magnum judicium: [6] ſive uni gratias agebant, eo majus: ſive utrumque, nihil magnificentius excogitari poteſt. Tu igitur ipſe de te? dixerit quiſpiam. Et quidem invitus: ſed injuriæ dolor fecit me, præter conſuetudinem, glorioſum. nonne ſatis eſt ab hominibus virtutis ignaris gratiam bene merentibus non referri? [7] etiam in eos, qui omneis ſuas curas in reipublicæ ſalute defigunt, in pejus, crimen invidiaque quæretur? Scitis enim per hos dies creberrimum fuiſſe [8] ſermonem, me per idus Quintileis, qui dies hodie eſt, cum faſcibus deſcenſurum. In aliquem credo hoc gladiatorem, aut latronem, aut Catilinam eſſe conſultum, non in eum, qui, ne quid tale in republica fieri poſſet, effecerit. an ut ego, qui Catilinam hæc molientem ſuſtulerim, everterim, afflixerim, ipſe exiſterem repentè Catilina? quibus auſpiciis iſtos faſceis augur acciperem? quatenus haberem? cui traderem? quemquamne fuiſſe tam ſceleratum, qui hoc fingeret? tam furioſum, qui crederet? Unde igitur iſta ſuſpicio, [9] vel potiùs unde iſte ſermo? Cùm, ut 6
ſcitis, hoc triduo, vel quatriduo, triſtis à Mutina fama manaret; inflati lætitia, atque inſolentia impii cives, unum ſe in locum ad illam curiam, viribus potiùs ſuis, quàm reipublicæ infelicem, congregabant. ibi cùm conſilium inirent de cæde noſtra, partirenturque inter ſe, qui Capitolium, qui Roſtra, qui urbis portas occuparent: ad me concurſum futurum civitatis putabant. quod ut cum invidia mea fieret, & cum vitæ etiam periculo, famam iſtam faſcium diſſipaverunt: faſceis ipſi ad me delaturi fuerunt. quod cùm eſſet *quaſi mea voluntate* factum, tum in me impetùs conductorum hominum, quaſi in tyrannum, parabatur: ex quo cædes eſſet veſtrûm omnium conſecuta. Quæ res pateſcit, patres conſcripti: ſed ſuo tempore totius hujus ſceleris fons aperietur. Itaque P. Apulejus, tribunus plebis, meorum omnium conſiliorum, periculorumque jam inde à conſulatu meo teſtis, conſcius, adjutor, dolorem ferre non potuit: doloris mei concionem habuit maximam,

1. *Bellum inexpiabile infert.*] Liquido legit Mauric. *inexpiale*. quod animadvertendum putabat Gulielmius. at ego arbitror attendendum magis Palatino pr. ac ſec. in quibus *expiabile*, neque aliter legebatur in iis membranis duobus aliis Philipp. XIII. ubi hodie habemus *inexpiabile*.

2. *Barbaries poſſet agnoſcere.*] *Ignoſcere* vulgo; ſed contra Pall. aliorumque ſcriptos.

3. *Proludium illud & portentum.*] Ita omnes libri mſſ. vel adeo *præludium*. Ferrarius tamen *propudium* magis convenire indicat; recepitque Lambinus. veniebat mihi ſub calamum *proluvium*, propius ad characteres alterius vocis.

4. *Ad expiandas egeſtates.*] Tale quid ſupra etiam habuimus in orationibus. at Pal. pr. *explicandas*. ſec. quart. *explendas*, quomodo edidere Manutius ac Lambinus. neſcio quàm bene.

5. *Quam jam peritus metator.*] Lambiniani, *jam pridem metator*, contra vetuſtius cuſos, omneſque mſſ. noſtros.

6. *Sive uni gratias agebant.*] Tò *uni* ex mſſ. noſtris repoſui. prius omnium editionibus aberat.

7. *Etiam in eos qui, &c. defigunt, in pejus, crimen invidiaque quæretur?*] Ita hunc locum fractum luxatumque redintegravi, auctoritate Pal. ſec. qui tamen habebat pro illo *in pejus*, verbum *impetus*, aberatque enclitica *que*.

8. *Sermonem, me per Idus, &c. deſcenſurum. In aliquem credo hoc gladiatorem, &c.*] Eidem libro debetur periodi quoque iſtius perſanatio, miſerrimè hactenus diſtractæ, diſtortæque ab medicis criticis, non medicis. Et ſanè qui ſine ſubſidio membranarum aggreditur medicinam facere auctori alicui; nihil aliud debet doctis ac bonis quàm ludibrium. in hac noſtra emendatione, omnia liquent: ſolum illud *conſultum* obſcurius eſt. ſed erat in omnibus Pall. & olim impreſſis; mutaruntque neoterici in *confictum*. ceterum *imperatorem habituri erimus?* exſtat quidem in vett. edd. ſed in nullo Palatinorum. itaque vel iſtius emendationis cauſa, non pœnitet me ærumnoſi laboris quem poſui in comparando Cicerone cum mſſ.

9. *Vel potius unde iſte ſermo?*] Voculam *unde* interſerui, ſuaſu Pall. & Maur.

1. Non

mam, populo Romano unum, atque idem ſentiente. In qua concione cùm me, pro ſumma noſtra conjunctione, & familiaritate, liberare ſuſpicione faſcium vellet, una voce cuncta concio declaravit, nihil eſſe à me umquam de republica, niſi *optimè* cogitatum. Poſt hanc habitam concionem, duabus, tribuſve horis, optatiſſimi nuntii, & litteræ venerunt: ut idem dies non modò me iniquiſſima invidia liberarit, ſed etiam celeberrima populi Romani gratulatione auxerit. Hæc interpoſui, P. C. [1] non tam ut pro me dicerem (malè enim mecum ageretur, ſi parum vobis eſſem ſine defenſione purgatus) quàm ut quoſdam nimis jejuno animo, & anguſto monerem, id quod ſemper ipſe feciſſem, uti EXCELLENTIUM civium virtutem imitatione dignam, non invidia putarent. MAGNUS eſt in republica campus, ut ſapienter dicere Craſſus ſolebat. multis apertus curſus ad laudem.

7 Utinam quidem illi principes viverent, qui me poſt meum conſulatum, cùm iis ipſe cederem, principem non inviti videbant. hoc verò tempore in tanta inopia conſtantium, & fortium conſularium, quo me dolore affici creditis, cùm alios malè ſentire, alios nihil omnino curare videam, alios parum conſtanter in ſuſcepta cauſa permanere, ſententiamque ſuam non ſemper *utilitate republicæ*, ſed cùm ſpe, tum timore moderari? Quòd ſi quis de contentione principatus laborat, quæ nulla eſſe debet: ſtultiſſimè facit, ſi vitiis cum virtute contendit. ut enim curſu curſus, ſic in viris fortibus, virtus virtute ſuperatur. Tu, ſi ego de republica optimè ſentiam: ut me vincas, ipſe peſſimè ſenties? aut, ſi ad me bonorum concurſum fieri videbis, ad te improbos invitabis? nollem, primùm reipublicæ cauſa: deinde etiam dignitatis tuæ. Sed, ſi principatus ageretur, quem numquam expetivi, quid tandem mihi eſſet optatius? ego enim malis ſententiis vinci non poſſum, bonis forſitan poſſum, & libenter. Hæc populum Romanum videre, animadvertere, judicare, quidam moleſtè ferunt. poteratne fieri, ut non perinde homines quoque, ut quiſque mereretur, judicarent? ut enim de univerſo ſenatu populus Romanus veriſſimè judicat, nullis reipublicæ temporibus hunc ordinem firmiorem, atque fortiorem fuiſſe: ſic de unoquoque noſtrûm, & maximè qui hoc loco ſententias dicimus, ſciſcitantur omnes, avent audire, quid quiſque ſenſerit. ita de unoquoque, ut quemque meritum arbitrantur, exiſtimant. Memoria tenent, me ante diem XIII. Kalendas Januarias principem revocandæ libertatis fuiſſe: me ex Kalendis Januariis ad hanc horam invigilaſſe reip. meam domum, meaſque aureis, dies, nocteis, omnium præceptis, monitiſque *patuiſſe*: meis litteris, meis nuntiis, meis cohortationibus omneis, qui ubique eſſent, ad patriæ præſidium excitatos: meis ſententiis à Kalendis Jan. numquam legatos ad Antonium: ſemper illum hoſtem, ſemper hoc bellum: ut ego, qui omni tempore veræ pacis auctor fuiſſem, huic eſſem nomini peſtiferæ pacis inimicus. Idem Ventidium, cùm alii tribunum plebis voluiſſent; non ego ſemper hoſtem? has in ſententias meas ſi conſules deſignati diſceſſionem facere voluiſſent, omnibus iſtis latronibus *auctoritate* ipſa ſenatus jam pridem de manibus arma cecidiſſent.

8 Sed, quod tum non licuit, patres conſcripti, id hoc tempore non ſolùm licet, verùm etiam neceſſe eſt, eos, qui re ſunt hoſtes, verbis notari, ſententiis noſtris hoſteis judicari. Antea cùm hoſtem, aut bellum nominaſſem: ſemel, & ſæpius ſententiam meam de numero ſententiarum ſuſtulerunt. quod in hac cauſa jam fieri non poteſt. ex litteris enim C. Panſæ, A. Hirtii conſulum, C. Cæſaris proprætoris, de honore diis immortalibus habendo ſententias diximus. Supplicationem modò qui decrevit, idem imprudens hoſteis judicavit. numquam enim in civili bello ſupplicatio decreta eſt. decretam dico? ne victoris quidem litteris poſtulata eſt. Civile bellum conſul Sulla geſſit: legionibus in urbem adductis, quos voluit, expulit: quos potuit, occidit: ſupplicationis mentio nulla. Grave bellum Octavianum inſecutum eſt: ſupplicatio Cinnæ nulla victoris. Cinnæ victoriam imperator ultus eſt Sulla: nulla ſupplicatio decreta à ſenatu. Ad teipſum, P. Servili, num miſit ullas collega litteras de illa calamitoſa pugna Pharſaliæ? num te de ſupplicatione voluit referre? profectò noluit. At miſit poſtea de Alexandria, de Pharnace. Pharſalicæ verò pugnæ ne triumphum quidem egit. eos enim civeis pugna illa ſuſtulerat, quibus [2] non modò victoribus, ſed etiam *vivis*, & incolumis, & florens civitas eſſe poſſet. Quod idem contigerat ſuperioribus bellis civilibus. Nam mihi conſuli ſupplicatio, nullis armis ſumtis, non ob cædem hoſtium, ſed ob conſervationem civium, novo & inaudito genere, decreta eſt. Quamobrem aut ſupplicatio ob rempublicam pulcherrimè geſtam poſtulantibus veſtris imperatoribus neganda eſt, quod præter Gabinium contigit nemini. aut, ſupplicatione decernenda, hoſteis eos, de quibus decernitis, judicetis neceſſe eſt.

Quod ergo ille re, id ego etiam 9 verbo; cùm imperatores eos appello. hoc ipſo nomine & eos, qui jam devicti ſunt, & eos, qui ſuperſunt, hoſteis judico, cùm victores appello imperatores. Quomodo enim potiùs Panſam appellem? etſi habet honoris ampliſſimi nomen. quo Hirtium? eſt ille quidem conſul: ſed alterum nomen, *beneficii* eſt populi Romani, alterum virtutis, atque victoriæ. Quid? Cæſarem, deorum beneficio reipublicæ procreatum, dubitemne appellare imperatorem? qui primus Antonii immanem, & fœdam crudelitatem, non ſolùm à jugulis noſtris, ſed etiam à membris, & viſceribus avertit. Unius autem diei quot, & quantæ virtutes, dii immortales, fuerunt! Princeps enim omnium Panſa prœlii faciendi, & cum Antonio confligendi fuit, dignus imperator legione Martia, digna legio imperatore. cujus ſi acerrimum impetum cohibere Panſa potuiſſet, uno prœlio confecta res eſſet. Sed cum libertatis avida legio effrenatiùs in aciem hoſtium irrupiſſet, ipſeque in primis Panſa pugnaret, duobus periculoſis vulneribus acceptis, ſublatus è prœlio, reipublicæ *vitam* reſervavit. Ego verò hunc non ſolùm imperatorem, ſed etiam clariſſimum imperatorem judico: qui cùm aut morte, aut victoria ſe ſatisfacturum reipublicæ ſpopondiſſet: alterum fecit, alterius dii immortales omen avertant.

10 Quid dicam de Hirtio? qui, re audita, è caſtris duas legiones eduxit incredibili ſtudio, atque virtute, quartam illam, quæ, relicto Antonio, ſe olim cum Martia legione conjunxit, & ſeptimam, quæ conſtituta ex veteranis, docuit illo prœlio, militibus iis, qui Cæſaris beneficia ſervaſſent, ſenatus, populique Romani carum nomen eſſe. his viginti cohortibus, nullo equitatu, Hirtius ipſe, *aquilam* quartæ legionis cùm inferret, [3] quia nullius pulchriorem ſpeciem imperatoris accepimus, cum tribus Antonii legionibus, equitatuque conflixit, hoſteiſque nefarios, huic Jovi maximo, ceteriſque deorum immortalium templis, urbis tectis, libertati populi Romani, noſtræ vitæ, ſanguinique imminenteis, proſtravit, fudit, occidit; ut cum admodum paucis, nocte tectus, metu perterritus, princeps latronum, duxque fugerit. O ſolem ipſum beatiſſimum, qui antequàm ſe abderet, ſtratis cadaveribus parricidarum, cum paucis fugientem vidit Antonium! An verò quiſquam dubitabit appellare Cæſarem imperatorem? ætas ejus certè ab hac ſententia neminem deterrebit, quandoquidem *virtute ſuperavit ætatem*. Ac mihi ſemper eo majora beneficia C. Cæſaris viſa ſunt, quò minùs erant ab ætate illa poſtulanda.

---

1. *Non tam ut pro me dicerem.*] Antiquitus impreſſi & Pall. omnes, *dixerim*. fortè abjicienda ea dictio, & adhuc illud *ut*. nam *dicerem* eſt à conjectura Ferrarii.

2. *Non modò victoribus, ſed etiam vivis.*] Maur. *non modo vivis, ſed etiam victoribus*, quomodo & Pal. ſec. quod veriſſimum quidem putat Gulielmius. at ego non video, qua tunc ratione conſtet ſententia.

3. *Quia nullius pulcriorem, &c.*] Sic Maur. & Pall. omnes item retrò cuſi. Ferrarius auctor fuit cur recentiores edd. receperint conjectaneum ipſius, *qua*. minus rectè ideo intulit, *Aquilam ipſe Hirtius, quod in ipſo Imp. fiat ſpecioſiſſimus*. Vetuſtiſſima editio ſtat pro nobis. ſequentes habent, *quàm ullius pulcriorem ſpeciem imperatoris accepimus?* ſatis rotunde.

landa. cui cùm imperium dabamus, eodem tempore etiam ſpem nominis ejus deferebamus; quod, cùm eſt ſecutus auctoritatem noſtri decreti, rebus geſtis ſuis comprobavit. Hic ergo adoleſcens maximi animi, ut veriſſimè ſcribit Hirtius, caſtra multarum legionum paucis cohortibus tutatus eſt, ſecundumque prœlium fecit. Ita trium imperatorum populi Rom. virtute, conſilio, felicitate, uno die lo-
11 cis pluribus reſpublica eſt conſervata. Decerno igitur eorum trium nomine quinquaginta dierum *ſupplicationes*: quas ut honorificentiſſimis verbis conſequi potero, complectar ipſa ſententia. Eſt autem fidei, pietatiſque noſtræ, declarare fortiſſimis militibus, quàm memores ſimus, quàmque grati. Quamobrem promiſſa noſtra, atque ea, quæ legionibus, bello confecto, tributuros nos ſpopondimus, hodierno ſenatuſconſulto renovando cenſeo. æquum eſt enim, militum, talium præſertim, honorem conjungi. Atque utinam, P. C. civibus omnibus ſolvere nobis præmia liceret. quamquam nos ea, quæ promiſimus, ſtudioſè cumulata reddemus. ſed id quidem reſtat, ut ſpero, victoribus, quibus ſenatus fides præſtatur: quam quidem cùm difficillimo reipublicæ tempore ſecuti ſunt, eos numquam oportebit conſilii ſui pœnitere. Sed facile eſt bene agere cum iis, à quibus etiam tacentibus flagitari videmur. illud admirabilius, & majus, maximeque proprium ſenatus ſapientis eſt, grata eorum virtutem *memoria proſequi*, qui pro patria vitam profuderunt. Quorum de honore utinam mihi plura in mentem venirent: duo certè non præteribo, quæ maximè occurrunt: quorum alterum pertinet ad virorum fortiſſimorum gloriam ſempiternam: alterum ad leniendum
12 mœrorem, & luctum proximorum. Placet igitur mihi, P. C. legionis Martiæ militibus, & eis, qui unà pugnantes occiderunt, monumentum fieri quàm ampliſſimum. magna, atque incredibilia ſunt in rempublicam hujus merita legionis. hæc ſe prima latrocinio abrupit Antonii: hæc tenuit Albam: hæc ſe ad Cæſarem contulit: hanc imitata quarta legio parem virtutis gloriam conſecuta eſt. Quarta victrix deſiderat neminem: ex Martia nonnulli in ipſa victoria conciderunt. ô fortunata mors, quæ naturæ debita, *pro patria* eſt potiſſimum reddita. Vos verò patriæ natos judico: quorum etiam nomen à Marte eſt: ut idem deus urbem hanc gentibus, vos huic urbi genuiſſe videatur. IN FUGA fœda mors eſt: in victoria glorioſa. etenim Mars ipſe ex acie fortiſſimum quemque *pignerari* ſolet. Illi igitur impii, quos cecidiſtis, etiam ad inferos pœnas parricidii luent: vos verò, qui extremum ſpiritum in victoria effudiſtis, piorum eſtis ſedem, & locum conſecuti. [1] Brevis à natura nobis vita data eſt: at memoria bene redditæ vitæ, ſempiterna. quæ ſi non eſſet *longior*, quàm hæc vita, quis eſſet tam amens, qui maximis laboribus, & periculis ad ſummam laudem, gloriamque contenderet? Actum igitur præclarè vobiſcum, fortiſſimi dum vixiſtis, nunc verò etiam ſanctiſſimi milites, quòd veſtra virtus nec oblivione eorum, qui nunc ſunt, [2] nec reticentia poſterorum inſepulta eſſe poterit, cùm vobis immortale monumentum ſuis pænè manibus ſenatus, populuſque Romanus exſtruxerit. Multi ſæpe exercitus Punicis, Gallicis, Italicis bellis, clari, & magni fuerunt: nec tamen ullis *tale genus* honoris tributum eſt. Atque utinam majora poſſemus, quandoquidem à vobis maxima accepimus! Vos ab urbe furentem Antonium avertiſtis: vos redire molientem repuliſtis. Erit igitur exſtructa moles opere magnifico, inciſæque litteræ, divinæ virtutis teſtes ſempiternæ: numquàm de vobis, eorum, qui aut videbunt veſtrum monumentum, aut audient, gratiſſimus ſermo conticeſcet. ita pro mortali conditione
13 vitæ immortalitatem eſtis conſecuti. Sed quoniam, patres conſcripti, gloriæ munus optimis, & fortiſſimis civibus monumenti honore perſolvitur, conſolemur eorum proximos, quibus optima eſt hæc quidem conſolatio: parentibus, quòd tanta reip. *præſidia* genuerunt: liberis, quòd habebunt domeſtica exempla virtutis: conjugibus, quòd iis viris carebunt, quos laudare, quàm lugere præſtabit: fratribus, quòd in ſe, ut corporum, ſic virtutum ſimilitudinem eſſe confident. Atque utinam his omnibus abſtergêre fletum ſententiis noſtris, conſultiſque poſſemus, vel aliqua talis his adhiberi publicè poſſet oratio, qua deponerent mœrorem, atque luctum, gauderentque potiùs, cùm multa, & varia impenderent hominibus genera mortis, id genus, quod eſſet pulcherrimum, ſuis obtigiſſe, eoſque nec inhumatos eſſe, nec deſertos: (quod tamen ipſum *pro patria* non miſerandum putatur) nec diſperſis buſtis humili ſepultura crematos, ſed contectos publicis operibus, atque muneribus, eaque exſtructione, quæ ſit ad memoriam æternitatis ara virtutis. Quamobrem maximum quidem ſolatium erit propinquorum, eodem monumento declarari & virtutem ſuorum, & pietatem, & ſenatus fidem, & crudeliſſimi memoriam belli: in quo, niſi tanta militum virtus exſtitiſſet, parricidio M. Antonii nomen populi Rom. occidiſſet. Atque etiam cenſeo, P. C. quæ præmia militibus promiſimus nos, rep. recuperata, tributuros, ea vivis, victoribuſque cumulatè, cùm tempus venerit, perſolvenda: qui autem ex iis, quibus illa promiſſa ſunt, pro patria occiderunt, eorum *parentibus*, liberis, conjugibus, fratribus, eadem tribuenda cenſeo. Sed, ut aliquando ſententia complectar, ita cenſeo: CUM 14
C. Panſa, coſ. imper. initium cum hoſtibus confligendi fecerit, quo prœlio legio Martia admirabili, incredibilique virtute, libertatem populi Rom. defenderit, quod idem legiones tironum fecerint: ipſeque C. Panſa, coſ. imper. cum inter media hoſtium tela verſaretur, vulnera acceperit: cumque A. Hirtius, coſ. imper. prœlio audito, & cognito, fortiſſimo, præſtantiſſimoque animo exercitum caſtris eduxerit, impetumque in M. Antonium, exercitumque hoſtium fecerit, ejuſque copias occiſione occiderit, ſuo exercitu, ita incolumi, ut ne *unum* quidem militem deſideraverit: cumque C. Cæſar, imper. conſilia, diligentiaque ſua caſtra feliciter defenderit, copiaſque hoſtium, quæ ad caſtra acceſſerant, profligarit, occiderit: ob eas res ſenatum exiſtimare, & judicare, eorum trium imperatorum virtute, imperio, conſilio, gravitate, conſtantia, magnitudine animi, felicitate, populum Rom. fœdiſſima, crudeliſſimaque ſervitute liberatum, cumque remp. urbem, templa deorum immortalium, bona, fortunaſque omnium, liberoſque conſervarint dimicatione, & periculo vitæ ſuæ, uti ob eas res bene, fortiter, feliciterque geſtas, C. Panſa, A. Hirtius, coſſ. imperatores, alter, ambove; [3] aut ſi aberunt, M. Cornutus, prætor urbanus, ſupplicationes per dies quinquaginta ad omnia pulvinaria conſtituat: cumque virtus legionum digna clariſſimis imperatoribus exſtiterit, ſenatum, quæ ſit antea pollicitus legionibus, exercitibuſque noſtris, ea ſummo ſtudio, [4] rep. recuperata, *perſoluturum*: cumque legio Martia princeps cum hoſtibus conflixerit, atque ita cum majore numero hoſtium contenderit, ut plurimos cæderent, caperent nonnullos: cumque ſine ulla retractatione pro patria vitam profuderint: cumque ſimili virtute reliquarum legionum milites pro ſalute & libertate populi Rom. mortem oppetiverint: ſenatui placere, ut C. Panſa, A. Hirtius, conſules, imperatores, alter, ambove, ſi his videatur, iis, qui ſanguinem pro vita, libertate, fortuniſque populi Rom. pro urbe, templiſque deorum immortalium profudiſſent,

---

1. *Brevis à natura nobis.*] Sic Pal. ſec. habetque illud *nobis* etiam tert. at *à natura* quatuor Ferrariani. vulgata, *brevis autem vobis*, &c.

2. *Nec reticentia poſterorum inſepulta eſſe poterit.*] Pal. ſec. *ſepulta*, quod & in uno Ferrarii, qui cur id rejiciat, petatur ex notis ipſius. nam ab eo receſſi in ſuſpicionibus meis, arbitratus *inſepultum* venire ab *inſepeliundo*, atque intendere; nedum præ ſe ferre contrarium.

3. *Aut ſi aberunt.*] Sic Pal. pr. ſec. quart. Maurit. perſpicuè verum. alluditque editio vetus, *aberint*. vulgo, *abierint*.

4. *Republ. recuperata.*] Poſteriores edd. *liberata*, ſed alterum reſtat in mſſ. noſtris, ſervatque Victoriana.

1. Faciun-

ſent, *monumentum* quàm ampliſſimum locandum, [1] faciundum curent: quæſtores urb. ad eam rem pecuniam [2] dare, attribuere, ſolvere jubeant, ut exſtet ad memoriam poſteritatis ſempiternam, ad ſcelus crudeliſſimorum hoſtium, militumque divinam virtutem: utque, quæ *præmia* ſenatus militibus antè conſtituit, ea ſolvantur eorum, qui hoc bello pro patria occiderunt, parentibus, liberis, conjugibus, fratribus. [3] eaque fratribus tribuantur, quæ militibus ipſis tribui oporteret, ſi illi vixiſſent, qui morte vicerunt.

---

1. *Faciundum curent: quæſtores urb. ad eam.*] Eſt à certiſſima conjectura Ferrarii. prius excuſi & mſſ. *faciundumque, urbem ad eam.*
2. *Dare, attribuere.*] Sic quoque Pall. & Ferrariani, non *contribuere.*
3. *Eaque fratribus, &c.*] Totum iſtum, aut à gloſſa eſt, aut latet ſub eo mos mihi incognitus; quo videlicet fratres ſuccederent, in locum, in ordinem, in ſtipendium germani defuncti. Pal. ſec. ac Maur. legunt, *his fratribus, &c.* pr. tert. quart. præferunt tantum, *eaque tribuantur.*

[1]C. CRISPI SALLUSTII, IN M. T. CICERONEM ORATIO: NISI POTIUS INCERTI AUCTORIS DECLAMATIO EST.

1 GRAVITER, & iniquo animo maledicta tua paterer, M. Tulli, ſi te ſcirem *judicio* magis quàm morbo animi petulantia iſta uti. ſed cum in te neque modum, neque modeſtiam ullam animadverto, reſpondebo tibi: ut, ſi quam voluptatem malè dicendo cepiſti, eam malè audiendo amittas. Ubi querar? quos implorem, patres conſcripti? diripi remp. atque audaciſſimo cuique [2] eſſe perfidiæ? apud populum Rom. qui ita largitionibus corruptus eſt, [3] ut ſe ipſe, ac fortunas ſuas venaleis habeat? an apud vos, patres conſcripti? quorum auctoritas turpiſſimo cuique, & ſceleratiſſimo ludibrio eſt: ubi M. Tullius leges, judicia populi Rom. defendit, atque in hoc ordine ita moderatur, quaſi unus reliquus ex familia viri clariſſimi, Scipionis Africani, ac non [4] reperticius, aſcitus, & paullo antè inſitus huic urbi civis. An verò, M. Tulli, facta, ac dicta tua obſcura ſunt? an non ita à pueritia vixiſti, ut nihil flagitioſum corpori tuo putares, quod alteri collibuiſſet? An ſcilicet iſtam immoderatam eloquentiam apud M. Piſonem, non pudicitiæ jactura perdidiſti? Itaque minimè mirandum eſt, ſi eam flagitioſè *venditas*, quam turpiſſimè paraſti.

2 Verùm, ut opinor, ſplendor domeſticus tibi animos tollit. uxor ſacrilega, ac [5] perjuriis debilitata: filia matris pellex tibi jucundior, atque obſequentior, quàm parenti par eſt. domum ipſam tuam vi, & rapinis, funeſtam tibi, ac tuis, comparaſti: videlicet, ut nos commonefacias, quàm converſa res ſit publica? cùm in ea domo habitares, homo flagitioſiſſime, quæ [6] P. Craſſi, V. C. fuit. Atque cum hæc ita ſint, tamen ſe Cicero dicit in *concilio* deorum immortalium fuiſſe, inde miſſum huic urbi, civibuſque cuſtodem, abſque carnificis nomine, qui civitatis incommodum in gloriam ſuam ponit. Quaſi verò non illius conjurationis cauſa fuerit conſulatus tuus, & idcirco reſpublica disjecta eo tempore, quod te cuſtodem habebat. Sed, ut opinor, illa te magis extollunt, quæ poſt conſulatum cum Terentia uxore de rep. conſuluiſti, cum legis Plautiæ judicia domi faciebatis: ex conjuratis alios morte, alios pecunia condemnabas; cum tibi alius Tuſculanum, alius Pompejanam villam exædificabat, alius domum emebat: qui verò nihil poterat, is erat calumniæ proximus: is aut domum tuam oppugnatum venerat, aut inſidias ſenatui fecerat: denique de eo tibi *compertum* erat. Quæ ſi tibi falſa objicio, redde rationem, quantum patrimonii acceperis, quid tibi litibus accreverit, qua ex pecunia domum paraveris; Tuſculanum, & Pompejanum infinito ſumtu ædificaveris: aut, ſi reticeѕ, cui poteſt eſſe dubium, quin opulentiam iſtam ex ſanguine, & miſeriis civium paraveris?

Verum, ut opinor, homo novus Arpinas, ex M. Craſſi 3
familia, ejus virtutem imitatur, contemnit ſimultatem hominum nobilium, rempublicam caram habet, neque terrore, neque gratia commovetur. [7] aliud verò amicitia tantum, ac virtus eſt amici. Immò verò homo leviſſimus, ſupplex inimicis, amicis contumelioſus, modò harum, modò illarum partium, fidus nemini, leviſſimus ſenator, mercenarius patronus, cujus nulla pars corporis à turpitudine vacat, lingua vana, manus rapaciſſimæ, gula immenſa, pedes fugaces: quæ honeſtè nominari non poſſunt, inhoneſtiſſima. Atque is cùm ejuſmodi ſit, tamen audet dicere: "*O fortunatam natam me conſule Romam!*" Te conſule, fortunatam, Cicero? immo verò infelicem, & miſeram, quæ crudeliſſimam proſcriptionem civium perpeſſa eſt, cum tu, perturbata rep. metu perculſos omneis bonos parêre crudelitati tuæ cogebas: cum omnia judicia, omnes leges in tua libidine erant: cùm tu ſublata lege Porcia, erepta libertate, noſtrûm omnium vitæ, neciſque poteſtatem ad te unum revocaveras. Atque parum eſt, quòd impunè feciſti, verum etiam commemorando *exprobras*, neque licet oblivisci his ſervitutis ſuæ. Egeris, oro te, Cicero, perfeceris quod libet: ſatis eſt perpeſſos eſſe: etiamne aureis noſtras onerabis tuo odio? etiamne moleſtiſſimis verbis inſectabere? "*Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.*" Quaſi verò togatus, & non armatus, ea, quæ gloriaris, confeceris: atque inter te, Sullamque dictatorem, præter nomen imperii, quidquam interfuerit. 4
Sed quid ego plura de tua inſolentia commemorem? quem Minerva omneis arteis edocuit,

---

1. IN *C. Criſpi Salluſtii, &c.*] Non eſſe hanc Salluſtii genuinam, ut non alteram Tullii, aperte oſtendit P. Victorius libro XV. Var. lect. cap. 3. & ipſe ſatis de ſe idem clamat.
2. *Eſſe perfidiæ? apud populum.*] Ita Pal. ſec. omiſſis ceteris. erant hæ Orationes in viginti aliis Pall. ſed tanti ipſas non duxi, ut ea propter conſulerem. Gulielmius tamen laborioſè contulerat cum codice S. Victoris, cum Baſilicano Colonienſi, cum Fabriciano; habuitque etiam variantes lectiones e Celberdenſibus membranis Suffridi Petreii. quas heic venditare profectò non libet.
3. *Ut ſe ipſe ac fortunas, &c.*] Sic Pal. ſec. & S. Vict.
4. *Reperticius, aſcitus, &c.*] Ita major pars mſſ. non ut vulgo, *repetitius, accitus.*
5. *Perjuriis debilitata.*] Non aliter omnes ſcripti. Maur. *perviriis.* Gulielmius conjiciebat *viris debilitata.*
6. *P. Craſſi. V. C.*] Eſt hoc à libris calamo exaratis, conjeceratque Turnebus, cum legeretur *viri conſularis.*
7. *Aliud verò amicitia tantum ac virtus eſt amici.*] Reſtitui hunc locum, fide Pal. ſec. cui accedunt V. F. M. niſi quod illi, *animi.*

1. *Niſi*

edocuit, Jupiter optimus maximus in concilium deorum admiſit, Italia exſulem humeris ſuis reportavit. Oro te, Romule Arpinas, qui egregia tua virtute omneis Paulos, Scipiones, Fabios ſuperaſti, quem tandem locum in hac civitate obtines? quæ tibi partes reip. placent? quem amicum, quem inimicum habes? cui inſidias in civitate feciſti, *ancillaris?* quo jure, cum de exſilio tuo Dyrrhachio rediiſti, eum ſequeris? quos tyrannos appellabas, eorum nunc potentiæ faves? qui tibi antè optimates videbantur, eoſdem nunc dementeis, ac furioſos vocas? Vatinii cauſam agis? de Sextio malè exiſtimas? Bibulum petulantiſſimis verbis lædis? laudas Cæſarem? quem maximè odiſti, ei maximè obſequeris? aliud ſtans, aliud ſedens, de rep. ſentis? his maledicis, illos odiſti, leviſſime transfuga, neque in hac, neque illa parte fidem habes.

M. TULLII CICERONIS, UT FALSO INSCRIBITUR, IN CRISPUM SALLUSTIUM RESPONSIO.

1 EA DEMUM magna voluptas eſt, C. Salluſti, æqualem, ac parem verbis vitam agere: neque quidquam tam obſcænum dicere, cui non ab initio pueritiæ omni genere facinoris ætas tua reſpondeat: ut omnis oratio moribus conſonet. neque enim qui ita vivit, ut tu, aliter, ac tu, loqui poteſt: neque qui tam illoto ſermone utitur, vita honeſtior eſt. Quò me vertam, P. C.? unde initium ſumam? majus enim mihi dicendi onus imponitur, quo notior eſt uterque noſtrûm: quòd aut ſi de mea vita, atque actibus huic conviciatori reſpondero, invidiam gloria conſequatur: aut, ſi hujus facta, mores, omnem ætatem nudavero, in idem vitium incidam procacitatis, quod huic objicio. Id vos, ſi fortè offendimini, juſtius huic, quàm mihi, ſuccenſere debetis, qui initium introduxit. Ego dabo operam, ut & pro me minimo cum faſtidio reſpondeam, & in hunc minimè mentitus eſſe videar. Scio me, P. C. in reſpondendo non habere magnam exſpectationem; quòd nullum vos ſciatis novum crimen in Salluſtium audituros: ſed omnia vetera recognituros, queis & meæ, & veſtræ jam, & ipſius aures callent. verum eo magis odiſſe debetis hominem, qui ne *incipiens* quidem peccare, minimis rebus poſuit rudimentum: ſed ita ingreſſus eſt, ut neque ab alio vinci poſſit, neque ipſe ſe omnino reliqua ætate præterire. Itaque nihil aliud ſtudet, [1] niſi, ut lutulentus ſus, cum quovis volutari. longè vero fallitur opinione. Non enim procacitate linguæ vitæ ſordes eluuntur: ſed eſt quædam calumnia, quam unuſquiſque noſtrûm teſtante animo ſuo fert, de eo, qui falſum crimen bonis objectat. quod ſi vita iſtius memoriam vicerit: illam, P. C. non ex oratione, ſed ſuis ex moribus ſpectare debetis. Jam dabo operam, quam maximè potero, ut breve id faciam. Neque hæc altercatio noſtra vobis inutilis erit, patres conſcripti. PLERUMQUE enim reſpublica privatis creſcit inimicitiis: ubi nemo ci-
2 vis, qualis ſit vir, poteſt latere. Primum igitur, quoniam omnium majores C. Salluſtius ad unum exemplum & regulam quærit, velim mihi reſpondeat, numquid hi, quos protulit, Scipiones, & Metellos, vel Fabios, ante fuerint aut opinionis, aut gloriæ, quàm eos res geſtæ ſuæ, & vita innocentiſſimè acta commendavit. quod ſi hoc fuit illis initium nominis & dignitatis: cur non æquè de nobis exiſtimetur, cujus & res geſtæ illuſtres, & vita integerrimè acta? quaſi vero tu ſis ab illis viris, Salluſti, ortus. quod ſi eſſes, nonnullos jam tuæ turpitudinis pigeret. Ego meis majoribus virtute mea *præluxi*, ut, ſi prius noti non fuerint, à me accipiant initium memoriæ ſuæ. tu tuis vita, quam turpiter egiſti, magnas offudiſti tenebras: ut, etiam ſi fuerint egregii cives, certè venerint in oblivionem. Quare noli mihi antiquos viros objectare. Satius eſt enim me meis rebus geſtis florere, quam majorum opinione niti: & ita vivere, ut ego ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum. Neque me cum iis conferri decet, P. C. qui jam deceſſerunt, omnique odio carent, & invidia: ſed cum eis, qui mecum una in rep. verſati ſunt. [2] Sed ſi fuerim aut in honoribus petendis nimis ambitoſus, (non hanc dico popularem ambitionem, cujus me principem confiteor, ſed illam pernicioſam contra leges, cujus primos ordines Salluſtius duxit) aut in gerendis magiſtratibus, aut in vindicandis maleficiis tam ſeverus, aut in tuenda rep. tam vigilans, quam tu *proſcriptionem* vocas: credo quod non omnes tui ſimiles incolumes in hac urbe vixiſſent: at quanto meliore loco reſp. ſtaret, ſi tu par, ac ſimilis ſceleſtorum civium, una cum illis adnumeratus eſſes? An ego tunc falſo ſcripſi, *Cedant arma togæ*, qui togatus armatos, & pace bellum oppreſſi? An illud mentitus ſum, *Fortunatam natam me conſule Romam*, qui tantum inteſtinum bellum, ac domeſticum urbis incendium exſtinxi? Neque te tui 3
piget, homo leviſſime, cum ea culpas, quæ in hiſtoriis gloriæ mihi ducis? An turpius eſt, P. C. ſcribentem mentiri, quàm illum palam hoc ordine dicentem? Nam quod ætatem increpuiſti: tantum me abeſſe puto ab impudicitia, quantum tu abes à pudicitia. Sed quid ego de te plura querar? Quid enim mentiri turpe duces, qui mihi auſus ſis eloquentiam, ut vitium, objicere? cujus ſemper nocens eguiſti patrocinio. An ullum exiſtimas poſſe fieri civem egregium, qui non his artibus, & diſciplinis ſit eruditus? an ulla alia putas eſſe rudimenta, & *incunabula virtutis*, quibus animi ad gloriæ cupiditatem aluntur? Sed minimè mirum eſt, P. C. ſi homo qui deſidiæ, ac luxuriæ plenus ſit, hæc, ut nova, atque inuſitata, miratur. Nam quod iſta inuſitata rabie petulanter in uxorem, & in filiam meam invaſiſti, quæ facilius ſe mulieres à viris abſtinuerunt, quàm tu vir à viris: ſatis doctè, ac peritè feciſti. Non enim me ſperaſti mutuam tibi gratiam relaturum, ut viciſſim tuos compellarem. Unus enim ſatis es materiæ habens: neque quidquam domi tuæ turpius eſt, quàm tu. Multum vero te opinio fallit, qui mihi parare putaſti invidiam ex mea re familiari, quæ mihi multo minor eſt, quàm habere dignus ſim. atque utinam ne tanta quidem eſſet, quanta eſt: ut potius

1. *Niſi ut lutulentus ſus cum quovis volutari.*] Vocula *ſus* non comparet in Gemblac. F. M. V. Pal. ſec. unde factum ut Lipſius Libro III. Varior. cap. 15. emendandum duxerit, *luculentus cum quovis velitari.* qui conſulatur.

2. *Sed ſi fuerim, aut in honoribus, &c.*] Gulielmius conjicit, *Etſi fuerim.*

3. *Hæc*

potiùs amici mei viverent, quàm ego teſtamentis eorum
locupletior eſſem. Ego fugax, Cripſe Salluſti? furori tri-
buni plebis ceſſi. utilius duxi, quamvis fortunam *unus* ex-
periri, quàm univerſo populo Rom. civilis eſſe diſſenſio-
nis cauſa. qui poſteaquàm ille ſuum annum in rep. perbac-
chatus eſt, omniaque, quæ commoverat, pace, & otio
reſederunt: hoc ordine revocante, atque ipſa rep. manu re-
trahente me, reverti. Qui mihi dies, ſi cum omni reliqua
vita conferatur, animo quidem meo ſuperet: cùm univer-
ſi vos, populuſque Rom. frequens adventu meo gratulatus
eſt. tanti me fugacem, mercenarium patronum, hi æſti-
4 maverunt. Neque hercule mirum eſt, ſi ego ſemper juſtas
omnium amicitias exiſtimavi. Non enim uni privatim an-
cillatus ſum, neque me addixi: ſed, quantum quiſque rei-
publicæ ſtuduit, mihi tantùm fuit aut amicus, aut inimi-
cus. Ego nihil plus volui valere, quam pacem. Multi pri-
vatorum audacias metuerunt: ego nihil *timui*, niſi leges.
Multi arma ſua timeri voluerunt: ego numquam volui quid-
quam poſſe, niſi pro vobis. Multi ex vobis potentia freti,
in vos ſuis viribus abuſi ſunt. Itaque non eſt mirum, ſi nul-
lius amicitia uſus ſum, qui non perpetuò reipublicæ ami-
cus fuit. Neque enim me pœnitet, ſi aut petenti Vatinio reo
patrocinium pollicitus ſum, aut Sextii inſolentiam repreſſi,
aut Bibuli patientiam culpavi, aut virtutibus Cæſaris favi.
[1] hæ laudes egregii civis, & unicæ ſunt. Quæ ſi tu mihi, ut
vitia, objicis, temeritas tua reprehendetur, non mea vi-
tia culpabuntur. Plura dicerem, ſi apud alios mihi eſſet di-
cendum, P.C. non apud vos, quos ego habui omnium mea-
rum actionum monitores. Sed ubi rerum teſtimonia ad-
5 ſunt, quid opus eſt verbis? Nunc, ut ad te revertar, Sal-
luſti, patremque tuum prætercam: qui ſi numquam in vita
ſua peccavit, tamen majorem injuriam reipublicæ facere
non potuit, quam quòd te talem filium genuit: neque tu ſi
qua in pueritia peccaſti, exſequar, ne *parentem* tuum accu-
ſare videar, qui eo tempore ſummam tui poteſtatem habuit:
ſed qualem adoleſcentiam egeris. hac enim demonſtrata,
facilè intelligetur, quàm petulanti pueritia, tam impudi-
cus, & procax adoleveris. Poſteaquàm immenſæ gulæ im-
pudiciſſimi corporis quæſtus ſufficere non potuit, & ætas
tua jam ad ea patiendà, quæ alteri facere collibuiſſet, exo-
leverat, cupiditatibus infinitis efferebaris: ut, quæ ipſe cor-
pori tuo turpia non duxiſſes, in aliis experireris. Ita non eſt
facile exputare, P.C. utrum in honeſtioribus corporis par-
tibus rem quæſierit, an amiſerit. Domum paternam vivo
patre turpiſſimè venalem habuit, vendidit. Et cuiquam du-
bium poteſt eſſe, quin mori coegerit eum, quo hic nondum
mortuo, pro herede geſſerit omnia? Neque pudet eum à me
quærere, quis in P. Craſſi domo habitet, cùm ipſe reſponde-
re non queat, quis in ipſius habitet paterna domo. At Her-
cule *lapſus* ætatis tirocinio, poſtea ſe correxit: Non ita eſt,
ſed abiit in ſodalitium ſacrilegi Nigidiani: bis ad judicum
ſubſellia attractus, extrema fortuna ſtetit: & ita diſceſſit,
ut non hic innocens eſſe, ſed judices pejeraſſe exiſtimaren-
tur. Primum honorem in quæſtura adeptus, [2] ſecutus eſt
hunc locum, & hunc ordinem deſpectus, cujus aditus ſibi
quoque, ſordidiſſimo homini, patuiſſet. Itaque timens,
ne facinora ſua clàm vos eſſent, cùm [3] omnibus matrum
familiarum viris opprobrio eſſet, confeſſus eſt, vobis au-
6 dientibus, adulterium, neque erubuit ora veſtra. Vixeris
ut libet, Salluſti: egeris quæ volueris, ſatis ſit, unum te
tuorum ſcelerum conſcium eſſe. noli nobis languorem, &
ſoporem nimium exprobrare. Sumus diligentes in tuenda
pudicitia uxorum noſtrarum, ſed ita experrecti non ſumus,
ut à te cavere poſſimus. Audacia tua vincit ſtudia noſtra.
Et quod hunc movere poſſit, P.C. factum, aut dictum tur-
pe, quem non puduit palàm, vobis audientibus, adulte-
rium *confiteri?* Quòd ſi tibi nihil per me reſpondere voluiſ-
ſem, ſed illud cenſorium elogium Appii Claudii, & L. Pi-
ſonis, integerrimorum virorum, quo uſus eſt quiſque eo-
rum, pro lege palàm unverſis recitarem: nonne tibi viderer
æternas inurere maculas, quas reliqua vita tua eluere non
poſſit? Neque poſt illum delectum ſenatus umquam te vi-
dimus: niſi fortè in ea te caſtra conjeciſti, quo omnis ſen-
tina reip. confluxerat. At idem Salluſtius, qui in pace ne
ſenator quidem manſerat: poſteaquàm reſp. armis oppreſſa
eſt, & idem victores, qui exules reduxit: in ſenatum poſt
quæſturam eſt reductus. quem honorem ita geſſit, ut nihil
in eo non *venale* habuerit, cujus aliquis emtor fuerit. Ita
igitur egit, ut nihil non æquum, ac verum duxerit, quod
ipſi facere collibuiſſet: neque aliter vexavit, ac debuit, ſi
quis prædæ loco magiſtratum accepiſſet. Peracta quæſtu-
ra, poſteaquam magna pignora eis dederat, cum quibus ſi-
militudine vitæ ſe conjunxerat, unus jam ex illo grege vi-
debatur. Ejus enim partis erat exemplar Salluſtius, quo,
tanquam in imam voraginem cœtus omnium vitiorum ex-
ceſſerat. quidquid impudicorum, cyllonum, parricida-
rum, ſacrilegorum, debitorum fuit in urbe, municipiis,
coloniis, Italia tota, ſicut in fretis ſubſederant, [4] nominis
perditi, ac notiſſimi, nulla in parte caſtris apti, niſi licen-
tia vitiorum, & cupiditate rerum novarum. At poſtea- 7
quàm prætor eſt factus, modeſtè ſe geſſit, & *abſtinenter.*
Nonne ita provinciam vaſtavit, ut nihil neque paſſi ſint,
neque exſpectarint gravius in bello ſocii noſtri, quàm ex-
perti ſunt in pace, hoc Africam interiorem obtinente?
unde tantum hic exhauſit, quantum potuit aut fide nomi-
num trajici, aut in naveis contrudi. tantum, inquam,
P. C. exhauſit, quantum voluit. Ne cauſam diceret, ſe-
ſtertio duodecies cum Cæſare paciſcitur. Quod ſi quid-
piam eorum falſum eſt, his palàm refelle, unde tu, qui
modo [5] ne paternam quidem domum redimere potueris,
repentè tanquam ſomnio beatus, hortos pretioſiſſimos,
villam Tiburti, C. Cæſaris reliquas poſſeſſiones paraveris.
Neque piguit quærere, cur ego P. Craſſi domum emiſſem,
cùm tu veteris villæ dominus ſis, cujus paullo antè fuerat
Cæſar. modò, inquam, patrimonio non comeſo, ſed de-
vorato, quibus rationibus repentè factus es tam affluens,
& tam beatus? nam quis te faceret heredem, quem ne ami-
cum quidem ſuum ſatis honeſtum quiſquam ſibi ducit, niſi
ſimilis ac par tui? At hercule egregia facta majorum tuo- 8
rum te extollunt. quorum ſive tu ſimilis es, ſive illi tui,
nihil ad omnium ſcelus, ac nequitiam addi poteſt. Verùm,
ut opinor, honores tui te faciunt inſolentem. Tu, C. Sal-
luſti, tantidem putas eſſe, bis ſenatorem & bis quæſtorem
fieri, quanti bis conſularem, & bis triumphalem? CARE-
RE DEBET omni vitio, qui in alterum paratus eſt dicere.
Is demum maledicit, qui non poteſt verum ab altero audi-
re. Sed tu omnium menſarum aſſecla, omnium cubiculo-
rum in prima ætate pellex, & idem poſtea adulter, omnis
ordinis turpitudo es, & civilis belli memoria. Quid enim
gravius pati potuimus, quàm quòd te incolumem in hoc
ordine videmus? Deſine bonos petulantiſſima conſectari
lingua: deſine morbo procacitatis iſto uti: deſine unum-
quemque moribus tuis æſtimare. his moribus amicum tibi
facere non potes: videris velle inimicum habere. Finem
dicendi, P. C. faciam. ſæpe enim GRAVIUS vidi of-
fendere animos auditorum, eos, qui aliena flagitia aper-
tè dixerunt, quàm eos, qui commiſerunt. Mihi qui-
dem ratio habenda eſt, non quid Salluſtius meritò de-
beat audire, ſed ut ea dicam, ſi qua ego honeſtè effari
poſſum.

---

1. *Hæ laudes egregii civis, & unicæ ſunt.*] Idem malebat *unici.*

2. *Secutus eſt hunc locum & hunc ordinem deſpectus.*] Ita Fab. Maur. Vict. Pal. ſec. vulgatis ab tert. illud *ſecutus eſt.* Victorii editio melius adhuc, *adeptum, hunc locum & ordinem deſeruit deſpectus.*

3. *Omnibus matrum familiarum viris opprobrio, &c.*] Eſt à ſupradictis membranis.

4. *Nominis perditi ac notiſſimi.*] Guliel. reponendum duxerat, *homines perd.* Pal. ſec. præterea habet, *nociſſimi.*

5. *Ne paternam quidem domum redimere.*] Pal. ſec. M.V.F. *relinire.* unde formabat Gulielmius, retinere.

AD
POPULUM ET EQUITES ROM.
ANTEQUAM IRET IN EXSILIUM.

Hæc oratio eſt inelegans, inconcinna, inſulſa, atque inepta, denique vix Latina. Itaque qui eam Ciceroni adſcribunt, eadem opera regi alicui opulento veſtem aliquam craſſo filo tritam, ac laceram circumdent.

1 SI quando inimicorum impetum propulſare, ac propellere cupiſtis, defendite nunc univerſi unum, qui, ne omnes conciderentis, ardoreque flammæ conflagraretis, mei capitis periculo non dubitavi providere. Nam, quem virtutis gloria cum ſumma laude ad cœlum extulit, eundem inimicorum invidia indigniſſimè oppreſſum deprimit ad ſupplicium. Si liberûm conceptam dulcedinem animo incluſam continetis, nolite eo velle carere, qui cariſſimam veſtram procreationem ſibi eſſe duxit. EST ENIM liberale officium, ſerere beneficium, ut metere poſſis fructum. Fidei conducit, in loco, debitum retribuere. illic enim animi voluntas propenſa comprobatur: hîc memoria collaudatur. Itaque, ſi omnibus GRAVE ſervitutis jugum eſſe debet in libertate educatis: ſit is veſtris animis acceptiſſimus, qui à veſtro corpore jugum acerbiſſimum repulit ſervitutis. Et, ſi majores veſtri eos imperatores, qui militum virtute hoſtium fregerunt furorem, jucundiſſimo fructu libertatis reconciliato, non ſolùm ſtatuis dignos putarunt, ſed etiam æterna triumphi laude decorarunt: tum vos eum conſulem, qui non militum præſenti fortitudine, ſed ſua eximia animi virtute hoſtilem civium mentem ſenatus auctoritate vindicavit, exiſtimate vobis retinendum in civitate eſſe.

2 Si, quæ beneficia ſingulis civibus, privatimque dantur, ea ſolent iis eſſe *fructuoſa*, à quibus ſunt profecta: jure & meritò poſſum ego vos ad defenſionem meæ ſalutis adhortari, quos conſervavi univerſos. Nam neque majus eſt defendere unum, quàm populum: neque verius à ſingulis, quàm ab omnibus repetere officii præmium, & fructum: proptereà quòd in unius periculo ſæpe contentio parva eſt, ut levis ſit labor defenſori ſuſtinendus: in reip. inſidiis, quo firmius eſt quod oppugnatur, eo paratiores ſunt inimici, ut iis ſine magna ſollicitudine, induſtria, virtute non queat reſiſti. Et ſingulorum opes ſæpe ſunt tenues, & infirmæ ad *gratiam* referendam, ut opitulari benemerentibus non queant, ſi maximè cupiant: univerſorum auxilium eò plurimum prodeſt, quòd firmioribus opibus eſt nixum. Jure igitur, quoniam & major impenſa in patriam officii eſt, quàm in privata ſit defenſione, & plus à vobis præſidii, quàm à ceteris opis ad ſalutem poteſt afferri: vos obteſtor, quos mihi & debere, & poſſe intelligo opitulari. Non convenit enim, cùm ego ad promerendum officium tam fuerim expeditus, vos ad referendam gratiam eſſe tardiores: ne, cujus amplitudinem, ac gloriam laude, atque honoribus amplificare debeatis, ejus incolumitatem, & ſalutem, deſerendam exiſtimetis.

3 Etenim errat ſi quis arbitratur, M. Tullium idcirco in capitis periculum vocari, quòd deliquerit aliquid, quòd patriam læſerit, quòd improbè vixerit. non citatur reus audaciæ: *virtutis reus* citatur. non accuſatur quòd rempub. vi oppugnarit, ſed quòd homo novus pernicioſum nobilium reſtinxerit furorem. Non obeſt mihi turpis, & nocens, ſed honeſtiſſimè laudatiſſimeque, acta vita. non odio bonorum, ſed invidia premor malorum. Intelligunt homines, tot, & tam præclaris teſtimoniis, monumentiſque virtutis comparatis; M. Tullio, dum ſit incolumis, fore, voluptati. idcircò vitam eripere cupiunt, ut cum ſpiritu ſenſum quoque adimant jucunditatis. Nonne igitur indignum eſt, eos præmiis meis invidere, qui virtute certare noluerunt? eos in contentionem honoris venire, qui officiis ſe ſuperari æquiſſimo animo tulerunt? ſi dulcis eſt gloria, conſequere virtutem: noli abjicere labores, petere honorem: honorem dico? immò verò famam, fortunas, familiam, liberos, caput, corpus, ipſum denique ſanguinem, & animam. Cedo invitus de rep. cedo oppreſſus de fortuna, de dignitate: diſcedo à rep. victus audacia malorum. Liceat manere, ſi non illum M. Tullium, cuſtodem urbis, defenſorem omnium, patrem patriæ: at certè *reliquias Tullii:* liceat in conſpectu civium, in hac urbe, quam ex parricidarum faucibus eripuit, remanere, tecta omnium, fana deorum, univerſam videre periculo liberatam ſuo civitatem: liceat ex hac flamma evolare, præſertim qui illud impium incendium perditorum hominum lacrymis potius meis, quàm ſanguine veſtro reſtingui malui. Neque enim peto, ut mihi detis vitam: ſed datam repeto, ut reddatis. Si meminiſtis quod dedi, vos non debetis obliviſci, ſed retribuere quod debetis. Vos, vos obteſtor, dii immortales, qui

meæ menti lumina prætuliſtis, cùm conſenſum exſtinxi 4

conjurationis, arcemque urbis ab incendio, ac flamma liberavi, liberoſque veſtros è gremio, & complexu matrum ad cædem, & cruorem non ſum paſſus abſtrahi. Num igitur poteſt fieri à clientibus ut recipiar, cùm, à quibus debeam retineri, rejicere inſtituant? Socii quò fugiant, cùm aditus cuſtodi patriæ præcluſus ſit? Quomodo ſpes ſalutis reliquis reſidebit, cùm civibus præcluſa ſit exſpectatio incolumitatis? Pax, & concordia extraneis gignetur, cùm jam domeſticis non inſideat, ſed publicè providenti eripiatur? Nam quid ego improborum facta renovem oratione, ut redintegratione illius conjurationis animos vulnerem veſtros? *Auxilium* ab alienis efflagitabo, cum civeis veſtros deſeratis? Sociorum invocem ſubſidium cùm à civibus intercluſum ſit præſidium? Quam colere gentem nunc inſtituam? utrùm ut cuſtos accipiar, an ut proditor excludar? ſi ut conſervator: veſtra erit ignominia. ſin ut oppugnator: præciſa erunt omnia. Itaque quod putavi fore gaudium, id exſtitit exitium. Si, Quirites, eundem in *ceterorum* periculis haberemus animum, quem in noſtris difficultatibus, & pro innocentiſſimo quoque propugnare, & nocentiſſimum quemque oppugnare nobis utiliſſimum eſſe arbitraremur, & ſi cum optimi cujuſque rebus adverſis noſtram ſalutem, cum deterrimorum hominum ſecundis, noſtra pericula putaremus conjuncta: frequentes profectò talibus conatibus obviam ire niteremur: neque partim innocentia freti, partim nobilitate nixi, partim potentia ac multitudine amicorum fulti, cum perfacilè exiſtimaremus adverſariorum vim, ac factionem à nobis repelli poſſe, ſubitò ipſi ſimili periculo circumventi, in noſtro eventu aliorum reminiſcentes caſus, jure id nobis accidere nequicquam quereremur. Quis enim eſt, Quirites, qui nunc, 5

cùm

cùm inimicorum noſtrorum vim, atque violentiam perſpiciat, quique noſtrum ipſum periculoſiſſimum caſum recognoſcat, qui non ſibi, ac ſuis *diffidat fortunis*? Quo enim ſe ſatis tutum arbitrabitur præſidio? virtutis & gloriæ? At ea nos ipſa hoc tempore oppugnant. Multitudine amicorum? Aperuerunt non forteis eſſe ſe amicos, ſi in eorum poteſtate noſtra ſita ſalus non eſt. Paucitate inimicorum? At id non in ipſius, ſed in aliorum voluntate poſitum eſt. nam non ſatis eſt, ne cui injuriam facias, providere, ſi tamen ſunt voluntarii inimici, qui tuis præmiis te oppugnent. Atque cùm hæc omnia omnibus ſint gravia, atque acerba, tum verò nobis miſera, atque intoleranda, quorum & officia in remp. recentiſſima, & incommoda ob remp. frequentiſſima in familia verſantur. Nunc ſi eadem conditio diſceptationis proponetur, æqui auditores adhibebuntur, aures non obtuſæ criminatione, ſed vacuæ præbebuntur: qui ſunt aſſecuti ſummum gradum honoris, non diſpoliabuntur honore: qui ſperant, faciliùs & procliviùs ad laudem nobilitatis pervenient. Quamobrem nolo me duce ſupplicii vos ad fraudem deduci, ut ego ad priſtinum ſtatum recidam caſus. Nunc igitur, ſi lingua eſt concertandum: innocentiæ virtute fretus ſupero. ſi facta compenſanda ſunt: conferamus æquitatem. ſi violentiæ impetu opprimimur: cedam *pro omnibus unus* tribunitio furori,
6 quoniam laborem pro cunctis ferre conſuevi. Si igitur aliquo tempore iis hominibus conſuluiſtis, quorum animus eſt religionis pietate defunctus: debetis mihi quoque proſpicere, qui numini deorum conſecratum ſartum tectum ab omni piaculo conſervavi, & vos ut tutam, tranquillamque fortunam traheretis, mea perfeci vigilantia. Nam me, quem paullo antè fortuna erexerat ad gloriam, virtus extulit ad laudem, populus tribuit honorem: eundem tribuni furor exagitatus depulit ad calamitatem. Et quoniam animadvertiſtis illam conſpirationem conflatam, ita eſſe reſtinctam, ut nulla ſcintilla compareat incendii, vos quoque tribunitiam ſedate temeritatem (qui nunc ſe mihi inimicum oſtendit, ſe prius eſſe veſtrum profeſſus eſt inimicum) ne rei crudelitas experta in me, in vos convaleſcat, & calamitas remorata *longiùs ſerpat*, atque progrediatur, præcavete. Nunc vel ſolus delectus ad calamitatem, vel primus vocatus ad tale periculum, omnium animos jure debeo commovere. Omnia ſunt immutata. manus ad demonſtrandam religantur injuriam: lingua inciditur ad deplorandam calamitatem: animus præcluditur ad exponendam rei indignitatem. Humilitatem generis objiciunt nobis, qui novam rationem ſuſcitant, veteres majorum obterunt laudes. Sed quid ego plura de illorum aut in me maledictis, aut in vos ſcelerate loquar factis? quorum cognita improbitas, me tacente, coarguitur *turpitudine vitæ*, ut de iis non ſit neceſſe inimicos prædicare, de quorum ſcelere ne amici quidem, aut ipſi poſſunt negare. Vos ego appello, quorum de me maxima eſt poteſtas. apud vos loquor de mea calamitate, quos habui ſemper innocentiæ, & virtutis meæ te-
7 ſteis. Igitur ex civitate benemeritus de rep. civis exturbatur? innocens expellitur? conſularis homo? non facultatibus uſus quondam minimis, amicorum multorum præſidio munitus, nunc partim ab invidis, partim ab inimicis circumventus eget indigne? huic ſi opem non tuleritis in periculo capitis, vos, credo, retinebitis veſtram libertatem? qui neque tanta valetis auctoritate, neque tantorum officiorum impenſam egiſtis in patriam. mihi credite, hoc in uno incommodum confirmatum, multorum infirmabit incolumitatem: & ſi *initio* non erit refutatum, impunè ad omnium perniciem convaleſcet. Proinde aut in meo periculo ſalutem integram præſtate communem, aut in veſtris hoc idem incommodum exſpectate fortunis. Nemo tam perdita auctoritate, tam facinoroſa inventus eſt vita, qui cùm de ſcelere fateretur, non tamen ſententiis priùs judicum convinceretur, quàm ſupplicio addiceretur. Ego repentè vi tribunitia correptus, non modò loquendi liberè in judicio, ſed ne conſiſtendi quidem in civitate habeo poteſtatem. Ejicior non ſolùm ſine teſte, ſine indice, ſine crimine, ſed ſine accuſatore, ſine etiam ſcelere. Hoſtibus in bello, qui diſſident voluntate, dimicant armis, vitam quotidie oppugnant, in ipſa acie cùm prœliantur, licet loqui, licet diſputare: mihi in pace, civi, qui perditorum hominum fregi furorem, pro fortunis meis apud vos *loqui non licebit?* ſervi, qui ad ſupplicium cæſi verberibus trahuntur, apud eos ſæpe diſputant, quos necare voluerunt: ego conſularis apud vos non loquar, quos conſervavi? Tacebo, ſi neceſſe eſt: tacebo, inquam, animo æquo, quoniam virtus mea, me tacente, agit cauſam meam. Itaque ut ego in 8
concione mea nihil ponam de rebus meis geſtis, tamen in animis, & memoria veſtra largiter relinquam. Iſti modò videant, qua ratione hanc inultam meam fugam ferre poſſint. Etenim ſi à me, ut iſti exiſtimant, Lentuli mortui ſordes, ſi Catilinæ notiſſimus furor, ſi amentia Cethegi, ſi luxuries ac ſtupra Caſſii pœnas repetunt: profectò iſtis hora nulla, ejecto Tullio, vacua periculo, aut periculi exſpectatione relinquetur. Itaque illi in dies non meis inſidiis, quæ nullæ à me parantur, ſed ſuorum ſcelerum conſcientia cruciati, mihi abſenti, & populo Rom. pœnas dabunt. Quas ob res ego inimicorum amentiæ, cupiditatique paucorum, omnium ſalutis cauſa, decedam: neque eò deducam, aut progredi patiar, ut opera mea manus inter vos conferatis, cædeſque civium inter ſe fiat: multoque potiùs ipſe patria, liberiſque meis carebo, quàm, propter unum me, vos de fortunis veſtris, reique publ. dimicetis. Sic enim ab initio fui animatus, ut non magis me mea cauſa putarem eſſe natum, quàm *reip. procreatum*. Sed illud queror, (quod non jam ad unius perniciem, ſed ad univerſorum inſtruitur calamitatem) conqueri, commiſerari, dicere, expurgare, ſuſpicionem dimovere, crimen diluere non licere: ore oppreſſo cervices eſſe præbendas: quæ tamen omnia jam non ſunt tam calamitoſa, quòd mihi ſunt ſubeunda, quàm pernicioſa, quòd in remp. ſunt introducta. Quamobrem 9
ſtatutum eſt, atque decretum, in his temporibus civitatis omnia perpeti, quæ volet furor libidinoſus. Vim volunt afferre? præſtò ſum. ejicere volunt? exeo indicta cauſa. nolunt audire? cauſam non dico. aliud quippiam conantur? agant. nihil duri, nihil acerbi mihi erit, quod remp. tutabitur. Non enim illis victus cedo, ſed incolumibus vobis me condono. Neque enim mors miſeranda eſt, quæ ob remp. capitur: neque exſilium turpe, quod virtute ſuſcipitur: cùm præſertim nonnullam hæ pœnæ habeant in ſe conſolationem. Nam vitam ſi eripiunt, non adiment gloriam immortalem. ſi exſilio multabunt corpus, non animum à rep. removebunt. Nam, ubicumque ero, hoc cogitabo, hæc ſemper cura mea erit: meque vobis ereptum, non à vobis repudiatum exiſtimabo. Illud ab univerſis poſtulo, petoque, ſi, dum in civitate manere licitum eſt, nemini injuſtè periculum creavi, nemini innocenti fui calamitati, ſi omnibus auxilio, præſidioque eſſe conſuevi, plurimoſque in hac civitate ſum tutatus: uti vos liberos meos in veſtram fidem recipiatis, eoſque defendatis, neve inimicos meos in familiam noſtram longiùs progredi patiamini: utique, ſive hinc abiero, ſive ero hìc oppreſſus, ea maneat opinio, & exiſtimatio, quæ *virtute* parta, non quæ infelicitate illata eſt. Nunc ego te, Jupiter Optime, Maxi- 10
me, cujus nutu, ac ditione ſola terrarum gubernantur, teque particeps connubii, ſocia regni, regina Juno, teque Tritonia, armipotens Gorgophora Pallas Minerva, ceterique dii, deæque immortales, qui excellenti tumulo civitatis ſedem Capitolii in ſaxo incolitis conſtitutam, ut non ſolùm cunctam intueri, ſed etiam tueri poſſitis civitatem: à quorum ego quondam altaribus impiam manum civium removi: à quorum templis meo periculo, funeſtam facem repuli, ne illuſtriſſimum orbis terrarum monumentum cum principe omnium terrarum occideret civitate: teque, Jupiter Stator, quem verè hujus imperii Statorem majores noſtri nominaverunt: cujus in templo hoſtilem impetum Catilinæ repuli à muris: cujus templum à Romulo victis Sabinis in Palatii radice cum Victoria eſt collocatum: oro, atque obſecro, ferte opem pariter reip. cunctæque civitati,

meiſque fortunis: reſiſtite tribunitio furori: favete innocentiæ, ſubvenite ſolitudini, miſeremini ſenectutis: nolite eum ſupplicem à vobis abſterrere, & excludere, qui in ſuo magiſtratu funeſtam facem à veſtris repulit templis. Si C. Mario auxilio fuiſtis, quod in clivo Capitolino improborum civium cædem fecerat: ſi P. Scipioni, quod Hannibalis furibundam mentem à veſtris repulit templis: ſi denique Cn. Pompejo, quod terra, marique hoſteis reddidit pacatos: ſic nunc in meis calamitatibus aliquam ferte *opem divinam*, ut ſæpe multorum in periculis feciſtis: ſic nunc in meis miſeriis divinum aliquod auxilium, & nu-
11 men oſtendite. Deinde vos, quorum poteſtas proximè ad deorum immortalium numen accedit, oro, atque obſecro, quibus ſingillatim ſæpe ſupplex ad pedes jacui, ut eum quem ſinguli ſtratum, atque abjectum ſublevaſtis, nunc univerſi conſervatum velitis. Si neminem umquam veſtrûm læſi, ſi nemini innocenti obfui, ſi etiam è contrario, ut quiſque auxilium meum deſideravit, opem ferre non dubitavi: ſi denique, quæcumque adminiſtravi, ex veſtra auctoritate, & Patrum Conſcriptorum voluntate feci: ſi malui inimicorum cupiditati, quàm reip. & legitimæ auctoritati pœnas ſufferre: ut exiſtimetis ex illo crudeliſſimo inimicorum impetu ereptum, in antiquum ſtatum dignitatis reſtitui convenire. Sed quoniam neque mihi liberè loquendi, neque vobis clementer audiendi, neque omnino judicandi, paucorum furore, & audacia, facta eſt poteſtas: ſed oppreſſa eſt reſp. armis, metu debilitata ſervili, uti liberum ſpiritum ducendi nullam habeat poteſtatem: cedam inermis armatis, innocens nocentibus, privatus furibundo magiſtratui. Neque enim Q. Metellus quidquam de virtute ſua detraxit, quod ceſſit L. Saturnio furenti: neque C. Cotta, quòd Q. Vario tribuno pleb. inferiore genere orto cedendum putavit: neque C. Marius: qui, quantas res geſſerit, veſtra vobis libertas judicio eſſe poterit: neque verò M. Tullius ſuum animum veſtra abalienavit poteſtate, cùm præcipuum vobis *obſidem* ſui animi, veſtram reliquerit libertatem. Quamobrem teſtor deos, deaſque omneis immortaleis, veſtraſque maximè menteis, me non vitæ turpitudine, non pro magnitudine ſcelerum, non propter reliquæ ætatis infamiam pœnas jure & lege perſolvere: ſed propter virtutis invidiam, propter jucundiſſimam ingenii laudem, propter magnitudinem rerum geſtarum, crudeliſſimè civitate privari. Quod ſi idem accidit Q. Cæpioni, ſi Mancino, ſi Rutilio; mihi quoque hoc accidiſſe non magnopere erit mirandum, cùm præſertim non *generis antiquitate*, ſed virtutis ornamentis ſummam laudem ſim con-
ſecutus. Nunc ego vos Equites Rom. obteſtor, quorum vir- 12
tute nomen Romanum victoriam cum laude poſſidet conjunctam, quorum factis gloriantur cives, lætantur ſocii, gemunt hoſtes: ut, ſi erga vos omni tempore optimè fui animatus, ſi mea pericula neglexi, dum timorem à patria propulſarem: ſi æque liberis veſtris proſpexi, ac vos parentibus conſueſtis: ut nunc me velitis veſtris opibus defenſum, incolumem in hac civitate retinere: quæ cùm à ſcelerata conjuratione eſſet incenſa, meo ductu ac labore reſtincta eſt: nec patiamini me à liberis meis abſtractum, à conjuge abreptum, ab aris, fociſque innocentem projectum vitam degere in exſulio, miſerrimi mortalis caſum ſubire. Projicitur Tullius in exſulium. At à quo? nimirum innocens ab inimico, religioſus à ſcelerato, benevolus huic civitati ab hoſte. O miſera vitæ ratio, quæ tamdiu reſides in voluptate, quamdiu fortunæ poſcit libido! egone inimicus huic civitati? quamobrem? quia inimicos necavi. egone hoſtis? quid ita? quia hoſtes interfeci. En conditionem hujus temporis: antea *gloria & laude* digniſſimi ducebantur, qui hæc perfecerunt: nunc ſcelerati & parricidæ eſſe dicuntur, qui hæc adminiſtrarunt. Sint ſanè ſcelerati: ſuperet iſtorum victoria, ſi modò victoria appellanda eſt, in qua civitatis ineſt luctus, habeant hanc palmam ex innocentis cruore. Tantum à vobis illud, Equites Rom. peto & rogo, ut, quem ſæpenumero veſtra laude cohoneſtaſtis, eundem in dubiis vitæ periculis veſtra virtute conſervetis.

MARCI

MARCI TULLII
CICERONIS
OPERUM
TOMUS TERTIUS,

QUO

OMNEIS EJUS EPISTOLÆ

CONTINENTUR.

COMPLECTITUR HIC TERTIUS TOMUS.

Epiſtolarum libros XVI. *ad familiareis : ex quibus octavus ſolas M. Cœlii epiſtolas ad Ciceronem continet.* Pag. 639
Libros XVI. *ad T. Pomponium Atticum.* Pag. 772
Libros III. *ad Q. Ciceronem fratrem.* Pag. 933
Librum I. *ad M. Brutum.* Pag. 953
Epiſtolam ad Octavianum , ſive ſit Ciceronis ſive incerti auctoris. Pag. 961
Librum unum Cornelii Nepotis , de vita T. Pomponii Attici. Pag. 964

M. TUL-

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM AD FAMILIAREIS, LIBRI XVI.

LIBER I. AD P. LENTULUM.

1 M.T.C. P.LENTULO PROCOS. S.D.

EGo omni officio, ac potiùs pietate erga te ceteris ſatisfacio omnibus: mihi ipſe numquam ſatisfacio. Tanta enim magnitudo eſt tuorum erga me meritorum, [1] ut, qui tu, niſi perfectâ re, de me non conquieſti: ego, quia non idem in tua cauſa efficio, vitam mihi eſſe acerbam putem. In cauſa hæc ſunt. Ammonius, regis legatus, apertè pecunia nos oppugnat. Res agitur per eoſdem creditores, per quos, cùm tu aderas, agebatur. Regis cauſa, ſi qui ſunt, qui velint, qui pauci ſunt, omnes rem ad Pompejum deferri volunt. Senatus religionis calumniam, non religione, ſed malevolentia, & illius regiæ largitionis invidia comprobat. Pompejum & hortari, & orare, & jam liberiùs accuſare, & monere, ut magnam infamiam fugiat, nòn deſiſtimus. Sed planè nec precibus noſtris, [2] nec admonitionibus relinquit locum. Nam cùm in ſermone quotidiano, tum in ſenatu palàm ſic egit cauſam tuam, ut neque eloquentia majore quiſquam, neque gravitate, nec ſtudio, nec contentione agere potuerit, cum ſumma teſtificatione tuorum in ſe officiorum, [3] & amoris erga te ſui. Marcellinum tibi eſſe iratum ſcis. Is, hac regia cauſa excepta, ceteris in rebus ſe acerrimum tui defenſorem fore oſtendit. Quod dat, accipimus: quod inſtituit referre de religione, & ſæpe jam retulit, ab eo deduci non poteſt. Res ante idus acta ſic eſt. nam hæc idibus manè ſcripſi. Hortenſii, & mea, & Luculli ſententia cedit religioni de exercitu, (teneri enim res aliter non poteſt) ſed ex illo ſenatuſconſulto, quod te referente factum eſt, tibi decernit, [4] ut regem deducas: [5] quod commodò rem facere poſſis: ut exercitum religio tollat, te auctorem ſenatus retineat. [6] Craſſus tris legatos decernit, nec excludit Pompejum. cenſet enim etiam ex iis, qui cum imperio ſunt. Huic aſſentiuntur reliqui conſulares, præter Servilium, qui omnino reduci negat oportere: & Volcatium, qui, Lupo referente, Pompejo decernit: & Afranium, qui aſſentitur Volcatio: quæ res auget ſuſpicionem Pompeii voluntatis. [7] nam advertebatur, Pompeii familiareis aſſentire Volcatio. Laboratur vehementer. inclinata res eſt. Libonis & Hypſæi non obſcura concurſatio, & contentio, omniumque Pompeii familiarium ſtudium, in eam opinionem rem adduxerunt, ut Pompejus cupere videatur: cui qui nolunt, iidem tibi, quod eum ornaſti, non ſunt amici. Nos in cauſa auctoritatem eo minorem habemus, quòd tibi debemus. Gratiam autem noſtram exſtinguit hominum ſuſpicio, quòd Pompejo ſe gratificari putant. Ut in rebus multo antè, quàm profectus es, ab ipſo rege, & ab intimis, ac domeſticis Pompeii clàm exulceratis, deinde palam à conſularibus exagitatis, & in ſummam invidiam adductis, ita verſamur. [8] Noſtram fidem, omnes; amorem tui abſentis præſentiſque tui cognoſcent. Si eſſet in iis fides, in quibus ſumma eſſe debebat, non laboraremus. Vale.

M. T. C.

1. *UT qui tu, non niſi perfectâ re.*] Ita malebat Gruterus noſter, quia in Pal. primo & editione Venetâ, quæ prodiit Anno 1468. *cum.* dein quia in ipſius factum *jam qui*, quod & prius fuiſſe, *ut*, & Palatini ſec. indicant lituræ. denique ita fuiſſe in Med. lib. annotat Egnatius & ex ſuo Vict. al. *ut, quia tu.* vulgò, *quoniam.*

2. *Nec admonitionibus relinquit locum.*] Ita Vict. Pal. ſec. quart. unus Gulielm. alii *reliquit.* ceterùm Gruterianus codex, *amonitionibus*, quò inclinat item Pal. prim. in quo *ammonitionibus*, de qua re, nos plurima in Crepundiis.

3 *Et amoris erga te ſui.*] Sic Pall. omnes: attamen in tribus Gulielmii mſſ. & Gruteriano: *ſe tui*

4. *Ut regem deducas.*] Malebat Gulielmius, ex Stewechii libro quod & Lamb. ſequutus eſt, *reducas*; quod in nullo noſtrorum vidi: niſi in editione Victorii.

5. *Quod commodè facere poſſis.*] Pal. pr. Grut. Peccii. Medicei Cardinalis libr. *quod commodo rem fac.* ut ex ſuis adnotavit Victorius, eſtque ſic in Pal. ſec. à manu ſecunda, cum à prima fuerit *eo modo.* tert. *quod quomodo.* quart. ut volebat Victor. *quod commode rem facere.* Vatic. *quod commodo reip. facere p.* ſicut aliis legi admonet Vict. ediditque Lamb. mihi vetuſtiſſima lectio genuina videtur: ut quoque probatum optimo Victorio.

6. *Craſſus tris legatos decernit.*] Sic hanc antiquitatis elegantiam ſæpius libris Tuſculanis & ex edit. Victorii, & mſſ. reportavi: ut hûc quoque ex Pall. omnibus; Gruterique codice atque editione Venetâ.

7. *Nam advertebatur.*] Lambinus reclamantibus libris invexit, *animadvertebatur.* Pal. quart. Veneta editio, noſtra, & alia Gulielmii, item Peccii liber *advertebantur.* quod omnibus mihi modis legitimum videtur.

8. *Noſtram fidem, omnes; amorem tui abſentis præſentiſque tui cognoſcent.*] Ita Pall. ſec. quart. editio princeps, Peccii. Stewechii, Ven. & rectè in Gruteriano ſolum *que* omiſſum erat: ea atque quoque in Pal. ſec. à manu pr. vulgò: *Noſtram fidem, omnes amorem tui abſentis, præſentes tui cogn.*

2 M. T. C. S. D. P. LENTULO PRO CONSULE.

IDibus Januariis in ſenatu nihil eſt confectum, propterea quòd dies magna ex parte [1] conſumtus eſt altercatione [2] Lentuli conſulis, & Caninii tribuni pl. Eo die nos quoque multa verba fecimus: maximeque viſi ſumus ſenatum commemoratione tuæ voluntatis erga illum ordinem commovere. Itaque poſtridie placuit, ut breviter ſententias diceremus. videbatur enim reconciliata nobis voluntas ſenatus eſſe: [3] quod tum dicendo, tum ſingulis appellandis, rogandiſque perſpexeram. Itaque cùm ſententia prima Bibuli pronuntiata eſſet, [4] ut treis legati regem reducerent: ſecunda Hortenſii, ut tu ſine exercitu reduceres: tertia Volcatii, ut Pompejus reduceret: poſtulatum eſt, [5] ut Bibuli ſententia divideretur. Quatenus de religione dicebat, [6] cuique rei jam obſiſti non poterat, Bibulo aſſenſum eſt: de tribus legatis, frequentes ierunt in alia omnia. Proxima erat Hortenſii ſententia, cùm Lupus, tribunus pleb. quòd ipſe de Pompejo retuliſſet, [7] intendere cœpit, antè ſe oportere diſceſſionem facere, quàm conſules. Ejus orationi vehementer ab omnibus reclamatum eſt. erat enim iniqua, & nova. Conſules neque concedebant, neque valde repugnabant. diem conſumi volebant: id quod eſt factum. Perſpiciebant enim, in Hortenſii ſententiam multis partibus plureis ituros: quamquam apertè Volcatio aſſentirentur. Multi rogabantur, atque idipſum conſulibus invitis. [8] nam ii Bibuli ſententiam valere cupierunt. Hac controverſia uſque ad noctem ducta, ſenatus dimiſſus: & ego eo die caſu apud Pompejum cenavi: nactuſque tempus hoc magis idoneum, quam umquam antea, quòd poſt tuum diſceſſum, [9] is dies honeſtiſſimus nobis fuerat in ſenatu: ita ſum cum illo locutus, ut mihi viderer animum hominis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem tuendam traducere: quem ego ipſum cùm audio, prorſus eum libero omni ſuſpicione cupiditatis. cùm autem ejus familiareis omnium ordinum video, perſpicio, id quod jam omnibus eſt apertum, totam rem iſtam jampridem à certis hominibus, non invito rege ipſo, conſiliariiſque ejus, eſſe corruptam. Hæc ſcripſi ad XVI. Kal. Febr. ante lucem. Eo die ſenatus erat futurus. Nos in ſenatu, quemadmodum ſpero, dignitatem noſtram, ut poteſt in tanta hominum perfidia, & iniquitate, retinebimus. Quod ad popularem rationem attinet, hoc videmur eſſe conſecuti, ut nequid agi cum populo aut ſalvis auſpiciis, aut ſalvis legibus, aut denique ſine vi poſſit. De his rebus pridie, quam hæc ſcripſi, ſenatus auctoritas graviſſima interceſſit: cui cum Cato, & Caninius interceſſiſſent, tamen eſt perſcripta. Eam ad te miſſam eſſe arbitror. De ceteris rebus, quidquid erit actum, ſcribam ad te: & [10] ut quàm rectiſſime agantur omnia, mea cura, opera, diligentia, gratia providebo. Vale.

M. T. C. P. LENTULO, S. D. 3

AUlo Trebonio, qui in tua provincia magna negotia, & ampla, & expedita habet, multos annos utor valdè familiariter. Is cùm antea ſemper & ſuo ſplendore, & noſtra, ceterorumque amicorum commendatione gratiſſimus in provincia fuit: tum hoc tempore propter tuum in me amorem, noſtramque neceſſitudinem vehementer confidit his meis litteris, [11] ſe apud te gratioſum fore: quæ ne ſpes eum fallat, vehementer rogo te; commendoque tibi ejus omnia negotia, libertos, procuratores, familiam: inprimiſque, ut, quæ T. Ampius de ejus re decreverit, ea comprobes, omnibuſque rebus eum ita tractes, ut intelligat, [12] meam commendationem non vulgarem fuiſſe. Vale.

M. T. C. S. D. P. LENTULO PRO CONS. 4

AD XVI. Kal. Febr. [13] cùm in ſenatu pulcherrimè ſtaremus, quòd jam illam ſententiam, Bibuli de tribus legatis, pridie ejus diei fregeramus: unumque certamen eſſet relictum, ſententia Volcatii: res ab adverſariis noſtris extracta eſt variis calumniis. cauſam enim frequenti ſenatu, [14] in magna varietate, magnaque invidia eorum, qui à te cauſam regiam alio transferebant, obtinebamus. Eo die acerbum habuimus Curionem: Bibulum multo juſtiorem: pæne etiam amicum. [15] Caninius, & Cato negarunt ſe legem ullam ante comitia eſſe laturos. Senatus haberi ante Kalendas Feb. per legem Pupiam, id quod ſcis, non poteſt: neque menſe Feb. toto, niſi perfectis, aut rejectis legationibus. Hæc tamen opinio eſt populi R. à tuis invidis, atque obtrectatoribus nomen inductum fictæ religionis, non tam ut te impedirent, quam ut nequis propter exercitus cupiditatem Alexandriam vellet ire. Dignitatis autem tuæ nemo eſt, quin exiſtimet habitam eſſe rationem ab ſenatu. Nemo eſt enim, qui neſciat, quò minùs diſceſſio fieret, per adverſarios tuos eſſe factum: [16] qui nunc populi nomine, re autem vera, ſceleratiſſimo latrocinio, ſi quæ conabantur agere, ſatis proviſum eſt, ut ne quid ſalvis auſpiciis, aut legibus, [17] aut jam ſine vi agere poſſint. Ego neque de meo ſtudio, neque de nonnullorum injuria ſcri-

---

1. *Conſumptus eſt altercatione.*] Pal. quartus, Peccii liber *alteratione*: quaſi *alteratio* ſit duorum inter ſe colliſio & mutua velitatio.

2. *Lentuli conſulis & Caninii.*] Liber Med. & al. *Lucii conſul.*

3. *Quod tùm dicendo, tùm ſing.*] Mſ. Gruteri & Stewech. *dicendis* annotatque Gulielmius ſuſpicari ſe elapſam, aut intercidiſſe vocem, *ſententiis*. & vero item annotatum ab Egnatio, alibi legi, *cùm ſententiis dicendis*; cum in Medicæo legeretur, *cùm dicendo*.

4. *Ut tres Legati regem reducerent.*] Probo conſenſum Pall. tert. quart. Grut. *Regem ducerent.*

5. *Ut Bibuli ſententia divideretur.*] Gulielm. ex vet. cod. auctoritate inductum volebat *ſententia*: tum quia præceſſiſſet etiam ἀπὸ κοινοῦ repetenda.

6. *Cuique rei jam obſiſti non poterat.*] Ita edidit accuratiſſimus Victorius, puto ex cod. Mediceo, in quo ita fuiſſe, excerpſit Egnatius: exſtatque ſic in uno Pal. nam tert. quartus, Gruterianus; *cuique rei clam obſiſti non poterat.*

7. *Intendere cœpit.*] Hoc Lambinus præferebat ex vet. lib. extatque in edit. principe, poſtea Victorii; Pall. tert. quart. Gruteriano, Peck. Mediceus tamen cod. *cùm Lupus Trib. Pl. quod ipſe de Pompejo retuliſſet contendere cœpit.* quod *contendere* æque eſt in vulgatis.

8. *Nam i. Bibuli ſententiam valere cupierunt.*] Lambinus oggeſſit nobis ex mſſ. tribus, *nam ei*, quod eſt in Pall. pleriſque. Verùm cum conſpiciatur in memoranaceo Grut. *nam enim Bibuli, &c.* diſpiciant cordatiores num fuerit initio: *enim Bibuli:* ut poſtea acceſſerit illud *nam*, non ferentibus hominibus vocabulum *enim* inchoare ſermonem.

9. *Is dies honeſtiſſimus nobis fuerat in ſenatu.*] Non eſt in Pall. tert. quart. Peck. Gruter. ed. Ven. prima illa vox *primus*, eamque non agnoſcit Lamb. unus tamen è Pall. habet: *is primus dies honeſtiſſimus.*

10. *Ut quam rectiſſimè agantur omnia, mea curâ, operâ.*] Ita Victorius, cui ſecundas ferunt Pal. quart. Veneta ed. Peckii liber: ita ut non improbi optimorum librorum Pal. tert. Gruteriani ſcript. *ut quàm rectiſſimè agantur omnia meâ cum cura, opera, &c.* vulgo *omni mea curâ, &c.*

11. *Se apud te gratioſum fore.*] Unus liber Gulielmii *gratiorem*: quod non diſplicet. ſic tamen nullus Palatinorum. in quibus etiam nuſpiam comparet Fulvii ac Lambini *gratioſiſſimum* ſupra.

12. *Meam commendationem.*] Sic plerique Veteres libri, certè omnes Gulielmiani, numero ſeptem, ne addam Lambinianos & Pall. noſtros. itaque rejeci prius vulgatam *noſtram com.* quod tamen in editione omnium prima, noſtram quoque lectionem admiſit Victorius.

13. *Cum in ſenatu pulcerrimè ſtaremus.*] Neſcio quid velint Pal. tert. & Gruterian. illo *extaremus*.

14. *In magna varietate.*] Duo ſcripti codd. Guliel. item & Grut. & tres Pall. & inventum in editione Venetâ placuit magis Camerario. recepitque in contextum Lamb. at ipſi potius faverem vulgato, ob cauſam Manutio proditam in Comment. ad hunc locum.

15. *Caninius & Cato negarunt.*] Faciunt huc Funeſtellæ quædam ex Annalium ejus libro XXII. laudata Nonio Marcello in voce *Rumor*. Gulielmius.

16. *Qui nunc pop. nomine.*] Delevi *Rom.* vett. codd. auctoritate: edit. princ. Ven. Pal. tert. Vatic. tum edd. Victorii atque Lamb.

17. *Aut jam ſine vi agere poſſint.*] Sic eſt in antiquioribus Edit. principe Ven. poſtea mſſ. Peck. Grut. Pal. quart. in tertio erat, *aut ſine vi jam agere.* Ceterùm in Pal. quart. Medic. *poſſent.* tert. Pal. *poſſem.*

ſcribendum mihi eſſe arbitror. Quid enim aut me oſtentem? qui ſi vitam pro tua dignitate profundam, nullam partem videar tuorum meritorum aſſecutus: aut de aliorum injuriis querar? quod ſine ſummo dolore facere non poſſum. [1] Ego tibi à vi, hac præſertim imbecillitate magiſtratuum, præſtare nihil poſſum. vi excepta, poſſum confirmare, te & ſenatus, & populi Rom. ſummo ſtudio, amplitudinem tuam retenturum. Vale.

5 M. T. C. S. D. P. LENTULO PRO CONS.

[2] TAMETSI mihi nihil fuit optatius, quàm ut primum abs te ipſo, deinde à ceteris omnibus, quàm gratiſſimus erga te eſſe cognoſcerer: tamen afficior ſummo dolore, ejuſmodi tempora poſt tuam profectionem conſecuta eſſe, ut & meam, & ceterorum erga te fidem, & benivolentiam abſens experirere. [3] Te videre, & ſentire, eandem fidem eſſe hominum in tua dignitate, [4] quam ego in mea ſalute ſum expertus: ex tuis litteris intellexi. Nos cùm maximè conſilio, ſtudio, labore, gratia, de cauſa regia, niteremur, ſubitò exorta eſt nefaria Catonis promulgatio, quæ noſtra ſtudia impediret, & animos à minore cura ad ſummum timorem traduceret. Sed tamen in hujuſmodi perturbatione rerum quamquam omnia ſunt metuenda, nihil magis, quàm perfidiam timemus: & Catoni quidem, (quoquo modo ſe res habeat) profectò reſiſtimus. De Alexandrina re, cauſaque regia, tantum habeo polliceri, me tibi abſenti, tuiſque præſentibus cumulatè ſatisfacturum. Sed [5] vereor, ne aut eripiatur cauſa regia nobis, aut deſeratur: quorum utrum minùs velim, non facile poſſum exiſtimare. Sed, ſi res coget, eſt quiddam tertium, quod neque Selicio, nec mihi diſplicebat: ut neque jacere regem pateremur, nec, nobis repugnantibus, ad eum deferri, ad quem propè jam delatum exiſtimatur. A nobis agentur omnia diligenter: ut nec, ſi quid obtineri poterit, non contendamus: nec, ſi quid non obtinuerimus, repulſi eſſe videamur. Tuæ ſapientiæ, magnitudiniſque animi eſt, omnem amplitudinem, & dignitatem tuam in virtute, atque in rebus geſtis tuis, atque in tua gravitate poſitam exiſtimare. Si quid ex iis rebus, [6] quas tibi fortuna largita eſt, nonnullorum hominum perfidia detraxerit, id majori illis fraudi, quàm tibi futurum. A me nullum tempus prætermittitur de tuis rebus & agendi, & cogitandi: utorque ad omnia Q. Selicio: [7] neque enim prudentiorem quemquam ex tuis, neque fide majorem eſſe judico, neque amantiorem tui. Hic quæ agantur, quæque acta ſint, ea te, & litteris multorum, & nuntiis cognoſcere arbitror: quæ autem poſita ſunt in conjectura, quæque mihi videntur fore, ea puto tibi à me ſcribi oportere.

[8] Poſteaquàm Pompejus apud populum ad IIX. Idus Febr. cùm pro Milone diceret, [9] clamore, convicioque jactatus eſt, in ſenatuque à Catone aſperè, & [10] acerbè nimium, magno ſilentio eſt accuſatus: viſus eſt mihi vehementer eſſe perturbatus. Itaque Alexandrina cauſa, quæ nobis adhuc integra eſt, (nihil enim tibi detraxit ſenatus, niſi id, quod per eandem religionem dari alteri non poteſt) videtur ab illo planè eſſe depoſita. Nunc id ſperamus, idque molimur, ut, cùm rex intelligat, ſeſe id, quod cogitabat, ut à Pompejo reducatur, aſſequi non poſſe: &, niſi per te ſit reſtitutus, deſertum ſe, atque abjectum fore, proficiſcatur ad te. quod ſine ulla dubitatione, ſi Pompejus paullum modò oſtenderit ſibi placere, faciet. Sed noſti hominis tarditatem, & taciturnitatem. Nos tamen nihil, quod ad eam rem pertineat, prætermittimus. Ceteris injuriis, quæ propoſitæ ſunt à Catone, facilè, ut ſpero, reſiſtemus. Amicum ex conſularibus neminem tibi eſſe video, præter Hortenſium, & Lucullum: ceteri ſunt partim obſcuriùs iniqui, partim non diſſimulanter irati. Tu fac animo forti, magnoque ſis: ſpereſque, fore, ut, fracto impetu leviſſimi hominis, tuam priſtinam dignitatem, & gloriam conſequare.

M. T. C. P. LENTULO PRO CONS. S. D. 6

QUÆ gerantur, accipies ex Pollione: qui omnibus negotiis non interfuit ſolùm, ſed præfuit. Me in ſummo dolore, [11] quem in tuis rebus capio, maximè ſcilicet conſolatur ſpes, quòd valde ſuſpicor, fore, ut infringatur hominum improbitas, & conſiliis tuorum amicorum, [12] & ipſa die, quæ debilitat cogitationes & inimicorum, & proditorum. Facilè ſecundo loco me conſolatur recordatio meorum temporum: quorum imaginem video in rebus tuis. Nam etſi minore in re violatur tua dignitas, [13] quam mea ſalus afflicta ſit: tamen eſt tanta ſimilitudo, ut ſperem, te mihi ignoſcere, ſi ea non timuerim, quæ ne tu quidem umquam timenda duxiſti. Sed præſta te eum, qui mihi à teneris (ut Græci dicunt) unguiculis es cognitus. Illuſtrabit (mihi crede) tuam amplitudinem hominum injuria. [14] A me omnia ſumma in te ſtudia, officiaque exſpecta. non fallam opinionem tuam. Vale.

M. T. C. P. LENTULO PRO CONS. S. D. 7

LEGI tuas litteras: quibus ad me ſcribis, gratum tibi eſſe, quòd crebrò certior per me fias de omnibus rebus, & meam erga te benivolentiam facilè perſpicias: quorum alterum mihi, ut te plurimum diligam, facere neceſſe eſt, ſi volo is eſſe, quem tu me eſſe voluiſti: alterum facio libenter: ut, quoniam [15] intervallo locorum, & temporum disjuncti

1. *Ego tibi à vi, hac præſertim imbecillitate.*] Pal. tert. quart. Venet. Peckii lib. *Ego tibi in hac præſertim imbecill.* Sic paullo poſt Ven. Pall. tert. quart. *ut excepta.* Sed ex Medic. annotatum Egnatio, *excepta vi.* quod æque eſt in Pal. quart.

2. *Tametſi mihi nihil fuit optatius.*] Ita ordinant verba editio princeps Victorii Pall. tert. quart. Vatic. mihi tamen melius placet, quod Grut. ſubducat τὸ *mihi.*

3. *Te videre & ſentire.*] Sic omnes mſſ. noſtri cum Victorio & Lambin. & prius auxerat oratio: *Te autem & ſentire,*

4. *Quam ego in meam ſalutem ſum expertus.*] Ita edere auſus ſum ſuffultus patrocinio libro Medices, Pal. quart. Peck. edit principe: vulgo: *quam ego in mea ſalute ſum expertus.*

5. *Vereor ne aut eripiatur cauſa regia nobis.*] Sic Manutiana editio, ſtabilitque eam & Pal. pr. & Peckii liber. ceteri Pall. tert. quart. Venet. Grut. *eripiatur cauſa regia à nobis aut deſeratur.* Vulgò: *ne aut eripiatur à nobis regia cauſa.*

6. *Quas tibi fortuna largita eſt.*] Sic malui cum edit. principe Ven. Vict. Lamb. Pal. tert. Grut. Peck. aliàs *clargita.*

7. *Neque enim prudentiorem quemquam ex tuis, neque fide majorem eſſe.*] Sic editio princeps: Victorii: Pall. tert. quart. Grut. Peckianus: adeo ut mirari ſubeat deficientium à veſtigiis mſſ. vulgo: *quo neque prudentiorem quemquam ex tuis, neque fide majore eſſe.*

8. *Poſteaquam Pompejus.*] Mſſ. Pall. itemque Grut. novam hinc ordiuntur Epiſtolam: ſed Egnatius annotat in Medic. partem hanc eſſe ſuperioris, continuatque præcedenti Victorius, Lamb. Manut.

9. *Clamore, convicioque jactatus eſt.*] Sic quidem prima editio: ſed adnotatum ad eam ab Egnatio, legi in Medic. *jactus eſt*, neque aliter aut Grut. aut Pall. quatuor. adeò ut *jaci convicio* eſſet *peti*: ſicut Propertius forma agendi dixit: *In noſtrum jacies verba ſuperba caput.* atque ipſe Tullius ad Atticum lib. 2. Ep. 29. *Qui cum ſe omnium ſermonibus ſentiet vapulare.*

10. *Acerbe, nimium, magno ſilentio eſt accuſatus.*] Revocavi ſcripturam quatuor Pall. uniuſque Grut. & Peckii, nec non editionis primogeniæ, Victorii. tanto quidem magis quòd eam eſſe lectionem fermè omnium mſſ. ſuorum indicaverit Lamb. poſtea invectum eſt libris, *omnium magno ſilentio.* Paull. Manut. præfert, *& acerbè, nimium magno ſilentio*: quæ diſtinctio minus adpoſita videtur.

11. *Quem in tuis rebus capio, maximè ſcilicet.*] Ita omnes Pall. nam Grut. *maximè ſalutem.* H. Stephanus libro II. Schediaſm. prodidit legi: *quem ex tuis, &c.*

12. *Et ipſa die, quæ debilitat cogitationes & inimicorum & proditorum.*] Sic edidit Victorius, eumque ſecutus Lamb. exſtatque ſic in Pall. omnibus, atque Lambinianis, Gruteriano, Vatic. quod & adnotavit ad oram libri ſui Egnatius, neque id tantum, ſed in Medic. libro inveniri *perditorum*; non *proditorum.* Vulgò: *quâ debilitantur cogitationes.*

13. *Quam mea ſalus afflicta ſit.*] Victorii editio, *quam mea afflicta eſt.* neque τὸ *ſalus* novit ullus Pal. neque Grut. neque editio princeps: in Vatic. tamen: *quàm mea ſalus afflicta eſt.* Ego nihil ducebam expungi debere: quandoquidem etiam nihil turbet Manutius: quo non ut duce, ſed velut accenſo utimur.

14. *A me omnia.*] Sic edit. princeps: Victor. Lamb. ſic mſſ. noſtri omnes: deinceps voce auctores; *A me autem omnia.*

15. *Intervallo locorum & temporum disjuncti ſumus.*] Vatic. *disjuncti.*

disjuncti ſumus, per litteras tecum quàm ſæpiſſimè colloquar. Quod ſi rariùs fiet, quàm tu exſpectabis, id erit cauſæ, quod non ejus generis meæ litteræ ſunt, ut eas audeam temere committere. [1] Quoties mihi certorum hominum poteſtas erit, quibus recte dem, non prætermittam. Quod ſcire vis, qua quiſque in te fide ſit, & voluntate: difficile dictu eſt de ſingulis. Unum illud audeo, quod antea tibi ſæpe ſignificavi, nunc quoque, re perſpecta, & cognita, ſcribere: vehementer quoſdam homines, & eos maxime, [2] qui te & maxime debuerunt, & plurimum juvare potuerunt, invidiſſe dignitati tuæ: ſimillimamque in re diſſimili, tui temporis nunc, & noſtri quondam fuiſſe rationem: ut, quos tu reip. cauſa læſeras, palàm te oppugnarent: quorum auctoritatem, dignitatem, voluntatemque defenderas, [3] non tam memores eſſent virtutis tuæ, quàm laudis inimici. Quo quidem tempore, ut perſcripſi ad te anteà, cognovi Hortenſium percupidum tui, ſtudioſum Lucullum: [4] ex magiſtratibus autem L. Racilium & fide, & animo ſingulari. Nam noſtra propugnatio, ac defenſio dignitatis tuæ, propter magnitudinem beneficii tui fortaſſe pleriſque officii majorem auctoritatem habere videatur, quam ſententiæ. Præterea quidem de conſularibus nemini poſſum aut ſtudii erga te, aut officii, aut amici animi eſſe teſtis. Etenim Pompejum, qui mecum ſæpiſſime, non ſolum a me provocatus, ſed etiam ſua ſponte de te communicare ſolet, ſcis, temporibus illis non ſæpe in ſenatu fuiſſe. Cui quidem litteræ tuæ, quas proxime miſeras, quod facile intellexerim, perjucundæ fuerunt. mihi quidem humanitas tua, vel ſumma potiùs ſapientia, non jucunda ſolùm, ſed etiam admirabilis viſa eſt. Virum enim excellentem, & tibi tua præſtanti in eum liberalitate devinctum, nonnihil ſuſpicantem, propter aliquorum opinionem ſuæ [5] cupiditatis, te ab ſe abalienatum, illa epiſtola retinuiſti. qui mihi cùm ſemper tuæ laudi favere viſus eſt, etiam ipſo ſuſpicioſiſſimo tempore Caniniano: tum verò, lectis tuis litteris, perſpectus eſt à me, toto animo de te, ac de tuis ornamentis, & commodis cogitare. Quare ea, quæ ſcribam, ſic habeto, me, cum illo re ſæpe communicata, de illius ad te ſententia, atque auctoritate ſcribere: Quoniam ſenatuſconſultum nullum exſtat, quo reductio regis Alexandrini tibi adempta ſit. eaque, quæ de ea ſcripta eſt, auctoritas, cui ſcis interceſſum eſſe, ut nequis omninò regem reduceret, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum ſtudium, [6] quàm conſtantis ſenatus conſilium eſſe videatur. te perſpicere poſſe, qui Ciliciam, Cyprumque teneas, quid efficere, & quid conſequi poſſis: &, ſi res facultatem habitura videatur: ut Alexandriam, atque Ægyptum tenere poſſis: eſſe & tuæ, & noſtri imperii dignitatis, Ptolemaide, aut aliquo propinquo loco rege collocato, te cum claſſe, atque exercitu proficiſci Alexandriam: ut, cum eam pace, præſidiiſque firmaris, Ptolemæus redeat in regnum: ita fore, ut per te reſtituatur, quemadmodum ſenatus initiò cenſuit: & ſine multitudine reducatur, quemadmodum homines religioſi Sibyllæ placere dixerunt. Sed hæc ſententia ſic & illi, & nobis probabatur, ut ex eventu homines de tuo conſilio exiſtimaturos videremus: ſi cecidiſſet ut volumus, & optamus; omneis te & ſapienter, & fortiter: ſin aliquid eſſet offenſum; eoſdem illos & cupidè & temerè feciſſe dicturos. Quare quid aſſequi poſſis, non tam facile eſt nobis, quàm tibi, [7] cui propè in conſpectu Ægyptus eſt, judicare. [8] Nos quidem hoc ſentimus: ſi exploratum tibi ſit, poſſe te illius regni potiri; non eſſe cunctandum: [9] ſi dubium; non eſſe conandum. Illud tibi affirmo, ſi rem iſtam ex ſententia geſſeris, fore, ut abſens à multis; cùm redieris, ab omnibus collaudere. offenſionem eſſe periculoſam propter interpoſitam auctoritatem, religionemque video. Sed ego te, ut ad certam laudem adhortor, ſic à dimicatione deterreo: redeoque ad illud, quod initiò ſcripſi, totius facti tui judicium non tam ex conſilio tuo, quàm ex eventu homines eſſe facturos. Quòd ſi hæc ratio rei gerendæ, [10] periculoſa tibi eſſe videbitur, placebat illud, ut, ſi rex amicis tuis, [11] qui per provinciam, atque imperii tui provincias ei credidiſſent, fidem ſuam præſtitiſſet; & auxiliis eum tuis, & copiis adjuvares. [12] eam eſſe naturam, & regionem provinciæ tuæ, ut illius reditum vel adjuvando confirmares, vel negligendo impedires. In hac ratione quid res, quid cauſa, quid tempus ferat, tu facillimè, optimeque perſpicies: quid nobis placuiſſet, ex me potiſſimùm putavi te ſcire oportere. Quòd mihi de noſtro ſtatu, de Milonis familiaritate, de levitate, & imbecillitate Clodii gratularis: minimè miramur, te tuis, ut egregium artificem, præclaris operibus lætari: quamquam eſt incredibilis hominum perverſitas (graviori enim verbo uti non libet) qui nos, quos favendo in communi cauſa retinere potuerunt, invidendo abalienarunt: quorum malevolentiſſimis obtrectationibus nos ſcito de vetere illa noſtra, diuturnaque ſententia propè jam eſſe depulſos, non nos quidem ut noſtræ dignitatis ſimus obliti, ſed ut habeamus rationem aliquando etiam ſalutis. Poterat utrumque præclarè, ſi eſſet fides, ſi gravitas in hominibus conſularibus. ſed tanta eſt in pleriſque levitas, ut eos non tam conſtantia in repub. noſtra delectet, quàm ſplendor offendat. Quod eo libentiùs ad te ſcribo, [13] qui non ſolùm temporibus iis, quæ per te ſum adeptus, [14] ſed etiam olim naſcenti propè noſtræ laudi, dignitati,

1. *Quoties mihi certorum hominum poteſtas erit.*] Sic prima editio, ſic Vict. Manut. Lamb. adeoque omnes mſſ. noſtri. alii *facultas*: [illegible]

2. *Qui te & maxime debuerunt & plurimum juvare potuerunt.*] Editio princeps: *qui & te amare maximè debuerunt, & plurimum juvare.* neque aliter Pal. tert. reliqui adhærent vulgatis: niſi quod ſec. *qui & te max.* quartus vero: *qui & maximè deb.* omiſſo *te*.

3. *Non tam memores eſſent virtutis.*] Stewechii liber, *immemores*. quomodo & a manu correctrice Gruter. Pall. ſec.

4. *Ex magiſtratibus autem L. Racilium & fide & animo ſingulari.*] Sic mſſ. omnes tam noſtri quam Lambiniani. ut ne dicam de edit. principe, & Vatic. vulgò: *L. Rutilium & fide & animo in te ſingulari.* At illud *in te*, quod adeò neceſſarium videbatur Lamb. dudum, non expreſſum Manutio video: deletumque a nobis auctoritate omnium mſſ.

5. *Cupiditatis, te ab ſe alienatum.*] Editio princeps, Pall. tert. Grut. *cupiditatis abs te alienatum.* quart. *vel abs te alien.* talia ex ſuis quoque monet Manutius.

6. *Quàm conſtantis ſenatus conſilium eſſe videatur.*] Martinii codex *temperatum*: quod allubeſcebat Gulielmio, tanquam magis proprie dictum. at cum ſtent ab altero omnes Pall. editioneſque, vel ſola ratio me id cogit fieri.

7. *Cujus propè in conſpectu Ægyptus eſt judicare.*] Expeditiſſima hæc Memmii conjectura confirmata eſt ab omnibus tum Lambin. mſſ. accedunt jam noſtri omnes & Gruteri. Vatic. verò: *cujus prope in conſpectu Ægyptus eſt. nos quidem judicari hoc ſentimus.*

8. *Nos quidem hoc ſentimus.*] Sic eſt in edit. Veneta antiquiſſima, idem Victor. ac Pall. pr. Pall. ſec. & tert. *quidem nos hoc ſent.* at Grut. *& id quidem nos hoc ſent.* ſic omiſſo *&* quart.

9. *Si dubium; non eſſe conandum.*] Sic ex libris ſuis ac Mediceo P. Manutius. Sed primitus impreſſi, Pall. Vatic. Grut. Victorii ed. *ſi dubium ſit, non eſſe conandum.* [illegible]

10. *Periculoſa tibi eſſe videbitur.*] Interpoſitum verbum *eſſe* ex Victor. Lamb. Pall. Grut. Veneta editio, *quæ tibi.* vulgo *eſſe* abeſt contra libros.

11. *Qui per provinciam atque imperium tui provincias ei credidiſſent.*] Secutus ſum ſcriptos Gulielm. tum Pall. Gruter. imò & editionem primam. Poſteriores enim: *qui per provinciam imperii tui pecunias ei credidiſſent*; a qua etiam diſſentit P. Manutius ac Lamb. ſed ultimus hic duas voces internexuit ac intruſit, neutram in ullis membr. conſpiciendam.

12. *Eam eſſe naturam & regionem provinciæ tuæ.*] Mſſ. omnes & priſcæ edit. itemque Victor. ac Manucc. *regionem*: quod hic interpretatur *ſitum*. vulgò *rationem*: quod tamen etiam in vet. legi annotavit Fulvius Urſinus.

13. *Qui non ſolum.*] Sic editio prima: item Vict. quippe Pall. tert. Grut. quart. *non ſolum qui temporibus his.*

14. *Sed etiam olim naſcenti prope noſtræ laudi, dignitati virtutique præ[illegible].*] Bene monuit Victorius ac Manuccius locum eſſe ſuſpectum vitii: in vetuſtis quippe codd. ſolum extare, *dignitatique virtuti*, nullo relicto veſtigio vocis ſequentis. & verò eodem etiam modo ſcribitur in Pal. pr. ſec. quart. nam tert. diſerte præfert ſpacium vacuum litterarum ferè duodecim inter *ſed* & *noſtræ* habetque *dignitatique virtutique ſimu. quid, &c.* quemadmodum primitus fuiſſe in co-

gnitati, virtutique præfuiſti: ſimul quòd video, non, ut antehac putabam, novitati eſſe inviſum meæ: in te enim homine omnium nobiliſſimo ſimilia invidorum vitia perſpexi: [1] quem tamen illi eſſe in principibus facilè ſunt paſſi, evolare altiùs certè noluerunt. Gaudeo tuam diſſimilem fuiſſe fortunam. multum enim intereſt, utrùm laus imminuatur, an ſalus deſeratur. Me meæ tamen ne nimis pœniteret, tua virtute perfectum eſt. Curaſti enim, ut plus additum ad memoriam nominis noſtri, [2] quàm demtum de fortuna videretur. [3] Te verò moneo cum beneficiis tuis, tum amore incitatus meo, ut omnem gloriam, ad quam à pueritia inflammatus fuiſti; omni cura, atque induſtria conſequare: magnitudinemque animi tui, quam ego ſemper ſum admiratus, ſemperque amavi, ne umquam inflectas cujuſquam injuria. Magna eſt hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria conſulatus tui. Hæc profectò vides quanto expreſſiora, quantoque illuſtriora futura ſint, cum aliquantum ex provincia, atque ex imperio, laudis acceſſerit. [4] Quamquam te ita gerere volo, quæ per exercitum, atque imperium gerenda ſunt, ut hæc multo antè meditere, huc te pares, hæc cogites, ad hæc te exerceas, ſentiaſque id, quod quia ſemper ſperaſti, non dubito quin adeptus, intelligas, te facillimè poſſe obtinere ſummum, atque altiſſimum gradum civitatis. Quæ quidem mea cohortatio, ne tibi inanis, aut ſine cauſa ſuſcepta videatur, illa me ratio movit, ut te ex noſtris eventis communibus admonendum putarem, ut conſiderares, [5] in omni reliqua vita, quibus crederes, quos caveres. Quòd ſcribis te velle ſcire, qui ſit reip. ſtatus: ſumma diſſenſio eſt, ſed contentio diſpar. Nam qui plus opibus, armis, potentia valent, [6] profeciſſe tantum mihi videntur ſtultitia, & inconſtantia adverſariorum, ut etiam auctoritate jam plus valerent. Itaque, perpaucis adverſantibus, omnia, quæ ne per populum quidem ſine ſeditione [7] ſe aſſequi poſſe arbitrabantur, per ſenatum conſecuti ſunt. nam & ſtipendium Cæſari decretum eſt, & decem legati: &, ne lege Sempronia ſuccederetur, facilè perfectum eſt. [8] Quod ad te brevius ſcribo, quia me ſtatus hic reip. non delectat: ſcribo tamen, ut te admoneam, quod ipſe, litteris omnibus à pueritia deditus, experiendo tamen magis, quàm diſcendo, cognovi; tu, rebus tuis integris, diſcas, neque ſalutis noſtræ rationem habendam nobis eſſe ſine dignitate, neque dignitatis ſine ſalute. Quod mihi de filia, & de Craſſipide gratularis, agnoſco humanitatem tuam: ſperoque, & opto, nobis hanc conjunctionem voluptati fore. [9] Lentulum noſtrum eximia ſpe, ſummæ virtutis adoleſcentem, cum ceteris artibus, quibus ſtuduiſti ſemper ipſe, tum in primis imitatione tui fac erudias. nulla enim erit hac præſtantior diſciplina: quem nos, & quia tuus, & quia te dignus eſt filius, & quia nos diligit, ſemperque dilexit, in primis amamus, carumque habemus.

M. T. C. P. LENTULO PRO CONS. S. D. 8

DE omnibus rebus, quæ ad te pertinent, quid actum, quid conſtitutum ſit, quid Pompejus ſuſceperit, optimè [10] ex Emplatorio cognoſces: qui non ſolum interfuit his rebus, ſed etiam præfuit: [11] neque ullum officium erga te hominis amantiſſimi, prudentiſſimi, diligentiſſimi prætermiſit. Ex eodem de toto ſtatu rerum communium cognoſces: quæ quales ſint, non facile eſt ſcribere. Sunt quidem certè in amicorum noſtrorum poteſtate, atque ita, ut nullam mutationem umquam hac hominum ætate habitura res eſſe videatur. Ego quidem, ut debeo, & ut tute mihi præcepiſti, & [12] ut me pietas, utilitaſque cogit, me ad ejus rationes adjungo, quem tu in meis rationibus tibi eſſe adjungendum putaſti. Sed te non præterit, quam ſit *difficile, ſenſum in repub. præſertim rectum & confirmatum deponere.* [13] Verumtamen ipſe me confirmo ad ejus voluntatem, à quo honeſtè diſſentire non poſſum: neque id facio, [14] ut forſitan quibuſdam videor, ſimulatione. tantùm enim animi inductio; & mehercule amor erga Pompejum apud me valet, ut, quæ illi utilia ſunt, & quæ ille vult, ea mihi, [15] omnia jam, & recta, & vera videantur. Neque (ut ego arbitror)

---

in codice Medic. ſcribit Manutius. Editio prima exhibet *dignitatique virtutique ſaviſti*. neque aliter membranæ Gruteri, niſi quod illæ ſine copula *virtuti ſaviſti*: quomodo etiam fuiſſe in Erfordienſi codice, adnotatum Gulielmio. Vatic. *Sed jam olim naſcenti propè noſtræ laudi dignitatique* [illegible] *ſimulque. quod video.* Latet monſtrum verbi in illo *virtuti*. obſtetricatum eum fuiſſe laudi ſuæ virtutique forſan dicere voluit, ſed quâ figurâ, neſcio. Lamb. mire ſolitus jactare mſſ. ſuos, totus hic eſt in Angeronæ ſacris.

1. *Quem tamen ille eſſe.*] Sic Pall. tres Grut. Ven. quart. *eſſe illi*, adeò ut non abhorream ab *tamen eſſe*, quod exemplaribus quibuſdam ſe tueri, dudum adnotatum eſt aliis.

2. *Quam demptum de fortuna videretur.*] Sic Victorii editio, Lamb. Manut. neque ſecus Pal. omnes, niſi quod ſecund. *ademptum*. lectionem quoque hanc habet editio prima, cod. Gruterian. Vatic. poſteriores, *quam ademptum*. Ceterum ut curioſis ſemel ſatisfaciam, teſtor in mſſ. noſtris heic exſtare *demptum*; alibique etiam legi *emptum, redemptum, comptum*: item *conſumpſi, contempſi*. aliaque: de quibus egregie Joſephus Caſtalio Decuria 1. cap. 1. obſerv. in Criticos.

3. *Te verò moneo.*] Pall. omnes. Grut. *amoneo*. ſic eſt *Amoneo* & Epiſt. 1. *amonitionibus*. Edit. prima *admoneo*.

4. *Quamquam te ita gerere volo.*] Pal. tert. Grut. *quam te ita gerere.*

5. *In omni reliqua vita.*] Sic mſſ. Lamb. neque aliter Pall. niſi quod duo eorum, *in omni re qua vita*. vulg. *in omni reliqua tuâ vitâ*. prima editio *in omni re tuam vitam*. Gruteri codex: *in omni re quam tuam vitam.*

6. *Profeciſſe tantum mihi videntur.*] Mſſ. fere omnes, Pall. Grut. Ven. edit. Stevv. *perfeciſſe tamen*. ex quo Gulielmius formavit *perfeciſſe tandem.*

7. *Se aſſequi poſſe arbitrabantur.*] Vox *ſe* nullum habet locum in Pall. aut Grut. aut adeo editio vetuſtiſſima.

8. *Quod eo brevius ad te ſcribo.*] Mſſ. Grut. duo Pall. ſec. tert. carent [illegible]. prima edit. Pall. bini eius loco [illegible] exhibent. quod placuit P. Manutio. mihi utrumque diſplicet. Videntur enim additamenta lectorum: ut & infra ubi eſt: [illegible] *tuis integris*. prima edit. *id* non agnoſcit, neque viſitur in membr. Grut. aut Pall. ullis aut Vatic. neque requiritur. Hujuſmodi interpretationes ſingulis pene lineis irrepſerunt: quod reipſa experietur, qui Tullianis [illegible] non perfunctorie contendet cum antiquioris notæ libris. Verùm quis id faciet, hoc ſtudioſorum frigore? hac principum tenacitate?

9. *Lentulum noſtrum eximia ſpe, ſummæ virtutis adoleſcentem.*] Editio pr. Pal. quart. *ſummâ virtute*: quod minus placet: illud magis: ſi diſtingueretur, *eximiâ ſpe ſummæ virtutis*. Nam in adoleſcentia tantum *ſpes virtutis*, non illa ipſa ſuis numeris.

10. *Ex Emplatorio.*] Sic mſſ. omnes Pall. at Grut. *Exeplatorio*. Prima editio *expletorio*, unde facile fiat ex P. Lætorio. Manutius conjecerat ex *M. Plætorio.*

11. *Neque ullum officium.*] Pall. tert. quart. *neque enim ullum officium.*

12. *Ut me pietas utilitaſque cogit.*] Sic fuiſſe in veteri ſuo, prodidit Victorius, probavitque Gulielmius. Prius erat, *ut me* [illegible] *utilitaſque*, quod inventum in Medic. adnotavit Egnatius. Editio prima præ ſe fert *me commoditas* [illegible], quomodo & correctum in Pal. quarto a manu ſecundâ, erasis litteris prioribus, diverſum quid indicantibus. Tertius ſpacium habet vacuum recipiendæ voci ignotiori; quæ in primo item & ſec. & Gruteriano eſt, [illegible] *medictas utilitaſque cogit*. quod vocabulum cum & in Memmianis invenerit Lamb. idemque de ſuis teſtetur P. Manut. in quibus aut *me Dictas* aut *me dictas*; diſpiciant acutiores annon hîc habere locum ſuum poſſet, idemque ſignificare quod *medium*. certe libro de Univerſitate vocem eam uſurpat, ſed ita tamen, ut addat, *vix enim audeo dicere medietates*. Sed quid, aut cur hîc *medictas*? probemus lectionem Victorii, à Lambino ac Manutio confirmatam.

13. *Verumtamen me ipſum confirmo.*] Gulielmius indicat hanc ſcripturam inveniri in quatuor mſſ. neque aliter in Gruteriano aut Pall. quatuor, quorum duo a manu ſequiori, reformati in *confirmo*, exhibitum edit. primæ, receptumque Manucio, denique placitum Lamb. *conformo* addit Manut. [illegible] Imò melius *confirmo* ex Medic. & Vict. noſtriſque quia Cic. animos & robur ſumebat contra adverſarios atque æmulos, ſequitur *ſeu certo propoſito* [illegible]: non ſimulatione; quia ſequitur *animi inductio.*

14. *Ut quibuſdam videor.*] Medices liber. Vatic. *videar*: quod etiam fuiſſe in quart. interpolatio indicat: nam *videor* ibi a manu corruptrice ſubſtitutum: ut in Ven. quoque legitur.

15. *Omnia jam & recta & vera videantur.*] Pal. quart. [illegible] *& directa.*

arbitratu) errarent, ne adverſarii quidem ejus, ſi cùm pares eſſe non poſſent, pugnare deſiſterent. Me quidem etiam illa res conſolatur, quod ego is ſum, cui vel maximè concedant omnes, ut vel ea defendam, quæ Pompejus velit, vel taceam, vel etiam, id quod mihi maximè lubet, ad noſtra me ſtudia referam literarum: quod profectò faciam, ſi mihi per ejuſdem amicitiam licebit. Quæ enim propoſita fuerant nobis, cum & honoribus ampliſſimis, & laboribus maximis perfuncti eſſemus, dignitas in ſententiis dicendis, libertas in repub. capeſſenda; ea ſublata tota: ſed nec mihi magis, quam omnibus. Nam aut aſſentiendum eſt nulla cum gravitate paucis, aut fruſtra diſſentiendum. Hæc ego ad te ob eam cauſam maximè ſcribo, ut jam de tua quoque ratione meditere. Commutata tota ratio eſt ſenatus, judiciorum, rei totius publicæ. otium nobis exoptandum eſt: quod ii, qui potiuntur rerum, præſtaturi videntur, [1] ſi quidam homines patientiùs eorum potentiam ferre potuerint. Dignitatem quidem illam conſularem fortis, & conſtantis ſenatoris, nihil eſt quòd cogitemus. amiſſa eſt, culpa eorum, qui à ſenatu & ordinem conjunctiſſimum, & hominem clariſſimum abalienaverunt. Sed, ut ad ea, quæ conjunctiora rebus tuis ſunt, revertar. Pompejum tibi valde amicum eſſe cognovi: [2] &, eo tu conſule, quantum ego perſpicio, omnia, quæ voles, obtinebis: quibus in rebus me ſibi ille affixum habebit: neque à me ulla res, quæ ad te pertineat, negligetur. Neque enim verebor, ne ſim ei moleſtus: cui jucundum erit etiam propter idipſum, quòd me eſſe gratum videbit. Tu velim tibi ita perſuadeas, nullam rem eſſe minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non carior ſit, quàm meæ res omnes. [3] idque cùm ſentiam, ſedulitate mihimet ipſe ſatisfacere poſſum. [4] re quidem ipſa ideo mihi non ſatisfacio, quòd nullam partem tuorum meritorum non modò referenda, ſed ne cogitanda quidem gratia conſequi poſſum. Rem te valde bene geſſiſſe rumor erat. Exſpectabantur litteræ tuæ: de quibus eramus jam cum Pompejo locuti: quæ ſi erunt allatæ, [5] noſtrum ſtudium exſtabit in conveniendis magiſtratibus, & ſenatoribus. Cetera, quæ ad te pertinebunt, cum etiam plùs contenderimus, quàm poſſumus, minùs tamen faciemus, quàm debemus.

9 [6] M. T. C. P. LENTULO IMPERATORI S. D.

PERJUCUNDÆ mihi fuerunt litteræ tuæ: quibus intellexi te perſpicere meam in te pietatem: quid enim dicam benivolentiam, cùm illud graviſſimum, & ſanctiſſimum nomen pietatis, levius mihi meritis erga me tuis eſſe videatur? [7] Quod autem tibi grata mea erga te ſtudia ſcribis eſſe, facis tu quidem abundantia quadam amoris, ut etiam grata ſint ea, quæ prætermitti ſine nefario ſcelere non poſſunt. Tibi autem multo notior, atque illuſtrior meus in te animus eſſet, ſi hoc [8] tempore omni, quo dijuncti fuimus, & unà, & Romæ fuiſſemus. Nam in eo ipſo, quod te oſtendis eſſe facturum, quodque & in primis potes, & ego à te vehementer exſpecto: in ſententiis ſenatoriis, & in omni actione, atque adminiſtratione reip. floruiſſemus. De qua oſtendam equidem paullo pòſt, qui ſit meus ſenſus, & ſtatus: & reſcribam tibi ad ea, quæ quæris: ſed certè & ego te auctore, amiciſſimo, ac ſapientiſſimo, & tu me conſiliario fortaſſe, non imperitiſſimo, fideli quidem, & benivolo certè, uſus eſſes: quamquam tua quidem cauſa te eſſe imperatorem, provinciamque bene geſtis rebus [9] cum exercitu victore obtinere, ut debeo, lætor. Sed certè qui tibi ex me fructus debentur, eos uberiores, & [10] præſentiores præſens capere potuiſſes. In eis verò ulciſcendis, quos tibi partim inimicos eſſe intelligis propter tuam propugnationem ſalutis meæ, partim invidere propter illius actionis amplitudinem & gloriam: mirificum me tibi comitem præbuiſſem: quamquam ille perennis inimicus amicorum ſuorum, qui tuis maximis beneficiis ornatus, in te potiſſimùm fractam illam, & [11] debilitatam vim ſuam contulit, noſtram vicem ultus eſt ipſe ſeſe. eſt enim ea conatus, quibus patefactis, nullam ſibi in poſterum, non modò dignitatis, ſed ne libertatis quidem partem reliquit. Te autem etſi mallem in meis rebus expertum, quàm etiam in tuis, tamen in moleſtia gaudeo, [12] eam fidem cognoſcere hominum, [13] non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognoram. De qua ratione tota jam videtur mihi exponendi tempus dari, ut tibi reſcribam ad ea, quæ quæris. Certiorem te per litteras ſcribis eſſe factum, me cum Cæſare, & cum Appio eſſe in gratia: teque id non reprehendere adſcribis. Vatinium autem ſcire te velle oſtendis, quibus rebus adductus defenderim & laudarim. Quod tibi ut planiùs exponam, altiùs paullo rationem conſiliorum meorum repetam, neceſſe eſt. Ego me, Lentule, initio rerum, atque actionum tuarum, non ſolùm meis, ſed etiam reipublicæ reſtitutum putabam: &, quoniam tibi incredibilem quendam amorem, & omnia in te ipſum ſumma, ac ſingularia ſtudia deberem, reipublicæ quæ te in me reſtituendo multum adjuviſſet, eum certè me animum merito ipſius debere arbitrabar, quem antea tantummodò communi officio civium,

1. *Si quidam homines.*] Lambini editio, *quidem.* quomodo & Vatic. Pal. quart. a manu ſecundâ. ceteri omnes Victorio editionique primæ adhærent.

2. *Et eo tu conſule.*] Sic eſt in edit. Victorii, Vatic. Pal. tert. *Et eo Cos.* quart. cum edit. prima: *ut eo tu conſule:* additum poſtea ad oram *&*. Grut. *& eo in conſule.*

3. *Idque cum ſentiam, ſedulitate mihimet ipſe ſatisfacere poſſum.*] Locus fractus. nam prima editio interjecta negatione, *non poſſum.* quomodo & in Pal. quart. à manu alterâ cum prius fuiſſet; *id, quæcunque ſentiam.* quod & in aliis Pall. quorum præterea pr. habet, *ſed utilitatem mihi me ipſum ſatisf. non poſſum.* ſecund. *id quæcunque ſententiam ſed utilitatem mihi me ipſum ſatisf. non poſſum.* nec aliter Gruteri membranæ: quibus exterius adnotatum: *deficit textus.* tert. *id quæcunque ſentiam ſedulitatem meam ipſum ſatisf. non poſſum.* Gulielmius adnotavit ex veſtigiis cod. Stewechiani elici: *id, quæcunque ſentiam: ſedulitate mihi me ipſum ſatisfacere non poſſe.*

4. *Re quidem ipſa idèo mihi non ſatisfacio.*] Gulielm. voces, *mihi non ſatisfacio,* plane gloſſam exiſtimat, ideoque delet. haberi tamen in omnibus mſſ. teſtor: in ſolo quarto plura verba erant; Sed adeo improbe eraſa, ut mea acie deprehendi nequiverint.

5. *Noſtrum ſtudium extabit.*] Lamb. ex Memmianis *excitabunt*: nihil tamen mutat, neque Pall. quatuor. Medic. cod. *exſtabit ſtudium.* Grut. *ſtudium ſtabit.* veterum paullò poſt legunt Pall. Vatic. prima edit. *Ceteraque quæ ad te pertinebunt.*

6. M. TULLIUS CICERO P. LENTULO IMPERATORI S. D.] Sic edidit Manutius, qui adfixum hac in re ſibi me habet tenentem amplius auctoritatem editionis primæ: Pal. quart. Gruteriani. Erphord. PRO COS. IMP.

7. *Quod autem tibi grata mea erga.*] Ut edidit Lamb. eſt in omnibus mſſ. editionibuſque: miror itaque vulgatam; *grata mihi mea.*

8. *Tempore omni quo dijuncti fuimus.*] Ita Lamb. ita Vatic. Medic. codex, Polit. quem communicarat Epiſcopio Thomas Lupſetus; varianteſque inde aliquot excerpſerat, Gruteroque libens communicarat Joan. Iſacius Pontanus. ſic ſupra Vatic. *intervallo locorum & temporum dijuncti ſumus.* Ep. 7. inclinat Grut. qui *disjuncti.* vulgò; *ſejuncti.*

9. *Cum exercitu victore obtinere.*] Haud aliter editio prima, Victorii: Lamb. Pal. tert. Grut. verò: *victor obtinere.* Pal. quart. *victoriæ obtinere.* at liquidiſſime gloſſam agnoſcas. Nihil autem uſitatius quam *exercitus victor* apud claſſicos: ſic Ovidius *currum victorem* dixit l. IV. Triſt. El. 2.

Hos ſuper in curru Cæſar victore veheris.

10. *Præſentiores præſens capere potuiſſes.*] Protraxit hanc lectionem Victorius, quam & in uno ſuorum reperit Lambinus: videoque eam adnotatam ab Egnatio ex Mediceo principi editionum: jam verò quoque accedente Vaticano, ſocium me addidi Gulielmio, pugnanti pro *præſentiores*, contra Manutium adducto illo Virgiliano: *Nec tam præſentes alibi cognoſcere divos.*

11. *Debilitatam vim ſuam contulit.*] Gulielmius annotavit, conjicere Gabrielem Rolandium *contudit.* additque, *cogitandum.*

12. *Eam fidem cognoſcere hominum.*] Sic vet. cod. Pall. tert. quart. Grut. Stewech. Ven. edit. prima. ceterùm alius vet. cod. ut & Politiani liber, *cognoſce.* Egnat. ad primam edit. allinit ex Med. *cognoſce*, vulgò, *eandem fidem cognoſcere.*

13. *Non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognoram.*] Suſpicatur Gruterus illa, *quam maximo dolore cognoram*, eſſe pannum in purpura, interpretis videlicet additamentum non neceſſarium, ignorantis vim vocis *mercede.*

vium, non aliquo erga me ſingulari beneficio debitum præſtitiſſem. Hæc me mente fuiſſe, & ſenatus ex me, te conſule, audivit, & tu in noſtris ſermonibus, collocutionibuſque ipſe vidiſti. Etſi jam primis temporibus illis, multis rebus meus offendebatur animus: cum, te agente de reliqua noſtra dignitate, aut occulta nonnullorum odia, aut obſcura in me ſtudia cernebam. Nam neque de monumentis meis ab iis adjutus es, à quibus debuiſti: neque de vi nefaria, qua cum fratre eram domo expulſus, neque hercule in iis ipſis rebus, quæ quamquam erant mihi propter rei familiaris naufragia neceſſariæ, [1] tamen à me minimi putabantur, in meis damnis [2] ex auctoritate ſenatus ſarciendis, eam voluntatem, quam exſpectaram, præſtiterunt. Quæ cum viderem (neque enim erant obſcura) non tamen tam acerba mihi hæc accidebant, quàm erant illa grata, quæ fecerant. Itaque quamquam & Pompejo plurimùm, te quidem ipſo prædicatore, ac teſte, debebam, & eum non ſolùm beneficio, ſed amore etiam, & perpetuo quodam judicio meo diligebam: tamen non reputans, quid ille vellet, in omnibus meis ſententiis de rep. priſtinis permanebam. Ego ſedente Cn. Pompejo, [3] cùm, ut laudaret P. Sextium, introiſſet in urbem, dixiſſetque teſtis Vatinius, me fortuna, & felicitate C. Cæſaris commotum, illi amicum eſſe cœpiſſe: dixi, me eam Bibuli fortunam, quam ille afflictam putaret, omnium triumphis, victoriiſque anteferre: dixique eodem teſte, alio loco, eoſdem eſſe, qui Bibulum exire domo prohibuiſſent, & qui me coëgiſſent. [4] tota verò interrogatio mea nihil habuit, niſi reprehenſionem illius tribunatus: in quo omnia dicta ſunt libertate, animoque maximo, de vi, de auſpiciis, de donatione regnorum. Neque verò hac in cauſa modò, ſed conſtanter ſæpe in ſenatu. quin etiam, Marcellino, & Philippo, conſulibus, nonis April. mihi eſt ſenatus aſſenſus, ut de agro Campano, frequenti ſenatu, idibus Majis referretur. [5] Num potui magis in arcem illius cauſæ invadere, aut magis oblivisci temporum meorum, meminiſſe actionum? Hac à me ſententia dicta, magnus animorum motus eſt factus, cùm eorum, quorum oportuit, tum illorum etiam, quorum numquam putaram. Nam hoc ſenatusconſulto in meam ſententiam facto, Pompejus, cùm mihi nihil oſtendiſſet ſe eſſe offenſum, in Sardiniam, & in Africam profectus eſt, eoque itinere Lucam ad Cæſarem venit. ibi multa de mea ſententia queſtus eſt Cæſar, quippe qui etiam Ravennæ Craſſum antè vidiſſet, ab eoque in me eſſet incenſus. Sanè moleſtè Pompejum id ferre conſtabat: quod ego cùm audiſſem ex aliis maximè ex meo fratre cognovi: quem cum in Sardinia Pompejus paucis pòſt diebus, quàm Luca diſceſſerat, conveniſſet: Te, inquit, ipſum cupio: nihil oportunius potuit accidere, niſi cum Marco fratre diligenter egeris, dependendum tibi eſt, quod mihi pro illo ſpopondiſti. Quid multa? queſtus eſt graviter: ſua merita commemoravit: quid egiſſet ſæpiſſime de actis Cæſaris cum ipſo meo fratre quidque ſibi is de me recepiſſet, in memoriam redegit: ſeque, quæ de mea ſalute egiſſet, voluntate Cæſaris egiſſe, ipſum meum fratrem teſtatus eſt, cujus cauſam, dignitatemque mihi ut commendaret, rogavit, ut eam ne oppugnarem, ſi nollem, aut non poſſem tueri. Hæc cum ad me frater pertuliſſet, & cùm ante tamen Pompejus ad me cum mandatis Vibullium miſiſſet, ut integrum mihi de cauſa Campana ad ſuum reditum reſervarem: collegi ipſe me, & cum ipſa quaſi republ. collocutus ſum: ut mihi tam multa pro ſe perpeſſo, atque perfuncto, concederet, ut officium meum, memoremque in benemeritos animum, fidemque fratris mei præſtarem: eumque, quem bonum civem ſemper habuiſſet, bonum virum eſſe pateretur. In illis autem meis actionibus, ſententiiſque omnibus, quæ Pompejum videbantur offendere, certorum hominum, quos jam debes ſuſpicari, ſermones referebantur ad me qui cùm illa ſentirent in repub. quæ ego agebam, ſemperque ſenſiſſent: me tamen non ſatisfacere Pompejo, Cæſaremque inimiciſſimum mihi futurum, gaudere ſe ajebant. Erat hoc mihi dolendum: ſed multo illud magis, quòd inimicum meum, (meum autem? immò verò legum, judiciorum: otii, patriæ, bonorum omnium) ſic amplexabantur, ſic in manibus habebant, ſic fovebant, ſic me præſente oſculabantur: non illi quidem, ut mihi ſtomachum facerent, quem ego funditus perdidi, ſed certè ut facere ſe arbitrarentur. Hic ego, quantum humano conſilio efficere potui, [6] circumſpectis rebus meis omnibus, rationibuſque ſubductis, ſummam feci cogitationum mearum omnium: quam tibi, ſi potero, breviter exponam. Ego, ſi ab improbis, & perditis civibus remp. teneri viderem, ſicut & meis temporibus ſcimus, & nonnullis aliis accidiſſe accepimus, [7] non modò præmiis, quæ apud me minimum valent, ſed ne periculis quidem compulſus ullis, quibus tamen moventur etiam fortiſſimi viri, ad eorum cauſam, me adjungerem: ne ſi ſumma quidem eorum in me merita conſtarent. Cum autem in repub. Cn. Pompejus princeps eſſet, vir is, qui hanc potentiam, & gloriam maximis in remp. meritis, præſtantiſſimiſque rebus geſtis eſſet conſecutus, cujuſque ego dignitatis, ab adoleſcentia fautor, in prætura autem, & in conſulatu adjutor etiam extitiſſem: cumque idem auctoritate, & ſententia: per ſe, conſiliis, & ſtudiis, tecum me adjuviſſet: meumque inimicum unum in civitate haberet inimicum: non putavi famam inconſtantiæ mihi pertimeſcendam, ſi quibuſdam in ſententiis paullum me immutaſſem, meamque voluntatem ad ſummi viri, de meque optimè meriti dignitatem aggregaſſem. In hac ſententia complectendus erat mihi Cæſar, ut vides, [8] in conjuncta & cauſa & dignitate. Hic multum valuit cum vetus amicitia, quam tu non ignoras mihi, & Q. fratri cum Cæſare fuiſſe, tum humanitas ejus, ac liberalitas, brevi tempore & litteris, & officiis perſpecta nobis, & cognita. vehementer etiam res ipſa publica me movit, quæ mihi videbatur, contentionem, præſertim maximis rebus à Cæſare geſtis, cum illis viris nolle fieri: &, ne fieret, vehementer recuſare. [9] Graviſſimè autem me in hac mente impulit & Pompeii fides, quam de me Cæſari dederat: & fratris mei, quam

1. *Tamen à me minimi putabantur.*] Pall. duo, Stewech. *minimè putab.* Grut. *minimi imputabantur.* Lælio: *quod ille minimè putabat*, vulgo excuſum eſt; cum codex Cujacii *minimi* exhibeat, cap 3. medio.

2. *Ex auctoritate ſenatus ſarciendis.*] Expreſſimus quod habuit Lamb. probavitque ex Stewechiano. Gulielmius ipſe ex Pall. Vat. Grut. editione primâ. poſt publicati: *reſarciendis.*

3. *Cum ut laudaret P. Seſtium, introiſſet in urbem.*] Non prætereunda hæc fuerat lectio, quam reperit in Medic. Egnatius, editque Victor. Man. Lamb. extatque item in Vatic. Gruteri verò, *cum ut laudaret Pompejum Sextum.* Vulgò ut & Pall. duo, cum tribus Gulielm. *cum ut laudaret Pompejum, P. Sextium introiſſet.*

4. *Tota vero interrogatio mea nihil habuit, niſi.*] Recte ſic Lamb. à quo non diſcedit aut editio, aut ceteri mſſ. omnes. vulgo: *nihil habuit aliud, niſi.*

5. *Num potui magis in arcem illius cauſæ invadere, aut magis oblivisci temporum meorum, meminiſſe actionum?*] Prætuli hanc ſcripturam ut animoſiſſimam, ex Lambin. Pal. tert. Medic. Vatic. Stewech. alias eſt in Pal. quart. *Nec.* Grut. *Nam.* in vulgatis & edit. prima *non.* illud vero & poſt *meorum* evanuit in tribus mſſ.

6. *Circumſpectis rebus meis omnibus, rationibuſque ſubductis.*] Ita in melioribus editionibus omnibus ac mſſ. Pal. tamen quart. *rebus meis, omnibuſque rationibus ſubductis*, non abſurde. Vulgo omiſſum eſt *meis.* habet nihilominus Victorius, Pall. Grut. Vatic. Lamb.

7. *Non modo præmiis.*] Miror quiſnam intruſerit illud, *non modo non præmiis*, quod in nullo reperi mſſ. Pal. neque Grut. neque editione principe. aberatque cod. Stewechii. excluſit denique Lambin. Victorius verò non ſolum hoc admiſit, ſed etiam pro *minimum*, *nimium*: neſcio quibus fiduciis.

8. *In conjuncta & cauſa & dignitate.*] Sic editionum optimæ; prima, Victorii, Lambin. adeoque mſſ. Pal. Grut. Stewechii. vulgo *in* abeſt contra libros omnes, ut dixi.

9. *Graviſſimè autem me in hac mente impulit & Pompeii fides.*] Elegantiſſimam hanc lectionem corrupit infrunitum quoddam genus correctorum, quibus omnis elegantia barbariem, omnis barbaries elegantiam ſapiebat: poſtliminio itaque eam reſtituo ex Pal. tertio, quarto (quamquam hic mangonium paſſus, veritatem adimere ipſam nequiit) Grut. Vatic. denique. Vulgò, ad ſalivam pullati circuli; *in hanc mentem.*

quum Pompejo. Erant præterea hæc animadvertenda in civitate, quæ ſunt apud Platonem noſtrum ſcripta divinitus: [1] QUALES IN REPUBLICA PRINCIPES eſſent, taleis reliquos ſolere eſſeciveis. Tenebam memoria, nobis conſulibus, ea fundamenta jacta ex Kalendis Januariis confirmandi ſenatus, ut neminem mirari oporteret, nonis Decembris tantum vel animi fuiſſe in illo ordine, vel auctoritatis. Idemque memineram, nobis privatis uſque ad Cæſarem, & Bibulum conſules, cùm ſententiæ noſtræ magnum in ſenatu pondus haberent, unum ferè ſenſum fuiſſe bonorum omnium. Poſteà cùm tu Hiſpaniam citeriorem cum imperio obtineres, neque reſp. conſules haberet, ſed mercatores provinciarum, & ſeditionum ſervos, ac miniſtros: jecit quidam caſus caput meum, quaſi certaminis cauſa in mediam contentionem, diſſenſionemque civilem. Quo in diſcrimine cùm mirifica ſenatus, incredibilis Italiæ totius, [2] ſingularis omnium bonorum conſenſio in me tuendo exſtitiſſet: non dicam, quid acciderit (multorum eſt enim, & varia culpa:) tantùm dicam brevi, non mihi exercitum, ſed duces defuiſſe. In quo, ut jam ſit in iis culpa, qui me non defenderunt: non minor eſt in iis, qui reliquerunt: [3] &, ſi accuſandi ſunt, qui ſi pertimuerunt; magis etiam reprehendendi, ſi qui ſe timere ſimularunt. Illud quidem certè noſtrum conſilium jure laudandum eſt, [4] qui meos civeis & a me conſervatos, & me ſervare cupienteis, ſpoliatos ducibus, ſervis armatis objici noluerim: [5] declarareque maluerim, quanta vis eſſe potuiſſet in conſenſu bonorum, [6] ſi iis pro me ſtante, pugnare licuiſſet; cùm afflictum excitare potuiſſent. Quorum quidem animum tu non perſpexiſti ſolùm, cùm de me ageres, ſed etiam confirmaſti, atque tenuiſti. Qua in cauſa [7] (non modò non negabo, ſed etiam ſemper & meminero, & prædicabo libenter) uſus es quibuſdam nobiliſſimis hominibus, fortioribus in me reſtituendo, [8] quàm fuerant iidem in tenendo: qua in ſententia ſi conſtare voluiſſent, ſuam auctoritatem ſimul cum ſalute mea recuperaſſent. [9] Recreatis enim bonis viris conſulatu tuo, & conſtantiſſimis, atque optimis actionibus tuis excitatis, Cn. Pompejo præſertim ad cauſam adjuncto, cùm etiam Cæſar, rebus maximis geſtis, ſingularibus ornatus, & novis honoribus, ac judiciis ſenatus, ad auctoritatem ejus ordinis adjungeretur: [10] nulli improbo civi locus ad remp. violandam eſſe potuiſſet. Sed attende, quæſo, quæ ſunt conſecuta. [11] primùm illa furta muliebrium religionum Qui non pluris fecerat Bonam deam, quam treis ſorores; [12] impunitatem eſt illorum ſententiis aſſecutus, qui [13] (cùm tribunus pleb. pœnas à ſeditioſo civi per bonos viros judicio perſequi vellet) exemplum præclariſſimum in poſterum vindicandæ ſeditionis de rep. ſuſtulerunt: iidemque poſteà non meum monumentum (non enim illæ manubiæ meæ, ſed operis locatio mea fuerat) monumentum verò ſenatus, hoſtili nomine, & cruentis inuſtum litteris eſſe paſſi ſunt. Qui me homines quòd ſalvum eſſe voluerunt, eſt mihi gratiſſimum: ſed vellem non ſolùm ſalutis meæ, quemadmodum medici: [14] ſed, ut aliptæ, etiam virium, & coloris rationem habere voluiſſent. Nunc, ut Apelles Veneris caput, & ſumma pectoris politiſſima arte perfecit, reliquam partem corporis, inchoatam reliquit: ſic quidam homines in capite meo ſolùm elaborarunt: reliquum corpus, imperfectum, ac rude reliquerunt. In quo ego ſpem fefelli non modò invidorum, ſed etiam inimicorum meorum: qui de uno acerrimo, & fortiſſimo viro, meoque judicio, omnium magnitudine animi, & conſtantia præſtantiſſimo, Q. Metello, Lucii filio, quondam falſam opinionem acceperunt: quem poſt reditum dictitant fracto animo, & demiſſo fuiſſe. Eſt verò probandum, qui & ſumma voluntate ceſſerit, & egregia animi alacritate abfuerit, neque ſanè redire curârit, eum ob id ipſum [15] fractum fuiſſe: in quo cùm omnes homines, tum M. illum Scaurum, ſingularem virum, conſtantia, & gravitate ſuperaſſet. Sed, quod de illo acceperant, aut etiam ſuſpicabantur,

1. *Quales in Rep. Principes eſſent.*] Gulielmius videtur inclinaſſe in ſcripturam cod. Stewechiani, *Qualis in Repub. princeps ſit.* ſed contra eum tendant Pall. præter tertium, in quo; *qualis in Rep. Principes eſſet.* error ille provenit a ratione ſcribendi. *qualis* enim antiqui, [illegible].

2. *Singularis omnium bonorum conſenſio.*] Ita cod. vet. Pall. Grut. editio princeps. Victorius tamen non male, *ſingularis bonorum omnium conſenſus*: ſicut & Lambinus in quibuſdam ſuis profitetur [illegible].

3. *Et ſi accuſandi ſunt, ſi qui pertimuerunt; magis etiam reprehendendi, ſi qui ſe timere ſimularunt.*] Egregie & hic locus emendatus in noſtra editione exhibendus fuit: in aliis omnibus; *accuſandi ſunt, qui pertimuerunt, magis etiam reprehendendi, qui ſe timere ſimularunt.* at [illegible] lectionem duxi huc ex editione Victorii, [illegible] quoque ex Medic. ab Egnatio Ven. Pall. Grut. Stewechiano, Vaticano, Lambino denique.

4. *Qui meos civeis.*] Ita Gulielm. è Stewech. neque ſecus Pall. Grut. aut editionum prima; ne addam Victorii ac Lambini. [illegible]

5. *Declarareque maluerim.*] Videtur propendiſſe Gulielmius in [illegible], quod erat in Stewechiano, quem librum ſolum ſuis oculis excuſſiſſe apparet ex eis, quæ marginibus allevit. at non admittunt eam lectionem ceteri mſſ. Pall. aut Grut. in Vatic. erat: [illegible].

6. *Si iis pro me ſtante pugnare licuiſſet.*] Emendatio Victorii ex optimo codice Bibliothecæ Medicææ, quæ item conſpicitur in Vatican. Stewech. præterea ad oram editionis primæ manu Bapt. Egnatii, addito, legere ſe litterâ unâ adhuc mutata, *libuiſſet*: quam lectionem exſtare ajunt in libro Politiani. Vulgati: *ſi ii pro me ſtante* [illegible]. ſed Pal. tert. editio prima: *ſi hi pro* [illegible]. quart. ac Grut. *pro me ſtante pugna* [illegible].

7. *Non modò non, &c.*] Parentheſis hæc dudum erat ab aliquo ingenioſo [illegible] in Grut. quam poſtea ſuo libro commiſit Gulielmius, non ſine loci totius luce; ut argueret Lambinum nimis [illegible] mutandi ſequentia [illegible]. animadverſa quoque ingenio Henrici Stephani Schediaſ. lib. II. capite 26.

8. *Quàm fuerant iidem in tenendo.*] Malui ſic Gulielmius: neque [illegible] Victorii, Lamb. Pall. Grut. Stewech. [illegible], *in tuendo*.

9. *Recreatis enim, &c.*] Locus interpolatus. ut enim indicavit Victorius exſtat in vetuſtiſſimo Mediceo; *Recreati enim boni viri conſulatu tuo e. c. a. opt. act. t. excitati*: quod idem teſtor de Pall. deque Grut. & Stewech. item impreſſione primâ. Medicina Lambini nimis eſt audax.

10. *Nulli improbo civi locus.*] Pal. tert. Gruter. Stewech. *nullo.*

11. *Primum illa furta muliebrium religionum.*] Dictum ut Terent. *Primum jam de amore hoc comperit.*
Sic Gulielmius; aſpernatus Lambini Victoriique conjecturas, quibus nihil opus eſt, hac noſtra interpunctione, traducta ex membranis Gruterianis; optimis vetuſtiſſimiſque.

12. *Impunitatem eſt illorum ſententiis adſecutus.*] Reducendam duxit ex Vatic. Gulielmius hanc lectionem, inventam Victorio in membranis Medicæis, niſi quod ibi littera unâ minus; *impunitatem eſt illorum, &c.* & verò Pal. pr. etiam diſerte habet *impunitatem ſtilorum ſententiis.* ceteri *impunitatem ſcelerum ſententiis aſſecutus.* ut & prima editio. aliæ, *imp. ſcelerum* [illegible].

13. *Cum tribunus pleb. pœnas à* [illegible] *per bonos viros judicio, perſequi vellet.*] Ita ſcripſi potius ex Vatic. Pall. edit. primâ, alioque vet. cod. quàm vulgo: *cive, &c. in judicio.* ſed mirum & portentum ne ſileam ad priora: Pal. tert. Grut. habent; *cum tyrannus P. Lentulo*; pro, *cum tribunus pleb. pœnas.*

14. *Sed ut aliptæ, etiam virium.*] Sic mſſ. Pall. Grut. Stewech. editio princeps: Pal. tert. *& virium, & coloris.* Vulgati ferè tranſpoſitis vocibus *ſed etiam ut aliptæ, virium.* minimum quidem iſtud eſt: ſed tamen dicendum fuit, nequis fortè queratur alia à nobis mutata, quam quæ etiam indicaremus. Et tamen haud pauca emendavimus in auctore iſto, ſecuti auctoritatem mſſ. & Victor. & Manut. & Gulielmii & Palatinæ Bibliothecæ, quorum puduit meminiſſe, præſertim ſi exſtarent ad eandem etiam faciem in editione aliqua integri priore. Ergo ſemel dixiſſe ſufficiat; infinita eſſe mutata (a me in Tuſculanis, & hiſce lib. XVI. Epiſt. a Ct. Grutero in opere toto) quorum non ſollicitè reddidimus rationem, ſed ita tamen ut id fecerimus præeuntibus aperte aut mſſ. pluribus, aut libris impreſſis notæ ſelectioris: hoc eſt, quibus præfuit Robertus Stephanus, quibus Victorius, quibus Paull. Manutius. nam Lambini ſanè fides nobis admodum ſuſpecta; ideoque haud temere [illegible] credere: [illegible] quatenus exemplaria noſtra convenirent cum ejus codicibus calamo exaratis.

15. *Fractum fuiſſe.*] [illegible] quemodo nulli vetuſtius cum aut mſſ. noſtri: neque Stewech.

I. Q.

bantur, de me idem cogitabant, abjectiore animo me futurum: cùm reſp. majorem etiam mihi animum, quam umquam habuiſſem, daret: [1] quæ declaraſſet, ſe non potuiſſe me uno civi carere: cumque Metellum unius tribuni plebis rogatio, me univerſa reſp. duce ſenatu, comitante Italia, promulgantibus omnibus, referente conſule, comitiis centuriatis, cunctis ordinibus, hominibus, incumbentibus, omnibus denique ſuis viribus recuperaſſet. Neque verò ego mihi poſteà quidquam aſſumſi: neque hodie aſſumo, quod quemquam malevolentiſſimum jure poſſit offendere. tantùm enitor, ut neque amicis, neque etiam alienioribus, opera, conſilio, labore deſim. Hic meæ vitæ curſus offendit eos fortaſſe, qui ſplendorem, & ſpeciem hujus vitæ intuentur: ſollicitudinem autem, & laborem perſpicere non poſſunt. Illud verò non obſcurè queruntur in meis ſententiis, quibus ornem Cæſarem,[2] quaſi deſciverim à priſtina cauſa. Ego autem cum illa ſequor, quæ paullo ante propoſui, tum hoc non in poſtremis, de quo cœperam exponere. Non offendes eundem bonorum ſenſum, Lentule, quem reliquiſti: qui confirmatus conſulatu noſtro, nonnumquam poſtea interruptus, afflictus ante te conſulem, recreatus abs te totus eſt: nunc ab iis, à quibus tuendus fuerat, derelictus, idemque non ſolum fronte, atque vultu, quibus ſimulatio facillimè ſuſtinetur, declarant ii qui tum noſtro illo ſtatu optimates nominabantur: ſed etiam ſenſu ſæpe jam, tabellaque docuerunt. Itaque tota jam ſapientium civium, qualem me & eſſe, & numerari volo, & ſententia, & voluntas, mutata eſſe debet. Id enim jubet idem ille Plato, [3] quem ego vehementer auctorem ſequor, TANTUM contendere in rep. quantum probare tuis civibus poſſis: Vim neque parenti, neque patriæ afferre oportere. Atque hanc quidem ille cauſam ſibi ait non attingendæ reip. fuiſſe: quòd cum offendiſſet populum Athenienſem propè jam deſipientem ſenectute, cumque eum nec perſuadendo, nec cogendo regi poſſe vidiſſet, cum perſuaderi poſſe diffideret, cogi fas eſſe non arbitraretur. Mea ratio fuit alia, quòd, neque deſipiente populo, neque integra re mihi ad conſulendum, capeſſeremne remp. implicatus tenebar. Sed lætatus tamen ſum, quòd mihi liceret in eadem cauſa & mihi utilia, & cuivis bono recta defendere. Huc acceſſit commemoranda quædam, & divina Cæſaris in me, fratremque meum liberalitas: qui mihi, quaſcumque res gereret, tuendus eſſet. Nunc in tanta felicitate, tantiſque victoriis etiam ſi in nos non is eſſet, qui eſt, [4] tamen ornandus videretur. Sic enim te exiſtimare velim: cum à vobis, meæ ſalutis auctoribus, diſceſſerim, neminem eſſe, cujus officiis me tam eſſe devinctum non ſolum confitear, ſed etiam gaudeam. Quod quoniam tibi expoſui, facilia ſunt ea, quæ à me de Vatinio, & de Craſſo requiris. Nam de Appio quòd ſcribis, ſicuti de Cæſare, te non reprehendere: gaudeo conſilium tibi probari meum. De Vatinio autem, primum reditus interceſſerat in gratiam per Pompejum, ſtatim ut ille prætor eſt factus, cum quidem ego ejus petitionem graviſſimis in ſenatu ſententiis oppugnaſſem, neque tam illius lædendi cauſa, quàm defendendi, atque ornandi Catonis. pòſt autem, Cæſaris, ut illum defenderem, mira contentio eſt conſecuta. Cur autem laudarim, peto à te, ut id à me [5] neve in hoc reo, neve in aliis requiras, ne tibi ego idem reponam, cum veneris; tametſi poſſum vel abſenti. Recordare enim, quibus laudationem ex ultimis terris miſeris. nec hoc pertimueris. nam à me ipſo laudantur, & laudabuntur iidem. Sed tamen defendendi Vatinii fuit etiam ille ſtimulus, de quo in judicio, cùm illum defenderem, dixi me facere quiddam quod in Eunucho paraſitus ſuaderet militi:

Ubi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuo. ſi quando illa dicet, Phædriam intro
Mittamus comiſſatum: tu, Pamphilam
Cantatum provocemus. ſi laudabit hæc
Illius formam: tu hujus contra. denique
[6] *Par pari referto, quod eam mordeat.*

Sic petivi à judicibus, ut, quoniam quidam nobiles homines, & de me optimè meriti, nimis amarent inimicum meum: meque inſpectante ſæpe eum in ſenatu modò ſeverè ſeducerent, modò familiariter, atque hilarè amplexarentur: quoniamque illi haberent ſuum Publium: darent mihi ipſi alium Publium, in quo poſſem illorum animos, mediocriter laceſſitus, leviter repungere. Neque ſolùm dixi: ſed etiam ſæpe facio, diis, hominibuſque approbantibus. Habes de Vatinio: cognoſce de Craſſo. Ego cùm mihi cum illo magna jam gratia eſſet, quòd ejus omneis graviſſimas injurias, communis concordiæ cauſa, voluntaria quadam [7] oblivione contriveram, repentinam ejus defenſionem Gabinii, quem proximis ſuperioribus diebus acerrime oppugnaſſet, tamen, ſi ſine ulla mea contumelia ſuſcepiſſet, tuliſſem: ſed, cùm me diſputantem, [8] non laceſſentem laceſſiſſet, exarſi, non ſolùm præſenti, credo, iracundia, (nam ea tam vehemens fortaſſe non fuiſſet) ſed, cùm incluſum illud odium multarum ejus in me injuriarum, quod ego effudiſſe me omne arbitrabar, [9] reſiduum tamen, inſcientem me fugiſſet: omne repentè apparuit. Quo quidem tempore ipſo, quidam homines, & iidem illi, quos ſæpe nutu, ſignificationeque appello, cùm ſe maximum fructum cepiſſe dicerent ex libertate mea, meque tum denique ſibi eſſe viſum reip. qualis fuiſſem, reſtitutum, cumque ea contentio mihi magnum etiam foris fructum tuliſſet: gaudere ſe dicebant, mihi & illum inimicum, & eos, qui in eadem cauſa eſſent, numquam amicos futuros. Quorum iniqui ſermones cùm ad me per homines honeſtiſſimos perferrentur: cumque Pompejus ita contendiſſet, ut nihil umquam magis, ut cùm Craſſo redirem in gratiam, Cæſarque per litteras maxima ſe moleſtia ex illa contentione affectum oſtenderet: habui non temporum ſolùm rationem meorum, ſed etiam naturæ. [10] Craſſuſque, ut quaſi teſtata pop. Rom. eſſet noſtra gratia, pænè a meis laribus in provinciam eſt profectus. Nam cum mihi

1. *Quæ declaraſſet ſe non potuiſſe me uno civi carere.*] Sic recte Lamb. nam Pall. Grut. Stewech. Vatic. Princeps editio Victoriique inducunt τὸ *jam.* porro *civi* non *cive.* Pal. tert. Vatic. Stewech. editio Victor. In Vatic. alias eſt, *quum declararet ſe non.* inde Victorius: *cum declaraſſet ſe non.* Pal. tert. cum Grut. *quæ declaraſſet ſe jam non.*

2. *Quaſi deſciverim à priſtinâ cauſa.*] Ita malui cum Victorio & Manutio; præſertim cum annotet [illegible] in aliis membranis extitiſſe *deſciſſerim a priſtina cauſa*, accedatque Vatic. *quaſi deſciſſerim priſtina cauſa:* denique Pal. pr. *deſciſſerem* reſcribens. ceteri mſſ. etiam editio princeps: *deſciſcerem.* vulgò *deſciverim priſtinâ. cauſa.* porrò Pal. tert. pro, *quibus ornem Cæſarem*, refert *coronem.* item pro *priſtina, prima.*

3. *Quem ego vehementer auctorem ſequor.*] In editione principe; poſtea Victorii hunc ordinem video; deinde in Gruteriano ac Vatic. nam Palat. tert. *quem ego vehementer ſequor*, omiſſo vocabulo *auctorem.*

4. *Tamen ornandus videretur.*] Pall. Grut. *memorandus.* editio princeps *exornandus.*

5. *Neve in hoc reo, neve in aliis requiras.*] *Quæras* nupere editi. Sed alterum eſt in Pall. (tert. *neve in hoc, neve in aliis req.*) Grut. Vatic. Stewech. editione prima: dein Victorii, Manut. Lamb. edd..

6. *Par pari referto.*] Sic Pal. pr. & quart. nam & tert. item membranæ Gruteri habent: *par pro pari refert.* Lamb. adjecit: *Tu par pari, &c.* ſed non a libris.

7. *Oblivione contriveram.*] Pal. pr. *contriveram.* ſec. Grut. *conteram* Stewech. ii mſſ. *conterueram.* Gruterus aliquando fuit ſuſpicatus *contexeram.*

8. *Non laceſſentem laceſſiſſet.*] Sic reponi ex editione prima, Pall. tertio, quarto, Gruteriano; unde illud vulgatam *læſiſſet* irrepſerit multum mecum anquiſivi, nec reperi.

9. *Reſiduum tamen inſcientem me fugiſſet.*] Terſam hanc lectionem & adeo ſuavem auribus, revocavi ex Pal. pr. ac Mediceo primaque editione: cum in ceteris fere omnibus, reſtaret *& ſcientem me fugiſſet:* præter tertium; in quo hic complexus multis modis ab aliis diſcedit, ut noto: *exarſi non ſ. præſ. ut credo iracun.* [illegible] *Nam e. t. vehementer f. n.* [illegible] *ſ. c. incl. i. o. m. e. i. m. i. quod ego effu.* [illegible] *me eſſe arbitr. reſ. t. inſcientem me fugiſſet omne rep. a.* [illegible]*: inſcientem me, fugiſſet.*

10. *Craſſuſque ut quaſi, &c.*] Monuit Gulielmius fuiſſe in Martinii cod. *craſſus quoque.* non reſpuo; ſed prius apparet in ceteris omnibus: Vatic. quoque & Gruteriano.

mihi condixiſſet, cenavit apud me in mei generi Craſſipedis hortis. Quamobrem ejus cauſam, quod te ſcribis audiſſe, magna illius commendatione ſuſceptam, defendi in ſenatu; ſicut mea fides poſtulabat. Accepiſti, quibus rebus adductus, quamque rem, cauſamque defenderim: quique meus in rep. ſit pro mea parte, capeſſenda, ſtatus. De quo ſic velim ſtatuas, me hæc eadem ſenſurum fuiſſe, ſi mihi integra omnia, ac libera fuiſſent. Nam neque pugnandum arbitrarer contra tantas opes: neque delendum, etiam ſi id fieri poſſet, ſummorum civium principatum: neque permanendum in una ſententia, converſis rebus, ac bonorum voluntatibus immutatis: ſed temporibus aſſentiendum. NUMQUAM ENIM PRÆSTANTIBUS IN rep. gubernanda viris laudata eſt in una ſententia perpetua permanſio, [1] ſed ut navigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiamſi portum tenere non queas: cum verò id poſſis mutata velificatione aſſequi, ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum, quem ceperis, potius quàm, eo commutato, quò velis, tandem pervenire: ſic, cum omnibus nobis in adminiſtranda rep. propoſitum eſſe debeat id, quod à me ſæpiſſimè dictum eſt, CUM DIGNITATE OTIUM: NON idem ſemper dicere, ſed idem ſemper ſpectare debemus. Quamobrem, ut paullo ante poſui, ſi eſſent omnia mihi ſolutiſſima, tamen in rep. non alius eſſem, atque nunc ſum. [2] Cùm verò in hunc ſenſum & alliciar beneficiis hominum, & compellar injuriis: facilè patior, ea me de rep. ſentire, ac dicere, [3] quæ maximè cùm mihi, tum etiam reip. rationibus putem conducere. Apertiùs autem hæc ago, ac ſæpiùs, quòd & Quin. frater meus, legatus eſt Cæſaris, & nullum meum minimum dictum, non modò factum, pro Cæſare interceſſit, quod ille non ita illuſtri gratia exceperit, ut ego eum mihi devinctum putarem. Itaque ejus omni & gratia, quæ ſumma eſt, & opibus, quas intelligis eſſe maximas, ſic fruor, ut meis. Nec mihi aliter potuiſſe videor hominum perditorum de me conſilia frangere, niſi cum præſidiis iis, quæ ſemper habui, nunc etiam potentium benivolentiam conjunxiſſem. His ego conſiliis, ſi te præſentem habuiſſem, ut opinio mea fert, eſſem uſus eiſdem. novi enim temperantiam, & moderationem naturæ tuæ: novi animum, tum mihi amiciſſimum, tum nulla in ceteros malevolentia ſuffuſum: contraque cùm magnum, & excelſum, tum etiam apertum & ſimplicem. Vidi ego quoſdam in te taleis, qualeis tu eoſdem in me videre potuiſti. Quæ me moverunt, moviſſent eadem te profectò. Sed, quocumque tempore mihi poteſtas præſentis tui fuerit, tu eris omnium moderator conſiliorum meorum. tibi erit eidem, cui ſalus mea fuit, etiam dignitas curæ. [4] Me quidem certè tuarum actionum, ſententiarum, voluntatum, rerum denique omnium ſocium, comitemque habebis: neque mihi in omni vita res tam erit ulla propoſita, quàm ut quotidie vehementiùs te de me optimè meritum eſſe lætere. Quòd rogas, ut mea tibi ſcripta mittam, quæ poſt diſceſſum tuum ſcripſerim: ſunt orationes quædam; quas Menocrito dabo: [5] neque ita multæ; ne pertimeſcas. Scripſi etiam (nam ab orationibus dijungo me ferè, referoque ad manſuetiores Muſas: quæ me maximè, ſicut jam à prima adoleſcentia delectarunt) ſcripſi igitur Ariſtoteleo more, quemadmodum quidem volui; treis libros in diſputatione, ac dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutileis. Abhorrent enim à communibus præceptis: ac omnem antiquorum, & Ariſtoteleam, & Iſocrateam rationem oratoriam complectuntur. Scripſi etiam verſibus treis libros de temporibus meis: quos jam pridem ad te miſiſſem, ſi eſſe edendos putaſſem. Sunt enim teſtes, & erunt, ſempiterni [6] meritorum erga me tuorum, meæque pietatis. Sed quia verebar, non eos, qui ſe læſos arbitrarentur (etenim id feci, parcè & molliter) ſed eos, quos erat infinitum [7] bene de me meritos omneis nominare. Quos tamen ipſos libros, ſi quem, cui rectè committam, invenero, curabo ad te perferendos. Atque iſtam quidem partem vitæ, conſuetudiniſque noſtræ totam ad te defero. Quantum litteris, quantum ſtudiis, veteribus noſtris delectationibus, conſequi poterimus, [8] id omne ad arbitrium tuum, qui hæc ſemper amaſti, libentiſſime conferemus. Quæ ad me de tuis rebus domeſticis ſcribis, quæque mihi commendas, [9] ea tantæ mihi curæ ſunt, ut me nolim admoneri: rogari verò ſine magno dolore vix poſſum. Quod de Quinti fratris negotio ſcribis, te priore æſtate, quòd morbo impeditus in Ciliciam non tranſieris, conficere non potuiſſe: nunc autem omnia facturum, ut conficias: id ſcito eſſe ejuſmodi, ut frater meus verè exiſtimet, adjuncto iſto fundo, patrimonium fore ſuum per te conſtitutum. Tu me de tuis rebus omnibus, & de Lentuli tui, noſtrique ſtudiis, & exercitationibus, velim quàm familiariſſimè certiorem, & quàm ſæpiſſimè facias: exiſtimeſque, neminem cuiquam neque cariorem, neque jucundiorem umquam fuiſſe, quàm te mihi: idque me, non modò ut tu ſentias, ſed ut omnes gentes, etiam ut poſteritas omnis intelligat, eſſe facturum. Appius in ſermonibus anteà dictitabat: poſtea, dixit etiam in ſenatu palàm, ſeſe, ſi licitum eſſet legem curiatam ferre, ſortiturum eſſe cum collega provinciam: ſi curiata lex non eſſet, [10] ſe paraturum cum

1. *Sed ut navigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiamſi portum tenere non queas.*] Ita ſcripſi fiducia auctoritatis Victorianæ: tum Lambini ac mſſ. Victorius quidem *in*, quod aliàs τῷ *navigando* præſuebatur, expunxit, nec videtur adeo neceſſarium cum mſſ. quoque titubent, aliiſque *ut* aliuſque *in* ſemoveat. dein vulgo *tandem:* pro quo Lamb. *tamen*, ut & Pal. tert. Grut. Vatic. editio prima. paullo ſuperius tres mſſ. *bonorum voluntatibus mutatis.* non *immutatis.*

2. *Cum verò in hunc ſenſum & alliciar.*] Pal. tert. *cum verò jam hunc ſenſum.*

3. *Quæ maximè cum mihi, tum etiam Reip. rationibus putem conducere.*] Lamb. *quæ cum mihi maximè.* ſed nihil ad Pal. tert. Stewech. editionem primam, quæ cudunt: *quæ maximè cum mihi, multum etiam.* Grut. verò: *quæ mihi maximè, cum multum etiam reip.* neutra ſpernenda ad vulgatam.

4. *Me quidem certè tuarum actionum.*] Stewech. liber, *tuarum certè actionum.* Pal. quart. *Me quidem ceterarum tuarum:* neſcio quam bene. In rem fere Propert. *Te ſocium te vitæ, te corporis eſſe jubebit; Te dominum admitto rebus, amice, meis, &c.* Et Apoll. l. 1. Κηδὸς ὀπάων πρωθήβης ἰὼν τε φιλος φύλακός τε βίοιο Paullo ante ex duobus mſſ. malim: *Tibi erit eidem, cui ſalus mea fuit, etiam dignitas curæ.* Et paullo poſt. ex Grut. *neque in omni mihi vita res tam erat ulla propoſita.*

5. *Neque ita multæ, ne pertimeſcas.*] Sic habent meliores codices omnes Stewech. Vatic. Grut. Palat. tert. nam quart. totus à bliteo interpolatus conjunctim, *ut ne pertimeſcas.* Cui hæc lectio non liquet, neget meridiem liquere: mihi elegantiſſima & germaniſſima videtur. vulgo, *ut pertim.* paullò poſt ſcripſi *dijungo* ex Victorii edit. Pal. tert. Vatic. Sicut, *delectarunt*, ex omnibus mſſ. ac libris. Vulgò *disjungo* & *delectant.*

6. *Meritorum erga me tuorum, meæque pietatis.*] Omnium codicum fide & meliorum editionum ductu ſic quoque edendum juſſi. vulgo: *meritorum tuorum erga me, meæque in te pietatis.* nimis putidè.

7. *Bene de me meritos omnes nominare. Quos.*] Expunxi intermedias voculas gloſſæ vice injectas ab iſtis cerebroſis ac ſuperciliofis Magiſtris, cum eas inficientur Pall. Grut. prima editio: elegantiſſimæ denique Victorii ac Raphelengii. video etiam ſpretas eſſe Manutio.

8. *Id omne ad arbitrium tuum.*] Notavit ex Stewech. Gulielm. *omne arbitrio tuo:* quod repertum mihi in Pal. tert.

9. *Ea tantæ mihi curæ ſunt, ut me nolim admoneri.*] Locus correctorum flagitio corruptus, liquet mihi ex libris mſſ. in Stewech. (ſicut in Pal. quart. fuiſſe raſuræ veſtigia ducunt) *ea, ut ante, mihi curæ ſint, & me velim admoneri.* Pall. prim. ſec. (licet hic quoque ſubierit manus poparum librariorum) *ea & ante mihi curæ ſint, ut me velim admoneri. rogari verò ſine magno dolore vix poſſim.* ſicut & Gruteri tert. *ea, ut ante mihi curæ ſint, & me nolim admoneri.* Ego quid ſtatuam ἐπέχω; lubeat prius alios inſpectare, cernere hanc pugnam.

10. *Se paraturum cum collega.*] Primus aſſertor hujus lectionis Victorius, qui invenerat in ſuis vetuſtis libris *ſeparaturum;* ut eſt in Grut. Pal. quart. editione prima. ſed in ceteris tribus *ſe paraturum* diviſim. *Partiturum* vulgò, quod tamen extitiſſe quidam in Politiani libro notant; & Egnatius oræ primæ impreſſionis impegit, ex aliquo veteri codice.

1. *Ferre*

ſuum collega, tibique ſucceſſurum: legemque curiatam conſuli [1] ferre opus eſſe, neceſſe non eſſe: ſe, quoniam ex ſenatuſconſulto provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introiſſet. Ego, quid ad te tuorum quiſque neceſſariorum ſcribat, neſcio: varias eſſe opiniones intelligo. ſunt qui putent poſſe te non decedere, quòd ſine lege curiata tibi ſuccedatur: ſunt etiam, qui, ſi decedas, à te relinqui poſſe, qui provinciæ præſit. Mihi non tam de jure certum eſt (quamquam ne id quidem valde dubium eſt) quàm, illud ad tuam ſummam amplitudinem, [2] dignitatem, libertatem, qua te ſcio libentiſſimè frui ſolere, pertinere, te ſine ulla mora provinciam ſucceſſori concedere, præſertim cùm ſine ſuſpicione tuæ cupiditatis non poſſis illius cupiditatem refutare. Ego utrumque meum puto eſſe, & quid ſentiam, oſtendere, & quod feceris, defendere. Scripta jam epiſtola ſuperiore, [3] accepi tuas litteras de publicanis: quibus æquitatem tuam non potui non probare, [4] felicitate quidem, vellem, conſequi potuiſſes, ne ejus ordinis, quem ſemper ornaſti, rem, aut voluntatem offenderes. Equidem non deſinam tua decreta defendere: ſed noſti conſuetudinem hominum. ſcis, [5] quàm graviter inimici ipſi illi Qu. Scævolæ fuerint. Tibi tamen ſum auctor, ut ſi quibus rebus poſſis, eum tibi ordinem aut reconcilies, aut mitiges. Id etſi difficile eſt, tamen mihi videtur eſſe prudentiæ tuæ. Vale.

M. T. C. S. D. L. VALERIO, JURISCONSULTO. 10

[6] CUR enim tibi hoc non gratificer, neſcio: præſertim cum *his temporibus audacia pro ſapientia liceat uti*. Lentulo noſtro egi per litteras tuo nomine gratias diligenter. Sed tu velim deſinas jam noſtris litteris uti, & nos aliquando reviſas: & ibi malis eſſe, ubi aliquo numero ſis, quàm iſtic, ubi ſolus ſapere videare. [7] Quamquam qui iſtinc veniunt, partim te ſuperbum eſſe dicunt, quòd nihil reſpondeas: partim contumelioſum, quòd male reſpondeas. Sed jam cupio tecum coram jocari. Quare fac, ut quam primùm venias, neque in Apuliam tuam accedas, ut poſſimus ſalvum veniſſe gaudere. Nam illo ſi veneris, tamquam Ulyſſes, cognoſces tuorum neminem. Vale.

1. *Ferre opus eſſe, neceſſe non eſſe.*] Ita omnes editiones: & mſſ. vulgò tamen ex officina Magiſtellorum: *ſibi neceſſe non eſſe.*

2. *Dignitatem, libertatem.*] Et hic prætulimus lectionem accuratiſſimi Victorii inventam nobis in Pall. quatuor, Gruteriano, Stewech. Vatic. editione prima: nec laudamus vanitatem Lambini, vel ambitionem putantis hic egregiam ſe diſcedendi à Victorio occaſionem nactum eſſe, *liberalitatem* contra propugnantis: ſicut ſupra (ita ingenium ejus deditum erat novitatibus) edentis, *quoad urbem introiſſet*, ne videretur Victorio acceptum referre. ſi, ut ille edidit, utque habet codex Medic. notatus Egnatio, *quoad in urbem introiſſet*, veterem lectionem produxiſſet.

3. *Accepi tuas litteras de publicanis.*] Gulielmius adnotat ex libro vet. legi *oſtendi*, unde conjectat *offendi*. ſicut paullò ante ex Stewech. *ſine præſumtione tuæ cupiditatis.*

4. *Felicitate quidem vellem conſequi, potuiſſes.*] Adhæſi potius Victorio, Lambino, Manutio, ita edentibus, quàm ut incertus jactarer; accedente proximè Pal. tertio, optimo codice: *felicitate autem quid vellem:* nec differebat quart. ut ex raſura conjici poteſt. Grut. *felicitatem autem quid vell.* Vatic. ut ex ſuis quoque notat Manut. *felicitatem quidem vellem conſequi potuiſſes.* ceteri, ut editio princeps: *facilitate autem quid vell.* noſtrum omnino liquidiſſimum eſt.

5. *Quàm graviter inimici ipſi illi Q. Scævolæ fuerint.*] Elegantius geminato provocabulo δεικτικῷ ſeu ἐμφατικῷ. Pall. o. Victor. Medic. cod. Stewech. Gruterianus tamen: *ipſi & illi Q. Scæv.* Paullo ante legebant duo Pall. præſtantiſſimi, tert. quartus; *Tandem non deſinam tua decreta defendere.* paullò poſt ſcripſi ex omnibus mſſ. numero octo; editionibus dein melioribus; *ut ſi quibus rebus poſſis.* vulgò *ſi* omiſſum.

6. *Cur enim tibi hoc non gratificer.*] Inficetæ editiones vulgatæ: *tibi hoc uno.* Suſtuli illud *uno* ſuppoſito *non* auctoritate & editionum & mſſ. omnium.

7. *Quanquam qui iſtinc veniunt.*] Vulgo: *qui iſtinc nunc veniunt.* unde conjectura Gulielmius volebat: *huc ven.* ſed τὸ *nunc* abjurant tres Pall. (nam in quarto ejus loco abſtruſius fuiſſe conjicio ex raſurâ) Grut. Stewech. ſicut & illud *te* paullo poſt: *ut poſſimus ſalvum veniſſe gaudere:* ſuaſit omnium mſſ. tum Vatic. quoque editionis primæ, ac Victorianæ.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM AD C. CURIONEM, ET CETEROS, LIBER SECUNDUS.

1 M. T. C. S. D. C. CURIONI.

QUAMQUAM me nomine negligentiæ ſuſpectum tibi eſſe doleo, tamen non tam mihi moleſtum fuit accuſari abs te officium meum, quàm jucundum requiri: præſertim cùm in quo accuſabar, culpa vacarem: in quo aut deſiderare te ſignificabas meas litteras, præ te ferres perſpectum mihi quidem, ſed tamen dulcem, & optatum amorem tuum. Equidem neminem prætermiſi, quem quidem ad te perventurum putarem, cui litteras non dederim. etenim [1] quis eſt tam ſcribendo impiger, quàm ego? [2] A te verò bis, terve ſummum, & eas perbreveis accepi. Quare ſi iniquus es in me judex, condemnabo eodem ego te crimine: ſin me id facere noles, te mihi æquum præbere debebis. Sed de litteris hactenus. non enim vereor, ne non ſcribendo te expleam: præſertim ſi in eo genere ſtudium meum non aſpernabere. Ego te abfuiſſe tamdiu à nobis [3] & dolui, quòd carui fructu jucundiſſimæ conſuetudinis: & lætor, quòd abſens omnia cum maxima dignitate es conſecutus: quodque in omnibus tuis rebus, meis optatis fortuna reſpondit. Breve eſt, quod me tibi præcipere meus incredibilis in te amor cogit. tanta eſt exſpectatio vel animi, vel ingenii tui, ut ego te obſecrare obteſtarique non dubitem, [4] ſic

1. QUis eſt tam ſcribendo impiger quàm ego?] Delevi particulam *in* auctoritate Victorii, Palat. prim. ſec. quint. Grut. licet eam reperiſſe affirmet in tribus Manutius. Ceterum initium hujus periodi valde variat in mſſ. Pal. tert. Stewech. *Quis enim eſt.* Omninò veriſſima lectio Gruteriani liquet. *Enim quis eſt tam ſcribendo:* ut illud *&* præfixum ſit ab indocto & naſuto Magiſtello.

2. *A te vero bis terve ſummum & eas perbreves accepi.*] Diligentiſſimus Victorius ſic ex ſuo libro edidit, cui tradunt aſſenſus ſuos Pal. pr. ſec. Grut. Stewech. Martin. vulgati: *ad ſummum.*

3. *Et dolui, quod carui fructu jucundiſſimæ conſuetudinis; & lætor.*] Ita ſcribo ex editione Victorii; & ferè omnibus Pall. nam *dolui* habet Vict. Pal. pr. Vatican. & τὸ *tuæ* ignorant quinque, Pall. ſex. Manut. Grut. aliique. vulgo: *& doleo quod c. fr. juc. conſ. tuæ; & lætor.*

[1] ſic ad nos conformatus revertare, ut, quam exſpectationem tui concitaſti, hanc ſuſtinere, ac tueri poſſis. Et, quoniam meam tuorum erga me meritorum [2] memoriam ulla numquam delebit oblivio, te rogo, ut memineris, quantæcumque tibi acceſſiones fient & fortunæ, & dignitatis, eas te non potuiſſe conſequi, niſi meis puer olim fideliſſimis, atque amantiſſimis conſiliis paruiſſes. Quare hoc animo in nos eſſe debebis, ut ætas noſtra jam ingraveſcens, in amore, atque [3] in adoleſcentia conquieſcat. Vale.

2 M. T. C. C. CURIONI, S. D.

GRAVI teſte privatus ſum amoris ſummi erga te mei, patre tuo, clariſſimo viro: qui cùm ſuis laudibus, tùm verò te filio ſuperaſſet omnium fortunam, ſi ei contigiſſet, ut te antè videret, quàm à vita diſcederet. Sed ſpero noſtram amicitiam non egere teſtibus. Tibi patrimonium dii fortunent. Me certè habebis [4] cui & carus æquè ſis, & jucundus, ac fuiſti patri.

3 M. T. C. C. CURIONI, S. D.

[5] RUPÆ ſtudium non defuit declarandorum munerum tuo nomine: ſed nec mihi placuit, nec cuiquam tuorum, quidquam, te abſente, fieri, quod tibi, cùm veniſſes, non eſſet integrum. [6] Equidem quid ſentiam aut ſcribam ad te poſtea pluribus, aut, ne ad eam meditere, imparatum te offendam, [7] coramque contra iſtam rationem, meam dicam: ut aut te in meam ſententiam adducam: aut certè teſtatum apud animum tuum relinquam, quid ſenſerim: ut, ſi quando (quod nolim) diſplicere tibi conſilium tuum cœperit, poſſis meum recordari. Brevi tamen ſic habeto, in eum ſtatum temporum tuum reditum incidere, ut iis bonis, quæ tibi natura, ſtudio, fortuna data ſunt, faciliùs omnia, quæ ſunt ampliſſima in rep. conſequi poſſis, quam muneribus: quorum neque facultatem quiſquam admiratur (eſt enim copiarum, non virtutis) neque quiſquam eſt, quin *ſatietate jam defeſſus ſit*. Sed aliter, atque oſtenderam, facio, qui ingrediar ad explicandam rationem ſententiæ meæ. Quare omnem hanc diſputationem in adventum tuum differo. Summa ſcito in exſpectatione te eſſe, eaque à te exſpectari, quæ à ſumma virtute, ſummoque ingenio exſpectanda ſunt: ad quæ ſi es, ut debes, paratus: (quod ita eſſe confido) plurimis, maximiſque muneribus & nos amicos, & civeis tuos univerſos, & remp. afficies. Illud cognoſces profectò, mihi te neque cariorem, neque jucundiorem eſſe quemquam.

4 M. T. C. C. CURIONI, S. D.

EPiſtolarum genera multa eſſe non ignoras: ſed unum illud certiſſimum, cujus cauſa inventa res ipſa eſt, ut certiores faceremus abſenteis, ſi quid eſſet, quod eos ſcire, aut noſtra, aut ipſorum intereſſet. [8] Hujus generis litteras à me profectò non expetis. Tuarum enim rerum domeſticarum habes & ſcriptores, & nuntios. In meis autem rebus nihil eſt ſanè novi. Reliqua ſunt epiſtolarum genera duo, quæ me magnopere delectant: unum familiare, & jocoſum: alterum ſeverum, & grave. Utro me minùs deceat uti, non intelligo. Jocerne tecum per litteras? civem mehercule non puto eſſe, qui temporibus his ridere poſſit. An gravius aliquid ſcribam? quid eſt, quod poſſit graviter à Cicerone ſcribi ad Curionem, niſi de rep. Atque in hoc genere hæc mea cauſa eſt, [9] ut neque ea, quæ non ſentio, velim ſcribere. Quamobrem, quoniam mihi nullum ſcribendi argumentum relictum eſt, utar ea clauſula, qua ſoleo, teque ad ſtudium ſummæ laudis cohortabor. Eſt enim tibi gravis adverſaria conſtituta & parata, incredibilis quædam exſpectatio: quam tu una re facillimè vinces, ſi hoc ſtatueris, QUARUM LAUDUM gloriam adamaris: quibus artibus eæ laudes comparantur, in iis eſſe laborandum. In hanc ſententiam ſcriberem plura, niſi te tua ſponte ſatis incitatum eſſe confiderem: & hoc, quidquid attigi, non feci inflammandi tui cauſa, ſed teſtificandi amoris mei. Vale.

M. T. C. C. CURIONI, S. P. D. 5

HÆC negotia quomodo ſe habeant, ne epiſtola quidem narrare audeo. tibi, etſi ubicumque es (ut ſcripſi ad te antea) in eadem es navi: tamen quòd abes, gratulor: vel quia non vides ea, quæ nos: vel quòd excelſo, & illuſtri loco ſita ſit laus tua, in plurimorum & ſociorum, & civium conſpectu: quæ ad nos nec obſcuro, nec vario ſermone, [10] ſed & clariſſima, & una omnium voce perfertur. Unum illud neſcio, gratulerne tibi, an timeam, quòd mirabilis eſt exſpectatio reditus tui: non quò verear, ne tua virtus opinioni hominum non reſpondeat: ſed mehercule, ne, cùm veneris, non habeas jam, quod cures: [11] ita ſunt omnia debilitata jam propè & exſtincta. Sed hæc ipſa neſcio, rectene ſint litteris commiſſa. quare cetera cognoſces ex aliis. Tu tamen, ſive habes aliquam ſpem de rep. ſive deſperas: ea para, meditare, cogita, quæ eſſe in eo civi, ac viro debent, qui ſit remp. afflictam, & oppreſſam miſeris temporibus, ac perditis moribus, in veterem dignitatem ac libertatem, vindicaturus.

M. T. C. C. CURIONI, S. P. D. 6

NONDUM erat auditum, te ad Italiam adventare, [12] cùm Sextum Villium, Milonis mei familiarem, cum his ad te litteris miſi. Sed tamen cùm appropinquare tuus adventus putaretur, & te jam ex Aſia Romam verſus profectum

1. *Sic ad nos conformatus revertare.*] Hanc exhibet in ſua editione lectionem Victorius, quam & nos recepimus adducti conſenſu Pal. pr. ſec. quint. Vatican. editionis principis. In Grut. eſt vulgi lectio; *confirmatus* cum ſuperſcriptâ gloſsâ, *inſtitutus*; Manutius tractum à ponderibus putat, quæ non facile ſuſtinent imbecilli. ſed non opus eſt hoc effugio: *conformat ſè* qui ſe præparat exſpectationi ſuſtinendæ.

2. *Memoriam ulla nunquam delebit oblivio.*] Paſillum hoc; ſed ita tamen edendum, ut praeunt meliores libri: nempe Victorii. Vatic. Pall. quart. quintus. vulgò *nulla unquam*.

3. *In adoleſcentia conquieſcat.*] Expunxi ut ſupervacuum *tua*, auctoritate Pall. pr. ſec. quint. Grut. in aliis tranſpoſitè: *adoleſcentiâ conquieſcat tua*. ſicut in Peckii libro. Ven. edit. ac Manutii.

4. *Cui & carus æquè ſis & jucundus.*] Sic Victorius: Pal. pr. Grut. Stewech. nam Vatic. Pal. ſec. *cui & carus atque ſis & perjocund.* vulgo: *cui carus æquè ſis & perjucundus*.

5. *Rupæ ſtudium non defuit.*] Solus Pal. primus hanc lectionem præfert: nam tert. *id ſuper ſtudium non def.* Grut. *ſuper ſtudium.* Mire hanc (nam veriſſima eſt) indagatas eſt Victorius, eum ſecuti, Lambinus aliique, diſſimulant. Vulgò peſſime: *nempe ſtudium meum non defuit*.

6. *Equidem quid ſentiam aut ſcribam.*] Sic optimus cod. Med. Sic Vatic. ſic Victorius edidit. Grut. Pal. tert. *equidem ſententiam.* Stewech. *equidem ſentiam*. notat præterea in aliis binis ſuis legi Gulielmius, *equidem meam ſententiam*. Vulgo: *meam quidem ſententiam aut ſcribam*.

7. *Coramque contra iſtam rationem meam dicam.*] Conſenſio codicum meliorum & hanc lectionem Victorio ac Lambino perſuaſit: & ſic quoque eſt in Pall. pr. ſec. tert. Gruter. nam quart. *contra iſtam tuam rationem dicam ut aut te in meam ſent.* quint. *coramque te contra iſtam rationem dicam*. vulgo: *contra iſtam tuam rat.*

8. *Hujus generis litteras à me profectò non expetis.*] Sic habetur in Pall. tert. quint. eratque item in ſec. ac quarto, præ ceteris manus corruptrices expertis: pro quo in hoc *expectes*. in illo *exſpectis*. ſed *expetis* quoque adnotat ex Stewech. Gulielmius, firmatque Pal. pr. exhibendo *expetar*. Vulgò *expetras*: alii *exſpectabis*.

9. *Ut neque ea, quæ non ſentio, velim ſcribere.*] Rectè hoc Manutius ex ſuis libris ac Medic. extat quoque hæc lectio in quinque Pall. Grut. Stewech. vulgo: *quæ nunc ſentio*.

10. *Sed & clariſſimâ & una omnium voce perfertur.*] Sic cum Lamb. & pleriſque mſſ. volui. Victorius tamen edidit: *ſed & clariſſima & unâ, unâ omnium voce perfertur*; cui ferè in omnibus accedit Pal. prim. *ſed & clariſſima & unâ & unâ omnium voce perf.* quart. *& clariſſimâ & unâ omnium & vivâ voce perf.*

11. *Ita ſunt omnia debilitata jam prope & exſtincta.*] Primæ impreſſionis lectionem exhibui inventam quoque in Pall. ſec. tert. quart. Peck. Gruter. Stewech. tamen ut Lamb. ediderat, *debilitata jam, & prope & exſtincta.* Palat. prim. quint. ſic quoque niſi quod copulam & ſpernant. vulgò: *debilitata, & jam propè exſtincta*.

12. *Cùm Sext. Villium Milonis mei familiarem.*] Hoc nomen præferunt editionum optimæ Vict. ac Manut. extatque ea lectio in Pal. pr. Vatic. alii hic mihi, *Sextum alium*, alii *Servilium* citant, quæ nomina tantum à manu radente reſpondent in libris noſtris.

ctum eſſe conſtaret, magnitudo rei fecit, ut non vereremur, ne nimis citò mitterem, cum has quàm primum ad te perferri litteras magnoperè vellemus. Ego ſi mea in te eſſent officia ſolùm, Curio, tanta, quanta magis à teipſo prædicari, quàm à me ponderari ſolent: verecundiùs a te, ſi qua magna res mihi petenda eſſet, contenderem. GRAVE EST ENIM homini pudenti, petere aliquid magnum ab eo, de quo ſe benè meritum putet: ne id, quod petat, exigere magis, quàm rogare: & in mercedis potiùs, quàm beneficii loco numerare videatur. Sed quia tua in me, vel nota omnibus, vel ipſa novitate meorum temporum clariſſima & maxima beneficia exſtiterunt: ESTQUE ANIMI ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere; non dubitavi id à te per litteras petere, quod mihi omnium eſſet maximum, maximeque neceſſarium. Neque enim ſum veritus, [1] ne ſuſtinere tua in me vel innumerabilia non poſſem: cùm præſertim conſiderem, nullam eſſe gratiam, [2] quam non vel capere animus in accipiendo, vel in remunerando, cumulandoque illuſtrare poſſet. Ego omnia mea ſtudia, omnem operam, curam, induſtriam, cogitationem, mentem denique omnem in Milonis conſulatu fixi, & locavi: ſtatuique in eo me non officii ſolùm fructum, ſed etiam pietatis laudem debere quærere. Neque verò cuiquam ſalutem, ac fortunas ſuas tantæ curæ fuiſſe umquam puto, quantæ mihi ſit honos ejus, in quo omnia mea poſita eſſe decrevi. Huic te unum tanto adjumento eſſe, ſi volueris, poſſe intelligo, ut nihil ſit præterea nobis requirendum. Habemus hæc omnia: bonorum ſtudium conciliatum ex tribunatu, propter noſtram (ut ſpero te intelligere) cauſam: vulgi, ac multitudinis, [3] propter magnificentiam munerum, liberalitatemque naturæ: juventutis, & [4] gratioſorum in ſuffragiis ſtudia, propter ipſius excellentem in eo genere, vel gratiam, vel diligentiam: noſtram ſuffragationem, [5] ſi minùs potentem, at probatam tamen, & juſtam, & debitam, & propterea fortaſſe etiam gratioſam. Dux nobis, & auctor opus eſt, & eorum ventorum, quos propoſui, moderator quidam, & quaſi gubernator: [6] qui ſi ex omnibus unus optandus eſſet: quem tecum conferre poſſemus, non haberemus. Quamobrem, ſi me memorem, ſi gratum, ſi bonum virum, vel ex hoc ipſo quòd tam vehementer de Milone laborem, exiſtimare potes: ſi dignum denique tuis beneficiis judicas: hoc à te peto, ut ſubvenias huic meæ ſollicitudini, ut huic meæ laudi, [7] vel (ut verius dicam) propè ſaluti tuum ſtudium dices. De ipſo T. Annio tantum tibi polliceor, te majoris animi, gravitatis, conſtantiæ, benivolentiæque erga te, ſi complecti hominem volueris, habiturum eſſe neminem. Mihi verò tantum decoris, tantum dignitatis adjunxeris, ut eundem te facilè agnoſcam fuiſſe in laude mea, qui fueris in ſalute. Ego, ni te videre ſcirem, [8] cùm ad te hæc ſcriberem, quantum officii ſuſtinerem, quantoperè mihi eſſet in hac petitione Milonis omni, non modò contentione, ſed etiam dimicatione elaborandum, plura ſcriberem. Nunc tibi omnem rem, atque cauſam, meque totum commendo, atque trado. Unum hoc ſic habeto: ſi à te hanc rem impetrâro, me pænè plus tibi, quàm ipſi Miloni debiturum. non enim mihi tam mea ſalus cara fuit, in qua præcipuè ſum ab illo adjutus: quàm pietas erit in referenda gratia, jucunda. eam autem unius tui ſtudio me aſſequi poſſe confido. Vale.

M. T. C. PRO-CONSUL C. CURIONI, TRIBUNO PL. S. D.

SERA gratulatio reprehendi non ſolet, præſertim ſi nulla negligentia prætermiſſa eſt. longè enim abſum: audio ſerò. Sed tibi & gratulor: &, ut ſempiternæ laudi tibi ſit iſte tribunatus, exopto: teque hortor, ut omnia gubernes, & moderêre prudentia tua: ne te auferant aliorum conſilia. Nemo eſt, qui tibi ſapientiùs ſuadere poſſit te ipſo: numquam labêre, ſi te audies. Non ſcribo hoc temerè: cui ſcribam, video: novi animum, novi conſilium tuum. non vereor, nequid timidè, nequid ſtultè facias, ſi ea defendes, quæ ipſe recta eſſe ſenties. Quòd in id reip. tempus non incideris, ſed veneris (judicio enim tuo, non caſu in ipſum diſcrimen rerum contuliſti tribunatum tuum) profectò vides, quanta vis in rep. temporum ſit, quanta varietas rerum, quàm incerti exitus, quam flexibiles hominum voluntates: quid inſidiarum, quid vanitatis in vita, non dubito, quin cogites. Sed amabo te, cura, & cogita, nihil novi, ſed illud idem, quod initiò ſcripſi: tecum loquere: & te adhibe in conſilium: te audi: tibi obtempera. [9] alteri qui melius dare conſilium poſſit, quàm tu, non facilè inveniri poteſt: tibi verò ipſi certè nemo melius dabit. Dii immortales, cur ego non adſum, vel ſpectator laudum tuarum, vel particeps, vel ſocius, vel miniſter conſiliorum? [10] jam etſi hoc minimè tibi deeſt, ſed tamen efficeret magnitudo, vis amoris mei, conſilio te ut poſſem juvare. Scribam ad te plura aliàs. paucis enim diebus eram miſſurus domeſticos tabellarios: ut, quoniam ſanè feliciter, & ex mea ſententia remp. geſſimus, unis litteris totius æſtatis res geſtas ad ſenatum perſcriberem. De ſacerdotio tuo quantam curam adhibuerim, [11] quamquam difficili in re, atque cauſa, cognoſces ex iis litteris, [12] quas Tharaſoni, liberto tuo, dedi. Te, mi Curio, pro tua incredibili in me benivolentia, meaque item in te ſingulari, rogo, atque oro, ne patiare quidquam mihi ad hanc provincialem moleſtiam temporis prorogari. Præſens tecum egi, cùm te tribunum pleb. iſto anno fore non putarem: itemque petivi ſæpius per litteras: ſed tum quaſi à ſenatore nobi-

1. *Ne ſuſtinere tua in me vel innumerabilia non poſſem.*] Ablegant τὸ *beneficia* in charonium quinque Pall. Grut. editio Victorii: ſicut paullò poſt τὸ *tantum.*

2. *Quam non vel capere animus meus in accipiendo, vel in remunerando cumulandoque illuſtrare poſſet.*] Reddiderunt hæc ſuo vigori Vict. ac Lamb. ſic mihi quoque conſpecta in omnibus Pall. Grut. Vatic. Stewech. Vulgo totus complexus ſic edebatur: *Neque enim ſum veritus, ne ſuſtinere tua in me vel innumerabilia beneficia non poſſem: cum præſertim conſiderem, nullam eſſe gratiam tantam, quam vel non capere animus meus accipiendo: vel remunerando cumulandoque illuſtrare poſſet.* Nihil, ne latum quidem unguem à mſſ. diſceſſimus.

3. *Propter magnificentiam munerum, liberalitatemque naturæ.*] Sic Grut. Pal. ſec. tert. quart. ad marginem; quint. edit. prima Stewech. Peckii *libertatem.* alias quart. in textu: *liberalitatemque neceſſariæ juventutis.*

4. *Gratioſorum in ſuffragiis ſtudia.*] Non eſt hæc vulgarium edit. lectio, ſed omnium mſſ. editioniſque Vict. ipſiuſque cod. Medic. cui parcere debebat Manut. neque *ſtudia* ſine conſilio ac ſuaſu librorum temere ejicere ut gloſſema.

5. *Si minus potentem; at probatam tamen.*] In Pall. ſec. tert. ceteriſque omnibus, ſicut & editione vetuſtiſſima *ac probat.* placuit tamen Stewechiani cod. ſcriptura, quam præceperunt Vict. Lamb Manut. vulgo: *approbatam.*

6. *Qui ſi ex omnibus unus optandus eſſet.*] Licet rejecerit hanc lectionem Guliel. tamen probatam Vict. ex Med. cod. (ut eam annotat primæ edit. Egnatius) mihi verò deprehenſam in Pall. pr. quint. Vatic. religio fuit poſtponere, certe elegantiorem ac meliorem mihi viſam vulgata *exoptandus.* plura nihil attinet ingerere in hac temporis caritate.

7. *Vel (ut verius dicam) propè ſaluti tuum ſtudium dices.*] Arriſit hoc nobis ex antiquiſſima editione; dein Vict Lamb. Manut. denique mſſ. Pal. pr. Vat. Peck. vulgo: *propriæ ſaluti.*

8. *Cum hæc ad te ſcriberem.*] Miror quid acciderit Pal. pr. ſec. referentibus, *cum in te hæc ſcriberem*: & tert. Grut. *quem in te hæc ſcriberem.*

9. *Alteri qui melius dare conſilium poſſit.*] Sic habent plerique libri & editiones. Pall. tamen tert. quart. quint. totidemque Gulielmii *alter qui melius*, quod exhibet quoque editio prima.

10. *Jam etſi hoc minimè tibi deeſt.*] Sic præferunt Pall. pr. ſec. quint. totidem Gulielmii: vulgò *tametſi.* ſupra agnoſcunt Pall. pr. ſec. tert. Grut. *cur ego abſum*: ſicut ſec. non *miniſter* ſed *magiſter.*

11. *Quamquam difficili in re.*] Rectè ſic Victor. Pall. pr. tert. quint. Medic. Stewech. aliàs *quamque difficili.*

12. *Quas Taraſoni liberto tuo dedi.*] Hoc nomen Liberto Curionis indidit editio primitus cuſa, Pall. tert. Grut. duo Guliel. Pall. pr. *Tharaſoni* quint. *Taſſazoni.* vulgò *Thraſoni.*

nobiliſſimo, tum adoleſcente gratioſiſſimo: nunc à tribuno pleb. & à Curione tribuno: non ut decernatur aliquid novi: quod ſolet eſſe difficilius: ſed ut ne quid novi decernatur: & [1] ut ſenaticonſultum, & leges defendas: eaque mihi conditio maneat, qua profectus ſum. Hoc te vehementer etiam, atque etiam rogo. Vale.

8 M. T. C. PROCONSUL, M. COELIO S. D.

QUID? tu me hoc tibi mandaſſe exiſtimas, ut mihi gladiatorum compoſitiones, ut vadimonia dilata, & Chreſti compilationem mitteres, & ea, quæ nobis, cùm Romæ ſumus, narrare nemo audeat? Vide, quantum tibi meo judicio tribuam, (nec mehercule injuria. πολιτικώτερον enim te adhuc neminem cognovi) ne illa quidem curo mihi ſcribas, quæ maximis in rebus reip. geruntur quotidie, niſi quid ad me ipſum pertinebit. ſcribent alii: multi nuntiabunt. perferet multa etiam ipſe rumor. Quare ego nec præterita nec præſentia abs te, ſed ut ab homine longè in poſterum proſpiciente, futura exſpecto, ut ex tuis litteris, cùm formam reip. viderim, quale ædificium futurum ſit, ſcire poſſim. Neque tamen adhuc habeo, quòd te accuſem. neque enim fuit, quod tu plus providere poſſes, quàm quivis noſtrûm, inprimiſque ego, qui cùm Pompejo complures dies nullis in aliis, niſi de rep. ſermonibus verſatus ſum. quæ nec poſſunt ſcribi, nec ſcribenda ſunt. Tantum habeto, civem egregium eſſe Pompejum, & ad omnia, quæ providenda ſunt in rep. & animo, & conſilio paratum. Quare da te homini. complectetur, mihi credo. Jam iidem illi & boni, & mali cives videntur, qui nobis videri ſolent. Ego cùm Athenis decem ipſos dies fuiſſem, multumque mecum Gallus noſter Caninius, proficiſcebar inde prid. nonas Quint. cùm hoc ad te litterarum dedi. Tibi cùm omnia mea commendatiſſima eſſe cupio, tum nihil magis, quàm ne tempus nobis provinciæ prorogetur. in eo mihi ſunt omnia. Quod, quando, & quomodo, & per quos agendum ſit, tu optimè conſtitues. Vale.

9 M. T. C. COELIO RUFO, ÆDILI CURULI DESIGNATO S. D.

PRIMUM tibi, ut debeo, gratulor, lætorque cùm præſenti, tum etiam ſperata tua dignitate, ſeriùs, non negligentia mea, [2] ſed ignorantia rerum omnium. in his enim ſum locis, quò & propter longinquitatem, & propter latrocinia, tardiſſimè omnia perferuntur. Et cùm gratulor, tum verò quibus verbis tibi gratias agam, non reperio, [3] quòd ita factus ſis, ut dederis nobis, quemadmodum ſcripſeras ad me, quem ſemper ridere poſſemus. Itaque cùm primùm audivi, ego ille ipſe factus ſum, ſcis quem dicam: egique omneis illos adoleſcenteis, [4] quos ille jactitat. difficile eſt loqui. Te autem contemplans abſentem, & quaſi tecum coràm loquerer, *Non edepol, quantam egeris rem, neque quantum facinus feceris.* Quod quia præter opinionem mihi acciderat, referebam me ad illud: *Incredibile hoc factu objicitur.* repentè verò inceſſi omnibus lætitiis. In quo cum objurgarer, quòd nimio gaudio pænè deſiperem: ita me defendebam: [5] *Ego voluptatem animi nimiam.* Quid quæris? dum illum rideo, pænè ſum factus ille. Sed hæc pluribus: multaque alia & de te, & ad te, cum primùm ero aliquid otii nactus. Te verò, mi Rufe, diligo, quem mihi fortuna dedit amplificatorem dignitatis meæ, ultorem non modò inimicorum, ſed etiam invidorum meorum: ut eos partim ſcelerum ſuorum, partim etiam ineptiarum pœniteret. Vale.

M. T. C. IMP. M. COELIO RUFO, ÆDILI CURULI DESIGNATO S. D. 10

TU vide, quàm ad me litteræ non perferantur. non enim poſſum adduci, ut abs te, poſteà quàm ædilis es factus, nullas putem datas: præſertim cùm eſſet tanta res, tantæ gratulationis: de te, quia quod ſperabam [6] de nihilo. Balbus enim ſum, quod non putaram. Atqui ſic habeto, nullam me epiſtolam accepiſſe tuam poſt comitia iſta præclara: quæ me lætitia extulerunt: ex quo vereor, ne idem eveniat in meas litteras. Equidem nunquam domum miſi unam epiſtolam, quin eſſet ad te altera: nec mihi eſt te jucundius quidquam, nec carius. Sed balbi non ſumus: ad rem redeamus. Ut optaſti, ita eſt. velles enim, ais, tantummodò ut haberem negotii, quod eſſet ad laureolam ſatis. Parthos times, quia diffidis copiis noſtris. ergo ita accidit. Nam Parthico bello nuntiato, locorum quibuſdam anguſtiis, & natura montium fretus, ad Amanum exercitum adduxi, ſatis probè ornatum auxiliis, & quadam auctoritate apud eos, qui me non norant, nominis noſtri. Multum eſt enim in his locis: *Hiccine eſt ille, qui urbem? quem ſenatus?* noſti cetera. Cùm veniſſem ad Amanum, qui mons mihi cum Bibulo communis eſt, diviſus aquarum divortiis Caſſius noſter, quod mihi magnæ voluptati fuit, feliciter ab Antiochea hoſtem rejecerat. Bibulus provinciam acceperat. Intereà cum meis copiis omnibus, vexavi Amanienſeis, hoſteis ſempiternos. multi occiſi, capti: reliqui diſſipati: caſtella munita, improviſo adventu capta, & incenſa. Ita victoria juſta imperator appellatus apud Iſſum (quo in loco ſæpe, ut ex te audivi, Clitarchus tibi narravit, Dareum ab Alexandro eſſe ſuperatum) [7] adduxi exercitum ad infeſtiſſimam Ciliciæ partem. Ibi quintum viceſimum jam diem aggeribus, vineis, turribus oppugnabam oppidum munitiſſimum, Pindeniſſum, [8] tantis operibus, tantoque negotio, ut mihi ad ſummam gloriam nihil deſit, niſi nomen oppidi: quod ſi, ut ſpero, cepero: tum verò litteras publicè mittam. Hæc ad te in præſenti ſcripſi, ut ſperes, te aſſequi id, quod optaſſes. Sed, ut redeam ad Parthos, hæc æſtas habuit hunc exitum ſatis felicem. Ea, quæ ſequitur, magno eſt in timore. Quare, mi Rufe, vigila: primùm ut mihi ſuccedatur: ſin id erit, ut ſcribis, [9] &, ut ego arbitror, ſpiſſius: illud, quod facile eſt, nequid

1. *Ut Senaticonſultum & leges defendas.*] Frementibus Magiſtellis produxi hanc lectionem ex editione Victorii ac Pal. pr. Vatic. ut ſæpe Livius. vulgò *Senatusconſultum.*

2. *Sed ignorantiâ rerum omnium.*] Invenit hoc vocabuli in novem mſſ. Manut. ipſe in Pall. quatuor poſterioribus ac Grut. notatque hic Egnatius ad primam editionem, ex Medic. item Gulielm. ex tribus. ſed *ignoratione* tuetur Victorius, & Pal. pr. quem codicem ut minime hucuſque ſubleſtæ fidei ac manus expertus ſum.

3. *Quod ita factus ſis.*] Debetur hoc quoque editionum vetuſtiſſimæ atque Victorio, teſtorque ſic exſtare in Pall. pr. tert. Vatic. Grut. Stewech. Peck. Vulgo; *quod ita factum ſit.*

4. *Quos ille jactitat.*] Hoc præferunt quatuor Pall. (nam ſec. *iactat,*) Grut. Vict. edit. ac prima. alii *abutat.* quod in nullo noſtrorum extat. vulgo; *jactitabat.* ſed hæc minuta ſunt; indicanda tamen: ne aliquid ſine libris tentaſſe videamur. ſicut & illud: *ſcis quem dicam,* repoſui ex Victorio: Pal. pr. Vatic. Stewech. non *dicam.*

5. *Ego voluptatem animi nimiam.*] Addixi meam credulitatem hic Vict. Lamb. Manut. Vatic. abeuntibus ab omnibus noſtris: nam pr. *homini*, ſicut vulgò. ſec. *hominum.* tert. *hominib.* quart. Grut. *habui.* quint. *omnium*; repræſentat. ſicut in illo; *incredibile hoc factu objicitur.* ubi nullus non diſceſſionem facit. pr. *incredibilis, hoc factum objicitur.* ſec. *incredibile hoc factum abjicitur*; præſertim diſpunctione, quas annotare non operæ eſt.

6. *De nihilo. Balbus enim ſum, quod non putaram.*] Hæc eſt omnium mſſ. lectio: quam ut integram affirmare non audemus: ita aliorum conjecturæ codicum ſcripturam præferre tutius viſum. emendarunt alii: *De Hillo (Balbus enim ſum) quod.* Gulielm. ariolabatur, *dein, Hilo.*

7. *Adduxi exercitum ad infeſtiſſimam Ciliciæ partem.*] Probabat hanc Lambini lectionem, Gulielm. ex Stewech. & Peck. quæ quia exſtabat in Pall. tertio, quart. quinto, non contemnenda (cum ſit melior vulgata) in hac editione videbatur. Pal. ſec. *deduxi.* Vulgò, *abduxi.*

8. *Tantis opibus, tantoque negotio.*] Sic eſt in omnibus mſſ. Pall. duobus Gulielm. editione prima, atque Victorii: præfertque Manut. ex illo Virgilii, *tanta pugnatur opum vi.* vulgo *operibus.*

9. *Et ut ego arbitror, ſpiſſius.*] Quid illos nominem, qui primitus à prima editione hanc lectionem ut incorruptam offerente deſciverunt? ſcilicet quia vox *infrequentior*, ilico infatuanda erat magiſtellorum ſtupore. Eam vindicavit ſuæ editioni Vict. habetque Vatic. Pal. ſec. Grut. *ſerius ſpiſſius* conjunxit. in Pal. tert. eſt *ſepius* proximè conveniens. Vulgò *ſerius.*

1. Ex

nequid mihi temporis prorogetur. De rep. [1] ex tuis ut antea tibi ſcripſi, cum præſentia, tum etiam futura magis exſpecto. Quare ut ad me omnia quàm diligentiſſimè perſcribas, te vehementer rogo. Vale.

11 M. T. C. IMP. M. COELIO, ÆDILI CURULI, S. D.

PUTARESNE umquam accidere poſſe, ut mihi verba deeſſent: neque ſolùm iſta veſtra oratoria, ſed hæc etiam levia, noſtratia? Deſunt autem propter hanc cauſam, quòd mirificè ſum ſollicitus, quidnam de provinciis decernatur. Mirum me deſiderium tenet urbis, incredibile meorum, [2] atque in primis tui: ſatietas autem provinciæ: vel quia videmur eam famam conſecuti, ut non tam acceſſio quærenda, quàm fortuna metuenda ſit: vel, quia totum negotium non eſt dignum viribus noſtris, [3] qui majora onera in rep. ſuſtinere & poſſim, & ſoleam: vel quia belli magni timor impendet, quod videmur effugere, ſi ad conſtitutam diem decedemus. De pantheris, per eos, qui venari ſolent, agitur mandato meo diligenter: ſed mira paucitas eſt. & eas, quæ ſunt, valdè ajunt queri, quòd nihil cuiquam inſidiarum in mea provincia, niſi ſibi, fiat. itaque conſtituiſſe dicuntur in Cariam ex noſtra provincia decedere. Sed tamen ſedulò fit, & in primis à Patiſco. Quidquid erit, tibi erit: [4] ſed quid eſſet, planè eſſet, neſciebamus. Mihi, mehercule, magnæ curæ eſt ædilitas tua. [5] ipſe dies me admonebat. ſcripſi enim hæc ipſis Megalenſibus. Tu velim ad me de omni reip. ſtatu quàm deligentiſſimè perſcribas. ea enim certiſſima putabo, quæ ex te cognoro. Vale.

12 M. T. C. IMP. M. COELIO ÆDILI CURULI, S. D.

SOLLICITUS equidem eram de rebus urbanis: ita tumultuoſæ conciones, [6] ita moleſtæ Quinquatrus afferebantur. nam citeriora nondum audiebamus. Sed tamen nihil me magis ſollicitabat, quàm, in his moleſtiis non me, ſi quæ ridenda eſſent, ridere tecum. ſunt enim multa, ſed ea non audeo ſcribere. Illud moleſtè fero, nihil me adhuc his de rebus habere tuarum litterarum. Quare etſi, cùm tu hæc leges, ego jam annuum munus confecero: tamen obviæ mihi velim ſint litteræ tuæ, quæ me erudiant de omni rep. ne hoſpes planè veniam. hoc meliùs quam tu, facere nemo poteſt. Diogenes tuus, homo modeſtus, à me cum Philone Peſſinunte diſceſſit. [7] iter habebant ad Dejotarum regem: quamquam omnia nec benigna, nec copioſa cognorant. [8] Urbem, urbem, mi Rufe, cole, & in iſta luce vive. Omnis peregrinatio (quod ego ab adoleſcentia judicavi) obſcura, & ſordida iis, quorum induſtria Romæ poteſt illuſtris eſſe. Quod cùm probe ſcirem, utinam in ſententia permanſiſſem. Cum una mehercule ambulatiuncula, atque uno ſermone noſtro, omneis fructus provinciæ non confero. Spero me integritatis laudem conſecutum, [9] non eram minor ex contemnenda, quàm ex conſervata provincia. [10] ſpem triumphi? Inquis. glorioſè triumpharem, ſi non eſſem quidem tamdiu in deſiderio rerum mihi cariſſimarum. Sed (ut ſpero) propediem te videbo. tu mihi obviam mitte epiſtolas te dignas. Vale.

M. T. C. IMP. M. COELIO, ÆDILI CURULI S. D. 13

RARAS tuas quidem (fortaſſe enim non perferuntur) ſed ſuaveis accipio litteras: vel quas proximè acceperam, quàm prudentis? quàm multi & officii, & conſilii? Etſi omnia ſic conſtitueram mihi agenda, ut tu admonebas: tamen confirmantur noſtra conſilia, cùm ſentimus, prudentibus, fideliterque ſuadentibus idem videri. Ego Appium (ut ſæpe tecum locutus ſum) valde diligo: meque ab eo diligi ſtatim cœptum eſſe, ut ſimultatem depoſuimus, ſenſi. Nam & honorificus in me conſul fuit, & ſuavis amicus, & ſtudioſus ſtudiorum etiam meorum. [11] Mea verè officia ei non defuiſſe, tu es teſtis: [12] quoniam κωμικὸς μάρτυς (ut opinor) accidit Phania: & mehercule etiam pluris eum feci, quod te amari ab eo ſenſi. Jam me Pompeii totum eſſe ſcis. Brutum à me amari intelligis. Quid eſt cauſæ, cur mihi non in optatis ſit complecti hominem, florentem ætate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis: collegam meum præſertim, & in ipſa collegii laude, & ſcientia, ſtudioſum mei? Hæc eò pluribus ſcripſi, quòd mihi ſignificabant tuæ litteræ, ſubdubitare, qua eſſem erga illum voluntate. Credo, te audiſſe aliquid. falſum eſt, mihi crede, ſi quid audiſti. Genus inſtitutorum, & rationum mearum, diſſimilitudinem nonnullam habet cum illius adminiſtratione provinciæ. Ex eo quidam ſuſpicati

1. *Ex tuis, ut antea tibi ſcripſi.*] Gloſſam *litteris* expunxi fide cod. Grut. Pal. tert. Stewech.

2. *Atque in primis tui: ſatietas autem provinciæ.*] Politiani liber habet pro *autem actæ.* miram ego ſatietatem, imò nauſeam cepi ex corruptelis ac varietatibus hujus loci, quas objecerunt mihi ipſos inviſenti mſſ. Pal. prim. & quint. *incredibile meorum. atque in primis ſatietas ante provinciæ.* ſecund. tert. *atque in primis ſatietas provinciæ.* Pal. quart. Grut. *atque inprimis ſatietas autem provinciæ.* Mihi, quam primam adduxi, liquidiſſima apparet: ut ſub appellatione *meorum*, quoque Cœlium claudat: & dudum ſe tædio ſubactum provinciæ queratur.

3. *Qui majora onera in Rep. ſuſtinere & poſſim & ſoleam.*] Ita paſſim omnes libri: tum editio princeps, itemque Victorii. Vulgo: *majora in rep. onera ſuſtinere & poſſimus & ſoleamus.*

4. *Sed quid eſſet, planè neſciebamus.*] Sic eſt in omnibus antiquioribus editionibus, ac melioribus codicibus. vulgo: *ſed, quid planè eſſet neſciebamus.*

5. *Ipſe dies me admonebat.*] Qui non intellexerunt hunc locum, interpolarunt. ſed ita habetur in edit. principe, Vict. Vatican. Peck. Pal. pr. *ipſe es me admonebat.* ſec. ut vulgò; *ipſa dies me admonebit.* Pall. tert. quart. quint. *ipſa res me admon.*

6. *Ita moleſtæ Quinquatrus afferebantur.*] Ita Vict. & poſt eum Lamb. (qui tamen uno in ſuo reperiri teſtatur *Quinquatres*,) Pal. pr. Vaticanus. nam ceteræ: *Quinquatriis.*

7. *Iter habebant ad Dejotarum Regem.*] Quia quaſi Cynoſura eſt nobis editio Victorii in pleriſque; & eam reſpicere hoc loco voluimus: cum portentoſa ſeditione mſſ. diverſitas concertet. alii *Lathurum Reg.* alii *Lajum.* alii *Latorum.* Medic. verò, ut annotat Egnatius: *Diatorum.* Pal. pr. tert. *Jato regem.* ſecund. *Jacoregem.* quart. *Jacum rogem.* quint. verò ſicut & Peck. & editio vetuſta: *Jatum.* Jacob. Taurellus ex conjectura, referente P. Manutio *Adiato regem*: quod eum Comanorum regem tunc temporis fuiſſe ſcribit Strabo l. x. Vatic. tamen, ut nos, *Dejotarum.*

8. *Urbem urbem, mi Rufe, cole & in iſta luce. Omnis peregrinatio (quod ego ab adoleſcentia judicavi) obſcura & ſordida iis, quorum.*] Enraculatiſſimus locus primum à Victorio: qui ex Medicæo primores voces geminabat: deinde à me aſſerta eadem iteratio, & huc traducta, quod exſtare didiceram in aliquo codice Vaticanæ Bibliothecæ. deleto quoque *enim* ex omnibus mſſ. &, *eſt*, ex iiſdem.

9. *Non eram minor ex contemnendâ, quam ex conſervatâ provinciâ.*] Ita Pal. optimus primus & Peck. Vulgò *erat*, quò referatur, cum ignariſſimis ſcio.

10. *Spem triumphi? inquis, ſatis glorioſè triumpharem, ſi non eſſem quidem in deſid.*] Eſt codicis Medicæi lectio quàm allevit oræ ſui codicis Egnatius: introduxitque diligentiſſimus Victorius: quam & in Vatic. habere gaudeo. Nec longe deſiſtit Pal. pr. *ſpem triumphi, inquit, ſatis glorioſè triumpharem. non eſſem quidem, &c.* ſec. *ſpes triumphi, inquit, ſatis glorioſè triumpharem. non enim tam diu quidem in deſid.* tert. *ſpes triumphi, in quo ni ſatis gl. tert. non eſſem equidem.* quart. *ſpes triumphi. in qua ſ. gl. tr. non eſſem tam diu. ind.* quint. *ſpes triumphi. in qua* (ſuperſcriptum hîc *niſi*) *ſatis glorioſè triump. non eſſem tam diu quidem.* Verum ſentio mihi faſtidio ac vomitu cœlum paſſari, ut pelvi uſus ſit, ni deſinam.

11. *Mea verò officia ei non defuiſſe, tu es teſtis: quoniam κωμικὸς μάρτυς (ut opinor) accidit Phania.*] Hanc ſcripturam à ſe inventam in vett. libris aſſerit, cernoque eam in Pall. ſec. quint. nec abit longe quartus, Guiiel. pro *quoniam* putabat legendum *quo jam.* vulgò *officia* deſit, & *tute es* excuditur.

12. *Quoniam κωμικὸς μάρτυς, ut opinor, accidit Phania.*] Quem jocum parum adſecuti ſunt docti viri. Mea, inquit ille, officia in Appium conſtitiſſe teſtem dare poteram ante omnes libertum ejus Phaniam. Nam ſic lib. 3. epiſt. ad ipſum Appium: *De mea autem benevolentia erga te, etſi potes ex eodem Phania cognoſcere, &c.* Nunc te potius appellabo ipſum, quando illum, ni fallor, fecit quod ſibi faciendum fuit, ex Acherunti potius quam inter ſuperos teſtimonium poteſt perhibere. Hunc vocat κωμικὸν μάρτυρα nullam aliam ob cauſam, quam ob nomen, perſonis ſcenicis imponi ſolitum. *Gronovius.*

ſpicati fortaſſe ſunt, animorum contentione, non opinionum diſſenſione, me ab eo diſcrepare. Nihil autem feci umquam, neque dixi, quod contra illius exiſtimationem eſſe vellem. Poſt hoc negotium autem, & temeritatem noſtri Dolabellæ, deprecatorem me pro illius periculo præbeo. Erat in eadem epiſtola veternus civitatis. gaudebam ſanè, & congelaſſe noſtrum amicum lætabar otio. Extrema pagella pupugit me tuo chirographo. Quid ais? Cæſarem non defendit Curio? quis hoc putaret præter me? [1] nam, ita vivam putavi. Dii immortales: quàm ego riſum noſtrum deſidero! Mihi erat in animo, quoniam juriſdictionem confeceram: civitates locupletaram: publicanis, etiam ſuperioris luſtri reliqua, ſine ſociorum ulla querela, conſervaram, privatis, ſummis, infimis fueram jucundus: proficiſci in Ciliciam nonis Maji: [2] &, cùm prima æſtiva attigiſſem, militaremque rem collocaſſem, decedere ex ſenatuſconſulto. Cupio te ædilem videre, miroque deſiderio me urbs afficit, & omnes mei, tuque in primis. Vale.

14 M. T. C. IMP. M. COELIO ÆDILI CURULI, S. D.

M. Fabio, viro optimo, & homine doctiſſimo, familiariſſimè utor, mirificeque eum diligo, cùm propter ſummum ingenium ejus, ſummamque doctrinam, tum propter ſingularem modeſtiam. Ejus negotium ſic velim ſuſcipias, ut ſi eſſet res mea. Novi ego vos magnos patronos. hominem occidat oportet, qui veſtra opera uti velit. ſed in hoc homine nullam accipio excuſationem. Omnia relinques, ſi me amabis, cùm tua opera Fabius uti volet. Ego res Romanas vehementer exſpecto, & deſidero: in primiſque, quid agas, ſcire cupio. nam jamdiu, propter hiemis magnitudinem, nihil novi ad nos afferebatur. Vale.

15 M. T. C. IMP. M. COELIO, CURULI ÆDILI, S. P. D.

NON potuit accuratius, nec prudentius quàm actum eſt à te cum Curione de ſupplicatione: &, mehercule, confecta res ex ſententia mea eſt, cum celeritate, tum quod is, qui erat iratus, competitor tuus, & idem meus, aſſenſus eſt ei, qui ornavit res noſtras divinis laudibus. Quare ſcito me ſperare ea, quæ ſequuntur: ad quæ tu te para. Dolabellam à te gaudeo primùm laudari, deinde etiam amari. Nam ea, quæ ſperas Tulliæ meæ prudentia temperari poſſe, ſcio, cui tuæ epiſtolæ reſpondeant. Quid ſi meam legas, [3] quam ego tum ex tuis miſi ad Appium? Sed quid agas? ſic vivitur. Quod actum eſt, dii approbent. Spero fore jucundum generum nobis. multumque in eo tua nos humanitas adjuvabit. Reſp. me valde ſollicitat: faveo Curioni: emori [4] Cæſarem honeſtum eſſe cupio: [5] pro Pompejo emori poſſum. ſed tamen ipſa rep. nihil mihi eſt carius: in qua tu non valde te jactas. diſtrictus enim mihi videris eſſe, quod & bonus civis, & bonus amicus es. Ego de provincia decedens, quæſtorem Cœlium propoſui provinciæ. Puerum? inquies. At quæſtorem. at nobilem adoleſcentem: at omnium ferè exemplo: [6] neque erat ſuperiore honore uſus, quem præficerem. Pomtinius multò antè diſceſſerat. à Quinto fratre impetrari non poterat: quem tamen ſi reliquiſſem, dicerent iniqui, non me planè poſt annum, ut ſenatus voluiſſet, de provincia deceſſiſſe: quoniam alterum me reliquiſſem. Fortaſſe etiam illud adderent, ſenatum eos voluiſſe provinciis præeſſe, qui anteà non præfuiſſent: fratrem meum triennium Aſiæ præfuiſſe. Denique nunc ſollicitus non ſum: ſi fratrem reliquiſſem, omnia timerem. Poſtremò non tam mea ſponte, quam potentiſſimorum duorum exemplo, qui omneis Caſſios, Antonioſque complexi ſunt, hominem adoleſcentem non tam allicere volui, quàm alienare nolui. Hoc tu meum conſilium laudes neceſſe eſt. mutari enim non poteſt. De Ocella parum ad me planè ſcripſeras: & in actis non erat. Tuæ res geſtæ ita notæ ſunt, ut trans montem Taurum etiam de [7] Matrinio ſit auditum. Ego, niſi quid me Eteſiæ morabuntur, celeriter (ut ſpero) vos videbo. Vale.

M. T. C. IMP. M. COELIO, ÆDILI CURULI, S. P. D. 16

MAGNO dolore me affeciſſent tuæ litteræ, niſi jam & ratio ipſa depuliſſet omneis moleſtias, & diuturna deſperatione rerum obduruiſſet animus ad dolorem novum. Sed tamen quare acciderit, ut ex meis ſuperioribus litteris id ſuſpicarere, quod ſcribis, neſcio. quid enim fuit in illis, præter querelam temporum, quæ non animum meum magis ſollicitum haberet, quam tuum? Nam non eam cognovi aciem ingenii tui, quod ipſe videam, te id ut non putem videre. Illud miror adduci potuiſſe te, qui me penitus noſſe deberes, ut me exiſtimares, aut tam improvidum, qui ab excitata fortuna ad inclinatam, [8] & propè jacentem deſciſcerem: aut tam inconſtantem, ut collectam gratiam florentiſſimi hominis effunderem, à meque ipſe deficerem, &, quod initio, ſemperque fugi, civili bello intereſſem. Quod eſt igitur meum triſte conſilium? ut diſcederem fortaſſe in aliquas ſolitudines? noſti enim non modo ſtomachi mei, cujus tu ſimilem quondam habebas, ſed etiam oculorum, in hominum inſolentium indignitate, faſtidium. Accedit etiam moleſta hæc pompa lictorum meorum, nomenque imperii, quo appellor. Eo ſi onere carerem, quamvis parvis Italiæ latebris contentus eſſem. Sed incurrit hæc noſtra laurus non ſolùm in oculos, ſed jam etiam in voculas malivolorum. Quod cum ita eſſet, nil tamen unquam de profectione, niſi vobis approbantibus, cogitavi. Sed mea prædiola tibi nota ſunt, in his mihi neceſſe eſt eſſe, ne amicis moleſtus ſim. [9] Quod autem in maritimis facillimè ſum; moveo nonnullis ſuſpicionem, velle me navigare: quod tamen fortaſſe non nollem, ſi poſſem ad otium. nam ad bellum quidem quî convenit? præſertim contra eum, cui ſpero me ſatisfeciſſe: ab eo, cui tamen ſatisfieri nullo modo poteſt? Deinde ſententiam meam tu facillimè perſpicere potuiſti jam ab illo tempore, cùm in Cumanum mihi obviam veniſti. [10] non enim te celavi

1. *Nam ita vivam putavi.*] Hanc ſcripturam in ſolo quarto deprehendi, ceteris vicii pertinaciſſimis *in via*. ſed cum exſtet in editionum prima: probaritque Vict. ac Lamb. denique & Vatic. & Peck. & ipſa veritas aſſerat, quis ambigat?

2. *Et cum prima æstiva attigissem.*] Alias *primùm*: ſed pro noſtra pugnant & editionum antiquiſſimæ & optimæ: & omnes fere mſſ. ſolus quippe Pal. quint. *priva*.

3. *Quam ego tum ex tuis misi ad Appium.*] Iterum delevi gloſſam *litteris* ex Pal. tert. & Stewechiano.

4. *Cæsarem honestum esse cupio.*] Sic Med. codex, Victorii editio, Pal. pr. At reliqui quatuor, ſicut & Grut. & Peck. cum prima impreſſione: *Cæsarem honestissimè cupio*. Alias (quod Lamb. non aſpernandum videtur *Cæsari honestissimè cupio*.

5. *Pro Pompejo emori possum.*] Emori digni erant, qui huc inculcarunt ſimplex *mori*, contra omnes libros ac editiones.

6. *Neque erat superiore honore usus.*] Sic omnes tum Pall. tum Lamb. Vatic. Gr .ter. Peck. vulgo: *neque erat superiore honore ullus*. unde Lamb. *superior honore ullus*, quod ſtatim imitari in hac editione eſſet hominis non ſolum temerarii, ſed etiam dementis.

7. *De Matrinio sit auditum.*] Invenit hoc in Medicæo, adnotavitque Egnatius; ſequuti poſt Victorius, Lamb. Manut. Nam vulgi *de matrimonio*, lectio non eſt nauci.

8. *Et prope jacentem desciscerem.*] Pall. ſec. tert. quart. Peck. *desisterem*. Pal. quint. *descesserim*. Paullo poſt: *quod initio semperque fugi*. Gulielm. attendere nos jubebat, an legend. *quod in ocio*.

9. *Quod autem in maritimis facilimè sum, moveo nonnullis suspicionem.*] *Facilimè esse* quid ſit norunt qui Plautum legerunt: & ſic edidit Lambin. cum Manut. extatque in Vatic. in Pall. aliàs omnibus ferè, *sum facillimè*. At in quart. tert. ſec. Stewech. Mitall. *movet*. alias: *quod autem in maritimis sum, facile moveo nonnullis susp.*

10. *Non enim te celavi sermonem T. Ampii: vidisti quam abhorrerem.*] Sic recte ex Med. edidit Victor. nec longe diſſentit liber. Pagina in Pal. ſec. erat *sermonem tam pi. vidisti*; ſicut ex Medic. notat Manut. ſed cum ſic viſatur in Stewech. & Vat. non amplius de veritate periclitandum eſt. T. Ampium ait idem Tull. lib. VI. Ep. 12. *belli civilis tubam appellatum fuisse*. vulgo inſubidè nimis. *celavi. sed nonne tum providisti quam abb.* in qua tamen conjectura quam ſibi placet Manutius!

1. *Cum*

lavi ſermonem T. Ampii: vidiſti, quàm abhorrerem ab urbe relinquenda? [1] Cùm audiſſem, nonne tibi affirmavi, quidvis me potius perpeſſurum, quàm ex Italia ad bellum civile exiturum? Quid ergo accidit, cur conſilium mutarem? nonne omnia potius, ut in ſententia permanerem? Credas hoc mihi velim, quod puto te exiſtimare, [2] ex his miſeriis nihil aliud quærere, niſi ut homines aliquando intelligant, me nihil maluiſſe, quàm pacem: ea deſperata, nihil tam fugiſſe, quàm arma civilia. Hujus me conſtantiæ puto fore, ut numquam pœniteat. Etenim memini, in hoc genere gloriari ſolitum eſſe familiarem noſtrum, Q. Hortenſium, quod numquam bello civili interfuiſſet. Hoc noſtra laus erit illuſtrior, quòd illi tribuebatur ignaviæ: de nobis id exiſtimari poſſe non arbitror. Nec me iſta terrent, quæ mihi à te ad timorem fidiſſimè atque amantiſſimè proponuntur. Nulla eſt enim acerbitas, quæ non omnibus, hac orbis terrarum perturbatione, impendere videatur: quam quidem ego à rep. meis privatis, & domeſticis incommodis libentiſſimè, vel iſtis ipſis, quæ tu me mones, ut caveam, redemiſſem. Filio meo, quem tibi carum eſſe gaudeo, ſi erit ulla reſp. [3] ſatis amplum patrimonium relinquam in memoria nominis mei. ſin autem nulla erit, nihil accidet ei ſeparatim à reliquis civibus. Nam quòd rogas, ut reſpiciam generum meum, adoleſcentem optimum, mihique cariſſimum: an dubitas, cùm ſcias, quanti cùm illum, tum verò Tulliam meam faciam, quin ea me cura vehementiſſimè ſollicitet? & eò magis, quòd in communibus miſeriis hac tamen oblectabar ſpecula: Dolabellam meum, [4] vel potius noſtrum, fore ab iis moleſtiis, quas liberalitate ſua contraxerat, liberum. Velim quæras, quos ille dies ſuſtinuerit, in urbe dum fuit: quàm acerbos ſibi, quàm mihi ipſi ſocero non honeſtos. itaque neque ego hunc Hiſpanienſem caſum exſpecto, de quo mihi exploratum eſt ita eſſe, ut tu ſcribis: nec quidquam aſtutè cogito. Siquando erit civitas, erit profectò nobis locus. ſin autem non erit: in eaſdem ſolitudines tu ipſe (ut arbitror) venies, in quibus nos conſediſſe audies. Sed ego fortaſſe vaticinor: & hæc omnia meliores habebunt exitus. Recordor enim deſperationes eorum, qui ſenes erant, adoleſcente me. Eos ego fortaſſe nunc imitor, & utor ætatis vitio. Velim ita ſit. Sed tamen togam prætextam texi Oppio, puto te audiſſe. nam Curtius noſter dibaphum cogitat: ſed eum infector moratur. Hoc adſperſi, ut ſcires, me tamen in ſtomacho ſolere ridere: [5] Dolabellæ, quod ſcripſi, ſuadeo videas, tamquam ſi tua res agatur. Extremum illud erit: nos nihil turbulenter, nihil temerè faciemus. Te tamen oramus, quibuſcumque erimus in terris, ut nos, liberoſque noſtros ita tueare, ut amicitia noſtra, & tua fides poſtulabit. Vale.

17 M. T. C. IMP. [6] CANINIO SALLUSTIO PROQUÆSTORI, S. D.

LITTERAS à te mihi ſtator tuus reddidit Tarſi ad XVI. Kalen. Sextileis. His ego ordine, ut videris velle, reſpondebo. De ſucceſſore meo nihil audivi, nec quemquam fore arbitror. Quin ad diem decedam nulla cauſa eſt, præſertim ſublato metu Parthico. Commoraturum me nuſquam ſanè arbitror. Rhodum, Ciceronum cauſa puerorum, acceſſurum puto: neque id tamen certum. Ad urbem volo quàm primum venire: ſed tamen iter meum, reip. & rerum urbanarum ratio gubernabit. Succeſſor tuus non poteſt ita maturare ullo modo, ut tu me in Aſia poſſis convenire. [7] De rationibus referendis, non erat incommodum, te nullam referre: quam tibi ſcribis à Bibulo fieri poteſtatem. Sed id vix mihi videris per legem Juliam facere poſſe: quam Bibulus certa quadam ratione non ſervat: tibi magnopere ſervandam cenſeo. Quòd ſcribis, Apamea præſidium deduci non oportuiſſe, videbam idem ceteros exiſtimare: moleſteque ferebam, de ea re minùs commodos ſermones malivolorum fuiſſe. Parthi tranſierint, necne, præter te, video dubitare neminem. itaque omnia præſidia, quæ magna, & firma paraveram, commotus hominum non dubio ſermone, dimiſi. Rationes mei quæſtoris, nec verum fuit me tibi mittere, nec tamen erant confectæ. eas nos Apameæ deponere cogitabamus. De præda mea, [8] præter quæſtores urbanos, id eſt, populum Roman. teruncium nec attigit, nec tacturus eſt quiſquam. Laodiceæ me prædes accepturum arbitror omnis pecuniæ publicæ, ut & mihi, & populo cautum ſit ſine vecturæ periculo. Quod ſcribis ad me de drachmis CCCLIII. nihil eſt, quod in iſto genere cuiquam poſſim commodare. Omnis enim pecunia ita tractatur, ut præda, à præfectis: quæ autem mihi attributa eſt, à quæſtore curetur. Quòd quæris, quid exiſtimem de legionibus, quæ decretæ ſunt in Syriam: anteà dubitabam, venturæne eſſent: nunc mihi non eſt dubium, quin, ſi anteà auditum erit, otium eſſe in Syria, venturæ non ſint. [9] Marium quidem ſucceſſorem tandem video eſſe venturum, propterea quod ſenatus ita decrevit, ut cum legionibus iret. Uni epiſtolæ reſpondi: venio ad alteram. Petis, ut Bibulo te quàm diligentiſſimè commendem: in quo mihi voluntas non deeſt: ſed locus eſſe videtur tecum expoſtulandi. Solus enim tu ex omnibus, qui cum Bibulo ſunt, certiorem me numquam feciſti, quàm valdè Bibuli voluntas à me ſine cauſa abhorreret. Permulti enim ad me detulerunt, cùm magnus Antiochiæ metus eſſet, & magna ſpes in me, atque in exercitu meo, ſolitum dicere, quidvis ſe perpeti malle, quàm videri eguiſſe auxilio meo. quod ego officio quæſtorio te adductum, reticere de prætore tuo, non moleſtè ferebam: quamquam, quemadmodum tractarere, audiebam. Ille autem, cum ad Thermum de Parthico bello ſcriberet, ad me litteram numquam miſit: ad quem intelligebat, ejus belli periculum pertinere. Tantum de auguratu filii ſui ſcripſit ad me: in quo ego miſericordia commotus, & quod ſemper amiciſſimus Bibulo fui, dedi operam, ut ei quàm humaniſſimè ſcriberem. Ille ſi omnibus eſt malivolus (quod numquam exiſtimavi) minus offendor in me. ſin autem à me eſt alienior: nihil tibi meæ litteræ

---

1. *Cum audiſſem nonne affirmavi.*] Expunxi *quod* ſuaſu omnium Pall. Grut. quatuor Gulielmianorum.

2. *Ex his miſeriis nihil aliud quærere.*] Vulgo: *aliud me quærere.* ſed provocabulum prætereunt quinque Pall. Grut. editio princeps, Victorius, ſicut eſt in Vaticano, edidit, *exiſtimare, me ex his miſeriis nihil aliud quærere.*

3. *Satis amplum patrimonium relinquam in memoria nominis mei.*] Non debui attendere faſtidio Lamb. hanc lectionem à Vict. editam rejicientis, cum eam præſtari videam à Pall. pr. tert. quint. Grut. nam reliqui duo, *in memoriam*, ſicut & editionum prima, præferunt. vulgo: *ſatis amplum patronum relinquam memoriam.*

4. *Vel potius noſtrum, fore ab iis moleſtiis.*] Vulgò, *noſtrum, videbam ab illis.* quod verbi in nullo præterquam tert. deprehendi: & recte relegatur, vereque arcetur a finib. Tullianis.

5. *Dolabellæ, quod ſcripſi, ſuadeo videas.*] Cur hæc ſcriptura exulet non video approbata & cuſtodita tot optimis codicibus. ſic enim Med. ſic Pall. ſec. tert. quart. Grut. Politiani cod. Stewech. Vulgo; *De Dolabella* pr. quoque τὸ *De* inficiatur. duo Gulielm. libri *De Dolabellæ.*

6. CANINIO SALLUSTIO PROQUÆSTORI.] Non erat Manut. pro arbitratu ſuo immutare Epiſtolarum inſcriptiones: omnes quippe libri mſſ. *Salluſtio* non *Salluſtiano* inſcribunt. deinde quod *proconſulem* quoque ſalutat, ejuſdem ratio & frivola, & credulitas ſtulta eſt. ſic quoque eum appellant quinque Pall. Grut. tres Gulielmii: valuit tamen pluris apud me unius codicis Medicæi ſinceritas, in quo ſic fuiſſe monet Egnatius; & Victorii auctoritas, à quo ſic excudere juſſus eſt Rob. Stephanus. ſed ne dememinerim: Pal. pr. *C. Saluſtio.* ſec. *Canio.* tert. Grut. *Canino.* quart. *Camino Salyſtio.* ſolus quint. *Caninio.* in Vatic. lætor quoque eſſe noſtram lectionem.

7. *De rationibus referendis.*] Pal. pr. *ſectionibus.*

8. *Præter quæſtores urbanos, id eſt, populum Romanum, teruncium.*] Pal. ſec. Grut. Stewech. exigunt illa verba radicitus, *id eſt, populum Romanum.*

9. *Marium quidem ſucceſſorem tandem video eſſe venturum*] Elegantiſſimam lectionem unica iſta vocula reddidi ex Pall. ſec. tert Grut. Stewech. vulgò interpretamento contenti ſunt, *tarde video*, ſicut & paulo poſt: *petis à me, ut Bibulo.* cum illud *à me* projectitium ſit Pall. ſec. tert. Grut. Stewech.

1. *Sine*

litteræ proderunt. Nam ad ſenatum quas Bibulus litteras miſit, in iis, quod mihi cum illo erat commune, ſibi ſoli attribuit. ſe ait curaſſe, ut cum quæſtu populi pecunia permutaretur. quod autem meum erat proprium, ut alariis Tranſpadanis uti negarem, id etiam populo ſe remiſiſſe ſcribit. quod verò illius erat ſolius, id mecum communicat: EQUITIBUS AUXILIARIIS, inquit, CUM AMPLIUS FRUMENTI POSTULAREMUS. Illud verò puſilli animi, & ipſa malivolentia jejuni, atque inanis, quòd Ariobarzanem, quia ſenatus per me regem appellavit, mihique commendavit, iſte in litteris non regem, ſed regis Ariobarzanis filium appellat. *Hoc animo qui ſunt, deteriores fiunt rogati.* Sed tibi morem geſſi: litteras ad eum ſcripſi, quas cum acceperis, facies quòd voles. Vale.

18 M. T. C. IMPERATOR Q. THERMO PROCURATORI, S. D.

OFFICIUM meum erga Rhodonem, ceteraque mea ſtudia, quæ tibi ac tuis præſtiti, tibi homini gratiſſimo, grata eſſe vehementer gaudeo: mihique ſcito in dies majori curæ eſſe dignitatem tuam: quæ quidem à te ipſo integritate, & clementia tua ſic amplificata eſt, ut nihil addi poſſe videatur. Sed mihi magis, magiſque quotidie de rationibus tuis cogitanti, placet illud meum conſilium, quod initio Ariſtoni noſtro, ut ad me venit, oſtendi: graveis te ſuſcepturum inimicitias, ſi adoleſcens potens, & nobilis à te ignominia affectus eſſet. & hercle ſine dubio erit ignominia. habes enim neminem honoris gradu ſuperiorem. Ille autem, ut omittam nobilitatem, hoc ipſo vincit viros optimos, hominesque innocentiſſimos, legatos tuos, quod & quæſtor eſt, & quæſtor tuus. Nocere tibi iratum neminem poſſe perſpicio: ſed tamen treis fratres, ſummo loco natos, promtos, non indiſertos, te nolo habere iratos, jure præſertim, quos video deinceps tribunos pleb. per triennium fore. Tempora autem reip. qualia futura ſint, quis ſcit? mihi quidem turbulenta videntur fore. Cur ego te velim incidere in terrores tribunitios, præſertim cum [1] ſine cujuſquam reprehenſione quæſtoriis legatis quæſtorem poſſis anteferre? Qui ſi dignum majoribus ſuis præbuerit (ut ſpero, & opto) tua laus ex aliqua parte fuerit. ſin quid offenderit: ſibi totum, nihil tibi offenderit. Quæ mihi veniebant in mentem, quæ ad te pertinere arbitrabar, quod in Ciliciam proficiſcebar, exiſtimavi me ad te oportere ſcribere. Tu, quod egeris, id velim dii approbent. Sed, ſi me audies, vitabis inimicitias, & poſteritatis otio conſules. Vale.

M. T. C. IMP. C. COELIO. L. F. CALDO QUÆSTORI DES. S. D. 19

CUM optatiſſimum nuntium accepiſſem, te mihi quæſtorem obtigiſſe, eo jucundiorem mihi eam ſortem ſperabam fore, quo diutius in provincia mecum fuiſſes. Magni enim videbatur intereſſe, ad eam neceſſitudinem, [2] quam nobis fors tribuiſſet, conſuetudinem quoque accedere. Poſteà quàm mihi nihil neque à te ipſo, neque ab ullo alio de adventu tuo ſcriberetur: verebar, ne id ita caderet, (quod etiam nunc vereor,) ne antè, quàm tu in provinciam veniſſes, ego de provincia decederem. Accepi autem à te [3] miſſas litteras, in Cilicia, cùm eſſem in caſtris, a. d. x. Kal. Quintileis, ſcriptas humaniſſimè: quibus facilè & officium, & ingenium tuum perſpici poſſet. ſed neque unde, neque quo die datæ eſſent, atque quo tempore te exſpectarem, ſignificabant: nec is, qui attulerat, à te acceperat, ut ex eo ſcirem, quo ex loco, atque tempore, eſſent datæ. Quæ cum eſſent incerta, exiſtimavi tamen eſſe faciundum, ut ad te ſtatores meos, & lictores cum litteris mitterem: quas ſi ſatis opportuno tempore accepiſti, gratiſſimum mihi feceris, ſi ad me in Ciliciam quam primum veneris. Nam quod ad me Curius, conſobrinus tuus, mihi (ut ſcis) maximè neceſſarius: [4] quod item C. Virgilius, propinquus tuus, familiariſſimus noſter, de te accuratiſſime ſcripſit: valet id quidem apud me multum, ſicuti debet hominum amiciſſimorum diligens commendatio: ſed tuæ litteræ, de tua præſertim dignitate, & de noſtra conjunctione, maximi ſunt apud me ponderis. Mihi quæſtor optatior obtingere nemo potuit. [5] Quamobrem, quæcumque à me ornamenta ad te proficiſcentur, ut omnes intelligant, à me habitam eſſe rationem tuæ, majorumque tuorum dignitatis. Sed id facilius conſequar, ſi ad me in Ciliciam veneris: quod ego & mea, & reipub. & maximè tua intereſſe arbitror. Vale.

1. *Sine reprehenſione quæſtoriis legatis quæſtorem p. a.*] Ita eſt in Med. Vatic. ita reſtituit optim. Victorius. in Pall. om. eſt *quæſtoriis:* ſicut in Gruteriano, Peck. & Polit. libro; ut facilè alterum *i* propter alterum exoleverit.

2. *Quam nobis fors tribuiſſet.*] Hanc lectionem longe optimam tradidit nobis Pal. pr. Vatic. Victorii editio. vulgò *ſors*. ſed Pall. pr. ſec. tert. Grut. *accidere* non *accedere* quod mihi ob cauſam intimam placebat magis. paullò poſt legendum, *poſtea quam mihi* ex Pall. o. Grut. editionum antiquiſſimis optimiſque Ven. & Vict. vulgò, *poſtea cum.*

3. *Miſſas litteras in Cilicia.*] Sic codex Med. editio Vict. Pall. pr. tr. quint. nam bini reliqui, ſicut & editio princeps, & Peck. *in Ciliciam.* Vulgo, *in provincia.*

4. *Quod item C. Virgilius.*] Præivit mihi hanc lectionem Pall. ſec. in quem illata eſt à manu ſecunda. recepi eò lubentius, quod vidi eandem attribuiſſe Lambino: atque exſtare in omnibus Pall. Grut. ipſiſque Gulielmianis, non *Virginius* ſed *Virgilius.* Vatic. *quod idem C. Virginius.*

5. *Quam ob rem, quæcunque à me ornamenta ad te proficiſcentur; ut omnes.*] Sic caſtigavit Victorius ex ſuis, adſtipulantibus noſtris omnibus: & ut omnes intelligant illud *elaborato* eſſe ſuppoſititium: Grut. ad marginem pro illo ſubjicit, *faciam.*

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM

LIBER TERTIUS, AD APPIUM CLAUDIUM PULCHRUM.

1 M. T. C. APPIO PULCHRO IMP. S. D.

SI ipſa reſp. tibi narrare poſſet, quomodo ſeſe haberet, non facilius ex ea cognoſcere poſſes, quam ex liberto tuo Phania: ita eſt homo non modo prudens, [1] verum etiam (quod juvet) curioſus. quapropter ille tibi omnia explanabit. [2] id & ad brevitatem eſt aptius, & ad reliquas res providentius. De mea autem benivolentia erga te, etſi potes ex eodem Phania cognoſcere: tamen videntur etiam aliquæ meæ

1. *VErum etiam (quod juvet) curioſus.*] Debeatur hujus loci reſtitutio accuratiſſimo Victorio, licet eam præcipue ſatagat Dionyſius: exſtat ea quoque in Stewech. ac Vatic. fuiſſeque in Pal. ſec. & Grut. perſuadent raſuræ: in pr. *verum etiam quo diu & curioſus.* ceteri indigni ſunt qui hîc nominentur.

2. *Id & ad brevitatem eſt aptius.*] Ubique ſcatet Tullius vomicis ac noxiis Magiſtellorum tumoribus: qui ne ipſis aliquid deeſſe videretur inculcarunt *id enim mihi & ad brevitatem eſt.* abnuente Pal. ſec. tert. Gruteriano, Stewech. & cui quæſo ſenſui iſtæ voces, non quiſquiliæ?

1. Sic

meæ partes. [1] Sic eſt, tibi perſuade, cariſſimum te mihi eſſe, cum propter multas ſuavitates ingenii, officii, humanitatis tuæ, tum quod ex tuis litteris, & ex multorum ſermonibus intelligo, omnia, quæ à me profecta ſunt in te, tibi accidiſſe gratiſſima. Quod cum ita ſit, perficiam profecto, ut longi temporis uſuram, qua caruimus, [2] intermiſſa noſtra conſuetudine, & gratia: & crebritate, & magnitudine officiorum meorum ſarciam: idque me (quoniam tu ita vis) puto non invita Minerva eſſe facturum: quam quidem ego ſi fortè de tuis ſumſero, non ſolum Pallada, ſed etiam Appiada nominabo. Cilix, libertus tuus, antea mihi minùs fuit notus: ſed ut mihi reddidit à te litteras, plenas & amoris, & officii, mirifice ipſe ſuo ſermone ſubſecutus eſt humanitatem litterarum tuarum. Jucunda mihi ejus oratio fuit, cum de animo tuo, de ſermonibus, quos de me haberes quotidie, mihi narraret. Quid quæris? Biduo factus eſt mihi familiaris: ita tamen, ut Phaniam valde ſim deſideraturus: quem cum Romam remittes, quod (ut putabamus) celeriter eras facturus, omnibus ei de rebus, quas agi, quas curari à me voles, mandata des velim. L. Valerium, juriſconſultum, valde tibi commendo: ſed ita etiam, ſi non eſt jureconſultus. Meliùs enim ei cavere volo, quàm ipſe aliis ſolet. Valde hominem diligo. eſt ex meis domeſticis atque intimis familiaribus. omnino tibi agit gratias: ſed idem ſcribit, meas litteras maximum apud te pondus habituras. Id eum ne fallat te etiam atque etiam rogo. Vale.

2 M. T. C. PROCONSUL, APPIO PULCHRO, IMP. S. D.

CUM & contra voluntatem meam, & præter opinionem accidiſſet, ut mihi cum imperio in provinciam proficiſci neceſſe eſſet, in multis, & variis moleſtiis, cogitationibuſque meis, hæc una conſolatio occurrebat, [3] quod neque tibi amicitior, quàm ego ſum, quiſquam poſſet ſuccedere: neque ego ab ullo provinciam accipere, qui mallet eam mihi quàm maximè aptam, explicatamque tradere. Quod ſi tu quoque eandem de mea voluntate erga te ſpem habes, ea te profectò numquam fallet. A te maximo opere pro noſtra ſumma conjunctione, tuaque ſingulari humanitate, etiam atque etiam quæſo, & peto, ut, quibuſcumque rebus poteris, (poteris autem plurimis) proſpicias, conſulas rationibus meis. Vides, ex ſenatuſconſulto provinciam eſſe habendam. ſi eam [4] (quoad ejus facere potueris) quàm expeditiſſimam mihi tradideris, facilior erit mihi quaſi decurſus mei temporis. Quid in eo genere efficere poſſis, tui conſilii eſt, Ego te, quod tibi veniet in mentem mea intereſſe, valde rogo. Pluribus verbis ad te ſcriberem, ſi aut tua humanitas longiorem orationem exſpectaret: aut id fieri noſtra amicitia pateretur: aut res verba deſideraret, ac non pro ſe ipſa loqueretur. Hoc velim tibi perſuadeas, [5] ſi rationibus meis proviſum eſſe intellexero, magnam te ex eo, & perpetuam voluptatem eſſe capturum. Vale.

M. T. C. APPIO PULCHRO, S. D. 3

AD. XI. Kalend. Junias Brundiſium cùm veniſſem, [6] Q. Fabius, legatus tuus, mihi præſto fuit, eaq; me ex tuis mandatis monuit, quæ non modo mihi, ad quem pertinebant, ſed univerſo ſenatui venerant in mentem, præſidio firmiori opus eſſe ad iſtam provinciam. Cenſebant enim omnes ferè, ut in Italia ſupplementum meis, & Bibuli legionibus ſcriberetur. Id cum Sulpicius, conſul, paſſurum ſe negaret, multa nos quidem queſti ſumus: ſed tantus conſenſus ſenatus fuit, ut maturè proficiſceremur, parendum ut fuerit: itaque fecimus. Nunc, quod à te petii litteris iis, quas Romæ tabellariis tuis dedi, velim tibi curæ ſit, ut, quæ ſucceſſori conjunctiſſimo, & amiciſſimo commodare poteſt is, qui provinciam tradit, [7] ea pro noſtra conſociatiſſima voluntate, cura, ac diligentia tua complectare: ut omnes intelligant, nec me benivolentiori cuiquam ſuccedere, nec te amiciori potuiſſe provinciam tradere. Ex iis litteris, quarum ad me exemplum miſiſti, quas in ſenatu recitari voluiſti, ſic intellexeram, permultos à te milites eſſe dimiſſos: ſed mihi Fabius idem demonſtravit, id te cogitaſſe facere: ſed cum ipſe à te diſcederet, integrum militum numerum fuiſſe. Id ſi ita eſt: pergratum mihi feceris, ſi iſtas exiguas copias, quas habuiſti, quàm minimè imminueris: [8] qua de re ſenatuſconſulto, quæ facta ſunt, ad te miſſa eſſe arbitror. Equidem pro eo, quanti te facio, quidquid feceris, approbabo. Sed te quoque confido ea facturum, quæ mihi intelliges maximè eſſe accommodata. Ego C. Pomptinum, legatum meum, Brundiſii exſpectabam: eumque ante Kalend. Jun. Brundiſium venturum arbitror. Qui cum venerit, [9] quæ primum navigandi nobis facultas data erit, utemur. Vale.

M. T. C. APPIO PULCHRO, S. D. 4

PRIDIE nonas Jun. cum eſſem Brundiſii, litteras tuas accepi: quibus erat ſcriptum, te L. Clodio mandaſſe, quæ illum mecum loqui velles. Eum ſanè exſpectabam, ut ea, quæ à te afferret, quàm primum cognoſcerem. Meum ſtudium erga te, & officium, tametſi multis jam rebus ſpero tibi eſſe cognitum: tamen in iis maximè declarabo, quibus plurimum ſignificare potuero, tuam mihi exiſtimationem, & dignitatem cariſſimam eſſe. Mihi & Q. Fabius Virgilianus, & C. Flaccus, L. F. & diligentiſſimè M. Octavius, Cn. F. demonſtravit, me à te plurimi fieri: quod egomet multis argumentis jam antea judicaram, maximeque

---

1. *Sic eſt tibi perſuade, cariſſimum te mihi eſſe.*] Animoſiſſimam hanc lectionem produco ex Pall. tert. quint. cui ſi diſplicet, mentem certè betâ languidiorem habet. vulgò *ſic enim tibi perſuade.*

2. *Intermiſſa noſtra conſuetudine & gratia.*] Optimi codices Pall. ſec. tert. Grut. ne veſtigium habent duarum vocum *& gratia*: quas tamen neceſſarias eſſe res monet. verùm illud *celebritate* longius præferrem illi *crebritate*, ſi melioris commatis codex accederet: ſolis Peck. Pal. quint. editione prima, ejus lectionis patronis. ceterum miror cur Victorius aut Rob. Steph. ediderit *non inventa Minerva*: doceat me quiſpiam iſtorum ſatageorum. Sed Μαψιλάκαι, Διὸς Κόρινθος.

3. *Quod neque tibi amicitior.*] Antiqua hæc lectio, ſed an ideo minus Ciceroniana? O vos verveces qui ad veſtrum captum ac judicium refingitis iſtum virum. ſic eſt in Pall. pr. ſec. tert. Grut. eamque ipſam, niſi fallor prodit ac ſtabilit Juretus lib. IV. Miſcell. ad Symmach. Ep. 5. vulgò, *Amicior.* ſic epiſt. ſec. Pall. ſec. tert. Grut. *nec te amicitiori potuiſſe provinciam tradere.* ſic epiſt. 5. iidem codd. *neminem potuiſti nec mihi amicitiorem, &c.*

4. *Quoad ejus facere potueris.*] *Quid* ſequar hîc, hæreo. Pal. pr. *quoad vis facere potueris.* ſec. à manu ſecunda, quart. quint. *quod equidem fac. pot.* à quibus paullulum mutant Peck. edit prima *quod quidem fac.* tert. *quod æquè fac.* Grut. *qua ejus fac.* quæ mihi omnium videtur ſinceriſſima: nam *quoad* ejus gloſſema eſt.

5. *Si rationibus meis proviſum eſſe intellexero.*] Vulgo: *rationibus meis à te proviſum.* Lamb. *proviſum à te eſſe intellex.* ſed quis (malum) tolerat ſuperflua excernentibus mſſ. Pall. ſec. tert. Grut. Stewechiano?

6. *Q. Fabius Legatus tuus.*] Nolui immutare hanc lectionem: licet pr. edit. Vict. Pal. pr. tert. Grut. Vatic. totidemque Guliel. ingerant, *Q. Fabianus.* illud *Q. Fabius* propugnant Pall. ſec. quart. quint. ipſe Cicero Epiſtola ſequenti: ubi *Q. Fabii Virgiliani* meminerit. paullo poſt omnes mſſ. noſtri, ut & Stewech. aſſeverant *quæ non mihi, ad quem pertinebant*; emoto illo *modo*; contra vulgi opiniones.

7. *Ea pro noſtra conſociatiſſima voluntate, cura ac d. c.*] Sic meliores codices noſtri: Medic. Victor. Pall. pr. ſec. quart. quint. Vatic. cur Lambinus ac Manutius antiquiſſimæ huic lectioni vulgarem, *conſtantiſſima voluntate erga te, cura, &c.* præferant, velim ſcire cauſam.

8. *Quâ de re Senatuſconſulto quæ facta ſunt.*] Ita quatuor Pall. Grut. Stewech. ita tamen ut auribus meis non ingrata accidat primi Palat. collocatio: *quâ de re quæ facta ſunt ſenatuſconſulto ad te miſſa eſſe arbitror.* vulgò *Senatus conſulta*, in quam lectionem Pal. quart. interpolatus eſt.

9. *Quæ primum navigandi nobis facultas data erit, utemur.*] Liquidiſſima lectio hæc erat in Pall. prioribus quatuor. in Peck. Grut. ac Stewech. item Vaticano: quam à Victorio quoque inventam atque editam video. vulgatum alias, *Qui cum venerit, cum primum navigandi nobis facultas data erit, eâ utemur.* aliqui mſſ. *quàm primum*: æque malè.

ximeque illo libro augurali, quem ad me amantiſſimè ſcriptum, ſuaviſſimum miſiſti. Mea in te omnia ſumma neceſſitudinis officia conſtabunt. Nam cùm te ipſum, ex quo tempore tu me diligere cœpiſti, quotidie pluris feci: tum acceſſerunt etiam conjunctiones neceſſariorum tuorum. [1] duo enim duarum ætatum plurimi facio, Cn. Pompejum, filiæ tuæ ſocerum, [2] & M. Brutum, generum tuum. Collegiique conjunctio præſertim tam honorificè à te approbata, non mediocre vinculum mihi quidem attuliſſe videatur, ad voluntates noſtras copulandas. Sed & ſi Clodium convenero, ex illius ſermone ad te ſcribam plura: & ipſe operam dabo, te ut quàm primùm videam. Quòd ſcribis, tibi manendi cauſam eam fuiſſe, ut me convenires, id mihi, ne mentiar, gratum eſt. Vale.

5 M. T. C. APPIO PULCHRO, S. D.

TRALLEIS veni ad VI. Kalen. Sextileis. ibi mihi præſtò fuit L. Lucilius cum litteris, mandatiſque tuis, [3] quo quidem hominem neminem potuiſti, nec mihi amiciorem, nec (ut arbitror) ad ea cognoſcenda, quæ ſcire volebam, aptiorem, prudentioremve mittere. Ego autem & tuas litteras legi libenter, & audivi Lucilium diligenter. Nunc, quoniam & tu ita ſentis, (ſcribis enim, quæ de noſtris officiis ego ad te ſcripſerim, etſi tibi jucunda fuerint, tamen, [4] quoniam ex alto repetita ſint, non neceſſaria te putaſſe) & re vera, *confirmata amicitia, & perſpecta fide, commemoratio officiorum ſupervacua eſt*: eam partem orationis prætermittam: tamen agam, ut debeo, gratias. Animadverti enim, & didici ex tuis litteris, te omnibus in rebus habuiſſe rationem, [5] ut mihi conſuleres, reſtitueresque, & præparares quodammodo omnia, quo mea ratio facilior, & ſolutior eſſe poſſet. Hoc tuum officium cùm mihi gratiſſimum eſſe dicam, ſequitur illud, ut te exiſtimare velim, mihi magnæ curæ fore, atque eſſe jam, primum, ut ipſe tu, tuique omnes: deinde ut etiam reliqui ſcire poſſint, me tibi eſſe amiciſſimum. Quod quibus adhuc non ſatis eſt perſpectum, ii mihi nolle magis, nos hoc animo eſſe, quam non intelligere videntur. Sed profectò intelligent. neque enim obſcuris perſonis, nec parvis in cauſis res agetur. Sed hæc fieri melius, quàm dici, aut ſcribi volo. Quòd itinerum meorum ratio te nonnullam in dubitationem videtur adducere, viſurusne me ſis in provincia: [6] ea res ſic ſe habet. Brundiſii cùm loquerer cum Phania, liberto tuo, veni in eum ſermonem, ut dicerem, me libenter ad eam partem provinciæ primum eſſe venturum, quo te maximè velle arbitrarer. tunc mihi ille dixit, [7] quod claſſe tu velles decedere: [8] & perſore accommodatum tibi, ſi ad illam maritimam partem provinciæ, navibus acceſſiſſem. Dixi me eſſe facturum: itaque feciſſem, niſi mihi L. Clodius noſter Corcyræ dixiſſet, minimè id eſſe faciendum: te Laodiceæ fore ad meum adventum. Erat id mihi multo brevius, multoque commodius, cum præſertim te ita malle arbitrarer. Tua ratio poſtea eſt commutata. Nunc, quid fieri poſſit, tu facillimè ſtatues. ego tibi meum conſilium exponam. [9] Prope Kal. Sextil. puto me Laodiceæ fore: perpaucos dies dum pecunia accipitur, quæ mihi ex publica permutatione debetur, commorabor. Deinde iter faciam ad exercitum, ut circiter Idus Sextil. putem me ad Iconium fore. Sed ſi quid nunc me fallit in ſcribendo ([10] procul enim aberam ab re ipſa, & à locis) ſimul ac progredi cœpero, [11] quàm celerrime potero, & quàm creberrimis litteris faciam, ut tibi nota ſit omnis ratio dierum, atque itinerum meorum. Oneris tibi imponere nec audeo quidquam, nec debeo. Sed, quod tuo commodo fieri poſſit, [12] utriuſque noſtrum magni inter * * quàm decedas. Quam facultatem ſi quis caſus eripuerit, [13] mea tamen in te omnia officia conſtabunt, non ſecus ac ſi te vidiſſem. Tibi de noſtris rebus nihil ſum antè mandaturus per litteras, quàm deſperaro coram me tecum agere poſſe. Quòd te à Scævula petiiſſe dicis, ut, dum tu abeſſes, ante adventum meum, provinciæ præeſſet: eum ego Epheſi vidi: fuitque mecum familiariter triduum illud quod ego Epheſi commoratus ſum: nec ex eo quidquam audivi, quod ſibi à te mandatum diceret [14] Sanè vellem potuiſſet obſequi voluntati tuæ. non enim arbitror noluiſſe. Vale.

M. T. C.

---

1. *Duo enim duarum ætatum plurimi facio.*] Sic ex Florentino Victorius, quod probat Lambinus, quidni & ego, cum repererim in Pal. pr. libro omnium elegantiſſimo, caſtigatiſſimo, quo omnes omnium Italorum in hoc volumen copias inconciliare poſſumus: ut ait Plautus. Vulgò *Duos*.

2. *Et M. Brutum, generum tuum. Collegiique conjunctio.*] Quinque Pall. Gruter. *& meum Brutum*: quod ut non damnem, ſic quoque temere non admittam. nam illud *meum* poteſt ex divinatione litteræ *m.* ortum ac propagatum eſſe a ſciolis librariis. vulgo paullò poſt, *Collegii quoque conjunctio*: ſed, ut caſtigavi. o. mſſ. Vict. paullo poſt. omnes mſſ. *attuliſſe videatur*, ſicut & priſca edit. non videtur. & iterum: *ſed & ſi Clod.* vulgo excuſſum eſt *&*.

3. *Quo quidem hominem neminem potuiſti.*] Repræſento hanc lectionem ex Pall. quatuor prioribus, Grut. Stewech. vulgo: *hominem neminem.* ſed ſic quoque Plautus *homo nemo. nemo natus.*

4. *Quoniam ex alto repetita ſint.*] O. mſſ. & edit. iſtud habent. vulgo *ſunt*. paullò ante: Pall. quatuor Grut. *quæ noſtris officiis ego ad te ſcripſ.* omiſſo *de*. ſicut & paullo poſt: ſec. tert. Grut. *prætermittam: tamen agam, ut debeo gratias.* abrupto illo *tibi*. quorum conſenſus mihi non ſpernendus videtur. ſcripſi quoque *ſupervacua* non *ſupervacanea* ex Pall. ſec. tert. quart. Gruteriano.

5. *Ut mihi conſuleres, reſtitueresque & præparares.*] Haud ſecus eſt in omnibus & mſſ. & editionibus. Lamb. ex conjectura *reparares*. at Gulielm. *conſuleresque ſtatueresque & præp.* neutrum audio.

6. *Ea res ſic ſe habet.*] Sic o. mſſ. Grut. Stewech. prima editio. Alias non male: *ea res ſic habet.*

7. *Quod claſſe tu velles decedere.*] Cur hæc lectio exſulet vulgatis neſcio: ea certe conſpicitur in editione prima, Victorii, Pall. quatuor, Gruter. nam in Pal. pr. hæc omiſſa ſunt. vulgò, ex arbitratu alicujus pædagogi, excuſum eſt: *dixit claſſe te velle decedere.* ſed illum cum ſua audacia cuminum bibere & cepe edere jubeo.

8. *Et perſore accommodatum, ſi ad illam maritimam partem provinciæ navibus acceſſiſſem.*] Sic hunc locum reperio in Pall. quatuor. Grut. edit. prima & Victor. tribus Gulielmianis. pro *illam*, conjectura, ex ſequent. epiſtola ductus, quiſpiam emendavit *ſidam*. Pal. pr. *eam*. ceterum Guliel. *maritimam partem provinciæ* pro gloſſa docebat; volebatque trigam illam vocabulorum ab hoc eloquentiæ curru abjugatam: ſed & τὸ *navibus* ignorarunt Pall. tert. quart. at Grut. *in navibus*.

9. *Propè Kal. Sextil. puto me Laodiceæ fore.*] Miror quibus fiduciis alii fecerint *pridie*, cum hoc exſtet, in editionum primaria, Victorii, Pal. tribus, Grut. Peck. propono tamen penſitandam optimi codicis primi lectionem cordatioribus; *propter Kal. Sextil.* nam mihi ſalivam movet.

10. *Procul enim aberam ab re ipſa & à locis.*] Sic ex Medicæo Victorius: ſic quoque o. Pall. præter tert. Gruter. Stewech. vulgo, *Procul enim abſum ab reipſa, & locis.*

11. *Quàm celerrimè potero, & quàm creberrimis litteris faciam.*] Prætuli hanc lectionem quam obtulit Pal. quint. benignitas, eò magis quòd eam cernam ex Medic. cod. primæ editioni oræ ab Egnatio adjectam: Nam ceteri miras turbellas mihi hic dant. Pall. ſec. tert. Stewech. *& quam creberrimis* non habent. quart. verò, *quàm celerius pot.* ſicut & prima edit. Vict. & Pal. pr. ſuffragantur vulgatis: *quam celerrimis potero & quam creberrimis litteris fac.*

12. *Utriuſque noſtrum magni inter * quam decedas.*] Præſtat mutilatum Ciceronis aurum tenere, quam aliorum malè aceratum ac cohærens lutum: ſic Victorius in ſuo invenit: ſic ego in Pal. pr. numquam ſatis laudatæ fidei codice. gemina littera auctior eſt quint. *intereſt.* neque mutat multum tert. in quo: *utriuſque noſtrum magis intereſt quàm decedas*: cujus tamen lævæ oræ impegit *ut me videam*; cum ſit in ſec. *intereſt ut te videam antequam decedas.* in quarto: *magni intereſt, quando decedas.* vulgò ex mangonio ingenioſiſſimorum capitum: *intereſt, prius ut te conveniam, quam decedas.* Mihi fixum determinatumque eſt quicquid potero ductu codicum mſſ. alieni deprehendere, exonerare: non enim Cicero is eſt, in quem omnes putidi homunciones ſui cerebri foricas deducere debeant.

13. *Mea tamen in te omnia officia conſtabunt.*] Certant invicem mſſ. meliorum conſenſum prætuli; pro hac enim lectione ſunt, Pal. pr. quint. Grut. Stewech. edit. prima ac Victorina. pro illa: *mea tamen in te officia conſtabunt*: Pall. ſecund. tert. Lamb. vulgò *officia* deſit.

14. *Sanè vellem potuiſſet obſequi.*] Nihil ego muto, cum hæc ſcriptura ſit cod. Medic. nec longè abeat Pal. pr. *potuiſſes*, facilis enim mixtura ſeu mutatio *ſ.* pro *t.* licet omnes reliqui, ſicut & Victor. *potuiſſe.* nam & Vaticano noſtro nititur.

6 M. T. C. APPIO PULCHRO, S. D.

CUM meum factum cum tuo comparo, etſi non magis mihi faveo in noſtra amicitia tuenda, quam tibi: tamen multo magis meo facto delector, quàm tuo. Ego enim Brundiſii quæſivi ex Phania, cujus mihi videbar & fidelitatem erga te perſpexiſſe, & noſſe locum, quem apud te is teneret: quam in partem provinciæ maximè putaret te velle, ut in ſuccedendo primùm venirem. Cùm ille mihi reſpondiſſet: nihil me tibi gratius facere poſſe, quàm ſi ad Sidam navigaſſem: etſi minus dignitatis habebat ille adventus, & ad multas res mihi minùs erat aptus, tamen ita me dixi facturum. Idem ego cùm L. Clodium Corcyræ conveniſſem, hominem ita tibi conjunctum, ut mihi, cum illo cum loquerer, tecum loqui viderer: dixi ei, me ita facturum eſſe, ut in eam partem, quam Phania rogaſſet, primum venirem. Tunc ille mihi cum gratias egiſſet, magnopere à me petivit, ut Laodiceam protinus irem: te in prima provincia velle eſſe, ut quam primum decederes: quin, niſi ego ſucceſſor eſſem, quem tu cuperes videre, te anteà, quam tibi ſucceſſum eſſet, deceſſurum fuiſſe: quod quidem erat conſentaneum cum iis litteris, quas ego Romæ acceperam: ex quibus perſpexiſſe mihi videbar, quam feſtinares decedere. Reſpondi Clodio, me ita eſſe facturum, ac multo quidem libentiùs, quàm, ſi illud eſſet faciendum, quod promiſeram Phaniæ. Ita & conſilium mutavi, & ad te ſtatim mea manu ſcriptas litteras miſi: quas quidem ex tuis litteris intellexi ſatis mature ad te eſſe perlatas. Hoc ego meo facto valde delector. nihil enim potuit fieri amantius. Conſidera nunc viciſſim tuum. Non modò ibi non fuiſti, ubi me quàm primùm videre poſſes, ſed eo diſceſſiſti, quò ego te ne perſequi quidem poſſem triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege (ut opinor) Cornelia conſtituti eſſent. ut tuum factum, qui, quo animo inter nos ſimus, ignorant, alieni hominis, (ut leviſſime dicam) & fugientis congreſſum: meum verò, conjunctiſſimi, & amiciſſimi eſſe videatur. Ac mihi tamen antè, quàm in provinciam venirem, redditæ ſunt à te litteræ: quibus etſi te Tarſum proficiſci demonſtrabas, tamen mihi non dubiam ſpem mei conveniendi afferebas: cum interea, credo equidem, malivoli homines (latè enim patet hoc vitium, [1] & eſt enim in multis) ſed tamen probabilem materiam nacti ſermonis, ignari meæ conſtantiæ, conabantur alienare à te voluntatem meam: qui te forum Tarſi agere, ſtatuere multa, decernere, judicare, dicerent, cum poſſes jam ſuſpicari, tibi eſſe ſucceſſum: quæ ne ab iis quidem fieri ſolerent, qui brevi tempore [2] ſibi ſuccedi putarent. Horum ego ſermone non movebar, quinetiam (credas mihi velim) ſi quid tu ageres, levari me putabam moleſtia: & ex annua provincia, quæ mihi longa videtur, [3] propè jam undecim menſium provinciam factam eſſe gaudebam, ſi abſenti mihi unius menſis labor detractus eſſet. Illud (vere dicam) me movet, in tanta militum paucitate abeſſe tris cohortis, quæ ſint pleniſſimæ: nec me ſcire ubi ſint. Moleſtiſſimè autem fero: quod, te ubi viſurus ſim, neſcio: eoque ad te tardius ſcripſi, quòd quotidie te ipſum exſpectabam: cum interea ne litteras quidem ullas accepi, quæ me docerent, quid ageres, aut ubi te viſurus eſſem. Itaque virum fortem, mihique in primis probatum, Antonium, præfectum evocatorum, miſi ad te, cui, ſi tibi videtur, cohorteis traderes: ut, dum tempus anni eſſet idoneum, aliquid negotii gerere poſſem. In quo, tuo conſilio ut me ſperarem eſſe uſurum, & amicitia noſtra, & litteræ tuæ fecerant: [4] quod ne nunc quidem deſpero. Sed planè, quando, aut ubi te viſurus ſim, niſi ad me ſcripſeris, ne ſuſpicari quidem poſſum. Ego, ut me tibi amiciſſimum eſſe, & æqui, & iniqui intelligant, curabo. De tuo in me animo iniquis ſecus exiſtimandi videris nonnihil loci dediſſe. id ſi correxeris, mihi valde gratum erit. Et, ut tu habere rationem poſſis, quo loco me, ſalva lege Cornelia, convenias, ego in provinciam veni pridie Kal. Sext. iter in Ciliciam facio per Cappadociam. caſtra movi ab Iconio pridie Kalendas Sept. Nunc tu & ex diebus, & ex ratione itineris, ſi putabis me eſſe conveniendum, conſtitues, quo loco id commodiſſimè fieri poſſit, & quo die. Vale.

M. T. C. S. D. APPIO PULCHRO. 7

PLURIBUS verbis ad te ſcribam, cum plus otii nactus ero. Hæc ſcripſi ſubito, cum Bruti pueri Laodiceæ me conveniſſent, & ſe Romam properare dixiſſent. Itaque nullas iis, præterquàm ad te, & ad Brutum, dedi litteras. Legati Appiani mihi volumen à te, plenum querelæ iniquiſſimæ, reddiderunt, quod eorum ædificationem litteris meis impediſſem. Eadem autem epiſtola petebas, ut eos quàm primùm, ne in hiemem inciderent, ad facultatem ædificandi, liberarem: [5] & ſimul peracutè querebare, quod eos tributa exigere vetarem, priùs, quàm ego, re cognita, permiſiſſem. genus enim quoddam fuiſſe impediendi, cum ego cognoſcere non poſſem, niſi cum ad hiemem me ex Cilicia recepiſſem. Ad omnia accipe: & cognoſce æquitatem expoſtulationis tuæ. Primùm, cùm ad me aditum eſſet ab iis, qui dicerent, à ſe intolerabilia tributa exigi: quid habuit iniquitatis, me ſcribere, ne facerent, antequàm ego rem, cauſamque cognoſſem? Non poteram, credo, ante hiemem. ſic enim ſcribis. Quaſi verò ad cognoſcendum ego ad illos, non illi ad me venire debuerint. Tam longe? inquis. Quid? cùm dabas iis litteras, per quas mecum agebas, ne eos impedirem, quo minus ante hiemem ædificarent, non eos ad me venturos arbitrabare? Tametſi id quidem fecerunt ridiculè. quas enim litteras afferebant, ut opus æſtate facere poſſent, eas mihi poſt brumam reddiderunt. Sed ſcito, & multo plureis eſſe, qui de tributis recuſent, quàm qui exigi velint: & me tamen, quod te velle exiſtimem, eſſe facturum. De Appianis hactenus. A Pauſania, Lentuli liberto, accenſo meo, audivi, cum diceret, te ſecum eſſe queſtum, quòd tibi obviam non prodiſſem Scilicet contemſi te: nec poteſt fieri me quidquam ſuperbius. Cùm puer tuus ad me ſecunda ferè vigilia veniſſet, iſque te ante lucem Iconium mihi venturum nuntiaſſet, incertumque, utra via, cùm eſſent duæ: altera Varronem, tuum familiariſſimum, altera Q. Leptam, præfectum fabrûm meum, tibi obviam miſi. mandavi utrique eorum, ut antè ad me excurrerent, ut tibi obviam prodire poſſem. Currens Lepta venit, mihique nuntiavit, te jam caſtra prætergreſſum eſſe. confeſtim Iconium veni. cetera jam tibi nota ſunt. An ego tibi obviam non prodirem? primum Appio Claudio? deinde, imperatori? deinde, more majorum? deinde, quod caput eſt, amico? præſertim cum in iſto genere multo etiam ambitioſius facere ſoleam, quàm honos meus, & dignitas poſtulat. Sed hæc hactenus. Illud idem Pauſania dicebat, te dixiſſe: Quidni? Appius Lentulo, Lentulus Appio proceſſit obviam: Cicero Appio noluit?

---

1. *Et eſt enim in multis.*] Non auſus ſum diſcedere à Victorio, Pall. ſec. quart. quint. Primus *vitium eſt enim in multis*: non tamen improbandam judico lectionem cod. Peck. *latè enim hoc patet vitium, & in multis.*

2. *Sibi ſuccedi putarent.*] Sic omnes Pall. Gruter. Victorius. alias: *ſucceſſum iri putarent.*

3. *Prope jam undecim menſium provinciam.*] Benè Lamb. *undecim menſum*: quod tamen in nullo omnino noſtrorum reperi: at *videtur* non *videretur* oſtentatur a Victorii & prima edit. Pall. pr. ſec. quart. quint. Vatic.

4. *Quod ne nunc quidem deſpero.*] Ita quinque Pall. cod. Gruteri, Victorii editio. Gulielmius tamen in Codicis Peckiani ſcripturam, quam & ego in editione prima animadverto, propendebat, *quod ne*, pro *nec ego nunc quidem deſpero*, ut confirmet deſperaſſe ſe de conſilio Appii. quod prima fronte aliquid apparet, ſed ſi perpendas & componas cum ſequentibus frivolum magis nauco ac levius tippula invenies. nam & nimium intelligendo noſtrum ſtuporem prodimus.

5. *Et ſimul peracute querebare.*] Non temerarius conſenſus Pall. ſec. tert. quart. Gruter. Stewech. Peck. cum editionum prima: *& ſimul peraccuratè querebare*: Sed mihi ante hoc tamen placet *peracutè.*

luit? Quæſo, etiamne tu has ineptias, homo (mea ſententia) ſumma prudentia, multa etiam doctrina, plurimo rerum uſu, [1] addo urbanitate, quæ eſt virtus, ut Stoici rectiſſimè putant: ullam Appietatem, aut Lentulitatem, valere apud me plus, quàm ornamenta virtutis, exiſtimas? Cum ea conſecutus nondum eram, quæ ſunt hominum opinionibus ampliſſima: tamen iſta veſtra nomina numquam ſum admiratus: viros eſſe, qui ea vobis reliquiſſent, magnos arbitrabar. Poſtea verò, quam ita & cepi, & geſſi maxima imperia, ut mihi nihil neque ad honorem, [2] neque ad gloriam acquirendum putarem: ſuperiorem quidem numquam, ſed parem vobis me ſperavi eſſe factum. Nec, mehercule, aliter vidi exiſtimare, vel Cn. Pompejum, quem omnibus, qui umquam fuerunt, vel P. Lentulum, quem mihi ipſi antepono. Tu ſi aliter exiſtimas, nihil errabis, ſi paullo diligentiùs (ut quid ſit εὐγένεια, quid ſit nobilitas intelligas) Athenodorus, Sandonis filius, quid de his rebus dicat attenderis. Sed, ut ad rem redeam, me tibi non amicum modò, verumetiam amiciſſimum exiſtimes velim. profectò omnibus meis officiis efficiam, ut ita eſſe verè poſſis judicare. Tu autem ſi id agis ut minus mea cauſa, dum ego abſim, debere videaris, quàm ego tua laborarim: libero te iſta cura. παρ' ἐμοί γε καὶ ἄλλοι, Οἵ κέ με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς. Si autem natura es φιλαίτιος, illud non perficies, quo minus tua cauſa velim. hoc aſſequêre, ut, quam in partem tu accipias, minùs laborem. Hæc ad te ſcripſi liberiùs, fretus conſcientia officii mei, benivolentiæque: quam à me certo judicio ſuſceptam, quoad tu voles, conſervabo. Vale.

8 M. T. C. PROCONS. S. D. [3] APPIO PULCHRO.

Etsi, quantum ex tuis litteris intelligere potui, videbam, te hanc epiſtolam, cùm ad urbem eſſes, eſſe lecturum, refrigerato jam leviſſimo ſermone hominum provincialium: tamen, cum tu tam multis verbis ad me [4] de improborum oratione ſcripſiſſes, faciendum mihi putavi, ut tuis litteris brevi reſponderem. Sed prima duo capita epiſtolæ tuæ, tacita mihi quodammodo relinquenda ſunt. Nihil enim habent, quod aut definitum ſit, aut certum: niſi me vultu, taciturnitate ſignificaſſe, tibi non eſſe amicum, idque pro tribunali, cum aliquid ageretur, & nonnullis in conviviis intelligi potuiſſe. Hoc totum nihil eſſe, poſſum intelligere: ſed cum ſit nihil, ne quid dicatur quidem, intelligo. Illud quidem ſcio, meos multos, & illuſtreis, & ex ſuperiore, & ex æquo loco ſermones habitos cum tua ſumma laude, & [5] cum magna ſollicitudine, ſignificatione noſtræ familiaritatis, ad te verè potuiſſe deferri. Nam, quod ad legatos attinet, quid à me fieri potuit aut elegantius, aut juſtius, quàm ut ſumtus egentiſſimarum civitatum minuerem, ſine ulla imminutione dignitatis tuæ, præſertim ipſis civitatibus poſtulantibus? Nam mihi totum genus legationum tuo nomine proficiſcentium, notum non erat. Apameæ cum eſſem, multarum civitatum principes ad me detulerunt, ſumtus decerni legatis nimis magnos, cum ſolvendo civitates non eſſent. Hic ego multa ſimul cogitavi. primum te hominem, non ſolum ſapientem, verumetiam (ut nunc loquimur) urbanum, non arbitrabar genere iſto legationum delectari: idque me arbitror Synnadis pro tribunali, multis verbis diſputaviſſe: primum, Appium Claudium, ſenatui, populoque Rom. non Myndenſium teſtimonio, (in ea enim civitate mentio facta eſt) ſed ſua ſponte, eſſe laudatum: deinde me iſta vidiſſe multis accidere, ut eorum cauſa legationes Romam venirent: ſed his legationibus non meminiſſe ullum tempus laudandi, aut locum dari: ſtudia mihi eorum placere, quod in te bene merito grati eſſent: conſilium totum videri minimè neceſſarium. Si autem vellent declarare in eo officium ſuum, laudaturum me, ſi qui ſuo ſumtu functus eſſet officio: conceſſurum, ſi legitimo: non permiſſurum, ſi infinito. Quid enim reprehendi poteſt, niſi quòd addis, viſum eſſe quibuſdam edictum meum, quaſi conſultò ad iſtas legationes impediendas eſſe accommodatum? Jam non tam mihi videntur injuriam facere ii, qui hæc diſputant, quàm ſi cujus aures ad hanc diſputationem patent. Romæ compoſui edictum: nihil addidi, niſi quod publicani me rogarunt, cum Samum ad me veniſſent, ut de tuo edicto totidem verbis transferrem in meum. Diligentiſſimè ſcriptum caput eſt, quod pertinet ad minuendos ſumtus civitatum: quo in capite ſunt quædam nova, ſalutaria civitatibus: quibus ego magnopere delector. Hoc verò, ex quo ſuſpicio nata eſt, me exquiſiſſe aliquid, in quo te offenderem, tranſlatitium eſt. Neque enim eram tam deſipiens, ut privatæ rei cauſa legari putarem, qui & tibi non privato, & pro re non privata ſua, ſed publica: non in privato, ſed in publico orbis terræ conſilio, id eſt, in ſenatu ut gratias agerent, mittebantur: neque cùm edixi, ne quis injuſſu meo proficiſceretur, excluſi eos, qui me in caſtra, & qui trans Taurum perſequi non poſſent. Nam id eſt maximè in tuis litteris irridendum. Quid enim erat, quod me perſequerentur in caſtra, Taurumve tranſirent, cum ego Laodicea uſque ad Iconium iter ita fecerim, ut me omnium illarum diœceſium, quæ cis Taurum ſunt, omniumque earum civitatum magiſtratus, legationeſque convenirent? Niſi fortè poſtea cœperunt legare, quàm ego Taurum tranſgreſſus ſum, quod certè non ita eſt. Cum enim Laodiceæ, cum Apameæ, cum Synnadis, cum Philomeli, cum Iconii eſſem: quibus in oppidis omnibus commoratus ſum: omnes jam iſtius generis legationes erant conſtitutæ. Atque hoc tamen te ſcire volo, me de iſto ſumtu legationum aut minuendo, aut remittendo decreviſſe nihil, niſi quod principes civitatum à me poſtulaſſent: ne in venditionem tributorum, & illam acerbiſſimam exactionem (quam tu non ignoras) capitum, atque oſtiorum inducerentur ſumtus minimè neceſſarii. Ego autem cum hoc ſuſcepiſſem, non ſolum juſtitia, ſed etiam miſericordia adductus, ut levarem miſeriis perditas civitates, & perditas maximè per magiſtratus ſuos, non potui in illo ſumtu non neceſſario negligens eſſe. Tu, cum iſtiuſmodi ſermones ad te delati de me ſunt, non debuiſti credere. Si autem hoc genere delectaris, ut, quæ tibi in mentem veniant, aliis attribuas: genus ſermonis inducis in amicitiam minimè liberale. Ego ſi in provincia detrahere de tua fama umquam cogitaſſem, non ad generum tuum Lentulum, neque ad libertum tuum Brundiſii, neque ad præfectum fabrum Corcyræ, quem in locum me venire velles, retuliſſem. Quare potes, doctiſſimis hominibus auctoribus, quorum ſunt de amicitia gerenda præclariſſimè ſcripti libri, genus hoc totum orationis tollere, DISPUTABANT, EGO CONTRA DISSEREBAM. DICEBANT, EGO NEGABAM. An mihi de te nihil eſſe dictum umquam putas? ne hoc quidem, quòd, cum me Laodiceam venire voluiſſes, Taurum ipſe tranſiſti? Quòd iiſdem diebus meus conventus erat Apameæ, Synnadis, Philomeli: tuus Tharſi? Non dicam plura, ne, in quo te objurgem, id ipſum videar imitari. Illud dicam, ut ſentio. ſi iſta, quæ alios loqui dicis, ipſe ſentis: tua ſumma culpa eſt. ſin au-

1. *Addo urbanitate.*] *Urbanitatem* omnes Pall. prætuli tamen lectionem Victorianæ impreſſionis & Vatic. cod. ut maximè concinnam, atque elegantem.

2. *Neque ad gloriam acquirendum putarem.*] Prætuli & hanc lectionem ex Vatic. atque editione Victorii, cum in quatuor Pall. & Stewech. exſtet *acquirendum put.* vulgo: *acquirendam deeſſe put.*

3. APPIO PULCRO.] Vulgò addunt IMPERATORI: quod ego in ſolo tertio inveni: ceteri omnes ignorant hunc titulum.

4. *De improborum oratione ſcripſiſſes.*] In optimo codice Pal. pr. & Grut. quemadmodum Lambinus conjecerat: *moratione.* ſed ideo ego non referrem ad *triumphi moratores*, quos ſomniat Lamb.

5. *Cum magna ſolicitudine, ſignificatione noſtræ fam.*] Ea eſt lectio primarum editionum, Pall. quatuor, totidemque Gulielmianorum ac Gruteriani. Pal. tert. *ſolicitudine ſignificationis*, quam ſcripturam neſcio unde, aliquis oræ Venetæ editionis adpoſuit. Vulgo: *cum magnâ noſtra ſignificatione noſtra fam.*

1. *Quod*

ſin autem alii tecum hæc loquuntur: tua tamen, quod audis, culpa nonnulla eſt. Mea ratio in tota amicitia noſtra conſtans, & gravis reperietur. [1] Quod ſiqui me aſtutiorem fingit: quid poteſt eſſe callidius, quam, cum te abſentem ſemper defenderim, cum præſertim mihi uſum venturum non arbitrarer, ut ego quoque abſens à te defendendus eſſem: nunc committerem, ut tu jure optimo me abſentem deſerere poſſes? Unum genus excipio ſermonis, in quo perſæpe aliquid dicitur, quod te putem nolle dici: [2] ſi aut legatorum tuorum cuipiam, aut præfectorum, aut tribunorum militum malè dicitur: quod tamen ipſum non mehercule adhuc accidit me audiente, ut aut gravius diceretur, aut in pluris, quàm mecum Corcyræ Clodius eſt locutus: cùm in eo genere maximè quereretur te aliorum improbitate minus felicem fuiſſe. Hos ego ſermones, quòd & multi ſunt, & tuam exiſtimationem, ut ego ſentio, non offendunt, laceſſivi numquam, ſed non valde repreſſi. Si quis eſt, qui neminem bona fide in gratiam putet redire poſſe: non noſtram is perfidiam coarguit, ſed indicat ſuam: ſimulque non de me is pejus, quàm de te exiſtimat. Sin autem quem mea inſtituta in provincia non delectant: & quadam diſſimilitudine inſtitutorum meorum, ac tuorum lædi ſe putat, cùm uterque noſtrum rectè fecerit, ſed non idem uterque ſecutus ſit: hunc ego amicum habere non curo. Liberalitas tua, ut hominis nobiliſſimi, latius in provincia patuit. [3] Noſtra ſi anguſtior (etſi de tua prolixa, beneficaque natura limavit aliquid poſterior annus, propter quandam triſtitiam temporum) non debent mirari homines, cùm & natura ſemper ad largiendum ex alieno fuerim reſtrictior, & temporibus, quibus alii moventur, iiſdem ego movear: *me eſſe acerbum ſibi, ut ſim dulcis mihi.* De rebus urbanis quòd me certiorem feciſti, cum per ſe mihi gratum fuit, tùm quod ſignificaſti, tibi omnia mea mandata curæ fore. In quibus unum illud te præcipuè rogo, ut cures, ne quid mihi ad hoc negotii aut oneris accedat, aut temporis: Hortenſiumque, noſtrum collegam, & familiarem, roges, ut, ſi umquam mea cauſa quidquam aut ſenſit, aut fecit, de hac quoque ſententia bima decedat: qua mihi [4] nihil poteſt eſſe inimicitius. De noſtris rebus quod ſcire vis: Tarſo, nonis Octobr. Amanum verſus profecti ſumus. Hæc ſcripſi poſtridie ejus diei, cum caſtra haberem [5] in agro Mosheſtiæ. Si quid egero, ſcribam ad te: [6] neque domum umquam ad me litteras mittam, quin adjungam eas, quas tibi reddi velim. De Parthis quòd quæris, fuiſſe nullos puto. Arabes qui fuerunt, admiſto Parthico ornatu, dicuntur omnes revertiſſe. Hoſtem eſſe in Syria negant ullum. Tu velim ad me quàm ſæpiſſimè, & de tuis rebus ſcribas, & de meis, & de omni reipublicæ ſtatu. de quo ſum ſollicitus eo magis, quòd ex tuis litteris cognovi, Pompejum noſtrum in Hiſpaniam iturum. Vale.

M. T. C. APPIO PULCHRO, S. D. 9

VIx tandem legi litteras dignas Appio Clodio, plenas humanitatis, officii, diligentiæ. Adſpectus videlicet urbis tibi tuam priſtinam urbanitatem reddidit. Nam, quas ex itinere antè, quàm ex Aſia egreſſus es, ad me litteras miſiſti, unas de legatis à me prohibitis proficiſci, alteras de Appianorum ædificatione impedita, legi perinvitus. Itaque conſcientia meæ conſtantis erga te voluntatis, reſcripſi tibi ſubiratus. Iis verò litteris lectis, quas Philotimo, liberto meo, dediſti, cognovi, intellexique, in provincia multos fuiſſe, qui nos, quo animo inter nos ſumus, eſſe nollent: ad urbem verò ut acceſſeris, vel potiùs ut primùm tuos videris, cognoſſe te ex iis, qua in te abſentem fide, qua in omnibus officiis tuendis erga te obſervantia, & conſtantia fuiſſem. Itaque quanti illud me æſtimare putas, quod eſt in tuis litteris ſcriptum: ſi quid inciderit, quod ad meam dignitatem pertineat, etſi vix fieri poſſit, [7] tamen te parem mihi gratiam relaturum? Tu verò facilè facies. NIHIL EST enim, quod ſtudio, & benivolentia, vel amore potiùs, effici non poſſit. Ego, etſi & ipſe ita judicabam, & fiebam crebro à meis per litteras certior: tamen maximam lætitiam cepi ex tuis litteris de ſpe minime dubia, & planè explorata triumphi tui: neque verò ob eam, cauſam, quo ipſe facilius conſequerer: (nam id quidem ὀπιχύρειον eſt) ſed, mehercule, quòd tua dignitas, atque amplitudo mihi eſt ipſa cara per ſe. Quare quoniam plureis tu habes, quàm ceteri, quos ſcias in hanc provinciam proficiſci, quod te adeunt ferè omnes, ſi quid velis: gratiſſimum mihi feceris, ſi ad me, ſimulatque adeptus eris, quod & tu confidis, & ego opto, litteras miſeris. Longi ſubſellii (ut noſter Pompejus appellat) judicatio, & mora, ſi quem tibi item unum, alterumve diem abſtulerit, (quid enim poteſt amplius?) tua tamen dignitas ſuum locum obtinebit. Sed, ſi me diligis, ſi à me diligi vis, ad me literas, ut quàm primum lætitia afficiar, mittito. Et velim, reliquum quod eſt promiſſi, ac muneris tui, mihi perſolvas. Cum ipſam cognitionem juris augurii conſequi cupio, tum mehercule tuis incredibiliter ſtudiis erga me, muneribuſque delector. Quòd autem à me tale quiddam deſideras, ſanè mihi conſiderandum eſt, quonam te remunerer potiſſimum genere: nam profectò non eſt meum, qui in ſcribendo (ut ſoles admirari) tantum induſtriæ ponam, committere, ut negligens ſcribendo fuiſſe videar: præſertim cum id non modò negligentis, ſed etiam ingrati animi crimen futurum ſit. Verùm hæc videbimus. Illud, quod polliceris, velim pro tua fide, diligentiaque, & pro noſtra non inſtituta, ſed jam inveterata amicitia, cures, enitare, ut ſupplicatio nobis quàm honorificentiſſimè, quàm primumque decernatur. Omnino ſerius miſi litteras, quàm vellem: in quo cùm difficultas navigandi fuit odioſa, [1] tum

1. *Quod ſi qui me aſtutiorem fingit: quid poteſt eſſe callidius.*] Sic ante Lambin. prima editio ac Victorii: *qui* pro *quis* ut paullo ſupra; *ſi qui ſuo ſumtu functus eſſet officio*, ex Pall. ſec. Grut. Vatican. jam *callidius* eſt in primo, quart. quint. in Peck. Grut. in ſec. tert. *calidius* puto antiqua ſcriptura non geminante liquidas has ſæpius. vulgò *incallidius* nimis frivolum. Ceterum paullo poſt eſt in Pall. ſec. *cum præſertim mihi. uſum venturum non arbitrarer.* quod valde probo: Sic Plaut. Ciſtell. *ſi quis unus venerit.* Item Bacch. *Aufugero hercle, ſi magis uſus venerit.* Terent. Heaut. *Non uſus veniet ſpero*, aut ſi nolis ſic accipere, accipe ut idem Ater Phorm. *Nec cum hujuſmodi unquam uſus venit, ut conflictares malo.* Pall. tert. *uſui venturum.*

2. *Si aut legatorum tuorum cuipiam a. præf. a. tr. ml. maledicitur.*] Heic potius aliis credidi quam mihi; puta Victorio, Manutio, Lambino hanc lectionem exhibentibus, accedente Vaticano cod. in quo talis ſcriptura reſtat. ceterum nullus noſtrorum huic lectioni favet: quorum tert. & Gruter. *quippiam aut præf. aut trib. militum malè dicit:* quod ego non ſpernere rationibus mihi domi conductis poſſum. primus verò accedit ad Victorianam lect. quippe *quipiam* & *cuipiam*, jam verò *ut*, ſæpe ex brevitatis ignorantia præteritur; ut modò ſupra. Illud verò recte eſt ex Palat. pr. ſec. Grut. Medic. Vatic. emendatum, *aut in pluris*. vulgò ineptè, *aut impurius*, quod tamen velut legitimum nonnullos codices invaſit & infecit.

3. *Noſtra ſi anguſtior, & ſi.*] Vulgò *anguſtior erit.* ſed iſtud verbi neque in melioribus editionibus, neque in ullis mſſ. conſpicitur. amandavi ergò εἰς κόρακας. ceterum in omnibus noſtris, ut & tribus Guliel. eſt *limitabit* non *limavit*. Egnatius quia invenerat in Medicæo *limavit aliit* legit *elimavit*, quod verbum eſt Latinum & proprium hujus ſenſus, ductum à lima quæ atterit quod ſuperfluit. Mihi in illo *Limitabit* ſubeſſe aliquid ſuſpicio eſt: altiuſque tot codicum fides apud me fundata eſt, quam vel momenta ſagaciſſimæ conjecturæ ſeu acuminis.

4. *Nihil poteſt eſſe inimicitius.*] Et hoc quatuor Pall. priorum ſcriptura eſt: ac Gruteriani. vulgo *inimicius*. vide ſupra hoc eodem libro.

5. *In agro Mosheſtiæ.*] Ita Victorius, Med. Pal. pr. ſecundus verò & Peck. *Moſchetiæ.* tert. *moſeſtiæ.* quart. quint. *Moſyeſtiæ.* alii ut Victor. & Lamb. *Moſjukeſtiæ*; ſicut dudum ante illos natos emendarat Egnatius.

6. *Neque domum umquam ad me litteras mittam.*] Elegantiſſimè & omnimodo Tulliane: ex Victorio ac Vaticano, in quibus Pall. erat *ad meas lit.* qui hujus venuſtatis vim non ceperunt, legerunt *ad meos litteras mittam.*

7. *Tamen te parem mihi gratiam relaturum.*] Non illepida eſt prima codicis Gruteriani ſcriptura: *Perhenni mihi gratia relaturum.*

[1] tum ipſum diſceſſum ſenatus incidiſſe credo litteras meas. Sed id feci adductus auctoritate, & conſilio tuo: idque à me rectè factum puto, quod non ſtatim, ut appellatus imperator ſim, ſed aliis rebus additis, æſtivisque confectis, litteras miſerim. Hæc igitur tibi erunt curæ, quemadmodum oſtendis: meque totum, & mea, & meos commendatos habebis. Vale.

M. T. C. APPIO PULCHRO S. D.

CUm eſt ad nos allatum de temeritate eorum, qui tibi negotium faceſſerent, etſi graviter primo nuntio commotus ſum, quòd nihil tam præter opinionem meam accidere potuit: tamen, ut me collegi, cetera mihi facillima videbantur, quod & in te ipſo maximam ſpem, & in tuis magnam habebam: multaq; mihi veniebant in mentem, quamobrem iſtum laborem tibi etiam honori putarem fore. Illud planè moleſte tuli, quòd certiſſimum, & juſtiſſimum triumphum, hoc invidorum conſilio eſſe tibi ereptum videbam. Quod tu ſi tanti facies, quanti ego ſemper judicavi faciendum eſſe: facies ſapienter, & ages victor ex inimicorum dolore triumphum juſtiſſimum. Ego enim planè video fore, nervis, opibus, ſapientia tua, vehementer ut inimicos tuos pœniteat intemperantiæ ſuæ. [2] De me tibi ſic, conteſtans omneis deos, promitto, atque confirmo, me pro tua dignitate (malo enim dicere, quam pro ſalute) in hac provincia, cui tu præfuiſti, rogando, deprecatoris: laborando, propinqui: [3] auctoritate, cari hominis (ut ſpero) apud civitates: gravitate, imperatoris ſuſcepturum officia, atque parteis. Omnia volo à me & poſtules, & exſpectes: vincam meis officiis cogitationes tuas. Q. Servilius perbreveis mihi à te litteras reddidit, quæ mihi tamen nimis longæ viſæ ſunt. Injuriam enim mihi fieri putabam, cùm rogabar. Nollem accidiſſet tempus, in quo perſpicere poſſes, quanti te, quanti Pompejum, quem unum ex omnibus facio, ut debeo, plurimi, quanti Brutum facerem: quamquam in conſuetudine quotidiana perſpexiſſes, ſicut perſpicies: ſed quoniam accidit, ſi quid à me prætermiſſum erit, commiſſum facinus, & admiſſum dedecus confitebor. Pontinus, qui à te tractatus eſt præſtanti, ac ſingulari fide, cujus tui beneficii ſum ego teſtis, præſtat tibi memoriam, benivolentiamque, quam debet: qui, cum maximis rebus ſuis coactus à me invitiſſimo deceſſiſſet: tamen ut vidit intereſſe tua, conſcendens jam navem, Epheſo Laodiceam revertit. Talia te cùm ſtudia videam habiturum eſſe innumerabilia, planè dubitare non poſſum; [4] quin tibi amplitudo iſta ſollicitudo futura ſit. [5] Si verò efficis, ut cenſores creentur: &, ſi ita geſſeris cenſuram, ut & debes, & potes: non tibi ſolum, ſed tuis omnibus video in perpetuum ſummo te præſidio futurum. Illud pugna, & enitere, ne quid nobis temporis prorogetur: ut, cum hîc tibi ſatisfecerimus, iſtic quoque noſtram in te benivolentiam navare poſſimus. Quæ de hominum, atque ordinum omnium erga te ſtudiis ſcribis ad me, minimè mihi miranda, & maximè jucunda acciderunt: eademque ad me perſcripta ſunt à familiaribus meis. Itaque capio magnam voluptatem, cùm tibi, cujus mihi amicitia non ſolùm ampla, ſed etiam jucunda eſt, [6] ea tribui, quæ debeantur: tum verò remanere etiam nunc in civitate noſtra ſtudia, propè omnium conſenſu, erga forteis, & induſtrios viros: quæ mihi ipſi una ſemper tributa merces eſt laborum, & vigiliarum mearum. Illud verò mihi permirum accidit, tantam temeritatem fuiſſe in eo adoleſcente, cujus ego ſalutem duobus capitis judiciis ſumma contentione defendi: ut, tuis inimicitiis ſuſcipiendis, oblivisceretur patroni omnium fortunarum, ac rationum ſuarum: præſertim cum tu omnibus, vel ornamentis, vel præſidiis redundares: illi (ut leviſſimè dicam) multa deeſſent. cujus ſermo ſtultus, & puerilis, erat jam anteà ad me à M. Cœlio, familiari noſtro, perſcriptus: de quo item ſermone multa ſcripta ſunt abs te. [7] Ego autem citiùs cum eo, qui tuas inimicitias ſuſcepiſſet, veterem conjunctionem diremiſſem, quàm novam conciliaſſem. Neque enim de meo erga te ſtudio dubitare debes: neque id eſt obſcurum cuiquam in provincia, nec Romæ fuit. Sed tamen ſignificatur in tuis literis ſuſpicio quædam, & dubitatio tua: de qua alienum tempus eſt mihi tecum expoſtulandi: purgandi autem mei, neceſſarium. Ubi enim ego cuiquam legationi fui impedimento, quò minùs Romam ad laudem tuam mitteretur? aut in quo potui, ſi te palàm odiſſem, minùs quod tibi obeſſet, facere? ſi clàm, magis apertè inimicus eſſe? Quòd ſi eſſem ea perfidia, qua ſunt ii, qui in nos hæc conferunt: tamen ea ſtultitia certè non fuiſſem, ut aut in obſcuro odio apertas inimicitias: aut, in quo tibi nihil nocerem, ſummam oſtenderem voluntatem nocendi. [8] Ad me adire quoſdam memini, qui dicerent, nimis magnos ſumtus legatis decerni: quibus ego non tam imperavi, quam cenſui, ſumtus legatis quam maximè ad legem Corneliam decernendos. Atque in eo ipſo me non perſeveraſſe, teſtes ſunt rationes civitatum, in quibus, quantum quæque voluit, legatis tuis datum induxit. Te autem quibus mendaciis homines leviſſimi onerarunt? non modo ſublatos ſumtus, ſed etiam à procuratoribus eorum, qui jam profecti eſſent, repetitos, & ablatos: eamque cauſam multis omnino non

no non

1. *Tum ipſum diſceſſum ſenatus incidiſſe credo litteras meas.*] Sic eſt elegantius ex tribus poſterioribus Pall. & Stewech. vulgus adjecit *in*, ne hærendum eſſet circa quæſtionem, quo procederet oratio regimine.

2. *De me tibi ſic conteſtans omnes deos promitto.*] Sic eſt in editionum principe, invenitque Victorius in ſuis. ceterum ſic expreſſe Grut. Pall. ſec. tert. quint. ob compendium ſcriptionis *conſtans*, alii *obteſtans*, alii *teſtans* utrique malè. ſic Cicero alibi in Verrem: *Deos hominesque conteſtans clamare cœpit.* Idem pro Flacco: *Quum ego te Flacce cœlum terramque conteſtans flens flentem obteſtabar.* Recte autem hunc locum ex Feſto interpretatus eſt Victorius.

3. *Auctoritate cari hominis.*] Sic eſt in omnibus noſtris mſſ. & editionibus, ſolùm in Pal. ſecundo eſt à manu ſecunda *clari hominis*, quod improbandum non ducerem, modò numeroſiore & firmiore ſe teſte tueretur. Clarum apud ſuos provinciales ſe fuiſſe, jactat Cœlio lib. II. cap. 10. *quadam auctoritate apud eos, qui me non norant nominis noſtri. Multum eſt enim in his locis: Hiccine eſt ille, qui urbem? quem ſenatus? noſti cetera.*

4. *Quin tibi amplitudo iſta ſollicitudo futura ſit.*] Qui mutarunt: *quin tibi amplitudini iſta ſollicitudo.* audaciæ ſuæ ac temeritatis ſpecimen dederunt; quaſi hæc omnium librorum ac mſſ. lectio minus liqueret, aut parum integra foret. Eam certe conſpicio in Pall. omnibus, Grut. Stew. Vatic. denique editione prima ac Victorii.

5. *Si verò efficis, ut cenſores creentur.*] Nondum apud me pervicit auctoritas Lambini ut hanc ſcripturam Victorii (quæ eſt in o. Pall. Grut. tribus Gulielmianis, editionum prima) cum ipſo rejicerem. quid cauſæ? certe vulgatæ neque volam neque veſtigium invenio. ſicut & illud *invitiſſimè* in ſolo quarto Pall. exſtat, quod anteponis longe noſtro; in quo ſpero doctiorum neminem rivalem habiturus eſt. Prior lectio vulgò ſic concepta eſt: *Si verò effeceris ut cenſor creeris.*

6. *Ea tribui, quæ debeantur: tum verò remanere etiam nunc.*] Vulgò *tribui video*, ſed poſterius rectè abigunt quatuor Pall. Grut. Peck. editio prima & Victorii: deinde iterum vulgarunt. *tum verò etiamnum remanere:* ſed illud *etiamnum* exturbarunt quoque Pal. tert. Grut. Stewech. pro noſtra verò lectione pugnant quatuor Pall. Victorii editio, ſicque tranſpoſuit in prima impreſſione Egnatius. paullo poſt Pal. tert. Grut. Stewech. *erga fortes & induſtrioſos viros:* qui codices tametſi non poſtremo apud me ſint numero: tamen non auſus ſum hanc novitatem ac licentiam admittendi quodvis in Cicerone aſſumere atque uſurpare. Porro item Pal. tert. ac Stewech. *tantam temeritatem fuiſſe adoleſcenti.*

7. *Ego autem citius cum eo, qui.*] Vulgò *ab eo:* ſic eſt in omnibus mſſ. & editionibus vetuſtioribus. Porrò omnes mſſ. ut & priſca editio; *ſi eſſem ex perfidia.* forte, ut Plautus *ex paupertate.* ſed crebrò permutantur *a* & *x*.

8. *Ad me adire quoſdam memini.*] Verba illa quæ ex ſuis vetuſtis libris aſſuit Victorius, *nimirum ex Epicteto*, cùm neque in Pall. Grut. Gulielm. ed. pr. neque Lambini libris compareant, neſas duxi inducere huc; cùm re vera videantur pannum in purpura. At illam ſubſequentem tuentur Pall. tres quatuor, Grut. Stewech. Victorii editio: *quantum quæque voluit, legatis tuis datum induxit:* quanquam magis probem Pal. pr. & Peck. ſcripturam: *quantum quæque voluit legatis tuis datum, in lixit.* Pal. quint. non abſurde, *quantum quæque voluit legatis tuis, mandatum induxit.*

1. *Sin*

no non eundi fuiſſe. Quererer tecum, atque expoſtularem, ni (ut ſuprà ſcripſi) purgare me tibi hoc tuo tempore, quam accuſare te mallem: idque putarem eſſe rectiùs. Itaque nihil de te, quod credideris de me: quamobrem non non debueris credere, pauca dicam. Nam ſi me virum bonum, ſi dignum his ſtudiis, eaque doctrina, cui me à pueritia dedi: ſi ſatis magni animi, non minimi conſilii in maximis rebus perſpectum habes? nihil in me, non modò perfidioſum, & inſidioſum, & fallax in amicitia, ſed ne humile quidem, aut jejunum debes agnoſcere. [1] Sin autem me aſtutum, & occultum lubet fingere: quid eſt, quod minùs cadere in ejuſmodi naturam poſſit, quàm aut florentiſſimi hominis aſpernari benivolentiam, aut ejus exiſtimationem oppugnare in provincia, cujus laudem domi defenderis? aut in ea re animum oſtendere inimicum, in qua nihil obſis? aut id eligere ad perfidiam, [2] quod ad indicandum odium apertiſſimum ſit: ad nocendum, leviſſimum? Quid erat autem, cur ego in te tam implacabilis eſſem, cùm te ex fratre meo, ne tunc quidem, cùm tibi propè neceſſe eſſet eas agere parteis, inimicum mihi fuiſſe cognoſſem? Cùm verò reditum noſtrum in gratiam uterque expetiſſet: quid in conſulatu tuo fruſtrà mecum egiſti, quod me aut facere, aut ſentire voluiſſes? Quid mihi mandaſti, cùm te Puteolis proſequerer, in quo non exſpectationem tuam diligentia mea vicerim? Quòd ſi id eſt maximè aſtuti, omnia ad ſuam utilitatem referre: quid mihi tandem erat utilius, quid commodis meis aptius quam hominis nobiliſſimi, atque honoratiſſimi conjunctio: cujus opes, ingenium, liberi, affines, propinqui, mihi magno, vel ornamento, vel præſidio eſſe poſſent? Quæ tamen ego omnia in expetenda amicitia tua, non aſtutia quadam, ſed aliqua potiùs ſapientia, ſecutus ſum. Quid? illa vincula, quibus quidem libentiſſimè adſtringor, quanta ſunt? ſtudiorum ſimilitudo, ſuavitas conſuetudinis, delectatio vitæ, atque victus, ſermonis ſocietas, litteræ interiores. Atque hæc domeſtica. Quid illa tandem popularia; reditus illuſtris in gratiam? in quo ne per imprudentiam quidem errari poteſt, ſine ſuſpicione perfidiæ: ampliſſimi ſacerdotii collegium? in quo non modò amicitiam violari apud majores noſtros fas non erat, ſed ne optari quidem ſacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio eſſet inimicus. Quæ ut omittam tam multa, atque tanta: quis umquam tanti quemquam fecit, aut facere potuit, aut debuit, quanti ego Cn. Pompejum, ſocerum tuæ filiæ? Etenim ſi merita valent: patriam, liberos, ſalutem, dignitatem, memetipſum mihi per illum reſtitutum puto. ſi conſuetudinis jucunditas: quæ fuit umquam amicitia conſularium in noſtra civitate conjunctior? ſi illa amoris, atque officii ſigna: quid mihi ille non commiſit? quid non mecum communicavit? quid de ſe in ſenatu, cum ipſe abeſſet, per quemquam agi maluit? [3] quibus ille me rebus non ornatiſſimum voluit ampliſſimè? qua denique ille facilitate; qua humanitate tulit contentionem meam pro Milone, [4] adverſantem interdum actionibus ſuis quo ſtudio providit, ne qua me illius temporis invidia attingeret, cùm me conſilio, tùm auctoritate, cùm armis denique texit ſuis? quibus quidem temporibus hæc in eo gravitas, hæc animi altitudo fuit, non modò ut Phrygi alicui, aut Lycaoni, quod tu in legatis feciſti: ſed ne ſummorum quidem hominum malivolis de me ſermonibus crederet. Hujus igitur filius cùm ſit gener tuus, cumque, præter hanc conjunctionem affinitatis, quàm ſis Cn. Pompejo carus, quamque jucundus, intelligam: quo tandem animo in te eſſe debeo? cùm præſertim eas ad me is litteras miſerit, quibus, etiam ſi tibi, cui ſum amiciſſimus, hoſtis eſſem, placarer tamen: totumque me ad ejus viri, ita de me meriti voluntatem nutumque converterem. Sed hæc hactenus. pluribus enim etiam fortaſſe verbis, quàm neceſſe fuit, ſcripta ſunt. Nunc ea, quæ à me profecta, quæque inſtituta ſunt cognoſce.

* *Non pauca deſiderantur, quæ fortaſſis ab ipſo Cic. detracta ſunt.* *

Atque hæc agimus; & agemus magis pro dignitate, quàm pro periculo tuo. Te enim (ut ſpero) propediem cenſorem audiemus: cujus magiſtratus officia, quæ ſunt maximi animi, ſummique conſilii, tibi diligentiùs, & accuratiùs, quàm hæc, quæ nos de te agimus, cogitanda eſſe cenſeo. Vale.

M. T. C. APPIO PULCHRO, (UT SPERO) CENSORI, S. D. 11

CUM eſſem in caſtris ad fluvium Pyramum, redditæ mihi ſunt uno tempore à te epiſtolæ duæ, quas ad me Q. Servilius Tarſo miſerat. Earum in altera dies erat adſcripta nonarum Aprilium: in altera, quæ mihi recentior videbatur, dies non erat. Reſpondebo igitur ſuperiori priùs: in qua ſcribis ad me de abſolutione majeſtatis. de qua, etſi permultùm antè certior factus eram literis, nuntiis, fama denique ipſa (nihil enim fuit clarius: non quò quiſquam aliter putaſſet: ſed nihil de inſignibus ad laudem viris [5] obſcurè nuntiari ſolet) tamen eadem illa lætiora fecerunt mihi tuæ litteræ: non ſolùm quia planiùs loquebantur, & uberiùs, quàm vulgi ſermo: ſed etiam quia magis videbar tibi gratulari, cum de te ex teipſo audiebam. Complexus igitur ſum cogitatione te abſentem: epiſtolam verò oſculatus, etiam ipſe mihi gratulatus ſum. Quæ enim à cuncto populo, à ſenatu, à judicibus, ingenio, induſtriæ, virtuti tribuuntur: quia mihi ipſi aſſentor fortaſſe, cùm ea eſſe in me fingo: mihi quoque ipſe tribui puto. Nec tam glorioſum exitum tui judicii exſtitiſſe, ſed tam pravam inimicorum tuorum mentem fuiſſe mirabar. De ambitu verò quid intereſt, inquies, an de majeſtate? Ad rem nihil. alterum enim non attigiſti: alterum auxiſti. Verumtamen eſt majeſtas (ut Sulla voluit) ne in quemvis impunè declamare liceret. Ambitus verò, ita apertam vim habet, ut aut accuſetur improbè, aut defendatur. qui enim facta, aut non facta largitio ignorari poteſt? Tuorum autem honorum curſus, cui ſuſpectus umquam fuit? Me miſerum, qui non affuerim. quos ego riſus excitaſſem! Sed de majeſtatis judicio duo mihi illa ex tuis litteris jucundiſſima fuerunt: unum, quòd te ab ipſa rep. defenſum ſcribis: quæ quidem, etiam in ſumma bonorum, & fortium civium copia, tueri taleis viros deberet: nunc verò eò magis, quòd tanta penuria eſt in omni, vel honoris, vel ætatis gradu, ut tam orba civitas taleis tutores complecti debeat: alterum, quòd Pompeii, & Bruti fidem, benivolentiamque mirificè laudas. Lætor virtute, & officio, cùm tuorum neceſſariorum, meorum amiciſſimorum: [6] tum alterius, omnium ſeculorum

1. *Sin a. me aſtutum & occultum lubet fingere.*] Sic Medicæus codex: & ex eo Victorina. vulgò *libet*; ſicut & plerique mſſ. Pal. pr. *juvet*. quint. *juvat*. quart. verò, *occultum ut juvat libet fingere*. Mihi illud *juvat* diſplicere non poteſt.

2. *Quod ad indicandum odium apertiſſimum ſit.*] Pall. tert. quart. Gruter. *quod ad indurandum odium*; quod non fruſtra adnoto. Inferius quinque Pall. Grut. prima edit. *ſed ne optari quidem ſacerdotem*. qui non intellexerunt vim verbi *optari* fecerunt pro fronte ſua duriter *cooptari*.

3. *Quibus ille me rebus non ornatiſſimum voluit ampliſſimè?*] Sic editionum veterrima. ac Victor. Pall. quinque Grut. vulgo: *quibus ille me in rebus non ornatum voluit*.

4. *Adverſante interdum actionibus ſuis.*] Sic vet. cod. ſic quint. Pal. ac Vict. editio. Grut. tamen *adverſitante*. quaſi eſſet *adverſitari*, adverſari & occurre cupere atque affectare, ſicut apud Plautum *Dormitare* aliaque multa ut Milonis intentio potius in conatu fuerit quàm effectu. Multa elegantia & antiqua exciderunt, imò præcipitarunt ex Ciceronis ſublimata facundia, pro quibus nunc humilia, jejuna, ſordida ſuſtulimus. ut paullo poſt, eſt in Pal. tertio *armis denique detexit ſuis*: cum ſit in antiquioribus, hoc eſt Latinæ puritatis genuinis auctoribus *detegere* æquè intense & accurate tegere, ac *deamare* impense amare, & cetera: in ſec. conſpicitur *attexit*. vulgò *texit* ſicut ſupra *adverſantem*.

5. *Obſcurè nuntiari ſolet.*] Peck. *nuntiare*, quod probabat Guliel. referebatque ad famam. quod in nullo omnium noſtrorum mſſ. reperi; prima editio illud agnoſcit.

6. *Tum alterius omnium ſeculorum.*] Dudum adnotatum eſt, ſuperfluere voce *maximè*, quo carere video omnes libros.

1. Quo

rum & gentium principis: alterius, jampridem juventutis, celeriter (ut ſpero) civitatis. De mercenariis teſtibus à ſuis civitatibus notandis, niſi jam factum aliquid eſt per Flaccum, fiet à me, cum per Aſiam decedam. Nunc ad alteram epiſtolam venio. Quòd ad me quaſi formam communium temporum, & totius reip. miſiſti expreſſam: prudentia litterarum tuarum valdè mihi eſt grata. Video enim & pericula leviora, quàm timebam, & majora præſidia, ſi quidem (ut ſcribis) omnes vires civitatis ſe ad Pompeii ductum applicaverunt. tuumque ſimul promtum animum, & alacrem perſpexi ad defendendam remp. mirificamque cepi voluptatem ex hac tua deligentia, quòd in ſummis tuis occupationibus, mihi tamen reip. ſtatum per te notum eſſe voluiſti. Nam auguraleis libros ad commune utriuſque noſtrum otium ſerva. Ego enim, à te cùm tua promiſſa per litteras flagitabam, ad urbem te otioſiſſimum eſſe arbitrabar. nunc tamen, ut ipſe polliceris, pro auguralibus libris, orationes tuas confectas omneis exſpectabo. Tullius, cui mandata ad me dediſti, non convenerat me: nec erat jam quiſquam mecum tuorum, præter omneis meos, qui ſunt omneis tui. Stomachoſiores meas litteras quas dicas eſſe, non intelligo. bis ad te ſcripſi, me purgans diligenter: te leviter accuſans in eo, quòd de me cito credidiſſes: quod genus querelæ mihi quidem videbatur eſſe amici. Sin tibi diſplicet, non utar eo poſthac. Sed ſi, ut ſcribis, hæ litteræ non fuerunt diſertæ, ſcito meas non fuiſſe. Ut enim Ariſtarchus Homeri verſum negat, quem non probat: ſic tu (libet enim mihi jocari) quod diſertum non erit, ne putaris meum. Vale, & in cenſura, ſi jam es cenſor, (ut ſpero) de proavo multùm cogitato tuo.

12 M. T. C. APPIO PULCHRO, S. D.

GRATULABOR tibi priùs: (ita enim rerum ordo poſtulat) deinde ad me convertar. Ego verò vehementer gratulor de judicio ambitus: neque id, quod nemini dubium fuit, abſolutum eſſe te: ſed illud, quod, quo, melior civis, [1] quo vir clarior, quo fortior amicus es, quoque plura virtutis, & induſtriæ ornamenta in te ſunt, eo mirandum eſt magis, nullam ne in tabellæ quidem latebra fuiſſe abſconditam malivolentiam, quæ te impugnare auderet: non horum temporum, non horum hominum, atque morum negotium: nihil jam ſum pridem admiratus magis. De me autem, ſuſcipe paullisper meas parteis, & eum te eſſe finge, qui ſum ego: ſi facilè inveneris quod dicas, noli ignoſcere hæſitationi meæ. Ego verò velim mihi, Tulliæque meæ (ſicut tu amiciſſimè, & ſuaviſſimè optas) proſperè evenire ea, quæ, me inſciente, facta ſunt à meis: ſed ita cecidiſſe, ut agerentur eo tempore, ſpero omnino cum aliqua felicitate, & opto. verumtamen plus me in hac ſpe, tua ſapientia & humanitas conſolatur, quàm opportunitas temporis. Itaque, quemadmodum expediam exitum hujus inſtitutæ orationis, non reperio. neque enim triſtius dicere quidquam debeo ea de re, quam tu ipſe omnibus optimis proſequeris. neque non me tamen mordet aliquid: in quo unum vereor, ne tu parùm perſpicias ea, quæ geſta ſunt, [2] ab aliis eſſe geſta, quibus ego ita mandaram, ut, cùm tam longè abfuturus eſſem, ad me ne referrent: agerent, quod probaſſent. In hoc autem mihi illud occurrit. Quid tu igitur ſi affuiſſes? Rem probaſſem. de tempore, nihil te invito, nihil ſine conſilio egiſſem tuo. Vides ſudare me, jamdudum laborantem, quomodo ea tuear, quæ mihi tuenda ſunt, & te non offendam. Leva me igitur hoc onere. numquam enim mihi videor tractaſſe cauſam difficiliorem. [3] Sic habeto tamen: niſi jam tunc omnia negotia cum ſumma tua dignitate diligentiſſimè confeciſſem, tametſi nihil videbatur ad meum erga te priſtinum ſtudium addi poſſe: tamen, hac mihi affinitate renuntiata, non majore equidem ſtudio, ſed acriùs, apertiùs, ſignificantiùs dignitatem tuam defendiſſem. Decedenti mihi, & jam imperio annuo terminato, ante diem III. Nonas Sextileis, cùm ad Sidam navi accederem, & mecum Q. Servilius eſſet, litteræ à meis ſunt redditæ. dixi ſtatim Servilio (etenim videbatur eſſe commotus) ut omnia à me majora exſpectaret. quid multa? benivolentior tibi, quam fui, nihilo ſum factus: diligentior ad declarandam benivolentiam, multò. Nam, ut vetus noſtra ſimultas anteà ſtimulabat me, ut caverem, ne cui ſuſpicionem fictè reconciliatæ gratiæ darem: ſic affinitas novam curam mihi affert cavendi, ne quid de ſummo meo erga te amore detractum eſſe videatur. Vale.

M. T. C. APPIO PULCHRO, S. P. D. 13

QUASI divinarem, tali in officio fore mihi aliquando expetendum ſtudium tuum: ſic, cùm de tuis rebus geſtis agebatur, inſerviebam honori tuo. Dicam tamen verè, plus, quàm acceperas, reddidiſti. Quis enim ad me non perſcripſit, te non ſolùm auctoritate orationis, ſententia tua quibus ego à tali viro contentus eram: ſed etiam opera, conſilio, domum veniendo, conveniendis meis, nullum onus officii cuiquam reliquum feciſſe? Hæc mihi ampliora multo ſunt, quàm illa ipſa, propter quæ hæc laborantur. INSIGNIA enim VIRTUTIS multi etiam ſine virtute aſſecuti ſunt: talium virorum tanta ſtudia aſſequi ſola virtus poteſt. Itaque mihi propono fructum amicitiæ noſtræ, ipſam amicitiam: qua nihil eſt uberius, præſertim in iis ſtudiis, quibus uterque noſtrûm devinctus eſt. Nam tibi me profiteor, & in rep. ſocium, de qua idem ſentimus: & in quotidiana vita conjunctum, cum iis artibus, ſtudiiſque, quæ colimus. Velim ita fortuna tuliſſet, quanti ego omneis tuos facio, uti tu meos facere poſſes: quod tamen ipſum, neſcio qua permotus animi divinatione, non deſpero. Sed hoc nihil ad te: noſtrum eſt onus. Illud velim ſic habeas, quòd intelliges, hac re novata, additum potiùs aliquid ad meum erga te ſtudium, cui nihil videbatur addi poſſe, quàm quidquam eſſe detractum. Cùm hæc ſcribebam, cenſorem jam te eſſe ſperabam. eo brevior eſt hæc epiſtola, &, ut adverſus magiſtrum morum, modeſtior. Vale.

M. TUL-

1. *Quo vir clarior.*] Peckii liber (quo cum conſenſiſſe Pal. pr. vidère videor ex raſura *induſtrior*. unde Gulielmius volebat *inluſtrior*.

2. *Ab aliis eſſe geſta.*] Ita Pall. ſec. quart. quint. Vatic. Victor. vulgò, *ab illis eſſe*.

3. *Sic habeto tamen.*] Sic eſt in melioribus editionibus, & Victorii, item in Pall. Grut. vulgo: *ſed tamen ſic habeto*.

1. Sera

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM LIBER QUARTUS, AD SER. SULPICIUM.

1 M. T. C. SER. SULPICIO, S. D.

CAjus Trebatius, familiaris meus, ad me ſcripſit, te ex ſe quæſiſſe, quibus in locis eſſem: moleſteque te ferre, quòd me propter valitudinem tuam, cum ad urbem acceſſiſſem, non vidiſſes: & hoc tempore velle te mecum, ſi propiùs acceſſiſſem, de officio utriuſque noſtrum communicare. Utinam, Servi, ſalvis rebus, (ſic enim eſt dicendum) colloqui potuiſſemus inter nos. profectò aliquid opis occidenti reip. tuliſſemus. Cognoram enim jam abſens, te hæc mala multò antè providentem, defenſorem pacis, & in conſulatu tuo, & poſt conſulatum fuiſſe. Ego autem cùm conſilium tuum probarem, & idem ipſe ſentirem, nihil proficiebam. [1] Serò enim veneram: ſolus eram: rudis (etſi videbar) in cauſa: incideram in hominum pugnandi cupidorum inſanias. Nunc, quoniam nihil jam videbimur opitulari poſſe reip. ſi quid eſt, in quo nobiſmetipſis conſulere poſſimus, non ut aliquid ex priſtino ſtatu noſtro retineamus, ſed ut quàm honeſtiſſimè lugeamus: nemo eſt omnium, quîcum potiùs mihi, quàm tecum, communicandum putem. Nec enim clariſſimorum virorum, quorum ſimiles eſſe debemus, exempla: neque doctiſſimorum, quos ſemper coluiſti, [2] præcepta te fugiunt. Atque ipſe anteà ad te ſcripſiſſem, te fruſtrà in ſenatum, ſive potiùs, in conventum ſenatorum eſſe venturum, ni veritus eſſem, ne ejus animum offenderem, qui à me, ut te imitarer, petebat. Cui quidem ego, me cùm rogaret, ut adeſſem in ſenatu, eadem omnia, quæ à te de pace, & de Hiſpanis dicta ſunt, oſtendi me eſſe dicturum. [3] Res vides quo modo ſe habeat: orbem terrarum, imperiis diſtributis, ardere bello: urbem ſine legibus, ſine judiciis, ſine jure, ſine fide, relictam direptioni, & incendiis. Itaque mihi venire in mentem nihil poteſt, non modò quid ſperem: ſed vix jam quid audeam optare. Sin autem tibi, homini prudentiſſimo, videtur utile eſſe, nos colloqui: quamquam longiùs etiam cogitabam ab urbe diſcedere, cujus jam etiam nomen invitus audio: tamen propiùs accedam. Trebatioque mandavi, ut, ſi quid tu eum velles ad me mittere, ne recuſaret: idque ut facias, velim: aut, [4] ſi quem tuorum fidelium voles, ad me mittas: ne aut tibi exire ex urbe neceſſe ſit, aut mihi accedere. Ego tantum tibi tribuo, quantum mihi fortaſſe arrogo: ut exploratum habeam, quidquid nos communi ſententia ſtatuerimus, id omneis homines probaturos. Vale.

M. T. C. SER. SULPICIO, S. D. 2

AD. III. Kal. Majas cùm eſſem in Cumano, accepi tuas litteras: quibus lectis, cognovi, non ſatis prudenter feciſſe Philotimum: qui, cùm abs te mandata haberet, ut ſcribis, de omnibus rebus, ipſe ad me non veniſſet, litteras tuas miſiſſet: quas intellexi breviores fuiſſe, quòd eum perlaturum putaſſes. Sed tamen, poſtquàm litteras tuas legi, Poſtumia tua me convenit, & Servius noſter. His placuit, ut tu in Cumanum venires: [5] quod etiam mecum, ut ad te ſcriberem, egerunt. Quòd meum conſilium exquiris: id eſt tale, ut capere faciliùs ipſe poſſim, quàm alteri dare. Quid enim eſt, quod audeam ſuadere tibi, homini ſumma auctoritate, ſummaque prudentia? Si quid rectiſſimum ſit, quærimus: perſpicuum eſt. ſi quid maximè expediat, obſcurum. ſin ii ſumus, qui profectò eſſe debemus, ut nihil arbitremur expedire, niſi quod rectum, honeſtumque ſit: non poteſt eſſe dubium, quid faciendum nobis ſit. Quòd exiſtimas, meam cauſam conjunctam eſſe cum tua: certè ſimilis in utroque noſtrum, cùm optimè ſentiremus, error fuit. Nam omnia utriuſque conſilia ad concordiam ſpectaverunt: [6] qua cùm ipſi Cæſari nihil eſſet utilius, gratiam quoque nos inire ab eo, defendenda pace, arbitrabamur. Quantum nos fefellerit, & quem in locum res deducta ſit, vides. Neque ſolum ea perſpicis, quæ geruntur, quæque jam geſta ſunt: ſed etiam, qui curſus rerum, qui exitus futurus ſit. Ergo aut probare oportet ea, quæ fiunt: aut intereſſe, etiam ſi non probes: quorum altera mihi turpis: altera etiam periculoſa ratio videtur. Reſtat, ut diſcedendum putem. In quo reliqua videtur eſſe deliberatio, quod conſilium in diſceſſu, quæ loca ſequamur. Omnino cùm miſerior res nunquam accidit, tum ne deliberatio quidem difficilior. Nihil enim conſtitui poteſt, quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem. Tu, ſi videbitur, ita cenſeo facias: ut [7] ſi habes jam ſtatutum, quid tibi agendum putes, in quo non ſit conjunctum conſilium tuum cum meo, ſuperſedeas hoc labore itineris. ſin autem eſt quod

1. *Sero enim veneram: ſolus eram: rudis (etſi videbar) in cauſa:*] Sic ſcripſi quia in quinque Pall. *etſi non eſſe* diſtinctionem verò præivit Pal. tert. haud ſecus prima editio. vulgatur *rudis eſſe videbar.* Paullò poſt ex quatuor Pall. Grut. Stewech. Peck. emendavi: *videbimur opitulari poſſe*, cum editum ſit, *videmur poſſe opitulari.* Denique *nemo eſt hominum* legunt Pall. ſec. ac quint.

2. *Præcepta te fugiunt.*] Quinque Pall. ac Grut. *præcepta fugiunt* omiſſo *te.* quod non temerarium eſt. ut hic *Fugere* eſſet evanuiſſe atque inutile eſſe à vino fugiente atque mortuo: quod omnem ſuam virtutem & acrimoniam exſpiravit. Sed nihil propter naſutiores mutem.

3. *Res videas, quomodo ſe habeat.*] Ita Victorius; Pall. prim. ſec. quart. quint. licet non damnem vulgatam: *Rem vides quomodo ſe habeat.* unde tert. *Res videas quomodo ſe habeant.*

4. *Si quem tuorum fidelium voles.*] Delendum videtur Gulielmio τὸ *fidelium*, quod nullus noſtrorum deſtituit: ſoli duo poſtremi Pall. tranſmutant *fidelium tuorum.* mihi ſecus videtur, non enim omnes, quos putamus noſtros, fideles ſunt. paullò poſt, idem in mſſ. annotat legi; *tantum mihi fortaſſe arrogo*, quod rectiſſimum pronuntiat: mihi ſollicitè de illo anquirendum non occurrit vel ejus rei veſtigium aut cauſa.

5. *Quod etiam mecum, ut ad te ſcriberem, egerunt.*] Rectè ſic Victorii editio & Pall. pr. fueratque ſic quoque in quarto, ut ex liturâ conſtat: nec aliter Grut. Peck. Vatic. nempe *quod mecum egerunt*, notat, *quod me orarunt.* ut Terent. Adelph. *quid, quod tecum egi, Syre.*

6. *Qua cum ipſi Cæſari nihil eſſet utilius.*] Pall. quinque *quanquam ipſi Cæſari.* Grut. a manu ſecunda *tanquam.* unde vulgata lectio nata ſit, ignoro.

7. *Si habes jam ſtatutum.*] Non abſonè duo Pall. poſtremi: *ſi habes jam factum.* de quo cogitant, qui vere ſapiunt. Mart. *Rem facta Pompillus habet.* paullo poſt ex omnibus mſſ. & editionibus edidi: *conſilium tuum cum meo*; cum vulgo invertant. Denique notatum eſt particulam *hoc* deeſſe in aliquo vet. libro in illo *ſuperſedeas hoc labore*: legitima tamen in libris noſtris omnibus: niſi quod tert. Pal. *ſuperſedeas tu labore it.*

quod mecum communicare velis, ego te exſpectabo. Tu, quod tuo commodo fiat, quàm primùm velim, venias, ſicut intellexi & Servio, & Poſtumiæ placere. Vale.

3 M. T. C. SER. SULPICIO, S. D.

VEHEMENTER te eſſe ſollicitum, & in communibus miſeriis præcipuo quodam dolore angi, multi ad nos quotidie deferunt. Quod quamquam minimè miror, & meum quodammodò agnoſco: doleo tamen, te ſapientia præditum propè ſingulari, non tuis bonis delectari potiùs, quam alienis malis laborare. Me quidem, etſi nemini concedo, qui majorem ex pernicie, & peſte reip. moleſtiam traxerit: tamen multa jam conſolantur, maximeque conſcientia conſiliorum meorum. Multò enim ante, tanquam ex aliqua ſpecula, proſpexi tempeſtatem futuram: neque id ſolùm mea ſponte, ſed multò etiam magis, monente, & denuntiante te. Etſi enim abfui magnam partem conſulatus tui: tamen & abſens cognoſcebam, quæ eſſet tua in hoc peſtifero bello cavendo, & prædicendo ſententia, & ipſe affui primis temporibus tui conſulatus, cùm accuratiſſimè monuiſti ſenatum, collectis omnibus bellis civilibus, ut & illa timerent, quæ meminiſſent: & ſcirent, cùm ſuperiores, nullo tali exemplo anteà in rep. cognito, tam crudeles fuiſſent: quicumque poſtea remp. oppreſſiſſet armis, multo intolerabiliorem futurum. NAM, quod exemplo fit, id etiam jure fieri putant: ſed aliquid, atque [1] adeò multa addunt, & afferunt de ſuo. Quare meminiſſe debes, eos, qui auctoritatem, & conſilium tuum non ſunt ſecuti, ſua ſtultitia occidiſſe: cùm tua prudentia ſalvi eſſe potuiſſent. Dices: Quid me iſta res conſolatur [2] in tantis tenebris, & quaſi parietinis reip.? Eſt omnino vix conſolabilis dolor: tanta eſt omnium rerum amiſſio, & deſperatio recuperandi. Sed tamen & Cæſar ipſe ita de te judicat; & omnes cives ſic exiſtimant: quaſi ſi lumen aliquod exſtinctis ceteris, elucere ſanctitatem, & prudentiam, & dignitatem tuam. Hæc tibi ad levandas moleſtias magna eſſe debent. Quòd autem à tuis abes: id eo levius ferendum eſt, quòd eodem tempore à multis, & magnis moleſtiis abes: quas ad te omneis perſcriberem, niſi vererer, ne ea cognoſceres abſens, quæ quia non vides, mihi videris meliore eſſe conditione, quam nos, qui videmus. Hactenus exiſtimo noſtram conſolationem rectè adhibitam eſſe, quoad certior ab homine amiciſſimo fieres iis de rebus, quibus levari poſſent moleſtiæ tuæ. Reliqua ſunt in te ipſo, neque mihi ignota, nec minima ſolatia, ut quidem ego ſentio, multo maxima: quæ ego experiens quotidie, ſic probo, ut ea mihi ſalutem afferre videantur. Te autem ab initio ætatis memoria teneo ſummè omnium doctrinarum ſtudioſum fuiſſe, omniaque, quæ à ſapientiſſimis ad benè vivendum tradita eſſent, ſummo ſtudio, curaque didiciſſe: quæ quidem vel optimis rebus & uſui, & delectationi eſſe poſſent. his verò temporibus habemus aliud nihil, in quo acquieſcamus. Nihil faciam inſolenter: neque te, tali vel ſcientia, vel natura præditum, hortabor, ut ad eas te referas arteis quibus à primis temporibus ætatis ſtudium tuum dediſti. Tantùm dicam, quod te ſpero approbaturum, me, poſteà quam illi arti, cui ſtudueram, nihil eſſe loci neque in curia, neque in foro viderem, omnem meam curam, atque operam ad philoſophiam contuliſſe. Tuæ ſcientiæ excellenti, ac ſingulari non multo plus, quàm noſtræ, relictum eſt loci. Quare non equidem te moneo: ſed mihi ita perſuaſi, te quoque in iiſdem verſari rebus, quæ, etiam ſi minùs prodeſſent, animum tamen à ſollicitudine abducerent. Servius quidem tuus in omnibus ingenuis artibus, in primiſque hac, in qua ego me ſcripſi acquieſcere, ita verſatur, ut excellat. A me verò ſic diligitur, ut tibi uni concedam, præterea nemini. mihique ab eo gratia refertur: in quo ille exiſtimat, quòd facilè appareat, cum me colat, & obſervet, tibi quoque in eo ſe facere gratiſſimum. Vale.

M. T. C. S. D. SER. SULPICIO. 4

ACCIPIO excuſationem tuam, qua uſus es, cur ſæpius ad me litteras uno exemplo dediſſes: ſed accipio ex ea parte, quatenus aut negligentia, aut improbitate eorum, qui epiſtolas accipiant, fieri ſcribis, ne ad nos perferantur. illam partem excuſationis, qua te ſcribis orationis paupertate (ſic enim appellas) iiſdem verbis epiſtolas ſæpius mittere, [3] nec noſco, nec probo. Et ego ipſe, quem tu per jocum (ſic enim accipio) divitias orationis habere dicis, me non eſſe verborum admodum inopem agnoſco: εἰρωνεύεσθαι enim non neceſſe eſt: ſed tamen idem (nec hoc εἰρωνευόμενος) facilè cedo tuorum ſcriptorum ſubtilitati, & elegantiæ. Conſilium tuum, quo te uſum ſcribis, hoc Achaicum negotium non recuſaviſſe, cùm ſemper probaviſſem, tùm multo magis probavi, lectis tuis proximis litteris. Omnes enim cauſæ, quas commemoras, juſtiſſimæ ſunt, tuaque & auctoritate, & prudentia digniſſimæ. Quòd aliter cecidiſſe rem exiſtimas, atque opinatus ſis: id tibi nullo modo aſſentior. Sed quia tanta perturbatio, & confuſio eſt rerum: ita perculſa, & proſtrata fœdiſſimo bello jacent omnia, ut is cuique locus, [4] ubi ipſe ſit, ut ſibi quiſque miſerrimus eſſe videatur: propterea & tui te conſilii pœnitet: & nos, qui domi ſumus, tibi beati videmur: at contra nobis, non tu quidem vacuus moleſtiis, ſed præ nobis beatus. Atque hoc ipſo melior eſt tua, quàm noſtra, conditio, quòd tu, quid doleat, ſcribere audes: nos, ne id quidem tutò poſſumus: nec id victoris vitio, quo nihil moderatius, ſed ipſius victoriæ, quæ civilibus bellis ſemper eſt inſolens. Uno te vicimus: quòd de Marcelli, collegæ tui, ſalute paulo antè, quàm tu, cognovimus: etiam mehercule, quod, quemadmodum ea res ageretur, vidimus. Nam ſic fac exiſtimes: poſt has miſerias, id eſt, poſtquam armis diſceptari cœptum eſt de jure publico, nihil eſſe actum aliud cum dignitate. Nam & ipſe Cæſar accuſata acerbitate Marcelli, (ſic enim appellabat) laudataque honorificentiſſimè & æquitate tua, & prudentia, repentè, præter ſpem dixit, ſe ſenatui roganti de Marcello, [6] ne hominis quidem cauſa negaturum. Fecerat autem hoc ſenatus, ut, cùm à L. Piſone mentio eſſet facta de Marcello, & cum C. Marcellus ſe ad Cæſaris pedes abjeciſſet, cunctus conſurgeret, & ad Cæſarem ſupplex accederet. Noli quærere. ita mihi pulcher hic dies viſus eſt; ut ſpeciem aliquam viderer videre quaſi reviviſcentis reip. Itaque cùm omnes ante

1. *Atque adeò multa addunt & afferunt de ſuo.*] Pal. ſec. *offerunt*. Vatic. tamen *multa addunt*, *ut afferant de ſuo*. in qua lectione occultam agnoſco elegantiam.

2. *In tantis tenebris & quaſi parietinis Reip.*] Eluſi ſeu deſtituti ſumus hac à manuſcriptis noſtris libris, omnibus aut ſua indole aut correctorum incuria depravatis; quorum primus: *parte ...* ... quod & Manut. notat, *perditis*, alii pejus. Quia tamen ... proximè accedebat Mediceo; probavitque ac recepit Victorii emendationem cum Manut. Lamb. quid faſtidiamus ... concordiæ noſmet adjungere? vulgò peſſimè: *& quaſi perpetuis Reip.*

3. *Nec noſco, nec probo.*] Cur hæc lectio cedere debuerit vulgatæ, *nec agnoſco, nec probo*, ignoro. Sic certè præter o. Pall. editio princeps & Victorii.

4. *Ubi ipſe ſit, ut ſibi quiſque miſerrimus eſſe videatur.*] Ita editio princeps ac Victorii: ſic Pall. ſec. pr. tert. paululum abit quint. nam pro *ut*, *ac* habet et Stewech. Vatic. vulgò: *ubi ipſe ſit, miſerrimus eſſe videatur.*

5. *Quod tu, quid doleat, ſcribere audes.*] Melius ſic Victorius. Pal. pr. Vat. ſicque ex Mediceo, ad primam impreſſionem emendavit Egnatius. ceteri o. *doleas*.

6. *Ne hominis quidem cauſa negaturum.*] Hanc lectionem tuentur quatuor Pall. Grut. tres Gulielmio conſulti: neque aliter priſca editio: particulam immiſcuit quintus, ex qua tamen potius noſtræ lectioni pondus accedit; hoc modo: *ne de hominis quidem cauſa*. Victorii emendatio plus acuminis primo intuitu oſtendit, quàm veritas excuſſa præſtet: quippe volebat: *ne ominis quidem cauſa*. ſed in illo vetuſtiſſimo cod. ſolens aſpiratio neglecta erat, ut in innumeris. Lambinus ne eſſet ἀσύμβολος, multos futiles logos attulit. Videatur quoque Manutius: nam quæ volebamus contra Lambinum, ille præcepit.

ante me rogati gratias Cæſari egiſſent, præter Volcatium (is enim, ſi eo loco eſſet, negavit ſe facturum fuiſſe) ego rogatus, mutavi meum conſilium. Nam ſtatueram, non mehercule inertia, ſed deſiderio priſtinæ dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum conſilium & Cæſaris magnitudo animi, & ſenatus officium. Itaque pluribus verbis egi Cæſari gratias: meque metuo, ne etiam in ceteris rebus honeſto otio privarim: quod erat unum ſolatium in malis. Sed tamen, quoniam effugi ejus offenſionem, qui fortaſſe arbitraretur, me hanc remp. non putare, ſi perpetuò tacerem: modicè hoc faciam: aut etiam intra modum: ut & illius voluntati, & meis ſtudiis ſerviam. Nam etſi à prima ætate me omnis ars, & doctrina liberalis, & maximè philoſophia delectavit: tamen hoc ſtudium quotidie ingraveſcit, credo & ætatis maturitate ad prudentiam, & his temporum vitiis, ut nulla res alia levare animum moleſtiis poſſit. A quo ſtudio te abduci negotiis intelligo ex tuis litteris: ſed tamen aliquid jam noctes te adjuvabunt. Servius tuus, vel potiùs noſter, ſumma me obſervantia colit: cujus ego cùm omni probitate, ſummaque virtute: tum ſtudiis, doctrinaque delector. Is mecum ſæpe de tua manſione, aut deceſſione communicat. Adhuc in hac ſum ſententia, nihil ut faciamus, niſi quod maximè Cæſar velle videatur. Res ſunt ejuſmodi, ut, ſi Romæ ſis, nihil, præter tuos, delectare poſſit. De reliquis, nihil melius ipſo eſt. Ceteri, & cetera, ejuſmodi, ut, ſi alter utrum neceſſe ſit, audire ea malis, quàm videre. Hoc noſtrum conſilium nobis minimè jucundum eſt, qui te videre cupimus: ſed conſulimus tibi. Vale.

5 SER. SULPICIUS M. T. CICERONI, S. D.

POSTEA quàm mihi renuntiatum eſt de obitu Tulliæ, filiæ tuæ, ſanè quàm pro eo, ac debui, graviter, moleſteque tuli, communemque eam calamitatem exiſtimavi. qui ſi iſtic affuiſſem: neque tibi defuiſſem, coramque meum dolorem tibi declaraſſem. Etſi [1] genus hoc conſolationis miſerum, atque acerbum eſt: proptereà quia, per quos ea confieri debet, propinquos, ac familiareis, id ipſi pari moleſtia afficiuntur, neque ſine lacrymis multis id conari poſſunt: uti magis ipſi videantur aliorum conſolatione indigere, quàm aliis poſſe ſuum officium præſtare: tamen quæ in præſentia in mentem mihi venerunt, decrevi brevi ad te perſcribere: non quòd ea te fugere exiſtimem: ſed quòd forſitan dolore impeditus minus ea perſpicias. Quid eſt, quòd tanto opere te commoveat tuus dolor inteſtinus? cogita, quemadmodum adhuc fortuna nobiſcum egerit: ea nobis erepta eſſe, quæ hominibus non minùs, quàm liberi, cara eſſe debent: patriam, honeſtatem, dignitatem, honores omneis. Hoc uno incommodo addito, quid ad dolorem adjungi potuit? aut quì non in illis rebus exercitatis animus callere jam debet, atque omnia minoris æſtimare? An illius vicem (credo) doles? Quoties in eam cogitationem neceſſe eſt & tu veneris, & nos ſæpe incidimus, hiſce temporibus non peſſimè cùm iis eſſe actum, quibus ſine dolore licitum eſt mortem cum vita commutare? Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad vivendum magnopere invitare poſſet? quæ res? quæ ſpes? quod animi ſolatium? Ut [2] cum aliquo adoleſcente primario conjuncta ætatem gereret? Licitum eſt tibi (credo) pro tua dignitate [3] ex hac juventute generum diligere, cujus fidei liberos tuos te tutò committere putares. An ut [4] ea liberos ex ſe ſe pararet: quos cùm florenteis videret, lætaretur? qui rem à parente traditam per ſe tenere poſſent? honores ordinatim petituri eſſent in rep.? in amicorum negotiis [5] libertate ſua uti? Quid horum fuit, quod non priùs, quàm datum eſt, ademtum ſit? [6] At verò malum eſt liberos amittere. Malum, niſi hoc pejus ſit, hæc ſufferre, & perpeti. Quæ res mihi non mediocrem conſolationem attulit, volo tibi commemorare, ſi fortè eadem res tibi minuere dolorem poſſit. Ex Aſia rediens, cùm ab Ægina Megaram verſus navigarem, cœpi regiones circumcirca proſpicere. poſt me erat Ægina: antè Megara. [7] dextra Piræeus: ſiniſtra Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentiſſima fuerunt, nunc proſtrata, & [8] diruta ante oculos jacent. cæpi egomet mecum ſic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrum interiit, aut occiſus eſt, quorum vita brevior eſſe debet, [9] cùm uno loco tot oppidûm cadavera projecta jaceant? Viſne tu te, Servi, cohibere, & meminiſſe, hominem te eſſe natum? Crede mihi: cogitatione ea non mediocriter ſum confirmatus. Hoc idem, ſi tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas. Modò uno tempore tot viri clariſſimi interierunt: de imperio prætereà tanta [10] deminutio facta eſt: omnes provinciæ conquaſſatæ ſunt. in unius mulierculæ animula ſi jactura facta eſt, tanto opere commoveris? quæ ſi hoc tempore non diem ſuum obiſſet, paucis poſt annis tamen ei moriendum fuit: quoniam homo nata fuerat. Etiam tu ab hiſce rebus animum [11] ad cogitationem tuam avoca: atque ea potius reminiſcere, quæ digna tua perſona ſunt: illam, quamdiu ei opus fuerit, vixiſſe, unà cum rep. fuiſſe: te patrem ſuum, prætorem, conſulem, augurem vidiſſe: adoleſcentibus primariis nuptam fuiſſe: omnibus bonis probè perfunctam eſſe: cùm reſp. occideret, vita exceſſiſſe. Quid eſt, quòd tu, aut illa, cum fortuna hoc nomine queri poſſi-

1. *Genus hoc conſolationis miſerum atque acerbum eſt.*] Sic editio Victorii, Vatic. Pal. quintus ad marginem: quartus verò *miſerrimum.* ceteri omnes *minimum.* Mihi tamen placet inventum aliis *mirum.* ceterùm poſt ſtatim legit Pal. pr. *per quos ea confieri debet*, ſicut in Medicæo reperit Victorius. ceteri, ſicut & tres Gulielmiani, *ea fieri deb.* Stewech. Pall. quart. quint. *debent.*

2. *Cum aliquo adoleſcente primario conjuncta ætatem gereret.*] Sic prima editio. ſic Victorius, o. Pall. Grut. Vatic. itaque miror qui illud *ageret* adegerunt per tot obſtantes manuſcriptorum quaſi cuneos.

3. *Ex hac juventute generum diligere*] Prætuli hanc lectionem ex quatuor Pall. vulgò nimis vulgariter *deligere.* in Grut. *d* eraſum eſt, ut eſſet *eligere*, Ven. *delegere*: quod annoto (ut plurima) ob curioſos. Aliud eſt *deligere* videlicet ex copia ac multitudine: aliud *deligere* ſicut apud Propertium *deligere aſtra manu.* Videantur noſtra Juvenilia, ſi cui tanti ſunt.

4. *Ea liberos ex ſe pararet.*] Hæc eſt codicum Pall. pr. quart. Medic. Vatic. Politiani, atque adeo editionis primæ, ac Victorii ſcriptura, quam cum quidam, opinionibus vaniſſimis infecti, concoquere non poſſent, mutarunt in *pareret.*

5. *Libertate ſua uti?*] Sic pr. editio ac Victorii, o. Pall. Grut. Stewech. Peck. Vatic. unde Guliel. *uſuri* ex conjectura reponi volebat. vulgò *uterentur.*

6. *At vero malum eſt liberos amittere. Malim, niſi.*] Pluris eſt apud me Pal. primi auctoritas, quam ceterorum omnium: qui hic ſolus τὸ *malum* retinet, ceteris omnibus illud (quod & de Gruteriano & Stewech. editione prima intelligi volo) *aſpernantibus.*

7. *Dextra Piræeus.*] Pall. quart. quint. Stewech. *Piræe* unde Gulielmius *Pylus*, ex conjectura. Ceterum paullo ante Pall. pr. tert. quint. Grut. Stewech. *Megarem*, & *Megere.* reliqui duo *Megaron.*

8. *Diruta jacent.*] Aliis adnotatum eſt in vet. cod. reperiri *diruta*: quod ego in Pal. quarto ac Grut. æque reperi. non tamen placet: ſicut & quod in Pall. quatuor, Gruter. Stewech. viſitur. *En, nos homunculi indignamur*, cum Victorii editio, ac Pal. primus contra defendit: *Hem, nos homunculi.*

9. *Cum tot oppidum cadavera projecta jaceant.*] Omnes Pal. codices manuſcripti, ſicut & Gruteri & Stewechii *jacent*, quod ſequuta quoque eſt prima impreſſio. Mihi ut tot codicum conſpiratio nihili putanda non eſſe videtur, ita non præcipitanda correctio. ceterum *oppidum*, ex quo vulgò *oppidorum*, præter Medicæum codicem & Victorianam editionem, fatentur quoque Pal. pr. quint. ſuperlinearem: Vatic.

10. *Deminutio facta eſt.*] Sic rectius alii, ex vetuſto codice annotarunt; extatque hoc in Pal. pr. codice omnium emendatiſſimo, qui & pro *clariſſimi* repræſentat *cariſſimi* quod non abſque ratione: quamquam vulgatum malim. Paullò poſt: *quoniam homo nata erat*, exſtat in omnibus mſſ. & impreſſis, Lindebruchius tamen corrigebat, *hoc modo nata erat.*

11. *Ad cogitationem tuam avoca.*] Sic Pal. pr. Victorii editio Pall. tres *ad cogitationem tuam advoca.* Pal. quart. *ad cogitationem tuam advoca.* vulgati, quod & ex alio vetuſtiore libro ad primam impreſſionem notavit Egnatius, habeturque in Vatic. *ac cogitationem tuam avoca.*

poſſitis? Denique noli te oblivisci Ciceronem eſſe, & eum, qui aliis conſueris præcipere, & dare conſilium: neque IMITARE malos medicos, qui in alienis morbis profitentur tenere ſe medicinæ ſcientiam, ipſi ſe curare non poſſunt: ſed potiùs, [1] quæ aliis tute præcipere ſoles, tute tibi ſubjice, atque apud animum propone. NULLUS DOLOR EST, quem non longinquitas temporis minuat, ac molliat. Hoc te exſpectare tempus, tibi turpe eſt, ac non ei rei ſapientia tua te occurrere. Quòd ſi qui etiam inferis ſenſus eſt: qui illius in te amor fuit, pietaſque in omneis ſuos, hoc certè illa te facere non vult. Da hoc illi mortuæ: da ceteris amicis, ac familiaribus, qui tuo dolore mœrent: da patriæ: ut, ſi qua in re opus ſit, opera, & conſilio tuo uti poſſit. Denique, quoniam in eam fortunam devenimus, ut etiam huic rei nobis ſerviendum ſit: noli committere, ut quiſquam te putet non tam filiam, quàm reip. tempora, & aliorum victoriam lugere. Plura me ad te de hac re ſcribere pudet, ne videar prudentiæ tuæ diffidere. Quare, ſi hoc unum propoſuero, finem faciam ſcribendi. Vidimus aliquoties ſecundam pulcherrimè te ferre fortunam, magnamque ex ea re te laudem apiſci: fac aliquando intelligamus, adverſam quoque te æquè ferre poſſe, neque id majus, quàm debeat, tibi onus videri: ne ex omnibus virtutibus hæc una tibi videatur deeſſe. Quòd ad me attinet, cùm te tranquilliorem animo eſſe cognoro, de iis rebus, quæ hic geruntur, quemadmodumque ſe provincia habeat, certiorem faciam. Vale.

6 M. T. C. S. D. SER. SULPICIO.

EGO verò, Servi, vellem, ut ſcribis, in meo graviſſimo caſu affuiſſes. Quantum enim præſens me adjuvare potueris & conſolando, & propè æquè dolendo, facilè ex eo intelligo, quòd, litteris lectis, aliquantum acquievi. Nam & ea ſcripſiſti, quæ levare luctum poſſent, & in me conſolando, non mediocrem ipſe animi dolorem adhibuiſti. Servius tamen tuus omnibus officiis, quæ illi tempori tribui potuerunt, declaravit, & quanti ipſe me faceret, & quàm ſuum talem erga me animum tibi gratum putaret fore: [2] cujus officia, jucundiora ſcilicet ſæpe mihi fuerint: numquam tamen gratiora. Me autem non oratio tua ſolùm, & ſocietas pænè ægritudinis, ſed etiam auctoritas conſolatur. Turpe enim eſſe exiſtimo, me non ita ferre caſum meum, ut tu, tali ſapientia præditus, ferendum putas. Sed opprimor interdum, & vix reſiſto dolori, quòd ea me ſolatia deficiunt, quæ ceteris, quorum mihi exempla propono, ſimili in fortuna non defuerunt. Nam & Q. Maximus, qui filium conſularem, clarum virum, & magnis rebus geſtis, amiſit: & L. Paulus, [3] qui duo ſeptem diebus: & veſter Gallus & M. Cato, qui ſummo ingenio, ſumma virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt, [4] ut eorum luctum ipſorum dignitas conſolaretur ea, quam ex rep. conſequebantur. Mihi autem, amiſſis ornamentis iis, quæ ipſe commemoras, quæque eram maximis laboribus adeptus: unum manebat illud ſolatium, quod ereptum eſt. Non amicorum negotiis, non reip. procuratione impediebantur cogitationes meæ: nihil in foro agere libebat, adſpicere curiam non poteram: exiſtimabam, id quod erat, omneis me & induſtriæ meæ fructus, & fortunæ perdidiſſe. Sed, cùm cogitarem, hæc mihi tecum, & cum quibuſdam eſſe communia: & cùm frangerem jam ipſe me, cogeremq; illa ferre toleranter, habebam quò confugerem, ubi conquieſcerem, cujus in ſermone, & ſuavitate omneis curas, doloreſque deponerem. Nunc autem, hoc tam gravi vulnere, etiam illa, [5] quæ conſanuiſſe videbantur, recrudeſcunt. Non enim, ut tum me à rep. mœſtum domus excipiebat, quæ levaret: ſic nunc domo mœrens ad remp. confugere poſſum, ut in ejus bonis acquieſcam. Itaque & domo abſum, & foro, quod nec eum dolorem, quem à rep. capio, domus jam conſolari poteſt, nec domeſticum reſp. Quo magis te exſpecto, teque videre quàm primùm cupio. [6] Major mihi levatio afferri nulla poteſt, quam conjunctio conſuetudinis, ſermonumque noſtrorum: quamquam ſperabam, tuum adventum (ſic enim audiebam) appropinquare. Ego autem cum multis de cauſis te exopto quàm primùm videre: tum etiam, ut antè commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum ſit hoc tempus: quod eſt totum ad unius voluntatem accommodandum, & prudentis, & liberalis, & (ut perſpexiſſe videor) nec à me alieni, & tibi amiciſſimi. Quod cùm ita ſit, magnæ eſt tamen deliberationis, quæ ratio ſit ineunda nobis, non agendi aliquid, ſed illius conceſſu & beneficio quieſcendi. Vale.

M. T. C. S. D. M. MARCELLO. 7

ETSI eo te adhuc conſilio uſum intelligo, ut id reprehendere non audeam, non quin ab eo ipſe diſſentiam, ſed quòd ea te ſapientia eſſe judicem, ut meum conſilium non anteponam tuo: tamen & amicitiæ noſtræ vetuſtas, & tua ſumma erga me benivolentia, quæ mihi jam à pueritia tua cognita eſt, me hortata eſt, ut ea ſcriberem ad te, quæ & ſaluti tuæ conducere arbitrarer, & non aliena eſſe ducerem à dignitate. Ego eum te eſſe, qui horum malorum initia multò antè videris, conſulatum magnificentiſſimè, atque optimè geſſeris, præclarè memini: ſed idem etiam illa vidi, neque te conſilium civilis belli ita gerendi, neque copias Cn. Pompeji, nec genus exercitus, probare, [7] ſemperque ſummè diffidere. Qua in ſententia, me quoque fuiſſe, memoria tenere te arbitror. Itaque neque tu multùm interfuiſti rebus gerendis: & ego id ſemper egi, ne intereſſem. Non enim iis rebus pugnabamus, quibus valere poteramus, conſilio, auctoritate, cauſa, quæ erant in nobis ſuperiora: ſed lacertis, & viribus, quibus pares non eramus. Victi ſumus igitur: aut, ſi vinci dignitas non poteſt, fracti certè, & abjecti. In quo tuum conſilium nemo poteſt non maximè laudare, quòd cum ſpe vincendi ſimul abjeciſti certandi etiam cupiditatem: oſtendiſtique, ſapientem, & bonum civem initia belli civilis invitum ſuſcipere, extrema non libenter perſequi. Qui non idem conſilium, quod tu, ſecuti ſunt, eos video in duo genera eſſe diſtractos. Aut enim renovare bellum

---

1. *Quæ aliis tute præcipere ſoles, tute tibi ſubjice.*] Sic Pall. quatuor Stewech. vulgò *ea tute tibi ſubjice.*

2. *Cujus officia jucundiora ſcilicet ſæpe mihi fuerint.*] Ita editio Victorii, ac plerique Pall. niſi quòd tertius & Gruterianus: *Jucundiora ſi ſæpe mihi fuerint.* duo item Gulielmio conſulti *jucundiora licet ſæpe.* Vulgo *fuerunt.*

3. *Qui duo ſeptem diebus.*] Ita Pall. pr. ſec. Stewech. Vatic. Victorii editio. vulgò *duos.* ſtatim *veſter* ſcripſi auctoritate editionis Victorianæ, Pall. pr. quart. quint. Grut. Stew. Vatic. alias *noſter.*

4. *Ut eorum luctum ipſorum dignitas conſolaretur.*] Hæc eſt editionis Victorianæ lectio, recepta poſtea Lamb. Pall. hic omnes corrupti ſunt: quorum pr. quint. & editio prima *ut eorum tum ipſorum.* ſec. *ut eorum ipſorum.* tert. *ut eorum tamen ipſorum dignitas.* quart. ac Grut. *ut eorum cum ipſorum dignitas.* valgo *ut eos ipſorum dignitas.* ſed ut edidi, repertum quoque in codice Vaticanæ Bibliothecæ.

5. *Quæ conſanuiſſe videbantur, recrudeſcunt.*] Ita ex Mediceo Victorius. neque alter quoque Pontiani liber, & Vat. omnes tamen Pall. ſicut & Grut. *conſanuiſſe*, quod quantus eſt defendit Manutius. Mihi tamen, pace ejus, vetuſtiſſimis libris adhæreſcere, & bonis rationibus præferre hanc libuit. Vetuſtiora enim vulnera pejoris conditionis ſunt, atque adeo deſperatæ ſalutis. videantur Cl. Gruteri noſtri ſuſpiciones; diſputabimuſque hiſce de rebus aliquid, paucis poſt diebus. Giſanius in Obſervationibus ſuis Linguæ Latinæ citat *conſanaviſſe.* poſitumque vult pro ſimplici.

6. *Major mihi levatio afferri nulla poteſt.*] Princeps hujus lectionis auctor eſt Egnatius, qui eam oræ primæ editionis adjecit, potuit tamen eadem optimo Victorio in mentem fuiſſe: imo eam quoque eſſe codicis Vaticani, video ex excerptis And. Schotti. ſed Pall. o. ſicut & Grut. & Stewech. *ratio.* niſi quod præterea Pal. pr. *ratio afforе nulla poteſt.* quod non deſpiciendum videbitur, ſi quis ſagacius indagetur.

7. *Semperque ſummè diffidere.*] Parum abfuit, quin reciperem conjecturam Jani Gulielmii & Gruteri noſtri *ſummæ*, quandoquidem & eam ex vetuſto cod. notarit ad oram primæ editionum Baptiſta Egnatius. videantur de hoc vocabulo noſtra crepundia

1. *Victori*

bellum conati ſunt, hique ſe in Africam contulerunt: aut quemadmodum nos, [1] victori ſeſe crediderunt. Medium quoddam tuum conſilium fuit, qui hoc fortaſſe humilis animi duceres: illud, pertinacis. Fateor, à pleriſque, vel dicam ab omnibus, ſapiens tuum conſilium: à multis, etiam magni, ac fortis animi judicatum. Sed habet iſta ratio, ut mihi quidem videtur, quendam modum: præſertim cùm tibi nihil deeſſe arbitrer ad tuas fortunas omneis obtinendas, præter voluntatem. Sic enim intellexi, nihil aliud eſſe, quod dubitationem afferret ei, penes quem eſt poteſtas, niſi quòd vereretur, ne tu illud beneficium omnino non putares. De quo quid ſentiam, nihil attinet dicere: cùm appareat, ipſe quid fecerim. Sed tamen ſi jam ita conſtituiſſes, ut abeſſe perpetuo malles, quàm ea, quæ nolles, videre: tamen id cogitare deberes, ubicumque eſſes, te fore in ejus ipſius, quem fugeres, poteſtate: qui ſi facilè paſſurus eſſet, te carentem patria, & fortunis tuis, quietè & liberè vivere: cogitandum tibi tamen eſſet, Romæne & domi tuæ, cujuſmodi res eſſet: an Mytilenis, aut Rhodi malles vivere. Sed cùm ita latè pateat ejus poteſtas, quem veremur, ut terrarum orbem complexa ſit: nonne mavis ſine periculo domi tuæ eſſe, quàm cum periculo alienæ? Equidem, etiam ſi oppetenda mors eſſet, domi, atque in patria mallem, quàm in externis, atque alienis locis. Hoc idem omnes, qui te diligunt, ſentiunt: quorum eſt magna, pro tuis maximis, clariſſimiſque virtutibus, multitudo. Habemus etiam rationem rei familiaris tuæ, quam diſſipari nolumus. Nam etſi nullam poteſt accipere injuriam, quæ futura perpetua ſit: propterea quòd neque is, qui tenet remp. patietur, neque ipſa reſp. tamen impetum prædonum in tuas fortunas fieri nolo. Hi autem qui eſſent, auderem ſcribere, niſi te intelligere confiderem. Hîc te unius ſollicitudines, unius etiam multæ, & aſſiduæ lacrymæ C. Marcelli, fratris optimi, deprecantur: nos cura, & dolore proximi ſumus: precibus tardiores, quod jus adeundi, [2] cùm ipſi deprecatione eguerimus, non habemus. Gratia tantum poſſumus, quantum victi. Sed tamen conſilio, ſtudio, Marcello non deſumus. A tuis reliquis non adhibemur: ad omnia parati ſumus. Vale.

8 M. T. C. S. D. M. MARCELLO.

NEQUE monere te audeo, præſtanti prudentia virum: nec confirmare, maximi animi hominem, [3] unumque fortiſſimum: conſolari verò nullo modo. Nam ſi ea, quæ acciderunt, ita fers, ut audio, gratulari magis virtuti debeo, quàm conſolari dolorem tuum. ſin te tanta mala reip. frangunt: non ita abundo ingenio, ut te conſoler, cùm ipſe me non poſſim. Reliquum eſt igitur, ut tibi me in omni re eum præbeam, præſtemque, ut ad omnia, quæ tui velint, [4] ita adſim præſtò, ut me non ſolum omnia debere tua cauſa, ſed ea quoque, etiam quæ non poſſim, putem. Illud tamen vel tu me monuiſſe, vel cenſuiſſe puta, vel propter benivolentiam tacere non potuiſſe: ut, quod ego facio, tu quoque animum inducas: ſi ſit aliqua reſp. in ea te eſſe oportere, judicio hominum, reque principem, neceſſitate cedentem tempori: ſin autem nulla ſit, hunc tamen aptiſſimum eſſe etiam ad exſulandum locum. Si enim libertatem ſequimur: qui locus hoc dominatu vacat? ſin qualemcumque locum, quæ eſt domeſtica ſede jucundior? Sed mihi crede, etiam is, qui omnia tenet, favet ingeniis: nobilitatem verò, & dignitates hominum, quantum ei res, & ipſius cauſa concedit, amplectitur. Sed plura, quàm ſtatueram. Redeo ergo ad unum illud, [5] me tuum eſſe, fore cum tuis, ſi modò erunt tui: ſi minùs, me certè in omnibus rebus ſatis noſtræ conjunctioni, amorique facturum. Vale.

M. T. C. S. D. M. MARCELLO. 9

ETSI perpaucis antè diebus dederam Q. Mucio litteras, ad te pluribus verbis ſcriptas, quibus declaraveram, quo te animo cenſerem eſſe oportere, & quid tibi faciendum arbitrarer: tamen, cum Theophilus, libertus tuus proficiſceretur, cujus ego fidem erga te, benivolentiamque perſpexeram, ſine meis litteris eum ad te venire nolui. Iiſdem igitur de rebus etiam atque etiam hortor, quibus ſuperioribus litteris hortatus ſum: ut in ea rep. quæcumque eſt, quàm primùm velis eſſe. Multa videbis fortaſſe, quæ nolis: non plura tamen, quàm audis quotidie. Non eſt porrò tuum, uno ſenſu ſolum oculorum moveri: cùm idem illud auribus percipias, quod etiam majus videri ſolet, minùs laborare. At tibi ipſi dicendum erit aliquid, quod non ſentias: aut faciendum, quod non probes. Primum TEMPORI cedere, id eſt, neceſſitati parêre, ſemper ſapientis eſt habitum. deinde non habet, ut nunc quidem eſt, id vitii res. Dicere fortaſſe, quæ ſentias, non licet: tacere planè licet. Omnia enim delata ad unum ſunt. Is utitur conſilio, ne ſuorum quidem, ſed ſuo. Quod non multo ſecus fieret, ſi is remp. teneret, quem ſecuti ſumus. An, qui in bello, cum omnium noſtrûm conjunctum eſſe periculum ſuo cerneret, certorum hominum minimè prudentium conſilio uteretur, eum magis communem cenſemus in victoria futurum fuiſſe, [6] quam incertis rebus fuiſſet? &, qui nec, te conſule, tuum ſapientiſſimum conſilium ſecutus eſſet, nec, fratre tuo conſulatum ex auctoritate tua gerente, vobis auctoribus uti voluerit, nunc omnia tenentem, noſtras ſententias deſideraturum cenſes fuiſſe? OMNIA ſunt miſera in bellis civilibus. quæ majores noſtri ne ſemel quidem: noſtra ætas ſæpe jam ſenſit. ſed miſerius nihil, quam ipſa victoria: quæ etiamſi ad meliores venit, tamen eos ipſos ferociores, impotentioreſque reddit: ut, etiamſi natura tales non ſint, neceſſitate eſſe cogantur. MULTA enim victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito, facienda ſunt. An tu non videbas mecum ſimul, quàm illa crudelis eſſet futura victoria? igitur tunc quoque patria careres, ne, quæ nolles, videres? Non, inquies. ego enim ipſe tenerem opes, & dignitatem meam. At erat tuæ virtutis, in minimis tuas res ponere: de rep. vehementiùs laborare. Deinde, qui finis iſtius conſilii eſt? nam adhuc & factum tuum probatur: &, ut in tali re, etiam fortuna laudatur: factum, quòd & initium belli neceſſariò ſecutus ſis, & extrema ſapienter perſequi nolueris: fortuna, quòd honeſto otio tenueris & ſtatum, & famam dignitatis tuæ. Nunc verò nec locus tibi ullus dulcior eſſe debet patria: nec eam diligere minùs debes, quod deformior eſt, ſed miſereri potiùs, nec eam multis claris viris orbatam, privare etiam adſpectu tuo. Denique, ſi fuit

1. *Victori ſeſe crediderunt.*] Ita ex ſuis Victorius: quod receperunt Lambinus ac Manutius: reſtatque item in Vaticano. nec longe abeunt Pal. quint. & Grut. qui *victores eſſe crediderunt.* ceteri omnes cum vulgatis, *ſe victos eſſe crediderunt.*

2. *Cùm ipſi deprecatione eguerimus.*] Sic eſt in omnibus Pall. Grut. Peck. editione omnium vetuſtiſſima: neque aliter edidit Victorius. vulgo *deprecatore.*

3. *Unumque fortiſſimum.*] Ita Victorii editio, ita Pal. pr. idque item ex aliquo vet. cod. adnotat Gulielm. certe unico Palat. plus tribuo quam omnibus Lambini[illegible]is. vulgò *utrumque fortiſſimum.*

4. *Ut adſim præſto, ut me non ſolum omnia debere tuâ; ſed ea quoque etiam, quæ non poſſim, putem.*] Emaculavi hunc locum, in vulgatis male acceptum ope quinque Pall. Grut. editionum primæ ac Victorianæ. nam *adſim* non *ſim* Pall. quatuor. prima editio, *aſim.* deinde *quæ poſſim* nullibi comparent; cum vulgò ſequi ament poſt *tua cauſa.* denique ſuaſu eorundem omnium *etiam* mutavi, accedente quoque Stewechiano; cum vulgo omiſſum ſit.

5. *Me tuum eſſe, fore cum tuis.*] Eleganter ſic edidit Victorius, extatque ea lectio in Pall. omn. Grut. Vatic. Stewech. vulgò *me tuum fore cum tuis.* in Pal. tamen quarto. *me tuum eſſe & fore.* ſed illud & eſt a ſequiore manu.

6. *Quàm incertis rebus fuiſſet.*] Hanc ſcripturam prætuli ex Vaticano; cum Victorius ediderit, *quam incertis in rebus fuiſſet.* Pall. verò pr. quart. *quam certis in rebus f.* reliqui, *ceteris in rebus.* Porrò paullo ante ex fide cujuſdam afferentis ex v. c. *cum magis communem cenſemus in victoria f. f.* probat Urſinus; quæ eadem Gulielmi conjectura erat; ſed homines non poterant ſcire quid eſſet *communem eſſe.* Ego margaritum non muto glarea.

ſi fuit magni animi [1] non eſſe ſupplicem victori: vide ne ſuperbi ſit, aſpernari ejuſdem liberalitatem: &, ſi SAPIENTIS EST carere patria, duri non deſiderare: &, ſi rep. non poſſis frui, ſtultum eſt nolle privata. Caput eſt illud, ut, ſi iſta vita tibi commodior eſſe videatur, cogitandum tamen ſit, ne tutior non ſit. [2] magna gladiorum eſt licentia: ſed in externis locis minor etiam ad facinus verecundia. Mihi ſalus tua, tantæ curæ eſt, ut Marcello fratri tuo aut par, aut certè proximus ſim. Tuum eſt conſulere temporibus, & incolumitati, & vitæ, & fortunis tuis. Vale.

10 M. T. C. M. MARCELLO, S. D.

ETSI nihil novi, quod ad te ſcriberem, magiſque litteras tuas jam exſpectare incipiebam, vel te potiùs ipſum: tamen, cùm Theophilus proficiſceretur, non potui nihil ei litterarum dare. Cura igitur, ut quàm primùm venias. venies enim, mihi crede, exſpectatus, neque ſolùm nobis, id eſt, tuis, ſed prorſus omnibus. Venit enim mihi in mentem, ſubvereri interdum, ne te delectet tarda deceſſio. Quòd ſi nullum haberes ſenſum, niſi oculorum, prorſus tibi ignoſcerem, ſi quoſdam nolles videre. ſed, cùm leviora non multo eſſent, quæ audirentur, quàm quæ viderentur: ſuſpicarer autem, multùm intereſſe rei familiaris tuæ, te quàm primùm venire, idque in omneis parteis valeret; putavi, ea de re te eſſe admonendum. Sed, quoniam quod mihi placeret, oſtendi: reliqua tu pro tua prudentia conſiderabis. Me tamen velim, quod ad tempus te exſpectemus, certiorem facias. Vale.

11 M. MARCELLUS M. CICERONI, S. D.

PLURIMUM valuiſſe apud me tuam ſemper auctoritatem, cùm in omni re, tum in hoc maximè negotio, potes exiſtimare. Cùm mihi C. Marcellus, frater amantiſſimus mei, non ſolùm conſilium daret, ſed precibus quoque me obſecraret: non priùs mihi perſuadere potuit, quam tuis eſt effectum litteris, ut uterer veſtro potiſſimùm conſilio. Res quemadmodum ſit acta, veſtræ litteræ mihi declarant. Gratulatio tua, etſi eſt mihi probatiſſima, quod ab optimo ſit animo: tamen hoc mihi multo jucundius eſt, & gratius, quod in ſumma paucitate amicorum, propinquorum, ac neceſſariorum, qui verè meæ ſaluti faverent, te cupidiſſimum mei, ſingularemque mihi benivolentiam præſtitiſſe cognovi. Reliqua ſunt ejuſmodi, quibus ego, quoniam hæc erant tempora, facilè, & æquo animo carebam. hoc verò ejuſmodi eſſe ſtatuo, ut ſine talium virorum, & amicorum benivolentia, neque in adverſa, neque in ſecunda fortuna quiſquam vivere poſſit. Itaque in hoc ego mihi gratulor. Tu verò ut intelligas, homini amiciſſimo te tribuiſſe officium, re tibi præſtabo. Vale.

12 SER. SULPICIUS M. CICERONI, S. D.

ETSI ſcio, non jucundiſſimum nuntium me vobis allaturum: tamen, quoniam CASUS ET NATURA in nobis dominatur, viſum eſt faciendum, quoquo modo res ſe haberet, vos certiores facere. Ad x. Cal. Jun. cùm ab Epidauro Piræeum navi advectus eſſem, ibi Marcellum, collegam noſtrum, conveni, eumque diem ibi conſumſi, ut cum eo eſſem. Poſtero die cùm ab eo digreſſus eſſem eo conſilio ut ab Athenis in Bœotiam irem, reliquamque juriſdictionem abſolverem: ille, uti ajebat, [3] ſupra Majas in Italiam verſus navigaturus erat. Poſtridie ejus diei, cum ab Athenis proficiſci in animo haberem, [4] circiter hora decima noctis P. Poſtumius, familiaris ejus, ad me venit, & mihi nuntiavit, M. Marcellum, collegam noſtrum, poſt cenæ tempus, [5] à P. Magio Cilone, familiare ejus, pugione percuſſum eſſe, & duo vulnera accepiſſe: unum in ſtomacho: alterum in capite, ſecundum aurem: ſperare tamen eum vivere poſſe. Magium ſeipſum interfeciſſe: poſteà ſe à Marcello ad me miſſum eſſe, qui hæc nuntiaret, & [6] rogaret uti medicos. Coëgi, & è veſtigio eò ſum profectus prima luce. Cùm non longè à Piræeo abeſſem, puer Acidini obviam mihi venit cum codicillis: in quibus erat ſcriptum, paulo ante lucem Marcellum diem ſuum obiiſſe. Ita vir clariſſimus ab homine deterrimo acerbiſſima morte eſt affectus: & cui inimici propter dignitatem pepercerant: inventus eſt amicus, qui ei mortem afferret. Ego tamen ad tabernaculum ejus perrexi. inveni duos libertos, & pauculos ſervos. reliquos ajebant profugiſſe, metu perterritos, quòd dominus eorum ante tabernaculum interfectus eſſet. Coactus ſum in eadem illa lectica, qua ipſe delatus eram, meiſque lecticariis in urbem eum referre: ibique pro ea copia, quæ Athenis erat, funus ei ſatis amplum faciendum curavi. Ab Athenienſibus, locum ſepulturæ intra urbem ut darent, impetrare non potui, quòd religione ſe impediri dicerent: neque tamen id antea cuiquam conceſſerant. Quod proximum fuit, uti, in quo vellemus gymnaſio eum ſepeliremus, nobis permiſerunt. Nos in nobiliſſimo orbis terrarum gymnaſio Academiæ, locum delegimus: ibique eum combuſſimus: poſteaque curavimus, ut iidem Athenienſes in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent. Ita, quæ noſtra officia fuerunt, pro collegio, & propinquitate, & vivo & mortuo omnia ei præſtitimus. Vale. D. pr. Kal. Iun. Athenis.

M. T. C. S. D. P. NIGIDIO FIGULO. 13

QUÆRENTI mihi jamdiu, quid ad te potiſſimum ſcriberem: non modo certa res nulla, ſed ne genus quidem litterarum uſitatum veniebat in mentem. Unam enim partem, & conſuetudinem earum epiſtolarum, quibus, ſecundis rebus, uti ſolebamus, tempus eripuerat: perfeceratque fortuna, ne quid tale ſcribere poſſem, aut omnino cogitare. Relinquebatur triſte quoddam, & miſerum, & his temporibus conſentaneum genus litterarum. id quoque deficiebat me: in quo debebat eſſe aut promiſſio auxilii alicujus, aut conſolatio doloris tui. Quod pollicerer, non erat. ipſe enim [7] pari fortuna abjectus, aliorum opibus caſus meos ſuſtentabam, ſæpiuſque mihi veniebat in mentem queri, quod ita viverem, quàm gaudere, quod viverem. Quamquam enim nulla meipſum privatim pepulit inſignis injuria: nec mihi quidquam tali tempore in mentem venit optare, quod non ultro mihi Cæſar detulerit: tamen nihilominùs eis conficior curis, ut ipſum, quod maneam in vita, peccare me exiſtimem. careo enim cùm familiariſſimis multis, quos aut mors eripuit nobis, aut diſtraxit fuga: tum omnibus amicis: quorum benivolentiam nobis conciliarat per me quondam, te ſocio, defenſa reſp. verſorque in eorum naufragiis, & bonorum direptionibus: nec audio ſolum, quod ipſum eſſet miſerum, [8] ſed etiam video, quo nihil eſt acerbius, eorum fortunas diſſipari, quibus

1 *Non eſſe ſupplicem victori.*] Sic recte ex Medicæo Victorius (nam in eo ita eſſe, adnotat ad primam impreſſionem Egnatius) eumque ſecutus Lamb. ſicque reperitur in Vaticano. Propertius, *ecquando ire tibi liber ſum viſus?* Pall. o. *eſſe*, præter ſec. in quo *fuiſſe*.

2. *Magna gladiatorum eſt licentia.*] Ita o. mſſ. Vulgati tamen *gladiatorum* neſcio quibus fiduciis.

3. *Supra Majas in Italiam verſus.*] Sic omnes mſſ. tam noſtri, quam aliorum. conjecturâ emendabat Victorius *ſupra Maleas*. Lamb. ne nihil novi ipſe inveniſſe videretur, *Maleam*. Pantagathus ex veſtigiis veteris, ut refert Urſinus, ſcripturæ *ſub Kalend. Junias* quod mihi non placet. vulgò nimis licenter, *ſupremo Majo*.

4. *Circiter horâ decimâ noctis.*] Ita edidit Victorius; ſicque exſtat in Vatic. alias *circiter horam decimam noct.*

5. *A P. Magio Cilone familiare ejus.*] Sic o. Pall. Gruter. Stewech. vulgo: *Chilone familiari*.

6. *Rogaret uti medicos. Coëgi & è veſtigio.*] Obſecutus fidæ ac doctæ monitioni optimi P. Victorii, delevique vocem *cogerem* cum Pall. pr. quint. Grut. videantur eruditiſſimæ in hunc locum ejuſdem Florentini caſtigationes.

7. *Pari fortunâ abjectus.*] Alii *afflictus*. Gruterianus codex *abictus* quaſi eſſet quodam *ictu* depreſſus ac proſtratus. Pal. quint. *adjectus*. Quid ſi *addictus*? nam illi plane ſuis exuti, ab alienis pendent opibus.

8. *Sed etiam video.*] Sic eſt in Stewech. ac Pal. tert. Gruteriano. vulgò *ſed etiam id ipſum video*. Vatic. *Sed etiam id video.* reliqui *id* tantum modo amittunt.

1. *Qua-*

bus nos olim adjutoribus illud incendium exſtinximus: &, in qua urbe modo gratia, auctoritate, gloria floruimus, in ea nunc iis quidem omnibus caremus. Obtinemus ipſius Cæſaris ſummam erga nos humanitatem. ſed ea plus non poteſt, quàm vis, & mutatio omnium rerum, atque temporum. Itaque orbus iis rebus omnibus, quibus & natura me, & voluntas, & conſuetudo aſſuefecerat: cùm ceteris, & quidem videor, tum mihi ipſe diſpliceo. Natus enim ad agendum ſemper aliquid dignum viro, nunc non modò agendi rationem nullam habeo, ſed ne cogitandi quidem: &, qui anteà aut obſcuris hominibus, aut etiam ſontibus opitulari poteram, nunc P. Nigidio, uni omnium doctiſſimo, & ſanctiſſimo, & maxima quondam gratia, & mihi certè amiciſſimo, ne benignè quidem polliceri poſſum. Ergo hoc ereptum eſt litterarum genus. Reliquum eſt, ut conſoler, & afferam rationes, quibus te à moleſtiis coner abducere. At ea quidem facultas vel tui, vel alterius conſolandi, in te ſumma eſt, ſi umquam in ullo fuit. Itaque eam partem, quæ ab exquiſita quadam ratione, & doctrina proficiſcitur, non attingam, tibi totam relinquam. Quid ſit forti, & ſapienti homine dignum: quid gravitas, quid altitudo animi, quid acta tua vita, quid ſtudia, quid artes, quibus à pueritia floruiſti, à te flagitent, tu videbis. Ego, quod intelligere, & ſentire, quia ſum Romæ, & quia curo, attendoque, poſſum: id tibi affirmo, te in iſtis moleſtiis, in quibus es hoc tempore, non diutius futurum: in iis autem, in quibus etiam nos ſumus, fortaſſe ſemper fore. Videor mihi perſpicere primùm ipſius animum, qui plurimum poteſt, propenſum ad ſalutem tuam. Non ſcribo hoc temerè. QUO MINUS familiaris ſum, hoc ſum ad inveſtigandum curioſior. Quo facilius, quibus eſt iratior, reſpondere triſtiùs poſſit: hoc eſt adhuc tardior ad te moleſtia liberandum. Familiares verò ejus, & ii quidem, qui illi jucundiſſimi ſunt, mirabiliter de te & loquuntur, & ſentiunt. Accedit, eodem vulgi voluntas, vel potius conſenſus omnium. etiam illa, quæ minimùm nunc quidem poteſt, ſed poſſit neceſſe eſt, reſp. [1] quaſcumque vires habebit, ab iis ipſis, quibus tenetur, de te propediem (mihi crede) impetrabit. Redeo igitur ad id, ut jam tibi etiam pollicear aliquid, quod primò omiſeram. Nam & complectar ejus familiariſſimos, qui me admodum diligunt, multumque mecum ſunt: & in ipſius conſuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clauſit, inſinuabo: & certè omneis vias perſequar, quibus putabo ad id, quod volumus, pervenire poſſe. In hoc toto genere plura faciam, quàm ſcribere audeo. Cetera, quæ tibi à multis prompta eſſe certo ſcio, à me ſunt paratiſſima. nihil in re familiari mea eſt, quod ego meum malim eſſe, quam tuum. Hac de re, & de hoc genere toto, hoc ſcribo parciùs, quòd te, & quòd ipſe confido, ſperare malo eſſe uſurum tuis. Extremum illud eſt, [2] ut te orem, & obſecrem, animo ut maximo ſis: nec ea ſolum memineris, quæ ab aliis magnis viris accepiſti: ſed illa etiam, quæ ipſe ingenio, ſtudioque peperiſti. quæ ſi colliges: & ſperabis omnia optimè, & quæ accident, qualiacumque erunt, ſapienter feres. Sed hæc tu melius, vel optimè omnium. Ego, quæ pertinere ad te intelligam, ſtudioſiſſimè omnia, diligentiſſimeque curabo: tuorumque triſtiſſimo meo tempore meritorum erga me memoriam conſervabo. Vale.

M. T. C. S. D. CN. PLANCIO. 14

BINAS à te accepi litteras, Corcyræ datas: quarum alteris mihi gratulabare, quòd audiſſes, me meam priſtinam dignitatem obtinere: alteris dicebas te velle, quæ egiſſem, bene, & feliciter evenire. Ego autem, ſi dignitas eſt, bene de repub. ſentire, & bonis viris probare quod ſentias: obtineo dignitatem meam. ſin autem in eo dignitas eſt, quod ſentias, aut re efficere, ſi poſſis, aut denique libera oratione defendere: ne veſtigium quidem ullum eſt reliquum nobis dignitatis: agiturque præclarè, ſi noſmetipſos regere poſſumus, ut ea, quæ partim jam adſunt, partim impendent, moderatè feramus: quod eſt difficile in ejuſmodi bello, cujus exitus ex altera parte cædem oſtentat, ex altera ſervitutem. Quo in periculo nonnihil me conſolatur, cum recordor, hæc me tum vidiſſe, cum ſecundas etiam res noſtras, non modò adverſas pertimeſcebam: videbam, quanto periculo de jure publico diſceptaretur armis. Quibus, ſi viciſſent ii, ad quos ego pacis ſpe, non belli cupiditate adductus acceſſeram: tamen intelligebam, & iratorum hominum, & cupidorum, & inſolentium, quàm crudelis eſſet futura victoria: ſin autem victi eſſent, quantus interitus eſſet futurus civium, partim ampliſſimorum, partim etiam optimorum. qui me hæc prædicentem, atque optimè conſulentem ſaluti ſuæ, malebant nimium timidum, quàm ſatis prudentem exiſtimari. Quod autem mihi de eo, quod egerim, gratularis: te ita velle certò ſcio: ſed ego tam miſero tempore nihil novi conſilii cepiſſem, niſi in reditu meo nihilo meliores res domeſticas, quàm remp. offendiſſem. Quibus enim, pro meis immortalibus beneficiis, cariſſima mea ſalus, & meæ fortunæ eſſe debebant: cum propter eorum ſcelus nihil mihi intra meos parietes tutum, nihil inſidiis vacuum viderem, novarum me neceſſitudinum fidelitate contra veterum perfidiam, muniendum putavi. Sed de noſtris rebus ſatis, etiam nimium multa. De tuis velim, ut eo ſis animo, quo debes eſſe. id eſt, ut ne quid tibi præcipuè timendum putes. Si enim ſtatus erit aliquis civitatis: quicumque erit, te omnium periculorum video expertem fore. Nam alteros tibi jam placatos eſſe intelligo: alteros numquam iratos fuiſſe. De mea aut in te voluntate ſic velim judices, me, quibuſcumque rebus opus eſſe intelligebam: quamquam videam, qui ſim hoc tempore, & quid poſſim: opera tamen & conſilio, ſtudio quidem certè, [3] rei, famæ, ſaluti tuæ præſto futurum. Tu velim & quid agas, & quid acturum te putes, facias me quàm diligentiſſimè certiorem. Vale.

M. T. C. S. D. CN. PLANCIO. 15

ACCEPI perbreveis tuas litteras, quibus id, quod ſcire cupiebam, cognoſcere non potui: cognovi autem id, quod mihi dubium non fuit. nam quàm fortiter ferres communeis miſerias, non intellexi: quàm me amares, facilè perſpexi: [4] ſed hoc ſcieram. illud ſi ſciſſem, ad id meas litteras accommodaviſſem. Sed tamen etſi antea ſcripſi, [5] quæ exiſtimavi ſcribi oportere: tamen hoc tempore breviter commonendum putavi, ne quo periculo te proprio exiſtimares eſſe: in magno omnes, ſed tamen in communi ſumus. Quare non debes aut propriam fortunam, & præcipuam poſtulare, aut communem recuſare. Quapropter eo animo ſimus inter nos, quo ſemper fuimus. Quod de te ſperare, de me præſtare poſſum. Vale.

M. TUL-

---

1. *Quaſcunque vires habebit.*] Sic melius priſca editio, ac Victorii, Vatic. Pall. o. Grut. aliàs, *quoſcunque viros.*

2. *Ut te orem & obſecrem.*] Ita Vaticanus, ut quoque Victorius ex ſuis antiquis. in Pall. o. eſt *horter*, ut vulgò. niſi quod Grut. & tert. omittant *te.* paullo poſt, pro *peperiſti* alii legunt *reperiſti.* Pall. duo poſtremi *pepercisti* non inſuaviter. Denique ultimo verbo hujus epiſtolæ Pal. primus, caſtigatiſſimæ membranæ, legunt *reſervabo.*

3. *Rei, famæ, ſaluti.*] Guliel. ex veſtigiis codicis Stewech. conjectabat *rei familiari ac ſaluti*: ut ſupra ep. 7. *Habemus etiam rationem rei familiaris tuæ.* ſed non video cauſam, cur vulgata omnibus mſſ. patrocinantibus ejici debeat.

4. *Sed hoc ſcieram.*] Vulgò *ſciebam.* ſed illud o. Pall. Grut. Stewech. priſca editio ac Victorii. Orſum epiſtolæ mire alternant noſtri libri. Pal. ſec. *Accepi perbrevis tuas epiſtolas.* Pal. tert. Grut. *Accep. perb. epiſtolas.*

5. *Quæ exiſtimavi ſcribi oportere.*] Ita edidit Victorius, neque aliter eſt in editione principe, Pall. o. Grut. Lambinus homo omnium vaniſſimus ne videatur à Victorio accepiſſe, inſevit *uvi ſcribi.* vulgò *te ſcire.*

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM AD FAMILIAREIS LIBER QUINTUS, AD Q. METELLUM, ET ALIOS.

1 Q. METELLUS, Q. F. CELER, PROCOS. S. D. M. T. CICERONI.

SI vales, bene eſt. Exiſtimaram pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia, [1] nec abſentem ludibrio læſum iri, nec Metellum fratrem ob dictum capite, ac fortunis per te oppugnatum iri. quem ſi parum pudor ipſius defendebat: debebat vel familiæ noſtræ dignitas, vel meum ſtudium erga vos, remque publicam, ſatis ſublevare. Nunc video illum circumventum: me deſertum, à quibus minimè conveniebat. Itaque in luctu, & ſqualore ſum, qui provinciæ, qui exercitui præſum, qui bellum gero. quæ quoniam nec ratione, [2] nec majorum noſtrûm clementia adminiſtraſtis, non erit mirandum, ſi vos pœnitebit. Te tam mobili in me, meoſque eſſe animo non ſperabam. Me interea nec domeſticus dolor, nec cujuſquam injuria à repub. abducet. Vale.

2 M. T. M. F. C. Q. METELLO Q. F. CELERI, PROCOS. S. D.

SI tu, exercituſque valetis, bene eſt. Scribis ad me, te exiſtimaſſe, pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia, numquam te à me ludibrio læſum iri. Quod cujuſmodi ſit, ſatis intelligere non poſſum: ſed tamen ſuſpicor, ad te eſſe allatum, me in ſenatu, cum diſputarem, permultos eſſe, qui rempub. à me conſervatam dolerent, dixiſſe: à te propinquos tuos, quibus negare non potuiſſes, impetraſſe, ut ea, quæ ſtatuiſſes tibi in ſenatu de mea laude eſſe dicenda, reticeres. Quod cum dicerem, illud adjunxi: mihi tecum ita diſpertitum officium fuiſſe in reip. ſalute retinenda, ut ego urbem à domeſticis inſidiis, & ab inteſtino ſcelere: tu Italiam & ab armatis hoſtibus, & ab occulta conjuratione defenderes: atque hanc noſtram tanti, & tam præclari muneris ſocietatem, à tuis propinquis labefactatam: qui, cum tu à me rebus ampliſſimis, atque honorificentiſſimis, ornatus eſſes, timuiſſent, ne qua mihi pars abs te voluntatis mutuæ tribueretur. Hoc in ſermone, cum à me exponeretur, quæ mea exſpectatio fuiſſet orationis tuæ, [3] quantoque mœrore verſatus eſſem: viſa eſt oratio non injucunda: & mediocris quidam eſt riſus conſecutus, non in te, ſed magis in mœrorem meum, & quod me abs te cupiſſe laudari, apertè atque ingenuè confitebar. Jam hoc non poteſt in te non honorifice eſſe dictum, me in clariſſimis meis, atque ampliſſimis rebus, tamen aliquod teſtimonium tuæ vocis habere voluiſſe. Quòd autem ita ſcribis, PRO MUTUO INTER NOS ANIMO: quid tu exiſtimes eſſe in amicitia mutuum, neſcio. equidem hoc arbitror, cum par voluntas accipitur, & redditur. Ego, ſi hoc dicam, me tua cauſa prætermiſiſſe provinciam: tibi ipſe levior videar eſſe. meæ enim rationes ita tulerunt: atque ejus mei conſilii majorem in dies ſingulos fructum, voluptatemque capio. Illud dico, me, ut primùm in concione provinciam depoſuerim, ſtatim, quemadmodum eam tibi traderem, cogitare cœpiſſe. Nihil dico de ſortitione veſtra: tantum te ſuſpicari volo, nihil in ea re per collegam meum, me inſciente, eſſe factum. Recordare cetera: quàm cito ſenatum illo die, facta ſortitione, coëgerim: quàm multa de te verba fecerim, cum tu ipſe mihi dixiſti, orationem meam non ſolùm in te honorificam, ſed etiam in collegas tuos contumelioſam fuiſſe. Jam illud S. C. quod eo die factum eſt, ea præſcriptione eſt, ut, dum id exſtabit, officium meum in te obſcurum eſſe non poſſit. Poſteà verò, quàm profectus es, velim recordere, quæ ego de te in ſenatu egerim: quæ in concionibus dixerim, quas ad te litteras miſerim. Quæ cum omnia collegeris: tu ipſe velim judices, ſatiſne videatur his omnibus rebus tuus adventus, [4] cum proximè Romam veniſti, mutuo reſpondiſſe. Quod ſcribis de reconciliata noſtra gratia: non intelligo, cur reconciliatam eſſe dicas, [5] quæ numquam imminuta eſt. Quod ſcribis, non oportuiſſe Metellum fratrem tuum ob dictum à me oppugnari: primum, hoc velim exiſtimes, animum mihi iſtum tuum vehementer probari: & fraternam plenam humanitatis ac pietatis voluntatem: deinde, ſi qua ego in re fratri tuo, [6] reip. cauſa, reſtiterim, ut mihi ignoſcas. tam enim ſum amicus reip. quàm qui maximè. Si verò meam ſalutem contra illius impetum in me crudeliſſimum defenderim: ſatis habeas, nihil me etiam tecum de tui fratris injuria conqueri. Quem ego cùm compeiſſem omnem ſui tribunatus conatum in meam perniciem parare, atque meditari: egi cum Claudia, uxore tua, & cum veſtra ſorore Mucia, cujus erga me ſtudium pro Cn. Pompeji neceſſitudine, multis in rebus perſpexeram: ut eum [7] ab illa injuria deterrerent. Atque ille, quod te audiſſe credo, pridie Kal Januar. qua injuria nemo [8] umquam in aliquo magiſtratu improbiſſimus civis affectus eſt, ea

[1] NEc abſentem ludibrio læſum iri.] Ita priſca editio ac Victorii: neque aliter quinque Pall. Gruterianus. vulgò, *neque me abſentem lud.*

2. *Nec majorum noſtrum clementia adminiſt.*] Sic tres Guliel. libri: ſic Pall. pr. tert. Grut. Vatican. quorum conſenſum non ſequi irreligioſum eſſet. vulgò *noſtrorum*.

3. *Quantoque mœrore verſatus eſſem.*] Ita habent o. Pall. Grut. Stewech. Victorius tamen, *quantoque in errore verſatus*: & paullo poſt: *ſed magis in errorem meum*.

4. *Cum proximè Romam veniſti, mutuò reſpondiſſe.*] Hanc lectionem jure prætuli ex Pall. ſec. quart. quint. Vatic. editione Victorii. vulgò interpolatitie *mutuo*: ſic quoque ex Stewech. Vatic. ac Pall. emendandum infra Ep. 7. *ſi quando non mutuè reſpondetur*. ubi etiam *mutuò* vulgatur.

5. *Quæ numquam imminuta eſt.*] Medicæus (ut adnotat Egnatius) *Imminuta eſt* & hîc & multis paſſim locis ſimili exemplo colliſis vocalibus, prout in metro. quod admiſit Lambinus, utinam non novitatis ſtudio! ſed ut edendum curamus, eſt in o. Pall. (niſi quod quartus primorem ſyllabam truncet, *minuta eſt*, Grut. Stewech. Vatic. editionibus melioribus, ac omnium principe Veneta. ſicq; ipſe Cicero Ep. 5. ad C. Antonium. *aliquid de noſtrâ conjunctione imminutum eſſe oſtenderem*. vulgo malè: *quæ numquam immutata eſt*.

6. *Reip. cauſa reſtiterim, ut mihi ignoſcas.*] Iterum intruſerunt correctores ſeu pædagogi illi fuerunt, *reſtiterim, peto, ut mihi ign.* quod abeſt ab editione primariâ, Victorii, Pall. o. Grut. Peck. Vaticano.

7. *Ab illâ injuriâ deterrerent.*] Sic plerique Pall. Grut. Stewech. Vatic. niſi quod in Pal. ſec. & editione principe, *deterrerent*, qualiter & in quint. fuiſſe apparet, aut *detinerent*, ad marginem *provocarent*. vulgo *detraherent*.

8. *Unquam in aliquo magiſtratu.*] Sic omnes mſſ. tam Pall. quam Gulielmio conſulti. nec video cur accedam aliis emendantibus *in minimo magiſtratu*; aut Victorio *in annuo magiſtratu*; quia in Medicæo erat, *in animo mag.*

1. *Dicendi*

eſt, ea me conſulem affecit, cum remp. conſervaſſem: atque abeuntem magiſtratu concionis habendæ poteſtate privavit: cujus injuria mihi tamen honori ſummo fuit. Nam cum ille mihi nihil, niſi ut jurarem, permitteret: magna voce juravi veriſſimum, pulcherrimumque jusjurandum: quod populus idem magna voce me verè juraſſe, juravit. Hac accepta tam inſigni injuria, tamen illo ipſo die miſi ad Metellum communeis amicos, qui agerent cum eo, ut de illa mente deſiſteret. quibus ille reſpondit, ſibi non eſſe integrum. etenim paullo ante in concione dixerat, ei, qui in alios animadvertiſſet indicta cauſa, [1] dicendi ipſi poteſtatem fieri non oportere. Hominem gravem, & civem egregium: qui, qua pœna ſenatus conſenſu bonorum omnium, eos affecerat, qui urbem incendere, & magiſtratus, ac ſenatum trucidare, bellum maximum conflare voluiſſent, eadem dignum judicaret eum, qui curiam cæde, urbem incendiis, Italiam bello liberaſſet. Itaque ego Metello, fratri tuo, præſenti reſtiti. Nam in ſenatu Kal. Jan. ſic cum eo de rep. diſputavi, ut ſentiret, ſibi cum viro forti, & conſtanti eſſe pugnandum. Ad tertium Non. Januar. cum agere cœpiſſet, tertio quoque verbo orationis ſuæ me appellabat, mihi minabatur: neque illi quidquam deliberatius fuit, quam me, quacumque ratione poſſet, non judicio, neque diſceptatione, ſed vi, atque impreſſione evertere. Hujus ego temeritati ſi virtute, atque animo non reſtitiſſem: quis eſſet, qui me in conſulatu non caſu potius exiſtimaret, quam conſilio fortem fuiſſe? Hæc ſi tu Metellum cogitare de me neſciſti, debes exiſtimare, te maximis de rebus à fratre eſſe celatum: ſin autem aliquid impertivit tibi ſui conſilii, lenis à te, & facilis exiſtimari debeo, qui nihil tecum de his ipſis rebus expoſtulem. Et, ſi intelligis, non me dicto Metelli, ut ſcribis, ſed conſilio ejus, animoque in me inimiciſſimo eſſe commotum: cognoſce nunc humanitatem meam: ſi humanitas appellanda eſt in acerbiſſima injuria remiſſio animi, ac diſſolutio. Nulla eſt à me umquam ſententia dicta in fratrem tuum, quotieſcumque aliquid eſt actum, ſedens iis aſſenſi, qui mihi leniſſimè ſentire viſi ſunt. Addam & illud etiam, quod jam ego curare non debui, ſed tamen fieri non moleſtè tuli: atque etiam, ut ita fieret, pro mea parte adjuvi, ut ſenatuſconſulto meus inimicus, quia tuus frater erat, ſublevaretur. Quare non ego oppugnavi fratrem tuum, ſed fratri tuo repugnavi: nec in te, ut ſcribis, animo fui mobili: ſed ita ſtabili, ut in mea erga te voluntate, etiam deſertus ab officiis tuis, permanerem. Atque, hoc ipſo tempore tibi pænè minitanti nobis per litteras, hoc reſcribo, atque reſpondeo: Ego dolori tuo non ſolùm ignoſco, ſed ſummam etiam laudem tribuo. meus enim me ſenſus, quanta vis fraterni ſit amoris, admonet. A te peto, ut tu quoque, æquum te judicem dolori meo præbeas: ſi acerbè, ſi crudeliter, ſi ſine cauſa ſum à tuis oppugnatus, ut ſtatuas, mihi non modò non cedendum, ſed etiam tuo, atque exercitus tui auxilio, [2] in ejuſmodi cauſa, utendum fuiſſe. Ego te mihi ſemper amicum eſſe volui: [3] me ut tibi amiciſſimum eſſe intelligeres, laboravi. maneo in voluntate, &, quoad voles tu, permanebo: citiuſque amore tui fratrem tuum odiſſe deſinam, quàm illius odio quidquam de noſtra benivolentia detraham. Vale.

Q. METELLUS NEP. S. D. M. T. C. 3

HOMINIS importuniſſimi contumeliæ, quibus crebris concionibus me onerat, tuis erga me officiis leniuntur: &, [4] ut ſunt leves ab ejuſmodi homine, à me deſpiciuntur: libenterque, commutata perſona, te mihi fratris loco eſſe duco. De illo ne meminiſſe quidem volo: tametſi bis eum invitum ſervavi. [5] De meis rebus, ne vobis multitudine litterarum moleſtior eſſem, ad Lollium perſcripſi: de rationibus provinciæ quid vellem fieri, ut is vos doceret, & commonefaceret. Si poteris, velim priſtinam tuam erga me voluntatem conſerves. Vale.

M. C. S. D. Q. METELLO NEPOTI COS. 4

LITTERÆ Q. fratris, & T. Pomponii, neceſſarii mei, tantum ſpei dederant, ut in te non minus auxilii, quàm in tuo collega mihi conſtitutum fuerit. Itaque litteras ad te ſtatim miſi: per quas, ut fortuna poſtulabat, & gratias tibi egi, & de reliquo tempore auxilium petii. Poſteà mihi non tam meorum litteræ, quàm ſermones eorum, qui hâc iter faciebant, animum tuum immutatum ſignificabant. quæ res fecit, ut tibi litteris obſtrepere non auderem. Nunc mihi Quintus frater meus mitiſſimam tuam orationem, quam in ſenatu habuiſſes, perſcripſit: qua inductus, [6] ad te ſcribere ſum conatus, & abs te, quantum tua fert voluntas, peto, quæſoque, [7] ut tuos mecum ſerves potiùs, quàm propter arrogantem crudelitatem tuorum me oppugnes. Tu, tuas inimicitias ut reipublicæ donares, te viciſti: alienas ut contra rempub. confirmes, adduceris? Quòd ſi mihi tua clementia opem tuleris, omnibus in rebus me fore in tua poteſtate, tibi confirmo. ſin mihi neque magiſtratum, neque ſenatum, neque populum auxiliari, propter eam vim, quæ me cum rep. vicit, licuerit: vide, ne, cùm velis revocare tempus omnium reſervandorum, cùm, qui ſervetur, non erit, non poſſis. Vale

M. C. S. D. C. ANTONIO, M. F. IMPERATORI. 5

ETSI ſtatueram nullas ad te litteras mittere, niſi commendatitias, [8] non quò eas intelligerem ſatis apud te valere: ſed ne iis, qui me rogarent, aliquid de noſtra conjunctione imminutum eſſe oſtenderem: tamen, cùm T. Pomponius, homo omnium meorum in te ſtudiorum, & officiorum maximè conſcius, tui cupidus, noſtri amantiſſimus, ad te proficiſceretur, aliquid mihi ſcribendum putavi: præſertim cùm aliter ipſi Pomponio ſatisfacere non poſſem. Ego ſi abs te ſumma officia deſiderem, mirum nemini videri debeat. omnia enim à me in te profecta ſunt, quæ ad tuum commodum, quæ ad honorem, quæ ad dignitatem pertinerent. Pro iis rebus [9] nullam mihi abs te relatam eſſe gratiam, tu es optimus teſtis. Contrà etiam eſſe aliquid abs te profectum, ex multis audivi. nam comperiſſe me, non audeo dicere, ne fortè id ipſum verbum ponam, quod abs te ajunt falsò in me ſolere conferri. Sed ea, quæ ad me delata ſunt, malo te ex Pomponio, cui non minùs moleſta fuerunt, quàm ex meis litteris, cognoſcere.

Meus

1. *Dicendi ipſi poteſtatem fieri non oportere.*] Pal. tert. *ad dicendum ipſi*, quò vergunt pr. & Grut. *ad dicendi*. Pal. ſec. *abiciendi*. quart. quint. *adiciendi* & *adjiciendi*. Nihil hic innovo.

2. *In ejuſmodi cauſa utendum fuiſſe.*] Et hic nihil muto, licet Pal. quatuor. Grut. Stewech. Peckian. ſicut XII. Libri Manutii habeant *tuendum*. Pal. quint. *tenendum*.

3. *Me ut tibi amiciſſimum eſſe intelligeres.*] Non placet, quod eſt in Stewech. Grut. Pall. tert. *me autem tibi amiciſſimum eſſe laboravi*.

4. *Ut ſunt leves ab ejuſmodi homine.*] Sic ex Medicæo codice edidit Victorius, ſicque eſt in Vaticano: alias, *ut ſunt leves ejuſmodi homines*. porro paullò ſtatim τὸ *bis* infitiantur Pall. tert. quart. quint. Grut. Stewech.

5. *De meis rebus.*] Reſtat in omnibus noſtris mſſ. item editione Victorii. alii *de me meiſque rebus*. paullo poſt *ad Lollium præſcripſi*, legunt Pall. pr. tert. Stewech. unde ſuſpicatur verum eſſe poſſe Gulielmius, *ad Lollium prætorem ſcripſi*. & expreſſe ſecundus *ſcripſi*.

6. *Ad te ſcribere ſum conatus.*] Ita reperi in Pall. pr. quint. Vatic. editione Victorii. Stewech. tamen, *quà ad te ſcribere ſum conatus*: paullo ante Pal. pr. tert. quint. Grut. Stewech. *in ſenatum habuiſſes* familiare jam, ex notatione Doctorum, Ciceroni: quod tamen huc non introduxi: contentus animadvertiſſe.

7. *Ut tuos mecum ſerves potius.*] Ita reperi præter Victorianam ac Manutianam editionem in quinque Pall. Grut. Stewech. vulgo: *ut tu me conſerves potius*.

8. *Non quo eas intelligerem*] Sic Pall. pr. ſec. quart. quint. ſic duo Gulielmiani. alias *quod*. non ſperno, ſed hoc potius duxi ob tantum conſenſum.

9. *Nullam mihi abs te relatam eſſe gratiam.*] Pal. pr. Grut. *relictam*: ſed cauſa, quod ſcriptum erat (ſicut in Pal. ſec. *relactam*) hujus mutationis: illud me mirum habet, præferre quartum *redditam*.

Meus in te animus quàm ſingulari officio fuerit, & ſenatus, & populus Rom. teſtis eſt. Tu quam gratus erga me fueris, ipſe exiſtimare potes. quantum mihi debeas, ceteri exiſtimant. ego quæ tua cauſa anteà feci, voluntate ſum adductus, poſteaque conſtantia. Sed reliqua, mihi crede, multo majus meum ſtudium, majoremque gravitatem, & laborem deſiderant. Quæ ego ſi non profundere, ac perdere videbor: omnibus meis viribus ſuſtinebo. ſin autem ingrata eſſe ſentiam: non committam, ut tibi ipſe inſanire videar. Ea quæ ſint, & cujuſmodi, poteris ex Pomponio cognoſcere. atque ipſum tibi Pomponium ita commendo, ut, quamquam ipſius cauſa confido te facturum eſſe omnia: tamen abs te hoc petam, ut, ſi quid in te reſidet amoris erga me, id omne in Pomponii negotio oſtendas. Hoc mihi nihil gratius facere potes. Vale.

6 M. C. S. D. P. SEXTIO, L. F. PROQUÆSTORI.

CUM ad me Decius, librarius, veniſſet, egiſſetque mecum, ut operam darem, ne tibi hoc tempore ſuccederetur: quamquam illum hominem, frugi, & tibi amicum exiſtimabam, tamen, quòd memoria tenebam, cujuſmodi ad me litteras anteà miſiſſes, non ſatis credidi homini prudenti, tam valdè eſſe mutatam voluntatem tuam. ſed poſtea, quam & Cornelia tua Terentiam convenit, & ego cum Q. Cornelio locutus ſum: adhibui diligentiam, quotieſcumque ſenatus fuit, ut adeſſem, plurimumque in eo negotii habui, ut Q. Fufium, tribunum plebis, & ceteros, ad quos tu ſcripſeras, cogerem potiùs mihi credere, quàm tuis litteris. Omnino res tota in menſem Januarium rejecta erat, ſed facilè obtinebatur. Ego tua gratulatione commotus, quod ad me pridem ſcripſeras, velle te benè evenire, quòd de Craſſo domum emiſſem: [1] emi eam ipſam domum xxxv, aliquantò poſt tuam gratulationem. Itaque nunc me ſcito tantum habere æris alieni, ut cupiam conjurare, [2] ſi quiſquam recipiat. ſed partim odio inducti, me excludunt, & apertè vindicem conjurationis oderunt: partim non credunt, & à me inſidias metuunt. nec putant ei nummos deeſſe poſſe, qui ex obſidione fæneratores exemerit. [3] Omnino ſemiſſibus magna copia eſt. ego autem meis rebus geſtis hoc ſum aſſecutus, [4] ut bonum nomen exiſtimer. Domum tuam, atque ædificationem omnem perſpexi, & vehementer probavi. Antonium, etſi ejus in me officia omnes deſiderant: tamen in ſenatu graviſſimè, ac diligentiſſimè defendi, ſenatumque vehementer oratione mea, atque auctoritate commovi. Tu ad me velim litteras crebrius mittas. Vale.

5 M. T. M. F. CICERO, S. D. CN. POMPEJO CN. F. MAGNO, IMPERATORI.

S. T. E. Q. V. B. E. E. V. Ex litteris tuis, quas públicè miſiſti, cepi unà cum omnibus incredibilem voluptatem. tantam enim ſpem otii oſtendiſti, quantam ego ſemper omnibus, te uno fretus, pollicebar. Sed hoc ſcito, tuos veteres hoſteis, novos amicos, vehementer litteris perculſos, atque ex magna ſpe deturbatos, jacere. Ad me autem litteras, quas miſiſti, quamquam exiguam ſignificationem tuæ erga me voluntatis habebant, tamen mihi ſcito jucundas fuiſſe. nulla enim re tam lætari ſoleo, quàm meorum officiorum conſcientia: quibus ſi quando non mutue reſpondetur, apud me plus officii reſidere facillimè patior. Illud non dubito, quin, ſi te mea ſumma erga te ſtudia parum mihi adjunxerint, reſp. nos inter nos conciliatura, conjunctura que ſit. Ac, ne ignores, quid ego in tuis litteris deſiderarim: ſcribam apertè, ſicut & mea natura, & noſtra amicitia poſtulat. Res eas geſſi, quarum aliquam in tuis litteris, & noſtræ neceſſitudinis, & reipub. cauſa, gratulationem exſpectavi: quam ego abs te prætermiſſam eſſe arbitror; [6] quod vererère, ne cujus animum offenderes. ſed ſcito, ea, quæ nos pro ſalute patriæ geſſimus, orbis terræ judicio, ac teſtimonio comprobari. Quæ, cùm veneris, tanto conſilio, tantaque animi magnitudine à me geſta eſſe cognoſces, ut tibi multò majori, quàm Africanus [7] fuit, tamen non multò minorem, quam Lælium, facilè & in rep. & in amicitia, adjunctum eſſe patiare. Vale.

M. T. C. M. LICINIO P. F. CRASSO S. D. 8

QUantum meum ſtudium exſtiterit dignitatis tuæ, vel tuendæ, vel etiam augendæ, non dubito, quin ad te omnes tui ſcripſerint. Non enim fuit, aut mediocre, aut obſcurum, aut ejuſmodi, quod ſilentio poſſet præteriri. Nam & cum conſulibus, & cum multis conſularibus tanta contentione decertavi, quanta numquam antea ulla in cauſa, ſuſcepique mihi perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis tuis: veterique noſtræ neceſſitudini jamdiu debitum, ſed multa varietate temporum interruptum, officium cumulatè reddidi. Neque mehercule umquam mihi tui, aut colendi, aut ornandi voluntas defuit: ſed quædam peſtes hominum, laude aliena dolentium, & te nonnumquam à me alienarunt, & me aliquando immutarunt tibi. Sed exſtitit tempus optatum mihi magis, quàm ſperatum, ut, florentiſſimis tuis rebus, mea perſpici poſſet, & memoria noſtræ voluntatis, & amicitiæ fides. Sum enim conſecutus, non modò ut domus tua tota, ſed ut cuncta civitas me tibi amiciſſimum eſſe cognoſceret. Itaque & præſtantiſſima omnium fæminarum, uxor tua, & eximia pietate, virtute, gratia, tui Craſſi: meis conſiliis, monitis, ſtudiis, actionibuſque nituntur: & ſenatus populuſque Rom. intelligit, tibi abſenti nihil eſſe tam promtum, aut tam paratum, quàm in omnibus rebus, quæ ad te pertineant, operam, curam, diligentiam, auctoritatem meam. Quæ ſint acta, quæque agantur, domeſticorum tibi litteris declarari puto. De me ſic exiſtimes, ac tibi perſuadeas vehementer velim, non me repentina aliqua voluntate, aut fortuitò, ad tuam amplitudinem meis officiis amplectendam incidiſſe: ſed, ut primùm forum attigerim, ſpectaſſe ſemper, ut tibi poſſem quàm maximè eſſe conjunctus. Quo quidem ex tempore, memoria teneo neque meam tibi obſervantiam, neque mihi tuam ſummam benivolentiam, ac liberalitatem defuiſſe. [8] Si quæ interciderunt, non tam re, quàm ſuſpicione violata: ea cùm fuerint & falſa & inania, ſint evulſa ex omni memoria, vitaque noſtra. Is enim tu vir es, & eum me eſſe cupio, ut, quoniam in eadem reip. tempora incidimus, conjunctionem, amicitiamque noſtram utrique noſtrûm laudi ſperem fore. Quamobrem

---

1. *Emi eam ipſam domum* xxxv.] Sic voluit prudentiſſimus Victor. ſic nos, quia ſic ſcriptum reperimus in quinque Pall. in primo ac tert. ante numerum nonnihil ſpacii erat relictum, ſignificando aliquid deeſſe. Lamb. ex voluntate Budæi edidit *emi eam ipſam domum tricies quinquies* LLS. porro, *ipſam*, expungitur in Pal. tert. Grut. Stewech.

2. *Si quiſquam recipiat.*] Hoc eſt in quatuor Pall. Grut. Stew. nam Pal. quint. *ſi qui recipiat*, non abſonè: Vatican. *ſi quiſquam me recipiat*. omnes melius quàm vulgò, *ſi quis me recip.*

3. *Omnino ſemiſſibus magna copia eſt.*] Sic Victorius, quia erat in ſuis, quemadmodum eſt in Pall. quatuor, Grut. *omni ſemiſſibus*. quod probavit Hermolaus Barbarus & ſecutus eſt. Jam quia eam ſic reperit Manutius in Thomæ Leonici libro, viſaturque in Vaticano, omnis dubitationis alea tollenda eſt. vulgo: *Homini ſemiſſis magna copia eſt.*

4. *Ut bonum nomen exiſtimer.*] Qui hoc non ceperunt, inculcarunt *nomen adeptus*, contra o. mſſ. ac libros.

5. *S. T. E. Q. V. B. E. E. V.*] Iſtud malui cum Victorio ac Lamb. quam expreſſis verbis. Sed quod mireris, Pall. pr. quart. quint. repræſentant, *Si tibi eſt, quomodo vis, bene eſt:* ex ignoratione ac falſa interpretatione litterarum Capitalium; quippe vult: *Si tu exercituſque valetis, bene eſt ego valeo.*

6. *Quod vererère, ne cujus animum off.*] Ita Victorii editio, Pall. pr. ſec. Grut. Vatic. nam Pall. tert. Stewech. *verere.* vulgò *verebare.*

7. *Fuit, tamen non multo minorem, quàm Lælium facilè & in Rep.*] Scripſi ſic auctoritate Victorii ac Vatic. codicis, nam in omnibus Pall. & Grut. *me*, non *tamen*; ſed *Lælium* non *Lælius* iidem omnes: ceterum *tibi* ex eorundem omnium conſenſu ejeci.

8. *Si quæ interciderunt non tam re, quàm ſuſpicione violata.*] Sic Pall. pr. quart. quint. Vatic. Victorii editio. vulgo: *Si qua interc. n. t. re q. ſuſp. violenta.*

1. *Sanctiſ-*

obrem tu, quantum tuo judicio tribuendum eſſe nobis, putes, ſtatues ipſe: ut ſpero, ſtatues ex noſtra dignitate. Ego verò tibi profiteor atque polliceor eximium, & ſingulare meum ſtudium in omni genere officii, quod ad honeſtatem, & gloriam tuam ſpectet. in quo, etiamſi multi mecum contendent, tamen cùm reliquis omnibus, tum Craſſis tuis judicibus, omneis facile ſuperabo: quos quidem ego ambo unicè diligo: ſed in Marco benivolentia impari. hoc magis ſum Publio deditus, quod me, quamquam à pueritia ſua ſemper, tamen hoc tempore maximè, ſicut alterum parentem, & obſervat, & diligit. Has litteras velim exiſtimes fœderis habituras eſſe vim, non epiſtolæ, meque ea, quæ tibi promitto ac recipio, [1] ſanctiſſimè eſſe obſervaturum, diligentiſſimeque eſſe facturum. Quæ à me ſuſcepta defenſio eſt, te abſente, dignitatis tuæ: in ea jam ego, non ſolum amicitiæ noſtræ, ſed etiam conſtantiæ meæ cauſa, permanebo. Quamobrem ſatis eſſe hoc tempore arbitratus ſum, hoc ad te ſcribere: me, ſi quid ipſe intelligerem, aut ad voluntatem, aut ad commodum, aut ad amplitudinem tuam pertinere, mea ſponte id eſſe facturum: ſin autem quippiam aut à te eſſem admonitus, aut à tuis: effecturum, ut intelligeres, nihil neque te ſcripſiſſe, neque quemquam tuorum fruſtrà ad me detuliſſe. Quamobrem velim ita & ipſe ad me ſcribas de omnibus minimis, maximis, mediocribuſque rebus, ut ad hominem amiciſſimum: & tuis præcipias, ut opera, conſilio, auctoritate, gratia mea ſic utantur in omnibus, publicis, privatis, forenſibus, domeſticis, tuis, amicorum, hoſpitum, clientium tuorum negotiis: ut, quoad ejus fieri poſſit, præſentiæ tuæ deſiderium meo labore minuatur. Vale.

9 [2] VATINIUS IMP. CICERONI SUO S. D.

S. V. B. E. E. V. Si tuam conſuetudinem in patrociniis tuendis ſervas [3] P. Vatinius cliens advenit, qui pro ſe cauſam dicier vult. Non, puto, repudiabis in honore, quem in periculo recepiſti. Ego autem, quem potiùs adoptem, aut invocem, quàm illum, quo defendente, vincere didici? An verear, ne, qui potentiſſimorum hominum conſpirationem neglexerit pro mea ſalute, is pro honore meo, puſillorum ac malivolorum obtrectationes & invidias non proſternat, atque obterat? Quare, ſi me, ſicut ſoles, amas, ſuſcipe me me totum: atque hoc, quidquid eſt oneris ac muneris, pro mea dignitate tibi tuendum ac ſuſtinendum puta. Scis meam fortunam, neſcio quomodo, facilè obtrectatores invenire, non meo quidem, mehercules, merito: ſed quanti id refert, ſi tamen fato neſcio quo accidit? Si quis fortè fuerit, qui noſtræ dignitati obeſſe velit, peto à te, ut tuam conſuetudinem, & liberalitatem in me abſente defendendo mihi præſtes. Litteras ad ſenatum de rebus noſtris geſtis, quo exemplo miſeram, infra tibi perſcripſi. Dicitur mihi tuus ſervus anagnoſtes fugitivus cum Vardæis eſſe: de quo tu mihi nihil mandaſti: ego tamen terra marique ut conquireretur, præmandavi: & profectò tibi illum reperiam, niſi ſi in Dalmatiam aufugerit: & inde tamen aliquando eruam. Tu nos fac ames. Vale. Ad V. Idus Quintileis, ex caſtris, Narona.

10 P. VATINIUS CICERONI SUO, S. D.

S. V. B. E. E. Q. V. De Dionyſio tuo adhuc nihil extrico: & eo minùs, quòd me frigus Dalmaticum, quod illinc ejecit, etiam hìc refrigeravit. Sed tamen non deſiſtam, quin illum aliquando eruam. Sed tamen omnia mihi dura imperas. De Catilio neſcio quid ad me ſcripſiſti deprecationis diligentiſſimæ. Apage te cum noſtro Sexto Servilio. nam mehercule ego illum quoque amo. ſed hujuſmodi vos clienteis, hujuſmodi cauſas recipitis? hominem unum omnium crudeliſſimum, qui tot ingenuos, matresfamiliàs, civeis R. occidit, arripuit, diſperdidit, regiones vaſtavit? [4] Simius non ſemiſſis homo contra me arma tulit, & eum bello cepi. Sed tamen, mi Cicero, quid facere poſſum? Omnia, mehercule, cupio, quæ tu mî imperas. Meam animadverſionem, & ſupplicium, quo uſurus eram in eum, quem cepiſſem, remitto tibi, & condono. Quid illis reſpondere poſſum, qui ſua bona direpta, naveis expugnatas, fratres, liberos, parenteis occiſos, actione expoſtulant? Si mehercules Appii os haberem, in cujus locum ſuffectus ſum, tamen hoc ſuſtinere non poſſem. Quid ergo eſt? Faciam omnia ſedulò, quæ te ſciam velle. Defenditur à Q. Voluſio, tuo diſcipulo: ſi fortè ea res poterit adverſarios fugare. in eo maxima ſpes eſt. Nos, ſi quid erit iſtic opus, defendes. Cæſar adhuc mihi injuriam facit: de meis ſupplicationibus, & rebus geſtis Dalmaticis adhuc non refert: quaſi verò non juſtiſſimi triumphi in Dalmatia res geſſerim. Nam ſi hoc exſpectandum eſt, dum totum bellum conficiam: viginti oppida ſunt Dalmatiæ antiqua: quæ ipſi ſibi aſciverunt, ampliùs ſexaginta. hæc niſi omnia expugno, ſi mihi ſupplicationes non decernuntur, longè alia conditione ego ſum, ac ceteri imperatores. Ego poſt ſupplicationes mihi decretas, in Dalmatiam profectus ſum: ſex oppida vi oppugnando cepi: unum hoc, quod erat maximum, quater à me jam captum. quattuor enim turreis, & quattuor muros cepi, & arcem eorum totam: ex qua me nives, frigora, imbres detruſerunt: indigneque mi Cicero, oppidum captum, & bellum jam confectum relinquere ſum coactus. Quare te rogo, ſi opus erit, ad Cæſarem meam cauſam agas, meque tibi in omnis partis defendendum putes: hoc exiſtimans, neminem te tui amantiorem habere. Vale Data non. Decembribus, Narona.

M. T. C. P. VATINIO, IMPERATORI, S. D. 11

GRATA tibi mea eſſe officia non miror. cognovi enim te gratiſſimum omnium: idque numquam deſtiti prædicare. nec enim tu mihi habuiſti modò gratiam, verum etiam cumulatiſſimè retuliſti. Quamobrem reliquis tuis rebus omnibus, pari me ſtudio erga te, & eadem voluntate cognoſces. Quòd mihi fœminam primariam, Pompejam, uxorem tuam, commendas: cum Sura noſtro ſtatim tuis litteris lectis locutus ſum, ut ei meis verbis diceret, ut, quidquid opus eſſet, mihi denuntiaret: me omnia, quæ ea vellet, ſummo ſtudio curaque facturum: itaque faciam, eamque, ſi opus eſſe videbitur, ipſe conveniam. Tu tamen ei velim ſcribas, ut nullam rem, neque tam magnam, neque tam parvam putet, quæ mihi aut difficilis, aut parum me digna videatur. Omnia, quæ in tuis rebus agam, & non laborioſa mihi & honeſta videbuntur. De Dionyſio, ſi me amas, confice. quamcumque ei fidem dederis, præſtabo. Si verò improbus fuerit, ut eſt: [5] duces eum captivum in triumpho. Dalmatis dii malè faciant, qui tibi moleſti ſunt. Sed, ut ſcribis, brevi capientur, & illuſtrabunt res tuas geſtas. ſemper enim habiti ſunt bellicoſi. Vale.

M. C.

1. *Sanctiſſimè eſſe obſervaturum, diligentiſſimeque eſſe facturum.*] Sic Pall. pr. ſec. quint. Vatic. Grut. editio Victorii: nec tamen diſplicet Pal. quart. & Stewech. ſcriptura: *ſanctiſſime obſervaturum diligentiſſimeque eſſe fact.*

2. VATINIUS IMP. CICERONI SUO.] Ita concipitur inſcriptio in Pal. ſec. tert. quart. Gruteriano, Stewech. nam Pal. pr. quint. etiam illud IMP. exſtinguunt. vulgò prænominibus augent P. VATINIUS IMP. M. CICERONI.

3. *P. Vatinius cliens advenit.*] Sic eſt in editione Victorii, Pall. quatuor, Grut. Stewech. at quint. ſimplicius *cliens venit.* vulgò, *ad te venit.* paullò poſt Lambinus legit *qui pro ſe cauſam dicere vult*, quam lectionem in Pal. quart. reperi. vulgata ſe omnium ceterorum auctoritate tuetur: & ipſa ratione; quidquid dicat Dionyſius aut alii pro illo.

4. *Simius non ſemiſſis homo.*] Sic Victorius & eum ſecutus Lamb. reperiturque in Vaticano; nec divortit longius Pal. pr. *Simius non ſemiſſis homo.* reliqui vel *ſi minus non ſervus ſit.* vel *ſi minus non ſervus ſit homo*; vel etiam aliter; quod non operæ pretium eſt adnotare. vulgò, *ſimul vero ſemiſſis homo.* paullo ante Pall. omnes, Grut. Stewech. *qui tot ingenuas; &c.*

5. *Duces eum captivum in triumpho.*] Quis non animadverſione dignam deputet ſcripturam Pall. pr. quint. *duces eum in triumpho captum*: interim quoque Pall. ſec. tert. Grut. Stewech. *captum*, non ut vulgatum *captivum*.

12 M. C. S. D. L. LUCCEIO, Q. FILIO.

CORAM me tecum eadem hæc agere ſæpe conantem deterruit pudor quidem, penè ſubruſticus: [1] quæ nunc expromam abſens audacius. EPISTOLA ENIM NON ERUBESCIT. Ardeo cupiditate incredibili, neque, ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut noſtrum ſcriptis illuſtretur & celebretur tuis, quod etſi mihi ſæpe oſtendis te eſſe facturum: tamen ignoſcas velim huic feſtinationi meæ. Genus enim ſcriptorum tuorum, etſi erat ſemper à me vehementer exſpectatum, tamen vicit opinionem meam, meque ita vel cepit, vel incendit, ut cuperem quàm celerrimè res noſtras monumentis commendari tuis. Neque enim me ſolum commemoratio poſteritatis ad ſpem quandam immortalitatis rapit: ſed etiam illa cupiditas, ut vel auctoritate teſtimonii tui, vel indicio benivolentiæ, vel ſuavitate ingenii, vivi perfruamur. Neque tamen, hæc cum ſcribebam, eram neſcius, quantis oneribus premerere ſuſceptarum rerum, & jam inſtitutarum: ſed quia videbam, Italici belli & civilis hiſtoriam jam à te penè eſſe perfectam: dixeras autem mihi, te reliquas res ordiri: deeſſe mihi nolui, quin te admonerem, ut cogitares, conjunctene malles cum reliquis rebus noſtra contexere, an, ut multi Græci fecerunt, Calliſthenes Troicum bellum, Timæus Pyrrhi, Polybius Numantinum: qui omnes à perpetuis ſuis hiſtoriis ea, quæ dixi, bella ſeparaverunt: tu quoque item civilem conjurationem ab hoſtilibus externiſque bellis ſejungeres. Equidem ad noſtram laudem non multùm video intereſſe: ſed ad properationem meam quiddam intereſt, non te exſpectare, dum ad locum venias: ac ſtatim cauſam illam totam, & tempus arripere. Et ſimul, ſi uno in argumento, unaque in perſona mens tua tota verſabitur: cerno jam animo, quanto omnia uberiora, atque ornatiora futura ſint. Neque tamen ignoro, quam impudenter faciam, qui primùm tibi tantum oneris imponam, (poteſt enim mihi denegare occupatio tua) deinde etiam, ut ornes me, poſtulem. Quid ſi illa tibi non tantopere videntur ornanda? Sed tamen, QUI SEMEL verecundiæ fineis tranſierit, eum bene & naviter oportet eſſe impudentem. Itaque te planè etiam atque etiam rogo, ut & ornes ea vehementiùs etiam, quàm fortaſſe ſentis, & in eo leges hiſtoriæ negligas: gratiamque illam, de qua ſuaviſſimè quodam in prooemio ſcripſiſti, [2] à qua te affici non magis potuiſſe demonſtras, quam Herculem Xenophontium illum à voluptate: ea ſi me tibi vehementiùs commendabit, ne aſpernere: amorique noſtro pluſculum etiam, quàm concedet veritas, largiare. Quòd ſi te adducemus, ut hoc ſuſcipias: erit, (mihi perſuadeo) materies digna facultate, & copia tua. A principio enim conjurationis uſque ad reditum noſtrum videtur mihi modicum quoddam corpus confici poſſe: in quo & illa poteris uti civilium commutationum ſcientia, vel in explicandis cauſis rerum novarum, vel in remediis incommodorum, cùm & reprehendes ea, quæ vituperanda duces: &, quæ placebunt, exponendis rationibus comprobabis, & ſi liberiùs, ut conſueſti, agendum putabis, multorum in nos perfidiam, inſidias, proditionem notabis. Multam etiam caſus noſtri tibi varietatem in ſcribendo ſuppeditabunt, plenam cujuſdam voluptatis, quæ vehementer animos hominum in legendo ſcripto retinere poſſit. Nihil eſt enim aptius ad delectationem lectoris, quam temporum varietates, fortunæque viciſſitudines: quæ etſi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt jucundæ. HABET ENIM PRÆTERITI doloris ſecura recordatio delectationem. Ceteris verò nulla perfunctis propria moleſtia; caſus autem alienos ſine ullo dolore intuentibus, etiam ipſa miſericordia eſt jucunda. Quem enim noſtrûm ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miſeratione delectat? qui tum denique ſibi avelli jubet ſpiculum, poſtea quàm ei percontanti dictum eſt, clypeum eſſe ſalvum: ut etiam in vulneris dolore æquo animo cum laude moreretur. Cujus ſtudium in legendo non [3] erectum Themiſtocli fuga, redituque retinetur? Etenim ordo ipſe annalium mediocriter nos retinet, quaſi enumeratione faſtorum. At viri ſæpè excellentis ancipites, variique caſus habent admirationem, exſpectationem, lætitiam, moleſtiam, ſpem, timorem. ſi verò exitu notabili concluduntur: expletur animus jucundiſſima lectionis voluptate. Quo mihi acciderit optatius, ſi in hac ſententia fueris, ut à continentibus tuis ſcriptis, in quibus perpetuam rerum geſtarum hiſtoriam complecteris, ſecernas hanc quaſi fabulam rerum, eventorumque noſtrorum. Habet enim varios actus, multaſque actiones & conſiliorum, & temporum. Ac non vereor, ne aſſentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar, cum hoc demonſtrem, me à te potiſſimùm ornari celebrarique velle. Neque enim tu is es, [4] qui, quid ſis, neſcias: & qui non eos magis, qui te non admirentur, invidos, quàm eos, qui laudent, aſſentatores arbitrere. Neque autem ego ſum ita demens, ut me ſempiternæ gloriæ per eum commendari velim, qui non ipſe quoque in me commendando propriam ingenii gloriam conſequatur. Neque enim Alexander ille, gratiæ cauſa ab Apelle potiſſimum pingi, & à Lyſippo fingi volebat: ſed quòd illorum artem cùm ipſis, tum etiam ſibi gloriæ fore putabat. Atque illi artifices, corporis ſimulacra ignotis nota faciebant: quæ vel ſi nulla ſint, [5] nihilo ſint tamen obſcuriores clari viri. Nec minùs eſt Spartiates Ageſilaus ille perhibendus, qui neque pictam, neque fictam imaginem ſuam paſſus eſt eſſe, quàm qui in eo genere laborarunt. unus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando facilè omneis imagines omnium, ſtatuaſque ſuperavit. Atque hoc præſtantius mihi fuerit & ad lætitiam animi, & ad memoriæ dignitatem, ſi in tua ſcripta pervenero, quàm ſi in ceterorum, quod non ingenium mihi ſolum ſuppeditatum fuerit tuum,

---

1. *Quæ nunc expromam abſens audacius.*] Sic o. Pall. Grut. Stewech. Peck. editio princeps ac Victorii, ſubſtituerunt *exponam*, cauſam addidiſſe debebant.

2. *A qua te affici non magis potuiſſe demonſtras.*] Eſt ita in omnibus fere libris tam calamo exaratis, quam impreſſis, niſi quod in Pall. tert. quint. *& quâ te affici.* Victorius ex conjectura *flecti*, unde alii *deflecti.* ante omnes, Egnatius, *allici.* nos tot librorum conſenſum conjecturæ prætulimus: quamquam eandem confirmet Vaticanus.

3. *Erectum Themiſtocli fugâ redituque retinetur.*] Non habent *Themiſtocli* Pall. ſec. tert. quart. Mediceus, Vatic. editio Victorii. pro *erectum* verò Pall. ſec. quart. *ereptum*: quint. *rectum.* Stewech. *erecta*: unde Gulielm. *Erechtei*; quod non probo: deinde *tenetur* non *retinetur* agnoſcit idem Stewech. ac Pall. quint. Grut.

4. *Qui quid ſis neſcias.*] Commendat hanc lectionem ipſa veritas, quam ſecutus quoque ſunt Victorius ac Manutius. Lambinus tamen ait in omnibus editis haberi *quicquid ſcis neſcias*, adſtructumque eam ibat Gulielmius ex Milite Plautina. ſequi tamen ſe malle teſtatur Lamb. quod in nonnullis mſſ. reperiſſet *quiqui ſis neſcias.* Pall. prim. ſec. quart. quint. item prima editio præferunt, *tu is es, qui ſis neſcius*: Pal. tert. Grut. *qui ſcis neſcius.* in Mediceo fuiſſe notat Egnatius, *Neque enim tu es is quid neſcias.* architectetur quod cuilibet optimum videtur, mihi edita eſt omnium integerrima.

5. *Nihilo ſint tamen obſcuriores clari viri.*] Puſilla (fateor) emendatio, ſed tamen magnam & vim & clarorem tali ſententiæ refundens. Alii libri o. *ſunt* præter Pall. prim. quint. Vatic. editionem Victorii. Paullo ante legebat Henricus Stephanus *ſimulacra ex ignotis nota faciebant*, male, ſi non peſſimè; nam omnes illius emendationes abſque libris tales ſunt: ita mihi nulla unquam palatum commovit. Paullo poſt, *Nec minus es Spartiates*, legunt omnes mſſ. & Victorii editio. Prima tamen & Pal. tert. *Nec minus enim eſt Spartiates.* at Pal. quart. *prohibendus* vitiosè pro *perhibendus.* Iterum paucis interjacentibus verbis recepi probatiſſimam lectionem ex Palatino primo, numquam ſatis deprædicandæ bonitatis, *omnes imagines omnium ſtatuaſque ſuperavit*; cum eam quoque ex ſuis aſſeruerit Victorius, reperiaturque in Vaticano, nec alieni ſint Pall. tert. quint. *omnes imagines hominum omneſque ſtatuas ſuperavit.* Vulgò pro *omnium* agnoſcant *hominum*, nimis languidè ad noſtra.

1. *Itaque*

tuum, ſicut Timoleonti à Timæo, aut ab Herodoto Themiſtocli, ſed etiam auctoritas clariſſimi & ſpectatiſſimi viri, & in reipub. maximis graviſſimiſque cauſis cogniti, atque in primis probati: ut mihi non ſolùm præconium, quòd, cùm in Sigæum veniſſet Alexander, ab Homero Achilli tributum eſſe dixit: ſed etiam grave teſtimonium impertitum clari hominis, magnique videatur. Placet enim Hector ille mihi Nævianus, qui non tantùm laudari ſe lætatur: ſed addit etiam, A LAUDATO VIRO. Quòd ſi à te non impetro, hoc eſt, ſi quæ te res impedierit (neque enim fas eſſe arbitror, quidquam me rogantem, abs te non impetrare) cogar fortaſſe facere, quod nonnulli ſæpe reprehendunt. ſcribam ipſe de me: multorum tamen exemplo, & clarorum virorum. Sed, quod te non fugit, hæc ſunt in hoc genere vitia. & verecundiùs ipſi de ſeſe ſcribant, neceſſe eſt, ſi quid eſt laudandum: & prætereant, ſi quid reprehendendum eſt. Accedit etiam, ut minor ſit fides, minor auctoritas, multi denique reprehendant: & dicant, verecundiores eſſe præcones ludorum gymnicorum, qui cùm ceteris coronas impoſuerint victoribus, eorumque nomina magna voce pronuntiarint, cùm ipſi ante ludorum miſſionem corona donentur, alium præconem adhibeant, ne ſua voce ipſi ſe victores eſſe prædicent. Hæc nos vitare cupimus: & ſi recipis cauſam noſtram, vitabimus: idque ut facias, rogamus. Ac, ne fortè mirere, cur cùm mihi ſæpe oſtenderis, te accuratiſſimè noſtrorum temporum conſilia, atque eventus litteris mandaturum, à te id nunc tanto opere, & tam multis verbis petamus: illa nos cupiditas incendit, de qua initiò ſcripſi, feſtinationis, quòd alacres animo ſumus: ut & ceteri, viventibus nobis, ex litteris tuis nos cognoſcant, & noſmetipſi vivi gloriola noſtra perfruamur. His de rebus, quid acturus ſis, ſi tibi non eſt moleſtum, reſcribas mihi velim. Si enim ſuſcipis cauſam, conficiam commentarios rerum omnium. Sin autem differs me in tempus aliud: coràm tecum loquar. tu intereà non ceſſabis, & ea quæ habes inſtituta, perpolies, noſque diliges. Vale.

13 M.C. S.D. L. LUCCEIO Q.F.

QUAMQUAM ipſa conſolatio litterarum tuarum mihi gratiſſima eſt: declarat enim ſummam benivolentiam conjunctam pari prudentia: tamen illum fructum ex iis litteris vel maximum cepi, quòd te præclarè res humanas contemnentem, & optimè contra fortunam paratum armatumque cognovi. Quam quidem laudem ſapientiæ, ſtatuo eſſe maximam, non aliunde pendere, nec extrinſecus aut bene aut malè vivendi ſuſpenſas habere rationes. Quæ cogitatio, cùm mihi non omnino excidiſſet (etenim penitus inſederat) vi tamen tempeſtatum, & concurſu calamitatum erat aliquantum labefactata, atque convulſa: cui te opitulari & video, & id feciſſe etiam proximis litteris, multumque profeciſſe ſentio. Itaque hoc ſæpius dicendum, tibique non ſignificandum ſolùm, ſed etiam declarandum arbitror: nihil mihi eſſe potuiſſe tuis litteris gratius. Ad conſolandum autem cùm illa valent, quæ eleganter copioſeque collegiſti, tum nihil plus, quàm quòd firmitudinem gravitatemque animi tui perſpexi: quàm non imitari turpiſſimum exiſtimo. [1] Itaque hoc etiam fortiorem me puto, quàm teipſum, præceptorem fortitudinis, quòd tu mihi videre ſpem nonnullam habere, hæc aliquando futura meliora. Caſus enim gladiatorii, ſimilitudineſque eæ, tum rationes in ea diſputatione à te collectæ, vetabant me reipub. penitus diffidere. Itaque alterum minùs mirum, fortiorem te eſſe, cum aliquid ſperes: alterum mirum, ſpe ulla teneri. Quid eſt enim non ita affectum, ut id non deletum, extinctumque eſſe fateare? Circumſpice omnia membra reipub. quæ notiſſima ſunt tibi, nullum reperies profectò, quod non fractum debilitatumve ſit. quæ perſequerer, ſi aut meliùs ea viderem, quàm tu vides: aut commemorare poſſem ſine dolore: quamquam tuis monitis, præceptiſque omnis eſt abjiciendus dolor. Ergo & domeſtica feremus, ut cenſes. & publica paulo etiam fortiùs fortaſſe, quàm tu ipſe, qui præcipis. Te enim ſpes aliqua conſolatur, ut ſcribis: nos autem [2] erimus etiam in omnibus deſperatione fortes, ut tu tamen idem & hortaris, & præcipis. Das enim mihi jucundas recordationes conſcientiæ noſtræ, rerumque earum, quas te in primis auctore, geſſimus. Præſtitimus enim patriæ non minùs certè, quam debuimus: plus profectò, quam eſt ab animo cujuſquam, aut conſilio hominis poſtulatum. Ignoſces mihi de meipſo aliquid prædicanti. quarum enim tu rerum cogitatione nos levare ægritudine voluiſti, earum etiam commemoratione lenimur. Itaque, ut mones, quantum potero, me ab omnibus moleſtiis & angoribus abducam. transferamque animum ad ea, quibus ſecundæ res ornantur, adverſæ adjuvantur: tecumque & ero tantum, quantum patietur utriuſque ætas & valitudo: &, ſi eſſe una minùs poterimus, quàm volumus. animorum tamen conjunctione, iiſdem ſtudiis ita fruemur, ut numquam non unà eſſe videamur.

L. LUCCEIUS, Q.F. S.D. M.T.C. M.F. 14

SI vales, bene eſt: valeo, ſicut ſoleo: paullulo tamen etiam deteriùs, quàm ſoleo. Te requiſivi ſæpius, ut viderem. Romæ quia poſtea [3] non fuiſti, quàm diſceſſerat, miratus ſum. quod item nunc miror. Non habeo certum, quæ te res hinc maximè retrahat. Si ſolitudine delectare, cùm ſcribas, & aliquid agas eorum, quorum conſueſti, gaudeo: neque reprehendo tuum conſilium. nam nihil iſto poteſt eſſe jucundius, non modò miſeris his temporibus, & luctuoſis, ſed etiam tranquillis, & optatis: præſertim vel animo defatigato tuo, [4] qui nunc requietem quærit ex magnis occupationibus: vel erudito, qui ſemper aliquid ex ſe promat, quod alios delectet, ipſum laudibus illuſtret. Sin autem, ſicut hic dum eras, lacrymis ac triſtitiæ te tradidiſti: doleo, quia doles, & angere: non poſſum te non, ſi concedis, quod ſentimus, ut liberius dicamus, accuſare. Quid enim? tu ſolus aperta non videbis, qui propter acumen occultiſſima perſpicis? tu non intelliges, te querelis quotidianis nihil proficere? non intelliges duplicari ſollicitudines, quas elevare tua te prudentia poſtulat? Quòd ſi non poſſumus aliquid proficere ſuadendo: gratia contendimus, & rogando, ſi quid noſtra cauſa vis, ut iſtis te moleſtiis laxes, & ad convictum noſtrum redeas, & ad conſuetudinem, vel noſtram communem, vel tuam ſolius, ac propriam. Cupio non obtundere te, ſi non delectare noſtro

1. *Itaque hoc etiam fortiorem me puto.*] Urſinus ex aliquo vetere malebat; *Atque hoc fortiorem*: quod in nullo noſtrorum comparet, & habet ille mirabiles libros, ut omnino cum Grutero noſtro exiſtimem cum plurima domi confinxiſſe quæ deinde alii, ipſo ignaro, nobis obtruſerunt tanquam veterum exemplarium variantes lectiones. hoc ſemel dictum ſit, ne quis ignoret tanti ejus à me emendationes & animadverſiones haberi, cum præteriero.

2. *Erimus etiam in omnibus deſperatione fortes.*] Vulgò, *in omni deſperatione f.* cum alius codex præ ſe ferat, *in omnium deſperatione fort.* ſed noſtra omninò melior, quem accepimus ex Pall. pr. tert. quint. Gruter. Vatic. videturque ideo hæc lectio immutata, quia non cuivis pueto plana & obvia: ſed non ſic *itur in alta*.

3. *Non fuiſti quàm diſceſſerat.*] Adſtipulantur quidem omnes Pall. vulgatæ lectioni *quàm à me diſceſſeras*; ſed tamen verior omninò eſt noſtra quam acceptam referimus Victorio ac Vaticano; ſubintelligitur (ut etiam recte notavit Lambinus) Cæſar, cujus nomen ſubticeri ſolebat; conſulantur epiſtolæ ad T. Pomponium; ſic lib. IX. ep. 6. & 17.

4. *Qui nunc requietem quærit.*] Sic edidit ex Mediceo Victorius: neque diſſentit Vaticanus. in noſtris omnibus reſidet vulgaris lectio *requiem*. ſic paullo poſt ex Pall. prim. quint. Vaticano lego: *non poſſum te non, ſi concedis, ut liberius dicamus, accuſare.* ceteri corrupti fere ſunt, ſtabiliuntque nonnihil hanc noſtram, ſi erroris cauſam altius perſequaris: vulgò *nec poſſum te, ſi conc. ut l. d. non accuſare.* paulo poſt pro *elevare* Gulielmius in duobus ſuis libris invenit *alleviare*. ſequentibus non longe intervallo, ex Pal. ſec antiquiſſimo codice lubenter legerim: *& convictum noſtrum reddas, & conſuetudinem vel n.* unica enim litera minus (quod ei familiare cum duplicantur eædem) *redas*: non inconcinne, & puto verius quam eſt in vulgatis.

noſtro ſtudio : cupio deterrere, ne permaneas in incepto, cùm duæ res iſtæ contrariæ me conturbent : ex quibus, aut in altera mihi velim, ſi potes, obtemperes : aut in altera non offendas. Vale.

15 M. CICERO, L. LUCCEIO, Q. F. S.

OMNIS amor tuus ex omnibus partibus ſe oſtendit in his litteris, quas à te proximè accepi : non ille quidem mihi ignotus, ſed tamen gratus, & optatus. dicerem, jucundus, niſi id verbum in omne tempus perdidiſſem. neque ob eam unam cauſam, quam tu ſuſpicaris, & in qua me leniſſimis & amantiſſimis verbis utens, re graviter accuſas : ſed quòd, illius tanti vulneris quæ remedia eſſe debebant, ea nulla ſunt. Quid enim? ad amicoſne confugiam? quam multi ſunt? habuimus enim ferè communeis : quorum alii occiderunt : alii neſcio quo pacto obduruerunt. [1] Tecum vivere poſſem, equidem & maximè vellem : vetuſtas, amor, conſuetudo, ſtudia paria, [2] quod vinclum, quaſi deeſt noſtræ conjunctionis. Poſſumuſne igitur eſſe una? nec mehercule intelligo, quid impediat. ſed certè adhuc non fuimus, cùm eſſemus vicini in Tuſculano, in Puteolano. Nam quid dicam in urbe? in qua, cùm forum commune ſit, vicinitas non requiritur. Sed caſu neſcio quo in ea tempora noſtra ætas incidit, ut, cum maximè florere nos oporteret, tum vivere etiam puderet. Quod enim mihi poterat eſſe perfugium, ſpoliato & domeſticis, & forenſibus ornamentis, atque ſolatiis? litteræ, credo, quibus utor aſſidue. Quid enim aliud facere poſſum? ſed neſcio quomodo ipſæ illæ excludere me à portu, & perfugio videntur, & quaſi exprobrare, quod in ea vita maneam, in qua nihil inſit, [3] niſi propagatio miſerrimi temporis. Hìc tu ea me abeſſe urbe miraris, in qua domus nihil delectare poſſit? ſummum ſit odium temporum, hominum, fori, curiæ? Itaque ſic litteris utor, in quibus conſumo omne tempus, non ut ab his medicinam perpetuam, ſed ut exiguam doloris oblivionem petam. Quòd ſi id egiſſemus, ego, atque tu, quod ne in mentem quidem nobis veniebat, propter quotidianos metus, omne tempus unà fuiſſemus : neque me valitudo tua offenderet, neque te mœror meus : quod, quantum fieri poterit, conſequamur. Quid enim eſt utriuſque noſtrûm aptius? Propediem te igitur videbo.

16 M. T. CICERO S. D. TITIO.

ETSI ex omnibus minimè ſum ad te conſolandum accommodatus, quòd tantum ex tuis moleſtiis cepi doloris, ut conſolatione ipſe egerem : tamen, cùm longiùs à ſummi luctus acerbitate meus abeſſet dolor, quàm tuus, ſtatui noſtræ neceſſitudinis eſſe, meæque in te benivolentiæ non tacere [4] tanto in tuo mœrore tamdiu : ſed adhibere aliquam modicam conſolationem quæ levare dolorem tuum poſſet, ſi minùs ſanare potuiſſet. Eſt autem conſolatio pervulgata quidem illa maximè, quam ſemper in ore atque in animo habere debemus, HOMINES NOS UT ESSE meminerimus, ea lege natos, ut omnibus telis fortunæ propoſita ſit vita noſtra : neque eſſe recuſandum, quominùs ea, quâ nati ſumus, conditione vivamus : neve tam graviter eos caſus feramus, quos nullo conſilio vitare poſſimus. eventiſque aliorum memoria repetendis, nihil accidiſſe nobis novi cogitemus. Neque hæ, neque ceteræ conſolationes, quæ ſunt à ſapientiſſimis viris uſurpatæ, [5] memoriæque litteris proditæ, tantum videntur proficere debere, quantum ſtatus ipſe noſtræ civitatis, [6] & hæc perturbatio temporum perditorum : cùm beatiſſimi ſint, qui liberos non ſuſceperunt : minùs autem miſeri, qui his temporibus amiſerunt, quàm ſi eoſdem bona, aut denique aliqua rep. perdidiſſent. Quòd ſi tuum te deſiderium movet, aut ſi tuarum rerum cogitatione mœres : non facilè exhauriri tibi iſtum dolorem poſſe univerſum puto. ſin illa te res cruciat, quæ magis amoris eſt, ut eorum, qui occiderunt, miſerias lugeas : ut ea non dicam, quæ ſæpiſſimè & legi, & audivi, nihil mali eſſe in morte, in qua ſi reſideat ſenſus, immortalitas illa potiùs, quàm mors ducenda ſit : ſin ſit amiſſus, nulla videri miſeria debeat, quæ non ſentiatur : hoc tamen non dubitans confirmare poſſum, ea miſceri, parari, impendere reip. quæ qui reliquerit, nullo modo mihi quidem [7] deceptus eſſe videatur. Quid eſt enim jam non modo pudori, probitati, virtuti, rectis ſtudiis, bonis artibus, ſed omnino libertati, ac ſaluti loci? non, mehercule, quemquam audivi hoc graviſſimo, peſtilentiſſimo anno, adoleſcentulum, aut puerum mortuum, qui mihi non [8] à diis immortalibus exceptus ex his miſeriis, atque ex iniquiſſima conditione vitæ, videretur. Quare, ſi tibi unum hoc detrahi poteſt, nequid iis, quos amaſti, mali putes contigiſſe : permultùm erit ex mœrore tuo diminutum. Relinquetur enim ſimplex illa jam cura doloris tui, quæ non cum illis communicabitur, ſed ad te ipſum propriè referetur : in qua non eſt jam gravitatis ac ſapientiæ tuæ, quam tu à puero præſtitiſti, ferre immoderatiùs caſum incommodorum tuorum, qui ſit ab eorum, quos dilexeris, miſeria maloque ſejunctus. Etenim eum ſemper te, & privatis in rebus, & publicis præſtitiſti, tuenda tibi ut ſit gravitas, & conſtantiæ ſerviendum. Nam, quod allatura eſt ipſa diuturnitas, quæ maximos luctus vetuſtate tollit, [9] id nos præcipere conſilio prudentiaque debemus. Etenim ſi nulla umquam

---

1. *Tecum vivere poſſem, equidem & maxime vellem.*] Hunc locum pænè ſolus intellexit Victorius, ut ex ipſius diſtinctione apparet, quàm & nos expreſſimus. Deeſt enim particula *ſi* vel *utinam* & ſic eſt in Pall. prim. & tertio. nam Pal. ſec. *tecum equidem vivere poſſem, & max. vell.* Lambinus has ſcripturas, quia in ipſius capite non oriebantur, vitioſas proclamat, mavultque ex ſuo ingenio, *Tecum vivere poſſe equidem maxime vellem*; in quem tamen propendet Pal. quart. liber dubiæ fidei; *Tecum vivere poſſem, equidem velle.* Canterus tamen correctum ibat, *Tecum vivere poſſem, equidem maxime vellem.* Pal. quint. *Tecum vivere poſſem, & maximè quidem vellem.* Catullus: *Tecum ludere ſic ut ipſa poſſem.* nam & ibi deeſt, *εὐκτικόν.*

2. *Quod vinclum quaſi deeſt noſtræ conjunctionis.*] Sic eſt in Palat. pr. ac Vatic. denique editione Victorii: niſi quod ille *conjunctioni.* Vulgati libri, *quod vinculum quæ res deeſt.* ſed Pal. ſec. Grut. *id eſt.* ex utraque parte mendoſi. paullò poſt Pall. pr. ſec. tert. *ne mehercule.* quart. *nunc mehercule*, non *nec meherc.* & Pall. ſec. tert. Stew. *impeditat.* legerem ergo: *Ne mehercule intelligo, quid impeditat!* uſitatum enim in re confirmanda ſeveriore, geminare aſſeverationem. Omninò antecedentia ac ſequentia hanc lectionem deſiderant.

3. *Niſi propagatio miſerrimi temporis.*] Non intelligo ſcripturam Palat. ſec. *properatio:* quarti item *propugnatio.* Alii dicant curioſiores, ſemper novare parati: quibus adnotavi.

4. *Tanto in tuo mœrore tamdiu.*] Hæc omnia habet pro gloſſa Gruterus noſter ſicut & illud paullo poſt, *potuiſſet* item *modicam conſolationem*, malletque ſolum legi, *me tacere. ſed adhibere aliqua, quæ levare dolorem tuum poſſent, ſi minus ſanare.* quæ tamen præferunt mſſ. omnes

5. *Memoriæque litteris proditæ.*] Malè vulgo & inſerunt ante *litteris*: nam litteris res memoriæ produntur, beneficio litterarum & ſcientia aut ope. ſic autem legunt o. Pall. Grut. Stewech. Victorii editio.

6. *Et hæc perturbatio temporum perditorum.*] Pall. pr. ſec. tert. quint. ſuperne *probatio*: quod & in Gruteriano erat, ſed correctum poſtea *exprobatio.*

7. *Deceptus eſſe videatur.*] Nihil mutandum: nam in permutatione dicitur decipi; cùm deterius acceperit, meliore amiſſo. videatur Plauti Trinumus. Sic habent omnes Pall. Grut. niſi quod in ſec. *decepto.* frivolum ergo aliorum *direptus* aut *ereptus.*

8. *A diis immortalibus exceptus ex his miſeriis.*] Elegantiſſima eſt hæc Victorii lectio, quem & hîc (ut in omnibus) ſequuti ſumus. Noſtri ferè omnes *ereptus*, quod gloſſam reſipit. tert. *eruptus.* & videtur Pal. quint. habuiſſe quid ſimile, nam raſuram excepit. Paullò poſt pro *ſejunctus*, Pal. quint. *miſeria maloque dejunctus.* puto reponendum *disjunctus* ut ſupra aliquoties.

9. *Id nos præcipere conſilio.*] Sic eſt in editione prima, admonuitque Victorius: invenique hoc verbi in Pall. pr. quint. quorum hic gloſſam habet ad interiorem oram *anticipare.* Hoc verbum & aliis ſcriptoribus reſtituimus in crepundiorum noſtrorum veſtibulo. ceterùm ſtatim ante Pal. ſec. legit, *quæ maximos luctus tollit*, omiſſo *τῷ vetuſtate*, quod ut gloſſam recte etiam advertit Henricus Stephanus lib. 11. Schediaſmatum.

1. Officio

umquam fuit, liberis amiſſis, tam imbecillo mulier animo, quæ non aliquando lugendi modum fecerit: certè nos, quod eſt dies allatura, id conſilio antè ferre debemus: neque exſpectare temporis medicinam, quam repræſentare ratione poſſimus. His ego litteris ſi quid profeciſſem, exiſtimabam optandum quiddam me eſſe aſſecutum: ſin minùs fortè valuiſſent, [1] officio tamen eſſe functurum benivolentiſſimi atque amiciſſimi: quem me tibi & fuiſſe ſemper exiſtimes velim, & futurum eſſe confidas.

17 M. C. S. D. P. SEXTIO, P. F.

NON oblivione amicitiæ noſtræ, neque intermiſſione conſuetudinis meæ, ſuperioribus temporibus ad te nullas litteras miſi, ſed quòd priora tempora in ruinis reip. noſtriſque jacuerunt: poſteriora autem me à ſcribendo, tuis injuſtiſſimis atque acerbiſſimis incommodis, retardarunt. Cum verò & intervallum jam ſatis longum fuiſſet, & tuam virtutem animique magnitudinem diligentiùs eſſem mecum recordatus: non putavi eſſe alienum inſtitutis meis, hæc ad te ſcribere. Ego te, P. Sexti, & primis temporibus illis, quibus in invidiam abſens, & in crimen vocabare, defendi: &, cùm in tui familiariſſimi judicio ac periculo [2] tuum crimen conjungeretur, ut potui accuratiſſimè te tuamque cauſam tutatus ſum: & proximè, recenti adventu meo, cùm rem aliter inſtitutam offendiſſem, ac mihi placuiſſet, ſi affuiſſem: tamen nulla re ſaluti tuæ defui: cumque eo tempore invidia annonæ, inimici non ſolùm tui, verùm etiam amicorum tuorum, iniquitas totius judicii, multaque alia reip. vitia plus quàm cauſa ipſa veritaſque valuiſſent: Publio tuo neque opera, neq; conſilio, neque labore, neque gratia, neque teſtimonio defui. Quamobrem, omnibus officiis amicitiæ, diligenter à me ſanctèque ſervatis, ne hoc quidem prætermittendum eſſe duxi, te ut hortarer, rogaremque, ut & hominem te, & virum eſſe meminiſſes, id eſt, ut & communem, incertumque caſum, quem neque vitare quiſquam noſtrûm, nec præſtare ullo pacto poteſt, ſapienter ferres: & dolori fortiter ac fortunæ reſiſteres: cogitareſque, & in noſtra civitate, & in ceteris, quæ rerum potitæ ſunt, multis fortiſſimis atque optimis viris, injuſtis judiciis, taleis caſus incidiſſe. Illud utinam ne verè ſcriberem, ea te rep. carere, in qua neminem [3] prudentem hominem res ulla delectet. De tuo autem filio, vereor, ne, ſi nihil ad te ſcripſerim, [4] debitum ejus virtuti videar teſtimonium non cepiſſe: ſin autem omnia, quæ ſentio, perſcripſerim: ne refricem meis litteris deſiderium, ac dolorem tuum. Sed tamen prudentiſſimè facies, ſi illius pietatem, virtutem, induſtriam, ubicumque eris, tuam eſſe, tecum eſſe, duces. NEC ENIM MINUS NOSTRA ſunt, quæ animo complectimur, quàm quæ oculis intuemur. Quamobrem & illius eximia virtus, ſummuſque in te amor, magnæ tibi conſolationi debet eſſe: & nos, ceterique, qui te non ex fortuna, ſed ex virtute tua pendimus, ſemperque pendemus: [5] & maximè animi tui conſcientia, cùm tibi nihil meritò accidiſſe reputabis, & illud adjunges, HOMINES ſapienteis turpitudine, non caſu: & delicto ſuo, non aliorum injuria commoveri. Ego, & memoria noſtræ veteris amicitiæ, & virtute atque obſervantia filii tui monitus, nullo loco deero, neque ad conſolandum, neque ad levandum fortunam tuam. Tu, ſi quid ad me fortè ſcripſeris, perficiam ne te fruſtrà ſcripſiſſe arbitrere.

[6] M. CICERO S. D. T. FADIO. 18

ETSI egomet, qui te conſolari cupio, conſolandus ipſe ſum: propterea quòd nullam rem graviùs jamdiu tuli, quàm incommodum tuum: tamen te magnopere non hortor ſolùm, ſed etiam, pro amore noſtro, rogo atque oro, te colligas, virumque præbeas, &, qua conditione omnes homines, &, quibus temporibus nati ſimus, cogites. Plus tibi virtus tua dedit, quàm fortuna abſtulit: Propterea quòd adeptus es, quod non multi homines novi: amiſiſti, quæ plurimi homines nobiliſſimi. Ea denique videtur conditio impendere legum, judiciorum, temporum, ut optimè actum cum eo videatur eſſe, qui quàm leviſſima pœna ab hac rep. diſceſſerit. Tu verò, qui & fortunas, & liberos habeas, & nos ceteroſque neceſſitudine, & benivolentia tecum conjunctiſſimos: cumque magnam facultatem ſis habiturus, nobiſcum, & cum omnibus tuis vivendi: & cùm unum ſit judicium, ex tam multis, quod reprehendatur, ut quod una ſententia, eaque dubia, potentiæ alicujus condonatum exiſtimetur: omnibus his de cauſis debes iſtam moleſtiam quam leniſſimè ferre. Meus animus erit in te, liberoſque tuos ſemper, quem tu eſſe vis, & qui eſſe debet.

CICERO, RUFO. 19

ETSI mihi numquam dubium fuit, quin tibi eſſem cariſſimus: tamen quotidie magis id perſpicio: exſtatque id, quod mihi oſtenderas quibuſdam litteris, hoc te ſtudioſiorem in me colendo fore, quàm in provincia fuiſſes, (etſi, meo judicio, nihil ad tuum provinciale officium addi poteſt) quo liberius judicium eſſe poſſet tuum. Itaque me & ſuperiores litteræ tuæ admodum delectaverunt, quibus & exſpectatum meum adventum abs te amanter videbam, &, cùm aliter res cecidiſſet ac putaſſes, te meo conſilio magnopere eſſe lætatum: & his proximis litteris magnum cepi fructum & judicii, & officii tui: judicii, quòd intelligo, te, id quod omnes fortes ac boni viri facere debent, nihil putare utile eſſe, niſi quod rectum honeſtumque ſit: officii, quòd te mecum, quodcumque cepiſſem conſilii, polliceris fore: quo neque mihi gratius, neque, ut ego arbitror, tibi honeſtius eſſe quidquam poteſt. Mihi conſilium captum jamdiu eſt: de quo ad te, non quo celandus eſſes, nihil ſcripſi anteà, ſed quia communicatio conſilii, tali tempore, quaſi quædam admonitio videtur eſſe officii, vel potius efflagitatio ad coëundam ſocietatem vel periculi, vel laboris. Cum verò ea tua ſit voluntas, humanitas, benivolentia erga me, libenter amplector talem animum: ſed ita (non enim dimittam pudorem in rogando meum) ſi feceris id, quod oſtendis, magnam habebo gratiam: ſi non feceris, ignoſcam: & alterum timori, alterum mihi te negare non potuiſſe arbitrabor. Eſt enim res profectò maxima. quid rectum ſit, apparet: quid expediat, obſcurum eſt: ita tamen, ut, ſi nos ii ſumus, qui eſſe debemus, id eſt, ſtudio digni, & litteris noſtris, dubitare non poſſimus, quin ea maximè conducant, quæ ſunt rectiſſima. Quare tu, ſi ſimul placebit: ſtatim ad me venies. ſin idem placebit, atque eòdem, nec continuò poteris: omnia tibi ut nota ſint, faciam. Quidquid ſtatueris, te mihi amicum: ſin id quod opto, etiam amiciſſimum judicabo.

CICERO

1. *Officio tamen eſſe functurum.*] Sic eſt in Pall. prope omnibus, Grut. Stewech. Peck. alias *functum*, quod Pal. ſec. ſuo loco ignorat planè. ceterum τὸ, *optandum*, ſicut & τὰ, *forte valuiſſent* pro gloſſematibus: oboluerunt Grutero noſtro.

2. *Tuum crimen conjungeretur, ut potui.*] Sic omnes mſſ. ac Victorius: alii tamen *tuum nomen conj. quàm potui.* verùm τὸ *crimen* irreptitium putat eſſe Gulielmius: neque ego diſſentio.

3. *Prudentem hominem res ulla delectet.*] Hoc modo emendarunt docti, cum eſſet in Med. *defectet*, taliſque error & noſtros contigit mſſ. *deferret* ingerentes.

4. *Debitum ejus virtuti videar teſtimonium non cepiſſe.*] Non erat Lambini, jus ac majeſtatem omnibus antiquis codicibus eripere, illiſque proculcatis ſuum *dediſſe* reponere: Tenemus firmiter hoc, ex quinque Pall. Grut. duobus Gulielmii, editionibus omnibus.

5. *Et maximè animi tui conſcientiæ.*] Sic emendavit primus hunc locum Bapt. Egnatius, cum in Mediceo reperiſſet, *& maximè amici tui conſcientiæ*, quod eſt in omnibus noſtris; recepit poſtea Victorius, ſicque exſtat in mſſ. Antverpienſi ac Vaticano. vulgo: *pendemus: maximè etiamſi tua conſcientia.*

6. *T. FADIO.*] Sic eſt in Pal. quint. Vaticano. ſicque edidere Victorius & Lambinus. vulgò *T. Fabio.* malè. Fabii enim nobiliſſimi. hic autem fuit homo novus, ut innuit ipſe Cicero.

1. *Si*

20 CICERO RUFO.

QUo modo potuiſſem, te conveniſſem, ſi eò, quò conſtitueras, venire voluiſſes. Quare etſi mei commodi cauſa commovere me noluiſti, tamen ita exiſtimes velim, me antelaturum fuiſſe, [1] ſi ad me miſiſſes, voluntatem tuam commodo meo. Ad ea, quæ ſcripſiſti, commodiùs equidem poſſem de ſingulis ad te rebus ſcribere, ſi M. Tullius, ſcriba meus, adeſſet: à quo mihi exploratum eſt, in rationibus duntaxat referendis, (de ceteris rebus affirmare non poſſum) nihil eum feciſſe ſcientem, quod eſſet contra aut rem, aut exiſtimationem tuam. dein, ſi rationum referendarum jus vetus, & mos antiquus maneret, me relaturum rationes, niſi tecum pro conjunctione noſtræ neceſſitudinis contuliſſem, confeciſſemque, non fuiſſe. Quod igitur feciſſem ad urbem, ſi conſuetudo priſtina maneret: id, quum lege Julia relinquere rationes in provincia neceſſe erat, eaſdemque totidem verbis referre ad ærarium, feci in provincia. Neque ita feci, ut te ad meum arbitrium adducerem: [2] ſed tribui tibi tantum, quantum me tribuiſſe numquam me pænitebit. totum enim ſcribam meum, quem tibi video nunc eſſe ſuſpectum, tibi tradidi. tu ei M. Mindium, fratrem tuum, adjunxiſti. Rationes confectæ me abſente ſunt tecum: ad quas ego nihil adhibui præter lectionem. Ita accepi librum à meo ſervo ſcriba, ut eundem acceperim à fratre tuo. Si honos is fuit, majorem tibi habere non potui: ſi fides, majorem tibi habui, quàm pænè ipſi mihi. ſi providendum fuit, ne quid aliter, ac tibi & honeſtum & utile eſſet, referretur: non habui, [3] cui potiùs id negotii darem quàm darem. Illud quidem certè factum eſt, quod lex jubebat, ut apud duas civitates, Laodicenſem, & Apameenſem, quæ nobis maximæ videbantur, quoniam ita neceſſe erat, [4] rationes confectas, & conſolidatas deponeremus. Itaque huic loco primùm reſpondeo, me, quamquam juſtis de cauſis rationes deferre properarim, tamen te exſpectaturum fuiſſe, niſi in provincia relictas rationes pro latis haberem. Quamobrem de Voluſio quod ſcribis, non eſt id rationum. docuerunt enim me periti homines: in his cùm omnium peritiſſimus, tum mihi amiciſſimus, C. Camillus, ad Voluſium transferri nomen à Valerio non potuiſſe: ſed prædes Valerianos teneri: neque id erat ſeſtertiis XXX, ut ſcribis, ſed XIX. Erat enim nobis curata pecunia Valerii mancipis nomine: ex qua reliquum quod erat in rationibus, retuli. Sed ſic me & liberalitatis fructu privas, & diligentiæ, & (quod minimè tamen laboro) mediocris etiam prudentiæ. Liberalitatis, quòd mavis ſcribæ mei beneficio, quàm meo, legatum meum, præfectumque Q. Leptam, maxima calamitate levatos: cùm præſertim non deberent eſſe obligati: diligentiæ, quòd exiſtimas de tanto officio meo, tanto etiam periculo nec ſciſſe me quidquam, nec cogitaviſſe: ſcribam, quidquid voluiſſet, cùm id mihi ne recitaviſſet quidem, retuliſſe. prudentiæ, [5] cùm rem à me non inſipienter excogitatam quidem putes. Nam & Voluſii liberandi meum fuit conſilium: &, ut multa tam gravis Valerianis prædibus, ipſique T. Mario depelleretur, a me inita ratio eſt: quam quidem omnes non ſolùm probant, ſed etiam laudant: &, ſi verum ſcire vis, hoc uni ſcribæ meo intellexi non nimiùm placere. Sed ego putavi eſſe viri boni, cùm populus ſuum ſervaret, conſulere fortunis tot vel amicorum, vel civium. [6] Nam de Luceio eſt ita actum, ut auctore Cn. Pompejo, iſta pecunia in fano poneretur. id ego agnovi meo juſſu eſſe factum. qua pecunia Pompejus eſt uſus, [7] ut tua, quam tum depoſuerat Seſtius. Sed hæc ad te nihil intelligo pertinere. Illud me non animadvertiſſe, moleſtè ferrem, ut adſcriberem, te in fano pecuniam juſſu meo depoſuiſſe, niſi iſta pecunia graviſſimis eſſet, certiſſimiſque monumentis teſtata, cui data, quo ſenatuſconſulto, quibus tuis, quibus meis litteris P. Seſtio tradita eſſet. Quæ cùm viderem tot veſtigiis impreſſa, ut in his errari non poſſet: non adſcripſi id, quod tua nihil referebat. Ego tamen adſcripſiſſe mallem, quum id te video deſiderare. Sicut ſcribis tibi id eſſe referendum, idem ipſe ſentio, neque in eo quidquam à meis rationibus diſcrepabunt tuæ. Addes enim tu, meo juſſu: [8] quod ego quidem non addidi: nec cauſa eſt, cur negem: nec, ſi eſſet, & tu nolles, negarem. Nam de HS nongentis millibus, certè ita relatum eſt, ut tu, ſive frater tuus referri voluit. Sed, ſi quid eſt ([9] cùm de logio parum gratioſum eſt) quod ego in rationibus referendis etiam nunc corrigere poſſim: de eo mihi, cùm ſenatuſconſulto non ſum uſus, quid per leges liceat, conſiderandum eſt. [10] te certè in pecunia exacta ita afferre ex meis rationibus relatis non oportuit,

1. *Si ad me miſiſſes.*] Ita eſt in Pal. quinto, Vaticano, Victorii editione: fuiſſetque credo in reliquis, niſi tota hæc epiſtola deeſſet Pal. ſecundo, tertio, Gruteriano, Stewechiano. vulgò *veniſſes*. Principio Epiſtolæ ſcripſi *quomodo* non *quoquo modo*: auctoritate Pall. prim. quart. quint. Vatic. editionum primæ ac Victorianæ.

2. *Sed tribui tibi tantum, quantum me tribuiſſe numquam me pænitebit.*] Auctiores, ſunt pro vocabulo *tibi* Pall. prim. quart. quintus, editioque Victorii: & poſteriore *me*, Vatic. Medicæus atque editio Victoriana.

3. *Cui potius id negotii darem * quàm darem.*] Per nos vacua potius ſit hæc Ciceroni lacuna, quam ut impleatur aliorum pluvia ac ſordida aqua: ſic autem eſt in Pal. pr. ac Vaticano. nam Pall. quartus ac prima editio; *cui potius id negotii darem quàm tibi*, ſic & Pal. quint. niſi quod *id negotium*. Lambinus tamen emendat *non habui cui potius id negotii darem. illud q.* vulgo; *cui potius id negotii darem, quam ſcribæ meo*. Unde faciebat H. Stephanus *commendarem* quod non dicam quale ſit. Panthagathus verò referente Urſino; *non habui cui potius id negotii darem quom darem illud, &c.*

4. *Rationes confectas & conſolidatas deponeremus.*] Sic Pal. quint. unus Maffei, omnes denique Lambini. Quid ſit autem *conſolidare rationes*, ſuggerit Aſconius in III. Verrinam; ad verbum *quadrarint*. *Quadrarint* inquiens *ſolida facta fuerint, ut neque plus quidquam, neque minus inveniatur in ſumma. Ubi enim ratio ſine fraude eſt, dicitur: eſt ſexcenta detractis quadringentis quadrari vel ſolida fieri, quin minus aut plus aliquid reperiatur.* Victorius *conſolutas*, ex Med. Pal. pr. *ſolutas*. quart. *conſtatas*, alii *conlatas* vel *conſignatas* habent.

5. *Cum rem à me non inſipienter excogitatam, ne cogitatam quidem putes.*] Libuit amplecti emendationem Victorii tanto opere laudatam ac probatam Lambino, eo magis, quòd cum Medicæo codice congruant Pall. tres. Veneta editio princeps; *cum rem à me non inſipienter excogitata quidem putes*. Veneti deinde ediderunt; *cum rem a me non inſipienter quidem cogitatam putes*. Vulgata tamen lectio etiam Lambino tolerabilis videbatur, *cùm rem à me non inſipienter actam, ne cogitatam quidem putes*.

6. *Nam de Lucejo eſt ita actum.*] Scaliger ad Catullum *lucello*, quod nullibi reperio, & puto verum non eſſe. alii *Lucretio* alii *Logeo*.

7. *Ut tua, quam tum depoſuerat Sextus.*] Sic habet caſtigatiſſimus Pall. primus. quart. *quam tua tamen quam depoſuerat Sext.* quint. *tua tamen quam diſpoſuerat Sextius*. Alii, *quam tum depoſueras ex tuis*.

8. *Quod ego quidem non addidi.*] Eſt è Palat. quinto, Vaticano, editione Victorii; nec longè abeunt reliqui duo, repræſentantes, *quod ego qui non addidi*. Anton. Auguſtinus; *quod ego tunc non addidi*: noſtra omnino melior ac Cicerone dignior, licet eam vel decem Urſini carpant. Vulgò *quod ego nunquam addidi*.

9. *Cum de logio parum gratioſum eſt.*] Mirum agitatus locus, quem compoſitum iit Scaliger, & in eo mirè aliis ſatisfecit, *lucello* pro *logio* reponendo. Nos ut in his Cimmeriis nihil poſt alios cernere poſſumus, ita nihil cupidè, nihil temerariè feciſſe videri volumus. habebat Medicæus: *quom de Logæo parum gaviſum eſt*. Ex quo emendarat Egnatius, *quando de Luceio parum proviſum eſt*. Pal. primus, quem non inferiorem bonitate Medic. experimur, *quomodo de logeo parum gaviſum eſt*: alii: *quando de logio parum gratum eſt*. Alii: *quando de logio parum ratum viſum eſt*: Eligat inde quod quiſque velit: Ego cum Claudiano, navabo operam, ne *eximium ſtimulando vulnus acerbem*.

10. *Te certè in pecunia exacta ita afferre.*] Nullum mihi fore periculum judicavi ſi ſequerer Victorii editionem; & a vulgata una littera diſcederem; illa enim *efferre*. Ceterum Politiani liber; *te pecuniæ exactæ iſta*. cum in Pall. quarto ac quinto reſtet; *te certè in pecuniæ exactæ iſta referre*; nec multum diſſentiant Lambiniani ac Medic. ut notat Egnat. *te certe in pecunia exacta iſta referre*, unde Dionyſius ille nimis libere fecit, *te certè pecuniæ abs te exactæ rationem referre*.

tuit, niſi quid me fallit: ſunt enim alii peritiores. Illud cave dubites, quin ego omnia faciam, quæ intereſſe tua, aut etiam velle te exiſtimem, ſi ullo modo facere poſſim. Quòd ſcribis de beneficiis: ſcito à me & tribunos militareis, & præfectos, & contubernaleis duntaxat meos delatos eſſe. In quo quidem ratio me fefellit. liberum enim mihi tempus ad eos deferendos exiſtimabam dari. poſteà certior ſum factus, triginta diebus deferri neceſſe eſſe, quibus rationes retuliſſem. [1] Sane moleſtè tuli, non illa beneficia tuæ potiùs ambitioni reſervata eſſe, quàm meæ, qui ambitione nihil uterer. De centurionibus tamen, & de tribunorum militarium contubernalibus, res eſt in integro. genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat. Reliquum eſt de H-S centum millibus: de quibus memini mihi à te Myrina litteras eſſe allatas, non mei errati, ſed tui: in quo peccatum videbatur eſſe, ſi modò erat, fratris tui, & Tullii. Sed cùm id corrigi non poſſet, quòd, jam depoſitis rationibus, ex provincia deceſſimus: credo me quidem tibi pro animi mei voluntate, proque ea ſpe facultatum, quam tum habebamus, quàm humaniſſimè potuerim, reſcripſiſſe. Sed neque tum me humanitate litterarum mearum obligatum puto, neque tuam hodie epiſtolam de H-S centum ſic accepiſſe, ut ii accipiunt quibus epiſtolæ per hæc tempora moleſtæ ſunt. Simul illud cogitare debes, me omnem pecuniam, quæ ad me ſalvis legibus perveniſſet, Epheſi apud publicanos depoſuiſſe: id fuiſſe H-S XXII. millia: eam omnem pecuniam Pompejum abſtuliſſe: quod ego ſive æquo animo, ſive iniquo fero: tu de H-S centum æquo animo ferre debes, & exiſtimare eo minùs ad te vel de tuis cibariis, vel de mea liberalitate perveniſſe. Quòd ſi mihi expenſa iſta H-S centum tuliſſes, tamen, quæ tua eſt ſuavitas, quique in me amor, nolles à me hoc tempore æſtimationem accipere. nam numeratum ſi cuperem, non erat. Sed hæc jocatum me putato, ut ego te exiſtimo. Ego tamen, cùm Tullius rure redierit, mittam eum ad te, ſi quid ad rem putabis pertinere. Hanc epiſtolam cur non ſcindi velim, cauſa nulla eſt. Vale.

21 M. T. C. S. D. [2] L. MESCINIO.

GRATÆ mihi tuæ litteræ fuerunt: ex quibus intellexi, quod etiam ſine litteris arbitrabar, te ſumma cupiditate affectum eſſe videndi mei: quod ego ita libenter accipio, ut tamen tibi non concedam. nam tecum eſſe, [3] ita mihi omnia, quæ opto, contingant, ut vehementer velim. [4] Ut enim cùm eſſet major & virorum, & civium bonorum, & jucundorum hominum, & amantium mei copia: tamen erat nemo, quibuſcum eſſem libentiùs quàm tecum: & pauci, quibuſcum eſſem æquè libenter. hoc verò tempore, cùm alii interierint, alii abſint, alii mutati voluntate ſint: unum, medius fidius, tecum diem libentiùs poſuerim, quàm hoc omne tempus cum pleriſque eorum, quibuſcum vivo neceſſariò. Noli enim exiſtimare, mihi ſolitudinem non jucundiorem eſſe, qua tamen ipſa uti non licet, quàm ſermones eorum, qui frequentant domum meam, excepto uno, aut ſummum altero. Itaque utor eodem perfugio, quo tibi utendum cenſeo, litterulis noſtris: præterea conſcientia etiam conſiliorum meorum. Ego enim is ſum, quemadmodum tu facillimè potes exiſtimare, qui nihil umquam mea potiùs, quàm meorum civium cauſa fecerim: cui niſi invidiſſet is, quem tu numquam amaſti: (me enim amabas) & ipſe beatus eſſet, & omnes boni. Ego ſum, [5] qui nullius vim plus valere volui, quàm honeſtum otium: idemque, cùm illa ipſa arma, quæ ſemper timueram, plus poſſe ſenſi, quàm illum conſenſum bonorum, quem ego idem effeceram: quavis tuta conditione pacem accipere malui, quàm viribus cum valentiore pugnare. Sed & hæc, & multa alia coràm brevi tempore licebit. Neque me tamen ulla res alia Romæ tenet, niſi exſpectatio rerum Africanarum. videtur enim mihi res in propinquum adducta diſcrimen. Puto autem mea nonnihil intereſſe: (quamquam id ipſum, quid interſit, non ſanè intelligo:) verumtamen, quicquid illinc nuntiatum ſit, [6] non longè abeſſe à conſiliis amicorum. Eſt enim res jam in eum locum adducta, ut, quamquam multum interſit inter eorum cauſas, qui dimicant, tamen inter victorias non multùm interfuturum putem. Sed planè animus, qui dubiis rebus forſitan fuerit infirmior, deſperatis confirmatus eſt multùm: quem etiam tuæ ſuperiores litteræ confirmarunt: quibus intellexi, quam fortiter injuriam ferres: juvitque me, tibi cùm ſummam humanitatem, tum etiam tuas litteras profuiſſe. Verum enim ſcribam: teneriore mihi animo videbare: ſicut omnes ferè, qui vita ingenua, in beatâ civitate & in liberâ viximus. SED, UT ILLA ſecunda moderatè tulimus: ſic hanc non ſolùm adverſam, ſed funditus everſam fortunam fortiter ferre debemus: ut hoc ſaltem in maximis malis boni conſequamur, UT MORTEM QUAM ETIAM beati contemnere debeamus, propterea quòd nullum ſenſum eſſet habitura, nunc ſic affecti, non modò contemnere debeamus, ſed etiam optare. Tu, ſi me diligis fruere iſto otio, tibique perſuade, [7] PRÆTER CULPAM AC PECCATUM, qua ſemper caruiſti, & carebis, homini accidere nihil poſſe, quod ſit horribile, aut pertimeſcendum. Ego, ſi videbitur rectè fieri poſſe, ad te veniam brevi: ſi quid acciderit, ut mutandum conſilium ſit: te certiorem faciam ſtatim. Tu ita fac cupidus mei videndi ſis, ut iſtinc te ne moveas tam infirma valetudine, niſi ex me priùs quæſieris per litteras, quid te velim facere. Me velim, ut facis, diligas, valitudinique tuæ & tranquillitati animi ſervias.

M. TUL-

1. *Sane moleſtè tuli, non illa beneficia tua potius ambitioni reſervata eſſe, &c.*] Per *ambitionem*, intelligit gratiam & ſtudii demonſtrationem in clientes. Significat ergo ſe facile pati potuiſſe, ut hanc apud delatos gratiam iniret Rufus, quam ipſe deferendo non ſit ſecutus gratiam, ſed morem & veritatem & merita. Illud haud protritum: *qui ambitione nihil uterer.* Sic Plautus Trinummo: *Apage te, amor, non places, nihil te utor. Uti* pro accipere, &c. *Gronov.* de Seſt. pag. 560.

2. L. MESCINIO.] Ita Pal. pr. quint.; & alius vetus codex: nec longè abit Victorius cum ſuo *Meſcino.* vulgo *Meſcinio.*

3. *Ita mihi omnia, quæ opto, contingant.*] Secutus ſum & hic editionem Victorii præeunte tamen Lambino & eamdem in ſuam admittente. vulgò: *Ita mihi commoda omnia, quæ opto, contingant:* cum Pall. pr. ſec. quart. quint. habet Stewech. & Gruterianus; *Ita mihi communia* (quart. quint. *communia mihi, omnia quæ opto.* His omnibus puto melius Pal. tert. *Ita mihi coram omnia, quæ opto, contingant.* Nam inde ſcaturiit illud *communia.* Nam & *commoda* & *communia* additamen eſt, ut etiam poſt Ep. 3. fin. τῷ *omnia* additum eſt in 5.

4. *Ut enim cum eſſet major.*] Licet hic Tulliani iſti Simii reclament, tamen hanc lectionem addicentibus eam omnibus niſi vindicavi Ciceroni noſtro, cui poſt Victorium in his Epiſtolis faſcinum abominor & lividam mentem; plurimum omnium bene fecimus: Sic autem habent Pall. o. Grut. editio prima ac Victorii. Alii *etenim.*

5. *Qui nullius vim plus valere volui.*] Si penes me ſtaret, abjicerem cum Pall. ſecun. illud *plus*, ut minime neceſſarium, ſtaque abſentia plus elegantiæ relicturum. Quod autem legit Lambinus *Ego ſum is, qui, &c.* in nullo Palatinorum codicum reperi, ... quod eandem lectionem ex Stewech. notet Gulielmius.

6. *Non longè abeſſe à conſiliis amicorum.*] Pyrrhonica Lambinum occupavit hæſitatio de verbulo *velim*. at ego idem Stoica conſtantia tollo, ex Pall. omnibus, Gruteriano, Vaticano; editione Victorii; ſicut & paulò ſtatim provocabulum *ipſa.*

7. *Præter culpam ac peccatum, quâ ſemper caruiſti.*] Sic eſt in Pall. quatuor Grut. Vaticano, editione prima ac Victorii Pall. Tert. *culpam ac pænam qua,* male. vulgò, *quo.*

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM AD FAMILIAREIS LIBER SEXTUS,

AD

A. TORQUATUM, ET ALIOS.

1 M. CICERO S. D. A. TORQUATO.

ETſi ea perturbatio eſt omnium rerum, ut ſuæ quemque fortunæ maximè pœniteat: nemoque ſit, [1] quin ubivis, quàm ibi, ubi eſt, eſſe malit: tamen mihi dubium non eſt, quin hoc tempore, bono viro Romæ eſſe miſerrimum ſit. Nam, etſi, quocumque in loco quiſquis eſt, idem eſt ei ſenſus, & eadem acerbitas ex interitu rerum & publicarum, & ſuarum: TAMEN OCULI AUGENT DOLOREM: qui ea, quæ ceteri audiunt, intueri coguntur: nec avertere à miſeriis cogitationem ſinunt. Quare etſi multarum rerum deſiderio te angi neceſſe eſt: tamen illo dolore, quo, maximè te confici audio, quod Romæ non ſis, animum tuum libera. Etſi enim cum magna moleſtia tuos, tuaque deſideras: tamen illa quidem, quæ requiris, ſuum ſtatum tenent: nec meliùs, ſi tu adeſſes, tenerent: nec ſunt ullo in proprio periculo. Nec debes tu, cùm de tuis cogitas, aut præcipuam aliquam fortunam poſtulare, aut communem rècuſare. De te autem ipſo, Torquate, eſt tuum, ſic agitare animo, ut non adhibeas in conſilium cogitationum tuarum deſperationem, aut timorem. Nec enim is, qui in te adhuc injuſtior, quàm tua dignitas poſtulabat, fuit, non magna ſigna dedit animi erga te mitigati. Nec tamen is ipſe, à quo ſalus petitur, habet explicatam aut exploratam rationem ſalutis ſuæ. CUMQUE OMNIUM bellorum exitus incerti ſint: ab altera victoria tibi periculum nullum eſſe perſpicio, quod quidem ſejunctum ſit ab omnium interitu: ab altera te ipſum numquam timuiſſe certò ſcio. Reliquum eſt, ut te id ipſum, quod ego quaſi conſolationis loco pono, maximè excruciet, commune periculum reip. cujus tanti mali, quamvis docti viri multa dicant, tamen vereor, ne conſolatio nulla poſſit vera reperiri, præter illam, quæ tanta eſt, quantum in cujuſque animo roboris eſt, atque nervorum. SI ENIM BENE ſentire, recteque facere, ſatis eſt ad bene beateque vivendum: [2] non vereor, ne eum, qui ſe optimorum conſiliorum conſcientia ſuſtentare poſſit, miſerum eſſe nefas ſit dicere. Nec enim nos arbitror victoriæ præmiis ductos, patriam olim, & liberos, & fortunas reliquiſſe: ſed quoddam nobis officium juſtum, & pium, & [3] debitum reip. noſtræque dignitati videbamur ſequi: nec cùm id faciebamus, tam eramus amentes, ut explorata nobis eſſet victoria. Quare ſi id evenit, quod ingredientibus nobis in cauſam propoſitum fuit accidere poſſe: non debemus ita cadere animis, quaſi aliquid evenerit, quod fieri poſſe numquam putarimus. [4] Simus igitur ea mente, quâ ratio & virtus præſcribit, ut nihil in vita nobis præſtandum, præter culpam, putemus: eaque cùm careamus, omnia humana placatè & moderatè feramus. Atque hæc eò pertinet oratio, ut, perditis rebus omnibus, tamen ipſa virtus ſe ſuſtentare poſſe videatur. Sed, ſi eſt ſpes aliqua rebus communibus, ea tu, quicumque ſtatus eſt futurus, carere non debes. Atque hæc mihi ſcribenti veniebat in mentem, me eum eſſe, cujus tu deſperationem accuſare ſolitus eſſes: quemque auctoritate tua cunctantem & diffidentem excitare. Quo quidem tempore non ego cauſam noſtram, ſed conſilium improbabam. Serò enim nos iis armis adverſari videbam, quæ multo antè confirmata per noſmetipſos erant: dolebamque, pilis & gladiis, non conſiliis, neque auctoritatibus noſtris de jure publico diſceptari. Neque ego ea, quæ facta ſunt, fore cùm dicebam, divinabam futura: ſed, quod & fieri poſſe, & exitioſum fore, ſi eveniſſet, videbam: id ne accideret, timebam: præſertim cùm, ſi mihi alterumutrum de eventu atque exitu rerum promittendum eſſet, id futurum, quod evenit, exploratiùs poſſem promittere. Iis enim rebus præſtabamus, quæ non prodeunt in aciem: uſu autem armorum, & militum robore inferiores eramus. Sed tu illum animum nunc adhibe, quæſo, quo me tum eſſe oportere cenſebas. Hæc eò ſcripſi, quòd mihi Philargyrus tuus omnia de te requirenti, fideliſſimo animo (ut mihi quidem viſus eſt) narravit, te interdum ſollicitum ſolere eſſe vehementiùs: quod facere non debes, nec dubitare, quin aut aliqua rep. ſis futurus, qui eſſe debes: aut perdita, non afflictiore conditione, quàm ceteri. Hoc verò tempus, quo exanimati omnes, & ſuſpenſi ſumus, hoc moderatiore animo ferre debes, quòd & in urbe ea es, ubi nata & alta eſt ratio, ac moderatio vitæ: & habes Ser. Sulpicium, quem ſemper unicè dilexiſti: qui te profectò & benivolentia, & ſapientia conſolatur. cujus ſi eſſemus & auctoritatem & conſilium ſecuti: togati potiùs potentiam, quàm armati victoriam ſubiſſemus. Sed hæc longiora fortaſſe fuerunt, quàm neceſſe fuit: illa, quæ majora ſunt, breviùs exponam. Ego habeo, cui plus, quàm tibi, debeam, neminem. quibus tantum debebam, quantum tu intelligis, eos mihi hujus belli caſus eripuit. Qui ſim autem hoc tempore, intelligo. ſed quia NEMO EST tam afflictus, [5] qui, ſi nihil aliud ſtudeat, niſi id quòd agit, non poſſit navare aliquid, & efficere: omne meum conſilium, operam, ſtudium, certè velim exiſtimes tibi, tuiſque liberis eſſe debitum.

M. T. C.

---

1. *Quin ubivis, quam ibi ubi eſt, eſſe malit.*] Concinnior foret hic orationis complexus ſi obtemperes Pal. quart. illud *ibi* longum relegantibus. paullo poſt refert Pal. tert. Grut. *quin hoc tempore bono Romæ eſſe miſerrimum ſit:* excuſſo illo *viro*.

2. *Non vereor, ne eum, qui ſe optim. conſiliorum conſ.*] Solus Pal. quint. ignorat τὸ *non*; reliqui quatuor, ut & Gruterianus, tres Guilielmiani, prima editio ac Victorii præ ſe ferunt: *nos majori conſcientiæ [illegible] præbuimus.*

3. *Debitumque reip. noſtræque dignitati videbamur ſequi: nec cum id fac.*] [illegible] edidit Victorius eumque ſequutus Lambin. neque aliter in Vaticano. MſI. hic corrupti ſunt. quorum Pall. pr. tert. quint. Grut. *videbatur; ſed qui nec.* prima editio, Pal. ſec. Peck. *ſed quia nec.* quart. *ſed quid nec.* vulgò; *videbatur: qui neque cùm id fac.*

4. *Simus igitur ea mente, quæ ratio & virtus præſcribit.*] Sic Pal. ſec. Gruterianus quoque ad oram *virtus.* tertius vero Pal. *quâ* non *quam.* vulgò, *quam ratio & veritas præſc.* quid agat hic *veritas* non excogito: eſt ex compendio nata vox.

5. *Quin, ſi nihil a. ſt. niſi, id quod agit, poſſit navare.*] Sic edidit ex Med. Victorius, ſpernuntque omnes Pall. *non*, ante *poſſit.* neque ſecus eſt in Vatic. Pal. tamen ſec. pro *agit eget.* Tertius, Gruter. Stewech. *agit.* Miram tamen oſtendunt ſcripturam, *quod agit, poſſit navare aliquid & reficere.*

2 M. T. C. A. TORQUATO, S. D.

PETO à te, ne me putes oblivione tui rariùs ad te ſcribere, quàm ſolebam: ſed aut gravitate valitudinis: qua tamen jam paullum videor levari. aut quòd abſim ab urbe, ut, qui ad te proficiſcantur, ſcire non poſſim. Quare velim ita ſtatutum habeas, me tui memoriam cum ſumma benivolentia tenere, tuaſque omneis res non minori mihi curæ, quàm meas eſſe. Quod majore in varietate verſata eſt adhuc tua cauſa, quàm homines aut volebant, aut opinabantur: mihi crede, non eſt pro malis temporum, quòd moleſtè feras. Neceſſe eſt enim aut armis urgeri remp. ſempiternis, aut, his poſitis, recreari aliquando, aut funditus interire. Si arma valebunt: [1] nec eos, à quibus reciperis, vereri debes: nec eos quos adjuviſti. Si armis aut conditione poſitis, aut defatigatione abjectis, aut victoria detractis, civitas reſpiraverit: & dignitate frui tibi, & fortunis licebit. Sin omnino interierint omnia, fueritque is exitus, quem vir prudentiſſimus M. Antonius, jam tum timebat, cùm tantum inſtare malorum ſuſpicabatur: miſera eſt illa quidem conſolatio, tali præſertim civi, & viro, ſed tamen neceſſaria, NIHIL ESSE præcipuè cuiquam dolendum in eo, quod accidat univerſis. Quæ vis inſit in his paucis verbis (plura enim committenda epiſtolæ non erant) ſi attendes, quod facis: profectò etiam ſine meis litteris intelliges, te aliquid habere quod ſperes: nihil quod aut hoc, aut aliquo reip. ſtatu timeas: omnia ſi interierint, cùm ſuperſtitem te eſſe reip. ne ſi liceat quidem, velis, ferendam eſſe fortunam, præſertim quæ abſit à culpa. Sed hæc hactenus. Tu velim ſcribas ad me, quid agas, & ubi futurus ſis: ut aut quò ſcribam, aut quò veniam, ſcire poſſim.

3 M. T. C. S. D. A. TORQUATO.

SUPERIORIBUS litteris benivolentia magis adductus, [2] quàm quò res ita poſtularet, fui longior. Neque enim confirmatione noſtra egebat virtus tua: neque erat ea mea cauſa, atque fortuna, ut, cui ipſi omnia deeſſent, alterum confirmarem. Hoc item tempore brevior eſſe debeo. ſive enim nihil tum opus fuit tam multis verbis, nihilo magis nunc opus eſt: ſive tum opus fuit, illud ſatis eſt, præſertim cùm acceſſerit nihil novi. Nam etſi quotidie aliquid audimus earum rerum, quas ad te perferri exiſtimo: ſumma tamen eadem eſt, & idem exitus, quem ego tam video animo, quàm ea, quæ oculis cernimus. nec verò quidquam video, quod non idem te videre certò ſcio. Nam etſi, quem exitum acies habitura ſit, divinare nemo poteſt: tamen & belli exitum video: &, ſi id minùs, hoc quidem certè, cùm ſit neceſſe alterumutrum vincere, qualis futura ſit vel hæc, vel illa victoria. Idque cùm optimè perſpexi, tale video, [3] nihil ut mali videatur futurum, ſi id vel antè acciderit, quod vel maximum ad timorem proponitur. ITA ENIM VIVERE, UT NON SIT VIVENDUM, miſerrimum eſt. mori autem nemo ſapiens miſerum dixit, ne beato quidem. Sed in ea es urbe, in qua hæc, vel plura, & ornatiora parietes ipſi loqui poſſe videantur. Ego tibi hoc confirmo, ETSI LEVIS EST conſolatio ex miſeriis aliorum, nihilo te nunc majore in diſcrimine eſſe, quàm quemvis aut eorum, qui diſceſſerint, aut eorum, qui remanſerint. alteri dimicant: alteri victorem timent. Sed hæc conſolatio levis eſt: illa gravior, qua te uti ſpero: ego certè utor. nec enim, [4] dum ero, angar ulla re, cùm omni vacem culpa: &, ſi non ero, ſenſu omnino carebo. Sed rurſus γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, qui ad te hæc. Mihi tu, tui, tua omnia maximè curæ ſunt, &, dum vivam, erunt.

M. T. C. A. TORQUATO, S. D. 4

NOVI, quod ad te ſcriberem, nihil erat: & tamen ſi quid eſſet, ſciebam te à tuis certiorem fieri ſolere. De futuris autem rebus etſi ſemper difficile eſt dicere, tamen interdum conjectura poſſis propiùs accedere, cùm eſt res ejuſmodi, cujus exitus provideri poſſit. Nunc tantùm videmur intelligere, non diuturnum bellum: etſi idipſum nonnullis videatur ſecus. Equidem cum hæc ſcribebam, aliquid jam actum putabam: [5] non quò ego certò ſciam, ſed quòd haud difficilis erat conjectura. NAM CUM omnis belli Mars communis & cùm ſemper incerti exitus prœliorum ſunt: tum hoc tempore ita magnæ utrinque copiæ, ita paratæ ad depugnandum eſſe dicuntur, ut, utercumque vicerit, non ſit mirum futurum. Illa in dies ſingulos magis magiſq; opinio hominum confirmatur, etiam ſi inter caſus armorum aliquantum interſit, tamen inter victorias non multum interfuturum. Alteros propemodum jam ſumus experti: de altero, nemo eſt, quin cogitet, [6] cum ſit metuendus iratus victor armatus. Hoc loco ſi videor augere dolorem tuum, quem conſolando levare debeam, fateor me communium malorum conſolationem nullam invenire, præter illam: quæ tamen, ſi poſſis eam ſuſcipere, maxima eſt, quaque ego quotidie magis utor: CONSCIENTIAM rectæ voluntatis, maximam conſolationem eſſe rerum incommodarum: NEC ESSE ULLUM MAGNUM MALUM, præter culpam. A qua quum tantum abſumus, ut etiam optimè ſenſerimus: eventuſque magis noſtri conſilii, quàm conſilium reprehendatur: & quum præſtitimus, quod debuimus, moderatè, quod evenit, feramus. Sed hoc mihi tamen non ſumo, ut te conſoler de communibus miſeriis, quæ ad conſolandum, majoris ingenii, & ad ferendum, ſingularis virtutis indigent. Illud cuivis facile eſt docere, cur præcipuè tu dolere nihil debeas. Ejus enim, qui tardior in te levando fuit, quàm fore putaremus, non eſt mihi dubia de tua ſalute ſententia. de aliis autem non arbitror te exſpectare quid ſentiam. Reliquum eſt, ut te angat, quòd abſis à tuis tamdiu. Res moleſta, præſertim ab iis pueris, quibus nihil poteſt eſſe feſtivius. Sed, ut ad te ſcripſi anteà, tempus eſt hujuſmodi, ut ſuam quiſque conditionem miſerrimam putet: &, ubi quiſque ſit, ibi eſſe minimè velit. Equidem, nos quòd Romæ ſumus, miſerrimum eſſe duco, non ſolùm quòd in malis omnibus ACERBIUS EST VIDERE, quàm audire: ſed etiam, quòd ad omnis caſus ſubitorum periculorum magis objecti ſumus, quàm ſi abeſſemus. etſi meipſum, conſolatorem tuum, non tantum litteræ, quibus ſemper ſtudui, quantum longinquitas temporis mitigavit. Quanto fuerim dolore, meminiſti. In quo prima illa conſolatio eſt, [7] vidiſſe me prius, quàm ceteros, cùm

1. *Nec eos, à quibus reciperis, vereri debes.*] Hæc eſt codicis Vaticani lectio: cum exſtet in Medicæo. Pall. tribus, Grut. Stewech. *receperis*: in quart. *recepere*: in quint. *acceperas*· ſicque emendavit ad oram primæ editionis Baptiſta Egnatius Venetus, poſt eumque P. Victorius, quos ſecuti Manutius ac Lambinus. vulgo: *à quibus receſſeris.*

2. *Quam quò res ita poſtularet.*] Sic ex Pall. prim. quarto, quinto, Vaticano, reſcripſimus, non *quod*, ut vulgò: quomodo & lib. II. emendaſſe me recordor. ſicque legitur Epiſt. ſeq. & lib. x. ep. 3. lib. XI. lib. XII.

3. *Nihil ut mali videatur futurum, ſi id vel ante acciderit.*] Ita eſt in omnibus Pall. Grut. Stewech. (niſi quod in his eiſdem binis *occiderit* ſolemni mutatione *o.* pro *a.*) item editione Victorii. vulgò, *eſſe futurum ſi id vel antè cecid*[illegible]

4. *Dum ero, angar ulla re.*] Pall. pr. tert. Grut. *tangar ullâ re*: de qua quid ſentiam, diſſeram dicere. paullo poſt, duo poſtremi Pall. legunt, *quia hæc te*· quæ lectio ut non abſurda, ita inde nata eſt vulgata; *qui ad te hæc.*

5. *Non quò ego certò ſciam.*] Sic Victorii editio: at Pall. pr. tert. Grut. prima editio *aliquid jam actum putabam non quò ſci quod difficilis erat conjectura.* Mihi præſtant Victoriana.

6. *Cùm ſit metuendus iratus victor armatus.*] Vulgò, *quam ſit metuendus.* annotat quoque Egnatius legi *ut ſit met.* ſed noſtrum traximus longè accommodatius ex Victorii editione, Pall. pr. tert. Gruteriano.

7. *Vidiſſe me prius quam ceteros.*] Sic prima editio Pall. pr. tert. Grut. Vatic. (nam ceteros conſulere hic deſino, tempori conſulens meo alias omnes, *vidiſſe me plus.* paullo poſt: ex iiſdem codicibus, item editione Victorii, ejuſque compilatore Lambino repoſui, *cùm cupiebam quamvis iniqua conditione pacem.* Aliter quàm ſupra lib. V. ep. 21. *quâ vis tutâ conditione pacem accipere*: ſed ibi alia quoque res erat.

cùm cupiebam, quamvis iniqua conditione, pacem. Quod enim caſu, non divinatione mea factum eſt; [1] tamen in hac inani prudentiæ laude delector. Deinde, quod mihi ad conſolationem commune tecum eſt, ſi jam vocer ad exitum vitæ, non ab ea republ. aveller, qua carendum eſſe doleam, præſertim cùm id ſine ullo ſenſu futurum ſit. Adjuvat etiam ætas. & acta jam vita, quæ cùm curſu ſuo benè confecto delectatur, tum vetat in eo vim timere, quò nos jam natura ipſa pænè perduxerit. Poſtremò, is vir, vel etiam ii viri, hoc bello occiderunt, ut impudentia videatur, eandem fortunam, ſi res cogat, recuſare. Equidem mihi omnia propono: nec ullum eſt tantum malum, quod non putem impendere. SED CUM PLUS in metuendo mali ſit, quàm in ipſo illo, quod timetur, deſino, præſertim cum impendeat, in quo non modò dolor nullus, verùm finis etiam doloris futurus ſit. Sed hæc ſatis multa, vel plura potiùs, quàm neceſſe fuit. facit autem non loquacitas mea, ſed benivolentia longiores epiſtolas. Servium diſceſſiſſe Athenis, moleſtè tuli. non enim dubito, quin magnæ tibi levationi ſolitus ſit eſſe quotidianus congreſſus, & ſermo cùm familiariſſimi hominis, tum optimi & prudentiſſimi viri. [2] Tu velim tete, ut debes, & ſoles, tua virtute ſuſtentes. Ego, quæ te velle, quæque ad te, & ad tuos pertinere arbitrabor, omnia ſtudioſè diligenterque curabo: quæ cùm faciam, benivolentiam tuam erga me imitabor, merita non aſſequar. Vale.

5 M. T. C. A. CÆCINÆ, S. D.

QUOTIESCUMQUE filium tuum video (video autem ferè quotidiè) polliceor ei ſtudium quidem meum, & operam, ſine ulla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis: gratiam autem, atque auctoritatem, cum hac exceptione, quantùm valeam, quantumque poſſim. Liber tuus & lectus eſt, & legitur à me diligenter, & cuſtoditur diligentiſſimè. Res, & fortunæ tuæ mihi maximæ curæ ſunt, quæ quidem quotidie faciliores mihi, & meliores videntur: multiſque video magnæ eſſe curæ: quorum de ſtudio, & de ſua ſpe filium ad te perſcripſiſſe, certò ſcio. His autem de rebus, quas conjectura conſequi poſſumus, non mihi ſumo, ut plus ipſe proſpiciam, quàm te videre atque intelligere mihi perſuaſerim: ſed tamen, quia fieri poteſt, ut tu ea perturbatiore animo cogites, puto eſſe meum, quid ſentiam, exponere. Ea natura rerum eſt, & is temporum curſus, ut non poſſit iſta aut tibi, aut ceteris, fortuna eſſe diuturna: neque hærere in tam bona cauſa, & in tam bonis civibus tam acerba injuria. [3] Quare ad eam ſpem, quam extra ordinem de te ipſo habemus, non ſolùm propter dignitatem, & virtutem tuam (hæc enim ornamenta ſunt tibi etiam cum aliis communia) accedunt tua præcipua propter eximium ingenium, ſummamque virtutem. cui, mehercules, hic, cujus in poteſtate ſumus, multum tribuit. Itaque ne punctum quidem temporis in iſta fortuna fuiſſes, niſi eo ipſo bono tuo, quo delectatur, ſe violatum putaſſet. quod ipſum lenitur quotidie: ſignificaturque nobis ab iis, qui ſimul cum eo vivunt, tibi hanc ipſam opinionem ingenii apud ipſum plurimùm profuturam. Quapropter primùm fac animo forti atque magno ſis. ita enim natus, [4] ita eductus, ita doctus es, ita etiam cognitus, ut tibi id faciendum ſit: deinde ſpem quoque habeas firmiſſimam propter eas cauſas, quas ſcripſi. A me verò tibi omnia, liberiſque tuis paratiſſima eſſe, confidas velim. Id enim & vetuſtas noſtri amoris, & mea conſuetudo in meos, & tua multa erga me officia poſtulant.

M. T. C. A. CÆCINÆ, S. D. 6

VEREOR, ne deſideres officium meum: quod tibi pro noſtra & meritorum multorum, & ſtudiorum, & partium conjunctione, deeſſe non debet: ſed tamen vereor, ne litterarum à me officium requiras: [5] quas tibi & jam pridem, & ſæpe miſiſſem, niſi quotidie melius exſpectans, gratulationem, quàm confirmationem animi tui complecti litteris maluiſſem. Nunc, ut ſpero, brevi gratulabimur. Itaque in aliud tempus [6] id argumentum epiſtolæ differo. His autem litteris animum tuum, [7] quem minimè imbecillem eſſe & audio, & ſpero, etſi non ſapientiſſimi, at amiciſſimi hominis auctoritate, confirmandum etiam atque etiam puto: nec iis quidem verbis, quibus te conſoler ut afflictum, & jam omni ſpe ſalutis orbatum: ſed ut eum, de cujus incolumitate non plus dubitem: quàm te memini dubitare de mea. Nam cùm me ex rep. expuliſſent ii, qui illam cadere poſſe, ſtante me, non putarunt: memini, me ex multis hoſpitibus, qui ad me ex Aſia, in qua tu eras, venerant, audire, te de glorioſo & celeri reditu meo confirmare. Si te ratio quædam Etruſcæ diſciplinæ, quam à patre, nobiliſſimo, atque optimo viro, acceperas, non fefellit: ne nos quidem noſtra divinatio fallet: quam cum ſapientiſſimorum virorum monumentis, atque præceptis, plurimoque, ut tu ſcis, doctrinæ ſtudio, tum magno etiam uſu tractandæ reip. magnaque noſtrorum temporum varietate conſecuti ſumus. Cui quidem divinationi hoc plus confidimus, quòd ea nos nihil in his tam obſcuris rebus, tamque perturbatis umquam omnino fefellit. Dicerem, quæ ante futura dixiſſem, ni vererer, ne ex eventis fingere viderer. Sed tamen plurimi ſunt teſtes, me & initiò, ne conjungeret ſe cum Cæſare, monuiſſe Pompejum: & poſteà, ne ſejungeret. conjunctione frangi ſenatus opes: dijunctione civile bellum excitari videbam. Atque utebar familiariſſimè Cæſare: Pompejum faciebam plurimi: ſed erat meum conſilium cùm fidele Pompejo, tum ſalutare utrique. Quæ præterea providerim, prætereo. Nolo enim, hunc de me optimè meritum, exiſtimare, ea me ſuaſiſſe Pompejo, quibus ille ſi paruiſſet, eſſet hic quidem clarus in toga, & princeps: ſed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet. Eundum in Hiſpaniam cenſui: quod ſi feciſſet, civile bellum nullum omnino fuiſſet. Rationem haberi abſentis non tam pugnavi ut liceret, quàm ut, quum, ipſo conſule pugnante, populus juſſerat, haberetur. Cauſa orta belli eſt. quid ego prætermiſi

1. *Tamen in hac inani prudentiæ laude delector.*] Sic Pal. pr. tert. Grut. Vatic. editio prima ac Victorii. vulgò *in* abeſt, non bono exemplo.

2. *Tu velim tete, ut debes, & ſoles, tuâ virtute ſuſtentes.*] Ita Palat. tert. Grut. Steweechianus. vulgo, *te velim te, ut debes.* illud efficacius.

3. *Quare ad eam ſpem, quam extra ordinem.*] Hic locus, ut edidimus, eſt in editione Victorii & Palatino primo. Tertius verò, *quam ex ordine*: & poſt ſicut quoque Grut. *per* non *propter*. Lambinus pro fronte ſui totam locum conſcribillavit (melius factum ſi in eamdem frontem ſuum ferrum exploraſſet *de te ipſo habemus, propter dignitatem & virtutem* tuam (*h. en. orn. ſ. t. e. c. al. c.*) *acced. tua præc. exim. ing. ſummamque doctrinam, cui mehercule.* H. Steph. leg. contendebat *quare adi eam ſpem*, & *ipſi*, non *ipſo*.

4. *Ita eductus, ita doctus.*] Sic rectè ex Memmianis Lambinus: vulgò *educatus* in editione antiqua eſt *ducatus*.

5. *Quas tibi & jam pridem & ſæpe miſiſſem.*] Mutilatus locus, cui tamen nihil curant libri veteres Pal. pr. *quas tibi etiam pridem eſſe dimiſiſſem.* Pal. tert. Steweech. *etiam pridem Eſedi miſiſſem*: ſic quoque Grut. unica litera auctius *eſedis*. videndum ne loci nomen deſit. vulgata autem lectio debita eſt Egnatio, cujus emendationem ad oram primæ editionis poſitam exſcribo fidei cauſa: *Quas tibi jampridem eſſedi miſiſſem.* Ita repoſitum eſt in libris recentioribus omnibus. Et non video quo ſenſu, quo ad *eſſedum*. Is vetus (Medicæum intelligit) corruptus quidem eſt; habet enim, *quas tibi & jam pridem & ſe demiſiſſem*. Ego (ait porrò Egnatius) una tantum littera *d*. in *p*. mutata, fuit enim inverſa, ſic lego collimans ut puto ad ſcopum: *quas tibi & jam pridem* & *ſæpe miſiſſem*. Veneta editio antiquiſſima: *pridem è ſedi miſiſſem*. in ea ſtatim altera ab initio. *& ſtudiorum & partium conjunctione*, legunt cum Victorio vulgatæ. ſed Pal. pr. tert. Grut. Stewech. poſteriorem copulam omittunt *&*. Pal. quoque tertius *parium*. Mihi libuit hîc mirari vel temeritatem vel credulitatem Manutianam *ſtudiorum parium* admittentis.

6. *Id argumentum epiſtolæ differo.*] Sic Victorius & Vaticanus codex. & Grut. à ſecunda manu Pal. vero pr. & Gruterianus à prima manu: *in argumentum epiſtolæ differet.* cùm alias Pal. tert. *in argumentum epiſtolæ differretur.* Stewech. *differret* vulgò *differretur.*

7. *Quem minimè imbecillem eſſe.*] Vulgò *imbecillum*: ſed noſtram accepi ex editionum antiquiſſima ac prima, Pall. tert. Grut. Stew.

1. Cum

miſi aut monitorum, aut querelarum, cum vel iniquiſſimam pacem juſtiſſimo bello anteferrem? Victa eſt auctoritas mea non tam à Pompejo (nam is movebatur) quàm ab iis, qui duce Pompejo freti, peropportunam & rebus domeſticis, & cupiditatibus ſuis illius belli victoriam fore putabant. Suſceptum bellum eſt, quieſcente me. depulſum ex Italia, manente me, quoad potui: ſed valuit apud me plus pudor meus, quàm timor. veritus ſum deeſſe Pompeji ſaluti, [1] cùm ille aliquando non defuiſſet meæ. Itaque vel officio, vel fama bonorum, vel pudore victus, ut in fabulis Amphiaraus, ſic ego, prudens, & ſciens, ad peſtem ante oculos poſitam ſum profectus. Quo in bello nihil adverſi accidit, non prædicente me. Quare, quum, ut augures & aſtrologi ſolent, ego quoque augur publicus ex meis ſuperioribus prædictis conſtitui apud te auctoritatem augurii, & divinationis meæ: [2] debebit habere fidem noſtra prædictio. Non igitur ex alitis involatu, nec è cantu ſiniſtro oſcinis, ut in noſtra diſciplina eſt, nec [3] ex tripudiis ſoliſtimis, aut ſoniviis tibi auguror: ſed habeo alia ſigna, quæ obſervem: quæ etſi non ſunt certiora illis, minus tamen habent vel obſcuritatis, vel erroris. Notantur autem mihi ad divinandum ſigna duplici quadam via: quarum alteram duco à Cæſare ipſo: alteram è temporum civilium natura, atque ratione. In Cæſare hæc ſunt: mitis, clemenſque natura, qualis exprimitur [4] præclaro illo libro Querelarum tuarum. Accedit, quòd mirificè ingeniis excellentibus, quale eſt tuum, delectatur. præterea cedit multorum juſtis & officio incenſis, non inanibus, aut ambitioſis, voluntatibus. In quo vehementer eum conſentiens Etruria movebit. Cur hæc igitur adhuc parum profecerunt? Quia non putat ſe ſuſtinere cauſas poſſe multorum, ſi tibi, cui juſtiùs videtur iraſci poſſe, conceſſerit. Quæ eſt igitur, inquies, ſpes ab irato? Eodem fonte ſe hauſturum intelligit laudes ſuas, è quo ſit leviter adſperſus. Poſtremo homo valde eſt acutus, & multum providens. intelligit, te, hominem in parte Italiæ minimè contemnenda, facilè omnium nobiliſſimum, & in communi rep. cuivis ſummorum tuæ ætatis, vel ingenio, vel gratia, vel fama populi R. parem, [5] non poſſe prohibere rep. diutius. Nollet, hoc temporis potiùs eſſe aliquando beneficium, quàm jam ſuum. Dixi de Cæſare. nunc dicam de temporum, rerumque natura. Nemo eſt tam inimicus ei cauſæ, quam Pompejus animatus meliùs, quàm paratus, ſuſceperat, qui nos malos civeis dicere, aut homines improbos audeat. In quo admirari ſoleo gravitatem, & juſtitiam, & ſapientiam Cæſaris. numquam, niſi honorificentiſſimè, Pompejum appellat. At in ejus perſonam multa fecit aſperiùs. Armorum iſta, & victoriæ ſunt facta, non Cæſaris. At nos quemadmodum eſt complexus? Caſſium ſibi legavit: Brutum Galliæ præfecit: Sulpicium Græciæ: Marcellum, cui maximè ſuccenſebat, cum ſumma illius dignitate reſtituit. Quò igitur hæc ſpectant? Rerum hoc natura, & civilium temporum non patietur: nec manens nec mutata ratio feret: primùm, ut non in cauſa pari eadem ſit & conditio & fortuna omnium: deinde, ut in eam civitatem boni viri, & boni cives nulla ignominia notati non revertantur, in quam tot nefariorum ſcelerum condemnati reverterunt. Habes augurium meum, quo, ſi quid addubitarem, non potius uterer, quàm illa conſolatione, qua facilè fortem virum ſuſtentarem: te, ſi explorata victoria arma ſumſiſſes pro rep. (ita enim tum putabas) non nimis eſſe laudandum: ſin, propter incertos exitus eventuſque bellorum, poſſe accidere ut vinceremur, putaſſes: non debere te ad ſecundam fortunam bene paratum fuiſſe, adverſam ferre nullo modo te poſſe. Diſputarem etiam, quanto ſolatio tibi conſcientia tui facti, quantæve delectationi in rebus adverſis litteræ eſſe deberent. Commemorarem non ſolùm veterum, ſed horum etiam recentium vel ducum, vel comitum tuorum graviſſimos caſus. Etiam externos multos claros viros nominarem. LEVAT ENIM DOLOREM COMMUNIS QUASI LEGIS, ET HUMANÆ CONDITIONIS, RECORDATIO. Exponerem etiam, quemadmodum hîc, & quanta in turba, quantaque in confuſione rerum omnium viveremus. neceſſe eſt enim minore deſiderio perdita rep. carere, quàm bona. Sed hoc genere nihil opus eſt. incolumem te citò, ut ſpero, vel potiùs, ut perſpicio, videbimus. interea tibi abſenti, & huic, qui adeſt, imagini animi & corporis tui, conſtantiſſimo, atque optimo filio tuo, ſtudium, officium, operam, laborem meum jampridem, & pollicitus ſum, & detuli: nunc hoc amplius, quòd me amiciſſimè quotidie magis Cæſar amplectitur: familiares quidem ejus, ſicuti neminem. Apud quem quidquid valebo vel auctoritate, vel gratia, valebo tibi. Tu cura, ut [6] cùm firmitudine te animi, tum etiam ſpe optima ſuſtentes.

A. CÆCINA M. CICERONI S. D. 7

QUOD tibi non tam celeriter liber eſt redditus, ignoſce timori noſtro, & miſerere temporis. Filius, ut audio, pertimuit, (neque injuria) ſi liber exiſtet, quum non tam intereſt, quo animo ſcribatur, quàm quo accipiatur, ne ea res ineptè mihi noceret: cùm præſertim adhuc ſtili pœnas dem. Qua quidem in re, ſingulari ſum fato: NAM cùm mendum ſcripturæ litura tollatur, ſtultitia fama multetur: meus error exſilio corrigitur: cujus ſumma criminis eſt, quòd armatus adverſario maledixi. Nemo noſtrûm eſt, ut opinor, quin vota victoriæ ſuæ fecerit, nemo, quin, etiam cum de alia re immolaret, tamen eo quidem ipſo tempore, ut quàm primum Cæſar ſuperaretur, optaret. Hoc ſi non cogitat, omnibus rebus felix eſt. ſi ſcit & perſuaſus eſt, quid iraſcitur ei, qui aliquid ſcripſit contra ſuam voluntatem, cùm ignôrit omnibus, qui multa deos venerati ſint contra ejus ſalutem? Sed, ut eodem revertar, cauſa hæc fuit timoris. ſcripſi de te parcè, medius fidius, & timidè, non revocans me ipſe, ſed pænè refugiens. Genus autem hoc ſcripturæ, non modò liberum, ſed [7] incitatum atque latum eſſe debere, quis ignorat? Solutum exiſtimatur eſſe, alteri maledicere: tamen cavendum eſt, ne in petulantiam incidas. impeditum, ſe ipſum laudare, ne vitium arrogantiæ ſubſequatur. ſolum verò liberum, alterum laudare, de quo quidquid detrahas, neceſſe eſt, aut infirmitati, aut invidiæ aſſignetur. At neſcio, an tibi gratius opportuniuſque acciderit. Nam quod præclarè facere non poteram, primum erat non attingere: ſecundum beneficium, quàm parciſſimè facere. ſed tamen ego quidem me ſuſtinui. multa minui: multa ſuſtuli: complura ne poſui quidem. QUEMADMODUM IGITUR SCALARUM GRADUS ſi alios tollas, alios incidas nonnullos

1. *Cum ille aliquando non defuiſſet meæ.*] Sic omnes libri; quod moneo, ne quis facile accedat Urſino, negationem temerè ejicienti.

2. *Debebit habere fidem noſtra prædictio.*] Hoc melius ex Pal. pr. Vaticano atque editione Victorii: vulgò *debet*.

3. *Ex tripudiis ſoliſtimis aut ſoniviis tibi auguror.*] Rectè ſic Mediceus codex modò committas *ſoni viis*: neque aliter Vaticanus: quod optimus P. Victorius obſervavit primus; cujuſdeque, ſed tamen diſſimulato auctore, ſuſtulit Lambinus. vulgò *ſomniis*: ſed quid *ſomnia* cum auguribus. videatur Feſtus ejuſque Caſtigator Scaliger. Ego puto profectò mutum fuiſſe Manutium, aut qui ad tam bona nullum habere ſenſum potuerit; aut adeò livore cæcum, ut noluerit.

4. *Præclaro illo libro.*] Sic Pall. primus, tertius, Grut. editione prima. vulgò *præclare*.

5. *Non poſſe prohibere repub. diutius.*] Sic eſt in Pal. prim. Grut. Vat. editione Victorii. Lambinus ne non nihil novaret *prohiberi* edidit. Stewech. *prohiberi rep.* vulgo *prohibere à rep.*

6. *Cum firmitudine te animi, tum etiam ſpe optimâ ſuſtentes.*] Sic optimus codex Pal. primus; ſicque edidit accuratiſſimus P. Victorius Pal. tert. Grut. editio prima paucis immutatis: *tum firmitudine animi te, tum etiam.* vulgò interpolatitie: *ut cum fortitudine animi tui te, tum etiam ſpe optimorum ſuſtentes.*

7. *Incitatum atque latum eſſe debere quis ignorat?*] Sic editiones, primæ & Victorii, extatque hæc lectio in Pall. primo, tertio, Grut. qui hanc non ceperunt, *elatum* intruſerunt.

los malè hærenteis relinquas, ruinæ periculum ſtruas, non aſcenſum pares: [1] ſic tot malis cum vinctum, tum fractum ſtudium ſcribendi, quid dignum auribus, aut probabile poteſt afferre? Cùm verò ad ipſius Cæſaris nomen veni, toto corpore contremiſco, non pœnæ metu, ſed illius judicii. totum enim Cæſarem non novi. Quem putas animum eſſe, ubi ſecum loquitur? hoc probabit: hoc verbum ſuſpicioſum eſt. quid ſi hoc mutò? at vereor, ne pejus ſit. Age verò, laudo aliquem. [2] num offendo? cùm porrò offendam, quid ſi non vult? armati ſtilum perſequitur: victi, & nondum reſtituti quid faciet? Auges etiam tu mihi timorem, qui in oratore tuo caves tibi per Brutum, & ad excuſationem ſocium quæris. Ubi hoc omnium patronus facit, quid me, veterem tuum, nunc omnium clientem, ſentire oportet? In hac igitur calumnia timoris, & cæcæ ſuſpicionis tormento, cùm plurima ad alieni ſenſus conjecturam, non ad ſuum judicium ſcribantur, quàm difficile ſit evadere, ſi minùs expertus es, quòd te ad omnia, ſummum atque excellens ingenium armavit, nos ſentimus. Sed tamen ego filio dixeram, librum tibi legeret, & auferret: aut ea conditione daret, ſi reciperes te correcturum, hoc eſt, ſi totum alium faceres. De Aſiatico itinere, quamquam ſumma neceſſitas premebat: ut imperaſti, feci. Te pro me quid horter? vides tempus veniſſe, quo neceſſe ſit de nobis conſtitui. Nihil eſt, mi Cicero, quòd filium meum exſpectes. adoleſcens eſt: omnia excogitare, vel ſtudio, vel ætate, vel metu non poteſt. Totum negotium tu ſuſtineas, oportet: in te mihi omnis ſpes eſt. Tu, pro tua prudentia, quibus rebus gaudeat, quibus capiatur Cæſar, tenes: à te omnia proficiſcantur, & per te ad exitum perducantur, neceſſe eſt. apud ipſum multùm, apud ejus omneis plurimùm potes. unum tibi ſi perſuaſeris, non hoc eſſe tui muneris, ſi quid rogatus fueris, ut facias, (quamquam id magnum & amplum eſt) ſed totum tuum eſſe onus, perficies. niſi fortè aut in miſeria nimis ſtultè, aut in amicitia nimis impudenter tibi onus impono. Sed utrique rei excuſationem, tuæ vitæ conſuetudo dat. nam quod ita conſueviſti pro amicis laborare, non jam ſic ſperant abs te, ſed etiam ſic imperant tibi familiares. Quod ad librum attinet, quem tibi filius dabit, peto à te, ne exeat: aut ita corrigas, ne mihi noceat.

8 M. C. A. CÆCINÆ, S. D.

CUm eſſet mecum Largus, homo tui ſtudioſus, locutus, Kalendas Jan. tibi præfinitas eſſe: quòd omnibus rebus perſpexeram, quæ Balbus, & Oppius, abſente Cæſare, egiſſent: ea ſolere illi rata eſſe, egi vehementer cum his, ut hoc mihi darent, tibi in Sicilia, quoad vellemus, eſſe uti liceret. Qui mihi conſueſſent, aut libenter polliceri, ſi quid eſſet ejuſmodi, quod eorum animos non offenderet: aut etiam negare, & afferre rationem, cur negarent: [3] huic meæ rogationi potiùs non continuò reſponderunt: eodem die tamen ad me reverterunt: mihi hoc dederunt, ut eſſes in Sicilia, quoad velles: ſe præſtaturos, nihil ex eo te offenſionis habiturum. Quando, quid tibi permittatur, cognoviſti: quid mihi placeat, puto te ſcire oportere. Actis his rebus, litteræ à te mihi redditæ ſunt, quibus à me conſilium petis, quid ſim tibi auctor: in Siciliane ſubſidas, an ad reliquias Aſiaticæ negotiationis proficiſcare. Hæc tua deliberatio non mihi convenire viſa eſt cum oratione Largi. Ille enim mecum, quaſi tibi non liceret in Sicilia diutiùs commorari, ita locutus erat: tu autem, quaſi conceſſum ſit, ita deliberas. Sed ego, ſive hoc, ſive illud eſt, in Sicilia cenſeo commorandum. Propinquitas locorum vel ad impetrandum adjuvat crebris litteris, & nuntiis, vel ad reditus celeritatem, re aut impetrata, quod ſpero, aut aliqua ratione confecta. Quamobrem cenſeo magno opere commorandum. [4] T. Furfano Poſtumo, familiari meo, legatiſque ejus, item meis familiaribus, diligentiſſimè te commendabo, cùm venerint. erant enim omnes Mutinæ. viri ſunt optimi, & tui ſimilium ſtudioſi, & mei neceſſarii. Quæ mihi venient in mentem, quæ ad te pertinere arbitrabor, ea mea ſponte faciam. Si quid ignorabo, de eo admonitus, omnium ſtudia vincam. Ego etſi coràm de te cum Furfano ita loquar, ut tibi litteris meis ad eum nihil opus ſit: tamen, quum tuis placuit, te habere meas litteras, quas ei redderes, morem his geſſi. earum litterarum exemplum infrà ſcriptum eſt.

M. T. C. T. FURFANO PROCOS. S. D. 9

CUm A. Cæcina tanta mihi familiaritas, conſuetudoque ſemper fuit, ut nulla major eſſe poſſit. Nam & patre ejus, claro homine, & forti viro, plurimùm uſi ſumus: & hunc à puero, quòd & ſpem magnam mihi afferebat ſummæ probitatis, ſummæque eloquentiæ, & vivebat mecum conjunctiſſimè, non ſolùm officiis amicitiæ, ſed etiam ſtudiis communibus, ſic ſemper dilexi, ut non ullo cum homine conjunctiùs viverem. Nihil attinet me plura ſcribere, quam mihi neceſſe eſt ejus ſalutem, & fortunas, quibuſcumque rebus poſſim, tueri, vides. reliquum eſt, ut, cùm cognorim pluribus rebus, quid tu & de bonorum fortuna, & de reipub. calamitatibus ſentires, nihil à te petam, niſi ut ad eam voluntatem, quam tua ſponte erga Cæcinam habiturus eſſes, tantus cumulus accedat commendatione mea, quanti me à te fieri intelligo. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

[5] M. T. C. TREBIANO, S. D. 10

EGo quanti te faciam, ſemperque fecerim, quanti me à te fieri intellexerim, ſum mihi ipſe teſtis. Nam & conſilium tuum, vel caſus potiùs, diutiùs in armis civilibus commorandi, ſemper mihi magno dolori fuit: & hic eventus, quòd tardiùs, quàm eſt æquum, & quàm ego vellem, [6] reciperas fortunam, & dignitatem tuam, mihi non minori curæ eſt, quàm tibi ſemper fuerunt caſus mei. Itaque & Poſtumuleno, & Seſtio, & ſæpiſſimè Attico noſtro, [7] proximeque Theudæ, liberto tuo, totum me patefeci, & hæc iis ſingulis ſæpe dixi, quacumque re poſſem, me tibi, & liberis tuis ſatisfacere cupere: idque tu ad tuos velim ſcribas: hæc quidem certè, quæ in poteſtate mea ſunt, ut operam, conſilium, rem, fidem meam, ſibi ad omneis res parata putent. Si auctoritate, & gratia tantum poſſem, quantum in ea repub. de qua ita meritus ſum, poſſe deberem: tu quoque is eſſes, qui fuiſti, cùm omni gradu ampliſſimo digniſſimus, tum certè ordinis tui facilè princeps. Sed, quum eodem tempore, eademque de cauſa noſtrûm uterque cecidit: tibi & illa polliceor, quæ ſuprà ſcripſi,

1. *Sic tot malis cum vinctum, tum fractum ſtudium ſcribendi.*] Elegantiſſime ſic edidit P. Victorius, habetque Vaticanus codex; cum in Pall. primo, tertio, Grut. editione prima, unica tantum abhorreat littera, *tum vinctum:* in vulgatis verò deformatum ſit, *tum victum, tum fractum.*

2. *Num offendo? cùm porrò offendam.*] Lambinus, *cùm porro non offendam.* contra omnes mſſ. niſi quod in Gruter. a manu interpolatrice. *Non offendo? cum.* Deinde edidi, *ubi hoc omnium patronus facit*, auctoritate Pal. pr. quem codicem pluris decem Lambinis duco. neque aliter Vaticanus. denique legendam exiſtimat Gulielmius pro *clientem ſentire oportet; ſentis oportere.* Cauſam non comminiſcar.

3. *Huic meæ rogationi potius non continuo reſponderunt.*] Quid mirum etiam hic obtendi cornua Victorio a Dionyſio illo, niſi mavis Dionyſiacum dicere? ſed ab illo ſtant Pall. pr. tert. Gruter. editio princeps. vulgata quam defendit Lambinus: *Huic meæ actioni vel Rogationi potius.*

4. *Tito Furfano Poſtumo.*] Sic Pal. pr. editio Victorii, ac codex Vaticanus. per me licet præliari Urſino, pro ſuo *Furfanio. Furfanum* compellant noſtri mſſ. & editio Victorii: quibus potius credo.

5. *M. T. C. TREBIANO.*] Sic edidit Victorius, & ſic eſt in Pall. pr. tert. Vaticano, editione principe. vulgò *Trebatio.*

6. *Reciperas fortunam & dignitatem.*] Sic ſcripſi, quum eſſet in mſſ. tribus noſtris, & Stewech. *reciperas*, ſicut in Medicæo, vel *reciperes.* Victorius ac Vatic. *recuperas.* vulgò male, *receperis.*

7. *Proximæque Theudæ lib. t. totum me pat. & hæc his ſing.*] Vulgò *Teudo* contra omnes libros quà calamo exaratos, quà impreſſos: provocabulum quoque *hæc* ſpernunt ſeu ignorant vulgati. immiſi id ex Pal. pr. ac Victorii edit.

1. Caſu

ſcripſi, quæ ſunt adhuc mea: & ea, quæ præterea videor mihi ex aliqua parte retinere, tamquam ex reliquiis priſtinæ dignitatis. Neque enim ipſe Cæſar, ut multis rebus intelligere potui, eſt alienus à nobis: & omnes ferè familiariſſimi ejus [1] caſu devincti magnis meis veteribus officiis, me diligenter obſervant, & colunt. Itaque ſi qui mihi erit aditus de tuis fortunis, id eſt, de tua incolumitate, in qua ſunt omnia, agendi, quod quidem quotidie magis ex eorum ſermonibus adducor ut ſperem: agam per me ipſe, & moliar. ſingula perſequi non eſt neceſſe. univerſum ſtudium meum, & benivolentiam ad te defero. Sed magni mea intereſt, hoc tuos omneis ſcire, quod tuis litteris fieri poteſt: ut intelligant, omnia Ciceronis patere Trebiano. Hoc eò pertinet, ut nihil exiſtiment eſſe tam difficile, quod non pro te mihi ſuſceptum, jucundum ſit futurum. Anteà miſiſſem ad te litteras, ſi genus ſcribendi invenirem. tali enim tempore aut conſolari, amicorum eſt, aut polliceri. Conſolatione non utebar, quòd ex multis audiebam, quàm fortiter, ſapienterque ferres injuriam temporum, quamque te vehementer conſolaretur conſcientia factorum, & conſiliorum tuorum: quod quidem ſi facis, magnum fructum ſtudiorum optimorum capis: in quibus te ſemper ſcio eſſe verſatum: idque ut facias, etiam atque etiam te hortor. Simul & illud tibi, homini peritiſſimo rerum, & exemplorum, & omnis vetuſtatis, ne ipſe quidem rudis, ſed in ſtudio minùs fortaſſe, quàm vellem: at in rebus, atque uſu plus etiam, quàm vellem, verſatus: ſpondeo, tibi [2] iſtam acerbitatem, & injuriam, non diuturne fore. Nam & ipſe, qui plurimùm poteſt, quotidie mihi delabi ad æquitatem, & ad rerum naturam videtur: & ipſa cauſa ea eſt, ut jam ſimul cum rep. quæ in perpetuum jacere non poteſt, neceſſariò reviviſcat, atque recreetur: quotidieque aliquid fit leniùs, & liberaliùs, quàm timebamus. Quæ quoniam in temporum inclinationibus ſæpe parvis poſita ſunt: omnia momenta obſervabimus: neque ullum prætermittemus tui juvandi, & levandi locum. Itaque illud alterum, quod dixi, litterarum genus, quotidie mihi, ut ſpero, fiet proclivius, ut etiam polliceri poſſim. id re, quam verbis, faciam libentius. Tu velim exiſtimes, & plureis te amicos habere, quàm qui in iſto caſu ſint, ac fuerint, quantum quidem ego intelligere potuerim: & me concedere eorum nemini. Fortem fac animum habeas, & magnum: quod eſt in uno te. quæ ſunt in fortuna, temporibus regentur, & conſiliis noſtris providebuntur.

11 M. C. TREBIANO S. D.

DOLABELLAM anteà tantummodò diligebam: obligatus ei nihil eram. nec enim acciderat mihi opus eſſe: & ille mihi debebat, quòd non defueram ejus periculis. Nunc tanto ſum devinctus ejus beneficio, quòd & anteà in re, & hoc tempore in ſalute tua cumulatiſſimè mihi ſatisfecit, ut nemini plus debeam. Qua in re tibi gratulor ita vehementer, ut te quoque mihi gratulari, quam gratias agere malim. alterum omnino non deſidero, alterum verè facere poteris. Quod reliquum eſt, quando tibi virtus & dignitas tua reditum ad tuos aperuit: eſt tuæ ſapientiæ, magnitudiniſque animi, quid amiſeris, oblivisci: quid recuperaris, cogitare. Vives cum tuis, vives nobiſcum. plus acquiſiſti dignitatis, quàm amiſiſti rei familiaris: quæ ipſa tum eſſet jucundior, ſi ulla res eſſet publica. Neſtorius noſter familiaris, ad me ſcripſit, te mihi maximas gratias agere. Hæc prædicatio tua mihi valde grata eſt, eaque te uti facilè patior, cùm apud alios, tum mehercule apud Syronem, noſtrum amicum. Quæ enim facimus, ea prudentiſſimo cuique maximè probata eſſe volumus. Te cupio videre quàm primùm.

[3] M. T. C. AMPIO S. D. 12

GRATULOR tibi, mi Balbe, vereque gratulor. nec ſum tam ſtultus, ut te uſura falſi gaudii frui velim: deinde frangi repentè, atque ita cadere, ut nulla res ad æquitatem te animi poſſit poſtea extollere. Egi tuam cauſam apertiùs, [4] quam mea tempora ferebant. Vincebatur enim fortuna ipſa debilitatæ gratiæ noſtræ tui caritate, & meo perpetuo erga te amore, culto à te diligentiſſime. Omnia promiſſa, confirmata, certa, & rata ſunt, quæ ad reditum, & ad ſalutem tuam pertinent. vidi, cognovi, interfui. Etenim omneis Cæſaris familiareis ſatis opportunè habeo implicatos conſuetudine, & benivolentia, ſic, ut, cum ab illo diſceſſerint, me habeant proximum. Hoc Panſa, Hirtius, Balbus, Oppius, [5] Matius, Poſtumius, planè ita faciunt, ut me unicè diligant. Quod ſi mihi pro me efficiendum fuiſſet, non me pœniteret, pro ratione temporum ita eſſe molitum. Sed nihil eſt à me inſervitum temporis cauſa. veteres mihi neceſſitudines cum his omnibus intercedunt: quibuſcum ego agere de te non deſtiti. Principem tamen habuimus Panſam, tui ſtudioſiſſimum, mei cupidum: qui valeret apud illum non minus auctoritate, quàm gratia. Cimber autem Tullius mihi planè ſatisfecit. Valent tamen apud Cæſarem non tam ambitioſæ rogationes, quàm neceſſariæ: quam quia Cimber habebat, plus valuit, quàm pro ullo alio valere potuiſſet. Diploma ſtatim non eſt datum, quòd mirifica eſt improbitas in quibuſdam, qui tuliſſent acerbiùs, veniam tibi dari, [6] quam illi appellant tubam belli civilis: multaque ita dicunt, quaſi non gaudeant id bellum incidiſſe. Quare viſum eſt occultius agendum, neque ullo modo divulgandum, de te jam eſſe perfectum. ſed id erit perbrevi: nec dubito, quin, legente te has litteras, confecta jam res futura ſit. Panſa quidem mihi, gravis homo & certus, non ſolum confirmavit, verùm etiam recepit, perceleriter ſe ablaturum diploma. Mihi tamen placuit, hæc ad te perſcribi. minùs enim te firmum [7] ſermo Eppuleiæ tuæ, lacrymæque Ampiæ declarabant, quàm ſignificant tuæ litteræ: atque illæ arbitrabantur, cùm à te abeſſent ipſæ, multo in graviore te cura futurum. [8] Quare magno opere putavi, angoris, & doloris tui levandi cauſa, pro certis ad te ea, quæ eſſent certa, perſcribi. Scis, me antea ſic ſolitum eſſe ſcribere ad te, magis ut conſolarer fortem

1. *Caſu devincti magnis meis.*] Vulgò: *quaſi devincti*: ſed illud recepi ex Pal. pr. Grut. Vatic. editione Victorii.

2. *Iſtam acerbitatem & injuriam non diuturnè fore.*] Sic Pall. pr. tert. Grut. Stewech. Vatic. prima editio ac Victorii. vulgò *acerbitatem iſtam & injuriam non diuturnam fore.*

3. *M. T. C. AMPIO S. D.*] Vulgò T. AMPIO BALBO, contra libros. Victorii editio recte ſolum medium nomen agnoſcit, ut & Vatic. & Grut. codices. Pal. pr. hic in vitio leviter hæret: præſignat enim *Cicero Appio ſalutem plurimam.*

4. *Quam mea tempora ferebant.*] Paullum à Pall. pr. tert. Grut. Stewech. Vat. editione Victorii diſcedit prima editio: *quam tempora mea fer.* unde credo prorepſit vulgata lectio, *quàm tempora noſtra ferebant.* paullo poſt cum Lambino ac Manutio ſcripſi *debilitatæ gratiæ* cum ſit in omnibus libris noſtris *debilitate* errore ſolemni atque uſitato parum e pro æ dipthongo ſcribendi.

5. *Matius, Poſtumius.*] Ita Pal. pr. Vat. Victor. vulgò *Ma[illegible]us*, male. Codex Medicæus *Macius*, inde peccatum. ſed *Matius* [illegible]ianus, cujus meminit Tranquillus. paullo poſt Pall. pr. tert. Grut. Stewech. Peck. *quod ſi mihi per me efficiendum*. non *pro me*: quod & habet prima editionum: quamvis non diſplicet, tamen nihil audeo mutare.

6. *Quam illi appellant tubam belli civilis.*] Unica ſyllaba auctiores ſunt codices Pall. pr. tert. Grut. Stewech. Peck. editio prima: *& quam illi appellant tubam.* unde fortaſſe legendum: *dari ei, quam illi app.* vel potius, *darier, quam, &c.* ut in Vatinii ad Ciceronem epiſtola. vulgo, *quem illi appellabant.* paullo ante ſcripſi ex omnibus noſtris, *quam quia Cimber hab.* cum vulgò feratur, *quas quia* nimis pædagogicè.

7. *Sermo Eppuleiæ tuæ.*] Ita Victorius edidit: exſtatque in Pal. pr. ac Grut. *Epuleiæ.* vulgo *Appuleiæ.* editio princeps *Apuliæ.*

8. *Quare magno opere putavi.*] Sic paſſim Victorii editio ac Vaticanus codex, & hoc loco Pal. pr. Gulielmius tamen legendum judicat, *Magnopere ore*, non abſurde, ita tamen, ut ei hanc non invideam [illegible]. Verbum *oporteret* expungunt o. mſſ. poſt *perſcribi*: quod & mihi non tolerandum videbatur, licet Monſtrolienſis illud neceſſarium eſſe reſtaret.

1. *Ut*

fortem virum atque ſapientem, quàm [1] ut exploratæ ſpem ſalutis oſtenderem, niſi quam ab ipſa rep. cùm hic ardor reſtinctus eſſet, ſperari oportere cenſerem. Recordare tuas litteras, quibus & magnum animum mihi ſemper oſtendiſti, & ad omneis caſus ferendos conſtantem, ac paratum: quod ego non mirabar, cùm recordare, te & à primis temporibus ætatis in rep. eſſe verſatum, & tuos magiſtratus in ipſa diſcrimina incidiſſe ſalutis, fortunarumque communium: & in hoc ipſum bellum eſſe ingreſſum, non ſolùm uti victor, beatus, ſed etiam ut ſi ita accidiſſet, victus, ut ſapiens eſſes. Deinde, cum ſtudium tuum conſumas in virorum fortium factis memoriæ prodendis, conſiderare debes, nihil tibi eſſe committendum, quamobrem eorum, quos laudas, [2] te non ſimillimum præbeas. Sed hæc oratio magis eſſet apta ad illa tempora, quæ jam effugiſti. Nunc verò tantum te para ad hæc nobiſcum ferenda: quibus ego ſi quam medicinam invenirem, tibi quoque eandem traderem. Sed eſt unum perfugium, doctrina, ac litteræ, quibus ſemper uſi ſumus: quæ ſecundis rebus delectationem modò habere videbantur: nunc verò etiam ſalutem. Sed, ut ad initium revertar, cave dubites, quin omnia de ſalute, ac reditu tuo perfecta ſint.

13 CICERO LIGARIO.

ETSI tali tuo tempore me aut conſolandi, aut juvandi tui cauſa ſcribere ad te aliquid pro noſtra amicitia oportebat: tamen [3] adhuc id non feceram: quia neque lenire videbar oratione, neque levare poſſe dolorem tuum. Poſtea verò, quàm magnam ſpem habere cœpi, fore, ut te brevi tempore incolumem haberemus: facere non potui, quin tibi & ſententiam, & voluntatem declararem meam. Primum igitur ſcribam, quod intelligo, & perſpicio, non fore in te Cæſarem duriorem. nam & res eum quotidie, & dies, & opinio hominum, &, ut mihi videtur, etiam ſua natura mitiorem facit: idque cum de reliquis ſentio, tum de te etiam audio ex familiariſſimis ejus: quibus ego ex eo tempore, quo primùm ex Africa nuntius venit, ſupplicare unà cum fratribus tuis non deſtiti. quorum quidem & virtus, & pietas, & amor in te ſingularis, & aſſidua, & perpetua cura ſalutis tuæ tantum proficit, ut nihil ſit, quod non ipſum Cæſarem tributurum exiſtimem. Sed ſi tardiùs ſit, quàm volumus: magnis occupationibus ejus, à quo omnia petuntur, aditus ad eum difficiliores fuerunt: & ſimul Africanæ cauſæ iratior, diutiùs velle videtur eos habere ſollicitos à quibus ſe putat diuturnioribus eſſe moleſtiis conflictatum. ſed hoc ipſum intelligimus eum quotidie remiſſiùs, & placatiùs ferre. Quare mihi crede, & memoriæ manda, me tibi id affirmaſſe, te in iſtis moleſtiis diutiùs non futurum. Quum quid ſentirem, expoſui: quid vellem tua cauſa, re potiùs declarabo, quàm oratione: &, ſi tantum poſſem, quantum in ea rep. de qua ita ſum meritus, ut tu exiſtimas, poſſe debebam: ne tu quidem in iſtis incommodis eſſes. eadem enim cauſa opes meas fregit, quæ tuam ſalutem in diſcrimen adduxit. Sed tamen, quidquid imago veteris meæ dignitatis, quidquid reliquiæ gratiæ valebunt: ſtudium, conſilium, opera, gratia, fides mea, nullo loco deerit tuis optimis fratribus. Tu fac habeas fortem animum, quem ſemper habuiſti: primum ob eas cauſas, quas ſcripſi: deinde, quod ea de rep. ſemper voluiſti, atque ſenſiſti, ut non modo cum ſecunda ſperare debeas, ſed etiam, ſi omnia adverſa eſſent, tamen conſcientia & factorum, & conſiliorum tuorum, quæcumque acciderent, fortiſſimo, & maximo animo ferre deberes.

CICERO LIGARIO. 14

ME ſcito omnem meum laborem, omnem operam, curam, ſtudium in tua ſalute conſumere. nam cùm te ſemper maximè dilexi, tum fratrum tuorum, quos æquè, atque te, ſumma benivolentia ſum complexus, ſingularis pietas, amorque fraternus, nullum me patitur officii erga te, ſtudiique munus aut tempus prætermittere. Sed quæ faciam, fecerimque pro te, ex illorum te litteris, quàm ex meis, malo cognoſcere. Quid autem ſperem, aut confidam, & exploratum habeam de ſalute tua id tibi à me declarari volo. [4]Nam ſi quis eſt timidus in magnis, periculoſiſque rebus, ſemperque magis adverſos rerum exitus metuens, quàm ſperans ſecundos, is ego ſum: &, ſi hoc vitium eſt, eo me non carere confiteor. Ego idem tamen cùm ad v. Kal. intercalareis priores, rogatu fratrum tuorum veniſſem manè ad Cæſarem: atque omnem adeundi, & conveniendi illius indignitatem & moleſtiam pertuliſſem: cum fratres, & propinqui tui jacerent ad pedes, & ego eſſem locutus, quæ cauſa, [5] quæ tuum tempus poſtulabat: non ſolùm ex oratione Cæſaris, quæ ſanè mollis, & liberalis fuit: ſed etiam ex oculis & vultu; ex multis prætereà ſignis; quæ faciliùs perſpicere potui, quàm ſcribere: hanc in opinionem diſceſſi, ut mihi tua ſalus dubia non eſſet. Quamobrem fac animo magno, fortique ſis: &, ſi turbidiſſima ſapienter ferebas, tranquilliora lætè feras. Ego tamen tuis rebus ſic adero, ut difficillimis, neque Cæſari ſolum, ſed etiam amicis ejus, omnibus, quos mihi amiciſſimos eſſe cognovi, pro te, ſicut adhuc feci, libentiſſimè ſupplicabo. Vale.

CICERO BASILIO, S. 15

TIBI gratulor: mihi gaudeo: te amo: tua tueor. à te amari, & quid agas, quidque agatur, certior fieri volo.

BITHYNICUS CICERONI, S. 16

SI mihi tecum non & multæ, & juſtæ cauſæ amicitiæ privatim eſſent, repeterem initia amicitiæ ex parentibus noſtris, quod faciendum iis exiſtimo, qui paternam amicitiam nullis ipſi officiis proſecuti ſunt. Itaque contentus ero noſtra ipſorum amicitia: cujus fiducia peto à te, ut abſentem me, quibuſcumque in rebus opus fuerit, tueare, ſi nullum officium tuum apud me intermoriturum exiſtimas. Vale.

M. CICERO BITHYNICO, S. 17

CUM ceterarum rerum cauſa cupio eſſe aliquando remp. conſtitutam: tum velim mihi credas, accedere id etiam, quo magis expetam promiſſum tuum, quo in litteris uteris. Scribis enim, ſi ita ſit, te mecum eſſe victurum. Gratiſſima mihi tua voluntas eſt: faciſque nihil alienum neceſſitudine noſtra, judiciiſque patris tui de me, ſummi viri. Nam ſic habeto: beneficiorum magnitudine eos, qui temporibus valuerunt, aut valeant, conjunctiores tecum eſſe, quàm me: neceſſitudine, neminem. Quamobrem grata mihi eſt, & memoria tua noſtræ conjunctionis, & ejus etiam augendæ voluntas.

CICE-

1. *Ut exploratæ ſpem ſalutis oſtenderem.*] Prætuli hoc ex Pal. pr. tert. Stewechiano: nec longe abeunte Gruteriano, *explora te*, repræſentante. Peck. *explorato*, unde forte legendum ſuſpicabatur Gulielm. *explorato*. paullo poſt ſtatim ſcripſi ex editione principe, Grut. Pal. tert. Stewech. Peck. *niſi quam ab ipſa rep.* cum vulgetur, *niſi eam, quam, &c.* Lambinus pertendat, *niſi ejus, quam, &c.* Denique ex omnibus mſſ. *reſtinctus*: pro quo extitat *extinctus*.

2. *Te non ſimillimum præbeas.*] Unanimo conſenſu hanc lectionem præſtant Pall. pr. tert. Grut. Vatic. editio princeps ac Victorii. Lambinus, tamen ne nihil poſt Victorium novi addidiſſe putetur, legit, *te non quam ſimillimum præbeas.* quam tamen video exſtare in v. c. ut hîc ei ignoſcam. vulgò, *non te ſimilem præbeas.*

3. *Adhuc id non feceram.*] Sic Medic. codex, & ex eo Victorius, neque variat Vatic. at Pall. pr. tert. Grut. *fecerim.* vulgò *feci.*

4. *Nam ſi quis eſt timidus.*] Ita fidenter ſcribo ex Pal. tert. Gruter. Stewech. quod ita meminerim loqui Plaut. Moſtellaria de hac re: *qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit.* Vulgò *quiſquam.*

5. *Quæ tuum tempus poſtulabat.*] O. mſſ. melius, quam vulgò, *quæ tempus tum poſtulabat.* paullò poſt, *& vultu; ex multis præterea ſignis* habent cum o. mſſ. editiones Victorii ac prima. Lambinus tamen homo furaciſſimus & vaniſſimus omnium, & *vultu & ex multis.* vulgò *& vultu & multis præt.*

1. *Simul*

18 CICERO LEPTÆ.

[1] SIMUL accepi à Seleuco tuo litteras, ſtatim quæſivi è Balbo per codicillos, quid eſſet in lege. Reſcripſit, Eos, qui facerent præconium, vetari eſſe in decurionibus: qui feciſſent, non vetari. Quare bono animo ſint & tui, & mei familiares. neque enim erat ferendum, cùm, qui hodie haruſpicinam facerent, in ſenatu Romæ legerentur: eos, qui aliquando præconium feciſſent, in municipiis decuriones eſſe non licere. De Hiſpaniis novi nihil; magnum tamen exercitum Pompejum habere conſtat. Nam Cæſar ipſe [2] ad vos miſit exemplum Paciæci litterarum, in quo erat, illi undecim eſſe legiones. ſcripſerat etiam Meſſala Q. Salaſſo, P. Curtium fratrem ejus, juſſu Pompeii, inſpectante exercitu, interfectum, quòd conſenſiſſet cum Hiſpanis quibuſdam, ſi in oppidum neſcio quod Pompejus rei frumentariæ cauſa veniſſet, eum comprehendere, ad Cæſaremque deducere. De negotio tuo, quod ſponſor es pro Pompejo: ſi Galba conſponſor tuus redierit, homo in re familiari non parum diligens, non deſinam cum illo communicare, ſi quid expediri poſſit: quod videbatur mihi ille confidere. Oratorem meum tantopere à te probari vehementer gaudeo. Mihi quidem ſic perſuadeo, me, quidquid habuerim judicii de dicendo, in illum librum contuliſſe. Qui ſi eſt talis, qualem tibi videri ſcribis, ego quoque aliquid ſum: ſin aliter, non recuſo, quin, quantum de illo libro, tantumdem de mei judicii fama detrahatur. Leptam noſtrum cupio delectari jam talibus ſcriptis. etſi abeſt maturitas ætatis, tamen perſonare aureis ejus hujuſmodi vocibus, non eſt inutile. Me Romæ tenuit omnino Tulliæ meæ partus. Sed cum ea, quemadmodum ſpero, ſatis firma ſit: teneor tamen, dum à Dolabellæ procuratoribus exigam primam penſionem: &, mehercule, non tam ſum peregrinator jam, quam ſolebam. ædificia mea me delectabant, & otium. domus eſt, quæ nulli villarum mearum cedat: otium omni deſertiſſima regione majus. Itaque ne litteræ quidem meæ impediuntur: [3] in quibus ſine ulla interpellatione verſor. Quare, ut arbitror, priùs hic te nos, quàm iſtic tu nos videbis. Lepta ſuaviſſimus ediſcat Heſiodum: & habeat in ore,

Τῆς δ᾽ ἀρετῆς ἱδρῶτα.

19 CICERO LEPTÆ, S.D.

MACULAM officio functum eſſe gaudeo. ejus Falernum mihi ſemper idoneum viſum eſt diverſorio: ſi modò tecti ſatis eſt ad comitatum noſtrum recipiendum. [4] Ceteroqui mihi locus non diſplicet: nec ea re Petrinum tuum deſeram. Nam & villa, & amœnitas illa, commorationis eſt, non diverſorii. [5] De curatione aliqua munerum regionum, cum Oppio locutus ſum. nam Balbum, poſteaquam tu es profectus, non vidi. tantis pedum doloribus afficitur, ut ſe conveniri nolit. Omnino de tota re, ut mihi videtur, ſapientius faceres, ſi non curares. quod enim eo labore aſſequi vis, nullo modo aſſequere. tanta eſt enim intimorum multitudo, ut ex his aliquis potiùs effluat, quam novo ſit aditus: præſertim qui nihil afferat, præter operam: in qua ille ſe dediſſe beneficium putabit, (ſi modò ipſum ſciet) non accepiſſe. Sed tamen aliquid videbimus, [6] in quo ſit ſpecies. aliter quidem non modò non appetendum, ſed etiam fugiendum puto. Ego me Aſturæ diutiùs arbitror commoraturum, quoad ille quandoque veniat. Vale.

CICERO TORANIO, S. 20

DEDERAM triduo antè pueris Cn. Plancii litteras ad te. eo nunc ero brevior, teque, ut anteà conſolabar, hoc tempore monebo. Nihil puto tibi eſſe utilius, quàm ibidem opperiri, quoad ſcire poſſis, quid tibi agendum ſit. Nam præter navigationis longæ, & hiemalis, & minimè portuoſæ periculum, quod vitaveris, [7] ne illud quidem non quantivis, ſubitò cùm certi aliquid audieris, te iſtinc poſſe proficiſci. Nihil eſt præterea, [8] cur adventibus te offerre geſtias. multa præterea metuo, quæ cum Cilone noſtro communicavi. Quid multa? Loco opportuniore in his malis nullo eſſe potuiſti: ex quo te, quocumque opus erit, facillimè, & expeditiſſimè conferas. Quòd ſi recipiet ille ſe: ad tempus aderis. ſin ([9] quum multa accidere poſſunt) aliqua res eum vel impediet, vel morabitur: tu ibi eris, ubi omnia ſcire poſſis. hoc mihi prorſus valde placet. De reliquo, ut te ſæpe per litteras hortatus ſum, ita velim tibi perſuadeas, te in hac cauſa nihil habere, quòd tibi timendum ſit, præter communem caſum civitatis: qui etſi eſt graviſſimus, tamen ita viximus, & id ætatis jam ſumus, ut omnia, quæ non noſtra culpa nobis accidant, fortiter ferre debeamus. Hìc tui omnes valent, ſummaque pietate te deſiderant, & diligunt, & colunt. Tu & cura ut valeas, & te iſtinc ne temerè commoveas.

CICERO TORANIO, S. 21

ETSI, cùm hæc ad te ſcribebam, aut appropinquare exitus hujus calamitoſiſſimi belli, aut jam aliquid actum, & confectum videbatur: tamen quotidie commemorabam, te unum in tanto exercitu mihi fuiſſe aſſenſorem, & me tibi: ſoloſque nos vidiſſe, quantum eſſet in eo bello mali, in quo, ſpe pacis excluſa, ipſa victoria futura eſſet acerbiſſima: quæ aut interitum allatura eſſet, ſi victus eſſes: aut, ſi viciſſes, ſervitutem. Itaque ego, quem tum fortes illi viri, & ſapientes, Domitii, & Lentuli, timidum

1. *Simul accepi à Seleuco.*] Rectiſſime & elegantiſſime. ſic Pall. pr. tert. Grut. Peck. & Medic. vulgò: *ſimul ut accepi.* Alii *ſimul ac acc.* alii *ſimul atque acc.* Memini ſic loqui ſæpiſſime optimos auctores & in illis Curtium meum. Videantur tamen ad hunc locum Manutiana, nam eum vix linguæ Latinæ elegantiis aſperſum dixerim, qui diffiteatur aut ignoret talia.

2. *Ad vos miſit exemplum Paciæci.*] Sic Pal. pr. Victorius ac Vatic. nec longe divertit Grut. in quo viſitur *paciaci.* ceterum *vos* non *nos* ingerunt Pall. pr. Grut. Vatic. editio Victorii. ſtatim modo: *in quo erat, illi undecim eſſe legiones.* Pall. prim. tert. Grut. *illas undecim eſſe leg.* non malè, non præhabenda videbitur ſcriptura Stew. *ipſas undecim eſſe* leg. hoc eſt, expletas, integras. Peck. *in quo erit illas* XI. unde Gulielm. conjectabat, *erat illis.* neſcio quo ſenſu.

3. *In quibus ſine ulla interpellatione verſor.*] Vulgatur: *ſine ullo interpellatore verſor:* ſed noſtram repoſui ex Pall. prim. tert. Grut. Vatic. editione Victorii.

4. *Ceteroqui mihi locus non diſplicet.*] Sic eſt in Pall. pr. tert. Grut. Vatic. Peck. editione Victorii: vulgò: *ceterùm is mihi quidem locus.*

5. *De curatione aliqua munerum regionum.*] Ita optimus codex Palat primus: ſed ante ita legendum conjecerat Paullus Manutius, non improbante Lambino, quandoquidem in aliquo ſuorum repererat *regionis.* vulgò, *regiorum.*

6. *In quo ſit ſpecies.*] Quandoquidem in omnibus non ſequi tantum, ſed etiam exprimere Victorianam editionem ſtatuimus: lectionem quoque ejuſdem ex Medic. libro aſcitam, & eruditiſſimè explicatam; fruſtra tamen ab ejuſdem æmulis impugnatam prætulimus vulgatæ: quum illam quoque codex Vaticanus agnoſcat. vulgo *ſpes:* ex compendio nata.

7. *Ne illud quidem non quantivis ſubito.*] Pall. primus, tertius, Gruterianus, *ne illud quidem non quamvis ſubito:* ut liqueat vel cæco illud *quantivis* degeneraſſe in *quamvis*, quod quia æque in ſuis ſic invenit Lambinus, ut adderet aliquid poſt accuratiſſimum Victorium, ſincerum vas incruſtavit legendo *non quantivis, quamvis ſubito.* vulgò: *ne illud quidem negligendum quamvis;* ſed noſtram lectionem architectatus eſt ex Medic. Victorius, dilaudat Lambinus, adſtruit Vaticanus. Ego bonum exagitare Manutium hic tempero.

8. *Cur adventibus te offerre geſtias.*] Ita Pal. pr. Vaticanus, Victorii editio. vulgò: *advenientibus.* Scio Magiſtellos, qui pueris ſuis has epiſtolas interpretabuntur, non aſſecuturos emendationes noſtras; ſed per me illis in linguæ Latinæ arcana penitus ſe penetrare licet: non vacat ſingula nec lubet eviſcerare & commentarios πολλῶν ἡμιόνων ἄχθος exaggerare & undequaque coacervare: qui ſapit, ſapiat. Paullo ſtatim ſcripſi *quæ cum Cilone noſtro communicavi*, ex auctoritate Pal. pr. Victorius *Chilone.* vulgò *Milone.*

9. *Quum multa accidere poſſunt.*] Ita Victorius: malim tamen adminiculante Pal. primo, *quum vel multa acc.* vulgò: *quoniam multa acc.*

dem eſſe dicebant: (eram planè: timebam enim, ne evenirent ea, quæ acciderunt) idem nunc nihil timeo, & ad omnem eventum paratus ſum. Cùm aliquid videbatur caveri poſſe: tum id negligi dolebam. nunc verò, everſis omnibus rebus, cùm conſilio profici nihil poſſit, una ratio videtur, quicquid evenerit, ferre moderatè: PRÆSERTIM CUM OMNIUM RERUM MORS SIT EXTREMUM: & mihi ſim conſcius, me, quoad licuerit, dignitati reipub. conſuluiſſe: &, hac amiſſa, ſalutem retinere voluiſſe. Hæc ſcripſi, non ut de me ipſe dicerem, ſed ut tu, qui conjunctiſſima fuiſti mecum & ſententia, & voluntate, eadem cogitares. MAGNA ENIM conſolatio eſt, cùm recordare, etiam ſi ſecus acciderit, te tamen rectè, vereque ſenſiſſe. Atque utinam liceat aliquando aliquo reip. ſtatu nos frui, inter noſque conferre ſollicitudines noſtras, quas pertulimus tum, cùm timidi putabamur, quia dicebamus ea futura, quæ facta ſunt. De tuis rebus nihil eſſe, quod timeas, præter univerſæ reip. interitum, tibi confirmo. De me autem ſic velim judices, quantum ego poſſim, me tibi, ſaluti tuæ, liberiſque tuis ſummo cum ſtudio præſtò ſemper futurum. Vale.

22 CICERO DOMITIO.

NON ea res me deterruit, quo minùs, poſteà quàm in Italiam veniſti, litteras ad te mitterem, quod tu ad me nullas miſeras: ſed quia nec quid tibi pollicerer, ipſe egens rebus omnibus: nec, quid ſuaderem, cùm mihimetipſi conſilium deeſſet: nec quid conſolationis afferrem in tantis malis, reperiebam. Hæc quamquam nihilo meliora ſunt, nunc etiam atque etiam multò deſperatiora, tamen inaneis eſſe meas litteras, quam nullas, malui. Ego, ſi te intelligerem plus conatum eſſe ſuſcipere reip. cauſa muneris, quàm quantum præſtare potuiſſes: tamen, quibuſcumque rebus poſſem, ad eam conditionem te vivendi, quæ daretur, quæque eſſet, hortarer. Sed cùm conſilii tui benè, fortiterque ſuſcepti, eum tibi finem ſtatueris, quem ipſa fortuna terminum noſtrarum contentionum eſſe voluiſſet: oro, obteſtorque te pro vetere noſtra conjunctione, ac neceſſitudine, proque ſumma mea in te benivolentia, & tua in me pari, te ut nobis, parenti, conjugi, tuiſque omnibus, quibus es, fuiſtique ſemper cariſſimus, ſalvum conſerves. incolumitati tuæ, tuorumque, qui ex te pendent, conſulas: quæ didiciſti, quæque ab adoleſcentia pulcerrimè à ſapientiſſimis viris tradita, memoria & ſcientia comprehendiſti, iis hoc tempore utare: quos conjunctos ſumma benivolentia, plurimiſque officiis amiſiſti, eorum deſiderium, ſi non æquo animo, at forti feras. Ego, quid poſſim, neſcio: vel potiùs me parum poſſe ſentio: illud tamen tibi polliceor, me, quæcumque ſaluti dignitatique tuæ conducere arbitrabor, tanto ſtudio eſſe facturum, quanto ſemper tu & ſtudio & officio in meis rebus fuiſti. Hanc meam voluntatem ad matrem tuam, optimam fæminam, tuique amantiſſimam, detuli. Si quid ad me ſcripſeris, ita faciam, ut te velle intellexero. Sin autem tu minùs ſcripſeris: ego tamen omnia quæ tibi utilia eſſe arbitrabor, ſummo ſtudio diligenterque curabo. Vale.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM LIBER SEPTIMUS, AD M. MARIUM, ET ALIOS.

1 M. CICERO S.D. M. MARIO.

[1] SI te dolor aliqui corporis, aut infirmitas valitudinis tuæ tenuit, quo minùs ad ludos venires: fortunæ magis tribuo, quàm ſapientiæ tuæ. Sin hæc, quæ ceteri mirantur, contemnenda eſſe duxiſti, &, cùm per valitudinem poſſes, venire tamen noluiſti: utrumque lætor, & ſine dolore corporis te fuiſſe, & animo valuiſſe, cùm ea, quæ ſine cauſa mirantur alii, neglexeris: modò, ut tibi conſtiterit fructus otii tui: quo quidem tibi perfrui mirificè licuit, cùm eſſes in iſta amœnitate pænè ſolus relictus. Neque tamen dubito, quin tu ex illo cubiculo tuo, ex quo tibi Stabianum perforaſti, & [2] pateféciſti Sejanum, per eos dies matutina tempora lectiunculis conſumſeris: cùm illi intereà, qui te iſtic reliquerunt, ſpectarent communeis mimos ſemiſomni. Reliquas verò parteis diei tu conſumebas his delectationibus, quas tibi ipſe ad arbitrium tuum compararas: nobis autem erant ea perpetienda, quæ ſcilicet Sp. Mæcius probaviſſet. Omnino, ſi quæris, ludi apparatiſſimi: ſed non tui ſtomachi. conjecturam enim facio de meo. Nam primùm honoris cauſa in ſcenam redierant ii, quos ego honoris cauſa [3] de ſcena deceſſe arbitrabar. Deliciæ verò tuæ, noſter Æſopus, ejuſmodi fuit, ut ei deſinere per omnes homines liceret. is jurare cùm cœpiſſet, vox eum defecit in illo loco, SI SCIENS FALLO. Quid tibi ego alia narrem? noſti enim reliquos ludos. [4] Quid? ne id quidem leporis habuerunt, quod ſolent mediocres ludi. Apparatus enim ſpectatio tollebat omnem hilaritatem: quo quidem apparatu non dubito, quin animo æquiſſimo carueris. Quid enim delectationis habent ſexcenti muli in Clytemneſtra? aut in equo Trojano craterarum tria millia? aut armatura varia peditatus, & equitatus in aliqua pugna? quæ popularem admirationem habuerunt. delectationem tibi nullam attuliſſent. Quòd ſi tu per eos dies operam dediſti Protogeni tuo, dummodò is tibi quidvis potiùs, quàm orationes meas legerit: næ tu haud paullò plus, quàm quiſquam noſtrûm, delectationis habuiſti. Non enim te puto Græcos, aut Oſcos ludos deſideraſſe: præſertim [5] cum Oſcos ludos vel in ſenatu veſtro ſpectare poſſis: Græcos ita non ames, ut ne ad villam quidem tuam via Græca ire ſoleas. Nam quid ego te athletas putem deſiderare, qui gladiatores

1. *SI te dolor aliqui corporis.*] Sic Victorius, & Vatic. & alibi ſæpiſſime reſtituimus *qui* pro quo vulgabatur *quis.* paullò poſt ex Pall. duobus ac Gruteriano edendum duxi, *contemnenda eſſe duxiſti:* nam vulgo verbum *eſſe* deſideratur.

2. *Pateféciſti Sejanum.*] Prima editio, *ſenium:* Gruterianus, Medic. Pall. *ſenum:* & hic præterea ad oram, *ſemnium*, Pal. alter, *ſeni nuper eos dies.* Lambinus, *Miſenum*, quod ſi a libris eſt, valide probo.

3. *De ſcenâ deceſſe arbitrabar.*] Sic Pal. pr. Vatic. Victorii editio. vulgo, *deceſſiſſe.*

4. *Quid? ne id quidem leporis habuerunt.*] Lambinus obſecutus judicio Rivii introduxit, *quid, quòd ne id quidem leporis hab.* quam quidem ſcripturam in nullo noſtrorum oſtendi. Gulielmius ex conjectura ſanandum ſumebat hoc modo: *qui ne id quidem.* Sagacior omnino mihi Rivius.

5. *Cùm Oſcos ludos vel in ſenatu veſtro ſpectare poſſis: Græcos ita non ames.*] Ita eſt in Pal. pr. Vaticano, editione Victorii: *veſtro* quidem, pro quo vulgo *noſtro* Grut. & alter Pal. poſtrema verò ita concipiunt: *Græcos vero ita ames.* vulgò: *Græcos vero ita non ames.*

1. Quo

diatores contemſeris? in quibus ipſe Pompejus confitetur, ſe & operam & oleum perdidiſſe. Reliquæ ſunt venationes binæ per dies quinque, magnificæ, nemo negat. ſed [1] quæ poteſt homini eſſe polito delectatio, cùm aut homo imbecilius à valentiſſima beſtia laniatur, aut præclara beſtia venabulo transverberatur? quæ tamen, ſi videnda ſunt, ſæpe vidiſti: neque nos, qui hæc ſpectavimus, quidquam novi vidimus. Extremus elefantorum dies fuit: in quo admiratio magna vulgi atque turbæ: [2] delectatio nulla exſtitit. quin etiam miſericordia quædam conſecuta eſt, atque opinio ejuſmodi, eſſe quandam illi beluæ cum genere humano ſocietatem. His ego tamen diebus, ludis ſcenicis, ne forte videar tibi non modò beatus, [3] ſed liber omnino fuiſſe, dirupi me pænè in judicio Galli Caninii, familiaris tui. Quòd ſi tam facilem populum haberem, quàm Æſopus habuit: libenter mehercule artem deſinerem, tecumque, & cum ſimilibus noſtri viverem. Nam me cùm antea tædebat, cùm & ætas, & ambitio me hortabantur, & licebat denique, quem nolebam, non defendere: tum verò hoc tempore vita nulla eſt. [4] Neque enim fructum ullum laboris ex his exſpecto: & cogor nonnumquam homines non optimè de me meritos, rogatu eorum, qui bene meriti ſunt, defendere. Itaque quæro cauſas omneis aliquando vivendi arbitratu meo: teque, & iſtam rationem otii tui & laudo vehementer, & probo: quodque nos minùs intervisis, hoc fero animo æquiore, quòd, ſi Romæ eſſes, tamen neque nos lepore tuo, neque te (ſi qui eſt in me) meo frui liceret, propter moleſtiſſimas occupationes meas: quibus ſi me relaxaro, (nam ut planè ex ſolvam, [5] non poſtulo: te ipſum qui id multos annos nihil aliud commentaris) docebo profectò, quid ſit humaniter vivere. [6] Tu mihi iſtam imbecillitatem valitudinis tuæ ſuſtenta, & tuere, ut facis, ut noſtras villas obire, & mecum ſimul lecticula concurſare poſſis. Hæc ad te pluribus verbis ſcripſi, quàm ſoleo, non otii abundantia, ſed amoris erga te, quod me quadam epiſtola ſubinvitaras, ſi memoria tenes, ut ad te aliquid hujuſmodi ſcriberem, quo minùs te prætermiſiſſe ludos pœniteret. Quod ſi aſſecutus ſum, gaudeo: ſin minus, hoc me tamen conſolor, quòd poſthac ad ludos venies, noſque viſes: neque in epiſtolis relinques meis ſpem aliquam delectationis tuæ. Vale.

2 M. T. C. M. MARIO S. D.

MANDATUM tuum curabo diligenter. Sed homo acutus, ei mandaſti potiſſimum, cui expediret, illud vænire quàm plurimo. Sed eo vidiſti multum, quod præfiniſti, quo ne pluris emerem. Quòd ſi mihi permiſiſſes: qui meus amor in te eſt: confeciſſem cum coheredibus. nunc, quum tuum pretium novi, [7] in licitatorem potiùs ponam, quàm illud minoris væneat. ſed de joco ſatis eſt. Tuum negotium agam, ſicuti debeo, diligenter. De Burſa, te gaudere certe ſcio. ſed nimis verecundè mihi gratularis. Putas enim, ut ſcribis, propter hominis ſordeis, minùs me magnam illam lætitiam putare. Credas mihi velim, magis me judicio hoc, quàm morte inimici lætatum. Primum enim judicio malo, quàm gladio: deinde gloria potius amici, quàm calamitate. In primiſque me delectavit, tantum ſtudium bonorum in me exſtitiſſe contra incredibilem contentionem clariſſimi, & potentiſſimi viri. Poſtremò, vix veriſimile fortaſſe videatur, oderam multo pejus hunc, quàm illum ipſum Clodium. Illum enim oppugnaram: hunc defenderam. Et ille, cùm omnis reſp. in meo capite diſcrimen eſſet habitura, magnum quiddam ſpectavit: nec ſua ſponte, ſed eorum auxilio, qui me ſtante ſtare non poterant: hic ſimiolus, animi cauſa, me, in quem inveheretur, delegerat: perſuaſeratque nonnullis invidis meis, ſe in me emiſſarium ſemper fore. Quamobrem valde jubeo gaudere te. magna res geſta eſt. numquam ulli fortiores cives fuerunt, quàm qui auſi ſunt eum contra tantas opes ejus à quo ipſi lecti judices erant, condemnare. Quod feciſſent numquam, niſi iis dolori meus fuiſſet dolor. [8] Nos hìc in multitudine, & celebritate judiciorum, & novis legibus ita diſtinemur, ut quotidie vota faciamus, ne intercaletur, ut quàm primùm te videre poſſimus.

M. CICERO M. MARIO S. D. 3

PERSÆPE mihi cogitanti de communibus miſeriis in quibus tot annos verſamur, & (ut video) verſabimur, ſolet in mentem venire illius temporis, quo proximè fuimus unà. quin etiam ipſum diem memoria teneo. Nam ad III. Idus Majas, Lentulo, & Marcello conſulibus, cùm in Pompejanum veſperi veniſſem, tu mihi ſollicito animo præſtò fuiſti. Sollicitum autem te habebat cogitatio tum officii, tum etiam periculi mei. Si manerem in Italia, verebare, ne officio deeſſem: ſi proficiſcerer ad bellum, periculum te meum commovebat. Quo tempore vidiſti profectò me quoque ita conturbatum, ut non explicarem, quid eſſet optimum factu. pudori tamen malui, famæque cedere, quàm ſalutis meæ rationem ducere. Cujus me mei facti pœnituit, non tam propter periculum meum, quàm propter vitia multa, quæ ibi offendi, quò veneram. Primùm neque magnas copias, neque bellicoſas: deinde, extra ducem, paucoſque præterea, (de principibus loquor) reliqui primùm in ipſo bello rapaces: deinde in oratione ita crudeles, ut ipſam victoriam horrerem: maximum autem æs alienum ampliſſimorum virorum. Quid quæris? nihil boni, præter cauſam. Quæ cum vidiſſem: deſperans victoriam, primum cœpi ſuadere pacem, cujus fueram ſemper auctor: deinde, cum ab ea ſententia Pompejus valde abhorreret, ſuadere inſtitui, ut bellum duceret. Hoc interdum probabat, & in ea ſententia videbatur fore, & fuiſſet fortaſſe, niſi quadam ex pugna cœpiſſet ſuis militibus confidere. Ex eo tempore vir ille ſummus, nullus imperator fuit. Signa tirone & collectitio exercitu cum legionibus robuſtiſſimis contulit. victus turpiſſimè, amiſſis etiam caſtris, ſolus fugit. Hunc ego belli mihi finem feci: nec putavi, cùm integri pares non fuiſſemus, fractos ſuperiores fore. Diſceſſi ab eo bello, in quo aut in acie cadendum fuit, aut in aliquas inſidias incidendum, aut deveniendum in victoris manus,

1. *Quæ poteſt homini eſſe polito delectatio.*] Ita Victorii editio, ac Vaticanus codex. Pal. alter *polito.* reliqui, ut & primus & Grut. *politico*: quod hìc à Cicerone ſcriptum eſſe, decem Manutiis juratis non accredam.

2. *Delectatio nulla exſtitit.*] Grut. *adſtitit*: Pal. alter *extit*: ut apud Naſonem in Fabula Alcyones, *quæ pars admonet abſtit.*

3. *Sed liber omnino fuiſſe, dirupi me pæne.*] Rectiſſimè ſic Pall. duo, Grut. Stewech. editio Victorii. Ego quidem hujus lectionis longe aliam ſententiam video, quam non potuiſſe venire in mentem Lambino, demiror. vulgatum eſt: *Sed ne liber omnino fuiſſe, dirupi pæne me.*

4. *Neque enim fructum ullum laboris ex his exſpecto.*] Ita Victorius, & Vaticanus codex: Pall. tamen bini, Grut. prima editio, quinque Gulielmio ſuper hoc loco conſulti, *fructum ullum laboris ex his peto.* vulgo: *laboris exſpecto.*

5. *Non poſtulo: te ipſum qui id multos annos nihil aliud commentariis docebo.*] Accepi hanc lectionem ex editione Victorii & cod. Vaticano, utpote rectiſſimam & elegantiſſimam. Pall. duo, Gruter. tres Gulielm. *& te ipſum quidem, quod multos annos, &c.* ceterum primus, ac Grut. *commentares.* Pal. alter *commentere*, à manu ſecunda. vulgatum eſt: *(non poſtulo, te ipſum quidem qui multos, &c.*

6. *Tu mihi iſtam imbecillitatem valetudinis tuæ ſuſtenta.*] Sic melius ex Gruteriano & Stewech. nam Pal. tert ac vulgò: *Tu modo iſtam, &c.* Paullò poſt ſtatim edidi: *& mecum ſimul lecticula concurſare*: cum vulgo exſtet *circumcurſare* ex Pall. duobus Gruter. editione Victorii ac omnium antiquiſſima Venetâ. Pal. tamen alter ſtabilit talem lectionem: *& mecum noſtra ſimul lecticula concurſare.*

7. *In licitatorem potius ponam.*] Sic Pal. pr. atque editio Victorii. alter verò: *In licitatore potius ponam.* Gruterianus, *in licitationem potius ponam*: ſicut & editio priſca. Editum eſt: *licitatorem potius apponam.*

8. *Nos hic in multitudine & celebritate judiciorum.*] Ita emendavit & edidit Victorius, aſſentitur Vaticanus. Vulgò *in* omittitur. ceterum frivola eſt Lambini emendatio *crebritate*, in quam vel cordatiores deſpuent, vel pueri ipſi mejent.

nus, aut ad Jubam confugiendum, aut capiendus tanquam exſilio locus, aut conſciſcenda mors voluntaria. Certè nihil fuit prætereà, ſi te victori nolles, aut non auderes committere. Ex omnibus autem iis, quæ dixi, incommodis, nihil tolerabilius exſilio, præſertim innocenti: ubi nulla adjuncta eſt turpitudo: addo etiam, cum ea urbe careas, in qua nihil ſit, quod videre poſſis ſine dolore. Ego cum meis, (ſi quidquam nunc cujuſquam eſt) etiam in meis eſſe malui. Quæ acciderunt, omnia dixi futura. Veni domum, non quò optima vivendi conditio eſſet: ſed tamen, [1] ſi eſſet aliqua forma reipub. tanquam in patria ut eſſem: ſi nulla, tanquam in exſilio. Mortem mihi cur conſciſcerem, cauſa nulla viſa eſt: cur optarem, multæ cauſæ. Vetus eſt enim, UBI NON SIS QUI FUERIS, NON ESSE cur velis vivere. Sed tamen vacare culpa, magnum eſt ſolatium, præſertim cùm habeam duas res, quibus me ſuſtentem: optimarum artium ſcientiam, & maximarum rerum gloriam: quarum altera mihi vivo numquam eripietur: altera ne mortuo quidem. Hæc ad te ſcripſi verboſius, & tibi moleſtus fui, quod te cùm mei, tum reipub. cognovi amantiſſimum. Notum tibi omne meum conſilium eſſe volui, ut primùm ſcires, me numquam voluiſſe plus *quemquam* poſſe, quàm univerſam rempub. Poſteà autem, quàm alicujus culpa tantum valeret unus, ut obſiſti non poſſet, me voluiſſe pacem. amiſſo exercitu, & eo duce, in quo ſpes fuerat uno, [2] me voluiſſe etiam, reliquis omnibus poſtquam non potuerim, mihi ipſe finem feciſſe belli: nunc autem, ſi hæc civitas eſt, civem eſſe me: ſi non, exulem eſſe non incommodiore loco, quàm ſi Rhodum, aut Mytilenas contuliſſem. Hæc tecum coràm malueram: ſed quia longiùs fiebat, volui per litteras eadem: ut haberes quid diceres, ſi quando in vituperatores meos incidiſſes. Sunt enim, qui, cùm meus interitus nihil fuerit reip. profuturus, criminis loco putent eſſe quòd vivam. Quibus ego certò ſcio non videri ſatis multos periiſſe: qui ſi me audiſſent, quamvis iniqua pace, honeſtè tamen viverent. Armis enim inferiores, non cauſa fuiſſent. Habes epiſtolam verboſiorem fortaſſe, quàm velles: quod tibi ita videri putabo, niſi mihi longiorem remiſeris. Ego, ſi, quæ volo, expediero, brevi tempore te, ut ſpero, videbo.

4 M. T. C. M. MARIO, S. D.

AD IX. Kal. in Cumanum veni cum Libone tuo, vel noſtro potiùs. in Pompejanum ſtatim cogito. Sed faciam antè te certiorem. Te cùm ſemper valere cupio, tum certè, dum hic ſumus. Vides enim, quanto pòſt una futuri ſimus. Quare ſi quod conſtitutum cum podagra habes, fac ut in alium diem differas. Cura igitur, ut valeas: & me hoc biduo, aut triduo exſpecta.

5 CICERO CÆSARI IMPER. S. D.

VIDE, quàm mihi perſuaſerim, te me eſſe alterum, non modò in his rebus, quæ ad me ipſum, ſed etiam in iis, quæ ad meos pertinent. C. Trebatium cogitaram, quocumque exirem, mecum ducere, [3] ut eum meis omnibus ſtudiis, beneficiis quàm ornatiſſimum, domum reducerem. Sed poſtea quàm & Pompeii commoratio diuturnior erat, quàm putaram: & mea quædam tibi non ignota dubitatio, aut impedire profectionem meam videbatur, aut certè tardare: [4] vide, quid mihi ſumſerim. Cœpi velle, ea Trebatium exſpectare à te, quæ ſperaſſet à me. Neque me hercule minùs ei prolixè de tua voluntate promiſi, quàm eram ſolitus de mea polliceri. Caſus verò mirificus quidam intervenit, quaſi vel teſtis opinionis meæ, vel ſponſor humanitatis tuæ. Nam cùm de hoc ipſo Trebatio cum Balbo noſtro loquerer accuratiùs domi meæ, litteræ mihi dantur à te: quibus in extremis ſcriptum erat, [5] M. ORFIUM, QUEM MIHI COMMENDAS, VEL REGEM GALLIÆ FACIAM, [6] VEL HUNC LEPTÆ DELEGA. SI VIS TU, AD ME ALIUM MITTE QUEM ORNEM. Suſtulimus manus & ego, & Balbus. tanta fuit opportunitas, ut illud neſcio quod non fortuitum, ſed divinum videretur. Mitto igitur ad te Trebatium, atque ita mitto, ut initiò mea ſponte, pòſt autem invitatu tuo mittendum duxerim. Hunc, mi Cæſar, ſic velim omni tua comitate complectare, ut omnia, quæ per me poſſis adduci, ut in meos conferre velis, in unum hunc conferas: de quo tibi homine hæc ſpondeo non illo vetere verbo meo, quod, cùm ad te de Milone ſcripſiſſem, jure luſiſti: ſed more Romano, quo modo homines non inepti loquuntur: probiorem hominem, meliorem virum, [7] prudentiorem eſſe neminem. Accedit etiam, quod [8] familiam ducit in jure civili: ſingularis memoria, ſumma ſcientia. Huic ego neque tribunatum, neque præfecturam, neque ullius beneficii certum nomen peto: benivolentiam tuam & liberalitatem peto: neque impedio, quo minùs, ſi tibi ita placuerit, etiam hiſce eum ornes glorioſæ inſignibus. totum denique hominem tibi ita trado de manu (ut ajunt) in manum tuam iſtam, & victoria & fide præſtantem. [9] Simus enim putidiuſculi, quàm per te vix licet: verùm, ut video, licebit. Cura, ut valeas, & me, ut amas, ama.

CICERO TREBATIO, S. D. 6

IN omnibus meis epiſtolis, quas ad Cæſarem, aut ad Balbum mitto, legitima quædam eſt acceſſio commendationis tuæ, nec ea vulgaris, ſed cum aliquo inſigni indicio meæ erga te benivolentiæ. Tu modò ineptias iſtas, & deſideria urbis, & urbanitatis depone: &, quo conſilio profectus es, id aſſiduitate & virtute conſequere. Hoc tibi tam ignoſcemus nos amici, quàm ignoverunt Medeæ, [10] quæ Corinthum arcem altam habebant matronæ opulentæ, optimates: quibus illa manibus gypſatiſſimis perſuaſit, ne ſibi vitio illæ verterent, quòd abeſſet à patria. „NAM MULTI SUAM REM BENE GESSERE, & *publicam, patria procul. Multi, qui domi ætatem agerent, propterea ſunt improbati.*

---

1. *Si eſſet aliqua forma reip.*] Sic Victorii editio, cui accedit item antiquiſſima, Pall. duo Grut. vulgo: *fortuna.* paullo poſt eidem omnes libri: *cur optarem, multæ cauſæ.* vulgo abeſt *cauſæ;* & meo animo abeſſet rectius. ſed an ideo libros & ipſum Ciceronem in ordinem redigamus, quod non ſcripſit interdum, ut volumus?

2. *Me voluiſſe etiam, reliquis omnibus poſtquam non potuerim, mihi ipſe finem feciſſe belli.*] Hæc vera ac recta eſt diſtinctio lectioque hujus loci. Lamb. cum Manutio edixêre diſtinguendum atque interpungendum, *me voluiſſe etiam reliquis omnibus; poſtquam non potuerim, mihi, &c.* quâ totam ſententiæ elegantiam perire vel puer viderit. ceterum *ipſe* non *ipſi* ingerunt o. mſſ. editiones, priſca, ac Victorii.

3. *Ut eum meis omnibus ſtudiis, beneficiis quàm orn.*] Sic Gruterianus & Victorii editio ex Medicæo codice: ita ut non diſpliceat lectio Vaticani: *ut eum meis ſtudiis, beneficiis omnibus quàm orn.* vulgò: *meis communibus ſtudiis & beneficiis, &c.*

4. *Vide quid mihi ſumſerim.*] Gruterianus, *quid mihi viderim ſumpſ.* quid ſi legamus, *quid mihi interim ſumpſ.* Paullo poſt rurſum vulgatam lectionem ſtabilitam a Medic. Pal. pr. editione Victorii; *quæ ſperaſſet à me.* cum præferant prima editio, Pal. alter Grut. Gulielmiani quatuor, *quæ exſpectaſſet.*

5. *M. ORFIUM.*] Sic edidit Victorius, ſic quoque eſt in Vaticano. Pal. pr. *M. Iſinum,* ſec. *Muſium.* Gruter. *Iſium.* vulgò, *M. Furium.* alii, ut priſca editio, *M. Rufum.*

6. VEL HUNC LEPTÆ DELEGA.] Sic quoque editio priſca, Victorii, Pal. pr. Grut. Vaticin. Stewech. Peck. vulgò, *vel Leptæ Legatum.* Lamb. *Delegabo.* Liber Politiani, *delegatum;* quibus omnibus nihil opus eſt ad noſtram.

7. *Prudentiorem eſſe neminem.*] Hanc lectionem ex v. c. oræ primæ editionis commiſit Egnatius, conſpiciturque in Pal. pr. libro aurum contra non caro ac probato; Vatic. recepit denique Lambinus. vulgò; *prudentiorem.*

8. *Familiam ducit in jure civili.*] Sic Victorii editio, Pal. alter ac Vatic. tam unica littera diſpeſſa peccant Pal. pr. Grut. prima editio: *familia inducit.* vulgatur ineptiſſime: *quod familiaritatem inducit, in jure civili ſingularis memoria, ſumma ſcientiâ.*

9. *Simus enim putidiuſculi*] Mihi hæc placuit codicis Vaticani ſcriptura, quam gaudeo quoque probatam Victorio & receptam. vulgò, *ſumus.* ceterùm alii *Blandiuſculi,* alii *Impudentiuſculi* utrique gloſſa decepti.

10. *Quæ Corinthum, arcem altam habebant.*] Sic meliores editiones omnes ac mſſ. alii tamen *Corinthu.* editum tamen eſt, *Corinthi.* paullo poſt, ad *manibus gypſatiſſimis* notavit vir doctus ad editionem principem talem gloſſam: id eſt, *fugitivis, improbiſſimis.* Gypſati

probati. Quo in numero tu certè fuiſſes, niſi te extruſiſſemus. Sed plura ſcribemus aliàs. Tu, qui ceteris cavere didiciſti, in Britannia ne ab eſſedariis decipiaris, caveto: &, quum Medeam agere cœpi, illud ſemper memento, ,, QUI IPSE SIBI *ſapiens prodeſſe non quit, nequidquam ſapit.* Cura ut valeas.

7 CICERO TREBATIO.

EGO te commendare non deſiſto: ſed, quid proficiam, ex te ſcire cupio. Spem maximam habeo in Balbo: ad quem de te diligentiſſimè & ſæpiſſimè ſcribo. Illud ſoleo mirari, non me toties accipere tuas litteras, quoties [1] à Q. mihi fratre afferantur. In Britannia nihil eſſe audio neque auri, neque argenti. Id ſi ita eſt, [2] eſſedum aliquod ſuadeo capias, & ad nos quam primùm recurras. Sin autem ſine Britannia tamen aſſequi, quod volumus, poſſumus; perfice ut ſis in familiaribus Cæſaris. multum te in eo frater adjuvabit meus, multum Balbus: ſed mihi crede, tuus pudor, & labor plurimum. Imperatorem liberaliſſimum, ætatem opportuniſſimam, commendationem certè ſingularem habes: ut tibi unum timendum ſit, ne ipſe tibi defuiſſe videare.

8 CICERO TREBATIO.

SCRIPSIT ad me Cæſar perhumaniter, nondum te ſibi ſatis eſſe familiarem propter occupationes ſuas, ſed certè fore: cui quidem ego reſcripſi, [3] quàm mihi gratum eſſet futurum, ſi quàm plurimum in te ſtudii, officii, liberalitatis ſuæ contuliſſet. Sed ex tuis litteris cognovi præproperam quandam feſtinationem tuam: & ſimul ſum admiratus, cur tribunatus commoda, demto præſertim labore militiæ, contemſeris. Querar cum Vacerra, & Manilio: nam Cornelio nihil audeo dicere, cujus tu periculo ſtultus es, quum te ab eo ſapere didiciſſe profiteris. Quin tu urges iſtam occaſionem, & facultatem, qua melior numquam reperietur? Quòd ſcribis de illo Preciano jureconſulto, ego te ei non deſino commendare. ſcribit enim ipſe mihi, te ſibi gratias agere debere. De eo quid ſit, cura, ut ſciam. Ego veſtras litteras Britannicas exſpecto. Vale.

9 MARCUS CICERO TREBATIO.

JAMDIU ignoro, quid agas. nihil enim ſcribis: neque ego ad te his duobus menſibus ſcripſeram: quia cum Q. fratre meo non eras quò mitterem, aut cui darem, neſciebam. Cupio ſcire quid agas, & ubi ſis hiematurus. Equidem velim cum Cæſare: [4] ſed ad eum propter ejus * nihil ſum auſus ſcribere. ad Balbum tamen ſcripſi. Tu deeſſe tibi noli. *ſeriùs potiùs ad nos, dum plenior.* Quòd huc properes, nihil eſt, [5] præſertim Battara mortuo. ſed tibi conſilium non deeſt. Quid conſtitueris, cupio ſcire. Cn. Octavius an Cn. Cornelius quidem tuus familiaris, ſummo genere natus, terræ filius, is me, quia ſcit tuum familiarem eſſe, crebiò ad cenam invitat. adhuc non potuit perducere: ſed mihi tamen gratum eſt. Vale.

MARCUS CICERO S.D. TREBATIO. 10

LEGI tuas litteras: ex quibus intellexi, te Cæſari noſtro valde jureconſultum videri. Eſt quod gaudeas, te in iſta loca veniſſe, [6] ubi aliquid ſapere viderere. Quòd ſi in Britanniam quoque profectus eſſes: profectò nemo in illa tanta inſula peritior te fuiſſet. Veruntamen (rideamus, licet: ſum enim à te invitatus) ſubinvideo tibi, ultrò te etiam arceſſitum ab eo, ad quem ceteri, non propter ſuperbiam ejus, ſed propter occupationem adſpirare non poſſunt. Sed tu in iſta epiſtola nihil mihi ſcripſiſti de tuis rebus: quæ mehercule mihi non minori curæ ſunt, quam meæ. Valde metuo, ne frigeas in hibernis. quamobrem camino luculento utendum cenſeo. Idem Mucio, & Manilio placebat, præſertim qui ſagis non abundares: quamquam vos nunc iſtic ſatis calere audio. quo quidem nuntio valde mehercule de te timueram. Sed tu in re militari multo es cautior, quàm in advocationibus: qui neque in Oceano natare volueris, ſtudioſiſſimus homo natandi, neque ſpectare eſſedarios: 7 quem anteà ne Andabatam quidem defraudare poteramus. Sed jam ſatis jocati ſumus. Ego de te ad Cæſarem quàm diligenter ſcripſerim, tute ſcis: quam ſæpe, ego. Sed mehercule jam intermiſeram, ne viderer liberaliſſimi hominis, meique amantiſſimi voluntati erga me diffidere. Sed tamen his litteris, quas proximè dedi, putavi eſſe hominem commonendum. id feci. quid profecerim, facias me velim certiorem: & ſimul de toto ſtatu tuo, conſiliiſque omnibus. Scire enim cupio quid agas, quid exſpectes, quàm longum iſtum tuum diſceſſum à nobis futurum putes. Sic enim tibi perſuadeas velim, unum mihi eſſe ſolatium, quare faciliùs poſſim pati te eſſe ſine nobis, ſi tibi eſſe id emolumento ſciam. ſin autem id non eſt: nihil duobus nobis eſt ſtultius: me, qui te non Romam attraham: te, qui non huc advoles. Una mehercule noſtra vel ſevera, vel jocoſa congreſſio, pluris erit, quàm non modò hoſtes, ſed etiam fratres noſtri Hædui. Quare omnibus de rebus, fac ut quam primùm ſciam. *aut conſolando, aut conſilio, aut re juvero.*

CICERO TREBATIO. 11

NISI antè Roma profectus eſſes, nunc eam certè relinqueres. quis enim tot interregnis jureconſultum deſiderat? Ego omnibus, unde petitur, hoc conſilii dederim, ut à ſingulis interregibus binas advocationes poſtulent. Satiſne tibi videor abs te jus civile didiciſſe? Sed heus tu, quid agis? ecquid fit? video enim, te jam jocari per litteras. Hæc ſigna meliora ſunt, quàm in meo Tuſculano. Sed quid ſit, ſcire cupio. Conſuli quidem te à Cæſare ſcribis: ſed ego tibi ab illo conſuli mallem. quod ſi aut fit, aut futurum putas: perfer iſtam militiam, & permane. Ego enim deſiderium tui, ſpe tuorum commodorum conſolabor. ſin autem iſta ſunt inaniora: recipe te ad nos. Nam aut erit hic aliquid aliquando: aut, ſi minùs, una mehercule

pſiti enim de catasta venalicii. Talis & Medea fugitiva erat patris & patriæ proditrix. quod & ex Politiani codice iiſdem verbis exſcripſit Joannes Iſaacius Pontanus. Victorii editio ac Pal. primus ſcribunt *ejpſatiſſimis*. Pal. alter ad marginem *citatiſſimis*.

1. *A Q. mihi fratre afferantur.*] Sic tranſponit Pal. pr. Grut. editio prima, ceterum *afferantur* Palat. ſec. Vatic. Victorii editio. Pal. verò pr. *efferantur*. vulgo: *à Quinto fratre mihi afferuntur.* Pal. alter *fratreo meo aff.* ſedeat, quod primo propoſui.

2. *Eſſedum aliquod ſuadeo capias.*] Ita habet editio Victorii, Pall. duo. vulgo nimis importune, *rapias*. paullo poſt ex Pall. duobus, Gruteriano, editione Victorii ac Vaticano edidi, *aſſequi quod volumus* deleto τῷ *id*, quod vulgo male hîc uberat: ſic τὸ *enim* paullo poſt. ideo & ibidem auctoribus omnibus libris noſtris ſcripſi *Multum te in eo frater adjuvab.* cùm Pal. alter tamen ſufficiat novam plane lectionem; *Multa te ad uvabit in eo frater meus.*

3. *Quam mihi gratum eſſet futurum.*] Pal. alter Stewech. ſolemni errore *eſſe*: unde tamen velit Guliel. *per quam mihi gratum eſſe futurum.* Ego nolim quicquam mutari.

4. *Sed ad eum propter ejus * nihil ſum auſus ſcribere.*] Indicio Victorii & hunc locum aſteriſco notavi, quia ſic quoque eum reperi in laudatiſſimo Pal. pr. & Gruteriano. Pal. alter ſic concipit: *ſed ad eum propterea nihil auſus ſum ſcribere.* Guliel.m. talem affectabat medicinam: *ſed ad eum properius nihil ſum auſ. ſcrib.* Victorii tamen non abſurda conjectura inicientis, *propter ejus luctum.*

5. *Præſertim Battara mortuo.*] Sic Pal. pr. editio Victorii, Pall. alter, Grut. Stewech. & alius Gulielmio ab illis codex, *Baltera*, mſ. Politiani *Bacera*. vulgo *Vacerra*. paullo poſt, ex Pal. duobus, Gruteriano, editione prima edidi. *Cn. Octavius an Cn. Cornelius quidem tuus familiaris.* Victoriana unico verbulo *est* poſt *Octavius* auctior eſt in noſtris φρεσὶ ῶ. vulgò abſunt *an Cn. Cornelius quidem.*

6. *Ubi aliquid ſapere viderere.*] Grut. *videar*, unde legendum fortaſſe quemadmodum eſt in Pal. altero *videare*. paullo poſt legunt duo Pall. Grut. *ultro etiam acc.* miſſo provocabulo *te*.

7. *Quem antea ne Andabatam quidem defraudare poteramus.*] Sic eſt in Pall. omnibus, editioneque Victorii. Grut. tamen *Andabatam*, unde forſan legendum, *Andabatâ*: quaſi dicat; noluiſti adeſſe ſpectandis eſſedariis, quem novimus adeo cupidum fuiſſe ſpectandi Andabatos, ut nulla te ratione intervertere atque avertere ab eorundem ſpectaculo potuerimus. verum hoc quoque modo citat Lipſius lib. II. Saturnal. ſermonum cap. 12.

cule collocutio noſtra, pluris erit, quam omnes Samarobrivæ. Denique, ſi citò te retuleris: ſermo nullus erit. ſi diutius fruſtra abfueris: non modò Laberium, ſed etiam ſodalem noſtrum Valerium pertimeſco. Mira enim perſona induci poteſt Britannici jureconſulti. Hæc ego non rideo, quamvis tu rideas: ſed de re ſeveriſſima tecum, ut ſoleo, jocor. Romoto joco, tibi hoc amiciſſimo animo præcipio, ut, ſi iſtic mea commendatione tuam dignitatem obtinebis, perferas noſtri deſiderium: honeſtatem, & facultates tuas augeas. ſin autem iſta frigebunt, recipias te ad nos. Omnia tamen, quæ vis, & tua virtute profectò, & noſtro ſummo erga te ſtudio conſequere.

12 CICERO TREBATIO.

MIRABAR, quid eſſet, quod tu mihi litteras mittere intermiſiſſes. Indicavit mihi Panſa meus, Epicureum te eſſe factum. O caſtra præclara! quid tu feciſſes, ſi te Tarentum, & non Samarobrivam miſiſſem? Jam tum mihi non placebas, cùm idem intuebare, quod & Titius familiaris meus. Sed quonam modo jus civile defendes, cùm omnia tua cauſa facias, non civium? Ubi porrò illa erit formula fiduciæ, UT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET? [1] Quis enim eſt, qui facit nihil, niſi ſua cauſa? Quod jus ſtatues COMMUNI DIVIDUNDO, cum commune nihil poſſit eſſe apud eos, qui omnia voluptate ſua metiuntur? Quomodò autem tibi placebit, JOVEM LAPIDEM jurare, cum ſcias, Jovem iratum eſſe nemini poſſe? Quid porrò fiet populo Ulubrano, ſi tu ſtatueris, πολιτεύεσθαι non oportere? Quare ſi planè à nobis deficis, moleſtè fero: ſin Panſæ aſſentari commodum eſt, ignoſco: [2] modò ſcribe aliquando ad nos, quid agas: &, a nobis quid fieri, aut curari velis.

13 M. CICERO S. D. TREBATIO.

ADEÒNE me injuſtum eſſe exiſtimaſti, ut tibi iraſcerer, quod parum mihi conſtans, & nimium cupidus decedendi viderere, ob eamque cauſam me arbitrarere litteras ad te jamdiu non miſiſſe? Mihi perturbatio animi tui, quam primis litteris perſpiciebam, moleſtiam attulit. Neque alia ulla fuit [3] cauſa intermiſſionis epiſtolarum, niſi quod, ubi eſſes, planè neſciebam. Hîc tu me etiam inſimulas, nec ſatisfactionem meam accipis. Audi, Teſta mi, Utrum ſuperbiorem te pecunia facit, an quod te imperator conſulit? Moriar, ni, quæ tua gloria eſt, puto te malle à Cæſare conſuli, quàm inaurari. Si verò utrumque eſt: quis te feret, præter me, qui omnia ferre poſſum? Sed, ut ad rem redeam, te iſtic invitum non eſſe, vehementer gaudeo: &, ut illud erat moleſtum, ſic hoc eſt jucundum. Tantùm metuo, ne artificium tuum tibi parum proſit. Nam ita audio iſtic

Non ex jure manu conſertum, ſed magis ferro
Rem repetunt.

Et tu ſoles ad vim faciundam adhiberi? neque eſt, quod illam exceptionem in interdicto pertimeſcas: [4] QUÒD TU PRIOR VI HOMINIBUS ARMATIS NON VENERIS. Scio enim, te non eſſe procacem in laceſſendo. Sed, ut ego quoque te aliquid admoneam de veſtris cautionibus: Treviros vites cenſeo. audio capitaleis eſſe. mallem auro, ære, argento, eſſent. Sed aliàs jocabimur. Tu ad me de iſtis rebus omnibus ſcribas velim quam diligentiſſimè. Ad IIII. Non. Mart.

CICERO TREBATIO. 14

CHRYSIPPUS Vettius, Cyri architecti libertus, fecit, ut te non immemorem putarem mei. ſalutem enim verbis tuis mihi nuntiarat. Valde jam lautus es, qui gravere litteras ad me dare, homini præſertim propè domeſtico. Quòd ſi ſcribere oblitus es: minùs multi jam, te advocato, cauſa cadent. ſin noſtri oblitus es: dabo operam, ut iſtuc veniam ante, quàm planè ex animo tuo effluo; ſin æſtivorum timor te debilitat: aliquid excogita, ut feciſti de Britannia. Illud quidem perlibenter audivi ex eodem Chryſippo, te eſſe Cæſari familiarem. Sed mehercule mallem, id quod erat æquius, de tuis rebus ex tuis litteris quàm ſæpiſſimè cognoſcerem. Quod certè ita fieret, ſi tu maluiſſes benivolentiæ, quàm litium jura perdiſcere. Sed hæc jocati ſumus, & tuo more, & nonnihil etiam noſtro. Te valde amamus, noſque à te amari cum volumus, tum etiam confidimus.

CICERO TREBATIO. 15

QUAM ſint moroſi qui amant, vel ex hoc intelligi poteſt. moleſtè ferebam anteà, te invitum iſtic eſſe: pungit me rurſus, quòd ſcribis eſſe te iſtic libenter. neque enim mea commendatione te non delectari facilè patiebar: & nunc angor, quidquam tibi ſine me eſſe jucundum. Sed hoc tamen malo ferre nos deſiderium, quàm te non ea, quæ ſpero, conſequi. Quum verò in C. Matii, ſuaviſſimi, doctiſſimique hominis familiaritatem veniſti, non dici poteſt quàm valde gaudeam: qui fac ut te quàm maximè diligat. mihi crede, nihil ex iſta provincia potes, quod jucundius ſit, deportare. Cura, ut valeas.

M. CICERO S. D. TREBATIO. 16

IN equo Trojano ſcis eſſe in extremo, SERO SAPIUNT. Tu tamen, [5] mi vetule, non ſerò, primas, illas rabioſulas ſat fatuas dediſti: deinde, quòd in Britannia non nimis φιλοθέωρον te præbuiſti, planè non reprehendo. [6] nunc verò in hibernis injectus mihi videris. itaque te commovere non curas. *Uſquequaque ſapere oportet. id erit telum acerrimum.* Ego ſi foris cenitarem, Cn. Octavio, familiari tuo, non defuiſſem. cui tamen dixi, cùm me aliquoties invitaret: Oro te, quis tu es? Sed mehercules, extra jocum, homo bellus eſt. vellem eum tecum adduxiſſes. Quid agatis, & ecquid in Italiam venturi ſitis hac hieme, fac planè ſciam. Balbus mihi confirmavit, te divitem futurum. id utrùm Romano more locutus ſit, bene nummatum te futurum, an, quomodo Stoici dicunt, OMNEIS ESSE DIVITES, QUI CÆLO, & terra frui poſſint, poſteà videro. Qui iſtinc veniunt, ſuperbiam tuam accuſant, quòd negent te percunctantibus reſpondere. ſed tamen eſt quòd gaudeas. conſtat enim inter omneis, neminem te uno Samarobrivæ juris peritiorem eſſe.

CICERO TREBATIO S. D. 17

EX tuis litteris, & Quinto fratri gratias egi, & te aliquando collaudare poſſum, quòd jam videris certa aliqua

1. *Quis enim eſt, qui facit nihil niſi ſuâ cauſâ.*] Hæc verba ita concepta ſunt in Pal. in Grut. ad marginem, nam ſeriem ipſa deſtituunt in editionibus, prima ac Victoriana. Ante edebatur, *Quis enim eſt bonus, qui facit nihil.*

2. *Modò ſcribe aliquando.*] Ita Pal. pr. Grut. Victorii editio, & omnium antiquiſſima ſcribunt. vulgò *ſcribas*. Sicut & illud ſuccinctius, *à nobis quid fieri aut curari velis*; cum edatur, *à nobis quid agi, quid fieri aut curari velis*. Stewech. quoque illa duo non neceſſaria vocabula ſpernit.

3. *Cauſa intermiſſionis epiſtolarum.*] *Litterarum* alias. ſed hoc eſt ex Pall. Gruter. Victorio. ſtatim poſt, tranſpoſui verba, ex Palatino (nam primum tantum, & Gruterianum perſequi decrevi, ex temporis anguſtiis, cum quis ceteri in rebus bonis ferè concurrunt, & Victorii editione; *Teſta mi*: licet paſſim feratur, *mi Teſta*.

4. QUOD TU PRIOR VI, HOMINIBUS ARMATIS NON VENERIS.] Ut Medicæus, ita quoque Pal. concepit, neque magnopere titubat Gruterianus, tantum *omnibus* pro *hominibus* referens. Vaticanus hæc omnia ita transformat *rem repetunt, & tu ſoles ad vim faciundam adhiberi? neque eſt, quod tu prior vi hominibus armatis.* Mihi quoque interjacentia vulgò verba pro commento ac gloſſemate oboleſcunt: quod auget ſuſpicionem, quodque neque in Grut. editione prima *in* conſpectui ſit. Aliàs cetera ſic circumferuntur, *quod tu prior cum hominibus armatis veneris.* prima editio ſinceram lectionem ferè exhibet, ſi modo pro *in* emendes *vi*.

5. *Mi vetule, non ſero: primas illas rabioſulas.*] Sic habetur in Pal. Grut. editione principe, ac Victorii: Alii βάκηλε intrudunt. vulgo *primum illas rab.*

6. *Nunc verò in hibernis injectus mihi videris.*] Ita eſt in Pal. primo, Grut. editione prima, & Victorii. Lambinus quod in unico mſſ. repererat *innectus*, fecerat *innexus* vel potius *vinctus*; quaſi difficile fuiſſet, quod alii ante me viderunt, extricare *intectus*; Gulielm. tamen conjectat, *in lectis*.

aliqua in ſententia conſtitiſſe. Nam primorum menſium litteris tuis vehementer commovebar, quòd mihi interdum (pace tua dixerim) levis in urbis, urbanitatiſque deſiderio, interdum piger, interdum timidus in labore militari, ſæpe autem etiam, [1] quod à te alieniſſimus, & ſubimpudens videbare. tamquam enim ſyngrapham ad imperatorem, non epiſtolam attuliſſes: ſic, pecunia ablata, domum redire properabas: nec tibi in mentem veniebat, eos ipſos, qui cum ſyngraphis veniſſent Alexandream, nummum adhuc nullum auferre potuiſſe. Ego, ſi mei commodi rationem ducerem, te mecum eſſe maximè vellem. non enim mediocri afficiebar vel voluptate ex conſuetudine noſtra, vel utilitate ex conſilio, atque opera tua. Sed cùm te ex adoleſcentia tua in amicitiam, & fidem meam contuliſſes: ſemper te non modò tuendum mihi, ſed etiam augendum, atque ornandum putavi. Itaque quoad opinatus ſum, me in provinciam exiturum, quæ ad te ultrò attulerim, meminiſſe te credo. poſteà quàm mea mutata ratio eſt, cùm viderem, me a Cæſare honorificentiſſimè tractari, & unicè diligi, hominiſque liberalitatem incredibilem, & ſingularem fidem noſſem: ſic ei te commendavi, & tradidi, ut graviſſimè, diligentiſſimeque potui. Quod ille ita & accepit, & mihi ſæpe litteris ſignificavit: [2] & tibi & verbis, & re oſtendit, mea commendatione ſeſe valde eſſe commotum. Hunc tu virum nactus, ſi me aut ſapere aliquid, aut velle tua cauſa putas, ne dimiſeris: &, ſi qua te forte res aliquando offenderit, cùm ille aut occupatione, aut difficultate tardior tibi erit viſus, perferto, & ultima exſpectato: quæ ego tibi & jucunda, & honeſta præſtabo. Pluribus te hortari non debeo. tantùm moneo, neque amicitiæ confirmandæ clariſſimi, ac liberaliſſimi viri, neque uberioris provinciæ, neque ætatis magis idoneum tempus ſi hoc amiſeris, te eſſe ullum umquam reperturum. Hoc, quemadmodum vos ſcribere ſoletis in veſtris libris, idem Q. Cornelio videbatur. [3] In Britanniam te profectum non eſſe gaudeo, quòd & labore caruiſti, & ego te de rebus illis non audiam. Ubi ſis hibernaturus, & qua ſpe, aut conditione, perſcribas ad me velim.

18 CICERO TREBATIO, S. D.

ACCEPI à te aliquot epiſtolas uno tempore, quas tu diverſis temporibus dederas: in quibus me cetera delectarunt. Significabant enim, te iſtam militiam jam firmo animo ferre, & eſſe fortem virum & conſtantem. Quæ ego pauliſper in te ita deſideravi, non imbecillitate animi tui, ſed magis ut deſiderio noſtri te æſtuare putarem. Quare perge, ut cœpiſti: forti animo iſtam tolera militiam. Multa, mihi crede, aſſequêre. ego enim renovabo commendationem: ſed tempore. Sic habeto, non tibi majori eſſe curæ, ut iſte tuus à me [4] diſceſſus quàm fructuoſiſſimus tibi ſit, quàm mihi. Itaque, quando veſtræ cautiones infirmæ ſunt, Græculam tibi miſi cautionem chirographi mei. Tu me velim de ratione Gallici belli certiorem facias. ego enim ignaviſſimo cuique maximam fidem habeo. Sed, ut ad epiſtolas tuas redeam, cetera bellè: illud miror. quis ſolet eodem exemplo plureis dare, qui ſua manu ſcribit? Nam quòd in palimpſeſto, laudo equidem parſimoniam: ſed miror, [5] quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris, quam hæc ſcribere: niſi fortè tuas formulas. Non enim puto te meas epiſtolas delere, ut reponas tuas. An hoc ſignificas, nihil fieri? frigere te? ne chartam quidem tibi ſuppeditare? Jam iſta tua culpa eſt, qui verecundiam tecum extuleris, & non hic nobiſcum reliqueris. Ego te Balbo, cùm ad vos proficiſcetur, more Romano commendabo. Tu, ſi intervallum longius erit mearum litterarum, ne ſis admiratus. eram enim abfuturus menſe Aprili. Has litteras ſcripſi in Pomptino, cum [6] ad villam Metrilii Philemonis devertiſſem: ex quo jam audieram fremitum clientium meorum, quos quidem tu mihi conciliaſti. Nam Ulubris honoris mei cauſa vim maximam ranunculorum ſe commoſſe conſtabat. Cura ut valeas. VI. Idus April. de Pomptino.

EPISTOLAM tuam, quam accepi ab L. Arruntio, conſcidi innocentem. nihil enim habebat, quod non vel in concione rectè legi poſſet. Sed & Arruntius ita te mandaſſe ajebat, & tu adſcripſeras. Verùm illud eſto. nihil te ad me poſtea ſcripſiſſe demiror, præſertim tam novis rebus.

CICERO TREBATIO, S. 19

VIDE, quanti apud me ſis: etſi jure id quidem. non enim te amore vinco. Verumtamen quod præſenti tibi propè ſubnegarem, non tribuerem certè, id abſenti debere non potui. Itaque, ut primum Velia navigare cœpi, inſtitui [7] Topica Ariſtotelea conſcribere, ab ipſa urbe commonitus, amantiſſima tui. Eum librum tibi miſi Rhegio, ſcriptum, quàm pleniſſimè res illa ſcribi potuit. Sin tibi quædam videbuntur obſcuriora: cogitare debebis, NULLAM ARTEM litteris ſine interprete, & ſine aliqua excercitatione percipi poſſe. Non longe abieris. num jus civile veſtrum ex libris cognoſci poteſt? qui quamquam plurimi ſunt, [8] doctorem tamen, unumque deſiderant. Quamquam tu ſi attentè leges, ſi ſæpius, per te omnia conſequere, ut certè intelligas. ut vero etiam ipſi tibi loci propoſita quæſtione occurrant, exercitatione conſequere. In qua quidem nos te continebimus, ſi & ſalvi redierimus, & ſalva iſta offenderimus. V. Kal. Sext. Rhegio.

CICERO TREBATIO. S. D. 20

AMABILIOR mihi Velia fuit, quod te ab ea ſenſi amari. Sed quid ego dicam te, quem quis non amat? Rufio, medius fidius, tuus ita deſiderabatur, ut ſi eſſet unus è no-

1. *Quod à te alieniſſimus & ſubimpudens videbare.*] Revocavi hanc lectionem ex Pall. o. Gruteriano, editione prima: cujus acrimoniam facile tetigerit, cui ſagaciores nares: neque enim poſſum me in explicationes undantes effundere, quod forſan plerique quærent ac querentur. Vulgo interpolatitie eſt editum, *quod à te alieniſſimum eſt, ſubimpudens vid.* Paullo poſt ſcripſi, *Alexandream* auctoritate Vaticani & editionis Victorianæ. vulgo *Alexandriam*. Ad rem quod attinet, ſignat decoctionem Ptolomæi Regis cum Rabirio Poſtumo & aliis creditoribus. Inepte ergo Lambinus *Alexiam* introduxit.

2. *Et tibi & verbis, & re oſtendit.*] Ita elegantius Vaticanus, & Victorii editio. vulgo ſecundum ordine & negligitur. paullo ſtatim ex Vaticano ac Victorio ſcripſi, *& ſi quæ te fortè res aliquando.* vulgo *ſi qua:* cum tamen omnes mſſ. & editio prima contra eat: *& quæ te forte res.*

3. *In Britanniam te profectum non eſſe gaudeo.*] Ita Pal. pr. Grut. editio prima ac Victorii. Vulgatam ante hac eſt: *In Brittanniam te non eſſe profectum, vehementer gaudeo.*

4. *Diſceſſus quam fructuoſiſſimus tibi ſit quam mihi.*] Ita edidit Vict. Pal. tamen, Grut. prima editio, Vatican. *tam fructuoſiſſimus.* Vulgo *diſceſſus fructuoſiſſimus tibi ſit, quàm mihi.* qui paullo poſt *Græculam*, expunctum, pro eoque *graviculam* ſubſtitutum iverunt; viderint an Græca fide egerint. nam mihi conſtat eos hoc cæco die vidiſſe.

5. *Quid in illa chartula fuerit.*] Unus Gulielmii codex: *quid in ima chartula fuerit.* Quod vero illa poſteriora verba quàm hæc ſcribere inducit atque eiicit Lambinus; ſolens more ſuo ingenii facit, non ex veritate ſed ex libidine. reſtant illa in libris omnibus, atque adeo editione principe, niſi quod ad eandem notet Egnatius, legi alias (ut Manut. volebat poſtea adnotatumque ad Politiani librum) *quàm exſcribere.* Canterus tamen amplius malebat, *quàm hæc exſcribere.*

6. *Ad villam Metrilii Philemonis devertiſſem.*] Sic Pal. primus, Vaticanus, editio Victorii. vulgo *divertiſſem:* ſicut & *Philomena*, pro *Philemona* ſubingerunt editiones.

7. *Topica Ariſtotelea.*] Hoc edidit Victorius, ex Medicæo, & ſic quoque Vatican. vulgo: *Ariſtotelica.* poſt ſtatim, edidi *pleniſſime* ex Pal. pr. Grut. Stewech. editione prima atque Victorii. vulgo, *planiſſimè.*

8. *Doctorem unumque deſiderant.*] Ita eſt in Pal. Stewech. Beck. Vaticano, editione prima & Victorii: Nec erat, quod Manutius iſtam emendationem *unumque* pro ſua nimis venditaret, cum eam adnotarit ad editionem primam, neſcio unde, Egnatius. Grut. habebat *nunquam* fronti deinde diverſo calamo additum *no:* quod tamen glacie fragilius (licet à Lambino omni judicio præfertur) durare non poteſt. vulgo, *Doctorem tamen lumenque deſiderant.*

1. Habet

è nobis. Sed ego te non reprehendo, qui illum ad ædificationem tuam traduxeris. Quamquam enim Velia non eſt vilior, quam Lupercal, tamen iſtuc malo, quam hæc omnia. Tu, ſi me audies, quem ſoles, has paternas poſſeſſiones tenebis (neſcio quid enim Velienſes verebantur) neque Halethem, nobilem amnem relinques, nec Papirianam domum deſeres. quamquam illa quidem [1] habet lotum, à quo etiam advenæ teneri ſolent: quem tamen ſi excideris, multùm proſpexeris. Sed in primis oportunum videtur, his præſertim temporibus, habere perfugium, primùm eorum urbem, quibus carus ſis: deinde tuam domum, tuoſque agros, eaque remoto, ſalubri, amœno loco: idque etiam mea intereſſe, mi Trebati, arbitror. Sed valebis, [2] meaque negotia, meque diis juvantibus ante brumam exſpectabis. Ego à Sext. Fadio, Niconis diſcipulo, librum abſtuli, Νίκωνος περὶ πολυφαγίας. O medicum ſuavem, meque docilem ad hanc diſciplinam! Sed Baſſus noſter me de hoc libro celavit: te quidem non videtur. Ventus increbreſcit. Cura, ut valeas. XIII. Kal. Sext. Velia.

21 CICERO TREBATIO, S.D.

SILII cauſam te docui. is poſteà fuit apud me, cùm ei dicerem, tibi videri ſponſionem illam nos ſine periculo facere poſſe. SI BONORUM TURPILIÆ POSSESSIONEM, QUAM CÆPIO PRÆTOR EX EDICTO SUO MIHI DEDIT, negare ajebat Servium, tabulas teſtamenti eſſe eas, quas inſtituiſſet is, qui factionem teſtamenti non habuerit: hoc idem Ofilium dicere: tecum ſe locutum negabat: meque rogavit, ut ſe & cauſam ſuam tibi commendarem. Nec vir melior, mi Teſta, nec mihi amicior P. Silio quiſquam eſt, te tamen excepto. Gratiſſimum igitur mihi feceris, ſi ad eum ultrò veneris, eique pollicitus eris. ſed, ſi me amas, quàm primum hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

22 CICERO TREBATIO, S.D.

ILLUSERAS heri inter ſcyphos: quòd dixeram, controverſiam eſſe, poſſetne heres, quod furtum anteà factum eſſet, furti rectè agere. Itaque, etſi domum bene potus, ſeroque redieram, tamen id caput, ubi hæc controverſia eſt, notavi, & deſcriptum tibi miſi: ut ſcires, id, quod tu neminem ſenſiſſe dicebas, Sex. Ælium, M. Manilium, M. Brutum ſenſiſſe. Ego tamen Scævolæ, & Teſtæ aſſentior. Vale.

23 CICERO S. D. FABIO GALLO.

[3] TANTUM quòd ex Arpinati veneram, cùm mihi à te litteræ redditæ ſunt: ab eodemque accepi Aviani litteras: in quibus hoc inerat liberaliſſimum, nomina ſe facturum, cùm veniſſet, qua ego vellem die. Fac, quæſo, qui ego ſum, eſſe te. eſtne aut tui pudoris, aut noſtri, primùm rogare de die: deinde plus annua poſtulare? Sed eſſent, mi Galle, omnia facilia, ſi & ea mercatus eſſes, quæ ego deſiderabam, & ad eam ſummam, quam volueram. [4] Attamen iſta ipſa, quæ te emiſſe ſcribis, non ſolùm rata mihi erunt, ſed etiam grata. planè enim intelligo, te non modò ſtudio, ſed etiam amore uſum, quæ te delectarint, hominem (ut ego ſemper judicavi,) in omni judicio elegantiſſimum, quæ me digna putaris, coëmiſſe. Sed velim maneat Damaſippus in ſententia. prorſus enim ex iſtis emtionibus nullam deſidero. Tu autem ignarus inſtituti mei, quanti ego genus omninò ſignorum omnium non æſtimo, tanti iſta quattuor, aut quinque ſumſiſti. Bacchas iſtas cum Muſis Metelli comparas. Quid ſimile? primùm, ipſas ego Muſas numquam tanti putaſſem: atque id feciſſem Muſis omnibus approbantibus. ſed tamen erat aptum bibliothecæ, ſtudiiſque noſtris congruens. Bacchis verò ubi eſt apud me locus? At pulchellæ ſunt. Novi optimè, & ſæpe vidi. nominatim tibi ſigna mihi nota mandaſſem, ſi probaſſem. Ea enim ſigna ego emere ſoleo, quæ ad ſimilitudinem gymnaſiorum exornent mihi in palæſtra locum. Martis verò ſignum quo mihi pacis auctori? Gaudeo nullum Saturni ſignum fuiſſe. hæc enim duo ſigna putarem mihi æs alienum attuliſſe. Mercurii mallem aliquod fuiſſet. feliciùs, puto, cùm Avianio tranſigere poſſemus. Quod tibi deſtinaras trapezophoron: ſi te delectat, habebis: ſin autem ſententiam mutaſti, ego habebo ſcilicet. Iſta quidem ſumma næ ego multo libentiùs emerim diverſorium Tarracinæ, ne ſemper hoſpiti moleſtus ſim. Omnino liberti mei video eſſe culpam, cui planè res certas mandaram: itemque Junii, quem puto tibi notum eſſe, Aviani familiarem. Exhedria quædam mihi nova ſunt inſtituta in porticula Tuſculani. ea volebam tabellis ornare. etenim, ſi quid generis iſtiuſmodi me delectat, pictura delectat. Sed tamen, ſi iſta mihi ſunt habenda, certiorem velim me facias, ubi ſint, quando arceſſantur, quo genere vecturæ. Si enim Damaſippus in ſententia non manebit, aliquem pſeudodamaſippum vel cum jactura reperiemus. Quod ad me de domo ſcribis iterum, jam id ego proficiſcens mandabam meæ Tulliæ. Ea enim ipſa hora acceperam tuas litteras: egeram etiam cum tuo Nicia, quòd is utitur, ut ſcis, familiariter Caſſio. Ut redii autem, priùs, quàm tuas legi has proximas litteras, quæſivi de mea Tullia, quid egiſſet. per Liciniam ſe egiſſe dicebat. ſed opinor Caſſium uti non ita multùm ſorore. eam porrò negat ſe audere, cùm vir abeſſet (eſt enim profectus in Hiſpaniam Dexius) illo & abſente, & inſciente, migrare. Eſt mihi gratiſſimum, tanti à te æſtimatam conſuetudinem vitæ, victuſque noſtri: primum ut eam domum ſumeres, ut non modò propè me, ſed planè mecum habitare poſſes: deinde ut migrare tantopere feſtines. Sed ne vivam, ſi tibi concedo, ut ejus rei tu cupidior ſis, quàm ego ſum. Itaque omnia experiar. Video enim quid mea interſit, quid utriuſque noſtrûm. ſi quid egero, faciam ut ſcias. Tu & ad omnia reſcribes, & quando te exſpectem facies me, ſi tibi videtur, certiorem.

CICERO S. D. M. FABIO GALLO. 24

AMORIS quidem tui, quoquò me verti, veſtigia: vel proxime de Tigellio. Senſi enim ex litteris tuis, valde te laboraſſe. Amo igitur voluntatem. Sed pauca de re. Capius, (opinor) olim, NON OMNIBUS DORMIO: ſic ego non omnibus, mi Galle, ſervio. etſi quæ eſt hæc ſervitus? Olim, cùm regnare exiſtimabamur, non tam ab ullis, quàm hoc tempore obſervor à familiariſſimis Cæſaris omnibus, præter iſtum. Id ego in lucris pono non ferre hominem peſtilentiorem patria ſua: eumque addictum jam tum puto eſſe Calvi Licinii Hipponacteo præconio. At vide, quid ſuccenſeat. Phameæ cauſam receperam, ipſius quidem cauſa. erat enim mihi ſanè familiaris. Is ad me venit: dixitque, judicem ſibi operam dare conſtituiſſe eo ipſo die, quo de P. Seſtio in conſilium iri neceſſe erat. reſpondi nullo modo me facere poſſe. [5] quum vellem alium

1. *Habet lotum, a quo etiam advenæ teneri ſolent.*] Nos quidem, quà licet, ne prium a Victorio diſcedimus, quod & hic cavimus, quandoquidem illi ſecundas fert Vatic. licet oppedat Manutius, quod fere animadvertimus, eum facere animi morbo in Victorium; quem quidem poſt Politianum omnium maximi, ut debeo, facio. vulgo, *locum* alias *lucum*: quidam *lacum*. Cauteri *terreri* locum non habet.

2. *Meaque negotia, meque diis juvantibus.*] Ejeci τὸ *videbis* poſt *negotia* ſuaſu Pall. Grut. Stewech. & editionis primæ hoc verbi redundantiam præcidentium. Præterea plurima in hac epiſtola emendavi auctoritate librorum; ad quorum ſingulorum rationes conſiderare & immorari cujus tandem ocii eſſet?

3. *Tantum quod ex Arpinati veneram.*] Ita Pall. Vatic. Peck. nam Gruteriano & Stewechiano tota deeſt: ita prima editio ac Victorii, vulgò edictio pædagogorum τὸ *quod* exulat. Paullo ſtatim ex Pall. Vaticano, editione Victorii, ſcripſi, *accepi Aviani litteras: in quibus hoc inerat.* cum vulgetur: *Aviani, in quibus hoc erat.*

4. *Attamen iſta ipſa.*] Sic edidit Victorius, ſic quoque prima, & Vaticanus. Pal. tamen optimus: *hæc tamen iſta ipſa.* vulgo: *iſtæc ipſa.* puſilla hæc ſunt, ſed tamen exoneranda, quia non Ciceronis: ſicut & illud: *genus omne ſignorum omnium*: cum exſtet in Pall. editione primaria ac Victorii, ut edidi.

5. *Quum vellem alium diem ſi ſumſiſſet*] Hæc eſt Vaticani codicis lectio, in Victoriana quoque editione conſpicua. vulgò: *quem vellet.*

1. *Et*

alium diem ſi ſumſiſſet, me ei non defuturum. Ille autem, qui ſciret, ſe nepotem, bellum tibicinem habere, [1] & ſat bonum unctorem, diſceſſit à me, ut mi videbatur, iratior. Habes Sardos venaleis: alium alio nequiorem. Cognoſti meam cauſam, & iſtius Salaconis iniquitatem. Catonem tuum mihi mitte. cupio enim legere. me adhuc non legiſſe, turpe utrique noſtrûm eſt.

25 CICERO S.D. M. FABIO GALLO.

QUÒD epiſtolam conſciſſam doles, noli laborare. ſalva eſt domi. petes cùm libebit. Quòd autem me mones, valde gratum eſt: idque ut ſemper facias, rogo. videris enim mihi vereri, ne, ſi iſtum habuerimus, rideamus γέλωτα σαρδόνιον. Sed heus tu, manum de tabula. magiſter adeſt citiùs, quàm putaramus. [2] Vereor ne in Catonium, Catoninos. Mi Galle, cave putes quidquam melius, quàm epiſtolæ tuæ partem ab eo loco: cetera labuntur. Secretò hoc audi: tecum habeto: ne Apellæ quidem, liberto tuo, dixeris. præter duo nos, loquitur iſto modo nemo: bene, malene, videro: ſed, quidquid eſt, noſtrum eſt. Urge igitur: nec tranſverſum unguem (quòd ajunt) à ſtilo. is enim eſt dicendi opifex. atque equidem aliquantum jam etiam noctis aſſumo. Vale.

26 CICERO S.D. GALLO.

CUM decimum jam diem graviter ex inteſtinis laborarem: neque iis, qui mea opera uti volebant, me probarem non valere, quia febrim non haberem: fugi in Tuſculanum: cum quidem biduum ita jejunus fuiſſem, ut ne aquam quidem guſtarem. Itaque confectus languore, & fame, magis tuum officium deſideravi, quàm abs te requiri putavi meum. Ego autem cùm omneis morbos reformido, tum in quod Epicurum tuum Stoici malè accipiunt, quia dicat, δυσουρικὰ, καὶ δυσεντερικὰ πάθη, ſibi moleſta eſſe: quorum alterum, morbum edacitatis eſſe putant: alterum etiam turpioris intemperantiæ. Sanè δυσεντερίαν pertimueram. Sed viſa eſt mihi vel loci mutatio, vel animi etiam relaxatio, vel ipſa fortaſſe jam ſeneſcentis morbi remiſſio profuiſſe. Attamen, ne mirere unde hoc acciderit, quomodòve commiſerim: lex ſumtuaria, quæ videtur λιτότητα attuliſſe ea mihi fraudi fuit. Nam dum volunt iſti lauti terra nata, quæ lege excepta ſunt, in honorem adducere: fungos, heluellas herbas omneis ita condiunt, ut nihil poſſit eſſe ſuavius. in eas cum incidiſſem in cena augurali apud Lentulum, tanta me διάῤῥοια arripuit, [3] ut hodie primum videar cœpiſſe conſiſtere. Ita ego, qui me oſtreis, & murænis facilè abſtinebam: à beta etiam & à malva deceptus ſum. Poſthac igitur erimus cautiores. Tu tamen cùm audiſſes ab Anicio (vidit enim me nauſeantem) non modò mittendi cauſam juſtam habuiſti, ſed etiam viſendi. Ego hîc cogito commorari, quoad me reficiam. nam & vireis, & corpus amiſi. Sed, ſi morbum depulero, facilè, ut ſpero, illa revocabo.

27 CICERO S.D. M. FABIO GALLO.

MIROR, cur me accuſes, cùm tibi id facere non liceat. quòd ſi liceret, tamen non debebas. EGO ENIM TE IN CONSULATU OBSERVARAM. Et ais, fore, ut te Cæſar reſtituat. Multa tum quidem dicis; ſed tibi nemo credit. [4] Tribunatum plebei dicis te mea cauſa petiſſe. Utinam ſemper eſſes tribunus: interceſſorem non quæreres. Negas, me audere, quod ſentiam, dicere. Quaſi tibi, [5] cùm impudenter me rogares, parum fortiter reſponderim. Hæc tibi ſcripſi, ut iſto ipſo in genere, in quo aliquid poſſe vis, te nihil eſſe cognoſceres. Quòd ſi humaniter mecum queſtus eſſes, libenter tibi me, & facilè purgaſſem. Non enim ingrata mihi ſunt, quæ feciſti: ſed quæ ſcripſiſti, moleſta. Me autem, propter quem ceteri liberi ſunt, tibi liberum non viſum, demiror. Nam ſi falſa fuerunt, quæ tu ad me, ut ais, detuliſti: quid tibi ego debeo? ſi vera: tu es optimus teſtis, quid mihi populus R. debeat.

M. CICERO S.D. CURIO. 28

MEMINI, cum mihi deſipere videbare, [6] quòd cum iſtis potiùs viveres, quàm nobiſcum. Erat enim multò domicilium hujus urbis, (cùm quidem hæc urbs,) aptius humanitati, & ſuavitati tuæ, quàm tota Peloponneſus, nedum Patræ. Nunc contrà & vidiſſe mihi multùm videris, cùm, propè deſperatis his rebus, te in Græciam contuliſti, & hoc tempore non ſolùm ſapiens, qui hinc abſis, ſed etiam beatus. quamquam, quis, qui aliquid ſapiat, nunc eſſe beatus poteſt? Sed, quod tu, cui licebat, pedibus es conſecutus, ut ibi eſſes, ubi NEC PELOPIDARUM, noſti cetera: nos idem propemodum conſequimur alia ratione. Cùm enim ſalutationi nos dedimus amicorum: quæ fit hoc etiam frequentiùs, quàm ſolebat, quòd, quaſi avem albam, videntur benè ſentientem civem videre: abdo me in bibliothecam. Itaque opera efficio tanta, quanta fortaſſe tu ſenties. Intellexi enim ex tuo ſermone quodam, cùm meam mœſtitiam, & deſperationem accuſares domi tuæ, dicere te, ex meis libris animum meum deſiderare. Sed mehercule & tum remp. lugebam, quæ non ſolùm ſuis erga me, ſed etiam meis erga ſe beneficiis erat mihi carior: & hoc tempore, quamquam me non ratio ſolùm conſolatur, quæ plurimum debet valere, ſed etiam DIES, QUÆ STULTIS QUOQUE MEDERI SOLET: tamen doleo, ita rem communem eſſe dilapſam, ut ne ſpes quidem, meliùs aliquando fore, relinquatur. Nec verò nunc quidem culpa in eo eſt, in cujus poteſtate omnia ſunt, (niſi fortè id ipſum eſſe non debuit) ſed alia caſu, alia etiam noſtra culpa ſic acciderunt, ut de præteritis non ſit querendum. Reliquam ſpem nullam video. quare ad prima redeo. Sapienter hæc reliquiſti, ſi conſilio: feliciter, ſi caſu.

CURIUS M. CICERONI SUO S. 29

SI vales, bene eſt. Sum enim χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici noſtri. ergò fructus eſt tuus, mancipium illius, quod quidem [7] ſi inter ſenes coëmtionaleis vænale proſcripſerit, egerit non multum. At illa noſtra prædicatio

1. *Et ſat bonum unctorem.*] Alii ex conjectura: *ſat bonum cantorem*: ego miror, cur hoc velit quoque Manutius. Sic autem eſt in Pal. editione primaria, ac Victorii. duo Gulielmii *Victorem*: unde ille facit *victorem*.

2. *Vereor ne in Catonium Catoninos.*] Ita Pal. editioque Victorii; nec longe abit impreſſio prima: *In Catonem Catoninos*. Malebat tamen Victorius, ſicut & apud A. Gellium *Catonium*. Alii tamen: *ne in Catonium Cato nos*. Muretus verò pro *Catonium* malebat *Charonium* ex Polluce. Notat quoque Gulielmius ex ſuorum uno: *Catomum. Cato nos*. Vulgatum eſt: *ne in Catonem, Cato in nos*: quod licet multis logis explicet Manutius, cordatiorum tamen nemini probaverit. *Vereor ne in Catonium Catoninos.*] Id eſt, ne morte afficiat Catonianarum partium homines & orco demittat. *Salmaſ.*

3. *Ut hodie primum videar cepiſſe conſiſtere.*] Ita Pall. Grut. priſca editio, Stewechianus: alii *videatur*.

4. *Tribunatum plebei dicis te mea cauſa petiſſe.*] Sic eſt in Pall. Grut. Peck. editione principe, ſicque ex Mediceo notat Victorius. Illud tamen quoque notandum, in Vaticano & Gruteriano haberi *Tribunum*. Vulgatur autem: *Tribunatum plebis dicis te mea cauſa petiiſſe*. ceterum Pighius lib. XVI. Annal. evincit hæc ſcribi ad T. Fadium Gallum, non ad Fabium, conſulatur.

5. *Cum impudenter me rogares.*] Ita Pall. Vaticanus, Victorii editio. prima tamen & Grut. *cum parum impudenter* mendosè. Editum eſt, *cùm parum pudenter me rogares*. Illud porro miror Victorium edidiſſe; *Quod ſi inhumaniter mecum queſtus eſſes*: Sphalma accuratiſſimi typographi non puto eſſe. Finem verò epiſtolæ ita concipiunt Pall. Gruter. editionum prima, *Tu es optimus teſtis mihi populus Rom. debeat*. diſtinguerem, *ſi vera: tu es optimus teſtis. mihi populus Rom. debeat*. ſenſum acutiores facile penetrarint.

6. *Quod cum iſtis potius viveres.*] Ita melius Pall. Grut. prima editio ac Victorii. vulgatum eſt; *quod iſtic potius viv.* In fine fere epiſtolæ volebat ex conjectura Gulielmius: *alia etiam noſtra culpa ſic occiderunt*. Male, primò quia contra libros omnes; deinde avertit & invertit ſenſum totum: quem ſi attendiſſet, non tam temere ad emendandum profluxiſſet.

7. *Si inter ſenes coëmtionales venale proſcripſerit.*] Hoc eſt, ſi mihi inter rejicula iſtiuſmodi mancipia titulum in venalitio pinxerit vendideritque me, parum rei fecerit. Quare? quia inutiles ſumus

catio quanti eſt, nos, [1] quòd ſimus, quod habeamus, quod homines exiſtimemur, id omne abs te habere? Quare, Cicero mi, perſevera conſtanter nos conſervare, & Sulpicii ſucceſſori nos de meliore nota commenda, quo faciliùs tuis præceptis obtemperare poſſimus, teque ad ver lubentes videre & noſtra defigere, deportareque tutò poſſimus. Sed, amice magne, noli hanc epiſtolam Attico oſtendere: ſine eum errare, & putare, me virum bonum eſſe, nec ſolere duo parietes de eadem fidelia dealbare. Ergo, patrone mi, bene vale, Tironemque meum ſaluta noſtris verbis. Dat. ad IIII. Kal. Novemb.

30 CICERO CURIO S. D.

EGo verò jam te nec hortor, nec rogo, ut domum redeas: quin hinc ipſe evolare cupio, & aliquò pervenire, ubi nec PELOPIDARUM NOMEN, NEC FACTA AUDIAM. Incredibile eſt, quàm turpiter mihi facere videar, qui his rebus interſim. Næ tu videris multò antè providiſſe, quid impenderet tum, cùm hinc profugiſti, quamquam hæc etiam auditu acerba ſunt, tamen AUDIRE TOLERABILIUS EST, quàm videre. In campo certè non fuiſti, cum H. II. comitiis quæſtoris inſtitutis, ſella Q. Maximi, quem illi conſulem eſſe dicebant, poſita eſſet: quo mortuo nuntiato, ſella ſublata eſt. Ille autem, qui comitiis tributis eſſet auſpicatus, centuriata habuit: cos. H. VII. renuntiavit, qui uſque ad Kalendas Jan. eſſet: quæ erant futuræ manè poſtridie. Ita Caninio conſule ſcito neminem prandiſſe. nihil tamen eo conſule mali factum eſt. fuit enim mirifica vigilantia, qui ſuo toto conſulatu ſomnum non viderit. Hæc tibi ridicula videntur. non enim ades. quæ ſi videres, lacrymas non teneres. Quid ſi cetera ſcribam? ſunt enim innumerabilia generis ejuſdem: quæ quidem ego non ferrem, niſi me in philoſophiæ portum contuliſſem, & niſi haberem ſocium ſtudiorum meorum, Atticum noſtrum: cujus quum proprium te eſſe ſcribis mancipio, & nexu: meum autem uſu, & fructu, contentus iſto ſum. ID ENIM eſt cujuſque proprium, quo quiſque fruitur, atque utitur. Sed hæc aliàs pluribus. Acilius, qui in Græciam cum legionibus miſſus eſt, maximo meo beneficio eſt. bis enim eſt à me judicio capitis, rebus ſalvis, defenſus: & eſt homo non ingratus, meque vehementer obſervat. Ad eum de te diligentiſſimè ſcripſi, eamque epiſtolam cum hac conjunxi: quam ille quomodo acceperit, & quid tibi pollicitus ſit, velim ad me ſcribas.

31 CICERO CURIO S. D.

FACILE perſpexi ex tuis litteris, quod ſemper ſtudui, & me à te plurimi fieri, & te intelligere, quàm mihi carus eſſes. Quod quum uterque noſtrûm conſecutus eſt: reliquum eſt, ut officiis certemus inter nos: quibus æquò animo vel vincam te, vel vincar abs te. Acilio non fuiſſe neceſſe meas dari litteras, facilè patior. Sulpicii tibi operam intelligo ex tuis litteris, non multùm opus fuiſſe, [2] propter tuas res ita contractas, ut, quemadmodum ſcribis, nec caput, nec pedes. Equidem vellem, uti pedes haberent, ut aliquando redires. Vides enim exaruiſſe jam veterem urbanitatem: ut Pomponius noſter ſuo jure poſſit dicere, *niſi nos pauci retineamus gloriam antiquam Atticam.* Ergo is tibi, nos ei ſuccedimus. Veni igitur, quæſo, [3] ne tamen ſemen urbanitatis una cum rep. intereat.

M. CICERO S. D. VOLUMNIO. 32

QUòD ſine prænomine familiariter, ut debebas, ad me epiſtolam miſiſti, primùm addubitavi, num à Volumnio ſenatore eſſet, quo-cum mihi eſt magnus uſus: deinde εὐτραπελία litterarum fecit, ut intelligerem, tuas eſſe. Quibus in litteris omnia mihi perjucunda fuerunt, præter illud, quòd parum diligenter poſſeſſio ſalinarum mearum à te procuratore defenditur. Ais enim, ut ego diſceſſerim, omnia omnium dicta, in his etiam Seſtiana, in me conferri. Quid? tu id pateris? nonne defendis? non reſiſtis? equidem ſperabam, ita notata me reliquiſſe genera dictorum meorum, ut cognoſci ſua ſponte poſſent. Sed quando tanta fæx eſt in urbe, ut nihil tam ſit [4] ἀκύθηρον, quod non alicui venuſtum eſſe videatur: pugna, ſi me amas, niſi acuta ἀμφιβολία, niſi elegans ὑπερβολή, niſi παράγραμμα bellum, niſi ridiculum παρὰ προσδοκίαν, niſi cetera, quæ ſunt à me in ſecundo libro de Oratore per Antonii perſonam diſputata de ridiculis, ἔντεχνα, & arguta apparebunt, ut ſacramento contendas mea non eſſe. Nam de judiciis quòd quereris, multò laboro minùs, trahantur per me pedibus omnes rei: ſit vel Selius tam eloquens, ut poſſit probare, ſe liberum: non laboro. Urbanitatis poſſeſſionem, amabo, quibuſvis interdictis defendamus: in qua te unum metuo, contemno ceteros. Derideri te putas. Nunc demùm intelligo te ſapere. Sed mehercules, extra jocum: valde mihi tuæ litteræ facetæ, elegantesque viſæ ſunt. illa quamvis ridicula eſſent, ſicut erant, mihi tamen riſum non moverunt. Cupio enim noſtrum illum amicum in tribunatu quàm plurimum habere gravitatis: [5] id cùm ipſius cauſa, (eſt mihi, ut ſcis, in amoribus) tum mehercule etiam reip. quam quidem, quamvis in me ingrata ſit, amare non deſinam. Tu, mi Volumni, & quum inſtituiſti, & mihi vides eſſe gratum, ſcribe ad me quàm ſæpiſſimè de rebus urbanis, de republ. Jucundus eſt mihi ſermo litterarum tuarum. Præterea Dolabellam, quem ego perſpicio, & judico cupidiſſimum eſſe, atque aman-

---

mus & nullius pretii. Ita de ſe modeſte. Recordare, nunc *venales* κατ' ἐξοχὴν dici de mancipiis venui. *Grex venalium.* Plaut. *Gronov.* Pal. prima editio: Stewech. Peckio excerpta: *ſi inter ſenes contionales.* Grut. *ſi inter nos ſenes contionales ven.* Hotomanus vero ad LL. XII. Tabularum dicit legi in vet. libro, *inter vos concionales.* At Egnatius, ad oram priſcæ editionis, annotat perſcriptum aliàs eſſe in cod. vet. *inter vos ſenes*, ſicut non multum diversè ex Grut. indicavi.

1. *Quod ſimus, quod habeamus, quòd homines exiſtimemur.*] Ita Pal. Stewech. & editio priſca: ac Victorii. Gruterianus autem codex, *quod ſimus, habeamus, quod homines exiſtimemur.* Neque erat Lambini editio falſu tam bonam mercem effundere: nam illa verba, *quod habeamus*, abjecit: rectè ergo revocantur præpoſtera importunitate pulſa innoxiè; ſicut & paullo poſt, τὸ prius *poſſimus*, cum reſideat in Pall. editione prima, ac Victorii, Manutiique: videturque adeo in illo libro fuiſſe, ex quo Gruterianus tranſcriptus eſt: tam priore deceptus, cum putaret ſe poſterius quoque ſcripſiſſe tota illa verba preterit: *teque ad ver lubentes videre, & noſtra defigere, deportareque tuto poſſimus.* Quod vero pro *defigere* idem Dionyſius *deferre* ſeu *refigere* mavult, ſuo ingenio audax eſt, & impudens omnes libros in ordinem cogendi. paullo denique poſt ſcripſi ex Victorii editione ac Vaticano; *Duo parietes de eadem fidelia dealbare*: ſicut ſupra Ep. XXV. ex Pall. atque iiſdem *præter duo nos loquitur iſto modo nemo.* cum dicatur ad guſtum quidem puliatorum ac veterum pædagogorum *duos*. ſed qui contra dicunt, in linguâ latinâ barbari ſunt.

2. *Propter tuas res ita contractas.*] Non damno lectionem Stewech. & Grut. *per tuas res ita contractas*: imo elegantior mihi videtur ac verior. illa verò verba: *niſi nos pauci retineamus gloriam antiquam Atticam.* videntur ex aliquo vetere poëta huc traducta à Cicerone eleganter: ideoque juſſi diverſo charactere imprimenda, tamquam integrum complexa Trochaicum.

3. *Ne tamen ſemen urbanitatis cum Rep. intereat.*] Sic eleganter Pall. Vatican. Victorii editio: licet diſpliceat Manutio, quoniam hujus particulæ elegantiam capere non potuit. ſic Terent. Eunuch. *Perfice ut hæream aliqui in parte tamen apud Thaidem.* Plura notarunt ex Salluſtio, atque eodem Terentio ſuper hac particulâ docti. Vulgò interpolatitiè nimis intruſum eſt, propugnante tamen Manutio, *tantum*, cum vel foſſor ſentire poſſit merum res ac pus illud eſſe ad hanc noſtram lectionis elegantiam. Quidam Gulielmii codex quoque refert: *una cum rep. in totum intereat*: ex gloſſa veriſſime.

4. Ἀκύθηρον.] Sic rectè Lamb. quemadmodum quoque ipſe video expreſſiſſimè in Pal. pr. & edit. prima manu Egnatii ex v. c. adnotatum. vulgo ἄκυρον ineptè.

5. *Id cum ipſius cauſa eſt mihi, ut ſcis, in amoribus.*] Ita Pall. Vat. editio Victorii. vulgò: *Idque cum ipſius cauſa eſt enim mihi, ut ſcis, in majoribus)* Gruterian. & Stewech. *id tum ipſius.* Prima editio: *id tamen in ipſius cauſâ.* ſtatim poſt, ſcripſi ex Pall. Grut. editione Victorii ac Vatic. *in me ingrata ſit, amare non deſinam*: deletâ particulâ ſuperfluâ *tamen* ante *amare.*

1. Cum

amantiſſimum mei, cohortare, & confirma, redde planè meum. Non mehercule, quò quidquam deſit: ſed quia valde cupio, non videor nimiùm laborare.

33 M. CICERO S. D. VOLUMNIO.

QUòD declamationibus noſtris cares, damni nihil facis. Quòd Hirtio invideres, niſi eum amares, non erat cauſa invidendi: niſi fortè ipſius eloquentiæ magis, quàm, quòd me audiret, invideres. Nos enim planè, mi ſuaviſſime Volumni, aut nihil ſumus, aut nobis quidem ipſis diſplicemus, gregalibus illis, quibus, te plaudente, vigebamus, amiſſis: ut etiam, ſi quando aliquid dignum noſtro nomine emiſimus, ingemiſcamus, quod hæc *pinnigero, non armigero in corpore tela exerceantur*, ut ait Philoctetes apud Accium, abjecta gloria. Sed tamen omnia mihi erunt, ſi tu veneris, hilariora. quamquam venis, ut ipſe intelligis, in maximarum quaſi concurſum occupationum: quas ſi, ut volumus, exceperimus; ego verò multam ſalutem & foro dicam, & curiæ: vivamque tecum multùm, & [1] cum communibus noſtris amatoribus. Nam & Caſſius tuus, & Dolabella noſter, vel potiùs uterque noſter, ſtudiis iiſdem tenentur, & meis æquiſſimis utuntur auribus. [2] Opus eſt huc limatulo, & politulo tuo judicio, [3] & illis interioribus litteris meis, quibus ſæpe verecundiorem me in loquendo facis. Mihi enim judicatum eſt, ſi modò hoc Cæſar aut patietur, aut volet, deponere illam jam perſonam, in qua me ſæpe illi ipſi probavi, ac me totum in litteras abdere, tecumque, & cum ceteris earum ſtudioſis honeſtiſſimo otio perfrui. Tu vellem, ne veritus eſſes, ne perinvitus legerem tuas litteras, ſi mihi (quemadmodum ſcribis) longiores fortè miſiſſes: ac velim poſthac ſic ſtatuas, tuas mihi litteras longiſſimas quaſque, gratiſſimas fore.

1. *Cum communibus noſtris amatoribus.*] Pall. prima editio: *cùm omnibus noſtris amatoribus.* Gruterianus verò ac Stewech. ſuccinctius: *cum omnibus noſtris. Nam & Caſſius.* Nihil hic audeo mutare: quandoquidem pro vulgata ſtent Victorius, Lambinus, Manutius.

2. *Opus eſt huc limatulo & polito tuo judicio.*] Ita Vaticanus codex, atque editio Victorii, nec ſecus liber Politiani, niſi quod pro *huc huic* exhibeat. in Pal. primo erat *politulo*, ſed notæ additæ expunctionis duarum litterarum *ul*. Veneta, ſeu editio primaria: *opus eſt huc delimatulo & polito*: unde conjicio coaluiſſe lectionis monſtrum in Grut. *delimaculo & ſolito tuo judicio.* vulgabatur antehac *politulo.*

3. *Et illis interioribus litteris meis.*] Ita Pall. Victorii editio, atque omnium prima Veneta: Stewech. tantum & Gruter. minima mutatione, *meis litteris*, quod dico ob accuſandam audaciam Lambini, invitis omnibus libris ingerentis, *litteris, eis, quibus*, &c. & aperiendam vanitatem Urſini, neſcio ex quo [illegible] codice afferentis: *illis interioribus literulis, quibus.* ſed ne obliviſcar, quemadmodum Lambinus emendat, præcepit Ferrarius. ut videas, quàm tagaces iſte homo ungulas habuerit, qui omnia ſine diſcrimine cum pulviſculo ſic legerit. in fine verò epiſtolæ retinui vulgatam ſcripturam, *ne perinvitus legerem*, quum ea extet in Vaticano, neque exceperit Victorius. in noſtris omnibus, ſicut & Stewech. atque editione principe eſt, *ne pluribus legerem.*

M. COELII EPISTOLARUM LIBER OCTAVUS, AD M. TULLIUM CICERONEM.

1 M. COELIUS M. CICERONI S. D.

[1] QUOD tibi decedens pollicitus ſum, me omneis res urbanas diligentiſſimè tibi perſcripturum: data opera paravi, qui ſic omnia perſequeretur, ut verear, ne tibi nimiùm arguta hæc ſedulitas videatur. Tametſi tu, ſcio, quàm ſis curioſus, & quàm omnibus peregrinantibus gratum ſit, minimarum quoque rerum, quæ domi gerantur, fieri certiores: tamen in hoc te deprecor, ne meum hoc officium arrogantiæ condemnes, quòd hunc laborem alteri delegavi: non quin mihi ſuaviſſimum ſit, & occupato, & ad litteras ſcribendas, ut tu noſti, pigerrimo, tuæ memoriæ dare operam. Sed ipſum volumen quod tibi miſi, facilè, ut ego arbitror, me excuſat. [2] Neſcio quojus otii eſſet, non modò perſcribere hæc, ſed omnino animadvertere. Omnia enim ſunt ibi ſenatuſconſulta, edicta, fabulæ, rumores: quod exemplum ſi fortè minùs te delectarit: ne moleſtiam tibi cum impenſa mea exhibeam, fac me certiorem. Si quid in rep. majus actum erit, quod iſti operarii minùs commodè perſequi poſſint: & quemadmodum actum ſit, [3] & quæ exiſtimatio ſecuta, quæque de eo ſpes eſt, diligenter tibi perſcribemus. Ut nunc eſt, nulla magnopere exſpectatio eſt. Nam & illi rumores de comitiis Tranſpadanorum, Cumarum tenus caluerunt. Romam, cùm veniſſem, ne tenuiſſimam quidem auditionem de ea re accepi. Præterea Marcellus quòd adhuc nihil retulit de ſucceſſione provinciarum Galliarum: & in Kalendas Jun. ut mihi ipſe dixit, eam diſtulit relationem. [4] ſanè quàm eos ſermones expreſſit, qui de eo tum fuerant, cùm Romæ nos eſſemus. Tu ſi Pompejum, ut volebas, offendiſti: qui tibi viſus ſit, & quam orationem habuerit tecum, quamque oſtenderit voluntatem, (ſolet enim aliud ſentire, & loqui: neque tantum valere ingenio, ut non appareat, quid cupiat) fac mihi perſcribas. [5] Quod ad Cæſarem crebri, & non belli de eo rumores: ſed ſuſurratores

1. QUod tibi decedens pollicitus ſum.] Ita Pall. prim. quint. (nam in Pall. ſec. tertio, XI. Epiſtolæ deſiderantur) editio prima & Victorii: nec longius diſſentit quart. *decederes* affini lapſu ſcribens. vulgò *decedenti.*

2. *Neſcio quojus otii eſſet.*] Cùm in Pal. quart. editione prima, eſſet *quoris*, in Pal. quint. *quevis*, ſcribendum duxi *quojus*, quemadmodum erui ex Pal. prim. & Peckiano. paullo poſt ſcripſerunt tres Pall. prim. editio: *ſenatuſconſulta, dictæ, fabulæ, rumores*: quam bene non diſcerno.

3. *Quæ exiſtimatio ſecuta, quæque de eo ſpes eſt, dil.*] Sic in Pall. tribus, editione prima & Victorii. vulgatum erat; *conſecuta, quæque de eo ſpes dilig.*

4. *Sanè quàm eos ſermones expreſſit.*] Ita Victorii editio, & Vatic. Pall. omnes hîc leviter corrupti ſunt. Primus *ſaneque eos.* quart. *ſane quia meos*, ſicut prima editio: *ſaneque meos ſerm.* quint. proximè ad verum; *ſane qua meos ſerm. Expreſſit* autem habent unanimo conſenſu: non, ut vulgò, *repreſſit.*

5. *Quod ad Cæſarem: crebri & non belli de eo rumores.*] Vulgo; *quod ad Cæſarem attinet; crebri.* ſed illud verbi ſuppoſititium removi à Cœlio auctoritate Pall. trium, editionum primæ ac Victorianæ. ſicut & ſtatim illud *ſuſurrationes*, cum iidem libri ſinguli, quemadmodum & excerpta Peckii & Vaticani codicis, *ſuſurratores.*

ratores duntaxat veniunt: alius equitem perdidiſſe, [1] quod opinor certè factum eſt, alius ſeptimam legionem vapulaſſe: ipſum apud Bellovacos [2] circumſederi, interclusum ab reliquo exercitu: neque adhuc certi quidquam eſt, [3] neque hæc incerta tamen vulgò jactantur: ſed inter paucos, [4] quos tu noſti, palam ſecretò narrantur: at Domitius, cùm manus ad os appoſuit. Te ad IX Kal. Jun. ſubroſtrani, (quod illorum capiti ſit) diſſiparant periiſſe: ita ut in urbe, ac foro toto maximus rumor fuit, te à Q. Pompejo in itinere occiſum. Ego, qui ſciem Q. Pompejum [5] Baulis embæneticam facere, & uſque eo, [6] ut ego miſerer ejus eſuriei, non ſum commotus: & hoc mendacio, ſi qua pericula tibi impenderent, ut defungeremur, optavi. Plancus quidem tuus Ravennæ eſt: & magno congiario donatus à Cæſare, nec beatus, nec bene inſtructus eſt. Tui politici libri omnibus vigent.

2 COELIUS CICERONI, S.

CERTE, inquam, abſolutus eſt: [7] me repræſentante pronuntiatum eſt, & quidem omnibus ordinibus; & ſingulis in unoquoque ordine ſententiis. Vide modo; inquis. Non mehercules. nihil enim umquam tam præter opinionem, tam quod videretur omnibus indignum, accidit. quin ego, cùm pro amicitia validiſſimè faverem ei, & me jam ad dolendum præparaſſem: poſtquàm factum eſt, obſtupui, & mihi viſus ſum captus eſſe. Quid alios putas? clamoribus ſcilicet maximis judices corripuerunt: & oſtenderunt, planè eſſe quod ferri non poſſet. Itaque relictus lege Licinia, majore eſſe periculo videtur. Acceſſit huc, quòd [8] poſtridiè ejus abſolutionem in theatrum Curionis Hortenſius introiit, puto ut ſuum gaudium gauderemus. Hîc tibi *ſtrepitus*, *fremitus*, *clamor tonitruum*, *&* [9] *rudentum ſibilus*. Hoc magis animadverſum eſt, quòd intactus à ſibilo pervenerat Hortenſius ad ſenectutem. [10] Sed tum ita, ut in totam vitam cuivis ſatis eſſet, & pœniteret eum jam vixiſſe. De rep. quid tibi ſcribam, nihil habeo. Marcelli impetus reſederunt, non inertia, ſed, (ut mihi videbatur,) conſilio. De comitiis conſularibus incertiſſima eſt exiſtimatio. Ego incidi in [11] competitorem nobilem, & nobilem agentem. Nam M. Octavius, Cn. filius, & C. Hirrus mecum petit. Hoc ideo ſcripſi, quòd ſcio te acriter propter Hirrum, nuntium noſtrorum comitiorum exſpectaturum. Tu tamen ſimul ac me deſignatum audieris, ut tibi curæ ſit, [12] quod ad pantheras attinet, rogo. Syngrapham Sittianam tibi commendo. Commentarium rerum urbanarum primum dedi L. Caſtrinio Pæto: ſecundum ei, qui has litteras tibi dedit.

COELIUS CICERONI. S. 3

ESTNE? vici? & tibi ſæpe, quod negaras diſcedens curaturum, tibi litteras mitto? eſt, ſi quidem perferuntur quas do. Atque hoc eo diligentiùs factito, quòd cùm otioſus ſum, planè, ubi delectem otiolum meum, non habeo. Tu cùm Romæ eras, hoc mihi certum, ac jucundiſſimum vacanti negotium erat, tecum id otii tempus conſumere: idque non mediocriter deſidero: ut non modò mihi ſolus eſſe, ſed Romæ, te profecto, ſolitudo videatur facta: & qui, (quæ mea negligentia eſt,) multos ſæpe dies ad te, cùm hic eras, non accedebam, nunc quotidie non eſſe te, ad quem curſitem, diſcrucior. Maximè verò, ut te dies, noctéiſque quæram, competitor Hirrus curat. Quomodo illum putas auguratus tuum competitorem dolere, & diſſimulare, me certiorem, quàm ſe, candidatum? de quo, ut, quem optas, quàm primùm nuntium accipias, tua medius fidius magis, quàm mea cauſa cupio. [13] Nam mea, ſi fio, forſitan cum locupletiore referam. ſed hoc uſque eo ſuave eſt, quod, ſi acciderit, tota vita riſus nobis deeſſe non poterit. Sed tanti mehercule, non multùm M. Octavius eorum odia, qui Hirrum premunt, quæ permulta ſunt, ſublevat. Quod ad Philotimi liberti officium, & bona Milonis attinet: dedimus operam, ut & Philotimus quàm honeſtiſſimè Miloni abſenti, ejuſque neceſſariis ſatisfaceret, & ſecundum ejus fidem, & ſedulitatem exiſtimatio tua conſervaretur. Illud nunc à te peto, ſi eris, (ut ſpero) otioſus, aliquod ad nos, ut intelligamus nos tibi curæ eſſe, σύνταγμα conſcribas. Quî tibi iſtuc, inquis, in mentem venit, homini non inepto? Aliquid ex tam multis tuis monumentis exſtare, quod noſtræ amicitiæ memoriam, poſteris quoque prodat. Cujuſmodi velim, puto, quæris. [14] Tu citius, qui omnem noſti diſciplinam, quod maximè conveniat, excogitabis. Genere tamen, quod & ad nos

1. *Quod opinor certè factum eſt.*] Ita ſcripſi ex Pall. quart. quint. Vatic. editione Victorii: Pal. tamen primus & editionum vetuſtiſſima, *factum eſt*: vulgò alias verbum ſubſiſtendi, ut vocant, deficit.

2. *Circumſederi.*] Vulgò *Circumſideri*: illud malui, quia in his epiſtolis tales antiquitatis affectationes; deinde quia ſic reperi in Pall. primo, quinto, editione primariâ, & Vaticano.

3. *Neque hæc incerta tamen, vulgò jactantur.*] Politiani codex expungit τὸ *tamen*, neque mihi neceſſarium magnopere videtur: cum de eo quoque ambigere videam Pal. quart. *neque hæc incerta quidem cum* [illegible] quintum: *neque hæc incerta quidem, tamen vulgò jactantur.*

4. *Quos tu noſti, palam ſecretò narrantur.*] Ita eſt in tribus Pall. editionibus, prima ac Florentina: ſunt tamen qui diſtinguant, *quos tu noſti palam, ſecretò narrantur*. Vulgatum eſt: *quos tu noſti ... ;* [illegible] poſt ſtatim in Pall. tribus, atque editione primogenita: *aut Domitius*, cum ad eam notet Egnatius ex v. c. legi, ſicut & Politiani liber agnoſcit, *apud Domitium*: melius meo animo quam vulgò.

5. *Baulis embæneticam facere.*] Ita caſtigatiſſimus Pal. pr. Vaticani excerpta, editio prima ac Victoriana. nec diſſentiunt multa Pall. quart. quint. *bauli ſembaniticam*. Miror Lambini aviditatem, pro Turnebi *empeneticam*; cum ſtatim de Eſurie illius inſequatur. [illegible] *Epibaticam*. totumque *Epibaticam facere* idem eſſe quod Varroni *velaturam facere*. Gloſſ. ἐπιβάτης, *Vector*. Alii *Embaticam*. Alii [illegible] ἀκρεβατικὴν ſubſtituunt. Vulgata lectio eſt *Schænobaticam facere*. Duo Gulielmio conſulti, *emeniticam facere*.

6. *Ut ego miſerer ejus eſuriei.*] Præfero Palat. & editionis priſcæ primi ſcripturam: *miſerer ejus eſurire*: quæ valde titillat meis auribus. Quartus *miſerer excicare*: quint. melius, *exicare*. Vulgatam lectionem non ſanam eſſe liquido, puto, jam conſtat.

7. *Me repræſentante pronuntiatum eſt.*] Ita in Pall. pr. quart. editione prima ac Victoriana. vulgo *præſente* ſtatim poſt emendavi, ex Pal. pr. Vaticano, editione Victorii, *& quidem omnibus ordinibus, & ſingulis in unoquoque ordine ſent.* Cæterum totum hoc initium ſic reformat: *certè, inquam, abſolutus eſt (me præſente pronuntiatum eſt) nec quidem omnibus ordinibus ſed ſingulis in unoquoque genere ſententiis.*

8. *Poſtridie ejus abſolutionem.*] Sic Vaticani & Peckii excerpta editioque adeò Victorii, nam ceteri tres Pall. hîc mihi turbas ac tricas inconciliant, tranſpoſitæ fœdum in modum. Sic, ut notant docti, Cæſar *poſtridie ludos*, dixit. vulgò, *abſolutionis*.

9. *Rudentum ſimilis.*] Ita Victorius & Vaticanus. Lambinus unicâ voce *rudenti ſibilus*, quod non ſatis poterat confodere atque expungere Gulielmius. Rivius olim, *Rudentum ſimilis ſibilus* conjecerat, quod explodit Lambinus. vulgo *ſibilus*.

10. *Sed tum ita, ut in totam vitam cuivis ſatis eſſet, & pœniteret eum jam vixiſſe.*] Vulgo poſt *ita*, addunt *bene*: ſed illud expungit Vatic. *viciſſe* quoque editum, cum alii libri melius *vixiſſe*.

11. *Competitorem nobilem & nobilem agentem.*] Ita Vaticanus, Peck. Vict. ac Lamb. vulgo: *competitorem nobilem, & ignobilem egentem.*

12. *Quod ad pantheras attinet, rogo. Syngrapham Sittianam tibi c.*] Peck. excerpta ſic concipiunt: *quod pantheras attinet, Syngrapham.* Vatic. vero, ut & Victorii editio: *attinet rogo Syngrapham Sittianam*: niſi quod etiam hæc, *pyngrapham*. in fine epiſtolæ ex excerptis Peck. ac Vaticani, editione Victorii, edidi, *qui has litteras tibi dedit*. vulgo, *reddet*.

13. *Non mea, ſi fio, forſitan cum locupletiore referam.*] Hæc eſt Victorii lectio, quam magis ac lubentius amplexus ſum, quam Lambinianam illam: *Nam mea, ſi fio, forſitan non locupletiora referam*: quando & Peckio excerpta *cum* non τὸ *non* agnoſcant. Vulgatum eſt: *Nam me, ſi fio, forſitan non locupletiorem referam.* paullo ſuperius emendatum iverat ex conjectura Gulielmius, *dolere & diſſimulari*, quod ipſius cauſa, probare non poſſum.

14. *Tu citius, qui omnem noſti diſciplinam.*] Vulgo, *Tu aptius.* ſed noſtrum accepimus ex Peck. Vatic. editione Victorii. ſtatim poſt ex editione Victor. & Peck. edidi *excogitabis. Genere tamen.* cum vulgetur: alias: *excogitabis. ex eo tamen genere.* ſicut & ſuperius ex iiſdem repoſui. *poſteris quoque prodat. cujuſmodi velim*: melius quam vulgo: *poſteris prodat. cujuſmodi, puto, quæris.*

1. M.C[illegible]

ad nos pertineat, & διαγραφίαν quandam, ut verſetur inter manus, habeat. Vale.

4 M. COELIUS M. CICERONI, S. D.

INVIDEO tibi: tam multi quotidie, quæ mirere, iſtòc perferuntur. Primùm illud, abſolutum Meſſallam: deinde eundem condemnatum. C. Marcellum, conſulem factum: [1] M. Claudium, [2] a repulſa poſtulatum à Gallis duobus: P. Dolabellam quindecimvirum factum. Hoc tibi non invideo, caruiſſe te pulcherrimo ſpectaculo, [3] & Lentuli cruris repulſi vultum non vidiſſe. At qua ſpe, quàm certa opinione deſcenderat? quàm ipſo diffidente Dolabella? & Hercules, niſi noſtri equites acutiùs vidiſſent, pene concedente adverſario ſuperaſſet. Illud te non arbitror miratum, Servium, deſignatum tribunum pleb. condemnatum: cujus locum C. Curio petiit. ſanè quàm incutit multis, qui eum, facilitatemque ejus non norunt, magnum metum. Sed, ut ſpero, & volo, &, ut ſe fert ipſe, bonos, & ſenatum malet, [4] totus, ut nunc eſt, hoc ſcaturit. [5] Hujus voluntatis initium, & cauſa ineſt, quòd eum non mediocriter Cæſar, qui ſolet infimorum hominum amicitias ſibi qualibet impenſa adjungere, valde contemſit. Qua in re mihi videtur illud perquàm venuſtè cecidiſſe: quòd à reliquis quoque uſque eò eſt animadverſum, ut Curio, qui nihil conſilio facit, ratione, & inſidiis uſus videretur in evitandis iis conſiliis, qui ſe intenderant adverſarios in ejus tribunatum: Lælios, & Antonios, & id genus valenteis dico. Has ego tibi litteras eo majore miſi intervallo, quòd comitiorum dilationes occupatiorem me habebant, & exſpectare in dies exitum cogebant, ut, confectis omnibus, te facerem certiorem. Ad Kalendas Sextileis uſque exſpectavi. Prætoriis moræ quædam inciderunt. Mea porrò comitia, quem eventum ſint habitura, neſcio. opinionem quidem, quod ad Hirrum attinet, incredibilem, ædilium pleb. comitiis, nacta ſunt. [6] Nam M. Cœlium Vicinianum mentio illa fatua, quam deriſeramus olim, & promulgatio de dictatore, ſubitò dejecit, & dejectum magno clamore inſecuta eſt. [7] Inde Hirrum cuncti an non faciendum flagitare. Spero, te celeriter, & de nobis quod ſperaſti, & de illo [8] quod vix ſperare auſus es, auditurum. De republ. jam novi quidquam exſpectare deſieramus. Sed cùm ſenatus habitus eſſet ad Apollinis, ad XI. Kalend. Sex. & referretur de ſtipendio Cn. Pompeii: mentio facta eſt de legione ea, quam expenſam tulit C. Cæſari Pompejus, quo numero eſſet, quo appeteretur: cùm ex Gallia coactus eſſet dicere Pompejus ſe legionem abducturum, ſed non ſtatim ſub mentionem, & convicium obtrectatorum. Inde interrogatus de ſucceſſione C. Cæſaris: de qua, hoc eſt, de provinciis, placitum eſt, ut quàm primum ad urbem reverteretur Cn. Pompejus: ut coràm eo de ſucceſſione provinciarum ageretur. Nam Ariminum ad exercitum Pompejus erat iturus: & ſtatim iit, puto idib. Sextil. de ea re factum iri. profectò aut tranſigeretur aliquid, aut turpiter intercederetur. Nam in diſputando conjecit illam vocem Cn. Pompejus, Omneis oportere ſenatui dicto audienteis eſſe. Ego tamen ſic nihil exſpecto, quomodo Paullum conſulem deſignatum primùm ſententiam dicentem. Sæpius te admoneo de ſyngrapha Sittiana. cupio enim te intelligere, eam rem ad me valde pertinere. Item de Pantheris, ut Cibyratas accerſas, cureſque ut mi vehantur. Præterea nuntiatum nobis, & pro certo jam habetur, regem Alexandrinum mortuum. quid mihi ſuadeas, quomodo regnum illud ſe habeat, quis procuret, diligenter mihi perſcribas. Kalendis Sextil.

COELIUS CICERONI, S. 5

QUA tu cura ſis, quod ad pacem provinciæ tuæ, finitimarumque regionum attinet, neſcio: ego quidem vehementer animi pendeo. Nam ſi hoc moderari poſſemus, ut pro viribus copiarum tuarum, belli quoque exſiſteret magnitudo, &, quantum gloriæ, triumphoque opus eſſet, aſſequeremur, periculoſamque, & gravem illam dimicationem evitaremus: nihil tam eſſet optandum. Nunc ſi Parthus movet aliquid: ſcio non mediocrem fore contentionem. tuus porrò exercitus vix unum ſaltum tueri poteſt. Hanc autem nemo ducit rationem: ſed omnia deſiderantur ab eo (tamquam nihil denegatum ſit ei, quo minùs quàm paratiſſimus eſſet) qui publico negotio præpoſitus eſt. Accedit huc, quòd ſucceſſionem futuram propter Galliarum controverſiam non video. Tametſi hac de re puto te conſtitutum, quid facturus eſſes, habere: tamen, quo maturiùs conſtitueres, cùm hunc eventum providebam, viſum eſt, ut te facerem certiorem. Noſti enim hæc tralatitia: de Gallis conſtituetur: erit, qui intercedat: deinde alius exſiſtet, qui, niſi liberè liceat de omnibus provinciis decernere ſenatui, reliquas impediat. ſic multum, ac diu ludetur, atque ita diu, ut plus biennium in his tricis moretur. Si quid novi de repub. quod tibi ſcriberem, haberem, uſus eſſem mea conſuetudine, ut diligenter, & quid actum eſſet, & quid ex eo futurum ſperarem, perſcriberem. [9] Sane tanquam in quodam ſilice jam omnia adhæſerunt. Marcellus idem illud de provinciis urget, neque adhuc frequentem

tem

1. *M. Claudium, &c.*] Imo vero *M. Calidium*; ut pluribus firmat Pighius ad annum V. C. DCCIII. qui conſulatur.

2. *A repulſa poſtulatum à Gallis duobus.*] Ita Victorius edidit, quem in hac editione quandoquidem tempus præciſum, accurate mſſ. conſulendi totum ſequi imbibimus. Lambinus tamen: *à Galliis duobus.* ſed *Gallis* habent quoque duo Gulielmii libri. Edebatur alias: *à repulſa condemnatum à Galliis duabus.*

3. *Lentuli Cruris repulſi vultum non vidiſſe.*] Ita Vaticani & Peck. excerpta: nec ſecus Vict. editio. Vulgo, *Lentuli Suræ.* duo Guiliel. libri *à curis.* unde ille facit *à curiis*: quia curiata erant comitia.

4. *Totus, ut nunc eſt, hoc ſcaturit.*] Ita Victorius. Lambinus tamen, *hic ſenatu it* neſcio qua fiducia. videatur tamen Turnebus lib. XIII. cap. 20. Adverſ. vulgo *hic* pro *hoc*.

5. *Hujus voluntatis initium & cauſa ineſt.*] Ita ſcripſi: nam Peck. excerpta ignorant τὸ *autem* poſt provocabulum *hujus*. deinde Vict. quoque editio *ineſt*, præfert vulgato *eſt*.

6. *M. Cælium Vicinianum.*] Ita edidit Victorius, cui planè accedunt Peckio excerpta, & alter Gulielmii liber; in quo *Vicinnianum*. Lambinus propugnat *Vinicianum*, ut & Urſinus noſter in *Licinia*; ubi invehitur in Manutium reponentem *Licinianum*. conſulatur. nos & libri iſti unica littera à vulgata lectione alieni ſumus. *Ticinianum* enim prius legebatur.

7. *Inde Hirrum cuncti an non faciendum flagitare.*] Lambinus in duobus ſe Memmianis reperiiſſe teſtatur: *cuncti jam ad non faciendum flag.* Nos Victorianam lectionem retinuimus à Vaticano quoque exhibitam; eo magis, quod exiguiſſima mutatione à vulgata diſtet: nam pro *jam* regeſſimus *an*.

8. *Quod vix ſperare auſus es.*] Duo libri Gulielmio conſulti, *viſus es.* poſt: *quo numero eſſet, quo appeteretur*, edidit Victorius, quod ipſi quoque retinuimus. Lambinus verò, *quo appellaretur*: quia legiones a numero appellabantur; legio prima, ſecunda, tertia. Alii volunt legi, *quando repeteretur*. Guliel. duplicem ſuam conjecturam adnotavit. vel, quo ad *peteretur*, vel, *quò abduceretur*. ſed non video, cur vulgata præ illis omnibus locum habere non poſſit.

9. *Sanè tanquam in quodam ſilice jam omnia adhæſerunt.*] Retinuimus vulgatam lectionem, cum Victorio & Vaticani excerptis: Antiquiores codices, adnotante Victorio habent; *ſanè tanquam in quodam in Cilicia omnia adhæſerunt.* Libri autem Gulielmii duo *in Cilicia*: unus quidem *in Ciлia*. malebat ipſe. *in quodam ſilice.* Turnebus tamen lib. XII. cap. 17. ex veſtigiis v. c. hæſitans expediebat, *in quodam cilicio*. quod per *cilicium* & *coactilia* aliquando liquores tranſmittuntur, ut in iis ramenta auri adhæreſcant aqua transfuſa. Paullus Manutius, quod probabat Lambinus, *in quodam incili jam omnia adh.* utramque tamen conjecturam ingenioſam quidem, ſed fortaſſe coarctiorem, & alieniorem affirmat Andreas Schottus, mavultque ex antiquæ ſcripturæ veſtigiis codic. Maſſ. *in quodam vitilitia omn. adh. in quodam fictili ea omnia adhæſerunt*: quòd fictilia vaſa odorem ſemel imbuta retinent. Legendum, *ſane tanquam aqua in collicia, &c. Colliciss* vocat Plinius, ampliores ſulcos, qui interponebantur ad educendam aquam in foſſas. Et eadem videntur cum elicibus. Qui in aliquo difficili negotio impediti hærebant, nec exitum rei reperiebant, his *aquam hærere*, dicebant; metaphora ducta ab aqua, quæ in hujuſmodi ſulcis & colliciis hærebat, nec educebatur. *Salmaſius. Sane tanquam aqua in Cilicia omnia adhæſerunt.*] Omnino ſcribendum: *Sane tanquam in quodam titivillitio omnia adhæſerunt.* Conqueritur in illa epiſtola Cœlius, *quod plus biennium in his tricis moretur*. Idem hic repetit omniaque ipſorum conſilio ait hærere in quodam titivillitio, in meris tricis & re nihili. *Adhærere in re aliqua* proverbium eſt & continuum. *Iſ. Voſſius.*

tem ſenatum efficere potuit. Quòd ſi anno præterito Curio tribunus, & eadem actio de provinciis introivit: quàm facilè nunc ſit omnia impedire, & quàm hoc [1] Cæſari, qui ſuâ causà remp. non curet, ſuperet, non te fallit.

6 COELIUS CICERONI, S.

NON dubito, quin perlatum ad te ſit, Appium à Dolabella reum factum: ſanè quàm non ea, quam exiſtimaveram, invidia. Neque enim ſtultè Appius: qui ſimulatque Dolabella acceſſit ad tribunal, introierat in urbem, triumphique poſtulationem abjecerat. [2] Quo facto retudit ſermones, paratiorque viſus eſt, quàm ſperaverat accuſator. Is nunc in te maximam ſpem habet. Scio tibi eum non eſſe odio. quàm velis eum obligare, in tua manu eſt: cum quo ſimultas tibi non fuiſſet, liberius tibi de tota re eſſet. [3] Nunc ſi ad illam ſummam veritatem legitimum jus exegeris: cavendum tibi erit, ne parum ſimpliciter, & candidè poſuiſſe inimicitias videaris. In hanc partem porrò tutum tibi erit, ſi quid volueris, gratificari. nemo enim neceſſitudine, & amicitia te deterritum ab officio dicet. Illud mihi occurrit, quòd inter poſtulationem, & nominis delationem, uxor à Dolabella diſceſſit. Quid mihi diſcedens mandaris, memini, quid ego tibi ſcripſerim, te non arbitror oblitum. Non eſt jam tempus plura narrandi. Unum illud monere te poſſum: ſi res tibi non diſplicebit, tamen hoc tempore nihil de tua voluntate oſtendas, & exſpectes, quemadmodum exeat ex hac cauſa. [4] Denique invidioſum tibi ſit, ſi emanarit. Porrò, ſignificatio ulla ſi interceſſerit, clarius, quàm deceat, aut expediat, fiat. Neque ille tacere eam rem poterit, quæ ſuæ ſpei tam opportuna acciderit: quæque in negotio conficiendo tanto illuſtrior erit: cùm præſertim is ſit, qui ſi pernicioſum ſciret eſſe, loqui de hac re, vix tamen ſe contineret. Pompejus dicitur valde pro Appio laborare, ut etiam putent alterutrum de filiis ad te miſſurum. Hìc nos omnes abſolvimus: & hercule confecta omnia, fœda, & inhoneſta ſunt. Conſules autem habemus ſumma diligentia: adhuc ſenatuſconſultum niſi de feriis Latinis, nullum facere potuerunt. Curioni noſtro tribunatus conglaciat. Sed dici non poteſt, quomodo hìc omnia jaceant. Niſi ego cum tabernariis, & aquariis pugnarem, veternus civitatem occupaſſet. Si Parthi vos nihil calfaciunt, [5] nos hìc frigore frigeſcimus. Tamen, quoquo modo hìc omnia jaceant, potuit ſine Parthis. Bibulus in Amano neſcio quid cohorticularum amiſit. Hoc ſic nuntiatum eſt. Quod tibi ſuprà ſcripſi, [6] Curionem valde frigere: jam calet. nam ferventiſſimè concerpitur. Leviſſimè enim, quia de intercalando non obtinuerat, transfûgit ad populum, & pro Cæſare loqui cœpit: legemque Viariam, non diſſimilem Agrariæ Rulli, & Alimentariam, quas jubet ædileis metiri, jactavit. hoc nondum fecerat, cùm priorem partem epiſtolæ ſcripſi. Amabo te, ſi quid, quod opus fuerit, Appio facies, [7] ponito me in gratia. De Dolabella integrum tibi reſerves, ſuadeo. & huic rei, de qua loquor, & dignitati tuæ, æquitatiſque opinioni hoc ita facere expedit. Turpe tibi erit [8] pantheras Græcas me non habere.

COELIUS CICERONI, S. 7

QUAM citò tu iſtinc decedere cupias, neſcio: ego quidem eo magis, quo adhuc feliciùs rem geſſiſti. Dum iſtic eris, de belli Parthici periculo cruciabor, ne hunc riſum meum [9] metus aliqui perturbet. Breviores has litteras properanti publicanorum tabellario ſubitò dedi: tuo liberto pluribus verbis ſcriptas pridie dederam. Res autem novæ nullæ ſanè acciderunt, niſi hæc vis tibi ſcribi, quæ certè vis. Cornificius adoleſcens Oreſtillæ filiam ſibi deſpondit. Paulla Valeria, ſoror Triarii, divortium ſine cauſa, quo die vir è provincia venturus erat, fecit. Nuptura eſt D. Bruto. nondum retulerat. Multa in hoc genere incredibilia, te abſente, acciderunt. Servius Ocella nemini perſuaſiſſet ſe mœchum eſſe, niſi triduo bis deprehenſus eſſet. Quæres, ubi? ubi hercule ego minimè vellem. relinquo tibi quod ab aliis quæras. neque enim diſplicet mihi, imperatorem ſingulos percontari, cum qua ſit aliqui deprehenſus.

M. COELIUS M. CICERONI, S. D 8

ETSI de repub. quæ tibi ſcribam, habeo: tamen nihil, quo magis gaviſurum te putem, habeo, quàm hoc. [10] Scito, C. Sempronium Rufum, Rufum mel, ac delicias tuas, [11] calumniam maximo plauſu tuliſſe: quæris quâ in cauſa? M. Tuccium, accuſatorem ſuum poſt ludos Romanos, reum lege Plotia de vi fecit, hoc conſilio, quòd videbat, ſi extraordinarius reus nemo acceſſiſſet, ſibi hoc anno cauſam eſſe dicendam. Dubium porrò illi non erat, quid futurum eſſet. Nemini hoc deferre munuſculum maluit, quam ſuo accuſatori. Itaque ſine ullo ſubſcriptore deſcendit, & Tuccium reum fecit. At ego, ſimulatque audivi, invocatus ad ſubſellia rei occurro: ſurgo, neque verbum de re facio. Totum Sempronium uſque eò perago, ut Veſtorium quoque interponam, & illam fabulam narrem, quemadmodum tibi pro beneficio dederit, ſi quid injuriis ſuis eſſet, ut Veſtorius teneretur. Hæc quoque magna nunc contentio forum tenet. M. Servilius, poſtquàm, ut cœperat, omnibus in rebus turbarat, [12] ne, quod non venderet, quoiquam reliquerat: maximeque nobis traditus erat invidiæ: [13] neque Laterenſis, prætore poſtulante Pauſania, nobis patronis, QUO EA PECUNIA PERVENISSET, recipere voluit. Quòd Pilius, neceſſarius Attici noſtri, de repetundis eum poſtulavit: magna illico fama ſurrexit: & de damnatione ferven-

1. *Cæſari qui ſuâ cauſâ remp. non curet, ſuperet.*] Libri mſſ. Lamb. hanc lectionem habent repræſentatam quoque in editione Victorii. Peck. quoque *ſuperet*. Vulgata lectio tota abhorret: *Cæſari & iis qui ſuam cauſam non reipub. curant, ſuppetat, non te fallit.*

2. *Quo facto retudit ſermones.*] Sic Victorii. neſcio quo malo, in vulgatis *retulit*. paullo poſt ſcripſi ex Victorio: *cum quo ſimultas tibi non fuiſſet*. licet editum ſit: *cum quo ſimultates ſi tibi non fuiſſent.*

3. *Nunc ſi ad illam ſummam veritatem.*] Ita mſſ. teſte Lambino, quidam, ita quoque Peckio excerpta, editioque Victorii. Vulgo *ſeveritatem.*

4. *Denique invidioſum tibi ſit.*] Ita mſſ. alii, & Peck. & Victorii editio. vulgo, *ne qua invidioſum tibi ſit:* quod ſequi ſe potius ajebat Dionyſius Lambinus.

5. *Nos hic frigore frigeſcimus.*] Peck. *nos nihil frigore frigeſcimus.* quemadmodum ſuperius pro *confecta, conſcripta*. Guliel. pro *frigeſcimus* conjecit *rigeſcimus* non malè, niſi & ſic auctores loquerentur.

6. *Curionem valde frigere.*] Interſerui *valdè*, ex Victorii editione, Peckiano, Vaticano. Sicut ex iiſdem *Leviſſime* non *belliſſime*, ut vulgo. paullo poſt Gulielmius malebat, *quæ jubet ædiles*, ex conjectura.

7. *Ponito me in gratia.*] Sic rectius Vaticanus ac Victorii editio. vulgo nequius editum eſt, *gratiam*. Paullo poſt edidi ex Peck. Vatican. Victorii editione, *æquitatiſque opinioni hoc ita facere expedit.* omiſſo illo *te* quod non bene ante *hoc* conſtiterat.

8. *Pantheras Græcas me non habere.*] Ita Victorius & Peck. ut quoque Lambinus in hanc diſceſſit ſententiam. vulgò, *Pantherarum greges.*

9. *Metus aliqui perturbet.*] Secuti ſumus cum Lambino accuratiſſimum P. Victorium; eò magis, quod ſic habent Vaticani excerpta. Qui non intellexerunt ſic *aliqui qui* pro *aliquis quis* in v. c. perſcribi, *perturbent* ex *perturbet* ſcilicet emendarunt. Pejores illi, qui *aliquis* ſuppoſitum iverunt. Sicut in fine: *Cum qua ſit aliqui deprehenſus* ex Victorio & Vaticano, non *aliquis.*

10. *Scito C. Sempronium, Rufum, Rufum mel ac delicias tuas.*] Elegantiſſimè ex v. c. repetiit τὸ *Rufum* Victorius, cum quo Vaticanus facit, ſecutuſque eſt in ſua editione Lamb. ut Catullus:

Cœli Lesbia noſtra, Lesbia illa, Illa Lesbia, quàm Catullus unam, &c.

11. *Calumniam maximo plauſu tuliſſe quæris quâ in cauſa.*] Ut edidit Victorius, ita ſequutus eſt Lambinus, è quibus neque nos diſcedimus. Vaticani tamen excerpta: *tuliſſe quæris quæ in cauſa.* vulgo: *tuliſſe, quod is in cauſa.*

12. *Ne, quod non venderet, quoiquam reliquerat, maximeque nobis traditus erat invidiæ.*] Ita hunc locum emendavi ex Peckio excerptis, & editione Victorii. Vulgabatur, *nec, quod non venderet, quicquam reliquerat: maximâ nobis traditus erat invidia.* Vaticanus, & Victoriani, *cuiquam*: ſed quia in Peckio excerptis erat *quo inquam*, cuivis proclive erat facere *quoiquam*

13. *Neque Laterenſis prætore poſtulante Pauſania.*] Sic Victorius. amplius Peck. *Laterenſi prætore.* vulgo. *Laterenſis prætor, poſtulante Pauſania.*

1. Ut

ferventer loqui eſt cœptum. Quo vento projicitur Appius minor, [1] ut implicet pecuniam ex bonis patris perveniſſe ad Servilium, prævaricationiſque cauſa diceret depoſitum H-S. LXXXI. Admiraris amentiam, [2] immò ſi actiones ſtultiſſimas, quid ſi nefarias patris confeſſiones audiſſes? Mittit in conſilium eóſdem illos, qui lites æſtimarant, judices. Cùm æquo numero ſententiæ fuiſſent, Laterenſis leges ignorans, pronuntiavit, quod ſinguli ordines judicaſſent: & [3] ad extremum, ut ſolent, non redigam. Poſtquàm diſceſſit, & pro abſoluto Servilius haberi cœptus, legiſque unum & centeſimum caput legit, in quo ita erat: [4] QUOD EORUM JUDICIUM MAJOR PARS JUDICARIT, ID JUS RATUMQUE ESTO: in tabulas abſolutum non retulit, ordinum judicia perſcripſit. poſtulante rurſus Appio, cum L. Lollio tranſegiſſet, & ſe relaturum dixit. Sic nunc neque abſolutus, neque damnatus Servilius, de repetundis ſaucius Pilio tradetur. Nam de divinatione Appius, cùm calumniam juraſſet, contendere auſus non eſt, Pilioque ceſſit: & ipſe de pecuniis repetundis à Serviliis eſt poſtulatus, & præterea de vi reus à quodam emiſſario ſuo, Titio, factus eſt. Rectè hoc par habet. Quod ad remp. pertinet, omnino multis diebus exſpectatione Galliarum actum nihil eſt. Aliquando tamen ſæpe re dilata, & graviter acta, & planè perſpecta Cn. Pompeii voluntate in eam partem, ut eum decedere poſt Kalendas Martias placeret: ſenatuſconſultum, quod tibi miſi, factum eſt, auctoritateſque perſcriptæ. *S. C. auctoritas. Pridie Kal. Octob. in æde Apollinis ſcrib. affuerunt, L. Domitius, Cn. Filius, Ahenobarbus, Q. Cæcilius, Q. F. Metellus, Pius Scipio, L. Julius, Lucii F. Pomt. Annalis, C. Septimius, T. F. Quirina, Cajus Lucius C. F. Pup. Hirrus, C. Scribonius, C. F. Pop. Curio, L. Attejus, L. F. An. Capito, M. Oppius, M. fil. Terentina. Quod M. Marcellus conſul, V. F. de provinciis conſularibus, D. E. R. I. C. uti L. Paullus, C. Marcellus conſules, cùm magiſtratum iniiſſent, ad ex Kal. Mart. quæ in ſuo magiſtratu futuræ eſſent, de conſularibus provinciis ad ſenatum referrent, neve, quid priùs ex Kalendis Mart. neve quid conjunctim de ea referretur a conſulibus, utique ejus rei cauſa per dies comitiales ſenatum haberent, S. Q. C. facerent: &, cùm de ea re ad ſenatum referretur à COSS. eorum, qui in CCC. judicibus eſſent, ſex adducere liceret. Si quid ea re ad populum, ad plebemve lato opus eſſet, ut Serv. Sulpicius, M. Marcellus COSS. prætores, tribunique pleb. quibus eorum videretur, ad populum, plebemve referrent: quod ii non tuliſſent, uti, quicumque deinceps eſſent ad populum plebemve ferrent. L. V. Prid. Kalend. Octob. in æde Apollinis, ſcrib. affuerunt, L. Domitius, Cn. F. Ahenobarbus, Q. Cæcilius, Q. F. Metellus Pius Scipio, L. Julius, L. F. Pomt. Annalis, C. Septimius, T. F. Quirina, C. Scribonius, C. F. Pop. Curio, L. Attejus L. F. An. Capito, M. Oppius, M. F. Terentina. Quod M. Marcell. COS. V. F. de provinciis, D. E. R. I. C ſenatum exiſtimare, neminem eorum, qui poteſtatem habent intercedendi, impediendi, moram afferre oportere, [5] quo minùs de repub. ad ſenatum referri, ſenatique conſultum fieri poſſit. qui impedierit, prohibuerit, eum ſenatum exiſtimare contra rempub. feciſſe. Si quis huic ſenatuſconſulto interceſſerit, ſenatui placere, auctoritatem perſcribi, & de ea re ad ſenatum, populumque referri.* Huic ſenatuſconſulto interceſſit C. Cœlius, L. Vicinius, P. Cornelius, C. Vibius Panſa. *Item ſenatui placere, de militibus, qui in exercitu C. Cæſaris ſunt: qui eorum ſtipendia emerita aut cauſas, quibus de cauſis miſſi fieri debeant, habeant, ad hunc ordinem referri, ut eorum ratio habeatur, cauſæque cognoſcantur. Si quis huic S. C. interceſſerit, ſenatui placere auctoritatem perſcribi, & de ea re ad ſenatum, populumque referri.* Huic S. C. interceſſit C. Cœlius, C. Panſa, tribuni pleb. *Itemque ſenatui placere, in Ciliciam provinciam, in octo reliquas provincias, quas prætorii pro prætore obtinerent, eos, qui prætores fuerunt, neque in provincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex S. C. cum imperio in provincias pro prætore mitti oporteret: eos ſortitò in provincias mitti placere. ſi ex eo numero, quos ex S. C. in provincias ire oporteret, ad numerum non eſſent, qui in eas provincias profecti eſſent: tum uti quodque collegium primum prætorum fuiſſet, neque in provincias profecti eſſent, ita ſorte in provincias proficiſcerentur. ſi ii ad numerum non eſſent, tunc deinceps proximi cujuſque collegii, qui prætores fuiſſent, neque in provincias profecti eſſent, in ſortem conjicerentur, quoad is numerus effectus eſſet, quem ad numerum in provincias mitti oporteret. Si quis huic S. C. interceſſiſſet, auctoritas perſcriberetur.* Huic ſenatuſconſulto interceſſit C. Cœlius, C. Panſa, tribuni pleb. Illa præterea Cn. Pompeii ſunt animadverſa, quæ maximè confidentiam attulerunt hominibus, ut diceret, ſe ante Kalend. Mart. non poſſe ſine injuria de provinciis Cæſaris ſtatuere, poſt Kal. Mart. ſe non dubitaturum. Cum interrogaretur, ſi qui tum intercederent: dixit, hoc nihil intereſſe, utrùm C. Cæſar ſenatui dicto audiens futurus non eſſet, an pararet, qui ſenatum decernere, non pateretur. Qui ſi, inquit alius, & conſul eſſe, & exercitum habere volet? At ille, quàm clementer! Quid ſi filius meus fuſtem mihi impingere volet? His vocibus, ut exiſtimarent homines, Pompejo cum Cæſare eſſe negotium, effecit. Itaque jam, ut video, alteramutram ad conditionem deſcendere vult Cæſar, ut aut maneat, neque hoc anno ſui ratio habeatur: aut, ſi deſignari poterit, decedat. Curio ſe contra eum totum parat. quid aſſequi poſſit, neſcio. Illud, video, bene ſentientem, etſi nihil effecerit, cadere non poſſe. Me tractat liberaliter Curio, & mihi ſuo munere negotium impoſuit. Nam ſi mihi non dediſſet eas, quæ ad ludos ei advectæ erant Africanæ, potuit ſuperſederi. Nunc, quum dare neceſſe eſt, velim tibi curæ ſit, quod à te ſemper petii, ut aliquid iſtinc beſtiarum habeamus. Sittianamque ſyngrapham tibi commendo. Libertum Philonem iſtuc miſi, & Diogenem Græcum, quibus mandata, & litteras ad te dedi. eos tibi & rem, de qua miſi, velim curæ habeas. nam, quàm vehementer ad me pertineat: in iis, quas tibi illi reddent, litteris deſcripſi.

COELIUS CICERONI, S. 9

SIc tu, inquis, Hirrum tractaſti? Immò, ſi ſcias, quàm facilè, quàm ne contentionis quidem minimæ fuerit, pudeat te, auſum illum umquam eſſe incedere tamquam tuum competitorem. Poſt repulſam verò riſus facit: civem bonum ludit, & contra Cæſarem ſententias dicit: exſpectationem corripit: Curionem prorſus non mediocriter objurgatus, hac repulſa ſe mutavit. Præterea qui numquam in foro apparuerit, non multum in judiciis verſatus ſit, agit cauſas liberales, ſed raró poſt meridiem. De provinciis quod tibi ſcripſeram idibus Sextil. actum iri, interpellat judicium

1. *Ut implicet pecuniam.*] Sic Vaticanus, & Victorius. Peck. tamen *implicet de pecunia.* hinc forte *replicare.* vulgo male, *indicet.* Sequitur, *& depoſitum* H-S. LXXXI. hoc eſt, *ſeſtertium octogies ſemel vel octogies & centum millia.* noſtrorum aureorum ducenta duo millia quingenti. *Gronov.*

2. *Immò ſi actiones ſtultiſſimas.*] Secuti ſumus Victorium & Vaticani excerpta: vulgò, *quid ſi actiones.* Peck. *uno*, ut liquido videas accedere noſtræ. ſtatim idem, *qui de ſe nefarias patris confeſſiones audiſſes.*

3. *Ad extremum, ut ſolent, non redigam.*] Quemadmodum edidit Victorius, & probavit Lambinus, habent Peckio excerpta: vulgatum eſt: *ut ſolet, ait, referam.*

4. QUOD EORUM JUDICIUM MAJOR PARS JUDICARIT.] Vulgo *Judicum.* ſed illud antiquius, quemadmodum apud Plautum *meretricium* pro *meretricum.* Et ego apud Fabium Quintilianum inveni *Artificium* in Pal. mſ. pro *Artificum*, ſic quoque editio Antverpienſis. ſcripſi præterea *Ratumque* pro quo Peckio excerpta *curatumque.* paullò item poſt *tranſegiſſet* ex Vaticano, & Victorii editione. Vulgatur *tranſegit.*

5. *Quo minus de repub. ad ſenatum referri, ſenatique conſultum fieri.*] Ita Victorius, Vaticani, ac Peckio excerpta. vulgo interjiciunt poſt *de rep.* *quam primum.* & *ſenatuſque conſultum.* Potius paullo poſt *prohibuerit* delendum videtur, quod iramuli ſuo loco ex Vatican. ac Peck. & Victorii editione.

1. In

dicium Marcelli, conſulis deſignati. [1] In Kalend. rejectum ne frequentiam quidem efficere potuerant. Has litteras ad IV. Non. Septembr. dedi, cùm ad eam diem [2] ne profligatum quidem quidquam erat. Ut video, cauſa hæc integra in proximum annum transferetur: &, quantum divino, relinquendus tibi erit, qui provinciam obtineat. Nam non expeditur ſucceſſio, quum Galliæ, quæ habent interceſſorem, in eandem conditionem, quam ceteræ provinciæ, vocantur. Hoc mihi non eſt dubium. quo tibi magis ſcripſi, ut ad hunc eventum te parares. Ferè litteris omnibus tibi de pantheris ſcripſi. turpe tibi erit, Patiſchum Curioni decem pantheras miſiſſe, te non multis partibus plureis: quas ipſas Curio mihi, & alias Africanas decem donavit: nè putes illum tantùm prædia ruſtica dare ſcire. Tu, ſi modò memoria teneres, & Cibyratas arceſſieris, itemque in Pamphiliam litteras miſeris, (nam ibi plureis capi ajunt) quod voles efficies. Hoc vehementius laboro nunc, quòd ſeorſum à collega puto mihi omnia paranda. Amabo te, impera tibi: hoc cura. Soles libenter, ut ego, majorem partem nihil curare. In hoc negotio nulla tua, niſi loquendi, cura eſt, hoc eſt, imperandi, & mandandi. Nam ſimulatque erunt captæ: qui alant eas, & deportent, habes eos, quos ad Sittianam ſyngrapham miſi. Puto etiam, ſi ullam ſpem mihi litteris oſtenderis, me iſtò miſſurum alios. [3] Marcum Feridium, equitem Romanum, amici mei filium, bonum, & ſtrenuum adoleſcentem, qui ad ſuum negotium iſtuc venit, tibi commendo: & te rogo, ut eum in tuorum numero habeas. Agros, quos fructuarios habent civitates, vult tuo beneficio, quod tibi facile, & honeſtum factu eſt, immuneis eſſe. gratos, & bonos tibi obligaris. [4] Nolo te putare Favonium à columnariis præteritum eſſe: [5] optimus quiſque eum non fecit. [6] Pompejus tuus apertè Cæſarem & provinciam tenere cum exercitu, & conſulem eſſe. tamen hanc ſententiam dixit, nullum hoc tempore ſenatuſconſultum faciendum. Scipio hanc, ut Kalend. Martiis de provinciis Galliis, neu quid conjunctim referretur. Contriſtavit hæc ſententia Balbum Cornelium: & ſcio, eum queſtum eſſe cum Scipione. Canidius in defenſione ſua fuit diſertiſſimus, in accuſatione ſatis frigidus.

10 COELIUS CICERONI, S.

SANE quàm litteris C. Caſſii, & Dejotari, ſumus commoti. Nam Caſſius cis Euphraten copias Parthorum eſſe ſcripſit: Dejotarus, profectas per Commagenem in provinciam noſtram. Ego quidem præcipuum metum, quod ad te attinebat, habui, qui ſcirem, quàm paratus ab exercitu eſſes, nequod hic tumultus dignitati tuæ periculum afferret. Nam de vita, ſi paratior ab exercitu eſſes, timuiſſem. nunc hæc exiguitas copiarum, receſſum, non dimicationem mihi tuam præſagiebat. Hoc quomodo acciperent homines, quàm probabilis neceſſitas futura eſſet, vereor etiam nunc: neque priùs deſinam formidare, quàm tetigiſſe te Italiam audiero. Sed de Parthorum tranſitu nuntii varios ſermones excitarunt. Alius enim, Pompejum mittendum: alius, ab urbe Pompejum non removendum: alius, Cæſarem cum ſuo exercitu: alius, conſules: nemo tamen ex ſenatuſconſulto privatos. Conſules autem, quia verentur, ne illud ſenatuſconſultum fiat, ut paludati exeant, aut contumelioſè, præter eos, ad alium res transferatur, omnino ſenatum haberi nolunt: uſque eò, ut parum diligentes in rep. videantur: ſed honeſtè, ſive negligentia, ſive inertia eſt, ſive ille, quem propoſui, metus latet ſub hac temperantiæ exiſtimatione, nolle provinciam. Ad te litteræ non venerunt: &, niſi Dejotari ſubſecutæ eſſent, in eam opinionem Caſſius venerat, quæ diripuiſſet ipſe, ut viderentur ab hoſte vaſtata, finxiſſe bellum, & Arabas in provinciam immiſiſſe, eoſque Parthos eſſe, ſenatui renuntiaſſe. Quare tibi ſuadeo, quicumque eſt iſtic ſtatus rerum, diligenter, & cautè perſcribas, [7] ne aut bellificatus alicui dicaris: aut aliquid, quod referret ſcire, reticuiſſe. Nunc exitus eſt anni. nam ego has litteras ad XIIII. Kal. Decemb. ſcripſi. Planè nihil video ante Kalend. Januar. agi poſſe. Noſti Marcellum, quàm tardus, & parum efficax ſit: itemque Servius, quàm cunctator. Cujuſmodi putas hoc eſſe? aut quî id, quod nolint, conficere poſſe, qui quæ cupiunt, tamen ita frigidè agunt, ut nolle exiſtimentur? Novis magiſtratibus autem, ſi Parthicum bellum erit, hæc cauſa primos menſes occupabit. Sin autem non erit iſtic bellum, aut tantum erit, ut vos, aut ſucceſſores parvis additis copiis ſuſtinere poſſint: Curionem video ſe dupliciter jactaturum: primùm, ut aliquid Cæſari adimat: inde ut aliquid Pompejo tribuat, quidvis, quamlibet tenue munuſculum. Paulus porrò non humanè de provincia loquitur. hujus cupiditati occurſurus eſt Furnius noſter. plureis ſuſpicari non poſſum. Hæc novi. alia, quæ poſſunt accidere, non cerno. multa tempus afferre, & præparata multa ſcio. ſed intra fineis hos, quæcumque acciderint, vertentur. Illud addo ad actiones C. Curionis, de agro Campano: de quo negant Cæſarem laborare, ſed Pompejum valde nolle, ne vacuus advenienti Cæſari pateat. Quod ad tuum deceſſum attinet, illud tibi non poſſum polliceri, me curaturum, ut tibi ſuccedatur. illud certè præſtabo, ne amplius prorogetur. Tui conſilii eſt, ſi tempus, ſi ſenatus coget, ſi honeſtè à nobis recuſari non poterit, veliſne perſeverare: mei officii eſt, meminiſſe, qua obteſtatione decedens mihi, ne paterer fieri, mandaris.

COELIUS CICERONI, S. 11

NON diu, ſed acriter nos tuæ ſupplicationes torſerunt. incideramus enim in difficilem nodum. Nam Curio tui cupidiſſimus, cui omnibus rationibus comitiales eripiebantur, negabat ſe ullo modo pati poſſe, decerni ſupplicationes, [8] ne quod furore Paulli adeptus eſſet boni, ſua culpa videretur amiſiſſe: & prævaricator cauſæ publicæ exiſtimaretur. Itaque ad pactionem deſcendimus: & confirmarunt conſules, ſe his ſupplicationibus in hunc annum non uſuros. Planè, quòd utriſque conſulibus gratias agas, eſt: Paullò magis certe. Nam Marcellus ſic reſpondit ei, ſpem in iſtis ſupplicationibus non habere: Paullus, ſe omnino in hunc annum non edicturum. Renuntiatum nobis erat, Hirrum diutius dicturum: prendimus eum. non modò

1. *In Kalend. rejectum ne frequentiam quidem efficere potuerant.*] Ita Victorii editio & Vaticani excerpta Peck. quoque expungant τὸ *cauſa.* nam edebatur *rejecta cauſa eſt ne freq.*

2. *Ne profligatum quidem quicquam erat.*] Hanc lectionem Victorii ut alii exceperunt. in ſuaſque editiones contulerunt; ita eandem quoque præſtant Peckio & Vaticano excerpta. editiones alioqui: *ne promulgatum quidem quicquam eſſet.*

3. *M. Feridium.*] Ita Pall. nam hîc redeunt meliores à turbis [illegible] Vatican. Peck. prima editio *Feridum:* Victorius *Federium.* vulgo, *Fetidium.*

4. *Nolo te putare Favonium à Columnariis præteritum.*] Huic lectioni patrocin[illegible] Victorius & Vaticanus, quanquam tres Pal. *præteritum*, non *perterritum.* Pall. prim. quint. *Favilum:* quartus *Fatrelium.*

5. *Optimus quiſque eum non fecit.*] Quis damnet hanc lectionem amplius a tribus Pall. invectam, & editioni Victorianæ uſurpatam? tamen vulgo fecerant, quia veterum codicum lectio conveniebat palato eorum, *eum nihili* fecit.

6. *Pompejus tuus apertè Cæſarem & provinciam tenere cum exercitu & conſulem eſſe.*] Tutiſſima via ivimus, & hanc lectionem ex Victorii editione & Vaticano excerpſimus. Pall. tamen primus, quintus, Peckio excerpta: *& conſul ipſe tamen:* quartus vero: *& conſul ipſe tanquam hanc ſententiam.* vulgatum tamen eſt: *Pompejus tuus aperte Cæſarem vetat provinciam tenere cum exercitu & conſulem eſſe.*

7. *Ne aut bellificatus alicui dicaris.*] Ita prima editio, Pal. prim. quart. Peckianus. at quint. *belificatus. Bellificari*, ut *gratificari* dictum alias *velificatus:* quod quomodo huc pertineat, non excogito.

8. *Ne quod furore Paulli adeptus eſſet boni.*] Ita Pall. quartus, quint. Vaticani & Peckio excerpta. nec diſplicet Lambini & Pall. primi lectio *ne quod furore Paulli ademptum eſſet boni:* quia paullulum ſecedebat à vulgata: *ne, ſi quid furore Paulli ademptum eſſe boni.*

1. Ut

modò non fecit, ſed, cùm de hoſtiis ageretur, & poſſet rem impedire, ſi, ut numerarentur, poſtularet, tacuit. Tantùm Catoni aſſenſus eſt, qui & locutus honorificè, non decrerat ſupplicationes. Tertius ad hos Favonius acceſſit. Quare pro cujuſque natura, & inſtituto, gratiæ ſunt agendæ: his, quòd tantum voluntatem oſtenderunt: pro ſententia, cùm impedire poſſent, non pugnarunt: Curioni verò, quòd de ſuarum actionum curſu tua cauſa deflexit. Nam Furnius, & Lentulus, ut debuerunt, quaſi eorum res eſſet, unà nobiſcum circumierunt, & laborarunt. Balbi quoque Cornelii operam, & ſedulitatem laudare poſſum. Nam cum Curione vehementer locutus eſt: & eum, ſi aliter feciſſet, injuriam Cæſari facturum dixit: tum ejus fidem in ſuſpicionem adduxit. Nec deerant quidem, qui neque tranſigi volebant, Domitii, Scipiones, quibus hac re ad interceſſionem avocandam interpellantibus, venuſtiſſimè Curio reſpondit, ſe eo libentius non intercedere, quòd quoſdam, qui decernerent, videret confici nolle. Quod ad remp. attinet, in unam cauſam omnis contentio conjecta eſt, de provinciis: in quam adhuc incubuiſſe cum ſenatu Pompejus videtur, [1] ut Cæſar Id. Novemb. decedat. Curio omnia potiùs ſubire conſtituit, quàm id pati. ceteras ſuas abjecit actiones. Noſtri porrò, quos tu bene noſti, ad extremum certamen rem deducere non audent. Scena rei totius hæc; Pompejus tanquam Cæſarem non impugnet, ſed, quod illi æquum putet, conſtituat, ait Curionem quærere diſcordias. Valde autem non vult, & planè timet Cæſarem Cos. Deſign. priùs, quàm exercitum & provinciam tradiderit. Accipitur ſatis malè à Curione: & totus ejus ſecundus conſulatus exagitatur. Hoc tibi dico: ſi omnibus rebus prement Curionem; Cæſar defendetur. ſi interceſſorem, (quod videntur) reformidarint; Cæſar, quoad volet, manebit. Quam quiſque ſententiam dixerit, in commentario eſt rerum urbanarum: ex quo tu, quæ digna ſunt, ſelige. multa tranſi, in primis ludorum exploſiones, & funerum, & ineptiarum ceterarum. [2] plura habet utilia. Denique malo in hanc partem errare, ut, quæ non deſideras, audias, quam quidquam, quod opus eſt, prætermittatur. Tibi curæ fuiſſe de Sittiano negotio, gaudeo. Sed, quum ſuſpicaris, minùs certa fide eos tibi viſos: tanquam procurator, ſic agas, rogo.

12 COELIUS CICERONI, S.

PUDET me tibi confiteri, & queri de Appii, hominis ingratiſſimi, injuriis, qui me odiſſe, quia magna mihi debebat beneficia, cœpit: & cùm homo avarus, ut ea ſolveret, ſibi imperare non poſſet, occultum bellum mihi indixit: ita occultum tamen, ut multi mihi renunciarent, & ipſe facilè animadverterem, male eum de me cogitare. Poſteaquam verò comperi eum collegium tentaſſe: deinde apertè cum quibuſdam locutum: cum L. Domitio, ut nunc eſt, mihi inimiciſſimo homine, deliberare: velle hoc munuſculum deferre Cn. Pompejo: ipſum reprehenderem, & ab eo deprecarer injuriam, quem vitam mihi debere putaram, impetrare à me non potui. Quid ergo eſt? [3] Tum idem aliquot amicis, qui teſtes erant meorum in illum meritorum, locutus ſum. poſteaquàm illum, ne, cui ſatisfaceret quidem, me dignum habere ſenſi, malui collegæ ejus, homini alieniſſimo mihi, & propter amicitiam tuam, non æquiſſimo, me obligare, quàm illius ſimiæ vultum ſubire. Id poſtquam reſciit, canduit, & me cauſam inimicitiarum quærere clamitavit, ut ſi mihi in pecunia minùs ſatisfeciſſet, per hanc ſpeciem ſimultatis eum conſectarer. Poſteà non deſtitit accerſere palàm Servium accuſatorem, inire cum Domitio conſilia: quibus cum parum procederet, ut ulla lege mihi ponerent accuſatorem, compellari ea lege me voluerunt, qua dicere non poterant. Inſolentiſſimi homines ſummis Circenſibus ludis meis poſtulandum me lege Scantinia curant. Vix hoc erat prælocutus, cum ego Appium cenſorem eadem lege poſtulavi. Quod melius caderet, nihil vidi. Nam ſic eſt à populo, & non infimo quoque approbatum, ut majorem Appio dolorem fama, quàm poſtulatio, attulerit. Præterea cœpi ſacellum, in domo quod eſt, ab eo petere. Conturbat me mora ſervi hujus, qui tibi litteras attulit. Nam acceptis prioribus litteris, [4] amplius quadraginta manſit. Quid tibi ſcribam, neſcio. ſcis Domitio diem timori eſſe. Exſpecto te valde, & quàm primum videre cupio. A te peto, ut meas injurias proinde doleas, ut me exiſtimas & dolere, & ulciſci tuas ſolere. Vale.

COELIUS CICERONI, S. 13

GRATULOR tibi affinitate viri medius fidius optimi. Nam hoc ego de illo exiſtimo. Cetera porro, quibus adhuc ille ſibi parum utilis fuit, & [5] ætate jam ſunt decurſa; & conſuetudine, atque auctoritate tua, & pudore Tulliæ, ſi qua reſtabunt, confido celeriter ſublatum iri. Non eſt enim pugnax in vitiis, neque hebes ad id, quod melius ſit, intelligendum. Deinde (quod maximum eſt) ego illum valde amo. [6] Velles C. Curionem noſtrum lautum interceſſionis de provinciis exitum habuiſſe. Nam cum de interceſſione referretur, quæ relatio fiebat ex s. c. primaque M. Marcelli ſententia pronuntiata eſſet, qui agendum cum tribunis plebis cenſebat: frequens ſenatus in alia omnia iit. Stomacho eſt ſcilicet Pompejus Magnus nunc ita languenti, ut vix id, quod ſibi placeat, reperiant. Tranſierant illuc, ut ratio eſſet ejus habenda, qui neque exercitum, neque provincias tradere vellet. Quemadmodum hoc Pompejus laturus ſit, cùm cognoſcat, quidnam reipub. futurum ſit, ſi aut non poſſit, aut non curet, vos ſenes divites videritis. Qu. Hortenſius, cùm has litteras ſcripſi, animam agebat.

COELIUS CICERONI, S. 14

TANTI non fuit Arſacen capere, Seleuciam expugnare, ut earum rerum, quæ hîc geſtæ ſunt, ſpectaculo careres. numquam tibi oculi doluiſſent, ſi in repulſa Domitii vultum vidiſſes. magna illa comitia fuerunt, & planè ſtudia ex partium ſenſu apparuerunt: perpauci neceſſitudinem ſecuti officium præſtiterunt. Itaque mihi eſt Domitius inimiciſſimus, [7] ut ne familiarem quidem ſuum quemquam tam oderit, quàm me: atque eo magis, quòd per injuriam ſibi putat ereptum, quojus ego auctor fuerim. Nunc furit, tam gaviſos homines ſuum dolorem, unumque me ſtudioſiorem Antonii. Nam Cn. Saturninum adoleſcentem, ipſe Cn. Domitius reum fecit, ſanè quàm ſuperiore à vita invidioſum. quod judicium nunc in exſpectatione, [8] ineſt etiam in bona ſpe, poſt Sext. Peducæi abſolutionem

1. *Ut Cæſar Id. Novemb. decedat.*] Vulgatur: *ante Idus Novembres decedat.* ſed ut edidi, erat in Victorii editione ac Pal. primo.

2. *Plura habet utilia.*] Peck. *Italia*: unde Gulielmius legendum probat *talia*. paullo poſt Pal. pr. legit, *Denique malo in hac parte me errare.* quod mihi minimè aſpernandum videtur.

3. *Tum quidem aliquot amicis.*] Ita Victorii editio. nam Pal. primus: *tamen quaſi aliquot* Peckio excerpta, *aliquid) amicis.* Vulgatæ editiones: *tum quidem eum aliquot amicis, &c.*

4. *Amplius quadraginta manſit.*] Secuti ſumus hanc lectionem Pall. pr Vaticani, editioniſque Victorianæ. & omnium primæ. Qui deeſſe aliquid putarunt, *dies* intruſerunt.

5. *Ætate jam ſunt decurſa.*] In Palatinum primum irrepſit hujus loci gemina ac diverſa lectio: ſcribitur quippe: *ætate jam ſunt decuſſa vel detonſa & conſuetudine atque, &c.* quorum utrumque à veſtibus deſumptum mihi eſſe videtur: de ſinu enim ſordes decutiuntur; itemque floccatæ ac villoſæ detondentur. Poteſt aliunde quoque conſtare ratio.

6. *Velles C. Curionem noſtrum lautum, &c.*] Sic edidit Victorius, quod ſequuti ſumus: Palatinus nihilominus primus, Peck. excerpta, Veneta ſeu priſca editio, *Voles, Cicero, Curionem, &c.* vulgo: *Vides, Cicero, Ciceronem noſtrum.*

7. *Ut ne familiarem quidem ſuum quemquam tam oderit.*] Nolui diſcedere à Palatino primo, Peckio excerptis, Victorii editione & omnium primariâ Veneta. Vulgatum eſt, *familiarem quidem ſuum, quem noſti, tam oderit.* paullo poſt ſcripſi ex Palatino primo & Peckio excerptis: *ſuperiore à vita*, cum Victorius tamen ediderit: *quàm ſuperiore vitâ invidioſum.*

8. *Ineſt etiam in bona ſpe.*] Et ſic diſtinxi, & emendavi ex Palatino primo; Victorii editione & Veneta. vulgo, *nunc in exſpectatione eſt, etiam in bona ſpe poſt Sext. Peducæi*; paullo ſtatim, ex Pal. prim.

lutionem. De ſumma republ. ſæpe tibi ſcripſi, me etiamnum pacem non videre: & quo propius ea contentio, quàm fieri neceſſe eſt, accedit, eo clariùs id periculum apparet. Propoſitum hoc eſt, de quo, qui rerum potiuntur, ſunt dimicaturi: quòd Cn. Pompejus conſtituit non pati C. Cæſarem conſulem aliter fieri, niſi exercitum, & provincias tradiderit: Cæſari autem perſuaſum eſt, ſe ſalvum eſſe non poſſe, ſi ab exercitu receſſerit. Fert illam tamen conditionem, ut ambo exercitus tradant. [1] Sic illi amores, & invidioſa conjunctio, non ad occultam recedit obtrectationem, ſed ad bellum ſe erupit: neque mearum rerum quod conſilii capiam, reperio; quod non dubito, quin te quoque hæc deliberatio ſit perturbatura. Nam mihi cum hominibus his [2] & gratia & neceſſitudo eſt; tum cauſam illam, non homines odi. Illud te non arbitror fugere, QUIN HOMINES in diſſenſione domeſtica debeant, [3] quamdiu civiliter ſine armis cernetur, honeſtiorem ſequi partem: ubi ad bellum, & caſtra ventum ſit, firmiorem: & id melius ſtatuere, quod tutius ſit. In hac diſcordia video, Cn. Pompejum, ſenatum, quique res judicant, ſecum habituum: ad Cæſarem omneis, qui cum timore, aut mala ſpe vivant, acceſſuros: exercitum conferendum non eſſe. omnino ſatis ſpatii ſit ad conſiderandas utriuſque copias & ad eligendam partem. Propè oblitus ſum, quod maximè fuit ſcribendum. Scis Appium cenſorem hîc oſtenta facere? de ſignis, & tabulis, [4] de agri modo, de ære alieno acerrimè agere? Perſuaſum eſt ei: cenſuram, [5] lomentum, aut nitrum eſſe. errare mihi videtur. Nam ſordeis eluere vult, venas ſibi omneis, & viſcera aperit. Curre per deos, atque homines, & quam primùm hæc riſum veni: legis Scantiniæ judicium apud Druſum fieri: Appium de tabulis, & ſignis agere. Crede mihi, eſt properandum. Curio noſter ſapienter id quod remiſit de ſtipendio Pompeii, feciſſe exiſtimatur. Ad ſummam, quæris, quid putem futurum. Si alteruter eorum ad Parthicum bellum non eat, video magnas impendere diſcordias: quas ferrum, & vis judicabit. uterque animo & copiis eſt paratus. Si ſine tuo periculo fieri poſſet, magnum, & jucundum tibi fortuna ſpectaculum parabat.

15 COELIUS CICERONI, S.

ECQUANDO tu hominem ineptiorem, quàm tuum Cn. Pompejum vidiſti, qui tantas turbas, qui tam nugax eſſet, commorit? Ecquem autem Cæſare noſtro acriorem in rebus gerendis: eodem in victoria temperatiorem, aut legiſti, aut audiſti? Quid eſt? nunc tibi noſtri milites, qui duriſſimis, & frigidiſſimis locis, teterrima hieme, bellum ambulando confecerunt, malis orbiculatis eſſe paſti videntur? [6] Quid jam, inquis? glorioſè omnia, ſi ſcias quàm ſollicitus ſim, tum hanc meam gloriam, quæ ad me nihil pertinet, derideas. quæ tibi exponere, niſi coràm, non poſſum: idque celeriter fore ſpero. Nam me, cùm expuliſſet ex Italia Pompejum, conſtituit ad urbem vocare. id quod jam exiſtimo confectum, [7] niſi ſi maluit Pompejum Brundiſii circumſedere. Peream, ſi minima cauſa eſt properandi iſtò mihi, quòd te videre, & omnia intima conferre diſcupio: habeo autem quàm multa? Hui vereor (quòd ſolet fieri) ne, cùm te videro, omnia obliviſcar. Sed tamen quodnam ob ſcelus iter mihi neceſſarium retro ad Alpis verſus incidit? Adeò quòd Intimelii in armis ſunt, neque de magna cauſa. Bellienus, verna Demetrii, qui ibi cum præſidio erat, Domitium quendam, nobilem illi Cæſaris hoſpitem, à contraria factione nummis acceptis, comprehendit, & ſtrangulavit. civitas ad arma iit. eò cum quattuor cohortibus mihi per nives eundum eſt. [8] Uſque quaque, inquies, Domitii mali dant. Vellem quidem Venere prognatus tantum animi habuiſſet in veſtro Domitio, quantum ipſe catenatus in hoc habuit. Ciceroni F. S. D.

M. COELIUS M. CICERONI, S. D. 16

EXANIMATUS ſum tuis litteris; quibus te nihil, niſi triſte cogitare oſtendiſti: neque id quid eſſet, perſcripſiſti. [9] non enim, quale eſſet quod cogitares, aperuiſti. Has illico ad te litteras ſcripſi. Per fortunas tuas, Cicero, per liberos oro, obſecro, ne quid gravius de ſalute, & incolumitate tua conſulas. Nam deos, homineſque, amicitiamque noſtram teſtificor, me neque temerè tibi prædixiſſe, neque temerè monuiſſe, ſed poſtquam Cæſarem convenerim, ſententiamque ejus, qualis futura eſſet, parta victoria, cognoverim te certiorem feciſſe. Si exiſtimas eandem rationem fore Cæſari in dimittendis adverſariis, & conditionibus ferendis, erras. Nihil niſi atrox, & ſævum cogitat, atque etiam loquitur. Iratus ſenatui exiit: his interceſſionibus planè incitatus eſt: non, mehercule, erit deprecationi locus. Quare ſi tibi tu, ſi filius unicus, ſi domus, ſi ſpes tuæ reliquæ tibi caræ ſunt: ſi aliquid apud te nos, ſi vir optimus, gener tuus valet: quorum

prim. Peck. editionibus illis quas ſemper laudo, itidem ſcripſi: *me annum pacem non videre*: cum edatur, *me etiamnum pacem non videre*.

1. *Sic illi amores & invidioſa conjunctio, non ad occultam recedit obtrectationem, ſed ad bellum ſe erupit.*] Induxi hanc lectionem ex Pal. pr. (cujus tamen oræ alia allita eſt, *& in dies conditio non ad occultas recedit obtrectationes ſed ad bellum ſe erumpit.*) editionum primaria, ac Peckio Vaticanique excerptis: nec longe diſſidet Victorius, niſi quod elegantiam corruperit, omittendo *ſe*. editiones aliàs habent: *Sic illi jam amores & invidioſa conjunctio, non ad occultam recidit obtrectationem, ſed ad bellum erumpit.*

2. *Et gratia & neceſſitudo eſt, tum cauſam illam non homines odi.*] Exemplar ubique nobis eſt Victorii editio, quam ubique exprimere ſtudemus, præſertim accedentibus noſtris libris, qui leviculis voculis tantum ab hac abhorrent: quippe primus; *neceſſitudine cum cauſam illam unde homines odi.* Sic Veneta quoque impreſſio, niſi quod in *tum* ſolum alienior eſt. circumferebatur antea; *gratia eſt & neceſſitudo, tamen tantum cauſam illam, non homines odi.*

3. *Quam diu civiliter ſine armis cernetur.*] Elegantiſſimam lectionem & Cœliana eruditione digniſſimam eruit accuratiſſimus Victorius, quam eo libentius admiſi, quod eam propugnent excerpta Vaticani. ad guſtum fatuæ plebis excuſum erat, *certetur*.

4. *De agris modo.*] Reſidet hæc lectio per editiones noſtras, & Palatinum primum; quam ut introducerem, ejicienda erat vulgatior, *de agri modo*.

5. *Lomentum aut nitrum eſſe: errare mihi videtur.*] Sic Pal. primus, Vaticani, & Peckio excerpta, atque adeo editiones, prima ac Victorii. nam vulgo *vitrum* publicarunt, ut à Victorio animadverſum eſt, paullo autem ſtatim poſt, ex Vaticano & Victorii impreſſione de novo vulgavi; *nam ſordes eluere vult*: licet alii aliter. Lambinus ſuo ingenio; ne videretur aliunde accepiſſe, addidit, *nam dum ſordes eluere vult.* Libri noſtri mera oſtenta hîc faciunt: quorum Palatinus: *nam ſordes ei verè vultu enaſci ſibi omnis & viſcera aperit.* Veneta verò editio, quemadmodum & Peckio excerpta, *nam ſordes ei vere vultu venas.* publicatum eſt: *nam ſordes eluere volens.*

6. *Quid jam, inquis? glorioſe omnia.*] Ex Victorii & Veneta editione, tum Peckiano & Pal. traduxi, niſi quod Pal. primus paullo diverſius diſtinguat: *quid jam inquis glorioſè? omnia ſi ſcias.* Publicati libri; *quid jam, inquis, glorioſum? Imò, ſi ſcias.*

7. *Niſi ſi maluit Pompejum Brundiſii circumſedere.*] Vatic. *niſi ſi maluit.* ſed illud tuetur Pal. primus, editio Victorii, ac Veneta. Non tamen damnem lectionem, ad quam inclinant Pall. ſpectatque prima editio, plenamque ex v. cod. ad oram repoſuit Egnatius, *maluit Pompejus Brundiſii circumſederi.*

8. *Uſquequaque, inquies, Domitii mali dant.*] Ita Vaticanus, & Victorii editio, neque multum diſcrepant Palatinus primus & Venetus: *uſquequaque inquis ſed Domitii m li d nt*: cum publicitus excuſum ſit, *uſque inquis ſe D malè habent.* ſtatim ſcripſi ex Victorii editione ac Veneta partim *vellem quidem Venere prognatus tantum animi habuiſſet in veſtro Domitio, quantum ipſe catenatus in hoc habuit*: quandoquidem non longe hinc diſcedunt ſuis veſtigiis libri calamo exarati. *Vellem quidem venerem propugnatus tantum animi habuiſſe in noſtro Domitio quantum i ſe catenatus*: alii, quod etiam Lambin. pro verò obtinuit *Pſecade natus*: quod mihi acutius verò videtur. Excuſum erat: *vellem quidem verna propugnaturus tantum animi habuiſſet in v. D. quantum ipſe Senatus in hoc habuit.*

9. *Non enim quale eſſet quod cogitares aperuiſti.*] Et hanc clauſulam teretem debemus accuratiſſimo Victorio. Pal. & priſca editio hallucinantur hic: *non enim qualis eſſet quove cognita res aperuiſti*: & vulgares editiones: *neque non tamen, quale eſſet, quod cogitares, aperuiſti.* Lambiniani ingenii temeritatem, qua ludibrium & nos & ipſum Tullium ante tot ſecula compoſitum habet, apud ipſummet ſpectare licet.

1. *Quid*

rum fortunas non debes velle conturbare, ut eam cauſam, in cujus victoria ſalus noſtra eſt, odiſſe, aut relinquere cogamur, aut impiam cupiditatem contra ſalutem tuam habeamus. Denique illud cogita: [1] quod offenſæ fuerit in iſta cunctatione, te ſubiſſe. nunc te contra victorem facere, quem dubiis rebus lædere noluiſti: & ad eos fugatos accedere, quos reſiſtenteis ſequi nolueris, ſummæ ſtultitiæ eſt. Vide, ne, dum pudet te parum optimatem eſſe, parum diligenter, quid optimum ſit, eligas. Quòd ſi totum tibi perſuadere non poſſum: ſaltem, dum, quid de Hiſpaniis agamus, ſcitur, exſpecta: quas tibi nuntio adventu Cæſaris fore noſtras. Quam iſti ſpem habeant, amiſſis Hiſpaniis, neſcio. Quod porrò tuum conſilium ſit ad deſperatos accedere, non medius fidius reperio. Hoc, quod tu non dicendo mihi ſignificaſti, Cæſar audierat: ac, ſimulatque, have, mihi dixit, ſtatim quid de te audiſſet, expoſuit. negavi me ſcire: ſed tamen ab eo petii, ut ad te litteras mitteret, quibus maximè ad remanendum commoveri poſſes. Me ſecum in Hiſpaniam ducit. Nam, niſi ita faceret, ego priùs, quàm ad urbem accederem, ubicumque eſſes, ad te percurriſſem, & hoc à te præſens contendiſſem, atque omni vi te retinuiſſem. Etiam atque etiam Cicero, cogita, ne te, tuoſque omneis funditus evertas: ne te ſciens, prudenſque eò demittas, unde exitum vides nullum eſſe. Quod ſi te aut voces optimatium commovent, aût nonnullorum hominum inſolentiam, & jactationem ferre non potes: eligas cenſeo aliquod oppidum, vacuum à bello, dum hæc decernuntur. quæ cum confeceris: & ego te ſapienter feciſſe judicabo, & Cæſarem non offendes.

COELIUS CICERONI, S. 17

ERGO me potiùs in Hiſpania fuiſſe tum, quàm Formiis, cùm tu profectus es ad Pompejum? [2] quòd utinam ut Appius Claudius in iſta parte: C. Curio quojus amicitia me paullatim in hanc perditam cauſam impoſuit. nam mihi ſentio bonam mentem iracundia & amore ablatam. Tum tu porrò, cùm ad te proficiſcens noctu Ariminum veniſſem, dum mihi pacis mandata das ad Cæſarem, & mirificum civem agis, amici officium neglexiſti, neque mihi conſuluiſti. Neque hæc dico, quòd diffidam huic cauſæ: ſed, crede mihi, perire ſatius eſt, quàm hos videre. Quòd ſi timor veſtræ crudelitatis non eſſet, ejecti jam pridem hinc eſſemus. Nam hîc nunc, præter fœneratores paucos, nec homo, nec ordo quiſquam eſt, niſi Pompejanus. Equidem jam effeci, ut maximè plebs, &, qui antea noſter fuit, populus, veſter eſſet. Cur hoc, inquis? immò reliquias exſpectant. Vos invitos vincere coëgero. irritavi in me Catonem. Vos dormitis: nec hæc adhuc mihi videmini intelligere, quam nos pateamus, & quam ſimus imbecilli. Atque hoc nullius præmii ſpe faciam: ſed, quod apud me plurimùm ſolet valere, doloris, atque indignitatis cauſa. Quid iſtic facitis? prælium exſpectatis, quòd firmiſſimum eſt? Veſtras copias non novi. noſtri valde depugnare, & facilè algere, & eſurire conſueverunt.

1. *Quid offenſæ fuerit in iſtâ cunctatione, te ſubiſſe.*] Reſcripſi ſic ex Vaticano, Palatino, Peckio, atque adeo editionibus. Excuſi vulgò libri, *te prius ſubiiſſe.* in fine epiſtolæ turbas dant libri: quare edidi cum Victorio; *quæ cum confeceris: & ego te, &c.* cum alii fecerint: *quæ jam erunt confecta. Id ſi feceris.* Pall. verò, Peckio excerpta & vetuſtiſſima editio: *quæ tam erunt confeceris.* Politiani verò codex: *quæ tamen tu feceris.* paullò ſuperius ibidem ex Vatic. atque Victorio emendavi, *ſimulatque have mihi dixit*, non ut aliàs *ave.* hoc eſt, primo ſtatim congreſſu atque *have* dicto ſtatim de te ſubjecit, quid audiiſſet.

2. *Quod utinam ut Appius Claudius in iſta parte C. Curio, cujus amicitia me paullatim in hanc proditam cauſam impoſuit.*] Ut Victorius edidit, ita nos repræſentamus. Doctus tamen vir leg. putat, *quod utinam, ut Appius Claudius, in iſtâ parte C. Curio, cujus amicitia me paullatim in hanc impoſuit*; itaque ſcriptum in V. C. ait præter quod is habet: *in hanc partem cauſæ impoſuit.* ſed illa verba, *partem cauſæ*, ut gloſſema, delenda cenſet. Duas, porro, ait, reddi cauſas à Cœlio, cur partes Cæſaris ſecutus fuerit. unam amorem Curionis, quem optat ad Pompeii partem, ſicut Appius fecerit, tranſiſſe; alteram quod ſibi Cicero nihil conſilii impertitus fuerit. Libri quoque noſtri *in hanc portam cauſam.* Vulgo *quod utinam aut non in iſta parte Appius Claudius, aut non in hac C. Curio fuiſſet.*

M. TULLII CICERONIS
EPISTOLARUM AD FAMILIAREIS
LIBER NONUS,
AD
M. TERENTIUM VARRONEM.

M. T. CICERO M. TERENTIO VARRONI, S. D.

EX HIS litteris, quas Atticus à te miſſas mihi legit, quid ageres, & ubi eſſes, cognovi. quando autem te viſuri eſſemus, nihil ſanè ex iiſdem litteris potui ſuſpicari. In ſpem tamen venio, appropinquare tuum adventum: qui mihi utinam ſolatio ſit: etſi tot, tantiſque rebus urgemur, [1] ut nullam allevationem quiſquam non ſtultiſſimus ſperare debeat: ſed tamen aut tu potes me; aut ego te fortaſſe aliquà re juvare. Scito enim me, poſteaquàm in urbem venerim, rediſſe cum veteribus amicis, id eſt, cum libris noſtris, in gratiam. etſi non idcirco eorum uſum dimiſeram, quòd iis ſuſcenſerem: ſed quod eorum me ſuppudebat. [2] Videbar enim mihi, cum me in res turbulentiſſimas infideliſſimis ſociis demiſiſſem, præceptis illorum non ſatis paruiſſe. Ignoſcunt mihi, revocant in conſuetudinem priſtinam: teque, quòd in eo permanſeris, ſapientiorem, quàm me, dicunt fuiſſe. Quamobrem, quum placatis his utor: videor ſperare debere, ſi te viderim, & ea, quæ premant, [3] & ea, quæ impendeant, me facilè tranſiturum. Quamobrem ſive in Tuſculano, [4] ſive in Cumano ad te placebit, ſive

(quòd

1. UT *nullam allevationem quiſquam non ſtultiſſimus ſperare debeat.*] Pal. ſextus, quem librum ſicut & Tuſculanum Quartum, in Germania ſcriptum eſſe, diverſitas à libris Italicis indicat, præfert *ut nullam allevationem.* ſicut & alibi verbum *Alleviο* ex aliis libris notavimus. Gloſſæ: *Adleviant* κȣφίζȣσι. Principio quoque epiſtolæ legit; *Quas Atticus ad ſe miſſas mihi legit:* unde Lambinus forte ex ſimili ſcriptura alicujus libri, *quas Atticus à te ad ſe miſſ.* quod ego non ſequor.

2. *Videbar enim mihi, cum me in res turbulentiſſimas infideliſſimis ſociis demiſiſſem.*] Propono lectionem Pal. primi: *videbam enim me in res turbulentiſſimas infideliſſimis ſociis demiſſum, præceptis illorum non ſatis paruiſſe.* quam confirmant duo libri Gulielmio conſulti, qui tantum *videbant* variant.

3. *Et ea, quæ impendeant, me facilè tranſiturum.*] Locus non genuinus; unus ex Gulielmianis, *me facilè ſciturum:* unde ille conjicit, *ſubiturum.* Palatinus ſextus: *quæ impediant, me facilè laturum.*

4. *Sive in Cumano ad te placebit.*] Ita Pal. primus, Vaticanis, Peckio excerpta: Stewech. editio Victorii ac prima Pal. tamen ſextus: *adire placebit.* vulgò excudebatur: *ſive in Cumano adiſſe tibi placebit.*

 1. Ut

(quòd minimè velim) Romæ: dummodò ſimul ſimus, perficiam profectò, [1] ut id utrique noſtrûm commodiſſimum eſſe dijudicetur.

2 CICERO VARRONI.

[2] CANINIUS idem, & idem noſter, cùm ad me perveſperi veniſſet, ſe poſtridie manè ad te iturum eſſe dixiſſet: [3] dixi ei, me daturum aliquid manè; ut peteret, rogavi. Conſcripſi epiſtolam noctu: nec ille ad me rediit. oblitum credidi. Attamen eam ipſam tibi epiſtolam miſiſſem per meos, niſi audiſſem ex eodem, poſtridie te manè è Tuſculano exiturum. At tibi repentè, paucis pòſt diebus, cùm minimè exſpectarem, venit ad me Caninius manè: proficiſci ad te ſtatim dixit. etſi erat ἕωλος illa epiſtola, præſertim tantis poſteà novis rebus allatis, tamen perire lucubrationem meam nolui, & eam ipſam Caninio dedi: ſed cum eo & cum homine docto, & tui amantiſſimo, locutus ea ſum, quæ pertuliſſe illum ad te exiſtimo. Tibi autem idem conſilii do, quod mihimetipſi; ut vitemus oculos hominum, ſi linguas minùs facile poſſimus. Qui enim victoria ſe efferunt, quaſi victos nos intuentur. Qui autem victos noſtros moleſtè ferunt, nos dolent vivere. Quæres fortaſſe, cur, cùm hæc in urbe ſint, non abſim, quemadmodum tu. Tu enim ipſe, qui & me, & alios prudentia vincis, omnia, credo, vidiſti, nihil te omnino fefellit. [4] Quis eſt tam Lynceus, qui tantis tenebris nihil offendat? nuſquam incurrat? Ac mihi quidem jam pridem venit in mentem, bellum eſſe aliquò exire, ut ea, quæ agebantur hîc, quæque dicebantur, nec viderem, nec audirem. Sed calumniabar ipſe. putabam, qui obviam mihi veniſſet, ut cuique commodum eſſet; ſuſpicaturum, aut dicturum, etiam ſi non ſuſpicaretur; Hic aut metuit, & ea re fugit: aut aliquid cogitat, & habet navem paratam. Denique, leviſſimè qui ſuſpicaretur, & qui fortaſſe me optimè noviſſet: putaret me idcirco diſcedere, quòd quoſdam homines oculi mei ferre non poſſent. Hæc ego ſuſpicans, adhuc Romæ maneo: & tamen λεληθότως conſuetudo diuturna callum jam obduxit ſtomacho meo. Habes rationem mei conſilii. Tibi igitur hoc cenſeo: latendum tantiſper ibidem, [5] dum efferveſcit hæc gratulatio, & ſimul dum audiamus, quemadmodum negotium confectum ſit. confectum enim eſſe exiſtimo. Magni autem intererit, qui fuerit victoris animus, qui exitus rerum. quamquam quò me conjectura ducat, habeo: ſed exſpecto tamen. Te verò nolo, niſi ipſe rumor jam raucus erit factus, ad Bajas venire. Erit enim nobis honeſtius, etiam cum hinc diſceſſerimus, videri veniſſe in illa loca ploratum potiùs quàm natatum. Sed hæc tu melius: modò nobis ſtet illud, unà vivere in ſtudiis noſtris: à quibus anteà delectationem modò petebamus, nunc verò etiam ſalutem: non deeſſe, ſi quis adhibere volet, non modò ut architectos, verum etiam ut fabros, ad ædificandam rempub. & potius libenter accurrere: ſi nemo utetur opera, tamen & ſcribere, & legere πολιτείας: & ſi minùs in curia, atque in foro: at in litteris, & libris, ut doctiſſimi veteres fecerunt, [6] navare rempub. & de moribus, ac legibus quærere. Mihi hæc videntur. Tu, quid ſis acturus, &, quid tibi placeat, pergratum erit, ſi ad me ſcripſeris.

CICERO VARRONI.

ETSI, quid ſcriberem, non habebam: tamen Caninio ad te eunti, non potui nihil dare. Quid ergo potiſſimùm ſcribam? quod velle te puto, citò me ad te eſſe venturum. Etſi vide, quæſo, ſatiſne rectum ſit, nos, hoc tanto incendio civitatis, in iſtis locis eſſe? Dabimus ſermonem iis, qui neſciunt, nobis, quocumque in loco ſimus, eundem cultum, eundem victum eſſe. Quid refert? tamen in ſermonem incidemus. Valde id, credo, laborandum eſt, ne, cùm omnes in omni genere & ſcelerum, & flagitiorum volutentur, noſtra nobiſcum, aut inter nos ceſſatio vituperetur. Ego verò neglecta barbarorum inſcitia, te perſequar. Quamvis enim hæc ſint miſera, quæ ſunt miſerrima, tamen artes noſtræ neſcio quo modo nunc uberiores fructus ferre videntur, quàm olim ferebant: ſive quia nulla nunc in re alia acquieſcimus, ſive quod gravitas morbi facit, ut medicinæ egeamus, eaque nunc appareat, cujus vim non ſentiebamus, cùm valebamus. Sed quid ego nunc hæc ad te, cujus domi naſcuntur? γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας. nihil ſcilicet, niſi ut reſcriberes aliquid, me exſpectares. ſic igitur facies. 3

CICERO VARRONI, S. 4

ΠΕρὶ δυνατῶν me ſcito κατὰ Διόδωρον κρίνειν. Quapropter, ſi venturus es, ſcito neceſſe eſſe te venire. ſin autem non es, τῶν ἀδυνάτων eſt te venire. Nunc vide, utra te κρίσις magis delectet, Χρυσιππεία ne, an hæc, quam noſter Diodotus non coquebat. Sed de his etiam rebus, otioſi cùm erimus, loquemur. hoc etiam κατὰ Χρύσιππον δυνατὸν eſt. De Coctio mihi gratum eſt. Nam id etiam Attico mandaram. Tu, ſi minùs ad nos; accurremus ad te. ſi hortum in bibliotheca habes, deerit nihil.

CICERO VARRONI. 5

MIHI verò ad Non. bene maturum videtur fore, neque ſolùm propter reipub. ſed etiam propter anni tempus. Quare diem iſtum probo. itaque eundem ipſe ſequar. Conſilii noſtri, niſi eos quidem, qui id ſequuti non ſunt, non pœniteret, nobis pœnitendum putarem. Sequuti enim ſumus non ſpem, ſed officium. Reliquimus autem non officium, ſed deſperationem. Ita verecundiores fuimus, quam qui ſe domo non commoverunt: ſaniores, quàm qui, amiſſis opibus, domum non reverterunt. Sed nihil minùs fero, quàm ſeveritatem otioſorum: &, quoquo modo ſe res haberet, magis illos vereor, qui in bello occiderunt, quàm hos curo, quibus non ſatisfacimus, quia vivimus. Mihi ſi ſpatium fuerit in Tuſculanum ante nonas veniendi, iſtic te videbo. ſin minùs, perſequar in Cumanum: & antè te certiorem faciam, [7] ut lavatio parata ſit.

CICERO

1. *Ut id utrique noſtrûm commodiſſimum eſſe dijudicetur.*] Vulgatum erat: *videatur.* ſed quam lectionem introduximus, habemus ac debemus Palatino ſexto, Vaticano, unique ex Gulielmianis, Victorii denique editioni. Pal. primus *dividetur.* quatuor Gulielmio conſulta, & editio princeps *videbitur.*

2. *Caninius idem & idem noſter cùm ad me perveſperi veniſſet.*] Ex Pal. primo ac Victorii editione recepimus hanc lectionem. nam Pal. ſextus; *Caninius idem & frater cùm ad me perveſperi veniſſet:* ceteroquin Pall. duo, tres Gulielmio conſulti, Vaticanus, prima & Victorii editiones, *perveſperi.* cum vulgatum nequiter ſit: *Caninius idem tuus & idem noſter, cum ad me nuper veſperi veniſſet.*

3. *Dixi ei, me daturum aliquid mane; ut peteret rogavi.*] Pulcra lectio ſepoſita in Palatino primo, editione Victorii, ac duobus Gulielmianis. Pal. ſext. editio princeps: *dixi ei me daturum litterarum aliquid: mane ut peteret, rogavi.* vulgata lectio elumbis eſt: *daturum aliquid mane, & ut peteret rogavi.*

4. *Quis eſt tam Lynceus, qui tantis tenebris nihil offendat.*] Recidimus hic noxia ac ſuperflua ex Pall. Stewech. Peck. editionibus, prima, ac Victorii. Alias editum fuerat; *quamvis quis eſt tam Lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat.*

5. *Dum efferveſcit hæc gratulatio.*] Stabilitur hæc Victorianæ editionis lectio Pal. ſexto, Hittorpiano, editione principe. Inclinat Palatinus primus; *dum hæc ferveſcit gratulatio.* erit autem *efferveſcere* ſicut *exſævire* Livio, aliis *eludere, expatrare* ubi ſemper præpoſitio finem ferre intelligitur. alias: *dum deferveſcit hæc gratulatio.* paullo poſt Pal. primus ſcriptum habet; *in illa loca ploratum potius natatum.* Sextus vero: *ploratum potius natatu:* in ora verò, *nataturi:* mihi elegantia recondita non per nebulam, ut dicitur, ſed mero clarore promicare videtur.

6. *Navare remp.*] Ita legi duobus in libris ſuis teſtatur Manutius; quamvis ille mendoſum putet. Ego in pluribus libris ſic ſcriptum fuiſſe reor aut *gnavare*, unde in Pall. duobus atque etiam Victorii libris *gravare* deſcriptum fuerat. certe, quin *navare remp.* probum ſit, non dubito. nam (ut docti dudum notarunt & apud Tacitum *bellum alicui navare*, & apud A. Gellium *navare Philoſophiam* in v. c. legitur.

7. *Ut lavatio parata ſit*] Ita in editione prima ac Victorii, ita in Pall. & omnibus Gulielmianis. Quia tamen in quibuſdam aliis codicibus exſtabat, *lautio parata*, faciendum putabat Schoppius l. 11. Suſp ep. 22. *ut lautia parata ſint*, id eſt, αἱ ὑποδοχαί, ſive ſupellex; ut exponit Soſipater. quod etiam Jacobus Lectius probabat.

1. Eſt

6 CICERO VARRONI.

CANINIUS noſter me tuis verbis admonuit, ut ſcriberem ad te, ſi quid eſſet, quod putarem te ſcire oportere. 1 Eſt igitur adventus in exſpectatione: neque tu id ignoras. Sed tamen, cum ille ſcripſiſſet, ut opinor, ſe in Alſienſe venturum: ſcripſerunt ad eum ſui, ne id faceret: multos ei moleſtos fore, 2 ipſumque multis. Oſtiæ videri commodiùs eum exire poſſe. Id ego non intelligebam, quid intereſſet. Sed tamen Hirtius mihi dixit, & ſe ad eum, & Balbum, & Oppium ſcripſiſſe, ut ita faceret, homines, ut cognovi, amanteis tui. Hoc ego idcirco noſſe te volui, ut ſcires, hoſpitium tibi ubi parares, vel potiùs utrobique. quid enim ille facturus ſit, incertum eſt: & ſimul oſtentavi tibi, me iſtis eſſe familiarem, & conſiliis eorum intereſſe. Quod ego cur nolim, nihil video. NON ENIM eſt idem, ferre, ſi quid ferendum eſt: & probare, ſi quid probandum, non eſt. 3 Etſi quid non probem? quid enim jam ſcio præter initia rerum. Nam hæc in voluntate fuerunt. Vidi enim (nam tu aberas) noſtros amicos cupere bellum: hunc autem non tam cupere, quam non timere. Ergo hæc, conſilii fuerunt: reliqua neceſſaria. Vincere autem aut hos, aut illos neceſſe eſſe. Scio te ſemper mecum in luctu fuiſſe, cùm videremus, quàm illud ingens malum alterius utrius exercitus & ducum interitu: tum vero extremum malorum omnium eſſe civilis belli victoriam: quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos veneramus. Crudeliter enim otioſis minabantur: eratque iis & tua inviſa voluntas, & mea oratio. Nunc verò, ſi eſſent noſtri potiti, valde intemperantes fuiſſent. Erant enim nobis perirati, quaſi quidquam de noſtra ſalute decreviſſemus, quod non idem illis cenſuiſſemus: aut quaſi utilius reipub. fuerit, eos etiam ad beſtiarum auxilium confugere, 4 quàm vel emori, vel cum ſpe, ſi non optima, at aliqua tamen vivere. At in perturbata repub. vivimus. Quis negat? Sed hoc viderint ii, qui nulla ſibi ſubſidia ad omneis vitæ ſtatus paraverunt. huc enim ut venirem, ſuperior longius, quàm volui, fluxit oratio. Cum enim te ſemper magnum hominem duxi: tum quòd his tempeſtatibus es prope ſolus in portu: fructuſque doctrinæ percipis eos, qui maximi ſunt, ut ea conſideres, eaque tractes, quorum & uſus, & delectatio eſt omnibus iſtorum & actis, & voluptatibus anteponenda. Equidem hos tuos Tuſculanenſeis dies inſtar eſſe vitæ puto: libenterque omnibus omneis opes conceſſerim, ut mihi liceat, vi nulla interpellante, iſto modo vivere. Quod nos quoque imitamur, ut poſſumus, & in noſtris ſtudiis libentiſſimè conquieſcimus. QUIS ENIM hoc non dederit nobis, ut cùm opera noſtra patria ſive non poſſit uti ſive nolit, ad eam vitam revertamur, quam multi docti homines, fortaſſe non rectè: ſed tamen multi etiam reip. præponendam putaverunt? Quæ igitur ſtudia magnorum hominum ſententia, vacationem habent, 5 eadem publici muneris, iis concedente rep. cur non abutamur? Sed plus facio, quam Caninius mandavit. Is enim ſi quid ego ſcirem, rogarat, quod tu neſcires. ego tibi ea narro, quæ tu meliùs ſcis, quam ipſe, qui narro. Faciam ergo illud quod rogatus ſum, ut eorum, quæ temporis hujus ſint, 6 quæ tua audiero, ne quid ignores.

CICERO VARRONI.

CENABAM apud Sejum, cùm utrique noſtrûm redditæ ſunt à te litteræ. Mihi verò jam maturum videtur. 7
Nam quod anteà te calumniatus ſum, indicabo malitiam meam. Volebam prope alicubi eſſet, ſi quid bonæ ſalutis σεύ τε δύ' ἐρχομένω. nunc, quum confecta ſunt omnia, dubitandum non eſt, 7 quin equis viris. Nam ut audivi de L. Cæſare F. mecum ipſe, QUID HIC MIHI FACIET PATRI? Itaque non deſino apud iſtos, qui nunc dominantur, cenitare. Quid faciam? tempori ſerviendum eſt. 8 Sed ridicula miſſa; præſertim cum ſit nihil, quod rideamus. AFRICA TERRIBILI TREMIT HORRIDA TERRA TUMULTU. Itaque nullum eſt ἀπαρεγνώρισμον, quod non verear. Sed quod quæris, quando, quà, quò, 9 nihil adhuc ſcimus. Iſtuc ipſum de Bajis, nonnulli dubitant, an per Sardiniam veniat. Illud enim adhuc prædium ſuum non inſpexit: nec ullum habet deterius, ſed tamen non contemnit. Ego omnino magis arbitror per Siciliam: vel jam ſciemus. adventat enim Dolabella. eum puto magiſtrum fore. Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων. Sed tamen, ſi ſciam, quid tu conſtitueris, meum conſilium accommodabo potiſſimum ad tuum. Quare exſpecto tuas litteras.

CICERO VARRONI. 8

ETSI munus flagitare, quamvis quis oſtenderit, ne populus quidem ſolet, niſi concitatus: tamen ego exſpectatione promiſſi tui moveor, ut admoneam te, non ut flagitem. Miſi autem ad te quattuor admonitores non nimis verecundos. Noſti enim profectò os ejus adoleſcentioris Academiæ. Ex ea igitur media excitatos miſi: qui metuo, ne te forte flagitent: ego autem mandavi, ut rogarent. Exſpectabam omnino jamdiu, meque ſuſtinebam, ne ad te priùs ipſe quid ſcriberem, quàm aliquid accepiſſem, ut poſſem te remunerari quam ſimillimo munere. Sed, cùm tu tardius faceres, id eſt, ut ego interpretor, diligentiùs: teneri non potui, quin conjunctionem ſtudiorum, amoriſque noſtri, quo poſſem litterarum genere, decla-

1. *Eſt igitur adventus in exſpectatione.*] Omittunt rectè nomen *Cæſaris* Victorius ac Lambinus; & ſic in melioribus codicibus in Pall. tamen comparet & fuerat ex margine tranſſumptum: ut ex Pal. ſexto vel cæcus viderit: nam ille; *eſt igitur adventus Cæſaris ſcilicet in exſpectatione.*

2. *Ipſumque multis, Oſtiæ videri commodius eum exire poſſe.*] Hæc eſt Palatini ſexti ſcriptura, quam ex aliquo ſuorum Victorius quoque ſecutus eſt: ea quoque eſt in Hittorpiano. pro eo Palatinus primus, Stewechianus, Peckio excerpta, *optimè videri.* Vulgatum eſt; *multos ei moleſtos fore, ipſumque multis: in Pomptinum videri commodius eum exire poſſe.*

3. *Et ſi quid non probem? quid enim jam ſcio præter initia rerum.*] Ita hic locus concipitur in Palatinis duobus, Gruteriano, editione prima ac Victorii. Gulielmius ex conjectura volebat; *etſi ne quid non probem quidem jam ſcio.* quod non opus eſt exhibita noſtra. vulgo; *etſi, quid non probem quidem. neſcio, præter initia rerum.* paullo poſt itidem edidi ex duobus Palatinis, Vaticano, Hittorpiano, editione Victorii: *quam illud ingens malum alterius utrius exercitus & ducum interitu.* cum vulgetur alias, *ingens malum alterutrius exercitus ex ducum interitu.* Paullo iterum poſt Palat. ſextus & Hittorp. ſcribunt: *crudeliter enim otioſiſſimi minabantur.* Palatinus vero primus, Grut. Stewech. *otioſis ſi minabantur.*

4. *Quàm vel emori.*] Ita edidit Victorius, ita Vaticani excerpta: libri noſtri fere omnes, ſicut & priſca editio, *velle mori.* vulgò, *quàm vel mori.*

5. *Eadem publici muneris, iis concedente rep. cur non abutamur.*] Ita Victorii editio. Manuſcripti tamen quinque *eandem*, quod non improbo, imo præferendum duco, eò libentius, quod idem nobis addicat prima editio: vulgò *etiam.*

6. *Quæ tua audiero.*] Excuſum erat, *quæ tua intereſſe audiero*: ſed ut nos fecimus, habet Pal. primus, ſextus, Grut. Stewech. Hittorp. Vatican. editio princeps: quod puto reperiſſe quoque Victorium; ſed offenſum repoſuiſſe: *quæve audiero.* ſuperius; *ſubſidia ad omnes vitæ ſtatus paraverunt.* ubi legitur; malebat Gulielmius, *caſus*: & paullò poſt, *actis*, interpretatur *littorali ſeceſſu*: quòd Cæſar erat futurus in littore.

7. *Quin equis viris.*] Hanc lectionem præ ſe ferunt ſeptem mſſ. prima editio, quam notat quoque ex ſuis Lambinus. Victorius tamen & Palatinus primus: *quin æquis viris*, neſcio quo ſenſu. vulgo, *equis velis.*

8. *Sed ridicula miſſa; præſertim.*] Intruſit Lambinus, *miſſa faciamus.* quod quidem verbum in nullo noſtrorum invenimus. elegantiorque eſt tota oratio, ſi ablegetur; certè non eſt in Pall. duobus, Grut. Stewech. Hittorp. Vatic. editione prima, aut Victorii.

9. *Nihil adhuc ſcimus.*] Palat. ſextus & Hittorp. *Soſmus*, unde Guliel. ὀσμὸς vel σεισμός. Nolo excutere ulterius; nam video nihil eſſe. Paullo item poſt quoque ex conjectura legit: *per Siciliam, Veliam.*

declararem. Feci igitur ſermonem inter nos habitum in Cumano, cùm eſſet unà Pomponius. [1] tibi dedi parteis Antiochinas quas à te probari intellexiſſe mihi videbar: mihi ſumſi Philonis. Puto fore, ut, cùm legeris, mirêre, nos id locutos eſſe inter nos, quod numquam locuti ſumus. ſed noſti morem dialogorum. Poſthæc autem, mi Varro, quàm plurima, ſi videtur, & de nobis inter nos: ſerò fortaſſe: ſed ſuperiorum temporum fortuna reip. cauſam ſuſtineat. Hæc ipſi præſtare debemus. Atque utinam quietis temporibus, atque aliquo, ſi non bono, at ſaltem certo ſtatu civitatis, hæc inter nos ſtudia exercere poſſemus. Quamquam tum quidem vel aliæ quæpiam rationes, honeſtas nobis & curas & actiones darent: nunc autem quid eſt, ſine his cur vivere velimus? Mihi verò cum his ipſis vix: his autem detractis, ne vix quidem. Sed hæc coràm, & ſæpius. Migrationem, & emtionem feliciter evenire volo, tuumque in ea re conſilium probo. Cura ut valeas.

9 DOLABELLA CICERONI. S. D.

S. V. G. V. & Tullia noſtra rectè V. Terentia minùs bellè habuit: ſed certum ſcio jam convaluiſſe eam. Præterea rectiſſimè ſunt apud te omnia. Etſi nullo tempore in ſuſpicionem tibi debui venire, partium cauſa potiùs, quàm tua, tibi ſuadere, ut te aut cum Cæſare, nobiſcumque conjungeres, aut certè in otium referres, præcipuè nunc jam, inclinata victoria, ne poſſum quidem in ullam aliam incidere opinionem, [2] niſi in eam, in qua ſcilicet tibi ſuadere videar, quòd piè tacere non poſſum. Tu autem, mi Cicero, ſic hæc accipies, ut, ſive probabuntur tibi, ſive non probabuntur, ab optimo certè animo, ac deditiſſimo tibi, & cogitata, & ſcripta eſſe judices. Animadvertis, C. Pompejum nec nominis ſui, nec rerum geſtarum gloria, neque etiam regum, ac nationum clientelis, quas oſtentare crebrò ſolebat, eſſe tutum: & hoc etiam, quod infimo cuique contigit, illi non poſſe contingere, ut honeſte effugere poſſit, pulſo Italia, amiſſis Hiſpaniis, capto exercitu veterano, circumvallato nunc denique: quod neſcio, an ulli umquam noſtro acciderit imperatori. Quamobrem, quid aut ille ſperare poſſit, aut tu, animum adverte pro tua prudentia. Sic enim facillimè, quòd tibi utiliſſimum erit, conſilii capies. [3] Illud autem te peto, ut, ſi jam ille evitaverit hoc periculum, & ſe abdiderit in claſſem, tu tuis rebus conſulas: & aliquando tibi potiùs, quàm cuivis, ſis amicus. Satisfactum eſt jam à te vel officio, vel familiaritati, ſatisfactum etiam partibus, & ei reip. quam tu probabas. reliquum eſt, ubi nunc eſt reſp. ibi ſimus potiùs, quàm dum illam veterem ſequamur, ſimus in nulla. Quare velim, mi jucundiſſime Cicero, ſi fortè Pompejus pulſus his quoque locis rurſus alias regiones petere cogatur, ut tu te vel Athenas, vel in quamvis quietam recipias civitatem. Quod ſi eris facturus, velim mihi ſcribas, ut ego, ſi ullo modo potero, ad te advolem. Quæcumque de tua dignitate ab imperatore erunt impetranda, qua eſt humanitate Cæſar, facillimum erit ab eo tibi ipſi impetrare: & meas tamen preces apud eum non minimum auctoritatis habituras puto. Erit tuæ quoque fidei, & humanitatis, curare, ut is tabellarius, quem ad te miſi reverti poſſit ad me: & à te mihi litteras referat.

M. CICERO P. DOLABELLÆ, S. D. 10

NON ſum auſus Salvio noſtro nihil ad te litterarum dare. nec mehercule habebam, quid ſcriberem, niſi te à me mirabiliter amari: de quo etiam nihil ſcribente me, te non dubitare, certò ſcio. Omnino mihi magis litteræ ſunt exſpectandæ à te, quàm à me tibi. Nihil enim Romæ geritur, quod te putem ſcire curare: niſi fortè ſcire vis, me inter Niciam noſtrum, & Vidium, judicem eſſe. Profert alter (ut opinor) duobus verſiculis expenſum Niciæ: alter Ariſtarchus hos ὀβελίζει. Ego, tanquam criticus antiquus, judicaturus ſum, utrum ſint τὰ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένοι. Puto nunc dicere: Oblituſne es igitur fungorum illorum, quos apud Niciam? & [4] ingentium culinarum cum Sophia Septimiæ? Quid ergo? tu adeo mihi excuſſam, ſeveritatem veterem putas, ut ne in foro quidem reliquiæ priſtinæ frontis appareant? ſed tamen ſuaviſſimum συμβιωτὴν noſtrum, præſtabo integellum: nec committam, ut, ſi ego eum condemnaro, tu reſtituas, ne habeat Burſa Plancus, apud quem litteras diſcat. Sed quid ago? cùm mihi ſit incertum, tranquillone ſis animo, an, ut in bello, in aliqua majuſcula cura, negotiove verſere, labor longius. Cùm igitur mihi erit exploratum, te libenter eſſe riſurum, ſcribam ad te pluribus. Te tamen hoc ſcire volo, vehementer populum ſollicitum fuiſſe de P. Sullæ morte, antè quàm certum ſcierit. Nunc quærere deſierunt, quomodo perierit. ſatis putant, ſe ſcire, quod ſciunt. Ego ceteroqui animo æquo fero, unum vereor, ne haſta Cæſaris refrixerit.

CICERO DOLABELLÆ. 11

VEL meo ipſius interitu mallem litteras meas deſiderares, quàm eo caſu, quo ſum graviſſimè afflictus: quem ferrem certè moderatiùs, ſi te haberem. Nam & oratio tua prudens, & amor erga me ſingularis, multùm levaret. Sed quum brevi tempore, ut opinio noſtra eſt, te ſum viſurus, ita me affectum offendes, ut multum à te poſſim juvari: non quò ita ſim fractus, ut aut hominem me eſſe oblitus ſim, aut fortunæ ſuccumbendum putem: ſed tamen hilaritas illa noſtra, & ſuavitas, quæ te præter ceteros delectabat, [5] erepta mihi omnis eſt. Firmitatem tamen & conſtantiam, ſi modò fuit aliquando in nobis, eandem cognoſces, quam reliquiſti. Quòd ſcribis, prœlia te mea cauſa ſuſtinere: non tam id laboro, ut, ſi qui mihi obtrectent, à te refutentur: quàm intelligi cupio, quod certè intelligitur, me à te amari. quod ut facias, te etiam, atque etiam rogo. Ignoſcaſque brevitati litterarum mearum. nam & celeriter unà futuros nos arbitror, & nondum ſatis confirmatus ad ſcribendum.

CICERO DOLABELLÆ. 12

GRATULOR Bajis noſtris: ſiquidem, ut ſcribis, ſalubres repentè factæ ſunt: niſi fortè te amant, & tibi aſſentantur: & tamdiu, dum tu ades, ſunt oblitæ ſui. Quod quidem ſi ita eſt, minimè miror, cælum etiam, & terras vim ſuam, ſi tibi ita conveniat, dimittere. Oratiunculam pro Dejotaro, quam requirebas, habebam mecum, quod non putaram. Itaque eam tibi miſi. quam velim ſic legas, ut cauſam tenuem, & inopem, nec ſcriptione magno opere

1. *Tibi dedi partes Antiochinas.*] Ita Pal. primus; ut ex ſuis quoque edidit Victorius: habentque Vaticani excerpta, & editio prima. Palat. ſextus *Antiochenas.* vulgo *Antiochianas.* paullo poſt ex Pall. duobus, Vatican. Stewech. Hittorp. editionum primaria ac Victoriana, ſcripſi: *Poſt hæc autem, mi Varro, quàm plurima ſi videtur, & de nobis inter nos: ſero fortaſſè.*

2. *Niſi in eam, in qua ſcilicet tibi ſuadere videar.*] Ita Pal. ſextus ac Victorii editio: prima verò & Palatinus primus, Peckio excerpta: *in qua ſcilicet te tib. ſuadere.* vulgo: *ſcilicet tua de re tibi ſuadere videar.* ſtatim linea altera inferiore legit ex conjectura Gulielmius: *nec nominis vi.* ut in Piſonem.

3. *Illud autem te peto.*] Puſilla quidem emendatio, ſed ne quis inſolentiam miretur, locutionis, monendum duxi, ita exſtare in Pall. duobus, Vaticano, Stewech. Peck. editione prima atque Victorii. excuſum eſt: *Illud autem à te peto.*

4. *Ingentium Culinarum cum Sophia Septimiæ.*] Nihil à vulgata demutare voluimus præſertim nihil adjuvantibus libris. Pal. pr. *ingentium cularum cum Sophia ſeptime.* Sextus verò: *& ingenti vincularum cum Sophia ſeptume.* Varie autem excarnificatus locus: alii *integrinſcularum.* alii *ingentium gularum*: vel *ingentium cochlearum*: partim *ingentium ferculorum.* Lambin. probavit: *ingentium gallinarum.*

5. *Erepta mihi omnis eſt.*] Eleganter ſic Pall. duo, Vatic. Peck. Victorii editio atque omnium prima blitea eſt vulgata lectio; *erepta nihil omnino eſt.* paucis lineis poſt Pal. primus, *ſi qui me obtrectent,* ſcribit.

1. *Ma-*

opere dignam. Sed ego hoſpiti veteri, & amico [1] Munuſculum mittere volui levidenſe, craſſo filo, cujuſmodi ipſius ſolent eſſe munera. Tu velim animo ſapienti, fortique ſis: ut tua moderatio, & gravitas, aliorum infamet injuriam.

13 CICERO DOLABELLÆ, S.

CAJUS Subernius Calenus, & meus eſt familiaris, & Leptæ noſtri familiariſſimi perneceſſarius. is cùm vitandi belli cauſa profectus eſſet in Hiſpaniam cum M. Varrone ante bellum, ut in ea provincia eſſet, in qua nemo noſtrûm, poſt Afranium ſuperatum, bellum ullum fore putaret: incidit in ea ipſa mala, quæ ſummo ſtudio vitaverat. Oppreſſus eſt enim bello repentino: quod bellum commotum à Scapula, ita poſteà confirmatum eſt à Pompejo, ut nulla ratione ſe ab illa miſeria eripere poſſet. Eadem cauſa ferè eſt M. Planii heredis, qui eſt item Calenus, Leptæ noſtri familiariſſimus. Hoſce igitur ambo tibi ſic commendo, ut majore cura, ſtudio, ſollicitudine animi commendare non poſſim. Volo ipſorum cauſa, meque in eo vehementer & amicitia movet, & humanitas. Lepta verò cùm ita laboret, ut ejus fortunæ videantur in diſcrimen venire: non poſſum ego non aut proximè, atque ille, aut etiam æque laborare. Quapropter, etſi ſæpe expertus ſum quantum me amares: tamen ſic velim tibi perſuadeas, id me in hac re maximè judicaturum. Peto igitur à te, vel, ſi pateris, oro, ut homines miſeros, & fortuna, quam vitare nemo poteſt, magis, quàm culpa, calamitoſos, conſerves incolumeis: veliſque per te, me hoc muneris cùm ipſis amicis hominibus, tum municipio Caleno, quo-cum mihi magna neceſſitudo eſt, tum Leptæ, quem omnibus antepono, dare. Quod dicturus ſum, puto equidem non valde ad rem pertinere, ſed tamen nihil obeſt dicere. res familiaris alteri eorum valde exigua eſt, alteri vix equeſtris. Quapropter quum his Cæſar vitam ſua liberalitate conceſſit, nec eſt, quod iis prætereà magnopere poſſit adimi: reditum, ſi me tantum amas, quantum certè amas, hominibus confice. In quo nihil eſt, præter viam longam: quam idcirco non fugiunt, ut & vivant cum ſuis, & moriantur domi. Quod ut enitare, contendaſque, vel potiùs ut perficias, (poſſe enim te, mihi perſuaſi) vehementer te etiam, atque etiam rogo.

14 CICERO DOLABELLÆ CONSULI, S.

ETSI contentus eram, mi Dolabella, tua gloria, ſatiſque ex ea magnam lætitiam, voluptatemque capiebam: tamen non poſſum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quòd vulgo hominum opinio ſocium me adſcribat tuis laudibus. Neminem conveni (convenio autem quotidie plurimos: ſunt enim permulti optimi viri, [2] qui valitudinis cauſa in hæc loca veniant: præterea ex municipiis frequentes neceſſarii mei) qui omnes, cùm te ſummis laudibus ad cælum extulerunt, mihi continuò maximas gratias agant. Negant enim ſe dubitare, quin tu meis præceptis, & conſiliis obtemperans, præſtantiſſimum te civem, & ſingularem conſulem præbeas. Quibus ego, quamquam veriſſimè poſſum reſpondere, te, quæ facias, tuo judicio, & tua ſponte facere, nec cujuſquam egere conſilio: tamen neque planè aſſentior, ne imminuam tuam laudem, ſi omnis à meis conſiliis profecta videatur: neque valde nego. Sum enim avidior etiam, quàm ſatis eſt, gloriæ. [3] Et tamen non alienum dignitati tuæ, quod ipſi Agamemnoni, regum regi, fuit honeſtum, habere aliquem in conſiliis capiundis Neſtorem: mihi verò glorioſum, te juvenem conſulem florere laudibus, quaſi alumnum diſciplinæ meæ. L. quidem Cæſar, cùm ad eum ægrotum Neapolim veniſſem, quamquam erat oppreſſus totius corporis doloribus, tamen ante, quam me planè ſalutavit, O mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cùm tantum vales apud Dolabellam, quantum, ſi ego apud ſororis filium valerem, tam ſalvi eſſe poſſemus. Dolabellæ vero tuo & gratulor, & gratias ago: quem quidem poſt te conſulem, ſolum poſſumus verè conſulem dicere. Deinde multa de facto, ac de re geſta: tum nihil magnificentiùs, nihil præclarius actum umquam, nihil reip. ſalutarius. Atque hæc una vox omnium eſt. A te autem peto, ut me hanc quaſi falſam hereditatem alienæ gloriæ ſinas cernere: meque aliqua ex parte, in ſocietatem tuarum laudum venire patiare. quamquam, mi Dolabella, (hæc enim jocatus ſum) libentiùs omneis meas, ſi modò ſunt aliquæ meæ laudes, ad te transfuderim, quàm aliquam partem exhauſerim ex tuis. Nam cùm te ſemper tantum dilexerim, quantùm tu intelligere potuiſti: tum his tuis factis ſic incenſus ſum, [4] ut nihil umquam in amore fuerit ardentius. NIHIL EST enim (mihi crede) virtute formoſius: nihil pulcrius, nihil amabilius. Semper amavi (ut ſcis) M. Brutum, propter ejus ſummum ingenium, ſuaviſſimos mores, ſingularem probitatem, atque conſtantiam. tamen idibus Martiis tantum acceſſit ad amorem, ut mirarer, locum fuiſſe augendi in eo, quod mihi jampridem cumulatum etiam videbatur. Quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te habebam, poſſe aliquid accedere? tantum acceſſit, ut mihi nunc denique amare videar, anteà dilexiſſe. Quare quid eſt, quòd ego te horter, ut dignitati, & gloriæ ſervias? proponam tibi claros viros, quod facere ſolent, qui hortantur? neminem habeo clariorem, quàm teipſum. te imitere oportet: tecum ipſe certes. ne licet quidem tibi jam, tantis rebus geſtis, non tui ſimilem eſſe. Quod cum ita ſit, hortatio non eſt neceſſaria, gratulatione magis utendum eſt. Contigit enim tibi, quod haud ſcio an nemini, ut ſumma ſeveritas animadverſionis, non modò non invidioſa, ſed etiam popularis eſſet, & cùm bonis omnibus, tum infimo cuique gratiſſima. Hoc ſi tibi fortuna quadam contigiſſet, gratularer felicitati tuæ: ſed contigit magnitudine cùm animi, tum etiam ingenii atque conſilii. Legi enim concionem tuam. nihil illa ſapientius. ita pedetentim, & gradatim tum acceſſus à te ad cauſam facti, tum receſſus, ut res ipſa maturitatem tibi animadvertendi omnium conceſſu daret. Liberaſti igitur & urbem periculo, & civitatem metu: neque ſolùm ad tempus maximam utilitatem attuliſti, ſed etiam ad exemplum facti. intelligere debes, in te poſitam eſſe remp. tibique non modò tuendos, ſed etiam ornandos eſſe illos à quibus initium libertatis profectum eſt. Sed hic de rebus coràm plura propediem, ut ſpero. Tu quum remp. noſque conſervas, fac ut diligentiſſimè te ipſum, mi Dolabella, cuſtodias.

CICERO PÆTO, S.

DUABUS tuis epiſtolis reſpondebo: uni, quam triduo ante acceperam à Zetho: alteri, quam attulerat Phileros tabellarius. Ex prioribus tuis literis intellexi 15

[1] per-

1. *Munuſculum mittere volui levidenſe, craſſo filo.*] Verbum *volui* abeſt à Palatino primo. pro *levidenſe* diviſim ille *levi denſe*, ſicut ſextus, *leve denſe*. ſed ut edimus, exhibuit prima editio & poſtea Victorius, Manutius, Lambinus. Pantagathus verò: *ſed ego hoſpiti veteri & amico munuſculum mittere levi dente craſſo filo, cujuſmodi.* & quod cur tanto opere doctis allubeſceret, non excogitavi. Levius verò tippula, quod ariolatur Ful. Urſinus; *amico munuſculum mittere volui leve craſſo filo.*

2. *Qui valetudinis cauſa in hæc loca veniant.*] Etſi non damnem vulgatam lectionem; tamen hac vice, ut alibi ſemper, adhæreſcendam Vict. duxi ac Pall. duobus. alii *conveniant*, ut editio princeps.

3. *Et tamen non alienum dignitate tua.*] Peckio quidem excerpta, & prima edit. *alienum dignitati tuæ*, quod mihi magis quamvis probatur, tamen ob raritatem teſtium non auſus ſum inducere fundo ac rei Tullianæ. Sic Attico l. 1. Ep. 1. *non aliena rationi noſtræ fuit illius hæc præpropera prenſatio.* ſed ut edidi, inveni in Pall. duobus, Vatic. duobus Gulielmianis, editioni Victorii. Potius certe quadrat lectio prius mihi indicata. vulgatum erat, *eſt tamen non alienum à dignitate, &c.*

4. *Ut nihil unquam in amore fuerit ardentius.*] Pal primus: *in amore mi fuerit ard.* Peck. verò ac Stewech. *in amore mihi fuerat ard.* quemadmodum excuſum eſt in editionum antiquiſſima. Palatinus verò ſextus; & unus ex Gulielmio conſultis; *in amorem fuerit ard.* unde ille: *in amore me fuerit ardentius.*

1. Ter-

[1] pergratam tibi * perſpectum eſſe gaudeo. Sed, mihi crede, non perinde, [2] ut eſt reapſe, ex litteris perſpicere potuiſti. Nam cùm à ſatis multis (non enim poſſum aliter dicere) & coli me videam, & diligi: nemo eſt illorum omnium mihi te jucundior. Nam quòd me amas: quòd id & jampridem, & conſtanter facis: eſt id quidem magnum, atque haud ſcio an maximum: ſed tibi commune cum multis. quòd tu ipſe tam amandus es, tamque dulcis, tamque in omni genere jucundus, id eſt propriè tuum. Accedunt non Attici, ſed ſalſiores, quàm illi Atticorum, Romani veteres, atque urbani ſales. Ego autem (exiſtimes licet, quod lubet) mirificè capior facetiis, maximè noſtratibus, præſertim cùm eas videam primùm oblitas Latio, tum, cùm in urbem noſtram eſt infuſa peregrinitas, [3] nunc verò etiam Bracatis, & Tranſalpinis nationibus, ut nullum veteris leporis veſtigium appareat. Itaque, te cùm video, [4] omneis mihi Granios, omneis Lucilios, (verè ut dicam) Craſſos quoque, & Lælios videre videor. Moriar, ſi, præter te, quemquam reliquum habeo, in quo poſſim imaginem antiquæ & vernaculæ feſtivitatis agnoſcere. Ad hos lepores cùm amor erga me tantus accedat, miraris, me tanta perturbatione valitudinis tuæ tam graviter exanimatum fuiſſe? Quòd autem altera epiſtola purgas te, non diſſuaſorem mihi emtionis Neapolitanæ fuiſſe, ſed [5] auctorem moderationis urbanæ: neque ego aliter accepi. intellexi tamen idem, quod his intelligo litteris, non exiſtimaſſe te, mihi licere, id quod ego arbitrabar, res has non omnino quidem, ſed magnam partem relinquere. Catulum mihi narras, & illa tempora. Quid ſimile? ne mi quidem ipſi tunc placebat diutius abeſſe ab reip. cuſtodia. ſedebamus enim in puppi & clavum tenebamus. nunc autem vix eſt in ſentina locus. An minùs multa ſenatuſconſulta futura putas, ſi ego ſim Neapoli? Romæ cùm ſum, & urgeo forum, ſenatuſconſulta ſcribuntur apud amatorem tuum, familiarem meum. Et quidem cùm in mentem venit, ponor ad ſcribendum: & antè audio ſenatuſconſultum in Armeniam, & Syriam eſſe perlatum, quod in meam ſententiam factum eſſe dicatur, quàm omnino mentionem ullam de ea re eſſe factam. Atque hoc nolim me jocari putes. Nam mihi ſcito jam à regibus ultimis allatas eſſe litteras, quibus mihi gratias agant, quòd ſe mea ſententia reges appellaverim: quos ego non modò reges appellatos, ſed omnino natos neſciebam. Quid ergo eſt? tamen quam diu hîc erit noſter hic præfectus moribus, parebo auctoritati tuæ. cùm verò aberit, ad fungos me tuos conferam. Domum ſi habebo [6] in denos dies, ſingulos ſumtuariæ legis dies conferam. Sin autem minus invenero, quod placeat: decrevi habitare apud te. Scio enim me nihil tibi gratius facere poſſe. Domum Sullanam deſperabam jam, ut tibi proximè ſcripſi: ſed tamen non abjeci. Tu velim, ut ſcribis, cum fabris eam perſpicias. Si enim nihil eſt in parietibus, aut in tecto vitii, cetera mihi probabuntur.

CICERO PAPIRIO PÆTO, S. 16

DELECTARUNT me tuæ litteræ: in quibus primùm amavi amorem tuum. qui te ad ſcribendum incitavit, verentem, ne Silius ſuo nuntio aliquid mihi ſollicitudinis attuliſſet: de quo & tu mihi anteà ſcripſeras, bis quidem eodem exemplo: facilè ut intelligerem, te eſſe commotum: & ego tibi accuratè reſcripſeram, ut quoquo modo in tali re, atque tempore aut liberarem te iſta cura, aut certè levarem. Sed quum proximis quoque litteris oſtendis, quantæ tibi curæ ſit ea res: ſic, mi Pæte, habeto: quidquid arte fieri poterit (non enim jam ſatis eſt conſilio pugnare: artificium quoddam excogitandum eſt) ſed tamen quidquid elaborari, aut effici potuerit, ad iſtorum benivolentiam conciliandum, & colligendum, ſummo ſtudio me conſecutum eſſe: nec fruſtrà, ut arbitror. ſic enim color, ſic obſervor ab omnibus his, qui à Cæſare diliguntur, ut ab his me amari putem. NAM ETSI NON FACILE DIJUDICATUR AMOR VERUS, & fictus, niſi aliquod incidat ejuſmodi tempus, ut, quaſi aurum igni, ſic benivolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſſit: cetera ſunt ſigna communia: ſed ego uno utor argumento, quamobrem me ex animo, vereque arbitrer diligi, quia & noſtra fortuna ea eſt, & illorum, ut ſimulandi cauſa non ſit De illo autem, quem penes eſt omnis poteſtas, nihil video, quod timeam: niſi quod omnia ſunt incerta, cùm à jure diſceſſum eſt: nec præſtari quidquam poteſt, quale futurum ſit, quod poſitum eſt in alterius voluntate, ne dicam libidine. Sed tamen ejus ipſius nulla re à me offenſus eſt animus. Eſt enim adhibita in ea re ipſa ſumma à nobis moderatio. Ut enim olim arbitrabar eſſe meum liberè loqui, cujus opera eſſet in civitate libertas. ſic, ea nunc amiſſa, nihil loqui, quod offendat aut illius, aut eorum, qui ab illo diliguntur, voluntatem. Effugere autem ſi velim nonnullorum acutè, [7] aut facetè dictorum famam, fama ingenii mihi eſt abjicienda: quod ſi id poſſem, non recuſarem. Sed tamen ipſe Cæſar habet peracre judicium: &, ut Servius, frater tuus, quem litteratiſſimum fuiſſe judico, facilè diceret, hic verſus Plauti non eſt. hic eſt, quòd tritas aureis haberet notandis generibus poëtarum, & conſuetudine legendi: ſic audio Cæſarem, cùm [8] volumina jam confecerit ἀποφθεγμάτων, ſi quod afferatur ad eum pro meo, quod meum non ſit, rejicere ſolere: quod eò nunc magis facit, quia vivunt mecum ferè quotidie illius familiares. Incidunt autem in ſermone vario multa, quæ fortaſſe illis cum dixi, nec illitterata, nec inſulſa eſſe videantur. Hæc ad illum cum reliquis

1. *Pergratum tibi * perſpectum eſſe gaudeo.*] Locum hiantem ac lacerum ex Pal. primo ac Victorio malui retinere, quam aliorum ingenio ſuppletum. Lambinus ſtrenuum ſe hic dedit legendo: *pergratam tibi eſſe ſententiam meam & curam valitudinis tuæ, animumque erga te meum: quem tibi perſp.* Pal. tamen ſextus & priſca editio: *pergratam tibi curam meam valitudinis.*

2. *Ut eſt reapſe, ex literis perſpicere potuiſti.*] Hæc lectio corruptæ in Palatino primo & editionum primaria anſam dedit; *ut eſt re abſens litteris.* Pal. ſextus; *ut eſt reipſa ex litteris.* Vulgatum vero eſt; *ut eſt reipſa, abſens ex litteris perſpicere potuiſti.* ſed ut edidimus, correxit ex Mediceo Victorius.

3. *Nunc verò etiam Bracatis & Tranſalpinis nationibus.*] Hæc ſcriptura invenitur in Pall. Gulielmianis, editione prima ac Victorii: alii *Bracchatis.* Peckio verò excerpta volunt, *nunc vero placet etiam Bracatis*: unde Gulielmius non ineptè, ſi neceſſum foret aliquid internectere, *nunc vero jacet etiam Brac.*

4. *Omnes mihi Granios, omnes Lucilios (verè ut dicam) Craſſos quoque, &c.*] Concinne ſic magis ex Palatino primo, Victorio ac tribus Gulielmianis legitur. prima editio & Peckio excerpta; *omnes mihi gratias.* Vulgatum eſt in excuſis; *omneis mihi Gracchos, omneis Lucilios, (& ut verè dicam) Craſſos quoque & Lælios vid. v.*

5. *Auctorem moderationis urbanæ.*] Secutus hîc quidem ſum lectionem, quam ipſe non, ut volo, intelligo præbitam mihi & valide quaſi ingeſtam à Palat. quatuor Gulielmianis receptam; que editioni primariæ, Victorio, Manutio. quid ſi tamen, pro *demorationis*, in omnibus libris ex compendio ſcripturæ propagatum eſt *moderationis?* Editum eſt, *commorationis.*

6. *In denos dies, ſingulos ſumptuariæ legis dies conferam. ſin autem.*] Miror cur correctores oſtenderit iteratum τὸ *dies* ſed hic mos eſt impotentis imperitiæ incidere ſtatim, quod illorum captus ferre non poteſt. Sic eſt in Palat. ſexto nam primus totum hunc complexum omittit, duobus Gulielmianis, Vaticano, editione priſca & Victoriana: vulgò: *ſingulos ſumtuariæ legis conferam. ſin minus.*

7. *Aut facetè dictorum famam, fama ingenii mihi eſt abjicienda.*] Ita edidit Victorius, cui licet repugnet Manutius; moneo tamen lectorem, ne attendat: nam ille bonus vir non ſatis ingenii ad emendationem Tullii attulit, neque, liberè loquor, ſatis judicii. ſoleoque P. Victorii operam multis paraſangis præferre. eruit hanc quoque lectionem ex v. c. vir doctus, qui addit ſic v. c. recte, invito, quamvis Manutio. ait ſe, ut maxime velit, famam illam acutè dictorum effugere non poſſe, cum ſubito animadvertat Cæſar quid verè à Cicerone profectum ſit. Palat. ſextus, *facetè dictorum opinionem.* vulgò *facilè dictorum offenſionem.*

8. *Volumina jam confecerit ἀποφθεγμάτων, ſi quod afferatur ad eum.*] Intrudunt, *vel per ſe, ſi quid aff.* nequiter & ex putrida gloſſa, quam ejicio φροῦδον in Pall. Vaticano. duobus Gulielmianis, editione prima (quæ tamen ſicut Peckio excerpta *deſeratur*) ac Victorii.

quis actis perferuntur. ita enim ipſe mandavit. Sic fit, ut, ſi quid prætereà de me audiat, non audiendum putet. Quamobrem Oenomao tuo nihil utor: etſi poſuiſti loco verſus Accianos. Sed quæ eſt invidia? aut quid mihi nunc invideri poteſt? Verùm fac eſſe omnia. Sic video philoſophis placuiſſe iis, qui mihi ſoli videntur vim virtutis tenere, NIHIL ESSE SAPIENTIS PRÆSTARE, niſi culpam: qua mihi videor dupliciter carere: & quòd ea ſenſerim, quæ rectiſſima fuerunt: & quia, cùm viderem præſidii non ſatis eſſe ad ea obtinenda, viribus certandum cum valentioribus non putarim. Ergo in officio boni civis, certè non ſum reprehendendus. Reliquum eſt, ne quid ſtultè, ne quid temerè dicam aut faciam contra potenteis. Id quoque puto eſſe ſapientis. cetera verò, quid quiſque me dixiſſe dicat: aut quomodo ille accipiat: aut qua fide mecum vivant ii, qui me aſſiduè colunt, & obſervant, præſtare non poſſum. Ita fit, ut & conſiliorum ſuperiorum conſcientia, & præſentis temporis moderatione me conſoler: & illam Accii ſimilitudinem non modò jam ad invidiam: ſed ad fortunam transferam: QUAM EXISTIMO LEVEM, & imbecillam, animo firmo, & gravi, tanquam fluctum à ſaxo, frangi oportere. Etenim cùm plena ſint monumenta Græcorum, quemadmodum ſapientiſſimi viri regna tulerint vel Athenis, vel Syracuſis: cùm, ſervientibus ſuis civitatibus, fuerint ipſi quodammodo liberi: ego me non putem tueri meum ſtatum ſic poſſe, ut neque offendam animum cujuſquam, nec frangam dignitatem meam? Nunc venio ad jocationes tuas, quum tu ſecundum Oenomaum Accii, non, ut olim ſolebat, Atellanum: ſed, ut nunc fit, mimum introduxiſti. Quem tu mihi Popilium, quem Denarium narras? quam Tyrotarichi patinam? facilitate mea iſta ferebantur anteà: nunc mutata res eſt. Hirtium ego, & Dolabellam dicendi diſcipulos habeo, cenandi magiſtros. Puto enim te audiſſe, (ſi fortè ad vos omnia perferuntur,) illos apud me declamitare, me apud eos cenitare. Tu autem, quòd mihi bonam copiam ejures, nihil eſt. tum enim, [1] cùm rem habebas, quæſticulis te faciebam attentiorem. nunc, cùm tam æquo animo bona perdas, non eo ſis conſilio, ut, cùm me hoſpitio recipias, æſtimationem te aliquam putes accipere. etiam hæc levior eſt plaga ab amico, quàm à debitore. Nec tamen eas cenas quæro, ut magnæ reliquiæ fiant: quod erit, magnificum ſit, & lautum. Memini te mihi Phameæ cenam narrare. temperiùs fiat: cetera eodem modo. Quòd ſi perſeveras me ad matris tuæ cenam revocare, feram id quoque. Volo enim videre animum, qui mihi audeat, iſta, quæ ſcribis, apponere, aut etiam polypum Miniani Jovis ſimilem. Mihi crede: non audebis. Ante meum adventum fama ad te de mea nova lautitia veniet: eam extimeſces. Neque eſt, quòd in promulſide ſpei ponas aliquid: quam totam ſuſtuli. [2] Solebam enim anteà delibitari oleis, & lucanicis tuis. Sed quid hæc loquimur? liceat modo iſtò venire. Tu verò (volo enim abſtergere animi tui metum) ad Tyrotarrichum antiquum redi. Ego tibi unum ſumptum afferam quòd balneum calfacias oportebit: cetera more noſtro; ſuperiora illa luſimus. De villa Seliciana & curaſti diligenter, & ſcripſiſti facetiſſimè. Itaque puto me prætermiſſurum. ſalis enim ſatis eſt, ſannionum parum. Vale.

17 CICERO L. PAPIRIO PÆTO, S.

NON tu homo ridiculus es, qui, cùm Balbus noſter apud te fuerit, ex me quæras, quid de iſtis municipiis, & agris futurum putem? quaſi aut ego quidquam ſciam, quod iſte neſciat: aut, ſi quid aliquando ſcio, non ex iſto ſoleam ſcire. Immò verò, ſi me amas, tu fac, ut ſciam, quid de nobis futurum ſit. Habuiſti enim in tua poteſtate, ex quo vel ex ſobrio, vel certè ex ebrio ſcire poſſes. Sed ego iſta, mi Pæte, non quæro: primùm quia de lucro prope jam quadriennium vivimus: ſi aut hoc lucrum eſt, aut hæc vita, ſuperſtitem reip. vivere: deinde, quòd ſcire quoque mihi videor, quid futurum ſit. fiet enim quodcumque volent, qui valebunt: valebunt autem ſemper arma. Satis igitur nobis eſſe debet, quidquid conceditur. hoc ſi qui pati non potuit, mori debuit. Vejentem quidem agrum, & Capenatem metiuntur. hoc non longè abeſt à Tuſculano. Nihil tamen timeo: fruor, dum licet: opto, ut ſemper liceat. Si id minùs contigerit: tamen, quum ego vir fortis, idem quod philoſophus, vivere pulcherrimum duxi, non poſſum eum non diligere, cujus beneficio id conſecutus ſum. qui ſi cupiat eſſe remp. qualem fortaſſe & ille vult, & omnes optare debemus: quid faciat tamen, non habet: ita ſe cum multis colligavit. Sed longiùs progredior. ſcribo enim ad te. Hoc tamen ſcito, non modò me, qui conſiliis non interſum, ſed ne ipſum quidem principem ſcire, quid futurum ſit. Nos enim illi ſervimus: ipſe temporibus. ita nec ille, quid tempora poſtulatura ſint: nec nos, quid ille cogitet, ſcire poſſumus. Hæc tibi anteà non reſcripſi, non quò ceſſator eſſe ſolerem, præſertim in litteris: ſed cùm explorati nihil haberem, nec tibi ſollicitudinem ex dubitatione mea, nec ſpem ex affirmatione afferre volui. Illud tamen adſcribam, quod eſt veriſſimum, me his temporibus adhuc de iſto periculo nihil audiſſe. Tu tamen pro tua ſapientia debebis optare optima, cogitare difficillima, ferre quæcumque erunt.

CICERO S. D. L. PAPIRIO PÆTO. 18

CUM eſſem otioſus in Tuſculano, propterea [3] quòd diſcipulos obviam miſeram, ut iidem me quàm maximè conciliarent familiari ſuo: accepi tuas litteras, pleniſſimas ſuavitatis: ex quibus intellexi probari tibi meum conſilium, quòd, ut Dionyſius tyrannus, cùm Syracuſis expulſus eſſet, Corinthi dicitur ludum aperuiſſe: ſic ego, ſublatis judiciis, amiſſo regno forenſi, ludum quaſi habere cœperim. Quid quæris? me quoque delectat conſilium. multa enim conſequor: primùm id, quod maximè nunc opus eſt, munio me ad hæc tempora. Id cujuſmodi ſit, neſcio: tantum video, nullius adhuc conſilia me huic anteponere: niſi fortè mori melius fuit in lectulo. fateor: ſed non accidit. in acie non fui. Ceteri quidem Pompejus, Lentulus tuus, Scipio, Afranius, fœde perierunt. At Cato præclare. Jam iſtuc quidem, cùm volemus, licebit. demus modò operam, ne tam neceſſe nobis ſit, quàm illi fuit: id quod agimus. Ergo hoc primum. Sequitur illud, Ipſe melior fio: Primùm valitudine, quam, intermiſſis exercitationibus, amiſeram: deinde ipſa illa, ſi qua fuit in me, facultas orationis, niſi me ad has exercitationes retuliſſem, exaruiſſet. Extremum illud eſt, quod tu neſcio an primum putes. pluris jam pavones confeci, quàm tu pullos columbinos. Tu iſtic te Atheriano jure delectato: ego me hic Hirtiano. Veni igitur, ſi vir es, & diſce jam προλεγομένας, quas quæris: etſi ſus Minervam. Sed quando, ut video æſtimationes tuas vendere non potes, neque ollam denariorum implere, Romam tibi remigrandum eſt. Satius eſt hic cruditate, quàm iſtic fame. Video te bona perdidiſſe: ſpero

1. *Cum rem habebas, quæſticulis te faciebam attentiorem.*] Lamb. ut videretur inventor hujus rei eſſe, mutata nonnihil facie produxit: *cum rem augebas*: ſed ille homo totus, quantus quantus eſt, vanitas, nullo auctore fecit. Vulgatum eſt ante *quæſtiunculis*, ſed, ut verum erat, emendavit accuratiſſimus Victorius, exſtatque hæc lectio in excerptis Vaticani.

2. *Solebam enim antea delibitari oleis & lucanicis tuis.*] Ita in omnibus noſtris libris, niſi quod in Pal. ſexto *delibitari* in textu; ad marginem tamen appoſita noſtra: quod cur cum Lambino non recipiamus non video, præſertim Victorio præeunte. alii *delimitari*. vulgo, *delectari*. vide Turneb. lib. VI. cap. I.

3. *Quod diſcipulos obviam miſeram.*] Et hic excluſimus ex Pall. duobus, Peck. editione primâ ac Victorii, vocem *Cæſaris*. ſolet enim illud nomen ſubticeri Tullio noſtro, ut ſuperius notavimus binis in locis. Paullo poſt ex Palat. ſexto, Vaticano, editione Victorii ſcripſi, *cum Syracuſis pulſus eſſet*, melius, quàm vulgò, *expulſus eſſet*. Paullo item poſt, Gulielmius diſtinguebat: *niſi fortè mori melius fuit. in lectulo? fateor; ſed non accidit. in acie? non fui.* Aliquot lineis poſt Peckio excerpta habent; *& ſi vis Minervam*, putat Gulielmius *ſuis*, ut vetuſte ipſe Cicero etiam de Oratore II.

ſpero idem iſtuc familiareis tuos. Actum igitur de te eſt, niſi provides. Potes mulo iſto, quem tibi reliquum dicis eſſe, quum cantherium comediſti, Romam pervehi. Sella tibi erit in Ludo, tamquam hypodidaſculo proxima. eam pulvinus ſequetur.

19 CICERO S. D. L. PAPIRIO PÆTO.

TAMEN à malitia non diſcedis. tenuiculo apparatu ſignificas Balbum fuiſſe contentum. hoc videris dicere, cùm reges tam ſint continentes, multò magis conſulareis eſſe oportere. neſcis me ab illo omnia expiſcatum, rectà enim à porta domum meam veniſſe. neque hoc admiror, quòd non ad tuam potiùs: ſed illud, quòd non ad ſuam. Ego autem primis tribus verbis, Quid noſter Pœtus? at ille adjurans, Nuſquam ſe umquam libentiùs. Hoc ſi verbis aſſecutus es, aureis ad te afferam non minùs eleganteis. ſin autem obſonio: peto à te, ne pluris eſſe balbos, quàm diſertos putes. Me quotidie aliud ex alio impedit. Sed, ſi me expediero, ut in iſta loca venire poſſim, non committam, ut te ſerò à me certiorem factum putes.

20 CICERO PÆTO.

DUPLICITER delectatus ſum tuis litteris, & quòd ipſi riſi, & quod te intellexi jam poſſe ridere. Me autem à te, ut ſcurram velitem, malis oneratum eſſe, non moleſtè tuli. Illud doleo, in iſta loca venire me, ut conſtitueram, non potuiſſe. habuiſſes enim non hoſpitem, ſed contubernalem. At quem virum? non eum, quem tu es ſolitus promulſide conficere. Integram famem ad ovum affero. Itaque uſque ad aſſum vitulinum opera perducitur. Illa mea, quæ ſolebas anteà laudare, ô hominem facilem! ô hoſpitem non gravem! abierunt. Nam omnem noſtram de rep. curam, cogitationem de dicenda in ſenatu ſententia, commentationem cauſarum, abjecimus. In Epicuri nos adverſarii noſtri caſtra conjecimus: nec tamen ad hanc inſolentiam: ſed ad illam tuam lautitiam, veterem dico, cum in ſumtus habebas. etſi numquam plura prædia habuiſti. Proinde te para, cum homine & edaci tibi res eſt, & qui jam aliquid intelligat. ὀψιμαθεῖς autem homines, ſcis quàm inſolentes ſint. dediſcendæ tibi ſunt ſportellæ, & artolagani tui. [2] Nos jam ex artis tantum habemus, ut Verrium tuum, & Camillum, qua munditia homines? qua elegantia? vocare ſæpius audeamus. Sed vide audaciam. etiam Hirtio cenam dedi ſine pavone, tamen in ea cena cocus meus præter jus fervens nihil potuit imitari. Hæc igitur eſt nunc vita noſtra. Mane ſanè ſalutamus domi & bonos viros multos, ſed triſteis: & hos lætos victores: qui me quidem perofficioſè, & peramanter obſervant. Ubi ſalutatio defluxit, litteris me involvo, aut ſcribo, aut lego. Veniunt etiam qui me audiunt, quaſi doctum hominem, quia paullo ſum, quàm ipſi, doctior. Inde corpori omne tempus datur. Patriam eluxi jam & gravius & diutiùs, quàm ulla mater unicum filium. Sed cura, ſi me amas, ut valeas: ne ego, te jacente, [3] bona tua comedim. Statui enim tibi ne ægroto quidem parcere.

21 CICERO PÆTO, S.

AIN' tandem? inſanire tibi videris, quòd imitere verborum meorum, ut ſcribis, fulmina? tum inſanires, ſi conſequi non poſſes. cùm verò etiam vincas, me priùs irrideas, quàm te, oportet. Quare nihil tibi opus eſt illud à Trabea, ſed potiùs ἀπόφθεγμα meum. Verum tamen quid tibi ego in epiſtolis videor? nonne plebejo ſermone agere tecum? nec enim ſemper eodem modo. Quid enim ſimile habet epiſtola aut judicio, aut concioni? quin ipſa judicia non ſolemus omnia tractare uno modo. Privatas cauſas, & eas tenueis, agimus ſubtiliùs: capitis, aut famæ, ſcilicet ornatiùs. epiſtolas verò, quotidianis verbis texere ſolemus. Sed tamen, mi Pæte, quî tibi venit in mentem negare, Papirium quemquam umquam, niſi plebeium fuiſſe? fuerunt enim patricii minorum gentium, quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui conſul cum L. Sempronio Atratino fuit, cùm anteà cenſor cum eodem fuiſſet, annis poſt Romam conditam CCCXII. Sed tum Papiſii dicebamini. Poſt hunc, XIII. fuerunt ſella curuli ante L. Papirium Craſſum, qui primum Piſius eſt vocari deſitus. Is dictator cum L. Papirio Curſore, magiſtro equitum, factus eſt, annis poſt Romam conditam CCCCXV. & quadriennio pòſt conſul cum C. Duillo. Hunc ſecutus eſt Curſor, homo valde honoratus: deinde L. Maſſo, ædilitius: inde multi Maſſones: quorum quidem tu omnium patriciorum imagines habeas, volo. Deinde Carbones, & Turdi inſequuntur. Hi plebeii fuerunt: quos contemnas, cenſeo. Nam præter hunc C. Carbonem, quem Damaſippus occidit, civis è rep. Carbonum nemo fuit. Cognovimus Cn. Carbonem, & ejus fratrem ſcurram. quid his improbius? de hoc amico meo, Rubriæ filio, nihil dico. Tres illi fratres fuere, C. Cn. M. Carbones. [4] Marcus P. Flacco accuſante, condemnatus, fur magnus ex Sicilia: Cajus, accuſante L. Craſſo, cantharidas ſumſiſſe dicitur. is & tribunus pleb. ſeditioſus, & P. Africano vim attuliſſe exiſtimatus eſt. Hoc verò, qui Lilybei à Pompejo noſtro eſt interfectus, improbior nemo, meo judicio, fuit. Jam pater ejus accuſatus à M. Antonio, ſutorio atramento abſolutus putatur. Quare ad patres cenſeo revertare. plebeii quàm fuerint importuni, vides.

CICERO PÆTO. 22

AMO verecundiam, vel potiùs libertatem loquendi. atqui hoc Zenoni placuit, homini mehercule acuto: etſi Academiæ noſtræ cum eo magna rixa eſt. Sed, ut dico, placet Stoicis, ſuo quamque rem nomine appellare. Sic enim diſſerunt, Nihil eſſe obſcenum, nihil turpe dictu. Nam, ſi quod ſit in obſcenitate flagitium, id aut in re eſſe, aut in verbo: nihil eſſe tertium. In re non eſt. Itaque non modò in comœdiis res ipſa narratur: ut ille in Demiurgo modò (forte noſti canticum: meminiſti Roſcium) ita me deſtituit nudum. Totus eſt ſermo verbis tectus, re impudentior: ſed etiam in tragœdiis. quid eſt enim illud? Quæ mulier una? quid, inquam, eſt? Uſurpata duplex cubile? Quid? hujus Pherei hic cubile inire eſt auſus. Quid eſt, Virginem me quondam invitam per vim violat? Jupiter bone, violat? atqui idem ſignificat: ſed alterum nemo tuliſſet. Vides igitur, cùm eadem res ſit, quia verba non ſint, nihil videri turpe. Ergo in re non eſt: multo minus in verbis. Si enim quod verbo ſignificatur, id turpe non eſt, verbum, quod ſignificat, turpe eſſe non poteſt. Annum appellas alieno nomine: cur non ſuo potius? Si turpe eſt, ne alieno quidem: ſi non eſt, ſuo potius. Caudam antiqui penem vocabant: ex quo eſt propter ſimilitudinem penicillus. At hodie penis eſt in obſcenis. At verò Piſo ille frugi in Annalibus ſuis queritur, adoleſcenteis peni deditos eſſe. Quod tu in epiſtola appellas ſuo nomine, ille tectiùs penem. Sed quia multi, factum eſt tam obſcenum, quàm id verbum, quo

1. *Tamen à malitia non diſcedis.*] Duo Pall. totidemque Gulielmiani omittunt *à*, ſicut & prima editio. Gulielmius legendum judicat, *tamen malitia non dis cedis*: illudque Virgilii huc trahit,

Cede Deo, dixitque & prælia voce diremit.

qua conjectura nihil eſſe poteſt inanius.

2. *Nos jam ex artis tantum habemus.*] Ne erret quis, antiquam ſcripturam & in omnibus mſſ. notabilem prætulimus aliorum conjectationibus. neque ignoramus Victorium legere & emendaſſe, *nos jam & artis tantum habemus*. ac Turnebum lib. VI. cap. 1. Adverſ. *ex arcis*, quod ſequutus eſt Scaliger ad Catullum. Quidam tamen auſi ſunt reſtituere. *ex arte coci*, contra veterum librorum auctoritatem. nonnulli, *ex te artis*. vulgò, *ex areis*, quod tuetur Douſa Præcidaneis ad Catullum; adducto loco Epiſtolæ ad Gallum lib. VII.

3. *Bona tua comedim.*] Ita Victorius ex Nonio & Mediceo, quem æmulatus eſt Lambinus cum Manutio. vulgò, *Comedam*.

4. *Marcus P. Flacco accuſante condemnatus, fur magnus ex Sicilia.*] Ita Pall. duo, Vaticanus, editio princeps, Victorius quoque. alii vulgò: *Publius, Flacco accuſante condemnatus: fugit Marcus ex Sicilia.* Gulielmius tamen legendum putat; *Spurina Gneus ex Sicil.* gerræ germanæ.

1. Quid

quo tu uſus es. Quid, quod vulgò dicitur, Cùm nos te voluimus convenire, num obſcenum eſt? Memini, in ſenatu diſertum conſularem ita eloqui. Hanc culpam majorem, an illam dicam? potuit obſceniùs? non, inquis. non enim ita ſenſit. Non ergò in verbo eſt. docui autem in re non eſſe. nuſquam igitur eſt. Liberis dare operam, quàm honeſtè dicitur? etiam patres rogant filios. ejus operæ nomen non audent dicere. Socratem fidibus docuit nobiliſſimus fidicen. Is Comnus vocitatus eſt. num id obſcenum putas? Cùm loquimur terni, nihil flagitii dicimus. at cùm bini, obſcenum eſt. Græcis quidem, inquies. nihil eſt ergo in verbo, quum & ego Græcè ſcio: & tamen tibi dico, bini: idque tu facis, quaſi ego Græcè, non Latinè dixerim. Ruta, & menta, rectè utrumque. Volo mentam puſillam ita appellare, ut rutulam: non licet. Bella tectoriola: dic ergo etiam pavimenta iſto modo. non potes. Viden' igitur nihil eſſe, niſi ineptias: turpitudinem nec in verbo eſſe, nec in re: itaque nuſquam eſſe. Igitur in verbis honeſtis obſcena ponimus. [1] Quid enim, non honeſtum verbum eſt diviſor? At ineſt obſcenum, cui reſpondet intercapedo. num hæc ergo obſcena ſunt? Nos autem ridiculè. Si dicimus, ille patrem ſtrangulavit, honorem non præfamur. ſin de Aurelia aliquid, aut Lollia: honos præfandus eſt. Et quidem jam non etiam obſcena verba, pro obſcenis ſunt. Batuit, inquit, impudenter: depſit multo impudentiùs. Atqui neutrum eſt obſcenum: STULTORUM plena ſunt omnia. Teſtes, verbum honeſtiſſimum in judicio: alio loco, non nimis. at honeſti, colei Lanuvini: Cliternini, non honeſti. Quid? ipſa res modò honeſta, modò turpis? [2] ſuppedit, flagitium eſt. jam erit nudus in balneo, non reprehendes. Habes ſcholam Stoicam, ὁ σοφὸς εὐθυῤῥημων ἔςη. quàm multa ex uno verbo tuo? Te adverſus me omnia audere gratum eſt. Ego ſervo, & ſervabo (ſic enim aſſuevi) Platonis verecundiam. Itaque tectis verbis ea ad te ſcripſi, quæ apertiſſimis agunt Stoici. Sed illi etiam crepitus ajunt æquè liberos, ac ructus eſſe oportere. Honorem igitur. Kalendis Mart. Tu me diliges, & valebis.

CICERO PAPIRIO PÆTO.

23 HERI veni in Cumanum: cras ad te fortaſſe. Sed cùm certum ſciam, faciam te paullo ante certiorem. Etſi M. Ceparius, cum mihi in ſilva Gallinaria obviam veniſſet, quæſiſſemque, quid ageres, dixit te in lecto eſſe, quòd ex pedibus laborares. Tuli ſcilicet moleſtè, ut debui: ſed tamen conſtitui ad te venire, ut & viderem te, & viſerem & cenarem etiam. Non enim arbitror cocum etiam te arthriticum habere. Exſpecta igitur hoſpitem cùm minimè edacem, tum inimicum cenis ſumtuoſis.

CICERO PÆTO.

24 RUFUM iſtum, amicum tuum, de quo iterum jam ad me ſcribis, adjuvarem, quantum poſſem, etiam ſi ab eo læſus eſſem, cùm te tantopere viderem ejus cauſa laborare. cùm verò & ex tuis litteris, & ex illius ad me miſſis intelligam, & judicem, magnæ curæ ei ſalutem meam fuiſſe: non poſſum ei non amicus eſſe, neque ſolùm tua commendatione, quæ apud me, ut debet, valet plurimùm: ſed etiam voluntate, ac judicio meo. volo enim te ſcire, mi Pæte, initium mihi ſuſpicionis, & cautionis, & diligentiæ fuiſſe, litteras tuas: quibus litteris congruentes fuerunt aliæ poſteà multorum. Nam & Aquini, & Fabrateriæ conſilia ſunt inita de me, quæ te video inaudiſſe: &, quaſi divinarent, quàm his moleſtus eſſem futurus, nihil aliud egerunt, niſi me ut opprimerent. Quod ego non ſuſpicans, incautior fuiſſem, niſi à te admonitus eſſem. Quamobrem iſte tuus amicus apud me non eget commendatione. Utinam ea fortuna reip. ſit, ut ille me quàm gratiſſimum poſſit cognoſcere. Sed hæc hactenus. Te ad cenas itare deſiſſe, moleſtè fero. Magna enim te delectatione, & voluptate privaſti. Deinde etiam vereor, (licet enim verum dicere) ne neſcio quid illud, quod ſolebas, dediſcas, & obliviſcare cenulas facere. Nam ſi tum, cùm habebas, quos imitarere, non multum proficiebas: quid nunc te facturum putem? Spurinna quidem, cùm ei rem demonſtraſſem, & vitam tuam ſuperiorem expoſuiſſem: magnum periculum ſummæ reip. demonſtrabat, niſi ad ſuperiorem conſuetudinem tum, cùm Favonius, flaret, reverti ſſes. hoc tempore ferri poſſe, ſi fortè tu frigus ferre non poſſes. Sed, mehercule, mi Pæte, extra jocum, moneo te, quod pertinere ad beatè vivendum arbitror: ut cum viris bonis, jucundis, amantibus tui vivas. Nihil aptius vitæ: nihil ad beatè vivendum accommodatius. Nec id ad voluptatem refero: ſed ad communitatem vitæ, atque victus, remiſſionemque animorum: quæ maximè ſermone efficitur familiari, qui eſt in conviviis dulciſſimus: ut ſapientiùs noſtri, quàm Græci: illi συμπόσια, aut σύνδειπνα, id eſt, compotationes, aut concenationes: nos convivia: quod tum maximè ſimul vivitur. Vides, ut te philoſophando revocare coner ad cenas? Cura, ut valeas. id foris cenitando facillimè conſequere. Sed cave, ſi me amas, exiſtimes, me, quòd jocoſiùs ſcribam, abjeciſſe curam reip. Sic tibi, mi Pæte, perſuade, me dies, & noctes nihil aliud agere, nihil curare, niſi ut mei cives ſalvi, liberique ſint. Nullum locum prætermitto monendi, agendi, providendi. Hoc denique animo ſum, ut, ſi in hac cura, atque adminiſtratione vita mihi ponenda ſit, præclarè actum mecum putem. Etiam, atque etiam vale.

CICERO IMP. PÆTO. 25

SUMMUM me ducem litteræ tuæ reddidere. planè neſciebam, te tam peritum eſſe rei militaris. Pyrrhi te libros, & Cineæ video lectitaſſe. Itaque obtemperare cogito præceptis tuis: hoc ampliùs, navicularum habere aliquid in ora maritima. contra equitem Parthum negant ullam armaturam meliorem inveniri poſſe. Sed quid ludimus? neſcis, quocum imperatore tibi negotium ſit. παιδείαν Κύρου, [3] quam contriveram legendo, totam in hoc imperio explicavi. Sed jocabimur aliàs coràm, ut ſpero, brevi tempore. Nunc ades ad imperandum, vel ad parendum potiùs: ſic enim antiqui loquebantur. Cum M. Fabio (quod ſcire te arbitror) mihi ſummus uſus eſt: valdeque eum diligo, cùm propter ſummam probitatem ejus, ac ſingularem modeſtiam, tum quòd in his controverſiis, quas habeo cum tuis combibonibus Epicureis, optima opera ejus uti ſoleo. Is cùm ad me Laodiceam veniſſet, mecumque ego eum eſſe vellem, repentè percuſſus eſt atrociſſimis litteris, in quibus ſcriptum erat, fundum Herculanenſem à Q. Fabio, fratre, proſcriptum eſſe: qui fundus cum eo communis eſſet. Id M. Fabius pergraviter tulit: exiſtimavitque, fratrem ſuum, hominem non ſapientem, impulſu inimicorum ſuorum eò progreſſum eſſe. Nunc ſi me amas, mi Pæte, negotium totum ſuſcipe: & moleſtia Fabium libera.

Aucto-

1. *Quid enim, non honeſtum verbum eſt diviſor?*] Vaticani excerpta: *quid enim hoc honeſtum verbum eſt diviſor.* ſed noſtram lectionem accepimus ex Palatino ſexto, Gruteriano, Stewech. editione prima & Victorii; & ſic ferme Palatinus primus, niſi quod ille ſicut unus ex Gulielmianis, *diviſſor.* vulgò: *quid enim? num honeſtum verbum eſt diviſio?* quod interpretatur Joſeph. Scaliger emendationibus ad Catullum; Epigrammate: *Othonis caput, &c.*

2. *Suppedit flagitium eſt.*] Nolui nec potui à Victorio diſcedere accedentibus proximè libris noſtris, ille enim *ſuppendet*, ut & duo Gulielmii: cujus & unus *ſuſpendet.* vulgo, *ſuppellere flagitium eſt.* quod per me licet defendere Carrioni lib. 1. cap. 12. antiquarum lection. Paullo poſt pro *ſcholam* Palatinus ſextus ad oram notat legi quoque *ſtolam.*

3. *Quam contrieram legendo.*] Vulgò *contriveram*: ſed illud habent Pall. duo, totidem Gulielmiani, Victorii editio. Paullo poſt ſcripſi, *ſed jocabimur alias coram, ut ſpero, brevi tempore*, ex Pal. duobus, Peckio excerptis, ac Vaticani, editione primaria ac Victorii. cum editum ſit: *coram, &, ut ſpero, brevi. Nunc.* Porro pone ſequentium verborum mentione, Gulielmius emendabat Cæſarem lib. VI. Bell. Gall. *Senones ad imperandum non venire.* vulgo; *imperatum.* Horat. invitans ad cenam:

Sin melius quid habes accerſe vel imperium fer.

1. *Mira-*

Auctoritate tua nobis opus eſt, & conſilio, & etiam gratia. Noli pati litigare fratres, & judiciis turpibus conflictari. Matonem, & Pollionem inimicos habet Fabius. Quid multa, non mehercule tam perſcribere poſſum, quàm mihi gratum feceris, ſi otioſum Fabium reddideris. Id ille in te poſitum eſſe putat, mihique perſuadet.

26 CICERO PÆTO, S. D.

ACCUBUERAM hora nona, cùm ad te harum exemplum in codicillis exaravi. Dices, ubi? apud Volumnium Eutrapelum, & quidem ſupra me Atticus, infrà Verrius, familiares tui. [1] Miraris tam exhilaratam eſſe ſervitutem noſtram? Quid ergo faciam? te conſulo, qui Philoſophum audis. Angar? excruciemne me? quid aſſequar? Deinde quem ad finem? Vivas, inquis, in litteris. An quidquam me aliud agere cenſes? aut poſſem vivere, niſi in litteris viverem? Sed eſt earum etiam non ſatietas, ſed quidam modus. A quibus cùm diſceſſi, etſi minimum mihi eſt in cena: quod tu unum ζήτημα Dioni philoſopho poſuiſti: tamen quid potiùs faciam, priùs quàm me dormitum conferam, non reperio. audi reliqua. Infra Eutrapelum Cytheris accubuit. In eo igitur, inquis, convivio Cicero ille? *quem adſpectabam? cujus ob os Graji ora obvertebant ſua?* Non, mehercule, ſuſpicatus ſum illam affore: ſed tamen ne Ariſtippus quidem ille Socraticus erubuit, cùm eſſet objectum, habere eum Laida. [2] *Habeo*, inquit, *non habeor à Laide*. Græcè hoc meliùs. tu, ſi voles, interpretabere. Me verò nihil iſtorum, ne juvenem quidem, movit umquam: ne nunc ſenem. convivio delector. ibi loquor, quod in ſolum, ut dicitur, & gemitum, & in riſus maximos transfero. An tu id meliùs, [3] qui etiam in philoſophum irriſeris? Cùm ille, [4] ſi quis quicquam quæreret, dixiſſet, cenam te quærere à mane dixeris. [5] Ille baro te putabat quæſiturum, unum cælum eſſet, an innumerabilia. Quid ad te? At hercule cena numquid ad te? ibi præſertim. Sic igitur vivitur: quotidie aliquid legitur, aut ſcribitur: dein, ne amicis nihil tribuamus, epulamur unà non modò non contra legem, ſi ulla nunc lex eſt, ſed etiam intra legem, & quidem aliquantò. quare nihil eſt quòd adventum noſtrum extimeſcas. Non multi cibi hoſpitem accipies, multi joci. Vale.

1. *Miraris tàm exhilaratam eſſe ſervitutem noſtram.*] Nullo modo hanc lectionem ſollicitandam eſſe ante Lambinum admonuit P. Victor. quam quoque tuentur Pall. duo, priſca editio. Ex Clericano profert Lambin. *ſenectutem noſtram*, ſed æque gloſſa eſt. ut vulgata *ſeveritatem*. poſt ſtatim ſcripſi ex Pall. itidem duobus, totidem Gulielmii, Vaticano, editioneque adeò Victoriana; *aut poſſem vivere, niſi in litteris viverem?* cum languidiſſime excuſum feratur: *haud poſſem vivere niſi in litteris viverem.*

2. *Habeo, inquit: non habeor à Laide.*] Recidi illud *Laida* ex duobus Pall. Gulielmianis quatuor, editione primaria & Victorii. Vaticani excerpta plura decurtant: *habeo, inquit: non habeor. Græce:* quod mihi majorem in modum placet; eò magis, quum præceſſerit, *habere eum Laida:* quæ verba alias haberi jubebat pro gloſſa Gruterus noſter: ſicut & illa: *nedum ſenem:* ſed *ne nunc ſenem* ut edidi, habent Pall. Gruterianus, tres Gulielmiani, editio prima & Victorii.

3. *Qui etiam in Philoſophum irriſeris.*] Eleganter quam non uſitate. ita & Pall. Vaticanus, Victorii editio. quod, ut dixi, erat rarius, ſtatim homines perfrictæ & imperitæ frontis, præpoſitionem ſuſtulerunt, *in*.

4. *Si quis quicquam quæreret, dixiſſet, cenam te quærere à mane dixeris.*] Sic ſingulis apicibus optimus codex Palatinus ſextus, quemadmodum ex ſuis eruit P. Victorius: cujus adductis exemplis addas Hirtium de bello Alexandrino: *præſertim cum milites à mane diei jejuni ſub armis ſtetiſſent.* Palat. vero primus: *à me ne dixeris.* Doctus vir, cum eandem ſcripturam in v. c. reperiſſet, conjicit, *amare*, id eſt, ſalse. Editum eſt: *cùm ille, ſi quis quid quæreret, dixiſſet, cenam te quærere à me dixeris.*

5. *Ille baro te putabat quæſiturum.*] Et hic hunc locum incorruptum cuſtodivit laudatiſſimus codex Palatinus ſextus: eruit primus P. Victorius. Ad hunc verò locum notat vir doctus: Rectè Epicureos vocat Barones Cicero, & hic ad Atticum. nam in veteri Gloſſario, *Baro* exponitur βάκηλος, id eſt, interpretibus Suida & Heſychio, fatuus ſimul & effæminatus. quare fruſtra ſunt, qui hîc *Varro* malunt. hæc ille. peſſimè editum eſt; *ille vero.*

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM AD FAMILIAREIS, LIBER DECIMUS, AD CN. PLANCUM, ET ALIOS.

1 ET abfui proficiſcens in Græciam: & poſteaquam de meo curſu reip. ſum voce revocatus, numquam per M. Antonium quietus fui: cujus tanta eſt, non inſolentia (nam id quidem vulgare vitium eſt) ſed immanitas, non modò ut vocem, ſed ne vultum quidem liberum poſſit ferre cujuſquam. Itaque mihi maximæ curæ eſt, non de mea quidem vita, cui ſatisfeci, vel ætate, vel factis, vel (ſi quid etiam hoc ad rem pertinet) gloria: ſed me patria ſollicitat, in primiſque, mi Plance, exſpectatio conſulatus tui: quæ ita longa eſt, ut optandum ſit, [1] ut poſſimus ad id reip. ſpiritum ducere. Quæ poteſt enim ſpes eſſe in ea rep. in qua hominis impotentiſſimi, atque intemperatiſſimi armis oppreſſa ſunt omnia? & in qua nec ſenatus, nec populus vim habet ullam? nec leges ullæ ſunt, nec judicia, nec omnino ſimulacrum aliquod, ac veſtigium civitatis? Sed quum acta omnia mitti ad te arbitrabar: nihil erat, quòd ſingulis de rebus ſcriberem. Illud autem erat amoris mei, quem à tua pueritia ſuſceptum non ſervavi ſolùm, ſed etiam auxi: monere te, atque hortari, ut in remp. omni cogitatione curaque incumberes. Quæ ſi ad tuum tempus perducitur: facilis gubernatio eſt. ut perducatur autem, magnæ cùm diligentiæ eſt, tum etiam fortunæ. Sed & te aliquantò antè (ut ſpero) habebimus, &, præterquàm quòd reip. conſulere debemus, tamen tuæ dignitati ita favemus, ut omne noſtrum conſilium, ſtudium, officium, operam, laborem, diligentiam, ad amplitudinem tuam conferamus. Ita facillimè & reip. quæ mihi cariſſima eſt, & amicitiæ noſtræ, quam ſanctiſſimè nobis colendam puto, me intelligo ſatisfacturum. Furnium noſtrum tanti à te fieri, quantũ ipſius humanitas, & dignitas poſtulat, nec miror, & gaudeo: teque hoc exiſtimare volo, quidquid in eum judicii, officiique contuleris, id ita me accipere, ut in meipſum te putem contuliſſe.

CI-

1. *UT poſſimus ad id, Reip. ſpiritum ducere.*] Vulgo: *ad id tempus.* ſed τὸ *tempus* ut gloſſam ejeci, ſollicitatus auctoritate optimi codicis Palatini ſexti, quicum facit unus ex Gulielmianis. nemo mihi puto inde iraſcetur. Paullò poſt quoque ſcripſi: *ſed quum acta omnia mitti ad te arbitrabar:* quandoquidem eſſet in Pal. ſexto *quia*, in codicibus aliis *quoniam* ſolemni mutatione. Illud miror, Victorium edidiſſe: *ſed quum quoniam acta omnia omitti.* vulgò *quando.*

1. Te

2 CICERO PLANCO S.

MEUM ſtudium honori tuo pro neceſſitudine noſtra non defuiſſet, ſi aut tutò in ſenatum, aut honeſtè venire potuiſſem. Sed nec ſine periculo quiſquam liberè de rep. ſentiens verſari poteſt in ſumma impunitate gladiorum: nec noſtræ dignitatis videtur eſſe, ibi ſententiam de rep. dicere, ubi me & meliùs, & propiùs audiant armati, quàm ſenatores. Quapropter in privatis rebus nullum neque officium, neque ſtudium meum deſiderabis. ne in publicis quidem, ſi quid erit, in quo me intereſſe neceſſe ſit, umquam deero, ne cum periculo quidem meo, dignitati tuæ. In iis autem rebus, quæ nihilominus, ut ego abſim, confici poſſunt: peto à te, ut me rationem habere velis & ſalutis, & dignitatis meæ.

3 CICERO PLANCO S. D.

CUM ipſum Furnium per ſe vidi libentiſſimè, tum hoc libentiùs, quod illum audiens, te videbar audire. Nam & in re militari virtutem, & in adminiſtranda provincia juſtitiam, & in omni genere prudentiam mihi tuam expoſuit, & præterea mihi non ignotam in conſuetudine, & familiaritate ſuavitatem tuam adjunxit: præterea ſummam erga ſe liberalitatem. Quæ omnia mihi jucunda, hoc extremum etiam gratum fuit. Ego, Plance, neceſſitudinem conſtitutam habui cum domo veſtra, antè aliquantò, quàm tu natus es: amorem autem erga te ab ineunte pueritia tua: confirmata jam ætate, familiaritatem cùm ſtudio meo, tum judicio tuo conſtitutam. His de cauſis mirabiliter faveo dignitati tuæ: quam mihi tecum ſtatuo eſſe communem. Omnia ſumma conſecutus es, VIRTUTE DUCE, COMITE FORTUNA: eaque es adeptus adoleſcens, multis invidentibus, quos ingenio, induſtriaque fregiſti. Nunc me amantiſſimum tui, nemini concedentem, qui tibi vetuſtate neceſſitudinis potior poſſit eſſe, ſi audies, omnem tibi reliquæ vitæ dignitatem ex optimo reip. ſtatu acquires. Scis profectò, (nihil enim te fugere potuit) fuiſſe quoddam tempus, cùm homines exiſtimarent, te nimis ſervire temporibus: quod ego quoque exiſtimarem [1] te, ſi ea, quæ patiebare, probare etiam arbitrarer. Sed cùm intelligerem, quid ſentires, te arbitrabar videre quid poſſes. Nunc alia ratio eſt. omnium rerum tuum judicium eſt, idque liberum. Conſul es deſignatus, optima ætate, ſumma eloquentia, maxima orbitate reip. virorum talium. Incumbe, per deos immortaleis, in eam curam, & cogitationem, quæ tibi ſummam dignitatem, & gloriam afferat. Unus autem eſt, hoc præſertim tempore, per tot annos reſp. devexata, reip. bene gerendæ curſus ad gloriam. Hæc amore magis impulſus ſcribenda ad te putavi, quàm quò arbitrarer te monitis, & præceptis egere. Sciebam enim, ex iiſdem te hæc haurire fontibus, ex quibus ipſe hauſeram. Quare modum faciam. Nunc tantum ſignificandum putavi: ut potiùs amorem tibi oſtenderem meum, quàm oſtentarem prudentiam. Intereà, quæ ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, ſtudioſè, diligenterque curabo.

4 PLANCUS CICERONI.

GRATISSIMÆ mihi tuæ litteræ fuerunt, quas ex Furnii ſermone te ſcripſiſſe animadverto. Ego autem præteriti temporis excuſationem affero, quòd te profectum audieram: nec multò antè rediſſe ſcivi, quàm ex epiſtola tua cognovi. Nullum enim in te officium, ne minimum quidem, ſine maxima culpa videor poſſe præterire. in quo tuendo habeo cauſas plurimas, vel paternæ neceſſitudinis, vel meæ à pueritia obſervantiæ, vel tui erga me mutui amoris. Quare, mi Cicero, quod mea, tuaque patitur ætas, perſuade tibi, te unum eſſe, in quo ego colendo patriam mihi conſtituerim ſanctitatem. Omnia igitur tua conſilia mihi non magis prudentiæ plena, quæ ſumma eſt, videntur, quàm fidelitatis, quam ego ex mea conſcientia metior. Quare ſi aut aliter ſentirem, certè admonitio tua me reprimere: aut, ſi dubitarem, hortatio impellere poſſet, ut id ſequerer, quod tu optimum putares. Nunc verò quid eſt, quod me in aliam partem trahere poſſit? Quæcumque in me bona ſunt, aut fortunæ beneficio tributa, aut meo labore parta, etſi à te propter amorem cariùs ſunt æſtimata: tamen vel inimiciſſimi judicio tanta ſunt, ut præter bonam famam, nihil deſiderare videantur. Quare hoc unum tibi perſuade: quantum viribus eniti, conſilio providere, auctoritate movere potuero, hoc omne reip. ſemper futurum. Non eſt ignotus mihi ſenſus tuus: neque, ſi facultas, optabilis mihi quidem, tui præſentis eſſet, umquam à tuis conſiliis diſcreparem: nec nunc committam, ut ullum meum factum reprehendere jure poſſis. Sum in exſpectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in urbe menſe Januario geratur, ut ſciam. Interim maximam hîc ſollicitudinem, curamque ſuſtineo, ne inter aliena vitia hæ gentes noſtra mala ſuam putent occaſionem. Quod ſi proinde, ut ipſe mereor, mihi ſucceſſerit: certè & tibi, cui maximè cupio, & omnibus viris bonis ſatisfaciam. Fac valeas, meque mutuò diligas.

CICERO PLANCO S. 5

BINAS à te accepi litteras eodem exemplo: quod ipſum argumento mihi fuit diligentiæ tuæ. Intellexi enim te laborare, [2] ut ad me mihi exſpectatiſſimæ litteræ perferrentur. Ex quibus cepi fructum duplicem, mihique in comparatione difficilem ad judicandum, amoremne erga me tuum, an animum in remp. pluris æſtimandum putarem. EST OMNINO patriæ caritas, meo quidem judicio, maxima: ſed amor, voluntatiſque conjunctio plus certè habet ſuavitatis. Itaque commemoratio tua paternæ neceſſitudinis, benivolentiæque ejus, quam erga me à pueritia contuliſſes, ceterarumque rerum, quæ ad eam ſententiam pertinebant, [3] incredibilem mihi lætitiam attulerunt. Rurſus declaratio animi tui, quem haberes de rep. quemque habiturus eſſes, mihi erat jucundiſſima. eoque major erat hæc lætitia, quòd ad illa ſuperiora accedebat. Itaque te non hortor ſolùm, mi Plancè, ſed planè etiam oro, quod feci his litteris, quibus tu humaniſſimè reſpondiſti, ut tota mente, omnique animi impetu in remp. incumbas. Nihil eſt, quod tibi majori fructui, gloriæque eſſe poſſit: NEC QUIDQUAM EX OMNIBUS REBUS HUMANIS EST PRÆCLARIUS, AUT PRÆSTANTIUS, QUAM DE REP. BENE MERERI. Adhuc enim patitur tua ſumma humanitas, & ſapientia, me, quod ſentiam, liberè dicere. Fortuna ſuffragante videris res maximas conſecutus: quod quamquam ſine virtute non potuiſſes: tamen ex maxima parte, ea, quæ es adeptus, fortunæ, temporibuſque tribuuntur. His temporibus difficillimis reip. quidquid ſubveneris, id erit totum, & proprium tuum. Incredibile eſt omnium civium, latronibus exceptis, odium in Antonium. Magna ſpes in te, & in tuo exercitu magna exſpectatio. Cujus, per deos, gratiæ, gloriæque cave tempus amittas. Sic moneo, ut

1. *Te ſi ea, quæ patiebare, probare etiam arbitrarer.*] Rectè ſic Pal. Hittorpianus, editio priſca ac Victorii. Intricatius editiones, *ſi te ea, quæ patiebare, probaſſe etiam arbitrarer.* Mox ſcripſi: *per tot annos rep. devexata:* quæ ſcriptura eſt in Pal. ſexto, editione Vict. Palat. vero primus, editio vetuſta; ſextus ad exteriorem oram, duo Gulielmiani *dejecta.* Editiones *divexata.* Iterum poſt, ex duobus Palatinis, Hittorpiano, editione Victorii atque antiqua excudendum juſſi; *quàm quo te arbitrarer monitis & præceptis meis egere*

2. *Ut ad me mihi exſpectatiſſimæ litteræ perferrentur*] Ita Palatinus primus, Hittorpianus, editio primaria ac Victorii: quibus tamen omnibus præpono ſcripturam Palatini ſexti; *ut ad me exſpectatiſſimæ litteræ ferrentur.* vulgo: *ad me tuæ exſpectatiſſimæ.*

4. *Incredibilem mihi lætitiam attulerunt.*] Ita Palat. primus, Stewech. Hittorpianus, editio prima, Victorii. Palatinus ſextus, *protulerunt*, quod non negligendum eſſe judico. Lamb. ſuo more, forte ex obſequentiſſimis libris ſuis, qui nullibi ſunt, legit *attulerat.* vulgo *attulit.* Lineis aliquot interjacentibus, Palatinus primus, Stewech. atque impreſſio prima ſcribunt: *quod tibi majoris fructûs gloriæque eſſe poſſit.* In fine Epiſtolæ, Palatinus primus, tres Gulielmio conſulti mſſ. *ſic hortor, ut & proprium & amiciſſimum.* quemadmodum quoque eſt in editionum primaria: ad cujus oram hanc lectionem adpinxit Egnatius: *Sic hortor & pro patria propinquum & amiciſſimum.*

ut filium: ſic faveo, ut mihi: ſic hortor, ut & pro patria, & amiciſſimum.

CICERO PLANCO.

6 QUÆ locutus eſt Furnius noſter de animo tuo in remp. ea gratiſſima fuerunt ſenatui, populoque Rom. probatiſſima. quæ autem recitatæ litteræ ſunt in ſenatu, nequaquam conſentire cum Furnii oratione viſæ ſunt. Pacis enim auctor eras, cùm collega tuus, vir clariſſimus, à fœdiſſimis latronibus obſideretur: qui aut poſitis armis pacem petere debent: aut, ſi pugnantes eam poſtulant, victoria pax, non pactione parienda eſt. Sed de pace litteræ vel Lepidi, vel tuæ, quam in partem acceptæ ſint, ex viro optimo, fratre tuo, & ex C. Furnio poteris cognoſcere. Me autem impulit tui caritas, ut, quamquam nec tibi ipſi conſilium deeſſet, & fratris, Furniique benivolentia, fideliſſque prudentia tibi præſtò eſſet futura, vellem tamen meæ quoque auctoritatis, pro plurimis noſtris neceſſitudinibus, præceptum ad te aliquod pervenire. Crede igitur mihi, Plance, omneis, quos adhuc gradus dignitatis conſecutus ſis, (es autem adeptus ampliſſimos) eos honorum vocabula habituros, non dignitatis inſignia, niſi te cum libertate populi Rom. & cum ſenatus auctoritate conjunxeris. Sejunge te, quæſo, aliquando ab iis, cum quibus te non tuum judicium, ſed temporum vincla conjunxerunt. Complures in perturbatione reipub. conſules dicti: quorum nemo conſularis habitus, niſi qui animo exſtitit in remp. conſularis. Talem igitur te eſſe oportet, qui primum te ab impiorum civium, tui diſſimillimorum, ſocietate ſejungas: deinde & ſenatui: boniſque omnibus auctorem, principem, ducem præbeas: poſtremò, ut pacem eſſe judices non in armis poſitis, ſed in abjecto armorum, & ſervitutis metu. Hæc ſi & ages, & ſenties, tum eris non modò conſul, & conſularis, ſed magnus etiam & conſul, & conſularis. ſin aliter: tua in iſtis ampliſſimis nominibus honorum, non modò dignitas nulla erit, ſed erit ſumma deformitas. Hæc, impulſus benivolentia, ſcripſi paullo ſeveriùs: quæ tu in experiendo in ea ratione, quæ te digna eſt, vera eſſe cognoſces. D. XIII. Kal. Aprilis.

PLANCUS CICERONI.

7 PLURA tibi de meis conſiliis ſcriberem, rationemque omnium redderem verboſiùs, quò magis judicares, omnia me reip. præſtitiſſe, quæ & tua exhortatione excepi, & mea affirmatione tibi recepi, (non minùs enim à te probari, quàm diligi ſemper volui: nec te magis in culpa defenſorem mihi paravi, quàm prædicatorem meritorum meorum eſſe volui) ſed breviorem me duæ res faciunt: una, quòd publicis litteris omnia ſum perſecutus: altera, quòd M. Variſidium, equitem Roman. familiarem meum, ipſum ad te tranſire juſſi, ex quo omnia cognoſcere poſſes. Non, medius fidius, mediocri dolore afficiebar, cùm alii occupare poſſeſſionem laudis viderentur: ſed uſque mihi temperavi, dum perducerem eo rem, ut dignum aliquid & conſulatu meo, & veſtra exſpectatione efficerem. Quod ſpero, ſi me fortuna non fefellerit, me conſecuturum: ut maximo præſidio reipub. nos fuiſſe, & nunc ſentiant homines, & in poſterum memoria teneant. A te peto, ut dignitati meæ ſuffrageris: &, quarum rerum ſpe ad laudem me vocaſti, harum fructu in reliquum facias alacriorem. Non minùs poſſe te, quàm velle, exploratum mihi eſt. Fac valeas, meque mutuò diligas.

8 PLANCUS IMP. CONS. DES. S. D. COSS. PR. TRIB. PLEB. SEN. POP. PL. Q. R.

SI cui fortè videor diutius & hominum exſpectationem, & ſpem reipub. de mea voluntate tenuiſſe ſuſpenſam: huic priùs excuſandum me eſſe arbitror, quàm de inſequenti officio quidquam ulli pollicendum. Non enim præteritam culpam videri volo redemiſſe: ſed optimæ mentis cogitata jampridem, maturo tempore enuntiare. Non me præteribat, in tanta ſollicitudine hominum, & tam perturbato ſtatu civitatis, fructuoſiſſimam eſſe profeſſionem bonæ voluntatis: magnoſque honores ex ea re complureis conſecutus videbam. Sed, cùm in eum caſum me fortuna demiſiſſet, ut aut celeriter pollicendo, magna in ſpe ad proficiendum impedimenta opponerem: aut, ſi in eo mihi temperaviſſem, majores occaſiones ad opitulandum haberem: expeditius iter communis ſalutis, quam meæ laudis, eſſe volui. Nam quis in ea fortuna, quæ mea eſt, & ab ea vita, quam in me cognitam hominibus arbitror, & cum ea ſpe, quam in manibus habeo, aut ſordidum quidquam pati, aut pernicioſum concupiſcere poteſt? [1] Sed aliquantum nobis temporis, & magni laboris, & multæ impenſæ opus fuerunt, ut quæ reip. boniſque omnibus polliceremur, exitu præſtaremus: neque ad auxilium patriæ nudi cum bona voluntate, ſed cum facultatibus accederemus. Confirmandus erat exercitus nobis, magnis ſæpe præmiis ſollicitatus, ut ab repub. potiùs moderata, quàm ab uno infinita ſperaret. Confirmandæ complures civitates, quæ ſuperiore anno largitionibus, conceſſionibuſque præmiorum erant obligatæ: ut & illa vana putarent, & eadem à melioribus auctoribus petenda exiſtimarent. Eliciendæ etiam voluntates reliquorum, qui finitimis provinciis, exercitibuſque præfuerunt: ut potiùs cum pluribus ſocietatem defendendæ libertatis iniremus, quàm cum paucioribus [2] funeſtam orbi terrarum victoriam partiremur. Muniendi verò noſmetipſi fuimus, aucto exercitu, auxiliiſque multiplicatis: ut, cùm præferremus ſenſus apertè, tum etiam, invitis quibuſdam, ſciri, quid defenſuri eſſemus, non eſſet periculoſum. Ita numquam diffitebor, multa me, ut ad effectum horum conſiliorum pervenirem, & ſimulaſſe invitum, & diſſimulaſſe cum dolore: quòd præmatura denuntiatio boni civis imparati, quàm periculoſa eſſet, ex caſu collegæ videbam. Quo nomine etiam C. Furnio legato, viro forti atque ſtrenuo, plura etiam verbo, quam ſcriptura, mandata dedimus: ut & tectiùs ad vos perferrentur, & nos eſſemus tutiores: quibuſque rebus & communem ſalutem muniri, & nos armari conveniret, præcepimus. Ex quo intelligi poteſt, curam reip. ſummè defendundæ jampridem apud nos excubare. Nunc, cùm deûm benignitate ab omni re ſumus paratiores, non ſolùm bene ſperare de nobis homines, ſed exploratè judicare volumus. Legiones habeo v. ſub ſignis, & ſua fide, virtuteque reipub. conjunctiſſimas, & noſtra liberalitate nobis obſequenteis. Provinciam, omnium civitatum conſenſu, paratiſſimam & ſumma contentione ad officia certantem: equitatus, auxiliorumque tantas copias, quantas hæ gentes ad defendendam ſuam ſalutem, libertatemque conficere poſſunt. Ipſe ita ſum animo paratus, vel provinciam tueri, vel ire quò reſpub. vocet, vel tradere exercitum, auxilia, provinciamque: ut vel omnem impetum belli in me convertere non recuſem, ſi modò meo caſu aut confirmare patriæ ſalutem, aut periculum poſſim morari. Hæc ſi jam expeditis omnibus rebus, tranquilloque ſtatu civitatis polliceor: in damno meæ laudis, reip. commodo lætabor. ſin ad ſocietatem integerrimorum & maximorum periculorum accedam: conſilia mea æquis judicibus ab obtrectatione invidorum defendenda commendo. Mihi quidem ipſi fructus meritorum meorum in reip. incolumitate ſatis magnus eſt paratus. Eos verò, qui meam auctoritatem, & multò magis veſtram fidem ſecuti, nec ulla ſpe decipi, nec ullo

1. *Sed aliquantum nobis temporis & magni laboris, & multæ impenſæ opus fuerunt.*] Vulgo correxerunt, *opus fuit*: puto quia eos non obvia ſtatim offendunt & ad temere mutandum præcipites agunt. Ita habet Palat. primus, ſextus, Vaticanus, tres Gulielmiani: & Hittorpianus. Lambinus quoque hîc tacere potuiſſet: Immane quantum homo temerarius eſt! poſt ſtatim ex Pall. quatuor Gul. editione principe, ſcripſi, *Eliciendæ*, non, ut vulgatur, *alliciendæ*.

2. *Funeſtam orbi terrarum victoriam partiremur.*] Ita Palatinus ſextus, Hittorpianus, Victorii editio. Palatinus verò primus, Stewechianus, editio princeps, *pateremur*, unde Gulielmius, fortè, *potiremur*: ſed nihil opus ad hanc noſtram. vulgò, *pararemus* ex gloſſa: alii *pareremus*, quod probat Lambinus, habeat ſibi.

1. *Præ-*

nullo metu terreri potuerunt, ut commendatos vobis habeatis, petendum videtur.

9 PLANCUS CICERONI, S.

NIHIL me tibi temerè, aut te ceteris de me fruſtrà recepiſſe lætor. Certè hoc majus habes teſtimonium amoris mei, quo maturiùs tibi, quàm ceteris, conſilia mea volui eſſe nota. In dies verò meritorum meorum fieri acceſſiones,[1] prævidere te ſpero: cogniturum magis recipio. Quod ad me attinet, mi Cicero (ita ab imminentibus malis reſpub. me adjuvante liberetur) ſic honores, præmiaque veſtra ſuſpicio, conferenda certè cum immortalitate, ut ſine his nihil de meo ſtudio, perſeverantiaque ſim remiſſurus. Niſi in multitudine optimorum civium impetus animi mei fuerit ſingularis, & opera præcipua: nihil ad meam dignitatem accedere volo ſuffragatione veſtra. Concupiſco autem nihil mihi: contra quod ipſe pugno, & temporis, & rei te moderatorem, facilè patior eſſe. Nihil aut ſerò, aut exiguè à patria civi tributum poteſt videri. Exercitum ad ſextum Kal. Majas Rhodanum trajeci, magnis itineribus. Vienna equites mille via breviore præmiſi. Ipſe, ſi ab Lepido non impediar, celeritate ſatisfaciam.[2] ſi autem itineri meo ſe oppoſuerit, ad tempus conſilium capiam. Copias adduco & numero, & genere, & fidelitate firmiſſimas. Te, ut diligas me, ſi mutuò te facturum ſcis, rogo. Vale.

10 CICERO PLANCO.

ETSI ſatis ex Furnio noſtro cognoram, quæ tua voluntas, quod conſilium de repub. eſſet: tamen, tuis litteris lectis, liquidiùs de toto ſenſu tuo judicavi. Quamobrem, quamquam in uno prælio omnis fortuna reipub. diſceptat: quod quidem, cùm hæc legeres, jam decretum arbitrabar fore: tamen ipſa fama, quæ de tua voluntate percrebruit, magnam es laudem conſecutus. Itaque ſi conſulem Romæ habuiſſemus, declaratum eſſet ab ſenatu cum tuis magnis honoribus, quàm gratus eſſet conatus, & apparatus tuus. Cujus rei non modò non præteriit tempus: ſed ne maturum quidem etiamnunc, meo quidem judicio, fuit. IS ENIM DENIQUE HONOS MIHI VIDERI SOLET, qui non propter ſpem futuri beneficii, ſed propter magna merita claris viris defertur, & datur. Quare, ſit modò aliqua reſpub. in qua honos elucere poſſit. omnibus, mihi crede, ampliſſimis honoribus abundabis. IS AUTEM QUI VERE APPELLARI POTEST HONOS, non invitamentum ad tempus, ſed perpetuæ virtutis eſt præmium. Quamobrem, mi Plance, incumbe toto pectore ad laudem: ſubveni patriæ: opitulare collegæ: omnium gentium conſenſum, & incredibilem conſpirationem adjuva. Me tuorum conſiliorum adjutorem, dignitatis fautorem, omnibus in rebus tibi amiciſſimum, fideliſſimumque, cognoſces. Ad eas enim cauſas, quibus inter nos amore ſumus, officiis, vetuſtate conjuncti, patriæ caritas acceſſit: eaque efficit, ut tuam vitam anteferrem meæ. III. Kalendas Aprilis.

11 PLANCUS CICERONI.

IMMORTALEIS ago tibi gratias, agamque dum vivam. nam relaturum me, affirmare non poſſum. Tantis enim tuis officiis non videor mi reſpondere poſſe: niſi fortè (ut tu graviſſimè, diſertiſſimeque ſcripſiſti) ita ſenſurus es, ut me referre gratiam putes, cùm memoria tenebo. Si de filii tui dignitate eſſet actum, amabilius certè nihil facere potuiſſes. Primæ tuæ ſententiæ infinitis cum muneribus: poſteriores, ad tempus, arbitriumque amicorum meorum compoſitæ: oratio aſſidua, & perpetua de me jurgia cum obtrectatoribus propter me, notiſſima mihi ſunt. non mediocris adhibenda mihi eſt cura, ut reipub. me civem dignum tuis laudibus præſtem: in amicitia tua memorem, atque gratum. Quod reliquum eſt, tuum munus tuere: & me, ſi, quem eſſe voluiſti, eum exitu, rebuſque cognoſcis, defende, ac ſuſcipe. Cùm Rhodanum copias trajeciſſem, fratremque cum tribus millibus equitum præmiſiſſem, ipſe iter ad Mutinam dirigerem: in itinere, de prœlio facto, Brutoque, & Mutina obſidione liberatis, audivi. Animadverti, nullum alium receptum Antonium, reliquiaſque, quæ cum eo eſſent, habere, niſi in his partibus: duaſque ei ſpes eſſe propoſitas: unam Lepidi, ipſius alteram exercitus. Quòd quædam pars exercitus non minùs furioſa eſt, quàm qui cum Antonio fuerunt, equitatum revocavi. Ipſe in Allobrogibus conſtiti, ut proinde ad omnia paratus eſſem, ac res moneret. Si nudus huc ſe Antonius conferet: facilè mi videor per me ſuſtinere poſſe, remque publicam ex veſtra ſententia adminiſtrare, quamvis ab exercitu Lepidi recipiatur. ſi verò copiarum aliquid ſecum adducet: &, ſi decima legio veterana, quæ noſtra opera revocata cum reliquis eſt, ad eundem furorem redierit: tamen, ne quid detrimenti fiat, dabitur opera à me: idque me præſtaturum ſpero, dum iſtinc copiæ trajiciantur, conjunctæque nobiſcum faciliùs perditos opprimant. Hoc tibi ſpondeo, mi Cicero, neque animum, nec diligentiam mihi defuturam. Cupio mehercules nullam reſiduam ſollicitudinem eſſe. Sed ſi fuerit, nec animo, nec benivolentiæ, nec patientiæ cujuſquam, pro vobis cedam. Do quidem ego operam, ut etiam Lepidum ad hujus rei ſocietatem incitem: omniaque ei obſequia polliceor, ſi modò remp. reſpicere volet. Utor in hac re adjutoribus, interpretibuſque, fratre meo, & Laterenſe, & Furnio noſtro. Non me impedient privatæ offenſiones, quo minùs pro reip. ſalute, etiam cum inimiciſſimo conſentiam. Quod ſi nihil profecero, nihilominùs maximo ſum animo: & majore fortaſſe cum mea gloria vobis ſatisfaciam. Fac valeas, meque mutuò diligas.

CICERO PLANCO. 12

ETSI reipub. cauſa maximè gaudere debeo, tantum ei te præſidii, tantum opis attuliſſe extremis pænè temporibus: tamen ita te victorem complectar, rep. recuperata, ut magnam partem mihi lætitiæ tua dignitas afferat, quam & eſſe jam, & futuram ampliſſimam intelligo. Cave enim putes ullas umquam litteras graviores, quàm tuas, in ſenatu eſſe recitatas. Idque contigit cùm meritorum tuorum in rempub. eximia quadam magnitudine, tum verborum, ſententiarumque gravitate. Quod mihi quidem minimè novum, qui & te noſſem, & tuarum[3] litterarum ad me miſſarum promiſſa meminiſſem, & haberem à Furnio noſtro tua penitus conſilia cognita. ſed ſenatui majora viſa ſunt, quàm erant exſpectata: non quò umquam de tua voluntate dubitaſſet: ſed nec, quantum facere poſſes, nec quoad progredi velles, exploratum ſatis habebat. Itaque cùm ad VII. idus Aprileis, manè mihi tuas litteras M. Variſidius reddidiſſet, eaſque legiſſem: incredibili gaudio ſum elatus: cumque magna multitudo, optimorum virorum, & civium me domo deduceret, feci continuo omneis participes meæ voluptatis. Interim ad me venit Munatius noſter,

1. *Prævidere te ſpero*] Non video, quid hîc agat vulgatum *pervidere*: noſtram & res & quatuor mſſ. Palatinus, primus, ſextus, Hittorpianus, Stewechianus priſca editio. Initio epiſtolæ delevi verbum *ſcripſiſſe* infitiantibus illud Palatinis, Stewechiano, Hittorpiano, Vaticano, & Victoriana editione.

2. *Si autem itineri meo ſe oppoſuerit.*] Elegantiſſima lectio uſurpata Victorio, & ex Vaticano codice eruta. Vulgò: *ſin autem in itinere meo ſe oppoſuerit.* in fine epiſtolæ edidi; *Si mutuo te facturum ſcis* ex Palatinis, Vaticani excerptis, editione principe ac Victoriana. Alias viſitur: *ſi mutuò me facturum id ſcis.*

3. *Litterarum ad me miſſarum promiſſa meminiſſem.*] Tuentur hanc contra Rhodiginum & Victorius, & duo Palatini, optimi codices. Et mihi nullo modo videtur aliquid mutandum. Primogenita tamen editio, *præmiſſa.* & Stewechianus codex: *præmiſſa meminerim:* quæ addidimus, non ut Rhodiginum, quem omnus mirificum emendationum & explicationum cocum omnia jura confundentem, adjungemus: ſed ut diverſitatem hanc a libris eſſe conſtaret, quam is ipſe non invenerat poſt Politianum doctiſſimus Hetruriæ lux. Paullò poſt duo Palatini, prima editio, Peckio excerpta, Stewech. *ſenatui majora viſa ſunt, quàm erant ſpectata.* ut Epiſtola 14. Pall. duo Gulielmii: *equidem ſpectabam jam tuas litteras.*

1. *Ut*

noſter, [1] ut conſuerat: at ego ei litteras tuas: nihildum enim ſciebat. nam ad me primùm Varíſidius: idque ſibi à te mandatum eſſe dicebat. Paullo pòſt idem mihi Munatius eas litteras legendas dedit, quas ipſi miſeras, quas & eas publicè. Placuit,ut ſtatim ad Cornutum prætorem urbis litteras deferremus: qui, quòd conſules aberant, conſulare munus ſuſtinebat more majorum. Senatus eſt continuò convocatus, frequenſque convenit propter famam, atque exſpectationem tuarum litterarum. Recitatis litteris, oblata religio Cornuto eſt, pullariorum admonitu, non ſatis diligenter eum auſpiciis operam dediſſe. Idque à noſtro collegio comprobatum eſt. Itaque res dilata eſt in poſterum. Eo autem die magna mihi pro tua dignitate contentio cum Servilio: qui cùm gratia effeciſſet, ut ſua ſententia prima pronuntiaretur, frequens eum ſenatus reliquit, & in alia omnia diſceſſit: meæque ſententiæ, quæ ſecunda pronuntiata erat, cùm frequenter aſſentiretur ſenatus, rogatu Servilii P. Titius interceſſit. Res in poſterum dilata. Venit paratus Servilius, Jovi ipſi iniquus: cujus in templo res agebatur. Hunc quemadmodum fregerim, quantaque contentione Titium interceſſorem abjecerim: ex aliorum te litteris malo cognoſcere. Unum hoc ex meis: ſenatus gravior, conſtantior, amicior tuis laudibus eſſe non potuit, quam tum fuit. Nec verò tibi ſenatus amicior, quàm cuncta civitas. Mirabiliter enim populus R. univerſus, & omnium generum, ordinumque conſenſus ad liberandam remp. conſpiravit. Perge igitur, ut agis, nomenque tuum commenda immortalitati: atque hæc omnia, QUÆ HABENT ſpeciem gloriæ, collecta inimiciſſimis ſplendoris inſignibus contemne, [2] brevia, fucata, caduca exiſtima. VERUM DECUS in virtute poſitum eſt, quæ maxime illuſtratur magnis in remp. meritis. Eam facultatem habes maximam, quam quum complexus es, & tenes, perfice, ut ne minùs reſp. tibi, quam tu reip. debeas. Me tuæ dignitatis non modò fautorem, ſed etiam amplificatorem cognoſces. Id cum reip. quæ mihi vita eſt mea carior, tum noſtræ neceſſitudini debere me judico. Atque in his curis, quas contuli ad dignitatem tuam, cepi magnam voluptatem, quod bene cognitam mihi T. Munatii prudentiam, & fidem, magis etiam perſpexi in ejus incredibili erga te benivolentia, & diligentia. III. idus Aprileis.

13 CICERO PLANCO.

UT primùm poteſtas data eſt augendæ dignitatis tuæ, nihil prætermiſi in te ornando, quod poſitum eſt aut in præmio virtutis, aut in honore verborum. Id ex ipſo ſenatuſconſulto poteris cognoſcere. ita enim eſt perſcriptum, ut à me de ſcripto dicta ſententia eſt: quàm ſenatus frequens ſequutus eſt ſummo ſtudio, magnoque conſenſu. Ego quamquam ex tuis litteris, quas mihi miſiſti, perſpexeram te magis judicio bonorum, quàm inſignibus gloriæ delectari: tamen conſiderandum exiſtimavi, etiam ſi tu nihil poſtulares, quantum tibi à repub. deberetur. Tu contexes extrema cum primis. Qui enim M. Antonium oppreſſerit, is bellum confecerit. Itaque Homerus non Ajacem, nec Achillem, ſed Ulyſſem appellavit πτολιπόρθον.

14 CICERO PLANCO, S.

O GRATAM famam biduo ante victoriam, de ſubſidio tuo, de ſtudio, de celeritate, de copiis. Atque etiam hoſtibus fuſis, ſpes omnis in te eſt. Fugiſſe enim ex prœlio Mutinenſi dicuntur notiſſimi latronum duces. EST AUTEM non minùs gratum extrema delere, quàm prima depellere. Equidem ſpectabam jam tuas litteras, idque cum multis. Sperabamque etiam, Lepidum reipub. temporibus admonitum, tecum, & reipub. ſatis eſſe facturum. In illam igitur curam incumbe, mi Plance, ut ne quæ ſcintilla teterrimi belli relinquatur. quod ſi erit factum: & remp. divino beneficio affeceris, & ipſe æternam gloriam conſequere. D. III. Non. Mai.

PLANCUS CICERONI. 15

HIS litteris ſcriptis, quæ poſtea accidiſſent, ſcire te, ad rempub. putavi pertinere. Sedulitas mea, (ut ſpero) & mihi, & reipub. tulit fructum. Namque aſſiduis internuntiis cùm Lepido egi, ut, omiſſa omni contentione, reconciliataque voluntate noſtra, communi conſilio reipub. ſuccurreret: ſe, liberos, urbemque pluris, quàm unum perditum, abjectumque latronem putaret: obſequioque meo, ſi ita faceret, ad omneis res abuteretur. Profeci itaque per Laterenſem internuntium. fidem mihi dedit, ſe Antonium, ſi prohibere provincia ſua non potuiſſet, bello perſecuturum: me, ut venirem, copiaſque conjungerem, rogavit: eoque magis, quòd & Antonius ab equitatu firmus eſſe dicebatur, & Lepidus ne mediocrem quidem equitatum habebat. Nam etiam ex paucitate ejus, non multis antè diebus, decem, qui optimi fuerant, ad me tranſierunt. Quibus rebus ego cognitis, cunctatus non ſum in curſu bonorum conſiliorum: Lepidum adjuvandum putavi. Adventus meus quid profecturus eſſet, vidi: vel quòd equitatu meo perſequi, atque opprimere equitatum ejus poſſem: vel quòd exercitus Lepidi eam partem, quæ corrupta eſt, & ab repub. alienata, & corrigere, & coërcere præſentia mei exercitus poſſem. Itaque in Iſara, flumine maximo, quod in finibus eſt Allobrogum, ponte, uno die facto, exercitum ad quartum idus Maji traduxi. Cùm verò mihi nuntiatum eſſet, L. Antonium præmiſſum cum equitibus, & cohortibus ad Forum Julii veniſſe: fratrem cum equitum quattuor millibus, ut occurreret ei, miſi ad V. idus Maji. Ipſe maximis itineribus cum quattuor legionibus expeditis, & reliquo equitatu ſubſequar. Si nos mediocris modo fortuna reipub. adjuverit: & audaciæ perditorum, & noſtræ ſollicitudinis hìc finem reperiemus. Quod ſi latro, præcognito noſtro adventu, rurſus in Italiam ſe recipere cœperit, Bruti erit officium, occurrere ei: cui ſcio nec conſilium, nec animum defuturum. Ego tamen, ſi id acciderit, fratrem cum equitatu mittam, qui ſequatur, Italiam à vaſtatione defendat. Fac valeas, meque mutuò diligas.

CICERO PLANCO. 16

NIHIL poſt hominum memoriam glorioſius, nihil gratius, ne tempore quidem ipſo oportunius accidere vidi, quàm tuas, Plance, litteras. Redditæ ſunt enim frequenti ſenatu Cornuto, cùm is frigidas ſanè, & inconſtanteis recitaſſet litteras Lepidi. ſub eas ſtatim recitatæ ſunt tuæ, non ſine magnis quidem clamoribus. Cum rebus enim ipſis eſſent & ſtudiis, beneficiiſque in rempub. gratiſſimæ; [3] tum erant graviſſimis verbis, & ſententiis. Flagitare ſenatus inſtitit Cornutum, ut referret ſtatim de tuis litteris. Ille ſe conſiderare velle. Cum ei magnum convicium fieret cuncto à ſenatu: quinque tribuni plebei retulerunt.

1. *Ut conſuerat: at ego ei litteras tuas: nihil dum, &c.*] Ita Pall. Stewech. Hittorpian. priſca editio. Vulgò: *ut conſueverat, & ego ei litteras tuas dedi.* paullo item poſt ex Palatino ſexto & Hittorpiano edidi: *quas ipſi miſeras, quas publicè.* licet publicetur: *& eas quas publice.* Delevi itidem ex eiſdem libris τὸ *nobis.* Iterum mox libentius legerem ex duobus Gulielmianis: *ſenatus continuo convocatus, frequens convenit,* reciſis voculis nihili.

2. *Brevia, fucata, caduca exiſtima.*] Elegantiores mihi gratias agent ob reſtitutum hunc ex Palatino ſexto locum: ſic enim exſertis litteris, ſyllabis, conceptum habet. Hittorpii quoque liber *fucata* agnoſcit. Palatinus verò primus, *fugatoria.* vulgò, *brevia, fugacia & caduca exiſtima.* ſuperius ſtatim edidi ex Pall. duobus, Gulielmianis, editione Victorii, *quæ habent ſpeciem gloriæ collecta inaniſſimis ſplendoris inſignibus.* ut arguam lectionem Lambini aſſerentis, ex binis, ut ait, Memmianis *collectam ex inaniſſimis.* inferius verò mihi placet Palatini & Stewechiani ſcriptura, *quum complexus es, tene, perfice.*

3. *Tum erant graviſſimis verbis & ſententiis. Flagitare.*] Alii *ſententiis plenæ.* Lambinus *perſcriptæ*, pro *plenæ.* ſed illud vocabuli ſubdititium & Ciceronis non eſſe fatetur; rejiciendum tamen aut negligendum non arbitratur. Quid non Tulliana in Tullio? ſtuporem hominis; Abdicant id certe Pall. Stewech. Hittorp. Vatican. atque dudum Victorius. ſicut & illud *aut* vel *dicit* ſtatim poſt.

1. Quo

runt. Servilius rogatus, rem diſtulit. ego eam ſententiam dixi, cui ſunt aſſenſi ad unum. ea quæ fuerit, ex ſenatuſconſulto cognoſces. Tu, quamquam conſilio non eges, vel abundas potiùs, tamen hoc animo eſſe debes, ut nihil huc rejicias: neve in rebus tam ſubitis, tamque anguſtis à ſenatu conſilium petendum putes. Ipſe tibi ſis ſenatus. quocumque te ratio reip. ducet, ſequare. Cures, ut antè factum aliquod à te egregium audiamus, quàm futurum putarimus. Illud tibi promitto, quidquid à te erit factum, id ſenatum non modò ut fideliter, ſed etiam ut ſapienter factum, comprobaturum.

17 PLANCUS CICERONI.

ANTONIUS Id. Mai. ad Forum Julii cum primis copiis venit. Ventidius bidui ſpatio abeſt ab eo. Lepidus ad Forum Voconii caſtra habet: qui locus à Foro Julii quattuor, & viginti millia paſſus abeſt: ibique me exſpectare conſtituit, quemadmodum ipſe mihi ſcripſit. Quòd ſi omnia mihi integra & ipſe, & fortuna ſervarit: recipio vobis, celeriter me negotium ex ſententia confecturum. Fratrem meum, aſſiduis laboribus, concurſationibuſque confectum, graviter ſe habuiſſe, antea tibi ſcripſi: ſed tamen cùm primùm poſſe ingredi cœpit, non magis ſibi, quàm reipub. ſe convaluiſſe exiſtimans, ad omnia pericula princeps eſſe non recuſabat. Sed ego eum non ſolùm hortatus ſum, verum etiam coëgi iſtò proficiſci: quòd & illa valitudine magis conficere ſe, quàm me juvare poſſet in caſtris: & quòd acerbiſſimo interitu conſulum rempub. nudatam, tali cive prætore in urbanis officiis indigere exiſtimabam. Quod ſi qui veſtrûm non probabit, mihi prudentiam in conſilio defuiſſe ſciat, non illi erga patriam fidelitatem. Lepidus tamen, quod ego deſiderabam, fecit, ut Apellam ad me mitteret, [1] quo obſide, fide illius, & ſocietatis in repub. adminiſtranda uterer. Studium mihi ſuum L. Gellius, de tribus fratribus Segaviano probavit: quo ego interprete noviſſimè ad Lepidum ſum uſus. Amicum eum reip. cognoſſe videor: libenterque ei ſum teſtimonio, & omnibus ero, qui benè merentur. Fac valeas, meque mutuò diligas, dignitatemque meam, ſi mereor, tuearis, ſicut adhuc ſingulari cum benivolentia feciſti.

18 PLANCUS CICERONI.

QUID in animo habuerim, cùm Lævus, Nervaque diceſſerunt à me, & ex litteris, quas ei dedi, & ex ipſis cognoſcere potuiſti, qui omnibus rebus, conſiliiſque meis interfuerunt. Accidit mihi, quod homini pudenti, & cupido ſatisfaciendi reipubl. boniſque omnibus accidere ſolet: ut conſilium ſequerer periculoſum magis, dum me probarem, quàm tutum, quod habere poſſet obtrectationem. Itaque poſt diſceſſum legatorum, cùm binis continuis litteris & Lepidus me, ut venirem, rogaret, & Laterenſis multò etiam magis propè implorans obteſtaretur: non ullam rem aliam extimeſcens, quàm eandem, quæ mihi quoque facit timorem, varietatem, atque infidelitatem exercitus ejus: non dubitandum putavi, quin ſuccurrerem, meque communi periculo offerrem. Sciebam enim, & cautius illud erat conſilium, exſpectare me ad Iſaram, dum Brutus trajiceret exercitum: & cum collega conſentiente, ſicut milites faciunt, hoſtibus obviam ire. Tamen ſi quid Lepidus benè ſentiens, detrimenti cepiſſet, hoc omne aſſignatum iri aut pertinaciæ meæ, aut timori videbam, ſi aut hominem offenſum mihi, conjunctum cum repub. non ſublevaſſem: aut ipſe à certamine belli tam neceſſarii me removiſſem. Itaque potiùs periclitari volui, ſi poſſem mea præſentia & Lepidum tueri, & exercitum facere meliorem, quàm nimis cautus videri. Sollicitiorem certè hominem non ſuis contractis, neminem puto fuiſſe. Nam, quæ res nullam habebat dubitationem, ſi exercitus Lepidi abſit: ea nunc magnam affert ſollicitudinem; magnumque habet caſum. Mihi enim ſi contigiſſet, ut prior occurrerem Antonio, non mehercules horam conſtitiſſet: tantum ego & mihi confido, & ſic perculſas illius copias, Ventidiique Mulionis caſtra deſpicio. Sed non poſſum non exhorreſcere, [2] ſi quid intra cutem ſubeſt vulneris, quod prius nocere poteſt, quam ſciri, curarique poſſit. Sed certè niſi uno loco me tenerem, magnum periculum ipſe Lepidus, magnum ea pars exercitus adiret, quæ bene de rep. ſentit. Magnam etiam perditi hoſtes acceſſionem ſibi feciſſent, ſi quas copias à Lepido abſtraxiſſent. Quæ ſi adventus meus repreſſerit, agam gratias fortunæ, conſtantiæque meæ, quæ ad hanc experientiam excitavit. Itaque ad XII. Kal. Jun. ab Iſara caſtra movi: pontem tamen quem in Iſara feceram, caſtellis duobus ad capita poſitis, reliqui: præſidiaque ibi firma poſui, ut venienti Bruto, exercituique ejus ſine mora tranſitus eſſet paratus. Ipſe, ut ſpero, diebus octo, quibus has litteras dabam, cum Lepidi copiis me conjungam.

CICERO PLANCO. 19

QUAMQUAM gratiarum actionem à te non deſiderabam, cùm te re ipſa, atque animo ſcirem eſſe gratiſſimum: tamen (fatendum eſt enim) fuit ea mihi perjucunda. ſic enim vidi, quaſi ea, quæ oculis cernuntur, me à te amari. Dices, quid antea? Semper equidem, ſed numquam illuſtrius. Litteræ tuæ mirabiliter gratæ ſunt ſenatui, cùm rebus ipſis, quæ erant graviſſime, & maximè fortiſſimi animi, ſummique conſilii: tum etiam gravitate ſententiarum, atque verborum. Sed, mi Plance, incumbe, ut belli extrema perficias. in hoc erit ſumma & gratia, & gloria. Cupio omnia reipub. cauſa: ſed, mehercules, in ea conſervanda jam defatigatus, non multò plus patriæ faveo, quàm tuæ gloriæ: cujus maximam facultatem tibi dii mortales, ut ſpero, dedere: quam complectere, obſecro. Qui enim Antonium oppreſſerit, is hoc bellum teterrimum, periculoſiſſimumque confecerit.

CICERO PLANCO. 20

ITA erant omnia, quæ iſtinc afferebantur, incerta, ut, quid ad te ſcriberem, non occurreret. Modò enim quæ vellemus de Lepido, modò contrà nuntiabantur. De te tamen fama conſtans, nec decipi poſſe, nec vinci: quorum, alterius fortuna partem habet quandam: alterum, proprium eſt prudentiæ tuæ. Sed accepi litteras à collega tuo, datas idibus Maiis: in quibus erat, te adſcripſiſſe, à Lepido non recipi Antonium. Quod erit certius, ſi tu ad nos idem ſcripſeris. ſed minùs audes fortaſſe propter inanem lætitiam litterarum ſuperiorum. [3] Verùm, ut errarem, id Plance voluiſti (quis enim id effugerit?) ſic decipi te non potuiſſe, quis non videt? Nunc verò etiam jam erroris cauſa ſublata eſt. Culpa enim illa, BIS AD EUNDEM, vulgari reprehenſa proverbio eſt. Sin, ut ſcripſiſti ad collegam, ita ſe res habet, omni cura liberati ſumus: nec tamen erimus priùs, quàm ita eſſet tu nos feceris certiores. Mea quidem,

ut

1. *Quo obſide fide illius & ſocietatis.*] Ita Palatinus primus. Sextus tantum, *fidei*, ſed cum nota expunctionis elementi *i*. Miror improbitatem Lambini, qui hoc loco Victorii emendationem veriſſimam & eruditiſſimam, quum omnia alia ejuſdem viſcatis ſuis ungulis abſtulerit, ignorarit. O litteræ, ô humanitas, ſic vos ſoletis homines immutare! Quid multis? Ita quoque Vaticani excerpta. vulgus, imperitiæ ſuæ velificans obliquavit: *fide illius & ſocietate*, &c. Mox ſtatim lego ex Victorii editione & Palatino primo: *ſtudium mihi ſuum L. Gellius, de tribus fratribus Segaviano probavit*. cum ſextus habeat: *In ea re ſtudium mihi ſuum L. Gellius d. t. fr. eganiano*. Vaticanus: *ſtudium mihi L. Gellius*. editiones verò; *ſtudium in ea re ſuum mihi L. Gellius de tribus fratribus Segavianis*.

2. *Si quid intra cutem ſubeſt vulneris.*] Delicium quondam ſuæ Galliæ Cl. Puteanus, malebat *ulceris*; jureque præterea carpit Lambinum, paulò ante reponentem, *hominem rationibus ſuis male contractis*, plane contra Planci ſententiam.

3. *Verùm, ut errarem, id Plance voluiſti.*] Defendat vulgatam & amplectatur Lambinus: *verum ut errare, mi Plance, potuiſti*, mihi illa potior eſt, quam reperi in Palatino primo (nam in ſexto aliquot harum epiſtolarum deſunt) & Vaticani excerptis; quam cum ſic in Mediceo incidiſſet Egnatius, legebat: *Verum ut errares id Plance voluiſti, qui enim id te fugeret, aut ſic decipi te non potuiſſe quis non videt*. Additque ſenſum eſſe ironicum & à contrario.

 1. *Nec*

ut ad te ſæpius ſcripſi, hæc ſententia eſt: Qui reliquias hujus belli oppreſſerit, cum totius belli confectorem fore: quem te & opto eſſe, & confido futurum. Studia mea erga te, quibus certè nulla eſſe majora potuerunt, tibi tam grata eſſe, quàm ego putavi fore, minimè miror, vehementerque lætor. Quæ quidem tu, ſi recte iſtic erit, majora, & graviora cognoſces. Quarto Kalendas Junias.

21 PLANCUS CICERONI.

PUDERET me inconſtantiæ mearum litterarum, ſi non hæc ex aliena levitate penderent. Omnia feci, quare Lepido conjuncto ad remp. defendendam, minore ſollicitudine veſtra, perditis reſiſterem. Omnia ei & petenti recepi, & ultrò pollicitus ſum, ſcripſique tibi biduo antè, confidere me, bono Lepido eſſe uſurum, communique conſilio bellum adminiſtraturum. Credidi chirographis ejus: affirmationi præſentis Laterenſis: qui tum apud me erat, reconciliaremque me Lepido, fidemque haberem, orabat. Non licuit diutius bene de eo ſperare. Illud certè cavi, & cavebo, ne mea credulitate reip. ſumma fallatur. Cùm Iſaram flumen, uno die ponte effecto, exercitum traduxiſſem, pro magnitudine rei celeritatem adhibens, quod petierat per litteras ipſe, ut maturarem venire: præſtò mihi fuit ſtator ejus cum litteris, quibus, ne venirem, denuntiabat, ſe poſſe per ſe conficere negotium, interea ad Iſaram exſpectarem. Indicabo temerarium meum conſilium tibi: nihilominùs ire decreram, exiſtimans eum ſocium gloriæ vitare. Putabam poſſe me [1] nec de laude jejuni hominis delibare quidquam: & ſubeſſe tamen propinquis locis, ut, ſi durius aliquid eſſet, ſuccurrere celeriter poſſem. Ego non malus homo hoc ſuſpicabar. At Laterenſis, vir ſanctiſſimus, ſuo chirographo mittit mihi litteras, meiſque deſperans de ſe, de exercitu, de Lepidi fide, querenſque ſe deſtitutum: in quibus apertè denuntiat, videam, ne fallor, ſuam fidem ſolutam eſſe: reipub. ne deſim. Exemplar ejus chirographi Titio miſi. Ipſa chirographa omnia, & quibus credidi, & ea, quibus fidem non habendam putavi, Lævo Ciſpio dabo perferenda: qui omnibus his interfuit rebus. Acceſſit eò, ut milites ejus, cùm Lepidus concionaretur, improbi per ſe, corrupti etiam per eos, qui præſunt, Canidios, Rufrenoſque, & ceteros, quos, cùm opus erit, ſcietis, conclamarint viri boni, pacem ſe velle, neque eſſe cum ullis pugnaturos, duobus jam conſulibus ſingularibus occiſis, tot civibus pro patria amiſſis, hoſtibus denique omnibus judicatis, boniſque publicatis. neque hoc aut vindicarat Lepidus, aut ſanarat. Huc me venire, & duobus exercitibus conjunctis objicere exercitum fideliſſimum, auxilia maxima, principes Galliæ, provinciam cunctam, ſummæ dementiæ, & temeritatis eſſe vidi: mihique, ſi ita oppreſſus eſſem, remque publicam mecum prodidiſſem, mortuo non modò honorem, [2] ſed miſericordiam quoque defuturum. Itaque rediturus ſum: nec tanta munera perditis hominibus dari poſſe ſinam. Ut exercitum locis habeam opportunis, provinciam tuear, etiam ſi ille exercitus deſcierit, omniaque integra ſervem, dabo operam, quoad exercitus huc ſummittatis, parique felicitate remp. hic vindicetis. nec depugnare, ſi occaſio tulerit: nec obſideri, ſi neceſſe fuerit: nec mori, ſi caſus inciderit, pro vobis, paratior fuit quiſquam. Quare hortor te, mi Cicero, exercitum huc trajiciendum quàm primùm cures, & matures priùs, quàm hoſtes magis corroborentur, & noſtri perturbentur. In quo ſi celeritas erit adhibita, reſpublica in poſſeſſione victoriæ, deletis ſceleratis, permanebit. Fac valeas, meque diligas. Fratrem meum tibi, fortiſſimum civem, & ad omnia paratiſſimum, excuſem litteris, qui ex labore in febriculam incidit aſſiduam, & ſatis moleſtam. Cùm primùm poterit iſtuc recurrere, non dubitabit, ne quo loco reip. deſit. Meam dignitatem commendatam habeas, rogo. Concupiſcere me nihil oportet. habeo te & amantiſſimum mei, & quod optavi, ſummæ auctoritatis. Tu videris, quantum, & quando tuum munus apud me velis eſſe. Tantùm te rogo, in Hirtii locum me ſubdas, & ad tuum amorem, & ad meam obſervantiam.

CICERO PLANCO. 22

IN TE, & in collega omnis ſpes eſt, diis approbantibus. Concordia veſtra, quæ ſenatui declarata litteris veſtris eſt, mirificè & ſenatus, & cuncta civitas delectata eſt. Quòd ad me ſcripſeras de re agraria: ſi conſultus ſenatus eſſet, ut quiſque honorificentiſſimam de te ſententiam dixiſſet, eam ſecutus eſſem: qui certè ego fuiſſem. Sed propter tarditatem ſententiarum, moramque rerum, cùm ea, quæ conſulebantur, ad exitum non pervenirent: commodiſſimum mihi, Plancoque fratri viſum eſt, uti eo, quod ne noſtro arbitratu componeretur, quis fuerit impedimento, arbitror te ex Planci litteris cognoviſſe. Sed ſive in ſenatuſconſulto, ſive in ceteris rebus deſideras aliquid: ſic tibi perſuade, tantum eſſe apud omneis bonos tui caritatem, ut nullum genus ampliſſimæ dignitatis excogitari poſſit, quod tibi non paratum ſit. Litteras tuas vehementer exſpecto, & quidem taleis, qualeis maximè opto. Vale.

PLANCUS CICERONI. 23

NUMQUAM mehercules, mi Cicero, me pænitebit maxima pericula pro patria ſubire, dum, ſi quid acciderit mihi, à reprehenſione temeritatis abſim. Confiterer imprudentia me lapſum. ſi umquam Lepido ex animo credidiſſem. CREDULITAS ENIM ERROR EST MAGIS, quàm culpa: & quidem in optimi cujuſq; mentem facillimè irrepit. Sed ego non hoc vitio pænè ſum deceptus. Lepidum enim pulchrè noram. Quid ergo eſt? Pudor me, qui in bello maximè eſt periculoſus, hunc caſum coëgit ſubire. Nam, ſi uno loco eſſem, verebar, ne cui obtrectatorum viderer & nimiùm pertinaciter Lepido offenſus, & mea patientia etiam alere bellum. Itaque copias propè in conſpectum Lepidi, Antoniique adduxi, quadragintaque millium paſſuum ſpatio relicto conſedi, eo conſilio, ut vel celeriter accedere, vel ſalutariter recipere me poſſem. Adjunxi hæc, in loco eligendo, flumen oppoſitum ut haberem: in quo mora tranſitus eſſet: Vocontii ſub manu ut eſſent, [3] per quorum loca mihi fideliter pateret iter. Lepidus, deſperato adventu meo, quem non mediocriter captabat, ſe cum Antonio conjunxit ad IV. Kal. Junias: eodemque die ad me caſtra moverunt: viginti millia paſſuum cùm abeſſent, res mihi nuntiata eſt. Dedi operam deûm benignitate, ut & celeriter me reciperem, & hic diſceſſus nihil fugæ ſimile haberet: non miles ullus, non eques, non quidquam impedimentorum amitteretur, aut ab illis ferventibus latronibus interciperetur. Itaque pridie nonas Junias omneis copias Iſaram trajeci, ponteiſque, quos feceram, interrupi, ut ſpatium ad colligendum ſe homines haberent, & ego me interea cum collega conjungerem: quem triduo cùm has dabam litteras, exſpectabam. Laterenſis noſtri & fidem, & animum ſingularem in remp. ſemper fatebor. Sed certè nimia ejus indulgentia in Lepidum, ad hæc pericula perſpicienda fecit eum minùs ſagacem. Qui quidem cùm in fraudem ſe deductum videret, manus, quas juſtiùs in Lepidi perniciem armaſſet, ſibi afferre conatus eſt. In quo caſu tamen interpellatus & adhuc vivit, & dicitur victu-

1. *Nec de laude jejuni hominis delibare.*] Sic edidit Victorius extatque hæc lectio in Palatino primo. vulgò *deliberare*, unde Lambinus *delibrare* magno applauſu fecit, exponitque *delibrare* pro detrahere & deminuere.

2. *Miſericordiam quoque defuturum.*] Hoc loquendi genus dudum A. Gellius: eleganter eruditè hic quoque Victorii ſagacitas aſſeruit, invenioque ſic in excerptis. Quod moneo, ne quis in talia noſtræ editionis incidens, σφάλματα typothetarum exiſtimet. vulgo: *defuturam*. ſicut Epiſtola ſequenti; *Tantum eſſe apud omnes bonos tui caritatem* ex Vaticani excerptis & editione Victorii reſtitui. vulgò *tantam*.

3. *Per quorum loca mihi fideliter pateret iter.*] Nihil hîc mutandum: licet Palatinus ſextus initio tenuerit: *mihi pater & frater*, quemadmodum fuiſſe in Hittorpiano adnotavit Gulielmius; & inde legit; *Per quorum loca mihi fidelia iter pateret; & frater*. Utinam adjunxiſſet rationes. nam parati eramus eas cernere. In Medio fermè epiſtolæ quoque conjectat: *In quo auſu tamen interpellatus*.

1. *Lege-*

victurus. Sed tamen de hoc mihi parum certum eſt. Magno cum dolore parricidarum elapſus ſum his. veniebant enim eodem furore in me, quo in patriam, incitati. Iracundias autem harum rerum recenteis habebant: quòd Lepidum caſtigare non deſtiteram, ut exſtingueret bellum: quòd colloquia facta improbabam: [1] quòd legatos, fide Lepidi miſſos ad me, in conſpectum venire vetaveram: quòd C. Catium Veſtinum, tribunum militum, miſſum ab Antonio ad me cum litteris, exceperam. In quo hanc capio voluptatem, quòd certè, quo magis me petiverunt, tanto majorem his fruſtratio dolorem attulit. Tu, mi Cicero, quod adhuc feciſti, idem præſta: ut vigilanter, nervoſeque nos, qui ſtamus in acie, ſubornes. Veniat Cæſar cum copiis, quas habet firmiſſimas: aut, ſi ipſum aliqua res impedit, exercitus mittatur: cujus ipſius magnum agitur periculum. Quidquid aliquando futurum fuit in caſtris perditorum contra patriam, hoc omne jam convenit. Pro urbis verò ſalute cur non omnibus facultatibus, quas habemus, utamur? Quod ſi vos iſtic non defueritis, profectò, quod ad me attinet, omnibus rebus abundè reipub. ſatisfaciam. Te quidem, mi Cicero, in dies, mehercules, habeo cariorem: ſollicitudineſque meas quotidie magis tua merita exacuunt, ne quid aut ex amore, aut ex judicio tuo perdam. Opto ut mihi liceat jam, præſenti pietate meorum officiorum tua beneficia tibi facere jucundiora. Octavo idus Jun. [2] Cujarone: ex finibus Allobrogum.

24 PLANCUS IMP. CONS. DESIGN. S.D. CICERONI.

FACERE non poſſum, quin in ſingulas res, meritaque tua, tibi gratias agam. Sed mehercule facio cum pudore. Neque enim tanta neceſſitudo, quantam tu mihi tecum eſſe voluiſti, deſiderare videtur gratiarum actionem. Neque ego lubenter pro maximis tuis beneficiis tam vili munere defungar orationis: & malo præſens obſervantia, indulgentia, aſſiduitate, memorem me tibi probare. Quòd ſi mihi vita contigerit, omneis gratas amicitias, atque etiam pias propinquitates, in tua obſervantia, indulgentia, aſſiduitate vincam. Amor enim tuus, ac judicium de me, utrùm mihi plus dignitatis in perpetuum, an voluptatis, quotidie ſit allaturus, non facile dixerim. De militum commodis, fuit tibi curæ: quos ego non potentiæ meæ cauſa (nihil enim me non ſalutariter cogitare ſcio) ornari volui à ſenatu: ſed primùm, quòd ita meritos judicabam: deinde, quòd ad omneis caſus conjunctiores reip. eſſe volebam: noviſſimè, ut ab omni omnium ſollicitatione averſos eos, taleis vobis præſtare poſſem, quales adhuc fuerunt. Nos adhuc hic omnia integra ſuſtinuimus. Quod conſilium noſtrum, etſi, quanta ſit aviditas hominum, non ſine cauſa, talis victoriæ, ſcio: tamen vobis probari ſpero. Non enim, ſi quid in his exercitibus ſit offenſum, magna ſubſidia reſp. habet expedita, [3] quibus ſubito impetu, ac latrocinio parricidarum reſiſtat. Copias verò noſtras notas tibi eſſe arbitror. In caſtris meis legiones ſunt veteranæ tres: tironum vel luculentiſſima ex omnibus una: in caſtris Bruti una veterana legio: altera bima: octo tironum. Ita univerſus exercitus, numero ampliſſimus eſt, firmitate exiguus. Quantum autem in acie tironi ſit committendum, nimiùm ſæpe expertum habemus. Ad hoc robur noſtrorum exercituum, ſive Africanus exercitus, qui eſt veteranus, ſive Cæſaris acceſſiſſet, æquo animo ſummam remp. in diſcrimen deduceremus. Aliquantò autem propiùs eſſe, quod ad Cæſarem attinet, videbamus. Nihil deſtiti eum litteris hortari: neque ille intermiſit affirmare, ſe ſine mora venire: cùm interim averſum illum ab hac cogitatione ad alia conſilia video ſe contuliſſe. Ego tamen ad eum Furnium noſtrum cum mandatis, litteriſque miſi, ſi quid fortè proficere poſſet. Scis tu, mi Cicero, quod ad Cæſaris amorem attinet, ſocietatem mihi eſſe tecum: vel quòd in familiaritate Cæſaris, vivo illo, jam tueri eum, & diligere fuit mihi neceſſe: vel quòd ipſe, quoad ego noſſe potui, moderatiſſimi, atque humaniſſimi fuit ſenſus: vel quòd ex tam inſigni amicitia mea, atque Cæſaris, hunc filii loco, & illius, & veſtro judicio ſubſtitutum, non proinde habere, turpe mihi videtur. Sed, quidquid tibi ſcribo, dolenter mehercule magis, quam inimicè facio. Quòd vivit Antonius hodie, quòd Lepidus unà eſt, quòd exercitus habent non contemnendos, quòd ſperant, quòd audent: omne Cæſari acceptum referre poſſunt. Neque ego ſuperiora repetam. Sed ex eo tempore, quo ipſe mihi profeſſus eſt ſe venire, ſi venire voluiſſet, aut oppreſſum jam bellum eſſet, aut in averſiſſimam illi Hiſpaniam cum detrimento eorum maximo detruſum. Quæ mens eum, aut quorum conſilia à tanta gloria, ſibi verò etiam neceſſaria, ac ſalutari, avocarit, & ad cogitationem conſulatus bimeſtris, ſummo cum terrore hominum, & inſulſa cum efflagitatione tranſtulerit, exputare non poſſum. Multum in hac re mihi videntur neceſſarii ejus, & reip. & ipſius cauſa proficere poſſe: plurimum, ut puto, tu quoque: cujus ille tanta merita habet, quanta nemo, præter me. numquam enim obliviſcar, maxima, ac plurima me tibi debere. De his rebus, ut exigeret cum eo, Furnio mandavi. Quòd ſi, quantum debeo, habuero apud eum auctoritatem, plurimum ipſum juvero. Nos intereà duriore conditione bellum ſuſtinemus, quòd neque expeditiſſimam dimicationem putamus: neque tamen refugiendo commiſſuri ſumus, ut majus detrimentum reſp. accipere poſſit. Quòd ſi aut Cæſar ſe reſpexerit, aut Africanæ legiones celeriter venerint, ſecuros vos ab hac parte reddemus. Tu, ut inſtituiſti, me diligas rogo, proprieque tuum eſſe, tibi perſuadeas. V. Kal. Sext. ex caſtris.

CICERO S.D. FURNIO. 25

SI intereſt, id quod homines arbitrantur, reip. te, ut, inſtituiſti, atque feciſti, navare operam, rebuſque maximis, quæ ad exſtinguendas reliquias belli pertinent, intereſſe: nihil videris melius, neque laudabilius, neque honeſtius facere poſſe. Iſtamque operam tuam, navitatem, animum in remp. celeritati præturæ anteponendam cenſeo. Nolo enim te ignorare, quantam laudem conſecutus ſis: mihi crede, proximam Planco, idque ipſius Planci teſtimonio, præterea fama, ſcientiaque omnium. Quamobrem ſi quid operis tibi etiam nunc reſtat, id maximo opere cenſeo perſequendum. Quid enim honeſtius, aut quid honeſto anteponendum? Sin autem ſatisfactum reip. putas, celeriter ad comitia, quum maturè futura ſunt, veniendum cenſeo: dummodò ne quid hæc ambitioſa feſtinatio aliquid imminuat ejus gloriæ, quam conſecuti ſumus. Multi clariſſimi viri, cùm reipub. darent operam, annum petitionis ſuæ non obierunt. Quod eo facilius nobis eſt, quod non eſt annus hic tibi deſtinatus: ut, ſi ædilis fuiſſes, poſt biennium tuus annus eſſet. Nunc nihil prætermittere videbere uſitati, & quaſi legitimi temporis ad petendum. Video autem, Planco conſule, etſi etiam ſine eo rationes expeditas haberes: tamen ſplendidiorem petitionem tuam, ſi modò iſta

---

1. *Legatos fide Lepidi miſſos ad me, in conſpectum venire vetaveram.*] Ita edidit Victorius, neque aliter in Palatino primo. nam quod vulgò *Lepidi dimiſſos* vitioſum eſt, præcedentiſque vocabuli extrema ſyllaba adhæſit poſteriori. Vulgò excuſum eſt, *dimiſſos, ad me in conſpectum venire vetueram*. Paullo poſt, ex Palatino primo ex editione Victoriana (nam ex Mediceo hanc lectionem attulit, quam ad primam quoque impreſſionem notat Egnatius) ex Hittorpiano lego: *miſſum ab Antonio ad me tum litteris exceperam*. quanquam in Palatino ſexto, primo erat, *acceperam*. ſed *exceperam* rectius. Videatur Cæſar libro I. Belli civilis. Idem lib. III. Virgilius Buc. II.

Nonne ego te vidi Damonis peſſime caprum
Excipere inſidiis.

Vulgatum eſt: *miſſum ab Antonio ad eum cum litteris interceperam.*

2. *Civarone.*] Scaliger conjicit *Curalone*; idemque monuit Gruterum per epiſtolam Lindebrogius, alluduntque mſſ. in quibus *Cujarone*.

3. *Quibus ſubito impetu ac latrocinio parricidarum reſiſtat.*] Ita elegantiſſime ac probiſſime Palatinus ſextus, Hittorpianus, Stewechianus, ut ex Mediceo adnotat quoque P. Vict. Propert. lib. II. *Tantalea poterit tradere poma manu*: & plura apud Paſſeratium, Pierium, alioſque. ſic Virgilius *curru* pro *currui*. vulgo, *impetui*.

iſta ex ſententia confecta eſſent. Omnino plura me ſcribere, cùm tuum tantum conſilium, judiciumque ſit, arbitrabar non ita neceſſe: ſed tamen ſententiam meam tibi ignotam eſſe nolebam. Cujus eſt hæc ſumma, ut omnia te metiri dignitate malim, quàm ambitione: majoremque fructum ponere in perpetuitate laudis, quàm in celeritate præturæ. Hæc eadem locutus ſum domi meæ, adhibito Q. fratre meo, & Cæcina, & Calviſio, ſtudioſiſſimis tui, cùm Dardanus, libertus tuus, intereſſet. omnibus probari videbatur oratio mea. ſed tu optimè judicabis.

26 M. CICERO S. D. C. FURNIO.

LECTIS tuis litteris, quibus declarabas, aut omittendos Narbonenſeis, aut cum periculo dimicandum, illud magis timui: quod vitatum non moleſtè fero. Quod de Planci & Bruti concordia ſcribis, in eo vel maximam ſpem pono victoriæ. De Gallorum ſtudio, nos aliquando cognoſcemus, ut ſcribis, cujus id opera maximè excitatum ſit. Sed jam (mihi crede) cognovimus. Itaque jucundiſſimis tuis litteris ſtomachatus ſum in extremo. Scribis enim, ſi in Sextilem comitia, citò te: ſin jam confecta, citiùs, ne diutius cum periculo fatuus ſis. O mi Furni, quàm tu cauſam tuam non noſti, qui alienas tam facilè diſcas! Tu nunc candidatum te putas, & id cogitas, ut aut ad comitia curras: aut ſi jam confecta, [1] domi tuæ ſis, ne cum maximo periculo, ut ſcribis, ſtultiſſimus ſis. Non arbitror te ita ſentire. omneis enim tuos ad laudem impetus novi. Quòd ſi, ut ſcribis, ita ſentis, non magis te, quàm de te judicium reprehendo meum. Te adipiſcendi magiſtratus leviſſimi, & divulgatiſſimi, ſi ita adipiſcare, ut plerique, præpropera feſtinatio abducet à tantis laudibus, quibus te omneis in cælum jure, & verè ferunt? Scilicet id agitur, utrum hac petitione, an proxima prætor fias, non ut ita de repub. mereare, omni honore ut digniſſimus judicere? Utrum neſcis, quàm altè aſcenderis? an pro nihilo id putas? Si neſcis, tibi ignoſco: nos in culpa ſumus. Sin intelligis: ulla tibi eſt prætura, vel officio, quod pauci, vel gloria, quam omnes ſequuntur, dulcior? Hac de re & ego, & Calviſius, homo magni judicii, tuique amantiſſimus, te accuſamus quotidie. Comitia tamen, quum ex his pendes, quantum facere poſſumus, quòd multis de cauſis reipub. arbitramur conducere, [2] in Januar. menſem protrudimus. Vince igitur, & vale.

27 CICERO LEPIDO, SAL.

QUOD mihi, pro ſumma erga te benivolentia, magnæ curæ eſt, ut quàm ampliſſima dignitate ſis, moleſtè tuli, te ſenatui gratias non egiſſe, cùm eſſes ab eo ordine ornatus ſummis honoribus. Pacis inter civeis conciliandæ te cupidum eſſe lætor. eam ſi à ſervitute ſejungis, conſules & reipub. & dignitati tuæ. Sin iſta pax perditum hominem in poſſeſſionem impotentiſſimi dominatus reſtitutura eſt, hoc animo ſcito omneis ſanos, ut mortem ſervituti anteponant. Itaque ſapientiùs, meo quidem judicio facies, ſi te in iſtam pacificationem non interpones, quæ neque ſenatui, neque populo, nec cuiquam bono probatur. Sed hæc audies ex aliis, aut certior fies litteris. Tu pro tua prudentia, quid optimum factu ſit, videbis.

28 CICERO TREBONIO, SAL.

QUAM vellem ad illas pulcherrimas epulas me idibus Martiis invitaſſes! reliquiarum nihil haberemus. At nunc cum his tantum negotii eſt, ut veſtrum illud divinum in rempub. beneficium nonnullam habeat querelam. Quòd vero à te, viro optimo, ſeductus eſt, tuoque beneficio adhuc vivit hæc peſtis, interdum, quod mihi vix fas eſt, tibi ſubiraſcor. Mihi enim negotii plus reliquiſti uni, quàm præter me, omnibus. Ut enim primùm poſt Antonii fœdiſſimum diſceſſum ſenatus haberi liberè potuit, ad illum animum meum reverti priſtinum, quem tu cum civi acerrimo, patre tuo, in ore, & amore ſemper habuiſti. Nam cùm ſenatum ad XIII. Kalendas Januarias tribuni pleb. vocaviſſent, deque alia re referrent: totam remp. ſum complexus, egique acerrimè, ſenatumque jam languentem, & defeſſum, ad priſtinam virtutem, conſuetudinemque revocavi, magis animi, quàm ingenii viribus. Hic dies, meaque contentio, atque actio, ſpem primùm populo R. attulit libertatis recuperandæ. Nec verò ipſe poſteà tempus ullum intermiſi de repub. non cogitandi ſolùm, ſed etiam agendi. Quòd niſi res urbanas, actaque omnia ad te perferri arbitrarer, ipſe perſcriberem: quamquam eram maximis occupationibus impeditus. Sed illa cognoſces ex aliis: à me pauca: & ea ſummatim. Habemus fortem ſenatum: conſulareis partim timidos, partim malè ſentienteis. Magnum damnum factum eſt in Servio. L. Cæſar optimè ſentit: ſed, quòd avunculus eſt, non acerrimas dicit ſententias. Conſules egregii: præclarus D. Brutus: puer egregius Cæſar, de quo ſpero equidem reliqua. Hoc verò certum habeto, niſi ille veteranos celeriter conſcripſiſſet: legioneſque duæ de exercitu Antonii ad ejus ſe auctoritatem contuliſſent, atque is oppoſitus eſſet terror Antonio: nihil Antonium ſceleris, nihil crudelitatis præteriturum fuiſſe. Hæc tibi, etſi audita eſſe arbitrabar, volui tamen notiora eſſe. Plura ſcribam, ſi plus otii habuero.

CICERO APPIO. 29

DE meo ſtudio erga ſalutem, & incolumitatem tuam, credo te cognoſſe ex litteris tuorum: quibus me cumulatiſſimè ſatisfeciſſe certò ſcio: nec his concedo, quamquam ſunt ſingulari in te benivolentia, ut te ſalvum malint, quàm ego. Illi mihi neceſſe eſt concedant, ut tibi plus, quam ipſi, hoc tempore prodeſſe poſſim: quod quidem nec deſtiti facere, nec deſiſtam: & jam in maxima re feci, & fundamenta jeci ſalutis tuæ. Tu fac bono animo, magnoque ſis, meque tibi nulla re defuturum eſſe confidas. Pridie nonas Quinctileis.

[3] GALBA CICERONI SAL. 30

DECIMO SEPTIMO Kalend. Maji, quo die Panſa in caſtris Hirtii erat futurus, cum quo ego eram (nam ei obviam proceſſeram millia paſſus centum, quo maturiùs veniret) Antonius legiones eduxit duas, ſecundam, & quintamtrigeſimam, & cohorteis prætorias duas, unam ſuam, alteram Silani, evocatorum partem. Ita obviam venit nobis, quòd nos quattuor legiones tironum habere ſolùm arbitrabatur. Sed noctu, quo tutiùs venire in caſtra poſſemus, legionem Martiam, cui ego præeſſe ſolebam, & duas cohorteis prætorias miſerat Hirtius nobis. Cùm equites Antonii apparuiſſent, contineri neque legio Martia, neque cohortes prætoriæ potuerunt: quas ſequi cœpimus coacti, quum eas retinere non poteramus. Antonius ad Forum Gallorum ſuas copias continebat: neque ſciri volebat, ſe legiones habere: tantùm equitatum, & levem armaturam oſtendebat. Poſteaquàm vidit, ſe invito, legionem ire Panſa, ſequi ſe duas legiones juſſit tironum. Poſteà, quàm anguſtias paludis, & ſilvarum tranſivimus, acies eſt inſtructa à nobis duodecim cohortium. Nondum venerant legiones duæ; repentè Antonius in aciem ſuas copias de vico pro-

1. *Domi tuæ ſis, ne cum maximo periculo.*] Ita hunc locum Victorius edidit, exturbato vocabulo *ſcilicet* quod poſt *ſis* & ante *ne* injectum hæſerat. At Stewech. & Palatinus primus τὸ *ſis* jugulant. Mihi, ut facit Palatinus ſextus, hæc verba omnia unco trahenda videntur: *ſcilicet ne cum maximo periculo, ut ſcribis, ſtultiſſimus ſis.* nam ex ſuperioribus ab aliquo ſciolo confecta, & hûc invecta ſunt.

2. *In Januarium menſem protrudimus.*] Coactus ſum cedere majori conſenſui. in hac lectione admittenda, videlicet Palatino primo, Stewechiano, Vaticani excerptis, editioni Victorianæ: & revera aptius eſt quàm vulgatarum editionum *protendimus*, retinente tamen illud Palatino ſexto, & Hittorpiano profitente, *producimus*. In præcedente epiſtola Palatinus ſextus & Hittorpianus ita ſcribunt illum locum: *ſin autem officio reip. ſatisfactum putas.*

3. GALBA CICERONI SAL.] Hanc inſcriptionem ſic invenimus in optimis codicibus noſtris, neque aliter edidit Petrus Victorius. Alii *Sergius Galba* ſcribunt, Lambinus SER. GALBA. Nos nihil neque à libris neque à Victorio decedere voluimus.

2. Cir-

produxit: & ſine mora concurrit. Primò ita pugnatum eſt, ut acriùs non poſſet ex utraque parte pugnari: & ſi dexterius cornu, in quo eram cum Martiæ legionis cohortibus octo, impetu primo fugaverat legionem triceſimamquintam Antonii, ut amplius paſſus * ultra aciem, quo loco ſteterat, proceſſerit. Itaque cùm equites noſtrum cornu circuire vellent, recipere me cœpi, & levem armaturam opponere Maurorum equitibus, ne averſos noſtros aggrederentur. Interim video me eſſe inter Antonianos, Antoniumque poſt me eſſe aliquantò. repentè equum immiſi ad eam legionem tironum, quæ veniebat ex caſtris, ſcuto rejecto. Antoniani me inſequi: noſtri pila conjicere velle. Ita neſcio quo fato ſum ſervatus: quòd ſum citò à noſtris cognitus. In ipſa Æmilia, ubi cohors Cæſaris prætoria erat, diu pugnatum eſt. Cornu ſiniſterius, quod erat infirmius, ubi Martiæ legionis duæ cohortes erant, & cohors prætoria, pedem referre cœperunt, quòd ab equitatu circuibantur, quo vel plurimùm valet Antonius. Cùm omnes ſe recepiſſent noſtri ordines, recipere me noviſſimus cœpi ad caſtra. Antonius, tamquam victor, caſtra putavit ſe poſſe capere. Quò cùm venit, complureis ibi amiſit, nec egit quidquam. Audita re, Hirtius cum cohortibus viginti veteranis redeunti Antonio in ſua caſtra occurrit, copiaſque ejus omneis delevit, fugavit eodemque loco, ubi erat pugnatum ad Forum Gallorum. Antonius cum equitibus hora noctis quarta, ſe in caſtra ſua ad Mutinam recepit. Hirtius in ea caſtra rediit, unde Panſa exierat, ubi duas legiones reliquerat, quæ ab Antonio erant oppugnatæ. Sic partem majorem ſuarum copiarum Antonius amiſit veteranarum. Nec id tamen ſine aliqua jactura cohortium prætorianarum noſtrarum, & legionis Martiæ fieri potuit. Aquilæ duæ, ſigna ſexaginta ſunt relata Antonii. Res bene geſta eſt. Ad XII. Kalendas Maji, ex caſtris.

31 C. ASINIUS POLLIO. CICERONI S. D.

MINIME mirum tibi debet videri, nihil me ſcripſiſſe de rep. poſteà quàm itum eſt ad arma. Nam ſaltus Caſtulonenſis, qui ſemper tenuit noſtros tabellarios, etſi nunc frequentioribus latrociniis infeſtior factus eſt: tamen nequaquam tanta in mora eſt, quanta, qui locis omnibus diſpoſiti ab utraque parte ſcrutantur tabellarios, & retinent. Itaque niſi nave perlatæ litteræ eſſent, omnino neſcirem, quid iſtic fieret. Nunc verò nactus occaſionem, poſteaquàm navigari cœptum eſt, cupidiſſimè, & quàm creberrimè potero, ſcribam ad te. Ne moveare ejus ſermonibus, quem tametſi nemo eſt, qui videre velit, tamen nequaquam proinde, ac dignus eſt, oderunt homines, periculum non eſt. Adeò eſt enim inviſus mihi, ut nihil non acerbum putem, quod commune cum illo ſit. Natura autem mea, & ſtudia trahunt me ad pacis, & libertatis cupiditatem. Itaque illud initium civilis belli ſæpe deflevi. Cùm verò non liceret mihi nullius partis eſſe: quia utrobique magnos inimicos habebam: ea caſtra fugi, in quibus planè tutum me ab inſidiis inimici ſciebam non futurum. compulſus eò, quò minimè volebam, ne in extremis eſſem, planè pericula non dubitanter adii. Cæſarem verò, quòd me in tanta fortuna, modò cognitum, vetuſtiſſimorum familiarium loco habuit, dilexi ſumma cum pietate, & fide. Quæ mea ſententia gerere mihi licuit, ita feci, ut optimus quiſque maximè probarit. Quod juſſus ſum eo tempore, atque ita feci, ut appareret invito imperatum eſſe. Cujus facti iniuſtiſſima invidia erudire me potuit, quam jucunda libertas, & quàm miſera ſub dominatione vita eſſet. Ita, ſi id agitur, ut rurſus in poteſtate omnia unius ſint: quicumque is eſt, ei me profiteor inimicum. Nec periculum eſt ullum, quod pro libertate aut refugiam aut deprecer. Sed conſules neque ſenatuſconſulto, neque litteris præceperant mihi, quid facerem. Unas enim poſt idus Martias demum à Panſa litteras accepi, in quibus hortatur me, ut ſenatui ſcribam, me & exercitum in poteſtate ejus futurum. Quod, cùm Lepidus concionaretur, atque omnibus ſcriberet, ſe conſentire cum Antonio, maximè contrarium fuit. Nam quibus commeatibus, invito illo, per illius provinciam legiones ducerem? aut, ſi cetera tranſiſſem, num etiam Alpeis poteram tranſvolare, quæ præſidio illius tenentur? Adde huc, quòd perferri litteræ nulla conditione potuerunt. Sexcentis enim locis excutiuntur: deinde etiam retinentur à Lepido tabellarii. Illud me Cordubæ pro concione dixiſſe, ne vocabit in dubium, provinciam me nulli, niſi qui ab ſenatu miſſus veniſſet, traditurum. Nam de legione trigeſima tradenda quantas habuerim conciones, quid ego ſcribam? Qua tradita, quanto pro rep. infirmior futurus fuerim, quis ignorat? Hac enim legione, noli acrius, aut pugnacius quidquam putare eſſe. Quare eum me exiſtima eſſe, qui primum pacis cupidiſſimus ſim: (omneis enim civeis planè ſtudeo eſſe ſalvos) deinde, qui & me, & remp. vindicare in libertate paratus ſim. Quòd familiarem meum in tuorum numero habes, opinione tua mihi gratius eſt. Invideo illi tamen, quòd ambulat, & jocatur tecum. Quæ res, quanti æſtimem, ſi umquam licuerit vivere in otio, experieris. Nullum enim veſtigium abs te receſſurus ſum. Illud vehementer admiror, non ſcripſiſſe te mihi, manendo in provincia, an ducendo exercitum in Italiam, reip. magis ſatisfacere poſſim. Ego quidem, etſi mihi tutius, ac minùs laborioſum eſt, manere, tamen quia video tali tempore multò magis legionibus opus eſſe, quàm provinciis, quæ præſertim recuperari nullo negotio poſſunt, conſtitui, ut nunc eſt, cum exercitu proficiſci. Deinde ex litteris, quas Panſæ miſi, cognoſces omnia. nam tibi earum exemplar miſi. XVII. Kal. April. Cordubæ. Vale.

C. ASINIUS POLLIO, CICERONI. 32

BALBUS quæſtor, magna numerata pecunia, magno pondere auri, majore argenti coacto de publicis exactionibus, ne ſtipendio quidem militibus reddito, duxit ſe à Gadibus, & triduum tempeſtate retentus ad Calpen, Kal. Juniis trajecit ſeſe in regnum Bogudis, planè bene peculiatus. His rumoribus utrùm Gadeis referatur, an Romam, (ad ſingulos enim nuntios turpiſſimè conſilia mutat) nondum ſcio. ſed præter furta, & rapinas, & virgis cæſos ſocios, hæc quoque fecit, ut ipſe gloriari ſolet, eadem, quæ C. Cæſar. Ludis, quos Gadibus fecit, Herennium Gallum, hiſtrionem, ſummo ludorum die anulo aureo donatum, in XIIII. ſeſſum deduxit. tot enim fecerat ordines equeſtris loci. Quattuorviratum ſibi prorogavit: comitia biennii biduò habuit, hoc eſt, renuntiavit, quos ei viſum eſt: exſules reduxit, non horum temporum, ſed illorum, quibus à ſeditioſis ſenatus trucidatus, aut expulſus eſt, Sex. Varo proconſule. Illa verò jam ne Cæſaris quidem exemplo: quòd ludis prætextam de ſuo itinere ad L. Lentulum proconſulem ſollicitandum poſuit. Et quidem cùm ageretur, flevit, memoria rerum geſtarum commotus. Gladiatoribus autem Fadium quendam, militem Pompejanum, quia, cùm depreſſus in ludum bis gratis depugnaſſet, auctore ſeſe nolebat, & ad populum confugerat: primùm Gallos equites immiſit in populum: (collecti enim lapides ſunt in eum, cùm abriperetur Fadius) deinde abſtractum defodit in ludo: & vivum conbuſſit: cùm quidem pranſus, nudis pedibus, tunica ſoluta, manibus ad tergum rejectis, inambularet, & illi miſero quiritanti, C. R. NATUS SUM: reſponderet, Abi, nunc populi fidem implora. Beſtiis verò civeis Romanos, etiam in his [1] circulatorem quendam auctionum, notiſſimum hominem Hiſpali, quia deformis erat, objecit. Cum hujuſcemodi portento res mihi fuit. Sed de illo plura coram. Nunc, quod

1. *Circulatorem quendam auctionum.*] Ita Pall. & vulgatæ editiones. Victorius edidit *actionum*, nec video ab eo reddi rationem. At Urſinus nobis ex aliquo libro protrudit *Aventronum*, videturque ei nomen proprium fuiſſe ejus, de quo loquitur. utinam libri noſtri adſentirentur.

quod præſtat, quid me velitis facere, conſtituite. Treis legiones firmas habeo: quarum unam viceſimamoctavam cùm ad ſe initio belli arceſſiſſet Antonius hac pollicitatione, quo die in caſtra veniſſet, denarios quingenos ſingulis militibus daturum: in victoria verò eadem præmia, quæ ſuis legionibus (quorum quis ullam finem, aut modum futurum putavit?) incitatiſſimam retinui, ægrè mehercules: nec retinuiſſem, ſi uno loco habuiſſem, utpote cum ſingulæ quædam cohortes ſeditionem fecerint. Reliquas quoque legiones non deſtitit litteris, atque infinitis pollicitationibus incitare. Nec verò minùs Lepidus urſit me & ſuis, & Antonii litteris, ut legionem trigeſimam mitterem ſibi. Itaque quem exercitum neque vendere ullis præmiis volui, nec eorum periculorum metu, quæ victoribus illis portendebantur, diminuere, debetis exiſtimare retentum, & conſervatum reip. eſſe: atque ita credere, quodcumque imperaſſetis, facturum fuiſſe, ſi, quod juſſiſtis, feci. Nam & provinciam in otio, & exercitum in mea poteſtate tenui: finibus meæ provinciæ nuſquam exceſſi. Militem non modò legionarium, ſed ne auxiliarium quidem ullum quoquam miſi: &, ſi quos equiteis decedenteis nactus ſum, ſupplicio affeci. Quarum rerum fructum ſatis magnum republica ſalva tuliſſe me putabo. Sed reſpubl. ſi me ſatis noviſſet, & major pars ſenatus: majores ex me fructus tuliſſet. Epiſtolam, quam Balbo, cùm etiamnunc in provincia eſſet, ſcripſi, legendam tibi miſi: etiam prætextam, ſi voles legere, Gallum Cornelium, familiarem meum, poſcito. VI. idus Junias, Corduba.

33 POLLIO, CICERONI, S.P.

SU.B.E.E.Q.U. Quo tardiùs certior fierem de prœliis apud Mutinam factis, Lepidus effecit, qui meos tabellarios, novem dies retinuit: tamen etſi tantam calamitatem reip. quàm tardiſſimè audire optandum eſt: ſed illis, qui prodeſſe nihil poſſunt, neque mederi. Atque utinam eodem ſenatuſconſulto, quo Plancum, & Lepidum in Italiam arceſſiſtis, me quoque juſſiſſetis venire. profectò non accepiſſet reſp. hoc vulnus. quo ſi qui lætantur in præſentia, quia videntur & duces, & veterani Cæſaris partium interiiſſe, tamen poſtmodum neceſſe eſt doleant, cum vaſtitatem Italiæ reſpexerint. Nam & robur, & ſoboles militum interiit: ſi quidem, quæ nuntiantur, ulla ex parte vera ſunt. Neque ego non videbam, quanto uſui reipub. eſſem futurus, ſi ad Lepidum veniſſem. omnem enim cunctationem ejus diſcuſſiſſem, præſertim adjutore Planco. Sed ſcribenti ad me ejuſmodi litteras, quas leges, & concionibus, videlicet, quas Narbone habuiſſe dicitur, [1] ſimilis, palmarer planè neceſſe erat, ſi vellem commeatus, per provinciam ejus iter faciens, habere. Præthereà verebar, ne, ſi antè, quàm ego incœpta perficerem, prœlium confectum eſſet, pium meum conſilium raperent in contrariam partem obtrectatores mei, propter amicitiam, quæ mihi cum Antonio, non major tamen, quàm Planco fuit. Itaque à Gadibus menſe Aprili binis tabellariis in duas naveis impoſitis, & tibi, & conſulibus, & Octaviano ſcripſi, ut me faceretis certiorem, quonam modo plurimùm poſſem prodeſſe reip. Sed, ut rationem ineo, quo die prœlium Panſa commiſit, eodem à Gadibus naves profectæ ſunt. Nulla enim poſt hiemem fuit ante eam diem navigatio. Et hercules longè remotus ab omni ſuſpicione futuri civilis tumultus, penitus in Luſitania legiones in hibernis collocaram. Ita porrò feſtinavit uterque confligere, tanquam nihil pejus timerent, quàm ne ſine maximo reip. detrimento bellum componeretur. ſed, ſi properandum fuit, nihil non ſummi ducis conſilio geſſiſſe Hirtium video. Nunc hæc mihi ſcribuntur ex Gallia Lepidi, & nuntiantur, Panſæ exercitum conciſum eſſe: Panſam ex vulneribus mortuum: eodem prœlio Martiam legionem interiiſſe, & L. Fabatum, & C. Peducæum, & D. Carſulenum. Hirtino autem prœlio & quartam legionem, & omneis peræquè Antonii cæſas: item Hirtii. Quartam vero cum caſtra quoque Antonii cepiſſet, à quinta legione conciſam eſſe. Ibi Hirtium quoque periiſſe, & Pontium Aquilam: dici etiam Octavianum cecidiſſe. Quæ ſi (quod dii prohibeant) vera ſunt: non mediocriter doleo: Antonium turpiter Mutinæ obſeſſionem reliquiſſe, ſed habere equitum * legiones ſub ſignis armatas treis, & P. Bagienni unam, inermeis bene multos. Ventidium quoque ſe cum Legione ſeptima, octava, nona conjunxiſſe: ſi nihil in Lepido ſpei ſit, deſcenſurum ad extrema: & non modò nationes, ſed etiam ſervitia concitaturum: Parmam direptam: L. Antonium Alpeis occupaſſe. Quæ ſi vera ſunt, nemini noſtrûm ceſſandum eſt, nec exſpectandum, quid decernat ſenatus. Res enim cogit huic tanto incendio ſuccurrere omneis, qui aut imperium, aut nomen denique pop. Rom. ſalvum volunt eſſe. Brutum enim cohorteis XVII. & duas non frequenteis tironum legiones, quas conſcripſerat Antonius, habere audio. Neque tamen dubito, quin omnes, qui ſuperſint de Hirtii exercitu, confluant ad eum. Nam in delectu non multum ſpei puto eſſe: præſertim cùm nihil ſit periculoſius, quàm ſpatium confirmandi ſeſe, Antonio dari. Anni autem tempus libertatem majorem mihi dat, proptereà quia frumenta aut in agris, aut in villis ſunt. Itaque proximis litteris conſilium meum expedietur. Nam neque deeſſe, neque ſupereſſe reipub. volo. Maximè tamen doleo, adeò & longo, & infeſto itinere ad me veniri, ut die quadrageſimo pòſt, aut ultrà etiam, quàm facta ſunt, omnia nuntientur.

M. LEPIDUS IMP. ITERUM, PONT. MAX. M. T. C. S. P. D. 34

SV.B.E.E.V. Cùm audiſſem, Antonium cum ſuis copiis, præmiſſo L. Antonio cum parte equitatus, in provinciam meam venire: cum exercitu meo ab confluente Rhodano caſtra movi, ac contra eos venire inſtitui. Itaque continuis itineribus ad Forum Vocontium veni, & ultrà, caſtra ad flumen Argenteum [2] contra Antoninos feci. P. Ventidius ſuas legiones treis conjunxit cum eo, & ultra me caſtra poſuit. habebant anteà legionem ſecundam, & ex reliquis legionibus magnam multitudinem, ſed inermorum. Equitatum habet magnum. Nam omnis ex prœlio integer deceſſit, ita ut ſint amplius equitum. * Itaque ad me complures milites, & equites ab eo tranſierunt: & in dies ſingulos ejus copiæ minuuntur. Silanus, & Culleo ab eo diſceſſerunt. Nos etſi graviter ab his læſi eramus, quòd contra noſtram voluntatem ad Antonium ierant: tamen noſtræ humanitatis & neceſſitudinis cauſa, eorum ſalutis rationem habuimus. Nec tamen eorum opera utimur: neque in caſtris habemus, neque ulli negotio præfecimus. Quod ad bellum hoc attinet, nec ſenatui, nec reip. deerimus. quæ poſtea egerimus, faciam te certiorem. Etſi omni tempore ſumma ſtudia officii, mutuò inter nos certatim conſtiterunt, pro noſtra inter nos familiaritate, & proinde dili-

1. *Similis, palmarer plane neceſſe erat.*] Exſtat hæc ſcriptura in Palatino primo ac Gruteriano, quam ex ſuis quoque indicavit Victorius: quem miror, alias tam librorum & antiquitatis religioſum, hîc ſibi tantum licentiæ ſumpſiſſe, ut illegitimum, quia rarum eſt, putaret; iretque obtruſum nobis *palparer*, quod illico Lambinus, de quo quicquid peſſime dixero, minus erit; in textum recipit. Adhæreo ergo hîc Manutio. Futiliſſimum verò Stephaniſcum in ſuis jejunis ſchediaſmatis audire parce, præſertim adverſus Manutium pro Lambino mentientem. Vulgatum eſt: *ſimileis: ſimularem plane neceſſe erat.* Stewechianus quoque & Palat. Sext. *palmarer.* priſca editio, *palma rerum.*

9. *Contra Antoninos feci.*] Lectionem hanc utpote veriſſimam debemus excerptis Vaticani: cùm Victorius ediderit *Antonios.* extſtetque vulgo, *Antonianos.* Sic Epiſtola præcedente *Hirtino prœlio*, præ quo vulgatum *Hirtiano.* Sic libro XII. Ep. 14. ut videbimus.

I. U:

diligenter ab utroque conſervata ſunt: tamen non dubito, in tanto, & tam repentino reipub motu quin nonnulla de me falſis rumoribus à meis obtrectatoribus, me indigna, ad te delata ſint, quæ tuum animum magno opere moverunt, pro tuo amore in remp. Ea te moderatè accepiſſe, neque temerè credendum judicaſſe, à meis procuratoribus certior ſum factus: quæ mihi, ut debent, gratiſſima ſunt. Memini enim & illa ſuperiora, quæ abs tua voluntate profecta ſunt, ad meam dignitatem augendam, & ornandam: quæ perpetuò animo meo fixa manebunt. Abs te, mi Cicero, magnopere peto, ſi meam vitam, & ſtudium diligentiſſimè ſuperioribus temporibus in rep. adminiſtranda, quæ Lepido digna ſunt, perſpecta habes, ut paria, aut eo ampliora reliquo tempore exſpectes: & proinde tua auctoritate me tuendum exiſtimes, quo tibi plura tuo merito debeo. Vale. D. XI. Kalendas Junias, ex caſtris, ex Ponte Argenteo.

LEPIDUS IMP. ITER. PONT. MAX. S. D. SENAT. POP. PL. Q. R. 35

S. V. liberique veſtri V. B. E. E. Q. V. Deos, homineſque teſtor, patres conſcripti, qua mente, & quo animo ſemper in remp. fuerim, & quam nihil antiquius communi ſalute, ac libertate judicarim: quod vobis brevi probaſſem, niſi mihi fortuna proprium conſilium extorſiſſet. Nam exercitus cunctus conſuetudinem ſuam in civibus obſervandis, communique pace, ſeditione facta, retinuit: meque tantæ multitudinis civium Romanorum ſalutis, atque incolumitatis cauſam ſuſcipere, ut verè dicam, coëgit. In qua re ego vos, patres conſcripti, oro, atque obſecro, ut privatis offenſionibus omiſſis, ſummæ reip. conſulatis, neve miſericordiam noſtram, exercituſque noſtri, in civili diſſenſione, ſceleris loco ponatis. Quòd ſi ſalutis omnium, ac dignitatis rationem habueritis: meliùs & vobis, & reip. conſuletis. Data III. Kal. à Ponte Argenteo. Valete.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM AD FAMILIAREIS LIBER UNDECIMUS, AD BRUTUM, ET BRUTI AD CICER. &c.

1 D. BRUTUS BRUTO SUO ET C. CASSIO, S.

QUo in ſtatu ſimus, cognoſcite. Heri veſperi apud me Hirtius fuit: qua mente eſſet Antonius, demonſtravit: peſſima ſcilicet, & infideliſſima. Nam ſe neque mihi provinciam dare poſſe ajebat, neque arbitrari, tutò in urbe eſſe quemquam noſtrûm: adeò eſſe militum concitatos animos, & plebis. Quod utrumque eſſe falſum, puto vos animadvertere: atque illud eſſe verum, quod Hirtius demonſtrabat: timere eum, ne, ſi mediocre auxilium dignitatis noſtræ habuiſſemus, nullæ partes iis in repub. relinquerentur. Cùm in his anguſtiis verſarer, placitum eſt mihi, ut poſtularem legationem liberam mihi, reliquiſque noſtris, ut aliqua cauſa proficiſcendi honeſta quæreretur. Hæc ſe impetraturum pollicitus eſt: nec tamen impetraturum confido: tanta eſt hominum inſolentia, & noſtri inſectatio. Ac ſi dederint, quod petimus, tamen paullo pòſt futurum puto, [1] ut hoſtes judicemur: aut aqua, & igni interdicamur. Quid ergo eſt, inquis, tui conſilii? dandus eſt locus fortunæ: cedendum ex Italia: migrandum Rhodum, aut aliquò terrarum arbitror. Si melior caſus fuerit, revertemur Romam: ſi mediocris, in exilio vivemus: ſi peſſimus, ad noviſſima auxilia deſcendemus. Succurret fortaſſe hoc loco alicui veſtrûm, cur noviſſimum tempus exſpectemus potiùs, quàm nunc aliquid moliamur? Quia ubi conſiſtamus, non habemus, præter Sex. Pompejum, & Baſſum Cæcilium: qui mihi videntur, hoc nuntio de Cæſare allato, firmiores futuri. Satis tempore ad eos accedemus, ubi, quid valeant, ſcierimus. Pro Caſſio, & te, ſi quid me velitis recipere, recipiam. Poſtulat enim hoc Hirtius, ut faciam. Rogo vos, quàm primùm mihi reſcribatis. nam non dubito, quin his de rebus ante horam quartam Hirtius certiorem me ſit facturus: quem in locum convenire poſſimus. Quò me velitis venire, reſcribite. Poſt noviſſimum Hirtii ſermonem, placitum eſt mihi poſtulare, ut liceret nobis eſſe Romæ publico præſidio: quod illos nobis conceſſuros non puto. magnam enim invidiam iis faciemus. Nihil tamen non poſtulandum putavi, quod æquum eſſe ſtatuerem.

BRUTUS, ET CASSIUS PRÆTT. M. ANTONIO COS. 2

DE TUA fide, & benivolentia in nos, niſi perſuaſum eſſet nobis, non conſcripſemus hæc tibi: quæ profectò, quum iſtum animum habes, in optimam partem accipies. Scribitur nobis, magnam veteranorum multitudinem Romam conveniſſe jam, & ad Kalendas Junias futuram multo majorem. De te ſi dubitemus, aut vereamur, ſimus noſtri diſſimiles. Sed certè, cùm ipſi in tua poteſtate fuerimus, tuoque adducti conſilio dimiſerimus ex municipiis noſtros neceſſarios, neque ſolùm edicto, ſed etiam litteris id fecerimus: digni ſumus, quos habeas tui conſilii participes, in ea præſertim re, quæ ad nos pertinet. Quare petimus à te, facias nos certiores tuæ voluntatis in nos: puteſne, nos tutos fore in tanta frequentia militum veteranorum, quos etiam de reponenda ara cogitare audimus: [2] quod velle te probare, vix quiſquam poſſe videtur, qui nos ſalvos, & honeſtos velit. Nos ab initio ſpectaſſe otium, nec quidquam aliud libertate communi quæſiſſe, exitus declarat. Fallere nemo nos poteſt, niſi tu: quod certè abeſt à tua virtute, & fide: ſed alius nemo facultatem habet decipiendi nos. tibi enim uni credidimus, & credituri ſumus. Maximo de nobis timore afficiuntur amici noſtri: quibus etſi tua fides explorata eſt, tamen illud in mentem venit, multitudinem veteranorum facilius [3] impelli ab aliis quolibet, quàm à te retineri poſſe. Reſcribas nobis ad omnia,

1. *UT hoſtes judicemur: aut aquâ & igni interdicamur.*] Non potui non hanc lectionem probare injicientibus eam nobis tribus mſſ. Palatino tertio, Gruteriano, Stewechiano. Editum eſt: *aut aqua & igni nobis interdicatur.*

2. *Quod velle te probare vix quiſquam poſſe videtur.*] Repræſentavi ſcripturam editionis Victorianæ. Palatinus verò tertius ac Stewechianus, *quod velle probare vix quis poſſe credere videtur.* Lambinus, cum quo facit codex Hittorpianus: *quod velle* & *probare vix quiſquam poſſe videtur.* In Medicæo codice erat, ut notat Egnatius; *quod vellet & probare vix quiſquam poſſe videtur.* Vulgo *quod velle te probare vix quiſquam credere poſſe vid.*

3. *Impelli ab aliis quolibet.*] Quanti vis precii hæc lectio eſt præ vulgata: *Impelli ab alio quolibet*, licet exigua mutatione converſa. Habemus eam ex Hitt. cod. Vatic. excerptis, atque editione Vict.

omnis, rogamus. Nam illud valdè leve eſt, ac nugatorium, ea re denuntiatum eſſe veteranis, quòd de commodis eorum menſe Junio laturus eſſes. Quem enim impedimento futurum putas, cùm de nobis certum ſit, nos quieturos? Non debemus cuiquam videri nimiùm cupidi vitæ, cùm accidere nobis nihil poſſit ſine pernicie, & confuſione omnium rerum.

3 BRUTUS, ET CASSIUS PRÆTT. S. D. ANTONIO, COS.

S. V. B. E. Litteras tuas legimus, ſimillimas edicti tui contumelioſas, minaceis, minimè dignas, quæ à te nobis mitterentur. Nos, Antoni, te nulla laceſſimus injuria: neque miraturum credidimus, ſi prætores, & ea dignitate homines, aliquid edicto poſtulaſſemus à conſule. Quòd ſi indignaris, auſos eſſe id facere: concede nobis, ut doleamus, ne hoc quidem abs te Bruto, & Caſſio tribui. Nam de dilectibus habitis, & pecuniis imperatis, exercitibus ſollicitatis & nuntiis trans mare miſſis, quòd te queſtum eſſe negas: nos quidem tibi credimus optimo animo te feciſſe: ſed tamen neque agnoſcimus quidquam eorum: & te miramur, cùm hæc reticueris, non potuiſſe continere iracundiam tuam, quin nobis de morte Cæſaris objiceres. Illud verò quemadmodum ferendum ſit, tute cogita: non licere prætoribus, concordiæ, ac libertatis cauſa, per edictum, de ſuo jure decedere, quin conſul arma minetur. Quorum fiducia nihil eſt quòd nos terreas. Neque enim decet, aut convenit nobis, periculo ulli ſubmittere animum noſtrum. Neque eſt Antonio poſtulandum, ut iis imperet, quorum opera liber eſt. Nos ſi alia hortarentur, ut bellum civile ſuſcitare vellemus, litteræ tuæ nihil proficerent. NULLA enim MINANTIS AUCTORITAS APUD LIBEROS EST. Sed pulchrè intelligis non poſſe nos quoquam impelli: & fortaſſis ea re minaciter agis, ut judicium noſtrum, metus videatur. Nos in hac ſententia ſumus, ut te cupiamus in libera rep. magnum, atque honeſtum eſſe: vocemus te ad nullas inimicitias: ſed tamen pluris noſtram libertatem, quàm tuam amicitiam æſtimemus. Tu etiam atque etiam vide, quid ſuſcipias, quid ſuſtinere poſſis: neque, quàm diu vixerit Cæſar, ſed quàm non diu regnarit, fac cogites. Deos quæſumus, conſilia tua reipub. ſalutaria ſint, ac tibi. ſi minus: ut, ſalva atque honeſta repub. tibi quàm minimùm noceant, optamus. Pridie nonas Sext.

4 D. BRUTUS IMP. COS. DESIGN. S. D. CICERONI.

SI de tua in me voluntate dubitarem, multis à te verbis peterem, ut dignitatem meam tuerere. ſed profectò eſt ita, ut mihi perſuaſi, me tibi eſſe curæ. [1] Progreſſus ſum ad Inalpinos cum exercitu, non tam nomen imperatorium captans, quàm cupiens militibus ſatisfacere, firmoſque eos ad tuendas noſtras res efficere: quod mihi videor conſecutus. Nam & liberalitatem noſtram, & animum ſunt experti. cum omnium bellicoſiſſimis bellum geſſi: multa caſtella cepi: multa vaſtavi. Non ſine cauſa ad ſenatum litteras miſi. Adjuva nos tua ſententia: quod cùm facies, ex magna parte communi commodo inſervieris.

5 M. CICERO S. D. BRUTO IMP. COS. DES.

LUPUS familiaris noſter, cùm à te veniſſet, cumque Romæ quoſdam dies commoraretur, ego eram in iis locis, in quibus maximè me tutò eſſe arbitrabar. Eò factum eſt, ut ad te Lupus ſine meis litteris rediret, cum tamen curaſſet tuas ad me perferendas. Romam autem veni ad quintum idus Decembris, nec habui quidquam antiquius quàm ut Panſam ſtatim convenirem: ex quo ea de te cognovi, quæ maximè optabam. Quare hortatione tu quidem non eges, ſi ne illa quidem in re, quæ à te geſta eſt, poſt hominum memoriam, maxima, hortatorem deſideraſti. Illud tamen breviter ſignificandum videtur, populum Rom. omnia à te exſpectare, atque in te aliquando recuperandæ libertatis omnem ſpem ponere. Tu, ſi dies, noctesque memineris (quod te facere certò ſcio) quantam rem geſſeris: non obliviſcere profectò, quantæ tibi etiam nunc gerendæ ſint. Si enim iſte provinciam nactus erit, cui quidem ego ſemper amicus fui antè, quàm illum intellexi non modò apertè, ſed etiam libenter cum rep. bellum gerere, [2] ſpem reliquam nullam video ſalutis. Quamobrem te obſecro iiſdem precibus, quibus S. P. Q. R. ut in perpetuum remp. dominatu regio liberes: ut principiis conſentiant exitus. Tuum eſt hoc munus, tuæ partes: à te hoc civitas, vel omnes potiùs gentes non exſpectant ſolùm, ſed etiam poſtulant. quamquam, cum hortatione non egeas, ut ſuprà ſcripſi, non utar ea pluribus verbis: faciam illud, quod meum eſt, ut tibi omnia mea officia, ſtudia, curas, cogitationes pollicear, quæ ad tuam laudem, & gloriam pertinebunt. Quamobrem velim tibi ita perſuadeas, me tum reip. cauſa, quæ mihi vita mea eſt carior: tum quòd tibi ipſi faveam, tuamque dignitatem amplificari velim, tuis optimis conſiliis, amplitudini, gloriæ, nullo loco defuturum. Vale.

M. CICERO S. D. BRUTO IMP. COS. DES. 6

LUPUS noſter cùm Romam ſexto die Mutina veniſſet, poſtridie me manè convenit; tua mihi mandata diligentiſſimè expoſuit, & litteras reddidit. Quòd mihi tuam dignitatem commendas, eodem tempore exiſtimo te mihi meam dignitatem commendare: quam mehercule non habeo tua cariorem. Quare mihi gratiſſimum facies, ſi exploratum habebis, tuis laudibus nullo loco nec conſilium, nec ſtudium meum defuturum. Cùm tribuni plebis edixiſſent, ſenatus adeſſet ad XIII. Kal. Jan. haberentque in animo de præſidio conſulum deſignatorum referre: quamquam ſtatueram in ſenatum ante Kal. Jan. non venire: tamen, cùm eo die ipſo edictum tuum propoſitum eſſet, nefas eſſe duxi, aut ita haberi ſenatum, ut de tuis divinis in remp. meritis ſileretur, (quod factum eſſet, niſi ego veniſſem) aut, etiam ſi quid de te honorificè diceretur, me non adeſſe. Itaque in ſenatum veni manè: quod cùm eſſet animadverſum, frequentiſſimi ſenatores convenerunt. Quæ de te in ſenatu egerim, quæ in concione maxima dixerim, aliorum te litteris malo cognoſcere. Illud tibi perſuadeas velim, me omnia, quæ ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quæ eſt per ſe ampliſſima, ſummo ſemper ſtudio ſuſcepturum, & defenſurum: quod quamquam intelligo me cum multis eſſe facturum, tamen appetam hujus rei principatum.

M. CICERO S. D. D. BRUTO IMP. CONS. DES. 7

CUM adhibuiſſet domi meæ Lupus me, & Libonem, & Servium, conſobrinum tuum: quæ mea fuerit ſententia, cognoſſe te ex M. Sejo arbitror: qui noſtro ſermoni interfuit. Reliqua, quamquam ſtatim Sejum Græceius eſt ſubſecutus, tamen ex Græceio poteris cognoſcere. Caput autem eſt hoc, quod te diligentiſſimè [3] percipere, & meminiſſe volam: ut ne in libertate, & ſalute pop. R. conſervanda auctoritatem ſenatus exſpectes, nondum liberi, ne & tuum factum condemnes (nullo enim publico conſilio remp.

1. *Progreſſus ſum ad Inalpinos.*] Quod haberi in ſuis Victorius, id quoque ego de Palatinis primo ac tertio, Stewechiano ac Hittorpiano, Vaticano. *Inalpini* ſunt qui alpibus inhabitant. vulgò, *tranſalpinos*, male, &, ut Victorius recte adnotavit, contra hiſtoriæ fidem. Mox in Palatino primo ac Vaticani excerptis reperi, *cum omnium bellicoſis bellum g.*

2. *Spem reliquam nullam video ſalutis.*] Hittorpianus codex optimus ut in duobus hiſce libris expertus ſum; *bellum gerere; reliquiam nullam video ſalutis*, eruditè aut priſce, ſi plures codices accederent. Palatinus verò tertius: *ſpem nullam video ſalutis*: ut pateat, locum, ut vulgò legitur, non ſic a Cicerone eſſe profectum. Epiſtola ſequenti codex Hittorpianus legit: *quæ in conventione maximâ dixerim.* aliàs *concione.*

3. *Præcipere & meminiſſe volam.*] Ita Palatinus primus, Hittorpianus, Vaticani excerpta: Mediceus ut notat Egnatius, atque ex eo Victorius in editione ſuâ: vulgò: *meminiſſe velim*: plebeiè ut ſolet, ubi antiquitati honor non tribuitur.

remp. liberaſti: quo etiam res illa major, & clarior) & adoleſcentem, vel puerum potius, Cæſarem, judices temerè feciſſe, qui tantam cauſam publicam privato conſilio ſuſceperit: denique homines ruſticos, ſed fortiſſimos viros, civeiſque optimos, dementeis fuiſſe judices, primùm milites veteranos, commilitones tuos, deinde legionem Martiam, legionem quartam: quæ ſuum conſulem hoſtem judicaverunt, ſeque ad ſalutem reip. defendendam contulerunt. Voluntas ſenatus, pro auctoritate haberi debet, cùm auctoritas impeditur metu. Poſtremò ſuſcepta tibi cauſa jam bis eſt, ut non ſit integrum: primùm idibus Martiis: deinde proximè exercitu novo, & copiis comparatis. Quamobrem ad omnia ita paratus, ſeu animatus debes eſſe, non ut nihil facias, niſi juſſus: ſed ut ea geras, quæ ab omnibus ſumma cum admiratione laudentur.

8 M. CICER. S. D. BRUTO IMP. COS. DES.

EO tempore Polla tua miſit, ut ad te, ſi quid vellem, darem litterarum, cùm quid ſcriberem, non habebam. Omnia enim erant ſuſpenſa propter exſpectationem legatorum: qui quid egiſſent, nihil dum nuntiabatur. Hæc tamen ſcribenda exiſtimavi: primùm, S. P. Q. R. de te laborare, non ſolùm ſalutis ſuæ cauſa, ſed etiam dignitatis tuæ. admirabilis enim eſt quædam tui nominis caritas, amorque in te ſingularis omnium civium. Ita enim ſperant, atque confidunt, ut anteà rege, ſic hoc tempore regno te remp. liberaturum. Romæ dilectus habetur, totaque Italia: ſi hic dilectus appellandus eſt, cùm ultrò ſe offerunt omnes: tantus ardor occupavit animos hominum deſiderio libertatis, odioque diutinæ ſervitutis. De reliquis rebus à te jam exſpectare litteras debemus, quid ipſe agas, quid noſter Hirtius, quid Cæſar meus: quos ſpero brevi tempore ſocietate victoriæ tecum copulatos fore. Reliquum eſt, ut de me id ſcribam, quod te ex tuorum litteris & ſpero, & malo cognoſcere: me neque deeſſe ulla in re, neque umquam defuturum dignitati tuæ.

9 D. BRUTUS S. D. M. CICERONI.

PANSA amiſſo, quantum detrimenti reſp. acceperit, non te præterit. nunc auctoritate, & prudentia tua proſpicias oportet, ne inimici noſtri, coss. ſublatis, ſperent ſe convaleſcere poſſe. Ego, ne conſiſtere poſſit in Italia Antonius, dabo operam. ſequar eum confeſtim. utrumque me præſtaturum ſpero, ne aut Ventidius elabatur, aut Antonius in Italia moretur. In primis rogo te, ad hominem ventoſiſſimum, Lepidum, mittas, ne bellum nobis redintegrare poſſit, Antonio ſibi conjuncto. Nam de Pollione Aſinio puto te perſpicere, quid facturus ſit. multæ & bonæ, & firmæ ſunt legiones Lepidi, & Aſinii. Neque hæc idcirco tibi ſcribo, quod te non eadem advertere ſciam, ſed quòd mihi perſuaſiſſimum eſt, Lepidum rectè facturum numquam, ſi fortè vobis id de hoc dubium eſt. Plancum quoque confirmetis oro: quem ſpero, pulſo Antonio, reip. non defuturum. Si ſe Alpeis Antonius trajecerit, conſtitui præſidium in Alpibus collocare, & te de omni re facere certiorem. III. Kal. Mai, ex caſtris Regii.

10 D. BRUTUS S. D. M. CICERONI.

NON mihi remp. plus debere arbitror, quàm me tibi. gratiorem me eſſe in te poſſe, quàm iſti perverſi ſint in me, exploratum habes. [1] Si autem hoc tempore ab his videatur dici cauſa ſimulationis, mallem mehercule tuum judicium, quàm ex altera parte omnium iſtorum. Tu enim à certo ſenſu, & vero judicas de nobis: quod iſti ne faciant, ſumma malivolentia, & livore impediuntur. Interpellent me, quo minus honoratus ſim, dum ne interpellent, quo minùs reſp. à me commodè adminiſtrari poſſit. Quæ quanto ſit in periculo, quàm potero breviſſimè exponam. Primum omnium, quantam perturbationem rerum urbanarum afferat obitus conſulum, quantamque [2] cupiditatem hominibus injiciat vacuitas, non te fugit. Satis me multa ſcripſiſſe, quæ litteris commendari poſſint, arbitror. Scio enim cui ſcribam. Revertor nunc ad Antonium: qui ex fuga cùm parvulam manum peditum haberet inermium, ergaſtula ſolvendo, omneque genus hominum arripiendo, ſatis magnum numerum videtur effeciſſe. Huc acceſſit manus Ventidii, quæ trans Apenninum itinere facto difficillimo ad Vada pervenit, atque ibi ſe cum Antonio conjunxit. Eſt numerus veteranorum, & armatorum ſatis frequens cum Ventidio. Conſilia Antonii hæc ſint, neceſſe eſt: aut ad Lepidum ut ſe conferat, ſi recipitur: aut Apennino, Alpibuſque ſe teneat, & decurſionibus per equites, quos habet multos, vaſtet ea loca, in quæ incurrerit: aut rurſus ſe in Etruriam referat, quòd ea pars Italiæ ſine exercitu eſt. Quòd ſi me Cæſar audiſſet, atque Apenninum tranſiſſet: in tantas anguſtias Antonium compuliſſem, ut inopia potiùs, quàm ferro conficeretur. Sed neque Cæſari imperari poteſt, nec Cæſar exercitui ſuo. quod utrumque peſſimum eſt. Cùm hæc talia ſint: quo minùs, quod ad me pertinebit, homines interpellent, ut ſuprà ſcripſi, non impedio. Hæc quemadmodum explicari poſſint, aut, à te cùm explicabuntur, ne impediantur, timeo. Alere jam milites non poſſum. Cùm ad remp. liberandam acceſſi, H-S. mihi fuit pecuniæ CCCC. amplius. Tantum abeſt, ut meæ rei familiaris liberum ſit quidquam, ut omneis jam meos amicos ære alieno obſtrinxerim. Septenûm numerum nunc legionum alo: qua difficultate, tu arbitrare. Non, ſi Varronis theſauros haberem, [3] ſubſiſtere ſumtui poſſem. Cùm primùm de Antonio exploratum habuero, faciam te certiorem. Tu me amabis ita, ſi hoc idem me in te facere ſenſeris. III. Non. Mai, ex caſtris, Derthoma.

11 D. BRUTUS IMP. COS. DES. S. D. M. CICERONI.

EODEM exemplo à te mi literæ redditæ ſunt, quo pueri mei attulerunt. Tantum me tibi debere exiſtimo, quantum perſolvere difficile eſt: Scripſi tibi, quæ hîc gererentur. in itinere eſt Antonius: ad Lepidum proficiſcitur: ne de Planco quidem ſpem adhuc abjecit, ut ex libellis ejus animadverti, qui in me inciderunt. In quibus quos ad Aſinium, quos ad Lepidum, quos ad Plancum mitteret, ſcribebat. Ego tamen non habui ambiguum, & ſtatim ad Plancum miſi: & biduo ab Allobrogibus, & totius Galliæ legatos exſpecto, quos confirmatos domum remittam. Tu, quæ iſtic opus erunt adminiſtrari, proſpicies, ut ex tua voluntate, reique publicæ commodo fiant. Malivolentiæ hominum in me, ſi poteris, ocurres. ſi non poteris, hoc conſolabere, quòd me de ſtatu meo nullis contumeliis deterrere poſſunt. pridiè nonas Mai, ex caſtris, finibus Statiellenſium.

12 M. CICERO S. D. BRUTO IMP. COS. DES.

TREIS uno die à te accepi epiſtolas: unam brevem, quam Flacco Volumnio dederas: duas pleniores: quarum

1. *Si autem hoc tempore ab his videatur dici cauſa ſimulationis, mallem mehercule tuum judicium.*] Nihil diſceſſi à vulgatâ lectione, quam & in ſua editione exhibuit P. Victorius. Palatinus primus ita hunc locum concipit: *Sit an hoc tempore is videantur dici cauſa malle me tuum judicium quam ex alt.* Tertius verò: *Si tamen hoc tempore ab iis videantur dici ea mallem me hercule.* Lambinus ex conſenſu Manutii imò ductu (nam hic præiit) legit: *Si tamen hæc temporis videantur dici, cauſa, malim meherc.* Gulielmianus, puto, Stewechianum reſpiciens, qui fermè Palatino tertio reſpondet, legendum ducit; *Sit, an hoc temporis videatur, dicis cauſa.* Antonius Auguſtinus, teſtante Urſino malebat: *Si tamen hoc tempore videatur dicis cauſa mallem tuum judicium.* Hæc collegi, ut ſtudioſus lector ad ſuum guſtum eligeret quod lubet: nos temerarii in mutando non potuimus eſſe.

2. *Cupiditatem hominibus injiciat vacuitas.*] Sic eſt in Vaticani excerptis, item Mediceo, ut ex eo edidit Victorius. Palatinus tamen primus, Stewechianus, Hittorpianus; *iniciat* (vel *initiat vacivitas*: ut Plautus dixit *vacivas ædes aurium* pro *vacuas*. Palatinus tertius hic totis mendis adopertus eſt: *hominibus incitat novitas.* ſicut prima editio: *iniciat in tua rerum novitas.* vulg. *injiciat novitas.*

3. *Subſiſtere ſumptui poſſem.*] Elegantiſſimè ſic Palatini duo, pr. tert. Vaticani excerpta, Stewechianus, Hittorpianus; idque ex Medic. in ſuâ impreſſione ſecutus eſt Victorius. Ex gloſſa in editionibus ſequius legitur, *ſuſtinere ſumptum poſſum.*

jum alteram tabellarius T. Vibii attulit: alteram ad me miſit Lupus. Ex tuis litteris, & ex Græceii oratione, non modò non reſtinctum bellum, ſed etiam inflammatum videtur. Non dubito autem, pro tua ſingulari prudentia, quin perſpicias, ſi aliquid firmitatis nactus ſit Antonius, omnia tua illa præclara in remp. merita, ad nihilum eſſe ventura. Ita enim Romam erat nuntiatum, ita perſuaſum omnibus, cum paucis inermis, perterritis metu, fracto animo, fugiſſe Antonium. Qui ſi ita ſe habet, ut, quemadmodum audiebam de Græceio, confligi cum eo ſine periculo non poſſit: non ille mihi fugiſſe à Mutina videtur, [1] ſed locum belli gerendi mutaſſe. Itaque homines alii facti ſunt: nonnulli etiam queruntur, quòd perſecuti non ſitis. opprimi potuiſſe, ſi celeritas adhibita eſſet, exiſtimant. OMNINO eſt hoc populi, maximeque noſtri, in eo potiſſimùm abuti libertate, per quem eam conſecutus ſit. Sed tamen providendum ſit: ne quæ juſta querela eſſe poſſit. Res ſe ſic habet. Is bellum confecerit, qui Antonium oppreſſerit. Hoc quam vim habeat, te exiſtimare malo, quam me apertiùs ſcribere.

13 D. BRUTUS, M. T. C. S. D.

IAM non ago tibi gratias. Cui enim re vix referre poſſum, huic verbis non patitur res ſatisfieri. Attendere te volo, quæ in manibus ſunt. Qua enim prudentia es, nihil te fugiet, ſi meas litteras diligenter legeris. Sequi confeſtim Antonium his de cauſis, Cicero, non potui. eram ſine equitibus, ſine jumentis: Hirtium periſſe neſciebam: Cæſari non credebam priùs, quàm conveniſſem, & collocutus eſſem. Hic dies hoc modo abiit. Poſtero die manè à Panſa ſum accerſitus Bononiam. Cùm in itinere eſſem, nuntiatum mihi eſt, eum mortuum eſſe. Recurri ad meas copiolas. ſic enim verè eas appellare poſſum. Sunt extenuatiſſimæ, & inopia omnium rerum peſſimè acceptæ. Biduo me Antonius anteceſſit, itinera multo majora fugiens, quàm ego ſequens. Ille enim iit paſſim: ego ordinatim. Quacumque iit, ergaſtula ſolvit, homines arripuit, conſtitit nuſquam priùs, quàm ad Vada venit. Quem locum volo tibi eſſe notum. Jacet inter Apenninum, & Alpeis, impeditiſſimus ad iter faciendum. Cum abeſſem ab eo millia paſſuum triginta, & ſe jam Ventidius conjunxiſſet: concio ejus ad me eſt allata: in qua petere cœpit à militibus, ut ſe trans Alpeis ſequerentur: ſibi cum M. Lepido convenire. Succlamatum eſt, & frequenter à militibus Ventidianis, (nam ſuos valde quàm paucos habet) ſibi aut in Italia pereundum eſſe, aut vincendum. Et orare cœperunt, ut Pollentiam iter facerent. Cùm ſuſtinere eos non poſſet, in poſterum diem iter ſuum contulit. Hac re mihi nuntiata: ſtatim quinque cohorteis Pollentiam præmiſi, meumque iter eò contuli. hora antè præſidium meum Pollentiam venit, quàm Trebellius cum equitibus. ſanè quàm ſum gaviſus. in hoc enim victoriam puto conſiſtere. In ſpem venerant, quòd neque Planci quatuor legiones omnibus ſuis copiis pares arbitrabantur: neque ex Italia tam celeriter exercitum trajici poſſe credebant. quos ipſi adhuc ſatis arroganter Allobroges, equitatuſque omnis, qui eò præmiſſus erat à nobis, ſuſtinebant: noſtroque adventu ſuſtineri faciliùs poſſe confidimus. Tamen ſi quo etiam caſu Iſaram ſe trajecerint, ne quod detrimentum reip. injungant, ſumma à nobis dabitur opera. vos magnum animum, optimamque ſpem de ſumma repub. habere volumus, cùm & nos, & exercitus noſtros ſingulari concordia conjunctos, ad omnia pro vobis videatis paratos. Sed tamen nihil de diligentia remittere debetis, dareque operam, ut quàm paratiſſimi & ab exercitu, reliquiſque rebus pro veſtra ſalute contra ſceleratiſſimam conſpirationem hoſtium confligamus. qui quidem eas copias, quas diu ſimulatione reip. comparabant, ſubitò ad patriæ periculum converterunt.

M. T. C. D. BRUTO, IMP. CONS. DES. S. P. D. 14

MIRABILITER, mi Brute, lætor, mea conſilia, measque ſententias à te probari de decemviris, de ornando adoleſcente. Sed quid refert? mihi crede, homini non glorioſo: planè jam, Brute, frigeo. ὄργανον enim erat meum, ſenatus. id eſt jam diſſolutum. Tantam ſpem attulerat exploratæ victoriæ tua præclara Mutina eruptio, fuga Antonii, conciſo exercitu, ut omnium animi relaxati ſint, meæque ille vehementes contentiones, tanquam σκιαμαχίαι eſſe videantur. Sed, ut ad rem redeam, legionem Martiam, & quartam negant, qui illas norunt, ulla conditione ad ſe poſſe perduci. Pecuniæ, quam deſideras, ratio poteſt haberi, eaque habebitur. De Bruto arceſſendo, Cæſareque ad Italiæ præſidium tenendo, valde tibi aſſentior. Sed, ut ſcribis, habes obtrectatores: quos equidem faciliimè ſuſtineo, ſed impediunt tamen. Ex Africa legiones exſpectantur. Sed bellum iſtic renatum mirantur homines. Nihil tam præter ſpem umquam. Nam die tuo natali victoria nuntiata, in multa ſecula videbamus remp. liberatam. Novi timores retexunt ſuperiora. Scripſiſti autem ad me iis, quas idibus Majis dediſti, modò te accepiſſe à Planco litteras, non recipi à Lepido Antonium. Id ſi ita eſt, omnia faciliora: ſin aliter, magnum negotium: cujus exitum non extimeſco; tuæ partes ſunt. Ego plus, quàm feci, facere non poſſum. Te tamen, id quod ſpero, omnium maximum & clariſſimum videre cupio.

M. T. C. D. BRUTO, IMP. COS. DES. S. P. D. 15

ETSI mihi tuæ litteræ jucundiſſimæ ſunt: tamen jucundius fuit, quòd in ſumma occupatione tua Planco collegæ mandaſti, ut te mihi per litteras excuſaret: quod fecit ille diligenter. mihi autem nihil amabilius officio tuo, & diligentia. Conjunctio tua, cum collega, concordiaque veſtra, quæ literis communibus declarata eſt, S. P. Q. R. gratiſſima accidit. Quod ſupereſt, perge, mi Brute: & jam non cum aliis, ſed tecum ipſe certa. Plura ſcribere non debeo, præſertim ad te: quo magiſtro brevitatis uti cogito. Litteras tuas vehementer exſpecto, & quidem taleis, quales maximè opto.

M. T. C. D. BRUTO, IMP. COS. DES. S. P. D. 16

PERMAGNI intereſt, quo tibi hæc tempore epiſtola reddita ſit: utrum cum ſollicitudinis aliquid haberes, an cum ab omni moleſtia vacuus eſſes. Itaque ei præcepi, quem ad te miſi, ut tempus obſervaret epiſtolæ tibi reddendæ. Nam quemadmodum coram qui ad nos intempeſtivè adeunt, moleſti ſæpe ſunt: ſic epiſtolæ offendunt, non loco redditæ. Si autem, ut ſpero, nihil te perturbat, nihil impedit: & ille, cui mandavi, ſatis ſcitè, & commodè tempus ad te cepit adeundi: confido, me, quod velim, facilè à te impetraturum. L. Lamia præturam petit. hoc ego utor uno omnium plurimum. Magna vetuſtas, magna conſuetudo intercedit: quodque plurimùm valet, nihil mihi ejus eſt familiaritate jucundius. Magno prætereà beneficio ejus, magnoque merito ſum obligatus. Nam Clodianis temporibus, cùm equeſtris ordinis princeps eſſet, proque mea ſalute accerrimè propugnaret, à Gabinio conſule relegatus eſt: quod ante id tempus civi Romano contigit nemini. Hoc cùm pop. Rom. meminit, meipſum non meminiſſe turpiſſimum eſt. Quapropter perſuade tibi, mi Brute, me petere præturam. Quamquam enim Lamia ſummo ſplendore, ſumma gratia eſt, magnificentiſſimo munere ædilitio: tamen, quaſi ea ita non eſſent, ego ſuſcepi totum negotium. Nunc, ſi me tanti facis, quanti certè facis, quum equitum centurias tenes, in queis regnas, mitte ad Lupum noſtrum, ut is nobis eas centurias conficiat. Non tenebo te pluribus. Ponam in extremo quod ſentio. Nihil eſt, Brute, cum omnia à te exſpectem, quod mihi gratius facere poſſis.

M. T. C.

1. *Sed locum belli gerendi mutaſſe.*] Gulielm. veriſimil. lib. III. cap. 2. ex Stewech. libro legit, *ſed ſolum belli gerendi mutaſſe.* ut & paullò poſt: *homines alii fatiſcunt*: pro quo in libris mſſ. *alii facti ſunt*. in editionibus *alii fracti ſunt*. Nos noſtram fidem unius codicis auctoritate fundare noluimus. Epiſtola XIV. ex veſtigiis Stewech. Hittorp. legit Gulielm. *Novi tumores retexunt ſuperiora.*

1. Ge-

17 M. T. C. D. BRUTO, IMP. S. D.

LAMIA uno omnium familiariſſimè utor. Magna ejus in me, non dico officia, ſed merita, eaque ſunt pop. Rom. notiſſima. Is magnificentiſſimo munere ædilitatis perfunctus; petit præturam: omneſque intelligunt, nec dignitatem ei deeſſe, nec gratiam. Sed is ambitus excitare videtur, ut ego omnia pertimeſcam, totamque petitionem Lamiæ mihi ſuſtinendam putem. In ea re quantum me poſſis adjuvare, facilè perſpicio: nec verò, quantum mea cauſa velis, dubito. Velim igitur, mi Brute, tibi perſuadeas, nihil me majore ſtudio à te petere, nihil te mihi gratius facere poſſe, quàm ſi omnibus tuis opibus, omni ſtudio, Lamiam in petitione juveris, quod ut facias, vehementer te rogo.

18 M. T. C. D. BRUTO, IMP. COS. DES. S. D.

ETSI ex mandatis, quæ Galbæ, Volumnioque ad ſenatum dediſti, quid timendum, ſuſpicandumque putares, ſuſpicabamur: tamen timidiora mandata videbantur, quam erat dignum tua, populique Rom. victoria. Senatus autem, mi Brute, fortis eſt, & habet forteis duces. Itaque moleſtè ferebat, ſe à te, quem omnium, quicumque fuiſſent, fortiſſimum judicaret, timidum, atque ignavum judicari. Etenim cùm, te incluſo, ſpem maximam omnes habuiſſent in tua virtute, florente Antonio: quis erat, qui quidquam timeret, profligato illo, te liberato? Nec verò Lepidum timebamus. Quis enim eſſet, qui illum tam furioſum arbitraretur, ut qui in maximo bello pacem velle ſe dixiſſet, is in optatiſſima pace bellum reip. indiceret? Nec dubito, quin tu plus provideas. Sed tamen tam recenti gratulatione, quam tuo nomine ad omnia deorum templa fecimus, renovatio timoris magnam moleſtiam afferebat. Quare velim equidem, id quod ſpero, ut planè abjectus, & fractus ſit Antonius. Sin aliquid virium forte collegerit: ſentiet, nec ſenatui conſilium, nec populo Rom. virtutem deeſſe, nec reip. te vivo, imperatorem. XIIII. Kal. Jun.

19 D. BRUTUS M. T. C. S. P. D.

AD ſenatum quas litteras miſi, velim priùs perlegas: & ſi quà tibi videbuntur, commutes. Neceſſariò me ſcripſiſſe, ipſe animadvertes. nam cùm putarem, quartam, & Martiam legiones mecum futuras, ut Druſo, Paulloque placuerat, vobis aſſentientibus: minùs de reliquis rebus laborandum exiſtimavi. Nunc verò cùm ſim cum tironibus egentiſſimis, valde & meam & veſtram vicem timeam, neceſſe eſt. Vicetini me, & M. Brutum præcipuè obſervant. His ne quam patiare injuriam fieri in ſenatu vernarum cauſa, à te peto. Cauſam habent optimam, officium in rempub. ſummum, [1] genus hominum adverſariorum ſeditioſum, & inertiſſimum. XII. Kalend. Jun. Vercellis.

20 D. BRUTUS IMP. COS. DES. M. T. C. S. P. D.

QUOD pro me non facio, id pro te facere meus in te amor, tuaque officia cogunt, ut timeam. Sæpe enim mihi cùm eſſet dictum, neque à me contemtum, noviſſimè Labeo Segulius, homo ſibi ſimillimus, narrat mihi, apud Cæſarem ſe fuiſſe, multumque ſermonem de te habitum eſſe: ipſum Cæſarem nihil ſanè de te queſtum, niſi dictum, quòd diceret te dixiſſe, laudandum adoleſcentem, ornandum, tollendum: ſe non eſſe commiſſurum, ut tolli poſſit. Hoc ego Labeonem credo illi retuliſſe, aut finxiſſe dictum, non ab adoleſcente prolatum. Veteranos verò peſſimè loqui, volebat Labeo me credere, & tibi ab iis inſtare periculum: maximeque indignari, quòd in decemviris neque Cæſar, neque ego habiti eſſemus: atque omnia ad veſtrum arbitrium eſſent collata. Hæc cùm audiſſem, & jam in itinere eſſem, committendum nondum putavi, priùs ut Alpeis tranſgrederer, quàm, quid iſtic ageretur, ſcirem. Nam de tuo periculo, crede mihi, jactatione verborum, & denuntiatione periculi, ſperare eos, te pertimefacto, adoleſcente impulſo, poſſe magna conſequi præmia: & totam iſtam cantilenam ex hoc pendere, ut quàm plurimum lucri faciant. Neque tamen non te cautum eſſe volo, & inſidias vitantem. Nihil enim tua mihi vita poteſt eſſe jucundius, neque carius. Illud vide, ne timendo, magis timere cogare. Et, quibus rebus poteſt occurri veteranis, occurras. Primùm, quod deſiderant de decemviris, facias: deinde de præmiis. Si tibi videtur, agros eorum militum, qui cum Antonio veterani fuerunt, his dandos cenſeas ab utriſque nobis. De nummis, lentè, ac ratione habita pecuniæ, ſenatum de ea re conſtituturum: quattuor legionibus iis, quibus agros dandos cenſuiſtis, video facultatem fore ex agris Sillani, & agro Campano. Æqualiter, aut forte agros legionibus aſſignari puto oportere. Hæc me tibi ſcribere non prudentia mea hortatur, ſed amor in te, & cupiditas otii: quod ſine te conſiſtere non poteſt. Ego, niſi valdè neceſſe fuerit, ex Italia non excedam. legiones armo, paro: ſpero me non peſſimum exercitum habiturum ad omneis caſus, & impetus hominum. De exercitu, quem Panſa habuit, legionem mihi Cæſar non remittit. Ad has litteras ſtatim mihi reſcribe, tuorumque aliquem mitte, ſi quid reconditum magis erit, meque ſcire opus eſſe putaris. Vale. IIX. Kal. Jan. Eporedia.

21 M. T. C. D. BRUTO, IMP. S. P. D.

DII iſti Segulio malefaciant, homini nequiſſimo omnium, qui ſunt, qui fuerunt, qui futuri ſunt. Quid? tu illum tecum ſolùm, aut cum Cæſare, qui neminem prætermiſerit, quîcum loqui potuerit, cui non eadem iſta dixerit? Te tamen, mi Brute, ſic amo, ut debeo, quòd iſtud quidquid eſſet nugarum, me ſcire voluiſti. Signum enim magnum amoris dediſti. Nam quod idem Segulius, veteranos queri, quòd tu, & Cæſar in decemviris non eſſetis, utinam ne ego quidem eſſem. Quid enim moleſtius? Sed tamen, cùm ego ſenſiſſem, de iis, qui exercitus haberent, ſententiam ferri oportere: iidem illi, qui ſolent, reclamarunt. Itaque excepti etiam eſtis, me vehementer repugnante. Quocirca Segulium negligamus, qui res novas quærit: non quò veterem comederit: nullam enim habuit: ſed hanc ipſam recentem novam devoravit. Quòd autem ſcribis, te, quod pro te ipſo non facias, [2] id pro me, ut de me timeas aliquid: omni te, vir optime, mihique cariſſime Brute, de me metu libero. Ego enim, quæ provideri potuerunt, non fallar in iis, quæ cautionem non habebunt de his non ita valde laboro. Sim enim impudens, ſi plus poſtulem, quàm homini à rerum natura tribui poteſt. Quòd mihi præcipis, ut caveam, ne timendo, magis timere cogar: & ſapienter, & amiciſſimè præcipis. Sed velim tibi perſuadeas, cùm te conſtet excellere hoc genere virtutis, ut numquam extimeſcas, numquam perturbere: me huic tuæ virtuti proximè accedere. Quamobrem neque metuam quicquam, & cavebo omnia. Sed vide, ne tua jam, mi Brute, culpa futura ſit, ſi ego quidquam timeam. tuis enim opibus, & conſulatu tuo, etiam ſi timidi eſſemus, tamen omnem timorem abjiceremus: præſertim cùm perſuaſum omnibus eſſet, mihique maximè, à te nos unicè diligi. Conſiliis tuis, quæ ſcribis de quattuor legionibus: deque agris aſſignandis ab utriſque veſtrûm, vehementer aſſentior. Itaque cùm quidam de collegis noſtris agrariam curationem ligurrirent: diſturbavi rem, totamque vobis integram reſervavi. Si quid erit occultius, & (ut ſcribis) reconditum, meorum aliquem mittam, quò fideliùs ad te litteræ perferantur. Pridie Nonas Junii.

22 M. T. C. D. BRUTO, IMP. S. P. D.

CUM Appio Claudio, C. F. ſumma mihi neceſſitudo eſt, multis ejus officiis, & meis mutuis conſtituta:

Peto

1. *Genus hominum adverſariorum ſeditioſum & inertiſſimum.*] Libentius deleverim, de ſententia Palatini tertii, το *hominum*; quod injectum mihi ab aliquo luxurioſo videtur. Idem codex habet *ſeditioſum & ineptiſſimum*: cum Palatinus primus, itemque Hittorpianus ſcribant *incertiſſimum*. ſed malè omnes.

2. *Id pro me, ut de me timeas aliquid.*] Editum eſt: *id pro me facere ut de me timeas aliquid.* ſed verbum *facere*, neque exſtat in Palatino primo, tertio, neque adeò editione primariâ aut Victoriana.

1. Me

Peto à te majorem in modum, vel humanitatis tuæ, vel mea cauſa, ut eum auctoritate tua, quæ plurimùm valet, conſervatum velis. Volo, te, cùm fortiſſimus vir cognitus ſis, etiam clementiſſimum exiſtimari. Magno tibi erit ornamento, nobiliſſimum adoleſcentem beneficio tuo eſſe ſalvum. Cujus quidem cauſa hoc melior debet eſſe, quòd pietate adductus, propter patris reſtitutionem, [1] me cum Antonio conjunxit. Quare etſi minùs veram cauſam habebis, tamen vel probabilem aliquam poteris inducere. Nutus tuus poteſt hominem, ſummo loco natum, ſummo ingenio, ſumma virtute, officioſiſſimum præterea, & gratiſſimum, incolumem in civitate retinere. Quod ut facias, ita à te peto, ut majore ſtudio, magisve ex animo petere non poſſim.

23 D. BRUTUS M. T. C. S. P. D.

NOS hìc valemus rectè: &, quò meliùs valeamus, operam dabimus. Lepidus commodè de nobis ſentire videtur. Omni timore depoſito, debemus liberè reipub. conſulere. Quòd ſi omnia eſſent aliena, tamen tribus tantis exercitibus propriis reipub. valentibus, magnum animum habere debebas, quem & ſemper habuiſti, & nunc fortuna adjuvante augere potes. Quæ tibi ſuperioribus litteris mea manu ſcripſi, terrendi tui cauſa homines loquuntur. Si frenum momorderis, peream, ſi te omnes, quot ſunt, conantem loqui ferre poterint. Ego, tibi ut anteà ſcripſi, dum mihi à te litteræ veniant, in Italia morabor. IIX. Kal. Jun. Eporedia.

24 CICERO D. BRUTO, S. P. D.

NARRO tibi: anteà ſubiraſcebar brevitati tuarum litterarum. nunc mihi loquax eſſe videor. te igitur imitabor. Quàm multa, quàm paucis? Te rectè valere, operamque dare, ut quotidie meliùs: Lepidum commodè ſentire: tribus exercitibus quidvis nos oportere confidere. Si timidus eſſem: tamen iſta epiſtola mi omnem metum abſterſiſſes. Sed, ut mones, frenum momordi. etenim qui, te incluſo, omnem ſpem habuerim in te, quid nunc putas? Cupio jam vigiliam meam, Brute, tibi tradere: ſed ita, ut ne deſim conſtantiæ meæ. Quòd ſcribis, in Italia te moraturum, dum tibi litteræ meæ veniant: ſi per hoſtem licet, non erraris. multa enim Romæ. ſin adventu tuo bellum confici poteſt: nihil ſit antiquius. Pecunia expeditiſſima quæ erat, tibi decreta eſt. Habes amantiſſimum Servium. nos non deſumus. IIX. Idus Junias.

25 M. T. C. D. BRUTO, S. P. D.

EXSPECTANTI mihi tuas quotidie litteras, Lupus noſter ſubitò denuntiavit, ut ad te ſcriberem, ſi quid vellem. Ego autem, etſi, quid ſcriberem, non habebam (acta enim ad te mitti ſciebam: inanem autem ſermonem litterarum tibi injucundum eſſe audiebam) brevitatem ſecutus ſum, te magiſtro. Scito igitur, in te, & in collega ſpem omnem eſſe. De Bruto autem nihil adhuc certi: quem ego, quemadmodum præcipis, privatis litteris ad bellum commune vocare non deſino: qui utinam jam adeſſet, inteſtinum urbis malum, quod eſt non mediocre, minùs timeremus. Sed quid ago? non imitor λακωνισμὸν tuum? altera jam pagella procedit. Vince, & vale. XIV. Kal. Quintileis.

26 D. B. IMP. M. T. C. S. P. D.

MAXIMO meo dolore hoc ſolatio utor, quod intelligunt homines, non ſine cauſa me timuiſſe iſta, quæ acciderunt. Deliberent, utrùm trajiciant legiones ex Africa, necne & ex Sardinia, & Brutum accerſant, necne: & mihi ſtipendium dent, an decernant. Ad ſenatum litteras miſi. Crede mihi, niſi iſta omnia ita fiunt, quemadmodum ſcribo, magnum nos omneis adituros periculum. Rogo te, videte quibus hominibus negotium detis, qui ad me legiones adducant. & fide opus eſt, & celeritate. III. Non. Jun. ex caſtris.

M. CICERO MATIO, S. 27

NONDUM ſatis conſtitui, moleſtiæne plus, an voluptatis attulerit mihi Trebatius noſter, homo cum plenus officii, tum utriuſque noſtrûm amantiſſimus. Nam cùm in Tuſculanum veſperi veniſſem, poſtridie ille ad me, nondum ſatis firmo corpore cùm eſſet, manè venit. Quem cùm objurgarem, quòd parum valitudini parceret: tum ille, nihil ſibi longiùs fuiſſe, quam ut me videret. Num quidnam, inquam, novi? Detulit ad me querelam tuam: de qua priùs, quàm reſpondeo, pauca præponam. Quantùm memoria repetere præterita poſſum, nemo eſt mihi te amicus antiquior: SED VETUSTAS HABET ALIQUID COMMUNE CUM MULTIS: amor non habet. Dilexi te, quo die cognovi: meque à te diligi judicavi. Tuus deinde diſceſſus, iſque diuturnus, ambitio noſtra, & vitæ diſſimilitudo non eſt paſſa voluntates noſtras conſuetudine conglutinari. Tuum tamen erga me animum agnovi multis annis ante bellum civile, cùm Cæſar eſſet in Gallia. Quod enim vehementer mihi utile eſſe putabas, nec inutile ipſe Cæſari, perfeciſti, ut ille me diligeret, coleret, haberet in ſuis. Multa prætereo, quæ temporibus illis inter nos familiariſſimè dicta, ſcripta, communicata ſunt. graviora enim conſecuta ſunt. Et initio belli civilis cùm Brundiſium verſus ires ad Cæſarem, veniſti ad me in Formianum. Primùm hoc ipſum quanti, præſertim temporibus illis? Deinde oblitum me putas conſilii, ſermonis, humanitatis tuæ? quibus rebus intereſſe memini Trebatium. Nec verò ſum oblitus litterarum tuarum, quas ad me miſiſti, cùm Cæſari obviam veniſſes in agro, ut arbitror, Trebulano. Secutum illud tempus eſt, cùm me ad Pompejum proficiſci, ſive pudor meus coëgit, ſive officium, ſive fortuna. Quod officium tuum, quod ſtudium [2] vel in abſentem me, vel in præſentes meos defuit? quem porrò omnes mei & mihi, & ſibi te amiciorem judicaverunt? Veni Brundiſium. oblitumne me putas, qua celeritate, ut primùm audieris, ad me Tarento advolaris? quæ tua fuerit aſſeſſio, oratio, confirmatio animi mei, fracti communium miſeriarum metu? Tandem aliquando Romæ eſſe cœpimus. quid defuit noſtræ familiaritati in maximis rebus? Quonam modo me gererem adverſus Cæſarem, uſus tuo conſilio ſum. In reliquis officiis, cui tu tribuiſti, excepto Cæſare, præter me, ut domum ventitares, horaſque multas ſæpe ſuaviſſimo ſermone conſumeres? tum, cùm etiam, ſi meminiſti, ut hæc φιλοσοφούμενα ſcriberem, tu me impuliſti. Poſt Cæſaris reditum, quid tibi majori curæ fuit, quàm ut eſſem ego illi quàm familiariſſimus? quod effeceras. Quorſum igitur hæc oratio longior, quàm putaram? quia ſum admiratus, te, qui hæc noſſe deberes, quidquam à me commiſſum, quod eſſet alienum noſtra amicitia, credidiſſe. Nam præter hæc, quæ commemoravi, quæ teſtata ſunt, & illuſtria, habeo multo occultiora, quæ vix verbis exſequi poſſum. Omnia me tua delectant: ſed maximè, maxima cùm fides in amicitia, conſilium, gravitas, conſtantia: tum lepos, humanitas, litteræ. Quapropter redeo nunc ad querelam. Ego te ſuffragium tuliſſe in illa lege, primùm non credidi: deinde, ſi credidiſſem, numquam id ſine aliqua juſta cauſa exiſtimarem te feciſſe. Dignitas tua facit, ut animadvertatur, quidquid facias: malivolentia autem hominum, ut nonnulla duriùs, quàm à te facta ſint, proferantur. Ea tu ſi non audis: quid dicam, neſcio. equidem, ſi quando audio, tam defendo, quam me ſcio à te contra iniquos meos ſolere defendi. Defenſio autem eſt duplex.

[1] Alia

1. *Me cum Antonio conjunxit.*] Non habebant illud vulgare *ſe* Palatini, editio Victorii omniumque princeps, quod dico, ne quis, ut vulgò, interpretetur, & præterea ignarus meam fidem flagitet.

2. *Vel in abſentem me, vel in præſentes meos defuit?*] Sic editio omnium vetuſtiſſima ac Victoriana, Palatini duo primus ac tertius. Nihili eſt vulgata; *vel in abſentem me vel in præſentem defuit.*

1. *Alia*

[1] Alia ſunt, quæ liquido negare ſoleam: ut de iſto ipſo ſuffragio. alia, quæ defendam à te piè fieri, & humanè: ut de curatione ludorum. Sed te, hominem doctiſſimum, non fugit, ſi Cæſar rex fuerit, quod mihi quidem videtur, in utramque partem de tuo officio diſputari poſſe: vel in eam, qua ego uti ſoleo, laudandam eſſe fidem, & humanitatem tuam, qui amicum etiam mortuum diligas: vel in eam, qua nonnulli utuntur, LIBERTATEM PATRIÆ, VITÆ amici anteponendam. Ex his ſermonibus utinam eſſent delatæ ad te diſputationes meæ. Illa verò duo, quæ maxima ſunt laudum tuarum, quis aut libentiùs, quàm ego, commemorat, aut ſæpius: te, & non ſuſcipiendi belli civilis graviſſimum auctorem fuiſſe, & moderandæ victoriæ: in quo, qui mihi non aſſentiretur, inveni neminem. Quare habeo gratiam Trebatio, familiari noſtro, qui mihi dedit cauſam harum litterarum: quibus niſi credideris, me omnis officii, & humanitatis expertem judicaris: quo nec mihi gravius quidquam poteſt eſſe, nec te alienius.

28 MATIUS CICERONI S.

MAGNAM voluptatem ex tuis litteris cepi, quòd, quam ſperaram, atque optaram, habere te de me opinionem, cognovi. De qua etſi non dubitabam, tamen, quia maximi æſtimabam, ut incorrupta maneret, laborabam. Conſcius autem mihi eram, nihil à me commiſſum eſſe, quod boni cujuſquam offenderet animum. Eo minùs credebam, plurimis, atque optimis artibus ornato tibi temerè quidquam perſuaderi potuiſſe, præſertim in quem mea propenſa, & perpetua fuiſſet atque eſſet benivolentia. Quod quum, ut volui, ſcio eſſe: reſpondebo criminibus, quibus tu pro me, ut par erat, tua ſingulari bonitate & amicitia noſtra, ſæpe reſtitiſti. Nota enim mihi ſunt, quæ in me poſt Cæſaris mortem contulerint. Vitio mihi dant, quòd mortem hominis neceſſarii graviter fero: atque eum, quem dilexi, periiſſe indignor. [2] Ajunt enim, PATRIÆ AMICITIAM PRÆPONENDAM eſſe: proinde ac ſi jam vicerint, obitum ejus reipub. fuiſſe utilem. Sed non agam aſtutè. Fateor me ad iſtum gradum ſapientiæ non perveniſſe. Neque enim Cæſarem in diſſenſione civili ſum ſecutus: ſed amicum, quamquam re offendebar, tamen non deſerui: neque bellum umquam civile, aut etiam cauſam diſſenſionis probavi: quam etiam naſcentem exſtingui, ſummè ſtudui. Itaque in victoria hominis neceſſarii, neque honoris, neque pecuniæ dulcedine ſum captus: quibus præmiis reliqui, minùs apud eum, quàm ego, cùm poſſent, immoderatè ſunt abuſi. Atque etiam res familiaris mea, lege Cæſaris diminuta eſt: cujus beneficio plerique, qui Cæſaris morte lætantur, remanſerunt in civitate. Civibus victis ut parceretur, æquè, ac pro mea ſalute, laboravi. Poſſum igitur, qui omneis voluerim incolumeis, eum, à quo id impetratum eſt, periſſe non indignari: cùm præſertim iidem homines illi, & invidiæ, & exitio fuerint? Plecteris ergo, inquiunt, quum factum noſtrum improbare audes. O ſuperbiam inauditam! alios in facinore gloriari, [3] aliis ne dolere quidem impunitè licere! At hæc etiam ſervis ſemper libera fuerunt, timerent, gauderent, dolerent ſuo potiùs, quàm alterius arbitrio: quæ nunc, ut quidem iſti dictitant, libertatis auctores, metu nobis extorquere conantur. Sed nihil agunt. Nullius umquam periculi terroribus ab officio, aut ab humanitate deſciſcam. NUMQUAM ENIM HONESTAM MORTEM FUGIENDAM, SÆPE ETIAM OPPETENDAM putavi. Sed quid mihi ſuccenſent, ſi id opto, ut pœniteat eos ſui facti? Cupio enim, Cæſaris mortem omnibus eſſe acerbam. At debeo pro civili parte remp. velle ſalvam. Id quidem me cupere, niſi & antè acta vita, & reliqua mea ſpes, tacente me, probat, dicendo vincere non poſtulo. Quare majorem in modum te rogo, ut rem potiorem oratione ducas: mihique ſi ſentis expedire, rectè fieri, credas nullam communionem cum improbis eſſe poſſe. An, quod adoleſcens præſtiti, cùm etiam errare cum excuſatione poſſem: id nunc, ætate præcipitata, commutem, ac me ipſe retexam? Non faciam: neque, quod diſpliceat, committam, præterquam quòd hominis mihi conjunctiſſimi, ac viri ampliſſimi doleo gravem caſum. Quòd ſi aliter eſſem animatus, numquam quod facerem, negarem: ne & in peccando improbus, & in diſſimulando timidus, ac vanus exiſtimarer. At ludos, quos Cæſaris victoriæ Cæſar adoleſcens fecit, curavi. At id ad privatum officium, non ad ſtatum reip. pertinet. Quod tamen munus & hominis amiciſſimi memoriæ, ac honoribus præſtare, etiam mortui, debui: & optimæ ſpei adoleſcenti, ac digniſſimo Cæſari petenti negare non potui. Veni etiam conſulis Antonii domum ſæpe, ſalutandi cauſa: ad quem, qui me parum patriæ amantem eſſe exiſtimant, rogandi quidem aliquid, aut auferendi cauſa, frequenteis ventitare reperies. Sed quæ hæc eſt arrogantia, quòd Cæſar numquam interpellavit, quin, quibus vellem, atque etiam quos ipſe non diligebat, tamen iis uterer: eos, qui mihi amicum eripuerunt, carpendo me, efficere conari, ne, quos velim, diligam? Sed non vereor, ne aut meæ vitæ modeſtia parum valitura ſit in poſterum contra falſos rumores: aut ne etiam ii, qui me non amant, propter meam in Cæſarem conſtantiam, non malint mei, quàm ſui ſimileis amicos habere. Mihi quidem ſi optata contingent, quod reliquum eſt vitæ, in otio Rhodi degam: ſin caſus aliquis interpellarit, ita ero Romæ, ut rectè fieri ſemper cupiam. Trebatio noſtro magnas ago gratias, quòd tuum erga me animum ſimplicem atque amicum aperuit: & quod eum, quem ſemper lubenter dilexi, quo magis jure colere, atque obſervare deberem, fecit. Bene vale, & me dilige.

[4] CICERO APPIO, S. 29

DUBITANTI mihi (quod ſcit Atticus noſter) de hoc toto conſilio profectionis, quòd in utramque partem in mentem multa veniebant, magnum pondus acceſſit ad tollendam dubitationem, judicium, & conſilium tuum. Nam & ſcripſiſti apertè, quid tibi videretur. Atticus ad me ſermonem tuum pertulit. Semper judicavi, in te, & in capiendo conſilio prudentiam ſummam eſſe, & in dando fidem: maximeque ſum expertus, cùm initio civilis belli per litteras te conſuluiſſem, quid mihi faciendum eſſe cenſeres: eundumne ad Pompejum, an manendum in Italia. Suaſiſti, ut conſulerem dignitati meæ. ex quo, quid ſentires: intellexi: & ſum admiratus fidem tuam, & in conſilio dando religionem: quòd, cùm aliud malle amiciſſimum tuum putares, antiquius tibi officium meum, quàm illius voluntas fuit. Equidem & ante hoc tempus te dilexi, & ſemper me à te diligi ſenſi. Et cùm abeſſem, atque in magnis periculis eſſem: & me abſentem, & meos præſenteis à te cultos, & defenſos eſſe, memini. Et poſt meum reditum, quam familiariter mecum vixeris, quæque ego de

1. *Alia ſunt, quæ liquido negare ſoleam.*] Cùm in Mediceo fuiſſet *aliquido*, rectè Egnatius emendavit *liquido*: idque Victorius in ſua editione eſt ſecutus; tum Manutius ac denique Lambinus. Ego non accedam tot ac tantis? præſertim tanta inconſtantia noſtrorum codicum, & præcipientibus Excerptis Vaticani, in quibus quoque *liquido*. pro eo editur aliquando.

2. *Ajunt enim* PATRIÆ AMICITIAM PRÆPONENDAM *eſſe.*] Profectò mulus Lambinus fuit, qui quo alii cunque voluerunt, ducebatur. Lectio hæc erat aſſerta Victorio; improbata Manutio; ecce ferox repente tanquam ſuis animis eſt, negat tolerare ſe poſſe. ſed nos eum bonum Manutium valere, ac Lambinum plorare jubemus: adhæreſcimuſque mſſ. quippe è quibus duo Palatini, Vaticani excerpta, editio omnium prima, hanc lectionem tuentur. Vulgò, quia plebejum eſt, ſapit Manutio, PATRIAM AMICITIÆ PRÆPONENDAM. ſed nos ſcimus, ſæpiſſime neſcire Manutium, quid dicat.

3. *Aliis ne dolere quidem impunitè licere.*] Sic Palatinus pr. Hittorpianus, Vaticani excerpta, & Victorii editio elegantius quam vulgò: *dolere impune licere.*

4. CICERO APPIO S.] Vulgò OPPIO. ſed nos illam inſcriptionem accepimus ex Palatino tertio, Stewechiano, ac editione Victorii.

de te & ſenſerim, & prædicarim, omneis, qui ſolent hæc animadvertere, teſteis habemus. Graviſſimum verò judicium de mea fide, & de conſtantia feciſti, cùm, poſt mortem Cæſaris & totum te ad amicitiam meam contuliſti. Quod tuum judicium, niſi mea ſumma benivolentia erga te, omnibuſque meritis comprobaro, ipſe me hominem non putabo. Tu, mi Appi, conſervabis amorem tuum (etſi more magis hoc quidem ſcribo, quàm quò te admonendum putem) meaque omnia tuebere: quæ tibi ne ignota eſſent, Attico mandavi: à me autem, cùm paullùm otii nacti erimus, uberiores litteras exſpectato. Da operam ut valeas. hoc mihi gratius facere nihil potes.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM AD FAMILIAREIS, LIBER DUODECIMUS, AD C. CASSIUM, ET ALIOS.

1 M. T. C. C. CASSIO, S. P. D.

[1] FInem nullam facio, mihi crede, Caſſi, de te, & de Bruto noſtro, id eſt, de tota repub. cogitandi, cujus omnis ſpes in vobis eſt, & in D. Bruto. Quam quidem jam habeo ipſe meliorem, repub. à Dolabella meo præclariſſimè geſta. Manabat enim illud malum urbanum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem & Urbi, & otio diffiderem urbano. [2] Sed ita compreſſum eſt, ut mihi videamur omne jam ad tempus ab illo duntaxat ſordidiſſimo periculo tuti futuri. Reliqua, magna ſunt, ac multa: ſed poſita omnia in vobis. quamquam primum quidque explicemus. Nam, ut adhuc quidem actum eſt, non regno, ſed rege liberati videmur. Interfecto enim rege, [3] regios omneis nutus tuemur. Neque verò id ſolùm, ſed etiam, quæ ipſe ille, ſi viveret, non faceret, ea nos, quaſi cogitata ab illo, probamus. Nec ejus quidem rei finem video. Tabulæ figuntur: immunitates dantur: [4] pecuniæ maximæ diſcribuntur: exſules reducuntur: ſenatuſconſulta falſa referuntur: ut tantummodò odium illud hominis impuri, & ſervitutis dolor depulſus eſſe videatur: reſpub. jaceat in his perturbationibus, in quas eam ille conjecit. Hæc omnia vobis ſunt expedienda. nec hoc cogitandum, ſatis jam habere rempub. à vobis. Habet illa quidem tantum, quantum numquam mihi in mentem venit optare, ſed contenta non eſt, &, pro magnitudine & animi, & beneficii veſtri, à vobis magna deſiderat. Adhuc ulta ſuas injurias eſt per vos, interitu tyranni: nihil amplius. Ornamenta verò ſua quæ recuperavit? an quòd ei mortuo paret, quem vivum ferre non poterat? [5] cujus æra refigere debebamus, ejus etiam chirographa defendimus? at enim ita decrevimus. Fecimus id quidem, temporibus cedentes: quæ valent in repub. plurimum. Sed immoderatè quidam, & ingratè noſtra facilitate abuntur. Verum hæc propediem, & multa alia coram. Interim velim ſic tibi perſuadeas, mihi cùm reipub. quam ſemper habui cariſſimam, tùm amoris noſtri cauſa, maximæ curæ eſſe tuam dignitatem. Da operam, ut valeas.

M. T. C. C. CASSIO, S. P. D. 2

VEHEMENTER lætor, tibi probari ſententiam & orationem meam: qua ſi ſæpius uti liceret, nihil eſſet negotii, libertatem, & remp. reciperare. Sed homo amens, & perditus, multoque nequior, quàm ille ipſe, quem tu nequiſſimum occiſum eſſe dixiſti, cædis initium quærit: nullamque aliam ob cauſam me auctorem fuiſſe Cæſaris interficiendi criminatur, niſi, ut in me veterani incitentur. Quod ego periculum non extimeſco, modo veſtri facti gloriam cum mea laude communicet. Ita nec Piſoni, qui in eum primus invectus eſt, nullo aſſentiente: nec mihi, qui idem triceſimo pòſt die feci: nec P. Servilio, qui me eſt conſecutus, tutò in ſenatum venire licet. Cædem enim gladiator quærit, ejuſque initium ad XIII. Kalend. Octobr. à me ſe facturum putavit. [6] At quàm paratus venerat, cùm in villa Metelli complureis dies commentatus eſſet. Quæ autem, in luſtris, & in vino commentatio potuit eſſe? Itaque omnibus eſt viſus, ut ad te anteà ſcripſi, [7] vomere ſuo more, non dicere. Quare quòd ſcribis te confidere, auctoritate, & eloquentia noſtra aliquid profici poſſe: nonnihil, ut in tantis malis, eſt profectum. Intelligit enim pop. Rom. treis eſſe conſulareis, qui, quia de rep. bene ſenſerint, liberè locuti ſunt, tutò in ſenatum venire non poſ-

1. F*Inem nullam facio.*] Non habet illud vulgo receptum *nullum*, Palatinus pr. Grut. Stewech. Medic. ut notat Baptiſta Egnatius. ſic ſupra lib. x. ep. 32. emendavi, ex Hittorp. Stewech. editione Victorii: *Quorum quis ullam finem aut modum futurum putavit.*

2. *Sed ita compreſſa eſt.*] Ita Victorius edidit, & ſic Palatinus pr. atque adeo editio princeps, Grut. verò *comprehenſa eſt* ſolemni mutatione. ceterum in ſequentibus ſic Vaticanus: *ut mihi videatur omne*, neſcio quare: & Pal. pr. Grut. Hittorp. Stewech. *tutè* non *tuti* quod non temerarium, immo verum mihi videtur. Vulgatum eſt, *compreſſum*.

3. *Regios omnes nutus tuemur.*] Qui non ceperunt elegantiam hujus dicti, legerunt *intuemur*. ſed hoc magis vitreis fractis frivolum eſt. Gruterianus: *Regios omnes nutu tuemur;* neſcio quo ſenſu mihi ſinceriſſima vulgata eſt.

4. *Pecuniæ maxime diſcribuntur.*] Hanc lectionem ex Mediceo notat Egnatius, licet Victorius ſe *deſcribuntur* reperiſſe affirmet. ſecutus quoque eſt Manut. ac Lamb. Pal. pr. Hittorp. *deſcribuntur*. vulgati: *diſtribuuntur*.

5. *Cujus æra refigere debebamus.*] Hæc ſcriptura ſolùm eſt in Palatino tertio integro & Hittorpiano: nam primus, quartus, *ejus* pro *cujus* in ceteris cum tertio facientes. ſecundus, *cujus æra refugere:* quint. *ejus era refugere*. Grut. *ea era refiigere*. Gulielmius ex duobus ſibi inſpectis: *eram reſtringere*, unde conjicit: *aram refringere*. quod tamen eidem non placet. Nos uſitatam ſcripturam non temere ſolicitandam exiſtimamus: propoſuimus autem librorum noſtrorum varietatem, ut ſi fortè cui minus vulgata ſatisfacit, ulterius ſuam indaginem explicet.

6. *At quam paratus venerat.*] Qui de ſcriptura dubitet, eum ego ſenſu communi carere putem. Nihil illa liquidius, nihil elegantius. Habetur illa in editione Victorii, Vatic. excerptis, probaturque Manutio. at Lambinus, ut cauſam adnotandi & diſſentiendi haberet, poſuit *ad quam*. Libri aliàs *ad quem* ſicut Palatinus primus, Hittorpianus, Stewech. editio priſca.

7. *Vomere ſuo more, non dicere.*] Pal. ſec. ac quint. *Vomere non dicere* expuncta illa biga vocularum *ſuo more*. Gruter. *itaque omnibus eſt viſus, ut ad te antea ſcripſi, vomere vomere, non dicere.* quæ mihi ſcriptura non vana omnino videtur, quandoquidem Palatini reliqui, pr. tert. quart. *ſcripſi, vomeres vomere, non dicere* repræſentant. Illud quoque monendus eſt lector, ubicunque verbum eſt *recuperare*, Mediceum, ut annotat Egnatius, ſcribere *reciperare*, quod mihi rectius omnino videtur. ſi non ſemper immutavi, verecundiæ meæ tribuendum eſt. ſupra recte, *libertatem & rempub. reciperare.*

1. PA-

Poſſint. Nec eſt præterea quòd quidquam exſpectes. Tuus enim neceſſarius affinitate nova delectatur. Itaque jam non eſt ſtudioſus ludorum, infinitoque fratris tui plauſu dirumpitur. Alter item affinis novis commentariis Cæſaris delinitus eſt. Sed hæc tolerabilia: illud non ferendum, quòd eſt, qui veſtro anno filium ſuum conſulem futurum putet, ob eamque cauſam ſe huic latroni deſervire præ ſe ferat. Nam L. Cotta familiaris meus, fatali quadam deſperatione, ut ait, minùs in ſenatum venit. L. Cæſar, optimus, & fortiſſimus civis, valetudine impeditur. Ser. Sulpitius & ſumma auctoritate, & optimè ſentiens, non adeſt. Reliquos, exceptis deſignatis, ignoſce mihi, ſi non numero conſulareis, habes auctores conſilii publici: qui numerus etiam bonis rebus, exiguus eſſet: quid cenſes perditis? Quare ſpes eſt omnis in vobis: qui ſi idcirco abeſtis, ut ſitis in tuto: ne in vobis quidem. ſin aliquid dignum veſtra gloria cogitatis: velim ſalvis nobis. ſin id minùs, res tamen publica per vos brevi tempore jus ſuum reciperabit. Ego tuis, neque deſum, neque deero. qui ſive ad me referent, ſive non: mea tibi tamen benivolentia, fideſque præſtabitur.

3 M. T. C. CASSIO, S. P. D.

AUGET tuus amicus furorem in dies: primùm in ſtatua, quam poſuit in Roſtris, inſcripſit [1] PARENTI OPTIME MERITO: ut non modò ſicarii, ſed jam etiam patricidæ judicemini. quid dico judicemini? judicemur potius. Veſtri enim pulcherrimi facti ille furioſus me principem dicit fuiſſe. Utinam quidem fuiſſem: moleſtus nobis non eſſet. Sed hoc veſtrum eſt: quod quum præteriit, utinam haberem, quid vobis darem conſilii. Sed ne mihi quidem ipſi reperio, quid faciendum ſit. Quid enim eſt, quod contra vim ſine vi fieri poſſit? Conſilium omne autem hoc eſt illorum, ut mortem Cæſaris perſequantur. Itaque [2] ante diem ſext. Non. Octob. productus in concionem à Canutio, turpiſſimè ille quidem diſceſſit: ſed tamen ea dixit de conſervatoribus patriæ, quæ dici deberent de proditoribus. [3] De me quidem non dubitanter quin omnia de meo conſilio & vos feciſſetis, & Canutius faceret. Cetera cujuſmodi ſint, ex hoc judica, quòd legato tuo viaticum eripuerunt. Quid eos interpretari putas, cùm hoc faciunt? Ad hoſtem ſcilicet portari. O rem miſeram? dominum ferre non potuimus: conſervo ſervimus. Et tamen me quidem favente magis, quàm ſperante, etiam nunc reſidet ſpes in virtute tua. Sed ubi ſunt copiæ? De reliquo, malo teipſum loqui tecum, quàm noſtra dicta cognoſcere. Vale.

4 M. T. C. CASSIO, S. P. D.

VELLEM Idibus Martiis me ad cenam invitaſſes. reliquiarum nihil fuiſſet. Nunc me reliquiæ veſtræ exercent, & quidem præter ceteros me: quamquam egregios conſules habemus: ſed turpiſſimos conſulareis: ſenatum fortem; ſed infimo quemque honore fortiſſimum. Populo verò nihil fortius, nihil melius, Italiaque univerſa. Nihil autem fœdius Philippo, & Piſone, legatis, nihil flagitioſius: qui cùm eſſent miſſi, ut Antonio ex ſenatus ſententia certas res nuntiarent: cùm ille earum rerum nulli paruiſſet, ultrò ab illo ad nos intolerabilia poſtulata retulerunt. Itaque ad nos concurritur: factique jam in re ſalutari populares ſumus. Sed tu quid ageres, quid acturus, ubi denique eſſes, neſciebam. Fama nuntiabat, te eſſe in Syria: auctor erat nemo. De Bruto, quo propiùs eſt, eo firmiora videntur eſſe, quæ nuntiantur. Dolabella valde vituperabatur ab hominibus non inſulſis, quòd tibi tam citò ſuccederet, cùm tu vixdum triginta dies in Syria fuiſſes. Itaque conſtabat, eum recipi in Syriam non oportere. Summa laus & tua, & Bruti eſt, quod exercitum præter ſpem exiſtimamini comparaſſe. Scriberem plura, ſi rem, cauſamque noſſem. Nunc quæ ſcribo, ſcribo ex opinione hominum, atque fama. Tuas litteras avidè exſpecto. Vale.

M. T. C. C. CASSIO, S. P. D. 5

HIEMEM credo adhuc prohibuiſſe, quo minùs de te certum haberemus, quid ageres, maximeque ubi eſſes. Loquebantur omnes tamen, credo, quòd volebant, in Syria te eſſe, habere copias. Id autem eo faciliùs credebatur, quia ſimile vero videbatur. Brutus quidem noſter egregiam laudem eſt conſecutus. Res enim tantas geſſit, tamque inopinatas, ut eæ cùm per ſe gratæ eſſent, [4] tum ornatiores propter celeritatem. Quòd ſi tu ea tenes, quæ putamus: magnis ſubſidiis fulta reſp. eſt. A prima enim ora Græciæ, uſque ad Ægyptum, optimorum civium imperiis muniti erimus, & copiis. Quamquam, niſi me fallebat, res ſe ſic habebat, ut totius belli omne diſcrimen in D Bruto poſitum videretur: qui ſi, ut ſperabamus, erupiſſet Mutina, nihil belli reliqui fore videbatur. Parvis omninò jam copiis obſidebatur, quòd magno præſidio Bononiam tenebat Antonius. Erat autem Claternæ noſter Hirtius: ad Forum Cornelium Cæſar: uterque cum firmo exercitu: magnaſque Romæ Panſa copias ex dilectu Italiæ comparat. Hiems adhuc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil niſi conſideratè, ut mihi crebris litteris ſignificat, acturus videbatur. Præter Bononiam, Regium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus, ſtudioſiſſimam reip. Tuos etiam clienteis Tranſpadanos mirificè conjunctos cum cauſa habebamus. Erat firmiſſimus ſenatus, exceptis conſularibus ex quibus unus L. Cæſar firmus eſt, & rectus. Ser. Sulpicii morte, magnum præſidium amiſimus. Reliqui partim inertes, partim improbi: nonnulli invident eorum laudi, quos in rep. probari vident. Populi verò R. totiuſque Italiæ mira conſenſio eſt. Hæc erant ferè, quæ tibi nota eſſe vellem. Nunc autem opto, ut ab iſtis Orientis partibus virtutis tuæ lumen eluceat. Vale.

M. T. C. C. CASSIO, S. P. D. 6

QUI ſtatus rerum fuerit tum, cùm has litteras dedi, ſcire poteris ex C. Tidio Strabone, viro bono, & optimè de rep. ſentiente; nam quid dicam, cupidiſſimo tui, qui, domo, & fortunis relictis, ad te potiſſimùm profectus ſit? Itaque eum tibi ne commendo quidem. adventus ipſius ad te ſatis eum commendabit. Tu velim ſic exiſtimes, tibique perſuadeas, omne perfugium bonorum, in te, & Bruto eſſe poſitum, ſi, quod nolim, adverſi quid evenerit. Res, cùm hæc ſcribebam, erat in extremum adducta diſcrimen. Brutus enim Mutinæ vix jam ſuſtinebat. Qui ſi conſervatus erit, vicimus: ſin (quod dii omen avertant) omnis omnium curſus eſt ad vos. Proinde fac animum tantum habeas, tantumque apparatum, quanto opus eſt ad univerſam remp. reciperandam. Vale.

M. T. C. C. CASSIO, S. P. D. 7

QUANTO ſtudio dignitatem tuam, & in ſenatu, & ad populum defenderim, ex tuis te malo, quàm ex me, cognoſcere. Quæ mea ſententia in ſenatu facilè valuiſſet, niſi Panſa vehementer obſtitiſſet. Ea ſententia dicta, productus ſum in concionem à tribuno plebis, M. Servilio. Dixi

1. PARENTI OPTIME MERITO.] Placet Gulielmio, quod invenit in codice Hittorpiano: *optimo merito.* ſi quidem eſt apud Plinium 7. 26. *votum meritò Minervæ.* Nos nihil a noſtris codicibus degenerare voluimus. Paullò ſtatim poſt prima editio, codex Hittorpianus, *Patricidæ* quod aſſumſit Lambinus, neque mihi non probatur. Gruterianus tamen & Vaticani excerpta *Paricida*: vulgò *Parricidæ.*

2. *Ante d. VI. Nonas Octobr.*] Pighius in Faſtis ad annum V. C. DCCIX. conjicit, *Nonas Octavius.*

3. *De me quidem non dubitanter.*] Rectè ſic Palatinus pr. Gruterianus, Vaticani excerpta, atque Victorii editio ex Mediceo, quam ſcripturam quoque notat ad oram primæ impreſſionis Egnatius. Vulgò; *non dubitant.*

4. *Tum ornatiores propter celeritatem.*] Nugæ hominum, qui quod præcederet *gratæ*, *gratiores* hic quoque reformarunt. ſed *ornatiores* in Pall. Grut. Vaticani excerptis, editionum primaria; habetque Victorius. Paullo poſt ſcripſi: *copias ex dilectu Italiæ comparat.* quod *comparat* habet editio Victorii, Palatinus primus, ac Vatic. excerpta. *Dilectus* verò ſemper ſcribendum eſt, quod ita præeunt mſſ. & vetuſti libri, tum quod Lambinus ex ſuis quoque ita contendit.

1. *Ile*

Dixi de te, quæ potui, tanta contentione, quantum forum eſt: tanto clamore, conſenſuque populi, ut nihil umquam ſimile viderim. Id velim mihi ignoſcas, quòd invita ſocru tua fecerim. Mulier timida verebatur, ne Panſæ animus offenderetur. In concione quidem Panſa dixit, matrem quoque tuam, & fratrem, illam à me ſententiam noluiſſe dici. Sed hæc non movebant: alia malebam. Favebam & reip. cui ſemper favi, & dignitati, ac gloriæ tuæ. Quòd autem, & in ſenatu pluribus verbis diſſerui, & dixi in concione, in eo velim fidem meam liberes. Promiſi enim, & propè confirmavi, te non exſpectaſſe, nec exſpectaturum decreta noſtra: ſed te ipſum tuo more rempub. defenſurum. &, quamquam nihildum audieramus, nec ubi eſſes, nec quas copias haberes: tamen ſic ſtatuebam, omneis, quæ in iſtis partibus eſſent opes copiæque, tuas eſſe: per teque Aſiam provinciam confidebam jam reipub. reciperatam. Tu fac in augenda gloria te ipſum vincas. Vale.

8 M. T. C. C. CASSIO, S. P. D.

SCELUS affinis tui, Lepidi, ſummamque levitatem, & inconſtantiam, ex actis, quæ ad te mitti certò ſcio, cognoſſe te arbitror. Itaque nos, confecto bello, ut arbitrabamur, renovatum bellum gerimus: ſpemque omnem in D. Bruto, & Planco habemus: ſi verum quæris, in te, & in meo Bruto, non ſolùm ad præſens perfugium, ſi (quod nolim) adverſi quid acciderit, ſed etiam ad confirmationem perpetuæ libertatis. Nos hìc de Dolabella audiebamus quæ vellemus: ſed certos auctores non habebamus. Te quidem magnum hominem, & præſenti judicio, & reliqui temporis exſpectatione ſcito eſſe. Hoc tibi propoſito, fac ut ad ſumma contendas. Nihil eſt tantum, quod non pop. Rom. à te perfici, atque obtineri poſſe judicet. Vale.

9 M. T. C. C. CASSIO, S. P. D.

BREVITAS tuarum literarum me quoque breviorem in ſcribendo facit: &, verè ut dicam, non ſatis occurrit, quid ſcribam. Noſtras enim res in actis perferri ad te certò ſcio: tuas autem ignoramus. Tamquam enim clauſa ſit Aſia, ſic nihil perfertur ad nos, præter rumores de oppreſſo Dolabella, ſatis illos quidem conſtanteis, ſed adhuc ſine auctore. Nos, confectum bellum cùm putaremus, repentè à Lepido tuo in ſummam ſollicitudinem adducti ſumus. Itaque perſuade tibi, maximam reip. ſpem in te, & in tuis copiis eſſe. Firmos omnino exercitus habemus: ſed tamen, ut omnia, (ut ſpero) proſperè procedant, multùm intereſt te venire. Exigua enim ſpes eſt reipub. nam nullam non libet dicere: ſed, quæcumque eſt, ea deſpondetur anno conſulatus tui. Vale.

10 M. T. C. C. CASSIO, S. P. D.

LEPIDUS, tuus affinis, meus familiaris, pridiè Kal. Quintileis ſententiis omnibus hoſtis à ſenatu judicatus eſt, ceterique, qui unà cum illo à rep. defecerunt: quibus tamen ad ſanitatem redeundi ante Kal. Septemb. poteſtas facta eſt. Fortis ſanè ſenatus, ſed maximè ſpe ſubſidii tui. Bellum quidem, cùm hæc ſcribebam, ſanè magnum erat, ſcelere, & levitate Lepidi. Nos de Dolabella quotidie, quæ volumus, audimus: ſed adhuc ſine capite, ſine auctore, rumore nuntio. Quod cùm ita eſſet, tamen litteris tuis, quas nonis Mai ex caſtris datas acceperamus, ita perſuaſum erat civitati, ut illum jam oppreſſum omnes arbitrarentur, te autem in Italiam venire cum exercitu: ut, ſi hæc ex ſententia confecta eſſent, conſilio, atque auctoritate tua: ſin quid fortè titubatum, ut fit in bello, exercitu tuo niteremur. Quem quidem ego exercitum quibuſcumque potuero rebus ornabo, cujus rei tum tempus erit, cùm, quid opis reip. laturus is exercitus ſit, aut quid jam tulerit, notum eſſe cœperit. Nam adhuc tantùm conatus audiuntur, optimi illi quidem, & præclariſſimi, ſed geſta res exſpectatur: quam quidem aut jam eſſe aliquam, aut appropinquare confido. Tua virtute, & magnitudine animi nihil eſt nobilius. Itaque optamus, ut quàm primùm te in Italia videamus, remp. nos habere arbitrabimur, ſi vos habebimus. Præclarè viceramus, niſi ſpoliatum, inermem, fugientem Lepidus recepiſſet Antonium. Itaque numquam tanto odio civitati Antonius fuit, quanto eſt Lepidus. Ille enim ex turbulenta rep. hic ex pace, & victoria bellum excitavit. Huic oppoſitos conſules deſignatos habemus: in quibus eſt magna illa quidem ſpes, ſed anceps cura propter incertos exitus prœliorum. Perſuade tibi igitur, in te, & in Bruto tuo eſſe omnia: vos exſpectari: Brutum quidem jam, jamque. Quòd ſi, ut ſpero, victis hoſtibus noſtris veneritis: tamen auctoritate veſtra reſpub. exſurget, & in aliquo ſtatu tolerabili conſiſtet. Sunt enim permulta, quibus erit medendum: etiam ſi reſp. ſatis eſſe videbitur ſceleribus hoſtium liberata. Vale. 11

C. CASSIUS PROCOS. M. T. C. S. P. D.

SI vales, bene eſt: ego quidem valeo. In Syriam me profectum eſſe ſcito ad L. Murcum, & Q. Criſpum, imperatores. Viri fortes, optimique cives, poſteà quàm audierunt, quæ Romæ gererentur, exercitus mihi tradiderunt: ipſique mecum unà fortiſſimo animo rempub. adminiſtrant. Item legionem, quam Q. Cæcilius Baſſus habuit, ad me veniſſe ſcito: Quattuorque legiones, quas A. Allienus ex Ægypto eduxit, traditas ab eo mihi eſſe ſcito. Nunc te cohortatione non puto indigere, ut nos abſenteis, remque publicam, quantum eſt in te, defendas. Scire te volo, firma præſidia vobis, ſenatuique non deeſſe, ut optima ſpe, & maximo animo rempub. defendas. Reliqua tecum aget L. Carteius, familiaris meus. Vale. Data Nonis Martiis, ex caſtris Taricheis. 12

CASSIUS PROCOS. S. D. M. CICERONI SUO.

SI vales, bene eſt: ego quidem valeo. Legi tuas litteras, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognovi. Videbaris enim non ſolùm favere nobis, id quod & noſtri & reip. cauſa ſemper feciſti: ſed etiam gravem curam ſuſcepiſſe, vehementerque eſſe de nobis ſollicitus. Itaque, quòd te primùm exiſtimare putabam, nos, oppreſſa repub. quieſcere non poſſe: deinde, cùm ſuſpicarere nos moliri, quod te ſollicitum eſſe & de ſalute noſtra, & de rerum eventu putabam: ſimul ac legiones accepi, quas A. Allienus eduxerat ex Ægypto, ſcripſi ad te, tabellarioſque complureis Romam miſi. Scripſi etiam ad ſenatum litteras, quas reddi vetui priùs, quàm tibi recitatæ eſſent: ſi fortè mei obtemperare mihi voluerint. Quòd ſi litteræ perlatæ non ſunt, non dubito, quin Dolabella, qui, nefariè Trebonio occiſo, Aſiam occupavit, tabellarios meos deprehenderit, litteraſque interceperit. Exercitus omneis, qui in Syria fuêre, teneo. [1] Habeo paullulum moræ, dum promiſſa militibus perſolvo. Nunc jam ſum expeditus. A te peto, ut dignitatem meam commendatam tibi habeas, ſi me intelligis, nullum neque periculum, neque laborem patriæ denegaſſe: ſi contra importuniſſimos latrones arma cepi te hortante, & auctore: ſi non ſolùm exercitus ad rempub. libertatemque defendendam comparavi, ſed etiam crudeliſſimis tyrannis eripui. Quos ſi occupaſſet Dolabella, non ſolùm adventu, ſed etiam opinione, & exſpectatione exercitus ſui Antonium confirmaſſet. Quas ob res milites tuere, ſi eos mirificè de rep. meritos eſſe animadvertis: & effice, ne quem pœniteat, rempub. quàm ſpem prædæ, & rapinarum, ſequi maluiſſe. Item Murci, & Criſpi, imperatorum, dignitatem, quantum eſt in te, tuere. Nam Baſſus miſerè noluit mihi legionem tradere. Quòd niſi milites invito eo legatos ad me miſiſſent, clauſam Appameam tenuiſſet, quoad vi eſſet expugnata. Hæc à te peto, non ſolùm reipub. quæ tibi ſemper fuit cariſſima, ſed etiam amicitiæ

---

1. *Habeo paullulum moræ.*] Ita Victorius & Palatinus primus. reliqui *habui*. Ceterum e ſuis mſſ. *pollulum* legit Gulielm. ſicque corrigit Tibullum lib. II. El. 5.

At quà Velabri regio; prius ire ſolebat
Exiguus pulla per vada linter aqua.

Legit inquam *polla*.

1. Gra-

citiæ noſtræ nomine, quam confido apud te plurimùm poſſe. Crede mihi, hunc exercitum, quem habeo, ſenatus, atque optimi cujuſque eſſe, maximeque tuum. De cujus voluntate aſſiduè audiendo, mirificè te diligit, carumque habet. Qui ſi intellexerit, commoda ſua curæ tibi eſſe: debere etiam ſe tibi omnia putabit. Litteris ſcriptis, audii, Dolabellam in Ciliciam veniſſe cum ſuis copiis. proficiſcar in Ciliciam. quid egerim, celeriter ut ſcias, dabo operam. Ac velim, ut meremur de rep. ſic felices ſimus. Fac valeas, meque ames. Nonis Mai, ex caſtris.

13 C. CASSIUS, S. D. M. CICERONI.

SI vales, bene eſt: valeo. Cùm reipub. vel ſalute, vel victoria gaudemus: tum inſtauratione tuarum laudum, quòd maximus conſularis maximum conſulem te ipſe viciſti, & lætamur, & mirari ſatis non poſſumus. Fatale neſcio quid tuæ virtuti datum: id quod ſæpe jam experti ſumus. Eſt enim tua toga omnium armis felicior: quæ nunc quoque nobis pænè victam rempub. ex manibus hoſtium eripuit, ac reddidit. Nunc ergo vivemus liberi: nunc te, omnium maxime civis, & mi cariſſime, id quod maximè reip. tenebris comperiſti: nunc te habebimus teſtem noſtri, & in te, & in conjunctiſſimam tibi remp. amoris: &, quæ ſæpe pollicitus es, te & taciturum, dum ſerviremus: & dicturum de me tum, cum mihi profutura eſſent: nunc illa non ego quidem dici tantopere deſiderabo, quàm ſentiri à te ipſo. Neque enim omnium judicio malim me à te commendari, quàm ipſe tuo judicio dignè, ac mereor, commendatus eſſe: ut hæc noviſſima noſtra facta, non ſubita, nec inconvenientia, ſed ſimilia illis cogitationibus, quarum tu teſtis es, fuiſſe judices, meque ad optimam ſpem patriæ non minimum tibi ipſi producendum putes. Sunt tibi, M. Tulli, liberi, propinquique, digni quidem te, & meritò tibi cariſſimi. eſſe etiam debent in rep. proximè hos cari, qui ſtudiorum tuorum ſunt æmuli, quorum eſſe cupio tibi copiam. Sed tamen non maxima me turba puto excludi, quo minùs tibi vacet me excipere, & ad omnia, quæ velis, & probes, producere. Animum tibi noſtrum fortaſſe probabimus. ingenium diutina ſervitus, certè, qualecumque eſt, minus tamen, quàm erat, paſſa eſt videri. Nos ex ora maritima Aſiæ provinciæ, & ex inſulis, quas potuimus naveis deduximus. Dilectum remigum, magna contumacia civitatum, tamen ſatis celeriter habuimus. Secuti ſumus claſſem Dolabellæ, cui Lucilius præerat: qui ſpem ſæpe tranſitionis præbendo, neque umquam non decedendo, noviſſimè Corycum ſe contulit, & clauſo portu ſe tenere cœpit. Nos illa relicta, quòd & in caſtra pervenire ſatius eſſe putabamus, & ſequebatur claſſis altera, quam anno priore in Bithynia Tullius Cimber compararat, cui Turulius quæſtor præerat: Cyprum petivimus. Ibi, quæ cognovimus, ſcribere ad vos quàm celerrimè voluimus. Dolabellam, ut Tarſenſes, peſſimi ſocii: ita Laodiceni, multò amentiores, ultrò arceſſierunt: ex quibus utriſque civitatibus, [1] Græcorum militum numero, ſpeciem exercitus effecit. Caſtra habet ante oppidum Laodiceam poſita: & partem muri demolitus eſt: & caſtra oppido conjunxit. Caſſius noſter cum decem legionibus, & cohortibus viginti auxiliariis, & quattuor millium equitatu à millibus paſſuum viginti, caſtra habet poſita πάλτῳ: & exiſtimat, ſe ſine prælio poſſe vincere. Nam jam ternis tetradrachmis triticum apud Dolabellam eſt, niſi quid navibus Laodicenorum ſupportarit, citò fame pereat, neceſſe eſt. Ne ſupportare poſſit, & Caſſii claſſis bene magna cui præeſt Sextilius Rufus, & tres, quas nos adduximus, ego, Turulius, Patiſcus, facilè præſtabunt. Et volo vos bene ſperare, & rempub. ut & vos iſtic expediiſtis, ita pro noſtra parte celeriter nobis expediri poſſe, confidere. Vale Data idibus Jun. Cypro, à Crommyu-acride.

LENTULUS CICERONI SUO, S. P. D. 14

CUm Brutum noſtrum conveniſſem, cumque tardiùs in Aſiam venturum animadverterem: in Aſiam redii, ut reliquias mei laboris colligerem, & pecuniam quàm primùm Romam mitterem. Interim cognovi, in Lycia eſſe claſſem Dolabellæ, ampliuſque centum naveis onerarias, in quas exercitus ejus imponi poſſet: idque Dolabellam ea mente comparaſſe, ut, ſi Syriæ ſpes eum fruſtrata eſſet: conſcenderet in naveis, & Italiam peteret, ſeque cum Antoniis, & reliquis latronibus conjungeret. Cujus rei tanto in timore fui, ut, omnibus rebus relictis, cum paucioribus & minoribus navibus ad illas ire conatus ſim. Quæ res, ſi à Rhodiis non eſſem interpellatus, fortaſſe tota ſublata eſſet: tamen magna ex parte profligata eſt. Quum quidem claſſis diſſipata eſt: adventus noſtri timore milites, duceſque effugerunt: onerariæ omnes ad unam à nobis ſunt exceptæ. Certè (quod maximè timui) videor etiam conſecutus, [2] ut non poſſit Dolabella in Italiam pervenire, nec ſociis ſuis firmatis durius vobis efficere negotium. Rhodii nos, & rempub. quàm valde deſperaverint, ex litteris, quas publicè miſi, cognoſces. Et quidem multò parciùs ſcripſi, mirari noli. Mira eſt eorum amentia: nec me meæ ullæ privatim injuriæ umquam. malus animus eorum in noſtram ſalutem, cupiditas partium aliarum, perſeverantia in contentione optimi cujuſque ferenda mihi non fuit. nec tamen omneis perditos eſſe puto. Sed iidem illi, qui tum fugientem patrem meum, qui L. Lentulum, qui Pompejum, qui ceteros viros clariſſimos non receperunt, iidem, tamquam aliquo fato, & nunc aut magiſtratum gerunt, aut eos, qui ſunt in magiſtratu, in ſua habent poteſtate. Itaque eadem ſuperbia in pravitate utuntur. Quorum improbitatem aliquando retundi, & non pati impunitate augeri, non ſolùm utile eſt reipub. noſtræ, ſed etiam neceſſarium. De noſtra dignitate, velim tibi ut ſemper curæ ſit: &, quocumque tempore occaſionem habueris, & in ſenatu, & in ceteris rebus laudi noſtræ ſuffragere. Quum conſulibus decreta eſt Aſia, & permiſſum eſt iis, ut, dum ipſi venirent, darent negotium, qui Aſiam obtineant: rogo te, petas ab iis, ut hanc dignitatem potiſſimùm nobis tribuant, & mihi dent negotium, ut Aſiam obtineam, dum ipſorum alteruter venit. Nam, quòd huc properent in magiſtratu venire, aut exercitum mittere, cauſam non habent. Dolabella enim in Syria eſt: &, ut tu divina tua mente proſpexiſti, & prædicaſti, dum iſti veniunt, Caſſius eum opprimet. Excluſus enim ab Antiochia Dolabella, & in oppugnando malè acceptus, nulla alia confiſus urbe, Laodiceam, quæ eſt in Syria ad mare, ſe contulit. ibi ſpero celeriter eum pœnas daturum. Nam neque quò refugiat, habet: neque diutius ibi poterit tantum exercitum Caſſii ſuſtinere. ſpero etiam confectum eſſe jam, & oppreſſum Dolabellam. Quare non puto, Panſam, & Hirtium in conſulatu properaturos in provincias exire, ſed Romæ acturos conſulatum. Itaque ſi ab his petieris, ut intereà nobis procurationem Aſiæ dent, ſpero te poſſe impetrare. præthereà mihi promiſerunt Panſa, & Hirtius coràm, & abſenti mihi ſcripſerunt: Verrioque noſtro Panſa affirmavit,

1. *Græcorum militum numero.*] Gulielmius legi volebat, *numeros.* nos contra libros nihil molimur. In fine Epiſtolæ ex Palatino primo & Gruteriano, excerptis Vaticani, editione Victorii atque adeo omnium principe ſcripſi; *Et volo bene ſperare:* cum edatur: *volo igitur vos bene ſperare.*

2. *Ut non poſſit Dolabella in Italiam pervenire.*] Delevi vocem interjectitiam *claſſe*, poſt *poſſit*, ex Palatino primo, Gruteriano, Hittorpiano ac Stewech. Vatic. ex iiſdem & editione principe edidi: *Et quidem multo parcius ſcripſi. mirari noli. mira eſt eorum amentia:* ejectis illis, quæ nullibi comparent, *quàm revera furere eos inveni. quod verò aliquid de his ſcripſi.* Sicut ſtatim ex iiſdem omnibus quoque: *nec me meæ ullæ privatim injuriæ unquam.* nam nullus eorum agnoſcit verbum *moverunt*; quod, alienâ manu additum, poſt τὸ *injuriæ*, margini Medicei, notat Egnatius. Relegemus & nos, nam cur aliena toleremus, ac ſpuriis inter legitima locum demus: cùm frugi agricolæ malas herbas fruticare in hortis, & ſolum ab illis fatigari nolint, felicioribus plantis pingue factum?

vit, ſe daturum operam, ne in ſuo conſulatu mihi ſuccedatur. Ego porrò non, medius fidius, cupiditate provinciæ produci longius ſpatium mihi volo. nam mihi fuit iſta provincia plena laboris, periculi, detrimenti. Quæ ego ne fruſtrà ſubierim, neve priùs, quàm reliquias meæ diligentiæ conſequar, decedere cogar, valde laboro. Nam ſi potuiſſem, quam exegeram pecuniam, univerſam mittere: poſtularem, ut mihi ſuccederetur. Nunc, quod Caſſio dedi, quod Trebonii morte amiſimus, quod etiam crudelitate Dolabellæ, aut perfidia eorum qui mihi fidem, reique publicæ non præſtiterunt: id conſequi, & reficere volo. Quod aliter non poteſt fieri, niſi ſpatium habuero. id, ut per te conſequar, velim, ut ſolet, tibi curæ ſit. Ego me de rep. puto eſſe meritum, ut non provinciæ iſtius beneficium exſpectare debeam, ſed tantum, quantum Caſſius, & Bruti, non ſolum illius facti, periculique ſocietate, ſed etiam hujus temporis ſtudio, & virtute. Primus enim ego leges Antoninas fregi: primus equitatum Dolabellæ ad remp. traduxi, Caſſioque tradidi: primus dilectus habui pro ſalute omnium contra conjurationem ſceleratiſſimam: ſolus Caſſio, & reip. Syriam, exercitusque, qui ibi erant, conjunxi. Nam niſi ego tantam pecuniam, tantaque præſidia, & tam celeriter Caſſio dediſſem: ne auſus quidem eſſet ire in Syriam: & nunc non minora pericula reip. à Dolabella inſtarent, quàm ab Antonio. Atque hæc omnia is feci, qui ſodalis, & familiariſſimus Dolabellæ eram: conjunctiſſimus ſanguine Antoniis: provinciam quoque illorum beneficio habebam: ſed πατρίδα ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν, omnibus meis bellum primus indixi. Hæc etſi adhuc non magnopere mihi tuliſſe fructum animadverto, tamen non deſpero: nec defatigabor permanere, non ſolùm in ſtudio libertatis, ſed etiam in labore, & periculis. Attamen ſi etiam aliqua gloria juſta, & merita provocabimur, ſenatus, & optimi cujuſque officiis: majore cum auctoritate apud ceteros erimus, & eo plus prodeſſe reip. poterimus. Filium tuum, ad Brutum cùm veni, videre non potui, ideò quòd jam in hiberna cum equitibus erat profectus. Sed, medius fidius, ea eſſe eum opinione, & tua, & ipſius, & in primis mea cauſa, gaudeo. Fratris enim loco mihi eſt, qui ex te natus, teque dignus eſt. Vale. D. IIII. Kalend. Jun. Pergæ.

15 P. LENTULUS, C. F. PROQUÆST. PROPR. COSS. PRÆTT. TRIBB. PL. SEN. P. Q. R. S. P. D.

SI valetis, liberique V. V. B. E. V. Scelere Dolabellæ oppreſſa Aſia, in proximam provinciam Macedoniam, præſidiaque reip. quæ M. Brutus, V. C. tenebat, me contuli: & id egi, ut, per quos celerrimè poſſent, Aſia provincia, vectigaliaque in veſtram poteſtatem redigerentur. Quod cùm pertimuiſſet Dolabella, vaſtata provincia, correptis vectigalibus, præcipuè civibus Romanis omnibus crudeliſſimè denudatis, ac divenditis, celeriuſque Aſia exceſſiſſet, quam eò præſidium adduci potuiſſet: diutius morari, aut exſpectare præſidium non neceſſe habui: & quàm primùm ad meum officium, revertendum mihi eſſe exiſtimavi, ut & reliqua vectigalia exigerem, &, quam depoſui pecuniam, colligerem: quidquid ex ea correptum eſſet, aut quorum id culpa accidiſſet, cognoſcerem. quàm primùm, & vos de omni re facerem certiores. Interim cùm per inſulas in Aſiam naviganti mihi nuntiatum eſſet, claſſem Dolabellæ in Lycia eſſe, Rhodioſque naveis complureis inſtructas, & paratas in aqua habere: cum his navibus, quas aut mecum adduxeram, aut comparaverat Patiſcus proquæſtor, homo mihi cùm familiaritate, tum etiam ſenſibus in rep. conjunctiſſimus, Rhodum reverti, confiſus auctoritate veſtra, ſenatuſque conſulto, quo hoſtem Dolabellam judicaratis: fœdere quoque, quod cum his, M. Marcello, Ser. Sulpicio renovatum erat: quo juraverant Rhodii, eoſdem hoſteis ſe habituros, quos S. P. Q. R. Quæ res nos vehementer fefellit. Tantum enim abfuit, ut illorum præſidio noſtram firmaremus claſſem, ut etiam à Rhodiis urbe, portu, ſtatione, quæ extra urbem eſt, commeatu, aqua denique prohiberentur noſtri milites: nos vix ipſi ſingulis cum navigiolis reciperemur. Quam indignitatem, diminutionemque majeſtatis, non ſolùm juris noſtri, ſed etiam imperii, populique Rom. idcirco tulimus, quòd interceptis litteris cognoramus, Dolabellam, ſi deſperaſſet de Syria, Ægyptoque, quod neceſſe erat fieri, in naveis cum omnibus ſuis latronibus, atque omni pecunia conſcendere eſſe paratum, Italiamque petere: idcirco etiam naveis onerarias, quarum minor nulla erat duûm millium amphorûm, contractas, in Lycia à claſſe ejus obſideri. Hujus rei timore, patres conſcripti, percitus, injurias perpeti, & cum contumelia etiam noſtra omnia priùs experiri malui. Itaque ad illorum voluntatem introductus in urbem, & in ſenatum eorum, quàm diligentiſſimè potui, cauſam reip. egi: periculumque omne, quod inſtaret, ſi ille latro cum omnibus ſuis naveis conſcendiſſet, expoſui. [1] Rhodios autem tanta in pravitate animadverti, ut omneis firmiores putarent, quàm bonos: ut hanc concordiam, & conſpirationem omnium ordinum ad defendendam libertatem, propensè non crederent eſſe factam: ut patientiam ſenatus, & optimi cujuſque manere etiam nunc confiderent, nec potuiſſe audere quemquam Dolabellam hoſtem judicare: ut denique omnia, quæ improbi fingebant, magis vera exiſtimarent, quàm quæ verè facta erant, & à nobis docebantur. Qua mente etiam ante noſtrum adventum poſt Trebonii indigniſſimam cædem, ceteraque tot, tamque nefaria facinora, binæ profectæ erant ad Dolabellam legationes eorum, & quidem novo exemplo, contra leges ipſorum, prohibentibus iis, qui tum magiſtratus gerebant. Hæc, ſive timore, (ut dictitant) de agris, quos in continenti habent, [2] ſive furore, ſive patientia paucorum, (qui & anteà pari contumelia viros clariſſimos affecerant, & nunc maximos magiſtratus gerenteis nullo exemplo, neque veſtra ex parte, neque noſtro præſentium, neque imminenti Italiæ, urbique noſtræ periculo, ſi ille parricida cum ſuis latronibus, navibus ex Aſia, Syriaque expulſus, Italiam petiſſet, mederi cùm facile poſſent, noluerunt. Nonnullis etiam ipſi magiſtratus veniebant in ſuſpicionem, detinuiſſe nos, & demorati eſſe, dum claſſis Dolabellæ certior fieret de adventu noſtro. Quam ſuſpicionem conſecutæ res aliquot auxerunt: maximè quòd ſubitò ex Lycia Sex. Marius, & C. Titius, legati Dolabellæ, à claſſe diſceſſerunt, navique longa profugerunt, onerariis relictis: in quibus colligendis non minimum temporis, laboriſque conſumſerunt. Itaque cum ab Rhodo cum iis, quas habueramus, navibus, in Lyciam veniſſemus, naveis onerarias recepimus, dominiſque reſtituimus: idemque, quod maximè verebamur, ne poſſet Dolabella cum ſuis latronibus in Italiam venire, timere deſiimus. claſſem fugientem perſecuti ſumus uſque Sidam, quæ extrema regio eſt provinciæ meæ. Ibi cognovi, partem navium Dolabellæ diffugiſſe, reliquas Syriam, Cyprumque petiiſſe. Quibus disjectis, cùm

---

1. *Rhodios autem tanta in pravitate animadverti.*] Non dubito de veritate hujus lectionis: quum ſuperiore Epiſtola dixerit: *Eadem ſuperbiâ in pravitate utuntur.* Certe agnoſcunt illam Vaticani excerpta, prima editio, neque ſecus Gruterianus & Stewechianus, niſi quod præpoſitionem *in* omiſerint. Palatinus primus, ſicut vulgatæ, *tantâ importunitate.* Gulielmius, quod Hittorpianus codex noſtram lectionem haberet, putabat, *in proavitate.* Paullò verò poſt malebat, *Pop. Rom. pensè non crederent.*

2. *Sive furore ſive patientiâ paucorum.*] Ita codex Medicæus, ut notat Egnatius, nihilo tamen minus ille emendarat *potentia*, ut poſtea in omnes editiones irrepſit. Sed *patientia* agnoſcunt Pall. Gruterianus, & recte ex illo laudatiſſimo codice illam lectionem in ſua editione Victorius, habetque eandem editio veterrima.

1. *Claſ-*

cùm ſcirem, C. Caſſii, ſingularis civis, & ducis, [1] claſſem maximam fore præſtò in Syriam, ad meum officium reverti: daboque operam, ut meum ſtudium, diligentiam vobis, P. C. reique p. præſtem: pecuniamque, quàm maximam potero, & quàm celerrime cogam, omnibuſque cum rationibus ad vos mittam. Si percurrero provinciam, & cognovero, qui nobis, & reip. fidem præſtiterunt in conſervanda pecunia à me depoſita, quique ſcelere ultrò deferentes pecuniam publicam, hoc munere ſocietatem facinorum cum Dolabella inierunt, faciam vos certiores. De quibus, ſi vobis videbitur, ſi ut meriti ſunt, graviter conſtitueritis, noſque veſtra auctoritate firmaveritis: faciliùs & reliqua exigere vectigalia, & exacta ſervare poterimus. Intereà quò commodiùs vectigalia tueri, provinciamque ab injuria defendere poſſim, præſidium neceſſarium, voluntariumque comparavi. His litteris ſcriptis, milites circiter XXX. quos Dolabella ex Aſia conſcripſerat, è Syria fugientes in Pamphyliam venerunt. hi nuntiaverunt, Dolabellam Antiocheam, quæ in Syria eſt, veniſſe: non receptum, conatum eſſe aliquoties vi introire: repulſum ſemper eſſe cum magno ſuo detrimento. Itaque [2] centum circiter amiſſis, ægris relictis, noctu Antiochea profugiſſe Laodiceam verſus: ea nocte omneis ferè Aſiaticos milites ab eo diſceſſiſſe: ex his ad octingentos Antiocheam rediiſſe, & ſe iis tradidiſſe, qui à Caſſio relicti, urbi illi præerant, ceteros per Amanum in Ciliciam deſcendiſſe: quo ex numero, ſe quoque eſſe dicebant: Caſſium autem cum ſuis omnibus copiis nuntiatum eſſe quatridui iter Laodicéa abfuiſſe, tum cum Dolabella eò tenderet. Quamobrem opinione celeriùs confido ſceleratiſſimum latronem pœnas daturum. Quarto Nonas Junias, Pergæ.

16 TREBONIUS CICERONI S.

S. V. B. E. Athenas veni ad XI Kal. Jun. atque ibi, quod maximè optabam, vidi filium tuum, deditum optimis ſtudiis, ſummaque modeſtiæ fama. Qua ex re quantam voluptatem ceperim, ſcire potes, etiam me tacente. Non enim neſcis, quanti te faciam, & quàm, pro noſtro veterrimo, veriſſimoque amore, omnibus tuis etiam minimis commodis, non modò tanto bono, gaudeam. Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare: nihil adoleſcente tuo, atque adeò noſtro, (nihil à te poteſt eſſe ſejunctum) aut amabilius omnibus iis, qui Athenis ſunt, eſt: aut ſtudioſius earum artium, quas tu maximè amas, hoc eſt optimarum. Itaque tibi, quod verè facere poſſum, libenter quoque gratulor, nec minùs etiam nobis: quòd eum, quem neceſſe erat diligere, qualiſcumque eſſet, talem habemus, ut libenter quoque diligamus. Qui cùm mihi in ſermone injeciſſet, ſe velle Aſiam viſere: non modò invitatus, ſed etiam rogatus eſt à me, ut id potiſſimùm nobis obtinentibus provinciam faceret. Cui nos & caritate, & amore tuum officium præſtaturos non debes dubitare. Illud quoque erit nobis curæ, ut Cratippus unà cum eo ſit, ne putes, in Aſia feriatum illum ab iis ſtudiis, in quæ tua cohortatione incitatus, futurum. Nam illum paratum, ut video, & ingreſſum pleno gradu, cohortari non intermittemus, quo in dies longiùs, diſcendo, exercendoque ſe, procedat. Vos quid ageretis in rep. cùm has litteras dabam, non ſciebam. Audiebam quædam turbulenta, quæ ſcil. cupio eſſe falſa, ut aliquando otioſa libertate fruamur: quod vel minimè adhuc mihi contigit. Ego tamen nactus in navigatione noſtra puſillum laxamenti, concinnavi tibi munuſculum ex inſtituto meo: & dictum, cum magno noſtro honore à te dictum, concluſi, & tibi infrà ſubſcripſi. In quibus verſiculis ſi tibi quibuſdam verbis ἀθυῤῥημονέστερος videbor: turpitudo perſonæ ejus, in quam liberiùs invehimur, nos vindicabit. Ignoſces etiam iracundiæ noſtræ: quæ juſta eſt in ejuſmodi & homines, & civeis. Deinde, quî magis hoc Lucilio licuerit aſſumere libertatis, quàm nobis? cum etiam ſi odio par fuerit in eos, quos læſit, tamen certè non magis dignos habuerit, in quos tanta libertate verborum incurreret. Tu, ſicut mihi pollicitus es, adjunges me quàm primum ad tuos ſermones. Namque illud non dubito, quin, ſi quid de interitu Cæſaris ſcribas, non patiaris me minimam partem & rei, & amoris tui ferre. Vale, & matrem, meoſque tibi commendatos habe. D. VIII. Kal. Junias, Athenis.

CICERO S.D. CORNIFICIO, COLLEGÆ. 17

GRATA mihi vehementer eſt memoria noſtri tua, quam ſignificaſti litteris: quam ut conſerves, non quò de tua conſtantia dubitem, ſed quia mos eſt ita rogandi, rogo. Ex Syria nobis tumultuoſiora quædam nuntiata ſunt. quæ, quia tibi ſunt propiora, quàm nobis, tua me cauſa magis movent, quàm mea. Romæ ſummum otium eſt: ſed ita, ut malis ſalubre aliquod, & honeſtum negotium: [3] quod ſpero fore; video id curæ eſſe Cæſari. Me ſcito, dum tu abſis, quaſi occaſionem quandam, & licentiam nactum, ſcribere audaciùs: & cetera quidem fortaſſe, quæ etiam tu concederes: ſed proximè ſcripſi de optimo genere dicendi: in quo ſæpe ſuſpicatus ſum, te à judicio noſtro, ſic ſcilicet, ut doctum hominem à non indocto, paullulum diſſidere. Huic tu libro, maximè velim ex animo: ſi minùs, gratiæ cauſa ſuffragere. Dicam tuis, ut eum, ſi velint, deſcribant, ad teque mittant. Puto enim, etiam ſi rem minùs probabis, tamen in iſta ſolitudine, quidquid à me profectum ſit, jucundum tibi fore. Quòd mihi exiſtimationem tuam, dignitatemque commendas, facis tu quidem omnium more: ſed velim ſic exiſtimes, me, cùm amori, quem inter nos mutuum eſſe intelligam, plurimùm tribuam, tum de ſummo ingenio, & de ſtudiis tuis optimis, & de ſpe ampliſſimæ dignitatis ita judicare, ut neminem tibi anteponam, comparem paucos.

CICERO CORNIFICIO, COLLEGÆ, S. D. 18

QUOD extremum fuit in ea epiſtola, quam à te proximè accepi, ad id primùm reſpondebo. [4] Animum advorti enim, hoc vos magnos oratores facere nonnumquam. Epiſtolas requiris meas. ego autem numquam, cùm mihi denuntiatum eſſet à tuis, ire aliquem, non dedi.

Quod

1. *Claſſem maximam fore præſto in Syriam.*] Hanc lectionem reſtituo ex Gruteriano, editione principe; quam cum in Medicæo reperiſſet æquè Victorius, diſtinctione peccavit; edidit enim; *fore præſto, in Syriam ad meum officium reverti.* Sed quid ad illud diceret, cum Gruterianus codex ſupra habet Epiſtola præcedente: *aut eos qui ſunt in magiſtratu, ſuam in habent poteſtatem?* Sic ſupra ſæpius tacitus ex libris ac mſſ. inſinuavi hanc priſcam lectionem. Vulgatum eſt: *fore præſto in Syriâ.*

2. *Centum circiter amiſſis, ægris relictis, noctu Antiocheâ pr.*] Quid vulgatarum editionum cymbala tibi reſpondeant, prius adverte: *C. circiter amicis, ægriſque compluribus relictis noctu Antiochiâ.* quid ergo reſtituerimus, quid amiſerimus, quid emendaverimus vides. Idque præſtitimus ex Pall. Gruteriano, Stewechiano, Hittorpiano, Vaticani excerptis, atque editione prima, ſimulque Victoriana. Mox habet Stewech. codex; *omnes ferè Aſiaticos milites ab eo diſceſſe.* quod rectum puto; etiamſi Grammaticas tribus mihi ob id iratas habeam, & neſcio quos, quibus nihil placet, niſi ſui ſimile, hoc eſt, obvium, vile, ſordidum Capitis?

3. *Quod ſpero fore; video id curæ eſſe Cæſari.*] Omnes hîc hiare orationem credebant, ideo ſuffulciebant hoc tibicine: *quia video id curæ.* ſed ejeci tantum impedimentum, non pedamentum Palatini primi, ſexti, Vaticani, editioniſque Victorianæ auctoritate. ſtatim principio ex Palatino ſexto, Hittorpiano, Vaticano; *Non quò de tuâ conſtantia dubitem.* idque infinitis modis feci, ubi ſemper edebatur *quòd.* Paullò ante finem, legendum eſt *ſolitudine* non *ſollicitudine* ex Palatino ſexto, Vaticano, Medic. editione Victorii. Illud quoque admonendum eſt, in Palatino ſexto, Hittorpiano, Stewechiano, in umbilico Epiſtolæ ita concipi totum fermè orationis complexum: *Te judicio noſtro, ſic ſcilicet, ut doctum hominem ab indocto paullum diſſidere.* Tantum erat ſupra hac Epiſtola.

4. *Animum advorti enim hoc vos magn.*] Sic elegantiſſimus & accuratiſſimus Victorius edidit, qui cum facit Palatinus ſextus, Vaticanus. Vulgatum erat *animadverti:* ſed illud melius & antiquius. Paullò poſt ex Feſto Gulielmius malebat: *cum mihi renuntiatum eſſet.* Paullo iterum poſt, ex editione primaria, Victoriana, Palatino ſexto (nam primum hæc epiſtola deſtituit) Hittorpiano, Stewechiano, Vaticani excerptis edidi: *fecerunt tuæ gratiſſimæ mihi litteræ*, cum deterius vulgatum ſit: *fecerunt tuæ graviſſimæ litteræ. Idque.*

1. *Fere-*

Quod mihi videor ex tuis litteris intelligere, te nihil commiſſurum eſſe temerè, nec antè, quàm ſciſſes, quò iſte neſcio qui Cæcilius Baſſus erumperet, quidquam certi conſtituturum. id ego & ſperarem, prudentia tua fretus: &, ut confiderem, fecerunt tuæ gratiſſimæ mihi litteræ. Idque ut facias quàm ſæpiſſimè, ut &, quid tu agas, & quid agatur, ſcire poſſim, & etiam quid acturus ſis, valde te rogo. etſi periniquo patiebar animo, te à me digredi: tamen eo tempore me conſolabar, quòd & in ſummum otium te ire arbitrabar, & ab impendentibus magnis negotiis diſcedere. Utrumque contrà accidit. iſtic enim bellum eſt exortum: hìc pax conſecuta: ſed tamen ejuſmodi pax, in qua, ſi adeſſes, multa te non delectarent: ea tamen, quæ ne ipſum Cæſarem quidem delectent. BELLORUM ENIM CIVILIUM ii ſemper exitus ſunt, ut non ea ſolùm fiant, quæ velit victor, ſed etiam, ut iis mos gerendus ſit, quibus adjutoribus ſit parta victoria. Equidem ſic tam obdurui, ut ludis Cæſaris noſtri æquiſſimo animo viderem T. Plancum, audirem Laberii, & Publii poëmata. Nihil mihi tam deeſſe ſcito, quàm qui-cum hæc familiariter, docteque rideam. Is tu eris, ſi quàm primùm veneris. Quod ut facias, non mea ſolùm, ſed etiam tua intereſſe arbitror.

19 M. T. C. CORNIFICIO, S. D.

LIBENTISSIME legi tuas litteras: in quibus jucundiſſimum mihi fuit, quòd cognovi meas tibi redditas eſſe. Non enim dubitabam, quin eas lubenter lecturus eſſes. [1] verebar, ut redderentur. Bellum, quod eſt in Syria, Syriamque provinciam tibi tributam eſſe à Cæſare, ex tuis litteris cognovi. Eamdem rem tibi volo benè, & feliciter evenire. Quod ita fore confido, fretus & induſtria, & prudentia tua. Sed de Parthici belli ſuſpicione quod ſcribis, ſanè me commovit. Quantum copiarum haberes, cùm ipſe conjectura conſequi poteram, tum ex tuis litteris cognovi. Itaque opto, ne ſe illa gens moveat hoc tempore, dum ad te legiones eæ perducantur, quas audio duci. Quòd ſi pares copias ad confligendum non habebis, non te fugiet uti conſilio M. Bibuli, qui ſe oppido munitiſſimo, & copioſiſſimo, tamdiu tenuit, quamdiu in provincia Parthi fuerunt. Sed hæc meliùs ex re, & ex tempore conſtitues. Mihi quidem uſque curæ erit, quid agas, dum, quid egeris, ſciero. Litteras ad te numquam habui cui darem, quin dederim. A te, ut idem facias, peto: in primiſque, ut ita ad tuos ſcribas, ut me tuum ſciant eſſe.

20 CICERO CORNIFICIO.

GRATÆ mihi tuæ litteræ, niſi quòd Sinueſſanum diverſoriolum contemſiſti. Quam quidem contumeliam villa puſilla iniquo animo feret, niſi in Cumano, & Pompejano reddideris πάντα περὶ πάντων. Sic igitur facies, meque amabis, & ſcripto aliquo laceſſes. Ego enim reſpondere faciliùs poſſum, quàm provocare. [2] Quòd ſi, ut es, ceſſabis, laceſſam. nec tua ignavia etiam inertiam afferat. Plura otioſus. Hæc, cùm eſſem in ſenatu, exaravi.

21 M. T. C. CORNIFICIO, S. D.

CAJUS Anicius, familiaris meus, vir omnibus rebus ornatus, negotiorum ſuorum cauſa legatus eſt in Africam legatione libera. Eum velim rebus omnibus adjuves, operamque des, ut quàm commodiſſimè ſua negotia conficiat. in primiſque, quod ei cariſſimum eſt, dignitatem ejus tibi commendo: idque à te peto, quod ipſe in provincia facere ſum ſolitus, non rogatus, ut omnibus ſenatoribus lictores darem: quod idem acceperam, & cognoveram à ſummis viris factitatum. Hoc igitur, mi Cornifici, facies: ceteriſque rebus omnibus ejus dignitati, reique, ſi me amas, conſules. id erit mihi gratiſſimum. Da operam, ut valeas.

M. T. C. S. P. D. CORNIFICIO. 22

NOS hic cum homine gladiatore, [3] omnium nequiſſimo, collega veſtro, Antonio, bellum gerimus: ſed non pari conditione, contra arma verbis. At etiam de te concionatur: nec impunè. nam ſentiet, quos laceſſierit. Ego autem acta ad te omnia arbitror perſcribi ab aliis: à me futura debes cognoſcere: quorum quidem non eſt difficilis conjectura. Oppreſſa omnia ſunt: nec habent ducem boni: noſtrique τυραννοκτόνοι longè gentium abſunt. Panſa & ſentit bene, & loquitur fortiter: Hirtius noſter tardiùs convaleſcit. Quid futurum ſit, planè neſcio. Spes tamen una eſt, aliquando pop. R. majorum ſimilem fore. Ego certè reip. non deero: & quidquid acciderit, à quo mea culpa abſit, animo forti feram. Illud profectò, quoad potero, tuam famam, & dignitatem tuebor. Ad XIII. Kalendas Januar. ſenatus frequens mihi eſt aſſenſus, cùm de ceteris rebus magnis, & neceſſariis, tum de provinciis, ab iis, qui obtinerent, retinendis, neque cuiquam tradendis, niſi qui ex ſenatuſconſulto ſucceſſiſſet. Hoc ego cùm reip. cauſa cenſui, tum, mehercule, in primis retinendæ dignitatis tuæ. Quamobrem te, amoris noſtri cauſa, rogo, reip. cauſa hortor, ut ne cui quidquam juris in tua provincia eſſe patiare: atque ut omnia referas ad dignitatem: qua nihil poteſt eſſe præſtantius. Verè tecum agam, ut neceſſitudo noſtra poſtulat. in Sempronio, ſi meis litteris obtemperaſſes, maximam ab omnibus laudem adeptus eſſes. Sed illud & præteriit, & levius eſt. Hæc magna res eſt. Fac ut provinciam retineas in poteſtate reip. Plura ſcripſiſſem, niſi tui feſtinarent. Itaque Cherippo noſtro me velim excuſes.

M. T. C. P. CORNIFICIO, S. D. 23

OMNEM conditionem imperii tui, ſtatumque provinciæ mihi demonſtravit Stratorius. O multa intolerabilia locis omnibus! Sed quo tua major dignitas, eo, quæ tibi acciderunt, minus ferenda. Neque enim, quæ tu propter magnitudinem & ingenii moderatè fers, à te non ulciſcenda ſunt, etiam ſi non ſunt dolenda. Sed hæc poſteriùs. Rerum urbanarum acta tibi mitti certò ſcio. quod ni ita putarem, ipſe perſcriberem, in primiſque Cæſaris Octaviani conatum: de quo multitudini fictum ab Antonio crimen videtur, ut in pecuniam adoleſcentis impetum faceret. Prudentes autem, & boni viri, & credunt factum, & probant. Quid quæris? magna ſpes eſt in eo. Nihil eſt, quod non exiſtimetur laudis, & gloriæ cauſa facturus. Antonius autem, noſter familiaris, tanto ſe odio eſſe intelligit, ut, cùm interfectores ſuos domi comprenderit, rem proferre non audeat. Ad VII. Idus Octobr. Brundiſium erat profectus obviam legionibus Macedonicis IIII. quas ſibi conciliare pecunia cogitabat, eaſque ad urbem adducere, & in cervicibus noſtris collocare. Habes formam reip. ſi in caſtris poteſt eſſe reſp. in qua tuam vicem ſæpe doleo, quòd nullam partem, per ætatem, ſanæ, & ſalvæ reip. guſtare potuiſti. Atque antehac quidem ſperare ſaltem licebat: nunc etiam id ereptum eſt. Quæ enim eſt ſpes, cùm in concione dicere auſus ſit Antonius, Cannutium apud eos ſibi locum quærere, quibus, ſe ſalvo, locus in civitate eſſe non poſſet? Equidem & hæc, & omnia, quæ homini accidere poſſunt, ſic fero, ut philoſophiæ magnam habeam gratiam, quæ me non modò ab ſollicitudine

1. *Verebar ut redderentur.*] Hanc lectionem profitentur omnes libri Palatini, Vaticani, excerpta, Stewech. Hittorpianus. Et ſic ante Lambinum, editum erat in impreſſione prima, atque Florentina. Vulgo male, *ne redderentur.*

2. *Quod ſi, ut es, ceſſabis; laceſſam.*] Palatinus ſextus lectionem nobis oggerit, quæ mihi non indigna viſa adnotatu; *Quod ſi, ut es delicatus, ceſſabis; laceſſam.* De qua alii ſtatuant; ego nihil decerno, neque vacat. poſt, qua Lamb. legit: *tua ignavia etiam mihi inertiam aff.* Putat Gulielmius fuiſſe, *etiam mi inertiam*, a quo non diſſentio.

3. *Omnium nequiſſimo collega veſtro.*] Sic Palatinus, primus, ſextus, Vaticani excerpta, Hittorpianus, Stewechianus, Victoriana editio. probat tamen Lambinus *noſtro*, ut & ante illum Egnatius Manutiuſque, quod erat collega Ciceronis in Auguratu. Nos potiori conſenſui aurem & obſequelam dedimus.

1. *Ea*

dine abducit, ſed etiam contra omneis fortunæ impetus armat: tibique idem cenſeo faciundum, nec, à quo culpa abſit, quidquam in malis numerandum. Sed hæc tu meliùs. Stratorium noſtrum cùm ſemper probaſſem: tum maximè in tuis rebus ſummam ejus fidem, diligentiam, prudentiamque cognovi. Da operam, ut valeas. hoc mihi gratius facere nihil potes.

24 M. T. C. S. P. D. CORNIFICIO.

EGo nullum locum prætermitto (nec enim debeo) non modò laudandi tui, ſed ne ornandi quidem. Sed mea ſtudia erga te, & officia malo tibi ex tuorum litteris, quàm ex meis, eſſe nota. Te tamen hortor, ut omni cura in remp. incumbas. hoc eſt animi, hoc eſt ingenii tui, hoc ejus ſpei, quam habere debes, amplificandæ dignitatis tuæ. Sed hac de re aliàs, ad te pluribus. cùm enim hæc ſcribebam, in exſpectatione erant omnia, nondum legati redierant: quos ſenatus non ad pacem deprecandam, ſed ad denuntiandum bellum miſerat, niſi legatorum nuntio paruiſſet. Ego tamen, ut primum occaſio data eſt, meo priſtino more remp. defendi: me principem ſenatui, populoque R. profeſſus ſum: nec poſteà, quàm ſuſcepi cauſam libertatis, minimum tempus amiſi tuendæ ſalutis, libertatiſque communis. Sed hæc quoque te ex aliis malo. T. Pinarium, familiariſſimum meum, tanto tibi ſtudio commendo, ut majore non poſſim. Cui cùm propter omneis virtutes, tum etiam propter ſtudia communia, ſum amiciſſimus. Is procurat rationes, negotiaque Dionyſii noſtri, quem & tu multùm amas, & ego omnium plurimùm. [1] Ea tibi ego non debeo commendare: ſed commendo tamen. Facies igitur, ut ex Pinarii, gratiſſimi hominis litteris, tuum & erga illum, & erga Dionyſium ſtudium perſpiciamus.

25 M. T. C. S. P. D. CORNIFICIO.

LIBERALIBUS litteras accepi tuas, quas mihi Cornificius altero viceſimo die, ut dicebat, reddidit. Eo die non fuit ſenatus, neque poſtero. Quinquatribus frequenti ſenatu cauſam tuam egi non invita Minerva. Etenim eo ipſo die ſenatus decrevit, ut Minerva noſtra, cuſtos urbis, quam turbo dejecerat, reſtitueretur. Panſa tuas litteras recitavit. Magna ſenatus approbatio conſecuta eſt cum ſummo gaudio, & offenſione Minotauri, id eſt, Calviſii, & Tauri. Factum de te ſenatuſconſultum honorificum. poſtulabatur autem, etiam illi notarentur: ſed Panſa clementior. Ego, mi Cornifici, quo die primùm in ſpem libertatis ingreſſus ſum, & cunctantibus ceteris ad XIII. Kal. Jan. fundamenta jeci reip. eo ipſo die providi multùm, atque habui rationem dignitatis tuæ. Mihi enim eſt aſſenſus ſenatus de obtinendis provinciis. Nec verò poſteà deſtiti labefactare eum, qui ſumma cum tua injuria, contumeliaque reip. provinciam abſens obtinebat. Itaque crebras, vel potius quotidianas compellationes meas non tulit, ſeque in urbem recepit invitus: neque ſolùm ſpe, ſed certa re jam, & poſſeſſione deturbatus eſt. Meo juſtiſſimo, honeſtiſſimoque convicio te tuàm dignitatem ſumma tua virtute tenuiſſe, provinciæque honoribus ampliſſimis affectum; vehementer gaudeo. Quòd te mihi de Sempronio purgas, accipio excuſationem. [2] fuit enim illud quoddam cæcum tempus ſervitutis. Ego tuorum conſiliorum auctor, dignitatiſque fautor, iratus temporibus, in Græciam, deſperata libertate, rapiebar: cùm me Eteſiæ, quaſi boni cives, relinquentem remp. proſequi noluerunt: Auſterque adverſus maximo flatu me [3] ad tribuleis tuos Regium retulit: atque inde ventis, remis in patriam omni feſtinatione properavi, poſtridieque in ſumma reliquorum ſervitute liber unus fui. Sic ſum in Antonium invectus, ut ille non ferret, omnemque ſuum vinolentum furorem in me unum effunderet: meque cùm elicere vellet ad cædis cauſam, tum tentaret inſidiis: quem ego ructantem, & nauſeantem conjeci in Cæſaris Octaviani plagas. Puer enim egregius præſidium ſibi primùm, & nobis: deinde ſummæ reip. comparavit: qui niſi fuiſſet, Antonii reditus à Brundiſio, peſtis patriæ fuiſſet. Quæ deinceps acta ſint, ſcire te arbitror. Sed redeamus ad illud, unde divertimus. Accipio excuſationem tuam de Sempronio. neque enim ſtatuti quid in tanta perturbatione habere potuiſti. [4] Nunc hic dies aliam vitam affert, alios mores poſtulat, ut ait Terentius. Quamobrem, mi Quinte, conſcende nobiſcum, & quidem ad puppim. Una navis eſt jam bonorum omnium: quam quidem nos damus operam, ut rectam teneamus. utinam proſpero curſu. Sed quicumque venti erunt, ars noſtra certè non aberit. Quid enim præſtare aliud virtus poteſt? Tu fac magno animo ſis, & excelſo: cogiteſque omnem dignitatem tuam cum rep. conjunctam eſſe debere. P. Luccium mihi meum commendas: quem, quibuſcumque rebus potero, diligenter tuebor. Hirtium quidem, & Panſam, collegas noſtros, homines in conſulatu reip. ſalutareis, alieno ſanè tempore amiſimus, rep. Antoniano quidem latrocinio liberata, ſed nondum omnino explicata: quam nos, ſi licebit, more noſtro tuebimur quamquam admodum ſumus jam defatigati. SED NULLA LASSITUDO impedire officium, & fidem debet. Verùm hæc hactenus. Ab aliis te de me, quàm à me ipſo, malo cognoſcere. De te audiebamus ea, quæ maximè vellemus. De Cn. Minucio, quem tu quibuſdam litteris ad cælum laudibus extuliſti, rumores duriores erant. Id quale ſit, omninoque, quid iſtic agatur, facias me velim certiorem.

CICERO CORNIFICIO S. D. 26

Q. TURIUS, qui in Africa negotiatus eſt, vir bonus, & honeſtus, heredes fecit ſimileis ſui, Cn. Saturninum, Sex. Aufidium, C. Annejum, Q. Conſidium Gallum, L. Servilium Poſtumum, C. Rubellinum. ex eorum oratione intellexi, gratiarum actione eos magis egere, quàm commendatione. Tanta enim liberalitate ſe tua uſos prædicabant, ut iis plus à te tributum intelligerem, quàm ego te auderem rogare. audebo tamen. ſcio enim, quantum ponderis mea commendatio ſit habitura. Quare à te peto, ut ad eam liberalitatem, qua ſine meis litteris uſus es, quàm maximus his litteris cumulus accedat. Caput autem eſt meæ commendationis, ne patiare Erotem Turium, Q. Turii libertum, ut adhuc fecit, hereditatem Turianam avertere, ceteriſque omnibus rebus habeas eos commendatiſſimos. Magnam ex eorum ſplendore, & obſervantia capies voluptatem. Quod ut velis, te vehementer etiam, atque etiam rogo.

M. T. C. S. P. D. Q. CORNIFICIO. 27

SEx. Aufidius & obſervantia, qua me colit, accedit ad proximos: & ſplendore, equiti R. nemini cedit. Eſt autem ita temperatis, moderatiſque moribus, ut ſumma ſeveritas, ſumma cum humanitate jungatur. Cujus tibi negotia, quæ ſunt in Africa, ita commendo, ut majore ſtudio,

1. *Ea tibi ego non debeo commendare: ſed commendo tamen.*] Hittorp. codex; *ea ibi commendo, tamen etſi non debeo commendare*: unde Gulielmius conjectabat: *commendo, tamen etſi non debeo commendare.*

2. *Fuit enim illud quoddam cæcum tempus ſervitutis.*] Non aliter eſt in Palatino ſexto, & Hittorp. niſi quod, *cæcum tempus quoddam.* in primo *græcum*, unde alii *Grave*: Victorius *egregium* fecerat. Lambinus tamen ait ſe ſequi Ubaldini Bandinelli conjecturam; laudatam ac probatam Manutio: *fuit enim quoddam neceſſarium tempus* quod tamen illius commentariis non invenio. Ego quod viſum erat veteribus codicibus, exturbare temperavi.

3. *Ad tribules tuos Regium retulit.*] Stewechianus, *tribullos ſuos*; quod quid ſit ignoro. ceterum pro *retulit* infert Palatinus ſextus, Hittorpianus, *attulit*, unde volebat Gulielmius *appulit*. idem τὸ *omni feſtinatione* gloſſema ducit. Poſt; Palatinus primus, ſextus, Hittorpianus, Stewechianus, editionum primaria ſcribunt, *quem ego ructantem & nauſeantem conſeci in Cæſ. oct. plagas.* Mihi videtur ex ignorantia ſcribarum ortum.

4. *Nunc hic dies aliam vitam defert.*] In codicibus Terentianis legitur, *affert.* quod ſequuntur hic alii, tum Manutius. ſed quia hanc lectionem reperi in Palatino primo, ſexto, Vaticani excerptis, Stewechiano, editionum primaria, retinetque Victorius, non dubitandum amplius fuit, quin Cicero ita ſcripſiſſet, & ſuo arbitratu ex memoria laudaſſet. Hittorpianus non longe quoque abit, legit enim; *differt.*

ſtudio, magiſve ex animo commendare non poſſim. Pergratum mihi feceris, ſi dederis operam, ut is intelligat, meas apud te litteras maximum pondus habuiſſe. Hoc te vehementer mi Cornifici, rogo.

28 M. T. C. S. P. D. Q. CORNIFICIO.

ASSENTIOR tibi, eos, quos ſcribis Lilybæo minari, iſtic pœnas dare debuiſſe: ſed metuiſti, ut ais, ne nimis liber in ulciſcendo viderere. Metuiſti igitur, ne gravis civis, ne nimis fortis, ne minus te dignus viderêre. Quòd ſocietatem reip. conſervandæ tibi mecum à patre acceptam renovas, gratum eſt: quæ ſocietas inter nos ſemper, mi Cornifici, manebit. Gratum etiam illud, quòd mihi tuo nomine gratias agendas non putas. nec enim id inter nos facere debemus. Senatus ſæpius pro dignitate tua appellaret, ſi, abſentibus conſulibus, umquam, niſi ad rem novam cogeretur. Itaque nec de H-S XX. nec de H-S IↃCC. quidquam agi nunc per ſenatum poteſt. Tibi autem ex ſenatuſconſulto imperandum, mutuumque ſumendum cenſeo. In rep. quid agatur, credo te ex eorum litteris cognoſcere, qui ad te acta debent perſcribere. Ego ſum ſpe bona: conſilio, cura, labore non deſum: omnibus inimicis reip. eſſe me acerrimum hoſtem præ me fero. Res neque nunc difficili loco mihi videtur eſſe: & fuiſſet facillimo, ſi culpa à quibuſdam abfuiſſet.

29 M. T. C. S. P. D. Q. CORNIFICIO.

NON modò tibi, cui omnia noſtra notiſſima ſunt, ſed neminem in populo R. arbitror eſſe, cui ſit ignota ea familiaritas, quæ mihi cum L. Lamia eſt. Etenim magno theatro ſpectata eſt tum, cùm eſt ab A. Gabinio conſule relegatus, quòd liberè, & fortiter ſalutem meam defendiſſet. Nec ex eo amor inter nos natus eſt: ſed quòd erat vetus, & magnus, propterea nullum periculum pro me audire dubitavit. Ad hæc officia, vel merita potiùs, jucundiſſima conſuetudo accedit, ut nullo prorſus plus homine delecter. Non puto te jam exſpectare, quibus cum tibi verbis commendem. cauſas enim tanti amoris intelligis: quæ verba deſideret, iis me omnibus uſum putato. Tantùm velim exiſtimes, ſi negotia Lamiæ, procuratores, libertos, familiam, quibuſcumque rebus opus erit, defenderis, gratius mihi futurum, quàm ſi ea tua liberalitas pertinuiſſet ad rem familiarem meam. Nec dubito, quin ſine mea commendatione, quod tuum eſt judicium de hominibus, ipſius Lamiæ cauſa ſtudioſè omnia facturus ſis: quamquam erat nobis dictum, te exiſtimare, alicui ſenatuſconſulto, quod contra dignitatem tuam fieret, ſcribendo Lamiam affuiſſe: qui omnino conſulibus illis numquam fuit ad ſcribendum: deinde omnia tum falſa ſenatuſconſulta deferebantur. Niſi fortè etiam illi Semproniano ſenatuſconſulto me cenſes affuiſſe: qui ne Romæ quidem tum fui, deque eo ad te ſcripſi, re recenti. Sed hæc hactenus. Te mi Cornifici, etiam atque etiam rogo, ut omnia Lamiæ negotia, mea putes eſſe: cureſque, ut intelligat, hanc commendationem maximo ſibi uſui fuiſſe. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Cura, ut valeas.

M. T. C. S. P. D. CORNIFICIO. 30

ITANE præter litigatores, nemo ad te meas litteras? multæ iſtæ quidem. tu enim perfeciſti, ut nemo ſine litteris meis tibi ſe commendatum putaret. ſed quis umquam tuorum mihi dixit eſſe, cui darem, quin dederim? aut quid mi jucundius, quàm, cùm coram tecum loqui non poſſim, aut ſcribere ad te, aut tuas legere litteras? Illud magis mihi ſolet eſſe moleſtum, tantis me impediri occupationibus, ut ad te ſcribendi meo arbitratu facultas nulla detur. Non enim te epiſtolis, ſed voluminibus laceſſerem: quibus quidem me à te provocari oportebat. Quamvis enim occupatus ſis, otii tamen plus habes. Aut, ſi ne tu quidem vacas, noli impudens eſſe, nec mihi moleſtiam exhibere, & à me litteras crebriores, cùm tu mihi raro mittas, flagitare. Nam cùm anteà diſtinebar maximis occupationibus, propterea quòd omnibus curis remp. mihi tuendam putabam: tum hoc tempore multò diſtineor vehementiùs. Ut enim graviùs ægrotant ii, qui, cùm levati morbo videntur, in eum dè integro inciderunt: ſic vehementiùs nos laboramus, qui, profligato bello, ac pænè ſublato, renovatum bellum gerere conamur. Sed hæc hactenus. Tu tibi, mi Cornifici, fac ut perſuadeas: non eſſe me tam imbecillo animo, ne dicam inhumano, ut à te vinci poſſim aut officiis, aut amore. Non dubitabam equidem: verumtamen multò mihi notiorem amorem tuum effecit Cherippus. O hominem, ſemper illum quidem mihi aptum, nunc verò etiam ſuavem! Vultus mehercule tuos mihi expreſſit omneis: non ſolùm animum, ac verba pertulit. Itaque noli vereri, ne tibi ſuccenſuerim, quòd eodem exemplo ad me, quo ad ceteros. Requiſivi equidem proprias ad me unum litteras: ſed neque vehementer, & amanter. De ſumtu, quem te in rem militarem facere, & feciſſe dicis, nihil ſanè poſſum tibi opitulari, propterea quòd & orbus ſenatus, conſulibus amiſſis, & incredibiles anguſtiæ pecuniæ publicæ: quæ conquiritur undique, ut optimè meritis militibus promiſſa ſolvantur: quod quidem fieri ſine tributo poſſe non arbitror. De Actio Dionyſio nihil puto eſſe: quoniam mihi nihil dixit Stratorius. De P. Luccio nihil tibi concedo, quò ſtudioſior ejus ſis, quàm ego ſum. eſt enim nobis neceſſarius. Sed à magiſtris cùm contenderem de proferendo die: probaverunt mihi, ſeſe, quo minùs id facerent, & compromiſſo, & jurejurando impediri. Quare veniendum arbitror Luccio, quamquam, ſi meis litteris obtemperavit, cùm tu hæc leges, illum Romæ eſſe oportebit. Ceteris de rebus, maximeque de pecunia, cùm Panſæ mortem ignorares, ſcripſiſti, quæ per nos ab eo conſequi te poſſe arbitrarere. quæ te non fefelliſſent, ſi viveret. nam te diligebat. Poſt mortem autem ejus quid fieri poſſet, non videbamus. De Venulejo, Latino, Horatio, valde laudo. Illud non nimium probo, quod ſcribis, quo illi animo æquiore ferrent, te tuis etiam legatis lictores ademiſſe. Honore enim digni cum ignominia dignis non erant comparandi: eoque ex ſenatuſconſulto, ſi non decedunt, cogendos, ut decedant, exiſtimo. Hæc ferè ad eas litteras, quas eodem exemplo binas accepi. De reliquo, velim tibi perſuadeas, non eſſe mihi meam dignitatem tua cariorem.

M. TUL-

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM AD FAMILIAREIS LIBER DECIMUS TERTIUS, AD C. MEMMIUM.

1 M. T. C. S. P. D. C. MEMMIO.

ETſi non ſatis mihi conſtiterat, cum aliquane animi mei moleſtia, an potiùs libenter te Athenis viſurus eſſem, quòd injuria, quam accepiſti, dolore me afficeret: ſapientia tua, qua fers injuriam, lætitia: tamen vidiſſe te mallem. Nam quod eſt moleſtiæ, non ſanè multo levius eſt, cum te non video. quod eſſe potuit voluptatis, certè, ſi vidiſſem te, plus fuiſſet. Itaque non dubitabo dare operam, ut te videam, cùm id ſatis commodè facere potero. Interea quod per litteras & agi tecum, &, ut arbitror, confici poteſt, agam nunc. Ac te illud primum rogabo, nequid invitus mea cauſa facias: ſed id, quod mea intelliges, tua nullam in partem multum intereſſe, ita mihi des, ſi tibi, ut id libenter facias, antè perſuaſeris. Cum Patrone Epicureo mihi omnia ſunt: niſi quòd in philoſophia vehementer ab eo diſſentio. Sed & initiò Romæ, cùm te quoque, & tuos omneis obſervabat, me me coluit in primis: & nuper, cum ea, quæ voluit, de ſuis commodis, & præmiis conſecutus eſt, me habuit ſuorum defenſorum, & amicorum, ferè principem: & jam à Phædro, qui nobis, cum pueri eſſemus, antè quàm Philonem cognovimus, valde, ut philoſophus, poſteà tamen, ut vir bonus, & ſuavis, & officioſus, probabatur, traditus, mihique commendatus eſt. Is igitur Patro, cùm ad me Romam litteras miſiſſet, uti te ſibi placarem, peteremque, ut neſcio quid illud Epicuri parietinarum ſibi concederes: nihil ſcripſi ad te ob eam rem, quòd ædificationis tuæ conſilium mea commendatione nolebam impediri. Idem, ut veni Athenas, cùm idem, ut ad te ſcriberem, rogaſſet: ob eam cauſam impetravit, quod te abjeciſſe illam ædificationem conſtabat inter omneis amicos tuos. Quod ſi ita eſt, & ſi jam planè tua nihil intereſt, velim, ſi qua offenſiuncula facta eſt animi tui, perverſitate aliquorum (novi enim gentem illam) des te ad lenitatem, vel propter tuam ſummam humanitatem, vel etiam honoris mei cauſa. Equidem ſi, quid ipſe ſentiam, quæris: nec cur ille tantopere contendat, video, nec cur tu repugnes: niſi tamen multò minùs tibi concedi poteſt, quàm illi, laborare ſine cauſa. Quamquam Patronis & orationem, & cauſam tibi cognitam eſſe certò ſcio. honorem, officium, teſtamentorum jus, Epicuri auctoritatem, Phædri obteſtationem, ſedem, domicilium, veſtigia ſummorum hominum, ſibi tuenda eſſe dicit. Totam hominis vitam, rationemque, quam ſequitur in philoſophia, derideamus licet, ſi hanc ejus contentionem volumus reprehendere. Sed, mehercules, quum illi, ceteriſque, quos illa delectant, non valde inimici ſumus: neſcio an ignoſcendum ſit huic, ſi tantopere laborat: in quo etiam ſi peccat, magis ineptiis, quàm improbitate peccat. Sed, ne plura (dicendum enim aliquando eſt) Pomponium Atticum ſic amo, ut alterum fratrem. nihil eſt illo mihi nec carius nec jucundius. Is (non quò ſit ex iſtis: eſt enim omni liberali doctrina politiſſimus: ſed valde diligit Patronem, valde Phædrum amavit) ſic à me hoc contendit homo minimè ambitioſus, minimè in rogando moleſtus, ut nihil umquam magis: nec dubitat, quin ego à te nutu hoc conſequi poſſem, etiam ſi ædificaturus eſſes. Nunc verò, ſi audierit, te ædificationem depoſuiſſe, neque tamen me à te impetraſſe: non te in me liberalem, ſed me in ſe negligentem putabit. Quamobrem peto à te, ut ſcribas ad tuos, poſſe tua voluntate decretum illud Areopagitarum, quem ὑπομνηματισμὸν illi vocant, tolli. Sed redeo ad prima. Priùs velim tibi perſuadeas, ut hoc mea cauſa libenter facias, quàm ut facias. ſic tamen habeto: ſi feceris, quod rogo, fore mihi gratiſſimum. Vale:

CICERO MEMMIO SAL. 2

CAjo Aviano Evandro, qui habitat in tuo ſacrario, & ipſo multùm utor, & patrono ejus, M. Æmilio familiariſſimè. Peto igitur à te in majorem modum, quod ſine tua moleſtia fiat, ut ei de habitatione accommodes. Nam propter opera inſtituta multa multorum, ſubitum eſt ei remigrare Kal. Quint. Impedior verecundia, ne te pluribus verbis rogem. Neque tamen dubito, quin, ſi tua nihil, aut non multùm interſit, eo ſis animo, quo ego eſſem ſi quid tu me rogares. mihi certè gratiſſimum feceris.

M. T. C. S. P. D. C. MEMMIO. 3

AULUM Fufium, unum ex meis intimis, obſervantiſſimum, ſtudioſiſſimumque noſtri, eruditum hominem, & ſumma humanitate, tuaque amicitia digniſſimum, velim ita tractes, ut mihi coràm recepiſti. Tam gratum mihi id erit, quod gratiſſimum. Ipſum præterea ſummo officio, & ſumma obſervantia tibi perpetuum devinxeris. Vale.

M. T. C. Q. VALERIO, Q. F. ORCÆ, LEG. PROPR ÆT. S. D. 4

CUm municipibus Volaterranis mihi ſumma neceſſitudo eſt. magno enim meo beneficio affecti, cumulatiſſimè mihi gratiam retulerunt. nam [1] nec in honoribus meis laboribus umquam defuerunt. Cum quibus ſi mihi nulla cauſa intercederet, tamen, quòd te vehementiſſimè diligo, quodque me à te plurimi fieri ſentio, & monerem te, & hortarer, ut eorum fortunis conſuleres, præſertim cùm propè præcipuam cauſam haberent ad jus obtinendum. Primùm quòd Sullani temporibus acerbitatem, deorum immortalium benignitate ſubterfugerunt: deinde, quòd ſummo ſtudio populi R. à me in conſulatu meo defenſi ſunt. cùm tribuni pl. legem iniquiſſimam de eorum agris promulgaviſſent: facilè S. P. Q. R. perſuaſi, ut eos civeis, quibus fortuna pepercriſſet, ſalvos eſſe vellent. Hanc actionem meam C. Cæſar primo ſuo conſulatu in lege Agraria comprobavit, agrumque Volaterranum, & oppi-

1. *Nec in honoribus meis laboribus unquam defuerunt.*] Prætuli hanc lectionem ex editione Victorii: ideo quod veriſſima & maxime genuina videtur, tum quod non longe abeunt alii mſſ. Palatinus primus, Stewechianus, Peckio excerpta, editio princeps: *nec in honoribus meis laboribuſque unquam defuerunt*: ut illud *que*, copulatio ab ſciolo & ad ſenſum non penetrante adjectum videatur. Faceſſant ergo aliorum conjectationes, *nec in laboribus unquam mihi defuerunt*. Editum ante hac eſt: *Nam nec in honoribus meis, nec in laboribus unquam defuerunt.*

1. Tullia

oppidum omni periculo in perpetuum liberavit: ut mihi dubium non ſit, quin is, qui novas neceſſitudines adjungat, vetera, ſua beneficia conſervari velit. Quamobrem eſt tuæ prudentiæ, aut ſequi ejus auctoritatem, cujus ſectam, atque imperium ſumma cum tua dignitate ſecutus es: aut certè illi integram omnem cauſam reſervare. Illud verò dubitare non debes, quin tam grave, tam firmum, tam honeſtum municipium tibi tuo ſummo beneficio in perpetuum obligare velis. Sed hæc, quæ ſuprà ſcripta ſunt, eò ſpectant, ut te horter, & ſuadeam. Reliqua ſunt, quæ pertinent ad rogandum: ut non ſolùm tua cauſa tibi conſilium me dare putes, ſed etiam quòd mihi opus ſit, me à te petere, & rogare. Gratiſſimum igitur mihi feceris, ſi Volaterranos omnibus rebus integros, incolumeiſque eſſe volueris. Eorum ego domicilia, ſedes, rem, fortunas, quæ à diis immortalibus, & à præſtantiſſimis in noſtra rep. civibus, ſummo S. P. Q. R. ſtudio, conſervatæ ſunt, tuæ fidei, juſtitiæ, bonitatique commendo. Si pro meis priſtinis opibus facultatem mihi res hoc tempore daret, ut ita defendere poſſem Volaterranos, quemadmodum conſuevi tueri meos: nullum officium, nullum denique certamen, in quo illis prodeſſe poſſem, prætermitterem. Sed, quum apud te nihilominùs hoc tempore valere me confido, quàm valuerim ſemper apud omneis: pro noſtra ſumma neceſſitudine, parique inter nos, & mutua benivolentia abs te peto, ut ita de Volaterranis mereare, ut exiſtiment, eum quaſi divino conſilio iſti negotio præpoſitum eſſe, apud quem unum nos eorum perpetui defenſores, plurimùm valere poſſumus.

5 M. T. C. Q. VALERIO, Q. F. ORCÆ, LEG. PROPRÆT. S. P. D.

NON moleſtè fero, eam neceſſitudinem, quæ mihi tecum eſt, notam eſſe quàm plurimis: neque tamen ob eam cauſam (quod tu optimè exiſtimare potes) te impedio, quo minùs ſuſceptum negotium, pro tua fide, & diligentia, ex voluntate Cæſaris, qui tibi rem magnam, difficilemque commiſit, gerere poſſis. Nam cum multi à me petant multa, quòd de tua erga me voluntate non dubitent, non committo, ut ambitione mea conturbem officium tuum. C. Curtio ab ineunte ætate familiariſſimè ſum uſus. Ejus & Sullani temporibus injuſtiſſima calamitate dolui: & cùm iis, qui ſimilem injuriam acceperant, amiſſis omnibus fortunis, reditus tamen in patriam voluntate omnium concedi videretur, adjutor incolumitatis fui. Is habet in Volaterrano poſſeſſionem, cùm in eam, tamquam è naufragio, reliquias contuliſſet. Hoc autem tempore eum Cæſar in ſenatum legit: quem ordinem ille, iſta poſſeſſione amiſſa, tueri vix poteſt. Graviſſimum autem eſt, cùm ſuperior factus ſit ordine, inferiorem eſſe fortuna: minimeque convenit, ex eo agro, qui Cæſaris juſſu dividatur, eum moveri, qui Cæſaris beneficio ſenator ſit. Sed mihi minus libet multa de æquitate rei ſcribere, ne cauſa potiùs apud te valuiſſe videar, quam gratia. Quamobrem te in majorem modum rogo, ut C. Curtii rem, meam putes eſſe: quidquid mea cauſa faceres, ut id C. Curtii cauſa cùm feceris, exiſtimes, quod ille per me habuerit, id me habere abs te. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

6 M. T. C. Q. VALERIO, Q. F. ORCÆ, PROCOS. S. P. D.

SI vales, bene eſt; valeo. Credo te memoria tenere, me & coràm P. Cuſpio tecum locutum eſſe, cùm te proſequerer paludatum: & item poſtea pluribus verbis tecum egiſſe, ut, quoſcumque tibi ejus neceſſarios commendarem, haberes eos in numero meorum neceſſariorum. Id tu pro tua ſumma erga me benivolentia, perpetuaque obſervantia mihi liberaliſſimè, atque humaniſſimè recepiſti. Cuſpius, homo in omneis ſuos officioſiſſimus, mirificè quoſdam homines ex iſta provincia tuetur, & diligit, proptereà quòd fuit in Africa bis, cùm maximis ſocietatis negotiis præeſſet. Itaque hoc ejus officium, quod adhibet erga illos, ego mea facultate, & gratia ſoleo, quantum poſſum, adjuvare. Quare Cuſpianorum omnium commendationis cauſam hac tibi epiſtola exponendam putavi. reliquis epiſtolis tantùm faciam, ut notam apponam eam, quæ mihi tecum convenit, & ſimul ſignificem, de numero eſſe Cuſpii amicorum. Sed hanc commendationem, quam his litteris conſignare volui, ſcito eſſe omnium graviſſimam. Nam P. Cuſpius ſingulari ſtudio contendit à me, ut tibi quàm diligentiſſimè L. Julium commendarem. Ejus ego ſtudio vix videor mihi ſatisfacere poſſe, ſi utar verbis iis, quibus, cum diligentiſſimè quid agimus, uti ſolemus. Nova quædam poſtulat: & putat me ejus generis artificium quoddam tenere. Ei ego pollicitus ſum, me ex intima noſtra arte depromturum mirificum genus commendationis. Id quum aſſequi non poſſum, tu re velim efficias, ut ille genere mearum litterarum incredibili quiddam perfectum arbitretur. Id facies, ſi omne genus liberalitatis, quod & ab humanitate, & poteſtate tua proficiſci poterit, non modò re, ſed etiam verbis, [1] vultu denique expromſeris: quæ quantùm in provincia valeant, vellem expertus eſſes. Sed tamen ſuſpicor, ipſum hominem, quem tibi commendo, perdignum eſſe tua amicitia: non ſolùm, quia mihi Cuſpius dicit, credo, (tametſi id ſatis eſſe debeat) ſed quia novi ejus judicium in hominibus, & amicis deligendis. Harum litterarum vis quanta fuerit, propediem judicabo: tibique, ut confido, gratias agam. Ego, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor, omnia ſtudioſè, diligenterque curabo. Cura ut valeas. P. Cornelius, qui tibi litteras dedit, eſt mihi à P. Cuſpio commendatus: cujus cauſa quanto opere cuperem, deberemque, profectò ex me facilè cognoſti. Vehementer te rogo, ut cures, ut ex hac commendatione mihi Cuſpius quàm maximas, quàm primùm, quàm ſæpiſſimè gratias agat. Vale.

M. T. C. CLUVIO, S. P. D. 7

CUM in Galliam proficiſcens, pro noſtra neceſſitudine (quæ tua ſumma in me obſervantia) ad me domum veniſſes, locutus ſum tecum de agro vectigali municipii Atellani, qui eſſet in Gallia: quantoque opere ejus municipii cauſa laborarem, tibi oſtendi. Poſt tuam autem profectionem, cùm & maxima res municipii honeſtiſſimi, mihique conjunctiſſimi, & ſummum meum officium ageretur, pro tuo animo in me ſingulari, exiſtimavi, me oportere ad te accuratiùs ſcribere: etſi non ſum neſcius, & quæ temporum ratio, & quæ tua poteſtas ſit: tibique negotium datum eſſe à C. Cæſare, non judicium, præclarè intelligo. Quare à te tantum peto, quantum & te facere poſſe, & libenter mea cauſa facturum eſſe arbitror. Et primùm velim exiſtimes, quod res eſt, municipii fortunas omneis in iſto vectigali conſiſtere: his autem temporibus hoc municipium maximis oneribus preſſum, ſummis affectum eſſe difficultatibus. Hoc etſi commune videtur eſſe cum multis: tamen, mihi crede, ſingulareis huic municipio calamitates accidiſſe. quas idcirco non commemoro, ne de miſeriis meorum neceſſariorum conquerens, homines, quos nolo, videar offendere. Itaque, niſi magnam ſpem haberem, C. Cæſari nos cauſam municipii probaturos: non erat cauſa, cur à te hoc tempore aliquid contenderem. ſed quia confido, mihique perſuaſi, illum & dignitatis municipii, & æquitatis, etiam voluntatis erga ſe habiturum eſſe rationem: ideò à te non dubitavi contendere, ut hanc cauſam illi integram conſervares. Quod etſi nihilominùs à te peterem, ſi nihil audiviſſem te tale feciſſe: tamen majorem ſpem impetrandi nactus ſum, poſteà quàm mihi dictum eſt, hoc idem à te Regienſeis impetraviſſe. qui etſi te aliqua neceſſitudine attingunt: tamen tuus amor

1. *Vultu denique expromſeris.*] In Mediceo erat, ut notat Egnatius ad oram primæ editionis, *ex proſperis*; unde credo Victorius fecit *expromſeris* recte: idque omne totis apicibus reperi in Palatino ſexto, Vaticani excerptis, eratque ſic in Stewechiano & Hittorpiano. Vulgò, *expreſſeris*. Alii addunt, *fronte vultu denique exp.* neſcio quibus auctoritatibus.

1. Non

amor in me, ſperare me cogit te, quod tuis neceſſariis tribueris, idem eſſe tributurum meis: præſertim cùm ego pro his unis petam: habeam autem qui ſimili cauſa laborent, complureis neceſſarios. Hoc me non ſine cauſa facere, neque aliqua levi ambitione commotum à te contendere, etſi te exiſtimare arbitror: tamen mihi affirmanti credas velim, me huic municipio debere plurimùm: nullum umquam fuiſſe tempus neque honorum, neque laborum meorum, in quo non hujus municipii ſtudium in me exſtiterit ſingulare. Quapropter à te etiam atque etiam, pro noſtra ſumma conjunctione, proque tua in me perpetua, & maxima benivolentia, majorem in modum peto, atque contendo, ut, cum fortunas agi ejus municipii intelligas, quod ſit mihi neceſſitudine, officiis, benivolentia conjunctiſſimum, id mihi des. Quod erit hujuſmodi, ut, ſi à Cæſare, quod ſperamus, impetrarimus, tuo beneficio nos id conſecutos eſſe judicemus. ſin minùs: pro eo tamen id habeamus, quom à te data ſit opera, ut impetraremus. Hoc cùm mihi gratiſſimum feceris: tum viros optimos, homines honeſtiſſimos, eoſdem gratiſſimos, & tua neceſſitudine digniſſimos, ſummo beneficio in perpetuum tibi, tuiſque devinxeris.

8 M. T. C. M. RUTILIO, S. P. D.

Cum & mihi conſcius eſſem, quanti te facerem, & tuam erga me benivolentiam expertus eſſem, non dubitavi à te petere, quod mihi petendum eſſet. P. Seſtium quanti faciam, ipſe optimè ſcio: quanti autem facere debeam, & tu, & omnes homines ſciunt. Is cùm ex aliis te mei ſtudioſiſſimum eſſe cognoſſet, petivit à me, ut ad te quàm accuratiſſimè ſcriberem de re C. Albinii ſenatoris: cujus ex filia natus eſt L. Seſtius, optimus adoleſcens, filius P. Seſtii. Hoc idcirco ſcripſi, ut intelligeres, non ſolum me pro P. Seſtio laborare debere, ſed Seſtium etiam pro Albinio. Res autem eſt hæc: A M. Laberio C. Albinius prædia in æſtimationem accepit: quæ prædia Laberius emerat à Cæſare de bonis Plotianis. ea ſi dicam non eſſe è rep. dividi, docere te videar, non rogare. Sed tamen cùm Cæſar Sullanas venditiones, & aſſignationes ratas eſſe velit, quo firmiores exiſtimentur ſuæ: ſi ea prædia dividentur, quæ ipſe Cæſar vendidit, quæ tandem in ejus venditionibus eſſe poterit auctoritas? Sed hoc quale ſit, tu pro tua prudentia conſiderabis. Ego te planè rogo, atque ita, ut majore ſtudio, juſtiore de cauſa, magis ex animo rogare nihil poſſim, ut Albinio parcas, prædia Laberiana ne attingas. Magna me affeceris non modò lætitia, ſed etiam quodammodo gloria, ſi P. Seſtius homini maximè neceſſario ſatisfecerit, per me ut ego illi uni plurimùm debeam. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Majus mihi dare beneficium nullum potes. Id mihi intelliges eſſe gratiſſimum.

9 M. T. C. CRASSIPEDI, S. P. D.

Quam tibi præſens commendavi, ut potui, diligentiſſimè, ſocios Bithyniæ: teque cum mea commendatione, tum etiam tua ſponte intellexi cupere ei ſocietati, quibuſcumque rebus poſſes, commodare: tamen, cum ii, quorum res agitur, magni ſua intereſſe arbitrarentur, me etiam per litteras declarare tibi, qua eſſem erga ipſos voluntate, non dubitavi hæc ad te ſcribere. Volo enim te exiſtimare, me, cum univerſo ordini publicanorum ſemper libentiſſimè tribuerim, idque magnis ejus ordinis erga me meritis facere debuerim, tum in primis amicum eſſe huic Bithynicæ ſocietati: quæ ſocietas ordine ipſo, hominum genere, pars eſt maxima civitatis. conſtat enim ex ceteris ſocietatibus: & caſu permulti ſunt in ea ſocietate valde mihi familiares: in primiſque is, cujus præcipuum officium agitur hoc tempore, P. Rupilius, P. F. Men. qui eſt magiſter in ea ſocietate. Quæ cùm ita ſint, in majorem modum à te peto, Cn. Pupium, qui eſt in operis ejus ſocietatis, omnibus tuis officiis, atque omni liberalitate tueare: cureſque, ut ejus operæ, quod tibi facile factu eſt, quàm gratiſſimæ ſint ſociis: remque, & utilitatem ſociorum, (cujus rei quantam poteſtatem quæſtor habeat, non ſum ignarus) per te quàm maximè defenſam, & auctam velis. Id cum mihi gratiſſimum feceris, tum illud tibi expertus promitto, & ſpondeo, te ſocios Bithyniæ, ſi iis commodaris, memores eſſe, & gratos cogniturum.

CICERO BRUTO, S. 10

Cum ad te tuus quæſtor, M. Varro, proficiſceretur, commendatione egere eum non putabam. Satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipſo more majorum: qui, ut te non fugit, hanc quæſturæ conjunctionem liberorum neceſſitudini proximam voluit eſſe. Sed cùm ſibi ita perſuaſiſſet ipſe, meas de ſe accuratè ſcriptas litteras, maximum apud te pondus habituras: à meque contenderet, ut quam diligentiſſimè ſcriberem: malui facere, quod meus familiaris tanti ſua intereſſe arbitraretur. Ut igitur debere me facere hoc intelligas, cùm primùm M. Terentius in forum venit, ad amicitiam ſe meam contulit. Deinde, ut ſe corroboravit, duæ cauſæ acceſſerunt, quæ meam in illum benivolentiam augerent: una, quod verſabatur in hoc ſtudio noſtro, quo etiam nunc maximè delectamur, & cum ingenio, ut noſti, nec ſine induſtria: deinde, quòd maturè ſe contulit in ſocietates publicanorum: quod quidem nollem. Maximis enim damnis affectus eſt. ſed tamen cauſa communis ordinis, mihi commendatiſſimi, fecit amicitiam noſtram firmiorem. Deinde verſatus in utriſque ſubſelliis optima & fide, & fama, jam ante hanc commutationem reip. petitioni ſeſe dedit, honoremque honeſtiſſimum exiſtimavit, fructum laboris ſui. His autem temporibus à me Brundiſio cum litteris, & mandatis profectus ad Cæſarem eſt: qua in re & amorem ejus in ſuſcipiendo negotio perſpexi, & in conficiendo ac renuntiando fidem. Videor mihi, cùm ſeparatim de probitate ejus, & moribus dicturus fuiſſem, ſi priùs cauſam, cur eum tantopere diligerem, tibi expoſuiſſem, in ipſa cauſa exponenda ſatis etiam de probitate dixiſſe. Sed tamen ſeparatim promitto, in meque recipio, fore eum tibi & voluptati, & uſui. Nam & modeſtum hominem cognoſces, & prudentem: & à cupiditate omni remotiſſimum: præterea magni laboris, ſummæque induſtriæ. Neque ego hæc polliceri debeo, quæ tibi ipſi, cùm bene cognoris, judicanda ſunt: SED TAMEN IN OMNIBUS NOVIS CONJUNCTIONIBUS intereſt, qualis primus aditus ſit, & qua commendatione quaſi amicitiæ fores aperiantur. quod ego his litteris efficere volui. etſi id ipſa per ſe neceſſitudo quæſturæ efficere debet. ſed tamen nihilo infirmius illud, hoc addito. Cura igitur, ſi me tanti facis, quanti & Varro exiſtimat, & ipſe ſentio, ut quam primùm intelligam, hanc meam commendationem tantum illi utilitatis attuliſſe, quantum & ipſe ſperarit, nec ego dubitarim.

M. T. C. BRUTO, S. P. D. 11

Quia ſemper animadverti, ſtudioſè te operam dare, ut nequid meorum tibi eſſet ignotum: propterea non dubito, quin ſcias, non ſolum cujus municipii ſim, ſed etiam, quàm diligenter ſoleam meos municipes Arpinateis tueri. Quorum quidem omnia commoda, omneſque facultates, quibus, & ſacra conficere, & ſarta tecta ædium ſacrarum, locorumque communium tueri poſſint, conſiſtunt in his vectigalibus, quæ habent in provincia Gallia. Ad ea viſenda, pecuniaſque, quæ a colonis debentur, exigendas, totamque rem & cognoſcendam, & adminiſtrandam, legatos equites Romanos miſimus, Q. Fufidium Q. F. M. Faucium, M. F. Q. Mamercum, Q. F. Peto à te in majorem modum, pro noſtra neceſſitudine, ut tibi ea res curæ ſit, operamque des, ut per te quàm commodiſſimè negotium municipii adminiſtretur, quàm primumque conficiatur: ipſoſque, quorum nomina ſcripſi, ut quàm honorificentiſſimè pro tua natura, & quàm liberaliſſimè tractes. Bonos viros ad tuam neceſſitudinem adjunxeris: municipiumque gratiſſimum beneficio tuo devinxeris: mihi vero etiam gratius feceris, quòd cùm ſemper tueri municipes meos conſuevi, tum hic annus præcipuè ad

meam curam, officiumque pertinet. Nam conſtituendi municipii cauſa, hoc anno ædilem filium meum fieri volui, & fratris filium, & M. Cæſium, hominem mihi maximè neceſſarium (is enim magiſtratus in noſtro municipio, nec alius ullus creari ſolet) quos cohoneſtaris, in primiſque me, ſi reſp. municipii, tuo ſtudio, diligentia bene adminiſtrata erit. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo.

12 M. T. C. BRUTO, S. P. D.

Alia epiſtola communiter commendavi tibi legatos Arpinatium, ut potui diligentiſſimè: hac ſeparatim Q. Fufidium, quo-cum mihi omnes neceſſitudines ſunt, diligentiùs commendo: [3] non ut aliquid de illa commendatione comminuam, ſed ut ad hanc addam. Nam & privignus eſt M. Cæſii, mei maximè & familiaris, & neceſſarii, & fuit in Cilicia mecum tribunus militum: quo in munere ita ſe tractavit, ut accepiſſe ab eo beneficium viderer, non dediſſe. Eſt prætereà (quod apud te valet plurimùm) à noſtris ſtudiis non abhorrens. Quare velim eum quàm liberaliſſimè complectare: operamque des, ut in ea legatione, quam ſuſcepit contra ſuum commodum, ſecutus auctoritatem meam, quàm maximè ejus excellat induſtria. Vult enim, id quod optimo cuique natura tributum eſt, quàm maximam laudem, cùm à nobis, qui eum impulimus, tum à municipio conſequi: quod ei continget, ſi hac mea commendatione tuum erga ſe ſtudium erit conſecutus.

13 M. T. C. BRUTO, S. P. D.

L. Caſtronius Pætus, longè princeps municipii Lucenſis, eſt honeſtus, gravis, plenus officii, bonus planè vir, & cum virtutibus, tum etiam fortuna, ſi quid hoc ad rem pertinet, ornatus: meus autem eſt familiariſſimus, ſic prorſus, ut noſtri ordinis obſervet neminem diligentiùs. Quare ut & meum amicum, & tua dignum amicitia, tibi commendo. Cui, quibuſcumque rebus commodaveris, tibi profectò jucundum, mihi certè erit gratum. Vale.

14 M. T. C. BRUTO, S. P. D.

L. Titio Strabone, equite Romano, in primis honeſto, & ornato, familiariſſimè utor. Omnia mihi cum eo intercedunt jura ſummæ neceſſitudinis. Huic in tua provincia pecuniam debet P. Cornelius. Ea res à Volcatio, qui Romæ jus dicit, rejecta in Galliam eſt. Peto à te hoc diligentiùs, quam ſi mea res eſſet, quo eſt honeſtius de amicorum pecunia laborare, quàm de ſua, ut negotium conficiendum cures. ipſe ſuſcipias, tranſigas, operamque des, quoad tibi æquum, & rectum videbitur, ut quàm commodiſſima conditione libertus Strabonis, qui ejus rei cauſa miſſus eſt, negotium conficiat, ad nummoſque perveniat. Id & mihi gratiſſimum erit: & tu ipſe L. Titium cognoſces amicitia tua digniſſimum. quod ut tibi curæ ſit, ut omnia ſolent eſſe, quæ me velle ſcis, te vehementer etiam atque etiam rogo.

15 M. T. C. C. CÆSARI, IMP. S. P. D.

Præcilium tibi commendo unicè, tui neceſſarii mei familiariſſimi, viri optimi filium: quem cùm adoleſcentem ipſum propter ejus modeſtiam, humanitatem, animum, & amorem erga me ſingularem, mirificè diligo: tum patrem ejus, re doctus, intellexi, & didici mihi fuiſſe ſemper amiciſſimum. [4] En, hic ille eſt, de illis maximè, qui irridere, atque objurgare me ſolitus eſt, quòd me non tecum, præſertim cùm abs te honorificentiſſimè invitarer, conjungerem. *ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθεν, Ὣς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα.* audiebam enim noſtros proceres clamitanteis, *Ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.* Sed tamen idem me conſolatur: & jam hominem peruſtum etiamnum gloria, volunt incendere: atque ita loquuntur: *Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην, Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.* Sed minùs jam movent, ut vides. Itaque ab Homeri magniloquentia confero me ad vera præcepta *Εὐριπίδου: μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.* quem verſum ſenex Præcilius laudat egregiè: & ait, poſſe eundem & *ἅμα πρόσσω, καὶ ὀπίσσω*, videre, & tamen nihilominus, *Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων* Sed, ut redeam ad id, unde cœpi: vehementer mihi gratum feceris, ſi hunc adoleſcentem humanitate tua, quæ eſt ſingularis, comprehenderis: & ad id, quod ipſorum Præciliorum cauſa te velle arbitror, addideris cumulum commendationi meæ. Genere novo ſum litterarum ad te uſus, ut intelligeres, non vulgarem eſſe commendationem.

M. T. C. C. CÆSARI IMP. S. P. D. 16

P. Craſſum ex omni nobilitate adoleſcentem dilexi plurimum: & ex eo, cum ab in eunte ejus ætate bene ſperaviſſem, tum per me exiſtimare cœpi ex iis judiciis, quæ de eo feceram, cognitis. Ejus libertum Appolonium jam tum equidem, cùm ille viveret, & magni faciebam, & probabam. Erat enim & ſtudioſus Craſſi, & ad ejus optima ſtudia vehementer aptus. itaque ab eo admodum diligebatur. Poſt mortem autem Craſſi, eo mihi etiam dignior viſus eſt, quem in fidem, atque amicitiam meam reciperem, quòd eos à ſe obſervandos, & colendos putabat, quos ille dilexiſſet, & quibus carus fuiſſet. Itaque & ad me in Siciliam venit, multiſque in rebus mihi magno uſui fuit & fides ejus, & prudentia: &, ut opinor, tibi in Alexandrino bello, quantùm ſtudio, & fidelitate conſequi potuit non defuit. Quod cùm ſperaret, te quoque ita exiſtimare, in Hiſpaniam ad te, maximè ille quidem ſuo conſilio, ſed etiam me auctore eſt profectus. Cui ego commendationem non ſum pollicitus, non quin eam valituram apud te arbitrarer: ſed neque mihi egere commendatione videbatur, qui & in bello tecum fuiſſet, & propter memoriam Craſſi de tuis unus eſſet: & ſi uti commendationibus vellet, etiam per alios eum videbam id conſequi poſſe. Teſtimonium meum de eo judicii, quod & ipſe magni æſtimabat, & ego apud te valere eram expertus, ei libenter dedi. Doctum igitur hominem cognovi, & ſtudiis optimis deditum, idque à puero. Nam domi meæ cum Diodoto Stoico, homine, meo judicio, eruditiſſimo, multùm à puero fuit. Nunc autem incenſus ſtudio rerum tuarum, eas litteras Græcis mandare cupiebat. poſſe arbitror: valet ingenio: habet uſum: jam pridem in eo genere ſtudii, litterarumque verſatur: ſatisfacere immortalitati laudum tuarum mirabiliter cupit. Habes opinionis meæ teſtimonium: ſed tu hoc faciliùs multo, pro tua ſingulari prudentia, judicabis. Et tamen, quod negaveram, commendo tibi eum. Quidquid ei commodaveris, erit id majorem in modum gratum.

M. T. C. SER. SULPICIO, S. P. D. 17

Manius Curius, qui Patris negotiatur, multis, & magnis de cauſis à me diligitur. Nam & amicitia pervetus mihi cum eo eſt, ut primùm in forum veni, inſtituta: & Patris cùm aliquoties anteà, tum proximè hoc miſerrimo bello, domus ejus tota mihi patuit: qua ſi opus fuiſſet, tam eſſem uſus, quàm mea. Maximum autem mihi vinculum cum eo eſt quaſi ſanctioris cujuſdam neceſſitudinis, quòd eſt Attici noſtri familiariſſimus, eumque unum præter ceteros obſervat, ac diligit. Quem ſi tu jam forte cognoſti, puto me hoc, quod facio, facere ſerius. Ea eſt

3. *Non ut aliquid de illâ commendatione comminuam.*] Potius ſic, quam vulgò *diminuam*, aut cum Lambino, *deminuam*. Et annon eleganter? ſic editio princeps, Palatini, atque ipſe Victorius ſentit.

4. *En hic ille eſt, de illis maximè*] Mediceus codex, & alii veteres, ut notat accuratiſſimus Victorius, *Em*, ut Politiani Terentius in Adelphis, *Em tibi reſcivit omnem rem: id nunc clamat*. Quod probo. ſed quid hoc quod optimus codex Palatinus ſextus, ſicut & Hittorpianus ſcribant? *Hic ille eſt maximè qui irridere*, omiſſo illo *En*.

1. *Ma-*

eſt enim humanitate, & obſervantia, ut eum tibi jam per ſe ipſum commendatum putem. Quod tamen ſi ita eſt, magnopere à te quæſo, ut ad eam voluntatem, ſi quam in illum ante has meas litteras contuliſti, quàm maximus poſtea commendatione cumulus accedat. Sin autem propter verecundiam ſuam minùs ſe tibi obtulit, aut nondum eum ſatis habes cognitum, aut quæ cauſa eſt, cur majoris commendationis indigeat: ſic tibi eum commendo, ut neque majore ſtudio quemquam, neque juſtioribus de cauſis commendare poſſim. Faciamque id, quod debent facere ii, qui religioſè, & ſine ambitione commendant. ſpondebo enim tibi, vel potiùs ſpondeo, in meque recipio, eos eſſe M. Curii mores, eamque tum probitatem, tum etiam humanitatem, ut eum & amicitia tua, & tam accurata commendatione, ſi tibi ſit cognitus, dignum ſis exiſtimaturus. Mihi certè gratiſſimum feceris, ſi intellexero, has litteras tantum, quantum ſcribens confidebam, apud te pondus habuiſſe.

18 CICERO SERVIO S.

NON concedam, ut Attico noſtro, quem elatum lætitia vidi, jucundiores tuæ ſuaviſſimè ad eum, & humaniſſimè ſcriptæ litteræ, fuerint, quàm mihi. Nam etſi utrique noſtrum propè æquè gratæ erant: tamen ego admirabar magis, te, quaſi rogatus, aut certè admonitus, liberaliter Attico reſpondiſſes, (quod tamen dubium nobis, quin ita futurum fuerit, non erat) ultro ad eum ſcripſiſſe, eique nec opinanti voluntatem tuam tantam per litteras detuliſſe. De quo non modò rogare te, ut eo ſtudioſiùs mea quoque cauſa facias: non debeo (nihil enim cumulatius fieri poteſt, quàm polliceris) ſed ne gratias quidem agere, quod tu & ipſius cauſa, & tua ſponte feceris. Illud tamen dicam, mihi id, quod feciſti, eſſe gratiſſimum. Tale enim tuum judicium de homine eo, quem unicè diligo, non poteſt mihi non ſummè eſſe jucundum. Quod cùm ita ſit, eſſe gratum neceſſe eſt. Sed tamen, quum mihi, pro conjunctione noſtra, vel peccare apud te in ſcribendo licet: utrumque eorum, quæ negavi mihi facienda eſſe, faciam. Nam & ad id, quod Attici cauſa te oſtendiſti eſſe facturum, tantum velim addas, quantum ex noſtro amore acceſſionis fieri poteſt. Et, quod modo verebar tibi gratias agere, nunc planè ago, teque ita exiſtimare volo, quibuſcumque officiis in Epiroticis, reliquiſque rebus Atticum obſtrinxeris, iiſdem me tibi obligatum fore.

19 M. T. C. SER. SULPICIO, S. P. D.

CUM Lyſone Patrenſi eſt mihi quidem hoſpitium vetus: quam ego neceſſitudinem ſanctè colendam puto: ſed ea cauſa etiam cum aliis compluribus: familiaritas tanta nullo cùm hoſpite: & ea cum officiis ejus multis, tum etiam conſuetudine quotidiana ſic eſt aucta, ut nihil ſit familiaritate noſtra conjunctius. Is cùm Romæ annum propè ita fuiſſet, ut mecum viveret, etſi eramus in magna ſpe, te meis litteris, commendationeque diligentiſſimè facturum, id quod feciſti, ut ejus rem, & fortunas abſentis tuerere: tamen quòd in unius poteſtate erant omnia, & quòd Lyſo fuerat in noſtra cauſa, noſtriſque præſidiis, quotidie aliquid timebamus. Effectum tamen eſt & ipſius ſplendore, & noſtro, reliquorumque hoſpitum ſtudio, ut omnia, quæ vellemus, à Cæſare impetrarentur: quod intelliges ex iis litteris, quas Cæſar ad te dedit. Nunc non modò non remittimus tibi aliquid ex noſtra commendatione, quaſi adepti jam omnia: ſed eo vehementiùs à te contendimus, ut Lyſonem in fidem, neceſſitudinemque tuam recipias. cujus dubia fortuna timidiùs tecum agebamus, verentes, ne quid accideret ejuſmodi, ut ne tu quidem mederi poſſes: explorata verò ejus incolumitate, omnia à te ſtudia ſumma cura peto. Quæ ne ſingula enumerem, totam tibi domum commendo. In his adoleſcentem filium ejus, quem C. Mænius Gemellus cliens meus, cùm in calamitate exſilii ſui Patrenſis civis factus eſſet, Patrenſium legibus adoptavit: ut ejus ipſius hereditatis jus cauſamque tueare. Caput illud eſt, ut Lyſonem, quem ego virum optimum, gratiſſimumque cognovi, recipias in neceſſitudinem tuam. Quod ſi feceris, non dubito, quin in eo diligendo, ceteriſque poſteà commendando, idem, quod ego, ſis judicii, & voluntatis habiturus. Quod cum fieri vehementer ſtudeo, tum etiam illud vereor, ne ſi minùs cumulatè videbere feciſſe aliquid ejus cauſa, me ille negligenter ſcripſiſſe putet, non te oblitum mei. Quanti tamen me faceres, cùm ex ſermonibus quotidianis meis, tum ex epiſtolis etiam tuis potuit cognoſcere.

CICERO SERVIO S. 20

ASCLAPONE Patrenſi, medico, utor valde familiariter, ejuſque cum conſuetudo mihi jucunda fuit, tum ars etiam, quam ſum expertus in valitudine meorum. In qua mihi cum ipſa ſcientia, tum etiam fidelitate, benivolentiaque ſatisfecit. Hunc igitur tibi commendo: & à te peto, ut des operam, ut intelligat, diligenter me ſcripſiſſe de ſeſe, meamque commendationem uſui magno ſibi fuiſſe. Erit id mihi vehementer gratum..

M. T. C. SER. SULPICIO, S. P. D. 21

M. Æmilius Avianus ab ineunte adoleſcentia me obſervavit, ſemperque dilexit, vir cum bonus, tum perhumanus, & omni genere officii diligendus. Quem ſi arbitrarer eſſe Sicyone & niſi audirem ibi eum etiam nunc, ubi ego reliqui, Cibyræ commorari, nihil eſſet neceſſe plura me ad te de eo ſcribere. Perficeret enim ipſe profectò ſuis moribus, ſuaque humanitate, ut ſine cujuſquam commendatione diligeretur abs te non minùs, quam & à me, & à ceteris ſuis familiaribus. Sed cum illum abeſſe putem, commendo tibi in majorem modum domum ejus, quæ eſt Sicyone, remque familiarem, maximè Cajum Avianium Hammonium, libertum ejus, quem quidem tibi etiam ſuo nomine commendo. Nam cùm propterea mihi eſt probatus, quod eſt in patronum ſuum officio, & fide ſingulari, tum etiam in me ipſum magna officia contulit, mihique moleſtiſſimis temporibus ita fideliter, benivoleque præſtò fuit, ut ſi à me manumiſſus eſſet. Itaque peto à te, ut eum Hammonium, & in patroni ejus negotio ſic tueare, ut ejus procuratorem, quem tibi commendo, & ipſum ſuo nomine diligas, habeaſque in numero tuorum. hominem pudentem, & officioſum cognoſces, & dignum, qui à te diligatur.

CICERO SERVIO S. 22

T. Manlium, qui negotiatur Teſpiis, vehementer diligo. Nam & ſemper me coluit, diligentiſſimeque obſervavit, & à ſtudiis noſtris non abhorret. Accedit eò, quòd Varro Murena magnopere ejus cauſa vult omnia: qui tamen exiſtimavit, etſi ſuis litteris, quibus tibi Manlium commendabat, valde confideret: tamen mea commendatione aliquid acceſſionis fore. Me quidem cùm Manlii familiaritas, tum Varronis ſtudium commovit, ut ad te quàm accuratiſſimè ſcriberem. Gratiſſimum igitur mihi feceris, ſi huic commendationi meæ tantum tribueris, quantum cui tribuiſti plurimum: id eſt, ſi T. Manlium, quàm maximè, quibuſcumque rebus honeſtè, ac pro tua dignitate poteris, juveris, atque ornaveris. Ex ipſiuſque præterea gratiſſimis, & humaniſſimis moribus confirmo tibi, te eum, quem ſoles, fructum à bonorum virorum officiis exſpectare, eſſe capturum.

CICERO SERVIO, S. 23

L. Coſſinio, amico, & tribuli tuo, valde familiariter utor. Nam & inter noſmetipſos vetus uſus intercedit: & Atticus noſter majorem etiam mihi cum Coſſinio conſuetudinem fecit. Itaque tota Coſſinii domus me diligit, in primiſque libertus ejus, L. Coſſinius Anchialus, homo & patrono, & patroni neceſſariis, quo in numero ego ſum, probatiſſimus. Hunc tibi ita commendo, ut, ſi meus libertus eſſet, eodemque apud me loco eſſet, quo & eſt apud patronum ſuum, majore ſtudio commendare non

poſſem. Quare pergratum mihi feceris, ſi eum in amicitiam tuam receperis: atque eum, quod ſine moleſtia tua fiat, ſi qua in re opus ei fuerit, juveris. Id & mihi vehementer gratum erit, & tibi poſtea jucundum. Hominem enim ſumma probitate, humanitate, obſervantiaque cognoſces.

24 CICERO SERVIO S.

CUm anteà capiebam ex officio meo voluptatem, quòd meminerim, quàm tibi diligenter Lyſonem, hoſpitem, & familiarem meum, commendaſſem, tum verò poſtea quam ex litteris ejus cognovi, tibi eum falſo ſuſpectum fuiſſe, vehementiſſimè lætatus ſum, me tam diligentem in eo commendando fuiſſe. Ita enim ſcripſit ad me, ſibi meam commendationem maximo adjumento fuiſſe, quod ad te delatum diceret, ſeſe contra dignitatem tuam Romæ de te loqui ſolitum eſſe. De quo, etſi pro tua facilitate, & humanitate purgatum ſe tibi ſcribit eſſe: tamen primum, ut debeo, tibi gratias ago, cùm tantum litteræ meæ potuerunt, ut, his lectis, omnem offenſionem ſuſpicionis, quam habueras de Lyſone, deponeres: deinde credas mihi affirmanti velim, me hoc non pro Lyſone magis, quàm pro omnibus ſcribere, hominem eſſe neminem, qui umquam mentionem ſine tua ſumma laude, fecerit. Lyſo verò cùm mecum prope quotidie eſſet, unaque viveret: non ſolum quia me libenter audire arbitrabatur, ſed quia libentiùs ipſe loquebatur, omnia mihi tua & facta, & dicta laudabat. Quapropter etſi à te ita tractatur, ut jam non deſideret commendationem meam, uniſque ſe litteris meis omnia conſecutum putet: tamen à te peto in majorem modum, ut eum etiam atque etiam tuis officiis, liberalitate complectare. Scriberem ad te, qualis vir eſſet, ut ſuperioribus litteris feceram, niſi eum jam per ſeipſum tibi ſatis eſſe notum arbitrarer.

25 CICERO SERVIO S.

HAGESARETUS Lariſſæus, magnis meis beneficiis ornatus in conſulatu meo, memor, & gratus fuit: meque poſtea diligentiſſimè coluit. Eum tibi magnopere commendo, ut & hoſpitem meum & familiarem: & gratum hominem, & virum bonum, & principem civitatis ſuæ: & tua neceſſitudine digniſſimum. Pergratum mihi feceris, ſi dederis operam, ut is intelligat, hanc meam commendationem magnum apud te pondus habuiſſe.

26 CICERO SERVIO S.

L. Meſcinius ea mecum neceſſitudine conjunctus eſt, quòd mihi quæſtor fuit. Sed hanc cauſam, quam ego, ut a majoribus accepi, ſemper gravem duxi, fecit virtute, & humanitate ſua juſtiorem. Itaque eo ſic utor, ut nec familiarius ullo, nec libentius. Is quamquam confidere videbatur, & ſua cauſa, quæ honeſtè poſſes, libenter eſſe facturum, [1] magnum eſſe tamen ſperavit apud te meas quoque litteras. Id cùm ipſe ita judicabat, tum pro familiari conſuetudine ſæpe ex me audierat, quàm ſuavis eſſet inter nos, & quanta conjunctio. Peto igitur à te, tanto ſcilicet ſtudio, quanto intelligis debere me petere pro homine tam mihi neceſſario, & tam familiari: ut ejus negotia, quæ ſunt in Achaia, ex eo, quòd heres eſt M. Mindio, fratri ſuo, qui Eli negotiatus eſt, explices, & expedias cum jure, & poteſtate, quam habes, tum etiam auctoritate, & conſilio tuo. Sic enim præſcripſimus iis, quibus ea negotia mandavimus, ut omnibus in rebus, quæ in aliquam controverſiam vocarentur, te arbitro, &, quod commodo tuo fieri poſſet, te diſceptatore uterentur. Id ut honoris mei cauſa ſuſcipias, vehementer te etiam atque etiam rogo. Illud præterea, ſi non alienum tua dignitate putabis eſſe, feceris mihi pergratum: ſi qui difficiliores erunt, ut rem ſine controverſia confici nolint, ſi eos, quum cum ſenatore res eſt, Romam rejeceris. Quod quo minore dubitatione facere poſſis, litteras ad te à M. Lepido conſule, non quæ te aliquid juberent, (neque enim id tuæ dignitatis eſſe arbitramur) ſed quodam modo quaſi commendatitias ſumſimus. Scriberem, quàm id beneficium bene apud Meſcinium poſiturus eſſes, niſi & te ſcire confiderem, & mihi peterem. Sic enim velim exiſtimes, non minus me de illius re laborare, quam ipſum de ſua. Sed cum illum ſtudeo quam facillimè ad ſuum pervenire: tum illud laboro, ut non minimum hac mea commendatione ſe conſecutum arbitretur.

CICERO SERVIO S. 27

LICET eodem exemplo ſæpius tibi hujus generis litteras mittam, cum gratias agam, quòd meas commendationes tam diligenter obſerves: quod feci in aliis, & faciam, ut video, ſæpius: ſed tamen non parcam operæ, & ut vos ſoletis in formulis, ſic ego in epiſtolis de eadem re alio modo. C. Avianius igitur Hammonius incredibileis mihi gratias per litteras egit, & ſuo, & Æmilii, Aviani, patroni ſui, nomine, nec liberalius, nec honorificentius potuiſſe tractari, nec ſe præſentem, nec rem familiarem abſentis patroni ſui. Id mihi cum jucundum eſt eorum cauſa, quos tibi ego ſumma neceſſitudine, & ſumma conjunctione adductus commendaveram, quòd M. Æmilius unus eſt ex meis familiariſſimis, atque intimis, maxime neceſſarius homo, & magnis meis beneficiis devinctus, & prope omnium, qui mihi debere aliquid videntur, gratiſſimus: tum multo jucundius, te eſſe in me tali voluntate, ut plus proſis amicis meis, quàm ego præſens fortaſſe prodeſſem: credo, quòd magis ego dubitarem, quid illorum cauſa facerem, quàm tu, quid mea. Sed hoc non dubito, quin exiſtimes mihi eſſe gratum. Illud te rogo, ut illos quoque gratos homines eſſe putes: quod ita eſſe tibi promitto, atque confirmo. Quare velim, quidquid habent negotii, des operam, quod commodo tuo fiat, ut, te obtinente Achaiam, conficiant. Ego cum tuo Servio jucundiſſime, conjunctiſſimè vivo: magnamque cum ex ingenio ejus, ſingularique ſtudio, tum ex virtute, & probitate voluptatem capio.

CICERO SERVIO S. 28

ETSI libenter petere à te ſoleo, ſi quid opus eſt meorum cuipiam: tamen multo libentiùs gratias tibi ago, cum feciſti aliquid commendatione mea: quod ſemper facis. Incredibile eſt enim, quas mihi gratias omnes agant, etiam mediocriter à me tibi commendati: quæ mihi omnia grata: ſed de L. Meſcinio gratiſſimum. Sic enim eſt mecum locutus, te, ut meas litteras legeris, ſtatim procuratoribus ſuis pollicitum eſſe omnia: multò vero plura, & majora feciſſe. Id igitur (puto enim etiam atque etiam mihi dicendum eſſe) velim exiſtimes, mihi te feciſſe gratiſſimum. Quod quidem hoc vehementiùs lætor, quòd ex ipſo Meſcinio te video magnam capturum voluptatem. Eſt enim in eo cum virtus, & probitas, & ſummum officium, ſummaque obſervantia: tum ſtudia illa noſtra, quibus anteà delectabamur, nunc etiam vivimus. Quod reliquum eſt, velim augeas tua in eum beneficia omnibus rebus, quæ te erunt dignæ. Sed duo, quæ te nominatim rogo: Primum, ut, ſi quid ſatiſdandum erit, AMPLIUS EO NOMINE NON PETI, cures, ut ſatiſdetur fide mea. Deinde, cùm ferè conſiſtat hereditas in iis rebus, quas avertit Oppia, quæ uxor Mindii fuit: adjuves, ineaſque rationem, quemadmodum ea mulier Romam perducatur. quod ſi putarit

1. *Magnum eſſe tamen ſperavit apud te meas quoque litteras.*] Summo cum judicio hunc locum primus P. Victorius reſtituit, cujus tamen genus dicendi Manutio non ſatisfacit; non novum, quem & certiſſimis argumentis nimis ſtrabum fuiſſe induſtriæ & gloriæ Ciceronianæ poſſum convincere; & præterea non ſemper teretes aures attendiſſe vel habuiſſe. Eam, ne quis de ea dubitet, lectionem reperi in Pall. duobus optimis, Vaticani excerptis, deletaque erat dudum ex Medicæo, in prema editione, ab Egnatio, illa cauda duarum vocum, *pondus habituras*.

tarit illa fore, ut opinio noſtra eſt, negotium conficiemus. Hoc ut aſſequamur, te vehementer etiam atque etiam rogo. Illud, [1] quod ſupra ſcripſi, id * in meque recipio, te ea, quæ feciſti Meſcinii cauſa, quæque feceris, ita bene collocaturum, ut ipſe judices, homini te gratiſſimo, jucundiſſimo benigne feciſſe. Volo enim, ad id, quod mea cauſa feciſti, hoc etiam accedere. Nec Lacedæmonios dubitare arbitror, quin ipſi ſua, majorumque ſuorum auctoritate ſatis commendati ſint fidei, & juſtitiæ tuæ: & ego, qui te optimè noviſſem, non dubitavi, quin tibi notiſſima & jura, & merita populorum eſſent. Itaque cum à me peteret Philippus Lacedæmonius, ut tibi civitatem commendarem: etſi memineram, me ei civitati omnia debere: tamen reſpondi, commendatione Lacedæmonios apud te non egere. Itaque ſic velim exiſtimes, me omneis Achaiæ civitates arbitrari pro horum temporum perturbatione felices, quòd his tu præſis: eundemque me ita judicare, te, quod unus optime noſſes, non noſtra ſolum, ſed etiam Græciæ monumenta omnia, tua ſponte amicum Lacedæmoniis & eſſe, & fore. Quare tantum à te peto, ut, cum ea facies Lacedæmoniorum cauſa, quæ tua fides, amplitudo, juſtitia poſtulat: ut his, ſi tibi videbitur, ſignifices, te non moleſtè ferre, quòd intelligas, ea quæ facias, mihi quoque grata eſſe. Pertinet enim ad officium meum, eos exiſtimare, curæ mihi ſuas res eſſe. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

29 M. T. C. L. PLANCO, S. D.

NON dubito, quin ſcias, in iis neceſſariis, qui tibi à patre relicti ſunt, me tibi eſſe vel conjunctiſſimum, non his modo cauſis, quæ ſpeciem habeant magnæ conjunctionis, ſed iis etiam, quæ familiaritate, & conſuetudine tenentur: quam ſcis mihi jucundiſſimam cum patre tuo, & ſummam fuiſſe. Ab his initiis noſter in te amor profectus, auxit paternam neceſſitudinem, & eo magis, quod intellexi, ut primum per ætatem judicium facere potueris, quanti quiſque tibi faciendus eſſet, me à te in primis cœptum eſſe obſervari, coli, diligi. Accedebat non mediocre vinculum cum ſtudiorum, quod ipſum eſt per ſe grave: tum eorum ſtudiorum, earumque artium, quæ per ſe ipſæ eos, qui voluntate eadem ſunt, etiam familiaritate devinciunt. Exſpectare te arbitror, hæc tam longè repetita principia quo ſpectent. Id primum ergo habeto, non ſine magna, juſtaque cauſa hanc à me commemorationem eſſe factam. C. Ateio Capitone utor familiariſſime. Notæ tibi ſunt varietates meorum temporum. in omni genere, & honorum & laborum meorum, & animus, & opera, & auctoritas, & gratia, [2] etiam res familiaris C. Capitonis præſto fuit, & patuit & temporibus, & fortunæ meæ. Hujus propinquus fuit T. Antiſtius: qui cum forte quæſtor Macedoniam obtineret, neque ei ſucceſſum eſſet, Pompeius in eam provinciam cum exercitu venit. Facere Antiſtius nihil potuit. Nam, ſi potuiſſet, nihil ei fuiſſet antiquius, quàm ad Capitonem, quem ut parentem diligebat, reverti: præſertim cum ſciret, quanti is Cæſarem faceret, ſemperque feciſſet. Sed oppreſſus, tantum attigit negotii, quantum recuſare non potuit. Cum ſignaretur argentum Apolloniæ, non poſſum dicere, eum præfuiſſe, neque poſſum negare affuiſſe, ſed non plus duobus, an tribus menſibus. Deinde abfuit à caſtris: fugit omne negotium. hoc mihi, ut teſti velim credas. meam enim ille mœſtitiam in illo bello videbat, mecum omnia communicabat. Itaque abdidit ſe in intimam Macedoniam, quò potuit longiſſimè à caſtris, non modò ut non præeſſet ulli negotio, ſed etiam ut ne intereſſet quidem. Is poſt prœlium ſe ad hominem neceſſarium, Aulum Plautium in Bithyniam contulit. Ibi eum Cæſar cum vidiſſet, nihil aſpere, nihil acerbè dixit. Romam juſſit venire. Ille in morbum continuo incidit: ex quo non convaluit. Æger Corcyram venit: ibi eſt mortuus. teſtamento, quod Romæ Paullo & Marcello conſulibus fecerat, heres ex parte dimidia, & tertia eſt Capito. in ſextante ſunt ii, quorum pars ſine ulla cujuſquam querela publica poteſt eſſe: ea eſt ad H-S XXX. Sed de hoc Cæſar viderit. Te mihi Plance, pro paterna neceſſitudine, pro noſtro amore, pro ſtudiis, & omni curſu noſtro totius vitæ ſimillimo, rogo, & à te ita peto, ut majore cura, majore ſtudio nullo poſſim, ut hanc rem ſuſcipias: meam putes eſſe: enitare, contendas, efficias, ut mea commendatione, tuo ſtudio, Cæſaris beneficio, hæreditatem propinqui ſui C. Capito obtineat. Omnia, quæ potui in hac ſumma tua gratia, ac potentia à te impetrare, ſi petiiſſem, ultro te ad me detuliſſe putabo, ſi hanc rem impetravero. Illud fore tibi adjumento ſpero, cujus ipſe Cæſar eſſe optimus judex poteſt: ſemper Cæſarem Capito coluit & dilexit. Sed ipſe hujus rei teſtis eſt: novi hominis memoriam. Itaque nihil te doceo. tantum tibi ſumito pro Capitone apud Cæſarem, quantum ipſum meminiſſe ſenties. Ego, quod in meipſo experiri potui, ad te deferam. In eo quantum ſit ponderis, tu videbis. Quam partem in rep. cauſamque defenderim, per quos homines, ordineſque ſteterim, quibuſque munitus fuerim, non ignoras. Hoc mihi velim credas: ſi quid fecerim hoc ipſo in bello minus ex Cæſaris voluntate, quòd intellexerim ſcire ipſum Cæſarem, me invitiſſimum feciſſe: id feci aliorum conſilio, hortatu, auctoritate: quod fuerim moderatior, temperatiorque, quàm in ea parte quiſquam, id me feciſſe maximè auctoritate Capitonis: cujus ſimileis ſi reliquos neceſſarios habuiſſem, reip. fortaſſe nonnihil, mihi certè plurimum profuiſſem. Hanc rem, mi Plance, ſi effeceris, meam de tua erga me benivolentia ſpem confirmaveris, ipſum Capitonem, gratiſſimum, officioſiſſimum, optimum virum, ad tuam neceſſitudinem, tuo ſummo beneficio adjunxeris.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D. 30

[3] L. Manlius eſt Soſis. is fuit Catinenſis: ſed eſt una cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus, decurioque Neapoli. erat enim adſcriptus in id municipium ante civitatem, ſociis, & Latinis datam. Ejus frater Catinæ nuper mortuus eſt. Nullam omnino arbitramur de ea hereditate controverſiam eum habiturum: & eſt hodie in bonis: ſed, quum habet præterea negotia vetera in Sicilia ſua: & hanc hereditatem fraternam, & omnia ejus tibi commendo, in primiſque ipſum virum optimum, mihique familiariſſimum, his ſtudiis litterarum, doctrinæque præditum, quibus ego maxime delector. Peto igitur abs te, ut eum, ſive aberit, ſive non venerit in Siciliam, in meis intimis, maximeque neceſſariis ſcias eſſe: itaque tractes, ut intelligat, meam commendationem ſibi magno adjumento fuiſſe.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D. 31

C. Flavio, honeſto, & ornato equite Romano, utor valde familiariter. Fuit enim generi mei, C. Piſonis, per-

1. *Quod ſupra ſcripſi, id * in meque recipio.*] Secuti ſumus Victorium ita hunc locum ut mancum notantem. In Palatino ſexto, ut vulgò editus eſt, ſcribitur, *id tibi confirmo, in meque recipio.* ſed ut ex optimo libro deſcriptus eſt, ita non admodum vetus eſt, ut monachus qui lacunam viderit, eam aliunde exemplaribus inſpectis implerit. prima editio: *illud quod ſupra ſcripſi, id in me recipio.* Palatinus primus: *id illud in me recipio.*

2. *Etiam res familiaris C. Capitonis præſto fuit & patuit.*] Sic in libris ſuis reperit Urſinus: in noſtris tamen omnibus, Palatinis ſex, Gruteriano, editione prima, *paruit.* ſed quoniam *patuit* admiſit Victorius, & ex eo Lambinus, exſtetque in Vaticani excerptis, non admodum incommodum viſum fuit eſſe ſententiæ, præſertim cum illi reſpondeat in officiis: *Nec ita claudenda eſt res familiaris, & eam benignitas aperire non poſſit.* Ego interim non damno τὸ *paruit*, imò jam melius placet: at quoniam in hac editione præcipuè æmulamur Victorium, non licuit hic ab ipſo devertere. Dicam cum Deo alibi plura ſuper hac re.

3. *L. Manlius eſt Soſis.*] Alii *Suſis.* parum quidem intereſſe, & exigua ineſſe videtur mutatio: ſed ut nos vidimus in Palatino primo, editionibus, vetuſtiſſima, ac Florentina P. Victorii ita bonum factum eſſe judicavimus edere.

perneceſſarius: meque diligentiſſime obſervat & ipſe, & L. Flavius, frater ejus. Quapropter velim honoris mei cauſa, quibus rebus honeſte, & pro tua dignitate poteris, quam honorificentiſſime, & quàm liberaliſſime C. Flavium tractes. Id mihi ſic erit gratum, ut gratius eſſe nihil poſſit. Sed præterea tibi affirmo, neque id ambitione adductus facio, ſed cum familiaritate, & neceſſitudine, tum etiam veritate: te ex C. Flavii officio, & obſervantia, & præterea ſplendore, atque inter ſuos gratia, magnam voluptatem eſſe capturum.

32 M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

IN Haleſina civitate, tam lauta, tamque nobili, conjunctiſſimos habeo & hoſpitio, & familiaritate M. & C. Clodios, Archagatum, & Philonem. ſed vereor, ne, quia complureis tibi præcipuè commendo, exæquare videar ambitione quadam commendationes meas. quamquam à te quidem cumulatè ſatisfit & mihi, & meis omnibus. Sed velim ſic exiſtimes, hanc familiam, & hos, mihi maximè eſſe conjunctos vetuſtate, officiis, benivolentia. Quamobrem peto à te in majorem modum, ut his, omnibus in rebus, quantum tua fides dignitaſque patietur, commodes. Id ſi feceris, erit mihi vehementiſſime gratum.

33 M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

CN. Otacilio Naſone utor familiariſſimè, ita prorſus, ut illius ordinis nullo familiarius. Nam & humanitate ejus, & probitate in conſuetudine quotidiana magnopere delector. Nihil jam opus eſt exſpectare te, quibus eum verbis tibi commendem, quo ſic utar, ut ſcripſi. Habet is in provincia tua negotia, quæ procurant liberti, Hilarus, Antigonus, Demoſtratus: quos tibi, negotiaque omnia Naſonis, non ſecus commendo, ac ſi mea eſſent. Gratiſſimum mihi feceris, ſi intellexero, hanc commendationem magnum apud te pondus habuiſſe.

34 M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

AVITUM mihi hoſpitium eſt cum Lyſone, Lyſonis filio, Lilybitano, valdeque ab eo obſervor: cognovique dignum & patre, & avo. eſt enim nobiliſſima familia. Quapropter commendo tibi majorem in modum rem, domumque ejus: magnoque opere abs te peto, cures, ut is intelligat, meam commendationem maximo ſibi apud te, & adjumento, & ornamento fuiſſe. Vale.

35 M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

C. Avianus Philoxenus, antiquus eſt hoſpes meus, & præter hoſpitium, valde etiam familiaris: quem Cæſar meo beneficio in Novocomenſeis retulit. Nomen autem Aviani ſecutus eſt, quod homine nullo plus eſt uſus, quàm Flacco Aviano, meo, quemadmodum te ſcire arbitror, familiariſſimo. Quæ ego omnia collegi, ut intelligeres, non vulgarem eſſe commendationem hanc meam. Peto igitur abs te, ut omnibus rebus, quod ſine moleſtia tua facere poſſis, ei commodes, habeaſque in numero tuorum: perficiaſque, ut intelligat, has litteras meas magno ſibi uſui fuiſſe. Erit id mihi majorem in modum gratum.

36 M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

CUM Demetrio Mega mihi vetuſtum hoſpitium eſt: familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo civitatem à Cæſare impetravit: qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur. Cumque propter quoſdam ſordidos homines, qui Cæſaris beneficia vendebant, tabulam, in qua nomina civitate donatorum inciſa eſſent, revelli juſſiſſet: eidem Dolabellæ, me audiente, Cæſar dixit, nihil eſſe, quod de Mega vereretur: beneficium ſuum in eo manere. Hoc te ſcire volui, ut eum in civium Romanorum numero haberes. Ceteriſque in rebus tibi eum ita commendo, ut majore ſtudio neminem commendarim. Gratiſſimum mihi feceris, ſi eum ita tractaris, ut intelligat, meam commendationem magno ornamento fuiſſe.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D. 37

[1] HIPPIAM, Philoxeni filium, Calactinum hoſpitem, & neceſſarium meum, tibi commendo in majorem modum. Ejus bona, quemadmodum ad me delata res eſt, publicè poſſidentur alieno nomine, contra leges Calactinorum. Id ſi ita eſt, etiam ſine mea commendatione ab æquitate tua res ipſa impetrare debet, ut ei ſubvenias. Quoquo modo autem ſe res habet, peto à te, ut honoris mei cauſa, eum expedias, tantumque ei commodes & in hac re, & in ceteris, quantum tua fides, dignitaſque patietur. Id mihi vehementer gratum erit.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D. 38

L. Bruttius, eques Rom. adoleſcens omnibus rebus ornatus, in meis familiariſſimis eſt, meque obſervat diligentiſſimè: cujus cum patre magna mihi fuit amicitia jam inde à quæſtura mea Sicilienſi. Omnino nunc ipſe Bruttius Romæ mecum eſt: ſed tamen domum ejus, & rem familiarem, & procuratores tibi ſic commendo, ut majore ſtudio commendare non poſſim. Gratiſſimum mihi feceris, ſi curaris, ut intelligat Bruttius, id quod ei recepi, hanc meam commendationem ſibi magno adjumento fuiſſe.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D. 39

CUM familia Titurnia neceſſitudo mihi intercedit vetus: ex qua reliquus eſt M. Titurnius Rufus, qui mihi omni diligentia, atque officio eſt tuendus. Eſt igitur in tua poteſtate, ut ille in me ſatis ſibi præſidii putet eſſe. Quapropter eum tibi commendo in majorem modum: & abs te peto, efficias, ut is commendationem hanc intelligat ſibi magno adjumento fuiſſe. Erit mihi vehementer gratum.

M. T. C. Q. ANCHARIO, Q. F. PROC. S. P. D. 40

L. & C. Aurelios, L. filios, quibus & ipſis, & patre eorum, viro optimo, familiariſſimè utor, commendo tibi majorem in modum, adoleſcenteis omnibus optimis artibus ornatos, meos perneceſſarios, tua amicitia digniſſimos. Si ulla mea apud te commendatio valuit, quod ſcio multas plurimùm valuiſſe: hæc ut valeat, rogo. Quòd ſi eos honorificè, liberaliterque tractaris: & tibi gratiſſimos, optimoſque adoleſcenteis adjunxeris, & mihi gratiſſimum feceris. Vale.

M. T. C. L. CULLEOLO, S. P. D. 41

QUÆ feciſti L. Lucceii cauſa ſcire te planè volo, te homini gratiſſimo commodaſſe: & cum ipſi, quæ feciſti, pergrata ſunt: tum Pompejus, quotieſcumque me videt, (videt autem ſæpe) gratias tibi agit ſingulareis. Addo etiam illud, quod tibi jucundiſſimum eſſe certò ſcio, me ipſum ex tua erga Lucceium benignitate, maxima voluptate affici. Quod ſupereſt, quamquam mihi non eſt dubium, quin cum anteà noſtra cauſa, nunc jam etiam tuæ conſtantiæ gratia, manſurus ſis in eadem iſta liberalitate: tamen abs te vehementer etiam atque etiam peto, ut ea, quæ initiò oſtendiſti, deinceps feciſti, ad exitum augeri, & cumulari per te velis. Id & Lucceio, & Pompeio valde gratum fore, teque apud eos præclarè poſiturum confirmo, & ſpondeo. De republ. deque his negotiis, cogitationibuſque noſtris perſcripſeram ad te diligenter paucis antè diebus: eaſque litteras dederam pueris tuis.

M. T. C.

1. *Hippiam Philoxeni filium Calactinum.*] Sic invenit in ſuis libris Victorius, expreſſitque Lamb. nos in Palatino ſexto, ſicut in Hittorpiano *Calactineum* oſtendimus. Si quid præterea in his epiſtolis, quæ fere nominibus clientium atque amicorum totæ contextæ ſunt, immutatum fuerit, id ſcias nos auctoritate mſſ. & præeunte P. Victorio, viro ad unguem facto & accurato, feciſſe. nam ſingulorum rationes promere, immenſæ molis cartarum eſſet. Vulgo: *Calatinum.*

42 M. T. C. L. CULLEOLO PROC. S. P. D.

[1] L. Lucceius meus, homo omnium gratiſſimus, mirificas tibi apud me gratias egit, cùm diceret, omnia te cumulatiſſimè, & liberaliſſime procuratoribus ſuis pollicitum eſſe. Cùm oratio tua tam ei grata fuerit, quàm gratam rem ipſam exiſtimas fore, cùm, ut ſpero, quæ pollicitus es, feceris? Omnino oſtenderunt Bulliones, ſeſe Lucceio Pompeii arbitratu ſatisfacturos. Sed vehementer opus eſt nobis, & voluntatem, & auctoritatem, & imperium tuum accedere. Quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. Illudque mihi gratiſſimum eſt, quòd ita ſciunt Lucceii procuratores, & ita Lucceius ipſe ex litteris tuis, quas ad eum miſiſti, intellexit, hominis nullius apud te auctoritatem, aut gratiam valere plus, quàm meam. Id ut re experiatur, iterum, & ſæpius te rogo.

43 M. T. C. QUINTIO GALLIO, S. P. D.

ETSI plurimis rebus ſpero fore, ut perſpiciam, quod tamen jampridem perſpicio, me à te amari: tamen nunc ea cauſa tibi datur, in qua facilè declarare poſſis tuam erga me benivolentiam. L. Oppius, Marci filius, Philomeli negotiatur, homo mihi familiaris. eum tibi unicè commendo: eoque magis, quod cùm ipſum diligo, tum quòd negotia procurat L. Egnatii Rufi: quo ego uno equite Romano familiariſſimè utor, & qui conſuetudine quotidiana, tum officiis plurimis, maximiſque mihi conjunctus eſt. Oppium igitur præſentem ut diligas, Egnatii abſentis rem ut tueare, æquè à te peto, ac ſi mea negotia eſſent. Velim memoriæ tuæ cauſa des litterarum aliquid, quæ tibi in provincia reddantur: ſed ita conſcribas, ut tum, cùm eas leges, facilè recordari poſſis hujus meæ commendationis diligentiam. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

44 CICERO GALLIO, S.

ETSI ex tuis, & ex L. Oppii, familiariſſimi, litteris cognovi, te memorem commendationis meæ fuiſſe, idque pro tua ſumma erga me benivolentia, proque noſtra neceſſitudine minimè ſum admiratus: tamen etiam atque etiam tibi L. Oppium præſentem, & L. Egnatii, mei familiariſſimi, abſentis negotia commendo. Tanta mihi cum eo neceſſitudo eſt, familiaritaſque, ut, ſi mea res eſſet, non magis laborarem. Quapropter gratiſſimum mihi feceris, ſi curaris, ut is intelligat, me à te tantum amari, quantum ipſe exiſtimo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Idque ut facias, vehementer te rogo.

45 M. T. C. APPULEIO PROQUÆSTORI, S. P. D.

L. EGNATIO uno, equite Romano, vel familiariſſimè utor. Ejus Anchialum ſervum, negotiaque, quæ habet in Aſia, tibi commendo, non minore ſtudio, quàm ſi rem meam commendarem: Sic enim exiſtimes velim, mihi cum eo non modò quotidianam conſuetudinem ſummam intercedere, ſed etiam officia magna, & mutua noſtra inter nos eſſe. Quamobrem etiam atque etiam à te peto, ut cures, ut intelligat, me ad te ſatis diligenter ſcripſiſſe. nam de tua erga me voluntate non dubitabat. Id ut facias, te etiam atque etiam rogo.

46 M. T. C. APPULEIO PROQUÆSTORI, S. P. D.

L. NOSTIUS Zoilus, eſt coheres meus: heres autem patroni ſui. ea re utrumque ſcripſi, ut & mihi cum illo cauſam amicitiæ ſcires eſſe, & hominem probum exiſtimares, qui patroni judicio ornatus eſſet. Eum tibi igitur ſic commendo, ut unum ex noſtra domo. Valde mihi gratum erit, ſi curaris, ut intelligat, hanc commendationem ſibi apud te magno adjumento fuiſſe.

47 M. T. C. SILIO, S. P. D.

QUID ego tibi commendem eum, quem tu ipſe diligis? Sed tamen, ut ſcires, eum à me non diligi ſolùm, verùm etiam amari, ob eam rem tibi hæc ſcribo. Omnium tuorum officiorum, quæ & multa, & magna ſunt, mihi gratiſſimum fuerit, ſi ita tractaris Egnatium, ut ſentiat, & ſe à me, & me à te amari. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Illa noſtra ſcilicet ceciderunt. Utamur igitur vulgari conſolatione. Quid ſi melius hoc? Sed hæc coràm. Tu fac, quod facis, ut me ames, teque amari à me ſcias.

48 M. T. C. C. SEXTILIO RUFO, QUÆST. S. P. D.

OMNEIS tibi commendo Cyprios, ſed magis Paphios: quibus tu quæcumque commodaris, erunt mihi gratiſſima. Eoque facio libentiùs, ut eos tibi commendem, quòd & tuæ laudi, cujus ego fautor ſum, conducere arbitror, cùm primus in eam inſulam quæſtor veneris, ea te inſtituere, quæ ſequantur alii: quæ, ut ſpero, faciliùs conſequere, ſi & P. Lentuli, neceſſarii tui, legem, & ea, quæ à me conſtituta ſunt, ſequi volueris. Quam rem tibi confido magnæ laudi fore.

49 CICERO CURIO, PROC. S. P. D.

Q. POMPEIUS, Sext. filius, multis, & veteribus cauſis neceſſitudinis mihi conjunctus eſt. Is, cùm anteà meis commendationibus & rem, & gratiam, & auctoritatem ſuam tueri conſueverit: nunc profectò, te provinciam obtinente, meis litteris aſſequi debet, ut nemini ſe intelligat commendatiorem umquam fuiſſe. Quamobrem à te majorem in modum peto, ut, cùm omneis meos æquè, ac tuos obſervare pro noſtra neceſſitudine debeas, hunc in primis ita in tuam fidem recipias, ut ipſe intelligat, nullam rem ſibi majori uſui, aut ornamento, quàm meam commendationem eſſe potuiſſe.

50 M. T. C. AUCTO, PROC. S. D.

SUMSI hoc mihi pro tua in me obſervantia, quam penitus perſpexi, quamdiu Brundiſii fuimus, ut ad te familiariter, & quaſi pro meo jure ſcriberem, ſi quæ res eſſet, de qua valde laborarem, M. Curius, qui Patris negotiatur, ita mihi familiaris eſt, ut nihil poſſit eſſe conjunctius. Multa illius in me officia, [2] multa in illum mea quoque: maximum eſt, ſummus inter nos amor, & mutuus. Quæ cùm ita ſint, ſi ullam in amicitia mea ſpem habes, ſi ea, quæ in me officia, & ſtudia Brundiſii contuliſti, vis mihi etiam gratiora efficere, quamquam ſunt gratiſſima: ſi me à tuis omnibus amari vides: hoc mihi da, atque largire, ut M. Curium, ſartum & tectum, ut ajunt, ab omnique incommodo, detrimento, moleſtia ſincerum, integrumque conſerves. Et ipſe ſpondeo, & omnes hoc tibi tui pro me recipient, ex mea amicitia, & ex tuo in me officio maximum te fructum, ſummamque voluptatem eſſe capturum.

51 M. T. C. P. CÆSIO, S. D.

[3] P. MESSIENUM, equitem Romanum, omnibus rebus ornatum, meumque perfamiliarem, tibi commendo ea commendatione, quæ poteſt eſſe diligentiſſima. Peto à te & pro noſtra, & pro paterna amicitia, ut eum in tuam fidem recipias, ejuſque rem famamque tueare. Virum bonum,

1. *Lucius Lucceius meus, homo omnium.*] Rectiſſimè expunxit Victorius, poſt *meus* τὸ *familiariſſimus*, quod æque non comparet in Palatino primo, Stewechiano, Vaticani excerptis. Palatinus tamen ſextus, & Hittorpianus, qui codices in multis conjurant, *meus familiaris*, quo errore, quoto judicio præditi vident.

2. *Multa in illum mea quoque: maximum eſt, ſummus, &c.*] Ita Palatinus primus, quod omnibus lineis velut perſecutus Victorius: & ſic emendavit primam impreſſionem Egnatius; cum exhiberet: *multa in illum mea quoque: & quod maximum eſt.* exegit enim inverſo calamo bigam illam alienam, *& quod.* Editum aliàs eſt: *multa in illum mea, quodque maximum eſt.* Interpolatitie, ut vel *νηπίῳ* appareat.

3. *P. Meſſienum.*] Alii *D.* pro *P.* ſubſtituunt. ſed *D* natum ex Epigraphe. nam in Palatino ſexto, & Hittorpiano: *Cicero P. Cæſio S. D. Meſſienum.* Rectius *Meſſienus* non *Meſcienus*, *ut à Meſſiis Meſſienus*, ſic ab *Aliis Allienus*. Stewechianus legit, *Meſſienum*: alii duo Gulielmio inſpecti, *P. Moſcennium.* Nos quod in Palatinis & editione Victorii reperimus, repræſentavimus.

1. *Pro*

num, tuaque amicitia dignum tibi adjunxeris, mihique gratiſſimum feceris.

52 CICERO REGI, S.D.

ALICINIUS Ariſtoteles Melitenſis, antiquiſſimus eſt hoſpes meus, & præterea conjunctus magno uſu familiaritatis. Hæc cum ita ſint, non dubito, quin tibi ſatis commendatus ſit. Etenim ex multis cognoſco, meam commendationem plurimùm apud te valere. Hunc ego à Cæſare liberavi. Frequens enim fuerat nobiſcum: atque etiam diutius in cauſa eſt, quàm nos, commoratus: quò meliùs te de eo exſtimaturum arbitror. Fac igitur, mi Rex, ut intelligat, his ſibi litteras plurimùm profuiſſe.

53 CICERO THERMO, PROPR. S.

L. GENUCILIO Curvo jampridem utor familiariſſimè, optimo viro, & homine gratiſſimo. Eum tibi penitùs commendo, atque trado. Primùm, ut omnibus in rebus ei te commodes, quoad fides tua, dignitaſque patietur: patietur autem in omnibus. nihil enim abs te umquam, quod ſit alienum tuis, aut etiam ſuis moribus, poſtulabit. Præcipuè autem tibi commendo negotia ejus, quæ ſunt in Helleſponto, primùm, ut obtineat id juris in agris quod ei Pariana civitas decrevit, & dedit, & quod ſemper obtinuit ſine ulla controverſia: deinde, ſi quid habebit cum aliquo Helleſpontio controverſiæ, ut in illam διοίκησιν rejicias. Sed non mihi videor, cùm tibi totum hominem diligentiſſimè commendarim, ſingulas ad te ejus cauſas perſcribere debere. Summa illa ſit: quidquid officii, beneficii, honoris, in Genucilium contuleris, id te exſtimabo in me ipſum, atque in rem meam contuliſſe.

54 M.T.C. THERMO, PROPR. S.D.

CUM multa mihi grata ſunt, quæ tu adductus mea commendatione feciſti: tum in primis, quòd M. Marcilium, amici, atque interpretis mei filium, liberaliſſimè tractaviſti. Venit enim Laodiceam, & tibi apud me, mihique propter te gratias maximas egit. Quare, quod reliquum eſt, à te peto, quum apud gratos homines beneficium ponis, ut eo libentiùs his commodes: operamque des, quoad fides tua patietur, ut ſocrus adoleſcentis rea ne fiat. Ego cùm anteà ſtudioſè commendabam Marcilium, tum multò nunc ſtudioſiùs, quòd in longa apparatione, ſingularem, & propè incredibilem patris Marcilii fidem, abſtinentiam, modeſtiamque cognovi.

55 M.T.C. THERMO, PROPR. S.D.

ETSI mihi videor intellexiſſe, cùm tecum Epheſi de re M. Anneii, legati mei, locutus ſum, te ipſius cauſa vehementer omnia velle: tamen & M. Anneium tanti facio, ut mihi nihil putem prætermittendum, quod, illius interſit: & me à te tanti fieri puto, ut non dubitem, quin ad tuam voluntatem magnus cumulus accedat commendationis meæ. Nam cum jam diu diligerem M. Anneium, deque eo ſic exiſtimarem, ut res declarat, quòd ultrò ei detulerim legationem, cùm multis petentibus denegaſſem: tum verò poſteà quàm mecum in bello, atque in re militari fuit, tantam in eo virtutem, prudentiam, fidem, tantamque erga me benivolentiam cognovi, ut hominem neminem pluris faciam. Eum cum Sardianis habere controverſiam ſcis: cauſam tibi expoſuimus Epheſi: quam tu tamen coràm faciliùs, meliùſque cognoſces. De reliquo mihi, mehercule, diu dubium fuit, quid ad te potiſſimùm ſcriberem. Jus enim, quemadmodum dicas, clarum, & magna cum tua laude notum eſt. Nobis autem in hac cauſa nihil aliud opus eſt, niſi te jus inſtituto tuo dicere. Sed tamen cùm me non fugiat, quanta ſit in prætore auctoritas, præſertim iſta integritate, gravitate, clementia, qua te eſſe inter omneis conſtat: peto abs te [1] pro noſtra conjunctiſſima neceſſitudine, plurimiſque officiis paribus, ac mutuis, ut voluntate, auctoritate, ſtudio tuo perficias, ut M. Anneius intelligat, te, & ſibi amicum eſſe, quod non dubitat: (ſæpe enim mecum locutus eſt) & multò amiciorem his meis litteris eſſe factum. In tuo toto imperio, atque provincia nihil eſt, quod mihi gratius facere poſſis. Jam, apud ipſum gratiſſimum hominem, atque optimum virum, quàm bene poſiturus ſis ſtudium tuum, atque officium, dubitare te non exiſtimo.

M.T.C. THERMO PROPR. S.D. 56

CLUVIUS Puteolanus valde me obſervat, valdeque eſt mihi familiaris. Is ita ſibi perſuadet, quod in tua provincia negotii habeat, niſi te provinciam obtinente, meis commendationibus confecerit, id ſe in perditis, & deſperatis habiturum. Nunc, quum mihi ab amico officioſiſſimo tantum oneris imponitur, ego quoque tibi imponam pro tuis in me ſummis officiis: ita tamen, ut tibi nolim moleſtus eſſe. Mylaſeis & Alabandeis pecuniam Cluvio debent. Dixerat mihi Euthydemus, cùm Epheſi eſſem, ſe curaturum, ut ecdici Mylaſii Romam mitterentur. Id factum non eſt: Legatos audio miſſos eſſe. ſed malo ecdicos, ut aliquid confici poſſit. Quare peto à te, ut & eos, & Alabandeis jubeas ecdicos Romam mittere. Præterea Philotes Alabandenſis ὑποθήκας Cluvio dedit. hæ commiſſæ ſunt. Velim cures, ut aut de hypothecis decedat, eaſque procuratoribus Cluvii tradat: aut pecuniam ſolvat. Præterea Heracleotæ, & Bargiletæ, qui item debent, aut pecuniam ſolvant, aut fructibus ſuis ſatisfaciant. Caunii præterea debent: ſed ajunt ſe depoſitam pecuniam habuiſſe. Id velim cognoſcas: &, ſi intellexeris, eos neque ex edicto, neque ex decreto depoſitam habuiſſe, des operam, ut uſuræ Cluvio, inſtituto tuo conſerventur. His de rebus eo magis laboro, quòd agitur res Cn. Pompeji, etiam noſtri neceſſarii: & quòd is magis etiam mihi laborare videtur, quàm ipſe Cluvius: cui ſatisfactum eſſe à nobis valde volo. His de rebus te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

CICERO THERMO, PROPR. S. 57

QUò magis quotidie ex litteris, nuntiiſque bellum magnum eſſe in Syria cognoſco, eo vehementiùs à te pro noſtra neceſſitudine contendo, ut mihi M. Anneium legatum primo quoque tempore remittas. Nam ejus opera, conſilio, ſcientia rei militaris, vel maximè intelligo, me, & remp. adjuvari poſſe. Quòd niſi tanta res ejus ageretur, nec ipſe adduci potuiſſet, ut à me diſcederet: neque ego, ut eum à me dimitterem. Ego in Ciliciam proficiſci cogito circiter Kal. Maj. Ante eam diem Anneius ad me redeat oportet. Illud, quod tecum & coràm, & per litteras diligentiſſimè egi, id & nunc etiam atque etiam rogo, curæ tibi ſit, ut ſuum negotium, quod habet cum populo Sardiano, pro cauſæ veritate, & pro ſua dignitate conficiat. Intellexi ex tua oratione, cùm tecum Epheſi locutus ſum, te ipſius M. Anneii cauſa omnia velle. Sed tamen ſic velim exiſtimes, te mihi nihil gratius facere poſſe, quàm ſi intellexero, per te, illum ipſum negotium ex ſententia confeciſſe. Idque quàm primùm ut efficias, te etiam atque etiam rogo.

M. CICERO C. TITIO L. F. RUFO, PR. URBANO, S. 58

L. CUSTIDIUS eſt tribulis, & municeps, & familiaris meus. Is cauſam habet: quam cauſam ad te deferet. Commendo tibi hominem, ſicuti tua fides, & meus pudor poſtulat: tantùm, ut faciles ad te aditus habeat: [2] quæ æqua poſtulabit, ut libente te impetret: ſentiatque meam ſibi amicitiam, etiam cùm longiſſimè abſim, prodeſſe in primis apud te.

M.T.C. C. CURTIO PEDUCEANO PRÆTORI, S.D. 59

M. FABIUM unicè diligo, ſummaque mihi cum eo conſuetudo, & familiaritas eſt pervetus. In ejus controverſiis quid decernas, à te non peto (ſervabis, ut

tua

1. *Pro noſtra conjunctiſſimâ neceſſitudine.*] Sæpius in mſſ. pro hoc, *neceſſitate* reperi, ſicut hic quoque in Palatino ſexto & Hittorpiano, & credibile eſt ita Ciceronem *neceſſitatem* extuliſſe, quum ita Cæſar locutus eſſe deprehendatur in fragmentis.

2. *Quæ æqua poſtulabit, ut libente te impetret.*] Placet jam hæc lectio Lambino in primâ editione poſthabita vulgatæ, *ut jubente te impetret.* Eam certe in editionum primaria, Palatinis, Vaticani excerptis, Stewech. Hittorp. eandem quoque rectè admiſit Victor

1. Me

tua fides, & dignitas poſtulat, edictum, & inſtitutum tuum) ſed ut quàm facillimos ad te aditus habeat: quæ erunt æqua, libente te impetret: ut meam amicitiam ſibi, etiam cùm procul abſim, prodeſſe ſentiat, præſertim apud te. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

60 M. T. C. MUNATIO, C. F. S. D.

L. LIVINEJUS Trypho eſt omnino L. Reguli, familiariſſimi mei, libertus: cujus calamitas etiam officioſiorem me facit in illum. nam benivolentior, quàm ſemper fui, eſſe non poſſum. Sed ego libertum ejus per ſe ipſum diligo. ſumma enim ejus erga me officia extiterunt his noſtris temporibus, quibus facillimè bonam benivolentiam hominum, & fidem perſpicere potui. Eum tibi ita commendo, ut homines grati, & memores benemeritos de ſe commendare debent. Pergratum mihi feceris, ſi ille intellexerit, ſe, quòd pro ſalute mea multa pericula adierit, ſæpe hieme ſumma navigarit, pro tua erga me benivolentia gratum etiam tibi feciſſe.

61 M. T. C. P. SILIO, PROPR. S. D.

T. PINNIO familiariſſimè me uſum eſſe, ſcire te arbitror: quod quidem ille teſtamento declaravit: qui me cum tutorem, tum etiam ſecundum heredem inſtituerit. Ejus filio mirè ſtudioſo, & erudito, & modeſto, pecuniam Nicæenſes grandem debent, ad H-S. octogies: &, ut audio, in primis volunt ei ſolvere. Pergratum igitur mihi feceris, quando non modò reliqui tutores, qui ſciunt, quanti me facias, ſed etiam puer ipſe ſibi perſuaſit, te omnia mea cauſa facturum eſſe, ſi dederis operam, quoad tua fides, dignitaſque patietur, ut quàm plurimum pecuniæ Pindio ſolvatur Nicæenſium nomine.

62 M. T. C. P. SILIO, PROPR. S. D.

ET IN Atilii negotio te amavi: cùm enim ſerò veniſſem, tamen honeſtum equitem Romanum beneficio tuo conſervavi: & mehercule ſemper ſic in animo habui, te in meo ære eſſe propter Lamiæ noſtri conjunctionem, & ſingularem neceſſitudinem. Itaque primùm tibi ago gratias, quod me omni moleſtia liberas: deinde impudentia proſequor: ſed idem ſarciam. Te enim ſemper ſic colam, & tuebor, ut quem diligentiſſimè. Quintum fratrem meum, ſi me diligis, eo numero cura ut habeas, quo me. Ita magnum beneficium tuum magno cumulo auxeris.

63 M. T. C. P. SILIO, PROPR. S. P. D.

NON putavi fieri poſſe, ut mihi verba deeſſent: ſed tamen in C. Lænio commendando deſunt. Itaque rem tibi exponam paucis verbis: ſed tamen, ut planè perſpicere poſſis voluntatem meam. Incredibile eſt, quanti faciamus & ego, & frater meus, qui mihi cariſſimus eſt, M. Lænium. id fit cùm plurimis ejus officiis, tum ſumma probitate, & ſingulari modeſtia. Eum ego à me invitiſſimus dimiſi, cum propter familiaritatem, & conſuetudinis ſuavitatem: tum quòd conſilio ejus fideli, ac bono libenter utebar. Sed vereor, ne jam mihi ſupereſſe verba putes, quæ dixeram defutura. Commendo tibi hominem, ſicut intelligis, me, de quo ea ſuprà ſcripſerim, debere commendare. A teque vehementer etiam atque etiam peto, ut, quod habet in tua provincia negotii, expedias: quod tibi videbitur rectum eſſe, ipſi dicas. Hominem facillimum, liberaliſſimumque cognoſces. Itaque te rogo, ut eum ſolutum, liberum, confectis ejus negotiis per te, quàm primùm ad me remittas. Id mihi, fratrique meo gratiſſimum feceris.

64 M. T. C. P. SILIO, PROPR. S. D.

NERO meus mirificas apud me tibi gratias egit, prorſus incredibileis, ut nullum honorem ſibi haberi potuiſſe diceret, qui à te prætermiſſus eſſet. Magnum fructum ex ipſo capies. nihil eſt enim illo adoleſcente gratius. Sed mehercule mihi quoque gratiſſimum feciſti. Pluris enim ex omni nobilitate neminem facio. Itaque, ſi ea feceris, quæ ille per me tecum agi voluit, gratiſſimum mihi feceris. primùm de Pauſania Alabandenſi, ſuſtentes rem, dum Nero veniat. Vehementer ejus cauſa cupere eum intellexi. Itaque hoc valde te rogo. Deinde Nyſæos, quos Nero in primis habet neceſſarios, diligentiſſimeque tuetur, ac defendit, habeas tibi commendatiſſimos: ut intelligat illa civitas, ſibi in Neronis patrocinio ſummum eſſe præſidium. Strabonem Servilium tibi ſæpe commendavi: nunc eò facio id impenſiùs, quòd ejus cauſam Nero ſuſcepit. Tantum à te petimus, ut agas eam rem, ne relinquas hominem innocentem ad alicujus tui diſſimilis quæſtum. Id cum gratum mihi erit: tum etiam exiſtimabo, te humanitate tua eſſe uſum. Summa hujus epiſtolæ hæc eſt, ut ornes omnibus rebus Neronem, ſicut inſtituiſti, atque feciſti. Magnum theatrum habet iſta provincia, non ut hæc noſtra, adoleſcentis nobilis, ingenioſi, abſtinentis commendationem atque gloriam. Quare, ſi te fautore uſus erit, ſicuti profectò & utetur, & uſus eſt, ampliſſimas clientelas acceptas à majoribus confirmare poterit, & beneficiis ſuis obligare. Hoc in genere ſi eum adjuveris eo ſtudio, quo oſtendiſti: apud ipſum præclariſſime poſueris: ſed mihi etiam gratiſſimum feceris.

M. T. C. P. SILIO, PROPR. S. D. 65

CUM P. Terentio Hiſpone, qui operas in ſcriptura pro magiſtro dat, mihi ſumma familiaritas, conſuetudoque eſt: multaque, & magna inter nos officia paria, & mutua intercedunt. Ejus ſumma exiſtimatio agitur in eo, ut pactiones cum civitatibus reliquis conficiat. Non me præterit, nos eam rem Epheſi expertos eſſe, neque ab Epheſiis ullo modo impetrare potuiſſe. Sed quum, quemadmodum omnes exiſtimant, & ego intelligo, tua cùm ſumma integritate, tum ſingulari humanitate, & manſuetudine conſecutus es, ut libentiſſimis Græcis, nutu, quod velis, conſequare: peto à te in majorem modum, ut honoris mei cauſa, hac laude Hiſponem affici velis. Præterea cum ſociis ſcripturæ mihi ſumma neceſſitudo eſt, non ſolùm ob eam cauſam, quòd ea ſocietas univerſa in mea fide eſt, ſed etiam quod pleriſque ſociis utor familiariſſimè. Ita & Hiſponem meum per me ornaris, & ſocietatem mihi conjunctiorem feceris: tuque ipſe & ex hujus obſervantia, gratiſſimi hominis, & ex ſociorum gratia, hominum ampliſſimorum, maximum fructum capies, & me ſummo beneficio affeceris. Sic enim velim exiſtimes, ex tota tua provincia, omnique iſto imperio, nihil eſſe, quod mihi gratius facere poſſis.

M. T. C. P. SERVILIO, PROR. S. D. 66

A. CÆCINAM, maximè proprium clientem familiæ veſtræ, non commendarem tibi, cùm ſcirem, qua fide in tuos, qua clementia in calamitoſos ſoleres eſſe: niſi me & patris ejus, quo ſum familiariſſimè uſus, memoria, & hujus fortuna ita moveret, ut hominis, omnibus mecum ſtudiis, officiiſque conjunctiſſimi, movere debebat. A te hoc omni contentione peto, ſic, ut majore cura, majore animi labore petere non poſſim: ut ad ea, quæ tua ſponte ſine cujuſquam commendatione faceres in hominem tantum, & talem calamitoſum, aliquem afferant cumulum meæ litteræ, quo ſtudioſiùs eum, quibuſcumque rebus poſſis, juves. Quòd ſi Romæ fuiſſes, etiam ſalutem A. Cæcinæ eſſemus (ut opinio mea fert) per te conſecuti. De qua tamen magnam ſpem habemus, freti clementia collegæ tui. Nunc, quum tuam juſtitiam ſecutus, tutiſſimum ſibi portum provinciam iſtam eſſe duxit: etiam atque etiam te rogo, atque oro, ut eum & in reliquiis veteris negotiationis colligendis juves, & ceteris rebus tegas, atque tueare. Hoc mihi gratius facere nihil potes.

M. T. C. P. SERVILIO, PROR. S. D. 6

EX provincia mea Cilicienſi, cui ſcis τρεῖς διοικήσεις Aſiaticas attributas fuiſſe, nullo ſum familiariùs uſus, quàm Androne, Artemonis filio, Laodicenſi: eumque habui in ea civitate cum hoſpitem, tum vehementer ad meæ vitæ rationem, & conſuetudinem accommodatum. Quem quidem multò etiam pluris poſteà, quam deceſſi, facere cœpi, quòd multis rebus expertus ſum gratum hominem, meique memorem. Itaque eum Romæ libentiſſimè vidi. Non te enim fugit, qui plurimis in iſta provincia benigne feciſti, quàm multi grati reperiantur. Hæc propterea

ſcripſi, ut & me non ſine cauſa laborare intelligeres, & tu ipſe eum dignum hoſpitio tuo judicares. Feceris igitur mihi gratiſſimum, ſi ei declararis, quanti me facias: id eſt, ſi receperis eum in fidem tuam & quibuſcumque rebus honeſtè, ac ſine moleſtia tua poteris, adjuveris. Hoc mihi erit vehementer gratum: idque ut facias, te etiam atque etiam rogo.

68 M. T. C. P. SERVILIO ISAURICO, PROC. COLLEGÆ, S. D.

GRATÆ mihi vehementer tuæ litteræ fuerunt: ex quibus cognovi curſus navigationum tuarum. Significabas enim memoriam tuam noſtræ neceſſitudinis: qua mihi nihil poterat eſſe jucundius. Quod reliquum eſt, multò etiam erit gratius, ſi ad me de repub. id eſt, de ſtatu provinciæ, de inſtitutis tuis familiariter ſcribes. Quæ quamquam ex multis pro tua claritate audiam, tamen libentiſſimè ex tuis litteris cognoſcam. Ego ad te, de reip. ſumma quid ſentiam, non ſæpe ſcribam, propter periculum ejuſmodi litterarum. Quid agatur autem, ſcribam ſæpius. Sperare tamen videor, Cæſari, collegæ noſtro, fore curæ, & eſſe, ut habeamus aliquam rempub. cujus conſiliis magni referebat te intereſſe. Sed, ſi tibi utilius eſt, id eſt, glorioſius, Aſiæ præeſſe, & iſtam partem reipub. malè affectam tueri: mihi quoque idem, quod tibi, & laudi tuæ profuturum eſt, optatius debet eſſe. Ego, quæ ad tuam dignitatem pertinere arbitrabor, ſummo ſtudio, diligentiaque curabo: in primiſque tuebor omni obſervantia clariſſimum virum, patrem tuum: quod & pro vetuſtate neceſſitudinis, & pro beneficiis veſtris, & pro dignitate ipſius facere debeo.

69 M. T. C. P. SERVILIO, COLLEGÆ, S. D.

C. CURTIUS, Mithres, eſt ille quidem, ut ſcis, libertus Poſtumi, familiariſſimi mei: ſed me colit, & obſervat, æquè atque illum ipſum patronum ſuum. Apud eum ego ſic Epheſi fui, quotieſcumque fui, tamquam domi meæ. Multaque acciderunt, in quibus & benivolentiam ejus erga me experirer, & fidem. Itaque ſi quid aut mihi, aut meorum cuipiam in Aſia opus eſt, ad hunc ſcribere conſuevi: hujus cum opera, & fide, tum domo, & re uti, tamquam mea. Hæc ad te eò pluribus ſcripſi, ut intelligeres, [1] me non vulgare, nec ambitioſè, ſed ut pro homine intimo, ac mihi perneceſſario, ſcribere. Peto igitur à te, ut in ea controverſia, quam habet de fundo cum quodam Colophonio & in ceteris rebus, quantum fides tua patietur, quantumque tuo commodo poteris, tantum & honoris mei cauſa commodes: etſi, ut ejus modeſtiam cognovi, gravis tibi nulla in re erit. Si & mea commendatione, & ſua probitate aſſecutus erit, uti de ſe bene exiſtimes: omnia ſe adeptum arbitrabitur. Ut igitur eum recipias in fidem, habeaſque in numero tuorum, te vehementer etiam atque etiam rogo. Ego, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor, omnia ſtudioſè, diligenterque curabo.

M. T. C. P. SERVILIO, COLLEGÆ, S. P. D.

QUIA non eſt obſcura tua in me benivolentia, ſic fit, ut multi per me tibi velint commendari. Ego autem tribuo nonnumquam in vulgus: ſed plerumque neceſſariis in hoc tempore. Nam cum T. Ampio Balbo mihi ſumma familiaritas, neceſſitudoque eſt. Ejus libertum, T. Ampium Menandrum, hominem frugi, & modeſtum, & patrono, & nobis vehementer probatum, tibi commendo majorem in modum. Vehementer mihi gratum feceris, ſi quibuſcumque rebus, ſine tua moleſtia poteris, ei commodaris. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

71 M. T. C. P. SERVILIO, COLLEGÆ, S. D.

MULTOS tibi commendem neceſſe eſt, quum omnibus nota noſtra neceſſitudo eſt, tuaque erga me benivolentia. Sed tamen etſi omnium cauſa, quos commendo, velle debeo: tamen cum omnibus non eadem mihi cauſa eſt. T. Aguſius, & comes meus fuit illo miſerrimo tempore, & omnium itinerum, navigationum, laborum, periculorum meorum ſocius: neque hoc tempore diſceſſiſſet à me, niſi ego ei permiſiſſem. Quare ſic tibi eum commendo, ut unum de meis domeſticis, & maxime neceſſariis. Pergratum mihi feceris, ſi eum ita tractaris, ut intelligat, hanc commendationem ſibi magno uſui, atque adjumento fuiſſe.

M. T. C. P. SERVILIO, COLLEGÆ, S. D. 72

CÆRELLIÆ, neceſſariæ meæ, rem, nomina, poſſeſſiones Aſiaticas commendavi tibi præſens in hortis tuis, quàm potui diligentiſſimè: tuque mihi, pro tua conſuetudine, proque tuis in me perpetuis, maximiſque officiis, omnia te facturum liberaliſſimè recepiſti. Meminiſſe te id ſpero. ſcio enim ſolere. Sed tamen Cærelliæ procuratores ſcripſerunt, te propter magnitudinem provinciæ, multitudinemque negotiorum, etiam atque etiam eſſe commonefaciendum. Peto igitur, ut memineris, te omnia, quæ tua fides pateretur, mihi cumulatè recepiſſe. Equidem exiſtimo, habere te magnam facultatem (ſed hoc eſt tui conſilii, & judicii) ex eo ſenatuſconſulto, quod in heredes C. Vennonii factum eſt, Cærelliæ commodandi. id ſenatuſconſultum tu interpretabere pro tua ſapientia. Scio enim, ejus ordinis auctoritatem ſemper apud te magni fuiſſe. Quod reliquum eſt, ſic velim exiſtimes, quibuſcumque rebus Cærelliæ benignè feceris, mihi te gratiſſimum eſſe facturum.

M. T. C. Q. PHILIPPO, PROCOS. S. D. 73

GRATULOR tibi, quòd ex provincia ſalvum te ad tuos recepiſti incolumi fama, & rep. Quòd ſi Romæ te vidiſſem, coramque gratias egiſſem, quòd tibi L. Egnatius, familiariſſimus meus, abſens, L. Oppius, præſens, curæ fuiſſet. Cum Antipatro Derbete mihi non ſolùm hoſpitium, verùm etiam ſumma familiaritas intercedit. Ei te vehementer ſuccenſuiſſe audivi, & moleſtè tuli. De re nihil poſſum judicare, niſi illud mihi certè perſuadeo, te, talem virum, nihil temerè feciſſe. A te autem, pro vetere noſtra neceſſitudine, etiam atque etiam peto, ut ejus filios, qui in tua poteſtate ſunt, mihi potiſſimùm condones: niſi quid exiſtimas in ea re violari exiſtimationem tuam. Quod ego ſi arbitrarer, numquam te rogarem: mihique tua fama multò antiquior eſſet, quàm illa neceſſitudo eſt. Sed mihi ita perſuadeo (poteſt fieri, ut fallar) eam rem laudi tibi potiùs, quàm vituperationi fore. Quid fieri, & quid mea cauſa facere poſſis (nam, quid velis, non dubito) velim, ſi tibi grave non erit, certiorem me facias.

M. T. C. Q. PHILIPPO, PROCOS. S. D. 74

ETSI non dubito, pro tua in me obſervantia, proque noſtra neceſſitudine, quin commendationem meam memoria teneas: tamen etiam atque etiam eundem tibi L. Oppium, familiarem meum præſentem, & L. Egnatii, familiariſſimi mei, abſentis, negotia commendo. Tanta mihi cum eo neceſſitudo eſt, familiaritaſque, ut, ſi mea res eſſet, non magis laborarem. Quapropter gratiſſimum mihi feceris, ſi curaris, ut is intelligat, me à te tantum amari, quantùm ipſe exiſtimo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Idque ut facias, te vehementer rogo.

M. T. C. T. TITIO, TITI F. LEGATO, S. D. 75

ETSI non dubito, quin apud te mea commendatio prima, ſatis valeat, tamen obſequor homini familiariſſimo, C. Avianio Flacco: cujus cauſa omnia tum cupio, tum mehercule etiam debeo. De quo & præſens tecum egi diligenter, cùm tu mihi humaniſſimè reſpondiſti: & ſcripſi ad te accuratè anteà: ſed putat intereſſe ſua, me ad te quàm ſæpiſſimè ſcribere. Quare velim mihi ignoſcas, ſi illius voluntati obtemperans, minùs videbor meminiſſe con-

1. *Me non vulgare nec ambitioſè.*] Sic edidi ex Palatinis, Hittorpiano, Stewechiano; notatque eam lectionem ad primam impreſſionem ex Mediceo Egnatius; quemadmodum Victorius quoque in omnibus ſuis legi teſtatur. vulgò *vulgariter*, quod contra omnes libros recipi non debet, neque illud quod ignotius, ideò exturbans.

2. *Adi-*

conſtantiæ tuæ. A te idem illud peto, ut de loco, quò deportet frumentum, & de tempore, Avianio commodes: quorum utrumque per eumdem me obtinuit triennium, dum Pompejus iſti negotio præfuit. Summa eſt, in quo mihi gratiſſimum facere poſſis, ſi curaris, ut Avianius, quum ſe à me amari putat, me à te amari ſciat. Erit id mihi pergratum. Vale.

76 M. T. C. QUATTUOR VIRIS, ET DECURIONIBUS, S. D.

TANTÆ mihi cum Q. Hippio cauſæ neceſſitudinis ſunt, ut nihil poſſit eſſe conjunctius, quàm nos inter nos ſumus. Quod niſi ita eſſet, uterer mea conſuetudine, ut vobis nulla in re moleſtus eſſem. Etenim vos mihi optimi teſtes eſtis, cùm mihi perſuaſum eſſet, nihil eſſe, quod à vobis impetrare non poſſem, numquam me tamen gravem vobis eſſe voluiſſe. Vehementer igitur vos etiam atque etiam rogo, ut honoris mei cauſa liberaliſſimè C. Valgium Hippianum tractetis, remque cum eo conficiatis, ut, quam poſſeſſionem habet in agro Fregellano, à vobis emtam, eam liberam, & immunem habere poſſit. Id ſi à vobis impetraro, ſummo me beneficio veſtro affectum arbitrabor.

77 M. T. C. P. SULPICIO, IMP. S. D.

CUM his temporibus non ſanè in ſenatum ventitarem, tamen, ut tuas litteras legi, non exiſtimavi, me ſalvo jure noſtræ veteris amicitiæ, multorumque inter nos officiorum, facere poſſe, ut honori tuo deeſſem. Itaque affui, ſupplicationemque tibi libenter decrevi: nec reliquo tempore ullo, aut rei, aut exiſtimationi, aut dignitati tuæ deero. Atque, hoc ut tui neceſſarii ſciant, hoc me animo erga te eſſe, velim facias eos per litteras certiores, ut, ſi quid tibi opus ſit, ne dubitent mihi jure ſuo denuntiare. M. Bolanum, virum bonum & fortem, & omnibus rebus ornatum, meumque veterem amicum, tibi magno opere commendo. Pergratum mihi feceris, ſi curaris, ut is intelligat, hanc commendationem ſibi magno adjumento fuiſſe. Ipſumque virum optimum, gratiſſimumque cognoſces. Promitto tibi, te ex ejus amicitia magnam voluptatem eſſe capturum. Præterea à te peto in majorem modum, pro noſtra amicitia, & pro tuo perpetuo in me ſtudio, ut in hac re etiam elabores. Dionyſius, ſervus meus, qui meam bibliothecen multorum nummorum tractavit, cùm multos libros ſurripuiſſet, nec ſe impunè laturum putaret, aufugit. Is eſt in provincia tua. Eum & M. Bolanus, familiaris meus, & multi alii Narone viderunt. Sed cùm ſe à me manumiſſum eſſe diceret, crediderunt. Hunc tu ſi mihi reſtituendum curaris, non poſſum dicere, quàm mihi gratum futurum ſit. Res ipſa parva, ſed animi mei dolor magnus eſt. Ubi ſit, & quid fieri poſſit, Bolanus te docebit. Ego ſi hominem per te reciperaro, ſummo me à te beneficio affectum arbitrabor.

M. T. C. ALLIENO PROC. S. D. 78

DEMOCRITUS Sicyonius, non ſolùm hoſpes meus eſt, ſed etiam, quod non multis contingit, Græcis præſertim, valde familiaris. Eſt enim in eo ſumma probitas, ſumma virtus, ſumma in hoſpites liberalitas, & obſervantia: meque præter ceteros & colit, & obſervat, & diligit. Eum tu non modò ſuorum civium, verùm penè Achajæ principem cognoſces. Huic ego tantummodò [1] aditum ad tuam cognitionem patefacio, & munio. Cognitum, per te ipſum, quæ tua natura eſt, dignum tua amicitia, atquè hoſpitio judicabis. Peto igitur à te, ut, his litteris lectis, recipias eum in tuam fidem: polliceare, omnia te facturum mea cauſa. De reliquo, ſi, id quod confido, fore dignum eum tua amicitia, hoſpitioque cognoveris: peto, ut eum complectare, diligas, in tuis habeas. Erit id mihi majorem in modum gratum. Vale.

M. T. C. ALLIENO PROCONS. S. P. D. 79

ET te ſcire arbitror, quanti fecerim C. Avianium Flaccum: & ego ex ipſo audieram, optimo, & gratiſſimo homine, quàm à te liberaliter eſſet tractatus. Ejus filios digniſſimos illo patre, meoſque neceſſarios, quos ego unicè diligo, commendo tibi ſic, ut majore ſtudio nullos commendare poſſim. C. Avianius in Sicilia eſt. Marcus eſt nobiſcum. Ut illius dignitatem præſentis ornes, rem utriuſque defendas, te rogo. Hoc mihi gratius in iſta provincia facere nihil potes. Idque ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

1. *Aditum ad tuam cognitionem patefacio, & munio.*] Hanc lectionem elegantiſſimam reſtituo ex Palatinis, Vaticani excerptis, editione prima atque Victorii. Palatinus tamen ſextus majore varietate, ad quam quoque alludit Hittorpianus *patefacto* ſuo: *aditu ad tuam cognitionem patefacto.* Sed malo vulgatum, niſi putes Hittorpiani codicis ſcripturam veram & verbum frequentativum, ut vocant, *patefacto*: quod non memini. Elegantiſſimum autem eſt, *aditum munire*, ſic ipſe Tullius pro Cluentio: *Tamen ut ad hoc nefarium facinus accederet, aditum ſibi aliis ſceleribus ante munivit.* Et ſic varie ipſe Tullius. Vulgatum eſt, *patefacio & innuo.*

M. TULLII CICERONIS
EPISTOLARUM AD FAMILIAREIS
LIBER DECIMUS QUARTUS,
AD
TERENTIAM.

I TULLIUS TERENTIÆ SUÆ, TULLIOLÆ SUÆ, CICERONI SUO S. D.

ET litteris multorum, & ſermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam virtutem, & fortitudinem eſſe: teque nec animi, nec corporis laboribus defatigari. Me miſerum! te iſta virtute, fide, probitate, humanitate, in tantas ærumnas propter me incidiſſe! Tulliolamque noſtram, ex quo patre tantas voluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus! Nam quid ego, de Cicerone dicam? qui cum primum ſapere cœpit, acerbiſſimos dolores, miſeriaſque percepit. Quæ ſi, ut tu ſcribis, fato facta putarem, ferrem paullo facilius: ſed omnia ſunt mea culpa commiſſa, qui ab his me amari putabam, qui invidebant: eos non ſequebar, qui petebant. Quod ſi noſtris conſiliis uſi eſſemus, neque apud nos tantum valuiſſet ſermo, aut ſtultorum amicorum, aut improborum: beatiſſimi viveremus. nunc, quum ſperare nos amici jubent: dabo operam, ne mea valitudo tuo labori deſit. Res quanta ſit, intelligo: quantoque fuerit facilius manere domi, quàm redire. Sed tamen, ſi omneis tribunos pleb. habemus, ſi Lentulum tam ſtudioſum quàm videtur, ſi verò etiam Pompejum, & Cæſarem: non eſt deſperandum. De familia, quomodo pla-

placuiſſe amicis ſcribis, faciemus. De loco nunc quidem jam abiit peſtilentia: ſed quamdiu fuit, me non attigit. Plancius, homo officioſiſſimus, me cupit eſſe ſecum: & adhuc retinet. Ego volebam loco magis deſerto eſſe in Epiro, quo neque Hiſpo veniret, nec milites: ſed adhuc Plancius me retinet. ſperat poſſe fieri, ut mecum in Italiam decedat. Quem ego diem ſi videro, & ſi in veſtrum complexum venero, ac ſi & vos, & me ipſum recuperaro: ſatis magnum mihi fructum videbor percepiſſe, & veſtræ pietatis, & meæ. Piſonis humanitas, virtus, amor in omneis nos, tantus eſt, ut nihil ſuprà poſſit. Utinam ea res ei voluptati ſit: gloriæ quidem video fore. De Q. fratre nihil ego te accuſavi: ſed vos, cum præſertim tam pauci ſitis, volui eſſe quam conjunctiſſimos. Quibus me voluiſti agere gratias, egi & me à te certiorem factum eſſe ſcripſi. [1] Quod ad me, mea Terentia, ſcribis, te vicum venditurum: quid, obſecro te, (me miſerum) quid futurum eſt? Et, ſi nos premet eadem fortuna, quid puero miſero fiet? Non queo reliqua ſcribere (tanta vis lacrymarum eſt) neque te in eumdem fletum adducam. Tantum ſcribo: ſi erunt in officio amici: pecunia non deerit. ſi non erunt, tu efficere tua pecunia non poteris. Per fortunas miſeras noſtras, [2] vide, ne puerum perditum perdamus. cui ſi aliquid erit: ne egeat, mediocri virtute opus eſt, & mediocri fortuna, ut cetera conſequatur. Fac valeas, & ad me tabellarios mittas, ut ſciam, quid agatur, & vos quid agatis. Mihi omnino jam brevis exſpectatio eſt. Tulliolæ, & Ciceroni ſalutem dic. Valete. D. a. d. VI. Kalendas Decembreis, Dyrrhachii. Dyrrhachium veni, quod & libera civitas eſt: & in me officioſa, & proxima Italiæ. Sed ſi me offendet loci celebritas, aliò me conferam, ad te ſcribam.

2 TULLIUS TERENTIÆ SUÆ, TULLIOLÆ, ET CICERONI SUIS, S. D.

NOLI putare, me ad quemquam longiores epiſtolas ſcribere, niſi, ſi qui ad me plura ſcripſit, cui puto reſcribi oportere. Nec enim habeo, quid ſcribam: [3] nec hoc tempore quidquam difficiliùs facio. Ad te vero, & ad noſtram Tulliolam non queo ſine plurimis lacrymis ſcribere. Vos enim video eſſe miſerrimas, quas ego beatiſſimas ſemper eſſe volui, idque præſtare debui: &, niſi tam timidi fuiſſemus, præſtitiſſem. Piſonem noſtrum merito ejus amo plurimum. Eum, ut potui, per litteras cohortatus ſum, gratiaſque egi, ut debui. In novis tribunis pleb. intelligo ſpem te habere. id erit firmum, ſi Pompeji voluntas erit. ſed Craſſum tamen metuo. A te quidem omnia fieri fortiſſimè, & amantiſſimè video: nec miror: ſed mœreo caſum ejuſmodi, ut tantis tuis miſeriis meæ miſeriæ ſubleventur. Nam ad me P. Valerius, homo officioſus, ſcripſit, id quod ego maximo cum fletu legi, [4] quemadmodum a Veſtæ ad tabulam Valeriam ducta eſſes. Hem, mea lux, meum deſiderium, unde omnes opem petere ſolebant! te nunc, mea Terentia, ſic vexari, ſic jacere in lacrymis, & ſordibus! idque fieri mea culpa, qui ceteros ſervavi, ut nos periremus! Quod de domo ſcribis, hoc eſt, de area: ego vero tum denique mihi videbor reſtitutus, ſi illa nobis erit reſtituta. Verùm hæc non ſunt in noſtra manu. Illud doleo, quæ impenſa facienda eſt, in ejus partem, te miſeram, & deſpoliatam venire. Quod ſi conficitur negotium, omnia conſequemur. ſin eadem nos fortuna premet, [5] etiamne reliquias tuas miſeras projicies? Obſecro te, mea vita, quod ad ſumtum attinet, ſine alios, qui poſſunt, ſi modo volunt, ſuſtinere: & valitudinem iſtam infirmam, ſi me amas, noli vexare. Nam mihi ante oculos dies, nocteiſque verſaris. Omneis labores te excipere video. timeo, ut ſuſtineas. ſed video in te eſſe omnia. Quare, ut id, quod ſperas, & quod agis, conſequamur, ſervi valitudini. Ego, ad quos ſcribam, neſcio niſi ad eos, qui ad me ſcribunt, aut ad eos, de quibus ad me vos aliquid ſcribitis. Longiùs, quum ita vobis placet, non diſcedam: ſed velim, quàm ſæpiſſimè litteras mittatis, præſertim ſi quid eſt firmius, quod ſperemus. Valete, mea deſideria, valete. a. d. III. nonas Octobr. Theſſalonica.

TULLIUS TERENT. ET TULL. ET CICERONI SUIS, S. D. 3

ACCEPI ab Ariſtocrito tris epiſtolas, quas ego lacrymis prope delevi. Conficior enim mœrore, mea Terentia: nec meæ me miſeriæ magis excruciant, quam tuæ, veſtræque. Ego autem hoc miſerior ſum, quàm tu, quæ es miſerrima, quod ipſa calamitas, communis eſt utriuſque noſtrum: ſed culpa mea propria eſt. Meum fuit officium, vel legatione vitare periculum: vel diligentia, & copiis reſiſtere: vel cadere fortiter. hoc miſerius, turpius, indignius nobis nihil fuit. Quare cum dolore conficiar, tum etiam pudore. Pudet enim me uxori meæ optimæ, ſuaviſſimis liberis, [6] virtutem, & diligentiam non præſtitiſſe. Nam mi ante oculos dies nocteiſque verſatur ſqualor veſter, & mæror, & infirmitas valitudinis tuæ: ſpes autem ſalutis pertenuis oſtenditur. Inimici ſunt multi: invidi penè omnes. Ejicere nos magnum fuit, excludere facile eſt. Sed tamen quamdiu vos eritis in ſpe, non deficiam, ne omnia mea culpa cecidiſſe videantur. Ut tuto ſim, quod laboras, id mihi nunc facillimum eſt: quem etiam inimici volunt vivere in his tantis miſeriis. Ego tamen faciam, quæ præcipis. Amicis, quibus voluiſti, egi gratias: & eas litteras Deſippo dedi: meque de eorum officio ſcripſi à te certiorem eſſe factum. Piſonem noſtrum mirifico eſſe ſtudio in nos, & officio, & ego perſpicio, & omnes prædicant. Dii faxint, ut tali genero mihi præſenti tecum ſimul, & cum liberis noſtris frui liceat. Nunc ſpes reliqua eſt in novis tribunis pleb. & in primis quidem diebus. Nam ſi inveterarit, actum eſt. Ea re ad te ſtatim Ariſtocritum miſi, ut ad me continuo initia rerum, & rationem totius negotii poſſes ſcribere: etſi Deſippo quoque ita imperavi, ſtatim ut recurreret: & ad fratrem miſi, ut crebro tabellarios mitteret. nam ego eo nomine ſum Dyrrhachii hoc tempore, ut quàm celerrimè, quid agatur, audiam, & ſum tuto. Civitas enim hæc ſemper à me defenſa eſt. Cum inimici noſtri venire dicentur, tum in Epirum ibo. Quod ſcribis, te, ſi velim, ad me venturam: ego verò, cum ſciam magnam partem iſtius oneris abs te ſuſtineri, te iſtic eſſe volo. Si perficitis quod agitis: me ad vos venire oportet. ſin autem. ſed nihil opus eſt reliqua ſcribere. Ex primis, aut ſummum ſecundis litteris tuis conſtituere poterimus, quid

1 *QUod ad me, mea Terentia, ſcribis, te vicum venditurum.*] Hanc elegantiam & in ſuperioribus ex manuſcriptis reddidi Tullio, & hic eandem vindicant Palatinus primus, Vaticani excerpta, Victorii editio. Plebeje Magiſtelli fecerunt, *vendituram.* Paulò poſt ſcripſi: *neque te in eumdem fletum adducam.* ex Pall. prima editione, Hittorp. Stewech. Victorio. *neque* reſolveris, *& ne te, &c.*

2. *Vide ne puerum perditum perdamus.*] Hæc eſt omnium codicum ſcriptura: adnotatque hûc Egnatius illud Virgilii, *ſubmerſaſque obrue puppes.* Andreas verò Schottus Nod. lib. III. cap. I. pertendit legendum, *ne puerum perditum eamus*: quæ quidem conjectura auctori blanditur, & alii fortaſſe primâ facie: mihi excuſſa, non poteſt; imò vel decem vincam rationibus, hûc non pertinere. Paullò poſt Peckio excerpta per notas ſcribunt, *Tulliolæ & Ciceroni S. D.* quas ille interpretatùr, *ſalutem dico.* in his ſalus Græciæ, ut puto, non vertitur.

3. *Nec hoc tempore quicquam difficilius facio.*] Hittorpianus *difficilius facto.* Palatinus ſext. *factu.* paullò poſt ex Palatino primo, Vaticani excerptis, lego: *ut tantis tuis miſeriis meæ miſeriæ ſublevantur!*

4. *Quemadmodum à Veſtæ ad tabulam Valeriam ducta eſſes.*] Nihil à vulgata diſcedere volui, quam cuſtodiunt ceteri quoque mſſ. præter Palatinum primum, Stewechianum, editionem principem. Victorius quoque edidit *à Veſta.* quod ſequatur qui volet.

5. *Etiamne reliquias tuas miſeras projicies.*] Sic legendum ex Palatinis, & editione primaria. Victorius tamen & vulgo, *miſera projicies.* quod non improbo, veterem tamen lectionem hîc regnum tenere malo.

6. *Virtutem & diligentiam præſtitiſſe.*] Hittorpianus codex, ut experior, optimus, *virtutem & indulgentiam*, quod quale ſit, non licet librare, in hoc ictu temporis.

quid nobis faciendum ſit. Tu modo ad me velim omnia diligentiſſimè perſcribas: etſi magis jam rem, quam litteras, debeo ſpectare Cura, ut valeas, & ita tibi perſuadeas, mihi te carius nihil eſſe, nec umquam fuiſſe. Vale mea Terentia, quam ego videre videor. itaque debilitor lacrymis. Vale. Pridie Kalendas Decembr.

4 TULLIUS TERENTIÆ, ET TULLIOLÆ, ET CICERONI SUIS, S.P.D.

Ego minùs ſæpe ad vos do litteras, quàm poſſum, propterea quod cum omnia mihi tempora ſunt miſera, tum verò cum aut ſcribo ad vos, aut veſtras lego, conficior lacrymis, ſic, ut ferre non poſſim. Quod utinam minus vitæ cupidi fuiſſemus. certè nihil, aut non multum in vita mali vidiſſemus. Quod ſi nos ad aliquam alicujus commodi aliquando recuperandi ſpem fortuna reſervavit: minus eſt erratum à nobis. ſi hæc mala fixa ſunt: ego verò te quàm primum, mea vita, cupio videre, & in tuo complexu emori: quum neque dii, quos tu caſtiſſimè coluiſti: [1] neque homines, quibus ego ſervivi, nobis gratiam retulerunt. Nos Brundiſii apud M. Lenium Flaccum dies XIII. fuimus, virum optimum: qui periculum fortunarum, & capitis ſui præ mea ſalute neglexit: neque legis improbiſſimæ pœna deductus eſt, quo minus hoſpitii, & amicitiæ jus, officiumque præſtaret. Huic utinam aliquando gratiam referre poſſimus. Habebimus quidem ſemper. Brundiſio profecti ſumus ad V. Kalendas Maj. per Macedoniam Cyzicum petebamus. [2] O me perditum! O afflictum! quid nunc rogem te, ut venias, mulierem ægram, & corpore & animo confectam? non rogem? ſine te igitur ſim? Opinor, ſic agam. ſi eſt ſpes noſtri reditus, eam confirmes, & rem adjuves. ſin, ut eho metuo tranſactum eſt, quoquo modo potes, ad me fac venias. Unum hoc ſcito: ſi te habebo, non mihi videbor planè periſſe. Sed quid Tulliola mea fiet? jam id vos videte: mihi deeſt conſilium. Sed certè, quoquo modo ſe res habebit, illius miſellæ & matrimonio, & famæ ſerviendum eſt. Quid? Cicero meus quid aget? Iſte verò ſit in ſinu ſemper, & complexu meo. Non queo plura jam ſcribere: impedit mœror. Tu quid egeris, neſcio: utrum aliquid teneas, an, quod metuo, planè ſis ſpoliata. Piſonem, ut ſcribis, ſpero fore ſemper noſtrum. De familia liberata, nihil eſt, quod te moveat. Primum, tuis ita promiſſum eſt, te facturam eſſe, ut quiſque eſſet meritus. Eſt autem in officio adhuc Orpheus: præterea magnopere nemo ceterorum ſervorum. Ea cauſa eſt, ut, ſi res à nobis abeſſet, liberti noſtri eſſent, ſi obtinere potuiſſent: ſin ad nos pertinerent, ſervirent, præterquàm oppido pauci. Sed hæc minora ſunt. Tu quòd me hortaris, ut animo ſim magno, & ſpem habeam recuperandæ ſalutis: id velim ſit ejuſmodi, ut rectè ſperare poſſimus. Nunc, miſer, quando tuas jam litteras accipiam? quis ad me perferet? quas ego exſpectaſſem Brundiſii, ſi eſſet licitum per nautas, qui tempeſtatem prætermittere noluerunt. [3] Quod reliquum eſt, ſuſtenta te, mea Terentia, ut potes. honeſtiſſimè viximus: floruimus. non vitium noſtrum, ſed virtus noſtra nos afflixit. peccatum eſt nullum, niſi quòd non unà animam cum ornamentis amiſimus. Sed ſi hoc fuit liberis noſtris gratius, nos vivere: cetera, quam ferenda non ſunt, feramus. Atque ego, qui te confirmo, ipſe me non poſſum. Clodium Philhetærum, quod valitudine oculorum impediebatur, hominem fidelem, remiſi. Salluſtius officio vincet omneis. Peſcennius eſt perbenivolus nobis: quem ſemper ſpero tui fore obſervantem. Sicca dixerat ſe mecum fore: ſed Brundiſio diſceſſit. Cura, quoad potes, ut valeas: & ſic exiſtimes, me vehementiùs tua miſeria, quàm mea commoveri. Mea Terentia, fidiſſima, atque optima uxor, & mea cariſſima filiola, & ſpes reliqua noſtra, Cicero, valete. Pridie Kalendas Mai. Brundiſio.

M.T.C. TERENTIÆ ET TULL. SUIS, S. P. D. 5

Si tu, & Tullia, lux noſtra valetis, ego & ſuaviſſimus Cicero, valemus. Pridie idus Octobreis Athenas venimus, cum ſanè adverſis ventis uſi eſſemus, tardeque, & incommodè navigaſſemus. De nave exeuntibus nobis Acaſtus cum litteris præſto fuit uno & viceſimo die, ſanè ſtrenuè. Accepi tuas litteras, quibus intellexi, te vereri, ne ſuperiores mihi redditæ non eſſent. Omnes ſunt redditæ: diligentiſſimeque à te perſcripta ſunt omnia: idque mihi gratiſſimum fuit. Neque ſum admiratus, hanc epiſtolam, quam Acaſtus attulit, brevem fuiſſe. jam enim me ipſum exſpectas, ſive nos ipſos, qui quidem quàm primùm ad vos venire cupimus: etſi in quam remp. venimus, intelligo. cognovi enim ex multorum amicorum litteris, quas attulit Acaſtus, ad arma rem ſpectare: ut mihi, cùm venero, diſſimulare non liceat, quid ſentiam. Sed, quum ſubeunda fortuna eſt, eo citiùs dabimus operam, ut veniamus, quò facilius de tota re deliberemus. Tu velim, quod commodo valitudinis tuæ fiat, [4] quàm longiſſime poteris, obviam nobis properes. De hereditate Preciana, quæ quidem mihi magno dolori eſt, (valde enim illum amavi) ſed hoc velim cures: ſi auctio ante meum adventum fiet, ut Pomponius, aut, ſi is minus poterit, Camillus noſtrum negotium curet. Nos cùm ſalvi venerimus, reliqua per nos agemus. Sin tu jam Roma profecta eris, tamen curabis, ut hoc ita fiat. Nos, ſi dii adjuvabunt, circiter idus Novemb. in Italia ſperamus fore. Vos mea ſuaviſſima, & optatiſſima Terentia, & Tulliola, ſi nos amatis, curate ut valeatis. Athenis, ad XV. Kalendas Novembr.

M.T.C. TERENTIÆ, ET TULLIÆ, S. P. D. 6

Nec ſæpe eſt, cui litteras demus: nec rem habemus ullam, quam ſcribere velimus. Ex tuis litteris, quas proximè accepi, cognovi, prædium nullum vænire potuiſſe. Quare videatis velim, quomodo ſatisfiat ei, cui ſcitis me ſatisfieri velle. Quod noſtra tibi gratias agit, id ego non miror te mereri, ut ea tibi merito tuo gratias agere poſſit. Pollicem, ſi adhuc non eſt profectus, quam primum fac extrudas. Cura, ut valeas. idibus Quintil.

M.T.C. TERENTIÆ SUÆ, ET TULL. S. P. D. 7

Omneis moleſtias, & ſollicitudines, quibus & te miſerrimam habui, id quod mihi moleſtiſſimum eſt, Tulliolamque, quæ nobis noſtra vita dulcior eſt, depoſui, &

1. *Neque homines, quibus ego ſervivi, nobis gratiam retulerunt.*] Hæc eſt codicum antiquiorum ac meliorum ſcriptura, Palatini ſexti, trium Gulielmio inſpectorum, Vaticani. Palatinus primus vocula auctior: *quibus ego ſemper ſervivi*: & Venetus: *quibus ego ſervivi ſemper.* ſed noſtram quoque lectionem repræſentavit Victorius: bienni ſunt, etiamſi valide acute feciſſe videri volunt, qui reſcripſerunt, *quos ego ſervavi ſemper.*

2. *O me perditum! ò afflictum.*] Ejecto illo provocabulo *me* poſteriore, Gulielmius ex Hittorpiano legit: *ò me afflictum*, trahitque huc illud *mihi videbor plane periſſe.* Nos unico libro adducti, mutationis rei aut temeritatis eſſe nolumus. Sic paullo poſt Palatinus ſextus legit, *& corpore & animo affectam.* ut apud Plautum *affecta amica.* & Naſonem, *ibit ut affectam, quæ non languebit, amicam, &c.* & Propert. *Juppiter affectæ tandem miſerare Puellæ.* ex quibus apparet non inconvenientem eſſe hanc ſcripturam. Paullò iterum poſt, nihil mutandum: omnes enim libri: *ſin ut ego metuo, tranſactum eſt.* Sic Terentius, *acta, tranſacta omnia.*

3. *Quod reliquum eſt, ſuſtenta te, mea Terentia.*] Elegantius meo animo abeſſet provocabulum *te*, quod video certe excludi ab optimis libris, Palatino ſexto & Hittorpiano. Plautus: *ſuſtentatum ſedulo eſt.* In fine quoque Epiſtolæ ſcribendum ex Pall. Hittorp. Stew. Peck. *cura quod potes ut valeas.* Nam *quod* ſignificat *quoad.* in ſexto eſt gloſſa, *quatenus.*

4. *Quàm longiſſimè poteris, obviam nobis properes.*] Non auſus ſum cum Victorio hanc movere lectionem, reſtitantem in Palatino primo, & editionum antiquiſſima. Lambinus illicò Victorianam lectionem recepit, *prodeas*, quam tamen conſpicio in Palatino ſexto, & Hittorpiano.

& ejeci. Quid cauſæ autem fuerit, poſtridie intellexi, quam à vobis diſceſſi. χολὴν ἄκρατον noctu ejeci. ſtatim ita ſum levatus, ut mihi deus aliquis medicinam feciſſe videatur. Cui quidem tu deo, quemadmodum ſoles, [1] pie & caſtè ſatisfacias, id eſt, Apollini & Æſculapio. Navem ſpero nos valde bonam habere, in eam ſimulatque conſcendi, hæc ſcripſi. Deinde conſcribam ad noſtros familiareis multas epiſtolas, quibus te, & Tulliolam noſtram diligentiſſimè commendabo. Cohortarer vos, quo animo fortiore eſſetis, niſi vos fortiores cognoſſem, quàm quemquam virum. Et tamen ejuſmodi ſpero negotia eſſe, ut & vos iſtic commodiſſimè ſperem eſſe, & me aliquando cum ſimilibus noſtri rempub. defenſuros. Tu primùm valitudinem tuam velim cures: deinde, tibi ſi videbitur, villis iis utere, quæ longiſſimè aberunt à militibus. Fundo Arpinati bene poteris uti cum familia urbana, ſi annona carior fuerit. Cicero belliſſimus tibi ſalutem plurimam dicit. etiam atque etiam vale. D. III. Idus Junii.

8 M. T. C. TERENTIÆ, S. P. D.

SI vales, bene eſt: ego valeo. Valitudinem tuam velim cures diligentiſſime. Nam mihi & ſcriptum, & nuntiatum eſt, te in febrim ſubitò incidiſſe. Quod celeriter me feciſti de Cæſaris litteris certiorem, feciſti mihi gratum. Item poſthac, ſi quid opus erit, ſi quid acciderit novi, facies, ut ſciam. Cura, ut valeas. Vale. D. IIII. nonas Jun.

9 M. T. C. TERENTIÆ, S. P. D.

AD ceteras meas miſerias acceſſit dolor è Dolabellæ valitudine, & Tulliæ. omnino de omnibus rebus, nec quid conſilii capiam, nec quid faciam, ſcio. Tu velim tuam, & Tulliæ valitudinem cures. Vale.

10 M. T. C. TERENTIÆ SUÆ, S. P. D.

QUOD fieri placeret, ſcripſi ad Pomponium ſerius, quam oportuit. Cum eo ſi locuta eris, intelliges, quid fieri velim. Apertiùs ſcribi, quum ad illum ſcripſeram, neceſſe non fuit. De ea re, & de ceteris rebus, quàm primum velim nobis litteras mittas. Valitudinem tuam cura diligenter. Vale. ſeptimo idus Quintil.

11 M. T. C. TERENTIÆ SUÆ, S. P. D.

SI vales, bene eſt: valeo. Tullia noſtra venit ad me pridie idus Junii: cujus ſumma virtute, & ſingulari humanitate, graviore etiam ſum dolore affectus, noſtra factum eſſe negligentia, ut longè alia in fortuna eſſet, atque ejus pietas, ac dignitas poſtulabat. Nobis erat in animo, Ciceronem ad Cæſarem mittere, & cum eo Cn. Salluſtium. Si profectus erit, faciam te certiorem. Valitudinem tuam cura diligenter. Vale. XVII. Kalend. Quintil.

12 M. T. C. TERENTIÆ, S. P. D.

QUOD nos in Italiam ſalvos veniſſe gaudes, perpetuo gaudeas velim. Sed perturbati dolore animi, magniſque injuriis, metuo ne id conſilii ceperimus, quod non facile explicare poſſimus. Quare quantum potes, adjuva. Quid autem poſſis, mihi in mentem non venit. in viam quod te des hoc tempore, nihil eſt: & longum eſt iter: & non tutum: & non video, quid prodeſſe poſſis, ſi veneris. Vale D. prid. nonas Novemb. Brundiſio.

13 M. T. C. TERENTIÆ, S. P. D.

QUOD ſcripſi ad te proximis litteris de nuntio remittendo, quæ ſit iſtius vis hoc tempore, & quæ concitatio multitudinis, ignoro. Si metuendus iratus eſt, quies tamen ab illo fortaſſe naſcetur. Totum judicabis, quale ſit: & quod in miſerrimis rebus minimè miſerum putabis, id facies. Vale. VI. idus Quintil.

TULLIUS TERENTIÆ, ET PATER TULLIOLÆ, DUABUS ANIMIS SUIS: ET CICERO MATRI OPTIMÆ, SUAVISS. SORORI, S. P. D. 14

SI vos valetis, nos valemus. Veſtrum jam conſilium eſt, non ſolùm meum, quid ſit vobis faciendum. Si ille Romam modeſtè venturus eſt: rectè in præſentia domi eſſe poteſtis, ſin homo amens diripiendam urbem daturus eſt, vereor, ut Dolabella ipſe ſatis nobis prodeſſe poſſit. Etiam illud metuo, ne jam intercludamur, ut, cum velitis exire, non liceat. Reliquum eſt, quod ipſæ optimè conſiderabitis, veſtri ſimiles fæminæ ſintne Romæ. Si enim non ſunt, videndum eſt, ut honeſtè vos eſſe poſſitis. Quomodo quidem nunc ſe res habet, modò ut hæc vobis loca tenere liceat, belliſſimè vel mecum, vel in noſtris prædiis eſſe poteritis. Etiam illud verendum eſt, ne brevi tempore fames in urbe ſit. His de rebus velim cum Pomponio, cum Camillo, cum quibus vobis videbitur, conſideretis ad ſummam, animo forti ſitis. Labienus rem meliorem fecit. Adjuvat etiam Piſo, quod ab urbe diſcedit, & ſceleris condemnat generum ſuum. Vos meæ cariſſimæ animæ, quam ſæpiſſimè ad me ſcribite, & vos quid agatis, & quid iſtic agatur. Quintus pater, & filius, & Rufus vobis ſalutem dicunt. Valete. VIII. Kalend. Quintil. Menturnis.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ, S. P. D. 15

SI vales, bene eſt. Conſtitueramus, ut ad te antea ſcripſeram, obviam Ciceronem Cæſari mittere: ſed mutavimus conſilium, quia de illius adventu nihil audiebamus. De ceteris rebus, etſi nihil erat novi, tamen quid velimus, & quid hoc tempore putemus opus eſſe, ex Sicca poteris cognoſcere. Tulliam adhuc mecum teneo. Valitudinem tuam cura diligenter. Vale. XII. Kalendas Quintil.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ, S. P. D. 16

SI vales, bene eſt: valeo. Etſi ejuſmodi tempora noſtra ſunt, ut nihil habeam, quod aut à te litterarum exſpectem, aut ipſe ad te ſcribam: tamen neſcio quomodo & ipſe veſtras litteras exſpecto, & ſcribo ad vos, cùm habeo, qui ferat. Volumnia debuit in te officioſior eſſe quàm fuit, & idipſum, quod fecit, potuit diligentius facere, & cautius: quamquam alia ſunt, quæ magis curemus, magiſque doleamus. Quæ me ita conficiunt, ut ii voluerunt, qui me de mea ſententia detruſerunt. Cura, ut valeas. Pridie Kalend. Januar.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ, S. D. 17

S. V. B. E. V. Si quid haberem, quod ad te ſcriberem, facerem id & pluribus verbis, & ſæpius. Nunc quæ ſunt negotia, vides. Ego autem quomodo ſim affectus, ex Lepta & Trebatio poteris cognoſcere. Tu fac, ut tuam, & Tulliæ valitudinem cures. Vale.

TULLIUS TERENTIÆ SUÆ, ET PATER SUAVISS. FILIÆ TULLIOLÆ, CICERO MATRI, ET SORORI S. P. D. 18

CONSIDERANDUM vobis etiam, atque etiam, animæ meæ, diligenter puto, quid faciatis: Romæ ne ſitis, an mecum in aliquo tuto loco. Id non ſolum meum conſilium eſt, ſed etiam veſtrum. Mihi veniunt in mentem hæc,: Romæ vos eſſe tuto poſſe per Dolabellam, eamque rem poſſe nobis adjumento eſſe, ſi quæ vis, aut ſi quæ rapinæ fieri cœperint. Sed rurſus illud me movet, quod video, omneis bonos abeſſe Roma, & eos mulieres ſuas ſecum habere. Hæc autem regio, in qua ego ſum, noſtrorum eſt cùm oppidorum, tum etiam prædiorum: ut & multum eſſe mecum, &, cum abieritis, commode & in noſtris

1. *Pie & caſtè ſatisfacias, id eſt, Apollini & Æſculapio.*] Ejecerunt ut gloſſam illa verba, *id eſt, Apollini, &c.* emendatores: non debuiſſent. exſtant illa tum in editionibus antiquiſſimis, tum in noſtris omnibus mſſ. præterea Gulielmianis quinque. paullo poſt, Pall. Vaticanus, Hittorpianus, Medic. leg. *& me aliquando cum ſimilibus noſtri remp. defenſuros.* vulgò, *defenſurum.*

1. Nos

noſtris eſſe poſſitis. Mihi planè non ſatis conſtat adhuc, utrum ſit melius. Vos videte, quid aliæ faciant iſto loco fœminæ: & ne, cum velitis, exire non liceat. id velim diligenter etiam atque etiam vobiſcum, & cum amicis conſideretis. Domus ut propugnacula, & præſidium habeat, Philotimo dicetis. Et velim tabellarios inſtituatis certos, ut quotidie aliquas à vobis litteras accipiam. Maximè autem date operam, ut valeatis, ſi nos vultis valere. VIII. Formiis.

19 M. T. C. TERENTIÆ, S. D.

IN maximis meis doloribus excruciat me valitudo Tulliæ noſtræ. De qua nihil eſt, quod ad te plura ſcribam. tibi enim æquè magnæ curæ eſſe certo ſcio. Quòd me propiùs vultis accedere, video ita eſſe faciendum. etiam antè feciſſem: ſed me multa impedierunt, quæ ne nunc quidem expedita ſunt. Sed à Pomponio exſpecto litteras, quas ad me quàm primum perferendas cures velim. Da operam ut valeas.

20 M. T. C. TERENTIÆ SUÆ, S. P. D.

IN Tuſculanum nos venturos putamus aut nonis, aut poſtridie. ibi ut ſint omnia parata. Plures enim fortaſſe nobiſcum erunt, &, ut arbitror, diutius ibi commorabimur. Labrum ſi in balneo non eſt: ut ſit. item cetera, quæ ſunt ad victum, & ad valitudinem neceſſaria. Vale. Kal. Octobr. de Venuſino.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ, S. P. D. 21

SI vales, bene eſt: valeo. Da operam, ut convaleſcas. quod opus erit, ut res, tempuſque poſtulet, provideas, atque adminiſtres: & ad me de omnibus rebus, quàm ſæpiſſimè litteras mittas. Vale.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D. 22

SI vales, bene eſt: valeo. [1] Nos quotidie tabellarios noſtros exſpectamus: qui ſi venerint, fortaſſe erimus certiores, quid nobis faciendum ſit: faciemuſque te ſtatim certiorem. Valitudinem tuam cura diligenter. Vale Kalendis Septembribus.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ, S. P. D. 23

SI vales, bene eſt: valeo. Redditæ mihi tamdem ſunt à Cæſare litteræ ſatis liberales: & ipſe opinione celeriùs venturus eſſe dicitur. Cui utrùm obviam procedam, an hìc eum exſpectem, cùm conſtituero, faciam te certiorem. Tabellarios mihi velim quàm primùm remittas. Valitudinem tuam cura diligenter. Vale. D. pridie idus Sext.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ, S. P. D. 24

SI vales, bene eſt: valeo. Nos neque de Cæſaris adventu, neque de litteris, quas Philotimus habere dicitur, quidquam adhuc certi habemus. Si quid erit certi, faciam te ſtatim certiorem. Valitudinem tuam fac ut cures. Vale. III. idus Sextileis.

1. *Nos quotidie tabellarios noſtros exſpectamus.*] Non *veſtros* ut vulgo, ex Pall. Vaticano, Hittorpiano, addit Gulielmius: id eſt, *familiares quos tu inſtituiſti nobis.* præterea idem ille codex, ſicut & Palatinus ſextus, *Nos tota Die tabell.* ſicut Plautus Sticho: *unus ſervulus tota die in portu eſt.*

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM AD FAMILIAREIS, LIBER DECIMUS QUINTUS, AD CONSULES, ET ALIOS.

I M. TULLIUS M. F CICERO PROCONSUL, S. P. D. COSS. PRÆTT. TRIBB. PL. SENATUI.

SI vos V. V. B. E. E. Q. V. Etſi non dubiè mihi nuntiabatur, Parthos tranſiſſe Euphratem cum omnibus ferè ſuis copiis: tamen, quòd arbitrabar, à M. Bibulo proconſule certiora de his rebus ad vos ſcribi poſſe, ſtatuebam mihi non neceſſe eſſe publicè ſcribere ea, quæ de alterius provincia nuntiarentur. Poſteà verò quàm certiſſimis auctoribus, legatis, nuntiis, litteris ſum certior factus: vel quòd tanta res erat, vel quòd nondum audieramus, Bibulum in Syriam veniſſe: vel quia adminiſtratio hujus belli mihi cum Bibulo pænè eſt communis: quæ ad me delata eſſent, ſcribenda ad vos putavi. Regis Antiochi Commageni legati primi mihi nuntiarunt, Parthorum magnas copias Euphratem tranſire cœpiſſe. Quo nuntio allato, cùm eſſent nonnulli, qui ei regi minorem fidem habendam putarent, ſtatui exſpectandum eſſe, ſi quid certius afferretur. A. d. XIII. Kalendas Octobr. cùm exercitum in Ciliciam ducerem, in finibus Lycaoniæ, & Cappadociæ mihi litteræ redditæ ſunt à Tarcondimoto, qui fideliſſimus ſocius trans Taurum, amiciſſimuſque populi Romani exiſtimatur: Pacorem Orodi, regis Parthorum filium, cum permagno equitatu Parthico tranſiſſe Euphratem, & caſtra poſuiſſe Tybæ: magnumque tumultum eſſe in provincia Syria excitatum. Eodem die ab Iamblico Phylarcho Arabum, quem homines opinantur bene ſentire amicumque eſſe reipub. noſtræ, litteræ de eiſdem rebus mihi redditæ ſunt. His rebus allatis, etſi intelligebam, ſocios infirmè animatos eſſe, & novarum rerum exſpectatione ſuſpenſos: ſperabam tamen, eos, ad quos jam acceſſeram, quique noſtram conſuetudinem, integritatemque perſpexerant, amiciores populo Romano eſſe factos: Ciliciam autem firmiorem fore, ſi æquitatis noſtræ particeps facta eſſet. Et ob eam cauſam, & ut opprimerentur ii, qui ex Cilicum gente in armis eſſent, & ut hoſtis is, qui eſſet in Syria, ſciret, exercitum ad Taurum inſtitui ducere. Sed, ſi quid apud vos auctoritas mea ponderis habet, in iis præſertim rebus, quas vos audiſtis, ego pænè cerno: magno opere vos & hortor, & moneo, ut his provinciis ſeriùs vos quidem, quàm decuit, ſed aliquando tamen conſulatis. Nos quemadmodum inſtructos, & quibus præſidiis munitos ad tanti belli opinionem miſeritis, non eſtis ignari. quod ego negotium non ſtultitia obcæcatus, ſed verecundia deterritus, non recuſavi. Neque enim umquam ullum periculum tantum putavi, quod ſubterfugere mallem, quam veſtræ auctoritati obtemperare. Hoc autem tempore res ſeſe ſic habet, ut, niſi exercitum tantum, quantum ad maximum bellum mittere ſoletis, mature in has provincias miſeritis, ſummum periculum ſit, ne amittendæ ſint omnes hæ provinciæ, quibus vectigalia populi Romani continentur. Quamobrem autem in hoc provinciali delectu ſpem habeatis aliquam, cauſa nulla eſt: neque multi ſunt: & diffugiunt qui ſunt, metu oblato. Et, quod genus hoc militum ſit, judicavit vir fortiſſimus M. Bibulus in Aſia: qui,

qui, cùm vos ei permiſiſtis, dilectum habere noluerit. Nam ſociorum auxilia propter acerbitatem, atque injurias imperii noſtri, aut ita imbecilla ſunt, ut non multùm nos juvare poſſint: aut ita alienata à nobis, ut neque exſpectandum ab iis, neque committendum iis quidquam eſſe videatur. Regis Dejotari & voluntatem, & copias, quantæcumque ſunt, noſtras eſſe duco. Cappadocia eſt inanis. Reliqui reges, tyrannique, neque opibus ſatis firmi, nec voluntate ſunt. Mihi in hac paucitate militum animus certè non deerit: ſpero ne conſilium quidem. Quid caſurum ſit, incertum eſt. Utinam ſaluti noſtræ conſulere poſſimus: dignitati certè conſulemus.

2 M. TULLIUS M. F. CICERO PROCONS. S. P. D. COSS. PRÆTT. TRIBB. PL. SENAT.

SI V. V. B. E. E. Q. V. Cum pridie Kalend. Sext. in provinciam veniſſem, neque maturiùs propter itinerum, & navigationum difficultatem venire potuiſſem: maximè convenire officio meo reique pub. conducere putavi, parare ea, quæ ad exercitum, quæque ad rem militarem pertinerent. Quæ cum eſſent à me cura magis, & diligentia, quàm facultate, & copia, conſtituta: nuntiique & litteræ de bello à Parthis in provinciam Syriam illato, quotidie fere afferrentur: iter mihi faciendum per Lycaoniam & per Iſauros, & per Cappadociam arbitratus ſum. erat enim magna ſuſpicio, Parthos, ſi ex Syria egredi, atque irrumpere in meam provinciam conarentur, iter eos per Cappadociam, quòd ea maximè pateret, eſſe facturos. Itaque cum exercitu per Cappadociæ partem eam, quæ cum Cilicia continens eſt, iter feci: caſtraque ad Cybiſtra, quod oppidum eſt ad montem Taurum, locavi: ut Artuaſdes, rex Armenius, quocumque animo eſſet, ſciret, non procul à ſuis finibus exercitum populi R. eſſe: & Dejotarum, fideliſſimum regem, atque amiciſſimum reipub. noſtræ, maximè conjunctum haberem, cujus & conſilio, & opibus adjuvari poſſet reſpub. Quo cùm in loco caſtra haberem, equitatumque in Ciliciam miſiſſem, ut & meus adventus iis civitatibus, quæ in ea parte eſſent, nuntiatus, firmiores animos omnium faceret: & ego maturè, quid ageretur in Syria, ſcire poſſem: tempus ejus tridui, quod in his caſtris morabar, in magno officio, & neceſſario mihi ponendum putavi. Cùm enim veſtra auctoritas interceſſiſſet, ut ego regem Ariobarzanem, Euſeben, [1] & Philorhomæum tuerer, ejuſque regis ſalutem, incolumitatem, regnumque defenderem: regi regnoque præſidio eſſem: adjunxiſſetiſque, ſalutem ejus regis, populo, ſenatuique magnæ curæ eſſe, quod nullo umquam de rege decretum eſſet à noſtro ordine: exiſtimavi me judicium veſtrum ad regem deferre debere, eique præſidium meum, & fidem, & diligentiam polliceri: ut, quum ſalus ipſius, incolumitas regni mihi commendata eſſet à vobis, diceret, ſi quid vellet. Quæ cum eſſem in conſilio meo cum rege locutus: initio ille orationis ſuæ vobis maximas, ut debuit, deinde etiam mihi gratias egit: quod ei permagnum, & perhonorificum videbatur, S. P. Q. R. tantæ curæ eſſe ſalutem ſuam: meque tantam diligentiam adhibere, ut & mea fides, & commendationis veſtræ auctoritas perſpici poſſet. Atque ille primo, quod mihi maximæ lætitiæ fuit, ita mecum locutus eſt, ut nullas inſidias neque vitæ ſuæ, neque regno diceret, ſe aut intelligere fieri, aut etiam ſuſpicari. Cum ego ei gratulatus eſſem, idque me gaudere dixiſſem: cohortatus, ut recordaretur caſum illum interitus paterni, & vigilanter ſe tueretur, [2] atque admonitu ſenatus conſuleret ſaluti ſuæ: tum à me diſceſſit in oppidum Cybiſtra. Poſtero autem die cum Ariarathe, fratre ſuo, & cum paternis amicis, majoribus natu, ad me in caſtra venit: perturbatuſque, & flens, cùm idem & frater faceret, & amici, meam fidem, veſtram commendationem implorare cœpit. Cum admirarer, quid accidiſſet novi: dixit, ad ſe indicia manifeſtarum inſidiarum eſſe delata, quæ eſſent ante adventum meum occultata, quod ii, qui ea patefacere poſſent, [3] propter metum reticuiſſent: eo autem tempore ſpe mei præſidii complureis ea, quæ ſcirent, audacter ad ſe detuliſſe: in his amantiſſimum ſui, ſumma pietate præditum, fratrem, dicere ea, quæ is me quoque audiente dicebat, ſe ſollicitatum eſſe, ut regnare vellet: id vivo fratre ſuo accidere non potuiſſe: ſe tamen ante illud tempus eam rem numquam in medium, propter periculi metum, protuliſſe. Quæ cum eſſet locutus: monui regem, ut omnem diligentiam ad ſe conſervandum adhiberet: [4] amicoſque in patris ejus atque avi judicio probatos hortatus ſum, regis ſui vitam, docti caſu acerbiſſimo patris ejus, omni cura, cuſtodiaque defenderent. Cum rex à me equitatum, cohorteiſque de exercitu meo poſtularet: etſi intelligebam, veſtro ſenatuſconſulto non modo poſſe me id facere, ſed etiam debere: tamen, cum reſpub. poſtularet, propter quotidianos ex Syria nuntios, ut quàm primum exercitum ad Ciliciæ fineis adducerem: cumque mihi rex, patefactis jam inſidiis, non egere exercitu populi Romani, ſed poſſe ſe ſuis opibus defendere videretur: illum cohortatus ſum, ut in ſua vita conſervanda primum regnare diſceret: à quibus perſpexiſſet ſibi inſidias paratas, in eos uteretur jure regio: pœna afficeret eos, quos neceſſe eſſet: reliquos metu liberaret: præſidio exercitus mei ad eorum, qui in culpa eſſent, timorem potius, quam ad contentionem uteretur. fore autem, ut omnes quum ſenatuſconſulta noſſent, intelligerent, me regi, ſi opus eſſet, ex auctoritate veſtra præſidio futurum. Ita confirmato illo, ex eo loco caſtra movi, iter in Ciliciam facere inſtitui: cum hac opinione è Cappadocia diſcederem, ut conſilio veſtro, caſu incredibili, ac pæne divino, regem, quem vos honorificentiſſimè appellaſſetis, nullo poſtulante, quemque meæ fidei commendaſſetis, & cujus ſalutem magnæ vobis curæ eſſe decreviſſetis, meus adventus præſentibus inſidiis liberaret. Quod ad vos à me ſcribi, non alienum putavi, ut intelligeretis ex iis, quæ pæne acciderunt, vos multò antè, ne ea acciderent, providiſſe: eoque vos ſtudioſius feci certiores, quòd in rege Ariobarzane ea mihi ſigna videor virtutis, ingenii, fidei, benivolentiæque erga vos perſpexiſſe, ut non ſine cauſa tantam curam, in ejus vos ſalutem videamini contuliſſe.

M. T. C. IMPER. M. CATONI, S. D. 3

CUM ad me legati, miſſi ab Antiocho Commageno, veniſſent in caſtra ad Iconium ad III. Non. Septembr. iique mihi nuntiaſſent, regis Parthorum filium, quocum eſſet nupta regis Armeniorum ſoror, ad Euphraten cum maximis Parthorum copiis, multarumque prætereà gentium magna manu veniſſe, Euphratemque jam tranſire cœpiſſe: dicique Armenium regem in Cappadociam impe-

1 ET *Philorhomæum tuerer, &c.*] Id eſt, amicum populi Rom. pro lege Manilia circa initium. unde in vett. nummis: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. quidam codd. *Philonicum.* hæc adnotarat CL. Puteanus.

2. *Atque admonitu Senatus conſuleret ſaluti ſuæ.*] Quia Hittorpianus codex habebat, *admonitum*, reſcribi volebat Gulielmius, *ad monitum.* vel, quod Stewechianus, *admoniti*, volebat *admonitis.* Sed his omnibus nihil opus. Paullò ante ſcribunt locupletius Palatinus ſextus & Hittorpianus: *idque me gaudere dixiſſem: & tamen adoleſcentem eſſem cohortatus.*

3. *Propter metum reticuiſſent.*] Locum non genuinum eſſe ſcripturæ varietate deprendo. Palatinus ſextus, *tacuiſſent.* alii: *obticuiſſent.* primus verò & Stewechianus *renuntiaſſent*, unde faciendum forte, *rem muſſaſſent*, ut volebat Gulielmius.

4. *Amicoſque in patris ejus atque avi judicio probatos.*] Repræſento lectionem, quam reperio in Palatino ſexto, optimo codice: nam primus, ſecund. tertius, Gruterianus, priſca editio, *amicoſque in patris ejus atque judicio probatos*: mutilè. Quartus verò & quintus vulgatam & quam Victorius ſecutus eſt, prorogant, *amicoſque in patris ejus fide atque judicio probatos.* notat Ignatius in Medicæo ab aliena manu τὸ *fide* additum: quod Victorius quoque non diffitetur. mavult tamen deleri τὸ *in* Andreas Schottus lib. III. nodor. cap. 4. veſtigiis, ut ait, codicis Medicæi inſiſtens, *amicoſque patris ejus avique judicio probatos*, emendabat, mihi non diſplicet Titi Popmæ conjectura quàm proxima noſtro libro; *amicoſque patris ejus atque avi judicio probatos.*

impetum eſſe facturum: putavi, pro noſtra neceſſitudine, me hoc ad te ſcribere oportere. Publicè propter duas cauſas nihil ſcripſi: quod & ipſum Commagenum legati dicebant ad ſenatum ſtatim nuntias, litteraſque miſiſſe: & exiſtimabam, M. Bibulum proconſulem, qui circiter idus Sextileis ab Epheſo in Syriam navibus profectus erat, quòd ſecundos ventos habuiſſet, jam in provinciam ſuam perveniſſe: cujus litteris omnia certiora perlatum iri ad ſenatum putabam. Mihi, ut in hujuſmodi re, tantoque bello maximæ curæ eſt, ut, quæ copiis, & opibus tenere vix poſſumus, ea manſuetudine, & continentia noſtra, ſociorum fidelitate teneamus. Tu velim, ut conſueſti, nos abſenteis diligas, & defendas.

4 M. T. C. IMP. M. CATONI, S. D.

SUMMA tua auctoritas fecit, meumque perpetuum de tua ſingulari virtute judicium, ut magni mea intereſſe putarem, & res eas, quas geſſiſſem, tibi notas eſſe, & non ignorari à te, qua æquitate, & continentia tuerer ſocios, provinciamque adminiſtrarem. His enim à te cognitis, arbitrabar, faciliùs me tibi, quæ vellem, probaturum. Cùm in provinciam pridie Kal. Sext. veniſſem, & propter anni tempus ad exercitum mihi confeſtim eſſe eundum viderem, biduum Laodiceæ fui: deinde Apameæ quatriduum: triduum Synnadis: totidem dies Philomeli. Quibus in oppidis cùm magni conventus fuiſſent, multas civitates acerbiſſimis tributis, & graviſſimis uſuris, & falſo ære alieno liberavi. Cumque ante adventum meum ſeditione quadam exercitus eſſet diſſipatus: quinque cohortes ſine legato, ſine tribuno militum, denique etiam ſine centurione ullo apud Philomelum conſediſſent: reliquus exercitus eſſet in Lycaonia: M. Annejo legato imperavi, ut eas quinque cohorteis ad reliquum exercitum duceret, coactoque in unum locum exercitu, caſtra in Lycaonia apud Iconium faceret. Quod cùm ab illo diligenter eſſet actum: ego in caſtra ad VII. Kal. Septemb. veni: cùm intereà ſuperioribus diebus ex ſenatuſconſulto, & evocatorum firmam manum, & equitatum ſanè idoneum, & populorum liberorum, regumque ſociorum auxilia voluntaria comparaviſſem. Interim cùm, exercitu luſtrato, iter in Ciliciam facere cœpiſſem: Kal. Septemb. legati à rege Commageno ad me miſſi, pertumultuosè, neque tamen non verè, Parthos in Syriam tranſiſſe nuntiaverunt. Quo audito, vehementer ſum commotus cùm de Syria, tum de mea provincia, de reliqua denique Aſia. Itaque exercitum mihi ducendum per Cappadociæ regionem eam, quæ Ciliciam attingeret, putavi. Nam ſi me in Ciliciam demiſiſſem, Ciliciam quidem ipſam propter montis Amani naturam facilè tenuiſſem: (Duo ſunt enim aditus in Ciliciam ex Syria: quorum uterque parvis præſidiis propter anguſtias intercludi poteſt, nec eſt quidquam Cilicia contra Syriam munitius) ſed me Cappadocia movebat: quæ patet à Syria, regeſque habet finitimos, qui etiamſi ſunt amici nobis, tamen apertè Parthis inimici eſſe non audent. Itaque in Cappadocia extrema non longè à Tauro apud oppidum Cybiſtra caſtra feci, ut & Ciliciam tuerer, & Cappadociam tenens, nova finitimorum conſilia impedirem. Intereà in hoc tanto motu, tantaque exſpectatione maximi belli, rex Dejotarus, cui non ſine cauſa plurimùm ſemper & meo, & tuo, & ſenatus judicio tributum eſt, vir cùm benivolentia, & fide erga populum R. ſingulari, [1] tum præſenti magnitudine & animi, & conſilii, legatos ad me miſit, ſe cum omnibus ſuis copiis in mea caſtra eſſe venturum. Cujus ego ſtudio, officioque commotus, egi ei per litteras gratias: idque ut maturaret, hortatus ſum. Cùm autem ad Cybiſtra propter rationem belli quinque dies eſſem moratus: regem Ariobarzanem, cujus ſalutem à ſenatu, te auctore, commendatam habebam, præſentibus inſidiis nec opinantem liberavi: neque ſolùm ei ſaluti fui: ſed etiam curavi, ut cum auctoritate regnaret. Metram, & eum, quem tu diligenter mihi commendaras, Athenæum, importunitate Athenaidis exſilio multatos, maxima apud regem auctoritate, gratiaque conſtitui. Cumque magnum bellum in Cappadocia concitaretur, ſi ſacerdos armis ſe, quod facturus putabatur, defenderet, adoleſcens & equitatu, & peditatu, [2] & pecunia paratus, & toto, iis qui novari aliquid volebant: perfeci, ut è regno ille diſcederet: rexque ſine tumultu, ac ſine armis, omnia auctoritate aulæ communita, regnum cum dignitate obtineret. Intereà cognovi multorum litteris, atque nuntiis, magnas Parthorum copias, & Arabum ad oppidum Antiocheam acceſſiſſe, magnumque eorum equitatum, qui in Ciliciam tranſiſſet, ab equitum meorum turmis, & à cohorte prætoria, quæ erat Epiphaneæ præſidii cauſa, occidione occiſum. Quare cùm viderem à Cappadocia Parthorum copias averſas, non longè à finibus eſſe Ciliciæ: quàm potui maximis itineribus ad Amanum exercitum duxi. Quò ut veni, hoſtem ab Antiochea receſſiſſe, Bibulum Antiocheæ eſſe cognovi: Dejotarumque confeſtim jam ad me venientem cum magno, & firmo equitatu, & peditatu, & cum omnibus ſuis copiis, certiorem feci, non videri eſſe cauſam, cur abeſſet à regno: meque ad eum, ſi quid novi fortè accidiſſet, ſtatim litteras, nuntioſque miſſurum eſſe. Cumque eo animo veniſſem, ut utrique provinciæ, ſi ita tempus ferret, ſubvenirem [3] tum id, quod jam antè ſtatueram, vehementer intereſſe utriuſque provinciæ, pacare Amanum, & perpetuum hoſtem ex eo monte tollere, agere perrexi. Cumque me diſcedere ab eo monte ſimulaſſem, & alias parteis Ciliciæ petere, abeſſemque ab Amano iter unius diei, & caſtra apud Epiphaneam feciſſem: ad quartum idus Octobreis, cùm adveſperaſceret, expedito exercitu ita noctu iter feci, ut ad tertium idus Octobreis, cùm luciſceret, in Amanum aſcenderem, diſtributiſque cohortibus, & auxiliis, cùm aliis Q. frater, legatus, mecum ſimul: aliis C. Pomtinus, legatus: reliquis Marcus Annejus, & L. Tullejus, legati præeſſent: pleroſque nec-opinanteis oppreſſimus, [4] qui occiſi, captique ſunt; interclusi fugâ. Eranam autem, quæ fuit non vici inſtar, ſed urbis, quòd erat Amani caput: itemque Sepyram, & Commorin acriter, & diu repugnantibus, Pomtino illam partem Amani tenente, ex antelucano tempore, uſque ad horam diei decimam, magna multitudine hoſtium occiſa, cepimus: caſtellaque ſex capta: complura incendimus. His rebus ita geſtis, caſtra in radicibus Amani habuimus apud Aras Alexandri quatriduum: & in reliquiis Amani delendis, agriſque vaſtandis, quæ pars ejus montis meæ provinciæ eſt, id tempus omne conſumſimus. Confectis his rebus, ad oppidum Eleutherocilicum Pindeniſſum exercitum adduxi: quod cum eſſet altiſſimo, & munitiſſimo loco, ab iiſque incoleretur, qui ne regibus quidem umquam paruiſſent: cùm & fugitivos reciperent, & Parthorum adventum acerrimè exſpectarent:

---

1. *Tum præſenti magnitudine.*] Palatini, Hittorpianus, *tum præſentia magn.* ſicut & Mediceus. Unde rectè hanc lectionem extricavit Victorius, quæ viſitur quoque in Vaticani excerptis: Manutius tamen: *tum præſentiâ, magnitudine & animi & conſilii.*

2. *Pecunia paratus & toto, iis qui novari aliquid volebant.*] Retinui Lectionem Manutianam, quam & Victorius in ſuis invenit, teſtorque eam exſtare in Pal. primo, quarto, quinto, & editionum primariis. Victorius tamen ex conjectura, *& omnino iis, qui novari aliquid vol.* quam præ ſe ferunt excerpta Vaticani. Palat. ſextus & Hittorpianus, *& tuto his.* Peckio excerpta, & alius Gulielmio inſpectus, *& toto is.* legit inde, *ultroneis*, vel, *& verò his.* Puteanus conabatur, *pecunia paratus, extorta iis, &c.*

3. *Tum id, quod jam ante ſtatueram.*] Hæc lectio ex Medicæo eſt, ab Egnatio, ad primam impreſſionem enotata, & ab Victorio quoque uſurpata in editione: conſpicio jam eam quoque in Palatinis, Vaticani excerptis. Hittorp. vulgò: *tamen id, quo jam ante conſtitueram.* Paullo poſt Hittorpianus codex legit: *abeſſemque Amano iter unius diei.* putatque Gulielmius legendum *abiſſemque Amano.*

4. *Qui occiſi captique ſunt, interclusi fuga. Eranam, &c.*] In Medicæo erat, *interclusi fugæ ranam*, ex qua recte hanc lectionem extricavit accuratiſſimus Victorius. Nam vox *reliqui* ab omnibus noſtris æquè abeſt. Primus Palatinus & priſca editio: *Interclusi fugierant amani autem.*

rent: ad exiſtimationem imperii pertinere arbitratus ſum, comprimere eorum audaciam: quò facilius etiam ceterorum animi, qui alieni eſſent ab imperio noſtro, frangerentur. Vallo, & foſſa circumdedi: ſex caſtellis, caſtriſque maximis ſepſi: aggere, vineis, turribus oppugnavi: uſuſque tormentis multis, multis ſagittariis, magno labore meo, ſine ulla moleſtia, ſumtuve ſociorum, ſeptimo quinquageſimo die rem confeci: ut, omnibus partibus urbis diſturbatis, aut incenſis, compulſi in poteſtatem meam pervenirent. His erant finitimi pari ſcelere, & audacia Tibarani: ab his, Pindeniſſo capto, obſides accepi: exercitum in hiberna dimiſi. Q. fratrem negotio præpoſui, ut in vicis aut captis, aut malè pacatis exercitus collocaretur. Nunc velim tibi ſic perſuadeas, ſi de his rebus ad ſenatum relatum ſit, me exiſtimaturum, ſummam mihi laudem tributam, ſi tu honorem meum ſententia tua comprobaris. Idque, etſi talibus de rebus graviſſimos homines & rogare ſolere, & rogari ſcio, tamen admonendum potiùs te à me, quàm rogandum puto. Tu es enim is, qui me tuis ſententiis ſæpiſſimè ornaſti: qui oratione, qui prædicatione, qui ſummis laudibus in ſenatu, in concionibus ad cælum extuliſti: cujus ego ſemper tanta eſſe verborum pondera putavi, ut uno verbo tuo cum mea laude conjuncto, omnia adſequi me arbitrarer. Te denique memini, cùm cuidam clariſſimo, atque optimo viro ſupplicationem non decerneres, dicere, te decreturum, ſi referretur ob eas res, quas is conſul in urbe geſſiſſet. Tu idem mihi ſupplicationem decreviſti togato, non ut multis, repub. bene geſta, ſed ut nemini, rep. conſervata. Mitto, quòd invidiam, quòd pericula, quòd omneis meas tempeſtates, & ſubieris, & multò etiam magis, ſi per me licuiſſet, ſubire paratiſſimus fueris; quòd denique inimicum meum, tuum inimicum putaris: cujus etiam interitum, ut facilè intelligerem, mihi quantum tribueres, Milonis cauſa in ſenatu defendenda, approbaris. A me autem hæc ſunt profecta: quæ ego in beneficii loco non pono, ſed in veri teſtimonii, atque judicii: ut præſtantiſſimas tuas virtutes non tacitus admirarer: (quis enim idem non facit?) ſed in omnibus orationibus, ſententiis dicendis, cauſis agendis, omnibus ſcriptis, Græcis, Latinis, omni denique varietate litterarum mearum, te non modò iis, quos vidiſſemus, ſed iis, de quibus audiſſemus, omnibus anteferrem. Quæres fortaſſe, quid ſit, quod ego hoc neſcio quid gratulationis, & honoris à ſenatu, tanti æſtimem. Agam jam tecum familiariter, ut eſt & ſtudiis & officiis noſtris mutuis, & ſumma amicitia dignum, & neceſſitudine etiam paterna. Si quiſquam fuit umquam remotus & natura, & magis etiam, ut mihi quidem ſentire videor, ratione, atque doctrina, ab inani laude, & ſermonibus vulgi, ego profectò is ſum. Teſtis eſt conſulatus meus: in quo, ſicut in reliqua vita, fateor, ea me ſtudioſè ſecutum, ex quibus vera gloria naſci poſſet. ipſam quidem gloriam per ſe numquam putavi expetendam. Itaque & provinciam ornatam, & ſpem non dubiam triumphi, neglexi. Sacerdotium denique, cum (quemadmodum te exiſtimare arbitror) non difficillimè conſequi poſſem, non appetivi. Idem poſt injuriam acceptam, quam tu reip. calamitatem ſemper appellas, meam non modò non calamitatem, ſed etiam gloriam, ſtudui quàm ornatiſſima ſenatus, populique Roman. de me judicia intercedere. Itaque & augur poſteà fieri volui, quòd anteà neglexeram: & eum honorem, qui à ſenatu tribui rebus bellicis ſolet, neglectum à me olim, nunc mihi expetendum puto. Huic meæ voluntati, in qua ineſt aliqua vis deſiderii, ad ſanandum vulnus injuriæ, ut faveas, adjutorque ſis, quod paullò antè me negaram rogaturum, vehementer te rogo: ſed ita, ſi non jejunum hoc neſcio quid, quod ego geſſi, & contemnendum videbitur, ſed tale, atque tantum, ut multi nequaquam paribus rebus honores ſummos à ſenatu conſecuti ſint. Equidem etiam mihi illud animum advertiſſe videor: (ſcis enim, quàm attentè te audire ſoleam) te non tam res geſtas, quàm mores, inſtituta, atque vitam imperatorum ſpectare ſolere, in habendis, aut non habendis honoribus. Quod ſi in mea cauſa conſiderabis, reperies, me exercitu imbecillo contra metum maximi belli, firmiſſimum præſidium habuiſſe, æquitatem, & continentiam. His ego ſubſidiis ea ſum conſecutus, quæ nullis legionibus conſequi potuiſſem: ut ex alieniſſimis ſociis amiciſſimos, ex infideliſſimis firmiſſimos redderem, animoſque novarum rerum exſpectatione ſuſpenſos, ad veteris imperii benivolentiam traducerem. Sed nimis hæc multa de me præſertim ad te, à quo uno omnium ſociorum querelæ audiuntur, cognoſces ex iis, qui meis inſtitutis ſe recreatos putant. Cumque omnes uno propè conſenſu de me apud te ea, quæ mihi optatiſſima ſunt, prædicabunt: tum duæ maximæ clientelæ tuæ, Cyprus inſula, & Cappadociæ regnum, tecum de me loquentur. puto etiam regem Dejotarum, qui uni tibi eſt maximè neceſſarius. Quæ ſi etiam majora ſunt: & in omnibus ſæculis pauciores viri reperti ſunt, qui ſuas cupiditates, quàm qui hoſtium copias vincerent: eſt profectò tuum, cùm ad res bellicas hæc, quæ rariora, & difficiliora ſunt, genera virtutis adjunxeris, ipſas etiam illas res geſtas, juſtiores eſſe, & majores putare. Extremum illud eſt, ut, quaſi diffidens rogationi meæ, philoſophiam ad te allegem: qua nec mihi carior ulla umquam res in vita fuit, nec hominum generi majus à diis munus ullum eſt datum. Hæc igitur, quæ mihi tecum communis eſt, ſocietas ſtudiorum atque artium noſtrarum, quibus à pueritia dediti, ac devincti, ſoli propemodum nos philoſophiam illam veram, & antiquam, quæ quibuſdam otii eſſe, ac deſidiæ videtur, in forum atque in rempub. atque in ipſam aciem pænè deduximus: tecum agit de mea laude, cui negari à Catone fas eſſe non puto. Quamobrem tibi ſic perſuadeas, velim: ſi mihi tua ſententia tributus honos ex meis litteris fuerit, me ſic exiſtimaturum, cùm auctoritate tua, tum benivolentia erga me, mihi, quod maximè cupierim, contigiſſe. Vale.

M. CATO, M. T. C. IMP. S. P. D. 5

Quod & reſp. me, & noſtra amicitia hortatur, libenter facio, ut tuam virtutem, innocentiam, diligentiam, cognitam in maximis rebus, domi togati, armati foris, pari induſtria adminiſtrari gaudeam. Itaque, quod pro meo judicio facere potui, ut innocentia, conſilioque tuo defenſam provinciam, ſervatum Ariobarzanis cum ipſo rege regnum, ſociorum revocatam ad ſtudium imperii noſtri voluntatem, ſententia mea, & decreto laudarem, feci. Supplicationem decretam, ſi tu, qua in re nihil fortuitò, ſed ſumma tua ratione, & continentia, reipub. proviſum eſt, diis immortalibus gratulari nos, quàm tibi referre acceptum mavis, gaudeo. Quòd ſi triumphi prærogativam putas, ſupplicationem, & idcirco caſum potiùs, quàm te laudari mavis: neque ſupplicationem ſequitur ſemper triumphus, & triumpho multo clarius eſt, ſenatum judicare, potiùs manſuetudine, & innocentia imperatoris, provinciam, quàm vi militum, aut benignitate deorum retentam, atque conſervatam eſſe: quod ego mea ſententia cenſebam. Atque hæc ego idcirco ad te contra conſuetudinem meam pluribus ſcripſi: ut, quod maximè volo, exiſtimes me laborare, ut tibi perſuadeam, me & voluiſſe de tua majeſtate, quod ampliſſimum ſim arbitratus: & quod tu maluiſti, factum eſſe gaudere. Vale, & nos dilge, [1] & inſtituto itinere ſeveritatem, diligentiamque ſociis, & reip. præſta.

M. T. C. M. CATONI, S. P. D. 6

Lætus *ſum laudari me*, inquit Hector, opinor apud Nævium, *abs te pater*, *à laudato viro*. Ea est enim profectò jucunda laus, quæ ab iis proficiſcitur, qui ipſi in laude

1. *Inſtituto itinere ſeveritatem diligentiamque ſociis & reip. p.*] Gulielmius putabat: *inſtituto in numere*. [illegible] poſita, eſt primogenia lectio, in editione prima & in [illegible] Vaticano, Peck. Stew. Hittorp. propagata, adeo ut mirari ſubierit illam nuperam novitiam: *ſecuritatem indulgentiamque*. cum Cato nihil minus nominarit etiam *indulgentiam*. [illegible]

laude vixerunt. Ego verò vel gratulatione litterarum tuarum, vel teſtimoniis ſententiæ dictæ, nihil eſt, quod me non aſſecutum putem. Idque mihi cùm ampliſſimum, tum gratiſſimum eſt, te libenter amicitiæ dediſſe, quod liquidò veritati dares. [1] Et, ſi non modò omnes, verum etiam multi Catones eſſent in civitate noſtra, in qua unum exſtitiſſe mirabile eſt: quem ego currum, aut quam lauream cum tua laudatione conferrem? Nam ad meum ſenſum, & ad illud ſincerum, ac ſubtile judicium, nihil poteſt eſſe laudabilius, quàm ea tua oratio, quæ eſt ad me perſcripta à meis neceſſariis. Sed cauſam meæ voluntatis, non enim dicam cupiditatis, expoſui tibi ſuperioribus litteris: quæ etiam ſi parum juſta tibi viſa eſt, hanc tamen habet rationem, non ut nimis concupiſcendus honos: ſed tamen, ſi deferatur à ſenatu, minimè aſpernandus eſſe videatur. Spero autem, illum ordinem, pro meis ob remp. ſuſceptis laboribus, me non indignum honore, uſitato præſertim, exiſtimaturum. Quod ſi ita erit, tantum ex te peto, quod amiciſſimè ſcribis, ut, cùm tuo judicio, quod ampliſſimum eſſe arbitraris, mihi tribueris: ſi id, quod maluero, accidit, gaudeas. [2] Sic enim feciſſe te, & ſenſiſſe, & veriùs ſcripſiſſe video: reſque ipſa declarat, tibi illum honorem noſtrum ſupplicationis jucundum fuiſſe, quòd ſcribendo affuiſti. Hæc enim ſenatuſconſult. non ignoro ab amiciſſimis ejus, cujus de honore agitur, ſcribi ſolere. Ego, ut ſpero, te propediem videbo, atque utinam repub. meliore, quàm timeo.

7 M. T. C. PROCOS. C. MARCELLO COS. DESIGN. S. P. D.

MAXIMA ſum lætitia affectus, cùm audivi, te conſulem factum eſſe: eumque honorem tibi deos fortunare volo, atque à te pro tua, parentiſque tui dignitate adminiſtrari. Nam cùm te ſemper amavi, dilexique, tum mei amantiſſimum cognovi in omni varietate rerum mearum: tum patris tui pluribus beneficiis, vel defenſus triſtibus temporibus, vel ornatus [3] ſecundis: & ſum totus veſter, & eſſe debeo: cùm præſertim matris tuæ, graviſſimæ, atque optimæ fœminæ, majora erga ſalutem, dignitatemque meam ſtudia, quàm erant à muliere poſtulanda, perſpexerim. Quapropter à te peto in majorem modum, ut me abſentem diligas, atque defendas.

8 M. T. C. PROC. MARCELLO, COLLEGÆ, S. P. D.

MARCELLUM tuum, conſulem factum, teque ea lætitia affectum eſſe, quam maximè optaſti, [4] mirandum in modum gaudeo: idque cùm ipſius cauſa, tum quod te omnibus ſecundiſſimis rebus digniſſimum judico: cujus erga me ſingularem benivolentiam vel in labore meo, vel in honore perſpexi: totam denique domum veſtram vel ſalutis, vel dignitatis meæ ſtudioſiſſimam, cupidiſſimamque cognovi. Quare gratum mihi feceris, ſi uxori tuæ Juniæ, graviſſimæ, atque optimæ fœminæ, meis verbis eris gratulatus. A te id, quod ſueſti, peto, me abſentem diligas, atque defendas.

9 M. T. C. PROCOS. M. MARCELLO, COS. S. P. D.

TE & pietatis in tuos, & animi in rempub. & clariſſimi, atque optimi conſulatus, C Marcello conſule facto, fructum cepiſſe, vehementer gaudeo. Non dubito, quid præſentes ſentiant. nos quidem longinqui, & à te ipſo miſſi in ultimas genteis, ad cælum mehercule tollimus veriſſimis, ac juſtiſſimis laudibus. Nam cum te à puerit[ia] tua unicè dilexerim, tuque me in omni genere ſemper ampliſſimum eſſe & volueris, & judicaris: tum hoc vel tuo facto, vel populi R. de te judicio, multo acriùs, vehementiuſque diligo: maximaque lætitia afficior, cùm ab hominibus prudentiſſimis, viriſque optimis, omnibus dictis, factis, ſtudiis, inſtitutis, vel me tui ſimilem eſſe audio, vel te mei. Unum verò ſi addis ad præclariſſimas res conſulatus tui aut mihi ſuccedat quàm primùm aliquis, aut ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi & ſenatus conſulto, & lege finiſti: omnia me per te conſecutum putabo. Cura ut valeas, & me abſentem diligas, atque defendas. Quæ mihi de Parthis nuntiata ſunt, quia non putabam à me etiam nunc ſcribenda eſſe publicè, propterea ne pro familiaritate quidem noſtra volui ad te ſcribere: ne, cum ad conſulem ſcripſiſſem, publicè viderer ſcripſiſſe.

M. T. C. IMP. C. M. MARCELLO, C. F. COS. DESIGN. S. P. D. 10

QUUM id accidit, quod mihi maximè fuit optatum, ut omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam, (mirificus enim generis, ac nominis veſtri fuit erga me ſemper animus) quum ergo ita accidit, ut omnium veſtrûm ſtudio tuus conſulatus ſatisfacere poſſet, in quem meæ res geſtæ, lauſque, & honos earum potiſſimum incideret: peto à te id, quod facillimum factu eſt, non aſpernante, ut confido, ſenatu, ut quàm honorificentiſſimum ſenatuſconſultum, literis meis recitatis, faciundum cures. Si mihi tecum minus eſſet, quàm eſt cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, à quibus intelligis me præcipuè diligi. Patris tui beneficia in me ſunt ampliſſima. neque enim ſaluti meæ, neque honori amicior quiſquam dici poteſt. Frater tuus quanti me faciat, ſemperque fecerit, eſſe hominem, qui ignoret, arbitror neminem. Domus tua denique tota me ſemper omnibus ſummis officiis proſecuta eſt. Neque verò tu in me diligendo cuiquam conceſſiſti tuorum. Quare à te peto in majorem modum, ut me per te quàm ornatiſſimum velis eſſe: meamque & in ſupplicatione decernenda, & in ceteris rebus exiſtimationem ſatis tibi eſſe commendatam putes.

M. T. C. IMP. C. MARCELLO, COS. DESIGN. S. P. D. 11

QUANTÆ curæ tibi meus honos fuerit, & quàm idem exſtiteris conſul in me ornando, & amplificando, qui fueras ſemper cum parentibus tuis, & cum tota domo, etſi res ipſa loquebatur, cognovi tamen ex meorum omnium litteris. Itaque nihil eſt tantum, quod ego non tua cauſa debeam, facturuſque ſim cùm ſtudioſe ac libenter. Nam magni intereſt, cui debeas. debere autem nemini malui, quàm tibi: cui me cùm ſtudia communia, beneficia paterna, tuaque jam antè conjunxerant: tum accedit, mea quidem ſententia, maximum vinculum, quod ita remp. geris, atque geſſiſti, qua mihi carius nihil eſt, ut, quantum tibi omnes boni debeant, quo minùs tantumdem ego unus debeam, non recuſem. Quamobrem tibi velim hi ſint exitus, quos mereris, & quos fore confido. Ego, ſi me navigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipſos Eteſias, propediem te, ut ſpero, videbo.

M. T. C.

---

1. *Etſi non modò omnes, verùm etiam multi Catones eſſent.*] Sic legendum ex recenſione Victorii, editione primariâ, Palatino ſexto, Vaticani excerptis, Hittorpiano. Lambinus ne non ſincerum vas incruſtaret, faciebat *quod ſi non modo omnes, verùm, &c.* Gulielmius legebat: *&, ſi modo omnes, vel etiam multi.* Vulgo: *&, ſi non modo unus, verum.*

2. *Sic enim feciſſe te, & ſenſiſſe & veriùs ſcripſiſſe video.*] Sic Victorius, & Palatini, ſicque ex codice vetuſto primam impreſſionem emendat Egnatius. neque aliter Vaticani excerpta & Hittorpianus. Gulielmius nihilominus ariolabatur, *etſi ſic & feciſſe te.* Paullò poſt Peckio excerpta, Hittorpianus, Pall. ſcribunt: *cujus honore agitur ſcribi ſolere.* unde ille, *cujus honor agitur.* Ego pro recepta lectione ſtabo potius: quàm ruinoſis alterius conjecturis ſive maceriis labem.

3. *Secundis: & ſum totus veſter & eſſe debeo.*] Succinctius ac melius ſic editio prima & Victoriana, Palatt. Hittorp. Peckio, Vaticanique excerpta; emiſſo illo ſuperfluo humore ac pituita ſcholæ *neceſſe eſt, ut & ſim totus veſter & eſſe debeam.*

4. *Mirandum in modum gaudeo.*] Pall. Stewech. Vaticani & Peckio excerpta: editiones, prima atque Victorii non, *mirum,* ſicut infra introduxi ex editione prima, Victorio, Palatino primo: *A te id, quod ſueſti, peto*: licet negare non poſſim, reſtare in Palatino ſexto, Stewechiano, Hittorpiano, quemadmodum & Lambinus edidit, *conſueſti*: ſed illud germanius eſſe putavi. Vulgò excuſum eſt: *quod conſueviſti.*

12 M. T. C. IMP. L. PAULLO, COS. DESIGN. S. P. D.

ETSI mihi numquam fuit dubium, quin te populus R. pro tuis ſummis in remp. meritis, & pro ampliſſima familiæ dignitate, ſummo ſtudio, cunctis ſuffragiis conſulem facturus eſſet: tamen incredibili lætitia ſum affectus, cùm id mihi nuntiatum eſt: eumque honorem tibi deos fortunare volo, à teque ex tua, majorumque tuorum dignitate adminiſtrari. Atque utinam præſens illum diem mihi optatiſſimum videre potuiſſem, proque tuis ampliſſimis erga me ſtudiis, atque beneficiis tibi operam meam, ſtudiumque navare. Quam mihi facultatem quum hic necopinatus, & improviſus provinciæ caſus eripuit: tamen, ut te conſulem rempub. pro tua dignitate gerentem videre poſſim, magnopere à te peto, ut operam des, efficias, nequid mihi fiat injuriæ, neve quid temporis ad meum annuum munus accedat. Quod ſi feceris, magnus ad tua priſtina erga me ſtudia cumulus accedet.

13 M. T. C. IMP. L. PAULLO, COS. S. P. D.

MAXIME mihi fuit optatum Romæ eſſe tecum, multas ob cauſas, ſed præcipuè, ut & in petendo, & in gerendo conſulatu meum tibi debitum ſtudium perſpicere poſſes. Ac petitionis quidem tuæ ratio mihi ſemper fuit explorata: ſed tamen navare operam volebam. In cònſulatu verò cupio equidem te minus habere negotii: ſed moleſtè fero, me conſulem ſtudium tuum adoleſcentis perſpexiſſe: te meum, cùm id ætatis ſim, perſpicere non poſſe. Sed ita fato neſcio quo contigiſſe arbitror, ut tibi ad me ornandum ſemper detur facultas: mihi ad remunerandum nihil ſuppetat, præter voluntatem. Ornaſti conſulatum, ornaſti reditum meum. Incidit meum tempus rerum gerendarum in ipſum conſulatum tuum. Itaque cùm & tua ſumma amplitudo, & dignitas, & meus magnus honos, magnaque exiſtimatio poſtulare videatur, ut à te plurimis verbis contendam, ac petam, ut quàm honorificentiſſimum ſenatuſconſultum de meis rebus geſtis faciendum cures: non audeo vehementer à te contendere, ne aut ipſe tuæ perpetuæ conſuetudinis erga me oblitus eſſe videar, aut te oblitum putem. Quare, ut te velle arbitror, ita faciam: atque ab eo, quem omnes gentes ſciunt de me optimè meritum, breviter petam. Si alii conſules eſſent, ad te potiſſimum, Paulle, mitterem, ut eos mihi quàm amiciſſimos redderes. nunc, cùm tua ſumma poteſtas, ſummaque auctoritas, notaque omnibus noſtra neceſſitudo ſit, vehementer te rogo, ut & quàm honorificentiſſimè cures decernendum de meis rebus geſtis, & quàm celerrimè. Dignas res eſſe honore, & gratulatione, cognoſces ex iis litteris, quas ad te, & collegam, & ſenatum publicè miſi: omniumque mearum reliquarum rerum, maximeque exiſtimationis meæ procurationem ſuſceptam velim habeas. In primiſque tibi curæ ſit, quod abs te ſuperioribus quoque litteris petivi, ne mihi tempus prorogetur. Cupio te conſulem videre, omniaque ſpero, cùm abſens, tum etiam præſens te conſule aſſequi. Vale.

14 M. T. C. IMP. C. CASSIO, PROQUÆST. S. P. D.

M. FABIUM quòd mihi amicum tua commendatione das, nullum in eo facio quæſtum. Multi enim anni ſunt, cum ille in ære meo eſt, & à me diligitur propter ſummam ſuam humanitatem, & obſervantiam. Sed tamen quòd ab eo egregiè diligi ſenſi, multo amicior ei ſum factus. Itaque quamquam profecerunt litteræ tuæ: tamen aliquantò plus commendationis apud me habuit animus ipſius erga te, mihi perſpectus, & cognitus. Sed de Fabio faciemus ſtudioſè, quæ rogas: tu multis de cauſis vellem me convenire potuiſſes: primùm, ut te, quem jamdiu plurimi facio, tanto intervallo viderem; deinde, ut tibi, quod feci per litteras, poſſem præſens gratulari: tum, ut quibus de rebus vellemus, tu tuis, ego meis, inter nos communicaremus: poſtremò, ut amicitia noſtra, quæ ſummis officiis ab utroque culta eſt, ſed longis intervallis temporum interruptam conſuetudinem habuit, confirmaretur vehementiùs. Id quum non accidit, utemur bono litterarum, & eadem ferè abſentes, quæ, ſi coràm eſſemus, conſequemur. [1] Unus fructus, qui in te videndo eſt, percipi litteris non poteſt. alter, gratulationis eſt, is quidem exilior, quàm ſi tibi teipſum intuens gratularer. Sed tamen & feci antè, & facio nunc, tibique cùm pro rerum magnitudine, quas geſſiſti, tum pro opportunitate temporis gratulor, quòd te de provincia decedentem ſumma laus, & ſumma gratia provinciæ proſecuta eſt. Tertium eſt, ut id, quod de noſtris rebus coràm communicaſſemus inter nos, conficiamus idem litteris. Ego ceterarum rerum cauſa tibi Romam properandum magnopere cenſeo. Nam & ea, quæ reliqui, tranquilla de te erant: & hac tua recenti victoria tanta, clarum adventum tuum fore intelligo. Sed ſiqua ſunt onera tuorum, ut ſi tanta ſunt, ea ſuſtinere poſſis. [2] propera: nihil tibi erit lautius, nihil glorioſius. ſin majora: conſidera, ne in alieniſſimum tempus cadat adventus tuus. Hujus rei totum conſilium tuum eſt. tu enim ſcis, quid ſuſtinere poſſis. Si potes: laudabile, atque populare eſt. ſin planè non potes: abſens hominum ſermones faciliùs ſuſtinebis. De me autem idem tecum his ago litteris, quod ſuperioribus egi, ut omneis tuos nervos in eo contendas, ne quid mihi ad hanc provinciam, quam & ſenatus, & populus annuam eſſe voluit, temporis prorogetur. Hoc à te ita contendo, ut in eo fortunas meas poſitas putem. Habes Paullum noſtrum noſtri cupidiſſimum. eſt Curio: eſt Furnius. Sic velim enitare, quaſi in eo ſint mihi omnia. Extremum illud eſt de iis, quæ propoſueram, confirmatio noſtræ amicitiæ: de qua pluribus verbis nihil opus eſt. Tu puer me appetiſti: ego autem ſemper ornamento te mihi fore duxi. Fuiſti etiam præſidio triſtiſſimis meis temporibus. acceſſit poſt tuum diſceſſum familiaritas mihi cum Bruto tuo maxima. Itaque in veſtro ingenio, & induſtria mihi plurimum & ſuavitatis, & dignitatis conſtitutum puto. Id tu, ut tuo ſtudio confirmes, te vehementer rogo: litteraſque ad me, & continuò mittas, & cùm Romam veneris, quam ſæpiſſimè.

M. T. C. CASSIO, S. P. D. 15

ETSI uterque noſtrûm ſpe pacis, & odio civilis ſanguinis [3] abeſſe à belli pertinacia voluit: tamen, quum ejus conſilii princeps ego fuiſſe videor, plus fortaſſe tibi præſtare ipſe debeo, quàm à te exſpectare. Etſi, ut ſæpe ſoleo mecum recordari, ſermo familiaris meus tecum, & item mecum tuus, adduxit utrumque noſtrûm ad id conſilium, ut uno prœlio putaremus, ſi non totam cauſam, at certè noſtrum judicium definiri convenire. Neque quiſquam hanc noſtram ſententiam verè umquam reprehendit, præter eos, qui arbitrantur melius eſſe, deleri omnino remp. quàm imminutam, & debilitatam manere. Ego autem ex interitu ejus nullam ſpem ſcilicet mihi proponebam: ex reliquiis magnam. Sed ea ſunt conſecuta, ut magis mirum ſit, accidere illa potuiſſe, quàm nos non vidiſſe ea

1. *Unus ſcilicet fructus, qui in te videndo eſt.*] Sic ſcripſi, quod alii libri ignorant τὸ *ille* (ſicut Pall. Hittorpianus, Peckio excerpta, editio priſca & Manutiana) alii τὸ *ſcilicet*, quæ revera duæ voculæ ab gloſſographo interjecta ſunt. Palatinus certe ſextus, *unus ſcilicet fructus*. quod nunquam alias facere ſoleat, ut inter ſcribendum voluerit conſulere captui ſuo. Nihil verius eſt hac noſtra emendatione.

2. *Propè nihil tibi erit lautius, nihil glorioſius.*] Recepi quidem hanc lectionem ob conſenſum tot librorum: habetur enim illa in Palat. primo, Vaticanis, Peckio excerptis, editionibus, primaria, Victoriana, ſed tamen ut magis probem Palatini ſexti ſcripturam: *propera; nihil tibi erit lautius:* ut emendavit recte Manutius, quod in uno Maffeorum inveniſſe teſtatur, & in altero uno *propere*. Vulgatum eſt: *ut ea ſuſtinere poſſis: nihil tibi erit lautius.*

3. *Abeſſe à belli pertinacia voluit.*] Vulgò *neceſſaria pertinacia*. ſed nos tum voculam non neceſſariam & hic ineptam, tum à Palatino ſexto, Hittorpiano, Medicæo, Victoriana editione excluſam protelare ipſi quoque voluimus.

1. Et

ea futura: nec, homines cùm eſſemus, divinare potuiſſe. Equidem fateor meam conjecturam hanc fuiſſe, ut illo quaſi quodam fatali prœlio facto, [1] & victores communi ſaluti conſuli vellent, & victi ſuæ: utrumque autem propoſitum eſſe arbitrari in celeritate victoris. Quæ ſi fuiſſet, eamdem clementiam experta eſſet Africa, quam cognovit Aſia: quam etiam Achaia, &, ut opinor, ipſo legato, ac deprecatore. Amiſſis autem temporibus, quæ plurimùm valent, præſertim in bellis civilibus, interpoſitus annus alios induxit, ut victoriam ſperarent, alios, ut ipſum vinci contemnerent. Atque horum malorum omnium culpam fortuna ſuſtinet. Quis enim aut Alexandrini belli tantam moram huic bello adjunctum iri, aut neſcio quem iſtum Pharnacem Aſiæ terrorem illaturum putaret? Nos tamen in conſilio pari, caſu diſſimili uſi ſumus. tu enim eam partem petiſti, ut & conſiliis intereſſes, & quod maximè curam levat, futura animo proſpicere poſſes. ego, qui feſtinavi, ut Cæſarem in Italia viderem, (ſic enim arbitrabamur) eumque multis honeſtiſſimis viris conſervatis redeuntem, ad pacem currentem, ut ajunt, incitarem: ab illo longiſſimè & abſum, & abfui. Verſor autem in gemitu Italiæ, & in urbis miſerrimis querelis: quibus aliquid opis fortaſſe ego pro mea, tu pro tua, pro ſua quiſque parte ferre potuiſſet, ſi auctor affuiſſet. Quare velim pro tua perpetua erga me benivolentia, ſcribas ad me, quid videas, quid ſentias, quid exſpectandum, quid agendum nobis exiſtimes. Magni erunt mihi tuæ litteræ: atque utinam primis illis, quas Luceria miſeras, paruiſſem. ſine ulla enim moleſtia dignitatem meam retinuiſſem. Vale.

16 M.T.C. C.CASSIO, S.P.D.

PUto te jam ſuppudere, [2] cum hæc tertia jam epiſtola antè operis ſit, quàm tu ſchedulam aut litteram. ſed non urgeo. longiores enim exſpectabo, vel potiùs exigam. Ego, ſi ſemper haberem, cui darem, vel ternas in hora darem. Fit enim neſcio quid, ut quaſi coràm adeſſe videare, cùm ſcribo aliquid ad te: neque id κατ' εἰδώλων φαντασίας, ut dicunt tui amici novi: qui putant etiam διανοητικὰς φαντασίας ſpectris Catianis excitari. Nam, ne te fugiat, Catius Inſuber, Epicureus, qui nuper eſt mortuus, quæ ille Gargettius, etiam antè Democritus, εἴδωλα, hic ſpectra nominat. His autem ſpectris etiam ſi oculi poſſent feriri, quòd vel iis ipſa occurrunt: animus quî poſſit, ego non video. Doceas tu me oportebit, cùm ſalvus veneris, in meane poteſtate ut ſit ſpectrum tuum, ut, ſimulac mihi collibitum ſit de te cogitare, illud occurrat: neque ſolùm de te, qui mihi hæres in medullis: ſed, ſi inſulam Britanniam cœpero cogitare, ejus εἴδωλον mihi advolabit ad pectus. Sed hæc poſteriùs. tento enim te, quo animo accipias. ſi enim ſtomachabere, & moleſtè feres, plura dicemus: poſtulabimuſque, ex qua hæreſi, VI, HOMINIBUS ARMATIS, dejectus ſis, in eam reſtituare. In hoc interdicto non ſolet addi, IN HOC ANNO. Quare ſi jam biennium, aut triennium eſt, cùm virtuti nuntium remiſiſti, delinitus illecebris voluptatis: in integro res nobis erit. quamquam quicum loquor? cum uno fortiſſimo viro: qui poſtea, quàm forum attigiſti, nihil feciſti, niſi pleniſſimum ampliſſimæ dignitatis. In iſta ipſa αἱρέσει metuo ne plus nervorum ſit, quàm ego putarim, ſi modò eam tu probas. Quid tibi in mentem venit? inquies: quia nihil habebam aliud, quod ſcriberem. De rep. enim nihil ſcribere poſſum, neque enim quod ſentio, libet ſcribere.

M.T.C. C.CASSIO, S.P.D. 17

PRÆPOSTEROS habes tabellarios: etſi me quidem non offendunt: ſed tamen cùm à me diſcedunt, flagitant litteras. cùm ad me veniunt, nullas afferunt. atque idipſum facerent commodiùs, ſi mihi aliquid ſpatii ad ſcribendum darent: ſed petaſati veniunt: comites ad portam exſpectare dicunt. Ergo ignoſces: alteras habebis, has breveis. ſed exſpecta πάντα περὶ πάντων. Etſi quid ego me tibi purgo, cùm tui ad me inanes veniant: ad te cum epiſtolis revertantur? [3] Nos hîc (tamen ad te ſcribam aliquid) D. Sullam patrem mortuum habebamus. alii à latronibus, alii cruditate dicebant. populus non curabat. combuſtum enim eſſe conſtabat. hoc tu pro ſapientia tua feres æquo animo. quamquam πρόσωπον πόλεως amiſimus. Cæſarem putabant moleſtè laturum, verentem, ne haſta refrixiſſet. Mindius Marcellus, & Attius pigmentarius valde gaudebant, ſe adverſarium perdidiſſe. De Hiſpania novi nihil: ſed exſpectatio valde magna, rumores triſtiores ſed ἀδέσποτοι. Panſa noſter paludatus ad III. Kalend. Jan. profectus eſt, ut quivis intelligere poſſet id, quod tu nuper dubitare cœpiſti, τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετὸν eſſe. Nam quòd multos miſeriis levavit, & quòd ſe in his malis hominem præbuit, mirabilis eum virorum bonorum benivolentia proſecuta eſt. Tu quòd adhuc Brundiſii moratus es, valde probo, & gaudeo: & mehercule puto te ſapienter facturum, ſi ἀκενόσπουδος fueris. Nobis quidem, qui te amamus, erit gratum. & amabo te, cum dabis poſthac aliquid domum litterarum, mei memineris. Ego numquam quemquam ad te, cùm ſciam, ſine meis litteris ire patiar.

M.T.C. C.CASSIO, S.P.D. 18

LONGIOR epiſtola fuiſſet, niſi eo ipſo tempore petita eſſet à me, cùm jam iretur ad te. longior etiam, ſi φλύαρον aliquem habuiſſet. nam σπουδάζειν, ſine periculo vix poſſumus. Ridere igitur, inquies, poſſumus. Non mehercule facillimè. verumtamen aliam aberrationem à moleſtiis nullam habemus. [4] Ubi igitur, inquies, philoſophia tua? Quidem in culina mea, moleſta eſt. pudet enim ſervire. Itaque facio me alias res agere, [5] ne convicium Platonis audiam. De Hiſpania nihil adhuc certi, nihil omnino novi. Te abeſſe, mea cauſa moleſtè fero, tua, gaudeo. Sed flagitat tabellarius. Valebis igitur, meque, ut à puero feciſti, amabis.

C. CAS-

1. *Et victores communi ſaluti conſuli vellent & victi ſuæ: utrumque autem propoſitum eſſe arbitrari in celeritate victoris.*] Ita hunc orationis tractum reformavi ex Palatino primo, duobus Gulielmianis, ac Mediceo; niſi quod ille, *conſule*, pro *conſuli*, antiqua ſcriptura. Paullò etiam antè *quaſe* ſicut & Hittorpianus ponit pro *quaſi*: ut *ſibe* pro *ſibi*. Vulgò editum eſt; *communi ſaluti conſulere vellent, & victi ſua: utrumque autem poſitum eſſe arbitrabar.*

2. *Cum hæc tertia jam epiſtola ante operis ſit.*] Quinque Palatini, Gruterianus, *ante operis ſit, quam tu ſcedam aut litteram.* ut mirer profectò tùm hic maxime Manutium obſcævantem tam candidis Victorii auſpiciis. Palatinus ſextus ſolus, *cum hæc tertia jam epiſtola ante oppreſſerit quam tu cedulam.* Retinui ergo lectionem à Victorio, homine antiquitatis & Ciceronis ſtudioſiſſimo, primo ex Mediceo productam, & à tot Palatinis libris ſtabilitam. ſed in eo ab illo diſſenſi, quod *ſchedulam* prætulerim, licet non damnem illius *ſcidam* & in Vaticani excerptis propoſitam: audaciam verò Lambini & fidem hîc meritò ſuſpectam habeo, reponentis Æacidinis ſuffertum fiduciis, *ſyllabam aut litteram.* Vulgò: *cùm hæc te tertia jam epiſtola ante oppreſſit quam tu ſchedulam, &c.*

3. *Nos hic D. Sullam patrem mortuum habebamus.*] Stephanus Pighius monuit in faſtis ſuis ad annum urbis conditæ DCCII. legendum heic & infra *D. Silanum.*

4. *Ubi igitur inquies, Philoſophia tua? Quidem in culina mea moleſta eſt.*] Sic habet Palatinus ſextus, ſic quoque Mediceus, niſi quod ſuo more *moleſta eſt*. Notatque Egnatius illam lectionem emendatorum ingenio exiviſſe: *In culina quidem mea, ſed moleſta eſt.* Manutius putabat legendum olim, teſte Lambino, *ubi igitur Philoſophia? tua quidem, in culina: mea, in palæſtra eſt.* quam tamen jacturam ipſe probare non potuit, ſed hanc cujuſdam amici ſui: *ubi igitur Philoſophia? tua quidem, in culina. mea in moleſtia eſt.* Gulielmius pro *in moleſtia eſt*, putabat, *in moleſtra eſt.* Videndus Feſtus. Palatinus primus: *ubi igitur, inquies Philoſophia tua? quidem in culina mea moleſta eſt*: quæ ſcriptura vitioſe nata eſt ab Mediceo. Editio prima exhibebat: *ubi igitur, inquies, Philoſophia tua, & quidem in quiina mea moleſta eſt.* Nos ſtetimus ab optimo Pal. & Vict.

5. *Ne convicium Platonis audiam.*] Monuit Claudius Puteanus, V. CL. Comicum intelligi, cujus hi ſunt verſus in Phaone: ὑμῖν γὰρ οὐδὲν καθάπερ ἡ παροιμία, ἐν τῷ κατόπιν ὤ νοῦς ἐνεῖναι μοι δοκεῖ.

19 C. CASSIUS M. T. C. S. P. D.

SV. B. Non mehercule in hac mea peregrinatione quidquam libentiùs facio, quàm ſcribo ad te. videor enim cum præſente loqui, & jocari. Nec tamen hoc uſu venit propter ſpectra Catiana: pro quo tibi proxima epiſtola tot ruſticos Stoicos regeram, ut Catium Athenis natum eſſe dicas. Panſam noſtrum [1] ſecunda voluntate hominum paludatum ex urbe exiſſe, cùm ipſius cauſa gaudeo, tum mehercule etiam omnium noſtrûm. Spero enim, homines intellecturos, quanto ſit omnibus odio crudelitas, & quanto amori probitas, & clementia: atque ea, quæ maximè mali petant, & concupiſcant, ad bonos pervenire. Difficile eſt enim perſuadere hominibus, τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετὸν eſſe: ἡδονὴν vero, & ἀταραξίαν virtute, juſtitia, τῷ καλῷ parari, & verum, & probabile eſt. Ipſe enim Epicurus, à quo omnes Catii, & Amafinii, mali verborum interpretes, proficiſcuntur, dicit: οὐκ ἔστιν ἡδέως, ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως, ζῆν. Itaque & Panſa, qui ἡδονὴν ſequitur, virtutem retinet: & ii: qui à nobis φιλήδονοι vocantur, ſunt φιλόκαλοι, καὶ φιλοδίκαιοι, omneiſque virtutes & colunt, & retinent. Itaque Sulla, cujus judicium probare debemus, cùm diſſentire philoſophos videret, non quæſiit, quid bonum eſſet, omnia bona coemit: cujus ego mortem forti mehercules animo tuli. Nec tamen Cæſar diutius nos eum deſiderare patietur. nam habet damnatos, quos pro illo nobis reſtituat: nec ipſe ſectorem deſiderabit, cùm filium viderit. Nunc, ut ad remp. redeam, quid in Hiſpaniis geratur, reſcribe. Peream, niſi ſollicitus ſum, ac malo veterem, & clementem dominum habere, quàm novum & crudelem experiri. Scis, Cnæus quàm ſit fatuus: ſcis, quomodo crudelitatem, virtutem putet: ſcis, quàm ſe ſemper à nobis deriſum putet. Vereor, ne nos ruſticè gladio velit ἀντιμυκτηρίσαι. Quid fiat, ſi me diligis, reſcribe. Hui, quàm velim ſcire, utrum iſta ſollicito animo, an ſoluto legas. ſciam enim eodem tempore, quid me facere oporteat. Ne longior ſim, vale: & me, ut facis, ama. Si Cæſar vicit, celeriter me exſpecta.

20 M. T. C. TREBONIO, P. S. D.

ORATOREM meum, (ſic enim inſcripſi) Sabino tuo commendavi. Natio me hominis impulit, ut ei rectè putarem: niſi fortè candidatorum licentia hic quoque uſus, hoc ſubitò cognomen arripuit. etſi modeſtus ejus vultus, ſermoque conſtans, habere quiddam à Curibus videbatur. Sed de Sabino ſatis. Tu, mi Treboni, quum ad amorem meum aliquantum olim diſcedens addidiſti: quo tolerabiliùs feramus igniculum deſiderii tui, crebris nos litteris appellato: atque ita, ſi idem fiet à nobis: quamquam duæ cauſæ ſunt, cur tu frequentior in iſto officio eſſe debeas, quàm nos: primùm, quòd olim ſolebant, qui Romæ erant, ad provincialeis amicos de repub. ſcribere: nunc tu nobis ſcribas oportet. Res enim publica iſtic eſt: deinde, quod nos aliis officiis tibi abſenti ſatisfacere poſſumus: tu nobis, niſi litteris, non video, qua re alia ſatisfacere poſſis. Sed cetera ſcribes ad nos poſtea. Nunc hæc primò cupio cognoſcere: iter tuum cujuſmodi ſit: ubi Brutum noſtrum videris: quamdiu ſimul fueris: deinde, cùm proceſſeris longiùs, de bellicis rebus, de toto negotio, ut exiſtimare poſſimus quo ſtatu ſimus. Ego tantum me ſcire putabo, quantum ex tuis litteris habebo cognitum. Cura ut valeas, meque ames amore illo tuo ſingulari.

M. T. C. TREBONIO, S. P. D. 21

ET epiſtolam tuam legi libenter, & librum libentiſſimè: ſed tamen in ea voluptate hunc accepi dolorem, quòd, cùm incendiſſes cupiditatem meam conſuetudinis augendæ noſtræ, (nam ad amorem quidem nihil poterat accedere) tum diſcedis à nobis, meque tanto deſiderio afficis, ut unam mihi conſolationem relinquas, fore, ut utriuſque noſtrûm abſentis deſiderium crebris, & longis epiſtolis leniatur. Quod ego non modò de me tibi ſpondere poſſum, ſed de te etiam mihi. Nullam, enim apud me reliquiſti dubitationem, quantum me amares. Nam, ut illa omittam quæ civitate teſte feciſti, cùm mecum inimicitias communicaſti, cùm me concionibus tuis defendiſti, cùm quæſtor in mea, atque in publica cauſa conſulum parteis ſuſcepiſti, cum tribuno pleb. quæſtor non paruiſti, cui tuus præſertim collega pareret: ut hæc recentia, quæ meminero ſemper, obliviſcar: quæ tua ſollicitudo de me in armis, quæ lætitia in reditu, quæ cura, qui dolor, cùm ad te curæ, & dolores mei perferrentur? Brundiſium denique te ad me venturum fuiſſe, niſi ſubitò in Hiſpaniam miſſus eſſes? Ut hæc igitur omittam, quæ mihi tanti æſtimanda ſunt, quanti vitam æſtimo, & ſalutem meam: liber iſte, quem mihi miſiſti, quantam habet declarationem amoris tui? primùm, quòd tibi facetum videtur, quicquid ego dixi: quod aliis fortaſſe non item: deinde, quòd illa ſive faceta ſunt, ſive ſic fiunt, narrante te, venuſtiſſima. quin etiam antè quàm ad me veniatur, riſus omnis pænè conſumitur. Quòd ſi in his ſcribendis nihil aliud, niſi, quod neceſſe fuit, de uno me tamdiu cogitaviſſes: ferreus eſſem, ſi te non amarem. Cùm verò ea, quæ ſcriptura perſecutus es, ſine ſummo amore cogitare non potueris: non poſſum exiſtimare, plus quemquam à ſeipſo, quàm me à te amari. Cui quidem ego amori, utinam ceteris rebus poſſem, amore certè reſpondebo: quo tamen ipſo tibi confido futurum ſatis. Nunc ad epiſtolam venio, cui copioſè, & ſuaviter ſcriptæ, nihil eſt quòd multa reſpondeam. Primùm enim ego illas Calvo litteras miſi, non plus, quàm has, quas nunc legis, exiſtimans exituras. aliter enim ſcribimus, quod eos ſolos, quibus mittimus: aliter, quod multos lecturos putamus. Deinde ingenium ejus melioribus extuli laudibus, quàm tu id verè potuiſſe fieri putas. Primum, quod ita judicabam, acutè movebatur. genus quoddam ſequebatur: in quo judicio lapſus, quo valebat, tamen aſſequebatur, quod probaret. Multæ erant, & reconditæ litteræ: vis non erat. Ad eam igitur adhortabar. In excitando autem, & in acuendo plurimùm valet, ſi laudes eum, quem cohortere. Habes de Calvo judicium, & conſilium meum: conſilium, quòd hortandi cauſa laudavi: judicium, quòd de ingenio ejus valde exiſtimavi bene. Reliquum eſt, tuam profectionem amore proſequar: reditum ſpe exſpectem: abſentem memoria colam: omne deſiderium litteris mittendis, accipiendiſque leniam. Tu velim tua in me ſtudia, & officia multùm tecum recordere: quæ cùm tibi liceat, mihi nefas ſit obliviſci, non modò virum bonum me exiſtimabis, verùm etiam te à me amari plurimùm judicabis. Vale.

M. TUL-

1. *Secundà voluntate hominum paludatum ex urbe exiſſe.*] Palatinus primus Stewech. Peckio excerpta, editio princeps, *exſurrexiſſe.*

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM AD FAMILIAREIS, LIBER DECIMUS SEXTUS, AD TIRONEM.

1 [1] M. T. C. ET CICERO MEUS, ET FR. ET FRATRIS FIL. TIRONI S. P. D.

PAULLO faciliùs putavi poſſe me ferre deſiderium tui: ſed planè non fero: & quamquam magni ad honorem noſtrum intereſt, quàm primùm ad urbem me venire, tamen peccaſſe mihi videor, qui à te diſceſſerim. Sed quia tua voluntas ea videbatur eſſe, ut prorſus, niſi confirmato corpore, nolles navigare, [2] approbavi tuum conſilium, neque nunc muto, ſi tu in eadem es ſententia. Sin autem poſtea, quàm cibum cepiſti, videris tibi poſſe me conſequi, tuum conſilium eſt. Marionem ad te eò miſi, ut aut tecum ad me quàm primùm veniret: aut, ſi tu morarere, ſtatim ad me rediret. Tu autem hoc tibi perſuade, ſi commodo valitudinis tuæ fieri poſſit, nihil me malle, quam te eſſe mecum. ſi autem intelliges opus eſſe, te Patris, convaleſcendi cauſa, paullùm commorari, nihil me malle, quàm te valere. Si ſtatim naviges, nos Leucade conſequêre. ſin te confirmare vis: & comites, & tempeſtates, & navem idoneam ut habeas, diligenter videbis. Unum illud, mi Tiro, videto, ſi me amas, ne te Marionis adventus, & hæ litteræ moveant. Quod valitudini tuæ maximè conducet, ſi feceris: maximè obtemperaris voluntati meæ. Hæc pro tuo ingenio conſidera. Nos ita te deſideramus, ut amemus. amor, ut valentem videamus, hortatur: deſiderium, ut quàm primùm. Illud igitur potiùs. Cura ergo potiſſimùm, ut valeas: de tuis innumerabilibus in me officiis erit hoc gratiſſimum. III. Nonas Novembreis.

2 TULLIUS TIRONI SUO S. P. D.

NON queo ad te, nec lubet ſcribere, quo animo ſim affectus: tantùm ſcribo, & tibi, & mihi maximæ voluptati fore, ſi te firmum quàm primùm videro. Tertio die abs te ad Alyziam acceſſeramus. Is locus eſt citra Leucadem ſtadia CXX. Leucade aut te ipſum, aut tuas litteras à Marione putabam me accepturum. Quantùm me diligis, tantùm fac ut valeas, vel quantùm te à me ſcis diligi. Nonis Novembr. Alyzia.

3 TULLIUS ET CICERO, TIRONI SUO, S. D. ET Q. PATER, ET Q. FILIUS.

NOS apud Alyziam, ex quo loco tibi litteras antè dederamus, unum diem commorati ſumus, quòd Quintus nos conſecutus non erat. Is dies fuit nonæ Novembr. Inde ante lucem proficiſcentes, ante diem VIII. idus Novemb. has litterea dedimus. Tu, ſi nos omneis amas, & præcipuè me, magiſtrum tuum, confirma te. Ego valde ſuſpenſo animo exſpecto, primùm te ſcilicet, deinde Marionem cum tuis litteris. Omnes cupimus, ego in primis, quàm primùm te videre: ſed, mi Tiro, valentem. Quare nihil properaris, ſatis quotidie videro, ſi valebis. Utilitatibus tuis poſſum carere: te valere, tua cauſa primùm volo, tum mea, mi Tiro. Vale.

M. T. C. ET Q. FR. ET Q. FIL. TIRONI, S. 4

VARIE ſum affectus tuis litteris: valde priore pagina perturbatus, paullùm altera recreatus. Quare nunc quidem non dubito, quin, quoad planè valeas, te neque navigationi, neque viæ committas. ſatis te maturè videro, ſi planè confirmatum videro. De medico & tu bene exiſtimari ſcribis, & ego ſic audio. ſed planè curationes ejus non probo. Jus enim dandum tibi non fuit, cum κακοστόμαχος eſſes: ſed tamen & ad illum ſcripſi accuratè, & ad Lyſonem. Ad Curium verò, ſuaviſſimum hominem, & ſummi officii, ſummæque humanitatis, multa ſcripſi: in his etiam, ut, ſi tibi videretur, te ad ſe transferret. Lyſo enim noſter vereor, ne negligentior ſit: primùm, quia omnes Græci: deinde, quòd, cum à me litteras accepiſſet, mihi nullas remiſit. ſed eum tu laudas. Tu igitur, quid faciendum ſit, judicabis. Illud, mi Tiro, te rogo, ſumtui ne parcas ulla in re, quod ad valitudinem opus ſit. Scripſi ad Curium, quod dixiſſes, daret medico. ipſi puto aliquid dandum eſſe, quò ſit ſtudioſior. Innumerabilia tua ſunt in me officia, domeſtica, forenſia, urbana, provincialia: in re privata, in publica, in ſtudiis, in litteris noſtris. Omnia viceris, ſi, ut ſpero, te validum videro. Ego puto te belliſſimè, ſi rectè erit, cùm quæſtore Meſcinio decurſurum. non inhumanus eſt. teque, ut mihi viſus eſt, diligit, & cùm valitudini tuæ diligentiſſimè conſulueris, tum, mi Tiro, conſulito navigationi. Nulla in re jam te feſtinare volo. nihil laboro, niſi ut ſalvus ſis. Sic habeto, mi Tiro, neminem eſſe, qui me amet, quin idem te amet: & cum tua, & mea maximè intereſt te valere, tum multis eſt curæ. Adhuc, dum mihi nullo loco deeſſe vis, numquam te confirmare potuiſti. nunc te nihil impedit: omnia depone, corpori ſervi; quantam diligentiam in valitudinem tuam contuleris, tanti me fieri judicabo. Vale, mi Tyro, vale, vale, & ſalve. Lepta tibi ſalutem dicit, & omnes. Vale. VII. Idus Novembr. Leucade.

TULLIUS, ET CICERO, ET Q. Q. TIRONI HUMANISS. ET OPT. S. P. D. 5

VIDE, quanta ſit in te ſuavitas. [3] duas horas Thyrei fuimus. Xenomenes hoſpes tam te diligit, quam ſi vixerit tecum. Is omnia pollicitus eſt, quæ tibi eſſent opus: facturum puto. Mihi placebat, ſi firmior eſſes, [4] ut te Leucadem deportaret, ut ibi te planè confirmares. Videbis, quid Curio, quid Lyſoni, quid medico placeat. Volebam ad

---

1. ORdo Epiſtolarum in hoc extremo libro valde perturbatus eſt. nos eum, quem Lambinus conſtruxit, ſecuti ſumus, non multum intereſſe exiſtimantes, quo loco hæc vel illa legatur. Vitiis bellum indiximus, ut ſuum nitorem Tullio reciperemus: velitari verò, quid priore, quid poſteriore acie, collocandum ſit, cum tot editionibus animum nunquam induximus.

2. *Adprobavi tuum conſilium; neque nunc muto.*] Nihil mutandum cenſeo: Peckio excerpta, *neque nunc nuto*, ſicut & prima editio. Palatinus tertius legit *mitto*.

3. *Duas horas Thyrei fuimus.*] Monet vir eruditus, (indicarunt alii, quorum verba ferè pono) videamus an rectius *Thyreis*, legatur: cujus, ut Epiri inſulæ, mentionem facit Strabo. Paullò poſt legunt Palatinus ſextus, Hittorpianus, *quaſi vixerit tecum*: ſed vulgatum defendit Catullus, *utor tàm bene, quàm mihi pararim*. imò potius illam quam ex v. c. oræ vulgatarum editionum impreſſerunt, *quàm vixerit tecum*: mihi illa genuinam ac veterem elegantiam redolere videtur.

4. *Ut te Leucadem deportaret.*] Sic rectius ex Pall. Vaticani excerptis, editione prima, ac Victoriana. Hittorpiana tamen, *adportaret*. vulgo: *deportares*.

1. Noſc

ad te Marionem remittere: quem, cùm meliuſculè tibi eſſet, ad me mitteres: ſed cogitavi, unas litteras Marionem afferre poſſe, me autem crebras exſpectare. Poteris igitur, & facies, ſi me diligis, ut quotidie ſit Acaſtus in portu. Multi erunt, quibus rectè litteras dare poſſis, qui ad me libenter perferant. Equidem Patras euntem neminem prætermittam. Ego omnem ſpem tui diligenter curandi in Curio habeo. Nihil poteſt illo fieri humanius, nihil noſtri amantius. Ei te totum trade. malo te paullo pòſt valentem, quàm ſtatim imbecillum videre. Cura igitur nihil aliud, niſi ut tu valeas: cetera ego curabo. Etiam atque etiam vale. Leucade proficiſcens, VII. idus Novembr.

6 M. TULLIUS CIC. PATER ET FIL. ET Q. Q. TRIRONI, S. D.

TERTIAM ad te hanc epiſtolam ſcripſi eodem die, magis inſtituti mei tenendi cauſa, quia nactus eram cui darem, quàm, quò haberem, quid ſcriberem. Igitur illa: quantum me diligis, tantum adhibe in te diligentiæ. Ad tua innumerabilia in me officia adde hoc, quod mihi erit gratiſſimum omnium, cùm valitudinis rationem, ut ſpero, habueris, habeto etiam navigationis. In Italiam euntibus omnibus ad me litteras dabis, ut ego euntem Patras neminem prætermitto. Cura, cura te, mi Tiro, quum non contigit, ut ſimul navigares. nihil eſt, quod feſtines: nec quidquam cures, niſi ut valeas. Etiam atque etiam vale. VII. idus Novembr. Actio, veſperi.

7 M. T. C. TIRONI, S. P. D.

SEPTIMUM jam diem Corcyræ tenebamur. Quintus autem pater, & filius Buthroti. Solliciti eramus de tua valitudine mirum in modum: nec mirabamur nihil à te litterarum. Iis enim ventis iſtinc navigatur, qui ſi eſſent, nos Corcyræ non ſederemus. Cura igitur te, & confirma: &, cùm commodè, & per valitudinem, & per anni tempus navigare poteris, ad nos, amantiſſimos tui, veni. Nemo nos amat, qui te non diligat. carus omnibus, exſpectatuſque venies. Cura, ut valeas etiam atque etiam, Tiro noſter. Vale. XV. Kalend. Novembr. Corcyrâ.

8 Q. C. TIRONI, S.

MAGNÆ nobis eſt ſollicitudini valitudo tua. nam, tametſi qui veniunt, ἀκινδύνως μὲν, χρονιώτερα δὲ nuntiant, tamen in magna conſolatione ingens ineſt ſollicitudo, ſi diutius à nobis futurus eſt is, cujus uſum & ſuavitatem deſiderando ſentimus. Attamen quamquam videre te tota cogitatione cupio, tamen te penitus rogo, ne te tam longæ navigationi, & vitæ per hiemem, niſi bene firmum committas: neve naviges, niſi exploratè. Vix in ipſis tectis, & oppidis frigus infirma valitudine vitatur: nedum in mari, & via ſit facilè abeſſe ab injuria temporis. ψῦχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον inquit Euripides. Cui tu quantum credas, neſcio. ego certè ſingulos ejus verſus, ſingula ejus teſtimonia puto. Effice, ſi me diligis, ut valeas, & ut ad nos firmus, ac valens quam primùm venias. Ama nos, & vale. Qu. F. tibi ſalutem dicit.

9 M. T. ET C. ET Q. TIRONI, S. P. D.

NOs à te, ut ſcis, diſceſſimus ad IV. non. Novemb. Leucadem venimus ad VIII. idus Novembr. ad VII. Actium. ibi propter tempeſtatem ad VI. idus morati ſumus. Inde ad quintum idus Corcyram belliſſimè navigavimus. Corcyræ fuimus uſque ad XVI. Kalend. Decemb. tempeſtatibus retenti. ad XV. Kalend. Decembr. à portu Corcyræorum, ad Caſſiopen ſtadia CXX. proceſſimus. Ibi retenti ventis ſumus uſque ad IX. Kalendas. Intereà, qui cupidè profecti ſunt, multi naufragia fecerunt. Nos eo die cœnati ſolvimus. Inde Auſtro leniſſimo, cælo ſereno, nocte illa, & die poſtero in Italiam ad Hydrutem ludibundi pervenimus: eodemque vento poſtridie (id erat ad VII. Kalend. Decembr.) hora quarta Brundiſium venimus: eodemque tempore ſimul nobiſcum oppidum introiit Terentia: quæ te facit plurimi. Ad V. Kal. Decemb. ſervus Cn. Plancii Brundiſii tandem aliquando mihi à te exſpectatiſſimas litteras reddidit, datas idib. Novembr. quæ me moleſtia valde levarunt: utinam omnino liberaſſent. Sed tamen Aſclapo medicus planè confirmat propediem te valentem fore. [1] Nunc quid ego te horter? ut omnem diligentiam adhibeas ad convaleſcendum. Tuam prudentiam, temperantiam, amorem erga me novi. ſcio te omnia facturum, ut nobiſcum quàm primùm ſis. Sed tamen ità velim, ut ne quid properes. Symphoniam Lyſonis velim vitaſſes: ne in quartam hebdomada incideres. Sed, quum pudori tuo maluiſti obſequi, quàm valitudini, reliqua cura. Curio miſi, ut medico honos haberetur: & tibi daret, quod opus eſſet: me, cui juſſiſſet, curaturum. Equum & mulum Brundiſii tibi reliqui. Romæ vereor, ne ex Kal. Jan. magni tumultus ſint. Nos agemus omnia modicè. Reliquum eſt, ut te hoc rogem, & à te petam, ne temerè naviges. Solent nautæ feſtinare quæſtus ſui cauſa. Cautus ſis, mi Tiro. Mare magnum & difficile tibi reſtat. Si poteris: cum Meſſinio. cautè is ſolet navigare. ſi minùs, cum honeſto aliquo homine, cujus auctoritate navicularius moveatur. In hoc omnem diligentiam ſi adhibueris, teque nobis incolumem præſtiteris, omnia à te habebo. Etiam atque etiam, noſter Tiro, vale. Medico Curio Lyſoni de te ſcripſi diligentiſſimè. Vale, ſalve.

M. T. C. TIRONI, S. P. D. 10

EGo verò cupio te ad me venire: ſed viam timeo. graviſſimè ægrotaſti: inedia, & purgationibus, & vi ipſius morbi conſumtus es. Graves ſolent offenſiones eſſe ex gravibus morbis, ſi quæ culpa commiſſa eſt. Jam ad id biduum, quod fueris in via, dum in Cumanum venis, accedent continuò ad reditum dies quinque. Ego in Formiano ad III. Kalend. eſſe volo. Ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice. Litterulæ meæ, ſive noſtræ, tui deſiderio oblanguerunt. Hac tamen epiſtola, quam Acaſtus attulit, oculos paullum ſuſtulerunt. Pompejus erat apud me, cùm hæc ſcribebam. Hilarè, & libenter ei cupienti audire noſtra, dixi, ſine te omnia mea muta eſſe. Tu Muſis noſtris para ut operas reddas. noſtra ad diem dictam fient. Docui enim te, fides ἔτυμον quod haberet. Fac planè ut valeas. nos adſumus. Vale. XIIII. Kal.

M. T. C. TERENTIA, ET TULLIA, QU. FRATER, ET QU. F. TIRONI, S. P. D. 11

ETſi opportunitatem operæ tuæ omnibus locis deſidero: tamen non mea, quàm tua cauſa doleo, te non valere. Sed quum in quartanam converſa vis eſt morbi (ſic enim ſcribit Curius) ſpero, te, diligentia adhibita, etiam firmiorem fore. Modò fac, id quod humanitatis tuæ eſt, ne quid aliud cures hoc tempore, niſi ut quam commodiſſimè convaleſcas. Non ignoro, quantùm ex deſiderio labores, ſed erunt omnia facilia, ſi valebis. feſtinare te nolo, ne nauſeæ moleſtiam ſuſcipias æger, & periculosè hieme naviges. Ego ad urbem acceſſi pridie nonas Januar. obviam mihi ſic eſt proditum, [2] ut nihil poſſit fieri ornatius. Sed incidi in ipſam flammam civilis diſcordiæ, vel potiùs belli: cui cùm cuperem mederi, &, ut arbitror, poſſem: cupiditates certorum hominum (nam ex utraque parte ſunt, qui pugnare cupiant) impedimento mihi fuerunt omnino. & ipſe Cæſar, amicus noſter, minaceis ad ſenatum, & acerbas

1. *Nunc quid ego te horter?*] Elegantiſſimè & rectiſſime ſic reſtituo ex Vaticani excerptis ac Victorii editione, ſimulque interpungo. Nec multum me deſtituunt Palatini, duabus litteris peccantes; *Nunc quidem ego te horter.* Vulgò; *nunc equidem ego te hortor.*

2. *Ut nihil poſſet fieri ornatius.*] Hæc eſt Pall. Vaticani editionis Victorianæ ipſiſſima atque optima lectio. nec longe abit impreſſio prima; *ut nihil fieri potuerit ornatius.* at Hittorpianus, *ut nihil fieri poſſit ordinatius.* vulgatum eſt: *ut nihil f. potuerit honoratius.* Paullò poſt ex Pall. Hittorpiano, Peckio excerptis, editione prima ac Victoriana ſcripſi, *omninò ex hac quoque parte diligentiſſimè comparatur:* cum alias editum fuerit, *ducem omnino. Ex hac quoque parte diligentiſſimè bellum comparatur.*

1. Sed

has litteras miſerat. & erat adhuc impudens, qui exercitum, & provinciam, invito ſenatu, teneret: & Curio meus illum incitabat. Antonius quidem noſter, & Q. Caſſius, nulla vi expulſi, ad Cæſarem cum Curione profecti erant. Poſteà quàm ſenatus conſulibus, prætoribus, tribunis pleb. & nobis, qui proconſules ſumus, negotium dederat, ut curaremus, ne quid reſp. detrimenti caperet: numquam majore in periculo civitas fuit: numquam improbi cives habuerunt paratiorem ducem, omnino ex hac quoque parte diligentiſſimè comparatur. Id fit auctoritate, & ſtudio Pompeji noſtri, qui Cæſarem ſerò cœpit timere. Nobis inter has turbas, ſenatus tamen frequens flagitavit triumphum: ſed Lentulus conſul, quo majus ſuum beneficium faceret, ſimul atque expediſſet, quæ eſſent neceſſaria de rep. dixit ſe relaturum. Nos agimus nihil cupidè, eoque eſt noſtra pluris auctoritas. Italiæ regiones deſcriptæ ſunt, quam quiſque partem tueretur. Nos Capuam ſumſimus. Hæc te ſcire volui. Tu etiam atque etiam cura, ut valeas, litteraſque ad me mittas, quotieſcumque habebis, cui des. Etiam atque etiam vale. D. pridie idus Jan.

12 M. T. C. TIRONI SUO S. P. D.

QUo in diſcrimine verſetur ſalus mea, & bonorum omnium, atque univerſæ reipub. ex eo ſcire potes, quòd domos noſtras, & patriam ipſam, vel diripiendam, vel inflammandam reliquimus. In eum locum res deducta eſt, ut, niſi qui deus, vel caſus aliquis ſubvenerit, ſalvi eſſe nequeamus. Equidem ut veni ad urbem, non deſtiti omnia & ſentire, dicere, & facere, quæ ad concordiam pertinerent: [1] ſed mirus invaſerat furor non ſolùm improbis, ſed etiam his, qui boni habentur, ut pugnare cuperent, me clamante, nihil eſſe bello civili miſerius. Itaque cùm Cæſar amentia quadam raperetur, & oblitus nominis, atque honorum ſuorum, Ariminum, Piſaurum, Anconam, Arretium occupaviſſet, Urbem reliquimus: quàm ſapienter, atque quàm fortiter, nihil attinet diſputare. Quo quidem in caſu ſimus, vides. Feruntur omnino conditiones ab illo, ut Pompejus eat in Hiſpaniam: dilectus, qui ſunt habiti, & præſidia noſtra dimittantur: ſe ulteriorem Galliam Domitio, citeriorem Conſidio Noniano (his enim obtigerunt) traditurum: ad conſulatus petitionem ſe venturum: neque ſe jam velle, abſente ſe, rationem haberi ſui. ſe præſentem trinum nundinum petiturum. Accepimus conditiones: ſed ita, ut removeat præſidia ex his locis, quæ occupavit, ut ſine metu de iis ipſis conditionibus Romæ ſenatus haberi poſſit. Id ille ſi fecerit, ſpes eſt pacis non honeſtæ. leges enim imponuntur. ſed quidvis eſt melius, quàm ſic eſſe, ut ſumus. Sin autem ille ſuis conditionibus ſtare noluerit: bellum paratum eſt: ejuſmodi tamen, quod ſuſtinere ille non poſſit, præſertim cùm à ſuis conditionibus ipſe fugerit, tantummodò ut eum intercludamus, ne ad urbem poſſit accedere: quod ſperabamus fieri poſſe. Dilectus enim magnos habebamus: putabamuſque illum metuere, ſi ad urbem ire cœpiſſet, ne Gallias amitteret: quas ambas habet inimiciſſimas, præter Tranſpadanos: ex Hiſpaniaque ſex legiones, & magna auxilia, Afranio, & Petrejo ducibus, habet à tergo. Videtur, ſi inſaniet, poſſe opprimi, modò ut urbe ſalva. Maximam autem plagam accepit, quòd is, qui ſummam auctoritatem in illius exercitu habebat, T. Labienus, ſocius ſceleris eſſe noluit: reliquit illum: & nobiſcum eſt: multique idem facturi eſſe dicuntur. Ego adhuc oræ maritimæ præſum à Formiis. Nullum majus negotium ſuſcipere volui, quo plus apud illum meæ litteræ, cohortationeſque ad pacem valerent. Sin autem erit bellum, video me caſtris, & certis legionibus præfuturum. Habeo etiam illam moleſtiam, quòd Dolabella noſter apud Cæſarem eſt. Hæc tibi nota eſſe volui: quæ cave ne te perturbent, & impediant valitudinem tuam. Ego A. Varroni, quem cùm amantiſſimum mei cognovi, tum etiam valde tui ſtudioſum, diligentiſſimè te commendavi, ut & valitudinis tuæ rationem haberet, & navigationis, & totum te ſuſciperet, ac tueretur: quem omnia facturum confido. recepit enim & mecum locutus eſt ſuaviſſime. Tu, quum eo tempore mecum eſſe non potuiſti, quo ego maximè operam, & fidelitatem deſideravi tuam, cave feſtines, aut committas, ut aut æger, aut hieme naviges. Numquam ſerò te veniſſe putabo, ſi ſalvus veneris. Adhuc neminem videram, qui te poſteà vidiſſet, quàm M. Voluſius, à quo tuas litteras accepi: quod non mirabar. neque enim meas puto ad te litteras tanta hieme perferri. Sed da operam, ut valeas: &, ſi valebis, cùm rectè navigari poterit, tum naviges. Cicero meus in Formiano erat: Terentia, & Tullia Romæ. Cura, ut valeas. IV. Kalendas. Febr. Capua.

M. T. C. TIRONI, S. P. D. 13

OMNIA à te data mihi putabo, ſi te valentem videro. ſumma cura exſpectabam adventum Menandri, quem ad te miſeram. Cura, ſi me diligis, ut valeas: &, cùm te bene confirmaris, ad nos venias. Vale IV. idus April.

M. T. C. TIRONI, S. P. D. 14

ANDRICUS poſtridie ad me venit, quàm exſpectaram. Itaque [2] habui noctem plenam timoris, ac miſeriæ. Tuis litteris nihilo ſum factus certior, quomodò te haberes: ſed tamen ſum recreatus. Ego omni delectatione, litteriſque omnibus careo: quas antè, quàm te videro, attingere non poſſum. Medico mercedis, quantum poſcet, promitti jubeto. id ſcripſi ad Ummium. Audio te animo angi & medicum dicere, ex eo te laborare. Si me diligis, excita ex ſomno tuas litteras, humanitatemque, propter quam mihi es cariſſimus. nunc opus eſt te animo valere, ut corpore poſſis. Id cum tua, tum mea cauſa facias, à te peto. Acaſtum retine, quo commodius tibi miniſtretur. Conſerva te mihi, dies promiſſorum adeſt. [3] quem etiam repræſentabo, ſi adveneris. Etiam atque etiam vale. IV. idus hora VI.

M. T. C. TIRONI, S. P. D. 15

ÆGYPTA ad me venit pridiè idus Aprileis. Is etſi mihi nuntiavit, te planè febri carere, & bellè habere: tamen, quòd negavit te potuiſſe ad me ſcribere, curam mihi attulit, & eo magis, quod Hermia, quem eodem die venire oportuerat, non venerat. Incredibili ſum ſollicitudine de tua valitudine: qua ſi me liberaris, ego te omni cura liberabo. Plura ſcriberem, ſi jam putarem, libenter te legere poſſe. Ingenium tuum, quod ego maximi facio, confer ad te mihi, tibique conſervandum. Cura te etiam atque etiam diligenter. Vale. Scripta jam epiſtola, Hermia venit. Accepi tuam epiſtolam, vacillantibus litterulis: nec mirum, tam gravi morbo. Ego ad te Ægyptam miſi, quod nec inhumanus eſt, & te viſus eſt mihi diligere, ut is tecum eſſet: & cum eo cocum, quo utere. Vale.

Q. C. M. CICERONI FRATRI, S. P. D. 16

DE Tirone, mi Marce, ita te, meumque Ciceronem, & meam Tulliolam, tuumque filium videam, ut mihi gratiſſimum feciſti, cùm eum indignum illa fortuna, ac

1. *Sed mirus invaſerat furor non ſolùm improbis, ſed etiam his.*] Hæc quoque eſt Palatt. codicum lectio, quam Victorius indicavit; tum etiam editiones primæ: ut flagellanda meritò veniat aliorum temeritas, intrudentium caſum accuſandi pro tertio. nam excudebatur, *ſed mirus invaſerat furor non ſolum, ſed etiam hos*. Timiditas tamen hic Victorii mihi non placet, rectius Lambinus, qui fidenter eam admiſit, ſicut & Manutius.

2. *Habui noctem plenam timoris ac miſeriæ.*] Secutus hic ſum Codicem Hittorpianum, qui fere obnoxium habet Palatinum ſextum: in illo enim, ſicut & ex Memmianis libris adnotat Lambinus, *Plenam timoris ac miſeriæ*. Victorii lectio mihi valde coacta videtur: *itaque habui noctem plenam timoris: ac miſeriis, ...*: & revera eſt interpolatitia ex illa, quam attuli de Palatino texto, Editum eſt: *Plenam timoribus ac miſeriis*. Porrò pro *miſeriis* Hittorpianus codex, *nullo modo*.

3. *Quem etiam repræſentabo, &c.*] Ubi legendum videtur; *quæ etiam repræſentabo, &c.* Gronovius.

ac nobis amicum, quàm ſervum eſſe maluiſti. Mihi crede, tuis, & illius litteris perlectis, exſilui gaudio, & tibi & ago gratias, & gratulor. Si enim mihi Statii fidelitas eſt tantæ voluptati: quanti eſſe in iſto hæc eadem bona debent, additis litteris & ſermonibus, humanitate, quæ ſunt his ipſis commodis potiora? Amo te omnibus equidem maximis de cauſis, verùm etiam propter hanc, vel quòd mihi ſic, ut debuiſti, nuntiaſti. Te totum in litteris vidi. Sabini pueris, & promiſi omnia, & faciam.

17 M. T. C. TIRONI, S. P. D.

VIDEO, quid agas. tuas quoque epiſtolas vis referri in volumina. Sed heus tu; qui κανὼν eſſe meorum ſcriptorum ſoles, unde illud tam ἄκυρον VALITUDINI FIDELITER INSERVIENDO? Unde in iſtum locum, FIDELITER, venit? cui verbo domicilium eſt proprium in officio: migrationes in alienum multæ. Nam & doctrina, & domus, & ars, & ager etiam, fidelis dici poteſt: ut ſit, quomodo Theophraſto placet, verecunda tralatio. Sed hæc coràm. Demetrius venit ad me: quo quidem comitatu ἀφωμίλησα: ſatis ſcis. Tu eum vidilicet non potuiſti videre. cras aderit. videbis igitur. Nam ego hinc perendie manè cogito. Valitudo tua me valde ſollicitat: ſed inſervi: & fac omnia. tum te mecum eſſe, tum mihi cumulatiſſimè ſatisfacere putato. Cuſpio quòd operam dediſti, mihi gratum eſt. Valde enim ejus cauſa volo. Vale.

18 TULLIUS TIRONI S. P. D.

QUID igitur? non ſic oportet? Equidem cenſeo ſic, addendum etiam, ſuo. ſed, ſi placet, invidia vitetur: quam quidem ego ſæpe contemſi. Tibi διαφόρησιν gaudeo profuiſſe. ſi verò etiam Tuſculanum, dii boni, quanto mihi illud erit amabilius! Sed, ſi me amas, quod quidem aut facis, aut perbellè ſimulas, quod tamen in modum procedit: ſed ut ut eſt, indulge valitudini tuæ: cui quidem tu adhuc, dum mihi deſervis, ſerviſti non ſatis, ea quid poſtulet, non ignoras: πέψιν, ἀκοπίαν, περίπατον σύμμετρον, τρῖψιν, εὐλυσίαν κοιλίας. Fac bellus revertare, non modò te, ſed etiam Tuſculanum noſtrum plus amem. Parhedrum excita, ut hortum ipſe conducat. Sic olitorem ipſum commovebis. Helico nequiſſimus H-S CIↃ dabat nullo aprico horto, nullo emiſſario, nulla maceria, nulla caſa. Iſte nos tanta impenſa derideat? calface hominem, ut ego Mothonem. Itaque abutor coronis. De Crabra quid agatur, etſi nunc quidem etiam nimium eſt aquæ, tamen velim ſcire. Horologium mittam, & libros, ſi erit ſudum. Sed tu nulloſne tecum libellos? an pangis aliquid Sophocleum? fac opus appareat. A. Ligurius, Cæſaris familiaris, mortuus eſt, bonus homo, & nobis amicus. Te quando exſpectemus, fac ut ſciam. Cura te diligenter. Vale.

19 M. T. C. TIRONI, S. P. D.

EXSPECTO tuas litteras de multis rebus: te ipſum multò magis. Demetrium redde noſtrum, & aliud, ſi quid poteſt boni. De Aufidiano nomine nihil te hortor. ſcio tibi curæ eſſe. ſed conſice. Et, ſi ob eam rem moraris, accipio cauſam. ſi id te non tenet, advola. Litteras tuas valde exſpecto. Vale.

20 M. T. C. TIRONI, S. P. D.

SOLLICITAT, ita vivam, me tua, mi Tiro, valitudo: ſed confido, ſi diligentiam, quam inſtituiſti, adhibueris, citò te firmum fore. Libros compone, indicem cùm Metrodoro lubebit, quum ejus arbitratu vivendum eſt. cum olitore, ut videtur. Tu potes Kalendis ſpectare gladiatores, poſtridie redire: & ita cenſeo. Verum, ut videbitur. Cura te, ſi me amas, diligenter. Vale.

C. FIL. TIRONI SUO DULCISS. S. P. D. 21

CUM vehementer tabellarios exſpectarem quotidie, aliquando venerunt poſt diem XL, & VI. quàm à vobis diſceſſerant: [1] quorum mihi fuit adventus adoptatiſſimus. Nam cùm maximam cepiſſem lætitiam ex humaniſſimi, & cariſſimi patris epiſtola: tum verò jucundiſſimæ tuæ litteræ cumulum mihi gaudii attulerunt. Itaque me jam non pœnitebat, intercapedinem ſcribendi feciſſe: ſed potiùs lætabar. fructum enim magnum humanitatis tuæ capiebam ex ſilentio mearum litterarum. Vehementer igitur gaudeo, te meam ſine dubitatione accepiſſe excuſationem. Gratos tibi, optatoſque eſſe, qui de me rumores afferuntur, non dubito, mi dulciſſime Tiro: præſtaboque, & enitar, ut in dies magis, magiſque hæc naſcens de me duplicetur opinio. Quare quòd polliceris te buccinatorem fore exiſtimationis meæ, firmo id, conſtantique animo facias licet. Tantum enim mihi dolorem, cruciatumque attulerunt errata ætatis meæ, ut non ſolùm animus à factis, ſed aures quoque à commemoratione abhorreant. Cujus te ſollicitudinis, & doloris participem fuiſſe, notum, exploratumque eſt mihi: nec id mirum. Nam cùm omnia mea cauſa velles mihi ſucceſſa: tùm etiam tua. ſocium enim te meorum commodorum ſemper eſſe volui. Quod igitur tum ex me doluiſti, nunc, ut duplicetur tuum ex me gaudium, præſtabo. Cratippo me ſcito non ut diſcipulum, ſed ut filium, eſſe conjunctiſſimum. nam cùm & audio illum libenter, tum etiam propriam ejus ſuavitatem vehementer amplector. Sum totos dies cum eo, noctiſque ſæpenumerò partem. exoro enim, ut mecum quàm ſæpiſſimè cenet. Hac introducta conſuetudine, ſæpe inſcientibus nobis, & cenantibus obrepit, ſublataque ſeveritate philoſophiæ, humaniſſimè nobiſcum jocatur. Quare da operam, ut hunc talem, tam jucundum, tam excellentem virum videas quàm primùm. Nam quid ego de Brutio dicam? quem nullo tempore à me patior diſcedere: cujus cùm frugi, ſeveraque eſt vita, [2] tum etiam jucundiſſima convictio. non eſt enim ſejunctus locus à philologia, & quotidiana συζητήσει. Huic ego locum in proximo conduxi, &, ut poſſum, ex meis anguſtiis illius ſuſtento tenuitatem. Præterea declamitare Græcè apud Caſſium inſtitui: Latinè autem apud Bruttium exerceri volo. Utor familiaribus, & quotidianis convictoribus, quos ſecum Mitylenis Cratippus adduxit, hominibus & doctis, & illi probatiſſimis. Multùm etiam mecum eſt Epicrates, princeps Athenienſium, & Leonides, & horum ceteri ſimiles. τὰ μὲν οὖν καθ' ἡμᾶς, τάδε. De Gorgia autem quòd mihi ſcribis, erat quidem ille in quotidiana declamatione utilis: ſed omnia poſtpoſui, dummodò præceptis patris parerem. διαρρήδην enim ſcripſerat, ut eum dimitterem ſtatim. tergiverſari nolui, [3] ne mea nimia σπουδὴ ſuſpicionem ei aliquam importaret. Deinde illud etiam mihi ſuccurrebat, grave eſſe, me de judicio patris judicare. Tuum tamen ſtudium, & conſilium, gratum acceptumque eſt mihi. Excuſationem anguſtiarum tui temporis accipio. ſcio enim, quàm ſoleas eſſe occupatus. Emiſſe te prædium vehementer gaudeo: feliciterque tibi rem iſtam evenire cupio. Hoc loco me tibi gratulari, noli mirari. eodem enim ferè loco, tu quoque emiſſe te, feciſti me cer-

1. *Quorum mihi fuit adventus adoptatiſſimus.*] Sic habet Palatinus pr. ſec. ſextus, Vaticani excerpta editio Victorii: quod licet puſillum, tamen indicandum fuit, eo quod Hittorpianus, *exoptatiſſimus.* editiones aliæ: *adventus optatiſſimus.* ſtatim idem & Pall. ſext. *nam cum maximam cepiſſem lætitiam; & humaniſſimi & cariſſimi patris epiſtolam.* Et iterum paullo poſt: *Itaque etiam non pœnitebat.*

2. *Tum etiam jucundiſſima convictio.*] Elegans hæc lectio debetur Medicæo, ut adnotat Egnatius, uſurpavitque ut genuinam Victorius in editione ſua; poſteaque in ſuam tranſmovit. Lambinus confirmatur jam mihi de excerptis Vaticani. Aliàs plebejè eſt: *jucundiſſima conjunctio.* & cur non à *convivere convictio?*

3. *Ne mea nimia σπουδὴ ſuſpicionem ei aliquam importaret.*] Gulielmius ex veteri libro notat *ſuſceptionem*, ſed revera leg. *ſuſpectionem.* quæ vox & ſuperius occurrit. Gorgias autem hic erat Rhetor, ut notat ad primam impreſſionem Egnatius, quem Cicero ſummovit à contubernio convictuque filii; cauſatus, quod adoleſcentes pelliceret ad voluptates & vinum, teſte Plutarcho in Cicerone.

1. Ra-

certiorem. [1] Habes. deponendæ tibi ſunt urbanitates. ruſticus Romanus factus es. Quomodo ego mihi nunc ante oculos tuum jucundiſſimum conſpectum propono; videor enim videre ementem te ruſticas res, cum villico loquentem, in lacinia ſervantem ex menſa ſecunda ſemina. Sed quod ad rem pertinet, me tum tibi defuiſſe, æquè, ac tu, doleo. Sed noli dubitare, mi Tiro, quin te ſublevaturus ſim, ſi modò fortuna me: præſertim cùm ſciam, communem nobis emtum eſſe iſtum fundum. De mandatis quòd tibi curæ fuit, eſt mihi gratum. Sed peto à te, ut quàm celerrimè mihi librarius mittatur, maximè quidem Græcus: multum mihi enim eripitur operæ in exſcribendis hypomnematis. Tu velim in primis cures, ut valeas, ut unà συμφιλολογεῖν poſſimus. Antherum tibi commendo. Vale.

22 TULLIUS TIRONI, S.P.D.

SPERO ex tuis litteris tibi meliùs eſſe: cupio certè. Cui quidem rei omni ratione cura ut inſervias: & cave ſuſpiceris, contra meam voluntatem te facere, quòd non ſis mecum. mecum es, ſi te curas. Quare malo te valitudini tuæ ſervire, quàm meis oculis, & auribus. Etſi enim & audio te, & video libenter: tamen hoc multo erit, ſi valebis, jucundius. Ego hîc ceſſo, quia ipſe nihil ſcribo: lego autem libentiſſimè. Tu iſtic, ſi quid librarii mea manu non intelligent, monſtrabis. Una omnino interpoſitio difficilior eſt, quam ne ipſe quidem facilè legere ſoleo, [2] de quadrimo Catone. De triclinio, cura, ut facis. Tertia aderit, modò ne Publius rogatus ſit. Demetrius iſte numquam omnino Phalereus fuit: ſed nunc planè Bilienus eſt. Itaque te do vicarium. tu eum obſervabis. Etſi: verumtamen de illis: noſti cetera. Sed tamen, ſiquem cum eo ſermonem habueris, ſcribes ad me, ut mihi naſcatur epiſtolæ argumentum, & ut tuas quàm longiſſimas litteras legam. Cura, mi Tiro, ut valeas. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

23 TULLIUS TIRONI SUO, S.P.D.

TU verò confice profeſſionem, ſi potes. etſi hæc pecunia ex eo genere eſt, ut profeſſione non egeat. Verumtamen Balbus ad me ſcripſit, tanta ſe epiphora oppreſſum, ut loqui non poſſit. Antonius de lege quid egerit, liceat modò ruſticari, ad Bithynicum ſcripſi. De Servilio tu videris, qui ſenectutem non contemnis. Etſi Atticus noſter, quia quondam me commoveri πανικοῖς intellexit, idem ſemper putat, nec videt, quibus præſidiis philoſophiæ ſæptus ſim: & herclè, quòd timidus ipſe eſt, θρυβοποιεῖ. Ego tamen Antonii inveteratam ſine ulla offenſione amicitiam retinere ſanè volo: ſcribamque ad eum: ſed non antè, quàm te videro: nec tamen te avoco à ſyngrapha γῆν κινήμης. Cras exſpecto Leptam. etenim ad cujus rutam pulegio mihi tui ſermonis utendum eſt. Vale.

24 TULLIUS TIRONI, S.P.D.

ETSI manè Harpalum miſeram: tamen, cùm haberem, cui rectè darem litteras, etſi novi nihil erat, iiſdem de rebus volui ad te ſæpiùs ſcribere: non quin confiderem diligentiæ tuæ: ſed rei me magnitudo movebat. Mihi prora, & puppis, ut Græcorum proverbium eſt, fuit à me tui dimittendi, ut rationes noſtras explicares. Ofillio, & Aurelio utique ſatis fiat. A Flamma, ſi non potes omne, partem aliquam velim extorqueas: in primiſque, ut expedita ſit penſio Kalendis Jan. De attributione, conficies. De repræſentatione, videbis. De domeſticis hactenus. De publicis omnia mihi certa, quid Octavius, qui Antonius: quæ hominum opinio, quid futurum putes. Ego vix teneor, quin accurram. [3] Sed litteras tuas exſpecto: & ſcito Balbum tum fuiſſe Aquini, cùm tibi eſt dictum, & poſtridie Hirtium. [4] Puto utrumque ad aquas. Sed quod egerint Dolabellæ procuratores, fac admoneantur. appellabis etiam Papiam. Vale.

CICERO FIL. TIRONI, S.P.D. 25

ETSI juſta, & idonea uſus es excuſatione de intermiſſione litterarum tuarum, tamen id ne ſæpiùs facias, rogo. nam etſi de repub. rumoribus, & nuntiis certior fio, & de ſua in me voluntate ſemper ad me perſcribit pater: tamen de quavis minima re ſcripta à te ad me epiſtola ſemper fuit graviſſima. Quare cùm in primis tuas deſiderem litteras, noli committere, ut excuſatione potiùs expleas officium ſcribendi, quàm aſſiduitate epiſtolarum. Vale.

Q. CICERO TIRONI SUO, S.P.D. 26

VERBERAVI te cogitationis tacito duntaxat convicio, quòd faſciculus alter ad me jam ſine tuis litteris perlatus eſt. Non potes effugere hujus culpæ pœnam. De patrono Marcus eſt adhibendus: iſque diu, & multis lucubrationibus commentata oratione. vide ut probare poſſit, te non peccaſſe. Planè te rogo, ſicut olim matrem noſtram facere memini, quæ lagenas etiam inaneis obſignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuiſſe, quæ furtim eſſent exſiccatæ: ſic tu, etiam ſi, quod ſcribas, non habebis, ſcribito tamen, ne furtum ceſſationis quæſiviſſe videaris. Valde enim mi ſemper & vera, & dulcia tuis epiſtolis nuntiantur. Ama nos, & vale.

Q.C. TIRONI SUO, S.P.D. 27

MIRIFICAM mihi verberationem ceſſationis epiſtola dediſti. Nam, quæ parciùs frater perſcripſerat, verecundia videlicet, & properatione, ea tu ſine aſſentatione, ut erant, ad me ſcripſiſti, & maximè de conſulibus deſignatis: quos ego penitus novi libidinum & languoris effæminatiſſimi animi plenos: qui niſi à gubernaculis receſſerint, maximum ab univerſo naufragio periculum eſt. Incredibile eſt, quæ ego illos ſcio, oppoſitis Gallorum caſtris, in æſtivis feciſſe, quos ille latro, niſi aliquid firmius fuerit, ſocietate vitiorum deliniet. Res eſt aut tribunitiis, aut privatis conſiliis munienda. Nam iſti duo vix ſunt digni, quibus alteri Cæſenam, alteri Coſſutianarum tabernarum fundamenta credas. Te, ut dixi, fero oculis. Ego vos ad III. Kalend. videbo, tuoſque oculos, etiam ſi te veniens in medio foro videro, diſſaviabor. Me ama. Vale.

M. TUL-

---

1. *Habes: deponendæ tibi ſunt urbanitates.*] Sinceriſſima lectio hæc à Lambini libris eſt: quam quoque deprendi in Pall. Vaticani excerptis, & editionum primana. Victorius edidit: *habes ubi ſunt deponendæ urbanitates.* vulgò verò: *Habes ubi deponendæ tibi ſint urbanitates.*

2. *De quadrimo Catone.*] Extat in Palatino primo, tertio, & editione antiquiſſima; *De qua primo Catone.* unde alii cum Manutio legunt, *de quo primò caveto.* Alii, *de primo Catone.* nos in hoc obſcuriſſimo loco nihil adferre adjumenti poſſumus. Palatinus ſextus videtur præferre *de quadrimio Catone.*

3. *Sed litteras tuas exſpecto.*] Non aliter hic locus in Medicæo. Sed Pall. aliquot & editio prima, quemadmodum & Victorius edidit, *ſed ſi litteras tuas exſpecto.* Lambinus non male, quod quidam libri haberent, *ſed ſcilicet litteras*, finxit, *ſed ſt! litteras, &c.*

4. *Puto utrumque ad aquas. Sed quod egerint.*] Victorianæ editionis lectionem tenuimus, approbatam & confirmatam à Palatino ſexto, Hittorpiano. Nam, primus ſicut & antiquiſſima editio; *puto utrimque ad aquas ſeu quod elegerint Dol. proc.* Turnebus ex conjectura emendabat, vel: *puto utrumque ad aquas. Emas quid egerint:* vel *puto utrumque ad aquas Xenias, quid egerint, ſcribam ad te ſcilicet:* quod Lambino magis placet, quam Manutianum commentum: *puto utrumque ad aquas. ſciemus quod egerint:* quod tamen aliquanto remotius eſſe à ſcriptura vulgata eademque antiqua ait idem. Editiones quippe ferunt, *puto utrumque ad aquas ſemas:* unde faciendum Gulielmius eſſe putat *aquas ſenias.*

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM LIBER PRIMUS, AD ATTICUM.

1 CICERO ATTICO SAL.

PETITIONIS noſtræ, quàm tibi ſummæ curæ eſſe ſcio, hujuſmodi ratio eſt, quòd adhuc conjectura provideri poſſit. [1] Prenſat unus P. Galba. ſine fuco ac fallaciis, more majorum, negatur. ut opinio eſt hominum, non aliena rationi noſtræ fuit illius hæc præpropera prenſatio. nam illi ita negant vulgo, ut mihi ſe debere dicant. ita quiddam ſpero nobis profici, cùm hoc percrebreſcit, plurimos noſtros *amicos* inveniri. Nos autem initium prenſandi facere cogitaramus eo ipſo tempore, quo tuum puerum cum his litteris proficiſci Cincius dicebat, [2] in campo, comitiis Tribunitiis, [3] A. D. XVI. Kalend. Sext. Competitores, qui certi eſſe [4] videantur, Galba, & Antonius, & Q. Cornificius. puto te in hoc aut riſiſſe, aut ingemuiſſe, [5] ut frontem ferias. ſunt, qui etiam Cæſonium putent. Aquillium non arbitramur, [6] qui denegat, & *juravit morbum*, & illud ſuum regnum judiciale oppoſuit. Catilina, ſi judicatum erit [7] MERIDIE NON LUCERE, certus erit competitor. De Aufidio, & [8] Palicano, non puto te exſpectare dum ſcribam. De iis, qui nunc petunt, Cæſar certus putatur. Thermus cum Silano contendere exiſtimatur; qui ſic inopes & ab amicis, & exiſtimatione ſunt, ut mihi videatur non eſſe ἀδύνατον [9] Curium obducere. ſed hoc præter me nemini videtur. Noſtris rationibus maximè conducere videtur, Thermum fieri cum Cæſare. nemo eſt enim ex iis, qui nunc petunt, qui, ſi in noſtrum annum reciderit, firmior candidatus fore videatur; propterea quòd curator eſt viæ Flaminiæ, [10] quæ tum erit abſoluta ſanè facilè. [11] eum libens θέρμον ciceri Conſul accuderim. Petitorum hæc eſt adhuc informata cogitatio. Nos in omni munere candidatorio fungendo ſummam adhibebimus diligentiam: & fortaſſe, quoniam videtur in ſuffragiis [12] multum poſſe Gallia, cùm Romæ à judiciis forum refrixerit, excurremus menſe Septembri legati ad Piſonem, ut Januario revertamur. Cùm perſpexero voluntates nobilium, ſcribam ad te. cetera ſpero prolixa eſſe, his duntaxat urbanis competitoribus. Illam manum, tu, mihi, cura, ut præſtes, quoniam propriùs abes, Pompeii, noſtri amici. [13] nega me ei iratum fore, ſi ad mea comitia non venerit. Atque hæc hujuſmodi ſunt. Sed eſt, quod abs te mihi ignoſci pervelim. Cæcilius, avunculus tuus à P. Vario cùm magna pecunia fraudaretur, agere cœpit cum ejus fratre Caninio [14] Satrio de iis rebus, quas eum dolo malo mancipio accepiſſe de Vario diceret. una agebant ceteri creditores, in quibus erat Lucullus, & P. Scipio, & is, quem putabant *magiſtrum* fore, ſi bona venirent, L. Pontius. verum hoc ridiculum eſt, de magiſtro nunc cognoſcere. rogavit me Cæcilius, ut adeſſem contra Satrium. dies fere nullus eſt, quin hic Satrius domum meam ventitet. obſervat L. Domitium maximè: me habet proximum. fuit & mihi, & Quinto fratri magno uſui in noſtris petitionibus. ſanè ſum perturbatus, cùm ipſius Satrii familiaritate, tum Domitii, in quo uno maximè ambitio noſtra nititur. demonſtravi hæc Cæcilio: ſimul & illud oſtendi, ſi ipſe unus cum illo uno contenderet, me ei ſatisfacturum fuiſſe: nunc in cauſa univerſorum creditorum, hominum præſertim ampliſſimorum, qui ſine eo, quem Cæcilius ſuo nomine perhiberet, facilè cauſam communem ſuſtinerent, æquum eſſe, eum & officio meo *conſulere*, & tempori. duriùs accipere hoc mihi viſus eſt, quàm vellem & quàm homines belli ſolent: & poſtea prorſus ab inſti-

tuta

1. *PRenſat unus P. Galba, ſine fuco ac fallaciis, more majorum, negatur.*] Ita interpunxit hunc locum Malaſpina: & Muretus firmat lib. IX. Variar. lect. cap. 10. Prius erat; *P. Galba ſine fuco ac fallaciis more majorum. Negatur;* quod præfert P. Manutius.

2. *In campo.*] Hæc quoque diſtinctio eſt Malaſpinæ. Vulgata editio hic periodum incipit; *In campo comitiis tribunitiis.* Ceterum pro, *tribunitiis*, non obſcura extare veſtigia in mſ. ſuo ſcribit Urſinus hujus ſcripturæ, *comitiis tributis*.

3. *A. D. XVI. Kalend.*] Ita diſtinxit Boſius quum antea eſſet. A. D. XVI. Kalendas. ſequiturque iſtud toto libro. itaque ſemel indicaſſe ſufficiat. ut etiam; exhibitum heic nobis Boſii textum, uti ipſe adnotarat in patria ſua. nam, conſulere iterum Palatinas membranas poſt Fr. Junium, ſupervacuum videbatur; in tanta præſertim temporis anguſtia. Gulielmius heic nihil adnotarat ad margines libri ſui; ſed Woverius unum alterumque librum, ſcriptum atque editum conferri juſſerat cum vulgatis.

4. *Videantur.*] Vulgarii, *videbantur*.

5. *Ut frontem ferias. Sunt.*] Conjecturam Manutii, qua diſtinguit. *Puto te in hoc aut riſiſſe aut ingemuiſſe. Ut frontem ferias, ſunt, qui etiam Cæ'onınum putent, &c.* libris Palatinis adjuvari ait Junius. pro, Cæſonium, verò *Cæſoninum* in quibuſdam libris legi ait Muretus, qui præterea adquieſcit interpunctioni Manutianæ.

6. *Qui denegat.*] Hæc eſt & ſcidarum Boſii, & vulgò recepta lectio. Petri Pithœi mſ. exemplar habebat, *qui & negant & i. m.* ex quo ipſe legit, *qui & negavit, & i. m.* quæ correctio fulcitur auctoritate codicis Tornæſiani & Cruſellini. conſulatur ipſemet Pithœus lib. II. Subſecivar. lection. cap. 8.

7. *Meridie non licere.*] Beroaldus & Victorius legunt, *liquere* Muretus, Jacobi Taurelli fidem ſequutus, ex Veteri libro in quo ita legitur, *ſi judicatum erit merid. lucere*; emendat, *ſi judicatum erit licere.* videatur is cap. illo decimo variarum.

8. *Palicano.*] *Palikano* ex veteribus numis reſcribit Urſinus.

9. *Curium obducere.*] Codex Tornæſ. *Torium.* illud *obducere* Victorii, tuetur Muretus d. cap. 10. contra neſcio quos. quippe Malaſpinæ emendationes nobis nondum videre contigit.

10. *Quæ tum erit.*] Hanc lectionem habet Boſ. à Tornæſ. Decurt. & Cruſell. τελεία ςιγμὴ quæ poſt. *Facile*, additur, eſt & ab ipſo Boſ. Prius tamen ex ſola conjectura ita & legerat & diſtinxerat Muretus.

11. *Eum libens θέρμον.*] Ita Boſ. ex ſcidis & Cruſell. habentibus, *eum libenter mun ciceri Conſul acciderint*, & Tornæſ. in quo legitur, *eum libenter mun citeri conſili acciderunt.* Diſtinctiones optimè à Manutio & Boſio poſitas laudat Junius; ſed lectionem Boſii rejicit, legitque *eum libenter nunc Cæſari Conſuli acciderim*, ex mſſ. Pal. in quibus eſt, *eum libenter nunc ceteri conſuli acciderim:* & in quibuſdam, *accuderim.* caſtigationes hujus loci octo novem, reperire eſt apud Lambinum, qui adeatur.

12. *Multum poſſe Gallia.*] Hæc emendatio eſt Victorii, ex vetuſtis codd. quum antea legeretur *Galba*.

13. *Nega me ei.*] Et hæc correctio eſt à Victorio, quum prius eſſet, *negant*.

14. *Satrio.*] Prius erat, *Satyro*, ut & infra, *ſatyrum*, *ſatyris*, *ſatyri*, pro *Satrium*, *Satrius*, *Satrii*.

1. E'πεὶ

tuta noſtra paucorum dierum conſuetudine longè refugit. Abs te peto, ut mihi hoc ignoſcas, & me exiſtimes humanitate eſſe prohibitum, ne contra amici ſummam *exiſtimationem* miſerrimo ejus tempore venirem: cùm is omnia ſua ſtudia, & officia in me contuliſſet. quòd ſi voles in me eſſe durior, ambitionem putabis mihi obſtitiſſe. ego autem arbitror, etiam ſi id fit, mihi ignoſcendum eſſe. [1] ἐπεὶ ὐχ' ἱερήιον, ὐδὶ βοείην vides enim, in quo curſu ſumus, & quàm omnes *gratias* non modò retinendas, verum etiam acquirendas putemus. Spero tibi me cauſam probaſſe; cupio quidem certè. Hermathena tua valde me delectat, & poſita ita bellè eſt, ut totum gymnaſium [2] ἥλιυ ἀνάθημα eſſe videatur. multum te amamus.

2 CICERO ATTICO, S.

[3] L Julio Cæſare, C. Marcio Figulo coſs. filiolo me auctum ſcito, ſalva Terentia. [4] Abs te tam diu nihil litterarum? Ego [5] de meis ad te rationibus ſcripſi antea diligenter. Hoc tempore Catilinam, competitorem noſtrum, defendere cogitamus. judices habemus, quos voluimus, ſumma accuſatoris voluntate. ſpero, ſi abſolutus erit, conjunctiorem illum nobis fore in ratione petitionis: ſin aliter acciderit, humaniter feremus. Tuo adventu nobis opus eſt maturo. nam prorſus ſumma hominum eſt opinio; tuos familiares, nobiles homines, adverſarios honori noſtro fore. ad eorum voluntatem mihi conciliandam maximo te mihi uſui fore video. quare Januario menſe, ut conſtituiſti, cura ut Romæ ſis.

3 CICERO ATTICO, S.

[6] AVIAM tuam ſcito *deſiderio* tui mortuam eſſe, & ſimul, quòd verita ſit, ne Latinæ in officio non manerent, & in montem Albanum hoſtias non adducerent. Ejus rei conſolationem ad te L. Saufejum miſſurum eſſe arbitror Nos hîc te ad menſem Januarium exſpectamus, ex quodam rumore, an ex litteris tuis ad alios miſſis? nam ad me de eo nihil ſcripſiſti. Signa, quæ nobis curaſti, ea ſunt ad Cajetam expoſita. nos ea non vidimus. neque enim exeundi Roma poteſtas nobis fuit. miſimus qui pro vectura ſolveret. te multum amamus, quòd ea abs te diligenter, parvoque curata ſunt. Quod ad me ſæpe ſcripſiſti de noſtro amico placando, feci, & expertus ſum omnia: ſed mirandum in modum eſt animo abalienato: quibus de *ſuſpicionibus*, etſi audiſſe te arbitror, tamen ex me, cum veneris, cognoſces. Salluſtium præſentem reſtituere in ejus veterem gratiam non potui. [7] hoc ad te ſcripſi, [8] quòd is me accuſare de te ſolebat. [9] at in ſe expertus eſt illum eſſe minus exorabilem, meum ſtudium nec tibi defuiſſe. Tulliolam C. Piſoni L. F. Frugi deſpondimus.

4 CICERO ATTICO, S.

CREBRAS exſpectationes nobis tui commoves. nuper quidem, cùm jam te adventare arbitraremur, repentè abs te in menſem Quintilem rejecti ſumus. nunc verò cenſeo; quod commodo tuo facere poteris, venias ad id tempus, quod ſcribis. obieris Quinti fratris comitia; nos longo intervallo viſeris; Acutilianam controverſiam transegeris. hoc me etiam Peduceus, ut ad te ſcriberem, admonuit. putamus enim utile eſſe, te aliquando jam rem tranſigere. mea interceſſio parata & eſt, & fuit. Nos hic incredibili ac ſingulari populi voluntate de C. Macro tranſegimus. cui cùm æqui fuiſſemus, tamen multo majorem fructum ex populi exiſtimatione, illo damnato, cepimus, quam ex ipſius, ſi abſolutus eſſet, gratia cepiſſemus. Quod ad me de *Hermathena* ſcribis, [10] per mihi gratum eſt; & ornamentum Academiæ proprium meæ, quòd & Hermes commune omnium, & Minerva [11] ſingulare eſt inſigne ejus gymnaſii. quare velim, ut ſcribis, ceteris quoque rebus quam plurimis eum locum ornes. Quæ mihi antea ſigna miſiſti, ea nondum vidi. in Formiano ſunt. quò ego nunc proficiſci cogitabam. illa omnia in Tuſculanum deportabo. Cajetam, ſi quando abundare cæpero, ornabo. Libros tuos conſerva; & noli deſperare, [12] eos me meos facere poſſe. quod ſi aſſequor, ſupero Craſſum divitiis, atque omnium [13] vicos, & prata contemno.

CICERO ATTICO, S. 5

QUANTUM dolorem acceperim, & quanto fructu ſim privatus & forenſi, & domeſtico, Lucii fratris noſtri morte, in primis pro noſtra conſuetudine tu exiſtimare potes. nam mihi omnia, quæ jucunda ex humanitate alterius, & moribus homini accidere poſſunt, ex illo accidebant. quare non dubito, quin tibi quoque id moleſtum ſit, cùm & meo dolore *movearc*, & ipſe omni virtute, officioque ornatiſſimum tuique & ſua ſponte, & meo ſermone amantem, affinem, amicumque amiſeris. Quod ad me ſcribis de ſorore tua; teſtis erit tibi ipſa, quantæ mihi curæ fuerit, ut Quinti fratris animus in eam eſſet is, qui eſſe deberet: quem cum eſſe offenſiorem arbitrarer, eas litteras ad eum miſi, quibus & placarem ut fratrem, & monerem ut minorem, & objurgarem ut errantem. itaque ex iis quæ poſtea ſæpe ab eo ad me ſcripta ſunt, confido ita eſſe omnia, ut & oporteat, & velimus. [14] De litterarum miſſione, ſine cauſa abs te accuſor. numquam enim à Pomponia noſtra certior ſum factus, eſſe, cui litteras dare poſſem. porrò autem neque mihi accidit, ut haberem, qui in Epirum proficiſceretur: neque dum te Athenis eſſe audiebamus. De Acutiliano autem negotio quod mihi mandaras, ut primum à tuo digreſſu Romam veni, confeceram: ſed accidit, ut & contentione nihil opus eſſet, [15] & ut ego, qui in te ſatis conſilii ſtatuerim eſſe, mallem Peduceum tibi conſilium per litteras, quàm me dare. etenim cùm multos dies aureis meas Acutilio dediſſem; cujus ſermonis genus tibi notum eſſe arbitror; non mihi grave [16] duxiſſem ſcribere ad te de illius querimoniis, cùm eas audire, quod erat ſubodioſum, leve putaſſem. ſed abs te ipſo, qui me accuſas, unas mihi ſcito litteras redditas eſſe, cùm & otii ad ſcribendum plus, & facultatem dandi majorem habueris.

---

1. Ἐπεὶ ὐχ' ἱερήιον.] Antea depravate legebant, teſte Victor. θεῖον γὰρ ἀγαθὸν ἡ τιμὴ; quum per imperitiam legere non poſſent litteras Græcas quæ in mſſ. aliquantum confuſæ & deformatæ erant.

2. Ἡλίυ ἀνάθημα.] Ita ex veteribus libris emendatum, quum antea ut ait Victorius ἑρμαθῆνα ſcriberetur. Ceterùm vox ἡλίυ abeſt à Fulviano mſ.

3. *L. Julio Cæſare.*] Ab his verbis & Malaſ. & Boſius initium epiſtolæ ducunt, ſi non ſuffragantibus, certe non refragantibus veteribus codd. in quibus hæc epiſtola agglutinata eſt ſuperiori, nullo principii diſcrimine.

4. *Abs te tam diu.*] Hinc vulgus epiſtolam orditur.

5. *De meis ad te rationibus.*] Melior Victorii codex, *de meis detractionibus*, habet.

6. *Aviam.*] Hinc epiſtolam inchoandam docuere Boſius, Junius, & alii ante eos.

7. *Hoc ad te ſcripſi.*] Vulg. *hoc eo ad te ſcripſi.*

8. *Quod is me accuſare de te.*] Sic habent mſſ. teſte Lambino; quidam interponunt pronomen, *qui*, hoc modo, *quod is qui me*, &c. Urſino videtur legendum, *apud* te, pro, *de te*; quamvis, *de te*, etiam ferri poſſit.

9. *At in ſe expertus.*] Particulam *At*, reſtituit ex Decurt. Boſius.

10. *Per mihi gratum eſt*: &c.] Vulgò, *per gratum mihi eſt ornamentum*. Faernus referente Urſino, deleto, *Et*, mutataque interpunctione, ſic legit: *Quod ad me de Hermathena ſcribis, per mihi gratum. eſt ornamentum academiæ proprium meæ.*

11. *Singulare eſt inſigne.*] Vocem *inſigne* ex ſcid. Tornæſ. & Criſell. reſtituit Boſius.

12. *Eos me meos.*] Ex fide decurt. ſcribit Boſius, *me*, quod antea ex conjectura reſcripſerat Faernus.

13. *Vicos & prata.*] *Lucos* emendat Ant. Auguſtinus quod ſammè placet Urſino: Gulielmus acquieſcebat vulgato. inde *vicani*, qui vicos eos habitabant, Tullius pro Cæcina cap. 20. *aut inquilonus, aut vicinus, aut cuens.*

14. *De litterarum miſſione.*] Petro Bembo placitum eſſe refert Urſinus, ut pro *miſſione*, legatur *intermiſſione*.

15. *Et ut ego, qui.*] Partic. *ut*, abeſt a vulg.

16. *Duxiſſem.*] Vulgò erat *duxi*. ita verò ex decurt. corrigit Boſius, quomodo & legendum duxerat Malaſpina.

1. *Sta-*

ris. Quod ſcribis, etiam ſi cujus animus in te eſſet offenſior, a me recolligi oportere; quid dicas: neque id neglexi: ſed eſt miro quodam modo affectus. ego autem, quæ dicenda fuerunt de te, non præterii. quid autem contendendum eſſet, ex tua putabam voluntate [1] ſtatuere oportere: quam ſi ad me perſcripſeris, intelliges me neque diligentiorem eſſe voluiſſe, quam tu eſſes, neque negligentiorem fore, quàm tu velis. De Tadiana re, mecum Tadius locutus eſt, te ita ſcripſiſſe, nihil eſſe jam, quod [2] laboraretur, quoniam hereditas *uſucapta* eſſet. id mirabamur te ignorare, de tutela legitima, in qua dicitur eſſe puella, nihil uſucapi poſſe. Epiroticam emptionem gaudeo tibi placere. Quæ tibi mandavi, & quæ tu intelliges convenire noſtro Tuſculano, velim, ut ſcribis, cures, quod ſine moleſtia tua facere poteris. nam nos ex omnibus moleſtiis, & laboribus uno illo in loco conquieſcimus, quo fratrem quotidie exſpectamus. Terentia magnos articulorum dolores habet, & te, & ſororem tuam, & matrem maximè diligit, ſalutemque tibi plurimam adſcribit, & Tulliola, delitiæ noſtræ. Cura, ut valeas, & nos ames; & tibi perſuadeas, te à me fraternè amari.

6 CICERO ATTICO, S.

NON committam poſthac, ut me accuſare de epiſtolarum negligentia poſſis. tu modò videto, in tanto otio ut par mihi ſis. Domum Rabirianam Neapoli, quam tu jam dimenſam, & exædificatam animo habebas, [3] M. Fontinus emit H-S CCCIↃↃↃ XXX. id te ſcire volui, ſi quid fortè ea res ad cogitationes tuas pertineret. Q. frater, ut mihi videtur, quo volumus animo eſt in Pomponiam & cum ea nunc in [4] Arpinatibus prædiis erat, & ſecum habebat hominem χρηστομαθῆ D. Turranium. Pater nobis deceſſit A. D. VIII. Kal. Decembr. Hæc habebam ferè, quæ te ſcire vellem. Tu, velim, [5] ſi qua ornamenta γυμνασιώδη reperire poteris, quæ loci ſint ejus, quem tu non ignoras, ne prætermittas. Nos Tuſculano ita delectamur, ut nobiſmet ipſis tum denique, cùm illò venimus, *placeamus*. Quid agas omnibus de rebus, & quid acturus ſis, fac nos quam diligentiſſimè certiores.

7 CICERO ATTICO, S.

[6] APUD matrem rectè eſt, eaque nobis curæ eſt. L. Cincio H-S XXCD conſtitui me curaturum Idibus Febr. Tu, velim, ea, quæ nobis emiſſe, & paraſſe ſcribis, des operam, ut quàm primum habeamus: & velim cogites, id quod mihi pollicitus es, quemadmodum *bibliothecam* nobis conficere poſſis. omnem ſpem delectationis noſtræ, quam, cum in otium venerimus, habere volumus, in tua humanitate poſitam habemus.

8 CICERO ATTICO, S.

APUD te eſt, ut volumus. mater tua, & ſoror à me, Quintoque fratre diligitur. Cum Acutilio ſum locutus. is ſibi negat à ſuo procuratore quidquam ſcriptum eſſe, & miratur iſtam controverſiam fuiſſe, [7] quòd ille recuſarit ſatiſdari, amplius abs te non peti. Quòd te [8] de Tadiano negotio decidiſſe ſcribis; id ego Tadio & gratum eſſe intellexi, & magnopere jucundum. [9] Ille noſter amicus, vir me hercule optimus, & mihi amiciſſimus, ſanè tibi iratus eſt. hoc, ſi, quanti tu æſtimes, ſciam, tum, quid mihi elaborandum ſit, ſcire poſſim. L. Cincio H-S CCIↃↃ CCIↃↃ CCCC. pro ſignis Megaricis, ut tu ad me ſcripſeras, curavi. Hermæ tui Pentelici cum capitibus æneis, de quibus ad me ſcripſiſti, jam nunc me admodum delectant. quare velim, & eos, & ſigna, & cetera, quæ tibi ejus loci, & noſtri ſtudii, & tuæ *elegantiæ* eſſe videbuntur, quam plurima, quam primumque mittas, & maximè quæ tibi gymnaſii, xyſtique videbuntur eſſe. nam in eo genere ſic ſtudio efferimur, ut abs te adjuvandi, ab aliis prope reprehendendi ſimus. ſi Lentuli navis non erit, quò tibi placebit, imponito. Tulliola, deliciolæ noſtræ, tuum munuſculum flagitat, & me, ut ſponſorem, appellat. mi autem abjurare certius eſt, quàm dependere.

CICERO ATTICO, S. 9

NIMIUM raro nobis abs te litteræ afferuntur: cùm & multo tu faciliùs reperias, qui Romam proficiſcantur, quàm ego, qui Athenas: & certius tibi ſit, me eſſe Romæ, quàm mihi, te Athenis. Itaque propter hanc dubitationem meam brevior hæc ipſa epiſtola eſt: quòd cùm incertus eſſem, ubi eſſes, nolebam illum noſtrum familiarem ſermonem in alienas manus devenire. Signa Megarica, & Hermas, de quibus ad me ſcripſiſti, vehementer expecto. quidquid ejuſdem generis habebis, dignum Academia tibi quod videbitur, ne dubitaris mittere, & arcæ noſtræ confidito. genus hoc eſt *voluptatis* meæ: quæ γυμνασιώδη maximè ſunt, ea quæro. [10] Lentulus naves ſuas pollicetur. peto abs te, ut hæc cures diligenter. Chilius te rogat, & ego ejus rogatu, [11] Εὐμολπιδῶν πάτρια.

CICERO ATTICO, S. 10

CUM eſſem in Tuſculano, (erit hoc tibi pro illo tuo, *Cùm eſſem in Ceramico*) verumtamen cùm ibi eſſem, Roma, puer à ſorore tua miſſus, epiſtolam mihi abs te allatam dedit, nuntiavitque, eo ipſo die poſt meridiem [12] iturum eum, qui ad te proficiſceretur. eo factum eſt, ut epiſtolæ tuæ reſcriberem aliquid; brevitate temporis tam pauca cogerer ſcribere. Primùm tibi de noſtro amico placando, aut etiam planè reſtituendo polliceor. quod ego, etſi mea ſponte ante faciebam, eo nunc tamen & agam ſtudioſiùs, & contendam ab illo vehementiùs, quod tantam ex epiſtola voluntatem ejus rei tuam perſpicere videor. hoc te intelligere volo, pergraviter illum eſſe offenſum: ſed quia nullam video gravem ſubeſſe *cauſam*, magnopere confido illum fore in officio, & in noſtra poteſtate. Signa noſtra, [13] & Hermeraclas, ut ſcribis, cùm commodiſſimè poteris, velim imponas, & ſi quod aliud [14] οἰκεῖον ejus loci, quem non ignoras, reperies, & maximè, quæ tibi palæſtræ, gymnaſiique videbuntur eſſe. etenim ibi ſedens hæc ad te ſcribebam; ut me locus ipſe admoneret. Præterea

---

1. *Statuere oportere.*] Lambinus codicis Tornæſ. ſcripturæ veſtigium ſequutus, in quo eſt, *ex tua putabam voluntatem ſtatuere oportere*; legit *e. t. p. voluntate me ſtatuere oport.*

2. *Laboraretur.*] Ita codex Tornæſ. vulgò *laboraret*.

3. *M. Fontinus.*] Victorius *M. Fontejus* legit ut hic ſit pro quo Cicero habuit orationem. Lambinus, Urſinus & Junius *M.' Fontejus* legendum ſuſpicantur, id eſt, *Manius Fontejus*; *Fontium* verò pro *Fontejum* mſſ. habere ajunt Fulvius, & Junius, quorum hic, rejicit vocem illam, *Pontius*, quæ in vulgari editione poſt *Fontejus* additur; *Fontinus* verò pro *Fontejus* in auditum eſſe contendit. Sed & Decurt. & Tornæſ. aliorumque vetuſtiorum codicum fide probum eſſe aſſerit Boſius.

4. *Arpinatibus prædiis.*] Vulg. *Arpinati prædio.*

5. *Si qua ornamenta* γυμνασιώδη.] Hæc emendatio eſt Victorii ex antiquo libro in quo ſic legebatur, *gymnaſio dereperire poteris.* Antea habebatur, *ſi qua ornamenta gymnaſio reperire poteris.*

6. *Apud matrem.*] Hoc principium epiſtolæ, ut monuere Boſius & Junius.

7. *Quod ille recuſarit ſatisdari.*] Vulg. *quod ille recuſarat; ſatiſdari, &c.*

8. *De Tadiano negotio decidiſſe.*] Junius ex mſſ. Palat. emendat, *de Tad. neg. decepiſſe*, quem vide.

9. *Ille noſter amicus vir mehercule optimus.*] Vulg. *ille noſter amicus & mehercule vir optimus.*

10. *Lentulus naves ſuas pollicetur.*] Urſinns mallet ex mſſ. *navi ſuæ pollicetur.*

11. Εὐμολπιδῶν πάτρια.] Πατρίδα quoſdam codices habuiſſe ex Victorio videre eſt, qui tamen illud præfert.

12. *Iturum eum.*] Eſt Boſii ex Decurt. Torn. & Cruſellino: etiamſi vulgatam editionem, quam Victorianam appellat, non damnet; ea autem ſic ſe habet, *miſſuram eum.*

13. *Hermeraclas.*] Veteres editiones, teſte Urſino, habent ἑρμέρωτας, quod ille tamen improbat.

14. Οἰκεῖον.] Ita reponit Victorius, tum ex libro tum ex conjectura, & eum ſequutus Boſius. Junius verò contendit retinendum eſſe ὠνεῖον, in unum conſentientibus mſſ. Palatinis.

terea [1] typos tibi mando, quos in tectorio atrioli poſſim includere, & [2] putealia ſigillata duo. Bibliothecam tuam cave cuiquam deſpondeas, quamvis acrem [3] amatorem inveneris: nam ego omnes meas vindemiolas eò reſervo, ut illud *ſubſidium* ſenectuti parem. De fratre, confido ita eſſe, ut ſemper volui, & elaboravi. multa ſigna ſunt ejus rei, non minimum, quòd ſoror [4] *prægnans* eſt. De comitiis meis, [5] & tibi me permiſiſſe memini, & ego jampridem hoc communibus amicis, qui te exſpectant, prædico, te non modò [6] non accerſi à me, ſed prohiberi; quòd intelligam multò magis intereſſe tua, te agere, [7] quod agendum eſt hoc tempore, quàm mea, te adeſſe comitiis. proinde eo animo te velim eſſe, quaſi mei negotii cauſa in iſta loca miſſus eſſes. [8] me autem eum & offendes erga te, & audies, quaſi mihi, [9] ſi qua parta erunt, non modò te præſente, ſed per te parta ſint. Tulliola tibi diem dat; [10] *ſponſorem* appellat.

CICERO ATTICO, S.

11 ET mea ſponte faciebam antea, & poſt, duabus epiſtolis tuis perdiligenter in eandem rationem ſcriptis, magnopere ſum commotus. eò accedebat hortator aſſiduus Salluſtius, ut agerem quàm diligentiſſimè cum Lucceio de veſtra vetere gratia reconcilianda. ſed, cùm omnia feciſſem, non modò eam voluntatem ejus, quæ fuerat erga te, recuperare non potui, verùm ne cauſam quidem elicere immutatæ voluntatis. tametſi jactat ille quidem illud ſuum *arbitrium*, [11] & ea, quæ jam tum, cùm aderas, offendere ejus animum intelligebam, tamen habet quiddam profectò, quod magis in animo ejus inſederit: quod neque [12] epiſtolæ tuæ, [13] neque noſtra legatio tam poteſt facilè delere, quàm tu præſens non modò oratione, ſed tuo *vultu* illo familiari tolles [14] ſi modò tanti putabis id; quod, ſi me audies, &, ſi humanitati tuæ conſtare voles, certe putabis. ac, ne illud mirere, cur, cùm ego antea ſignificarem tibi per litteras, me ſperare illum in noſtra poteſtate fore, [15] nunc idem videar diffidere; incredibile eſt, quanto mihi videatur illius voluntas obſtinatior, & in hac iracundia [16] offirmatior: ſed hæc aut ſanabuntur, cùm veneris; aut ei moleſta erunt, in utro culpa erit. Quod in epiſtola tua ſcriptum erat, me jam arbitrari deſignatum eſſe; ſcito, nihil tam exercitum eſſe nunc Romæ, quàm *candidatos*, omnibus iniquitatibus; nec, quando futura ſint comitia, ſciri. verum hæc audies de Philadelpho. Tu, velim, quæ Academiæ noſtræ paraſti, quamprimum mittas. [17] mire quàm illius loci non modò uſus, ſed etiam cogitatio delectat. Libros verò tuos cave cuiquam tradas. nobis eos, quemadmodum ſcribis, conſerva. ſummum me eorum ſtudium tenet, ſicut *odium* jam cæterarum rerum: quas tu, incredibile eſt, quàm brevi tempore quanto deteriores offenſurus ſis, quàm reliquiſti.

CICERO ATTICO, S. 12

[18] TEUCRIS illa *lentum* ſane negotium: neque Cornelius ad Terentiam poſtea rediit. opinor, ad Conſidium, Axium, Selicium confugiendum eſt. * [19] nam à Cæcilio propinqui minore centeſimis nummum movere non poſſunt. ſed, ut ad prima illa redeam, nihil ego illa impudentius, aſtutius, lentius vidi. libertum mitto; [20] Tito mandavi; σκήψεις, atque ἀναβολαί. [21] ſed neſcio, an ταὐτόματον ἡμῶν. [22] nam mihi Pompejani prodromi nuntiant, apertè Pompejum acturum, Antonio ſuccedi oportere: eodemque tempore aget Prætor ad populum. res ejuſmodi eſt, ut ego nec per bonorum, nec per popularem exiſtimationem *honeſtè* poſſim hominem defendere; nec mihi libeat, quòd vel maximum eſt. etenim accidit hoc, quod totum cujuſmodi ſit, [23] mando tibi, ut perſpicias. Libertum ego habeo, ſane nequam hominem, Hilarum dico, ratiocinatorem, & clientem tuum. de eo mihi Valerius Interpres nuntiat, Chiliuſque ſe audiſſe ſcribit hæc; eſſe hominem cum Antonio; Antonium porro in cogendis pecuniis dictitare, partem mihi quæri, & à me cuſtodem communis quæſtus libertum eſſe miſſum. non ſum mediocriter commotus: neque tamen credidi: ſed certè aliquid ſermonis fuit. totum inveſtiga, cognoſce, perſpice, & nebulonem illum, ſi quo pacto potes, ex iſtis locis amove. hujus ſermonis Valerius auctorem Cn. Plancium nominabat. mando tibi planè, totum, ut videas, cujuſmodi ſit. Pompejum nobis amiciſſimum conſtat eſſe. Divortium Muciæ vehementer *probatur*. P. Clodium, Appii filium, credo te audiſſe, cum veſte *muliebri* deprehenſum domi P. Cæſaris, [24] cùm pro populo fieret, eumque per manus [25] Sep. Rullæ ſervatum, & eductum; rem eſſe inſigni infamia: quod te mo-

1. *Typos.*] Hermolaus in ſui Corollarii libro I. cap. 34. *Rhypos* legit quem vide; Victorii antiquior codex *Lypos* habet: vir quidam doctus, ut ait Manut. legit *Tubos*.
2. *Putealia ſigillata.*] *Putealia ſigilla* olim emendaverat Beroaldus. Beſſarionis liber; *putealio ſignata*.
3. *Amatorem.*] Faërnus legebat *emptorem*.
4. *Prægnas.*] Ita veteres codices habere teſtatur Lambinus; vulgo *prægnans*.
5. *Tibi me permiſiſſe memini.*] *Promiſiſſe* ex Palatt. mſſ. legit Junius, neque ſecus Aldina.
6. *Non accerſi à me prohiberi.*] Eſt à decurtato, præfertque Boſius vulgatæ, *non arceſſam ſed prohibebo*.
7. *Quod agendum eſt.*] *Quod agend. eſſet*, codex Tornæſ. referente Lambino.
8. *Me autem eum.*] Victorius legit, *ſin autem eum offendes, &c.* aitque locum hunc mendo non carere: ſed cum mſſ. deſtitutus ſit, ſe vulgariam lectionem magis contaminare noluiſſe.
9. *Si qua parta erunt.*] Et hîc & infra tum Boſius tum Lambinus *parata*, legi teſtantur.
10. *Sponſorem appellat.*] Boſius ait, ab omnibus codd. quos vidit, abeſſe particulam negantem, *non*, ante verbum. *appellat*, quam tamen Victorius in poſtrema ſua editione addidit, fretus nec ne authoritate veterum librorum, id non ſatis ſcit Boſius: at ego ſat ſcio Manutium hanc partem è Beſſar. mſ. ſuæ editioni adjeciſſe, eamque mirificè comprobare: reperiturque in Pall. malim tamen alterum; mecumque ſentit Muſa illa Attica Claudius Dauſquejus, cui videbatur heic *ſponſor* dici, qui ſpondere duntaxat noſſet, præſtare minus; ut *promiſſor* Horatio.
11. *Et ea quæ jam tum.*] *Et in ea*, habet vulg.
12. *Epiſtolæ tuæ.*] Ita ex mſſ. Pal. Junius. vulgò, *epiſtola tua*.
13. *Neque noſtra legatio.*] Laudat Boſ. eos qui reponunt, *noſtra allegatio*; quamquam eſt in veteribus libris *legatio*.
14. *Si modo tanti putabis id; quod.*] Aliter diſtinguit vulgata, *ſi modo tanti putaris; id quod, &c.*
15. *Nunc idem videar.*] Urſinus legendum cenſet, *nunc eidem videar diffidere*.
16. *Offirmatior.*] Ita reponit Boſ. ex ſcedis, quum antea legeretur *obfirmatior*, vel ut in vett. codd. *affirmatior*.
17. *Mire quàm.*] Sic ex mſſ. Palat. Junius. vulg. *mirum quam*.
18. *Teucris illa.*] Hoc principium eſſe epiſtolæ Manutius, Boſius, Junius, & alii docuerunt. interſerunt vero Victor. *multa deſunt*, & epiſtolam decurtatam exiſtimat; Quæ *Teucris* hæc ſit, videatur apud Turnebum lib. IX. Adverſariorum cap. 3. Muretum lib. III. Variarum lect. cap. 18.
19. *Nam à Cæcilio propinqui minore centeſimis.*] *Minore* fœnore, quam *centeſimis* uſuris ductis. Sic lib. IV. ad Attic. Epiſt. 14. *Fœnus ex triente Idibus Quinctilibus factum erat beſſibus*. Intelligit *uſuris*. Vide Gronov. de Seſtertiis pag. 501.
20. *Tito mandavi; σκήψεις atque ἀναβολαί.*] Ita Boſius ex veteribus ſuis, & Manutius èx Beſſarionis & Cavalcantis mſſ. Victorius legit, *Tito mandavi σκήψεις atque ἀναβολάς*.
21. *Neſcio, an ταὐτόματον ἡμῶν.*] Victorius ait antiquiorem ſuum habuiſſe ταὐτόματον, alia autem manu poſtea adjectum fuiſſe ἡλλῶν; ex quo fecerunt vulgò ἡμῶν, quod ab omnibus quondam excuſis abeſt.
22. *Nam mihi Pompejani.*] Junius reponit, *jam*.
23. *Mandato tibi ut perſp.*] Lambinus ait codicem Tornæſ. habere, *mandat tibi, &c.*
24. *Cum pro populo fieret.*] *Pro populi* habere codicem Tornæſ. teſtantur Boſius & Lambinus.
25. *Sep. Rullæ.*] Ita reſtituit Boſius ex vetuſtiſſ. codd. vulg. *ſervulæ*. Victorius ait Germanos ex antiquo cod. *Seprullæ*, in margine ſui cod. pro *ſervulæ* ſcribere: dicit idem, ſe in ſuo antiquiore & meliore, *ſeprulæ*, ſcriptum inveniſſe. alii legunt *Serviliæ*. Lamb. hauſit ex mſſ. *Serpullæ*, ut *Serpulla* ſit ancillæ nomen. Junius, *Ser. Polæ*, vel etiam, *Serpulæ*.

moleſte ferre certo ſcio. Quid præterea ad te ſcribam, non habeo. & [1] me hercule eram conturbatior. nam puer feſtivus, anagnoſtes noſter, Soſitheus deceſſerat, meque plus, quàm *ſervi* mors debere videbatur, commoverat. Tu velim ſæpe ad nos ſcribas. ſi rem nullam habebis, quod in buccam venerit ſcribito. Kal. Januar. M. Meſſala, M. Piſone coſs.

13 CICERO ATTICO, S.

ACCEPI tuas treis jam epiſtolas, unam à M. Cornelio, [2] quam Tribus Tabernis, ut opinor, ei dediſti; alteram, quam mihi Canuſinus tuus hoſpes reddidit; tertiam, quam, ut ſcribis, [3] anchora ſoluta de phaſello dediſti. quæ fuerunt omnes rhetorum. purè loquuntur, cùm humanitatis ſparſæ ſale, tum inſignes amoris notis. quibus epiſtolis ſum equidem abs te laceſſitus ad ſcribendum; ſed idcirco ſum tardior, quòd non invenio *fidelem tabellarium*. quotus enim quiſque eſt, qui epiſtolam paulo graviorem ferre poſſit, niſi eam [4] pellectione relevarit? accedit eò, quòd mihi non eſt notum, ut quiſque in Epirum proficiſcatur. ego enim te arbitror, cæſis apud Amaltheam tuam victimis, ſtatim eſſe ad Sicyonem oppugnandum profectum. neque tamen id ipſum certum habeo, quando ad Antonium proficiſcare, aut quid in Epiro temporis ponas. ita neque Achaicis hominibus, neque Epiroticis paulo liberiores literas committere audeo: ſunt autem poſt diſceſſum à me tuum res dignæ litteris noſtris, ſed non committendæ ejuſmodi periculo, ut aut interire aut aperiri, aut intercipi poſſint. Primùm igitur ſcito, primum me non eſſe rogatum ſententiam, præpoſitumque eſſe nobis pacificatorem Allobrogum, idque admurmurante Senatu, neque me invito eſſe factum. ſum enim & ab obſervando homine perverſo liber, & ad dignitatem in Rep. retinendam contra illius voluntatem ſolutus: & ille ſecundus in dicendo locus habet auctoritatem pænè principis, & voluntatem non nimis devinctam beneficio Conſulis. Tertius eſt Catulus, quartus (ſi etiam hoc quæris) Hortenſius. Conſul autem ipſe *parvo* animo & *pravo*, tantùm cavillator genere illo moroſo, quod etiam ſine dicacitate ridetur, facie magis, quàm facetiis, ridiculus, [5] nihil agens cum Repub. ſejunctus ab optimatibus: à quo nihil ſperes boni Reip. quia non vult; nihil metuas mali, quia non audet. ejus autem collega & in me perhonorificus, & partium ſtudioſus, ac defenſor bonarum. quinimmo leviter inter ſe diſſident. Sed vereor, ne hoc, quod infectum eſt, *ſerpat* longiùs. credo enim te audiſſe, cùm apud Cæſarem pro populo fieret, veniſſe eò muliebri veſtitu virum; idque ſacrificium cum virgines inſtauraſſent, mentionem à Q. Cornificio in Senatu factam: (is fuit princeps; ne tu forte aliquem noſtrum putes) poſtea rem ex s. c. [6] ad virgines, atque pontifices relatam, idque ab iis *nefas* eſſe decretum: deinde ex s. c. Conſules rogationem promulgaſſe; uxori Cæſarem nuntium remiſiſſe. In hac cauſa Piſo, amicitia P. Clodii ductus, operam dat, ut ea rogatio, quam ipſe fert, & fert ex s. c. & de religione, antiquetur. Meſſalla vehementer adhuc agit ſevere. boni viri precibus Clodii removentur à cauſa; operæ comparantur, noſmet ipſi qui *Lycurgei* à principio fuiſſemus, quotidie demitigamur. inſtat & urget Cato. Quid multa? vereor, ne hæc NEGLECTA à bonis, defenſa ab improbis, magnorum [7] Reipubl. malorum cauſa ſit. Tuus autem ille amicus, (ſcin quem dicam?) de quo tu ad me ſcripſiſti, [8] poſteà quàm non auderet reprehendere, laudare cœpiſſe, nos, ut oſtendit, admodum diligit, amplectitur, amat, apertè laudat; occulte, ſed ita *ut perſpicuum ſit*, invidet. nihil come, nihil ſimplex, [9] nihil ἐν τοῖς πολιτικοῖς honeſtum, nihil illuſtre, nihil forte, nihil liberum. Sed hæc ad te ſcribam alias ſubtilius. nam neque adhuc mihi ſatis nota ſunt: & huic, terræ filio, neſcio cui, committere epiſtolam tantis de rebus non audeo. Provincias Prætores nondum ſortiti ſunt. res eodem eſt loci, quo reliquiſti. τοποθεσίαν, quam poſtulas, Miſeni, & Puteolorum, includam orationi meæ. A. D. III. Non. Decemb. mendoſe fuiſſe animadverteram. Quæ laudas ex orationibus, mihi crede, valde mihi placebant: ſed non audebam antea dicere. nunc verò, quòd à te probata ſunt, multo mihi ἀττικώτερα videntur. in illam orationem Metellinam addidi quædam. liber tibi mittetur, quoniam te amor noſtri φιλορήτορα reddidit. Novi tibi quidnam ſcribam? [10] quid? etiam. Meſſalla Conſul Autronianam domum emit H-S CCCCXXXVII. quid id ad me, inquies? tantum, quòd ea emptione & nos *bene emiſſe* judicati ſumus: & homines intelligere cœperunt, licere amicorum facultatibus in emendo ad dignitatem aliquam pervenire. Teucris illa lentum negotium eſt, ſed tamen eſt in ſpe. tu iſta confice: à nobis liberiorem epiſtolam exſpecta. VI. Kalend. Febr. M. Meſſalla, & M. Piſone, coſs.

CICERO ATTICO, S. 14

VEREOR, ne putidum ſit ſcribere ad te, quàm ſim occupatus: ſed tamen diſtinebar, ut huic vix tantulæ epiſtolæ tempus habuerim, [11] atque id ereptum è ſummis occupationibus. Prima concio Pompeii qualis fuiſſet, ſcripſi ad te antea, non jucunda miſeris, inanis improbis, beatis non grata, bonis non gravis. itaque frigebat. tum Piſonis Conſulis impulſu leviſſimus [12] tribunus pleb. Fufius in concionem [13] produxit Pompejum. res agebatur in circo Flaminio: & erat in eo ipſo loco illo die nundinarum πανήγυρις. quæſivit ex eo, PLACERET ne ei, judices à Prætore legi, [14] quo conſilio idem Prætor uteretur. id autem erat de Clodiana religione ab Senatu conſtitutum. tum Pompejus μάλ' ἀριστοκρατικῶς locutus eſt; Senatuſque auctoritatem ſibi omnibus in rebus maximam videri, ſemperque viſam eſſe, reſpondit, & id multis verbis. Poſtea Meſſalla conſul in Senatu de Pompejo quæſivit quid de religione, & de promulgata rogatione ſentiret. locutus ita eſt in Senatu, ut omnia illius ordinis conſulta γενικῶς laudaret: mihique, ut aſſedit, dixit, ſe putare, ſatis ab ſe etiam [15] de iſtius rebus eſſe reſponſum. Craſſus poſtea quàm vidit illum excepiſſe laudem ex eo, quòd hi ſuſpicarentur homines ei Conſulatum meum placere, ſurrexit, ornatiſſimeque de meo Conſulatu locutus eſt; ut ita diceret, ſe, quòd eſſet Senator, quòd civis, quòd liber, quòd viveret, mihi acceptum referre; quoties conjugem, quoties domum, quoties

1. *Mehercule eram conturbatior.*] Vulg. *eram in ſcribendo conturbatior.*

2. *Quam tribus Tabernis.*] Vulg. *quam à tribus ei Tabernis.* in manuſcriptis abeſſe part. *a*, dicit Junius.

3. *Anchora ſoluta de phaſello.*] Vulg. *anchoris ſolutis de phaſelo.*

4. *Pellectione relevarit.*] Ita Malaſp. ex conjectura, Boſius ex ſcidis, Lamb. ex codd. Memmianis & Tornæſ. legunt. Vulgò *per lectionem relevarit.*

5. *Nihil agens cum rep.*] Vulgo, *nihil agens in rep.*

6. *Ad virgines atque Pontifices relatam.*] Illud, *virgines atque* olim deleverat Lamb. codd. Memm. ſequutus, ſed poſtea repoſuit, quum in Tornæſ. repeririſſet. intercedit Junius, & reponi idem vetat, nixus authoritate longe optimi mſ. Palatini, & aliorum.

7. *Reip. malorum cauſa, &c.*] Ita codex Tornæſ. & vulgata Lambini editio, *cauſa ſint.*

8. *Poſteaquam non auderet reprehendere.*] Faërnus, *p. q. n. auderet non reprehendere.*

9. *Nihil in τοῖς πολιτικοῖς honeſtum.*] Cod. Tornæſ. ſic habet. *Nih. in τ. π. illuſtre, nihil honeſtum.* vulgaria lectio etiam extat in Decurt. Boſ.

10. *Quid? etiam Meſſ.*] Vulgò ita diſtinguitur, *quid etiam Meſſalla, &c.*

11. *Atque id ereptum.*] Lamb. *dereptum.*

12. *Trib. plebis Fufius.*] Vulgò, *L. Fufius*, quod prænomen teſte Manutio abeſt à Beſſar. antiquo libro, & ſolum legitur *Fufius.*

13. *Produxit Pompejum.*] Tornæſ. *producit.*

14. *Quo conſilio idem.*] *Quorum conſilio, &c.* habebat mſ. Longolii referente Urſino.

15. *De iſtius rebus.*] Eſt à Decurt. vulg. *iſtis.*

ties patriam videret, toties ſe beneficium meum *videre*. Quid multa? totum hunc locum, [1] quem ego variè meis orationibus, quarum tu Ariſtarchus es, ſoleo pingere de flamma, de ferro, (noſti illas λεκύθους) valde graviter pertexuit. [2] Proximè Pompejum ſedebam. intellexi hominem moveri; utrum Craſſum inire eam gratiam, quam ipſe prætermiſiſſet; an eſſe tantas res noſtras, quæ tam libenti Senatu laudarentur, ab eo præſertim, qui mihi laudem illam eo minus deberet, quòd meis omnibus litteris in Pompejana laude perſtrictus eſſet. Hic dies me valde Craſſo adjunxit: & tamen, [3] ab illo apertè, tectè quidquid eſt datum, libenter accepi. ego autem ipſe, dii boni! quo modo [4] συνεπερπερευσάμην novo auditori Pompejo? ſi umquam mihi, [5] περίοδοι, ἢ καμπαὶ, ἢ ἐνθυμήματα, ἢ κατασκευαὶ ſuppeditaverunt, illo tempore. Quid multa? clamores. etenim hæc erat ὑπόθεσις, de gravitate ordinis, de equeſtri concordia, de conſenſione Italiæ, de immortuis reliquiis conjurationis, [6] de utilitate, de otio. noſti jam in hac materia *ſonitus* noſtros: tanti fuerunt, ut ego eo brevior ſim, quòd eos uſque [7] iſtim exauditos putem. Romanæ autem ſe res ſic habent. Senatus ἀρειόπαγος. nihil conſtantius, nihil ſeverius, nihil fortius. nam cùm dies veniſſet rogationi ex s. c. ferendæ, concurſabant barbatuli juvenes, totus ille grex Catilinæ duce *filiola* Curionis; & populum, ut antiquaret, rogabant. Piſo autem Conſul, lator rogationis, idem erat diſſuaſor. operæ Clodianæ ponteis occuparant. tabellæ miniſtrabantur, ita ut nulla daretur UTI ROGAS. hìc tibi Roſtra Cato advolat, [8] convicium Piſoni Conſuli mirificum facit; ſi id eſt *convicium*, vox plena gravitatis, plena auctoritatis, plena denique ſalutis. accedit eodem etiam noſter Hortenſius, multi præterea boni. inſignis verò opera Favonii fuit. Hoc concurſu optimatum comitia dimittuntur: Senatus vocatur. cùm decerneretur frequenti Senatu, contra pugnante Piſone, ad pedes omnium ſingillatim accedente Clodio, ut Conſules populum cohortarentur ad rogationem accipiendam; homines ad XV. Curioni nullum s. c. facienti aſſenſerunt: ex altera parte facile CCCC. fuerunt. acta res eſt. [9] Fufius Trib. tum conceſſit. Clodius conciones miſeras habebat, in quibus Lucullum, Hortenſium, C. Piſonem, Meſſallam Conſulem contumelioſè lædebat; me tantum comperiſſe omnia criminabatur. Senatus & de provinciis Prætorum, & de legationibus, & de ceteris rebus decernebat, ut ante, quàm rogatio lata eſſet, ne quid ageretur. Habes res Romanas. ſed tamen etiam illud, quod non ſperaram, audi. Meſſalla Conſul eſt egregius, fortis, conſtans, diligens, noſtri laudator, amator, imitator. ille alter *uno vitio* minus vitioſus; quòd iners, quòd ſomni plenus, quòd imperitus, quòd ἀπρακτότατος, ſed voluntate ita καχέκτης, ut Pompejum poſt illam [10] concionem, qua ab eo Senatus laudatus eſt, odiſſe cœperit. itaque mirum in modum omnes à ſe bonos alienavit. neque id magis amicitia Clodii adductus facit, quàm ſtudio *perditarum rerum*, atque partium. ſed habet ſui ſimilem in magiſtratibus, præter Fufium, neminem. bonis utimur Tribunis pleb. Cornuto verò pſeudocatone. Quid quæris? [11] nunc ad privata redeam, Τεῦκρις promiſſa patravit. tu mandata effice, quæ recepiſti. Quintus frater, qui Argiletani ædificii reliquum dodrantem emit H-S DCCXXV, Tuſculanum venditat, ut ſi poſſit, emat Pacilianam domum. Cum Luccejo in gratiam redi. [12] video hominem valde petiturire. navabo operam. Tu, quid agas, ubi ſis, cujuſmodi iſtæ res ſint, fac me quam diligentiſſimè certiorem. Idibus Febr.

CICERO ATTICO, S. 15

ASIAM Quinto, ſuaviſſimo fratri, obtigiſſe audiſti: non enim dubito, quin celeriùs tibi hoc *rumor*, quàm illius noſtrum literæ nuntiarint. nunc quoniam & laudis avidiſſimi ſemper fuimus, & præter ceteros φιλέλληνες & ſumus, & habemur, & multorum *odia*, atque inimicitias Reipubl. cauſa ſuſcepimus; παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο, [13] curaque effice, ut ab omnibus & laudemur & amemur. His de rebus plura ad te in ea epiſtola ſcribam, quam ipſi Quinto dabo. Tu me, velim, certiorem facias, quid de meis mandatis egeris, atque etiam, quid de tuo negotio. nam ut Brundiſio profectus es, nullæ mihi abs te ſunt redditæ literæ. [14] valdè haveo ſcire quid agas. Idib. Mar.

CICERO ATTICO, S. 16

QUÆRIS ex me, quid acciderit de judicio, quod tam præter opinionem omnium factum ſit: & ſimul vis ſcire, quo modo ego minùs quam ſoleam, prœliatus ſim: reſpondebo tibi ὕστερον πρότερον, Ὁμηρικῶς. Ego enim, quàm diu Senatus *auctoritas* mihi defendenda fuit, ſic acriter, & vehementer prœliatus ſum, ut clamor, concurſuſque maxima cum mea laude fierent. quod ſi tibi umquam ſum viſus in Republ. fortis certè me in illa cauſa admiratus eſſes. cùm enim ille ad conciones confugiſſet; in iiſque meo nomine ad invidiam uteretur, dii immortales quas ego pugnas, & quantas ſtrages edidi? quos impetus in Piſonem, in Curionem, in totam illam manum feci? quo modo ſum inſectatus levitatem ſenum, libidinem juventutis? ſæpe, ita me dii juvent, te non ſolùm auctorem conſiliorum meorum, verùm etiam ſpectatorem pugnarum mirificarum deſideravi. poſtea verò quam Hortenſius excogitavit, ut legem de religione Fufius Tribunus pleb. ferret; in qua nihil aliud à Conſulari rogatione differebat, niſi *judicum genus*; (in eo autem erant omnia) pugnavitque, ut ita fieret; quòd & ſibi, & aliis perſuaſerat, nullis illum judicibus effugere poſſe: contraxi vela, perſpiciens inopiam judicum; neque dixi quicquam pro teſtimonio, niſi quod erat ita notum, atque teſtatum, ut non

1. *Quem ego variè meis orationibus.*] Vulg. *quem in Ariſtrocratia ego variè meis, &c.* in Beſſarionis, Cavalcantis, Tornæſii, Urbinatis bibliothecæ uno, Palatinæ duobus mſſ. non comparent duo hæc vocabula, *in Ariſtocratia.*

2. *Proximè Pompejum.*] Ita Boſ. ex ſcid. Tornæſ. & Cruſell. neque aliter etiam ex loco Diomedis, corrupto tamen, ſe reſtituiſſe ait Lambinus. vulgata *proximus Pompejo.*

3. *Ab illo apertè, tectè.*] Junius ex mſſ. Palat. *ab illo apertè tacito.* Gulielmius malebat, *ab illo teſte aperte quidquid eſt datum, &c.*

4. Ἐνεπερπερευσάμην.] Ita ex meliore ſuo libro emendavit Victorius, quum antea haberetur ἐνεπειρευσάμην, cui accedit Turnebus d. cap. 3. editio Lamb. ἐνεπερπερευσάμην habet; quomodo legendum conjiciebat Manutius.

5. Περίοδοι ἢ καμπαί.] Olim legebatur ἐπιχειρήματα, quod ex vetere libro emendavit Victorius in περίοδοι ἢ καρποὶ, &c. quum autem poſt Victorium vocem illam καρποὶ non intellexiſſet Boſius, auſus eſt illam in καμπαὶ mutare; quam mutationem etſi acutam agnoſcat Junius, tamen ex conſenſu mſſ. mavult vocem καπνοὶ, quam ibidem explicat: tu vide.

6. *De utilitate.*] Vulg. *vilitate.*

7. *Iſtim.*] Vulgo *Hinc.*

8. *Convicium Piſoni.*] Codex Tornæſ. habet *commulcium*, quam lectionem probam eſſe: & genuinam aſſerit Junius.

9. *Fuf. tribun. tum conceſſit.*] Sic Boſius ex Tornæſ. Huraltino, & Cruſell. quod probant Manutius & Junius. vulgo, *tertium conceſſit*, quod Beſſar. & Cavalc. libros habere teſtatur Manut. ut & legitur in antiquiore Victoriano. Octavius Pantagathus & Anton. Auguſt. emendarunt, *Fufius trib. plebis interceſſit*; quæ emendatio non uſque adeo Junio placet. Gulielmius annotat, forte legendum; *Fufius tr. tum Coſ. ceſſit.*

10. *Concionem qua.*] Vulg. *Concionem in qua.*

11. *Nunc ut ad privata redeam,* Τεῦκρις.] Vulg. *nunc ad privata redeam,* Τεῦκρος.

12. *Vide hominem valde petiturire. Navabo.*] Eſt Turnebi emendatio libro IX. Adv. cap. 3. quam ſequuntur Boſius & Lambinus nec longe ab hac recedit Tornæſianus. vulgò, *Videro hominem, valde petitur. renavabo, &c.*

13. *Curaque effice.*] Vulg. *Curaque & effice.*

14. *Valde haveo ſcire.*] Cod. Tornæſ. *valde habeo ſcire.* vulg. *Aveo.*

non poſſem præterire. itaque, ſi cauſam quæris abſolutionis, (ut jam πρὸς τὸ πρότερον revertar) egeſtas judicum fuit, & turpitudo. Id autem ut accideret, commiſſum eſt Hortenſii conſilio. qui dum veritus eſt, ne Fufius ei legi intercederet, quæ ex s. c. ferebatur, non vidit illud, SATIUS eſſe, illum in infamia relinqui ac ſordibus, quàm infirmo judicio committi. ſed ductus odio properavit rem deducere in judicium; cùm illum plumbeo gladio jugulatum iri tamen diceret. Sed judicium, ſi quæris, quale fuerit? incredibili exitu; ſic, uti nunc *ex eventu* ab aliis, à me tamen ex ipſo initio conſilium Hortenſii [1] reprehendatur. nam ut rejectio facta eſt clamoribus maximis; cùm accuſator, tamquam Cenſor bonus, homines nequiſſimos rejiceret: reus, tamquam clemens laniſta, frugaliſſimum quemque ſecerneret; ut primum judices conſederunt; valde diffidere boni cœperunt. non enim umquam turpior in ludo talario conſeſſus fuit. maculoſi Senatores, nudi Equites, [2] tribuni non tam ærati, quàm, ut appellantur *ærarii*. pauci tamen boni inerant, quos rejectione fugare ille non potuerat; qui mœſti inter ſui diſſimiles, & mœrentes ſedebant, & contagione turpitudinis vehementer permovebantur. hîc, ut quæque res ad conſilium primis poſtulationibus referebatur, incredibilis erat ſeveritas, nulla varietate ſententiarum: nihil [3] impetrarat reus: plus accuſatori dabatur, quàm poſtulabat: triumphabat (quid quæris?) Hortenſius ſe vidiſſe tantum: nemo erat, qui illum reum, ac non millies condemnatum arbitraretur. me verò teſte producto, credo te ex acclamatione Clodii advocatorum audiſſe, quæ conſurrectio judicum facta ſit, ut me circumſteterint, ut apertè *jugula ſua* pro meo capite P. Clodio oſtentarint. quæ mihi res multo honorificentior viſa eſt, quàm aut illa, cùm jurare tui cives Xenocratem teſtimonium dicentem prohibuerunt; aut cùm tabulas Metelli Numidici, cùm hæ, ut mos eſt, circumferrentur, noſtri judices aſpicere noluerunt; multo hæc, inquam, noſtra res major. Itaque judicum vocibus, cùm ego ſic ab iis, ut ſalus patriæ, defenderer, fractus reus, & una patroni omnes conciderunt. ad me autem eadem frequentia poſtridie convenit, qua cùm abiens Conſulatu ſum domum reductus. clamare præclari Ariopagitæ, ſe non eſſe venturos, niſi *præſidio* conſtituto. refertur ad conſilium; una ſola ſententia præſidium non deſideravit. defertur res ad Senatum; graviſſimè, ornatiſſimeque decernitur: laudantur judices: datur negotium magiſtratibus: reſponſurum hominem nemo arbitrabatur. [4] *ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι, Ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε.* noſti Calvum, ex Nannejanis illum, illum laudatorem meum, de cujus oratione erga me honorifica ad te ſcripſeram. biduo per unum ſervum, & eum ex gladiatorio ludo, confecit totum negotium: accerſivit ad ſe, promiſit, interceſſit, dedit. jam verò (ô dii boni, rem perditam) etiam *noctes* certarum mulierum, atque adoleſcentulorum nobilium introductiones non nullis judicibus pro mercedis cumulo fuerunt. ita, ſummo diſceſſu bonorum, pleno foro ſervorum, [5] xxv. judices ita fortes tamen fuerunt, ut, ſummo propoſito periculo, vel perire maluerint, quàm perdere omnia. XXXI fuerunt quos *fames* magis, quàm *fama*, commoverit. quorum Catulus cùm vidiſſet quendam, Quid vos, inquit, [6] præſidium à nobis poſtulabatis? an, ne nummi vobis eriperentur, timebatis? Habes, ut breviſſimè potui, genus judicii, & cauſam abſolutionis. Quæris deinceps, [7] qui nunc ſit ſtatus rerum, & qui meus. Reipub. ſtatum illum, quem tu meo conſilio, ego divino confirmatum putabam, qui bonorum omnium conjunctione, & auctoritate Conſultatus mei fixus, & fundatus videbatur, niſi quis nos deus reſpexerit, elapſum ſcito eſſe de manibus uno hoc judicio: ſi *judicium* eſt, triginta homines populi Romani leviſſimos, ac nequiſſimos, nummulis acceptis, jus, ac fas omne delere, &, quod omnes non modò homines, verum etiam pecudes [8] factum eſſe ſciant, id, Talnam, & Plautum, & Spongiam, & ceteras hujuſmodi quiſquilias ſtatuere, numquam eſſe factum. ſed tamen, ut te de Repub. conſoler, non ita, ut ſperarunt mali, tanto impoſito Reipub. vulnere, alacris exultat *improbitas* in victoria. nam planè ita putaverunt, cùm religio, cùm pudicitia, cùm judiciorum fides, cùm ſenatus auctoritas concidiſſet, fore, ut apertè victrix nequitia, ac libido pœnas ab optimo quoque peteret ſui doloris, quem improbiſſimo cuique inuſſerat ſeveritas Conſulatus mei. Idem ego ille, (non enim mihi videor inſolenter gloriari, cùm de me apud te loquor, in ea præſertim epiſtola, quam nolo aliis legi) idem, inquam, ego recreavi afflictos animos bonorum unumquemque [9] confirmans, excitans. inſectandis verò, exagitandiſque nummariis judicibus, omnem omnibus ſtudioſis, ac fautoribus illius victoriæ παρρησίαν eripui: Piſonem Conſulem nulla in re conſiſtere unquam ſum paſſus: *deſponſam* homini jam Syriam ademi: Senatum ad priſtinam ſuam ſeveritatem revocavi, atque abjectum excitavi: Clodium præſentem fregi in ſenatu, cùm oratione perpetua, pleniſſima gravitatis, tum altercatione ejuſmodi, ex qua licet pauca deguſtes. nam cetera [10] non poſſunt habere neque vim, neque venuſtatem, [11] remoto illo ſtudio *contentionis*, quem ἀγῶνα vos appellatis. Nam, ut Idib. Maii in Senatum convenimus, rogatus ego ſententiam, multa dixi [12] de ſumma Republica, atque ille locus inductus à me eſt divinitus; NE, UNA PLAGA accepta, patres conſcripti conciderent, ne deficerent: vulnus eſſe ejuſmodi, quod mihi nec diſſimulandum, ne pertimeſcendum videretur: [13] ne aut metuendo ignaviſſimi, aut ignorando ſtultiſſimi judicaremur. bis abſolutum eſſe Lentulum, bis Catilinam: hunc tertium jam eſſe à judicibus in Remp. immiſſum. Erras Clodi, non te judices urbi ſed carceri reſervarunt; [14] neque te retinere in civitate, ſed exilio privare voluerunt. Quamobrem, patres conſcripti, erigite animos, retinete veſtram dignitatem. manet illa in Rep. bonorum conſenſio: dolor acceſſit bonis viris; virtus non eſt imminuta: nihil eſt damni factum novi: ſed, quod erat, inventum eſt in unius hominis perditi judicio. plures ſimiles reperti ſunt. Sed quid ago? pæne orationem in epiſtolam incluſi. Redeo ad altercationem.

1. *Reprehendatur.*] Vulg. *reprehendebatur.*

2. *Tribuni non tam ærati, quam ut appellantur ærarii.*] Ita codd. Memm. Tornæſ. Huralt. ita & antiquior codex Victorii. prius erat, *tribuni non tam ærarii quàm ut appellantur ærati.* Lambinus notat quoſdam legere, *tribuni non tam ærarii ut appellantur quàm ærati.*

3. *Impetrarat.*] Vulg. *impetrabat.*

4. *Ἔσπετε νῦν.*] Ita reſtituit Victor. tum veſtigia veræ lectionis, quam Germani in ſuo codice invenerunt, tum etiam probatiorem ſuam ſequutus; quum antea legeretur,

Ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες.

verba autem illa abeſſent,

Ὅππως δὴ πρῶτον, &c.

5. xxv.] Sic bis reſtituit Boſ. ex Decurt. quum antea eſſet xx. ut & infra etiam bis xxxi. pro xxx.

6. *Præſidium à nobis.*] Eſt Boſii ex ſcidis & Tornæſ. non tamen improbat vulg. editionem quæ habet, *præſidium vobis.*

7. *Qui nunc ſit ſtatus rerum, &c.*] Vulg. *quis nunc ſit ſtatus Reip. & qui.*

8. *Factum eſſe ſciant.*] Vulg. *ſciebant.*

9. *Confirmans, excitans.*] *Confirmans & excitans* eſt in vulgato.

10. *Non poſſunt habere neque.*] Vulg. *non poſſunt habere eandem, neque, &c.*

11. *Remoto illo ſtudio contentionis.*] Gulielmius conjiciebat *ſtadii*, quod ipſum ferè requirit ſequens vox ἀγῶνα.

12. *De ſumma Rep.*] Vulg. *de ſumma reip.* quod melius habebatur Gulielmio.

13. *Ne aut metuendo.*] Hoc membrum quod teſte Victorio deerat, ſe repoſuiſſe gloriatur Lamb. ex codd. Memm. Ceterum in editione Lamb. ordine inverſo hæc ita leguntur, *n. a. ig. ſt. aut n. ignaviſſimi.*

14. *Neque te retinere.*] *Te*, abeſt à vulg.

nem. Surgit pulchellus puer: objicit mihi [1] me ad Bajas fuiſſe. falſum: ſed tamen [2] quid hoc? ſimile eſt, inquam, quaſi dicas in operto fuiſſe. quid, inquit, homini Arpinati cum *aquis caldis*? narra, inquam, patrono tuo, qui *Arpinates* aquas concupivit: [3] noſti enim Marinas. Quouſque, inquit, hunc *regem* feremus? regem appellas, inquam, cùm Rex tui mentionem nullam fecerit? ille autem Regis hereditatem ſpe devorarat. Domum, inquit, emiſti. [4] putes, inquam, dicere, *judices* emiſti: juranti, inquit, tibi non crediderunt. mihi verò, inquam xxv. judices crediderunt: xxxi, quoniam nummos ante acceperunt, tibi nihil crediderunt. magnis clamoribus afflictus conticuit, & concidit. Noſter autem ſtatus eſt hic. apud bonos iidem ſumus, quos reliquiſti; apud ſordem urbis, & fæcem [5] multò meliùs nunc, quàm reliquiſti. nam & illud nobis non obeſt, videri noſtrum teſtimonium non valuiſſe. miſſus eſt ſanguis *invidiæ* ſine dolore, atque etiam hoc magis, quòd omnes illi fautores illius flagitii rem manifeſtam illam redemptam eſſe à judicibus confitentur. Accedit illud, quòd illa concionalis *hirudo* ærarii, miſera, ac jejuna plebecula, me ab hoc Magno unicè diligi putat: & hercule multa & jucunda conſuetudine conjuncti inter nos ſumus, uſque eò, ut noſtri iſti [6] commiſſatores conjurationis, barbatuli juvenes, illum in ſermonibus Cnæum Ciceronem appellent. itaque [7] & ludis, & gladiatoribus mirandas ἐπισημασίας ſine ulla *paſtoricia fiſtula* auferebamus. [8] nunc eſt exſpectatio comitiorum: in qua omnibus invitis trudit noſter Magnus Auli filium: atque in eo neque auctoritate, neque gratia pugnat, ſed quibus Philippus OMNIA CASTELLA expugnari poſſe dicebat, in quæ modò aſellus onuſtus auro poſſet aſcendere. Conſul autem ille, [9] Doterionis hiſtrionis ſimilis, ſuſcepiſſe negotium dicitur, & domi diviſores habere: quod ego non credo. ſed S. C. duo jam facta ſunt, odioſa, quòd in Conſulem facta putantur, Catone & Domitio poſtulante; unum, ut apud magiſtratus inquiri liceret; alterum, [10] cujus domi diviſores habitarent, adverſus Remp. Lurco autem Tribunus pleb. qui magiſtratum ſimul cum lege Ælia iniit, ſolutus eſt & Ælia, & Fufia, ut legem de ambitu ferret; quam ille bono auſpicio *claudus homo* promulgavit. ita comitia [11] in ante diem VI. KAL. Sext. dilata ſunt. novi eſt in lege hoc, ut, qui nummos in tribu pronuntiarit, ſi non dederit, impune ſit; ſin dederit, ut quoad vivat, [12] ſingulis tribubus H-S CIↃ CIↃ CIↃ debeat. dixi, hanc legem P. Clodium jam ante ſervaſſe: pronuntiare enim ſolitum eſſe, & non dare. Sed heus tu, videſne Conſulatum illum noſtrum, quem Curio antea ἀποθέωσιν vocabat, ſi hic factus erit, [13] fabam imûm futurum? quare, ut opinor φιλοσοφητέον, id quod tu facis, & iſtos Conſulatus [14] non flocci ἐατέον. Quod ad me ſcribis, te in Aſiam ſtatuiſſe non ire, equidem mallem, ut ires: ac vereor, ne quid in iſta re minùs commodè fiat. ſed tamen non poſſum reprehendere conſilium tuum, præſertim cùm egomet in provinciam non ſim profectus. Epigrammatis tuis, quæ in Amaltheo poſuiſti, contenti erimus, præſertim cùm & Chilius nos reliquerit, & Archias nihil de me ſcripſerit: ac vereor ne, [15] Lucullis quoniam Græcum poëma condidit, nunc ad Cæcilianam fabulam ſpectet. Antonio tuo nomine gratias egi; eamque epiſtolam Manlio dedi. Ad te ideo antea rariùs ſcripſi, quòd non habebam idoneum, cui darem; [16] nec ſatis ſciebam, quid darem. [17] vile te venditari. Cincius ſi quid ad me tui negotii detulerit, ſuſcipiam. ſed nunc magis in ſuo eſt occupatus; in quo ego ei non deſum. Tu, ſi uno in loco es futurus, crebras à nobis literas, expecta; aſt plures etiam ipſe mittito. Velim, ad me ſcribas, cujuſmodi ſit Ἀμαλθεῖον tuum, quo ornatu, qua τοποθεσίᾳ; & quæ poëmata, quaſque hiſtorias de Ἀμαλθείᾳ habes, ad me mittas. lubet mihi facere in Arpinati. Ego tibi aliquid de meis ſcriptis mittam. nihil erat abſoluti.

CICERO ATTICO S.

MAGNA mihi varietas voluntatis, & diſſimilitudo opinionis, ac judicii Quinti fratris mei, demonſtrata 17
eſt ex litteris tuis, in quibus ad me epiſtolarum illius exempla miſiſti. qua ex re & moleſtia ſum tanta affectus, quantam mihi meus amor ſummus erga utrumque veſtrum afferre debuit; & admiratione, quidnam accidiſſet, quod afferret Quinto fratri meo, aut offenſionem tam gravem, aut *commutationem* tantam voluntatis. atque illud à me jam ante intelligebatur, quod te quoque ipſum diſcedentem à nobis ſuſpicari videbam, ſubeſſe neſcio quid opinionis incommodæ, ſauciumque ejus animum; & inſediſſe quaſdam odioſas *ſuſpiciones*: quibus ego mederi cùm cuperem antea ſæpe, & vehementiùs etiam poſt ſortitionem provinciæ, nec tantum intelligebam ei eſſe offenſionis, quantum literæ tuæ declarant; nec tantum proficiebam, quantum volebam. ſed tamen hoc me ipſe conſolabar, quod non dubitabam, quin te ille aut Dyrrhachii, aut in iſtis locis uſpiam viſurus eſſet. quod cùm accidiſſet; confidebam, ac

1. *Me ad Bajas fuiſſe. Falſum.*] *Factum*, legendum eſſe conjicit Lambinus: *ſalſum*, Manutius.

2. *Quid hoc? ſimile.*] Boſ. ex mſſ. ut & Lambinus. formis prius impreſſi habent, *quid huic ſimile, &c.*

3. *Noſti enim Marinas.*] *Marinas* legit Ant. Auguſtinus & ita eſſe in manuſcripto codice teſtatur Urſinus.

4. *Putes.*] Vulg. *putas.*

5. *Multo melius nunc, quam.*] A vulg. abeſt *nunc.*

6. *Commiſſatores.*] Ita Victorius ex mſ. quod reprehendit Lambinus, & legit *comiſſatores* unico *m.* vulgò *comeſſatores.* Unum mſ. Palat. *commenſatores*, habet; quod non ineptum videtur Junio; prioribus tamen lectionibus non præfert.

7. *Et ludis & gladiatoribus.*] Ita ſe ex mſ. repoſuiſſe ait Victorius quum prius legeretur, *Itaque & ludentes gladiatoribus.*

8. *Nunc eſt exſpectatio comitiorum: in qua omnibus invitis trudit noſter Magnus Auli filium.*] Vulg. *in quæ omnibus invitis trudit noſter magnus Auli F.* Cæterum pro A. F. & hic & in ultima epiſtola hujus libri legit Lipſius A. F. id eſt *Afranium.* videatur libro III. variarum lectionum cap. ultimo.

9. *Doterionis hiſtrionis.*] Eſt Boſii ita conjicientis ex vitioſa mſſ. ſuorum ſcriptura. at Junius, etſi acutiſſimam conjecturam laudet, vulgatam, *deterioris*, tamen retinendum cenſet. retinebat item Gulielmius, tanquam repentè reſpiceret Tullius ad Prologum Plautini Amphytruonis, verſu 67. & ſequentibus.

10. *Cujus domi diviſores habitarent.*] Vulgò, *cujuſmodi diviſores haberent.* Beſſarionis & Cavalcantis libri, *habitarent*; quibus vulgatam lectionem præfert Junius.

11. *In ante diem VI. Kal.*] *In ante II. Kal.* vulgata.

12. *Singulis tribubus H-S CIↃ CIↃ CIↃ.*] Ita credo Victorius, quum ante eſſet H-S CCCXXXV. Germani *tribulibus* pro *tribubus* legunt.

13. *Fabam imûm futurum.*] Ita Boſius ex vitioſa ſcriptura Decurtati, in quo, *faba minium*, & aliis veteribus, in quibus, *fabam mimum*, in illo retrahenda littera à capite ſequentis ad calcem prioris; in hoc verò detrahenda eſt littera capitalis. Victorius quid hic ſtatuere debeat neſcit, aitque manuſcriptos meliores habere *faba minimum.* Junius ex duobus mſſ. Palatinis legit, *fabam minimum, &c.* quem vide. Lambinus mavult ex codd. Memm. & Tornæſ. *fabam mimum*: Paſſeratius ex conjectura, *Afran. mimum.* Manutius, *fabulam numinum*, reponit; P. Magnulus & Muretus, *fabulam mimum* conjiciebant.

14. *Non flocci ἐατέον.*] Sic Turnebus ex conjectura, ad quam proximè accedere ait ſcripturam ſcidarum Boſius. Victorius, Manutius, Lambinus ex mſſ. & ratione, *flocci facteon* retinendum eſſe contendunt. Junius ait mſ. optimum Palat. habere *flocci φατέον* quod laudat, idque Turneb. l. 9. Adverſ. cap. 1. agnoviſſe videtur. vulgo legitur ἐλαφητέον.

15. *Lucullis.*] Eſt Boſii ex Decurt. vulg. *Lucullus*, quod laudat Junius.

16. *Nec ſatis ſciebam quid darem.*] Urſ. mſ. *quo darem.*

17. *Vile te venditari.*] Ita reponit Boſius partim ex conjectura, partim ſequutus mſſ. lectionem, quam Tornæſ. & Huralt. habebant, *vale te venditari.* Decurt. *vile te venditari.* Cruſell. *vale te venditari.* Junius ex mſſ. Palat. *vale te vindicari*, & addit eoſdem mſſ. paullo poſt habere, *Iterum vale.* vulgò, *te valde vindicari.*

ac mihi perſuaſeram fore, ut omnia placarentur inter vos non modò ſermone, ac diſputatione, ſed [1] *conſpectu* ipſo congreſſuque veſtro. nam, quanta ſit in Quinto fratre meo comitas, quanta jucunditas, quam mollis animus & ad accipiendam, & ad deponendam offenſionem, nihil attinet me ad te, qui ea noſti, ſcribere. ſed accidit perincommode, quòd eum nuſquam vidiſti. valuit enim plus, quod erat illi nonnullorum artificiis inculcatum, quam aut officium, aut neceſſitudo, aut amor veſter ille priſtinus, qui plurimùm valere debuit. Atque hujus incommodi *culpa* ubi reſideat, faciliùs poſſum exiſtimare, quam ſcribere. vereor enim, ne, dum defendam meos, non parcam tuis. nam ſic intelligo; ut nihil a domeſticis vulneris factum ſit, illud quidem, quod erat, eos certè ſanare potuiſſe. ſed hujuſce rei totius vitium, quod aliquanto etiam latiùs patet, quàm videtur, præſenti tibi commodiùs exponam De iis literis, quas ad te Theſſalonica miſit, & de ſermonibus, quos ab illo Romæ apud amicos tuos, & in itinere habitos putas; ecquid tantum cauſæ ſit, ignoro: ſed omnis in tua poſita eſt humanitate mihi ſpes hujus levandæ moleſtiæ. nam, ſi ita ſtatueris, & IRRITABILEIS animos eſſe [2] optimorum ſæpe hominum, & eoſdem placabileis; & eſſe hanc agilitatem, ut ita dicam, [3] mollitiamque naturæ plerumque bonitatis, &, id quod caput eſt, *nobis inter nos* noſtra ſive incommoda, ſive vitia, ſive injurias eſſe tolerandas; facilè hæc, quemadmodum ſpero, mitigabuntur. quod, ego, ut facias, [4] te oro. nam ad me, qui te unicè diligo, maximè pertinet, neminem eſſe meorum, qui aut te non amet, aut abs te non ametur. Illa pars epiſtolæ tuæ minimè fuit neceſſaria, in qua exponis, quas facultates aut provincialium, aut urbanorum commodorum, & aliis temporibus, & me ipſo Conſule, prætermiſeris. mihi enim perſpecta eſt [5] ingenuitas, & magnitudo animi tui: neque ego inter me, atque te quicquam *intereſſe* umquam duxi, præter voluntatem inſtitutæ vitæ: quod me ambitio quædam ad honorum ſtudium, te autem alia minimè reprehendenda ratio ad honeſtum otium duxit. vera quidem laude probitatis, diligentiæ, religionis, neque me tibi, neque quemquam antepono. amoris verò erga me, cùm à fraterno amore, domeſticoque diſceſſi, tibi primas defero. vidi enim, vidi, penituſque perſpexi in meis *variis temporibus* & ſollicitudines, & lætitias tuas. fuit mihi ſæpe & laudis noſtræ gratulatio tua jucunda, & timoris conſolatio grata. quin mihi nunc, te abſente, non ſolùm conſilium, quo tu excellis, ſed etiam ſermonis communicatio, quæ mihi ſuaviſſima tecum ſolet eſſe, maximè deeſt. quid dicam? [6] in publicane re? quo in genere mihi negligenti eſſe non licet; an in forenſi labore? quem antea propter ambitionem ſuſtinebam; nunc, ut dignitatem tueri gratia poſſim; an in ipſis domeſticis negotiis? in quibus ego cùm antea, tum verò poſt diſceſſum fratris, te, ſermoneſque noſtros deſidero. poſtremò non labor meus, non requies; non negotium, non otium; non forenſes res, non domeſticæ, non publicæ, non privatæ carere diutiùs tuo ſuaviſſimo, atque amantiſſimo conſilio, ac ſermone poſſunt. Atque harum rerum commemorationem verecundia ſæpe impedivit utriuſque noſtrum. nunc autem ea fuit neceſſaria propter eam partem epiſtolæ tuæ, per quam te, ac mores tuos mihi purgatos, ac probatos eſſe voluiſti. Atque in iſta incommoditate alienati illius animi, & offenſi, illud ineſt tamen commodi, quod & mihi, & ceteris amicis tuis nota fuit, & abs te aliquando teſtificata tua voluntas omittendæ provinciæ; ut quòd *una non eſtis*, non diſſenſione, ac diſcidio veſtro, ſed voluntate, ac judicio tuo factum eſſe videatur. quare & illa, quæ violata, expiabuntur; & hæc noſtra, quæ ſunt ſanctiſſimè conſervata, ſuam religionem obtinebunt. Nos hîc in Rep. infirma, miſera, commutabilique verſamur. credo enim te audiſſe, noſtros Equites pæne à Senatu eſſe *disjunctos*; qui primùm illud valde graviter tulerunt, promulgatum ex S C. fuiſſe, ut de iis, [7] qui ob judicandum pecuniam accepiſſent, quæreretur. qua in re decernenda cùm ego caſu non affuiſſem, ſenſiſſemque id Equeſtrem ordinem ferre moleſtè, neque apertè dicere; objurgavi Senatum, ut mihi viſus ſum, ſumma cum auctoritate; & in cauſa non verecunda, admodum gravis, & copioſus fui. Ecce aliæ deliciæ Equitum, vix ferendæ, quas ego non ſolum tuli, ſed etiam ornavi. Aſiani, qui de Cenſoribus [8] conduxerant, queſti ſunt in ſenatu, ſe, *cupiditate prolapſos*, nimiùm magno conduxiſſe: ut induceretur locatio, poſtulaverunt. ego princeps in adjutoribus, atque adeo ſecundus. nam, ut illi auderent hoc poſtulare, Craſſus eos impulit. invidioſa res, turpis poſtulatio, & confeſſio temeritatis. ſummum erat periculum, ne, ſi nihil impetraſſent, planè alienarentur à Senatu. huic quoque rei ſubventum eſt maximè à nobis; perfectumque, ut frequentiſſimo Senatu, & libentiſſimo uterentur, multaque à me de ordinum dignitate, & concordia dicta ſunt KAL. Decemb. & poſtridie. neque adhuc res confecta eſt, ſed voluntas Senatus perſpecta. unus enim contradixerat Metellus Conſul deſignatus. [9] quin erat dicturus (ad quem propter diei brevitatem perventum non eſt) heros ille noſter Cato. ſic ego conſervans rationem, inſtitutionemque noſtram, tueor, ut poſſum, illam à me conglutinatam concordiam. ſed tamen, quoniam iſta ſunt infirma, *munitur* quædam nobis ad retinendas opes noſtras tuta, ut ſpero, via, quam tibi litteris ſatis explicare non poſſum; ſignificatione parva oſtendam tamen. utor Pompejo familiariſſimè video, quid dicas. cavebo, quæ ſunt cavenda: ac ſcribam alias ad te de meis conſiliis capeſſendæ Reip plura. Lucceјum ſcito Conſulatum habere in animo ſtatim petere. duo enim ſoli dicuntur petituri. Cæſar cum eo coire per Arrium cogitat: & Bibulus cum hoc ſe putat per C. Piſonem poſſe conjungi. Rides? non ſunt hæc ridicula, mihi crede. Quid aliud ſcribam ad te? quid? multa ſunt: ſed in aliud tempus. [10] Te ſi expectari velis, cures, ut ſciam. jam illud modeſtè rogo, quòd maximè cupio, ut quamprimum venias. Nonis Decemb.

CICERO ATTICO S. 18

NIHIL mihi nunc ſcito tam deeſſe, quàm hominem eum, [11] quocum omnia, quæ me cura aliqua afficiunt, una *communicem*: qui me amet, qui ſapiat, quicum ego colloquar, nihil fingam, nihil diſſimulem, nihil obtegam. abeſt enim frater ἀφελέστατος, [12] & amantiſſimus: Metellus non homo, ſed littus, atque aër, & ſolitudo mera: tu autem, qui ſæpiſſimè curam, & angorem animi mei ſermone, & conſilio levaſti tuo; qui mihi & in publica re ſocius, & in privatis omnibus conſcius, & omnium meorum ſermonum, & conſiliorum particeps eſſe ſoles, ubinam es?

1. *Conſpectu ipſo.*] Vulg. *adſpectu.*
2. *Optimorum hominum.*] *Virorum* pro *hominum* quoſdam reponere auctor eſt Lambinus.
3. *Mollitiamque.*] Vulgo *Mollitiemque.*
4. *Te oro.*] Vulgo *te rogo.*
5. *Ingenuitas.*] Ita eſt in Tornæſ. teſte Lambino. vulgo *integritas.*
6. *In publicane re.*] Hoc modo Boſius ex Decurt. & Tornæſ. vulgata, *in publica re.*
7. *Qui ob judicandum pecuniam accepiſſent.*] Τὸ *pecuniam* Malaſp. ab omnibus mſſ. ſuis & Lambinus a Memm. Huralt. & Turnæſ. abeſſe teſtantur. quid ni ergo deleatur?
8. *Conduxerant.*] Vulg. *conduxerunt.*
9. *Quin erat dicturus.*] Boſius ex Decurt. & Cruſell. nam vulg. *qui erat dicturus.*
10. *Te ſi expectari velis.*] *Te quoad expectari velis*, publicati alii.
11. *Quocum.*] Et hîc, & infra in vulg. legitur *quicum.*
12. *Et amantiſſimus: Metellus.*] Ita etiam diſtinguit Manutius. vulgo *& amantiſſimus Metellus*, &c. ſed neque hanc, neque illam diſtinctionem admittit Junius: Lambini tamen interpretationem probat. ipſe verò ex depravatione mſſ. hanc lectionem elicere conatur, *amantiſſimus mei*, *bellus non homo*; Malaſpinæ qui ita emendabat, *amantiſſimus mei, non homo, ſed litus atque aer*, aſſentitur Lambinus.

1. *Ita*

es? [1] ita ſum ab omnibus deſtitutus, ut tantum requietis habeam, quantum cum uxore, & filiola, & mellito Cicerone conſumitur. nam illæ ambitioſæ noſtræ fucoſæque *amicitiæ* ſunt in quodam ſplendore forenſi; fructum domeſticum non habent. itaque, CUM BENE COMPLETA domus eſt, tempore matutino, [2] cùm ad forum ſtipati gregibus amicorum deſcendimus, reperire ex magna turba neminem poſſumus, quocum aut jocari liberè, aut ſuſpirare familiariter poſſimus. quare te exſpectamus, te deſideramus, te jam etiam arceſſimus. [3] multa enim ſunt, quæ me ſollicitant, anguntque, quæ mihi videor, aures nactus tuas, unius ambulationis ſermone exhaurire poſſe. Ac domeſticarum quidem ſollicitudinum aculeos omnes, & ſcrupulos occultabo: [4] neque ego huic epiſtolæ, atque ignoto tabellario committam. atque hi (nolo enim te permoveri) non ſunt permoleſti, ſed tamen inſident, & urgent, & nullius amantis conſilio, aut ſermone requieſcunt. In Rep. verò, quamquam animus eſt præſens, tamen voluntas etiam atque etiam [5] ipſa *medicinam* effugit. nam, ut ea breviter, quæ poſt tuum diſceſſum acta ſunt, colligam, jam exclames neceſſe eſt, *res Romanas diutiùs ſtare non poſſe.* etenim poſt profectionem tuam primus, ut opinor, introitus fuit in cauſam fabulæ Clodianæ: in qua ego nactus, ut mihi videbar, locum reſecandæ libidinis, & coërcendæ juventutis, vehemens fui, & omnes profudi vires animi, atque ingenii mei, non odio adductus alicujus, [6] ſed ſpe Reip. corrigendæ, & ſanandæ civitatis. afflicta Reſp. eſt empto, [7] ſtupratoque *judicio.* vide, quæ ſint poſtea conſecuta. Conſul eſt impoſitus is nobis; quem nemo præter nos *philoſophos* aſpicere [8] ſine ſuſpiratu poſſet. quantum hoc vulnus? facto SC. de ambitu, de judiciis, nulla lex perlata, exagitatus Senatus, alienati Equites Romani. ſic ille annus duo firmamenta Reip. per me unum conſtituta, evertit: nam & *Senatus auctoritatem* abjecit; & *ordinum concordiam* disjunxit. Inſtat hic nunc ille annus egregius. ejus initium ejuſmodi fuit, ut [9] anniverſaria ſacra Juventutis non committerentur. nam M. Luculli uxorem [10] Memmius ſuis ſacris initiavit. Menelaus, ægre id paſſus, divortium fecit. quamquam ille paſtor Idæus Menelaum ſolum [11] contempſerat: hic noſter Paris tam Menelaum, quam Agamemnonem liberum non putavit. Eſt autem C. Herennius quidam Tribunus pleb. quem tu fortaſſe ne noſti quidem: tametſi potes noſſe: tribulis enim tuus eſt; & Sextus, pater ejus nummos vobis dividere ſolebat. is ad plebem P. Clodium traducit; idemque fert, ut univerſus populus in campo Martio ſuffragium de re Clodii ferat. hunc ego accepi in Senatu; ut ſoleo: ſed nihil eſt illo homine *lentius.* Metellus eſt Conſul egregius, & nos amat; ſed imminuit auctoritatem ſuam, [12] quòd habet dicis cauſa promulgatum illud idem de Clodio. [13] Auli autem filius, ô dii immortales! quàm ignavus, ac ſine animo miles? quàm dignus, qui Palicano, ſicut facit, os ad malè audiendum quotidie præbeat? Agraria autem promulgata eſt à Flavio, ſanè levis, eadem ferè, quæ fuit Plotia. ſed interea πολιτικὸς ἀνὴρ οὐδ᾽ ὄναρ quiſquam inveniri poteſt. qui poterat, familiaris noſter (ſic eſt enim, volo te hoc ſcire) Pompejus togulam pictam ſilentio tuetur ſuam. Craſſus verbum nullum contra *gratiam*; ceteros jam noſti: qui ita ſunt ſtulti, ut amiſſa Repub. *piſcinas ſuas* fore ſalvas ſperare videantur. unus eſt, qui curet, conſtantia magis, & integritate, quàm, ut mihi videtur, conſilio, aut ingenio, Cato; qui miſeros Publicanos, quos habuit amantiſſimos ſui, tertium jam menſem vexat, neque iis à Senatu reſponſum dari patitur. ita nos cogimur reliquis de rebus nihil decernere ante, quàm Publicanis reſponſum ſit. quare etiam legationes rejectum iri puto. Nunc vides, quibus *fluctibus* jactemur: & ſi ex iis, quæ ſcripſimus, [14] tanta etiam à me non ſcripta perſpicis; reviſe nos aliquando, & quamquam ſunt hæc fugienda, quò te voco; tamen fac, ut amorem noſtrum tanti æſtimes, [15] ut eo vel cum his moleſtiis perfrui velis. nam, ne abſens cenſeare, curabo edicendum, & proponendum locis omnibus. ſub luſtrum autem *cenſeri*, germani negotiatoris eſt. quare cura, ut te quamprimum videamus. [16] Kal. Febr. Q. Metello, & L. Afranio coss.

CICERO ATTICO, S. 19

NON modò, ſi mihi tantum eſſet otii, quantum eſt tibi, verum etiam, ſi tam breves epiſtolas velim mittere, (quod ut ſoles facere) te ſuperarem, & in [17] ſcripto multo eſſem crebrior, quam tu: ſed ad ſummas, atque incredibiles occupationes meas accedit, quòd nullam à me epiſtolam ad te ſino abſque argumento, ac ſententia [18] pervenire. Et primùm tibi, ut æquum eſt, civi amanti patriam, quæ ſunt in Rep. exponam: deinde, quoniam tibi amore nos proximi ſumus, ſcribemus etiam de nobis ea, quæ ſcire te non nolle arbitramur. Atque in Rep. nunc quidem maximè Gallici belli verſatur metus. nam Edui, fratres noſtri, pugnant: Sequani [19] permalè pugnarunt: & Helvetii ſine dubio ſunt in armis, excurſioneſque in provinciam faciunt. Senatus decrevit, ut Conſules duas Gallias ſortirentur, delectus haberetur, *vacationes* ne valerent, legati cum auctoritate mitterentur, qui adirent Galliæ civitates, darentque operam, ne eæ cum Helvetiis ſe jungerent. legati ſunt Q. Metellus Creticus, & L. Flaccus, &, τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, Lentulus [20] Clodiani filius. Atque hoc loco illud non queo præterire, quòd, cum de Conſulari-

1. *Ita ſum ab omnibus deſtitutus.*] *Ab omnibus*, abeſt à vulg.

2. *Cum ad forum ſtip.*] Cod. Tornæſ. *cum ad eorum ſtip.* e pro f. errore librariis communi.

3. *Multa enim ſunt, quæ me ſollicitant, anguntque, quæ mihi videor.*] Ita codex Tornæſ. Victorius edidit; *multa enim quæ me ſollicitant anguntque, mihi videor.*

4. *Neque ego huic epiſtolæ.*] Urſino legendum videtur, *neque eos.*

5. *Ipſa medicinam effugit.*] Ita conjicit Boſ. ex lectione Tornæſ. Creſell. & Decurt. quæ ſic ſe habet, *ipſa medicinam effecit*, Boſianis reſpondere: ferme mſſ. Palatinos ait Junius, niſi quod in omnibus uno conſenſu, *medicina* legitur, quod probat.

6. *Sed ſpe reip. corrigendæ.*] Ita Boſ. ex Decurt. qui habet, *ſpe re-corrigendæ.* Lamb. legit *ſed ſpe & animo corrigendæ & ſanandæ civitatis*, ex Memm. codd. & Torn. qui, ut ait, habent, *ſed ſpero non corrigendæ ſed ſanandæ*; ſed id falſum eſſe aſſerit Boſius, quod dicit Lambinus de Tornæſ. neque ita legi; *ſed ſpere corrigendæ*, ibi exaratum eſſe contendit, Victor. ediderat; *ſed animo corrigendæ & ſervandæ civitatis.*

7. *Stupratoque.*] Vulg. *conſtupratoque.*

8. *Sine ſuſpiratu poſſet.*] Sic Boſius ex Decurt. Tornæſianus *ſi ſpiritu*, unde forte *ſuſpiritu*, verbum Apuleio familiare. vulg. *ſuſpiritu.* Pro *poſſet*, *poſſit* legit Faërnus probante Urſino.

9. *Anniverſaria ſacra juventutis.*] Sic habent meliores codd. teſte Victorio, in aliis erat *ſacra virtutis.* Lambinus legit *juventatis*, quam emendationem confirmat argenteus nummus Urſini.

10. *Memmius ſuis ſacris initiavit.*] Pridem ita ex mſſ. & ex lectione marginali Germanorum reſtituit Victorius, quum prius legeretur, *vitiavit.*

11. *Contempſerat.*] Vulg. *contempſerit.*

12. *Quod habet dicis cauſa promulgatum illud.*] Multos viros doctos ex Tornæſ. & aliis mſſ. emendaſſe ita hunc locum teſtantur Boſius & Junius. Antea legebatur, *quod habet, ut dicit, cauſam promulgatum quod idem, &c.* Manutius putabat aliquando ne poſſe corrigi; *ab re dicit cenſum promulgatum*, vel, *aveo, ut dicit cauſam promulgatum.*

13. *Auli autem filius.*] Sic in mſſ. legit Victorius: priores editiones habebant, *avet filius.* Lipſius, ut ſupra monuimus, legit, *Afranius autem.*

14. *Tanta etiam à me.*] *Tamen etiam, &c.* vulgati.

15. *Eo perfrui.*] Auctoribus libris antiquis ita ſcribit Boſius prius habebatur, *eo pervenire.*

16. *Kal. Febr.*] Vulg. XI. *Kal.*

17. *Scripto.*] *Scribendo* quoſdam reponere teſtis Manutius.

18. *Pervenire.*] Vulgò *venire.*

19. *Permalè.*] Boſianum eſt, ex ſcidis. quo accedit eodem teſte codex Tornæſ. qui habet, *puer malè*, ſed Lamb. ait Torn. habere *puer malam.* vulgo, *Sequani malè pugn.*

20. *Clodiani filius.*] Perſpicue ita ſcriptum erat in ſcidis Boſii; ſed & olim ita emendarant C. Sigonius & Manutius: neque aliter ex Gellii libris emendatum putabat Turnebus lib. XXIII. Adverſ. cap. 8. vulgò *Clodiæ filius.*

 1. Omnia

laribus mea prima ſors exiſtet, una voce Senatus frequens retinendum me *in urbe* cenſuit. hoc idem poſt me Pompejo accidit: ut nos duo, quaſi pignora Reip. retineri videremur. quid enim ego aliorum in me ἐπιφωνήματα exſpectem, cùm hæc domi naſcantur? Urbanæ autem res ſic ſe habent. Agraria lex à Flavio Tribuno pleb. vehementer agitabatur auctore Pompejo: quæ nihil *populare* habebat, præter auctorem. ex hac ego lege, ſecunda concionis voluntate, [1] omnia tollebam quæ ad privatorum incommodum pertinebant: liberabam agrum eum, qui P. Mucio, L. Calpurnio coſs. publicus fuiſſet: Sullanorum hominum poſſeſſiones confirmabam: Volaterranos, & [2] Arretinos, quorum agrum Sulla publicarat, neque diviſerat, in ſua *poſſeſſione* retinebam: unam rationem non rejiciebam, ut ager hac adventicia pecunia emeretur, quæ ex novis vectigalibus per quinquennium reciperetur. Huic toti rationi agrariæ Senatus adverſabatur, ſuſpicans Pompejo novam quandam potentiam quæri. Pompejus verò ad voluntatem perferendæ legis incubuerat. ego autem magna cum agrariorum gratia confirmabam omnium privatorum poſſeſſiones: (is enim eſt noſter exercitus, hominum, ut tute ſcis, locupletium) populo autem, & Pompejo (nam id quoque volebam) ſatisfaciebam emptione: qua conſtituta diligenter, & *ſentinam urbis* exhauriri; & Italiæ *ſolitudinem* frequentari poſſe arbitrabar. ſed hæc tota res interpellata bello refrixerat. Metellus eſt Conſul ſanè bonus, & nos admodum diligit. ille alter nihil ita eſt, ut planè, [3] quid emerit, neſciat. Hæc ſunt in Rep. niſi etiam illud ad Remp. putes pertinere, Herennium quendam, Tribunum pleb. tribulem tuum, ſane hominem nequam, atque egentem, ſæpe jam de P. Clodio ad plebem traducendo agere cœpiſſe. huic frequenter interceditur. Hæc ſunt, ut opinor, in Rep. Ego autem, ut ſemel Nonarum illarum Decembrium, [4] junctam invidia, ac multorum inimicitiis, eximiam quandam, atque immortalem gloriam conſecutus ſum; non deſtiti eadem animi magnitudine in Rep. verſari, & illam inſtitutam, ac ſuſceptam *dignitatem* tueri. ſed poſtea quàm primùm Clodii abſolutione levitatem, infirmitatemque judiciorum perſpexi; deinde vidi noſtros Publicanos facilè à Senatu disjungi, quamquam à me ipſo non divellerentur; tum autem beatos homines (hos *piſcinarios* dico, amicos tuos) non obſcurè nobis invidere: putavi, mihi majores quaſdam opes, & firmiora præſidia eſſe quærenda. itaque primùm eum, qui nimiùm diu de rebus noſtris tacuerat, Pompejum adduxi in eam voluntatem, ut in Senatu non ſemel, ſed ſæpe, multiſque [5] verbis hujus mihi ſalutem imperii, atque orbis terrarum adjudicarit. quod non tam interfuit mea, (neque enim illæ res aut ita ſunt obſcuræ, ut *teſtimonium*, aut ita dubiæ, ut *laudationem* deſiderent) quam Reip. quod erant quidam improbi, qui contentionem fore aliquam mihi cum Pompejo, ex rerum illarum diſſenſione arbitrarentur. cum hoc ego me tanta familiaritate conjunxi, ut uterque noſtrum in ſua ratione munitior, & in Rep. firmior hac conjunctione eſſe poſſit. odia autem illa libidinoſæ, & delicatæ juventutis, quæ erant in me incitata, ſic mitigata ſunt comitate quadam mea, me unum ut omnes illi colant. nihil jam denique à me aſperum in quemquam fit, nec tamen quicquam populare, ac diſſolutum; ſed ita *temperata* tota ratio eſt, ut Reip. conſtantiam præſtem, privatis rebus meis, propter infirmitatem bonorum, iniquitatem malivolorum, odium in me improborum, adhibeam quandam cautionem, & diligentiam, [6] atque ita amen, [7] ſi iis novis amicitiis implicati ſumus, ut crebrò mihi vafer ille Siculus inſuſurret Epicharmus cantilenam illam ſuam:

[8] Νῆφε, καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν
φρενῶν.

Ac noſtræ quidem rationis, ac vitæ quaſi quandam formam, ut opinor, vides. De tuo autem negotio ſæpe ad me ſcribis, cui mederi nunc non poſſumus. eſt enim illud s.c. ſumma *pedariorum* voluntate nullius noſtrum auctoritate factum. [9] nam, quòd me iſſe ad ſcribendum vides, ex ipſo s. c. intelligere potes, aliam rem tum relatam, hoc autem de populis liberis, ſine cauſa additum, & ita factum eſt à P. Servilio filio, qui in poſtremis ſententiam dixit; ſed immutari hoc tempore non poteſt. itaque conventus, qui initio celebrabantur, jam diu fieri deſierunt, tu ſi tuis blandiciis tamen à Sicyoniis nummulorum aliquid expreſſeris, velim, me facias certiorem. Commentarium Conſulatus mei Græcè compoſitum miſi ad te; in quo ſi quid erit, quod homini Attico minùs Græcum, eruditumque videatur; non dicam quod tibi, ut opinor, Panormi [10] Lucullus de ſuis hiſtoriis dixerat; ſe, quò faciliùs illa *probaret* Romani hominis eſſe, idcirco barbara quædam [11] & σόλοικα diſperſiſſe. apud me ſi quid erit ejuſmodi, me imprudente erit, & invito. Latinum ſi perfecero, ad te mittam. tertium poëma expectato, ne quod genus à me ipſo laudis meæ prætermittatur. hîc tu, cave, dicas, [12] τίς πατέρ' αἰνήσει, ſi eſt enim apud homines quidquam, quod potius ſit, laudetur; nos vituperemur, qui non potiùs alia laudemus. quamquam non ἐγκωμιαστικὰ ſunt hæc, ſed ἱστορικὰ, quæ ſcribimus. Quintus, frater [13] purgat ſe multum per litteras, & affirmat, nihil à ſe cuiquam de te ſecus eſſe dictum. verùm hæc nobis coram ſumma cura, & diligentia ſunt agenda; tu modo nos reviſe aliquando. Coſſinius hic, cui dedi litteras, valde mihi bonus homo, & non levis, & amans tui viſus eſt, & talis, qualem eſſe eum tuæ mihi litteræ [14] nuntiarant. Idibus Mart.

CICERO ATTICO S. 20

CUM è Pompejano me Romam recepiſſem A.D. IIII. Idus Maji, Cincius noſter eam mihi abs te epiſtolam reddidit, quam tu Idibus Feb. dederas. ei nunc epiſtolæ literis his reſpondebo. Ac primùm, tibi perſpectum eſſe judicium de te meum, lætor; deinde, te in iis rebus, quæ mihi aſperiùs à nobis, atque noſtris, & injucundiùs actæ videbantur, moderatiſſimum fuiſſe, vehementiſſimè gaudeo; idque neque amoris mediocris, & ingenii ſummi, ac ſapien-

1. *Omnia tollebam quæ.*] Vulgo, *omnia illa tollebam quæ.*

2. *Arretinos.*] Ita caſtigavit olim Ant. Auguſt. quum haberetur *Artemitanos*; quam emendationem confirmat Urſinus antiqui libri auctoritate qui *Arteminos* habet, propiore ad emendatam lectionem ſcriptura. Junius huic correctioni acquieſcit, ejuſque auctorem laudat Lambinum.

3. *Quid emerit.*] In antiquo libro Fulvii Urſini, legitur *erit* pro *emerit*, ex quo ipſe, *velit*, legendum eſſe ſuſpicabatur. Editio vulgata illud ipſum *erit* retinet. Gruterus maluiſſet, *ita nihili eſt, ut planè quid emerit neſciat.*

4. *Junctam invidia.*] Vulg. *invidiæ.*

5. *Verbis hujus miſi ſalutem.*] Vulgò, *verbis ſuis miſi ſalutem.*

6. *Atque ita amem.*] Sic Decurt. Boſii. vulg. *atque ita tamen.*

7. *Si iis novis amicitiis implicati ſumus.*] Eſt a cod. Tornæſ. à vulgatis abſunt duo illa vocabula, *ſi iis*; Victorius edidit, *atque ita tametſi his novis amicitiis.*

8. Νῆφε] Hunc verſum primus integritati ſuæ reſtituit Victorius & mendis purgavit.

9. *Nam quod me iſſe ad ſcribendum.*] Eſt ex conjectura Boſii. alii codd. habent, *nam quod me non eſſe ad ſcriptum vides.* alii, *quod me eſſe ad ſcribendum vides*; quam lectionem retinet Junius ex mſſ. Palatinis; quamvis eidem nec Fulviana lectio, *adeſſe ſcribendo*, nec Lambini, *adfuiſſe*, diſpliceat.

10. *Lucullus de ſuis hiſtoriis.*] Videre jubet Urſinus num melius ſit, *de collegæ ſui hiſtoriis*, ut intelligat A. Albinum de quo apud Agellium lib. XI. cap. 8.

11. *Et σόλοικα diſperſiſſe.*] Ita reſtituerunt Faërnus & Victorius ex veteribus codd. prius erat *obſoleta*. Cæterùm pro *diſperſiſſe*, quidam legunt *adſperſiſſe*, ſed prius illud nititur Tornæſ. & Memmiano.

12. Τίς πατέρ' αἰνήσει.] Hujus lectionis rationem eruditè explicat Malaſp. ſed ſi altera illa τίς ποτέ σ' αἰνήσει, quam docti quidam ſubſtituunt mſſ. alicujus auctoritate niteretur, longè eam huic anteferret Lambinus.

13. *Purgat ſe multum.*] Vulgò *purgat ſe mihi.*

14. *Nuntiarant.*] Vulgò *enuntiarant.*

1. Præ-

ſapientiæ judico. qua de re cum ad me ita ſuaviter, diligenter, officioſè, & humaniter ſcripſeris, ut non modo te hortari ampliùs non debeam, ſed ne expectare quidem abs te, aut ab ullo homine tantum facilitatis, ac manſuetudinis potuerim; nihil duco eſſe commodius, quam de his rebus nihil jam amplius ſcribere. cùm erimus congreſſi; tum, ſi quid res feret, coram inter nos conferemus. Quod ad me de Rep. ſcribis, diſputas tu quidem & amanter, & prudenter; & à meis conſiliis ratio tua non abhorret: (nam neque de ſtatu nobis noſtræ dignitatis eſt recedendum, neque SINE NOSTRIS copiis intra alterius [1] præſidia, veniendum: & is, de quo ſcribis, nihil habet amplum, nihil excelſum, nihil non ſummiſſum, atque populare) verumtamen fuit ratio mihi fortaſſe ad tranquillitatem meorum temporum non inutilis; ſed mehercule Reip. multo etiam utilior, quam mihi, civium improborum impetus in me reprimi, cùm hominis ampliſſima fortuna, auctoritate, gratia fluctuantem ſententiam confirmaſſem, & à ſpe malorum ad mearum rerum laudem convertiſſem. quod ſi cum aliqua levitate mihi faciendum fuiſſet, nullam rem tanti æſtimaſſem; [2] ſed tamen à me ita acta ſunt omnia, non ut ego illi aſſentiens levior, ſed ut ille me probans gravior videretur. Reliqua ſic à me aguntur, & agentur, ut non committamus, ut ea, quæ geſſimus *fortuitò* geſſiſſe videamur, [3] meos bonos viros, illos quos ſignificas, & eam, quam mihi dicis obtigiſſe, πρόσνευσιν, non modò numquam deſeram; ſed etiam, ſi ego ab illa deſerar, tamen in mea priſtina ſententia permanebo. illud tamen, velim, exiſtimes, me hanc viam [4] optimatium poſt Catuli mortem nec præſidio ullo, nec comitatu tenere. nam, ut ait Rhynton, ut opinor,

[5] Οἱ μὲν πὰρ οὐδέν εἰσιν, οἷς δ' οὐδὲν μέλει.

mihi verò ut invideant piſcinarii noſtri, aut ſcribam ad te alias, aut in congreſſum noſtrum reſervabo. à Curia autem nulla me res divellet: vel quod ita rectum eſt: vel quòd rebus meis maximè conſentaneum: vel quòd, à Senatu quanti fiam, minimè me pœnitet. De Sicyoniis, ut ad te ſcripſi antea, non multum ſpei eſt in Senatu. nemo eſt enim jam, qui queratur quare, ſi id expectas, longum eſt. alia via, ſi qua potes, pugna. cùm eſt actum, neque animadverſum eſt, ad quos pertineret; & raptim in eam ſententiam pedarii [6] cucurrerunt. inducendi S. C. maturitas nondum eſt: quod neque ſunt, qui querantur; & multi partim malivolentia, partim *opinione æquitatis* delectantur. Metellus tuus eſt egregius Conſul. unum reprehendo, quòd otium è Gallia nuntiari non magnopere gaudet. cupit, credo, triumphare. hoc vellem mediocrius: cetera egregia. Auli filius verò ita ſe gerit, ut ejus Conſulatus non Conſulatus ſit, ſed Magni noſtri ὑπώπιον. De meis ſcriptis, miſi ad te Græcè perfectum Conſulatum meum. eum librum L. Coſſinio dedi. puto te Latinis meis delectari; huic autem *Græco* Græcum invidere. alii ſi ſcripſerint, mittemus ad te; ſed, mihi crede, ſimul atque hoc noſtrum legerunt, neſcio quo pacto retardantur. Nunc (ut ad rem meam redeam) L. Papirius Pætus, vir bonus, [7] amatorque noſter, mihi *libros* eos, quos Ser. Claudius reliquit, donavit. cùm mihi, per legem Cinciam licere capere, Cincius amicus tuus diceret: libenter, dixi, me accepturum, ſi attuliſſet. nunc, ſi me amas, ſi te à me amari ſcis, enitere per amicos, clientes, hoſpites, libertos denique, ac ſervos tuos, [8] ut ſcida ne qua depereat. nam & Græcis his libris, quos ſuſpicor, & Latinis, quos ſcio illum reliquiſſe, mihi vehementer opus eſt. ego autem quotidie magis, quod mihi de forenſi labore temporis datur, in iis ſtudiis conquieſco. per mihi, per, inquam, gratum feceris, ſi in hoc tam diligens fueris, quàm ſoles in his rebus, quas me valde velle arbitraris: ipſiuſque Pæti tibi negotia commendo: de quibus tibi ille agit maximas gratias: & ut jam inviſas nos, non ſolùm rogo, ſed etiam ſuadeo.

1. *Præſidia.*] Hæc eſt vulgata librorum lectio. Tornæſ. *præſidium.*
2. *Sed tamen ita ſunt acta omnia.*] Tò *tamen* delet Faërnus.
3. *Meos bonos viros illos.*] Boſ. ait ſe ita repoſuiſſe ex mſſ. vulg. *eos bonos viros.* mſ. Urſini liber habet, *in bonos viros*: ut ei videatur legendum, *dein eos bonos viros.*
4. *Optimatium.*] Vulg. *optimatum.*
5. *Oi μὲν.*] Librarii, teſte Victorio, ſecundam vocem hujus verſus depravarunt; pro μὲν enim μὴ ſcripſerunt, turpi ſed manifeſto errato.
6. *Cucurrerunt.*] Vulgò *concurrerunt.*
7. *Amatorque noſter.*] Vulgò *amatorque noſtri.*
8. *Ut ſcida.*] Ita Faërnus reſtituit referente Urſino & laudante Junio, ex mſſ. Junii, ex mſſ. Palat. ceterùm in uno e mſſ. Palat. hæc epiſtola prima eſt libri ſecundi.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM LIBER SECUNDUS, AD ATTICUM.

CICERO ATTICO, S.

1 KAL. Jun. eunti mihi Antium & gladiatores M. Metelli cupidè relinquenti, venit obviam tuus puer. is mihi litteras abs te, & commentarium Conſulatus mei Græcè ſcriptum reddidit: in quo [1] lætatus ſum, aliquanto ante de iiſdem rebus Græcè item ſcriptum librum L. Coſſinio ad te perferendum dediſſe. nam, ſi ego tuum ante legiſſem, *furatum* me abs te eſſe diceres. quanquam tua illa (legi enim libenter) horridula mihi, atque incompta viſa ſunt: ſed tamen erant *ornata* hoc ipſo, quòd ornamenta neglexerant; &, ut *mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur.* meus autem liber totum [2] Iſocrati μυροθήκιον, atque omnis ejus diſcipulorum arculas, ac nonnihil etiam [3] Ariſtotelia pigmenta conſumpſit: quem tu Corcyræ, ut mihi aliis literis ſignificas, ſtrictim attigiſti; [4] poſt autem, ut arbitror, à Coſſinio accepiſti; quem tibi ego non eſſem auſus mittere, niſi eum lentè, ac faſtidioſè probaviſſem. quamquam ad me reſcripſit jam Rhodo [5] Poſidonius, ſe, noſtrum illud ὑπο-

1. *LÆtatus ſum aliquando.*] Vulg. *lætatus ſum me aliquando.*
2. *Iſocrati.*] Vulg. *Iſocratis.*
3. *Poſt autem, ut.*] In manuſcripto Urſini eſt, *poſtquam ut.*
4. *Poſidonius.*] Ita legit Faërnus unico *ſ.*
5. *Ariſtotelia.*] Vulg. *Ariſtotelica.*

1. *Non*

ὑπόμνημα cùm legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de iiſdem rebus ſcriberet, miſeram, [1] non modò excitatum eſſe ad ſcribendum, ſed etiam planè perterritum. quid quæris? conturbavi Græcam nationem. ita, vulgo qui inſtabant, ut darem ſibi quod ornarent, jam exhibere mihi moleſtiam deſtiterunt. tu, ſi tibi placuerit liber, curabis, [2] ut, Athenis ſit, & in ceteris oppidis Græciæ. videtur enim poſſe aliquid noſtris rebus lucis afferre. Oratiunculas autem, & quas poſtulas, & plureis etiam mittam: quoniam quidem ea, quæ nos ſcribimus adoleſcentulorum ſtudiis excitati, te etiam delectant. fuit enim mihi commodum, quòd in eis orationibus, quæ *Philippicæ* nominantur, [3] enituerat civis ille tuus Demoſthenes, & [4] quòd ſe ab hoc refractariolo judiciali dicendi genere abjunxerat, [5] ut σεμνότερός τις, καὶ πολιτικώτερος videretur, curare, ut meæ quoque eſſent orationes, quæ Conſulares nominarentur. quarum una eſt in Senatu KAL. Jan. altera ad populum de lege agraria; tertia de Othone; quarta pro Rabirio; quinta de proſcriptorum filiis; ſexta, cùm provinciam in concione depoſui; ſeptima, qua Catilinam emiſi; octava, quam habui ad populum poſtridie quam Catilina profugit; nona in concione, quo die [6] Allobroges involgarunt; decima in Senatu, Nonis Decemb. ſunt præterea duæ breves, quaſi ἀποσπασμάτια legis agrariæ. hoc totum σῶμα, curabo ut habeas. & quoniam te cùm ſcripta, tùm res meæ delectant; [7] iiſdem libris perſpicies, & quæ geſſerim, & quæ dixerim: [8] aut ne popoſciſſes. ego enim tibi me non offerebam. Quod quæris, quid ſit, [9] quod te arceſſam; ac ſimul, impeditum te negotiis eſſe, ſignificas; neque recuſas, quin, non modò ſi opus ſit, ſed etiam ſi velim, accurras: nihil ſane eſt neceſſe; verumtamen videbare mihi tempora peregrinationis [10] commodiùs poſſe deſcribere. nimis abes diu, præſertim cùm ſis in propinquis locis: neque nos te fruimur; & tu nobis cares. ac nunc quidem otium eſt: [11] ſed, ſi paulò plus furor Pulchelli progredi poſſet, valde ego te iſtinc excitarem. verum præclarè Metellus impedit, & impediet. quid quæris? eſt Conſul φιλόπατρις, &, ut ſemper judicavi, natura bonus. ille autem *non ſimulat*, ſed planè Tribunus pleb. fieri cupit. [12] qua de re cùm in Senatu ageretur, fregi hominem; & [13] inconſtantiam ejus reprehendi, qui Romæ Tribunatum pleb. peteret, cùm [14] in Sicilia Heræ Ædilitatem ſe petere dictitaſſet. ſed neque magnopere dixi eſſe nobis laborandum: quòd nihilo magis ei liciturum eſſe *plebejo* Remp. perdere, quam ſimilibus ejus me Conſule *patricius* eſſet licitum. Jam, cum ſe ille ſeptimo die veniſſe à Freto, neque ſibi obviam quemquam prodire potuiſſe, & noctu ſe introiſſe dixiſſet, in eoque ſe in concione jactaſſet: nihil ei novi dixi accidiſſe: ex Sicilia ſeptimo die Romam; tribus horis Roma Interamnam: [15] noctu introiſſe item ante: non eſſe itum obviam; ne tum quidem, cum iri maximè debuit. quid quæris? hominem petulantem modeſtum reddo, non ſolum perpetua gravitate orationis, ſed etiam hoc genere dictorum. itaque jam familiariter cum ipſo etiam cavillor, ac jocor. quin etiam cùm candidatum [16] deduceremus, quærit ex me, num conſueſſem Siculis locum gladiatoribus dare? negavi. at ego, inquit, [17] novus patronus inſtituam. ſed ſoror, quæ tantum habeat Conſularis loci, unum mihi *ſolum pedem* dat. noli, inquam, de uno pede ſororis queri: licet etiam alterum tollas. non Conſulare, inquies, dictum; fateor: ſed ego illam odi malè Conſularem. ea eſt enim ſeditioſa: ea cum viro bellum gerit, neque ſolùm cum Metello, ſed etiam cum Fabio, [18] quod eos in hoc eſſe moleſtè fert. Quod de agraria lege quæris, ſanè jam videtur refrixiſſe. Quod me quodam modo molli brachio de Pompeii familiaritate objurgas: nolim ita exiſtimes, me mei præſidii cauſa cum illo conjunctum eſſe: ſed ita res erat inſtituta, ut, ſi inter nos eſſet aliqua forte *diſſenſio*, maximas in Rep. diſcordias verſari eſſet neceſſe. quod à me ita præcautum, atque ita proviſum eſt, non ut ego de optima illa mea ratione decederem; ſed ut ille eſſet melior, & aliquid de populari levitate deponeret: quem de meis rebus, in quas eum multi incitarant, multo ſcito glorioſiùs, quam de ſuis prædicare. ſibi enim bene geſtæ, mihi conſervatæ Reip. dat teſtimonium. hoc facere illum, mihi quam proſit, neſcio; Reip. certè prodeſt. Quid, ſi etiam Cæſarem, cujus nunc venti valde ſunt *ſecundi*, reddo meliorem? num tantum obſum Reip.? quin etiam, ſi mihi nemo invideret; ſi omnes, ut erat æquum, faverent; tamen non minus eſſet probanda MEDICINA, quæ ſanaret vitioſas partes Reip. quàm quæ exſecaret. nunc verò, cùm Equitatus ille, quem ego in clivo Capitolino, te ſignifero, ac principe, collocaram, Senatum deſeruerit; noſtri autem *principes* digito ſe cælum putent attingere, ſi mulli barbati in piſcinis ſint, qui ad manum accedant; [19] alia autem negligant: nonne tibi ſatis prodeſſe videor, ſi perficio, ut nolint obeſſe, qui poſſunt? nam Catonem noſtrum non tu amas plus, quam ego. ſed tamen ille, optimo animo utens, & ſumma fide, nocet interdum Reip. dicit enim tanquam in Platonis πολιτείᾳ, non tanquam in *Romuli fæce*, ſententiam. quid verius, quàm in judicium venire, qui ob rem judicandam pecuniam acceperit? cenſuit hoc Cato. aſſenſit Senatus. [20] Equites curiæ bellum, non mihi. nam ego diſſenſi. quid impudentius Publicanis renuntiantibus? fuit tamen, retinendi ordinis cauſa, facienda jactura. reſtitit, & pervicit Cato. itaque nunc, Conſule in carcere incluſo, ſæpe item ſeditione commota, aſpiravit nemo eorum, quorum ego con-

1. *Non modo excitatum.*] Vulgò, *non modo non excitatum.*

2. *Ut Athenis ſit.*] Vulg. *ut & Athenis.*

3. *Enituerat, abjunxerat.*] Hæc eſt cod. Tornæſ. lectio, vulg. *enituerit, abjunxerit.*

4. *Ab hoc refractariolo.*] Ita vulgata & Tornæſ. codex. Memmiani codd. habent *refractariolo.*

5. *Ut σεμνοτερός τις.*] Eſt à codd. Tornæſ. & vulgatis: Victorius ait in vetuſt. cod. legi *ne σεμνότερος*. ſed Lambinus improbat.

6. *Allobroges involgarunt.*] Eſt Decurt. Vulg. *invocarunt:* Manutius conjicit *indicarunt.*

7. *Iiſdem libris perſp.*] Vulg. *iiſdem ex libris.*

8. *Aut ne popoſciſſes.*] Sic legendum cenſet Lambinus. quin ſic habet plane cod. Tornæſ. *aut ne popoſciſſes autem.* vulg. *at ni pop. &c.*

9. *Quod te arceſſam.*] Scidæ, & Cruſell. ut codices Malaſp. *quod*, non, ut eſt in vulg. *quo.*

10. *Commodiùs poſſe deſcribere.*] Ita Faërnus ex antiquo cod. reſtituit, quum antea legeretur *diſtribuere. Diſcribere*, probat Lamb. ex cod. Tornæſ. cui aſſentitur Junius.

11. *Si paulò plus.*] Quidam referente Lamb. volunt legi, *ſi paullo longius.*

12. *Qua de re cum.*] *Quare*, vulgati.

13. *Inconſtantiam ejus reprehendi.*] *Ejus* abeſt à publicatis.

14. *In Sicilia Aere ædilitatem ſe petere dictitaſſet.*] Eſt Boſii, ex Decurt. à qua lectione non valde diſcrepat depravata hæc Tornæſ. *heredilitatem ſæpe hæreditaſſet.* Junius verò dicit, *heri ædilitatem ſe petere dictitaſſet*; germanam eſſe lectionem, quam proximè Boſius aſſequutus ſit. Victorius ait ſcriptum in antiquiori ſuo, *hæreditatem ſæpe hæreditaſſet, neque, &c.* antea erat, *ædilitatem ſæpe dictitaſſet.* quam lectionem Manutius eſſe in Beſſar. & Cavalc. mſſ. fatetur; cui abundare tamen videtur dictio, *ſæpe*, etiamſi ferri poſſe confiteatur.

15. *Noctu introiſſe ante.*] Vulg. ita diſtinguitur, *noctu introiſſ. Item ante. Non eſſe, &c.* Lamb. ait libros veteres non habere, *ante:* itaque putabat ſic eſſe hunc locum legendum, *at tribus horis Roma Interamnam noctu introiſſe. Item non eſſe.*

16. *Deduceremus.*] Eſt à Cruſell. & quibuſdam Malaſp. codd. Vulg. *deducerem.*

17. *Novus patronus.*] Ita legit Guido Lollius referente Malaſp. & Lambinus. Eſſe quoſdam veteres libros in quibus legas, *novos patronos*, antiquè pro, *novus patronus*, ait Boſ.

18. *Quod eos in hoc eſſe moleſtè fert.*] Sic optimè Boſius, ut ait Junius; vulgo. *quod eos mihi eſſe amicos moleſtè fert.*

19. *Alia autem negligant.*] Optimus conjector hic fuit Malaſpina, ut Boſius ex ſcidis perſpexit, in quibus manifeſto ſcriptum eſt, *alia*; non *ali.*

20. *Equites Curiæ.*] Boſ. ait Victorium legere, *Equiti Curiæ.* an ex veteribus libris neſcit. in Decurt. exaratum eſt compendio, *Equit.* quod *equites* mavult explicare quam, *equiti.*

1. *Mode-*

concurſu, itemque Conſules, qui poſt me fuerunt, Remp. defendere ſolebant. Quid ergo? iſtos, inquies, mercede conductos habebimus? Quid faciemus, ſi *aliter* non poſſumus? an libertinis, atque etiam ſervis ſerviamus? ſed, ut tu ais, ἄλις σπουδῆς. Favonius meam tribum tulit honeſtiùs, quàm ſuam; Lucceji perdidit. accuſavit Naſicam inhoneſtè, ac [1] (modeſtè tamen dicit) ita ut Rhodi videretur molis potius, quàm Moloni, *operam dediſſe*. mihi, quòd defendiſſem, leviter ſuccenſuit. nunc tamen petit iterum Reipub. cauſa. Lucceius quid agat, ſcribam ad te, cùm Cæſarem videro, qui aderit biduo. Quod Sicyonii te lædunt; Catoni, & ejus æmulatori attribuas Servilio. quid? ea plaga nonne ad multos bonos viros pertinet? ſed, ſi ita placuit, laudemus; [2] deinde in diſceſſionibus ſoli relinquamur. Amalthea mea te expectat, & indiget tui. Tuſculanum & Pompejanum valde me delectant; niſi quod me, illum ipſum vindicem æris alieni, ære non Corintheo, ſed hoc circumforaneo obruerunt. In Gallia ſperamus eſſe otium. Prognoſtica mea cum oratiunculis propediem expecta. & tamen, quid cogites de adventu tuo, ſcribe ad nos. nam mihi Pomponia nuntiari juſſit, te menſe Quintili Romæ fore. id à tuis litteris, quas ad me [3] de ceſſu tuo miſeras, diſcrepabat. Pætus, ut antea ad te ſcripſi, omnes *libros*, quos frater ſuus reliquiſſet, mihi donavit hoc illius munus in tua diligentia poſitum eſt. ſi me amas, cura, ut conſerventur, & ad me perferantur. [4] hoc mihi nihil poteſt eſſe gratius: &, cum Græcos, tum verò diligenter Latinos ut conſerves velim. tuum eſſe hoc munuſculum putabo. Ad Octavium dedi litteras: cum ipſo nihil eram locutus. neque enim iſta tua negotia provincialia eſſe putabam: neque te in [5] *tocullionibus* habebam. ſed ſcripſi, ut debui, diligenter.

2 CICERO ATTICO. S.

CURA, amabo te, Ciceronem noſtrum. [6] ei nos θεῖοι videmur. [7] Πελληναίων in manibus tenebam. & hercule magnum acervum Dicæarchi mihi ante pedes extruxeram. ô magnum hominem, & à quo multo plura didiceris, quam de [8] Procilio. Κορινθίων, & Ἀθηναίων puto me Romæ habere. [9] mihi credes, leges; hæc doceo; mirabilis vir eſt. Ἡρώδης, ſi homo eſſet, eum potius legeret, quàm unam litteram ſcriberet: qui me epiſtola petivit: ad te, ut video, comminus acceſſit. conjuraſſe mallem, quàm reſtitiſſe conjurationi, ſi illum mihi audiendum putaſſem. [10] De Lollio ſanus non es. de Vinio laudo. Sed heus tu, ecquid vides KAL. venire, Antonium non venire? judices cogi? nam ita ad me mittunt, Nigidium minari in concione, ſe judicem, qui non affuerit, compellaturum. velim tamen, ſi quid eſt de Antonii adventu, quod audieris, ſcribas ad me: & quoniam huc non venis, cenes apud nos utique pridie KAL. cave aliter facias. Cura, ut valeas.

CICERO ATTICO, S. 3

PRIMUM, ut opinor, εὐαγγέλια. Valerius abſolutus eſt Hortenſio defendente. id judicium [11] K. Atilio *condonatum* putabatur: & Epicratem ſuſpicor, ut ſcribis, laſcivum fuiſſe. etenim mihi caligæ ejus, ut faſciæ cretatæ, non placebant. quid ſit, ſciemus, cùm veneris. Feneſtrarum anguſtias quòd reprehendis, ſcito te Κύρου παιδείαν reprehendere. nam, cùm ego idem iſtuc dicerem, Cyrus ajebat, [12] viridariorum διαφάσεις latis luminibus, non tam eſſe ſuaveis. etenim ἔστω ὄψις μὲν, ἡ, α: τὸ δὲ ὁρώμενον, β, γ: ἀκτῖνες δὲ, δ, καὶ ε. vides enim cetera. nam, ſi κατ' εἰδώλων ἐμπτώσεις videremus, valde laborarent εἴδωλα, in anguſtiis: nunc fit lepidè illa ἔκχυσις radiorum. cetera ſi reprehenderis, non feres tacitum, niſi quid erit ejuſmodi, quod *ſine ſumtu* corrigi poſſit. Venio nunc ad menſem Januarium, & ad [13] ὑπόστασιν noſtram, ac πολιτείαν: in qua σωκρατικῶς [14] εἰς ἑκάτερον: ſed tamen ad extremum, ut illi ſolebant, τὴν ἐπίσχεσιν. eſt res ſanè magni conſilii. nam aut fortiter reſiſtendum eſt legi agrariæ; in quo eſt quædam dimicatio, ſed plena laudis: aut quieſcendum; quod eſt non diſſimile, atque ire in Solonium, aut Antium: aut etiam adjuvandum; quod à me ajunt Cæſarem ſic exſpectare, ut non dubitet. nam fuit apud me Cornelius; hunc dico Balbum, Cæſaris familiarem. is affirmabat, illum omnibus in rebus meo & Pompeii conſilio uſurum, daturumque operam, ut cum Pompejo Craſſum conjungeret. Hîc ſunt hæc, conjunctio mihi ſumma cum Pompejo; ſi placet, etiam cum Cæſare; [15] reditus in gratiam; cum inimicis pax, cum multitudine; ſene-

1. *Modeſtè tamen dicit.*] Commodè Boſium legere agnoſcit Junius; vulg. *dixit.* quam ſcripturam dextre explicat Turnebus lib. XXX. cap. 13. Malaſp. legendum cenſebat, *ac tam modeſtè dixit*, cujus conjecturam ut non damnare, ita nec probare audet Lamb.

2. *Deinde in diſceſſionibus.*] Boſius *in diſceſſionibus* legit, cum Manutio; ſed in, *deinde*, nihil mutat. Lambinus verò retinet totam lectionem Manutii, ſive legat, *ne in diſſenſionibus*, ſive, *ne in diſceſſionibus*; ait tamen veteres libros habere *diſſenſionibus*.

3. *De ceſſu.*] Scriptura hæc eſt Decurtati; ad quam proximè accedit illa Tornæſ. *de cenſu tuo*. Sed Boſius Ciceronem ſcripſiſſe putat *de deceſſu tuo*. Junius probat *de ceſſu*, vel ut Lambinus voluit, *cenſu*, utrumque enim ait idem eſſe: antea legebatur *de acceſſu*.

4. *Hoc mihi nihil.*] Antecedentia verba, *& ad me perferantur*, ex optimi mſ. Palat. fide expungit Junius.

5. *Tocullionibus.*] Sic reſtituit Adrianus Turnebus, lib. XVII. cap. 3. & 13. Adverſar. ut ſit diminutivum à τόκος. *toculionibus* ex mſ. reſcripſerat antea Victorius, quum vulgati haberent, *decurionibus*.

6. *Ei nos θεῖοι videmur.*] Hic aliquid mendi latet, ſiquidem ſcripti libri ab impreſſis diſſentiunt. In eo qui Beſſarionis fuit perſpicuè legitur; *cura amabo te Ciceronem noſtrum ἀπολέσαι videmur*; in alio, *cinos θεῖοι videmur*. Ex depravatæ hujus veteris ſcripturæ veſtigiis, *cura amabo te Ciceronem noſtrum* CINOS CUNOCTIN *videmur*, conjicit legendum Muretus; *C. a. te C. n. cui nos σινοσεῖν videmur.* conſulatur lib. 1. Variar. lectionum cap. 20.

7. Πελληναίων.] Vulg. πελιναίων.

8. *Procilio.*] Vulg. *procillio*.

9. *Mihi credes, leges; hæc doceo;*] Boſii ſunt ex Decurt. Antea legebatur, *mihi Herodes, lege*; vel, *mihi heredes, &c.* Panthagathus legebat: *mihi Herodes: lege hos duos*. Juſtus Lipſius lib. IV. Epiſt. quæſt. cap. 11. propius ab ſcriptura diſcedens, emendat: *mihi credeſis. lege hoc otio. mirabilis, &c.* Lamb. Malaſp. fidem ſequutus, qui partim *mihi credas*, partim, *mihi credes*, ſcriptum eſſe in ſuis libris teſtatur (quomodo & nonnulli Memm. & Tornæſ. ipſe legunt) edendum curavit, *mihi credas legendus eſt*. Manutius etiam confitetur, Ducis Urbanitatis librum habere, *mihi credas*. quidam doctus ſic legendum arbitratur: *mihi Herodes cum hoc legendus eſt*. Mavult quidam alius ſic: *mihi, hic non Herodes legendus eſt*. Licet etiam legere, *mihi crede, legendus eſt*, ut olim ediderat Lambinus.

10. *De Lollio ſanus non es: de Vinio laudo.*] Hæc emendatio placet Manutio: cum antea legeretur *vino*. Alii legunt *de olio ſanus non es; de vino laudo*, quæ reſtitutio ſecundum Fulvianos debetur libris Palatinis.

11. *K. Atilio.*] Sinceram lectionem retinuerunt Decurt. & Tornæſ. in quorum utroque exaratum eſt *K. Atilio*, id eſt, *Cæſoni Atilio*. olim Lamb. ediderat, *Calatino F.*

12. *Viridariorum* διαφάσεις.] Ita ſcribit Boſius fidem ſequutus omnium ſuorum mſſ. Libros veteres partim habere *viridariorum*, partim, *viridiorum*, teſtatur Lamb. ipſe legit *v.* διαφαύσεις. Vulgata lectio, *Cyrus ajebat radiorum* διαφάσεις, eſt à Victorio, qui ita emendavit, quum prius corruptiſſime legeretur, *Gyrus agebatur viridiorum* καὶ διαφάσεις. conſulatur & Petrus Pithæus lib. II. Adverſ. ſubſec. cap. 18. *Cyrus ajebat viridium, vel viridiorum* διαφάσεις *latis luminibus, &c. viridium* hic mendoſe ſcriptum, pro *thiridium*, hoc eſt, θυριδίων διαφάσεις. *Salmaſ.*

13. Ὑπόστασιν.] Ita omnes mſſ. quidam tamen ſine libris conjiciunt, κατάστασιν.

14. Εἰς ἑκάτερον.] Has duas voculas reſtituit Victorius.

15. *Reditus in gratiam: cum inimicis pax, cum multitudine.*] Aliter diſtinguitur vulgò, *reditus in gratiam cum inimicis, pax cum multitudine.*

ſenectutis otium. ſed me [1] κατάστασις mea illa commovet, quæ eſt in libro III.

Interea curſus, quos prima à parte juventæ,
Quosque ideo Conſul virtute, animoque petiſti,
Hos retine, atque auge famam, laudeſque bonorum.

Hæc mihi cùm in eo libro, in quo multa ſunt ſcripta ἀριστοκρατικῶς, Calliope ipſa præſcripſerit, non opinor eſſe dubitandum, quin ſemper nobis videatur

εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

ſed hæc ambulationibus Compitaliciis reſervemus. Tu pridie Compitalia memento. balineum calfieri jubebo: & Pomponiam Terentia rogat; matrem adjungemus. Θεοφράστου [2] περὶ φιλοτιμίας affer mihi de libris Quinti fratris.

4 CICERO ATTICO S.

FECISTI mihi pergratum, quòd Serapionis librum ad me miſiſti: ex quo quidem ego (quod inter nos liceat dicere) milleſimam partem *vix intelligo*. pro eo tibi præſentem pecuniam ſolvi imperavi; ne tu expenſum muneribus ferres. At quoniam nummorum mentio facta eſt; amabo te, cura, ut cum Titinio, quoquo modò poteris, tranſigas. ſi in eo, quod oſtenderat, non ſtat; mihi maximè placet, ea, quæ malè empta ſunt, reddi, ſi voluntate Pomponiæ fieri poterit: ſi ne id quidem, [3] nummi potiùs reddantur, quàm ullus ſit ſcrupulus. valde hoc velim ante, quàm proficiſcare, amanter, ut ſoles, diligenterque conficias. Clodius ergo, ut ais, ad Tigranem? velim [4] Syſpiræ conditione: ſed facilè patior. accommodatius enim nobis eſt ad liberam legationem tempus illud, cùm & Quintus noſter jam, ut ſperamus, in otio [5] conſiderit, &, iſte ſacerdos Bonæ deæ [6] cujus modi futurus, ejus ſit. interea quidem cum *Muſis* nos delectabimus animo æquo, immo verò etiam gaudenti, ac libenti. neque mihi umquam veniet in mentem Craſſo invidere, neque pœnitere, quòd à me ipſe non deſciverim. De geographia, dabo operam, ut tibi ſatisfaciam: ſed nihil certi polliceor. magnum opus eſt; ſed tamen, ut jubes, curabo, ut hujus peregrinationis aliquod tibi opus exſtet. Tu quidquid indagaris de Rep. & maximè quos Conſules futuros putes, facito, ut ſciam: tametſi minùs ſum curioſus. ſtatui enim nihil jam de Rep. cogitare. Terentiæ ſaltum perſpeximus. quid quæris? præter quercum Dodonæam nihil deſideramus, quo minùs Epirum ipſam poſſidere videamur. Nos circiter KAL. aut in Formiano erimus, aut in Pompejano. tu, ſi in Formiano non erimus; ſi nos amas, in Pompejanum venito. id & nobis erit perjucundum, & tibi non ſane devium. De muro, imperavi Philotimo, ne impediret, quo minùs id fieret, quod tibi videretur. cenſeo tamen, adhibeas Vettum. his temporibus, tam dubia vita optimi cujuſque, magni æſtimo unius æſtatis fructum palæſtræ Palatinæ, ſed ita tamen, ut nihil minùs velim, quàm Pomponiam, & puerum verſari *in timore ruinæ*.

CICERO ATTICO, S. 5

CUPIO equidem, & jam pridem cupio Alexandriam, reliquamque Ægyptum viſere, & ſimul ab hac hominum ſatietate noſtri diſcedere, & cum aliquo *deſiderio* reverti: ſed hoc tempore, & his mittentibus, Αἰδέομαι Τρῶας, καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους. quid enim noſtri optimates, ſiqui reliqui ſunt, loquentur? an me aliquo *præmio* de ſententia eſſe deductum? Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει [7] Cato ille noſter, qui mihi unus eſt pro centum millibus. quid verò HISTORIÆ de nobis ad annos DC. prædicarint? quas quidem ego multo magis vereor, quàm eorum hominum qui hodie vivunt, rumuſculos. ſed opinor, excipiamus, & exſpectemus. ſi enim deferetur, erit quædam noſtra poteſtas, & tum deliberabimus. [8] etiam EST IN non accipiendo non nulla gloria. quare ſi quid Θεοφάνης tecum fortè contulerit, ne omnino repudiaris. de iſtis rebus exſpecto tuas litteras; quid Arrius narret; quo animo ſe deſtitutum ferat; [9] ecqui Conſules parentur; utrum, ut populi ſermo, Pompejus. & Craſſus; an, ut mihi ſcribitur, cum Gabinio Servius Sulpicius: &, num quæ novæ leges: &, num quid novi omnino: &, quoniam Nepos proficiſcitur, cuinam Auguratus deferatur: quo quidem uno ego ab iſtis *capi* poſſum. [10] vide ſecuritatem meam. ſed quid ego hæc, quæ cupio deponere, & toto animo, atque omni cura φιλοσοφεῖν? ſic, inquam, [11] in animo eſt: vellem ab initio. nunc verò, quoniam, quæ putavi eſſe præclara, expertus ſum, quàm eſſent inania, cum omnibus Muſis rationem habere cogito. Tu tamen, [12] de Curtio ad me reſcribe certiùs; &, num quis in ejus locum paretur; &, quid de P. Clodio fiat: &, omnia, quemadmodum polliceris, ἐπὶ σχολῆς ſcribe: &, quo die Roma te exiturum putes, velim ad me ſcribas; ut certiorem te faciam, quibus in locis futurus ſum; epiſtolamque ſtatim des de iis rebus, de quibus ad te ſcripſi. valde enim exſpecto tuas litteras.

CICERO ATTICO, S. 6

QUOD tibi ſuperioribus litteris promiſeram, fore, ut opus extaret hujus peregrinationis; nihil jam magnopere confirmo. ſic enim ſum complexus otium, ut ab eo divelli non queam. itaque aut libris me delecto, quorum habeo Antii feſtivam copiam: aut *fluctus numero*. nam ad lacertas captandas tempeſtates non ſunt idoneæ. à ſcribendo prorſus abhorret animus. etenim γεωγραφικὰ, quæ conſtitueram, magnum opus eſt: ita valde Eratoſthenes, quem mihi propoſueram, à Serapione, & ab Hipparcho reprehenditur. quid cenſes, ſi Tyrannio acceſſerit? & hercule ſunt res difficiles ad explicandum, & ὁμοειδεῖς: nec tam poſſunt ἀνθηρογραφεῖσθαι, quàm [13] videbatur: &, quod

1. Κατάστασις.] Legebatur in omnibus Boſii κάτασις, unde repoſuit κατάστασις. Lambinus aſſentitur Turnebo legendum exiſtimanti, καταικλεὶς. Mureti liber *pecis* habet, unde facit ἐνῆσις lib. XIV. Var. lect. cap. 8. Vulg. κατάκλεισις.

2. Περὶ φιλοτιμίας.] Ita Victorius, Manutius, Junius, ex Laërtio emendant, prius legebatur περὶ φιλομαθείας & in mſ. Victor. περὶ φιλοτείας.

3. *Nummi potius reddantur.*] Malit Manutius *addantur*. Boſius nihil mutandum cenſet.

4. *Syſpiræ conditione.*] Conjectura eſt Boſii, ex corrupta lectione *Syſpriæ*. Antiquus vero liber Beſſarionis, *Syrpæ conditiones*, habet. Urſinus ait in uno mſ. eſſe, *velim Juriam facile patior*; in altero, *velim ſcire conditiones. facile patior*: ſed poſtremam hanc lectionem, caſtigationem eſſe quorundam teſtatur Victorius, qui *Syrpiæ conditione* quod & in cunctis mſſ. invenit & Germani adnotarunt, excudi juſſere, quidam etiam legunt *ſirfiæ*: *ſirpeæ* proxime veterem ſcripturam legit Junius. Turnebus lib. III. cap. 21. vel *ſirpe* vel *Syriæ* legi poſſe putat. prius probat Lambinus. qui ipſe putavit aliquando legi poſſe, *Cypria conditione*. Korradus volebat, *Cyrnea conditione*.

5. *Conſiderit.*] Vulg. *conſederit.*

6. *Cujuſmodi futurus, ejus ſit.*] Boſ. ex ſcidis & Tornæſ. ſic habet *cuj. fut. ſcitus ſit*, ut & antiquus Victorii codex. ſed Cavalcantis exemplar, *ſacerdos bene de te cujuſmodi futurus ſcitus ſit*. vulg. *futurus ſcit, ſciri poſſit*, quæ duæ ultimæ voces abſunt à Beſſar. mſſ.

7. *Cato ille noſter.*] Victorius ante hæc verba verſum Homeri reſtituit ιλ. χ. quem in antiquis codicibus reperit.

8. *Etiam eſt in non accipiendo.*] Vulg. *etiam hercule eſt, &c.*

9. *Ecqui Conſules parentur.*] Junius ex mſſ. Palat. & *qui Coſſ. pareant*, reſcribendum duxit.

10. *Vide ſecuritatem.*] Boſ. ex Decurt. Muretus, *vide levitatem meam*; quod probat Lambinus qui in codice Tornæſ. *videte vitam meam*, legi ait: vulg. *videte civitatem meam.*

11. *In animo eſt, vellem.*] In vulg. ante, *vellem*, ponitur particula *ſic*.

12. *De Curtio.*] Codex Tornæſ. & Cruſell. *de Tutio*. ſed vulgatam Decurtat. retinet.

13. *Videbatur.*] Vulg. *videbantur.*

quod caput eſt, mihi quævis ſatis *juſta cauſa* ceſſandi eſt. [1] quin etiam dubitem, [2] an hic, an Antii conſidam, & hoc tempus omne conſumam: ubi quidem [3] ego mallem Duum virum, quàm Romæ me fuiſſe. tu verò ſapientior Buthroti domum paraſti. ſed, mihi crede, proxima eſt illi municipio hæc Antiatium civitas. eſſe locum tam prope Romam, ubi multi ſint, qui Vatinium numquam viderint? ubi nemo ſit, præter me, [4] qui quemquam ex XX. viris vivum, eſt ſæclum, velit? ubi me interpellet nemo, diligant omneis? hîc nimirum πολιτευτέον. nam iſtic non ſolum non licet, ſed etiam tædet. itaque [5] ἀνέκδοτα, quæ tibi uni legamus, Theopompino genere, aut etiam aſperiore multo, pangentur. neque aliud jam quicquam πολιτεύομαι, niſi *odiſſe improbos*, & id ipſum nullo cum ſtomacho, ſed potiùs cum aliqua ſcribendi voluptate. Sed ut ad rem, ſcripſi ad Quæſtores urbanos de Quinti fratris negotio. vide, quid narrent; [6] ecqua ſpes ſit denarii, an ciſtophoro Pompejano jaceamus. Præterea de muro, [7] ſtatue, quid faciendum ſit. Aliud quid? etiam. quando te proficiſci iſtinc putes, fac, ut ſciam.

CICERO ATTICO S.

7 DE geographia etiam atque etiam deliberabimus. [8] Orationes autem me duas poſtulas: quarum alteram [9] non libebat mihi ſcribere, [10] quia abſcideram; alteram, ne laudarem eum, quem non amabam. ſed id quoque videbimus. denique aliquid extabit; ne tibi planè ceſſaſſe videamur. De Publio quæ ad me ſcribis, ſanè mihi jucunda ſunt: eaque etiam velim, omnibus veſtigiis indagata, ad me afferas, cùm venies; & interea ſcribas, ſi quid intelliges, aut ſuſpicabere, & maximè de legatione quid ſit acturus. equidem ante, quàm tuas legi litteras, [11] in hominem ire cupiebam; non mehercule, ut differrem cum eo vadimonium; (nam mira ſum alacritate ad litigandum) ſed videbatur mihi, ſi quid eſſet in eo *populare*, quòd plebejus factus eſſet, id amiſſurus. [12] quid enim ad plebem tranſiſti? ut Tigranem ires ſalutatum? narra mihi, reges Armenii patricios ſalutare non ſolent? quid quæris? acueram me ad exagitandam hanc ejus legationem. quam ſi ille contemnit, &, ſi, ut ſcribis, bilem id commovet & latoribus, & auſpicibus legis curiatæ, ſpectaculum egregium. Herculè, verum ut loquamur, ſubcontumelioſè tractatur noſter Publius: primùm, qui cùm in domo Cæſaris quondam unus vir fuerit, nunc ne in Viginti quidem eſſe potuerit: deinde, alia legatio dicta erat, alia data eſt; [13] illa opima ad exigendas pecunias Druſo, ut opinor, Piſaurenſi, an epuloni Vatinio reſervatur: hæc jejuna, ac [14] bella relegatio datur ei, cujus tribunatus ad iſtorum tempora reſervatur. incende hominem, amabo te, [15] quoad pot' eſt. una ſpes eſt ſalutis, iſtorum inter iſtos *diſſenſio*; cujus ego quædam initia ſenſi ex Curione. jam vero Arrius Conſulatum ſibi ereptum fremit, [16] Megabocchus &, hæc ſanguinaria juventus inimiciſſima eſt. accedat vero, accedat etjam iſta rixa Auguratus. ſpero me præclaras de iſtis rebus epiſtolas ad te ſæpe miſſurum. Sed, illud quid ſit, ſcire cupio, quod jacis obſcurè, jam etiam ex ipſis [17] Quinque viris loqui quoſdam. quidnam id eſt? ſi eſt enim aliquid, plus eſt boni, quàm putaram. atque hæc, ſic velim exiſtimes, non me abs te κατὰ τὸ πραγματικὸν quærere; quòd geſtiat animus aliquid agere in Rep. jam pridem *gubernare me* tædebat, etiam cùm licebat. nunc verò cum cogar exire de navi, non abjectis, [18] ſed receptis gubernaculis; cupio iſtorum naufragia ex terra intueri, cupio, ut ait tuus amicus Sopholes, [19] κἂν ὑπὸ στέγῃ:

Πυκνᾶς ἀκούειν ψεκάδος εὑδούσῃ φρενί.

De muro, quid opus ſit, videbis. Caſtricianum mendum nos corrigemus: & tamen ad me Quintus [20] CIↃ CCIↃↃIↃↃↃ ſcripſerat, [21] nunc ad ſororem tuam H-S XXX. Terentia tibi ſalutem dicit. Cicero tibi mandat, ut Ariſtodemo idem de ſe reſpondeas, quod de fratre ſuo, ſororis tuæ filio, reſpondiſti. De Amalthea quod me admones, non negligegemus. Cura, ut valeas.

CICERO ATTICO, S. 8

[22] EPISTOLAM cùm à te avidè exſpectarem ad veſperum, ut ſoleo; ecce tibi nuntius, pueros veniſſe Roma. voco, quæro, ecquid litterarum? negant. quid ais, inquam, nihil ne à Pomponio? perterriti *voce & vultu*, confeſſi ſunt ſe accepiſſe, ſed excidiſſe in via. quid quæris? permoleſte tuli. nulla enim abs te per hos dies epiſtola inanis aliqua re utili & ſuavi venerat. nunc, ſi quid in ea epiſtola, quam ante diem XVI. Kal. Mai. dediſti, fuit hiſtoria dignum, ſcribe quamprimum, ne ignoremus: ſin nihil præter jocationem, redde id ipſum. & ſcito Curionem adoleſcentem veniſſe ad me ſalutatum. valde ejus ſermo de Publio cum tuis litteris congruebat. ipſe verò mirandum in modum *reges odiſſe ſuperbos*. peræquè narrabat incenſam eſſe juventutem, neque ferre hæc poſſe. bene habemus;

1. *Quin etiam dubitem.*] Liber Longolii *qui etiam dubitem*, ut & Manutio placuiſſe video.

2. *An hic, an Antii.*] Boſ. ex Decurt. & Malaſp. ex ſuis codd.

3. *Ego mallem duumvirum, quam Romæ me fuiſſe.*] Totus hic locus ita legitur in ſcidis; & ita etiam legit Pithœus, ſed detracto, *me* lib. II. Adverſ. cap. 18. vulgò, *ego mallem diu nimirum quàm Romæ fuiſſe.*

4. *Qui quemquam ex* XX. *viris vivum, eſt ſæclum, velit?*] Hunc locum ita ex Decurt. reſtituit Boſius, quem laudat Junius: ſed ex duobus mſſ. Pal. pro *vivum*, reponit *vivere*. Cavalc. Victor. & Tornæſ. habent *ſægium*, pro *ſæclum*. Beſſar. verò *ſagium*: vulgata editio, *ex* XXV. *viris unum eſſe ſalvum velit?* Lamb. *ex* XX. *viris vivum eſſe audiverit?* Turn. l. XXX. c. 13. tentat, *vivum eſſe jam velit.*

5. Ἀνέκδοτα, *quæ.*] Vulg. *ἀνέκδοτα à nobis quæ, &c.*

6. *Ecqua ſpes ſit.*] Vulg. *& quæ.*

7. *Statue.*] Vulg. *ſtatuo.*

8. *Orationes me duas poſtulas.*] Vulg. *à me duas poſtulas.*

9. *Non libebat mihi ſcribere.*] Vulg. *non licebat mihi ſcribere.*

10. *Quia abſcideram, alteram ne laudarem eum, &c.*] Totum hunc locum ita legendum putat Urſinus, *quarum alteram non licebat mihi ſcribere, quia abſcideram: alteram non libebat ne.*

11. *In hominem ire.*] *In* abeſt à vulgatis & abeſſe debere contendit Manutius.

12. *Quid enim ad plebem tranſiſti? ut Tigranem, &c.*] Ita multò elegantius diſtinctum quam vulgo, *quid enim? ad plebem tranſiſti, ut, &c.*

13. *Illa opima ad exigendas pecunias Druſo, ut opinor, Piſaurenſi, an epuloni Vatinio.*] Hæc eſt ſcriptura Decurtati, Tornæſ. & Cruſell. & ita olim corrigendum eſſe putavit Manutius. Faërnus verò ita legebat & interpungebat, *illa opima ad exigendas pecunias Druſo, ut opinor: Iſaurienſis nebuloni Vatinio reſervatur. Iſaurenſis* etiam legebat Malaſp. Nonnullos è Memm. codd. habere teſtatur Lamb. *Piſaurenſi an eptiloni.* Beſſarionis, Cavalcantis, & Victorii libri, *Piſaurenſis neptiloni.* alii pro, *an epuloni*, reponunt, *an nebuloni*, vulg. *Piſaurenſis nebuloni.* Turnebus lib. XXX. cap. 13. emendat, *Druſo ut opinor, Piſaurenſi à Nebulone Vatinio reſervatur.*

14. *Bella relegatio.*] In libro Beſſarionis antiquo tribus verbis diſtinctè ſcriptum eſt, *jejuna tabella relegatio.*

15. *Quoad pot' eſt.*] Scidarum hæc eſt & veterum librorum lectio. probant Velius, Boſius & Junius. Tornæſ. & Cruſell. habent, *quoad poteſt.*

16. *Megabocchus.*] *Megabochus* mſſ. Pal. conſentientibus legit Junius: unus tamen habet *Megabrotus.*

17. *Quinque viris.*] Putat Manutius pro, *quinque*, reponendum XX.

18. *Sed receptis.*] Ita auctoribus melioribus libris reſcripſit Victorius. vulgò, *ereptis*, quod retinet Junius. priorem tamen ſcripturam damnare nequit.

19. Κἂν ὑπὸ στέγῃ.] Locum hunc cum ante depravatiſſimè legeretur reſtituit Victorius. Cæterum & ille, & vulgus, legit ἀκοῦσαι, non ἀκούειν.

20. CIↃ CCIↃↃ IↃↃↃ.] Corruptus eſt locus, ut opinatur Manutius qui mallet, ſi per antiquos libros liceret CIↃ CIↃ CIↃ. ultimi autem membri prior numerus abeſt à vulg. Priores numeros ex mſſ. ſuis reſtituiſſe ait Victorius, ut & infra H-S XXX. pro LSS. XXX. CIↃ, ut habetur in vulg.

21. *Nunc ad ſororem.*] Conjectura hæc eſt à Malaſp. quam confirmat Decurt. Urſinus etiam ait quoſdam in mſſ. ſuis ita repperiſſe: vulg. *non ad ſororem.*

22. *Epiſtolam.*] Epiſtola hæc in Lamb. editione nona eſt; Octava verò illa cujus principium, *Negent illi, &c.*

bemus; nos, ſi in his ſpes eſt, opinor, aliud agamus. Ego me do hiſtoriæ. quamquam, licet me Saufejum putes eſſe, nihil me eſt inertius. Sed cognoſce itinera noſtra; ut ſtatuas, ubi nos viſurus ſis. In Formianum volumus venire Parilibus: inde, (quoniam putas prætermittendum nobis eſſe hoc tempore [1] Cratera illum delicatum) Kal. Mai. de Formiano proficiſcemur, ut Antii ſimus A. D. v. Non. Mai. ludi enim Antii futuri ſunt [2] à IV. ad prid. Non. Mai. eos Tullia ſpectare vult. inde cogito in Tuſculanum, deinde Arpinum, Romam A. D. Kal. Jun. Te aut in Formiano, aut Antii, aut in Tuſculano, cura, ut videamus. Epiſtolam ſuperiorem reſtitue nobis, & appinge aliquid novi.

9 CICERO ATTICO, S.

[3] S. V. B. E. Cùm mihi dixiſſet Cæcilius Quæſtor puerum ſe Romam mittere, hæc ſcripſi raptim, ut tuos elicerem mirificos cum Publio dialogos, cùm eos de quibus ſcribis; tum illum, [4] quem abdis, & ais, longum eſſe, quæ ad ea reſponderis, perſcribere; illum verò, qui nondum habitus eſt, quem illa βοῶπις, cùm è Solonio redierit, ad te eſt relatura. ſic velim putes, nihil hoc poſſe mihi eſſe jucundius. ſi verò, quæ de me pacta ſunt, ea non ſervantur; in cælo ſum: ut ſciat hic noſter *Hieroſolymarius*, traductor ad plebem, quàm bonam meis [5] putiſſimis orationibus gratiam retulerit: quarum exſpecta divinam παλινῳδίαν. etenim, quantum conjectura auguramur, ſi erit nebulo iſte cum his dynaſtis in gratia, non modò de cynico Conſulari, ſed ne de iſtis quidem piſcinarum Tritonibus poterit ſe jactare. non enim poterimus ulla eſſe [6] in *invidia*, ſpoliati opibus, & illa Senatoria potentia. ſin autem ab his diſſentiet; erit abſurdum in nos invehi. verumtamen invehatur. feſtivè, mihi crede, & minore ſonitu, quàm putaram, *orbis* hic in Rep. eſt converſus: [7] citiùs omnino, quàm potuit; id culpa Catonis, ſed rurſus improbitate iſtorum; qui auſpicia, qui Æliam legem, qui Juniam, & Liciniam, [8] qui Cæciliam, & Didiam neglexerunt; qui omnia remedia Reip. effuderunt; qui regna, qui prædia tetrarchis, qui immaneis pecunias paucis dederunt. video jam quò invidia tranſeat, & ubi ſit habitatura. nihil me exiſtimaris, neque uſu, neque à Theophraſto didiciſſe, niſi brevi tempore, *deſiderari noſtra illa tempora*, videris. etenim ſi fuit invidioſa Senatus potentia; cùm ea non ad populum, ſed ad tris homines immoderatos redacta ſit, quidnam cenſes fore? proinde iſti licet faciant, quos volent, conſules, tribunos pleb. denique etiam Vatinii ſtrumam ſacerdotii διβάφῳ veſtiant; videbis brevi tempore magnos non modò eos, qui nihil titubarunt, ſed etiam illum ipſum, qui peccavit, Catonem. nam nos quidem, ſi per iſtum tuum ſodalem Publium licebit, σοφιστεύειν cogitamus: [9] ſi ille cogit ἄντα, tum duntaxat nos defendere; &, quod eſt proprium artis hujus, ἐπαγγέλλομαι

Ἄνδρ' ἀπαμύνεσθαι, [10] ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.

Patria propicia ſit: habet à nobis, etiam ſi non plus, quàm debitum eſt, plus certè, quàm poſtulatum eſt. malè vehi malo *alio gubernante*, quàm tam ingratis vectoribus, benè gubernare. Sed hæc coram commodiùs. nunc audi, quod quæris. Antium me ex Formiano recipere cogito A. D. v. Non. Mai. Antio volo Non. Mai. proficiſci [11] in Tuſculanum. ſed cum è Formiano rediero, (ibi eſſe uſque ad prid. Kalend. Mai. volo.) faciam ſtatim te certiorem. Terentia tibi ſalutem. Κικέρων ὁ μικρὸς ἀσπάζεται Τίτον Ἀθηναῖον.

CICERO ATTICO, S. 10

VOLO ames meam conſtantiam. ludos Antii ſpectare non placet. eſt enim ὑποσόλοικον, cùm velim vitare omnium deliciarum *ſuſpicionem*, repentè ἀναφαίνεσθαι non ſolum delicatè, ſed etiam ineptè peregrinantem. quare uſque ad Non. Mai. te in Formiano expectabo. nunc fac, ut ſciam, quo die te viſuri ſimus. Ab Appii Foro, hora quarta. dederam aliam paulo [12] ante Tribus tabernis.

CICERO ATTICO, S. 11

NARRO tibi, planè relegatus mihi videor poſtea quàm in Formiano ſum dies enim nullus erat, Antii cum eſſem, quo die non melius ſcirem, Romæ quid ageretur, quàm ii qui erant Romæ. etenim litteræ tuæ, non ſolum quid Romæ, ſed etiam quid in Rep. neque ſolum quid fieret, verùm etiam quid *futurum eſſet*, indicabant. nunc, niſi ſi quid [13] ex prætereunte viatore exceptum eſt, ſcire nihil poſſumus. quare quamquam jam te ipſum exſpecto, tamen iſti puero, quem ad me ſtatim juſſi recurrere, da ponderoſam aliquam epiſtolam, plenam omnium non modò actorum, ſed etiam opinionum tuarum: ac diem, quo Roma ſis exiturus cura ut ſciam. Nos in Formiano eſſe volumus uſque ad prid. Nonas Mai. eò ſi ante eam diem non veneris, Romæ te fortaſſe videbo. nam Arpinum quid ego te invitem?

Τρηχεῖ', ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος, οὔτι ἔγωγε
Ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι.

Hæc igitur. Cura ut valeas.

CICERO ATTICO, S. 12

[14] NEGENT illi [15] Publium plebejum factum eſſe. *hoc verò regnum eſt*, & ferri nullo pacto poteſt. emittat ad me Publius, qui obſignent; jurabo, Cnæum noſtrum, collegam Balbi, Antii [16] mihi narraſſe, ſe in auſpicio fuiſſe. ô ſuaves epiſtolas tuas, uno tempore mihi datas, duas: quibus εὐαγγέλια quæ reddam, neſcio: deberi quidem plane fateor. ſed vide συγκύρημα. Emerſeram commodè [17] ex Antiati in Appiam ad Tris tabernas, ipſis [18] Cerialibus, cùm in me incurrit, Roma veniens Curio meus ibidem ilicò puer abs te cùm epiſtolis. ille ex me, nihil ne audiſſem novi: ego negare. Publius, inquit, Tribunatum pl. petit. quid ais? & inimiciſſimus quidem Cæſaris, & ut omnia, inquit, iſta reſcindat. quid Cæſar? inquam. negat, ſe

1. *Cratera illum delicatum.*] Ita omnes mſſ. quibus invitis olim repoſuerat Lamb. *filicatum*; ſed poſtea hoc improbato, *delicatum* retinuit.

2. *A IV. ad prid.*] Ita Manutius ex conjectura, Boſius ex Decurt. vulg. *à* III. *Kal. ad prid. &c.*

3. *S. V. B. E.*] Hæc & Mureti & Boſii emendatio eſt, cum vulg. legeretur *ſubito.*

4. *Quem abdis.*] Vulg. *addis.*

5. *Putiſſimis orationibus.*] Vulg. *puriſſimis.*

6. *In invidia.*] Abeſt à vulg. præpoſitio, *in*, quam ex ſcidis reſtituit Boſius.

7. *Citius omnino quam potuit.*] *Oportuit*, pro *potuit*, placebat Urſino & ita poſtea ſe vidiſſe ſcriptum, in libro Longolii, teſtatur.

8. *Qui Cæciliam.*] Ita emendavit Manutius. vulg. *Cœliam.*

9. *Si ille cogit ἄντα, tum duntaxat.*] Conjectura hæc eſt Boſii, ex corrupta Decurt. lectione, in qua legitur, *cogit tanta tum.* vulg. *ſi ille cogitat, tantum.* Manutius etiamſi vulgatam probet, poſſe tamen ita corrigi exiſtimat, *ſi ille cogit, at tantum duntaxat.*

10. Ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.] Leve mendum, mendum tamen: ſic levat Dauſqueius πρότερον.

11. *In Tuſculanum. ſed cum.*] Urſinus legendum putabat, *ſed cum e Tuſculano in Formianum rediero, (ubi eſſe volo uſque ad prid. Kalend. Jun.) faciam, &c.*

12. *Ante Tribus Tabernis.*] Vulg. *ante à Tribus Tabernis.* Junius verò ex mſſ. Palat. *anteà Tribus Tabernis.*

13. *Ex prætereunte viatore.*] Sic habent codd. Memm. & item Tornæſ. & Huralt. plerique vulg. *ex præcedente.*

14. *Negent illi.*] Epiſtola hæc eſt octava in Lamb. editione.

15. *Publium plebejum.*] Ita codd. Tornæſ. & Cruſell. aperta ſcriptura; qui etiam paulò poſt habent, *hoc verò regnum eſt, & ferri nullo modo poteſt*, non ut Victor. *negent illi Publium tribun. plebis factum eſſe. Hoc verò regnum eſſe, ferre nullo pacto potes:* vel ut vulg. *hoc verò regnum eſſe, ferri nullo pacto poteſt.*

16. *Mihi narraſſe, ſe.*] Junius ex mſſ. Pall. fide ait tollendum τὸ *ſe.*

17. *Ex Antiati.*] Boſ. ex mſſ. vulg. *ex Antio.*

18. *Cerialibus.*] Vulg. ſemper *Cerealibus.*

I. *Vel*

ſe quicquam de illius adoptione tuliſſe. deinde ſuum, Memmii, Metelli Nepotis exprompſit odium. Complexus juvenem dimiſi, properans ad epiſtolas. [1] Ubi ſunt, qui ajunt, ζώσης φωνῆς? quanto magis vidi ex tuis litteris, quàm ex illius ſermone, quid ageretur? de ruminatione quotidiana, de cogitatione Publii, de lituis βοώπιδος, de ſignifero Athenione, de litteris miſſis ad Cnæum, de Theophanis, Memmiique ſermone. quantam porrò mihi exſpectationem dediſti [2] convivii iſtius ἀσελγοῦς? ſum in curioſitate ὀξύπεινος: ſed tamen facile patior te id ad me συμπόσιον non ſcribere; *præſentem audire malo*. Quod me, ut ſcribam aliquid, hortaris: creſcit mihi quidem materies, ut dicis: ſed tota res etiam nunc fluctuat; [3] κατ' ὀπώρην τρύξ: quæ [4] ſi deceſſerit; magis erunt judicata, quæ ſcribam: quæ ſi ſtatim à me ferre non potueris, primus habebis tamen, & aliquandiu ſolus. Dicæarchum rectè amas. luculentus homo eſt, & civis haud paullo melior, quam iſti noſtri ἀδικαίαρχοι. Litteras ſcripſi hora decima Cerialibus, ſtatim, ut tuas legeram: ſed eas eram daturus, ut putaram, poſtridie ei, [5] qui mihi primus obviam veniſſet. [6] Terentia delectata eſt tuis litteris, & impertit [7] tibi multam ſalutem: καὶ Κικέρων ὁ φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν Τίτον ἀσπάζεται.

13 CICERO ATTICO, S.

FACINUS indignum: epiſtolam, αὐθωρεὶ tibi à Tribus tabernis reſcriptam ad tuas ſuaviſſimas epiſtolas, neminem reddidiſſe? at ſcito, eum faſciculum, quò illam conjeceram, domum eo ipſo die latum eſſe, quo ego dederam, & ad me in Formianum relatum eſſe. itaque tibi tuam epiſtolam juſſi referri; ex qua intelligeres, quàm mihi tum illæ gratæ fuiſſent. Romæ quòd ſcribis ſileri, ita putabam. at herculè in agris non ſiletur: nec jam ipſi agri regnum veſtrum ferre poſſunt. [8] ſi verò in hanc τηλέπυλον veneris Λαιστρυγονίην, (Formias dico) qui fremitus hominum? quàm irati animi? quanto in odio noſter amicus Magnus? cujus cognomen una cum Craſſi *Divitis* cognomine conſeneſcit. credas mihi velim; neminem adhuc offendi, qui hæc tam lentè, quàm ego fero, ferret. quare, mihi crede, φιλοσοφῶμεν. juratus tibi poſſum dicere, *nihil eſſe tanti*. Tu ſi litteras ad Sicyonios habes, advola in Formianum: unde nos pr. Non. Mai. cogitamus.

14 CICERO ATTICO, S.

QUANTAM tu mihi moves exſpectationem de ſermone Bibuli? quantum de colloquio βοώπιδος? quantam etiam de illo delicato convivio? proinde ita fac venias, [9] ac ad ſitientis aures. quamquam nihil eſt jam, quod magis timendum nobis putem, quàm ne ille noſter Sampſiceramus, cum ſe omnium ſermonibus ſentiet vapulare, & cum has actiones εὐανατρέπτους videbit, ruere incipiat. ego autem uſque eo ſum enervatus, ut hoc otio, quo nunc tabeſcimus, malim ἐντυραννεῖσθαι, quàm cum *optima ſpe* dimicare. De pangendo quod me crebro adhortaris, fieri nihil poteſt. baſilicam habeo, non villam, frequentia Formianorum. [10] at quam parem baſilicæ tribum Æmiliam? ſed, omitto vulgus, poſt horam IV. moleſti ceteri non ſunt. C. Arrius proximus eſt vicinus. immo ille quidem jam contubernalis; qui etiam ſe idcirco Romam ire negat, ut hîc mecum totos dies philoſophetur. ecce ex altera parte [11] Seboſus, ille Catuli familiaris. quò me vertam? ſtatim mehercule Arpinum irem, ni te in Formiano commodiſſimè exſpectari viderem, duntaxat ad prid. Non. Mai. vide enim quibus hominibus aures ſint deditæ meæ. occaſionem mirificam, ſi qui nunc, dum hi apud me ſunt, emere de me fundum Formianum velit. [12] & tamen illud probem? MAGNUM QUID [13] AGGREDIAMUR, ET MULTÆ COGITATIONIS, ATQUE OTII. ſed tamen ſatisfiet à nobis, neque parcetur labori.

CICERO ATTICO, S. 15

UT ſcribis, ita video, non minus incerta in Rep. quàm in epiſtola tua: ſed tamen iſta ipſa me varietas ſermonum, opinionumque delectat. Romæ enim videor eſſe, cùm tuas litteras lego, &, ut fit in tantis rebus, modò hoc, modò illud audire. illud tamen explicare non poſſum, [14] quidnam invenire poſſit, nullo recuſante, ad facultatem agrariam. Bibuli autem iſta magnitudo animi in comitiorum dilatione, quid habet, niſi ipſius judicium [15] ſine ulla *correctione Reip.*? nimirum in Publio ſpes eſt: fiat Tribunus plebis: ſi nihil aliud, ut eo citiùs tu ex Epiro revertare. nam, ut illo tu careas, non video poſſe fieri; præſertim ſi mecum aliquid volet diſputare. ſed id quidem non dubium eſt, quin, ſi quid erit ejuſmodi, ſis advolaturus. verùm ut hoc non fit; [16] tamen ſeu ruet, ſeu eriget Remp. præclarum ſpectaculum mihi propono, modo te conſeſſore ſpectare liceat. Cùm hæc maximè ſcriberem, ecce tibi Seboſus. nondum planè ingemueram; ſalve, inquit Arrius. hoc eſt Roma decedere? quos ego homines effugi, cùm in hos incidi? ego verò [17] in monteis patrios, & ad incunabula noſtra pergam. denique ſi ſolus non potuero, *cum ruſticis potius*, quàm cum his perurbanis: ita tamen, ut, quoniam tu certi nihil ſcribis, in Formiano [18] tibi præſtoler uſque

1. *Ubi ſunt qui ajunt ζώσης φωνῆς.*] Sic mſſ. Pall. ut & Lambin. placuit. vulg. verſum ita ſupplent μεῖζω ἐνέργειαν εἶναι.

2. *Convivii iſtius ἀσελγοῦς.*] Ita Victorius ex ſuo codice, ut & Germani in margine adnotarant, antea ἀσελγὲς, legebatur.

3. Κατ' ὀπώρην τρύξ.] Boſii eſt, cui vulgata lectio κατ' ὀπώρην τραχὺς, ſemper ſuſpecta fuit. ita conjecit legendum ex hac Cruſell. ſcriptura κατ' ὀπώρην τρύχ.

4. *Deceſſerit.*] Sebaſt. Corradus, monet in quibuſdam libris leg *deſederit.*

5. *Qui primus obviam veniſſet.*] Codd. Memmiani habent teſte Lambino, *qui mihi primus obveniſſet.* quòd cum in ſuis quatuor invenerit, item Malaſpina, revocandum putabat Gulielmius. æquè enim dici poſſe *obvenire* atque *occedere*.

6. *Terentia delectata eſt.*] Ita reſcripſit Victorius ex ſuo codice. prius erat, *affectata eſt*, qua voce offenſi Germani, *affecta eſt*, emendarant.

7. *Multam ſalutem.*] Vulg. *multum ſalutis.*

8. *Si verò in hanc τηλέπυλον veneris λαιστρυγονίην, Formias dico.*] Hæc duo poſtrema verba abeſſe ab uno mſ. teſtatur Urſinus; & fortaſſe addita ſunt σχολιαστικῶς, ad declaranda Græca verba, quæ præcedunt. Junius hîc Urſino aſſentitur & duo illa verba delenda cenſet.

9. *Ac ad ſitientes aures.*] Reduxit Boſius in priſtinam ſedem particulam, *ac*, quæ diu hinc exularat. Ubaldinus & Manutius legebant, *ut ad ſitientes aures.*

10. *At quam parem baſilicæ tribum Æmiliam? ſed, &c.*] Ita ex veteribus libris Boſ. quod probat ex mſſ. Pall. Junius, deleta tamen particula, *ſed*: vulg. *at comparem baſilicæ? Tribum Æmiliam.* Lamb. etiam ait pleroſque mſſ. habere, *at quam partem baſilicæ?*

11. *Seboſus, ille Catuli.*] Aliter vulgò diſtinguitur, nempe, *Seboſus ille, Catuli, &c.*

12. *Et tamen illud probem?*] Eſt è cod. Tornæſ. & ita etiam Corradus & Lambinus totum hunc locum & legunt & diſtinguunt. Petrus Faber conjiciebat; *& tuum illud probem.* Manutius exiſtimabat planius fore ſi legeretur, *probe & proximè aggrediemur.* Faërnus mutabat τὸ *probem*, *in properè*, quod etiam mſ. doctiſſimi viri emendatum eſſe teſtatur Urſinus.

13. *Aggrediamur.*] *Aggredimur* legebat Faërnus.

14. *Quidnam invenire poſſit.*] Vulg. *inveniri.*

15. *Sine ulla correctione reip.?*] Junius ex mſſ. Pall *ſine ulla correptione reip.?*

16. *Tamen ſeu ruet, ſeu eriget remp.*] Hæc eſt Boſii conjectura. mſſ. omnes corrupti. Tornæſ. habet, *ſervet, get. remp.* Cruſell. *ſervet, ſerget remp.* Decurt. *ſeu ruet, ſe urget, remp.* Beſſarionis liber, *tamen ſervet remp.* quæ & vulgata eſt lectio; qua nihil ſincerius, judicio Lambini. Junius conjicit, *tamen ſi ruentem ſurreget remp.* Faërnus ex mſ. *ſerviet reſpublica.* Victorius edidit, *ſive ruet remp.*

17. *In montes patrios & ad incunabula noſtra.*] Quilibet hîc agnoſcit verſum longum, & Ennianum putabat Gulielmius.

18. *Tibi præſtoler.*] Victorius auctoritatem ſui codicis ſecutus ita reſcripſit, antea legebatur, *te præſtoler.*

que ad III. Non Mai. Terentiæ pergrata eſt aſſiduitas tua, & diligentia in controverſia Mulviana, neſcit omnino, te communem cauſam defendere eorum, qui agros publicos poſſideant. ſed tamen tu aliquid [1] Publicanus pendis; hæc etiam id recuſat. ea tibi igitur, & Κικέρων, ἀριστοκρατικώτατος παῖς, ſalutem dicunt.

16 CICERO ATTICO, S.

CENATO mihi, & jam dormitanti, prid. Kal. Mai. epiſtola eſt illa reddita, in qua de agro Campano ſcribis. quid quæris? [2] primùm ita me pupugit, ut *ſomnum* mihi ademerit, ſed id cogitatione magis, quàm moleſtia. cogitanti autem hæc ferè ſuccurrebant. primùm ex eo, quod ſuperioribus litteris ſcripſeras, ex familiari te illius audiſſe, prolatum iri aliquid, quod nemo improbaret; majus aliquid timueram: hoc mihi ejuſmodi non videbatur. deinde, ut me ego conſoler, omnis exſpectatio largitionis agrariæ in agrum Campanum videtur eſſe derivata: qui ager, ut dena jugera ſint, non ampliùs hominum quinque millia poteſt ſuſtinere. reliqua omnis multitudo ab illis *abalienatur*, neceſſe eſt. præterea, ſi ulla res eſt, quæ bonorum animos, quos jam video eſſe commotos, vehementiùs poſſit incendere, hæc certè eſt, & eo magis, quòd portoriis Italiæ ſublatis, agro Campano diviſo, quod vectigal ſupereſt domeſticum, præter viceſimam? quæ mihi videtur una conciuncula, clamore pediſſequorum noſtrorum, eſſe peritura. Cnæus quidem noſter jam planè quid cogitet, neſcio.

φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι,
ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι φορβειᾶς ἄτερ:

qui quidem etiam [3] iſtuc adduci potuerit. nam adhuc hoc ἐσοφίζετο, [4] ſe leges Cæſaris probare; actiones ipſum præſtare debere: agrariam legem ſibi placuiſſe: potuerit intercedi, nec ne, nihil ad ſe pertinere: de rege Alexandrino placuiſſe ſibi aliquando confici; Bibulus de cælo tum ſervaſſet, nec ne, ſibi quærendum non fuiſſe: de Publicanis, voluiſſe illi ordini commodare; [5] quidquid futurum fuerit, ſi Bibulus tum in forum deſcendiſſet, ſe divinare non potuiſſe. nunc verò Sampſicerame quid dices? vectigal te nobis in monte Antilibano conſtituiſſe, agri Campani abſtuliſſe? quid, hoc quemadmodum obtinebis? oppreſſos vos, inquit, tenebo exercitu Cæſaris. non mehercule me tu quidem tam iſto exercitu, quàm ingratis animis eorum hominum, qui appellantur *boni*, qui mihi non modò præmiorum, ſed ne ſermonum quidem umquam fructum ullum, aut gratiam retulerunt. quòd ſi in eam me partem incitarem, profectò jam aliquam reperirem reſiſtendi viam. nunc prorſus hoc ſtatui, ut quoniam tanta controverſia eſt Dicæarcho, familiari tuo, cum Theophraſto, amico meo, ut ille tuus τὸν πρακτικὸν βίον longè omnibus anteponat, hic autem τὸν θεωρητικὸν, utrique à me mos geſtus eſſe videatur. puto enim me Dicæarcho affatim ſatisfeciſſe: reſpicio nunc ad hanc familiam, quæ mihi non modò, ut requieſcam, permittit; ſed reprehendit, quia *non ſemper quierim*. quare incumbamus ô noſter Tite ad illa præclara ſtudia, & eò, unde diſcedere non oportuit, aliquando revertamur. Quod de Quinti fratris epiſtola ſcribis, ad me quoque fuit πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ: quid dicam neſcio. nam ita deplorat primis verſibus manſionem ſuam, ut quemvis movere poſſit: ita rurſus remittit, ut me roget, ut annales ſuos emendem, & edam. Illud tamen, quod ſcribit, animadvertas velim, de portorio circumvectionis; ait, ſe de conſilii ſententia rem ad Senatum rejeciſſe. nondum videlicet meas litteras legerat; quibus ad eum, re conſulta, & explorata, perſcripſeram, non deberi. velim, ſi qui Græci jam Romam ex Aſia de ea cauſa venerunt, videas, & ſi tibi videbitur, his demonſtres, quid ego de ea re ſentiam. ſi poſſum diſcedere, ne cauſa optima in Senatu pereat, ego ſatisfaciam Publicanis; εἰ δὲ μὴ, (verè tecum loquar) in hac re malo univerſæ Aſiæ, & negotiatoribus. nam eorum quoque vehementer intereſt. hoc ego ſentio valde nobis opus eſſe. ſed tu id videbis. Quæſtores autem, quæſo, num etiam de ciſtophoro dubitant? nam ſi aliud nihil erit; cùm erimus omnia experti, [6] ego illud ne quidem comtemnam, quod extremum eſt. Te in Arpinati videbimus, & hoſpitio *agreſti* accipiemus; quoniam *maritimum* hoc contemſiſti.

CICERO ATTICO S. 17

PRORSUS, ut ſcribis, ita ſentio. [7] turbat vi Sampſiceramus. nihil eſt, quod non timendum ſit. ὁμολογουμένως τυραννίδα συσκευάζεται. quid enim iſta repentina *affinitatis* conjunctio, quid ager Campanus, quid effuſio pecuniæ ſignificant? quæ ſi eſſent extrema, tamen eſſet nimium mali: ſed ea natura rei eſt, ut hæc *extrema* eſſe non poſſint. quid enim eos hæc ipſa per ſe delectare poſſunt? numquam huc veniſſent, niſi ad alias res peſtiferas aditus [8] ſibi compararent. verùm, ut ſcribis, hæc in Arpinati A. D. VI. circiter Id. Mai. [9] non deflebimus, ne & opera, & oleum philologiæ noſtræ perierit: ſed [10] conferemus tranquillo [11] animo. dii immortales! neque tam me εὐελπιστία conſolatur, ut antea, quàm ἀδιαφορία; qua nulla in re tam utor, quàm in hac civili, & publica. quin etiam, quod eſt ſubinane in nobis, & non ἀφιλόδοξον, (BELLUM eſt enim ſua vitia noſſe) [12] afficitur quadam delectatione: ſolebat enim me pungere, ne Sampſicerami merita in patriam ad annos DC majora viderentur, quàm noſtra: hac quidem cura certè [13] jam vacuum eſt. jacet enim ille ſic, ut [14] πλῶσις Curiana ſtare videatur. Sed hæc coram. Tu tamen videris mihi Romæ fore ad noſtrum adventum. quod ſanè facilè patiar, ſi tuo commodo fieri poſſit. ſin, ut ſcribis, ita venies; velim è [15] Theophane expiſcere, quonam in me animo ſit [16] Alabarches. quæres [17] ſcilicet, ut ſoles κατὰ τὸ κηδεμονικὸν, & ad me ab eo quaſi ὑποθήκας adferes, quemadmodum me geram. aliquid ex ejus ſermone poterimus περὶ τῶν ὅλων ſuſpicari.

CICE-

1. *Publicanus.*] Reſtituit Boſ. ex ſuis, quorum pars *publicantus*, pars *publicanos* habet. vulg. *publicanis*; Victorius etiam ait, ſe in omnibus mſſ. quos viderit, legiſſe *publicanos*, quod & Germani adnotarunt.

2. *Primum ita me pupugit.*] Vulg. *primò*.

3. *Iſtuc adduci potuerit.*] Unus è mſſ. Palat. *adici potuerit*, habet.

4. *Se leges Cæſares probare.*] Ita Decurt. & Torn. niſi quod videtur in Torn. ſcriptum eſſe, *ſi leges*, quod fortaſſis induxit Victorium, ut edendum curaret, *ſi leges Cæſaris probaret*.

5. *Quidquid futurum fuerit.*] Manutius mavult, *quid futurum, &c.*

6. *Ego illud ne quidem.*] P. Magnuli liber, *ne illud quidem*, teſte Manutio.

7. *Turbat vi.*] Hæc eſt Boſii emendatio, veteres libri *turbatur*, unde Junius, *u*, in *o*, mutans, mavult, *turbator*, legere, quàm vel Lambino qui, *turbat*, legit, vel Boſio aſſentiri.

8. *Sibi compararent. verum.*] Vulg. *ſibi compararent. Dii immortales! verum.*

9. *Non deflebimus.*] Vulg. *non defleamus.*

10. *Conferemus.*] Ita Boſ. ex mſ. vulg. *conferamus.*

11. *Animo. dii immortales.*] Hæc duo poſtrema verba tranſpoſita ſunt in vulg.

12. *Afficitur quadam delectatione.*] Vulg. *id afficitur*. Lamb. repoſuit, *id afficit me quadam delectatione*, teſtatur etiam quoſdam legere, *his afficimur delectat.* quod illi non diſplicet.

13. *Jam vacuum eſt.*] Boſ. ex mſſ. ſuis. non, *jam vacuus ſum*, ut vulg.

14. Πτῶσις *Curiana.*] Ita emendat Boſius ex Decurt. in quo legitur, *plocis Curiana*, ſed hanc lectionem non vitioſam eſſe ſed bonam ait Junius. vulgò *phocis*. Malaſp. & Lamb. totum locum ſic edunt, *jacent enim illa, hæc ſic, ut focus Curianus, ſtare videntur.*

15. *E Theophane expiſcere.*] Ita corrigit Victorius ex ſuo cod. qui habet *explicere*, vulg. *reſpicere.*

16. *Alabarches.*] Ita legendum eſſe pridem docuit, I. Cujacius, & ita habent Decurt. Tornæſ. Cruſell. & Huraltinus, non vulgò *Arabarches.*

17. *Scilicet, ut ſoles.*] Duo hæc verba, *ut ſoles*, ex Scidis, Tornæſ. & Cruſel. addidit Boſ. idem monuerat Lambinus.

1. Pu-

18 CICERO ATTICO, S.

ACCEPI aliquot epiſtolas tuas: quibus intellexi, quam ſuſpenſo animo, & ſollicito ſcire haveres, quid eſſet novi. tenemur undique: neque jam, quo minùs ſerviamus recuſamus; ſed mortem, & ejectionem, quaſi *majora*, timemus: quæ multo ſunt *minora*. atque hic ſtatus qui una voce omnium gemitur, neque verbo cujuſquam ſublevatur. σκοπὸς eſt, ut ſuſpicor, illis qui tenent, nullam cuiquam largitionem relinquere. unus loquitur, & palam adverſatur adoleſcens Curio. huic plauſus maximi, conſalutatio forenſis perhonorifica, ſigna præterea benevolentiæ permulta à bonis impertiuntur: [1] Fufium clamoribus, & conviciis, & ſibilis conſectantur. his ex rebus non ſpes, ſed dolor eſt major; cùm videas civitatis voluntatem *ſolutam*, virtutem *alligatam*. ac ne fortè quæras κατὰ λεπτὸν [2] de ſingulis rebus, univerſa res eò eſt deducta, ſpes ut nulla ſit, aliquando non modò privatos, verùm etiam magiſtratus liberos fore. [3] hac tamen in oppreſſione ſermo in circulis duntaxat, & conviviis eſt *liberior*, quàm fuit. vincere incipit timorem dolor, ſed ita; ut omnia ſint pleniſſima deſperationis. habet etiam Campana lex execrationem in coitione candidatorum, ſi mentionem fecerint, quo aliter ager poſſideatur, atque ut ex legibus Juliis. non dubitant jurare ceteri. Laterenſis exiſtimatur [4] cautè feciſſe, quòd Tribunatum pl. petere deſtitit, ne juraret. Sed de Rep. non libet plura ſcribere. diſpliceo mihi, nec ſine ſummo ſcribo dolore. me tueor; ut oppreſſis omnibus, non demiſsè; ut tantis rebus geſtis, parum fortiter. à Cæſare valde liberaliter invitor, in legationem illam ſibi ut ſim legatus: atque etiam libera legatio *voti cauſa* datur. ſed hæc & præſidii [5] apud pudorem Pulchelli non habet ſatis, & à fratris adventu me ablegat: illa & munitior eſt, & non impedit, quo minùs adſim: cùm velim. hanc ego teneo, ſed uſurum me non puto. neque tamen ſcit quiſquam. non lubet fugere: haveo pugnare. magna ſunt hominum ſtudia. ſed nihil affirmo: tu hoc ſilebis. De Statio manumiſſo, & non nullis aliis rebus, [6] angor quidem, ſed jam prorſus *occallui*. tu, [7] vellem, egove cuperem, adeſſes: nec mihi conſilium, nec conſolatio deeſſet. ſed ita te para, ut, ſi inclamaro, advoles.

19 CICERO ATTICO, S.

MULTA me ſollicitant, & ex Reipub. tanto motu, & ex iis periculis, quæ mihi ipſi intenduntur: & ſexcenta ſunt. ſed mihi nihil eſt moleſtius, quàm Statium manumiſſum. [8] *nec meum imperium? ac mitto imperium, non ſimultatem meam revereri ſaltem?* nec, quid faciam, ſcio? neque tantum eſt in re, quantus eſt ſermo. ego autem [9] ne iraſci poſſum quidem iis, quos valde amo: tantum doleo, ac mirificè quidem. cetera in magnis rebus; minæ Clodii, contentioneſque, quæ mihi proponuntur, modicè me tangunt. etenim vel ſubire eas videor mihi ſumma cum *dignitate*, vel declinare nulla cum *moleſtia* poſſe. Dices fortaſſe, dignitatis ἅλις, tanquam δρυὸς: ſaluti, ſi me amas, conſule. Me miſerum, cur non ades? nihil te profectò præteriret: ego fortaſſe τυφλώττω, & nimium τῷ καλῷ προσπέπονθα. ſcito nihil umquam fuiſſe [10] tam infame, tam turpe, [11] tam peræque omnibus generibus, ordinibus, ætatibus offenſum, quam hunc ſtatum, qui nunc eſt: magis mehercule, quàm vellem, non modò quam putarem. populares iſti jam etiam modeſtos homines *ſibilare* docuerunt. Bibulus in cælo eſt: nec, quare, ſcio; ſed ita laudatur, quaſi *Unus homo nobis cunctando reſtituit rem*. Pompejus, noſtri amores, qui mihi ſummo dolori eſt, ipſe ſe afflixit, neminem tenet: voluntate, an metu neceſſe ſit iis uti, vereor. Ego autem neque pugno cum illa cauſa propter illam amicitiam: neque approbo, ne omnia improbem, quæ antea geſſi. [12] utor via. populi *ſenſus* maximè theatro, & ſpectaculis perſpectus eſt. nam gladiatoribus, qua dominus, qua advocati ſibilis conſciſſi. ludis Apollinaribus Diphilus tragœdus in noſtrum Pompejum petulanter invectus eſt: *Noſtra miſeria tu es* [13] *Magnus*, millies coactus eſt [14] dicere. *Eandem virtutem iſtam, veniet tempus, cùm graviter gemes*, totius theatri clamore dixit, itemque cetera. nam & ejuſmodi ſunt ii verſus, ut in tempus ab inimico Pompeii ſcripti eſſe videantur. *Si neque leges, neque mores cogunt*, & cetera magno cum fremitu & clamore ſunt dicta. Cæſar cùm veniſſet mortuo plauſu, Curio filius eſt inſecutus. huic ita plauſum eſt, ut, ſalva Rep. Pompejo plaudi ſolebat. tulit Cæſar graviter. litteræ Capuam ad Pompejum volare dicebantur. inimici erant Equitibus, qui Curioni ſtantes plauſerant; hoſtes omnibus. Roſciæ legi, etiam frumentariæ minitabantur. ſanè res erat perturbata. equidem malueram, quod erat ſuſceptum ab illis, ſilentio tranſire: ſed vereor, ne non liceat. non ferunt homines, quod videtur eſſe tamen ferendum. ſed eſt jam una vox omnium, magis odio *firmata*, quam præſidio. Noſter autem Publius mihi minitatur, inimicus eſt: impendet negotium ad quod tu ſcilicet advolabis. videor mihi noſtrum illum conſularem exercitum bonorum omnium, etiam ſatis bonorum habere firmiſſimum. Pompejus ſignificat ſtudium erga me non mediocre. idem affirmat, verbum de me illum non eſſe facturum. in quo non me ille fallit, ſed ipſe fallitur. Coſconio mortuo, ſum in ejus locum invitatus. id erat vocari in locum mortui. nihil me turpius apud homines fuiſſet: neque verò, ad iſtam ipſam ἀσφάλειαν, quicquam alienius. ſunt enim illi apud bonos invidioſi: ego apud improbos meam retinuiſſem invidiam: *alienam* aſſumſiſſem. [15] Cæſar me ſibi vult eſſe legatum. honeſtior hæc declinatio periculi. ſed ego [16] hoc nunc repudio. quid ergo eſt? pugnare malo: nihil tamen, certi. iterum dico, utinam adeſſes. ſed tamen, ſi erit neceſſe arceſſemus. Quid aliud? quid? hoc opinor. certi ſumus periſſe omnia. quid enim ἀκκιζόμεθα tamdiu? ſed hæc ſcripſi properans, & mehercule timidè. [17] poſthac ad te, aut, ſi perfidelem habebo, cui dem, ſcribam plane omnia: aut, ſi obſcure ſcribam, tu tamen intelliges. in iis epiſtolis me Lælium, te Furium faciam: cetera erunt ἐν αἰνιγμοῖς. Hîc Cæcilium colimus, & obſervamus diligenter. Edicta Bibuli audio ad te miſſa. iis ardet dolore, & ira noſter Pompejus.

CICERO ATTICO, S. 20

ANICATO, ut te velle intellexeram, nullo loco defui. Numeſtium ex litteris tuis, ſtudioſè ſcriptis, libenter in-

1. *Fufium.*] Vulg. *Fuſium.*

2. *De ſingulis rebus.*] Hoc videtur Manutio eſſe gloſſema Græcorum verborum antecedentium.

3. *Hac tamen in.*] Boſius ex ſuis codd. & ante eum Urſinus vulg. *attamen.*

4. *Caute feciſſe.*] Tornæſ. & Decurt. *lautè*: Cruſell. *cautè*. quam ſcripturam expreſſit Boſius, quamquam alteram, *lautè*, non damnet. vulg. *rectè.*

5. *Apud pudorem.*] Ita Memm. Huralt. & Tornæſ. vulgò *furorem.*

6. *Angor quidem.*] Vulg. *equidem.*

7. *Vellem, egove.*] Vulg. *vellem ego, &c.*

8. *Nec meum imperium? ac.*] Junius ita diſtinguit, *nec imperium meum? age, mitto imperium; non ſimultatem meam. Revereri ſaltem? nec, quid faciam ſcio.*

9. *Ne iraſci poſſum quidem.*] Vulg. *ne iraſci quidem poſſum.*

10. *Tam infame.*] Hæ duæ voces abſunt a cod. Tornæſ.

11. *Tam peræque.*] Codex Tornæſ. habet, *peræqui*. Malaſp. teſtatur in omnibus mſſ. quos conſuluit, ſcriptum eſſe, *tam denique.*

12. *Utor via. populi ſenſus.*] Junius ita diſtinguit, *utor via populi: ſenſus.*

13. *Magnus; milies.*] Junius ex uno mſ. Palat. legit, *noſtra miſeria tu magnus es, miles, &c.*

14. *Dicere, eandem.*] Manutius legit & diſtinguit, *dicere eandem, virtutem.*

15. *Cæſar me ſibi vult.*] Vulg. *me ſibi vellet.*

16. *Hoc nunc repudio.*] Ita Petrus Faber, Lambinus, & Boſius legunt. Vulg. *hoc non repudio*. Urſini liber *hoc repudio.*

17. *Poſthac ad te, aut ſi.*] Junius ex mſſ. Pall. *poſthac ad te autem ſi.*

1. Se

in amicitiam recepi. Cæcilium, quibus rebus poſſum, tueor diligenter. Varro ſatisfacit nobis. Pompejus amat nos, caroſque habet. credis? inquies: credo: prorſus mihi perſuadet. ſed quia, ut video, pragmatici homines omnibus hiſtoricis præceptis, verſibus denique cavere jubent, & *vetant credere:* alterum facio, ut caveam; alterum, ut non credam, facere non poſſum. Clodius adhuc mihi denuntiat periculum; Pompejus affirmat, non eſſe periculum; adjurat; addit etiam, [1] ſe prius occiſum iri ab eo, quàm me violatum iri. tractatur res [2] ſimul & quid erit certi, ſcribam ad te. ſi erit pugnandum, arceſſam ad ſocietatem laboris: ſi quies dabitur, ab Amalthea te non commovebo. De Repub. breviter ad te ſcribam. jam enim charta ipſa ne nos prodat, pertimeſco. itaque poſthac, ſi erunt mihi plura ad te ſcribenda, ἀλληγορίαις obſcurabo. Nunc quidem novo quodam morbo *civitas moritur*; ut, cùm omnes ea, quæ ſunt acta, improbent, querantur, doleant, varietas in re nulla ſit, aperteque loquantur, & jam clarè gemant; tamen medicina nulla afferatur. neque enim reſiſti ſine internecione poſſe arbitramur: nec videmus, qui finis cedendi, præter exitium, futurus ſit. Bibulus, hominum admiratione & benivolentia, in cælo eſt. edicta ejus & conciones deſcribunt & legunt. novo quodam genere in ſummam gloriam venit. populare nunc nihil tam eſt, quàm *odium popularium:* hæc quò ſint eruptura, timeo. ſed, ſi diſpicere quid cœpero, ſcribam ad te apertiùs. tu, ſi me amas tantum, quantum profectò amas; expeditus facito, ut ſis; ſi inclamaro, ut accurras. ſed do operam & dabo, ne ſit neceſſe. Quod ſcripſeram, te Furium ſcripturum; nihil neceſſe eſt tuum nomen mutare. me faciam Lælium, & te Atticum; neque utar meo chirographo, neque ſigno; ſi modò erunt ejuſmodi litteræ, quas in alienum incidere nolim. Diodotus mortuus eſt: reliquit nobis H-S fortaſſe [3] centies. Comitia Bibulus cum Archilochio edicto in ante diem XV. Kal Novemb. diſtulit. A Vibio libros accepi. poëta ineptus: [4] ſed tamen ſcit? nihil: ſed eſt non inutilis. deſcribo & remitto.

21 CICERO ATTICO, S.

De Repub. quid ego tibi ſubtiliter? tota periit: atque hoc eſt miſerior, quàm reliquiſti, quòd tum videbatur ejuſmodi dominatio civitatem oppreſſiſſe, quæ jucunda eſſet multitudini, bonis autem ita moleſta, ut tamen ſine pernicie; nunc repentè tanto in odio eſt omnibus, ut quorſum eruptura ſit, horreamus. nam iracundiam, atque intemperantiam illorum ſumus experti, qui Catoni irati, omnia perdiderunt. ſed ita *lenibus* uti videbantur *venenis*, ut poſſe videremus ſine dolore interire. nunc verò ſibilis vulgi, ſermonibus honeſtorum, fremitu Italiæ vereor ne exarſerint. equidem ſperabam, ut ſæpe etiam loqui tecum, ſolebam, ſic *orbem* Reip. eſſe converſum, ut vix ſonitum audire, vix impreſſam orbitam videre poſſemus: & fuiſſet ita, ſi homines tranſitum tempeſtatis exſpectare potuiſſent: ſed cùm diu occultè ſuſpiraſſent, poſtea jam gemere, ad extremum verò loqui omnes, & *clamare* cœperunt. itaque ille amicus noſter, inſolens infamiæ, ſemper in laude verſatus, circumfluens gloria, deformatus corpore, fractus animo, quò ſe conferat neſcit: progreſſum præcipitem, inconſtantem reditum videt: bonos inimicos habet, improbos ipſos non amicos. ac vide mollitiem animi, non tenui lacrimas, cùm illum ante IIX. Kal. Sext. vidi de edictis Bibuli concionantem, qui antea ſolitus eſſet jactare ſe magnificentiſſimè illo in loco, ſummo cum amore populi cunctis faventibus. ut ille tum humilis, ut demiſſus erat? ut ipſe etiam ſibi, non iis ſolùm, qui aderant, diſplicebat? ô ſpectaculum uni Craſſo jucundum, ceteris non item. nam, quia deciderat ex aſtris, [5] lapſus, quam progreſſus, potiùs videbatur: &, ut Apelles, ſi Venerem, aut ſi Protogenes Ialyſum illum ſuum cæno oblitum videret, magnum, credo, acciperet dolorem: ſic ego hunc, omnibus à me pictum & politum artis coloribus, ſubito deformatum, non ſine magno dolore vidi. quamquam nemo putabat, propter Clodianum negotium, me illi amicum eſſe debere. tamen tantus fuit amor, ut *exhauriri* nulla poſſet injuria. itaque Archilochia in illum edicta Bibuli populo ita ſunt jucunda, ut eum locum, ubi proponuntur, præ multitudine eorum, qui legunt, [6] tranſire nequeant; ipſi ita acerba, ut tabeſcat dolore; mihi mehercule moleſta, quòd & eum, quem ſemper dilexi, nimis excruciant; & timeo, tam vehemens vir, tamque acer in ferro, & tam inſuetus contumeliæ, ne omni animi impetu dolori, & iracundiæ pareat. Bibuli qui ſit exitus futurus, neſcio. ut nunc res ſe habet, admirabili gloria eſt. [7] quin cùm comitia in menſem Octobr. diſtuliſſet; quòd ſolet ea res populi voluntatem offendere, putarat Cæſar oratione ſua poſſe impelli concionem, [8] ut iret ad Bibulum; multa cùm ſeditioſiſſimè diceret, vocem exprimere non potuit. quid quæris? ſentiunt, ſe nullam ullius partis voluntatem tenere: eo magis vis nobis eſt timenda. Clodius inimicus eſt nobis. Pompejus confirmat, eum nihil eſſe facturum contra me. mihi periculoſum eſt credere: ad reſiſtendum me paro. ſtudia ſpero me ſumma habiturum omnium ordinum. te cum ego deſidero, tum verò res ad tempus illud vocat. plurimum conſilii, animi, præſidii denique, mihi, ſi te ad tempus videro, acceſſerit. Varro mihi ſatisfacit. Pompejus loquitur divinitus. [9] ſpero nos aut certè cum ſumma gloria, aut [10] ſine moleſtia etiam diſceſſuros. Tu, quid agas, quemadmodum te oblectes, quid cum Sicyoniis egeris, ut ſciam cura.

CICERO ATTICO S. 22

[11] Quam vellem Romæ manſiſſes: manſiſſes profectò, ſi hæc fore putaſſemus. nam Pulchellum noſtrum facillimè teneremus: aut certè, quid eſſet facturus, ſcire poſſemus. nunc ſe res ſic habet; volitat, furit, nihil habet certi; multis denuntiat; quod fors obtulerit, id acturus videtur. cùm videt, quò ſit in odio ſtatus hic rerum, in eos, qui hæc egerunt, impetum facturus videtur. cùm autem rurſus opes & vim exercitus recordatur, convertit ſe in nos. nobis autem ipſis cùm vim, tum judicium minatur. cum hoc Pompejus egit, &, ut ad me ipſe referebat, (alium enim habeo neminem teſtem) vehementer egit, cum diceret, in ſumma ſe perfidiæ, & ſceleris infamia fore, ſi mihi periculum crearetur ab eo, quem ipſe armaſſet, [12] cùm plebejum fieri paſſus eſſet. [13] ſed fidem recepiſſe ſibi & ipſum, & Appium de me: hanc ſi ille non ſervaret, ita laturum, ut omnes intelligerent, nihil ſibi antiquius amicitia noſtra fuiſſe. hæc, & in eam ſententiam cum multa

---

1. *Se prius occiſum iri ab eo.*] Junius vocem, *iri*, delet, dicitque mſſ. habere *occiſu iri*, ſed *iri*, ex ſolutiore littera *m*, eſſe confectum.

2. *Simul & quid.*] Ita etiam legit Junius ex mſſ. Pall. Manutius conjicit, *ſimul ut quid.* Vulg. *ſimul quid.*

3. *Centies.*] Hic mendum latitare credit Manutius, &, *centum*, conjicit.

4. *Sed tamen ſcit? nihil: ſed eſt.*] Boſii conjectura; Vulg. *nec tamen ſcit nihil & eſt.* in quibuſdam libris pro, *ſed tamen*, vel *nec tamen*, legitur, *& tamen.*

5. *Lapſus, quàm progreſſus, potius.*] Paulò aliter verba collocata in vulgar. *l. p. q. progreſſus.*

6. *Tranſire nequeant.*] Vulg. *nequeamus.*

7. *Quin.*] Hæc & Malaſp. conjectura & Cruſell. Decurtatique lectio eſt: vulg. *qui.*

8. *Ut iret ad Bibulum.*] Placeret magis Fulvio niſi repugnarent mſſ. *ut iret in Bibulum.*

9. *Spero nos aut certè cum ſumma gloria, aut ſine.*] Veteres libri, *cum ſua gloria aut etiam ſine.*

10. *Sine moleſtia etiam.*] *Etiam* abeſt à vulg.

11. *Quam vellem Romæ manſiſſes; manſiſſes profectò.*] Lambinus *q. v. R. m. ut manſiſſes profectò;* quod laudat Boſius, niſi quod partic. *ut*, rejicit: vulg. *q. v. R. m. quod egiſſes*, quæ duo poſtrema abeſſe ab antiquis libris & ſubaudiri poſſe, teſtatur Manutius.

12. *Cum plebejum fieri.*] Vulg. *quem plebejum, &c.*

13. *Fidem recepiſſe.*] Lambinus *fidem dediſſe.*

1. Tum

multa dixiſſet, ajebat illum primò ſanè diu multa contra: ad extremum autem *manus dediſſe*, & affirmaſſe nihil ſe contra ejus voluntatem eſſe facturum. ſed poſtea tamen ille non deſtitit de nobis aſperrimè loqui. quod ſi non faceret, tamen ei nihil crederemus: atque omnia ſicut facimus, pararemus. nunc ita nos gerimus, ut in dies ſingulos & ſtudia in nos hominum, & opes noſtræ augeantur. Rempub. nulla ex parte attingimus; in cauſis atque in illa opera noſtra forenſi ſumma induſtria verſamur. quod egregiè non modo iis, qui utuntur opera, ſed etiam in vulgus gratum eſſe ſentimus. domus celebratur: occurritur: renovatur memoria Conſulatus: ſtudia ſignificantur: in eam ſpem adducimur, ut nobis ea contentio, quæ impendet, interdum non fugienda videatur. nunc mihi & conſiliis opus eſt tuis, & amore, & fide. quare advola. expedita mihi erunt omnia, ſi te habebo. multa per Varronem noſtrum agi poſſunt, quæ te urgente erunt firmiora; multa ab ipſo Publio elici, multa cognoſci, quæ tibi occulta eſſe non poterunt: multa etiam; ſed abſurdum eſt ſingula explicare: [1] tum ego requiram te ad omnia. unum illud tibi perſuadeas velim, omnia mihi fore explicata, ſi te videro: ſed totum eſt in eo, ſi antè, quàm ille ineat magiſtratum. Puto Pompejum Craſſo urgente, ſi tu aderis, qui per [2] *βοῶπιν* ex ipſo intelligere poſſis qua fide ab illis agatur, nos aut ſine moleſtia, aut certè ſine errore futuros. precibus noſtris & cohortatione non indiges. quid mea voluntas, quid tempus, quid rei magnitudo poſtulet, intelligis. De Repub. nihil habeo ad te ſcribere, niſi ſummum *odium* omnium hominum in eos, qui tenent omnia, mutationis tamen ſpes nulla. ſed, quod facilè ſentias, tædet ipſum Pompejum, vehementerque pœnitet. non provideo ſatis, quem exitum futurum putem. [3] ſed certè videntur hæc aliquò eruptura. Libros Alexandri, negligentis hominis, & non boni poëtæ, ſed tamen non inutilis, tibi remiſi. N. Numeſtium libenter accepi in amicitiam; & hominem [4] gravem, & prudentem, & dignum tua commendatione cognovi.

23 CICERO ATTICO, S.

NUMQUAM ante arbitror te epiſtolam meam legiſſe, niſi, mea manu ſcriptam. ex eo colligere poteris, quanta occupatione diſtinear. nam, cùm vacui temporis nihil haberem, & cùm, recreandæ voculæ cauſa, neceſſe eſſet mihi *ambulare*, hæc dictavi ambulans. Primum igitur illud te ſcire volo, Sampſiceramum noſtrum amicum, vehementer ſui *ſtatus pœnitere*: reſtituique in eum locum cupere, ex quo decidit: doloremque ſuum impertire nobis, & medicinam interdum apertè quærere; quam ego [5] poſſe inveniri nullam: [6] poſt deinde omnes illius partis auctores ac ſocios, nullo adverſario, conſeneſcere; conſenſionem univerſorum [7] nec voluntatis, nec ſermonis majorem umquam fuiſſe. Nos autem (nam, id te ſcire cupere, certò ſcio) publicis conſiliis nullis interſumus, totoſque nos ad forenſem operam, laboremque contulimus. ex quo, quod facilè intelligi poſſit, in multa commemoratione earum rerum, quas geſſimus, deſiderioque verſamur. ſed [8] *βοώπιδος* noſtræ conſanguineus non mediocris terrores jacit atque denunciat, & Sampſiceramo *negat*; ceteris præ ſe fert, & oſtentat. quamobrem, ſi me amas tantum, quantum profectò amas; ſi dormis, expergiſcere; ſi ſtas, ingredere; ſi ingrederis, curre; ſi curris, advola. credibile non eſt, quantum ego in conſiliis, & prudentia tua [9] quod maximum eſt, quantum in amore & fide ponam. magnitudo rei longam orationem fortaſſe deſiderat: conjunctio verò noſtrorum animorum *brevitate* contenta eſt. permagni noſtra intereſt, te, ſi comitiis non potueris, at declarato illo, eſſe Romæ. Cura, ut valeas.

CICERO ATTICO, S. 24

QUAS Numeſtio litteras dedi, ſic te iis evocabam, ut nihil acrius, neque incitatius fieri poſſet. [10] ad illam *κέλδυσιν* adde etiam ſi quid potes. ac ne ſis perturbatus; novi enim te; & non ignoro, quam ſit AMOR omnis ſollicitus atque anxius: ſed res eſt, ut ſpero, non tam exitu moleſta, [11] quam auditu. Vettius ille, [12] ille noſter index, Cæſari, ut perſpicimus, pollicitus eſt, ſe ſe curaturum, ut in aliquam ſuſpicionem facinoris Curio filius adduceretur. itaque inſinuatus in familiaritatem adoleſcentis, & cum eo, ut res indicat, ſæpe congreſſus, rem in eum locum deduxit, ut diceret ſibi certum eſſe cum ſuis ſervis in Pompejum impetum facere, eumque occidere. hoc Curio ad patrem detulit, ille ad Pompejum. res delata ad Senatum eſt; introductus Vettius primò negabat ſe umquam cum Curione reſtitiſſe; neque id ſane diu. nam ſtatim fidem publicam poſtulavit. [13] haud reclamatum eſt. tum expoſuit, manum fuiſſe juventutis duce Curione, in qua Paullus initio fuiſſet, & [14] Cn. Cæpio hic Brutus, & Lentulus, flaminis filius, conſcio patre. poſtea C. Septimium ſcribam Bibuli, pugionem ſibi à Bibulo attuliſſe: quod totum irriſum eſt; Vettio pugionem defuiſſe, niſi ei Conſul dediſſet; eoque magis id ejectum eſt, quòd A. D. III. Id. Mai. Bibulus Pompejum fecerat certiorem ut caveret inſidias. in quo ei Pompejus gratias egerat. introductus Curio filius, dixit ad ea, quæ Vettius dixerat: maximeque in eo tum quidem Vettius eſt reprehenſus, quòd dixerat [15] adoleſcentium conſilium, ut in foro [16] cum gladiatoribus Gabinii Pompejum adorirentur: in eo principem Paullum fuiſſe; quem conſtabat eo tempore in Macedonia fuiſſe. fit S. C. ut Vettius, quod confeſſus eſſet ſe *cum telo* fuiſſe, in vincula conjiceretur: qui eum emiſiſſet, contra Rempub. eſſe facturum. res erat in ea opinione, ut putarent id eſſe actum, ut Vettius in foro cum pugione, & item ſervi ejus comprehenderentur cum telis: deinde ille ſe diceret indicaturum; idque ita actum eſſet, niſi Curiones rem ante ad Pompejum detuliſſent. tum S. C. in concione recitatum eſt. poſtero autem die Cæſar, is, qui olim, prætor cum eſſet, Q. Catulum ex inferiore loco juſſerat dicere, Vettium in roſtra produxit; eumque in eo loco conſtituit, quo Bibulo Conſuli aſpirare non liceret. hic ille omnia, quæ voluit, de Repub. dixit; [17] &, qui illuc factus, inſtitutuſque veniſſet, primum Cæpionem de oratione ſua ſuſtu-

1. *Tum ego requiram.*] Vulg. *cùm ego, &c.*
2. Βοῶπιν.] Vulg. *βοώπιδα.*
3. *Sed certè.*] Vulg. *ſed certò.*
4. *Gravem & prudentem.*] Faërnus teſte Urſino, *pudentem* legebat.
5. *Poſſe inveniri nullam.*] Hæc eſt lectio Decurt. & Tornæſ. ex qua Lambinus cudebat, *quam ego poſſe inveniri nullam puto.* vulg. *quam ego poſſem invenire nullam.*
6. *Poſt deinde.*] Voculam, *poſt*, quæ à libris impreſſis aberat, reſtituit è mſſ. ſuis Boſius.
7. *Nec voluntatis nec ſermonis.*] Vulg. *nec voluntate, nec ſermone.*
8. Βοώπιδος *noſtræ conſanguineus.*] Manutius, *noſter conſanguineus.*
9. *Quod maximum.*] Vulg. *quodque maximum eſt.*
10. *Ad illam* κέλδυσιν.] Hæc eſt & Decurt. & Tornæſ. ſcriptura. Turnebus cum animadvertiſſet in nonnullis mſſ. legi κελδῦ, & nihil præterea; *ad illa* κελδύματα legendum cenſuerat lib. xxx. cap. 13. Victorius edidit, *celeritatem.*
11. *Quam auditu.*] Ita Boſ. & Lamb. ex mſſ. non *aditu.* ut ex conjectura repoſuit Victorius.
12. *Ille noſter index.*] Fulvius ex antiquis denariis *judex*, quod probat Junius.
13. *Haud reclamatum eſt.*] Particulam *haud* ex Decurt. in quo erat, *aut*, reſtituit Boſius. Lambinus nihil addit, ut & Junius; auctoritate mſſ. Palatin. & ratione fretus. Malaſp. conjiciebat, *relatum eſt.*
14. *Cn. Cæpio hic Brutus.*] Alii *Cn. Cæpio & Brutus.* Manutius ex antiquo nummo, & aliis M. T. locis, *Q. Cæpio Brutus.*
15. *Adoleſcentium.*] Vulg. *adoleſcentum.*
16. *Cum gladiatoribus.*] Non dubitat Manutius quin abundet particula, *cum.*
17. *Et qui illuc factus.*] Ita Scidæ & Malaſp. codd. vulg. *ut qui.*

ſuſtulit, quem in Senatu acerrimè nominarat, ut appareret *noctem*, & nocturnam deprecationem interceſſiſſe; deinde, quos in ſenatu ne tenuiſſima quidem ſuſpicione, attigerat, eos nominavit, Lucullum, à quo ſolitum eſſe ad ſe mitti C. Fannium, illum, qui in P. Clodium ſubſcripſerat; L. Domitium, cujus domum conſtitutam fuiſſe, unde eruptio fieret: me non nominavit: ſed dixit, Conſularem diſertum, vicinum Conſulis, ſibi dixiſſe, AHALAM Servilium aliquem, [1] aut Brutum opus eſſe reperiri. addidit ad extremum, cùm, jam dimiſſa concione, revocatus à Vatinio fuiſſet, ſe audiſſe à Curione, his de rebus conſcium eſſe Piſonem generum meum & M. Laterenſem. nunc reus erat [2] apud Craſſum Divitem Vettius de vi: &, cùm eſſet damnatus, erat indicium poſtulaturus: quod ſi impetraſſet, judicia fore videbantur. ea nos, utpote qui *nihil contemnere ſolemus*, non pertimeſcebamus. hominum quidem ſumma erga nos ſtudia ſignificabantur: ſed prorſus vitæ tædet, ita ſunt omnia omnium miſeriarum pleniſſima. modò cædem timueramus, quam oratio fortiſſimi ſenis Q. Conſidii diſcuſſerat: ea, quam quotidie timere potueramus, ſubitò exorta eſt. quid quæris? [3] nihil me infortunatius, nil fortunatius eſt Catulo, [4] cùm ſplendore vitæ, tum hoc tempore. nos tamen [5] in his miſeriis *erecto animo*, & minimè perturbato ſumus: honeſtiſſimeque, [6] & dignitatem noſtram magna cura tuemur. Pompejus de Clodio jubet nos eſſe ſine cura, & ſummam in nos benivolentiam [7] omni oratione ſignificat. Te habere conſiliorum auctorem, [8] ſolitudinum ſocium, omni in cogitatione conjunctum, cupio. quare, ut Numeſtio mandavi, tecum ut ageret; item, atque eo, ſi poteſt: acriùs, te rogo, ut planè ad nos advoles. reſpiraro, ſi te videro.

CICERO ATTICO, S. 25

CUM aliquem apud te laudaro tuorum familiarium, volam illum ſcire ex te, me id feciſſe; ut nuper me ſcis ſcripſiſſe ad te de Varronis erga me officio, te ad me reſcripſiſſe, eam rem ſummæ [9] ſibi voluptati eſſe. ſed ego mallem, ad illum ſcripſiſſes, mihi illum ſatisfacere, [10] non quo faceret, ſed ut faceret. mirabiliter enim [11] moratus eſt, ſicut noſti, ἐλικτὰ, καὶ οὐδέν. [12] nos tenemus præceptum illud, τὰς τῶν κρειττόνων. at hercule alter, tuus familiaris [13] Hortalus quàm plena manu, quàm ingenuè, quàm ornatè noſtras laudes in aſtra ſuſtulit, cùm de Flacci prætura, & de illo tempore Allobrogum diceret; ſic habeto, nec amantiùs, nec honorificentiùs, nec copioſiùs potuiſſe dici. ei te hoc ſcribere à me tibi eſſe miſſum, ſanè volo. ſed quid tu ſcribas? quem jam ego venire, atque adeſſe arbitror. ita enim egi tecum ſuperioribus litteris. valde te exſpecto, valde deſidero; neque ego magis, quam ipſa *res & tempus* poſcit. His de negotiis quid ſcribam ad te, niſi idem, quod ſæpe? Rep. nihil deſperatius: iis, quorum opera, nihil majore odio. Nos, ut opinio, & ſpes, & conjectura noſtra fert, firmiſſima benivolentia hominum muniti ſumus. quare advola. aut expedies nos omni moleſtia, aut eris particeps. Ideo ſum brevior, quòd, ut ſpero coram brevi tempore conferre, quæ volumus, licebit. Cura, ut valeas.

1. *Aut Brutum.*] *Aut etiam Brutum*, vulg.
2. *Apud Craſſum divitem Vettius de vi.*] Ita Faërnus ex antiquo libro reſtituit, cum antea deeſſet nomen *Vettius*.
3. *Nihil me infortunatius.*] Recte ita reſtituiſſe Lambinum ex conjectura, ait Boſius, niſi quod omiſerit verbum *eſt*, ante nomen, *Catulo*; ita enim planè legitur in Decurt. Ceterum pro *Catulo* Manutius legere vellet vel *Lucullo*, vel *Catone*. Totus hic locus ita antea legebatur, *nihil me infortunatius & Catullo.*
4. *Cum ſplendore vitæ, tum hoc tempore.*] Lambinus *cum ſplendore vitæ, tum mortis tempore.*
5. *In his miſeriis.* Vulg. *in his etiam miſeriis.*
6. *Et dignitatem noſtram.*] Vulg. *dignitatem noſtram & magna, &c.*
7. *Omni oratione.*] Ita Malaſp. Memm. & Tornæſ. codd. non ut plerique vulg. *ratione.*
8. *Solitudinum.*] Vulg. *ſollicitudinum.*
9. *Sibi voluptati.*] *Conjectura Boſii.* vulgò, *tibi.*
10. *Non quò faceret.*] Ita reſtituerunt Boſ. & Lambin. ex Tornæſ. Vulgò illa verba, *ſed ut faceret*, abſunt.
11. *Moratus eſt.*] Placeret Manutio *inodoratus eſt*. Boſ. legit *Moratus*, tanquam eſſet nomen auctoris alicujus.
12. *Nos tenemus.*] Vulg. *ſed nos tenemus.*
13. *Hortalus.*] Ita repoſuere Lamb. & Boſius ex mſſ. aliàs, *Hortenſius.*

M. TULLII CICERONIS
EPISTOLARUM
LIBER TERTIUS,
AD
ATTICUM.

1 CICERO ATTICO SAL.

[1] CUM antea maximè noſtra intereſſe arbitrabar, te eſſe nobiſcum; tum verò, ut legi rogationem, intellexi, ad iter id, quod conſtitui, nihil mihi optatius cadere poſſe, quam ut tu me quamprimum conſequare; ut, cum ex Italia profecti eſſemus, ſive per Epirum iter eſſet faciendum, tuo tuorumque præſidio uteremur; ſive aliud quid agendum eſſet, certum conſilium de tua ſententia capere poſſemus. quamobrem, te oro, des operam, ut me ſtatim conſequare. [2] facilius potes; quoniam de provincia Macedonia perlata lex eſt. Pluribus verbis tecum agerem, niſi pro me apud te *res ipſa loqueretur.*

CICERO ATTICO, S. 2

ITINERIS noſtri cauſa fuit, quòd non habebam locum, ubi pro meo jure diutius eſſe poſſem quam [3] in fundum Sicæ; præſertim nondum rogatione correcta: & ſimul intelligebam, ex eo loco [4] ſi te haberem, poſſe me [5] Brundiſium referre; ſine te autem non eſſe nobis illas partes tenendas

1. *CUm antea.*] Hic eſt omnium mſſ. ordo. Manutius illum immutavit, & hunc ſequutus Lambinus in editione ſua.
2. *Facilius potes.*] Junius ex duobus mſſ. Palat. *quanto citius potes.*
3. *In fundum.*] Ita Beſſarionis liber, vulgo, *in fundo.*
4. *Si te haberem.*] Beſſarionis liber, *ſe iter habere.*
5. *Brundiſium referre.*] Propemodum Malaſp. aſſentitur Lambinus, qui hic non *Brundiſium*, ſed *Buthrotum* legit.

nendas propter [1] Autronium. nunc, ut ad te antea ſcripſi, ſi ad nos veneris, conſilium totius rei capiemus. iter eſſe moleſtum ſcio; ſed tota calamitas omnes moleſtias habet. Plura ſcribere non poſſum, ita ſum animo perculſo & abjecto. Cura ut valeas. Dat. VI. [2] Apr. in oris Luc.

3 CICERO ATTICO, S.

UTINAM illum diem videam, cùm tibi agam gratias, quod me *vivere coëgiſti*. adhuc quidem valde me pœnitet. ſed te oro, ut ad me Vibonem ſtatim venias, quò ego multis de cauſis converti iter meum. ſed eo ſi veneris, de toto itinere, ac fuga mea conſilium capere potero. ſi id non feceris, mirabor, ſed confido te eſſe facturum.

4 CICERO ATTICO, S.

MISERIÆ noſtræ potius velim, quàm inconſtantiæ, tribuas, quòd, à Vibone, quò te arceſſebamus, ſubito diſceſſimus. [3] allata eſt enim nobis rogatio de pernicie mea; in qua, quod [4] conrectum eſſe audieramus, erat ejuſmodi, ut mihi ultra quadringenta millia liceret eſſe. illo cùm pervenire non liceret, ſtatim iter Brundiſium verſus contuli ante diem rogationis; ne & Sica, apud quem eram, *periret*; & quod Melitæ eſſe non licebat. nunc tu propera, ut nos conſequare, ſi modò recipiemur. adhuc invitamur benignè. ſed, quod ſupereſt, timemus. me, mi Pomponi valde *pœnitet vivere*. qua in re apud me tu plurimùm valuiſti. Sed hæc coram. fac modò, ut venias.

5 CICERO ATTICO, S.

TERENTIA tibi & ſæpe, & maximas agit gratias. id eſt mihi gratiſſimum. ego vivo miſerrimus & maximo dolore conficior. ad te quid ſcribam neſcio. ſi enim es Romæ, jam me aſſequi non potes: ſin es in via, cùm eris me aſſequutus, coram agemus, quæ erunt agenda. tantum te oro, ut, quoniam me ipſum ſemper amaſti, ut [5] eodem amore ſis. ego enim idem ſum. INIMICI mei mea mihi, non me ipſum, ademerunt. Cura, ut valeas. Dat. IIX. Id. Apr. [6] Thurii.

6 CICERO ATTICO, S.

NON fuerat mihi dubium, quin te Tarenti, aut Brundiſii viſurus eſſem: idque ad multa pertinuit, in eis, & ut in Epiro conſiſteremus, & de reliquis rebus tuo conſilio uteremur. quoniam id non contigit, erit hoc quoque in magno numero noſtrorum *malorum*. nobis iter eſt in Aſiam [7] maximè Cyzicum. meos tibi commendo. me vix miſereque ſuſtento. Dat. XIV. Kal. Mai. [8] De Tarentino.

7 CICERO ATTICO S.

BRUNDISIUM veni [9] A. D. XIV. Kal. Mai. eo die pueri tui mihi à te litteras reddiderunt: & alii pueri poſt diem tertium ejus diei alias litteras attulerunt. Quod me rogas, & hortaris, ut apud te in Epiro ſim, voluntas tua mihi valde grata eſt, & minimè nova: [10] ſed & conſilium mihi quidem optatum, ſi liceret ibi omne tempus conſumere. odi enim *celebritatem*; fugio homines; lucem aſpicere vix poſſum. eſſet mihi iſta ſolitudo, præſertim tam familiari in loco, non amara. [11] ſic, itineris cauſa, ut deverterem, primùm eſt devium; deinde ab Autronio, & ceteris quatridui; deinde ſine te. nam caſtellum munitum habitanti, mihi prodeſſet; tranſeunti, non eſt neceſſarium. quòd ſi auderem, [12] Athenas peterem: ſanè ita cadebat, ut vellem. nunc & noſtri hoſtes ibi ſunt; & te non habemus; & veremur, ne interpretentur, illud quoque oppidum ab Italia non ſatis abeſſe: nec ſcribis, quam ad diem te exſpectemus. Quod me ad vitam vocas, unum efficis, ut à me *manus abſtineam*; alterum non potes, ut me non noſtri [13] conſilii vitæque pœniteat. quid enim eſt, quod me retineat, præſertim ſi ſpes ea non eſt, quæ nos proficiſcenteis proſequebatur? non faciam, ut enumerem miſerias omnes, in quas incidi per ſummam injuriam, & ſcelus non tam inimicorum meorum, quam invidorum, ne & meum mœrorem exagitem, & te in eundem luctum vocem. [14] hoc affirmo, *neminem* umquam tanta calamitate eſſe affectum; nemini mortem magis optandam fuiſſe: cujus oppetendæ tempus honeſtiſſimum prætermiſſum eſt. reliqua tempora [15] non ſunt jam ad medicinam, ſed ad finem doloris. De Rep. video te colligere omnia, quæ putes aliquam ſpem mihi poſſe adferre mutandarum rerum: quæ quamquam exigua ſunt; tamen, quoniam placet, exſpectemus. Tu nihilo minùs, ſi properaris, nos conſequere, nam aut accedemus in Epirum; aut tardè per Candaviam ibimus. Dubitationem autem de Epiro non inconſtantia noſtra afferebat, ſed quòd de fratre, ubi eum viſuri eſſemus, neſciebamus. quem quidem ego nec quo modo viſurus, nec ubi dimiſſurus ſim, ſcio. id eſt maximum & miſerrimum mearum omnium miſeriarum. Ego & ſæpius ad te, & plura ſcriberem, niſi mihi *dolor* meus cùm omneis parteis mentis, tum maximè hujus generis facultatem ademiſſet. Videre te cupio. Cura ut valeas. Dat. prid. Kal. Mai. [16] Brundiſii.

CICERO ATTICO S. 8

BRUNDISII proficiſcens ſcripſeram ad te, quas ob cauſas in Epirum non eſſemus profecti; quòd & Achaja prope eſſet plena audaciſſimorum inimicorum, & exitus difficileis haberet, cùm inde proficiſceremur. acceſſit, cùm Dyrrachii eſſemus, ut duo nuntii afferrentur; unus, claſſe fratrem Epheſo Athenas; alter, pedibus per Macedoniam venire. itaque illi obviam miſimus Athenas, ut inde Theſſalonicam veniret. ipſi proceſſimus, & Theſſalonicam A. D. X. Kalend. Jun. venimus; neque de illius itinere quicquam certi habebamus, niſi eum ab Epheſo ante aliquanto profectum. nunc, iſtic quid agatur, [17] magno opere timeo. quamquam tu altera epiſtola ſcribis Id. Mai. [18] audiri, fore, ut acrius poſtularetur; altera, jam eſſe mitiora. [19] ſed hæc eſt pridie data, quàm illa: quo conturbor magis. itaque, cùm meus me mœror quotidianus lacerat & conficit, tum verò hæc addita cura vix mihi vitam reliquam facit. ſed & navigatio perdifficilis fuit: & ille incertus, ubi ego eſſem fortaſſe alium curſum petivit nam [20] Phaëto libertus eum non vidit; vento rejectus ab illo in Macedoniam, Pellæ mihi præſto fuit. reliqua quàm mihi timenda ſint video, nec, quid ſcribam, habeo, & *omnia timeo*: nec tam miſerum eſt quicquam quod non in noſtram fortunam cadere videatur. equidem adhuc miſer

1. *Autronium.*] Vulg. *Antronium* & ep. 7. *Antronio.*

2. *Apr. in oris Luc.*] Hæc lectio partim conjectura, partim mſſ. auctoritate nititur. Decurt. habebat, *Apr. noris Luc.* Cruſell. & Huralt. *Apr. Naris. Luc.* vulg. *Naryca*, vel *Naryci.* vel *Narycii Locridis*; quod Corradus improbans reponebat, *Thurii Lucaniæ*; cui fere aſſentitur Lambinus.

3. *Allata eſt enim nobis.*] Poſtrema vox, abeſt à vulg.

4. *Conrectum.*] Hæc eſt & lectio Decurt. & conjectura Manutii.

5. *Ut eodem amore.*] *Ut* abeſt à vulg.

6. *Thurii.*] Beſſarionis liber *Thauri.*

7. *Maximè Cyzicum.*] Ex mſſ. Palat. fide vocem, *maximè*, delet Junius.

8. *De Tarentino.*] Vulg. *Tarenti.*

9. *A. D. XIV. Kalend. Mai.*] Ita mſſ. Boſii ut & Beſſar. liber.

10. *Sed & conſilium.*] *Et* non habetur in vulg.

11. *Sic, itineris cauſa, ut deverterem.*] Vulg. *ſeditin. c. ut divertar.*

12. *Athenas peterem.*] *Petere* habet Fulvii mſ.

13. *Conſilii vitæque.*] Sic habet cod. Tornæſ. vulg. *conſilii uti que.*

14. *Hoc affirmo.*] Vulg. *confirmo.*

15. *Non ſunt jam ad medicinam, ſed ad.*] Hæc eſt Tornæſiani, Cruſell. & Decurt. ſcriptura: vulg. *non ſunt tam ad m. quàm ad, &c.*

16. *Brundiſii.*] Hæc epiſtola in Decurtato finiebatur eadem voce, qua & ſequens inchoabatur, hoc modo, *Dat. prid. Kal. Mai. Brundiſii.* CICERO ATTICO. *Brundiſii proficiſcens, ſcripſeram ad te.* quam ſcripturam laudat Junius, ſed ſequentem epiſtolam paulo aliter inchoat; nempe *Brundiſio proficiſcens feſtinanter ſcripſeram.*

17. *Magno opere.*] Alii *magnopere.*

18. *Audiri.*] Scripſit Boſius ita ex Tornæſ. Decurt. & Cruſell. & ex eodem Decurtato, *poſtularetur*, quod & conjecit Manutius. Lambinus, *audire fore ut eum Appius poſtularet*: Vulg. & *audire*, & *poſtularet.*

19. *Sed hæc eſt pridie.*] *Eſt*, non legitur in Vulg.

20. *Phaëto libertus eum.*] Hæc tria verba, cum antea conjunctim legerentur, primus diviſit Victorius.

ſer in maximis meis ærumnis & luctibus, hoc metu adjecto, maneo Theſſalonicæ ſuſpenſus. nec audeo quicquam. Nunc ad ea, quæ ſcripſiſti. [1] Tryphonem Cæcilium non vidi. Sermonem tuum, & Pompeii cognovi ex tuis litteris. Motum in Repub. [2] non tantum ego impendere video, quantum tu aut vides, aut ad me conſolandum affers. Tigrane enim neglecto, ſublata ſunt omnia. Varroni me jubes agere gratias: faciam: item Hypſæo. Quod ſuades, ne longiùs diſcedamus, dum acta menſis Maii ad nos perferantur: puto me ita eſſe facturum; ſed ubi nondum ſtatui. atque ita perturbato ſum animo de Quinto, ut nihil queam ſtatuere. ſed tamen ſtatim te faciam certiorem. Ex epiſtolarum mearum inconſtantia puto te mentis meæ motum videre; qui, etſi incredibili & ſingulari calamitate afflictus ſum, tamen non tam eſt ex miſeria, quam ex *culpæ noſtræ* recordatione, commotus. cujus enim ſcelere impulſi, ac proditi ſimus, jam profectò vides: atque utinam jam ante vidiſſes; neque totum animum tuum mœrori mecum ſimul dediſſes. quare, cùm me afflictum, & confectum luctu audies, exiſtimato me *ſtultitiæ* meæ pœnam ferre graviùs, quàm eventi; quòd ei crediderim, quem eſſe nefarium non [3] putarim. Me & meorum malorum memoria, & metus de fratre in ſcribendo impedit. tu iſta omnia vide, & guberna. Terentia tibi maximas gratias agit. Litterarum exemplum, quas ad Pompeium ſcripſi, miſi tibi. Dat. IIII. [4] KAL. Jun. Theſſalonicæ.

CICERO ATTICO, S.

9 QUINTUS frater cùm ex Aſia diſceſſiſſet ante Kal. Maj. & Athenas veniſſet Idib. valde fuit ei properandum, ne quid abſens acciperet calamitatis, ſi quis forte fuiſſet, qui contentus noſtris malis non eſſet. itaque eum malui properare Romam, quam ad me venire: & ſimul (dicam enim, quod verum eſt; ex quo magnitudinem miſeriarum mearum perſpicere poſſis) animum inducere non potui, ut aut illum, amantiſſimum mei, molliſſimo animo, tanto in mœrore *aſpicerem*; aut meas miſerias, luctu adflictas & perditam fortunam, illi offerrem; aut ab illo aſpici paterer. atque etiam illud timebam, quod profectò accidiſſet, ne à me digredi nou poſſet. verſabatur mihi tempus illud ante oculos, cùm ille aut lictores dimitteret, aut vi [5] avelleretur ex complexu meo. hujus acerbitatis eventum altera acerbitate non videndi fratris vitavi. in hunc me caſum vos, vivendi auctores, impuliſtis. itaque mei peccati luo pœnas. quanquam me tuæ litteræ ſuſtentant: ex quibus, quantum tu ipſe ſperes, facilè perſpicio. quæ quidem tamen aliquid habebant ſolatii ante, quàm eò veniſti, [6] A POMPEIO NUNC HORTENSIUM ALLICE, ET EJUSMODI VIROS. obſecro, mi Pomponi, nondum perſpicis, quorum opera, quorum inſidiis, quorum ſcelere perierimus? [7] ſed tecum hæc coram agemus. tantùm dico, quod ſcire te puto, *nos non inimici, ſed invidi perdiderunt*. nunc, ſi ita ſunt, quæ ſperas, ſuſtinebimus nos, & ſpe, qua jubes, nitemur. ſin, ut mihi videntur, [8] firma ſunt; quod [9] optimo genere facere non licuit, minùs idoneo fiet. Terentia tibi ſæpe agit gratias. [10] Mihi etiam unum de malis in metu eſt, fratris miſeri negotium; quod, ſi ſciam, cujuſmodi ſit; ſciam, quid agendum mihi ſit. Me etiam nunc illorum beneficiorum, & litterarum exſpectatio, ut tibi placet, Theſſalonicæ tenet. ſi quid erit novi allatum, ſciam de reliquo quid agendum ſit. Tu ſi, ut ſcribis, KAL. Jun. Roma profectus es, propediem nos videbis. Litteras, quas ad Pompejum ſcripſi, tibi miſi. Dat. Id. Jun. Theſſalonicæ.

CICERO ATTICO, S. 10

ACTA quæ eſſent uſque ad VIII. KAL. Jun. cognovi ex tuis litteris. reliqua exſpectabam, [11] ut tibi placebat, Theſſalonicæ: quibus allatis, faciliùs ſtatuere potero ubi ſim. nam, ſi erit cauſa, ſi quid agetur, ſi ſpem videro, aut ibidem operiar, aut me ad te conferam: ſin ut tu ſcribis, iſta evanuerint, aliquid aliud videbimus. omnino adhuc nihil mihi ſignificatis, niſi diſcordiam iſtorum; quæ tamen inter eos de omnibus potiùs rebus eſt, quàm de me. itaque, quid ea mihi proſit, neſcio. ſed tamen, quoad me vos ſperare vultis, vobis obtemperabo. Nam quod me tam ſæpe, & tam vehementer *objurgas*, & animo infirmo eſſe dicis: quæſo, ecquod tantum malum eſt, quod in mea calamitate non ſit? [12] ecquis umquam ex tam amplo ſtatu, in tam bona cauſa, tantis facultatibus, ingenii, conſilii, gratiæ, tantis præſidiis bonorum omnium concidit? poſſum oblviſci, qui fuerim? non ſentire, qui ſim? quo caream honore? qua gloria? quibus liberis? quibus fortunis? quo fratre? quem ego (ut novum calamitatis genus attendas) cùm pluris facerem, quàm me *ipſum*, ſempérque feciſſem, vitavi; ne viderem; ne aut illius luctum, ſqualoremque aſpicerem, aut me, quem ille florentiſſimum reliquerat, perditum illi, afflictumque offerrem. Mitto cetera intolerabilia. etenim fletu impedior. Hìc utrum tandem ſum accuſandus, quòd doleo; an, quòd commiſi, ut hæc aut non retinerem, (quod facile fuiſſet, niſi intra parietes meos de mea pernicie conſilia inirentur) aut certe [13] vivus nunc amitterem? Hæc eo ſcripſi ut potiùs *relevares* me, quod facis, quàm aut caſtigatione, aut objurgatione dignum putares: eoque ad te minùs multa ſcribo, quod & mœrore impedior; & quid exſpectem iſtinc, magis habeo, quàm quid ipſe ſcribam. quæ ſi erunt allata, faciam te conſilii noſtri certiorem. Tu, ut adhuc feciſti, quàm plurimis de rebus ad me velim ſcribas; ut prorſus ne quid ignorem. Dat. XIIII. KAL. Quint. Theſſalonicæ.

CICERO ATTICO, S. 11

ME & tuæ litteræ, & quidem boni nuntii, non optimis tamen auctoribus, & exſpectatio veſtrarum litterarum, & quod tibi ita placuerat, adhuc Theſſalonicæ tenebant. ſi accepero litteras, quas exſpecto; ſi ſpes erit ea, quæ rumoribus afferebatur; ad te me conferam; ſi non erit, faciam te certiorem, quid egerim. Tu me, ut facis, opera, conſilio, gratia juva: conſolari jam deſine: *objurgare* verò noli: quod cùm facis, ut ego tuum amorem, [14] & dolorem deſidero! quem ita adfectum mea ærumna eſſe arbitror, [15] ut te ipſum conſolari nemo poſſit. Quintum fratrem optimum, humaniſſimumque ſuſtenta. Ad me, obſecro te, ut omnia certa perſcribas. Dat. IIII. KAL. Quint.

CICERO ATTICO, S. 12

TU quidem ſedulo argumentaris, quid ſit ſperandum, & maximè per Senatum: idemque caput rogationis proponi ſcribis, quare in Senatu dici nihil liceat, itaque ſiletur. Hìc tu me accuſas, quòd me affligam; cùm ita ſim

1. *Tryphonem Cæcilium non vidi.*] Germani, teſte Victorio ſcribunt, *Tryphonem Cæcilium non viſendum vidi.*

2. *Non tantum ego impendere video.*] Hæc eſt mſſ. lectio: à vulg. *impendere* abeſt.

3. *Putarim.*] Vulg. *putaram.*

4. *Kalend. Jun.*] Ita Beſſarionis liber, vulg. *Kal. Majas*, quod improbat Manutius.

5. *Avelleretur.*] Vulg. *evelleretur.*

6. *A Pompejo nunc.*] Junio placet emendatio viri doctiſſimi quam Fulvius refert, *ad Pompejum mitte, Hortenſium Allice.*

7. *Sed tecum hæc coram agemus.*] Victorius edidit, *ſed tecum hæc omnia coram agemus.*

8. *Firma ſunt.*] Hæc eſt veterum librorum lectio: Vulg. *infirma ſunt*, quod magis probat Lambinus.

9. *Optimo genere.*] Ita habet antiquus Victorii codex, ita etiam Germani adnotarunt: vulg. *optimo tempore.*

10. *Mihi etiam unum.*] Junius è mſſ. Palat. *mihi & unum.*

11. *Reliqua exſpectabam.*] Vulg. *reliquas.*

12. *Ecquis unquam.*] Mſſ. duo Palat. *ecquis unquam tam exemplo à ſtatu, in tam, &c.*

13. *Vivus nunc amitterem.*] Lambinus ex Tornæſiano *vivus non amitterem*, ſed Boſius monet *non* pro *nunc* culpa librariorum vitioſe ſcriptum eſſe: vulg. *vivus amitterem.*

14. *Et dolorem deſidero!*] Fulvio videtur interrogationis nota adſcribenda verbo *deſidero?*

15. *Ut te ipſum conſolari nemo poſſit.*] Videtur eidem Fulvio melius, ut eſt notatum ad oram libri à viro doctiſſimo, *ut præter te, ipſum conſolari nemo poſſit.*

1. *Olim*

ſim afflictus, ut nemo umquam: quod tute intelligis. Spem oſtendis ſecundum comitia. quæ iſta eſt, eodem Tribuno pleb. & inimico Conſule diſignato? Percuſſiſti autem me etiam de *oratione prolata*. cui vulneri, ut ſcribis, medere, ſi quid potes. ſcripſi equidem [1] olim iratus, quòd ille prior ſcripſerat; ſed ita compreſſeram, ut numquam [2] manaturam putarem. quo modò exciderit, neſcio. ſed quia numquam accidit, ut cum eo verbo uno concertarem; & quia ſcripta mihi videtur negligentiùs, quàm ceteræ; puto poſſe probari, *non eſſe meam*. id, [3] ſi putas me poſſe ſanari, cures velim: ſin planè perii, minus laboro. Ego etiam nunc eodem in loco jaceo, ſine ſermone ullo, ſine cogitatione ulla. Licet tibi, ut ſcribis, ſignificarim, ut ad me venires [4] Dodona; tamen intelligo [5] te re iſtic prodeſſe, hìc ne verbo quidem levare me poſſe. Non queo plura ſcribere: nec eſt, quod ſcribam: veſtra magis exſpecto. Dat. XVI. KAL. Sext. Theſſalonicæ.

13 CICERO ATTICO, S.

[6] QUod ad te ſcripſeram, me in Epiro futurum: poſtea quàm extenuari ſpem noſtram, & evaneſcere vidi, mutavi conſilium; nec me Theſſalonica commovi, ubi eſſe [7] ſtatueram, quoad aliquid ad me de eo ſcriberes, quod proximis litteris ſcripſeras, fore, uti ſecundum comitia aliquid de nobis in Senatu ageretur; id tibi Pompejum dixiſſe. qua de re, quoniam comitia habita ſunt, tuque nihil ad me ſcribis; [8] proinde habebo, ac ſi ſcripſiſſes nihil eſſe; [9] neque temporis non longinqui ſpe ductum eſſe, moleſtè feram. Quem autem motum te videre ſcripſeras, qui nobis utilis fore videretur, eum nuntiant, qui veniunt, nullum fore. In Tribunis pleb. deſignatis reliqua ſpes eſt: quam ſi exſpectaro, non erit, quòd putes me [10] cauſa meæ, voluntati meorum defuiſſe. Quòd me ſæpe accuſas, cur hunc meum caſum tam graviter feram, debes ignoſcere; cùm ita me adflictum videas, ut neminem umquam nec videris, nec audieris. nam quòd ſcribis te audire, me etiam mentis errore ex dolore affici: mihi verò *mens integra eſt*; atque utinam tam in periculo fuiſſet, cùm ego iis, quibus meam ſalutem cariſſimam eſſe arbitrabar, inimiciſſimis crudeliſſimiſque uſus ſum: qui, ut me [11] paululum inclinari timore viderunt, ſic impulerunt, ut omni ſuo ſcelere & perfidia abuterentur ad exitium meum. nunc, quoniam eſt Cyzicum nobis eundum, quò rariùs ad me litteræ perferentur, hoc velim diligentiùs omnia, quæ putaris me ſcire opus eſſe, perſcribas. Quintum fratrem meum fac diligas: quem ego miſer ſi incolumem relinquo, non me *totum periiſſe* arbitrabor. Dat NON. Sext.

14 CICERO ATTICO S.

[12] EX tuis litteris plenus ſum exſpectatione de Pompejo, quidnam de nobis velit, aut oſtendat. comitia enim credo eſſe habita: quibus abſolutis, ſcribis illi placuiſſe agi de nobis, ſi tibi ſtultus eſſe videor, qui ſperem; facio tuo juſſu, [13] etſi ſcio te me iis epiſtolis potiùs & meas ſpes ſolitum eſſe remorari. nunc velim, mihi planè perſcribas, quid videas. ſcio nos noſtris multis *peccatis* in hanc ærumnam incidiſſe. ea ſi qui caſus aliqua ex parte correxerint; minùs moleſtè feremus nos vixiſſe, & adhuc vivere. Ego, propter viæ celebritatem, & quotidianam exſpectationem rerum novarum, non commovi me adhuc Theſſalonica ſed jam extrudimur, non à Plancio, (nam is quidem retinet) verùm ab ipſo loco, minimè appoſito ad tolerandam in tanto luctu calamitatem. In Epirum ideo, ut ſcripſeram [14] non veni quòd [15] ſubito mihi univerſi nuntii venerant & litteræ, quare nihil eſſet neceſſe quam proximè Italiam eſſe. hinc, ſi aliquid à comitiis audierimus, nos in Aſiam convertemus: neque adhuc ſtabat, quò potiſſimum: ſed ſcies. Dat. XII. KAL. Sext. Theſſalonicæ.

CICERO ATTICO S. 15

ACcepi id. Sext. quattuor epiſtolas à te miſſas; unam, qua [16] me objurgas, ut ſim firmior; alteram, qua Craſſi libertum ais tibi de mea ſollicitudine macieque narraſſe; tertiam, qua demonſtras acta in Senatu; quartam de eo, quod à Varrone ſcribis tibi eſſe confirmatum de voluntate Pompeii. Ad primam tibi hoc ſcribo; me ita dolere, ut non modò à mente non deferar, ſed id ipſum doleam, me, tam *firma mente* ubi utar, & quibuſcum, non habere. nam ſi tu me uno non ſine mœrore cares, quid me cenſes, qui & te, & omnibus? & ſi tu incolumis me requiris; [17] ecquo modo à me ipſam incolumitatem deſiderari putas? nolo commemorare, quibus rebus ſim ſpoliatus, non ſolùm quia non ignoras, ſed etiam ne ſcindam ipſe dolorem meum. hoc confirmo, neque tantis bonis eſſe privatum *quemquam*, neque in tantas miſerias incidiſſe. dies autem non modò non levat luctum hunc, ſed etiam auget. nam ceteri DOLORES mitigantur vetuſtate; hic non poteſt non & ſenſu præſentis miſeriæ, & recordatione præteritæ vitæ quotidie augeri. deſidero enim non mea ſolùm, neque meos, ſed me ipſum. quid enim ſum? ſed non faciam, ut aut tuum animum angam querelis, aut meis vulneribus ſæpius manus adferam. Nam quòd purgas eos quos ego mihi ſcripſi invidiſſe, & in eis Catonem: ego verò tantùm illum puto ab iſto ſcelere abfuiſſe, ut maximè doleam, plus apud me ſimulationem aliorum, quàm iſtius fidem, valuiſſe. [18] ceteros quòd purgas, debent mihi probati eſſe, tibi ſi ſunt. Sed hæc ſerò agimus. Craſſi libertum nihil puto ſincerè locutum. In Senatu rem probè ſcribis actam. ſed quid Curio? an illam orationem non legit? quæ unde ſit prolata, neſcio. ſed [19] Axius, ejuſdem diei ſcribens ad me acta, non ita laudat Curionem. at poteſt ille aliquid prætermittere: tu, niſi quod erat, profectò non ſcripſiſti. Varronis ſermo facit exſpectationem Cæſaris: atque utinam ipſe Varro incumbat in cauſam: quòd profectò cùm ſua ſponte, tum te inſtante faciet. ego, ſi me aliquando veſtri & patriæ compotem fortuna fecerit, certè efficiam, ut maximè lætere unus ex omnibus amicis; meaque officia, & ſtudia,

---

1. *Olim iratus.*] Vulg. *olim ei iratus.*
2. *Manaturam.*] Vulg. *emanaturam.*
3. *Si putas me poſſe ſanari.*] Lambinus dicit legendum eſſe libris omnibus invitis, *ſi putas me ſervari poſſe.*
4. *Dodona.*] Conjecturam Malaſp. legentis *Dodonæ*, juvat Decurt. qui habet *dona*: huic conjecturæ etiam adhæret Lamb. vulg. *Sidona*. Beſſar. liber *venire ſi domitam*, *ut intelligo*; unde Manutius conjicit *ut ad me venires, idem tamen intelligo*: vel, pro *Sidona*, reponendum cenſet, *Scydra.*
5. *Te re iſtic prodeſſe.*] Deſiderabatur hic vocula, *re*, ante adverbium *iſtic*, quam Boſius ex Scidis & Cruſell. in ſuum locum reſtituit.
6. *Quod ad te.*] Hæc epiſtola in editione Lambini eſt decima & quarta.
7. *Statueram.*] Vulg. *conſtitueram.*
8. *Proinde habebo.*] Vulg. *perinde.*
9. *Neque temporis.*] Ita ſuſpicatur legendum Malaſp. pro, *meque*, cujus ſuſpicionem confirmant Decurt. & Cruſell.
10. *Cauſa meæ, voluntati.*] Ita correxit Boſius partim ex conjectura, partim ex mſſ, qui habebant, *me cauſæ meæ*, *voluntati*, &c. vulg. *me cauſæ meæ ac voluntati.*
11. *Paullulum.*] Vulg. *paullum.*
12. *Ex tuis.*] Et hæc epiſtola in Lamb. editione eſt 13.
13. *Etſi ſcio.*] Ita ex ſcidis repoſuit Boſius ut corrigendum putant Malaſp. & Lambinus. Malaſpinæ tamen in eo ſententiam non probat Boſius, quod, *potiùſquam*, pro *potius &*, legendum exiſtimat.
14. *Non veni.*] Sic legunt Scidæ, Tornæſ. & Cruſellin. editiones habent. *ivi*, quod non improbat Boſius.
15. *Subito mihi univerſi.*] *Subitò* habebant mſſ. Boſii, reliqua ex mſſ. an ex conjectura habeat neſcio. Vulg. *ſubiti mihi adverſi.*
16. *Me objurgas, ut ſim.*] *Me objurgas & rogas ut ſim*, habent vulgatæ editiones.
17. *Ecquo modo.*] Ita ex mſſ. ſuis Boſius; vulg. *quomodo.*
18. *Ceteros quod purgas, debent mihi probati eſſe tibi ſi ſunt.*] Sic mſſ. Boſii; quod de Tornæſ. etiam teſtatur Lamb. qui tamen mavult, *debent mihi purgati eſſe.* Vulgò. *ceteri quos purgas debent mihi purgati eſſe*
19. *Axius.*] Fulvius, & Junius, legunt *Axſius*, ex nummis & lapidibus antiquis.

ſtudia, quæ parum antea *luxerunt*, (fatendum eſt enim) ſic exequar, ut me æque tibi, ac fratri & liberis noſtris, reſtitutum putes. ſi quid in te peccavi, ac potius quoniam peccavi, ignoſce. in me enim ipſum peccavi vehementiùs. neque hoc eò ſcribo, [1] quòd te non meo caſu maximo dolore eſſe affectum ſciam: ſed profectò, ſi, quantum me amas & amaſti, tantùm amare deberes, ac debuiſſes, numquam eſſes paſſus me, quo tu [2] abundabas, egere conſilio; nec eſſes paſſus mihi perſuaderi, utile nobis eſſe legem de collegiis perferri. ſed tu tantùm lacrimas præbuiſti dolori meo, quod erat amoris, tanquam ipſe ego: quod meritis meis perfectum eſſe potuit, ut dies & noctes, quid mihi faciendum eſſet, cogitares, id abs te, meo, non tuo ſcelere prætermiſſum eſt. quòd ſi non modò tu, ſed quiſquam fuiſſet, qui me Pompeii minùs liberali reſponſo perterritum à turpiſſimo conſilio revocaret, quod unus tu facere maximè potuiſti: [3] aut occubuiſſem honeſtè, aut victores hodie viveremus. Hîc mihi [4] ignoſces. me enim ipſum multo magis accuſo; deinde te, quaſi *me alterum*: & ſimul meæ culpæ ſocium quæro: [5] ac ſi reſtituor, etiam minùs videbimur deliquiſſe; abs teque certè, quoniam nullo noſtro, tuo ipſius beneficio diligemur. Quod te cum Culeone ſcribis de privilegio locutum; eſt aliquid, ſed multò eſt melius abrogari. ſi enim nemo impediet, [6] quid eſt firmius? ſin erit, qui ferri non ſinat, idem S. C. intercedet. nec quicquam aliud opus eſt, quàm abrogari. nam prior lex nos nihil lædebat. quam ſi, ut eſt promulgata, laudare voluiſſemus, aut, ut erat negligenda, negligere; nocere omnino nobis non potuiſſet. hîc mihi [7] primùm meum conſilium defuit, ſed etiam obfuit. *cæci, cæci*, inquam, fuimus in veſtitu mutando, in populo rogando. quod, niſi nominatim mecum agi cœptum eſſet, fieri perniorioſum fuit. ſed pergo præterita. verumtamen ob hanc cauſam, ut, ſi quid ageretur, legem illam, in qua popularia multa ſunt, ne tangatis. verùm eſt ſtultum, me præcipere, quid agatis, aut quo modo. utinam modò agatur aliquid: [8] in quo ipſo multa occultant tuæ litteræ, credo, ne vehementiùs deſperatione perturber. quid enim vides agi poſſe, aut quo modo? per Senatumne? aſt tute ſcripſiſti ad me, quoddam caput legis Clodium in Curiæ poſte fixiſſe, ne referri, neve dici liceret. quo modo igitur Domitius ſe dixit relaturum? quo modo autem iis, quos tu ſcribis, & de re dicentibus, &, ut referretur, poſtulantibus, Clodius tacuit? [9] ac, ſi per populum, poterintne, niſi de omnium Tribunorum pleb. ſententia? quid de bonis? quid de domo? poteritne reſtitui? aut, ſi non poterit, egomet quo modo potero? hæc niſi vides expediri, quam in ſpem me vocas? [10] ſin autem ſpei nihil eſt, quæ eſt mihi vita? itaque exſpecto Theſſalonicæ acta KAL. Sext. ex quibus ſtatuam, in tuoſne agros confugiam, ut neque videam homines, quos nolim; & te, ut ſcribis, videam; & propius ſim, ſi quid agatur; idque intellexi cùm tibi, tum Quinto fratri placere; an abeam Cyzicum. Nunc Pomponi, quoniam nihil impertiſti tuæ prudentiæ ad ſalutem meam, quòd aut in me ipſo ſatis eſſe conſilii decreras, aut te nihil plus mihi debere, quam ut præſto eſſes, [11] quoniamque ego proditus, inductus, conjectus in fraudem, omnia mea præſidia neglexi; totam Italiam, in me erectam ad me defendendum, deſtitui & reliqui; [12] me, meos, meis tradidi inimicis, inſpectante & tacente te; qui ſi non plus ingenio valebas, quàm ego, certe timebas minùs: ſi potes, erige adflictos, & in eo nos juva: ſin omnia ſunt obſtructa, id ipſum fac ut ſciamus: & nos aliquando aut objurgare, aut comiter conſolari deſine. Ego ſi tuam *fidem accuſarem*; non me potiſſimùm tuis tectis crederem: meam amentiam accuſo, [13] quòd à te tantùm amari, quantùm ego vellem, putavi: quod ſi fuiſſet, fidem eandem, curam majorem adhibuiſſes; me certè ad exitium præcipitantem retinuiſſes; iſtos labores, quos nunc in naufragiis noſtris ſuſcipis, non ſubiſſes. quare fac, ut omnia ad me perſpecta & explorata perſcribas; meque, ut facis, velis eſſe aliquem; quoniam, qui fui, & qui eſſe potui, jam eſſe non poſſum; [14] & ut his litteris non te, ſed me ipſum à me eſſe accuſatum putes. Si qui erunt, quibus putes opus eſſe meo nomine litteras dari, velim conſcribas, cureſque dandas. Dat. XIV. KAL. Sept

CICERO ATTICO S. 16

TOTUM iter mihi incertum facit exſpectatio [15] litterarum noſtrarum KAL. Sext. datarum, [16] non aliquid, [17] ſi ſpes erit, Epirum, [18] ſin minùs, Cyzicum; aut aliud, quid ſequemur. tuæ quidem litteræ, quo ſæpius à me leguntur, [19] hoc ſpem faciunt minorem; quòd cum lectæ ſunt, tum id, quod attulerunt ad ſpem, infirmant; ut facilè appareat, te & conſolationi ſervire & veritati; [20] idque te rogo plane, ut ad me, quæ [21] ſcis, ut erunt; quæ putabis, [22] ita ſcribas, ut putabis. Dat. XII. KAL. Sept.

CICERO ATTICO, S. 17

DE Quinto fratre nuntii nobis triſtes, nec varii venerant exante diem NON. Jun. uſque ad prid. KAL. Sep. eo autem die [23] Levinejus, M. Reguli libertus ad me à Regulo miſſus venit. is omnino mentionem nullam factam eſſe nuntiavit: ſed fuiſſe tamen ſermonem de C. Clodii filio, iſque mihi tum à fratre litteras attulit. ſed poſtridie [24] Seſtii pueri venerunt, qui à te litteras attulerunt, non tam exploratas à timore, quàm ſermo Levineii fuerat. ſanè ſum in meo infinito mœrore ſollicitus, & eò magis, quòd

[1] Ap-

1. *Quod te.*] Vulg. *quo te.*

2. *Abundabas.*] Vulg. *abundas.*

3. *Aut occubuiſſem honeſtè.*] Hoc membrum cum in margine codicis ſui reperiſſet Victorius, dubitanter repoſuit, deſideratur autem in plurimis codd. & præſertim in Tornæſ.

4. *Ignoſces.*] Vulg. *ignoſcas.*

5. *Ac ſi reſtituor etiam.*] *Ac* abeſt à vulg. Junius ex mſſ. Pal. legit, *ac ſi reſtituor & minus, &c.*

6. *Quid eſt firmius?*] Sic Scidæ Tornæſ. & Cruſell. quam lectionem etiam probat Lambinus. Vulgati libri, *ſic eſt firmius.*

7. *Primum meum conſilium.*] Reſtitutio hæc eſt Victorii ex mſ. antiqui fide. prius erat *primùm non modo conſilium.*

8. *In quo ipſo.*] Tres has voces, *in quo ipſo*, repoſuit Boſius ex Decurt. Cruſel. & Tornæſ. quondam excuſi habebant *in quod ipſa jubeat*, quod neglexit Victorius. in ſuo enim antiquo ejus loco tantum erat. *quo ipſa*, atque id quidem deletum & ejectum.

9. *Ac ſi per.*] Vulg. *ac ſi per populum.*

10. *Sin autem.*] *Si autem* habent alii.

11. *Quoniamque ego proditus.*] Ita Boſ. mſſ. Victoriana editio, *quumque ego proditus.* vulg. *quandoquidem ego, &c.*

12. *Me, meos, meis.*] Ex pleriſque ſuis ita Boſ. à vulgatis abeſt, *meos.*

13. *Quod à te tantum amari.*] Vulg. *quod me à te.*

14. *Et ut his litteris.*] Ante copulativam *&*, τελεία στιγμὴ ponitur à Junio.

15. *Litterarum noſtrarum.*] Vulg. *tuarum.*

16. *Non aliud aliquid.*] Totum hoc abeſt à libro mſ. Urſini, & rectè ut opinatur.

17. *Si ſpes erit.*] Urſinus & Junius ex vetere libro legunt, *nam ſi ſpes erit.*

18. *Sin minus.* Vulg. *ſi minus.*

19. *Hoc ſpem faciunt minorem; quod cum lectæ ſunt.*] Ita mſſ. Boſii, niſi quod in Tornæſ. *lætæ*, culpa librarii exaratum eſt, quæ lectio tamen non diſplicet Lambino; etiamſi cum Corrado ſic ſe legere dicit, ut Boſius. Vulg. *ſpem faciunt mihi minorem, quàm cum lectæ ſunt*; quæ & eſt cod. Fulviani ſcriptura, unde ille conjicit, *nam cum lectæ.*

20. *Idque te rogo.*] Lectio ni fallor efformata ex vetere illa mſ. Fulviani, *id quod.* antea erat, *itaque.*

21. *Scis.*] Urſini liber *ſcias.*

22. *Ita ſcribas, ut putabis.*] Duo hæc poſtrema vocabula ex mſſ. addidit Boſius.

23. *Levineius.*] Ita Boſ. mſſ. *Livineius*, placuit Manutio & Victorio, & paulò poſt Manutius legit, *L. Reguli*, non *M.* Victorius dubius eſt & notat *M.* abeſſe ab editione Germanorum, ſed retineri in ſuo antiquiore: Vulg. *Livinus*, ut & infra, *Livini*, ubi noſter *Levineii.*

24. *Seſtii.*] Vulg. ſemper, *Sextii.*

1. *Appii*

[1] Appii Quæſtio eſt. Cetera, quæ ad me eiſdem litteris ſcribis de noſtra ſpe, intelligo eſſe languidiora, quàm alii oſtendunt. ego autem, quoniam non longè ab eo tempore abſumus, in quo res dijudicabitur, aut ad te conferam me, aut etiam nunc circum hæc loca commorabor. Scribit ad me frater, omnia ſua per te unum ſuſtineri. quid te aut horter? quòd facis; aut agam gratias, quòd non exſpectas? tantùm velim, fortuna det nobis poteſtatem, ut incolumes amore noſtro perfruamur. Tuas litteras ſemper maximè exſpecto: [2] in quibus cave vereri, ne aut diligentia tua mihi moleſta, aut veritas acerba ſit. Dat. prid. NON. Septemb.

18 CICERO ATTICO, S.

EXSPECTATIONEM nobis non parvam attuleras, cùm ſcripſeras, Varronem tibi pro amicitia confirmaſſe, cauſam noſtram Pompejum certè ſuſcepturum: &, ſimul à Cæſare ei litteræ, quas exſpectaret remiſſæ eſſent, [3] actorem etiam daturum. utrum id nihil fuit, an averſatæ ſunt Cæſaris litteræ? an eſt aliquid in ſpe? etiam illud ſcripſeras, eundem, ſecundum comitia, dixiſſe. fac (ſi vides, quantis in malis jaceam, &, ſi putas eſſe humanitatis tuæ) me fac de tota cauſa noſtra certiorem. nam Quintus frater, homo mirus, qui me tam valde amat, omnia mittit *ſpei plena*, metuens, credo, defectionem animi mei. tuæ autem litteræ ſunt variæ. neque enim me deſperare vis, nec temerè ſperare. fac obſecro te, ut omnia, quæ [4] perſpici à te poſſunt, ſciamus.

19 CICERO ATTICO, S.

[5] QUOAD ejuſmodi mihi litteræ à vobis adferebantur, ut aliquid ex iis eſſet exſpectandum; ſpe & cupiditate Theſſalonicæ [6] retentus ſum: poſtea quàm omnis actio hujus anni confecta nobis videbatur, in Aſiam ire nolui: quòd & *celebritas* mihi odio eſt: &, ſi fieret aliquid à novis magiſtratibus, abeſſe longè nolebam. itaque in Epirum ad te ſtatui me conferre; [7] non quò mea intereſſet loci natura, qui lucem omnino fugerem; [8] ſed & ad ſalutem libentiſſimè ex tuo portu proficiſcar: &, ſi ea præciſa erit, nuſquam faciliùs hanc miſerrimam vitam vel ſuſtentabo, vel, quod multo eſt melius, abjecero. ero cum paucis; multitudinem dimittam. Me tuæ litteræ numquam in tantam ſpem adduxerunt, quantam aliorum. attamen mea ſpes etiam tenuior ſemper fuit, quàm tuæ litteræ. ſed tamen, quoniam cœptum eſt, [9] ego, quoquo modo cœptum eſt, & quacumque de cauſa, non deſeram neque optimi, atque unici fratris miſeras ac luctuoſas preces; nec Seſtii, ceterorumque promiſſa; nec ſpem ærumnoſiſſimæ mulieris Terentiæ; nec miſerrimæ mulieris Tulliolæ obſecrationem, & fideles litteras tuas. mihi Epirus aut iter ad ſalutem dabit; aut quod ſcripſi ſupra. te oro & obſecro [10] T. Pomponi, ſi me omnibus ampliſſimis, cariſſimis, jucundiſſimiſque rebus perfidia hominum ſpoliatum; ſi me à *meis conſiliariis proditum* & projectum vides; ſi intelligis me coactum, ut ipſe me, & meos perderem; ut me tua miſericordia juves: & Quintum fratrem, qui poteſt eſſe ſalvus, ſuſtentes: Terentiam, liberoſque meos tueare; me, ſi putas te iſtic viſurum, exſpectes; ſi minùs, inviſas, ſi potes, [11] mihique ex agro tuo tantum aſſignes, quantum meo *corpore* occupari poteſt; & pueros ad me cum litteris quamprimum, & quam ſæpiſſimè mittas. Dat. XVI. KAL. Octob.

CICERO S. D. Q. CÆCILIO Q. F. POMPONIANO ATTICO. 20

QUOD quidem ita eſſe, & avunculum tuum functum eſſe officio, vehementiſſimè probo: *gaudere* me tum dicam, ſi mihi hoc verbo licebit uti. Me miſerum, quam omnia eſſent ex ſententia, ſi nobis animus, ſi conſilium, ſi fides eorum, quibus credidimus, non defuiſſet: quæ colligere nolo, ne augeam mœrorem. ſed tibi venire in mentem certè ſcio, quæ vita eſſet noſtra, quæ ſuavitas, quæ dignitas, ad quæ recuperanda per fortunas incumbe, ut facis, diemque *natalem reditus* mei, cura, ut in tuis ædibus amœniſſimis agam tecum & cum meis. Ego huic ſpei & exſpectationi, quæ nobis proponitur, [12] maximè tamen volui præſtolari apud te in Epiro: ſed ita ad me ſcribitur, ut putem eſſe commodius, nos eiſdem in locis eſſe. De domo & Curionis oratione, ut ſcribis, ita eſt. in univerſa ſalute, ſi ea modo nobis reſtituetur, inerunt omnia; ex quibus nihil malo, quàm domum. ſed tibi nihil mando nominatim: totum me tuo amori fideique commendo. Quòd te, in tanta hereditate, ab omni occupatione expediſti, valde mihi gratum eſt. Quòd facultates tuas ad meam ſalutem polliceris, ut omnibus rebus à te *præter ceteros* juver: id quantum ſit præſidium, video; intelligoque, te multas parteis meæ ſalutis & ſuſcipere, & poſſe ſuſtinere: neque, [13] ut tu facias, rogandum eſſe. Quod me vetas quicquam ſuſpicari accidiſſe ad animum tuum, quod ſecus à me erga te commiſſum, aut prætermiſſum videretur, geram tibi morem, & liberabor iſta cura: tibi tamen eò *plus debeo*, quò tua in me humanitas fuerit excelſior, quàm in te mea. Velim, quid videas, quid intelligas, quid agatur ad me ſcribas: [14] tuoſque omneis ad noſtram ſalutem adhortere. Rogatio Seſtii neque dignitatis ſatis habet, nec cautionis. nam & nominatim ferre oportet, & de bonis diligentiùs ſcribi: & id animadvertas velim. Dat. IIII. NON. octob. Theſſalonicæ

CICERO ATTICO, S. 21

TRIGINTA dies erant ipſi, cùm has dabam litteras, per quos nullas à vobis acceperam. mihi autem erat in animo, jam, ut antea ad te ſcripſi, ire in Epirum: & ibi omnem caſum potiſſimùm exſpectare. Te oro, ut, ſi quid erit, quod perſpicias, quamcumque in partem, quam planiſſimè ad me ſcribas: & meo nomine, ut ſcribis, litteras, quibus putabis opus eſſe, ut des. Dat. V. KAL. Novemb.

CICERO ATTICO, S. 22

ETSI diligenter ad me Quintus frater & Piſo, quæ eſſent acta, ſcripſerant: tamen vellem, tua te occupatio non impediſſet, quò minùs, ut conſueſti, ad me, quid ageretur & quid intelligeres, perſcriberes. Me adhuc Plancius liberalitate ſua retinet, jam aliquoties conatum ire in Epirum. ſpes homini eſt injecta, non eadem, quæ mihi, poſſe nos unà decedere: quam rem ſibi magno honori ſperat fore. ſed jam, cùm *adventare milites* dicentur, faciendum nobis erit, ut ab eo diſcedamus. quod cùm faciemus, ad te ſtatim mittemus; ut ſcias, ubi ſimus. Lentulus ſuo in nos officio, quod & re, & promiſſis, & litteris de-

1. *Appii quæſtio.*] Ita Manutius, Boſius, Lambinus ex mſſ. Victorius ex ſuo meliore, quem Cavalcantis librum eſſe arbitror, *ſpectio* legit.

2. *In quibus cave vereri ne aut.*] Ita omnes Boſii mſſ. uno excepto. codd. Memmiani habent, *cave ne aut dilig. mihi moleſta aut varietas acerba ſit*: Manutius conjicit, *cave ſuſpiceris, aut, cave timeas*; Urſino autem ex vetere libro in quo eſt, *cave, cave, ne aut*, videtur legendum, *cave caveas, ne aut, &c.*

3. *Actorem etiam daturum.*] Ita ſcidæ & Cruſell. ut ex Tornæſiano Lambinus emendavit: vulg. *auctorem.*

4. *Perſpici.*] Vulg. *proſpici.*

5. *Quoad.*] Vulg. *quod.*

6. *Retentus ſum.*] Vulg. *detentus ſum.*

7. *Non quo mea intereſſet loci natura.*] Vocem, *natura*, delendam cenſebat Faërnus.

8. *Sed & ad ſalutem.*] Vulgò, *ſed aut*, ut & paulò poſt, *aut, ſi ea*, pro eo quod in noſtro eſt; *& ſi ea.*

9. *Ego quoquo modo.*] Vulg. *age quoquomodo.*

10. *T. Pomponi.*] Addidit Boſius prænomen *T.* ex ſuis mſſ. cum abeſſent à vulg.

11. *Mihique ex agro tuo.*] Hic operæ omiſerant olim vocem, *tuo.*

12. *Maximè tamen.*] Petrus Faber legebat, *maximè antea, &c.*

13. *Ut tu, facias.*] Vulg. *ut ita facias.*

14. *Tuoſque omnis.*] Vulg. *omneſque*: & vox, *tuos*, abeſt.

1. *Pro-*

declamt, ſpem nobis non nullam affert Pompeii voluntatis ſæpe enim tu ad me ſcripſiſti, cum totum eſſe in illius poteſtate. De Metello ſcripſit ad me frater. quantum ſperaret, [1] profectum eſſe per te. Mi Pomponi pugna, ut tecum & cum meis mihi liceat vivere; & ſcribe ad me omnia: premor cùm luctu, tum [2] deſiderio meorum omnium, tum eorum, qui mihi *me cariores* ſemper fuerunt. Cura, ut valeas. Ego, quòd, per Theſſaliam ſi irem in Epirum, perdiu nihil eram auditurus, & quòd mei ſtudioſos habeo Dyrrhachinos, ad eos perrexi, cùm illa ſuperiora Theſſalonicæ ſcripſiſſem. inde cùm ad te me convertam, faciam ut ſcias. tuque ad me velim omnia quàm diligentiſſimè, [3] cuicuimodi ſunt, ſcribas. ego jam aut rem, aut ne ſpem quidem exſpecto. Dat. VI. KAL. Decemb. Dyrrachii.

23 CICERO ATTICO S.

AD. V. KAL. Decemb. tres epiſtolas à te accepi; unam datam A. D. VIII. KAL. Novem. in qua me hortaris, ut forti animo menſem Januarium exſpectem: eaque, quæ ad ſpem putas pertinere, de Lentuli ſtudio, de Metelli voluntate, de tota Pompeii ratione, perſcribis. in altera epiſtola, præter conſuetudinem tuam, diem non adſcribis: ſed ſatis ſignificas tempus, lege enim ab octo Tribunis pleb. promulgata, ſcribis te eas litteras eo ipſo die dediſſe, id eſt A. D. IIII. KAL. Novemb. &, quid putes utilitatis eam promulgationem attuliſſe, ſcribis. in quo [4] ſi jam hæc noſtra ſalus, cum hac lege deſperata erit, velim pro tuo in me amore hanc inanem meam diligentiam, miſerabilem potiùs, quàm ineptam, putes: ſin eſt aliquid ſpei, des operam, ut majore diligentia poſthac à noſtris magiſtratibus defendamur. nam ea veterum Tribunorum pleb. rogatio tria capita habuit; unum de reditu meo, ſcriptum incautè. nihil enim reſtituitur, præter civitatem & ordinem: quod mihi pro meo caſu ſatis eſt. ſed, quæ *cavenda* fuerint, & quo modo, te non fugit. alterum caput eſt tralatitium de impunitate, ſi quid contra alias leges ejus legis ergo factum ſit. tertium caput, mi Pomponi, quo conſilio, & à quo ſit inculcatum, vide. ſcis enim Clodium ſanxiſſe, ut vix, aut omnino non poſſet nec per Senatum, nec per populum infirmari ſua lex. ſed vides, numquam eſſe obſervatas ſanctiones earum legum, quæ abrogarentur. nam ſi id eſſet, nulla ferè abrogari poſſet: (neque enim ulla eſt, quæ non ipſa ſe ſæpiat difficultate abrogationis) ſed, cùm lex abrogatur, [5] illud ipſum abrogatur, quo non eam abrogari oporteat. hoc cùm re vera ita ſit; cùm ſemper ita habitum obſervatumque ſit, octo noſtri Tribuni pleb. caput poſuerunt hoc: SI QUID IN HAC ROGATIONE SCRIPTUM EST, QUOD PER LEGES, PLEB. VE SC. HOC EST, QUOD PER LEGEM CLODIAM PROMULGARE, ABROGARE, DEROGARE, OBROGARE S. F. SUA NON LICEAT, NON LICUERIT; [6] QUOD VE EI QUI PROMULGAVIT, ABROGAVIT, DEROGAVIT, OBROGAVIT, OB EAM REM POENÆ, MULTÆVE SIT [7] E. H. L. N. R. atque hoc in illis Tribunis pleb. non lædebat. lege enim collegii ſui non tenebantur: quo major eſt ſuſpicio maliciæ alicujus; cùm id, quod ad ipſos nihil pertinebat, erat autem contra me, ſcripſerunt: ut novi Tribuni pleb. ſi eſſent timidiores, multo magis ſibi eo capite utendum putarent. neque id à Clodio prætermiſſum eſt. dixit enim in concione A. D. III. Non. Nov. hoc capite deſignatis Tribunis pleb. præſcriptum eſſe, quid liceret: tamen, in lege nulla eſſe ejuſmodi caput, te non fallit. quod ſi opus eſſet, omnes in abrogando uterentur. [8] Ut Ninnium, aut ceteros fugerit, inveſtiges, velim: &, quis attulerit; &, quare octo Tribuni pleb. ad Senatum de me referre non dubitarint; [9] (ſitne quòd obſervandum illud caput non putabant) iidem in abrogando tam [10] cauti fuerint, ut id metuerent, ſoluti cum eſſent; quod ne iis quidem, qui lege tenentur, eſt curandum. id caput ſanè nolim novos Tribunos pleb. ferre: ſed perferant, modò quidlibet. uno capite, quo revocabor, (modò res conficiatur) ero contentus. Jam dudum pudet tam multa ſcribere. vereor enim, ne re jam deſperata legas; ut hæc mea *diligentia* miſerabilis tibi, aliis irridenda videatur. ſed ſi eſt aliquid in ſpe, vide legem, quam T. Fadio [11] ſcripſit Viſellius: ea mihi perplacet. nam Sextii noſtri, quam tu tibi probari ſcribis, mihi non placet. Tertia eſt epiſtola prid. Id. Novemb. data: in qua exponis prudenter & diligenter, quæ ſint, quæ rem diſtinere videantur, de Craſſo, de Pompejo, de ceteris. quare oro te, ut, ſi qua ſpes erit, poſſe ſtudiis bonorum, auctoritate, multitudine comparata rem confici, des operam, ut uno impetu perfringatur; in eam rem incumbas, ceteroſque excites. ſin, ut ego perſpicio cum tua conjectura, tum etiam mea, ſpei nihil eſt; oro obteſtorque te, ut Quintum fratrem ames, quem ego miſerum miſerè perdidi; neve quid eum patiare gravius conſulere de ſe, quàm expediat ſororis tuæ filio; meum Ciceronem, cui nihil miſello relinquo præter *invidiam & ignominiam nominis mei*, tuere, quoad poteris; Terentiam, unam omnium ærumnoſiſſimam, ſuſtentes tuis officiis. Ego in Epirum proficiſcar, cùm primorum dierum nuntios excepero. Tu ad me, velim, proximis litteris, ut ſe initia dederint, perſcribas, Dat. prid. KAL. Decemb.

CICERO ATTICO, S. 24

ANTEA, cùm ad me ſcripſiſſetis veſtro conſenſu [12] Conſulum provincias ornatas eſſe; etſi verebar, quorſum id caſurum eſſet, tamen ſperabam vos aliquid aliquando vidiſſe prudentius: poſteaquam mihi & dictum eſt, & ſcriptum, vehementer conſilium veſtrum reprehendi, ſum graviter commotus; quòd illa ipſa ſpes exigua, quæ erat, videtur eſſe ſublata. nam ſi Tribuni pleb. nobis ſuccenſent, quæ poteſt ſpes eſſe? ac videntur jure ſuccenſere: cum & expertes conſilii fuerint, qui cauſam noſtram ſuſceperant; & noſtra conceſſione omnem vim ſui juris amiſerint: præſertim cùm ita dicant, ſe noſtra cauſa voluiſſe ſuam poteſtatem eſſe de Conſulibus ornandis, non ut eos impedirent, ſed ut ad noſtram cauſam adjungerent. nunc ſi Conſules à nobis alieniores eſſe velint, poſſe id liberè facere; ſin vellent noſtra cauſa, nihil poſſe ſe invitis. Nam quod ſcribis; ni ita nobis placuiſſet, illos hoc idem per populum aſſecuturos fuiſſe; invitis Tribunis pleb. fieri nullo modo potuit. ita vereor, ne & ſtudia Tribunorum amiſerimus: &, ſi ſtudia maneant, vinclum illud adjungendorum Conſulum amiſſum ſit. Accedit aliud non parvum incommodum, quòd gravis illa *opinio*, ut quidem ad nos perferebatur Senatum nihil decernere ante, quàm de nobis actum

1. *Profectum eſſe per te.*] *Perfectum* eſt in antiquo Urſini pro *profectum*.

2. *Deſiderio meorum.*] Ad hanc lectionem quæ eſt mſſ. Boſii proxime acceſſit Faërnus legens, *tum deſiderio omnium eorum, qui mihi.* vulg. *tum deſiderio omnium rerum quæ mihi cariores ſemper fuerant.*

3. *Cuicuimodi.*] Hæc eſt è mſſ. exemplaribus, Victorii emendatio, prius legebatur, *cujuſmodi.*

4. *Si jam hæc noſtra.*] Vulg. *ſi etiam.*

5. *Illud ipſum abrogatur.*] Quod ex conjectura emendavit Malaſp. id Boſius auctoribus mſſ. in quibus manifeſtè ſcriptum erat *abrogatur, & quo non*, pro *abrogatur*, legebat, *rogatur.*

6. *Quodve ei.*] Hæc eſt Manutii conjectura, (pro eo quod erat antea, *quod*, vel *qui*, & Decurtati lectio, qua reſtituuntur duæ illæ voces, *obrogare*, & *obrogavit.*

7. *E. H. L. N. R.*] Ita primus emendavit Anton. Auguſt. quem ſecuti ſunt poſtea Faërnus, Manutius, Urſinus, & Lambinus.

8. *Ut Ninnium.*] Victorius & alii eum ſequuti, ita reſtituerunt. Vulg. *Nunnium*, vel *Mummium.*

9. *Sitne quod obſervandum.*] Hujus ulceris curatio, debetur Decurt. Junius laudat & mſſ. ſuos fermè ei reſpondere ait; tantum adhibet voculam *an*, poſt verbum *putabant*, vulg. *ſive quod.* unde Manutius corrigebat, *ſi enim quoad*, quam correctionem ſequitur Lambinus: ſed pronomini *iidem* præponit adverbium *cur.*

10. *Cauti fuerint.*] Vulg. *fuerunt.*

11. *Scripſit Viſellius.*] Abeſt à Decurt. nota *T.* & Manutius antea conjecerat legendum *C. Viſellius*, non *T. Viſellius.*

12. Coss, *provinciat.*] Sic omnes mſſ. Palatini: vulgg. *Conſulares.*

1. *Tra-*

aſtum eſſet, amiſſa eſt; [1] præſertim in ea cauſa, quæ non modo neceſſaria non fuit, ſed etiam inuſitata ac nova. neque enim umquam arbitror ornatas eſſe provincias deſignatorum: ut, cùm in hoc illa conſtantia, quæ erat mea cauſa ſuſcepta, [2] imminuta ſit, nihil jam poſſit non decerni. [3] iis, ad quos relatum eſt, amicis placuiſſe, [4] non mirum eſt. erat enim difficile reperire, qui contra tanta commoda duorum conſulum *palam ſententiam diceret*. fuit omnino difficile non obſequi, vel amiciſſimo homini, Lentulo, vel Metello, qui ſimultatem humaniſſimè deponeret. ſed vereor, [5] ne hos tamen tenere potuerimus; Tribunos pleb. amiſerimus. hæc res quemadmodum ceciderit, & tota res quo loco ſit, velim ad me ſcribas; & ita, ut inſtituiſti. nam iſta VERITAS, etiam ſi jucunda non eſt, mihi tamen grata eſt. Dat. IIII. ID. Decemb.

25 CICERO ATTICO, S.

POST [6] tuum à me diſceſſum litteræ mihi Roma allatæ ſunt: ex quibus [7] perſpicio nobis in hac calamitate tabeſcendum eſſe: neque enim, (ſed bonam in partem accipies) ſi ulla ſpes [8] ſaluti noſtræ ſubeſſet, tu, pro tuo amore in me, hoc tempore diſceſſiſſes. ſed ne ingrati, aut ne omnia velle nobiſcum unà interire videamur, hoc omitto: illud abs te peto, des operam, id quod mihi affirmaſti, ut te ante KAL. Janu. ubicumque erimus, ſiſtas.

CICERO ATTICO, S. 26

LITTERÆ mihi à Quinto fratre cum S. C quod de me eſt factum, allatæ ſunt. mihi in animo eſt, legum lationem exſpectare; & ſi obtrectabitur, utar auctoritate Senatus, & POTIUS vita, quàm patria, carebo. Tu, quæſo, feſtina ad nos venire.

CICERO ATTICO, S. 27

EX tuis litteris, & ex re ipſa nos funditus periſſe video. Te oro, ut, quibus in rebus mei tui indigebunt, noſtris miſeriis ne deſis. ego te, ut ſcribis, [9] citò videbo.

1. *Præſertim in ea cauſa.*] Vocem, *in*, expungi vellet Junius.
2. *Imminuta ſit.*] *Immutata ſit*, habent veteres libri Urſini & ita legebat Faërnus.
3. *Iis ad quos.*] Vulg. *jam his ad quos.*
4. *Mirum eſt.*] Vulg. *mirum ſit.*
5. *Ne hos tamen tenere.*] Vulg. *ne hos cum tenere.*
6. *Tuum à me diſceſſum.*] Suſpicatur Manutius abundare, *à me.*
7. *Perſpicio.*] Vulg. *proſpicio.*
8. *Saluti noſtræ.*] *Salutis noſtris*, eſt in vulg.
9. *Cito videbo.*] Junius cum vulgo hic ſervari malit verba quæ in Tornæſ. aliiſque deſunt; *plura non ſcribo, cura ut valeas.*

M. TULLII CICERONIS
EPISTOLARUM
LIBER QUARTUS, AD ATTICUM.

1 CICERO ATTICO S.

CUM primùm Romam veni, fuitque, cui rectè ad te litteras darem, nihil priùs faciendum mihi putavi, quàm ut tibi abſenti de reditu noſtro gratularer. [1] cognoram enim; (ut vere ſcribam) te in conſiliis mihi dandis nec fortiorem, nec prudentiorem, quàm me ipſum: [2] nec etiam pro præterita mea in te obſervantia, nimium in cuſtodia ſalutis meæ diligentem, eundemque te, qui primis temporibus erroris noſtri, aut [3] potiùs furoris particeps, & [4] falſi timoris ſocius fuiſſes, acerbiſſimè *diſcidium* noſtrum tuliſſe, plurimumque operæ, ſtudii, diligentiæ, laboris ad conficiendum reditum meum contuliſſe. itaque hoc tibi vere affirmo, in maxima lætitia, & exoptatiſſima gratulatione unum ad cumulandum gaudium conſpectum, aut potiùs complexum mihi tuum defuiſſe; quem ſemel nactus numquam dimiſero: ac, niſi etiam *prætermiſſos fructus* tuæ ſuavitatis præteriti temporis omnes exegero, profecto hac reſtitutione fortunæ me ipſe non ſatis dignum judicabo. Nos adhuc in noſtro ſtatu, quod difficillimè recuperari poſſe arbitrati ſumus, ſplendorem noſtrum illum forenſem, & in Senatu auctoritatem, & apud viros bonos gratiam magis, quam optaramus, conſecuti ſumus. in re autem familiari, quæ quemadmodum fracta, diſſipata, direpta ſit, non ignoras, valde laboramus: tuarumque non tam facultatum, quas ego *noſtras eſſe judico*, quàm conſiliorum ad colligendas & conſtituendas reliquias noſtras indigemus, nunc, etſi omnia aut ſcripta eſſe à tuis arbitror, aut etiam nuntiis, ac rumore perlata: tamen ea inſcribam brevi, quæ te puto potiſſimum ex meis litteris velle cognoſcere. Pridie Nonas Sext. Dyrrhachio ſum profectus, ipſo illo die, quo lex eſt lata de nobis. Brundiſium veni Nonis Sext. ibi mihi Tulliola mea fuit præſto natali ſuo ipſo die, qui caſu idem natalis erat & Brundiſinæ coloniæ, & tuæ vicinæ Salutis. quæ res animadverſa à multitudine, ſumma Brundiſinorum

1. COgnoram enim (*ut verè ſcribam*) *te in conſiliis mihi dandis*, &c.] Totum hunc orationis ambitum, aliter legit & diſtinguit Junius, ex variarum lectionum de mſſ. Palat. comparatione; *Cognoram enim (ut verè ſcribam) te in conſiliis mihi dandis nec fortiorem, nec prudentiorem quemquam; me ipſum nec, etiam pro præterita mea in te obſervantia, nimium in cuſtodia ſalutis meæ diligentem: eundemque te, qui primus temporibus erroris noſtri ac potius furoris particeps, & falſi timoris ſocius fuiſſes, acerbiſſimè diſcidium noſtrum tuliſſe.*
2. *Nec etiam pro præterita mea in te obſervantia nimium, in cuſtodia*, &c.] Boſius expreſſit ſcripturam Decurt. *pro præterita mea*; cujus lectionis veſtigia licet perturbata, in hunc modum exſtant in Tornæſ. *propter ita meam in te obſervantiam.* Alia autem eſt librorum nonnullorum lectio. Lambinus, vulgata lectione offenſus, tum ab uno codice Memmiano admonitus atque adductus, in quo ſcriptum eſt, *propterea tua:* ſic legit; *nec etiam pro vetere tua.* Canterus pro *nimium*, reponit *minus*, quod primum in *nimis*, deinde fuerit in *nimium* depravatum. vulgata lectio ſic ſe habet, *nec etiam propter ſuam in me obſervantiam, nimirum in cuſtodia ſalutis meæ diligentem.*
3. *Potius furoris*] Sic emendavit Erricus Stephanus, & rectè, nec dubitat Manutius quin ita legendum ſit, vulg. *totius.*
4. *Falſi timoris.*] Ex antiquo libro & ex hiſtoria ſic legit Urſinus, quod etiam Lambinus ex longè optimo mſ. ſuſpicatus eſt, in quo erat, *ſalſi moris*: vulg. *falſi rumoris.*

nium gratulatione celebrata eſt. ante diem VI. ID. Sext. [1] cognovi, cùm Brundiſii eſſem, litteris Quinti fratris, mirifico ſtudio omnium ætatum atque ordinum; incredibili concurſu Italiæ, legem comitiis Centuriatis eſſe perlatam. [2] inde à Brundiſinis honeſtiſſimis ornatus, iter ita feci, ut undique ad me *cum gratulatione* legati convenerint. ad urbem ita veni, ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obviam non venerit, præter eos inimicos, [3] quibus id ipſum non liceret aut diſſimulare, aut negare. Cùm veniſſem ad portam Capenam, gradus templorum ab infima plebe completi erant: à qua plauſu maximo cùm eſſet mihi gratulatio ſignificata; ſimilis & frequentia, [4] & plauſus me uſque ad Capitolium celebravit. in foroque, & in ipſo Capitolio miranda multitudo fuit poſtridie in Senatu, qui fuit dies Non. Septemb. Senatui gratias egimus. eo biduo cùm eſſet annonæ ſumma caritas, & homines ad theatrum primo, deinde ad Senatum concurriſſent, impulſu Clodii; mea opera frumenti inopiam eſſe clamarent; cùm per eos dies Senatus de annona haberetur; & ad ejus procurationem ſermone non ſolum plebis, verum etiam bonorum Pompejus vocaretur, idque ipſe cuperet; multitudoque à me nominatim, ut id decernerem, poſtularet; feci; & accuratè ſententiam dixi; cùm abeſſent Conſulares, quòd *tuto* ſe negarent poſſe ſententiam dicere, [5] præter Meſſallam & Afranium. factum eſt s. c. in meam ſententiam, ut cum Pompejo ageretur, ut eam rem ſuſciperet, lexque ferretur: quo s. c. recitato [6] cùm continuò, more hoc inſulſo & novo, plauſum, meo [7] nomine recitando, dediſſet; [8] habui concionem: omnes magiſtratus præſentes, præter unum Prætorem, & duos Tribunos pleb. dederunt. poſtridie Senatus frequens, & omnes Conſulares nihil Pompejo poſtulanti negarunt. ille legatos quindecim cùm poſtularet, me principem nominavit; & ad omnia me *alterum ſe* fore dixit. legem Conſules conſcripſerunt, qua Pompejo per quinquennium omnis poteſtas rei frumentariæ toto orbe terrarum daretur: [9] alteram Meſſius, qui omnis pecuniæ dat poteſtatem, & adjungit claſſem & exercitum, & majus imperium in provinciis, quàm ſit eorum, qui eas obtineant. illa noſtra lex Conſularis nunc modeſta videtur, hæc Meſſii non ferenda. Pompejus illam velle ſe dicit, familiares hanc. Conſulares, duce Favonio, fremunt; nos tacemus, & eo magis, quòd de domo noſtra nihil adhuc Pontifices reſponderant. qui ſi ſuſtulerint religionem, aream præclaram habebimus; ſuperficiem Conſules ex s. c. æſtimabunt: ſin aliter, demolientur; ſuo nomine locabunt; rem totam æſtimabunt. Ita ſunt res noſtræ, *ut in ſecundis, fluxæ; ut in adverſis, bonæ.* In re familiari valde ſumus, ut ſcis, perturbati. præterea ſunt quædam domeſtica, quæ litteris non committo. Quintum fratrem, inſigni pietate, virtute, fide præditum, ſic amo, ut debeo. Te exſpecto; & oro, ut matures venire; eoque animo venias, ut me tuo conſilio egere non ſinas. *alterius vitæ quoddam initium ordimur.* jam quidam, qui nos [10] abſenteis defenderunt, incipiunt præſentibus occultè iraſci; apertè invidere. vehementer te requirimus.

CICERO ATTICO, S. 2

SI forte rariùs tibi à me, quàm à ceteris, litteræ redduntur; peto à te, [11] ut id non modò negligentiæ meæ, ſed ne occupationi quidem tribuas: quæ etſi ſumma eſt, tamen nulla eſſe poteſt tanta, ut interrumpat *iter amoris* noſtri & officii mei. nam ut veni Romam, iterum nunc ſum certior factus, eſſe, cui darem litteras. itaque has alteras dedi. prioribus tibi declaravi, adventus noſter qualis fuiſſet, & quis eſſet ſtatus, atque omnes res noſtræ quemadmodum eſſent, ut in ſecundis, fluxæ, ut in adverſis, bonæ. [12] Poſt illas datas litteras, ſecuta eſt ſumma contentio de domo. diximus apud Pontifices pridie KAL. Octobres. acta res eſt accurate à nobis: [13] & ſi umquam in dicendo fecimus aliquid, aut etiam ſi umquam alias fuimus, tum profectò [14] *dolor* & magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit. [15] itaque oratio juventuti noſtræ deberi non poteſt: quam tibi, etiam ſi non deſideras, tamen mittam cito. Cum pontifices decreſſent. ita, SI NEQUE POPULI JUSSU, [16] NEQUE PLEBIS SCITU, QUI SE DEDICASSE DICERET, NOMINATIM EI REI PRÆFECTUS ESSET, NEQUE POPULI JUSSU, AUT PLEBIS SCITU ID FACERE JUSSUS ESSET; VIDERI, POSSE SINE RELIGIONE [17] EAM PARTEM AREÆ MI RESTITUI; mihi facta ſtatim eſt gratulatio. [18] nemo enim dubitabat, quin domus nobis eſſet adjudicata. tum ſubito ille in concionem aſcendit, quam Appius ei dedit. nuntiat [19] inani populo, Pontifices ſecundum ſe decreviſſe; me autem vi conari in poſſeſſionem venire. hortatur, ut ſe, & Appium ſequantur, & ſuam Libertatem ut defendant. hìc cùm etiam illi infimi partim admirarentur, partim irriderent hominis amentiam; ego ſtatueram illuc non accedere, niſi cùm Conſules ex s. c. porticum Catuli reſtituendam locaſſent. KAL. Octob. habetur Senatus frequens. adhibentur omnes Pontifices, qui erant Senatores: à quibus Marcellinus, qui erat cupidiſſimus mei, ſententiam primus rogatus, quæſivit, quid eſſent in decernendo ſecuti. tum [20] M. Lucullus de omnium collegarum ſententia reſpondit, religionis judices Pontifices fuiſſe, legis Senatum: ſe, & collegas ſuos de religione ſtatuiſſe, in Senatu de lege ſtatuturos. quiſque horum, loco ſententiam rogatus, multa ſecundum cauſam noſtram diſputavit. cùm ad Clodium ventum eſt, *cupiit diem conſumere:* neque ei finis eſt factus: ſed tamen, cùm horas tris ferè dixiſſet, odio & ſtrepitu Senatus coactus eſt aliquando perorare. cùm fieret s. c. in ſenten-

1. *Cognovi, cum Brundiſii eſſem.*] Tria poſtrema vocabula, quæ prius ex Tornæſiano reſtituerat Lambinus, a Boſio in Decurtato & Cruſellino, quamvis abeſſent a vulgatis, noluit in ſua editione deſiderari.

2. *Inde à Brundiſinis honeſtiſſimis ornatus.*] *Honeſtiſſimè*, legit ex veteribus libris Faernus. Gulielmius conjiciebat, *honeſtiſſimis S. C. ornatus*, id eſſet, *ſenatuſconſultis*.

3. *Quibus id ipſum non liceret.*] Junius ex mſſ. Palat. legit, *quibus id ipſum ſe inimicos eſſe n. l.*

4. *Et plauſus me uſque ad Capitolium celebravit: in foroque & in ipſo Capitolio.*] Alia eſt vulgi diſtinctio, *& plauſus me uſque ad Capit. celebravit. In foro & in ipſo Capitolio.*

5. *Præter Meſſallam & Afranium.*] Hæc eſt Victorii reſtitutio, cujus in antiquiori erat *Afranium*; unde, ut etiam ex hiſtoria conjecit legendum *Afranium*, antea legebatur *Gerannium*.

6. *Cum continuò.*] Boſius lectionem Decurtati vulgatæ prætulit, hoc eſt pro *contio* excudendum curavit *continuo*.

7. *Nomine recitando.*] Vulg. *nomine in recitando*.

8. *Habui concionem: omnes magiſtratus.*] *Quam*, ex mſſ. addit Urſinus: *habui concionem, quam omnes magiſtratus*.

9. *Alteram Meſſius.*] Vulgò *Meſſinius*. ſcribit autem ex numis Urſinus, *Meſcinius*, notatque in quibuſdam mſſ. libris pro *Meſcinius*, legi [illegible] *Meſſalla*, & paulo poſt, *hæc non ferenda*, *ſine nomine Meſcinii.* Urſini lectionem confirmant Manutius & Lambin. quorum hic teſtatur codices Memmianos habere, *Meſſalla iſque*.

10. *Abſentis.*] Vulg. *abſentes*.

11. *Ut id non modò negligentiæ.*] Victorius alteram negationem addidit hoc exemplo, *ut id non modò non negligentiæ meæ*, quo pacto legitur in pleriſque libris excuſis: ſed Boſius aſſerit ab omnibus ſuis antiquis abeſſe alterum, *non*;

12. *Poſt illas datas litteras.*] In vulgatis deeſt, vox hæc *litteras*.

13. *Si unquam.*] Vulgata *nunquam*.

14. *Dolor & magnitudo.*] Vulgo *doloris magnitudo*. Gulielmius divinabat, *dolor & rei magnitudo*.

15. *Itaque oratio juventuti noſtræ deberi non poteſt.*] Reſtitutio hæc Victorio debetur, in cujus mſ. ſcriptum erat, *Itaque oratio jubent ut., noſtræ debere non poteſt*: idem etiam legi in Tornæſ. aſſerit Lambinus, cui hæc emendatio probatur. prius legebatur, *Itaque oratio jubet, ut in noſtræ fortunæ caſu, &c.*

16. NEQUE PLEBIS SCITU.] Boſius ex Decurtato & Tornæſiano repoſuit, *neque plebis ſcitu is qui ſe dedicaſſe diceret*; & mox, *aut plebis ſcitu id facere juſſus eſſet.* vulg. PLEBISCITO.

17. EAM *partem areæ mi reſtitui.*] Sic in mſſ. legi adnotat Urſinus, ut fortaſſe ei videatur legendum, *M. T. reſtitui*.

18. *Nemo enim dubitabat.*] Sic legit Manut. vulg. *dubitat*.

19. *Inani populo.*] Perſpicue ſic legebatur in Decurtato, vulgatam autem lectionem, *jam populo*, quæ etiam exſtat in Tornæſiano, vitioſam aſſerit Boſius.

20. *M. Lucullus.*] *M.* deeſt in vulg.

1. Ser-

tentiam Marcellini; omnibus *præter unum* aſſentientibus, [1] Serranus interceſſit. de interceſſione ſtatim ambo Conſules referre cœperunt. cùm ſententiæ graviſſimæ dicerentur; Senatui placere, mihi domum reſtitui: porticum Catuli locari; auctoritatem ordinis ab omnibus magiſtratibus defendi: [2] ſi quæ vis eſſet facta, Senatum exiſtimaturum, ejus opera factum eſſe, qui s. c. interceſſiſſet: Serranus pertimuit; & Cornicinus ad ſuam veterem fabulam rediit: abjecta toga, ſe ad generi pedes abjecit. ille noctem ſibi poſtulavit: non concedebant. reminiſcebantur enim KAL. Januar. [3] vix tamen ſibi de mea voluntate conceſſum eſt. poſtridie s. c. factum eſt id, quod ad te miſi. deinde Conſules porticum Catuli reſtituendam locarunt: illam porticum redemptores ſtatim ſunt demoliti libentiſſimis omnibus. nobis ſuperficiem ædium Conſules de conſilii ſententia æſtimarunt H-S vicies; cetera valde *illiberaliter*, Tuſculanam villam quingentiis millibus; Formianum H-S ducentis quinquaginta millibus: quæ æſtimatio non modò vehementer ab optimo quoque, ſed etiam à plebe reprehenditur. dices, quid igitur cauſæ fuit? dicunt illi quidem, pudorem meum; quod neque negarim, neque vehementiùs poſtularim. ſed non eſt id. nam hoc quidem etiam profuiſſet. verùm iidem, mi T. Pomponi, iidem inquam illi, quos ne tu quidem ignoras, qui mihi *pinnas inciderant*, *nolunt eaſdem renaſci*: ſed, ut ſpero, jam renaſcuntur. tu modò ad nos veni: quod vereor ne tardius interventu Varronis tui noſtrique facias. Quoniam acta quæ ſint, habes: de reliqua noſtra cogitatione cognoſce. Ego me à Pompejo legari ita ſum paſſus, ut nulla re impedirer, [4] quod ne, ſi vellem, mihi eſſet integrum, aut, ſi comitia Cenſorum proximi Conſules haberent, petere poſſe, aut *votivam legationem* ſumſiſſe [5] prope omnium fanorum, lucorum. ſic enim [6] noſtræ rationes poſtulabant. ſed volui meam poteſtatem eſſe vel petendi, vel ineunte æſtate exeundi: &, interea me eſſe in oculis civium, de me optime meritorum, non alienum putavi. Ac forenſium quidem rerum hæc noſtra conſilia ſunt: domeſticarum autem valde impedita. Domus ædificatur. ſcis, quo ſumptu, qua moleſtia [7] reficiatur. Formianum; quod ego nec relinquere poſſum, nec videre. Tuſculanum proſcripſi: ſuburbano non facile careo. amicorum benignitas exhauſta eſt in ea re, quæ nihil habuit præter dedecus: [8] quod ſenſiſti tu abſens; præſentes, quorum ſtudiis ego, & copiis, ſi eſſet per meos defenſores licitum, facile eſſem omnia conſecutus. quo in genere nunc vehementer laboratur. Cetera, quæ me ſollicitant, μυστικώτερα ſunt. amamur à fratre, [9] & à filio. te exſpectamus.

CICERO ATTICO, S. 3

[10] HAVERE te certò ſcio, [11] cùm ſcire, quid hic agatur, [12] tum mea à me ſcire; non quo certiora ſint ea, quæ in oculis omnium geruntur, ſi à me ſcribantur, quàm cum ab aliis aut ſcribuntur tibi, aut nuntiantur; verùm ut perſpicias ex meis litteris, [13] quo animo ea feram, quæ geruntur: & qui ſit hoc tempore aut mentis meæ ſenſus, aut omnino vitæ ſtatus. Armatis hominibus ante diem tertium NON. Novemb. expulſi ſunt fabri de area noſtra, diſturbata porticus Catuli, quæ ex s. c. Conſulum locatione reficiebatur, & *ad tectum* pænè pervenerat. Quinti fratris domus primò fracta conjectu lapidum ex area noſtra, deinde *inflammata* juſſu Clodii, inſpectante urbe, conjectis ignibus, magna querela & gemitu, non dicam bonorum omnium, qui, neſcio, an ulli ſint, ſed planè hominum omnium. ille [14] vehemens ruere: [15] poſt hunc furorem nihil niſi cædem inimicorum cogitare; vicatim ambire, ſervis apertè ſpem libertatis oſtendere. etenim antea, cùm [16] judicium nolebat, habebat ille quidem difficilem, [17] manifeſtamque cauſam, ſed tamen cauſam: id poterat infitiari; poterat in alios derivare; poterat etiam aliquid jure factum defendere. poſt has ruinas, incendia, rapinas, *deſertus à ſuis*, vix jam Decimum deſignatorem, vix Gellium retinet: ſervorum conſiliis utitur: videt, ſi omneis, quos vult, palam occiderit, nihilo ſuam cauſam difficiliorem, quàm adhuc ſit, in judicio futuram. itaque ante diem tertium Idus Novemb. [18] cùm Sacra via deſcenderem, inſecutus eſt me cum ſuis. clamor, lapides, fuſtes, gladii, hæc improviſa omnia. diſceſſimus in veſtibulum [19] Tettii Damionis. qui erant mecum, facilè operas aditu prohibuerunt. ipſe occidi potuit. ſed ego *diæta* curari incipio: chirurgiæ tædet. ille omnium vocibus cùm ſe non ad judicium, ſed ad ſupplicium præſens [20] trudi videret, omneis Catilinas, Acidinos poſtea reddidit. nam [21] Milonis domum, eam quæ Germalo, pridie Idus Novemb. expugnare & incendere ita conatus eſt, ut palam hora v. cum ſcutis homines, eductis gladiis, alios cum accenſis facibus adduxerit. ipſe domum P. Sullæ pro caſtris ſibi ad eam impugnationem ſumpſerat. tum ex Anniana Milonis domo [22] Q. Flaccus eduxit viros acreis; occidit homines ex omni latrocinio Clodiano notiſſimos: ipſum cupivit, [23] ſed illæſe inte-

1. *Serranus.*] *Seranus* unico, *r*, ſcribendum cenſet Urſinus licet, inquit, in veteribus numis *Atiliæ* gentis inveniatur, *Saranus*.

2. *Si quæ vi eſſet facto.*] Junius ex duobus mſſ. Palatin. *ſi qua ei vis*: Vulg. *ſi quæ vis*.

3. *Vix tamen ſibi.*] *Sibi*, delet Faërnus.

4. *Quod ne ſi vellem.*] Liber Tornæſ. *quod niſi vellem*: Scidæ, *quod ne, ſi vellem*; quam lectionem ſequitur Boſius. Vulg. *quin, ſi vellem*.

5. *Prope omnium fanorum, lucorum.*] Sic legi debet ut eſt in Decurtato, & Cruſellino, & vox, *ſacrorum*, iiſdem auctoribus delenda. Victorius teſtatur legi in mſſ. *prope omnium fanorum locorum*, in impreſſis autem codicibus *prope omnium fanorum, ac ſacrorum locorum*.

6. *Noſtræ rationes.*] Ex gloſſemate additum fuerat in vulgato, *utilitates meæ*; quod rectè aberat à Decurtato.

7. *Reficiatur.*] Vulg. *reficitur*.

8. *Quod ſenſiſti tu abſens; præſentes.*] Deeſſe videtur Urſino verbum, *ſenſere*, ut integra lectio ſit, *præſentes ſenſere ii*. Boſius autem nihil addendum putat, ſed ſumendum ἀπὸ κοινοῦ, *ſenſerunt*.

9. *Filio.*] Vulg. *filia*.

10. *Havere te certò ſcio.*] Deerat hic provocabulum, *te*, quod ex Decurt. & Cruſellino reſtituit Boſius: Vulg. *avere*.

11. *Cum ſcire.*] Vulg. *tum ſcire*.

12. *Tum mea à me.*] *Mea*, quod auctoribus Decurt. & Cruſell. repoſuit Boſius ut etiam ex Tornæſ. Lambinus, deeſt in vulg.

13. *Quo animo.*] Vulg. *quo modo*.

14. *Vehemens ruere.*] Memmianos codd. ſic habere ut & eos quibus uſus eſt Malaſp. & Tornæſ. teſtatur Lambin. non ut vulgati, *furere*.

15. *Poſt hunc furorem.*] Vulg. *poſt hunc verò furorem*.

16. *Judicium nolebat.*] Sic habere ſuos veteres omnes teſtatur Lambinus, cui Manutii lectio *tollebat*, non improbatur, ſed tamen conjicit legendum, *violabat*.

17. *Manifeſtamque cauſam.*] Pantagathus corrigit, *immanifeſtamque*.

18. *Cum ſacra via deſcenderem.*] Hanc eſſe omnium antiquorum, excuſorumque codicum lectionem, Aldino excepto, qui, *diſcederem*, habet, teſtatur Victorius: priorem lectionem conjectura ſic emendaverat Lambinus, quam poſtea Memmianorum codd. & Tornæſiani auctoritate repperit confirmatam.

19. *Tettii Damionis.*] Vulg. *M. Tettii Damionis*.

20. *Trudi videret.*] Victorius teſtatur omnes mſſ. codices habuiſſe, *videri videret*, unde Pantagathus conjecit legendum, *voveri videret*.

21. *Milonis domum, eam quæ Germalo.*] Hæc eſt conjectura Turnebi quam veriſſimam putat Boſius, adduciturque etiam antiqua lectione Decurt. quamquam depravata, quæ ita ſe habet, *Geranilo*. Vulgo legebatur *meam Ceramio*, vel *in Ceramio*, ſed præpoſitionem *in*, neque Cavalcantis liber habet, neque Beſſarionis: *Ceramio* autem uterque, ſed quid ſibi velit hæc vox, ignorat Manutius, conjicitque legendum *in Germalo*. quidam legunt *domum utramque in Germalo*: Malaſp. legebat *in Carinis*. Lambinus, *domum eam quæ eſt in Germalo*.

22. *Q. Flaccus eduxit viros acris: occidit homines.*] Fulviani mſſ. habent. *Q. F. e. v. ac tres occidit homines*.

23. *Sed illæsè interiora in ædium Sullæ ſe. In Senatu poſtridie Idus domi Clodius, egregius Marcellinus, omnes acres.*] Repoſuit Boſius ex fide Decurtati, *illæſe* pro *ille ſe*; &, *interiora in ædium*, pro *interiorem ædium*, &, *Sullæ ſe*, pro *Sylla ſe*. Cavalcantis liber, *ille ex interiorem ædium ſilla ſe*. Beſſarionis, *ille interiorem ædium ſylla ſe*, teſtanturque

interiora in ædium Sullæ ſe. in Senatu poſtridie Idus (domi Clodius) egregius Marcellinus, omnes acres. Metellus calumnia dicendi tempus exemit, adjuvante [1] Oppio, etiam hercule familiari tuo; [2] de cujus conſtantia, invitæ tuæ veriſſimæ litteræ. Seſtius furere. ille poſtea, ſi comitia ſua non fierent, urbi minari. propoſita Marcellini ſententia, quam ille de ſcripto ita dixerat, ut totam noſtram cauſam areæ, incendiorum, periculi mei, judicio complecteretur, eaque omnia comitiis anteferret: proſcripſit, ſe per omnes dies comitialeis *de cælo ſervaturum*. conciones turbulentæ Metelli, temerariæ Appii, furioſiſſimæ Publii. hæc tamen ſumma; niſi [3] Milo in campum obnuntiaſſet, comitia futura. ante diem XII. KAL. Decemb. [4] Milo media nocte cum magna manu in campum venit. Clodius, cùm haberet fugitivorum [5] delectas copias, in campum ire non eſt auſus. Milo permanſit ad meridiem mirifica hominum lætitia, ſumma cum gloria. contentio fratrum trium turpis, fracta vis, contemptus furor. Metellus tamen poſtulat, ut ſibi poſtero die in foro obnuntietur: nihil eſſe, quod in campum nocte veniretur: ſe hora prima in Comitio fore. itaque [6] ante diem XI. KAL. in Comitium Milo de nocte venit. Metellus cum prima luce furtim in campum itineribus prope deviis currebat: aſſequitur inter lucos hominem Milo; obnuntiat. ille ſe recepit, magno & turpi Q. Flacci convicio. ante diem X. KAL. nundinæ. concio biduo nulla. ante diem VIII. KAL. hæc ego ſcribebam, hora noctis nona. Milo campum jam tenebat. Marcellus candidatus ita ſtertebat, ut ego vicinus audirem. Clodii veſtibulum vacuum ſanè mihi nuntiabatur. [7] paucis pannoſis linea laterna. meo conſilio omnia illi fieri querebantur, ignari quantum in illo heroe eſſet animi, quantum etiam conſilii. miranda virtus eſt. nova quædam divina mitto. ſed hæc ſumma eſt. comitia fore non arbitror. [8] reum Publium, niſi ante occiſus erit, fore à Milone puto. [9] ſi ſe ut it urbe jam obtulerit, occiſum iri ab ipſo Milone video. non dubitat facere; præ ſe fert; caſum illum noſtrum non extimeſcit. numquam enim cujuſquam invidi, & perfidi conſilio eſt uſus: nec inerti nobili crediturus. Nos animo duntaxat vigemus, etiam magis, quàm cùm florebamus: re familiari comminuti ſumus, [10] Quinti fratris tamen liberalitati pro facultatibus noſtris, ne omnino exhauſtus eſſet, illo recuſante, ſubſidiis amicorum reſpondemus. quid conſilii de omni noſtro ſtatu capiamus, te abſente neſcimus. quare appropera.

CICERO ATTICO, S. 4

PERJUCUNDUS mihi Cincius fuit ante diem tertium Kalend. Feb. ante lucem. dixit enim mihi, te ineſſe in Italia, ſeſeque ad te pueros mittere: quos ſine meis litteris ire nolui: non [11] quò haberem, quod tibi, præſertim jam prope præſenti, ſcriberem: ſed ut hoc ipſum ſignificarem mihi tuum adventum ſuaviſſimum exſpectatiſſimumque eſſe. quare advola ad nos, eo animo, ut nos ames, te amari ſcias. cetera coram agemus. hæc properantes ſcripſimus. quo die venies, utique cum tuis apud me ſis. perbellè feceris, ſi ad nos veneris. [12] offendes deſignationem Tyrannionis mirificam in librorum meorum bibliothecam; quorum reliquiæ multo meliores ſunt, [13] quàm putaras. etiam [14] vellem mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus, ad cetera adminiſtris: iiſque imperes, ut ſumant membranulam; ex qua indices fiant, quos vos Græci, ut opinor, σιλλύβους appellatis. Sed hæc, ſi tibi erit commodum. ipſe verò utique fac venias, ſi potes in his locis adhæreſcere, & Piliam adducere. ita enim & æquum eſt, & cupit Tullia. [15] Mediusfidius ne tu emiſti λόχον præclarum. gladiatores audio pugnare mirifice. ſi locare voluiſſes, duobus his muneribus liberaſſes. Sed hæc poſteriùs. tu fac venias: & de librariis, ſi me amas, diligenter.

CICERO ATTICO, S. 5

[16] AIn tu? an me exiſtimas ab ullo malle mea legi probarique, quàm à te? cur igitur cuiquam miſi prius? urgebar ab eo, ad quem miſi, & non habebam exemplar. quid? etiam (dudum enim *circumrodo*, quod devorandum eſt) ſubturpicula mihi videbatur eſſe παλινῳδία. ſed valeant recta, vera, honeſta conſilia. non eſt credibile, quæ ſit perfidia in iſtis principibus, ut volunt eſſe, & ut eſſent, ſi quicquam haberent fidei. ſenſeram, noram, inductus, relictus, *projectus ab iis*: tamen hoc erat in animo, ut cum iis in Rep. conſentirem. iidem erant, qui fuerant. vix ali-

turque viri docti, verbum, *abdidit*, in nullo veterum librorum reperiri, unde conjecit Manutius, *ille ſe in interiora ædium Sullæ*: ut ſubaudiatur, *proripuit*, vel *abdidit*, quod probatur Lambino. Pantagathus legebat, *ſed ille exiit tenente medium Sulla, ſe. In Senatu poſtridie Iduum idem Clodius.* Junius mſſ. Palatinorum omnium quos videre contigit optimum, ſic habere teſtatur: *Sed ille ex interiore aditu ædium proſiliit. Sulla in Senatum poſtridie*, &c. indeque conjicit legendum, *ſed ille ſe interiore abdidit. Idibus proſiliit. Sulla in Senatum poſtridie Idus: domi Clodius. egregius Marcellinus*, &c. vulgò ſic legitur, *ſed ille ſe in interiorem partem ædium abdidit. Sulla ſe in Senatu, poſtridie Id. domi Clodius. egregius Marcellinus, omnes acres.*

1. *Oppio.*] Potius crediderit Manutius legendum *Appio.*

2. *De cujus conſtantia invitæ tuæ veriſſimæ litteræ.*] Sic excudendum curavit Boſius ex Decurtato. Faernus emendat, *de cujus conſtantia viri, tuæ veriſſimæ litteræ*, &c. Pantagathus totum locum ad hunc modum legit, *cujus conſtantia nutante, veriſſimæ literæ fratris, furere ille poſtea*, &c. vulg. *de cujus conſtantia, virtute, tuæ veriſſimæ litteræ.*

3. *Milo in campum obnuntiaſſet.*] Fulvianus legit *in campo.* vulgati alii, *Miloni C. Appius obnuntiaſſet.*

4. *Milo media nocte.*] Vulg. *Milo ante mediam noctem.*

5. *Delectas copias.*] Placet Urſino ut legatur *delectas* pro *dejectas*. Vidit id quoque Lambinus, ſed, *dejectas* retinet.

6. *Ante diem XI. Kal.*] Poſt Kalend. additur in vulg. *Januar.* quam vocem in Decurtato non repperit Boſius, & adulterinam eſſe jamdudum docuit Manutius.

7. *Paucis pannoſis linea laterna.*] Sic emendavit Boſius, ut diſertim ſcriptum erat in Decurtato. Victorius teſtatur, in vetere ſuo codice legi, *paucis pannoſi, ſine alanterna.* Lambino teſte quidam legi volunt, *ſine lacerna*, dicitque veteres libros ferè omnes, *ſine lanterna*, aut *alanterna.* ſed mendose: vulgata lectio quam retinet Junius, *pauci pannoſi ſine laterna.*

8. *Reum Publium, niſi ante*, &c.] Meliorum codicum auctoritate hunc locum reſtituit Victorius. Lambinus dicit cod. Tornæſ. ut vulgatos habere, *reum Publium niſi ante occiſus erit*, &c. ſed tamen invitis libris omnibus reponit, *Præt. Publium*, & paulo poſt, has duas voces, *à Milone*, tamquam alieno loco inculcatas delet. Victorii emendationem ex mſſ. Palat. retinet Junius.

9. *Si ſe ut it urbe.*] Variat hic veterum codicum ſcriptura. Victorius tradit in antiquo ſuo ita eſſe, *ſi ſentitur veiam obtulerit*: Tornæſianus ſic habet, *ſi ſe ut it urbe jam obtulerit*: ſicque etiam Decurt. & Cruſell. Alii legunt, *ſi ſe inter viam obtulerit*: alii, *ſi ſe ituro Lanuvium obtulerit*, quomodo Aldus Manutius edidit. alii *ſi ſe ultro in via.* Victorius, *ſi ſe interim obviam obtulerit*, quæ eſt vulgata lectio. Junius proximè veterem mſſ. lectionem, & Ciceronis mentem ſecutus, ut ait edendum curavit, *ſi ſe iſti turbæ jam obtulerit.*

10. *Q. fratris tamen liberalitati pro facultatibus noſtris, ne omnino exhauſtus eſſet*, &c.] Videtur legendum Urſino, *exhauſtus ſim.* quod & aliis placuiſſe ait. In alio autem libro ſe ita hunc locum emendatum vidiſſe refert: *Quinti fratris tamen liberalitate, pro facultatibus noſtris, nam omnino exhauſtus eſſem*, &c. quæ lectio placet Junio, ſi pro, *nam*, legatur, *ne.*

11. *Quo haberem.*] Vulg. *quod haberem.*

12. *Offendes deſignationem Tyrannionis mirificam, in librorum meorum bibliothecam.*] Vocem, *bibliothecam*, ex ora libri in contextum librorum Ciceronis tranſlatam, ſecutus veterum librorum auctoritatem, deleri juſſit Lambinus. Sed aliter diſtinguit vulgus, *offendes deſignationem Tyrannionis, mirificam librorum meorum bibliothecam.*

13. *Quam putaras.*] *Quàm putaram*, vulg.

14. *Vellem.*] Vulg. *velim.*

15. *Medius fidius ne tu emiſti λόχον præclarum.*] Rectè hunc locum emendavit Boſius cum prius pro λόχον, *locum*, haberent editiones: Lambinus conjecturam Manutii ſequens, hanc lectionem, ut quæ ferri non poteſt, rejicit, id eſt, pro, *ne tu*, legit, *Nomenti.*

16. *Ain tu? an me exiſtimas.*] Veterem ſuum codicem ſecutus Victorius ſic legit; ceterum vocem, *me*, primus reſtituit Boſius ex ſuis mſſ.

1. *Et*

aliquando te auctore reſipivi. dices, ea te monuiſſe, ſuaſiſſe, quæ facerem; non etiam ut ſcriberem. ego mehercule mihi neceſſitatem volui imponere hujus novæ conjunctionis; ne qua mihi liceret labi ad illos, qui etiam tum, cùm miſereri mei debent, non deſinunt invidere. ſed tamen modici fuimus ὑποθέσει, ut ſcripſi. erimus uberiores, ſi & ille libenter accipiet, [1] & hi ſubringentur, qui villam me moleſtè ferunt habere, quæ Catuli fuerat, [2] à Vettio me emiſſe non cogitant; qui domum negant oportuiſſe me ædificare, vendere ajunt oportuiſſe. ſed quid ad hoc? ſi, quibus ſententiis dixi, quòd & ipſi probarent, lætati ſunt tamen me contra [3] Pompeji voluntatem dixiſſe? finis; & quoniam, qui nihil poſſunt, ii me nolunt amare; demus operam, ut ab iis, qui poſſunt, diligamur. dices: vellem jampridem. [4] ſcio te voluiſſe; & me *aſinum germanum* fuiſſe. ſed jam tempus eſt me ipſum à me amari, quando ab illis nullo modo poſſum. Domum meam quod crebro [5] inviſis, eſt mihi valde gratum. Viaticum Craſſipes præripit. Tu de via rectà in hortos. [6] videtur commodius ad te. poſtridie ſcilicet: quid enim tua? ſed viderimus. Bibliothecam mihi tui pinxerunt [7] conſtructione & ſittybis. eos velim laudes.

6 CICERO ATTICO, S.

De Lentulo ſcilicet ſic fero, ut debeo. virum bonum & magnum hominem, & in ſumma magnitudine animi multa *humanitate* temperatum perdidimus; [8] noſque malo ſolatio, ſed non nullo tamen, conſolamur, quòd ipſius vicem minimè dolemus, [9] non ut Saufejus & veſtri; immò hercule quia ſic amabat patriam, ut mihi aliquo deorum beneficio videatur ex ejus incendio eſſe ereptus. nam quid fœdius noſtra vita? præcipuè meâ? nam tu quidem, etſi es natura πολιτικός, tamen nullam habes propriam ſervitutem: [10] communi frueris nomine. ego verò, qui, ſi loquor de Repub. quod oportet, inſanus; ſi, quod opus eſt, ſervus exiſtimor; ſi taceo, oppreſſus & captus; quo dolore eſſe debeo? quo ſum ſcilicet, hoc etiam acriore, quod *ne dolore quidem poſſum*, ut non ingratus videar. quid, ſi ceſſare libeat, & in otii portum confugere? nequicquam. [11] immo etiam in bellum & in caſtra. [12] ergo erimus ὀπαδοί, qui ταγοὶ eſſe noluimus? ſic faciendum eſt. tibi enim ipſi, cui utinam ſemper paruiſſem, ſic video placere. [13] reliqui, aſt σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει: non mehercule poſſum; & Philoxeno ignoſco, qui *reduci in carcerem maluit*. verumtamen id ipſum mecum in his locis commentor, ut iſta improbem; idque tu, cùm una erimus, confirmabis. A te litteras crebrò ad me ſcribi video; ſed omneis uno tempore accipi. quæ res etiam auxit dolorem meum. caſu enim trinas ante legeram, quibus, [14] meliuſculè Lentulo eſſe, ſcriptum erat. ecce quartæ fulmen. ſed ille, ut ſcripſi, non miſer; [15] nos verò ferrei. Quòd me admones, ut ſcribam illa Hortenſiana: in alia incidi, non immemor iſtius mandati tui. ſed mehercule incipiendo refugi, [16] ne, quòd videor ſtulte illius amici intemperiem non tuliſſe, rurſus ſtultè injuriam illius faciam illuſtrem, ſi quid ſcripſero; & ſimul, ne, βαθύτης mea, quæ in agendo apparuit, in ſcribendo ſit [17] *oculatior*; & aliquid [18] ſatisfactio levitatis habere videatur. Sed viderimus. tu modò quam ſæpiſſime ad me aliquid. Epiſtolam [19] Luccejo nunc quam miſi, qua, meas res ut ſcribat, rogo, fac ut ab eo ſumas: valde bella eſt: eumque; ut approperet, adhorteris: &, quòd mihi ſe ita facturum reſcripſit, agas gratias. Domum noſtram, quo ad poteris inviſas. Veſtorio aliquid ſignifices. valde enim eſt in me liberalis.

CICERO ATTICO, S. 7

[20] Nihil εὐκαιρότερον epiſtola tua, [21] quæ me ſollicitum de Quinto noſtro, puero optimo, valde levavit. venerat horis duabus ante Chærippus; [22] mera monſtra nuntiarat.

1. *Et hi ſubringentur.*] Ex cunctis melioribus libris Victorius *ſubringentur* ſcripſit, prius legebatur, *& ii ſubringentur.*

2. *A Vettio me emiſſe non cogitant.*] Vulg. *aut etiam emiſſe.*

3. *Pompeii voluntatem dixiſſe? finis, & quoniam.*] Vocabulum hoc *finis* in omnibus Boſianis legebatur; quare in exemplar retulit: ſecutus autem eſt conjecturam Malaſp. in mutando τὸ *ſed*, in *&*.

4. *Scio te voluiſſe; & me aſinum germanum fuiſſe. Sed jam tempus, &c.*] Repoſuit Boſius auctore Decurtato: *& me aſinum germanum fuiſſe.* Convenienter legi poſſe putabat Urſinus, *aſt nunc geram morem?* Addit ſe in quodam libro emendatum vidiſſe, *& me Aſtyagen germanum fuiſſe.* Malaſpina legit, *& me maſtigiam germanum fuiſſe;* quam ejus conjecturam amplectitur Lambinus, nihil huic loco aptius aut in corrigendo verecundius excogitari poſſe ſtatuens. Manutius locum hunc in illis numerat, quos ſine libris antiquis corrigi non poſſe ſperat: hanc tamen ne nihil dixiſſe videatur profert ex Alberti Ferri & Beſſarionis libris lectionem, *noluiſſe, aſt nunc geram manum fuiſſet?* Mureti liber, *aſt num germanum fuiſſe:* ex qua ipſe Muretus unius literæ mutatione, Decurtati lectionem expreſſit. Junius verò ex mſſ. Pal. legit, *ſcio te voluiſſe: & me. Aſt non germanum fuiſſet. Jam tempus eſt me ipſum, &c.* Boſii quidem lectionem non damnat, ſed hæc ei anteponenda videtur: vulg. *ſcio te voluiſſe, & me. aſt num germanum fuiſſe.*

5. *Inviſis.*] Manutius conjicit *inviſes.*

6. *Videtur commodius.*] Aliter diſtinguit Manutius, *tu de via rectà in hortos, videtur commodius ad te. poſtridie ſcilicet. quid enim tua?*

7. *Conſtructione & ſittybis.*] Hæc reſtitutio debetur Victorio, in cujus antiquiore erat, *& ſittibiſcos,* ab inepto librario conjunctum. unde ſine ulla mutatione *& ſittybis eos velim, &c.* antea legebatur, *conſtructione & ſi ſcribis, eos velim laudes.*

8. *Noſque malo ſolatio, ſed nonnullo tamen.*] Sic Malaſp. & Corradus legendum cenſuerunt, ut etiam dilucide ſcriptum repperit in codicibus Memmianis Lambinus; & in eiſdem *veſtris* pro *veſtri:* Vulg. *non multo,* pro *nonnullo.*

9. *Non ut Saufeius & veſtri: imò mehercule.*] Plane ſic exaratum in Decurtato, vulg. *non ut Saufeius & veſtri mehercule.*

10. *Communi frueris nomine.*] Hæc verba num vacent mendo, haud ſatis ſcit Manut. ſuſpicionem augent, Beſſarionis & Alberti Ferri libri, in quibus ſcriptum, *communi frueris nonne,* & proximo ſuperiori membro, *virtutem,* pro, *ſervitutem.* quod etiam mire probatur Junio; ex ſuis omnibus mſſ. enim legit, *nullam propriam habes virtutem, communi frueris, nonne?*

11. *Immò etiam in bellum & in caſtra?*] Legendum cum tali interrogatione aſſerit Boſius.

12. *Ergo erimus ὀπαδοὶ qui ταγοὶ eſſe noluimus?*] Victorii antiquior codex habebat, *Ergo erimus* ὀπλοι qui τέλοι *eſſe noluimus;* unde ſcripſit, *ergò erimus* ὀπαδοί, defectum unius litteræ in antiqua ſcriptura eſſe arbitratus; antea legebatur, *ergo erimus* ὁπλῖται, *qui togati eſſe voluimus.* prius illud membrum, *ergo erimus* ὁπλῖται, in Memmianis legi teſtatur Lambinus, nec improbat.

13. *Reliqui, aſt.*] Boſii omnes melioris notæ mſſ. legebant, *reliquia eſt,* unde emendavit *reliqui, aſt, &c.* Junius ex mſſ. Palatinis, *reliqua eſt.*

14. *Meliuſculè Lentulo eſſe.*] Victorius ex antiquiore ſuo *meliuſcule.* prius legebatur *melius.*

15. *Nos verò ferrei.*] Emendaſſe ſe, *ſervi,* ratione ductum dicit Victorius.

16. *Ne, quod videor ſtultè illius amici intemperiem non tuliſſe.*] Boſius ex Decurtato legit ut cenſuerat Malaſp. Manutio teſte Beſſarionis liber habet, *videor ſtulte illius amici non intemperiem tuliſſe:* ſicque edendum curavit, hancque veram atque incorruptam lectionem exiſtimat, planeque ab ipſo Cicerone ſcriptam. Junius, *ne quod vid. ſtult. illius non amici intemp. tul.*

17. *Oculatior.*] Caſtigavit, *oculatior,* Boſius auctore Decurtato; cum antea legeretur, *occultior,* repugnante ſententia.

18. *Satisfactio levitatis.*] In antiquo Alberti Ferri libro ſcriptum eſt, *ſatis tacito levitatis:* in Beſſarionis autem *ſatis facetæ levitatis;* quod etſi non inconcinnam habeat ſententiam, auctore Manutio, veteres alios libros tamen libentius ſequitur, in quibus Boſii expreſſa eſt lectio.

19. *Luccejo nunc quam miſi.*] Ex veteri ſcriptura *numquam,* fecit Faërnus, *nunc quam,* cujus correctionem ſequitur Lambinus.

20. *Nihil εὐκαιρότερον.*] Ducendum ab his verbis, *Nihil εὐκαιρότερον,* initium hujus epiſtolæ, ex Decurtato didicit Boſius; ut etiam Lambinus ex Tornæſiano & multi alii docuerant. Vulg. rejiciuntur in ſuperiorem epiſtolam.

21. *Quæ me ſollicitat.*] *Me* deeſt in vulg.

22. *Mera monſtra nunciarat.*] Junius ex mſſ. omnibus Palatinis legit, *& moram noſtram nunciarat;* aitque hanc eſſe germanam lectionem, aliam merum monſtrum.

rat. De Apollonio quòd ſcribis, qui illi dii irati, homini, Græco, qui conturbare quidem putat ſibi licere; quod Equitibus Romanis. nam Terentius ſuo jure. De Metello, [1] οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν ſed tamen *multis annis* [2] civis nemo erat mortuus, qui quidem. tibi nummi meo periculo ſint. quid enim vereris, quemcunque heredem fecit? niſi Publium fecit? verum [3] fecit non improbè; quamquam fuit ipſe. quare in hoc thecam nummariam non retexeris: in aliis eris cautior. Mea mandata de domo curabis: [4] prædia locabis: Milonem admonebis. Arpinatium [5] fremitus eſt incredibilis de Laterio. quid quæris? equidem dolui. [6] ὁ δ' οὐκ ἐμπάζετο μύθων [7] Quod ſupereſt, etiam puerum Ciceronem curabis, & amabis, ut facis.

8 CICERO ATTICO, S.

MULTA me in epiſtola tua delectarunt, ſed nihil magis, [8] quàm patina tyrotarichi. nam de raudusculo, quod ſcribis, [9] μήπω μέγαν εἴπῃς, πρὶν τελευτήσαντ' ἴδῃς. ædificati tibi in agris nihil reperio. in oppido eſt quidquam, de quo eſt dubium, ſit ne venale; ac proximum quidem noſtris ædibus. hoc ſcito, Antium Buthrotum eſſe Romæ, ut Corcyræ illud tuum. nihil quietius, [10] nihil alſius, nihil amœnius. εἴη μισητὸς φίλος οἶκος. poſtea verò quam Tyrannio mihi libros diſpoſuit, mens addita videtur meis ædibus: qua quidem in re mirifica opera Dionyſii, & Menophili tui fuit. nihil venuſtius, quàm illa tua pegmata, [11] poſtquam mî ſittybis libros illuſtrarunt. valde eſt. Scribas ad me velim de gladiatoribus, ſed ita, bene ſi rem gerunt: non quæro [12] malè ſi ſe geſſere. [13] Apenas vix diſceſſerat; cum epiſtola: quid ais? putaſne fore, ut legem non ferat? dic, oro te, clariùs: vix enim mihi exaudiſſe videor. verùm ſtatim fac ut ſciam, [14] ſi modò, tibi eſt commodum. Ludis quidem, quoniam dies eſt additus, eò etiam melius hîc eum diem cum Dionyſio conteremus. De Trebonio prorſus tibi aſſentior. De Domitio;

Συκῆ μὰ τὴν Δήμητρα σύκῳ οὐδὲ ἓν
Οὕτω ὅμοιον γέγονεν,

quàm eſt iſta [15] περίστασις noſtræ: vel quòd ab iiſdem, vel quòd præter opinionem, vel quòd viri boni nuſquam. unum diſſimile, quòd huic meritò. nam de ipſo cauſu neſcio, an illud melius quid enim hoc miſerius, quàm eum, qui tot annos, quot habet, deſignatus Conſul fuerit, heri Conſulem non poſſe? præſertim cùm aut *ſolus*, aut certè non plus, quàm cum altero petat. ſi verò id eſt, quod neſcio an ſit, ut non minùs longas jam in codicillorum faſtis futurorum Conſulum paginulas habeat, quam factorum; quid illo miſerius? niſi reſpublica; in qua ne ſperatur quidem melius quidquam. De Natta ex tuis primum ſcivi litteris; oderam hominem. De poëmate quòd quæris; quid ſi cupiat effugere? [16] quid? ſinas? de Fabio Luſco quòd [17] eram exoſus; homo peramans ſemper noſtri fuit, nec mî umquam odio. ſatis enim acutus & permodeſtus, ac bonæ frugi. eum, quia non videbam, abeſſe putabam. audivi ex Gavio hoc Firmano, Romæ eſſe hominem, & fuiſſe aſſiduum. percuſſit animum, dices, tantulane cauſa? permulta ad me detulerat non dubia de Firmanis fratribus. quid ſit, quòd ſe à me removit, ſi modò removit, ignoro. De eo, quòd me mones, ut & [18] πολιτικῶς me geram, [19] & τὴν ἔσω γραμμὴν teneam; ita faciam. ſed opus eſt majore prudentia; quàm à te, ut ſoleo, petam. [20] Tu velim è Fabio, ſi quem habes aditum, odorere; & iſtum convivam tuum deguſtes; & ad me [21] de his rebus, & de omnibus quotidie ſcribas. ubi nihil erit, quod ſcribas; id ipſum ſcribito. Cura ut valeas.

CICERO ATTICO, S. 9

SANE velim ſcire; num [22] cenſum impendant Tribuni diebus [23] vitiandis, (eſt enim hic rumor) totaque de Cen-

1. *Οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν.*] Vera eſt & genuina ſententia hujus loci, ſic à Victorio reſtituta, prius legebatur, ἥκη σοὶ φθιμένοισιν.

2. *Civis nemo erat mortuus, qui quidem. tibi nummi meo periculo ſint.*] Hæc eſt diſtinctio Malaſpinæ; aliter autem diſtinguit vulgus, *civis nemo erat mortuus. quid quidem tibi? nummi meo periculo ſint.*

3. *Fecit non improbe; quamquam fuit ipſe.*] Beſſarion. liber habet, *improbi quemquam;* alii *improbo quamquam*, ſed mendum in utraque lectione ſubeſſe putat Manutius. Junius legit ex mſſ. Palatin. *fecit non improbum, quamquam ipſe fuit.*

4. *Prædia locabis.*] Sic legebat Victorius; Vulg. *præſidia.*

5. *Fremitus incredibilis de Laterio.*] Sic diſtinxit Manutius, qui teſtatur in omnibus libris typis impreſſis antea ſcriptum fuiſſe, *Arpinatium fremitus eſt incredibilis. De Laterio quid quæris?*

6. *Ὁ δὲ οὐκ ἐμπάζετο μύθων.*] Hunc Homeri verſum reſtituit Victorius. antea legebatur, ὁ δὲ οὐκ ἐστι μύθος.

7. *Quod ſupereſt: etiam puerum Ciceronem curabis, & amabis ut facis.*] Legit Muretus, *quid ſupereſt? etiam. Puerum Ciceronem curabis, & nos amabis ut facis.*

8 *Quam patina tyrotarichi.*] Hunc locum flagitioſiſſimè corruptum reſtituit Victorius. antea legebatur *patina Cyrotari.*

9. *Μήπω μέγαν εἴπῃς, &c.*] Hujus quoque Sophoclis ſenarii reſtitutio Victorio debetur ex Stobæo. Junius ex mſſ. Pal. legit, μήπω μέγ' εἴπῃς πρὶν τελευτῆς αὐτίκα.

10. *Nihil alſius, nihil amœnius. εἴη μισητὸς φίλος οἶκος.*] Boſius hujus loci tenebras diſcuſſit ex Decurtato, in quo hæc verba ita concepta erant, ΕΙΗ ΜΗCΗΤΟC ΦΙΔΟC ΟΚΟC, unde conjecit legendum, εἴη μισητὸς φίλος οἶκος. Manutius ex depravata codicum vetuſtorum lectione ſic reſtituere conatus eſt: εἰ μὴ ἴσῃ τῷ φίλος οἶκος, vulgo legebatur, ΕΙΜΗΙCΗΤΩ ΦΙΔΟC ΚΟC.

11. *Poſtquam mi ſittybis libros illuſtrarunt. valde eſt. Scribas ad me velim.*] Liquida hæc eſt ſcriptura Decurtati quam Boſius edidit: vulgus autem aliter prorſus legit & diſtinguit: *poſtquam miſiſti libros, illuſtrarunt valde. Et ſcribas ad me velim, &c.* Cavalcantis, Beſſarionis & Ferri libri, *miſit*, pro *miſiſti.* Manutius autem ſi ab antiquis libris, diſcedendum eſt, in quibus *miſiſti* non eſt, malit ſic legi; *eos, quia mihi libros illuſtrarunt, laudes.* Lambin. Panthagathi conjectura, quæ & Malaſpinæ probatur, magnopere placet: ea autem talis eſt: *poſt quæ ſittybæ libros illuſtrarunt valde;* Præſertim cum auctoritate Tornæſiani cod. confirmetur; in quo ita ſcriptum eſt: *poſtquam ſittybæ libros illuſtrarunt valde.* Malunt quidam ſic legi, ut ad ſcripturam codicis Antoniani & Memmianorum propiùs accedant, *poſtquam ſittybas miſiſti, libros valde illuſtrarunt.* Boſii lectionem optimam aſſerit Junius, ſed alia eſt ipſius diſtinctio, *poſtquam mihi ſittybis libros illuſtrarunt. Valdè, ut ſcribas ad me velim de gladiatoribus, &c.*

12. *Malè ſi ſe geſſere.*] Scidæ habebant, *malè ſi ſe ceſſere;* quæ ſcriptura confirmatur emendatione Malaſp. ſic corrigentis, *malè ſi ſe geſſere.* quare eam retinuit Boſius. Manutio videtur legendum, *malè ſe geſſiſſe:* Vulg. *malè ſic egiſſe.*

13. *Apenas.*] Hic videtur Manutio principium alterius epiſtolæ, cui aſſentitur Junius.

14. *Si modò tibi eſt commodum.*] *Tibi* deeſt in vulg.

15. *Περίστασις noſtræ.*] *Noſtræ*, pro *noſtra*, quod antea legebatur, repugnantibus antiquis libris ſubſtituit Manutius, quod probatur Boſio.

16. *Quid? ſinas?*] Et hæc etiam Manutiana lectio, quæ in Cruſellino exſtabat, Boſio placet.

17. *Eram exoſus.*] Legit Boſius ut eſt in Scidis, *quod eram exoſus;* quam reſtitutionem probat Junius; ſed quod *exoſus*, active interpretatur, improbat.

18. *Ut & πολιτικῶς me geram.*] Vulg. *ut & me geram* πολιτικῶς.

19. *Et τὴν ἔσω γραμμὴν teneam.*] Locum hunc illuſtravit Boſius. In ſcidis erat τὴν σω γραμμὴν: in aliis τὴν εω γραμμήν. ex his conjecit τὴν ἔσω γραμμήν. Victorius veterem codicem habere teſtatur, τὴν ἕω γραμὴν *teneam;* ſed hic quadrare illam lectionem negat, & hanc proponit, τὴν ἄνω γραμμήν. Manutius ex vetere codice ubi τὴν εω γραμμὴν legebatur, emendandum conjecit, τὴν ἔξω γραμμήν.

20. *Tu velim è Fabio.*] Libros veteres partim habere *tu velim è Fabio, &c.* partim *tu velim & Fabio;* teſtatur Lambinus; qui ſic legit, *Tu velim & è Fabio.* vulg. *Tu velim & Fabium.*

21. *De his rebus.*] Vulg. *de iſtis.*

22. *Cenſum impendant.*] Manutius dicit rectius legi *impediant*, cui rejecta Boſii lectione, ex mſſ. Pal. aſſentitur Junius.

23. *Vitiandis.*] Eidem Manutio placeret *injiciendis*, eo magis quod in Beſſarionis antiquo libro ſcriptum eſt, *initiandis*, quæ conjectura Lambino non diſplicet, qui & in cod. Memmianis, *initiandis*, legi teſtatur.

Cenſura, quid agant, quid cogitent. Nos hic cum Pompejo fuimus. multa mecum de republica, ſanè *ſibi diſplicens*, ut loquebatur: (ſic eſt enim in hoc homine dicendum) Syriam ſpernens, Hiſpaniam jactans: hic quoque, ut loquebatur; & opinor, uſquequaque de hoc cùm dicemus, ſit hoc quaſi, καὶ τόδε Φωκυλίδȣ: tibi etiam gratias agebat, quòd ſigna componenda ſuſcepiſſes: in nos verò [1] ſuaviſſimè hercule effuſus. venit etiam ad me [2] in Cumanum à ſe. nihil minus velle mihi viſus eſt, quàm Meſſallam Conſulatum petere: de quo ipſo ſi quid ſcis, velim ſcire. Quod Lucceio ſcribis te noſtram gloriam commendaturum, & ædificium noſtrum quòd crebro inviſis; gratum. Quintus frater ad me ſcripſit, ſe, quoniam Ciceronem ſuaviſſimum ſecum [3] haveret, ad te Nonis Mai. venturum. Ego me de Cumano movi ante diem V. Kal. Mai. eo die Neapoli apud [4] Lætum ante diem IV. Kal. Mai. iens in Pompejanum, bene mane hæc ſcripſi.

10 CICERO ATTICO, S.

[5] PUTEOLIS magnus eſt rumor, Ptolemæum eſſe in regno. ſi quid habes certius, velim ſcire. Ego hîc paſcor bibliotheca Fauſti. [6] fortaſſe tu putabas, his rebus Puteolanis & Lucrinenſibus. ne iſta quidem deſunt. ſed mehercule à ceteris oblectationibus deſeror [7] ut voluptatum, propter Rempublicam, ſic litteris ſuſtentor & recreor; maloque in illa tua ſedecula, quam habes ſub imagine Ariſtotelis, ſedere, quàm in iſtorum *ſella curuli*; tecumque apud te ambulare, quàm cum eo, quocum video eſſe ambulandum. Sed de illa ambulatione fors viderit; [8] aut ſi qui eſt, qui curet deus. Noſtram ambulationem, & Laconicum, eaque, [9] quæ Cyrea ſint, velim, cùm poteris, inviſas; & urgeas Philotimum, ut properet; ut poſſim tibi aliquid in eo genere reſpondere. Pompejus in Cumanum Parilibus venit: miſit ad me ſtatim, qui ſalutem nuntiaret. ad eum poſtridie manè vadebam, cùm hæc ſcripſi.

11 CICERO ATTICO S.

DELECTARUNT me epiſtolæ tuæ: quas accepi uno tempore duas [10] ante diem II. Kal. perge reliqua. geſtio ſcire iſta omnia. etiam illud cujuſmodi ſit, velim perſpicias: potes à Demetrio: dixit Pompejus, Craſſum à ſe in Albano exſpectari ante Diem IV. Kal. is cùm veniſſet, Romam eſſe ſtatim venturos, ut rationes cum Publicanis putarent. quæſivi, gladiatoribuſne? reſpondit, ante quàm inducerentur. id cujuſmodi ſit, aut nunc, ſi ſcias, aut cùm is Romam venerit, ad me mittas velim. Nos hic voramus litteras cum homine mirifico (ita mehercule ſentio) Dionyſio, qui te omneſque vos ſalutat. οὐδὲν γλυκύτερον, ἢ πάντ᾽ εἰδέναι. quare, ut homini curioſo, ita perſcribe ad me, quid primus dies, quid ſecundus, quid Cenſores, quid Appius, quid illa populi Apuleia. denique, etiam quid à te fiat, ad me velim ſcribas. non enim (ut verè loquamur) tam rebus novis, quàm tuis litteris, delector. Ego mecum, præter Dionyſium, duxi neminem: nec metuo tamen, [11] ne mihi ſermo deſit abs te; opere delector. Tu Lucceio noſtrum librum dabis. Demetrii Magnetis tibi mitto; ſtatim ut ſit, qui à te mihi epiſtolam referat.

CICERO ATTICO, S. 12

EGNATIUS Romæ eſt. ſed ego cum eo de re Halimeti vehementer [12] Antii egi. graviter ſe actorum cum Aquilo confirmavit. videbis ergo hominem, ſi voles. [13] Macroni vix videor præſto: eſſe enim Idibus auctionem Larini video, & biduum præterea. id tu, quoniam Macronem tanti facis, ignoſcas mi, velim. Sed, ſi me diligis, poſtridie Kalend. cena apud me [14] cum Pilia. prorſus id [15] facies. Kalend. cogito in hortis Craſſipedis, quaſi *in diverſorio*, cenare. facio fraudem s. c. inde domum cenatus, ut ſim manè præſto Miloni. ibi te igitur videbo, [16] & promonebo. Domus te noſtra tota ſalutat.

CICERO ATTICO, S. 13

NOs in Tuſculanum veniſſe A. D. XVII. Kal. Decemb. video te ſcire. ibi Dionyſius nobis præſto fuit. Romæ A. D. XIIX. Kalend. [17] volumus eſſe: quid dico, volumus? immo verò cogimur. Milonis nuptiæ; comitiorum non nulla opinio eſt. [18] ego, ut ſit rata, *abſuiſſe* me in altercationibus, quas in Senatu factas audio, fero non moleſtè. nam aut defendiſſem, quod non placeret; aut defuiſſem, cui non oporteret. ſed mehercule velim, res iſtas, & præſentem ſtatum Reip. & quo animo Conſules ferant [19] hunc σκυλμὸν, reſcribas ad me, [20] quantum poteſt. valde ſum ὀξύπεινος: &, ſi quæris, omnia mihi ſunt *ſuſpecta*. Craſſum quidem noſtrum minore dignitate ajunt profectum paludatum, quàm olim æqualem ejus L. Paullum, iterum Conſulem. ô hominem nequam! De libris

1. *Suaviſſimè hercule effuſus.*] Boſius ex mſſ. ſuis ſic edidit. Victorius legebat, *ſuavis mehercule & effuſus*, quæ eſt vulgata lectio. antea legebatur, *ſuaviſſimè hercule & effuſus*. Boſii lectionem ex Tornæſ. confirmat Lambinus, (Victorianam tamen non improbat) ut etiam mſſ. duo Palatini, teſte Junio.

2. *In Cumanum à ſe nihil minus velle.*] Perſpicue erat in Decurtato, *à ſe*, ut conjecerat Manutius ex Beſſarionis & Ferri mſſ. in quorum priori legebatur, *à ſi*, in poſteriori *ac ſi*.

3. *Haveret.*] Boſius ex Scidis, vulg. *haberet*. Manutius legit, *tecum haberes*.

4. *Lætum.*] Manutio placeret *Pætum*: ut ſit *Papirius Pætus*, de quo ep. ad famil. l. 9.

5. *Puteolis eſt rumor.*] Hoc eſt principium epiſtolæ in Decurtato, quod tamen cum ſuperiori epiſtola conjungit vulgata editio. Boſio Junius aſſentitur alterius epiſtolæ principium eſſe.

6. *Fortaſſe tu putabas his rebus Puteolanis.*] Placet Urſino ut legatur, *oſtreis*, pro *his rebus*; itaque recte ſcriptum aſſerit in antiquis libris, *ne iſta quidem deſunt*. &, *propterea*, pro, *propter rempublicam*.

7. *Ut voluptatum.*] In Scidis, Tornæſiano, & Cruſellino, conſtanter exaratum aſſerit Boſius, *& voluptatum*, quod etiam in ſuis mſſ. ita legi jam pridem teſtatus eſt, Victorius, cui ſuſpectus eſt hic locus: mutavit autem, *&*, in, *ut*, Boſius, cui reſpondet ſequens particula, *ſic*.

8. *Aut ſi qui eſt.*] Vulg. *ſi quis eſt*.

9. *Quæ Cyrea ſint.*] Ita repoſuit Victorius: antea legebatur, *quæ circa ſint*.

10. *Ante diem II. Kal.*] Ingenioſè & rectè Manutius, *ante diem II. Kal.* quam lectionem omnibus literis perſcriptam reperit in Decurtato Boſius, antea legebatur *V. Kal.* quod etiam in omnibus mſſ. quos vidit, ita legi aſſerit Manutius.

11. *Ne mihi ſermo deſit abs te: opere delector.*] Ita legi in Tornæſiano, teſtatur Lambinus, ſed verba hæc, *quo magno*, omiſſa à librario putat, Victorium autem qui teſtimoniis aliquot Livii nixus, volebat, *opere*, eſſe adverbium, refellit, docetque vitioſè, *opere* ſcriptum eſſe ſine diphthongo. Boſianam lectionem retinet Junius.

12. *Antii egi.*] Vulg. *ante egi*.

13. *Macroni vix videor præſto: eſſe enim Idibus auctionem Larini video.*] Victorius melioris notæ librum ſic habere teſtatur, *Macroni vix videor præſto eſſe, enim auctionem Larini video, & iduum præterea*: quod corruptum fatetur, ſicut & illud quod edidit, *Macroni vix videor præſto eſſe; enim auctionem Larini video & biduum præterea.* Boſius autem aliter diſtinxit, & vocem *Idibus*, quæ in Victorianis nuſquam apparebat, ex veteribus ſuis reſtituit. Vulg. *Macroni vix videor præſto eſſe. Idibus enim auctionem, &c.*

14. *Cum Pilia.*] Vulg. *cum Petilia*.

15. *Facies.*] Vulg. *Facias*.

16. *Et promonebo.*] Quod erat in Scidis & Tornæſiano Boſius edidit, ut etiam legendum prius cenſuerat Manutius. Malaſp. vult legi *præmonebo*, Lambino teſte, cui placet magis lectio quæ in uno codice mſ. reperitur, ea autem talis eſt, *& pervidebo*. Boſii lectionem confirmat Junius.

17. *A. D. XVII. volumus eſſe.*] Vulg. *ad XIV. Kal. volumus eſſe*.

18. *Ego, ut ſit rata, affuiſſe me, &c.*] Depravate Tornæſ. & Cruſellin. & Huraltinus, *ergo & ſi irata*, quod ita plane legi in ſuis mſſ. teſtatur Victorius. Emendavit ex Decurtato Boſius, *ego, ut ſit rata*, cui lectioni aſſentitur Lamb. præter quam pro *ego*, legit *ergo*.

19. *Hunc σκυλμόν.*] Victorio debetur hæc ex antiquo ſuo reſtitutio. prius legebatur, *hunc ὄχλον*.

20. *Quantum poteſt valde ſum ὀξύπεινος.*] Planè exaratum erat in Decurtato quomodo edidit Boſius, *pot' eſt*, Aliter autem legit & diſtinguit vulgus, *quantum potes & vales. Sum ὀξύπεινος*.

I. Tu-

libris oratoriis factum eſt à me diligenter. diu multumque in manibus fuerunt; deſcribas licet. Illud etiam te rogo τῶν παρ᾽ ὑσιαν καταςασιν [1] τυπωδῶς : ne iſtuc hoſpes veniam.

14 CICERO ATTICO, S.

VEſtorius noſter me per litteras [2] fecit certiorem, te Roma A. D. VI. Idib. Mai. putare profectum eſſe, [3] tardius, quàm dixerat, quòd minùs valuiſſes. ſi jam meliùs vales, vehementer gaudeo. Velim, domum [4] ad te ſcribas, ut mihi tui libri pateant, non ſecus, ac ſi ipſe adeſſes, cùm ceteri, tum Varronis. eſt enim mihi utendum quibuſdam rebus ex iis libris ad eos, quos in manibus habeo: quos, ut ſpero, tibi valde probabo. Tu velim, ſi quid fortè novi habes, maximè à Quinto fratre, deinde à C. Cæſare, & ſi quid fortè de comitiis, de Repub. (ſoles enim tu hæc [5] *feſtinè odorari*) ſcribas ad me. ſi nil habebis, tamen [6] ſcribas aliquid. numquam enim mihi tua epiſtola aut intempeſtiva, aut loquax viſa eſt. maximè autem rogo, rebus tuis, totoque itinere ex ſententia confecto, nos quamprimum reviſas. Dionyſium jube ſalvere. Cura, ut valeas.

15 CICERO ATTICO, S.

DE Eutychide gratum; qui vetere prænomine, novo nomine T. erit Cæcilius; ut eſt ex me, & ex te junctus Dionyſius, M. Pomponius. valde mehercule mihi gratum, ſi Eutychides tuam erga me benivolentiam cognoſcet, [7] & ſuam illam in meo dolore συμπάθειαν neque tum mihi obſcuram, neque poſt ingratam fuiſſe. Iter Aſiaticum tuum puto tibi ſuſcipiendum fuiſſe. numquam enim tu ſine *juſtiſſima cauſa* tam longè à tot tuis & hominibus, & rebus cariſſimis, & ſuaviſſimis, abeſſe voluiſſes; [8] ſed humanitatem tuam, amoremque in tuos reditus celeritas declarabit. [9] ſed vereor, ne lepôre te ſuo detineat diutiùs rhetor Clodius, & homo pereruditus, ut ajunt, & nunc quidem deditus Græcis litteris [10] Pituanios. ſed, ſi vis homo eſſe, recipe te ad nos ad quod tempus confirmaſti. cum illis tamen, cùm ſalvi venerint, Romæ vivere licebit. [11] Havere te ſcribis, accipere aliquid à me litterarum; dedi, ac multis quidem de rebus, ἡμερολεγδὸν perſcripta omnia: ſed, ut conjicio, quoniam mihi non videris in Epiro diu fuiſſe, redditas tibi non arbitror. genus autem mearum, [13] ad te quidem, litterarum ejuſmodi ferè eſt, ut non libeat cuiquam dare, niſi de quo exploratum ſit, tibi eum redditurum. Nunc Romanas res accipe, A. D. III. Non. Quint. Sufenas & Cato abſoluti: [14] Procilius condemnatus. ex quo intellectum eſt, [15] τρισαρειοπαγίτας ambitum, comitia, interregnum, majeſtatem, totam denique Remp. flocci non facere. [16] debemus patrem familias *domi ſuæ* occidere nolle; neque tamen id ipſum abundè. nam abſolverunt XXII. condemnarunt XXIIX. Publius ſanè diſerto epilogo criminans, mentes judicum moverat. Hortalus in ea cauſa fuit, cujuſmodi ſolet. nos verbum nullum. [17] verita eſt enim puſilla, quæ nunc laborat, ne animi in in Publio offenderer. His rebus actis, [18] Reatini me ad ſua τέμπη duxerunt, ut agerem cauſam contra Interamnateis apud Conſulem, & decem legatos; quòd lacus Velinus, [19] à M. Curio emiſſus, interciſo monte, in Nar defluit: ex quo eſt illa ſiccata, & humida, tamen modicè [20] Roſia. Vixi cum Axio [21] quin etiam me ad Septem aquas duxit. Redii Romam Fonteii cauſa [22] A. D. VII. Idus Quint. veni in ſpectaculum; primùm, magno & æquabili plauſu: (ſed hoc ne curaris; ego ineptus, qui ſcripſerim) deinde, Antiphonti operam. is erat ante manumiſſus, quam productus. ne diutiùs pendeas, palmam tulit. ſed nihil tam puſillum, nihil tam ſine voce, [23] nihil tam. verùm hæc tu tecum habeto. in Andromacha tamen major fuit [24] quam Aſtya. nam in ceteris partem habuit neminem. quæris nunc de Arbuſcula: valde placuit. Ludi magnifici & grati. Venatio in aliud tempus dilata. Sequere nunc me in campum. ardet ambitus: σῆμα δέ τοι ἐρέω. fœnus ex triente Idibus Quint. factum erat beſſibus. dices, iſtuc quidem non moleſtè fero. ô virum, ô civem. Memmium Cæſaris omnes

---

1. Τυπωδῶς.] Vulg. τύπῳ δός.

2. *Fecit.*] Vulg. *Facit.*

3. *Tardius quam dixerat.*] *Dixeras*, quod corrigit Faërnus legendum videtur Urſino.

4. *Ad te ſcribas.*] Sic Lambino teſte legitur in Tornæſiano, quod ex mſſ. Palat. ſequitur Junius. Vulg. *ad tuos ſcribas.*

5. *Feſtinè odorari.*] Victorius teſtatur mſſ. libros legere *feſtivè*: quod etiam Germani in margine ſui codicis adnotarunt.

6. *Scribas ad me.*] Vulg. *conſcribas.*

7. *Et ſuam illam.*] Expreſſit Boſius ſcripturam Decurtati, *& ſuam illam.* Malaſpina legit, *etiam ſuam illam*, ſed ex conjectura. vox illa, *&*, deeſt in vulgg.

8. *Sed humanitatem tuam.*] Junius, vocem illam, *ſed*, quam ab oſcitante librario ſcriptam eſſe dicit, delendam cenſet.

9. *Sed vereor, ne lepore te ſuo detineat diutiùs, rhetor Clodius, & homo pereruditus, ut ajunt.*] Addidit Boſius ex fide Decurtati pronomen, *te*, poſt vocem *lepore*. & pro *Prætor Clodius*, repoſuit, *rhetor Clodius*. vulg. ſic legitur: *ſed vereor ne lepore ſuo detineat diutius Pr. Clodius & homo pereruditus ut ajunt.*,

10. *Pituanios.*] Boſius hoc vocabulum corruptum fatetur; ſed ex mſſ. ſic edidit: di inat interim, *D Turanius*. Manutius depravatam dictionem, unius literæ mutatione ſe correxiſſe dicit, legitque *Pituanius*, cui aſſentitur Junius.

11. *Havere.*] Vulg. *avere.*

12. Ἡμερολεγδόν.] Victorio ex antiquiori ſuo debetur hæc reſtitutio: prius legebatur, ἡμερολιγεῖον.

13. *Ad te quidem litterarum.*] *Quidem* deeſt in Vulg.

14. *Procilius condemnatus.*] Vindicat ſibi hujus loci emendationem Urſinus; cum enim *Porcilius* antea legeretur, Manutium ait a ſe admonitum, *Procilius*, repoſuiſſe; cum tamen antea ſic edendum curaſſet Victorius, qui teſtatur in mſſ. legi *Procilius commendatur.*

15. Τρισαρειοπαγίτας.] Vulg. tres ἀρεοπαγίτας.

16. *Debemus.*] Malaſpina abfuiſſe ſcribit a quibuſdam ſuis verbum hoc, *debemus*; Boſius contra in omnibus ſuis id exaratum repperit, nec abeſſe poſſe aſſerit ſine magno ſententiæ incommodo.

17. *Verita eſt enim puſilla, quæ nunc laborat.*] Locum hunc à mendis quibus ſcatebat, vindicavit Boſius. Tornæſ. Huralt. & Cruſell. ſic habebant, *veritas eſt enim puſilla ne animum Publio offenderet*: eademque ferè erat lectio Decurtati, extra quam, quod pro, *animum Publio*; edebat, *animi in Publio*, atque ita excudendum curavit: id præterea mutavit, quod pro, *veritas*, repoſuit, *verita.* & pro, *offenderet*, *offenderer*; ut totus locus ita concipiatur, *verita eſt enim puſilla, nunc laborat, ne animi in Publio offenderer.* Manutius in hoc verborum ambitu, mendum latere videns, ſic reſtituere conatus eſt, *verita eſt enim filia, quæ nunc laborat, ne animum Publii offenderem*: vel, *ne animus Publii offenderetur.* Junius ex mſſ. Palat. vulgatam lectionem quæ ſic ſe habet, *veritas eſt enim puſilla; quæ nunc laborat, ne animum Publii offenderet*, prorſus ſequitur, una littera mutata legendo, *offenderit* pro *offenderet.*

18. *Reatini me ad ſua τέμπη.*] Victorius emendaverat *Reatini me ad ſua τέμπη*, cùm prius legeretur, *Eratini me ad ſua tempora.*

19. *A. M.' Curio.*] Sic legendum auctore Manutio, non vero *à M. Curio.*

20. *Roſia.*] Sic in duobus antiquis libris Cavalcantis & Beſſar. Eſt tamen cur aliquid deſideret Manutius, cui placeret tale quippiam, *ex quo eſt illa quidem ſiccata, ſed humida tamen modicè Roſea*: vulgò, etiam legitur, *Roſea.*

21. *Quinetiam.*] Vulg. *Qui etiam.*

22. *A. D. VII. Id. Quinct. veni in ſpectaculum.*] Alia eſt lectio & diſtinctio vulgi, ad VII. *Id. Quinct. veni. Spectaculum primum, &c.*

23. *Nihil tam. Verum hæc tu tecum habeto.*] Sic habent omnes libri mſſ. Lambino teſte, neque etiam Manutius improbat. ſed Malaſp. non placet; qui ſuſpicatur legendum, *nihil tam vietum.* Boſii lectionem ſequitur Junius. ſed aliter diſtinguit vulgus, *nihil tam verum. Hæc tu tecum habeto.*

24. *Quam Aſtya. nam in ceteris*] Omnes ad unum Boſii mſſ. *quam Aſtyanam*, unde diſtinxit illa duo vocabula quæ in unum coaluerant: Victorius etiam teſtatur in ſuo vetere codice legi *Aſtianam*; unde legendum conjecit *Aſtyanax*; quidam libri legunt, *quàm Aſtyanacte.* nam in ceteris Faërnus delet *nam.*

1. Ἐξο-

omnes opes confirmant. cum eo Domitium Conſulem junxerunt; qua pactione, epiſtolæ committere non audeo. Pompejus fremit, queritur, Scauro ſtudet: ſed utrum *fronte, an mente,* dubitatur. [1] ἐξοχὴ in nullo eſt. pecunia omnium dignitatem exæquat. Meſſalla languet: [2] non quo aut animus deſit, aut amici: ſed coitio Conſulum, & Pompejus obſunt. [3] ea comitia, puto fore, ut ducantur. Tribunitii candidati jurarunt ſe arbitrio Catonis petituros. apud eum HS quingena *depoſuerunt*; ut, qui à Catone damnatus eſſet, id perderet, & competitoribus tribueretur. hæc ego pridie ſcribebam, quam comitia fore putabantur. ſed ad te v. Kal. Sext. ſi facta erunt, & tabellarius non erit profectus, tota comitia perſcribam: quæ ſi, ut putantur, gratuita fuerint; plus unus Cato potuerit, quàm omnes quidem judices. Meſſius defendebatur à nobis, è legatione revocatus. nam eum [4] Cæſari legarat Appius. Servilius edixit, ut adeſſet. tribus habet [5] Pomtinam, Velinam [6] Mæciam. pugnatur acriter: agitur tamen ſatis. deinde me expedio ad Druſum, inde ad Scaurum. parantur orationibus [7] indices glorioſi. fortaſſe accedent etiam Conſules deſignati: in quibus ſi Scaurus non fuerit, in hoc judicio valde laborabit. Ex Quinti fratris litteris ſuſpicor jam eum eſſe in Britannia. ſuſpenſo animo exſpecto, quid agat. illud quidem ſumus adepti, quod multis & magnis indiciis poſſumus judicare, nos Cæſari & cariſſimos, & jucundiſſimos eſſe. Dionyſium velim ſalvere jubeas, & eum roges & hortere, ut quamprimum veniat, ut poſſit Ciceronem meum, atque etiam me ipſum, erudire.

16 CICERO ATTICO, S.

OCCUPATIONUM mearum vel hoc ſignum erit, quòd epiſtola librarii manu eſt. De epiſtolarum frequentia te [8] nihil accuſo. ſed [9] pleræque tantummodo mihi nuntiabant, ubi eſſes, quòd erant abs te: vel etiam ſignificabant rectè eſſe: quo in genere maximè delectarunt duæ ferè eodem tempore abs te Buthroto datæ. ſcire enim volebam, te commodè navigaſſe. ſed hæc epiſtolarum frequentia non tam ubertate ſua, quam celeritate delectavit. illa fuit gravis, & plena rerum, quam mihi M. Paccius, hoſpes tuus, reddidit. ad eam reſcribam igitur, & hoc quidem primum? [10] Paccio re & verbis oſtendi, quid tua commendatio ponderis haberet. itaque *in intimis* eſt meis, cum antea notus non fuiſſet. nunc pergam ad cetera. Varro, de quo ad me ſcribis, includetur in aliquem locum, ſi modò erit locus. ſed noſti genus dialogorum meorum: ut in oratoriis, quos tu in cælum fers [11] non mentio potuit fieri cujuſquam ab iis, qui diſputant, niſi ejus, qui illis notus, aut auditus eſſet. hanc ego de Rep. quam inſtitui, diſputationem in Africani perſonam, & Phili, & Lælii, & Manilii contuli. adjunxi [12] adoleſcenteis, Q. Tuberonem, P. Rutilium, duo Lælii generos, Scævolam, & Fannium. itaque cogitabam, quoniam in ſingulis libris utor procœmiis, ut Ἀριστοτέλης in iis, quos ἐξωτερικοὺς vocat, aliquid efficere, ut non ſine cauſa iſtum appellarem: id quod intelligo tibi placere utinam modò conata efficere poſſim. rem enim, quod te non fugit, magnam complexus ſum & gravem, & plurimi otii, quo ego maximè egeo. Quod in iis libris, quos laudas, perſonam deſideras Scævolæ: non eam temerè dimovi. ſed feci idem, quòd in πολιτείᾳ deus ille noſter Plato cùm in Piræeum Socrates veniſſet ad Cephalum, locupletem & feſtivum ſenem; quoad primus ille ſermo haberetur, adeſt in diſputando ſenex: deinde cùm ipſe quoque commodiſſimè locutus eſſet, ad rem divinam dicit ſe velle diſcedere; neque poſtea revertitur. credo Platonem vix putaſſe ſatis conſonum forè, ſi hominem id ætatis in tam longo ſermone *diutiùs retinuiſſet.* multo ego ſatius hoc mihi cavendum putavi in Scævola; qui & ætate, & valitudine erat ea, qua eſſe meminiſti; & iis honoribus, ut vix ſatis decorum videretur, eum plureis dies eſſe in Craſſi Tuſculano: & erat primi libri ſermo non alienus à Scævolæ ſtudiis. reliqui libri τεχνολογίαν habent, ut ſcis. [13] huic joculatorem ſenem illum, ut noras, intereſſe ſanè nolui. De re filiæ, quod ſcribis, erit mihi curæ. [14] etenim eſt luculenta res, Aureliani, ut ſcribis, indiciis: & in eo me etiam Tulliæ meæ venditabo. Veſtorio non deſum. gratum enim tibi id eſſe intelligo: &, ut ille intelligat, curo. ſed ſcis, qui? cùm habeat [15] duo faciles, nihil difficilius. Nunc ad ea, quæ quæris de C. Catone, Lege Junia, & Licinia ſcis abſolutum. [16] Fufia ego tibi nuntio abſolutum iri; neque patronis ſuis tam libentibus, quàm accuſatoribus. is tamen & mecum, & cum Milone in gratiam rediit. Druſus reus eſt factus à Lucretio: judicibus rejiciendis [17] A. D. Non. Quint. [18] De Procilio rumores non boni: ſed judicia noſti. Hirrus cum Domitio in gratia eſt. S. C. quod hic Conſules de provinciis fecerunt, QUICUNQUE POSTHAC [19] non mî hili, ut qui jam intelligebamus enuntiationem illam Memmii valde Cæſari diſplicere. Meſſalla noſter, & ejus Domitius competitor liberalis in populo valde fuit. [20] nihil gratius. certi erant Conſules. ac Senatus decrevit, ut tacitum judicium ante comitia fieret. ab iis conſiliis, quæ erant omnibus ſortita in ſingulos candidatos, magnus timor candidatorum. ſed quidam judices, in his [21] Opimius VEIE. TRO.

---

1. *Ἐξοχὴ in nullo eſt.*] Vulg. *ἐξοχὴ nulla eſt.*

2. *Non quo aut animus deſit, aut amici.*] Victorio hujus loci emendatio debetur, cujus in vetere mſ. exaratum erat, *non quo animus deſit, aut amicis.* antea legebatur, *non quo animus deſit aut amicis careat:* quod ultimum vocabulum in mſſ. exſtare negat.

3. *Ea comitia, puto fore, ut ducantur, Tribunitii candidati.*] Hæc eſt lectio & diſtinctio Victorii, præterquam quod pro, *ea*, legit, *ſed.* antea legebatur, *ex comitiatis puto fore ut ducantur Tribunitii.* Beſſarionis liber, *Pompejus abſens eſt è comitiis.*

4. *Cæſari legarat Appius.*] Victorii antiquus, *legerat*, non *legarat*: quod etiam Germani adnotarant in margine ſui libri.

5. *Pomptinam.*] Vulg. *Pontinam.*

6. *Meciam,*] Vulg. *Meciam.*

7. *Indices glorioſi.*] Vulg. *judices glorioſi.*

8. *Nihil accuſo.*] Vulg. *accuſabo.*

9. *Pleræque tantummodo mihi nuntiabant, ubi eſſes.*] Beſſarionis liber, *plerique tantummodo, mihi nuntiabant ubi eſſet.*

10. *Paccio re & verbis oſtendi.*] Vulg. *Paccio & verbis & re oſtendi.*

11. *Non mentio potuit fieri.*] Vulg. *non potuit mentio fieri.*

12. *Adoleſcentis.*] Vulg. *adoleſcentes.*

13. *Huic joculatorem ſenem illum, ut noras, intereſſe ſane nolui.*] Victorius legit, *huic joculatoriæ diſputationi ſenem illum, ut noras, intereſſe, &c.* quæ etiam eſt vulgata lectio. Dictio autem hæc *diſputationi*, à tribus antiquis libris, Beſſarionis, Cavalcantis, Ferri abeſt, ut etiam à codicibus Memmianis & Tornæſiano, abſque iis quos habuit Malaſpina, Lambino teſte; qui tamen vocem hanc, *diſputationi*, retinendam, *joculatoriæ* verò tollendam cenſet. Victorii lectionem probat Junius quam uno conſenſu mſſ. Palatinos retinere dicit.

14. *Etenim eſt luculenta res, Aureliani ut ſcribis indiciis.*] Sic habent Beſſarionis & Ferri libri, quod etiam non improbatur Lambino, qui tamen legit *indicis*: Vulg. *etenim eſt luculenta res Aureliani ut ſcribis judicis.*

15. *Duo faciles.*] Junius legendum putat *deos faciles*; vulg. *duos faciles.*

16. *Fufia.*] Vulg. *Fuſia.*

17. *A. D. Nonas.*] Vulg. *ad V. Nonas.*

18. *De Procilio.*] Veteres ſuos codd. ſequutus Boſius, *de Procilio* excudendum curavit, quod etiam placuit Manutio. vulgatæ editiones, & in iis Victoriana, *de Prælio.*

19. *Non mi hili.*] Codices Tornæſianus & Cruſellinus, *non mihi, ut qui*, unde conjecit Boſius, *non mi hili, ut qui, &c.* Beſſar. & Cavalc. libros, *non mihi, ut quod*, habere teſtatur Manutius, qui mendum latere agnoſcens, ſic conatur reſtituere, *SC. quid hic Conſules de provinciis fecerunt, Quicumque poſthac, non nihil Pompejo jam intelligebamus, &c.* vulg. pro, *non mi hili, notum tibi.*

20. *Nihil gratius. certi erant Conſules. Senatus decrevit.*] Aliter, legit & diſtinguit Junius ex mſſ. Pall. *nihil gratius certè erat* Coſs. *ac Senatui. Senatus decrevit.*

21. *Opimius VEIE. TRO. Antius Tribunos pleb. appellarunt.*] Locum hunc depravatum emendavit Boſius, Exemplar Tornæſianum,

num,

TRO. Antius, Tribunos pl. appellarunt [1] ne injuſſu populi judicarent. res cedit. comitia dilata ex s. c. dum lex de tacito judicio ferretur. venit legi dies: Terentius interceſſit. Conſules, qui illud *levi brachio* egiſſent, rem ad Senatum detulerunt. hîc Abdera, non tacente me. dices, tamen tu non quieſcis? ignoſce, vix poſſum. verumtamen quid tam ridiculum? Senatus decreverat, ne priùs comitia haberentur, quàm lex lata eſſet: ſi qui interceſſiſſet, res integra referretur. cœpta ferri leviter: interceſſum non invitis: res ad Senatum: de ea re ita cenſuerunt: comitia primo quoque tempore [2] haberi eſſe è re. Scaurus, qui erat paucis diebus illis abſolutus, cùm ego patrem ejus ornatiſſimè defendiſſem, obnuntiationibus per Scævolam interpoſitis, ſingulis diebus uſque ad pridiè Kal. Octob. quo ego hæc die ſcripſi, ſublatis, populo tributim domi ſuæ ſatisfecerat. ſed tamen, [3] etſi uberior liberalitas hujus, *gratior* eſſe videbatur eorum, qui occuparant. Cuperem vultum videre tuum, cum hæc legeres. nam profecto [4] rem haves vinulam, hæc negotia multarum nundinarum fore. ſed Senatus hodie fuerat futurus, id eſt Kal. Octobribus. jam enim [5] luciſcit. ibi loquetur, præter Antium & Favonium, *liberè* nemo. nam Cato ægrotat. de me nihil timueris: ſed tamen promitto nihil. Quid quæris? aliud: judicia, credo. Druſus, Scaurus non feciſſe videntur. tres candidati fore rei putabantur, Domitius à Memmio, Meſſalla à Q. Pompejo Rufo, Scaurus à Triario, aut à L. Cæſare. quid poteris, inquies, pro iis dicere? ne vivam, ſi ſcio. in illis quidem tribus libris, [6] quos tu dilaudas, nihil reperio. [7] Nunc ut opimiorem habeas reum, ferendum eſt. quæris, ego me ut geſſerim? conſtanter & liberè. quid ille, inquies, ut ferebat? humaniter, meæque dignitatis, quoad mihi ſatisfactum eſſet, habendam ſibi rationem putabat. quo modo ergo abſolutus? [8] omnino γοργεῖα γυμνά: accuſatorum incredibilis *infantia*, id eſt L. Lentuli, L. F. quem fremunt omnes prævaricatum; deinde Pompeii mira contentio; judicum ſordes. attamen XXXII. condemnarunt, XXXIIX. abſolverunt. judicia reliqua impendent: non dum eſt planè expeditus. dices, tu ergo hæc quo modo fers? bellè me hercule, & in eo me valde amo. amiſimus, mi Pomponi, [9] omnem non modò ſuccum, ac ſanguinem, ſed etiam *colorem*, & ſpeciem priſtinam civitatis. nulla eſt Reſpublica, quæ delectet, in qua acquieſcam. id ne igitur, inquies, facilè fers? id ipſum. recordor enim, quam bella pauliſper, nobis gubernantibus, civitas fuerit: quæ mihi gratia relata ſit, nullus dolor me angit; *unum omnia poſſe*, [10] dirumpuntur ii, qui me aliquid poſſe doluerunt: multa mihi dant ſolatia: nec tamen ego de meo ſtatu demigro: quæque vita maximè eſt ad naturam, [11] ad eam me refero, & litteras, & ſtudia noſtra: dicendi laborem delectatione oratoria conſolor. domus me, & rura noſtra delectant. NON RECORDOR, unde ceciderim, ſed unde ſurrexerim, fratrem mecum, & te ſi habebo, per me iſta [12] pedibus trahantur. vobis ἐμφιλοσοφῆσαι poſſum. locus ille animi noſtri, ſtomachus ubi habitabat olim, concalluit. privata modò, & domeſtica nos delectant. miram ſecuritatem videbis: cujus plurimæ mehercule partes ſunt in tuo reditu. nemo enim in terris eſt mihi tam *conſentientibus ſenſibus*. Sed accipe alia. Res fluit ad interregnum; & eſt nonnullus odor Dictaturæ: ſermo quidem multus; qui etiam Gabinium apud timidos judices adjuvit. Candidati Conſulares omnes rei ambitus. accedit etiam Gabinius: quem P. Sulla, non dubitans [13] quin foris eſſet, poſtularat, contra dicente & nihil obtinente Torquato. ſed omnes abſolventur; nec poſthac quiſquam *damnabitur*, niſi qui hominem occiderit. hoc tamen agitur ſeverius. itaque [14] indicia calent. M. Fulvius Nobilior condemnatus eſt. multi alii urbani ne reſpondent quidem. Quid aliud novi? [15] & tamen, abſoluto Gabinio, ſtomachantes alii judices, hora poſt, Antiochum Gabinium, [16] neſcio quem è Sopolidis pictoribus, libertum, ac accenſum

num, *Vejentorantius*. Scidæ, *Veientroantius*, rectè, modo ita diſtinguatur, *Opimius VEIEN. TRO. Antius*. Lambinus, Octavii Pantagathi conjectura approbata, legit, *in his Opimius Vejent. Terentium tribunum pl.* In Cavalcantis libro *Vaetorancius*. Junius Boſium rectè præeuntem ſequitur: vulgò ſic: *Opimius Vejetor, Antius tribunum plebis appellarunt*.

1. *Ne injuſſu populi judicarent. res cedit. comitia dilata.*] Boſius improbans lectionem Manut. *res ad Senatum*, quod nimis diſcreparet a veteri ſcriptura, *reſcidit*, potiorem hanc duxit, *res cedit*, quæ reperitur integra, & ſine ulla varietate in codice Antoniano, Lambino teſte; qui Manutii conjectura nihil putat fingi probabilius. Junius ex conjectura, *res ſidit*, vel *ſedit*. vulg. *ne injuſſu populi judicarent; reſcidit comitia dilata, &c.*

2. *Haberi eſſe è re.*] Libri formis impreſſi, *haberi cenſere*: prorſus ineptè: hæc enim non cohærent, *cenſuerunt comitia cenſere*. in Decurtato erat, *haberi ceſſere*, unde corexit Boſius, *haberi eſſe è re*.

3. *Etſi uberior liberalitas hujus, gratior eſſe videbatur eorum qui occuparant.*] Auxilio antiquorum librorum hunc locum fœdè inquinatam purgavit Victorius. antea legebatur, *liberalitatis hujuſce ratio*.

4. *Rem haves vinulam.*] Boſii omnes mſſ. habebant, *nullam*, præter Decurtatum in quo erat, *ut nullam*, unde Boſius conjecit *vinulam*. Junius mſſ. Palat. fidem ſequutus legit, *rem habes nullam*. vulg. *rem non habes nullam*.

5. *Luciſcit.*] Hunc etiam locum antiquiori ſuo adjutus reſtituit Victorius, in illo legebatur, *jam enim luciſci tibi loquetur*, addendo autem litteram, verbo *ulciſci*, detractam à ſequenti dictione, & interpungendo perſpicuus fit ſenſus. antea legebatur, *jam enim tibi luciſci loqueretur*: vulgò *luceſſit*.

6. *Quos tu dilaudas.*] Sic emendavit Victorius. Libri mſſ. Lambino teſte, cui hæc emendatio probatur, habent, *quos ſtudio laudas*. unde Pithœus vult ſcribi, *quos tu adeo laudas*. Junius ex mſſ. Palat. *quos ſtudio laudas*.

7. *Nunc ut opimiorem habeas reum, ferendum eſt.*] Totum hunc locum, ab his verbis, *nunc ut opimiorem, &c.* uſque ad illa verba *Paccianæ epiſtolæ reſpondi*; qui in vulgata editione in ſequentem epiſtolam rejectus eſt, hîc adtexuit Boſius: quod Manutius, Malaſpina, Lambinus ante viderant, Junius etiam ex mſſ. Palat. confirmat. Ceterum hæc eſt Boſii conjectura, cujus omnes mſſ. habent, *nunc ut opinionem habeas rerum*, quam lectionem Junius ex mſſ. Pal. amplectitur. vulg. *Nunc de Gabinio habe abſoluto. Verùm ferendum eſt.*

8. *Omnino* γοργεῖα γυμνά] Erat in mſ. Tornæſ. ΠΟΡΠΑ ΠΥΜΝΑ: in Decurt. ΠΟΡΓΙΑ ΠΥΜΝΑ, inde conjecit ΓΟΡΓΕΙΑ ΓΥΜΝΑ Boſius. ex perturbatis litteris emendaverat Manut. πρόῤῥα πρύμνα, quod valet *totum*. Erricus Steph. quaſi propius accedens ad ſcripturam antiquam legendum πρόπρυμνα, *id eſt, prorſus ſeu omnino*, & vocem *omnino*, ut ex interpretatione natam delendam putabat. Olim Lambino, lectione Stephani non improbata, placebat Manutii emendatio; ſed poſtea Boſii conjecturam tanquam genuinam amplexus eſt, omnibuſque anteponendam duxit. vulg. *omnino* ΠΟΡΠΑ ΠΥΜΝΑ. Claud. Dauſqueius, adſpecto penſiculatius verbo Græco, & illo *prævaricatum*, ac totius corpore ſententiæ perſpecto, reſtituebat ΠΕΡΠΕΡΕΥΜΑ, ac ſi dicat, *peccatum largiter*. Lentulum fremunt omnes prævaricatum. uſurpat id vocis Tullius libro 1. Epiſtola 2. ἐνεπερπερευσάμην, & alibi.

9. *Omnem non modo ſuccum.*] Ex ſcidis & Tornæſiano Boſius edidit *omnem non modo*, non ut in vulg. *non omnem modo*.

10. *Dirumpuntur.*] Vulg. *diſrumpuntur*.

11. *Ad eam me refero & litteras.*] Lambinus legendum cenſet, *ad eam me refero, ad litteras, &c.*

12. *Pedibus trahantur.*] Faërnus legit, *trahuntor*, vulg. *trahuntur*. Gulielmius legebat *iſti*, pro *iſta*.

13. *Quin foris eſſet.*] *Fortis*, habet Urſini liber.

14. *Indicia calent.*] Vulg. *judicia calent*.

15. *Et tamen abſoluto.*] Muretus legit, *eſt tamen*.

16. *Neſcio quem è Sopolidis pictoribus.*] Litteræ R. & S. adeo ambigua forma expreſſæ ſunt in codice Tornæſiano, ut vix alteram ab altera internoſcas, incertumque ſit *Sopolidis*, an *ropolidis* exaratum ſit. qua re olim inductus Boſius putavit legendum eſſe, *è rhopopolidis pictoribus*, auctorque fuit Lambino ut ita corrigeret: verum poſtea nactus codicem Decurtatum, ubi diſertim ſcriptum eſt *Sopolidis*, errorem ſuum agnovit itaque nunc edidit, *è Sopolidis pictoribus*, ut planè eſt in Decurt. & Tornæſiano, niſi quod ab hoc abeſt præpoſitio, *è*. vulgò legitur, *neſcio quem ſolidis pectoribus*.

1. *Reus*

ſum Gabinii, lege Papia condemnarunt. itaque dixit ſtatim [1] reus P. lege Majeſtatis [2] ού σ' οἰδ' Ἄρης ἅμα Παφίῃ? [3] Pomtinus vult A. D. IV. Non. Novemb. triumphare. huic obviam Cato, & Servilius Prætores apertè, & Q. Mucius Tribunus; negant enim latum de imperio: & eſt latum hercule inſulsè. ſed erit cum Pomtino Appius Conſul. Cato tamen affirmat, ſe vivo [4] illum non triumphare. id ego puto, ut multa ejuſdem, ad nihil recaſurum. Appius ſine lege, ſuo ſumtu, in Ciliciam cogitat. Paccianæ epiſtolæ reſpondi: cognoſce cetera. Ex fratris litteris incredibilia quædam de Cæſaris in me amore cognovi: eaque ſunt ipſius Cæſaris uberrimis litteris confirmata. Britannici belli exitus exſpectatur. conſtat enim aditus inſulæ eſſe [5] munitos mirificis molibus. etiam illud jam cognitum eſt, neque *argenti* [6] ſcripulum eſſe ullum in illa inſula, neque ullam ſpem prædæ, niſi ex mancipiis: ex quibus nullos puto te litteris, aut muſicis, *eruditos* exſpectare. Paullus in medio foro baſilicam jam pænè texuit iiſdem antiquis columnis: illam autem, quam locavit, facit magnificentiſſimam. quid quæris? nihil gratius illo monumento, nihil glorioſius. itaque Cæſaris amici (me dico & Oppium: dirumparis licet) in monumentum illud, quod tu tollere laudibus ſolebas, [7] ut forum laxaremus, & uſque ad atrium Libertatis explicaremus, contemſimus ſexcenties H-S. cum privatis non poterat tranſigi minore pecunia. efficiemus rem glorioſiſſimam. nam in campo Martio ſepta [8] Tributis comitiis marmorea ſumus, & tecta facturi; eaque cingemus excelſa porticu; ut mille paſſuum conficiatur. ſimul adjungetur huic operi Villa etiam publica. Dices, quid mihi hoc monumentum proderit? [9] quid? celabo te res Romanas? non enim te puto de luſtro, quod jam deſperatum eſt, aut de judiciis, quæ lege Coctia fiant, quærere. Nunc te objurgari patere, ſi jure. ſcribis enim in epiſtola, quam [10] C. Decimius mihi reddidit, Buthroto datam, in Aſiam tibi eundum eſſe te arbitrari. mihi mehercule nihil videbatur eſſe, in quo tantulum intereſſet, utrum per *procuratores* ageres, an per te ipſum; [11] ut abis totiens, & tam longe abes. ſed hæc mallem, integra re, tecum egiſſe. profecto enim aliquid egiſſem. nunc reprimam ſuſceptam objurgationem. [12] utinam valeat ad celeritatem reditus tui. Ego ad te propterea minùs ſæpe ſcribo, quòd certum non habeo, ubi ſis, aut ubi futurus ſis. huic tamen neſcio cui, quòd videbatur is te viſurus eſſe, putavi dandas eſſe litteras, tu quoniam iturum te in Aſiam eſſe putas, ad quæ tempora te [13] exſpectemus, facias me certiorem velim, & de Eutychide quid egeris.

CICERO ATTICO, S. 17

O EXSPECTATAS mihi tuas litteras! ô gratum adventum! ô conſtantiam promiſſi, & fidem miram! ô navigationem amandam! quam mehercule ego valde timebam, recordans ſuperioris [14] tuæ tranſmiſſionis δέῤῥεις. ſed niſi fallor, citiùs te, quàm ſcribis, videbo. credo enim te putaſſe, tuas mulieres in Apulia eſſe: quod cùm ſecus erit, quid te Apulia moretur? nam Veſtorio dandi ſunt dies, & ille Latinus ἀττικισμὸς ex intervallo reguſtandus. Quin tu huc advolas, [15] & inviſis illius noſtræ Reip. germina? ne puta, vide, nummis ante comitia tributim uno loco diviſis, palam inde abſolutum Gabinium. detur eſſe valiturum. De Meſſalla quod quæris; quid ſcribam neſcio: [16] numquam ego vidi tam pares candidatos. Meſſallæ copias noſti. Scaurum Triarius reum fecit. ſi quæris, nulla eſt magnopere commota συμπάθεια. ſed tamen habet Ædilitas ejus *memoriam non ingratam*; & eſt pondus apud ruſticos [17] in *patris* memoria. reliqui duo plebeii ſic exæquantur, ut Domitius valeat amicis, adjuvetur tamen non gratiſſimo munere; Memmius Cæſaris commendetur militibus, Pompeii Gallia nitatur. quibus ſi non valuerit, putant fore aliquem, qui comitia in adventum Cæſaris detrudat, Catone præſertim abſoluto. Ab Quinto fratre, & à Cæſare accepi A. D. IX. Kalend. Novemb. litteras, confecta Britannia, obſidibus acceptis, nulla præda, imperata tamen pecunia, [18] datas à littoribus Britanniæ. proximo A. D. VI. Kalend. Octob. exercitum Britannia reportabant. Q. Pilius erat jam ad Cæſarem profectus. Tu, ſi aut amor in te eſt noſtri, ac tuorum, aut ulla varietas, aut ſi etiam ſapis, ac frui tuis commodis cogitas, adventare & prope adeſſe jam debes. non mehercule æquo animo te careo. te autem quid mirum, qui Dionyſium tantopere deſiderem? quem quidem abs te, cùm dies venerit, & ego, & Cicero meus flagitabit. Abs te proximas litteras habebam, Epheſo A.D. V. Id. Sext. datas.

CICERO ATTICO, S. 18

PUTO te exiſtimare, me, nunc oblitum conſuetudinis & inſtituti mei, rariùs ad te ſcribere, quàm ſolebam: ſed, cùm loca & itinera tua nihil habere certi video, neque in Epirum, neque Athenas, neque in Aſiam, neque cuiquam,

1. *Reus P. lege majeſtatis.*] Scripturam Decurtati Boſius expreſſit; illud *P.* abeſt a vulgatis. Junius ex mſſ. legit *Papia lege.*

2. Οὐ σ' οἰδ' Ἄρης ἅμα Παφίῃ.] Ita Boſius, cùm repeiſſet in optimo illo Decurtato ΟΥ ϹΟΙΑΑΡΗϹΑΜΑ ΑΦΙΗΙ, veteris ſcripturæ veſtigiis ductus aliam lectionem affert Lambinus quam à Boſio accepiſſe dicit, οὔ σοι ἁδρὺς μάλα φύει: Muretus ſic emendare conatus eſt, οὐ σὺ μὲ περιῆκ' ἀφίης. ex mſſ. Palat. tentat Junius, *dixit ſtatim reus Papia lege majeſtatis*, οὐ σοὶ μέρος σὺν Παφίῃ, ſive ut alii volunt, ἅμα Παφίῃ, *nihil tibi cum Paphia Venere.* Vulgò, ΟΥϹΟΙΜΡΙϹΑ ΜΑΦΙΗ. Dauſqueius, lectis aliorum conjecturis conabatur, ΟΥΚ ΕΝΕ. ΠΕΙϹΑΜΗ ΕΦΗ, *non perſuaſi*, inquit mihi me à judicibus, apud quos ratio juris proſtrata eſt, condemnatum iri. fundatur ex antegreſſis: *ſed omnes abſolventur, nec, &c.* putabat item legi poſſe, ΟΥΚ ΕΜΕΡΙϹΑΜΗΝ ΕΦΙ. *non tribui:* donis muneribuſque gratiam judicum non prolectavi.

3. *Pomptinus vult A. D. IV.*] Vulg. *Pomptinus vult ad* IV.

4. *Illum non triumphare.*] Beſſarionis liber, *non triumphaturum.*

5. *Munitos mirificis molibus.*] Lambinus teſtatur veterem codicem habere, *miratos*, ſed quid valeat, exputare non poteſt. Junius legit, *mœratos mirificis molibus.*

6. *Scripulum.*] Vulg. *ſcrupulum.*

7. *Forum laxaremus.*] Vocem hanc *forum*, delet Lamb.

8. *Tributis comitiis.*] Sic habent Beſſarionis & Cavalc. antiqui libri, teſte Manutio, cui probatur hæc lectio: Vulg. *tribunitiis comitiis.*

9. *Quid? celabo te res Romanas?*] Decurtati lectionem Boſius edidit. Junius ex conjectura, *quid labor? habes res Romanas*: Vulg. *ad quid laboramus res Romanas?*

10. *C. Decimius.*] Repoſuit Manutius *C. Decimius*, ut Cavalcantis, Ferri & Beſſarionis libri habent.

11. *Ut abis totiens, & tam longe abes.*] Victorianam hanc lectionem Boſii veteres mſſ. confirmant: Vulg. *ne toties & tam longe abeſſes.*

12. *Utinam valeat.*] Tornæſianus ante vocem, *utinam*, hoc amplius habebat, *hoc quod dixi tantum*; quæ verba è gloſſemate quodam manarunt.

13. *Exſpectemus.*] Vulg. *exſpectem.*

14. *Tuæ tranſmiſſionis* δέῤῥεις.] Græcum hoc vocabulum deeſt in vulg.

15. *Et inviſis illius noſtræ reipublicæ germina?*] Boſii hæc eſt reſtitutio. Tornæſianus *germa*; Decurtatus *gerina*, inde conjecit *germina.* Lambinus verò edendum curavit, *& inviſis illius noſtræ Reip.* γερέανδρυον. *Peti vides nummis, &c.* partim Pauli Manutii, partim Johannis Aurati conjecturam ſequutus; Boſii reſtitutionem *reipublicæ germina*, probat Junius, ſequens verò membrum ſic emendat, *Peti inde nummis ante comitia, &c.* alii libri habent *putavi de nummis, &c.* Urſinus hujus loci correctionem aliunde affert, *putavi de nummis ante comitia uno loco diviſis palam iri abſolutum Gabinium.* Vulg. *illius noſtræ reipublicæ germanæ, &c. Quin tu huc advolas & inviſis illius noſtræ Reipub.* γέρρα?] Sic ſcriptum in optimo codice, verum Boſius non rectè *germina* repoſuit. Ipſe Cic. 1. de Divinat. *Sed ineſt gerinis & ranunculis quædam natura ſignificans aliquid.* Sic fere meliores codices. *Iſ. Voſſius.*

16. *Numquam ego vidi.*] *Ego*, deeſt in Vulg.

17. *In patris memoria.*] Vulg. *in patris memoriam.*

18. *Datas à littoribus Britanniæ, proximo A. D. VI. Kalend.*] Vulg. *datas à littoribus Britanniæ proximo. a. d. VI. Kalend.*

quam, niſi ad te ipſum proficiſcenti, dedi litteras. [1] neque enim ſunt eæ epiſtolæ noſtræ, quæ ſi perlatæ non ſint, nihil ea res nos offenſura ſit: quæ tantum habent myſteriorum, ut eas ne librariis quidem ferè committamus. [2] Lepidum quo exedar; Conſules flagrant infamia, quòd C. Memmius candidatus *pactionem* in Senatu recitavit, quam ipſe & ſuus competitor Domitius cum Conſulibus feciſſent, uti ambo H-S quadragena Conſulibus darent, ſi eſſent ipſi Conſules facti, niſi tris Augures dediſſent, qui ſe adfuiſſe dicerent, cùm lex Curiata ferretur, quæ lata non eſſet, [3] & duo Conſulares, qui ſe dicerent in ornandis provinciis conſularibus ſcribendo adfuiſſe, cùm omnino ne Senatus quidem [4] fuiſſet. hæc pactio non verbis, ſed nominibus & perſcriptionibus, multorum tabulis cùm eſſe facta diceretur, prolata à Memmio eſt nominibus inductis, auctore Pompejo. hîc Appius erat idem. nihil ſanè jacturæ corruerat alter, & planè, inquam, jacebat. Memmius autem, diremta coitione invito Calvino, planè refrixerat, [5] & eo magis nunc cogi ἀκηδείᾳ, tum fluere juſtitio, & omnium rerum licentia. Perſpice æquitatem animi mei & ludum, & contemptionem [6] Selicianæ provinciæ, & mehercule cum Cæſare ſuaviſſimam conjunctionem (hæc enim me una ex hoc naufragio *tabula* delectat) qui quidem Quintum meum, tuumque, dii boni! quemadmodum tractat honore, dignitate, gratia? non ſecus, ac ſi ego eſſem imperator. hibernam legionem eligendi optio delata commodùm, ut ad me ſcribit. hunc tu non ames? quem igitur iſtorum? Sed heus tu, ſcripſeramne tibi me eſſe legatum Pompejo? & extra urbem quidem fore ex Idib. Jan.? viſum eſt hoc mihi ad multa quadrare. ſed quid plura? coram, opinor, reliqua; ut tu tamen aliquid exſpectes. Dionyſio plurimam ſalutem: cui quidem ego non modò ſervavi, ſed etiam ædificavi locum. quid quæris? ad ſummam lætitiam meam quam ex tuo reditu capio, [7] magnus illius adventu cumulus accedit. quo die ad me venies, [8] tu, ſi me amas, apud me cum tuis maneas.

1. *Neque enim ſunt ee.*] Poſt verbum, *ſunt*, Decurtat. addit vocem, *eæ*, quæ in vulg. deſideratur, quod etiam Lambinus vidit.

2. *Lepidum quo exedar.*] Ita Boſius unius litteræ mutatione, ex Decurtato conjecit, in quo legebatur *exedat.* Codices Tornæſianus, Cruſellinus, & Huraltinus nihil hic differunt a vulgatis. Lambinus legit, *lepidum quo res cadat.* Beſſarionis liber *excidant.* Emendantes, *ne verbum quod excidat*, propius à recepta ſcriptura abire vellet Urſinus: vulgatam lectionem ex mſſ. Pall. ſequitur Junius, *lepidum quo excidat.*

3. *Et duo Conſulares.*] Vulg. *& duos Conſulares.*

4. *Fuiſſet.*] Vulg. *affuiſſet.*

5. *Et eo nunc magis cogi ἀκηδείᾳ tum fluere juſticio & omnium rerum licentia.*] Locum hunc denſa caligine offuſcatum illuſtravit Boſius. Tornæſianus habebat, *& eo magis nunc cogi ace dictatum fluere:* Decurtatus, *& eo magis nunc cogi abedicatum fluere.* Alii legunt *cogitare dictaturam.* Junius legit, *& eo magis nunc cogi abdicatum, ſavere juſticio, &c*

6. *Silicianæ provinciæ, & mehercule.*] Suorum mſſ. ſcripturam Boſius edidit, quod etiam adnotarunt Germani in margine ſui codicis: vulg. *Seleucianæ provinciæ, & mehercule.*

7. *Magnus illius adventu.*] Vulg. *magnus ex illius adventu.*

8. *Tu, ſi me amas.*] Antiquus liber, *ut ſi me amas:* ex quo Faërnus, *tu ſi me amas*, aptius putat. Urſinus, *utique ſi me amas.*

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM

LIBER QUINTUS, AD ATTICUM.

I

CICERO ATTICO, S.

EGo vero & tuum in diſceſſu vidi animum, & meo ſum ipſe teſtis: quo magis erit tibi videndum, ne quid novi decernatur; ut hoc noſtrum deſiderium ne plus ſit annuum. De Annio Saturnino curaſti probè. De ſatiſdando verò te rogo, quoad eris Romæ, tu ut ſatiſdes. & ſunt aliquot ſatiſdationes ſecundum mancipium, in his & Memmianorum prædiorum, vel Atilianorum. De Oppio factum eſt ut volui, & maximè [1] quòd DCCC. aperuiſti: quæ quidem ego utique vel verſura facta ſolvi volo; ne extrema exactio noſtrorum nominum exſpectetur. Nunc venio ad tranſverſum illum extremæ epiſtolæ tuæ verſiculum, in quo me admones de ſorore. quæ res ſe ſic habet. Ut veni [2] in Arpinas, cùm ad me frater veniſſet, in primis nobis ſermo, iſque multus, de te fuit: [3] ex quo veni ad ea, quæ fueramus ego, & tu inter nos de ſorore in Tuſculano locuti, nihil tam vidi mite, nihil tam placatum, quàm tum meus frater erat in ſororem tuam; ut etiam, ſi qua fuerat [4] *ex ratione* ſumpta offenſio, [5] non appareret. illo ſic die. poſtridie ex Arpinati profecti ſumus. ut in Arcano Quintus maneret, dies fecit: ego Aquini, ſed prandimus in Arcano. noſti hunc fundum. quò, ut venimus humaniſſimè Quintus, Pomponia, inquit, tu invita mulieres, [6] ego arcivero pueros. nihil potuit, mihi quidem ut viſum eſt, dulcius, idque cùm verbis, tum etiam animo, ac vultu. at illa, audientibus nobis, ego ſum, inquit, hîc hoſpita. id autem ex eo, ut opinor, quòd anteceſſerat Statius, [7] ut prandium nobis videret. tum Quintus, en, inquit, mihi, hæc ego *patior*

quo-

1. QUod DCCC. aperuiſti.] Hunc numerum auxit Victorius ex antiquo ſuo codice, quum prius legeretur CCC. Germani verò pro, *aperuiſti*, *adpromiſiſti*, legunt, ſed nihil mutare voluit Victorius, quod nullam varietatem in mſſ. inveniſſet.

2. *In Arpinas.*] Ita codicem Tornæſianum habere dicit Lambinus. vulgo *Arpinum.*

3. *Ex quo veni.*] Vulg. *ex quo ego veni.*

4. *Ex ratione ſumpta offenſio.*] Eandem lectionem in cunctis mſſ. libris invenit Victorius, ideo nihil mutat. Germani tamen in margine ſui libri, *ex ratione ſumptus*, adnotarunt. Fulvius ex mſ. libro qui habet, *ex ratione*, conjicit fortaſſe legendum *ex re.*

5. *Non appareret. illo ſic die. poſtridie.*] Junius ex duobus mſſ. Palat. aliter & legit & diſtinguit, nempe, *non appareret illo. ſic poſtridie, &c.*

6. *Ego arcivero.*] Ita libros veteres ſequutus emendat Lambinus pro *accivero.*

7. *Ut prandium nobis videret.*] Victorius cum antiquis exemplaribus ita ſcripſit.

1. Ego

quotidie. dices,[1] quid, quæſo, iſtuc erat? magnum; itaque me ipſum commoverat: ſic abſurdè & aſperè verbis vultuque reſponderat. diſſimulavi dolens. diſcubuimus omnes præter illam: cui tamen Quintus de menſa miſit: illa *rejecit.* quid multa? nihil meo fratre lenius, nihil aſperius tua ſorore mihi viſum eſt: & multa prætereo, quæ tum mihi majori ſtomacho, quàm ipſi Quinto, fuerunt. ego inde Aquinum; Quintus in Arcano remanſit, & Aquinum ad me poſtridie mane venit: mihique narravit, nec ſecum illam dormire voluiſſe; &, cùm diſceſſura eſſet, fuiſſe ejuſmodi, qualem ego vidiſſem. quid quæris? vel ipſi hoc dicas licet, *humanitatem* ei, meo judicio, illo die defuiſſe. Hæc ad te ſcripſi fortaſſe pluribus, quàm neceſſe fuit, ut videres tuas quoque eſſe parteis inſtituendi & monendi. Reliquum eſt, ut ante, quàm proficiſcare, mandata noſtra exhaurias; ſcribas ad me omnia; Pomtinum extrudas; cùm profectus eris, cures, ut ſciam. ſic habeas, nihil me hercule te mihi nec carius eſſe, nec ſuavius. A. Torquatum amantiſſimè dimiſi Minturnis, optimum virum: cui me ad te ſcripſiſſe aliquid, in ſermone ſignifices velim.

2 CICERO ATTICO, S.

AD. VI. Idib. Mai. cum has dabam litteras, ex Pompejano proficiſcebar, ut eo die manerem in Trebulano apud Pontium: deinde cogitabam ſine ulla mora juſta itinera facere. In Cumano cùm eſſem, venit ad me, quod mihi pergratum fuit, noſter Hortenſius: cui, depoſcenti mea mandata, cetera universè mandavi; illud propriè, ne pateretur, quantum eſſet in ipſo,[2] prorogari nobis provincias. in quo eum tu velim confirmes, gratumque mihi feciſſe dicas, quòd & venerit ad me, & hoc mihi, prætereaque ſi quid opus eſſet, promiſerit. confirmavi ad eam cauſam etiam Furnium noſtrum; quem ad annum Tribunum pleb. videbam fore. Habuimus in Cumano quaſi *puſillam Romam:* tanta erat in his locis multitudo; cùm interim Rufio noſter, quòd ſe à Veſtorio obſervari videbat, ſtratagemate hominem percuſſit. nam ad me non acceſſit. itane? cum Hortenſius veniret, & infirmus,[3] & tam longè, & Hortenſius, cùm maxima præterea multitudo, ille non venit? non, inquam. non vidiſti igitur hominem, inquies? qui potui non videre, cùm per emporium Puteolanorum iter facerem? in quo illum, agentem aliquid, credo, ſalutavi;[4] poſtea jam juſſi valere,[5] cùm me expensè è ſua villa, numquid vellem, rogaſſet. hunc hominem parum gratum quiſquam putet? aut non in eo ipſo laudandum, quòd audiri non laborarit? Sed redeo ad illud. Noli putare mihi aliam conſolationem eſſe hujus ingentis moleſtiæ, niſi quòd ſpero non longiorem *annua* fore. hoc me ita velle multi non credunt, ex conſuetudine aliorum. tu, qui ſcis, omnem diligentiam adhibebis, tum ſcilicet, cùm id agi debebit. Cùm ex Epiro redieris, de Rep. ſcribas ad me velim, ſi quid erit,[6] quod operiare. nondum enim ſatis huc erat allatum, quomodo Cæſar ferret de auctoritate perſcripta: eratque rumor de Tranſpadanis,[7] eos juſſos IV. viros creare. quod ſi ita eſt, magnos motus timeo. ſed aliquid ex Pompejo ſciam.

CICERO ATTICO, S. 3

AD. VI. Id. Mai. veni in Trebulanum ad Pontium. ibi mihi tuæ litteræ binæ redditæ ſunt tertio abs te die: eodem autem[8] ex Panſæ Pompejano Philotimo dederam ad te litteras. nec verò nunc erat ſanè,[9] quod ſciberem. Qui de Rep. rumores, ſcribe quæſo. in oppidis enim ſummum video timorem; ſed multa inania. quid de iis cogites, & quando, ſcire velim. Ad quas litteras tibi reſcribi velis, neſcio. nullas enim adhuc acceperam, præter quæ[10] mihi binæ ſemel in Trebulano redditæ ſunt: quarum alteræ edictum P. Licinii habebant, (erant autem Non. Mai. datæ) alteræ reſcriptæ ad meas Minturnenſeis. quam vereor, ne quid fuerit σπουδαιότερον in iis, quas non accepi, quibus reſcribi vis.[11] Apud Lentulum ponam te in gratiam. Dionyſius nobis cordi eſt. Nicanor tuus operam mihi dat egregiam. Jam deeſt, quod ſcribam; & lucet.[12] Beneventum cogitabam hodie. noſtra continentia, & indulgentia[13] eſſe ſatisfaciemus. ſatis.[14] A. Pontio, ex Trebulano A. D. V. Id. Mai.

CICERO ATTICO, S. 4

BENEVENTUM veni A. D. V. Id. Mai. ibi accepi eas literas, quas tu ſuperioribus litteris, ſignificaveras te dediſſe: ad quas ego ipſe eo die dederam ex Trebulano[15] L. Pontio. ac binas quidem tuas Beneventi accepi. quarum alteras[16] Funiſulanus multo mane mihi dedit, alteras ſcriba Tullius. Gratiſſima eſt mihi tua cura de illo meo primo, & maximo[17] mandatu. ſed tua profectio ſpem meam debilitat.[18] ac me ille: illuc quidem labar, non quo; ſed *inopia* cogimur eo contenti eſſe. De illo altero, quem ſcribis tibi viſum eſſe non alienum,[19] vereor adduci ut noſtro poſſit; &, ut vis, δυσ-

1. *Quid quæſo iſtuc erat?*] *Quæſo*, pro, *quaſi*, repoſuit Manutius.

2. *Prorogari nobis provincias.*] Rectius Urſino videtur quod eſt in antiquo, *provinciam.*

3. *Et tam longe & Hortenſius.*] Ita & Lamb. & Boſius legunt; quibus adſtipulatur Decurtatus: vulgo, *& tam longè Hortenſius*; quod Faërnus non capiens, hoc alterum, *Hortenſius*, delebat.

4. *Poſtea jam juſſi.*] Vulg. *poſt etiam juſſi.*

5. *Cum me expensè è ſua villa.*] Ita Decurt. addita tamen, *è*, præpoſitione alterius manu; quam lectionem veram germanamque aſſerit Junius: Boſius non videns, quid ſignificet, *expensè*, dubius conjicit, *ex Panſæ ſui villa.* Ceterum quod vulgò legitur, *è Panſæ villa*, ita ſe correxiſſe ait Manut. ex Cavalc. libro, in quo erat *E penſe villa.* idem Manutius, ut & Muretus etiam conjecerunt, *exiens è ſua villa*, quod Lambinus unum librum integris litteris habere ſcribit. ô nimis obſequentem librum! Victorius quoque improbante Lambino, ex conjectura repoſuit, *cum me ſpectans è ſua villa.* Turnebus libro XXVIII. cap. 27. conjicit. *exſpes è ſua villa.*

6. *Quod operiare.*] *Odorere* eſt in uno mſ. Fulvii pro *operiare.*

7. *Eos juſſos* IIII *viros.*] Ex veteribus libris ita ſcripſit Victorius, antea legebatur, *eos juſſu illius viros creare.*

8. *Ex Panſa Pompejano.*] Ita quidam fecerunt, *ex Panſæ Pompejano*, ex ſcriptura mſſ. quorundam qui habent, *expenſe Pompejano*, quam ſcripturam tamen ut probam ex uno mſ. Palat. arripit Junius; vulgò abeſt vocabulum illud, *Panſæ.* Lambinus ait quoſdam libros plane habere *exiens è Pomp.* quos ſequitur.

9. *Quod ſciberem.*] Et hic & infra in vulgatis editionibus, legitur, *quid.*

10. *Mihi binæ ſemel.*] Verbum, *ſemel*, teſte Urſino deletum eſt in libro emendato à doctiſſimo viro; ipſe verò libenter reponeret, *ſimul*, pro *ſemel.*

11. *Apud Lentulum ponam.*] Hæc eſt Victorii emendatio, ex antiquiori ſuo codice. prius erat, *Lentulum ponam tecum, &c.*

12. *Beneventum cogitabam.*] Ita Boſius ex compendioſa ſcriptura Decurt. *Beneven.* non *Beneventi*, ut vulgus.

13. *Eſſe ſatis faciemus. ſatis.*] Boſius ex ſuis codd. ita legit, niſi quod poſt *faciemus* τελείαν στιγμὴν addit Junius ut lectionem hanc probat, ita & diſtinctionem improbat: vulg. *& diligentia faciemus ſatis.*

14. *A Pontio.*] Urſini mſ. *ex L. Pontii.*

15. *L. Pontio.*] Vulg. *à Pontio.*

16. *Funiſulanus.*] *Feſulanus* vulg.

17. *Mandatu.*] Vulg. *mandato.*

18. *Ac me ille: illuc quidem labor, non.*] Ita Boſius ex ſuis conjicit; qui habent, *ac me ille illud quidem labat*, quod plane geminum legitur in mſſ. Palat. unde Junius pro, *me*, reponens *ne*, legit, *ac ne ille illud quidem labat.* Pantagathus legebat, *Marcelli illud quidem labat.* Manutius verò ex Beſſarionis libro in quo ſcriptum vidit, *ac me illud quidem labat*, corrigendum putat, *ac ne illud quidem labat*, quæ correctio pro vulgata lectione recepta eſt. Turnebus d. cap. 27. fingit; *ac me ille: illud non quo, &c.* qui adeatur.

19. *Vereor adduci ut noſtro poſſit; &, ut vis,* δυσδιάγνωστον. *eſſet quidem ſummè facilis.*] Hæc eſt Decurtati lectio, cujus poſtrema pars corrupte legitur in Cruſell. Huralt. & Tornæſ. *eſſet quidem ſum facilis.* Beſſarionis liber. *Equidem ſum facilis*, quod interpretari conatur Manutius. Vulg. *vereor, adduci ut noſtra poſſit, & tuis* δυσδιάγνωστον προσνεῦσιν: Lambinus totum hoc ita legit, *vereor adduci ut noſtra poſſit ad* προσνεῦσιν: *& tuis* δυσδιάγνωστον ἔσται. Turnebus d. loco, pro *& tuis*, reponit, *& tu ais* δυσδ. eſſe.

δυσδιάγνωστον. eſſet quidem ſumme facilis: ſed tu aberis, [1] & me abſente res. [2] habebis mei rationem. nam poſſet aliquid, ſi utervis noſtrûm adeſſet, [3] agente Servilio, Servio fieri probabile. nunc, [4] ſi jam res placeat, agendi tamen viam non video. Nunc venio ad illam epiſtolam, quam accepi à Tullio. De Marcello, feciſti diligenter. igitur S. C. ſi erit factum, ſcribes ad me: ſin minùs, rem tamen conficies. mihi enim attribui oportebit, item Bibulo. ſed non dubito, quin S. C. expeditum ſit, in quo præſertim ſit compendium populi. De Torquato, probè. De Maſone, & Ligure, cùm venerint. De illo, quod Chærippus: (quoniam hîc quoque προόνδοπν ſuſtuliſti) ô provincia! etiamne hîc mihi curandus eſt? curandus autem? hactenus, [5] ne quid ad Senatum, conſule, aut numera. nam de ceteris. Sed tamen commodè, quod cùm Scrofa. De Pomtino, rectè ſcribis. eſt enim ita, ut ſi ante Kalend. Jun. Brundiſii futurus ſit, minùs urgendi fuerint M. Annius, & Tullius. Quæ de Sicinio audiſti, ea mihi probantur: modòne illa exceptio in aliquem incurrat bene de nobis meritum. ſed conſiderabimus. rem enim probo. De noſtro itinere, quod ſtatuero. De quinque præfectis, quid Pompejus facturus ſit, cùm ex ipſo cognoro, faciam, ut ſcias. De Oppio bene curaſti, quòd ei DCCC. expoſuiſti: idque, quoniam Philotimum habes, perfice, [6] & cognoſce rationem: &, ut agam ampliùs, ſi me amas, prius quàm proficiſcaris, effice. magna me cura levaris. Habes ad omnia. etſi pænè præterii chartam tibi deeſſe: [7] mera captio eſt; ſiquidem ejus inopia minùs multa ad me ſcribis. tu verò aufer [8] ducentos. etſi meam in eo parſimoniam hujus paginæ contractio ſignificat, dum acta & rumores vellet. jam, ſi qua certa habes de Cæſare, exſpecto litteras: & alias Pomtino de omnibus rebus diligentes dabis.

5 CICERO ATTICO, S.

PLANE deeſt quod ſcribam. nam nec, quid mandem, habeo: nihil enim prætermiſſum eſt: nec quid narrem: [9] novi enim nihil: nec *jocandi locus eſt*; ita me multa ſollicitant. tantum tamen ſcito, Idibus Mai. nos Venuſia mane proficiſcenteis has dediſſe. eo autem die credo aliquid actum in Senatu. ſequantur igitur nos tuæ litteræ, quibus non modò res omneis, ſed etiam rumores cognoſcamus. eas accipiemus Brundiſii. ibi enim Pomtinum ad eam diem, quam tu ſcripſiſti, exſpectare conſilium eſt. Nos Tarenti, quos cum Pompejo διαλόγους de Rep. habuerimus, etſi id ipſum ſcire cupio, quod ad tempus rectè ad te ſcribere poſſim, id eſt, quàm diu Romæ futurus ſis; ut, aut quò dem poſthac litteras ſciam, aut ne dem fruſtra. Sed ante quàm proficiſcare, utique explicatum ſit illud H-S XX. & DCCC. hoc velim in maximis rebus & maximè neceſſariis habeas; ut, quod auctore te velle cœpi, adjutore aſſequar.

6 CICERO ATTICO, S.

TARENTUM veni A. D. XV. Kalend. Jun. Quòd Pomtinum ſtatueram exſpectare, commodiſſimum duxi dies eos, quoad ille veniret, cum Pompejo conſumere: eoque magis, quòd ei gratum eſſe id videbam; qui etiam à me petierit, ut ſecum, & apud ſe *eſſem quotidie*: quod conceſſi libenter. multos enim ejus præclaros de Repub. ſermones accipiam: inſtruar etiam conſiliis idoneis ad hoc noſtrum negotium. Sed ad te brevior jam in ſcribendo incipio fieri, dubitans Romæ ne ſis, an jam profectus. quod tamen quoad ignorabo, ſcribam aliquid potiùs, quam committam, ut, tibi cùm poſſint reddi à me litteræ, non reddantur. nec tamen jam habeo, quid aut mandem tibi, aut narrem. mandavi omnia, quæ quidem tu, ut polliceris, exhauries: narrabo, cùm aliquid habebo novi. illud tamen non deſinam, [10] dum adeſſe te putabo, de Cæſaris nomine rogare, ut confectum relinquas. avide exſpecto tuas litteras, & maximè, ut norim tempus profectionis tuæ.

CICERO ATTICO S. 7

QUOTIDIE, vel potiùs in dies ſingulos brevioreis litteras ad te mitto. quotidie enim [11] magis ſuſpicor te in Epirum jam profectum. ſed tamen, ut mandatum ſcias me curaſſe; quot ante, ait ſe Pompejus [12] quinos præfectos delaturum, novos; vacationes, judiciariam cauſam. Ego cùm triduum cum Pompejo, & apud Pompejum fuiſſem, proficiſcebar Brundiſium A. D. [13] XIII. KAL. Junias. civem illum egregium relinquebam, & ad hæc, quæ timentur propulſanda paratiſſimum. Tuas litteras exſpectabo, cùm ut, quid agas, tum, ubi ſis, ſciam.

CICERO ATTICO, S. 8

ME ET incommoda valitudo, qua jam emerſeram, utpote cùm ſine febri laboraſſem, & Pomtini exſpectatio, de quo adhuc ne rumor quidem venerat, tenebat duodecimum jam diem Brundiſii. ſed curſum exſpectabamus. tu ſi modò es Romæ, (vix enim puto) ſin es, hoc vehementer animadvertas velim. [14] Roma acceperam litteras, Milonem meum queri per litteras injuriam meam, quòd Philotimus ſocius eſſet in bonis ſuis. id ego ita fieri volui de C. Duronii ſententia; quem & amiciſſimum Miloni perſpexeram, & talem virum, qualem tu judicas, cognoram. ejus aut conſilium, meumque hoc fuerat; primùm, ut *in poteſtate noſtra* eſſet res, ne illum malus [15] emptor alienus mancipiis, quæ permulta ſecum habet, ſpoliaret: deinde, ut Fauſtæ, cui cautum ille eſſe voluiſſet, ratum eſſet. erat etiam illud, ut ipſi nos, ſi quid [16] ſervari poſſet, quam facillimè ſervaremus. nunc rem totam perſpicias velim. nobis enim ſcribuntur ſæpe majora. ſed ſi ille queritur, ſi ſcribit ad amicos, ſi idem Fauſta vult, Philotimus, ut ego ei coram dixeram, mihique ille receperat, ne ſit invito Milone in bonis. nihil nobis fuerat tanti. ſin hæc leviora ſunt, tu judicabis. loquere cum Duronio. ſcripſi etiam ad Camillum, ad Lamiam: eoque magis, quòd non confidebam Romæ te eſſe. ſumma erit hæc; ſtatues, ut *ex fide, fama, reque* mea videbitur.

CICERO ATTICO, S. 9

ACTIUM venimus A. D. XVII. KAL. Quint. cùm quidem & Corcyræ, & Sybotis muneribus tuis, quæ & Areus, & meus amicus Eutychides opiparè, & φιλοπροσηνέστατα

1. *Et me abſente res.*] Omnes Boſii codd. ita habebant, vulg. *& me abſente rei.*

2. *Habebis mei rationem.*] Partim ita legunt quidam codd. Boſii, partim *mirationem.* hoc in ſuis libris notarunt etiam alii Manutius, & Faernus teſte Urſino, qui inde conjiciebat legendum, *& me abſente mei habebis rationem.*

3. *Agente Servilio Servio.*] Ita veteres libros habere teſtatur Manutius; ſed diſtinctionem interſerit ut duo ſint *Servilius*, & *Servius*; Lamb. reponit, *Servio Servilii filio*: à vulg. abeſt illud, *Servio.*

4. *Si jam res placeat.*] Vulg. *ſi tam.*

5. *Ne quid ad Senatum, conſule, aut numera.*] Disertè duos mſſ. Palat. habere dicit Junius, *nequid ad Senatum, Conſulem aut Pr.* alterum egregiè interpretatur d. loco Turnebus.

6. *Et cognoſce.*] Sic diſtinguere mſſ. Palat. duos, & rectè ait Junius, *& cognoſce rationem, & ut agam amplius. ſed, &c.*

7. *Mera captio eſt.*] Hæc eſt Decurt. Tornæſ. Memmian. Huralt. & Malaſp. codicum lectio, vulgò, *mea cautio eſt.*

8. *Ducentos.*] Non mutavit receptam lectionem Boſius quamquam in Decurtato hoc nomen erat in litura; ut fortaſſe Cicero ſcripſerit, *ducenties*, quo pacto legit Lambinus.

9. *Novi enim nihil.*] Sic emendavit Manutius ex veteribus libris legentibus, *novi enim mihi.* Ferri liber, *nec, quid narrem, novi. Etenim mihi.*

10. *Dum adeſſe te.*] *Te* abeſt à recepta lectione.

11. *Magis ſuſpicor.*] *Magis ac magis ſuſpicor*, viſitur in vulgariis libris.

12. *Quinos præfectos.*] Eſt hæc correctio à Victorio, antea legebatur, dirempta dictione, *qui nos.*

13. *XIII. Kal.*] Vulg. *XIV.*

14. *Roma acceperam.*] Vulg. *Romæ.*

15. *Emptor alienus.*] Sic Boſius ex veteribus libris; quod & antea notarat Fulvius niſi quod conjunctionem, *&*, vocabulo *alienus* præpoſuit: vulg. *alienis.*

16. *Servari poſſet.*] Vulg. *poſſit.*

1. Con-

νέρυτα nobis [1] congeſſerant, epulati eſſemus [2] Saliarem in modum. Actio maluimus iter facere pedibus, qui incommodiſſimè navigaſſemus: & [3] Leucatam flectere moleſtum videbatur. actuariis autem minutis Patras acccedere [4] ſine his impedimentis, non ſatis viſum eſt decorum. Ego, ut ſæpe tu me currentem hortatus es, quotidie meditor, præcipio meis, faciam denique, ut ſumma modeſtia, & ſumma *abſtinentia* munus hoc extraordinarium traducamus. Parthus, velim, quieſcat, & fortuna nos juvet: noſtra præſtabimus. Tu, quæſo; quid agas, [5] ubi quoque tempore futurus ſis, qualeis res noſtras Romæ reliqueris, maximè [6] de XX & de DCCC cura ut ſciamus. id unis diligenter litteris datis, quæ ad me utique perferantur, conſequêre. Illud tamen (quoniam nunc abes, cùm id non agitur: aderis autem ad tempus [7] ut mihi reſcripſiſti) memento curare per te, & per omneis noſtros, in primis per Hortenſium, ut annus noſter maneat ſuo ſtatu, ne quid novi decernatur. hoc tibi ita mando, ut dubitem, an etiam te rogem, ut pugnes, ne intercaletur. ſed non audeo tibi omnia onera imponere. annum quidem utique teneto. Cicero meus, modeſtiſſimus & ſuaviſſimus puer, tibi ſalutem dicit. Dionyſium ſemper equidem, ut ſcis, dilexi, ſed quotidie pluris facio, & mehercule in primis, quòd te amat, nec tui mentionem intermitti ſinit.

10 CICERO ATTICO, S.

Ut Athenas [8] A. D. VII. KAL. Quint. veneram; exſpectabam ibi jam quartum diem Pomtinum: neque de ejus adventu certi quicquam habebam: eram autem totus, crede mihi, tecum: & quanquam ſine his per me ipſe, tamen acrius, veſtigiis tuis monitus, de te cogitabam. quid quæris? non mehercule alius ullus ſermo, niſi de te. ſed tu aliquid de me ipſo ſcire fortaſſe mavis; hæc ſunt. Adhuc *ſumptus* nec in me aut publicè, aut privatim, nec in quemquam comitum. nihil accipitur lege Julia, nihil ab hoſpite, perſuaſum eſt omnibus meis, *ſerviendum eſſe famæ meæ.* bellè adhuc. hoc animadverſum, Græcorum laude, & multo ſermone celebratur. quod ſupereſt, elaboratur in hoc à me, ſicut tibi ſenſi placere. ſed hæc tum laudemus, cùm erunt perorata. Reliqua ſunt ejuſmodi, ut meum conſilium ſæpe reprehendam quòd non aliqua ratione ex hoc negotio emerſerim. ô rem minime aptam meis moribus. [9] ô illum verum, ἐρεῖ τις. dices, quid adhuc? [10] nondum in negotio verſaris. neſcio; & puto moleſtiora reſtare: etſi hæc ipſa fero equidem fronte, [11] ut puto, & volo belliſſimè; ſed *angor intimus ſenſibus:* ita multa vel iracundè, vel inſolenter, vel in omni genere ſtultitiæ inſulsè, arroganter & dicuntur & tacentur quotidie. quæ, non quò te celem, non perſcribo, ſed quia [12] δυσεξίμητα ſunt. itaque admirabere meam βαθύτητα, cùm ſalvi redierimus: tanta mihi μελέτη hujus virtutis datur. ergo hæc quoque hactenus. etſi mihi nihil erat propoſitum ad ſcribendum; quia, quid ageres, ubi terrarum eſſes, ne ſuſpicabar quidem: nec hercule umquam tam diu ignarus rerum mearum fui; quid de Cæſaris, quid de Milonis nominibus actum ſit: ac non modò nemo, ſed ne rumor quidem quiſquam, ut ſciremus, in Rep. quid ageretur. quare ſi quid erit, quod ſcias de iis rebus, quas putabis ſcire me velle, per mihi gratum erit, ſi id curaris ad me perferendum. Quid eſt præterea? nihil ſane, niſi illud: valde me Athenæ delectarunt: [13] urbs duntaxat, & *urbis ornamentum?* & hominum amores in te, & in nos quædam benivolentia; ſed multùm & philoſophia. [14] ἄνω κάτω ſi quid eſt, eſt in Ariſto, apud quem eram. nam Xenonem tuum, vel noſtrum potiùs, Quinto conceſſeram: & tamen propter vicinitatem totos dies [15] ſimul eramus invicem. Cùm primum poteris, tua conſilia ad me ſcribas, ut ſciam, quid agas, ubi quoque, & maximè quando Romæ futurus ſis.

CICERO ATTICO, S. 11

Hui, totieſne me litteras dediſſe Romam, cùm ad te nullas darem? at verò poſthac fruſtra potius dabo, quam ſi rectè dari potuerint, committam, ut non dem. Ne provincia nobis prorogetur, per fortunas, dum ades, quidquid provideri poteſt, provide. non dici poteſt, quàm flagrem deſiderio urbis, quàm vix harum rerum inſulſitatem feram. [16] Marcellus fœdè de Comenſi: etſi ille magiſtratum non geſſerit, erat tamen Tranſpadanus. ita mihi videtur non minus ſtomachi [17] noſtro, ac Cæſari feciſſe. ſed hoc ipſe viderit. Pompejus mihi quoque videbatur, quod ſcribis Varronem dicere, in Hiſpaniam certè iturus. id ego minimè probabam; qui quidem Theophani facilè perſuaſi, nihil eſſe meliùs [18] quàm illum *nuſquam diſcedere.* ergo Græcus incumbet. valet autem auctoritas ejus apud illum plurimum. Ego has pridie Nonas Quint. proficiſcens Athenis dedi; cum ibi decem ipſos fuiſſem dies. venerat [1] Pom-

1. *Congeſſerant.*] Emendationem Manutii comprobat ſcriptura hæc Decurtati, cujus loco legitur in vulgatis *conceſſerant.*

2. *Saliarem in modum.*] Et hic gratiam magnam inivit ab omnibus reip. literariæ civibus Victorius, ex antiquo ſuo qui habebat *alia. rem in modum*; ita ut nunc legimus emendans: in prioribus editionibus excuſum erat, *hilarem in modum.*

3. *Leucatam.*] Eſt ab antiquis Boſii. impreſſi *Leucaten.*

4. *Sine his impedimentis.*] Eſt Beſſarionis mſ. ſcriptura melior Manutii judicio, quam illa quam habent quidam, & inter eos mſſ. Palat. *iis impedimentis.* Ceterùm vox ſive, *his*, ſive, *iis*, abeſt & a mſ. Urſini & à vulg. editione.

5. *Ubi quoque tempore.*] Vulg. *ubi quoque hoc tempore.*

6. *De XX.*] Vulgati libri, *de* CXX. Boſius notam C expunxit, admonitus tum à vetuſtiore ſuo, tum ab ipſo Cic. ep. 5. hujus libri.

7. *Ut mihi reſcripſiſti.*] Vulgati codices, *ut mihi ſcripſiſti.*

8. *A. D. VII.*] Perſpicue erat in Decurt. ut legendum Manutius cenſet A. D. VII. non ut vulgo, *ad* XV.

9. *O illum verum.*] Vulg. *ô illud verum*, *&c.* Ceterum quæ ſequuntur verba Græca reſtituit Victor.

10. *Nondum in negotio.*] Vulg. *nondum enim in negotio.*

11. *Ut puto & volo belliſſimè.*] Lectio hæc eſt Decurtati, Beſſar. & aliorum plurimorum mſſ. vulg. *ut puto, & vultu & fronte belliſſimis:* Lambinus tamen malit, *belliſſima.*

12. *Δυσεξίμητα.*] Ita repoſuit ex ſcidarum corrupta hac lectione ΔΥΣΕΞΙΛΛΗΤΑ, cui fermè reſpondet, corrupta & hæc Victorii ΔΥCCEKIΛΛΗΤΑ qui hinc conjecit δυσέλκλητα, quod & antiquum librum habere teſtatur Urſinus. antea legebatur δυσακήλητα. Lambinus pro more, conjecturarum myriadem affert, δυσκήλητα, ſeu, δυσθελκήλητα, ſeu, δυσθίλατα ſeu δυσθελκοίμητα, ſeu δυσθελκοίμηστα. Turnebus d. cap. 27. conjicit, δυσεκλάλητα.

13. *Urbs duntaxat.*] Totum hunc locum ita deſcripſit & diſtinxit ex Scidis Boſius. Manutius etiam teſtatur Beſſarionis librum habere *urbe*, non *turbæ.* Faernus hic etiam, *quædam* legit, pro, *quadam.*

14. *Ἄνω κάτω. ſi quid.*] Boſii ex Scidis lectionem hanc ſequitur Junius, interpretationem minimè: vulgò *ἄνω καὶ κάτω ſi quidem eſt in Ariſto*; quam lectionom eſſe omnium librorum ait Lambinus, niſi quod quidam pro *Græcis* habent *Latina*, *ſurſum & deorſum:* Malaſp. pro ἄνω καὶ κάτω vult legi *Antiochina*; pro, *ſiquidem eſt in Ariſto*, *&c.* Urſinus ait in libro viri doctiſſimi emendatum eſſe, *ſic quidem exiſtimat tuus apud quem eram*; ipſe vero legendum cenſet, *ſic quidem exiſtimat Ariſto, apud, &c.*

15. *Simul eramus invicem.*] Ita ſe emendaſſe profitetur Manutius, tum ex Coſmi Gherii admonitu, cum ex inſpectione Beſſar. cod. Tornæſ. *junctim.* Ceteri vulgatam lectionem retinent.

16. *Marcellus fœdè de Comenſi: etſi.*] Ex veſtigiis veteris ſcripturæ ſic edidit Boſius: Malaſpina, Sigonius & Panthagatus, ſic *Marcellus fœdè in Comenſi, etſi ille magiſtratum non geſſerat.* Lambinus, pro *fœdè*, *fœdus* reponit: vulgata lectio, *Marcellus ſedendi comes;* cui ſe mederi non poſſe ingenue fatetur Victorius. Turnebus explicat vulgatam d. cap. 27. paratus tamen aſſentiri ei qui legendum cenſuit, *Marcellus cecidit Comenſem.*

17. *Noſtro ac Cæſari.*] Alii, *noſtro quam Cæſari:* vulg. *noſtro Cæſari.*

18. *Quam illum nuſquam diſcedere.*] Vulg. *quàm illud, nuſquam illum diſcedere.*

1. Pom-

[1] Pomtinus: [2] unà Cn. Voluſius : aderat Quæſtor: tuus unus Tullius aberat. ἀφράκτα Rhodiorum , & dicrota Mitylenæorum habebam , & aliquid [3] ἐπείχον ἀεί. De Parthis erat ſilentium. quod ſupereſt, *dii juvent*. Nos adhuc iter per Græciam ſumma cum admiratione fecimus. nec mehercule habeo , quod adhuc quem accuſem meorum. videntur mihi noſſe nos, noſtram cauſam,& conditionem profectionis ſuæ. planè *ſerviunt exiſtimationi meæ*. quod ſupereſt, ſi verum illud eſt:[4] οἵα γ' ἡ δέσποινα. certè permanebunt. nihil enim à me fieri ita videbunt, ut ſibi ſit delinquendi locus. ſin id parum profuerit, [5] fiet aliquid à nobis ſeveriùs. nam adhuc lenitate dulces ſumus ; & , ut ſpero , proficimus aliquantum. ſed ego hanc,ut ſinguli dicunt, ἀνεξίαν in unum annum meditatus ſum. proinde pugna , ne , ſi quid prorogatum ſit , turpis inveniar. [6] Nunc redeo ad ea , quæ mihi mandas ; [7] ni præfectis excuſationi ſis , quos voles , deferto. non ero tam μετέωρος , quam in Apuleio fui. Zenonem tam diligo, quàm tu : [8] quod ipſum ſentire certò ſcio. Apud Patronem , [9] & reliquos varones te in maxima gratia poſui : & hercule merito tuo feci. nam mihi is ter dixit, te ſcripſiſſe ad ſe, mihi ex illius litteris rem illam curæ fuiſſe , quod ei pergratum erat. ſed cum Patron mecum egiſſet, ut peterem à veſtro [10] Ariopago, ὑπομνηματισμὸν tollerent, quem Polycharmo Prætore fecerant, commodius viſum eſt & Zenoni, & poſt ipſi Patroni,me ad Memmium ſcribere , qui pridie , quàm ego Athenas veni , Mitylenas profectus erat , ut is ad ſuos ſcriberet, poſſe id ſua voluntate fieri. non enim dubitabat Xeno , quin ab Ariopagitis invito Memmio impetrari non poſſet. [11] Memmius autem ædificandi conſilium abjecerat : ſed erat Patroni iratus. itaque ſcripſi ad eum accuratè : cujus epiſtolæ miſi ad te exemplum. Tu, velim,Piliam meis verbis conſolere: indicabo enim tibi : tu illi nihil dixeris. accepi faſciculum, in quo erat epiſtola Piliæ: abſtuli,aperui,legi: valde ſcripta eſt συμπαθῶς. Brundiſio quæ tibi epiſtolæ redditæ ſunt ſine mea , tum videlicet datæ , cùm ego me non belle haberem. nam illam [12] νομανανδρίαν excuſationem ne acceperis. Cura, ut omnia ſciam, ſed maximè, ut valeas.

CICERO ATTICO, S. 12

NEGOTIUM magnum eſt navigare , [13] atque menſe Quint. ſexto die Delum Athenis venimus. pridie Nonas Quint. à Piræeo ad Zoſtera ,vento moleſto qui nos ibidem Nonis tenuit. A. D. VIII. Idus [14] ad Ceo jucundè. inde Giarum ſævo vento , non adverſo : hinc Scyrum, inde Delum, utroq; citiùs, quàm vellemus, curſum confecimus. jam noſti ἄφρακτα Rhodiorum. nihil , quod minùs fluctum ferre poſſit. itaq; erat in animo nihil feſtinare, [15] Delo nec me movere , niſi [16] omnia ἀκρωτηρίων ὄυρεα vidiſſem. De Meſſalla ad te ſtatim, ut audivi , de Gyaro dedi litteras : & id ipſum conſilium noſtrum etiam ad Hortenſium: cui quidem valde [17] συνηγωνίων. ſed tuas de ejus [18] judiciis, ſermonibus , & mehercule omni de Reip. ſtatu litteras exſpecto , πολιτικώτερον quidem ſcriptas, (quoniam meos cum Thallumeto noſtro pervolutas libros) ejuſmodi inquam litteras, ex quibus ego, non quid fiat, (nam id [19] vel Helenius , vir graviſſimus , poteſt efficere, cliens tuus) ſed *quid* [20] *futurum ſit*. etiam cùm hæc leges habebimus Conſules. omnia perſpicere poteris, de Cæſare, de Pompejo , de ipſis judiciis. Noſtra autem negotia , quoniam Romæ commoraris , amabo te , explica. Cui rei fugerat me reſcribere , [21] de ſtrue laterum planè rogo. De aqua, ſi quid poterit fieri, eo ſis animo,quo ſoles eſſe : quam ego cùm mea ſponte,tum tuis ſermonibus æſtimo plurimi. [22] ergo quid conficies. Præterea [23] ſi quid Philippus rogavit, quod in ſua re faceres, id velim facias. Plura ſcribam ad te, cum conſtitero : nunc eram planè in medio mari.

CICERO ATTICO, S. 13

EPHESUM venimus A. D. XI. KAL. Sext. [24] ſexageſimo, & quingenteſimo poſt pugnam Bovillam. navigavimus ſine timore & ſine nauſea;ſed tardiùs propter aphractorum Rhodiorum imbecillitatem. De concurſu legationum, privatorum , & de incredibili multitudine , quæ mî jam Sami, ſed mirabilem in modum Epheſi præſto fuit, aut audiſſe te puto , aut quid ad me attinet ? [25] verumtamen cùm cum Decumanis veniſſem cum imperio , Græci quaſi Epheſio Prætori ſe alacres obtulerunt , ex quo te intelligere certo ſcio , multorum annorum *oſtentationes* meas nunc in diſ-

---

1. *Pomptinus.*] Notandum ubicunque occurrat , in vulgatis editionibus ſemper legi, *Pontinus, per, n.*

2. *Una Cn. Voluſius: aderat quæſtor tuus unus.*] Ita & reſtituit & diſtinguit Boſius ex Decurtat. vulg. *nam Cn. Voluſius aderat quæſtor. tuus unus , &c.* Lambino legendum videtur , *Jam Quintus Voluſius aderat & quæſtor Rufus unus, &c.* verumtamen tutius cenſet retinere lectionem receptam.

3. Ἐπείχον ἀεί.] Legebatur in Victorii codice & Tornæſ. ἘΠΗΚΟΝ ΔΕΙ : in Decurt. & Cruſellino ἐπῆχον· δεῖ , unde Boſius ita reſtituit , conſentiente Junio , freto ſcriptura unius Palat. Victorius conjiciebat ἐπήκοον, quod Lambinus rejiciens, de Tornæſiani ſcriptura nihil mutat, & legit ἐπὶ κόνδῃ. Pius reponebat, *aliud* ἐπίσκοπον ſive κατάσκοπον.

4. Οἵα γ' ἡ.] Vulg. οἵαπερ ἡ, *&c.* quæ etiam eſt antiqui Victoriani lectio.

5. *Fiet aliquid à nobis ſeverius.*] *Serius* habent veteres omnes Urſini.

6. *Nunc redeo ad ea.*] Fulvii mſ. *nunc ad ea quæ mihi* ; vulgò *nunc redeo ad quæ mihi mandas.*

7. *In præfectis excuſationi ſis.*] Hæc eſt Decurtati ſcriptura : Lambinus à veteribus libris longius recedens ſcribit , *in præfectis excuſato : tribunos quos voles, deſerto, &c.* vulgaria : *in præfectis excuſatio : iis, quos voles, &c.* quam Faërnus probabat, niſi quod *excuſato*, pro, *excuſatio* ſubſtituebat.

8. *Quod ipſum.*] Vulg. *quod id ipſum.*

9. *Et reliquos varones.*] Ita Lambinus, Turnebus, Boſius : vulg. *Barones* , quod mavult Junius. *Patrones* , legebat Pius , referente Urſino.

10. *Ariopago.*] Vulg. *Areopago.*

11. *Memmius autem.*] Hæc emendatio debetur Victorio , antea legebatur, *Ananius autem.*

12. Νομανανδρίαν.] Pro hac Decurtati ſcriptura , hactenus deminutè editum fuit μανδρίαν.

13. *Atque menſe.*] Vulg. *atque id menſe.*

14. *Ad Ceo jucunde.*] Ita eſt in Decurtato & Cruſell. ut conjecerat Manutius. Victorius ex mſſ. repoſuerat, *ab Ceo jucundè*, quum prius haberetur *ad Ceocum vicum, deinde.*

15. *Delo nec me.*] Vulg. *nec me de Delo.* Faërn. delet illud *Delo.*

16. *Omina* ἀκρωτηρίων ὄρεα.] Decurtati lectio hæc eſt quam ſequitur Junius , niſi quod pro *omina* , vulgatum , *omnia* ſervat. E depravatis veteris ſcripturæ veſtigiis , quæ hæc ſunt AKPA TH KIIYPA , legendum putat Muretus ἄκρατη τε καὶ ὄρεα lib. XIV. Var. lect. cap. II. Lambinus ſequitur emendationem, ut ait Boſii, quæ hæc eſt ἄκρα τηρέω ἴυγγα Vulg. ἀκρωτηρίων *jura.* mſſ. ἀκρωτηρέων *jura*, alii *tuta.* unde placebat Manutio ἀκρωτηρίων.

17. Συνηγωνίων.] Euge Victori qui illud συνηγωνιζόμην hinc furcillis ejeceris.

18. *Judiciis.*] Vulgò *judicii.*

19. *Vel Helenius vir graviſſimus.*] Vetus ſcriptura hæc eſt ; vulgata, *vel Helonius vir gratiſſimus.*

20. *Futurum ſit etiam cùm hæc.*] Vulg. *ſciam. Cùm hæc.*

21. *De ſtrue laterum.*] Victorius & Boſius indicarunt veteres libros habere DESTRUES ALTERUM ; *ille ſe Machaonis artes deficere ingenuè profitetur* , *alter verò ita ſanat ut videre eſt.* vulg. *de ſtrue ſalinarum.* Vetus Urſini liber, *de ſervis ſalinarum.*

22. *Ergo quid.*] Vulg. *ego aliquid.*

23. *Si quid Philippus rogavit, quod in ſua re faceres.*] Faërnus ex mſſ. *ſi quid Phil. rogat, quod in ſua re faceres.* vulg. *in tua re.*

24. *Sexageſimo & quingenteſimo.*] Hæc eſt Decurtati ſcriptura : Manutius legeret libenter, *ſeptuageſimo & quinto.* Lambinus , *quingenteſimo quadrageſimo quinto* : vulg. *ſexageſimo quinto.*

25. *Verumtamen cùm cum Decumanis.*] Scidæ, *cum Decumanis.* alterum *cùm* , negligentia librariorum omiſſum reſtituit Boſius. Manutio placeret , *verumtamen cum Romanus* , quam conjecturam amplexi ſunt Corradus & Lambinus, qui vocem, *civis*, addit. Muretus rectum putat , *verumtamen Decumani* , *ut ſi veniſſem cum imperio :* vulgata lectio ſimilis eſt Scidarum.

1. *Philo-*

diſcrimen eſſe adductas. ſed, ut ſpero, utemur ea palæſtra, quam à te didicimus; omnibuſque ſatisfaciemus; & eò faciliùs, quòd in noſtra provincia confectæ ſunt pactiones. Sed hactenus, præſertim cùm cenanti mihi nuntiaret Cæſtius, ſe de nocte proficiſci. Tua negotia Epheſi curæ mihi fuerunt: Thermoque, tametſi ante adventum meum liberaliſſimè erat pollicitus tuis omnibus, tamen [1] Philogenem, & Sejum tradidi; Apollonienſem Xenonem commendavi. omnino omnia ſe facturum recepit. Ego præterea rationem Philogeni permutationis ejus, quam tecum feci, edidi. ergo hæc quoque hactenus. Redeo ad urbana. Per fortunas (quoniam Romæ manes) primum illud præfulci, atque præmuni, quæſo, ut ſimus annui; ne intercaletur quidem. deinde exhauri mea mandata; [2] maximeque ſi quid poteſt, de illo domeſtico, ſcrupulum quem non ignoras; deinde de Cæſare: cujus in cupiditatem te auctore incubui; nec me piget. [3] &, ſi intelligis, quàm meum ſit ſcire & curare, quid in Rep. fiat: fiat autem? immo verò etiam quid *futurum ſit*, perſcribe ad me omnia, ſed diligentiſſimè: [4] in primiſque ecquid judiciorum ſtatus aut factorum, aut futurorum etiam laboret. De aqua, ſi curæ eſt, ſi quid Philippus aget, [5] animadvertas.

14 CICERO ATTICO, S.

ANTE quàm aliquo loco conſedero, neque longas à me, neque ſemper mea manu litteras exſpectabis. cùm autem erit ſpatium, [6] utrumque præſtabo. nunc iter conficiebamus æſtuoſa & pulverulenta via. dederam Epheſo pridie: has dedi Trallibus. In provincia mea fore me putabam KAL. Sextilibus. ex ea die, [7] ſi me amas, παράγγελμα ἐνιαύσιον commoveto. tamen interea hæc, [8] quæ vellem, mihi afferebantur: primùm otium Parthicum, dein confectæ pactiones Publicanorum, poſtremò ſeditio militum ſedata ab Appio, ſtipendiumque eis uſque ad Idus Quint. perſolutum. Nos Aſia accepit admirabiliter. adventus noſter nemini ne minimo quidem fuit *ſumptui*. ſpero meos omneis ſervire laudi meæ. tamen magno timore ſum: ſed [9] bene ſperamus. omnes jam noſtri, præter Tullium tuum, venerunt. erat mihi in animo rectà proficiſci ad exercitum. æſtivos menſes reliquos rei militari dare, hibernos *juridictioni*. Tu, velim, ſi me nihilo minùs noſti curioſum in Rep. quàm te, ſcribas ad me omnia quæ ſint, quæ futura ſint, nihil mihi gratius facere potes: niſi tamen id erit mihi gratiſſimum, ſi, quæ tibi mandavi, confeceris; [10] in primiſque illud [11] ἐνδόμυχον; quo mihi ſcis nihil eſſe carius. Habes epiſtolam plenam feſtinationis & pulveris reliquæ ſubtiliores erunt.

CICERO ATTICO, S. 15

LAODICEAM veni pridie KAL. Sext. [12] ex hoc die clavum anni movebis. nihil exoptatius adventu meo, nihil carius. ſed eſt incredibile, quam me negotii tædeat. [13] non habeat ſatis *magnum campum ille* tibi non ignotus curſus animi, [14] & induſtriæ meæ? præclara opera ceſſet? quippe, jus Laodiceæ me dicere, cùm Romæ A. Plotius dicat? & cùm exercitum noſter amicus habeat, tantum me nomen habere duarum legionum exilium? denique hæc non diſidero: lucem, forum, urbem, domum, vos deſidero. ſed feram, ut potero ſit modò annuum. ſi prorogatur, actum eſt. verùm perfacilè reſiſti poteſt. tu modò Romæ ſis. Quæris, quid hic agam? ita vivam, ut maximos ſumptus facio. mirificè delector hoc inſtituto. admirabilis *abſtinentia* ex præceptis tuis: ut verear, ne illud, quod tecum permutavi, verſura mihi ſolvendum ſit. Appii vulnera non refrico: ſed apparent, nec occuli poſſunt. iter Laodicea faciebam A. D. III. Nonis Sext. cum has litteras dabam, in caſtra in Lycaoniam, inde ad Taurum cogitabam, ut cum [15] Mœragene ſignis collatis, ſi poſſem de ſervo tuo deciderem. *clitellæ bovi* ſunt impoſitæ, [16] Cillane, non eſt noſtrum onus: ſed feremus: modo, ſi me amas, [17] ſit annuum. adſis tu ad tempus, ut [18] Senatum totum excites, mirificè ſollicitus ſum, quòd jam diu ignota ſunt mihi iſta omnia. quare, ut ad te ante ſcripſi, cùm cetera, tum Reſp. cura, ut mihi nota ſit. [19] Plura ſcribam tarde reddituro? ſed dabam familiari homini, ac domeſtico, C. Andronico Puteolano. tu autem ſæpe dare tabellariis Publicanorum poteris, per magiſtros ſcripturæ, [20] & portus, & noſtrarum diœceſium.

CICERO ATTICO, S. 16

ETSI in ipſo itinere & via diſcedebant Publicanorum tabellarii, & eramus in curſu: tamen ſurripiendum aliquid putavi ſpatii, ne me immemorem mandati tui putares. itaque ſubſedi in ipſa via, dum hæc, quæ longiorem deſiderant orationem, ſummatim tibi perſcriberem. Maxima exſpectatione in perditam, & planè everſam in perpetuum provinciam nos veniſſe ſcito pridie KAL Sextiles; [21] moratus triduum Laodiceæ, triduum Apameæ, totidem dies Synnade, audivimus nihil aliud, niſi imperata

ἐπι-

1. *Philogenem, & Sejum tradidi; Apollonienſem Xenonem.*] Lectio hæc eſt Victorii niſi quod *Apollonienſem* ſcripſit Boſius ex Decurtato & Cruſellino, pro *Apollonidenſem*: Lambinus ait in mſſ. eſſe *Apollonidienſem*: vulg. *Sejum Rhodium & Apollonicenſem.*

2. *Maximeque ſi quid poteſt, &c.*] Faërnus, *maximeque ſi quid potes de illo ſcrupulo quem, &c.*

3. *Et, ſi intelligis quam meum.*] Faërnus, *etſi intelligis quam mea interſit ſcire.*

4. *In primiſque ecquid judiciorum.*] Ita Decurt. & Cruſell. Malaſp. Lamb. & Junius ex duobus Palat. *in primiſque numquid judiciorum, &c.* vulg. *quid judiciorum.*

5. *Animadvertas.*] Vulg. *animadvertes.*

6. *Utrumque præſtabo.*] Codex Tornæſianus habet *utrumque ſtabo.* Malaſp. mſſ. *dabo*; à quo non videbatur abhorrere Gulielmius.

7. *Si me amas παράγγελμα.*] Hæc eſt Germanorum lectio quam ſequutus eſt Victorius, quia ſimiles valde characteres in ſuo mſ. invenerat, ſcilicet ΠΑΓΓΕΛΜΑ ΕΝΙΑΥ(ΙΟΝ. Vir doctiſſimus ut ait Urſinus, ita emendabat, *& ſi me* ἐπάγγελμα ἐνιαύσιον *commovebat tamen.*

8. *Hæc, quæ vellem, mihi afferebantur.*] Junius ex mſſ. Palat. *hæc vellem, mihi quæ afferebantur*; ceterùm pro *afferebantur* nonnulli codd. inter quos Tornæſ. legunt *adgerebantur.*

9. *Bene ſperamus.*] Vulg. *bene paramus.*

10. *In primiſque illud.*] Ita emendavit Manutius: vulgò, *in primis quid illud.*

11. Ἐνδόμυχον.] Sic repoſuit Victorius. prius ἐνόμιλω.

12. *Ex hoc die clavum anni movebis.*] Hæc eſt Decurtati ſcriptura. repoſuerat Victorius antea, *ex hoc die clavum commovebis*, cum prius legeretur, *ex hoc die clavum animo verbis*, quæ etiam eſt & Tornæſ. & Cruſellini lectio. Hoc totum abeſſe a Beſſarionis & Ferri libris, & duobus antiquis qui Romæ ſunt, & ſine jactura poſſe abeſſe ait Manutius, niſi forte legatur, *ex hoc die commovebis.* Turnebus d. cap. 29. putat commodam recipere interpretationem vulgatum aliàs, *clavum amovebis.*

13. *Non habeat.*] Vulg. *ne non habeat ſatis.*

14. *Et induſtriæ meæ? præclara opera ceſſet?*] Sic diſtinguit Junius ex mſſ. Palat. *& meæ induſtriæ præclara opera, &c.* Ceterum vulgò pro, *ceſſet*, quæ eſt Memm. Torn. & nonnullorum Italicorum ſcriptura, legitur *cenſent*; Lambinus malit, *à præclara opera ceſſem.*

15. *Mœragene.*] Sic Decurt. vulg. *Meephragine, vel Morphagene.*

16. *Cillane non eſt.*] Junius ait Boſium hæc optimè ex Decurt. ſui fide. Victorius edidit, *illane*, ut eſt in Tornæſ. & Cruſellino.

17. *Sit annuum.*] Junius ex mſſ. Palat. *ſit annus*, etiamſi non improbet vulgatam lectionem, *ut ſim annuus.*

18. *Senatum totum.*] In mſſ. Boſii exaratum erat, *ſenatum totum*: vulg. abeſt *totum.*

19. *Plura ſcribam tarde reddituro?*] Junius ait Boſium ſic rectè legere, ſed mſſ. Palat. tamen ſervare vocem, *tibi*, quod probat. Victorius locum hunc corruptum exiſtimat: Lambinus conjecturam hanc Malaſp. ſequitur, *plura ſcribebam: tardè reddituro.* ſed quum vidiſſet codd. Tornæſ. habere *redditu ire*, maluit, *plura ſcribebam, ſciens tibi tardè redditum iri: ſed dabam, &c.* Boſius etiam hinc legi poſſe cenſet, *plura ſcibam tarde tibi redditu iri.* Germani & vulg. *plura ſcribam alias.*

20. *Et portus & noſtrarum.*] Manutius forte legendum putat, *& portus noſtrarum.*

21. *Moratus triduum Laodiceæ.*] Videtur legendum Urſino, *moratos.*

ἐπικεφάλια ſolvere non poſſe: [1] *ὠνὰς* omnium venditas: civitatum gemitus, ploratus, monſtra quædam non hominis, ſed feræ neſcio cujus immanis. quid quæris? [2] tædet omninumos vitæ. *levantur tamen miſeræ civitates*, quòd nullus fit ſumptus in nos, neque in legatos, neque in Quæſtorem, neque in quemquam. ſcito, non modo nos fœnum, aut quod lege Julia dari ſolet, non accipere, ſed ne ligna quidem; nec, præter quattuor lectos & tectum, quemquam accipere quidquam: multis locis ne tectum quidem, & in tabernaculo manere plerumque. itaque incredibilem in modum concurſus fiunt ex agris, ex vicis, [3] ex domibus omnibus. mehercule etiam, adventu noſtro, *reviviſcunt*; juſtitia; abſtinentia, clementia tui Ciceronis. itaque opiniones omnium ſuperavit. Appius, ut audivit nos venire, in ultimam provinciam ſe conjecit Tarſum uſque: ibi forum agit. De Partho ſilentium eſt: ſed tamen conciſos equites noſtros à barbaris nuntiabant ii, qui veniebant. Bibulus ne cogitabat quidem etiam nunc in provinciam ſuam accedere. id autem facere ob eam cauſam dicebant, quòd tardiùs vellet decedere. Nos in caſtra properabamus, quæ aberant bidui.

17 CICERO ATTICO, S.

ACCEPI Roma ſine epiſtola tua faſciculum litterarum: in quo, ſi modò valuiſti, & Romæ fuiſti, Philotimi duco eſſe culpam, non tuam. hanc epiſtolam dictavi ſedens in rheda, cùm in caſtra proficiſcerer, à quibus aberam bidui. paucis diebus habebam certos homines, quibus darem litteras. itaque eò me ſervavi. Nos, tamen etſi hoc te ex aliis audire malo, ſic in provincia nos gerimus, quòd ad abſtinentiam attinet, ut nullus *teruntius* inſumatur in quemquam. id fit etiam & legatorum, & tribunorum, & præfectorum diligentia. nam omnes mirificè συμφιλοδοξῦσιν gloriæ meæ. Lepta noſter mirificus eſt. Sed nunc propero. perſcribam ad te paucis diebus omnia. Cicerones noſtros Dejotarus filius, qui rex ab Senatu appellatus eſt ſecum in regnum, dum in æſtivis nos eſſemus, illum pueris locum eſſe belliſſimum duximus. [4] Seſtius ad me ſcripſit, quæ tecum eſſet de mea domeſtica & maxima cura locutus, & quid tibi eſſet viſum. amabo te, incumbe in eam rem, & ad me ſcribe, quid & poſſit, & tu cenſeas. Idem ſcripſit Hortenſium de proroganda noſtra provincia dixiſſe neſcio quid. mihi in Cumano, diligentiſſimè, ſe, ut annui eſſemus, defenſurum receperat. ſi quicquam me amas, [5] hunc *locum muni*. dici non poteſt, quam invitus à vobis abſim. & ſimul hanc gloriam juſtitiæ & abſtinentiæ fore illuſtriorem ſpero, ſi *citò deceſſerimus*. id quod Scævolæ contigit, qui ſolos novem menſes Aſiæ præfuit. Appius noſter, cùm me adventare videret, profectus eſt Tarſum uſque Laodicea. ibi forum agit, cùm ego ſim in provincia; quam ejus injuriam non inſector. ſatis enim habeo negotii in ſanandis vulneribus, quæ ſunt impoſita provinciæ. quod, do operam, ut faciam quam minima illius *contumelia*. ſed hoc Bruto noſtro velim dicas, illum feciſſe non belle, qui adventu meo, quam longiſſimè potuerit, diſceſſerit.

CICERO ATTICO, S. 18

QUAM vellem Romæ eſſes, ſi fortè non es. nihil enim certi habebamus, niſi accepiſſe nos tuas litteras A. D. XIIII. KAL. Sext. datas: in quibus ſcriptum eſſet, te in Epirum iturum circiter KAL. Sextiles. ſed, ſive Romæ es, ſive in Epiro, Parthi Euphratem tranſierunt duce Pacoro, [6] Orodis, regis Parthorum, filio, [7] cunctis ferè copiis. [8] Bibulus nondum audiebatur eſſe in Syria. Caſſius in oppido Antiochiæ cum omni exercitu. nos in Cappadocia ad Taurum cum exercitu ad Cybiſtra. hoſtis in Cyrrheſtica; quæ Syriæ pars proxima eſt provinciæ meæ. his de rebus ſcripſi ad Senatum: quas litteras, ſi Romæ es, videbis, puteſne reddendas: & multa, immo omnia: quorum κεφάλαιον, ne quid *intercæſa, & porrecta*, ut ajunt oneris mihi addatur, aut temporis. nobis enim, hac infirmitate exercitus, inopia ſociorum, præſertim fidelium, certiſſimum ſubſidium eſt hiems. ea ſi venerit, nec illi ante in meam provinciam tranſierint, unum vereor, ne Senatus propter urbanarum rerum metum Pompejum nolit dimittere. quòd ſi alium ad ver mittit, non laboro. nobis modò temporis ne quid prorogetur. Hæc igitur, ſi Romæ es: ſin abes, aut etiam ſi ades; hæc negotia ſic ſe habent. [9] Stamus animis; &, quia conſiliis, ut videmur, bonis utimur, ſperamus eiam manu. tuto conſedimus, [10] copioſo à frumento, Ciliciam prope conſpiciente, expedito [11] ad mutandum, loco; parvo exercitu; ſed, ut ſpero, ad benivolentiam erga nos conſentiente: quem nos, Dejotari adventu cum ſuis omnibus copiis, duplicaturi eramus. ſociis multo fidelioribus utimur, quàm quiſquam [12] uſus eſſet: quibus *incredibilis* videtur & noſtra manſuetudo & abſtinentia. delectus habetur civium Romanorum. frumentum ex agris in loca tuta comportatur. ſi fuerit occaſio, manu, ſin minùs, locis nos defendemus. quare bono animo es. video enim te, &, quaſi *coram adſis*, ita cerno συμπάθειαν amoris tui. ſed te rogo, (ſi ullo pacto fieri poterit) ſi integra in Senatu noſtra cauſa ad KAL. Janu. manſerit, ut Romæ ſis menſe Januario. profectò nihil accipiam injuriæ, ſi tu aderis. amicos Conſules habemus, [13] noſtrum Tribunum pleb. Furnium. verùm tua eſt opus aſſiduitate, prudentia, gratia. tempus eſt neceſſarium. ſed turpe eſt, me pluribus verbis agere tecum. Cicerones noſtri ſunt apud Dejotarum, ſed, ſi opus erit, deducentur Rhodum. Tu, ſi es Romæ; ut ſoles, diligentiſſime: ſi in Epiro; mitte tamen ad nos de tuis aliquem tabellarium; ut & tu, quid nos agamus, & nos, quid tu agas, quidque acturus ſis, ſcire poſſimus. Ego tui Bruti rem ſic ago, ut *ſuam ipſe* non ageret. ſed jam exhibeo pupillum, neque defendo. ſunt enim negotia & lenta, & inania. faciam tamen ſatis. tibi quidem, cui difficilius eſt, quàm ipſi. ſed certè ſatisfaciam utrique.

CICERO ATTICO, S. 19

OBSIGNARAM jam [14] epiſtolam eam, quam puto te modò perlegiſſe, ſcriptam mea manu, in qua omnia continentur, [15] cùm ſubito Appii tabellarius A. D. XI. KAL. Octob. ſeptimo quadrageſimo die Roma celeriter (hui tam lon-

1. *Ω'νὰς omnium.*] Victorium ita reſtituentem ſequuntur Boſius & Junius: Lambinus non audet rejicere vulgatam lectionem, *poſſeſſiones omnium*.

2. *Tædet omninumos vitæ.*] Ex corrupta Decurtati lectione, *omnimunos*, iſtud reponit Boſius. Junius mavult, *omnimunes*: Manutius emendat, *omnino vitæ*; Malaſp. *omnino eos vitæ*.

3. *Ex domibus omnibus.*] Sic interpungit Manutius; *ex domibus mehercule etiam, adventu noſtro, reviviſcunt juſtitia*. Faërnus, *ex domibus mehercule & jam adventu noſtro reviviſcunt juſtitia*.

4. *Seſtius.*] Vulg. *Sextius*.

5. *Hunc locum muni.*] Sic Scidæ, Tornæſ. & Cruſell. vulg. *hunc locum ama*.

6. *Orodis.*] *Orodæ* & hic & infra liber mſ. Manutii.

7. *Cunctis ferè copiis.*] Ita Decurt. & Tornæſ. Victorius *cunctis referto copiis*, quod vulgò receptum eſt.

8. *Bibulus nondum audiebatur.*] Victorius faciebat *Bibulus ne cogitabat quidem*, ex ſui antiqui corrupta hac ſcriptura, *Bibulus negotiabat quidem*. antea erat, *nuntiabatur quidem*.

9. *Stamus animis, &c.*] Muretus d. cap. undecimo legit, *ſperamus & jam arvo tuto conſedimus*. vulgata: *ſperamus etiam manu. Tuto conſedimus*.

10. *Copioſo à frumento.*] Beſſarionis mſ. *quo Piſo à frumento*.

11. *Ad mutandum, loco.*] Hanc Manutii conjecturam confirmant Decurt. & Tornæſ. Victorius, quem ſequuti reliqui omnes, *ad mutandum locum*.

12. *Uſus eſſet.*] Melius, ut videtur Urſino, Faërnus legit ex antiquo libro, *uſus eſt*.

13. *Noſtrum trib.*] Vulg. *noſtros trib.*

14. *Epiſtolam eam.*] Vulg. *epiſtolam meam*.

15. *Cum ſubitò Appii tabellarius.*] Auxilio antiqui ſui ita reſcripſit Victorius. prius erat, *cum ſubito applicuit tabellarius*. reſtituit etiam inde Victorius, *ſui tam longè*, pro, *ivit tam mihi longè*.

longè !) mihi tuas litteras reddidit. ex quibus non dubito, [1] quin tu Pompejum exſpectaris, dum Arimino rediret, [2] & jam in Epirum profectus ſis: magiſque vereor, ut ſcribis, ne in Epiro ſollicitus ſis non minùs, quàm nos hic ſumus. De Attelliano nomine ſcripſi ad Philotimum ne appellaret Meſſallam. Itineris noſtri *famam* ad te perveniſſe lætor, magiſque lætabor, ſi reliqua cognoris. Filiolam tuam tibi [3]jam Romæ jucundam eſſe gaudeo; eamque, quam nunquam vidi, tamen & amo, & amabilem eſſe certò ſcio. etiam atque etiam [4] valete Patron, & tui condiſcipuli. Quæ de [5] Tarentinis in militia laboravi, ea tibi grata eſſe gaudeo. Quòd ſcribis [6] libente te, repulſam tuliſſe eum, qui cum ſororis tuæ filii patruo certaret; *magni amoris ſignum.* itaque me etiam admonuiſti ut gauderem. nam mihi in mentem non venerat. non credo, inquis. ut libet: ſed planè gaudeo: quoniam τὸ νεμεσᾷν intereſt τοῦ φθονεῖν.

20 CICERO ATTICO, S.

SATURNALIBUS manè ſe mihi [7] Pindeniſſæ dediderunt [8] ſeptimo & quadrageſimo die, poſtquam oppugnare eos cœpimus. qui (malum) iſti Pindeniſſæ? qui ſunt? inquies: nomen audivi numquam. quid ego faciam? [9] potui Ciliciam, Ætoliam, aut Macedoniam reddere? hoc jam ſic habeto, nec hoc exercitu hîc tanta negotia geri potuiſſe: quæ cognoſce ἐν ἐπιτομῇ. ſic enim concedis mihi proximis litteris. Epheſum ut venerim, noſti; qui etiam mihi gratulatus es illius diei [10] celebritatem: qua nihil me umquam delectavit magis. inde [11] oppidis, iis, quà ieram, mirabilter accepti, Laodiceam pridie KAL. Sext. venimus. ibi morati biduum [12] *perilluſtres* fuimus, honorificiſque verbis omnis injurias revellimus ſuperiores: [13] quod idem dein Apameæ quinque dies morati, & Synnadis triduum, Philomeli quinque dies, Iconii decem [14] fecimus. nihil ea juriſdictione æquabilius, nihil lenius, nihil gravius. [15] inde in caſtra veni A. D. VII. KAL. Septembr. A. D. III. exercitum luſtravi apud Iconium. ex his caſtris, cum graves de Parthis nuntii venirent, perrexi in Ciliciam per Cappadociæ partem eam, quæ Ciliciam attingit; eo conſilio, ut Armenius [16] Artavaſdes, & ipſi Parthi Cappadocia ſe excludi putarent. cùm dies quinque ad Cybiſtra Cappadociæ caſtra habuiſſem, certior ſum factus, Parthos ab illo aditu Cappadociæ longè abeſſe; Ciliciæ magis imminere. itaque confeſtim iter in Ciliciam feci per Tauri pylas. Tarſum veni AD. III. NON. Octob. inde ad Amanum contendi qui Syriam à [17]Cilicia ima aquarum divortio dividit; qui mons erat hoſtium plenus *ſempiternorum.* hic [18] A. D. III. Idus Octob. magnum numerum hoſtium [19] occidimus. caſtella munitiſſima, nocturno Pontini adventu, noſtro matutino, cepimus, incendimus. *imperatores* appellati ſumus. [20]caſtra paucos dies habuimus, ea ipſa, quæ contra Darium habuerat apud Iſſum Alexander, imperator haud paulo melior, quam aut tu, aut ego. ibi dies quinque morati, direpto & vaſtato Amano, inde diſceſſimus. [21] ſcis enim dici quædam πανικά: dici item τὰ κενὰ τοῦ πολέμου. rumore adventus noſtri, & Caſſio, qui Antiochia tenebatur, animus acceſſit, & Parthis timor injectus eſt. itaque eos, cedenteis ab oppido Caſſius inſecutus, rem bene geſſit. qua in fuga, magna auctoritate, [22] Oſaces, dux Parthorum, vulnus accepit, eoque interiit paucis poſt diebus. erat in Syria noſtrum nomen in gratia. venit interum Bibulus. credo voluit appellatione hac *inani* nobis eſſe par. in eodem Amano cœpit laureolam in muſtaceo quærere. at ille cohortem primam totam perdidit, centurionemque primipili, nobilem ſui generis, Aſinium Dentonem, & reliquos cohortis ejuſdem, & Sex. Lucilium, T. Gavii Cæpionis, locupletis & ſplendidi hominis, filium, tribunum militum. ſanè plagam odioſam acceperat cum re, tum tempore. Nos Pindeniſſum, quod oppidum munitiſſimum Eleutherocilicum omnium memoria in armis fuit, (feri homines & acres, & omnibus rebus ad defendendum parati) cinximus vallo & foſſa: aggere maximo, vineis, turre altiſſima, magna tormentorum copia, multis ſagittariis, magno labore, apparatu, multis ſauciis noſtris, incolumi exercitu, negotium confecimus. hilara ſanè Saturnalia. militibus quoque, *equis exceptis*, reliquam prædam conceſſimus. mancipia vænibant [23] Saturnalibus tertiis. cùm hæc ſcribebam in tribunali, res erat ad H-S CXX. hinc exercitum in hiberna agri malè pacati deducendum Quinto fratri dabam. ipſe me Laodiceam recipiebam. Hæc adhuc. ſed ad præterita revertamur. Quòd me maximè hortaris; &, quod pluris eſt, quam omnia, in quo laboras, ut etiam Ligurino μώμῳ ſatisfaciam: moriar, ſi quicquam fieri poteſt elegantiùs. [24] nec jam ego hanc *continentiam* appello, quæ virtus voluptati reſiſtere videtur. ego in vita mea nulla umquam voluptate tanta ſum adfectus, quanta adficior hac integritate. nec me tam fama, quæ ſumma eſt, quàm res ipſa, delectat. quid quæris? fui tanti: me ipſe non noram: nec ſatis ſciebam, quid in hoc genere facere poſſem: [25] rectè πεφυσίωμαι. nihil eſt præclarius. interim hæc λαμπρά.

Ario-

---

1. *Quin tu Pompejum.*] Vulg. *quin ut Pompejum.*
2. *Et jam in Epirum.*] Vulg. *etiam.*
3. *Jam Romæ.*] Mallet Manutius ſi libri paterentur, *jam inire jucundam.*
4. *Valete Patron.*] Sic Boſius ex Decurt. Claudius Puteanus V. CL. emendabat, *etiam atque etiam valedic Patroni & tuis condiſcipulis.* volebat autem illuſtrari illis lib. VII. Epiſt. 2. *Filiola tua, &c.* cum enim utroque in loco de Attici in filiam amore agat, hortatur eum Tullius, quoniam ab illo Epicuri decreto deſciverat, qua negabat στοργὴν φυσικὴν εἶναι τὴν πρὸς τὰ τέκνα; ut jam univerſam ejus Philoſophiam relinquat. hanc quidem emendationem Lamb. probat, mavult tamen legere, *valere jube Patronem & condiſcipulos tuos:* Vulg. *vale. de Patrone & tuis condiſcipulis.*
5. *Tarentinis.*] *Parietinis* reponit Manutius; invitis Victorio lib. IX. cap. 3. Lambino, Boſio, & illorum mſſ.
6. *Libente te.*] Lipſii hanc emendationem, proditam libro IV. Epiſt. quæſt. cap. II. adjuvant Scidæ Boſii. antea impreſſi habent, *libenter.*
7. *Pindeniſſæ.*] Decurt. Tornæſ. & Cruſellinus ita habent, vulgò, *Pindentiſſæ.* Lamb. *Pindeniſſitæ.*
8. *Septimo & quadrageſimo.*] Hæc eſt Scidarum, Cruſell. & Tornæſ. lectio: formis excuſorum, *ſeptimo & quinquageſimo.*
9. *Potui Ciliciam.*] Vulg. *non potui.*
10. *Celebritatem.*] Sic omnes Boſii & Malaſp. codices, alii, *celebritate.*
11. *Oppidis iis quà ieram.*] A Decurtato eſt, vulgati *libri oppidis his quæ erant.*
12. *Perilluſtres fuimus.*] *Fuerunt,* antiquus Beſſarionis liber.
13. *Quod idem dein Apameæ.*] Concordant Boſii libri cum iis quibus unus eſt Malaſp. & cum conjectura Manutii, quæ quidem confirmata eſt libro Urbinatis ducis. Faërnus ita legebat, *quod idem Apameæ*, cum in vulgatis eſſet, *quod dein Apameæ;* quod vitioſum eſſe cognovit quidem Victorius, ſed medicinam adhibere non potuit. Corradus, & hunc ſequutus Lambinus, duo illa vocabula, *quod dein*, mutant in, *quadriennii*, & proximæ periodo ita annectunt, *omnes injurias revellimus ſuperioris quadriennii.*
14. *Fecimus.*] Lamb. ex Corrado, *forum egimus.*
15. *In caſtra veni.*] Vulg. *ad caſtra.*
16. *Artavaſdes.*] Junius, *Artaxaſdes.*
17. *Cilicia ima.*] Vox *ima* deeſt in omnibus vulg. cujus loco, Victoriani omnes, duo Manutiani & Tornæſ. habent *in:* ſed ea planè omnibus litteris perſcripta eſt in Decurtato.
18. *A. D. III. Id. Octob.*] Vulgò *ad III. Octob.*
19. *Occidimus.*] Vulg. *cecidimus.*
20. *Caſtra paucos dies.*] Vulg. *paucos poſt dies.*
21. *Scis enim dici.*] Vulg. *interim ſcis enim quædam* πανικὰ *dici, item* τὰ κενὰ, *&c.*
22. *Oſaces.*] Ita repoſuit Victorius ex ſuo antiquiori, antea, *Oſates.*
23. *Saturnalibus tertiis.*] Et hoc eſt à Victorio; prius *Saturnalibus certis.*
24. *Nec jam ego.*] Hæc eſt Decurtati lectio. quidam veteres, *nec tam:* Vulg. *nec tamen ego.*
25. *Rectè* πεφυσίωμαι.] Hæc quoque emendatio debetur Victorio. Germani πέπεισμαι.

1. A'δω-

Ariobarzanes opera mea vivit, regnat. ἐν παρέργῳ, conſilio, & auctoritate, & quòd inſidiatoribus ejus ἀπρόσιτον me non modo [1] ἀδωροδόκητον præbui, regem regnumque ſervavi. interea è Cappadocia ne pilum quidem. [2] atque etiam ſpero toto anno imperii noſtri *teruntium ſumtus* in provincia nullum fore. Brutum abjectum, quantum potui, excitavi: quem non minus amo, quàm tu; pænè dixi, quàm te. Habes omnia. nunc publicè litteras Romam mittere parabam. uberiores erunt, quàm ſi ex Amano miſiſſem. at te Romæ non fore? ſed eſt totum, quod [3] KAL. Mart. futurum eſt. vereor enim, ne, cùm de provincia agetur, ſi Cæſar reſiſtet, nos retineamur. his tu ſi adeſſes, nihil timerem. Redeo ad urbana: quæ ego diu ignorans, ex tuis jucundiſſimis litteris A. D. V. KAL. Jan. denique cognovi. eas diligentiſſimè Philogenes libertus tuus, curavit, perlonga, & non ſatis tuta via, perferendas. nam quas [4] Lenii pueris ſcribis datas, non acceperam. Iucundè de Cæſare, & quæ Senatus decrevit, & quæ tu ſperas: quibus ille ſi cedit, ſalvi ſumus. Incendio Plætoriano quòd Lejus aduſtus eſt, minus moleſtè fero. Luccejus de Q. Caſſio cur tam vehemens fuerit, & quid actum ſit, haveo ſcire. Ego, cùm Laodiceam venero, Quinto, ſororis tuæ filio, [5] togam puram jubeor dare; cui moderabor diligentius. [6] Dejotarus, cujus auxiliis magnis uſus ſum, ad me, ut ſcripſit, cum Ciceronibus Laodiceam venturus erat. Tuas etiam Epiroticas exſpecto litteras; ut habeam rationem non modò negotii, verum etiam otii tui. Nicanor in officio eſt, & à me liberaliter tractatur: quem, ut puto, Romam cum *litteris publicis* mittam; ut diligentiùs perferantur, & idem ad me certa de te, & à te referat. Alexis quòd mihi toties ſalutem adſcribit, eſt gratum. ſed cur non ſuis litteris idem facit, quod meus ad te Alexis facit? [7] Phemio quæritur κέρας. Sed hæc hactenus. Cura, ut valeas, & ut ſciam, quando cogites Romam. etiam atque etiam vale. Tua tuoſque Thermo & præſens Epheſi diligentiſſimè commendaram, & nunc per litteras: ipſumque intellexi eſſe perſtudioſum tui. Tu velim, quod antea ad te ſcripſi, de domo [8] Pammeni, des operam, ut, quod tuo, meoque beneficio puer habet, cures, ne qua ratione convellatur. [9] utrique noſtrum honeſtum exiſtimo; tum mihi erit pergratum.

21 CICERO ATTICO, S.

TE IN Epirum ſalvum veniſſe, &, ut ſcribis, ex ſententia navigaſſe, vehementer gaudeo: non eſſe Romæ meo tempore perneceſſario, ſubmoleſtè fero; hoc me tamen conſolor, [10] non ſpero te iſtic jucundè hiemare, [11] & libenter requieſcere. Caſſius, frater Q. Caſſii, familiaris tui, pudentiores illas litteras miſerat (de quibus tu ex me requiris, quid ſibi voluerint) quàm eas, quas poſtea miſit, quibus [12] per ſe ſcribit confectum eſſe Parthicum bellum. receſſerant illi quidem ab Antiochia ante Bibuli adventum, ſed nullo noſtro δὲ ἡμερήμαλι. hodie verò hiemant in Cyrrheſtica, maximumque bellum impendet. nam & [13] Orodes, regis Parthorum filius, in provincia noſtra eſt: nec dubitat Dejotarus, cujus filio pacta eſt Artavaſdis filia, ex quo *ſciri poteſt*, quin cum omnibus copiis ipſe prima æſtate Euphratem tranſiturus ſit. quo autem die Caſſii litteræ victrices in Senatu recitatæ ſunt, id eſt, Nonis Octobribus, eodem meæ tumultum nuntiantes. Axius noſter ait, noſtras auctoritatis plenas fuiſſe; illis negat creditum. Bibuli nondum erant allatæ: quas certò ſcio plenas timoris fore. Ex iis rebus hoc vereor, ne, cùm Pompejus propter metum rerum novarum nuſquam dimittatur, Cæſari nullus honos à Senatu habeatur; dum hic nodus expediatur, non putet Senatus, nos ante quàm ſucceſſum ſit, oportere decedere: nec in tanto motu rerum tantis provinciis ſingulos legatos præeſſe. hîc, ne quid mihi prorogetur, quod ne interceſſor quidem ſuſtinere poſſit, horreo: atque eò magis, quòd tu abes, qui conſilio, gratia, ſtudio multis rebus occurreres. ſed dices me ipſum mihi ſollicitudinem ſtruere. cogor: & velim ita ſit. ſed omnia metuo. etſi bellum [14] ἀκροτελεύτιον habet illa tua epiſtola, quam dediſti nauſeans Buthroto: TIBI, UT VIDEO ET SPERO, NULLA AD DECEDENDUM [15] ERIT MORA. mallem, UT VIDEO: nihil opus fuit, UT SPERO. acceperam autem ſatis celeriter Iconii per Publicanorum tabellarios à Lentuli triumpho datas. in his γλυκύπικρον illud confirmas, moram mihi nullam fore: deinde addis, ſi quid ſecus, te ad me fore venturum. [16] pungunt me dubitationes tuæ: ſimul & vides, quas acceperim litteras. nam quas Hermoni [17] centurionis Camulæ ipſe ſcribis te dediſſe, non accepi. Lenii pueris te dediſſe, ſæpe ad me ſcripſeras. eas Laodiceæ denique, cùm eò veniſſem, III. ID. Febr. Lenius mihi reddidit, datas A. D. X. KAL. Octobres. Lenio tuas commendationes & ſtatim verbis, [18] & reliquo tempore re probabo. hæ litteræ cetera vetera habebant, unum hoc novum, de Cybiratis pantheris. multum te amo, quòd reſpondiſti M. Octavio, te non putare. ſed poſthac omnia, [19] quæ certa non erunt, pro certo negato. nos enim & noſtra ſponte bene firmi, & mehercule auctoritate tua inflammati vicimus omnes (hoc tu ita reperies) cùm abſtinentia, tum juſtitia, facilitate, clementia. cave putes quicquam homines magis umquam eſſe *miratos*, quàm nullum teruntium, me obtinente provinciam, ſumtus factum eſſe, nec in Rempublicam, nec in quemquam meorum, præterquam in L. Tullium legatum. is, [20] ceteroqui abſtinens, (ſed Julia lege [21] tranſitans, [22] ſemel tamen in diem, non, ut alii ſolebant, omnibus vicis; præter eum ſemel, nemo accepit) facit ut mihi excipiendus ſit, cum teruntium nego ſumtus factum. præter eum accepit nemo. has à noſtro Q. Titinio ſordes accepimus. Ego, æſtivis confectis, Quintum fratrem hibernis, & Ciliciæ præfeci. Q. Voluſium, tui Tiberii generum, certum hominem, [23] ſed mirificè etiam abſtinentem, miſi in Cyprum,

1. Ἀδωροδόκητον.] Vocem hanc reperit in ſuis Lambinus, quam Victorius in ſuis exſtare negat.

2. *Atque etiam ſpero.*] Ante hanc periodum in vulg. legitur illa, *Brutum abjectum, &c.*

3. *Kal. Mart. futurum eſt.*] Vulgò *futurum ſit.*

4. *Lenii pueris.*] Vulg. *Lemnii.*

5. *Togam puram jubeor dare.*] Ita repoſuit Victorius, prius legebatur, *togam puram jubebo dare.*

6. *Deiotarus.*] Nomen *Deiotarus* planè & integrè exaratum eſt in codd. Boſii, quod Victorius & Malaſp. in ſuis reperiri negant.

7. *Phemio.*] Ita etiam emendat Victorius, antea, *Phameo.*

8. *Pammeni.* Vulg. *Pammenis.*

9. *Utrique noſtrum honeſtum.*] Boſius & Lambinus ex Decurtato & Tornæſ. *honeſtum*, reſcripſerunt; quod deeſt in vulgatis.

10. *Non ſpero.*] Vulg. *quod non ſpero.*

11. *Et libenter requieſcere.*] Totum hoc abeſt à vetere libro, ut, Fulvio & Junio videtur rectè.

12. *Per ſe ſcribit confectum.*] *Per ſe*, non eſt in mſ. Urſini.

13. *Orodes, regis.*] Manutius ex Beſſarionis mſ. *Orodæ regis.*

14. Ἀκροτελεύτιον] Vulg. ἀκροτελευταῖον.

15. ERIT MORA.] Verbum, *erit*, in omnibus Boſii exſtabat, præterquam in Huraltino, ideo id excudendum juſſit.

16. *Pungunt me dubitationes.*] Ita reſtituit Victorius, Urſinus tamen mavult vulgatum, *angunt*, fretus auctoritate ſui mſ.

17. *Centurionis Camulæ.*] Ita etiam conjecit Manutius, prius legebatur *Scamulæ.* Junius emendat, *centurionis caculæ*; quomodo & conjecerat ante ipſum Gulielm.; niſi quod is præterea volebat *Hermonii.*

18. *Et reliquo tempore, re probabo.*] Vulg. *& re aliquo tempore probabo.*

19. *Quæ certa non erunt.*] Tornæſ. codex, *quæ recta non erunt.*

20. *Ceteroqui abſtinens.*] Sic emendavit Victorius; antea ſcriptum erat, *in ceteros qui abſtinens.*

21. *Tranſitans.*] Manutius, Malaſpina, Boſius ita correxerunt partim ex conjectura, partim ex libris: vulg. *tranſita.*

22. *Semel tamen in diem.*] *Tantum*, pro, *tamen*, habet, liber vetus Urſini.

23. *Sed mirifice etiam.*] Hic quoque convenit Decurt. cum libris Malaſp. vulgo deeſt vox, *etiam*; Fulvius ait in quodam mſ. eſſe, *& mirifice abſtinentem*, quæ etiam eſt conjectura Manutii.

prum, ut ibi pauculos dies eſſet; ne cives Romani pauci, qui illic negotiantur, jus ſibi dictum negarent. nam evocari ex inſula Cyprios non licet. ipſe in Aſiam profectus ſum Tarſo Nonis Januariis; non mehercule dici poteſt, qua admiratione Ciliciæ civitatum, maximeque Tarſenſium. poſtea verò quàm Taurum tranſgreſſus ſum, mirifica exſpectatio Aſiæ noſtrarum diœceſium, quæ ſex menſibus imperii mei nullas meas acceperat litteras, numquam hoſpitem viderat. illud autem tempus quotannis ante me fuerat *in hoc quæſtu*. civitates locupletes, ne in hiberna milites reciperent, magnas pecunias dabant: Cyprii talenta Attica cc. qua ex inſula (non ὑπερβολικῶς, ſed veriſſimè loquor) nummus nullus [1] me obtinente erogabitur. ob hæc beneficia, quibus illi obſtupeſcunt, nullos *honores* mihi, niſi verborum, decerni ſino: [2] ſtatuas, fana, τέθριππα prohibeo: nec ſum in ulla re alia moleſtus civitatibus; ſed fortaſſe tibi, qui hæc prædicem de me. perfer, ſi me amas. tu enim me hæc facere voluiſti. Iter igitur ita per Aſiam feci, ut etiam fames, qua nihil miſerius eſt, quæ tum erat in hac mea Aſia, (meſſis enim nulla fuerat) mihi optanda fuerit. quacumque iter feci, nulla vi, nullo judicio, nulla contumelia, auctoritate, & cohortatione perfeci, ut & Græci, & cives Romani, qui frumentum *compreſſerant*, magnum numerum populis pollicerentur. Idibus Februariis, quo die has litteras dedi, forum inſtitueram agere Laodiceæ Cybiraticum, & Apamenſe ex Idibus Mart. ibidem Synnadenſe, Pamphilium [3] (tum Phemio diſpiciam κέρας Aonium) Iſauricum: ex Idibus Mai. in Ciliciam, ut ibi Junius conſumatur. velim tranquille à Parthis. Quintilis, ſi erit, ut volumus, in itinere eſt, per provinciam redeuntibus, conſumendus. venimus enim in provinciam, Laodiceam, [4] Sulpicio, & Marcello coss. pridie KAL. Sextiles. inde nos oportet decedere A. D. IIII. KAL. Sext. primum contendam à Quinto fratre, ut ſe præfici patiatur: quod & illo, & me invitiſſimo fiet. ſed aliter honeſtè fieri non poteſt, præſertim cùm, virum optimum, Pomtinum ne nunc quidem retinere poſſim. rapit enim hominem Poſtumius Romam, fortaſſe etiam Poſtumia. Habes conſilia noſtra. nunc cognoſce de Bruto. Familiareis habet Brutus tuus quoſdam creditores Salaminiorum, ex Cypro, M. Scaptium, & P. Matinium; quos mihi majorem in modum commendavit. Matinium non novi. Scaptius ad me in caſtra venit. pollicitus ſum curaturum me, Bruti cauſa, ut ei Salaminii pecuniam ſolverent. egit gratias. præfecturam petivit. negavi me cuiquam negotianti dare: quod idem tibi oſtenderam. Cn. Pompejo petenti probaram inſtitutum meum: quid dicam? Torquato, de M. Lenio tuo; multis aliis. ſi præfectus vellet eſſe ſyngraphæ cauſa, me curaturum, ut exigeret. gratias egit: diſceſſit. Appius noſter turmas aliquot equitum dederat huic Scaptio, per quas Salaminios coërceret; & eundem habuerat præfectum. *vexabat* Salaminios. ego equites ex Cypro decedere juſſi. moleſtè tulit Scaptius. quid multa? ut ei fidem meam præſtarem; cùm ad me Salaminii Tarſum veniſſent, [5] & in his Scaptius, imperavi, ut pecuniam ſolverent. multa de ſyngrapha, de Scaptii injuriis. negavi me audire. [6] hortatus ſum; petivi etiam pro meis in civitatem beneficiis, ut negotium conficerent: denique dixi me coacturum. homines non modò non recuſare, ſed etiam hoc dicere, ſe à me ſolvere. quod enim Prætori dare conſueſſent, quoniam ego non acceperam, *ſe à me* quodam modo dare; atque etiam minùs eſſe aliquanto in Scaptii nomine, quàm in vectigali Prætorio. collaudavi homines. rectè, inquit Scaptius: ſed ſubducamus ſummam. interim cùm ego in edicto [7] tralaticio centeſimas me obſervaturum haberem, [8] cum anatociis anniverſariò; ille ex ſyngrapha poſtulabat [9] quaternas. quid ais? inquam. poſſumne contra meum edictum? at ille profert S. C. Lentulo Philippoque coss. ut, qui Ciliciam obtineret, jus ex illa ſyngrapha diceret. cohorrui primò: [10] & erat enim *interitus* civitatis. reperio duo S. C. iiſdem Conſulibus de eadem ſyngrapha. Salaminii cùm Romæ verſuram facere vellent, non poterant; quòd lex Gabinia vetabat. tum ii Bruti familiares, freti gratia Bruti. [11] dare ſolebant IIII. ſi ſibi S. C. caveretur. fit gratia Bruti S. C. UT NEVE SALAMINIIS, NEVE QUI EIS DEDISSET, FRAUDI ESSET. pecuniam numerarunt: & poſtea venit in mentem fœneratoribus, nihil ſe juvare illud S. C. quòd ex ſyngrapha jus dici lex Gabinia vetaret. tum fit S. C. [12] UT ET EA SYNGRAPHA ESSET QUA VI CETERÆ. Sed ut eodem; cùm hæc diſſeruiſſem; ſeducit me Scaptius; ait ſe nihil contradicere; ſed illos putare talenta cc ſe debere; ea ſe velle accipere: debere autem illos paullo minus: [13] rogat, ut eos ad cc perducam, optimè, inquam. voco illos ad me, remoto Scaptio. quid vos? quantum, inquam, debetis? reſpondent, CVI. refero ad Scaptium, homo clamare, [14] quid opus eſt? inquam. rationes conferatis. aſſidunt; ſubducunt; ad nummum convenit, illi ſe numerare velle, urgere ut acciperet. Scaptius me rurſus ſeducit: rogat, ut rem ſic relinquam. dedi veniam homini impudenter petenti. Græcis quærentibus, ut in fano *deponerent*, poſtulantibus non conceſſi. clamare omnes qui aderant, nihil impudentius Scaptio, qui centeſimis cum anatociſmo contentus non eſſet: alii, nihil ſtultius. mihi autem impudens magis, quam ſtultus, videbatur. nam aut bono nomine, centeſimis contentus erat, aut non bono, quaternas centeſimas ſperabat. Habes meam cauſam: quæ ſi Bruto non probatur; neſcio, cur illum amemus: ſed avunculo ejus certè probabitur, præſertim cum S. C. modò factum ſit, puto, poſtquam tu es profectus, in creditorum cauſa, ut centeſimæ perpetuo fœnore ducerentur. hoc quid interſit, ſi tuos *digitos* novi, certè habes ſubductum. in quo quidem ὁδοῦ πάρεργον. Lucceius M. F. queritur apud me per litteras, ſummum eſſe periculum, ne culpa Senatus, his decretis, res ad *tabulas novas* perveniat. commemorat, quid olim mali C. Julius fecerit, cùm dieculam [15] duxerit: numquam Reſp. plus. Sed ad rem redeo. meditare adverſus Brutum cauſam meam: ſi hæc cauſa eſt, contra quam nihil honeſtè dici poteſt; præſertim cùm

---

1. *Me obtinente erogabitur.*] Boſius ex mſſ. ſuis, impreſſi, *erogabatur.*

2. *Statuas, fana τέθριππα.*] Hæc emendatio debetur Manut. Vict. reponebat ænea τέτριππα quod vulgò receptum eſt: Liber, qui fuit N. Leoniceni habet, *ſtatuas æneas τέθριππα.* Ante Victor. formis excuſi habebant *ſtatuas prohibeo.*

3. *Tum Phemio diſpiciam κέρας Aonium.*] Ita reſtituit Victorius, niſi quod pro, *tum*, ſcripſit, *cum*: ſic autem emendavit Lambinus ut hic edidimus; corrupta lectio hæc erat, *cum ſemio diſpiciam κέρατα omnium.*

4. *Sulpicio & Marcello* Coss.] Hoc gloſſema eſſe autumat Manutius.

5. *Et in his Scaptius.*] Vulg. *& una Scaptius.*

6. *Hortatus ſum; petivi etiam.*] Sic correxit Victorius ex hac corrupta mſ. ſcriptura, *hortatus ſum detrivi, &c.* prius legebatur, *hortatus ſum demum etiam.*

7. *Tralaticio.*] Vulg. *tranſlaticio.*

8. *Cum anatociis anniverſario.*] Una littera addita ad manuſcriptam lectionem ita emendat Boſius. Lamb. & Corradus *cum anatociſmo anniverſario*: vulg. *cum anatociſmi anniverſario.*

9. *Quaternas.*] Vulg. edunt *IIII.*

10. *Et erat enim.*] Vulg. *etenim erat.*

11. *Dare ſolebant IV.*] Sic omnes Junii mſſ. vulgò, *dare volebant, ſi ſibi, &c.*

12. *Ut & ea ſyngrapha eſſet qua vi.*] Boſii hæc eſt correctio. Lamb. legit, *ut ea ſyngrapha eſſet eodem jure quo ceteræ, non meliore*: vulgatam lectionem retinet Junius, & nihil mutat, ea autem eſt, *ut & ea ſyngrapha eſſet, quam ceteræ*, Urſini mſ. *non ut alio ea ſyngrapha jure eſſet quam ceteræ, ſed ut eodem.*

13. *Rogat ut eos.*] A vulgatis, *ut*, abeſt.

14. *Quid opus eſt? inquam.*] Lambinus, ita legit, *quid potius eſt, inquam, quàm ut rationes conficiatis.* mſſ. duo Pal. habent, *quid opus eſt, inquam, potius, quam rationes, &c.*

15. *Duxerit.*] Manutii conjecturam hanc Scidæ adjuvant; vulgò *dixerit*,

cùm integram rem & cauſam reliquerim. Reliqua ſunt domeſtica. [1] De ἐνδομύχῳ, probo idem, quod tu, [2] Poſtumiæ F. ille quoniam Pontidiæ nugatur. ſed vellem adeſſes. à Quinto fratre his menſibus nihil exſpectaris. nam Taurus propter nives ante menſem Junium tranſiri non poteſt. Thermum, ut rogas, creberrimis litteris fulcio, P. Valerium negat habere quicquam Dejotarus rex, eumque ait à ſe ſuſtentari. Cùm ſcies, Romæ intercalatum ſit, necne; [3] velim ad me ſcribas certum, quo die myſteria futura ſint. Litteras tuas minùs paullo exſpecto, quam ſi Romæ eſſes; ſed tamen exſpecto.

1. *De ἐνδομύχῳ.*] Reſtitutio hæc eſt Victorii; antea legebatur ἐνδόμῳ.

2. *Poſtumiæ F. ille quoniam Pontidiæ.*] Eſt à Decurt. hæc lectio. viderat etiam antea Manutius, de *filio*, non *filia*. Poſtumiæ hic agi: pronomen, *ille*, deeſt in vulg. & *Pontidia*, pro, *Pontidiæ* legitur; quod tamen reſtituit Victorius, quum prius eſſet, *Pomelia*.

3. *Velim ad me ſcribas certum.*] *Ceterum*, pro, *certum* eſt in antiquo libro, & ita videtur Urſino legendum, interpunctionis nota ad verbum, *ſcribas*, poſita; quod probat Junius, ſed tamen retinet *certum*, non *ceterum*.

M. TULLII CICERONIS
EPISTOLARUM
LIBER SEXTUS,
AD
ATTICUM.

1 CICERO ATTICO, S.

ACcepi tuas litteras [1] A. D. quintum Terminalia Laodiceæ, quas legi libentiſſimè, pleniſſimas amoris, humanitatis, officii, diligentiæ. [2] his igitur reſpondebo: [3] ſic enim poſtulas: nec οἰκονομίαν meam inſtituam; ſed ordinem conſervabo tuum. Recentiſſimas à Cybiſtris te meas litteras habere ais, A. D. X. KAL. Octob datas: & ſcire vis, tuas ego quas acceperim: omneis fere, quas commemoras, præter eas, quas ſcribis Lentuli pueris & Equotutico, & Brundiſio datas. quare non οἰχεῖαν tua induſtria, quod vereris, ſed præclarè ponitur; ſi quidem id egiſti, ut ego delectarer. nam nulla re ſum delectatus magis. Quòd meam βαθύτητα in Appio tibi, [4] libertatem etiam in Bruto probo; vehementer gaudeo: ac putaram ſecus. Appius enim ad me ex itinere bis, terve ὑπομεμψιμοίρους litteras miſerat, quòd quædam à ſe conſtituta reſcinderem. ut ſi *medicus*, cùm ægrotus alii medico traditus ſit, iraſci velit ei medico, qui ſibi ſucceſſerit, ſi quæ ipſe in curando conſtituerit, mutet ille: ſic Appius, cùm ἐξ ἀφαιρέσεως provinciam curarit, ſanguinem miſerit, quidquid potuit detraxerit, mihi tradiderit [5] enectam, προσανατρεφομένην eam à me non libenter videt; ſed modò ſuccenſet, modò gratias agit. nihil enim à me fit cum ulla illius contumelia. tantummodo diſſimilitudo meæ rationis offendit hominem. quid enim poteſt eſſe tam diſſimile, quàm illo imperante, exhauſtam eſſe ſumptibus, & jacturis *provinciam*; nobis eam obtinentibus, nummum nullum eſſe erogatum nec privatim, nec publicè? Quid dicam de illius præfectis? comitibus? legatis? etiam de rapinis? de libidinibus? de contumeliis? nunc autem domus mehercule nulla tanto conſilio, aut tanta diſciplina gubernatur, aut tam modeſta eſt, quàm noſtra tota provincia. hanc non nulli amici Appii ridiculè interpretantur: qui me idcirco putent bene audire velle, ut ille malè audiat, & rectè facere non meæ laudis, ſed illius *contumeliæ cauſa*. ſin Appius, ut Bruti litteræ, quas ad te miſi ſignificabant, gratias nobis agit, non moleſtè fero: ſed tamen eo ipſe die, quo hæc ante lucem ſcribebam, cogitabam ejus multa, inique conſtituta & acta, tollere. Nunc venio ad Brutum, quem ego omni ſtudio, te auctore, ſum complexus: quem etiam amare cœperam: [6] ſed; dico? revocavi me, ne te offenderem. noli enim putare, me quicquam maluiſſe, [7] quàm ut mandat is, facerem: nec nulla de re plus laboraſſe. mandatorum autem mihi libellum dedit: iiſdemque de rebus tu mecum egeras. omnia ſum diligentiſſimè perſecutus. primum ab Ariobarzane ſic contendi, ut talenta, quæ mihi pollicebatur, illi daret. quoad mecum rex fuit, perbono loco res erat: poſt à Pompeii procuratoribus ſexcentis premi cœptus eſt. Pompejus autem cùm ob ceteras cauſas plus poteſt unus, quàm ceteri omnes, tum quòd putatur ad bellum Parthicum eſſe venturus. ei tamen ſic nunc ſolvitur, triceſimo quoque die talenta Attica XXXIII, & hoc *ex tributis*: nec id ſatis efficitur in uſuram menſtruam. ſed Cnæus noſter clementer id fert: ſorte caret: uſura, nec ea ſolida, contentus eſt. [8] alii neque ſolvit cuiquam, nec poteſt ſolvere. nullum enim ærarium, nullum vectigal habet. Appii inſtituto tributa imperat. ea vix, in fœnus Pompeji quod ſatis ſit, efficiunt. amici regis duo, treſve perdivites ſunt: ſed ii ſuum tam diligenter tenent, quàm

1. A. *D. Quintum Terminalia.*] Sic habent Boſii mſſ. Victorius vulgatam lectionem retinuit, quæ eſt, *ad quintum milliare.* ipſius antiquior, *Termilia*, pro *miliare* habent: Germani verò eodem teſte, in ſui cod. margine, *Terminalia* emendarunt quod & placuit Manutio, ſed legebat *ad V. Terminalia*, pro *A. D. &c.* ſic autem etiam habere, ſine ulla varietate, codicem Tornæſianum teſtatur Lambinus.

2. *His igitur.*] *Iis igitur*, vulgò.

3. *Sic enim poſtulas.*] Hoc ſi quis transjiciat, & poſt verbum *inſtituam* collocet, Manutio auctore non inepte faciat.

4. *Libertatem etiam in Bruto probo.*] Junius ex mſſ. omnibus Pal. legit *liberalitatem*: Victorius etiam mſſ. ſic habere teſtatur.

5. *Enectam προσανατρεφομένην.*] Hanc lectionem reſtituens Victorius duo magna menda ſuſtulit. legebatur enim prius, *evectam & προσανατρεπομένην.*

6. *Sed; dico? revocavi me.*] Sic diſtinguendum aſſerit Junius: Faërnus, *ſed illico revocavi me.* Antonius Auguſtinus, *ſed ſedulo revocavi.*

7. *Quam ut mandat is facerem.*] Victorii eſt hæc lectio, ex antiquiore ſuo. antea legebatur *quam ut mandatis tuis ſatisfacerem*, quod etiam deleto, *tuis*, retinet Junius ex mſſ. Palat.

8. *Alii neque ſolvit cuiquam.*] Ita legere libros veteres, teſtatur Lambinus. vulgo, *ſolvit quidquam.*

1. *Dum*

quàm ego, aut tu. equidem non deſino tamen per litteras rogare, ſuadere, accuſare regem. Dejotarus etiam mihi narravit, ſe ad eum legatos miſiſſe de re Bruti: eos ſibi reſponſum retuliſſe, illum non habere: & mehercule ego ita judico, nihil illo regno ſpoliatius, nihil rege egentius. itaque aut tutela cogito me abdicare, aut, ut pro Glabrione Scævola, fœnus & impendium recuſare. ego tamen quas per te Bruto promiſeram præfecturas M. Scaptio, L. Gavio, qui in regno rem Bruti procurabant, detuli. nec enim in provincia mea negotiabantur. tu autem meminiſti, nos ſic agere, ut quot vellet, præfecturas ſumeret, [1] dum ne *negotiatori*. [2] itaque duas ei [3] præterea dederam. ſed ii, quibus petierat, de provincia deceſſerant. Nunc cognoſce de Salaminiis: quod video tibi etiam novum accidiſſe, tanquam mihi. numquam enim ex illo audivi, illam pecuniam eſſe ſuam. quin etiam libellum ipſius habeo, in quo eſt, SALAMINII PECUNIAM DEBENT M. SCAPTIO, ET P. MATINIO, FAMILIARIBUS MEIS. eos mihi commendat: adſcribit etiam, & quaſi calcar admovet, [4] interceſſiſſe ſe pro iis magnam pecuniam. confeceram, ut ſolverent centeſimis ſexennii ductis cum renovatione ſingulorum annorum. at Scaptius quaternas poſtulabat. metui, ſi impetraſſet, ne tu ipſe me *amare* deſineres. nam ab edicto meo receſſiſſem; & civitatem, in Catonis, & in ipſius Bruti fide locatam, meiſque beneficiis ornatam, funditus perdidiſſem. Atque hoc tempore ipſo impingit mihi epiſtolam Scaptius Bruti, rem illam ſuo periculo eſſe: quod nec mihi umquam Brutus dixerat, nec tibi: etiam, ut præfecturam Scaptio deferrem. id verò per te [5] exceperamus, *ne negotiatori*: quòd ſi cuiquam, huic tamen non. fuerat enim præfectus Appio; & quidem habuerat turmas equitum, quibus incluſum in Curia Senatum Salamine obſederat, ut fame Senatores quinque morerentur. itaque ego, quo die tetigi provinciam, cùm mihi Cyprii legati Epheſum obviam veniſſent, litteras miſi, ut equites ex inſula ſtatim decederent. His de cauſis credo Scaptium iniquius de me aliquid ad Brutum ſcripſiſſe. ſed tamen hoc ſum animo: ſi Brutus putabit me quaternas centeſimas oportuiſſe decernere, qui in tota provincia *ſingulas* obſervarem, itaque edixiſſem, idque etiam acerbiſſimis fœneratoribus probaretur; ſi præfecturam negotiatori denegatam queretur, quod ego Torquato noſtro [6] in tuo Lenio, Pompejo ipſi in Sex. Statio negavi, & iis probavi; ſi equites deductos moleſtè feret, accipiam equidem dolorem, mihi illum iraſci, ſed multo majorem, non eſſe eum talem, qualem putaſſem. Illud quidem fatebitur Scaptius, me jus dicente, ſibi omnem pecuniam ex edicto meo auferendi poteſtatem fuiſſe. Addo etiam illud, quod vereor, tibi ipſi ut probem: conſiſtere uſura debuit, quæ erat in edicto meo. deponere volebant: impetravi ab Salaminiis, ut ſilerent. veniam illi quidem mihi dederunt; ſed quid iis fiet, ſi huc Paullus venerit? ſed totum hoc Bruto dedi, qui de me ad te humaniſſimas litteras ſcripſit: ad me autem, etiam cùm *rogat* aliquid, contumaciter, arroganter, ἀκοινωνήτως ſolet ſcribere. tu autem velim ad eum ſcribas de his rebus; ut ſciam, quo modo hæc accipiat. facies enim me certiorem. atque hoc ſuperioribus litteris ad te diligenter perſcripſeram, ſed planè te intelligere volui, mihi non excidiſſe illud, quod tu ad me quibuſdam litteris ſcripſiſſes; ſi nihil aliud de hac provincia, niſi illius benivolentiam, deportaſſem, mihi id ſatis eſſe. [7] ſit ſanè; quoniam ita tu vis: ſed tamen cum eo credo, *quod ſine peccàto meo fiat*. Igitur [8] meo decreto ſoluta re Scaptio, ſtatim quàm decretum ſic tu judicabis, ne ad Catonem quidem provocabo. ſed noli me putare ἐγκειλδύσματα illa tua abjeciſſe, quæ mihi in viſceribus hærent. flens mihi meam famam commendaſti. quæ epiſtola tua eſt, in qua mentionem non facias? itaque iraſcatur, qui volet: patiar. τὸ γὰρ σὺ μετ' ἐμοῦ præſertim cùm ſex libris tanquam *prædibus* [9] me ipſum obſtrinxerim: quos tibi tam valde probari gaudeo: è quibus unum ἱστορικὸν requiris de [10] Cn. Flavio M. F. ille verò ante Decemviros non fuit: quippe qui Ædilis curulis fuerit: qui magiſtratus multis annis poſt decemviros inſtitutus eſt. quid ergo profecit, quòd protulit faſtos? occultatam putant quodam tempore iſtam tabulam, ut dies agendi peterentur à paucis. nec verò pauci ſunt auctores, Cn. Flavium ſcribam faſtos protuliſſe, actioneſque compoſuiſſe: ne me hoc, vel potius Africanum, (is enim loquitur) commentum putes. [11] Οὐκ ἔλαθέ σε illud de geſtu hiſtrionis; ut ſceleſtè ſuſpicaris, ego ἀφελῶς ſcripſi. De me *imperatore* ſcribis te ex Philotimi litteris cognoſſe. ſed credo te, jam in Epiro cùm eſſes, binas meas de omnibus rebus accepiſſe, unas à Pindeniſſo capto, [12] alteras Laodicea, utraſque tuis pueris datas. quibus de rebus, propter caſum navigandi, per binos tabellarios miſi Romam litteras publicè. De Tullia mea tibi aſſentior; ſcripſique ad eam, & ad Terentiam, mihi placere. tu enim ad me jam ante ſcripſeras, AC VELLEM TE IN TUUM VETEREM GREGEM RETULISSES. correcta verò epiſtola Memmiana, nihil negotii fuit. multo enim malo hunc à Pontidia, quàm illum à Servilia. quare adjunges [13] Aufium noſtrum, hominem ſemper amantem me; nunc credo, eo magis, quòd debet etiam fratris Appii *amorem* erga me cum reliqua hereditate creviſſe; qui declaravit, quanti me faceret: cùm ſæpe, tum [14] in Burſa, [15] ne tu me ſollicitudine magna liberaris. Furnii exceptio mihi non placet. [16] nec enim ego ullum aliud tempus timeo, niſi quod ille ſolùm excipit. ſed ſcriberem ad te de hoc plura, ſi Romæ eſſes. [17] in Pompejum te ſpem omnem otii ponere non miror: ita res eſt; removendumque cenſeo illum DISSIMULAN-

---

1. *Dum ne negotiatori.*] Veteres codd. ſequutus ita repoſuit Victorius, antea legebatur *dum ne negotiarentur*.
2. *Itaque duas ei.*] *Itaque* deeſt in vulg.
3. *Præterea dederam.*] Victorius emendavit, *præterea*, cum legeretur *præfecturas*.
4. *Interceſſiſſe ſe.*] Vulg. *interceſſiſſe à ſe*.
5. *Exceperamus, ne negotiatori.*] *Ne* deeſt in vulg.
6. *In tuo Lenio.*] Victorii hæc eſt caſtigatio, prius legebatur, *in T. Lemnio*.
7. *Sic ſanè.*] Vulg. *ſit ſanè*.
8. *Meo decreto ſoluta re Scaptio.*] Hic locus ita legitur in Decurtato: *igitur meo decreto ſoluta re Scaptio, ſtatim quam decretum ſic tu judicabis*: ſicque excudendum curavit Boſius. Habent antiqui libri, quorum Manutio copia fuit: *ſoluta res Scaptio, ſtatim quam decretum ſit, tu judicabis*: unus habet, *ſoluta res Captio, ſtatim quam decretum ſit tu judicabis*. unde, ut tueatur antiquam ſcripturam ſic legendum cenſuit: *igitur me decreto ſolvatur Scaptio, ſtatim quam decretum ſit tu judicabis*: vel etiam, *meo decreto ſolvatur Scaptio ſtatim: quam directum ſit tu judicabis*. Lambinus partim ultimam hanc ſcripturam, partim veteris ſcripturæ veſtigia, partim Pariſienſium & Lugdunenſium quorundam exemplorum editionem ſecutus, olim ediderat, *igitur meo decreto ſolvatur æs Scaptio ſtatim, id quam rectum ſit tu judicabis*. ſed poſtea cod. Tornæſ. nactus, ſic locum reſtituendum cenſuit: *igitur meo decreto ſoluta re Scaptio, ſtatim, quam id decretum rectum ſit tu judicabis*: Urſinus, *igitur meo decreto ſolvitur æs Scaptio ſtatim: quam id rectum ſit tu judicabis*.
9. *Me ipſum obſtrinxerim.*] Vulg. *me ipſe obſtrinxerim*.
10. *Cn. Flavio Cn. F.*] Sic emendavit Manutius, cum legeretur *Cn. Flavio Annii F.*
11. Οὐκ ἔλαθέ σε.] Perſpicuè, ut emendavit Malaſpina, οὐκ ἔλαθέ σε, atque eſt in Decurtato, legendum aſſerit Boſius. Lambinus vero quamquam olim Malaſpinam ſecutus ediderit, οὐκ ἔλαθέ σε, tamen ex mſſ. libris nunc legendum ſtatuit οὐκ ἐλάθες, quæ eſt vulgata lectio.
12. *Alteras Laodicea.*] *Alteras a Laodicea*: vulg.
13. *Aufium noſtrum.*] Vulg. *Alfium noſtrum*.
14. *Burſa.*] Majore prima littera *Burſa*, ſcripſit Victorius, antea *burſa* parvo *b*, legebatur.
15. *Ne tu me.*] Vulg. *ne tu me*.
16. *Nec enim ego.*] *Enim* deeſt in vulg.
17. *In Pompejum te ſpem, &c.*] Edidit Boſius, Tornæſiani & Decurt. ſcripturam, ut & codicum Malaſp. paulo poſt ex eodem Decurt. *illud, diſſimulantem*; vulg. *illum diſſimulantem*.

MULANTEM. ſed enim, οἰκονομία ſi perturbatior eſt, tibi aſſignato: te enim ſequor σχεδιάζοντι. Cicerones pueri amant inter ſe, diſcunt, exercentur: ſed alter,[1] uti dixit Iſocrates in Ephoro & Theopompo, frenis eget; alter calcaribus. Quinto togam puram Liberalibus cogitabam dare. mandavit enim pater. ea ſic obſervabo, quaſi intercalatum non ſit. Dionyſius mihi quidem [2] in amoribus eſt. pueri autem ajunt, [3] eum *furenter iraſci*. ſed homo nec doctior, nec ſanctior fieri poteſt, nec tui meique amantior. [4] Thermum, Silvium verè audisl audari. valde ſe honeſtè gerunt. adde M. Nonium, [5] Bibulum, me, ſi voles. jam Scrofa, vellem, haberet ubi poſſet. eſt enim lautum negotium. ceteri infirmant πολίτευμα Catonis. Hortenſio quòd cauſam meam commendas, valde gratum. De Amiano, ſpei nihil putat eſſe Dionyſius. Terentii nullum veſtigium agnovi. Mæragenes certè periit. feci iter per ejus poſſeſſionem, in qua animal reliquum nullum eſt. hæc non noram tum, cùm cum Democrito tuo locutus ſum. [6] Rhoſiaca vaſa mandavi. Sed heus tu, [7] quid cogitas infelicitatis? lancibus & ſplendiſſimis caniſtris, *oluſculis* nos ſoles paſcere. quid te in vaſis fictilibus appoſiturum putem? Κέρας Phemio mandatum eſt: reperietur; modò aliquid illo dignum canat. Parthicum bellum impendet. Caſſius ineptas litteras miſit. necdum Bibuli erant allatæ: quibus recitatis, puto fore, ut aliquando commoveatur Senatus. equidem [8] ſum magna animi perturbatione. ſi, ut opto, non prorogatur noſtrum negotium, habeo Junium, & Quintilem in metu. eſto; duos quidem menſes ſuſtinebit Bibulus. quid illo fiet, quem reliquero, præſertim ſi fratrem? quid me autem, ſi non tam citò decedo? magna turba eſt. mihi tamen cum Deiotaro convenit, ut ille in meis caſtris eſſet cum ſuis copiis omnibus. habet autem cohortes quadringenarias *noſtra armatura*, XXX; equites CIↃ CIↃ. erit ad ſuſtentandum, quoad Pompejus veniat; qui litteris, quas ad me mittit, ſignificat, ſuum negotium illud fore. hiemant in noſtra provincia Parthi. exſpectatur ipſe Orodes. quid quæris? aliquantum eſt negotii. [9] De Bibuli edicto nihil movi, præter illam exceptionem, de qua tu ad me ſcripſeras, NIMIS GRAVI PRÆJUDICIO IN ORDINEM NOSTRUM. ego tamen habeo ἰσοδυναμοῦσαν, ſed tectiorem, ex Q. Mucii P. F. edicto Aſiatico, EXTRA QUAM SI ITA NEGOTIUM GESTUM EST, UT EO STARI NON OPORTEAT; EX FIDE BONA: multaque ſum ſecutus Scævolæ, in iis illud, in quo ſibi libertatem cenſent Græci datam, ut Græci inter ſe diſceptent *ſuis legibus*. breve autem edictum eſt propter hanc meam διαίρεσιν, quòd duobus generibus edicendum putavi: quorum unum eſt provinciale, in quo eſt de rationibus civitatum, de ære alieno, de uſura, de ſyngraphis; in eodem omnia de publicanis: alterum, quod ſine edicto ſatis commodè tranſigi non poteſt, de hereditatum poſſeſſionibus, de bonis poſſidendis, magiſtris faciendis, vendendis: quæ ex edicto & poſtulari, & fieri ſolent. tertium, de reliquo jure dicundo, ἄγραφον reliqui. dixi me de eo genere mea decreta ad edicta urbana accommodaturum: itaque curo, & ſatisfacio adhuc omnibus. Græci verò exultant, quòd peregrinis judicibus utuntur. nugatoribus quidem, inquies. quid refert? tamen ſe αὐτονομίαν adeptos putant. veſtri enim, credo, [10] graveis habent, Turpionem ſutorium, & Vettium mancipem. De *Publicanis* quid agam, videris quærere. habeo in deliciis, obſequor, verbis laudo, orno; efficio, ne cui moleſti ſint. τὸ παραδοξότατον; uſuras eorum, quas pactionibus adſcripſerant, ſervavit etiam Servilius. ego ſic. diem ſtatuo ſatis laxam; quam ante ſi ſolverint, dico me centeſimas ducturum: ſi non ſolverint, ex pactione. itaque & Græci ſolvunt tolerabili fœnore; & Publicanis res eſt gratiſſima. [11] ſic illa jam habent, pleno modio, verborum honorem, invitationem crebram. quid plura? ſunt omnes ita mihi familiares, ut ſe quiſque maximè putet. ſed tamen μηδὲν αὐτοῖς. ſcis reliqua. [12] De ſtatua Africani, (ὢ πραγμάτων ἀσυγκλώστων! ſed me ipſum delectavit in tuis litteris) ain' tu? [13] Scipio hic Metellus proavum ſuum *neſcit* Cenſorem non fuiſſe? atqui nihil habuit aliud inſcriptum, [14] niſi Cos. ea ſtatua, quæ [15] ad Opis per te poſita in excelſo eſt. [16] in illa item, [17] quæ eſt ad πολυδεύκους, [18] hercule inſcriptum eſt, Cos. quam eſſe ejuſdem, ſtatus amictus, annulus, imago ipſa declarat. [19] at mehercule ego cùm in turma inauratarum equeſtrium, quas hic Metellus in Capitolio poſuit, animadvertiſſem in Serapionis ſubſcriptione Africani imaginem, erratum fabrile putavi, nunc video Metelli. ô ἀνιστορησίαν turpem. Nam illud de Flavio & faſtis, ſi ſecus eſt, commune erratum eſt; & tu bellè ἠπόρησας; & nos publicam prope *opinionem* ſecuti ſumus, ut mula apud Græcos. quis enim non dixit, Εὔπολιν, τὸν τῆς ἀρχαίας, ab Alcibiade, navigante in Siliciam, dejectum eſſe in mare? redarguit Eratoſthenes. adfert enim, quas ille poſt id tempus fabulas docuerit. num idcirco Duris Samius, homo in hiſtoria diligens, quòd cùm multis erravit, irridetur? Quis Zaleucum leges Locris ſcripſiſſe non dixit? num igitur jacet Theophraſtus, ſi id à Timæo, tuo familiari, reprehenſum eſt? Sed neſcire proavum ſuum Cenſorem non fuiſſe, turpe eſt: præſertim cùm poſt eum Conſulem, nemo Cornelius, illo vivo, Cenſor fuerit. Quod de Philotimo, & de ſolutione H-S XXDC ſcrîbis, Philotimum circiter Kalend. Januar. in Cherſoneſum audio veniſſe: ac mihi ab eo nihil adhuc. reliqua mea

---

1. *Ut dixit.*] Vulg. *uti dixit.*

2. *In amoribus eſt.*] Victorius, *in amoribus eſt*, caſtigavit, prius legebatur *in moribus.*

3. *Eum furenter iraſci.*] Victorius ex melioribus ſuis, emendaverat *ſe furenter*, quod etiam Urſinus notat legi in vetere libro, ſed illud, *ſe*, plane ineptum aſſerunt Manutius & Lambinus.

4. *Thermum, Silvium, &c.*] Pighius libro XVII. Annalium Rom. corrigit *Silium*, iterumque reponendum puta in Epiſtolis ad Atticum. & vero exſtant Tullii ad Silium litteræ libro XIII. Epiſtolarum, quibus amicos in ejus provincia negotiantes commendat. nec *Silvia* gens legitur in hiſtoria Romana poſt urbem conditam.

5. *Bibulum.*] Vulg. *Vibulum.*

6. *Rhoſiaca vaſa.*] Victorius legit *Rhoſii cauſam mandavi*, quæ etiam eſt vulgata lectio, ſed Boſius e Scidis & Tornæſiano, *Rhoſiaca vaſa mandavi*, quod etiam ante viderant Manutius & Lambinus.

7. *Quid cogitas infelicitatis? lancibus & ſplendidiſſimis caniſtris, &c.*] Aliter legit & diſtinguit Junius ex mſſ. Palat. veſtigiis, *quid cogitas? in fucatis lancibus.*

8. *Sum magna animi.*] *Sum in magna animi*; vulgo.

9. *De Bibuli edicto nihil movi.*] Germanam ac veram lectionem repoſuit Manutius, legens, *nihil movi*, pro nihil *novi.* atque ita ſcriptum reperit Boſius in Decurt.

10. *Gravis.*] Vulgo, *graves.*

11. *Sic illa jam habent.*] *Si illam jam habent.*

12. *De ſtatua Africani* (ὢ πραγμάτων ἀσυγκλώστων! *ſed me ipſum delectavit in tuis litteris ain? tu?*] Alia eſt paullulum vulgi interpunctio, *de ſtatua Africani*, ὢ πραγμάτων ἀσυγκλώστων, *ſed me ipſum delectavit in tuis litteris. Ain tu?*

13. *Scipio hic Metellus proavum ſuum neſcit Cenſorem non fuiſſe?*] Vulgatam lectionem hîc & ſequentibus locis retinet Junius, quicquid Lambinus, Boſius, & alii adferant, cum mſſ. Palat. fide, tum veritate hiſtoriæ fretus; ea autem talis eſt, *Scipionem hic Metellus proavum ſuum neſcit Cenſorem fuiſſe.*

14. *Niſi* Cos.] Omnibus litteris exaratum erat in Cruſellino *niſi conſul*: nec aliter in Decurtato niſi quod compendio legebatur Cos. ut edidit Boſius, vulg. *niſi Cenſor.*

15. *Ad Opis per te poſita.*] Beſſarionis liber *ab Opis parte*, recte fortaſſe ut inquit Manutius; mavult tamen, *ad Opis apertè*, quæ eſt vulgata lectio.

16. *In illa item.*] Sic habent Cruſellinus & Decurtatus: vulg. *in illa autem.*

17. *Quæ eſt ad* πολυδεύκους.] Auxilio antiquioris ſui, ad πολυδεύκους ſcripſit Victorius: antea legebatur, *ad* πόδας ἡρακλέους.

18. *Hercule inſcriptum eſt.*] *Hercule* deeſt in vulg.

19. *At mehercule.*] Vulg. *at hercule.*

mea Camillus ſcribit ſe accepiſſe, ea quæ ſint, neſcio, [1] & haveo ſcire. verùm hæc poſterius & coram fortaſſe commodiùs. Illud me, mi Attice, in extrema ferè parte epiſtolæ commovit: ſcribis enim ſic, τί λοιπόν? deinde me obſecras amantiſſime, ne obliviſcar vigilare, & ut animadvertam, quæ fiant. num quid de quo inaudiſti? etſi nihil ejuſmodi eſt. πολλοῦ γε καὶ δεῖ. nec enim me fefelliſſet, nec fallet. ſed iſta admonitio tua tam accurata, neſcio quid mihi *ſignificare* viſa eſt. De M. Octavio, iterum tibi reſcribo, te illi probè reſpondiſſe. paullo vellem fidentiùs. Nam Cœlius libertum ad me miſit, & litteras accuratè ſcriptas: [2] ſed de pantheris fœdè, ac civitatibus. reſcripſi, alterum me moleſtè ferre, ſi ego in tenebris laterem, nec audiretur Romæ, nullum in mea provincia nummum, niſi in æs alienum, erogari; docuique nec mihi conciliare pecuniam licere nec illi capere: monuique eum, quem planè diligo, ut, CUM ALIOS accuſaſſet, cautiùs viveret. illud autem alterum, alienum eſſe exiſtimatione mea, Cybiratas imperio meo publicè venari. [3] Lepta tua epiſtola gaudio exultat. etenim ſcripta bellè eſt, meque apud eum magna in gratia poſuit. Filiola tua gratum mihi fecit, quòd tibi diligenter mandavit, ut mihi ſalutem adſcriberes; gratum etiam Piliæ: ſed illa officioſiùs, quòd mihi, [4] quem jam pridem numquam videt. igitur tu quoque ſalutem utrique adſcribito. Litteras daturus pridie Kal. Januar. [5] ſuavem habuit recordationem clariſſimi jurisjurandi: quod ego non eram oblitus. magnus enim prætextatus illo die fui. Habes ad omnia, non, ut poſtulaſti, χρύσεα χαλκείων; ſed paria paribus [6] reſpondimus. Ecce autem alia puſilla epiſtola, quam non relinquam ἀναντιφώνητον Benè mehercule potuit Lucceſus Tuſculanum; niſi fortè, ſolet enim, cum ſuo tibicine: & velim ſcire, quis ſit ſtatus ejus. Lentulum quidem noſtrum, [7] præ ære, Tuſculanum proſcripſiſſe audio. [8] cupio hos expeditos videre: cupio etiam Seſtium: adde, ſi vis Cœlium: quibus omnibus eſt, αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι. De Memmio reſtituendo ut Curio cogitet, te audiſſe puto. De Egnatii Sidicini nomine, nec nulla, nec magna ſpe ſumus. Pinarium, quem mihi commendas, diligentiſſimè Dejotarus curat, graviter ægrum. Reſpondi etiam minori. Tu, velim, dum ero Laodiceæ; id eſt [9] ad Idus Mai. quam ſæpiſſime mecum per litteras colloquare: & cùm Athenas veneris, (jam enim ſciemus de rebus urbanis, de provinciis, quæ omnia in menſem Martium ſunt collata) utique ad me tabellarios mittas. [10] Sed heus tu, jamne vos à Cæſare, per Herodem, talenta Attica L. extorſiſtis? in quo, ut audio, magnum [11] odium Pompeii ſuſcepiſtis. putat enim, ſuos nummos vos *comediſſe*; Cæſarem [12] in Nemorenſi ædificando diligentiorem fore. hoc ego ex P. Vedio, magno nebulone, ſed Pompeii tamen familiari, audivi. hic Vedius venit mihi obviam cum duobus eſſedis, & rheda equis juncta, & lectica, & familia magna: pro qua, ſi Curio legem pertulerit, H-S centena pendat neceſſe eſt. erat præterea cynocephalus in eſſedo: nec deerant onagri. numquam vidi hominem nequiorem. ſed extremum audi. diverſatus eſt Laodiceæ apud [13] Pompejum Vindullum: ibi ſua depoſuit, cùm ad me profectus eſt. moritur interim Vindullus: quæ res ad Magnum Pompejum *pertinere* putabatur. C. Vennonius domum Vindulli venit: cum omnia obſignaret, in Vedianas res incidit. in his inventæ ſunt [14] quinque plangunculæ matronarum, [15] in quibus una ſororis amici tui, hominis Bruti, qui hoc utatur; & illius Lepidi, qui hæc tam negligenter ferat. hæc te volui παριστορῆσαι. ſumus enim ambo belle curioſi. Unum etiam velim cogites. audio Appium προπύλαιον Eleuſine facere. num inepti fuerimus, ſi nos quoque Academiæ fecerimus? puto, inquies. ergo id ipſum ſcribes ad me. equidem valde ipſas Athenas amo. volo eſſe aliquod *monumentum*. odi falſas inſcriptiones ſtatuarum alienarum. ſed ut tibi placebit: facieſque me, in quem diem Romana incidant myſteria, certiorem, & quo modo hiemaris. Cura ut valeas. Poſt Leuctricam pugnam die ſeptingenteſimo ſexageſimo quinto.

CICERO ATTICO, S. 2

CUM Philogenes, libertus tuus, Laodiceam ad me, ſalutandi cauſa, veniſſet, & ſe ſtatim ad te navigaturum eſſe diceret; has ei litteras dedi; quibus ad eas reſcripſi, quas acceperam à Bruti tabellario. & reſpondebo primùm poſtremæ tuæ paginæ; quæ mihi magnæ moleſtiæ fuit; quòd ad te ſcriptum eſt à Cincio de Statii ſermone: in quo hoc moleſtiſſimum eſt; Statium dicere, à me quoque id conſilium probari. probari autem? de iſto hactenus. dixerim me vel plurima *vincla* tecum ſummæ conjunctionis optare: [16] & ſunt amoris arctiſſima: tantum abeſt, ut ego ex eo, quo aſtricti ſumus, laxari aliquid velim. illum autem multa de iſtis rebus aſperiùs ſolere loqui, ſæpe ſum expertus, ſæpe etiam lenivi iratum. id ſcire te arbitror. in hac autem peregrinatione, militiave noſtra ſæpe incenſum ira vidi, ſæpe placatum. quid ad Statium ſcripſerit, neſcio. quidquid acturus de tali re fuit, ſcribendum tamen ad *libertum* non fuit. mihi autem erit maxime curæ, nequid

1. *Et haveo ſcire. Verum hæc.*] Vulg. *& aveo ſcire. Sed hæc, &c.*

2. *De pantheris fœdè, ac civitatibus.*] Boſius Decurtati fidem ſequutus ſic edidit. Manutius teſtatur in mſſ. legi, *ſed à civitatibus*: ſed putat rectius, *& de civitatibus*, litterarum mutatione parva. vulgò, *de pantheris, ſed à Cibyratibus*, quam Pii emendationem notat Urſinus. Muretus lib. XV. Var. lect. cap. 8. *& de Cybiratis* legendum putat. Boſii lectionem probat Junius.

3. *Lepta tua epiſtola.*] Hic epiſtolæ ſecundæ initium facit Victorius. Liber unus mſ. Lambino teſte, habet, *Lecta tua epiſtola Dionyſius gaudio exſultat.*

4. *Quem jampridem nunquam videt.*] Videtur Manutio fortaſſe legendum, *quem nunquam vidit.*

5. *Suavem habuit.*] Ita Decurtatus, cujus lectionem ſequutus eſt Boſius: vulg. *ſuavem habuit.*

6. *Reſpondimus.*] Vulgo *reſpondemus.*

7. *Præ ære Tuſculanum.*] Boſii hæc eſt conjectura ex Decurtati depravatione, qui habebat *præ re*; unde *præ ære* legendum cenſuit. Junius ex mſſ. Palat. retineri vult, *præ re*: vulg. *præter Tuſculanum.*

8. *Cupio hos expeditos videre: cupio etiam Seſtium: adde, ſi vis, Cælium.*] Vulg. *cupio hos expeditos: videre cupio etiam Sextium, addes etiam iis Cælium.*

9. *Ad idus Maji.*] Probat hanc lectionem Giſanius, reprehenditque qui ſuppoſuere, *a. d. idus.* in obſervationibus ſuis Linguæ Latinæ, tanquam perabſurdam. *ad* enim ſignare, *uſque ad.*

10. *Sed heus tu, jamne vos à Cæſare per Herodem talenta Attica quinquaginta extorſiſtis?*] Adjutus ope Tornæſiani, Cruſellini & Huraltini Boſius ita legendum cenſet cum interrogatione. Urſinus amici cujuſdam ſui hanc refert tentatam hujus loci correctionem. *ſed heus ne tu, ita ne vos à Cæſare, &c.* Exempla Aldina Lambino teſte habent, *Januarios*, pro, *jamne vos*: ſed ille, Turnebi conjecturam ſequutus lib. XXIV. cap. 20. legendum opinatur, *Genuæ vos à Cæſare.* vulg. *ſed heus tu Genuarios à Cæſare per Orodem talenta Attica L. extorſiſtis.*

11. *Odium Pompeii.*] Manutius malit legi *Poſidonii.*

12. *In Nemorenſi ædificando.*] Turnebi hæc eſt conjectura d. cap. 20. quæ mirè probatur Boſio partim ex hiſtoria, partim etiam ex veteris ſcripturæ veſtigiis, habent enim ipſius mſſ. *in memorem. In Marathone ædificando*, eſſet apertius nec ἄλογον, ut opinatur Manutius. Turnebi conjecturæ aſſentitur Lambinus.

13. *Pompejum Vindullum.*] Caſtigavit Victorius, *Vindullum* pro, *vidi illum*, quod antea legebatur.

14. *Quinque plangunculæ.*] Vocabuli hujus *plangunculæ* reſtitutio Boſio debetur qui ita legendum conjecit ex veteribus libris, in quibus erat *langunculæ*: hanc autem caſtigationem ita probarunt Lambinus & Junius ut ita edendum curaverint. *imagunculæ* opinabantur legendum Victorius & Manutius: quorum hic teſtatur in Beſſarionis libro legi *plangunculæ*. vulg. *quinque lagunculæ.*

15. *In quibus una ſororis amici tui, hominis Bruti, qui hoc utatur, & illius Lepidi.*] Boſius legit, *uratur*, non *utatur*, ut eſt in vulg. codd. Ceterum vetus Mureti liber, pro, *amici tui*, habet *amici tuos*; *Bruti* autem & *Lepidi* nomina non habet. quare totum locum ita ipſe legit lib. XV. Var. cap. 8. *in quibus una ſororis amici tui. Os hominis qui hoc utatur, & illius qui hæc tam negligenter ferat.*

16. *Et ſunt amoris.*] Vulg. *etſi ſunt amoris.*

nequid fiat ſecus, quàm volumus, quamque oportet. nec ſatis eſt in ejuſmodi re, ſe quemque præſtare. ac maximè partes iſtius officii ſunt pueri Ciceronis, ſive jam adoleſcentis: quod quidem illum ſoleo hortari. ac mihi videtur matrem valde ut debet, amare, teque mirificè. ſed eſt magnum illud quidem, verumtamen multiplex pueri ingenium: quo ego *regendo* habeo negotii ſatis. Quoniam reſpondi [1] poſtremæ tuæ paginæ prima mea; nunc ad primam revertar tuam. Peloponneſias civitates omneis maritimas eſſe, hominis non nequam, ſed etiam tuo judicio probati, Dicæarchi tabulis credidi. is multis nominibus in Trophoniana [2] Charonis narratione Græcos in eo reprehendit, quòd mare tam ſecuti ſunt: nec ullum in Peloponneſo locum excipit. cùm mihi auctor placeret, (etenim erat ἱςορικώτατος, & vixerat in Peloponneſo) admirabar tamen: &, [3] vix accredens, communicavi cum Dionyſio. atque is primò eſt commotus: deinde, quòd tum [4] de iſto Dicæarcho non minùs bene exiſtimabat, quàm tu de C. Veſtorio, ego de [5] M. Cluvio, non dubitabat, quin ei crederemus. Arcadiæ cenſebat eſſe Lepreon quoddam maritimum: Tene autem, & Aliphera, & Tritia νεόκτιςα ei videbantur; idque τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ confirmabat, ubi mentio non fit iſtorum. atque iſtum ego locum totidem verbis à Dicæarcho tranſtuli. [6] Phliaſios autem dici ſciebam: & ita fac ut habeas: nos quidem ſic habemus. ſed primo me ἀναλογία deceperat, Φλιοῦς Ὀποῦς Σιποῦς quòd Ὀπούντιοι, Σιπούντιοι. ſed hoc continuò correximus. Lætari te noſtra *moderatione & continentia* video. tum id magis faceres, ſi adeſſes, atque hoc foro, quod egi ex Idibus Febr. Laodiceæ ad Kalend. Mai. omnium diœceſium, præter Ciliciæ, mirabilia quædam effecimus: ita multæ civitates omni ære alieno liberatæ, multæ valde levatæ ſunt: omnes ſuis legibus, & judiciis uſæ, αὐτονομίαν adeptæ, revixerunt. his ego duobus generibus facultatem ad ſe ære alieno liberandas, aut levandas dedi; uno, quòd omnino nullus in imperio meo ſumptus factus eſt, (nullum cùm dico, non loquor ὑπερβολικῶς) nullus, inquam, ne teruntius quidem. hac autem re, incredibile eſt, quantum civitates emerſerint. [7] acceſſit altera. Mira erant in civitatibus ipſorum *furta* Græcorum, quæ magiſtratus ſui fecerant. quæſivi ipſe de iis, qui annis decem proximis magiſtratum geſſerant. apertè fatebantur. itaque ſine ulla ignominia ſuis humeris pecunias populis retulerunt. populi autem, nullo gemitu, Publicanis, quibus hoc ipſo luſtro nihil ſolverant, etiam ſuperioris luſtri reddiderunt. itaque Publicanis in oculis ſumus. gratis, inquis, viris. ſenſibus. Jam cetera juriſdictio [8] nec impetrita, & clemens cum admirabili facilitate. aditus autem ad me minimè provinciales. nihil *per cubicularium*. ante lucem inambulabam domi, ut olim candidatus. grata hæc, & magna, mihique nondum laborioſa ex illa vetere militia. Nonis Mai. in Ciliciam cogitabam: ibi cùm Junium menſem conſumſiſſem, atque utinam in pace, (magnum enim bellum impendet à Parthis) Quintilem in reditu ponere. annuæ enim mihi operæ A. D. III. Kalend. Sext. emerentur. magna autem in ſpe ſum, mihi nihil temporis prorogatum iri. habebam acta urbana uſque ad Nonas Martias; è quibus intelligebam, Curionis noſtri conſtantia omnia potius actum iri, quàm de provinciis. ergo, ut ſpero, propediem te videbo. Venio ad Brutum tuum, immo noſtrum: ſic enim mavis. Equidem omnia feci, quæ potui aut in mea provincia perficere, aut in regno experiri. omni igitur modo egi cum rege, & ago quotidie, per litteras ſcilicet. ipſum enim triduum, quattriduumve mecum habui turbulentis in rebus, quibus eum liberavi. ſed & tum præſens, & poſtea [9] creberrimis non deſtiti rogare & petere, mea cauſa; ſuadere, & hortari ſua. multum profeci; ſed quantùm, non planè, quia longe abſum, ſcio. Salaminios autem (hos enim poteram coërcere) adduxi, ut totum nomen Scaptio vellent ſolvere; ſed centeſimis ductis à proxima quidem ſyngrapha, nec perpetuis, ſed renovatis quotannis. numerabantur nummi; noluit Scaptius. [10] tu enim qui ais Brutum cupere aliquid perdere? quatternas habebat in ſyngrapha. fieri non poterat: nec ſi poſſet, ego *pati* poſſem. audio omnino Scaptium pœnitere: nam quod s. c. eſſe dicebat, ut jus ex ſyngrapha diceretur, eo conſilio factum eſt, quòd pecuniam Salaminii contra legem Gabiniam ſumpſerant. vetabat autem Auli lex, jus dici de ita ſumpta pecunia. decrevit igitur Senatus, ut jus diceretur iſta ſyngrapha. nunc iſta habet juris idem, quod ceteræ, nihil præcipui. hæc, à me ordine facta, puto me Bruto probaturum; tibi neſcio; Catoni certè probabo. ſed jam ad te ipſum revertor. Ain' tandem Attice, laudator integritatis & elegantiæ noſtræ, „*auſus es hoc ex ore tuo*; inquit Ennius: ut equites Scaptio ad pecuniam cogendam darem, me rogare? an tu, ſi mecum eſſes, qui ſcribis morderi te interdum, quod non ſimul ſis, paterere me id facere, ſi vellem? non amplius, inquis, quinquaginta. Cum Spartaco minùs multi primò fuerunt. quid tandem iſti mali in tam *tenera* inſula non feciſſent? non feciſſent autem? immo quid ante adventum meum non fecerunt? incluſum in curia Senatum habuerunt Salaminium ita multos dies, ut interierint nonnulli fame. erat enim præfectus Appii Scaptius, & habebat turmas ab Appio. id me igitur tu, cujus mehercule os mihi *ante oculos* ſolet verſari, cùm de aliquo officio, ac laude cogito, tu me, inquam, rogas, præfectus ut Scaptius ſit? aliàs hoc ſtatueramus, ut negotiatorem neminem: idque Bruto probaveramus. habeat is turmas? cur potiùs, quàm cohortes? ſumptu jam nepos evadit Scaptius. volunt, inquis, principes. ſcio. nam ad me Epheſum uſque venerunt; flenteſque equitum ſcelera, & miſerias ſuas detulerunt. itaque ſtatim dedi litteras, ut ex Cypro equites ante certam diem decederent: ob eamque cauſam, tum ob ceteras, Salaminii nos in cælum *decretis* ſuis ſuſtulerunt. ſed jam quid opus equitatu? ſolvunt enim Salaminii. niſi forte id volumus armis efficere, ut fœnus quatternis centeſimis ducant. & ego audebo legere umquam, aut attingere eos libros, quos tu dilaudas, ſi tale quid fecero? [11] nimis, nimis, inquam, in iſto Brutum amaſti dulciſſime Attice: nos, vereor, ne parum. atque hæc, ſcripſi ego ad Brutum ſcripſiſſe te ad me. cognoſce nunc cetera. Pro Appio nos hic omnia facimus; honeſtè tamen, ſed planè libenter: nec enim ipſum odimus: & Brutum amamus: & Pompejus mirificè à me contendit; quem mehercule plus pluſque in dies diligo. C. Cœlium Quæſtorem huc venire audiſti. neſcio, quid ſit: ſed Pammenia illa mihi non placent. Ego me ſpero Athenis fore menſe Septembri. tuorum itinerum tempora ſcire

1. *Poſtremæ tuæ.*] Vulg. *tuæ poſtremæ.*

2. *Charonis.*] Anton. Auguſtin. liber *Charontis*: vulg. *Charonis.*

3. *Et vix accredens.*] Reſtituit Boſius ex Cruſellino *accredens*. Lambinus ex vetere libro legit, *& vix ei credens*: vulg. *aggrediens.*

4. *De iſto Dicæarcho.*] Gloſſema; *Dicæarcho*, ſuſpicatur Manutius.

5. *M. Cluvio.*] Idem Manutius ex Cavalcantis & Beſſarionis mſſ. primus ſic correxit.

6. *Phliaſios autem dici.*] *Autem* deeſt in vulg.

7. *Acceſſit altera.*] Malaſpina Victorianam editionem ſequutus probat, *alterum*, ſed Lambinus *altera* retinet. vulg. *alterum.*

8. *Nec impetrita.*] Depravatè in omnibus vere codicibus ante Boſii editionem legebatur, *imperita*, pro, *impetrita*, ut ex Cruſellino correxit Boſius, quod tamen rejicit Junius legitque ex duobus mſſ. Pal. *nec impedita nec demens*. Gulielmius maluiſſet, *nec impedita.*

9. *Creberrimis.*] Vulg. *creberrimè.*

10. *Tun' qui ais.*] Sic ex fide Cruſellini legit Boſius. vulg. *tu qui ais.*

11. *Nimis, nimis inquam.*] Iteravit vocem, *nimis*, ex Tornæſiano & Cruſellino Boſius: alterum, *nimis* deeſt in vulgatis.

1. Tuo

ſcire ſane velim. ἐνθεσιν Sempronii Rufi cognovi ex epiſtola [1] tua Corcyræa. quid quæris? invideo potentiæ Veſtorii. Cupiebam etiam nunc plura garrire: ſed lucet; urget turba; feſtinat Philogenes. valebis igitur, & valere Piliam, & Cæciliam noſtram jubebis litteris; ſalvebis à meo Cicerone.

3 CICERO ATTICO, S.

ETSI nil ſanè habebam novi, quòd poſt accidiſſet, quàm dediſſem ad te Philogeni, liberto tuo, litteras: tamen cùm Philotimum Romam remitterem, ſcribendum aliquid ad te fuit. ac primùm illud, quod me maximè angebat, (non quo me aliquid juvare poſſes: [2] quippe res enim eſt in manibus: tu autem abes longè gentium:

Πολλὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ
Νότος κυλίνδει κύματ' εὐρείης ἁλὸς) obrepſit dies, ut vides, (mihi enim A. D. III. Kal. Sext. de provincia decedendum eſt) nec ſucceditur. quem relinquam, qui provinciæ præſit? ratio quidem, & opinio hominum poſtulat fratrem: primùm, quòd videtur eſſe honos. nemo igitur potior. deinde, quòd ſolum habeo Prætorium. Pomtinus enim [3] ex pacto & conventu (nam ea lege exierat) jam à me diſceſſerat. Quæſtorem nemo dignum putat. etenim eſt levis, libidinoſus, [4] tagax. De fratre autem primum illud eſt: perſuaderi ei non poſſe arbitror. odit enim provinciam. & hercule nihil odioſius, nihil moleſtius. deinde, ut mihi nolit negare; quidnam mei ſit officii? cùm bellum eſſe in Syria magnum putetur, id videatur in hanc povinciam erupturum; hîc præſidii nihil ſit; ſumptus annuus decretus ſit; videaturne aut pietatis eſſe meæ, [5] fratrem relinquere; aut diligentiæ, nugarum aliquid relinquere? magna igitur, ut vides, ſollicitudine afficior, magna inopia conſilii. quid quæris? toto negotio nobis opus non fuit. quanto tua provincia melior? decedes, cùm voles; niſi fortè jam deceſſiſti, quem videbitur, præficies Theſprotiæ, & Chaoniæ. nec dum tamen ego Quintum convenerani; ut jam, ſi id placeret, ſcirem, poſſetne ab eo impetrari: nec tamen, [6] niſi poſſet, quid vellem, habebam. Hoc eſt igitur ejuſmodi. reliqua plena adhuc *& laudis & gratiæ*, digna iis libris, quos dilaudas. conſervatæ civitates; cumulatè Publicanis ſatisfactum: offenſus contumelia nemo; decreto juſto, & ſevero perpauci; nec tamen quiſquam, ut queri audeat. res geſtæ dignæ triumpho: de quo ipſo nihil cupidè agemus; ſine tuo quidem conſilio certè nihil. Clauſula eſt difficilis in tradenda provincia. ſed hæc *Deus* aliquis gubernabit. De urbanis rebus ſcilicet plura tu ſcis; ſæpius, & certiora audis. equidem doleo, non me tuis litteris certiorem fieri. huc enim odioſa afferebantur de Curione, de Paullo: non quo ullum periculum videam ſtante Pompejo, vel etiam ſedente; valeat modò: ſed mehercule Curionis & Paulli, meorum familiarium, vicem doleo. formam igitur mihi totius Reip. ſi jam es Romæ, aut cùm eris, velim mittas; quæ mihi obviam veniat, ex qua me fingere poſſim, & præmeditari, quo animo accedam ad urbem. eſt enim quiddam, advenientem non eſſe *peregrinum* atque hoſpitem. Et, quod pæne præterii, Bruti tui cauſa, ut ſæpe ad te ſcripſi, feci omnia. Cyprii numerabant. ſed Scaptius centeſimis, renovato in ſingulos annos fœnore, contentus non fuit. Ariobarzanes non in Pompejum [7] prolixior per ipſum, quàm per me in Brutum: quem tamen ego præſtare non poteram. [8] erat enim rex pauper; aberamque ab eo ita longè, ut nihil poſſem, niſi litteris; quibus pugnare non deſtiti. ſumma hæc eſt. pro ratione pecuniæ [9] liberaliùs eſt Brutus tractatus; quàm Pompejus. Bruto curata hoc anno talenta circiter c. Pompejo in ſex menſibus promiſſa cc. jam in Appii negotio quantum tribuerim Bruto, dici vix poteſt. quid eſt igitur, quod laborem? Amicos habet meras nugas, [10] Matinium, Scaptium; qui, quia non habuit à me turmas equitum, quibus Cyprum vexaret, ut ante me fecerat, fortaſſe ſuccenſet; aut quia præfectus non eſt, quod ego nemini tribui *negotiatori*; non C. Vennonio, meo familiari; non tuo M. Lænio; & quod tibi Romæ oſtenderam me ſervaturum; in quo perſeveravi. ſed quid poterit queri is, qui auferre pecuniam cùm poſſet, noluit? Scaptio, qui in Cappadocia fuit, puto eſſe ſatisfactum. is à me tribunatum cùm accepiſſet, quem ego ex Bruti litteris ei detuliſſem, poſtea ſcripſit ad me, ſe uti nolle eo tribunatu. [11] Gavius eſt quidam; cui cum præfecturam detuliſſem Bruti rogatu, multa & dixit, & fecit cum quadam mea contumelia, [12] P. Clodii canis. is me nec proficiſcentem Apameam proſecutus eſt; nec, cùm poſtea in caſtra veniſſet, atque inde diſcederet, *numquid vellem*, rogavit; & fuit apertè mihi, neſcio quare, non amicus. hunc ego ſi in præfectis habuiſſem, quem tu me hominem putares, qui, ut ſcit potentiſſimum hominem contumaciam numquam tulerim, ferrem hujus adſeclæ? etſi hoc plus, quàm ferre, tribuere etiam beneficii aliquid & honoris. is igitur Gavius, cùm Apameæ me nuper vidiſſet Romam proficiſcens, me ita appellavit: [13] (Culleolum vix auderem) *unde*, inquit, me jubes [14] petere cibaria præfecti? reſpondi lenius, quam putabant oportuiſſe, qui aderant; *me non* inſtituiſſe iis dare cibaria, quorum opera non eſſem uſus. abiit iratus. hujus [15] nebulonis obiratione ſi Brutus moveri poteſt, licebit eum ſolus ames; me æmulum non habebis. ſed illum eum futurum eſſe puto, qui eſſe debet. tibi tamen cauſam notam eſſe volui: & ad ipſum hæc perſcripſi diligentiſſimè. omnino (ſoli enim ſumus) nullas umquam ad me litteras miſit Brutus, ne proximè quidem de Appio, in quibus non ineſſet arrogans, ἀκοινωνητον aliquid. tibi autem valde ſolet in ore eſſe,

[16] *Granius autem*
Non contemnere ſe, & reges odiſſe ſuperbos:

in quo tamen ille mihi riſum magis, quàm ſtomachum, movere ſolet: ſed planè parum cogitat, quid ſcribat, aut ad quem. Q. Cicero puer legit, ut opinor, & certè, epiſtolam inſcriptam patri ſuo. ſolet enim aperire, idque de meo conſi-

---

1. *Tua Corcyræa.*] Boſii omnes *tua Corcyræa*, ut edidit: & ita etiam fuiſſe in ſuis, refert Malaſpina; *tua* deeſt in vulg.
2. *Quippe res enim eſt in manibus.*] *Enim* non comparet in vulg.
3. *Ex pacto & conventu.*] Prætulerit Dauſqueius Lambini *convento*; etſi apud Plinium quid conventus ſit, non ignoret, legeritque apud Solinum, *conventum dentium*. heic enim cum intelligatur res *pacta conventa*, ſic malit, ut dixit. nam quid cuique loco appoſitius, pervidendum.
4. *Tagax.*] Male legi, *ſagax*, ut eſt in vulgata editione, aut, *rapax*, jam pridem docuit nos Jacobus Cujacius.
5. *Fratrem relinquere; aut diligentiæ.*] Relinquere deeſt in vulg.
6. *Niſi poſſet.*] Vulg. *ſi poſſet.*
7. *Prolixior per ipſum.*] Urſini Longolianus liber, *per ſe ipſum.*
8. *Erat enim rex pauper.*] Junius ex optimo mſ. Palat. legit, *Erat enim rex, ſed pauper.*
9. *Liberaliùs.*] Sic conjiciunt Victorius, Manutius, Faërnus, & alii, licet omnes mſſ. uno conſenſu habeant *liberius.*
10. *Matinium, Scaptium.*] Vulg. *M. Scaptium:* in Beſſarionis libro, *Manium Scaptium. Matinium* autem legendum Manutio non videtur.
11. *Gavius eſt quidam.*] Manutii ex Beſſarionis libro conjecturam confirmant Tornæſ. & Cruſellinus, in quibus plane exaratum erat, *Gavius.* vulgò *Cajus.*
12. *P. Clodii canis.*] Magis placet Urſino, *cauſa*, quàm *canis*, ut in viri doctiſſimi libro emendatum ait.
13. *Culleolum vix auderem.*] Junius, *Culleolam vix.*
14. *Petere cibaria præfecti? Reſpondi lenius.*] Sic legendum, ut è Tornæſiano emendavit Lambinus; quam lectionem præ ſe ferunt ceteri Boſiani: vulgò *petere cibaria? Profecto reſpondi, &c.*
15. *Nebulonis obiratione.*] Boſius ex Decurtato repoſuit *obiratione.* Lambinus legit *oratione* quod Manutio tamen languidius videtur) & paulò poſt, *ſi Brutus permoveri*, pro ſimplice *moveri.* Junius ex conjectura legit, *nebulonis ratione.* vulg. *operatione.*
16. *Granius autem, &c.*] Manutius ita hunc locum reſtituit. Ceterum libri alii, vulgati illi quoque habent, *Gravius.* Urſinus ex doctiſſimi viri libro hanc profert correctionem: *Ennianum illud, gravitatem non contemnere, ſed reges odioſe, &c.* ſcribit idem, *gnaviùs* pro *graviùs* placuiſſe Faërno.

conſilio ; ſi quid forte ſit, quod opus ſit ſciri. in ea autem epiſtola erat illud idem de ſorore, quod ad me. mirifice conturbatum vidi puerum. lacrimans mecum eſt queſtus. quid quæris ? miram in eo pietatem, ſuavitatem, humanitatemque perſpexi : quo majorem ſpem habeo, nihil fore aliter, ac deceat. id te igitur ſcire volui. Ne illud quidem prætermittam : Hortenſius filius fuit Laodiceæ [1] è gladiatoribus, flagitioſè & turpiter. hunc ego patris cauſa vocavi ad cenam ; quo die venit ; & ejuſdem patris cauſa nihil amplius, is mihi dixit, ſe Athenis me exſpectaturum, ut mecum decederet. rectè, inquam : quid enim dicerem? omnino puto nihil eſſe, quod dixit. nolo quidem ; ne offendam patrem, quem mehercule [2] multum diligo. ſin fuerit meus comes, moderabor ita, nequid eum offendam, quem minimè volo. Hæc ſunt ; etiam illud. Orationem Q. Celeris mihi velim mittas contra M. Servilium. litteras mitte quamprimum : [3] ſi nihil ; nihil fieri, vel per tuum tabellarium. Piliæ & filiæ ſalutem. Cura, ut valeas.

4 CICERO ATTICO, S.

TARSUM venimus Nonis Juniis. ibi me multa moverunt : magnum in Syria bellum ; magna in Cilicia latrocinia ; mihi difficilis ratio adminiſtrandi, quod paucos dies habebam reliquos annui muneris : illud autem difficillimum ; relinquendus erat ex s. c. qui præeſſet. nihil minùs probari poterat, quam Quæſtor [4] Meſcinius. nam de Cælio nihil audiebamus. rectiſſimum videbatur, fratrem cum imperio relinquere : in quo multa moleſta, diſceſſus noſter, belli periculum, militum *improbitas*, ſexcenta præterea. ô rem totam odioſam! ſed hæc fortuna viderit : quoniam *conſilio* non multum uti licet. Tu, quando Romam ſalvus, ut ſpero, veniſti, videbis, ut ſoles, omnia, quæ intelliges noſtra intereſſe, in primis de Tullia mea : cujus de conditione quid mihi placeret, ſcripſi ad Terentiam, cùm tu in Græcia eſſes : deinde de honore noſtro. quòd enim tu abfuiſti, vereor ut ſatis diligenter actum in Senatu ſit de litteris meis. Illud præterea μυστικώτερον ad te ſcribam ; tu ſagaciùs odorabere : τοῦ δάμαρτός μου ὁ ἀπελεύθερος (οἶσθα ὃν λέγω) ἔδοξέ μοι πρώην ἐξ ὧν ἀλογιζόμενος παρεφθέγγετο, πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐκ τῆς ὠνῆς τῶν ὑπαρχόντων τοῦ Κροτωνιάτου τυραννοκτόνου. δέδοικα δή, [5] μή τι νοήσῃς [6] εἰς δή που τοῦτο δὴ περισκεψάμενος, τὰ λοιπὰ [7] ἐξασφαλίσαι. non queo tantum, quantum vereor, ſcribere. Tu autem fac, ut mihi tuæ litteræ volent obviæ. Hæc feſtinans ſcripſi in itinere atque agmine. Piliæ & puellæ Cæciliæ belliſſimæ ſalutem dices.

5 CICERO ATTICO S.

NUNC quidem profecto Romæ es : quò te, ſi ita eſt, ſalvum veniſſe gaudeo : unde quidem quàm diu abfuiſti, magis à me abeſſe videbare, quàm ſi domi eſſes. minùs enim mihi meæ notæ res erant, minùs etiam publicæ. quare velim, etſi, ut ſpero, te hæc legente aliquantum [8] tamen viæ proceſſero, tamen obvias mihi litteras quam argutiſſimas de omnibus rebus crebrò mittas, in primis de quo ſcripſi ad te antea : τοῦ ξυνάορος [9] τῆς ἐμῆς ὁ ὑξελεύθερος, ἔδοξέ μοι θαμὰ βατταρίζων, καὶ ἀλύων τοῖς ξυλλόγοις, καὶ ταῖς λέσχαις ὑπό τι πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐν τοῖς ὑπάρχουσι τοῖς τοῦ Κροτωνιάτου. hoc tu indaga, ut ſoles ; aſt hoc magis. ἐξ ἄστεως ἑπταλόφου τειχῶν [10] παρέδωκεν μνῶν κ δ, μ η, ὀφειλημάτων Καμίλλῳ, ἑαυτόν τε ὀφείλοντα μνᾶς κ δ. ἐκ τῶν Κροτωνιατικῶν καὶ ἐκ τῶν [11] Χερρονησιατικῶν μ η : καὶ μνᾶς κληρονομήσας χμ. χμ. τούτων δὲ μηδὲ ὀβολὸν διαλύσασθαι, πάντων ὀφειληθέντων τοῦ δευτέρου μηνὸς τῇ νουμηνίᾳ. τὸν δὲ ἀπελεύθερον αὐτοῦ, ὄντα ὁμώνυμον τῷ Κόνωνος πατρί, μηδὲν ὁλοσχερῶς πεφροντικέναι. ταῦτα οὖν, πρῶτον μὲν, ἵνα πάντα σώζηται : δεύτερον δὲ, ἵνα μηδὲ τῶν τόκων ὀλιγωρήσῃς τῶν ἀπὸ τῆς προκειμένης ἡμέρας. ὅσας αὐτὸν ἠνέγκαμεν σφόδρα δέδοικα. καὶ γὰρ παρῆν πρὸς ἡμᾶς κατασκεψόμενος, καί τι σχεδὸν ἐλπίσας. ἀπογνοὺς δὲ, ἀλόγως ἀπέστη, ἐπειπών, εἴκω. [12] αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν : meque objurgavit vetere proverbio, τὰ μὲν διδόμενα. [13] reliqua videt, &, quantum fieri poteſt, perſpicit animus. etſi annuum tempus prope jam emeritum habebamus : dies enim XXXIII erant reliqui : ſollicitudine provinciæ tamen vel maximè urgebamur. cùm enim arderet Syria bello ; & Bibulus, in tanto mœrore ſuo, maximam curam belli ſuſtineret ; ad meque legati ejus, [14] & Quæſtor, & amici litteras mitterent, ut ſubſidio venirem : etſi exercitum infirmum habebam ; auxilia ſanè bona, ſed ea Galatarum, Piſidarum, Lyciorum ; (hæc enim ſunt noſtra *robora*) tamen eſſe officium meum putavi, exercitum habere quam proximè hoſtem, quoad mihi præeſſe provinciæ per s. c. liceret. ſed, quò ego maximè delectabar, Bibulus moleſtus mihi non erat ; de omnibus rebus ſcribebat ad me potiùs : & mihi deceſſionis dies λεληθότως obreptat : qui cùm advenerit, ἄλλο πρόβλημα, quem præficiam ; niſi [15] Caldus Quæſtor venerit ; de quo adhuc nihil certi habebamus. Cupiebam mehercule longiorem epiſtolam facere : ſed nec erat res, de qua ſcriberem ; nec jocari præ *cura* poteram. valebis igitur, & puellæ ſalutem [16] Atticulæ dices, noſtræque Piliæ.

CICERO ATTICO, S. 6

EGO, dum in provincia omnibus rebus Appium orno, ſubitò ſum factus accuſatoris ejus ſocer. id quidem, inquis, dii approbent. ita velim : teque ita cupere certò ſcio. ſed crede mihi, nihil minùs putaram ego, qui de Tib. Nerone, qui mecum egerat, certos homines ad mulieres miſeram ; qui Romam venerunt, factis ſponſalibus. ſed hoc ſpero melius. mulieres quidem valde intelligo delectari

1. *E gladiatoribus.*] Fretus auctoritate Decurt. Boſius præpoſitionem, è, addidit, quæ magno ſententiæ incommodo deerat : Vulg. *cum gladiatoribus*. hanc autem præpoſitionem ab omnibus ſuis abeſſe teſtantur Malaſpina & Lambinus.

2. *Multum diligo.*] Vulg. *valde diligo.*

3. *Si nihil, nihil fieri.*] Hunc quoque locum repetita voce, *nihil*, ex eodem Decurtato correxit Boſius. Lambinus autem teſtatur Beſſarionis, Maffei, Ferri, & Memm. mſſ. legere, *fieri*, quod retinet : vulg. *ſi nihil fuerit.*

4. *Meſcinius.*] Ita legendum vult Urſinus, non *Meſſinius.*

5. Μή τι νοήσῃς.] Emendat Manut. μή τι νοήσῃ : vulg. μή τις νοήσῃς.

6. Εἰς δή που.] Manutio placeret ἐν δή που, niſi mſſ. repugnarent.

7. Ἐξασφαλίσαι.] Vulg. ἐξ ἀσφαλείας.

8. *Tamen viæ.*] Duo hæc vocabula expungenda auctore Junio.

9. Τῆς ἐμῆς ὑξελεύθερος.] Vulg. τῆς ἑρμῆς ὁ ἀπελεύθερος.

10. Παρέδωκεν μνῶν κ δ μ η ὀφειλημάτων Καμίλλῳ. ἑαυτόν τε ὀφείλοντα.] Boſius hunc locum ex Decurt. ſic caſtigavit. Lambinus autem ex optimo codice mſſ. aliter vult legi, παρέδωκεν ἡμῶν γυμνητὴν κα. μνᾶς ὀφείλημα τῷ Καμίλλῳ. vulgo, παρέδωκεν ἡμῶν γάμου, ὀφειλήματα, ὁ Κάμιλλος αὐτόν τε ὀφείλοντα.

11. Χερρονησιατικῶν.] Vulg. Χερρονησιτικῶν.

12. Αἰσχρόν τοι, δηρόν τε μένειν.] Parum hoc ad rem adnotavit Dauſqueius, niſi ex Homero ſupplementum *mittatur* : κενεόν τε νέεσθαι.

13. *Reliqua videt.*] Hunc locum fœdis maculis inquinatum ex priſco Decurtato purgavit Boſius.

14. *Et Quæſtor & amici.*] Poſterius, &, deeſt in vulg.

15. *Caldus quæſtor.*] Sic habent omnes Boſii ex mſſ. vulg. *Cælius quæſtor.*

16. *Atticulæ dices.*] Acutiſſimè & Malaſp. conjecit Cic ſcripſiſſe, *Atticulæ*, pro, *articulatè*, ut vulgò referunt exemplaria ; ejuſque conjecturam confirmat auctoritas Decurt. in quo diſertim exaratum eſt, *Atticulæ. articulatè*, autem legendum cenſet Manut. ut etiam Lamb. qui tamen olim ediderat, *Atticulæ*, & Malaſp. conjectura.

1. Cum

lectari obſequio & comitate adoleſcentis. cetera noli ἐξακριβίζειν. Sed heus tu, πυρῆνς εἰς δῆμον Athenis? placet hoc tibi? etſi non impediebant mei certe libri (non enim iſta *largitio* fuit in civeis, ſed in hoſpites liberalitas) me tamen de Academiæ προπύλῳ jubes cogitare, [1] cum jam Appius de Eleuſine [2] non cogitet. De Hortenſio te certò ſcio dolere. equidem excrucior. decreram enim cum eo valde familiariter vivere. Nos provinciæ *præfecimus* Cœlium: puerum, inquies, & fortaſſe fatuum, & non gravem, & non continentem. aſſentior: fieri non potuit aliter. nam quas multo ante tuas acceperam litteras, in quibus ἐπέχειν te ſcripſeras, quid eſſet mihi faciendum [3] de relinquendo; eæ me pungebant. videbam enim, quæ tibi eſſent ἐποχῆς cauſæ, (& erant eædem mihi) [4] puero tradere me: fratri autem, illud non utile nobis. Nam præter fratrem nemo erat, quem ſine contumelia Quæſtori, nobili præſertim, anteferrem. tamen, dum impendere Parthi videbantur, ſtatueram fratrem relinquere, aut etiam Reip. cauſa contra s. c. ipſe remanere: qui poſtea quàm, incredibili felicitate, diſceſſerunt; ſublata dubitatio eſt. videbam *ſermones:* hui fratrem [5] reliquit? num eſt hoc non plus annum obtinere provinciam? quid, quòd Senatus eos voluit præeſſe provinciis, qui non præfuiſſent? at hic triennium. ergo hæc ad populum. quid, quæ tecum? numquam eſſem ſine cura, ſi quid iracundius, aut contumelioſius, aut negligentius; [6] quæ fert *vita hominum.* quid, ſi quid filius puer, & puer bene ſibi fidens? qui eſſet dolor? quem pater non dimittebat; teque id cenſere, moleſtè ferebat. at nunc Cœlius, [7] non dico equidem, quid egerit; ſed tamen multo minùs laboro. Adde illud, Pompejus, eo robore vir, iis radicibus, Q. Caſſium ſine ſorte delegit, Cæſar Antonium: ego *ſorte* datum offenderem? [8] ut etiam inquireret in eum, quem reliquiſſem? hoc melius: & hujus rei plura exempla: ſenectuti quidem noſtræ profectò aptius. at te apud eum, dii boni! quanta in gratia poſui? eique legi litteras non tuas, ſed librarii tui. Amicorum litteræ me ad triumphum vocant, rem à nobis, ut ego arbitror, propter hanc παλιγγενεσίαν noſtram, non negligendam. quare tu quoque, mi Attice, incipe [9] id cupere; quo nos minùs inepti videamur.

CICERO ATTICO, S.

7 QUINTUS filius, piè ſanè, me quidem certè multùm hortante, ſed currentem, animum patris ſui ſorori tuæ reconciliavit. [10] eum valde etiam tuæ litteræ excitarunt. quid quæris? confido rem. ut volumus, eſſe. Bis ad te antea ſcripſi de re mea familiari, ſi modò tibi redditæ litteræ ſunt, Græcè, ἐν αἰνιγμοῖς. ſcilicet nihil eſt movendum. ſed tamen, ἀφελῶς percunctando de nominibus Milonis, &, ut expediat, ut mihi recepit, hortando, [11] aliquid ita tu proficies. Ego Laodiceæ Quæſtorem Meſcinium [12] exſpectare juſſi, ut confectas *rationes* lege Julia apud duas civitates poſſim relinquere. Rhodum volo puerorum cauſa: unde quàmprimum Athenas: etſi eteſiæ valde reſiant. [13] ſed planè volo his magiſtratibus, quorum voluntatem in ſupplicatione ſum expertus. Tu tamen mitte mihi, quæſo, obviam litteras: numquid putes Reipub. nomine tardandum eſſe nobis. Tiro ad te dediſſet litteras, niſi eum graviter ægrum [14] Iſſi reliquiſſem. ſed nuntiant, melius eſſe. ego tamen angor. nihil enim illo adoleſcente caſtius, nihil diligentius.

CICERO ATTICO, S. 8

CUM inſtituiſſem ad te ſcribere, calamumque ſumpſiſſem, [15] Battonius è navi recta ad me venit domum Epheſi, & epiſtolam tuam reddidit 11. [16] Kal. Octobres. Lætatus ſum felicitate navigationis tuæ, oportunitate Piliæ, etiam mehercule ſermone ejuſdem de conjugio Tulliæ meæ. Battonius autem [17] miros terrores ad me attulit Cæſarianos: cùm Lepta etiam plura locutus eſt: ſpero, falſa. ſed certè *horribilia:* exercitum nullo modo dimiſſurum: cum illo Prætores deſignatos, Caſſium Tribunum pleb. Lentulum cos. facere: Pompejo in animo eſſe urbem relinquere. Sed heus tu, numquid moleſtè fers de illo, qui ſe ſolet anteferre patruo ſororis tuæ filii? [18] at à quibus victus? ſed ad rem. Nos eteſiæ vehementiſſimè tardarunt. [19] detraxit xx. ipſos dies etiam aphractus Rhodiorum. Kal. Octob. Epheſo conſcendentes hanc epiſtolam dedimus [20] L. Tarquitio, ſimul è portu egredienti, ſed expeditiùs naviganti. nos Rhodiorum aphractis, ceteriſque longis navibus tranquillitates aucupaturi eramus. ita tamen properabamus, ut non poſſet magis. De raudusculo Puteolano, gratum. Nunc velim diſpicias res Romanas: videas quid nobis de triumpho cogitandum putes; ad quem amici me vocant. ego, niſi Bibulus, qui, dum [21] unus hoſpes in Syria fuit, pedem porta non plus extulit, quam domo ſua, adniteretur de triumpho æquo animo eſſem. nunc vero αἰσχρὸν σιωπᾶν. ſed explora rem totam: ut, quo die congreſſi erimus, conſilium capere poſſimus. At multa; qui & properarem, & ei litteras darem, qui aut mecum, aut paullo ante venturus eſſet. Cicero tibi plurimam ſalutem dicit. tu dices utriuſque noſtrum verbis & Piliæ tuæ, & filiæ.

CICE-

1. *Cum jam Appius.*] Non dubium eſt quin legendum ſit, *cùm jam*, ut emendavit Malaſp. quod Boſio etiam probarunt Decurtatus & Cruſellinus: vulg. *quoniam.*

2. *Non cogitet.*] Fulvianus *nunc cogitet.*

3. *De relinquendo, ex me pungebant.*] In antiquo ſuo ſcriptum eſſe dicit Urſinus, *de relinquendo fratre me, &c.*

4. *Puere tradere me.*] Boſius ex Decurtato ſic emendavit; vulg. *puero ne traderem.*

5. *Reliquit.*] Vulg. *relinquit.*

6. *Quæ fert vita hominum.*] Manutii hæc eſt emendatio: vulg. *quæ fortuita hominum.*

7. *Non dico equidem quid egerit.*] Legit Muretus lib. xv. cap. 8. *non dico equidem quicquid egerit.* Urſinus melius putat quod eſt in mſſ. *non dico equidem quod egerit, ſed tamen quod egerit, multo minus laboro.*

8. *Ut etiam inquireret in eum.*] Malaſpinæ hanc ex antiquis libris reſtitutionem rectam & veram eſſe ſcripturam aſſerit Lambinus atque in hoc Memmianum Huraltinum & Tornæſ. codd. conſentire refert. Manutius, *aut etiam inquirerem in eum?* cum interrogatione, quæ eſt vulgata lectio.

9. *Id cupere.*] Vulg. *hoc cupere.*

10. *Eum valde etiam.*] Ut in codd. Malaſp. ſic in Boſianis legebatur *etiam*, deeſt in vulg.

11. *Aliquid ita tu.*] Hoc ex ingenio, ſuſpicatur Manutius, nam Cavalcantis, Ferri, Beſſar. *aliquid aut*; probaret, *aliquantum.*

12. *Exſpectare juſſi.*] Sic legendum; nam quod Victorius ait ſe caſtigaſſe, *miſi*, auctore Lambino ferri non poteſt. Junius ex duobus mſſ. Pal. *expectaram modò ipſe venerit*, pro *expectare juſſi.*

13. *Sed planè volo.*] Tò, *planè*, quod deerat in vulg. ex mſſ. ſuis reſtituit Boſius.

14. *Iſſi reliquiſſem.*] Decurtatus & Cruſellinus partim, *eſſe*, partem *iſſe*, unde Boſio injecta ſuſpicio eſt Ciceronem ſcripſiſſe *Iſſi*, ut Manutius etiam legendum exiſtimat. Lambinus legit *Sidæ* ex conjectura. Junius verò neque *Iſſi*, neque *Sidæ*, neque Eſeæ, quæ eſt vulgata lectio probat, ſed *Niſæ* ſubſtituit. Cavalc. mſ. *Eſeæ*. Beſſar. *Eſſe.*

15. *Battonius.*] Hic & infra in vulgatis legitur *Batonius.*

16. 11. *Kalend. Octobr.*] Hæc eſt ſcriptura Decurtati, Tornæſiani & Cruſellini: vulg. *pridie Kalend. Octob.* quod perinde eſt: Boſius veterem notam expreſſit.

17. *Miros terrores.*] *Meros* pro *miros* caſtigat Muretus d. cap. 8.

18. *At à quibus victus?*] *At à quibus evectus* legebat Pius.

19. *Detraxit xx. ipſos dies.*] In mſ. Urſini eſt, *detraxere.*

20. *L. Tarquitio.*] Boſiani omnes *L. Tarquitio*, quomodo in ſuis fuiſſe tradit Malaſpina, atque ita omnino legendum videtur Urſino: vulg. *L. Tarquinio.*

21. *Unus hoſpes.*] Sic omnes habere mſſ. teſtatur Victorius. Lambinus autem codicem Tornæſianum, *hoſpis*, habere dicit, unde conjicit legendum *hoſtis*; quam conjecturam auctoritate mſſ. Palat. retinet Junius, quomodo legendum diu eſt quod cenſuerat Lipſius libro 1. variar. lect. cap. 15.

9 CICERO ATTICO, S.

IN Piræea cùm exiſſem prid. Idus Octob. [1] accepi ab Acaſto, ſervo meo, ſtatim tuas litteras: quas quidem cum exſpectaſſem jam diu, admiratus ſum, ut vidi obſignatam epiſtolam, brevitatem ejus; ut aperui, rurſus σύγχυσιν litterularum, [2] quæ ſolent tuæ compoſitiſſimæ & clariſſimæ eſſe: ac, ne multa, cognovi ex eo, quòd ita ſcripſeras, te Romam veniſſe A. D. XII. Kalend. Octob. cum febri. percuſſus vehementer, nec magis, quàm debui, ſtatim quæro ex Acaſto. ille & tibi, & ſibi viſum, & ita ſe domi ex tuis audiſſe, ut nihil eſſet incommodè. id videbatur approbare, quod erat in extremo, febriculam tum te habentem ſcripſiſſe. [3] ſed amavi tamen; admiratuſque ſum, quòd nihilominùs ad me tua manu ſcripſiſſes. quare de hoc ſatis. ſpero enim, quæ tua prudentia & temperantia eſt, & hercule, ut me jubet Acaſtus, confido te jam, ut volumus, valere. A Turannio te accepiſſe meas litteras gaudeo. τὼ Ἀφφύλαξον, ſi me amas, τὴν ἢ φυρατῶ φιλοτιμίαν αὐτόπτην. hanc, quæ mehercule mihi magno dolori eſt, (dilexi enim hominem) procura, quantulacumque eſt, Præcianam hereditatem, [4] prorſus ille ne attingat. [5] dices, nummos mihi opus eſſe ad apparatum triumphi: in quo, ut præcipis, nec me κενὸν in expetendo cognoſces, nec ἄτυφον in abjiciendo. Intellexi ex tuis litteris, te ex Turannio audiſſe, à me provinciam *fratri* traditam. adeon' ego non perſpexeram prudentiam litterarum tuarum? [6] ἐπέχειν te ſcribebas. quid erat dubitatione dignum? ſi eſſet quidquam; cur placeret fratrem, & talem fratrem, relinqui? ἀθέτησις iſta mihi tua, non ἐποχὴ videbatur. monebas de Q. Cicerone puero, ut eum quidem neutiquam relinquerem. [7] τοῦ μὲν ὄνειρον ἐμοί. eadem omnia, quaſi collocuti eſſemus, vidimus. non fuit faciendum aliter, meque ἐπιχρονία ἐποχὴ tua dubitatione liberavit. ſed puto te accepiſſe de hac re epiſtolam, ſcriptam accuratiùs. Ego tabellarios poſtero die ad vos eram miſſurus, quos puto ante venturos, quàm noſtrum Saufeium. ſed eum ſine meis litteris ad te venire, vix rectum erat. Tu mihi, ut polliceris, de Tulliola mea, id eſt de Dolabella, perſcribas; de Rep. quàm prævideo in ſummis periculis; de Cenſoribus, maximeque de ſignis, tabulis quid fiat? referaturne. Idibus Octob. has dedi litteras: quo die, ut ſcribis, Cæſar Placentiam legiones quatuor. quæſo, quid nobis futurum eſt? [8] In arce Athenis ſtatio mea nunc placet.

1. *Accepi ab Acaſto, ſervo meo.*] Emendabat Muretus d. cap. 8. *accepi ab Acaſto, ſtatore meo tuas litteras.*

2. *Quæ ſolent tuæ compoſitiſſimæ, & clariſſimæ eſſe.*] *Tuæ* deeſt in vulg. etiam in editione Junii; qui pro *compoſitiſſimæ*, ex duobus mſſ. Palat. legit *copioſiſſimæ*. Gulielmius maluiſſet, *quod ſolent tuæ compoſ.*

3. *Sed amavi tamen.* Vulg. *Sed clamavi tamen.*

4. *Prorſus ille ne attingat.*] Et ſententia flagitat, ut legatur, *ille ne attingat*; & ita manifeſtiſſimè ſcriptum eſt in Scidis, ut etiam in Fulviano mſ.

5. *Dices, nummos mihi opus eſſe.*] Junius ex duobus mſſ. Palat. legit, *nummos mihi eſſe.*

6. Ἐπέχειν *te ſcribebas.*] Victorius caſtigaverat ex antiquo ſuo ἐπέχειν *ter ſcribebas*: antea legebatur ἔπειτα *ut ſcribebas*: Viri doctiſſimi hanc emendationem refert Urſinus; ἐπέχειν *interſcripſeras.*

7. Τοῦ μὲν ὄνειρον ἐμοί.] Antiquioris ſui auxilio hunc locum reſtituit Victorius: antea legebatur τοῦτο μένον ἐρώνυέ μι: vulg: τοῦ μὲν ὄναρ ἐρῶν ἐμοί.

8. *In arce Athenis ſtatio mea nunc placet.*] Et hunc quoque locum depravatum meliorum ope codicum, reſtituit Victorius; cùm prius legeretur, *Mac'te. ſcribas Athenis.* Beſſarionis liber Manutio referente, *Marce Athenis*: Cavalcantis; *In Arce Athenis.* verbum quidem *ſcribas*, in neutro reperitur, ne in duobus quidem quos habet ipſius amiciſſimus, unde legendum conjicit, ut Victorius, ejuſque emendationem ſibi vindicat: ſic etiam planè ſcriptum in ſuis mſſ. aſſerit Lambinus. ſed Junius contrà; uno conſenſu omnes mſſ. Palat. habere ait, *Macte ſcribas. Athenis ſtatio nunc placet*: quod & ipſi probatur. Achilles Statius conjicit, *in acte*, ſed non ſatisfacit Gulielmio, qui ἀκρόπολιν intelligi annotat, cujus & mentio apud Platonem libro 1. de Legibus.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM LIBER SEPTIMUS, AD ATTICUM.

1 CICERO ATTICO, S.

DEDERAM equidem L. Saufeio litteras, & dederam ad te unum, quòd, cùm non eſſet temporis mihi ad ſcribendum ſatis, tamen hominem tibi tam familiarem ſine meis litteris, ad te venire nolebam. ſed, ut *philoſophi ambulant*, has tibi redditum iri putabam priùs. ſin jam illas accepiſti, ſcis me Athenas veniſſe prid. Idus Octobres; è navi egreſſum in Piræeum tuas ab Acaſto noſtro litteras accepiſſe; conturbatum, quòd cum febre Romam veniſſes; bono tamen animo eſſe cæpiſſe, quòd Acaſtus ea, quæ vellem, de allevato corpore tuo nuntiaret; [1] cohorruiſſe autem me, quòd tuæ litteræ de legionibus Cæſaris afferrent; & egiſſe tecum, ut videres, ne quid φιλοτιμία ejus, quem noſti, nobis noceret; de quo jam pridem ad te ſcripſeram. Turannius autem ſecus tibi Brundiſii dixerat; quod ex iis litteris cognovi, quas à Xenone, optimo viro accepi. Cur fratrem provinciæ non præfeciſſem, expoſui breviter. hæc ferè ſunt in illa epiſtola. Nunc audi reliqua; per fortunas, omnem tuum amorem, quo me es amplexus, omnemque tuam prudentiam, quam mehercule in omni genere judico ſingularem, [2] confer jam ad eam curam, ut de omni ſtatu meo cogites. videre enim mihi videor tantam dimicationem, niſi idem *Deus*, qui nos meliùs, quam optare auderemus, Parthico bello liberavit, reſpexerit

1. *Cohorruiſſe autem me.*] Particula hæc, *me*, abeſt a vulg.

2. *Confer jam.*] Sic emendavit Lambinus, approbante Boſio cujus omnes mſſ. habent, *conferam.* Junius verò ex mſ. Pal. in quo eſt, *conferte*, repoſuit *conferto*, prioremque lectionem rejicit. Vox illa, *jam*, deeſt in vulg.

1. Πα-

rit Rempublicam; ſed, tantam, quanta numquam fuit. age, hoc malum mihi commune eſt cum omnibus. nihil tibi mando, ut de eo cogites. illud meum proprium πρόβλημα, quæſo, ſuſcipe. videſne, ut te auctore ſim utrumque complexus? ac vellem à principio te audiſſe amiciſſimè monentem.

Α'λλ' ἐμὸν ὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσιν ἔπειθες

[1] Πατρίδ@.

ſed aliquando tamen perſuaſiſti, ut alterum complecteret, quia de me erat *optimè meritus*; alterum, quia *tantum valebat*. feci igitur, [2] itaque feci omni obſequio, ut neutri illorum quiſquam eſſet me carior. hæc enim cogitabamus; nec mihi, [3] conjuncto cum Pompejo, fore neceſſe peccare in Rep. aliquando; [4] nec, cum Cæſare ſentienti, pugnandum eſſe cum Pompejo: tanta erat illorum conjunctio. nunc impendet, ut & tu oſtendis, & ego video, ſumma inter eos contentio. me autem uterque numerat ſuum, niſi forte ſimulat alter. nam Pompejus non dubitat (verè enim judicat) ea, quæ de Repub. nunc ſentiat, mihi valde probari. utriuſque autem accepi ejuſmodi litteras eodem tempore, quo tuas; ut neuter quemquam omnium pluris facere, quàm me, videretur. verùm quid agam? non quæro illa ultima, (ſi enim caſtris res geretur, video cum altero *vinci* ſatiùs eſſe, quàm cum altero *vincere*) ſed illa, quæ tum agentur, cùm venero; ne ratio abſentis habeatur, ut exercitum dimittat. DIC M. TULLI. quid dicam? exſpecta, amabo te, dum Atticum conveniam. non eſt locus ad [5] tergiverſandum. contra Cæſarem? ubi illæ ſunt denſæ dexteræ? nam ut illi hoc liceret, adjuvi, rogatus ab ipſo Ravennæ [6] de Cœlio Tribuno pl. ab ipſo autem? etiam à Cnæo noſtro, in illo divino tertio Conſulatu. [7] aliter ſenſero? αἰδέομαι non Pompejum modò, ſed Τρῶας, καὶ Τρῳάδας. Πυλυδάμας μοι πρῶτ@ ἐλεγχείην καταθήσει, quis? tu ipſe ſcilicet, laudator & factorum & ſcriptorum meorum. hanc ego plagam effugi per duos ſuperiores Marcellorum Conſulatus, cùm eſt actum de provincia Cæſaris. nunc incido in diſcrimen ipſum. itaque, [8] *ut ſtultus* primus ſuam ſententiam dicat, mihi valde placet de triumpho nos moliri aliquid: extra urbem eſſe cum juſtiſſima cauſa. tamen dabunt operam, ut eliciant ſententiam meam. ridebis hoc loco fortaſſe. quam vellem etiam nunc in provincia morari! planè opus fuit, ſi hoc impendebat. etſi nil miſerius. nam ὀδὲ πάρεργον, volo te hoc ſcire: omnia illa prima, quæ etiam [9] tuis litteris in cælum ferebas, ἐπίτηκτα fuerunt. QUAM NON eſt facilis virtus! quam verò difficilis ejus diuturna ſimulatio! cùm enim hoc rectum & glorioſum putarem, ex annuo ſumtu, qui mihi decretus eſſet, me C. Cœlio Quæſtori relinquere annuum, referre in ærarium ad H-S CIↃ; ingemuit noſtra cohors, omne illud putans diſtribui ſibi oportere; ut ego amicior invenirer Phrygum & Cilicum ærariis; quàm noſtro. ſed me non moverunt. nam & mea laus apud me plurimum valuit. nec tamen quicquam honorificè in quemquam fieri potuit quod prætermiſerim. Sed hæc fuerit, ut ait Thucydides, ἐκβολὴ λόγου non inutilis. Tu autem de noſtro ſtatu cogitabis: primùm quo artificio tueamur benivolentiam Cæſaris: deinde de ipſo triumpho, quem video, niſi Reip. tempora impedient, εὐπόριστον. judico autem cùm ex litteris amicorum, tum ex ſupplicatione; quam [10] qui non decrevit, *plus decrevit*; quàm ſi omnes decreſſet triumphos ei porrò aſſenſus eſt unus, familiaris meus, Favonius: [11] alter iratus, Hirrus. Cato autem & ſcribendo affuit, & ad me de ſententia ſua jucundiſſimas litteras miſit. ſed tamen gratulans mihi Cæſar de ſupplicatione, triumphat de ſententia Catonis; nec ſcribit, quid ille ſententiæ dixerit, [12] ſed tantum, ſupplicationem eum mihi non decreviſſe. [13] Redeo ad A-ium: cœperas eum mihi placare: perfice. habes Scrofam, habes Silium. ad eos ego etiam antea ſcripſi, & ad ipſum Hirrum. locutus enim erat cum iis commodè, ſe potuiſſe impedire, ſed noluiſſe: aſſenſum tamen eſſe Catoni, amiciſſimo meo, cùm is honorificentiſſimam in me ſententiam dixiſſet; nec me ad ſe ullas litteras miſiſſe, cum ad omnes mitterem. verum dicebat. ad eum enim ſolum, & ad Craſſipedem non ſcripſeram. Atque hæc de rebus forenſibus. redeamus domum. Dijungere me ab illo volo. mirus eſt φυγάτης, germanus Lartidius.

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ.

Reliqua expediamus, hoc primum, [14] quo acceſſit cura dolori meo, ſed hoc tamen, quidquid eſt, Præcianum cum iis rationibus, quas ille meas tractat, admiſceri nolo. ſcripſi ad Terentiam, ſcripſi etiam ad ipſum, me, quidquid [15] poſſem nummorum, ad apparatum ſperati triumphi ad te redacturum. [16] iſta puto ἀμεμπτ@ fore. verùm ut lubebit. Hanc quoque ſuſcipe curam, quemadmodum experiamur. id & oſtendiſti quibuſdam litteris, [17] ex Epiro, an Athenis datis? & in eo ego te adjuvabo.

CICERO ATTICO, S. 2

BRUNDISIUM venimus VII. Kalend. Decemb. uſi tua felicitate navigandi. ita bellè nobis flavit ab Epiro leniſſimus [18] Onchesmites. hunc ἀπενδεκάζοντα, ſi cui voles τῶν νεωτέρων, pro tuo vendito. Invalitudo tua me valde conturbat. ſignificant enim tuæ litteræ, te prorſus laborare. ego autem, cùm ſciam, quàm ſis fortis, vehementius eſſe quiddam ſuſpicor, quod te cogat cedere, & propemodum infringat: etſi alteram quartanam Pamphilus tuus mihi dixit deceſſiſſe, & alteram leviorem accedere. Terentia verò, quæ quidem eodem tempore ad portam Brundiſinam venit,

1. Πατρίδ@.] Hæc eſt lectio Boſii, in cujus omnibus mſſ. poſt hunc verſum:

Α'λλ' μὸν ὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσιν ἔπειθες.

nullum aliud Græcum verbum ſubjicitur præter vocem πατρίδ@. Victorius in poſtrema editione ſua ſupplevit ex Homero quæ deeſſe videbantur, ut etiam Lambinus.

2. *Itaque affeci.*] Vulg. *atque effeci.*

3. *Conjunctio.*] Vulg. *junctio.*

4. *Nec cum Cæſare.*] Ita Boſius, ex antiquiore ſuo; quod tamen ſic prius ex conjectura emendaverat Malaſp. aſſentiente Lambino.

5. *Tergiverſandum. contra Cæſarem?*] Sic interpunxit Boſius. vulgò *tergiverſandum contra Cæſarem.*

6. *De Cœlio trib. plebis.*] Lambinus, partim ex mſſ. partim ex conjectura, *de decem tribunis plebis.*

7. *Aliter ſenſero?*] Nota interrog. abeſt à vulg.

8. *Ut ſtultus primus ſuam ſententiam dicat.*] Lamb. hoc totum, *ut ſtult. prim. ſuam ſent. dicat.* non putat eſſe Ciceronis quod tamen aſſerit Junius.

9. *Tuis litteris.*] Vulg. *tu litteris.*

10. *Qui non decrevit, plus decrevit, quam ſi omnes decreſſet triumphos.*] Junius ex duobus mſſ. Pal. legit, *qui non decrevit. quaſi omnes triumphos decreviſſet.* Alteram quidem non improbat, ſed tamen ſecundum hanc lectionem judicat.

11. *Alter iratus Hirrus.*] Sic emendavit Victorius prius legebatur *Hircius.*

12. *Sed tantum, ſupplicationem.*] Vulgata lectio, *ſed tamen*, potior videtur Lambino.

13. *Redeo ad Arrium.*] Vulg. *Hirrum.*

14. *Quo acceſſit.*] Ad hanc Malaſp. conjecturam, Lambinus addit, *in*, ut legatur *in quo a.* Priorem Junius, auctoritate omnium mſſ. Palat. confirmat.

15. *Poſſem nummorum.*] Vulg. *poſſet nummorum.*

16. *Iſta puto ἀμεμπτα.*] Germani, teſte Victorio, qui ſic primus reſtituit, legebatur ἀμοργνά. vulgò, *ita puta ἀμεμπτα.*

17. *Ex Epiro an Athenis datis?*] Sic reſtituit Boſius ex Decurtato & Cruſell. vulg. *Ex Epiro & Athenis datis.*

18. *Onchesmites.*] Latino Latinio hæc reſtitutio debetur, qui locum unius literæ mutatione illuſtravit, cùm prius non modò formis impreſſi, ſed etiam omnes mſſ. *Anches mitis*, duobus vocabulis haberent, teſte Victorio qui edendum curaverat, *Auſter mitis*, licèt mendo non carere fateretur. Priori autem lectioni, non modò ipſe Victorius, ſed etiam Manutius, Boſius, Lambinus & Junius ſuffragantur. Turnebus lib. XX. cap. 16. fecerat olim ex vulgata, *Ancheſites*; qui adeatur.

1. Quod

nit, quo ego in portum, mihique obvia in foro fuit, L. Pontium ſibi in Trebulano dixiſſe narrabat, etiam eam deceſſiſſe. [1] quòd ſi ita eſt, eſt quod maximè mehercule opto, [2] idque ſpero tua *prudentia & temperantia* te conſecutum. Venio ad epiſtolas tuas, quas ego ſexcentas uno tempore accepi, aliam alia jucundiorem, quæ quidem erant tua manu. nam [3] Alexidis animum amabam, quod tam prope accedebat ad ſimilitudinem tuæ litteræ: manum non amabam, quod indicabat te non valere. cujus quoniam mentio facta eſt, Tironem Patris ægrum reliqui, adoleſcentem, ut noſti, (& adde, ſiquid vis) probum: nihil vidi melius. itaque careo ægrè. quamquam videbatur ſe non graviter habere, tamen ſum ſollicitus, maximamque ſpem habeo in [4] M. Curii diligentia, de qua ad me ſcripſit Tyro, & multi nuntiarunt. Curius autem ipſe ſenſit, quàm tu [5] velles ſe à me diligi, & eo ſum admodum delectatus; & mehercule eſt, [6] quam facile diligas, αὐτίχθων in homine urbanitas. [7] ejus eſt TESTAMENTUM de Tortorii uncis, Geronum ſignis obſignatum, cohortiſque Prætoriæ: fecit palam te exlibratus, me exartuatus. In Actio Corcyræ Alexion me opiparè muneratus eſt. Q. Ciceroni obſiſti non potuit, quò minùs Thyamim videret. Filiola tua te delectari lætor, & [8] probari tibi, φυσικὴν eſſe, τὴν πρὸς τὰ τέκνα. etenim, SI HÆC non eſt, nulla poteſt homini eſſe ad hominem naturæ adjunctio; qua ſublata, vitæ ſocietas tollitur. *bene eveniat*, inquit Carneades, ſpurcè: ſed [9] tamen prudentius, quàm Lucius noſter, [10] & Patron: qui cùm omnia ad ſe referant, [11] quidquam alterius cauſa fieri putent? [12] & cùm ea re bonum virum oportere eſſe dicant, ne malum habeat [13] non quo id natura rectum ſit, [14] non intelligant ſe de callido homine loqui, non de bono viro? ſed hæc opinor ſunt in iis libris, quos tu laudando, animos mihi addidiſti. Redeo ad rem. [15] commodò exſpectabam epiſtolam, quam Philoxeno [16] dediſſes (ſcripſeras enim, in ea eſſe de ſermone Pompeii Neapolitano) eam mihi Patron Brundiſii reddidit: Corcyræ, ut opinor, occeperat. nihil potuit eſſe jucundius. erat enim de Republica, de opinione, quam is vir haberet integritatis meæ; de benivolentia, quam oſtendit eo ſermone, quem habuit de triumpho. ſed tamen hoc jucundiſſimum, quòd intellexi, te ad eum veniſſe, ut ejus animum erga me perſpiceres: hoc mihi inquam accidit jucundiſſimum. De triumpho autem, nulla me cupiditas umquam tenuit ante Bibuli impudentiſſimas litteras, quas ampliſſimè ſupplicatio conſecuta eſt: à quo ſi ea geſta ſunt, quæ ſcripſit; gauderem, & honori faverem. nunc illum, qui *pedem porta*, quoad hoſtis cis Euphratem fuit, non extulerit, honore augeri, me, in cujus exercitu ſpem illius exercitus habuit, idem non aſſequi, dedecus eſt noſtrum, noſtrum, inquam, te conjungens. itaque omnia experiar; &, ut ſpero, aſſequar. quòd ſi tu valeres, jam mihi quædam explorata eſſent. ſed, ut ſpero, valebis. De [17] rauduſculo Numeriano multum te amo. Hortenſius quid egerit, haveo ſcire; Cato quid agat: qui quidem in mè [18] turpiter fuit malivolus. dedit integritatis, juſtitiæ, clementiæ, fidei mihi teſtimonium, quod non quærebam; quod poſtulabam, [19] negavit id. itaque Cæſar iis litteris, quibus mihi gratulatur, & omnia pollicetur, quo modo exultat Catonis, in me ingratiſſimi, injuria? at hic idem Bibulo [20] dierum XX. ignoſce mihi. non poſſum hæc ferre, nec feram. cupio ad omnes tuas epiſtolas; [21] ſed nihil neceſſe eſt. jam enim te videbo. illud tamen de Chryſippo, nam de altero illo minùs ſum admiratus, *operario homine*. ſed tamen ne illo quidem quidquam improbius. Chryſippum verò, quem ego, propter litterularum neſcio quid, libenter vidi, in honore habui, diſcedere à puero, inſciente me? mitto alia, quæ audio, multa: mitto furta: fugam non fero, qua mihi nihil viſum eſt ſceleratius. itaque uſurpavi vetus illud Druſi, ut ferunt, Prætoris in eo, [22] qui eadem liber non juraret; me iſtos liberos non addixiſſe; præſertim cùm adeſſet nemo, à quo rectè vindicarentur. id tu ut videbitur, ita accipies. ego tibi [23] aſſentior. Uni tuæ diſertiſſimæ epiſtolæ non reſcripſi, in qua eſt de periculis Reipublicæ. quid reſcriberem? valde eram perturbatus. ſed, ut nihil magnopere metuam, Parthi faciunt, qui repentè Bibulum ſemivivum reliquerunt.

CICERO ATTICO, S. 3

AD. VIII. ID. Decemb. Herculanum veni, & ibi [1] tuas litteras legi, quas Philotimus mihi reddidit: è qui-

1. *Quod ſi ita eſt, eſt.*] In vulg. ultima dictio, *eſt*, non legitur.
2. *Idque ſpero.*] Vulg. *id ſpero.*
3. *Alexidis animum amabam.*] Sic interpunxit Malaſp. ex vett. codd. eumque ſequutus Lambinus, auctoritate Torn. & Mem. codd. Vocabulum *manum* quod ſubſequitur abundare putat Manutius. vulgò ſic legebatur, *Alexidis animum amabam, quod tam prope accedebat ad ſimilitudinem tuæ: literæ manum non amabam.* conſolatur Victorius lib. XVIII. var. lect. cap. 10.
4. *M. Curii.*] Vulg. *M. Curii.*
5. *Velles ſe à me.*] Decurtatus & codd. Malaſp. *Quàm tu velles ſe à me diligi.* Deeſt, *ſe*, in vulg.
6. *Quàm facile.*] Vulg. *quem facile.*
7. *Ejus eſt teſtamentum de Tortorii uncis, Geronum ſignis obſignatum cohortiſque Prætoriæ: fecit palam te exlibratus, me exartuatus. In Actio Corcyræ.*] Boſius ex perturbatis antiquæ lectionis veſtigiis ſic reſtituit. ſic autem erat in Tornæſiano; *Ejus teſtamentum detortorium, Ciceronum ſignis obſignatum, cohortiſque Prætoriæ, fecit palam te ex libertum extarvacus:* In Cruſellino ſic: *Ejus eſt teſtamentum detortorium Ciceronum ſignis obſignatum, cohortiſque Prætoriæ; fecit palam te exlibertus me extravatus*: In Decurtato verò hoc hoc modò, *Ejus eſt teſtamentum de tortori uncis ceronum ſignis obſignatum, cohortiſque Prætoriæ. fecit palam te ex libertus, me exatruatus.* Hinc autem maculas deleri poſſe exiſtimavit, ſi pro *tortori* ſcriberetur *Tortorii*, pro *ceronum*, *geronum*, pro *exlibertus*, *exlibratus*, & pro *exatruatus*, *exartuatus*. Victorius ex tam deformata lectione aliquid ſinceri elicere poſſe deſperans, vulgatam lectionem ſequutus eſt, quæ ſic ſe habet: *Ejus teſtamentum de Tortorio Ciceronum ſignis obſignatum cohortiſque Prætoriæ. fecit palam te ex libella, me ex teruncia*; quæ ultima verba ſic in vett. codd. legi dicit, *te ex libertu me extarvacus* Manutius pro *de Tortorii uncis*, conjicit legendum, *de porto Romam*, alioquin vulgatam lectionem ſequitur Lambinus locum corruptum fatetur, ſed nihil mutare auſus eſt, ſolummodò pro *teruncia*, quod eſt in vulgata lectione, mavult *teruncio* Junius aliter legit & interpungit, *In hominem urbanitas ejus Teſtamentum de portu, trium Ciceronum ſignis obſignatum, cohortiſque Prætoriæ, fecit. paulo ante libertus à me erat. Avectum Actio, &c.* arbitraturque germana eſſe Ciceronis verba. videatur etiam Turneb. l. XX. c. 16.
8. *Probari tibi φυσικὴν eſſe, τὴν πρὸς τὰ τέκνα.*] Ita ſcripſit Victorius, cum antiquis libris. vulgati codd. ſic habent, στοργὴν φυσικήν.
9. *Tamen prudentius.*] Victorius *pudentius* caſtigavit: Priorem lectionem ex mſſ. retinet Lambinus.
10. *Ei Patron.*] Vulg. *Patro.*
11. *Quicquam alterius cauſa fieri putent?*] Ita cum interrogatione ex antiquo libro legit Victorius. Lambinus cum interrogatione legendum negat, in eoque falli Victorium aſſerit.
12. *Et cum ea.*] *Et* deeſt in vulg.
13. *Non quo.*] Vulg. *non quod.*
14. *Non intelligant?*] Omnes Boſii mſſ. ſic legunt cum interrogatione, vulg. *non intelligunt.*
15. *Commodò exſpectabam.*] Boſius ex Scidis ſcripſit *commodò.* Lambinus legit *commodùm*, ſicque rectè emendaſſe Memmium aſſerit. Junius has vulgatas lectiones refert, *quàm commodùm quomodo*; ſed neutram probat; hancque quæ ipſi perplacet ſubſtituit, *quum modò.*
16. *Dediſſes (ſcripſeras, &c.*] Vulgò poſt *dediſſes* adhibetur interrogatio.
17. *Rauduſculo Numeriano.*] Quoſdam libros habere, *de rauduſculo Puteolano* teſtatur Lambinus.
18. *Turpiter malevolus.*] Deeſt *turpiter* in vulg.
19. *Negavit id. &c.*] Vulg. ſic diſtinguit, *negavit. Id. itaque.*
20. *Dierum XX.*] Pro *dierum XX.* eſſe in doctiſſimi viri libro, *decrevit*, affirmat Urſinus.
21. *Sed nihil neceſſe eſt. jam.*] Victorii hæc eſt emendatio, quum prius legeretur, *ſed nihil neceſſe, Seſtiam enim.*
22. *Qui eadem liber non juraret; me iſtos liberos non addixiſſe.*] Pius referente Urſino, *cui eadem non liberent: jurarem me ad iſtos liberos non addixiſſe.*
23. *Aſſentior.*] Vulg. *aſſentiar.*

1. *Cupi-*

quibus hanc primo aſpectu voluptatem cepi, quòd erant à te ipſo ſcriptæ: deinde earum accuratiſſima diligentia ſum mirum in modum delectatus. Ac primum illud, in quo te Dicæarcho aſſentiri negas, etſi [1] cupidiſſimè expetitum à me ſit, & [2] approbante te, ne diutiùs anno in provincia eſſem, tamen non eſt noſtra contentione perfectum. ſic enim ſcito, verbum in Senatu factum eſſe numquam de ullo noſtrum, qui provincias obtinuimus, quo in his diutiùs, quàm ex S. C. maneremus: ut jam ne iſtius quidem rei culpam ſuſtineam, quod minùs diu fuerim in provincia, quàm fortaſſe fuerit utile. ſed, QUID SI HOC MELIUS? [3] ſæpe opportunè dici videtur, ut in hoc ipſo. ſive enim ad concordiam res adduci poteſt, ſive ad bonorum victoriam; utriuſvis rei me aut adjutorem velim eſſe, aut certè non expertem. SIN VINCUNTUR boni; ubicumque eſſem, unà cum iis victus eſſem. quare celeritas noſtri reditus ἀμεταμέλητος debet eſſe. quòd ſi iſta nobis cogitatio de triumpho injecta non eſſet, quam tu quoque approbas, næ tu haud multum requireres illum virum, qui in VI. libro informatus eſt. quid enim tibi faciam, qui illos libros devoraſti? quin nunc ipſum non dubitabo rem tantam abjicere, ſi id erit rectius. utrumque verò ſimul agi non poteſt, & de triumpho ambitioſè, & de Rep. liberè. ſed ne dubitaris, quin, QUOD HONESTIUS, id mihi futurum ſit antiquius. Nam quod putas utilius eſſe vel mihi, quòd tutius ſit, vel etiam ut Reip. prodeſſe poſſim, me eſſe cum imperio; id coram conſiderabimus quale ſit. habet enim res deliberationem; etſi ex parte magna tibi aſſentio. De animo autem meo erga Remp. bene facis, quòd non dubitas, & illud probè judicas, nequaquam ſatis pro meis officiis, pro ipſius in alios effuſione illum in me *liberalem* fuiſſe: ejuſque rei cauſam verè explicas; & eis, quæ de Fabio, Caninioque acta ſcribis, valde conſentiunt: quæ ſi ſecus eſſent, totumque ſe ille in me profudiſſet; tamen illa, quam ſcribis, cuſtos urbis me præclaræ inſcriptionis memorem eſſe cogeret; nec mihi concederet, ut imitarer Volcacium, aut Servium, quibus tu es contentus; ſed aliquid nos vellet nobis dignum & ſentire & defendere. quod quidem agerem, ſi liceret, alio modo, ac nunc agendum eſt. de *ſua potentia* dimicant homines hoc tempore, periculo civitatis. nam, ſi Reſp. defenditur; cur ea, Conſule iſto ipſo, defenſa non eſt? cur ego, in cujus cauſa Reip. ſalus conſiſtebat, defenſus poſtero anno non ſum? cur imperium illi, aut cur illo modo prorogatum eſt? cur tantopere pugnatum eſt, ut de ejus abſentis ratione habenda decem Trib. pl. ferrent? his ille rebus ita convaluit, [4] ut nunc in uno civi res ad reſiſtendum ſit: qui *mallem*, tantas ei vires non dediſſet, quàm nunc tam valenti reſiſteret. ſed quoniam res eò deducta eſt, non quæram, ut ſcribis, ποῦ σκάφος τὸ τῶν Ἀτρειδῶν mihi σκάφος unum erit, quod à Pompejo gubernabitur. illud ipſum, quod ais, quid fiet, cùm erit dictum? DIC M. TULLI σύντομα. CN. [5] POMPEIO ASSENTIO. ipſum tamen Pompejum ſeparatim ad concordiam hortabor. ſic enim ſentio; maximo in periculo rem eſſe. vos ſcilicet plura, qui in urbe eſtis. verumtamen hoc video, cum homine audaciſſimo, paratiſſimoque negotium eſſe; omneis *damnatos*, omneis ignominia affectos, omneis damnatione, ignominiaque dignos [6] illac facere, omnem ferè juventutem, omnem illam urbanam, ac perditam plebem, Tribunos valenteis, addito [7] C. Caſſio, omneis, qui ære alieno premantur; quos pluris eſſe intelligo, quam putaram. cauſam ſolùm illa cauſa non habet; ceteris rebus abundat [8] hic omnia facere omneis, *ne armis decernatur*; quorum exitus ſemper incerti, [9] nunc verò in alteram partem magis timendi. Bibulus de provincia deceſſit, Vejentonem præfecit. in decedendo erit, ut audio, tardior: quem cùm ornavit Cato, declaravit, [10] iis ſe ſolis nunc invidere, quibus nihil, aut non multum ad dignitatem poſſet accedere. Nunc venio ad privata. ferè enim reſpondi tuis litteris de Republica, & iis, quas in ſuburbano, & iis, quas poſtea ſcripſiſti. ad privata veni. Unum etiam de Cœlio. tantum abeſt, ut meam ille ſententiam moveat, ut valde ego ipſi, quòd de ſua ſententia deceſſerit, pœnitendum putem. ſed quid eſt, [11] quod ei vici Lucceji ſint addicti? hoc te prætermiſiſſe miror. De Philotimo, faciam equidem, ut mones. ſed ego [12] mihi ab illo, hoc tempore, non rationes exſpectabam, quas tibi edidit, verùm id reliquum, quod ipſe in Tuſculano me referre in commentarium mea manu voluit, quodque idem in Aſia mihi ſua manu ſcriptum dedit. id ſi præſtaret, quantum mihi æris alieni eſſe ibi edidit, tantum, & plus etiam ipſe mihi deberet. ſed in hoc genere, ſi modò per Remp. licebit, non accuſabimur poſthac: neque hercule antea negligentes fuimus, ſed amicorum multitudine occupati. ergo utemur, ut polliceris, & opera & conſilio tuo: nec tibi erimus, ut ſpero, in eo moleſti. De ſerperaſtris cohortis meæ, nihil eſt, quod doleas. ipſi enim ſe collegerunt [13] admiratione vitæ *integritatis meæ*. ſed me moverat nemo magis, quam is, quem tu neminem putas. idem & initio fuerat, & nunc eſt egregius. ſed in ipſa deceſſione ſignificavit, ſperaſſe ſe aliquid; & id, quod animum induxerat paulliſper, non tenuit: ſed citò ad ſe rediit; meiſque honorificentiſſimis erga ſe officiis victus, pluris ea duxit, [14] quàm omnem pecuniam. Ego à Curio tabulas accepi, quas mecum porto. Hortenſii legata cognovi. nunc

1. *Cupidiſſimè expetitum à me ſit.*] Vulg. *expreſſum & expetitum.*

2. *Approbante te.*] Vulg. *approbatum à te.*

3. *Sæpè opportunè dici videtur.*] Adverbium, *ſæpe*, quod aberat à vulgatis reſtituit ex Decurtato, Tornæſ. & Cruſellino Boſius. Particulam ſequentem, *ut*, quam omnes Boſii mſſ. ſummo conſenſu retinent, in copulativam & mutavit Malaſp. quod Boſio non placet.

4. *Ut nunc in uno civi res ad reſiſtendum ſit: qui mallem.*] Boſ. ex conjectura, *in*, mutavit in, *ui*, transpoſitis literis; alioquin eſt antiqua ſcriptura, quam & Malaſp. in ſuis libris omnibus antiquis reperiri teſtatur, Lambinuſque in Memm. & in Tornæſ. exſtare confirmat: quam tamen, ſimul & vulgatam quæ ita ſe habet, *ut nunc in uno cive reſp. ad reſiſtendum imbecilla ſit. quæ mallem, &c.* à mendo puras eſſe negat; hancque ſubſtituit: *Ut nunc in uno civi ſpes reſp. ſita*, ſeu *poſita ſit*. Malaſp. & Boſio aſſentitur Junius ex omnibus mſſ. Palat.

5. *Pompejo aſſentio.*] Vulg. *aſſentiar.*

6. *Illac facere.*] Junius ex mſſ. Pal. *illuc facere.*

7. *C. Caſſio.*] Vulg. *C. Craſſo.* Manutius *Q. Caſſio* legendum opinatur.

8. *Hic omnia facere omnis, ne armis decernatur.*] Aliter legit Lambinus, *Hic omnia facere convenit ne armis dec.* vulg. *Hic omnia facere omnis debet, &c.* Teſtatur autem idem Lambinus hanc vocem, *debet*, abeſſe ab omnibus mſſ. Junius verò veterem lectionem ſequutus, *Hic communia facere, ne, &c.*

9. *Nunc verò.*] Vulg. *nunc etiam verò.*

10. *Iis ſe ſolis nunc invidere.*] *Nunc* pro *non* reſtituit Boſius. Lambinus mſſ. omnes negationem habere dicit, cùm tamen omnino communis omnium doctorum conſenſus poſtulet ut deleatur.

11. *Quod ei vici Lucceii ſint addicti?*] Partim ex vetere ſuo, partim etiam aliquantum ex conjectura ſic caſtigavit Victorius: priùs legebatur, *quod cuncti Luceis ſunt addicti.* priorem lectionem, omnibus literis planè ſcriptis, retinet cod. Tornæſ. referente Lambino. Beſſarionis liber *Enuci Lucceiis ſint additi.* Vulgatam lectionem retinet Manutius, ſi pro *Lucceiis* reponatur *Lucellis.* Junius veteris ſcripturæ veſtigia & hiſtoriæ fidem ſequutus ſic edidit, *Quod ei Intimelii ſint addicti*, teſtaturque unum mſſ. Palat. cum Tornæſ. *quod ei vici Lucceii ſint addicti*; alterum, *quod cunti Lucceii, &c.* alium verò, *quod eunti Lucceii ſint add.* habere. Unde totidem literarum ductu reſtituit, *quod ei Intimelii*, vel (ſi cui magis placet) *intiminii ſint addicti.* quem vide.

12. *Mihi ab illo hoc tempore.*] In nullo formis excuſo, antea repertas eſſe has duas voces, *hoc tempore*, aſſerit Boſius; quas ex Tornæſ. & Cruſell. acceptas in ſuum exemplar retulit; ac etiamnum abeſt, *hoc*, à vulgatis.

13. *Admirationis vitæ.*] Non eſſe huic dictioni, *vitæ*, locum, & indicare ſententiam & antiquum Beſſar. librum aſſerit Manutius; itaque delendam cenſet.

14. *Quam omnem pecuniam.*] Libri aliquot veteres & in his Tornæſ. referente Lambino habent, *quam ego à Curio:* deſunt autem hæc verba, *omnem pecuniam.*

1. Non

nunc haveo ſcire, quid hominis ſit, & quarum rerum auctionem inſtituat. neſcio enim, cur, cùm portam Flumentanam Cœlius occuparit, ego Puteolos non meos faciam. Venio ad Piræea, in quo magis reprehendendus ſum, quòd homo Romanus *Piræea* ſcripſerim, non *Piræeum*, (ſic enim omnes noſtri locuti ſunt) quam quòd *in*, addiderim. non enim hoc ut oppido præpoſui, ſed ut loco: & tamen Dionyſius noſter, qui eſt nobiſcum, & Nicias Cous [1] non rebatur, oppidum eſſe Piræea. [2] ſed de re videro. noſtrum quidem ſi eſt peccatum, in eo eſt, quòd, non ut de oppido, locutus ſum, ſed ut de loco; ſecutuſque ſum, non dico Cæcilium, *Mane ut ex portu in Piræeum*; (malus enim auctor latinitatis eſt) ſed Terentium, cujus fabellæ, propter elegantiam ſermonis, putabantur à C. Lælio ſcribi: *Heri aliquot adoleſcentuli coimus in Piræeum*. & idem, *Mercator hoc addebat, captam e Sunio*. quòd ſi δήμους oppida volumus eſſe; tam eſt oppidum Sunium, quàm Piræeus. ſed, quoniam grammaticus es, ſi hoc mihi ζήτημα perſolveris, magna me moleſtia liberaris. Ille mihi litteras blandas mittit. facit idem pro eo Balbus. mihi certum eſt, *ab honeſtiſſima ſententia* digitum nuſquam. ſed ſcis illi reliquum quantum ſit. putaſne igitur verendum eſſe, ne aut objiciat id nobis aliquis, ſi languidius; aut repetat, ſi fortius? quid ad hæc reperis? ſolvamus, inquis. age à Cœlio mutuabimur. hoc tu tamen conſideres velim. puto enim, in Senatu ſi quando præclarè pro Rep. dixero, Tarteſſium iſtum tuum [3] mihi exeunti, Jube ſodes [4] nummos curare. Quid ſupereſt? etiam. [5] gener eſt ſuavis mihi, Tulliæ, Terentiæ: quantumvis vel ingenii, vel humanitatis: ſatis. reliqua, quæ noſti, ferenda. ſcis enim, quos [6] aperuerimus: qui omnes, præter eum, de quo per te egimus, [7] rem me facere rerentur. [8] ipſis enim expenſum nemo ferret. Sed hæc coram. nam multi ſermonis ſunt. Tironis reficiendi ſpes eſt in M. Curio: cui ego ſcripſi, tibi eum gratiſſimum facturum, Dat. V. ID. Decemb. à Pontio ex Trebulano.

CICERO ATTICO, S.

4 DIONYSIUM, flagrantem deſiderio tui, miſi ad te, nec mehercule æquo animo, ſed fuit concedendum: quem quidem cognovi cùm doctum, quod mihi jam ante erat notum, [9] tum ſanctum, plenum officii, ſtudioſum etiam meæ laudis, frugi hominem, ac, ne *libertinum* laudare videar, plane virum bonum. Pompejum vidi IIII. ID. Decembres: fuimus una horas duas fortaſſe. magna lætitia mihi viſus eſt affici meo adventu: de triumpho hortari, ſuſcipere parteis ſuas; monere, ne ante in Senatum accederem, quam rem confeciſſem; ne dicendis ſententiis, aliquem Tribunum alienarem. quid quæris? [10] in hoc officio ſermonis nihil potuit eſſe prolixius. de Rep. autem ita mecum locutus eſt, quaſi non dubium bellum haberemus. nihil ad ſpem concordiæ: planè illum ab ſe alienatum, cùm ante intelligeret, tum verò proximè judicaſſe: [11] veniſſe Hirtium a Cæſare, qui eſſet illi familiariſſimus; ad ſe non acceſſiſſe: &, cùm ille A. D. VIII. Idus Decemb. veſperi veniſſet, Balbus de tota re conſtituiſſet A. D. VII. ad Scipionem ante lucem venire; multa de nocte [12] eum profectum eſſe ad Cæſarem. hoc illi πικρμελῶδες videbatur eſſe alienationis. quid multa? nihil me aliud conſolatur, niſi quòd illum, cui etiam inimici alterum Conſulatum, fortuna ſummam potentiam [13] dederat, non arbitror fore tam *amentem*, ut hæc in diſcrimen adducat. quòd ſi ruere cœperit; næ ego multa timeo; quæ non audeo ſcribere. ſed, ut nunc eſt, A. D. III. Nonas Janu. ad urbem cogito.

CICERO ATTICO, S. 5

MULTAS uno tempore accepi epiſtolas tuas: quæ mihi, quamquam recentiora audiebam ex iis, qui ad me veniebant, tamen erant jucundæ. ſtudium enim & benivolentiam declarabant. Invalitudine tua moveor: &, Piliam in idem genus morbi delapſam, curam tibi afferre majorem ſentio. date igitur operam, ut valeatis. De Tirone, video tibi curæ eſſe: quem quidem ego, [14] etſi mirabileis utilitates mihi præbet, cùm valet, in omni genere vel negotiorum, vel ſtudiorum meorum, tamen propter humanitatem, & modeſtiam malo ſalvum, quàm propter *uſum* meum. Philogenes mecum nihil umquam [15] de Luſcieno locutus eſt: de ceteris rebus habes Dionyſium. Sororem tuam non veniſſe in Arcanum miror. De Chryſippo, meum conſilium probari tibi, non moleſtè fero. Ego in Tuſculanum nihil ſanè hoc tempore. devium eſt τοῖς ἀπαντῶσιν, & habet alia δύσχρηστα. ſed de Formiano Tarracin pridie KAL. Janu. inde [16] Pontinam ſummam: inde Albanum Pompeii: ita ad urbem III. Nonas natali meo. De Rep. quotidie magis timeo. non enim boni, [17] ut putant, conſentiunt. quos ego Equites Rom. quos Senatores vidi, qui acerrimè cùm cetera, tum hoc iter Pompeii vituperarent: pace opus eſt. EX VICTORIA cùm multa mala, tum certè tyrannis exiſtet. ſed hæc propediem coram. Jam planè mihi deeſt, [18] quod ad te ſcribam. nec enim de Rep. quòd uterque noſtrum ſcit eadem: [19] & domeſtica nota ſunt ambobus. reliquum eſt jocari, ſi hic ſinat. nam ego is ſum, qui, illi concedi, putem utilius eſſe quod poſtulat, quàm ſigna conferri. SERO ENIM reſiſtimus ei, quem per annos decem aluimus contra nos. quid ſentis igitur? inquis. nihil ſcilicet, niſi de ſententia tua; nec prius quidem, quàm noſtrum negotium aut confecerimus, aut depoſuerimus. Cura igitur, ut valeas. aliquando ἀποτρίψαι quartanam iſtam diligentia, quæ in te ſumma eſt.

CICERO ATTICO, S. 6

PLANE deeſt quod ad te ſcribam: nota omnia tibi ſunt: nec ipſe habeo, à te quid exſpectem. tantùm igitur noſtrum illud ſolemne ſervemus, ut ne quem iſtuc euntem ſine litteris dimittamus. De Rep. valde timeo: nec adhuc fere inveni, qui non concedendum putaret Cæſari, quod poſtularet, *potiùs*, *quàm* depugnandum. [20] eſt illa quidem poſtulatio, opinione valentior. cur autem nunc pri-

1. *Non rebatur oppidum eſſe Pyræea.*] Ita reſtituit ex antiquiore ſuo Victorius. vulgata lectio erat, *Nomen rebatur oppidi eſſe Pyræea;* quam falſam & abſurdam eſſe contendit.

2. *Sed de re videro.*] Vulg. *ſed de eo videro.*

3. *Mihi exeunti.*] Priùs legebatur *mihi exeunti urbe*, quam poſtremam dictionem delevit Victorius, ut quæ non eſſet in mſſ. & hujus loci ſententiam corrumperet.

4. *Nummos curare.*] Vulg. *curari.*

5. *Gener eſt ſuavis mihi, Tulliæ, Terentiæ: quantumvis vel ingenii, vel humanitatis: ſatis.*] Sic interpungendum aſſerit Boſius. vulg. *Gener eſt ſuavis mihi; Tulliæ Terentiæ, quantumvis, vel ingenii, vel humanitatis ſatis.*

6. *Aperierimus.*] Vulg. *aperuerimus.*

7. *Rem me facere rerentur.*] Ut erat in Scidis edidit Boſius. Junius verò, *rem merentur facere.*

8. *Ipſis enim expenſum.*] Abeſt à vulgatis *enim.*

9. *Tum ſanctum, plenum officii.*] Manutius ſic mallet legi. *Tum ſanè plenum officii.*

10. *In hoc officio ſermonis.*] Vulg. *in hoc judicio & officio ſermonis.*

11. *Veniſſe Hirtium.*] Scripti libri teſte Manutio *venire*, non *veniſſe.*

12. *Eum profectum.*] Vox, *eum* deeſt in vulg.

13. *Dederat.*] Vulgò *dederit.*

14. *Etſi mirabileis utilitates mihi præbet.*] Sic Victorius una cum mſſ. codd. legit. vulg. *Etſi mirabilis utilitatis fructum mihi præbet.*

15. *De Luſcieno.*] Victorius ait antiquos libros nihil à vulgaribus differre, qui habent *Lusgenio*: mendum tamen ineſſe putat. Viri quidam non inerudit ipſomet referente legunt, *De ejus ingenio.* Manutius mavult *Tuſcenio*, ex antiquis lapidibus.

16. *Pontinam ſummam.*] Boſ. ex Decurtato. Manutius *Pontinum* legit; *ſumam*, ut erat in vulg. abundare credit. cod. Tornæſ. teſte Lambino habet *Pontinum ſummam*, unde docti quidam legendum putant, *inviſam.* Junius *Pomtinum ſumam.*

17. *Ut putant.*] Vulgò *ut putavi.*

18. *Quod ad te.*] Vulg. *Quid ad te.*

19. *Et domeſtica.*] Abeſt à vulgatis part. &.

20. *Eſt illa quidem poſtulatio.*] Vulg. *Eſt illa quidem impudens poſtulatio.*

1. *Idem*

primum ei reſiſtamus? οὐ γὰρ ἂν τόδε μεῖζον ἔπι κακόν, quam cùm quinquennium prorogabamus; aut cùm, ut abſentis ratio haberetur, ferebamus. niſi fortè hæc illi tum arma dedimus, ut nunc cum bene parato pugnaremus. dices, quid tu igitur ſenſurus es? non idem quod dicturus. ſentiam enim omnia facienda, ne armis decertetur: dicam [1] idem, quod Pompejus; neque id faciam humili animo. ſed rurſus hoc permagnum Reip. malum eſt: [2] at quodam modo mihi præter ceteros non rectum, me in tantis rebus à Pompejo diſſidere.

7 CICERO ATTICO, S.

DIONYSIUS, VIR OPTIMUS, UT MIHI QUOQUE EST PERSPECTUS, ET DOCTISSIMUS, TUIQUE AMANTISSIMUS, ROMAM VENIT XV KAL. JANV. ET LITTERAS A TE MIHI REDDIDIT: tot enim verba ſunt de Dionyſio in epiſtola tua. [3] Illud puta tu non adſcribis; ET TIBI GRATIAS EGIT: [4] atqui certè ille agere debuit: &, ſi eſſet factum, quæ tua eſt humanitas, adſcripſiſſes. mihi autem nulla de eo παλινῳδία datur propter ſuperioris epiſtolæ teſtimonium. ſit igitur ſanè bonus vir. hoc enim ipſum bene fecit, quòd mihi ſui cognoſcendi penitus etiam iſtam facultatem dedit. Philogenes rectè ad te ſcripſit. curavit enim, quod debuit. eum ego uti ea pecunia volui, quoad liceret. itaque uſus eſt menſes XIIII. [5] Pomtinum cupio valere: &, quod ſcribis in urbem introiſſe, vereor quid ſit. nam id niſi gravi de cauſa non feciſſet. Ego quoniam IIII. Nonas Ianuar. Compitalicius dies eſt, nolo eo die in Albanum venire, [6] ne moleſtus ſim familiæ. [7] veniam III. Nonas igitur: inde ad urbem pridie Nonas. [8] Tua λῆψις quem in diem incurrat, neſcio: ſed prorſus te commoveri incommodo valitudinis tuæ nolo. De honore noſtro, niſi quid occultè Cæſar per ſuos Tribunos molitus erit, cetera videntur eſſe tranquilla. *tranquilliſſimus* autem animus meus, qui totum iſtuc æqui boni facit; & eò magis, quòd jam à multis audio conſtitutum eſſe Pompejo & ejus conſilio, in Siciliam me mittere, quòd imperium habeam. id eſt Ἀβδηριτικόν. [9] nec enim Senatus decrevit, nec populus juſſit, me imperium in Sicilia habere. ſin hoc Reſp. ad Pompejum refert; qui me magis, quàm privatum aliquem, [10] mittat? itaque, ſi hoc imperium mihi moleſtum erit; utar ea porta, [11] quam primum videro. Nam quod ſcribis, mirificam exſpectationem eſſe mei, neque tamen quemquam bonorum, aut ſatis bonorum dubitare, [12] quid ſenſurus ſim: ego, quos tu *bonos* eſſe dicas, non intelligo: ipſe nullos novi: ſed ita, ſi ordines bonorum quærimus. nam *ſingulares* ſunt boni viri. verùm in diſſenſionibus ordines bonorum & genera quærenda ſunt. Senatum bonum putas, per quem ſine imperio provinciæ ſunt? numquam enim Curio ſuſtinuiſſet, ſi cum eo agi cœptum eſſet: quam ſententiam Senatus ſequi noluit: ex quo factum eſt, ut Cæſari non ſuccederetur: an Publicanos? qui numquam firmi: ſed nunc Cæſari ſunt amiciſſimi: an fœneratores? an agricolas? quibus optatiſſimum eſt otium; niſi eos timere putas, ne ſub regno ſint, qui id numquam, dummodò *otioſi* eſſent, [13] recuſarunt. quid ergo? exercitum retinentis, [14] cùm legis dies tranſierit, rationem haberi placet? mihi verò ne abſentis quidem. ſed, cùm id datum eſt, illud unà datum eſt. [15] annorum enim decem imperium: [16] & ita latum placet? placet igitur etiam me expulſum, & agrum Campanum periiſſe, & adoptatum patricium à plebejo, Gaditanum a Mitylenæo: & Labieni divitiæ, & Mamurræ placent, & Balbi horti, & Tuſculanum. ſed horum omnium fons unus eſt: IMBECILLO RESISTENDUM FUIT: & id erat facile. nunc legiones XI. equitatus tantus, quantum valet; Tranſpadani, [17] plebes urbana, tot Tribuni pleb. tam perdita juventus, tanta auctoritate dux, tanta audacia. cum hoc aut depugnandum eſt, aut habenda è lege ratio. depugna, inquis, potiùs, quàm ſervias: ut quid? ſi victus eris, proſcribare? ſi viceris, *tamen ſervias*? quid ergo, inquis, acturus es? idem quod pecudes, quæ diſpulſæ ſui generis ſequuntur greges. UT BOS ARMENTA, ſic ego bonos viros: aut eos, quicumque dicentur boni, ſequar, etiam ſi ruent. quid ſit optimum malè contractis rebus, planè video. nemini eſt enim exploratum, cùm ad arma ventum eſt, quid futurum ſit: at illud omnibus, ſi boni victi ſunt, nec in cæde principum clementiorem hunc fore, quàm Cinna fuerit, nec moderatiorem, quàm Sulla, in pecuniis locupletium. ἐμπολιτεύομαί σοι jamdudum: & facerem diutiùs, niſi me lucerna deſereret. Ad ſummam, DIC M. TULLI. [18] aſſentior Cn. Pompejo, id eſt T. Pomponio. Alexim, humaniſſimum puerum, niſi fortè, dum ego abſum, adoleſcens factus eſt, (id enim agere videbatur) ſalvere jubeas velim.

CICERO ATTICO, S. 8

QUID opus eſt de Dionyſio tam valde affirmare? [19] an mihi nutus tuus non faceret fidem? ſuſpicionem autem eo mihi majorem tua taciturnitas attulerat, quòd & tu ſoles conglutinare amicitias teſtimoniis tuis? & illum aliter cum aliis de nobis locutum audiebam. ſed prorſus ita eſſe, ut ſcribis, mihi perſuades. itaque ego is in illum ſum, quem tu me eſſe vis. Diem tuum ego quoque ex epiſtola quadam tua, quam incipiente febricula ſcripſeras, mihi notaveram; & animadverteram, poſſe, pro re nata, te non incommodè ad me in Albanum venire III. Nonas Januar. ſed, amabo te, nihil incommodo valitudinis feceris. quid enim eſt tantum in uno, aut altero die? Dolabellam video Liviæ teſtamento cum duobus coheredibus eſſe in triente; ſed juberi mutare nomen. eſt πολιτικὸν σκέμμα, rectùmne ſit nobili adoleſcenti *mutare nomen* mulieris teſtamento. ſed id φιλοσοφώτερον διευκρινήσομεν, cùm ſciemus, quantum quaſi ſit in trientis triente. Quòd putaſti fore, ut ante quàm iſtuc venirem, Pompejum viderem; factum eſt ita. nam VI. KAL. [20] ad L. Avernum me conſecutus eſt. unà Formias venimus, & ab hora octava ad veſpe-

1. *Idem quod Pompejus.*] Vulg. *Pomponius.*

2. *At quodammodo.*] Vulg. *& quodammodo.*

3. *Illud puta tu non adſcribis.*] Vulgati libri, *illud puto*, quod prorſus adulterinum aſſerit Boſius, cujus loco *in* Tornæſ. & Cruſellino legitur, *putato*; unde Boſ. pro *putato putà tu. Putato* ex antiquo Beſſarionis libro, pro *privatius*, quod erat in impreſſis omnibus libris, recte ſe repoſuiſſe dicit Manutius. Lamb. *Illud putidiùs tu non adſcribis.* Junius verò, *illud putatò non adſ.* ex optimis mſſ. Palat. legendum cenſet.

4. *Atqui certè ille.*] Manutius opinatur *certè* gloſſema fuiſſe.

5. *Pomptinium.*] Vulg. *Pontinium.*

6. *Ne moleſtus ſim familiæ.*] Editio vulgata quam Victorianam Boſius appellat, neque particulam, *ne*, neque verbum, *ſim*, habet, quod utrumque tamen legitur in Tornæſ. & Cruſellino.

7. *Veniam III. Nonas igitur.*] Vulg. ſic habet, *Veniam III. Non. Jan. Igitur, &c.*

8. *Tua λῆψις.*] Ex antiquiore ſuo ſic reſtituit Victor, priùs, *tua λῶις* legebatur.

9. *Nec enim Senatus.*] Abeſt à vulg. *enim.*

10. *Mittas.*] Vulgò *mittat.* codd. Tornæſ. Lambino teſte, *mittit.*

11. *Quam primam.*] Vulg. *quam primùm videro.*

12. *Quid ſenſurus ſim.*] Tornæſ. cod. *quid facturus ſim.*

13. *Recuſarent.*] Vulg. *recuſarunt.*

14. *Legis dies.*] Vulgò *legis diem.*

15. *Annorum enim.*] Hæc vox, *enim.* abeſt à vulg.

16. *Et ita latum placet.*] Ab hac dictione *placet?* uſque ad, *Tuſculanum*, ſingula membra interrogatione interpunguntur in vulgata editione.

17. *Plebes urbana.*] Vulg. *plebs urbana.*

18. *Aſſentior Cn. Pompejo.*] Vulg. *aſſentiar.*

19. *An mihi nutus tuus.*] Codex Tornæſ. & nonulli ex Memm. referente Lambino, habent, *An mihi notus tuus.*

20. *Ad L. Avernum.*] Sic reſtituit Boſius, ſcidæ habebant, *Lavernum.* Beſſarionis liber *Larvenium.* vulg. *Lavernium.* Junius lectionem Boſii improbat, legitque *Lavernium*, ut eſt in vulgata editione.

veſperum ſecretò collocuti ſumus. Quod quæris, ecqua ſpes pacificationis ſit: quantum ex Pompeii multo & accurato ſermone perſpexi, ne voluntas quidem eſt. ſic enim exiſtimat, ſi ille, vel dimiſſo exercitu, Conſul factus ſit, σύγχυσιν τῆς πολιτείας fore. atque etiam putat eum, cùm audierit, contra ſe diligenter parari, Conſulatum hoc anno neglecturum, ac potiùs exercitum provinciamque retenturum. ſin autem ille fureret; vehementer hominem contemnebat, & ſuis & Reip. copiis confidebat. quid quæris? [1] etſi mihi crebrò ξυνὸς ἐνυάλιος occurrebat; tamen levabar cura, virum fortem & peritum, & plurimùm auctoritate valentem audiens, πολιτικῶς de *pacis ſimulatæ* periculis diſſerentem. habebamus autem in manibus Antonii concionem, habitam X. KAL. Januar. in qua erat accuſatio Pompeii uſque à toga pura, querela de damnatis, terror armorum: in quibus ille, QUID CENSES, ajebat, facturum eſſe ipſum, ſi in poſſeſſionem Reip. venerit, cùm hæc Quæſtor ejus, infirmus & inops, audeat dicere? quid multa? non modò non expetere pacem iſtam, ſed etiam timere viſus eſt. [2] ex illa autem ſententia ἴυγξ relinquendæ urbis movet hominem, ut puto. mihi autem moleſtiſſimum eſt, quod ſolvendi ſunt nummi Cæſari, & inſtrumentum triumphi eò conferendum. eſt enim ἄμορφον, ἀντιπολιτευομένου χρεωφειλέτην eſſe. Sed hæc, & multa alia coram.

9 CICERO ATTICO, S.

[3] QUOTIDIE ne, inquis, à te accipiendæ litteræ ſunt? ſi habebo, cui dem, quotidie. at jam ipſe ades. tum igitur, cùm venero, deſinam. Unas video mihi à te non eſſe redditas; quas L. Quintius, familiaris meus, cùm ferret, ad buſtum Baſili vulneratus & deſpoliatus eſt. videbis igitur, numquid fuerit in his, quod me ſcire opus ſit: & ſimul tu hoc διαλεκτικῆς πρόβλημα, ſanè πολιτικόν: cùm ſit neceſſe, aut haberi Cæſaris rationem, illo exercitum vel per Senatum, vel per Tribunos pleb. obtinente, aut perſuaderi Cæſari, ut tradat provinciam, atque exercitum, & ita Conſul fiat; aut, ſi id non perſuadeatur, haberi comitia ſine illius ratione, illo patiente, atque obtinente provinciam; aut, ſi per Tribunos pleb. non patiatur, tamen quieſcat, rem adduci ad interregnum; aut, ſi ob eam cauſam, quòd ratio ejus non habeatur, exercitum adducat, armis cum eo contendere; illum autem initium facere armorum aut ſtatim nobis minùs paratis, aut tum, cùm comitiis, amicis ejus poſtulantibus, ut è lege ratio habeatur, impetratum non ſit: ire autem ad arma, aut hanc unam ob cauſam, quòd ratio non habeatur; aut addita cauſa, ſi fortè Tribunus pleb. Senatum impediens, aut populum incitans, notatus, aut Senatus conſulto circumſcriptus, aut ſublatus, aut expulſus ſit, dicenſve ſe expulſum, ad illum confugerit: ſuſcepto autem bello, aut tenenda ſit urbs, aut ea relicta, [4] ille commeatu, & reliquis copiis intercludendus: quod horum malorum, quorum aliquod certè ſubeundum eſt, *minimum* putes. dices profectò, perſuaderi illi, ut tradat exercitum, & ita Conſul fiat. eſt omnino id ejuſmodi, ut, ſi ille eò deſcendat, contra dici nihil poſſit: idque eum, ſi non obtinet, ut ratio habeatur retinentis exercitum, non facere miror. nobis autem, ut quidam putant, nihil eſt timendum magis, quàm ille Conſul. at ſic malo, inquies, quàm cum exercitu. certè. [5] ſed iſtuc ipſum, (ſic ô magnum) malum putet aliquis: neque ei remedium eſt ullum. cedendum eſt, ſi id volet. vide Conſulem illum iterum, quem vidiſti Conſulatu priore. at tum *imbecillus* plus, inquis, valuit, quàm tota Reſp. quid nunc putas? & eo Conſule, Pompejo certum eſt eſſe in Hiſpania. ô rem miſeram! ſi quidem id ipſum deterrimum eſt, quod recuſari non poteſt; & quod ille ſi faciat, jam jam à bonis omnibus ſummam ineat gratiam. Tollamus igitur hoc, quò illum poſſe adduci negant. de reliquis quid eſt deterrimum? concedere illi, quod, ut idem dicit, impudentiſſimè poſtulat. nam quid impudentius? tenuiſti provinciam per decem annos, non tibi à Senatu, ſed à te ipſo per vim, & per factionem datos. [6] præteriit tempus, non legis, ſed libidinis tuæ: fac tamen, legis. ut ſuccedatur, decernitur: impedis; & ais, habe mei rationem. habe tu noſtrûm. exercitum habeas diutiùs, quàm populus juſſit, invito Senatu? Depugnes oportet, niſi concedis. cum bona quidem ſpe, ut ait idem, vel vincendi, vel *in libertate* moriendi. jam ſi pugnandum eſt; quo tempore, in caſu; quo conſilio, in temporibus ſitum eſt. itaque te in ea quæſtione non exerceo. ad ea, quæ dixi affer, ſi quid habes. equidem dies, noctesque torqueor.

CICERO ATTICO, S. 10

SUBITO conſilium cepi, ut ante quam luceret, exirem; ne qui conſpectus fieret, aut ſermo; lictoribus præſertim laureatis. de reliquo, neque hercule, quid agam, nec, quid acturus ſim, ſcio: ita ſum perturbatus temeritate noſtri amentiſſimi conſilii. tibi verò quid ſuadeam, cujus ipſe conſilium exſpecto? Cnæus noſter quid conſilii ceperit, capiatve, neſcio, [7] adhuc in oppidis coarctatus, & ſtupens. omnes, ſi in Italia conſiſtat, erimus una: ſin *cedet*, conſilii res eſt. adhuc certè, niſi ego inſanio, [8] ſtultè omnia & incautè. Tu quæſo, crebrò ad me ſcribe, vel quod in buccam venerit.

CICERO ATTICO, S. 11

QUÆSO, quid hoc eſt? aut quid agitur? mihi enim tenebræ ſunt. Cingulum, inquis, nos tenemus: [9] Anconem amiſimus. Labienus diſceſſit ab Cæſare: utrum de imperatore populi Romani, an de Hannibale loquimur? ô hominem amentem & miſerum, qui ne umbram quidem umquam τοῦ καλοῦ viderit! atque hæc ait omnia facere ſe dignitatis cauſa: UBI eſt autem dignitas, [10] niſi ubi honeſtas? niſi. honeſtum igitur, habere exercitum nullo publico conſilio? occupare urbes civium, quo facilior ſit aditus

1. *Etſi mihi crebrò ξυνὸς ἐνυάλιος occurrebat.*] Hæc duo Græca vocabula ex antiquiore ſuo reſtituit Victorius. prius legebatur ὕπνος νήδυμος.

2. *Et illa autem ſententia ἴυγξ relinquendæ urbis.*] Græcum hoc vocabulum valde deformatum in antiquis libris, reſtituit Boſius. alii habebant, *ni*, alii *in*. Decurtatus, *INX*, unde conjecit legendum ἴυγξ. Victorius ſecundum vulgatam lectionem ediderat, *Ex illa autem ſententia ira relinquendæ urbis*. Antiquior ipſius codex habebat, *in*, pro *ira*. Utrumque tamen depravatum fatetur, ut etiam Manutius. Cavalcantis enim exemplar pro, *ira*, habet υ†υ. Beſſarionis autem, *infra*, alii duo, *ita*; minimè tamen ei diſplicet, *ira*. Junius; *Ex illa autem ſententia, ira relinquendæ urbi movet hominem.* Lambinus Octavii Pantagathi conjectura probata, ſic edendum curavit, *illa mea ſententia non relinquendæ urbis.*

3. *Quotidiene, inquis.*] Hanc epiſtolam cum ſuperiore conjunxit Victorius.

4. *Ille commeatu.*] Vulg. *ille à commeatu.*

5. *Sed iſtuc ipſum (ſic ô magnum) malum putet aliquis.*] Aliter diſtinguitur in vulgatis codd. *Sed iſtuc ipſum ſic, ô magnum malum, putat aliquis.* Manutius, *ô* credit abundare, propter proximum verbum, *putat*, cui aſſentitur Lambinus; ſic tamen ut malit legi, *dicat aliquis*, pro *putat aliquis*. Junius ex conjectura & litura mſſ. Pal. emendat, *ſed iſtuc ipſum ſi eſt ô magnum malum putet aliquis.*

6. *Præteriit tempus non legis, ſed.*] Hunc locum ope vetuſtioris cod. ſe reſtituiſſe gloriatur Victorius, quod etiam à Germanis adnotatum erat, ipſomet teſte. vulg. *Præteriit tempus legitimum, non legis, &c.*

7. *Adhuc in oppidis coartatus & ſtupens. Omnes ſi in Italia.*] Hæc eſt Boſii, caſtigatio cujus approbatores habet Decurtat. Tornæſ. & Cruſellinum, ut etiam Lambinum qui tamen mſſ. habere dicit, *coartatus ſed ſtupens*. Sic autem legit & diſtinguit vulgus, *Adhuc in oppidis coartatus, & ſtupent omnes. Si in Italia conſiſtat.*

8. *Stultè omnia & incautè. Tu quæſo.*] Sic Victorius, qui duas has voces, *agi video*, quæ poſt incautè ſubjiciebantur, delendas cenſuit.

9. *Anconem amiſimus.*] Junius ex mſſ. *Anconem autem amiſimus.*

10. *Niſi ubi honeſtas? Niſi. honeſtum igitur.*] Lambinus ultimam dictionem, *niſi* quæ præcedit, *honeſtum, &c.* rejicit. Vulgata lectio ſic ſe habet, *Niſi ubi honeſtas? Num honeſtum igitur.*

I. Tu

aditus ad patriam? χρεῶν ἀποκοπὰς, φυγάδων καθόδους, ſexcenta alia ſcelera moliri, [1] τὴν θεῶν μεγίστην ὥστ' ἔχειν τυραννίδα? ſibi habeat ſuam fortunam. unam mehercule tecum apricationem in illo [2] Lucretino tuo ſole malim, quàm omnia iſtiuſmodi regna; vel potius mori millies, quàm ſemel [3] iſtiuſmodi quidquam cogitare. quid ſi tu velis? inquis. age quis eſt, cui velle non liceat? ſed ego hoc ipſum, *velle*, miſerius eſſe duco, quàm in crucem tolli. una res eſt ea miſerior, adipiſci, quod ita volueris. Sed hæc hactenus. [4] libenter enim in his moleſtiis ἐνσχολάζω σοι. redeamus ad noſtrum. Per fortunas, quale tibi conſilium Pompeii videtur? hoc quæro, quòd urbem reliquerit. ego enim ἀπορῶ: tum nihil abſurdius. urbem tu relinquas? ergo idem, ſi Galli venirent. non eſt, ineſt, inquit, *in parietibus* Reſp. at in aris & focis. fecit idem Themiſtocles. fluctum enim totius barbariæ ferre urbs una non poterat. at idem Pericles non fecit, annum fere poſt quinquageſimum, cùm præter mœnia nihil teneret. noſtri olim, urbe reliqua capta, arcem tamen retinuerunt.

[5] οὕτω που τῶν πρόσθεν ἐπευθόμεθα κλέα ἀνδρῶν.

rurſus autem ex dolore municipali, ſermo nibuſque eorum, quos convenio, videtur hoc conſilium [6] exitum habiturum. mira hominum querela eſt, (neſcio iſtic: ſed facies, ut ſciam) [7] ſine magiſtratibus urbem eſſe, ſine Senatu. fugiens denique Pompejus mirabiliter homines *movet*. quid quæris? alia cauſa facta eſt: nihil jam concedendum putant Cæſari. hæc, tu mihi explica, qualia ſint. Ego negotio præſum non turbulento. vult enim me Pompejus eſſe quem tota hæc Campana & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus, & ſumma negotii referatur. itaque vagus eſſe cogitabam. Te puto jam videre, [8] quæ ſit ὁρμὴ Cæſaris, qui populus, qui totius negotii ſtatus: ea velim ſcribas ad me, & quidem, quoniam mutabilia ſunt, quàm ſæpiſſimè. acquieſco enim & ſcribens ad te, & legens tua.

12 CICERO ATTICO, S.

UNAM adhuc à te epiſtolam acceperam, [9] datam XII. KALEND. in qua ſignificabatur, aliam te ante dediſſe, quam non acceperam. ſed quæſo, ut ſcribas quam ſæpiſſimè, non modo ſi quid ſcies, aut audieris; ſed etiam ſi quid ſuſpicabere; maximeque quid nobis faciendum, aut non faciendum putes. Nam quòd rogas, curem, ut ſcias, quid Pompejus agat, ne ipſum quidem ſcire puto; noſtrûm quidem nemo. vidi Lentulum cos. Formiis [10] X. KAL. vidi Libonem: plena [11] timoris & erroris omnia. ille iter Larinum: ibi enim cohortes, & Luceriæ, & Theani, reliquaque in Apulia. inde utrum conſiſtere uſpiam velit, an mare tranſire, neſcitur. ſi manet, vereor, ne exercitum firmum habere non poſſit. ſin diſcedet: quò, aut quà, aut quid nobis [12] agendum eſt, neſcio. nam iſtum quidem, cujus φαλαρισμὸν times, omnia *teterrimè* facturum puto. nec eum rerum prolatio, nec Senatus, magiſtratuumque diſceſſus, nec ærarium clauſum tardabit. Sed hæc, ut ſcribis, citò ſciemus. interim velim mihi ignoſcas, quòd ad te ſcribo tam multa toties. acquieſco enim, & tuas volo elicere litteras maximeque conſilium, quid agam, aut quo me pacto geram; [13] dimittamne me penitus in cauſam, (non deterreor periculo, ſed [14] dirumpor dolore; [15] tam ne nullo conſilio, aut tam contra meum conſilium geſta eſſe omnia?) an cuncter & tergiverſer, & iis *me dem*, qui tenent, qui potiuntur. αἰδέομαι Τρῶας, nec ſolùm civis, ſed etiam amici officio revocor. etſi frangor ſæpe miſericordia puerorum. ut igitur ita perturbato, etſi te eadem ſollicitant, ſcribe aliquid, & maxime, ſi Pompejus Italia cedit, quid nobis agendum putes. M. quidem Lepidus (nam fuimus una) eum finem ſtatuit, L. Torquatus eundem. me cùm multa, tum etiam lictores impediunt; nihil vidi umquam, quod minus explicari poſſet. itaque à te nihil dum certi exquiro, ſed quid videatur. denique ipſam ἀπορίαν tuam cupio cognoſcere. Labienum ab illo diſceſſiſſe, propemodum conſtat. ſi ita factum eſſet, ut ille Romam veniens magiſtratum & Senatum Romæ offenderet, magno uſui cauſæ noſtræ fuiſſet. damnaſſe enim ſceleris hominem amicum, *Reip. cauſa*, videretur: quod nunc quoque videtur; ſed minus prodeſt. non enim habet, cui proſit: eumque arbitror pœnitere: niſi forte id ipſum eſt falſum, diſceſſiſſe illum. nos quidem pro certo habebamus. & velim, (quamquam, ut ſcribis, domeſticis te finibus tenes) formam mihi urbis exponas, ecquod Pompeji deſiderium, [16] ecqua Cæſaris invidia appareat; etiam quid cenſeas de Terentia & Tullia, Romæ eas eſſe, an mecum, an aliquo tuto loco. & hæc, & ſi quid aliud, ad me ſcribas velim, vel potiùs ſcriptites.

CICERO ATTICO, S. 13

DE Vennonianis rebus tibi aſſentior. [17] Labienum ἥρωα judico. facinus jam diu nullum civile præclarius: qui ut aliud nihil, hoc tamen profecit; dedit illi *dolorem*. ſed etiam ad ſummam profectum aliquid puto. amo etiam Piſonem: cujus judicium de genero ſuſpicor viſum iri grave. [18] quamquam, genus belli quod ſit, vides. ita civile eſt, ut non ex civium diſſenſione, ſed ex *unius perditi civis* audacia natum ſit. [19] is autem valet exercitu; tenet multos ſpe & promiſſis; omnia omnium concupivit. huic tradita urbs eſt, nuda præſidio, referta copiis. quid eſt,

1. *Τὴν θεῶν μεγίστην, &c.*] Articulus τὴν, ἀπρὶξ retinendus: nam in vocula θεῶν, συνιζήσει utuntur ſæpiſſimè Homerus, Theognis, Mimnernus, Pythagoras, Laërtius in Anaxarcho, Strabo libro IV. Theocritus, Sibyllæ; Latinos inter Claudianus & Tertullianus. quod Lambin. ſi animadvertiſſet, non depuliſſet τὴν. Dauſquejus, ad Gruterum epiſtola.

2. *Lucretino.*] Et Cavalcantis & Beſſarionis mſſ. habent, *Lucratino*. Faërnus reſtituit *Lucretilino*, recte ut ſentit Urſinus.

3. *Iſtiuſmodi.*] Vulg. *illiuſmodi*.

4. *Libenter enim in his miſeriis* ἐνσχολάζω σοι.] Ex antiquiore ſuo ſic emendavit Victorius.

5. Οὕτω που τῶν πρόσθεν ἐπευθόμεθα κλέα ἀνδρῶν.] Hunc verſum priſtino ſuo nitori reſtituit Victorius quum in multis non eſſet, in aliis corruptè legeretur.

6. *Exitum habiturum.*] Hoc etiam mſſ. conſentientibus emendavit Victorius, ante legebatur *exitium*.

7. *Sine magiſtratibus urbem eſſe ſine Senatu.*] Quatuor priora vocabula aberant à vulgatis, quæ poſtea Junius ex mſſ. Palat. fide retinuit.

8. *Quæ ſit* ὁρμὴ *Cæſaris.*] Auxilio antiquioris ſui codicis ſic emendavit Victorius, antea legebatur *ora viæ Cæſaris*.

9. *Datam XII. Kal. in qua.*] Boſius expunxit vocem *Jun.* cum eam abeſſe, & rectè quidem ut ait, à Decurtato animadvertiſſet. Manutius *XII. Kal. Jan.* non ut vulgò *Jun.* ratione ductus legit.

10. *X. Kal. Vidi.*] Sic Malaſp. qui de Februario intelligi vult; non vero ut vulg. *X. Kal. Junii vidi*.

11. *Timoris & erroris.*] Vulg. *timoris & terroris*.

12. *Agendum eſt.*] Vulg. *agendum ſit*.

13. *Dimittam ne me.*] Vulg. *demittam*.

14. *Dirumpor dolore.*] Vulg. *diſrumpor*.

15. *Tamne nullo conſilio.*] In ullo ſuorum mſſ. hanc particulam, *ne*, reperiri negat Malaſp. at Lambinus teſtatur in Tornæſ. & nonnullis aliis ſuis comparere, licet poſſit abeſſe ſine ſententiæ detrimento.

16. *Ecqua.*] Auxilio ſui probatioris emendaſſe ſe dicit Victorius, *ecque*, vulgò *ecqua*.

17. *Labienum ἥρωα.*] Sic ex eodem codice idem emendavit, qui excuſos formis. aut Græcam vocem non habuiſſe, aut πρῶα legiſſe teſtatur.

18. *Quamquam genus belli.*] Codex Tornæſ. habet referente Lambino, *quamquam totius belli quod ſit*; & ſupra vocem, *totius*, quod ſubjecta linea quaſi damnatum ac deletum eſt, habet ſcriptum genus.

19. *Is autem valet exercitu; tenet multos ſpe & promiſſis.*] Sic exaratum eſt in codd. mſſ. Boſii. vulgò: *Is autem valet. Exercitum tenet multa ſpe & promiſſis.*

eſt, quod ab eo non metuas, qui illa templa, & tecta non *patriam*, ſed *prædam* putet? quid autem ſit acturus, aut quo modo, neſcio, ſine Senatu, ſine magiſtratu. ne ſimulare quidem poterit quicquam πολιτικῶς. nos autem ubi exſurgere poterimus? aut quando? quorum dux quam ἀστρατήγητος, tu quoque animadvertis; cui [1] ne Picena quidem nota fuerint: [2] quàm autem ſine conſilio, res teſtis. ut enim alia omittam decem annorum peccata, quæ conditio non huic fugæ præſtitit? nec verò nunc quid cogitet ſcio: ac non deſino per litteras ſciſcitari. nihil eſſe timidius conſtat, nihil perturbatius. itaque nec præſidium, cujus parandi cauſa ad urbem retentus eſt, nec locum ac ſedem præſidii ullam video. ſpes omnis in duabus, invidioſè retentis, pæne alienis legionibus. nam delectus adhuc quidem invitorum eſt, & à pugnando abhorrentium. *conditionum* autem amiſſum tempus eſt. quid futurum ſit, non video. commiſſum quidem à nobis certè eſt, ſive à noſtro duce, ut, *è portu* ſine gubernaculis egreſſi, tempeſtati nos traderemus. itaque de Ciceronibus noſtris dubito quid agam. nam mihi interdum amandandi videntur in Græciam. de Tullia autem & Terentia, [3] cum mihi barbarorum adventus ad urbem proponitur, omnia timeo: cùm autem Dolabellæ venit in mentem, paullum reſpiro. ſed velim conſideres, quid faciendum putes: primum πρὸς τὸ ἀσφαλές: (aliter enim mihi de illis, ac de me ipſo, conſulendum eſt) deinde ad opiniones, ne reprehendamur, quòd eas Romæ velimus eſſe in communi bonorum fuga. quin etiam tibi & Peduceo, (ſcripſit enim ad me) quid faciatis, videndum eſt. is enim *ſplendor* eſt veſtrum, ut eadem poſtulentur à vobis, quæ ab ampliſſimis civibus. ſed de hoc tu videbis, quippe cum de me ipſo, ac de meis te conſiderare velim. Reliquum eſt, ut, & quid agatur, quoad poteris, explores, ſcribaſque ad me, & quid ipſe conjectura aſſequare: quod etiam à te magis exſpecto. nam, acta omnibus nuntiantibus, à te exſpecto futura. μάντις δ' ἄριστος. Loquacitati ignoſces, quæ & me levat, ad te quidem ſcribentem, & elicit tuas litteras. [4] Ænigma Oppiorum ex Velia planè non intellexi. [5] eſt enim numero Platonis obſcurius. [6] jam intellexi tuum. Oppios enim de Velia ſuccones dicis. in eo [7] æſtuavi diu: quo aperto, reliqua patebant, & cum Terentiæ ſumma congruebant. L. Cæſarem vidi Minturnis A. D. VIII. KAL. Febr. mane, cum abſurdiſſimis mandatis, non hominem, ſed *ſcopas ſolutas*: ut id ipſum mihi ille videatur irridendi cauſa feciſſe, qui tantis de rebus huic mandata dederit; niſi fortè non dedit, & hic ſermone aliquo arrepto pro mandatis abuſus eſt. Labienus, vir mea ſententia magnus, Theanum venit A. D. IX. KAL. ibi Pompejum Conſuleſque convenit. qui ſermo fuerit, & quid actum ſit ſcribam ad te, cùm certum ſciam. Pompejus ab Theano Larinum verſus profectus eſt A. D. VIII. KAL. eo die manſit Venafri. aliquantum animi videtur nobis attuliſſe Labienus. ſed ego nondum habeo, quid ad te ex his locis ſcribam. iſta magis exſpecto; quid [8] illinc afferatur; quo pacto de Labieno ferat; quid agat Domitius in Marſis, [9] Iguvii Thermus, P. Attius Cinguli; quæ ſit populi urbani voluntas, quæ tua conjectura de rebus futuris: hæc velim crebro, & quid tibi de mulieribus noſtris placeat, & quid acturus ipſe ſis, ſcribas. Si ſcriberem ipſe longior epiſtola fuiſſet: ſed dictavi propter lippitudinem.

CICERO ATTICO, S.

AD. VI. KAL. Febr. Capuam Calibus proficiſcens, 14
cùm [10] fluenter lippirem, has litteras dedi. L. Cæſar mandata Cæſaris detulit ad Pompejum A. D. VIII. KAL. cùm is eſſet cum Conſulibus Theani. probata conditio eſt, ſed ita, ut ille de [11] iis oppidis, quæ extra ſuam provinciam occupaviſſet, *præſidia deduceret*. id ſi feciſſet, reſponſum eſt ad urbem nos redituros eſſe, & rem per Senatum confecturos. [12] ſpero eſſe in præſentia, pacem nos habere. nam & illum furoris, & hunc noſtrum copiarum ſuppœnitet. Me Pompejus Capuam venire voluit, & adjuvare delectum: in quo parum prolixè reſpondent Campani coloni. Gladiatores Cæſaris, qui Capuæ ſunt, de quibus ante ad te falſum ex Torquati litteris ſcripſeram, ſanè commodè Pompejus diſtribuit, binos ſingulis patribus familiarum. [13] ſecutorum in ludo ıɔɔ fuerunt: eruptionem facturi fuiſſe dicebantur. ſane multùm in eo Reip. proviſum eſt. De mulieribus noſtris, in quibus eſt tua ſoror, quæſo videas, ut ſatis honeſtum nobis ſit, eas Romæ eſſe, cùm ceteræ ulla *dignitate* diſceſſerint: hoc ſcripſi ad eas, & ad te ipſum antea. velim, eas cohortere, ut exeant; præſertim cùm ea [14] prædia in ora maritima habeamus, cui ego præſum, ut in his pro re nata non incommodè poſſint eſſe. nam ſi quid offendimus, in genero noſtro; quod quidem ego præſtare non debeo. ſed id fit majus, quòd mulieres noſtræ præter ceteras Romæ remanſerunt. tu ipſe cum Sexto, ſcire velim, quid cogites de exeundo, de totaque re quid exiſtimes. equidem ad pacem hortari non deſino: quæ VEL INJUSTA utilior eſt, quàm juſtiſſimum bellum. ſed hæc, ut fors tulerit.

CICERO ATTICO, S.

UT AB urbe diſceſſi, nullum adhuc intermiſi diem, 15
quin aliquid ad te litterarum darem; [15] non quò haberem magnopere, quid ſcriberem; ſed ut loquerer tecum ab-

---

1. *Ne Picena quidem.*] Beſſarionis liber, *Ne Epycenea quidem.*

2. *Quàm autem ſine conſilio res teſtis.*] Non modo in Tornæſiano, quod etiam teſtatus eſt Lambinus, ſed etiam in Scidis & Cruſellino legi aſſerit Boſius *res teſtis*. vulgò legebatur, *quam autem ſine conſ. res ſtet*: eaque in lectione omnes & mſſ. & formis impreſſos codd. conſentire teſtatur Victorius. Iidem etiam libri mſſ. Boſii ſic poſtea ſcriptum habent, *quippe cum de me ipſo ac de meis te conſiderare velim.* quo loco vitioſè vulgò legitur, *quippe cum de ipſo ac de me iſta conſiderari velim*: ſic autem prius reſtituit Lambinus ex cod. Tornæſ.

3. *Cum mihi barbarorum adventus ad urbem.*] Codd. Memmiani non habent *ad urbem*, referente Lambino.

4. *Ænigma Oppiorum.*] Manutio videtur epiſtolæ principium.

5. *Eſt enim numero Platonis.*] Probat Manutius, *Timæo Platonis*, ut in antiquo libro Ant. Auguſtini ſcriptum eſt, quod etiam Junius confirmat ex mſſ. Palat.

6. *Jam intellexi tuum. Oppios enim de Velia ſuccones dicis.*] Exaratum repperit Boſius in Tornæſ. & Cruſell. *ſaccones dicis*: in Decurtato *ſuccones dicis*, quod rectum putat. Victorius autem, veterem ſcripturam ſe reddidiſſe dicens, ſic legit, *Oppios enim de Velia ſanctones*. Cavalcantis liber, *Saccones dicis in eo æſtu aut diu*. Beſſarionis *Saccone*; ſed & hoc Manutio videtur Timæo Platonis obſcurius: Sic autem ille ex conjectura, *Oppios de Velia Salacones dicis; in eo æſtuavi diu*: quod etiam probatur Urſino.

7. *Æſtuavi diu.*] Sic etiam omnibus literis ſcriptum eſt in Decurt. quomodo legendum jam dudum docuerunt Turneb. lib. XXI. cap. 16. & eum ſecutus Lambinus; qui Hugolini Martellii conjecturam non probat legendum putantis, *in eo æſtu aut diu*, ſubintelligendo, *fui*. vulg. *in eo æſtu aut die.*

8. *Illim.*] Vulgò *illinc*.

9. *Iguvii Thermus.*] Hæc eſt Malaſp. ſive Steuchii conjectura, cui aſſentitur Lambinus & Pighius lib. XVII. Annal. Rom. ad annum V. C. DCCIV. Manutius legit *Inguii Thermus*, non *Tiguii* aut *Siſingui*: idque non modo ex vetere libro & hiſtoria, ſed etiam ex lapide qui eſt *Fulginei*, in quo *Inguii* oppidi mentio fit, ut apud ipſum videre eſt. Manutii lectionem confirmat Junius, partim ex mſ. optimo Pal. partim ex hiſtoria. *Inguium* enim corruptè *Iguium*, euphoniæ cauſa *Iguvium*. Ptolemæo ἰσοΐον corruptè (legendum enim ἠγΰϊον) Umbrorum oppidum fuit ad viam Flaminiam.

10. *Fluenter lippirem.*] Rectè Lamb. ex depravata Tornæſ. ſcriptura repoſuit, *fluenter*. in Decurtato literæ hujus vocis oculos præ vetuſtate fugiebant. vulg. *leviter*.

11. *Iis oppidis.*] Vulgò *his oppidis*.

12. *Spero eſſe.*] Vulgò *ſpero etiam*. Gulielmius legebat; *Spero rectè eſſe in præſentia. pacem, &c.*

13. *Secutorum in ludo* ıɔɔ.] Sic Decurt. & Cruſell. Tornæſ. CIɔ. Beſſarionis liber, *bis fuerunt*, corruptè. Vulg. LCC. *fuerunt*.

14. *Prædia.*] Sic Manutius. vulgo, *præſidia*.

15. *Non quo habere.*] Vulg. *non quod*.

1. *Li-*

abſens: quo mihi, cùm coram id non [1] licet, nihil eſt jucundius. Capuam cùm veniſſem A. D. VI. KAL. pridie, quàm has litteras dedi, Conſules conveni, multoſque noſtri ordinis. omnes cupiebant Cæſarem, abductis præſidiis, ſtare conditionibus iis, *quas tuliſſet*. uni Favonio leges ab illo nobis imponi non placebat: [2] ſed is haud auditus in conſilio. Cato enim ipſe jam *ſervire*, quàm pugnare, mavult. ſed tamen ait, in Senatu ſe adeſſe velle, cùm de conditionibus [3] agatur, ſi Cæſar adductus ſit, ut præſidia deducat. ita, quod maximè opus eſt, in Siciliam ire non curat: quod metuo ne obſit, in Senatu eſſe vult. Poſtumus autem, de quo nominatim Senatus decrevit, ut ſtatim in Siciliam iret, [4] Fuffanoque ſuccederet, negat ſe ſine Catone iturum: & ſuam in Senatu operam, auctoritatemque magni æſtimat. ita res ad Fannium pervenit. is cum imperio in Siciliam præmittitur. In diſputationibus noſtris ſumma varietas eſt. plerique negant, Cæſarem in conditione manſurum; poſtulataque hæc ab eo *interpoſita* eſſe, quo minùs, quod opus eſſet ad bellum, à nobis pararetur. ego autem eum puto facturum, ut præſidia deducat. vicerit enim, ſi Conſul factus erit, & minore ſcelere vicerit, quàm quo ingreſſus eſt. ſed accipienda plaga eſt. ſumus enim flagitioſè *imperati* cum à militibus, tum à pecunia: quam quidem omnem, non modò privatam, quæ in urbe eſt, ſed etiam publicam, [5] quæ in ærario eſt, illi reliquimus. Pompejus ad legiones [6] Attianas eſt profectus: Labienum ſecum habet. ego tuas opiniones de his rebus exſpecto. Formias me continuò recipere cogitabam.

16 CICERO ATTICO, S.

OMNEIS arbitror mihi tuas litteras redditas eſſe, ſed primas præpoſterè, reliquas ordine, quo ſunt miſſæ, per Terentiam. De mandatis Cæſaris, adventuque Labieni, & reſponſis [7] Conſulum ac Pompeji, ſcripſi ad te litteris iis, quas A. D. V. KAL. Capua dedi: pluraque præterea in eandem epiſtolam conjeci. nunc has exſpectationes habemus duas; unam, quid Cæſar acturus ſit, cùm acceperit, ea, quæ referenda ad illum data ſunt L. Cæſari; alteram, quid Pompejus agat: qui quidem ad me ſcribit, paucis diebus ſe *firmum exercitum* habiturum; ſpemque affert, ſi in Picenum agrum ipſe venerit, nos Romam redituros eſſe. Labienum ſecum habet, non dubitantem de imbecillitate Cæſaris copiarum: cujus adventu Cnæus noſter multo animi plus habet. Nos à Conſulibus Capuam venire juſſi ſumus [8] ad Nonas Febr. Capua profectus ſum Formias III. KAL. eo die cùm Calibus tuas litteras hora ferè non à accepiſſem, has ſtatim dedi. De Terentia & Tullia tibi [9] aſſentior; ad quas ſcripſeram, ad te ut referrent: ſi nondum profectæ ſunt, nihil eſt quòd ſe moveant; quoad perſpiciamus, quo loci ſit res.

17 CICERO ATTICO, S.

[10] TUÆ litteræ mihi gratæ jucundæque ſunt. De pueris in Græciam tranſportandis tum cogitabam, cùm fuga ex Italia quæri videbatur. nos enim Hiſpaniam peteremus. illis hoc æquè commodum non erat. tu ipſe cum Sexto etiam nunc mihi videris Romæ rectè eſſe poſſe. etenim minimè amici Pompejo noſtro eſſe debetis. nemo enim umquam tantum de urbanis præſidiis detraxit. videſne me etiam jocari? Scire jam te oportet, L. Cæſar quæ reſponſa referat à Pompejo, quas ab eodem ad Cæſarem ferat litteras. ſcriptæ enim & datæ ita ſunt, ut proponerentur in publico: in quo accuſavi mecum ipſe Pompejum, qui, cùm ſcriptor luculentus eſſet, tantas res, atque eas, quæ in omnium manus venturæ eſſent, [11] Seſtio noſtro ſcribendas dederit. itaque nihil umquam legi ſcriptum σηστιωδέστερον. perſpici tamen ex litteris Pompeji poteſt, nihil Cæſari negari, omniaque & cumulatè, *quæ poſtulet*, dari. quæ ille, amentiſſimus fuerit, niſi acceperit, præſertim cùm impudentiſſimè poſtulaverit. quis enim tu es, qui dicas, ſi in Hiſpaniam profectus erit, ſi præſidia dimiſerit? [12] tamen non conceditur; minùs honeſte nunc quidem, violata jam ab illo Rep. illatoq; bello; quàm ſi olim de ratione habenda impetraſſet: & tamen vereor, ut his ipſis contentus ſit. nam cùm iſta mandata dediſſet L. Cæſari, debuit eſſe paulo quietior, dum reſponſa referrentur. dicitur autem nunc eſſe acerrimus. Trebatius quidem ſcribit, ſe ab illo IX. KAL. Febr. rogatum eſſe, ut ſcriberet ad me, ut eſſem ad urbem: nihil ei me gratius facere poſſe. hæc verbis plurimis. intellexi ex dierum ratione, ut primum de diſceſſu noſtro Cæſar audiſſet, laborare eum cœpiſſe, ne omnes abeſſemus. itaque non dubito, quin ad Piſonem, quin ad Servium ſcripſerit. illud admiror non ipſum ad me ſcripſiſſe, non per Dolabellam, non per Cœlium egiſſe. quamquam non aſpernor Trebatii litteras, à quo me unicè diligi ſcio. reſcripſi ad Trebatium, (nam ad ipſum Cæſarem, qui mihi nihil ſcripſiſſet, nolui) quàm illud hoc tempore eſſet difficile: me tamen in prædiis meis eſſe, neque delectum ullum, neque negotium ſuſcepiſſe. in quo quidem manebo, dum ſpes pacis erit. ſin bellum geretur; non deero officio, nec dignitati meæ, pueros ὑπεκθέμενος in Græciam. totam enim Italiam flagraturam bello intelligo. *tantum mali* excitatum partim ex improbis, partim ex invidis civibus. ſed hæc paucis diebus ex illius ad noſtra reſponſa reſponſis intelligentur, quorſum evaſura ſint. tum ad te ſcribam plura, ſi erit bellum: ſi autem etiam induciæ, te ipſum, ut ſpero, videbo. Ego IIII. NON. Febr. quo die has litteras dedi, in Formiano, quo Capua redieram, mulieres exſpectabam: quibus quidem ſcripſeram, tuis litteris admonitus, ut Romæ manerent. ſed audio majorem quendam in urbe timorem eſſe. Capuæ NON. Febr. eſſe volebam, quia Conſules juſſerant. quidquid huc erit à Pompejo allatum, ſtatim ad te ſcribam: tuaſque de iſtis rebus literas exſpectabo.

CICERO ATTICO, S. 18

IV. NON. Febr. mulieres noſtræ Formias venerunt, tuaque erga ſe officia, plena tui ſuaviſſimi ſtudii, attulerunt: eas ego, quoad ſciremus [13] utrum *turpi pace* nobis an *miſero bello* eſſet utendum, in Formiano eſſe volui, & unà Cicerones. ipſe cum fratre Capuam ad Conſules (Nonis enim adeſſe juſſi ſumus) III. NON. profectus ſum, cum has litteras dedi. Reſponſa Pompeji grata populo, & probata con-

1. *Licet.*] Vulgò *liceret*.

2. *Sed is haud auditus.*] Auctoritate Decurtati hanc particulam *haud*, reſtituit Boſius. ſed hoc minus probat Lambinus, qui Malaſp. conjecturam ſequutus edidit, *Sed vix auditus in conſilio*: Junius verò, *ſed is auditus in conſilio non eſt*, ex mſſ. Palat. emendat.

3. *Agatur.*] Vulg. *agetur*.

4. *Fuffanoque.*] Sic legendum ex antiquis libris aſſerit Boſius: vulgò *Fuſanoque*.

5. *Quæ in ærario eſt.*] Vox illa, *eſt*, deeſt in vulgatis.

6. *Attianas.*] Junius legit *Atinianas*. vulgò *Actianas*. Lipſius Centuria II. ad Belgas Epiſt. 16. corrigit *Appianas*; ut intelligantur duæ illæ legiones, quæ a Cæſare per ſpeciem belli Parthici abductæ, & Pompejo traditæ circa Luceriam hærebant ſub Appio Legato, ut clarum eſt ex Plutarcho, Hirtio, ipſoque Cæſare.

7. *Conſulum ac Pompeii.*] Rectè Malaſp. conjecit legendum, *Conſulum ac Pompeii*, ut apparet ex hac compendiaria ſcriptura Decurtati, *& reſponſis* Coss. *ac Pomp.* quod etiam legendum aſſerit Manutius. vulgò, *Conſulum ad Pompejum*.

8. *Ad Nonas Febr. Capua profectus ſum Formias.*] Melius putat Urſinus quod in mſ. legitur, *A. D. IV. Non. Febr. Capua profectus ſum Form. A. D. III. Non.*

9. *Aſſentio.*] Vulg. *aſſentior*.

10. *Tuæ literæ mihi gratæ.*] Hinc initium epiſtolæ fecit Boſius, partim ratione, partim Decurtati auctoritate nixus, in quo appoſita eſt ante hæc verba, nota, qua plerumque in hoc libro diſtinguuntur epiſtolæ.

11. *Seſtio noſtro.*] Vulg. *Sextio*.

12. *Tamen non conceditur.*] *Non*, deeſt in vulg.

13. *Utrum turpi pace nobis an miſero bello eſſet utendum.*] Conſentiunt Decurtatus & Cruſellinus cum Tornæſ. & iis quibus uſus eſt Malaſp. in hujus ſcripturæ repræſentatione, quod etiam de Tornæſ. Lambinus teſtatur; eoſque qui vulgatam lectionem ſequuntur, nugas agere dicit.

1. *Quæ*

concioni eſſe dicuntur. itaputaram : [1] quæ quidem ille ſi repudiarit, jacebit : ſi acceperit? utrum igitur, inquies, mavis? reſponderem, ſi quemadmodum *parati* eſſemus, ſcirem. Caſſium, erat hîc auditum, expulſum Ancone, eamque urbem à nobis teneri. ſi bellum futurum eſt, negotium utile. Cæſarem quidem, L. Cæſare cum mandatis de pace miſſo, tamen ajunt acerrime delectum habere, loca occupare, [2] vinciri præſidiis. ô perditum latronem! ô vix ullo otio compenſandam hanc Reip. turpitudinem! ſed ſtomachari deſinamus, *tempori pareamus*, cum Pompejo in Hiſpaniam eamus. [3] hæc opto in malis; quoniam illius alterum conſulatum à Rep. ne data quidem occaſione, repulimus. Sed hæc hactenus. De Dionyſio, fugit me ad te antea ſcribere : ſed ita conſtitui; exſpectare reſponſa Cæſaris; ut, ſi ad urbem rediremus, ibi nos exſpectaret; ſin tardius id fieret, tum eum arceſſeremus. [4] omnino quid ille facere debuerit in noſtra illa fuga, quid docto homine & amico dignum fuerit, cùm præſertim rogatus eſſet, ſcio. ſed hæc non nimis exquiro à Græcis. tu tamen videbis, ſi erit, quod nolim, arceſſendus, [5] ne moleſti ſimus invito. Quintus frater laborat, ut tibi, quod debet, ab Egnatio ſolvat : nec Egnatio voluntas deeſt : nec parum locuples eſt : ſed cùm tale tempus ſit, ut Q. Titinius (multum enim eſt nobiſcum) viaticum ſe neget habere; idemque debitoribus ſuis denuntiarit, ut eodem fœnore uterentur; atque hoc idem etiam L. Ligus feciſſe dicatur, nec hoc tempore aut domi nummos Quintus habeat, aut exigere ab Egnatio, aut verſuram uſquam facere poſſit; miratur, te non habuiſſe rationem hujus *plublicæ difficultatis*. ego autem : etſi illud ψευδησιόδειον (ita enim putatur) obſervo, μηδὲ δίκην, præſertim in te, à quo nihil umquam vidi temerè fieri; tamen illius querela movebar. hoc, quidquid eſt, te ſcire volui.

19 CICERO ATTICO, S.

NIHIL habeo, quod ad te ſcribam. [6] quin etiam epiſtolam, quam eram elucubratus, ad te non dedi. erat enim plena ſpei bonæ; quòd & concionis voluntatem audieram, & illum *conditionibus* uſum putabam, præſertim ſuis. ecce tibi 7 II. NON. Febr. manè accepi litteras tuas, Philotimi, Furnii, Curionis ad Furnium, quibus [8] irridet L. Cæſaris legationem. planè oppreſſi videmur : nec, quid conſilii capiam, ſcio : nec mehercule de me laboro; de pueris quid agam, non habeo. Capuam tamen proficiſcebar hæc ſcribens, quo faciliùs de Pompeji rebus cognoſcerem.

20 CICERO ATTICO, S.

BREVILOQUENTEM jam me tempus ipſum facit. pacem enim deſperavi : bellum noſtri nullum adminiſtrant. cave enim putes, quidquam eſſe minoris his Conſulibus : [9] quorum ergo, ſpe audiendi aliquid, & cognoſcendi noſtri apparatus, maximo imbri Capuam veni pridie Nonas, ut eram juſſus. illi autem nondum venerant, ſed erant venturi, inanes, *imparati*. Cnæus autem Luceriæ dicebatur eſſe, & adire cohorteis [10] legionum Attianarum, non firmiſſimarum. at illum ruere nuntiant, & jam jamque adeſſe, non ut manum conſerat, (quicum enim?) ſed ut fugam intercludat. ego autem in Italia καὶ συναποθανεῖν: nec te id conſulo. ſin extra, quid ago? ad manendum hiems, lictores, improvidi & negligentes duces; ad fugam hortatur amicitia Cnæi, cauſa bonorum : turpitudo conjungendi cum *tyranno* : qui quidem incertum eſt, Phalarimne, an Piſiſtratum ſit imitaturus. Hæc velim explices, & me juves conſilio. etſi te ipſum iſtic [11] jam calere puto. ſed tamen quantùm poteris. ego ſi quid hîc hodie novi cognoro, ſcies. jam enim aderunt Conſules ad ſuas Nonas. Tuas quotidie litteras exſpectabo. ad has autem, cum poteris, reſcribes. Mulieres & Cicerones in Formiano reliqui.

CICERO ATTICO, S. 21

DE malis noſtris tu prius audis, quàm ego. iſtinc enim emanant. boni autem hinc quod exſpectes, nihil eſt. [12] Veni Capuam ad Nonas Febr. ita ut juſſerant Conſules. eo die Lentulus venit ſerò : alter Conſul omnino non venerat VII. Idus. eo enim die ego Capua diſceſſi, & manſi Calibus. inde has litteras poſtridie ante lucem dedi. hæc, Capuæ dum fui, cognovi, nihil in Conſulibus, nullum uſquam delectum. nec enim conquiſitores φαινοπροσωπεῖν audent; cùm ille adſit contra; cùm *noſter dux* nuſquam ſit, nihil agat : nec nomina dant. deficit enim non voluntas, ſed ſpes. Cnæus autem noſter (ô rem miſeram & incredibilem) ut totus jacet! non animus eſt, non conſilium, non copiæ, non diligentia. [13] mittam illa, *fugam* ab urbe turpiſſimam, timidiſſimas in oppidis conciones, ignorationem non ſolum adverſarii, ſed etiam ſuarum copiarum, hoc cujuſmodi eſt? VII. Id. Febr. Capuam C. Caſſius Trib. pl. venit, attulit mandata ad Conſules, ut Romam venirent, pecuniam de ſanctiore ærario auferrent, ſtatim exirent urbe relicta. redeant; quo præſidio? deinde exeant; quis ſinat? Conſul ei reſcripſit, ut prius ipſe in Picenum. at illud totum erat amiſſum : ſciebat nemo, præter me ex litteris Dolabellæ. mihi dubium non erat, quin ille jam jamque foret in Apulia. Cnæus noſter in navi. ego quid agam, σκέμμα magnum; neque mehercule mihi quidem ullum, niſi omnia eſſent acta turpiſſimè; neque ego ullius conſilii particeps. ſed tamen, quod me deceat. ipſe me Cæſar ad pacem hortatur. ſed antiquiores litteræ, quàm *ruere* cœpit. Dolabella, Cœlius, me illi valde ſatisfacere. mira me ἀπορία torquet. juva me conſilio, ſi, potes : & tamen iſta, quantum potes, provide. nihil habeo, tanta rerum perturbatione, quod ſcribam. tuas litteras exſpecto.

CICERO ATTICO, S. 22

PEDEM in Italia video nullum eſſe, qui non in iſtius poteſtate ſit. De Pompejo ſcio nihil; eumque niſi in navim ſe contulerit, *exceptum* iri puto. ô celeritatem incredibilem! hujus autem noſtri. ſed non poſſum ſine dolore accuſare eum, de quo angor & crucior. Tu cædem non ſine cauſa times : non quo minus quidquam Cæſari expediat ad *diuturnitatem* victoriæ & domi nationis : ſed video, quorum arbitrio ſit acturus. [14] rectè ſit. cenſeo cedendum de oppidis his. egeo conſilii. quod optimum factu videbitur facies. cum Philotimo loquere : atque adeo Teren-

1. *Quæ quidem ille ſi repudiarit, jacebit ſi acceperit?*] Hunc locum ſic reſtituit Victorius ex antiquiore ſuo; ut pro, *tacebis*, quod erat antea, repoſuerit *jacebit*, poſt, *acceperit*, interrogationis notam appoſuerit.

2. *Vinciri præſidiis.*] Hoc eſt in Decurt. Cruſell. Tornæſ. vulgo *vincire*; & mox, *ô vix ullo otio*, cum deſit *ô* in vulgg.

3. *Hæc opto in malis.*] Multo libentius legerit Lipſius, hæc optima in malis; qui conſulatur lib. II. Variar. lect. cap. 15. Grutero naſcebatur ſub manu; *Hæc optio*, quomodo Ammianus Marcellinus lib. XVII. cap. 28. *ut in malis optabile.*

4. *Omnino quod ille.*] Videtur Lambino legendum, *Omitto*, ita ut poſt, *rogatus eſſet*, deleatur, *ſcio*; quemadmodum in editione Victoriana nuſquam apparet. ſed hoc contra mſſ. fidem, nec etiam poteſt abeſſe abſque magno ſententiæ incommodo, ut ait Boſius.

5. *Ne moleſti ſimus invito.*] Cum vetere ſuo cod. ſic legit Victorius : antea legebatur, ne ſit moleſtiſſimus, invituſque.

6. *Quinetiam epiſtolam.*] Vulg. *quinetiam eam epiſtolam.*

7. *II. Non Febr.*] Vulg. *IV. Non. Febr.* Boſii lectionem confirmat Manutius.

8. *Irridet.*] Sic habet Beſſarionis liber : antea, *irrident*, legebatur Manutio teſte.

9. *Quorum ergo.*] Ita legitur in Decurtato, vulg. *quorum ego.*

10. *Legionum Attianarum.*] Victorius ex probatiori ſuo legendum cenſet, *legionum Actinarum.* legebatur antea, *legionum Vicinarum.* Lipſius Epiſt. Centuria ad Belgas, emendabat *Appianarum.*

11. *Jam calere puto.*] Emendabat, *carere puto*, vir doctiſſimus, referente Urſino.

12. *Veni Capuam ad Nonas Febr.*] Sic ex antiquis ſuis legit Boſius, nec mutandum putat. Lambinus vero reclamantibus libris omnibus, ſic legendum cenſet; *Veni Capuam A. D. II. Nonas.*

13. *Mittam illa.*] Vulgo *mitto illam.*

14. *Rectè ſit. cenſeo cedendum?*] Sic ex mſſ. interpunxit Victorius, &, *ſic*, in *ſit*, mutavit. vulg. *Rectè ſic cenſeo cedendum.*

Terentiam habebis Idibus. Ego quid agam ? qua aut terra, aut mari perſequar eum, qui ubi ſit, neſcio ? etſi terra quidem qui poſſum ? mari quo ? tradam igitur iſti me ? fac poſſe tutò. multi enim hortantur. num etiam *honeſte* ? [1] nullo modo. quid ? à te petam conſilium, ut ſoleo ? explicari res non poteſt. ſed tamen, ſi quid in mentem venit, velim ſcribas, & ipſe quid ſis acturus.

23 CICERO ATTICO, S.

V Id. Feb. veſperi à Philotimo litteras accepi; Domitium exercitum firmum habere; cohorteis ex Piceno, Lentulo & Thermo ducentibus, cum Domitii exercitu conjunctas eſſe; Cæſarem intercludi poſſe, eumque id timere; [2] bonorum animos recreatos; Romæ improbos quaſi perculſos. hæc, metuo equidem ne ſint [3] *ſomnia*: ſed tamen M. Lepidum, L. Torquatum, C. Caſſium Trib. pleb. (hi enim ſunt nobiſcum, id eſt, in Formiano) Philotimi litteræ ad vitam revocaverunt. ego autem illa metuo ne veriora ſint, nos omneis pæne jam captos eſſe, Pompejum Italia cedere: quem quidem (ô rem acerbam) perſequi Cæſar dicitur. *perſequi Cæſar Pompejum?* quid? ut interficiat? ô me miſerum: & non omnes noſtra corpora opponimus? in quo tu quoque ingemiſcis. ſed quid faciamus? victi, oppreſſi, capti planè ſumus. Ego tamen, Philotimi litteris lectis, mutavi conſilium de mulieribus: quas, ut ſcripſeram ad te, Romam remittebam: ſed mihi venit in mentem, multum fore ſermonem, me judicium jam de cauſa publica feciſſe; qua deſperata, quaſi hunc gradum mei reditus eſſe, quòd mulieres revertiſſent. De me autem ipſo tibi aſſentior, ne me dem incertæ & periculoſæ fugæ; cum reipub. *nihil proſim*, nihil Pompejo; pro quo emori cum piè poſſum, tum libenter. manebo igitur: [4] etſi vivere. Quod quæris, hîc quid agatur: tota Capua, & omnis hic delectus jacet. deſperata res eſt; in fuga omnes ſunt; niſi quid ejuſmodi fuerit, ut Pompejus iſtas Domitii copias, cum ſuis conjungat. ſed videbamur omnia biduo, triduove ſcituri. Cæſaris litterarum exemplum tibi miſi: rogaras enim: cui nos valde ſatisfacere, multi ad me ſcripſerunt: quod patior facile, dum, ut adhuc, nihil faciam *turpiter*.

24 CICERO ATTICO, S.

PHILOTIMI litteræ me quidem non nimis, ſed eos, qui in his locis erant, admodum delectarunt. ecce poſtridie [5] Caſſio litteræ Capua, à Lucretio, familiari ejus, Nigidium à Domitio Capuam veniſſe; eum dicere, Vibullium cum paucis militibus è Piceno currere ad Cnæum, confeſtim ſequi Cæſarem, Domitium non habere [6] militum III. millia. idem ſcripſit. Conſules Capua diſceſſiſſe. non dubito, quin Cnæus in fuga ſit; modo *effugiat*. à conſilio fugiendi, ut tu cenſes, abſum.

CICERO ATTICO, S. 25

CUM dediſſem ad te litteras triſtes, & metuo ne *veras*, de Lucretii ad Caſſium litteris Capua miſſis; Cephalio venit à vobis, attulit etiam à te litteras hilariores, nec tamen firmas, ut ſoles. Omnia facilius credere poſſum, quàm quod ſcribitis Pompejum exercitum habere. nemo huc ita affert, omniaque, quæ nolim. [7] ô rem miſeram! *malas cauſas* ſemper obtinuit, in optima concidit. quid dicam? niſi, illud eum ſciſſe? neque erat difficile hoc neſciſſe. erat enim ARS difficilis, rectè Remp. regere. Sed jam jamque omnia ſciemus, & ſcribemus ad te ſtatim.

CICERO ATTICO, S. 26

NON venit idem uſu mihi, quod tu tibi ſcribis; [8] QUOTIES EXORIOR? ego enim nunc paullum exorior, & maximè quidem iis litteris, quæ Roma afferuntur, de Domitio, de Picentium cohortibus. omnia erant facta hoc biduo lætiora. itaque fuga, quæ parabatur, repreſſa eſt. Cæſaris interdicta,

Si te ſecundo lumine hic offendero,

reſpuuntur. bona de Domitio, præclara de Afranio fama eſt. Quod me amiciſſimè admones, ut me integrum, quoad poſſim, ſervem; gratum eſt. Quod addis, ne propenſior ad turpem cauſam videar: certè videri poſſum. ego me ducem in civili bello, quoad de pace ageretur, negavi eſſe: non quin rectum eſſet: ſed quia, quod multo *rectius* fuit, id mihi fraudem tulit. [9] planè eum, cui Cnæus noſter alterum Conſulatum deferret & triumphum, at quibus verbis? [10] PRO SUIS R. GESTIS AMPLISSIMIS, inimicum habere nolueram. ego ſcio, & quem metuam, & quam ob rem. ſin erit bellum, ut video fore; partes meæ non deſiderabuntur. [11] De H-S millibus XX. Terentia tibi reſcripſit Dionyſio, dum exiſtimabam vagos nos fore, nolui moleſtus eſſe. tibi autem, crebrò ad me ſcribenti de ejus officio, nihil reſcripſi; quòd diem ex die exſpectabam, ut ſtatuerem, quid eſſet faciendum. nunc, ut video, pueri certè in Formiano videntur hiematuri: num & ego, neſcio. ſi enim erit bellum, cum Pompejo eſſe conſtitui. quod habebo certi, faciam, ut ſcias. ego bellum fœdiſſimum futurum puto; niſi qui, [12] ut tu ſcis, Parthicus *caſus* extiterit.

M. TUL-

---

1. *Nullo modo. quid?*] Lectionem Decurt. & Tornæſ. edidit Boſius; vulg. *nullo modo quidem*, ſine interrogatione.

2. *Bonorum animos recreatos; Romæ improbos, quaſi perculſos.*] Aliter diſtinguit vulgus, *Bonorum animos recreatos, Romæ improbos, quaſi perculſos.* Lambinus verò opinatur legendum: *improborum quaſi perculſos*, ut repetatur ἀπὸ κοινοῦ, *animos.*

3. *Somnia.*] Vulg. *inſomnia.*

4. *Etſi vivere.*] Junius ex mſſ. Pal. addit, *non libet*, unum vero dicit habere *non liceat*, quæ duo ultima vocabula Victorius delevit, tanquam gloſſema, cum in nullo mſſ. extarent.

5. *Caſſio litteræ.*] Non tantum in Tornæſ. ſed & in omnibus aliis quos habuit Boſius, ſcriptum eſt *Caſſio*, quo modo legi debere aſſerit: Victorius *ad Caſſium*, caſtigaverat, eodem planè ſenſu quo, *Caſſio*, licet omnes libri ipſius haberent, *Caſſii*, ut eſt vulgata lectio.

6. *Militum III. millia.*] Victorius referente Boſio pro, *III. millia*, edidit, *vim*, deceptus antiquis notis.

7. *O rem miſeram.*] Boſii omnes ſic habent, in vulg. deeſt *ô*.

8. *Quoties exorior?*] Cum interrogatione legendum cenſet Boſius.

9. *Plane eum cui Cnæus noſter.*] Locum hunc fœdis maculis deformatum, meliorum codd. auxilio ſe purgaſſe dicit Victorius, legebatur priùs, *planè eum qui noſter.* Etiamnum in vulg. deeſt *Cnæus.*

10. PRO SUIS R. *Geſtis ampliſſimis.*] Scripſit Boſius ut erat exaratum in Scidis, *pro ſuis R. Geſtis*, id eſt, *pro ſuis rebus*: nam nota *R.* in vulg. evanuit. Boſii lectionem confirmat Manutius. Lambinus legendum exiſtimat, *pro rebus geſtis ampliſſimis*, deleta voce, *ſuis*, vel *tuis*; ut quidam malunt libri. Junius verò, *pro tuis rebus geſtis ampl.* licet plerique, ut ait reclament.

11. *De H-S. XX.*] Vulg. *de LLS. XX.*

12. *Ut tu ſcis.*] Vulg. *ut ſcis.*

M. TULLII CICERONIS
EPISTOLARUM
LIBER OCTAVUS,
AD
ATTICUM.

CICERO ATTICO, S.

1 CUm ad te litteras dediſſem, redditæ mihi litteræ ſunt à Pompejo: cetera de rebus in Piceno geſtis, quæ [1] ad ſe Vibullius ſcripſiſſet; de delectu Domitii, quæ ſunt [2] vobis nota; [3] nec tamen tam læta erant in his litteris, quàm ad me Philotimus ſcripſerat: (ipſam tibi epiſtolam miſiſſem; ſed ſubitò fratris puer proficiſcebatur: cras igitur mittam:) ſed in ea Pompeji epiſtola erat in extremo, ipſius manu: TU, CENSEO, LUCERIAM VENIAS: NUSQUAM ERIS TUTIUS. Id ego in eam partem accepi; hæc oppida, atque oram maritimam illum [4] pro derelicto habere: nec ſum miratus, EUM QUI caput ipſum reliquiſſet; reliquis membris non parcere. ei ſtatim reſcripſi, hominemque certum miſi de comitibus meis, non me quærere, [5] ubi tutiſſimò eſſem: ſi me vellet ſua, aut *Reip. cauſa* Luceriam venire ſtatim eſſe venturum: hortatuſque ſum, ut oram maritimam retineret, ſi rem *frumentariam* ſibi ex provinciis ſuppeditari vellet. [6] hoc me fruſtra ſcribere videbam. ſed uti in urbe retinenda tunc, [7] ſi nunc in Italia non relinquenda teſtificabar ſententiam meam. ſic enim parari video, ut Luceriam omnes copiæ contrahantur: & ne is quidem locus ſtabilis: ſed ex eo ipſo, ſi urgeamur, paretur fuga. quo minus mirere, ſi invitus in eam cauſam deſcendo, in qua neque pacis, neque victoriæ ratio quæſita ſit umquam, [8] ſed ſemper flagitioſæ & calamitoſæ fugæ. EUNDUM; ut, quemcumque fors tulerit caſum, ſubeam potiùs cum iis, qui dicuntur eſſe boni, quàm videar à bonis diſſentire. etſi propediem video bonorum, id eſt lautorum, & [9] locupletium, urbem refertam fore: municipiis verò his relictis, refertiſſimam. quo ego in numero eſſem, ſi hos lictores moleſtiſſimos non haberem: nec me M. Lepidi, L. Volcacii, Ser. Sulpicii comitum pœniteret: quorum nemo nec ſtultior eſt, quam L. Domitius; nec inconſtantior, quam App. Claudius. unus Pompejus me movet, *beneficio*, non *auctoritate*. quam enim ille habeat auctoritatem in hac cauſa, qui, cùm omnes Cæſarem metuebamus, ipſe eum diligebat? [10] poſtquam ipſe metuere cœpit, putat omnes hoſtes illi oportere eſſe? ibimus tamen Luceriam: nec eum fortaſſe delectabit noſter adventus. diſſimulare enim non potero, mihi, quæ adhuc acta ſunt, diſplicere. Ego, ſi ſomnum capere poſſem, tam longis te epiſtolis non obtunderem. tu, ſi tibi eadem cauſa eſt; me remunerere ſanè velim.

CICERO ATTICO, S. 2

MIHI verò omnia grata; & quòd ſcripſiſti ad me, quæ audieras; & quòd non credidiſti, quæ digna diligentia mea [11] non erant; & quòd monuiſti, quod ſentiebas. Ego ad Cæſarem unas Capua litteras dedi, quibus ad ea reſcripſi, quæ mecum ille de gladiatoribus ſuis egerat [12] breveis, ſed benivolentiam ſignificantes, non modò ſine contumelia, ſed etiam cum maxima laude Pompeii. id enim illa ſententia poſtulabat, qua illum ad concordiam hortabar. eas ſi quò ille miſit, *in publico* proponat velim. Alteras eodem die dedi, quo has ad te. non potui non dare, cùm & ipſe ad me ſcripſiſſet, & Balbus. earum exemplum ad te miſi. nihil arbitror fore, quòd reprehendas. ſi qua erunt doce me, [13] quomodo capſe effugere poſſim. nihil, inquies, omnino ſcripſeris. qui magis effugias eos, qui volent *fingere*? verumtamen ita faciam quoad fieri poterit. Nam quòd me hortaris ad memoriam factorum, dictorum, ſcriptorum etiam meorum; facis amicè tu quidem, mihique gratiſſimum: ſed mihi videris aliud tu honeſtum, meque dignum in hac cauſa judicare, atque ego exiſtimem. mihi enim nihil ulla in gente umquam, ab ullo auctore reip. ac duce, *turpius* factum eſſe videtur, quàm à noſtro amico factum eſt: cujus ego vicem doleo: qui urbem reliquit, id eſt patriam; pro qua, & in qua *mori* præclarum fuit. ignorare mihi videris, hæc quanta ſit clades. es enim etiam nunc domi tuæ. ſed, invitis perditiſſimis hominibus, eſſe diutiùs non potes. hoc miſerius, hoc turpius quidquam? vagamur egentes, cum conjugibus & liberis. in *unius hominis*, quotannis periculosè ægrotantis, anima poſitas [14] omneis noſtras ſpes habemus, non expulſi, ſed evocati è patria, quam non ſervandam ad reditum noſtrum, ſed diripiendam & inflammandam reliquimus. ita multi nobiſcum ſunt, non in ſuburbanis, non in hortis, [15] non in ipſa urbe: & ſi nunc ſunt, non erunt. nos interea, ne Capuæ quidem, ſed Luceriæ: & oram quidem maritimam jam relinquemus; Afranium exſpectabimus, & Petreium. nam in Labieno parum eſt dignitatis. [16] hic tu in me illud; *des*,

---

1. AD *ſe Vibullius.*] Vulg. *ad te.*
2. *Vobis nota.*] Vulg. *nobis nota.*
3. *Nec tamen tam læta.*] Scripturam Decurtati Boſius expreſſit. quidam veteres *nec tamen læta*: alii, *nec tam læta*: Decurt. *nec tamen tam læta*; quod probat Junius, ſed ſequentia aliter legit, ex mſſ. Pal. *nec tamen tam læta erant in iis litteris, quàm ad me Philotimus. Heri ipſam tibi epiſtolam miſiſſem: ſed, &c.*
4. *Pro derelicto.*] Boſii hæc eſt emendatio, codices Tornæſ. & Cruſell. *pro relicto*; ſed alterum uſitatius, &, ut putat verius.
5. *Ubi tutiſſimo eſſem.*] Libris ferè omnibus invitis, ita edidit Lambinus: Tornæſianus fortaſſe juvat qui habet *tupiſſimo*: vulg. *tutiſſimè.*
6. *Hoc me fruſtra.*] Vulg. *Hæc me, &c.*
7. *Si nunc.*] Vulg. *ſic nunc.*
8. *Sed ſemper.*] *Sed* deeſt in vulg.
9. *Locupletium.*] *Locupletum* vulg.
10. *Poſtquam ipſe.*] Vulg. *poſtquam verò ipſe.*
11. *Non erant.*] Vulg. *non eſſent.*
12. *Brevis.*] Vulg. *breves.*
13. *Quomodo capſe effugere poſſim.*] Locum hunc depravatum ex mſſ. collocatione reſtituit Boſius: Tornæſ. *quomodo eſſe*, Cruſell. *quomodo è ſe*, Decurt. *quomodo à ſe*, unde conjecit, *quomodo capſe.* vulg. *quomodo enim effugere poſſum?*
14. *Omnis noſtras.*] Vulg. *omnes noſtras.*
15. *Non in ipſa urbe.*] Victorius hunc locum corruptum aſſerit, ſed cum ei mederi non poſſet, notam qua mendum ſignificaret appoſuit. Boſius vocem, *urbe*, quæ in Victoriana editione deerat ex mſſ. repoſuit.
16. *Hic tu me illud; des, id feras.*] Auxilio Decurt. locum hunc reſtituit Boſius, qui antequam in Decurtatum incidiſſet, putabat ex opinione vulgari quædam verba Græca deeſſe. ſed ubi planè exaratum reperit in optimo illo libro, *hic tu in me illud: des, id feras:*

des, *id feras*, nihil de me dico: alii viderint. [1] hic quidem quæ eſt? domi veſtræ eſtis, & eritis omnes boni. [2] qui iſtim ſe mihi non oſtendit? quis nunc adeſt hoc bello? ſic enim jam appellandum eſt. Vibullii res geſtæ ſunt adhuc maximæ. id ex Pompeii litteris cognoſces: in quibus animadvertito illum locum, ubi erit διπλῆ: videbis, de Cnæo noſtro ipſe Vibullius quid exiſtimet. Quò igitur hæc ſpectat oratio? ego pro Pompejo lubenter emori poſſum. facio pluris omnium hominum neminem. [3] ſed non ita, UNO IN EO JUDICO SPEM DE SALUTE REIP. ſignificas enim aliquanto ſecus, quàm ſolebas: ut etiam, Italia ſi ille cedat, putes cedendum. Quod ego nec *Reipub.* puto eſſe utile, nec liberis meis: præterea neque rectum, neque honeſtum. ſed cur. poteriſne igitur *videre* tyrannum? quaſi interſit, audiam, an videam; aut locupletior mihi ſit quærendus auctor, quam Socrates, [4] qui cùm xxx. tyranni eſſent, pedem porta non extulit. Eſt mihi præterea præcipua cauſa manendi: de qua utinam aliquando tecum loquar. Ego XIII. Kalend. cùm eadem lucerna hac epiſtolam ſcripſiſſem, [5] qua inflammaram tuam, Formiis ad Pompejum, [6] ſi de pace ageretur, præfectus; ſi de bello, quid ero?

3 CICERO ATTICO, S.

MAXIMIS & miſerrimis rebus perturbatus, cùm coram tecum mihi poteſtas deliberandi non eſſet, uti tamen tuo conſilio volui. deliberatio autem omnis hæc eſt; ſi Pompejus Italia cedat, quod eum facturum eſſe ſuſpicor, quid mihi agendum putes: & quo facilius conſilium dare poſſis; quid in utramque partem mihi in mentem veniat explicabo brevi. Cùm *merita* Pompeii ſumma erga ſalutem meam, familiaritaſque, quæ mihi cum eo eſt, tum ipſa Reip. *cauſa* me adducit, ut mihi vel conſilium meum cum illius conſilio, [7] vel fortuna cum fortuna conjungenda eſſe videatur. Accedit illud: ſi maneo, & illum comitatum optimorum & clariſſimorum civium deſero, cadendum eſt in unius *poteſtatem*: qui, etſi multis rebus ſignificat ſe nobis eſſe amicum; &, ut eſſet, à me eſt (tute ſcis) propter ſuſpicionem hujus impendentis tempeſtatis multo ante proviſum: tamen utrumque conſiderandum eſt, & [8] quanta fides ei ſit habenda; & ſi maxime exploratum eum nobis amicum fore, ſitne *viri fortis* & boni civis, eſſe in ea urbe, in qua cum ſummis honoribus imperiiſque uſus ſit, res maximas geſſerit, ſacerdotio ſit ampliſſimo præditus, [9] non futurus ſit ſui juris; ſubeundumque periculum ſit, cum aliquo fortè dedecore, quando Pompejus Remp. recuperarit. In hac parte hæc ſunt. vide nunc, quæ ſint in altera. [10] Nihil actum eſt à Pompejo noſtro ſapienter, nihil fortiter, [11] addo etiam, nihil niſi contra conſilium auctoritatemque meam. omitto illa vetera, quòd iſtum in Rempub. ille aluit, auxit, armavit: [12] ille legibus per vim, & contra auſpicia ferendis *auctor*: ille Galliæ ulterioris adjunctor; ille gener; ille in adoptando P. Clodio augur; ille reſtituendi mei, quàm retinendi, ſtudioſior; ille provinciæ [13] prorogator; ille abſentis in omnibus adjutor: idem etiam tertio Conſulatu, poſtquam eſſe defenſor Reipubl. cœpit, contendit, [14] ut decem Tribuni pl. ferrent, ut abſentis ratio haberetur: quod idem ipſe ſanxit lege quadam ſua, Marcoque Marcello Conſuli, [15] finienti provincias Gallias Kal. Mart. reſtitit. ſed, ut hæc omittam, quid fœdius, quid perturbatius hoc *ab urbe diſceſſu*, ſive potius turpiſſima fuga? quæ conditio non accipienda fuit potius, quam relinquenda patria? malæ conditiones erant, fateor: ſed num quid hoc pejus? at recuperabit Rempubl. quando? aut quid ad eam ſpem eſt parati? non ager Picenus amiſſus? non patefactum iter ad urbem? non pecunia omnis & publica & privata adverſario tradita? denique nulla cauſa, nullæ vires, nulla ſedes, quo concurrant, qui Rempub. defenſam velint. Apulia delecta eſt, inaniſſima pars Italiæ, & ab impetu hujus belli remotiſſima: fuga & maritima oportunitas viſa quæri *deſperatione*. invitè cepi Capuam non quo munus illud defugerem, [16] ſed ſic ne cauſam; in qua nullus eſſet ordinum, nullus apertus privatorum dolor: bonorum autem eſſet, aliquis, ſed hebes, ut ſolet; &, ut ipſe ſenſiſſem: multitudo & infimus quiſque propenſus in alteram partem, multi mutationis rerum cupidi. dixi ipſi, me nihil ſuſcepturum *ſine præſidio & ſine pecunia*. itaque habui nihil omnino negotii, quòd ab initio vidi, nihil quæri præter fugam. [17] Eam ſi nunc ſequor, quonam? cum illo non: ad quem cùm eſſem [18] profectus, cognovi in iis locis eſſe Cæſarem, ut tuto Luceriam venire non

ras. totam illam cogitationem abjecit. Manutius Græcum aliquod vocabulum deſiderari ait, & fortaſſe κάδομον. Lambinus etiam ait in codd. Memmianis hic inane eſſe ſpatium, quare à veteribus libris deſertus, inane etiam ſpatium in ſua editione reliquit. non tamen damnat Malaſp. conjecturam qui in hoc ſpatio ſcribi poſſe putat, πρέπον aut καλόν, ſed aliud quippiam deſiderat; verbi gratia, κόμψον, vel σεμνόν. nullum eſſe tamen in hoc loco inane in cod. Tornæſiano idem Lambinus teſtatur, refertque Boſium ſic legere: *Hic tu in me illudes.* σὺ δέ τις. *Nihil de me d.* Junius ait mſſ. Pal. lacuna vacare, legitque *hic tu in me illud deſideras*, quæ eſt omnium vulgata lectio, tantummodò eſt lacuna inter *me*, & *illud*.

1. *Hic quidem quæ eſt? domi veſtræ eſtis.*] Nonnulli codices, *hic quidem quod eſt*, ut Victorianus: at Scidæ & Cruſellinus, *hic quidem quæ eſt?* quod rectius putat Boſius. Hîc etiam verbum deſiderari Manutius, Lambinus & alii arbitrati ſunt: quare in ſuis editionibus ſtellulam appoſuerunt quæ mendum argueret, ut etiam in vulg. editione, ſic enim legitur, *Hic quidem quæ eſt * * domi veſtræ eſtis.*

2. *Qui iſtim.*] Boſius ex Scidis *qui iſtim*, non ut eſt in editionibus *quis tum.*

3. *Sed non ita, uno in eo judico.*] Depravatam lectionem codicum vulgatorum ſic ex fide Decurtati correxit Boſius. Manutius ait mendoſum locum, & in mendo conſentire utrumque Cavalcantis & Beſſarionis antiquum librum: ſic autem legi vellet, niſi paulò longius quàm ſolet à vetere ſcriptura diſcederet, *ſed poſitam non in eo judico ſpem de ſalute reipublicæ*, vel ſic: *ſed non ſitam in eo judico, &c.* Manutii & Malaſp. conjecturas quæ non admodum inter ſe diſcrepant, leviter inflexiſſe atque adjuviſſe dicit Lambinus. ſic autem legit, *ſed poſitam nunc in eo non judico, &c.* alios dicit malle legi, *ſed non ita tamen in eo judicio ſpem ſalutis repoſitam.* Junius verò, *ſed non tamen ita, non in eo judico ſpem de ſalute reip.* hancque unius mſ. Palat. lectionem aſſerit, præterquam quod, ante nomen *ſpei*, appoſitum eſt, *ſed*, pro quo legi vellet *eſſe*.

4. *Qui cum triginta tyranni eſſent.*] Vocem *Athenis* quæ deeſſet videbatur Errico Stephano aſſenſus, repoſuit Lambinus.

5. *Qua inflammaram tuam, Formiis ad Pompejum.*] Junius *qua inflammarem tuam, Formias ad Pomp.*

6. *Si de pace ageretur, profectus: ſi de bello, quid ero?*] Victorius, Lambinus, & Junius legunt *præfectus* pro *profectus*, vulg. *profecturus eram, ſi de bello videro.*

7. *Vel fortuna cum fortuna conjungenda.*] Duo illa vocabula, *cum fortuna*, deſunt in vulg.

8. *Quanta fides ei ſit habenda.*] Victorius ex mſſ. habenda emendavit, antea legebatur *adhibenda*: vulg. *quanta ei fides, &c.*

9. *Non futurus ſit ſui juris.*] Libros veteres omnes hoc in loco diverſos eſſe teſtatur Victorius, & in quibuſdam deeſſe tria poſtrema vocabula, *ſit ſui juris*.

10. *Nihil actum eſt à Pompejo noſtro ſapienter.*] Codex Tornæſianus pro, *ſapienter*, habet, *attenter*.

11. *Addo etiam.*] Vulg. *adde etiam.*

12. *Ille legibus per vim & contra auſpicia ferendis auctor.*] Locum hunc depravatiſſimum duarum litterarum mutatione reſtituit Victorius; ſic enim legebatur, *ille legibus ſervi mei contra, &c.*

13. *Prorogator.*] Vulg. *propagator.*

14. *Ut decem trib. pl.*] Pighius in Faſtis ad annum V.C. DCCII. emendat, *ut de eo trib.*

15. *Finienti provincias Gallias Kalend. Mart. reſtitit.*] Vetus Urſini liber, *provinciis Gallicis Kalend. Mart. diem reſtitit*; quod Junio placet, ſed tamen de mſſ. Pal. legit, *provincias Gallias*, in accuſativo caſu.

16. *Sed ſic ne cauſam.*] Emendavit ex Decurtato Boſius, *ſed ſic ne cauſam*; cum vitioſè antea legeretur, *ſed ſine cauſa*; Lambinus, *ſed in ea cauſa* legendum eſſe contendit. Junius verò ex conjectura, *ſed ſic in ea cauſa, in qua nullus, &c.* longiore periodo; nam, ut ait, falſa diſtinctio totam ſententiam conturbabat.

17. *Eam ſi.*] Vulg. *eum ſi.*

18. *Profectus.*] Sic Beſſarionis liber rectè, vulgò *profecturus.*

non poſſem. infero mari nobis, incerto curſu, hieme maxima navigandum eſt. Age jam, cum fratre, an ſine? cum filio, [1] aut quomodo? in utraque enim re ſumma difficultas erit, ſummus animi dolor. Qui autem impetus illius erit in nos abſentes fortunaſque noſtras? acrior, quàm in ceterorum; quòd putabit fortaſſe in nobis violandis aliquid ſe habere *populare*. Age jam has compedes. faſces inquam hos laureatos efferre ex Italia, quàm moleſtum eſt? Qui autem locus erit nobis tutus, (ut jam placatis utamur fluctibus) ante quàm ad illum venerimus? quà autem, aut quò, nihil ſcimus. At ſi reſtitero, & fuerit nobis in hac parte locus; idem fecero, quod in Cinnæ dominatione Philippus, quod L. Flaccus, quod Q. Mucius; quoquo modo ea res huic quidem cecidit: qui tamen ita dicere ſolebat, ſe id fore videre, quod factum eſt; ſed *malle*, quam armatum ad patriæ mœnia accedere. aliter Thraſybulus, & fortaſſe melius. ſed eſt certa quædam illa Mucii ratio atque ſententia; [2] eſt illa etiam Thraſybuli; &, cùm ſit neceſſe, SERVIRE TEMPORI: & NON AMITTERE TEMPUS, cum ſit datum. ſed in hoc ipſo habent tamen iidem faſces moleſtiam. ſit enim nobis amicus, quod incertum eſt; ſed ſit: deferet triumphum. non accipere ne periculoſum ſit, an accipere invidioſum ad bonos? ô rem, inquis, difficilem & inexplicabilem. atqui explicanda eſt. qui enim fieri poteſt? ac ne me exiſtimaris ad manendum eſſe propenſiorem, quòd plura in eam partem verba fecerim: poteſt fieri, quod ſit in multis quæſtionibus, ut res *verboſior* hæc fuerit, illa *verior*. quamobrem, ut maxima de re, æquo animo deliberanti, ita mihi des conſilium velim. navis & in Cajeta eſt parata nobis & Brundiſii. ſed ecce nuntii, ſcribente me hæc ipſa noctu in Caleno, ecce litteræ, Cæſarem ad Corfinium, Domitium Corfinii cum firmo exercitu, & pugnare cupiente. non puto etiam [3] hoc Cnæum noſtrum commiſſurum, ut Domitium relinquat: etſi Brundiſium Scipionem cum cohortibus duabus præmiſerat: legionem Fauſto conſcriptam, in Siciliam ſibi placere [4] à Conſule duci, ſcripſerat ad Conſules. ſed turpe [5] Domitium *deſerere* erit, implorantem ejus auxilium. eſt quædam ſpes mihi quidem non magna, ſed in his locis firma, Afranium in Pirenæo cum Trebonio pugnaſſe, pulſum Trebonium, etiam Fabium tuum tranſiſſe cum cohortibus: [6] ſumma autem, Afranium cum magnis copiis adventare. id ſi eſt, in Italia fortaſſe manebitur. ego autem, cùm eſſet incertum iter Cæſaris, quòd vel ad Capuam, vel ad Luceriam iturus putabatur, Leptam ad Pompejum miſi, & litteras; ipſe, ne quo inciderem, reverti Formias. Hæc te ſcire volui, ſcripſique ſedatiore animo, quàm proxime ſcripſeram, nullum meum judicium interponens, ſed exquirens tuum.

CICERO ATTICO, S. 4

DIONYSIUS quidem tuus potiùs, quàm noſter, cujus ego cùm ſatis cognoſſem mores, tuo tamen potiùs ſtabam judicio, quam meo, [7] ne tui quidem teſtimonii, quod ei ſæpe apud me dederas, veritus, ſuperbum ſe præbuit in *fortuna*, quam putavit noſtram fore: cujus fortunæ nos, quantum humano conſilio effici poterit, motum ratione quadam gubernabimus. cui, qui noſter honos, quod obſequium, quæ etiam ad ceteros contempti cujuſdam hominis commendatio defuit? ut meum judicium reprehendi à Quinto fratre, vulgoque ab omnibus mallem, quàm illum non efferre laudibus; Ciceroneſque noſtros meo potius labore ſubdoceri, quam me alium vis magiſtrum quærere. ad quem ego quas litteras, dii immortales, miſeram? quantum honoris ſignificantes? quantum amoris? Dicæarchum mehercule, aut Ariſtoxenum diceres arceſſi, non unum omnium loquaciſſimum, & minimè aptum ad docendum. ſed eſt memoria bona. me dicet eſſe meliore. quibus literis ita reſpondit, ut ego nemini, cujus cauſam non reciperem. ſemper enim, SI POTERO; SI ANTE SUSCEPTA CAUSA NON IMPEDIAR. numquam [8] reo cuiquam, tam humili, tam ſordido, tam nocenti, tam alieno, tam præciſè negavi, quàm hic mihi. [9] planè ſine ulla exceptione præcidit. nihil cognovi INGRATIUS: in quo vitio nihil mali non ineſt. Sed de hoc nimis multa. [10] Ego navem paravi. tuas litteras tamen exſpecto; ut ſciam, quid reſpondeant conſultationi meæ. Sulmone C. Attium Pelignum aperuiſſe Antonio portas, cùm eſſent cohortes quinque, Q. Lucretium [11] inde effugiſſe, ſcis, [12] Cnæum ire Brundiſium deſertum. confecta res eſt.

CICERO ATTICO, S. 5

CUM ante lucem IIX. Kal. [13] litteras ad te de Dionyſio dediſſem, veſperi ad nos eodem die venit ipſe Dionyſius, auctoritate tua permotus, ut ſuſpicor. quid enim putem aliud? etſi ſolet eum, cum aliquid furioſè fecit, pœnitere: [14] numquam autem certior fuit, quàm in hoc negotio. nam, quod ad te non ſcripſeram, poſtea audivi, à tertio miliario tum eum [15] ῥίψαι [16] πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμήναντα:

multa,

1. *Aut quomodo?*] Decurtatus & Cruſellinus, *aut quomodo?* ut libri Malaſpinæ.
2. *Eſt illa etiam Thraſybuli.*] Acutiſſimè vidit Malaſpina legendum eſſe, *eſt illa etiam Thraſybuli*; idque ita perſpicuis & certis rationibus probavit, ut ne ipſum quidem Ciceronem, ſi reviviſcat, ei refragaturum exiſtimet Boſius.
3. *Hoc Cn. noſtrum.*] Vulg. *hic Cn. noſtrum.*
4. *A Conſule.*] Antiqui libri *à Conſulibus*: ſed Manutio placet *Conſule*, ex ipſa Pompeji epiſtola.
5. *Domitium deſerere erit.*] Vulg. *erit deſerere.*
6. *Summa autem.*] Vulg. *ſummum autem.*
7. *Ne tui quidem teſtimonii.*] Vulg. *ne tuum quidem teſtimonium.*
8. *Reo cuiquam tam humili.*] *Cuiquam* deeſt in vulg.
9. *Planè ſine ulla exceptione præcidit.*] Junius Fulvii lectionem [illegible]m mſſ. Palat. auctoritate fretus ſequitur, quæ talis eſt, *planè nulla except.*
10. *Ego navem paravi.*] Victorii hæc eſt emendatio. antea, *ego autem paravi.*
11. *Inde effugiſſe.*] Vulg. *inde fugiſſe.*
12. *Cnæum ire Brundiſium deſertum.*] Junius ex duobus mſſ. Pal. *Quò Cn. noſter? Brundiſium, deſertus*, &c. quid heic Lipſius putet deeſſe, petas licet, ex lib. tert. Variar. lect. cap. 30.
13. *Litteras ad te de Dionyſio dediſſem.*] Lectio hæc eſt Scid. Tornæſ. & Cruſell. Vocabula autem hæc duo, *de Dionyſio*, deſunt in multis editionibus, etiamnum in Manutiana.
14. *Numquam autem certior.*] Putaverat olim Boſius legi oportere *certior*, ſed id contra veterum librorum auctoritatem tueri non vult; licet tanquam certiſſimum, ejus conjecturam ſequutus, [illegible] ediderit Lambinus.
15. Ῥίψαι.] Cum legiſſet Boſius in codice Tornæſ. *ipſe*, ſtatim conjecit Ciceronem ſcripſiſſe ῥίψαι, cujus ſuæ conjecturæ Lamb. admonuit. iſque eam ſibi adſcripſit. poſtea verò omnibus litteris exaratum reperit in Decurt. ῥίψαι. Manut. legit *eveniſſe*, vulg. *iſſe*.
16. Πολλὰ μάτην.] Integrum verſum ita referunt Scidæ & Tornæſianus.

Πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἠέρα θυμήναντα.

Sic autem reſtituere conatus eſt Manutius, πολλὰ μάτην χείρεσσιν ἐς ἠέρα θύειν δῆτα, ut ſit ſpondaicus ex vetere poëta; veteriſque libri hanc eſſe ſcripturam teſtatur Urſinus. Tornæſiani lectionem prior ediderat Lambinus, ſed pro θυμήναντα in aoriſto, legebat θυμαίνοντα in tempore præſenti. Dauſquei. conabatur, πολλὰ μάτην κλονέεσκεν ἀερθέντα θυμὸν ἰῆναι. *multa turbat fruſtra, ut animum lætificaret.* νόον ἰαίνειν, dixit in Pythiis Pindarus. Idem conjiciebat, κενεοῖσιν ὀνείρασι θυμὸν ἐδεῖτο. Appoſititius etiam πολλὰ μάτην βάκεν αἰσχρά τ' ὀνείδεα, θυμοδακῆ τε. Aut, Π. μ. τεράπεσσιν ἐοικότα μῦθον ἔφλυε. eſt enim monſtri ſimile, animus ingratus, animique ingrati vox index. Denique; Πολλὰ μάτην ἐρίδεσσιν ἐρεθμαίνοντα. vulgò, πολλὰ μάτην κλεριεσσινεσκε ραθυμεῖν δῆτα.

I. Ἐπεὶ

multa, inquam, mala [1] eum dixiſſe, ſuo capiti, ut ajunt. [2] ſed ô meam manſuetudinem.! conjeceram in faſciculum unà cum tua venientem ad illum epiſtolam: hanc ad me referri volo; nec ullam ob aliam cauſam [3] Pollicem, ſervum à pedibus meis, Romam miſi. eo autem ad te ſcripſi, ut, ſi tibi fortè reddita eſſet, mihi curares referendam, ne in illius manus perveniret. Novi ſi quid eſſet, ſcripſiſſem. pendeo animi exſpectatione Corfinienſi; in qua de ſalute Reip. decernitur. Tu faſciculum, qui eſt [4] DES M' CURIO inſcriptus, velim cures ad eum perferendum; Tironemque Curio commendes, [5] ut ei, ut petii, ſi quid opus erit, in ſumtum eroget.

6 CICERO ATTICO, S.

OBSIGNATA jam epiſtola, quam de nocte daturus eram, ſicut dedi, (nam eam veſperi ſcripſeram) C. Soſius Prætor in Formianum venit [6] ad M. Lepidum, vicinum noſtrum, cujus Quæſtor fuit; Pompeii litterarum [7] ad Conſulem exemplum attulit.

Litteræ mihi à L. Domitio [8] A. D. XIII. Kalend. Mart. allatæ ſunt: earum exemplum infra ſcripſi. [9] nunc, ut ego non ſcribam, tua ſponte te intelligere ſcio, quanti Reip. [10] interſit, omnes copias in unum locum *primo quoque tempore convenire. tu, ſi tibi videbitur, dabis operam, quamprimum ad nos venias. præſidii Capuæ, quantum [11] conſtitueritis eſſe ſatis, relinquas.*

Deinde ſuppoſuit exemplum epiſtolæ Domitii, quod ego ad te pridie miſeram. Dii immortales, qui me horror perfudit! quàm ſum ſollicitus, quidnam futurum ſit. hoc tamen ſpero, magnum *nomen* imperatoris fore, magnum in adventu terrorem. [12] ſpero etiam, quoniam adhuc nihil nobis obfuit, nihil in vita. ſed ne recenta hoc, quòd cùm fortiter Dii illigent te, tum etiam *Herculeo nodo.* modò enim audivi, quartanam à te diſceſſiſſe. moriar, ſi magis gauderem, ſi id mihi accidiſſet. Piliæ dic, non eſſe æquum, eam diutiùs habere, nec id eſſe veſtræ concordiæ. Tironem noſtrum ab altera relictum audio. ſed eum video in ſumtum ab aliis mutuatum. ego autem Curium noſtrum, ſi quid opus eſſet, rogaram. malo Tironis verecundiam in culpa eſſe, quam illiberalitatem Curii.

CICERO ATTICO S. 7

UNUM etiam reſtat amico noſtro ad omne dedecus, ut Domitio non *ſubveniat.* at nemo dubitat, quin ſubſidio venturus ſit: ego non puto. deſeret igitur talem civem, & eos, quos unà ſcis eſſe? cùm habeat præſertim & ipſe cohortes XXX? niſi me omnia fallunt, deſeret. incredibiliter pertimuit. nihil ſpectat, niſi fugam: cui tu (video enim quid ſentias) me comitem putas debere eſſe. EGO VERO, quem fugiam, habeo; quem ſequar, non habeo. [13] quod enim tu meum laudas, & memorandum ducis, malle quòd dixerim me cum Pompejo vinci, quàm cum iſtis vincere: ego verò malo, ſed cum illo Pompejo, qui tum erat, aut qui mihi eſſe videbatur: cum hoc verò, qui ante fugit, quàm ſcit, aut quem fugiat, aut quò, qui noſtra tradidit, [14] qui patriam reliquit, Italiam relinquit, ſi malui; contigit; victus ſum. quod ſupereſt, nec iſta *videre* poſſum, quæ, numquam timui, ne viderem; nec me hercule iſtum, propter quem mihi non modò meis, ſed memet ipſo carendum eſt. Ad Philotimum ſcripſi de viatico, ſive à Moneta, (nemo enim ſolvit) ſive ab Oppiis, tuis contubernalibus. cetera appoſita tibi mandabo.

CICERO ATTICO, S. 8

O REM turpem, & ea re miſeram! ſic enim ſentio, ID DEMUM, aut potius id ſolum eſſe miſerum, quod turpe ſit. aluerat Cæſarem: eundem repente timere cœperat: conditionem pacis nullam probarat: nihil ad bellum pararat: urbem reliquerat: Picenum amiſerat culpa: in Apuliam ſe compegerat: ibat in Græciam: omnes nos ἀπεροσφωνήτες, experteis ſui tanti, tam inuſitati conſilii relinquebat. ecce ſubito litteræ Domitii ad illum, ipſius [15] ad Conſules. fulſiſſe mihi videbatur τὸ καλὸν ad oculos ejus, & exclamaſſe ille vir, qui eſſe debuit, [16] Πρὸς ταῦθ' ὅ, τι χρὴ, καὶ παλαμάσθων, καὶ πάντ' ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθων· τὸ γὰρ δίκαιον μετ' ἐμοῦ. at ille tibi, πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ dicens,

---

1. *Eum dixiſſe.*] Legit Boſius ex Scidis, *eum dixiſſe, ſuo capiti, ut ajunt.* vulg. *cum dixiſſet.*

2. *Sed ô meam manſuetudinem.*] Boſii probatiores, hoc eſt Decurtatus, Tornæſ. & Cruſell. *ſed ô meam*, quam ſcripturam expreſſit; emendaverat antea Victorius; *ſed meam manſuetudinem*, quæ eſt vulgata lectio; cum prius legeretur, *mea manſuetudine*; vulgatam ex mſſ. Pall. retinet Junius.

3. *Pollicem ſervum à pedibus meis.*] Opinatur Urſinus, *ſervum à pedibus*, ſcholium eſſe poſitum à Grammatico quodam ſupra nomen, Pollicem, deinde in contextum à librario imperito receptum. vulg. *Pollicem ſervum à pedibus meum.*

4. DES M' CURIO.] Inſcriptio hujus faſciculi litterarum erat hujuſmodi DES M' CURIO, quomodo legitur in Decurtato, atque ita ſuſpicatus erat Manutius. in Tornæſ. autem & Cruſell. vitioſe exaratum eſt *de M Curio:* verbum illud *Des*, in vulgatis editionibus deſideratur & pro *M' Curio*, legitur *M. Curio.*

5. *Ut ei, ut petii.*] Junius dicit omnes mſſ. Pall. habere *& ei, ut petii*, uno excepto in quo deeſt, *ut petii.*

6. *Ad M. Lepidum.*] Pighius reponendum putat *Manium* in Faſtis ad annum DCCIV.

7. *Ad Conſulem.*] Vulg. *ad* Coss.

8. *A. D. XIII. Kal. Mart.*] Dubitat Manut. hîc ne ſcribendum ſit XIII. *Kal.* an in epiſtola ad Cn. Pompejum hoc ipſo libro IIX. *Kalend.* ſed Decurt. omnem dubitationem tollit, utroque enim loco habet A. D. XIII. *Kal.* & ita edi juſſit Boſius: vulg. *ad* IIX. *Kal.*

9. *Nunc, ut ego non ſcribam.*] Placet Manut. eorum conjectura, qui ita legunt, *nunc, ut ego non ſcribam*, quanquam veteres libri omnes, non *ſcribam*; ſed, *ſciebam*; habent: ſed quod iidem legunt, *tua ſponte te intelligere*, non probat: nam & antiqui libri *ſua ſponte* habent.

10. *Interſit omnes.*] Opinatur Manut. *interſit*, abundare, nam in Beſſarionis libro non eſt, ſed ſic, *in omnis.*

11. *Conſtitueritis.*] Vulg. *conſtitueris.*

12. *Spero etiam, quoniam adhuc nihil nobis obfuit, nihil in vita. ſed ne recenta hoc, quod cum fortiter, dii illigent te, tum etiam herculeo nodo. modo, &c.*] Locum hunc miſerrimè lacerum & divulſum, partim ex conjectura, partim ex Decurtato reſtituit Boſius: ſic autem eſt in priſco illo: *Spero etiam, quoniam adhuc nihil nobis obfuit, nihil in vita, ſed nec recentia hoc quod cum fortiter diligenter, tum etiam hercule modo. modo enim, &c.* Monſtra hæc ſcripturæ ita procuranda exiſtimavit: primum ſtatuit collocandum eſſe punctum poſt vocem, *vita:* ſcribendumque *recenta*, pro *recentia*, proque *diligenter, Dii illigent te.* & pro *hercule modo, herculeo nodo, &c.* Victor. hunc locum pro deſperato habet, vultque apponi ſtellulam quæ mendum coarguat, refertque antiquum ſuum pro, *mutaſſet*, quod habet vulgus, legere, *unitaſſet.* Beſſarionis liber, *mutuaſſet.* Lambinus ſe hoc ulcus ſanare non potuiſſe fatetur. cùm tamen Boſium pro, *nec regentia*, conjeciſſet legendum νεκρεγερσία. ille, pro, *nihil imitaſſet*, ut erat in cod. Tornæſiano, legeret *nihil me peccaſſe;* totum hunc locum ita concipiendum ſuſpicatus eſt, *nihil me peccaſſe, ſed* νεκρεγερσία *tua nos, quod cum fortiter & diligenter tum etiam hercule feliciter morbum depuliſti, valde delectarunt. modo enim, &c.* Junius ex mſſ. complurium veſtigiis, & argumenti contemplatione, legendum conjicit in hunc modum: *Spero etiam, quoniam adhuc nihil vobis obfuit nihil mutaſſe: nec recentia hæc: quod cum fortiter, & diligenter, tum etiam Herculeo modo. modo enim audivi, &c.* vulg. *quod cum fortiter & diligenter tum etiam mehercule * modo enim, &c.*

13. *Quod enim tum meum laudas.*] Ante Victorium legebatur, *quod enim tu meum conſilium laudas;* ſed ille delevit, *conſilium*, cum in nullis mſſ. exſtaret, & ſenſum elegantiorem fœdaret.

14. *Qui patriam reliquit.*] Antiqui libri melius, auctore Victorio, *relinquit:* nondum enim ex Italia fugerat Pompejus.

15. *Ad conſules.*] Legere mavult *ad conſulem* ratione ductus Manutius, tum etiam Beſſar. mſſ. ſcriptura.

16. Πρὸς ταῦθ' ὅτι χρὴ, καὶ παλαμάθων καὶ πάντ' ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθων.] Sic Boſius ex mſſ. qui ſatis mirari non poteſt audaciam Lambini qui rejecta veterum librorum lectione propria Ariſtoph. verba reponit Junius mſſ. Pal. ope ſic emendat, πρὸς ταῦτα δῆθεν τί χρή; καὶ παλαμάσθων καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθων. τὸ γὰρ δίκαιον μετ' ἐμοῦ. Vulg. πρὸς ταῦθ' ὅ, τι χρὴ καὶ παλαμάσθων καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ καὶ τεκταινέσθων.

dicens, pergit Brundiſium. Domitium autem ajunt, re audita, & eos, qui una eſſent, ſe *tradidiſſe*. ô rem lugubrem! itaque intercludor dolore, [1] quo minus ad te plura ſcribam. tuas litteras exſpecto.

9 CICERO ATTICO, S.

EPISTOLAM meam quòd pervulgatam ſcribis eſſe, non fero moleſtè. quin etiam ipſe multis dedi deſcribendam. ea enim & acciderunt jam & impendent, ut *teſtatum eſſe* velim, de pace quid ſenſerim. cùm autem ad eam hortarer, eum præſertim hominem, non videbar ullo modo faciliùs moturus, quàm ſi id, quod eum hortarer, convenire ejus ſapientiæ dicerem. eam ſi *admirabilem* dixi, cùm eum ad ſalutem patriæ hortabar; non ſum veritus, ne viderer aſſentari; cui tali in re lubenter me ad pedes abjeciſſem. Quà autem eſt, ALIQUID IMPERTIAS TEMPORIS; non eſt de pace, ſed, de me ipſo, & de meo officio, ut aliquid cogitet. Nam quod teſtificor, me expertem belli fuiſſe; etſi id te perſpectum eſt, tamen eò ſcripſi, quo in ſuadendo plus *auctoritatis* haberem; eodemque pertinet, quod cauſam ejus probo. Sed quid hæc nunc? utinam aliquid profectum eſſet [2] ne ego iſtas litteras in concione recitari velim; ſi quidem ille ipſe ad eundem ſcribens in publico propoſuit epiſtolam illam, in qua eſt, PRO TUIS REBUS GESTIS AMPLISSIMIS: amplioribuſne, quàm ſuis, quàm Africani? ita tempeſtas ferebat. ſi quidem etiam [3] vos duo Cales ad quintum milliarium: quid, nunc ipſum, unde ſe recipienti? quid agenti? quid acturo? quanto autem ferocius ille cauſæ ſuæ confidet, cùm vos, cùm veſtri ſimiles non modo frequentes; [4] ſed læto vultu [5] gratulanteis viderit? Num igitur peccamus, minimè vos quidem. ſed tamen ſigna conturbantur, quibus voluntas à *ſimulatione* diſtingui poſſet. Quæ verò S. C. video? ſed apertiùs, quam propoſueram. Ego Argini volo eſſe pridie Kal. deinde circum villulas noſtras errare, quas viſurum me poſtea deſperavi. ἄδηλα tua conſilia, & tamen pro temporibus non incauta, mihi valde probantur. Lepido quidem (nam ferè συνδιημερεύομεν: quod gratiſſimum illi eſt) numquam placuit [6] ex Italia exire, Tullo multo minus. crebo enim illius litteræ ab aliis ad nos commeant. ſed me illorum ſententiæ minus movebant. minùs multa dederant illi Reip. *pignora*. tua mehercule auctoritas vehementer movet. affert enim & reliqui temporis recuperandi rationem, & præſentis tuendi. ſed, obſecro te, QUID HOC miſerius, quàm alterum plauſus in fœdiſſima cauſa quærere, alterum offenſiones in optima? alterum exiſtimari conſervatorem inimicorum, alterum deſertorem amicorum? & mehercule quamvis amemus Cnæum noſtrum; ut & facimus & debemus; tamen hoc, quòd talibus viris non ſubvenit, laudare non poſſum. nam ſive timuit; quid *ignavius?* ſive, ut quidam putant, meliorem ſuam cauſam illorum cæde fore putavit; quid *injuſtius?* Sed hæc omittamus. augemus enim dolorem [7] retractando. VI. Kal. veſperi Balbus minor ad me venit, [8] occulta via currens ad Lentulum Cos. [9] miſſu Cæſaris, cum litteris; cum mandatis, cum promiſſione provinciæ, Romam ut redeat: cui perſuaderi poſſe non arbitror, [10] niſi erit conventus. idem ajebat, nihil malle Cæſarem, quàm ut Pompejum aſſequeretur; id credo; [11] & rediret in gratiam; id non credo; & metuo, ne omnis hæc clementia ad unam illam crudelitatem *colligatur*. Balbus quidem major ad me ſcribit, nihil malle Cæſarem, quam principe Pompejo ſine metu vivere. tu puto hæc credis. ſed, cum hæc ſcribebam V. Kalend. Pompejus jam Brundiſium [12] veniſſe poterat. expeditus enim anteceſſerat legiones Luceria. ſed hoc τέρας horribili vigilantia, celeritate, diligentia eſt. planè, quid futurum ſit, neſcio.

CICERO ATTICO, S. 10

DIONYSIUS cùm ad me præter opinionem meam veniſſet, locutus ſum cum eo liberaliſſimè: tempora expoſui: rogavi, ut diceret, quid haberet in animo: me nihil ab ipſo invito contendere. reſpondit: ſe, [13] quod in nummis haberet, neſcire [14] quo loci eſſet; alios non ſolvere, aliorum diem nondum eſſe, dixit. etiam alia quædam de ſervulis ſuis, quare nobiſcum eſſe non poſſet. morem geſſi: dimiſi à me, ut *magiſtrum* Ciceronum, non lubenter; ut *hominem ingratum*, non invitus. Volui te ſcire, quid ego de ejus facto judicarem.

CICERO ATTICO, S. 11

QUOD me magno animi motu perturbatum putas; ſum equidem, ſed non tam magno, quàm tibi fortaſſe videor. LEVATUR enim omnis cura, cùm aut [15] conſtitit conſilium, aut cogitando nihil explicatur. lamentari autem licet. [16] illud tamen totos dies. ſed vereor, ne, nihil cùm proficiam, etiam dedecori ſim ſtudiis ac litteris noſtris: conſumo igitur omne tempus, conſiderans, quanta vis ſit illius viri, quem noſtris libris ſatis diligenter, ut tibi quidem videmur, expreſſimus. teneſne igitur, moderatorem illum Reipub. quo referre velimus omnia, nam ſic quinto, ut opinor, in libro loquitur Scipio. *UT ENIM GUBERNATORI CURSUS SECUNDUS, MEDICO SALUS, IMPERATORI VICTORIA; SIC HUIC MODERATORI REIP. BEATA CIVIUM VITA PROPOSITA EST; UT OPIBUS FIRMA, COPIIS LOCUPLES, GLORIA AMPLA, VIRTUTE HONESTA SIT. HUJUS ENIM OPERIS, MAXIMI INTER HOMINES ATQUE OPTIMI, ILLUM ESSE [17] PERFECTOREM VOLO.* Hoc Cnæus noſter cùm antea numquam, tum in hac cauſa minimè cogitavit. dominatio quæſita ab utroque eſt: non id actum, beata & honeſta civitas ut eſſet. Nec verò ille urbem reliquit, quod eam tueri non poſſet; nec Italiam, quòd ea pelleretur: ſed hoc à primo cogitavi, omnes terras, omnia maria movere, reges barbaros incitare, genteis feras armatas in Italiam adducere, exercitus conficere maximos. genus illud *Sullani regni* jampridem appetitur, multis, qui una ſunt, cupientibus. an cenſes, nihil inter eos convenire? nullam pactionem

1. *Quo minus ad te plura non ſcribam.*] Vulg. *quo ad te plura non ſcribam.* Negantem particulam Cavalcantis & Beſſarionis mſſ. auctoritate rejicit Manutius.

2. *Ne ego.*] Vulg. *næ ego.*

3. *Vos duo Cales.*] Boſius pro *tales*, caſtigavit *Cales*, ſequutus conjecturam Juſti Lipſii, proditam lib. II. Variar. lect. cap. 15.

4. *Sed læto vultu.*] Vulgatam lectionem quam etiam refert Decurtatus retinuit Boſius. at Tornæſianus habet *ſed toto vultu.*

5. *Gratulanteis.*] Vulg. *gratulantes.*

6. *Ex Italia exire, Tullo multo, &c.*] Victorii hæc eſt reſtitutio; cum prius, pro *Tullo multo*, legeretur *ullo modo*. Beſſarionis liber *ullo*. ſed non dubitat Manutius quin *Tullo* legendum ſit.

7. *Retractando.*] Vulgata eſt lectio: Boſii mſſ. *retrectando.*

8. *Occulta via currens.*] Ita Victorius, antè *occultavit.*

9. *Miſſu Cæſaris.*] Hoc etiam emendavit Victorius. prius legebatur, *juſſu.*

10. *Niſi conventus erit.*] Habet Manutii amiciſſimus, in antiquo ſuo, *niſi non erit conventus*: quod cum aliquandiu cogitans examinaſſet, venit in hanc opinionem, detruſum ſuo loco, *non*, in alienum migraſſe; vitioſumque eſſe, *poſſe non arbitror, niſi non erit conventus*; ſincerum, *poſſe arbitror, niſi non erit conventus.* pro, *conventus* autem legit *coactus* Ant. Auguſtinus.

11. *Et rediret.*] Vulg. *ut rediret.*

12. *Veniſſe poterat.*] Vulg. *poterat veniſſe.*

13. *Quod in nummis haberet.*] *In nominibus haberet*, eſt in amiciſſimi cujuſdam Manutii antiquo libro, ipſique magis placet. Lamb. teſtatur Tornæſian. codicem habere *in nummis*, ſed tamen Manutii lectionem ſequitur, præterquam quod legit, *quot*, pro *quod*.

14. *Quo loci eſſet.*] Vulg. *quo loco eſſet.*

15. *Conſtitit conſilium.*] Vulg. *conſiſtit.* quod videtur probaſſe Giſanius in Obſervat. Linguæ Latinæ annotatque id tum fieri; cum res jam deliberata eſt.

16. *Illud tamen totos dies. ſed vereor, ne, nihil cum proficiam, etiam dedecori ſim ſtudiis ac litteris noſtris.*] Aliter legit & diſtinguit Lambinus, *Illud autem, totos des. vereor, ne, cum nihil proficiam etiam dedecori ſit ſtudiis noſtris.*

17. *Perfectorem volo.*] Vulg. *effectorem volo.*

1. *Et*

ctionem fieri potuiſſe? hodie poteſt. ſed neutri *σκοπὸς* eſt ille, *ut nos beati ſimus*; uterque regnare vult. Hæc, à te invitatus, breviter expoſui. voluiſti enim me, quid de his malis ſentirem, oſtendere. προθεσπίζω igitur, noſter Attice, non ariolans, ut illa, cui nemo credidit, ſed conjectura proſpiciens;

Jamque mari magno.

non multo inquam ſecus poſſum vaticinari: tanta malorum impendet ἰλιάς. atque hoc noſtra gravior eſt cauſa, qui domi ſumus, quam illorum, qui unâ tranſierunt, quòd illi quidem alterum *metuunt*, nos utrumque. cur igitur, inquis, remanſimus? vel tibi paruimus; vel non occurrimus; vel hoc fuit rectius. conculcari, inquam, miſeram Italiam videbis proxima æſtate, [1] & quati utriuſque vi mancipiis ex omni genere collectis: nec tam [2] proſcriptio pertimeſcenda, quæ Luceriæ multis ſermonibus denuntiata eſt licituris, quam [3] univerſim interitus: tantas in confligendo utriuſque vires video futuras. Habes conjecturam meam. tu autem conſolationis fortaſſe aliquid exſpectaſti; nihil invenio; nihil fieri poteſt miſerius, nihil perditius, nihil fœdius. Quod quæris, quid Cæſar ad me ſcripſerit: quod ſæpe: gratiſſimum ſibi eſſe, quòd quierim: oratque, in eo ut perſeverem. Balbus minor hæc eadem mandata. iter autem ejus erat ad Lentulum Cos. cum litteris Cæſaris, præmiorumque promiſſis, ſi Romam revertiſſet. verùm, cùm habeo rationem dierum, ante puto tranſmiſſum, quàm potuerit conveniri. Epiſtolarum Pompeii duarum, quas ad me miſit, negligentiam, meamque in reſcribendo diligentiam volui tibi notam eſſe. earum exempla ad te miſi. Cæſaris hic per Apuliam ad Brundiſium curſus quid efficiat, exſpecto. utinam aliquid ſimile Parthicis rebus. ſimul aliquid audiero, ſcribam ad te. tu ad me velim bonorum ſermones. Romæ frequentes eſſe dicuntur. ſcio equidem te in publicum non prodire. ſed tamen, *audire* te multa, neceſſe eſt. [4] Memini librum tibi afferri à Demetrio Magnete [5] (ad te miſſum ſcio) *περὶ ὁμονοίας*. eum mihi velim mittas. vides quam cauſam mediter.

[6] CN. MAGNUS PROCOS. S. D. M. CICERONI IMP.

Q. Fabius ad me venit [7] A. D. IV. Kalend. *Febr. is nuntiat L. Domitium cum ſuis cohortibus XI, & cohortibus XIV, quas Vibullius adduxit, ad me iter habere: habuiſſe in animo proficiſci Corfinio, A. D. Id. Febr. C. Hirrum cum V. cohortibus ſubſequi. cenſeo, ad nos Luceriam venias. nam te hic tutiſſime puto fore.*

M. CICERO IMP. S. D. CN. MAGNO PROCOS.

A. D. XV. Kalend. Mart. Formiis accepi tuas litteras: ex quibus ea, quæ in agro Piceno geſta erant, cognovi commodiora eſſe multo, quàm ut erat nobis nuntiatum: Vibulliique virtutem, induſtriamque libenter agnovi. Nos adhuc in ea ora, ubi præpoſiti ſumus, ita fuimus, ut navem paratam haberemus. ea enim audiebamus, & ea verebamur, ut, quodcumque tu conſilium præcepiſſes, id nobis perſequendum putaremus. nunc, quoniam auctoritate & conſilio tuo in ſpe firmiore ſumus; ſi teneri poſſe putas [8] *Terracinam, & oram maritimam, in ea manebo: etſi præſidia in oppidis nulla ſunt. nemo enim noſtri ordinis in his locis eſt, præter* [9] *M. Eppium, quem ego Minturnis eſſe volui, vigilantem hominem & induſtrium.* [10] *nam L. Torquatum, virum fortem & cum auctoritate, Formiis non habemus: ad te profectum arbitramur. ego omnino, ut proximè tibi placuerat, Capuam veni eo ipſo die, quo tu Theano Sidicino es profectus. volueras enim me cum M. Conſidio Proprat. illa negotia tueri. cùm eo veniſſem, vidi T. Ampium delectum habere diligentiſſimè, ab eo accipere Libonem ſumma item diligentia, & in illa colonia auctoritate. fui Capuæ, quoad Conſules. iterum, ut erat dictum ab Conſulibus, veni Capuam A. D. Nonas Februar. cùm fuiſſem triduum, recepi me Formias, nunc quod tuum conſilium, aut quæ ratio belli ſit, ignoro. ſi tenendam hanc oram putas,* [11] *quæ & opportunitatem* & dignitatem *habet, & egregios cives, &, ut arbitror, teneri poteſt; opus eſt eſſe, qui præſit. ſin omnia in unum locum contrahenda ſunt; non dubito, quin ad te ſtatim veniam: quo mihi nihil optatius eſt: idque tecum, quo die ab urbe diſceſſimus, locutus ſum. ego, ſi cui adhuc videor ſegnior fuiſſe, dum ne tibi videar, non laboro: & tamen, ſi, ut video bellum gerendum eſt, confido me omnibus facile ſatisfacturum. M. Tullium, meum neceſſarium, ad te miſi: cui tu, ſi tibi videretur, ad me litteras dares.*

CN. MAGNUS PROCOS. S. D. M. CICERONI IMP.

[12] *S. V. B. E. Tuas litteras libenter legi. recognovi enim tuam priſtinam virtutem etiam in ſalute communi. Conſules ad eum exercitum, quem in Apulia habui, venerunt. Magnopere te hortor pro tuo ſingulari perpetuoque ſtudio in Rempubl. ut te ad nos conferas; ut* communi conſilio *Reip. afflictæ opem atque auxilium feramus. cenſeo, via Appia iter facias, & celeriter Brundiſium venias.*

M. CICERO IMP. S. D. CN. MAGNO PROCOS.

CUM ad te litteras miſiſſem, quæ tibi Canuſii redditæ ſunt, ſuſpicionem nullam habebam, te Reip. cauſa mare tranſiturum; eramque in ſpe magna, fore, ut in Italia poſſemus aut concordiam conſtituere, qua mihi nihil utilius videbatur, aut Remp. ſumma cum dignitate defendere. interim, nondum meis litteris ad te perlatis, ex his mandatis, quæ [13] *D. Lælio ad Conſules dederas, certior tui conſilii factus, non exſpectavi, dum mihi à te litteræ redderentur: confeſtimque cum Quinto fratre, & cum liberis noſtris iter ad te in Apuliam facere cœpi. cùm Theanum Sidicinum veniſſem, C. Meſſius, familiaris tuus, mihi dixit, aliique complures, Cæſarem iter habere Capuam: & eo ipſo die manſurum eſſe* [14] *Eſerniæ. ſanè ſum commotus; quòd, ſi ita eſſet, non modò iter meum interclusum, ſed meipſum planè exceptum putabam. itaque tum Cales proceſſi, ut ibi potiſſimum conſiſterem, dum certum nobis ab Eſernia de eo, quod audieram, referretur. at mihi, cum Calibus eſſem, affertur litterarum tuarum exemplum, quas tu ad Lentulum COS. miſiſſes. hæ ſcriptæ ſic erant: Litteras tibi à L. Domitio A. D. XIII. Kal. Mart. allatas eſſe; earumque exemplum ſubſcripſeras; magnique intereſſe Reipub. ſcripſe-*

---

1. *Et quati utriuſque.*] Ex veſtigiis veteris ſcripturæ ſic hunc locum reſtituit Boſius: *conculcari, inquam, miſeram Italiam videbis proxima æſtate, & quanti utriuſque vi, mancipiis ex omni genere collectis.* Jam olim Victorius legendum ſuſpicatus erat, *quati* ex veteris ſui ſcriptura, *quaut*, vulg. *ab utriuſque mancipiis.*

2. *Proſcriptio.*] Victorii hæc eſt emendatio, qui ex mutilato *Iptio*, quod erat in antiquo ſuo, ita legendum cenſuit. Huraltinus etiam *Iptio*, Tornæſ. & Cruſell. *emptio.* antea legebatur in formis impreſſis, *irruptio.*

3. *Univerſim interitus.*] Pro *univerſum* quod erat in veteribus membranis, repoſuit Boſius, *univerſim.*

4. *Memini libri tibi.*] Vulg. *Memmini tibi librum.*

5. *Ad te miſſum ſcio.*] *Scio*, deeſt in vulg.

6. *Cn. Magnus.*] In Boſianis omnibus mſſ. legitur ut edidit; & ita etiam in ſuis fuiſſe, refert Malaſpina. Scribit etiam Urſinus hanc epiſtolam & quæ ſequuntur Pompeii in veteribus libris ita inſcriptas eſſe ut refert Boſius, eamque inſcriptionem reperiri in aliquot denariis teſtatur, in quibus pro *Pompeii* nomine, *Magnus*, cognomen inſcriptio eſt: vulg. *Cn. Pompejus Proc. M. Ciceroni Imp. S.*

7. *A. D. IV. Kalend. Febr.*] Vulg. *ad V. Id. Febr.*

8. *Terracinam.*] Vulg. *Tarracinam.*

9. *M. Eppium.*] Legendum ſtatuit Manutius *L. Eppium*, cum ex nummis argenteis Andreæ Lauretani patricii Veneti, & Fulvii Urſini; tum etiam ex antiquis lapidibus. Beſſarionis tamen liber, & alius ipſius amiciſſimi *Oppium* habet.

10. *Nam L. Torquatum.*] Hic quoque convenit Boſianis exemplaribus cum iis quibus uſus eſt Malaſ.

11. *Quæ & opportunitatem.*] *Et*, deeſt in vulgatis.

12. *S. V. B. E.*] In Boſii codicibus hæc epiſtola inchoatur quatuor his notis, quæ deſunt in vulg.

13. *D. Lælio.*] Manutio placet, quod aliis: ut hic & ſeq. epiſtola legatur *D. Lælio* qui Pompejanus fuit. Beſſarionis liber *Decallio*, alius *Decllio*, vulgò *Dellio* vel *D. Ælio*. Lambinus ex Plutarcho legit *Dellio.*

14. *Eſerniæ.*] Vulg. *Æſerniæ.*

ſcripſeras, omnis copias primo quoque tempore in unum locum convenire; & ut, præſidii quod ſatis eſſet, Capuæ relinqueret. [1] *His ego litteris lectis, in eadem opinione fui, qua reliqui omnes, te cum omnibus copiis ad Corfinium eſſe venturum: quò mihi, cùm Cæſar ad oppidum caſtra haberet, tutum iter eſſe non arbitrabar. cùm res in ſumma exſpectatione eſſet, utrumque ſimul audimus, & quæ Corfinii acta eſſent, & te iter Brundiſium facere cæpiſſe: cumque nec mihi, nec fratri meo dubium eſſet, quin Brundiſium contenderemus; à multis, qui è Samnio, Apuliaque veniebant, admoniti ſumus, ut caveremus, ne exciperemur à Cæſare; quòd is in eadem loca, quæ nos petebamus; profectus, celerius etiam, quàm nos poſſemus, eò, quò intenderat, venturus eſſet. quod cùm ita eſſet; nec mihi, nec fratri meo, nec cuiquam amicorum placuit committere, ut* temeritas *noſtra non ſolum nobis, ſed etiam Reipub. noceret; cùm præſertim non dubitaremus, quin, ſi etiam tutum nobis iter fuiſſet, te tamen jam conſequi non poſſemus. interim accepimus tuas litteras, Canuſio A. D. X. Kalend. Mart. datas, quibus nos hortaris, ut celerius Brundiſium veniamus: quas cùm accepiſſemus A. D. III. Kalend. Mart. non dubitabamus, quin tu jam Brundiſium perveniſſes: nobisque iter illud omnino intercluſum videbatur: neque minus nos eſſe captos, quàm qui Corfinium veniſſent.* NEQUE ENIM *eos ſolos arbitrabamur capi, qui in armatorum manus incidiſſent, ſed eos nihilo minùs, qui regionibus excluſi, intra præſidia, atque intra arma aliena veniſſent. quòd cùm ita ſit, maximè vellem primùm* [2] *ſemper tecum fuiſſe; quod quidem tibi oſtenderam, cùm à me Capuam rejiciebam: quod feci non vitandi oneris cauſa, ſed quod videbam, teneri illam urbem* ſine exercitu *non poſſe: accidere autem mihi nolebam, quod doleo viris fortiſſimis accidiſſe. quoniam autem, tecum ut eſſem, non contigit: utinam tui conſilii certior factus eſſem. nam ſuſpicione aſſequi non potui; quòd omnia prius arbitratus ſum fore, quam ut hæc Reipub. cauſa in Italia non poſſet duce te conſiſtere. neque verò nunc conſilium tuum reprehendo, ſed* fortunam Reipub. *lugeo: nec, ſi ego, quid tu ſis ſecutus, non perſpicio, idcirco minus exiſtimo, te nihil niſi ſumma ratione, feciſſe. mea quæ ſemper fuerit ſententia, primum de pace vel iniqua conditione retinenda, deinde de urbe; (nam de Italia quidem nihil mihi umquam oſtenderas) meminiſſe te arbitror. ſed mihi non ſumo, ut meum conſilium valere debuerit: ſecutus ſum tuum; neque id Reipub. cauſa de qua deſperavi, quæ & nunc afflicta eſt, nec excitari ſine civili pernicioſiſſimo bello poteſt: ſed te quærebam: tecum eſſe cupiebam: neque ejus rei facultatem, ſi qua erit prætermittam. Ego me in hac omni cauſa facilè intelligebam pugnandi cupidis hominibus non ſatisfacere. primùm enim præ me tuli, me nihil malle, quam pacem; non quin eadem timerem, quæ illi: ſed ea bello civili* leviora *ducebam. inde, ſuſcepto bello, cum pacis conditiones ad te afferri, à teque ad ea honorificè & largè reſpondere viderem; duxi meam rationem; quam tibi facilè me probaturum, pro tuo in me beneficio, arbitrabar. Memineram me eſſe unum, qui pro meis maximis in Rempub.* meritis ſupplicia *miſerrima & crudeliſſima pertuliſſem: me eſſe unum, qui, ſi offendiſſem ejus animum, cui tum cùm jam in armis eſſemus, Conſulatus tamen alter, & triumphus ampliſſimus deferebatur, ſubjicerer eiſdem præliis: ut mea perſona ſemper ad improborum civium impetus aliquid videretur habere populare. atque hæc non ego priùs ſum ſuſpicatus, quàm mihi palam denuntiata ſunt: neque ea tam pertimui, ſi ſubeunda eſſent, quàm declinanda putavi, ſi honeſte vitare poſſem.* [3] *Quam brevem illius temporis, dum in ſpe pax fuit rationem noſtram vides; reliqui facultatem res ademit. Iis autem, quibus non ſatisfacio, facile reſpondeo. neque enim ego amicior C. Cæſari umquam fui, quàm illi: neque illi amiciores Reipub. quam ego. hoc inter me, & illos intereſt; quòd, cum & illi cives optimi ſint, & ego ab iſta laude non abſim, ego* conditionibus, *quod idem te intellexeram velle, illi* armis *diſceptari maluerunt. quæ quoniam ratio vicit; perficiam profectò, ut neque Reſpubl. civis à me animum, neque tu amici deſideres.*

CICERO ATTICO, S. 12

MIHI moleſtior lippitudo erat etiam, quàm ante fuerat. dictare tamen hanc epiſtolam malui, quàm Gallo Fabio, amantiſſimo utriuſque noſtrum, nihil ad te litterarum dare. nam pridie quidem, quoquo modo potueram, ſcripſeram ipſe eas litteras, quarum vaticinationem falſam eſſe cupio. hujus autem epiſtolæ non ſolum ea cauſa eſt, ut ne quis à me dies intermittatur, quin dem ad te litteras; ſed etiam hæc juſtior, ut à te impetrarem, ut ſumeres aliquid temporis; quo quia tibi perexiguo opus eſt, explicari mihi tuum conſilium planè volo, ut penitus intelligam. Omnia ſunt integra nobis. nihil prætermiſſum eſt, quod non habeat ſapientem excuſationem, non modò probabilem. nam certe neque tum peccavi, cùm [4] imperatam jam Capuam, non ſolum ignaviæ *delectus*, ſed etiam perfidiæ ſuſpicionem fugiens, accipere nolui; neque cùm poſt conditiones pacis per L. Cæſarem & [5] Fabatum allatas, cavi, ne animum ejus offenderem, cui Pompejus jam armatus armato Conſulatum triumphumque deferret. Nec verò hæc extrema quiſquam poteſt jure reprehendere, quòd mare non tranſierim. id enim, etſi erat deliberationis, tamen obire non potui. neque enim ſuſpicari debui; præſertim cùm ex ipſius Pompeii litteris; idem quod video te exiſtimaſſe, non dubitarim, quin is Domitio ſubventurus eſſet. & planè, quid rectum, & quid faciendum mihi eſſet, diutiùs cogitare malui. Primùm igitur, hæc qualia tibi eſſe videantur, etſi ſignificata ſunt à te, tamen accuratiùs mihi perſcribas, velim: deinde aliquid etiam in poſterum proſpicias, fingaſque quem me eſſe deceat, & ubi me plurimum prodeſſe Reip. ſentias; ecquæ *pacifica perſona* deſideretur; an in *bellatore* ſint omnia. Atque ego, qui omnia officio metior, recordor tamen tua conſilia; quibus ſi paruiſſem, triſtitiam illorum temporum non ſubiiſſem. memini, quid mihi tum ſuaſeris per Theophanem, per Culeonem: idque ſæpe ingemiſcens ſum recordatus. quare nunc ſaltem ad illos calculos revertamur, quos tum abjecimus; ut non ſolùm glorioſis conſiliis utamur, ſed etiam [6] paullo *ſalubribus*. ſed nihil præſcribo. accuratè velim perſcribas tuam ad me ſententiam. Volo etiam exquiras, quam diligentiſſimè poteris, (habebis autem, per quos poſſis) quid Lentulus noſter, quid Domitius agat, quid acturus ſit, quemadmodum nunc ſe gerant, num quem accuſent, num cui ſuccenſeant. quid dico, num cui? num Pompejo? omnino culpam omnem Pompejus in Domitium confert· quod ipſius litteris cognoſci poteſt: quarum exemplum ad te mitto. Hæc igitur videbis; &, quod ad te ante ſcripſi, Demetrii Magnetis librum, quem ad te miſit de concordia, velim mihi mittas.

[7] CN. MAGNUS PROCOS. M. MARCELLO, L. LENTULO COSS. S. D.

EGO, *quòd exiſtimabam*, diſperſos *nos, neque Reip. utiles, neque nobis præſidio eſſe poſſe, idcirco ad L. Domitium litteras miſi, primum uti ipſe cum omni copia ad nos veniret: ſi de ſe dubitaret, ut cohortes XIX. quæ ex Piceno ad me iter habebant, ad nos mitteret. quod veritus ſum, factum eſt, ut Domitius implicaretur; neque ipſe ſatis firmus eſſet ad caſtra*

1. *His ego.*] Vulg. *His ergo.*

2. *Semper tecum.*] Vulg. *tecum ſemper.*

3. *Quam brevem.*] Boſius ſcripſit *quam brevem*, ut erat in Tornæſ. Cruſell. & Decurt. vulg. *quoniam brevem.*

4. *Imparatam jam Capuam.*] Codex Tornæſ. *imparatam*; quo modo legendum cùm Lamb. tum alii viri docti exiſtimant. ſed cum vulgatam lectionem *imparatam* retineat Decurtatus, eam Boſius ſuo loco movere noluit.

5. *Fabatum.*] Victorio teſte mſſ. ſic habent, licet ipſe receptam lectionem *Fabium*, retineat. *Fabatum* etiam habet Tornæſ. Lambino teſte.

6. *Paulo ſalubribus.*] Sic legit Lambin. ex codice Tornæſ. quod etiam à Malaſp. animadverſum eſſe dicit.

7. *Cn. Magnus Procoſ. M. Marcello.*] Emendat Urſinus *C. Marcello*, eandemque eſſe antiqui denarii inſcriptionem ait, in quo reperitur *C. Marc. L. Lent.* Coss.

1. Ns-

ſtra facienda: quod meas XIX, & ſuas XII. cohorteis tribus in oppidis diſtributas haberet: (nam partim Albæ, partim Sulmone collocavit) [1] *neque ſe, ſi vellet, expedire poſſet. nunc ſcitote, me eſſe in ſumma ſollicitudine. nam & tot & taleis viros periculo obſidionis liberare cupio: neque* ſubſidio *ire poſſum; quod his duabus legionibus non puto eſſe committendum, ut illuc ducantur; ex quibus tamen non amplius XIV. cohorteis contrahere potui:* [2] *quod Brundiſium præſidium miſi: neque Canuſium ſine præſidio, dum abeſſem, putavi eſſe dimittendum. Dellio mandaram, quod majores copias ſperabam nos habituros, ut, ſi vobis videretur, alteruter veſtrum ad me veniret: alter in Siciliam cum ea copia, quam Capuæ, & circum Capuam comparaſtis; & cum iis militibus, quos Fauſtus legit, proficiſceretur; Domitius cum XII. ſuis cohortibus eodem adjungeretur; reliquæ copiæ omnes Brundiſium cogerentur: & inde navibus Dyrrachium tranſportarentur. nunc, cùm hoc tempore nihilo magis ego, quàm vos, ſubſidio Domitio ire poſſim,* [3] *ſe per monteis explicare; non eſt nobis committendum, ut ad has XIV. cohortes, quas ego dubio animo habeo, hoſtis accedere, aut in itinere me conſequi poſſit. Quamobrem placitum eſt mihi,* [4] *ac ita video cenſeri Marcello, & ceteris noſtri ordinis, qui hic ſunt, ut Brundiſium ducerem hanc copiam, quam mecum habeo. Vos hortor, ut quodcumque militum contrahere poteritis, contrahatis, & eodem veniatis quamprimùm. arma, quæ ad me miſſuri eratis, iis, cenſeo, armetis milites, quos vobiſcum habetis. quæ arma ſuperabunt, ea ſi Brundiſium jumentis deportaritis, vehementer Reip. profueritis. de hac re vellem noſtros certiores faciatis. ego ad P. Lupum, & C. Coponium Prætores miſi, ut ſe nobis conjungerent, &, militum quod haberent, ad vos deducerent.*

CN. MAGNUS PROCOS. S. D. L. DOMITIO PROCOS.

MIROR, te ad me nihil ſcribere, & potiùs ab aliis, quàm à te, de Repub. me certiorem fieri. Nos disjecta manu, *pares adverſariis eſſe non poſſumus. contractis noſtris copiis, ſpero nos & Reip. & communi ſaluti prodeſſe. quamobrem cùm conſtituiſſes, ut Vibullius mihi ſcripſerat A. D. ID. Feb. Corfinio proficiſci cum exercitu, & ad me venire; miror, quid cauſæ fuerit, quare conſilium mutaris. nam illa cauſa quam mihi Vibullius ſcribit, levis eſt, te propterea moratum eſſe, quòd audieris,* [5] *Cæſarem Firmo progreſſum in Caſtrum Truentinum veniſſe. QUANTO enim magis appropinquare adverſarius cœpit, eo tibi celeriùs agendum erat, ut te mecum conjungeres prius, quàm Cæſar aut tuum iter impedire, aut me abs te excludere poſſet. Quamobrem* [6] *etiam & etiam te rogo & hortor, id quod non deſtiti ſuperioribus litteris à te petere, ut primo quoque die Luceriam advenires ante quàm copiæ, quas inſtituit Cæſar contrahere, in unum locum coactæ nos à nobis diſtrahant. ſed ſi erunt, qui te impediant, ut illas ſua ſervent, æquum eſt me à te impetrare, ut cohortes, quæ ex Piceno & Camerino venerunt, quæ fortunas ſuas reliquerunt, ad me miſſum facias.*

CN. MAGNUS PROCOS. S. D. L. DOMITIO PROCOS.

LITTERAS abs te M. Calenius ad me attulit A. D. XIIII. KAL. Mart. in quibus litteris ſcribis, tibi in animo eſſe, obſervare Cæſarem; &, ſi ſecundum mare ad me ire cœpiſſet, confeſtim in Samnium ad me venturum; ſin autem ille circum iſtæc loca commoraretur, te ei, ſi propiùs acceſſiſſet, reſiſtere velle. te animo magno & forti iſtam rem agere exiſtimo: ſed diligentiùs nobis eſt videndum, ne diſtracti *pares eſſe adverſario non poſſimus; cùm ille magnas copias habeat, & majores brevi habiturus ſit. NON ENIM pro tua prudentia debes illud ſolum animadvertere, quod in præſentia cohortes contra te habeat Cæſar, ſed quantas brevi tempore equitum & peditum copias contracturus ſit. cui rei teſtimonio ſunt litteræ, quas Buſſenius ad me miſit; in quibus ſcribit, id quod ab illis quoque mihi ſcribitur, præſidia Curionem, quæ in Umbria & Tuſcis erant, contrahere, & ad Cæſarem iter facere. quæ ſi copiæ in unum locum fuerint coactæ, ut* [7] *pars exercitus ad Albam mittatur, pars ad te accedat; ut non pugnet, ſed locis ſuis repugnet, hærebis: neque ſolus cum iſta copia tantam multitudinem ſuſtinere poteris, ut* frumentatum *eas. Quamobrem te magnopere hortor, ut quamprimum* [8] *cum omni copia huc venias. Conſules conſtituerunt idem facere. ego* [9] *Metuſcilio ad te mandata dedi, providendum eſſe, ne duæ legiones ſine Picentinis cohortibus in conſpectum Cæſaris committerentur. Quamobrem nolito commoveri, ſi audieris me regredi, ſi forte Cæſar ad me veniet. cavendum enim puto eſſe, ne implicatus hæream. nam neque* caſtra, *propter anni tempus & militum animos, facere poſſum: neque ex omnibus oppidis contrahere copias expedit; ne receptum amittam. itaque non amplius XIV. cohortes Luceriam coëgi. Conſules præſidia omnia deducturi ſunt. aut in Siciliam ituri. NAM AUT exercitum firmum habere oportet, quo confidamus perrumpere nos poſſe; aut regiones ejuſmodi obtinere, è quibus repugnemus. id quod neutrum nobis hoc tempore contingit: quòd & magnam partem Italiæ Cæſar occupavit; & nos non habemus exercitum tam amplum, neque tam magnum, quàm ille. itaque nobis providendum eſt, ut ſummam Reip. rationem habeamus. Etiam atque etiam te hortor, ut cum omni copia quamprimum ad me venias. poſſumus etiamnunc Remp. erigere, ſi* communi conſilio *negotium adminiſtrabimus: ſin diſtrahemur, infirmi erimus. mihi hoc conſtitutum eſt. His litteris ſcriptis, Sica à te mihi litteras attulit & mandata. Quod me hortare, ut iſtuc veniam: id me facere non arbitror poſſe; quòd non magnopere his legionibus confido.*

CN. MAGNUS PROCOS. S. D. L. DOMITIO PROCOS.

LITTERÆ mihi à te redditæ ſunt A. D. XIII. KAL. Mart. in quibus ſcribis, Cæſarem apud Corfinium caſtra poſuiſſe. quod putavi & præmonui, fit, ut nec in præſentia committere tecum prœlium velit, &, omnibus copiis conductis, te implicet, ne ad me iter expeditum tibi ſit: atque iſtas copias conjungere optimorum civium poſſis cum his legionibus, de quarum voluntate dubitamus: *quo etiam magis tuis litteris ſum commotus. neque enim eorum militum, quos mecum habeo, voluntati ſatis confido, ut de omnibus fortunis Reip. dimicem: neque etiam, qui ex delectibus conſcripti ſunt a Conſulibus, convenerunt. Quare da operam, ſi ulla ratione etiam nunc efficere potes, ut te explices, huc quamprimum venias ante quàm omnes copiæ adverſariùm* conveniant. *neque enim celeriter ex dele-*

1. *Neque ſe ſi vellet.*] Ita legit Lamb. vulgò, *ſe* deeſt.

2. *Quas Brundiſium præſidium miſi.*] Legit Boſ. ut eſt in mſſ. Junius fide mſſ. Pal. *quas Brundiſium præſidio miſi*; vulgati quidam codices, *quod Brundiſium præſidium miſi.*

3. *Se per montis explicare.*] Omnes Boſ. mſſ. ſic habent. Locum hunc non auſus eſt tangere Victorius, ſed antiquam ſcripturam refert quæ hanc confirmat, *ſemper montis explicare.* edidit ille, *ſeu per montes*, &c. Boſianam lectionem jam ante Lamb. expreſſerat, ſed illa verba, *ſe per montis explicare*, collocanda cenſet poſt illa ſuperiora, *neque ſe, ſi vellet expedire*; ut ita legatur; *neque ſe ſi vellet expedire, neque ſe per montis explicare poſſet.* Junius refert duos mſſ. Palat. habere *ſemper montis explicare*, unde conjicit *ſe is per montes explicare.*

4. *Ac ita video cenſeri.*] Manutii conjecturam ex Beſſar. libro, in quo erat, *Altia video cenſeri Marcello*, confirmat Decurt. in quo perſpicuè exaratum eſt, *ac ita video*, &c. Torn. convenit cum Beſſarionis mſ. vulg. *etiam video C. Marc.*

5. *Cæſarem Firmo progreſſum.*] Victor. lib. IV. Variarum lectionum, multis verbis oſtendere conatur legendum eſſe, *firmo progreſſu*, idque ex auctoritate veteris codicis. Lambin. tamen priorem lectionem retinet atque amplectitur, cùm eam reperiat in aliquot libris mſſ. & maximè in Tornæſ. cumque (ut ait) quod caput eſt, ratio, ut ita legatur, poſtulet, Victoriique lectionem refellit ut ineptam.

6. *Etiam & etiam.*] Edidit Boſ. auctore Decurtato, *etiam & etiam*: in vulgata edit. duo poſtrema vocabula deſunt.

7. *Pars exercitus ad Albam.*] Ita ex mſſ. reſtituit Victorius, antea legebatur, *ad Balbum.*

8. *Cum omni copia.*] Et hæc etiam reſtitutio Victorio debetur ex antiquiori ſuo. antea, *cum omnibus copiis.*

9. *Metuſcilio.*] Beſſarionis liber *Metuſtilio.*

1. *Quod*

delectibus huc homines convenire poſſunt: & *, ſi convenirent, quantum iis committendum ſit*[1] *quod inter ſe ne noti quidem ſunt, contra* veteranas *legiones, non te præterit.*

13 CICERO ATTICO, S.

LIPPITUDINIS meæ ſignum tibi ſit librarii manus, & eadem cauſa brevitatis: etſi nunc quidem, quod ſcriberem nihil erat. omnis exſpectatio noſtra erat in nuntiis Brundiſinis. ſi nactus hic eſſet Cnæum noſtrum, ſpes dubia pacis: ſin ille ante [2] tramiſiſſet, exitioſi belli metus. ſed videſne, in *quem hominem* inciderit Reſp.? quàm acutum, quàm vigilantem, quàm paratum? ſi mehercule neminem occiderit, nec cuiquam quidquam ademerit, ab his, qui eum maximè timuerant, maximè diligetur. multùm mecum municipales homines loquuntur, multum ruſticani. NIHIL PRORSUS ALIUD CURANT, NISI AGROS, NISI VILLULAS, NISI NUMMULOS SUOS. & vide, quàm converſa res eſt. illum, quo antea confidebant, metuunt; hunc amant, quem timebant. id quantis noſtris peccatis, vitiiſque evenerit, non poſſum ſine moleſtia cogitare. quæ autem impendere putarem, ſcripſeram ad te; & jam tuas litteras exſpectabam.

14 CICERO ATTICO, S.

NON dubito, quin tibi odioſæ ſint epiſtolæ quotidianæ, cùm præſertim neque nova de re aliqua certiorem te faciam, neque novam denique jam reperiam ſcribendi ullam ſententiam. ſed, ſi dedita opera, cùm cauſa nulla eſſet, tabellarios ad te cum inanibus epiſtolis mitterem; facerem ineptè. euntibus verò, domeſticis præſertim, ut nihil ad te dem litterarum, facere non poſſum: & ſimul (crede mihi) *requieſco* paulum in his miſeriis, cùm quaſi tecum loquor: cùm verò tuas epiſtolas lego, multo etiam magis. omnino intelligo, nullum fuiſſe tempus poſt has fugas & formidines, [3] quod magis debuerit mutum eſſe à litteris: propterea quòd neque Romæ quidquam auditur novi: nec in his locis; quæ à Brundiſio abſunt propiùs, quàm tu, biduum, aut triduum. Brundiſii autem omne certamen vertitur hujus primi temporis. qua quidem exſpectatione torqueor. ſed omnia ante nos ſciemus. eodem enim die video Cæſarem à Corfinio poſt meridiem profectum eſſe, [4] id eſt, Feralibus, quo Canuſio mane Pompejum. eo modo autem ambulat Cæſar, & iis [5] dictis militum celeritatem incitat, ut timeam, ne citiùs ad Brundiſium, quàm opus ſit, acceſſerit. dices, Quid igitur proficis, qui *anticipes* ejus rei moleſtiam, quam triduo ſciturus ſis? nihil equidem. ſed, ut ſupra dixi, tecum perlibenter loquor: & ſimul ſcito, labare meum conſilium, illud, quod ſatis jam fixum videbatur, non mihi ſatis idonei ſunt auctores ii, qui à te probantur. quod enim umquam eorum in Rep. *forte factum* exſtitit? aut quis ab his ullam rem laude dignam deſiderat? nec mehercule laudandos exiſtimo, qui trans mare belli parandi cauſa profecti ſunt: (quamquam hæc ferenda non erant) video enim, quantum id bellum, & quam peſtiferum futurum ſit. ſed me movet *unus vir*; cujus fugientis comes, Remp. recuperantis ſocius videor eſſe debere. Totieſne igitur ſententiam mutas? *ego tecum, tamquam mecum loquor.* quis autem eſt, tanta quidem de re, quin variè ſecum ipſe diſputet? ſimul & elicere cupio ſententiam tuam; ſi manet, ut firmior ſim; ſi mutata eſt, ut tibi aſſentiar. omnino ad id, de quo dubito, pertinet, me ſcire, quid Domitius acturus ſit, quid noſter Lentulus. de Domitio varia audimus, [6] modò eſſe in Tiburti, haud lepidè: quod cùm lepidius acceſſiſſe ad urbem: quod item falſum video eſſe. [7] ait enim Lepidus, [8] eum neſcio quò penetraſſe itineribus; *occultandi ſui cauſa,* [9] an maris apiſcendi, ne id quidem ſcit. ignorat enim de filio. addit illud, ſanè moleſtum; pecuniam Domitio ſatis grandem, quam is [10] Corfinii habuerit, non eſſe redditam. de Lentulo autem nihil audimus. hæc velim exquiras, ad meque perſcribas.

CICERO ATTICO, S. 15

A. D. V. Non Mart. epiſtolas mihi tuas Ægypta reddidit, unam veterem IV. KAL. quam te ſcribis dediſſe Pinario, quem non vidimus; in qua exſpectas, quidnam præmiſſus agat Vibullius; qui omnino non eſt viſus à Cæſare: (in altera epiſtola, video, te ſcire ita eſſe) &, quemadmodum redeuntem excipiam Cæſarem; quem omnino vitare cogito: [11] &, have, Athenionis fugam intendis, commutationemque vitæ tuæ; quod tibi puto eſſe faciendum: &, ignoras, Domitius cum faſcibuſne ſit; quod, cum ſcies, facies, ut ſciamus. Habes ad primam epiſtolam. ſecutæ ſunt duæ, pridie KAL. ambæ datæ, quæ me convellerunt de priſtino ſtatu, jam tamen, ut ante ad te ſcripſi, labantem. Nec me movet, quod ſcribis, [12] JOVI IPSI INIQUUM. nam periculum in utriuſque iracundia poſitum eſt: victoria autem ita incerta, ut deterior cauſa *paratior* mihi eſſe videatur: nec me Conſules movent, qui ipſi pluma aut folio facilius moventur. *officii* me deliberatio cruciat, cruciavitque adhuc. cautior certè eſt manſio: honeſtior exiſtimatur trajectio. malo interdum, multi me non cautè, quam pauci me honeſtè, feciſſe exiſtiment. De Lepido & Tullo quod quæris, illi verò non dubitant, quin Cæſari præſto futuri, in Senatumque venturi ſint. Recentiſſima tua eſt epiſtola KAL. data; in quo optas congreſſum, pacemque non deſperas. ſed ego, cùm hæc ſcribebam, nec illos

1. *Quod inter ſe noti quidem ſunt.*] Malit legi Manutius, *qui inter ſe nec noti ſunt*, aut, *qui inter ſe noti quidem ſunt*, quod magis placet; ita enim ſcriptum eſt in antiquo libro Pantagathi.

2. *Tramiſiſſet.*] Vulg. *tranſmiſiſſet.*

3. *Quod magis debuerit mutum eſſe à litteris.*] Eſt iſta emendatio Victorii, partim conjectura ducti, partim etiam antiquo mſſ. adjuti. prius legebatur, *quod magis deſuerit, multum eſſe, &c.*

4. *Id eſt Feralibus.*] Hæc verba, *id eſt Feralibus*, leguntur in omnibus Boſii mſſ. ea tamen abſunt à vulgatis codd.

5. *Dictis militum celeritatem.*] Hæc eſt lectio mſſ. Boſii, qui tamen videndum dicit an Cicero δικροῖς ſcripſerit, ut quemadmodum idem ſcriptor alio loco dixit, *furcilla extrudere*, Horatius *furca expellere*, & Ariſtophanes δικροῖς ὠθεῖν; ſic etiam δικροῖς *incitare*, hoc loco dixerit. Beſſarionis liber, & alii duo veteres, *dictis*; ſed frigide nimis ut Manutio videtur; qui legit, *diariis*, ex reſtitutione Victorii qui vocem, *dictis*, quæ tunc in vulgatis erat editionibus, rejecit.

6. *Modo eſſe in Tiburti.*] Nihil diſcrepant ab excuſis Tornæſ. & Cruſell. Decurt. ſic refert, *modo eſſe in Tiburti haut lepidè, quod cum Lepidus, ad urbem acceſſiſſe.* unde emendavit *Boſius*, *modò eſſe in Tiburti haud lepide; quod cum lepidius, ad urbem acceſſiſſe.* Lamb. vulgatam lectionem ſequitur quæ ita ſe habet, *modo eſſe in Tiburti aut lepidi, quo cum Lepidus acceſſiſſet ad urbem.* Junius ex mſſ. Pal. veſtigiis & conjectura ſic emendavit, *modo eſſe in Tiburtino Lepidi, modò cum Lepidis acceſſiſſe ad urbem.*

7. *Ait enim Lepidus*] Junius (ut ait) longè optime reſtituit ex mſſ. Pal. *ſed ait Lepidus.*

8. *Eum neſcio quo penetraſſe itineribus.*] Longolii mſ. quo uſus eſt Urſinus, *itineris.* Lambin. putat deſiderari epithetum quod cohæreat cum voce *itineribus*, forte, *occultis*, ſeu *deviis.*

9. *An maris apiſcendi.*] Victorii hæc eſt ex antiquiore ſuo reſtitutio, prius *adipiſcendi.*

10. *Corfinii.*] Ita legendum videtur Manutio. vulg. *Coreni.*

11. *Et, have Athenionis fugam intendis.*] Boſii hoc eſt conjicientis ex depravata Decurtati & Cruſell. ſcriptura, quorum prior, *habe Athemonis fugam intendis*; alter verò, *haut Anthemonis fugam tendis.* Urſini liber, *& ad Hemonis fugam intendis.* Pius, pro *Hemonis*, *fugam*, *Anthedonis Phycon legit.* Lambinus licet hunc locum ferè deſperatum afferat, tamen ne ibi taceat, ubi alii verboſi fuerunt, hanc affert conjecturam, *artemonis funem tendis*, vel etiam ἀρτέμονος φύσαν *tendis*: hanc quoque refert Boſii conjecturam, *Ave Athenio, ſi fugam intendis.* Junius ex multorum mſſ. Palat. comparatione, *& an tu Hæmonii fugam intendas.*

12. *Jovi ipſi iniquum.*] Victorius ex antiqui ſui depravata ſcriptura, *Jovi ipſinicum*, reſtituit *Jovi ipſi iniquum.* Junius etiam teſtatur mſſ. Palat. habere, *ipſinicum*, unde repoſuit *ipſullicum*, quem vide.

1. *Acceſ-*

illos congreſſuros, nec, ſi congreſſi eſſent, Pompejum ad ullam conditionem [1] acceſſurum putabam. Quod videris non dubitare, ſi Conſules tranſeant, quid nos facere oporteat; certè tranſeunt: vel, quo modo nunc eſt, tranſierunt. ſed memento, præter Appium, neminem eſſe ferè, qui non jus habeat tranſeundi. nam aut cum imperio ſunt, ut Pompejus, ut Scipio, [2] Setenas, Fannius, [3] Voconius, Seſtius, ipſi Conſules; quibus *more majorum* conceſſum eſt vel omnes adire provincias: aut legati ſunt eorum. ſed [4] nihil diſſero. quid placeat tibi, & quid propemodum rectum ſit, intelligo. Plura ſcriberem, ſi ipſe poſſem. ſed, ut mihi videor, potero biduo. Balbi Cornelii litterarum exemplum, quas eodem die accepi, quo tuas, miſi ad te, ut meam vicem doleres, cùm me derideri videres.

BALBUS CICERONI IMP. S.

OBSECRO te Cicero, ſuſcipe curam & cogitationem digniſſimam tuæ virtutis, ut Cæſarem & Pompejum, perfidia hominum *diſtractos, rurſus in priſtinam concordiam reducas. crede mihi, Cæſarem non ſolùm [5] fore in tua poteſtate, ſed etiam maximum beneficium te ſibi dediſſe judicaturum, ſi huc te rejicis. velim, idem Pompejus faciat: qui ut adduci tali tempore ad ullam conditionem poſſit, magis opto, quam ſpero. ſed, cùm conſtiterit, & timere deſierit, tum incipiam non deſperare tuam auctoritatem plurimum [6] valituram. Quòd Lentulum COS. meum voluiſti hic remanere, Cæſari gratum, mihi verò gratiſſimum medius fidius feciſti. nam illum tanti facio, qui non Cæſarem magis diligam: qui ſi paſſus eſſet, nos ſecum, ut conſueveramus, loqui; & non ſe totum etiam & etiam ab ſermone noſtro avertiſſet, minus miſer, quàm ſum, eſſem. nam cave putes, hoc tempore plus me quemquam cruciari, quòd eum, quem* ante me diligo, *video in Conſulatu quidvis potiùs eſſe, quàm Conſulem. quod ſi voluerit tibi obtemperare, & nobis de Cæſare credere, & Conſulatum reliquum Romæ peragere, incipiam ſperare, etiam, conſilio Senatus, auctore te, illo relatore, Pompejum & Cæſarem conjungi poſſe. quod ſi factum erit, me* ſatis vixiſſe *putabo. Factum Cæſaris de Corfinio [7] totum me probaturum ſcito. [8] quo modo in hujuſmodi re, commodiùs cadere non potuit, quàm ut res [9]* ſine ſanguine *confieret. Balbi mei tuique adventu delectatum te, valde gaudeo. is quæcumque tibi de Cæſare dixit, quæque Cæſar ſcripſit, [10] ſcio re tibi probabit, quæcumque fortuna ejus fuerit, [11] veriſſimè ſcripſiſſe.*

CICERO ATTICO, S. 16

OMNIA mihi proviſa ſunt, [12] præter occultum, & tutum iter ad mare ſuperum. hoc enim mari uti non poſſumus hoc tempore anni. illuc autem, quò ſpectat animus, & quò res vocat, qua veniam? cedendum enim eſt celeriter; ne fortè qua re impediar, atque alliger. nec verò ille me ducit, qui videtur: quem ego hominem ἀπολιτικώτατον omnium jam ante cognoram; nunc verò etiam ἀστρατηγικώτατον. non me igitur is ducit, ſed *ſermo hominum*, qui ad me à Philotimo ſcribitur. is enim me ab optimatibus ait conſcindi. quibus optimatibus, dii boni? qui nunc quo modo occurrunt, quo modo autem ſe venditant Cæſari? [13] municipia verò Deum: nec ſimulant, ut cum de illo ægroto vota faciebant. ſed planè, quidquid mali hic Piſiſtratus non fecerit, tam gratum eſt, quam ſi alium facere prohibuerit. hunc propitium ſperant; illum iratum putant. quos fieri cenſes ἀπαντήσεις ex oppidis? quos honores? metuunt, inquies: credo; ſed mehercule illum magis. hujus *inſidioſa clementia* delectantur: illius iracundiam formidant [14] judices DCCCL. qui præcipuè Cnæo noſtro delectabantur, ex quibus quotidie aliquem video, neſcio quas ejus Lucerias horrent. itaque quæro, qui ſint iſti optimates, [15] qui me exturbent, cum ipſi domi maneant. ſed tamen, quicumque ſunt, αἰδέομαι Τρῶας. etſi, qua ſpe proficiſcar, video; conjungoque me cum homine magis ad vaſtandum Italiam, quàm ad vincendum parato: [16] demum quem exſpecto. & quidem, cùm hæc ſcribebam IV. Nonas jam exſpectabam aliquid à Brundiſio. quid autem aliquid? quàm inde turpiter fugiſſet, & victor hic quà ſe referret, & quò. quod ubi audiſſem; ſi ille Appia veniret, ego Arpinum cogitabam.

M. TUL-

1. *Acceſſurum.*] Lambino videtur fortaſſe legendum *deſcenſurum.*

2. *Setenas.*] Beſſarionis liber *Seteonas*, ſed Manut. hunc ignorat. *Suſenas* legit Urſinus ex argenteo denario, in quo, *Sextus Nonius Suſenas*, deſcriptus eſt: neque aliter Pighius libro XVII. Annalium Romanorum.

3. *Voconius.*] Quid ſi *Coponius?* qui prætor Pompejum ſequutus eſt ait Manutius.

4. *Nihil diſſero.*] Boſii mſſ. partim *deſero*, partim *diſero.* probavit Faërni & Manutii lectionem. Victorius repoſuit *deſidero*; *deſero* ex duobus mſſ. Palat. retinet Junius, hancque ait eſſe germanam Ciceronis ἐπιδιόρθωσιν.

5. *Fore in tua poteſtate.*] Vulg. *in tua poteſtate fore.*

6. *Apud eum valituram.*] Ita legit Malaſp. quam lectionem in omnibus ſuis invenit Boſius: duo priora vocabula deſunt in vulgatis.

7. *Totum me probaturum.*] *Te probaturum*, Vetus Urſini liber.

8. *Quomodo.*] Vulg. *& quomodo.*

9. *Sine ſanguine confieret.*] Ita Victorius ex antiquo ſuo. prius *ſine ſanguine conficeretur.*

10. *Scio re tibi probabit.*] Beſſarionis liber, *ſciet tibi probabit.* Manutius emendat, *ſcio, & tibi probabit.*

11. *Veriſſimè ſcripſiſſe.*] Ita conjecit Manutius è Beſſarionis antiquo in quo legitur *veliſſumme*, ut in antiquo libro ſcriptum primò exiſtimet, *veriſſumè.* ad veteris orthographiæ rationem: unde imperitis librariis occaſio mendi.

12. *Præter occultum, & tutum iter ad mare ſuperum.*] Manutius legendum ſuſpicatur *præter occultum, & tutum iter, &c.* Boſius verò auctoribus Scidis & Cruſellino, ita reponendum affirmat. Sic etiam legit Lambinus & ante ipſum Corradus conjectura ductus: vulg. *præter occultum metum. Iter ad mare, &c.*

13. *Mancipia verò Deum.*] Sic reſtituit Victorius, cum legeretur *adeunt.* Fulvianus, *ad eum.*

14. *Judices DCCCL.*] Junius refert mſſ. Palat. habere CCCL. ex quibus conjicit legendum CCCLX.

15. *Qui me exturbent, cùm ipſi domi maneant.*] Victorius, *qui me exturbent Cumis*, caſtigavit, ſed non placet Lambino, qui vulgatam ſcripturam retinet.

16. *Demum quem exſpecto.*] Decurtatus planè refert Boſii conjecturam, *demum quem exſpecto.* quidam legunt *Domitium*; vulg. *Domum quem expecto.*

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM LIBER NONUS, AD ATTICUM.

CICERO ATTICO, S.

1 Etsi, cùm tu has litteras legeres, putabam fore, ut ſcirem jam, quid Brundiſii actum eſſet; (nam [1] Canuſio VIII Kal. profectus erat Cnæus; hæc autem ſcribebam pridie Nonas [2] XIV. die poſtquam ille Canuſio moverat) tamen angebar ſingularum horarum exſpectatione: mirabarque, nihil allatum eſſe ne rumoris quidem. nam erat mirum ſilentium. ſed hæc fortaſſe [3] κενόσπουδα ſunt: quæ tamen jam ſciantur, neceſſe eſt. illud moleſtum, me adhuc inveſtigare non poſſe, [4] ubi P. Lentulus noſter ſit, ubi Domitius. quæro autem, quò faciliùs ſcire poſſim, quid acturi ſint; [5] iturine ad Pompejum; &, ſi ſunt, qua quandove ituri ſunt. urbem quidem jam refertam eſſe optimatium audio; Soſium, & Lupum, quos Cnæus noſter ante putabat Brundiſium venturos eſſe, quàm ſe, jus dicere. hic verò vulgo vadunt. etiam M. Lepidus, quocum diem conterere ſolebam, cras cogitabat. nos autem in Formiano morabamur, quo citiùs audiremus: deinde Arpinum volebamus. inde, iter qua maximè ἀναπάντητον eſſet, ad mare ſuperum, remotis, ſive omnino miſſis lictoribus. audio enim, bonis viris, qui & nunc, & ſæpe antea magno præſidio Reip. [6] fuerunt, hanc cunctationem noſtram non probari, multaque in me, [7] & ſeverè *in conviviis tempeſtivis* quidem diſputari. cedamus igitur; &, ut boni cives ſimus, bellum Italiæ terra, marique inferamus; & odia improborum rurſus in nos, quæ jam exſtincta erant, incendamus, & Lucceji conſilia, ac Theophani perſequamur. nam Scipio vel in Syriam proficiſcitur, ſorte; vel cum genero, honeſtè; vel Cæſarem fugit, iratum. Marcelli quidem, niſi gladium Cæſaris timuiſſent, manerent. Appius & eodem timore, & inimicitiarum *recentium*: & tamen, præter hunc, & C. Caſſium, reliqui legati; [8] Fauſtus Proquæſtor: ego unus, cui utrumvis liceret: frater [9] accederet; quem ſocium hujus fortunæ eſſe, non erat æquum: cui magis etiam Cæſar [10] iraſceretur. ſed impetrare non poſſum, ut maneat. dabimus hoc Pompejo, quod debemus. nam me quidem alius nemo movet; non ſermo bonorum, qui nulli ſunt; non cauſa, quæ acta timidè eſt, agetur improbè. [11] *uni, uni* hoc damus, ne id quidem roganti, nec ſuam cauſam (ut ait) agenti, ſed publicam. Tu quid cogites de tranſeundo in Epirum, ſcire ſanè velim.

CICERO ATTICO, S. 2

Etsi Nonis Mart. die tuo, ut opinor, exſpectabam epiſtolam à te longiorem; tamen ad eam ipſam brevem, quam [12] III. Nonas ὑπὸ τὴν διάληψιν dediſti, reſcribendum putavi. Gaudere ais te, manſiſſe me; & ſcribis, in ſententia te manere, mihi autem ſuperioribus litteris videbare non dubitare, quin cederem, ita, ſi & Cnæus bene comitatus conſcendiſſet, & Conſules tranſiſſent. utrum, hoc tu parum commeminiſti, an ego non ſatis intellexi, an mutaſti ſententiam? ſed aut ex epiſtola, quam exſpecto, perſpiciam, quid ſentias; aut alias abs te litteras eliciam. Brundiſio nihildum erat allatum. ô rem difficilem, planeque perditam! quàm nihil prætermittis in conſilio dando! quàm nihil tamen, [13] quod tibi placeat, explicas! non eſſe me una cùm Pompejo, gaudes: ac proponis, quàm ſit turpe, me adeſſe, cùm qui de illo detrahatur, [14] nec fas eſſe approbare. Certè. contra igitur? [15] dii, inquis, averruncent. quid ergo fiet, ſi in *altero ſcelus* eſt, in altero *ſupplicium*? impetrabis, inquis, à Cæſare, ut tibi abeſſe liceat, & eſſe otioſo. ſupplicandum igitur? miſerum. quid, ſi non impetraro? & de triumpho erit, inquis, integrum. quid, ſi hoc ipſo premar? accipiam? quid fœdius? negem? repudiari ſe totum, magis etiam, quam olim in XX viratu, putabit. ac ſolet, cùm ſe purgat, in me *conferre* omnem illorum temporum culpam: ita me ſibi fuiſſe inimicum, ut ne honorem quidem à ſe accipere vellem. quanto nunc hoc idem accipiet aſperius? tanto ſcilicet, quanto & honor hic illo eſt amplior, & ipſe robuſtior. Nam quòd negas te dubitare, quin magna in offenſa ſim apud Pompejum hoc tempore, non video cauſam, cur ita ſit, [16] hoc quidem tempore. qui enim amiſſo Corfinio denique certiorem me ſui conſilii fecit, is queretur Brundiſium me non veniſſe, cùm inter me, & Brundiſium Cæſar eſſet? deinde, etiam ſcit ἀπαρρησίαστον eſſe in ea cauſa querelam ſuam. me putat de municipiorum imbecillitate, de delectibus, de pace, de urbe, de pecunia, de Piceno occupando plus vidiſſe, quàm ſe. ſin, cùm potuero, non

1. *Canuſio IIX. Kal.*] Videtur legendum Urſino, *XI. Kalend.*

2. *XIV. die.*] Urſinus *XVI*; Manutius *XIII.* reponendum cenſent: ſed Boſius tribunus intercedit, & vim fieri vetat antiquæ lectioni.

3. *Κενόσπουδα ſunt.*] Καινόσπουδα ex Palatin. duobus legit Junius.

4. *Ubi P. Lentulus.*] Prænomen P. deeſt in vulg.

5. *Ituri ſunt.*] Alii, *ituri ſint.*

6. *Fuerunt.*] Vulg. *fuerint.*

7. *Et ſeverè in conviviis tempeſtivis.*] Amicus Urſini putat legendum, *& ſeverè, & in conviviis tempeſtivis diſputari, &c.* Junius verò, *& ſeverè in conviviis tempeſtivius quidem.*

8. *Fauſtus proquæſtor: ego unus.*] Hæc eſt lectio antiquioris Victoriani: Junius tamen retinet lectionem vulgatam, *fauſtus prope ego unus, cui, &c.* & hanc ait eſſe juſtam mſſ. Pal. ſcripturam. Manutius ex Beſſarionis libro qui etiam habet, *prope*, conjicit legendum, *Proprætor*, etiamſi, *proquæſtor*, retinere malit.

9. *Accederet.*] Vulg. *acceſſerit.* Manutius malit *accedet*, cum in antiquis libris, *accedent* ſcriptum ſit.

10. *Iraſceretur.*] Vulg. *iraſcetur.*

11. *Uni, uni hoc damus.*] Alterum *uni* abeſt à vulg.

12. *III. Nonas* ὑπὸ τὴν διάληψιν.] Hæc eſt Victorii emendatio, prius legebatur *III. Nonas Mart.* ὑπὸ τὴν δείλην. reliquæ editiones, illud quidem δείλην in διάληψιν mutant, ſed nomen *Martias* retinent.

13. *Quod tibi placeat.*] Vulg. *quod tibi ipſi placeat.*

14. *Nec fas eſſe.*] Vulg. *nefas eſſe.*

15. *Dii, inquis, averruncent.*] Junius reponit, *dii, inquis abnuerint*, pro eo quod eſt in mſſ. Palat. *annuerunt*, aut ſi ita placet, *annuerint.*

16. *Hoc tempore.*] Hæc duo vocabula delet Faërnus.

1. Ἀσ-

non venero; tum erit inimicus: quod ego non eò vereor, ne mihi noceat: (quid enim faciet?

Τίς ἐστι δοῦλος, τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν;)

ſed quia *ingrati* animi crimen horreo. confido igitur adventum noſtrum illi, quoquo tempore fuerit, ut ſcribis, [1] ἀσμενιστὸν fore. Nam quod ais, ſi hic temperantiùs egerit, conſideratius conſilium te daturum; quî hic poteſt ſe gerere non *perditè?* vita, mores, ante facta, ratio ſuſcepti negotii, ſocii, vires bonorum, aut etiam conſtantia. Vix dum epiſtolam tuam legeram, cum ad me, currens ad illum, Poſtumus Curtius venit, nihil niſi claſſeis loquens & exercitus: eripiebat Hiſpanias: tenebat Aſiam, Siciliam, Africam, Sardiniam: confeſtim in Græciam perſequebatur. eundum igitur eſt, nec tam ut belli, quàm ut *fugæ ſocii* ſimus. nec enim ferre potero ſermones iſtorum quicumque ſunt. non ſunt enim certè, ut appellantur, *boni*. ſed tamen id ipſum ſcire cupio, quid loquantur; idque ut exquiras, meque certiorem facias, te vehementer rogo. Nos adhuc, quid Brundiſii actum eſſet, planè neſciebamus. cùm ſciemus, tum ex re, & ex tempore conſilium capiemus; ſed utemur tuo.

CICERO ATTICO, S.

3 DOMITII filius tranſiit Formias VIII. ID. currens ad matrem Neapolim, mihique nuntiari juſſit, patrem ad urbem eſſe; cum de eo curioſè quæſiſſet ſervus noſter Dionyſius. nos autem audieramus eum profectum ſive ad Pompejum, ſive in Hiſpaniam. id cujuſmodi ſit, ſcire ſanè velim. nam ad id, quod delibero, pertinet, ſi ille certè nuſquam diſceſſit, intelligere Cnæum, non eſſe facileis nobis ex Italia exitus, cùm ea tota armis, præſidiiſque teneatur, hieme præſertim. nam, ſi commodius *anni tempus* eſſet, vel infero mari liceret uti. nunc nihil poteſt, niſi ſupero [2] tramitti; quò iter interclusum eſt. quæres igitur & de Domitio, & de Lentulo. A Brundiſio nulla adhuc fama venerat: & erat hic dies VII. ID. quo die, ſuſpicabamur, aut pridie Brundiſium veniſſe Cæſarem. nam KAL. Arpis manſerat. ſed ſi Poſtumum audire velles, perſecuturus erat Cnæum. tranſiſſe enim jam putabat, conjectura tempeſtatum ac dierum. ego nautas eum non putabam habiturum: ille confidebat, & eo magis, quòd audita naviculariis hominis *liberalitas* eſſet. ſed tota res Brundiſina jam quo modo habeat ſe, diutiùs neſcire non poſſum.

CICERO ATTICO, S.

4 [3] EGo etſi tamdiu requieſco, quamdiu aut ad te ſcribo, aut tuas litteras lego: tamen & ipſe egeo argumento epiſtolarum, & tibi idem accidere certo ſcio. quæ enim ſoluto animo familiariter ſcribi [4] ſolent, temporibus his excluduntur. quæ autem ſunt horum temporum, ea jam contrivimus. ſed tamen, ne me totum ægritudini dedam, ſumſi mihi quaſdam tanquam θέσεις, quæ & politicæ ſunt, & temporum horum; ut & *abducam animum* ab querelis, & in eo ipſo, de quo agitur, exercear. eæ ſunt hujuſmodi. Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ. Τυραννουμένης δ' αὐτῆς, εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν [5] πραγματευτέον, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύσειν. Εἰ εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα, [6] μὴ αὐτὸς αἴρηται. Εἰ πειρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι [7] τυραννουμένῃ καιρῷ καὶ λόγῳ μᾶλλον, ἢ πολέμῳ. Εἰ πολιτικὸν τὸ ἡσυχάζειν, ἀναχωρήσαντά ποι, τῆς πατρίδος τυραννουμένης. Εἰ διὰ παντὸς ἰτέον κινδύνου τῆς ἐλευθερίας πέρι. Εἰ πόλεμον ἐπακτέον τῇ χώρᾳ, καὶ πολιορκητέον [8] ταύτην τυραννουμένην. Εἰ καὶ μὴ δοκιμάζοντα τὴν διὰ πολέμου κατάλυσιν τῆς τυραννίδος, συναπογραπτέον ὅμως τοῖς ἀρίστοις. Εἰ τοῖς εὐεργέταις, καὶ φίλοις συγκινδυνευτέον ἐν τοῖς πολιτικοῖς, κἂν μὴ δοκῶσιν εὖ βεβουλεῦσθαι περὶ τῶν ὅλων. Εἰ ὁ μεγάλα τὴν πατρίδα εὐεργετήσας, δι' αὐτό τε τοῦτο ἀνήκεστα παθὼν, καὶ φθονηθεὶς, κινδυνεύσειεν ἂν ἐθελοντὴς ὑπὲρ τῆς πατρίδος. Εἰ ἐφετέον αὐτῷ ἑαυτοῦ ποτε, καὶ τῶν οἰκειοτάτων ποιεῖσθαι πρόνοιαν ἀφεμένῳ τὰς πρὸς τοὺς ἰσχύοντας διαπολιτείας.

in his ego me conſultationibus exercens, & diſſerens in utramque partem tum Græcè, tum Latinè, & abduco parumper animum à moleſtiis, & τῶν προὔργου τι delibero. Sed vereor, ne tibi ἄκαιρος ſim. ſi enim rectè [9] ambulaverit is, qui hanc epiſtolam tulit, in ipſum tuum diem incidit.

CICERO ATTICO, S.

5 NATALI die tuo ſcripſiſti epiſtolam ad me plenam conſilii, ſummæque cùm benevolentiæ, tum etiam prudentiæ: eam mihi Philotimus poſtridie, quàm à te acceperat, reddidit. Sunt iſta quidem, quæ diſputas difficillima, iter ad ſuperum, navigatio infero, diſceſſus Arpinum, ne hunc fugiſſe; manſio Formiis, ne obtuliſſe nos *gratulationi* videamur: ſed miſerius nihil, quàm ea videre, quæ tamen, jam, jam, inquam, videnda erunt. Fuit apud me Poſtumus: ſcripſi ad te, quam gravis. venit ad me etiam Q. [10] Fufius? quo vultu! quo ſpiritu! properans Brundiſium, ſcelus accuſans Pompeji, levitatem & ſtultitiam Senatus. hæc qui in mea villa non feram, [11] Curtium *in Curia* potero ferre? Age, finge me quamvis δυσμάχως hæc ferentem: quid illa, DIC M. TULLI, quem habebunt exitum? [12] Et omitto cauſam Reip. quam ego amiſſam puto cùm vulneribus ſuis, tum medicamentis iis, quæ parantur. de Pompejo quid agam? cui plane [13] (quid enim hoc negem?) ſuccenſui. SEMPER ENIM cauſæ eventorum magis movent, quam ipſa eventa. hæc igitur mala, (quibus, majora eſſe quæ poſſunt?) conſiderans, vel potius judicans ejus opera accidiſſe & culpa, inimicior eram huic, quàm ipſi Cæſari. ut majores noſtri funeſtiorem diem eſſe voluerunt Alienſis pugnæ, quàm urbis captæ; quòd hoc malum ex illo; itaque alter religioſus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus: ſic ego, decem annorum *peccata* recordans, in quibus inerat ille etiam annus, qui nos [14] hoc non defendente, ne dicam gravius, afflixerat; præſentiſque temporis cognoſcens temeritatem, ignaviam, negligentiam, ſuccenſebam. ſed ea jam mihi exciderunt. beneficia ejuſdem cogito; cogito etiam dignitatem. intelligo, ſeriùs equidem, quàm vel-

1. Ἀσμενιστὸν.] Ita Victorius correxit: vulg. ἀσμενέστερον.

2. *Tramitti.*] Vulg. *tranſmitti.*

3. *Ego etſi tamdiu.*] Hæc epiſtola vulgata editione appingitur ſuperiori, & eſt pars tertiæ epiſtolæ.

4. *Solent, temporibus his.*] Vulg. *ſolent, ea temporibus.*

5. Πραγματευτέον.] Ita repoſuit Boſius ex veteribus ſuis. editio Victoriana κατάλυσιν πειρατέον.

6. Μὴ αὐτὸς αἴρηται.] Hoc quoque Boſius, partim ex conjectura, partim manuductione corruptæ ſuorum mſſ. lectionis. vulgata lectio ἔρηται: quidam τι πάθῃς, quidam ἀρέσῃ. Victorius ex ſuis αἴρηται quod plurimi receperunt.

7. Τυραννουμένῃ καιρῷ καὶ λόγῳ μᾶλλον.] Lambinus & Boſius ſic repoſuerunt ex ſuis mſſ. ad quam emendationem proximè accedit hæc Errici Stephani conjectura, τυραννουμένῃ καιρίῳ λόγῳ μᾶλλον, &c. vulgo τῇ εἰρήνῃ μᾶλλον ἢ, &c. quæ eſt conjectura Petri Victorii quum prius haberetur, τυραννουμένῃ μᾶλλον.

8. Ταύτην.] Vulg. αὐτήν.

9. *Ambulaverit is.*] Vulg. *ambularit.*

10. *Fufius.*] Vulgò *Fuſius.*

11. *Curtium in Curia.*] Ita emendarunt Lambinus, & Urſinus, qui tamen ait defendi poſſe, *quî tum in Curia.*

12. *Et omitto.*] Mavult Manutius, *ſed omitto.*

13. *Quid enim hoc negem?) ſuſcenſui.*] Vulg. *quid enim negem?) ſuccenſui.*

14. *Hoc non defendente.*] Ab impreſſis abeſt negatio, quam ex conjectura repoſuit Victorius. Ant. Auguſtinus & Malaſpina legunt, *hoc nos deſerente*, quam lectionem valde probat Junius.

vellem, propter epiſtolas ſermoneſque Balbi; ſed video plane, nihil aliud agi; nihil actum ab initio, quàm ut hunc *occideret*. ego igitur [1] ſi quis apud Homerum, cùm [2] ei & mater & dea dixiſſet,

Αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα μεθ' Ἕκτορα πότμος ἑτοῖμος,

matri ipſe reſpondit,

Αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ

Κτεινομένῳ ἐπαμῦναι: quid, ſi non *ἑταίρῳ* ſolùm, ſed etiam *εὐεργέτῃ*? adde, tali viro, talem cauſam agenti: [3] & ego verò hæc officia mercanda *vita* puto. optimatibus verò tuis nihil confido, nihil jam ne inſervio quidem. video, ut ſe huic dent, ut daturi ſint. quidquam tu illa putas fuiſſe de valitudine decreta municipiorum præ his de victoria gratulationibus? timent, inquies. at ipſi tum ſe timuiſſe dicunt. ſed videamus, quid actum ſit Brundiſii. [4] ex eo fortaſſe mea conſilia naſcentur, aliæque litteræ.

6 CICERO ATTICO S.

[5] NOs adhuc Brundiſio nihil. Roma ſcripſit Balbus, putare jam Lentulum cos. [6] tranſmiſiſſe, nec eum à minore Balbo conventum; quòd is hoc jam Canuſii audiſſet: inde ad ſe eum ſcripſiſſe: cohorteſque ſex, quæ Albæ fuiſſent, [7] ad Curium via Minucia tranſiſſe: id Cæſarem ad ſe ſcripſiſſe, & brevi tempore eum ad urbem futurum. [8] ego utar tuo conſilio; neque me [9] Arpinum hoc tempore abdam: etſi, Ciceroni meo togam puram cùm dare Arpini vellem, hanc eram ipſam *excuſationem* relicturus ad Cæſarem. ſed fortaſſe in eo ipſo offendetur, cur non Romæ potiùs. ſed tamen, ſi eſt conveniendus, hìc potiſſimum. tum reliqua videbimus, id eſt & quo, & quà, & quando. Domitius, ut audio, [10] in Coſſano, & quidem, ut ajunt, paratus ad navigandum: ſi in Hiſpaniam, non probo: ſi ad Cnæum, laudo: quovis potius certè, [11] quàm ut Curtium videat; quem ego patronus aſpicere non poſſum. quid alios? ſed, opinor, quieſcamus; ne noſtram culpam coarguamus; qui, dum urbem, id eſt patriam, amamus, dumque rem conventuram putamus, ita nos geſſimus, ut plane intercluſi captique ſimus. Scripta jam epiſtola, Capua litteræ ſunt allatæ hoc exemplo. Pompejus mare tranſiit cum omnibus militibus, quos ſecum habuit. hic numerus eſt hominum millia XXX. & [12] Conſules duo, & Tribuni pl. & Senatores, qui fuerunt cum eo, omnes cum uxoribus & liberis. Conſcendiſſe dicitur A. D. IV. Nonas Mart. ex ea die fuere Septemtriones venti. naves, quibus uſus non eſt, omneis aut *præcidiſſe*, aut *incendiſſe* dicunt. de hac re litteræ L. Metello Trib. pleb. Capuam allatæ ſunt ab Clodia ſocru, quæ ipſa tranſiit. ante ſollicitus eram & angebar, [13] ſicut res ſcilicet ipſa cogebat, cùm conſilio explicare nihil poſſem: nunc autem, poſtquam Pompejus, & Conſules ex Italia exierunt, non angor, ſed ardeo dolore:

οὐδέ μοι ἦτορ

ἔμπεδον, ἀλλ' [14] ἀλαλύκτημαι:

non ſum, inquam, mihi crede, mentis compos; tantum mihi dedecoris admiſiſſe videor. [15] Mene non primùm cum Pompejo, qualicumque conſilio uſo, deinde *cum bonis* eſſe, quamvis cauſa temere inſtituta? præſertim cùm ii ipſi, quorum ego cauſa timidiùs me fortunæ committebam, uxor, filia, Cicerones pueri, me illud ſequi mallent? hoc turpe, & me indignum putarent? nam Quintus quidem frater, quidquid *mihi placeret*, id rectum ſe putare ajebat, id animo æquiſſimo ſequebatur. tuas nunc [16] epiſtolas à primo lego. hæ me paullum recreant. primæ monent & rogant, ne me projiciam. proximæ te gaudere oſtendunt, me remanſiſſe. eas cùm lego, minùs mihi turpis videor, ſed tam diu, *dum lego*: deinde emergit rurſum dolor. & *αἰσχροῦ φαντασία*. quamobrem obſecro te, mi Tite, eripe mihi hunc dolorem, aut minue ſaltem, aut conſolatione, aut conſilio, aut quacumque re potes. quid tu autem poſſis? aut quid homo quiſquam? [17] vix Deus jam. equidem illud molior, quod tu mones ſperaſque fieri poſſe; ut mihi Cæſar concedat, ut abſim, cùm aliquid in Senatu contra Cnæum agatur. ſed timeo, ne non impetrem. venit ab eo Furnius: (ut quidem ſcias, quos ſequamur) Q. Titinii filium cum Cæſare eſſe nuntiat: ſed illum majores mihi gratias agere, quàm vellem. quid autem me roget, (paucis ille quidem verbis, ſed *ἐν δυνάμει*) cognoſce ex ipſius epiſtola. me miſerum, quòd tu non valuiſti. unà fuiſſemus: conſilium certè non defuiſſet,

σιώπε δ' ἐρχομένω.

ſed acta ne agamus: reliqua paremus. me adhuc hæc duo fefellerunt, initio ſpes compoſitionis, qua facta volebam [18] uti populari vita, ſollicitudine ſenectutem noſtram liberanti. deinde bellum crudele, & exitioſum [19] ſuſcipi à Pompejo intelligebam. MELIORIS medius fidius civis, & viri putabam, quovis ſupplicio affici, quàm illi crudelitati non ſolum præeſſe, verùm etiam intereſſe. videtur vel mori ſatius fuiſſe, quàm eſſe cum iis. Ad hæc igitur cogita, mi Attice, vel potiùs excogita. quemvis eventum fortiùs feram, quàm hunc dolorem.

CÆSAR IMP. S. D. CICERONI IMP.

CUM Furnium noſtrum tantum vidiſſem; neque loqui, neque audire [20] meo commodo potuiſſem; properarem, atque eſſem in itinere, præmiſſis jam legionibus; præterire tamen non

1. *Si quis apud Homerum.*] Faërnus legebat, *ſicut apud Homerum.* Junius addito pronomine, *is*; *ſicut is*, *&c.* Urſino verò ſic totum locum legi placeret, *ero igitur*, *ſi quidem*, *&c.*

2. *Et mater & dea dixiſſet.*] Deerat hic Homeri verſus pronuntiatus à Thetide, quem Victorius reſtituit.

3. *Et ego vero hæc officia mercanda vita puto.*] Ex antiquiore ſuo exemplari hanc lectionem eruit Victorius, quam & Germani protulerant; ſed verbum, *vita*, omiſerant. Hic autem Faërnus delet conjunctionis notam *&*. vulgaverant ante Victorium, *ego verò hæc efficiam, ei candida vita puto.*

4. *Ex eo fortaſſe mea conſilia naſcentur.*] Veteres libri, Boſii, Lambini, Junii, *ea conſilia*, rectiſſime ſecundum Junii mentem. Lambinus legi malit, *nova conſilia*, vel *alia conſilia naſcentur.*

5. *Nos adhuc.*] Hæc epiſtola vulgatis unicam cum ſuperiore conſtituit, ſi quidem illi immediatè appingitur.

6. *Tranſmiſiſſe.*] Faërnus ex *tramiſiſſe me*, quod eſt in mſſ. libris faciebat, *tranſmiſiſſe mare.*

7. *Ad Curium via Minucia.*] Ita ex antiquis ſuis Boſius: Victorius verò legit *ad Curtium Minutia*, quum antea legeretur, *ad Curium in Minucia.* hunc ſequuti ſunt Turnebus lib. 1. Adverſ. cap. 21. & Lambinus. Manutius, Faërnus, & Malaſpina ex Horatio legunt, *Numicia*, ſed & hic & apud Horatium *Minucia* legendum eſſe oſtendit Boſius. Ceterum pro *Curium*, *Curtum* habet Beſſar. liber.

8. *Ego utar.*] Vulg. *ergo utar.*

9. *Arpinum*] Vulg. *in Arpinum.*

10. *In Coſſano, & quidem.*] Vulg. *in Coſano eſt quidem.*

11. *Quam ut Curtium videat.*] Sic reſtituit Victorius, & probat Lambin. Germani legunt *Curium.* prius habebatur, *Certum*, unde prius faciebat *Cercum.*

12. *Conſules duo & trib. plebis.*] *Duo*, ut videtur Manutio, fortaſſe fuit gloſſema antecedentis verbi, aut legendum, ut homo eruditus exiſtimat, *Conſules & duo tribuni plebis.*

13. *Sicut res ſcilicet ipſa cogebat, cum conſilio explicare nihil poſſem.*] Alii *ſicut res ſcil. ipſa cog. quo uti conſilio poſſem.*

14. *ἀλαλύκτημαι.*] Ita reſtituit Victorius ex antiquiore ſuo libro, & Homeri emendatis codd. antea legebatur, *ἀλάλη*(?).

15. *Mene non primum.*] Vulg. *me non primum.*

16. *Epiſtolas à primo.*] Ita eſt in omnibus Boſii codd. quidam legendum cenſent, *à prima.*

17. *Vix Deus, &c.*] Cod. Tornæſ. habet, *vix Deus Jam equidem.*

18. *Uti populari vita, ſollicitudine ſenectutem noſtram liberanti.*] Sic edidit ex fide Decurtati Boſius. vulg. *qua facta volebam* (vel ut alii, *videbam ut populari, ut ea ſolicitudine ſenectutem noſtram liberari* cui loco Victorius & Manutius ſe mederi non poſſe fatentur. Pantagathus, Lambino teſte ſic reſtituere conatus eſt, *qua facta, ut populari. ut mea, videbam ſollicitudine ſenectutem noſtram liberari.* Lambinus, *q. f. videbam, omni populari mea.*

19. *Suſcipi à Pompejo intelligebam.*] Arbitratur legendum Lambinus, *non intelligebam*, quod & aliis videtur.

20. *Meo commodo potuiſſem; properarem.*] Ita Lambinus & Boſius ex codd. Memmian. Malaſp. Tornæſ. Cruſell. & Decurtato. vulg. *me commodè potuiſſet properantem.*

1. *Etſi*

non potui, quin & ſcriberem ad te, & illum mitterem, gratiaſque agerem: [1] *& ſi hoc & feci ſæpe, & ſæpius mihi facturus videor; ita de me mereris. in primis à te peto, quoniam confido me celeriter ad urbem venturum, ut te ibi videam; ut tuo conſilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum uti poſſim. Ad propoſitum revertar: feſtinationi meæ, brevitatique litterarum ignoſces. reliqua ex Furnio cognoſces.*

7 CICERO ATTICO, S.

SCRIPSERAM ad te epiſtolam, quam darem IV. ID. ſed eo die is, cui dare volueram, non eſt profectus. venit autem eo ipſo die [2] ille celeripes, quem Salvius dixerat: attulit uberrimas tuas literas, quæ [3] mihi quiddam quaſi *animulæ* reſtillarunt. recreatum enim me non queo dicere. ſed planè τὸ συνέχον effeciſti. ego enim non jam id ago, mihi crede, ut *proſperos exitus* conſequar: ſic enim video, nec duobus his vivis, nec, hoc uno, nos umquam Remp. habituros. ita neque de otio noſtro ſpero jam, nec ullam acerbitatem recuſo. unum illud extimeſcebam, ne quid *turpiter* facerem, vel, dicam, jam effeciſſem. ſic ergo habeto, ſalutareis te mihi litteras miſiſſe: neque ſolùm has longioreis, quibus nihil poteſt eſſe explicatius, nihil perfectius; ſed etiam illas brevioreis, in quibus hoc mihi jucundiſſimum fuit, conſilium factumque noſtrum à Sexto probari: pergratumque mihi tu feciſti, à quo diligi me, &, quid rectum ſit, intelligi, ſcio. Longior verò tua epiſtola non me ſolùm, ſed meos omnes ægritudine levavit. itaque utar tuo conſilio, & ero in Formiano: ne aut ad urbem ἀπάντησις mea animadvertatur; aut, ſi nec hìc, nec illic eum videro, devitatum ſe à me putet. Quod autem ſuades, ut ab eo petam, ut mihi concedat, ut idem tribuam Pompejo, quod ipſi tribuerim; id me jam pridem agere intelliges ex litteris Balbi & Oppii: quarum exempla tibi miſi: miſi etiam Cæſaris ad eos *ſana mente* ſcriptas; quo modo in tanta inſania. ſin mihi Cæſar hoc non concedat; [4] video tibi placere illud, me πολιτεύμα de pace ſuſcipere: in quo non extimeſco periculum. cùm enim tot impendeant, cur non *honeſtiſſimo* [5] depeciſci velim? ſed vereor, ne Pompejo quid oneris imponam;

μή μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου

intorqueat. mirandum enim in modum Cnæus noſter Sullani regni ſimilitudinem concupivit. [6] εἰδὼς σοι λέγω [7] nihil ille umquam minus obſcure tulit. cum hocne igitur, inquies, eſſe vis? *beneficium* ſequor, mihi crede, non *cauſam*, ut in Milone, ut in. ſed hactenus. Cauſa igitur non bona eſt? immo optima: ſed agetur (memento) *fœdiſſimè.* primùm, conſilium eſt, ſuffocare urbem, & Italiam fame; deinde, agros vaſtare, urere, pecuniis locupletum non abſtinere. ſed, cùm eadem metuam ab hac parte; ſi illinc beneficium non ſit, rectius putem quidvis domi perpeti. ſed ita meruiſſe illum de me puto, ut ἀχαριστίας crimen ſubire non audeam. quamquam à te ejus quoque rei juſta defenſio eſt explicata. De triumpho tibi aſſentior: quem quidem totum facilè & libenter abjecero. egregiè probo [8] fore, ut, dùm agamus, [9] ὁ πλοῦς ὡραῖος obrepat: ſi modò, inquis, ſatis ille erit firmus. eſt firmior etiam quàm putabamus. de iſto licet bene ſperes. promitto tibi, ſi valebit, *tegulam* illum in Italia nullam relicturum. tene igitur ſocio? contra mehercule meum judicium, & contra omnium *antiquorum* auctoritatem: nec tam ut illa adjuvem, quàm ut hæc ne videam, cupio diſcedere. noli enim putare tolerabileis horum inſanias, nec uniuſmodi fore. etſi quid te horum fugit? legibus, judiciis, Senatu ſublato, libidines, audacias, ſumtus, egeſtates tot *egentiſſimorum* hominum, nec privatas poſſe res, nec Rempub. ſuſtinere. [10] abeamus igitur inde qualibet navigatione: etſi id quidem, ut tibi videbitur: ſed certè abeamus. ſciemus enim, id quod exſpectas, quid Brundiſii actum ſit. Bonis viris quòd ais probari, quæ adhuc fecerimus, ſcirique ab iis [11] nos non profectos, valde gaudeo; ſi eſt nunc ullus gaudendi locus. De Lentulo inveſtigabo diligentiùs: id mandavi Philotimo, homini forti, ac *nimium optimati.* Extremum eſt, ut tibi argumentum ad ſcribendum fortaſſe jam deſit. nec enim alia de re nunc ulla ſcribi poteſt; & de hac quid jam amplius inveniri poteſt? ſed quoniam & ingenium ſuppeditat, (dico mehercule, ut ſentio) & amor, quo & meum ingenium incitatur; perge, ut facis, & ſcribe, [12] quantum potes. In Epirum quòd me non invitas, comitem non moleſtum, ſubiraſcor: ſed vale. nam, ut tibi ambulandum, ungendum, ſic mihi dormiendum. etenim litteræ tuæ mihi ſomnum attulerunt.

CICERO ATTICO, S. 8

[13] CENANTIBUS pridie Idus nobis, ac noctu quidem, Statius à te epiſtolam brevem attulit. De L. Torquato [14] quòd modò quæris, non modò Lucius, ſed etiam [15] Aulus profectus eſt; [16] alter multos D. De Reatinorum corona quòd ſcribis, moleſtè fero in agro Sabino ſementem fieri *proſcriptionis.* [17] Senatores multos eſſe Romæ, nos quoque audieramus. ecquid potes dicere, cur exierint? in his locis opinio eſt, conjectura magis, quàm nuntio, aut litteris, Cæſarem Formiis A. D. XI. KAL. fore. hìc ego vellem habere Homeri illam illam Minervam ſimulatam Mentori, cui dicerem:

Μέντορ πῶς τ' ἄρ' ἴω, πῶς τ' ἄρ' προσπτύξομαι αὐτόν;

nullam rem umquam difficiliorem cogitavi. ſed cogito tamen; nec ero, ut in malis, *imparatus.* ſed cura, ut valeas. puto enim diem tuum heri fuiſſe.

CÆSAR OPPIO, CORNELIO S.

GAUDEO mehercule vos ſignificare litteris, quam valde probetis ea, quæ apud Corfinium ſunt geſta. conſilio veſtro utar libenter, & hoc lubentiùs, quod mea ſponte facere conſtitueram, ut quàm leniſſimum *me præberem; & Pompejum, darem operam, ut reconciliarem. tentemus hoc modo, ſi poſſimus omnium voluntates recuperare, & diuturna victoria uti: quoniam reliqui crudelitate* odium *effugere non potuerunt, neque*

1. *Etſi hoc & feci ſæpe.*] Vulg. *& ſi hoc officium & feci.*

2. *Ille Celeripes.*] Codex Tornæſianus habet, *ille celeriter pes, quem, &c.*

3. *Mihi quiddam quaſi animulæ reſtillarunt.*] Hæc eſt ſcriptura Decurtati; cujus lectionis veſtigia quædam exſtant in Tornæſiano & Victoriano, in illo quidem in hunc modum, *mihi quiddam qua ſtant mutæ teſtiliarunt;* in hoc vero in iſtum, *mihi quiddam qua ſtant muta eſt illi arunt.* Adrian. Turnebus lib. 1. cap. 21. conjicit, *mihi quiddam quaſi animi à te inſtillarunt*, vel *quaſi animatæ.* Lambinus ſic propius ad ſcripturam antiquam, *mihi quiddam quaſi animulæ inſtillarunt.*

4. *Tibi placere illud, me, &c.*] *Illud*, abeſt à vulgatis.

5. *Depeciſci.*] Vulg. *depaciſci.*

6. Εἰδὼς σοι λέγω.] Ex antiquis exemplaribus ſic reſcripſit Victorius. prius vulgabatur εἰδόσι λέγω.

7. *Nihil ille unquam minus.*] Vulg. *nihil inquam, ille minus.*

8. *Fore ut dum agamus.*] Male, judice Boſio, repoſuit Malaſpina & hunc ſequutus Lambinus, *ut dum vagamur.*

9. Ὁ πλοῦς ὡραῖος.] Hæc emendatio debetur Victorio. antea legebatur ὅπως ὡραῖος.

10. *Abeamus igitur inde.*] Verbum, *inde*, à libro Beſſarionis abeſt, & ut opinatur Manutius rectè abeſt.

11. *Nos non profectos.*] Ita Decurtatus. Manutii verò conjecturam adjuvat Tornæſ. qui habet, *non profectos*: vulg. *non profectis.*

12. *Quantum potes.*] Tornæſ. *quantum poteſt*: unde Lambinus conjicit, *quantum pote eſt.*

13. *Cenantibus pridie Idus.*] II. Idus reponit Lambinus, Malaſpinam & codices Meminianos, Tornæſianumque ſequutus. Ceterum hæc epiſtola in libris veteribus à ſuperiore non ſeparatur.

14. *Quod modo quæris.*] Vulg. *quid modò quæris.*

15. *Aulus.*] Ita repoſuit Victorius, pro eo quod antea legebatur, *Paulus.*

16. *Alter multos D.*] Eſt hoc à Decurtato. Boſius in nullo mſ. lectionem vulgatam, *alii multi.* reperit. in Tornæſiano erat, *alter multos.* nota *D.* aberat.

17. *Senatores multos.*] Auctoritate antiquorum librorum ſic emendavit Victorius, & ejecit ſpuriam illam lectionem, *Senatorum nullos.*

1. *De*

que victoriam diutiùs tenere, præter unum L. Sullam, quem imitaturus non ſum. hæc NOVA ſit ratio vincendi; ut miſericordia & liberalitate nos muniamus. id quemadmodum fieri poſſit, nonnulla mi in mentem veniunt, & multa reperiri poſſunt. [1] *De rebus, rogo vos, ut cogitationem ſuſcipiatis. Cn. Magium, Pompeii præfectum, deprehendi.* [2] *ſcilicet meo inſtituto uſus ſum, & eum ſtatim miſſum feci. jam duo præfecti fabrum Pompeji in meam poteſtatem venerunt, & à me miſſi ſunt. ſi volent grati eſſe, debebunt Pompejum hortari, ut malit mihi eſſe amicus, quàm his, qui & illi, & mihi ſemper fuerunt inimiciſſimi: quorum artificiis effectum eſt, ut Reſp. in hunc ſtatum perveniret.*

BALBUS CICERONI IMP. S.

3 S. *V. B. E.* [3] *Poſtea quàm litteras communes cum Oppio ad te dedi, ab Cæſare epiſtolam accepi, cujus exemplum tibi miſi; ex quibus perſpicere poteris, quàm cupiat concordiam, & Pompejum reconciliare, & quàm remotus ſit ab omni* crudelitate: *quod eum ſentire, ut debeo, valde gaudeo. De te & tua fide, & pietate idem mehercule, mi Cicero, ſentio, quod tu; non poſſe tuam famam & officium ſuſtinere, ut contra eum arma feras, à quo tantum beneficium te accepiſſe prædices. Cæſarem hoc idem probaturum, exploratum, pro ſingulari ejus humanitate, habeo: eique cumulatiſſimè ſatisfacturum te certè ſcio, cùm nullam partem belli contra eum ſuſcipias, neque ſocius ejus adverſariis fueris. atque hoc ſolum in te, tali & tanto viro, ſatis habebit, ſed etiam mihi ipſe ſua* [4] *conceſſit voluntate, ne in iis caſtris eſſem, quæ contra Lentulum, aut Pompejum futura eſſent; quorum beneficia maxima haberem: ſibique ſatis dixit,* [5] *ſi rogatus* urbana officia *ſibi præſtitiſſem; quæ etiam illi, ſi vellem, præſtare poſſem. itaque nunc Romæ omnia negotia Lentuli procuro, ſuſtineo; meumque officium, fidem, pietatem his præſto. ſed mehercule* [6] *rurſus jam abjectam compoſitionis ſpem non deſperatiſſimam eſſe puto; quoniam Cæſar eſt ea mente, qua optare debemus. hac re. mihi placet, ſi tibi videtur, te ad eum ſcribere, & ab eo præſidium petere, ut petiſti à Pompejo, me quidem approbante, temporibus Milonianis. præſtabo (ſi Cæſarem bene novi) eum prius tuæ dignitatis, quàm ſuæ utilitatis rationem habiturum. Hæc quàm prudenter tibi ſcribam, neſcio: ſed illud certè ſcio, me ab ſingulari amore ac benivolentia, quæcumque ſcribo, tibi ſcribere: quòd te (ita,* incolumi Cæſare, *moriar) tanti facio, ut paucos æque ac te caros habeam. De hac re cùm aliquid conſtitueris, velim mihi ſcribas. nam non mediocriter laboro, ut utrique ut vis, tuam benivolentiam præſtare poſſis: quam mehercule te præſtaturum confido. Fac ut valeas.*

BALBUS, ET OPPIUS. S. D. M. CICERONI.

N*E DUM hominum humilium, ut nos ſumus, ſed etiam ampliſſimorum virorum CONSILIA ex eventu, non ex voluntate, à pleriſque probari ſolent. tamen freti tua humanitate, quòd veriſſimum nobis videbitur, de eo, quod ad nos ſcripſiſti, tibi conſilium dabimus: quod ſi non fuerit prudens,* [7] *at certè ab optima fide & optimo animo proficiſcetur.* [8] *Nos, niſi id, quod noſtro judicio Cæſarem facere oportere exiſtimamus, ut ſimul Romam venerit, agat de reconciliatione gratiæ ſuæ & Pompeji, id eum facturum ex ipſo cognoviſſemus, te hortari deſineremus, ut velles iis rebus intereſſe, quò faciliùs, & majore cum dignitate per te, qui utrique es conjunctus, res tota conficeret: aut ſi ex contrario putaremus, Cæſarem id non facturum & eum velle cum Pompejo bellum gerere, ſciremus; numquam tibi ſuaderemus, contra hominem, optimè de te meritum,* arma ferres; *ſicuti te ſemper oravimus, ne contra Cæſarem pugnares. ſed cùm etiamnum, quid facturus Cæſar ſit, magis opinari, quam ſcire poſſimus: non poſſumus, niſi hoc; non videri eam tuam eſſe dignitatem, neque fidem omnibus cognitam, ut contra alterutrum, cùm utrique ſis maximè neceſſarius, arma feras: & hoc, non dubitamus, quin Cæſar pro ſua humanitate maximè ſit probaturus. nos tamen (ſi tibi videbitur) ad Cæſarem ſcribemus, ut nos certiores faciat, quid in hac re acturus ſit: à quo ſi erit nobis reſcriptum, ſtatim, quæ ſentiemus, ad te ſcribemus: & tibi fidem faciemus, nos ea ſuadere, quæ nobis videntur tuæ dignitati, non Cæſaris actioni, eſſe utiliſſima: & hoc Cæſarem, pro ſua indulgentia in ſuos probaturum putamus.*

CICERO ATTICO, S.

TRIS epiſtolas tuas accepi poſtridie Idus. erant autem 9
IV. III. pridie Idus datæ. igitur antiquiſſimæ cuique primum reſpondebo. Aſſentio tibi, ut in Formiano potiſſimum commorer: [9] etiam de ſupero mari, [10] palpaboque, ut antea ad te ſcripſi, ecquonam modo [11] poſſim, voluntate ejus, nullam Reip. partem attingere. Quòd laudas, quia oblivíſci me ſcripſi ante facta, [12] & delicta noſtri amici: ego verò ita facio. quin ea ipſa, quæ à te commemorantur ſecus ab eo in me ipſum facta eſſe, non memini: tanto plus [13] ad me *valere* beneficii gratiam, quàm injuriæ dolorem, volo. faciamus igitur, ut cenſes, colligamuſque nos. [14] σοφιστεύω enim ſimul ut rus decurro, atque in decurſu θέσεις meas commentari non deſino. ſed ſunt quædam earum perdifficiles ad judicandum. De optimatibus, ſit ſanè ita, ut vis: ſed noſti illud, *Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ.* Titinii filius apud Cæſarem eſt. Quòd autem quaſi vereri videris, ne mihi tua conſilia diſpliceant, me verò nihil delectat aliud, niſi conſilium & litteræ tuæ. quare fac, ut oſtendis, ne deſtiteris ad me, quidquid tibi in mentem venerit, ſcribere. mihi nihil poteſt eſſe gratius. Venio ad alteram nunc epiſtolam: Rectè non credis de numero militum. ipſo dimidio plus ſcripſit Clodia. falſum etiam de corruptis navibus. Quòd Conſules laudas; ego quoque animum laudo, ſed conſilium reprehendo. [15] *diſperſu* enim illorum, actio de pace ſublata eſt; quam quidem ego meditabar. itaque poſtea Demetrii librum de concordia tibi remiſi, & Philotimo dedi. nec verò dubito, quin exitioſum bellum impendeat, cujus initium ducetur à *fame.* & me tamen doleo non intereſſe huic bello; in quo tanta vis ſceleris futura eſt, ut, cùm PARENTEIS non alere nefarium ſit, noſtri principes antiquiſſimam & ſanctiſſimam parentem, patriam, fame necandam putent. atque hoc non opinione timeo, ſed interfui ſermonibus. omnis hæc claſſis Alexandria, [16] Colchis, Tyro, Sidone, [17] Arado, Cypro, Pamphylia, Lycia, Rhodo, Chio, Byzantio, Lesbo, Smyrna, Mileto, Coo, ad intercludendos com-

1. *De rebus.*] Vulg. *de his rebus.*

2. *Scilicet meo inſtituto.*] *Sed & meo inſtituto*, duos mſſ. Palat. rectiſſime habere ait Junius.

3. *S. V. B. E.*] Lambinus & Boſius ita legunt, Rivium ſecuti, ſed & idem conjecerat etiam Manutius, niſi quod *E* omiſerat.

4. *Conceſſit voluntate.*] Sic Lambinus & Boſius ex mſſ. vulgò *bonitate.*

5. *Si rogatus urbana officia.*] Vulg. *ſi togatus.*

6. *Rurſum jam abjectam.*] Vulg. *rurſus tam abjectam.*

7. *At certè ab optima.*] Vulg. *& certè ab optima.*

8. *Nos, niſi id, quod noſtro judicio.*] Codd. Memmiani neque, *nos*, habent, neque *id*; verumtamen, *id*, funditus quidem delet Lambinus, *nos*, autem retinet, quia in aliis libris reperitur.

9. *Etiam de ſupero.*] Ita mſſ. unus Urſini vulg. *& jam.*

10. *Palpaboque.*] Hæc eſt ſcriptura Decurt. Beſſarion. & Cavalc. Aliorum libri, *flaboque*, ex quo Faërnus *prælabor* faciebat. Vulgò *prælabor.* Manutius legit, *Balboque, ut antea ad te ſcripſi, ecquonam modo, &c.* Lambinus fere ita, niſi quod particulam, *ut*, omittit.

11. *Poſſim.*] Ita Faërnus antea habebatur *poſſem.*

12. *Et delicta noſtri amici.*] Vulg. *& dicta noſtri amici.*

13. *Ad me valere.*] Vulg. *apud me valere.*

14. Σοφιστεύω *enim, ſimul ut rus.*] Partim conjectura, partim ope Decurtati qui hæc verba ſic refert, *ſofeſtivo enim ſimul ut rus decurro, atque in decurſu, &c.* Ita emendavit Boſius, idque laudante Junio. Beſſarionis, Cavalc. Tornæſ. & aliorum libri, *feſtivo enim ſimili urus decurro.* Ant. Auguſtinus *urus*, in *vultu*, mutabat: Ex hac tamen lectione Lambinus & Turnebus 3. cap. 21. ſententiam aliquam probabilem elici poſſe putant. vulg. *feſtivo enim ſimillimus decurro.*

15. *Diſperſu enim illorum.*] Urſini mſ. *diſperſione*: alii *diſceſſu.*

16 *Colchis, Tyro.*] Junius ex conjectura legit *Dolcis, Tyro, Sidone, &c.*

17. *Arado.*] Vulg. *Andro.*

1. *At*

commeatus Italiæ, & ad occupandas frumentarias provincias comparatur. [1] at quam veniet iratus! & iis quidem maximè, qui eam maximè ſalvam volebant, quaſi relictus ab iis quos reliquit. itaque mihi dubitanti, quid me facere par ſit, permagnum pondus affert benivolentia erga illum; qua dempta PERIRE melius eſſet in patria, quàm patriam ſervando evertere. De Septentrione planè ita eſt. metuo, ne vexetur Epirus. ſed quem tu locum Græciæ non direptum iri putas? prædicat enim palam, & militibus oſtendit, ſe largitione ipſa ſuperiorem, quàm hunc fore. Illud me præclarè admones, cùm illum videro, ne nimis indulgenter, & ut cum gravitate potius loquar. planè ſic faciendum. Arpinum, cùm eum convenero, cogito, ne forte, aut abſim, cùm veniet, aut curſem huc illuc via deterrima. Bibulum, ut ſcribis, audio veniſſe, & rediſſe pridie Idus. Philotimum, [2] ut ais epiſtola tertia, exſpectabas. at ille Idib. à me profectus eſt. eò ſeriùs ad tuam illam epiſtolam, cui ego ſtatim reſcripſeram, redditæ ſunt meæ litteræ. De Domitio, ut ſcribis, ita opinor eſſe, ut & in Coſſano ſit, & conſilium ejus ignoretur. Iſte omnium *turpiſſimus* & ſordidiſſimus, qui Conſularia comitia à Prætore ait haberi poſſe, [3] eſt ille quidem, qui ſemper in Rep. fuit. itaque nimirum hoc illud eſt, quod Cæſar ſcribit in ea epiſtola, cujus exemplum ad te miſi, ſe velle uti CONSILIO meo: age, eſto hoc commune: GRATIA: ineptum id quidem; ſed, puto, hoc ſimulat ad quaſdam Senatorum ſententias. DIGNITATE, fortaſſe ſententiæ Conſularis. illud extremum eſt, OPE OMNIUM RERUM. id ego ſuſpicari cœpi tum ex tuis litteris, aut hoc ipſum eſſe, aut non multo ſecus. nam permagni ejus intereſt, rem ad interregnum non venire. id aſſequitur, [4] ſi per Prætorem Conſules creantur. nos autem in libris habemus, non modò Conſules à Prætore, ſed ne Prætores quidem creari jus eſſe, idque factum eſſe *numquam*. Conſules, eò non eſſe jus, quòd majus imperium à minore rogari non ſit jus: Prætores autem, cùm ita rogentur, ut collegæ Conſulum ſint, quorum eſt majus imperium. aberit non longè, quin hoc à me decerni velit, neque ſit contentus Galba, Scævola, Caſſio, Antonio.

τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών.

ſed quanta tempeſtas impendeat, vides. Qui tranſierint Senatores, ſcribam ad te, cum certum habebo. De re frumentaria rectè intelligis; quæ nullo modo adminiſtrari *ſine vectigalibus* poteſt: nec ſine cauſa & eos, qui circum illum ſunt, omnia poſtulantes, & bellum nefarium times. Trebatium noſtrum, etſi, ut ſcribis, nihil bene ſperat, tamen videre ſanè velim: quem fac horteris, ut properet. opportunè enim ad me ante adventum Cæſaris venerit. De Lanuino, ſtatim, ut audivi Phameam mortuum, optavi, ſi modo eſſet futura Reſpublica, ut id aliquis emeret meorum: neque tamen de te, qui maximè meus, cogitavi. [5] ſciebam enim te quoto anno, & quantum in ſolo, ſolere quærere: neque ſolum Romæ, ſed etiam Deli tuum *digamma* videram. verumtamen ego illud, quamquam eſt bellum, minoris *æſtimo*, quam æſtimabatur Marcellino Conſule, cùm ego iſtos hortulos propter domum, Antii quam tum habebam, jucundioreis mihi fore putabam, & minore impenſa, quàm ſi Tuſculanum refeciſſem. volui H-S. Q. egi per prædem ille daret, Antii cùm haberet venale: noluit. ſed nunc omnia iſta jacere puto propter nummorum caritatem. mihi quidem erit aptiſſimum, vel nobis potiùs, ſi tu emeris. ſed ejus dementias cave contemnas. valde eſt venuſtum. quamquam mihi iſta omnia jam addicta vaſtitati videntur. Reſpondi epiſtolis tribus: ſed [6] exſpecto alias. nam me adhuc tuæ litteræ ſuſtentarunt. [7] D. Liberalibus.

CICERO ATTICO, S. 10

NIHIL habebam, quod ſcriberem. neque enim novi quidquam audieram, & ad tuas omnes reſcripſeram pridie. ſed, cum me *ægritudo* non ſolùm ſomno privaret, verùm ne vigilare quidem ſine ſummo dolore pateretur, tecum ut quaſi loquerer, in quo uno acquieſco, hoc neſcio quid, nullo argumento propoſito, ſcribere inſtitui. Amens mihi fuiſſe videor à principio, & me una hæc res torquet, quòd non, omnibus in rebus labentem, vel potius ruentem Pompejum tamquam unus manipularis *ſecutus* ſim. vidi hominem XIV. KAL. Febr. plenum formidinis. illo ipſo die ſenſi, quid ageret. numquam mihi poſtea placuit; nec umquam aliud in alio peccare deſtitit. nihil interim [8] ad me ſcribere, nihil niſi fugam cogitare. quid quæris? ſicut [9] ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς [10] alienant ruri immundæ viſu, illis unde unde *decor* ſit: ſic me illius fugæ, negligentiæque deformitas avertit ab amore. nihil enim dignum faciebat, quare ejus fugæ comitem me adjungerem. nunc emergit amor; nunc deſiderium ferre non poſſum; nunc mihi nihil libri, nihil litteræ, nihil doctrina prodeſt: [11] ita dies & noctes, tamquam avis, illâ mare proſpecto; evolare cupio. [12] DO, DO pœnas temeritatis meæ: etſi quæ fuit illa temeritas? quid feci non conſideratiſſimè? ſi enim nihil præter fugam quæreretur, fugiſſem libentiſſime: ſed genus belli crudeliſſimi & maximi, quod, nondum vident homines, quale futurum ſit, perhorrui. quæ minæ municipiis? [13] quæ nominatim viris bonis? quæ denique omnibus, qui remanſiſſent? quàm crebro illud, *Sulla potuit, ego non potero?* mihi autem hæſerunt illa: MALE Tarquinius, qui Porſenam, qui Octavium [14] Mamilium contra patriam; impiè Coriolanus, qui auxilium petiit à Volſcis; rectè Themiſtocles, qui mori maluit; nefarius Hippias, Piſiſtrati filius, qui in Marathonia pugna cecidit, arma contra patriam ferens. at Sulla, at Marius, at Cinna rectè, immo jure fortaſſe. ſed quid eorum victoria crudelius? quid funeſtius? hujus belli genus fugi, & eo magis, quòd crudeliora etiam cogitari, & parari videbam. me, quem nonnulli conſervatorem iſtius urbis, [15] quem parentem eſſe dixerunt, Getarum, & Armeniorum, &

---

1. *At quam veniet iratus!*] Hæc correctio eſt à Victorio, pro eo quod antea erat, *ad quam veniet iratus.*

2. *Ut ais epiſtola tertia.*] Victorius emendat, ex antiquis libris, *ut aliis epiſtola tertia, &c.*

3. *Eſt ille quidem qui.*] *Eſt idem qui*, habent vulg.

4. *Per prætorem.*] Vulg. *per prætores*; ut & infra à *prætore*, pro *à prætoribus.*

5. *Sciebam enim te quoto anno.*] Proximè ad Turnebi conjecturam hæc verba refert Decurtatus; *ſciebam enim te quoto anno & quantum in ſolo ſolere quærere, neque ſolùm Romæ, ſed etiam Deli tuum Digamma videram:* Manutius, *ſciebam enim te quoto anno & q. i. ſ. ſ. q. neque ſolùm Romæ, ſed etiam Delicium digamma, &c.* vulg. *ſciebam enim te de quoto anno, &c.* pro, *Deli tuum Digamma*, conjiciunt quidam, *tuum diagramma.*

6. *Exſpecto alias.*] Ut in codd. Malaſpinæ, ſic in Scidis legebatur, *ſed exſpecto alias*; in Cruſellino *alias tuas*: ita, vox illa, *tuas*, vulgò irrepſit &, *alias*, exulavit hactenus.

7. *D. Liberalibus.*] Ita repoſuit Victorius, antea deerat littera *D.* id eſt *Data*: Junius verò poſt *ſuſtentarunt*, ſcribit *Vale*, & ſequentem epiſtolam ſic inchoat; *De Liberalibus, &c.*

8. *Ad me ſcribere.*] Locum hunc correxit Manutius ex antiquo libro Alberti Ferri, cum antea, *ſcire*, legeretur, quod retinet Junius.

9. Ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς *alienantur immundio.*] Perplacet CL. Dauſqueio Lamb. *alienant*, quod orationis συνέπεια pæne flagitat.

10. *Alienant ruri immundæ viſu, illis unde unde decor ſit.*] Ita Decurtatus Boſii, niſi quod *unde* non geminatur. Lambinus etiam legit *alienant*. in ceteris ſequitur vulgatam ſcripturam quæ habet, *alienantur immundæ, inſulſæ, indecoræ.* Junius ex mſſ. duobus Palat. reſtituit, *alienant, ut immundè, inſulſè, indecorè fit.* corruptam lectionem ſui hanc refert Victorius, *alienantur immundè inſulis unde decorè fit.*

11. *Ita dies & noctes.*] Vulg. *itaque.*

12. *Do, do pœnas.*] Alterum *do* deeſt in vulgatis.

13. *Quæ nominatim.*] Ita reſtituit Victorius, ex corrupta antiquioris ſui ſcriptura, quæ erat, *nomina etiam.* Vulg. ante Victorium, *quæ noram etiam.*

14. *Mamilium.*] Vulg. *Manilium.*

15. *Quem parentem.*] Putarit legendum Lambinus, *quem patriæ parentem, &c.*

& Colchorum copias ad eam adducere? me meis civibus famem, vaſtitatem inferre Italiæ? Hunc primùm mortalem eſſe, deinde etiam multis modis poſſe extingui cogitabam: urbem autem, & populum noſtrum ſervandum ad *immortalitatem* quantum in nobis eſſet, putabam; & tamen ſpes quædam me obtentabat, fore; ut aliquid conveniret potius, quàm aut hic tantum ſceleris, aut ille tantum flagitii admitteret. [1] alia res nunc tota eſt, alia mea. Sol, ut eſt in tua quadam epiſtola, excidiſſe mihi è mundo videtur. Ut *ægroto*, dum anima eſt, ſpes eſſe dicitur; ſic ego, quoad Pompejus in Italia fuit, ſperare non deſtiti. [2] hæc, hæc me fefellerunt; &, ut verum loquar, ætas jam à diuturnis laboribus devexa ad otium, domeſticarum me rerum delectatione mollit. nunc, [3] ſi vel periculosè experiundum erit, experiar certe, ut hinc avolem. ante oportuit fortaſſe. ſed ea, quæ ſcripſiſti, me tardarunt, & auctoritas maxime tua. nam cùm ad hunc locum veniſſem, [4] evolvi volumen epiſtolarum tuarum, quod ego ſub ſigno habeo, ſervoque diligentiſſimè. erat igitur in ea, quam x. Kalend. Febr. dederas, hoc modo, SED VIDEAMUS, ET CNÆUS *quid agat, & illius rationes quorſum fluant. Quod ſi iſte Italiam relinquet; faciet omnino male, &, ut ego exiſtimo,* ΑΛΟΓΙΣΤΩΣ: *ſed tum demum conſilia noſtra commutanda erunt.* Hoc ſcribis poſt diem quartum, quàm ab urbe diſceſſimus. deinde VIII. Kalend. Febr. TANTUMMODO *Cnæus noſter, ne, ut urbem* ΑΛΟΓΙΣΤΩΣ *reliquit, ſic Italiam relinquat.* eodem die das alteras, quibus mihi conſulenti planiſſimè reſpondes. eſt enim ſic, SED VENIO *ad* [5] *conſultationem. Tunc, ſi Cnæus Italia cedit, in urbem redeundum puto:* [6] *quæ enim finis peregrinationis?* hoc mihi planè hæſit: & nunc ita video, infinitum bellum, [7] junctum miſerrima fuga; quam tu peregrinationem [8] ὑποκορίζῃ. Sequitur χρησμὸς VI. Kalend. Februar. EGO, SI *Pompejus manet in Italia, nec res ad pactionem venit, longius bellum puto fore: ſin Italiam relinquit, ad poſterum bellum* ΑΣΠΟΝΔΟΝ *ſtrui exiſtimo.* Hujus igitur belli ego particeps & ſocius & adjutor eſſe cogor; quod & ἄσπονδον, & cum civibus. Deinde VII. Idus Februar. cùm jam plura audires de Pompeii conſilio, concludis epiſtolam quandam hoc modo, EGO QUIDEM TIBI NON SIM AUCTOR, *ſi Pompejus Italiam relinquit, te quoque profugere. ſummo enim periculo facies, nec Reip. proderis; cui quidem poſterius poteris prodeſſe, ſi manſeris.* Quem Φιλόπολιν, ac πολιτικὸν hominis prudentis [9] & amici, tali admonitu, non moveret auctoritas? Deinceps III. Idus Februar. iterum mihi reſpondes conſulenti ſic, QUOD *quæris à me,* [10] *fugam nec fidam, an moram deſœdam utiliorem putem: ego vero in præſentia ſubitum diſceſſum, & præcipitem profectionem cum tibi, tum ipſi Cnæo inutilem, & periculoſam puto: & ſatius eſſe exiſtimo, vos diſpertitos, & in ſpeculis eſſe. ſed medius fidius* [11] *turpe nobis puto eſſe, de fuga cogitare.* Hoc turpe Cnæus noſter biennio ante cogitavit; ita Sullaturit animus ejus, & [12] proſcripturit diu. Inde, ut opinor, cùm tu ad me quædam [13] γενικώτερον ſcripſiſſes, & ego mihi à te quædam ſignificari putaſſem, ut Italia cederem; deteſtaris hoc diligenter XI. Kalend. Mart. EGO *vero nulla epiſtola ſignificavi, ſi Cnæus Italia cederet, ut tu una cederes: aut, ſi ſignificavi, non dico fui inconſtans, ſed demens.* In eadem epiſtola alio loco, NIHIL *relinquitur, niſi fuga: cui te ſocium neutiquam puto eſſe oportere, nec umquam putavi.* Totam autem hanc deliberationem evolvis accuratius in litteris IIX. Kalend. Mart. datis. SI *M Lepidus, & L. Volcatius remanent, manendum puto, ita ut, ſi ſalvus ſit Pompejus, & conſtiterit alicubi,* [14] *hanc* νεκυίαν *relinquas, & te in certamine vinci cum illo facilius patiaris, quam cum hoc in ea, quæ perſpicitur futura, colluvie regnare.* Multa diſputas huic ſententiæ convenientia. inde ad extremum. QUID *ſi*, inquit, *Lepidus, & Volcatius diſcedunt? Plane* ΑΠΟΡΩ. *Quod evenerit igitur, & quod egeris, id* [15] ΣΤΕΡΚΤΕΟΝ *putabo.* Si tum dubitaras, nunc certè non dubitas, iſtis manentibus. Deinde in ipſa fuga V. Kal. Mart. INTEREA *non dubito, quin in Formiano manſurus ſis. commodiſſime enim* τὸ μέλλον *ibi* καραδοκήσεις: A. D. Kal. Mart. cùm ille quintum jam diem Brundiſii eſſet, TUM *poterimus deliberare, non ſcilicet integra re, ſed certe minus infracta, quam ſi una projeceris te.* Deinde IV. Nonas Mart. [16] ὑπὸ τὴν λῆψιν cùm breviter ſcriberes, tamen ponis hoc, CRAS *ſcribam plura, & ad omnia, hoc tamen dicam non pœnitere me conſilii de tua manſione: &, quamquam magna ſollicitudine, tamen, quia minus mali puto eſſe, quam in illa profectione, maneo in ſententia, & gaudeo te manſiſſe.* Cum verò jam angerer, & timerem, ne quid à me dedecoris eſſet admiſſum; III. Nonas Mart. TAMEN, *te non eſſe una cum Pompejo, non fero moleſte. poſtea ſi opus fuerit, non erit difficile; & illi, quoquo tempore fiet, erit* ἀσμενιστόν. *ſed hoc ita dico, ſi hic, qua ratione initium fecit, eadem cetera aget, ſincere, temperate, prudenter; valde videro, & conſideratius utilitati noſtræ conſuluero.* VII. Idus Mart. ſcribis Peduceo quoque noſtro probari, quòd quierim, cujus auctoritas multum apud me valet. His ego tuis ſcriptis me conſolor, ut nihil à me adhuc delictum putem. tu modo auctoritatem tuam defendito; [17] adverſus me, nihil opus eſt: ſed conſciis egeo aliis. ego, ſi nihil *peccavi*, reliqua tuebor. ad ea tute hortare, & me omnino tua cogitatione adjuva. Hic nihil dum de reditu Cæſaris audiebatur. Ego his litteris hoc tamen profeci; perlegi omneis tuas, & in eo acquievi.

CI-

1. *Alia res nunc tota eſt, alia mea.*] Libris ſuis auctoribus ita ſcribit Boſius. Lambinus, Memm. Malaſp. Tornæſ. ſequutus edidit, *alia mens mea*; mallet tamen ſic legi, *alia reipublicæ nunc cauſa eſt, alia mea.*

2. *Hæc, hæc me fefellerunt.*] Geminatur pronomen *hæc* in Scidis & Tornæſ.

3. *Si vel periculoſe.*] Ita Decurtatus: Tornæſ. verò, *ſive periculosè.* unde conjecerat ipſe Lambinus, *ſi vel, &c.* Manutius & Faërnus corrigunt, *ſi vel periculo*, Manutius etiam exiſtimat poſſe legi, *ſi ſine periculo.* Memmius legebat ex veteribus libris nonnullis, *nunc ſi vel cum periculo*: Vulg. *ſive periculo.*

4. *Evolvi.*] Lambinus legit, *revolvi.*

5. *Conſultationem. tunc, ſi Cnæus.*] Vulg. *conſultionem tuam. Si Cnæus.*

6. *Quæ enim finis.*] Vulg. *qui enim finis.*

7. *Junctum miſerrima fuga.*] Vulg. *miſerrimæ fuga.*

8. Ὑποκορίζῃ.] Ita reſtituit Victorius, pro eo quod habebatur prius, ὑποκορίζων *appellat.*

9. *Et amici, tali.*] Legendum forte videtur Lambino, *amici tui, &c.*

10. *Fugam nec fidam, an moram deſœdam.*] Boſius hæc partim conjectura, partim ex Decurt. & Cruſell. emendavit. videatur Turnebus lib. 1. Advert. cap. 21. vulg. *fugam ne fidam an moram deſerendam.* Beſſarionis & Cavalcantis libri, pro *deſerendam*, habent *defendam*: unde conjicit Manutius, *fugamne fœdam, an mora deſidem.* Junius Mutatione ferè nulla, ex tribus mſſ. Palat. ſic legit, *fuga ne fidem, an mora deſerendam, utiliorem putem, &c.*

11. *Turpe nobis.*] Ant. Auguſt. & Manutius rectius ducunt, *vobis.*

12. *Proſcripturit diu.*] Vulg. *proſcripturit jam diu.*

13. Γενικώτερον.] Debetur & hæc correctio Victorio; antea legebatur ἀρρενικώτερον.

14. *Hanc* νεκυίαν.] Hæc quoqne emendatio eſt Victorii: prius erat *hanc* ἢ ἐκεῖνα.

15. Στερκτέον.] Vulg. στερητέον.

16. Ὑπὸ τὴν λῆψιν.] Sic repoſuit Victorius ex mſ. ſuo pro eo quod vulgabatur ἐν ἀπολογίᾳ τινι.

17. *Adverſus me nihil opus eſſet, ſed conſciis egeo aliis.*] Ita Boſius (quem fere per omnia ſequitur Junius) emendat hanc corruptam Decurtati lectionem, *adverſus me nihil opus eſt, conſciis ego aliis.* vulg. *adverſus me nihil opus eſſe, conſcius ego aliis.* Lambinus verò legit: *Tu modo auctoritatem tuam defendito adverſus me: adverſus alios nihil opus eſt ſi mihi nullius culpæ conſcius ſum ego, nihil peccavi, &c.*

1. *Len-*

11 CICERO ATTICO, S.

[1] LENTULUM noſtrum ſcis Puteolis eſſe: quod cùm è viatore quodam eſſet auditum, qui ſe diceret cum in Appia, cùm is paullum lecticam aperuiſſet, cognoſſe, [2] etſi vix veriſimile, miſi tamen Puteolos pueros, qui perveſtigarent, & ad eum litteras. inventus eſt vix in hortis ſuis ſe occultans, litteraſque mihi remiſit, mirificè gratias agens Cæſari: de ſuo autem conſilio C. Cacio mandata ad me dediſſe. eum ego hodie exſpectabam, id eſt [3] XIII. Kal. April. Venit etiam ad me Matius [4] Quinquatribus, homo mehercule, ut mihi viſus eſt; *temperatus* & prudens: [5] exiſtimatus quidem eſt ſemper auctor otii. quàm ille hæc non probare mihi quidem viſus eſt! quàm illam νεκυίαν, ut tu appellas, timere! huic ego in multo ſermone epiſtolam ad me Cæſaris oſtendi, eam, cujus exemplum ad te antea miſi; rogavique, ut interpretaretur, quid eſſet, quod ille ſcriberet, *conſilio meo ſe uti velle, gratia, dignitate, ope rerum omnium.* reſpondit, ſe non dubitare, quin & opem, & gratiam meam ille ad pacificationem quæreret. utinam aliquod in hac miſeria Reipub. πολιτικὸν opus efficere & navare mihi liceat. Matius quidem & illum in ea ſententia eſſe confidebat, & ſe auctorem fore pollicebatur. Pridie autem apud me Craſſipes fuerat, qui ſe pridie Nonas Mart. Brundiſio profectum, atque ibi Pompejum reliquiſſe dicebat: quod etiam, qui IIX. Idus illinc profecti erant, nuntiabant: illa verò omnes, [6] in quibus etiam Craſſipes, [7] qui prudentia potis attendere, ſermones minacis, inimicos optimatium, municipiorum hoſtis, meras proſcriptiones, meros Sullas: quæ Lucceium loqui? quæ totam Græciam? quæ vero Theophanem? & tamen omnis ſpes ſalutis in illis eſt; & ego excubo animo, nec partem ullam capio quietis; &, ut has peſteis effugiam, cum diſſimillimis noſtri eſſe cupio. quid enim tu illic Scipionem, [8] quid Fauſtum, quid Libonem prætermiſſurum ſceleris putas? quorum CREDITORES convenire dicuntur. quid eos autem, cùm vicerint, in civeis effecturos? [9] quàm verò μακροψυχίαν Cnæi noſtri eſſe? nuntiant Ægyptum, & Arabiam εὐδαίμονα, [10] & μεσοποταμίαν cogitare, Hiſpaniam abjeciſſe. monſtra narrant; quæ falſa eſſe poſſunt. ſed certè & hæc perdita ſunt, & illa non ſalutaria. Tuas litteras jam deſidero. [11] poſt fugam noſtram numquam jam noſtrum earum intervallum fuit. Miſi ad te exemplum litterarum mearum ad Cæſarem; quibus me aliquid profecturum puto.

CICERO IMP. S. D. CÆSARI IMP.

UT legi tuas litteras, quas à Furnio noſtro acceperam, quibus mecum agebas, ut ad urbem eſſem; te velle uti conſilio & dignitate *mea, minus ſum admiratus: de* gratia, & *de ope quid ſignificares, mecum ipſe quærebam: ſpe tamen deducebar ad eam cogitationem, ut te pro tua admirabili ac ſingulari ſapientia de otio, de pace, de concordia civium agi velle arbitrarer: & ad eam rationem exiſtimabam ſatis aptam eſſe & naturam & perſonam meam. quod ſi ita eſt; & ſi qua de Pompejo noſtro tuendo, & tibi, ac Reip. reconciliando cura te attingit; magis idoneum, quàm ego ſum, ad eam cauſam profecto reperies neminem: qui & illi ſemper, & Senatui, cùm primum potui, pacis auctor fui; nec, ſumtis armis, belli ullam partem attigi; judicavique eo bello te violari, contra cujus honorem, populi Romani* beneficio *conceſſum, inimici, atque invidi niterentur. ſed ut eo tempore non modo* [12] *ipſe fautor dignitatis tuæ fui, verùm etiam ceteris auctor ad te adjuvandum; ſic me nunc Pompeii dignitas vehementer movet. aliquot enim ſunt anni, cùm vos duo delegi, quos præcipuè colerem, & quibus eſſem, ſicut ſum, amiciſſimus. Quamobrem à te peto, vel potiùs omnibus precibus oro, & obteſtor, ut in tuis maximis curis aliquid impertias temporis huic quoque cogitationi, ut tuo beneficio bonus vir, gratus, pius denique eſſe in maximi beneficii memoria poſſim; quæ ſi tantum* ad me *ipſum pertinerent, ſperarem me à te tamen impetraturum. ſed, ut arbitror, & ad tuam fidem, & ad Rempub. pertinet,* [13] *me è paucis, & utriuſque veſtrum, & ad civium concordiam, per te, quàm accommodatiſſimum, conſervari. Ego, cùm antea tibi de Lentulo gratias egiſſem, cùm ei ſaluti, qui mihi fuerat, fuiſſes; tamen, lectis ejus litteris, quas ad me gratiſſimo animo de tua liberalitate, beneficioque miſit, eandem me ſalutem à te accepiſſe putavi; quam ille: in quem ſi me intelligis eſſe gratum; cura, obſecro, ut etiam in Pompejum eſſe poſſim.*

CICERO ATTICO, S. 12

LEGEBAM tuas litteras XIII. Kalend. cùm mihi epiſtola affertur à Lepta, circumvallatum eſſe Pompejum, ratibus etiam exitus portus teneri. non medius fidius præ lacrimis poſſum reliqua nec cogitare, nec ſcribere. miſi ad te exemplum. miſeros nos, cur non omnes *fatum* illius una exſecuti ſumus? [14] ecce autem à Matio & Trebatio eadem: quibus Minturnis obvii Cæſaris tabellarii. torqueor infelix ut jam illum Mucianum exitum exoptem. at quàm honeſta, at quàm expedita tua conſilia, quàm evigilata tuis cogitationibus, qua itineris, qua navigationis, qua congreſſus, ſermoniſque cum Cæſare? omnia tum honeſta, tum cauta. in Epirum verò invitatio quàm ſuavis, quàm liberalis, quàm fraterna? De Dionyſio, ſum admiratus: qui apud me honoratior fuit, quàm apud Scipionem Pænætius: à quo impuriſſimè hæc noſtra fortuna [15] deſpecta eſt. odi hominem, & odero: utinam ulciſci poſſem: ſed *illum ulciſcen-*

1. *Lentulum.*] In vulgata editione hæc epiſtola unicam conſtituit cum ſuperiori.

2. *Etſi vix veriſimile.*] Vulg. *etſi veriſimile.*

3. *XIII. Kal.*] Ita Boſius ex Decurtato: vulg. *XIV.*

4. *Quinquatribus.*] Hoc gloſſema eſſe putat Manutius, ſed Boſius oſtendit probum eſſe.

5. *Exiſtimatus eſt quidem ſemper auctor otii.*] Pro, *autor otii*, mſ. Victor habet, *auctoritati.*

6. *In quibus etiam Craſſipes.*] Beſſarionis liber, *in quibus Craſſipes erat*: pro *Craſſipes*, in Tornæſ. & Cruſell. *Craſſipus.*

7. *Qui prudentia potis attendere.*] Veteres libri, *potiùs*, ſcripſit Boſius *potis*, vulg. *potuit.*

8. *Quid Fauſtum.*] Eſt hæc emendatio Victorii, priùs ediderant, *quid Emagium.*

9. *Quam verò μακροψυχίαν Cn.*] Ita reſtituit Victorius antea pro *Cn.* legebatur, *nec*; vulg. *quam verò putas μακροψυχίαν.* Magnulus, teſte Manutio, μικροψυχίαν, malebat. parum aptè. eſt enim μακροψυχία, *longanimitas* propriè, ut μάκος ſeu μῆκος, *longitudo.* Interpretatur autem Dauſqueius Pompeii patientiam monſtri aliquid alere, quod & Cicero metuit. Sic μακροσκελὴς non eſt *magnis tibiis* homo, ſed *longis*, qui, & *perſilis* veteribus dicitur. Neque enim puſillum Pompeii animum notat Tullius, ſed patientem ea, quibus mederi non poteſt, niſi in Ægypto aut Arabia vires firmet augeatque. Patientem inquam; quali modò vertit interpres Actor. Apoſtol. cap. XXVI. illud S. Paulli; μακροθύμως ἀκοῦσαί μου: patienter me audias. Sed & *magnum animum* fas interpretari Latinius loquenti; idque ex variis harum Epiſtolarum locis, præſertim ex libro X. epiſt. 7. *Niſi forte his amiſſis, arma Pompejum abjecturum putas; cujus omne conſilium Themiſtocleum, &c.* en Cn. noſtri μακροψυχίαν. huctenus Dauſqueius.

10. *Et μεσοποταμίαν.*] Poſt, *Arabiam εὐδαίμονα* mſſ. Boſii ſubjiciunt, & μεσοποταμίαν, quomodo ille edendum curavit.

11. *Poſt fugam noſtram, numquam tam noſtrum earum intervallum fuit.*] Hinc Ant. Auguſtinus conjiciebat, *numquam tam mei* [illegible] *earum intervallum fuit.* Urſino placeret magis ſi ita legeretur, *numquam tam vaſtum earum intervallum fuit.*

12. *Ipſe fautor dignitatis.*] Alii libri *auctor.* Boſii veteres *fautor* quod probaret Manutius ſi in ſuis exſtaret. Urſino autem placet *adjutor dignitatis*, ut eſt in ſuo mſ.

13. *Me è paucis, & utriuſque veſtrum, & ad civium concordiam.*] Hæc eſt ſcidarum lectio; vulgo, *me & pacis utriuſque veſtrum, &c.* Vocem *pacis* ut ſpurium tollit Lambinus: Faërnus legit, *me & paci utriuſque veſtrum.* Junius in omnibus ſequitur Boſium, niſi quod è mſſ. Pal. adjicit voculam, *ad*, & legit, *è paucis ad utriuſque, &c.* mſ. Urſini habet, *me & pacis utriuſque veſtrum auctorem & adcivium, &c.*

14. *Ecce autem à Matio.*] Vulg. *Ecce eadem à Matio.*

15. *Deſpecta eſt.*] Vulg. *deſpectata eſt.*

ciſcentur mores ſui. Tu, quæſo, nunc vel maximè, quid agendum nobis ſit, cogita. Populi Romani exercitus Cn. Pompejum circumſidet; foſſa & vallo ſeptum tenet, fuga prohibet; nos vivimus, & ſtat urbs iſta? Prætores jus dicunt? Ædiles ludos parant? viri boni uſuras perſcribunt? ego ipſe ſedeo? coner illuc ire, ut inſanus? implorare fidem municipiorum? boni non ſequentur; leves irridebunt; rerum novarum cupidi, victores præſertim & armati, vim & manus afferent. Quid cenſes igitur? [1] ecquidnam eſt tui conſilii ad finis hujus miſerrimæ vitæ? nunc doleo, nunc torqueor, [2] cùm quibuſdam aut ſapiens videor, quòd una non ierim, aut felix fuiſſe. mihi contra. numquam enim illius victoriæ ſocius eſſe volui; calamitatis *mallem* fuiſſe. quid ego nunc tuas litteras, quid tuam prudentiam, aut benivolentiam implorem? actum eſt. nulla re jam poſſum juvari, qui ne quid optem quidem jam habeo, niſi ut aliqua inimici miſericordia liberemur. σῶκες ἔτυμος λόγος, ut opinor, ille de ratibus. quid enim eſt, quod Dolabella his litteris, quas III. Idus Mart. à Brundiſio dedit, hanc [3] εὐημερίαν quaſi Cæſaris ſcriberet, Pompejum in fuga eſſe? eumque primo vento navigaturum? quod valde diſcrepat ab iis epiſtolis, quarum exempla antea ad te miſi. hic quidem mera ſcelera loquuntur. ſed non erat nec recentior auctor, nec hujus rei quidem melior Dolabella.

CICERO ATTICO, S.

13 TUAS XI. Kalend. accepi litteras, quibus omnia conſilia differs in id tempus, cùm ſcierimus, quid actum ſit: & certè ita eſt: [4] nec interim poteſt quidquam ſtatui, ſed ne cogitari quidem. quamquam hæ mihi litteræ Dolabellæ jubent ad priſtinas cogitationes reverti. fuit enim pridie Quinquatrus egregia tempeſtas, qua ego illum uſum puto. Συναγωγὴ conſiliorum tuorum non eſt à me collecta ad querelam, ſed magis ad conſolationem meam. nec enim me tam hæc mala angebant, quàm ſuſpicio culpæ, ac temeritatis meæ: eam nullam puto eſſe: quoniam cum conſiliis tuis mea facta & conſilia conſentiunt. Quod mea prædicatione factum eſſe ſcribis magis, quam illius merito, ut tantum ei debere viderer; eſt ita. [5] ego illa extuli ſemper, & eo quidem magis, ne quid ille *ſuperiorum* meminiſſe me putaret: quæ ſi maximè meminiſſem; tamen illius temporis ſimilitudinem jam ſequi deberem. nihil me adjuvit, cùm poſſet: & poſtea fuit amicus, [6] etiam valde: ecquam ob cauſam planè neſcio. ergo ego quoque illi. quin etiam illud par in utroque noſtrum, [7] quod ab eiſdem illecti ſumus. ſed utinam tantum ego ei prodeſſe potuiſſem, quantum mihi ille potuit. mihi tamen, quod fecit, gratiſſimum: nec ego, nunc eum juvare qua re poſſim, ſcio: nec, ſi poſſem, cùm tam peſtiferum bellum pararet, adjuvandum putarem. tantum offendere animum ejus hìc manens nolo. nec mehercule iſta videre, quæ tu potes jam animo providere, nec intereſſe iſtis malis poſſem. ſed eo tardior ad diſcedendum fui, quòd difficile eſt de diſceſſu voluntario ſine ulla ſpe reditus cogitare. nam ego hunc ita paratum video peditatu, equitatu, claſſibus, auxiliis Gallorum, quos Matius [8] ἐλαπίζειν, ut puto; ſed certè dicebat, [9] peditum CCIↃↃ, equitum ſex polliceri ſumptu ſuo annos decem. [10] ſed ſit hoc λάπισμα. magnas habet certè copias: & habebit, [11] non, ut ille, vectigal, ſed *civium bona.* adde confidentiam hominis; adde imbecillitatem bonorum virorum; qui quidem, quòd illum ſibi meritò iratum putant, oderunt, [12] ut tu ſcribis, ludum. ac vellem, ſcribis, quiſnam hic ſignificaſſe te. ſedet iſte, quia plus oſtenderat, quam fecit; & vulgo illum, qui amarunt, non amant. municipia verò, & ruſtici Romani illum metuunt, hunc adhuc diligunt. quare ita paratus eſt, ut, etiam ſi vincere non poſſit, quo modo tamen ipſe vinci poſſit, non videam. ego autem non tam γοητείαν hujus timeo, quàm πειθανάγκην. αἱ γὰρ τῶν τυράννων δεήσεις, inquit Πλάτων οἶσθ' ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις. [13] Illa ἁλίμενα video tibi non probari: quæ ne mihi quidem placebant. [14] ſed habebam in illis & occultationem, & ὑπηρεσίαν fidelem: quæ ſi mihi Brundiſii ſuppetunt, mallem. ſed ibi occultatio nulla eſt. verùm, ut ſcribis, [15] cùm ſcierimus. Viris bonis me non nimis excuſo. quas enim eos cenas & facere, & obire [16] ſcripſit ad me Sextus? quàm lautas? quàm tempeſtivas? ſed ſint quamvis boni, [17] non ſunt meliores, quam nos: moverent me, ſi eſſent fortiores. De Lanuino Phameæ, erravi: Trojanum [18] ſomniabam. id ego volui Q. ſed pluris eſt. iſtuc tamen cuperem emeres, ſi ullam ſpem fruendi viderem. Nos quæ monſtra quotidie intelligamus, ex illo libello, qui in epiſtolam conjectus eſt. Lentulus noſter Puteolis eſt ἀδημονῶν, [19] ut Cæcius narrat, quid agat: Δὶς τρόπον Corfinienſem reformidat: Pompejo nunc putat ſatisfactum: beneficio Cæſaris movetur; ſed tamen movetur magis proſpecta re. [20] Tene hæc ferre poſſe? Omnia miſera: ſed hoc nihil miſerius; Pompejus [21] N. Magium de pace miſit, & tamen oppugnatur; quod ego non credebam: ſed habeo à Balbo litteras, quarum ad te exemplum miſi: lege quæſo, & illud infimum caput ipſius Balbi,

---

1. *Ecquidnam eſt tui conſilii ad finis.*] Hæc emendatio eſt Boſii an ex conjectura, an ex libris parum mihi conſtat. Manuſcriptorum alii habent *adfinis*, alii *adfines*. Urſini codex, *ac finis*. Palatini duo, *ad finem*. Manutius exiſtimat patere ſententiam ſi ſic legatur: *quid cenſes igitur, & quidnam eſt tui conſilii? quid? finis hujus miſerrimæ vitæ.*

2. *Cum quibuſdam.*] Ita reſtituit Victorius ex ſuis libris, antea legebatur, *quidem.*

3. *Εὐημερίαν quaſi Cæſaris.*] Junius ait mſſ. unum Palat. delere vocem *quaſi.*

4. *Nec interim poteſt quicquam ſtatui, ſed ne cogitari quidem.*] *Sed*, abeſt vulgò. Victorius ait ſe hunc locum reſtituiſſe quum antea legeretur, *nec interim poteſt non modo ſtatui, ſed ne, &c.*

5. *Ego illa extuli.*] Vulg. *illum.*

6. *Etiam valde: ecquam ob cauſam, planè neſcio.*] Sic Decurtatus, vulg. *& tam valde, & quam ob cauſam, planè ſcio.*

7. *Quod ab eiſdem illecti ſumus.*] Ita ſe conjectura repoſuiſſe λαπίζειν Lambinus. ſed ita Cavalcantis librum habere teſtantur Manutius & Victorius. Memm. codd. Beſſarionis, Maffei, & aliorum habent *dilecti*, unde Manutius conjicit legendum *ejecti.*

8. *Ἐλαπίζειν.*] Ita Manutius, Malaſpinus, Lambinus, Boſius repoſuerunt. Victorius ἐσαλπίζειν ſeu σαλπίζειν legit, quod poſtremum vulgo receptum eſt.

9. *Peditum* CCIↃↃ.] Deerat hic numerus peditum & equitum quem ex Decurtato ſic Boſius expreſſit.

10. *Sed ſit hoc λάπισμα.*] Hoc ex antiquo ſuo repoſuit Victorius, & rejecit ψυδὲς illud ψυδονησιόδειον, quod ibi antea habebatur.

11. *Non ut ille vectigal.*] Reſtituit particulam, *ut*, ante vocem, ille, ex Decurtato Boſius.

12. *Ut tu ſcribis, ludum. ac vellem, ſcribis, quiſnam hic ſignificaſſe te. ſedet iſte, quia plus oſtenderat, quàm fecit; & vulgo illum, &c.*] Ita Boſius ex Scidis, ſed Urſinus ſic legit, *& ut tu ſcribis ludunt: ac bellè ſcribis quiſnam hæc ſignificaſſet? ſed & iſtum quia plus oſtenderat quam fecit, amant; & vulgo illum, &c.* vetus editio habet, *quiſnam hic ſignificaſſet. ſed & iſte.*

13. *Illa ἁλίμενα.*] Ita Victorius ſcribendum & orationem pungendam eſſe docet.

14. *Sed habebam in illis & occultationem.*] Et hunc locum ſanavit Victorius. antea habebatur, *& occultè ſic omnem.* Junius ex mſſ. Palat. legit *habebam in illis finem & occultationem.*

15. *Cum ſcierimus.*] In libro impreſſo Manutii erat *cùm ſcimus*; unde ille malebat, *cum ſciemus.*

16. *Scripſit ad me Sextus.*] Faërnus, pro, *Sextus* reponebat, *Cæcius.*

17. *Non ſint meliores*] Legendum fortaſſe eſt, ut videtur Lambino, *ſint meliores quam nos.*

18. *Somniabam.*] Vulg *ſomniaveram.*

19. *Ut Cecius narrat.*] Vulg. *is ut Cæcius narrat.*

20. *Tene hæc ferre poſſe.*] Abeſt à vulg. vocula, *te*, quam Boſius ex Decurtato reſtituit, in quo hæc verba ſic corruptè concipiuntur, *te nec hæc poſſe ferre.*

21. *N. Magium.*] Et hic & infra impreſſi habent, *Cn. Magium.*

1. Le-

Balbi, optimi, cui Cnæus noſter [1] locum, ubi hortos ædificaret, dedit: quem cui noſtrum non ſæpe prætulit? itaque miſer torquetur. ſed, ne bis eadem legas, ad ipſam te epiſtolam rejicio. ſpem autem pacis habeo nullam. Dolabella ſuis litteris, Idibus Mart. datis, merum bellum loquitur. maneamus ergo in illa eadem ſententia miſera & deſperata: quando hoc miſerius eſſe nihil poteſt.

BALBUS CICERONI IMP. S.

CÆSAR nobis litteras perbreves miſit, quarum exemplum ſubſcripſi. brevitate epiſtolæ ſcire poteris eum valde eſſe diſtentum, qui tanta de re tam breviter ſcripſerit. ſi quid præterea novi fuerit, ſtatim tibi ſcribam.

CÆSAR OPPIO CORNELIO S.

AD. VII. Id. Mart. Brundiſium veni: ad murum caſtra poſui. Pompejus eſt Brundiſii. miſit ad me N. Magium de pace. quæ viſa ſunt, reſpondi. hoc vos ſtatim ſcire volui. cùm in ſpem venero, [2] *de compoſitione aliquid me conficere, ſtatim vos certiores faciam. Quomodo me nunc putas, mi Cicero, torqueri, poſtquam rurſus in ſpem pacis veni, ne qua res eorum compoſitionem impediat? namque, quod abſens facere poſſum, opto. quòd ſi una eſſem, aliquid fortaſſe* [3] *proficere poſſem videri. nunc* exſpectatione *crucior.*

14
CICERO ATTICO, S.

MISERAM ad te [4] IX. Kalend. exemplum epiſtolæ Balbi ad me, & Cæſaris ad eum; ecce tibi, eodem die Capua litteras accepi ab Q. Pedio, Cæſarem ad ſe pridie Idus Mart. [5] miſiſſe hoc exemplo, *Pompejus ſe oppido tenet. nos ad portas caſtra habemus. conamur opus magnum, & multorum dierum, propter altitudinem maris. ſed tamen nihil eſt quod potiùs faciamus. ab utroque portus cornu moles jacimus, ut aut illum quamprimum trajicere quod habet Brundiſii copiarum cogamus, aut exitu prohibeamus.*

Ubi eſt illa pax, de qua Balbus ſcripſerat torqueri ſe? ecquid acerbius? ecquid crudelius? atque [6] eum loqui αὐθεντικῶς narrabat; Cn. Carbonis, M. Bruti ſe pœnas perſequi, omniumque eorum, in quos Sulla crudelis hoc ſocio fuiſſet: [7] nihil Curionem ſe duce facere, quod non hic Sulla duce: feciſſe ad ambitionem, quibus exilii pœna ſuperioribus legibus non fuiſſet; ab illo patriæ proditores de exilio reductos eſſe: queri de Milone per vim expulſo: neminem tamen ſe violaturum, [8] niſi qui arma hâc. contra Bæbius quidem à Curione III. Id. profectus, homo non infans, [9] ſed qui S. ulli non dicat. planè neſcio, quid agam. [10] illinc equidem Cnæum profectum puto. quidquid eſt, biduo ſciemus. [11] A te nihil, ne Anteros quidem, qui à te, litterarum: nec mirum. quid enim eſt quod ſcribamus? ego tamen nullum diem prætermitto. Scripta epiſtola, litteræ mihi ante lucem à Lepta Capua redditæ ſunt Idib. Mart. Pompejum à Brundiſio conſcendiſſe, [12] at Cæſarem A. D. VII. Kalend. Apr. Capuæ fore.

CICERO ATTICO, S. 15

CUM dediſſem ad te litteras, ut ſcires Cæſarem Capuæ VII. Kalend. fore, [13] allatæ mihi ſunt litteræ eum in Albano apud Curionem V. Kalend. fore. eum cùm videro, Arpinum pergam. ſi mihi veniam, quam peto, dederit, utar illius conditione: ſin minùs, impetrabo aliquid à me ipſo. ille, ut ad me ſcripſit, legiones ſingulas poſuit Brundiſii, Tarenti, Siponti. claudere mihi videtur maritimos exitus: & tamen ipſe Græciam ſpectare potiùs, quàm Hiſpanias. ſed hæc longiùs abſunt. Me nunc & congreſſus hujus ſtimulat; (is verò adeſt) [14] & primas ejus actionis horreo. volet enim, credo, S. C. facere: volet Augurum decretum: rapiemur, aut abſentes vexabimur: vel ut Conſules roget Prætor, vel Dictatorem dicat: quorum neutrum *jus* eſt. [15] ſed ſi Sulla potuit efficere, ab interrege [16] ut Dictator diceretur, & Magiſter equitum, cur hic non poſſit? nihil expedio, niſi ut aut ab hoc, tamquam Q. Mucius, aut ab illo, tamquam L. Scipio. Cum tu hæc leges, ego illum fortaſſe convenero. [17] τέτλα, κύντερον ne illud quidem noſtrum proprium. erat enim ſpes propinqui reditus; erat hominum querela. nunc exire cupimus; qua ſpe reditus, mihi quidem numquam in mentem venit. non modò autem nulla querela eſt municipalium hominum, ac ruſticorum, ſed contra metuunt, ut crudelem, iratum. nec tamen mihi quidquam eſt miſerius, quàm remanſiſſe; nec optatius, quam evolare, non tam ad belli, quàm ad fugæ *ſocietatem.* ſed tu omnia conſilia differebas in id tempus, cùm ſciremus, quæ Brundiſii acta eſſent. ſcimus nempe: hæremus nihilo minus. vix enim ſpero mihi hunc veniam daturum: etſi multa affero juſta ad impetrandum. ſed tibi omnem illius, meumque ſermonem, omnibus verbis expreſſum, ſtatim mittam. Tu nunc omni amore enitere, [18] ut nos cura tua, & prudentia juves, ita ſubitò accurrit, ut ne [19] T. Rebilum quidem, ut conſtitueram, poſſim videre. omnia nobis *imperatu* agenda. ſed tamen,

— ἀλλὰ μὲν αὐτὸς, ut ait ille,
Ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται.

quid-

1. *Locum, ubi hortos ædificaret.*] Ita repoſuit Boſius, pro corrupto illo, *locum uberem ut hortos ædificaret.* Junius ex duobus Palat. *locum haberem, ut hortos ædificarem;* tertius mſ. Pal. habet, *ubi,* non, *ut.*

2. *De compoſitione aliquid me conficere.*] Urſinus ſuſpicatur verba, *aliquid me conficere,* gloſſema eſſe.

3. *Proficere poſſem videri.*] Verbum, *videri,* deeſt in vulg.

4. *IX. Kal.*] Ita Beſſarionis liber teſte Manutio: vulg. *IIX. Kal.*

5. *Miſiſſe hoc exemplo.*] Vulg. *miſiſſe litteras hoc exemplo.*

6. *Eum loqui αὐθεντικῶς narrabat.*] Vulg. *loqui quidam αὐθεντικῶς narrant.*

7. *Nihil Curionem ſe duce facere; quod non hic Sulla duce: feciſſe ad ambitionem, quibus exilii pœna ſuperioribus legibus non fuiſſet.*] *Curionem,* pro, *Curione* poſuit Victorius, Boſius verò præter diſtinctionem, mutavit, *feciſſet,* in *feciſſe.* Junius nihil in textu, diſtinctionem ſolam movet hoc modo, *quod non hic Sulla duce, feciſſet ad ambitionem:* vulgò enim ſic diſtinguitur, *quod non hic Sulla duce feciſſet. Ad ambit.* Manutius ſic conjicit, *ab hoc lege de Ambitu nova; quibus exſilii pœna ſuperioribus legibus non fuiſſet, ejectos: ab illo patriæ proditores exſilio reductos eſſe:* & hujus conjecturam Lambinus in editionem ſuam retulit. Ceterùm pro *proditores,* Faërnus legebat *perditores.*

8. *Niſi qui arma hâc. contra.*] Ita Boſius ex Scidis: Vulgò *niſi qui arma hæc contra,* quod Victorius jam ex parte emendaverat, rejiciens duas illas voces, *ſe moverunt,* quæ poſt, *contra,* legebantur; Junius verò ſic diſtinguit *niſi qui arma. Hæc contra Bæbius.*

9. *Sed qui S. ulli.*] Separavit hic Boſius notam S. a vocabulo *qui,* quod importunè adhæſerat. Manutius commodum exiſtimabat ſenſum eſſe ſi ita diſtingueretur, *ſed quis, ulli non dicat.* Vetus liber Urſini habebat, *ſed quid ſi ille non dicat.* Tornæſ. *ſed quis illi non dicat:* unde Lambinus olim putaverat emendandam, *ſed quis illa non dicat.* Turnebus libro I. cap. 21. conjicit, *ſed qui ſoli non dicat?* qui adeatur.

10. *Illinc equidem.*] Hic receptam lectionem ſervat Victorius, ait tamen ſuum antiquum habere, *illim equidem;* quod omnino probat Giſanius, in indice Lucretiano. vulgò *illinc quidem.*

11. *A te, nihil ne Anteros quidem, qui à te, litterarum.*] Coniectura hæc eſt Boſii, adjuta corrupta hac Decurtati ſcriptura, *à te nihil, ne ante poſt quidem qui à te.* Junius hic Boſium ſequitur, ſed aliquid in diſtinctionibus mutat. Ceterum Manutius qui hinc novam epiſtolam orditur, legit, *à te nihil, ne ante prorſus quidem quid litterarum.* Planè ita vulgus ut Manutius, niſi quod nulla diſtinct. poſt vocem *nihil.* Lambin. *à te nihil prorſus, ne ante dies quidem quinque.*

12. *At Cæſarem.*] Vulg. *ac Cæſarem.*

13. *Allatæ mihi ſunt litteræ.*] Vulg. *allatæ mihi ſunt Capua litteræ.*

14. *Et primas ejus actionis.*] Victorius emendavit, *prima,* quod vulgò receptum eſt.

15. *Sed ſi Sulla.*] Eſt à Tornæſ. & Cruſell. vulgò, *& ſi Sulla.*

16. *Ut dictator diceretur & magiſter equitum.*] Lambinus aſſentitur Malaſpinæ, exiſtimanti hoc totum, & *magiſter equitum,* eſſe delendum, quum à nonnullis mſſ. abſit.

17. Τέτλα, κύντερον.] Hoc reſtituit Victorius, qui tamen exiſtimat debere ſcribi, τέτλαθι.

18. *Ut nos cura tua.*] Vulg. *tuos cura tua.*

19. *T. Rebilum.*] Tornæſ. & Cruſell. & Malaſp. codd. *Trebillum;* è quibus *T. Rebilum.* fecit Boſius. olim formis excuſi habebant *Trabilium,* quam veterem lectionem eſſe aſſerit Victorius; nonnulli poſtea in *Trebatium* converterunt; Turnebus in *T. Ravillum,* d. cap. 21.

quidquid egero, continuò ſcies. Mandata Cæſaris ad Conſules & ad Pompejum, quæ rogas, nulla habeo: [1] quæ Ægypta attulit, illa è via [2] miſi ad te ante: e quibus mandata puto intelligi poſſe. Philippus Neapoli eſt, Lentulus Puteolis. De Domitio, ut facis, ſciſcitare, ubi ſit, quid cogitet. Quod ſcribis, aſperiùs me, quam mei patiantur mores, de Dionyſio ſcripſiſſe. [3] vide, quàm ſim antiquorum hominum. te medius fidius hanc rem graviùs putavi laturum eſſe, quàm me. nam præterquam quòd te moveri arbitror oportere injuria, quæ mihi à quoquam facta ſit, præterea, *te ipſum* quodam modo hic violavit, cùm in me tam improbus fuit: ſed tu id quanti æſtimes, tuum judicium eſt. nec tamen in hoc tibi quidquam oneris impono. ego autem illum malè ſanum ſemper putavi, nunc etiam impurum & ſceleratum puto: nec tamen mihi inimiciorem, quàm ſibi. [4] Philargyro bene curaſti, cauſam certè habuiſti & veram & bonam; relictum eſſe me potiùs, quàm reliquiſſe. Cum dediſſem jam litteras A. D. IIX. Kalend. quos [5] cum Matio pueri, & Trebatio miſeram, epiſtolam mihi attulerunt hoc exemplo;

MATIUS ET TREBATIUS CICERONI IMP. S.

CUM Capua exiiſſemus, in itinere audimus Pompejum Brundiſio A. D. XVI. Kalend April. cum omnibus copiis, [6] quas habuit, profectum eſſe: Cæſarem poſtero die in oppidum introiſſe; concionatum eſſe; inde Romam contendiſſe; velle ante Kalend. eſſe ad urbem, & paucos dies ibi commorari, deinde in Hiſpanias proficiſci. Nobis non alienum viſum eſt, quoniam de adventu Cæſaris pro certo habebamus, [7] pueros ad te remittere, ut id tu quamprimum ſcires. Mandata tua nobis curæ ſunt, eaque, ut tempus poſtularit, agemus. Trebatius Scævola facit ut antecedat. Epiſtola conſcripta, nuntiatum eſt nobis, [8] Cæſarem A. D. VIII. Kalend. April. Beneventi manſurum, A. D. VII. Capuæ, A. D. VI. Sinueſſæ. [9] hoc pro certo putamus.

16 CICERO ATTICO, S.

CUM, quod ſcriberem ad te, nihil haberem: tamen, ne quem diem intermitterem, has dedi litteras. A. D. VI. KAL. Cæſarem Sinueſſæ manſurum nuntiabant. ab eo mihi litteræ redditæ ſunt A. D. VII. Kal. quibus jam opes meas, non, ut ſuperioribus litteris, opem, exſpectat. cùm ejus clementiam Corfinienſem illam per litteras collaudaviſſem, reſcripſit hoc exemplo.

CÆSAR IMP. CICERONI IMP. S. D.

RECTE augurâris de me, (bene enim tibi cognitus ſum) nihil à me abeſſe longius crudelitate. atque ego cum ex ipſa re magnam capio voluptatem: tum, meum factum probari ab te, [10] triumpho gaudio: neque illud me movet, quod ii, qui à me dimiſſi ſunt, diſceſſiſſe dicuntur; ut mihi rurſus bellum inferrent: nihil enim malo, quàm & me mei ſimilem eſſe, & illos ſui. Tu velim mihi ad urbem præſto ſis, ut tuis conſiliis, atque opibus, ut conſuevi, in omnibus rebus utar. Dolabella tuo nihil ſcito mihi eſſe jucundius. hanc adeo habebo gratiam illi: neque enim aliter facere poterit: tanta ejus humanitas, is ſenſus, ea in me eſt benivolentia.

CICERO ATTICO, S. 17

TREBATIUM VI. KAL. quo die has litteras dedi, exſpectabam. ex ejus nuntio, Matiique litteris meditabor, quo modo cum illo loquar. ô tempus miſerum! nec dubito, quin à me contendat, ad urbem veniam. Senatum enim Kalend. velle ſe frequentem adeſſe, etiam Formiis proſcribi juſſit. ergo ei negandum eſt? [11] ſed quid præripis? ſtatim ad te perſcribam omnia. ex illius ſermone ſtatuam, Arpinumne mihi eundum ſit, an quò aliò. Volo Ciceroni meo togam puram dare. iſtic puto. tu, quæſo, cogita quid deinde. nam me *hebetem* moleſtiæ reddiderunt. A Curio velim ſcire, ecquid ad te ſcriptum ſit de Tirone. ad me enim ipſe Tiro ita ſcripſit, ut verear, quid agat. [12] qui autem veniunt inde κινδυνωδῶς nuntiant. ſanè in magnis curis etiam hæc me [13] ſollicitat. in hac enim fortuna perutilis ejus & opera & fidelitas eſſet.

CICERO ATTICO, S. 18

UTRUMQUE ex tuo conſilio. nam & oratio fuit ea noſtra, ut bene potiùs ille de nobis exiſtimaret, quàm gratias ageret: & in eo manſimus, ne ad urbem. illa fefellerunt, facilem quòd putaramus. nihil vidi minùs. damnari ſe noſtro judicio, [14] tardiores fore reliquos, ſi in his non veniremus, dicere. ego, diſſimilem illorum eſſe cauſam. [15] cùm multa; veni igitur, & age de pace. meone, inquam, arbitratu? an tibi, inquit, ego præſcribam? ſic, inquam, agam, Senatui non placere in Hiſpanias iri, nec exercitus in Græciam tranſportari; multaque, inquam, de Cnæo deplorabo. tum ille, ego verò iſta dici nolo. ita putabam, inquam: ſed ego [16] eo nolo adeſſe, quòd aut *ſic mihi* [17] *dicendum eſt, aut non veniendum*; multaque quæ nullo modo poſſem ſilere, ſi adeſſem. ſumma fuit, ut ille quaſi exitum quærens, ut deliberarem. [18] non fuit negandum. ita diſceſſimus. credo igitur hunc me non amare. at ego [19] me amavi; quod mihi jam pridem uſu non venit. reliqua, ô dii, qui comitatus! quæ, [20] ut tu ſoles dicere, νεκυία! in qua era [21] Eros ſcelero. ô rem perditam! ô copias deſperatas! [22] quid, quòd Servii filius? quòd Titinii? quot in his

1. *Quæ Ægypta attulit.*] Turnebo ita legenti aſſentitur Boſius. Urſinus ait in veteribus libris eſſe; *quæ deſcripta attulit.* quod etiam vulgati omnes habent.

2. *Miſi ad te ante.*] E Tornæſ. & Cruſell. vocem *ante* repoſuit Boſius.

3. *Vide quam ſim antiquorum hominum.*] Caſtigavit ita Victorius. Antea, *vide quam ſit*, legebatur.

4. *Philargyro bene curaſti.*] Verbum *curaſti*, addidit ex Tornæſ. & Cruſell.

5. *Cum Matio pueri.*] Vulg. *pueros.*

6. *Quas habuit.*] Vulg. *quas habuerat.*

7. *Pueros ad te.*] Vulg. *pueros tuos ad te.*

8. *Cæſarem A. D. IIX. Kal. April. Beneventi manſurum a. d. VII. Capuæ a. d. VI. Sinueſſæ.*] Vulg. ſic legitur, *Cæſarem ad IIX. Kal. Capuæ ad VII. Sinueſſæ.*

9. *Hoc pro certo.*] Vulg. *hæc pro certo.*

10. *Triumpho gaudio.*] Ita Lamb. ex Tornæſ. & Boſius ex Cruſell. Victoriana editio, *triumpho & gaudeo.*

11. *Sed quid præripis? ſtatim.*] Decurtati hæc lectio eſt, quomodo conjecerat legendum Turnebus libro 1. cap. 21. Victorius ſcribit, *quid præripi? ſtatim, &c.* idque vulgo receptum eſt. Faërnus & Lambinus reponunt, *præcipio*; alii *præripio.* Urſinus ait mſ. unum habere *præcipiat.* Ante Victorium ubique legebatur, *ſed quid præcipiat ſentiam:* quæ lectio proximè accedit ad illam quam Junius ſe in duobus Palat. reperiſſe ait, *ſed quid præcipias, ſentiam: & ſtat.*

12. *Qui autem veniunt inde κινδυνωδῶς nuntiant.*] Conjectura hæc eſt Boſii, adjuta corrupta hac lectione Decurtati, *in dimodo.* Beſſarionis liber habet, *in id modo nuntians;* ita & Tornæſ. teſte Boſio, niſi quod ſervat, *nuntiant.* Cruſellinus, *in dimodo.* Lambinus qui ait Tornæſianum habere, *qui autem veniunt, inni admodo nuntiant*, inde conjicit, *qui autem veniunt, inania admodum nuntiant.* Junius ait ſe proximè veterem ſcripturam reponere, *qui autem veniunt, indui modo nuntiant.*

13. *Sollicitat.*] Vulg. *ſollicitant.*

14. *Tardiores fore reliquos, ſi in his non veniremus.*] Ita reſcripſit Victorius, quum prius legeretur, *tardioris fore belli quod cum iis Sinueſſam non venerimus.* Faërnus legebat, *tard. fore rel. ſi nos non veniremus.*

15. *Cum multa.*] Vulg. *quid multa?*

16. *Eo nolo adeſſe.*] Vulg. *ei nolo adeſſe.*

17. *Dicendum eſt, aut non veniendum.*] Verba hæc *aut non veniendum*, ponuntur vulgo poſt illa, *ſilere, ſi adeſſem.*

18. *Non fuit negandum.*] Ita Victorius cum antea legeretur, *non fuit rogandum.*

19. *Me amavi.*] *Amabo* liber Beſſarionis.

20. *Ut tu ſoles dicere νεκυία.*] Vocem Græcam hic reſtituit Victor.

21. *Eros ſcelero.*] A Decurtato hoc eſt. Lambinus legit, *Eros Celeris*; alii, *Eros Celeri*; alii, *oratio Celeris*; alii, inter quos Cœlius Secundus, Fulvius, & Junius ex duobus Pal. *area ſcelerum.* alii ὅλως *ſcelerum.* mſ. unus Pal. *æro ſcelerum.* Hîc Podalirii artes Victorium, ut ipſe ingenuè fatetur, deficiunt.

22. *Quid? quod Servii filius? quod Titinii? quot in his caſtris.*] Hæc ſcriptura eruta eſt ex Scidis Tornæſ. & Cruſell. ſummo conſenſu hæc ita referentibus, vulgò, *quid? Servii filius quod in his caſtris.*

1. *Mul-*

his caſtris fuerunt, quibus Pompeius circumſideretur? ſex legiones. [1] multum. vigilat, audet: nullum video finem mali. nunc certè promenda tibi ſunt conſilia. Hoc fuerat extremum. Illa tamen [2] κατακλεὶς illius eſt odioſa, quàm pæne præterii; ſi ſibi conſiliis noſtris uti non liceret, uſurum, quorum poſſet, ad omniaque eſſe deſcenſurum. vidiſti igitur virum, ut ſcripſeras? ingemuiſti? certè. cedo reliqua. quid? continuò ipſe [3] in Pedanum, ego Arpinum. inde exſpecto quidem [4] λαλαγεῦσαν illam tuam. [5] tu (malum) inquies, actum ne agas. etiam illum ipſum, quem ſequimur, multa fefellerunt. ſed ego tuas litteras exſpecto. nihil eſt enim jam, ut antea, VIDEAMUS HOC QUORSUM EVADAT. extremnm fuit de congreſſu noſtro: quo quidem non dubito quin iſtum offenderim. eo maturiùs agendum eſt. amabo te epiſtolam, & πολιτικήν. valde tuas litteras nunc exſpecto.

CICERO ATTICO, S.

19 EGo meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potiſſimùm togam puram dedi: idque municipibus noſtris fuit gratum etſi omnes, & illos, & quà iter feci, mœſtos afflictoſque vidi: tam triſtis, & tam atrox eſt ἀναθεώρησις hujus ingentis mali. [6] delectus habentur: in hiberna deducuntur. EA, QUÆ, etiam cùm à bonis viris, cum juſto in bello, cùm modeſtè fiunt, tamen ipſa per ſe moleſta ſunt, quæ cenſes acerba nunc eſſe, cùm à perditis, in civili nefario bello, petulantiſſimè fiant? cave autem putes, quemquam hominem in Italia turpem eſſe, qui hinc abſit. vidi ipſe Formiis univerſos: neque mehercule umquam homines putavi; & noram omneis; ſed numquam uno loco videram. Pergamus igitur, quò placet, & noſtra omnia relinquamus. proficiſcamur ad eum, cui gratior noſter adventus erit, quàm ſi una fuiſſemus. tum enim eramus in maxima ſpe; nunc, ego quidem, in nulla: nec, præter me, quiſquam Italia ceſſit, niſi qui hunc inimicum ſibi putaret. nec mehercule hoc facio Reip. cauſa, quam funditus deletam puto: ſed ne quis me putet *ingratum* in eum, qui me levavit iis incommodis, quibus idem affecerat: & ſimul, quòd ea, quæ fiunt, aut quæ certè futura ſunt, [7] videre non poſſum. etiam equidem S. C. facta quædam jam puto; utinam in Volcatii ſententiam. ſed quid refert? eſt enim una ſententia omnium. [8] ſed erit immitiſſimus Servius, qui filium miſit ad [9] effligendum Cn. Pompejum, aut certe capiendum, cum Pontio Titiniano. etſi hic quidem *timoris* cauſa; [10] ille verò? ſed ſtomachari deſinamus, [11] & aliquando ſententiam, ut nihil novi, niſi id, quod minimum vellem, ſpiritum reliquum eſſe. Nos quoniam ſuperum mare obſidetur, infero navigabimus; &, ſi Puteolis erit difficile, Crotonem petemus, aut Thurios; & boni cives, amantes patriæ, mare infeſtum habebimus. aliam rationem hujus belli gerendi nullam video. [12] in Ægyptum nos abdimus. exercitu pares eſſe non poſſumus. pacis fides nulla eſt. ſed hæc ſatis deplorata ſunt. Tu velim litteras Cephalioni des de omnibus rebus actis, denique etiam de ſermonibus hominum; niſi planè obmutuerunt. Ego tuis conſiliis uſus ſum, [13] maximeque quod *gravitatem* in congreſſu noſtro tenui, quam debui; &, ad urbem ut non accederem, perſeveravi. Quod ſupereſt, ſcribe, quæſo, quam accuratiſſimè, (jam enim extrema ſunt) quid placeat, quid cenſeas: etſi jam nulla dubitatio eſt. tamen, ſiquid, vel potiùs quidquid veniet in mentem, ſcribas velim.

M. TUL-

1. *Multum.*] Subjungit Boſiùs voci *multum* τελέων σιγμήν.

2. Κατακλεὶς.] A Turnebo hanc emendationem ſe ſumſiſſe fatetur Boſius, quo fere modo legitur in Decurtato & Tornæſ. Lamb. tamen pro more ſuo, ait ſe ita reſtituiſſe. Victorius adnotat antiquos codices habere καλάκις, unde ille facit καλακεύσις. prius legebant καλαγίς.

3. *In Pedanum.*] Vulgò *in Putcolanum.*

4. ΛΑΛΑΓΕΥΣΑΝ *illam tuam.*] In Decurtato erat ΛΑΛΑΤΕΥΣΑΝ, ex quo ita reſcripſit Boſius. Ceterum ſi hic omnes omnium codicum varias lectiones referre volemus eſſet & noſtro & lectoris otio abuti: præcipuas quaſdam recenſebimus. Junius ait Palat. mſſ. habere ἀλλὰ τέλεον *illam tuam.* & ita etiam formis excuſus liber habuit, quo uſus eſt Victorius. Turnebus conjiciebat ἀνατέλλουσαν. Lambinus edidit ἀλλ' αὔξουσαν & ait hanc eſſe conjecturam Boſii, ſibique valde probari. alii mſſ. habent ΜΑΤΕΛΣΑΝ, alii ΜΑΛΤΕΥΣΑΝ, alii ΛΑΛΑΤΕΥΚΑΝ: alii aliter.

5. *Tu (malum) inquies.*] Junius ex mſſ. Palat. *tu mallem, inquiens actum, &c.*

6. *Delectus habentur.*] Vulg. *habetur.*

7. *Videre non poſſum.*] Ita mſſ. Boſii. vulg. *potero.*

8. *Sed erit immitiſſimus.*] Ita Victorii antiquus codex: Beſſarionis liber habet *injuſtiſſimus*, quod præfert Manutius.

9. *Effligendum.*] Ita Victorii mſ. ille tamen retinet vulgatum, *affligendum.*

10. *Ille verò? ſed.*] Et hujus loci reſtitutionem debemus Victorio, ſic enim antea legebatur, *ille vero non. ſed, &c.*

11. *Et aliquando ſententiam, ut nihil novi.*] Sic etiam reſcripſit Florentinus noſter, & delevit vocem *terminemus*, quæ poſt, ſententiam, legebatur.

12. *In Ægyptum nos abdimus.*] Faërnus legebat *abdemur.*

13. *Maximeque quod gravitatem.*] Vulgò *quod & gravitatem.*

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM LIBER DECIMUS, AD ATTICUM.

1 CICERO ATTICO, S.

TERTIO Nonas cùm in Laterium fratris veniſſem, accepi litteras, [1] & paullum lectis reſpiravi: quod poſt has ruinas mihi non acciderat. per enim magni æſtimo, tibi firmitudinem animi noſtri, & factum noſtrum probari. Sexto enim noſtro quod ſcribis probari, ita lætor, ut me quaſi patris ejus, cui ſemper uni [2] plurimum tribui, judicio comprobari putem: qui mihi, quod ſæpe ſoleo recordari, dixit olim, [3] Nonis illis, illis Decembribus, cùm ego, Sexte, [4] quidnam ergo?

Μὴ μὰν, *inquit ille*, ἀσπουδεί γε κὴ ἀκλειῶς ἀπολοίμην,
Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι, κὴ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

ejus igitur mihi vivit auctoritas; & ſimillimus ejus filius eodem eſt apud me pondere, quo fuit ille: quem ſalvere velim jubeas plurimum. Tu tuum conſilium etſi non [5] in longinquum tempus differs, (jam enim illum *emptum pacificatorem* peroraſſe puto; jam actum aliquid eſſe in conſeſſu Senatorum, [6] Senatum non enim puto) tamen [7] ſuſpenſum me inde tenes, ſed eo minùs, quòd non dubito, quid nobis agendum putes. quid enim Flavio legionem & Siciliam [8] dari ſcribas, & id jam fieri? quæ tu ſcelera partim parari, & jam cogitari, partim ex tempore futura cenſes? ego vero Solonis, popularis tui, ut puto, etiam mei, legem negligam, qui CAPITE SANXIT, SI QUI IN SEDITIONE [9] NON ALTERIUS UTRIUS PARTIS FUISSET; niſi tu aliter cenſes; & hinc abero & filii. ſed alterum mihi eſt certius: nec præripiam tamen; exſpectabo tuum conſilium & eas litteras, niſi alias jam dediſti, quas ſcripſi, ut [10] Cephalioni dares. Quod ſcribis, non quo alicunde audieris, ſed te ipſum putare. [11] me attractum iri, ſi de pace agatur: mihi omnino non venit in mentem, quæ poſſit actio eſſe de pace, cùm illi certiſſimum ſit, ſi poſſit, exſpoliare exercitu, & provincia Pompejum. [12] niſi forte iſte *ſummærius* ei poteſt perſuadere, [13] ut, dum oratores erant, & redeant, quieſcat. nihil video, quod ſperem, aut quid jam putem fieri poſſe; ſed tamen [14] hominis hoc ipſum *probi* eſt ἐκμαγεῖον. Eſt τῶν πολιτικωτάτων σκεμμάτων, VENIENDUMNE SIT IN CONSILIUM TYRANNI, SI IS ALIQUA DE RE BONA DELIBERATURUS SIT. quare, ſi quid ejuſmodi evenerit, ut arceſſamur: (quod equidem non curo: quid enim eſſem de pace dicturus, dixi; ipſe valde repudiavit) ſed tamen, ſi quid acciderit, quid cenſeas mihi faciendum, utique ſcribito. nihil enim mihi adhuc accidit, quod majoris conſilii eſſet. Trebatii, boni viri & civis, verbis te gaudeo delectatum: [15] tuaque iſta crebra ἐκφώνησις ὑπέρευ, me ſola adhuc delectavit. Litteras tuas vehementer exſpecto, quas quidem credo jam datas eſſe. Tu cum Sexto ſervaſti gravitatem eandem, quam mihi præcipis. Celer tuus *diſertus* magis eſt, quam ſapiens. De juvenibus, quæ ex Tullia audiſti, vera ſunt. [16] M. Antonii iſtud, quod ſcribis, non mihi videtur tam re eſſe triſte, quam verbo. [17] hæc eſt ἄλη, in qua nunc ſumus, mortis inſtar: [18] aut enim, mihi libere inter malos πολιτευτέον fuit, *aut vel* periculosè cum bonis. aut nos temeritatem bonorum ſequa-

---

1. ET *paullum lectis reſpiravi.*] Ante verbum, *reſpiravi*, legitur in Tornæſiano, Decurtato, & Cruſeilino, *lectis*, quam lectionem ſinceram putat Boſius: in vulgata editione deeſt.

2. *Plurimum tribui.*] Vulg. *tribui plurimum.*

3. *Nonis illis, illis Decembribus.*] Ita juſſerat edi Victorius repetita voce, *illis*, quæ tamen librariorum culpa in ipſius editione ſemel tantum legitur, ut etiam in vulgata.

4. *Quidnam ergo?*] Μὴ μὰν, *inquit ille*, ἀσπουδεί. Et locum hunc, auxilio veteris codicis, antea corruptum & deminutum reſtituit idem Victorius. Junius tamen magis probat Decurtatam mſſ. Palat. lectionem, μὴ μὰν, *inquit ille*, ἀλλὰ μέγας ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

5. *In longinquum tempus.*] Vulg. *in longum tempus.*

6. *Senatum non enim puto.*] Statim poſt hæc verba, *in conſeſſu Senatorum*, ſubjicitur in Decurtato, *Senatum non enim puto*, & ita edidit Boſius. à Tornæſiano & Cruſell. vox, *Senatum*, aberat, cetera comparebant.

7. *Suſpenſum me inde tenes.*] Codices Tornæſian. & Cruſell. *ſuſpenſum meum detenes*; correxit Boſius, *ſuſpenſum me inde tenes.*

8. *Dari ſcribas.*] Boſius edidit iſtud ut referebant antiqui libri.

9. *Non alterius utrius.*] Sic mſſ. Beſſar. vulg. *non alterutrius.*

10. *Cephalioni.*] Ita legi debet hic infra; vulg. *Cephaloni.*

11. *Me attractum iri ſi de pace agatur.*] Manutius ex Beſſarionis mſ. ſic legit. Victorii vetus exemplar, *ſi de ea re agatur*, habet; receptam tamen lectionem non ſprevit.

12. *Niſi iſte ſummærius.*] Boſii hæc eſt conjectura ex depravata Decurtati lectione, *ſummerius. Numatius*, videtur Manutio eſſe legendum; ſed Lambino magis placet antiqua ſcriptura, *ſummærius*, vel etiam *ſummarius* ex Boſii conjectura; cui aſſentitur Junius. vulg. *ſummarius*; ſed quid ſibi id vellet ignorabat Victorius.

13. *Ut dum oratores eant & redeant, quieſcat.*] Beroaldi eſt emendatio Victorio referente, cui non improbatur. antea legebatur, *ut dum oratores cantent, rideant, quieſcat.*

14. *Hominis hoc ipſum probi eſt ἐκμαγεῖον. Eſt τῶν πολιτικωτάτων.*] Fœdam maculam hinc deterſit Boſius, ope Decurtati, qui ſic hæc verba referebat, *hominis hoc ipſum probi eſt & magium. Eſt τῶν; &c.* unde non inſcite pro *& magium*, repoſuit ἐκμαγεῖον. Muretus autem ex veteris libri auctoritate ſic legit; *ſed tamen hoc ipſum eſt unum τῶν πολιτ. &c.* nec dubitabat, hanc ſcripturam vulgatæ illi vocum alienarum adjectione depravatæ, ut ait, eſſe anteferendam. vulgo *hoc ipſum probi eſt & magnum ſit τῶν, &c.*

15. *Tuaque iſta crebra ἐκφώνησις ὑπέρευ, me ſola, &c.*] Hujus Sebaſtiani Corradi conjecturæ ſe auctorem profeſſus eſt Turnebus lib. XIIX. c. 9. & alii, referente Lambino. Victorius cum huic malo mederi non poſſet, antiquam ſcripturam retulit ἐκφώνησις τέρπε, quam etiam Junius, uno conſenſu mſſ. Palat. retinere ait; ſed tamen priorem lectionem mutare non auſus.

16. *M. Antonii.*] Hic locus non vacat ſuſpicione mendi; nam in Tornæſiano pro *M. Antonii* ſcriptum eſt, *Macum*. In Scidis totum hoc eraſum eſt. Putat Boſius Græcum aliquod verbum ſub cortice harum vocum latere. Junius ait mſſ. alios habere, *Macum*, alios *Maconi*. unde reponit, μικκὸν, Doricè pro μικρὸν.

17. *Hæc eſt ἄλη.*] Ita mſſ. habere teſtatur Victorius, ſed tamen duplicato λ, vitiosè; prius legebatur, *hæc eſt ἄλωσις*. Mureto autem dubium non eſt quin legi debeat, *hæc eſt ἄτη.* qui conſulatur lib. X. Var. lect. cap. 12.

18. *At enim mihi liberè.*] Junius ex mſſ. Palat. fide, legit, *aut enim nihil liberè*: hancque ait eſſe germanam Ciceronis lectionem.

quamur: aut audaciam improborum inſectemur. utrumque periculoſum eſt. [1] at, hoc, quod agimus, [2] nec turpe, nec tamen tutum. Iſtum, qui filium Brundiſium de pace miſit (de pace idem ſentio quod tu; *ſimulationem* eſſe apertam, parari autem bellum acerrimè) [3] legatum iri non arbitror; cujus adhuc, ut optavi, mentio facta nulla ſit. eo minus habeo neceſſe ſcribere, aut etiam cogitare, quid ſim facturus, [4] ſi acciderit, ut legarer.

2 CICERO ATTICO, S.

EGo cùm accepiſſem tuas litteras Nonis April. quas Cephalio attulerat, eſſemque Minturnis poſtridie manſurus, & inde protinus; ſuſtinui me in Arcano fratris, ut, dum aliquid certius afferretur, occultiore in loco eſſemus, agerenturque nihilo minus, quæ ſine nobis agi poſſunt. [5] λαλαγεῦσα jam adeſt, & animus ardet; nec eſt quicquam, quo, & qua. ſed hæc noſtra erit cura & peritorum. tu tamen, quod poteris, ut adhuc feciſti, nos conſiliis juvabis. res ſunt inexplicabiles. *fortunæ* ſunt committenda omnia. ſine ſpe conamur ulla. ſi melius quid acciderit, mirabimur. Dionyſium nolim ad me profectum: de quo ad me Tullia mea ſcripſit. ſed & tempus alienum eſt; & homini non amico noſtra incommoda, tanta præſertim, *ſpectaculo* eſſe nollem: cui te meo nomine inimicum eſſe nolo.

3 CICERO ATTICO, S.

CUM, [6] quod ſcriberem, plane nihil haberem, hæc autem reliqua eſſent, quæ ſcire cuperem; profectuſne eſſet, quo in ſtatu urbem reliquiſſet; in ipſa Italia quem cuique regioni, aut negotio præfeciſſet; [7] ecqui eſſent ad Pompejum & ad Conſules ex s. c. de pace legati; [8] cum igitur hæc ſcire, dedita opera has ad te litteras miſi. feceris igitur commodè, mihique gratum, ſi me de his rebus, & ſi quid erit aliud, quod ſcire opus ſit, feceris certiorem. ego in Arcano opperior, dum iſta cognoſco. A. D. VII. Id. alteram tibi eodem die [9] hanc epiſtolam dictavi; & pridiè dederam mea manu longiorem. Viſum te ajunt in regia; nec reprehendo: quippe cùm ipſe iſtam reprehenſionem non fugerim. ſed exſpecto tuas litteras: neque jam ſanè video, quid exſpectem: ſed tamen, etiam ſi nihil erit, id ipſum ad me velim ſcribas. Cæſar mihi ignoſcit per litteras, quod non venerim; ſeſeque in optimam partem id accipere dicit. facile patior, quod ſcribit, ſecum [10] Tullum & Servium queſtos eſſe, quia non idem ſibi, quod mihi, remiſiſſet. homines ridiculos, qui cum *filios* miſiſſent ad Cn. Pompejum circumſidendum, ipſi in Senatum venire dubitarent. ſed tamen exemplum miſi ad te Cæſaris litterarum.

4 CICERO ATTICO, S.

MULTAS à te accepi epiſtolas eodem die, omnes diligenter ſcriptas: [11] eam verò, quæ voluminis inſtar erat, ſæpe legendam, ſicuti facio: in qua non fruſtra laborem ſuſcepiſti: mihi quidem pergratum feciſti. quare, ut id, quoad licebit, id eſt, quoad ſcies [12] ubi ſimus, quàm ſæpiſſimè facias, te vehementer rogo. at deplorandi quidem, quod quotidie facimus, ſit jam nobis aut finis omnino, ſi poteſt, aut moderatio quædam, quod profecto poteſt. [13] non enim jam quam dignitatem, quos honores, quem vitæ ſtatum amiſerim, cogito, ſed quid conſecutus ſim, quid præſtiterim, qua in laude vixerim: his denique in malis, quid interſit inter me & iſtos, quos propter omnia amiſimus. hi ſunt, qui, niſi me civitate expuliſſent, obtinere ſe non poſſe putaverunt licentiam cupiditatum ſuarum: [14] quorum ſocietates & ſceleratæ conſenſionis fides quò eruperit, vides. alter ardet furore, & ſcelere, nec remittit aliquid, ſed in dies ingraveſcit: modò Italia expulit: nunc alia ex parte perſequi, ex alia provincia ſpoliare conatur: nec jam recuſat, ſed quodam modo poſtulat, ut, quemadmodum eſt, ſic etiam *appelletur*, tyrannus. alter, is, qui nos ſibi quondam ad pedes ſtratos ne ſublevabat quidem, qui ſe nihil contra hujus voluntatem ajebat facere poſſe, elapſus è ſoceri manibus ac ferro, BELLUM terra & mari comparat, non injuſtum ille quidem, ſed cùm pium, tum etiam neceſſarium, ſuis tamen civibus exitiabile, niſi vicerit; calamitoſum etiam, ſi vicerit. horum ego ſummorum imperatorum non modò res geſtas non antepono meis, ſed ne fortunam quidem ipſam qua illi florentiſſima, nos duriore conflictari videmur. QUIS ENIM poteſt, aut deſerta per ſe patria, aut oppreſſa, beatus eſſe? & ſi, ut nos à te admonemur, rectè in illis libris diximus, *nihil* eſſe bonum, niſi quod honeſtum; nihil malum, niſi quod turpe ſit: certe uterque iſtorum eſt miſerrimus, quorum utrique ſemper patriæ ſalus, & dignitas poſterior ſua dominatione, & domeſticis commodis fuit. Præclara igitur conſcientia ſuſtentor, cùm cogito me de Rep. aut meruiſſe optime, cùm potuerim: aut certè numquam, [15] niſi divinè, cogitaſſe: eaque ipſa tempeſtate everſam eſſe Remp. quàm ego XIV. annis ante proſpexerim. hac igitur conſcientia comite proficiſcar, magno equidem cum dolore, nec tam id propter me, aut propter fratrem meum, [16] quorum ut ut jam acta ætas; quàm propter pueros, quibus interdum videmur præſtare etiam Rempub. debuiſſe: [17] quorum quidem alter, non tam, quia majore pietate eſt, me mirabiliter excruciat; alter, (ô rem miſeram! nihil enim mihi accidit in omni vita acerbius) indulgentia videlicet noſtra depravatus, eò progreſſus eſt, quò non audeo dicere; & exſpecto tuas litteras. ſcripſiſti enim, te ſcripturum eſſe plurima, cùm ipſum vidiſſes. omne meum obſequium in illum fuit cum multa ſeveritate: neque unum ejus, nec parvum, ſed multa magna delicta compreſſi. patris autem lenitas amanda potius ab illo, quàm tam crudeliter negligenda. nam litteras ejus ad Cæſarem miſſas ita graviter tulimus, ut te quidem celaremus; ſed ipſius videmus vitam inſua-

1. *At hoc, quod agimus.*] Vulg. *Ad hoc, quod agimus.*

2. *Nec turpe, nec tamen.*] Vulg. *& turpe nec tamen.*

3. *Legatum iri.*] Junius ex mſſ. Palat. legit, *elegatum iri*: vulg. *me legatum iri.*

4. *Si acciderit, ut legarer.*] Victor. ex mſſ. qui habent, *legeret*, pro, *legaret*, quod antea ipſum legebatur; ſubſtituit, *legerer*; Manutius, & conſuetudinem Latini ſermonis ait poſtulare ut legatur, *leger*, & eo proclivius in hanc opinionem deſcendit, quod antiqui libri, *ut legerer*, habent.

5. *Λαλαγεῦσα jam adeſt.*] Superiori libro ex Boſio docuimus, hic legendum eſſe λαλαγεῦσα: pro eo quod vulgo MMTEYCA. Germani conjecerant legendum μάλευμα, ſed improbat Victorius. Turnebus lib. XIIX. cap. 9. tentabat ἀνατίλλουσα. Lambinus ac Malaſpina repoſuerant libro IX. epiſt. 21. Δὶς ἄϊθουσα. Dauſquejus tentabat, *mea* KPEOYCA; ut hoc mutuaticio nomine Terentiam intelligat, quæ rebus in adverſis Tullio fida comes hæreat. hinc *animus ardet*, viſa ſcilicet re cariſſima in dolore non diſpari. Forte *μοὶ μοῖρα νέουσα jam adeſt: mihi Parca colum ducens.* Appoſitius; *μοὶ μοῖρα συγκαθεύδουσα jam adeſt, &c.* Hæc Dauſquejus.

6. *Quod ſcriberem.*] Vulg. *quid ſcriberem.*

7. *Ecqui eſſent ad Pomp.*] Vulg. *& qui eſſent.*

8. *Cum igitur hæc ſcire.*] Vulg. *ut igitur hæc ſcirem.*

9. *Hanc epiſtolam.*] Vocabulum illud, *hanc*, reſtituit Victorius ex mſſ. exemplaribus.

10. *Tullum.*] Vulg. *Tullium.*

11. *Eam verò.*] Vulg. *Ea verò.*

12. *Ubi ſimus.*] Vulg. *ubi ſumus.*

13. *Non enim jam.*] Deerat hic in libris excuſis, *jam*, quod ex mſſ. repoſuit Boſius.

14. *Quorum ſocietatis.*] Antiquam lectionem probavit Victorius, *quorum ſocietatis*; ita enim in mſſ. legitur: vulg. *quorum ſocietas.*

15. *Niſi divinè.*] Tornæſianus *die* fortaſſe Cicero ſcripſit *piè*, ut ait Boſius.

16. *Quorum ut ut jam acta ætas.*] Hæ duæ voculæ, *ut*, *ut*, leguntur in Scidis, ut edidit Boſius: in Tornæſiano Cruſellino & Huraltino, alterum, *ut*, omiſſum fuerat librariorum negligentia. unde Pithœus ſuſpicatus erat legendum, *quorum utinam acta ætas.* Lambinus, *quorum eſt jam acta ætas.* vulgo: *quorum jam acta ætas.*

17. *Quorum quidem alter, non tam quia majore pietate eſt.*] Lambinus, libris omnibus invitis, etiamnum reclamante Victorio, legit, ut viderat prius Malaſpina, *quorum quidem alter, non tam quia filius quam quia m. p.* ſed Junius mſſ. Palat. conſentientibus, Lambini ſupplementum rejicit.

inſuavem reddidiſſe. hoc verò ejus iter, ſimulatioque pietatis qualis fuerit, non audeo dicere. tantum ſcio, poſt Hirtium conventum, arceſſitum ab Cæſare: [1] cum eo, de meo animo [2] ab ſuis rationibus alieniſſimo, & conſilio relinquendi Italiam; & hæc ipſa timide. ſed nulla noſtra culpa eſt: *natura* metuenda eſt. hæc Curionem, hæc Hortenſii filium, non patrum culpa, corrupit. jacet in mœrore meus frater, neque tam de ſua vita, quàm de mea metuit. huic tu, huic tu malo affer conſolationes, ſi ullas potes: maximè quidem illam velim; ea, quæ ad nos delata ſint, aut falſa eſſe, aut minora. quæ ſi vera ſint; quid futurum ſit [3] in hac vita, & fuga, neſcio. nam ſi haberemus Remp. conſilium mihi non deeſſet [4] nec ad ſeveritatem, nec ad diligentiam. [5] Hæc, ſive iracundia, ſive dolore, ſive metu permotus, graviùs ſcripſi, quàm aut tuus in illum amor, aut meus poſtulabat. ſi vera ſunt, ignoſces: ſi falſa, me libente eripies mihi hunc errorem. quoquo modo verò ſe res habeat, nihil aſſignabis, nec patruo, nec patri. Cùm hæc ſcripſiſſem, à Curione mihi nuntiatum eſt, eum ad me venire. venerat enim is in Cumanum veſperi pridie: id eſt Idibus. [6] ſi quid ejus igitur ſermo ejuſmodi attulerit, quod ad te ſcribendum ſit; id in litteris adjungam. Præteriit villam meam Curio, juſſitque mihi nuntiari, mox ſe venturum: cucurritque Puteolos, ut ibi concionaretur. concionatus eſt: rediit: fuit ad me ſanè diu. ô rem fœdam! noſti hominem: nihil occultavit; in primis nihil eſſe certius, quàm ut omnes, qui lege Pompeja condemnati eſſent, reſtituerentur; itaque ſe in Sicilia eorum opera uſurum. de Hiſpaniis, non dubitabat, quin Cæſaris eſſent: inde ipſum cum exercitu, ubicumque Pompejus eſſet: ejus interitu *finem belli* fore: [7] propius factum eſſe nihil (eum planè iracundia elatum voluiſſe) occidi Metellum Tribunum pleb. quod ſi eſſet factum, cædem magnam futuram eſſe: permultos hortatores eſſe cædis; ipſum autem non voluntate, aut natura non eſſe crudelem, ſed quòd putaret *popularem eſſe clementiam:* quòd ſi populi ſtudium amiſiſſet, crudelem fore: eumque perturbatum, quòd intelligeret, [8] ſe apud ipſam plebem offendiſſe de ærario. itaque ei cùm certiſſimum fuiſſet, ante, quàm proficiſceretur, concionem habere, auſum non eſſe, vehementerque animo perturbato profectum. cum autem ex eo quærerem; quid videret? [9] quod exemplum? quam Remp.? planè fatebatur nullam ſpem reliquam: Pompeii claſſem timebat: quæ ſi eſſet, ſe de Sicilia abiturum. Quid iſti, inquam, ſex tui faſces? ſi ab Senatu, cur laureati? ſi ab ipſo, cur ſex? Cupivi, inquit, ex s. c. ſurrupto: nam aliter non poterat. at ille impendio nunc magis odit Senatum: [10] à me, inquit, omnia proficiſcentur. ſex autem, quia duodecim nolui: nam licebat. Tum ego, quàm vellem, inquam, petiiſſe ab eo, quod audio Philippum impetraſſe: ſed veritus ſum, quia ille à me nihil impetrabat. Libenter, inquit, tibi conceſſiſſet. verum puta te impetraſſe. ego enim ad eum ſcribam, ut tu ipſe voles, de ea re nos inter nos locutos. quid autem illius intereſt, quoniam in Senatum non venis, ubi ſis? quin nunc ipſum minimè offendiſſes, ejus cauſa ſi in Italia non fuiſſes. [11] ad quæ ego, me receſſum, & ſolitudinem quærere, maximè quòd *lictores* haberem; [12] laudavit conſilium. quid ergo, inquam? nam mihi curſus in Græciam per tuam provinciam eſt: quoniam ad mare ſuperum milites ſunt. quid, mihi inquit, optatius? hoc loco multa perliberaliter. ergo hoc quidem [13] eſt verum profectò, ut non modo tuto, verum etiam palam navigaremus. reliqua in poſterum diem diſtulit: ex quibus ſcribam ad te, ſi quid erit epiſtola dignum. Sunt autem, quæ præterii, interregnumne eſſet exſpectaturus; an, quo modo dixerim? Ad ſe ille quidem deferri Conſulatum, ſed ſe nolle, in proximum annum. & alia ſunt, quæ exquiram. Jurabat ad ſummam, quod nullo negotio faceret [14] amiciſſimum mihi Cæſarem. eſſe debet. [15] quid enim, inquam, ſcripſit ad me Dolabella? dico, quid? affirmabat, cum ſcripſiſſet, quòd me cuperet ad urbem venire, illum quidem gratias agere maximas, & non modò probare, ſed etiam gaudere. [16] quid quæris? acquievi. levata eſt enim ſuſpicio illa domeſtici mali, [17] & ſermonis Hirtiani. quam cupio illum dignum eſſe nobis: [18] & quàm ipſe me invito, quâ pro illo ſit ſupplicandum! ſed opus fuit Hirtio convento: eſt profectò neſcio quid: [19] ſed velim qua minimo. & tamen eum nondum rediſſe miramur. ſed hæc videbimus. [18] Tu Oppios Terentiæ dabis. jam

1. *Cum eo de meo animo.*] Victorius ſyllabis malè cohærentibus legit, *cum eodem eo*; cum tamen ſcribi debeat ut eſt in mſſ. Boſii, *cum eo de meo animo, &c.*

2. *Ab ſuis rationibus.*] Vulg. *à ſuis.*

3. *In hac vita & fuga.*] Boſiani omnes, *vita & fuga*, ut edidit, vulgo deeſt, *vita.*

4. *Deeſſet nec ad ſeveritatem, nec ad diligentiam.*] Vulgati, *deeſſet nec ſeveritatem, nec ad indulgentiam.*

5. *Hæc ſive iracundia.*] Manutio magis placeret, *ira*, ut eſt in antiquo libro.

6. *Si quid ejus igitur ſermo ejuſmodi attulerit.*] Vulgò *ſi quid igitur ejuſmodi ſermo ejus attulerit.*

7. *Propius factum eſſe nihil.*] Non diſcrepat lectio Decurtati à vulgata, ideo nihil mutavit Boſius. In codice Tornæſiano pro, *eum*, mendosè exaratum eſt, *ei*, & poſt, *voluiſſe*, ex gloſſemate additum, *Cæſarem:* itaque etiam legit Lambinus ex libris antiquis, niſi quod omiſit vocem, *eum*: eodem referente, Malaſp. putat hæc verba, *propius eſſe factum nihil* ſuo loco eſſe mota, & hoc ordine legenda, *ejus interitu finem belli fore planè iracundia elatum voluiſſe Cæſarem occidi Metellum tribunum pl. propius nihil eſſe factum: quod ſi eſſet, &c.* Junius receptam lectionem retinet.

8. *Se apud ipſam plebem.*] Ita reſtituit Victorius, antea legebatur, *ſe apud ipſum legem.*

9. *Quod exemplum, quam remp.*] Sic omnes habent mſſ. Lambino teſte, ſed tamen ſuſpicatur Malaſpina eſſe mendum, in voce, *exemplum*, vultque legi, *quem exitum*, quod probat Lamb. ſi pro, *quam remp.* legatur: *quam ſpem:* Receptam lectionem Junius ex mſſ. Pal. retinet.

10. *A me, inquit.*] Hîc nonnulla inculcata fuerant in codice Tornæſiano, quæ a ceteris Boſianis abſunt, neque ſunt Ciceronis, ſic enim ibi legitur, *ad Senatum, à me, inquit, omnia proficiſcentur.* Hæc duo, *ad Senatum*, notæ ſunt adulterinæ.

11. *Ad quæ ego me receſſum, &c.*] Legit Boſius, *ad quæ ego*, ut eſt in Scidis. Ceterùm Victorius, *receſſum*, poſuit pro, *receſſurum*, quod tunc legebatur in editionibus.

12. *Laudavit conſilium. quid ergo, inquam?*] Vulg. *Laudabat conſilium. quid ego inquam?*

13. *Eſt verum profectò.*] Manutius malit legi, *eſt profectum*, primum enim ex *profectum*, factum ſuſpicatur, *profectò*, deinde ad, *profectò*, additum ex ingenio, *verum.*

14. *Amiciſſimum mihi Cæſarem. eſſe debet.*] *Amiciſſimum mihi Cæſarem eſſe debere*, habet liber Urſini mſ. Lambinus ait mira felicitate à quibuſdam viris doctiſſimis hunc locum eſſe reſtitutum hoc modo, *amiciſſimum mihi Cæſarem eſſe. non dubito inquam, &c.* Fulvii lectionem retinet Junius.

15. *Quid enim, inquam.*] Ita Scidæ, ut non quidam codd. referunt, *quid enim unquam.*

16. *Quid quæris acquievi.*] Hujus loci reſtitutio Decurtato debetur, ex quo ita edidit Boſius, *quid quæris? acquievi, levata eſt enim ſuſpicio.* In Tornæſiano ſic erat, *quid quæris, atque vilebata eſt*; unde conjicit Lamb. *quid quæris? At de Q. nihil habebat. eſt enim, &c.* alii ſic, *At de Q. jubebat nos eſſe ſine cura*; plana quidem ſententia ut ait Lamb. ſed nimis remota a veteri ſcriptura. Reliquum hujus epiſtolæ mendis ſcatere aſſerit Victorius teſtaturque in antiquo libro legi, *julebat*, pro *jubebat*, quod vulgatum erat. Beſſarionis liber, *videbat*, ſed utrocumque modo legatur, mendum ineſſe dicit Manutius. Urſinus, *idque ad te ſcribere jubebat. quid quæris? eſt enim:* vulg. *quid quæris? Atque jubebat. Eſt enim, &c.*

17. *Et ſermonis Hirtiani.*] *Lurtiani* habent mſſ. codices Victorii, & infra, *Lurtio convento*, pro *Hirtio*, quod probat.

18. *Et quam ipſe me invito, quâ pro illo ſit ſupplicandum.*] Repoſuit Boſius ut erat in Scidis, *quâ pro illo ſit, &c.* Manutius vulgatam lectionem retinet, *qua pro illo ſit ſuſpicandum*, quamquam depravatam fateatur. *Supplicandum*, eſt in Beſſarionis libro. Lambinus olim ediderat, *& quam ipſe metuo ne pro illo ſit ſupplicandum*; ſed nunc legit, *quàm ipſe me invito ad ea, quæ pro illo ſit ſuſpicandum.* Junius conjicit ex mſſ. veſtigiis, *& quam ipſe me invito, enim pro illo ſit ſupplic.*

19. *Sed velim quàm minimo.*] Junius ex duobus mſſ. Pal. ſic legit.

20. *Tu Oppios Terentiæ dabis.*] Ita conjecit legendum Victorius, quamquam omnes codices mſſ. habeant, *Tu optimos Terentiæ dabis.* quidam *tu hoſpitium, &c.* reponunt.

jam enim urbis *unum periculum* eſt. Me tamen conſilio juva, pedibuſne Rhegium, an hinc ſtatim in navem. ceterùm quoniam commoror, ego ad te ſtatim habebo quod ſcribam, [1] ſimul & videro Curionem. De Tirone cura, quæſo, quod facis, ut ſciam, quid is agat.

5 CICERO ATTICO, S.

DE tota mea cogitatione ſcripſi ad te antea ſatis, ut mihi viſus ſum, diligenter. de die nihil ſanè poteſt ſcribi certi, præter hoc; non ante lunam nonam. Curionis ſermo poſtridie eandem habuit ferè ſummam, niſi quòd apertiùs ſignificavit, ſe harum rerum *exitum* non videre. [2] Quòd mihi mandas de Quinto regendo, [3] ἀρχαδίαν. tamen nihil prætermittam. atque utinam tu. [4] ſed modeſtior non ero. Epiſtolam ad Veſtorium ſtatim de Tullia. ac valde requirere ſolebat. Commodius tecum [5] Vectenus eſt locutus, quàm ad me ſcripſerat. ſed mirari ſatis hominis negligentiam non queo. cum enim mihi Philotimus dixiſſet, H-S L. emere de Canulejo diverſorium illud poſſe, minoris etiam empturum, ſi Vectenum rogaſſem; rogavi, ut, ſi quid poſſet, ex ea ſumma detraheret: promiſit: ad me [6] nuper H-S. XXX. emiſſe: ut ſcriberem, cui vellem addici: diem pecuniæ Id. Novemb. eſſe. [7] reſcripſi ei ſtomachoſius, cum joco tamen familiari. nunc, quoniam agit liberaliter, nihil accuſo hominem, ſcripſique ad eum, me à te certiorem eſſe factum. Tu, de tuo itinere quid, & quando cogites, velim me certiorem facias. [8] A.D.XV. Kal. Maii.

6 CICERO ATTICO, S.

ME adhuc nihil, præter tempeſtatem, [9] moratur. aſtutè nihil ſum acturus: fiat in Hiſpania quilibet: [10] & tamen reticenter. meas cogitationes omneis explicavi tibi ſuperioribus litteris. quocirca hæ ſunt breves: & tamen, quia feſtinabam, [11] eramque occupatior. De Quinto filio, [12] fit à me quidem ſedulo; noſti reliqua. [13] Quod dein me mones, & amicè, & prudenter mones: ſed erunt omnia facilia, ſi ab uno illo cavero. magnum opus eſt. mirabilia multa. nihil ſimplex; nihil ſincerum. vellem, ſuſcepiſſes juvenem regendum. pater enim *nimis indulgens* quidquid ego adſtrinxi, relaxat. ſi ſine illo poſſem, regerem: quod tu potes: ſed ignoſco: magnum, inquam, opus eſt. Pompejum pro certo habemus per Illyricum proficiſci in Galliam. ego nunc, qua; & quò, videbo.

CICERO ATTICO, S.

[14] EGo verò Apuliam, & Sipontum; & tergiverſationem iſtam probo: nec tuam rationem eandem eſſe duco, quam meam: non quin in Rep. rectum idem ſit utrique noſtrum: ſed ea non agitur. *regnandi contentio eſt*; in qua [15] pulſus eſt admodeſtior rex, & probior, & integrior, & is, qui niſi vincit, nomen populi R. deleatur neceſſe eſt. ſin autem vincit, Sullano more, exemploque vincet. ergo hac in contentione neutrum tibi palam ſentiendum, & tempori ſerviendum eſt. Mea cauſa autem alia eſt, quod beneficio vinctus ingratus eſſe non poſſum: [16] nec tamen in acie, ſed Melitæ, aut alio in loco [17] ſimili oppidulo, futurum puto. nihil, inquies, juvas eum, in quem ingratus eſſe non vis? immo minùs fortaſſe voluiſſet. ſed de hoc videbimus. exeamus modo: quod ut meliore tempore poſſimus, facit [18] Adriano mari Dolabella, [19] Fretenſi Curio. Injecta autem mihi ſpes quædam eſt, velle mecum Ser. [20] Sulpicium colloqui. ad eum miſi Philotimum libertum cum litteris; ſi vir eſſe volet, præclara συνοδία: ſin autem; erimus nos, qui ſolemus. Curio mecum vixit, jacere Cæſarem putans offenſione populari, Siciliæque diffidens, ſi Pompejus navigare cœpiſſet. Quintum puerum accepi vehementer. avaritiam video fuiſſe, & ſpem magni congiarii. magnum hoc malum eſt. ſed ſcelus illud, quod timueramus, ſpero nullum fuiſſe. hoc autem vitium, puto te exiſtimare non noſtra indulgentia, ſed à natura profectum: quem tamen nos *diſciplina* regimus. [21] De Oppiis Velienſibus quid placeat, cum Philotimo videbis. Epirum noſtram putabimus: ſed alios curſus videbamur habituri.

CICERO ATTICO, S. 8

ET res ipſa monebat, & tu oſtenderas, & ego videbam, de iis rebus, quas intercipi periculoſum eſſet, finem, inter nos ſcribendi fieri tempus eſſe. ſed, cùm ad me ſæpe mea Tullia ſcribat, orans, ut, quid in Hiſpania geratur, exſpectem, & ſemper adſcribat idem videri, tibi idque ipſe etiam ex tuis literis intellexerim, non puto eſſe alienum, me ad te, quid de ea re ſentiam, ſcribere. Conſilium iſtud tunc eſſet prudens, ut mihi videtur, ſi noſtras ratio-

---

1. *Simul & videro.*] Sic habent omnes Boſii mſſ.

2. *Quod mihi mandas.*] Liquido exaratum eſt in Scidis, *Quod mihi mandas de Q. regendo.* & recte quidem ut dubius conjecerat Victorius, quorum veſtigiis inſiſtunt Lambinus, Boſius, & Junius: vulg. *de quodam regendo.*

3. *Ἀρχαδίαν.*] Victorius ait hoc vocabulum Græcum eſſe deformatum in vetuſtis codd. legique ἀρχαΐαν, unde conjecit legendum, ἀρχαῖον, quæ nunc eſt vulgata lectio. Turnebus lib. XVIII. Adverſ. cap. 10. varias affert conjecturas & primo cum legeretur, ἀρσίναν, maluit aliquando diducta voce, ἆρσ' ὤων, legere, quàm vel ἀρχαῖον, inducere, vel, ἀρχαδίαν, inferre, poſtea vero, ἀρσανίαν, vel etiam, ἄρχασ' ὤων. ſed cum codicis Tornæſiani copiam ipſi Lambinus feciſſet, in quo ſcriptum erat, ἀρχλίαν, maluit, ἀρχαδίαν, retinere. ſæpe enim illæ literæ, λ, & δ, confunduntur in antiquis libris. quam lectionem probant Lambinus, Boſius, & Junius; præterquam quod hic legit, ἀρχαδίην.

4. *Sed modeſtior non ero.*] In Boſianis omnibus erat, *modeſtior*, non ut Victorius legit, *moleſtior*.

5. *Vectenus eſt loquutus.*] *Vettienus* putat rectum eſſe Urſinus.

6. *Nuper* H-S XXX. *emiſſe.*] Vulg. *nuper ſe* LLS. XXX. *&c.*

7. *Reſcripſi ei ſtomachoſius.*] Victorius partim è vett. codd. partim ratione ductus repoſuerat, *ſtomachosè*, cùm prius in typis excuſis corruptiſſimè legeretur, *reſcripſi & iſta madio ſi vis cum joco tamen familiari.*

8. *A.D.XV. Kalend. Maij.*] Numerum hunc dierum quo epiſtola data eſt, qui incommode in caput ſequentis epiſtolæ collapſus erat, in finem hujus retraxit Victorius. Junius verò iterum ſequenti epiſtolæ attexuit ex duorum laudatiſſimorum mſſ. Palat. fide, ut ait, legitque, *ad XV. Kal. Maij*, ut etiam vulg.

9. *Moratur.*] Junius *morabatur*.

10. *Et tamen reticenter.*] Codex Tornæſianus, *recitet &*: Cruſellinus, *recitent &*: Decurtatus, *reticet &*; unde Boſius emendavit, *reticenter.* Victorius emendaverat, *retice.* Manutius ex varietate exemplarium, & lectione ſatis abſurda, mendum ſubeſſe ſuſpicatur, ſed nihil affert remedii, retinetque vulgatam lectionem. *retice.* Lambinus dicit codicem Tornæſ. & alios ferè omnes habere *reticeret*, unde olim faciebat *reticebo.* Junius Fulvii lectionem ex veteri libro probans, *& tandem excitet.* legit.

11. *Eramque occupatior. De Quinto filio.*] In Scidis eſt de Q. F. unde natus eſt error eorum qui has notas ita interpretati ſunt, *de Quinto Fratre.* Boſius veriſſimam ſcripturam exiſtimat, *de Quinto Filio*, quam diſertè refert Cruſellinus: vulg. *eramque occupatior de Q. fratre.*

12. *Fit à me quidem ſedulo.*] In omnibus excuſis depravatè eſt, *ita me*, pro, *fit à me*, ut eſt in Decurtato.

13. *Quod dein me mones.*] Junius ex mſſ. Pal. *quod de me mones.*

14. *Ego verò Apuliam.*] Putat Manutius hic eſſe initium epiſtolæ, ut etiam Junius; qui tamen ordinem mutare noluit, ſuperiori enim annectitur in vulgatis editionibus.

15. *Pulſus eſt admodeſtior.*] Codices formis impreſſi, *modeſtior*; Decurtatus, Tornæſianus & Cruſellinus, *admodeſtior*, quos ſecutus eſt Boſius.

16. *Nec tamen in acie ſed Melitæ.*] Ita Victorius ex conjectura pro, *militia*, quod antea legebatur.

17. *Simili oppidulo.*] Sic habent duo mſſ. Palat. Junio referente: vulg. *ſive in oppidulo.*

18. *Adriano mari*] Vulg. *Adriatico mari.*

19 *Fretenſi Curio.*] Veterum librorum auctoritati in quibus conſtanter legitur, *Fretenſi*, refragari noluit Boſius, Turnebi etiam auctoritatem ſequutus qui ita legendum aſſerit Adverſ. lib. XVIII. cap. 10. Victorius cùm reperiſſet, *Fretenſi*, in antiquiore ſuo, emendavit, *Freto Sicilienſi*, quæ nunc eſt recepta lectio; priùs legebatur: *Cretenſi Curio*, vulgatam ſcripturam retinet Lambinus, licet Turnebi lectionem non damnet, quæ Junio probatur.

20. *Sulpicium colloqui.*] Delet, *colloqui*, Faërnus auctore vetere libro.

21. *Oppiis Velienſibus.*] Vulg. *Oppiis Delienſibus.*

rationes ad Hiſpanienſem caſum accommodaturi eſſemus; [1] quod fieri dicitis oportere. neceſſe eſt enim, aut, id quòd maximè velim, pelli iſtum ab Hiſpania; aut trahi id bellum; aut iſtum, ut confidere videtur, apprehendere Hiſpanias. ſi pelletur, quàm gratus, aut quàm honeſtus tum erit ad Pompejum noſter adventus; cum ipſum Curionem ad eum tranſiturum putem? ſi trahitur bellum, quid exſpectem, aut quam diu? relinquitur, ut, ſi vincimur in Hiſpania, quieſcamus. id ego contra puto: iſtum enim *victorem* magis relinquendum puto, quàm victum, [2] & dubitantem magis quàm fidentem ſuis rebus. nam cædem video, ſi vicerit, & impetum in privatorum pecunias, & exulum reditum, & tabulas novas, & turpiſſimorum honores, & *regnum* non modò Romano homini, ſed ne Perſæ quidem cuiquam tolerabile. [3] tacita eſſe poterit indignitas noſtra? pati poterunt oculi, me cum Gabinio ſententiam dicere? & quidem illum rogari priùs? præſto eſſe clientem tuum [4] Clœlium? [5] C. Ateii Plaguleium? ceteros? ſed cur inimicos colligo? qui meos neceſſarios, à me defenſos, nec videre in Curia ſine dolore, nec verſari inter eos ſine dedecore potero. quid ſi ne id quidem eſt exploratum, fore, ut mihi liceat; (ſcribunt enim ad me amici ejus, me illi nullo modo ſatisfeciſſe, quòd in Senatum non venerim) tamenne dubitemus, an ei nos etiam cum periculo venditemus, quicum conjuncti ne cum præmio quidem voluimus eſſe? deinde hoc vide, non eſſe judicium de tota contentione in Hiſpaniis: niſi forte, iis amiſſis, arma Pompejum abjecturum putas: cujus omne conſilium *Themiſtocleum* eſt. exiſtimat enim, qui mare teneat, eum neceſſe rerum potiri. itaque, qui numquam id egit, ut Hiſpaniæ per ſe tenerentur, navalis apparatus ei ſemper antiquiſſima cura fuit. navigabit igitur, cùm erit tempus, maximis claſſibus, & ad Italiam accedet: in qua nos ſedentes quid erimus? nam *medios* eſſe jam non licebit. claſſibus adverſabimur igitur? [6] quod Mallius ſcilicet, tantum? denique quid turpius? [7] an invalidè hinc in abſentis ſolus tuli ſcelus? ejuſdem, cum Pompejo, & cum reliquis principibus non feram? quòd ſi jam, miſſo officio, periculi ratio habenda eſt; ab illis eſt periculum, ſi peccaro: ab hoc, ſi *rectè fecero*: nec ullum in his malis conſilium periculo vacuum inveniri poteſt: ut non ſit dubium, [8] quin turpiter facere cum periculo fugiamus; quod fugeremus etiam cum ſalute. [9] non; ſi ſimul cum Pompejo mare tranſierimus. omnino non potuimus. exſtat ratio dierum. ſed tamen (fateamur enim; quod eſt; ne condamus quidem, [10] ut poſſumus) [11] fefellit ea me res, quæ fortaſſe non debuit, ſed fefellit: pacem putavi fore: quæ ſi eſſet, iratum mihi Cæſarem eſſe, cùm idem amicus eſſet Pompejo, nolui. [12] ſenſeram enim, quàm iidem eſſent. [13] hoc verens in hanc tarditatem incidi, [14] ſed aſſequor omnia, ſi propero; ſi cunctor, amitto. & tamen, mi Attice, *auguria* quoque me incitant quadam ſpe non dubia, non hæc collegii noſtri ab [15] Attio, ſed illa Platonis de tyrannis. nullo enim modo poſſe video *ſtare* iſtum diutiùs, quin ipſe per ſe, etiam languentibus nobis, concidat; [16] quippe qui florentiſſimus, ac novus, VI, VII, diebus ipſi illi egenti, ac perditæ multitudini in odium acerbiſſimum venerit; qui duarum rerum *ſimulationem* tam citò amiſerit, manſuetudinis in Metello, [17] divitiarum in ærario. jam, quibus utatur vel ſociis, vel miniſtris, SI II PROVINCIAS, ſi Remp. regent, quorum nemo duos menſes potuit patrimonium ſuum gubernare? non ſunt omnia colligenda, quæ tu [18] acutiſſimè perſpicis. ſed tamen ea pone ante oculos: jam intelliges id regnum vix ſemeſtre eſſe poſſe. quod ſi me fefellerit, feram, ſicut [19] multi clariſſimi homines in Rep. excellentes tulerunt: niſi forte me [20] Sardanapali vice in ſuo lectulo mori malle cenſueris, quàm exilio Themiſtocleo: qui cum fuiſſet, ut ait Thucydides, [21] τῶν μὲν παρόντων δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, [22] τῶν δὲ μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής, tamen incidit in eos caſus, quos vitaſſet, ſi eum nihil fefelliſſet. etſi is erat (ut ait idem)

---

1. *Quod fieri dicitis oportere.*] Editiones variæ & in iis Victoriana habent, *quod fieri non debet*, pro, *quod fieri dicitis oportere*. Ceterum duo illa poſtrema vocabula, *non debet*, in mſſ. libris non reperiri aſſerit Victorius, unde nova & ab aliquo inculcata ſuſpicatur. Junius verò in mſſ. duobus Pal. extare ait certamque eſſe ſententiam.

2. *Et dubitantem magis quàm fidentem.*] Lambinus mſſ. omnibus reclamantibus legendum ait, *confidentem magis quam diffidentem*; ſed Boſius nihil mutandum cenſet.

3. *Tacita eſſe poterit indignitas noſtra.*] Ita ſe ex Tornæſiano jampridem correxiſſe ait Lambinus, antequam prodirent poſtremi libri Variarum lectionum Petri Victorii, in quarum l. 36. c. 10. ipſius emendatio confirmatur & explicatur. lectionem hanc quoque probat Junius, ſed non interpretationem.

4. *Clœlium.*] Beſſarionis & Alberti Ferri libri, *Clodium*.

5. *C. Ateii Plaguleium.*] Vulg. hîc legitur, *Catulli*, refragantibus libris antiquis, qui partim referunt, *Cateli*, ut Beſſar. & Alberti Ferri libri, partim, *Cateii*, unde Boſius conjecit, *C. Ateii*.

6. *Quod Mallius, ſcilicet, tantum?*] Boſius cum in omnibus ſuis vidiſſet ſcriptum, *Quod malus ſcilicet tantum?* eo conjectura ductus eſt ut crediderit Ciceronem ita ſcripſiſſe. Lambinus autem ex Tornæſiano ſic emendare conatus eſt, *Quod malum ſcilicet majus aut tantum? denique quid turpius?* vel ſic, *quod malum ſcilicet tantum, denique quid turpius?* Junius ex variorum mſſ. Palat. comparatione hunc locum commodè reſtitutum exiſtimat, *Quod majus ſcelus? aut tantum? denique an quid turpius?*

7. *An invalide.*] Partim ex conjectura, partim ex fide Decurtati, hunc locum emendavit Boſius, hactenus fœdiſſimis maculis conſpurcatum. Scriptura optimi ejus libri hæc eſt, *An ni valde hinc abcentis ſolus tuli ſcelus?* inde ſuſpicatus eſt Ciceronem ſcripſiſſe, *An invalide hinc arcentis ſolus tuli ſcelus:* Victorius ex mſſ. veſtigiis & conjectura hunc locum ſic emendaverat, *Annibal hic in abſentes, ſolus tuli ſcelus?* quæ eſt vulgo recepta lectio. Faërni probata conjectura olim ſic emendandum putarat Lambinus, *Annis ab hinc decem abſentis ſolus, &c.* poſtea autem ſic, *An qui validè hic abſentis ſolus, &c.* refertque hanc Boſii conjecturam, *An cujus non invalidè hinc abſenti ſolus tuli ſcelus;* ut *abſenti ſolus* ſit nomen compoſitum. Junius verò, *Anne valide hinc abigentis ſolus tuli ſcelus?* Turnebus lib. XVIII. cap. 9. reformabat è veteri libro: *Quod malum ſcilicet tantum? denique quid turpius? Anni valde hic in abſentes tuli ſcelus, ejuſdem, &c.*

8. *Quin turpiter facere cum periculo fugiamus.*] In vulgatis deſunt duo illa vocabula, *turpiter facere*.

9. *Non; ſi ſimul.*] Edidit Boſius ut erat in Scidis *non; ſi ſimul*, quod probat Junius.

10. *Ut poſſumus.*] Vulg. *ut poſſimus*.

11. *Fefellit ea me res.*] Codex Tornæſ. *fefellit eam res*, unde Boſius *fefellit ea me res*, ut eſt in Decurtato.

12. *Senſeram enim, quem iidem eſſent.*] Lambinus dicit legendum *quam idem eſſent*, vel *quam idem ſentirent*.

13. *Hoc verens.*] Vulg. *hoc veritus*.

14. *Sed aſſequor.*] *Sed aſſequar.* vulgata.

15. *Ab Attio.*] Manutii hæc eſt conjectura ex Beſſar. & Ferri mſſ. in quibus, *ab Athico*; & quoniam hi libri ſæpe pro, *Atticus*, habent, *Athicus*, ut in hoc ipſo ambitu, *& tamen mi Athice*, putavit minore mutatione legi poſſe, *Attio*, quàm *Appio*, ut emendaverat Victorius.

16. *Quippe qui florentiſſimus, ac novus VI. VII. diebus.*] Et hæc quoque reſtitutio Manutio debetur, quam juvat Decurtatus, verba hæc ita referens; *qui florentiſſ. ac novus VI. VII. diebus:* Beroaldus emendaverat, *quippe qui florens ac novus primis diebus, &c.* alii rectius putabant, *quippe qui florentibus ac bonis veluti rebus ipſi illi, &c.* ſed neutram probat Victorius, ideoque veterem relinquens, *florentis ac novos*, ut uti diebus, quam omnes & mſſ. & formis impreſſos habere dicit, notam apponit quæ mendum ſignificet; pro *VI. VII. diebus* Pantagathus emendat, *XX. diebus*, ex hiſtoria, ut putat Urſinus.

17. *Divitiarum in ærario.*] Ita reſtituit Victorius, cùm prius legeretur *in Afranio*.

18. *Acutiſſimè perſpicis.*] Vulg. *proſpicis*.

19. *Multi clariſſimi homines.*] Vulg. *multi præclariſſimi*.

20. *Sardanapali vice in ſuo lectulo.*] Ita legendum aſſerunt Manutius, Boſius, & Junius: Lambinus verò, *Sardanapali vicem in meo lectulo*. & ita codicem Tornæſ. habere dicit.

21. Τῶν μὲν παρόντων.] Vulg. τῶν τε παραχρῆμα.

22. Τῶν δὲ μελλόντων.] Boſius expreſſit ſcripturam veterem, licet ea aliquantulum variet, ab illa quæ vulgò exſtat in codicibus excuſis Thucydidis.

idem: [1] qui τὸ ἄμεινον, καὶ τὸ χεῖρον ἐν τῷ ἀφανεῖ ἔτι προεώρα μάλιστα: tamen non vidit, nec quo modo Lacedæmoniorum, nec quo modo ſuorum civium invidiam effugeret, nec quid Artaxerxi polliceretur. non fuiſſet & illa nox tam acerba Africano, ſapientiſſimo viro, non tam [2] dirus ille dies Sullanus calliditſimo viro C. Mario, ſi nihil utrumque eorum *feſelliſſet*. nos tamen hoc confirmamus illo augurio, quo diximus; nec nos fallit, nec aliter accidet. corruat iſte neceſſe eſt, aut per adverſarios, aut ipſe per ſe, qui quidem ſibi eſt adverſarius unus acerrimus. id ſpero vivis nobis fore. quamquam tempus eſt nos de illa *perpetua* jam, non de hac exigua vita cogitare. ſin quid acciderit maturius, haud ſanè mea multùm interfuerit, utrum factum videam, an futurum eſſe multo ante viderim. quæ cùm ita ſint, non eſt committendum, ut iis pareamus, quos contra me Senatus, ne quid Reſp. detrimenti acciperet, armavit. Tibi ſunt omnia commendata; quæ commendationis meæ pro tuo in nos amore non indigent. ne hercule ego quidem reperio, [3] quod ſcribam. [4] ſedeo enim πλουδοκῶν. etſi nihil umquam tam fuit ſcribendum, quàm nihil mihi umquam ex plurimis tuis jucunditatibus gratius accidiſſe, quàm quòd meam Tulliam ſuaviſſimè diligentiſſimeque coluiſti. valde eo ipſa delectata eſt: ego autem non minus; cujus quidem virtus mirifica. quo modo illa fert publicam cladem? quo modo domeſticas tricas? quantus autem animus in diſceſſu noſtro? [5] ſit ϛοργὴ, ſit ſumma συνήξις: tamen nos rectè facere, & bene audire vult. Sed hac ſuper re nimis; [6] ne meam ipſe συμπάθειαν jam evocem. Tu, ſi quid de Hiſpaniis certius, & ſi quid aliud, dum adſumus, ſcribes: & ego fortaſſe diſcedens dabo ad te aliquid; eo etiam magis, quòd Tullia te non putabat [7] hoc tempore ex Italia. Cum Antonio item eſt agendum, ut cum Curione, Melitæ me velit eſſe; huic bello nolle intereſſe. eo velim tam facili uti poſſem, & tam bono in me, [8] quàm Curione. is ad Miſenum VI. Nonas venturus dicebatur, id eſt hodie: ſed præmiſit mihi odioſas litteras, hoc exemplo:

ANTONIUS TRIB. PLEB. PROPRÆT. CICERONI IMP. S.

NISI te valde amarem, & multo quidem plus, quàm tu putas, non extimuiſſem rumorem, qui de te prolatus eſt, cum præſertim falſum eſſe exiſtimarem. ſed quia te nimio plus diligo, non poſſum diſſimulare, [9] *mihi FAMAM quoque, quamvis ſit falſa, magni eſſe. Te iturum trans mare, credere non poſſum, cum tanti facias Dolabellam, & Tulliam tuam, feminam lectiſſimam, tantique ab omnibus nobis fias; quibus mehercule dignitas, amplitudoque tua pæne carior eſt, quàm tibi ipſi. ſed tamen non ſum arbitratus eſſe amici,* non commoveri *etiam improborum ſermone: atque eò feci ſtudioſius, quòd judicabam duriores partes mihi impoſitas eſſe ab offenſione noſtra, quæ magis à ζηλοτυπίᾳ mea quàm ab injuria tua nata eſt. ſic enim volo te tibi perſuadere, mihi neminem eſſe cariorem te, excepto Cæſare meo, meque illud una judicare, Cæſarem maximè in ſuis M. Ciceronem reponere. Quare, mi Cicero, te rogo, ut tibi omnia integra ſerves, ejus fidem improbes, qui tibi, ut beneficium daret, prius injuriam fecit: contra ne profugias, qui te, etſi non amabit, (quod accidere non poteſt) tamen ſalvum ampliſſimumque eſſe cupiet. Dedita opera ad te Calpurnium, familiariſſimum meum, miſi; ut mihi magnæ curæ tuam vitam ac dignitatem eſſe ſcires.*

Eodem die à Cæſare [10] Philotimus attulit, hoc exemplo.

CÆSAR IMP. CICERONI IMP. S.

ETSI te nihil temerè, nihil imprudenter facturum judicaram; tamen permotus hominum fama, ſcribendum ad te exiſtimavi, & [11] *pro noſtra benivolentia petendum, ne quò progredereris* [12] *proclinata jam re, qua integra etiam progrediendum tibi non exiſtimaſſes. namque & amicitiæ graviorem injuriam feceris,* [13] *& tibi minus commodè conſulueris, ſi non fortunæ obſecutus videbere: (omnia enim ſecundiſſima nobis, adverſiſſima illis accidiſſe videntur) nec cauſam ſecutus. (eadem enim tum fuit, cum ab eorum conſiliis abeſſe judicaſti) ſed meum aliquod factum condemnaviſſe: quo mihi gravius abs te nil accidere poteſt. quod ne facias, pro jure noſtræ amicitiæ à te peto. Poſtremo, QUID VIRO bono & quieto, & bono civi magis convenit, quàm abeſſe à civilibus controverſiis? quod non nulli cùm probarent, periculi cauſa ſequi non potuerunt. tu, explorato & vitæ meæ teſtimonio, & amicitiæ judicio, neque tutius, neque honeſtius reperies quidquam, quàm ab omni contentione abeſſe. XV. Kal. Maj. ex itinere.*

CICERO ATTICO S. 9

[14] ADVENTUS Philotimi (at cujus hominis, quam inſulſi, & quàm ſæpe pro Pompejo mentientis?) exanimavit omneis, qui mecum erant. nam ipſe obdurui. [15] Dubitabat noſtrum nemo, quin Cæſar itinera repreſſiſſet: *volare* dicitur: [16] Petrejus cum Afranio conjunxiſſet ſe: nihil affert ejuſmodi. quid quæris? etiam illud erat perſuaſum; Pompejum cum magnis copiis [17] iter in Germaniam per Illyricum feciſſe: id enim αὐθεντικῶς nuntiabatur. Melitam igitur, opinor, [18] capeſſamus, dum, quod in Hiſpania: quod quidem propemodum videor ex Cæſaris litteris ipſius voluntate facere poſſe; qui negat NEQUE HONESTIUS, neque tutius mihi quidquam eſſe, quàm ab omni contentione abeſſe. dices, [19] ubi ergo tuus ille animus, quem proximis litteris? adeſt, & idem eſt. ſed utinam *meo* ſolùm *capite* decernerem. lacrimæ meorum [20] me interdum molliunt, precantium, ut de Hiſpaniis exſpectemus.

---

1. *Qui* τὸ ἄμεινον καὶ τὸ χεῖρον ἐν τῷ ἀφανεῖ.] Vulg. *qui* τὸ, τὸ ἄμεινον, ἢ χεῖρον, ἐν τῷ, &c.

2. *Dirus ille dies.*] Vox, *dies*, deeſt in vulgatis.

3. *Quod ſcribam.*] Vulg. *quid ſcribam.*

4. *Sedeo enim* πλουδοκῶν.] Hanc dictionem Græcam ex antiquis libris reſtituit Victorius, antea legebatur πλοιοδοκῶν. cui nocuiſſe putabat Dauſquejus librarii præcipitantiorem manum ſcribendumque πλοῦν προσδοκῶν, *navigandi opportunitatem expectans.*

5. *Sit* ϛοργὴ, *ſit ſumma* σύνηξις.] Ita Boſius ex Decurtato & Cruſellino. In libro viri doctiſſimi emendatum eſſe notat Urſinus, ϛοργῆς *ſit ſummæ, licet tamen nos rectè, &c.* Vulg. ϛοργῆς *ſit ſumma* σύνηξις.

6. *Ne meam ipſe* συμπάθειαν *jam evocem.*] Hunc locum ex antiquo ſuo reſtituit Victorius; cum prius in editionibus poſt vocem, *ipſe*, inane ſpatium relinqueretur hoc modo, *ne meam ipſe* * * *jam evocem.* Dictionem autem, *jam* quam omiſerat Victorius, primus reſtituit Boſius: Fulvii amicus legit, *navitam ipſe audire videor jam evocantem.*

7. *Hoc tempore ex Italia.*] Vulg. *ex Italia hoc tempore.*

8 *Quàm Curione.*] Sic in viri doctiſſimi libro emendatum ait Urſinus, quod etiam Lambino probatur.

9. *Mihi famam quoque quamvis ſit falſa.*] Decurtatus non aliter hæc refert quam vulgati codices in Tornæſ. tamen & Cruſellino, *quamvis ſit falſa, falſam agnoſcere magni eſſe.* Editiones vulgatas habuiſſe refert Victorius, *infamiam quoque quamvis ſit falſa. navigio eſſe te iturum trans mare, &c.*

10. *Philotimus attulit.*] Aberat ab antiquis Boſianis vox, *literas.*

11. *Pro noſtra benivolentia.*] Legendum arbitratur Lambinus, *& à te pro benivolentia.*

12. *Proclinata jam re.*] Vulg. *inclinata jam re.*

13. *Et tibi minus commodè conſulueris, ſi non fortunæ obſecutus videbere.*] Ita Victorius ex antiquis mſſ. reſtituit, quum pro, *videbere*, legeretur, *fueris ut debes.* Ceterum videre monet Urſinus, num ſit legendum, *& tibi minus commodi conſcivěris, nec fortunæ obſecutus videberis.*

14. *Adventus Philotimi.*] Monent Manutius Lambinus & Junius hoc non eſſe epiſtolæ principium ſed partem octavæ, facilioris tamen diſtinctionis cauſa nonam numerari.

15. *Dubitabat noſtrum.*] Vulg. *dubitavit noſtrum.*

16. *Petreius cum Afranio conjunxiſſet ſe.*] Vulg. *Petreius ſe cum Afranio conjunxiſſet.*

17. *Iter in Germaniam.*] Videtur Urſino legendum *per Galliam*, ex loco ſimili in epiſt. 5.

18. *Capeſſamus.*] Vulg. *capeſſemus.*

19. *Ubi ergo tuus ille animus.*] Hoc ordine hæc legebantur in Decurtato & Tornæſiano, *ubi ergo tuus ille animus?* atque ita repoſuit Boſius. vulg. *ubi ille ergo tuus animus?*

20. *Me interdum molliunt.*] Vulgatam hanc lectionem non damnat quidem Junius, ſed tamen eam poſtponit huic quam mſſ. Pal. exhibent, *me interdum moliuntur.*

mus. M. Cœlii quidem epiſtolam, ſcriptam miſerabiliter, [1] cùm hoc idem obſecraret, ut exſpectarem, ne fortunas meas, ne [2] unicam filiam, ne meos omneis tam temerè proderem, non ſine magno fletu legerunt pueri noſtri: etſi meus quidem eſt fortior, eoque ipſo vehementiùs *commovet:* nec quidquam, [3] niſi de dignatione, laborat. Melitam igitur; [4] deinde, quò videbitur. tu tamen etiam nunc mihi aliquid litterarum, & maximè ſi quid ab Afranio. Ego, ſi cùm Antonio locutus ero, ſcribam ad te, quid actum ſit. ero tamen *in credendo*, ut mones, cautus. nam occultandi ratio cùm difficilis, tum etiam periculoſa eſt. Servium exſpecto ad Nonas; & [5] adigit ita Poſtumia, & Servius filius. Quartanam leviorem eſſe gaudeo. Miſi ad te Cœlii etiam litterarum exemplum.

COELIUS CICERONI, S.

EXANIMATUS tuis litteris, quibus te nihil, niſi triſte, cogitare oſtendiſti; neque, id quod eſſet, perſcripſiſti; neque non tamen, quale eſſet, quod cogitares, aperuiſti; has ad te ilicò litteras ſcripſi. Per fortunas tuas Cicero, per liberos te oro & obſecro, ne quid gravius de ſalute & incolumitate tua conſulas. nam deos homineſque amicitiamque noſtram teſtificor, me tibi prædixiſſe, neque temerè monuiſſe; ſed poſtquam Cæſarem convenerim, ſententiamque ejus, qualis futura eſſet parta victoria, cognorim, te certiorem feciſſe. ſi exiſtimas eandem rationem fore Cæſaris in dimittendis adverſariis, & conditionibus ferendis, erras. nihil, niſi atrox, & ſævum, cogitat, atque etiam loquitur. iratus Senatui exiit: his interceſſionibus planè incitatus eſt. non mehercule erit deprecationi *locus. quare, ſi tibi tu, ſi filius unicus, ſi domus, ſi ſpes tuæ reliquæ tibi caræ ſunt; ſi aliquid apud te nos, ſi, vir optimus, [6] gener tuus valemus: eorum fortunam non debes velle conturbare: [7] ut eam cauſam, in cujus, victoria ſalus noſtra eſt, odiſſe, aut relinquere cogamur, aut impiam cupiditatem contra ſalutem tuam habeamus. denique illud cogita, quod offenſæ fuerit, in iſta cunctatione te ſubiiſſe nunc TE CONTRA victorem Cæſarem facere, quem dubiis rebus lædere noluiſti, & ad eos fugatos accedere, quos [8] reſiſtenteis ſequi nolueris, ſummæ ſtultitiæ eſt. vide, ne, dum pudet te parum* optimatem *eſſe, parum diligenter, quod* optimum *ſit, eligas. quòd ſi totum tibi perſuadere non poſſum; ſaltem, dum, quid de Hiſpaniis agamus, ſcitur exſpecta; quas tibi nuntio adventu Cæſaris fore noſtras. quam iſti ſpem habeant amiſſis Hiſpaniis, neſcio. quod porro tuum conſilium ſit ad deſperatos accedere, non medius fidius reperio. Hoc, quod tu non dicendo mihi ſignificaſti, Cæſar audierat, ac ſimul atque, have, mihi dixit, ſtatim, quid de te audiſſet, expoſuit. negavi me ſcire: tamen ab eo petivi, ut ad te litteras mitteret, quibus maximè ad remanendum commoveri poſſes. me ſecum in Hiſpaniam ducit. nam, niſi ita faceret, ego prius, quàm ad urbem accederem, ubicumque eſſes, ad te percurriſſem, & hoc à te præſens contendiſſem, atque omni vi te retinuiſſem. Etiam atque etiam, Cicero, cogita, ne te tuoſque omnes funditus evertas: [9] nec te ſciens, prudenſque eò demittas, unde* exitum *vides nullum eſſe. quod ſi te aut voces optimatium commovent; aut non nullorum hominum inſolentiam & jactationem ferre non potes: eligas, cenſeo, aliquod oppidum vacuum à bello, dum hæc decernuntur, quæ jam erunt confecta. id ſi feceris, & ego te ſapienter feciſſe judicabo, & Cæſarem non offendes.*

CICERO ATTICO, S. 10

ME cæcum qui hæc ante non viderim! miſi ad te epiſtolam Antonii. [10] ei cùm ego ſæpiſſimè ſcripſiſſem, nihil me contra Cæſaris rationes cogitare; meminiſſe me generi mei, meminiſſe amicitiæ; potuiſſe, ſi aliter ſentirem, eſſe cum Pompejo; me autem, quia cum lictoribus invitus curſarem, abeſſe velle, nec id ipſum certum etiam nunc habere; vide, quàm ad hæc [11] παρωνικῶς:

Tuum conſilium quàm verum eſt. nam qui ſe medium *eſſe vult, in patria manet: qui proficiſcitur, aliquid de altera utra parte judicare videtur. ſed ego is non ſum, qui ſtatuere debeam, jure quis proficiſcatur, nec ne. [12] parteis mihi Cæſar has impoſuit, ne quem omnino diſcedere ex Italia paterer. [13] quare parvi refert me probare cogitationem tuam, ſi nihil tamen tibi remittere poſſum, ad Cæſarem mittas, cenſeo, & ab eo hoc petas. non dubito, quin impetraturus ſis, cum præſertim te amicitiæ noſtræ rationem habiturum eſſe pollicearis.*

Habes *σκυτάλην λακωνικήν*. omnino excipiam hominem. erat autem v. Non. venturus veſperi, id eſt hodie. cras igitur ad me fortaſſe veniet. [14] tentabo audeam, nihil properare; [15] miſſurum ad Cæſarem [16] clamabo me; cum pauciſſimis alicubi occultabor; [17] carris hinc iſtis invitiſſimis evolabo, [18] atque utinam ad Curionem. *σὺν θεῷ τοι λέγω.* magnus dolor acceſſit. efficietur aliquid *dignum nobis.* [19] *δυσουρία* tua mihi valde moleſta. medere amabo, dum eſt ἀρχή. De Maſſilienſibus gratæ tuæ mihi litteræ. quæſo, ut ſciam, quidquid audieris. [20] Siciliam cuperem, ſi poſſem palam: quod à Curione effeceram. Hîc ergo Servium exſpecto. rogor enim ab ejus uxore & filio: & puto opus eſſe. Hic tamen Cyteridem ſecum lectica aperta portat,

---

1. *Cum hoc idem obſecraret.*] Vulg. *quæ hoc idem.*

2. *Unicam filiam.*] Manutio *unicum filium* videtur legendum ex epiſtola Cœlii.

3. *Niſi de dignatione.*] Beſſarionis liber apertè habet *de dignitate.* Lambino utraque lectio probatur.

4. *Deinde, quò videbitur.*] Boſius ex Decurtato ſic edidit ut prius cenſuerat Malaſpina.

5. *Et adigit ita Poſtumia.*] Decurtatus, *& adicit ita Poſtumia & Ser. F.* unde ſcripſit Boſius *& adigit ita Poſtumia & Servius filius.* Manutius qui ſit verborum ordo non videt, &, quia in Beſſar. libro, pro, *& Servii*, habet, *Scivi*, ſuſpicatur de mendo. Lambinus legendum putat, *eum allicit Poſtumia: ſed & ſervius filius.* vulgò, *& adjicit à Poſtumia, &c.*

6. *Gener tuus valemus.*] Vulg. *gener tuus valet.*

7. *Ut eam cauſam, in cujus victoria, &c.*] Totum hunc locum ex antiquis libris Beſſarionis & Ferri, ſe emendaſſe profitetur Manutius.

8. *Reſiſtentis.*] Vulg. *reſiſtentes.*

9. *Nec te ſciens.*] Vulg. *ne te ſciens.*

10. *Ei cum ego.*] Pro *e*, vulgò mendosè legitur, & Boſius, *ei*, caſtigavit auctoribus Scidis.

11. *Παρωνικῶς.*] Recte conjecit Lambinus ex depravata Tornæſiani lectione, legendum hic eſſe, *παρωνικῶς*; quo ferre quoque videntur veſtigia hæc veteris ſcripturæ, quæ eſt in Decurtato, *παρονικῶς*. Victorius emendaverat *τυρανικῶς*, quæ eſt nunc vulg. recepta lectio, cum prius vox nulla eſſet Græca, ſed inane ſpatium relictum in editionibus.

12. *Partis mihi.*] Vulg. *partes.*

13. *Quare parvi refert.*] Ita reſtituit Victorius ſublato poſt dictionem, *parvi*, puncto, quod totam lectionem inquinabat; faciebatque ut, *parui*, videretur præteriti temporis à pareo.

14. *Tentabo audeam, nihil properare.*] Hæc verba valde corrupta & manca eſſe, aſſerit Victorius. cùm igitur nihilo miliorem hac antiquam ſcripturam inveniſſet, ſed eandem penitus, & ſimili modo perverſam & laceram; contra hunc locum aſteriſcum figi juſſit. at enim Manutius ita reſtituere conatus eſt, *Tentabo; aut dicam, nihil properare, miſſurum ad Cæſarem, clam ibo: cum pauciſſimis, &c.* ita diſtinguitur vulg. *tentabo, audeam nihil properare.*

15. *Miſſurum ad Cæſarem.*] Vulg. *miſſurum me ad Cæſarem.*

16. *Clamabo me.*] Vitiosè vulgati, *clamabam.* Verè & ſincerè Decurtatus, *clamabo me.*

17. *Carris hinc iſtis.*] Boſii hæc eſt conjectura ex depravata lectione, *cartis*, Scidarum & Cruſellini; Tornæſian. *cati*; in impreſſis, *certè*: Victorii antiquior, *carti.*

18. *Atque utinam ad Curionem σὺν θεῷ τοι λέγω.*] Reſtituit Victorius auxilio vetuſtioris exemplaris verba Græca quæ hic deſiderabantur; poſt quæ, nulla diſtinctione adhibita ſequentia legenda aſſerit. Manutius tamen verba Græca cum ſuperioribus conjungit, & a ſequentibus disjungit.

19. *Δυσουρία tua.*] Inane ſpatium Græca hac quæ deſiderabatur voce replevit Victorius ex antiquis mſſ.

20. *Siciliam cuperem.*] Vulg. *Ocellam cuperem.*

tat, [1] alteram uxorem: ſeptem præterea [2] conjunctæ lecticæ amicarum ſunt, an amicorum? vide, quàm *turpi leto* pereamus: [3] & dubita, ſi potes, quin ille, ſeu victus, ſeu victor redierit, [4] cædem facturus ſit. [5] ego verò vel lintriculo, ſi navis non erit, eripiam me ex iſtorum parricidio. Sed plura ſcribam, cum illum convenero. Juvenem noſtrum non poſſum non amare: ſed ab eo nos non amari, planè intelligo. nihil ego vidi tam ἀνηθοποίητον, tam averſum à ſuis, tam neſcio quid cogitans. vim incredibilem moleſtiarum! ſed erit curæ, & eſt, ut *regatur*. mirum eſt enim ingenium. ἤθους ἐπιμελητέον.

11 CICERO ATTICO, S.

OBSIGNATA jam epiſtola ſuperiore, non placuit [6] ei dari, cui conſtitueram, quòd erat alienus. itaque eo die data non eſt. interim venit Philotimus, & mihi à te litteras reddidit: quibus quæ de fratre meo ſcribis, ſunt ea quidem parum firma, [7] ſed habent nihil ὕπουλον, nihil fallax, nihil non flexibile ad bonitatem, nihil, quod non, quò velis, uno ſermone poſſis perducere. ne multa; omnes ſuos, etiam quibus iraſcitur crebriùs, tamen caros habet, me quidem ſe ipſo cariorem. Quod de puero aliter ad te ſcripſit, & ad matrem de filio, non reprehendo: [8] δεῖ τιθήνης ἔτι. De ſorore, quæ ſcribis, moleſta ſunt, eoque magis, quòd ea tempora noſtra ſunt, ut ego his mederi non poſſim. nam certè mederer. ſed quibus in malis, & qua in deſperatione rerum ſimus, vides. Illa de ratione nummaria non ſunt ejuſmodi (ſæpe enim audio ex ipſo) ut non cupiat tibi præſtare; & in eo [9] laborat. [10] ſed ſi mihi Q. Axius in hac mea fuga H-S XIII. non reddit, quæ dedi ejus filio mutua, & utitur *excuſatione temporis*; ſi Lepta; ſi ceteri; ſoleo mirari, [11] de neſcio quîs H-S XX. [12] cùm audio ex illo ſe urgeri. vides enim profectò anguſtias. curari tamen ea tibi utique jubet. an exiſtimas illum in iſto genere lentulum, aut reſtrictum? nemo eſt minùs. De fratre ſatis de ejus filio, indulſit illi quidem ſuus pater ſemper; ſed non facit *indulgentia* mendacem, aut avarum, aut non amantem ſuorum; ferocem fortaſſe, [13] atque arrogantem, & infeſtum facit. itaque habet hæc quoque, quæ naſcuntur ex indulgentia: ſed ea ſunt tolerabilia. quid enim dicam, hac juventute? ea verò, quæ mihi quidem, qui illum amo, ſunt his ipſis malis, in quis ſumus, miſeriora, non ſunt ab obſequio noſtro, [14] non; ſuas radices habent: quas tamen evellerem profectò, ſi liceret. [15] ſed ea tempora ſunt ut omnia mihi ſint patienda. ego meum facilè teneo. nihil eſt enim eo tractabilius: cujus quidem miſericordia languidiora adhuc conſilia cepi: &, quo ille me certiorem vult eſſe, eo magis timeo, ne in eum exiſtam crudelior. Sed Antonius venit heri veſperi. jam fortaſſe ad me veniet, aut ne id quidem, quoniam ſcripſit, quid fieri vellet. ſed ſcies continuò, quid actum ſit. Nos jam nihil, niſi occultè. De pueris quid agam? parvone navigio committam? quid mihi animi in navigando cenſes fore? [16] recordor enim, æſtate cùm illo Rhodiorum ἀφράκτῳ navigans, quam fuerim ſollicitus. quid, duro tempore *anni* actuariolo fore cenſes? rem undique miſeram! Trebatius erat mecum, vir planè, & civis bonus. quæ ille monſtra, dii immortaleis! etiamne Balbus in Senatum venire cogitet? ſed ei ipſi cras ad te litteras dabo. [17] Vectenum mihi amicum, ut ſcribis, ita puto eſſe: cum eo, quod [18] ἀποτόμως ad me ſcripſerat de nummis curandis, θυμικώτερον [19] eram jocatus. id, tu, ſi ille aliter acceperit, ac debuit, lenies. [20] *Monetali* autem adſcripſi, quòd ille ad me, *Proconſuli*. ſed quoniam eſt homo, & nos diligit. ipſe quoque à nobis diligatur. Vale.

CICERO ATTICO, S. 12

QUIDNAM mihi futurum eſt? aut quis me non ſolum infelicior, ſed jam etiam turpior? [21] nominatim de me ſibi imperatum dicit Antonius; nec me tamen ipſe adhuc viderat, ſed hoc Trebatio narravit. Quid agam nunc, cui nihil procedit, caduntque ea; quæ diligentiſſimè ſunt cogitata, tæterrimè? ego enim Curionem nactus, omnia me conſecutum putavi. is de me ad Hortenſium ſcripſerat. Reginus erat totus noſter. huic nihil ſuſpicabamur [22] cum hoc mare negotii fore. quò me nunc vertam? undique *cuſtodior*. [23] ſed ſatis lacrimis. πάρωρα ὀτλητέον igitur, & occultè in aliquam onerariam corrependum. non committendum,

1. *Alteram uxorem.*] Lipſius lib. IV. Epiſtol. quæſtion. cap. II. emendavit, *alteram uxorem*, quomodo erat in Scidis. vulgò *alterâ uxorem*.

2. *Conjunctæ lecticæ amicarum ſunt, an amicorum.*] Victorius quid hic ſtatuere deberet, neſciens vulgatam lectionem retinuit. *lecticæ amicarum. hæ ſunt amicorum*, licet ipſi parum ſatisfaciat. Junius Boſii lectionem ſequitur præterquam quòd ante vocem, *ſunt*, ex duobus mſſ. Palatin. addit *eæ*.

3. *Et dubita, ſi potes.*] Junius ex duobus optimis mſſ. Palat. *& dubitari poteſt.*

4. *Cædem facturus ſit.*] Vulg. *eadem facturus ſit.*

5. *Ego vero vel lintriculo.*] Ita legit Lambinus, licet, *utriculo*, non rejiciat quod eruit lib. XVIII cap. 10. Turnebus, & probat Junius, Victorius teſtatur antiquos codices habere *ego verò, vellunt ridiculo*. Tornæſianus, *vel lutridicu.o.* vulgò *ego vero vehiculo.*

6. *Ei dari.*] Vulg. *ei dare.*

7. *Sed habent nihil.*] Lambinus malit ſic legi, *ſed tamen nihil*, ſeu, *ſed habent tamen nihil.*

8. Δεῖ τιθήνης, ἔτι. *De ſorore quæ ſcribis.*] Conſentiunt Tornæſianus, Huraltinus, & Cruſellinus, cum Victorianis mſſ. ſic enim hæc referunt, DE ITINE ET. unde Victorius primum poſuit *de juvene*, poſtea, mutata ſententia, *de itinere*. Boſius autem utramque Victorii emendationem improbans, ratione ductus, ex veſtigiis veteris Decurtati quæ hæc ſunt ΔΕΙ ΤΙΝΕ ΕΤΙ, conjecit Ciceronem ſcripſiſſe, δεῖ τιθήνης ἔτι. Quidam Lambini amicus ex depravata Tornæſiani ſcriptura, *de itine*, legebat *de irene*, id eſt, *pace*. Junius ait Boſium argute quidem, ut multa alia, hîc repoſuiſſe, δεῖ τιθήνης ἔτι; ſed ſibi religionem eſſe tam longe à vetere ſcriptura diſcedere, itaque legit, δεῖ τινὶ ἔτι: vulg. *de juvene & de ſorore quæ ſcribis.*

9. *Laborat.*] Decurtati ſcripturam expreſſit Boſius. vulg. *laboret.*

10. *Sed ſi mihi Q. Axius in hac mea fuga.*] Victorius ex vett. codicibus, in quibus erat, *Sed ſi mihi quæ Axius in hac*, &c. emendavit *Q. Axius*; nam in infinitis locis ubi Q. eſſe debebat legitur, *quæ*, in mſſ. antea in formis excuſis legebatur, *ſed ſi mihi quæ in hac mea fuga.*

11. *De neſcio quîs* H-S *XX.*] Vulg. *de neſcio queis LL S. XX.*

12. *Cum audio ex illo ſe urgeri.*] Et hoc quoque eſt Victorii; cum prius corruptè legeretur, *exilio ſe urgueri.*

13. *Atque arrogantem.*] Vulg. *& arrogantem.*

14. *Non; ſuas radices habent.*] Manutius Beſſarionis librum ſecutus repoſuit *non; &c.* licet alii, quidam, & inter eos Scidæ & Tornæſianus, habeant, *nam ſuas radices habent.*

15. *Sed ea tempora ſunt.*] Plenior & integrior Boſio viſa eſt lectio Tornæſ. & Decurtati, quam excuſorum, ideo ſic ex eorum fide edidit: *ſed ea tempora ſunt, ut omnia mihi ſint patienda.*

16. *Recordor enim.*] Ineptos quoſdam interpolatores hunc locum corrupiſſe ait Boſius, cum recte in libris antea excuſis, & in omnibus mſſ. legeretur, *recordor enim æſtate cum illo Rhodiorum* ἀφράκτῳ *navigans, quam fuerim ſollicitus.*

17. *Vectenum mihi amicum.*] Pro, *Vulteium*, quod antea mendosè legebatur Victorius ſubſtituit *Vectenum*.

18. Ἀποτόμως.] Hujus quoque vocabuli reſtitutio Victorio debetur; cùm enim tranſpoſite hic legeretur, θυμικώτερον, ille hoc vocabulum paulo inferius in ſpatio quod in formis impreſſis vacuum erat, repoſuit.

19. *Eram jocatus.*] Repoſuit Boſius ut erat in Scidis, *eram jocatus*; quidam enim libri mendose, *erat jocatus*. Victorius, *eram iratus*. in vulgatis utraque vox ſive, *jocatus*, ſive, *iratus* deeſt.

20. *Monetali autem adſcripſi.*] Non ſolum ſic habere mſſ. ſed etiam majorem partem excuſorum teſtatur Victorius; ut non poſſit non mirari imprudentiam quorumdam, qui ex *Monetali* duo verba fecerunt &, *Moneo talia*, ſcripſerunt, ſed quam ineptè & perverſè nihil attinet dicere, licet in cunctos recentiorum impreſſionum libros temporè Victorii tranſlata ſit.

21. *Nominatim ſibi de me imperatum.*] Codex Tornæſianus habet *imperaturum*; unde doctus quidam conjecerat legendum *impetraturum*, Lambino teſte, qui vel, *imperatum*, vel, *imparatum* malit.

22. *Cum hoc mare.*] Vulg. *cum hoc mari.*

23. *Sed ſatis lachrymis* πάρωρα ὀτλητέον.] Victorius teſtatur cum prius inane ſpatium eſſet in formis impreſſis, poſt *ſed ſatis lachrymis*, Germanos repoſuiſſe, ὠφελητέον; parum ut ait ſincere, ipſe verò

tendum, ut etiam [1] compacto prohibiti videamur. Sicilia petenda: quam ſi erimus nacti, majora quædam conſequemur. ſit modò rectè in Hiſpaniis: quamquam de ipſa Sicilia utinam ſit verum: ſed adhuc nihil ſecundi. concurſus Siculorum ad Catonem dicitur factus; oraſſe, ut reſiſteret, [2] omnia pollicitos: [3] commotum illum, delectum habere cœpiſſe. non credo, ut eſt luculentus auctor, potuiſſe certè tenere illam provinciam ſcio. ab Hiſpaniis autem jam audietur. Hic nos C. Marcellum habemus, [4] eadem de re cogitantem, aut *bene ſimulantem:* quamquam ipſum non videram, ſed ex familiariſſimo ejus audiebam. tu, quæſo, ſi quid habebis novi. ego, ſi quid moliti erimus, ad te ſtatim ſcribam. Quintum filium ſeveriùs adhibebo. utinam [5] proficere poſſim: tu tamen eas epiſtolas, quibus aſperiùs de eo ſcripſi, aliquando concerpito, ne quando quid emanet: ego item tuas. Servium exſpecto, nec ab eo quidquam ὑγιές. [6] ſcies, quidquid erit. ſine dubio *erraſſe* nos, confitendum eſt. at ſemel? at una in re? immo omnia, quò diligentius cogitata, eò facta ſunt imprudentius.

ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ: in reliquis modò ne ruamus. [7] jubes enim de profectione mea providere. quid provideam? ita patent omnia, quæ accidere poſſunt, ut ea ſi vitem, ſedendum ſit cum dedecore & dolore; ſi negligam, periculum eſt, ne in manus incidam perditorum. ſed vide, quantis in miſeriis ſimus, optandum interdum videtur, ut aliquam accipiamus ab iſtis quamvis acerbam injuriam, ut tyranno in odio fuiſſe videamur. quòd ſi nobis curſus, quem ſperaram, pateret; effeciſſem aliquid profecto, ut tu optas & hortaris, dignum noſtra mora. ſed mirificæ ſunt cuſtodiæ: & quidem ille ipſe Curio ſuſpectus. quare vi, aut clam agendum eſt: [8] &, ſi vi, fortè & cum tempeſtate: clam autem iſtis. in quo ſi quod σφάλμα, vides quàm *turpe* eſt. trahimur: nec fugiendum, ſi quid violentius. De Cælio, ſæpe mecum agito; nec, ſi quid habuero tale dimittam. Hiſpanias ſpero firmas eſſe. Maſſilienſium factum cùm ipſum per ſe luculentum eſt, tum mihi argumento eſt, rectè eſſe in Hiſpaniis. minus enim auderent, ſi aliter eſſet, & ſcirent: [9] nam & vieti, & δειλοὶ gente ſunt. Odium autem rectè animadvertis [10] ſignificatum theatro. Legiones etiam has, quas in Italia aſſumpſit, alieniſſimas eſſe video. ſed tamen nihil *inimicius*, quam ſibi ipſe. illud rectè times, ne ruat. ſi deſperarit, certe ruet. quo magis efficiendum aliquid eſt, fortuna velim [11] meliore, animo Cœliano. ſed primum quidque; quod, qualecumque erit, continuò ſcies. Nos juveni, ut rogas, ſuppeditabimus, & Peloponneſum ipſam ſuſtinebimus. eſt enim indoles: modo aliquod hoc ſit [12] ἦθος διδαχῇ ἁλωτόν: quod ſi adhuc nullum eſt, eſſe tamen poteſt: [13] aut ἀρετὴ non eſt διδακτόν: quod mihi perſuaderi non poteſt.

CICERO ATTICO, S. 13

EPISTOLA tua gratiſſima fuit meæ Tulliæ, & mehercule mihi. ſemper ſecum [14] aliqua mi afferunt tuæ litteræ. ſcribes igitur: ac, [15] ſi quid ad ſpem poteris, ne dimiſeris. Tu Antonii leones pertimeſcas cave. nihil eſt illo homine jucundius. [16] attende πράξιν πολιτικῶ. evocavit litteris è municipiis denos: [17] & IIII. viri venerunt [18] ad villam, ejus manè. primùm dormiit ad H. III. deinde, cùm eſſet nuntiatum, veniſſe Neapolitanos & Cumanos, (his enim eſt Cæſar iratus) poſtridie redire juſſit: lavari ſe velle, & περὶ κοιλιολυσίαν γίνεσθαι hoc [19] herè effecit. hodie autem in Ænariam tranſire conſtituit. exulibus reditum pollicetur. Sed hæc omittamus, de nobis aliquid agamus. Ab Axio accepi litteras. De Tirone gratum. Vectenum diligo. Veſtorio reddidi. Servius pridie Nonas Maji Minturnis manſiſſe dicitur, hodie in Liternino manſurus apud C. Marcellum. cras igitur nos maturè videbit, mihique dabit argumentum ad te epiſtolæ. jam enim non reperio quid tibi ſcribam. Illud admiror, quod Antonius ad me ne nuntium quidem, cùm præſertim me valde obſervarit. videlicet (aut aliquid atrocius de me imperatum eſt) coram negare mihi non vult. quod ego nec rogaturus eram: nec, ſi impetraſſem, crediturus. nos tamen aliquid excogitabimus. Tu, quæſo, ſi quid in Hiſpaniis: jam enim poterit audiri: & omnes ita exſpectant, ut, ſi rectè fuerit, nihil negotii futurum putent. ego autem nec, retentis his, confectam rem puto; neque, amiſſis, deſperatam. Silium & Ocellam, & ceteros credo retardatos. te quoque à [20] Curtio impediri video. etſi, ut opinor, habes [21] κέλητα ἄοκνον.

CICE-

verò ex antiquis veſtigiis, παραπλευρίτεον, reſtituit, ſed quàm rectè, judicabunt lectores ex veterum codicum ſcriptura quam ſubjiciam. Tornæſ. & Cruſellinus ſic habebant, ΠΑΡΑ ΟΤΛΕΙΤΕΟΝ. Decurtatus, ΠΑΡΟΡΑ ΟΤΛΙΤΕΟΝ, quæ lectionis veſtigia eo non ferunt, quò duxit Victorius. Boſius ergo cubilia germanæ lectionis ſagacius odoratus, eam permultos jam annos latitantem ex denſiſſimis tenebris extruſit in mediumque produxit, ut poſſent ſtudioſi omnes eam citra negotium conſequi, ea vero eſt hujuſmodi, παράρχα ὀτλητέον. Junius tamen vulgatam Victorii lectionem retinet.

1. *Compacto.*] Manutius emendavit, *compacto*, cum in omnibus ibris legeretur *cum pacto*.

2. *Omnia pollicitos.*] Vulg. *omnia pollicitus*.

3. *Commotum illum delectum habere.*] Ita Victorius, ex antiquo ſuo; antea legebatur, *commeatum illum delectumque*.

4. *Eadem de re.*] Beſſarionis liber, *eadem fere*.

5. *Proficere poſſim.*] Vulg. *poſſem*.

6. *Scies, quidquid erit.*] Auctoribus Scidis edendum juſſit Boſius, *quidquid erit*, ut legendum ſuſpicatur Malaſpina: vulg. *ſcies quid erit*.

7. *Jubes enim de profectione mea providere*] Iiſdem Scidis & Tornæſiano auctoribus hoc quoque emendavit Boſius; vulg. *jubes enim profectionem meam providere*.

8. *Et, ſi vi, forte.*] Vulg. *etſi vi forte*.

9. *Nam & vieti, & δειλοὶ gente ſunt.*] Dixerat olim Lambino Boſius hic legendum videri, *vieti & δειλοὶ gente ſunt*, hujuſque ſuæ ſuſpicionis adſtipulatorem codicem Tornæſianum protulerat, ubi ſic erat exaratum, *& victi & diligentes ſunt*; ſed poſtea liquido ſcriptum in Decurtato reperit; *vieti*, quæ lectio ita ipſius conjecturam confirmavit, ut eam tamquam certam & indubitatam in ſuam editionem non veritus ſit referre. Victor. & Manutius teſtantur mſſ. codices habere, *victi & diligentes*, unde, *vicini & diligentes ſunt*, legendum conjecerant, quæ eſt vulgata lectio. Germani adnotaverant, *juncti*, alii, *invicti*.

10. *Significatum theatro.*] Auxilio meliorum exemplarium ita emendavit Victorius, quum antea corruptè legeretur *ſignificantium theatrum*.

11. *Meliore.*] Vulg. *meliori*.

12. Ἦθος διδαχῇ ἁλωτόν.] Ex veterum librorum ſcriptura licet depravatiſſima, locum hunc emendavit Boſius. In Tornæſ. & Cruſell. erat, ΑΚΙ ΑΛΛΟΛΟΝ, in Scidis, ΔΑΚΙΑΛΟΛΟΝ, conjecit διδαχῇ ἁλωτόν. Lambinus, olim antiquæ ſcripturæ veſtigia & Seb. Corradi conjecturam ſequutus, ἦθος ἀκιμώλιον, ediderat, ſed poſtea maluit legere ἀκίβδηλον, Adrianus Turnebus, ἀδοκιμόν, Manutius ἄκιμον: Boſius referente Lambino ἀσχίμωλον. Junius ἦθος, ἀλκὶ μολὸν emendat, dicitque mſſ. Palat. habere ἀλκίμολον, quod & ipſi probatur vulg. ἦθος ΑΚΙΜΟΛΟΝ.

13. *Aut ἀρετὴ non eſt διδακτόν.*] Hæc duo vocabula Græca reſtituit Victorius, prius erant duo inania ſpacia quæ deſiderari aliquid ſignificabant.

14. *Aliqua mi afferunt.*] Boſii mſſ. *ſecum aliquam afferunt*; unde conjecit, *aliquâ mi afferunt: mi* enim μονοσυλλάβως pro, *mihi*, ut ſæpe in his epiſtolis: vulg. *aliquid afferunt tuæ literæ*.

15. *Si quid ad ſpem poteris ne dimiſeris.*] Ita legi in mſſ. codicibus teſtatur Victorius, ſed tamen in ſuam editionem referre auſus non eſt, ſed receptam lectionem retinuit, licet ipſi aliquantulum ſuſpectam: ea autem eſt talis, *poteris me de miſeriis*.

16. *Attende πράξιν πολιτικῶ.*] Hoc quoque Victorius ex antiquo ſuo: antea legebatur, ἀρχήν.

17. *Et IIII. viri venerunt.*] Placet Urſino veteris libri ſcriptura, quæ eſt. *Et IIII. viros: venerunt*.

18. *Ad villam ejus.*] Et hoc etiam Victorius reſtituit, auxilio meliorum codd. formis impreſſi habebant, *puella ejus*.

19. *Herè effeci.*] Vulg. *heri*.

20. *A Curtio.*] Et hoc Victorius ita emendavit, licet mſſ. codd. haberent *à Curto*, vulg. *à Curio*.

21. Κέλητα ἄοκνον.] Victorius teſtatur in codicibus excuſis hic inane ſpatium relictum fuiſſe, quod Germani complere volentes, edide-

14 CICERO ATTICO, S.

[1] O Vitam miſeram! MAJUSQUE malum, tam diu timere, quàm eſt illud ipſum, quod timetur! [2] Servius, ut antea ſcripſi; cum veniſſet Nonis Maji, poſtridie ad me venit. ne diutius te teneam, nullius conſilii exitum invenimus. nunquam vidi hominem perturbatiorem *metu*: neque hercule quidquam timebat, quod non eſſet timendum; illum ſibi iratum, hunc non amicum, horribilem utriuſque *victoriam*, cùm propter alterius crudelitatem, alterius audaciam, tum propter utriuſque difficultatem pecuniarum, [3] qua erui nuſquam, niſi ex *privatorum* bonis poſſet. atque hæc ita multis cum lacrimis loquebatur, ut ego mirarer eas tam diuturna miſeria non exaruiſſe. mihi quidem etiam lippitudo hæc, propter quam non ipſe ad te ſcribo, ſine ulla lacrima eſt, ſed ſæpius odioſa eſt propter vigilias. quamobrem quidquid habes ad conſolandum, collige, & illa ſcribe, non ex doctrina, neque ex libris: nam id quidem domi eſt, ſed neſcio quo modo *imbecillior* eſt medicina, quàm morbus: hæc potius conquire, de Hiſpaniis, de Maſſilia: quæ quidem ſatis bella Servius affert: qui etiam de duabus legionibus luculentos auctores eſſe dicebat. hæc igitur ſi habebis, & talia. & quidem paucis diebus aliquid audiri neceſſe eſt. ſed redeo ad Servium. Diſtulimus omnino ſermonem in poſterum: ſed [4] tardus ad exeundum: multo ſe in ſuo lectulo malle, quidquid foret. odioſus ſcrupulus de filii militia Brundiſina. unum illud firmiſſimè aſſeverabat, ſi *damnati* reſtituerentur, in exilium ſe iturum. nos autem ad hæc, & ipſum certo fore, &, quæ jam fiebant, non eſſe leviora; multaque colligebamus. verùm ea non animum ejus augebant, ſed timorem, ut jam celandus magis de noſtro conſilio, [5] quàm ad idem videretur. quare in hoc non multum eſt. Nos à te admoniti de Cœlio cogitabimus.

15 CICERO ATTICO, S.

SERVIUS cùm eſſet apud me, Cephalio cum tuis litteris VI. ID. venit: quæ nobis magnam ſpem attulerunt meliorum rerum de octo cohortibus (etenim hæ quoque, quæ in his locis ſunt, labare dicuntur.) eodem die Funiſulanus à te attulit litteras, in quibus erat confirmatius idem illud. ei de ſuo negotio reſpondi cumulatè, cum omni tua gratia. adhuc non ſatisfaciebat: debet autem mihi multos nummos, nec habetur locuples. nunc ait ſe daturum, [6] cui expenſos tulerit: moram in tabellariis; ſi apud te eſſet, quà ſatisfeciſſes, dares. quantum ſit, [7] Eros Philotimi tibi dicet. ſed ad majora redeamus. Quod optas, Cœlianum illud matureſcit. itaque torqueor, utrum ventum exſpectem. vexillo opus eſt: convolabunt. Quod ſuades, ut palam prorſus aſſentior: itaque me profecturum puto. tuas tamen interim litteras exſpecto. Servii conſilio nihil expeditur. omnes captiones in omni ſententia occurrunt. unum C. Marcello cognovi timidiorem; quem Conſulem fuiſſe pœnitet; [8] ὦ πολλῆς ἀγεννείας! qui etiam Antonium confirmaſſe dicitur, ut me impediret; [9] quo ipſe, credo, honeſtius. Antonius autem VI. ID. Capuam profectus eſt: ad me miſit, ſe, pudore deterritum, ad me non veniſſe, quòd me ſibi ſuccenſere putaret. ibitur igitur, & ita quidem, ut cenſes; niſi cujus gravioris perſonæ ſuſcipiendæ ſpes erit ante oblata. ſed vix erit tam cito. [10] Allienus autem Prætor putabat aliquem, ſi ego non, ex collegis ſuis. quivis licet, dummodo aliquis. De ſorore laudo. De Quinto puero, datur opera. ſpero eſſe meliora. de Quinto fratre ſcito eum non mediocriter [11] laborare de uſura: ſed adhuc nihil à L. Egnatio expreſſit. Axius de XII. millibus pudens. [12] ſæpe enim adſcripſit, ut Gallio, quantum is vellet, darem. quod ſi non ſcripſiſſet, poſſemne aliter? & quidem ſæpe ſum pollicitus: ſed tantum voluit citò. [13] me verò adjuvarent his in anguſtiis. ſed dii iſtos! verùm alias. Te à quartana liberatum gaudeo, itemque Piliam. Ego, dum panes, & cetera in navem parantur, excurro in Pompejanum. Vecteno velim gratias, quòd ſtudioſus. Si quemquam nactus fueris, qui perferat; litteras des ante, quàm diſcedimus.

CICERO ATTICO, S. 16

COMMODUM ad te dederam litteras de pluribus rebus, cùm ad me bene manè Dionyſius fuit: cui quidem ego non modò placabilem me præbuiſſem, ſed totum remiſiſſem, ſi adveniſſet qua mente tu ad me ſcripſeras. erat enim ſic in tuis litteris, quas Arpini acceperam, eum venturum facturumque, quod ego vellem. ego volebam autem, vel cupiebam potiùs, eſſe eum nobiſcum. quod quia planè, cùm in Formianum veniſſet, præciderat, aſperiùs ad te de eo ſcribere ſolebam. at ille perpauca locutus, hanc ſummam habuit orationis, [14] ut ſibi ignoſcerem; ſe rebus ſuis impeditum nobiſcum ire non poſſe. pauca reſpondi, magnum accepi dolorem. intellexi *fortunam* ab eo noſtram deſpectam eſſe. quid quæris? fortaſſe miraberis: in maximis horum temporum doloribus hunc mihi ſcito eſſe. velim, ut tibi amicus ſit. hoc cùm tibi opto, opto ut beatus ſis. erit enim tam diu. Conſilium noſtrum ſpero vacuum periculo fore. [15] nam & diſſimulabimus, &, ut opinor, acerrimè adſervabimus, navigatio modò ſit, qualem opto. cetera, quæ quidem *conſilio* provideri poterunt, cavebuntur. tu, dum adſumus, non modò quæ ſcieris, audieriſve, ſed etiam quæ futura providebis, ſcribas velim. Cato, qui Siciliam

ediderunt, ἐκ τῶν ἀγώνων, alii, ἐκ τῶν πλειόνων: ſed cum neutra illarum lectionum placeret, repoſuit, *Scytha* ὄνον. licet ei penitus non confidat. Lambinus olim legi putabat, εὔλαλον νῦν, conjectura facta ex quorundam mſſ. veſtigiis, εὐ τεονὸν, niſi quis malit legi, εὐλαλον νῦν, poſtea ex codice Tornæſiano qui habet, EKITA ONON, probabilem putabat lectionem Victorii, Scytha ὄνον: ſed tandem probata Simeonis Boſii, ut ait, conjectura, legendum arbitratus eſt, κέλητα ὄνον. quod ſalſum aſſerit Boſius dicitque ſe nunquam putaſſe legendum, κέλητα ὄνον, tantum abeſt ut ei dixerit aut ſcripſerit. aut igitur ſomniavit, aut, quod putat, aliter ipſius verba accepit quam dixerat: Ei enim aliquando ſuam hoc de loco indicarat ſuſpicionem Boſius, paucíſque demonſtrarat hîc reponendum videri, κέλητα ὄκνον: unde ille neſcio quem aſinum veredum commentus eſt. Ceterùm hanc conjecturam, Decurtati lectio quamquam depravata, confirmat, ΚΔΗΤΑ ΟΚΝΟΝ. Huic etiam emendationi adſtipulatur Junius.

1. *O vitam miſeram.*] Hinc initium epiſtolæ ducit Decurtatus, quem ſequutus eſt Boſius, Junio non repugnante. Totus autem hic ambitus [*O v. m. m. m. t. d. t. q. e. i. i. q. t.*] ſuperiori epiſtolæ in vulgatis editionibus annectitur.

2. *Servius ut antea.*] Hic initium fecit Manutius alterius epiſtolæ, quum prius hæc & ſuperior unam conſtituerent epiſtolam.

3. *Qua erui nuſquam.*] Libri vulgati, *quâ frui*, inepte & contra ſententiam Ciceronis.

4. *Tardus ad exeundum.*] Vulg. *tardius ad exeundum.*

5. *Quam ad idem videretur.*] Ita in antiquioribus ſcriptum fuiſſe opinatur Urſinus, *ut jam celandus magis de noſtro conſilio quam adhibent videretur*, pro *adhibendus*, poſtea mutatum fuiſſe in, *ad idem videretur.*

6. *Cui expenſos tulerit.*] Hunc locum ita edebat Decurtat. *nunc ait ſe daturum cui expenſus tulerit moram in tabellariis*: quibus e verbis id tantum mutavit Boſius, quod pro *expenſus*, repoſuit, *expenſos*, & poſt verbum *tulerit*, addidit τελείαν στιγμήν. Boſii interpretationem laudat Junius, ſed *expenſos*, an *expenſum*, legas Latinitatis non referre ait. hoc tamen elegantius.

7. *Eros Philotimi.*] Ex mſſ. libris *Eros* emendavit Victorius antea, *Heres.*

8. Ὦ πολλῆς ἀγεννείας!] Meliorum codicum auxilio verba hæc Græca idem reſtituit Victorius.

9. *Quo ipſe.*] Vulg. *quod ipſe.*

10. *Allienus autem.*] Vulg. *Halienus autem.*

11. *Laborare de uſura.*] Legendum videtur Urſino, *de verſura.*

12. *Sæpe enim adſcripſit.*] Vetus Urſini liber, *ſæpe enim ad me ſcripſit.*

13. *Me verò adjuvarent his in anguſtiis. Sed dii iſtos. Verum alias.*] Hoc quoque Victorius ex veteris ſcripturæ veſtigiis reſtituit, vel etiam, *Me verò adjuvarent iis in anguſtiis ſeductos*: priorem lectionem ex Tornæſiano retinet Lambinus: vulgata lectio eadem eſt quæ Beſſarionis mſſ. *Me verò adjuvarent his in anguſtiis. Sed tu iſtos*; quam tuentur Manutius & Corradus.

14. *Ut ſibi ignoſcerem.*] *Sibi* deeſt in vulgatis.

15. *Nam & diſſimulabimus, &, ut opinor, acerrimè adſervabimus.*] Ita habere omnes mſſ. teſtatur Lambinus, qui tamen locum mendoſum ſuſpicatur, hancque affert conjecturam; *etſi, ut opinor, acerrimè aſſervabimur.* Boſii lectionem mſſ. Pall. conſentientibus retinet Junius.

ciliam tenere nullo negotio potuit, &, ſi tenuiſſet, omnes boni ad eum ſe contuliſſent, Syracuſis profectus eſt ante diem VIII KAL. Mai. ut ad me Curio ſcripſit. utinam, quod ajunt, Cotta Sardiniam teneat. eſt enim rumor. ô, ſi id fuerit, turpem Catonem! Ego, ut minuerem ſuſpicionem profectionis, aut cogitationis meæ, profectus ſum in Pompejanum A. D. IIII. ID. ut ibi eſſem, dum, quæ ad navigandum opus eſſent, pararentur. cùm ad villam veniſſem, ventum eſt ad me: centuriones trium cohortium, quæ [1] Pompejis ſunt, [2] me velle poſtridie; [3] (hæc mecum Ninnius noſter) velle eos mihi ſe & oppidum tradere. at ego tibi poſtridie à villa ante lucem, ut me omnino illi ne viderent. quid enim erat in tribus cohortibus? quid, ſi plures, quo apparatu; cogitavi eadem illa Cœliana, quæ legi in epiſtola tua; quam accepi, [4] ſimul & in Cumanum veni, eodem die: & ſimul fieri poterat, ut tentaremur. omnem igitur ſuſpicionem ſuſtuli. ſed cum redeo, Hortenſius [5] venerat, & ad Terentiam ſalutatum diverterat; ſermone erat uſus honorifico erga me. tamen eum, ut puto, videbo. miſit enim puerum, ſe ad me venire. hoc quidem melius, quàm collega noſter Antonius: cujus inter lictores lectica *mima* portatur. Tu, quoniam quartana cares, [6] & nedum morbum removiſti, ſed etiam gravedinem, te vegetum nobis in Græcia ſiſte; & literarum aliquid interea.

17 CICERO ATTICO, S.

PRID. Idus Hortenſius ad me venit ſcripta epiſtola. [7] vellem cetera ejus. quàm in me incredibilem ἐκτένειαν! qua quidem cogito uti. deinde Serapion cum epiſtola tua: quàm priùs quàm aperuiſſem, dixi ei, te ad me de eo ſcripſiſſe antea, ut feceras. deinde, epiſtola lecta, cumulatiſſimè cetera: & hercule hominem probo. nam & doctum, & probum exiſtimo. quin etiam navi ejus me, & ipſo convectore uſurum puto. Crebro refricat lippitudo, non illa quidem perodioſa, ſed tamen quæ impediat ſcriptionem meam. Valetudinem tuam jam confirmatam eſſe & à vetere morbo, & à novis tentationibus gaudeo. Ocellam vellem haberemus. videntur enim eſſe hæc paullò faciliora. nunc quidem æquinoctium nos moratur, quod valde perturbatum erat. [8] id ſi ἀκραὲς erit, utinam idem maneat Hortenſius: ſiquidem adhuc erat. liberalius eſſe nihil poteſt. De diplomate admiraris, quaſi neſcio cujus te flagitii inſimularem. negas enim te reperire, qui mihi id in mentem venerit. ego autem, qui ſcripſeras te proficiſci cogitare, (etenim audieram, nemini aliter licere) eò te habere cenſebam; & quia pueris diploma ſumſeras. habes cauſam opinionis meæ: & tamen velim ſcire, quid cogites, in primiſque ſi quid etiam nunc novi eſt. [9] XVII. Kal. Jun.

CICERO ATTICO, S. 18

[10] TULLIA mea peperit XIIII. Kal. Jun. puerum ἑπταμηνιαῖον. quòd [11] ηὐτόκησεν gaudebam. quod quidem eſt natum, perimbecillum eſt. Me mirifice tranquillitates adhuc tenuerunt, atque majore impedimento fuerunt, quàm *cuſtodiæ*, quibus aſſervor. nam illa [12] Hortenſina omnia fuere infantia. ita fiet homo nequiſſimus. à Salvio liberto depravatus eſt. itaque poſthac non ſcribam ad te, quid facturus ſim, ſed quid fecerim. omnes enim Κωρυκαῖοι videntur ſubauſcultare, quæ loquor. Tu tamen, ſi quid de Hiſpaniis, ſive quid aliud, perge quæſo ſcribere; nec meas litteras exſpectaris, niſi cùm, quò opto, pervenerimus, aut ſi quid ex curſu. Sed hoc quoque timidè ſcribo. [13] τὰ ὄνεια tarda adhuc & ſpiſſa. UT MALE poſuimus initia, ſic cetera [14] ſequuntur. [15] fors μίας nunc ſequimur, eàdem nos fortaſſe furiæ perſequentur. ex Balbi autem ſermone, quem tecum habuit, non probamus de Melita. dubitas igitur, quin nos in hoſtium numero habeat? ſcripſi equidem Balbo, te ad me de benivolentia ejus ſcripſiſſe & de ſuſpicione. egi gratias. de altero ei [illegible] purgavi. [16] ecquem tu hominem infeliciorem? non [illegible], ne te quoque excruciem. ipſe conficior, veniſſe tempus, cum jam nec *fortiter*, nec *prudenter* quidquam [illegible]

M. TUL-

1. *Pompejis ſunt.*] Vulg. *Pompeji ſunt.*

2. *Me velle poſtridie.*] In Tornæſiano eſt, *me velle poſtridie convenire*; ſed putat Boſius, verbum, *convenire*, additum fuiſſe ex gloſſemate, nam in aliis mſſ. non comparebat: quod tamen retinendum cenſet Lambinus.

3. *Hæc mecum Ninnius.*] Victorius pro, *Minnius*, quod antea legebatur, *Ninnius* reſtituit, ex vett. codd.

4. *Simul & in Cumanum.*] *Eſt*, deeſt in vulgatis.

5. *Venerat, & ad Terentiam.*] Vulg. *venerat ad Terentiam.*

6. *Et nedum morbum removiſti*] Perſpicuè legitur in Tornæſiano & Decurtato, *nedum morbum*, ut in libris Malaſpinæ, cujus hic judicium ſequitur Boſius. Victorius ex mſſ. *novum morbum* legit; quod etiam in Tornæſiano exſtare dicit Lamb. (ſi credere fas eſt, qui vulgatam lectionem, *non modò morbum*, retinet, teſtaturque Memmianos codices, *nedum morbum*, Boſii lectionem habere; quam mſſ. Palat. conſentientibus probat Junius.

7. *Vellem cetera ejus. quam in me incredibilem ἐκτένειαν.*] Legit libro IV. Epiſt. II. Quæſt. Epiſtolicarum Lipſius, *bellè cetera: ejuſque in me incr. &c.*

8. *Id ſi ἀκραὲς erit, utinam, &c.*] Scripſit, ἀκραὲς, Boſ. emendata veteri ſcriptura Decurtati, *acras*; vulg. *id ſcilicet cras erit utinam, &c.* ſed omnino mendoſum.

9. *XVII. Kal. Jun.*] Hoc apertè mendoſum eſſe aſſerit Manutius, putatque eſſe initium ſequentis epiſtolæ, & legendum fortaſſe, *XIV. Kal.* quod ſine cauſa repetitum eſt poſt verbum, *peperit*, idque credendum eo magis dicit, quod pleræque hujus libri epiſtolæ adſcriptam diem non habent, & eſt mutatio minima, ſi, *V*, dividas in, *II*, quo ipſa in nota peccatum ſæpe à librariis.

10. *Tullia mea.*] Hæc epiſtola ſuperiori agglutinata eſt in editione Victorii, qui locum mancum reſtituit additione *diei* quo peperit Tullia.

11. Ηὐτόκησεν.] Ηὐτόκυσεν, perperam in mſ. ſuo legi teſtatur Victorius pro, εὐτόκησεν.

12. *Hortenſina omnia.*] Vulg. *Hortenſiana omnia.*

13. *Τὰ ὄνεια tarda adhuc & ſpiſſa.*] Has Græcas voces ita refert Tornæſianus, ITA ONIA, Decurtatus, TA ONIA, unde emendavit Boſius τὰ ὄνεια. vulg. *ita omnia adhuc tarda & ſpiſſa.*

14. *Sequuntur.*] Vulg. *ſequentur.*

15. *Fors μίας nunc ſequimur, eàdem nos fortaſſe.*] Boſii omnes priſci, *Formias*, ex quo fecit, *fors mias*. *Formias*, autem ex mſſ. reſtituerat Victorius, quum legeretur prius, *Furias*: non quòd mutatio aperiret ſententiam, ſed maluit ſcripturæ antiquæ habere rationem quam novæ; quod etiam ſequutus eſt Junius. Lambinus olim ſequutus codicem Tornæſianum legebat, *Formias*, ſed poſtea maluit legere, *furias nunc ſequimur*, dicitque docto cuidam viro legendum videri, φρένημα *nunc ſequimur*, *eodem nos fortaſſe* φρενὸς *perſequentur*: vulg. *Formias nunc ſequimur*, *eadem nos fortaſſe.*

16. *Ecquem tu hominem.*] Junius ait duos mſſ. Palat. habere, *eo quem, &c.* unde repoſuit, *eho quem tu.*

1. *Ex*

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM LIBER UNDECIMUS, AD ATTICUM.

1 CICERO ATTICO, S.

ACCEPI à te ſignatum libellum, quem Anteros attulerat; ex quo nihil ſcire potui de noſtris domeſticis rebus? de quibus acerbiſſimè afflictor, quòd, qui eas diſpenſavit, neque adeſt iſtic, neque, ubi terrarum ſit, ſcio. omnem autem ſpem habeo exiſtimationis, privatorumque rerum in tua erga me mihi perſpectiſſima benivolentia: quam ſi his temporibus miſeris & extremis præſtiteris, hæc pericula, quæ mihi communia ſunt cum ceteris, fortiùs feram: idque ut facias, te obteſtor, atque obſecro. ego in ciſtophoro in Aſia habeo ad H-S bis & vicies. hujus pecuniæ permutatione fidem noſtram facilè tuebere: quam quidem ego niſi expeditam relinquere putaſſem, credens ei, cui tu ſcis jam pridem minimè credere, commoratus eſſem paulliſper, nec domeſticas res impeditas reliquiſſem: ob eamque cauſam ſeriùs ad te ſcribo, quòd ſerò intellexi, quid *timendum* eſſet. Te etiam atque etiam oro, ut me totum tuendum ſuſcipias; ut, ſi ii ſalvi erunt, quibuſcum ſum, unà cum iis poſſim incolumis eſſe, ſalutemque meam benivolentiæ tuæ acceptam referre.

2 CICERO ATTICO, S.

LITTERAS tuas accepi pridie Nonas Febr. eoque ipſo die ex teſtamento crevi hereditatem. [1] ex multis meis miſerrimis curis eſt una levata, ſi, ut ſcribis, iſta hereditas fidem, & famam meam tueri poteſt, quam quidem te intelligo, etiam ſine hereditate, tuis opibus defenſurum fuiſſe. De dote quod ſcribis, per omnes deos te obteſtor, ut totam rem ſuſcipias, & illam miſeram mea culpa & negligentia tueare meis opibus, ſi quæ ſunt; tuis, quibus tibi moleſtum non erit, facultatibus: cui quidem deeſſe omnia quod ſcribis, obſecro te noli pati. in quos enim ſumtus abeunt fructus prædiorum? jam illa H-S LX. quæ ſcribis, nemo mihi umquam dixit ex *dote* eſſe detracta, numquam enim eſſem paſſus. ſed hæc minima eſt ex iis injuriis, quas accepi; de quibus ad te dolore & lacrimis ſcribere prohibeor. Ex ea pecunia, quæ fuit in Aſia, partem dimidiam ferè exegi. tutius videbatur fore ibi, ubi eſt, quàm apud Publicanos. Quod me hortaris, ut firmo ſim animo: vellem poſſes aliquid afferre, quamobrem id facere poſſem. ſed ſi ad ceteras miſerias acceſſit etiam id, quod mihi Chryſippus dixit parari, (tu nihil ſignificaſti) de domo; quis me miſerior uno jam fuit? oro, obſecro, ignoſce: non poſſum plura ſcribere. quanto mœrore urgear, profectò vides: quod ſi mihi *commune* cum ceteris eſſet, qui videntur in eadem cauſa eſſe, minor mea culpa videretur, & eo tolerabilior eſſet. nunc nihil eſt, quòd conſoletur; niſi quid tu efficis, ſi modò etiam nunc effici poteſt, ut ne qua ſingulari afficiar calamitate, & injuria. Tardius ad te remiſi tabellarium, quòd poteſtas mittendi non fuit. A tuis & nummorum accepi H-S LXX. & veſtimentorum quod opus fuit. Quibus tibi videbitur, velim des litteras meo nomine. noſti meos familiares. ſignum requirent, aut manum: dices iis, me propter cuſtodias ea vitaſſe.

CICERO ATTICO, S. 3

QUID hîc agatur, ſcire poteris ex eo, qui litteras attulit: quem diutius tenui, quia quotidie aliquid novi exſpectabamus: neque nunc mittendi tamen ulla cauſa fuit, præter eam, [1] de qua tibi reſcribi voluiſti. Quod ad Kal. Quint. pertinet, quid vellem; utrumque grave eſt, tam gravi tempore, periculum tantæ pecuniæ, &, dubio rerum exitu [3] iſta, quam ſcribis abruptio. quare, ut alia, ſic hoc vel maximè tuæ fidei benivolentiæque permitto, & illius conſilio, & voluntati: cui miſeræ conſuluiſſem meliùs, ſi tecum olim coram potius, quàm per litteras, de ſalute noſtra, fortuniſque deliberaviſſem. Quod negas *præcipuum* mihi ullum incommodum impendere, [4] & ſi iſta res nihil habet conſolationis, tamen etiam præcipua multa ſunt, [5] quæ tu profectò vides, ut ſunt, & graviſſima eſſe, & me facillimè vitare potuiſſe: [6] ea tamen erunt minora, ſi, ut adhuc factum eſt, adminiſtratione diligentiaque tua levabuntur. Pecunia apud Egnatium eſt. [7] ſit à me, ut eſt. neque enim hoc, quod agitur, videtur diuturnum eſſe poſſe; ut ſcire jam poſſim, quid maximè opus ſit: & ſi egeo rebus omnibus; quòd is quoque in anguſtiis eſt, [8] qui cum ſumus; quoi magnam dedimus pecuniam mutuam; [9] opinantes, nobis, conſtitutis rebus, eam rem etiam *honori* fore. Tu, ut antea feciſti, velim, ſi qui erunt, ad quos aliquid ſcribendum à me exiſtimes, ipſe conficias. Tuis ſalutem dic. Cura, ut valeas. in primis id, quod ſcribis, omnibus rebus cura & provide, ne quid ei deſit, de qua ſcis me miſerrimum eſſe. Idibus Jun. ex caſtris.

CICE-

1. *EX multis meis miſerrimis curis eſt una levata.*] Antea legebatur, *ex multiſſimis & miſerrimis curis eſt una enata*; pro, *multiſſimis*, repoſuit Victorius, *multis meis*, pro, *eſt una enata*, Lambinus & Boſius ex Tornæſ. Decurt. & Cruſell. reſcripſerunt, *eſt una levata*; Ant. Auguſtinus legebat, *eſt una enecta*. Fulvius ait in uno mſſ. hujus ſcripturæ veſtigium aliquod apparere, *curis ſpes eſt una enata*. Gruterus inclinabat in *denata*, hoc eſt mortua.

2. *De qua tibi reſcribi voluiſti. Quod ad Kal.*] Panthagathus interpungebat, *De qua tibi reſcribi voluiſti quod ad Kal. Quinct. pertinet.*

3. *Iſta quam ſcribis abruptio.*] Alii ſcribunt, *iſta re quam ſcribis abrupta*. Antiquior Victorii habet, *abrupto*, non, *abruptio*.

4. *Et ſi iſta res nihil habet conſ.*] Lambinus ait legendum eſſe libris omnibus invitis, *etſi iſta res nonnihil habet conſ.* vulgatam enim lectionem ferri non poſſe.

5. *Quæ tu profectò vides ut ſunt & graviſſima.*] Lambinus & Boſius ex Tornæſ. & Cruſellino ita legunt: nam in vulgatis hæ duæ voces, *ut ſunt*, non leguntur.

6. *Ea tamen erunt minora.*] Lambinus malit legi, *erunt leviora.*

7. *Sit à me, ut eſt.*] Hic Victorius ſi aliquid immutandum ſit, *apud me*, pro, *à me*, potius legeret.

8. *Quicum ſumus.*] Nihil mutat Lambinus, quamvis codex Tornæſianus habeat, *quicum fuimus*.

9. *Opinantes.*] Sic reſcripſit ex antiquiore ſuo Victorius, antea legebatur, *opinor*.

4

CICERO ATTICO, S.

ACCEPI ab Iſidoro litteras, & poſtea datas binas. ex proximis cognovi prædia non veniſſe. videbis ergo, [1] ut ſuſtentetur per te. de Fruſinati, ſi modò futuri ſumus, erit mihi res opportuna. Meas litteras quod requiris, impedior inopia rerum, quas nullas habeo litteris dignas; quippe cui nec, quæ accidunt, nec, quæ aguntur, ullo modo probentur. utinam coram tecum olim potius, quam per epiſtolas. [2] Hic tua, ut poſſum, tueor apud hos. [3] cetera Celer ipſe. fugi adhuc omne *munus*, eo magis, quod ita nihil poterat agi, ut mihi, & meis rebus aptum eſſet. quid ſit geſtum novi, quæris: ex Iſidoro ſcire poteris: reliqua non videntur eſſe difficiliora. Tu id velim, quod ſcis me maximè velle, cures, ut ſcribis, ut facis. [4] Me conficit *ſollicitudo*, ex qua etiam ſumma infirmitas corporis: qua levata, ero una cum eo, qui negotium gerit, eſtque in ſpe magna. Brutus amicus in cauſa verſatur acriter. Hactenus fuit, quod cautè à me ſcribi poſſet. Vale. De penſione altera, oro te, omni cura conſidera, quid faciendum ſit, ut ſcripſi iis litteris, quas Pollex tulit.

5

CICERO ATTICO, S.

QUÆ me cauſæ moverint, quàm acerbæ, quàm graves, quàm novæ, coëgerintque impetu magis quodam animi uti, quàm cogitatione, non poſſum ad te ſine maximo dolore ſcribere: fuerunt quidem tantæ, ut id, quod vides, effecerint. itaque nec quid ad te ſcribam de meis rebus, nec quid à te petam, reperio. rem, & ſummam negotii vides. equidem ex tuis litteris intellexi, & iis, quas communiter cum aliis ſcripſiſti, & iis, quas tuo nomine, quod etiam mea ſponte videbam, [5] te ſubdebilitatum novas rationes tuendi mei quærere. Quod ſcribis placere, ut propius accedam, iterque per oppida noctu faciam; non ſane video, quemadmodum id fieri poſſit. neque enim ita apta habeo diverſoria, ut tota tempora diurna in his poſſim conſumere; neque ad id, quod quæris, multum *intereſt*, utrum me homines in oppido videant, an in via. ſed tamen hoc ipſum, ſicut alia conſiderabo, quemadmodum commodiſſimè fieri poſſe videatur. ego propter incredibilem & animi & corporis moleſtiam conficere plures litteras non potui: iis tantum reſcripſi, à quibus acceperam. tu velim [6] & Baſilo, & quibus præterea videbitur, etiam Servilio conſcribas, ut tibi videbitur, meo nomine. Quòd tanto intervallo [7] nihil omnino ad vos; profectò intelligis rem mihi deeſſe, de qua ſcribam, non voluntatem. Quod de Vatinio quæris: neque illius, neque cujuſquam mihi præterea [8] officium deeſſet, ſi reperire poſſent, qua in re me juvarent. [9] Quintus averſiſſimo a me animo Patris fuit. eodem Corcyra filius venit. inde profectos eos unà cum ceteris arbitror.

6

CICERO ATTICO, S.

SOLLICITUM eſſe te cum de tuis communibuſque fortunis, tum maximè de me, ac de dolore meo, ſentio: qui quidem dolor meus non modò non minuitur, cùm ſocium ſibi adjungit dolorem tuum, ſed etiam augetur. omnino pro tua prudentia ſentis, qua conſolatione levari maximè poſſim. probas enim meum conſilium, negaſque mihi quidquam tali tempore potius faciendum fuiſſe. addis etiam, (quod etſi mihi levius eſt, quàm tuum judicium, tamen non eſt leve) ceteris quoque, id eſt, qui pondus habeant, factum noſtrum *probari*. id ſi ita putarem, levius dolerem. crede inquis mihi. credo equidem: ſed ſcio, quam cupias minui dolorem meum. Me diſceſſiſſe ab armis, nunquam pœnituit: tanta erat in illis crudelitas, tanta cum barbaris gentibus conjunctio, ut non nominatim, ſed generatim *proſcriptio* eſſet informata; ut jam omnium judicio conſtitutum eſſet, omnium veſtrûm bona, prædam eſſe illius victoriæ; veſtrûm, planè dico, numquam enim de te ipſo, niſi crudeliſſimè, cogitatum eſt. quare voluntatis me meæ numquam pœnitebit: conſilii pœnitet. in oppido aliquo mallem reſediſſe, quoad accerſerer. minus ſermonis ſubiiſſem: minus accepiſſem doloris: ipſum hoc me non angeret. Brundiſii jacere, in omneis parteis eſt moleſtum. propiùs accedere, ut ſuades, quo modo ſine lictoribus, quos populus dedit, poſſum? qui mihi incolumi adimi non poſſunt. [10] quos ego modò paulliſper cum bacillis in turbam conjeci ad oppidum accedens, ne quis impetus militum fieret. [11] recipio tempore me δρομαῖον nunc ad Oppium, Cornelium: iis placeret modò propius accedere, ut hac de re conſiderarent: credo fore auctores: ſic enim recipiunt, Cæſari non modò de conſervanda, ſed etiam de augenda mea *dignitate* curæ fore: meque hortantur, ut magno animo ſim; ut omnia ſumma ſperem: ea ſpondent, confirmant, quæ quidem mihi exploratiora eſſent, ſi remanſiſſem. ſed ingero præterita. vide, quæſo igitur ea, quæ reſtant, & explora cum iſtis; & ſi putabis opus eſſe, & ſi iſtis placebit, quo magis factum noſtrum Cæſar probet, quaſi de ſuorum ſententia factum, adhibeantur Trebonius, Panſa, ſi qui alii; ſcribantque ad Cæſarem, me, quidquid fecerim, de ſua ſententia feciſſe. Tulliæ meæ morbus, & imbecillitas corporis me exanimat: quam tibi intelligo magnæ curæ eſſe; quod eſt mihi gratiſſimum. De Pompeji exitu mihi dubium numquam fuit. tanta enim deſperatio rerum ejus, omnium regum, & populorum animos occuparat, ut, quocumque veniſſet, hoc putarem futurum. non poſſum ejus caſum non dolere. hominem enim integrum, & caſtum, & gravem cognovi. De Fannio conſoler te? pernicioſa loquebatur de manſione tua. L. vero Lentulus Hortenſii domum ſibi, & Cæſaris hortos, & Bajas deſponderat. omnino hæc eodem modo ex hac parte fiunt: niſi quod illud erat infinitum. omnes enim, qui in Italia [12] manſerant, *hoſtium* numero habebantur. ſed velim hæc aliquando ſolutiore animo. Quintum fratrem audio profectum in Aſiam, ut deprecaretur. de filio nihil audivi. ſed quære ex Diochare, Cæſaris liberto, quem

1. *Ut ſuſtentetur per te. De Fruſinati.*] Junius & mſſ. Pal. legit, *ut ſuſtentetur, partim de Fruſinatis, &c.* & ait eſſe evidentem ſententiam.

2. *Hic tua, ut poſſum.*] Ita repoſuit Victorius ope veteris ſui, qui habebat, *luctua*, pro eo quod antea legebatur, *luctu ut poſſum*. Ceterum Lambinus dicit ſe plane ſcriptum reperiſſe in Tornæſ. *Hic tua, ut poſſum, &c.*

3. *Cetera Celer ipſe, fugi adhuc.*] Ita Pantagathus diſtinguebat, Urſinus verò ita; *Ceterùm, ipſi fugi.* Manutius malebat *cetera celo*, ut eſt in antiquo Speciani libro.

4. *Me conficit ſollicitudo.*] Ingenua hæc eſt lectio quam habent vetuſta exemplaria teſte Victorio. prius erat, *me conficit ſolitudo.*

5. *Te ſubdebilitatum novas.*] Vulg. *ſe ſubita re quaſi debil. nov. &c.*

6. *Et Baſilo.*] Vulg. *& Baſilio.*

7. *Nihil omnino ad vos.*] Tornæſ. & Cruſellinus, *nihil omnino ad vos ſcriptis literis.* ſed illud, *ſcriptis literis* abeſt a Decurtato, & putat Boſius ex aliquo gloſſemate profectum eſſe.

8. *Officium deeſſet.*] In Cruſellino erat, *deet*, quæ ſcripturæ contractio debet ſic explicari, ut hic editum eſt. vulg. *deeſt.*

9. *Quintus averſiſſimo à me animo Patris.*] Reſtitutio hujus loci eſt à Victorio. antea habebatur. *quæ averſiſſimo animo Patris fuit.*

10 *Quos ego modo paulliſper.*] Victorii editio, *quos ego non paulliſper*, quem locum vitioſum eſſe exiſtimat.

11. *Recipio tempore me δρομαῖον nunc ad Oppium, Cornelium: iis, &c.*] Hæc fere ex conjectura Boſius: paululum tamen adjutus eſt corrupta hac Cruſellini ſcriptura, *dromo te*: Vulgò legitur, *me domo. te nunc ad Oppium, quoniam iis, &c.* Pantagathus legebat, *recepi (ô tempora) me de Mario nunc ad Oppium.* Liber vetus Urſini, pro, *domo*, habet, *domum*, quod arripit Junius, & legit, *recipio tempori me domum. Te nunc ad Opp. &c.* Lambinus olim putabat ſic legi poſſe, *reſipio de domo. Te nunc ad Oppium.* ſed poſtquam vidit Joſephum Scaligerum totum hunc locum ſic ſcribere, *in turbam conjeci, ad oppidum accedens, ne quis impetus militum fieret: recipio tempore me. Tu nunc, &c.* Suſpicatus eſt hoc totum, *Recipio tempore me domum*, eſſe gloſſam, cetera autem ſic legenda, *Tu nunc ad Balbum & Oppium, quoniam iis placeret me propius accedere.* Manutius locum corruptum ex ingenio ſic reſtituere tentat, *Recipi, ô tempora, me domo & hunc? ad Oppium. quoniam iis placeret, modo propius accedere, ut hac de re conſiderarent.*

12. *Manſerant.*] Vulg. *remanſerant.*

1. Ale-

quem ego non vidi, qui iſtas [1] Alexandreas litteras attulit. is dicitur vidiſſe an euntem, an jam in Aſia? Tuas litteras, prout res poſtulat, exſpecto: quas velim cures quamprimum ad me perferendas. IIII. KAL. Decembris.

7 CICERO ATTICO, S

GRATÆ tuæ mihi litteræ ſunt, quibus accuratè perſcripſiſti omnia, quæ ad me pertinere arbitratus es: [2] Fac tu igitur, ut ſcribis iſtis placere, iiſdem iſtis lictoribus me uti; quod conceſſum Seſtio ſit; cui non puto ſuos eſſe conceſſos, ſed ab ipſo datos. audio enim eum ea S. C. improbare, quæ poſt diſceſſum Tribunorum facta ſunt. quare poterit, ſi volet ſibi *conſtare*, noſtros lictores comprobare. quamquam quid ego de lictoribus, qui pæne ex Italia decedere ſim juſſus? nam ad me miſit Antonius exemplum Cæſaris ad ſe litterarum, in quibus erat, ſe audiviſſe, Catonem, & L. Metellum in Italiam veniſſe, Romæ ut eſſent palam: id ſibi non placere; ne qui motus ex eo fierent; prohiberique omnes Italia, niſi quorum ipſe cauſam cognoviſſet: deque eo vehementius erat ſcriptum. itaque Antonius petebat à me per litteras, ut ſibi ignoſcerem: facere ſe non poſſe, quin iis litteris pareret. tum ad eum miſi L. Lamiam, qui demonſtraret, illum Dolabellæ dixiſſe, ut ad me ſcriberet, ut in Italiam quamprimum venirem: ejus me litteris veniſſe. tum ille edixit ita, ut me exciperet, [3] & Lælium nominatim. quod ſane nollem. poterat enim, ſine nomine, re ipſa excipi. ô multas & graveis offenſiones! quas quidem, tu das operam, ut lenias; nec tamen nihil proficis: quin hoc ipſo minuis dolorem meum, quod, ut minuas, tam valde laboras: idque velim ne gravere quam ſæpiſſime facere. maximè autem aſſequere quod vis, ſi me adduxeris, ut exiſtimem, me *bonorum* judicium non funditus perdidiſſe. quamquam quid tu in eo potes? nihil ſcilicet. ſed, ſi quid res dabit tibi facultatis, id me maximè conſolari poterit, quod nunc quidem video non eſſe: ſed ſi quid, ex eventis; ut hoc nunc accidit, dicebar debuiſſe cum Pompejo proficiſci. *exitus* illius minuit ejus officii prætermiſſi reprehenſionem. ſed ex omnibus nihil magis tamen deſideratur, quam quod in Africam non ierim. judicio hoc ſum uſus NON ESSE barbaris auxiliis fallaciſſimæ gentis Remp. defendendam, præſertim contra exercitum ſæpe victorem. non probant fortaſſe. multos enim viros bonos in Africam veniſſe audio, & ſcio fuiſſe antea. valde hoc loco urgeor, hic quoque opus eſt, caſu, aliqui ſint ex eis, aut, ſi poteſt, omnes, qui ſalutem anteponant. nam ſi perſeverant & obtinent; quid nobis futurum ſit, vides. dices, quid illis, ſi victi erunt? *honeſtior* eſt plaga. Hæc me excruciant. Sulpicii autem conſilium, non ſcripſiſti, cur meo non anteponeres. quod etſi non tam glorioſum eſt, quàm Catonis, tamen & periculo vacuum eſt, & dolore. Extremum eſt eorum, qui in Achaia ſunt. ii tamen ipſi ſe hoc melius habent, quàm nos, quòd & *multi* ſunt uno in loco; & cùm in Italiam venerint, domum ſtatim venerint. Hæc tu perge, ut facis, mitigare, & probare quamplurimis. Quod te excuſas: ego vero & tuas cauſas noſco; & mea intereſſe puto, te iſtic eſſe, vel ut cum iis, quibus oportebit, agas, quæ erunt agenda de nobis, ut ea quæ egiſti; in primiſque hoc velim animadvertas. multos eſſe arbitror, qui ad Cæſarem detulerint, delaturive ſint, me aut pœnitere conſilii mei, aut non probare, quæ fiant: quorum etſi utrumque verum eſt; tamen ab illis dicitur *animo* à me alienato; non quo ita perſpexerint, ſed totum ut hoc Balbus ſuſtineat, & Oppius, & eorum crebris litteris illius voluntas erga me confirmetur, & hoc planè ut fiat, diligentiam adhibebis. Alterum eſt, cur te nolim diſcedere, quòd ſcribis [4] te flagitari. ô rem miſeram! quid ſcribam? aut quid velim? breve faciam. lacrimæ enim ſe ſubito profuderunt: tibi permitto: tu conſule. tantum vide [5] ne hoc temporis tibi obeſſe aliquid poſſit. ignoſce, obſecro te: non poſſum præ fletu & dolore diutius in hoc loco commorari. tantum dicam, nihil mihi gratius eſſe, quàm quod eam diligis. Quod litteras, quibus putas opus eſſe, curas dandas, facis commode. Quintum filium vidi, qui Sami vidiſſet, patrem Sicyone: quorum deprecatio eſt facilis. utinam illi, qui priùs illum viderunt, me apud eum velint adjutum tantum, quantum ego illos vellem, ſi quid poſſem. Quod rogas, ut in bonam partem accipiam, ſi qua ſint in tuis litteris, quæ me mordeant. ego vero in optimam; teque rogo, ut aperte, quemadmodum facis, ſcribas ad me omnia, idque facias quam ſæpiſſimè. Vale. XIV. Kalend. Januar.

CICERO ATTICO, S. 8

QUANTIS curis afficiar, etſi profectò vides, tamen cognoſces ex Lepta & Trebatio. maximas pœnas pendo *temeritatis* meæ; quam tu prudentiam mihi videri vis: neque te deterreo, quo minus id diſputes, ſcribaſque ad me quam ſæpiſſimè. non nihil enim me levant tuæ litteræ hoc tempore. Per eos, qui noſtra cauſa volunt, valentque apud illum, [6] diligentiſſimè contendas opus eſt, per Balbum & Oppium maximè, ut de me ſcribant quàm diligentiſſimè. oppugnamur enim, ut audio, [7] & præſentibus quibuſdam, & per litteras. iis ita occurrendum, ut rei magnitudo poſtulat. [8] Furnius eſt illic, mihi inimiciſſimus. Quintus miſit filium non ſolùm ſui deprecatorem, ſed etiam accuſatorem mei. dictitat, ſe à me apud Cæſarem oppugnari: quod refellit Cæſar ipſe, omneſque ejus amici: neque verò deſiſtit, ubicumque eſt, omnia in me maledicta conferre. nihil mihi umquam tam *incredibile* accidit, nihil in his malis tam acerbum. qui ex ipſo audiſſent, cùm Sicyone palam multis audientibus loqueretur, nefaria quædam ad me pertulerunt. [9] noſti genus, etiam expertus es fortaſſe: in me id eſt omne converſum. ſed AUGEO commemorando dolorem, & facio etiam tibi. quare ad illud redeo; cura, ut hujus rei cauſa, dedita opera, mittat aliquem Balbus. ad quos videbitur, velim cures litteras meo nomine. Vale [10] VI. KAL. Janu.

CICERO ATTICO, S. 9

EGo verò & incautè, ut ſcribis, & celeriùs, quàm oportuit feci, nec in ulla ſum ſpe, quippe qui exceptionibus edictorum retinear: quæ ſi non eſſent ſedulitate effectæ & benivolentia tua, liceret mihi abire in *ſolitudines* aliquas. nunc ne id quidem licet. quid autem me juvat, quòd ante initum tribunatum veni, ſi ipſum, quòd veni, nihil juvat? jam, quid ſperem ab eo, qui mihi amicus numquam fuit; cùm jam lege etiam ſim confectus & oppreſſus? [11] quotidie jam Balbi ad me litteræ languidiores; multæque multorum ad illum, fortaſſe contra me. meo vitio

1. *Alexandreas.*] Vulg. *Alexandrinas.*

2. *Fac tu igitur.*] Ex codice Decurtato ita ſcripſit Boſius; vulgò, *factum igitur.*

3. *Et Lælium nominatim.*] Antonius Auguſtinus mavult & *L. Ælium.* quod non adeo placet Urſino.

4. *Te flagitari.*] Victorius repoſuit libris antiquis repugnantibus, *Terentiam flagitare*, quod vulgò receptum eſt; antea legebatur, *quod ſcribis efflagitare.* Lambinus verò ſic edendum curavit ut edidit Boſius, auctoribus veteribus libris.

5. *Ne hoc temporis tibi obeſſe aliquid poſſit.*] Hic quoque Victorius refragantibus veteribus libris ſcribit, *ne hoc tempore Terentiæ obeſſe aliquid poſſis*, ſed Boſio potior eſt veterum exemplarium auctoritas.

6. *Diligentiſſimè contendas.*] Vulgò *quàm diligentiſſimè contendas.*

7. *Et præſentibus.*] Vulg. *& à præſentibus.*

8. *Furnius eſt illic mihi inimiciſſimus. Quintus miſit.*] Hæc eſt Victorii emendatio. Antea legebatur, *inimiciſſimus qui miſit filium*; & in mſſ. quibuſdam, *quæ miſit filium.* Manutius pro, *Furnius*, malit, *Fuſius.*

9. *Noſti genus, etiam.*] Et hæc reſtitutio debetur Florentino Victorii. Prius formis excuſi habebant, *noſti genus hujuſmodi hominum.* Totum hunc locum ex duobus mſſ. Palat. ſe ſic, optima fide reſtituiſſe ait Junius, *Noſti genus hujuſmodi hominum, etiam expertus es fortaſſe id mihi deeſt. omne converſum eſt conſilium. ſed augeo commemorando dolorem & facio etiam tibi. Quare, &c.*

10. *VI. Kal. Januar.*] Ita erat in Decurtato, ita etiam in quibuſdam Malaſp. vulgò. *XV. Kal.*

11. *Quotidie jam Balbi.*] Vulg. *Cotidie Balbi.*

vitio pereo. [1] nihil mihi mali cauſa attulit: [2] omnia *culpa* contracta ſunt. ego enim, cum genus belli viderem, imparata & infirma omnia contra paratiſſimos, [3] quieram, (quid facerem?) ceperamque conſilium non tam forte, quàm mihi præter ceteros concedendum. [4] ceſſi meis, vel potiùs parui: ex quibus unus qua mente fuerit, is, quem tu mihi commendas, cognoſces ex ipſius litteris, quas ad te, & ad alios miſit: quas ego numquam aperuiſſem, niſi res acta ſic eſſet: delatus eſt ad me faſciculus: ſolvi, ſi quid ad me eſſet litterarum: nihil erat: epiſtola Vatinio & Ligurio altera: juſſi ad eos deferri: illi ad me ſtatim ardentes dolore venerunt, ſcelus hominis clamantes: epiſtolas mihi legerunt plenas omnium in me probrorum. hic Ligurius furere. ſe enim ſcire ſummo illum in odio fuiſſe Cæſari: illum tamen non modò foviſſe, ſed & tantam illi pecuniam dediſſe honoris mei cauſa. hoc ego dolore accepto, volui ſcire, quid ſcripſiſſet ad ceteros. ipſi enim illi putavi perniciosum fore, ſi ejus hoc tantum ſcelus [5] percrebruiſſet. cognovi ejuſdem generis: [6] ad te miſi: quas ſi putabis illi ipſi utile eſſe reddi, reddes; nil me lædet. nam quòd reſignatæ ſunt; habet, opinor, ejus ſignum Pomponia, hac ille acerbitate initio navigationis cùm uſus eſſet, tanto me dolore affecit, ut poſtea jacuerim: neque nunc tam pro ſe, quam contra me, *laborare* dicitur. ita omnibus rebus urgeor; quas ſuſtinere vix poſſum, vel planè nullo modo poſſum: quibus in miſeriis una eſt pro omnibus, quòd iſtam miſeram, patrimonio, fortuna omni ſpoliatam relinquam. quare te, ut polliceris, videre planè velim. alium enim, cui illam commendem habeo neminem; quoniam matri quoque eadem intellexi eſſe parata, quæ mihi. ſed, ſi me non offendes, ſatis tamen habeto commendatam, patruumque in ea, quantum, poteris, mitigato. Hæc ad te *die natali* meo ſcripſi: quo utinam ſuſceptus non eſſem, aut ne quid ex eadem matre poſtea natum eſſet. plura ſcribere fletu prohibeor.

10 CICERO ATTICO, S.

AD meas incredibileis ægritudines aliquid novi accedit ex iis, [7] quæ de Q. Q. ad me afferuntur. P. Terentius, [8] meus neceſſarius, operas in portu, & ſcriptura Aſiæ pro magiſtro dedit. is Quintum filium Epheſi vidit VI. Id. Decemb. eumque ſtudioſè propter amicitiam noſtram invitavit; cumque ex eo de me cunctaretur, eum ſibi ita dixiſſe narrabat, ſe mihi eſſe inimiciſſimum; volumenque ſibi oſtendiſſe orationis, quam apud Cæſarem contra me eſſet habiturus: multa à ſe dicta contra ejus amentiam: multa poſtea Patris conſimili ſcelere ſecum Quintum patrem locutum: cujus *furorem* ex iis epiſtolis, quas ad te miſi, perſpicere potuiſti. hæc tibi dolori eſſe [9] certe ſcio: me quidem excruciant, & eò magis, quod mihi cum illis ne querendi quidem locum futurum puto. De Africanis rebus longè alia nobis, ac tu ſcripſeras, nuntiantur. nihil enim firmius eſſe dicunt, nihil paratius. accedit Hiſpania, [10] & alienata Italia; legionem nec vis eadem, nec voluntas; urbanæ res perditæ. quid eſt, ubi acquieſcam, niſi quàm diu tuas litteras lego? quæ eſſent profectò crebriores, ſi quid haberes, quo putares meam moleſtiam minui poſſe. ſed tamen te rogo, [11] ne intermittas ſcribere ad me, quidquid erit; eoſque qui mihi tam crudeliter inimici ſunt, ſi odiſſe non potes, *accuſes* tamen; non ut aliquid proficias, ſed ut me tibi carum eſſe ſentiant. Plura ad te ſcribam, ſi mihi ad eas litteras, quas proximè ad te dedi, reſcripſeris. Vale. XII. KAL. Febr.

CICERO ATTICO, S. 11

CONFECTUS jam cruciatu maximorum dolorum, ne, ſi ſit quidem, quod ad te debeam ſcribere, facilè id exequi poſſim; hoc minus, quòd res nulla eſt, quæ ſcribenda ſit; cùm præſertim ne ſpes quidem ulla oſtendatur, *fore melius*. ita jam ne tuas quidem litteras exſpecto: quamquam ſemper aliquid afferunt, quod velim. quare tu quidem ſcribito, cum erit, cui des. ego tuis proximis, quas tamen jam pridem accepi, nihil habeo, quod reſcribam. longo enim intervallo video immutata eſſe omnia: illa eſſe firma, [12] quæ jubeant nos *ſtultitiæ* noſtræ graviſſimas pœnas pendere. P. Salluſtio curanda ſunt H-S XXX. quæ accepi à Cn. Salluſtio. velim videas, [13] ut ſine mora curentur. de ea re ſcripſi ad Terentiam: atque hoc ipſum jam prope conſumtum eſt. quare id quoque velim, cum illa videas, ut ſit, qui utamur. hic fortaſſe potero ſumere, ſi ſciam iſtic paratum fore. ſed prius, quam id ſcirem, nihil ſum auſus ſumere. Qui ſit omnium rerum ſtatus noſter, vides. nihil eſt mali, quod non & ſuſtineam & exſpectem. quarum rerum *eo gravior* eſt dolor, quo culpa major. Ille in Achaja non ceſſat de nobis detrahere. nihil videlicet tuæ litteræ profecerunt. Vale. VIII. Id. Mart.

CICERO ATTICO, S 12

CEPHALIO mihi à te litteras reddidit A. D. IIX. Id. Mart. veſpere. eo autem die manè tabellarios miſeram, quibus ad te dederam litteras. tuis tamen lectis litteris, putavi aliquid reſcribendum eſſe, maximè, quòd oſtendis te pendere animi, quamnam rationem ſim Cæſari allaturus profectionis meæ tum, cùm ex Italia diſceſſerim. nihil opus eſt mihi nova ratione. ſæpe enim ad eum ſcripſi multiſque mandavi, non potuiſſe, cùm cupiiſſem, ſermones hominum ſuſtinere; multaque in eam ſententiam. nihil enim erat, quod minùs eum vellem exiſtimare, quàm me tanta de re non meo conſilio uſum eſſe. [14] poſtea, cùm mihi litteræ à Balbo Cornelio minore miſſæ eſſent, illum exiſtimare, Quintum fratrem [15] *lituum* meæ profectionis fuiſſe, (ita enim ſcripſit) [16] qui nondum cognoſſem quæ de me Quintus ſcripſiſſet ad multos: etſi multa præſens in præſentem acerbè dixerat & fecerat; [17] tamen Nilo meo his verbis ad Cæſarem ſcripſi.

De Quinto fratre meo non minus laboro, quam de me ipſo: ſed eum tibi commendare hoc meo tempore non audeo. illud dun-

1. *Nihil mihi mali cauſſa attulit.*] Faërnus & Manutius ex Ubaldini Bandinelli libro legebant, *caſus*, pro, *cauſſa*, quod habent Memmiani codices, & omnes vulgati.

2. *Omnia culpa contracta ſunt.*] Legendum ut videtur Fulvio, ex libro Longolii, *omnia mea culpa contracta ſunt.*

3. *Quieram.*] Manutius ita & Boſius conjecerunt, non longè præſertim recedente vetere ſcriptura. vulgò, *iveram*, mſſ. Palat. & Beſſarionis habent, *ſciveram* a *ſciſcendo*, & recte ut videtur Junio.

4. *Ceſſi meis.*] Ita emendavit prætor Lemovicenſis, cum ſcriptum reperiſſet in Scidis, *ceſſim iis*; in Tornæſiano, *ceſſim his*. vulg. *ceſſimus.*

5. *Percrebruiſſet.*] Vulg. *percrebuiſſet.*

6. *Ad te miſi.*] Vulg. *literas ad te miſi.*

7. *Quæ de Q. Q. ad me afferuntur.*] Sic ex veteribus libris Victorius correxit. vulg. *de Q. fratre, &c.*

8. *Meus neceſſarius operas in portu.*] Codices Memmiani habent, *meus neceſſarius magnas operas in portu*; Lambinus nihil mutat a ſcriptura recepta.

9. *Certè ſcio.*] Vulg. *certo ſcio.*

10. *Et alienata Italia.*] Ita reſtituit Victorius, ut & habet codex Tornæſianus. Antea erat, *& alienata alia:* unde vulgò fecerant, *& alienata Gallia.*

11. *Ne intermittas.*] Scribit Victorius cum antiquis libris, *ut intermittas.*

12. *Quæ jubeant nos ſtultitiæ.*] Vulg. *quæ debeant nos ſtultitiæ.*

13. *Ut ſine mora curentur.*] Junius ex Palat. duobus legere non dubitaverit, *ut quæ ad me pertinent, ſine mora, &c.*

14. *Poſtea cùm.*] Debetur hæc reſtitutio Manutio, prius legebatur, *poſteaquam.*

15. *Lituum meæ profectionis.*] Urſinus in veteribus libris legi tradit, *illicium meæ profectionis*, quod valdè probat Junius.

16. *Qui nondum cognoſſem.*] Cum antiquis codicibus ita legit Victor. vulg. *cognoſſet.*

17. *Tamen Nilo meo his verbis.*] Eſt hoc à Decurtato: vulg. *tamen L. in eo his* mſſ. alii habent; *tamen L. Lemeo his:* alii, *L. Limeo*; alii, *L. Comeo his ipſis.* unde dubitanter & timidè faciebat Lambinus λαχονίζων, vel λακονικῶς *his ipſis, &c.* Pantagathus reponebat, *tamen de eo his verbis*; quod placet Urſino & Manutio. Ant. Auguſtinus legebat, *tamen literas ego his verbis:* alii emendaverant, *tamen levibus verbis.* quæ omnia improbat Junius & reponit, *tamen ſtilo meo his verbis ad C.*

1. *Quod*

duntaxat tamen audebo petere abs te, quod te oro, ne quid exiſtimes ab illo factum eſſe, quo minus mea in te officia conſtarent, minuſve te diligerem, potiuſque ſemper illum auctorem noſtræ conjunctionis fuiſſe, meque itineris comitem, non ducem. quare ceteris in rebus tantum ei tribues, quantum humanitas tua, amicitiaque veſtra poſtulat: ego ei ne quid apud te obſim, id te vehementer etiam atque etiam rogo.

Quare, ſi quis congreſſus fuerit mihi cum Cæſare, (etſi non dubito, quin is lenis in illum futurus ſit, idque jam declaraverit) ego tamen is ero, qui ſemper fui. ſed, ut video, multo magis eſt nobis laborandum de Africa; quam quidem tu ſcribis confirmari quotidie magis ad conditionis ſpem, quàm victoriæ. quod utinam ita eſſet. ſed longe aliter eſſe intelligo; teque ipſum ita exiſtimare arbitror; aliter autem ſcribere, non fallendi, ſed *confirmandi* mei cauſa, præſertim cùm adjungatur ad Africam etiam Hiſpania. Quod me admones, ut ſcribam ad Antonium, & ad ceteros: ſi quid videbitur tibi opus eſſe, velim facias id, quod ſæpe feciſti. nihil enim mihi venit in mentem, quod ſcribendum putem. [1] Quod me audis fractiorem eſſe animo: quid putas, cum videas acceſſiſſe ad ſuperiores ægritudines præclaras generi actiones? Tu tamen velim ne intermittas, quoad ejus facere poteris, ſcribere ad me, etiam ſi rem de qua ſcribas, non habebis. ſemper enim afferunt aliquid mihi tuæ litteræ. Galeonis hereditatem crevi. puto enim [2] cretionem ſimplicem fuiſſe, quoniam ad me nulla miſſa eſt. VIII. Id. Mart.

13 CICERO ATTICO, S.

AMurenæ liberto nihil adhuc acceperam litterarum. P. Siſer reddiderat eas, quibus reſcribo. De Servii patris litteris quod ſcribis, item, Quintum in Syriam veniſſe quod ais eſſe qui nuntient; ne id quidem verum eſt. Quod certiorem te vis fieri, quo quiſque in me animo ſit; aut fuerit eorum, qui huc venerunt; neminem alieno intellexi. ſed, quantum id mea interſit, exiſtimare te poſſe certè ſcio. mihi cum omnia ſunt intolerabilia ad dolorem, tum maximè, quòd in eam cauſam veniſſe me video, ut ea ſola *utilia* mihi eſſe videantur, quæ ſemper nolui. P. Lentulum patrem Rhodi eſſe ajunt, [3] Alexandreæ filium; Rhodoque Alexandream C. Caſſium profectum eſſe conſtat. Quintus mihi per litteras ſatisfacit, multo aſperioribus verbis, quàm cùm graviſſimè accuſabat. ait enim ſe ex litteris tuis intelligere, tibi non placere, quòd ad multos de me aſperius ſcripſerit: itaque ſe pœnitere, quòd animum tuum offenderit: ſed ſe jure feciſſe. deinde perſcribit ſpurciſſimè, quas ob cauſas fecerit. ſed neque hoc tempore, nec antea pateféciſſet odium ſuum in me, niſi omnibus rebus me eſſe *oppreſſum* videret. atque utinam vel nocturnis, quemadmodum tu ſcripſeras, itineribus propius te acceſſiſſem: nunc nec ubi, nec quando te ſim viſurus, poſſum ſuſpicari. De coheredibus [4] Fuſidianis nihil fuit, quod ad me ſcriberes. nam & æquum poſtulant, &, quidquid egiſſes, rectè eſſe actum putarem. De fundo Fruſinati redimendo jam pridem intellexiſti voluntatem meam; etſi tum meliore loco res erant noſtræ, [5] neque tam mihi deſperatum iri videbantur; tamen in eadem ſum voluntate. [6] id quemadmodum fiat, tu videbis. & velim, quoad poteris, conſideres, ut ſit, unde nobis ſuppeditentur ſumtus neceſſarii. ſi quas habuimus facultates, eas Pompejo tum, cùm id videbamur ſapienter facere, detulimus. itaque tum & à tuo villico ſumſimus, & aliunde mutuati ſumus, cùm Quintus quereretur per litteras, ſibi nos nihil dediſſe; qui neque ab illo rogati ſumus, neque ipſi eam pecuniam aſpeximus. ſed velim videas, quid ſit; quod confici poſſit, quidque mihi de omnibus des conſilii: & cauſam noſti. Plura nè ſcribam, dolore impedior. [7] ſi quid erit, quod ad quos ſcribendum meo nomine putes, velim, ut ſoles, facias: quotieſque habebis, cui des ad me litteras, nolim prætermittas. Vale.

CICERO ATTICO, S. 14

NON me offendit veritas litterarum tuarum, quòd me, [8] cum communibus, tum præcipuis malis oppreſſum, ne incipis quidem, ut ſolebas, conſolari, faterisque id fieri jam non poſſe. nec enim ea ſunt, quæ erant antea, cùm, ut nihil aliud, comites me & ſocios habere putabam. omnes enim Achaici deprecatores, [9] item qui in Aſia, quibus non erat ignotum, etiam quibus erat, in Africam dicuntur navigaturi. ita præter Lælium, neminem habeo *culpæ ſocium:* qui tamen hoc meliore in cauſa eſt, quòd jam eſt receptus. de me autem, non dubito, quin ad Balbum & ad Oppium ſcripſerit: à quibus, ſi quid eſſet lætius, certior factus eſſem; tecum etiam eſſent locuti: quibuſcum tu de hoc ipſo colloquare velim, & ad me, quid tibi reſponderint, ſcribas: non quòd ab iſto ſalus data quidquam habitura ſit firmitudinis: ſed tamen aliquid conſuli & proſpici poterit. etſi omnium conſpectum horreo, præſertim hoc genero; tamen, in tantis malis quid aliud velim, non reperio. Quintus pergit, ut ad me & Panſa ſcripſit, & Hirtius: iſque item Africam petere cum ceteris dicitur. [10] Ad Minucium pariantem ſcribam, tuas litteras mittam. ad te ſcribam, numquid egerit. HS XXX. potuiſſe mirarer, niſi multa de [11] Fuſidianis prædiis. & id video tamen. Te exſpecto: quem videre, [12] ſi ullo modo pote, eſt enim res, pervellem. jam extremum *concluditur.* [13] ibi facile eſt quid; quale ſit, gravius exiſtimare. Vale.

CICERO ATTICO, S. 15

QUONIAM juſtas cauſas affers, [14] quòd te hoc tempore videre non poſſim: quæſo, quid ſit mihi faciendum. ille enim ita videtur Alexandriam tenere, ut eum ſcribere etiam pudeat de illis rebus. ii autem ex Africa jam affuturi viden-

1. *Quod me audis fractiorem eſſe animo.*] Caſtigavit ita Victorius, contrario enim penitus ſenſu ante legebatur, *erectiorem eſſe animo.*

2. *Cretionem ſimplicem fuiſſe.*] Veterum codicum auctoritatem ſecutus hoc repoſito, illud abjecit Victorius, *duco enim Curionem fuiſſe ſimplicem.*

3. *Alexandreæ.*] Primus Faërnus ubique in his epiſtolis, *Alexandream*, per e, ſcripſit ex mſ. libri collatione, cui quidem emendationi ſuffragatur veteris denarii auctoritas qui ab Æmilia Lepidorum familia cuſus eſt, cum inſcriptione, *Alexandrea*, ſive ut eſt in aliis, *Alexſandrea*: vulg. *Alexandria.*

4. *Fuſidianis.*] Vulg. *Fuſidianis.*

5. *Neque tam mihi deſperatum iri videbantur.*] Hæc eſt ſcriptura Decurtati, Tornæſ. & Cruſellini. Cavalcantis liber ſcriptus habet, *neque tamen deſperaturi ita videbantur*: Ubaldini; *Neque tamen deſperaturi mihi videbantur.* Ferri; *Neque deſperare mihi videbantur*; Ex quibus omnibus legendum putat Manutius, *neque tamen deſperatum iri mihi videbamur.* vulgò, *neque tam mihi deſperaturi videbamur.*

6. *Id quemadmodum fiat, tu videbis.*] Hæc emendatio debetur Victorio, antea legebatur, *iis quemadmodum flatu videbis.*

7. *Si quid erit quod ad quos ſcribendum meo nomine putes.*] *Ad quenquam*, habet vetus liber Urſini, pro, *ad quos.*

8. *Cum communibus.*] Vulg. *tum communibus.*

9. *Item qui in Aſia.*] Vetus liber Urſini habet, *item Aſiani.*

10. *Ad Minutium pariantem.*] Tornæſ. & Cruſell. habent *parentem*, Decurtatus *parantem.* unde ille fecit *pariantem*, improbante Junio qui vulgatam cum mſſ. Palat. retinet.

11. *Fuſidianis.*] Semper in vulg. *Fuſidianis* ut & *Fuſius*, pro, *Fufius.*

12. *Si ullo modo pote eſt enim res pervellem.*] Ita Boſius ex Tornæſ Decurt. & Cruſell. habentibus, *ſi ullo modo poteſt enim res pervellem.* quem locum corruptum quidem eſſe vidit Victorius, ſed mederi non potuit. vulg. *ſi ullo modo potes venire pervellem.* Junius ex mſſ. Palat. totum hunc locum ſic ſeſe legere & diſtinguere ait. *Et id video Tamen te exſp. q ſ. u. m. 'pot' eſt enim res pervellem.* niſi quod in uno mſ. *poſt*, legitur pro, *poteſt*; quod & notavit in ſuis Victorius.

13. *Ibi facile eſt quid, quale ſit, gravius exiſtimare.*] Ex veteribus ſuis ita edidit Boſius. vulg. *ibi facile eſt. quid quale ſit, &c.* Pantagathus totum hunc locum ita reſtituebat; *concluditur ibi. facile eſt quod, quare ſit gravius, exiſtimare.*

14. *Quod te hoc tempore videre non poſſim.*] Secundum Urſini judicium melius eſt in vetere libro, *cur te videre.*

videntur; Achæi, [1] ii item ex Aſia redituri ad eos, aut libero aliquo loco commoraturi. quid mihi igitur putas agendum? video difficile eſſe conſilium. ſum enim SOLUS, aut cum altero, cui neque ad illos reditus ſit, neque ab his ipſis quidquam ad ſpem oſtendatur. ſed tamen ſcire velim, quid cenſeas: idque erat cum aliis, cur te, ſi fieri poſſet, cuperem videre. Minucium XII. ſola curaſſe, ſcripſi ad te antea. quod ſupereſt, velim videas, ut curetur. Quintus non modo non cum magna prece ad me, ſed acerbiſſimè ſcripſit: filius vero mirifico odio. nihil fingi poteſt mali, quo non urgear. omnia tamen ſunt faciliora, quàm *peccati dolor*, qui & maximus eſt, & æternus: cujus peccati ſi ſocios eſſem habiturus ego, quos putavi, tamen eſſet conſolatio tenuis. ſed habet aliorum omnium ratio exitum, mea nullum. alii capti, alii interclusi non veniunt in dubium de voluntate, eo minus ſcilicet, cùm ſe expedierint, & una eſſe cœperint. ii autem ipſi, qui ſua voluntate ad Fufium venerunt, nihil poſſunt, niſi timidi, exiſtimari. multi autem ſunt, qui, quicumque ſunt, modò ad illos ſe recipere volent, recipientur. quo minùs debes mirari, non poſſe me tanto dolori reſiſtere. ſolius enim meum peccatum *corrigi* non poteſt, & fortaſſe Lælii. ſed quid me id levat? [2] C. quidem Caſſium ajunt conſilium Alexandriam eundi mutaviſſe. Hæc ad te ſcribo, non ut queas tu demere ſollicitudinem, ſed ut cognoſcam, ecquid tu ad ea afferas, quæ me conficiunt: ad quæ gener accedit, & cetera, quæ, fletu reprimor, ne ſcribam. quin etiam Æſopi filius me excruciat. prorſus nihil abeſt, quin ſim miſerrimus. ſed ad primum revertor: quid putes faciendum; occultene aliquo propius veniendum, an mare transeundum. nam hîc maneri diutiùs non poteſt. De Fufidianis quare nihil potuit confici? genus enim conditionis ejuſmodi fuit, in quo non ſolet eſſe controverſia; cùm ea pars, quæ videtur eſſe minor, licitatione expleri poſſet. hæc ego non ſine cauſa quæro. ſuſpicor enim, coheredes *dubiam* noſtram cauſam putare, & eo rem in integro eſſe. Vale. Pridie Idus Mai.

16 CICERO ATTICO, S.

NON meo vitio fit, hoc quidem tempore, (antea enim eſt peccatum) ut me iſta epiſtola nihil conſoletur. nam, & exiguè ſcripta eſt, & ſuſpiciones magnas habet, non eſſe ab illo; quas animadvertiſſe te exiſtimo. De obviam itione ita faciam, ut ſuades. [3] neque enim valde de adventu ejus opinio eſt; neque, ſi qui ex Aſia veniunt, quidquam auditum eſſe dicunt *de pace*: cujus ego ſpe in hanc fraudem incidi. nihil video, quod ſperandum putem, nunc præſertim, cùm ea plaga in Aſia ſit accepta, in Illyrico, in Caſſiano negotio, in ipſa Alexandria, in urbe, in Italia. ego verò, etiam ſi rediturus ille eſt, qui adhuc bellum gerere dicitur, tamen ante reditum ejus negotium confectum iri puto. Quod autem ſcribis, quandam lætitiam bonorum eſſe commotam, ut ſit auditum de litteris: tu quidem nihil prætermittis, in quo putes aliquid ſolatii eſſe: ſed ego non adducor, quemquam bonum ullam ſalutem putare mihi *tanti* fuiſſe, ut eam [4] peterem ab illo, & eò minus, quod hujus conſilii jam ne ſocium quidem habeo quemquam. qui in Aſia ſunt, rerum exitum exſpectant. Achaici etiam Fufio [5] ſpem deprecationis afferunt. horum & timor idem fuit primo, qui meus, [6] & conſtitutum. mora Alexandrina cauſam illorum correxit, meam evertit. quamobrem idem à te nunc peto, quod ſuperioribus litteris, ut, ſi quid in perditis rebus diſpiceres, quod mihi putares faciendum, me moneres. ſi recipior ab his, quod vides non fieri; tamen, quoad bellum erit, quid agam, aut ubi ſim, non reperio: ſin jactor, eo minus. itaque tuas litteras exſpecto; eaſque ut ad me ſine dubitatione ſcribas, rogo. Quod ſuades, ut ad Quintum ſcribam de his litteris: facerem, ſi me quidquam iſtæ litteræ delectarent. etſi quidam ſcripſit ad me his verbis: EGO, UT *in his malis, Patris ſum non invitus: eſſem libentius, ſi frater tuus ea de te loqueretur, quæ ego audire vellem.* Quod ais illum ad te ſcribere, me ſibi nullas litteras remittere: ſemel ab ipſo accepi: ad eas Cephalioni dedi, qui multos menſes tempeſtatibus retentus eſt. Quintum filium ad me acerbiſſimè ſcripſiſſe, jam ante ad te ſcripſi. Extremum eſt, quod te orem, ſi putas rectum eſſe, & à te ſuſcipi poſſe, cum Camillo communices, ut Terentiam moneatis de teſtamento. *tempora* monent, ut videat, ut ſatisfaciat, quibus debeat. auditum ex Philotimo eſt, eam ſceleratè quædam facere. credibile vix eſt. ſed certè, ſi quid eſt, quod fieri poſſit, providendum eſt. de omnibus rebus velim ad me ſcribas, [7] & maximè quid ſcribas de ea: in quo tuo conſilio egeo, etiam ſi nihil excogitas: [8] id enim mihi erit pro deſperato. III, Nonas. Jun.

CICERO ATTICO, S. 17

PROPERANTIBUS tabellariis alienis hanc epiſtolam dedi: [9] eo brevior eſt; &, [10] quod eram miſſurus meos. Tullia mea venit ad me pridie Idus Jun. deque tua erga ſe obſervantia benivolentiaque mihi plurima expoſuit, litteraſque reddidit trinas. ego autem ex ipſius virtute, humanitate, pietate non modò eam voluptatem non cepi, quam capere ex ſingulari filia debui; ſed etiam incredibili ſum dolore affectus, tale ingenium in tam miſera *fortuna* verſari, idque accidere nullo ipſius delicto, [11] ſumma culpa mea. itaque à te neque conſolationem jam, qua cupere te uti video, nec conſilium, quod capi nullum poteſt, exſpecto: teque omnia cùm ſuperioribus ſæpe litteris, tum proximis tentaſſe intelligo. Ego cum Salluſtio Ciceronem ad Cæſarem mittere cogitabam. Tulliam autem, non videbam eſſe cauſam, cur diutius mecum tanto in communi mœrore retinerem. [12] itaque matri eam, cùm primum per ipſam liceret, erám remiſſurus. Pro ea, [13] quam ad modum conſolantis ſcripſiſti, πϱαότητα putato me ſcripſiſſe, quæ

1. *Ii item ex Aſia.*] Sic edidit Boſius, ex fide Decurtati. vulg. vox *ii*, abeſt, & legitur *Achæi item ex Aſia.*

2. *C. quidem Caſſium.*] Vulg. *Nam C. quidem Caſſium.*

3. *Neque enim valde de adventu ejus opinio eſt.*] Ita mſſ. habere ait Junius, & probat. vulgati habent, *valde adventus, &c.* quod improbans Lambinus mavult, *neque enim ulla de adventu, &c.*

4. *Peterem ab illo*] Vulg. *ab ullo.*

5. *Spem deprecationis afferunt.*] Dubitanter conjicit Manutius, *auferunt.*

6. *Et conſtitutum.*] Fulvius jubet videre num melius ſit, *inſtitutum.*

7. *Et maximè quid ſcribas de ea.*] Faërnus pro, *ſcribas*, legèbat; *ſcias.* Pantagathus, *ſentiebas*, Manutius denique *ſentias.* Lambinus legit, *& maximè quidem ſcribas de ea*, & verbum, *ſcribas*, quod negat Malaſpina comparere in nonnullis mſſ. idem Lamb. ſe reperiſſe teſtatur in Tornæſ. Huraltino & Memmianis.

8. *Id enim mihi erit pro deſperato.*] Memmiani codices, & duo Palatini habent, *explorato*; & hoc magis probat Junius, niſi forte ut in uno mſ. eſt, & Pantagathus volebat, mutatione unius literæ legatur in hunc modum, *id enim mihi erat, &c.* Lambinus etiam, cum Corrado non improbat illud, *explorato*, aut certe legendum exiſtimat, *pro deplorato*; ſed nihil mutat quia vulgatis aſſentitur Tornæſ.

9. *Eo brevior eſt, &c.*] Ex Ubaldini libro hæc lectio eſt. vulgò, *eo breviorem quod.*

10. *Quod eram miſſurus meos.*] Vetus liber, *& quod tranſmiſſuri noſtros eramus.* unde Fulvius conjicit legendum, *& quod cras miſſuri noſtros eramus.* Antea legebatur, *& quod tranſmiſſuri eramus.*

11. *Summa culpa.*] Vulg. *ſed ſumma culpa.*

12. *Itaque matri eam.*] Sic Boſius ex hac corrupta Decurtati ſcriptura, *itaque Ematriam*, reſtituit. Antiquior Victorii codex, *Ematiam.* ille in tantis tenebris lucem ſe videre non poſſe fatetur. Vulgati antea habebant *Æmathiam*, nunc verò habent; *itaque eram tibi eam, &c.* Junius ait hanc conjecturam eſſe proximè mſſ. fidem, *Itaque eam tibi etiam, &c.*

13. *Quam ad modum conſolantis ſcripſiſti, πϱαότητα putato me ſcripſiſſe.*] Conjectura Boſii, ex obſcuris his veſtigiis quæ in Decurtato extant, *quam an modum conſolantis cripſiſti pro tanta tato me ſcripſiſſe, &c.* Pantagathus verò ita emendabat, *pro ea quemadmodum conſolando ſcripſiſti, putato ea me ſcripſiſſe.* In vulgatis eſt; *quemadmodum conſolandus ſcripſiſti. P. tanta eo me ſcripſiſſe.*

1. Re-

quæ tu ipſe intelligis [1] reſponderi potuiſſe. Quod Oppium tecum ſcribis locutum, non abhorret à mea ſuſpicione ejus oratio. ſed non dubito quin iſtis perſuaderi nullo modo poſſit ea, quæ faciant, mihi probari poſſe; quoquo modo loquar. ego tamen utar *moderatione*, qua potero. quamquam, quid mea interſit, ut eorum odium ſubeam, non intelligo. Te juſta cauſa impediri, quo minus ad nos venias, video; idque mihi valde moleſtum eſt. Illum ab Alexandria diſceſſiſſe nemo nuntiat; conſtatque ne profectum quidem [2] illim quemquam poſt Idus Mart. nec poſt Idus Decemb. ab illo datas ullas litteras. ex quo illud intelligis, illud, de litteris A. D. v. Id. Febr. datis (quod inane eſſet, etiam ſi verum eſſet) non verum eſſe. L. Terentium diſceſſiſſe ex Africa ſcimus, Pæſtumque veniſſe. quid is afferat, aut quo modo exierit, aut quid in Africa fiat, ſcire velim. dicitur enim per [3] Naſidium emiſſus eſſe. id quale ſit, velim, ſi inveneris, ad me ſcribas. [4] De H-S x, ut ſcribis faciam. Vale XIIX. Kalend. Quint.

18 CICERO ATTICO, S.

[5] DE illius Alexandria diſceſſu, nihil adhuc rumoris, contraque opinio, valde eſſe impeditum. itaque nec mitto, ut conſtitueram, Ciceronem, & te rogo, ut me hinc expedias. quodvis enim *ſupplicium* levius eſt hac permanſione. hac de re & ad Antonium ſcripſi, & ad Balbum, & ad Oppium. ſive enim bellum in Italia futurum eſt, ſive claſſibus utetur; hic eſſe me, minimè convenit: quorum fortaſſe utrumque erit: alterum certè. intellexi omnino ex Oppii ſermone, quem tu mihi ſcripſiſti, quæ iſtorum via eſſet: ſed, ut eam flectas, te rogo. nihil omnino jam exſpecto, niſi miſerum. ſed hoc perditius, in quo nunc ſum, fieri nihil poteſt. quare [6] & cum Antonio loquare, velim, & cum iſtis; & rem, ut poteris, expedias; & mihi quamprimum de omnibus rebus reſcribas. Vale. XII. Kal. Quint.

19 CICERO ATTICO S.

[7] CUM tuis dare poſſem litteras, non prætermiſi: etſi, quid ſcriberem, non habebam. tu ad nos & rariùs ſcribis, quàm ſolebas, & breviùs: credo, quia nihil habes, quod me putes libenter legere, aut audire poſſe. verumtamen velim, [8] ſi quid erit, qualecumque erit, ſcribas. eſt autem unum, quod mihi ſit optandum, ſi quid agi de *pace* poſſit: quod nulla equidem habeo in ſpe. ſed, quia tu leviter interdum ſignificas, cogis me ſperare, quod optandum vix eſt. Philotimus dicitur Idib. Sext. nihil habeo de illo amplius. tu, velim, ad ea mihi reſcribas, quæ ad te antea ſcripſi. mihi tantum temporis ſatis eſt, dum, ut in peſſimis rebus aliquid caveam, qui nihil umquam cavi. Vale. XI. Kal. Sext.

20 CICERO ATTICO, S.

[9] XVII. Kal. Sept. venerat die XXIIX. [10] Seleucea Pieria C. Trebonius, qui ſe [11] Antiocheæ diceret apud Cæſarem vidiſſe Quintum filium cum Hirtio. eos de Quinto, quæ voluiſſent, impetraſſe nullo quidem negotio. quod ego magis gauderem, ſi iſta nobis impetrata quidquam ad ſpem explorati haberent. ſed & alia timenda ſunt, ab aliiſque, [12] & ab hoc ipſo. quæ dantur, ut à domino, rurſus in ejuſdem ſunt poteſtate. etiam Saluſtio ignovit. omnino dicitur *nemini negare*. quod ipſum eſt ſuſpectum, [13] notionem ejus differri. M. Gallius Q. filius mancipia Saluſtio reddidit. is venit ut legiones in Siciliam traduceret: & protinus iturum Cæſarem Patris. quod ſi faciet: ego, quod ante mallem, aliquò propius accedam. tuas litteras ad eas, quibus à te proximè conſilium petivi, vehementer exſpecto. Vale. XVI. Kalend. Septemb.

CICERO ATTICO, S. 21

[14] ACCEPI VI. Kal. Sept. litteras à te datas XII. Kal. doloremque, quem ex Quinti ſcelere jampridem acceptum jam abjeceram, lecta ejus epiſtola graviſſimum cepi: tu etſi non potuiſti ullo modo facere, ut mihi illam epiſtolam non mitteres: tamen mallem non eſſe miſſam. Ad ea autem, quæ ſcribis de teſtamento, videbis, quid, & quo modo. De nummis & illa ſic ſcripſit, ut ego ad te antea, & nos, ſi quid opus erit, utemur ex eo, de quo ſcribis. Ille ad Kal. Sept. Athenis non videtur fore. [15] multa eum in Aſia dicuntur morari, maximè Pharnaces. legio XII. ad quam primum Sulla venit, lapidibus egiſſe hominem dicitur. [16] nullam putant ſe commoturam. illum arbitrantur protinus Patris in Siciliam. ſed, ſi hoc ita eſt, huc veniat neceſſe eſt. ac mallem illum. aliquo enim modo hinc evaſiſſem. nunc metuo, ne ſit exſpectandum; & cum reliquis etiam [17] *loci gravitas* hic miſerrimè perferenda. Quod me mones ut ea videam, quæ ad tempus accommodem: facerem, ſi res pateretur, & ſi ullo modo fieri poſſet. ſed in tantis noſtris peccatis, tantiſque noſtrorum injuriis, nihil eſt, quod aut facere dignum nobis, aut ſimulare poſſim. Sullana confers: in quibus omnia genere ipſo *præclariſſima* fuerunt, moderatione paullo minus temperata. hæc autem ejuſmodi ſunt, [18] ut obliviſcar; multoque malim quod omnibus ſit melius, quorum utilitati meam junxi. Tu ad me tamen velim quàm ſæpiſſimè ſcribas, eoque magis, quòd præterea nemo ſcribit: ac ſi omnes, tuas tamen maximè exſpectarem. Quod ſcribis illum per me Quinto fore placatiorem: ſcripſi ad te antea, eum ſtatim Quinto filio omnia tribuiſſe; noſtri nullam mentionem. Vale.

CICERO ATTICO, S. 22

[19] DILIGENTER mihi faſciculum reddidit Balbi tabellarius. accepi enim à te litteras, quibus videris vereri, ut epiſtolas illas acceperim: quas quidem vellem mihi numquam redditas. auxerunt enim mihi dolorem: nec ſi in aliquem incidiſſent, quidquam novi attuliſſent. quid enim tam pervulgatum, quàm illius in me [20] odium, & genus hoc litterarum? quod ne Cæſar quidem ad iſtos videtur miſiſſe, [21] quaſi quo illius improbitate offenderetur, ſed, credo, uti notiora noſtra mala eſſent. Nam quod te vereri ſcribis, ne illi obſint, eique rei mederi: [22] ne *rogari* quidem ſe paſſus eſt de illo: quod quidem mihi moleſtum non eſt: illud moleſtius, iſtas impetrationes noſtras nihil valere.

---

1. *Reſponderi potuiſſe.*] Eſt à Scidis vulg. *poſſe.*
2. *Illim.*] Victorii & Manutii hæc emendatio eſt. vulgo, *illo.*
3. *Naſidium.*] Vulg. *Vaſidium.*
4. *De HS. X. ut ſcribis faciam.*] Aliter mſſ. duo Palat. *De his rebus quas mihi notas eſſe voluiſti, ut ſcribis, faciam.*
5. *De illius Alexandria.*] Vulg. *illius ab Alexandria.*
6. *Et cum Antonio.*] *Et* abeſt a vulgatis.
7. *Cum tuis.*] Epiſtola hæc eſt 21. in vulg. editionibus.
8. *Si quid erit, qualecumque.*] Ita vetus liber Urſini, in aliis deeſt, *ſi*, quos Manutius non intelligens malebat, *quod erit, qualecunque.*
9. *XVII. Kal.*] Epiſtola XXIII eſt in vulgatis.
10. *Seleucea Pieria C. Trebonius.*] Non potuit Boſius non probare hanc lectionem Decurtati, ut jamdudum emendavit Manutius. vulg. *Seleucia Pieria C. Trebonii, is.*
11. *Antiocheæ.*] Vulg *Antiochiæ.*
12. *Et ab hoc ipſo. quæ dantur.*] Aliter vulgo diſtinguitur, *& ab hoc ipſo quæ dantur.*
13. *Notionem ejus differri.*] *Cognitionem* ſcriptum eſt in antiquo codice Urſini, & rectius ut ipſi videtur.
14. *Accepi.*] Ep. XXIV. eſt vulgo.
15. *Multa cum in Aſia.*] Vulgò. *multa enim in Aſia.*
16. *Nullam putant ſe commoturam.*] Emendatio eſt Victorii ex antiquis codicibus; antea habebatur, *ſe commoraturam.*
17. *Loci gravitas hic miſerrimè perferenda.*] Codex Tornæſ. habet, *huic miſerrimæ proferenda*; quod non valde probat Lambinus.
18. *Ut obliviſcar, multoque malim.*] Manutio videtur dictio deeſſe, itaque legere mallet, *obliviſcar mei, idque malim;* ſi quidem in antiquis Beſſarionis, Ferri, Ubaldini, & Maffei libris pro, *multoque malim*, legitur, *mittoque malim.*
19. *Diligenter.*] Epiſtola XXV. vulgo eſt.
20. *Odium & genus hoc literarum? quod ne.*] Vulg. *odium? & genus hoc literarum, quod, &c.*
21. *Quaſi quo illius improbitate offenderetur.*] Junius ait mſſ. duos Palat. habere, *quo illius improbitatem offenderent.*
22. *Ne rogari quidem ſe paſſus eſt.*] Conjectura hæc eſt Victorii, antea ſenſu nullo legebatur, *negari quidem ſe paſſus eſt.*

 1. Ego

valere. Sulla, ut opinor, cras hic erit cum Meſſalla. currunt ad illum pulſi à militibus; qui ſe negant uſquam, niſi acceperint. ergo ille huc veniet: quod non putabant: tardè quidem. itinera enim ita facit, ut multos dies in oppidum ponat. Pharnaces autem, [1] quoquo modo aget, afferet moram. quid mihi igitur cenſes? jam enim corpore vix ſuſtineo *gravitatem* hujus cæli, qui mihi laborem affert in dolore. An his illuc euntibus mandem, ut me excuſent, ipſe accedam propius? quæſo, attende; & me, quod adhuc ſæpe rogatus non feciſti, conſilio juva: ſcio rem difficilem eſſe: [2] ſed, ut malis. etiam illud mea magni intereſt, te ut videam. profectò aliquid profecero, ſi id acciderit. De teſtamento ut ſcribis, animadvertes.

23 CICERO ATTICO S.

[3] QUOD ad te ſcripſeram, ut cum Camillo communicares, de eo Camillus mihi ſcripſit, [4] ſe tecum locutum. tuas litteras exſpectabam. [5] ni ſic illud quidem mutari, ſi aliter eſt, & oportet, non video poſſe, [6] SED CUM AB ILLO ACCEPISSEM LITTERAS, DESIDERAVI TUAS: [7] & ſic putabam. Te certiorem factum non eſſe? modo valeres. ſcripſeras enim te quodam valitudinis genere tentari. [8] Acuſius quidam Rhodo venerat IIX. Id. Quint. is nuntiabat, Quintum filium ad Cæſarem profectum IV. Kal. Jun. Philotimum Rhodum [9] pridie eum diem veniſſe, habere ad me litteras. ipſum Acuſium audies. ſed tardius iter faciebat: [10] eo feci, ut ego celeriter eunti darem. quid ſit in iis litteris, neſcio: ſed mihi valde Quintus frater gratulatur. equidem in meo tanto *peccato* nihil ne cogitatione quidem aſſequi poſſum, quod mihi tolerabile poſſit eſſe. Te oro, ut de hac miſera cogites; & illud, de quo ad te proximè ſcripſi, ut aliquid conficiatur ad inopiam propulſandam, & etiam de ipſo teſtamento. illud quoque vellem antea: ſed omnia timuimus. melius quidem in peſſimis nihil fuit [11] diſcidio. aliquid feciſſemus, [12] ut vini, vel tabularum novarum nomine, vel nocturnarum expugnationum, [13] vel Metellæ, vel omnium malorum: nec res periiſſet: & videremur aliquid *doloris virilis* habuiſſe. memini omnino tuas litteras; ſed & tempus illud; etſi quidvis præſtitit. nunc quidem [14] ipſe videtur denuntiare. audimus enim [15] deteſtatu iri E. L. ô dii! generumne noſtrum potiſſimum. [16] ut ut hoc, vel tabulas novas? placet mihi igitur, & idem tibi, nuntium remitti. petet fortaſſe tertiam penſionem. conſidera igitur [17] tumne vini abuſio naſcetur, an prius. ego, ſi ullo modo potuero, vel nocturnis itineribus experiar, ut te videam. tu & hæc, & ſi quid erit, quod interſit me ſcire, ſcribas velim. Vale.

CICERO ATTICO, S. 24

[18] QUÆ dudum ad me, [19] &, quæ etiam ad me, bis ad Tulliam de me ſcripſiſti, ea ſentio eſſe vera. eo ſum miſerior, (etſi nihil videbatur addi poſſe) quòd mihi non modo iraſci graviſſima injuria accepta, ſed ne *dolere* quidem impunè liceat. quare iſtuc feramus. quod cum tulerimus, tamen eadem erunt perpetienda, quæ tu, ne accidant, ut caveamus, mones. ea enim eſt à nobis contracta culpa, ut omni ſtatu, omnique populo eundem exitum habitura videatur. [20] ſed ad meam manum redi: dehinc enim hæc occultius agenda. vide quæſo etiam nunc de teſtamento, quod tum factum, cùm illa [21] quærere cœperat. [22] non credo te commorit; neque enim rogarit, ne me quidem. ſed quaſi ita ſit: quoniam [23] in ſermonem jam veniſti, poteris eam monere, ut alicui committat, cujus extra periculum hujus belli fortuna ſit. equidem tibi potiſſimum velim, ſi idem illa vellet: [24] quam quidem celo miſeram, me in hoc timere de illo altero. Scio equidem vænire nunc nil poſſe: ſed ſeponi & *occultari* poſſunt, ut extra ruinam ſint eam, quæ impendet. Nam quod ſcribis, nobis noſtra [25] & tua Terentiæ fore parata: tua credo: noſtra quæ poterunt eſſe? de Terentia autem (mitto cetera, quæ ſunt innumerabilia) quid ad hoc addi poteſt? ſcripſeras, ut H-S XII permutaret; tantum eſſe reliquum de argento. miſit illa CCIↃↃ mihi, & adſcripſit, tantum eſſe reliquum. cum hoc tam parvum *de parvo* detraxerit, perſpicis quid in maxima re fecerit? Philotimus non modò nullus venit, ſed ne per litteras quidem, aut per nuntium certiorem facit me, quid egerit. Epheſo qui veniunt, ibi ſe eum de ſuis controverſiis in jus adeuntem vidiſſe nuntiant: quæ quidem (ita enim veriſimile eſt) in adventum Cæſaris fortaſſe rejiciuntur. ita aut nihil puto eum habere, quod putet ad me celeriùs perferen-

1. *Quoquomodo aget.*] Manutius mavult legere, *quomodo aget. Qui* [illegible] *in affert.* Vetus Urſini liber, *languorem habet.*

2. *Sed ut malis.*] Ita Victorius, Boſius, & Junius ex ſuis mſſ. Beroaldus verò, Manutius & Lambinus legunt, *ſed ut in malis*, & ita exaratum eſt in Ferri mſſ.

3. *Quod ad te ſcripſeram.*] Epiſtola hæc xx. eſt in vulgariis.

4. *Se tecum loquutum.*] Expreſſit Boſius ſcripturam Decurtati. Cruſellinus habet, *te ſecum loquutum*, ut conjecerat olim Manutius, niſi quod pronomen, *te*, omiſerat.

5. *Ni ſic illud quidem mutari, ſi aliter eſt, & oportet.*] Ita erat in Scidis: vulg. *niſi*, pro, *ni ſic.* item, *atque oportet*, pro, & *oportet.* Junius totum hoc ſic legit, *ne ſic i. q. m. ſ. a. e. atque oportet, nunc video, &c.*

6. *Sed cum à Nilo.*] Ita Victorius, Boſius, & Junius legunt. Manutius conjicit, *ab illo*, vulg. *à nullo.*

7. *Et ſic putabam. te certiorem factum non eſſe? modo.*] Sic Boſius ex Decurtato. Manutius legit, *fortiorem*, pro, *certiorem*. Lambino non probante. Boſius exiſtimat Ciceronem fortaſſe ſcripſiſſe, *erectiorem*; locus hic vulgò ſic legitur & diſtinguitur; (*etſi putabam te certiorem factum non eſſe modo, &c.*

8. *Acuſius.*] Eſt Decurtati. Vulgati libri, partim, *Aguſius*, partim, *Auguſius* referunt.

9. *Pridie eum diem.*] Perſpicuè ſic exaratum erat in Decurt. & Tornæſ. vulgò, *pridie ejus diei.*

10. *Eo feci, ut ego.*] Eſt à Decurtato, Tornæſ. habet, *eo feci ut eo.* vulg. *eo feci ut celeriter, &c.*

11. *Diſcidio.*] Vulg. *diſſidio.*

12. *Ut vini vel.*] Correctio hæc eſt ex Decurtato. in vulgatis eſt, *ut viri*; quod Manutius non percipiens legebat cum Pantagatho, ut *viri.*

13. *Vel Metellæ vel omnium malorum.*] Corradus, Victorius, Manutius, Lambinus & alii repoſuerunt, *malorum*, pro eo quod erat in vulgatis, *majorum.* Pro, *vel Metellæ*, Tornæſianus habet, *velim Metellæ*, ut ait Boſius; vel ut Lambinus, *vel in Metellæ*; unde Monſtrolienſis noſter locum corruptum ſuſpicatus, conjicit eſſe legendum, *vel tabularum novarum, vel nocturnarum expugnationum metu, vel omnium malorum.* Pantagathus legebat, *vel victoriæ, vel omnium malorum.*

14. *Ipſe videtur denuntiare.*] Sequutus eſt codices ſuos Boſius. vulg. *ipſa.*

15. *Deteſtatu iri E. L. ô dii! gen.*] Conjecturam Boſii adjuvant corruptæ lectiones ſuorum codicum. in Tornæſ. erat, *Audimus enim deſtaturi Clodi, generumne.* In Decurtato, *Audimus enim deteſtaturi Elodi generumne.* Manutius emendavit, *De ſtatu reip. ô dii.* quod vulgò receptum eſt.

16. *Ut, ut hoc.*] A vulgatis alterum, *ut*, abeſt.

17. *Tumne vini abuſio naſcetur, an prius. ego.*] Vulg. *tum. ne vim abuſo naſcetur. &c.* Pantagathus legebat, *tum ne viri abitio naſcetur*; Manutius verò, *tumne, cum ab ipſa naſcetur, an prius ego.* Junius etiam conjicit, *tune, quum ab ipſo naſcetur, an prius ego*; & id ait ſe feciſſe ex mſſ. collatione.

18. *Quæ dudum.*] Epiſtola hæc in Lambini editione XXII eſt.

19. *Et, quæ etiam, ad me, bis ad Tulliam.*] Lectio hæc eſt à Decurt. Cruſell. & Tornæſ. In vulgatis eſt, *& quæ etiam ante bis ad Tulliam*, quod corruptum agnoſcens ex Speciani libro reſtituit, *& quæ etiam ad meam Tulliam.*

20. *Sed ad meam manum redi. dehinc enim hæc occultiùs.*] Ex Decurtato hoc eſt: vulgò, *ad meam manum redierunt. etenim hæc, &c.* quod Manutius improbans, emendabat ex Speciani librò, *ad meam manum redieго.* Jun. legit, *ad meam manum redi. erunt etenim hæc, &c.*

21. *Non credo te commorit; neque enim rogarit, ne me.*] Hunc locum ſic ex Scidis Boſius emendavit. vulgo, *non credo & commoti, neque eum rogari, ne me, &c.* Pantagathus corrigebat, *non credo Camilio: neque eum rogari.* Junius conjicit, *non credo te commoveri, &c.*

22. *In ſermonem veniſti.*] Ita Ubaldini liber, & præfert Manutius illi alteri, *in ſermone jam veniſti.*

23. *Quærere.*] Vetus liber Urſini habet, *hærere.*

24. *Quam quidem celo.*] Male in quibuſdam, *cælo.*

25. *Et tua Terentiæ.*] Lambinus & *tua Tulliæ*, cui facile aſſentiret Boſius, ſi id veteris alicujus libri teſtimonio probaret.

1. *Et*

ferendum, [1] & eo me magis eſſe deſpectum: aut, etiam ſi quid habet, id, niſi omnibus ſuis negotiis confectis, ad me referre [2] non curat. ex quo magnum equidem capio dolorem, ſed non tantum quantum videor debere. nihil enim mea minùs intereſſe puto, quàm quid illinc afferatur. id quamobrem, te intelligere [3] certè ſcio. Quod me mones de *vultu & oratione* ad tempus accommodanda; etſi difficile eſt, tamen imperarem mihi, ſi mea quidquam intereſſe putarem. Quod ſcribis, litteris putare Africanum negotium confici poſſe: velim ſcriberes, cur ita putares: mihi quidem nihil in mentem venit, quare id putem fieri poſſe: tu tamen, velim, ſi quid erit, quod conſolationis aliquid habeat, ſcribas ad me, ſin, ut perſpicio, nihil erit, ſcribas idipſum. ego ad te, ſi quid audiero citiùs, ſcribam. Vale IIX. Id. Sext.

25 CICERO ATTICO, S.

[4] FAcile aſſentior tuis litteris; quibus exponis pluribus verbis nullum te habere conſilium, quo à te poſſim juvari. conſolatio certè nulla eſt, quæ levare poſſit dolorem meum. nihil eſt enim contractum *caſu*. nam id eſſet ferendum. ſed omnia fecimus iis erroribus, & miſeriis & animi & corporis, quibus proximi utinam mederi maluiſſent, quàm obeſſe. quoniam neque conſilii tui, neque conſolationis cujuſquam ſpes ulla mihi oſtenditur; non quæram hæc à te poſthac. [5] tantum velim, ne intermittas: ſcribas ad me, quidquid veniet tibi in mentem, cùm habebis, cui des, & dum erit, ad quem des: quod longum non erit. Illum diſceſſiſſe Alexandria, rumor eſt non firmus, ortus ex Sulpicii litteris: [6] quas cuncti poſtea nuntii confirmarunt: quod verum, an falſum ſit, quoniam mea nihil intereſt, utrum malim, neſcio. Quod ad te jampridem de teſtamento ſcripſi; [7] apud εὔπιςον illas velim; ut poſſint advertas. [8] ego hujus miſerrima facultate confectus conflictor. nihil umquam [9] ſimile natum puto: cui ſi qua re conſulere aliquid poſſum, cupio à te admoneri. video eandem eſſe difficultatem, quam in conſilio dato ante: tamen hoc me magis ſollicitat, quàm omnia. In penſione ſecunda cæci fuimus. alium mallem. ſed præteriit. te oro, ut in *perditis rebus*, ſi quid cogi, confici poteſt, quod ſit in tuto, ex argento, neque ſatis multa ex ſupellectile, des operam. jam enim mihi videtur adeſſe extremum, nec ulla fore conditio pacis, eaque, quæ ſunt, etiam ſine adverſario peritura. hæc etiam, ſi videbitur, cum Terentia [10] loquare oportunè. non queo omnia ſcribere. Vale. III Non. Quint.

1. *Et eo me magis deſpectum eſſe, aut, etiam.*] Vetus liber Fulvii, *aut eo me magis eſſe deſpectum, ut etiam, &c.*
2. *Non curat.*] Ita mavult Manutius. vulgò *non curet.*
3. *Certè ſcio.*] Vulg. *certò ſcio.*
4. *Facile.*] Epiſtola hæc apud alios XIX eſt.
5. *Tantum velim, ne intermittas.*] Vulgò, *tantum velim ne priſtinum hoc officium intermittas.*
6. *Quas cuncti.*] Ubaldini liber pro, *cuncti*, habet, *euntes*, quòd longè præfert illi alteri lectioni Lambinus.
7. *Apud εὔπιςον illas velim; ut poſſint advectas. ego hujus miſerrima facultate confectus conflictor.*] Tornæſ. hæc ita referebat, *Apud epiſtolas velim, ut poſſim adverſas:* Decurtatus ſic, *Apud epiſtonilas velim, ut poſſim advertas, &c.* unde ita emendavit Boſius ut hic editum eſt; quem Junius ſequitur, quia illum mſſ. Palat. utcumque juvant. Pantagathus totum locum ſic commode reſtitui poſſe exiſtimabat, ſi legeretur, *Scripſi ad: ad epiſtolas, velim ut poſſim, adverſus ego hujus miſeriam ea facultate confectus conflictari.* Corradus, Lambinus, & duo ejus amici operis junctis ita emendabant; *Scripſi: apud te, quod poſtulas. velim, ut poſſim, &c.* vulgò legitur *apud epiſtolas, velim, ut poſſim ego adverſus hujus miſeriam ea facultate confectus, conflictari.*
8. *Ego hujus miſerrima.*] Junius pro, *ego*, reponit *ergo.*
9. *Simile natum.*] Ubaldini liber, *ita levatum.* ſuum judicium non interponit Manutius, cùm neque hanc neque illam lectionem percipiat.
10. *Loquare.*] Vulg. *loquere.*

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM LIBER DUODECIMUS, AD ATTICUM.

1 CICERO ATTICO, S.

VNDECIMO die poſtquam à te diſceſſeram, hoc litterularum exaravi, egrediens è villa ante lucem: atque eo die cogitabam in Anagnino, poſtero autem in Tuſculano; ibi unum diem. V. Kalend. igitur ad conſtitutum: atque utinam continuo ad complexum meæ Tulliæ, ad oſculum Atticæ poſſim currere. quod quidem ipſum ſcribe quæſo ad me; ut, dum conſiſto in Tuſculano, ſciam, [1] quid garriat: ſin ruſticatur, quid ſcribat ad te: eique interea aut ſcribes ſalutem, aut nuntiabis, itemque Piliæ: & tamen, etſi continuò congreſſuri ſumus, ſcribes ad me, ſi quid habebis. Cùm complicarem hanc epiſtolam, noctuabundus ad me venit cum epiſtola tua tabellarius: qua lecta, de Atticæ febricula [2] ſcilicet valde dolui. reliqua, quæ exſpectabam, ex tuis litteris cognovi omnia. ſed quod ſcribis, [3] igniculum matutinum; γεροντικώτερον eſt *memoriola* vacillare. ego enim IV. Kal. Axio dederam, tibi III. Quinto quo die veniſſem, [4] id eſt II. Kal. hoc igitur habebis, novi nihil. quid ergo opus erat epiſtola? quid, cùm coram ſumus, & garrimus quidquid in buccam? eſt profecto [5] quiddam λέσχη, quæ habet etiam ſi nihil ſubeſt, collocutione ipſa ſuavitatem.

CICE-

1. *QUid garriat: ſin ruſticatur.*] Hanc Germanorum lectionem meliorem ſinceriorem que judicavit Victorius. antea legebatur, *quid garriat in ruſticatu.*
2. *Scilicet.*] Vulg. *videlicet.*
3. *Igniculum matutinum, γεροντικώτερον.*] Lambinus legit, *igniculum matutinum γεροντικὸν γεροντικώτερον.*
4. *Id eſt II. Kal.*] Optimus hic conjector fuit Manutius auctore Boſio ex Decurtato.
5. *Quiddam λέσχη.*] Vulgò *quædam λεσχή.*

2 CICERO ATTICO, S.

[1] HIc rumores tamen Murcum periiſſe naufragio, Aſinium delatum vivum in manus militum, [2] L. naveis delatas in Uticam reflatu hoc, Pompejum non comparere, nec in Balearibus omnino fuiſſe, ut Patietus affirmat. ſed auctor nullius rei quiſquam. Habes, quæ dum tu abes, locuti ſunt. Ludi interea Præneſte. ibi Hirtius, & iſti omnes. & quidem ludi dies octo. quæ *cenæ*? quæ *deliciæ*? res interea fortaſſe tranſacta eſt. ô miros homines! at Balbus ædificat. [3] τί γὰρ αὐτῷ μέλει? verum [4] ſi quæris, homini non recta, ſed voluptaria quærenti nonne βεβίωται? Tu interea dormis. jam explicandum eſt πρόβλημα, ſi quid acturus es. ſi quæris quid putem, [5] ego fructum puto. ſed quid multa? jam te videbo; & quidem, ut ſpero, de via rectà ad me. ſimul enim & diem Tyrannioni conſtituemus, & ſi quid aliud.

3 CICERO ATTICO, S.

UNum te puto minus blandum eſſe, quàm me: [6] &, ſi uterque noſtrum eſt aliquando adverſus aliquem, inter nos certe numquam ſumus. audi igitur me hoc ἀγοητεύτως dicentem. ne vivam mi Attice, ſi mihi non modò Tuſculanum, ubi ceteroqui ſum libenter, ſed μακάρων νῆσοι tanti ſunt, ut ſine te ſim totos dies. quare obduretur hoc triduum; ut te quoque ponam in eodem πάθει: quod ita eſt profecto. ſed velim ſcire, hodiene ſtatim de auctione, [7] ecquo dieve venias. ego me interea cum libellis. ac moleſtè ferò Vennonii me hiſtoriam non habere. ſed tamen, ne nihil de re, nomen illud, quod à Cæſare, treis habet conditiones, aut emtionem ab haſta: (perdere malo: etſi, præter ipſam *turpitudinem*, hoc ipſum puto eſſe perdere) aut delegationem à mancipe, annua die; (quis erit, cui credam? aut quando ipſe Metonis annus veniet?) aut, Vecteni conditione, ſemiſſem. σκέψαι igitur. ac vereor, ne iſte jam auctionem nullam faciat, ſed, ludis factis, [8] κλύπῳ ſubſidio currat. ne talis vir ἀλογηθῇ, ſed μελήσει.

4 CICERO ATTICO, S.

O GRATAS tuas mihi, jucundaſque litteras! quid quæris? reſtitutus eſt mihi dies feſtus. angebar enim, quòd Tiro ἐνερευθέστερον te ſibi eſſe viſum dixerat. addam igitur, ut cenſes, unum diem. Sed de Catone πρόβλημα ἀρχιμήδειον eſt. non aſſequor, ut ſcribam, quod tui convivæ non modò libenter, ſed etiam æquo animo legere poſſint. quin etiam, [9] ſi à feriis ejus dictis, ſi ab omni voluntate, conſiliiſque, quæ de Rep. habuit, recedam, [10] ψιλῶς q; velim gravitatem, conſtantiamque ejus laudare; hoc ipſum ἄκουσμα ſit. ſed verè *laudari* ille vir non poteſt, niſi hæc ornata ſint; quòd ille ea, quæ nunc ſunt, & futura viderit, & ne fierent, contenderit, &, facta ne videret, vitam reliquerit. horum quid eſt, quod [11] Aledio probare poſſimus? ſed cura obſecro, ut valeas, eamque, quam ad omneis res adhibes, in primis ad convaleſcendum adhibe prudentiam.

CICERO ATTICO, S. 5

QUINTUS pater quartum, vel potius milleſimum nihil ſapit, qui lætetur [12] Luperco filio, & Statio, ut cernat duplici *dedecore* cumulatam domum. addo etiam Philotimum tertium. ô ſtultitiam, niſi mea major eſſet, ſingularem! [13] quod autem os, in hanc rem ἔρανον à te? [14] fac, non ad διψῶσαν κρήνην, ſed ad πειρήνην eum veniſſe, [15] ſed ἄμπνευμα σεμνὸν ἀλφειοῦ [16] in te κρήνην, ut ſcribis, haurire, in tantis ſuis præſertim anguſtiis; ποῖ ταῦτα ἀρὰ ἀποσκήψει? ſed ipſe viderit. Cato me quidem delectat, ſed etiam Baſſum Lucilium ſua. De Cœlio, tu quæres, ut ſcribis: ego nihil novi. noſcenda eſt *natura*, [17] non facultas modo. De Hortenſio & Virginio, tu ſi quid dubitabis: etſi, quid magis placeat, ego quantum aſpicio, non facilè inveneris. Cùm Muſtela, quemadmodum ſcribis, cùm venerit Criſpus. [18] Ad Avium ſcripſi, ut ea, quæ bene noſſem de auro, [19] Piſoni demonſtrarim. tibi enim ſanè aſſentior, & iſtud nimiùm diu duci, & omnia nunc undique contrahenda. Te quidem nihil agere, nihil cogitare aliud, niſi quod ad me pertineat, facilè perſpicio: meiſque negotiis impediri cupiditatem tuam ad me veniendi. ſed mecum eſſe te puto; non ſolùm quòd meam rem agis, verùm etiam quòd videre videor, quo modo agas. neque enim ulla hora tui mihi eſt operis ignota. Tubulum Prætorem video L. Metello, Q. Maximo Coss. nunc velim, P. Scævola Pontifex maximus, quibus Coss. Tribunus pl. equidem [20] puto proximis, Cæpione & Pompejo. Prætor enim P. Furio, Sex. Atilio. dabis igitur Tribunatum, & ſi po-

1. *Hic rumores tamen.*] Epiſtolæ initium fecit Manutius, eique inde Decurtati aſſenſus Boſius, cum antea, quaſi pars eſſet antecedentis epiſtolæ, continuata oratione legeretur. Ceterum Faërnus pro vulgata lectione, *Hic rumor eſt T. Murcum periiſſe naufragio*, legebat, *Hic rumor eſt tamen Murcum periiſſe naufragio*, quod Urſino rectum videtur; hujus enim Statii Murci prænomen, non, *Titus*, ſed, *Lucius*, fuit; qui videatur in familia, *Statia*.

2. *L. naveis delatas in Uticam.*] Ita Victorius ex antiquis codicibus; antea *L.* deſiderabatur.

3. *Τί γὰρ αὐτῷ μέλει.*]. Hoc quoque Victorius reſtituit, antea legebatur: τί γὰρ αὐτῶν μέλει.

4. *Si quæris, homini non recta.*] In vulgatis ante vocem, *homini*, legitur, *hominem*.

5. *Ego fructum puto.*] Victorio hic locus ſuſpectus eſt, nec tamen depravatum aſſerit, quum ita referant omnes mſſ. codices. Vetus liber Magnuli, *futurum*. ſed tamen Manutio placet, *fructum*, ut eſt in Beſſarionis libro.

6. *Et, ſi.*] Vulg. *aut, ſi.*

7. *Ecquo dieve venias.*] Pro, *& quo die*, quod antea legebatur, Manutius fortaſſe rectius ait, *aut quo die*, quod Junio probatur ex mſſ. Palatinis.

8. *Κλύπῳ ſubſidio currat.*] Caſtigavit Boſius ex præſcripto Decurtati, *κλύπῳ ſubſidio currat.* Codex Tornæſianus Lambino referente habet, *Elypo*; alii *Calypo*: alii *Calypſo*: unde quidam legi volunt *Clipo*. Nonnulli, *Didio*, malunt, Junius *elopo* vel *cloppo* legendum autumat: vulg. *Clypo*.

9 *Si à feriis ejus dictis.*] Vulgati libri, *ſi à ſententiis ejus dictis*: quæ lectio Boſio non placet, repugnante Decurtato, in quo eſt, *ſi à feriis ejus dictis*, plane ſcriptum.

10. *ψιλῶς q; velim gravitatem.*] Ita legendum cenſuerunt Victorius, Lambinus, & Boſius; non ut vulgò, ψευδῶς, quod tamen mſſ. Palat. auctoritate fretus retinet Junius.

11. *Aledio.*] Variant priſca exemplaria in hoc nomine. nam partim ibi ſcriptum legas, *Aledio*, partim, *Atedio*, ut vulg. codices. Boſius, *Aledio*, edidit, eo quod exaratum frequentius reperit, ſed ita legendum eſſe ratione probat Junius.

12. *Luperco filio, & Statio.*] Pro, *teſtario*, quod antea legebatur, caſtigavit Victorius, *& Statio*, quod etiam Germani animadverterant.

13. *Quod autem os, in hanc rem ἔρανον à te?*] Scite Turnebus & Lambinus referente Boſio hæc verba ſic diſtinxerunt; quibus adſtipulatur Junius ex mſſ. Palat. Locum corruptum fatebatur Victorius, ſed cum ei mederi non poſſet cum veteribus mſſ. legebat, *quod autem oſim hanc rem.*

14. *Fac non ad διψῶσαν κρήνην ſed ad πειρήνην eum veniſſe.*] Lambinus antiquam & receptam lectionem ſequutus quam reperit in codice Tornæſiano, expreſſam, à Petro Victorio & Manutio antea reſtitutam, legit, *fac non ad διψῶσαν ſed ad πειρήνην, &c.* Junius, *fac non ad διψῶσαν κρήνην ſed ad πειρήνην.*

15. *Sed ἄμπνευμα.*] Ex Decurtato vocem illam, *ſed*, addidit Boſius, Lambinus verò legit, *aut*, pro *ſed.*

16. *In te κρήνην ut ſcribis.*] Auctorem habuit Decurtatum Boſius in hoc ſic edendo, *in te κρήνην ut ſcribis haurire.*

17. *Non facultas modò.*] Manutii diſtinctionem ſequitur Boſius collocato puncto poſt vocem, *modo.*

18. *Ad Avium ſcripſi.*] Scidæ & Cruſellinus, *Avium*, quo modo legitur epiſtola 3. l. 13.

19. *Piſoni demonſtrarim.*] Legendum eſt, *demonſtrarim*, ut eſt in Decurtato, non ut vitioſè, *demonſtraret*, legit Faërnus probante Urſino; vel ut vulgò, *demonſtrarem.*

20. *Puto proximis.*] Boſius addidit, *proximis*, poſt verbum, *puto*, quod ita legerit in Decurtato, Tornæſiano & Cruſellino; invenitque item in Granvellano veteri Pighius; qui adeatur anno Faſtorum DCXVII.

1. *Tu-*

ſi poteris, [1] Tubulus quo crimine. & vide, quæſo, L. Libo, ille, qui de Ser. Galba, [2] Cenſorinone, & Manilio, an T. Quintio, M. Acilio Coſs. Tribunus pl. fuerit. [3] conturbat enim me epitome Bruti Fanniana, [4] an Bruti epitoma Fannianorum? ſcripſi, quod erat in extremo: idque ego ſecutus, hunc Fannium, qui ſcripſit hiſtoriam, generum eſſe ſcripſeram Lælii: ſed tu me *γεωμετρικῶς refelleras:* te autem nunc Brutus & Fannius. ego tamen de bono auctore Hortenſio ſic acceperam, ut apud Brutum eſt. hunc igitur locum expedies. Ego miſi Tironem Dolabellæ obviam. is ad me Idibus revertetur. te exſpectabo poſtridie. De Tullia mea tibi antiquiſſimum eſſe video: idque ita ut ſit, te vehementer rogo. Ergo & in integro omnia: ſic enim ſcribis. [5] mihi etſi Kalendæ vitandæ fuerunt, [6] Neoeicaſionumque ἀρχέτυπα fugienda, conficiendæque tabulæ: nihil tamen tanti, ut a te abeſſem, fuit. cùm Romæ eſſem, & te jam jamque viſurum me putarem: quotidie tamen horæ, quibus exſpectabam, *longæ videbantur.* ſcis me minimè eſſe blandum. itaque minus aliquanto dico quàm ſentio.

6 CICERO ATTICO, S.

DE Cœlio, vide, quæſo, [7] ne qua lacuna ſit in auro. ego iſta non novi. ſed certè in collubo eſt detrimenti ſatis, huc aurum ſi accedit: ſed quid loquor? tu videbis. habes Hegeſiæ genus, quod Varro laudat. Venio ad Tyrannionem. [8] Ain' tu? verum hoc fuit? ſine me? at ego quoties, cum eſſem otioſus, ſine te tamen nolui? quo modo hoc ergo lues? uno ſcilicet, ſi mihi librum miſeris: quod ut facias, etiam atque etiam rogo. etſi me non magis liber ipſe delectabit, quàm tua admiratio delectavit. [9] amo enim πάντα φιλοδήμου: teque iſtam tam tenuem θεωρίαν tam valde admiratum eſſe gaudeo. etſi tua quidem ſunt ejuſmodi omnia. ſcire enim vis, quo uno *animus alitur.* [10] ſed, quæſo, quid ex iſta acuta & gravi refertur ad τέλος? ſed longa oratio eſt, & tu occupatus [11] in meo quidem fortaſſe aliquo negotio; [12] & pro iſto aſſo ſole, quo tu abuſus es in noſtro pratulo, à te nitidum ſolem, unctumque repetemus. ſed ad prima redeo. librum, ſi me amas, mitte. tuus eſt enim profectò, quoniam quidem eſt miſſus ad te. [13] *Chreme, tantumne ab re tua eſt otii tibi,* ut etiam Oratorem legas? macte virtute: mihi quidem gratum, & erit gratius, ſi non modò in libris tuis, ſed etiam in aliorum per librarios tuos Ariſtophanem repoſueris pro Eupoli. Cæſar autem mihi irridere viſus eſt. QUÆSO illud tuum, [14] quod erat εὔπινές, & urbanum. ita porrò te ſine cura eſſe juſſit, ut mihi quidem dubitationem omnem tolleret. Atticam doleo tam diu: ſed quoniam jam ſine horrore eſt, ſpero eſſe, ut volumus.

CICERO ATTICO, S.

QUÆ deſideras, omnia ſcripſi in codicillis, eoſque Eroti dedi, breviter, ſed etiam plura quàm quæris; in iis de Cicerone: cujus quidem cogitationis initium tu mihi attuliſti. locutus ſum cum eo liberaliſſimè: quod ex ipſo, velim, ſi modo tibi erit commodum, ſciſcitere. ſed quid differo? expoſui, te ex me detuliſſe, ecquid vellet, ecquid requireret: velle Hiſpaniam, requirere liberalitatem. de liberalitate, dixi, [15] quantum Publilius, quantum flamen Lentulus filio. de Hiſpania, duo attuli, primum idem, quod tibi, me vereri *vituperationem:* non ſatis eſſe, ſi hæc arma reliquiſſemus? etiam contraria? deinde fore, ut angeretur, cùm à fratre familiaritate, & omni gratia vinceretur. [16] velit magis liberalitate uti mea, quam ſua libertate: ſed tamen permiſi. tibi enim intellexeram non nimis diſplicere. ego etiam atque etiam cogitabo, atque, ut idem facias, rogo. magna res, & ſimplex eſt manere; illud anceps. verum videbimus. [17] De Balbo, & in codicillis ſcripſeram, & ita cogito, ſimul ac redierit. ſin ille tardius, ego tamen triduum. &, quod præterii, Dolabella etiam mecum.

CICERO ATTICO, S. 8

DE Cicerone, multis res placet: comes eſt idoneus. ſed de prima penſione ante videamus. adeſt enim dies, & ille currit. Scribe, quæſo, quid referat Celer egiſſe Cæſarem cum candidatis, [18] utrum ipſe in Fœniculariuum, an in Martium campum cogitet. & ſanè ſcire velim, numquid neceſſe ſit comitiis eſſe Romæ. nam & Piliæ ſatisfaciendum eſt, & utique Atticæ.

CICERO ATTICO, S.

NÆ, ego eſſem hic libenter, atque id quotidie magis, 9
ni eſſet ea cauſa, quam tibi ſuperioribus litteris ſcripſi. nihil hac *ſolitudine* jucundius, niſi paullum interpellaſſet Amyntæ filius. [19] ὦ ἀπερωντολογίας ἀηδοῦς! cetera noli putare amabiliora [20] fieri poſſe villa, litore, proſpectu maris, [21] tum his rebus omnibus. ſed neque hæc digna longioribus litteris; nec erat, quod ſcriberem; & ſomnus urgebat.

CICERO ATTICO, S.

MALE mehercule de Athamante. tuus autem dolor 10
humanus is quidem, ſed magnopere moderandus. conſolationum autem multæ viæ, ſed illa rectiſſima. *impetret* ratio, quod dies impetratura eſt. Alexim vero curemus,

1. *Tubulus.*] Hic erratum erat in omnibus libris quos vidit Manutius ſcriptis & impreſſis, nam pro *Tubulus*, vel *Tabulis*, vel, *Tubulis*, vel, *Tribulis*, legebatur, unde conjecit *Tubulus.*

2. *Cenſorinone, & Manilio*] Edidit Boſius, *Cenſorinone & Manilio*, ut in Scidis, & Tornæſiano ſcriptum reperit, & mox iiſdem libris auctoribus, *M. Acilio Coſs.* non ut vulgò, *Manlio conſulibus.* quod ultimum etiam damnavit Pighius in Faſtis ad annum urbis DCIII.

3. *Conturbat enim me.*] Protulit lectionem Decurtati Boſius, ut veram & certam ab omnique macula repurgatam, vulg. *conturbor enim.*

4. *An Bruti epitoma Fannianorum? ſcripſi, &c.*] Sic exaratum eſt in Decurtato & Tornæſiano, niſi quod in hoc vitiosè librarius ſcripſit, *in*, pro, *an.* Ceterùm præcedentes has voces, *Epitome Bruti Fanniana*, ut otioſas & eorum quæ ſequuntur gloſſema ſuſtulit Manutius.

5. *Etſi Kalendæ vitandæ fuerunt.*] Unum mſſ. Palat. hic optimè alterius epiſtolæ initium ſtatuere ait Junius.

6. *Neocicaſionum.*] Libri vulgati, *Nicaſionum.* olim excuſi, *inceſſionum.* Tornæſianus, *ne occaſionum.* Cruſellinus, *nec ecaſionum.* Decurtatus, *Neoecaſionum*, unde emendavit Boſius *Neoeicaſionum*, vel ſi malis *Neeicaſionum.* vulgatam lectionem ſequutus eſt Lambinus. Popma leg. *Nicabionumque.*

7. *Ne qua.*] Vulg. *ne quæ.*

8. *Ain tu? verum hoc fuit?*] Antiquorum codicum auxilio caſtigavit Victorius, *verum hoc fuit*, cum legeretur, *unum hoc fui.*

9. *Amo enim πάντα φιλοδήμου.*] Germanis & Victorio hujus loci reſtitutio debetur, deerant enim vocabula Græca. Junius; *amo enim πάντα φιλοδήμοντα*, propriam hujus loci lectionem eſſe contendit.

10. *Sed quæſo, quid ex iſta acuta & gravi refertur ad τέλος?*] In his verbis vitium Lipſio eſſe videtur lib. 1. variar. Lect. cap. 23: & pro illis, *& gravi*, vox Græca ἐγλέχτη reponenda eſſe.

11. *In meo quidem fortaſſè aliquo negotio.*] Aberat a vulgatis particula, *quidem*, quam Boſius ex mſſ. codicibus reſtituit.

12. *Et pro iſto.*] Rectius, *ac*, quam, *&*, Manutii judicio.

13. *Chreme tantumne.*] Vox illa, *Chreme*, deeſt in vulgatis, & præterea a dictione, *tantumne*, epiſtolam inchoat vulgata editio, ſicut Junius.

14. *Quod erat εὔπινές.*] Græcum hoc vocabulum diu deſideratum reſtituit Victorius ex antiquis exemplaribus.

15. *Quantum Publilius.*] Vulgatæ editiones, *Publius.* Boſii mſſ. in iis Decurtatus & Cruſellinus, *Publilius.*

16. *Velit magis.*] Vulg. *Velim magis.*

17. *De Balbo.*] Hic etiam initium epiſtolæ in mſ. Palat.

18. *Utrum ipſe in fenicularium, &c.*] Interpretatur hæc contra Turnebum Lipſius libro II. Electorum cap. 20. qui conſulatur.

19. *Ὦ ἀπερωντολογίας ἀηδοῦς!*] Græca hæc verba hactenus depravate edita, ex Decurtato reſtituit Boſius: Vulg. ὦ ἀπεραντολογίαν δοῦς.

20 *Fieri poſſe villa, litore.*] Vulg. *fieri poſſe ulla litore.*

21. *Tum his rebus omnibus.*] Junius ex mſſ. Palat. *tamen his rebus omnibus.*

mus, imaginem Tironis; quem ægrum Romam remiſi: &, ſi quid habet collis ἐπιδήμιον, ad me [1] cum Tiſameno transferamus. tota domus ſuperior vacat, ut ſcis. hoc puto valde ad rem pertinere.

11 CICERO ATTICO, S.

MALE de Seio. ſed OMNIA humana tolerabilia ducenda. ipſi enim quid ſumus? aut quàm diu hæc curaturi ſumus? ea videamus, quæ ad nos magis pertinent, nec tamen multo; quid agamus de Senatu. Et, ut ne quid prætermittam, Cæſonius ad me litteras miſit, Poſtumiam Sulpicii domum ad ſe veniſſe. De Pompeji Magni filia, tibi reſcripſi, nihil me hoc tempore cogitare. alteram vero illam, quam tu ſcribis, puto noſti. nihil enim vidi fœdius. ſed adſum. coram igitur.

[2] Obſignata epiſtola, accepi tuas. Atticæ hilaritatem libenter audio: commotiunculis συμπάσχω.

12 CICERO ATTICO, S.

DE dote, tanto magis perpurga. Balbi regia conditio eſt delegandi. quoquo modo confice. turpe eſt rem impeditam jacere. Inſula Arpinas habere poteſt germanam ἀποθέωσιν: [3] ſed vereor ne minorem τιμὴν habere videatur. [4] ἐκτοπισμός eſt. igitur animus in hortis: quos tamen inſpiciam, cùm venero. De Epicuro, ut voles; etſi μισθαρνήσομαι in poſterum genus hoc perſonarum. incredibile eſt, quàm ea [5] quidam requirant. ad antiquos igitur: ἀνεμέσητον γάρ. nihil habeo, ad te quod perſcribam: ſed tamen inſtitui quotidie mittere, ut eliciam tuas litteras; non quo aliquid ex his exſpectem; ſed neſcio quo modo tamen exſpecto. quare ſive habes quid, ſive nihil habes, ſcribe tamen aliquid, teque cura.

13 CICERO ATTICO, S.

COMMOVET me Attica; etſi aſſentior Cratero. Bruti litteræ, ſcriptæ & prudenter, & amicè, multas mihi tamen lacrimas attulerunt. Me hæc *ſolitudo* minùs ſtimulat, quàm iſta *celebritas*. te unum deſidero; ſed litteris non difficiliùs utor, quàm ſi domi eſſem: ardor tamen [6] ille idem urget & manet, non mehercule indulgente me, [7] ſed tamen non repugnante. Quod ſcribis de Apulejo, nihil puto opus eſſe tua contentione, nec Balbo & Oppio; quibus quidem ille receperat, mihique etiam juſſerat nuntiari, ſe moleſtum omnino non futurum. ſed cura, ut excuſer morbi cauſa in dies ſingulos. Lænas hoc receperat. prende C. Septimium, L. Statilium. denique nemo negabit ſe juraturum, quem rogaris. quod ſi erit durius, veniam, & ipſe *perpetuum morbum* jurabo. cùm enim mihi carendum ſit conviviis, malo id lege videri facere, quàm dolore. Coccejum velim appelles. quod enim dixerat, non facit. ego autem volo aliquod emere [8] *latibulum*, & perfugium doloris mei.

14 CICERO ATTICO, S.

DE me excuſando apud Apulejum dederam ad te pridie litteras. nihil eſſe negotii arbitror. quemcumque appellaris, nemo negabit. ſed Septimium vide, & Lænatem, & Statilium. tribus enim opus eſt. ſed mihi Lænas totum receperat. Quod ſcribis à Junio te appellatum: omnino Cornificius locuples eſt: ſed tamen ſcire velim, quando dicar ſpopondiſſe, & pro patre, an ne pro filio: neque eò minus, ut ſcribis, procuratores Cornificii, & Apulejum prædiatorem videbis. Quod me ab hoc mœrore recreari vis; facis, ut omnia: ſed, me mihi non defuiſſe, tu teſtis es. nihil enim de mœrore minuendo ſcriptum ab ullo eſt, quod ego non domi tuæ legerim. ſed omnem conſolationem vincit dolor. quin etiam feci, quod profectò ante me *nemo*, ut ipſe me per litteras conſolarer. quem librum ad te mittam, ſi deſcripſerint librarii. affirmo tibi nullam conſolationem eſſe talem. totos dies ſcribo; non quo proficiam quid; ſed tantiſper impedior, non equidem ſatis, (vis enim urget) ſed relaxor tamen; [9] omniaque nitor, non ad animum, ſed ad vultum ipſum, ſi queam, reficiendum, idque faciens, interdum mihi peccare videor, interdum peccaturus eſſe, niſi faciam. *ſolitudo* aliquid adjuvat, ſed multo plus proficeret, ſi tu tamen intereſſes: quæ mihi una cauſa eſt hinc diſcedendi. nam, pro malis, rectè habebat quamquam ipſum doleo. non enim jam in me idem eſſe poteris. perierunt illa, quæ amabas. De Bruti ad me litteris ſcripſi ad te antea: prudenter ſcriptæ: ſed nihil, quo me adjuvarent. quod ad te ſcripſit, id vellem, ut ipſe adeſſet: certè aliquid, quoniam me tam valde amat, adjuvaret. quod ſi quid ſcies, ſcribas ad me velim, maximè autem, Panſa quando. De Attica, doleo: credo tamen Cratero. [10] Piliam angi veta: ſatis ſolitus es mœrere pro *omnibus*.

CICERO ATTICO, S. 15

APUD Apulejum, quoniam in perpetuum non placet, in dies ut excuſer, videbis. in hac ſolitudine careo omnium colloquio; cumque mane me in ſilvam abſtruſi denſam & aſperam, non exeo inde ante veſperum. ſecundum te, nihil eſt mihi amicius ſolitudine. in ea mihi omnis ſermo eſt cum *litteris*. eum tamen interpellat fletus: cui repugno, quoad poſſum. ſed adhuc pares non ſumus. Bruto, ut ſuades, reſcribam. eas litteras cras habebis. cum erit cui des, dabis.

CICERO ATTICO, S. 16

TE, tuis negotiis relictis, nolo ad me venire: ego potiùs accedam; ſi diutius impediere. etſi ne diſceſſiſſem quidem è conſpectu tuo, niſi me planè nihil ulla res adjuvaret; quod ſi eſſet aliquod levamen, id eſſet in te uno: &, cùm primum ab aliquo poterit eſſe, à te erit. nunc tamen ipſum ſine te eſſe non poſſum. ſed nec tuæ domi [11] probababatur, nec meæ poteram: nec ſi propius eſſem uſpiam, tecum tamen eſſem. idem enim te impediret, quo minus mecum eſſes, quod nunc etiam impedit. mihi adhuc nihil prius fuit hac *ſolitudine*: quam vereor ne Philippus tollat. heri enim veſperi venerat. Me ſcriptio & litteræ non leniunt ſed obturbant.

CICERO ATTICO, S. 17

MARCIANUS ad me ſcripſit, me excuſatum eſſe apud Apulejum à Laterenſi, Naſone, Lænate, Torquato, Strabone. iis velim meo nomine reddendas litteras cures, gratum mihi eos feciſſe. Quod pro Cornificio me abhinc amplius annis XXV. ſpopondiſſe dicit Flavius; etſi reus locuples eſt, & Apulejus *prædiator* liberalis; tamen velim des operam, ut inveſtiges ex conſponſorum tabulis, ſit ne ita:

---

1. *Cum Tiſameno.*] Scripſit, *cum Tiſameno*, Boſius ut exaratum invenerat in Decurtato, Tornæſ. Cruſell. fortaſſe legendum inquit Manutius, cum *Thallameto*, Attici ſervo. vulgò cum *Teſtamento*.

2. *Obſignata jam epiſtola.*] Et hic ut in mſſ. Palat. ſequentis epiſtolæ principium ſtatuit Junius.

3. *Sed vereor ne minorem τιμὴν habere videatur.*] Horum verborum reſtitutio Germanis accepta ferenda eſt: in vulgatis deſunt.

4. *Ἐκτοπισμός eſt.*] In Tornæſiano & Cruſelliano erat, ἐκτόπιος. in Decurtato, ἐκτόπισμος. unde Boſius emendavit, ἐκτοπισμός. Lambinus ex codicis Tornæſiani lectione conjicit, ἐκτόπιος, vel ἐξ εἰτρός. Turnebus, ἀγχισμός. Manutium optime, ἐκτοπισμός, legere ex mſſ. Palat. Junius aſſerit. vulg. ἐγγισμός.

5. *Quidam requirant.*] Vulgò *quidem requirant*.

6. *Ille idem urget.*] Vocem *idem*, quæ à vulgatis abeſt ex ſuis mſſ. reſtituit Boſius.

7. *Sed tamen non repugnante.*] Negativam particulam quæ prius deerat reſtituit Victorius.

8. *Latibulum & perfugium.*] Boſius ex ſuis mſſ. copulam &, interjecit, quam Victorius omiſerat.

9. *Omniaque nitor.*] Ut in codicibus Malaſ. & Memmianis, ſic in Boſianis, *omniaque nitor*, ſine præpoſitione, *ad*, quæ legitur in Vulg. editione.

10. *Piliam angi veta.*] Ex fide veteris Decurtati ſic edidit Boſius; *Piliam angi veta: ſatis ſolitus es mœrere pro omnibus*; quod etiam ante viderant Corradus & Lambinus; vulg. *Piliam angi vetabat. is ſolitus eſt, &c.*

11. *Probababatur.*] Scripſit Boſius, *probababatur*, cujuſmodi eſt quod mox ſequitur, *poteram*: Vulgò *probatur*.

I. *Mihi*

ita: [1] mihi enim ante Ædilitatem meam nihil erat cum Cornificio. [2] poteſt tamen fieri. ſed ſcire certum velim: & appelles procuratores, ſi tibi videtur. quamquam quid ad me? verumtamen. Panſæ profectionem ſcribes, cùm ſcies. Atticam ſalvere jube, & eam cura obſecro diligenter. Piliæ ſalutem.

18 CICERO ATTICO, S.

DUM *recordationes* fugio, quæ quaſi morſu quodam dolorem efficiunt, refugio à te admonendo. quod velim mihi ignoſcas, [3] cuicuimodi eſt. etenim habeo, nonnullos ex iis, quos nunc lectito, auctores, qui dicant, fieri id oportere, quod ſæpe tecum egi, & quod a te approbari volo. de fano illo dico; de quo tantum, quantum me amas, velim, cogites. equidem neque de genere dubito; [4] placet enim mihi Cluatii: neque de re; ſtatutum eſt enim: de loco nonnumquam. velim igitur cogites. ego, quantum his temporibus tam *eruditis* fieri poterit, profectò illam conſecrabo omni genere monimentorum, ab omnium ingeniis ſcriptorum, & Græcorum & Latinorum: quæ res forſitan ſit *refricatura* vulnus meum. ſed jam quaſi voto quodam, & promiſſo me teneri puto; LONGUMQUE illud tempus, cùm non ero, magis me movet, quàm hoc exiguum, quod mihi tamen nimium longum videtur. habeo enim nihil, tentatis rebus omnibus, in quo acquieſcam. nam, dum illud tractabam, de quo antea ſcripſi ad te, quaſi fovebam dolores meos. nunc omnia reſpuo; nec quicquam habeo tolerabilius, quam ſolitudinem: quam, quod eram veritus, non obturbavit Philippus. nam, ut heri me ſalutavit, ſtatim Romam profectus eſt. Epiſtolam, quam ad Brutum, ut tibi placuerat, ſcripſi, miſi ad te. curabis cum tua perferendam. ejus tamen miſi ad te exemplum, ut, ſi minùs placeret, ne mitteres. Domeſtica quod ais ordine adminiſtrari, ſcribes, quæ ſint ea. quædam enim exſpecto. Coccejus vide ne fruſtretur. nam Libo quod pollicetur, ut Eros ſcribit, non incertum puto. de ſorte mea Sulpicio confido, & Egnatio ſcilicet. de Apulejo, quid eſt, quod labores, cùm ſit excuſatio facilis? Tibi ad me venire, ut oſtendis, vide, ne non ſit facile. eſt enim longum iter, diſcedentemque te quod celeriter tibi erit fortaſſe faciendum, non ſine magno dolore dimittam. ſed omnia, ut voles. ego enim, quidquid feceris, id cùm rectè, tum etiam mea cauſa factum putabo. Heri, cùm ex aliorum litteris cognoviſſem de Antonii adventu, admiratus ſum, nihil eſſe in tuis. ſed erant pridie fortaſſe ſcriptæ, quàm datæ. neque iſta quidem curo. ſed tamen opinor propter *prædes* ſuos accucurriſſe. Quod ſcribis, Terentiam de obſignatoribus mei teſtamenti loqui: primùm tibi perſuade, me iſtæc non curare, neque eſſe quidquam aut *parvæ curæ*, aut novæ loci. ſed tamen quid ſimile? illa eos non adhibuit, quos exiſtimavit quæſituros, niſi ſciſſent quid eſſet. num id etiam mihi periculi fuit? ſed tamen faciat illa, quod ego. dabo meum teſtamentum legendum cui voluerit: intelliget, non potuiſſe honorificentiùs à me fieri [5] de nepote, quàm fecerim. nam quod non advocavi ad obſignandum; primum mihi non venit in mentem; deinde ea re non venit, quia nihil attinuit. tute ſcis, (ſi modo meminiſti) me tibi tum dixiſſe, ut de tuis aliquos adduceres. quid enim opus erat multis? equidem *domeſticos* juſſeram. tum tibi placuit, ut mitterem ad Silium: inde eſt natum, ut ad Publium. ſed neceſſe neutrum fuit. hoc tu tractabis, [6] ut tibi videtur.

19 CICERO ATTICO, S.

EST hic quidem locus amœnus, & in mari ipſo, qui & Antio, & Circæis aſpici poſſit: ſed ineunda nobis ratio eſt, quemadmodum in omni *mutatione dominorum*, qui innumerabiles fieri poſſunt in infinita poſteritate, (ſi modò hæc ſtabunt) illud, quaſi conſecratum, remanere poſſit. equidem jam nihil egeo vectigalibus, & parvo contentus eſſe poſſum. cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos parare, & quidem ob hanc cauſam maximè. nihil enim video, quod tam celebre eſſe poſſit; ſed quos, coram videbimus; ita tamen, ut hac æſtate fanum abſolutum ſit. Tu tamen cum Apella Chio confice de columnis. De Coccejo & Libone quæ ſcribis, approbo; maximè, [7] quod de judicatu meo. De ſponſu, ſi quid perſpexeris; & tamen quid procuratores Cornificii dicant, velim ſcire; ita ut in ea re te, cùm tam occupatus ſis, non multum operæ velim ponere. De Antonio quoque Balbus ad me cum Oppio conſcripſit, idque tibi placuiſſe, ne perturbarer. illis egi gratias. te tamen, ut jam ante ad te ſcripſi, ſcire volo, me neque iſto nuntio eſſe perturbatum, nec jam ullo *perturbatum iri*. Panſa ſi hodie, ut putabas, profectus eſt, poſthac jam incipito ſcribere ad me, de Bruti adventu quid exſpectes, id eſt, quos ad dies. id, ſi ſcies ubi jam ſit, facile conjectura aſſequere. Quod ad Tironem de Terentia ſcribis, obſecro te, mi Attice, ſuſcipe totum negotium. vides & officium agi meum quoddam, cui tu es conſcius, &, ut nonnulli putant, Ciceronis rem. me quidem id multo magis movet, quod mihi eſt & ſanctius, & antiquius; præſertim cùm hoc alterum neque ſincerum, neque firmum putem fore.

20 CICERO ATTICO, S.

NONDUM videris perſpicere, quam me nec Antonius commoverit, nec quidquam jam ejuſmodi poſſit commovere. de Terentia autem ſcripſi ad te iis litteris, quas dederam pridie. Quod me hortaris, idque à ceteris deſiderari ſcribis, ut *diſſimulem* me tam graviter dolere; poſſumne magis, [8] quàm quod totos dies conſumo in litteris? quod etſi non diſſimulationis, ſed potius *leniendi*, & ſanandi animi cauſa facio: tamen, ſi mihi minùs proficio, ſimulationi certè facio ſatis. Minùs multa ad te ſcripſi, quòd exſpectabam tuas litteras ad eas, quas ad te pridie dederam. exſpectabam autem maximè de fano, non nihil etiam de Terentia. Velim me facias certiorem proximis litteris, Cn. Cæpio, Serviliæ Claudii pater, vivone patre ſuo naufragio perierit, an mortuo; item Rutilia vivone C. Cotta, filio ſuo, mortua ſit, an mortuo. pertinent ad eum librum, quem de luctu minuendo ſcripſimus.

21 CICERO ATTICO, S.

LEGI Bruti epiſtolam, eamque tibi remiſi, ſanè non prudenter reſcriptam ad ea, quæ requiſieras. ſed ipſe viderit: quamquam illud turpiter ignorat. Catonem primum ſententiam putat de animadverſione dixiſſe; quam omnes ante dixerant, præter Cæſarem: & cum ipſius Cæſaris tam ſevera fuerit, qui tum Prætorio loco dixerit, Conſularium putat leniores fuiſſe Catuli, Servilii, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellii, Volcacii, Figuli, Cottæ, L. Cæſaris, C. Piſonis, [9] etiam M'. Glabrionis, Silani, Murenæ, deſignatorum Conſulum. cur ergo in ſententiam Catonis? quia verbis luculentioribus, & pluribus rem eandem comprehenderat. Me autem hic laudat, quòd retulerim, non quòd patefecerim, quod cohortatus ſim,

1. *Mihi enim ante ædilitatem.*] Victorius ex mſſ. edidit *mihi ante enim.*

2. *Poteſt tamen fieri.*] Vulg. *poteſt tamen videri.*

3. *Cui cui modi eſt.*] Victorius, *cujuſmodi*, quæ eſt vulgo recepta lectio, diminute pro *cujuſ-cujuſmodi*, Boſius ex ſuis mſſ. *cuicuimodi.*

4. *Placet enim mihi Cluatii.*] Sic omnes novi & veteres codices referente Victorio, exceptis Aldinis in quibus, *Claudii*, perverse.

5. *De nepote.*] Locus Manutio obſcurus, & fortaſſe depravatus videtur.

6. *Ut tibi videtur.*] Vulg. *ut tibi videbitur.*

7. *Quod de judicatu meo. De ſponſu ſi quid perſpexeris.*] Emendavit Boſ. *de ſponſu, ſi quid perſpexeris*, auctoribus libris antiquis, cum vulgò vitioſe legatur, *quod de judicatu meo reſponſum ſit. Si quid perſpexeris*, quod probat Junius: hicque initium epiſtolæ ſtatuere rectè mſ. Pal. dicit.

8. *Quàm quod totos dies.*] *Quam*, ab aliis libris nonnullis abeſt. Faernus & Lambinus *poſſumne magis qui totos.*

9. *Etiam M.' Glabrionis.*] Vulg. *M. Atilii Glabrionis.*

1. Etiamſi

ſim, quòd denique ante, quàm conſulerem, ipſe judicaverim. quæ omnia, quia Cato laudibus extulerat in cælum, perſcribendaque cenſuerat; idcirco *in ejus ſententiam* eſt facta diſceſſio. hic autem ſe etiam tribuere multum mi putat, quod ſcripſerit, OPTIMUM CONSULEM. quis enim jejunius dixit inimicus? Ad cetera verò tibi quemadmodum reſcripſit? tantum rogat de S. C. ut corrigas. hoc quidem feciſſet, [1] etiam ſi ærario adnovitius eſſet. ſed hæc iterum ipſe viderit. De hortis, quoniam probas, effice aliquid. rationes meas noſti. ſi verò etiam [2] à Faberio aliquid recedit, nihil negotii eſt. ſed etiam ſine eo poſſe videor contendere. vænales certè ſunt Druſii; fortaſſe & Lamiani & Caſſiani: ſed coram. De Terentia non poſſum commodiùs ſcribere, quàm tu ſcribis. *officium* ſit nobis antiquiſſimum. ſi quid nos fefellerit, illius malo me, quàm mei pœnitere. Oviæ C. Lolii curanda ſunt H-S C. negat Eros poſſe ſine me; credo, quòd accipienda aliqua ſit, & danda æſtimatio. vellem tibi dixiſſet. ſi enim res eſt, ut mihi ſcribit, parata; nec in eo ipſo mentitur: per te confici potuit. id cognoſcas, & conficias velim. Quod me *in forum* vocas; eò vocas, unde, etiam bonis meis rebus, fugiebam. quid enim mihi foro, ſine judiciis, ſine Curia, in oculos incurrentibus iis, quos æquo animo videre non poſſum? Quod autem homines à me poſtulare ſcribis, ut Romæ ſim, neque mihi, ut abſim concedere, aut quatenus eos mihi concedere: jam pridem ſcito eſſe, cùm unum te pluris, quàm omnes illos, putem: ne me quidem contemno: meoque judicio multo ſtare malo, quàm omnium reliquorum. neque tamen progredior longiùs, quàm mihi doctiſſimi homines concedunt: quorum ſcripta omnia, quæcumque ſunt in eam ſententiam, non legi ſolum, quod ipſum erat fortis *ægroti*, accipere medicinam; ſed in mea etiam ſcripta tranſtuli; quod certe afflicti, & fracti animi non fuit. ab his me remediis noli in iſtam turbam vocare, ne recidam.

22 CICERO ATTICO, S.

DE TERENTIA, quòd mihi omne onus imponis; non cognoſco tuam in me indulgentiam. iſta enim ſunt ipſa vulnera, quæ non poſſum tractare ſine maximo gemitu. moderare igitur, quæſo, ut potes. neque enim à te plus, quàm potes, poſtulo: potes autem, quid veri ſit, perſpicere tu unus. De Rutilia, quoniam videris dubitare, ſcribes ad me, cùm ſcies, ſed quamprimum; &, num Clodia, D. Bruto Conſulari, filio ſuo, mortuo, vixerit. id de Marcello, aut certè de Poſtumia ſciri poteſt; illud autem de M. Cotta, aut de Syro, aut de Satyro. De hortis, etiam atque etiam [3] te rogo. omnibus meis, eorumque, quos ſcio mihi non defuturos, facultatibus, ſed potero meis, enitendum mihi eſt. ſunt etiam, quæ vendere facile poſſim. ſed, ut non vendam, eique uſuram pendam, à quo emero, non plus annum, poſſum aſſequi, quod volo, ſi tu me adjuvas. paratiſſimi ſunt Druſi: cupit enim vendere. proximos puto Lamiæ: ſed abeſt. tu tamen, ſi quid potes, odorare. ne Silius quidem quidquam utitur, [4] & iis uſuris facillimè ſuſtentabitur. habe tuum negotium; nec, quid res mea familiaris poſtulet, quam ego non curo, [5] ſed quid velim, & cur velim exiſtima.

CICERO ATTICO, S. 23

PUTARAM te aliquid novi; quòd ejuſmodi fuerat initium litterarum; quamvis non curarem quid in Hiſpania fieret, tamen te ſcripturum: ſed videlicet meis litteris reſpondiſti, ut de foro, & de Curia. ſed domus eſt, ut ais, forum. quid ipſa domo mihi opus eſt, carenti foro? occidimus, occidimus, Attice, jam pridem nos quidem, ſed nunc fatemur, poſtea quàm unum, quo tenebamur, amiſimus. itaque [6] *ſolitudines ſequor*: & tamen, ſi qua me res iſto adduxerit, enitar, ſi quo modo potero, (potero autem) [7] ut præter me nemo dolorem meum ſentiat: ſi ullo modo poterit, ne tu quidem. atque etiam illa cauſa eſt non veniendi. meminiſti, quid ex te [8] Aledius quæſierit: quinetiam nunc moleſti ſunt: quid exiſtimas, ſi venero? De Terentia ita cura, ut ſcribis; meque hac ad maximas ægritudines [9] acceſſione nunc maxima libera. Et, ut ſcias me ita dolere, [10] ut non taceam, quibus Conſulibus Carneades, & ea legatio Romam venerit, ſcriptum eſt in tuo annali. hæc nunc quæro, quæ cauſa fuerit: de Oropo, opinor; ſed certum neſcio: &, ſi ita eſt, quæ controverſiæ; præterea, qui eo tempore nobilis Epicureus fuerit Athenis, qui præfuerit hortis; qui etiam Athenis πολιτικοὶ fuerint illuſtres: [11] quæ te etiam [12] ex Apollodori puto poſſe invenire. De Attica, moleſtum; ſed quoniam leviter, rectè eſſe confido. [13] De Gamala dubium mihi non erat. unde enim tam felix Ligus pater? nam quid de me dicam, cui ut omnia contingant, *quæ volo*, levari non poſſum? De Druſi hortis, quanti licuiſſe tu ſcribis, id ego quoque audieram, &, ut opinor, heri ad te ſcripſeram: [14] ſed QUANTI quanti, bene emitur quod neceſſe eſt. mihi, quoquo modo tu exiſtimas, (ſcio enim ego ipſe, quid de me exiſtimem) levatio quædam eſt, ſi minus, doloris, at officii debiti. Ad Sicam ſcripſi, quòd utitur L. Cotta. ſi nihil conficeretur de Transtiberinis, habet in Oſtienſi Cotta celeberrimo loco, ſed puſillum loci: ad hanc rem tamen [15] plus etiam ſatis. id velim cogites. nec tamen iſta pretia hortorum pertimueris. nec mihi jam argento, nec veſte opus eſt, [16] nec quibuſquam amœnis locis: hoc opus eſt. video etiam, à quibus adjuvari poſſim. ſed loquere cum Silio. nihil enim eſt melius. mandavi etiam Sicæ. reſcripſit, conſtitutum ſe cum eo habere. ſcribat igitur ad me, quid egerit [17] &, ut tu videbis.

CICERO ATTICO, S. 24

[18] BENE fecit A. Silius, qui tranſegerit. neque enim ei deeſſe volebam, & quid poſſem, timebam. De Ovia, confice, ut ſcribis. De Cicerone, tempus eſſe jam videtur. ſed quæro, quod illi opus erit Athenis, permutarine poſſit, an

1. *Etiamſi ærario adnovitius eſſet.*] Hæc ita referebat Decurtatus, *etiamſi à rario ad novi tius eſſet*; unde conjecit Boſius *etiamſi ærario adnovitius eſſet*. Lamb. *etiam Tyrannio, ſi admonitus eſſet*.

2. *A Faberio aliquid recedit.*] Sequutus fidem Decurt. & Tornæſ. repoſuit Boſius, *à Faberio aliquid recedit*; cum in vulgatis deeſſet *aliquid*. Manut. in verbo *recedit* mendum eſſe ſuſpicatur ac fortaſſe legendum *res cedit*. Lamb. reponit *aliquid procedit*, Lipſius *à Faberio recidis*, id eſt aufers, lib. IV. Antiq. lect. cap. 19.

3. *Te rogo.*] Vocem, *te*, ex Scidis, Tornæſiano & Cruſellino addidit Boſius.

4. *Et iis uſuris facillimè ſuſtentabitur.*] Caſtigat Lipſius d. cap. 19. *& is uſuris*.

5. *Sed quid velim & cur velim exiſtima.*] Auctoribus Scidis, Tornæſ. & Cruſellino ſic edidit Boſius. verba hæc, *& cur velim*, deſunt in vulgatis.

6. *Solitudines ſequor.*] Ita ex ſuis mſſ. legit Boſ. vulg. *ſolitudinem*.

7. *Ut præter me nemo dolorem meum ſentiat.*] Forte ſcribendum videtur Lipſio, *ut præter te nemo*. lib. IV. Antiq. lect. cap. 19.

8. *Aledius.*] Vulg. *Atedius*.

9. *Acceſſione nunc maxima.*] Vulgati libri *acceſſione non maxima*, mendoſè: ideo putabat Corradus expungendam eſſe negationem. Boſius, pro, *non*, repoſuit *nunc* ut erat in Cruſellino.

10. *Ut non taceam.*] Vulg. *ut non jaceam*.

11. *Quæ te etiam.*] Auctoribus mſſ. juſſit excudi Boſius, *quæ te*, & mox, *invenire. te*, deeſt in vulg.

12. *Quæ etiam ex Apollodori.*] *Ex Apollodori* habent antiquiores codices ut emendavit Victorius.

13. *De Gamala.*] Emendatiuſne legatur *Gamala*, ut referunt Tornæſ. & Decurtat. an, ut vulgati codices edunt, *Magala*, otioſo lectori quærendum relinquit Boſius.

14. *Sed quanti quanti, bene emitur:*] Aliter diſtinguit vulgus, *ſed quanti, quanti bene emitur*.

15. *Plus etiam ſatis.*] Tornæſ. & Cruſell. *plus etiam quàm ſatis*: ſed illud, *quàm*, adtextum fuiſſe putat Boſius ex gloſſemate, neque eſt in Decurtato.

16. *Nec quibuſquam amœnis locis.*] Vulg. *nec quibuſdam*.

17. *Et ut tu videbis.*] Fugerat a vulgatis particula, *ut*; quam in mſſ. latitantem deprehendit, inque ſuum locum redaxit Boſius.

18. *Bene fecit A. Silius.*] Hanc epiſtolam ſuperiori annectit vulgata editio.

1. *Ex*

an ipſi ferendum ſit; de totaque re, quemadmodum, & quando placeat, velim conſideres. Publilius iturusne ſit in Africam, & quando, [1] ex Aledio ſcire poteris: quæras, & ad me ſcribas, velim. Et, ut ad meas ineptias redeam, velim me certiorem facias, P. Craſſus, [2] Venulejæ filius, vivone P. Craſſo Conſulari, patre ſuo, mortuus ſit, ut ego meminiſſe videor, an poſt. item quæro de Regillo, Lepidi filio, rectè ne meminerim, patre vivo mortuum. [3] Ciſpiana explicabis, itemque Præciana. De Attica, [4] optimè it. ei ſalutem dices, & Piliæ.

25 CICERO ATTICO, S.

SCRIPSIT ad me diligenter Sica de Silio, ſeque ad te rem detuliſſe: quod tu idem ſcribis. mihi & res, & conditio placet, ſed ita, ut numerato malim, quam æſtimatione. voluptarias enim poſſeſſiones nolet Silius. vectigalibus autem ut his poſſum eſſe contentus, quæ habeo, ſic vix minoribus. unde ergo numerato? H-S DC. exprimes ab Hermogene, cùm præſertim neceſſe erit: & domi video eſſe H-S DC. reliquæ pecuniæ vel uſuram Silio pendemus, dum à Faberio, vel ab aliquo, qui Faberio debet, repræſentabimus. erit etiam aliquid alicunde. ſed totam rem tu gubernabis. [5] Druſianis verò hos hortis multo antepono: neque ſunt umquam comparati. mihi crede una me cauſa movet, in qua [6] ſcio me τετυφῶσθαι. ſed, ut facis, obſequere huic errori meo. [7] Nam quod ſcribis ἐγγήραμα; actum jam de iſto eſt: alia magis quæro.

26 CICERO ATTICO, S.

[8] SICA, ut ſcribit, etiam ſi nihil confecerit cum A. Silio, tamen ſe ſcribit X. Kal. eſſe venturum. [9] Tuis occupationibus ignoſco; eæque mihi ſunt notæ. De voluntate tua, ut ſimul ſimus, vel ſtudio potiùs, & cupiditate, non dubito. de Nicia quòd ſcribis, ſi ita me haberem, ut ejus humanitate frui poſſem, in primis vellem illum mecum habere. ſed mihi *ſolitudo*, & receſſus, provincia eſt. quod quia facilè ferebat Sica, eo magis illum deſidero. præterea noſti Niciæ noſtri imbecillitatem, mollitiam, conſuetudinem victus. cur ego illi moleſtus velim, cùm mihi ille jucundus eſſe non poſſit? voluntas tamen ejus mihi grata eſt. Vnam rem ad me ſcripſiſti, de qua decrevi nihil tibi reſcribere. ſpero enim me à te impetraſſe, ut privares me iſta moleſtia. Piliæ, & Atticæ ſalutem.

27 CICERO ATTICO, S.

DE Siliano negotio, etſi mihi non eſt ignota conditio, tamen hodie me ex Sica arbitror omnia cogniturum. [10] Cottæ quòd negas te noſſe, ultra Silianam villam eſt (quam puto tibi notam eſſe) villula ſordida, & valde puſilla; nihil agri; [11] ad *ſuillam rem* loci ſatis, nihil ad eam, quam quæro. ſequor *celebritatem*. ſed, ſi perficitur de hortis Silii, hoc eſt, ſi perficis; (eſt enim totum poſitum in te) nihil eſt ſcilicet, quod de Cotta cogitemus. De Cicerone, ut ſcribis, ita faciam: ipſi permittam de tempore: nummorum quantum opus erit, ut permutetur tu videbis. Ex Aledio, quod ſcribis, ſi quid inveneris, ſcribes. Et ego ex tuis animadverto litteris, & profectò tu ex meis, nihil habere nos, quod ſcribamus: eadem quotidie, quæ jam jamque ipſa contrita ſunt: tamen facere non poſſum, quin quotidie ad te mittam, ut tuas accipiam. De Bruto tamen, ſi quid habebis. ſcire enim jam puto, ubi Panſam exſpectet. ſi, ut conſuetudo eſt, in prima provincia, circiter KAL. affuturus videtur. vellem tardius. valde enim *urbem fugio* multas ob cauſas. itaque id ipſum dubito, an excuſationem aliquam ad illum parem: quod quidem video facilè eſſe. ſed habemus ſatis temporis ad cogitandum. Piliæ, Atticæ ſalutem.

CICERO ATTICO, S. 28

DE Silio nihilo plura cognovi ex præſente Sica, [12] quàm ex litteris ejus. ſcripſerat enim diligenter. ſi igitur tu illum conveneris, ſcribes ad me, ſi quid videbitur. De quo putas ad me miſſum eſſe; ſit miſſum, necne, neſcio; dictum quidem mihi certè nihil eſt. tu igitur, ut cepiſti: &, ſi quid ita conficies, (quod equidem non arbitror fieri poſſe) ut illi probetur, Ciceronem, ſi tibi placebit, adhibebis. ejus aliquid intereſt, videri illius cauſa voluiſſe: mea quidem nihil, niſi id, quod tu ſcis: [13] quòd ego magni æſtimo. Quod me ad conſuetudinem revocas; fuit meum quidem jam pridem [14] Remp. lugere; [15] quod faciebam, ſed mitiùs. erat enim, ubi acquieſcerem. nunc planè nec ego victum, nec vitam illam colere poſſum: nec in ea re, quid aliis videatur, mihi puto curandum. MEA MIHI conſcientia pluris eſt, quàm omnium ſermo. Quod me ipſe per litteras conſolatus ſum; non pœnitet me, quantum profecerim. *mærorem* minui: dolorem nec potui, nec, ſi poſſem, vellem. De Triario, bene interpretaris voluntatem meam. tu verò nihil, niſi ut illi volent. amo illum mortuum: tutor ſum liberis: totam domum diligo. De Caſtriciano negotio, ſi Caſtricius pro mancipiis pecuniam accipere volet [16] eamque ei ſolvi, ut nunc ſolvitur; certè nihil eſt commodius. ſin autem ita actum eſt, ut ipſa mancipia abduceret, non mihi videtur eſſe æquum. rogas enim me, ut tibi ſcribam, quid mihi videatur. nolo enim negotii Quintum fratrem quidquam habere: quod, videor mihi intellexiſſe, tibi idem videri. Publilius, ſi æquinoctium exſpectat, ut ſcribis [17] Aledium dicere, navigaturus videtur. mihi autem dixerat per Siciliam. utrum, & quando, velim ſcire. Et velim aliquando, cùm erit tuum commodum, Lentulum puerum viſas, eique de mancipiis, quæ tibi videbitur, attribuas. Piliæ, Atticæ, ſalutem.

CICERO ATTICO, S. 29

SILIUS, ut ſcribis, hodie. cras igitur, vel potius cum poteris, ſcribes, ſi quid erit, cùm videris. Nec ego Brutum vito, nec tamen ab eo levationem ullam exſpecto: ſed erant cauſæ, cur hoc tempore iſtic eſſe nollem: quæ ſi manebunt,

1. *Ex Aledio.*] Vulg. *ex Atedio.*

2. *Venuleiæ filius.*] Vulg. *Vinuleiæ F.*

3. *Ciſpiana explicabis.*] Vulg. *Cuſpiana.*

4. *Optime it.*] Boſii veteres mſſ. *optimè id*, unde emendavit *optimè it.*

5. *Druſianis verò hos hortis.*] Sic habet Decurtatus, & ita legendum, in vulgatis, τὸ, *hos*, deerat.

6. *Scio me* τετυφῶσθαι.] Ita legendum aſſerit Lambinus potiùs quam τετυφλῶσθαι, ut quidam volunt.

7. *Nam quod ſcribis* ἐγγήραμα.] Ita habent veteres codices Victorio teſte, qui ita legendum aſſerit: prius legebatur ἐπίγραμμα, quod & in mſſ. Pal.

8. *Sica, ut ſcribit.*] Hæc epiſtola ſuperiori annexa eſt in vulgata editione.

9. *Tuis occupationibus.*] Ut in Tornæſ. Lamb. teſte, ſic & in Scidis legitur & ita edidit Boſius. Victorius teſtatur antiqua exemplaria habere, *cujus occupationibus*, quod ipſi probatur.

10. *Cottæ quod negas te noſſe.*] Vict. edidit *Cottæ quidem negas te noſſe. ſed ultra Silianam villam eſt*, &c. Boſius verò non ex conjectura ſed ex fide Decurt. Tornæſ. & Cruſell. *Cottæ quod negas te noſſe ultra Silianam villam eſt (quam puto tibi notam eſſe, villula ſordida.*

11. *Ad ſuillam rem.*] Liber Tornæſ. *ad ullam rem*: Scidæ, *ac ſi ullam rem*: unde legit Boſius *ad ſuillam rem.* Non dubitat autem Manut. quin hoc ordine legendum ſit: *ad aliam rem loci nihil, ſatis ad eam quam quæro.* vulg. *ad aliam rem loci ſatis, nihil ad eam quam quæro*; ſed id Ciceronis ſententiæ repugnare ait Manutius.

12. *Quam ex litteris ejus.*] Ut ſupra epiſt. 26. hujus libri auctoribus libris antiquis ed. Boſ. *tuis* pro *ejus*, ſic contra hoc loco ex eorundem fide pro *tuis*, repoſuit, *ejus*, & pro, *ſcripſeras*, *ſcripſerat.*

13. *Quod ego magni æſtimo.*] Vox, *magni*, in vulgatis editionibus deſideratur; proptereaque in mendi ſuſpicionem adducebatur Manut.

14. *Remp. lugere.*] Boſius emendavit ex omnibus ſuis mſſ. *lugere.*

15. *Quod faciebam ſed mitius. erat enim ubi acquieſcerem.*] Sic emendavit Boſius ex Decurtato. Lamb. ex Tornæſ. legit, *intus* pro *mitius*, fallique dicit Victorium qui reponit, *invitus*: Lambin. ſequitur Junius: vulg. *quod faciebam: ſed interea erat ubi acquieſcerem.*

16. *Eamque ei ſolvi.*] Mſſ. fide ita legit Victorius, pro *eamque ſibi ſolvi*, quod antea legebatur.

17. *Aledium.*] Vulg. *Atedium.*

nebunt, quærenda erit excuſatio ad Brutum; &, ut nunc eſt, manſuræ videntur. De hortis, quæſo explica. caput illud eſt, quod ſcis. ſequitur, ut etiam mihi ipſi quiddam opus ſit. nec enim eſſe *in turba* poſſum, nec à vobis abeſſe. huic meo conſilio nihil reperio iſto loco aptius: & de hac re quid tui conſilii ſit, mihi perſuaſum eſt, & eò magis, quòd idem intellexi tibi videri, me ab Oppio & Balbo valde diligi. [1] ſit. cum iis communices, quanto opere, & quare velim hortos; ſed id ita poſſe, ſi expediatur illud Faberianum. [2] ſintne igitur auctores futuri, ſi qua etiam jactura facienda ſit in repræſentando, quoad poſſunt adduci: (totum enim illud deſperatum) denique intelliges, ecquid inclinent ad hoc meum conſilium adjuvandum. ſi quid erit, magnum eſt adjumentum: ſin minus, quacumque ratione contendamus. [3] vetus illud ἐ[ſ]γίεαμμα, quemadmodum ſcripſiſti, vel ἐντάφιον putato. De illo Oſtienſi nihil eſt cogitandum. ſi hoc non aſſequimur; (à Lamia non puto poſſe) Damaſippi experiendum eſt.

CICERO ATTICO, S.

30 [4] QUÆRO, quid ad te ſcribam: ſed nihil eſt. eadem quotidie. Quòd Lentulum inviſis, valde gratum. pueros attribue ei, quot, & quos videbitur. De Silii voluntate vendendi, & de eo, quanti, tu vereri videris, primùm ne nolit, deinde ne tanti. Sica aliter: ſed tibi aſſentior. quare, ut ei placuit, ſcripſi ad Egnatium. Quod Silius te cum Clodio loqui vult; potes id mea voluntate facere: commodiuſque eſt, quàm, quod ille à me petit, me ipſum ſcribere ad Clodium. De mancipiis Caſtricianis, commodiſſimum eſſe credo, tranſigere Egnatium: quod ſcribis te ita futurum putare. Cum Ovia, [5] quæſo, vide ut conficiatur. Quoniam, ut ſcribis, nox erat, in hodierna epiſtola plura exſpecto.

CICERO ATTICO, S.

31 SILIUM mutaſſe ſententiam Sica mirabatur. equidem magis miror, quòd, cùm in filium cauſam conferret, quæ mihi non injuſta videtur; (habet enim qualem vult) ais te putare, ſi addiderimus aliud, à quo refugiat, cùm ab ipſo id fuerit deſtinatum, venditurum. Quæris à me, quod ſummum pretium conſtituam, [6] & quantum anteire iſtos hortos Druſi; acceſſi numquam: Coponianam villam & veterem, & non magnam novi: ſilvam nobilem, fructum autem neutrius: quod tamen puto nos ſcire oportere. ſed mihi, [7] utrivis iſtorum, *tempore* magis meo, quam *ratione* æſtimandi ſunt. poſſim autem aſſequi, necne, tu velim cogites. ſi enim Faberianum venderem, [8] explicare vel repræſentatione [9] non dubitarem de Silianis, ſi modo adduceretur, ut venderet: ſi venales non haberet, tranſirem ad Druſum, vel tanti, quanti Egnatius illum velle tibi dixit. magno etiam adjumento nobis Hermogenes poteſt eſſe in repræſentando: [10] at tu concede mihi, quæſo, ut eo animo ſim, quo is debeat eſſe, qui emere cupiat: & tamen ſervio ita cupiditati & dolori meo, ut à te *regi* velim. Egnatius mihi ſcripſit. is ſi quid tecum locutus erit, (commodiſſimè enim per eum agi poteſt) ad me ſcribes: & id agendum puto. nam cum Silio non video confici poſſe. Piliæ & Atticæ ſalutem. [11] Hæc ad te mea manu. vide, quæſo, quid agendum ſit.

CICERO ATTICO, S. 32

PUBLILIA ad me ſcripſit, [12] matrem ſuam (cum Publilio loqui retur) ad me cum illo venturam, & ſe unà, ſi ego paterer: orat multis & ſupplicibus verbis, ut liceat, & ut ſibi reſcribam. res quàm moleſta ſit, vides. reſcripſi me etiam graviùs eſſe affectum, quàm tum, cùm illi dixiſſem, me ſolum eſſe velle; quare nolle me hoc tempore eam ad me venire. putabam, ſi nihil reſcripſiſſem, illam cum matre venturam: nunc non puto. apparebat enim illas litteras [13] non eſſe ipſius. illud autem, quod fore video, ipſum volo vitare, ne illæ ad me veniant. & una eſt vitatio, ut ego nollem. ſed neceſſe eſt (te hoc nunc rogo) ut explores, ad quam diem hìc ita poſſim eſſe, ut ne opprimar. ages, ut ſcribis, temperatè. Ciceroni velim hoc proponas, ita tamen, ſi tibi non iniquum videbitur, ut ſumtus hujus peregrinationis, quibus, ſi Romæ eſſet, domumque conduceret, quod facere cogitabat, facilè contentus futurus erat, accommodet ad mercedes Argileti, & Aventini: & cum ei propoſueris, ipſe velim reliqua moderere, quemadmodum ex iis mercedibus ſuppeditemus ei quod opus ſit. præſtabo, nec Bibulum, nec Acidinum, nec Meſſallam, quos Athenis futuros audio, majoreis ſumptus facturos, quam quod ex eis mercedibus recipietur. itaque velim videas, primùm conductores qui ſint, & quanti; deinde, ut ſit, qui ad diem ſolvat; &, quid viatici, quid inſtrumenti ſatis ſit. jumento certè Athenis nihil opus eſt. quibus autē in via utatur, domi ſunt plura, quàm opus erat: quod etiam tu animadvertis.

CICERO ATTICO, S. 33

EGo, ut heri ad te ſcripſi, ſi & Silius is fuerit, quem tu putas, nec Druſus facilem ſe præbuerit, Damaſippum velim aggrediare. is, opinor, [14] ita parteis fecit in ripa neſcio quotenorum jugerum, ut certa pretia conſtitueret; quæ mihi nota non ſunt. ſcribes ad me igitur, quidquid egeris. [15] vehementer me ſollicitat Atticæ noſtræ valitudo: ut verear etiam, ne qua culpa ſit. ſed & pædagogi probitas; & medici aſſiduitas, & tota domus in omni genere diligens, me rurſus id *ſuſpicari* vetat. [16] cura igitur. plura enim non poſſum.

CICERO ATTICO, S. 34

EGo hic vel ſine Sica (Tironi enim melius eſt) facillimè poſſem eſſe, ut in malis. ſed, cùm ſcribas videndum mihi

1. *Sit. cum iis communices.*] Abeſt verbum *ſit* à vulgatis, ſed in omnibus mſſ. legitur, aut certe ejus loco, *ſi*, vel, *ſic*, referente Boſ.

2. *Sintne igitur auctores.*] Veteris Decurt. ſcripturam expreſſit Boſius, quod ea nequaquam illa mendorum illuvie inquinata eſſet, qua ceteri hic contaminati ſunt; ſic enim vulgò legitur hic locus: *Sint igitur auctores futuri, ſi qua etiam jactura facienda ſit in repræſentando (quod poſſum) adducito. Tum enim illud deſperatum denique intelliges, & quid inclinent ad hoc meum conſilium adjuvandum.*

3. *Vetus illud ἐ[ſ]γίεαμμα.*] Vulgò *vetus ἐπίγραμμα* quod retinet Junius ex mſſ. Pal. ut & ἐπιλάφιον pro ἐντάφιον.

4. *Quæro, quid ad te ſcribam.*] Totus hic orationis ambitus uſque ad verba illa, *De Silii voluntate*, ſuperiori epiſtolæ annexus eſt in vulg. editione.

5. *Quæſo, vide ut conficiatur.*] Ita emendabit Lambinus, vulgo *quæſo quidem ut conficiatur.*

6. *Et quantum anteire iſtos hortos Druſi; acceſſi numquam: Coponianam villam & veterem & non magnam novi: ſilvam nobilem, fructum autem neutrius.*] Videatur Turnebus lib. XII. Adverſ. cap. 4. Aliter legit & diſtinguit Junius ex mſſ. Pal. *& q. a. i. h. D. tantum acceſſi propius. Numquam componam villam & veterem & non magnam. novi, ſ. n. f. a. n. &c.*

7. *Utrivis iſtorum.*] Boſius correxit *utrivis*, approbantibus Scilic. & Tornæſiano, cum in editionibus legeretur, *utrius*, ſic etiam emendavit Lambinus.

8. *Explicare vel repræſentatione.*] *Repræſentare*, eſt præſens non in diem ſolvere. *Gronov.*

9. *Non dubitarem de Silianis, ſi modò adduceretur.*] Lamb. aſſerit legendum eſſe, *ſi non adduc.* pro *ſi modo adduc.* ſed id abundè refellit Boſius. vulg. aliter diſtinguitur, *non dubitarem. De Silianis, ſi modo.*

10. *At tu concede mihi.*] Vulg. exemplaria, *aut concede*, vel *at concede.* Boſii membranæ veteres *at tu*, quam lectionem ſequutus eſt.

11. *Hæc ad te mea manu.*] Hoc principium epiſtolæ in mſ. Pal. quod Junio probatur.

12. *Matrem ſuam (cum Publilio loquiretur) ad me cum illo.*] Pro, *loqueretur*, quod eſt in multis excuſis Boſius edidit ex Decurt. *loqui retur*; Lamb. legendum ſuſpicatur, *matrem ſuam cum Publilio loqui ſolere, ſe ad me cum illo, &c.* Junius ex conjectura legit *cum Publilio locutam:* vulgò, *matrem ſuam cum Publilio loqui, eam ad m. cum illo venturam.*

13. *Non eſſe ipſius.*] Boſii antiquior & Tornæſ. *non eſſe ipſius:* & ita repoſuit. vulgati, *non illius eſſe.*

14. *Ita partis fecit.*] Vulg. *ita partes fecit.*

15. *Vehementer me ſollicitat.*] Hic etiam initium epiſtolæ ſtatuitur in mſ. Palatino.

16. *Cura igitur. plura enim non poſſum.*] Iunius ex mſ. Pal. *cur igitur? plura enim non poſſum.*

mihi eſſe, ne opprimar, ex quo intelligam, te [1] certum diem illius profectionis non habere; putavi eſſe commodius, me iſtuc venire; quod idem video tibi placere. cras igitur in Sicæ ſuburbano: inde, quemadmodum ſuades, puto me in Ficulenſi fore. quibus de rebus ad me ſcripſiſti, quoniam ipſe venio, coram videbimus. tuam quidem & in agendis noſtris rebus, & in conſiliis ineundis, mihique dandis, in ipſis litteris, quas mittis, benivolentiam, diligentiam, prudentiam mirificè diligo.

35 CICERO ATTICO, S.

[2] TU tamen, ſi quid cum Silio, vel illo ipſo die, quo ad Sicam venturus ero, certiorem me velim facias, & maximè cujus loci detractionem fieri velit: quod enim ſcribis, EXTREMI; vide, ne is ipſe locus ſit, cujus cauſa de tota re, ut ſcis, eſt à nobis cogitatum. Hirtii epiſtolam tibi miſi, & recentem, & benivolè ſcriptam. Ante, [3] quam à te proximè diſceſſi, numquam mihi venit in mentem, quo plus inſumptum in monumentum eſſet, quàm neſcio quid, quod *lege* conceditur, tantundem populo dandum eſſe: quod non magnopere moveret, niſi neſcio quomodo, *ἀλόγως* fortaſſe, nollem illud ullo nomine, niſi *fani*, appellari. quod ſi volumus, vereor, ne aſſequi non poſſimus, niſi mutato loco. hoc quale ſit, quæſo conſidera. nam etſi minùs urgeor, meque ipſe propemodum collegi: tamen indigeo tui conſilii. itaque te vehementer etiam atque etiam rogo, magis quàm à me vis, aut pateris te rogari, ut hanc cogitationem toto pectore amplectare.

36 CICERO ATTICO, S.

FANUM fieri volo; neque hoc mihi [4] ſuada erui poteſt: ſepulcri ſimilitudinem effugere, non tam propter pœnam legis ſtudeo, quàm ut maximè aſſequar *ἀποθέωσιν*: quod poteram, ſi in ipſa villa facerem. ſed, ut ſæpe locuti ſumus, commutationes dominorum reformido. in agro ubicumque fecero, mihi videor aſſequi poſſe, ut *poſteritas* habeat religionem. hæ meæ tibi ineptiæ ([5] fateor enim) ferendæ ſunt. [6] non habeo, ne me quidem ipſum, quicum tam audacter communicem, quàm te. ſi tibi res, ſi locus, ſi inſtitutum placet, lege, quæſo, legem, mihique eam mitte. ſi quid in mentem veniet, quo modo eam effugere poſſimus; utemur. Ad Brutum ſi quid ſcribes, niſi alienum putabis, objurgato eum, quod in Cumano eſſe noluerit propter eam cauſam, [7] quam tibi dixit. cogitanti enim mihi, nihil tam videtur potuiſſe facere ruſticè. Et, ſi tibi placebit ſic agere de fano ut cœpimus, velim cohortere, & exacuas Cluatium: nam, etiam ſi alio loco placebit, illius nobis opera, conſilioque utendum puto. [8] Tu ad villam fortaſſe cras.

37 CICERO ATTICO, S.

[9] A TE heri duas epiſtolas accepi, alteram pridie datam Hilaro, alteram eodem die tabellario; accepique ab Ægypta liberto eodem die, Piliam & Atticam planè belle ſe habere. [10] hæ litteræ mihi redditæ ſunt tertiodecimo die. Quod mihi Bruti litteras, gratum. ad me quoque miſit. eam ipſam ad te epiſtolam miſi, & ad eam exemplum mearum litterarum. De fano, ſi nihil mihi hortorum inveneris (qui quidem tibi inveniendi ſunt, ſi me tanti facis, quanti certè facis) valde probo [11] rationem tuam de Tuſculano. quamvis prudens ad cogitandum ſis ſicut es, tamen, niſi magnæ curæ tibi eſſet, ut ego conſequerer, id quod magnopere vellem, numquam ea res tibi tam bellè in mentem venire potuiſſet. ſed neſcio quo pacto *celebritatem requiro* itaque hortos mihi conficias, neceſſe eſt. maxima eſt in Scapulæ celebritas; propinquitas præterea ubi ſis, ne totum diem in villam. quare, antequam diſcedis, Othonem, ſi Romæ eſt convenias pervelim. ſi nihil erit, etſi tu meam *ſtultitiam* conſueſti ferre, eò tamen progrediar, [12] uti ſtomachere. Druſus enim certè vendere vult. ſi ergo aliud erit, non mea erit culpa, niſi emero: qua in re ne labar, quæſo provide. providendi autem una ratio eſt, ſi quid de Scapulanis poſſumus. Et velim me certiorem facias, quàm diu in ſuburbano ſis futurus. Apud Terentiam [13] gratia opus eſt nobis tua, tuaque auctoritate. ſed facies, ut videbitur. ſcio enim, ſi quid mea interſit, tibi majori *curæ* ſolere eſſe, quàm mihi. [14] Hirtius ad me ſcripſit, Sex. Pompejum Corduba exiſſe, & fugiſſe in Hiſpaniam citeriorem, Cnæum fugiſſe neſcio quò. neque enim curo. nihil præterea novi. litteras Narbone dedit VIIII KAL. Maj. Tu mihi de Caninii naufragio, [15] quaſi dubia miſiſti. ſcribas igitur, ſi quid erit certius. Quod me à mœſtitia avocas, [16] multum levaris, ſi locum fano dederis. multa mihi *εἰς ἀποθέωσιν* in mentem veniunt. ſed loco valde opus eſt. quare etiam Othonem vide.

CICERO ATTICO, S. 38

NON dubito, quin occupatiſſimus fueris, qui ad me nihil litterarum. ſed homo nequam, qui tuum commodum non exſpectarit, cùm ob eam unam cauſam miſſus eſſet. nunc quidem, niſi quid te tenuit, [17] ſuſpicor te eſſe in ſuburbano. at ego hìc, ſcribendo dies totos, nihil equidem levor, ſed tamen aberro. Aſinius Pollio ad me ſcripſit de impuro noſtro cognato. quod Balbus minor nuper ſatis planè, Dolabella obſcurè, hic apertiſſimè. ferrem graviter, ſi *novæ ægrimoniæ* locus eſſet. ſed tamen [18] ecquid impurius? ô hominem cavendum! quamquam *mihi quidem*. ſed tenendus dolor eſt. Tu, quoniam neceſſe nihil eſt, ſic ſcribes aliquid, ſi vacabis. Quod putas [19] oportere pervideri jam animi mei firmitatem, graviuſque quoſdam ſcribis de me loqui, quam aut te ſcribere, aut Brutum: ſi, qui me fractum eſſe animo, & debilitatum putant, ſciant quid litterarum, & cujus generis conficiam; credo, ſi modò homines ſint, exiſtiment me, ſive ita levatus ſim, ut animum vacuum ad res difficiles ſcribendas afferam, reprehendendum non eſſe; ſive hanc *aberratione à dolore* delegerim, quæ maxime liberaliſſima, doctoque homine digniſſima, laudari me

---

1. *Certum diem illius profectionis.*] Victorii antiquior codex ſic habet, *ex quo intelligam te certitudinem illius profectionis:* vulg. *certum illius profectionis diem.*

2. *Tu tamen ſi quid.*] Totam hanc periodum uſque ad illa verba, *Hirtii epiſtolam*, ſuperiori epiſtolæ adſcripſit vulgata editio.

3. *Quam à te proximè.*] Reſtituit Boſius ex Scidis & Tornæſiano has duas voculas, *à te*, quæ exſulabant à vulgatis.

4. *Suada erui poteſt.*] Receptam lectionem correxit Boſius, adjutus aliquantulum ope veterum librorum; in quibus cum liquido ſcriptum reperiſſet *ſuaderi*, repoſuit, *ſuada erui*. Junius teſtatur etiam in mſ. uno legi *ſuaderi*, unde *diſſuaderi* legit; quod etiam Lambinus conjecerat.

5. *Fateor enim.*] Vulg. *fatebor enim.*

6. *Non habeo.*] Vulg. *nam habeo.*

7. *Quam tibi dixit.*] Legendum, *dixit*, ut eſt in Decurt. vulg. *quam tibi dixi.*

8. *Tu ad villam fortaſſe cras.*] Verba hæc in ſequentem epiſtolam rejicit vulgata editio; ſed hæc non eſſe ſequentis epiſtolæ, & argumentum & mſ. docere ait Junius.

9. *A te heri duas epiſtolas accepi.*] Verbum hoc, *accepi*, ſubdititium putat Lamb. & ſumendum infernè *ἀπὸ κοινοῦ*. ſed hanc ſuſpicionem refellit Tornæſ. in quo legitur, *accepique ab Ægypta liberto eodem die:* & ita edidit Boſius. Ceterùm pro *accepi* vulg. legitur *recepi*.

10. *Hæ litteræ.*] Ita legi vult Lamb. ex codice Tornæſ. vulg. *tuæ litteræ.*

11. *Rationem tuam de Tuſculano. quamvis prudens.*] Aliter diſtinguit vulg. *rationem tuam. De Tuſculano, quamvis prudens.*

12. *Uti ſtomachere.*] Ita repoſuit Boſius ex priſcis ſuis. Junius ex mſſ. duobus Pal. *ut ut ſtomachere.* vulg. *ut mihi ſtomachere.*

13. *Gratia opus eſt nobis tua, tuaque auctoritate.*] Sic veteres Boſii mſſ. Junius ex duobus Pal. *gratia potius opus eſt nobis tua, quam auctoritate.*

14. *Hirtius ad me ſcripſit.*] Hoc quoque initium epiſtolæ in mſſ. Palat.

15. *Quaſi dubia miſiſti.*] Vulg. *quaſi dubia re miſiſti.*

16. *Multum levaris, ſi locum.*] Vocabulum hoc, *levaris*, ex mſſ. Palat. rejicit Junius.

17. *Suſpicor te eſſe.*] *Te* deeſt in vulg.

18. *Ecquid impurius.*] Vulg. *quid impurius.*

19. *Oportere pervideri.*] Rectius libri veteres, *pervideri*, quàm vulgati.

me etiam oportere. ſed, cùm ego faciam omnia, quæ facere poſſim ad me adjuvandum; tu effice id, quod video te non minus, quàm me laborare. hoc mihi debere videor, neque levari poſſe, niſi ſolvero, aut videro me poſſe ſolvere, id eſt, locum, qualem volo, invenero. Heredes Scapulæ, ſi iſtos hortos, ut ſcribis tibi Othonem dixiſſe, partibus quatuor factis, liceri cogitant: nihil eſt ſcilicet emptori loci. ſin venibunt: quid fieri poſſit, videbimus. nam ille [1] locus Publicianus, qui eſt Trebonii, & Cuſinii, erat ad me allatus. ſed ſcis aream eſſe. nullo pacto probo. Clodiæ ſane placent; ſed non puto eſſe venaleis. De Druſi hortis, quamvis ab iis abhorreas, ut ſcribis, tamen eò confugiam, niſi quid inveneris. ædificatio me non movet. nihil enim aliud ædificabo, niſi id, quod etiam, ſi illos non habuero: [2] κῦρος δ', ε, mihi ſic placuit, ut cetera Antiſthenis, hominis acuti magis, quàm eruditi.

39 CICERO ATTICO, S.

TABELLARIUS ad me cùm ſine litteris tuis veniſſet, exiſtimavi tibi eam cauſam non ſcribendi fuiſſe, quòd pridie ſcripſiſſes ea ipſa, ad quæ reſcripſi hac epiſtola. exſpectaram tamen aliquid de litteris Aſinii Pollionis. [3] ſed nimium ex meo otio tuum *ſpecto*. quamquam tibi remitto, niſi quid neceſſe erit, neceſſe ne habeas ſcribere, niſi eris valde otioſus. De tabellariis facerem quod ſuades, ſi eſſent ullæ neceſſariæ litteræ, ut erant olim, cùm brevioribus diebus, tamen quotidie reſpondebant tempori tabellarii; & erat aliquid, Silius, Druſus alia quædam. nunc, niſi Otho extitiſſet, [4] quod ſcriberemus non erat. idipſum dilatum eſt: tamen *allevor*, cùm loquor tecum abſens, & multo etiam magis, cùm tuas litteras lego. ſed quoniam & abes (ſic enim arbitror) & ſcribendi neceſſitas nulla eſt, conquieſcent litteræ, niſi quid novi extiterit.

40 CICERO ATTICO, S.

QUALIS futura ſit Cæſaris vituperatio contra laudationem meam, perſpexi ex eo libro, quem Hirtius ad me miſit, in quo colligit *vitia* Catonis, ſed cum maximis laudibus meis. itaque miſi librum ad Muſcam, ut tuis librariis daret. volo enim eum divulgari: quod quò faciliùs fiat, imperabis tuis. Συμβουλευτικὸν ſæpe conor: nihil reperio: & quidem mecum habeo [5] & Ἀριστοτέλους & Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον: ſed quid ſimile? illi, & quæ ipſis honeſta eſſent, ſcribebant, & grata Alexandro. ecquid tu ejuſmodi reperis? mihi quidem in mentem venit. Quod ſcribis te vereri, ne & gratia & auctoritas noſtra hoc meo mœrore minuatur: ego, quid homines aut reprehendant, aut poſtulent, neſcio; *ne doleam?* [6] qui poteſt? ne jaceam? quis umquam minus? dum tua me domus levabat, quis à me excluſus? quis venit, [7] qui offenderetur? Aſturam ſum à te profectus. legere iſti læti, qui me reprehendunt, tam multa non poſſunt, quàm ego ſcripſi. quam bene, nihil ad rem. ſed genus ſcribendi id fuit, quod nemo *abjecto animo* facere poſſet. triginta dies in hortis fui. quis aut congreſſum meum, aut facilitatem ſermonis deſideravit? nunc ipſum, ea lego, ea ſcribo, ut ii, qui mecum ſunt, difficiliùs otium ferant, quàm ego laborem. ſi quis requirit, cur Romæ non ſim: quia diſceſſus eſt. cur non ſim in his meis prædiolis, quæ ſunt hujus temporis: quia frequentiam illam non facile ferrem. ibi ſum igitur, ubi is, qui optimas Bajas habebat, quotannis hoc tempus conſumere ſolebat. cùm Romam venero, nec vultu, nec oratione reprehendar. hilaritatem illam, qua hanc *triſtitiam temporum* condiebamus, in perpetuum amiſi. conſtantia, & firmitas nec animi, nec orationis requiretur. De hortis Scapulanis hoc videtur effici poſſe, aliud tua gratia, aliud noſtra, ut præconi ſubjiciantur. id niſi fit, excludemur. ſin ad tabulam venimus, vincemus facultates Othonis noſtra cupiditate. Nam quod ad me de Lentulo ſcribis, non eſt in eo. Faberiana modò res certa ſit, tuque enitare, quod facis; quod volumus conſequemur. [8] Quod quæris, quam diu hîc; paucos dies. ſed certum non habeo. ſimul ac conſtituero, ad te ſcribam: & tu ad me, quàm diu in ſuburbano ſis futurus. quo die ego ad te hæc miſi, de Pilia, & Attica mihi quoque eadem, quæ ſcribis, & ſcribuntur, & nuntiantur.

CICERO ATTICO, S. 41

NIHIL erat, quod ſcriberem. ſcire tamen volebam, ubi eſſes; ſi abes, aut abfuturus es: quando rediturus eſſes: [9] facies igitur me certiorem. Et, quod tu ſcire volebas, ego quando ex hoc loco; poſtridie Idus Lanuvii conſtitui manere; inde poſtridie in Tuſculano, aut Romæ. utrum ſim facturus, eo ipſo die ſcies. Scis quàm ſit φιλαίτιον συμφορά, minimè in te quidem: ſed tamen avidè ſum affectus de fano: [10] quod niſi, non dico, effectum erit, ſed fieri videro; audebo hoc dicere (& tu, ut ſoles, accipies) *incurſabit* in te dolor meus, non jure ille quidem; ſed tamen feres hoc ipſum, quod ſcribo, ut omnia mea fers, ac tuliſti. omnes tuas conſolationes unam hanc in rem velim conferas. ſi quæris, quid optem: primùm Scapulæ, deinde Clodiæ; poſtea, ſi Silius nolet; Druſus aget injuſtè; Cuſinii & Trebonii. puto [11] Terentium eſſe dominum, [12] Rebilum fuiſſe certe ſcio. ſin autem tibi Tuſculanum placet, ut ſignificaſti quibuſdam litteris, tibi aſſentiar. hoc quidem utique perficies, ſi me levari vis; quem jam etiam graviùs accuſas, quàm patitur tua conſuetudo: ſed facis ſummo amore, & victus fortaſſe vitio meo: ſed tamen, ſi me levari vis, hæc eſt ſumma levatio: vel (ſi verum ſcire vis) una. Hirtii epiſtolam ſi legeris, quæ mihi quaſi προπλασμα videtur ejus vituperationis, quam Cæſar ſcripſit de Catone; facies me, quid tibi viſum ſit, ſi tibi erit commodum, certiorem. Redeo ad fanum. niſi hac æſtate abſolutum erit, quam vides integram reſtare, ſcelere me liberatum non putabo.

CICERO ATTICO, S. 42

NULLUM à te deſideravi diem litterarum. videbam enim quæ ſcribis: & tamen ſuſpicabar, vel potius intelligebam, nihil fuiſſe, quod ſcriberes, A. D. VI. ID. verò & abeſſe te putabam, & planè videbam nihil te habere. ego tamen ad te ferè quotidie mittam. malo enim fruſtra, quàm te non habere, cui des; ſi quid forte ſit, quod putes me ſcire oportere. itaque accepi VI. ID. litteras tuas inanes.

1. *Locus Publicianus.*] Fretus auctoritate Decurtati. & Tornæſiani, ſcripſit Boſius, *Publicianus*; vulg. *publicanus*.

2. *Κῦρος δ', ε mihi ſic placuit.*] Tornæſ. KYPCAC: Decurt. KYPOCAC, unde conjecit Boſius legendum, κῦρος δ' ε. Vict. legebat, κύριος *mihi ſic placuit*; quam lectionem ſequuta eſt vulgata editio. Urſinus autem melius putat κῦρος, quæ eſt antiqui libri ſcriptura. Boſii lectionem mſſ. Palat. probant, referente Junio.

3. *Sed nimium.*] Quidam legunt, *ſed nimirum*, quod minùs probat Boſius, neque eſt in ſuis mſſ.

4. *Quod ſcriberemus.*] Vulg. *quid ſcriberemus*.

5. *Et Ἀριστοτέλους, & Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον.*] Vocabulum illud, Θεοπόμπου, ex mſſ. exemplaribus reſtituit Vict. cùm in nullis exſtaret editionibus. Germani aliquod vocabulum deſiderari videntes, Θεώρημα, ſubſtituerunt, ſed male.

6. *Qui poteſt.*] Cum apoſtropho legitur *pot' eſt*, tam in Tornæſ. quam in Decurtato.

7. *Qui offenderetur.*] Noluit vulgatam lectionem (*offenderetur*) mutare Boſius quamquam erat in Tornæſiano, *qui offenderet*, & paulò poſt *in horto*, pro *in hortis*.

8. *Quod quæris quamdiu hic.*] Hîc principium brevis unius epiſtolæ in mſſ. Palat.

9. *Facies igitur me.*] Vulgati libri *facias*. Boſius ſequutus mſſ. ſuos ſcripſit, *facies*; & mox, *poſtridie Idus*, pro, *poſtridie Iduum*, quod tamen non improbat.

10. *Quod niſi non dico, effectum erit, ſed fieri videro.*] Trajectis verbis legendum putat Lipſius, *quod niſi, non dico fieri videro, ſed niſi effectum erit*. lib. IV. Antiq. lect. cap. 19.

11. *Terentium eſſe dominum.*] Codex Tornæſianus, *tertium eſſe dominum*, mendose ut opinatur Lambinus.

12. *Rebilum fuiſſe certè ſcio.*] Vulg. *Rebilium fuiſſe certè ſcio.*

nes. quid enim habebas, quod ſcriberes? [1] mî tamen illud, quidquid erat, non moleſtum fuit, [2] NIHIL ALIUD; ſcire me, novi te nihil habere. [3] ſcripſiſti tamen neſcio quid de Clodia. ubi ergo ea eſt: aut quando ventura? placet mihi res ſic, ut ſecundum Othonem nihil magis. ſed neque hanc vendituram puto. delectatur enim, & copioſa eſt: & illud alterum quàm ſit difficile, te non fugit. ſed obſecro enitamur, ut aliquid ad id, quod cupio, excogitemus. [4] Ego me hinc poſtridie exiturum puto, ſed aut in Tuſculanum, aut domum; inde fortaſſe Arpinum. cùm certum ſciero, ſcribam ad te. Venerat mihi in mentem monere te, ut id ipſum, quod facis, faceres. putabam enim commodiùs te idem iſtud domi agere poſſe, interpellatione ſublata.

43 CICERO ATTICO S.

[5] EGo poſtridie Idus, ut ſcripſi ad te ante, Lanuvii manere conſtitui; inde aut Romæ, aut in Tuſculano. ſcies ante utrumque. [6] Quod ſiles rectè mî illam rem fore levamento; bene facis; cùm id eſſet, mihi crede, perinde, ut exiſtimare tu non poſſes. res indicat, quanto opere id cupiam, cum tibi audeam confiteri; quem id non ita valde probare arbitrer. ſed ferendus tibi in hoc meus *error*: ferendus? immò verò etiam adjuvandus. De Othone, diffido fortaſſe quia cupio. ſed tamen major etiam res eſt, quàm facultates noſtræ, præſertim adverſario & cupido, & locuplete, & herede. proximum eſt, ut velim Clodiæ. [7] ſed ſi iſta minus confici poſſunt, effice quidvis. ego me majore religione, quàm quiſquam fuit ullius voti, obſtrictum puto. videbis etiam Trebonianos: etſi abſunt domini. ſed, ut ad te heri ſcripſi, conſiderabis etiam de Tuſculano; ne æſtas effluat: quod certè non eſt committendum.

44 CICERO ATTICO, S.

ET Hirtium aliquid ad te συμπαθῶς de me ſcripſiſſe facilè patior; (fecit enim humanè) & te ejus epiſtolam ad me non miſiſſe, multo faciliùs. tu enim etiam humaniùs. Illius librum, quem ad me miſit de Catone, propterea volo divulgari à tuis, ut ex iſtorum vituperatione ſit illius *major laudatio*. Quod per Muſtellam agis, habes hominem valde idoneum, meique ſanè ſtudioſum jam inde à Pontiano. perfice igitur aliquid. quid autem aliud, niſi ut aditus ſit emptori? quod per quemvis heredem poteſt effici. ſed Muſtellam id perfecturum, ſi rogaris, puto. Mihi verò & locum, quem opto, ad id, quod volumus, dederis, & præterea ἐξήγημα. Nam illa Sillii, & Druſi non ſatis οἰκοδεσποτικά mihi videntur. [8] quid enim ſedere totos dies in villa iſta? igitur malim primum Othonis, deinde Clodiæ. ſi nihil fiet, aut Druſo ludus eſt ſuggerendus aut utendum Tuſculano. Quòd domi te incluſiſti, ratione feciſti. ſed quæſo confice, & te vacuum redde nobis. Ego hinc, ut ſcripſi antea, poſtridie id Lanuvium, deinde poſtridie in Tuſculano. *contudi* enim animum, & fortaſſe vici, ſi modò permanſero. ſcies igitur fortaſſe cras, ſummum perendie. Sed quid eſt quæſo? [9] Philotimus nec arctim Pompejum teneri; (qua de re litterarum ad Clodium Patavinum miſſarum exemplum mihi Oppius, & Balbus miſerant, ſe id factum arbitrari) bellumque narrat reliquum ſatis magnum. ſolet omnino eſſe Fulviniaſter. ſed tamen, ſi quid habes. volo etiam de naufragio Caniniano ſcire, quid ſit.

CICERO ATTICO, S. 45

EGo hîc duo magna συντάγματα abſolvi. nullo enim alio modo à miſeria quaſi *aberrare* poſſum. tu mihi, etiam ſi nihil erit, quod ſcribas, quod fore ita video; tamen idipſum ſcribas velim, te nihil habuiſſe, quod ſcriberes, dum modò ne his verbis. De Attica, optimè. Ἀκηδία tua me movet: etſi ſcribis nihil eſſe. In Tuſculano eo commodiùs ero, quòd & crebriùs tuas litteras accipiam, & te ipſum non numquam videbo. nam ceteroqui ἀνεκτότερα erant Aſturæ: nec hæc, quæ refricant, hîc me magis angunt. etſi tamen, UBICUMQUE ſum, illa ſunt mecum. De Cæſare vicino ſcripſeram ad te, quia cognoram ex tuis litteris. [10] eum σύνναον Quirino malo, quàm Saluti. Tu vero pervulga Hirtium. id enim ipſum putaram, quod ſcribis; ut cùm ingenium amici noſtri probaretur, ὑπόθεσις vituperandi Catonis irrideretur.

CICERO ATTICO, S. 46

VINCAM, opinor, animum, [11] & Lanuvio pergam in Tuſculanum. aut enim mihi in perpetuum fundo illo carendum eſt: (nam dolor idem manebit, [12] tantum mediocrius) aut neſcio quid interſit, utrum illuc nunc veniam, an ad decem annos. neque enim iſta major admonitio, quam quibus aſſiduè conficior, & dies & noctes. quid ergo? inquies: nihil *litteræ*? in hac quidem re, vereor ne etiam contra. nam eſſem fortaſſe durior. [13] ξεστῷ enim animo nihil agreſte, nihil inhumanum eſt.

CICERO ATTICO, S. 47

[14] TU igitur, ut ſcripſiſti; nec id incommodò tuo. vel binæ enim poterunt litteræ. occurram etiam, ſi neceſſe erit. ergo id quidem, ut poteris. De Muſtella, ut ſcribis: etſi magnum opus eſt. eo magis delabor ad Clodiam. quam in utroque Faberianum nomen explorandum eſt: de quo, nihil nocuerit, ſi aliquid cum Balbo eris locutus; & quidem, ut res eſt, emere nos velle, nec poſſe ſine iſto nomine [15] nec audere re incerta. ſed quando Clodia Romæ futura eſt, & quia tanti rem æſtimas, [16] eo prorſus ſpecto; non quin illud malim; ſed & magna res eſt, & difficile certamen cum *cupido*, cum *locuplete*, cum *herede*: etſi de cupiditate nemini concedam: ceteris rebus inferiores ſumus. ſed hæc coram. Hirtii librum, ut facis, divulga. De Philotimo, idem & ego arbitrabar. Domum tuam pluris video futuram *vicino Cæſare*. Tabellarium meum hodie exſpectamus. nos de Pilia, & Attica certiores faciet.

CICE-

1. *Mi tamen.*] Vulg. *mihi.*

2. *Nihil aliud; ſcire me, novi te nihil habere.*] Aliter diſtinguit vulgus, *Nihil aliud ſcire me, novi te nihil habere.*

3. *Scripſiſti tamen.*] Vulg. *ſcripſi tamen.*

4. *Ego me hinc poſtridie.*] Hoc quoque initium brevis epiſt. in i.. m.ſ. Pal.

5. *Ego poſtridie Idus.*] Superiori epiſtolæ tota hæc periodus uſque ad illa verba, *quod ſiles*; annexa eſt.

6. *Quod ſiles rectè mi illam rem.*] Ita Boſ. ex Decurt. vulg. *quod ſcies rectè illam rem fore levamento.* Lamb. olim ſecutus erat conjecturam Manutii, *quod ſcribis, reri te, mihi illam rem, &c.* ſed poſtea mutata ſententia, pro, *reri te*, legendum cenſuit *certè.*

7. *Sed ſi iſta minus.*] Vulg. deeſt particula, *ſed.*

8. *Quid enim ſedere.*] Ita interpungendum, auctore Boſio.

9. *Philotimus nec arctim Pompeium teneri.*] Vulg. libri, *nec Cartini*; ſed *Cartinum* ubi ſit, non facilius opinatur Boſius, quis inveniat quàm Ariſtophanis νεφελοκοκκυγίας. Legit igitur ex Decurtato *nec arctim.* Lamb. ſequutus Manut. conjecturam, *Philotimus nec Carteiæ Pompejum teneri*, legit: ſed ex codice Torn. in quo eſt, *nec Cartani*, conjiciebat Turnebus, *Philotimus negat Cn. Pompejum, &c.* ſi quid verò ſit præterea mutandum, Lambinus ſcribi vellet, *Philotimus negat Carteiæ Cn. Pompejum teneri.*

10. *Eum σύνναον Quirino malo.*] Ita reſtituit Victorius ex antiquiori ſuo, in quo legebatur, *eunnaon.* prius autem inane ſpatium erat in excuſis: quod Germani explere conati magis corruperant. Ceterùm pro *Quirino* legit vulgus *Quirini.*

11. *Et Lanuvio pergam.*] Particula, *&*, deeſt in vulg.

12. *Tantum mediocrius.*] Etiam codex Tornæſ. ut & ii quibus Petrus Victor. uſus eſt, habent *tantummodò octius*, unde Corradus legendum exiſtimat, *tantummodo ſocius.* Lamb. hujus emendationis *tantum mediocrius*, quiſquis auctor ſit, rectum putat. Junius legit, *tantummodo auctius.*

13. *Ξεστῷ enim animo.*] Mſſ. ſuorum priſcam lectionem, *exſto*, ita emendavit Boſius. Victor. legit *exculto.* Junius mſſ. omnibus conſentientibus legit, *iſto enim animo, &c.*

14. *Tu igitur ut ſcripſiſti.*] Hanc periodum uſque ad illa verba, *De Muſtella ut ſcribis*, ſuperiori epiſtolæ aptari neceſſe eſſe ex mſſ. Palat. ait Junius.

15. *Nec audere re incerta.*] Vulg. *nec audere incertò.*

16. *Eo prorſus ſpecto.*] Vulg. *eò prorſus exſpecto.*

48 CICERO ATTICO S.

DOmi te libenter eſſe facilè credo. ſed velim ſcire, quid tibi reſtet, aut jam ne confeceris. ego te in Tuſculano exſpecto, eoque magis, quod Tironi ſtatim te venturum ſcripſiſti, & addidiſti, te putare opus eſſe. ſentiebam omnino, quantum mihi præſens prodeſſes; ſed multo magis *poſt diſceſſum* tuum ſentio. quamobrem, ut ante ad te ſcripſi, aut ego ad te totus, aut tu ad me, [1] quod licebit.

49 CICERO ATTICO, S.

HERI non multo poſt, quàm tu à me diſceſſiſti, puto, quidam urbani, ut videbantur, ad me mandata, & litteras attulerunt [2] à C. Mario C. F. C. N. multis verbis agere mecum per cognationem, quæ mihi ſecum eſſet, per eum Marium, quem ſcripſiſſem, per eloquentiam L. Craſſi, avi ſui, ut ſe defenderem; cauſamque ſuam mihi perſcripſit. reſcripſi patrono illi nihil opus eſſe, quoniam Cæſaris, propinqui ejus, omnis poteſtas eſſet, viri optimi, & hominis liberaliſſimi: me tamen ei fauturum. O tempora! fore, cum dubitet Curtius Conſulatum petere? Sed hæc hactenus. De Tirone, mihi curæ eſt. ſed jam ſciam, quid agat. heri enim miſi, qui videret: cui etiam ad te litteras dedi. Epiſtolam ad Cæſarem tibi miſi. horti quam in diem proſcripti ſint, velim ad me ſcribas.

50 CICERO ATTICO, S.

UT me levarat tuus adventus, ſic diſceſſus afflixit. quare cùm poteris, id eſt cum [3] Sexti auctioni operam dederis, reviſes nos. vel unus dies mihi erit utilis? quid dicam, gratus? ipſe Romam venirem, ut una eſſemus ſi ſatis conſilium quadam de re haberem.

51 CICERO ATTICO, S

TIRONEM habeo citiùs, quàm verebar. venit etiam Nicias: & Valerium hodie audiebam eſſe venturum. quamvis multi ſint, magis tamen ero ſolus, quàm ſi unus eſſes. ſed exſpecto te, à Peduceo utique. tu autem ſignificas aliquid etiam ante. verùm id quidem, ut poteris. De Virgilio, ut ſcribis. hoc tamen velim ſcire, quando auctio. Epiſtolam ad Cæſarem mitti, video tibi placere. quid quæris? [4] mihi quoque hoc idem maximè placuit, & eo magis, quòd nihil eſt in ea, niſi optimi civis; ſed ita optimi, *ut tempora*, quibus parere omnes πολιτικοὶ præcipiunt. [5] ſed ſcis ita nobis eſſe viſum, ut iſti ante legerent. tu igitur ut curabis. ſed, niſi planè iis intelliges placere, mittenda non eſt. id autem utrum illi ſentiant, anne ſimulent [6] tu intelliges. mihi ſimulatio pro repudiatione fuerit. [7] τοῦτο δ' μυῖα ὄσῃ? De Cærellia quid tibi placeret, Tiro mihi narravit: *debere*, non eſſe dignitatis meæ: perſcriptionem tibi placere: hoc metuere, alterum in metu non ponere. ſed & hæc, & multa alia coram. ſuſtinenda tamen, ſi tibi videbitur, ſolutio eſt nominis Cærelliani, dum & de Metone, & de Faberio ſciamus.

CICERO ATTICO, S. 52

L Tullium Montanum noſti, qui cum Cicerone profectus eſt. ab ejus ſororis viro litteras accepi, Montanum Planco debere, quòd præs pro Flaminio ſit, H-S XXV: de ea re neſcio quid te à Montano rogatum. ſanè velim, ſive Plancus eſt rogandus, ſive qua re potes illum juvare, juves. pertinet ad noſtrum officium. ſi res tibi fortè notior eſt, quam mihi; aut ſi Plancum rogandum putas; ſcribas ad me velim; ut, quid rei ſit, & quid rogandum, ſciam. De epiſtola ad Cæſarem quid egeris, exſpecto. De Silio, non ita ſanè laboro. tu mi aut Scapulanos, aut Clodianos efficias, neceſſe eſt. ſed neſcio quid videris dubitare de Clodia; utrum, [8] quando veneant, an ſintne venales? Sed quid eſt, quod audio, Spintherem feciſſe divortium? De lingua Latina ſecuri es animi, dices, qui talia conſcribis; ἀπόγραφα ſunt: minore labore fiunt: verba tantum affero, quibus abundo.

CICERO ATTICO, S. 53

EGo, etſi nihil habeo, quod ad te ſcribam, ſcribo tamen, quia tecum *loqui* videor. Hic nobiſcum ſunt Nicias, & Valerius. hodie tuas litteras exſpectabamus matutinas. erunt fortaſſe alteræ poſtmeridianæ, niſi te Epeiroticæ litteræ impedient: quas ego non interpello. Miſi ad te epiſtolas ad Marcianum, & ad Montanum. eas in eundem faſciculum velim addas, niſi fortè jam dediſti.

M. TUL-

1. *Quod licebit.*] In quibuſdam antiquis eſt, *quot*, ut Manut. edidit; in aliis, *quod licebit*; idque ſincerius putat Boſius, pro *quoad*.

2. *A C. Mario C. F. C. N. multis verbis, &c.*] Vulg. *à C. Mario C. F. eum multis verbis.*

3. *Sextii auctioni.*] Vulg. *Seſtii.*

4. *Mihi quoque hoc idem.*] Apud quoſdam receptam lectionem, *hodie*, pro, *hoc idem*, non improbat quidem Boſius, eam tamen ſequutus eſt quam referebat Decurtatus, quo auctore edidit, *hoc idem*; pronomen, *hoc*, deeſt in vulg.

5. *Sed ſcis ita nobis eſſe viſum.*] Sic Boſius ex fide Decurtati: vulgo, *ſed ſic nobis viſum.*

6. *Tu intelliges. mihi ſimulatio.*] Vulg. *tu intelliges. ſed mihi ſimulatio.*

7. *Τοῦτο δ' μυῖα ὄσῃ?*] Veteres Boſ. mſſ. TOYTO ΔΕ MYΛOCH, quod ita correxit & diſtinxit, τοῦτο δ' μυῖα ὄσῃ? vulg. τοῦτο δ' μηλώσῃ; quod ex veteris ſcripturæ veſtigiis conjecerat Victorius; pro, τοῦτο δ' γνώσῃ, quod antea legebatur: vulgatam lectionem ſequitur Junius. at Dauſqueius legit; τοῦτο δέ μοι μελήσῃ. hoc mihi curæ futurum eſt. aut: τοῦτο δέ μ' ἡ λώσῃ, *clavum injiciet*, ſeu, rebus meis moram atque impedimentum.

8. *Quando veneant, an ſintne venales?*] Vulg. *quando veniat an ſintne venales.*

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM LIBER DECIMUSTERTIUS, AD ATTICUM.

1 CICERO ATTICO, S.

AD Ciceronem ita ſcripſiſti, [1] ulli ut neque ſeveriùs, [2] neque temperatiùs ſcribi potuerit; nec [3] magis, quàm quemadmodum ego maxime vellem. prudentiſſimè etiam ad Tullios. quare aut iſta proficient, aut aliud agamus. De pecunia verò, video à te omnem diligentiam adhiberi, vel potius jam adhibitam: [4] quod ſi efficis, à te hortos habebo. nec verò ullum genus poſſeſſionis eſt, quod malim, maximè ſcilicet ob eam cauſam, quæ ſuſcepta eſt; cujus feſtinationem mihi tollis, quoniam de æſtate polliceris, vel potius recipis: deinde etiam ad καταβίωσιν, mœſtitiamque *minuendam* nihil mihi [5] reperiri poteſt aptius: cujus re cupiditas impellit me interdum, ut te hortari velim. ſed me ipſe revoco. non enim dubito, quin, quod me valde velle putes, in eo tu me ipſum cupiditate vincas. itaque iſtuc jam pro facto habeo. Exſpecto, quid iſtis placeat de epiſtola ad Cæſarem. Nicias te, ut debet, amat, vehementerque tua ſui memoria delectatur. Ego verò Peduceum noſtrum vehementer diligo. [6] nam ecquanti patrem feci, totum in hunc: ipſum per ſe æquè amo, atque illum amavi: te verò plurimum, qui hoc ab utroque noſtrum fieri velis. Si hortos inſpexeris, & ſi de epiſtola certiorem me feceris, dederis mihi quod ad te ſcribam: ſin minùs, ſcribam tamen aliquid. numquam enim deerit.

2 CICERO ATTICO, S.

GRATIOR mihi *celeritas* tua, quàm ipſa res. quid enim indignius? ſed jam ad iſta obduruimus, & humanitatem omnem exuimus. Tuas litteras hodie exſpectabam, nihil equidem ut ex iis novi: quid enim? verum tamen. Oppio, & Balbo epiſtolas deferri jubebis, & tamen Piſonem ſicubi de auro. Faberius ſi venerit, videbis ut tantum attribuatur, ſi modò attribuetur, quantum debetur. accipies ab Erote. Ariarathes [7] Ariobarzani filius Romam venit. vult, opinor, regnum aliquod emere à Cæſare. nam, quo modo nunc eſt, pedem ubi ponat in ſuo, non habet. omnino eum Seſtius noſter [8] parochus publicus occupavit: quod quidem facilè patior. verumtamen, quòd mihi, ſummo beneficio meo, magna cum fratribus illius neceſſitudo eſt, invito eum per litteras, ut apud me *diverſetur*. ad eam rem cùm mitterem Alexandrum, has ei dedi litteras. Cras igitur auctio Peducei. cùm poteris ergo: etſi impediet fortaſſe Faberius: ſed tamen, cùm licebit. Dionyſius noſter graviter queritur, & tamen jure, à diſcipulis abeſſe tam diu. multis verbis ſcripſit ad me, credo item ad te. mihi quidem videtur etiam [9] diutiùs abfuturus: ac nollem. valde enim hominem deſidero.

CICERO ATTICO, S. 3

A TE litteras exſpectabam; nondum ſcilicet. nam has mane reſcribebam. Ego verò iſta nomina ſic probo, ut nihil aliud me moveat, niſi quod tu videris dubitare. illud enim non accipio in bonam partem, quod ad me refers: [10] qui ſi ipſe negotium meum gererem, nihil gererem, niſi *conſilio tuo*. ſed tamen intelligo, magis te id facere diligentia, qua ſemper uteris, quàm quòd dubites de nominibus iſtis. etenim Cœlium non probas: plura non vis. utrumque laudo. his igitur utendum eſt. [11] præs aliquando factus eſſes, & in his quidem tabulis. à me igitur omnia. [12] quòd dies longior eſt, (teneamus modò quod volumus) puto fore iſtam etiam à præcone diem, certè ab heredibus. De Criſpo & Muſtella videbis: & velim ſcire, quæ ſit pars duorum. De Bruti adventu eram factus certior. attulerat enim ab eo Ægypta libertus litteras. miſi ad te epiſtolam, quia commodè ſcripta erat.

CICERO ATTICO, S. 4

HABEO munus à te elaboratum [13] de decem legatorum; & quidem puto. nam filius anno poſt Quæſtor fuit, quàm Conſul Mummius. ſed quoniam ſæpiùs de nominibus quæris quid placeat, ego quoque tibi ſæpius reſpondeo, placere. Si quid poteris cum Piſone, conficies: [14] Avius enim videtur in officio futurus. Velim ante poſſis; ſi minùs, utique ſimul ſimus cùm Brutus veniet in Tuſculanum. magni intereſt mea, unà nos eſſe. ſcies autem, qui dies is futurus ſit, ſi puero negotium dederis, ut quærat.

CICE-

1. U*Lli ut neque ſeverius.*] Hanc lectionem efformavit Boſius ex corrupta hac Tornæſ. & Scidarum ſcriptura, *ullius neque ſeverius*. vulg. omittitur vox, *ulli*.

2. *Temperatiùs.*] Auctoribus libris ſuis Tornæſ. & Decurt. ſic reſcripſit Boſius. alii, *temperantiùs*, legunt.

3. *Magis, quàm quemadmodum.*] Dictio, *quàm*, Manutio videtur abundare.

4. *Quod ſi efficis.*] Ita erat in mſſ. Boſii. vulgò, *& ſi efficis*.

5. *Reperiri poteſt aptius.*] Vulg. *acrius*.

6. *Nam ecquanti patrem feci, totum in hunc: ipſum.*] Pro *ecquanti*, vulg. habetur *& quanti*. Ceterum Victorius ſe hunc locum reſtituiſſe ex codd. ſuis ait, quum antea nullo ſenſu legeretur, *totum in hunc ipſum, perſequor æque, &c.*

7. *Ariobarzani.*] Vulg. *Ariobarzanis*.

8. *Parochus publicus.*] Hæc eſt Tornæſii, Victorii, & Malaſp. codicum lectio quæ probatur Lambino. Junius Fulvium ſequutus legit, *parochus publicis*. vulgò *parochiis*.

9. *Diutius afuturus: ac nollem.*] Vulgò & legitur & diſtinguitur, *diutius abfuturus, ac nollem*.

10. *Qui ſi ipſe negotium meum gererem, nihil gererem niſi conſilio tuo.*] Ita Lamb. repoſuit ex Torn. quæ lectio Scidarum auctoritate confirmatur. vulg. *quid? ipſe negotium meum gererem, niſi conſilio, &c.*

11. *Præs aliquando factus eſſes & in his quidem.*] Ita ex Scidis legit Boſius. vulgati Victorium ſequuntur legentem, *præs aliquando factus eſſet in his*: antea habebatur, *expers aliquando factus eſſet, &c.* Lamb. ex Tornæſ. ut ait, cum Germanis legit, *præs aliquando es*; ex quo Manutius facit *factus eſſes*.

12. *Quod dies longior eſt (teneamus modo quod volumus) puto, &c.*] Manut. ita conjecit legendum, cujus conjecturam confirmavit codex Tornæſ. in quo planè ſic ſcriptum repperit Lambinus. vulgati habent, *quod dies longiores teneamus*.

13. *De decem legatorum.*] Ex Scidis & Tornæſ. ſic edidit Boſius; vulg. particula, *de*, abeſt.

14. *Avius enim videtur.*] Ita emendavit Victorius ex vett. codd. antea habebatur, *animus enim, &c.* vulgò legunt *Aulus enim, &c.*

1. Sp.

5
CICERO ATTICO, S.

[1] SP. Mummium putaram in decem legatis fuiſſe: [2] ſed videlicet. etenim εὔλογον fratri fuiſſe. fuit enim ad Corinthum. miſi tibi Torquatum. colloquere tu quidem cum Silio, ut ſcribis, & urge. illam diem negabat eſſe menſe Majo, iſtam non negabat. ſed tu, ut omnia, iſtuc quoque ages diligenter. [3] De Criſpo & Muſtella, ſcilicet cùm quid egeris. Quoniam ad Bruti adventum fore te nobiſcum polliceris, ſatis eſt, præſertim cùm hi tibi dies in magno noſtro negotio conſumantur.

6
CICERO ATTICO, S.

DE aquæductu probè feciſti. [4] columnarium, [5] vide, ne nullum debeamus. quamquam mihi videor audiſſe à Camillo, *commutatam* eſſe legem. Piſoni, quid eſt, quod honeſtiùs reſpondere poſſimus, quam ſolitudinem Catonis? [6] nec coheredibus ſolum Herennianis, ſed etiam, ut ſcis, (tu enim mecum egiſti) de puero Lucullo: quam pecuniam tutor (nam hoc quoque ad rem pertinet) in Achaia ſumſerat. ſed agit liberaliter, quoniam negat ſe quidquam facturum contra noſtram voluntatem. coram igitur, ut ſcribis, conſtituemus, quemadmodum rem explicemus. Quod reliquos coheredes conveniſti, [7] planè bene feciſti. Quod epiſtolam meam ad Brutum poſcis, non habeo ejus exemplum, ſed tamen ſalvum eſt; [8] & ait Tiro te habere oportere: &, ut recordor, unà cum illius objurgatoria tibi meam quoque, quam ad eum reſcripſeram, miſi. Judiciali moleſtia ut caream, videbis. Tuditanum iſtum, proavum Hortenſii, planè non noram; & filium, qui tum non potuerat eſſe legatus, fuiſſe putaram. Mummium fuiſſe ad Corinthum, pro certo habeo. ſæpe enim hic Spurius, [9] qui nuper eſt, epiſtolas mihi pronuntiabat [10] *verſiculis facetis*, ad familiares miſſas à Corintho. ſed non dubito, quin fratri fuerit legatus, non in decem. atque hoc etiam accepi; non ſolitos majoreis noſtros legare in decem, qui eſſent imperatorum neceſſarii, ut nos ignari pulcherrimorum inſtitutorum, aut *negligentes* potiùs M. Lucullum, & L. Murenam, [11] & ceteros conjunctiſſimos ad L. Lucullum miſimus. illudque εὐλογώτατον, illum fratri in primis ejus legatis fuiſſe. operam tuam multam! qui & hæc cures, & mea expedias, & ſis in tuis multo *minùs diligens*, quàm in meis.

7
CICERO ATTICO, S.

SESTIUS apud me fuit, & Theopompus pridie: veniſſe à Cæſare narrabat litteras; hoc ſcribere, ſibi certum eſſe Romæ manere; [12] cauſamque eam adſcribere, quæ erat in epiſtola noſtra, ne ſe abſente leges ſuæ *negligerentur*, ſicut eſſet neglecta ſumtuaria. eſt εὔλογον: idque eram ſuſpicatus. ſed iſtis mos gerendus eſt; niſi placet: hanc ipſam ſententiam nos perſequi. & Lentulum cum Metella certè feciſſe divortium. hæc omnia tu meliùs. reſcribes igitur quidquid voles, dum modo quid. jam enim non reperio, quid te reſcripturum putem, niſi fortè de Muſtella, aut ſi Silium videris. [13] Brutus heri venit in Tuſculanum poſt horam decimam. hodie igitur me videbit: [14] ac vellem, cùm adeſſes. juſſi equidem ei nuntiari, te, quoad potuiſſes, exſpectaſſe ejus adventum, venturumque, ſi audiſſes: meque, ut facio, continuò te certiorem eſſe facturum.

CICERO ATTICO, S. 8

PLANE nihil erat, quod ad te ſcriberem. modò enim diſceſſeras, & paullo poſt tripliceis remiſeras. [15] velim cures faſciculum ad Veſtorium deferendum: & alicui des negotium, qui quærat, Q. Faberii fundus num quis in Pompejano, [16] Nolanove vænalis ſit. Epitomen Bruti Cœlianorum velim mihi mittas, & à [17] Philoxeno Παναιτίου περὶ προνοίας. Te Idib. videbo cum tuis.

CICERO ATTICO, S. 9

COMMODUM diſceſſeras heri, cùm Trebatius venit, paullo poſt Curtius; hic ſalutandi cauſa: ſed manſit invitatus. Trebatium nobiſcum habemus. hodie manè Dolabella. multus ſermo ad multum diem. nihil poſſum dicere ἐκτενέστερον, nihil φιλοστοργότερον. [18] ventum eſt tamen ad Quintum. multa ἄφατα, ἀδιήγητα: ſed unum ejuſmodi, quod niſi exercitus ſciret, non modò Tironi dictare, ſed ne ipſe quidem auderem ſcribere. ſed hactenus. εὐκαίρως ad me venit, cùm haberem Dolabellam, Torquatus; humaniſſimeque Dolabella, quibus verbis ſecum egiſſem, expoſuit. commodùm enim egeram diligentiſſimè: quæ diligentia grata eſt viſa Torquato. A te exſpecto, ſi quid de Bruto. quamquam Nicias confectum putabat: ſed *divortium* non probari. quo etiam [19] magis laboro idem, quod tu. ſi quid eſt enim offenſionis, hæc res mederi poteſt. [20] mihi Arpinum eundum eſt. nam & opus eſt conſtitui à nobis illa prædiola; & vereor, ne exeundi poteſtas non ſit, cùm Cæſar venerit: de cujus adventu eam opinionem Dolabella habet, quam tu conjecturam faciebas ex litteris Meſſallæ. cùm illuc venero, intellexeroque quid negotii ſit; tum, ad quos dies rediturus ſim, ſcribam ad te.

CICERO ATTICO, S. 10

MINIME miror te & graviter ferre de Marcello, & plura vereri periculi genera. QUIS ENIM hoc timeret, quod neque acciderat antea, nec videbatur natura ferre, ut accidere poſſet? omnia igitur metuenda. ſed illud

[1] περὶ

1. *Sp. Mummium.*] Boſius Scidas ſequutus rectè hic inchoat epiſtolam, teſte Junio.

2. *Sed videlicet: etenim εὔλογον fratri fuiſſe.*] Ita ex antiquis ſuis Boſius. antea erat *& videlicet.* Pighius in Faſtis ſuis ad annum urbis DCIV. aſſerit etiam in mſ. veterrimo fuiſſe, *ſed videlicet;* conjicitque: *ſed videre licet.* hoc eſt diſpicere & conſiderare diligentius licet. idem liber ejus habebat, *in decem fuiſſe*, ſine illo *legatis.*

3. *De Criſpo & Muſtella ſcilicet.*] Victorio hæc debetur emendatio, antea legebatur, *De Criſpo & multis ſcilicet.*

4. *Columnarium.*] Fulvius ait eſſe in uno mſ. *colonarium.*

5. *Vide ne nullum debeamus.*] Sic habet codex Tornæſ. probante Lambino. Manut. tamen, Corrad. & Malaſp. malunt legi, *ne ullum.*

6. *Nec coheredibus ſolum.*] Quidam ſic legi volunt, *nec cum coheredibus ſolum Herenn. ſed etiam, ut ſcis tu, me cum egit de puero Lucullo.* codex Tornæſ. habet, *nec cum heredibus, &c.* omnino locus corruptus videtur Lambino.

7. *Plane bene feciſti.*] Ita Decurt. & Tornæſ. verbum, *feciſti*, abeſt à vulgatis.

8. *Et ait Tiro te habere oportere; & ut recordor.*] Hanc lectionem ſequitur Junius, quam Lambin. improbat, illud, *oportere*, irreptitium exiſtimans, conjicitque poſſe legi, *& ait Tiro apud te eſſe, & ut recor.* ſequitur tamen codices Memm. Huralt. & Tornæſ. qui habent, *& ait Tiro te habere: & ut rec. &c.*

9. *Qui nuper, ſt.*] Emendatio hæc eſt Boſii: vulg. *qui nuper eſt * epiſt. &c.* Manut. ait in uno mſ. legi *qui nuper eſt mortuus*, ſed Boſio non probante, & dubitante Lambino. Victorius aliquid deeſſe agnoſcit.

10. *Verſiculis facetis.*] Vict. & Boſ. lectionem hanc etſi non multum probent, rejicere tamen non audent. illus mſſ. habent, *verſiculis facices*, hujus verò, ut & duo Palat. *verſiculis factas;* unde conjicit *verſiculis fartas.*

11. *Et ceteros conjunctiſſimos.*] Vocem, *conjunctiſſimos*, addidit Boſius ex ſuis mſſ.

12. *Cauſamque eam adſcribere.*] *Eum adſcribere*, vulgò.

13. *Brutus heri venit.*] Hoc principium epiſtolæ in mſ. uno Pal. & probat Junius.

14. *Ac vellem cum adeſſes. juſſi.*] Ita Lamb. & Boſius ex mſſ. legebatur antea in excuſis, *miſi equidem ei nuntiari.* Junius ait mſſ. Pal. habere, *miſi equidem & nuntiavi.*

15. *Velim cures faſciculum ad Veſtorium.*] Sic emendavit Vict. prius legebatur *velim cures eas titulum Olveſtorum, &c.*

16. *Nolanove vænalis.*] Sic habet mſ. unus Fulvii, ſic etiam veteres Boſii. vulgò *Nolano vænalis ſit.*

17. *Philoxeno.*] In Tornæſiano & Cruſellino eſt, *Piloxeno.*

18. *Ventum eſt tamen ad Quintum.*] Emendatio Victorii pro eo quod antea legebatur, *ventum eſt tamen ad quæ.* Manutius pro *tamen*, mavult, *tandem.*

19. *Magis laboro idem, quod tu.*] Vulg. *magis laboro. Idem quo tu, &c.*

20. *Mihi Arpinum eundum eſt.*] Hoc in mſ. Pal. principium epiſt.

1. Παὶ

[1] παρὰ τὴν ἱστορίαν, tu præſertim: *ME RELIQVUM CONSVLAREM*. quid? tibi Servius, quid videtur? quamquam hoc nullam ad partem valet ſcilicet, mihi præſertim, qui non minùs bene actum cum illis putem. quid enim ſumus? aut quid eſſe poſſumus? domine, an foris? quid niſi mihi hoc veniſſet in mentem ſcribere iſta neſcio quæ, quò verterem me, non haberem. ad Dolabellam, ut ſcribis, ita puto faciendum, κοινότερα quædam, πολιτικώτερα. faciendum certè aliquid eſt. valde enim deſiderat. [2] Brutus ſi quid egerit, curabis ut ſciam: cui quidem quamprimum agendum puto, præſertim ſi ſtatuit. *ſermunculum* enim omnem aut reſtinxerit, aut ſedarit. ſunt enim, qui loquantur etiam mecum. Sed hæc ipſe optimè, præſertim ſi etiam tecum loquetur. [3] Mihi eſt in animo proficiſci XI. Kal. hîc enim nihil habeo quod agam, ne hercule illic quidem, nec uſquam; [4] ſed tamen aliquid illic. Hodie Spinterem exſpecto. miſit enim Brutus [5] ad me: per litteras purgat Cæſarem de interitu Marcelli: in quem, ne ſi inſidiis quidem ille interfectus eſſet, caderet ulla *ſuſpicio*. nunc verò, cùm de Magio conſtet, nonne furor ejus cauſam omnem ſuſtinet? planè, quid ſit, non intelligo. explanabis igitur. quamquam nihil habeo, quòd dubitem, niſi, ipſi Magio quæ fuerit cauſa amentiæ pro quo quidem [6] etiam ſponſor Sunii factus eſt. nimirum id fuit. *ſolvendo* enim non erat. credo eum petiiſſe à Marcello aliquid, & illum, ut erat, conſtantiùs reſpondiſſe, [7] οὐ ταυτὸν εἶδος.

11 CICERO ATTICO S.

CREDEBAM eſſe facile. totum eſt aliud, poſteaquàm ſum à te [8] dijunctior. ſed fuit faciendum, ut & conſtituerem mercedulas prædiorum, & ne magnum onus obſervantiæ Bruto noſtro imponerem. poſthac enim poterimus commodiùs colere inter nos in Tuſculano. hoc autem tempore, cùm ille me quotidie videre vellet, ego ad illum ire non poſſem, privabatur omni delectatione Tuſculani. tu igitur, ſi Servilia venerit, ſi Brutus quid egerit, etiam ſi conſtituerit, quando obviam: quidquid denique erit, quod ſcire me oporteat, ſcribes. Piſonem, ſi poteris, [9] convenies. vides, quàm maturum ſit. ſed tamen, quod *commodo tuo* fiat.

12 CICERO ATTICO, S.

VALDE me momorderunt epiſtolæ tuæ de Attica noſtra: eædem tamen ſanaverunt. quòd enim te ipſe conſolabare eiſdem litteris, id mihi erat ſatis firmum ad leniendam ægritudinem. Ligarianam præclarè vendidiſti. poſthac quidquid ſcripſero, tibi præconium deferam. Quod ad me de Varrone ſcribis, [10] ſcis me ante orationes, aut aliquid id genus ſolitum ſcribere, ut Varronem nuſquam poſſem intexere. poſtea autem quàm hæc cœpi φιλολογώτερα, jam Varro mihi denuntiaverat magnam ſane, & gravem προσφώνησιν. biennium præteriit, cùm ille Καλλιππίδης aſſiduo curſu cubitum nullum proceſſerit. ego autem me parabam ad id, quod ille mihi miſiſſet, ut αὐτῷ τῷ μέτρῳ. καὶ λώιον, ſi modo potuiſſem. nam hoc etiam Heſiodus adſcribit, [11] αἴκε δύνηαι. nunc illam περὶ τελῶν σύνταξιν, ſanè mihi probatam, Bruto, ut tibi placuit, deſpondimus: [12] idque tu eum non nolle mihi ſcripſiſti. ergo illam, [13] ἀκαδημικὴν, in qua homines, nobiles illi quidem, ſed nullo modo *philologi*, nimis acutè loquuntur, ad Varronem transferamus. etenim ſunt Ἀντιόχεια; quæ iſte valde probat. Catulo & Lucullo alibi reponemus; ita tamen ſi tu hoc probas: deque eo mihi reſcribas velim. [14] De Brinniana auctione accepi à Veſtorio litteras. ait, ſine ulla controverſia rem ad me eſſe collatam (Romæ videlicet, aut in Tuſculano me fore putaverunt) A. D. IIX. Kal. Quint. dices igitur [15] vel amico tuo, S. Vettio coheredi meo, vel Labeoni noſtro, paullum proferant auctionem; me circiter Nonas in Tuſculano fore. cum Piſone Erotem habes. De Scapulanis hortis toto pectore cogitemus. dies adeſt.

CICERO ATTICO, S. 13

COMMOTUS tuis litteris, quod ad me de Varrone ſcripſeras, totam Academiam ab hominibus nobiliſſimis abſtuli, tranſtulique ad noſtrum ſodalem, & ex duobus libris contuli in quatuor. grandiores ſunt omnino, quàm erant illi; ſed tamen multa detracta. tu autem mihi pervelim ſcribas, [16] quî intellexeris illum velle. [17] illud verò utique ſcire cupio, quem intellexeris ab eo ζηλοτυπεῖσθαι, niſi forte Brutum: [18] id hercle reſtabat: ſed tamen ſcire pervelim. libri quidem ita exierunt, (niſi fortè me communis φιλαυτία decipit) ut in tali genere ne apud Græcos quidem *ſimile quidquam*. tu illam jacturam feres æquo animo, quòd illa, quæ habes de Academicis, fruſtra deſcripta ſunt. multo [19] tamen hic erunt ſplendidiora, breviora, meliora. nunc autem ἀπορῶ, quò me vertam. volo Dolabellæ [20] valde deſideranti. non reperio, quid: & ſimul αἰδέομαι Τρῶας: neque, ſi aliquid, [21] qui potero μέμψιν effugere. aut ceſſandum igitur, aut aliquid excogitandum. ſed quid hæc levia curamus? Attica mea, obſecro te, quid agit? quæ me valde angit. ſed crebro reguſto tuas litteras: in his acquieſco, [22] tamen exſpecto novas.

CICERO ATTICO, S. 14

BRINNII libertus, coheres noſter, ſcripſit ad me, velle, [23] ſi mihi placeret, [24] coheredes, & Sabinum Albium ad me venire. id ego planè nolo. hereditas tanti non eſt. & tamen obire auctionis diem facile poterunt, (eſt enim III. Id.) ſi me in Tuſculano poſtridie Nonas mane convenerint. quod ſi laxius volent proferre diem, poterunt vel biduum, vel triduum, vel ut videbitur. nihil enim intereſt. quare,

1. *Παρὰ τὴν ἱστορίαν.*] Junius ait mſſ. Pal. habere *παρὰ τὴν ἱστορίαν*.
2. *Brutus ſi quid egerit.*] Ita legendum ex Decurt. ut & Lamb. emendavit ex Torn. vulgati ſequuntur Vict. qui vocem *egerit* ſupervacaneam putat, aitque in nullis mſſ. quos vidit exſtare.
3. *Mihi eſt in animo.*] Hoc alterius epiſtolæ principium in mſ. uno Palat.
4. *Sed tamen aliquid illic. Hodie.*] Sic Boſius ex Decurtato, vulg. *ſed tamen illic hodie.*
5. *Ad me: per litteras.*] *Ad me per litteras*, habent vulgariæ edit.
6. *Etiam ſponſor Sunii factus eſt.*] Sic Boſius ex corrupta ſuorum ſcriptura; in Tornæſ. enim habebatur, *ſponſor ſum factus eſt*; in Decurt. verò, *ſponſor Suni factus eſt.*
7. *Οὐ ταυτὸν εἶδος.*] Sic Boſius depravatam Euripidis lectionem emendat. Lamb. cum Vict. legit, οὐ ταῦτ' ὄνειδος: vulg. habetur, οὐ τοῦτ' ὄνειδος vel ὀνειδέως: in codice Torn. legitur οὐ τάτ' ὄνειδος.
8. *Dijunctior.*] Vulg. *disjunctior.*
9. *Convenies.*] Vulg. *conveniat.*
10. *Scis me ante orationes.*] Vulg. *ſcis me antea orat.*
11. *Αἴκε δύνηαι.*] Vulg. αἴκε δύνημαι.
12. *Idque tu eum.*] Voculam *tu* quæ abeſt ab excuſis, reſtituit ex mſſ. ſuis Boſius.
13. *Ἀκαδημικὴν.*] Vulg. ἀκαδημαϊκὴν.
14. *De Brinniana auctione.*] Ita ex veteribus libris repoſuit Victorius, pro, *Brutiniana auctione.*
15. *Vel amico tuo S. Vettio coheredi.*] Vulgati codices edunt pro *S. Vettio*, *vel Othoni*, aliter quam mſſ. nam in Tornæſ. Decurt. & Cruſell. eſt, *Suettio*. Boſius primam litteram à reliquis disjungens legit *S. Vettio*, id eſt, *Spurio Vettio.*
16. *Quem intellexeris.*] Emendatio Victorii, cum antea legeretur, *quæ intellexeris.*
17. *Illud verò utique.*] Particula, *verò*, abeſt à vulgatis.
18. *Id hercle reſtabat.*] Tempore Vict. legebatur, *id ei dereſtabat*; quod ille agnoſcit vitioſum eſſe, & dubitanter conjicit, *id ei reſtabat*; planè improbans eos qui legebant, *idem edere reſtabat.*
19. *Tamen hæc erunt.*] Vulg. *erant.*
20. *Valdè deſideranti.*] *Magis deſideranti*, Vulg.
21. *Qui potero μέμψιν.*] *Qui* deeſt in vulgatis.
22. *Tamen exſpecto novas.*] Victorius mavult, *Nonas*, & hanc ait eſſe priſcam lectionem.
23. *Si mihi placeret.*] Ita Dec. & Torn. vulg. *placet.*
24. *Coheredes & Sabinum.*] Fulvius ait in mſ. ſuo eſſe *coheredes ſe & Sabinum.*

quare, niſi jam profecti ſunt, retinebis homines. De Bruto, ſi quid erit: de Cæſare, [1] ſi quid ſcies, ſi quid erit præterea, ſcribes. Illud etiam atque etiam conſideres velim, placeatne tibi mitti ad Varronem quod ſcripſimus. etſi etiam ad te aliquid pertinet. nam ſcito, te ei dialogo adjunctum eſſe tertium. opinor igitur conſideremus: etſi nomina jam facta ſunt. ſed vel induci, vel mutari poſſunt.

15 CICERO ATTICO, S.

QUID agit, obſecro te, Attica noſtra? nam triduo abs te nullas acceperam: nec mirum: nemo enim venerat: nec fortaſſe cauſa fuerat. itaque ipſe quid ſcriberem non habebam. quo autem die has Valerio dabam, exſpectabam aliquem meorum: qui ſi veniſſet, & à te quid attuliſſet, videbam non defuturum quod ſcriberem.

16 CICERO ATTICO, S.

NOS, cùm flumina, [2] & ſolitudines ſequeremur, quo facilius ſuſtentare nos poſſemus, pedem è villa adhuc egreſſi non ſumus; ita magnos & aſſiduos imbreis habebamus. Illam Academicen σύνταξιν totam ad Varronem traduximus: [3] primò fuit Catuli, Luculli, Hortenſii. deinde, quia παρὰ τὸ πρέπον videbatur, [4] quòd erat hominibus nota, non illa quidem ἀπαιδευσία, ſed in iis rebus [5] ἀτελεψία, ſimul ac veni ad villam, eoſdem illos ſermones ad Catonem, Brutumque tranſtuli. ecce tuæ litteræ de Varrone. nemini viſa eſt aptior Ἀντιόχεια ratio. ſed tamen velim ſcribas ad me, primùm placeatne tibi aliquid ad illum; deinde, ſi placebit, hocne potiſſimum. Quid Servilia, jamne venit? Brutus ecquid agit, ecquando? De Cæſare quid auditur? Ego ad Nonas, quemadmodum dixi. Tu cum Piſone, ſi quid poteris.

17 CICERO ATTICO, S.

[6] V Kalend. exſpectabam [7] Roma aliquid; non quò imperaſſem. igitur aliquid tuis. nunc eadem illa, quid Brutus cogitet, aut ſi aliquid egit, [8] ecquid à Cæſare. ſed quid iſta, quæ *minus curo*? Attica noſtra quid agat, ſcire cupio. etſi tuæ litteræ (ſed jam nimis veteres ſunt) rectè ſperare jubent. tamen exſpecto recens aliquid.

18 CICERO ATTICO, S.

VIDES, propinquitas quid habeat. nos verò conficiamus hortos. colloqui videbamur, in Tuſculano cùm eſſem; tanta erat crebritas litterarum. ſed id quidem jam erit. ego interea admonitu tuo perfeci ſanè argutulos libros ad Varronem: ſed tamen exſpecto, quid ad ea, quæ ſcripſi ad te: primùm, qui intellexeris eum deſiderare à me, cùm ipſe homo πολυγραφώτατος numquam me *laceſſiſſet*: deinde, [9] quem ζηλοτυπεῖν, niſi forte Brutum: quem ſi non ζηλοτυπεῖ, multo Hortenſium minùs, aut eos qui de Rep. loquuntur. planè hoc mihi explices velim: in primis, maneaſne in ſententia, ut mittam ad eum, quæ ſcripſi; an nihil neceſſe putes. ſed hæc coram.

CICERO ATTICO, S. 19

COMMODUM diſceſſerat Hilarus librarius IV. Kalend. cui dederam litteras ad te, cùm venit tabellarius cum tuis litteris pridie datis: in quibus illud mihi gratiſſimum fuit, quod Attica noſtra rogat te, ne triſtis ſis, quòdque tu ἀκίνδυνα eſſe ſcribis. Ligarianam, ut video, præclarè auctoritas tua commendavit. ſcripſit enim ad me Balbus, & Oppius, mirificè ſe probare, ob eamque cauſam ad Cæſarem eam ſe oratiunculam miſiſſe. hoc igitur idem tu mihi antea ſcripſeras. in Varrone juſta cauſa me non moveret [10] ne viderer φιλένδοξος: (ſic enim conſtituebam, neminem includere in dialogos eorum, *qui viverent*) ſed, quia ſcribis & deſiderari à Varrone, & magni illum æſtimare, eos confeci: & abſolvi, neſcio quàm bene, ſed ita accuratè, ut nihil poſſet ſupra, [11] Academicam omnem quæſtionem libris quattuor. in eis, quæ erant contra ἀκαταληψίαν præclarè collecta ab Antiocho, Varroni dedi: ad ea ipſe reſpondeo: tu es tertius in ſermone noſtro. ſi Cottam, & Varronem feciſſem inter ſe diſputanteis, ut à te proximis litteris admoneor; meum κωφὸν πρόσωπον eſſet. hoc in antiquis perſonis ſuaviter fit, ut & Heraclides in multis, & nos ſex de Rep. libris fecimus. ſunt etiam de oratore noſtri tres, mihi vehementer probati. in eis quoque eæ perſonæ ſunt, ut mihi tacendum fuerit. Craſſus enim loquitur, Antonius, Catulus ſenex, C. Julius, frater Catuli, Cotta, Sulpicius. puero me hic ſermo inducitur, ut nullæ eſſe poſſent partes meæ. quæ autem his temporibus ſcripſi, Ἀριστοτέλειον morem habent; in quo ſermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipſum ſit principatus. ita confeci quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, περιπατητικὰ M. Piſoni darem. [12] ἀζηλοτύπητον id fore putaram, quòd omnes illi receſſerant. hæc Academica, ut ſcis, cum Catulo, Lucullo, Hortenſio contuleram. ſanè in perſonas *non cadebant*. [13] erant enim λογικώτερα, quàm ut illi de iis ſomniaſſe umquam viderentur. itaque, ut legi tuas de Varrone, tanquam ἕρμαιον arripui. aptius eſſe nihil potuit ad id philoſophiæ genus, quo ille maximè mihi delectari videtur, [14] meaſque parteis, ut non ſim conſecutus, ut ſuperior mea cauſa videatur. [15] ſunt enim vehementer πιθανὰ Antiochia: quæ diligenter à me expreſſa, *acumen* habent Antiochi, *nitorem* orationis noſtrum; ſi modò is eſt aliquis in nobis. ſed tu, dandoſne putes hos libros Varroni, etiam atque etiam videbis. mihi quædam occurrunt: ſed ea coram.

CICERO ATTICO, S. 20

A CÆSARE litteras accepi conſolatorias, datas prid. Kal. Mai. Hiſpali. De urbe augenda quid ſit promulgatum, non intellexi: id ſane ſcire velim. Torquato noſtra officia grata eſſe, facilè patior: eaque augere [16] non deſinam. Ad Liga-

1. *Si quid ſcies; ſi quid erat præterea, ſcribes.*] Sic Decurt. & Tornæſ. vulg. *Si quid ſcies præterea, ſcribes.*

2. *Et ſolitudines.*] Auctoribus veteribus libris ſic reſcribit Boſius; vulg. legitur ſingulari numero, *& ſolitudinem.*

3. *Primò fuit Catuli.*] Eſt à Torn. & Dec. vulgò, *modo fuit Catuli.*

4. *Quod erat hominibus nota.*] Lectio hæc eſt Dec. & Torn. alii habent, *quod erat hominibus non ignota.*

5. Ἀτεψία.] Sic repoſuit Victorius, niſi quod dandi caſu legit, antea legebatur ἀτεψία.

6. *V. Kal.*] Ita Lamb. & Boſ. ex Sci. & Torn. vulg. *D. VI. exſpectabam*; ex quo Lamb. olim fecerat: *die VI. vel A. D. VI.* ſed nunc Tornæſ. lectionem omnibus præponit.

7. *Roma aliquid; non quo imperaſſem. Igitur aliquid tuis.*] Sic Boſius ex Scidis & Torn. vulg. *Roma aliquid. non imperaſſem igitur aliquid*: quidam legunt, *Roma aliquid novi. imperaſſes igitur aliquid tuis.* ſed Lamb. ſi quid ſit mutandum, ſic mutarit, *Roma aliquid, non quo imperaſſem tuis. igitur nunc eadem illa.*

8. *Ecquid.*] Vulg. *& quid.*

9. *Quem* Ζηλοτυπεῖν.] Faernus poſt hoc verbum, deeſſe aliquod putabat, & rectè: nam Boſius ex Decurtato & Tornæſ. hæc verba quæ vulgo deerant addidit, *niſi forte Brutum: quem ſi non* ζηλοτυπεῖ, *multò.*

10. *Ne viderer* φιλένδοξος.] Petrus Vict. hoc reſtituit, tum ex mſſ. tum ex olim excuſis, repudians illud, φιλόδοξος, quod in hujus locum irrepſerat.

11. *Academicam omnem quæſtionem libris quatuor.*] Hoc totum ſuſpicatur abundare Manut. ut gloſſema ſuperiorum verborum; ſed malè ſuſpicatur judice Lambino, qui retinendum cenſet

12. Ἀζηλοτύπητον.] Libri excuſi, ἀζηλότυπον, quod non diſplicet Boſio. verùm alterum protulit, quia reperit in mſſ. ſuis.

13. *Erant enim* λογικώτερα, *quam ut illi de iis ſomniaſſe unquam viderentur.*] Hoc Victor. & alii reſtituerunt. antea legebatur nullo prorſus ſenſu, *erant enin* λογικώτερα *quam inutilia de iis omnia & iniqua viderentur.*

14. *Meaſque parteis.*] Ita in mſſ. Boſii. alii habent, *eaſque partis.*

15. *Sunt enim vehementer* πιθανά.] Vocabulum hoc Græcum quod antea deerat reſtituit Victorius.

16. *Non deſinam. ad Ligarianam de uxore Tuberonis, & privigna, neque poſſum jam addere.*] Hæc ſunt à Decurt. Torn. & Cruſellino. vulgò, *non deſinam. De uxore Tuberonis & privigna neque poſſum jam abdere, &c.*

1. Stul-

Ligarianam de uxore Tuberonis, & privigna, neque poſſum jam addere, (eſt enim res pervulgata) neque Tuberonem volo defendere. mirificè eſt enim φιλαίτιος. *theatrum* quidem ſane bellum habuiſti. ego, etſi hoc loco facillimè ſuſtentor, tamen te videre cupio. itaque, ut conſtitui, adero. Fratrem credo à te eſſe conventum. ſcire igitur ſtudeo, quid egeris. De fama nihil ſane laboro: etſi ſcripſeram ad te tunc [1] ſtulte; NIHIL MELIUS. curandum enim non eſt. atqui hoc IN OMNI VITA SUA [2] *QUEMQUE à RECTA CONSCIENTIA* [3] *TRAVERSUM UNGUEM NON OPORTET DISCEDERE:* [4] viden' quam φιλοσόφως? an tu nos fruſtra exiſtimas hæc in manibus habere? [5] δεδῆχθαι te nollem, quod nihil erat. redeo enim rurſus eodem. quidquamne me putas curare in toto. niſi ut ei ne deſim? id ago ſcilicet, ut judicia videar tenere. [6] μὴ γὰρ αὐτοῖς? vellem tam domeſtica ferre poſſem, quàm iſta contemnere. putas autem me voluiſſe aliquid, quod perfectum non ſit? non licet ſcilicet ſententiam ſuam: ſed tamen quæ tum acta ſunt, non poſſum non probare: & tamen non curare pulchrè poſſum, ſicuti facio. ſed nimium multa de nugis.

21 CICERO ATTICO, S.

AD Hirtium dederam epiſtolam ſanè grandem, quam ſcripſeram proximè in Tuſculano. Huic, quam [7] tum mihi miſiſti, reſcribam alias. nunc aliis malo. Quid poſſum de Torquato, niſi aliquid à Dolabella? quòd ſimul ac; continuo ſcietis. exſpectabam hodie, aut ſummum cras ab eo tabellarios: qui ſimul ac venerint, mittentur ad te. A Quinto exſpecto. proficiſcens enim è Tuſculano IIX. Kal. ut ſcis, miſi ad eum tabellarios. Nunc, ad rem ut redeam, INHIBERE illud tuum, quod valde mihi arriſerat, vehementer diſplicet. eſt enim verbum totum nauticum. quamquam id quidem ſciebam: ſed arbitrabar ſuſtineri remos, [8] cùm inhibere eſſent remiges juſſi. id non eſſe ejuſmodi didici heri, cùm ad villam noſtram navis appelleretur. non enim ſuſtinent, ſed alio modo remigant. id ab ἐποχῇ remotiſſimum eſt. quare facies, ut ita ſit in libro, quemadmodum fuit. [9] dices hoc idem Varroni, niſi fortè mutavit nec eſt melius quidquam, [10] quàm ut Lucullus [11] *Suſtineat currum, ut bonus ſæpe agitator, equoſque.* ſemperq; Carneades προβολὴν pugilis, & retentionem aurigæ, [12] ſimilem facit ἐποχῇ. *inhibitio* autem *remigum* motum habet, & vehementiorem quidem, remigationis navem convertentis ad puppim. vides, quanto hoc diligentiùs curem, quam aut de rumore, aut de Pollione: de Panſa etiam, ſi quid certius (credo enim palam factum eſſe:) de Critonio, ſi quid eſſet: certene de Metello & Balbino. dic mihi, placetne tibi primum edere *injuſſu meo?* hoc ne Hermodorus quidem faciebat, is qui Platonis libros ſolitus eſt divulgare; ex quo, λόγοισιν Ἑρμόδωρος. quid illud? rectumne exiſtimas [13] cuiquam ante, quàm Bruto? cui te auctore, προσφωνῶ. ſcripſit enim Balbus ad me ſe à te quintum *de finibus* librum deſcripſiſſe: in quo non ſanè multa mutavi: ſed tamen quædam. tu autem commodè feceris, ſi reliquos continueris, ne & [14] ἀδιόρθωτα habeat Balbus, & ἕωλα Brutus. ſed hæc hactenus ne videar περὶ μικρὰ σπουδάζειν. etſi nunc quidem *maxima* mihi ſunt hæc. quid eſt enim aliud? Varroni quidem quæ ſcripſi te auctore, ita propero mittere, ut jam Romam miſerim deſcribenda. ea ſi voles, ſtatim habebis. ſcripſi enim ad librarios, ut fieret tuis, ſi tu velles, deſcribendi poteſtas. ea verò continebis, quoad ipſe te videam; quòd diligentiſſimè facere ſoles, cùm à me tibi dictum eſt. [15] cum autem fugit me tibi dicere, mirificè Cærelia ſtudio videlicet philoſophiæ flagrans deſcribit à tuis: iſtos ipſos *de finibus* habet. ego autem tibi confirmo, (poſſum falli, [16] ut homo) à meis eam non habere. numquam enim ab oculis meis abfuerunt. tantum porro aberat, ut binos ſcriberent; vix ſingulos confecerunt, tuorum [17] tamen ego nullum *delictum* arbitror, [18] idemque te volo exiſtimare. à me enim prætermiſſum eſt, ut dicerem, eos exire nondum velle. Hui quàm diu de nugis? de re enim nihil habeo, quod loquar. De Dolabella tibi aſſentior. coheredes, ut ſcribis, in Tuſculano. [19] De Cæſaris adventu, ſcripſit ad me Balbus, non ante Kal. Sext. De Attica optimè, [20] quòd leviùs, ac leniùs, & quòd fert εὐκόλως. Quod autem de illa noſtra cogitatione ſcribis, in qua nihil tibi cedo, ea, quæ novi, [21] valde probo, hominem, domum, facultates. quod *caput* eſt, ipſum non novi: ſed audio laudabilia de Scrofa. etiam proximè accedit, [22] ſi quid hoc ad rem: συγγενέστερος eſt etiam, quam pater. coram igitur, & quidem propenſo animo ad probandum. accedit enim, quod patrem, ut ſcire te puto, plus etiam, quàm non modò tu, ſed quàm ipſe ſcit, amo idque & merito, & jam diu.

CICERO ATTICO, S. 22

DE Varrone, non ſine cauſa, quid tibi placeat, tam diligenter exquiro. occurunt mihi quædam. ſed ea coram. te autem ἀσυμφωνέστατα [23] intexui, faciamque id crebrius. proximis enim tuis litteris primùm, te id non nolle, cognovi. De Marcello, ſcripſerat ad me Caſſius antea; τὰ κατὰ μέρος Servius. [24] ô rem acerbam! ad prima redeo. Scripta noſtra nuſquam malo eſſe, quàm apud te: [25] ſed ea tum foras

---

1. *Stultè;* NIHIL MELIUS. *curandum enim non eſt. atqui hoc.*] Ita Boſ. ex Scidis. Junius ait mſſ. Pal. ſic diſtinguere, *ſtultè, nihil melius curandum hominibus eſt, atque hoc. In omni, &c.* vulg. *Curandum enim nobis eſt, atque hoc, &c.* Lambinus addita particula negativa legit, *curandum enim nobis non eſt, atque, &c.* quibuſdam ſic placet ſcribi, *nonnihil enim curandum nobis eſt, nihilque melius, atque hoc, in omni vita.*
2. *Quemque.*] Manutius mavult, *quemquam.*
3. *Traverſum unguem non oportet diſcedere.*] Vulg. *tranſverſum unguem non oportere diſcedere.*
4. *Viden' quam φιλοσόφως? an tu nos.*] Eſt hoc à Victor. prius habebatur, *videnď quam philoſophos aut tu nos, &c.*
5. *Δεδῆχθαι te nollem.*] Mſſ. Victorii ita habent. antea legebatur *δεδῆχθαι te nollem.*
6. *Μὴ γὰρ αὐτοῖς.*] Cum interrogat. hoc legendum cenſet Boſ.
7. *Tum mihi miſiſti.*] Ita Dec. & Torn. vulg. *tu mihi miſiſti.*
8. *Inhibere eſſent remiges juſſi.*] Vulg. *inhiberi eſſent remiges juſſi.*
9. *Dices hoc idem Varroni, niſi forte mutavit.*] Mſ. Boſii eſt hæc lectio; Vulgata eſt, *dices idem Varroni ſi forte mutavit.*
10. *Quam ut Lucullus.*] Faernus probante Urſino legebat *quam ut Lucilius.*
11. *Suſtineat currum, ut bonus.*] Hexametro huic ordinem ſuum ex antiquis codd. reddidit Victorius, quod & ante eum Germani fecerant: proſa prius videbatur eſſe.
12. *Similem facit ἐποχῇ.*] Vocabulum Græcum quod hic deerat reſtituit Victorius, & ludit eos qui ſubſtituebant ἐποχὴν ἑρμοδώρου,
13. *Cuiquam ante, quàm Bruto.*] Victorii codicum ſcriptura hæc eſt. prior hæc erat, *quicquam Bruto;* Vulgati nunc habent, *cuiquam quidquam antequam Bruto.*
14. Ἀδιόρθωτα.] Emendatio hæc debetur Victorio qui ſpurium illud, ἀδωρότατα, hinc furcillis ejecit.
15. *Cum autem fugit me.*] Ita omnes mſſ. Boſii, & ita ille legendum arbitratur. Lambinus mavult, *quoniam autem, &c.* dicens *quom* in mſſ. valere *quoniam:* vulgò *quomodo autem.*
16. *Ut homo, à meis eam non habere.*] Sic Boſ. ex Decurt. emendavit, ut & antea Lamb. ex Torn. vulg. *ut humanus, à me non habere.*
17. *Tamen ego nullum.*] Sic Decurt. & Torn. vulg. *tamen eo nullum.*
18. *Idemque te volo.*] Vulg. *itemque.*
19. *De Cæſaris adventu.*] In mſſ. Pal. principium novæ epiſtolæ.
20. *Quod leviùs ac leniùs & quod fert εὐκόλως.*] Vulgati libri habent, *quod levius & quod fert, &c.* ſed Lamb. duo illa vocabula, *ac leviùs,* offendebant, itaque deleri juſſit, legens, *quod leviùs & quod fert εὐκόλως.*
21. *Valde probo; hominem.*] Faernus delens, *probo,* legebat, *valde hominem domum, &c.*
22. *Si quid hoc ad rem.*] Vulg. *ſi quid ad hoc rem.*
23. *Intexui.*] In Torn. eſt *intexo.*
24. *O rem acerbam.*] Ex mſſ. expreſſit Boſius particulam ô, quæ à vulg. aberat.
25. *Sed ea tum foras dari.*] Hæc correctio eſt Victorii. antea ferebatur, *ſed ea timui foras dari.*

foras dari, cùm utrique noſtrum videbitur. ego & librarios tuos culpa libero, neque te accuſo: & tamen aliud quiddam ad te ſcripſeram, Cærelliam quædam habere, quæ niſi à te non potuerit. Balbo quidem intelligebam [1] ſatisfaciendum fuiſſe: tantum nolebam, aut obſoletum Bruto, aut Balbo inchoatum dari. Varroni, ſimul ac te videro, ſi tibi videbitur, mittam. quid autem dubitarim, cùm videro te, ſcies. [2] *Attributos* quòd appellas, valde probè. Te de prædio aviæ exerceri, moleſte fero. De Bruto noſtro, perodioſum: ſed *vita fert*. mulieres autem vix ſatis humanè, quæ inimico animo ferant, cùm utraque officio pareat. Tullium ſcribam, nihil fuit, quòd appellares. nam tibi mandaſſem, ſi fuiſſet. nihil enim eſt apud eum poſitum nomine voti: ſed eſt quiddam apud illum meum. id ego in hanc rem ſtatui conferre. itaque & ego rectè tibi dixi, ubi eſſet: & tibi ille rectè negavit. ſed hoc quoque ipſum continuò adoriamur: [3] *locum* hominibus non ſane probo, quòd eſt deſertior: [4] ſed habet εὐλογίαν. verum hoc quoque, ut cenſueris, quippe qui omnia. Ego ut conſtitui adero: atque utinam tu quoque eodem die. ſin quid, (multa enim) utique poſtridie. etenim coheredes. [5] à quis ſine te opprimi, malitia eſt. Alteris jam litteris nihil ad me de Attica. [6] Sed id quidem in optima ſpe pono. illud accuſo, non te, ſed illam, ne ſalutem quidem. at tu & illi, & Piliæ plurimam: nec me tamen iraſci [7] indicaris. Epiſtolam Cæſaris miſi, ſi minùs legiſſes.

23 CICERO ATTICO, S.

ANTEMERIDIANIS tuis litteris heri ſtatim reſcripſi: [8] nunc reſpondeo veſpertinis. Brutus, mallem, me arceſſeret. nam & æquius erat, cùm illi iter inſtaret & ſubitum, & longum: & mehercule nunc, cum ita ſimus affecti, ut non poſſimus planè ſimul vivere, (intelliges enim profecto, [9] in quo maximè poſita ſit συμβίωσις) facilè patiebar nos potiùs Romæ unà eſſe, quàm in Tuſculano. libri ad Varronem non morabantur: [10] ſunt enim defecti, ut vidiſti: tantum *librariorum menda* tolluntur: de quibus libris ſcis me dubitaſſe. ſed tu videris. item, quos Bruto mittimus, in manibus habent librarii. Mea mandata, ut ſcribis, explica: [11] quamquam iſta retentione omneis ait uti Trebatius: quid tu iſtos putas? noſti domum. [12] quare confice εὐαγώγως. incredibile eſt, quàm ego iſta non curem. omni tibi aſſeveratione affirmo, quod mihi credas velim, mihi majori offenſioni eſſe, quàm delectationi, poſſeſſiunculas meas. MAGIS ENIM doleo, me non habere, cui tradam, quàm habere, qui utar. atque illud Trebatius ſe tibi dixiſſe narrabat. tu autem veritus es fortaſſe, ne ego invitus audirem. fuit id quidem humanitatis: ſed, mihi crede, jam iſta non curo. quare da te in ſermonem, & perſeca, & confice, excita, compella, loquere, ut te [13] cum illo Scæva loqui putes. ne exiſtimes eos, qui *non debita* conſectari ſoleant, quod debeatur, remiſſuros. de die tantum videto, & id ipſum bono modo.

CICERO ATTICO, S. 24

QUID eſt, quod Hermogenes mihi Clodius, Andromenem ſibi dixiſſe, ſe [14] Ciceronem vidiſſe Corcyræ? ego enim *audita* tibi putaram. nil igitur ne ei quidem litterarum? an non vidit? facies ergo ut ſciam. Quid tibi ego de Varrone reſcribam? quattuor [15] διφθέραι ſunt in tua poteſtate. quod egeris, id probabo. nec tamen αἰδέομαι Τρῶας: quid enim? ſed, ipſi quàm res illa probaretur, magis verebar. ſed quoniam tu ſuſcipis; in alteram aurem.

CICERO ATTICO, S. 25

DE retentione, reſcripſi ad tuas accuratè ſcriptas litteras. conficies igitur, & quidem ſine ulla dubitatione, aut [16] retractatione. hoc fieri & oportet, & opus eſt. De Andromene, ut ſcribis, ita putaram. ſciſſes enim, mihique dixiſſes. Tu tamen ita mihi de Bruto ſcribis, ut de te nihil. quando autem illum putas? nam ego Romam pridie Idus. [17] Bruto ita volui ſcribere, (ſed quoniam tu te legiſſe ſcribis, fui fortaſſe ἀσαφέστερος) me ex tuis litteris intellexiſſe, nolle eum me quaſi proſequendi ſui cauſa Romam nunc venire. ſed quoniam jam adeſt meus adventus, fac quæſo, ne quid eum Idus impediant, quo minùs ſuo commodo in Tuſculano ſit. nec enim ad tabulam eum deſideraturus eram. in tali enim negotio cur tu unus non ſatis es? ſed *ad teſtamentum* volebam: quod jam malo alio die; ne ob eam cauſam Romam veniſſe videar. ſcripſi igitur ad Brutum, jam illud, quod putaſſem, Idibus nihil opus eſſe. velim ergo totum hoc ita gubernes, ut ne minima quidem re ulla Bruti commodum impediamus. Sed quid eſt tandem, quod perhorreſcas, quia tuo periculo jubeam libros dari Varroni? etiam nunc ſi dubitas, fac ut ſciamus. nihil eſt enim illis elegantius. volo Varronem, præſertim cùm ille deſideret: ſed eſt, ut ſcis,

δεινὸς ἀνήρ· τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόωτο.

ita mihi ſæpe occurrit *vultus* ejus, querentis fortaſſe vel hoc, meas parteis in iis libris copioſiùs defenſas eſſe, quàm ſuas: quod mehercule [18] non eſſe intelliges, ſi quando in Epirum veneris. nam nunc [19] Alexionis epiſtolis cedimus. ſed tamen ego non deſpero probatum iri Varroni: & id, quoniam impenſam fecimus in macrocola, facilè patior teneri. ſed etiam atque etiam dico, tuo periculo fiet. quare, ſi addubitas, ad Brutum tranſeamus. eſt enim is quoque Antiochius. ô Academiam *volaticam*, & ſui ſimilem, modò huc, modò illuc. ſed, quæſo, epiſtola mea ad Varronem valdene tibi placuit? malè mî ſit, ſi umquam quidquam [20] tam enitar ἔργον. at ego ne Tironi quidem dictavi, qui

1. *Satisfaciendum.*] Germanorum, Victorii & Boſii codices mſſ. habent *ſatiſfaciendum*.

2. *Attributos quod appellas, valde probè.*] Ex veteribus codd. hæc emendavit Victorius. nam prius legebatur, *ad tribunos quod appelles, valde probo*.

3. *Locum hominibus.*] Sic Decurtatus; editiones, *locum*, &c.

4. *Sed habet εὐλογίαν.*] Quidam legunt εὐγηρίαν, alii εὐχολίαν.

5. *A quis ſine te opprimi malitia eſt.*] Codex Torn. habet *militia eſt*: quæ ſcriptura quid ſibi velit, divinare non poteſt Lamb.

6. *Sed id quidem in optima.*] Vulg. *ſed id quidem mihi in optima*.

7. *Indicaris.*] Alii *judicaris*, quod improbat Manutius.

8. *Nunc reſpondeo.*] Vulg. *nunc reſpondebo*.

9. *In quo maximè.*] A vulgatis abeſt præpoſitio, *in*.

10. *Sunt enim defecti.*] Sic repoſuit ex Decurt. Boſius: vulg. *defecti*, quod Barbarum ait Manutius, & mavult aut *deſcripti* aut *perfecti*. Lambinus ſcripturæ veteris, ut ait, veſtigia ſequutus emendat, *detexti*. Urſinus dicit in uno mſ. *eſſe deſecti*; in aliis *effecti*; ut quam ſequatur ſcripturam non videat.

11. *Quamquam iſta retentione omnis ait uti Trebatius.*] Ante Victor. vulgata lectio erat, *quamquam iſta retentione omnes ut ait ei Trebatius*.

12. *Quare confice εὐαγώγως.*] Sic habet Decurt. Victor. legit εὐλέγως. Lamb. εὐλαβῶς & ita ait eſſe in Tornæſ. quod Boſius negat, dicitque ſcribi ΕΥΑΓΩΣ; ut & Junius in Pal. vulg. pro *quare confice*, legitur, *quam confice*.

13. *Cum illo Scæva.*] Vulg. *Scævola*.

14. *Ciceronem vidiſſe Corcyræ.*] Antiqua Victorii exemplaria pro *Corcyræ* habent *currere*: ille tamen in tantis tenebris receptam lectionem mutare non vult.

15. *Διφθέραι.*] Ita legendum judice Boſio, ſic etiam repoſuit Victor. in ultima editione. Lambinus quoque teſtatur ita ſcribi in Torn. nihilominus vulgatum διφθέραι præfert.

16. *Retrectatione.*] Vulg. *retractatione*.

17. *Bruto ita volui ſcribere (ſed quoniam tu te legiſſe ſcribis, fui fortaſſe ἀσαφέστερος, me ex tuis, &c.*] Hæc verba hoc ordine edita erant in veteribus Boſii, qui hic parentheſin neceſſariam agnoſcit, ridetque Lambin. qui dicit ſe hunc locum præclarè ſic reſtituiſſe, *Bruto ita volui ſcribere, quoniam ſecus te intellexiſſe ſcribis, & fui fortaſſe ἀσαφέστερος, me ex tuis, &c.*

18. *Non eſſe intelliges.*] Hac ſerie mſſ. prætoris Lemovicenſis: vulg. *intelliges non eſſe*.

19. *Alexionis epiſtolis cedimus.*] Vetus liber Urſini, ut & Palat. referente Junio, habent, *credimus*.

20. *Tam enitar ἔργον.*] Sic Boſ. ex Decurt. Torn. pro ἔργον, habet, *ergo*, ut & mſſ. duo Pal. teſte Junio; unde ille facit ἔργω: vulg. deeſt vox ἔργον. Muretus conjiciebat, *ſi umquam quicquam tam invitâ* ſubaudi, *Minervâ*.

1. *Spin-*

qui totas περιοχὰς perſequi ſolet, ſed [1] Spintharo ſyllabatim.

26 CICERO ATTICO, S

[2] DE Virgilii parte valde probo. ſic ages igitur. & quidem id erit primum; proximum Clodiæ. quod ſi neutrum; metuo, ne turbem, & irruam in Druſum. intemperans ſum in ejus rei *cupiditate*, quam noſti. itaque revolvor identidem in Tuſculanum. quidvis enim potiùs, quàm ut non hac æſtate abſolvatur. Ego, ut tempus eſt noſtrum, locum habeo nullum, ubi facilius eſſe poſſim, quàm Aſturæ. ſed quia qui mecum ſunt (credo, quòd mœſtitiam meam non ferunt) domum properant, etſi poteram remanere, tamen, ut ſcripſi tibi, proficiſcar hinc, ne relictus videar. [3] quò autem? Lanuvium? conor equidem in Tuſculanum. ſed faciam te ſtatim certiorem. tu litteras conficies. equidem, credibile non eſt, quantum ſcribam die; quin etiam noctibus. [4] *nihil enim ſomni.* heri etiam effeci epiſtolam ad Cæſarem. tibi enim placebat: quam non fuit malum ſcribi, ſi forte opus eſſe putares. ut quidem nunc eſt, nihil ſanè eſt neceſſe mittere. ſed id quidem, ut tibi videbitur. mittam tamen ad te exemplum fortaſſe Lanuvio, niſi forte Romam. ſed cras ſcies.

27 CICERO ATTICO, S.

[5] DE epiſtola ad Cæſarem, nobis verò ſemper rectiſſimè placuit, ut iſti ante legerent. aliter enim fuiſſemus & in hos inofficioſi, & in noſmet ipſos, ſi illum offenſuri fuimus, pæne periculoſi. iſti autem ingenuè; mihique gratum, quòd, quid ſentirent, non reticuerunt: illud verò vel optimè, quòd ita multa mutari volunt, ut mihi de integro ſcribendi cauſa non ſit: quamquam de Parthico bello quid ſpectare debui, niſi quod illum velle arbitrabar? quod enim aliud argumentum epiſtolæ noſtræ, niſi [6] κολακεία fuit? an, ſi ea, quæ optima putaram, ſuadere voluiſſem, oratio mihi defuiſſet? totis igitur litteris nihil opus eſt. ubi enim ἐπίτευγμα, magnum nullum fieri poſſit, ἀπότευγμα vel non magnum, moleſtum futurum ſit; quid opus eſt παρακινδυνεύειν? præſertim cum illud occurrat, illum, cùm antea nihil ſcripſerim, exiſtimaturum, me, niſi toto bello confecto, nihil ſcripturum fuiſſe. atque etiam vereor, ne putet, me hoc quaſi Catonis μείλιγμα eſſe voluiſſe. quid quæris? valde me pœnitebat. [7] nec mihi in hac quidem re quidquam magis ut vellem, accidere potuit, quàm quòd σπουδὴ noſtra non eſt probata. incidiſſemus etiam in illos, in eis in cognatum tuum. ſed redeo ad hortos. Planè illuc te ire, niſi tuo magno commodo, nolo. nihil enim urget. quidquid erit, [8] operam in Faberio ponamus. de die tamen auctionis, ſi quid ſcies. Eum, qui è Cumano venerat, quòd & planè valere Atticam nuntiabat, & litteras ſe habere ajebat, ſtatim ad te miſi.

CICERO ATTICO, S. 28

HORTOS quoniam hodie eras inſpecturus, quid viſum tibi ſit, cras ſcilicet. De Faberio autem, cùm venerit. De epiſtola ad Cæſarem, jurato mihi crede, non poſſum; nec me turpitudo deterret. etſi maximè debeat. *quam enim* turpis eſt aſſentatio, cum vivere ipſum turpe ſit nobis? ſed ut cœpi, non me hoc turpe deterret: ac vellem quidem: (eſſem enim, [9] qui eſſe debeam) ſed in mentem nihil venit. nam, quæ ſunt ad Alexandrum hominum eloquentium, & doctorum *ſuaſiones*, vides quibus in rebus verſentur. adoleſcentem, incenſum cupiditate veriſſimæ gloriæ, cupientem ſibi aliquid conſilii dari, quod ad laudem ſempiternam valeret, [10] cohortantur. ad decus non deeſt oratio. ego quid poſſum? tamen neſcio quid *e quercu* exſculpſeram, [11] quod videretur ſimile ſimulacri. in eo [12] quia non nulla erant paullo meliora, quàm ea, quæ fiunt & facta ſunt, reprehenduntur: quod me minimè pœnitet. [13] ſi enim perveniſſent iſtæ litteræ, mihi crede, nos pœniteret. quid? TU NON VIDES ipſum illum [14] Ariſtotelis diſcipulum, ſummo ingenio, ſumma modeſtia, [15] poſteaquàm rex appellatus ſit, ſuperbum, crudelem, immoderatum fuiſſe? quid? tu hunc de Pompa, Quirini contubernalem, his noſtris moderatis epiſtolis lætaturum putas? ille verò potius [16] non ſcripta deſideret, quàm ſcripta non probet. Poſtremò, ut volet. abiit illud, quod tùm me ſtimulabat, quod tibi dabam, πρόβλημα Ἀρχιμήδειον multò mehercule magis nunc opto caſum illum, quam tum timebam, [17] vel quem libebit. Niſi quid te aliud impediet, mî optato veneris. [18] Nicias à Dolabella magno opere arceſſitus, (legi enim litteras) etſi invito me, tamen eodem me auctore profectus eſt. Hoc manu mea.

CICERO ATTICO, S. 29

CUM quaſi alias res quærerem de philologis è Nicia, incidimus in Talnam. ille de ingenio nihil nimis: modeſtum & frugi. ſed hoc mihi non placuit. ſe ſcire ajebat ab eo nuper petitam Cornificiam, Q. filiam, vetulam ſanè, & *multarum nuptiarum:* [19] non eſſe probatum mulieribus, quod ita reperirent, rem non majorem DCCC. hoc putavi te ſcire oportere. De hortis ex tuis litteris cognovi, & Chryſippo. in villa, cujus inſulſitatem bene noram, [20] video nihil, aut pauca mutata. balnearia tamen [21] laudat majora: de minoribus ait hiberna effici poſſe. tecta igitur ambulatiuncula addenda eſt: quam ut tantam faciamus, quantam in Tuſculano fecimus, prope dimidio minoris conſtabit iſto loco. ad id autem, quod volumus, ἀφίδρυμα, nihil aptius videtur, quam lucus quem ego noram: ſed *celebritatem* nullam tum habebat: nunc audio maximam. nihil eſt, quod ego malim. in hoc τὸν τῦφόν μου πρὸς θεῶν τροποφόρησον. Reliquum eſt, ſi Faberius nobis nomen illud explicat, noli quærere, quanti. Othonem vincas volo. nec tamen *inſaniturum* illum puto. noſſe enim mihi hominem videor. ita malè autem audio ipſum eſſe tractatum,

1. *Spintharo.*] Sic mſſ. Boſiani referebant, vulgati *Spinthero.*
2. *De Virgilii parte.*] Non dubium eſt Lambino, quin hæc epiſtola, in libro ſuperiore collocari debeat; quod & vidit Manutius.
3. *Quo autem? Lanuvium?*] Ita mſſ. Boſiani. vulgati, *quo autem Lanuvio?*
4. *Nihil enim ſomni.*] Vulg. *nihil eſt enim ſomni.*
5. *De epiſtola ad Cæſarem.*] Lectionem hanc mſſ. ſuorum vulgatæ Boſius antetulit. illa autem talis eſt, *Epiſtolam ad Cæſarem.*
6. Κολακία.] Verbum hoc Græcum primus integritati ſuæ ſic reſtituit Vict. ex mſſ. quibus erat, *colacia.* antea legebatur, *colatia*; quidam ajunt Beroaldum emendaſſe, *collatio*; quod adeo ridiculum eſt ut credere non poſſit Victorius.
7. *Nec mihi in hac quidem.*] Vulg. pronomen, *mihi*, abeſt.
8. *Operam in Faberio.*] Sic priſci cod. Boſii: vulg. *operam Faberio.*
9. *Qui eſſe debeam.*] Hoc repoſuit Prætor noſter, auctoribus libris antiquis, vulg. *debebam.*
10. *Cohortantur. ad decus non deeſt.*] Aliter hæc in impreſſis diſtinguuntur, *cohortantur ad decus. Non deeſt, &c.*
11. *Quod videretur ſimile.* Vulg. *quod videtur.*
12. *Quia nonnulla.*] Vulg. *quod nonnulla.*
13. *Si enim perveniſſent iſtæ litteræ.*] Lamb. exiſtimat hîc duo hæc vocabula, *ad eum*, deſiderari, & à librariis per imprudentiam omiſſa eſſe.
14. *Ariſtoteli.*] Vulg. *Ariſtotelis.*
15. *Poſteaquam rex appellatus ſit.*] Urſinus ait mſ. unum habere, *poſteaquam rex potitus ſit*, unde conjicit forte legendum *poſteaquam rerum potitus ſit.*
16. *Non ſcripta deſideret.*] Vulg. *deſiderat.*
17. *Vel quem libebit.*] Hæc eſt ſcriptura Tornæſiani, Decurtati & Cruſell. vulgò *quem libet.*
18. *Nicias à Dolabella.*] Hoc principium epiſtolæ in mſ. Palat. & probat Junius.
19. *Non eſſe probatum.*] Vulg. *probatam.*
20. *Video nihil aut pauca mutata. balnearia.*] Ante Victorium legebatur, *video nihil aut paucam, aut ut balnearia.*
21. *Laudat majora. de minoribus.*] Aliter vulgò diſtinguuntur hæc verba; *laudat. majora de minoribus, &c.*

tum, [1] ut mihi ille emtor non eſſe videatur. [2] quid enim? pateretur? ſed quid argumentor? ſi Faberianum explicas, emamus vel magno: ſin minus, ne parvo quidem poſſumus. Clodiam igitur, [3] à qua ipſa ob eam cauſam ſperare videor, quòd & multo minoris ſunt, & Dolabellæ nomen jam expeditum videtur, ut etiam [4] repræſentatione confidam. De hortis ſatis. Cras aut te, aut cauſam: quam quidem futuram Faberianam. ſed ſi poteris.

30 CICERO ATTICO, S.

[5] Ciceronis epiſtolam tibi remiſi. ô te ferreum, qui illius periculis non moveris! me quoque accuſat. [6] eam tibi epiſtolam miſiſſe? nam illam alteram de rebus geſtis eodem exemplo puto. [7] In Cumanum hodie miſi tabellarium. ei dedi tuas ad Veſtorium, quas Pharnaci dederas. Commodum ad te miſeram Demeam, cùm Eros ad me venit. ſed in ejus epiſtola nihil erat novi, niſi, auctionem biduum. ab ea igitur, ut ſcribis: & velim, confecto negotio Faberiano: quem quidem negat Eros hodie. cras mane putat. à te colendus eſt. iſtæ autem κολακεῖαι non longè abſunt *à ſcelere*. te, ut ſpero, perendie. [8] Mi ſicunde potes, erues, qui decem legati Mummio [9] fuerint. Polybius non nominat. ego memini Albinum Conſularem, & Sp. Mummium. videor audiſſe ex Hortenſio, Tuditanum. ſed in Libonis annali, XIV annis poſt Prætor eſt factus Tuditanus, quàm Conſul Mummius: [10] non ſanè quadrat. ὑλλῶ aliquem Olympiæ, aut ubi viſum, πολιτικὸν σύλλογον, more Dicæarchi, familiaris tui.

31 CICERO ATTICO, S.

V Kal. manè accepi à Demea litteras pridie datas, ex quibus aut hodie, aut cras te exſpectare deberem, ſed, ut opinor, idem ego, qui exſpecto tuum adventum; morabor te. non enim puto tam expeditum Faberianum negotium futurum, etiam ſi eſt futurum, ut non habeat *aliquid moræ*. cùm poteris igitur, quoniam etiamdum abes. Dicæarchi, quos ſcribis libros ſanè velim mihi mittas: addas etiam καταβάσεως. De epiſtola ad Cæſarem, [11] κεκύβικα. atque idipſum, quod iſti ajunt illum ſcribere; ſe, niſi *conſtitutis rebus*, non iturum in Parthos, idem ego ſuadebam in illa epiſtola: [12] ſin; utrum liberet, facere poſſe, auctore me. hoc enim ille exſpectat videlicet, neque eſt facturus quidquam, niſi de meo conſilio. obſecro, abjiciamus iſta, & *ſemi liberi* ſaltem ſimus: quod aſſequemur & tacendo, & latendo. Sed & aggredere Othonem, ut ſcribis. confice, mi Attice, iſtam rem. nihil enim aliud reperio, ubi & in foro non ſim, & tecum eſſe poſſim. quanti autem, hoc mihi venit in mentem. C. Albanius proximus eſt vicinus, is CIƆ jugerum de M. Pilio emit, ut mea memoria eſt, HS CXV. omnia ſcilicet nunc minoris. ſed accedit cupiditas: in qua, præter Othonem, non puto nos ullum adverſarium habituros. ſed eum ipſum [13] tu poteris movere: facilius etiam, [14] ſi Kanum haberes. ô gulam inſulſam! pudet me patris. reſcribes, ſi quid voles.

CICERO ATTICO, S. 32

Alteram à te epiſtolam cùm hodie accepiſſem, [15] nolui te una mea contentum. Tu verò age, quod ſcribis, de Faberio. in eo enim totum eſt poſitum id, quod cogitamus: quæ cogitatio ſi nòn incidiſſet, [16] (mihi crede iſtuc, ut cetera) non laborarem. quamobrem, ut facis (iſtuc enim addi nihil poteſt) urge, inſta, perfice. Dicæarchi περὶ ψυχῆς utroſque velim mittas, & καταβάσεως. [17] τελπολιτικὸν non invenio, & epiſtolam ejus, quam ad Ariſtoxenum miſit. treis eos libros maximè nunc vellem: apti eſſent ad id, quod cogito. Torquatus Romæ eſt. [18] juſſi, ut tibi daretur. Catulum, & Lucullum, ut opinor, antea. his libris nova proœmia ſunt addita, quibus eorum uterque laudatur. eas litteras volo habeas: & ſunt quædam alia. Et, quod ad te de decem legatis ſcripſi, parum intellexti; credo, quia διὰ σημείων ſcripſeram. de C. Tuditano enim quærebam, quem ex Hortenſio audieram fuiſſe in decem: eum video in Libonis Prætorem [19] P. Popullio, & P. Rupilio [20] coss. annis XIIII ante, quàm Prætor factus eſt, [21] legatus eſſe potuiſſet? niſi admodum ſerò Quæſtor eſt factus: quod non arbitror. video enim Curulis magiſtratus eum *legitimis annis* perfacilè cepiſſe. Poſtumium autem, cujus ſtatuam in Iſthmo meminiſſe te dicis [22] in iis ſciebam fuiſſe. is autem eſt, qui cum Lucullo fuit; quem tu mihi addidiſti, ſanè ad illum σύλλογον perſonam idoneam. videbis igitur, ſi poteris, ceteros; ut poſſimus πομπεῦσαι καὶ τοῖς προσώποις.

CICERO ATTICO, S. 33

Negligentiam miram! ſemelne putas mihi dixiſſe Balbum, & Faberium, profeſſionem relatam? quinetiam eorum juſſu [23] miſeram, qui profiteretur. ita enim oportere dicebant. profeſſus eſt Philotimus [24] libertus. noſti credo librarium. [25] ſed ſcribes, & quidem confeſtim. Ad Faberium, ut tibi placet, litteras miſi. [26] cum Balbo autem puto te aliquid feciſſe hodie in Capitolio. In Virgilio mihi nulla eſt δυσωπία. nec enim ejus cauſa ſanè debeo: &, ſi emero, quid erit, quod poſtulet? ſed videbis, ne is cùm

1. *Ut mihi ille emptor eſſe non videatur.*] Faernus ex antiquo libro, *non poſſe eſſe videatur.*

2. *Quid enim? pateretur?*] Vulg. *quid enim pateretur?*

3. *A qua ipſa.*] Vulg. *à qua ipſam.*

4. *Repræſentatione confidam.*] Vulg. *repræſentatione concludam.*

5. *Ciceronis.*] Hæc appinguntur ſuperioribus in vulgatis; epiſtola vero hæc incipit ab illis verbis, *commodum ad te miſeram, &c.*

6. *Eam tibi epiſtolam miſiſſe?*] Auctoribus Scidis ſic ſcripſit Boſius: vulg. *eam tibi epiſtolam miſiſſem.*

7. *In Cumanum hodie.*] In iſtis verbis mſ. unus Pal. initium ſtatuit epiſtolæ.

8. *Mi ſicunde potes.*] Sic habent Decurtatus & Tornæſ. vulg. pronomen *mi* abeſt.

9. *Fuerint.*] Vulg *fuerunt.*

10. *Non ſane quadrat. ὑλλῶ aliquem Olympiæ.*] Ita veteres libri niſi quod Latinis litteris ſcribunt, *ullo*, quod Boſius Græcum agnovit. Ante legebatur, *non ſanè quadratulo aliquem Olympia;* quod ſe nec intelligere nec corrigere poſſe profitetur Victor. vulgò nunc legitur, *nolo aliquem Olympia, &c.*

11. Κεκύβικα.] Decurt. Cruſell. & mſſ. Pal. habent κεκίβικα. Torn. κέκβικα. Vulgatæ lectionis κέπφικα author eſt Victor. quæ non diſplicet Lambino; qui, ſi quid mutandum eſſet, legeret κίκευκα, ſed Corradus putat & mavult legi πέφευκα, alii κέκληκα, alii κέλτικα legunt.

12. *Sin; utrum liberet, facere poſſe, auctore me.*] Particulam *ſin.* quæ aberat ex mſſ. ſuis reſtituit Boſius. Lambinus, quum abſente particula locum hunc non intelligeret, ſic emendavit *utrum liberet faceret: poſſe auctore me.*

13. *Tu poteris movere.*] Sic Victorius: vulg. *monere.*

14. *Kanum.*] Sic mſſ. teſte Victorio, quod mavult Boſius quam vulgatum *Canum.*

15. *Nolui te una.*] Vulgò, *volui te una.*

16. *(Mihi crede iſtuc, ut cetera) non laborarem.*] Lipſius legit, *mihi crede, iſtuc ut cætera non laborarem.* lib. IV. Antiq. lect. cap. 19.

17. Τελπολιτικὸν.] Sic reſtituit ex mſſ. Victor. antea πολιτικὸν legebatur. Antiquus liber Urſini habet, περὶ πολιτικῶν, quod an probare debeat, dubitat.

18. *Juſſi ut tibi daretur.*] In Torn. & Cruſell. legitur, *miſi ut tibi.*

19. *P. Popillio.*] Sic Decurt. & Torn. ut & Faſti Romani: vulg. *L. Popilloi.*

20. Coss.] Vocem hanc à veteribus codd. abeſſe dicit Victorius.

21. *Legatus eſſe potuiſſet? niſi admodum ſerò Quæſtor eſt factus.*] In libro dictiſſ. viri ita emendatum eſſe ait Urſinus, *legatus eſſe non potuiſſet niſi admodum ſerò quæſtor eſſet factus.* Pighius in Faſtis ad annum urbis DCXX. conjicit *potuiſſet? non videtur, niſi, &c. ſerò prætor eſt factus.*

22. *In iis ſciebam fuiſſe.*] Vulg. duo priora verba, *in iis*, deſunt.

23. *Miſeram.*] Vulg. *miſerim.* Junius legit *miſi cum.*

24. *Libertus.*] Hoc gloſſema eſſe cenſet Manutius.

25. *Sed ſcribes & quidem confeſtim.*] Ita Decurt. In vulg. hactenus excuſum fuit, *ſed ſcribis & quidem confectum.*

26. *Cum Balbo autem puto te aliquid feciſſe hodie in Capitolio.*] Pro *hodie* vulg. nota, *H.* ponitur; unde Urſinus ait veterem librum habere, *feciſſe HC. CC. in Capitolio.*

cùm ſit in Africa, ut Cœlius. De nomine, tu videbis cum [1] Ciſpio: [2] ſed, ſi Plancus deſtinat, tum habet res difficultatem. Te ad me venire uterque noſtrum cupit: ſed iſta res nullo modo relinquenda eſt. Othonem quòd ſperas poſſe vinci, ſanè bene narras. de æſtimatione, ut ſcribis cùm agere cœperimus: etſi nihil ſcripſit niſi de modo agri. Cum Piſone, [3] ſi quid poteris. [4] Dicæarchi librum accepi: & καταβάσεως exſpecto. [5] Negotium dederis, [6] reperiet ex eo libro, in quo ſunt S. C. Cn. Cornelio, L. Mummio coſs. De Tuditano autem, quod putas, εὔλογον eſt, tum illum, quoniam fuit ad Corinthum (non enim temerè dixit Hortenſius) [7] aut Quæſtorem aut Tribunum mil. idque potiùs fuiſſe credo. [8] tu de Antiocho ſcire poteris (videt jam) quo anno Quæſtor, aut Tribunus mil. fuerit; [9] ſi neutrum quadret, in præfectis, an in contubernalibus fuerit, modò fuerit in eo bello. [10] De Varrone loquebamur; *lupus in fabula*. venit enim ad me, & quidem id temporis, ut retinendus eſſet. ſed ego ita egi, ut non ſcinderem penulam. [11] memini enim tuum: & multi erant, noſque imparati. quid refert? paulo poſt C. Capito [12] cum T. Carrinate. horum ego vix attigi penulam; tamen remanſerunt: [13] ceciditque bellè. ſed caſu ſermo à Capitone de urbe augenda. [14] à ponte Mulvio Tiberim duci ſecundum monteis Vaticanos; campum Martium [15] coædificari; illum autem campum Vaticanum fieri, quaſi Martium campum. quid ais? inquam. at ego ad tabulam, ut, ſi rectè poſſem, Scapulanos hortos. cave facias, inquit. nam iſta lex perferetur. vult enim Cæſar. [16] audire me facilè paſſus ſum. fieri autem, moleſtè fero. ſed tu quid ais? quamquam quid quæro? noſti diligentiam Capitonis in *rebus novis* perquirendis. non concedit Camillo, facies me igitur [17] certiorem de Idibus. iſta enim me res adducebat. eò adjunxeram ceteras; quas conſequi tamen biduo, aut triduo poſt facile potero. [18] te tamen in via confici minimè volo. quin etiam Dionyſio ignoſco. De bruto quod ſcribis, feci ut ei liberum eſſet, quod ad me attineret. ſcripſi enim ad eum heri, Idib. Mai. ejus opera mihi nihil opus eſſe.

34 CICERO ATTICO, S.

ASTURAM veni [19] VIII. Kal. vitandi enim caloris cauſa, Lanuvii III. horas acquieveram. tu velim, ſi grave non erit, efficias, ne ante Nonas mihi illuc veniendum ſit. id potes [20] per Egnatium maximum. Illud in primis, [21] ut cum Publilio, me pænè abſente, conficias: de quo quæ fama ſit, ſcribes. *id populus curat ſcilicet.* non mehercule arbitror. etenim hæc decantata erat fabula. ſed complere paginam volui. quid plura? ipſe enim adſum niſi quid tu prorogas. ſcripſi enim ad te de hortis.

CICERO ATTICO, S. 35

O REM indignam! gentilis tuus urbem auget; quam hoc biennio primum vidit: [22] & ei parum magna viſa eſt, quæ etiam ipſum capere potuerit. hac de re igitur exſpecto litteras tuas. Varroni, ſcribis, te ſimul ac veniſſet dati igitur jam ſunt; nec tibi integrum eſt: hui, ſi ſcias quanto periculo tuo: aut fortaſſe litteræ meæ te retardarunt. [23] ſed eas nondum legeras, cùm has proximas ſcripſiſti. ſcire igitur haveo, quo modo res ſe habeat.

CICERO ATTICO, S. 36

[24] DE Bruti amore, veſtraque ambulatione, etſi mihi nihil novi affers, ſed idem, quod ſæpe; tamen hoc audio libentiùs, quo ſæpius: eoque mihi jucundius eſt, quòd tu eo lætaris; certiuſque eo eſt quòd à te dicitur.

CICERO ATTICO, S. 37

HAS alteras hodie litteras. De Xenonis nomine, & de Epiroticis XXXX. nihil poteſt fieri nec commodiùs, nec aptiùs quam ut ſcribis. id erat locutus mecum eodem modo Balbus minor. Novi nihil ſanè, niſi Hirtium cum Quinto acerrimè pro me litigaſſe: [25] omnibus eum locis facere, maximeque in conviviis: cùm multa de me, tum redire ad patrem: nihil autem ab eo tam ἀξιοπίστως dici, quam alieniſſimos nos eſſe à Cæſare: fidem nobis habendam non eſſe: me verò etiam *cavendum*: (φοβερὸν ἦν, niſi viderem ſcire regem, me animi nihil habere) Ciceronem verò meum vexari. ſed id quidem arbitratu ſuo. Laudationem Porciæ gaudeo me ante dediſſe Lepta tabellario, quam tuas acceperim litteras. eam tu igitur, ſi me amas, curabis; ſi modò mittetur, iſto modo mittendam Domitio, & Bruto. De gladiatoribus; de ceteris; quæ ſcribis ἀνεμοφόρητα, facies me quotidie certiorem. Velim, ſi tibi videtur, appelles Balbum, & Offilium de auctione proſcribenda. equidem locutus ſum cum Balbo. placebat. puto conſcripta habere Offilium omnia; habet & Balbus: ſed Balbo placebat, propinquum diem, & Romæ: ſi Cæſar moraretur, [26] poſſe diem differri. ſed is quidem adeſſe videtur. totum igitur conſidera. placet enim Veſtorio.

CICE-

1. *Ciſpio.*] Vulg. *Cuſpio.*

2. *Sed, ſi Plancus deſtinet, tum habet res difficultatem.*] Ita reſcripſit Boſius ex Decurt. & Cruſell. ut & antea ſcripſerat Lambin. ex Tornæſ. cui tamen non diſplicet ea lectio quam affert Malaſp. *ſed ſi Plancus deſtinatum habet, habet res difficultatem.* utrobique nihilominus deſiderat, *ſibi*, ante, *deſtinat*, aut, *deſtinatum.* vulg. *tum haberes difficultatem.*

3. *Si quid poteris.*] Vulg. *poterit.*

4. *Dicæarchi librum accepi.*] Velit legi Lambinus, *Dicæarchi librum* περὶ ψυχῆς.

5. *Negotium dederis.*] Urſinus ait Faërnum primum animadvertiſſe, *negotium, de decem legatis* ſcribendum eſſe. & in eam ſcripturam inclinat Pighius in Faſtis ad annum DCVII qui conſulatur. Junius dicit duos mſſ. Pal. habere, *negotium ſi dederis.*

6. *Reperiet.*] Omnes Boſii ita habent. vulg. *reperies.*

7. *Aut quæſtorem aut tribunum militum.*] Recepta hæc lectio, Scidarum auctoritate confirmatur: fruſtra ergo illam, judice Boſio, Victorius mutavit.

8. *Tu de Antiocho ſcire poteris (videt jam) quo.*] Sic ex Scidis reſtitutum; vulg. *Sed tu de Antiocho ſcire pot. vide etiam quo, &c.*

9. *Si neutrum quadret, in præfectis, an in contubern.*] Lectio hæc eſt à Decurt. Lamb. ſequitur Tornæſ. hanc ſcripturam, *ſi neutrum cadet, in præf. &c.* ſed vitioſam ait eſſe Boſius: Corradus ſic legi vult, *eodemne præfectus, an contubernalis*; ſed inanem eſſe conjecturam vult Lamb. vulg. *ſi neutrum eodem in præfectis, aut in, &c.* Junius ex mſſ. Pal. *ſin, utrum eidem in præf.*

10. *De Varrone loquebamur.*] Autumat Manutius hoc eſſe principium epiſtolæ.

11. *Memini enim tuum.*] Ita Scidæ ut & veteres libri Victorii.

12. *T. Carrinate.*] Alii & in his Manutius legunt *C. Carrinate.* Beſſarionis liber prænomen nullum habet.

13. *Ceciditque bellè.*] Ita veteres Boſii referebant. vulgò *cecidit bellè.*

14. *A ponte Milvio Tiberim duci ſecundum.*] Hæc emendatio debetur Vict. prius legebatur, *de urbe augenda à ponte Milvio ad Tiberim, pauci ſecundum, &c.* Lipſius pro, *duci*, mavult *perduci.* d. cap. 19.

15. *Coædificari.*] Editio Manutii, *tum ædificari*, illa tamen particula, *tum*, illi ſupervacua videtur: malit ille *totum*, vel, *hunc*, ſi modò eſt in aliquo vetere libro.

16. *Audire me facilè paſſus ſum.*] Sic in antiquo Beſſarionis libro. in quibuſdam legitur, *aude rem. facile paſſus ſum.* quod vitioſum Manutius opinatur.

17. *Certiorem de Idibus.*] De *ædibus*, habent vulgati.

18. *Te tamen in via confici.*] Victorius ex veteribus codd. ita emendavit, antea legebatur, *te tamen in tua re confici.*

19. *VIII. Kal. vitandi.*] Sic Decurtatus. vulg. *VIII. Kal. Julias vitandi.*

20. *Per Egnatium maximùm.*] Ita Boſius, *maximùm*, adverbium. aliter ſcribit. vulg. *per Egnatium Maximum.* Manutius putat interpungi debere, *per Egnatium. Maximum*; ſed judice Urſino male. dicit enim in veteribus denariis *Maximum* eſſe *Egnatii* cognomen.

21. *Ut cum Publilio.*] *Ut*, abeſt à vulgatis; illud reſtituit Boſius.

22. *Et ei parùm.*] Vulg. *& ea parùm.*

23. *Sed eas nondum legeras.*] Tornæſ. *ſi eas nondum legeras.*

24. *De Bruti.*] Hæc epiſtola vulgò pars eſt ſuperioris.

25. *Omnibus eum locis facere.*] Conjiciebat Faërnus, legendum eſſe, *omnibus eum locis furere.* quomodo item conjicit Lipſius d. cap. 19. Lambinus delendum putabat *facere.*

26. *Poſſe diem differri.*] Ita ſcriptum eſt in codicibus Memm. & Huralt. & Tornæſ. non ut vult Victorius, *poſſe diem in diem differri*: Urſinus ait eſſe in mſſ. antiquo, *poſſe in diem tertium differri.*

1. *Non*

38 CICERO ATTICO, S.

ANTE lucem cùm ſcriberem contra Epicureos, de *eodem oleo*, *& opera* exaravi neſcio quid ad te, & ante lucem dedi. deinde cùm, ſomno repetito, ſimul cum ſole experrectus eſſem, datur mi epiſtola à ſororis tuæ filio, quam ipſam tibi miſi, cujus eſt principium non ſine maxima contumelia. ſed fortaſſe σὺκ ἐπέςησεν, eſt autem ſic: EGO ENIM [1] NON PROBO QUIDQUID NON BELLE IN TE DICI POTEST. poſſe vult in me multa dici non belle, ſed ea ſe negat approbare. [2] hoc quidquam pote impurius? jam cetera leges, (miſi enim ad te) judicabiſque. [3] Bruti noſtri quotidianis aſſiduiſque laudibus, quas ab eo de nobis haberi permulti mihi renuntiaverunt, commotum iſtum aliquando [4] ſcripſiſti aliquid ad me: credo & ad te: idque ut ſciam, facies: nam, ad patrem de me quid ſcripſerit, neſcio: de matre quàm piè? *VOLUERAM*, inquit, *UT QUAMPLURIMUM TECUM ESSEM, CONDUCI MIHI DOMUM: ET ID AD TE SCRIPSERAM, NEGLEXISTI. ITA MINUS MULTUM UNA ERIMUS. NAM EGO ISTAM DOMUM VIDERE NON POSSSUM: QUA DE CAUSA, SCIS.* Hanc autem cauſam pater odium matris eſſe dicebat. nunc me juva, mi Attice, conſilio, πότερον δίκας τεῖχος [5] ὕψιον, id eſt utrum aperte hominem aſperner, & reſpuam, [6] ἢ σκολιαῖς ἀπάταις, ut enim Pindaro, ſic δίχα μοι νόος, ἀτρέκειαν εἰπεῖν. omnino moribus meis illud aptius, ſed hoc fortaſſe temporibus. tu autem, quod ipſe tibi ſuaſeris, idem mihi perſuaſum putato. equidem vereor maximè, ne in Tuſculano opprimar, in turba hæc eſſent faciliora. utrum igitur Aſturæ? [7] quid, ſi Cæſar ſubitò? juva me, quæſo, conſilio. utar eo, quod tu decreveris.

39 CICERO ATTICO, S.

O INCREDIBILEM *vanitatem!* ad patrem domo ſibi carendum propter matrem: [8] plena pietatis. hic autem jam langueſcit, & ait [9] ſibi illum jure iratum. ſed utar tuo conſilio. σκολιὰ enim [10] tibi video placere. Romam ut cenſes, veniam, ſed invitus. valde enim in ſcribendo hæreo. [11] Brutum, inquis, eâdem ſcilicet. ſed niſi hoc eſſet, res me iſta non cogeret. nec enim inde venit, unde mallem; neque diu abfuit, neque ullam litteram ad me. ſed tamen ſcire haveo, qualis ei totius itineris ſumma fuerit. Libros mihi, de quibus ad te antea ſcripſi, velim mittas, & maximè [12] Φαίδρȣ περὶ θεῶν, & Ἑλλάδος.

CICERO ATTICO, S. 40

[13] ITANE nuntiat Brutus, illum ad bonos viros εὐαγγέλια? ſed ubi eos? niſi forte ſe ſuſpendit. [14] hîc autem ut fultum eſt? ubi igitur [15] φιλοτέχνημα illud tuum, quod vidi [16] in parthenone, Ahalam, & Brutum? [17] ſed quid faciat? illud optimè, [18] SED NE IS QUIDEM QUI OMNIUM FLAGITIORUM AUCTOR, BENE DE NOSTRO. at ego verebar, ne etiam Brutus eum diligeret. ita enim [19] ſignificarat iis, quas ad meas. *AT VELLEM ALIQUID [20] DEGUSTASSE DE FABULIS.* ſed coram, ut ſcribis. etſi, quid mi auctor es? advolone, an maneo? equidem [21] & in libris hæreo, & illum hic excipere nolo: ad quem, ut audio, pater hodie ad Saxa [22] Acronoma. mirum, quàm inimicus ibat, ut ego objurgarem. ſed ego ipſe [23] κεκέφωμαι. itaque poſthac. tu tamen vide, quid de adventu meo cenſeas; & τὰ ὅλα, cras ſi perſpici potuerint, mane ſtatim ut ſciam.

CICERO ATTICO, S. 41

EGo verò Quinto epiſtolam ad ſororem miſi. cùm ille quereretur filio cum matre bellum, & ſe ob eam cauſam *domo ceſſurum filio* diceret; dixi illum commodas ad matrem litteras, ad te nullas. ille alterum mirabatur: de te autem ſuam culpam, quòd ſæpe graviter ad filium ſcripſiſſet de tua in illum injuria. quòd autem relanguiſſe ſe dicit, ego ei tuis litteris lectis [24] σκολιαῖς ἀπάταις ſignificavi me non fore. [25] tum enim mentio Canæ. omnino, ſi id conſilium placeret, eſſet neceſſe. ſed ut ſcribis, ratio eſt habenda *gravitatis*; & utriuſque noſtrum idem conſilium eſſe debet: etſi in me graviores injuriæ, & certè notiores. ſi verò etiam Brutus aliquid afferet, nulla dubitatio eſt. ſed coram. magna enim res, & multæ cautionis. cras igitur, [26] niſi quid à te commeatus.

CICERO ATTICO, S. 42

VENIT ille ad me, καὶ μάλα κατηφής: & ego, σὺ δὲ δή τί σύννȣς; rogas? inquit, [27] quo iter inſtet, & iter ad *bellum*, idque cum periculoſum, tum etiam turpe. quæ vis igitur, inquam? æs, inquit, alienum: &

1. *Non probo.*] Victorius ait hæc non legi in antiquioribus libris, ſed culpa librarii, ut arbitratur.

2. *Hoc quicquam pote impurius.*] Vulg. *poteſt eſſe impurius.*

3. *Bruti noſtri.*] Locum hunc mancum depravatumque cenſet Victorius, dicitque veterem lectionem nec meliorem nec integriorem eſſe. ea autem eſt, *quæ Bruti noſtris cotidianis aſſiduiſque laudibus nequas ab eo de nobis haberi permulti mihi renuntiaverunt.*

4. *Scripſiſti.*] Manutius ait mendoſam eſſe hanc dictionem, & omnes in mendo conſentire antiquos libros; itaque deſtitutus auxilio quicquam immutare non audet.

5. Ὕψιον.] Alii, ὄψιον.

6. Ἢ σκολιαῖς ἀπάταις.] In Tornæſ. & Cruſell. exaratum erat, ἢ σκολιαῖς ἀπάταις. ſed minus recte, cenſore Dauſqueio, quamvis id quibuſdam placeat, quod & ſequenti epiſtola ſit in dativo. Inde enim factum, quod Tullius ea verba mitteret ſuæ conſtructionis.

7. *Quid, ſi Cæſar ſubito?*] Eſt à Decurtato: vulgò, *quid Cæſar.*

8. *Plena pietatis.*] Eſt a mſſ. Boſii vulg. *plenam pietatis.*

9. *Sibi illum jure iratum.*] Vulg. *tibi illum.*

10. *Tibi video placere.*] Mſſ. Boſii hæc eſt lectio, *vulgò ſibi.*

11. *Brutum inquis eadem.*] Sic Boſius, ſic & Lambin. qui tamen olim ediderat, *Brutus, inquis, eadem.* vulg. *Brutum? inquis eadem.*

12. Φαίδρȣ περὶ θεῶν & Ἑλλάδος.] Ex fide Decurtati ita ſcripſit Boſius, quem laudat Junius & ait ſic habere mſſ. Palat. vulg. φαίδρȣ περὶ θεῶν & παλλάδος. Lambinus hic ſequitur Corradi conjecturam hanc, περὶ ὀρῶν τῆς Ἑλλάδος, libenter tamen mutaret, accentum & ſpiritum, legeretque, περὶ ὅρων. Victorius hic nihil auſus eſt. Germani ſic reſtituere tentarunt, φαίδρȣ περὶ ὅσιων τῆς λαΐδος. Dauſqueius conjiciebat φαίδρȣ περὶ θεῶν, & Παλλάδος: licet ipſa Θεός; ut de ea quid eximium dicat. fors, & περὶ Διός, ut qui ſit ὕπατος κρειόντων. niſi quod vicinius & mage affine elementis, ſententia licet disjunctius; περὶ θεῶν καὶ ΠΕΛΕΙΑΔΟϹ, *de columba faticina*; de qua Herodotus aliique.

13. *Itane nuntiat.*] Boſius auctore Decurtato, & Junius auctoribus mſſ. Palat. hinc initium duxerunt epiſtolæ: in vulgatis enim hæc una eſt cum ſuperiore.

14. *Hic autem ut fultum eſt?*] Lambinus ſic legendum conjicit, *hic autem, ut fuit tum, eſt.*

15. Φιλοτέχνημα.] In antiquiore Victorii legitur φολοτέχνημα; *quid ille ſtatuere debeat neſcit.*

16. *In Parthenone Ahalam & Brutum?*] Germani, *in Parthenone? Alani & Brutum, &c.* quod Victorius, quoniam melius non habebat, aliique, ſequuti ſunt.

17. *Sed quid faciat.*] Vulg. *ſed quid faciam*; ubi Faërnus delebat vocem, *quid.*

18. *Sed ne is.*] Vulg. *quod ne is.*

19. *Significarat, iis quas.*] Vulg. *ſignificarat his litteris, quas.*

20. *Deguſtaſſe de fabulis.*] Victorius jubet accuratiùs videre, an, *tabulis*, legendum ſit.

21. *Et in libris hæreo.*] Vulg. *& in his libris.*

22. *Acronoma.*] Ita Boſius ex Decurtato & Lambinus ex Tornæſ. correxerunt. Victorius ediderat, *acrunoma*, quum antea legeretur, *acrimonia.* Turnebus divinabat, χρόνομα. Dauſqueius παροιμίας δίκην. Elatum autumabat, *ad ſaxa Acroceraunia.* Horatius lib. 1. Oda 3. *Infames ſcopulos, Acroceraunia.*

23. Κεκέφωμαι.] Boſius ait aut legendum eſſe κεκέφωμαι, ut edidit. aut κεκέπφωμαι. nam in Decurt. eſt κέπφωμαι, vulg. κέπφωμαι.

24. Σκολιαῖς ἀπάταις.] In Tornæſ. ut & in excuſis, eſt σκολιαῖς ἀπάταις.

25. *Tum enim mentio Canæ.*] Sic Decurt. Vulgati libri, *Canai.* Victorius hunc locum corruptum arbitratur; ſed mederi nequit librorum auxilo deſtitutus.

26. *Niſi quid à te commeatus.*] Vulg. *commotus.* legendum autem videtur Lipſio, *niſi quid à te commonitus.* aut quod probabilius putat, ultima vox ad principium ſequentis epiſtolæ ableganda eſt hoc modo: *commotus venit ille ad me.* videatur d. lib. IV. cap. 19.

27. *Quo iter inſtet.*] Eſt Decurtati, vulg. *quod iter inſtet.*

& tamen ne viaticum quidem. hoc loco ego ſumſi quiddam de tua eloquentia. nam tacui. at ille : ſed me maximè angit avunculus. quidnam ? inquam. quòd mihi, inquit, iratus eſt. cur *pateris* ? inquam. malo enim ita dicere, quàm cur committis. non patiar, inquit. cauſam enim tollam. & ego, rectiſſime quidem. ſed ſi grave non eſt, velim ſcire quid ſit cauſæ. quia, dum dubitabam quam ducerem, non ſatisfaciebam matri, itane illi quidem. nunc nihil mihi tanti eſt. faciam quod volunt. *feliciter* velim, inquam, teque laudo. ſed quando ? nihil ad me, inquit, de tempore, quoniam rem probo. at ego, inquam, cenſeo prius, quàm proficiſcaris. ita patri quoque morem geſſeris. faciam, inquit, ut cenſes. hic dialogus ſic concluſus eſt. Sed heus tu, diem meum ſcis eſſe III. NON. Jan. aderis igitur. Scripſeram jam : ecce tibi, orat Lepidus ut veniam. opinor Augures nil habere ad templum [1] effandum. [2] eja tu : *μιᾶς χορδῆν*. videbimus te igitur.

43 CICERO ATTICO, S.

EGo vero utar prorogatione diei : tuque humaniſſimè feciſti, qui me certiorem feceris, atque ita, ut eo tempore acciperem litteras, quo non exſpectarem : tuque ut ab ludis ſcriberes. ſunt omnino mihi quædam agenda Romæ : ſed conſequemur [3] biduo poſt.

44 CICERO ATTICO, S.

SUAVES tuas litteras ! etſi acerba Pompa. verumtamen ſcire omnia non acerbum eſt, [4] vel de Cotta. populum vero præclarum, quòd propter *malum vicinum*, [5] ne victoriæ quidem ploditur. Brutus apud me fuit : cui quidem valde placebat, me aliquid ad Cæſarem. annueram ; ſed pompam videret. Tu tamen auſus es Varroni dare ? exſpecto quid judicet. quando autem perleget ? De Attica, probo. EST QUIDDAM etiam animum levari cùm ſpectatione, tum etiam religionis opinione, & fama. Cottam mihi velim mittas. Libonem mecum habeo, & habueram ante Caſcam. Brutus mihi T. Ligarii verbis nuntiavit, quòd appelletur L. Curfidius in oratione Ligariana, erratum eſſe meum : ſed, ut ajunt, *μνημονικὸν ἁμάρτημα* ſciebam Curfidium perneceſſarium Ligariorum : ſed eum video ante eſſe mortuum. da igitur, quæſo, negotium Pharnaci, Antæo, Salvio, ut id nomen ex omnibus libris tollatur.

45 CICERO ATTICO, S.

FUIT apud me Lamia poſt diſceſſum tuum ; epiſtolamque ad me attulit miſſam ſibi à Cæſare : quæ quamquam antè data erat, [6] quàm illæ Diocharinæ, tamen planè declarabat illum antè ludos Romanos eſſe venturum. in qua extrema ſcriptum erat, ut ad ludos omnia pararet, neve committeret, ut fruſtra ipſe properaſſet. prorſus ex his litteris non videbatur eſſe dubium, quin ante eam diem venturus eſſet : idemque Balbo, cùm eam epiſtolam legiſſet, videri Lamia dicebat. Dies feriarum mihi additos video : ſed quàm multos, fac ſi me amas, ſciam. [7] de Bæbio poteris, & de altero vicino Egnatio. Quòd me hortaris, ut eos dies conſumam *in philoſophia* explicanda ; currentem tu quidem : ſed cum Dolabella vivendum eſſe iſtis diebus vides. quòd niſi me Torquati cauſa teneret, ſatis erat dierum, ut Puteolos excurrere poſſem, & ad tempus redire. Lamia quidem à Balbo (ut videbatur) audiverat, multos nummos domi eſſe numeratos, quos oporteret quamprimùm dividi. magnum [8] pondus argenti, præter prædia : auctionem primo quoque tempore fieri oportere. ſcribas ad me velim quid tibi placeat. equidem, ſi ex omnibus eſſet eligendum, nec diligentiorem, nec officioſiorem, [9] nec noſtri ſtudioſiorem facilè delegiſſem Veſtorio : ad quem accuratiſſimas litteras dedi, quod idem te feciſſe arbitror. mihi quidem hoc ſatis videtur. tu ſi quid dicis ? unum enim pungit, ne negligentiores eſſe videamur. exſpectabo igitur tuas litteras.

CICERO ATTICO, S. 46

POLLEX quidem, ut dixerat, ad Idus Sext. ita mihi Lanuvii pridie Idus præſto fuit ; ſed planè Pollex, non index. cognoſces igitur ex ipſo. Balbum conveni [10] (Lepta enim de ſua vini curatione laborans, me ad eum perduxerat : [11] meo autem Lanuino, quod Lepido tradidi ex eo hoc primùm : paulò antè acceperam eas litteras, in quibus magnopere confirmat, antè ludos Romanos. legi epiſtolam : multa de meo Catone, [12] quo ſæpiſſimè legendo ſe dicit copioſiorem factum : Bruti Catone lecto ſe ſibi viſum diſertum) [13] ex eo cognovi cretionem Cluvii (ô Veſtorium negligentem !) liberam cretionem, teſtibus præſentibus, ſexaginta diebus. metuebam ne ille [14] arcendus eſſet. nunc mittendū eſt, ut meo juſſu cernat. idem igitur Pollex. etiam de hortis Cluvianis egi cum Balbo [15] liberaliùs : ſe enim ſtatim ad Cæſarem ſcripturum : Cluvium autem [16] à Tito Hordeonio legare & Terentiæ H-S ꓕↃↃↃ, & ſepulchro, multiſque rebus ; nihil à nobis. ſubaccuſa quæſo Veſtorium. Quid minus probandum ; quàm Plotium unguentarium per ſuos pueros omnia tanto antè Balbo ; illum mî ne per meos quidem ? [17] De Coſſinio doleo ; dilexi hominem. Quinto delegabo, ſi quid æri meo alieno ſuperabit, & emptionibus ; ex quibus mî etiam æs alienum faciendum puto. De domo Arpini, nihil ſcio. Veſtorium nihil eſt quod accuſes. jam enim obſignata hac epiſtola, noctu tabellarius noſter venit, & ab eo litteras diligenter ſcriptas attulit, & exemplum teſtamenti.

CICE-

1. *Effandum.*] Vulg. *afflandum.*

2. *Eia tu μιᾶς χόρδῆ.*] Concinnavit hoc Boſius ex corrupta hac mſſ. omnium quos vidit ſcriptura. *eatur μιᾶς χόρδῆ.* Victor. hic nihil videns, propoſuit ſuorum codicum lectionem examinandam, quæ hæc eſt ; *eatur : miſi ἀσχόρδῆ* : quam probam cenſet Junius. Alii, & in his Lambinus, legunt, *ad templum effandum Saturni ἀσπόνδῆ.*

3. *Biduo poſt.*] Particula, *poſt*, non eſt in vulg.

4. *Vel de Cotta.*] Nonnullos mſſ. eſſe qui, *de Cota*, habent, ait Victorius. alii legunt, *vel de toto.*

5. *Ne Victoriæ quidem ploditur.*] Reſtituit hoc Victorius ex mſſ. prius legebatur ; *ne Victoria quidem plauditur* : quam lectionem defendebat Budæus.

6. *Quam illæ Diocharinæ.*] Hæc eſt conjectura Montagnani, quam probat Manut. vulg. *illa Diocharina.* Urſinus ait veterem librum habere, *Dicarcheæ*, ut forte legendum ſit *Dicæarcheæ.*

7. *De Bæbio.*] Vulg. *De Babio.*

8. *Pondus argenti, præter prædia : auctionem.*] Ita etiam Lambinus legebat, vel *præterea prædia : auctionem, &c.* prout etiam legebat Malaſp. vulg. *auctionem præter prædia, &c.* quam lectionem mutandam non eſſe, contendit Junius.

9. *Nec noſtri ſtudioſiorem.*] Hæc verba quæ deſunt in vulgatis, ex Scidis Tornæſ. & Cruſell. reſtituit Boſius.

10. *Lepta enim de ſua vini curatione laborans.*] Ita emendavit Boſius ex Decurt. ut & Pantagathus ante ipſum. codex Tornæſ. & Huralt. & Memm. habent partim, *de ſua vini curatione*, partim, *de ſua vi in curatione*, quam lectionem probat Victorius ; Lamb. ferri non poſſe contendit, & mavult, *de ſua Lanuini curatione*, vel, *de ſua re ac ratione laborans*, ex corrupta hac cod. Ferriani ſcriptura, quam affert Manut. *de ſuperiore dubitans*, *de re ſua in ratione laborans.*

11. *Meo autem Lanuino.*] Ita habent Scidæ, Manutius edidit *in eo autem Lanuino* ; pater illius, *meo autem Lanuvio*, quod vulgus ſequitur. alii, *me autem Lanivio.*

12. *Quo ſæpiſſime.*] Vulg. *quem ſæpiſſimè.*

13. *Ex eo cognovi cretionem Cluvii (ô Veſtorium negligentem !) liberam cretionem, teſtibus præſentibus, ſexaginta diebus.*] Sic hunc locum edidit Boſius ex fide Decurt. Tornæſ. & Cruſell. vulgò, *ex eo cogn. cret. Cluvii (ô Veſt. neg.) liberam, teſtibus præſentibus ſexaginta duobus.* Faërnus jam olim poſt vocem, *liberam*, addiderat, *cretionem* ; poſteriorem autem partem ſic legebat Ant. Aug. *teſtibus præſentibus diebus 62.* approbante Pantagatho, qui ipſe ita correxerat, *teſtibus frequentibus 60. diebus.*

14. *Arcendus.*] Ex Decurtato eſt : vulgò *arceſſendus.*

15. *Liberaliùs.*] Germani ediderunt, *illiberaliùs*, valde improbante Victorio.

16. *A T. Hordeonio.*] Emendatio hæc debetur Victorio, antea habebatur, *Attico Hordeonio.*

17. *De Coſſinio doleo.*] Et hoc ex vetuſtis cod. reſtituit Vict. quod & Germani adnotarant. prius erat, *Deos mihi doleo.*

 1. Aga-

47 CICERO ATTICO, S.

POSTEAQUAM *abs te* [1] *Agamemno*, non *ut venirem* (nam id quoque feciſſem, niſi Torquatus eſſet) ſed ut ſcriberem, [2] *tetigit aures nuntius*, extemplo inſtituta omiſi, ea, quæ in manibus habebam, abjeci; quod juſſeras edolavi. Tu velim è Pollice cognoſcas rationes noſtras ſumptuarias. turpe eſt enim nobis illum, qualiſcumque eſt, hoc primo anno egere. poſt moderabimur diligentius. Idem Pollex remittendus eſt, ut ille cernat. Planè Puteolos non fuit eundum, cum ob ea quæ ad te ſcripſi, tum quod Cæſar adeſt. Dolabella ſcribit ſe ad me poſtridie Idus. ô magiſtrum moleſtum! Lepidus ad me heri veſperi litteras miſit Antio: nam ibi erat: habet enim domum, quam nos vendidimus: rogat magnopere ut ſim KAL. in Senatu; me & ſibi, & Cæſari vehementer gratum eſſe facturum. puto equidem nihil eſſe. dixiſſet enim tibi fortaſſe aliquid Oppius; quoniam Balbus eſt æger. ſed tamen MALIM venire fruſtra, quàm deſiderari, ſi opus eſſet: moleſtè ferrem poſtea. itaque hodie Antii: cras ante meridiem, domi. Tu velim, niſi te impedivisti, apud nos pridie. Kal. cum Pilia. Te ſpero cum Publilio confeciſſe. equidem Kal. in Tuſculanum recurram. me enim abſente omnia cum illis tranſigi malo. Q. fratris epiſtolam ad te miſi, non ſatis humanè illa quidem reſpondentem meis litteris, ſed tamen quod tibi ſatis ſit, ut equidem exiſtimo. tu videbis.

48 CICERO ATTICO, S.

HERI neſcio quid in ſtrepitu videor exaudiſſe, cum diceres te in Tuſculanum venturum: quod utinam; iterum utinam; tuo tamen commodo. Lepta me rogat, ut, ſi quid ſibi opus ſit, accurram. mortuus enim Babullius. Cæſar, opinor, ex uncia: etſi nihil adhuc: ſed Lepta ex triente. veretur autem ne non liceat *tenere* hereditatem, ἀλόγως omnino; ſed veretur tamen. is igitur ſi accierit, accurram; ſin minùs, [3] antequam neceſſe erit. Tu Pollicem, cùm poteris. [4] Laudationem Porciæ tibi miſi correctam: ac eò properavi, ut ſi fortè aut Domitio filio, aut Bruto mitteretur, hæc mitteretur. id ſi tibi erit commodum, magnopere cures velim: & velim M. Varronis, & [5] Lollii mittas laudationem; Lollii utique. nam illam legi: volo tamen *reguſtare*. quædam enim vix mihi credo [6] legiſſe me.

49 CICERO ATTICO, S.

[7] ATTICÆ primùm ſalutem, quam equidem ruri eſſe arbitror. multam igitur ſalutem & Piliæ. De Tigellio, ſiquid novi: qui quidem, ut mihi Gallus Fabius ſcripſit, μέμψιν ἀναφέρει mihi quandam iniquiſſimam, me Phameæ defuiſſe, cùm ejus cauſam recepiſſem: quam quidem receperam contra pueros Octavios Cn. filios *non libenter*: ſed & Phameæ cauſa volebam. erat enim, ſi meminiſti, in Conſulatus petitione per te mihi pollicitus, ſi quid opus eſſet: quod ego perinde tuebar, ac *ſi uſus eſſem*. is ad me venit, dixitque judicem operam dare ſibi conſtituiſſe eo die ipſo, quo de Seſtio noſtro lege Pompeja in conſilium iri neceſſe erat. ſcis enim dies illorum judiciorum præſtitutos fuiſſe. reſpondi non ignorare eum quid ego deberem Seſtio: quem vellet, alium diem ſi ſumſiſſet, me ei non defuturum. ita tum ille diſceſſit iratus. puto me tibi narraſſe. non laboravi ſcilicet, nec hominis alieni injuſtiſſimam iracundiam mihi curandam putavi. Gallo autem narravi, cùm proximè Romæ fui, quid audiſſem; neque nominavi Balbum minorem. Habuit ſuum negotium Gallus, ut ſcribit. [8] ait illum, me *animi conſcientia*, quòd Phameam deſtituiſſem, de ſe ſuſpicari. quare tibi hactenus mando, de illo noſtro, ſi quid poteris exquiras: de me nequid labores. *EST BELLUM* aliquem libenter odiſſe; [9] eſt; [10] quemadmodum non omnibus ſervire. etſi mehercule, ut tu intelligis, magis mihi iſti ſerviunt, ſi obſervare ſervire eſt.

CICERO ATTICO, S. 50

ADMONITUS quibuſdam tuis litteris, ut ad Cæſarem uberiores litteras [11] mittere inſtituerem, cùm mihi Balbus nuper in Lanuvino dixiſſet, ſe, & Oppium ſcripſiſſe ad Cæſarem, me legiſſe libros contra Catonem, & vehementer probaſſe; conſcripſi de his ipſis libris epiſtolam Cæſari, quæ deferretur ad Dolabellam: ſed ejus exemplum miſi ad Oppium, & Balbum; ſcripſique ad eos, ut tum deferri ad Dolabellam juberent meas litteras, ſi ipſi exemplum probaſſent. ita mihi reſcripſerunt, nihil umquam ſe legiſſe meliùs, epiſtolamque meam juſſerunt dari Dolabellæ. Veſtorius ad me ſcripſit, ut juberem mancipio dari ſervo ſuo, pro mea parte, Heterejo cuidam fundum Brinnianum; ut ipſe ei Puteolis rectè mancipio dare poſſet. eum ſervum, ſi tibi videbitur, ad me mittes. opinor enim ad te etiam ſcripſiſſe Veſtorium. De adventu Cæſaris idem, quod à te, mihi ſcriptum eſt ab Oppio, & Balbo. Miror te nihildum cum Tigellio, vel ut hoc ipſum, quantum acceperit: prorſus haveo ſcire, nec tamen flocci facio. [12] Quæris quid cogitem de obviam itione; quid cenſes, niſi Alſium? & quidem ad Murænam de hoſpitio ſcripſeram: ſed opinor cum Matio profectum. Saluſtius igitur urgebitur. Scripto jam ſuperiore verſiculo, Eros mihi dixit, ſibi Muræanam liberaliſſimè reſpondiſſe. Eo igitur utamur. [13] nam Silius culcitras non habet. Dida autem, opinor, hoſpitibus totam villam conceſſit.

CICERO ATTICO, S. 51

[14] AD Cæſarem quam miſi epiſtolam, ejus exemplum fugit me tum tibi mittere; [15] nec id fuit quod ſuſpicaris, ut me puderet tui, ne *ridiculè* hemicillus: nec mehercule ſcripſi aliter, ac ſi πρὸς ἴσον ὅμοιόν que ſcriberem. bene enim exiſtimo de illis libris, ut tibi coram. itaque ſcripſi, & ἀκολακεύτως, & tamen ſic, ut nihil eum exiſtimem lecturum libentiùs. De Attica nùnc demum mihi eſt exploratum. itaque ei de integro gratulare. Tigellium totum mihi, & quidem quamprimùm. nam pendeo animi. [16] Narro tibi, Quintus cras. ſed ad me, an ad te neſcio. mî ſcripſit Romam VIII. Kal. ſed miſi, qui invitaret: etſi hercle jam Romam veniendum eſt, ne ille antè advolet.

CICE-

1. *Agamemno, non ut venirem.*] Ita reſtituit Victorius. prius deerat particula *non*.

2. *Tetigit aures nuntius, extemplo inſtituta omiſi, ea quæ in manibus habebam, abjeci.*] Germani, Lambinus, & Boſius ita reſtituerunt ex mſſ. ſuis, Victorius ait tamen ſe verba hic reſtituta, *aures nuntius, extemplo inſtituta*, in nullo mſ. reperiſſe ac proinde ſe rejicere. Faernus etiam quum hæc non agnoſceret, exiſtimavit verbum *abjeci*, ſupervacaneum eſſe. Boſius, *nuntius*, in, *nuntiis* mutavit. Gulielm. in Plauti Ciſtellariam cap.4. putabat hic verſum eſſe veteris poëtæ, ſed verbis Ciceronis involutum;

Poſteaquam abs ted, Agamemno, tetigit aures nuntius.

3. *Antequam neceſſe erit.*] Vulg. *haud antequam neceſſe.*

4. *Laudationem.*] Hoc eſt alius epiſtolæ principium in vulgatis editionibus.

5. *Lollii.*] Vulg. *Ollii.*

6. *Legiſſe me.*] Vulg. pronomen, *me*, abeſt.

7. *Atticæ primum.*] Hæc epiſtola jungitur ſuperioribus vulgò.

8. *Ait illum, me animi conſcientia.*] Junius ex duobus mſſ. Pal. legit, *ait illum, animi conſcientia, &c.*

9. *Eſt; quemadmodum.*] Ita Boſius ex Decurt. vulgò *& quemadmodum*. Manutius delet particulam, *&*.

10. *Quemadmodum non omnibus ſervire.*] Lamb. legit, *& quemadmodum non omnibus dormire, ita non omnibus ſervire.*

11. *Mittere inſtituerem.*] Boſius ex mſſ. ſuis. Codices formis impreſſi, *mitterem, inſtitueram.* quam lectionem ſequitur etiam Victorius.

12. *Quæris quid cogitem.*] Alia epiſtola vulgò eſt.

13. *Nam Silius.*] *Salluſtius* legendum videtur Manut. cùm proximè dixerit, *Salluſtius igitur urgebitur, vel, utrobique, Silius.*

14. *Ad Cæſarem.*] Hæc vulgò appinguntur ſuperioribus.

15. *Nec fuit id quod ſuſpicaris, ut me puderet tui, ne ridiculè hemicillus.*] Ex præſcripto Decurt. hæc ſunt, vulgò pro, *hemicillus*, legitur, *Micilius*. quidam libri habent, *næ ridiculè, &c.* Lamb. legit, *quod ſuſpicaris quod ita ſcripſerim*; vel, *quod ſuſpicaris quod me puderet, &c.* Junius legit, *ne ridiculè: mihi cillus, &c.*

16. *Narro tibi.*] Priſci Boſii ita habent. vulg. *Narrabo tibi.*

1. Ho-

52 CICERO ATTICO, S.

O HOSPITEM mihi tam gravem! ἀμεταμέλητον. fuit enim perjucundè. ſed cùm ſecundis Saturnalibus ad Philippum veſperi veniſſet, villa ita completa militibus eſt, ut vix triclinium, ubi cœnaturus ipſe Cæſar eſſet, vacaret: quippe [1] hominum CIↃ CIↃ. ſanè ſum commotus quid futurum eſſet poſtridie: ac mihi Barba Caſſius ſubvenit: cuſtodes dedit. caſtra in agro: villa defenſa eſt. ille tertiis Saturnalibus apud Philippum [2] ad horam VII. nec quemquam admiſit. rationes opinor cum Balbo. inde ambulavit in litore. [3] Poſt horam VIII. in balneum: [4] tum audivit de Mamurra: vultum non mutavit: unctus eſt; accubuit; [5] ἐμετικὴν agebat. itaque & edit, & bibit ἀδεῶς, & jucundè; opiparè ſanè, & apparatè: nec id ſolùm, [6] *ſed bene cocto, &, condito ſermone bono, &, ſi quæris, libenter.* præterea tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτὸν valde copioſè. libertis minùs lautis, ſerviſque nihil defuit. nam lautiores eleganter accepti. quid multa? homines viſi ſumus, [7] hoſpes tamen non is, cui diceres, *amabo te,* [8] *eodem ad me cùm revertêre.* ſemel ſatis eſt. σπουδαῖον οὐδὲν in ſermone: φιλόλογα multa. quid quæris? delectatus eſt, & libenter fuit. Puteolis ſe ajebat unum diem fore, alterum ad Bajas. Habes hoſpitium, ſive ἐπισταθμείαν odioſam, mihi, [9] dixi, non moleſtam. Ego paulliſper hîc deinde in Tuſculanum. Dolabellæ villam cùm præteriret, omnis armatorum copia, dextra ſiniſtra *ad equum*, nec uſquam alibi. hoc ex Nicia.

1. *Hominum* CIↃ CIↃ.] Hoc reſtituit Victorius. prius vulgabatur, *hominum* CCCCM.
2. *Ad horam VII.*] Et hoc eſt è veteribus Victorii. antea legebatur, *ad IIX. Nonas.*
3. *Poſt horam IIX.*] A Victor. eſt. prius habebatur, *poſt hæc, &c.*
4. *Tum audivit de Mamurra, vultum non mutavit.*] Lamb. & Boſius ex ſuis mſſ. reſtituerunt vocem *vultum.*
5. Ἐμετικὴν *agebat.*] *Egerat*, Pantagathus.
6. *Sed bene cocto, & condito ſermone bono, & ſi quæris libenter.*] Pantagathus, *ſed bene cocto conditoque pavone, bono & ſingulari accipenſere.* minus rectè. verſus potius diſtinguendi erant *bene cocto, & condito ſermone bono, & ſi quæris, libenti*, ut emendabat Gulielm.
7. *Hoſpes tamen non is, cui diceres.*] Correxit hoc Victor. ex mſſ. antea enim legebatur, *hoſpes tamen novis qui diceres.*
8. *Eodem ad me, cum revertere.*] Manutio ſupervacaneum videtur *ad me*, cùm dixerit, *eodem.* Pantagathus legebat, *eandem ad me quom revertere.*
9. *Dixi.*] Vulgò, *duxi.*

M. TULLII CICERONIS
EPISTOLARUM
LIBER DECIMUS QUARTUS, AD ATTICUM.

1 CICERO ATTICO, S.

DIVERTI ad illum, de quo tecum mane. nihil perditius: explicari rem non poſſe. etenim ſi ille *tali ingenio* exitum non reperiebat, quis nunc reperiet? quid quæris? periiſſe omnia ajebat, quod haud ſcio an ita ſit: verùm ille gaudens: [1] affirmabatque minùs diebus XX. tumultum Gallicum: in ſermonem ſe poſt Idus Mart. præterquam Lepidi, [2] veniſſe neminis: ad ſummam, non poſſe iſthæc ſic abire. ô prudentem Oppium, qui nihilo minus illum deſiderat; ſed loquitur nihil, quod quemquam bonum offendat. ſed hæc hactenus. Tu, quæſo, quidquid novi (multa autem exſpecto) ſcribere ne pigrere. in his, de Sexto ſatiſne certum; maximè autem de Bruto noſtro, de quo quidem ille, ad quem diverti, Cæſarem ſolitum dicere, MAGNI REFERT, HIC QUID VELIT. [3] SED QUIDQUID VOLT, VALDE VOLT: idque eum animadvertiſſe, [4] cùm pro Dejotaro Niceæ dixerit, valde vehementer eum viſum, & liberè dicere: atque etiam (ut enim quidque ſuccurrit, libet ſcribere) proximè cùm Seſtii rogatu apud eum fuiſſem, exſpectaremque ſedens quoad vocarer, dixiſſe eum, EGO *DUBITEM QUIN SUMMO IN ODIO SIM, CUM M. CICERO SEDEAT, NEC SUO COMMODO ME CONVENIRE POSSIT? ATQUI SI QUISQUAM EST FACILIS, HIC EST: TAMEN NON DUBITO, QUIN ME MALE ODERIT.* Hæc & ejuſmodi multa. Sed ad propoſitum. quidquid erit non modò magnum, ſed etiam parvum ſcribes. equidem nihil intermittam.

CICERO ATTICO, S. 2

DUAS à te accepi epiſtolas heri. ex priore theatrum, Publiumque cognovi; bona ſigna *conſentientis multitudinis.* plauſus verò L. Caſſio datus, etiam facetus mihi quidem viſus eſt. Altera epiſtola de Madaro ſcripta, apud quem nullum [5] φαλάκρωμα: tu puta. [6] proceſſi enim, ſed minùs. diutiùs ſermone enim ſum retentus. Quod autem ad te ſcripſeram, [7] obſcurè fortaſſe, id ejuſmodi eſt; ajebat Cæſarem ſecum, quo tempore Seſtii rogatu veni ad eum, cùm exſpectarem ſedens, dixiſſe: *EGO NUNC TAM SIM STULTUS, UT HUNC IPSUM FACILEM HOMINEM, PUTEM MIHI ESSE AMICUM, CUM TAMDIU* SEDENS MEUM COMMODUM EXPECTET? Habes igitur φαλάκρωμα inimiciſſimum otii, id eſt, Bruti. In Tuſculanum hodie; Lanuvii cras; inde Aſturæ cogitabam. Piliæ paratum eſt hoſpitium: ſed vellem Atticam; (verùm tibi ignoſco) quarum utique ſalutem.

CICE-

1. *Affirmabatque.*] Codices vulgati *affirmatque*, præſenti tempore: Scidæ & Tornæſ. *affirmabatque*, quod melius convenit cum ſuperioribus verbis, *reperiebat*, &, *ajebat*; atque ita edidit Boſius.
2. *Veniſſe neminis.*] Vulg. *veniſſe nemini.*
3. *Sed, quicquid volt, valde volt.*] Perſpicuè eſt in Decurt. & Tornæſ. *volt*: quos, quo minus ſequeretur Boſius nulla cauſa fuit; quamquam non improbat vulgatam lectionem *vult.*
4. *Cum pro Deiotaro Niceæ dixerit.*] *Diceret*, Longolii liber quod Urſino magis placet.
5. Φαλάκρωμα: *tu puta.*] Editiones vulgatæ σαλάκωμα, *ut putas.* Boſius ex Decurt. φαλάκρωμα: *tu puta.*
6. *Proceſſi enim, ſed minus. diutius ſermone enim ſum retentus.*] Ita Boſius ex omnibus mſſ. ſuis & ex prima editione Victor. vulg. *proceſſi enim, ſed minus diu: ſermone enim, &c.*
7. *Obſcurè fortaſſe.*] Ita repoſuit Victor. ut etiam Germani adnotarant, pro, *obſecro fortaſſe*, quod antea legebatur.

 1. *Tram-*

3 CICERO ATTICO, S.

1 TRANQUILLÆ tuæ quic. m litteræ, quod utinam diutius nam Matius poſſe negabat. Ecce autem ſtructores noſtri ad frumentum profecti, cùm inanes rediiſſent, rumorem afferunt magnum, Romæ domum ad Antonium frumentum omne portari. πανικὸν certè: ſcripſiſſes enim. [2] Corumbus Balbi nullus adhuc; & mihi notum nomen. Bellus enim eſſe dicitur architectus. Ad obſignandum tu adhibitus non ſine cauſa videris. volunt enim nos ita putare: neſcio cur non animo quoque ſentiant. ſed quid hæc ad nos? odorare tamen Antonii διάθεσιν: quem quidem ego epularum magis arbitror rationem habere, quam quidquam mali cogitare. Tu, ſi quid pragmaticon habes, ſcribe: ſin minùs, populi ἐπισημασίαν, & mimorum dicta perſcribito. Piliæ, & Atticæ ſalutem.

4 CICERO ATTICO, S.

[3] NUNC quid putas me Lanuvii? at ego te iſtic quotidie aliquid novi ſuſpicor. tument negotia. nam cùm Matius, quid cenſes cæteros? equidem doleo, quod numquam in ulla civitate accidit, non unà cum *libertate* Rempubl. recuperatam. horribile eſt quæ loquantur, quæ minitentur; ac vereor Gallica etiam bella; ipſe Sextus quò evadat. ſed omnia licet concurrant, Idus Martiæ conſolantur. noſtri autem ἥρωες [4] quod per ipſos confici potuit, glorioſiſſimè & magnificentiſſimè confecerunt. reliquæ res, opes & copias deſiderant, quas nullas habemus. Hæc ego ad te, ut ſi quid novi (nam quotidie aliquid exſpecto) confeſtim ad me: &, ſi novi nihil, noſtro more tamen ne patiamur intermitti litterulas. equidem non committam.

5 CICERO ATTICO, S.

SPERO tibi jam eſſe ut volumus; [5] quoniam quidem ἠσίτησας, [6] cùm leviter commotus eſſes: ſed tamen velim ſcire quid agas. Signa bella, quòd Calvena moleſtè fert, ſe ſuſpectum eſſe Bruto. illa ſigna non bona, ſi cum ſignis legiones veniunt è Gallia. quid tu illas putas, quæ fuerunt in Hiſpania, nonne idem poſtulaturas? [7] quid, quas Annius transportavit? Caninium volui, ſed μνημονικὸν ἁμάρτημα. [8] A Balneatore φυρμὸς πολύς. nam iſta quidem Cæſaris libertorum conjuratio facilè opprimeretur, ſi rectà ſaperet Antonius. Meam *ſtultam verecundiam*, [9] qui legari noluerim ante res prolatas, ne deſerere viderer hunc rerum tumorem; [10] cui certè ſi poſſem mederi, deeſſe non deberem. ſed vides magiſtratus, ſi quidem illi magiſtratus: vides tamen tyranni *ſatellites* in imperiis; vides ejuſdem exercitus; vides in latere veteranos; [11] quæ ſunt εὐρίπιστα omnia: eos autem qui orbis terræ cuſtodiis non modò ſepti, [12] verumetiam vagi eſſe debebant, [13] tantum non laudari, atque amari, ſed parietibus contineri. atqui illi quoquo modo beati; *civitas miſera*. Sed velim ſcire quid adventus Octavii. nam qui concurſus ad eum, num quæ νεωτερισμοῦ ſuſpicio. non puto equidem: ſed tamen quidquid eſt, ſcire cupio. Hæc ſcripſi ad te proficiſcens Aſtura III. Idus.

CICERO ATTICO, S. 6

PRIDIE Idus Fundis accepi tuas litteras cenans. primùm igitur melius eſſe: deinde meliora te nuntiare. odioſa illa enim fuerant, legiones venire. [14] Nam de Octavio ſuſque deque. exſpecto quid de Mario: quem quidem ego ſublatum rebar à Cæſare. Antonii colloquium cum Heroibus noſtris pro re nata non incommodum. ſed tamen adhuc me nihil delectat præter Idus Mart. nam, [15] quoniam Fundis ſum cum Ligure noſtro, diſcrucior, Seſtulii fundum à verberone Curtilio poſſideri: quod cùm dico, de toto genere dico. QUID ENIM miſerius, quàm ea nos tueri, propter quæ illum oderamus? Etiamne coſs. & Tribunos pleb. in biennium, quos ille voluit? nullo modo reperio quemadmodum poſſim πολιτεύεσθαι. nihil enim tam σόλοικον quàm [16] τυραννοκτόνους in cœlo eſſe, tyranni facta defendi. ſed vides coſs. vides reliquos magiſtratus, *ſi iſti magiſtratus*: vides languorem bonorum. exultant lætitia in municipiis. dici enim non poteſt [17] quanto opere gaudeant, ut ad me concurrant, ut audire cupiant [18] verba mea ea de re; nec ulla interea decreta. ſic enim πεπολιτεύμεθα, ut victos metueremus. Hæc ad te ſcripſi appoſita ſecunda menſa: plura, & πολιτικώτερα poſtea: & tu, quid agas, quidque agatur.

CICERO ATTICO, S. 7

POSTRIDIE Idus [19] Paullum in Cajeta vidi. [20] is mihi de Mario & de Rep. alia quædam ſanè peſſima. à te ſcilicet nihil: nemo enim meorum. ſed Brutum noſtrum audio viſum ſub Lanuvio. ubi tandem eſt futurus? nam cum reliqua, tum de hoc ſcire haveo omnia. Ego è Formiano exiens XVII. KAL. ut inde altero die in Puteolanum, ſcripſi hæc. A Cicerone mihi litteræ ſanè [21] πεπινωμέναι, & bene longæ. cetera autem vel fingi poſſunt: πίνος litterarum

1. *Tranquillæ tuæ quidem litteræ.*] Ita Faërnus, ex antiquo libro.

2. *Corumbus Balbi nullus adhuc.*] Sic vetuſtiores habere codices, & Germanos adnotaſſe, teſtis eſt Victorius. antea legebatur, *Torumbus*.

3. *Nunc quid putas.*] Quidam, *numquid putas*; quod probat Lambinus.

4. *Quòd per ipſos.*] Vulg. *per ſe ipſos*.

5. *Quoniam quidem ἠσίτησας.*] Mirè conſentiebant antiqui Boſii in hac lectione referenda, quoniam quidem ἠσίτησας, quos lubens ſequutus eſt; idque probantibus Lambino, & Turnebo, ex Tornæſ. prius legebatur, ἠσίγησας, idque ita reſtituerant Germani, conſentiente Victorio; cum antea inane ſpatium relinqueretur.

6. *Cùm leviter.*] Vulg. *quàm leviter*.

7. *Quid quas Annius tranſportavit?*] Ita mſſ. Pall. vulg. *quid eas, quas Antonius tranſportavit*.

8. *Balneatore φύρμος πολύς.*] Boſius excudendum curavit, *à Balneatore* ut erat in omnibus ſuis: vulg. *ab aleatore*, quod in cunctis & impreſſis & mſſ. codicibus quos vidit fuiſſe refert Vict. exceptis Germ. qui, *Balneatore*, habent.

9. *Qui legari noluerim ante res prolatas.*] Sic mſſ. omnes Pal. vulg. *qui legari noluerim auctores præclaros*

10. *Cui certè ſi poſſem mederi, deeſſe non deberem.*] Vict. ita caſtigavit, cum prius legeretur, *odiſſe non deberem*.

11. *Quæ ſunt εὐρίπιστα omnia: eos autem.*] Vulg. *quæ ſunt* εὐρίπιστα. *Eos autem.*

12. *Verùm etiam vagi eſſe debebant.*] Veram & certam hic eſſe Manut. conjecturam, declarat hæc ſcriptura Decurt. *vagiſſe*, ubi omiſſa tantum eſt una littera; ſcribi enim debuit, *vagi eſſe*, ut conjecerat Manut. In Tornæſ. aliquantò depravatius eſt, *magiſſe*. prius legebatur, *magni debebant eſſe*, quod non placebat Manut, Beſſarion. liber, *magis edebant*.

13. *Tantum non.*] Recte Decurtatus *tantum non*, & mox, *atqui*, quo modo edidit Boſius.

14. *De Octavio. ſuſque deque.*] Lectio hæc, quam Germani animadverterant, Victorianorum mſſ. auctoritate confirmatur. antea legebatur, *Nam de Octavio ſcis quæ expecto*.

15. *Quoniam Fundis ſum, cum Ligure noſtro, diſcrucior, Seſtidii fundum, &c.*] Victorius ex antiquis exemplaribus ſic repoſuit, cum antea legeretur, *quoniam Fundis ſum cum Ligure noſtro ſtructore*.

16. Τυραννοκτόνους *in cælo eſſe.*] Dauſqueius v. cl. putat deeſſe negationem, *non in cælo, &c.* aut ſcribendum *in ſalo eſſe*. ſed prior lectio ei præſtabilior. Grut. vetat nos diſcedere à vulgato; tanquam in qua nihil ſit abſurdi; imò quæ auctori contraria ſit futura, addita negativa; ut liquet ex variis earum Epiſtolarum locis & orationibus Philippicis. cùm enim approbatur nex tyranni, improbantur item ejus facta, ſcripta, dicta, promiſſa, populo odioſa.

17. *Quanto opere.*] Vulg. *quantopere*.

18. *Verba mea ea de re.*] Edidit Boſius ut erat in Scidis, *ea de re*.

19. *Paullum in Cajeta vidi.*] Victorius in poſtrema editione ſcripſit, *in Cajetano*, ſed veteres Boſii, *in Cajeta*: vulg. *Paullum Cajetæ*.

20. *Is mihi de Mario.*] Ita Victorius ex mſſ. pro *Matio*, quod antea legebatur.

21. *A. Cicerone mihi litteræ πεπινωμέναι & benè longæ.*] Ε'μπινὴς & εὐπινὴς *politus* in veteribus Gloſſis exponitur. cujus contrarium ἀπινὴς, de indocto, rudi, &c. Inde etiam τὸν πῖνον, de nitore & elegantia ſtili bene ſubacti & exercitati uſurparunt. Ex eo εὐπινὴς, pro nitido & eleganti. Sic Epiſt. VI. lib. 12. & lib. 15. Ep. 17. & lib.

rarum ſignificat *doctiorem.* nunc magnopere à te peto, de quo ſum nuper tecum locutus, ut videas nequid ei deſit. id cùm ad officium noſtrum pertinet, tum ad exiſtimationem, & dignitatem: quod idem intellexi tibi videri omnino. [1] Si ἀγὼν eſt, volo menſe Quintili in Græciam. ſint omnia faciliora. ſed cùm ſint ea tempora, ut certi nihil eſſe poſſit, quid *honeſtum* mihi ſit, quid liceat, quid expediat; quæſo da operam, ut illum quam honeſtiſſimè copioſiſſimeque tueamur. hæc & cetera, quæ ad nos pertinebunt, ut ſoles, cogitabis: ad meque aut quod ad rem pertineat; aut, ſi nihil erit, quod in buccam venerit, ſcribes.

8 CICERO ATTICO, S.

TU me jam rebare, cùm ſcribebas, [2] in *Actis* eſſe noſtris: & ego accepi XVII. KAL. in diverſoriolo Sinueſſano tuas litteras. De Mario probe: etſi doleo L. Craſſi nepotem. optimè tam etiam Bruto noſtro probari Antonium. nam quòd [3] Juniam ſcribis moderatè, & amicè ſcriptas litteras attuliſſe, mihi Paullus dedit ad ſe à fratre miſſas: quibus in extremis erat, ſibi inſidias fieri; ſe id certis auctoribus comperiſſe. hoc nec mihi placebat, & multo illi minus. Reginæ fuga mihi non moleſta. ſed Clodia quid egerit, ſcribas ad me velim. De Byzantiis curabis, ut cetera; & Pelopem [4] ad te arceſſes. Ego, ut poſtulas, Bajana negotia, chorumque illum, de quo ſcire vis, cum perſpexero, tum ſcribam; ne quid ignores. Quid Galli, quid Hiſpani, quid Sextus agat, vehementer exſpecto. ea ſcilicet tu declarabis, qui cetera. Nauſeolam tibi tum cauſam otii dediſſe facilè patiebar. videbar enim mihi legenti tuas litteras requieſſe paulisper. De Bruto ſemper ad me omnia perſcribito, ubi ſit, quid cogitet: quem quidem ego ſpero jam tutò *vel ſolum* tota urbe vagari poſſe. verumtamen.

9 CICERO ATTICO, S.

[5] DE Rep multa cognovi ex tuis litteris, quas quidem multijuges accepi uno tempore à Veſtorii liberto. ad ea autem quæ requiris, brevi reſpondebo. Primum vehementer me Cluviana delectant. Sed quòd quæris quid arceſſerim Chryſippum, tabernæ mihi duæ corruerunt, reliquæque rimas agunt, itaque non ſolùm inquilini, ſed *mures* etiam migraverunt. hanc ceteri calamitatem vocant: ego ne incommodum quidem. ô Socrates, & Socratici viri! numquam vobis gratiam referam. DII IMMORTALES, quam mihi iſta pro nihilo! ſed tamen ea ratio ædificandi initur, conſiliario quidem, & auctore Veſtorio, ut hoc *damnum quæſtuoſum* ſit. Hic turba magna eſt, eritque, ut audio, major. Duo quidem quaſi deſignati coss. ô Dii boni! VIVIT tyrannis, Tyrannus occidit? ejus interfecti morte lætamur, cujus facta defendimus? itaque quàm ſeverè nos M. Curtius accuſat; ut pudeat vivere: neque injuria. nam mori millies præſtitit, quàm hæc pati, quæ mihi videntur habitura etiam vetuſtatem. & Balbus hic eſt, multumque mecum: ad quem à Vetere litteræ datæ pridie KAL. Januar. [6] cum à ſe Cæcilius circumſederetur, & jam teneretur; veniſſe cum maximis copiis Pacorum Parthum: ita ſibi eſſe eum ereptum, multis ſuis amiſſis: in qua re accuſat Volcatium. ita mihi videtur bellum illud inſtare. ſed Dolabella, & Nicias viderint. idem Balbus meliora de Gallia XXI. die litteras habebat; Germanos, illaſque nationes re audita de Cæſare, Legatos miſiſſe ad Aurelium, qui eſt præpoſitus ab Hirtio, ſe quod imperatum eſſet, eſſe facturos. quid quæris? omnia plena pacis, aliter ac mihi Calvena dixerat.

CICERO ATTICO, S. 10

ITANE vero? hoc meus, & tuus Brutus egit ut Lanuvii eſſet? ut Trebonius itineribus deviis proficiſceretur in provinciam? ut omnia facta, ſcripta, dicta, promiſſa, cogitata Cæſaris *plus valerent*, quam ſi ipſe viveret? [7] meminiſti me clamare, illo ipſo primo Capitolino die, Senatum in Capitolium à Prætoribus vocari? dii immortales, quæ tum opera effici potuerant, lætantibus omnibus bonis, etiam ſat bonis, fractis latronibus? Liberalia tu accuſas. quid fieri tum potuit? jam pridem perieramus. meminiſtine te clamare, *cauſam periiſſe*, ſi funere elatus eſſet? at ille etiam in foro combuſtus, laudatuſque miſerabiliter: ſervique, & egentes in tecta noſtra [8] cum facibus immiſſi. quæ deinde? ut audeant dicere, TU NE CONTRA CÆSARIS NUTUM? hæc & alia ferre non poſſum. itaque γλῶ πρὸ γῆς cogito. Tua tamen ὑπηνέμιος nauſea jamne planè abiit? mihi quidem ex tuis litteris conjectanti ita videbatur. [9] redeo ad Tebaſſos, Scevas, Frangones. hos tu exiſtimas confidere ſe illa habituros, *ſtantibus nobis?* in quibus plus virtutis putarunt, quàm experti ſunt. pacis iſti ſcilicet amatores, & non latrocinii auctores? at ego cùm tibi de Curtilio ſcripſi, Seſtullianoque fundo, ſcripſi de Cenſorino, de Meſſalla, de Planco, de Poſtumio, de genere toto. meliùs fuit periiſſe illo interfecto, quod numquam accidiſſet, quàm hæc videre. Octavius Neapolim venit XIIII KAL. ibi eum Balbus mane poſtridie; eodemque die mecum in Cumano, illum hereditatem aditurum. ſed, ut ſcribis, [10] ῥοιζόθεμιν magnam cum Antonio. Buthrotia mihi tua res eſt, ut debet, eritque curæ. [11] Quod quæris, jamne ad centena Cluvianum: adventare videtur: ſed primo anno LXXX. deterſimus. Q. pater ad me gravia de filio, [12] maximè quòd matri nunc indulgeat, cui antea bene merenti fuerit inimicus. ardenteis in eum litteras ad me miſit. ille autem quid agat, ſi ſcis, neque dum Roma es profectus, ſcribas ad me velim; & hercule, ſi quid aliud. vehementer delector tuis litteris.

CICE-

lib. eodem Epiſt. 16. quibus omnibus locis ἐυπινὲς & πεπινωμένον, *ſqualorem vetuſtatis redolens*, interpretantur viri docti; ſed illi errant. nam nihil aliud illis vocibus proprie ſignificatur quam quod oleo palæſtrico unctum ac nitidum eſt. hinc ad orationem tranſlatæ ſunt, quæ tum εὐπινὴς & πεπινωμένη dicitur, quum multo quaſi ſanguine & ſucco palæſtrico florida, colorem quemdam virilem, nitoremque multa arte & exercitio quæſitum præfert, qualis in corporibus exercitatis, quæque ſolem & oleum imbiberunt, cernitur. Nam quemadmodum mollia & delicata atque in umbra educata corpora, fortibus & robuſtis atque exercitatione multa firmatis & coloratis opponitur; ſic oratio εὐπινὴς τῇ τρυφερῇ καὶ μαλακῇ. *Salmaſ.* Πεπινωμένου.] Sic legendum & ita ſcriptum eſſe, in codicibus Memm. & Tornæſ. aſſerit Lambinus, eamque ſcripturam & Corradus notat. Victorius auctoritate mſſ. pro πεπυκνωμένου, quod & etiamnum in vulgatis editionibus legitur ſubſtituit πεπιγνωμένου. receptam tuetur Dauſqueius.

1. *Si ἀγὼν eſt, volo menſe Quintili in Græciam.*] Scidæ, *ſi ago eſt:* unde Boſius conjicit, *ſi ἀγὼν eſt.* Lamb. legit, *omnino legatus volo menſe Quintili in Græciam.* vulg. *ſi ergo eſt, &c.*

2. *In actis eſſe noſtris.*] Vulg. *in agris eſſe noſtris.*

3. *Juniam ſcribis.*] Vulg. *Curiam.*

4. *Ad te arceſſes.*] Boſii mſſ. *arceſſes*, ut temporis ejuſdem ſit, cujus verbum quod antecedit, *curabis.*

5. *De Rep.*] Duo hæc vocabula ſuperiori appinguntur epiſtolæ in vulgata editione.

6. *Cum à ſe Cæcilius circumſideretur.*] Pro, *Catilius*, quod antea legebatur, *Cæcilius* reſtituit Victorius.

7. *Meminiſti me clamare.*] Ita Faernus & Ant. Auguſtinus: vulg. *meminiſtine clamare.*

8. *Cum facibus.*] Vulg. *cum faſcibus.*

9. *Redeo ad Tebaſſos, Scævas, Frangones.*] Hanc lectionem ex antiquis exemplaribus eruit Victorius. Junius ex mſſ. Pal. *Redeo ad te: Haſſos, Suevos, Francones, &c.* vulg. *Redeo ad te: Baſſos, Scævas, Frangones.* Beatus Rhenanus lib. II. Rerum Germanicarum indicat fuiſſe in mſ. Laurishemenſi; *Redeo ad te Baſſos, Scacuas, Frangones*; ex quibus fingebat, *Redeo ad Betaſios, Atuas, Vangiones.*

10. ῥοιζόθεμιν.] Veteres libri ſic referunt PIZOΘEMIN: Victor. edidit ῥιζόθεμιν, ut Boſ. ſcribendum potius videatur ῥιζίθεμιν; cùm tamen propius ad veterem ſcripturam accedens reponendum cenſeat ῥοιζόθεμιν; facile enim librarius alteram litteram omiſit, qua diphthongus conflabatur. Victorii lectionem ſequitur vulgata editio. Junius ex conjectura ῥιζ᾽ ὅθεμιν.

11. *Quod quæris.*] Vulg. *quid quæris?*

12. *Maximè quod matri nunc.*] Junius ex mſſ. *matri quod maximè nunc.*

I. Fe-

11 CICERO ATTICO S.

NUDIUS tertius dedi ad te epiſtolam longiorem : nunc ad ea, quæ proximè. [1] Velim mehercule, Aſturæ Brutus. ἀγκαλασμὸν iſtorum ſcribis. an cenſebas aliter? equidem etiam majora exſpecto. cùm equidem concionem lego, *DE TANTO VIRO, DE CLARISSIMO CIVI*, ferre non queo : etſi iſta jam ad riſum. ſed memento : ſic alitur conſuetudo perditarum concionum ; ut noſtri illi, non heroes, ſed dii, futuri quidem in *gloria ſempiterna* ſint, [2] ſed non ſine invidia, ne ſine periculo quidem. verùm illis magna conſolatio, *conſcientia* maximi & clariſſimi facti: nobis quæ? qui interfecto rege, liberi non ſumus? ſed hæc fortuna viderit, quoniam ratio non gubernat. De Cicerone, quæ ſcribis, jucunda mihi ſunt: velim, ſint proſpera. quod verò curæ tibi eſt, ut ei ſuppeditetur ad uſum, & cultum copioſè, per mihi gratum eſt ; idque ut facias, te etiam rogo. De Buthrotiis, & tu rectè cogitas, & ego non dimitto iſtam curam. ſuſcipiam omnem etiam actionem ; quam video quotidie faciliorem. De Cluniano, quoniam in re mea me ipſum diligentia vincis, res ad centena perducitur. [3] ruina rem non fecit deteriorem, haud ſcio an jam *fructuoſiorem*. Hîc mecum Balbus, Hirtius, Panſa. modò venit Octavius, & quidem in proximam villam Philippi, mihi totus deditus. Lentulus Spinther hodie apud me : cras manè vadit.

12 CICERO ATTICO, S.

O MI Attice, vereor, ne nobis Idus Mart. nihil dederint præter lætitiam, & [4] odii pœnam ac doloris. quæ mihi iſtinc afferuntur? quæ hic video? ὦ πράξεως καλῆς μὲν, ἀτελοῦς δέ. Scis quam diligam Siculos, & quàm illam clientelam honeſtam judicem. multa illis Cæſar, neque me invito : etſi Latinitas erat non ferenda : [5] verumtamen. ecce autem Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem, à Dictatore comitiis latam, qua Siculi *cives Romani:* cujus rei, vivo illo, mentio nulla. Quid? Dejotari noſtri cauſa non ſimilis? dignus ille quidem omni regno, ſed non per Fulviam. ſexcenta ſimilia. [6] verum illuc referor: tam claram, tamque teſtatam rem, tamque juſtam Buthrotiam non tenebimus aliqua ex parte? & eo quidem magis, quo iſte plura? Nobiſcum hîc perhonorificè, & amice Octavius : quem quidem ſui Cæſarem ſalutabat, Philippus non : itaque ne nos quidem : quem nego poſſe bonum civem : ita multi circumſtant, qui quidem noſtris mortem minitantur. [7] negan' hæc ferri poſſe? quid cenſes, cùm Romam puer venerit, ubi noſtri liberatores tuti eſſe non poſſunt? qui quidem ſemper erunt clari ; *conſcientia* verò facti ſui etiam beati. ſed nos, niſi me fallit, jacebimus. itaque exire haveo, *ubi nec Pelopidarum*, inquit. haud amo vel hos deſignatos, qui etiam declamare me coëgerunt ; ut ne apud aquas quidem acquieſcere liceret. ſed hoc meæ nimiæ facilitatis. nam id erat quondam quaſi neceſſe : nunc, [8] quoquo modo ſe res habet, non eſt item. Quàm dudum nihil habeo quod ad te ſcribam : ſcribo tamen, non ut delectem his litteris, ſed ut eliciam tuas. tu, ſi quid erit de ceteris ; de Bruto utique, quidquid. Hæc conſcripſi x. Kal. accubans apud Veſtorium, hominem remotum à dialecticis, in arithmeticis ſatis exercitatum.

CICERO ATTICO, S. 13

SEPTIMO denique die litteræ mihi redditæ ſunt, quæ erant à te XIII Kal. datæ : quibus quæris, atque etiam me ipſum neſcire arbitraris, utrum magis tumulis proſpectuque, [9] an ambulatione ἀλιτενεῖ delecter. eſt mehercule, ut dicis, utriuſque loci tanta amœnitas, ut dubitem, utra anteponenda ſit.

——ἀλλ' αὐδαυτὸς ἐπηρεάτω ἔργα μέμηλεν.
Ἀλλὰ λίην μέγα πῆμα, διοτρεφὲς, εἰσορόωντες
Δείδιμεν. ἐν δοιῇ δὲ σαωσέμεν, ἢ ἀπολέσθαι.

quamvis enim tu magna, & mihi jucunda ſcripſeris de D. Bruti adventu ad ſuas legiones ; in quo ſpem maximam video : tamen, ſi eſt bellum civile futurum, quod certè erit, ſi Sextus in armis permanebit, quem permanſurum eſſe [10] certè ſcio, quid nobis faciendum eſt, ignoro. neque enim jam licebit, quod Cæſaris bello licuit, neque huc, neque illuc. quemcumque enim hæc pars perditorum lætatum morte Cæſaris putabit, (lætitiam autem *apertiſſime* tulimus omnes) hunc in hoſtium numero habebit : quæ res ad cædem maximam ſpectat. reſtat, ut in caſtra Sexti, aut, ſi fortè, Bruti nos conferamus. res odioſa & aliena noſtris ætatibus, & incerto exitu belli : & neſcio quo pacto tibi ego poſſim, mihi tu dicere,

Τέκνον ἐμὸν οὔτοι δέδοται πολεμήϊα ἔργα,
Ἀλλὰ σύγ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο.

ſed HÆC FORS VIDERIT, ea, quæ talibus in rebus plus, quàm ratio poteſt. nos autem id videamus, quod in nobis ipſis eſſe debet, ut, quidquid acciderit, fortiter & ſapienter feramus, & accidiſſe hominibus meminerimus ; noſque cum multùm litteræ, tum non minimum Idus quoque Mart. conſolentur. ſuſcipe nunc meam deliberationem, qua ſollicitor : ita multa veniunt in mentem in utramqne partem. [11] proficiſcor, ut conſtitueram, legatus in Græciam? cædis impendentis periculum nonnihil vitare videor, ſed caſurus in aliquam vituperationem, quòd Reip. defuerim tam gravi tempore. [12] ſin autem manſero, fore me quidem video in diſcrimine ; ſed accidere poſſe ſuſpicor, ut prodeſſe poſſim Reip. Jam illa conſilia privata ſunt, quòd ſentio valde eſſe utile ad confirmationem Ciceronis, me illuc venire : nec alia cauſa profectionis mihi ulla fuit tum cùm conſilium cepi legari ab Cæſare. tota igitur hac de re, ut ſoles, ſi quid ad me pertinere putas, cogitabis. Redeo nunc ad epiſtolam tuam. ſcribis enim eſſe rumores, me, ad lacum quod habeo, venditurum : minuſculam verò villam utique Quinto traditurum, vel impenſo pretio, quò introducatur, ut tibi Q. filius dixerit, dotata Aquillia: ego verò de venditione nihil cogito, niſi quid, quod magis me delectet, invenero. Quintus autem de emendo nihil curat hoc tempore. ſatis enim torquetur debitione dotis : in qua [13] mirificas Egnatio gratias agit. à ducenda autem uxore ſic abhorret, ut *libero lectulo* neget eſſe quidquam jucundius.

Sed

1. *Velim mehercule.*] Vulg. *mehercle.*

2. *Ruina rem non fecit.*] Victor. ex antiquis codibus, in quibus erat, *una*, legendum conjecit, *ruina*, prius legebatur, *nam.*

3. *Sed non ſine invidia, ne ſine periculo quidem.*] Integrior eſt ſcriptura veterum codicum, quam public. editionum, ideo ex illorum fide ſic edidit Boſius : vulgò tria illa verba deſunt.

4. *Et odii pœnam ac doloris.*] Vict edidit : *odii plenam*, quam lectionem cum multis de cauſis non probat Boſius, tum quod in Decurt. Tornæſ. & Cruſell. perſpicue exaratum eſt *odii pœnam ;* quam lectionem retinet item Lamb.

5. *Verumtamen. ecce autem Antonius.*] Hoc ordine reſtituit hæc vocabula Vict. antea legebatur *verumtamen autem ecce.*

6. *Verùm illuc referor.*] Lamb. forte legendum dicit, *verum me illuc refero ;* vel ut vulgò, *verum illuc refero*, ut ſubaudiatur, *hæc quæ dixi.*

7. *Negan' hæc ferri poſſe.*] Tornæſ. & Cruſell. *negant*, ſcripſit Boſius, *negan'*, id eſt, *negas-ne.* vulg. *negant hæc ferri poſſe ;* quod retinet Junius.

8. *Quoquo modo ſe res habet, non eſt item. Quamdudum nihil habeo, &c.*] Vulg. aliter diſtinguit, *quoquo modo ſe res habet. non eſt item, quamdudum. Nihil habeo.*

9. *An in ambulatione ἀλιτενεῖ.*] Hoc vocabulum Germani & Victor. ex ſuis codicibus & in ſequentes Græcos verſus primi reſtituerunt.

10. *Certè ſcio.*] Vulg. *certò ſcio.*

11. *Proficiſcor ut conſtitueram legatus in Græciam?*] Hæc cum interrogatione legenda Boſius aſſerit.

12. *Sin autem manſero, fore me quidem video in diſcrimine.*] Eandem ſcripturam referunt Decurt. & Cruſell. quam & Tornæſianus : ex cujus fide Lamb. jamdudum docuit ita legendum eſſe, *fore me quidem video in diſcrimine.* vulg. *ſin autem manſero : equidem video in diſcrimine.*

13. *Mirificas Egnatio.*] Editio Victoriana, *mirificas Q. Egnatio.* Decurt. *mirificas ſub Q. Egnatio ;* ſed id tamquam gloſſema repudiat Boſius.

1. Quam

Sed hæc quoque hactenus. redeo enim ad miſeram, ſeu nullam potius Remp. M. Antonius ad me ſcripſit de reſtitutione Sex. Clodii: quàm honorificè, quod ad me attinet, ex ipſius litteris cognoſces; (miſi enim tibi exemplum) quam diſſolutè, quàm turpiter, quamque ita pernicioſe, ut non numquam Cæſar *deſiderandus* eſſe videatur, facilè exiſtimabis. quæ enim Cæſar numquam neque feciſſet, neque paſſus eſſet, ea nunc ex falſis ejus commentariis proferuntur. ego autem Antonio facillimum me præbui. etenim ille quoniam ſemel induxit animum ſibi *licere quod vellet*, feciſſet nihilo minus me invito. itaque mearum quoque litterarum miſi tibi exemplum.

ANTONIUS CONSUL S. D. M. CICERONI.

OCCUPATIONIBUS eſt factum meis, & ſubita tua profectione, ne tecum coram de hac re agerem. [1] *quam ob cauſam vereor, ne* abſentia *mea levior ſit apud te. quod ſi bonitas tua reſponderit judicio meo, quod ſemper habui de te; gaudebo. A Cæſare petii, ut Sext. Clodium reſtitueret: impetravi. erat mihi in animo etiam tum ſic uti beneficio ejus, ſi tu conceſſiſſes. quo magis laboro, ut tua voluntate id per me facere nunc liceat. quod ſi duriorem te ejus miſeræ, & afflictæ fortunæ præbes; non contendam ego adverſus te. quamquam videor debere tueri commentarium Cæſaris. ſed mehercule, ſi humaniter, & ſapienter, & amabiliter in me cogitare vis, facilem profecto te præbebis: & voles P. Clodium, in optima ſpe puerum repoſitum, exiſtimare, non te inſectatum eſſe, cum potueris,* amicos paternos. *patere, obſecro te, pro Rep. videri geſſiſſe ſimultatem cum patre ejus. non contempſeris hanc familiam. HONESTIUS enim, & libentiùs deponimus inimicitias Reip. nomine ſuſceptas, quam contumaciæ. Me deinde ſine ad hanc opinionem jam nunc dirigere puerum, & tenero animo ejus perſuadere,* non eſſe tradendas poſteris inimicitias. *quamquam, tuam fortunam, Cicero, ab omni periculo abeſſe certum habeo: tamen arbitror malle te quietam ſenectutem, & honorificam potius agere, quam ſollicitam. Poſtremò meo jure te hoc beneficium rogo. nihil enim non tua cauſa feci. Quod ſi non impetro, per me Clodio daturus non ſum: ut intelligas, quanti apud me auctoritas tua ſit, atque eo te placabiliorem præbeas.*

CICERO ANTONIO COS. S.

QUOD mecum per litteras agis, unam ob cauſam mallem coram egiſſe. non enim ſolùm ex oratione, ſed etiam ex vultu, & oculis, & fronte (ut ajunt) meum erga te amorem perſpicere potuiſſes. nam cùm te ſemper amavi, primùm tuo ſtudio, poſt etiam beneficio provocatus; tum his temporibus. Reſp. te mihi ita commendavit, ut cariorem habeam neminem. litteræ verò tuæ, [2] *cùm amantiſſimè, tum honorificentiſſimè ſcriptæ, ſic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium viderer, ſed* accipere *a te, ita petente, ut inimicum meum, neceſſarium tuum, me invito ſervare nolles, cùm id nullo negotio facere poſſes. Ego verò tibi iſtuc, mi Antoni, remitto; atque ita, ut me à te, cùm his verbis ſcripſeris, liberaliſſimè atque honorificentiſſimè tractatum exiſtimem: idque cùm totum, quoquo modo ſe res haberet, tibi dandum putarem. tum do etiam humanitati &* naturæ meæ. *nihil enim umquam non modò acerbum in me fuit, ſed ne paullo quidem triſtius, aut ſeverius, quàm neceſſitas Reip. poſtulavit. Accedit, ut ne in ipſum quidem Clodium meum inſigne odium fuerit umquam: ſemperque ita ſtatui, NON ESSE INSECTANDOS INIMICORUM AMICOS, præſertim humiliores; nec his præſidiis noſmet ipſos eſſe ſpoliandos. Nam de puero Clodio tuas* [3] *parteis eſſe arbitror, ut ejus animum, tenerum, quemadmodum ſcribis, his opinionibus imbuas, ut ne quas inimicitias reſidere in familiis noſtris arbitretur. contendi cum P. Clodio, cùm ego publicam cauſam, ille ſuam defenderet. noſtras concertationes Reſp. dijudicavit.* ſi viveret, *mihi cum illo nulla contentio jam maneret. Quare, quoniam hoc à me ſic petis, ut, quæ tua poteſtas eſt, ea neges te me invito uſurum; puero quoque hoc à me dabis,* [4] *ſi tibi videbitur: non quo aut* ætas noſtra, *ab illius ætate quidquam debeat periculi ſuſpicari, aut dignitas mea ullam contentionem extimeſcat: ſed ut noſmet ipſi inter nos conjunctiores ſimus, quam adhuc fuimus. interpellantibus enim his inimicitiis, animus tuus mihi magis patuit, quam domus. Sed hæc hactenus. illud extremum; ego, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor, ſemper ſine ulla dubitatione ſummo ſtudio faciam. hoc velim tibi penitus perſuadeas.*

CICERO ATTICO S.

ITERANDUM eadem iſta mihi. coronatus Quintus noſter 14
Parilibus? Parilibus? ſolusne? etſi addis Lamiam: quod demiror equidem: ſed ſcire cupio, qui fuerunt alii: quamquam ſatis ſcio, niſi inprobum neminem. explanabis igitur hoc diligentiùs. ego autem caſu cùm dediſſem ad te litteras VI. Kalend. ſatis multis verbis, tribus fere horis poſt accepi tuas, & magni quidem ponderis. itaque joca tua plena facetiarum, [5] de hæreſi Veſtorina, & [6] de Pharionum more Puteolano, riſiſſe me ſatis, nihil eſt neceſſe ſcribere. πολιτικώτερα illa videamus. Ita Brutos Caſſiumque defendis, quaſi eos ego reprehendam: quos ſatis laudare non poſſum. *rerum* ego *vitia* collegi, non hominum. ſublato enim tyranno, tyrannida manere video. nam quæ ille facturus non fuit, ea fiunt, ut de Clodio: de quo mihi exploratum eſt, illum non modò non facturum, ſed etiam ne paſſurum quidem fuiſſe. ſequetur Rufio Veſtorianus, Victor numquam ſcriptus, ceteri, quis non? *cui ſervire* ipſi non potuimus, ejus libellis paremus. Nam Liberalibus quis potuit in Senatum non venire? fac id potuiſſe aliquo modo: num, etiam cùm veniſſemus, liberè potuimus ſententiam dicere? nonne omni ratione veterani, qui armati aderant, cùm præſidii nos nihil haberemus, defendendi fuerunt? illam ſeſſionem Capitolinam mihi non placuiſſe, tu teſtis es. quid ergo? iſta culpa Brutorum? minimè illorum quidem; ſed aliorum *brutorum*; qui ſe cautos, ac ſapientes putant: quibus ſatis fuit lætari; non nullis, etiam gratulari; nullis, permanere. ſed præterita omittamus: iſtos omni cura præſidioque tueamur; &, quemadmodum tu præcipis, contenti Idibus Mart. ſimus: quæ quidem noſtris amicis, divinis viris, aditum *ad cælum* dederunt, libertatem populo Romano non dederunt. Recordare tua. nonne meminiſti clamare te, omnia periiſſe, ſi ille *funere* elatus eſſet? ſapienter id quidem. itaque ex eo quæ manarint, vides. Quæ ſcribis Kalendis Juniis Antonium de provinciis relaturum, ut & ipſe Gallias habeat, & utriſque dies prorogetur: licebitne decerni liberè? ſi licuerit; libertatem eſſe recuperatam lætabor: ſi non licuerit; quid mihi attulerit iſta *domini mutatio* præter lætitiam, quam oculis cepi juſto interitu tyranni? Rapinas ſcribis ad Opis fieri: quas nos quoque tum videbamus. ne nos & liberati ab egregiis viris, nec liberi ſumus. ita laus illorum eſt, culpa noſtra. & hortaris me, ut hiſtorias ſcribam? ut colligam tanta eorum ſcelera, à quibus etiam nunc obſidemur? poterone eos ipſos non laudare, qui te obſignatorem adhibuerunt? nec mehercule me rauduſculum movet: ſed homines benivolos, qualeſcunque ſunt, grave eſt inſequi contumelia. ſed de omnibus meis conſiliis, ut ſcribis, exiſtimo exploratius nos ad Kalendas Junias ſtatuere poſſe: ad quas adero; & omni ope, atque opera enitar, adjuvante me ſcilicet auctoritate tua, & gratia, & ſumma æquitate

cauſæ,

1. *Quam ob cauſam vereor, ne abſentia mea levior ſit.*] Sic omnes libri veteres quos vidit Lamb. Erricus Stephanus tamen arbitratur legendum, *non vereor, ne abſentia, &c.* ſed id Lambino minus probatur.

2. *Cum amantiſſimè.*] Vulg. *tum amantiſſimè.*

3. *Partis eſſe.*] Vulg. *partes.*

4. *Si tibi videbitur.*] Junius ex duorum mſſ. Palat. fide alia adjicit verba quæ deſunt in omnibus editionibus poſt hæc verba, legitque hoc modo; *ſi tibi videbitur; ut animum ejus conciliatum mihi reddas; non quo, &c.*

5. *De hæreſi Veſtorina.*] Vulg. *Veſtoriana.*

6. *De Phario nummo.*] Boſio teſte depravatiſſimè. vulgo legitur, *de Pharionum more Puteolano*, quod tamen ſequutus eſt Junius; pro, *de Phario nummo re Puteolano*, ut ex Decurtaſo edidit Boſius.

1. In

cauſæ, ut de Buthrotiis S. C. quale ſcribis, fiat. Quod me cogitare jubes, cogitabo equidem: etſi tibi dederam ſuperiore epiſtola cogitandum. tu autem, quaſi jam recuperata Repub. vicinis tuis Maſſilienſibus ſua reddis. hæc *armis*, quæ, quàm firma habeamus, ignoro, reſtitui fortaſſe poſſunt, auctoritate non poſſunt.

15 CICERO ATTICO, S.

EPISTOLA brevis, quæ poſtea à te ſcripta eſt, ſanè mihi fuit jucunda, de Bruti ad Antonium, & de ejuſdem ad te litteris. poſſe videntur eſſe meliora, quàm adhuc fuerunt. ſed nobis ubi ſimus, & quò jam nunc nos conferamus, providendum eſt. ô mirificum Dolabellam meum! jam enim dico meum; antea, crede mihi, ſubdubitabam. magnam ἀναθεώρησιν res habet: de ſaxo; in crucem; columnam tollere; locum illum ſternendum locare. quid quæris? heroica: ſuſtuliſſe mihi videtur ſimulationem deſiderii, adhuc quæ ſerpebat in dies; & inveterata, verebar, ne perniculoſa noſtris tyrannoctonis eſſet. nunc prorſus aſſentior tuis litteris, ſperoque meliora: quamquam iſtos ferre non poſſum: qui, dum ſe pacem velle ſimulant, acta nefaria defendunt. ſed non poſſunt *omnia ſimul*. incipit res melius ire, quàm putaram. nec verò diſcedam, niſi cùm tu me id honeſtè putabis facere poſſe. Bruto certè meo nullo loco deero: idque, etiam ſi mihi cum illo nihil fuiſſet, facerem propter ejus ſingularem incredibilemque virtutem. Piliæ noſtræ villam totam, quæque in villa ſunt, trado; in Pompejanum ipſe proficiſcens Kalend. Majis. quam velim Bruto perſuadeas, ut Aſturæ ſit.

16 CICERO ATTICO, S.

V NON. conſcendens ab hortis Cluvianis [1] in phaſelum epicopum has dedi litteras, cùm Piliæ noſtræ villam ad Lucrinum, [2] villicoſque procuratores tradidiſſem. ipſe autem eo die in Pæti noſtri tyrotarichum imminebam; perpaucis diebus in Pompejanum: poſt in hæc Puteolana, & Cumana regna [3] renavigaro. ô loca ceteroqui valde expetenda, *interpellantium* autem multitudine pæne fugienda! Sed ad rem ut veniam, ô Dolabellæ noſtri magnam ἀριστείαν! quanta eſt ἀναθεώρησις? equidem laudare eum & hortari non deſiſto. rectè tu omnibus epiſtolis ſignificas, quid de re, quid de viro ſentias. mihi quidem videtur Brutus noſter jam vel coronam auream per forum ferre poſſe. [4] quis enim audeat laudare, propoſita cruce, aut ſaxo? præſertim tantis plauſibus, tanta approbatione infimorum? Nunc, mi Attice, me fac ut expedias. cupio, cùm Bruto noſtro affatim ſatisfecerim, excurrere in Græciam. magni intereſt Ciceronis, vel mea potiùs, vel mehercule utriuſque, me intervenire diſcenti. nam epiſtola Leonidæ, quam ad me miſiſti, quid habet, quæſo, in quo magnopere lætemur? numquam ille mihi ſatis laudari videbitur, cùm ita laudabitur; QUOMODO NUNC EST. non eſt fidentis hoc teſtimonium, ſed potiùs *timentis*. [5] Herodi autem mandaram, ut mihi κατὰ μίτον ſcriberet: à quo adhuc nulla littera eſt. vereor, ne nihil habuerit, quod mihi, cum cognoſſem, jucundum putaret fore. Quòd ad Xenonem ſcripſiſti, valde mihi gratum eſt. nihil enim deeſſe Ciceroni, cùm ad officium, tum ad exiſtimationem meam pertinet. Flammam Flaminium audio Romæ eſſe. ad eum ſcripſi, me tibi mandaſſe per litteras, ut de Montani negotio cum eo loquerere; & velim cures epiſtolam, quam ad eum miſi, reddendam; & ipſe, quod commodo tuo fiat, cum eo colloquare. puto, ſi quid in homine pudoris eſt, præſtaturum eum, [6] ne pro ſe quodam modo dependatur. De Attica pergratum mihi feciſti, quòd curaſti, ut ante ſcirem rectè eſſe, quàm non bellè fuiſſe.

CICERO ATTICO, S. 17

IN Pompejanum veni v. Nonas Mai. cum pridie, ut antea ad te ſcripſi, Piliam in Cumano collocaviſſem. ibi mihi cenanti litteræ tuæ ſunt redditæ, quas dederas Demetrio liberto prid. Kal. in quibus multa ſapienter, ſed tamen talia, quemadmodum tute ſcribebas, ut omne conſilium *in fortuna* poſitum videretur. itaque his de rebus ex tempore, & coram. De Buthrotio negotio, utinam quidem Antonium conveniam: multùm profectò proficiam. ſed non arbitrantur eum à Capua declinaturum. quò quidem, metuo, ne magno Reip. malo venerit. quod idem L. Cæſari videbatur, quem pridie Neapoli affectum graviter videram. quamobrem iſta nobis ad Kal. Jun. tractanda & perficienda ſunt. ſed hactenus. Q. filius ad patrem acerbiſſimas litteras miſit: quæ ſunt ei redditæ, cum veniſſemus in Pompejanum: quarum tamen erat caput, Aquilliam *novercam* non eſſe laturum. ſed hoc tolerabile fortaſſe, illud verò? ſe ab Cæſare habuiſſe omnia, nil à patre, reliqua ſperare ab Antonio. ô perditum hominem! ſed μελήσει. Ad Brutum noſtrum, ad Caſſium, ad Dolabellam epiſtolas ſcripſi. earum exempla tibi miſi, non ut deliberarem reddendæne eſſent, (planè enim judico eſſe reddendas) ſed quòd non dubito, quin tu idem exiſtimaturus ſis. Ciceroni meo, mi Attice, ſuppeditabis quantum videbitur, meque hoc tibi onus imponere patiere. quæ adhuc feciſti, mihi ſunt gratiſſima. Librum meum illum ἀνέκδοτον nondum, ut volui, perpolivi. iſta verò, quæ tu contexi vis, aliud quoddam ſeparatum volumen exſpectant. ego autem (credas mihi velim) minore periculo exiſtimo contra illas nefarias parteis, vivo tyranno, dici potuiſſe, quàm mortuo: ille enim neſcio quo pacto ferebat me quidem mirabiliter. nunc, quacumque nos commovimus, ad Cæſaris non modò acta, verum etiam COGITATA revocamur. De Montano, quoniam Flamma venit, videbis. puto rem meliore loco eſſe debere.

CICERO DOLABELLÆ COS. SUO S.

ETSI *contentus eram, mi Dolabella tua gloria, ſatiſque ex ea magnam lætitiam voluptatemque capiebam: tamen non poſſum non confiteri, cumulari me maximo gaudio quòd vulgo hominum opinio ſocium me adſcribat tuis laudibus. neminem conveni, (convenio autem quotidie plurimos: ſunt enim permulti optimi viri, qui, valitudinis cauſa, in his locis conveniunt; præterea ex municipiis frequentes neceſſarii mei) qui omnes, cum te ſummis laudibus ad cælum extulerunt, mihi continuò maximas gratias agunt. negant enim ſe dubitare, quin tu* meis præceptis, *& conſiliis obtemperans, præſtantiſſimum te civem, & ſingularem Conſulem præbeas. quibus ego quamquam veriſſimè* [7] *poſſum reſpondere,* [8] *quæ facias, tuo judicio, & tua ſponte facere, nec cujuſquam egere conſilio: tamen neque planè aſſentior, ne imminuam tuam laudem, ſi omnis à meis conſiliis profecta videatur; neque valde nego. ſum enim avidior etiam, quàm ſatis eſt, gloriæ. & tamen non alienum eſt dignitate tua, quod ipſi Agamemnoni, regum regi, fuit honeſtum,* habere aliquem in conſiliis capiendis Neſtorem. *mihi verò glorioſum, te juvenem Conſulem florere laudibus, quaſi alumnum diſciplinæ meæ. L. quidem Cæſar, cùm*

ad

1. *In Phaſelum epicopum.*] Vulg. *in faſelum epiſcopum.*

2. *Villicoſque procuratores tradidiſſem.*] Pignorius accuratè illo ſuo commentario, de Servis, emendandum putat, *Villicoſque & procuratores.*

3. *Renavigaro.*] Repoſuit Boſius auctoribus Scidis, *renavigaro*: pro, *renavigare* quod vulgò legitur.

4. *Quis enim audeat laudare propoſita cruce aut ſaxo?*] In omnibus quos vidit Boſius mſſ. exaratum eſt, *quis enim audeat laudare*; quod etiam teſtatur Victorius, idque Germani adnotarunt: vulg. *quis enim audeat violare propoſita cruce vel ſaxo.*

5. *Herodi autem mandaram ut mihi κατὰ μίτον.*] Verba hæc Græca fœdiſſime corrupta reſtituit Victorius ex antiquis codicibus; prius autem pro κατὰ μίτον, legebatur κλεμμάτων. Wouverius oræ libri ſui adſcripſerat καθ' ἡμέραν.

6. *Ne pro ſe quodammodo dependatur.*] Hoc ita caſtigavit Victorius; vulgatæ lectionis perverſione & maculis offenſus. ea autem talis eſt, *nec ſerò quodammodo.*

7. *Poſſum reſpondere.*] Vulg. *poſſim reſpondere.*

8. *Reſpondere quæ facias.*] Vulg. *reſpondere, te, quæ facias.*

1. *Omnis*

ad eum ægrotum Neapolim veniſſem, quamquam erat oppreſſus totius corporis doloribus, tamen ante, quàm me planè ſalutavit. ô mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cùm tantum vales apud Dolabellam, quantum ſi ego apud ſororis filium valerem, jam ſalvi eſſe poſſemus. Dolabellæ vero tuo & gratulor, & gratias ago: quem quidem, poſt te Conſulem, ſolum poſſum verè Conſulem dicere. dein multa de facto, ac de re geſta. tum nihil magnificentius, nihil præclarius actum umquam, nihil Reipub. ſalutarius: atque hæc una vox omnium eſt. A te autem peto, uti me hanc quaſi falſam hereditatem alienæ gloriæ ſinas cernere, neque aliqua ex parte in ſocietatem tuarum laudum venire patiare. quamquam, mi Dolabella, (hæc enim jocatus ſum) libentiùs [1] omneis meas, ſi modò ſunt aliquæ meæ laudes, [2] ad te transfuderim, quàm aliquam partem exhauſerim ex tuis. [3] nam cùm te ſemper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuiſti; tum his tuis factis ſic incenſus ſum, ut nihil umquam in amore fuerit ardentius. NIHIL EST enim, mihi crede, virtute formoſius, nihil pulchrius, nihil amabilius. ſemper amavi, ut ſcis, M. Brutum, propter ejus ſummum ingenium. ſuaviſſimos mores, ſingularem probitatem atque conſtantiam: tamen Idibus Mart. tantum acceſſit ad amorem, ut mirarer locum fuiſſe augendi in eo, quod mihi jampridem cumulatum etiam videbatur. quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, poſſe aliquid accedere? tantum acceſſit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexiſſe. Quare quid eſt, quod ego te horter, ut dignitati & gloriæ ſervias? proponam tibi claros viros, quod facere ſolent, qui hortantur? neminem habeo clariorem, quam te ipſum. te imitere oportet, tecum ipſe certes. [4] ne licet quidem tibi jam, tantis rebus geſtis, non tui ſimilem eſſe. quòd cùm ita ſit, hortatio non eſt neceſſaria; gratulatione magis utendum eſt. contigit enim tibi, quòd haud ſcio an nemini, ut ſumma SEVERITAS ANIMADVERSIONIS non modò non invidioſa, ſed etiam popularis eſſet, & cùm bonis omnibus, tùm infimo cuique gratiſſima. Hoc ſi tibi fortuna quadam contigiſſet, gratularer felicitati tuæ: ſed contigit magnitudine cùm animi, tum etiam ingenii, atque conſilii. legi enim concionem tuam. nihil illa ſapientius. ita pedetentim tum acceſſus à te ad cauſam facti; tum receſſus, ut res ipſa maturitatem tibi animadvertendi omnium conceſſu daret. Liberaſti igitur & urbem periculo, & civitatem metu: neque ſolùm ad tempus maximam utilitatem attuliſti, ſed etiam ad exemplum. quo facto, intelligere debes, in te poſitam eſſe Remp. tibique non modo tuendos, ſed etiam ornandos illos viros, à quibus initium libertatis profectum eſt. Sed his de rebus coram plura propediem, ut ſpero. Tu, quoniam Rempub. noſquè conſervas, fac, ut diligentiſſimè te ipſum, mi Dolabella, cuſtodias.

CICERO ATTICO, S.

18 SÆPIUS me jam agitas, quòd rem geſtam Dolabellæ nimis in cælum videar efferre. ego autem, quamquam ſanè probo factum, tamen ut [5] tanto opere laudarem, adductus ſum tuis & unis, & alteris litteris. ſed totum ſe à te abalienavit Dolabella; ea de cauſa, qua me quoque ſibi inimiciſſimum reddidit. [6] ô hominem pudentem! Kal. Jan. debuit; adhuc non ſolvit, præſertim cùm ſe maximo ære alieno Faberii manu liberarit, & Opem ab eo petierit. licet enim jocari, ne me valde conturbatum putes. atque ego ad eum IIX. Idus litteras dederam bene manè: eodem autem die tuas litteras veſperi acceperam in Pompejano; ſanè celeriter, tertio abs te die. ſed, ut ad te eo ipſo die ſcripſeram, ſatis aculeatas ad Dolabellam litteras dedi: quæ ſi nihil profecerint, puto fore, ut me præſentem non ſuſtineat. Albianum te confeciſſe arbitror. De [7] Patulciano nomine, quòd mihi [8] ſuppeditatus es, gratiſſimum eſt, & ſimile tuorum omnium. ſed ego Erotem ad iſta expedienda factum mihi videbar reliquiſſe: cujus non ſine magna culpa vacillarunt. ſed cum ipſo videro. De Montano, ut ſæpe ad te ſcripſi, erit tibi tota res curæ. Servius proficiſcens, quòd deſperanter tecum locutus eſt, minimè miror; neque ei quidquam in deſperatione concedo. Brutus noſter, ſingularis vir, ſi in Senatum non eſt Kal. Juniis venturus, quid facturus ſit in foro, neſcio. ſed hoc ipſe meliùs. Ego ex his, quæ parari video, *non multum* Idibus Martiis profectum judico. itaque de Græcia quotidie magis & magis cogito. nec enim Bruto meo, exilium, ut ſcribis ipſe, meditanti, video quid prodeſſe poſſim. Leonidæ me litteræ non ſatis delectarunt. De Herode tibi aſſentior. Saufeii legiſſe vellem. Ego ex Pompejano VI. Idus Mai. cogitabam.

CICERO ATTICO, S. 19

NON. Mai. cùm eſſem in Pompejano, accepi binas à te litteras, alteras ſexto die, alteras quarto. ad ſuperioreis igitur priùs. quàm mihi jucundum, oportunè tibi [9] Barnæum litteras reddidiſſe. Tu verò cum Caſſio, ut cetera. quàm commodè autem, quòd id ipſum, quod me mones, quatriduo ante ad eum ſcripſeram, exemplumque mearum litterarum ad te miſeram. ſed cum [10] Dolabellæ ἀπισίᾳ (ſic enim tu ad me ſcripſeras) magna deſperatione affectus eſſem; ecce tibi & Bruti, & tuæ litteræ. ille exilium meditari. nos autem alium *portum* propiorem huic ætati videbamus: in quem mallem equidem pervehi florente Bruto noſtro, conſtitutaque Rep. ſed nunc quidem, ut ſcribis, non utrum vis. [11] aſſentiris enim mihi, noſtram ætatem *à caſtris*, præſertim civilibus, abhorrere. Antonius ad me tantum de Clodio reſcripſit, meam levitatem & clementiam & ſibi eſſe gratam, & mihi voluptati magnæ fore. ſed Panſa furere videtur de Clodio, itemque de Dejotaro; & loquitur ſeverè, ſi velis credere. illud tamen non belle, ut mihi quidem videtur, quòd factum Dolabellæ vehementer improbat. De coronatis, cum ſororis tuæ filius à patre accuſatus eſſet, reſcripſit ſe coronam habuiſſe honoris Cæſaris cauſa; poſuiſſe luctus gratia: poſtremò, ſe libenter vituperationem ſubire, quòd *amaret etiam mortuum*, Cæſarem. Ad Dolabellam, quemadmodum tibi dicis placere, ſcripſi diligenter. [12] ergo etiam ad Siccam. tibi hoc oneris non impono. nolo te illum iratum habere. Servii orationem cognoſco: in qua plus timoris video, quàm conſilii. ſed quoniam perterriti omnes ſumus, aſſentior Servio. Publilius tecum tricatus eſt. huc enim Cærellia miſſa ab iſtis eſt legata ad me; cui facile perſuaſi, mihi id, quod rogaret, ne *licere* quidem, non modò non *lubere*. Antonium ſi videro, accuratè agam de Buthroto. Venio ad recentioreis litteras: quamquam de Servio jam reſcripſi. [13] me facere magnam πρᾶξιν Dolabellæ. mihi meher-

1. *Omnis meas.*] Vulg. *omnes meas.*
2. *At te transfuderim.*] Quidam libri veteres habent *tranſfulerim*; Tornæſianus *transferam.*
3. *Nam cùm te ſemper tantùm dilexerim.*] Faërnus legit *dilexi.*
4. *Ne licet quidem.*] Vulg. *nec licet quidem.*
5. *Tanto opere laudarem.*] Vulg. *tantopere.*
6. *O Hominem pudentem.*] Receptam lectionem retinuit Boſius, quod ea auctoritate Decurtati confirmaretur.
7. *Patulciano.*] Vulg. *Petulciano.*
8. *Suppeditatus es.*] Legendum putat Montagnanus, *ſuppetiatus es*; ſed prius retinet Junius. Lambinus dicit codicem Tornæſianum habere, *ſuſpendiatus eſt*, mendoſè prorſus; ipſe verò legendum fortaſſe conjicit, *quod mihi abs te expeditum eſt*: vel, *quod mihi ſuppeditatum eſt.*
9. *Barnæum.*] Vulgati libri *Barnacum.* Boſii mſſ. *Barnaum*, ut edidit.
10. *Dolabellæ ἀπισίᾳ.*] Vocabulum hoc depravatum erat in omnibus Boſ. mſſ. extra quàm in Decurt. ubi Latinis litteris ſcriptum erat, *atiſia*; itaque repoſuit ἀπισίᾳ. Victorius pro, *aritia*, quod antea legebatur repoſuit, *avaritia*; quæ etiamnum eſt vulgata lectio. Boſii emendationem Junius ex mſſ. Pal. retinet.
11. *Aſſentiris enim mihi, noſtram ætatem à caſtris, præſertim civilibus abhorrere.*] Boſius ex Cruſell. legit *aſſentiris*: vulg. *aſſentires enim mihi, noſtram ætatem præſertim à caſtris civilibus abhorrere.*
12. *Ergo etiam ad Siccam.*] Vulg. *ego etiam.*
13. *Me facere magnam πρᾶξιν.*] Hæc cum interrogatione legit Boſius.

mehercule ita videtur, non potuiſſe major tali re, talique tempore. ſed tamen, quidquid ei tribuo, tribuo ex tuis litteris. tibi verò aſſentior, majorem πρᾶξιν ejus fore, ſi mihi, quod debuit, diſſolverit. Brutus, velim, ſit Aſturæ. Quod autem laudas me, quòd nihil ante de profectione conſtituam, quàm, iſta quò evaſura ſint, videro: muto ſententiam. neque quidquam tamen ante, quàm te videro. Atticam meam gratias mihi agere de matre gaudeo: cui quidem ego totam villam, celiamque tradidi; eamque cogitabam v. Idus videre. tu Atticæ ſalutem dices. nos Piliam diligenter tuebimur.

CICERO ATTICO, S.

20 E Pompejano navi advectus ſum in Luculli noſtri hoſpitium VI. Idus, hora ferè III. egreſſus autem è navi, accepi tuas litteras, quas tuus tabellarius in Cumanum attuliſſe dicebatur, Nonis Mai. datas: à Lucullo poſtridie eadem fere hora, qua veni, VII. Idus Lanuvio datas. audi igitur ad omneis. Primùm, quæ de re mea geſta & in ſolutione, & in Albiano negotio, grata. De tuo autem Buthroto, cùm in Pompejano eſſem, Miſenum venit Antonius: inde ante diſceſſit, quàm illum veniſſe audiſſem: à quo in Samnium. vide, quid ſperes. Romæ igitur de Buthroto. [1] L. Antonii horribilis concio, Dolabellæ præclara. jam vel ſibi habeat nummos, modò numeret Idibus. Tertullæ nollem abortum. tam enim Caſſii ſunt jam, quàm Bruti *ſerendi*. De regina velim, atque etiam [2] de Cæſare illo. Perſolvi primæ epiſtolæ: venio ad ſecundam. [3] De Quintis, Buthroto, cùm venero, ut ſcribis. Quòd Ciceroni ſuppeditas, gratum. Quòd errare me putas, qui Remp. putem *pendere* è Bruto: ſic ſe res habet. aut nulla erit, aut ab iſto, iſtiſve ſervabitur. Quòd me hortaris, ut ſcriptam concionem mittam; accipe a me, mi Attice, καθολικὸν θεώρημα earum rerum, in quibus ſatis exercitati ſumus. NEMO umquam neque poëta, neque orator fuit, qui quemquam meliorem, quam ſe, arbitraretur. hoc etiam [4] malis contingit. quid tu Bruto putas, & ingenioſo, & erudito? de quo etiam experti ſumus nuper in edicto. ſcripſeram rogatu tuo. meum mihi placebat, illi ſuum. quin etiam, cùm, ipſius precibus pænè adductus, ſcripſiſſem ad eum de optimo genere dicendi, non modo mihi, ſed etiam tibi ſcripſit, ſibi illud, quod mihi placeret, non probari. quare ſine quæſo ſibi quemque ſcribere. *ſuam cuique ſponſam mihi meam; ſuum cuique amorem, mihi meum.* non ſcite. hoc enim Attilius, poëta duriſſimus. atque utinam liceat iſti concionari; cui ſi eſſe in urbe tuto licebit, vicimus. ducem enim novi belli civilis aut nemo ſequetur, aut ii ſequentur, qui facilè *vincantur*. Venio ad tertiam. Gratas fuiſſe meas litteras Bruto, & Caſſio gaudeo. itaque iis reſcripſi. Quod Hirtium per me meliorem fieri volunt: do equidem operam; & ille optimè loquitur: ſed vivit, habitatque cum Balbo, qui item benè loquitur. quid credas, videris. Dolabellam valde placere tibi video: mihi quidem egregiè. Cum Panſa vixi in Pompejano. is planè mihi probabat [5] ſe bene ſentire, & cupere pacem. *Cauſam armorum* quæri planè video. Edictum Bruti, & Caſſii probo. [6] Quæris, ut ſuſcipiam cogitationem, quidnam iſtis agendum putem. conſilia *temporum* ſunt; quæ in horas commutari vides. Dolabellæ & prima illa actio, & hæc contra Antonium concio mihi profeciſſe permultum videtur. prorſus ibat res. nunc autem videmur habituri ducem: quod unum municipia, bonique deſiderant. Epicuri mentionem facis, & audes dicere μὴ πολιτεύεσθαι? non te Bruti noſtri *vulticulus* ab iſta oratione deterret? [7] Q. filius, ut ſcribis, Antonii eſt *dextella*. per eum igitur, quod volemus, facilè auferemus. exſpecto, ſi, ut putas, L. Antonius [8] produxit Octavium, qualis concio fuerit. [9] Hæc ſcripſi citatim. ſtatim enim Caſſii tabellarius. eram continuò Piliam ſalutaturus: deinde ad epulas Veſtorii, navicula. Atticæ plurimam ſalutem.

CICERO ATTICO, S. 21

Cum paullo ante dediſſem ad te Caſſii tabellario litteras, v. Idus venit noſter tabellarius, [10] & quidem, portenti ſimile, ſine tuis litteris. ſed citò conjeci, Lanuvii te fuiſſe. Eros autem feſtinavit, ut ad me litteræ Dolabellæ perferrentur, non de re mea (nondum enim meas acceperat) ſed reſcripſit ad eas quarum exemplum tibi miſeram, ſanè luculente. Ad me autem, cùm Caſſii tabellarium dimiſiſſem, ſtatim Balbus. ô dii boni, quam facilè perſpiceres *timere otium!* & noſti virum: quam tectus: ſed tamen Antonii conſilia narrabat; illum circumire veteranos, ut acta Cæſaris ſancirent: idque ſe facturos eſſe jurarent, ut rata omnes haberent: eaque Duumviri omnibus menſibus inſpicerent. queſtus eſt etiam de ſua invidia; eaque omnis ejus oratio fuit, ut amare videretur Antonium. quid quæris? nihil ſinceri. mihi autem non eſt dubium, quin res ſpectet ad caſtra. acta enim illa res eſt animo virili, conſilio puerili. quis enim hoc non vidit, regni heredem relictum? quid autem abſurdius, *Hoc metuere, alterum in metu non ponere?* quin etiam hoc ipſo tempore multa ὑποσόλοικα. Pontii Neapolitanum à matre tyrannoctoni poſſideri? legendus mihi ſæpius eſt Cato major, ad te miſſus. AMARIOREM enim me ſenectus facit. ſtomachor omnia. ſed mihi quidem βεβίωται. viderint juvenes. tu mea curabis, ut curas. Hæc ſcripſi, ſeu dictavi, appoſita ſecunda menſa, apud Veſtorium. poſtridie apud Hirtium cogitabam: & quidem πεντέλοιπον. ſic hominem traducere ad optimateis paro. λῆρος πολύς. nemo eſt iſtorum, qui otium non timeat. [11] quare talaria videamus. quidvis enim potiùs quam caſtra. Atticæ ſalutem plurimam velim dicas. Exſpecto Octavii concionem, &, ſi quid aliud; maximè autem ecquid Dolabella tinniat: an in meo nomine tabulas novas fecerit.

CICERO ATTICO, S. 22

Certior à Pilia factus, mitti ad te Idibus tabellarios, ſtatim hoc neſcio quid exaravi. Primum igitur ſcire te volui, me hinc Arpinum XVI. Kalend. Jun. eò igitur mittes, ſiquid erit poſthac: quamquam ipſe jam jamque adero. cupio enim ante, quàm Romam venio, odorari diligentiùs, quid futurum ſit. quamquam vereor, ne nihil conjectura aberrem. minimè enim obſcurum eſt, quid iſti moliantur (meus verò diſcipulus, qui hodie apud me cenat, valde amat illum, quem Brutus noſter ſauciavit) &, ſi quæris, (perſpexi enim planè) *timent otium*: ὑπόθεσιν autem hanc habent, eamque præ ſe ferunt, VIRUM CLARISSIMUM interfectum, totam Rempub. illius interitu per-

1. *L. Antonii horribilis concio.*] Ita emendavit Victorius pro *contentio*, quod antea legebatur.

2. *De Cæſare illo.*] Sic omnes mſſ. referre aſſerit Victorius, qui tamen aliquid mendi latere ſuſpicatur.

3. *De Quintis Buthroto.*] Scripſit Boſius *de Quintis* auctore Cruſell. Victorius pro *de Quintis ac Butrotiis*, quod antea legebatur; ex veteribus libris, *de Quinti Buthroto* caſtigabat.

4. *Malis contingit.*] Vulg. *contigit.*

5. *Se bene ſentire.*] Pro, *ſe aſſentire*, quod antea legebatur, *ſe bene ſentire*, repoſuit Victorius.

6. *Quæris ut ſuſcipiam cogitationem.*] Lambinus dicit videri potius Ciceronem ſcripſiſſe. *quod rogas*, ſive *Quod hortaris*, & ex eo factum eſſe, *quod quæris*.

7. *Q. Filius, ut ſcribis Antonii eſt dextella.*] In vulgatis deeſt nomen, *Antonii*, ſic enim legitur *Q. F. ut ſcribis eſt dextella.*

8. *Produxit Octavium, qualis concio fuerit. Hæc ſcripſi, &c.*] Junius ex mſſ. Pal. *produxit Octavium. qualis enim concio? furtivè hæc ſcripſi, &c.* præterquam quod vocem, *furtivè*, ex conjectura, pro *fuerit*, repoſuit.

9. *Hæc ſcripſi citatim. ſtatim enim. &c.*] Poſt verbum *ſcripſi*, addidit Boſius, adverbium *citatim*, ut diſertè in Cruſell. exaratum reperit: vulg. *hæc ſcripſi ſtatim enim, &c.*

10. *Et quidem, portenti ſimile.*] Germanis primum, dein Lamb. ex Tornæſ. hæc reſtitutio debetur.

11. *Quare talaria videamus.*] Vulg. *induamus.* quod & damnat Gifanius in Obſervationibus ſuis Linguæ Latinæ, fide veterum librorum.

1. *Si-*

perturbatam: irrita fore, quæ ille egiſſet, [1] ſimul ac deſiſtemus timere: *clementiam* illi malo fuiſſe: qua ſi [2] uſus non eſſet, nihil ei tale accidere potuiſſe. Mihi autem venit in mentem, ſi Pompejus cum exercitu firmo veniat, quod eſt εὔλογον, certè fore bellum. hæc me ſpecies, cogitatioque perturbat. neque enim jam, quod tibi tum licuit, nobis nunc licebit. nam *apertè* lætati ſumus. deinde habent in ore, nos ingratos. nullo modo licebit, quod tum & tibi licuit, & multis. φαινοπροσωπητέον ergo, & ἰτέον in caſtra? millies *mori* melius, huic præſertim ætati. itaque me Idus Mart. non tam conſolantur, quam antea. magnum enim mendum continent. etſi illi juvenes

ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τὸν δ' ἀπωθοῦνται ψόγον.

Sed, ſi tu melius quippiam ſperas, quòd & plura audis, & interes conſiliis; ſcribas ad me velim, ſimulque cogites, quid agendum nobis ſit ſuper legatione votiva. equidem in his locis moneor à multis, ne in Senatu Kalend. dicuntur enim occultè milites ad eam diem comparati, & quidem in iſtos; qui mihi videntur ubivis *tutiùs*, quam in Senatu, fore.

1. *Simulac deſiſtemus timere.*] Faërnus, *deſiſteremus*, quod Fulvio magis placet.

2. *Uſus non eſſet.*] Vulg. *fuiſſet.*

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM LIBER DECIMUSQUINTUS, AD ATTICUM.

CICERO ATTICO, S.

1 O FACTUM malè de Alexione. incredibile eſt, quanta me moleſtia affecerit; nec mehercule ex ea parte maximè, quod plerique mecum. ad quem igitur te medicum conferes? quid mihi jam medico? aut ſi opus eſt, tanta inopia eſt? amorem erga me, humanitatem, ſuavitatemque deſidero. etiam illud: quid eſt, quod non pertimeſcendum ſit; cùm hominem *temperantem*, ſummum medicum, tantus improviſo morbus oppreſſerit? ſed ad hæc omnia una conſolatio eſt, quòd EA CONDITIONE nati ſumus, ut nihil, quod homini accidere poſſit, recuſare debeamus. De Antonio, jam antea tibi ſcripſi, non eſſe eum à me conventum. venit enim Miſenum, cùm ego eſſem in Pompejano: inde ante profectus eſt, quàm ego eum veniſſe cognovi. ſed caſu, cùm legerem tuas litteras, Hirtius erat apud me in Puteolano: ei legi; & egi: primum quod attinet, nihil mihi concedebat: [1] deinde ad ſummam, arbitrum me ſtatuebat non modò hujus rei, ſed totius Conſulatus ſui. Cùm Antonio autem ſic agemus, ut perſpiciat, ſi in eo negotio nobis ſatisfecerit, totum me futurum ſuum. Dolabellam ſpero domi eſſe. Redeamus ad noſtros: de quibus tu bonam ſpem te ſignificas habere propter edictorum humanitatem. ego autem perſpexi, cùm à me XVII. Kal. de Puteolano Neapolim Panſæ conveniendi cauſa proficiſceretur Hirtius, omnem ejus ſenſum. [2] ſeduxi enim, & ad pacem ſum cohortatus. non poterat ſcilicet negare, ſe velle pacem; ſed non minùs ſe *noſtrorum arma* timere, quàm Antonii: & tamen utroſque non ſine cauſa præſidium habere; ſe autem utraque arma metuere. quid quæris? οὐδὲν ὑγιές. [3] De Q. filio tibi aſſentior: patri quidem certè gratiſſimæ & belliſſimæ tuæ litteræ fuerunt. [4] Cærelliæ verò facilè ſatisfeci: nec valde laborare mihi viſa eſt: &, ſi illa, ego certè non laborarem. iſtam verò, quam tibi moleſtam ſcribis eſſe, auditam à te eſſe, omnino demiror. nam quòd eam collaudavi apud amicos; audientibus [5] tribus filiis ejus, & filia, οὐ ταυτὸ ἐκ τοῦ αὐτοῦ quid eſt hoc? quid eſt autem, cur ego perſonatus ambulem? parumne *fœda perſona* eſt ipſius ſenectutis? Quod Brutus rogat, ut ante Kalend. ad me quoque ſcripſit: & fortaſſe faciam. ſed planè, quid velit, neſcio. quid enim illi afferre conſilii poſſum, cùm ipſe egeam conſilio? & cùm ille ſuæ immortalitati meliùs, quàm noſtro otio, conſuluerit? de regina, rumor exſtinguetur. De Flamma, obſecro te, ſi quid potes. [6] Here dederam ad te litteras exiens è Puteolano, diverteramque in Cumanum. ibi pænè valentem videram Piliam. quin etiam [7] Baulos Cumis eam vidi. venerat enim in funus: cui funeri ego quoque operam dedi. Cn. Lucullus, familiaris noſter, matrem efferebat. manſi igitur eo die in Sinueſſano: atque inde mane poſtridie Arpinum proficiſcens, hanc epiſtolam exaravi. erat autem nihil novi, quod aut ſcriberem, aut ex te quærerem; niſi forte hoc ad rem putas pertinere: Brutus noſter miſit ad me orationem ſuam, habitam in concione Capitolina; petivitque à me, ut eam [8] nec ambitioſè corrigerem ante, quàm ederet. eſt autem oratio ſcripta elegantiſſimè ſententiis, verbis, ut nihil poſſit ultra. ego tamen, ſi illam cauſam habuiſſem, ſcripſiſſem ardentius ὑποθέσεις. vides, quæ ſit perſona dicentis. itaque eam corrigere non potui. quo enim in genere

1. D*Einde ad ſummam.*] Sic legendum auctore Lambino, non, *ad ſummum* ut vulgo legitur; quod tamen retinet Junius, ex mſſ. Pal. ſicque legit, *ad ſummum arbitrium, &c.*

2. *Seduxi enim, & ad pacem ſum cohortatus.*] Victorio hujus loci reſtitutio debetur. prius legebatur corruptiſſime, *ſed vix enim & ad pacem.*

3. *De Q. filio tibi aſſentior: patri quidem certè gratiſſimæ, & belliſſimæ tuæ litteræ fuerunt.*] Vulg. *de Q. F. tibi aſſentior, patri quidem gratiſſimæ, & bellæ tuæ fuerunt.*

4. *Cærelliæ.*] Vulg. *Cerelliæ.*

5. *Tribus filiis ejus, & filia, οὐ ταὐτὸ ἐκ τοῦ αὐτοῦ.*] Germani & Victor. locum hunc reſtituere non valentes, inane tamen ſpatium replerunt, appoſitis characteribus Græcis in vetere exemplari repertis. Boſius ex Cruſell. in quo erat, VT TVA TO EK TOY TOY, emendavit οὐ ταὐτὸ ἐκ τοῦ αὐτοῦ. Tornæſian. codex, τὸ ἐκ τοῦ, unde Lambinus τὸ ἐκ τοῦ αὐτοῦ. Junius mſſ. Pal. fide nixus legit, τὸ ἐκ τούτου: Vulg. *ex filia tua* τοῦτο εὔλογον.

6. *Here dederam.*] Vulg. *heri dederam.* Ceterùm initium eſt epiſtolæ in mſ. Pal. referente Junio cui rectè videtur.

7. *Baulos Cumis eam vidi.*] Tornæſ. & Cruſell. *paullo Cumis*: unde correxit Boſius *Baulos Cumis.* Lamb. *planè Cumis eam vidi.* Corradus, *niſi quod clarius Cumis, &c.* Junius ex mſſ. comparatione legi oportere conjicit *paulum Cumis, &c.*

8. *Nec ambitioſè.*] Scripſit, *nec ambitioſè*, Boſius ex Cruſell.

Brutus noſter eſſe vult, & quod judicium habet de optimo genere dicendi, id ita conſecutus eſt in ea oratione, ut elegantius eſſe nihil poſſit. ſed ego ſolus alius ſum, ſive hoc recte, ſive non recte. tu tamen velim orationem legas, niſi forte jam legiſti, certioremque me facias, quid judices ipſe. quamquam vereor, ne cognomine tuo lapſus ὑπεραττικὸς ſis in judicando. ſed ſi recordabere Δημοσθένους *fulmina*, tum intelliges poſſe & ἀττικώτατα graviſſimè dici. ſed hæc coram. nunc nec ſine epiſtola, nec cum inani epiſtola volui ad te Metrodorum venire.

2 CICERO ATTICO, S.

XV. Kalend. è Sinueſſano proficiſcens, cùm dediſſem ad te litteras, divertiſſemque à Cumis [1] in Veſciano, accepi à tabellario tuas litteras: in quibus nimis multa de Buthroto. non enim tibi ea res majori curæ aut eſt, aut erit, quam mihi. ſic enim decet, te mea curare, tua me. quamobrem id quidem ſic ſuſceptum eſt mihi, ut nihil ſim habiturus antiquius. L. Antonium concionatum eſſe, cognovi tuis litteris & aliis, ſordidè: ſed, id quale fuerit, neſcio. nihil enim ſcripſiſti. De Menedemo, probè. Quintus certè ea dictitat, quæ ſcribis. Conſilium meum à te probari, quòd ea non ſcribam, quæ tu à me poſtularis, facilè patior: multoque magis id probabis, ſi orationem eam, de qua hodie ad te ſcripſi, legeris. Quæ de legionibus ſcribis, ea vera ſunt. ſed non ſatis hoc mihi videris tibi perſuaſiſſe, quid de Buthrotiis noſtris per Senatum ſperes confici poſſe. [2] quod puto, (tantum enim video) non vi videmur eſſe victuri. ſed, ſi etiam nos hoc fallat, de Buthroto te non fallet. De Octavii concione idem ſentio, quod tu: ludorumque ejus apparatus, & Matius, ac [3] Poſtumus mihi procuratores non placent. Saſerna collega dignus. ſed iſti omnes, quemadmodum ſentis, non minus *otium timent*, quàm nos arma. Balbum levari invidia per nos velim: ſed ne ipſe quidem id fieri poſſe confidit. itaque alia cogitat. Quòd prima diſputatio Tuſculana te confirmat, ſanè gaudeo. neque enim ullum eſt perfugium aut melius, aut paratius. Flamma quòd bene loquitur, non moleſtè fero. Tyndaritanorum cauſa [4] de qua κλάνσῳ laborat, quæ ſit ignoro. [5] hos tamen. περιέλειπον movere iſta videntur, in primis erogatio pecuniæ. De Alexione doleo; ſed, quoniam inciderat in ita gravem morbum, *bene actum* cum illo arbitror. quos tamen ſecundos heredes, ſcire vellem, & diem teſtamenti.

3 CICERO ATTICO, S.

XI. Kalend. [6] accepi in Atinati duas epiſtolas tuas; quibus. duabus meis reſpondiſti. una erat XV. Kal. altera XII. data. ad ſuperiorem igitur priùs. accurres in Tuſculanum, ut ſcribis: quò me VI. Kal. venturum arbitrabar. Quòd ſcribis *parendum victoribus*: non mihi quidem, cui ſunt multa potiora. nam illa, quæ recordaris Lentulo & Marcello Coss. acta in æde Apollinis; nec cauſa eadem eſt, nec ſimile tempus; præſertim cùm Marcellum ſcribas, alioſque diſcedere. erit igitur nobis coram odorandum, & conſtituendum tutòne Romæ eſſe poſſimus. novi conventus habitatores ſanè movent. in magnis enim verſamur anguſtiis. ſed ſint iſta parvi. quin & majora contemnimus. Calvæ teſtamentum cognovi, hominis turpis ac ſordidi. Tabula Demonici quòd tibi curæ eſt, [7] gratum Demalo. Scripſi jam pridem ad Dolabellam accuratiſſime; modò redditæ litteræ ſint. ejus cauſa & cupio, & debeo. Venio ad propiorem. Cognovi de Alexione, quæ deſiderabam. Hirtius eſt tuus. Antonio quàm eſt, volo pejus eſſe. [8] De Q. filio ut ſcribis, ἰλιάς. de patre coram agemus. Brutum omni re, qua poſſum, cupio juvare: cujus de oratiuncula idem te, quod me, ſentire video: ſed parum intelligo, quid me velis ſcribere. quaſi à Bruto habita oratione? cùm ille ediderit; qui tandem convenit? an ſic, ut in *tyrannum* jure optimo cæſum? multa dicentur, multa ſcribentur à nobis; ſed alio modo, & tempore. De ſella Cæſaris, bene tribuni. præclaros etiam XIV. ordines. Brutum apud me fuiſſe gaudeo: modò & libenter fuerit, & ſat diu.

CICERO ATTICO, S. 4

[9] X. Kalend. hora IIX. ferè à Q. Fufio venit tabellarius: neſcio quid ab eo litterularum, uti me ſibi reſtituerem, ſanè inſulsè, ut ſolet: niſi fortè, quæ *non ames*, omnia videntur inſulsè. fieri ſcripſi ita, ut te probaturum exiſtimem. mihi duas à te epiſtolas reddidit, unam XI. [10] alteram X. [11] ad recentiorem priùs. & legio? rem laudo. ſi verò etiam [12] Carfulenus ἄνω ποταμῶν. Antonii conſilia narras turbulenta: atque utinam potius per populum agat, quàm per Senatum; quod quidem ita credo. ſed mihi totum ejus conſilium ad bellum ſpectare videtur, ſi quidem D. Bruto provincia eripitur. quoquo modo ego de illius nervis exiſtimo, non videtur fieri poſſe ſine bello. ſed non cupio; [13] quoniam caretur Butrotis. [14] rides? aſt condoleo, non mea potiùs aſſiduitate, diligentia, gratia perfici. Quod ſcribis te neſcire, quid noſtris faciundum ſit: tam pridem me illa ἀπορία ſollicitat. itaque ſtulta jam Iduum Martiarum eſt conſolatio. animis enim uſi ſumus virilibus, conſiliis, mihi crede, puerilibus. *exciſa* enim eſt arbor, non evulſa. itaque, quam fruticetur, vides. redeamus igitur, quoniam ſæpe uſurpas, ad Tuſculanas diſputationes. [15] Sautejum per te celemus. ego numquam indicabo. Quòd te à Bruto ſcribis; ut certior fieret, quo die in Tuſculanum eſſem futurus: ut ad te ante ſcripſi, VI. Kal.

---

1. *In Veſciano.*] Vulg. *in Veſtiano.*

2. *Quod puto tantum enim video) non vi videmur eſſe victuri.*] Vict. & Lambin. referunt mſſ. habere *Victori*, quorum hic legendum conjicit, *nos videmur eſſe victuri*. Idem de ſuis teſtatur Boſius; ſolum, *eſſe*, quod prius legebatur, in *ceſſe* mutavit. Junius partim ex mſſ. Pal. partim ex conjectura legit, *haud puto. tanti enim (video) non videmur eſſe victuri*.

3. *Poſtumus.*] *Poſtumius* ex Beſſar. libro legit Manutius.

4. *De qua κλαύσῳ laborat.*] Cùm in Cruſell. ſcriptum reperiſſet Boſius, *de qua cauſo laborat*, ſtatim conjecit Ciceronem ſcripſiſſe, *καύσῳ laborat*: Junius Urſini lectionem è mſ. ſequutus legit, *de qua Panſa laborat*: vulg. *de qua laboras.*

5. *Hos tamen.*] Auctore Boſ. punctum figendum eſt poſt, *tamen*.

6. *Accepi in Atinati.*] In Tornæſ. erat *accepi nati*, inde conjecit Lambin. *in Arpinati*. in Cruſell. *accepi nati nati*. Boſius emendavit, *accepi in Atinati*: vulg. hæc verba, *in Atinati*, deſunt.

7. *Gratum Demalo. Scrip. &c.*] Lambin. vulgatos libros ſequutus legit, *de Mario ſcripſi*, licet fere omnes ipſius mſſ. habeant, *De Malo*, ſed *Malo* ſcriptum pro *Maio*, & *Maio* pro *Mario*, uſitato ſcriptoribus illis more, aſſerit.

8. *De Q. Filio ut ſcribis* ἰλιάς: *de patre coram agemus.*] Cruſell. IΛAC, Boſius repoſuit ἰλιάς. Vetus Urſini liber habet ἄλλως, pro, *alias*, ut eſt à quibuſdam emendatum. unde, *aliàs*, conjicit legendum idem Urſinus; ut ſit, *ut ſcribis aliàs*.

9. *X. Kal: hora IIX. fere à Q. Fufio.*] Explicatè ſcripſit Boſius, ut erat in Cruſell. *hora IIX. ferè.* in aliis διὰ σημείων exaratum erat *H. IIX. ferè.* hoc autem prius viderat Victorius. vulg. *XIIX. Kal. ferè à Q. Fufio.*

10. *Alteram X.*] Vulg. *alteram X. Kalend.*

11. *Ad recentiorem prius: & legio? rem laudo. Si verò etiam.*] Editiones quædam, *& leviorem probo*: Cruſell. *& legiorem laudo*. ſcribendum cenſet Boſius, *& legio? rem laudo*; appoſita interrogationis nota, poſt vocem *legio*. Lamb. approbata Manutii conjectura ſic edendum curavit, *ad recentiorem prius. De Lenio, rem laudo*: vulg. *ad recentiorem prius, & leviorem. Laudo, ſi verò etiam.*

12. *Carfulenus.*] Vulg. *Calſulenus.*

13. *Quoniam caretur Butrotis.*] Convenit mſſ. Boſianis cum Vict. in hac lectione referenda, *quoniam caretur Butrotis.*

14. *Rides? aſt condoleo.*] Ita per interrogationem legit Boſius. in vulgatis deeſt; ſicque legitur, *Rides. aſt ego doleo.* Junius mſſ. habere dicit, *abſcondoleo*; unde diſtinguit, *ab S. con. doleo*, id eſt, *ab Senatuſconſulto doleo.*

15. *Sauſeium per te celemus.*] Libri formis impreſſi, *Sauſeium pete celemus*; mendosè. ſincere Cruſell. *Sauſeium per te cel.* Lamb. conjicit legendum, *Sauſeium de re celemus*: Corradus, *ſic peto ut celemus*: alii, *de te celemus*: alii, *petis, ut celemus*; quod poſtremum Lambino magis placet.

Kal. & quidem ibi te quamprimum pervidere velim. puto enim nobis Lanuvium eundum, & quidem non ſine multo ſermone. ſed μελήσει. Redeo ad ſuperiorem: ex qua prætereo illa prima de Buthrotiis: quæ mihi ſunt incluſæ medullis; ſit modò, ut ſcribis, locus agendi. De oratione Bruti, [1] prorſus contendis, cùm iterum tam multis verbis agis. egone ut eam cauſam, quam is ſcripſit? ego ſcribam non rogatus ab eo? nulla παρέγχείρησις fieri poteſt contumelioſior. at, inquis, ἡραχλείδιον aliquod. non recuſo id quidem; ſed & componendum argumentum eſt, & ſcribendi exſpectandum tempus maturius. licet enim de me, ut libet, exiſtimes (velim quidem quam optimè) [2] ſi hæc ita manant, ut videntur (feres quod dicam) me Idus Martiæ non delectant. [3] ille enim numquam revertiſſet: nos timor confirmare ejus *acta* non coegiſſet: [4] aut, (ut in Saufeii eam, relinquamque Tuſculanas diſputationes, ad quas tu etiam Veſtorium hortaris) ita gratioſi eramus apud illum, [5] quem dii mortuum perduint, ut noſtræ ætati, quoniam interfecto domino *liberi* non ſumus, non fuerit dominus ille fugiendus. rubeo, mihi crede. ſed jam ſcripſeram; delere nolui. De Menedemo, vellem verum fuiſſet. De regina, velim verum ſit. Cetera coram, & maximè, quid noſtris faciendum ſit; quid etiam nobis, ſi Antonius militibus *obſeſſurus* eſt Senatum. Hanc epiſtolam ſi illius tabellario dediſſem, veritus ſum, ne ſolveret. itaque [6] miſi dedita opera. erat enim reſcribendum tuis. Quam vellem, Bruto ſtudium tuum navare potuiſſes! ego igitur ad eum litteras. Ad Dolabellam Tironem miſi, cum mandatis, & litteris. eum ad te vocabis; &, ſi quid habebis, quod placeat, ſcribes. Ecce autem [7] de traverſo L. Cæſar, ut veniam ad ſe, rogat, in Nemus; aut ſcribam, quò ſe venire velim: Bruto enim placere, ſe à me conveniri. ô rem odioſam, & inexplicabilem! puto me ergo iturum, & inde Romam; niſi quid mutaro. Summatim adhuc ad te. nihil dum enim à Balbo. tuas igitur exſpecto, nec actorum ſolùm, ſed etiam futurorum.

CICERO ATTICO, S.

5 A BRUTO tabellarius rediit: attulit, & ab eo, & Caſſio. conſilium meum magnopere exquirunt: Brutus quidem, utrum de duobus. ô rem miſeram! plane non habeo, quid ſcribam. itaque ſilentio puto me uſurum; niſi quid aliud tibi videtur. ſin tibi quid venit in mentem, ſcribe quæſo. Caſſius verò vehementer orat ac petit, ut Hirtium *quam optimum* faciam. ſanum putas? [8] ὁ γναφεὺς ἀνθρακεύς. epiſtolam tibi miſi. Ut tu de provincia Bruti, & Caſſii [9] per S. C. ita ſcribit & Balbus & Hirtius. qui quidem, ſe acturum. etenim jam in Tuſculano eſt: mihique, ut abſim, vehementer auctor eſt: [10] & ille quidem periculi cauſa; quod ſibi etiam fuiſſe dicit: ego autem, etiam ut nullum periculum ſit: tantum abeſt, ut Antonii ſuſpicionem [11] fugere nunc curem, ne videar ejus ſecundis rebus non delectari, ut mihi cauſa ſit, cur Romam venire nolim, ne illum *videam*. Varro autem noſter ad me epiſtolam miſit, ſibi à neſcio quo miſſam, (nomen enim delerat) in qua ſcriptum erat, veteranos eos, qui rejiciantur (nam partem eſſe dimiſſam) improbiſſimè loqui; ut magno periculo Romæ ſint futuri, qui ab eorum partibus diſſentire videantur. qui porro noſter itus, reditus, vultus, inceſſus inter iſtos? quod ſi, ut ſcribis, L. Antonius in Decimum, reliqui in noſtros; ego quid faciam? aut quo me pacto geram? mihi verò deliberatum eſt, ut nunc quidem eſt, abeſſe ex ea urbe, in qua [12] non modo *florui* cum ſumma, verum etiam *ſervivi* cum aliqua dignitate. nec tam ſtatui ex Italia exire, de quo tecum delibero, quam iſtuc non venire.

CICERO ATTICO, S. 6

[13] CUM ad me Brutus noſter ſcripſiſſet & Caſſius, ut Hirtium, quem adhuc bonum fuiſſe ſciebant, neque eum confidebant fore, mea auctoritate meliorem facerem, (Antonio eſt enim fortaſſe iratior, *cauſa* verò amiciſſimus) tamen ad eum ſcripſi, eique dignitatem Bruti, & Caſſii commendavi. ille quid mihi reſcripſiſſet, ſcire te volui; ſi fortè idem tu, quod ego, exiſtimares, iſtos etiam nunc vereri, ne fortè ipſi noſtri plus animi habeant, quàm habent.

HIRTIUS CICERONI SUO, S.

RURE jam redierim, quæris. an ego, cum omnes caleant, ignaviter aliquid faciam? etiam ex urbe ſum profectus. [14] *utilius enim ſtatui abeſſe. has tibi litteras exiens in Tuſculanum ſcripſi. noli autem me tam ſtrenuum putare ut ad Nonas recurram. nihil enim jam video opus eſſe noſtra cura: quoniam præſidia ſunt in tot annos proviſa. Brutus, & Caſſius utinam, quàm facile à te de me impetrare poſſunt, ita per te exorentur.* [15] *ne quod* calidius *ineant conſilium. cedentes enim hæc ais ſcripſiſſe: quo? aut quare? retine, obſecro te, Cicero, illos: & noli ſinere hæc omnia perire, quæ funditus mediusfidius rapinis, incendiis, cædibus pervertuntur. tantum, ſi quid timent, caveant: nihil præterea moliantur. NON mediusfidius acerrimis conſiliis plus, quàm etiam inertiſſimis, dum modò diligentibus, conſequentur. hæc enim, quæ fluunt, per ſe diuturna non ſunt; in contentione præſentis ad nocendum habent vires. quid ſperes de illis, in Tuſculanum ad me ſcribe.*

Habes Hirtii epiſtolam: cui reſcripſi, nil illos calidius cogitare, idque confirmavi. hoc qualecunque eſſet, te ſcire volui. Obſignata jam epiſtola, Balbus ad me, Serviliam rediiſſe, confirmare non diſceſſuros. nunc exſpecto à te litteras.

CICERO ATTICO, S. 7

GRATUM, quòd mihi epiſtolas: quæ quidem me delectarunt, in primis Sextii noſtri. dices, quia *te laudat*. puto mehercule id quoque eſſe cauſæ: ſed tamen etiam

1. *Prorſus contendis, cum iterum tam multis verbis agis.*] Edidit Boſius ſcripturam Tornæſ. & Cruſell. vulg. *prorſus contendis, mecumque iterum tam multis verbis agis.*

2. *Si hæc ita manant.*] Vulg. *ſi hæc ita manent.*

3. *Ille enim numquam revertiſſet.*] Fulvii amicus, veteris libri ſequutus corruptam ſcripturam, ita hunc locum legebat: *ille enim ſi vixiſſet, numquam nos timore confirmare ejus acta coëgiſſet:* quam lectionem diſerte retinere mſſ. Palat. aſſerit Junius.

4. *Aut ut in Saufeii eam.*] Scripſit ex Cruſell. Boſius, *ut in Saufeii, eam, relinquamque Tuſculanas diſputationes*; quæ lectio exſtat etiam in Tornæſ. niſi quod pro *Saufeii eam*, ibi vitioſe exaratum eſt, *Saufeleam*. Lambinus, cum Manutio legit, *ut in Saufeianam reliquaſque, &c.*

5. *Quem dii mortuum perduint.*] Vulg. *quem dii mortuum perdant.*

6. *Niſi dedita opera.*] Junius ex mſſ. Pal. oratione elliptica, legit, *niſi dedita.* rejecta voce, *opera.*

7. *De traverſo.*] Vulg. *de tranſverſo.*

8. O γναφεὺς ἀνθρακεύς.] Eſt Boſii veterem ſcripturam ſequentis, quæ hæc eſt in Cruſell. ΟΓΕΝΑΥC ΑΝΘΡΑΚΕΥC; in Tornæſ. ΟΓΝΑΥΕC, &c. vulgatum, ὁ δήσωμεθ̓ ἄνθρακις, eſt ex Victorii conjectura; qui ait Germanos in ſuo exemplari reperiſſe, ὅτε ναῦς ἄνθρακις.

9. *Per S. C. ita ſcribit & Balbus & Hirtius. quidem ſe acturum etenim.*] Auctore Cruſell. ita Boſius emendavit. vulg. *per S. C. ita ſcribit & Balbus. Et Hirtius quidem, ſe acturum: etenim, &c.* illud verò, *per S. C.* debetur Victorio, antea enim legebatur, *perſcita*, vel, *percita*; Urſinus nihilominus mavult legere, *de provincia Bruti & Caſſii perſcrutere ſcribit.*

10. *Et ille quidem.*] Addidit ex Cruſellino Boſius particulam *&*, quæ in vulgatis deerat.

11. *Fugere nunc curem.*] Auctore Cruſell. particulam inficiandi, *non*, in adverbium temporis, *nunc*, mutavit Boſius.

12. *Non modo florui cum ſumma, verùm.*] Poſt vocem *ſumma*, Victorius alteram ſupervacaneam delevit, legebatur enim, *cum ſumma fama.*

13. *Cum ad me Brutus.*] Epiſtola hæc ſuperiori appingitur in vulgata editione.

14. *Utilius enim ſtatui abeſſe.*] Ita Victorius credo ex mſſ. ſuis emendavit. vulg. antea, *ut illius ſtatum odi, abeſſem.*

15. *Ne quod calidius.*] Victorius, Lambinus & alii, hîc & infra ita emendarunt, rejeceruntque vulgatum, *callidius.*

jam ante, quàm ad eum locum veni, valde mihi placebat, cùm ſenſus ejus de Rep. tum ſcribendi cura. [1] Servius verò pacificator cum librariolo ſuo videtur obiiſſe legationem, & omnes captiunculas pertimeſcere. debuerat autem, *non ex jure manu conſertum*; ſed quæ ſequuntur. Tu quoque ſcribes.

8 CICERO ATTICO, S.

POſt tuum diſceſſum, binas a Balbo: nihil novi itemque ab Hirtio, qui ſe ſcribit vehementer offenſum eſſe veteranis. exſpectat animus, quidnam agam de Kal. Martiis. miſi igitur Tironem, & cum Tirone plureis, quibus ſingulis, [2] ut quidque accidiſſet, dares litteras: atque etiam ſcripſi ad Antonium de legatione: ne, ſi ad Dolabellam ſolùm ſcripſiſſem, *iracundus* homo commoveretur. quòd autem aditus ad eum difficilior eſſe dicitur; ſcripſi ad Eutrapelum, ut is ei meas litteras redderet, legatione mihi opus eſſe. honeſtior eſt votiva: ſed licet uti utraque. De te, quæſo, etiam atque etiam vide. velim poſſis coram: ſi minus poſſis, litteris idem conſequemur. Græcejus ad me ſcripſit, C Caſſium ſibi ſcripſiſſe, homines comparari, qui armati in Tuſculanum mitterentur. id quidem mihi non videbatur; ſed cavendum tamen, [3] villæque pluries videndæ. ſed aliquid craſtinus dies [4] ad cogitandum nobis de ea re.

9 CICERO ATTICO, S.

III. Nonas veſperi à Balbo redditæ mihi litteræ, fore Nonis Senatum, ut Brutus in Aſia, Caſſius in Sicilia frumentum [5] emendum, & ad urbem mittendum curarent. ô rem miſeram! primum ullam ab iſtis, dein, ſi aliquam, hanc [6] *locatoriam provinciam*? atque haud ſcio [7] an melius ſit, quam ad Eurotam ſedere. ſed hæc *caſus* gubernabit. ait autem, eodem tempore decretum iri, ut iis, & reliquis Prætoriis provinciæ decernantur. hoc certè melius, quam illa Perſice porticus. [8] nolo enim Lacedæmonem λαχεῖν κοχώνην Lanuvium exiſtimavi. rides, inquies, in talibus rebus? quid faciam? plorando feſſus ſum. [9] Dii immortales! quam me conturbatum tenuit epiſtolæ tuæ prior pagina! quid autem iſte in domo tua caſus armorum? ſed hunc quidem nimbum cito tranſiiſſe lætor. tu quid egeris tua cùm triſti, tum etiam difficili [10] ad conſiliandum legatione, vehementer exſpecto. eſt enim inexplicabilis. ita circumſedemur copiis omnibus. Me quidem Bruti litteræ, quas oſtendis à te lectas, ita perturbarunt, ut, quamquam ante egebam conſilio, tamen animi dolore ſim tardior. ſed plura, cùm iſta cognoro. hoc autem tempore, quod ſcriberem, nihil erat, eoque minus, quod dubitabam, tu has ipſas litteras eſſes ne accepturus. erat enim incertum, viſuruſne te eſſet tabellarius. ego tuas litteras vehementer exſpecto.

CICERO ATTICO, S. 10

[11] O BRUTI amanter ſcriptas litteras! ô iniquum tuum tempus, qui ad eum ire non poſſis! ego autem quid ſcribam? ut beneficio iſtorum utatur? quid turpius? ut moliantur aliquid? [12] nec audent, nec jam poſſunt. age, quieſcant auctoribus nobis? quis incolumitatem [13] præſtet? ſi verò aliquid [14] de Decimi, Græceiique; quæ noſtris vita, etiam ſi nemo moleſtus ſit? ludos vero non facere, quid fœdius? frumentum imponere, quæ eſt alia Dionis legatio? aut quod munus in rep. *ſordidius*? prorſus quidem conſilia tali in re ne iis quidem tuta ſunt, qui dant. [15] ſed poſſim id negligere proficiens. fruſtra verò qui ingrediar? matris conſilio cùm utatur, vel etiam precibus, quid me interponam? ſed tamen cogitabo, quo genere utar litterarum. nam ſilere non poſſum. ſtatim igitur mittam vel Antium, vel Circæos.

CICERO ATTICO, S. 11

ANTIUM veni ante VI. Kal. Bruto jucundus noſter adventus. deinde, multis audientibus, Servilia, Tertulla, Porcia, quærere, quid placeret. aderat etiam Favonius. ego, quod eram meditatus in via, ſuadere, ut uteretur Aſiatica curatione frumenti; nihil eſſe jam reliqui, quod ageremus, [16] niſi ut ſalvos eſſe. in eo etiam ipſi Reip. eſſe præſidium. quam orationem cum ingreſſus eſſem, Caſſius intervenit. ego eadem illa repetivi. hoc loco, fortibus ſane oculis, Caſſius ([17] Martem ſpirare diceres) ſe in Siciliam non iturum. ego ne, ut beneficium accepiſſe [18] in *contumeliam*? [19] quid ergo agis? inquam. at ille, in Achajam ſe iturum: quid tu, inquam, Brute? Romam, inquit, ſi tibi videtur. mihi verò minime. tutò enim non eris. quid ſi poſſem eſſe? placeretne? atque ut omnino; neque nunc, neque ex Prætura in provinciam ires? ſed auctor non ſum, ut te urbi committas. dicebam ea, quæ tibi profecto in mentem veniunt, cur non eſſet tuto futurus. multo inde ſermone querebantur, atque id quidem Caſſius maximè, *amiſſas occaſiones*; Decimumque graviter accuſabat. [20] ego negabam oportere præterita: aſſentiebar tamen. cumque ingreſſus eſſem dicere, quid oportuiſſet, nec verò quidquam novi, ſed ea, quæ quotidie omnes; [21] nec tamen illum locum attingere, quemquam præterea oportuiſſe tangi, ſed Senatum [22] vocare, populum ardentem ſtudio vehementius incitare, totam ſuſcipere Remp exclamat tua familiaris: *hoc verò neminem umquam audivi.* ego repreſſi.

---

1. *Servius verò pacificator cum libraliolo ſuo.*] Locum hunc valdè obſcurum, ejuſque diverſam ſcripturam eſſe in antiquis codicibus ait Victorius. alii legunt, *Servius verò pacificatus. liberiolum* conjicit Florentinus noſter, pro *librariolum*.

2. *Ut quidque accidiſſet.*] Ita etiam Lambinus legit; vulgò, *ut quidquid, &c.*

3 *Villæque pluries videndæ*] Boſius ita emendavit, ex corrupta hac Cruſellini ſcriptura, *villeque plures videndæ.* Victorius edidit, *ut illæ quæ plures videndæ*; ſed corrupte ut ipſe fatetur. vulgata lectio; *ut ille Quæ plures vident.*

4. *Ad cogitandum nobis de ea re.*] Ita Cruſellinus: Tornæſ. *debet aliquid c. d. ad cogitandum nobis dare.* vulgata lectio, *ſed aliquid c. d. ad cogitandum nobis dabit*; eſt in vetere libro Urſini.

5. *Emendum*] *Emundum* Urſinus ex antiquo denario.

6. *Locatoriam.*] Repoſuit ita ex Cruſell. Boſius; Veteres libri & in his Tornæſianus, habent, *legatoriam*, unde quidam fecerunt, *relegatoriam*, quibus aſſentitur Lambinus. vulg. *legatariam.*

7. *An melius ſit quà ad Eurotam ſedere.*] Ex præſcripto Cruſell. ita edidit Boſ. vulg. *an melius ſit, quàm ad Eurotam ſedere*, ſed Lamb. particulam, *quàm*, ut ſupervacaneam & alienam delendam cenſet.

8. *Nolo enim Lacedæmonem λαχ ιν: κοχωνην Lanuvium exiſtimavi.*] Ita ex conjectura fere, & emendavit, & interpunxit Boſius. Tornæſ. hæc ita refert, *nolo enim Lacedæmonem longinquo quom Lanuvium exiſtimavit*: Cruſellinus hoc modo; *nolo enim Lacedæmonem loci in quo quoniam Lanuvium exiſtimavi.* vulgati codices: *nolo enim Lacedæmonem longinquam Lavinium exiſtimaris.*

9. *Dii immortales!*] Epiſtolæ decimæ hoc principium eſt in vulgata editione.

10. *Ad conſiliandum.*] Vulg. *ad conciliandum.*

11. *O Bruti.*] Hanc epiſtolam vulgata lectio ſuperiori annectit.

12. *Nec audent, nec jam poſſunt.*] Victorius ex mſſ. ſuis legit, *nec audient, nec jam poſſunt.*

13. *Præſtet.*] Vulgò, *Præſtat.*

14. *De Decimi Græcejique.*] Victorius olim emendaverat, *de Decimis Græcejiſque*, cum prius legeretur, *de Decimis Gracchis noſtris*: vulg. *de Decimo gratius*

15. *Sed poſſim id negligere proficiens.*] Eſt è veteribus codicibus Victorii. antea legebatur, *ſed poſſum id negligere proficiſcens.*

16. *Niſi ut ſalvos eſſe.*] Urſini liber, *ut ſalvos eſſet*; Cavalcantis *ut ſalvus eſſe.*

17 *Martem ſpirare diceres.*] Victorius ita reſtituit, cùm legeretur, *matrem ſpectare dicere.*

18. *In contumeliam?*] Ita Tornæſ. & Cruſellin. vulg. *in contumelia.*

19. *Quid ergo agis?*] *Ages*, liber Urſini.

20. *Ego negabam oportere præterita: aſſentiebar tamen. cumque ingreſſus.*] Junius ex mſſ. duobus Palat. legit, *ea negabam oportere, præterita repeti aſſentiebar tamen: quamquam ingreſſus, &c.*

21. *Nec tamen illum locum attingere, quemquam præterea oportuiſſe tangi.*] Sunt antiqui libri a quibus abeſt dictio, *tangi*; unde venit in opinionem Manutio, diſtinctione mutata ſic eſſe legendum. *nec tamen illum locum, attingere quemquam præterea oportuiſſe; ſed Senatum vocare, populum, &c.*

22. *Vocare, incitare.*] Ita auctoribus Cruſellino & Tornæſ. ſcripſit Boſius. vulg. *vocari, incitari*; Urſinus verò, pro, *ſed Senatum vocare*, legit ex ſuo codice, *ſcilicet ſenatum vocari.*

1. Θεο-

preſſi. ſed & Caſſius mihi videbatur iturus: (etenim Servilia pollicebatur ſe curaturam, ut illa frumenti curatio de S. C. tolleretur) & noſter cito dejectus eſt de illo inani ſermone. velle enim ſe dixerat. conſtituit igitur, ut ludi, abſente ſe, fierent ſuo nomine. proficiſci autem mihi in Aſiam videbatur ab Antio velle. ne multa; nihil me in illo itinere, præter *conſcientiam*, delectavit. non enim fuit committendum, ut ille ex Italia priùs, quàm à me conventus eſſet, diſcederet. hoc dempto munere amoris atque officii, ſequebatur, ut mecum ipſe:

Η σέδε' ὁδὸς σοι τι δυνάται νῶϊ [1] θεοπρόπε;

prorſus diſſolutum offendi navigium, vel potius diſſipatum. nihil conſilio, nihil ratione, nihil ordine. itaque & ſi ne antea quidem dubitavi, tamen nunc eo minus, evolare hinc; idque quamprimum, ubi

„ *Nec Pelopidarum facta, neque famam audiam.*

Sed heus tu, ne forte ſis neſcius, Dolabella me ſibi legavit A. D. IV. Nonas April. id mihi heri veſperi nuntiatum eſt. votiva ne tibi quidem placebat. etenim erat abſurdum, [2] quæ, ſi ſtetiſſet Reſpub. voviſſem; ea me, everſa illa, vota diſſolvere: & habent, opinor, *liberæ legationes* definitum tempus lege Julia, [3] nec facile addi poteſt ad id, quod ad Deos, genus legationis, ut, cum velis, introire, exire, liceat: quod nunc mihi additum eſt. bella eſt autem hujus juris quinquennii licentia. quamquam quid de quinquennio cogitem? contrahi mihi negotium videtur. ſed βλάσ-φημια mittamus.

12 CICERO ATTICO, S.

BENE mehercule de Buthroto. at ego Tironem ad Dolabellam cum litteris, quia juſſeras, miſeram. quid nocet? De noſtris autem Antiatibus ſatis videbar planè ſcripſiſſe, ut non dubitares, eſſent quin otioſi futuri, uſurique beneficio Antonii contumelioſo. Caſſius frumentariam rem aſpernabatur. eam Servilia ſublaturam ex S. C. ſe eſſe dicebat. [4] noſter verò, καὶ μάλα σεμνὸς, in Aſiam, poſtea quàm mihi eſt aſſenſus tutò ſe Romæ eſſe non poſſe. ludos enim abſens facere malebat. ſtatim autem ſe iturum, ſimul ac ludorum apparatum iis, qui curaturi eſſent, tradidiſſet. navigia colligebat. erat *animus in curſu*. interea in eiſdem locis erant futuri. Brutus quidem ſe ajebat Aſturæ. L. quidem Antonius liberaliter litteris ſine cura me eſſe jubet. habeo unum beneficium: alterum fortaſſe, [5] ni in Tuſculanum venerit. ô negotia non ferenda! quæ feruntur tamen. [6] τὸ δ' αἴτιον τὸ βρύτων τίς εἶχεν? Octaviano, ut perſpexi, ſatis ingenii, ſatis animi: videbaturque erga noſtros ἥρωας ita fore, ut nos vellemus, animatus. ſed quid *ætati* credendum ſit, quid nomini, quid hereditati, quid κατηχήσει, magni conſilii eſt. vitricus quidem nihil cenſebat; quem Aſturæ vidimus. ſed tamen alendus eſt: &, ut nihil aliud, ab Antonio *ſejungendus* Marcellus præclarè, ſi præcipit noſtro noſtri: cui quidem ille deditus mihi videbatur. Panſæ autem & Hirtio non nimis credebat. bona indoles, [7] ἐὰν διαμείνῃ.

CICERO ATTICO, S. 13

VIII. KAL. duas à te accepi epiſtolas. reſpondebo igitur priori priùs. Aſſentior tibi, ut nec duces ſimus, nec agmen cogamus; *faveamus tamen*. Orationem tibi miſi. ejus cuſtodiendæ, & proferendæ arbitrium tuum. ſed quando illum diem, [8] cum tu edendam putes? Inducias, quas ſcribis, non intelligo fieri poſſe. melior eſt ἀναντι-φωνησία: qua me uſurum arbitror. Quod ſcribis [9] legiones duas Brundiſium veniſſe; vos omnia prius. ſcribes igitur, quidquid audieris. Varronis διάλογον exſpecto. Jam probo ἡρακλείδειον, præſertim cùm tu tantopere delectere: [10] ſed, quale velis, velim ſcire. Quod ad te antea, atque adeo priùs ſcripſi (ſic enim mavis) ad ſcribendum tibi veredis certè [11] feciſti me acriorem. ad tuum enim judicium, quod mihi erat notum, addidiſti Peducei auctoritatem, magnam quidem apud me, & in primis gravem. enitar igitur, ne deſideres aut induſtriam meam, aut diligentiam. Vectenum, ut ſcribis, & Faberium foveo. [12] Clœlium nihil arbitror malitioſè: [13] quamquam. ſed quid egerit? De libertate retinenda, quâ certè nihil eſt dulciùs, tibi aſſentior. [14] Itane Gallo Caninio? ô hominem nequam! quid enim dicam aliud? cautum Marcellum? me ſic, ſed non tamen cautiſſimum. Longiori epiſtolæ ſuperiorique reſpondi. nunc breviori propiorique quid reſpondeam, niſi eam fuiſſe dulciſſimam? Res Hiſpanienſes valde bonæ. modo Balbilium incolumem videam, *ſubſidium noſtræ ſenectutis*. De Anniano item, quòd me valde obſervat Viſellia. ſed hæc quidem humana. De Bruto te nihil ſcire dicis: [15] ſed Selicia veniſſe M. Scaptium: eumque non qua pompa, ad ſe tamen clam venturum, ſciturumque me omnia: quæ ego ſtatim. [16] interea narras eâdem Baſſi ſervum veniſſe, qui nuntiaret, legiones Alexandrinas in armis eſſe, Baſſum arceſſi, Caſſium exſpectari. quid quæris? videtur Reſp. jus ſuum [17] reciperatura. ſed ne quid ante.

1. Θεοπρόπε.] Vulg. θεοπρεπής.

2. *Quæ, ſi ſtetiſſet reſpublica voviſſem.*] Victorius ex vetere codice in quo erat, *bonis ſi mea everſa*, &c. legendum conjecerat, *noviſſem ea me*, prius legebatur, *bonis non ſumere.*

3. *Nec facile addi poteſt ad id, quod ad Deos genus legationis.*] Hæc ita referebat Cruſellinus, *nec facile addi poteſt, ad idque adeo genus legationis*. unde correxit Boſius, *ad id, quod ad Deos*: vulgò, *nec facile addi poteſt: idque adeo genus legationis*, &c. Lambino legendum videtur, *nec facile addi poteſt, ad hoc genus legationis*; dicitque libros mſſ. non habere, *idque; adeo*, autem corruptum eſſe pro, *ad hoc*, vel, *ad id*; quod ultimum rectè habere mſſ. aſſerit Urſinus. Junius verò ex ſuis omnibus mſſ. legit, *nec facile addi poteſt adeo genus legationis.*

4. *Noſter verò καὶ μάλα σεμνὸς, in Aſiam.*] Ex antiquiore ſuo ſic legendum cenſuit Victorius, non ut prius, *Noſter verò Brutus in Aſiam.* Fulvius verò auctoribus veteribus libris, *Noſter verò Brutus καὶ ἄσμενος in Aſiam.*

5. *Ni in Tuſculanum venerit.*] Reſtituit Boſius ex fide Cruſellini particulam, *ni*, pro qua in editionibus legebatur, *ſi.*

6. Τὸν δ' αἰτίων τῶν Βρύτων τίς ἄχεν?] Legendum ſine interrogatione dicit Lambinus.

7. Ἐὰν διαμένῃ.] Vulg. ἐὰν διαμείνῃ.

8. *Cum tu edendum putes.*] Victorii hoc eſt conjicientis ex depravata ſuorum codicum ſcriptura, *cum tuendam putes.*

9. *Legiones duas.*] Hoc quoque Victorius emendavit. prius legebatur, *legationes duas*, quæ ultima vox deeſt in vulgatis.

10. *Sed, quale velis, velim ſcire. Quod ad te antea, atque adeo prius ſcripſi (ſic enim mavis) ad ſcribendum tibi veredis certè feciſti me acriorem. Ad tuum enim judicium.*] Pro, *verè dicere*, repoſuit Boſius, *veredis certè*: ceterùm aliter diſtinguit Junius, *Sed quale velis, velim ſcire: quod ad te antea atque adeo prius ſcripſi. Sic enim mavis, adſcribendum tibi, verè dicere. feciſti me alacriorem ad tuum judicium.*

11. *Feciſti me.*] Vulg. *certè feciſti me.*

12. *Clœlium nihil arbitror.*] Vulg. *Clodium.*

13. *Quamquam. ſed quid egerit?*] Ita emendavit ex mſſ. Victorius, pro, *quamquam, celeſtè quidem egerit*: ut antea legebatur; quod tamen retinet Junius ex duobus mſſ. Palat. vulg. *quamquam ſi quid egerit.*

14. *Itane Gallo Caninio? ô hominem.*] Cum Lambini mſſ. haberent, *Gallo animo*, viſa eſt ipſi probabilis Corradi conjectura, *Gallo Caninio*: quamquam idem addidit alteram, *Gallonio*. Ceterùm aliter legit & diſtinguit vulgus, *Itane? Gallo animo hominem*, &c.

15. *Sed Selicia veniſſe M. Scaptium.*] Antiquioris ope ſic repoſuit Victorius. pro, *Seliciam*, quod legebatur, Manutio forte legendum videtur *Servilia*, quod ex mſ. aſſerit Urſinus; magna certè animi aberratione; ut quidem videtur CL. Dauſqueio: qui reſtitutionem faciundam arbitratur ex libro v. ad Attic. Epiſt. 21. *Sed è Cilicia*, ubi & negotiatus eſt Scaptius, & fœnebrem artem ex ea videtur epiſtola factitaſſe. ex qua negotiatione illud eſt lib. VI. Epiſt. 1. *Salaminii pecuniam debent M. Scaptio.* Si conjectura illa non uſquequaque placet, ſcribo, *ſed Seleucia*: quia ex urbe diſceſſerat Scaptius, præfectura fortè aliqua perfunctus, poſt M. Tullii ex Aſia reditionem. nam cum Cicero Scaptio præfecturam recuſarit *Negavi*, inquit, *me cuiquam negotianti dare* à ſucceſſore Tullii potuit hoc aut ſimile officium impetraſſe.

16. *Interea narras eadem Baſſi ſervum veniſſe.*] Boſius ex Cruſell. ſcripſit, *narras*; vulg. *interea narrat eadem. Baſſi ſervum*, &c.

17. *Reciperatura.*] Vulg. *recuperatura.*

6. Quo-

ante noſtri horum *exercitationem* in latrocinio, & amentiam. Dolabella, vir optimus. etſi, cùm ſcribebam, ſecunda menſa appoſita, veniſſe eum ad Bajas audiebam; tamen ad me ex Formiano ſcripſit (quas litteras, cùm è balineo exiiſſem, accepi) ſeſe de attributione omnia ſumma feciſſe: Vectenum accuſat: tricatur ſcilicet, ut homo talis. ſed ait totum negotium Seſtium noſtrum ſuſcepiſſe, optimum quidem illum virum, noſtrique amantiſſimum. quæro autem, quid tandem Seſtius in hac re facere poſſit, quod non [1] quivis noſtrum? ſed, ſi quid præter ſpem erit, facies ut ſciam. ſin eſt, ut arbitror, *negotium perditum*, ſcribes tamen; neque iſta res commovebit. [2] Nos hic φιλοσοφοῦμεθα (quid enim aliud?) & τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnificè explicamus, προσφωνοῦμένque Ciceroni. qua de re enim potius pater filio? de inde alia. quid quæris? extabit opera peregrinationis hujus. Varronem hodie, aut cras venturum putabant. ego autem in Pompejanum properabam; non quo hoc loco quidquam pulchrius; ſed *interpellatores* illic minus moleſti. ſed perſcribe quæſo, quæ cauſa ſit Myrtilo (pœnas quidem illum pependiſſe audivi) & ſatiſne patet, unde corruptus. Hæc cùm ſcriberem, tantum quod exiſtimabam ad te orationem eſſe perlatam. hui, quàm timeo, quid exiſtimes. etſi quid ad me, quæ non ſit foras prodìtura, niſi Rep. recuperata? de quo quid ſperem. non audeo ſcribere.

14 CICERO ATTICO, S.

VI. KAL accepi à Dolabella litteras, quarum exemplum tibi miſi: in quibus erat, omnia ſe feciſſe, quæ tu velles. ſtatim ei reſcripſi, & multis verbis gratias egi. ſed tamen, ne miraretur, cur idem iterum facerem, hoc cauſæ ſumſi, quòd ex te ipſo coram antea nihil potuiſſem cognoſcere. ſed quid multa? litteras hoc exemplo dedi.

CICERO DOLABELLÆ COS. SUO.

ANTEA cùm per litteras Attici noſtri de tua ſumma liberalitate, ſummoque erga ſe beneficio certior factus eſſem; cumque tu ipſe etiam ad me ſcripſiſſes, te feciſſe ea, quæ nos voluiſſemus: egi tibi gratias per litteras iis verbis, ut intelligeres, nihil te mihi gratius facere potuiſſe. poſtea verò quam ipſe Atticus ad me venit in Tuſculanum hujus unius rei cauſa, tibi ut apud me gratias ageret, [3] ut tuam eximiam quandam, & admirabilem in cauſa Buthrotia voluntatem, & ſingularem erga ſe amorem perſpexiſſet; teneri non potui, quin tibi apertiùs illud idem his litteris declararem. ex omnibus enim, mi Dolabella, ſtudiis in me, & officiis, quæ ſumma ſunt, hoc ſunt, hoc ſcito mihi & ampliſſimum videri, & gratiſſimum eſſe, quòd perfeceris, ut Atticus intelligeret, quantum ego te, [4] quàm tu me amares. quod reliquum eſt, Buthrotiam & cauſam, & civitatem, quamquam à te conſtituta eſt (BENEFICIA autem noſtra tueri ſolemus) tamen velim receptam in fidem tuam, à meque etiam tibi commendatam, auctoritate, & [5] auxilio tuo tectam velis eſſe. ſatis erit in perpetuum Buthrotiis præſidii, magnaque cura, & ſollicitudine Atticum, & me liberaris; ſi hoc honoris mei cauſa ſuſceperis, ut eos ſemper à te defenſos velis. quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo.

His litteris ſcriptis, me ad συντάξεις dedi: quæ quidem, vereor, ne [6] miniata cærula tua pluribus locis notandæ ſint: ita ſum μετέωρος, & magnis cogitationibus impeditus.

CICERO ATTICO, S. 15

[7] L. ANTONIO malè ſit, ſiquidem Buthrotiis moleſtus eſt. Ego teſtimonium compoſui: quòd cùm voles, obſignabis. Tu nummos Arpinatum, ſi L. Fadius Ædilis petet, vel omneis reddito. ego ad te alia epiſtola ſcripſi de H-S CX, quæ Statio curarentur. ſi ergo petet Fadius, ei volo reddi; præter Fadium, nemini. apud me item puto depoſitum. id, ſcripſi ad Erotem, ut redderet. Reginam odi. me jure facere ſcit. ſponſor promiſſorum ejus Ammonius; [8] quæ quidem erant φιλόλογα, & dignitatis meæ; ut vel *in concione* dicere auderem. Saram autem præterquam quod nefarium hominem cognovi, præterea in me contumacem. ſemel eum omnino domi meæ vidi. cum φιλοφρόνως ex eo quærerem, quid opus eſſet; Atticum ſe dixit quærere. ſuperbiam autem ipſius reginæ, cùm eſſet trans Tiberim in hortis, commemorare ſine magno dolore non poſſum. nihil igitur cùm iſtis: nec tam animum me, [9] quàm vix ſtomachum habere arbitrantur. Profectionem meam, ut video, Erotis diſpenſatio impedit. nam cùm ex reliquis, quæ Nonis April. fecit, abundare debeam; cogor mutuari: quodque ex iſtis fructuoſis rebus receptum eſt, id ego ad illud fanum ſepoſitum putabam. ſed hæc Tironi mandavi, quem ob eam cauſam Romam miſi. te nolui impeditum impedire. Cicero noſter quo *modeſtior* eſt, eo me magis commovet. ad me enim de hac re nihil ſcripſit, ad quem nimirum potiſſimum debuit. ſcripſit hoc autem ad Tironem, ſibi poſt KAL. April. (ſic enim annuum tempus confici) nihil datum eſſe: tibi pro tua natura ſemper placuiſſe, teque exiſtimaſſe id etiam ad dignitatem meam pertinere, eum non modò liberaliter à nobis, ſed etiam ornatè cumulateque tractari. quare velim cures (nec tibi eſſem moleſtus, ſi per alium hoc agere poſſem) ut permutetur Athenas, quod ſit in annuum ſumtum. ei ſcilicet Eros numerabit. ejus rei cauſa Tironem miſi. curabis igitur, & ad me, ſi quid tibi de eo videbitur, ſcribes.

CICERO ATTICO, S: 16

TANDEM à Cicerone tabellarius: & mehercule litteræ [10] πεπινωμένως ſcriptæ: [11] quod ipſum προκοπήν aliquam ſignificaret. itemque ceteri præclara ſcribunt. Leonidas tamen retinet ſuum illud ADHUC. ſummis verò laudibus [12] Herodes. quid quæris? vel verba mihi dari facilè patior in hoc, meque libenter præbeo *credulum*. Tu, velim, ſi quid tibi eſt [13] à Statio ſcriptum, quod pertineat ad me, certiorem me facias. [14] Narro tibi; hæc loca venuſta ſunt, abdita certe: &, ſi quid ſcribere velis, ab arbitris libera. ſed neſcio quo modo οἶκος φίλος. itaque me referunt pedes in Tuſculanum. & tamen hæc [15] ῥωπογραφία ripulæ videtur habitura celerem ſatietatem. equidem etiam pluvias metuo, ſi prognoſtica noſtra vera ſunt.

ranæ

1. *Quivis noſtrum.*] Vulg. *quis noſtrum.*

2. *Nos hic* φιλοσοφοῦμεθα.] Victorius ex mſſ. legit, φιλοσοφοῦμενα, ut participium ſit, non verbum.

3. *Ut tuam eximiam quandam.*] Vulg. *cujus eximiam quandam.*

4. *Quàm tu me.*] Vulg. *quantum tu me.*

5. *Auxilio tuo tectam velis eſſe.*] *Tectam*, pro, *tutam*; reſtituit Victorius.

6. *Miniata cerula tua.*] Leoniceni libèr habet, *ne nimia* ἀκριβείᾳ *ſua.*

7. *L. Antonio.*] Hæc epiſtola unam cum ſuperiore conſtituit in vulgatis editionibus.

8. *Quæ quidem erant* φιλόλογα.] Vulg. *quæ quidem promiſſorum ejus erant* φιλόλογα.

9. *Quam vix ſtomachum.*] Non improbat Boſius receptam lectionem, *quam ſtomachum non habere arbitrantur*: ſed à veteribus libris abeſt particula, *non*, ejuſque loco ante vocem *ſtomachum*, legitur, *vix*, ut edidit.

10. Πεπινωμένως.] Vulg. πεπυκνωμένως.

11. *Quod ipſum* προκοπήν *aliquam.*] Ex antiquis codicibus ſic emendavit Victorius, quod etiam Germani adnotarant. pro eo legebatur antea, *quod ipſum perſpicaciam aliquam, &c.*

12. *Herodes.*] Vulg. *Erotes.*

13. *A Statio ſcriptum.*] Publica lectio, *ſi quid tibi eſt à tuis ſcriptum.* Vetus Cruſellini quam ſequutus eſt Boſius, *ſi quid tibi eſt à Statio ſcriptum.* ſicque invenit item in altero Vaticano Lipſ. 19. d. c. p. 19.

14. *Narro tibi.*] Videtur Manutio initium epiſtolæ ut etiam Junio, ex mſſ.

15. Ῥωπογραφία.] Pro τοπογραφία. Victorius ex mſſ. ſubſtituit ῥωπογραφία.

1. *Duas*

ranæ enim ῥητορεύουσιν. Tu, quæſo, fac ſciam ubi Brutum noſtrum, & quo die videre poſſim.

17 CICERO ATTICO, S.

[1] DUAS accepi [2] poſtridie Idus, alteram eo die datam, alteram Idibus. prius igitur ſuperiori. De Bruto, cùm ſcies. De Conſulum *ficto timore* cognoveram. Sica enim φιλοστόργως ille quidem, ſed tumultuoſiùs ad me etiam illam ſuſpicionem pertulit. [3] quid tu autem? τὰ μὲν διδόμενα? nullum enim verbum à [4] Siregio. non placet. De Pletorio vicino tuo permoleſtè tuli, quemquam priùs audiſſe, quàm me. De Syro prudenter. L. Antonium per M. fratrem, ut arbitror, facillimè deterrebis. [5] Antroni vetui; ſed nondum acceperas litteras; [6] nec cuiquam, niſi L. Fadio Ædili. aliter enim nec cautè, nec jure fieri poteſt. [7] Quòd ſcribis tibi deeſſe H-S C. quæ Ciceroni curata ſint; velim ab Erote quæras, ubi ſit merces inſularum. Arabioni de Sitio nihil iraſcor. ego de itinere, [8] niſi explicato Λ, nihil cogito. quod idem tibi videri puto. Habes ad ſuperiorem. nunc audi ad alteram. Tu verò facis, ut omnia, quòd Serviliæ [9] non dees, id eſt Bruto. De regina gaudeo te non laborare, certè etiam tibi probari. Erotis rationes & ex Tirone cognovi, & vocavi ipſum. Gratiſſimum, quod polliceris, Ciceroni nihil defuturum: de quo mirabilia Meſſalla; qui, Lanuvio rediens ab illis, venit ad me: & mehercule ipſius litteræ ſic & φιλοστόργως, & [10] εὐπινῶς ſcriptæ, [11] ut eas vel *in acroaſi* audeam legere: quo magis illi indulgendum puto. De Buciliano Seſtium puto non moleſte ferre. Ego, ſi Tiro ad me, cogito in Tuſculanum. Tu verò, quidquid erit, quod me ſcire par ſit, ſtatim.

18 CICERO ATTICO, S.

[12] XVII. KAL. etſi ſatis videbar ſcripſiſſe ad te, quid mihi opus ſit, & quid te facere vellem, ſi tibi commodum eſſet: tamen, cùm profectus eſſem, [13] & in ea cura vigilarem, Tironem ſtatui ad te eſſe mittendum, ut iis negotiis, quæ agerentur, intereſſet: atque etiam ſcripſi ad Dolabellam, me, ſi ei videretur, velle proficiſci: petiique ab eo [14] de mulis vecturæ itineris, & vehis. quoniam intelligo te diſtentiſſimum eſſe quà de Buthrotiis, quà de Bruto; cujus etiam ludorum [15] ſeorſum curam, etiam adminiſtrationem ſuſpicor ex magna parte [16] ad te pertinere; ut ergo in ejuſmodi re, tribues nobis paullum operæ. nec enim multum opus eſt. mihi res ad cædem, & eam quidem propinquam, *ſpectare* videtur. vides homines; vides arma. prorſus non mihi videor eſſe *tutus*. ſin tu aliter ſentis, velim ad me ſcribas. domi enim manere, ſi rectè poſſum, multo malo.

CICERO ATTICO, S. 19

QUIDNAM eſt, quod audendum amplius de Buthrotiis? ſtetiſſe enim te fruſtra ſcribis. quid autem ſe refert Brutus? doleo mehercule te tam eſſe detentum: quod decem hominibus [17] referendum acceptum. [18] eſt illud quidem ἐργῶδες, ſed ἀνυστὸν, mihique gratiſſimum. De armis, nihil vidi apertiùs. fugiamus igitur: [19] at, ut ais, coram. Theophanes quid velit, neſcio. ſcripſerat enim ad me: cui reſcripſi, ut potui. mihi autem ſcribit, venire ad me ſe velle, ut & de ſuis rebus, & quædam, quæ ad me pertinerent. tuas litteras exſpecto. vide quæſo, *nequid temerè* fiat. Statius ſcripſit ad me, locutum ſecum eſſe Q. Ciceronem valde aſſeveranter, ſe hæc ferre non poſſe: certum ſibi eſſe ad Brutum, & Caſſium tranſire. hoc enim vero nunc diſcere haveo: hoc ego, quid ſit, interpretari non poſſum. poteſt aliquid iratus Antonio: poteſt gloriam novam quærere: poteſt totum eſſe σχεδίασμα: & nimirum ita eſt. ſed tamen & ego vereor, & pater conturbatus eſt. ſcit enim, quæ ille [20] de hoc: mecum quidem ἀφάζε olim. planè, quid velit, neſcio. A Dolabella mandata habebo, quæ mihi videbuntur, id eſt nihil. Dic mihi, C. Antonius voluitne fieri Septemvir? fuit certè dignus. De Menedemo eſt, ut ſcribis. facies omnia mihi nota.

CICERO ATTICO, S. 20

[21] EGI gratias Vecteno: nihil enim potuit humanius. Dolabellæ mandata ſint quælibet: [22] mihi aliquid, vel quod Niciæ nuntiem. quis enim hæc, [23] ut ſcribis, ἐν κενῷ? nunc dubitare quemquam prudentem, quin meus *diſceſſus* deſperationis ſit, non legationis? Quod ais, extrema quædam jam homines de Rep. loqui, & eos quidem viros bonos; ego quo die audivi illum tyrannum in concione *clariſſimum virum* appellari, ſubdiffidere cœpi. poſtea vero quàm tecum Lanuvii vidi noſtros tantum ſpei habere ad vivendum, quantum accepiſſent ab Antonio, deſperavi. itaque, mi Attice, fortiter hoc velim accipias, ut ego ſcribo. genus

1. *Duas accepi.*] Vulg. *duas epiſtolas accepi.*

2. *Poſtridie Idus.*] Vulg. *poſtridie Iduum.*

3. *Quid tu autem τὰ μὲν διδόμενα?*] Ita reſtituit Victorius, *tamen*, Latine ſcripto mutato in, τὰ μὲν, & adhibita interrogatione poſt, διδόμενα.

4. *A Siregio.*] Vulg. *à Sire regio*, quod ratione ductus retinet Junius.

5. *Antroni vetui.*] Ex Cruſellino ita legit Boſius, ad quam lectionem proximè accedit hæc codicis Tornæſiani, *Antroni vel vi.* Antiquus liber Cavalcantis *Anthroni vel vi.* Beſſarionis, *Antonii vel vi.* Junius ex mſſ. duobus Palatinis legit, *Ante III. Non. Septemb. nondum acceperas.*

6. *Nec cuiquam, niſi L. Fadio Ædili.*] Fulvius refert in mſ. legi, *nec cuiquam dedi, niſi L. Fadio Ædili.*

7. *Quod ſcribis tibi deeſſe H-S. C. quæ Ciceroni.*] Codex Tornæſianus pro *deeſſe* habet, *deſere*: unde dubius conjicit Lambinus, *deberi*; Junius verò ex mſſ. Palat. in quibus eſt, *Di Sere*, conjicit, *deeſſe re*, & ita totum legit; *Quod ſcribis tibi deeſſe re L-L S. C. quæ Ciceroni, &c.*

8. *Niſi explicato* Λ.] Putat hic Boſius vitioſè ſcribi, Λ, pro, Δ, & hac nota, Δ, δάνειον, hoc eſt *æs alienum* ſignificari. ſed tamen contra mſſ. mutare non eſt auſus. priorem lectionem retinet Junius.

9. *Non dees.*] Vulg. *non deeſt.* Junius ex duobus Palat. legit, *quod Serviliæ non deſit & Bruto.*

10. *Εὐπινῶς ſcriptæ.*] Vulg. *&* πυκνῶς.

11. *Ut eas vel in acroaſi.*] Ita repoſuit Victorius ex mſſ. pro eo quod antea legebatur, *ut eas vel in agro ſic audeam, &c.*

12. *XVII. Kalend.*] Præter hæc duo vocabula quæ ſuperiori epiſtolæ agglutinantur, tertium ſuperadditur in vulgata editione, nempe, *abibo*, ſed id Lambino ſuſpectum eſt, nec comparet in codice Tornæſiano.

13. *Et in ea cura vigilarem.*] Tornæſianus, ut excuſi & mſſ. ferè omnes, *& in lacuna vigilarem.* Cruſellinus, *& in ea cuna vigilarem*; unde repoſuit Boſius, *& in ea cura vigilarem*, qua in emendatione convenit cum Juſto Lipſio, ſic conjicientes libro IV. Antiq. Lect. cap. 19. Victorius Beroaldi conjecturam ſequutus legebat, *& in lacu navigarem.*

14. *De mulis vecturæ itineris & vehis. quoniam intelligo.*] Boſius ex Cruſellino vulgatam lectionem depravatam ſic emendavit. ea autem talis eſt, *de mulis vecturæ itineris. ut & in eis, cum intelligo.* Tornæſianus habet, *de mulis victuræ, & in eis, cum, &c.* & ita Memmiani, niſi quod habent, *& meis*, pro, *& in eis.* vox autem, *itineris*, in nullo reperitur, Lambino teſte, qui hanc affert tentatam hujus loci emendationem, *petiique ab eo de mulis & vectura, ceteriſque jumentis.* vulgatam lectionem retinet Junius, extra quam cum Boſio legit, *quoniam*, pro *cum*.

15. *Seorſum curam.*] Pro, *ſuorum*, quod abundare arbitratur Manutius, repoſuit ex fide Cruſellini Boſius, *ſeorſum*.

16. *Ad te pertinere.*] Sic vulgati libri, nec aliter Cruſellinus. verùm in Tornæſiano eſt, *ad te vertere.*

17. *Referendum acceptum.*] Vulg. *referendum eſt acceptum.*

18. *Eſt illud quidem ἐργῶδες ſed ἀνυστόν.*] In Cruſellino erat, ANICTON, unde judicavit Boſius certam eſſe conjecturam Errici Stephani hic legendum exiſtimantis, ἀνυστόν.

19. *At ut ait.*] Vulg. *& ut ais.*

20. *De hoc. mecum quidem ἀφάζε, olim.*] Vulg. *De hoc mecum. quædam ἀφάζε. nolim.*

21. *Egi gratias V. n. e. p. h.*] Verba hæc ſuperiori epiſtolæ annectit vulgata editio.

22. *Mihi aliquid.*] Sic uno conſenſu omnes mſſ. Palat. referente Junio, vulg. *modo aliquid.*

23. *Ut ſcribis ἐν κενῷ?*] Tornæſianus, *anteno*: Cruſellinus, *enteno*: unde repoſuit Boſius, ἐν κενῷ; vulgò, *ante, ne nunc, &c.* quæ eſt Victorii emendatio. Junius ex mſſ. legit, *ut ſcribis, anteno?* Lambinus, *ut ſcribis, ante nos.*

genus illud interitus, [1] qua cauſa, ac quorſus eſt, fœdum duces, & quaſi denuntiatum nobis ab Antonio. ex hac [2] naxa exire conſtitui, non ad fugam, ſed ad ſpem *mortis melioris*. hæc omnis culpa Bruti. Pompejum Carthejæ receptum ſcribis: jam igitur contra hunc exercitum. utra ergo caſtra? media enim tollit Antonius. illa infirma, hæc nefaria. properemus igitur. ſed juva me conſilio, Brundiſione, an Puteolis. Brutus quidem ſubitò: ſed ſapienter. πάσχω ϖ. quando enim illum? ſed *humana ferenda*. tu ipſe eum videre non potes. dii illi mortuo, qui umquam Buthrotum. [3] ſed acta miſſa. videamus, quæ agenda ſint. Rationes Erotis, etſi ipſum nondum vidi, tamen & ex litteris ejus, & ex eo, quod Tiro cognovit, propemodum cognitas habeo. verſuram ſcribis eſſe faciendam menſium quinque; id eſt ad KAL. Novemb. H-S CC: in eam diem cadere nummos, qui à Quinto debentur. velim igitur, quoniam Tiro negat tibi placere, me ejus rei cauſa Romam venire; ſi te ea res nihil offendet, videas, unde nummi ſint; mihi feras expenſum. hoc video in præſentia opus eſſe. reliqua diligentius ex hoc ipſo exquiram; in his, de mercedibus dotalium prædiorum: quæ ſi fideliter Ciceroni curabuntur, quamquam volo laxiùs, tamen ei propemodum nihil deerit. equidem video mihi quoque opus eſſe viaticum. ſed id ex prædiis, ut cadet, ita ſolvetur: mihi autem opus eſt univerſo quidem. etſi mihi videtur iſte, qui *umbras timet*, ad cædem ſpectare; tamen, niſi explicata ſolutione, non ſum diſceſſurus. ſitne autem [4] extricata, necne, tecum cognoſcam. Hanc putavi mea manu ſcribendam: itaque feci. De Fadio, ut ſcribis; utique alii nemini. reſcribas velim hodie.

CICERO ATTICO, S.

21 NARRO tibi; Q. pater exultat lætitia. ſcripſit enim filius, ſe idcirco profugere ad Brutum voluiſſe, quòd, cum ſibi negotium daret Antonius, ut eum dictatorem efficeret, præſidium occuparet, id recuſaſſet: recuſaſſe autem ſe, ne patris animum *offenderet*: ex eo ſibi illum hoſtem. tum me, inquit, collegi, verens, ne quid mihi ille iratus tibi noceret. itaque eum placavi. & quidem CCCC certa: reliqua in ſpe. ſcribit autem Statius, illum cum patre habitare velle. hoc verò mirum: & id gaudet. [5] ecquem tu illo certiorem nebulonem? ἐποχὴν veſtram de re Cani deliberationis probo. nihil eram ſuſpicatus de tabulis: ἀκεραίως reſtitutam arbitrabar. Quæ differs, ut mecum coram; exſpectabo. Tabellarios, quoad voles, tenebis. es enim occupatus. Quod ad Xenonem, probè. Quod ſcribo, cùm abſolvero. Quinto ſcripſiſti, te ad eum litteras: nemo attulerat. Tiro negat jam tibi placere Brundiſium, & quidem dicere aliquid de militibus. at ego jam deſtinaram Hydruntem quidem. movebant me tuæ quinque horæ. hîc autem quantus πλοῦς? ſed videbimus. [6] Nullas à te XI. Kal. quippe: quid enim jam novi? cùm primùm igitur poteris, venies. ego propero, ne ante Sextus; quem adventare ajunt.

CICERO ATTICO, S.

22 GRATULOR nobis Q. filium exiiſſe: moleſtus non erit. Panſam bene loqui credo. ſemper enim conjunctum eſſe cum Hirtio ſcio. amiciſſimum Bruto & Caſſio puto, ſi expediet. ſed quando illos videbit? inimicum Antonio: quando, aut cur? quouſque ludemur? Ego autem ſcripſi Sextum adventare, non quo jam adeſſet, ſed quia certè id ageret, ab armiſque nullus diſcederet. certè, ſi pergit, bellum paratum eſt. [7] hic autem noſter Cytherius, niſi victorem, *neminem victurum*. quid ad hæc Panſa? [8] utro erit, ſi bellum erit? quod videtur fore? ſed & hæc, & alia coram: hodie quidem, ut ſcribis; aut cras.

CICERO ATTICO, S.

23 MIRIFICE torqueor, ſine dolore tamen: ſed permulta mihi de noſtro itinere in utramque partem occurrunt. quouſque? inquies. quoad erit integrum: erit autem uſque dum ad navem. Panſa ſi reſcripſerit, & meam tibi, & illius epiſtolam mittam. Silium exſpectabam; cui ὑπόμνημα compoſitum, ſi quid novi. Ego litteras miſi ad Brutum: cujus de itinere etiam ex te velim, ſi quid ſcies, cognoſcere.

CICERO ATTICO, S.

24 [9] TABELLARIUS, [10] quem ad Brutum miſeram, ex itinere redit VII. Kal. ei Servilia dixit, eo die [11] Brutum H. IIII. profectum. ſane dolui meas litteras redditas non eſſe. Silius ad me non venerat. cauſam compoſui. eum libellum tibi miſi. te quo die exſpectem, velim ſcire.

CICERO ATTICO, S.

25 DE meo itinere variæ ſententiæ. multi enim ad me. ſed tu incumbe quæſo in eam curam. magna res eſt. an probas, ſi ad Kal. Jan. cogitamus? meus animus eſt æquus, ſic tamen, [12] ut ſi nihil offenſionis ſit: [13] & tu etiam ſcitè, [14] quo die olim *piaclum*, myſteria ſcilicet. [15] ut ut ſit res, caſus, conſilium noſtri itineris judicabit. dubitemus igitur, [16] eſt enim *hiberna navigatio* odioſa; eoque ex te quæſieram myſteriorum diem. Brutum, ut ſcribis, viſum iri à me puto. ego hinc volo prid. KAL.

CICERO ATTICO, S.

26 DE Quinti negotio video à te omnia facta. ille tamen dolet, dubitans, utrum morem gerat Leptæ, an fidem [1] in-

---

1. *Qua cauſa ac quorſus eſt fœdum.*] Vulg. *quo caſu ut es, fœdum, &c.*] Ceterùm ut legatur, *caſui ſumus*, poſtulare ſententiam ait Manutiùs. Junius ex mſſ. Palatinis, *Genus illud interitus qua cauſa quorſus eſt.*

2. *Naxa.*] Vulg. *naſſa.*

3. *Sed acta miſſa. videamus quæ agenda ſint.*] Vulg. *ſed acta miſſa videamus, quæ agenda ſint.*

4. *Extricata.*] Libri vulgati *excitata.* Boſius è Cruſellino, *extricata;* Memmiani codices habent *explicata.* ut legendum conjecerat Manutius.

5. *Ecquem tu illo.*] Boſius, *ecquem*, ſcripſit ut erat in Cruſellino & Tornæſiano. vulg. *quem tu illo.*

6. *Nullas à te.*] Totam hanc periodum uſque ad finem, ſequenti epiſtolæ attexuit vulgata editio.

7. *Hic autem noſter Cytherius.*] Ita legit Junius; Victorius refert ſuum codicem habere, *Cicherius.*

8. *Utro erit, ſi bellum erit.*] Apertior Manutio ſententia ſi legatur, *cum utro erit*, cui aſſentitur Fulvius, cum vetere libro.

9. *Tabellarius.*] In vulgata editione hæc unam cum ſuperiore conſtituit epiſtolam.

10. *Quem ad Brutum.*] Sic Victorius è mſſ. codicibus, vulg. *quem ad eum.*

11. *Brutum H. IIII. profectum.*] Tornæſianus, HNIS, unde Lambinus ſequutus Corradi conjecturam probante Malaſpina legebat, *H. II.* ſed liquidò exaratum erat in Cruſellino *H. IIII.* hoc eſt, *hora quarta;* quam lectionem referre quoque videtur Tornæſ. ſi propiùs & attentius ejus ſcripturam ſpectes: Urſinus refert in lib. mſ. eſſe, *his*, ut fortaſſe, *Bajis* legendum ſit; quod & viderat Victorius; ſed poſtea, perſpicue in mſſ. Palat. duobus ſcriptum probavit Junius: vulg. *Brutum Puteolis profectum.*

12. *Ut ſi nihil offenſionis.*] *Ut*, Faërnus delebat.

13. *Et tu etiam ſcitè.*] Scripſit Boſius auctore Cruſellino, *& tu etiam ſcitè*, vulg. *& tuus etiam ſcribe.*

14. *Quo die olim piaclum.*] Ex perturbata hujus loci ſcriptura quidam myſteria neſcio quæ *Olympica* commenti ſunt, quæ nunquam fando audita fuerunt: germanam autem hujus loci lectionem Boſius ex Cruſellino reſtituit. vulg. *quo die Olympia xxxxx quum myſteria ſcilicet.* Urſinus arbitratur commodè reſtitui poſſe hoc modo, *& tu etiam ſcribe quo die Olympia, quo myſteria ſcilicet ut ſciam.* in vetere quodam libro ſcriptum eſt, *aveo etiam ſcire quo die Olympia.*

15. *Ut ut ſit res.*] Rectè Cruſellinus, *ut ut ſit res*, vulg. *ut tu ſcires*, quod corruptum videns Manutius, *ut tu ſcribis*, legendum conjiciebat.

16. *Eſt enim hiberna.*] Duo illa vocabula, *eſt enim*, quæ deſunt in vulg. ex Tornæſiano & Cruſellino reſtituit Boſius.

1. In-

[1] infirmet Silio. Inaudivi L. Piſonem velle exire legatum ψευδεγγράφῳ S.C. velim ſcire, quid ſit. Tabellarius ille, quem tibi dixeram à me ad Brutum eſſe miſſum in Anagninum, ad me venit ea nocte, quæ proxima ante Kal. fuit; litteraſque ad me attulit: in quibus unum alienum [2] ſumma ſua prudentia, [3] idem illud, ut ſpectem ludos ſuos. reſcripſi ſcilicet, primùm me jam profectum, ut non integrum ſit: dein, ἀπροσώπητον eſſe, me, qui Romam omnino poſt hæc arma non acceſſerim, neque id tam periculi mei cauſa fecerim, quàm *dignitatis*, ſubitò ad ludos venire. tali enim tempore ludos facere illi honeſtum eſt, [4] cui *neceſſe* eſt. ſpectare mihi ut non eſt neceſſe, [5] ſic ne honeſtum quidem eſt. equidem illos celebrari, & eſſe quam graviſſimos mirabiliter cupio: idque ita futurum eſſe confido: & tecum ago, ut jam ab ipſa commiſſione ad me, quemadmodum accipiantur; deinde omnino reliquorum dies ſingulos perſequare. ſed de ludis hactenus. Reliqua pars [6] epiſtolæ eſt illa quidem in utramque partem: ſed tamen nonnullos interdum jacit *igniculos* viriles: quod quale tibi videretur, ut poſſes interpretari, miſi ad te exemplum epiſtolæ. quamquam mihi tabellarius noſter dixerat, tibi quoque ſe attuliſſe litteras à Bruto, [7] eaſque ad te è Tuſculano eſſe delatas. Ego itinera ſic compoſueram, ut Nonis Quint. Puteolis eſſem. valde enim feſtino; ita tamen, ut, quantum homo poſſit, quam cautiſſimè navigem. M. Ælium cura liberabis: [8] is me paucos ſpecus in extremo fundo, & eos quidem ſubterraneos, *ſervitutis* [9] à puteali quid habituros: id me jam jam nolle, neque mihi quidquam eſſe tanti; ſed, ut mihi dicebas, quam leniſſimè; potiùs ut cura liberetur, quàm ut me ſuccenſere aliquid ſuſpicetur. Idem [10] de illo Tulliano capite liberè cum Caſcelio loquare. parva res eſt: ſed tu bene attendiſti: nimis callidè agebatur. ego autem, ſi mihi impoſuiſſet aliquid, quod pæne fecit, niſi tua malitia affuiſſet, animo iniquo tuliſſem. itaque; [11] ut ut erit, rem impediri malo. [12] Octavam partem tuli luminarium in ædium ἄθυρα. Ne memineris cui Cærellia. Videris mancipio dare ad eam ſummam, quæ ſub præcone fuit maxima: id opinor eſſe CCC LXXX. Novi ſi quid erit, atque etiam ſi quid proſpicies, quod futurum putes, ſcribas ad me quam ſæpiſſimè velim. Varroni, quemadmodum tibi mandavi, memineris excuſare tarditatem litterarum mearum. [13] Mundus is. Tu M. Ennius quid egerit de teſtamento (curioſus enim) facias me velim certiorem. Ex Arpinati, VI. NON.

CICERO ATTICO, S. 27

GAUDEO id te mihi ſuadere, quod ego mea *ſponte* pridie feceram. nam cùm ad te VI. Nonas darem, eidem tabellario dedi etiam ad Seſtium, ſcriptas πάνυ φιλοστόργως. Ille autem, quòd Puteolos proſequitur, humane; quòd queritur, injuſtè. non enim ego tam illum exſpectare, cum de Coſano rediret, debui, quàm ille aut non ire ante, quàm me vidiſſet, aut citiùs reverti. ſciebat enim me celeriter velle proficiſci, ſeſeque ad me in Tuſculanum ſcripſerat eſſe venturum. Te, ut à me diſceſſeris, *lacrimaſſe*, moleſtè ferebam. quod ſi me præſente feciſſes, conſilium totius itineris fortaſſe mutaſſem. ſed illud præclarè, quòd te conſolata eſt ſpes brevi tempore congrediendi: quæ quidem exſpectatio me maximè ſuſtentat. meæ tibi litteræ non deerunt. De Bruto, ſcribam ad te omnia. Librum tibi celeriter [14] mittam *de gloria*. excudam aliquid Ἡρακλείδειον, quod lateat in theſauris tuis. De Planco, memini. Attica jure queritur. Quòd me de Bacchi, de ſtatuarum coronis certiorem feciſti, valde gratum: nec quidquam poſt hac non modo tantum, ſed ne tantulum quidem prætereris. Et de Herode & [15] Mettio meminero, & de omnibus, quæ te velle [16] ſuſpicabor modò [17] ô turpem ſororis tuæ filium, cùm hæc ſcriberem. adventabat autem βουλυτῷ cenantibus nobis.

CICERO ATTICO, S. 28

EGO, ut ad te pridie ſcripſeram, Nonis conſtitueram venire in Tuſculanum. ibi igitur quotidie tuas litteras exſpectabo, & maximè de ludis; de quibus etiam ad Brutum tibi ſcribendum eſt. cujus epiſtolæ, quam interpretari ipſe vix poteram, exemplum pridie tibi miſeram. Atticæ meæ velim me ita excuſes, ut omnem culpam in te transferas, & ei tamen confirmes, [18] me minimè *totum amorem* eo mecum attuliſſe.

CICERO ATTICO, S. 29

BRUTI ad te epiſtolam miſi. dii boni, quanta ἀμηχανίας! cognoſces, cùm legeris. De celebratione [19] ludorum Bruti, tibi aſſentior. Ad M. Ælium nullus tu quidem domum

1. *Infirmet Silio. Inaudivi L. Piſonem velle exire legatum ψευδεγγράφῳ.*] Ex inquinata Cruſellini ſcriptura lectionem hanc eruit Boſius, in illo enim legebatur, *inaudibili Piſonem*; unde conjecit, *inaudivi L. Piſonem*: mſſ. autem cum excuſis conveniebat, qui ſic referunt, *infirmet Silio. Mandibili L. Piſonem vellem exire legatum ψευδεγγράφῳ S. C. &c.* Corradus ex mſ. in quo erat, *filio inaudibili*, legendum putabat *filio amabili*. alii, *filio inamabili*.

2. *Summa ſua prudentia.*] *Sua*, pro, *tua*, quod priùs legebatur ex vett. mſſ. emendavit Victorius.

3. *Idem illud, ut ſpectem, &c.*] *Idem illud*, deeſt in vulgatis.

4. *Cui neceſſe eſt. Spectare mihi ut non.*] Vulg. *cui non neceſſe eſt ſpectare: mihi ut non eſt.* Petrus Faber lib. II. Semeſtrium cap. 25. emendat, *Ludos ſpectare ei honeſtum eſt, cui neceſſe eſt facere.*

5. *Sic ne honeſtum quidem eſt.*] Sic edendum curavit Lambinus ex mſſ. cum vulgati omnes habeant, *ſic nec honeſtum eſt.*

6. *Epiſtolæ eſt illa quidem in utramque partem.*] Hic integriores ſunt, Tornæſianus & Cruſellinus quos ſequutus eſt Boſius quàm excuſi; ita enim hæc referunt, *reliqua pars epiſtolæ eſt illa quidem in utramque partem. ſed tamen nonnullos, &c.* vulgati ſic, *reliqua pars epiſtolæ, illa namque in utramque. ſed tamen, &c.*

7. *Eaſque ad te è Tuſc.*] Vulg. *eaſque à Tuſc.*

8. *Is me paucos ſpecus.*] Vulg. *cura libera. ei ſine paucos ſpecus*; quæ eſt Victorii emendatio, cùm prius legeretur, *M. Ælium cura libera vis me pauca ſpe, &c.* Sed Boſius veram lectionem ſequutus, quam è Cruſellino expreſſit, edebat, *M. Ælium cura liberabis: is ſine paucos ſpecus, &c.* quod tamen prius viderant Corradus & Lambinus.

9. *A puteali quid habituros.*] In Tornæſiano erat, *apud tale*: in Cruſellino, *apud talis*: ſcripſit Boſius *à puteali*; vulg. *apud Talnæ.*

10. *De illo Tulliano.*] Cruſellinus codex, *idem de illo Tulliano cupide libere cum Caſcellio loquare*; reponendum putavit Boſius, *Idem de illo Tulliano capite liberè cum Caſcellio loquare*, vulg. *Tulliano, cupidè libero. cum Caſcellio, &c.*

11. *Ut ut erit.*] Vulg. *ut erit.*

12. *Octavam partem.*] Exemplum hoc eſt ſcripturæ Cruſellinæ, *Octavam partem tuli luminarium in ædium aſtira*: vocem *aſtira* mendoſam putavit Boſius & mutandam in ἄθυρα, cetera rectè. Fulvius in libro viri doctiſſimi vidit hunc locum ita in margine emendatum, *Octavam partem Tullianarum ædium abſtrahere memineris.* Lamb. *Octavam partem Tullianarum ædium ad Strenæ, &c.* refertque hanc Corradi lectionem, *Octavam partem tolli luminarium ædium ad Strenæ memineris, &c.* Junius ex mſſ. Palat. ſic oportere legi aſſerit, *Octavam partem tolli luminarium in ædium adſtranea*: vulg. *Octavam partem Tullii luminarium in ædium adſtrane memineris. Cui Cerelia videris, &c.* Varias præterea emendationes hujus loci vide apud Criticorum omnium fautorem eximium Andr. Scottum, ad lib. V. Tuſculan. quæſt.

13. *Mundus is.*] Corruptè ante Boſii editionem hîc legebatur, *Mundus iſtum. M. Ennius quid egerit de Teſtamento, curioſius facias me velim certiorem.* ſed auctore Cruſellino ſic emendavit; *Mundus is. Tu, M. Ennius quid egerit de Teſtamento (curioſus enim) facias me velim certiorem.* Junius ex duobus mſſ. Palat. legit, *tarditatem literarum mearum & modum iſtum. M. Ennius, &c.* eamque lectionem omnibus anteponit.

14. *Mittam de gloria.*] Vulg. *mittam. De gloria.*

15. *Mettio.*] Vulg. *Metio.*

16. *Suſpicabor.*] Edidit Boſius ex Tornæſiano & Cruſellino, *ſuſpicabor.*

17. *O turpem.*] Addidit Boſius exclamandi particulam, *ô*, ex antiquis ſuis; vulg. *modò turpem.*

18. *Me minimè totum amorem eò mecum attuliſſe.*] Vulg. *abſtuliſſe*: Sed aliter prorſus legit Junius, partim conjectura, partim ex mſſ. *me intimo totam amore meo mecum abſtuliſſe*; hancque ait eſſe germanam lectionem.

19. *Ludorum Bruti.*] Reſtituit ex Tornæſ. & Cruſellino Boſius vocem, *Bruti*, quæ hinc per ſummam injuriam pulſa fuerat.

1. *M. Axia-*

domum, ſed ſicubi inciderit. De Tulliano ſemiſſe. [1] M. Axianum adhibebis, ut ſcribis. Quod cum Coſiano egiſti, optime. Quod non ſolùm mea, verùm etiam tua expedis, gratum. Legationem probari meam gaudeo. [2] Quod promittis, dii faxint. quid enim mihi meis *jucundius*? ſed iſtam, quam tu excipis, metuo. Brutum cùm convenero, perſcribam omnia. De Planco, & Decimo, ſanè velim. Sextum *ſcutum* [3] *abjicere* nolebam. De Mundo, ſi quid ſcies. Reſcripſi [4] ad omnia tua. nunc noſtra accipe. Quintus filius uſque Puteolos: mirus civis, ut tu Favonium, Aſinium dicas: & quidem duas ob cauſas, & ut mecum; & συνεπολιτεύσηται vult cum Bruto, & Caſſio. Sed tu quid ais? ſcio enim te familiarem eſſe Othonum. ait hic ſibi Juliam. [5] ferè conſtitutum enim eſſe diſcidium. quæſivit ex me pater, qualis eſſet fama. dixi, nihil ſanè me audiſſe (neſciebam enim cur quæreret) niſi de ore, & patre. [6] ſed quorſus, inquam? at ille, filium velle. tum ego, [7] etſi ἐβδελυττόμην, tamen [8] negavi putare me illa eſſe vera: σκοπὸς [9] (hoc eſt enim) huic noſtro nihil præbere. illa autem [10] οὐ πειρᾷ τοῦτον. ego tamen ſuſpicor hunc, ut ſolet [11] *allucinari*. ſed velim quæras (facile autem potes) & me certiorem. Obſecro te, quid eſt hoc? [12] Signata jam epiſtola, Formiani, qui apud me cenabant, Plancum ſe ajebant, hunc Buthrotium, pridie, quàm hoc ſcribebam, id eſt III. Nonas [13] vidiſſe demiſſum ſine phaleris: ſervulos autem dicere, eum, & agripetas ejectos à Buthrotiis. macte. ſed amabo te, perſcribe mihi totum negotium.

1. *M. Axianum.*] Legit Boſius *M. Axianum*, ut eſt in vulgatis & Cruſellino. nam Victorius *Maxianum* legit.

2. *Quod promittis dii faxint.*] Junius ex mſſ. *Quod promittis diſ-ſerte ſunt.*

3. *Abjicere nolebam. De mundo.*] Vox illa, *nolebam*, deeſt in vulgatis, quam tamen ex fide Tornæſ. & Cruſellini addidit Boſius.

4. *Ad omnia tua.*] Perſpicue Tornæſ. & Cruſell. *ad omnia tua*, ut edidit Boſius: *tua*, deeſt in vulg.

5. *Ferè conſtitutum enim.*] Antea hîc legebatur *ferre*, cujus loco auctore Cruſellino, Boſius repoſuit *fere*.

6. *Sed quorſus inquam.*] Manutius cum in antiquis libris ſcriptum videret; *curſus*, adductus eſt in eam opinionem ut credat veterem & germanam lectionem fuiſſe, *cur tu*, cum tamen Boſius dicat eum conjeciſſe, *quorſus*, ut poſtea edidit ex Decurtato; Fulvii vetus liber, *ſed quorſum inquam.*

7. *Et ſi ἐβδελυττόμην.*] Sic concepta ſunt hæc verba in Tornæſiano & Cruſellino.

8. *Hoc eſt enim.*] Hæ tres voces, auctore Boſio, includendæ ſunt παρενθέσει.

9. *Negavi putare me illa eſſe vera.*] Vulg. *negavi. putavi illa eſſe vera*; itaque non injuria mendum latere ſuſpicabatur Manutius partim ex obſcuritate ſententiæ, deinde ex antiquorum librorum varietate. Beſſarionis exemplar pro, *putavi illa*, habet, *Fabubulla*: aliud Bizantio advectum, *Pubabulla*, aliud denique, *putavi illa*.

10. Οὐ πειρᾷ τοῦτον.] Veteres libri οὐ παρὰ τοῦτον. emendavit Boſius οὐ πειρᾷ τοῦτον. vulg. οὐ παρὰ τοῦτο.

11. *Allucinari.*] *Alucinari* legit Junius ex mſſ. Palat.

12. *Signata jam.*] Vulg. *obſignata*.

13. *Vidiſſe demiſſum ſine Phaleris.*] Boſii mſſ. *vidiſſe*, ut excudi juſſit: vulg. *dimiſſum ſine phaleris*.

M. TULLII CICERONIS

EPISTOLARUM

LIBER DECIMUS SEXTUS,

AD

ATTICUM.

1

CICERO ATTICO, S.

NONIS Quint. veni [1] in Puteolanum. poſtridie iens ad Brutum in Neſidem hæc ſcripſi. ſed eo die, quo veneram, cenanti Eros tuas litteras. [2] Itane? Nonis Juliis? [3] Dii hercule iſtis. ſed ſtomachari totum diem licet. quidquamne turpius [4] quàm Bruto, *Juliis*? redeo ad meum igitur, [5] ἔπι ἐῶμεν? nihil vidi. Sed quid eſt quæſo, quod agripetas Buthroti conciſos audio? quid autem Plancus tam curſim [6] (ita enim audiebam) diem, & noctem? ſanè cupio ſcire quid ſit. Meam profectionem laudari gaudeo. [7] Dymæos, agro pulſos, mare infeſtum habere, nil mirum. videndum eſt, ut manſio laudetur. [8] ἐν ὁμοπλοίᾳ Bruti videtur aliquid præſidii eſſe. ſed, opinor, minuta navigia, ſed jam ſciam, & ad te cras. De Ventidio, πανικὸν puto. De Sexto, pro certo habebatur; [9] haud arma. quod ſi verum eſt, [10] ſine bello civili video *ſerviendum*. quid ergo? Kal. Jan. in Panſa ſpes? λῆρος πολὺς, in vino, & in ſomno iſtorum. [11] De CCX, optimè Ciceronis rationes explicentur. [12] Ovius enim recens: is multa, quæ vellem: in his ne

1. IN *Puteolanum poſtridie iens ad Brutum in Neſidem.*] Ex Tornæſ. & Decurtato hæc ſunt; à vulgatis adverbium, *poſtridie*, abeſt & pro, *Neſidem*. legitur, *Neſide*.

2. *Itane? Nonis Juliis?*] Sic emendavit Victorius, ante quem excuſi fermè omnes habebant, *itane nobis Juliis*; idem Ant. Auguſtinum feciſſe ait Urſinus.

3. *Dii hercule iſtis.*] Ita legendum ex Cruſellino: ut conjecerat d. cap. 19. Lipſius. vulg. *mehercule iſtis*.

4. *Quam Bruto, Juliis?*] Sic legendum docet Lambinus, vulgò, *quam Bruto nil, &c.*

5. Ἔτι ἐῶμεν.] Veteres codices Victorii, Lambini & Boſii, ἐτεῶμεν habent, ex quibus hoc factum. Lambinus legit, θεῶμεν, vel, ἔτ' ἐῶμεν, ſive, ἐῶμεν, ſimpliciter. Vulgatam lectionem, ἔλθωμεν, cum mſſ. Palat. ſervat Junius. Videatur & Turneb. lib. XXIII. Adverſar. cap. 29.

6. *Ita enim audiebam.*] Ita ex conjectura reſtituit Manutius, cùm animadvertiſſet Beſſarionis codicem pro vulgato, *meditabar*, habere, *mediabam*.

7. *Dymæos agro pulſos.*] Locum hunc veterum codicum auxilio correxit Victorius. prius legebatur, *Diemachos agro pulſos*. Junius hoc totum ſic diſtinguit ex mſ. uno, *Dym. agro p. m. i. habere. nimirum videndum eſt, &c.*

8. Ἐν ὁμοπλοίᾳ *Bruti.*] Lectio hæc eſt veterum librorum, teſte Victorio: antea ferebatur, Ἐνωμοτίᾳ *Bruti, &c.*

9. *Haud arma.*] Ex Cruſellino eſt, vulgo, *ad arma*.

10. *Sine bello civili.*] Manutius ex conjectura, & Urſinus ex mſ. legunt, *non ſine bello civili*.

11. *De CCX.*] Ita Cruſell. Tornæſ. verò ita refert, *de CCCX.*

12. *Ovius enim recens: is multa.*] Sic Turnebus d. cap. 29. ſicque item deinde Lambinus ex Tornæſ. emendavit: quam lectionem etiam edidit Cruſell. Urſinus ait mſ. unum habere, *obvius*, pro, *Ovius*: vulgati habent, *Ovius enim recenſent multa*.

1. In

ne hoc quidem malum, [1] in mandatis ſat abundè: H-S LXXII. ſatis eſſe, affatim prorſus; ſed Xenonem perexiguè, & [2] γλίσχρως præbere, id eſt minutatim. quo plus permutaſti, quàm ad fructum inſularum, id ille annus habeat, in quem itineris ſumtus acceſſit. hinc ex Kal. April. ad H-S LXXX accommodetur. nunc enim inſulæ tantum. videndum enim eſt, quid, cùm Romæ erit. non enim puto ſocrum illam ferendam. Pindaro [3] Decumano negaram. Nunc, cujus rei cauſa tabellarium miſerim, accipe. Q. filius mihi pollicetur ſe Catonem. egit autem & pater, & filius, ut tibi reſponderem: ſed ita, ut tum crederes, cùm ipſe [4] cognoſces. huic ego litteras ipſius arbitratu dabo. eæ te ne moverint. has ſcripſi in eam partem, ne me motum putares. dii faxint, ut faciat ea, *quæ promittit*. commune enim gaudium. ſed ego nihil dico amplius. is hinc VII. Idus. ait enim attributionem in Idus, ſe autem urgeri acriter. tu ex meis litteris, quo modo reſpondeas, [5] moderabere. Plura, cùm & Brutum videro; & Erotem remittam. Atticæ meæ excuſationem accipio, eamque amo plurimum: cui, & Piliæ ſalutem.

2 CICERO ATTICO, S.

VI. Idus duas epiſtolas accepi, unam à meo tabellario, [6] alteram à Bruti. De Buthrotiis longè alia fama in his locis fuerat: ſed cum aliis multis hoc ferendum. Erotem remiſi citiùs, quàm conſtitueram, [7] ut eſſet qui Hortenſio: & quia Equiribus quidem ait ſe Idibus conſtituiſſe. Hortenſius verò impudenter. nihil enim debetur ei, niſi ex tertia penſione, quæ eſt KAL. Sext. ex qua penſione ipſa major pars eſt ei ſoluta aliquanto ante diem. ſed hæc Eros videbit Idibus. De Publilio autem, quod perſcribi oportet, moram non puto eſſe faciendam. ſed cùm videas, quantum de jure noſtro deceſſerimus, qui de reſiduis [8] CCCC H-S, CC præſentia ſolverimus, reliqua [9] reſcribamus; [10] loqui cum eo, ſi videbitur, poteris, eum *commodum* noſtrum exſpectare debere, cùm tanta ſit à nobis jactura facta juris. Sed amabo te, mi Attice (videſne quam blandè?) omnia noſtra, quoad eris Romæ, ita gerito, regito, gubernato, ut nihil à me exſpectes. quamquam enim reliqua ſatis apta ſunt ad ſolvendum; tamen fit ſæpe, ut ii, qui debent, non reſpondeant *ad tempus*. ſi quid ejuſmodi acciderit, ne quid tibi ſit fama mea potius. non modò verſura, verum etiam venditione, ſi ita res coget nos vindicabis. Bruto tuæ litteræ gratæ erant. fui enim apud illum multas horas in Neſide, cùm paullo ante tuas litteras accepiſſem. delectari mihi Tereo videbatur, & habere majorem Accio, quàm Antonio, gratiam. mihi autem [11] quo lætiora ſunt eo plus ſtomachi & moleſtiæ eſt, populum Romanum *manus* ſuas non in defendenda Rep. [12] ſed in plaudendo conſumere. mihi quidem videntur iſtorum animi incendi etiam ad repræſentandam improbitatem ſuam. ſed tamen, dum modò doleant aliquid, doleant quidlibet. Conſilium meum quòd ais quotidie magis laudari; non moleſtè fero; exſpectabamque, ſi quid de eo ad me ſcriberes. ego enim in varios ſermones incidebam. quin etiam idcirco trahebam, ut quam diutiſſimè integrum eſſet. [13] ſed quoniam *furcilla* extrudimur, Brundiſium cogito. facilior enim & exploratior devitatio legionum fore videtur, quàm piratarum, qui apparere dicuntur. Seſtius VI. Idus exſpectabatur, ſed non venerat, quod ſciam. Caſſius cum claſſicula ſua venerat. ego, cùm eum vidiſſem [14] V. Kal. in Pompejanum cogitabam, inde [15] Herculanium. noſti reliqua. De Tutia ita putaram. [16] De Æbutio, non credo: nec tamen curo plus, quàm tu. Planco, & Oppio ſcripſi equidem, quoniam rogaras: ſed, ſi tibi videbitur, ne neceſſe habueris reddere. cùm enim tua cauſa fecerint omnia; vereor, ne meas litteras ſupervacaneas arbitrentur. Oppio quidem utique: quem tibi amiciſſimum cognovi. [17] verùm, ut voles. Tu, quoniam ſcribis hiematurum te in Epiro, feceris mihi gratum, ſi ante eò veneris, quàm mihi in Italiam te auctore [18] veniendum ſit. litteras ad me quam ſæpiſſimè, [19] ſi de rebus minus neceſſariis aliquem nactus; ſin autem erit quid majus, domo mittito. Ἡρακλείδειον, [20] ſi Brundiſium ſalvi, adoriemur. *de gloria* miſi tibi. cuſtodies igitur, ut ſoles: (ſed notentur eclogarii) quos Salvius, bonos auditores nactus, in convivio duntaxat legat. mihi valde placent: mallem tibi. Etiam atque etiam vale.

CICERO ATTICO, S. 3

TU vero ſapienter. nunc demum enim reſcribo his litteris, quas mihi miſiſti, convento Antonio Tiburi. ſapienter igitur, quòd manus dediſti, quodque etiam ultro gratias egiſti. certè enim, ut ſcribis, deſeremur potius à Rep. quàm à re familiari. [21] quod verò ſcribis te [22] magis & magis delectari, [23] ô *TITE SI QUID EGO*: addis mihi ſcribendi alacritatem. Quod Erotem non ſine munuſculo [24] exſpectare dicis; gaudeo non feſelliſſe eam rem opinionem tuam: ſed tamen idem σύνταγμα miſi ad te retractatiùs, & quidem ἀρχέτυπον ipſum, crebris locis inculcatum & refectum. hunc tu tralatum in macrocolum [25] lege arcanò convivis tuis: ſed, ſi me amas, *hilaris, & bene acceptis*; ne in me ſtomachum erumpant, cùm ſint tibi irati. De Cicerone, velim ita ſit; ut audimus. De Xenone, coram cognoſcam: quamquam nihil ab eo arbitror neque indiligenter,

1. *In mandatis ſat abunde.*] Hoc totum, *in mandatis ſat abundè*, ſive ut habet Tornæſ. *ſit abunde*, delendum cenſet Lambinus, ut alienum & ſuppoſitum.

2. *Et γλισχρῶς præbere id eſt minutatim.*] Ita Victorius cum Germanis emendavit; quidam pro, γλισχρῶς, repoſuerunt κατὰ μικρὸν. Ceterùm Manutius putat hæc verba, *id eſt, minutatim, vel, minutatimque* ut eſt in vulgatis, eſſe gloſſema.

3. *Decumano.*] Vulg. *De Cumana.*

4. *Cognoſſes.*] Vulg. *cognoſces.*

5. *Moderabere.*] Vulg. *meditabere.*

6. *Alteram à Bruti.*] Ita ex Cruſell. legendum: præpoſitio, *à* deeſt in vulgatis.

7. *Ut eſſet qui Hortenſio: & quia Equiribus.*] Boſius hæc ex Tornæſ. & Cruſell. vulgò, *ut eſſet cum Hortenſio: & quia equitibus.* Junius ex conjectura & judicio ſuo ſe ſic reſtituiſſe gloriatur, *ut eſſet qui Hortenſio & coheredibus.*

8. *CCCC.*] Vulg. *CCC.*

9. *Reſcribamus.*] Vulg. *præſcribamus.*

10. *Loqui cum eo, ſi videbitur, poteris.*] Sic Victorius, proximè veterem ſcripturam. prius legebatur, *loco quidem meo ſi tibi videbitur poteris.*

11. *Quo lætiora ſunt.*] Vulg. *qua lætiora ſunt.*

12. *Sed in plaudendo conſumere.*] Ita Germani, Lambinus & Boſius ex mſ. ſuis ediderunt: Victorius tamen mavult vulgatam, *laudando*, quia illud in multis ſuis codicibus reperiri ait.

13. *Sed quoniam furcilla extrudimur.*] Lambinus primus ita ex Tornæſ. emendavit, ſic etiam legitur in Cruſell. vulgatum illud, *quoniam Euro villa extrudimur*, eſt Victorii conjectura. mſſ. codices habent, *furo illa*, vel, *furore illo.*

14. *V. Kal.*] Potius legendum videretur Manutio, *V. Idus*: repugnantibus tamen antiquis libris, nihil mutat.

15. *Herculanium.*] Ita conjecerat Manutius: vulg. *Aculanum.*

16. *De Æbutio.*] Eſt à Tornæſ. & Cruſell. exciti codices, *De C. Metio.*

17. *Verum, ut voles. Tu.*] Aliter vulgò diſtinguitur, *ut voles tu. Quoniam, &c.*

18. *Veniendum ſit.*] Vulg. *veniendum eſt.*

19. *Si de rebus.*] Repoſuit ita ex Tornæſ. & Cruſell. Boſius. alii, *ſed de rebus.*

20. *Si Brundiſium ſalvi.*] A vulgatis abeſt particula, *ſi.*

21. *Quod verò ſcribis.*] Ante Victorium legebatur, *quod verò ſine munuſculo ſcribis.* ille duas illas voces, *ſine munuſculo*, utpote ſpurias ejecit.

22. *Te magis & magis delectari.*] Auctor Boſio fuit Cruſellinus, ut ita ederet: vulg. *te magis delectari.*

23. *O Tite ſi quid ego.*] Primum Victorius pro, *otie*, repoſuit, *ô Tite*, deinde Manutius pro, *ſi quid agis*, vel, *ſi quid ages*, reſcripſit *ſi quid ego.* Editio Lambini habet, *ô Tite ſi quid ego, ſi quid agis, addis mihi, &c.* probatior Victorii codex non habet vocem, *addis.* Conſulatur & Turnebus lib. XXIII. cap. 29.

24. *Exſpectare.*] Vulg. *exſpectare te dicis.*

25. *Lege arcanò convivis tuis.*] Ita Carilius pridem legendum eſſe docuit, & lectio hæc confirmatur auctore mſſ. Beſſarionis & Tornæſii. Lambinus mavult vulgatum, *in Arcano.*

1. *De*

genter, neque illiberaliter. [1] De Herode, faciam, ut mandas. & ea, quæ ſcribis, ex Sauſejo,& è Xenone cognoſcam. De Q. filio, gaudeo tibi meas litteras prius à tabellario meo, quàm ab ipſo, redditas: [2] quamquam te nihil fefelliſſet. verumtamen. ſed exſpecto, quid ille tecum, quid tu viciſſim: nec dubito, quin ſuo more uterque. ſed eas litteras Curium mihi ſpero redditurum: qui quidem, etſi per ſe eſt amabilis, à meque diligitur; tamen accedit magnus cumulus commendationis tuæ. Litteris tuis ſatis reſponſum eſt. nunc audi quod, etſi intelligo ſcribi neceſſe non eſſe, ſcribo tamen. Multa me movent in diſceſſu, in primis mehercule, quòd dijungor à te. movet etiam navigationis labor, alienus non ab *ætate* ſolùm noſtra, verum etiam à dignitate; tempuſque diſceſſus *ſubabſurdum*. [3] relinquimus enim pacem, ut ad bellum revertamur; quodque temporis in prædiolis noſtris, & bellè ædificatis, & ſatis amœnis conſumi potuit, in peregrinatione conſumimus. conſolantur hæc. aut proderimus aliquid Ciceroni: aut, quantum profici poſſit, judicabimus. deinde tu jam, ut ſpero, & ut promittis, aderis. quod quidem ſi acciderit, omnia nobis erunt meliora. Maximè autem me angit ratio reliquorum meorum: quæ quamquam explicata ſunt: tamen quòd & Dolabellæ nomen in iis eſt, [4] & attributione mihi nomina ignota, conturbor: nec me ulla res magis angit ex omnibus. itaque non mihi videor erraſſe, quod ad Balbum ſcripſi apertiùs, ut, ſi quid tale accidiſſet, ut non concurrerent nomina, ſubveniret; meque tibi etiam mandaſſe, ut, ſi quid ejuſmodi accidiſſet, cum eo communicares: quod facies, ſi tibi videbitur, eoque magis, ſi proficiſceris in Epirum. Hæc ego conſcendens è Pompejano tribus actuariolis, decem ſcalmis. Brutus erat in Neſide etiam nunc, Neapoli Caſſius. Ecquid amas Dejotarum, & non amas [5] Hieram? qui, ut Bleſamius venit ad me; cùm ei præſcriptum eſſet ne quid ſine [6] Sexti noſtri ſententia ageret; neque ad illum, neque ad quemquam noſtrum retulit. Atticam noſtram [7] cupio abſentem *ſuaviari:* ita mihi dulcis ſalus viſa eſt, per te miſſa ab illa. referes igitur ei plurimam. itemque Piliæ dicas velim.

4 CICERO ATTICO, S.

ITA ut heri tibi narravi, vel fortaſſe hodie (Quintus enim altero die ſe ajebat) in Neſida VIII. Idus. ibi Brutus. quàm ille doluit de Nonis Juliis. mirificè eſt conturbatus. itaque ſeſe ſcripturum ajebat, ut venationem etiam quæ poſtridie ludos Apollinares futura eſt, proſcriberent, III. ID. QUINT. Libo intervenit. is Philonem, Pompeji libertum, & Hilarum [8] ſuum libertum veniſſe à Sexto cum litteris ad Conſules, ſive quo alio nomine ſunt. earum exemplum nobis legit. [9] dixi quid videretur: pauca παρὰ λέξιν: ceteroqui & ſatis graviter, & non contumaciter. tantum addi placuit, quod erat, coss. ſolùm, ut eſſet, *PRÆTT. TRIBB. PLEB. SENATUI*; ne illi non proferrent eas, [10] quæ ad ipſos miſſæ eſſent. Sextum autem [11] nuntiant cum una ſolùm legione fuiſſe Kartagine: eique eo ipſo die, quo [12] oppidum Boream cepiſſet, [13] nuntiatum eſſe de Cæſare: capto oppido, miram lætitiam, *commutationemque animorum*, concurſumque undique: ſed illum ad ſex legiones, quas in ulteriore reliquiſſet, reverti ſſe. ad ipſum autem Libonem ſcripſit, nihil eſſe, niſi ad larem ſuum liceret. ſumma poſtulatorum, ut omnes exercitus dimittantur, qui ubique ſint. Hæc fere de Sexto. De Buthrotiis undique quærens, nihil reperiebam. alii, conciſos agripetas; alii, Plancum, *acceptu nummu*, relictis illis, aufugiſſe. itaque non video ſciturum me, quid ejus ſit, ni ſtatim aliquid litterarum. Iter illud Brundiſium, de quo dubitabam, ſublatum videtur. legiones enim adventare dicuntur; hæc autem navigatio habet quaſdam ſuſpiciones periculi. itaque conſtituebam uti ὁμοπλοίᾳ. paratiorem offendi Brutum, quàm audiebam. nam & ipſe Domitius bona plane habet dicrota: ſuntque navigia præterea luculenta Seſtii, Buciliani, ceterorum. nam Caſſii claſſem, quæ planè bella eſt, non numero ultra fretum. illud eſt mihi ſubmoleſtum, quòd parum Brutus *properare* videtur. primum confectorum ludorum nuntios exſpectat: deinde, quantum intelligo, tardè eſt navigaturus, conſiſtens in locis pluribus: tamen arbitror eſſe COMMODIUS tardè navigare, quam omnino non navigare: etſi, cùm proceſſerimus, exploratiora videbuntur; [14] Eteſiis utemur.

CICERO ATTICO, S. 5

TUAS jam litteras Brutus exſpectabat: cui quidem ego non novum attuleram de Tereo [15] Attii. ille Brutum putabat. ſed tamen rumoris neſcio quid afflaverat, commiſſione Græcorum, frequentiam non fuiſſe: [16] quod quidem me minime fefellit. ſcis enim, quid ego de Græcis ludis exiſtimem, nunc audi quod pluris eſt, quàm omnia. Quintus fuit mecum dies complures: &, ſi ego cuperem, ille vel plureis fuiſſet: ſed, quantum fuit, incredibile eſt, quam me in omni genere delectarit: in eoque maximè, in quo minimè ſatisfaciebat. ſic enim [17] commutatus eſt totus & ſcriptis meis quibuſdam, quæ in manibus habebam, & aſſiduitate orationis, & præceptis, ut tali animo in Remp. quali nos volumus, futurus ſit. hoc cùm mihi non modò confirmaſſet, ſed etiam perſuaſiſſet, egit mecum accuratè multis verbis, tibi ut ſponderem, ſe dignum & te, & nobis futurum; neque ſe poſtulare, ut ſtatim crederes: ſed, cùm ipſe *perſpexiſſes*, tum ut ſe amares. quòd niſi fidem mihi feciſſet, judicaſſemque hoc, quod dico, firmum fore; non feciſſem id, quod dicturus ſum. duxi enim mecum adoleſcentem ad Brutum. ſic ei probatum eſt, quod ad te ſcribo, ut ipſe crediderit; me ſponſorem accipere noluerit: eumque laudans amiciſſimè mentionem tui fecerit: complexus, oſculatuſque dimiſerit. quamobrem etſi magis eſt, quod gratuler tibi, quàm quod te rogem, tamen etiam rogo, ut, ſi quæ minùs antea propter *infirmitatem* ætatis conſtanter ab eo fieri videbantur, ea judices illum abjeciſſe; mihique credas, multùm allaturam, vel plurimùm potiùs, ad illius judicium confirmandum, auctoritatem tuam. [18] Bruto cùm ſæpe injeciſſem de ὁμοπλοίᾳ, non perinde, atque ego putaram, [19] arripere viſus eſt. exiſtimabam μετεωρότερον eſſe: & hercule erat, & maximè de ludis. at mihi, cùm ad villam rediſſem, Cn. Luccejus, qui multum utitur Bruto, narravit, illum valde

1. *De Herode.*] Vulg. *de Herote.*

2. *Quamquam te mihi fefelliſſet. verumtamen. ſed exſpecto.*] Ita reſtituit Victorius: antea aberat particula, *ſed*; & legebatur *verumtamen exſpecto.*

3. *Relinquimus.*] Vulg. *relinquemus.*

4. *Et attributione mihi nomina ignota.*] Hæc eſt veterum librorum lectio. Manutius & alii quidam legunt, *& attributio eſt mihi nominum ignota.*

5. *Hieram.*] Manutius & Victorius ita conjiciunt, mutare tamen non audent; mſſ. & vulgati codices habent, *Eram.*

6. *Sexti.*] Vulg. *Seſtii.*

7. *Cupio abſentem ſuaviari.*] Ex fide Tornæſ. & Cruſell. vocabulum, *abſentem*, addidit Boſius, quum id à vulgatis abeſſet.

8. *Suum libertum veniſſe.*] A vulgatis abeſt vox, *libertum.*

9. *Dixi quid videretur.*] Ita erat in Tornæſ. & Cruſell. vulgo, *ſi quid videretur.*

10. *Quæ ad ipſos miſſæ.*] Vulg. *quæ ad ſeipſos.*

11. *Nuntiant.*] Vulg. *nuntiavit.*

12. *Oppidum Boream.*] *Boreum*, vel, *Borium*, legendum eſſe ait Junius.

13. *Nuntiatum eſſe.*] Vulg. *nuntiatum eſt.*

14. *Eteſiis utemur.*] Mſſ. *& eſtis*, unde rectè Corradus & Lambinus, repoſuerunt, *Eteſiis*. Victorius legebat, *& tectis utemur*, quod vulg. receptum. tuetur quod illud *Eteſiis* Dauſquejus, tanquam omnino poſtulet temporis ratio.

15. *Attii.*] Vulg. *Accii.*

16. *Quo quidem me.*] Boſii omnes codd. ſic habent, vulgati *quæ quidem.*

17. *Commutatus eſt*] Vulg. *communicatus eſt.*

18. *Bruto cum ſæpe injeciſſem de ὁμοπλοίᾳ.*] Victorius ſic reſtituit ex antiquis libris. Ante eum excuſi, *ſpem*, habebant.

19. *Arripere.*] Ita Victorius emendavit; prius *accipere.*

1. Ex-

valde morari, non tergiverſantem, ſed exſpectantem, ſi qui fortè caſus. itaque dubito. an Venuſiam tendam, & ibi [1] exſpectem de legionibus: ſi aberunt, ut quidam arbitrantur, Hydruntem: ſi neutrum erit ἀσφαλὲς, eodem revertar. jocari me putas? moriar, ſi quiſquam me tenet præter te. etenim circumſpice: ſed ante erubeſco. [2] O dies in auſpiciis Lepidi lepidè deſcriptos, [3] & aptè ad conſilium reditus noſtri. magna ῥοπὴ ad proficiſcendum tuis litteris, atque [4] utinam te illic. ſed ut conducere putabis. Nepotis epiſtolam exſpecto. [5] cupidus ille meorum, qui ea, quibus maximè γαυριῶ, legenda non putet? & ais μετ' ἀμύμονα. tu verò ἀμύμων: ille quidem ἄμβροτος. Meorum epiſtolarum nulla eſt συναγωγή: ſed habet Tiro inſtar ſeptuaginta. & quidem ſunt à te quædam ſumendæ. eas ego, oportet, perſpiciam, corrigam. tum denique edentur.

6 CICERO ATTICO, S.

[6] EGo adhuc (perveni enim [7] Vibonem ad Sicam) magis commodè, quàm ſtrenuè navigavi: remis enim magnam partem: prodromi nulli. illud ſatis oportunè: duo ſinus fuerunt, quos tramitti oportet, Pæſtanus, & Vibonenſis: [8] utrumque pedibus, equis, tranſmiſimus. veni igitur ad Sicam octavo die è Pompejano, cùm unum diem Veliæ conſtitiſſem: ubi quidem fui ſanè libenter [9] apud Talnam noſtrum: nec potui accipi, illo abſente præſertim, liberalius. IX. Kal. igitur ad Sicam. ibi tamquam *domi meæ* ſcilicet. itaque obduxi poſterum diem. ſed putabam, cùm Rhegium veniſſem, [10] fore, ut illic, δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες, cogitaremus, corbitane Patras, an actuariolis [11] ad Leucopetram Tarentinorum, aſt inde Corcyram: &, ſi oneraria, ſtatimne freto, an Syracuſis. hac ſuper re ſcribam ad te Rhegio. Mehercule mi Attice, ſæpe mecum, ἡ δεῦρ' ὁδὸς σοι τί δύναται; cur ego tecum non ſum? cur, ocellos Italiæ, villulas meas non video? [12] ſed id ſatis ſuperque. [13] tecum me non eſſe? quid fugientem? periculumne? id nunc quidem, niſi fallor, nullum eſt. ad ipſum enim revocat me auctoritas tua. ſcribis enim in cælum ferri profectionem meam, ſed ita, ſi ante Kal. Jan. redeam: quod quidem certè enitar. malo enim vel *cum timore* domi eſſe, quam ſine timore Athenis tuis. ſed tamen proſpice, quò iſta vergant: mihique aut ſcribe, aut quod multò malim, affer ipſe. hæc hactenus. Illud velim in bonam partem accipias, me agere tecum, quod tibi majori curæ ſciam eſſe, quàm ipſi mihi. nomina mea per deos, expedi, exſolve: [14] bella reliqua reliqui. ſed opus eſt diligentia, coheredibus pro Cluviano Kal. Sext. perſolutum ut ſit. cum Publilio quo modo agendum ſit, videbis. non debet urgere, quoniam jure non utimur, ſed tamen ei quoque ſatisfieri planè volo. Terentiæ vero, quid ego dicam? etiam ante diem, ſi potes. quin, ſi, ut ſpero, celeriter in Epirum; hoc, quod ſatiſdato debeo, peto à te, ut ante provideas, planeque expedias, & ſolutum relinquas. ſed de his ſatis; metuoque, ne tu nimium putes nunc negligentiam meam cognoſce. *De gloria* librum ad te miſi: [15] at in eo procemium id eſt, quod in Academico tertio. id evenit ob eam rem, quòd habeo volumen procemiorum. ex eo eligere ſoleo, cùm aliquod σύγγραμμα inſtitui. itaque jam in Tuſculano, qui non meminiſſem me abuſum iſto proœmio, conjeci id in eum librum, quem tibi miſi. cùm autem in navi legerem Academicos, agnovi erratum meum. itaque ſtatim novum proœmium exaravi; tibi miſi. tu illud deſecabis, hoc agglutinabis. Piliæ ſalutem dices, & Atticæ, deliciis atque amoribus meis.

CICERO ATTICO, S.

VIII. ID. Sext. cùm à Leucopetra profectus (inde enim tramittebam) ſtadia circiter CCC. proceſſiſſem, rejectus ſum auſtro vehementi ad eandem Leucopetram. ibi cùm ventum exſpectarem (erat enim villa Valerii noſtri, ut familiariter eſſem, & libenter) Rhegini quidem, illuſtres homines, eò venerunt, Roma ſanè recentes: in iis Bruti noſtri hoſpes, qui Brutum Neapoli reliquiſſet. hæc afferebant, edictum Bruti, & Caſſii; & fore frequentem Senatum Kal. [16] à Bruto & Caſſio litteras miſſas ad Conſulares, & Prætorios; ut adeſſent, rogare. ſummam ſpem nuntiabant, fore, ut Antonius cederet, res conveniret, noſtri Romam redirent. addebant etiam, [17] me deſiderari, ſubaccuſari. quæ cùm audiſſem, ſine ulla dubitatione abjeci conſilium profectionis; quo mehercule ne antea quidem delectabar. lectis verò tuis litteris, admiratus equidem ſum, te tam vehementer ſententiam commutaſſe; ſed, *non ſine cauſa*, arbitrabar. [18] etſi, quamvis non fueris ſuaſor & impulſor profectionis meæ, approbator certe fuiſti, dummodo KAL. Jan. Romæ eſſem. ita fiebat, ut, dum minùs periculi videretur, abeſſem, in flammam ipſam venirem. ſed hæc, etiam ſi non prudenter, tamen ἀνεμέσητα ſunt; primum, quòd de mea ſententia acta ſunt; deinde, etiam ſi te auctore, QUID DEBET, qui conſilium dat, præſtare præter fidem? Illud admirari ſatis non potui, quod ſcripſiſti his verbis: [19] *VENI IGITUR TU, QUI* ΕΥΘΑΝΑΣΙΑΝ: VENI; RELINQUES PATRIAM? An ego relinquebam, [20] aut tibi tum relinquere videbar? tu id non modò [21] non prohibebas, verùm etiam approbabas. graviora, quæ reſtant. *VELIM* Σχόλιον *ALIQUOD ELIMES AD ME, OPORTUISSE TE ISTUC FACERE.* Ita

1. *Exſpectem de legionibus: ſi aberunt, ut quidam.*] Et hæc emendatio eſt Victorii veteribus libris adjuta. antea legebatur, *De legionibus ſtatuerunt ut quidam arbitrantur, &c.*

2. *O Dies in auſpiciis Lepidi lepidè deſcriptos.*] Faërnus, Lambinus & Boſius ex mſſ. reſtituerunt, vocem, *lepide*, quæ à vulgatis aberat.

3. *Et aptè.*] Vulg. *& aptos.*

4. *Utinam te illic.*] Mſſ. Victorii, *illic*, non, *illis.* ut antea, vulgabatur.

5. *Cupidus ille meorum.*] Et hoc eſt à Victorio, antea, *cupidius ille meorum.*

6. *Ergo adhuc.*] Vocem, *videbo*, hîc ſuperfluam rejecit Victorius.

7. *Vibonem ad Sicam.*] Contra veteres libros ſic reſtituit Manutius, cum legeretur, *& Sicam*: vulgati ſcribunt ubique, *Siccam, Sicca, Siccæ, &c.*

8. *Utrumque pedibus, equis, tranſmiſimus.*] Carrio lib. I. Emendat. cap. 15. adhæret Tornæſiano Lambini libro ſcripto, in quo συνεκδοχικῶς, *pedibus equis tranſm.* ut pedes ſcilicet pro Equis fuerint. Dauſquejo non diſplicebat, *pedibus equis*, ut libro 11. Æneid. *paſſibus æquis.* niſi malimus, *pedibus æquè.*

9. *Apud Talnam noſtrum.*] *Teſtam*, legere mavult Urſinus.

10. *Fore, ut illic*, δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες.] Verba Græca, ab Homero ſumpta quæ hic deerant reſtituerunt primi Germani, deinde illos ſequutus Victorius.

11. *Ad Leucopetram Tarentinorum, aſt inde.*] Junius dicit ſe legere ex conjectura, *ad L. in Tarentinorum, atque, &c.* Lambinus etiam, pro, *aſt inde.* legit, *atque inde.*

12. *Sed id ſatis ſuperque.*] Poſt, *ſuperque*, defixo puncto remorandus eſt curſus orationis.

13. *Tecum me non eſſe? quid fugientem? periculumne? id nunc quidem.*] Præſcribentibus Tornæſ. & Cruſell. ita ediderunt Lamb. & Boſius: vulgò, *tecum me non eſſe fugientem periculum. Nec id nunc quidem.* adeatur & Turnebus d. cap. 29.

14. *Bella reliqua reliqui.*] Ita conceptus erat hic locus in Tornæſ. & Cruſell. à vulgatis vox, *reliqua*, abeſt.

15. *At in eo.*] Vulg. *& in eo.*

16. *à Bruto & Caſſio.*] Vulg. *à Bruto, Caſſio.*

17. *Me deſiderari, ſubaccuſari.*] In mſ. Urſini eſt, *me deſideravi, ſubaccuſavi.*

18. *Etſi, quamvis non fueris.*] Urſini liber, *Etenim quamvis non fueris.*

19. *Veni igitur tu qui* εὐθανασίαν: *veni: relinques patriam.*] Vulgò, *bene igitur tu, qui* εὐθανασίαν, *bene. relinque patriam?*

20. *Aut tibi tum relinquere.*] Vetus liber Urſini habet, *aut tibi cùm relinquere.*

21. *Prohibebas.*] Vett. Victorii codices, *jubebas*, quod ille vitioſum eſſe contendit.

1. *Nam*

Ita ne, mi Attice, defenſione eget meum factum, præſertim apud te, qui id mirabiliter approbaſti? ego verò iſtum ἀπολογισμὸν συντάξομαι, ſed ad eorum aliquem, quibus invitis & diſſuadentibus profectus ſum: etſi quid jam opus eſt χολῆς? ſi perſeveraſſem, opus fuiſſet. at hoc ipſum non conſtanter. NEMO doctus umquam (multa autem de hoc genere ſcripta ſunt) mutationem conſilii, inconſtantiam dixit eſſe. deinceps igitur hæc. [1] *NAM SI à PHÆDRO NOSTRO, EXPEDITA EXCUSATIO ESSET. NUNC QUID RESPONDEMUS?* Ergo id erat meum factum, quod Catoni probare non poſſim, flagitii ſcilicet plenum, & dedecoris. utinam à primo ita tibi eſſet viſum. tu mihi, ſicut eſſe ſoles, fuiſſes Cato. Extremum illud vel moleſtiſſimum. *NAM BRUTUS NOSTER SILET:* hoc eſt, non audet hominem id ætatis monere. aliud nihil habeo, quod ex iis à te verbis ſignificari putem: & hercule ita eſt. Nam XVI. Kal. Sept. cum veniſſem Veliam, Brutus audivit. erat enim cum ſuis navibus [2] apud Heletem fluvium citra Veliam millia paſſuum III. Pedibus ad me ſtatim. dii immortales, quam valde ille reditu, vel potius reverſione mea [3] lætatus? effudit illa omnia, quæ tacuerat; ut recordarer illud tuum, *NAM BRUTUS NOSTER SILET.* maximè autem dolebat, me Kal. Sext. in Senatu non fuiſſe. Piſonem ferebat in cœlum: ſe autem lætari, quòd effugiſſem duas maximas vituperationes: unam, quam itinere faciendo me intelligebam ſuſcipere, *deſperationis*, [4] ac relictionis Reip. [5] (euntes mecum vulgo querebantur, quibus de meo celeri reditu non probabam) alteram, de qua Brutus, & qui una erant, (multi autem erant) lætabantur, quòd eam vituperationem effugiſſem, me exiſtimari ad Olympia. hoc vero nihil turpius, quovis Reip. tempore: ſed hoc, ἀναπολόγητον. ego verò auſtro [6] gratias miras, qui me à tanta infamia averterit. Reverſionis has ſpecioſas cauſas habes, juſtas illas quidem, & magnas: ſed nulla juſtior, quàm quod tu idem aliis litteris: [7] *PROVIDE*, [8] *SI CUI QUOD DEBETUR, UT SIT UNDE PAR PARI RESPONDEATUR. MIRIFICA ENIM* δυσχρηστία *EST PROPTER METUM ARMORUM.* in freto medio hanc epiſtolam legi, ut, quid poſſem providere, in mentem mihi non veniret, [9] niſi ut præſens me ipſe defenderem. Sed hæc hactenus. reliqua coram. Antonii edictum legi à Bruto, & horum contra, ſcriptum præclarè. ſed quid iſta edicta valeant, aut quò ſpectent, planè non video: nec ego nunc, ut Brutus cenſebat, iſtuc ad Remp. capeſſendam venio. quid enim fieri poteſt? num quis Piſoni eſt aſſenſus? num rediit ipſe poſtridie? ſed abeſſe hanc ætatem longe *à ſepulcro* negant oportere. Sed obſecro te, quid eſt quod audivi de Bruto? Piliam πειρά- ζεσθ παραλύσει, te ſcripſiſſe ajebat. valde ſum commotus: etſi idem, te ſcribere, ſperare meliùs. ita planè velim. [10] ei dicas plurimam ſalutem, & ſuaviſſimæ Atticæ. Hæc ſcripſi navigans, cùm Pompejanum accederem, XIIII. KAL.

CICERO ATTICO, S. 8

CUM ſciam, quo die venturus ſim, faciam, ut ſcias. impedimenta exſpectanda ſunt, [11] quæ Anagnia veniunt: & familia ægra eſt. Kal. veſperi litteræ mihi [12] ab Octaviano. magna molitur. veteranos, [13] quiqui Caſilini, & Calatiæ ſunt, perduxit ad ſuam ſententiam: *nec mirum:* [14] quingenos denarios dat: cogitat reliquas colonias obire. planè hoc ſpectat, ut ſe duce bellum geratur cum Antonio. itaque video paucis diebus nos in armis fore. quem autem ſequamur? vide *nomen:* vide *ætatem:* atque à me poſtulat, primùm ut clam colloquatur mecum, vel Capuæ, [15] vel non longè à Capua. puerile hoc quidem, ſi id putat clam fieri poſſe. [16] docui per litteras, id nec opus eſſe, nec fieri poſſe. miſit ad me Cæcinam quendam Volaterranum, familiarem ſuum, qui hæc pertulit, Antonium cum legione Alaudarum ad urbem pergere, pecunias municipiis imperare, [17] legionem ſub ſignis ducere. conſultabat, utrum Romam cum CIↃ CIↃ CIↃ veteranorum proficiſceretur, an Capuam teneret, & Antonium venientem excluderet; an iret ad tres legiones Macedonicas, quæ iter ſecundum mare ſuperum faciunt, quas ſperat ſuas eſſe. eæ *congiarium* ab Antonio accipere noluerunt, ut hic quidem narrat, & ei convicium [18] grave fecerunt, concionantemque reliquerunt. quid quæris? ducem ſe profitetur, nec nos ſibi putat deeſſe oportere. equidem ſuaſi, ut Romam pergeret. videtur enim mihi & plebeculam urbanam, &, ſi *fidem* fecerit, etiam bonos viros ſecum habiturus. ô Brute ubi es? quantam εὐκαιρίαν amittis? non equidem hoc divinavi, ſed aliquid tale putavi fore. Nunc tuum conſilium exquiro. Romamne venio, an hic maneo, [19] an Arpinum (ἀσφάλειαν habet is locus) fugiam? Romam; ne deſideremur, ſi quid actum videbitur. hoc igitur explica. numquam in majore ἀπορίᾳ fui.

CICERO ATTICO, S. 9

BINÆ [20] uno die mihi litteræ ab Octavio: nunc quidem, ut Romam ſtatim veniam: velle ſe rem agere per Senatum: cui ego, non poſſe Senatum ante Kal. Jan. quod quidem ita credo. ille autem addit, CONSILIO TUO. quid multa? ille urget: ego autem [21] σκήπτομαι. *non confido ætati.* ignoro, quo animo: nil ſine Panſa tuo volo. vereor, ne valeat Antonius: nec à mari diſcedere libet: & metuo, [22] ne quæ ἀριστεία me abſente. Varroni quidem diſplicet conſilium pueri; mihi non. firmas copias habet: Brutum habere poteſt: & rem gerit *palam:* [23] centuriat Capuæ;

---

1. *Nam ſi a Phædro noſtro, expedita excuſatio eſſet.*] Junius ex mſſ. duobus Palat. legit, *nam ſi à Phædro noſtro eſſet, expedita, &c.* Urſini mſ. habet, *etiam à Phædro noſtro expedita eſſet, excuſatio eſſet.*

2. *Apud Heletem fluvium.*] Ita legendum eſſe docuit Victorius: Junius tamen ait legendum eſſe, *fretum*, ex duobus mſſ. Palat. Ceterum pro, *Heletem*, vulgò legitur, *Haletem*.

3. *Lætatus? effudit illa.*] Aliter vulgò diſtinguitur, *lætatus effudit illa.*

4. *Ac relictionis reip.*] Ita reſtituit Beroaldus, cui adſtipulatur Manutius: Victorius ſequi non audet, monetque quis videat an legi poſſit, *rejectionis reip.* vulgo *religionis.*

5. *Euntes mecum.*] Vulg. *flentes mecum.* hic fluctuat Victorius, inclinat tamen in lectionem quam hic recepimus.

6. *Gratias miras, qui me.*] Hic verbum, *ago*, quod in vulgatis legitur, ſuſtulit approbante Beſſarionis libro Manutius.

7. *Provide.*] Victorius ita emendavit, cum antea legeretur *provides.*

8. *Si cui quod.*] Vulgo, *ſi cui quid.*

9. *Niſi ut præſens.*] Ita mſſ. Boſii; ille tamen vulgatam lectionem, *niſi quod præſens*, non improbat.

10. *Ei dicas.*] Pronomen, *ei*, vulgò abeſt.

11. *Quæ Anagnia veniunt.*] *Quæ inania veniunt*, eſt in antiquo Urſini.

12. *Ab Octaviano. magna.*] Vulg. *ab Octaviano reddita ſunt magna.*

13. *Quiqui Caſilini.*] Vulg. *quiqui Caſili.* quod & ejiciendum putabat litteris, ad Gruterum Dauſquejus, ſubſtituto altero.

14. *Quingenos.*] Ita Victorius correxit; prius legebatur, *quingentos.*

15. *Vel non longè à Capua.*] Verba hæc ex Tornæſ. & Cruſell. reſtituit Boſius, quæ a vulgatis aberant.

16. *Docui per litteras.*] Vulg. *docui literis.*

17. *Legionem ſub ſignis ducere.*] Ita librorum ſuorum fide cum Manutio repoſuit Boſius: vulgò, *ſuis ſignis, &c.*

18. *Grave.*] Vulg. *grande.*

19. *An Arpinum (ἀσφάλειαν habet is locus) fugiam? Romam; ne deſideremur.*] Vulg. *ἀσφάλειαν habet is locus? fugiam Romam, &c.* quod Victorius corruptum agnoſcit, ſed remedium adhibere ſe non poſſe fatetur; verùm admonet veteres codices pro, *fugiam*, habere, *fugam*, quod etiam monuit Manutius. Lambinus, *ἀσφάλειαν habet hic locus cupio Romam;* vel, *ἀσφ. h. h. l. fuge an Romam, ne.*

20. *Uno die mihi literæ ab Octavio.*] Vulg. *in die mihi litteræ ab Octaviano.*

21. Σκήπτομαι.] Vulg. *σκέπτομαι.*

22. *Ne quæ.*] Vulg. *ne qua ἀριστεία.*

23. *Centuriat Capuæ: dinumerat.*] Hæc eſt Victorii emendatio ex veteribus libris, prius legebatur, *centurias Capuæ dinumerat.*

puæ; dinumerat. jam jamque video bellum. ad hæc reſcribe. [1] Tabellarium meum Kalend. Roma profectum, ſine tuis litteris, miror.

10 CICERO ATTICO, S.

[2] VI. Kalend. veni ad me in Sinueſſanum. eodem die, vulgo loquebantur, Antonium manſurum eſſe Caſilini. itaque mutavi conſilium. ſtatueram enim rectà Appia Romam. facilè me ille eſſet aſſecutus. ajunt enim eum [3] Cæſarina uti celeritate. verti igitur me à Minturnis Arpinum verſus. conſtitueram, ut II. Idus aut Aquini manerem, aut in Arcano. nunc, mi Attice, tota mente incumbe in hanc curam. magna enim res eſt. tria ſunt autem, maneamne Arpini, an propius accedam, an veniam Romam. quod cenſueris, faciam. ſed quamprimum avide exſpecto tuas litteras. VI. Idus mane in Sinueſſano.

11 CICERO ATTICO, S.

NONIS accepi à te duas epiſtolas: quarum alteram Kal. dederas, alteram pridie. igitur prius ad ſuperiorem. Noſtrum opus tibi probari lætor: [4] ex quo ἄνθη ipſa poſuiſti, quæ mihi florentiora ſunt viſa tuo judicio. cærulas enim tuas *miniatulas* illas extimeſcebam. De Sica ita eſt, ut ſcribis; [5] at ſt, ægre me tenui. itaque perſtringam ſine ulla contumelia Sicæ [6] aut Septimiæ: tantum, ut ſciant παῖδες παίδων [7] ſine ὕθλῳ Lucilliano, eum ex C. Fadii filia liberos habuiſſe: atque utinam eum diem videam, cùm iſta oratio ita liberè vagetur, ut etiam in Sicæ domum introeat. ſed illo tempore opus eſt, quòd fuit illis Triumviris. moriar, [8] facetè ni ſit. tu verò leges Sexto, ejuſque judicium mihi perſcribes. [9] εἰς ἐμοὶ μυεῖοι. Caleni interventum, & Calvenæ cavebis. Quod vereris, ne [10] ἀδόλεσχος: mihi tu? quis minùs? cui, ut Ariſtophani Archilochi jambus, ſic epiſtola longiſſima quæque *optima* videtur. Quod me admones; tu verò etiam ſi reprehenderes, non modo facilè paterer, ſed etiam lætarer: quippe cum in reprehenſione eſt prudentia cum εὐμενείᾳ. ita libenter ea corrigam, quæ à te animadverſa ſunt, EODEM JURE, QUO RUBRIANA potius, quàm QUO SCIPIONIS: & de laudibus Dolabellæ [11] deruam cumulum. attamen eſt iſto loco bella, ut mihi videtur, εἰρωνεία, quòd eum [12] ter contra cives in acie. illud etiam malo, [13] INDIGNISSIMUM EST HUNC VIVERE, quàm, QUID INDIGNIUS? Πεπλογραφίαν Varronis tibi probari non moleſte fero: à quo adhuc Ἡρακλείδειον illud non abſtuli. Quod me hortaris ad ſcribendum; amicè tu quidem, ſed me ſcito agere nihil aliud. Gravedo tua mihi moleſta eſt. quæſo adhibe, quam ſoles, diligentiam. [14] O TITE, tibi prodeſſe lætor. Anagnini ſunt, Muſtela ταξιάρχης, & Laco, qui plurimum bibit. Librum, quem rogas, perpoliam, & mittam. Hæc ad poſteriorem. Τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος, quatenus Panætius, [15] abſolvi duobus: illius tres ſunt. ſed cùm initio diviſiſſet ita, tria genera exquirendi officii eſſe; unum, cùm deliberemus, honeſtum, an turpe ſit; alterum, utile, an inutile; tertium, cùm hæc inter ſe pugnare videantur, quo modo judicandum ſit: qualis cauſa Reguli; redire honeſtum, manere utile: de duobus primis præclarè diſſeruit; de tertio pollicetur [16] ſe deinceps: ſed nihil ſcripſit. eum locum Poſidonius perſecutus. ego autem & ejus librum accerſivi, & ad Athenodorum Calvum ſcripſi, ut ad me τὰ κεφάλαια mitteret, [17] quæ exſpecto: quem velim cohortere, & roges, ut quamprimum. [18] in eo eſt περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος. Quod de inſcriptione quæris; non dubito quin καθῆκον *officium* ſit, niſi quid tu aliud: ſed inſcriptio plenior, DE OFFICIIS, προσφωνῶ autem Ciceroni filio. [19] viſum eſt non ἀνοικεῖον. [20] De Myrtilo, dilucidè. ô quaseis tu ſemper iſtos! [21] itane in D. Brutum? dii iſtis. Ego me, ut ſcripſeram, [22] in Pompejanum non abdidi, primò tempeſtatibus, quibus nil tetrius: deinde ab Octaviano quotidie litteræ, ut negotium ſuſciperem, Capuam venirem, iterum Remp. ſervarem; Romam utique ſtatim.

— αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι.

is tamen egit ſanè ſtrenuè, & agit. Romam veniet cum manu magna: ſed eſt planè puer. putat Senatum ſtatim. quis veniet? ſi venerit, [23] quis, incertis rebus, offendet Antonium? Kalend. Jan. erit fortaſſe præſidio: aut quidem ante depugnabitur. puero municipia mirè favent. iter enim faciens in Samnium venit Cales, manſit Theani. mirifica ἀπάντησις, & cohortatio. hoc tu putares? ob hoc ego citiùs Romam, quàm conſtitueram. ſimul ac conſtituero, ſcribam. Etſi nondum ſtipulationes legeram (nec enim Eros venerat) tamem rem pridie Idus velim conficias. Epiſtolas Catinam, [24] Tauromenium, Syracuſas commodiùs mittere potero, [25] ſi Valerius Interpres ad me nomina gratioſorum ſcripſerit. alii enim ſunt aliàs, noſtrique familiares ferè demortui. publicè tamen ſcripſi, ſi uti vellet eis Valerius: aut mihi nomina mitteret. [26] De Lepidanis feriis Balbus ad me. Uſque ad III. Kalend. exſpectabo

1. *Tabellarium meum.*] Hoc vulgo principium alîus epiſtolæ.

2. *VI. Kal. veni ad me in Sinueſſanum.*] Victorius & Manutius pridem monuerunt ita legi in mſſ. niſi quod vocis, *Kal.* non meminerunt, quam Boſius in ſuis repertam hic reſtituit.

3. *Cæſarina.*] Vulg. *Ceſarina.*

4. *Ex quo ἄνθη ipſa.*] Lambinus ita emendavit: vulgò vitioſè legitur, *ex quo ante ipſe.*

5. *At ſt, ægrè me tenui.*] Ita Boſius ex veteribus libris qui habent, *aſt ægrè me tenui.* Lambinus legit, *à Fadia ægrè me tenui.* Junius ait mſſ. uno conſenſu habere, *haſta ea ægrè me tenuit.* Vetus lectio erat, *haſta ea ægrè me tenui*, quam vitioſam agnoſcit Victorius: quidam legunt, *ab Attia ægrè, &c.* alii, *à Seſtia*; alii aliter.

6. *Aut Septimiæ.*] Vulgò, *& Septimiæ.*

7. *Sine ὕθλῳ Lucilliano.*] Conjectura Boſii ex corrupta ſuorum ſcriptura, quæ eſt, *ſine ullo Lucilliano.* Victorius ediderat, *ſine vallo Luciliano*, quum antea legeretur *ſ. v. Lucullano.* Junius ait mſſ. Palat. diſtinguere & legere, *S. v. Lucullıano eum ex C.*

8. *Facetè ni ſit.*] Sic Boſius quum in Tornæſ. reperiſſet, *facetè niſi*; alii legunt, *niſi facetè.*

9. *Εἰς ἐμοὶ μυεῖοι.*] Ita Victorius emendavit. prius legebatur, *ὥς μοιμυρίον.*

10. *Ἀδόλεσχος.*] Partim ex conjectura, partim veteris ſcripturæ veſtigia ſequutus Victorius verbum hoc Græcum quod deſiderabatur repoſuit. Germani ediderunt, ὅδας λέσχος.

11. *Deruam.*] Vulg. *diruam.*

12. *Ter contra cives.*] Placet hæc lectio Manutio, præſertim cum ipſe & Victorius in mſſ. ſuis ſcriptum repererit, *per contra cives*: vulg. adverbium, *ter*, deeſt.

13. *Indigniſſimum.*] Ita Tornæſ. & Cruſell. & præfert etiam Lambinus vulgato illi, *indignius.*

14. *O Tite tibi prodeſſe.*] Victorius & Lambinus monent quoſdam codd. habere, *librum meum illum, ò Tite*; ſed Lambinus has tres voces, *librum meum illum*, arbitratur eſſe ex annotatione notas, & ex ora libri in contextum invectas.

15. *Abſolvi duobus.*] Manutius ait ſe ita reſtituiſſe ſenſu poſtulante, repugnantibus tamen veteribus libris in quibus legebatur, *abſolvit.*

16. *Se deinceps: ſed nihil.*] Vulg. *ſe deinceps ſcripturum: ſed nihil, &c.*

17. *Quæ exſpecto.*] Ita Boſii veteres; Victorius & alii, *quem exſpecto.*

18. *In eo eſt περὶ τοῦ κατὰ.*] Junius ait mſ. Palat. habere, *in eo eram, περὶ, &c.*

19. *Viſum eſt non ἀνοικεῖον.*] Vocem hanc Græcam Germani primi, dein Victorius, reſtituêre.

20. *De Myrtilo.*] Secundum Germanos etiam hæc emendatio debetur Victorio, prius erat, *de M. Cæcilio.*

21. *Itane in D. Brutum? dii iſtis. Ego, &c.*] Ita ex Cruſellino ſcripſit Boſius: vulgò, *itane i. D. B.? de iſtis, &c.* Manutius totum hoc ſic concipit, *Itane in L. Brutum deſciſcis.*

22. *In Pompejanum non addidi.*] Lambino hinc tollenda videtur negatio.

23. *Quis, incertis rebus.*] Vulg. *quis incertis in rebus.*

24. *Tauromenium.*] Vulg. *Tauromenon.*

25. *Si Valerius interpres.*] Sic emendavit Victorius, partim ex conjectura, partim antiquæ lectionis veſtigia ſequens, quæ hæc eſt, *Si Valerius in tres*: antea legebatur, *Si Valerius Mitres.*

26. *De Lepidanis feriis.*] Vulg. *de Lepidanis feris.*

1. *Ne-*

ſpectabo tuas litteras: [1] neque Torquati negotiolo ſtiturum puto. Quinti litteras ad te miſi, ut ſcires, quàm valde eum amaret, quem dolet à te minùs amari. Atticæ, quoniam, quod *optimum in pueris eſt*, hilarula eſt, meis verbis ſuavium des. Vale.

12 CICERO ATTICO, S.

OPPII epiſtolæ, quia perhumana erat, tibi miſi exemplum. De Ocella, dum tu *muginaris*, nec mihi quidquam reſcribis, cepi conſilium domeſticum. itaque me pridie Idus arbitror Romæ futurum. commodius eſt viſum, fruſtra me iſtic eſſe, cùm id non neceſſe eſſet, quàm, ſi *opus* eſſet, non adeſſe: & ſimul, ne intercluderer, metuebam. ille enim jam adventare poteſt: etſi varii rumores; multique, quos cuperem veros. nihil tamen certi. ego verò, quidquid eſt, tecum potius, quàm animi pendeam, cùm à te abſim, & de te, & de me. ſed quid tibi dicam? [2] πονῶμεν enim. De Ἡρακλείδῃ Varronis, negotia ſalſa. me quidem nihil unquam ſic delectavit. ſed hæc, & alia majora coram.

13 CICERO ATTICO, S.

O CASUM mirificum! [3] VI. Idus cùm ante lucem de Sinueſſano ſurrexiſſem, veniſſemque diluculo [4] ad Pontem Tirenum, qui eſt Minturnis, in quo flexus eſt ad iter Arpinas, obviam mihi fit tabellarius, qui me offendit δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντα. ego ſtatim, cedo, inquam, ſi quid ab Attico. non dum legere poteramus. nam & lumina dimiſeramus; nec ſatis lucebat. cùm autem luceret, ante ſcripta epiſtola ex duabus tuis prior mihi legi cœpta eſt. illa omnium quidem elegantiſſima. ne ſim *ſalvus*, ſi aliter ſcribo, ac ſentio; nihil legi humanius. itaque veniam, quò vocas, modò adjutore te. ſed nihil tam ἀπροσδιόνυσον mihi primò videbatur, quàm ad has litteras, quibus ego à te conſilium petieram, te mihi iſta reſcribere. ecce tibi altera, qua hortaris [5] παρ' ἠνεμόεντα Μίμαντα, Νήσου ἐπὶ Ψυρίης, [6] Appiam ἐπ' ἀριστέρ' ἔχοντα. itaque eo die manſi Aquini. longulum ſanè iter, [7] & via ἀμαξα: inde poſtridie mane proficiſcens, has litteras dedi: & quidem, ut à me dimitterem invitiſſimus, fecerunt Erotis litteræ. rem tibi Tiro narrabit. tu, quid faciendum ſit videbis. præterea, poſſimne propiùs accedere (malo enim eſſe in Tuſculano, aut uſpiam in ſuburbano) an etiam longiùs diſcedendum putas, crebro ad me velim ſcribas. erit autem quotidie, cui des. Quod præterea conſulis, quid tibi cenſeam faciundum, difficile eſt, cùm abſim. verumtamen, ſi pares, æquè inter ſe, quieſcendum: ſin; latius manabit, & quidem ad nos, deinde communiter. avidè tuum conſilium exſpecto. timeo, ne abſim, cum adeſſe me ſit honeſtius: venire non audeo. De Antonii itineribus neſcio quid aliter audio, atque ad te ſcribebam. omnia igitur velim explices, & ad me certa mittas. De reliquo quid tibi ego dicam? ardeo ſtudio *hiſtoriæ*. incredibiliter enim me commovet tua cohortatio. quæ quidem nec inſtitui, nec effici poteſt ſine tua ope. coram igitur hoc quidem conferemus. In præſentia mihi velim ſcribas, [8] quibus CENSES. C. Fannius M. F. Tribunus pleb. fuerit. videor mihi audiſſe, P. Africano, L. Mummio. id igitur quæro. tu mihi de iis rebus, quæ novantur, omnia certa, clara. III. Id. ex Arpinati.

CICERO ATTICO S. 14

NIHIL erat plane, quod ſcriberem. nam cùm Puteolis eſſem, quotidie aliquid novi de Octaviano, multa etiam falſa de Antonio. ad ea autem, quæ ſcripſiſti (tres enim acceperam III. Idus à te epiſtolas) valde tibi aſſentior, ſi multum poſſit Octavianus, multo firmiùs *acta tyranni* comprobatum iri, quàm in Telluris: atque id contra Brutum fore: ſin autem vincitur, vides intolerabilem Antonium: ut, quem velis, neſcias. O Seſtii tabellarium, hominem nequam! poſtridie Puteolis Romæ ſe dixit fore. Quod me mones, ut pedetentim; aſſentior: etſi aliter cogitabam. nec me Philippus, aut Marcellus movet. alia enim eorum ratio: &, ſi non eſt, tamen videtur. ſed in iſto juvene, quamquam animi ſatis, auctoritatis parum eſt. tamen vide, ſi forte in Tuſculano rectè eſſe poſſum, ne id melius ſit (ero libentiùs: nihil enim ignorabo) an hoc, cùm Antonius venerit. Sed, ut aliud ex alio, mihi non eſt dubium, quin, quod Græci καθῆκον, nos *officium*. id autem, quid dubitas, quin etiam in Rempub. præclarè caderet? non ne dicimus, *Conſulum officium*, *Senatus officium*? præclarè convenit; aut da melius. Male narras de Nepotis filio. valde mehercule moveor, & moleſtè fero. neſcieram omnino eſſe iſtum puerum. Caninium perdidi, hominem, quod ad me attinet, non ingratum. Athenodorum, nihil eſt, quod hortêre, miſit enim ſatis bellum ὑπόμνημα. Gravedini, quæſo, omni ratione ſubveni. [9] Quintus avi tui pronepos, ſcribit ad patris mei nepotem, ſe ex Nonis iis, quibus nos magna geſſimus, ædem Opis explicaturum, idque ad populum. videbis igitur, & ſcribes. Sexti judicium exſpecto.

CICERO ATTICO, S. 15

NOLI putare, pigritia me facere, quòd non mea manu ſcribam: ſed mehercule pigritia. nihil enim habeo aliud, quod dicam: & tamen in tuis quoque epiſtolis Alexim videor agnoſcere. ſed ad rem venio. Ego, ſi me non *improbiſſimè* Dolabella tractaſſet, dubitaſſem fortaſſe, utrum remiſſior eſſem, an ſummo jure contenderem. nunc vero etiam gaudeo mihi cauſam oblatam, in qua & ipſe ſentiat, & reliqui omnes me ab illo abalienatum: idque præ me feram, & quidem me mea facere, & Reip. cauſa, [10] ut illum *oderim*, quòd cum eam me auctore defendere cœpiſſet, [11] non modò deſeruerit, emptus pecunia, ſed etiam, quantum in ipſo fuerit, everterit. Quod autem quæris, quomodo agi placeat, cùm dies venerit; primùm velim ejuſmodi ſit, ut non alienum ſit, me Romæ eſſe, de quo ut de ceteris, faciam, ut tu cenſueris. de ſumma autem agi prorſus vehementer & ſeverè volo. etſi, ſponſores appellare, videtur habere quandam δυσωπίαν: tamen hoc, quale ſit, conſideres velim. poſſumus enim, [12] ut ſponſores appellentur, procuratores introducere. neque

1. *Neque Torquati negotiolo ſtiturum puto.*] Eſt a Cruſellino. Placeret Manutio vel vulgata lectio, *deque Torquati negotiolo ſciturum, &c.* vel Cavalc. & Beſſar. mſſ. *me de Torquati neg. ſciturum puto.*

2. Πονῶμεν *enim.*] Ita putat Ciceronem ſcripſiſſe Boſius. Cruſellinus *pono uni enim*; Victorius ex conjectura, *bonum animum*, quòd vulgò receptum eſt: Junius conjicit, *ſed quid tibi dicam boni? unum jam de.*

3. *VI. Idus.*] Sic erat in Cruſellino; vulg. *V. Idus.*

4. *Ad Pontem Tirenum.*] Ita mſſ. Boſii: vulg. *Tiretium* ſive *Tyrentium*; mallet Junius, *Liritium.*

5. Παρ' ἠνεμόεντα.] Victorius ait Germanos primos hæc verba Græca reſtituiſſe.

6. *Appiam ἐπ'.*] Junius ait mſſ. Palat. habere, *ὡς τὴν Appiam ſcilicet, ἐπ'.*

7. *Et via ἀμάξα.*] Conjectura hæc eſt Boſii: vulgati codices, *via inepta.* Tornæſianus, *via mata*, ex quo nonnulli fecerunt, *madida*, alii, *moleſta*, alii, *mala*; Lambinus verò, *madidata.* Cruſellinus & mſſ. Pal. referunt, *via amata*, unde Junius ſcribit, *via humata. Itaque eo die manſi Aquini, longulum ſanè iter, & via ἀμάξα.*] Salmaſius ex libris vett. legit *via matta*, pro via lutoſa & humecta. *Mattus* enim antiqua vox, quæ emollitum, ſubactum & maceratum ſignificat. inde verbum *mattare* pro domitare, & macerare. Iſidorus in Gloſſis: *mattum eſt, humectum, emollitum & infectum.* à Græco *μάττω, ſubigo emollio.* Salmaſ.

8. *Quibus Cenſ.*] Ita priſci mſſ. quos habuit Boſius. Palat. quibus *Ceſſ.* vulg. *Coſs.*

9. *Quintus avi pronepos.*] Emendavit ita Boſius ex Cruſellino, qui habebat, *Quintus aut tui pronepos*: idem conjecerat antea Urſinus. vulg. *Quintus tui patris nepos.*

10. *Ut illum oderim.*] Vulg. *cur illum oderim.*

11. *Non modò deſeruerit, emptus.*] Vulg. *non modo: deſeruit emptus, &c.*

12. *Ut ſponſores appellentur.*] Urſini mſ. *ut ſponſores non appellentur, &c.*

1. Nec

que enim illi litem conteſtabuntur. quo facto, non ſum neſcius ſponſores liberari. ſed & illi turpe arbitror, eo nomine, quod ſatiſdato debeat, procuratores ejus non diſſolvere; & noſtræ gravitatis, jus noſtrum ſine ſumma illius *ignominia* perſequi. de hoc quid placeat, reſcribas velim: [1] nec dubito, quin hoc totum leniùs adminiſtraturus ſis. Redeo ad Remp. Multa mehercule à te ſæpe ἐν πολιτικῷ genere prudenter: ſed his litteris nihil prudentius: [2] QUAMQUAM *enim poſtea, in præſentia belle iſte puer retundit Antonium, tamen exitum exſpectare debemus.* at, quæ concio? nam eſt miſſa mihi. *ita ſibi parentis honores conſequi liceat:* & ſimul dextram intendit ad ſtatuam. μηδὲ σωθείην [3] ὑπόγε τοιοῦτε. ſed, ut ſcribis, [4] certiſſimum eſſe video diſcrimen, Caſcæ noſtri Tribunatum: de quo quidem ipſo dixi Oppio, cùm me hortaretur, ut adoleſcentem, totamque cauſam, manumque veteranorum complecterer, me nullo modo facere poſſe, ni mihi exploratum eſſet eum non modò non inimicum tyrannoctonis, verùm etiam amicum fore. cùm ille diceret, ita futurum: quid igitur feſtinamus? inquam. illi enim mea opera ante Kalend. Januar. nihil opus eſt. nos autem ejus voluntatem [5] ante Idus Decemb. perſpiciemus [6] in Caſca. mihi valde aſſenſus eſt. Quamobrem hæc quidem hactenus. Quod reliquum eſt, quotidie tabellarios habebis, &, ut ego arbitror, [7] etiam quod ſcribas habebis quotidie. Lectæ litterarum exemplum tibi miſi: ex quo mihi videtur [8] σρατύλλαξ ille dejectus de gradu. ſed tu, cùm legeris, exiſtimabis.

OBSIGNATA jam epiſtola, litteras à te, & à Sexto accepi. nihil jucundius litteris Sexti, nihil amabilius: nam tuæ, breves: priores erant uberrimæ. Tu quidem & prudenter, & amicè ſuades, ut in his locis potiſſimùm ſim, quoad audiamus, hæc, quæ commota ſunt, quorſum evadant. ſed me, mi Attice, non ſanè hoc quidem tempore movet Reſp. non quo [9] aut ſit mihi quidquam carius, aut eſſe debeat. ſed DESPERATIS etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam. quare iſta valeant: me res familiaris movet: rem dico? immo verò exiſtimatio. cùm enim tanta reliqua ſint; ne Terentiæ quidem adhuc, quod ſolvam, expeditum eſt. Terentiam dico? ſcis nos pridem jam conſtituiſſe Montani nomine [10] H-S XXV diſſolvere. pudentiſſimè hoc Cicero petierat, [11] ut fide ſua. liberaliſſimè, ut tibi quoque placuerat, promiſeram; Erotique dixeram, ut ſepoſitum haberet. non modò: ſed iniquiſſimo fœnore verſuram facere Aurelius coactus eſt. nam de Terentiæ nomine Tiro ad me ſcripſit, te dicere, nummos à Dolabella fore. malè eum credo intellexiſſe, ſi quiſquam malè intelligit; potiùs, nihil intellexiſſe. tu enim ad me ſcripſiſti Cocceii reſponſum, & iiſdem pæne verbis Eros. veniendum eſt igitur vel in ipſam flammam. TURPIUS eſt enim privatim cadere, quàm publicè. itaque ceteris de rebus, [12] quas ad me ſuaviſſimè ſcripſiſti, perturbato animo, non potui, ut [13] conſueram, reſcribere. conſenti in hac cura, ubi ſum, ut me expediam: quibus autem rebus, venit quidem mihi in mentem: [14] ſed certè conſtituere nihil poſſum, priùs quàm te videro. qui minùs autem ego iſtic rectè eſſe poſſim, quàm eſt Marcellus? ſed non id agitur: neque id maximè curo. quid curem, vides. adſum igitur.

CICERO ATTICO, S. 16

IUCUNDISSIMAS tuas legi litteras, ad Plancum [15] ſcripſi; habes exemplum. cum Tirone quid ſit locutus, cognoſcam ex ipſo. Cum ſorore ages attentiùs, ſi te occupatione iſta relaxaris.

M. CICERO. [16] L. PLANCO PRÆT. DES. S.

ATTICI noſtri te valde ſtudioſum eſſe cognovi, mei verò ita cupidum, ut mehercule paucos æque obſervantes, atque amantes me habere exiſtimem. ad paternas *enim magnas, & veteres, & juſtas neceſſitudines magnam attulit acceſſionem tua voluntas erga me, meaque erga te, par atque mutua. Buthrotia tibi cauſa ignota non eſt: egi enim ſæpe* [17] *de ea re tecum, tibique totam rem demonſtravi: quæ eſt acta hoc modo. Ut primum Buthrotium agrum proſcriptum vidimus, commotus Atticus libellum compoſuit. eum mihi dedit, ut darem Cæſari. eram enim cenaturus apud eum, illo die. eum libellum Cæſari dedi: probavit cauſam; reſcripſit Attico, æqua eum poſtulare: admonuit tamen, ut pecuniam reliquam Buthrotii ad diem ſolverent: Atticus, qui civitatem conſervatam cuperet, pecuniam numeravit de ſuo. quod cùm eſſet factum, adimus ad Cæſarem, verba fecimus pro Buthrotiis; liberaliſſimum decretum abſtulimus; quod eſt obſignatum ab ampliſſimis viris. quæ cùm eſſent acta, mirari quidem ſolebam, pati Cæſarem convenire eos, qui agrum Buthrotium concupiſſent: neque ſolum pati, ſed etiam ei negotio te præficere. itaque & ego cum illo locutus ſum, & ſæpius quidem; ut etiam accuſarer ab eo, quòd parum* conſtantiæ *ſuæ confiderem: & M. Meſſallæ, & ipſi Attico dixit, ut ſine cura eſſent: aperteque oſtendebat, ſe præſentium animos (erat enim popularis, ut noras)* offendere *nolle: cùm mare tranſiſſent, curaturum ſe, ut in alium agrum deducerentur. hæc illo vivo. poſt interitum autem Cæſaris, ut primum ex S. C. cauſas Conſules cognoſcere inſtituerunt, hæc, quæ ſupra ſcripſi, ad eos delata ſunt.* [18] *probaverunt cauſas ſine ulla dubitatione, ſeque ad te litteras daturos eſſe dixerunt. Ego autem, mi Plance, etſi non dubitabam, quin & S. C. & lex, & conſulum decretum, ac litteræ apud te plurimum* auctoritatis *haberent, teque ipſius Attici cauſa velle intellexeram; tamen hoc pro conjunctione, & benivolentia noſtra mihi ſumſi, ut id à te peterem, quod tua ſingularis humanitas, ſuaviſſimique mores à te eſſent impetraturi.*

---

1. *Nec dubito.*] Ita Torn. & Cruſell. vulgati, *& non dubito.*

2. *Quamquam enim poſt ea, in præſentia bellè iſte puer retundit Antonium.*] Vulg. *quamquam enim poſſet in præſentia bellè iſte puer retundere Antonium* Junius dicit ſe diſtinguere ex mſſ. conſenſu; *quamquam enim: poſtea, in præſentia, &c.*

3. Ὑπόγε τοιοῦτε.] Sic codex Torn. vulg. ἄπολε τοιοῦτο.

4. *Certiſſimum eſſe video diſcrimen, Caſcæ noſtri tribunatum.*] Ita codex Tornæſ. ſed in hac ſcriptura aliquid deſiderat Lambinus & vult legi, *certiſſimum video veniſſe in diſcrimen*, vel, *certiſſimum video eſſe in diſcrimen.* vulg. *certiſſimum eſſe video diſcrimen Caſcæ noſtri tribunatus.* Junius ex conjectura reponit, *certiſſimum iniſſe video.*

5. *Ante Id. Decembres perſpiciemus.*] Ita Boſius emendavit ex corrupta hac ſcriptura, *perſciemus.*

6. *In Caſca. mihi.*] Diſtinctionem hanc poſuit Victorius; antea, *in Caſca mihi.*

7. *Etiam quod ſcribas habebis quotidie.*] Vulgò. *etiam quid ſcribas quotidie.*

8. Στρατύλλαξ.] Lambinus ϛρατηλάτης. vulgò ϛρατηλάξ. Ad oram librorum ponitur, ϛρατηλώτης. quod quid ſit ignorare ſe fatetur V. C. Dauſquejus, niſi qui exercitum ſibi conciliat & clavo velut adjungit; quod in Antonium non convenire, docemur epiſtola hujus libri 8. itaque malit ϛρατηλάτης, *exercitus dux:* verum invidioſa voce, ac ſi interpreteris, *exercitus impulſor, ſcelerumque hortator*, cujuſmodi Antonius, Tullii cenſura. Quid tamen: addit, ſi, ϛράτου *fax ille delectus, &c.* quos enim ſollicitavit; incentor fuit & militum, & Ægypti, & malorum prope omnium, adeoque Reip. Rom. everſor. Poterat & legi Στρατολάκης ille λὰξ, dejectus de gradu. Notum ex Homero; λὰξ ποδὶ κινήσας. Στρατολάκης, qui exercitum ſonat, & ore arma crepat. verbo *belli lituus.* lege epiſtolam 8. & mecum dices. & pronum factu eſt, ut cùm vicinæ loco voces ſunt λάκης & λὰξ, neque literis admodum diſſitæ, per ignorationem altera alteri fraudi fuerit. ſed nec ineptum ſi dicatur Antonius Στρατάρχης voce notat. Polluci lib. 1. cap. 10. ut Epiſtola XI. *Muſtella* ταξιάρχης. hactenus Dauſquejus.

9. *Aut ſit mihi.*] Vulg. *ea ſit mihi.*

10. *HS. XXV. diſſolvere.*] Vetus hæc eſt Boſii mſſ. ſcriptura; vulg. *XXII.*

11. *Ut fide ſua.*] Ita Cruſellinus & Tornæſ. vulg. *ut ei de ſuo.*

12. *Quas ad me ſuaviſſimè.* Vulg. *quia ad me.*

13. *Conſueram.*] Sic habent Vict. codices. antea, *conſueveram.*

14. *Sed certè.*] Vulg *ſed certò.*

15. *Scripſi; habes exemplum.*] *Scripſi, miſi; habes exemplum;* Vulg.

16. *L. Planco.*] Manutius ait, vel tollendam prænominis notam, vel legendum, *Cn. Planco.*

17. *De ea re tecum.*] Hæc verba quæ à vulgatis abſunt, reſtituit ex ſuis Boſius.

18. *Probaverunt cauſas.*] Mallet Manutius, *cauſam.*

ri. id autem eſt, ut hoc, quod te tua ſponte *facturum eſſe certo ſcio, honoris noſtri cauſa libenter, prolixe, celeriter facias. mihi nemo eſt amicior, nec jucundior, nec carior Attico: cujus antea res ſolùm familiaris agebatur, eaque magna; nunc acceſſit etiam exiſtimatio, ut, quod conſecutus eſt magna & induſtria, & gratia, & vivo Cæſare, & mortuo, id, te adjuvante, obtineat. quod ſi à te erit impetratum, ſic velim exiſtimes, me de tua liberalitate ita interpretaturum; ut tuo ſummo beneficio me affectum judicem. ego, quæ te velle, quæque ad re pertinere arbitrabor, ſtudioſè, diligenterque curabo. da operam, ut valeas.*

CICERO PLANCO PRÆT. DES. S.

IAM *antea petivi abs te per litteras, ut, cùm cauſa Buthrotiorum probata à Conſulibus eſſet, quibus & lege, & S. C. permiſſum erat, ut de Cæſaris actis cognoſcerent, ſtatuerent, judicarent, eam rem tu adjuvares: Atticumque noſtrum, cujus te ſtudioſum cognovi, & me, qui non minùs laboro, moleſtia liberares. omnibus enim rebus magna cura, multa opera, & labore confectis, in te poſitum eſt, ut noſtræ ſollicitudinis finem quam primùm facere poſſimus. quamquam intelligimus ea te eſſe prudentia, ut videas, ſi ea decreta Conſulum, quæ de Cæſaris actis interpoſita ſunt, non ſerventur, magnam* perturbationem *rerum fore. equidem, cum multa, quod neceſſe erat in tanta occupatione, non probentur, quæ Cæſar ſtatuerit; tamen otii,* paciſque cauſa *acerrimè illa ſoleo defendere: quod tibi idem magnopere faciendum cenſeo: quamquam hæc epiſtola non ſuaſoris eſt, ſed rogatoris. Igitur, mi Plance, rogo te, & etiam oro, ſic mediusfidius, ut majore ſtudio, magiſque ex animo agere non poſſim, ut totum hoc negotium ita agas, ita tractes, ita conficias, ut, quod ſine ulla dubitatione apud Conſules obtinuimus propter ſummam* bonitatem, *& æquitatem cauſæ, id tu nos obtinuiſſe non modò facile patiare, ſed etiam gaudeas. qua quidem voluntate eſſe erga Atticum, ſæpe præſens & illi oſtendiſti, & verò etiam mihi. quod ſi feceris, me, quem voluntate, &* paterna *neceſſitudine conjunctum ſemper habuiſti, maximo beneficio devinctum habebis. idque ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo.*

CICERO CAPITONI SUO S.

NUMQUAM *putavi fore, ut* ſupplex *ad te venirem. ſed hercule facilè patior datum tempus, in quo amorem experirer tuum. Atticum quanti faciam, ſcis. amabo te, da mihi & hoc: obliviſcere mea cauſa, illum aliquando ſuo familiari, adverſario tuo, voluiſſe conſultum, cùm illius exiſtimatio ageretur. hoc primùm ignoſcere, eſt humanitatis tuæ:* ſuos enim quiſque debet tueri: *deinde, ſi me amas (omitte Atticum) Ciceroni tuo, quem quanti facias, præ te ſoles ferre,* [1] *totum hoc da, ut, quod ſemper exiſtimavi, nunc planè intelligam, me à te multum amari. Buthrotios cùm Cæſar decreto ſuo, quod ego obſignavi cum multis ampliſſimis viris, liberaviſſet, oſtendiſſetque nobis, ſe, cùm agrarii mare tranſiſſent, litteras miſſurum, quem in agrum deducerentur; accidit, ut ſubito ille interiret. deinde, quemadmodum tu ſcis (interfuiſti enim, cùm conſules oporteret ex S. C. de actis Cæſaris cognoſcere) res ab iis in Kal. Jun. dilata eſt. acceſſit ad S. C. lex, quæ lata eſt A. D. IV. Non. Jun. quæ lex earum rerum, quas Cæſar ſtatuiſſet, decreviſſet, egiſſet, Conſulibus cognitionem dedit. cauſa Buthrotiorum delata eſt ad Conſules. decretum Cæſaris recitatum eſt, & multi præterea libelli Cæſaris prolati. Conſules de conſilii ſententia decreverunt ſecundum Buthrotios;* [2] *Plancum dederunt. Nunc, mi Capito (ſcio enim quantum ſemper apud eos, quibuſcum ſis poſſe ſoleas, eo plus apud hominem faciliimum, atque humaniſſimum Plancum) enitere, elabora, vel potius eblandire, effice, ut Plancus, quem ſpero optimum eſſe, ſit etiam* melior *opera tua. omnino res hujuſmodi videtur eſſe, ut ſine cujuſquam gratia Plancus ipſe pro ingenio, & prudentia ſua non ſit dubitaturus, quin decretum Conſulum, quorum & lege & S. C. cognitio, & judicium fuit, conſervet; præſertim cùm, hoc genere cognitionum labefactato, acta Cæſaris in dubium ventura videantur: quæ non modo ii, quorum intereſt, ſed etiam ii, qui illa non probant,* [3] otii cauſa *confirmare velint. quod cùm ita ſit, tamen intereſt noſtra, Plancum hoc animo libenti prolixoque facere. quod certè faciet, ſi tu nervulos tuos, mihi ſæpe cognitos, ſuavitatemque qua nemo tibi par eſt, adhibueris. quod ut facias, te vehementer rogo.*

CICERO C. CUPIENNIO S.

PATREM *tuum plurimi feci; meque ille mirificè & coluit, & amavit: nec mehercule umquam mihi dubium fuit, quin à te diligerer. ego quidem id facere non deſtiti. quamobrem peto à te in majorem modum, ut civitatem Buthrotiam ſublèves, decretumque Conſulum, quod ii ſecundum Buthrotios fecerunt, cùm & lege, & S. C. ſtatuendi poteſtatem haberent, des operam, ut Plancus noſter quamprimùm confirmet & comprobet. hoc te vehementer, mi Cupienni, etiam atque etiam rogo.*

CICERO PLANCO PRÆT. DES. S.

IGNOSCE *mihi, quòd cùm antea accuratiſſimè de Buthrotiis ad te ſcripſerim, eadem de re* ſæpius ſcribam. *non mehercule, mi Plance, facio,* [4] *quo parum confidam aut liberalitati tuæ, aut noſtræ amicitiæ; ſed cum tanta res agatur Attici noſtri, nunc vero etiam* exiſtimatio, *ut id, quod probavit* [5] *Cæſar, nobis teſtibus & obſignatoribus, qui & decretis & reſponſis Cæſaris interfueramus, videatur obtinere potuiſſe, præſertim cùm tota poteſtas ejus rei tua ſit, ut ea, quæ Conſules decreverunt ſecundum Cæſaris decreta & reſponſa: non dicam comprobes, ſed* ſtudioſè libenterque *comprobes. id mihi ſic erit gratum, ut nulla res gratior eſſe poſſit. etſi jam ſperabam cùm has litteras accepiſſes, fore, ut ea, quæ ſuperioribus litteris à te petiiſſemus, impetrata eſſent; tamen non faciam finem rogandi, quoad nobis nuntiatum erit, te id feciſſe; quod magna cum ſpe exſpectamus.* [6] *deinde enim confido fore, ut alio genere litterarum utamur; tibique pro tuo ſummo beneficio gratias agamus. quod ſi acciderit, velim ſic exiſtimes, non tibi tam Atticum, cujus permagna res agitur, quam me, qui non minùs laboro, quam ille,* obligatum *fore.*

CICERO CAPITONI S.

NON *dubito, quin mirère, atque etiam ſtomachere, quòd tecum de eadem re agam* ſæpius. *Hominis familiariſſimi, & mihi omnibus rebus conjunctiſſimi, permagna res agitur, Attici. cognovi ego tua ſtudia in amicos, etiam in te amicorum. multùm potes nos apud Plancum juvare. novi humanitatem tuam. ſcio, quàm ſis amicis* jucundus. *nemo nos in hac cauſa plus juvare poteſt, quam tu.* [7] *& res ita eſt firma, ut debet eſſe; quam Conſules, de conſilii ſententia decreverunt, cùm & lege, & S. C. cognoſcerent. tamen omnia poſita putamus in Planci tui liberalitate: quem quidem arbitramur cum officii tui, & Reip. cauſa decretum Conſulum comprobaturum, tum libenter noſtra cauſa eſſe facturum. adjuvabis igitur, mi Capito: quod ut facias, vehementer etiam atque etiam rogo.*

M. TUL-

1. *Totum hoc da.*] Ex Cruſell. & Tornæſ. repoſuit Boſius verbum, *da*, quod deerat in editionibus.
2. *Plancum dederunt.*] Manutius mallet, *literas ad Plancum dederunt*, licet repugnent mſſ.
3. *Otii cauſa confirmare velint.*] Faërnus legebat, *confirmari*, paſſivè.
4. *Quo parum.*] Vulg. *quod parum.*
5. *Cæſar nobis teſtibus.*] Vulg. *Cos. nobis teſtibus.*
6. *Deinde enim.*] Vulg. *deinde tum.*
7. *Et res ita eſt firma.*] Ita ſcripſit Boſius ex fide Cruſellini, Tornæſ.

Finis Epiſtolarum M. Tullii Ciceronis ad Atticum.

1. Qua

M. TULLII CICERONIS
EPISTOLARUM
LIBER PRIMUS,
AD
QUINTUM FRATREM.

1 MARCUS Q. FRATRI, S.

ETsi dubitabam, quin hanc epiſtolam mul-
ti nuntii, fama denique eſſet ipſa, ſua ce-
leritate ſuperatura, tuque antè ab aliis au-
diturus eſſes, annum tertium acceſſiſſe de-
ſiderio noſtro, & labori tuo; tamen exi-
ſtimavi à me quoque tibi hujus moleſtiæ
nuntium perferri oportere. Nam ſuperio-
ribus litteris, non unis, ſed pluribus, cùm jam ab aliis
deſperata res eſſet, tamen ego tibi ſpem maturæ deceſſio-
nis afferebam; non ſolum, ut quàm diutiſſimè te jucun-
da opinione oblectarem, ſed etiam quia tanta adhibeba-
tur & à nobis, & à prætoribus contentio, ut rem poſſe
confici non diffiderem. Nunc quoniam ita accidit, ut ne-
que prætores ſuis opibus, neque nos noſtro ſtudio quid-
quam proficere poſſemus, eſt omnino difficile non graviter
id ferre: ſed tamen NOSTROS ANIMOS maximis in rebus &
gerendis, & ſuſtinendis exercitatos, frangi, & debilitari mo-
leſtia non oportet. Et quoniam *ea moleſtiſſimè ferre homines
debent, quæ ipſorum culpa contracta ſunt*, eſt quiddam in hac
re mihi moleſtiùs ferendum, quàm tibi. factum eſt enim
mea culpa, contrà, quàm tu mecum, & proficiſcens, &
per litteras egeras, ut priore anno non ſuccederetur. Quod
ego dum ſociorum ſaluti conſulo, dum impudentiæ non-
nullorum negotiatorum reſiſto, dum noſtram gloriam tua
virtute augeri expeto, feci non ſapienter: præſertim cùm
id commiſerim, ut ille alter annus etiam tertium poſſet ad-
ducere. Quod quoniam peccatum meum eſſe confiteor; eſt
ſapientiæ, atque humanitatis tuæ, curare & perficere, ut
hoc *minùs ſapienter a me proviſum, diligentia tua corrigatur.*
Ac ſi te ipſe vehementius ad omneis parteis bene audiendi
excitaris; non ut cum aliis, ſed ut TECUM JAM IPSE CER-
TES; ſi omnem tuam mentem, curam, cogitationem, ad
excellentem omnibus in rebus laudis cupiditatem incita-
ris: mihi crede, UNUS ANNUS additus labori tuo, multo-
rum annorum lætitiam nobis, gloriam verò etiam poſteris
noſtris afferet. Quapropter hoc te primùm rogo, ne con-
trahas, aut demittas animum, neve te obrui, tamquam flu-
ctu, ſic magnitudine negotii ſinas: contraque erigas, ac
reſiſtas, ſive *etiam ultrò occurras negotiis*. Neque enim ejus-
modi partem reip. geris, in qua FORTUNA dominetur, ſed
in qua plurimum RATIO poſſit, & *diligentia*. Quòd ſi tibi
bellum aliquod magnum, & periculoſum adminiſtranti
prorogatum imperium viderem; tremerem animo, quod
eodem tempore eſſe intelligerem etiam fortunæ poteſtatem
in nos prorogatam. Nunc verò ea pars tibi reip. commiſſa
eſt, in qua aut nullam, aut perexiguam partem fortuna te-
net, & quæ mihi tota in tua virtute, ac moderatione ani-
mi poſita eſſe videatur. Nullas (ut opinor) inſidias hoſtium,
nullam prælii dimicationem, nullam defectionem ſocio-
rum, nullam inopiam ſtipendii, aut rei frumentariæ, nul-
lam ſeditionem exercitus pertimeſcimus: quæ perſæpe ſa-
pientiſſimis viris acciderunt, ut, quemadmodum *guberna-
tores optimi vim tempeſtatis*, ſic illi fortunæ impetum ſu-
perare non poſſent. Tibi data eſt ſumma pax, ſumma
tranquillitas: ita tamen, ut ea *dormientem gubernatorem vel
obruere, vigilantem etiam delectare poſſit*. Conſtat enim ea
provincia primùm ex eo genere ſociorum, quod eſt ex ho-
minum omni genere humaniſſimum: deinde ex eo genere
civium, qui aut quòd publicani ſunt, nos ſumma neceſſi-
tudine attingunt: aut quòd ita negotiantur, ut locupletes
ſint, noſtri conſulatus beneficio ſe incolumeis fortunas
habere arbitrantur. At enim inter hos ipſos exſiſtunt gra- 2
ves controverſiæ, multæ naſcuntur injuriæ, magnæ con-
tentiones conſequuntur. Quaſi verò ego id putem, non te
aliquantum negotii ſuſtinere. Intelligo permagnum eſſe
negotium, & maximi conſilii. ſed memento, conſilii
me hoc negotium eſſe magis aliquanto, quàm fortunæ,
putare. QUID EST ENIM NEGOTII, CONTINERE EOS,
QUIBUS PRÆSIS, SI TE IPSE CONTINEAS? Id autem ſit
magnum, & difficile ceteris, ſicut eſt difficillimum: tibi
& fuit hoc ſemper facillimum, & verò eſſe debuit: cujus
natura talis eſt, ut etiam ſine doctrina videatur moderata
eſſe potuiſſe: ea autem adhibita doctrina eſt, [1] quæ vel vi-
tioſiſſimam naturam attollere poſſit. Tu cùm pecuniæ, cùm
voluptati, cùm omnium rerum cupiditati reſiſtes, ut facis:
erit, credo, periculum, ne improbum negotiatorem,
paullo cupidiorem publicanum comprimere non poſſis.
Nam Græci quidem ſic te *ita viventem intuebuntur, ut
quendam ex annalium memoria*, aut etiam *de cœlo divinum
hominem* eſſe in provinciam delapſum putent. Atque hæc
nunc non ut facias, ſed ut te facere, & feciſſe gaudeas,
ſcribo. PRÆCLARUM eſt enim, ſummo cum imperio fuiſſe
in Aſia triennium; ſic ut nullum te ſignum, nulla pictura
nullum vas, nulla veſtis, nullum mancipium, [2] nulla forma
cujuſquam, nulla conditio pecuniæ (quibus rebus abundat
iſta provincia) ab ſumma integritate, continentiaque de-
duxerit. Quid autem reperiri tam eximium, aut tam ex-
petendum poteſt, quam iſtam virtutem, moderationem
animi, temperantiam, non latêre in tenebris, neque eſſe
abditam ſed in luce Aſiæ, *in oculis* clariſſimæ provinciæ,
atque *in auribus* omnium gentium, ac nationum eſſe poſi-
tam? non itineribus tuis perterreri homines? non ſumtu
exhauriri? non adventu commoveri? eſſe, quocumque
veneris, & publicè, & privatim maximam lætitiam: cùm
urbs cuſtodem, non tyrannum: domus hoſpitem, non
expilatorem, recepiſſe videatur? His autem in rebus jam te 3
uſus ipſe profectò erudivit, NEQUAQUAM ſatis eſſe, ipſum
haſce habere virtutes, ſed eſſe circumſpiciendum diligen-
ter, ut in hac cuſtodia provinciæ non te unum, ſed omneis
miniſtros imperii tui, ſociis, & civibus, & reip. præſtare
videare. Quamquam legatos habes eos, qui ipſi per ſe ha-
bituri

1. Q*Uæ vel vitioſiſſimam naturam attollere poſſit.*] Exturbavi vulga-
tum *excolere*, inductus à Pall. quatuor, in quibus illud alte-
rum, aut *accolere*. reſpexit fortè ad hunc locum Horatius cum vo-
luit, *deprimi humo divinam particulam auræ*.

2. *Nulla forma cujuſquam.*] Palatinus unus, *fortuna*, quod eſſet
dignitas, potentia, atque honor. cogitandum.

biturі ſint rationem dignitatis ſuæ; de quibus honore, & dignitate, & ætate præſtat Tubero, quem ego arbitror, præſertim cùm ſcribat hiſtoriam, multos ex ſuis annalibus poſſe diligere, quos velit, & poſſit imitari: [1] Halienus autem noſter, cùm animo & benivolentia, tum vero etiam imitatione vivendi. Nam quid ego de Gratidio dicam? quem certò ſcio ita laborare de exiſtimatione ſua, [2] ut propter amorem in nos fraternum, etiam de noſtra laboret. Quæſtorem habes, non tuo judicio delectum, ſed eum, quem ſors dedit. hunc oportet & ſua ſponte eſſe moderatum, & tuis inſtitutis, ac præceptis obtemperare. Quorum ſi quis fortè eſſet ſordidior, ferres eatenus, quoad per ſe negligeret eas leges, quibus eſt adſtrictus: non ut ea poteſtate, quam tu ad dignitatem permiſiſſes, [3] ad quæſtum uteretur. Neque enim mihi ſanè placet, præſertim cùm ii mores tantùm jam [4] ad nimiam lenitatem, & ambitionem incubuerint, ſcrutari te omneis ſordeis, excutere unumquemque eorum: ſed, *quanta ſit in quoque fides, tantum cuique committere.* Atque inter hos, eos, quos tibi comites, & adjutores negotiorum publicorum dedit ipſa reſp. duntaxat finibus his præſtabis, quos ante præſcripſi.
4 Quos verò aut [5] ex domeſticis convictionibus, aut ex neceſſariis apparitoribus tecum eſſe voluiſti, qui quaſi ex cohorte prætoris appellari ſolent, horum *non modo facta, ſed etiam dicta omnia præſtanda nobis ſunt.* Sed habes eos tecum, quos poſſis rectè facienteis facilè diligere: minùs conſulenteis exiſtimationi tuæ, facillimè coërcere: à quibus, rudis cùm eſſes, videtur potuiſſe tua liberalitas decipi (nam UT QUISQUE EST VIR OPTIMUS, ita difficillimè eſſe alios improbos ſuſpicatur) nunc verò tertius hic annus habeat integritatem eandem, quam ſuperiores, cautiorem etiam ac diligentiorem. Sint aures tuæ, quæ id, quod audiunt, exiſtimentur audire, non in quas fictè & ſimulatè quæſtus cauſa inſuſurretur. Sit *annulus* tuus non ut vas aliquod, ſed tamquam ipſe tu: non miniſter alienæ voluntatis: ſed teſtis tuæ. Accenſus ſit eo numero, quo eum majores noſtri eſſe voluerunt: qui hoc non in beneficii loco, ſed in laboris, ac muneris, non temerè niſi libertis ſuis deferebant: quibus illi quidem non multò ſecus, ac ſervis, imperabant. Sit [6] lictor non ſuæ, ſed tuæ lenitatis apparitor: majoraque præferant faſces illi, ac ſecures dignitatis inſignia, quàm poteſtatis. TOTI DENIQUE SIT PROVINCIÆ COGNITUM, tibi omnium, quibus præſis, ſalutem, liberos, famam, fortunas eſſe cariſſimas. Denique hæc opinio ſit, non modò iis, qui aliquid *acceperint*, ſed iis etiam, qui *dederint*, te inimicum (ſi id cognoveris) futurum. Neque verò quiſquam dabit, cùm erit hoc perſpectum, nihil per eos, qui *ſimulant ſe apud te multum poſſe*, abs te ſolere impetrari. Nec tamen eſt hæc oratio mea hujuſmodi, ut te in tuos aut *durum* eſſe nimium, aut *ſuſpicioſum* velim. Nam ſi quis eſt eorum, qui tibi biennii ſpatio numquam in ſuſpicionem avaritiæ venerit, (ut ego Cæſium, & Chærippum, & Labeonem, & audio, &, quia cognovi, exiſtimo) nihil eſt, quod non & iis, & ſi quis eſt alius ejuſdemmodi, & committi, & credi rectiſſimè putem. Sed ſi quis eſt, in quo jam offenderis, de quo aliquid ſenſeris: huic nihil crediderіs, *nullam partem exiſtimationis*
5 *tuæ commiſeris.* In provincia verò ipſa, ſi quem es nactus, qui in tuam familiaritatem penitus intrarit, qui nobis antè fuerit ignotus: huic quantum credendum ſit, vide: non quin poſſint multi eſſe provinciales viri boni: ſed hoc ſperare licet; judicare periculoſum eſt. MULTIS enim ſimulationum involucris tegitur, & quaſi velis quibuſdam obtenditur uniuſcujuſque natura: *frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur: oratio vero ſæpiſſime.* Quamobrem, qui potes reperire ex eo genere hominum, qui pecuniæ cupiditate adducti careant his rebus omnibus, à quibus nos divulſi eſſe non poſſimus? te autem, alienum hominem ament ex animo, ac non ſui commodi cauſa ſimulent? mihi quidem permagnum videtur; præſertim ſi iidem homines privatum non ferè quemquam, *PRÆTORES SEMPER OMNEIS AMANT.* Quo ex genere ſiquem fortè tui cognoſti amantiorem (fieri enim potuit) quam temporis, hunc verò ad tuum numerum libenter adſcribito. Sin autem id non perſpicies; nullum erit genus in familiaritate cavendum magis: propterea quòd & omneis vias pecuniæ norunt, & omnia pecuniæ cauſa faciunt: & *quicum victuri non ſunt, ejus exiſtimationi conſulere non curant.* Atque etiam è Græcis ipſis diligenter cavendæ ſunt quædam familiaritates, præter hominum perpaucorum, ſi qui ſunt *vetere Græcia digni.* Sic verò, fallaces ſunt permulti, & leves, & *diuturna ſervitute ad nimiam aſſentationem eruditi.* quos ego univerſos adhiberi liberaliter; optimum quemque hoſpitio, amicitiaque [7] conjungi dico oportere: nimiæ familiaritates eorum, neque tam fideles ſunt (non enim audent adverſari noſtris voluntatibus) & verò invident non noſtris ſolùm, verùm etiam ſuis. Jam qui in ejuſmodi 6
rebus, in quibus vereor etiam ne durior ſim, cautus eſſe velim, ac diligens: quo me animo in ſervos eſſe cenſes? *quos quidem cùm omnibus in locis, tum præcipuè in provinciis regere debemus:* quo de genere multa præcipi poſſunt. ſed hoc & breviſſimum eſt, & facillimè teneri poteſt, ut ita ſe gerant in iſtis Aſiaticis itineribus, [8] ut ſi iter Appia via faceres: neve intereſſe quidquam putent, utrùm Tralleis, an Formias venerint. At, ſi quis eſt ex ſervis egregiè fidelis, ſit in domeſticis rebus, & privatis: quæ res ad officium imperii tui, atque ad aliquam partem reipub. pertinebunt, de his rebus nequid attingat. Multa enim, quæ rectè committi ſervis fidelibus poſſunt, tamen *ſermonis, & vituperationis vitandæ cauſa*, committenda non ſunt. Sed neſcio quo pacto ad præcipiendi rationem delapſa eſt oratio mea cùm id mihi propoſitum initiò non fuiſſet. Quid enim ei, præcipiam, quem ego in hoc præſertim genere intelligam, prudentia non eſſe inferiorem, quàm me, uſu verò etiam ſuperiorem? Sed tamen ſi ad ea, quæ faceres, AUCTORITAS accederet mea, tibi ipſi illa putavi fore jucundiora. Quare ſint hæc fundamenta dignitatis tuæ: tua primùm integritas, & continentia: deinde omnium, qui tecum ſunt, pudor: delectus in familiaritatibus, & provincialium hominum, & Græcorum, percautus & diligens: familiæ gravis, & conſtans diſciplina. Quæ cùm honeſta ſint in his privatis noſtris, quotidianiſque rationibus: in tanto imperio, tam depravatis moribus, tam corruptrice provincia, DIVINA videantur neceſſe eſt. Hæc inſtitutio, atque hæc diſciplina poteſt ſuſtinere in rebus ſtatuendis, & decernendis eam ſeveritatem, [9] qua tu in iis rebus uſus es, ex quibus nonnullas ſimultates cum magna mea lætitia ſuſceptas habemus. niſi fortè me Paconii neſcio cujus, hominis ne

Græci

1. *Halienus autem.*] Pall duo *Alienus*, duo *Avienus*. ſi quid mutandum, ſecunda lectio reſumenda veniret. ita enim idem vocatur & Cæſari, de bello civili.

2. *Ut propter amorem in nos fraternum, etiam de noſtra laboret.*] Melius iſtud, quam veteris editionis ſcriptura, *ut propterea am. &c. etiam demonſtrare laboret*; quomodo tamen Pall. & liber Pavilionis, quo uſus Janus Gulielmius.

3. *Ad quæſtum uteretur.*] Recentiores *abuteretur*, ſed contra antiquitus cuſos & mſſ. Pall.

4. *Ad nimiam lenitatem.*] Manutius maluit *levitatem*, utrumque tuetur ſe libris manuſcriptis.

5. *Ex domeſticis convictionibus.*] Victorii editio, *conjunctionibus*, quomodo aliquot item Pall. nam ceteri *convictoribus*; Pavilionis *convictioribus*.

6. *Lictor non ſuæ, ſed tuæ lenitatis apparitor.*] Lipſius noſter libro 1. Elect. cap. 23. auſit reſcribere, *lictor manſues, & tuæ lenit.* ſed inclinat tamen magis, in id quod Urſinus depromit è libro, *lictor, non ſævitiæ, ſed tuæ, &c.* neutrum placet. rationes reddidi in Suſpicionibus.

7. *Conjungi dico oportere.*] Melius forſan, *duco* moneo tamen in uno Pal. non comparere dictionem *dico*.

8. *Ut ſi iter Appia via faceres.*] Pavilonii mſ. non agnoſcit *via*, & poteramus ea carere.

9. *Qua tu in his rebus uſus es.*] Pall. duo, *quam*, antiquo fortè ſcribendi modo.

1. *Pri-*

Græci quidem, at Myſii, aut Phrygis potiùs querelis moveri putas: aut Tuſcenii, hominis furioſi, ac ſordidi vocibus, cujus tu ex impuriſſimis faucibus inhoneſtiſſi-
7 mam cupiditatem eripuiſti ſumma cum æquitate. Hæc, & cetera plena ſeveritatis, quæ ſtatuiſti in iſta provincia, non facilè ſine ſumma integritate ſuſtineremus. quare ſit ſumma *in jure dicundo ſeveritas*, dummodò ea ne varietur gratia, ſed conſervetur æquabilis. Sed tamen PARVI REFERT abs te ipſo jus dici æqualiter, & diligenter, niſi idem ab iis fiet, quibus tu ejus muneris aliquam partem conceſſeris. Ac mihi quidem videtur non ſanè magna varietas eſſe negotiorum in adminiſtranda Aſia, ſed ea tota juriſdictione maximè ſuſtineri. In qua ſcientiæ præſertim provincialis ratio ipſa expedita eſt. Conſtantia eſt adhibenda, & gravitas, quæ reſiſtat *non ſolum gratiæ, verùm etiam ſuſpicioni*. Adjungenda etiam eſt *facilitas* in audiendo, *lenitas* in decernendo, in ſatisfaciendo ac diſputando *diligentia*. His rebus nuper Cn. Octavius, jucundiſſimus fuit: apud quem [1] primus lictor quievit; tacuit accenſus: quoties quiſque voluit, dixit, & quam voluit, diu. Quibus ille rebus fortaſſe nimis lenis videretur, niſi hæc LENITAS illam ſeveritatem tueretur. Cogebantur Sullani homines, quæ per vim & metum abſtulerant, reddere. qui in magiſtratibus injurioſè decreverant, eodem ipſis privatis erat jure parendum. hæc illius ſeveritas, acerba videretur, niſi multis *condimentis humanitatis mitigaretur*. Quòd ſi hæc lenitas, grata Romæ eſt, ubi tanta arrogantia eſt, tam immoderata libertas, tam infinita hominum licentia, denique tot magiſtratus, tot auxilia, tanta vis, tanta ſenatus auctoritas: quàm jucunda tandem prætoris comitas in Aſia poteſt eſſe, in qua tanta multitudo civium, tanta ſociorum, tot urbes, tot civitates unius hominis NUTUM INTUENTUR? ubi [2] nullum auxilium eſt, nulla conqueſtio, nullus ſenatus, nulla concio? Quare *cùm permagni hominis eſt*, & cùm ipſa natura moderati, tum verò etiam doctrina, atque optimarum artium ſtudiis eruditi, ſic ſe adhibere in tanta poteſtate, ut nulla alia poteſtas ab iis, quibus ipſe præſit,
8 deſideretur. Cyrus ille à Xenophonte non ad hiſtoriæ fidem ſcriptus, ſed ad effigiem juſti imperii: cujus ſumma gravitas ab illo philoſopho cum ſingulari comitate conjungitur: quos quidem libros non ſine cauſa noſter ille Africanus de manibus ponere non ſolebat: nullum eſt enim prætermiſſum in iis officium diligentis, & moderati imperii. eaque, ſi ſic coluit ille, *qui privatus futurus numquam fuit*, quonam modo retinenda ſunt iis, quibus imperium ita datum eſt, ut redderent, & ab iis legibus datum eſt, ad quas revertendum eſt? Ac mihi quidem videntur huc omnia eſſe referenda iis, qui præſunt aliis. *ut ii, qui erunt eorum in imperio, ſint quam beatiſſimi:* quod tibi eſſe & antiquiſſimum, & ab initio fuiſſe, ut primùm Aſiam attigiſti, conſtante fama, atque omnium ſermone celebratum eſt. Eſt autem non modò ejus, qui ſociis & civibus, ſed etiam ejus, qui ſervis, qui mutis pecudibus præſit, eorum, quibus præſit, commodis, utilitatique ſervire. Cujus quidem generis conſtare inter omneis video, abs te ſummam adhiberi diligentiam: *nullum æs alienum novum contrahi* civitatibus. vetere autem magno, & gravi multas abs te eſſe liberatas urbeis: [3] complureis dirutas, ac pænè deſertas, (in quibus unam Ioniæ nobiliſſimam, alteram Cariæ, Samum & Halicarnaſſum) per te eſſe recreatas: nullas eſſe in oppidis ſeditiones, nullas diſcordias: provideri abs te, ut civitates *optimatium conſiliis* adminiſtrentur: ſublata Myſiæ latrocinia: cædeis multis locis repreſſas: pacem tota provincia conſtitutam: neque ſolùm illa itinerum, atque agrorum, ſed multò etiam plura, & majora oppidorum & fanorum furta, & latrocinia eſſe depulſa. Remotam à fama, & à fortunis, & ab otio locupletum, illam *acerbiſſimam miniſtram prætorum avaritiæ calumniam:* ſumtus & tributa civitatum ab omnibus, qui earum civitatum fineis incolant, tolerari æquabiliter. facillimos eſſe aditus ad te: *patere aureis tuas querelis omnium:* nullius inopiam, ac ſolitudinem, non modò illo populari acceſſu, ac tribunali, [4] ſed ne domo quidem & cubiculo eſſe excluſam: tuo toto denique imperio nihil *acerbum* eſſe, nihil *crudele*, atque omnia plena clementiæ, manſuetudinis, humanitatis.
Quantum verò illud eſt beneficium tuum, quòd iniquo, & 9
gravi vectigali ædilitiorum, magnis noſtris ſimultatibus, Aſiam liberaſti? Enimverò ſi unus homo nobilis queritur palàm, te, quòd edixeris, *NE AD LUDOS PECUNIÆ DECERNERENTUR*, H-S. CC. ſibi eripuiſſe: quanta tandem pecunia penderetur, ſi omnium nomine, quicumque Romæ ludos facerent, quod erat jam inſtitutum, erogaretur? Quamquam has querelas hominum noſtrorum illo conſilio oppreſſimus, quod in Aſia neſcio quonam modo, Romæ quidem non mediocri cum admiratione laudatur, quòd, cùm ad TEMPLUM, MONUMENTUMQUE noſtrum civitates pecunias decreviſſent: cumque id & pro meis magnis meritis, & pro tuis maximis beneficiis ſumma ſua voluntate feciſſent: nominatimque lex exciperet, UT AD TEMPLUM, MONUMENTUMQUE CAPERE LICERET: cumque id, quod dabatur, non eſſet interiturum, ſed in ornamentis templi futurum, ut non mihi potiùs, quàm populo Romano, ac diis immortalibus datum videretur: tamen id, in quo erat dignitas, erat lex, erat eorum, qui faciebant, voluntas, accipiendum non putavi; cùm aliis de cauſis, tum etiam ut animo æquiore ferrent ii, quibus nec deberetur, nec liceret. Quapropter incumbe toto animo, & ſtudio omni in eam rationem, qua adhuc uſus es, ut eos, quos tuæ fidei, poteſtatique S. P. Q. R. commiſit, & credidit, diligas, & omni ratione tueare, *ut eſſe quam beatiſſimos velis*. Quòd ſi te ſors Afris, aut Hiſpanis, aut Gallis præfeciſſet, immanibus, ac barbaris nationibus: tamen eſſet humanitatis tuæ, conſulere eorum commodis & utilitati, ſalutique ſervire. Cùm verò ei generi hominum præſimus, non modò in quo ipſa ſit, ſed etiam à quo ad alios perveniſſe putetur humanitas: certè iis eam potiſſimum tribuere debemus, à quibus accepimus. Non enim me hoc jam dicere pudebit, præſertim in ea vita, atque iis rebus geſtis, in quibus non poteſt reſidere inertiæ, aut levitatis ulla ſuſpicio: *nos ea, quæ conſecuti ſumus, his ſtudiis, & artibus eſſe adeptos, quæ ſint nobis Græciæ* monumentis, diſciplinisque tradita. Quare præter communem fidem, quæ omnibus debetur, præterea nos iſti hominum generi præcipuè debere videmur, ut, quorum præceptis ſumus eruditi, apud eos ipſos, quod ab iis didi-
cerimus, velimus expromere. Atque ille quidem princeps 10
ingenii, & doctrinæ Plato, TUM *denique fore beatas reſpubl. putavit, ſi aut docti, ac ſapientes homines eas regere cœpiſſent; aut ii qui regerent, omne ſuum ſtudium in doctrina, ac ſapientia collocaſſent*. Hanc conjunctionem videlicet poteſtatis, ac ſapientiæ, ſaluti cenſuit civitatibus eſſe poſſe: quod fortaſſe aliquando univerſæ reipublicæ noſtræ, nunc quidem profectò iſti provinciæ contigit, ut is in ea ſummam poteſtatem haberet, cui in doctrina, cui in [5] virtute, atque humanitate percipienda, plurimum à pueritia ſtudii fuiſſet, & temporis. Quare cura, ut hic annus, qui ad laborem tuum acceſſit, idem ad ſalutem Aſiæ prorogatus eſſe videatur.

1. *Primus lictor quievit: tacuit accenſus, &c.*] Ita de conjectura Octavius Pantagathus, cui hactenus omnes meritò acquieverunt; utique cum nihil eſſet inficetius vulgato, *qui fuit*. quod tamen in omnibus mſſ. præterquam Halberſtadienſi, qui noſtrum illud firmat, ut prodit Pighius noſter libro XVI. Annal. Roman.

2. *Nullum auxilium eſt, nulla conqueſtio.*] Sic omnes libri noſtri. itaque id retinebimus, non admiſſo P. Manutii *quæſtio:* intelligemuſque de collegis, ut volebat Gulielmius.

3. *Complureis dirutas.*] Pall. duo *diruptas*. quod examinabunt otioſiores. certe non ſtatim quod *diruptum* eſt, etiam *dirutum* dici poteſt.

4. *Sed ne domo quidem & cubiculo eſſe excluſam: tuo toto denique imperio, &c.*] Et diſtinctio & lectio eſt a quinque Pall. quibus proxime accedebat editio Victorii.

5. *Virtute percipienda.*] Pal. unus è quatuor *præcipienda*.

1. In-

tur. quoniam in te retinendo fuit Aſia felicior, quàm nos in deducendo: perfice, ut lætitia provinciæ deſiderium noſtrum leniatur. Etenim ſi in promerendo, ut tibi tanti honores haberentur, quanti haud ſcio an nemini, fuiſti omnium diligentiſſimus: multò majorem in his *honoribus tuendis* adhibere diligentiam debes. Et quidem de iſto genere honorum quid ſentirem, ſcripſi ad te antè. ſemper eos putavi, ſi vulgares eſſent, vileis: ſi temporis cauſa conſtituerentur, leveis: ſi verò (id quod ita factum eſt) *meritis tuis tribuerentur*, exiſtimabam multam tibi in his honoribus tuendis operam eſſe ponendam. Quare quoniam in iſtis urbibus cum ſummo imperio, & poteſtate verſaris, in quibus tuas virtutes conſecratas, & [1] in deorum numero collocatas vides: in omnibus rebus, quas ſtatues, quas decernes, quas ages, quid tantis *hominum opinionibus*, tantis de te judiciis, tantis honoribus debeas, cogitabis. Id autem erit ejuſmodi, UT CONSULAS OMNIBUS, ut medeare incommodis hominum, provideas ſaluti, ut te *parentem*
11 Aſiæ & dici, & haberi velis. Atque huic tuæ voluntati, ac diligentiæ difficultatem magnam afferunt publicani. quibus ſi adverſamur: ordinem de nobis optimè meritum, & per nos cum rep. conjunctum, & à nobis, & à rep. disjungemus. ſin autem omnibus in rebus obſequemur: funditus eos perire patiemur, quorum non modò ſaluti, ſed, etiam [2] commodis conſulere debemus. Hæc eſt una (ſi verè cogitare volumus) in toto imperio tuo difficultas. Nam ESSE ABSTINENTEM; continere omneis cupiditates; ſuos coërcere; juris æquabilem tenere rationem; facilem te in rebus cognoſcendis, in hominibus audiendis, admittendiſque præbere; præclarum magis eſt, quàm difficile. non eſt enim poſitum in labore aliquo, ſed in quadam inductione animi, atque voluntate. Illa cauſa publicanorum quantam acerbitatem afferat ſociis, intelleximus ex civibus, qui nuper in portoriis Italiæ tollendis, *non tam de portorio, quàm de nonnullis injuriis portitorum* querebantur. [3] Quare non ignoro, quid ſociis accidat in ultimis terris, cùm audierim in Italia querelas civium. Hic te ita verſari, ut & publicanis ſatisfacias, (præſertim publicis malè redemtis) & ſocios perire non ſinas, divinæ cujuſdam virtutis eſſe videtur, id eſt, tuæ. Ac primùm Græcis, id quod acerbiſſimum eſt, quòd ſunt vectigales, non ita acerbum videri debet, propterea quòd ſine imperio populi Rom. ſuis inſtitutis, per ſe ipſi ita fuerunt. Nomen autem publicani aſpernari non poſſunt, qui pendere ipſi vectigal ſine publicano non potuerunt, quòd iis æqualiter Sulla deſcripſerat. Non eſſe autem leniores in exigendis vectigalibus Græcos, quàm noſtros publicanos, hinc intelligi poteſt, quòd Caunii nuper omnes, ex inſulis, quæ erant ab Sulla Rhodiis attributæ, confugerunt ad ſenatum, *nobis ut potiùs vectigal, quàm Rhodiis penderent*. Quare nomen publicani neque ii debent horrere, qui ſemper vectigales fuerunt: neque ii aſpernari, qui per ſe pendere vectigal non potuerunt: neque ii recuſare, qui poſtulaverunt. Simul & illud Aſia cogitet, nullam à ſe neque belli externi, neque diſcordiarum domeſticarum calamitatem abfuturam fuiſſe, ſi hoc imperio non teneretur. id autem imperium cùm retineri ſine vectigalibus nullo modo poſſit, ÆQUO ANIMO PARTE ALIQUA SUORUM FRUCTUUM, PACEM SIBI SEM-
12 PITERNAM REDIMAT, ATQUE OTIUM. Quòd ſi genus ipſum, & nomen publicani non iniquo animo ſuſtinebunt, poterunt iis, *conſilio, & prudentia* tua reliqua videri mitiora. Poſſunt in pactionibus faciendis non legem ſpectare cenſoriam, ſed potius commoditatem conficiendi negotii, & liberationem moleſtiæ. Potes etiam tu id facere, quod & feciſti egregiè, & facis, ut commemores, quanta ſit in publicanis dignitas, quantum nos illi ordini debeamus, ut remoto imperio, ac vi poteſtatis, & faſcium, publicanos cum Græcis gratia atque auctoritate conjungas. Sed & ab iis, de quibus optimè tu meritus es, & qui tibi omnia debent, hoc petas, ut FACILITATE ſua, nos eam neceſſitudinem, quæ eſt nobis cum publicanis, obtinere, & conſervare patiantur. Sed quid ego te hæc hortor, quæ tu non modò facere potes tua ſponte ſine cujuſquam præceptis, ſed etiam magna jam ex parte perfeciſti? non enim deſiſtunt nobis agere quotidie gratias honeſtiſſimæ, & maximæ ſocietates: quod quidem mihi idcirco jucundius eſt, quòd idem faciunt Græci. DIFFICILE EST autem ea, quæ commodis, utilitate, & propè natura diverſa ſunt, voluntate conjungere. At ea quidem, quæ ſupra ſcripta ſunt, non ut te inſtituerem, ſcripſi (neque enim prudentia tua cujuſquam præcepta deſiderat) ſed me in ſcribendo commemoratio tuæ virtutis delectavit: quamquam in his litteris longior fui, quàm aut vellem, aut quàm me putavi fore.
Unum eſt, quod tibi ego præcipere non deſinam, neque te 13
patiar (quantum in me erit) cum exceptione laudari. omnes enim, qui iſtinc veniunt, ita de tua virtute, integritate, humanitate commemorant, ut in tuis ſummis laudibus excipiant unam *iracundiam*. quod vitium, cùm in hac privata, quotidianaque vita levis eſſe animi, atque infirmi videtur: tum verò NIHIL EST tam deforme, quàm ad ſummum imperium etiam acerbitatem naturæ adjungere. Quare illud non ſuſcipiam, ut, quæ de iracundia dici ſolent à doctiſſimis hominibus, ea tibi nunc exponam, cùm & nimis longus eſſe nolim, & ex multorum ſcriptis ea facilè poſſis cognoſcere. illud, quod eſt epiſtolæ proprium, ut is, ad quem ſcribitur, de iis rebus, quas ignorat, certior fiat, prætermittendum eſſe non puto. Sic ad nos omnes ferè deferunt, *nihil cùm abſit iracundia, te fieri poſſe jucundius. ſed cùm te alicujus improbitas, perverſitaſque commoverit, ſic te animo incitari, ut ab omnibus tua deſideretur humanitas.* Quare quoniam in eam rationem vitæ nos non tam cupiditas quædam gloriæ, quàm res ipſa, ac fortuna deduxit, ut *ſempiternus ſermo* hominum de nobis futurus ſit: caveamus, quantum efficere, & conſequi poſſumus, ne quod in nobis inſigne vitium fuiſſe dicatur. Neque ego hoc nunc contendo, quod fortaſſe cùm in omni natura, tum jam in noſtra ætate DIFFICILE EST, MUTARE ANIMUM, ET SI QUID EST PENITUS INSITUM MORIBUS, ID SUBITÒ EVELLERE: ſed te illud admoneo, ut, ſi hoc plenè vitare non potes, quòd antè occupatur animus ab iracundia, quàm providere ratio potuit, ne occuparetur: te antè compares, *quotidieque meditere*, reſiſtendum eſſe iracundiæ: cumque ea maximè animum moveat, tum tibi eſſe diligentiſſimè LINGUAM CONTINENDAM: quæ quidem mihi virtus non interdum minor videtur, quàm omnino non iraſci. Nam illud non ſolùm eſt gravitatis, ſed nonnumquam etiam lentitudinis. Moderari verò & animo, & orationi, cùm ſis iratus, aut etiam tacere, & tenere in ſua poteſtate motum animi, & dolorem, etſi non eſt *perfectæ ſapientiæ*, tamen eſt non mediocris ingenii. Atque in hoc genere multò te eſſe jam commodiorem, mitioremque nuntiant. Nullæ tuæ vehementiores animi concitationes, nulla maledicta ad nos, nullæ contumeliæ perferuntur: quæ cùm abhorrent à litteris, ab humanitate, tum verò *contraria ſunt imperio, ac dignitati*. nam ſi implacabiles iracundiæ ſint, ſumma eſt acerbitas. ſin autem exorabiles, ſumma levitas: quæ tamen (ut in malis) acerbitati anteponenda eſt.
Sed quoniam primus annus habuit 14
de hac reprehenſione plurimum ſermonis, credo propterea, quòd tibi hominum injuriæ, quòd avaritiæ, quòd inſolentia, præter opinionem accidebat, & intolerabilis videbatur: ſecundus autem multo lenior, quòd & *conſuetudo, & ratio*, & (ut ego arbitror) meæ quoque litteræ te patientiorem, leonioremque fecerunt: tertius annus ita eſſe debet emen-

---

1. *In deorum numero collocatas vides.*] Egregiè explicat Lipſius noſter libro 1. Electorum cap. 14.

2. *Etiam commodis conſulere debemus.*] Pal. pr. *conſ. tenemur.* ſec. *commodis conſulemus.* prætulerim utrumque vulgato.

3. *Quare non ignoro, quid ſociis, &c.*] Tolle *non ignoro*, & anima clauſulam interrogatione, ſi cupis dignam Tullio ſententiam.

1. Quare

emendatus, ut ne minimam quidem rem quiſquam poſſit ullam reprehendere. At jam hoc loco non hortatione, neque præceptis, ſed precibus tecum fraternis ago; totum ut animum, curam, cogitationemque tuam ponas *in omnium laude undique colligenda.* Quòd ſi in mediocri ſtatu ſermonis, ac prædicationis noſtræ res eſſent: nihil abs te eximium, nihil præter aliorum conſuetudinem poſtularetur. nunc verò propter earum rerum, in quibus verſati ſumus, ſplendorem, & magnitudinem, NISI SUMMAM LAUDEM ex iſta provincia aſſequimur, vix videmur ſummam vituperationem poſſe vitare. Ea noſtra ratio eſt, ut omnes BONI cùm faveant, tum etiam à nobis omnem diligentiam, virtutemque & poſtulent, & exſpectent: omnes autem IMPROBI (quòd cum iis bellum ſuſcepimus ſempiternum) vel minima re ad reprehendendum contenti eſſe videantur. [1] Quare quoniam ejuſmodi THEATRUM totius Aſiæ virtutibus eſt datum, celebritate refertiſſimum, magnitudine ampliſſimum, judicio eruditiſſimum, natura autem ita reſonans, ut uſque Romam ſignificationes, voceſque referantur: contende, quæſo, atque elabora, non modò ut his rebus dignus fuiſſe, ſed etiam ut
15 illa omnia tuis artibus *ſuperaſſe* videare. Et quoniam mihi caſus urbanam in magiſtratibus adminiſtrationem reip. tibi provincialem dedit; & ſi mea pars nemini cedit, fac, ut tua ceteros vincat. Simul & illud cogita, nos non de reliqua, & ſperata gloria jam laborare, ſed de parta dimicare. quæ quidem non tam expetenda nobis fuit, quàm *tuenda* eſt. Ac ſi mihi quidquam eſſet abs te ſeparatum, nihil amplius deſiderarem hoc ſtatu, qui mihi jam partus eſt. nunc verò ſic res ſeſe habet, ut, niſi omnia tua facta, atque dicta noſtris rebus iſtinc reſpondeant, ego me meis tantis laboribus, tantiſque periculis, quorum tu omnium particeps fuiſti, nihil conſecutum putem. Quòd ſi ut ampliſſimum nomen conſequeremur, unus præter ceteros adjuviſti: certè idem, ut id retineamus, præter ceteros elaborabis. NON EST TIBI his ſolis utendum exiſtimationibus, ac judiciis, qui nunc ſunt, hominum: ſed iis etiam qui futuri ſint: quamquam *illorum erit verius judicium, obtrectatione, & malivolentia liberatum.* Denique illud etiam debes cogitare, non te tibi ſoli gloriam quærere: quod ſi eſſet: tamen non negligeres, præſertim cùm ampliſſimis monumentis conſecrare voluiſſes *memoriam nominis* tui: ſed ea tibi eſt communicanda mecum, prodenda liberis noſtris. In qua cavendum eſt, ne, ſi negligentior fueris, [2] NON SOLÙM tibi parum conſuluiſſe, ſed etiam tuis invi-
16 diſſe videaris. Atque hæc non eò dicuntur, ut te oratio mea dormientem excitaſſe, ſed potiùs ut currentem incitaſſe videatur. Facies enim perpetuò, quæ feciſti, ut omnes æquitatem tuam, temperantiam, ſeveritatem, integritatemque laudent. Sed me quædam tenet, propter ſingularem amorem, infinita in te aviditas gloriæ: quamquam illud, exiſtimo, cùm jam tibi Aſia, ſicut unicuique *ſua domus* nota eſſe debeat, cùm ad tuam ſummam prudentiam tantus uſus acceſſerit, nihil eſſe, quod ad laudem attineat, quod non tu optimè perſpicias, & tibi non, *ſine cujuſquam hortatione,* in mentem veniat quotidie. Sed ego, qui, cùm tua lego te audire, & qui, cùm ad te ſcribo, tecum loqui videor: idcirco & tua longiſſima quaque epiſtola maximè delector, & ipſe in ſcribendo ſæpe ſum longior. Illud te ad extremum & oro, & hortor, ut, tanquam poëtæ boni, & actores induſtrii ſolent, ſic tu IN EXTREMA PARTE, & concluſione muneris, ac negotii tui diligentiſſimus ſis, ut hic tertius annus imperii tui, tanquam tertius actus, perfectiſſimus, atque ornatiſſimus fuiſſe videatur. Id facillimè facies, ſi me (cui ſemper uni magis, quàm univerſis, placere voluiſti) tecum ſemper eſſe putabis, & omnibus iis rebus, quas dices, ac facies, *intereſſe.* Reliquum eſt, ut te orem, ut valitudini tuæ, ſi me, & tuos omneis valere vis, diligentiſſimè ſervias.

MARCUS Q. FRATRI, S. 2

STATIUS ad me venit a. d. VIII. Kalen. Novemb. ejus adventus, quòd ita ſcripſiſti, direptum iri te à tuis, dum is abeſſet, moleſtus mihi fuit. Quòd autem exſpectationem tui, concurſumque eum, qui erat futurus, ſi unà tecum decederet, neque anteà viſus eſſet, ſuſtulit; id mihi non incommodè viſum eſt accidiſſe. Exhauſtus enim eſt ſermo hominum, & multis emiſſæ jam ejuſmodi voces, ἀλλ᾽ αἰεί τινα φῶτα μέγαν. quæ te abſente confecta eſſe lætor. Quod autem idcirco à te miſſus eſt, mihi ut ſe purgaret, id neceſſe minimè fuit. Primùm enim numquam ille mihi fuit ſuſpectus: neque ego, quæ ad te de illo ſcripſi, ſcripſi meo judicio, ſed cum RATIO, ſaluſque omnium noſtrum, qui ad remp. accedimus, non *veritate* ſolum, ſed etiam *fama* niteretur, ſermones ad te aliorum ſemper, non mea judicia perſcripſi. qui quidem quàm frequentes eſſent, & quàm graves, adventu ſuo Statius ipſe cognovit. Etenim intervenit nonnullorum querelis, quæ apud me de illo ipſo habebantur: & ſentire potuit, ſermones iniquorum in ſuum potiſſimum nomen erumpere. Quod autem me maximè movere ſolebat, cùm audiebam, illum *plus* apud te poſſe, quàm gravitas illius ætatis, & imperii prudentia poſtularet (quàm multos enim mecum egiſſe putas, ut ſe Statio commendarem? quàm multa autem ipſum ἀφελῶς mecum in ſermone ita protuliſſe?) id mihi non placuit: monui, ſuaſi, deterrui. Quibus in rebus etiam ſi fidelitas ſumma eſt (quod prorſus credo, quoniam tu ita judicas) tamen ſpecies ipſa tam *gratioſi liberti*, aut ſervi, dignitatem habere nullam poteſt. Atque hoc ſic habeto, (nihil enim nec temerè dicere, nec aſtutè reticere debeo) materiam omnem ſermonum eorum, qui de te detrahere velint, Statium dediſſe: & anteà tantum intelligi potuiſſe, iratos tuæ ſeveritati eſſe nonnullos: hoc manumiſſo, iratis, quod loquerentur, non defuiſſe. [3] Nunc reſpondebo ad eas epiſtolas, quas mihi reddidit L. Cæſius: 2
cui, quoniam ita te velle intelligo; nullo loco deero. Quarum altera eſt [4] de Blaudenio Zeuxide, quem ſcribis certiſſimum matricidam tibi à me intimè commendari. Qua de re, & hoc de genere toto, ne fortè me in Græcos tam ambitioſum factum eſſe mirere, pauca cognoſce. Ego cùm Græcorum querelas nimiùm valere ſentirem, propter hominum ingenia ad *fallendum* parata: quoſcumque de te queri audivi, quacumque potui ratione placavi. Primum Dionyſipolitas, qui erant inimiciſſimi mei, lenivi: quorum principem Hermippum non ſolum ſermone meo, ſed etiam familiaritate devinxi. Ego Apameenſem Hephæſtum, ego leviſſimum hominem, Megariſtum Antandrium, ego Niciam Smyrnæum, ego nugas maximas omni mea comitate ſum complexus, Nymphontem etiam Colophonium; quæ feci omnia, non quo me, aut ii homines, aut tota natio delectaret: pertæſum eſt levitatis, aſſentationis, animorum, non officiis, ſed temporibus, ſervientium. Sed, ut ad Zeuxim revertar: cùm is de M. Caſcellii ſermone ſecum habito, quæ tu ſcribis, ea ipſa loqueretur, obſtiti ejus ſermoni, & hominem in familiaritatem recepi. Tua autem quæ fuerit cupiditas tanta neſcio,

---

1. *Quare quoniam ejuſmodi theatrum totius Aſiæ virtutibus eſt datum.*] Lectio minus ſana, licet ſic quoque Victorius, nam retro cuſi; *ejuſmodi theatrum eſt totius Aſiæ, celebritate, &c.* quod & Manutiani retinuere. quippe Lambinus, *theatrum tuis virtutibus eſt datum.* ſed præter mſſ. noſtros, quorum aliqui; *theatrum totius celebritate, &c.* aliqui admittunt præterea vocem *Aſiæ*, excluſis tamen ceteris.

2. *Non ſolum tibi parum conſuluiſſe, &c.*] Illud *non ſolum* excluſit editione ſua Victorius, neque reperi duobus Palatinis, & poterat abeſſe.

3. *Nunc reſpondebo, &c.*] Nihil variant Pall. Paulus tamen Manutius maluit; *Non reſponſ.*

4. *De Blaudenio Zeuxide.*] Vulgò, *Blandenio.* nam Victorius *Blandenio Teuxide.* Pall. mirè diſcrepant. pr. *Blainde Teuxide.* ſic. *Blainde Zeuxide.* tert. *Blaide. Teuxide.* quart. *Blaindeno Zeuxide.*

ſcio, quòd ſcribis cupiiſſe te, quoniam Smyrnæ duos Myſos inſuiſſes in culeum, ſimile in ſuperiore parte provinciæ *edere exemplum* ſeveritatis tuæ: & idcirco Zeuxim elicere omni ratione voluiſſe: quem adductum in judicium fortaſſe dimitti non oportuerit: conquiri verò, & elici blanditiis (ut tu ſcribis) ad judicium, neceſſe non fuit; eum præſertim hominem, quem ego & ex ſuis civibus, & ex multis aliis quotidie magis cognoſco nobiliorem eſſe propè, quàm civitatem ſuam. At enim Græcis ſolis indulgeo. Quid? L. Cæcilium nonne omni ratione placavi? quem hominem? qua ira? quo ſpiritu? quem denique, præter Tuſcenium, cujus cauſa *ſanari* non poteſt, non mitigavi? Ecce ſupra caput homo levis, ac ſordidus, ſed tamen equeſtri cenſu, Catienus, etiam is lenietur. cujus tu in patrem quòd fuiſti aſperior, non reprehendo: certò enim ſcio te feciſſe cum cauſa. ſed quid opus fuit ejuſmodi litteris, quas ad ipſum miſiſti? illum crucem ſibi ipſum conſtituere, ex qua tu eum antè detraxiſſes: te curaturum, fumo ut combureretur, plaudente tota provincia. Quid verò ad C. Fabium, neſcio quem? (nam eam quoque epiſtolam T. Catienus circumgeſtat) renuntiari tibi, Licinium plagiarium cum ſuo pullo milvino tributa exigere? Deinde rogas Fabium, ut & patrem, & filium vivos comburat, ſi poſſit: ſin minùs, ad te mittat, uti judicio comburantur. Hæ litteræ abs te per jocum miſſæ ad C. Fabium, ſi modò ſunt tuæ, cùm leguntur, *invidioſam atrocitatem* verborum habent. Ac, ſi omnium mearum litterarum præcepta repetes, intelliges nihil eſſe à me, niſi orationis acerbitatem, & iracundiam, &, ſi fortè, raro litterarum miſſarum indiligentiam reprehenſam. Quibus quidem in rebus ſi apud te plus auctoritas mea, quàm tua ſive natura paullo acrior, ſive quædam dulcedo iracundiæ, ſive dicendi ſal, facetiæque valuiſſent, nihil ſanè eſſet, quòd nos pœniteret. Et modiocri me dolore putas affici, cùm audiam, qua ſit exiſtimatione Virgilius, qua tuus vicinus Cn. Octavius? Nam ſi te interioribus vicinis tuis, Cilicienſi, & Syriaco anteponis, valde magnum facis. Atque is dolor eſt, quòd cùm ii, quos nominavi, te innocentia non vincant, vincunt tamen *artificio* benivolentiæ colligendæ, qui neque Cyrum Xenophontis, neque Ageſilaum noverint: quorum regum ſummo in imperio nemo umquam verbum unum
3 aſperius audivit. Sed hæc à principio tibi præcipiens, quantum profecerim, non ignoro. Nunc tamen decedens (id quod mihi jam facere videris) relinque, quæſo, quàm jucundiſſimam memoriam tui. Succeſſorem habes perblandum: [1] cetera valde illius adventu tua requirentur. In litteris mittendis (ut ſæpe ad te ſcripſi) [2] nimiùm te exorabilem præbuiſti. tolle omneis, ſi potes, iniquas, tolle inuſitatas, tolle contrarias. Statius mihi narravit, ſcriptas ad te ſolere afferri, ab ſe legi: &, ſi iniquæ ſint, fieri te certiorem. antequàm verò ipſe ad te veniſſet, nullum delectum litterarum fuiſſe: ex eo eſſe volumina ſelectarum epiſtolarum, quæ reprehendi ſolerent. Hoc de genere nihil te nunc quidem moneo: ſerò eſt enim, ac ſcire potes multa me variè, diligenterque monuiſſe. Illud tamen, quod Theopompo mandavi, cùm eſſem admonitus ab ipſo, vide per homines amanteis tui, quod eſt facile, ut hæc genera tollantur epiſtolarum, primùm iniquarum, deinde contrariarum: tum abſurdè, & inuſitatè ſcriptarum: poſtremò in aliquem contumelioſarum. Atque ego hæc tam eſſe, quàm audio, non puto: & ſi ſunt *occcupationibus* tuis minùs animadverſa, nunc perſpice, & purga. Legi epiſtolam, quam ipſe ſcripſiſſe Sulla nomenclator dictus eſt, non probandam: legi nonnullas iracundas. [3] ſed tempore ipſo de epiſtolis. Nam cùm hanc paginam tenerem, L. Flavius, prætor deſign. ad me venit, homo mihi valde familiaris. Is mihi, te ad pocuratores ſuos litteras miſiſſe: quæ mihi viſæ ſunt iniquiſſimæ: ne quid de bonis, quæ L. Octavii Naſonis fuiſſent, cui L. Flavius heres eſt, deminuerent antè, quam C. Fundanio pecuniam ſolviſſent. Itemque miſiſſe ad [4] Apollonidienſes, ne de bonis, quæ Octavii fuiſſent, deminui paterentur, priuſquàm Fundanio debitum ſolutum eſſet. Hæc mihi veriſimilia non videntur. ſunt enim à prudentia tua remotiſſima. Ne deminuat heres? Quid ſi infitiatur? Quid ſi omnino non debetur? Quid? prætor ſolet judicare deberi? Quid? ego Fundanio non cupio? non amicus ſum? non miſericordia moveor? nemo magis: ſed VIA JURIS EJUSMODI EST QUIBUSDAM IN REBUS, UT NIHIL SIT LOCI GRATIÆ. Atque ita mihi dicebat Flavius ſcriptum in ea epiſtola, quam tuam eſſe dicebat, te aut quaſi amicis tuis gratias acturum, aut quaſi [5] inimicis incommoda laturum. Quid multa? ferebat graviter, id vehementer mecum querebatur, orabatque, ut ad te quàm diligentiſſimè ſcriberem: quod facio, & te prorſus vehementer etiam atque etiam rogo, ut & procuratoribus Flavii remittas deminuendo, & de Apollonidienſibus, nequid perſcribas, quod contra Flavium ſit: amplius, & Flavii cauſa, & ſcilicet Pompeii, facias omnia. Nolo mediusfidius ex tua injuria in illum, tibi liberalem me videri. ſed & te oro, ut tu ipſe auctoritatem, & monumentum aliquod decreti, aut litterarum tuarum relinquas, quod ſit ad Flavii rem, & ad cauſam accommodatum. Fert enim graviter homo & mei obſervantiſſimus, & ſui juris, dignitatiſque retinens, ſe apud te neque amicitia, neque jure valuiſſe: &, ut opinor, Flavii aliquando rem & Pompejus, & Cæſar tibi commendarunt: & ipſe ad te ſcripſerat Flavius, & ego certè. Quare ſi ulla res eſt, quam tibi me faciendam petente putes, hæc ea ſit. Si me amas, cura, elabora, perfice, ut Flavius & tibi, & mihi quàm maximas gratias agat. hoc te ita rogo, ut majore ſtudio rogare non poſſim. Quod ad me de Hermia ſcri- 4
bis, mihi mehercule valde moleſtum fuit. Litteras ad te parum fraternè ſcripſeram: quas oratione Diodoti, Luculli liberti, commotus, de pactione ſtatim quòd audieram, iracundiùs ſcripſeram, & revocare cupiebam. huic tu epiſtolæ non fraternè ſcriptæ, fraternè debes ignoſcere. De Cenſorino, Antonio, Caſſio, Scævola, te ab iis diligi (ut ſcribis) vehementer gaudeo. cetera fuerunt in eadem epiſtola graviora, quàm vellem ὀρθὰν τὰν ναῦν. & ἅπαξ θανεῖν majora iſta erunt. Meæ objurgationes fuerunt amoris pleniſſimæ, quæ ſunt nonnullæ, ſed tamen mediocres, & parvæ potius. Ego te numquam ulla in re dignum minima reprehenſione putaſſem, cùm te ſanctiſſimè gereres, niſi *inimicos* multos haberemus. Quæ ad te aliqua admonitione, aut objurgatione ſcripſi, ſcripſi propter diligentiam cautionis meæ, in qua & maneo, & manebo, & idem ut facias, non deſiſtam rogare. Attalus Iphemenus mecum egit, ut ſe ne impedires, quo minùs, quod ad [6] Q. Publiceni ſtatuam decretum eſt, erogaretur: quod ego te & rogo, & admoneo, ne talis viri, tamque noſtri neceſſarii, honorem minui per te, aut impediri velis. Præterea Æſopi tragœdi, noſtri familiaris, Licinius ſervus, tibi notus, aufûgit. Is Athenis apud Patronem Epicureum pro libero fuit. inde in Aſiam venit. Poſtea Plato quidam Sardianus, Epicureus, qui Athenis ſolet multum, & qui tum Athenis fuerat, cùm Licinius eò veniſſet, cum eum fugi-

1. *Cetera valde illius adventu tua requirentur.*] Abſurde P. Manutius & Lambinus, *tuo*. & contra mſſ. olimque editos.

2. *Nimium te exorabilem præbuiſti.*] Malebat iſtud Manutius, recepitque Lambinus; neque aliter Pal. ſec. ceteri tamen *inexorabilem*, ut prius cuſi.

3. *Sed tempore ipſo de epiſtolis.*] Haud aliter Pal. pr. & quart. alii duo & unus Wowerio excuſſus, *ſed tempore ipſo furor dabat. hæc de epiſtolis.* quæ tamen habuerim pro adſuto librarii.

4. *Apollonidienſes.*] Ita Lambinus. nam Pall. *Apollonidenſes.* vulgata, *Apollonienſes.*

5. *Inimicis incommoda laturum.*] Sic tres Pal. at quart. *incommodaturum.* quidam mallent *incommoda allaturum*, quare?

6. *Q. Publiceni ſtatuam.*] Pal. ſec. *publicam ſtatuam.* tert. *publicani ſtatuam.* quart. *publicè in ſtatuam.*

1. Pom-

fugitivum poſteà eſſe ex Æſopi litteris cognoſceret, hominem comprehendit, & in cuſtodiam Epheſi tradidit: ſed in publicam, vel in piſtrinum, non ſatis ex litteris ejus intelligere potuimus. Tu, quoquo modo, quoniam Epheſi eſt, hominem inveſtiges velim, ſummaque diligentia vel tecum deducas. Noli ſpectare, *quanti homo ſit*, parvi enim pretii eſt, qui jam nihili ſit: ſed tanto dolore Æſopus eſt affectus propter ſervi ſcelus, & audaciam, ut nihil ei gra-
5 tius facere poſſis, quàm ſi illum per te recuperarit. Nunc ea cognoſce, quæ maximè exoptas. Remp. funditus amiſimus: adeò ut Cato, adoleſcens nullius conſilii, ſed tamen civis Rom. & Cato, vix vivus effugeret; quòd, cùm Gabinium de ambitu vellet poſtulare, neque prætores diebus aliquot adiri poſſent, vel poteſtatem ſui facerent; in concionem adſcendit, & [1] Pompejum privatus *dictatorem* appellavit. propius nihil eſt factum, quàm ut occideretur. Ex hoc, qui ſit ſtatus totius reip. videre potes. Noſtræ tamen cauſæ non videntur homines defuturi. mirandum in modum profitentur, offerunt ſe, pollicentur: [2] & quidem cùm ſpe ſum maxima, tum majore etiam animo. ſpero ſuperiores fore nos: confido animo, ut in hac rep. ne caſum quidem ullum pertimeſcam: ſed tamen res ſic ſe habet. Si diem nobis Clodius dixerit: tota Italia concurret, ut multiplicata gloria diſcedamus. ſin autem vi agere conabitur: ſpero fore, ſtudiis non ſolùm amicorum, ſed etiam alienorum, ut vi reſiſtamus. Omnes & ſe, & ſuos liberos, amicos, clienteis, libertos, ſervos, pecunias denique ſuas pollicentur. Noſtra antiqua manus bonorum ardet ſtudio noſtri, atque amore. Siqui anteà aut alieniores fuerant, aut languidiores, nunc horum regum odio, ſe cum bonis conjungunt. Pompejus omnia pollicetur, & Cæſar, quibus ego ita credo, ut nihil de mea comparatione deminuam. Tribuni pl. deſſ. ſunt nobis amici. Coſs. ſe optimè oſtendunt. Prætores habemus amiciſſimos, & acerrimos civeis, Domitium, Nigidium, Memmium, Lentulum: bonos etiam alios: ſed hos ſingulareis. Quare magnum fac animum habeas, & ſpem bonam. De ſingulis tamen rebus, quæ quotidie gerantur, faciam te crebrò certiorem.

3 MARCUS Q. FRATRI, S.

MI frater, mi frater, mi frater, tùne id veritus es, ne ego iracundia aliqua adductus pueros ad te ſine litteris miſerim? aut etiam ne te videre voluerim? Ego tibi, iraſcerer? tibi ego poſſem iraſci? ſcilicet: tu enim me afflixiſti: tui me inimici, tua me invidia, ac non ego te miſerè perdidi. Meus ille laudatus conſulatus, mihi te, liberos, patriam, fortunas: tibi velim nequid eripuerit, præter unum me. Sed certè à te mihi omnia ſemper honeſta, & jucunda ceciderunt. A me tibi luctus meæ calamitatis, metus tuæ, deſiderium, mœror, ſolitudo. Ego te videre noluerim? Immò verò me à te videri nolui. Non enim vidiſſes *fratrem* tuum: non eum, quem reliqueras: non eum, quem noras: non eum, quem flens flentem, proſequentem proficiſcens dimiſeras: ne veſtigium quidem ejus, nec ſimulachrum: ſed quandam effigiem ſpirantis mortui. Atque utinam me mortuum priùs vidiſſes, aut audiſſes. Utinam te non ſolùm vitæ, ſed etiam dignitatis meæ ſuperſtitem reliquiſſem. Sed teſtor omneis deos, me hac una voce à morte eſſe revocatum, quòd omnes in mea vita partem aliquam tuæ vitæ repoſitam eſſe dicebant. Quare peccavi, ſcelerateque feci. nam ſi cecidiſſem, mors ipſa meam pietatem, amoremque in te facilè defenderet. nunc commiſi, ut vivo me careres, vivo me *aliis* indigeres: mea vox in domeſticis periculis potiſſimùm occideret, quæ ſæpe alieniſſimis præſidio fuiſſet. Nam quòd ad te pueri ſine litteris venerunt, quoniam vides [3] non fuiſſe iracundiæ cauſa, certè pigritia fuit, & quædam infinita vis lacrimarum, & dolorum. Hæc ipſa me quo fletu putas ſcripſiſſe? eodem, quo te legere certò ſcio. An ego poſſum aut non cogitare aliquando de te, aut umquam ſine lacrimis cogitare? Cùm enim te deſidero, *fratrem* ſolum deſidero. Ego verò [4] ſuavitate propè fratrem, propè æqualem, obſequio filium, conſilio parentem. Quid mihi ſine te umquam, aut tibi ſine me jucundum fuit? Quid, quòd eodem tempore deſidero *filiam*? qua pietate, qua modeſtia, quo ingenio? effigiem oris, ſermonis, animi mei? Quid filium venuſtiſſimum? mihique dulciſſimum? quem ego ferus, ac ferreus è complexu dimiſi meo, ſapientiorem puerum quàm vellem. ſentiebat enim miſer jam quid ageretur. Quid verò tuum filium? quid? imaginem meam, quam meus Cicero & amabat, ut fratrem, & jam, ut majorem fratrem, verebatur? Quid quòd mulierem miſerrimam, fideliſſimam *conjugem*, me proſequi non ſum paſſus, ut eſſet quæ reliquias communis calamitatis, communeis liberos tueretur? Sed tamen, quoquo modo potui, ſcripſi, & dedi litteras ad te Philogono, liberto tuo, quas credo tibi poſteà redditas eſſe: in quibus idem te hortor, & rogo, quod pueri tibi verbis meis nuntiarunt, ut Romam protinus pergas, & properes. Primùm enim te præſidio eſſe volui, ſiqui eſſent inimici, quorum crudelitas nondum eſſet noſtra calamitate ſatiata. Deinde congreſſus noſtri lamentationem pertimui: digreſſum vero non tuliſſem: atque etiam idipſum, quod tu ſcribis, metuebam, ne à me diſtrahi non poſſes. His de cauſis hoc maximum malum, quòd te *non vidi*, quo nihil amantiſſimis, & conjunctiſſimis fratribus acerbius, ac miſerius videtur accidere potuiſſe: minùs acerbum, minùs miſerum fuit, quàm fuiſſet tum congreſſio, tum verò digreſſio noſtra. Nunc, ſi potes, id quod ego, qui fortis tibi ſemper videbar, non poſſum; erige te, & confirma, ſiqua ſubeunda dimicatio erit. Spero, ſiquid mea ſpes habet auctoritatis, tibi & integritatem tuam: & amorem in te civitatis, & aliquid etiam miſericordiam noſtri, præſidii laturam. ſin eris ab iſto periculo vacuus: ages ſcilicet, ſi quid agi poſſe de nobis putabis. de quo ſcribunt ad me quidem multi multa, & ſe ſperare demonſtrant: ſed ego, quid ſperem, non diſpicio, cùm inimici plurimum valeant, *amici* partim deſeruerint me, partim etiam prodiderint: qui in meo reditu fortaſſe reprehenſionem ſui ſceleris pertimeſcant. Sed iſta qualia ſint, tu velim perſpicias, mihique declares. Ego tamen, quam diu tibi opus erit, ſiquid periculi ſubeundum videbis, vivam. diutius in hac vita eſſe non poſſum. Neque enim tantum virium habet ulla aut prudentia, aut doctrina, ut tantum dolorem poſſit ſuſtinere. Scio fuiſſe & honeſtius moriendi tempus, & utilius: ſed non hoc ſolùm: multà alia prætermiſi: quæ ſi queri velim præterita; nihil agam, niſi ut augeam dolorem tuum, indicem ſtultitiam meam. Illud quidem nec faciendum eſt, nec fieri poteſt: me diutiùs, quàm aut tuum tempus, aut firma ſpes poſtulabit, in tam miſera, tamque turpi vita commorari: ut, qui modò fratre fuerim, liberis, [5] conjuge, copiis, genere ipſo pecuniæ beatiſſimus: dignitate, auctoritate, exiſtimatione, gratia non inferior, quàm qui umquam fuerunt ampliſſimi: is nunc in hac tam afflicta, perditaque fortuna, neque me,

neque

1. *Pompejum privatus dictatorem appellavit.*] Mſ. quem Wowerius notavit litera T. præterebat *privatum Dictatorem*, cui & ſua argutia, ſed neſcio an huic loco conveniens.

2. *Et quidem cùm ſpe ſum maxima, tum majore etiam animo. ſpero, &c.*] Sic Aldini. at Victorius, *& quidem ut cum ſumma ſpe ſumma, maxima, tum majore. etiam animo ſperent ſuperiores fore nos, confidant animo, &c. pertimeſcat.* nec multum abeunt ab tali lectione Pall. & alii ſcripti: ex quibus liquet locum miſere corruptum.

3. *Non fuiſſe iracundiæ cauſa.*] Sic Pall. niſi quod quartus, *cauſam.* Lambinus edidit *iracundiam, cauſam.* mallem *iracundiæ*, omiſſo illo *cauſa.*

4. *Suavitate prope fratrem, propè æqualem.*] Nihil variant libri, quare malim cum Manutio ac Malaſpina abjicere *prope fratrem*; quam reſeribere fide Lambini, *ſuavitate fratrem, ætate prope æqualem, &c.* qua emendatione nihil frigidius.

5. *Conjuge, copiis, genero ipſo pecuniæ beatiſſimus.*] P. Manutius conjiciebat, *genero ipſo, pecunia.* & verò Wowerius annotavit legi in P. *genero, pecunia.* Pall. noſtri nihil abeunt à vulgato.

neque meos lugere diutiùs poſſim. Quare quid ad me ſcripſiſti de permutatione? quaſi verò nunc me non tuæ facultates ſuſtineant. qua in re ipſe video miſer, & ſentio, quid ſceleris admiſerim, cùm de *viſceribus* tuis, & filii tui, ſatisfacturus ſis, quibus debes: ego acceptam ex ærario pecuniam tuo nomine fruſtra diſſiparim. Sed tamen & M. Antonio, quantum tu ſcripſeras, & Cæpioni tantumdem ſolutum eſt: mihi ad id, quod cogito, hoc, quod habeo, ſatis eſt. ſive enim reſtituimur, ſive deſperamur, nihil amplius opus eſt. Tu ſi fortè quid erit moleſtiæ, te ad Craſſum, & ad Callidium conferas, cenſeo. Quantum Hortenſio credendum ſit, neſcio. me ſumma *ſimulatione* amoris, ſummaque aſſiduitate quotidiana ſceleratiſſimè, inſidioſiſſimeque tractavit, adjuncto quoque Arrio: quorum ego conſiliis, promiſſis, præceptis deſtitutus, in hanc calamitatem incidi. Sed hæc occultabis, ne quid obſint. Illud caveto: & eò puto per Pomponium fovendum tibi eſſe ipſum Hortenſium, ne ille verſus, qui in te erat collatus, cùm ædilitatem petebas, de lege Aurelia, falſo teſtimonio confirmetur. Nihil enim tam timeo, quàm ne, cùm intelligant homines, quantum miſericordiæ nobis tuæ preces, & tua ſalus allatura ſit, oppugnent te vehementiùs. Meſſallam tui ſtudioſum eſſe arbitror: Pompejum etiam ſimulatorem puto. Sed hæc utinam non experiare: quod precarer deos, niſi meas preces *audire* deſiiſſent. Verumtamen precor, ut his infinitis noſtris malis contenti ſint: in quibus non modò tamen nullius ineſt peccati infamia: ſed omnis dolor eſt, quòd optimè factis *pœna* eſt maxima conſtituta. Filiam meam, & tuam, Ciceronemque noſtrum, quid ego, mi frater, tibi commendem? quin illud mœreo, quod tibi non minorem dolorem illorum orbitas affert, quàm mihi. Sed, te incolumi, orbi non erunt. Reliqua, ita mihi ſalus aliqua detur, poteſtaſque in patria moriendi, ut me lacrimæ non ſinunt ſcribere. Etiam Terentiam velim tueare, mihique de omnibus rebus reſcribas. Sis fortis, quoad rei natura patiatur. Idibus Juniis, Theſſalonicæ.

4 MARCUS Q. FRATRI, S.

AMABO te, mi frater, [1] ne, ſi uno meo facto & tu, & omnes mei corruiſtis, improbitati, & ſceleri meo potiùs, quàm imprudentiæ, [2] miſeriæque aſſignes. nullum eſt meum peccatum, niſi quòd iis *credidi*, à quibus nefas putaram eſſe me decipi, aut etiam quibus ne id expedire quidem arbitrabar. intimus, proximus, familiariſſimus quiſque aut ſibi pertimuit, aut mihi invidit. ita mihi nihil miſero præter fidem amicorum cautum meum conſilium fuit. Quòd ſi te ſatis innocentia tua, & miſericordia hominum vindicat hoc tempore à moleſtia: perſpicis profectò, ecquæ nam nobis ſpes ſalutis relinquatur. Nam me Pomponius, & Sextius, & Piſo noſter adhuc Theſſalonicæ retinuerunt, cùm longiùs diſcedere propter neſcio quos motus vetarent. verùm ego magis exitum, illorum litteris, quàm ſpe certa exſpectabam. Nam quid ſperem, potentiſſimo inimico, dominatione obtrectatorum, infidelibus amicis, pluribus invidis? [3] De novis autem tribunis pl. eſt ille quidem in me officioſiſſimus Sextius, &, ſpero, [4] Curtius, Milo, [5] Fadius, Gratidius: ſed valde adverſante Clodio: qui etiam privatus eadem manu poterit conciones concitare: deinde etiam interceſſor parabitur. Hæc mihi proficiſcenti non proponebantur: ſed ſæpe triduò ſumma cum gloria dicebar eſſe rediturus. Quid tu igitur? inquies. quid? multa convenerunt, quæ mentem exturbarent meam: ſubita defectio Pompeji, alienatio coſs. etiam prætorum timor, publicanorum arma, lacrimæ meorum me ad *mortem* ire prohibuerunt: quod certè & ad honeſtatem, & ad effugiendos intolerabiles dolores fuit aptiſſimum. Sed de hoc ſcripſi ad te in ea epiſtola, quam Phaëtonti dedi. Nunc tu, quoniam in tantum luctum, & laborem detruſus es, quantum nemo umquàm: ſi relevare potes communem caſum miſericordia hominum: ſcilicet incredibile quiddam aſſequêris. ſin planè occidimus: (me miſerum) ego omnibus meis exitio fuero, quibus antè dedecori non eram. Sed tu, ut antè ad te ſcripſi, perſpice rem, & pertenta: & ad me, ut *tempora* noſtra, non ut amor tuus fert, verè perſcribe. Ego vitam, quoad putabo tua intereſſe aut ad ſpem ſervandam eſſe, retinebo. Tu nobis amiciſſimum Sextium cognoſces: credo tua cauſa, vel Lentulum, qui erit coſ. quamquam ſunt FACTA VERBIS DIFFICILIORA. Tu & quid opus ſit, & quid ſit, videbis omnino. Si tuam ſolitudinem, communemque calamitatem nemo deſpexerit: aut per te confici aliquid, aut nullo modo poterit. ſin te quoque inimici vexare cœperint, [6] ne ceſſaris. non enim gladiis mecum ſed litibus agetur. Verùm hæc abſint velim. Te oro, ut ad me de omnibus rebus ſcribas, & in me [7] animi potiùs, aut conſilii putes minùs eſſe, quàm anteà: amoris verò, & officii non minùs.

M. TUL-

1. *Ne ſi uno meo facto.*] Vetuſtius cum, *fato*, quod item in Pal. pr. & quarto; neque ita erat abſurdum.

2. *Miſeriæque aſſignes.*] Eſt à Beſſarionis membrana. ceteræ enim adhære. t publicato, *miſericordiæque*.

3. *De novis autem tribunis pl.*] Haud aliter conjecerat P. Manutius, adprobatque Pal. quart. nam ſec. *Devotius*. pr. & tert. *Denotius*, ut prius vulgati.

4. *Curtius.*] Reſcripſerim cum Pighio *Curius*. rationes ejus videantur, in laborioſo illo opere Faſtor. Romanorum, ad annum urb. cond. DCXCVI.

5. *Fadius Gratidius.*] Idem Manutius reſcribendum putabat Fabricius, obſecutuſque eſt Lambinus. ſed omnibus libris abnuentibus. & certe æque juvit Ciceronem Fadius, quam Fabricius.

6. *Ne ceſſaris. non*, &c.] Pal. ſec. tert. & à manu ſecunda primus adjiciunt, *ne ceſſaris me certiorem facere, ut accurram*. idemque reperit in A. Wouwerius.

7. *Animi potius aut conſilii putas minus eſſe.*] Gulielmius voce tranſpoſita, *aut potius conſilii non male*.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM LIBER SECUNDUS, AD QUINTUM FRATREM.

1 MARCUS Q. FRATRI, S.

EPISTOLAM, quam legiſti, manè dederam. ſed fecit humaniter Licinius, quòd ad me, miſſo ſenatu, veſperi venit, ut, ſiquid eſſet actum, ad te, (ſi mihi videretur) perſcriberem. Senatus fuit frequentior, quàm putabamus eſſe poſſe menſe Decembri ſub dies feſtos. Conſulares nos fuimus, & duo conſules deſignati P. Servilius, M. Lucullus: [1] Lepidus, Volcatius, Glabrio prætt. ſanè frequentes fuimus: omnino ad ducentos. Commorat exſpectationem Lupus. egit cauſam agri Campani ſanè accuratè. auditus eſt magno ſilentio. materiam rei non ignoras. nihil ex noſtris actionibus prætermiſit. Fuerunt nonnulli aculei in C. Cæſarem. contumeliæ in Gellium. expoſtulationes cum abſente Pompejo. Cauſa ſerò perorata, ſententias ſe rogaturum negavit, ne quod onus *ſimultatis* nobis imponeret. Ex ſuperiorum temporum conviciis, & ex præſenti ſilentio, quid ſenatus ſentiret, ſe intelligere dixit. Milo cœpit dimittere. Tum Marcellinus, NOLI, inquit ex taciturnitate noſtra, Lupe, quid aut probemus hoc tempore, aut improbemus, judicare. Ego, quod ad me attinet, idemque arbitror ceteros, idcircò taceo, quòd non exiſtimo, cùm Pompejus abſit, cauſam agri Campani agi convenire. Tum ille, ſe ſenatum negavit *tenere*. Racilius ſurrexit, & de judiciis referre cœpit. Marcellinum quidem primùm rogavit. Is cùm graviter de Clodianis incendiis, trucidationibus, lapidationibus queſtus eſſet: ſententiam dixit, [2] ut ipſe judices per prætorem urbanum ſortiretur; judicum ſortitione facta, comitia haberentur: qui judicia impediviſſet, eum contra remp. eſſe facturum. Approbata valde ſententia, C. Cato contrà dixit, & Caſſius, maxima acclamatione ſenatus, cùm comitia judiciis anteferret. Philippus aſſenſit Lentulo. Poſtea Racilius de privatis me primum ſententiam rogavit. Multa feci verba de toto furore, latrocinioque P. Clodii: eum, tanquam reum, accuſavi multis, & ſecundis admurmurationibus cuncti ſenatus. Orationem meam collaudavit ſatis multis verbis, non mehercule indiſertè [3] Severus Antiſtius: iſque judiciorum cauſam ſuſcepit, antiquiſſimamque ſe habiturum dixit. Ibatur in eam ſententiam. Tum Clodius rogatus, diem dicendo eximere cœpit. furebat, à Racilio ſe contumaciter [4] urbaneque vexatum. Deinde ejus [5] operæ repentè à Græcoſtaſi, [6] & gradibus clamorem ſatis magnum ſuſtulerunt, opinor in Q. Sextilium, & amicos Milonis incitatæ. Eo metu injecto repentè magna querimonia omnium diſceſſimus. Habes acta unius diei. reliqua, ut arbitror, in menſem Januarium rejicientur. De tribunis pleb. longè optimum Racilium habemus. videtur etiam Antiſtius amicus nobis fore. nam Plancius, totus noſter eſt. Fac, ſi me amas, ut conſideratè diligenterque naviges de menſe Decembri.

MARCUS Q. FRATRI, S. 2

[7] NON occupatione, qua eram ſanè impeditus; ſed parvula lippitudine adductus ſum, ut dictarem hanc epiſtolam: & non, ut ad te ſoleo, ipſe ſcriberem. Et primùm me tibi excuſo in eo ipſo, in quo te accuſo. me enim adhuc nemo rogavit, num quid in Sardiniam vellem: [8] te puto ſæpe habere, etſi non ſemper, qui, num quid Romam velis, quærant. Quòd ad me [9] de Lentuli, & Sexti nomine ſcripſiſti, locutus ſum cum Cincio. quoquo modo res ſe habet, non eſt facillima, ſed habet profectò quiddam Sardinia appoſitum ad recordationem præteritæ memoriæ. Nam, ut ille Gracchus augur, poſteaquàm in iſtam provinciam venit, recordatus eſt, quid ſibi, in campo Martio comitia conſulum habenti, contra auſpicia accidiſſet: ſic tu mihi videris in Sardinia [10] de forma Minuciana, & de nominibus Pomponianis in otio recogitaſſe. Sed ego adhuc emi nihil. Culleonis auctio facta eſt. Tuſculano emtor nemo fuit. ſi conditio valde bona fuerit, fortaſſe non omittam. De ædificatione tua, Cyrum urgere non ceſſo. ſpero eum in officio fore. ſed omnia ſunt tardiora, propter furioſæ ædilitatis exſpectationem. Nam comitia ſine mora futura videntur. edicta ſunt a. d. XI. KAL. Febr. Te tamen ſollicitum eſſe nolo. omne genus à nobis cautionis adhibebitur. De rege Alexandrino factum eſt s. c. cum multitudine eum reduci. *periculoſum* reip. videri. Reliqua cum eſſet in ſenatu contentio, Lentulusne, an Pompejus reduceret: obtinere cauſam Lentulus videbatur. In ea re nos & officio erga Lentulum mirifice, & voluntati Pompeji præclarè ſatisfecimus. ſed per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta eſt. Conſecuti ſunt dies comitiales, per quos ſenatus haberi non poterat. Quid futurum ſit latrocinio tribunorum, non divino: ſed tamen ſuſpicor, per vim rogationem Caninium perlaturum. In ea re Pompejus quid velit, non diſpicio. Familiares ejus quid,

---

1. *Lepidus Volcatius, &c.*] Ita rectè recentius editi, acceduntque Pall. noſtri omnes. Aldina enim vetus, *Lupus Volcatius, &c.*

2. *Ut ipſe judices per prætorem, &c.*] Racilius ſcilicet. male enim hæc interpolanda cenſuit Lambinus.

3. *Severius Antiſtius.*] Lambiniana, *Sex. Vetus Antiſtius*, quod conjecerat P. Manutius. nos nihil varietatis offendimus in exemplaribus Pall. ideoque noluimus uti licentia nimia.

4. *Urbanequè vexatum.*] Lambinus idem, *inurbaneque*, quod laudat ex Magnali cujuſdam codice P. Manutius, neque aliter viſitur in Pal. tertio inter lineas. ſed malim tamen retro vulgatum, quod reſtat in Pall. ceteris.

5. *Operæ à Græcoſtaſi, &c.*] Explicat Cælius Rhodiginus lib. x. Antiq. lectionum cap. 5.

6. *Et gradibus.*] Pal. tertius habebat a manu emendatrice, *ex gradibus*.

7. *Non occupatione, qua eram ſanè impeditus.*] Non ineptè Gulielmius, *quamquam eram ſanè*.

8. *Te puto ſæpe habere, etſi non ſemper.*] Paulus Manutius, ſecutus fidem codicis Beſſarionis, delevit *etſi non ſemper*. & verò vocum illarum etiam abeſt tribus Palat. habet tamen numero primus, *te puto ſemper*, omiſſis intermediis. videturque vel ultimum iſtud ſequendum, vel alterum, plurium manuſcriptorum auctoritate firmatum.

9. *De Lentuli & Sexti nomine.*] Vox *de* non eſt in olim editis, neque agnoſcit ullus Palatinorum.

10. *De forma Minuciana.*] Pall. noſtri omnes, *Namiſſiana*, vel *Numiſiana*; ut fortè fuerit *Numiciana*.

quid cupiant, omnes vident. Creditores verò regis, apertè pecunias ſuppeditant contra Lentulum. Sine dubio res a Lentulo remota videtur eſſe, cum magno meo dolore: quamquam multa fecit, quare, ſi fas eſſet, jure ei ſuccenſere poſſemus. [1] Tu, ſi ita expedit, velim quam primùm bona, & certa tempeſtate conſcendas, ad meque venias. innumerabiles enim res ſunt, in quibus te quotidie in omni genere deſiderem. Tui, noſtrique valent. XIIII. Kal. Febr.

MARCUS Q. FRATRI, S.

3 SCRIPSI ad te anteà ſuperiora: nunc cognoſce, poſtea quæ ſint acta. A Kal. Feb. legationes in Idus Febr. rejiciebantur. eo die res confecta non eſt. a. d. IIII. Non. Febr. Milo affuit. ei Pompejus advocatus venit. Dixit Marcellus, à me rogatus. honeſtè diſceſſimus. [2] producta dies eſt in IIII. Id. Febr. Interim [3] rejectis legationibus in Idus, referebatur de provinciis quæſtorum, [4] & de ornandis prætoribus. Sed res, multis querelis de rep. interponendis, nulla tranſacta eſt. Cato legem promulgavit de imperio Lentuli abrogando. veſtitum filius mutavit. [5] Ad IIII. Id. Febr. Milo affuit. dixit Pompejus, ſive voluit. nam, ut ſurrexit, operæ Clodianæ clamorem ſuſtulerunt: idque ei perpetua oratione contigit, non modò, ut acclamatione, ſed ut convicio, & maledictis impediretur. qui ut peroravit: nam in eo ſanè fortis fuit: non eſt deterritus: dixit omnia; atque interdum etiam ſilentio [6] cum auctoritate peregerat: ſed ut peroravit, ſurrexit Clodius. [7] ei tantus clamor à noſtris (placuerat enim referre gratiam) ut neque mente, neque lingua, neque ore conſiſteret. Ea res acta eſt, cùm H. VI. vix Pompejus peroraſſet, uſque ad H. VIII. cùm omnia maledicta, verſus etiam obſcæniſſimi in Clodium, & Clodiam dicerentur. Ille furens, & exſanguis interrogabat ſuos in clamore ipſo, quis eſſet, qui plebem fame necaret. reſpondebant operæ, *Pompejus*. Quis Alexandriam ire cuperet. Reſpondebant, *Pompejus*. Quem ire vellent. Reſpondebant, *Craſſum*. Is aderat tum, Miloni animo non amico. H. ferè IX. quaſi ſigno dato, Clodiani noſtros conſputare cœperunt. Exarſit dolor. urgere illi, ut loco nos moverent. Factus eſt à noſtris impetus, fuga operarum. Ejectus de Roſtris Clodius: ac nos quoque tum fugimus, ne quid *in turba*. Senatus vocatus in curiam: Pompejus domum. neque ego tamen in ſenatum, ne aut de tantis rebus tacerem, aut in Pompejo defendendo (nam is carpebatur à Bibulo, Curione, Favonio, Servilio filio) animos bonorum offenderem, res in poſterum dilata eſt. Clodius in Quirinalia produxit diem. [8] A. d. VI. Id. Febr. ſenatus ad Apollinis fuit, ut Pompejus adeſſet. Acta res eſt graviter à Pompejo. eo die nihil perfectum eſt. A. d. VII. Id. ad Apollinis S. C. factum eſt, EA, QUÆ FACTA ESSENT A. D. VIII. ID. CONTRA REMP. ESSE FACTA. Eo die Cato eſt vehementer in Pompejum invectus, & eum oratione perpetua, tamquam reum, accuſavit. De me multa, me invito, cum mea ſumma laude, dixit. Cùm illius in me perfidiam increparet, auditus eſt magno *ſilentio* malivolorum. Reſpondit ei vehementer Pompejus, Craſſumque deſcripſit: dixitque apertè, ſe munitiorem ad cuſtodiendam vitam ſuam fore, quàm Africanus fuiſſet; quem C. Carbo interemiſſet. Itaque magnæ mihi res jam moveri videbantur. Nam Pompejus hæc intelligit, nobiſcumque communicat, inſidias vitæ ſuæ fieri: C. Catonem à Craſſo ſuſtentari: Clodio pecuniam ſuppeditari: utrumque & ab eo, & à Curione, Bibulo, ceteriſque ſuis obtrectatoribus confirmari: vehementer eſſe providendum, ne opprimatur. [9] *concionario* illo populo à ſe propè alienato, nobilitate inimica, non æquo ſenatu, juventute improba. Itaque ſe comparat, homines ex agris accerſit. Operas autem ſuas Clodius confirmat. manus ad Quirinalia paratur: in eo multò ſumus ſuperiores ipſius copiis. Sed magna manus ex Piceno, & Gallia exſpectatur, ut etiam Catonis rogationibus de Milone, & Lentulo reſiſtamus. A. d. IIII. Id. Seſtius ab indice Cn. Nerio Pupinia, de ambitu eſt poſtulatus: & eodem die à quodam M. Tullio de vi. is erat æger. domum (ut debuimus) ad eum ſtatim venimus: eique nos totos tradidimus: idque fecimus præter hominum opinionem, qui nos ei jure ſuccenſere putabant. ut humaniſſimi, gratiſſimique & ipſi, & omnibus videremur: itaque faciemus. Sed idem Nerius index edidit ad allegatos, Cn. Lentulum Vacciam, & C. Cornelium. Eodem die S. C. factum eſt, UT SODALITATES, DECURIATIQUE DISCEDERENT: lexque de iis ferretur, UT, QUI NON DISCESSISSENT, EA POENA, QUÆ EST DE VI, TENERENTUR. Ad III. Id. dixi pro Beſtia de ambitu apud prætorem Cn. Domitium, in foro medio, maximo conventu. incidique in eum locum in dicendo, cùm Seſtius multis in templo Caſtoris vulneribus acceptis ſubſidio Beſtiæ ſervatus eſſet. Hic [10] προοικονομησάμην quiddam εὐκαίρως de iis, quæ in Seſtium apparabantur crimina: & eum ornavi veris laudibus, magno aſſenſu omnium. res homini fuit vehementer grata. Quæ tibi eò ſcribo, quòd me de retinenda Seſtii gratia litteris ſæpe monuiſti. Prid. Id. hæc ſcripſi ante lucem. eo die apud Pomponium in ejus nuptiis eram cenaturus. Cetera ſunt in rebus noſtris hujuſmodi (ut tu mihi ferè diffidenti prædicabas) plena dignitatis, & gratiæ: quæ quidem tua, mi frater, prudentia, patientia, virtute, pietate, ſuavitate etiam tibi, mihique ſunt reſtituta. Domus tibi ad lucum Piſonis Liciniana conducta eſt. ſed, ut ſpero, paucis menſibus poſt Kalend. Quint. in tuam commigrabis. Tuam in Carinis mundi habitatores Lamiæ conduxerunt. A te poſt illam Olbienſem epiſtolam nullas litteras accepi. Quid agas, & ut te oblectes, ſcire cupio: maximeque teipſum videre quamprimùm. Cura, mi frater ut valeas. & quamquam eſt hiems, tamen Sardiniam iſtam eſſe cogites. XV. Kalend. Mart.

MARCUS Q. FRATRI, S.

4 SESTIUS noſter abſolutus eſt [11] a. d. II. Id. Mart. &, quod vehementer interfuit reip. nullam videri in ejuſmodi cauſa diſſenſionem eſſe, *omnibus ſententiis* abſolutus eſt. Illud, quod tibi ſæpe curæ eſſe intellexeram, ne cui iniquo relinqueremus vituperandi locum, qui nos ingratos eſſe diceret, niſi illius perverſitatem quibuſdam in rebus quam humaniſſimè ferremus: ſcito hoc nos in eo judicio con-

1. *Tu ſi ita expedit.*] Lambinus, *Tu ſi iſta expediſti*, ut erat in mſſ. Faërni & Malaſpinæ, reperique in Pal. quarto. ſed prætulerim vulgatam.

2. *Producta dies eſt in IV. Id. Febr.*] Haud aliter omnis vetus editio & Pall. at Manutiana item ancillaris ejus Lambini, *in VIII. Id. Feb.* non vacat inquirere in faſtos.

3. *Rejectis legationibus in Idus.*] Ita Victorius, acceduntque Pall. quatuor. nam Aldina vetus *rej. legationibus, III. Iduum, &c.*

4. *Et de ornandis prætoribus.*] Malebat Manutius *prætoriis*, quod ſtatim in contextum recepit Lambinus, præter mſſ. quorum Pall. duo: *ordinandis*; quomodo & vetuſtius impreſſi. neque aliter Suetonius cap. XXIII. Veſpaſiani.

5. *A. D. IV. Id. Febr. &c.*] Sic iterum vett. edd. ſed non etiam Pall. omnes, quippe ſec. ac tert. *Ad. VII. Id.* Manutius & Lamb. *Ad. VIII. Id.*

6. *Cum auctoritate peregerat.*] Habent & iſtud Pall. at Petrus Daneſius, conjiciebat, *ſemper egerat*; quod magis placet P. Manutio. Lambinus abjecta voce *peregerat*, ejus loco immiſit *ſemper* placeret res, ſi a libris confirmaretur. Gulielmius legendum putabat, *perfregerat*.

7. *Ei tantus clamor à noſtris.*] Vetus editio & Pall pr. ac quart. *& tantus.* nihilo pejus altera, licet eam receperit Victorius & poſteriores Manutii.

8. *A. d. VI. Id. Febr.*] Ita lectio recepta. ſed enim Pall. partim *III.* partim *tertio*, denique *tertias Idus*. Lambini editio *A. d. Idus*, ſi non mentitur lectio marginalis. quod metuo.

9. *Concionario illo populo.*] An non reſcriptum oportuit? *concionatorio.* ſic ſanè putat Gulielmius. at quid ſi fuit, *concionali*?

10. Προοικονομησάμην.] De ea voce P. Victorius lib. XXXV. Var. lect. cap. 4.

11. *A. d. II. Id. Mart.*] Ita editio Victorii, P. Manutii & Pall. trium. nam unus eorum *a. d. p. Idus M.* prius cuſi, *A. d. III. Id.*

1. La-

conſecutos eſſe, ut omnium gratiſſimi judicaremur. Nam in defendendo moroſo homine cumulatiſſimè ſatisfecimus, & (id quod ille maximè cupiebat) Vatinium, à quo palàm oppugnabatur, arbitratu noſtro concidimus, diis, hominibuſque plaudentibus. Quinetiam Paullus noſter cùm teſtis productus eſſet in Seſtium, confirmavit, ſe nomen Vatinii delaturum, ſi Macer Licinius cunctaretur: & Macer à Seſtii ſubſelliis ſurrexit, ac ſe illi non defuturum affirmavit. Quid quæris? homo petulans, & audax, Vatinius valde perturbatus, debilitatuſque diſceſſit. Quintus tuus, puer optimus, eruditur egregie. hoc nunc magis animadverto, quòd Tyrannio docet apud me. Domus utriuſque noſtrûm ædificatur ſtrenuè. Redemptori tuo dimidium pecuniæ curavi. Spero nos ante hiemem contubernaleis fore. De noſtra Tullia, tui mehercule amantiſſima, ſpero cum Craſſipede nos confeciſſe. Dies erant duo, qui poſt Latinas habentur religioſi; ceteroqui confectum erat. [1] Latiar erat exiturus.

5 MARCUS Q. FRATRI, S.

DEDERAM ad te litteras anteà, quibus erat ſcriptum, Tulliam noſtram Craſſipedi prid. Non. April. eſſe deſponſatam: ceteraque de rep. privataque perſcripſeram. Poſteà ſunt hæc acta Non. Apr. S. C. Pompejo pecunia decreta in rem frumentariam ad H-S CCCC. Sed eodem die vehementer actum de agro Campano clamore ſenatus propè concionali. acriorem cauſam inopia pecuniæ faciebat, & annonæ caritas. Non prætermittam, ne illud quidem, M. Furium Flaccum, equitem Rom. hominem nequam, Capitolini, & Mercuriales de collegio ejecerunt, præſentem, ad pedes uniuſcujuſque jacentem.

6 MARCUS Q. FRATRI, S.

A. D. VIII. Id. Apr. ſponſalia Craſſipedi præbui. Huic convivio puer optimus Qu. tuus, meuſque, quòd perleviter commotus fuerat, defuit: a. d. VI. Id. April. veni ad Quintum, eumque vidi planè integrum, multumque is mecum ſermonem habuit, & perhumanum, de diſcordiis mulierum noſtrarum. Quid quæris? nihil feſtivius. Pomponia autem etiam de te queſta eſt. ſed hæc coràm agemus. A puero ut diſceſſi, in aream tuam veni. res agebatur multis ſtructoribus. Longilium redemtorem cohortatus ſum. fidem mihi faciebat, ſe velle nobis placere. Domus erit egregia. magis enim cerni jam poterat, quàm quantum ex forma judicabamus. itemque noſtra celeriter ædificabatur. Eo die cenavi apud Craſſipedem. cenatus in hortos ad Pompejum lectica latus ſum. Luccejum convenire non potueram, quòd abfuerat. videre autem volebam, quòd eram poſtridie Roma exiturus, & quòd ille in Sardiniam iter habebat. Hominem conveni, & ab eo petivi, ut quamprimùm te nobis redderet. ſtatim dixit. Erat autem iturus (ut ajebat) a. d. III. Id. Apr. ut aut Labrone, aut Piſis conſcenderet. Tu, mi frater, ſimulac ille venerit, primam navigationem (dummodò idonea tempeſtas ſit) ne omiſeris. ἀμφιλαφίαν autem illam, quam tu ſoles dicere, bono modo deſidero, ſic prorſus, ut advenientem excipiam libenter: latentem etiam nunc, non excitem. Tribus locis ædifico. reliqua reconcinno: vivo paullò liberaliùs, quàm ſolebam. Opus erat, ſi te haberem, paulìſper fabris locum dare. ſed & hæc (ut ſpero) brevi inter nos communicabimus. Res autem Romanæ ſic ſe habent. Conſul eſt egregius Lentulus, non impediente collega: ſic, inquam, bonus, ut *meliorem* non viderim. dies comitiales exemit omneis. nam etiam Latinæ inſtaurantur: nec tamen deerant ſupplicationes. ſic legibus pernicioſiſſimis obſiſtitur, maximè Catonis: cui tamen egregiè impoſuit Milo noſter. nam ille vindex gladiatorum, & beſtiariorum emerat de Coſconio, & Pomponio beſtiarios: nec ſine his armatis umquam in publico fuerat. hos alere non poterat. itaque vix tenebat. Senſit Milo. dedit cuidam non familiari negotium: qui ſine ſuſpicione emeret eam familiam à Catone: quæ ſimulatque abducta eſt; Racilius, qui unus eſt hoc tempore tribunus pleb. rem patefecit, eoſque homines ſibi emtos eſſe dixit (ſic enim placuerat) & tabulam proſcripſit, SE FAMILIAM CATONIANAM VENDITURUM. In eam tabulam magni riſus conſequebantur. Nunc igitur Catonem Lentulus à legibus removit, & eos qui de Cæſare monſtra promulgarunt, quibus intercederet nemo. Nam quod de Pompejo Caninius agit, ſanè quàm refrixit. neque enim res probatur, & Pompejus noſter in amicitia P. Lentuli vituperatur, & herculè non eſt idem. nam apud illam perditiſſimam, atque infimam fæcem populi, propter Milonem, ſuboffendit: & boni multa ab eo deſiderant, multa reprehendunt. Marcellinus autem hoc uno mihi quidem non ſatisfacit, quòd eum *nimis aſpere* tractat: quamquam id ſenatu non invito facit: quo ego me libentiùs à curia, & ab omni parte reip. ſubtraho. In judiciis ii ſumus, qui fuimus. domus celebratur, ita ut cùm maximè. Unum accidit imprudentia Milonis incommodè, [2] de Sexto Cœlio: quem neque hoc tempore, neque ab imbecillis accuſatoribus mihi placuit accuſari. ei tres ſententiæ tæterrimæ in conſilio defuerunt. Itaque hominem populus revocat, & retrahatur neceſſe eſt. [3] non enim ferunt homines. & quia, cùm apud ſuos diceret, pænè damnatus eſt, vident damnatum. Ea ipſa in re Pompeji offenſio nobis obſtitit. ſenatorum enim urna copiosè abſolvit, equitum adæquavit, tribuni ærarii condemnarunt. Sed hoc incommodum, conſolantur quotidianæ damnationes inimicorum, in quibus me perlubente Servius alliſus eſt, ceteri conciduntur. C. Cato concionatus eſt, COMITIA haberi non ſiturum, [4] ſi ſibi cum populo dies agendi eſſent exemti. Appius à Cæſare nondum redierat. Tuas mirificè litteras exſpecto: atque adhuc clauſum mare ſcio fuiſſe: ſed quoſdam [5] veniſſe tamen Oſtia dicebant, qui te unicè laudarent, plurimique in provincia fieri dicerent. iidem ajebant nuntiare te prima navigatione tranſmiſſurum. id cupio: &, quamquam teipſum ſcilicet maximè; tamen etiam litteras tuas antè exſpecto. Mi frater, Vale

MARCUS Q. FRATRI, S. 7

[6] AD III. Id. April. ante lucem hanc epiſtolam dictaveram, ſcripſeramque in itinere, ut eo die apud T. Titium in Anagnino manerem. poſtridie autem in Laterio cogitabam: inde, cùm in Arpinati quinque dies fuiſſem, ire in Pompejanum: rediens adſpicere Cumanum, ut, quoniam in Non. Majas Miloni [7] dies prodita eſt, prid. Non. Romæ eſſem, teque, mi cariſſime, & ſuaviſſime frater, ad eam diem (ut ſperabam) viderem. Ædificationem Arcani ad tuum adventum ſuſtentari placebat. Fac, mi frater, ut valeas, quamprimumque venias.

MARCUS Q. FRATRI, S. 8

O LITTERAS mihi tuas jucundiſſimas, exſpectatas, ac primo quidem cum deſiderio, nunc verò etiam cum timore! Atque has ſcito litteras me ſolas accepiſſe poſt illas, quas tuus nauta attulit, Olbia datas. Sed cetera (ut ſcri-

1. *Latiar erat, &c.*] Videatur ſuper hoc loco Cælius Rhodiginus libro Antiq. lect. XXIII. cap. 24. P. Manutius conjiciebat, *Latiare.* unde Lambinus ſuum deduxit *Laetari.* cujus deſultorias hariolationes piget producere. videantur ad ipſum.

2. *De Sex. Cœlio.*] Conjicit P. Manutius *Clodio*, admiſitque Lambinus. ſcripti ſtant à vulgato. ſed reſtituendam magis *Cœlio*, ita enim idem nebulo ſemper vocatur a membranis melioribus, quemadmodum ſæpius teſtati ſumus in Orationibus Tullii.

3. *Non enim ferunt homines.*] Ita fere hodie legitur. ſed vetuſtius impreſſi, item Pall. ad unum omnes *fuerunt.* mutavit id primum P. Manutius.

4. *Si ſibi cum populo dies agendi, &c.*] Major pars Palatinorum, *à populo.*

5. *Veniſſe Olbia.*] Olim vulgati, & Pall. *Oſtia;* ſive quod eadem redit, *Hoſtia.*

6. *A. d. II. Id. April.*] Sic editus à Paullo Manutio, reſpondentque Pall. quatuor. Vulgata, *A. d. III. Id.*

7. *Dies prodita.*] Legendum hoc modo cenſuit idem Manutius, auctoritate libri Beſſarionis & alterius cujuſdam; neque ſecus Pall. noſtri. recepta lectio *producta.*

ſcribis) præſenti ſermoni reſerventur. hoc tamen non queo differre. Id. Majis ſenatus frequens, divinus fuit in ſupplicatione Gabinio deneganda. Adjurat Procilius hoc nemini accidiſſe. Foris valde plauditur. mihi cùm ſua ſponte jucundum, tum jucundius, quòd me abſente (eſt enim εἰλικρινὲς judicium) ſine oppugnatione, ſine gratia noſtra. eram Antii. Quòd Idibus, & poſtridie fuerat dictum, de agro Campano actum iri, non eſt actum. In hac cauſa mihi *aqua hæret*. Sed plura quàm conſtitueram. coràm enim. Vale, mi optime, & optatiſſime frater, & advola. Idem te noſtri rogant pueri: illud ſcilicet, cenabis cùm veneris.

MARCUS Q. FRATRI, S.

9 PLACITURUM tibi eſſe librum meum ſuſpicabar: tam valde placuiſſe, quàm ſcribis, valde gaudeo. Quòd me admones [1] de noſtra Urania, ſuadeſque ut meminerim. Jovis orationem, quæ eſt in extremo illo libro: ego verò memini, & illa omnia mihi magis ſcripſi, quàm ceteris. Sed tamen poſtridie, quàm tu es profectus, multa nocte cum Vibullio veni ad Pompejum. Cumque ego egiſſem de iſtis operibus, atque inſcriptionibus, per mihi benignè reſpondit: magnam ſpem attulit. cum Craſſo ſe dixit loqui velle: mihique ut idem facerem, ſuaſit. Craſſum cos. ex ſenatu domum reduxi: ſuſcepit rem: dixitque eſſe quod Clodius hoc tempore cuperet per ſe, & per Pompejum conſequi: putare ſe, ſi ego eum non impedirem, poſſe me adipiſci ſine contentione quod vellem. totum ei negotium permiſi, meque in ejus poteſtate dixi fore. Interfuit huic ſermoni P. Craſſus adoleſcens, noſtri (ut ſcis) ſtudioſiſſimus. Illud autem, quod cupit Clodius, eſt legatio aliqua: ſi minùs per ſenatum, per populum, *libera*, aut Byzantium [2] aut ad Brogitarum, aut utrumque. Plena res nummorum. Quod ego non nimiùm laboro, etiam ſi minùs aſſequor, quod volo. Pompejus tamen cum Craſſo locutus eſt, videntur negotium ſuſcepiſſe. ſi perficiunt: optimè. ſin minùs: ad noſtrum Jovem revertamur. [3] A. d. III. Id. Maij. s. c. eſt factum de ambitu in Afranii ſententiam, quam ego dixeram, cùm tu adeſſes: ſed magno cum gemitu ſenatus. Coss. non ſunt perſecuti eorum ſententias: qui Afranio cum eſſent aſſenſi, addiderunt, UT PRÆTORES ita crearentur, ut dies LX. privati eſſent. eo die Catonem planè repudiarunt. Quid multa? tenent omnia: idque ita omneis intelligere volunt.

MARCUS Q. FRATRI, S.

10 TU metuis, ne me interpelles? primò ſi in iſto eſſem, tu ſcis, quid, ſit interpellare. [4] An te Atejus? mehercule mihi docere videbaris iſtius generis humanitatem: qua quidem ego nihil utor abs te. Tu verò, ut me & appelles, & interpelles, & obloquare, & colloquare velim. Quid enim mihi ſuavius? Non mehercule quiſquam μουσοπάτακτος libentius ſua recentia poëmata legit, quàm ego te audio quacumque de re, publica, privata, ruſtica, urbana. Sed mea factum eſt [5] inſulſa verecundia, ut te proficiſcens non tollerem. Oppoſuiſti ſemel [6] ἀντίσπακτον cauſam, Ciceronis noſtri valitudinem: conticui. [7] iterum Cicerones: quievi. Nunc mihi jucunditatis plena epiſtola hoc aſperſit moleſtiæ, quòd videris, ne mihi moleſtus eſſes, veritus eſſe, atque etiam nunc vereri. Litigarem tecum, ſi fas eſſet: ſed mehercule iſtuc ſi umquam ſuſpicatus ero, nihil dicam aliud, niſi verebor, nequando ego tibi, cùm ſum unà, moleſtus ſim. Video te ingemuiſſe. ſic fit, εἰδ' σὺ αἰα' ἐζήσας. numquam enim dicam, ἔα πάσας. Marium autem noſtrum in lecticam mehercule conjeciſſem, non illam regis Ptolemæi Anicianam. memini enim cùm hominem portarem ad Bajas, Neapoli, octophoro Aniciano, macherophoris centum ſequentibus, miros riſus nos edere, cùm ille *ignarus* ſui comitatus, repentè aperuit lecticam, & pænè ille timore, ego riſu corrui. Tunc, ut dico, certè ſuſtuliſſem, ut aliquando ſubtilitatem veteris urbanitatis, & humaniſſimi ſermonis attingerem. ſed hominem infirmum in villam apertam, [8] ac ne rudem quidem etiam nunc, invitare nolui. Hoc verò mihi peculiare fuerit, hîc etiam iſto frui. nam illorum prædiorum ſcito mihi [9] vicinum Marium, lumen eſſe. apud Annicium videbimus ut paratum ſit. nos enim ita philologi ſumus, ut vel cum fabris habitare poſſimus. habemus hanc philoſophiam, non ab Hymetto, [10] ſed ab area Syra. Marius, & valitudine eſt, & natura imbecillior. De interpellatione tantum ſumam à vobis temporis ad ſcribendum, quantum dabitis. utinam nihil detis, ut potiùs veſtra injuria, quàm ignavia mea ceſſem. De rep. nimium te laborare doleo, & meliorem civem eſſe, quàm Philoctetem, qui accepta injuria, illa *ſpectacula* quærebat, quæ tibi acerba eſſe video. Amabo te, advola: conſolabor te, & omnem abſtergebo dolorem, & adduc, ſi me amas, Marium. ſed adproperate. Hortus domi eſt.

MARCUS Q. FRATRI, S. 11

EPISTOLAM hanc convicio efflagitarunt codicilli tui. nam res quidem ipſa, & is dies, quo tu es profectus, nihil mihi ad ſcribendum argumenti ſane dabat. Sed quemadmodum coràm cùm ſumus, *ſermo* nobis deeſſe non ſolet; ſic epiſtolæ noſtræ debent interdum halucinari. Tenediorum igitur libertas, ſecuri Tenedia præciſa eſt. cùm eos præter me, & Bibulum, & Calidium, & Favonium nemo defenderet. [11] De te magis ab Sipylo mentio eſt honorifica facta, cùm te unum dicerent poſtulationi L. Sextii Panſæ reſtitiſſe. Reliquis diebus, ſi quid erit, quod te ſcire opus ſit, aut etiam ſi nihil erit, tamen ſcribam quotidie aliquid. Prid. Id. neque tibi, neque Pomponio deero. [12] Lucretii poëmata (ut ſcribis) lita ſunt multis luminibus ingenii, multæ tamen artis. Sed cum veneris, virum te putabo,

---

1. *De noſtra Urania.*] Eſt conjectura Malaſpinæ. Membranæ enim noſtræ aliorumque, item excuſi prius *de non curantia.*

2. *Aut ad Brogitarum.*] Haud aliter Lambinus, ſed præter libros; ſic ſolum emendandum duxerat Manutius, cùm prius abfuiſſet præpoſitio.

3. *A. d. III. Id. Maji.*] Petri Victorii editio *Febr.* neque aliter Pall. quatuor, niſi quod quart. *A. d. VI. Id. Febr.*

4. *An te Atejus? mehercule, &c.*] Pal. pr. & tert. *Antea te is mehercule.* ſec. *Antehac mehercule.* quart. *Antea te his mehercule.* quæ produco, ut appareat, recedendum a conjectaneo Lambini, *An te Statius?*

5. *Inſulſa verecundia.*] Sic conjicit Victorius lib. VI. Var. lect. cap. 6. cum eſſet in libris *infuſa*, in editis *invîſa*. idem non rejiciat, *inſita*. Wouwerii codex habebat; *Sed in me affatim eſt infuſa verecundia*; quod omnino ſapit gloſſam.

6. Ἀντίσπακλον.] Ita reſtituit ex Beſſarionis P. Manutius. & proxime accedit Pall. quartus. nam ceteri adhærent vulgato, ἀντίσπακλον, quod mutabat in ἀντιλέπτον Victorius d. cap. 6. qui videatur.

7. *Iterum Cicerones; quievi.*] Haud ſecus Rob. Stephani editio, & neotericæ. verùm remotiores, *iterum ceteri omnes; quievi. quod & in Pall. omnibus.*

8. *Ac ne rudem quidem.*] Neotericæ edd. *tutam.* ſed præter vetuſtiores & Pall. noſtros. Gulielmius tamen ex illa ciebat, *rutam.*

9. *Vicinum Marium lumen eſſe.*] P. Victorius tollit vocem *lumen* lib. VI. Var. lect. cap. 7. ſed non neceſſario.

10. *Sed ab area Syra.*] Varie iſthæc ſcribuntur in Pall. nam pr. *ſed ab Aray ſira.* ſec. *ſed ab Araiſira.* tert. *non ab injecto ſed ab Araj-ſira.* emendatumque aliàs. *ab himaco ſea ab ara ſiria.* quart. *ſed ab araxira.* quomodo correxerit Cælius Rhodiginus, videndum Antiq. lect. lib. XXVIII. cap. 23.

11. *De te magis ab Sipylo mentio, &c.*] Pal. pr. nihil variat, niſi quod *à* collocarit ſupra è vocis *te.* tert. vero expreſſit *tea.* P. Victorius lib. XXX. Var. lect. cap. 1. emendat, *de te à Magnetibus ab Sipylo*, quod illico arripuit Lambinus.

12. *Lucretii poëmata ut ſcribis lita ſunt multis luminibus ingenii, &c.*] Retinui quod erat in Aldino veteri, quod proximè ei accederent Pall. in quibus *ita.* nam ſubſeqq. edd. interpoſuerant negativam *non ita ſunt, &c.* Lambinus heic multa de ſuo addidit.

putabo. ſi Saluſtiii Empedoclea legeris : hominem non putabo. Vale.

11 MARCUS Q. FRATRI, S.

GAUDEO tibi jucundas eſſe meas litteras : nec tamen habuiſſem ſcribendi nunc quidem ullum argumentum, niſi tuas accepiſſem. nam prid. Id. cùm Appius ſenatum infrequentem coëgiſſet, tantum fuit frigus, ut populi convicio coactus ſit nos dimittere. De Commageno rege, quòd rem totam diſcuſſeram, mirificè mihi & per ſe & per Pomponium blanditur Appius. Videt enim, hoc genere dicendi ſi utar in ceteris, Februar. ſterilem futurum: eumque luſi jocosè ſatis: neque ſolùm illud extorſi oppidulum, quod erat poſitum [1] in Euphrate, & Zeugmate: ſed præterea togam ſum ejus prætextam, quam erat adeptus Cæſare cos. magno hominum riſu cavillatus. *Quod non vult, inquam, renovare honores eoſdem, quo minùs togam prætextam quotannis interpollet, decernendum nihil cenſeo.* Vos autem homines nobiles, [2] qui Buſrenum prætextatum non ferebatis, Commagenum feretis? Genus vides, & locum jocandi. Multa dixi in ignobilem regem: quibus totus eſt exploſus. quo genere commotus (ut dixi) Appius, totum me amplexatur. Nihil eſt enim facilius, quàm reliqua diſcutere. Sed non faciam, ut illum offendam, ne imploret fidem Jovis *Hoſpitalis:* Grajos omneis convocet, per quos mecum in gratiam rediit. Theopompo ſatisfaciemus. De Cæſare fugerat me ad te ſcribere. Video enim, quas tu litteras exſpectaris. ſed ille ſcripſit ad Balbum, faſciculum illum epiſtolarum, in quo fuerat & mea, & Balbi, totum ſibi aqua madidum redditum eſſe: ut ne illud quidem ſciat, meam fuiſſe aliquam epiſtolam. ſed ex Balbi epiſtola pauca verba intellexerat, ad quæ reſcripſit his verbis, *De Cicerone video te quiddam ſcripſiſſe: quod ego non intellexi: quantum autem conjectura conſequebar, id erat hujuſmodi, ut magis optandum, quam ſperandum putarem.* Itaque poſteà miſi ad Cæſarem eodem illo exemplo litteras. Jocum autem illius de ſua egeſtate ne ſis aſpernatus. Ad quem ego reſcripſi, nihil eſſe, quòd poſthac arcæ noſtræ fiducia conturbaret: luſique in eo genere & familiariter, & cum dignitate. Amor autem ejus erga nos perfertur omnium nuntiis ſingularis. Et litteræ quidem ad id, quòd exſpectas, ferè cum tuo reditu jungentur, reliqua ſingulorum dierum ſcribemus ad te, ſi modò tabellarios tu præbebis. quamquam ejuſmodi frigus impendebat, ut ſummum periculum eſſet, ne Appio ſuæ ædes *urerentur.* Vale.

12 MARCUS Q. FRATRI, S.

RISI *nivem atram:* teque hilari animo eſſe, & promptum ad jocandum, valde me juvat. De Pompejo, aſſentior tibi, vel tu potius mihi. nam, ut ſcis, [3] jampridem iſtum canto Cæſarem. mihi crede, in ſinu eſt: neque ego diſcingor. Cognoſce nunc idus. Decimus erat Cœlio dies. Domitius ad numerum judices non habuit. vereor ne homo tæter, & ferus, Pola Servius ad accuſationem veniat. nam noſter Cœlius valde oppugnatur à gente Clodia. certi nihil eſt adhuc: ſed veremur. Eodem igitur die Tyriis eſt ſenatus datus frequens: frequentes contrà Syriaci publicani. vehementer vexatus Gabinius: exagitati tamen à Domitio publicani, quòd eum eſſent cum equis proſecuti: C. noſter Lamia paullo ferociùs, cùm Domitius dixiſſet, VESTRA CULPA hæc acciderunt, equites R. diſſolutè enim judicatis: Nos judicamus, [4] vos laudatis, inquit. Actum eſt eo die nihil. nox diremit. Comitialibus diebus, qui Quirinalia ſequuntur, Appius interpretatur non impediri ſe lege Pupia, quo minùs habeat ſenatum, & quòd Gabinia ſanctum ſit, etiam cogi ex Kal Febr. uſque ad Kal. Mart. legatis ſenatum quotidie dari. ita putantur detrudi comitia in menſem Martium. ſed tamen his comitialib. tribun. pleb. de Gabinio ſe acturos eſſe dicunt. Omnia colligo, ut novi ſcribam aliquid ad te. ſed ut vides, res me ipſa deficit. Itaque [5] ad Calliſthenem, & ad Philiſtum redeo: in quibus te video volutatum. [6] Calliſthenes quidem, vulgare, & notum negotium, [7] quemadmodum Græci aliquot locuti ſunt. Siculus ille, capitalis, creber, acutus, brevis, pænè puſillus Thucydides: ſed utros ejus habueris libros (duo enim ſunt corpora) an utroſque, neſcio. [8] Me magis de Dionyſio delectat. ipſe eſt enim veterator magnus, & perfamiliaris Philiſto. Sed quod adſcribis, aggrederiſne ad hiſtoriam? me auctore potes. &, quoniam tabellarios ſubminiſtras, hodierni diei res geſtas Lupercalibus habebis. Oblecta te cum Cicerone noſtro quam belliſſimè.

[9] MARCUS Q. FRATRI, S. 13

DUAS adhuc à te accepi epiſtolas: quarum alteram in ipſo diſceſſu noſtro, alteram Arimino datam. plureis, quas ſcribis te dediſſe, non acceperam. Ego me in Cumano, & Pompejano, præterquàm quòd ſine te, ceterùm ſatis commode oblectabam. & eram in iiſdem locis uſque ad Kal. Jun. futurus. Scribebam illa, quæ dixeram, πολιτικὰ: ſpiſſum ſanè opus, & operoſum. ſed ſi ex ſententia ſucceſſerit: bene erit opera poſita. ſin minùs: in illud ipſum mare dejiciemus, [10] quod ſcribentes ſpectamus. aggrediemur alia, quoniam quieſcere non poſſumus. Tua mandata perſequar diligenter, & adjungendis hominibus, & quibuſdam non alienandis. Maximæ mihi verò curæ erit, ut Ciceronem tuum, noſtrumque videam, ſcilicet quotidie: ſed inſpiciam quid diſcat, quàm ſæpiſſimè: & niſi ille contemnet, etiam *magiſtrum* me ei profitebor, cujus rei nonnullam conſuetudinem nactus ſum in hoc horum dierum otio, Cicerone noſtro [11] minore producendo. Tu, quemadmodum ſcribis, quod etiam ſi non ſcriberes, facere te diligentiſſimè tamen ſciebam, facies, ſcilicet, ut mea mandata digeras, perſequare, conficias. Ego, cùm Romam venero, nullum prætermittam Cæſaris tabellarium, cui litteras ad te non dem. His diebus (ignoſces) cui darem, fuit nemo antè hunc M. Orfium, equitem Rom. noſtrum & perneceſſarium, & quòd eſt ex municipio Atellano: quod ſcis eſſe in fide noſtra. Itaque eum tibi commendo in majorem modum, hominem domi ſplendidum, gratioſum etiam extra domum: quem fac ut tua liberalitate tibi obliges. eſt tribunus mil. in exercitu noſtro.

1. *In Euphrate & Zeugmate.*] Pal. pr. *in Euphrate & eugmate.* quomodo ſec. & tert. niſi quod ambo *euginate.* tertius præterea *Euphrati.* at eſt in quarto, *in Euphrati Zeumate.* P. Manutius vult, *& Zeugmate*, eſſe gloſſema. Lambinus finxit, *in Euphrate Zeugma*, quod non diſplicet.

2. *Qui Buſrenum.*] Mire variat nomen iſtud in mſſ. noſtris. nam Pal. pr. *qui vix Rhenum.* ſec. *qui Buſcenum.* tert. *Buſthenum.* quart. *Burrenum.*

3. *Jampridem iſtum canto Cæſarem.*] Non diſſentiunt libri, Lipſius tamen imbibit Ciceronem ſcripſiſſe; *jampridem iſtunc ante Cæſarem.* qui conſulatur libro IV. Antiq. lect. cap. 13.

4. *Vos laudatis.*] Ita & Pall. ſed Wouwerius adſcripſit oræ, ex neſcio quo veteri codice, *vos colluditis.*

5. *Ad Calliſthenem redeo.*] Muretus lib. II. cap. 5. Novar. lect. abjicit *redeo*, de conjectura; quæ quo fundamento nitatur, ibidem videatur. & verò id ſtatim etiam ſecutus eſt Lambinus; ſed invitis omnibus mſſ. noſtris.

6. *Calliſthenes quidem.*] Ita liber Mureti, & adſtipulatur Pal. tert. alii *Calliſthenis*, ut vulgati prius.

7. *Quemadmodum Græci aliquot locuti ſunt.*] Idem liber deſtituebatur illis, *locuti ſunt.* fieri poteſt; ſed exſtant tamen in omnibus Pall.

8. *Me magis de Dionyſio delectat.*] Alterum ſcilicet corpus, in quo de Dionyſii rebus geſtis egerat, inquit Victorius lib. XXXII. cap. 19. Variar. lect. malè enim qui tolli debere præpoſitionem exiſtimarent.

9. *Marcus, &c.*] Hanc adhuc ſuperiori epiſtolæ adnectunt edd. vett. & Pall. noſtri.

10. *Quod ſcribentes ſpectamus.*] Aldini, *ſpectabamus*; quomodo & Lambiniana. at Victorius, *quod ſpectantes ſcribimus:* neque aliter Pall. quatuor.

11. *In minore producendo.*] Ita reſtituendum putavi cum Pall. neque aliter Victoriana, aut P. Manutii editio. vulgata, *perdocendo.*

ſtro. gratum hominem, obſervantemque cognoſces. Trebatium ut valde ames, vehementer te rogo. Vale.

MARCUS Q. FRATRI, S.

14 A D. IIII. Non. Jun. quo die Romam veni, accepi tuas litteras, datas Placentiæ: deinde alteras poſtridie, [1] datas Blandenonæ, cum Cæſaris litteris, refertis omni officio, diligentia, ſuavitate. Sunt iſta quidem magna, vel potiùs maxima. Habent enim vim magnam ad gloriam, & ad ſummam dignitatem. Sed mihi crede, quem noſti, quod in iſtis rebus ego plurimi æſtimo, id jam habeo: te ſcilicet primùm tam inſervientem communi dignitati: deinde Cæſaris tantum in me amorem: quem omnibus his honoribus, quos me à ſe exſpectare vult, antepono. Litteræ verò ejus unà datæ cum tuis, quarum initium eſt, QUAM SUAVIS ei tuus adventus fuerit, & recordatio veteris amoris: deinde, SE EFFECTURUM, ut ego in medio dolore, ac deſiderio tui, te, cùm à me abeſſes, potiſſimùm ſecum eſſe lætarer, incredibiliter delectarunt. Quare facis tu quidem fraternè, quòd me hortaris, ſed mehercule currentem nunc quidem, ut omnia mea ſtudia in iſtum unum conferam. Ego verò ardenti quidem [2] ſtudio: ac fortaſſe efficiam, quod ſæpe *viatoribus*, cùm properant, evenit: ut, ſi ſeriùs, quàm voluerunt, fortè ſurrexerint: properando, etiam citiùs, quàm ſi de multa nocte vigilaſſent, perveniant quò velint: ſic ego, quoniam in iſto homine colendo tam indormivi diu, te mehercule ſæpe excitante, curſu corrigam tarditatem, tum equis, tum verò (quoniam ſcribis poëma ab eo noſtrum probari) quadrigis poëticis. modò mihi date Britanniam, quam pingam coloribus tuis, penicillo meo. Sed quid ago? quod mihi tempus, Romæ præſertim, ut iſte me rogat, manenti, vacuum oſtenditur? ſed videro. fortaſſe enim (ut fit) vincet tuus *amor* omnes difficultates. Trebatium quòd ad ſe miſerim, perſalsè, & humaniter etiam gratias mihi agit. negat enim, in tanta multitudine eorum, qui unà eſſent, quemquam fuiſſe, qui vadimonium concipere poſſet. M. Curtio tribunatum ab eo petivi (nam Domitius ſe derideri putaſſet, ſi eſſet à me rogatus: hoc enim eſt ejus quotidianum, ſe ne tribunum mil. quidem facere: etiam in ſenatu luſit Appium collegam, propterea iſſe ad Cæſarem, ut aliquem tribunatum auferret) ſed in alterum annum. id & Curtius ita volebat. Tu, quemadmodum me cenſes oportere eſſe in rep. & in noſtris inimicitiis; ita & eſſe, & fore, auricula infima ſcito molliorem. Res Romanæ ſe ſic habebant. Erat nonnulla ſpes comitiorum, ſed incerta: erat aliqua ſuſpicio *dictaturæ*, ne ea quidem certa: ſummum otium forenſe, ſed ſeneſcentis magis civitatis, quàm acquieſcentis. Sententia autem noſtra in ſenatu ejuſmodi, magis ut alii nobis aſſentiantur, quàm noſmetipſi. τοιαῦτα ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται. Calamo, & atramento temperato, charta etiam dentata res agetur. Scribis enim te meas litteras ſuperiores vix legere potuiſſe: in quo nihil eorum, mi frater, fuit, quæ putas. neque enim occupatus eram, neque perturbatus, nec iratus alicui: ſed hoc facio ſemper, ut, quicumque *calamus* in manus meas venerit, eo ſic utar, tamquam bono. Verùm attende nunc, mi optime, & ſuaviſſime frater, ad ea dum reſcribo, quæ tu in hac eadem brevi epiſtola πραγματικῶς valde ſcripſiſti. De quo petis, ut ad te, nihil occultans, nihil diſſimulans, nihil tibi indulgens, genuinè, fraterneque reſcribam. id eſt, [3] utrum voles, ut dixerimus, ad expediendum te: ſi cauſa ſit, commorere. Si, mi Quinte, parva aliqua res eſſet, in qua ſciſcitare, quid vellem: tamen, cùm tibi permiſſurus eſſem, ut faceres, quod velles: ego ipſe, quid vellem, oſtenderem. In hac verò re hoc profectò quæris, cujuſmodi illum annum, qui ſequitur, exſpectem: planè aut tranquillum nobis, aut certè munitiſſimum: quod quotidie domus, quod forum, quod *theatri* ſignificationes declarant: [4] nec laborant quòd mea conſcientia copiarum noſtrarum, quòd Cæſaris, quòd Pompeji gratiam tenemus. hæc me, ut confidam faciunt. ſin aliquis, erumpet amentis hominis furor: omnia ſunt ad eum frangendum expedita. Hæc ita ſentio, judico, ad te exploratè ſcribo. dubitare te, non aſſentatoriè, ſed fraternè veto. Quare ſuavitatis equidem noſtræ fruendæ cauſa, cuperem te ad id tempus venire, quod dixeras: [5] ſed illud malo tamen, quod putas; magis etiam illa (etenim magis æſtimo me) ἀμφιλαφίαν illam tuam, & exſpectationem debitorum tuorum. Illud quidem ſic habeto, nihil nobis expeditis, ſi valebimus, fore fortunatius. parva ſunt, quæ deſunt, noſtris quidem *moribus*, & ea ſunt ad explicandum expeditiſſima, modò valeamus. Ambitus redit immanis. numquam fuit par. [6] Idib. Quint. fænus fuit ZZ. ex Z. coitione Memmii, quam cum Domitio habuit Scaurus, unum vincere. Meſſalla flaccet. non dico ὑπερβολικῶς: vel H-S centies conſtituunt te prærogativa pronuntiare. Res ardet invidia. Tribunitii candidati compromiſerunt, H-S quingenis in ſingulos apud M. Catonem depoſitis, petere ejus arbitratu, ut, qui contrà feciſſet, ab eo condemnaretur. quæ quidem comitia gratuita ſi fuerint, ut putantur, plus unus Cato fuerit, quam omnes *leges*, omneſque judices.

MARCUS Q. FRATRI, S. 15

CUM à me litteras librarii manu acceperis, ne paullum otii me habuiſſe judicato: cùm autem mea, nullum. ſic enim habeto, numquam me à cauſis, & judiciis diſtrictiorem fuiſſe: atque id anni tempore graviſſimo, & caloribus maximis. Sed hæc (quoniam tu ita præſcribis) ferenda ſunt: neque committendum, ut aut ſpei, aut cogitationi veſtræ ego videar defuiſſe: præſertim cum, tametſi id difficilius fuerit, tamen ex hoc labore magnam gratiam magnamque dignitatem ſim collecturus. Itaque, ut tibi placet, damus operam, ne cujus animum *offendamus*, atque ut etiam ab iis ipſis, qui nos cum Cæſare tam conjunctos dolent, diligamur; ab æquis verò, aut etiam à propenſis in hanc partem vehementer & colamur, & amemur. De ambitu cum atrociſſimè ageretur in ſenatu multos dies, quòd ita erant progreſſi candidati conſulares, ut non eſſet ferendum: in ſenatu non fui. Statui ad nullam *medicinam* reip. ſine magno præſidio accedere. Quo die hæc ſcripſi, Druſus erat de prævaricatione à tribunis ærariis abſolutus, in ſumma, quattuor ſententiis cùm ſenatores, & equites damnaſſent. Ego eodem die poſt meridiem Vatinium aderam defenſurus. ea res facilis eſt. Comitia in menſem Sept. rejecta ſunt. Scauri judicium ſtatim exercebitur: cui nos non deerimus. συνδείπνους Σοφοκλέους, quamquam à te actam fabellam video eſſe feſtivè, nullo modo probavi. Venio nunc ad id, quod neſcio an primum eſſe debuerit. O jucundas mihi tuas de Britannia litteras! timebam Oceanum, timebam litus inſulæ. Reliqua non equidem contemno, ſed plus habent tamen ſpei, quam timoris, magiſque

que

1. *Datas Blandenonæ.*] Sic quoque Pall. niſi quod tres eorum *Blandennonæ*. Sigonius emendabat *Laude nonis*, quod illico in contextum recepit Lambinus, gnavus accipiter.

2. *Studio. ac fortaſſe.*] Pal. ſec. tert. *ſtudio hoc fortaſſe*; neque aliter editio Aldi vetus.

3. *Utrum voles, ut dixerimus, ad expediendum te: ſi cauſa ſit commorere.*] P. Manutius tentabat, *utrum voles (ut dixerim) an ad exp. te, ſi cauſa, &c.*

4. *Neque laborant, quod mea conſcientia copiarum noſtrarum, &c.*] Laudo P. Manutium, qui à loco deſperato manus abſtinet. Lambinus conjectando, tantum prodit ignorantiam artis. Pall. nihil variant.

5. *Sed malo tamen, quod putas; magis etiam illa (etenim magis æſtimo me) ἀμφιλαφίαν, &c.*] Sic P. Manutius aliique. pater Aldus; *magis etiam, illa etiam magni æſtimo ἀμφ.* quibus adhærent Pall. niſi quod quidam, *magna æſtimo*, unus *magnam æſtimo*. ſec. etiam tert. à manu prima; *magnis etiam illa magna æſt.*

6. *Idibus. Quint fænus fuit zz. ex z. &c*] Variantes lectiones hujus loci, ſatis habui annotare ad oram codicis Gulielmiani. nam nimium diſcrepabant Pall. neque quidquam potui eruere boni. Conſolatur Tullius libro IV. ad Atticum Epiſt. 15.

1. In

que ſum ſollicitus exſpectatione ea, quàm metu. Te verò ὑπόθεσιν ſcribendi egregiam habere video. Quos tu ſitus, quas naturas rerum & locorum, quos mores, quas genteis, quas pugnas, quem verò ipſum imperatorem habes? Ego te libenter, ut rogas, quibus rebus vis, adjuvabo, & tibi verſus, quos rogas, γλαῦκας εἰς Ἀθήνας mittam. Sed heus tu, celari videor à te. quomodonam, mi frater, de noſtris verſibus Cæſar? nam primum librum ſe legiſſe ſcripſit ad me antè: & prima, ſic, ut neget ſe ne Græca quidem meliora legiſſe. Reliqua ad quendam locum ῥαθυμότερα. hoc enim utitur verbo. Dic mihi verum, num aut res eum, aut χαρακτὴρ non delectat? nihil eſt, quòd vereare. Ego enim ne pilo quidem minùs me *amabo*. Hac de te φιλαλήθως, &, ut ſoles, ſcribe fraternè.

M. TULLII CICERONIS
EPISTOLARUM
LIBER TERTIUS,
AD
QUINTUM FRATREM.

I

MARCUS Q. FRATRI, S.

EGo ex magnis caloribus (non enim meminimus majores) in Arpinati ſumma cum amœnitate fluminis me refeci ludorum diebus, Philotimo tribulibus commendatis. In Arcano a. d. IIII. Idus Sept. fui. ibi Meſſidium cum Philoxeno, aquamque, quam ii ducebant non longè à villa, bellè ſanè fluentem vidi, præſertim maxima ſiccitate: uberioremque aliquanto ſeſe collecturos eſſe dicebant. apud Herum rectè erat. [1] In Manliano offendi Diphilum Diphilo tardiorem. ſed tamen nihil ei reſtabat præter balnearia, & ambulationem, & aviarium. Villa mihi valde placuit, propterea quòd ſummam dignitatem pavimentata porticus habebat: quod mihi denique apparuit, poſteaquam & ipſa tota patet, & columnæ politæ ſunt. Totum in eo eſt (quod mihi erit curæ,) [2] tectorium ut concinnum ſit. pavimenta rectè fieri videbantur. cameras quaſdam non probavi, mutarique juſſi. Quo loco in porticu te ſcribere ajunt ut atriolum fiat, mihi, ut eſt, magis placebat. neque enim ſatis loci eſſe videbatur atriolo: neque ferè ſolet, niſi in his ædificiis fieri, in quibus eſt atrium majus: nec habere poterat adjuncta cubicula, & ejuſmodi membra. [3] nunc hoc vel honeſtate teſtudinis, vel valde boni æſtivum locum obtinebit. tu tamen ſi aliter ſentis, reſcribe quam primum. In balneariis, aſſa in alterum apodyterii angulum promovi, propterea quòd ita erant poſita, ut eorum vaporarium, ex quo ignis erumpit, [4] eſſet ſubjectum cubiculis. ſubgrande cubiculum autem, & hibernum altum valde probavi, quòd & ampla erant, & loco poſita ambulationis uno latere, eo, quod eſt proximum balneariis. Columnas neque rectas; neque è regione Diphilus collocarat. eas ſcilicet demolietur. aliquando perpendiculo, & linea diſcet uti. Omnino ſpero paucis menſibus opus Diphili perfectum fore. curat enim diligentiſſimè Cæſius, qui tum mecum fuit. Ex eo loco rectà 2
Vitularia via profecti ſumus in Fufidianum fundum, quem tibi proximis nuntiis Arpini de Fufidio H-s CCCIↃↃↃ. emeramus. Ego locum æſtate umbroſiorem vidi numquam: permultis locis aquam profluentem, & eam uberem. quid quæris? Jugera L. prati Cæſius irrigaturum facilè te arbitrabatur. Equidem hoc, quod meliùs intelligo, affirmo, mirifica ſuavitate te villam habiturum? piſcina, & ſalientibus additis, palæſtra, [5] & ſilva viridicata. Fundum audio te hunc Bovillanum velle retinere. de eo quid videatur, ipſe conſtitues. Calvus ajebat, aqua demta, & ejus aquæ jure conſtituto, & ſervitute fundo illi impoſita, tamen nos pretium ſervare poſſe, ſi vendere vellemus. Meſſidium mecum habui. is ſe ternis nummis in pedem tecum tranſegiſſe dicebat: ſeſe autem menſum pedibus [6] ajebat paſſuum IV CIↃ. mihi plus viſum eſt. ſed præſtabo, ſumtum nuſquam meliùs poſſe poni. Chilonem arceſſiveram Venafro: ſed eo ipſo die quattuor ejus conſervos, & diſcipulos Venafri *cuniculus* oppreſſerat. Idibus Sept. in Laterio fui. viam perſpexi, quæ mihi ita placuit, ut opus publicum videretur eſſe, præter CL. paſſ. ſum enim ipſe menſus ab eo ponticulo, qui eſt ad Furinæ, Satricum verſus. eo loco pulvis, non glarea injecta eſt: & mutabitur: & ea viæ pars valde acclivis eſt. ſed intellexi aliter duci non potuiſſe, præſertim cùm tu neque per Locuſtæ, neque per Varronis velles ducere. Veluinus ante ſuum fundum propè munierat. Locuſta non attigerat: quem ego Romæ aggrediar, &, ut arbitror, commovebo; & ſimul M. Taurum, quem tibi audio promiſiſſe, qui nunc Romæ erat, de aqua per fundum ejus ducenda rogabo. [7] Nicephorum, villicum tuum, ſanè probavi: quæſivique ex eo; ecquid ei de illa ædificatiuncula Laterii, de qua mecum locutus

1. IN *Manliano offendi Diphilum, &c.*] Pall. *Maniliano.* Gulielmius corrigebat, *In Antiano.*

2. *Tectorium ut concinnum ſit.*] Pall. plerique, *concinium*, vel tale quid. quod cum ſimile quid in ſuis fortè inveniſſet P. Manutius, fecit inde *continuum ſit.*

3. *Nunc hoc vel honeſtate teſtudinis, vel valde boni æſtivum locum obtinebit.*] Ita Pal. pr. & olim cuſi. nam ſec. & tert. *honeſtatem teſtudinis, vel valde bonum æſtivum, &c.* quart. *honeſtæ teſtudinis vel valde boni æſt.* quod & de conjectura annotarat ad oram codicis ſui Gulielmius. P. Manutius, ingenioſè divinabat: *Nunc hoc vel in æſtate teſtudinis, vel hieme æſtivum locum obtinebit.* Lambini emendatio ridicula eſt. Turneb. lib. XXIV. cap. 39. Adverſariorum, putabat locum redintegrari, ſi reſcriberetur tantum, *boni æſtivi.*

4. *Eſſet ſubjectum cubiculis.*] Ita mſſ. Turnebi, neque ſecus Pal. ſec. nam ceteri *ſubjectum cubiculi.* ineptius adhuc retro vulgati, *ſub tectum cubiculi.* Joſeph. Scaliger ad Catullum emendat, *cubili ſuborunde.* idem antea delet, ceu ſpurium, *ex quo ignis erumpit.*

5. *Et ſilva viridicata.*] Sic Pall. tres. nam pr. *virdicata.* Lambinus edidit *vindicata*, natum ſub Turnebi manu, cum offendiſſet in Memmiano *viridata.* videatur d. cap. 39.

6. *Ajebat paſſuum* IV. CIↃ.] Placuit ſic reſcribere, cum offendiſſem in Pall. aut *vidus aut judus*, loco numerorum illorum, vulgata nimis enormis *paſſuum* CCCC. CIↃ.

7. *Nicephorum villicum tuum.*] Editio vetus & Pall. plures *Nicephorum*, quod tantum placebat Gulielmio.

tus es, mandaviſſes. tum is mihi reſpondit, ſe ipſum ejus operis [1] HS XVI. conductorem fuiſſe: ſed te poſtea multa addidiſſe ad opus, nihil ad pretium: itaque id ſe omiſiſſe. Mihi hercule valde placet, te illa, ut conſtituebas, addere: quamquam ea villa, quæ nunc eſt, tamquam philoſophia videtur eſſe, quæ objurget ceterarum villarum *inſaniam*. Verumtamen illud additum delectabit. Topiarium laudavi; ita omnia conveſtit hedera, quà baſim villæ, quà intercolumnia ambulationis; ut denique illi palliati topiariam facere videantur, & hederam vendere. jam ἀποδυτηρίῳ nihil alſius, nihil muſcoſius. Habes fere de rebus ruſticis. Urbanam expolitionem urget ille quidem, & Philotimus & Cincius: ſed etiam ipſe crebrò interviſo: quod eſt facile factu. Quamobrem
3 ea te cura liberatum volo. De Cicerone quòd me ſemper rogas, ignoſco equidem tibi, ſed tu quoque mihi velim ignoſcas. Non enim concedo tibi, plus ut illum ames, quam ipſe amo. Atque utinam his diebus in Arpinati, quod & ipſe cupierat, & ego non minùs, mecum fuiſſet. Quod ad Pomponiam: ſi tibi videtur, ſcribas velim, cùm aliquò exibimus, eat nobiſcum, puerumque ducat. clamores efficiam, ſi eum mecum habuero otioſum. nam Romæ reſpirandi non eſt locus. Id me ſcis anteà gratis tibi eſſe pollicitum. Quid hunc putas tanta abs te mihi mercede propoſita? Venio nunc ad tuas litteras: quas pluribus epiſtolis accepi, dum ſum in Arpinati. nam mihi uno die tres ſunt redditæ, & quidem, ut videbantur, eodem abs te datæ tempore: una pluribus verbis, in qua primùm erat, quòd antiquior dies in tuis fuiſſet adſcripta litteris, quàm in Cæſaris. [2] Id facit Oppius nonnumquam neceſſariò, ut, cùm tabellarios conſtituerit mittere, litteraſque à nobis acceperit, aliqua re nova impediatur, & neceſſariò ſeriùs, quàm conſtituerat, mittat: neque nos datis jam epiſtolis diem commutari curemus. Scribis de Cæſaris ſummo in nos amore. hunc & tu fovebis, & nos, quibuſcumque poterimus, rebus augebimus. De Pompejo, & facio diligenter, & faciam quod mones. Quòd tibi mea permiſſio manſionis tuæ grata eſt, id ego ſummo meo dolore, & deſiderio, tamen ex parte gaudeo. In Hippodamis, & nonnullis aliis arceſſendis, quid cogites, non intelligo. Nemo iſtorum eſt, quin abs te munus, fundi ſuburbani inſtar, exſpectet. Trebatium verò meum quod iſto admiſceas, nihil eſt. Ego illum ad Cæſarem miſi, qui mihi jam ſatisfecit. ſi ipſi minus, præſtare nihil debeo: teque item ab eo vindico, & libero. Quod ſcribis te à Cæſare quotidie plus diligi, immortaliter gaudeo. Balbum
4 verò, qui eſt iſtius rei (quemadmodum ſcribis) adjutor, in oculis fero. Trebonium meum à te amari, teque ab illo, pergaudeo. De tribunatu quòd ſcribis, ego verò nominatim petivi Curtio, & mihi ipſe Cæſar nominatim Curtio paratum eſſe reſcripſit, meamque in rogando *verecundiam* objurgavit. Si cui prætereà petiero (id quod etiam Oppio dixi, ut ad illum ſcriberet) facilè patiar mihi negari, quoniam illi, [3] qui ſibi moleſti ſunt, ſibi negari à me non facilè patiuntur. Ego Curtium (id quod ipſi dixi) non modò rogatione, ſed etiam teſtimonio tuo diligo, quòd litteris tuis ſtudium illius in ſalutem noſtram facilè perſpexi. De Britannicis rebus cognovi ex tuis litteris nihil eſſe, nec quòd metuamus; nec quod gaudeamus. De publicis negotiis, quæ vis ad te Tironem ſcribere, negligentiùs ad te antè ſcribebam, quòd omnia, minima, maxima, ad Cæſarem mitti ſciebam. Reſcripſi epiſtolæ 4
maximæ. Audi nunc de minuſcula: in qua primum eſt de Clodii ad Cæſarem litteris, in quo Cæſaris conſilium probo, quòd tibi amantiſſimè petenti veniam non dedit, uti ullum ad illam Furiam verbum reſcriberet. Alterum eſt [4] de Calventii Marii oratione. quòd ſcribis, miror: tibi placere, me ad eum reſcribere, præſertim cùm illam nemo lecturus ſit, ſi ego nihil reſcripſero, meam in illum pueri omnes, tamquam dictata, perdiſcant. Libros meos, quos exſpectas, inchoavi: ſed conficere non poſſum his diebus. Orationes efflagitatas pro Scauro, & pro Plancio abſolvi. Poëma ad Cæſarem, quod compoſueram, incidi. Tibi quod rogas, quoniam ipſi *fontes jam ſitiunt*, ſiquid habebo ſpatii, ſcribam. Venio ad tertiam. Balbum quòd ais mature Romam bene comitatum eſſe venturum, mecumque aſſiduè uſque ad id. Majas futurum, id mihi pergratum, perque jucundum erit. Quod me in eadem epiſtola, ſicut ſæpe anteà, cohortaris ad ambitionem, & ad laborem, faciam equidem. ſed QUANDO VIVEMUS? Quarta epiſtola mihi reddita eſt Id. Sep. quam a. d. IIII. Id. Sext. ex Britannia dederas. In ea nihil ſanè erat novi, præter Erigonam: quam ſi ab Oppio accepero, ſcribam ad te quid ſentiam. nec dubito, quin mihi placitura ſit. Et, quod præterii, de eo, quem ſcripſiſti de Milonis plauſu ſcripſiſſe ad Cæſarem: ego verò facilè patior ita Cæſarem exiſtimare, illum quàm maximum fuiſſe plauſum: & prorſus ita fuit: & tamen ille plauſus, qui illi datur, quodammodò *nobis* videtur dari. Reddita eſt etiam mihi pervetus epiſtola, ſed ſerò allata, in qua de æde Telluris, & de porticu Catuli me admones. fit utrumque diligenter. ad Telluris quidem etiam tuam ſtatuam locavi. Item de hortis, quòd me admones; nec fui umquam valde cupidus, & nunc domus ſuppeditat mihi hortorum amœnitatem. Romam cùm veniſſem a. d. XIII. Kal. Octob. abſolutum offendi in ædibus tuis tectum; quod ſupra conclavia non placuerat tibi eſſe multorum faſtigiorum: id non honeſtè vergit in tectum inferioris porticus. Cicero noſter, dum ego abſum, non ceſſavit apud rhetorem. De ejus eruditione quòd labores, nihil eſt, quoniam ingenium ejus noſti: ſtudium ego video, cetera ejus ſuſcipio, ut me putem præſtare debere. Gabinium tres adhuc 5
factiones poſtulant: L. Lentulus, flaminis F. qui jam de majeſtate poſtulavit: Ti. Nero cum bonis ſubſcriptoribus: C. Memmius tribun. pl. cum L. Capitone. ad urbem acceſſit a. d. XII. Kal. Octobr. nihil turpius, nec deſertius. ſed his judiciis nihil audeo [5] confidere. Quòd Cato non valebat, adhuc de pecuniis repetundis non erat poſtulatus. Pompejus à me valde contendit de reditu in gratiam: ſed adhuc nihil profecit: nec, ſi ullam partem *libertatis* tenebo, proficiet. Tuas litteras vehementer exſpecto. Quòd ſcribis te audiſſe in candidatorum conſularium coitione me interfuiſſe, id falſum eſt. ejuſmodi enim pactiones in ea coitione factæ ſunt, quas poſteà Memmius patefecit, ut nemo *bonus* intereſſe debuerit: & ſimul mihi committendum non fuit, ut his coitionibus intereſſem, quibus Meſſalla excluderetur: cui quidem vehementer ſatisfacio rebus omnibus: ut arbitror, etiam Memmio. Domitio ipſi multa jam feci, quæ voluit, quæque à me petivit. Scaurum beneficio defenſionis valde obligavi. adhuc erat valde incertum, & quando comitia, & qui coss. futuri eſſent. Cùm hanc jam epiſtolam complicarem, tabellarii à vobis venerunt a. d. XI. Kal. Sept. vi-

cesſimo

1. *HS. XVI. Conductorem.*] Haud aliter editus à Victorio; & reſpondet Pal. pr. & quart. nam ſec. ac tert. *operis* CCC XVI. *cond.* quomodo Aldus ſenior, niſi quod præmittat *numero HS.* at filius publicavit, *HS. x. ∞ cond.* Lambinus HS XVI CIↃ *cond.*

2. *Id facit Oppius, &c.*] Habent iſtud quidem ultimæ editiones: ſed vetuſtiores & mſſ. noſtri præferunt *Appius*; credo, quod nomen iſtud vulgo notius altero.

3. *Qui ſibi moleſti ſunt.*] Lambinus *mihi*, ſed invitis omnibus edd. & libris plutеariis.

4. *De Calventi Marii oratione.*] Nihil mutant mſſ. itaque non eſt quod Lambinus inclinet in *Calveni Matii*.

5. *Confidere. Quod Cato non valebat, adhuc.*] Interpunctione mutata egregie ſic locum hunc reſtituebat Turnebus libro XXIV. cap. 39. Adverſar.

1. *Sta*

ceſimo die. O me ſollicitum! quantum ego dolui in Cæſaris ſuaviſſimis litteris! [1] ſed quo erant ſuaviores, eo majorem dolorem illius ille caſus afferebat. Sed ad tuas venio litteras. Primùm tuam remanſionem etiam atque etiam probo, præſertim cùm, ut ſcribis, cum Cæſare, communicaris. Oppium miror quidquam cum Publilio: mihi enim non placuerat. Quod interiore epiſtola ſcribis, me Idib. Sept. Pompejo legatum iri: id ego non audivi, ſcripſique ad Cæſarem, Vibullium Cæſaris mandata de mea manſione ad Pompejum pertuliſſe, nec ad Oppium. quo conſilio? quamquam Oppium ego tenui, [2] quòd priores partes Bibuli erant. cum eo enim coram Cæſare egerat, ad Oppium ſcripſerat. Ego verò nullas δευτέρας φροντίδας habere poſſum in Cæſaris rebus. ille mihi ſecundum te & liberos noſtros ita eſt, ut ſit pæne par. videor id judicio facere. jam enim *debeo:* ſed tamen amore ſum incenſus.

6 Cum ſcripſiſſem hæc infima, quæ ſunt mea manu, venit ad nos Cicero tuus ad cenam, [3] cùm Pomponia foras cenaret. dedit mihi epiſtolam legendam tuam, quam paullo antè [4] acceperat, Ariſtophaneo modo; valde mehercule & ſuavem, & gravem: qua ſum admodum delectatus. Dedit etiam alteram illam mihi, qua jubes, eum mihi eſſe *affixum*, tamquam magiſtro. Quàm illum epiſtolæ illæ delectarunt? quàm me? Nihil puero illo ſuavius, nihil noſtri amantius. Hæc inter cenam Tironi dictavi, ne mirere alia manu eſſe. Annali litteræ tuæ pergratæ fuerunt, quòd & curares de ſe diligenter, & tamen conſilio ſeveriſſimo juvares. P. Servilius pater, ex litteris, quas ſibi à Cæſare miſſas eſſe dicebat, ſignificat valde te ſibi gratum feciſſe, quòd de ſua voluntate erga Cæſarem humaniſſimè, diligentiſſimeque locutus eſſes. Cum Romam ex Arpinati revertiſſem, dictum mihi eſt, Hippodamum ad te profectum eſſe. Non poſſum ſcribere, me miratum eſſe, illum tam inhumaniter feciſſe, ut ſine meis litteris ad te proficiſceretur: illud ſcribo, mihi moleſtum fuiſſe. jam enim diu cogitaveram, ex eo, quod tu ad me ſcripſeras, ut, ſi quid eſſet, quod ad te diligentiùs perferri vellem, illi darem: quòd mehercule hiſce litteris, quas vulgò ad te mitto, nihil ferè ſcribo, quod ſi in alicujus manus inciderit, moleſtè ferendum ſit. Minucio me, & Salvio, & Labeoni reſervabam. Labeo aut tardè proficiſcetur, aut hîc manebit. [5] Hippodamus ne nunc quidem, quid velim, rogavit. T. Pinarius amabileis ad me de te litteras mittit: ſe maximè litteris, ſermonibus, cenis denique tuis delectari. Is homo ſemper me delectavit: fraterque ejus mecum eſt multùm. quare, ut inſti-

7 tuiſti, complectere adoleſcentem. Quòd multos dies epiſtolam in manibus habui, propter commorationem tabellariorum, ideò multa conjecta ſunt, aliud alio tempore, velut hoc. T. Anicius mihi ſæpe jam dixit, ſeſe tibi, ſuburbanum ſiquod inveniſſet, non dubitaturum eſſe emere. In ejus ſermone ego utrumque ſoleo admirari; & te de ſuburbano emendo, cùm ad illum ſcribas, non modò ad me non ſcribere, ſed etiam aliam in ſententiam ſcribere; &, cùm ad illum ſcribas, nihil te recordari [6] de ſe, de epiſtolis illis, quas in Tuſculano ejus tu mihi oſtendiſti, nihil de præceptis Epicharmi, γνῶθι, πῶς ἄλλῳ κέχρηται; totum denique vultum, animum, ſermonem ejus: quemadmodum conjicio, quaſi. Sed hæc tu videris. De ſuburbano, cura, ut ſciam, quid velis: & ſimul nequid ille turbet, vide. Quid præterea? Quid? etiam. Gabinius a. d. IIII. Kal. Octobr. noctu in urbem introivit; & hodie H. VIII. cùm edicto C. Alfii de majeſtate eum adeſſe oporteret, concurſu magno, & odio univerſi populi pænè afflictus eſt. nihil illo turpius: proximus tamen eſt Piſo. itaque mirificum ἐμβόλιον cogito in ſecundum librorum meorum includere, dicentem Apollinem in concilio deorum, qualis reditus duorum imperatorum futurus eſſet: quorum alter exercitum *perdidiſſet*, alter *vendidiſſet*. Ex Britannia Cæſar ad me Kal. Sept. dedit litteras: quas ego accepi a. d. IIII. Kalen. Octobr. ſatis commodas de Britannicis rebus: quibus, ne admirer, quòd à te nullas acceperim, ſcribit, ſe ſine te fuiſſe, cùm ad mare acceſſerit. Ad eas ego ei litteras nihil reſcripſi, ne gratulandi quidem cauſa, propter ejus *luctum*. Te oro etiam atque etiam, mi frater, ut valeas.

MARCUS Q. FRATRI, S. 2

A D. VI. Id. Octob. Salvius Oſtiam veſperi navi profectus erat cum iis rebus, quas tibi domo mitti volueras. Eodem die Gabinium ad populum luculentè calefecerat Memmius, ſic, ut Calidio verbum facere pro eo non licuerit. Poſtridie autem ejus diei, qui erat tum futurus, cùm hæc ſcribebam ante lucem, apud Catonem erat divinatio in Gabinium futura inter Memmium, & Ti. Neronem, & C. & L. Antonios, M. F. Putabamus fore, ut Memmio daretur, etſi erat Neronis mira contentio. Quid quæris? probè premitur, niſi noſter Pompejus, diis, hominibuſque *invitis*, negotium everterit. Cognoſce nunc hominis audaciam, & aliquid in rep. perdita delectare. Cùm Gabinius, quacumque veniebat, triumphum ſe poſtulare dixiſſet, ſubitoque bonus imperator noctu [7] in urbem, hoſtium planè, invaſiſſet, in ſenatum ſe non committebat. Interim ipſo decimo die, quo ipſum oportebat hoſtium numerum, & militum renuntiare, [8] in re hæſit; ſumma infrequentia. cùm vellet exire, à coſs. retentus eſt: introducti publicani. Homo undique actus, cùm à me maximè vulneraretur, non tulit, & me trementi voce *exſulem* appellavit. Hic, ô dii! nihil umquam honorificentius nobis accidit. conſurrexit ſenatus cum clamore ad unum; ſic, ut ad corpus ejus accederet: pari clamore, atque impetu publicani. Quid quæris? omnes, tamquam ſi tu eſſes, ita fuerunt. Nihil hominum ſermone foris clarius. Ego tamen teneo ab accuſando vix mehercule: ſed tamen teneo, [9] vel quòd nolo cum Pompejo pugnare (ſatis eſt quod inſtat de Milone) vel quòd judices nullos habemus. ἀπότευξιν formido. addo etiam malivolentiam hominum: & timeo, ne illi, me accuſante, aliquid accidat: nec deſpero rem, & ſine me, & nonnihil per me, confici poſſe. De ambitu poſtulati ſunt omnes, qui conſulatum petunt: à Memmio, Domitius: [10] à Q. Curtio; bono & erudito adoleſcente, Memmius: à Q. Pompejo, Meſſalla: à Triario, Scau-

1. *Sed quo erant ſuaviores, &c.*] Lambinus intulit, *ſcilicet*; inconſiderate, corripiturque ea propter à Stewechio noſtro commentariis ad Vegetium libro II. cap. 18.

2. *Quod priores partes Bibuli erant.*] Habent iſtud Pall. omnes, & cuſi uſque ad Lambinum, is enim admiſit conjectaneum P. Manutii *Vibullii*. non auſim mutari.

3. *Cum Pomponia foras cænaret.*] Antea erat *foris*; ſed mutavit e fide mſſ. Vict. lib. XV. Var lect. cap. 5. neque aliter Pall. noſtri.

4. *Acceperat, Ariſtophaneo modo.*] Revocavit hanc ſcripturam ex membranis ſuis P. Victorius, qui conſulatur d. cap. 5. ſicque etiam reperi in Pal. pr. ac quarto. nam intermedii, *ab Riſtophaneo meo*. vulgata, *acc. ab Ariſtophane meo.*

5. *Hippodamus ne nunc quidem quid velim, rogavit.*] Lambinus, *ne, numquid vellem, quidem rogavit*; ſed non aſſentiuntur mſſ. noſtri. Guiliel. divinabat, *ne me quidem, &c.* ingenioſè quidem, ſi non vere.

6. *De ſe, de epiſtolis ejus.*] Victorius & Pall. tres *epulis*. ſed non video quomodo quadret. Lambinus edidit, *de ſe*, libris omnibus nolentibus.

7. *In urbem, hoſtium planè, invaſiſſet.*] Petrus Victorius emendandum putabat, *in urbem; nocte plane invaſiſſet*. lib. IV. Var. lect. cap. 23. quem refellit Robert. Titius lib. VI. Controverſ. cap. 18. haud probem tamen explicationem ejus, adhæſerimque Manut.

8. *In re hæſit, ſumma in frequentia.*] Victorius tentabat, *irrepſit ſumma infreq.* Lipſius autem malebat, *mirè hæſit ſumma in frequentia.* videatur libro IV. Antiq. lect. cap. 13. illud *mire* placuit item Gulielmio, ſed nihil præterea mutatum ibat.

9. *Vel quod nolo, &c. vel quod judices.*] Pal. ſec. ac tert. habent, item illud Beſſarionis, *id quod nolo, &c. id quod judices*, quod placuit Manutio; mihi verò diſplicet.

10. *A Q. Curtio.*] Pal. pr. & quart. item unus quem contulit Wouwerius noſter, *à Q. Acutio.* perpendant otioſiores. nam & allegat Manutius, qui eandem ſervet lectionem, librum veterem.

1. *Ma-*

Scaurus. [1] Magno res in motu eſt: propterea quòd aut hominum, aut legum interitus oſtenditur. Opera datur, ut judicia ne fiant. Res videtur ſpectare ad interregnum. coss. comitia habere cupiunt: rei nolunt, & maximè Memmius, quòd Cæſaris adventu, ſperat ſe futurum cos. ſed mirum in modum jacet. Domitius cum Meſſalla certus eſſe videbatur. Scaurus refrixerat. Appius ſine lege Curiata confirmat ſe Lentulo noſtro ſucceſſurum: qui quidem mirificus illo die (quod pænè præterii) fuit in Gabinium: accuſavit majeſtatis, nomina data, cùm ille verbum nullum. Habes forenſia. Domi rectè, & ipſa domus à redemtoribus tractatur non indiligenter. Vale.

3 MARCUS Q. FRATRI, S.

OCCUPATIONUM mearum tibi ſignum ſit librarii manus. Diem ſcito eſſe nullum, quo die non dicam pro reo. ita, quidquid conficio, aut cogito, in ambulationis ferè tempus confero. negotia noſtra ſic ſe habent. Domeſtica verò, ut volumus. Valent pueri, ſtudioſè diſcunt, diligenter docentur, & nos, & inter ſe amant. Expolitiones utriuſque noſtrûm ſunt in manibus: [2] ſed tua ad perfectum jam res ruſtica Arcani, & Laterii. Præterea de aqua, & via nihil prætermiſi quadam epiſtola, quin enucleatè ad te perſcriberem. ſed me illa cura ſollicitat, angitque vehementer, quòd dierum jam amplius L. intervallo nihil à te, nihil à Cæſare, nihil ex iſtis locis, non modò litterarum, ſed ne rumoris quidem affluxit. Me autem jam & mare iſtuc, & terra ſollicitat: neque deſino (ut fit *in amore*) ea, quæ minimè volo, cogitare. Quare non equidem jam te rogo, ut ad me de te, de rebus iſtis ſcribas (numquam enim, cùm potes, prætermittis) ſed hoc te ſcire volo, nihil ferè umquam me ſic exſpectaſſe, ut, cùm hæc ſcribebam, litteras tuas. Nunc cognoſce ea, quæ ſunt in rep. Comitiorum quotidie ſinguli dies tolluntur *obnuntiationibus*, magna voluntate bonorum omnium: tanta invidia ſunt coss. propter ſuſpicionem pactorum à candidatis præmiorum. Candidati conſulares quattuor, omnes rei, cauſæ ſunt difficiles: ſed enitemur, ut Meſſalla noſter ſalvus ſit: quod eſt etiam cum reliquorum ſalute conjunctum. Gabinium de ambitu reum fecit P. Sulla, ſubſcribente privigno Memmio, fratre Cæcilio Sullæ filio. Contrà dixit L. Torquatus; omnibuſque libentibus non obtinuit. [3] Quæris, quid fiat de Gabinio? ſciemus de majeſtate triduo: quo quidem in judicio odio premitur omnium generum: maximè teſtibus cæditur; accuſatoribus frigidiſſimis utitur: conſilium, varium: quæſitor, gravis, & firmus, Alfius, Pompejus, vehemens in judicibus rogandis: Quid futurum ſit, neſcio: locum tamen illi in civitate non video: animum præbeo ad illius perniciem, moderatum: ad rerum eventum, leniſſimum. Habes ferè de omnibus rebus. Unum illud addam. Cicero tuus, noſterque [4] ſummo ſtudio eſt Pæonii ſui rhetoris, hominis, opinor, valde exercitati, & boni. ſed noſtrum inſtituendi genus eſſe paullo eruditius, & θετικώτερον, non ignoras. Quare neque ego impediri Ciceronis iter, atque illam diſciplinam volo, & ipſe puer magis illo declamatorio genere duci, & delectari videtur. in quo quoniam ipſi quoque fuimus, patiamur illum ire *noſtris itineribus*. eodem enim perventurum eſſe confidimus, ſed tamen, ſi nobiſcum eum rus aliquò eduxerimus, in hanc noſtram rationem, conſuetudinemque inducemus. Magna enim nobis à te propoſita merces eſt. quam certè noſtra culpa numquam minùs aſſequemur. Quibus in locis, & qua ſpe hiematurus ſis, ad me quàm diligentiſſimè ſcribas velim. Vale.

MARCUS Q. FRATRI, S. 4

GABINIUS abſolutus eſt. omnino nihil accuſatore Lentulo, ſubſcriptoribuſque ejus infantius: nihil illo conſilio *ſordidius*. ſed tamen niſi incredibilis contentio, & preces Pompeji, dictaturæ etiam rumor, plenus timoris fuiſſet, ipſi Lentulo non reſpondiſſet, qui tum illo accuſatore, illoque conſilio ſententiis [5] condemnatus ſit XXXII, cùm LXX tuliſſent. Eſt omnino tam gravi fama hoc judicium, ut videatur reliquis judiciis periturus, & maximè de pecuniis repetundis. Sed vides nullam eſſe remp. nullum ſenatum, nulla judicia, nullam in nullo noſtrûm dignitatem. Quid plura de judicibus? duo prætorii ſederunt, Domitius Calvinus: is apertè abſolvit, ut omnes viderent: & Cato, [6] is diruptis tabellis de circulo ſe ſubduxit, & Pompejo primus nuntiavit. Ajunt nonnulli, Salluſtius item, me oportuiſſe accuſare. Iis ego judicibus committerem? Quid eſſem, ſi me egente, eſſet elapſus? Sed me alia moverunt. Non putaſſet ſibi Pompejus de illius ſalute, ſed de ſua *dignitate* mecum eſſe certamen: in urbem intraſſet: ad inimicitias res veniſſet: cum Æſernino Samnite Pacidianus comparatus viderer, auriculam fortaſſe mordicus abſtuliſſet, cum Clodio quidem certè rediiſſet in gratiam. Ego verò meum conſilium (ſi præſertim tu non improbas) vehementer approbo. Ille, cùm à me ſingularibus meis ſtudiis ornatus eſſet, cumque ego illi nihil deberem, ille mihi omnia: tamen in rep. me à ſe diſſentientem non tulit, (nihil dicam gravius) & minùs potens eo tempore, quid in me florentem poſſet, oſtendit. nunc, cùm ego ne curem quidem multum poſſe, res quidem publ. certè nihil poſſit, unus ille omnia poſſit, cum illo ipſo contenderem? ſic enim faciendum fuiſſet. Non exiſtimo te putare, id mihi ſuſcipiendum fuiſſe. Alterutrum, inquit idem Salluſtius, defendiſſes: idque Pompejo contendenti dediſſes. etenim vehementer orabat. lepidum *amicum* Salluſtium, qui mihi aut inimicitias putet periculoſas ſubeundas fuiſſe, aut infamiam ſempiternam. Ego verò hac mediocritate delector: ac mihi illud jucundum eſt, quòd, cùm teſtimonium ſecundum fidem, & religionem graviſſimè dixiſſem, reus dixit, ſi in civitate licuiſſet ſibi eſſe, mihi ſe ſatisfacturum: neque me quidquam interrogavit. De verſibus, quos tibi à me ſcribi vis, deeſt mihi quidem opera, quæ non modò tempus, ſed etiam animum vacuum ab omni cura deſiderat: ſed abeſt etiam ἐνθουσιασμός. non enim ſumus omnino ſine cura venientis anni: etſi ſumus ſine timore. Simul & illud (ſine ulla mehercule ironia loquor) tibi iſtius generis in ſcribendo priores parteis tribuo, quàm mihi. De bibliotheca tua Græca ſupplenda, libris commutandis, Latinis comparandis, valde velim iſta confici, præſertim cùm ad meum quoque uſum ſpectent. Sed ego, mihi ipſi iſta per quem agam, non habebo. neque enim venalia ſunt, quæ quidem placeant, & confici niſi per hominem, & peritum, & diligentem non poſſunt. Chryſippo tamen imperabo, & cum Tyrannione loquar. De fiſco quid egerit Scipio, quæram. quod videbitur rectum eſſe, curabo. De Aſcanione, tu verò, quod voles, facies: me nihil interpono. De ſuburbano quòd non properas, laudo: ut tu habeas, hortor. Hæc ſcripſi a. d. IX.

---

1. *Magno res in motu eſt.*] Vetuſta editio & Pall. *Magna res*, nihilo pejus.

2. *Sed tua ad perfectum jam res ruſtica Arcani & Laterii.*] Haud aliter quoque Pall. quatuor. P. Manutius hariolabatur: *perfectum. jam res ruſticas*, &c. ut pendeant à verbo *perſcriberem*. Lambinus, audacius fecit intulitque in contextum; *ſed tua pene ad tectum jam perducta res ruſtica.* unde autem iſtud deſumpſerit, plane tacet; tantum indicat, ſecutum ſe antiqua veteris ſcripturæ veſtigia.

3. *Quæris quid fiat de Gabinio? ſciemus.*] P. Manutius & Lambinus publicarunt tantum, *Quæris quid fiet. ſciemus.* ſed alterum illud reſtat in ceteris editionibus, præferuntque Pall. omnes, niſi quod pr. interpungat. *Quæris quid fiat. de Gabinio ſciemus*, &c.

4. *Summo ſtudio eſt Pæonii ſui rhetoris*, &c.] Lambinus edidit, *ſummo ſtudio inſtituitur Pæonii Rhetoris*, &c. Rectiſſimè ſi pro libitu liceret interpolare auctores claſſicos.

5. *Condemnatus ſit* XXXII.] Hoc maluit, ut eſt lib. IV. Epiſt. ad Atticum 16. P. Manutius. Pall. tamen & editi prius XXII.

6. *Is diruptis tabellis.*] P. Manutius cuperet *diribitis*, quomodo & Gruchius. Sigonius malebat *diremptis*. Pall. noſtri propugnant vulgatum.

1. *Mari*

a. d. IX. Kalend. Novem. quo die ludi committebantur, in Tuſculanum proficiſcens, ducenſque mecum Ciceronem meum in ludum diſcendi, non luſionis. ea re non longiùs, quàm vellem, quòd Pomtino ad triumphum a. d. III. Non. Novemb. volebam adeſſe. etenim erit neſcio quid negotioli. Nam Cato, & Servilius prætores prohibituros ſe minantur: nec, quid poſſint, ſcio. Ille enim & Appium Cos. ſecum habebit, & prætores, & tribunos pleb. ſed minantur tamen: in primiſque *ἄρη πνέων* Q. Scævola. Cura, mi ſuaviſſime, & cariſſime frater, ut valeas.

MARCUS Q. FRATRI, S.

5 QUòD quæris, quid illis libris egerim, quos, cùm eſſem in Cumano, ſcribere inſtitui: non ceſſavi, neque ceſſo: ſed ſæpe jam ſcribendi totum conſilium, rationemque mutavi. Nam jam duobus factis libris, in quibus, novendialibus iis feriis, quæ fuerunt Tuditano & Aquilio Coss. ſermo eſt à me inſtitutus Africani, paullo antè mortem, & Lælii, Phili, Manilii, Q. Tuberonis, & Lælii generorum Fannii, & Scævolæ: ſermo autem in novem & dies, & libros diſtributus de optimo ſtatu civitatis, & de optimo cive: ſanè texebatur opus luculenter, hominumque dignitas aliquantum orationi *ponderis* afferebat. hi libri cùm in Tuſculano mihi legerentur, audiente Saluſtio, admonitus ſum ab illo, multo majore auctoritate illis de rebus dici poſſe, ſi ipſe loquerer de repub. præſertim cùm eſſem non Heraclides Ponticus, ſed conſularis, & is, qui in maximis verſatus in rep. rebus eſſem. quæ tam antiquis hominibus attribuerem, ea viſum iri ficta eſſe. oratorium ſermonem in illis noſtris libris, quòd eſſet de ratione dicendi, bellè à me removiſſe: ad eos tamen retuliſſe, quos ipſe vidiſſem. Ariſtotelem denique, quæ de rep. & præſtante viro ſcribat, ipſum loqui. Commovit me, & eo magis, quòd maximos motus noſtræ civitatis attingere non poteram, quòd erant inferiores, quàm illorum ætas, qui loquebantur. Ego autem id ipſum tum eram ſecutus, ne in noſtra tempora incurrens *offenderem* quempiam. Nunc & id vitabo, & loquar ipſe tecum, & tamen illa, quæ inſtitueram, ad te, ſi Romam venero, mittam. Puto enim te exiſtimaturum à me libros illos non ſine aliquo meo ſtomacho eſſe relictos. Cæſaris amore, quem ad me perſcripſit, unice delector: promiſſis iis, quæ oſtendit, non valde pendeo: nec honores ſitio, nec deſidero gloriam: magiſque ejus voluntatis perpetuitatem, quàm promiſſorum exitum exſpecto. vivo tamen in ea ambitione, & labore, tamquam id, quod non poſtulo, exſpectem. Quòd me de faciendis verſibus rogas, incredibile eſt, mi frater, quàm egeam tempore: nec ſanè ſatis commoveor animo ad ea, quæ vis, canenda. *ὑποθέσεις* verò ad ea, quæ ipſe ego ne cogitando quidem conſequor, tu, qui omneis iſto eloquendi, & exprimendi genere ſuperaſti, à me petis? Facerem tamen, ut poſſem: ſed (quod te minimè fugit) opus eſt ad *poëma* quadam animi alacritate, quam planè mihi tempora eripiunt. Abduco equidem me ab omni reip. cura, dedoque litteris: ſed tamen indicabo tibi quod mehercule in primis te celatum volebam. Angor, mi ſuaviſſime frater, angor, nullam eſſe remp. nulla judicia, noſtrumque hoc tempus ætatis, quod in illa auctoritate ſenatoria florere debebat, aut forenſi labore jactari, aut domeſticis litteris ſuſtentari. Illud verò, quod à puero adamaram: „ *αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων*, totum occidiſſe: inimicos à me partim non oppugnatos, partim etiam eſſe defenſos: meum non modò animum, ſed ne odium quidem eſſe liberum: unumque ex omnibus Cæſarem eſſe inventum, qui me tantum, quantum ego vellem, amaret, aut etiam (ſicut alii putant) hunc unum eſſe, qui vellet. Quorum tamen nihil eſt ejuſmodi, ut ego me non multa conſolatione quotidie leniam: ſed illa erit conſolatio maxima, ſi unà erimus. nunc ad illa vel graviſſimum accedit, tui deſiderium. Gabinium ſi, ut Panſa putat oportuiſſe, defendiſſem, concidiſſem: qui illum oderunt (ii ſunt toti ordines) propter quem oderunt, meipſum odiſſe cœpiſſent. Tenui me, ut puto, egregiè, tantum ut facerem, quantum omnes viderent. Et in omni ſumma, ut mones, valde me ad otium, pacemque converto. De libris, Tyrannio eſt ceſſator: Chryſippo dicam: ſed res operoſa eſt, & hominis perdiligentis. Sentio ipſe, qui in ſummo ſtudio nihil aſſequor. De Latinis verò, quo me vertam, neſcio: ita mendoſè & ſcribuntur, & veneunt: ſed tamen quod fieri poterit, non negligam. Crebrius, ut antè te ſcripſi, Romæ eſt: & qui omnia adjurant, debere tibi valde renuntiant. Ab ærario puto confectum eſſe, dum abſum.

MARCUS Q. FRATRI, S.

6 QUATTUOR tragœdias XVI. diebus abſolviſſe cùm ſcribas, tu quidquam ab alio mutuaris? & *κλέος* quæris, cùm Electram & Troadem ſcripſeris? Ceſſator eſſe noli: & illud *γνῶθι σεαυτόν*, noli putare ad arrogantiam minuendam ſolum eſſe dictum, verum etiam ut bona noſtra norimus. Sed & iſtas, & Erigonam mihi velim mittas. Habes duas epiſtolas proximas.

MARCUS Q. FRATRI, S.

7 ROMÆ & maximè Appia ad Martis, [1] mira proluvies. Craſſipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ: magna vis aquæ uſque ad piſcinam publicam. Viget illud Homeri,

„ *ἤματ᾽ ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ*
„ *Ζεύς*. Cadit enim in abſolutionem Gabinii
„ *ὅτε δή ῥ᾽ ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ,*
„ *οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,*
„ *ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες*: Sed

hæc non curare decrevi. Romam cùm venero, quæ perſpexero, ſcribam ad te, & maximè de dictatura: & ad Labienum, & ad Ligurium litteras dabo. Hanc ſcripſi ante lucem, ad lychnuchum ligneolum, qui mihi erat perjucundus, quòd eum te ajebant, cùm eſſes Sami, curaſſe faciendum. Vale mi ſuaviſſime, & optime frater.

MARCUS Q. FRATRI, S.

8 SUPERIORI epiſtolæ quòd reſpondeam, nihil eſt: quæ plena ſtomachi, & querelarum eſt: quo in genere alteram quoque te ſcribis pridie Labieno dediſſe: qui adhuc non venerat. Delevit enim mihi omnem moleſtiam recentior epiſtola. Tantùm te & moneo, & rogo, ut in iſtis moleſtiis, & laboribus, & deſideriis recordere, conſilium noſtrum quod fuerit profectionis tuæ. Non enim commoda quædam ſequebamur parva, ac mediocria. Quid enim erat, quod diſceſſu noſtro *emendum* putaremus? Præſidium firmiſſimum petebamus ex optimi, & potentiſſimi viri benivolentiâ ad omnem ſtatum noſtræ dignitatis. Plura ponuntur in ſpe, quàm in pecuniis: reliqua ad jacturam ſtruentur. Quare ſi crebrò referes animum tuum ad rationem & veteris conſilii noſtri, & ſpei, facilius iſtos militiæ labores, ceteraque, quæ te offendunt, feres: & tamen cum voles, depones. Sed ejus rei maturitas nequedum venit, & tamen jam appropinquat. Etiam illud te admoneo, NEQUID ullis litteris committas: quod ſi prolatum ſit, moleſte feramus. Multa ſunt, quæ ego neſcire malo „ quàm cum aliquo periculo fieri certior. Plura ad te vacuo animo ſcribam, cùm (ut ſpero) ſe Cicero meus bellè habebit. Tu velim cures, ut ſciam, quibus nos dare oporteat eas, quas ad te deinde litteras mittemus: Cæſariſne tabellariis, ut is ad te protinus mittat, an Labieni. Ubi enim iſti ſint Nervii, & quàm longè abſint, neſcio. De virtute, & gravitate Cæſaris, quam in ſummo dolore adhibuiſſet: magnam ex epiſtola tua accepi voluptatem. Quòd me inſtitutum ad illum poema jubes perficere: etſi diſten-

tus

1. *Mari proluvies.*] Sic Pall. tres. verum pr. *Mira luvies*, ut videatur exprimere voluiſſe, *alluvies*, quod eſt in libris à Victorio editis.

1. Qui

tus cùm opera, tum animo ſum multo magis, quoniam tamen ex epiſtola, quam ad te miſeram, cognovit Cæſar; me aliquid eſſe exorſum, revertar ad inſtitutum: idque perficiam his ſupplicationum otioſis diebus: quibus Meſſallam jam noſtrum, reliquoſque moleſtia levatos, vehementer gaudeo: eumque quòd certum Cos. cum Domitio numeratis, nihil à noſtra opinione diſſentitis. Ego Meſſallam Cæſari præſtabo. Sed Memmius in adventu Cæſaris habet ſpem: in quo illum puto errare: hic quidem friget. Scauru m autem jampridem Pompejus abjecit, res prolatæ. ad interregnum comitia adducta. Rumor dictatoris injucundus bonis: mihi etiam magis quæ loquuntur. Sed tota res & timetur, & refrigeſcit. Pompejus planè ſe negat velle: antea ipſe mihi non negabat. Hirrus auctor fore videtur. O dii quam ineptus! quàm ſe ipſe amans ſine rivali! Craſſum Iunianum, hominem mihi debitum, per me deterruit. velit, nolit, ſcire difficile eſt. Hirro tamen agente, nolle ſe non probabit. Aliud hoc tempore de rep. nihil loquebantur. agebatur quidem certè nihil. Serrani Domeſtici filii funus perluctuoſum fuit a. d. IIX Kal. Decemb. Laudavit pater ſcripto meo. Nunc de Milone, Pompejus ei nihil tribuit: & omnia Guttæ: dicitque ſe perfecturum, ut in illo Cæſar incumbat. hoc horret Milo: nec injuria: &, ſi ille dictator factus ſit, pæne diffidit. Interceſſorem dictaturæ ſi juverit manu, & præſidio ſuo, Pompejum metuit inimicum. ſi non juverit: timet, ne per vim perferatur. Ludos apparat magnificentiſſimos. ſic, inquam, ut nemo ſumtuoſiores. *ſtultè bis terque*, non poſtulatus: vel quia munus magnificum dederat, vel quia facultates non erant, vel quia magiſter, vel quia potuerat magiſtrum ſe, non ædilem putare. Omnia ferè ſcripſi. Cura, mi cariſſime frater, ut valeas.

9 MARCUS Q. FRATRI, S.

DE Gabinio nihil fuit faciendum iſtorum, quæ amantiſſimè cogitata ſunt τότε μοιχάνοι. feci ſumma cum gravitate, ut omnes ſentiunt, & ſumma cùm lenitate, quæ feci. illum neque urſi, neque levavi. teſtis vehemens fui: præterea quievi. Exitum judicii fœdum, & pernicioſum leviſſimè tuli. Quod quidem bonum mihi nunc dènique redundat, ut his malis reip. licentiaque audacium, qua antè rumpebar, nunc ne movear quidem. nihil eſt enim perditius his hominibus, his temporibus. Itaque, ex rep. quoniam nihil jam voluptatis capi poteſt: cur ſtomacher, neſcio. Litteræ me, & ſtudia noſtra, & otium, villæque delectant, maximeque pueri noſtri. Angit unus Milo. ſed velim finem afferat conſulatus: in quo enitar non minùs, quàm ſum eniſus in noſtro: tuque iſtinc, quod facis, adjuvabis. De quo, cætera (niſi planè vis eripuerit) rectè ſunt: de re familari timeo,

„ ὁ δὲ μαίνεται οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς: [1] qui ludos H-S CCC comparet. cujus in hoc uno conſiderantiam & ego ſuſtinebo, ut potero, & tu, ut poſſis, eſt tuorum nervorum. De motu temporum venientis anni, nihil te intelligere volueram domeſtici timoris, ſed de communi reip. ſtatu: in quo etiam ſi nihil procuro, tamen nihil curare vix poſſum. Quàm autem te velim *cautum* eſſe in ſcribendo, ex hoc conjicito, quòd ego ad te ne hæc quidem ſcribo, quæ palàm in rep. turbantur; ne cujuſquam animum meæ litteræ interceptæ offendant. Quare domeſtica cura te levatum volo. In rep. ſcio quàm ſollicitus eſſe ſoleas. Video Meſſallam noſtrum Cos. ſi per interregem, ſine judicio: ſi per dictatorem, tamen ſine periculo. odii nihil habet. Hortenſii calor multum valebit. Gabinii abſolutio, *lex impunitatis* putatur, ἐν παρέργῳ. De dictatore tamen actum adhuc nihil eſt. Pompejus abeſt: Appius miſcet: Hirrus parat: multi interceſſores numerantur: populus non curat: principes nolunt: egò quieſco. De mancipiis, quod mihi polliceris, valde te amo: & ſum equidem, uti ſcribis, & Romæ, & in prædiis infrequens. Sed cave, amabo, quidquam, quod ad meum commodum attineat, niſi maximo tuo commodo, & maxima tua facultate, mi frater, cogitaris. De epiſtola Vatinii, riſi. ſed me ab eo ita obſervari ſcio, ut ejus iſta odia non ſorbeam ſolùm, ſed etiam concoquam. Quòd me hortaris, ut abſolvam: habeo abſolutũ ſuave, mihi quidem uti videtur, ἔπος ad Cæſarem: ſed quæro locupletem tabellarium, ne accidat quod Erigonæ tuæ: cui ſoli, Cæſare imperatore, iter ex Gallia tutum non fuit. ** Quid? ſi cæmentum bonum non haberem, deturbem ædificium? quod quidem quotidie mihi magis placet: in primiſque inferior porticus, & ejus conclavia fiunt rectè. De Arcano, Cæſaris opus eſt, vel mehercule etiam elegantioris alicujus. imagines enim iſtæ, & palæſtra, & piſcina, & nilus, multorum Philotimorum eſt, non Diphilorum. ſed & ipſi ea adibimus, & mittemus, & mandabimus. De Felicis teſtamento tum magis querere, ſi ſcias. Quas enim tabulas ſe putavit obſignare, in quibus in unciis firmiſſimum tenuerat (lapſus eſt per errorem & ſuum, & Sicuræ ſervi) non obſignavit: quas noluit, eas obſignavit. ἀλλ' οἰμωζέτω: nos modò valeamus. Ciceronem, & ut rogas, amo, & ut meretur, & ut debeo. Dimitto autem à me, & ut à magiſtris ne abducam, [2] & quòd mater Pomponia diſcedit, ſine qua edacitatem pueri pertimeſco. ſed ſumus unà tamen valde multum. Reſcripſi ad omnia, mi ſuaviſſime, & optime frater.

M. Tul-

1 *Qui ludos* H-S CCC. *comparet.*] Ita ferè libri editi ſcriptique. Lambinus edidit, H-S CCCIↃↃↃ. non vituperarem ſi niſus exemplari manuſcripto. idem mox quoque *conſiderantiam* mutavit in *inconſiderantiam*, cuſis ac calamo exaratis nolentibus.

2. *Et quod mater Pomponia diſcedit.*] Habent iſtud Victorius & ſeqq. ſed prius cuſi, *mater Porcia non diſcedit.* adeo ut adſentiar P. Manutio, arbitranti illud *Pomponia*, eſſe ab interprete.

M. TULLII CICERONIS EPISTOLARUM AD BRUTUM, LIBER SINGULARIS.

1 CICERO BRUTO, S. D.

L. Clodius tribunus pleb. deſignatus, valde me diligit, [1] vel, ut ἐμφατικώτερον dicam, valde me amat. quod cùm mihi ita perſuaſum ſit, non dubito (bene enim me noſti) quin illum quoque judices à me amari. [2] Nihil enim mihi minùs hominis videtur, quàm non reſpondere in amore iis, à quibus provocere. Is mihi viſus eſt ſuſpicari, nec ſine magno quidem dolore aliquid à ſuis, [3] vel per ſuos potiùs inimicos ad te eſſe delatum, quo tuus animus à ſe eſſet alienior. Non ſoleo, mi Brute, (quod tibi notum eſſe arbitror) temere *affirmare* de altero. eſt enim periculoſum, propter occultas hominum voluntates, multiplicesque naturas. Clodii animum perſpectum habeo, cognitum, judicatum. multa ejus indicia: ſed ad ſcribendum non neceſſaria. Volo enim hoc teſtimonium tibi videri potiùs, quàm epiſtolam. Auctus Antonii beneficio eſt. ejus ipſius beneficii magna pars à te eſt. itaque eum ſalvis nobis vellet ſalvum. In eum autem locum rem adductam intelligit (eſt enim, ut ſcis, minimè ſtultus) ut utrique ſalvi eſſe non poſſint. itaque nos mavult. De te verò amiciſſimè & loquitur, & ſentit. Quare ſi quis ſecus ad te de eo ſcripſit, aut ſi coràm locutus eſt, peto à te etiam atque etiam, mihi ut potiùs credas, qui & faciliùs judicare poſſum, quàm ille neſcio quis, & te plus diligo. Clodium tibi amiciſſimum exiſtima, civemque talem, qualis & prudentiſſimus, & fortuna optima eſſe debet.

2 CICERO BRUTO, S.

Scripta & obſignata jam epiſtola, litteræ mihi redditæ ſunt à te, plenæ rerum novarum. [4] maximeque mirabile, Dolabellam quinque cohorteis miſiſſe in Cherroneſum. Adeone copiis abundat, ut is, qui ex Aſia fugere dicebatur, Europam appetere conetur? Quinque autem cohortibus quid ſe nam facturum arbitratus eſt, cùm tu eo quinque legiones, optimum equitatum, maxima auxilia haberes? [5] quas quidem cohorteis ſpero jam tuas eſſe, quoniàm latro ille tam fuit demens: [6] & tuum conſilium vehementer laudo, quòd non priùs exercitum Apollonia, Dyrrachioque moviſti, quàm de Antonii fuga audiſti, Bruti eruptione, populi Romani victoria. Itaque, quòd ſcribis, poſtea ſtatuiſſe te ducere exercitum in Cherroneſum, nec pati, ſceleratiſſimo hoſti ludibrio eſſe imperium P. R. facis ex tua dignitate, & è rep. Quòd ſcribis de ſeditione, quæ facta eſt in legione quarta, [7] de Catoniis, [8] (in bonam partem accipies) magis mihi probatur militum ſeveritas, quàm tua. Te benivolentiam exercitus, equitumque expertum, vehementer gaudeo. De Dolabella, ut ſcribis, ſi quid habes novi facies me certiorem: in quo valde delector, me antè providiſſe, ut tuum judicium, liberum eſſet cum Dolabella belli gerendi: & id valde pertinuit, ut ego tum intelligebam, ad rempub. ut nunc judico, ad dignitatem tuam. Quòd ſcribis me [9] maximo otio egiſſe, ut inſectarer Antonios, idque laudas credo ita videri tibi: ſed illam diſtinctionem tuam nullo pacto probo. Scribis enim, ACRIUS PROHIBENDA BELLA CIVILIA ESSE, QUAM *in ſuperatos iracundiam exercendam.* Vehementer à te, Brute, diſſentio: nec clementiæ tuæ concedo; ſed *ſalutaris ſeveritas vincit inanem ſpeciem clementiæ.* Quòd ſi clementes eſſe volumus, numquam deerunt bella civilia. Sed de hoc tu videris. De me poſſum idem, quod Plautinus pater in Trinummo: ,, MIHI QUIDEM ÆTAS ACTA FERME EST: TUA IS TUC REFERT MAXIME. Opprimemini, (mihi crede,) Brute, niſi provideritis. Neque enim populum ſemper eundem habebitis, neque ſenatum, neque ſenati ducem. Hæc ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi tibi puta. nihil poteſt eſſe verius. XIV. Kalend. Majas.

M. T. C. M. BRUTO, S. 3

Nostræ res meliore loco videbantur. Scripta enim ad te certo ſcio, quæ geſta ſunt. qualeis tibi ſæpè ſcripſi, conſules, tales exſtiterunt. Cæſaris verò pueri mirifica indoles virtutis. Utinam tam facilè eum florentem & honoribus, & gratia, *regere*, ac tenere poſſimus, quàm facilè adhuc tenuimus. Eſt omnino illud difficilius: ſed tamen non diffidimus. Perſuaſum eſt enim adoleſcenti, & maximè per me, ejus opera nos eſſe ſalvos. & certè, niſi is Antonium ab urbe avertiſſet, periiſſent omnia. Triduo verò, aut quatriduo ante hanc rem pulcherrimam, timore quodam perculſa civitas tota ad te ſe cum conjugibus, & liberis effundebat. eadem recreata a. d. XII. Kalend. Majas te huc venire, quàm ſe ad te ire malebat. Quo quidem die magnorum meorum laborum, multarumque vigiliarum fructum cepi maximum, ſi modò eſt aliquis *fructus* ex ſolida, veraque gloria. Nam tantæ multitudinis, quantum càpit urbs noſtra, concurſus eſt ad me factus. [10] ea cum uſque in Capitolium deductus, maximo clamore, atque plauſu in roſtris collocatus ſum. Nihil eſt in me inane: neque enim debet: ſed tamen omnium ordinum conſenſus, gratiarum actio, gratulatioque, me commovet; propterea [11] quòd popularem me eſſe in populi ſalute, præclarum eſt. Sed hæc te malo ab aliis audire. me velim de tuis rebus, conſiliiſque facias diligentiſſimè certiorem: illudque conſideres, ne tua liberalitas *diſſolutior* videatur. Sic ſentit ſenatus, ſic populus Romanus nullos umquam hoſteis digniores omni ſupplicio fuiſſe, quàm

1. *Vel ut ἐμφατικώτερον dicam.*] Vox *dicam* exterminanda: utpote quæ non compareat in Pall. quatuor, quos contuli, tanquam ceteris potiores.

2. *Nihil enim mihi minùs hominis videtur*, &c.] Pal. quart. *nihil enim minus dignum homine libero mihi videtur*; quomodo etiam emendatum in tertio. ſed non admiſerim.

3. *Per ſuos potius inimicos.*] Sic quidem idem quartus: ſed alii tres à manu prima *iniquos*, forſan æque bene.

4. *Maximeque mirabile, Dolabellam*, &c.] Ita nonnullis editionibus erat ad marginem, firmatque Pal. pr.

5. *Quas quidem cohorteis*, &c.] Dictio *cohortes*, non eſt in ſec. delevitque item tertius.

6. *Et tuum conſilium*, &c.] Vel legendum *ſed*, ut viſum Gulielmio. vel delendum illud &. tanquam quod non compareat in Pal. pr. aut quarto.

7. *De Catoniis.*] Sic à prima manu Pal. pr. ſed factum inde *de Antoniis*, additum ad oram, alias legi *cathmoniis*. medium illud placuit Lambino.

8. *In bonam partem accipies.*] Ejeci duo vocabula, quæ præmittebant editiones aliæ, neque tamen erant in ullo Palatinorum; *quod dicam*. & quis non ſentit eſſe à librariis?

9. *Maximo otio.*] Aliquot edd. *odio*: ſed præter vetuſtiores, item quadrigam manuſcriptorum Palatinorum.

10. *Ea cum uſque in Cap.* &c.] Poſteriores, *ab ea, cùm uſque ad*, &c.] Sed invitis olim cuſis & Pall. quatuor.

11. *Quod popularem me eſſe*, &c.] Si per libros liceret, excluderem pronomen *me*.

quàm eos civeis, qui hoc bello contra patriam arma ceperunt: quos quidem ego omnibus ſententiis ulciſcor, & perſequor, omnibus bonis approbantibus. Tu quid de hac re ſentias, tui judicii eſt. Ego ſic ſentio, trium fratrum unam, & eandem eſſe cauſam. Conſules duos, bonos quidem, ſed duntaxat bonos, amiſimus. Hirtius quidem in ipſa victoria occidit, cùm paucis diebus magno prœlio antè viciſſet. Nam Panſa fugerat, vulneribus acceptis, quæ ferre non potuit. Reliquias hoſtium Brutus perſequitur, & Cæſar. Hoſtes autem omnes judicati, qui M. Antonii ſectam ſecuti ſunt. itaque id S. C. plerique interpretantur, etiam ad tuos, ſive captivos, ſive dedititios pertinere. Equidem nihil diſſerui duriùs, cùm nominatim de C. Antonio decernerem, quòd ita ſtatueram, à te cognoſcere cauſam ejus ſenatum oportere. X. Kalend. Majas.

4 BRUTUS CICERONI, S.

QUANTA ſim lætitia affectus, cognitis rebus Bruti noſtri, & conſulum, facilius eſt tibi exiſtimare, quàm mihi ſcribere. Cùm alia laudo, & gaudeo accidiſſe, tum quòd Bruti eruptio non ſolùm ipſi ſalutaris fuit, ſed etiam maximo ad victoriam adjumento. Quòd ſcribis, trium Antoniorum unam, atque eandem cauſam eſſe: quid ego ſentiam, mei judicii eſſe: ſtatuo nihil, niſi hoc: Senatus, aut populi Rom. judicium eſſe de iis civibus, qui *pugnantes* non interierint. At hoc ipſum, inquies, iniquè facis, qui hoſtilis animi in remp. homines, civeis appelles. Immò juſtiſſime. Quod enim nondum ſenatus cenſuit, nec populus Roman. juſſit, id arroganter non præjudico, neque revoco ad arbitrium meum. Illud quidem non muto, quòd ei, quem me occidere res non *coëgit*, neque crudeliter quidquam eripui, neque diſſolutè quidquam remiſi: habuique in mea poteſtate, quoad bellum fuit. Multo quidem honeſtius judico, magiſque quod concedere poſſit reſp. MISERORUM fortunam non inſectari, quàm [1] infinitè tribuere potentibus, quæ cupiditatem, & arrogantiam incendere poſſint. Qua in re, Cicero, vir optime, ac fortiſſime, mihique meritò, & meo nomine, & reip. cariſſime, nimis credere videris ſpei tuæ: ſtatimque, ut quiſque aliquid rectè fecerit, omnia dare, ac permittere: QUASI NON LICEAT *traduci ad mala conſilia corruptum largitionibus animum.* Quæ tua eſt humanitas, æquo animo te moneri patieris, præſertim de communi ſalute: facies tamen quod tibi viſum fuerit: etiam ego, cùm me docueris. Nunc, Cicero, nunc agendum eſt, ne fruſtra oppreſſum eſſe Antonium gaviſi ſimus, neu ſemper primi cujuſque mali excidendi cauſa ſit, ut aliud renaſcatur illo pejus. Nihil jam neque opinantibus, aut patientibus, nobis adverſi evenire poteſt, in quo non cùm omnium culpa, tum præcipuè tua futura ſit: cujus tantam auctoritatem ſenatus, ac populus Roman. non ſolùm eſſe patitur, ſed etiam cupit, quanta maxima in libera civitate unius eſſe poteſt: quam tu non ſolùm benè ſentiendo, ſed etiam prudenter, tueri debes. Prudentia porrò, quæ tibi ſupereſt, nulla abs te deſideratur, niſi *modus* in tribuendis honoribus. [2] Alia omnia ſic abundè adſunt; ut cum quolibet antiquorum [3] comparari poſſint tuæ virtutes. unum hoc, grato animo liberalique profectum, cautiorem ac moderatiorem liberalitatem deſiderat. NIHIL enim ſenatus cuiquam dare debet, quod malè cogitantibus exemplo, aut præſidio ſit. Itaque timeo de conſulatu, ne Cæſar tuus altiùs ſe adſcendiſſe putet decretis tuis, quàm inde, ſi conſul factus ſit, deſcenſurum. Quòd ſi Antonius, ab alio relictum regni inſtrumentum, occaſionem regnandi habuit: quonam animo fore putas, ſi quis, auctore, non tyranno interfecto, ſed ipſo ſenatu, putet ſe imperia quælibet concupiſcere poſſe? Quare tum & felicitatem, & providentiam laudabo tuam, cùm exploratum habere cœpero, Cæſarem honoribus, quos acceperit, extraordinariis fore contentum. *Alienæ* igitur, inquies, culpæ me reum facies? Prorſus alienæ, ſi provideri potuit, ne exſiſteret. quod utinam inſpectare poſſis timorem de illo meum. His litteris ſcriptis, te conſulem factum audivimus. tum verò incipiam proponere mihi remp. juſtam, & jam ſuis nitentem viribus, ſi iſthuc videro. Filius valet, & in Macedoniam cum equitatu præmiſſus eſt. Idibus Maiis, ex caſtris.

CICERO BRUTO, S. 5

AD. V. Kalendas Majas cùm de iis, qui hoſtes judicati ſunt, bello perſequendis, ſententiæ dicerentur, dixit Servilius etiam de Ventidio, & ut Caſſius perſequeretur Dolabellam. Cui cùm eſſem aſſenſus, decrevi *hoc amplius*, ut tu, [4] ſi arbitrarere utile, eque rep. eſſe, perſequerere bello Dolabellam: [5] ſi minùs id commodo reip. facere poſſes, ſive non exiſtimares è repub. eſſe; ut in iiſdem locis exercitum contineres. Nihil honorificentius potuit facere ſenatus, quàm ut tuum eſſet judicium, quid maximè conducere reip. tibi videretur. Equidem ſic ſentio, ſi manum habet, ſi caſtra, ſi ubi conſiſtat uſpiam Dolabella: ad fidem, & ad dignitatem tuam pertinere eum perſequi. De Caſſii noſtri copiis nihil ſciebamus. neque enim ab ipſo ullæ litteræ, neque nuntiabatur quidquam, quod pro certo haberemus. Quantopere autem interſit, opprimi Dolabellam profectò intelligis; cùm ut ſceleris pœnas perſolvat, tum ne ſit; quò ſe latronum duces ex Mutinenſi fuga conferant. Atque hoc mihi jam antè placuiſſe, potes ex ſuperioribus meis litteris recordari: quamquam tum & fugæ portus erat in tuis caſtris, & ſubſidium ſalutis in tuo exercitu. quo magis nunc liberati, (ut ſpero) periculis, in Dolabella opprimendo occupati eſſe debemus. Sed hæc cogitabis diligentiùs, ſtatues ſapienter. [6] Facies nos, quod conſtitueris, & quid agas, (ſi tibi videbitur) certiores. Ciceronem noſtrum in veſtrum collegium cooptari volo. Exiſtimo omnino *abſentium* rationem, ſacerdotum comitiis poſſe haberi. nam etiam factum eſt antea. C. enim Marius, cum in Cappadocia eſſet, lege Domitia factus eſt augur: nec, quo minùs id poſtea liceret, ulla lex ſanxit. Eſt etiam in lege Julia, quæ lex de ſacerdotiis proxima, his verbis, QUI PETIT, CUJUSVE RATIO HABEBITUR. apertè indicat, poſſe rationem haberi, etiam non præſentis. Hac de re ſcripſi ad eum, ut tuo judicio uteretur, ſicut in rebus omnibus. Tibi autem ſtatuendum eſt de Domitio, & de Catone noſtro. Sed quamvis liceat abſentis rationem haberi, tamen omnia ſunt præſentibus faciliora. Quòd ſi ſtatueris in Aſiam tibi eundum, nulla erit ad comitia noſtros arceſſendi facultas. Omnino Panſa vivo, celeriora omnia putabamus. ſtatim enim collegam ſibi ſubrogaſſet: deinde ante prætoria, ſacerdotum comitia fuiſſent. Nunc per auſpicia longam moram video. Dum enim unus erit patritius magiſtratus, auſpicia ad patres redire non poſſunt. magna ſanè perturbatio. Tu tota de re quid ſentias, velim me facias certiorem. III. Nonas Majas. Vale.

BRUTUS CICERONI, S. 6

NOLI exſpectare, dum tibi gratias agam. jamprident hoc ex noſtra neceſſitudine, quæ ad ſummam beni-

1. *Infinitè tribuere.*] Haud aliter editio Victorii, adſentiunturque Pall. noſtri. Aldus aliique *infinita.*

2. *Alia omnia ſic abundè adſunt.*] Si ſequimur Pal. pr. & quart. abundat *abundè*, neque agnoſcit Victoriana editio.

3. *Comparari poſſint tuæ virtutes.*] P. Manutius delevit duas poſtremas voces; ſecutuſque ejus auctoritatem Lambinus. ego adhuc hæreo; quoniam eas reperi in omnibus Palat. etſi in quibuſdam alia diſtinctione.

4. *Si arbitrare utile, eque.*] Abjeci *fore*, poſitum in vulgatis antè *utile*, quorum nullum erat veſtigium in Pal. pr. tert. quarto.

5. *Si minus id commodo reip. facere poſſes, ſive non exiſtimares è republ. eſſe.*] Sex verba poſteriora videntur à gloſſatore. quod ſi mei foret arbitratus, adhuc etiam alia reſecarem, facerenique *ſin minus; ut in iiſdem, &c.*

6. *Facies nos, quod conſtitueris.*] Eſt à Pall. quatuor. vulgata, & *quid conſtitueris.* P. Victorius, *nos, quid conſt.*

1. *Sub-*

benivolentiam pervenit, [1] ſublatum eſſe debet. Filius tuus à me abeſt. in Macedonia congrediemur. [2] Juſſus eſt enim Ambracia ducere equites per Theſſaliam, & ſcripſi ad eum, ut mihi Heracleam occurreret. Cùm eum videro, quoniam nobis permittis, communiter conſtituemus de reditu ejus ad petitionem, aut ad commendationem honoris. Tibi Glaucona, *medicum* Panſæ, qui ſororem Achilleos noſtri in matrimonio habet, diligentiſſimè commendo. audimus, eum veniſſe in ſuſpicionem Torquato de morte Panſæ, cuſtodirique, ut parricidam. nihil minùs credendum eſt. quis enim majorem calamitatem morte Panſæ accepit? præterea eſt modeſtus homo, & frugi: quem ne *utilitas* quidem videatur impulſura fuiſſe ad facinus. Rogo te, & quidem valde rogo (nam Achilleus noſter non minùs, quàm æquum eſt, laborat) eripias eum ex cuſtodia, conſerveſque. Hoc ego ad meum officium privatarum rerum æquè, atque ullam aliam rem pertinere arbitror. Cùm has ad te ſcriberem litteras, ab Satrio, legato C. Trebonii, reddita eſt mihi epiſtola; [3] à Tullio, & Dejotaro, Dolabellam cæſum, fugatumque eſſe. Græcam epiſtolam tibi miſi Cycherei cujuſdam, ad Satrium miſſam. Flavius noſter de controverſia, quam habet cum Dyrrachinis hæreditariam, ſumſit te judicem. rogo te Cicero, & Flavius rogat, rem conficias. quin ei, qui Flavium fecit heredem, pecuniam debuerit civitas, non eſt dubium: neque Dyrrachini inficiantur: ſed ſibi *donatum* æs alienum à Cæſare dicunt. Noli pati à neceſſariis tuis neceſſario meo injuriam fieri. XVII. Kalend. Jun. ex caſtris, ad imam Candaviam.

7 BRUTUS CICERONI, S.

L. BIBULUS quàm carus mihi eſſe debeat, nemo meliùs judicare poteſt, quàm tu: cujus tantæ pro rep. contentiones, ſollicitudineſque fuerunt. Itaque vel ipſius virtus, vel noſtra neceſſitudo debet conciliare te illi: quo minùs multa mihi ſcribenda eſſe arbitror. Voluntas enim te movere debet noſtra, ſi modò juſta eſt, aut pro officio neceſſario ſuſcipitur. In Panſæ locum petere conſtituit. eam nominationem à te petimus. neque conjunctiori dare beneficium, quàm nos tibi ſumus, neque digniorem nominare potes, quàm Bibulum. De Domitio, & Apuleio quid attinet me ſcribere: cùm ipſi per ſe tibi commendatiſſimi ſint? Apulejum verò tu tua auctoritate ſuſtinere debes. [4] Sed Apulejus in ſua epiſtola celebrabitur. Bibulum noli dimittere ex ſinu tuo, tantum jam virum, ex quanto, crede mihi, poteſt evadere, qui veſtris paucorum reſpondeat laudibus.

8 CICERO BRUTO, S.

[5] MULTOS tibi commendavi, & commendem, neceſſe eſt. optimus enim quiſque vir, & civis, maxime ſequitur judicium tuum, tibique omnes fortes viri navare operam, & ſtudium volunt: nec quiſquam eſt, quin ita exiſtimet, meam apud te & gratiam, & auctoritatem valere plurimum. Sed C. Naſennium, municipem Sueſſanum, tibi ita commendo, ut neminem diligentius. Cretenſi bello, Metello imperatore, octavum principem duxit: poſtea in re familiari occupatus fuit. Hoc tempore cùm reipubl. partibus, tum tua excellenti dignitate commotus, vellet per te aliquid auctoritatis aſſumere. Fortem virum, Brute, tibi commendo, frugi hominem, &, ſi quid ad rem pertinet, etiam locupletem. Pergratum mihi erit, ſi eum ita tractaris, ut merito tuo mihi gratias agere poſſit.

CICERO BRUTO, S. 9

FUNGERER officio, quo tu functus es in meo luctu, teque per litteras conſolarer, niſi ſcirem, his remediis, quibus meum dolorem tu levaſſes, te in tuo non egere: ac velim faciliùs, quàm tunc mihi, nunc tibi tute medeare. Eſt enim ALIENUM tanto viro, ut es tu, quod alteri præceperit, id ipſum facere non poſſe. Me quidem cùm rationes, quas collegeras, tum auctoritas tua, à nimio mœrore deterruit. Cùm enim molliùs tibi ferre viderer, quàm deceret virum, præſertim eum, qui alios conſolari ſoleret; accuſaſti me per litteras gravioribus verbis, quàm tua conſuetudo ferebat. Itaque judicium tuum magni æſtimans, idque veritus, me ipſe collegi: & ea, quæ didiceram, legeram, acceperam, graviora duxi, tua auctoritate addita. Ac mihi tum, Brute, officio ſolùm erat, & naturæ: tibi nunc populo, & ſcenæ (ut dicitur) ſerviendum eſt. Nam cùm in te non ſolùm exercitus tui, ſed omnium civium, ac pæne gentium conjecti *oculi* ſint, minimè decet, propter quem fortiores ceteri ſumus, eum ipſum animo debilitatum videri. Quam ob rem accepiſti tu quidem dolorem (id enim amiſiſti, cui ſimile in terris nihil fuit) [6] & eſt dolendum, in tam gravi vulnere (ne id ipſum, carere omni *ſenſu doloris*, ſit miſerius, quàm dolere) ſed, ut modicè, ceteris utile eſt, tibi neceſſe eſt. Scriberem plura, niſi ad te hæc ipſa nimis multa eſſent. Nos te, tuumque exercitum exſpectamus: ſine quo ut reliqua ex ſententia ſuccedant, vix ſatis liberi videmur fore. De tota rep. plura ſcribam, & fortaſſe jam certiora his litteris, quas Veteri noſtro cogitabam dare.

CICERO BRUTO, S. 10

NULLAS adhuc à te litteras habebamus: ne famam quidem, quæ declararet, te, cognita ſenatus auctoritate, in Italiam adducere exercitum: quod ut faceres, idque maturares, magnopere deſiderabat reſp. Ingraveſcit enim in dies *inteſtinum malum*, nec externis hoſtibus magis, quàm domeſticis laboramus: qui erant omnino ab initio belli, ſed facilius frangebantur. Erectior ſenatus erat, non ſententiis ſolùm noſtris, ſed etiam cohortationibus excitatus. [7] Erat in ſenatu ſatis vehemens, & acer Panſa, cùm in ceteros hujus generis, tum maximè in ſocerum: cui conſuli non animus ab initio, non fides ad extremum defuit. Bellum ad Mutinam gerebatur, nihil ut in Cæſare reprehenderes; nonnulla in Hirtio. hujus *belli fortuna*, ut in ſecundis, fluxa: ut in adverſis, bona. erat victrix reſpub. cæſis Antonii copiis, ipſo expulſo à Bruto. Deinde ita multa peccata, ut quodammodo victoria excideret è manibus, perterritos, inermeis, ſaucios non ſunt noſtri duces perſecuti: datumque Lepido *tempus* eſt, in quo levitatem ejus ſæpè perſpectam, majoribus in malis experiremur. Sunt exercitus boni, ſed rudes Bruti, & Planci. Sunt fideliſſima, & maxima auxilia Gallorum. ſed Cæſarem meis conſiliis adhuc gubernatum, præclara ipſum indole, admirabilique conſtantia, improbiſſimis litteris quidam, fallacibuſque interpretibus ac nuntiis impulerunt in ſpem certiſſimam conſulatus. Quod ſimulatque ſenſi; neque ego illum abſentem litteris monere deſtiti, nec accuſare præſenteis ejus neceſſarios, qui ejus cupiditati ſuffragari videbantur: nec in ſenatu ſceleratiſſimorum conſiliorum fonteis aperire dubitavi: nec verò ulla in re memini, aut ſenatum meliorem, aut magiſtratus. Numquam enim in honore extraordinario potentis hominis, vel potentiſſimi potiùs (quando quidem potentia jam *in vi poſita* eſt, &

1. *Sublatum eſſe debet.*] Pluribus iſtud explicat Erricus Stephanus libro Schediaſmatum tertio, qui videatur.

2. *Juſſus eſt enim Ambracia ducere, &c.*] Sic Pall. noſtri. publicati fere, *Ambraciam.*

3. *A Tullio & Dejotaro.*] Pal. pr. *Tillio.* quart. *Tyllio.*

4. *Sed Apulejus in ſua epiſt. celebr.*] Palat. ſec. & tert. *ſed Domitius in, &c.* quod examinabunt quibus majus otium.

5. *Multos tibi commendavi.*] Paulus Manutius *commendo.* at enim alterum reſtat in vett. edd. & Palatt. omnibus.

6. *Et eſt dolendum, in tam gravi, &c.*] Lambinus libris omnibus invitis ſubſtituerat, *eſt verendum*, nulla alia de cauſa, quàm quod minus adſequeretur connexum argumentationis Ciceron.

7. *Erat in Senatu.*] Pal. tert. ab eadem manu habebat inter lineas, *erat præterea in Sen.* idemque in pr. à dextra alien.

& armis) accidit, ut nemo tribunus pl. nemo alio magiſtratu, nemo privatus, auctor exſiſteret. ſed in hac conſtantia, atque virtute, erat tamen ſollicita civitas. Illudimur enim, Brute, cum militum deliciis; tum imperatoris inſolentia. TANTUM quiſque ſe in rep. poſſe poſtulat, quantum habet virium. non ratio, non modus; non lex, non mos, non officium valet: non judicium, non exiſtimatio civium, non poſteritatis verecundia. Hæc ego multo antè proſpiciens, fugiebam ex Italia, tum, cùm me veſtrorum edictorum fama revocavit. Incitaviſti verò tu me, Brute, Veliæ. quamquam enim dolebam, in eam me urbem ire, quàm tu fugeres, qui eam liberaviſſes, quod mihi quoque quondam acciderat, periculo ſimili, caſu triſtiore: perrexi tamen, Romamque perveni, nulloque præſidio quatefeci Antonium: contraque ejus arma nefanda, præſidia, quæ oblata ſunt, Cæſaris conſilio & auctoritate firmavi. qui ſi ſteterit idem, mihique paruerit: ſatis videmur habituri præſidii. ſin autem impiorum conſilia plus valuerint, quàm noſtra: aut *imbecillitas ætatis* non potuerit gravitatem rerum ſuſtinere: ſpes omnis eſt in te. Quam ob rem advola, obſecro, atque eam rempubl. quam virtute, atque animi magnitudine magis, quam eventis rerum liberaſti, exitu libera. omnis omnium concurſus, ad te futurus eſt. Hortare idem per litteras Caſſium. Spes libertatis nuſquam, niſi [1] in veſtrorum caſtrorum principiis eſt. Firmos omnino & duces habemus ab occidente, & exercitus. Hoc adoleſcentis præſidium equidem adhuc firmum eſſe confido. ſed ita multi labefactant, ut, ne moveatur, interdum extimeſcam. Habes totum reip. ſtatum: qui quidem tum erat, cùm has litteras dabam. Velim deinceps meliora ſint: ſin aliter fuerint (quod dii omen avertant) reip. vicem dolebo: quæ *immortalis* eſſe debebat. [2] mihi quidem quantulum reliqui eſt?

11 BRUTUS CICERONI, S.

VETERIS Antiſtii talis animus eſt in remp. ut non dubitem, quin & in Cæſare, & Antonio ſe [3] præſtaturus fuerit acerrimum propugnatorem communis libertatis; ſi occaſioni potuiſſet occurrere. Nam qui in Achaja congreſſus, P. Dolabella milites, atque equites habente, quodvis adire periculum, ex inſidiis paratiſſimi ad omnia latronis, maluerit, quàm videri aut coactus eſſe pecuniam dare, aut libenter dediſſe homini nequiſſimo, atque improbiſſimo; is nobis *ultro* & pollicitus eſt, & dedit H-S XX ex ſua pecunia: &, quod multo carius eſt, ſeipſum obtulit, & conjunxit. Huic perſuadere cœpimus, ut imperator in caſtris remaneret, remque publicam defenderet. [4] ſtatuit id ſibi, quoniam exercitum dimiſiſſet. ſtatim verò rediturum ad nos confirmavit, legatione ſuſcepta, niſi prætorum comitia habituri eſſent conſules. Nam illi ita ſentienti de rep. magnopere auctor fui, ne *differret* tempus petitionis ſuæ. cujus factum omnibus gratum eſſe debet, qui modò judicant, hunc exercitum eſſe reipub. tibi tanto gratius, quanto & majore animo, gloriaque libertatem noſtram defendis, & dignitatem, ſi contigerit noſtris conſiliis exitus, quem optamus, [5] perfuncturus es. Ego etiam, mi Cicero propriè, familiariterque te rogo, ut Veterem ames, veliſque eſſe quàm ampliſſimum: qui etſi nulla re deterreri à propoſito poteſt, tamen excitari tuis laudibus, indulgentiaque poterit, quo magis amplexetur, ac tueatur judicium ſuum. [6] & mihi gratiſſimum erit.

CICERO BRUTO, S. 12

ETSI daturus eram Meſſallæ Corvino continuò litteras tamen Veterem noſtrum ad te ſine litteris meis venire nolui. Maximo in diſcrimine reſp. Brute, verſatur, *victoreſque* rurſus decertare cogimur. id accidit M. Lepidi ſcelere, & amentia. Quo tempore cùm multa propter eam curam, quam pro rep. ſuſcepi, graviter ferrem, tum nihil tuli graviùs, quàm me non poſſe matris tuæ precibus cedere, non ſororis. nam tibi, quod mihi plurimi eſt, facilè me ſatisfacturum arbitrabar. Nullo enim modo poterat cauſa Lepidi [7] diſtingui ab Antonio: omniumque judicio etiam durior erat, quòd, cùm honoribus ampliſſimis à ſenatu eſſet Lepidus ornatus, tum etiam paucis antè diebus præclaras litteras ad ſenatum miſiſſet: repentè non ſolùm recepit reliquias hoſtium, ſed bellum acerrimum terra, marique gerit: cujus exitus qui futurus ſit, incertum eſt. Itaque cùm rogamur, ut *miſericordiam* liberis ejus impertiamus, nihil affertur quò minùs ſumma ſupplicia, ſi (quod Jupiter omen avertat) pater puerorum vicerit, ſubeunda nobis ſint. Nec verò me fugit, quam ſit acerbum, *parentium ſcelera filiorum pœnis lui.* Sed hoc præclare legibus comparatum eſt, UT CARITAS LIBERORUM AMICIORES PARENTEIS REIP. REDDERET. Itaque Lepidus crudelis in liberos, non is, qui Lepidum hoſtem judicat. Atque ille ſi, armis poſitis, de vi damnatus eſſet, quo in judicio certè defenſionem non haberet: eandem calamitatem ſubirent liberi, bonis publicatis. quamquam, quod tua mater, & ſoror deprecatur pro pueris, idipſum, & multa alia crudeliora nobis omnibus Lepidus, Antonius, & reliqui hoſtes denuntiant. Itaque maximam ſpem hoc tempore habemus in te, atque exercitu tuo. Cùm ad reipub. ſummam, tum ad gloriam, & dignitatem tuam vehementer pertinet, te in Italiam, ut antè ſcripſi, venire quamprimum. Eget enim vehementer cùm viribus tuis, tum etiam conſilio reſp. Veterem pro ejus erga te benivolentia, ſingularique officio, libenter ex tuis litteris complexus ſum: eumque cùm tui, tum reipub. ſtudioſiſſimum, amantiſſimumque cognovi. Ciceronem meum propediem, ut ſpero, videbo. [8] tecum enim illum, & te in Italiam celeriter eſſe venturum confido.

BRUTUS CICERONI, S. 13

DE M. Lepido vereri me cogit reliquorum timor: [9] qui ſi eripuerit ſe nobis (quod velim temerè, atque injurioſè de illo ſuſpicati ſint homines) oro, atque obſecro te, Cicero, neceſſitudinem noſtram, tuamque in me benivolentiam obteſtans, ſororis meæ liberos *obliviſcaris* eſſe Lepidi filios, meque his in patris locum ſucceſſiſſe exiſtimes. hoc ſi à te impetro, [10] nihil profectò dubitabis pro his ſuſcipere. Aliter alii cum ſuis vivunt. [11] nihil ego poſſum in ſororis meæ liberis facere, quo poſſit expleri voluntas mea, aut officium. Quid verò aut mihi tribuere boni

1. *In veſtrorum caſtrorum principiis.*] Ita editio Victorii, ita Pal. pr. ſec. tert. nam quartus *præſidiis*, quod, quis non ſentit interpretationem eſſe dictionis prioris.

2. *Mihi quidem quantulum reliqui eſt?*] Lambinus finxit *vitæ quidem reliquæ*, niſi velimus, inquit, *reliquum*. erat in mſſ. aliquot, item Pall. duobus *aliquantulum*; quod mutabat in, *mihi quidem mali quantulum reliqui eſt?* Gulielmius.

3. *Præſtaturus fuit.*] Sic erat in editione veteri, neque aliter Victoriana, aut mſſ. Pall. intermediæ, *præſtiturus*; non neceſſario.

4. *Statuit id ſibi, quoniam.*] Haud aliter Pall. tres. nam tert. *ſibi eundem, quoniam.* P. Manutius expreſſit *ſtatuit eundem ſibi quoniam.* quod & retinuit Lambinus. neutra lectio ſatisfacit.

5. *Perfuncturus es.*] Pal. tert. à manu emendatrice, *perfunctus es*. P. Manutius conjecit, *perfuncturus es*; quod recepit Lambinus, præter libros. mihi binæ iſtæ voculæ videntur librarii potius alicujus quàm Tullii.

6. *Et mihi gratiſſimum erit.*] Lambinus, *id mihi*, quod & reperi in Pal. quarto.

7. *Diſtingui ab Antonio.*] Lambiniana, *ab Antonii*: non malè, niſi contrairent vetuſtius cuſi, & mſſ. noſtri.

8. *Tecum enim illum, & te in Italiam cel. eſſe vent. conf.*] Lambinus omiſit *&* *te* ut ſupervacuas. P. Manutius mutabat in *eſſe*, delebatque alterum *eſſe*, quod mox ſequebatur. noſtri nihil variant, niſi quod quart. non agnoſcat *te*, retinueritque ſolum *&*.

9. *Qui ſi eripuerit ſe nobis.*] Gulielmius adnotat forſan legendum *bonis*.

10. *Nihil profectò dubitabis pro his ſuſcipere.*] Pal. pr. item Wouwerianus notatus littera T. *pro me ſuſcipere.*

11. *Nihil ego poſſum in ſororis.*] Reclamantibus mſſ. libris, intruſit Lambinus negativam, *nihil ego non poſſum, &c.* quæ licentia?

1. Re-

boni poſſunt, ſi modò digni ſumus, quibus aliquid tribuatur: aut ego matri, ac ſorori, puerisque illis præſtaturus ſum, ſi nihil valuerit apud te, reliquumque ſenatum, contra patrem Lepidum Brutus avunculus? Scribere multa ad te neque poſſum præ ſollicitudine, ac ſtomacho, neque debeo. Nam ſi in tanta re, tamque neceſſaria verbis mihi opus eſt ad te excitandum, & confirmandum: nulla ſpes eſt, facturum te quod volo, & quod oportet. Quare noli exſpectare longas preces. intuere meipſum, qui hoc à te, vel à Cicerone, conjunctiſſimo homine, privatim: vel à conſulari, tali viro, remota neceſſitudine privata, impetrare debeo. Quid ſis facturus, velim mihi quamprimum reſcribas. Kalend. Quint. Ex caſtris.

14 CICERO BRUTO, S.

BREVES tuæ litteræ, breves dico? immò nullæ. tribuſne verſiculis his temporibus Brutus ad me? nihil ſcripſiſſem potius. & requiris meas. Quis umquam ad te tuorum ſine meis venit? Quæ autem epiſtola non pondus habuit? Quæ ſi ad te perlatæ non ſunt, ne domeſticas quidem tuas perlatas arbitror. Ciceroni ſcribis te longiorem daturum epiſtolam. rectè id quidem: ſed hæc quoque debuit eſſe plenior. Ego autem cùm ad me de Ciceronis abs te diſceſſu ſcripſiſſes, ſtatim extruſi tabellarios, litteraſque ad Ciceronem; ut, etiam ſi in Italiam veniſſet, ad te rediret. nihil enim mihi jucundius, nihil illi honeſtius. quamquam aliquoties ei ſcripſeram, ſacerdotum comitia, mea ſumma contentione in alterum annum eſſe rejecta: quòd ego cùm Ciceronis cauſa elaboravi, tum Domitii, Catonis, Lentuli, Bibulorum: quod ad te etiam ſcripſeram. Sed videlicet cùm illam puſillam epiſtolam tuam ad me dabas, nondum erat tibi id notum. Quare omni ſtudio à te, mi Brute, contendo, ut Ciceronem meum ne dimittas, tecumque adducas: quod ipſum, ſi remp. cui *ſuſceptus* es, reſpicis, tibi jam, jamque faciendum eſt. [1] renatum enim bellum eſt: idque non parvo ſcelere Lepidi. Exercitus autem Cæſaris, qui erat optimus, non modò nihil prodeſt, ſed etiam cogit exercitum tuum flagitari: qui ſi Italiam attigerit, erit civis nemo (quem quidem civem appellari fas ſit) qui ſe non in tua caſtra conferat. etſi Brutum præclarè cum Planco conjunctum habemus. ſed non ignoras, quàm ſint incerti animi hominum, & infecti partibus, & exitus prœliorum. Quin etiam, ſi, ut ſpero, vicerimus, tamen [2] magnam gubernationem tui conſilii, tuæque auctoritatis res deſiderabit. Subveni igitur, per deos, idque quamprimum tibique perſuade, non te idibus Mart. quibus ſervitutem à tuis civibus repuliſti, plus profuiſſe patriæ, quàm, ſi maturè veneris, profuturum. II. Idus Quint.

15 CICERO BRUTO, S.

MESSALLAM habes. Quibus igitur litteris tam accurate ſcriptis aſſequi poſſum, ſubtiliùs ut explicem, quæ gerantur, quæque ſint in rep. quàm tibi is exponet, qui & optimè omnia novit, & elegantiſſimè expedire, & deferre ad te poteſt? Cave enim exiſtimes, Brute, (quamquam non eſt neceſſe ea me ad te, quæ tibi nota ſunt, ſcribere: ſed tamen tantam omnium laudum excellentiam non queo ſilentio præterire) cave putes, probitate, conſtantia, cura, ſtudio reip. quidquam illi eſſe ſimile: ut eloquentia, qua mirabiliter excellit, vix in eo *locum* ad laudandum habere videatur. quamquam in hac ipſa, ſapientia plus apparet. ita gravi judicio, multaque arte ſe exercuit in veriſſimo genere dicendi. Tanta autem induſtria eſt, [3] tantumque evigilat in ſtudio, ut non maxima ingenio (quod in eo ſummum eſt) gratia habenda videatur. Sed provehor amore. non enim id propoſitum eſt huic epiſtolæ, Meſſallam ut laudem, præſertim ad Brutum; cui & virtus illius non minus, quam mihi, nota eſt, & hæc ipſa ſtudia, quæ laudo, notiora: quem cùm à me dimittens, graviter ferrem: hoc levabar uno, quòd ad te, tamquam ad *alterum me*, proficiſcens, & officio fungebatur, & laudem maximam ſequebatur. Sed hæc hactenus. Venio nunc longo ſane intervallo ad quandam epiſtolam, qua mihi multa tribuens, unum reprehendebas, quòd in honoribus decernendis eſſem nimius, & tamquam prodigus. Tu hoc: alius fortaſſe, quod in animadverſione, pœnaque durior; niſi fortaſſe utrumque tu. Quod ſi ita eſt, utriuſque rei meum judicium tibi cupio eſſe notiſſimum: neque ſolum, ut Solonis dictum uſurpem, qui [4] & ſapientiſſimus fuit ex ſeptem, & legum ſcriptor ſolus ex ſeptem. Is remp. DUABUS REBUS CONTINERI DIXIT, PRÆMIO, ET POENA. eſt ſcilicet utriuſque rei modus, ſicut reliquarum, & quædam in utroque genere mediocritas: ſed non tanta de re propoſitum eſt hoc loco diſputare. Quid ego autem ſecutus hoc bello ſim in ſententiis dicendis, aperire non alienum puto. Poſt interitum Cæſaris, & veſtras memorabileis Idus Mart. Brute, quid ego prætermiſſum à vobis; quantamque impendere reipub. tempeſtatem dixerim, non es oblitus. Magna peſtis erat depulſa per vos, magna populi Rom. macula deleta: vobis verò parta divina gloria: ſed inſtrumentum regni delatum ad Lepidum, & Antonium: quorum alter inconſtantior, alter impurior, uterque *pacem metuens*, inimicus otio. His ardentibus perturbandæ reip. cupiditate, quod opponi poſſet præſidium, non habebamus. Erexerat enim ſe civitas, in retinenda libertate conſentiens. Nos tum nimis acres: vos fortaſſe ſapientiùs exceſſiſtis urbe ea, quam liberaratis: Italiæ ſua vobis ſtudia profitenti remiſiſtis. Itaque cùm teneri urbem à parricidis viderem, nec te in ea, nec Caſſium tutò eſſe poſſe, eamque armis oppreſſam ab Antonio; mihi quoque ipſi eſſe excedendum putavi. TÆTRUM ENIM SPECTACULUM, OPPRESSA AB IMPIIS CIVITAS, OPITULANDI POTESTATE PRÆCISA. Sed animus idem, qui ſemper infixus eſt in patriæ caritate, diſceſſum ab ejus periculis ferre non potuit. itaque in medio Achaico curſu, cùm Eteſiarum diebus Auſter me in Italiam, quaſi diſſuaſor mei conſilii, retuliſſet, te vidi Veliæ, doluique vehementer. Cedebas enim, Brute, cedebas, quoniam [5] Stoici noſtri negant *ſurgere* ſapientis. Romam ut veni, ſtatim me obtuli Antonii ſceleri, atque dementiæ: quem cùm in me incitaviſſem, conſilia inire cœpi Brutina planè (veſtri enim hæc ſunt propria ſanguinis) reip. liberandæ. Longa ſunt, quæ reſtant, prætereunda: ſunt enim de me: tantùm dico, Cæſarem hunc adoleſcentem, per quem adhuc ſumus, ſi verum fateri volumus, fluxiſſe ex fonte conſiliorum meorum. Huic habiti à me honores nulli quidem, Brute, niſi debiti: nulli, niſi neceſſarii. Ut enim primùm libertatem revocare cœpimus, cùm ſe nondum ne Decimi quidem Bruti divina virtus ita commoviſſet, ut jam id ſcire poſſemus: atque omne præſidium eſſet in puero, qui à cervicibus noſtris avertiſſet Antonium: quis honos ei fuit decernendus? quamquam ego illi tum verborum laudem tribui, eamque modicam. Decrevi etiam imperium: quod quamquam videbatur illi ætati honorificum, tamen erat exercitum habenti neceſſarium. quid enim eſt ſine imperio exercitus? Statuam Philippus decrevit, celeritatem petitionis primò Servius, pòſt majorem etiam Servilius. nihil tum nimium videbatur. Sed

1. *Renatum enim bellum eſt, idque non parvo ſcelere Lepidi.*] Aſſentior Gulielmio autumanti legendum, *non parvum.*

2. *Magnam gubernationem tui conſilii.*] Suſpectum mihi, *magnam gubernationem*, tanquam adpictum ad aliam quam vocem vere Ciceronis.

3. *Tantumque evigilat in ſtudio.*] Gulielmius margini adſcripſit, legendum videri, *vigilat.*

4. *Et ſapientiſſimus e ſeptem.*] Lectionem iſtam eruit è fideliſſimo exemplari & tuetur libro XXIV. Var. lect. cap. 7. P. Victorius. pervulgata enim, *& ſapiens unum è ſeptem.*

5. *Stoici noſtri.*] Sic mſſ. noſtri omnes editioque Victorii. aliæ pleræque *veſtri.*

Sed neſcio quomodo FACILIUS IN TIMORE BENIGNI, QUAM IN VICTORIA [1] GRATI REPERIMUR. Ego enim, D. Bruto liberato, cùm lætiſſimus ille civitati dies illuxiſſet, idemque caſu Bruti natalis eſſet: decrevi, ut in faſtis ad eum diem Bruti nomen adſcriberetur. in eoque ſum majorum exemplum ſecutus, qui hunc honorem mulieri Larentiæ tribuerunt, cui vos, pontifices, ad aram in Velabro facere ſoletis. quod ego cum dabam Bruto, [2] notam eſſe in faſtis gratiſſimæ victoriæ ſempiternam volebam. atque illo die cognovi, paullo plureis in ſenatu malivolos eſſe, quàm gratos. Eos per ipſos dies, effudi (ſi ita vis) honores in mortuos, Hirtium & Panſam, Aquilam etiam. quod quis reprehendit, niſi qui, depoſito metu, præteriti periculi fuerit oblitus? Accedebat ad beneficii memoriam gratam ratio illa, quæ etiam *poſteris* eſſet ſalutaris. Exſtare enim volebam in crudeliſſimos hosteis monumenta odii publici ſempiterna. Suſpicor illud minùs tibi probari, quod ab tuis familiaribus, optimis illis quidem viris, ſed in repub. rudibus, non probatur, quòd, ut ovanti introire Cæſari liceret, decreverim. Ego autem (ſed erro fortaſſe: [3] nec tamen is ſum, ut mea me maximè delectent) nihil mihi videor hoc bello ſenſiſſe prudentius. Cur autem ita ſit aperiendum non eſt, ne magis videar providus fuiſſe, quàm gratus. hoc ipſum, nimium. quare alia videamus. D. Bruto decrevi honores, decrevi L. Planco. Præclara illa quidem ingenia, quæ *gloria* invitantur, ſed ſenatus etiam ſapiens, qui, qua quemque re putat, modò honeſta, ad rempub. juvandam poſſe adduci, hac utitur. At in Lepido reprehendimur: cui cùm ſtatuam in Roſtris ſtatuiſſemus, iidem illam evertimus. Nos illum honore ſtuduimus à furore revocare. vicit amentia leviſſimi hominis noſtram prudentiam. nec tamen tantum in ſtatuenda Lepidi ſtatua, factum eſt mali, quantum in evertenda, boni. Satis multa de honoribus. nunc de pœna pauca ſunt dicenda. Intellexi enim ex tuis ſæpe litteris, te in iis, quos bello deviciſti, clementiam tuam velle laudari. Exiſtimo equidem nihil à te, niſi ſapienter. *Sed ſceleris pœnam prætermittere* (id enim eſt, quod vocatur ignoſcere) etiam ſi in ceteris rebus tolerabile eſt, in hoc bello pernicioſum puto. Nullum enim bellum civile fuit in noſtra repub. omnium, quæ memoria mea fuerunt, in quo bello non, utracumque pars viciſſet, tamen aliqua forma eſſet futura reipub. hoc bello victores quam rempub. ſimus habituri, non facilè affirmarim: victis certe nulla umquam erit. Dixi igitur ſententias in Antonium, dixi in Lepidum ſeveras: neque tam ulciſcendi cauſa, quàm ut & in præſens ſceleratos civeis timore ab impugnanda patria deterrerem: [4] & in poſterum, documentum ſtatuerem, nequis talem amentiam vellet imitari. quamquam hæc quidem ſententia, non magis mea fuit, quàm omnium. In qua videtur illud eſſe crudele, quòd ad liberos, qui nihil meruerunt, pœna pervenit. Sed id & antiquum eſt, & omnium civitatum: ſiquidem ETIAM [5] THEMISTOCLIS LIBERI EGUERUNT. &, ſi judicio damnatos eadem pœna ſequitur civeis, quî potuimus leniores eſſe in hoſteis? Quid autem queri poteſt quiſquam de me, qui ſi viciſſet, acerbiorem ſe in me futurum fuiſſe confiteatur neceſſe eſt? Habes rationem mearum ſententiarum, de hoc genere duntaxat honoris, & pœnæ. Nam de ceteris rebus quid ſenſerim, quidque cenſuerim, audiſſe te arbitror. Sed hæc quidem non ita neceſſaria. illud valde neceſſarium, Brute, te in Italiam cum exercitu venire quàm primùm. ſumma eſt exſpectatio tui: qui ſi Italiam attigeris, ad te concurſus fiet omnium. Sive enim vicerimus: (qui quidem pulcherrimè viceramus, niſi Lepidus perdere omnia, & perire ipſe cum ſuis concupiviſſet) tua nobis auctoritate opus eſt ad *collocandum* aliquem civitatis ſtatum: ſive etiam nunc certamen reliquum eſt, maxima ſpes eſt cùm in auctoritate tua, tum in exercitus tui viribus. Sed propera, per deos. ſcis enim, quantum ſit in *temporibus*, quantum in celeritate. Sororis tuæ filiis quàm diligenter conſulam, ſpero te ex matris, & ex ſororis litteris cogniturum. qua in cauſa majorem habeo rationem tuæ voluntatis, quæ mihi cariſſima eſt, quàm, ut quibuſdam videor, conſtantiæ meæ. ſed ego nulla in re malo, quàm te amando conſtans & eſſe, & videri.

BRUTUS CICERONI, S. 16

PARTICULAM litterarum tuarum, quas miſiſti Octavio, legi, miſſam ab Attico mihi. Studium tuum, curaque de ſalute mea, nulla me nova voluptate affecit. Non ſolùm enim uſitatum, ſed etiam quotidianum eſt, aliquid audire de te, quod pro noſtra dignitate, fideliter, atque honorificè dixeris, aut feceris. At dolore, quantum animo maximum capere poſſum, eadem illa pars epiſtolæ, ſcriptæ ad Octavium de nobis, affecit. Sic enim illi gratias agis de rep. tam ſuppliciter, ac demiſſè, (quid ſcribam? pudet conditionis, ac fortunæ: ſed tamen ſcribendum eſt. Commendas noſtram ſalutem illi: quæ morte qua non pernicioſior?) ut prorſus præ te feras, non ſublatam dominationem, ſed dominum *commutatum* eſſe. Verba tua recognoſce, & aude negare, ſervientis, adverſus regem iſtas eſſe preces. Unum aïs eſſe, quod ab eo poſtuletur: & exſpectetur: ut eos civeis, de quibus viri boni populuſque R. bene exiſtimet, ſalvos velit. Quid ſi nolit? non erimus? Atqui, non eſſe; quam eſſe per illum, præſtat. Ego, medius fidius, non exiſtimo tam omneis deos averſos eſſe à ſalute populi R. ut Octavius orandus ſit pro ſalute cujuſquam civis, non dicam pro liberatoribus orbis terrarum. Juvat enim magnificè loqui: & certè decet, adverſus ignoranteis; quid pro quoque timendum, aut à quoque petendum ſit. Hoc tu, Cicero, poſſe fateris Octavium, & illi amicus es? aut, ſi me carum habes, vis Romæ videri; cùm, ut tibi eſſe poſſem, commendandus puero illi fuerim? Cui quid agis gratias, ſi, ut nos ſalvos eſſe velit, & patiatur, rogandum putas? An hoc pro beneficio eſt habendum, quòd ſe, quàm Antonium, eſſe maluerit, à quo iſta petenda eſſent? Vindici quidem alienæ dominationis, non vicario, ecquis ſupplicat, ut optimè meritis de rep. liceat eſſe ſalvis? Iſta verò imbecillitas, & deſperatio, cujus culpa non magis in te reſidet, quàm in omnibus aliis; & Cæſarem in cupiditatem regni impulit: & Antonio poſt interitum illius perſuaſit, ut interfecti locum occupare conaretur: & nunc puerum iſtum extulit, ut tu judicares precibus eſſe impetrandam ſalutem talibus viris: miſericordiaque unius, vix etiam nunc *viri*, tutos fore nos, haud ulla alia re. Quòd ſi Romanos nos eſſe meminiſſemus: non audaciùs dominari cuperent poſtremi homines, quàm nos prohiberemus: neque magis irritatus eſſet Antonius regno Cæſaris, quàm ob ejuſdem mortem deterritus. Tu quidem conſularis, & tantorum ſcelerum vindex (quibus oppreſſis vereor ne in breve tempus dilata ſit abs te pernicies) quî potes *intueri* quæ geſſeris, ſimul & iſta vel probare, vel ita demiſſè, ac facilè pati, ut probantis ſpeciem habeas? Quod autem tibi cum Antonio privatum odium? nempe quia poſtulabat hæc, ſalutem ab ſe peti: precariam nos incolumitatem habere, à quibus ipſe libertatem accepiſſet: eſſe arbitrium ſuum de rep. Quærenda eſſe arma putaſti, quibus dominari prohiberetur: ſcilicet, ut illo prohibito, rogaremus alterum, qui ſe in ejus

3. *Grati reperimur.*] Pall. noſtri accedunt Manutianis mſſ. & Lambinianis, in quibus *reperiuntur*.

4. *Notam eſſe in faſtis gratiſſimæ victoriæ ſempiternam volebam.*] Olim editi, *ſempiternam memoriam volebam.* ſed intermedia vox in nullo viſitur Palatino, non magis quàm Manutianis.

5. *Nec tamen is ſum.*] Inepte Lambinus, *nec enim is ſum;* & contra editos calamoque exaratos codices; quamvis pedibus iverit in ſententiam ejus Gulielmius.

6. *In poſterum documentum ſtatuerem.*] Vox *documentum*, ſuſpecta mihi, tanquam à ſcriba potius, quam Tullio.

7. *Themiſtoclis liberi eguere.*] Explicat Cælius Rhodiginus libro XIV. Antiq. Lect. cap. 12.

1. *Nulla*

ejus locum reponi pateretur, an ut eſſet ſui juris, ac mancipii reſp.? niſi fortè non de ſervitute, ſed *conditione* ſerviendi recuſatum eſt à nobis. Atqui non ſolùm bono domino potuimus Antonio tolerare noſtram fortunam, ſed etiam beneficiis, atque honoribus, ut participes, frui, quantis vellemus. quid enim neget iis, quorum patientiam videret maximum ſuæ dominationis præſidium eſſe? Sed nihil tanti fuit, quo venderemus fidem noſtram, & libertatem. Hic ipſe puer, quem Cæſaris nomen incitare videtur in Cæſaris interfectores: quanti æſtimet (ſi ſit commercio locus) poſſe, nobis auctoribus, tantum, quantum profectò poterit, quoniam vivere, & pecunias habere, & dici conſulares volumus? ceterùm nequicquam perierit ille: cujus interitu quid gaviſi ſumus, ſi mortuo nihilo minùs ſervituri eramus? [1] Nulla cura adhibeatur. Sed mihi prius omnia dii, deæque eripuerint, quàm illud judicium, quo non modò heredi ejus, quem occidi non conceſſerim, quod in illo non tuli, ſed *ne patri quidem* meo, ſi reviviſcat, ut, patiente me, plus legibus, ac ſenatu poſſit. An hoc tibi perſuaſum eſt, fore ceteros ab eo liberos, quo invito nobis in iſta civitate locus non ſit? Quî porrò id, quod petis, fieri poteſt, ut impetres? Rogas enim, velit nos ſalvos eſſe. Videmur ergo tibi *ſalutem* accepturi cùm vitam acceperimus? quam, ſi priùs dimittimus dignitatem & libertatem, qui poſſumus accipere? An tu Romæ habitare, id putas incolumem eſſe? RES, non locus oportet præſtet iſtuc mihi. neque incolumis fui Cæſare vivo, niſi poſtquàm illud conſcivi facinus: neque uſquam exſul eſſe poſſum, dum ſervire, & pati contumelias, pejus odero malis omnibus aliis. Nonne hoc eſt in eaſdem tenebras recidiſſe, quum ab eo, qui tyranni nomen aſcivit ſibi, (cùm in Græcis civitatibus *liberi* tyrannorum, oppreſſis illis, eodem ſupplicio afficiantur) petitur, ut vindices, atque oppreſſores dominationis, ſalvi ſint? Hanc ego civitatem videre velim, aut putem ullam, quæ ne traditam quidem, atque inculcatam libertatem, recipere poſſit? pluſque timeat in puero nomen ſublati regis, quàm confidat ſibi, cùm illum ipſum, qui maximas opes habuerit, paucorum virtute ſublatum videat? Me verò poſthac ne commendaveris Cæſari tuo: ne te quidem ipſum, ſi me audies. Valdè carè æſtimas tot annos, quot *iſta ætas* recipit, ſi propter eam cauſam puero iſti ſupplicaturus es. Deinde quod pulcherrimè feciſti, ac facis in Antonium, vide ne convertatur à laude maximi animi ad opinionem formidinis. Nam ſi Octavius tibi placet, à quo de noſtra ſalute petendum ſit: non dominum fugiſſe, ſed amicorum dominum quæſiſſe videberis. Quem quòd laudas ob ea, quæ adhuc fecit, planè probo. ſunt enim laudanda, ſi modò contra alienam potentiam, non pro ſua ſuſcepit eas actiones. Cum vero judicas, tantum illi non modò licere, ſed etiam à te ipſo tribuendum eſſe, ut rogandus ſit, ne nolit eſſe nos ſalvos, nimium magnam mercedem ſtatuis. Id enim ipſum illi largiris, quod per illum habere videbatur reſp. Neque hoc tibi in mentem venit, ſi Octavius ullis dignus ſit honoribus, quia cum Antonio bellum gerat: iis, qui illud malum exciderint, cujus iſtæ reliquiæ ſunt, nihil, quo expleri poſſit eorum meritum, tributurum umquam populum R. ſi omnia ſimul congeſſerit. At vide, quanto DILIGENTIUS HOMINES METUANT, QUAM MEMINERINT, quia Antonius vivat, atque in armis ſit. De Cæſare verò, quod fieri potuit, ac debuit, tranſactum eſt: [2] neque jam revocari in integrum poteſt. Octavius is eſt, qui, quid de nobis judicaturus ſit, exſpectet populus Rom.? nos hi ſumus, de quorum ſalute unus homo rogandus videatur? Ego verò, ut iſtuc revertar, is ſum, qui non modò non ſupplicem, ſed etiam coerceam poſtulanteis, [3] ut ſibi ſupplicetur. Aut longè à ſervientibus abero, [4] mihique eſſe judicabo Romam, ubicumque liberum eſſe licebit: ac veſtri miſerebor, quibus nec ætas, neque honores, neque virtus aliena dulcedinem vivendi minuere potuerit. Mihi quidem ita beatus eſſe videbor, ſi modò conſtanter ac perpetuò placebit hoc conſilium, ut relatam putem gratiam pietati meæ. QUID ENIM EST MELIUS, QUAM MEMORIA RECTE FACTORUM, ET LIBERTATE CONTENTUM NEGLIGERE HUMANA? Sed certè non ſuccumbam ſuccumbentibus, nec vincar ab iis, qui ſe vinci volunt: experiarque, & tentabo omnia: neque deſiſtam abſtrahere à ſervitio civitatem noſtram. Si ſecuta fuerit, quæ debet, fortuna: gaudebimus omnes: ſin minùs, ego *tamen gaudebo*. quibus enim potiùs hæc vita factis, aut cogitationibus traducatur, quàm iis, quæ pertinuerint ad liberandos civeis meos? Te, Cicero, rogo, atque hortor, ne defatigere, neu diffidas: ſemper in præſentibus malis prohibendis, *futura* quoque niſi antè ſit occurſum, explores, ne ſe inſinuent. Fortem, & liberum animum, quo & conſul, & nunc conſularis remp. vindicaſti, ſine conſtantia, & æquabilitate nullum eſſe putaris. FATEOR ENIM, DURIOREM ESSE CONDITIONEM SPECTATÆ VIRTUTIS, QUAM INCOGNITÆ. BENEFACTA PRO DEBITIS EXIGIMUS. quæ ſi aliter eveniunt; ut decepti ab his, infeſto animo reprehendimus. Itaque reſiſtere Antonio Ciceronem, etſi magna laude dignum eſt, tamen quia ille conſul, hunc conſularem meritò præſtare videtur, nemo admiratur. Idem Cicero ſi flexerit adverſus alios judicium ſuum, quod tanta firmitate, ac magnitudine direxit in exturbando Antonio: non modò reliqui temporis gloriam eripuerit ſibi, ſed etiam præterita evaneſcere coget. NIHIL ENIM PER SE AMPLUM EST, NISI IN QUO JUDICII RATIO EXSTAT. Quia neminem magis decet, quàm te, rempub. amare, libertatiſque defenſorem eſſe, vel ingenio, vel rebus geſtis, vel ſtudio, atque efflagitatione omnium. Quare non Octavius eſt rogandus, ut velit nos ſalvos eſſe: magis tu te exſuſcita, ut eam civitatem, in qua maxima geſſiſti, liberam, atque honeſtam fore putes, ſi modò ſint populo duces ad reſiſtendum improborum conſiliis.

BRUTUS ATTICO, S.

SCRIBIS mihi, mirari Ciceronem; quòd nihil ſignificem 17
umquam de ſuis actis. Quoniam efflagitas, coactu tuo ſcribam quæ ſentio. Omnia feciſſe Ciceronem optimo animo, ſcio. quid enim mihi exploratius eſſe poteſt, quàm illius animus in rempub.? Sed quædam mihi videtur, quid dicam? imperitè, vir omnium prudentiſſimus; an ambitioſè feciſſe; qui valentiſſimum Antonium ſuſcipere pro repub. non dubitarit inimicum? Neſcio, quid ſcribam tibi, niſi unum, pueri & cupiditatem, & licentiam, potiùs eſſe irritatam, quàm repreſſam à Cicerone: tantumque eum tribuere huic *indulgentiæ*, ut ſe maledictis non abſtineat: iis quidem, quæ in ipſum dupliciter recidunt, quod & plures occidit uno; ſeque priùs oportet fateatur ſicarium, quàm objiciat Caſcæ quod objicit: & imitatur in Caſca Beſtiam. An quia non omnibus horis jactamus Idus Martias, ſimiliter atque ille Nonas Decemb. ſuas in ore habet, eo meliore conditione Cicero pulcherrimum factum vituperabit, quàm Beſtia, & Clodius reprehendere illius conſulatum ſoliti ſunt? Suſtinuiſſe mihi gloriatur bellum Antonii togatus Cicero noſter. quid hoc mihi prodeſt, ſi merces Antonii oppreſſi poſcitur, in Antonii locum ſucceſſio: & ſi vindex illius mali, auctor exſtitit alterius, fundamentum, & radices habituri altiores, ſi patiamur? ut jam iſta, [5] quæ facit, non *dominationem*, non, ſed *dominum* Antonium timentis ſint. Ego autem gratiam non habeo, ſi

1. *Nulla cura adhibeatur.*] Pall. omnes *adhibetur*: etiam duo præterea addunt, *Nulla cura ab aliis adhibetur*, quod & in Aldina vetere. filius ejus ſecundum admitit; *Nulla cura adhibetur*, quod injuriæ ſuggillat Lambinus, tamquam nullis ſuffultum manu ſcript.

2. *Neque jam revocari in integrum poteſt.*] Ita quidem edd. poſteriores. verum priores, *provocari*, quod & in quatuor Pall. neutram lectionem habuerim pro genuina.

3. *Ut ſibi ſupplicetur.*] Videri queant à liberali manu librariorum. ſanè Pal. ſec. ac tert. *ne ſibi ſuppl.*

4. *Mihique eſſe judicabo, &c.*] Gulielmius conjiciebat, *inibique eſſe*; non abſurde. Lambinus ediderat *ibiq.*, proculdubio etiam ab ingenio.

5. *Quæ facit, non dominationem, non; ſed dominum Antonium timentis ſint.*]

beo, ſi quis, dum ne irato ſerviat, rem ipſam non deprecatur: [1] immo triumphus, & ſtipendium decernitur, & omnibus decretis ornatur. [2] Pudeat concupiſcere fortunam, cujus nomen ſuſceperit Conſularis, ut Ciceronis eſt. Quoniam mihi tacere non licuit, leges quæ tibi neceſſe eſt moleſta eſſe. Etenim ipſe ſentio, quanto cum dolore hæc ad te perſcripſerim: nec ignoro, quid ſentias in rep. & quàm deſperatam quoque *ſanari* putes poſſe. Nec mehercule te, Attice, reprehendo. ÆTAS enim, mores, liberi, ſegnem efficiunt: quod quidem etiam ex Flavio noſtro perſpexi. Sed redeo ad Ciceronem. Quid inter Salvidenum, & eum intereſt? Quid autem amplius ille decerneret? Timet, inquies, etiam nunc reliquias belli civilis. Quiſquam ergo ita timet profligatum, ut neque potentiam ejus, qui exercitum victorem habeat, neque *temeritatem* pueri putet extimeſcendam eſſe? An hoc ipſum ea re facit, quòd illi propter amplitudinem omnia, jam ultroque deferenda putat? O magnam ſtultitiam timoris, id ipſum, quod verearis, ita cavere, ut cùm vitare fortaſſe potueris, ultro arceſſas, & attrahas! Nimium timemus mortem, & exſilium, & paupertatem. hæc videntur Ciceroni ultima eſſe in malis: &, dum habeat à quibus impetret quæ velit, & à quibus colatur, ac laudetur; ſervitutem, *honorificam* modò, non aſpernatur: ſi quidquam in extrema, ac miſerrima contumelia poteſt honorificum eſſe. Licet ergo patrem appellet Octavius Ciceronem, [3] referat omnia, laudet, gratias agat: tamen illud apparebit, verba rebus eſſe contraria. Quid enim tam alienum ab humanis ſenſibus eſt, quàm eum *patris* habere loco, qui ne liberi quidem hominis numero ſit? Atqui eò tendit, id agit, ad eum exitum properat vir optimus, ut ſit illi Octavius propitius. Ego verò jam iis artibus nihil tribuo, quibus ſcio Ciceronem inſtructiſſimum eſſe. Quid enim illi proſunt, quæ pro libertate patriæ, de dignitate, quæ de morte, exſilio, paupertate ſcripſit copioſiſſimè? Quanto autem magis illa callere videtur Philippus, qui privigno minùs tribuerit, [4] quàm Cicero alieno tribuat? Deſinat igitur gloriando etiam inſectari dolores noſtros. Quid enim noſtra, victum eſſe Antonium, ſi victus eſt, ut alii vacaret quod ille obtinuit? tametſi tuæ litteræ dubia etiam nunc ſignificant. Vivat hercule Cicero, qui poteſt, ſupplex, & obnoxius, ſi neque ætatis, neque honorum, neque rerum geſtarum pudet. Ego certè, quin cum ipſa *re* bellum geram, hoc eſt, cum regno, & imperiis extraordinariis, & dominatione, & potentia, quæ ſupra leges ſe eſſe velit, nulla erit tam bona conditio ſerviendi, [5] qua deterrear, quamvis ſit vir bonus, ut ſcribis, Antonius: quod ego numquam exiſtimavi. Sed *dominum*, ne parentem quidem, majoris noſtri voluerunt eſſe. Te niſi tantum amarem, quantum Ciceroni perſuaſum eſt diligi ab Octavio: hæc ad te non ſcripſiſſem. Dolet mihi, quòd tu nunc ſtomacharis, amantiſſimus tum tuorum omnium, tum Ciceronis. ſed perſuade tibi, de voluntate propria mea nihil eſſe remiſſum, de judicio largiter. Neque enim impetrari poteſt, quin, QUALE quidque videatur ei, talem quiſque de illo opinionem habeat. Vellem mihi ſcripſiſſes, quæ conditiones eſſent Atticæ noſtræ. potuiſſem aliquid tibi de meo ſenſu perſcribere. Valitudinem Porciæ meæ tibi curæ eſſe non miror. Denique quod petis, faciam libenter. nam etiam ſorores me rogant. & hominem noro, & quid ſibi voluerit.

CICERO BRUTO, S. 18

CUm ſæpe te litteris hortatus eſſem, ut quàm primum reipub. ſubvenires, in Italiamquè exercitum adduceres, neque id arbitrarer dubitare tuos neceſſarios: rogatus ſum à prudentiſſima & diligentiſſima fæmina, matre tua, cujus omnes curæ ad te referuntur, & in te *conſumuntur*. ut venirem ad ſe a. d. IIX. Kal. Sext. quod ego ut debui, ſine mora feci. Cum autem veniſſem, Caſca aderat, & Labeo, & Scaptius. At illa retulit, quæſivitque, quidnam mihi videretur: arceſſere nos te, atque id tibi conducere putaremus, an tardare, & commorari te melius eſſet. Reſpondi id, quod ſentiebam, & dignitati, & exiſtimationi tuæ maximè conducere, te primo quoque tempore ferre præſidium labenti, & inclinatæ reip. Quid enim abeſſe cenſes mali in eo bello, in quo victores exercitus fugientem hoſtem perſequi noluerunt? & in quo incolumis imperator, honoribus ampliſſimis, fortuniſque maximis, conjuge, liberis, vobis affinibus ornatus, bellum reipub. indixerit? Quid dicam in tanto ſenatus, populique conſenſu, cùm tantum reſideat intra muros mali? maximo autem, cùm hæc ſcribebam, afficiebar dolore: quòd, cùm me pro adoleſcentulo, ac pænè puero reſpubl. accepiſſet vadem, vix videbar, quod promiſeram præſtare poſſe. EST AUTEM GRAVIOR, ET DIFFICILIOR ANIMI, ET SENTENTIÆ, maximis præſertim in rebus, pro altero, quàm pecuniæ, obligatio. Hæc enim ſolvi poteſt, & eſt rei familiaris jactura tolerabilis. reipub. quod ſpoponderis, quemadmodum ſolvas, niſi is dependi facilè patitur, pro quo ſpoponderis? quamquam & hunc (ut ſpero) tenebo multis repugnantibus. videtur enim in eo eſſe indoles, ſed *flexibilis ætas*: multique ad depravandum parati: qui, ſplendore falſi honoris objecto, aciem boni ingenii præſtringi poſſe confidunt. Itaque ad reliquos hic quoque labor mihi acceſſit, ut omneis adhibeam machinas ad tenendum adoleſcentem, ne famam ſubeam temeritatis. quamquam quæ temeritas eſt? magis enim illum, pro quo ſpopondi, quàm me obligavi. Nec verò pœnitere poteſt rempub. me pro eo ſpopondiſſe, qui fuit in rebus gerendis cùm ſuo ingenio, tum mea promiſſione conſtantior. MAXIMUS AUTEM (niſi me forte fallit) IN REPUB. NODUS EST, INOPIA REI PECUNIARIÆ. [6] obdureſcunt enim magis quotidie boni viri ad vocem tributi: quod ex centeſima collatum impudenti cenſu locupletum in duarum legionum præmiis omne conſumitur. Impendent autem infiniti ſumtus cùm in hos exercitus, quibus nunc defendimur, tum verò in tuum. Nam Caſſius noſter videtur poſſe ſatis ornatus venire. Sed & hæc, & multa alia coràm cupio, idque quàm primum. De ſororis tuæ filiis non exſpectavi, Brute, dum ſcriberes. Omnino jam tempora (bellum enim ducetur) integram tibi cauſam reſervant. Sed ego à principio, cum divinare de belli diuturnitate non poſſem, ita cauſam egi puerorum in ſenatu, ut te arbitror è matris litteris potuiſſe cognoſcere. Nec verò ulla res erit umquam, in qua ego non vel *vitæ periculo* ea dicam, eaque faciam, quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitror. Vale VI. Kalend. Sext.

M. TUL-

---

tis ſint.] Hodie quidem ſic legimus, ſed contra vett. edd. & mſſ. Pall. in quibus ru la litera variante: *quæ facit, dominationem, an dominum, an Antonium timentis ſint.* neque ſecus publicati a Victorio.

1. *Imo triumphus, & ſtipendium decernitur, & omnibus decretis ornatur.*] Haud aliter quidem lectio vulgata. ſed enim aliter mſſ. Pal. pr. habet, *ſtipendium & omnibus decretis hortationis*, omiſſo illo *decernitur*. quod & reliquis fere abeſt. quippe ſec. *Imo triumphum & ſtipendium & omnibus decretis hortationibus pudeat concupiſcere, &c.* quod & a prima manu in tertio, qui emendatum habet eodem atramento, *decretis ornatur. cum pudeat.* at quartus exhibet: *Imò triumphus & ſtipendium decernitur, & om. decretis hortatur, cum pudeat.* omnes mendoſe.

2. *Pudeat concupiſcere fortunam, cujus nomen ſuſceperit Conſularis, ut Ciceronis.*] Non abii a Victoriana editione firmata à Pal. ſec. tert. nam & pr. quart. *ſuſceperit Conſularis aut Ciceronis eſt.* Aldi vetus: *pudeat conſpicere fortunam cujus nomen ſuſceperit. Conſularis hoc, an Ciceronis eſt?* nulla lectionum animo facit ſatis. nam Lambini, producere quidem libet, adeo fatua eſt.

3. *Referat omnia, laudet, &c.*] Peſſimè Lambinus, *referat ei accepta omnia, laudet.* certe contra omnia mſſ. exemplaria.

4 *Quam Cicero alieno tribuat.*] Videntur *alieno tribuat*, nata in concilio ſcribarum. certè mſſ. noſtri variant, veluti teſtes in cauſa falſa; habentque *quàm Cicero, qui alieno trib.* aut, *quidem qui aliena trib.*

5. *Qua deterrear.*] Male vulgata cum negativâ, *qua non deterrear*, contraque mentem auctoris & Pall. noſtrorum, excluſeratque etiam Victorius, & miror retentam à P. Manutio.

6. *Obdureſcunt enim magis, &c.*] Lambinus libris omnibus ut ipſe teſtatur, reclamantibus, repoſuit, *Obdureſcunt.* ſibi habeat.

1. *Pom-*

M. TULLII CICERONIS
EPISTOLÆ AD BRUTUM,
NON ITA PRIDEM A GERMANIS REPERTÆ, ET EDITÆ.

1 CICERO BRUTO, S.

QUUM hæc ſcribebam, res exiſtimabatur in extremum adducta diſcrimen. triſtes enim de Bruto noſtro litteræ, nuntiique adferebantur. Me quidem non maximè conturbabant. his enim exercitibus, ducibuſque, quos habemus, nullo modo poteram diffidere. neque aſſentiebar majori parti hominum. fidem enim conſulum non condemnabam, quæ ſuſpecta vehementer erat. deſiderabam nonnullis in rebus prudentiam, & celeritatem, qua ſi eſſent uſi, jampridem rempubl. recuperaſſemus. Non enim ignoras, QUANTA MOMENTA ſint in republ. temporum: & quid interſit, idem illud utrùm antè, an pòſt decernatur, ſuſcipiatur, agatur. Omnia, quæ ſeverè decreta ſunt hoc tumultu, ſi aut, quo die dixi ſententiam, perfecta eſſent, & non in diem ex die dilata, aut quo ex tempore ſuſcepta ſunt, ut agerentur, non tardata, & procraſtinata, bellum jam nullum haberemus. Omnia, Brute, præſtiti reipublicæ, quæ præſtare debuit is, qui eſſet in eo, in quo ego ſum, gradu, ſenatus, populique judicio collocatus: nec illa modò, quæ nimirum ſola ab homine ſunt poſtulanda, fidem, vigilantiam, patriæ caritatem: ea ſunt enim, quæ nemo eſt, qui non *præſtare* debeat. Ego autem ei, qui ſententiam dicat in principibus de rep. puto etiam *prudentiam* eſſe præſtandam. nec me, quum mihi tantum ſumſerim, ut gubernacula reip. prenderem, minùs putarim reprehendendum, ſi inutiliter aliquid ſenatui ſuaſerim, quam ſi infideliter. Acta quæ ſint, quæque agantur, ſcio perſcribi ad te diligenter. Ex me autem illud eſt, quod te velim habere cognitum, meum quidem animum in aciem eſſe; neque reſpectum ullum quærere, niſi me utilitas civitatis fortè converterit. majores autem partes animi, te, Caſſiumque reſpiciunt. Quamobrem ita te para, Brute, ut intelligas, aut, ſi hoc tempore bene res geſta ſit; tibi meliorem remp. eſſe faciendam: aut, ſiquid offenſum ſit, per te eſſe eandem recuperandam.

2 CICERO BRUTO, S.

PLANCI animum in remp. egregium, legiones, auxilia, copias ex litteris ejus, quarum exemplum tibi miſſum arbitror, perſpicere potuiſti. Lepidi, tui neceſſarii, qui ſecundum fratrem affineis habet, quos oderit, proximos, levitatem & inconſtantiam, animumque ſemper inimicum reip. jam credo tibi ex tuorum litteris eſſe perſpectum. nos exſpectatio ſollicitat, quæ eſt omnis jam in extremum adducta diſcrimen. Eſt enim ſpes omnis in Bruto expediendo, de quo vehementer timebamus. Ego hic cum homine furioſo ſatis habeo negotii Servilio, quem tuli diutius, quàm dignitas mea patiebatur: ſed tuli reip. cauſa, ne darem perditis civibus hominem parùm ſanum illum quidem, ſed tamen nobilem, quò concurrerent: quod faciunt nihilominus: ſed eum *alienandum* à rep. non putabam. Finem feci ejus ferendi. cœperat enim eſſe tanta inſolentia, ut neminem liberum duceret. In Planci verò cauſa exarſit incredibili dolore, mecumque per biduum ita contendit, & à me ita fractus eſt, ut eum in perpetuum modeſtiorem ſperem fore. Atque in hac contentione ipſa, quum maximè res ageretur a. d. Id. April. litteræ mihi in ſenatu redditæ ſunt à Lentulo noſtro, de Caſſio, de legionibus, de Syria: quas ſtatim cùm recitaviſſem, cecidit Servilius, complures præterea. ſunt enim inſignes aliquot, qui improbiſſimè ſentiunt: ſed acerbiſſimè tulit Servilius aſſenſum eſſe mihi de Planco. Magnum illud monſtrum in repub. eſt ** *Deeſt hujus epiſtolæ pars extrema.*

BRUTUS CICERONI, S. 3

Deeſt principium epiſtolæ.

** ſed quo nos amiſiſſe: quem ſic vexari à Dolabella audio, ut jam non videatur crudeliſſimum ejus facinus interfectio Trebonii. Vetus Antiſtius me tamen pecunia ſublevavit. Cicero filius tuus ſic mihi ſe probat, induſtria, patientia, labore, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorſus numquam dimittere videatur *cogitationem* cujus ſit filius. Quare quoniam efficere non poſſum, ut pluris facias eum, qui tibi eſt cariſſimus; illud tribue judicio meo, ut tibi perſuadeas, non fore illi abutendum gloria tua, ut adipiſcatur honores paternos. Calend. April. Carachio.

CICERO BRUTO, S. 4

DATIS manè a. d. VI. Id. April. Scaptio litteris, eodem die tuas accepi Kal. April. Dyrrhachio datas veſperi. itaque manè prid. Id. April. cùm à Scaptio certior factus eſſem, non eſſe eos profectos, quibus pridie dederam, & ſtatim ire, hoc paullulum exaravi ipſa in turba matutinæ ſalutationis. De Caſſio lætor, & reipub. gratulor: mihi etiam, qui repugnante & iraſcente Panſa ſententiam dixerim, ut Dolabellam bello Caſſius perſequeretur. Et quidem audacter dicebam, ſine noſtro s. c. jam illud eum bellum gerere. De te etiam dixi tum, quæ dicenda putavi. Hæc ad te oratio perferetur, quoniam te video delectari Philippicis noſtris. Quòd me de Antonio conſulis; quoad Bruti exitum cognorimus, cuſtodiendum puto. Ex his litteris, quas mihi miſiſti, Dolabella Aſiam vexare videtur, & in ea ſe gerere tæterrimè. Compluribus autem ſcripſiſti Dolabellam à Rhodiis eſſe excluſum: qui ſi ad Rhodum acceſſit, videtur mihi Aſiam reliquiſſe. Id ſi ita eſt, iſtic tibi cenſeo commorandum: ſin eam ſemel cepit, mihi crede, ** non erit. Id. April.

BRUTUS CICERONI, S. 5

LITTERAS tuas valde exſpecto, quas ſcripſiſti poſt nuntios noſtrarum rerum, & de morte Trebonii: non enim dubito quin mihi conſilium tuum explices. Indigno ſcelere & civem optimum amiſimus, & provinciæ poſſeſſione depulſi ſumus, quam recuperari facile eſt. neque minus turpe, aut flagitioſum erit, ſi poteſt, non recuperari. Antonius adhuc eſt nobiſcum: ſed mediusfidius & moveor hominis precibus, & timeo ne illum aliquorum furor excipiat: planè æſtuo. Quod ſi ſcirem quid tibi placeret, ſine ſollicitudine eſſem. id enim optimum eſſe perſuaſum eſſet mihi. Quare quàm primùm fac me certiorem quid tibi placeat. Caſſius noſter Syriam, legiones Syriacas habet, ultrò quidem à Murco & à Marcio, & ab exercitu ipſo arceſſitus. Ego ſcripſi ad Tertiam ſororem, & matrem, ne prius ederent hoc, quod optimè ac feliciſſimè geſſit Caſſius, quam tuum conſilium cognoviſſent, tibique viſum eſſet. Legi orationes duas tuas, quarum altera Kal. Jan. uſus es: altera de litteris meis, quæ habita eſt abs te contra Calenum. Nunc ſcilicet hoc exſpectas, dum eas laudem. Neſcio animi, an ingenii tui major in his libellis laus contineatur. Jam concedo, ut vel

Philippici vocentur, quod tu quadam epiſtola jocans ſcripſiſti. Duabus rebus egemus, Cicero, pecunia & ſupplemento: quarum altera poteſt abs te expediri, ut aliqua pars militum iſtinc mittatur nobis, vel ſecreto conſilio adverſus Panſam, vel actione in ſenatu: altera, quæ magis eſt neceſſaria, neque meo exercitui magis, quàm reliquorum. Hoc magis doleo Aſiam ** at in Aſiam cenſeo perſequendum. Nihil mihi vidèris hoc tempore melius acturus.

CICERO BRUTO, S.

6 QUod egere te duabus neceſſariis rebus ſcribis, ſupplemento & pecunia, difficile conſilium eſt. non enim mihi occurrunt facultates, quibus uti te poſſe videam, præter illas, quas ſenatus decrevit, ut pecunias à civitatibus mutuas ſumeres. De ſupplemento autem non video quid fieri poſſit. tantum enim abeſt, ut Panſa de exercitu ſuo, aut delectu tibi aliquid tribuat, ut etiam moleſtè ferat, tam multos ad te ire voluntarios: quomodo quidem credo, quòd his rebus, quæ in Italia decernuntur, nullas copias nimis magnas eſſe arbitretur: quomodo autem multi ſuſpicantur, quòd ne te quidem *nimis firmum* eſſe velit: quod ego non ſuſpicor. Quod ſcribis te ad Tertiam ſororem ſcripſiſſe, ut ne prius ederent ea, quæ geſta à Caſſio eſſent, quàm mihi viſum eſſet, video te veritum eſſe id, quod verendum fuit, ne animi partium Cæſaris, quomodo etiam nunc partes appellantur, vehementer commoverentur. Sed antè quam tuas litteras accepimus, audita res erat, & pervulgata: tui etiam tabellarii ad multos familiareis tuos litteras attulerant. Quare neque ſupprimenda res erat, præſertim cùm id fieri non poſſet, neque ſi poſſet, non divulgandam potius, quàm occultandam putaremus. De Cicerone meo, etſi tantum eſt in eo quantum ſcribis, tantum ſcilicet, quantum debeo, gaudeo: & ſi, quòd amas eum, eò *majora* facis: id ipſum incredibiliter gaudeo, à te eum diligi.

CICERO BRUTO, S.

7 QUÆ litteræ tuo nomine recitatæ ſint Id. April. in ſenatu, eodemque tempore Antonii, credo ad te ſcripſiſſe tuos: quorum ego nemini concedo. Sed nihil neceſſe erat eadem omneis: illud neceſſe me ad te ſcribere quid ſentirem de tota conſtitutione hujus belli, & quo judicio eſſem, quaque ſententia. Voluntas mea, Brute, de ſumma rep. ſemper eadem fuit, quæ tua: ratio quibuſdam in rebus (non enim omnibus) paullo fortaſſe vehementior. Scis mihi ſemper placuiſſe non rege ſolùm, ſed regno liberari rempub. Tu leniùs, immortali omnino cum tua laude: ſed quid melius fuerit, magno dolore ſenſimus, magno periculo ſentimus. Recenti illo tempore, tu omnia ad pacem, quæ oratione confici non poterat: ego omnia ad libertatem, quæ ſine *pace* nulla eſt: pacem ipſam bello atque armis effici poſſe arbitrabar. Studia non deerunt arma poſcentium, quorum repreſſimus impetum, ardoremque reſtinximus. Itaque res in eum locum venerat, ut niſi Cæſari Octaviano deus quidam illam mentem dediſſet, in poteſtatem perditiſſimi hominis, & turpiſſimi M. Antonii veniendum fuerit: quocum vides hoc tempore ipſo, quod ſit, quantumque certamen. Id profectò nullum eſſet, niſi tum conſervatus eſſet Antonius. Sed hæc omitto. res enim à te geſta memorabilis, & pænè cæleſtis, repellit omneis reprehenſiones: quippe quæ ne laude quidem ſatis idonea affici poſſit. Exſtitiſti nuper vultu ſevero: exercitum, copias, legiones idoneas per te brevi tempore comparaſti. Dii immortales, qui ille nuntius, quæ illæ litteræ, quæ lætitia ſenatus, quæ alacritas civitatis erat! nihil umquam vidi tam omnium conſenſione laudatum. Erat exſpectatio reliquiarum Antonii: quem equitatu, legionibuſque magna ex parte ſpoliaras. ea quoque habuit exitum optabilem. Nam tuæ litteræ quæ recitatæ in ſenatu ſunt, & imperatoris conſilium, & militum virtutem, & induſtriam tuorum, in quibus Ciceronis mei, declarant. Quod ſi tuis placuiſſet de his litteris referri, & niſi in tempus turbulentiſſimum poſt diſceſſum Panſæ conſulis incidiſſent, honos quoque juſtus, & debitus diis immortalibus decretus eſſet. Ecce tibi Idib. April. advolat manè celer Pilus, qui vir! dii boni, quàm gravis! quam conſtans! quàm bonorum in repub. partium! Hic epiſtolas affert duas, unam tuo nomine, alteram Antonii. dat Servilio, tribun. pleb. ille Cornuto: recitantur in ſenatu. ANTONIUS PROCOS. magna admiratio, ut ſi eſſet recitatum, DOLABELLA IMPERATOR, à quo quidem venerant tabellarii: ſed nemo Pili ſimilis, qui proferre litteras auderet, aut magiſtratibus reddere. Tuæ recitantur, breves illæ quidem, ſed in Antonium admodum lenes: vehementer admiratus ſenatus. mihi autem non erat explicatum, quid agerem. falſas dicerem? quid ſi tu eas approbaſſes? confirmarem? non erat dignitatis tuæ. itaque ille dies ſilentio. Poſtridie autem cùm ſermo increbruiſſet, Piluſque oculos vehementiùs hominum offendiſſet, natum omnino eſt principium à me. De procoſ. Antonio multa: Sextius cauſæ non defuit. Poſt mecum: quanto ſuum filium, quanto meum in periculo futurum duceret, ſi contra procoſ. arma tuliſſent. noſti hominem: cauſæ non defuit. Dixerunt etiam alii. Labeo verò noſter nec ſignum tuum in epiſtola, nec diem appoſitum, nec te ſcripſiſſe ad tuos, ut ſoleres. hoc cogere volebat, falſas litteras eſſe, & ſi quæris, probabat. Nunc tuum eſt conſilium, Brute, de toto genere belli. Video te *lenitate* delectari, & eum putare fructum eſſe maximum: præclarè quidem, ſed aliis rebus, aliis temporibus locus eſſe ſolet, debetque clementiæ. Nunc quid agitur Brute? templis deorum immortalium imminet hominum egentium & & perditorum ſpes; nec quidquam aliud decernitur hoc bello, niſi utrùm ſimus, necne. cui parcimus, aut quid agimus? His ergo conſulimus, quibus victoribus veſtigium noſtrûm nullum relinquetur? Nam quid intereſt inter Dolabellam, & quemvis Antoniorum trium? quorum ficui parcimus, duri fuimus in Dolabella. Hæc ut ita ſentiret ſenatus, populuſque Rom. etſi res ipſa cogebat, tamen maxima ex parte noſtro conſilio, atque auctoritate perfectum eſt. Tu ſi hanc rationem non probas, tuam ſententiam defendam, non relinquam meam. neque diſſolutum à te quidquam homines exſpectant, neque crudele. Hujus rei moderatio facilis eſt, ut in *duces* vehemens ſis, in *milites* liberalis. Ciceronem meum, mi Brute, velim quàm plurimùm tecum habeas. Virtutis diſciplinam meliorem reperiet nullam, quàm contemplationem, atque imitationem tui. XIII. Kalend. Maji.

CICERO OCTAVIO, S.

Hac epiſtola non eſt Ciceronis: ſed declamatoris alicujus.

SI per tuas legiones mihi licitum fuiſſet, quæ nomini meo, populoque R. ſunt inimiciſſimæ, venire in ſenatum, coramque de rep. diſputare, feciſſem: neque tam libenter, quàm neceſſario. NULLA enim REMEDIA, quæ vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quàm quæ ſunt ſalutaria. Sed quoniam cohortibus armatis circumſæptus ſenatus, nihil aliud verè poteſt decernere, niſi timere. In Capitolio ſigna ſunt, in urbe milites vagantur, in Campo caſtra ponuntur, & Italia tota, legionibus ad libertatem noſtram conſcriptis, ad ſervitutem adductis, equitatuque exterarum nationum, deſtinetur. cedam tibi in præſentia foro, curia, & ſanctiſſimis deorum immortalium templis: in quibus, reviviſcente jam libertate, deinde rurſus oppreſſa, ſenatus nihil conſulitur, timet multa, *aſſentitur omnia*. pòſt etiam paullo, temporibus ita poſtulantibus, cedam urbe: quam per me conſervatam, ut eſſet libera, in ſervitute videre non potero. cedam vita, quæ quamquam ſollicita eſt, tamen, ſi profutura eſt reip. bona ſpe poſteritatis me conſolatur: qua ſublata, non dubitanter occidam, atque ita cedam, ut fortuna judicio meo, non animus mihi defuiſſe videatur. Illud verò, quod & præſentis doloris eſt indicium, & præteritæ injuriæ teſtimonium, & abſentium ſenſus ſignificatio, non prætermittam, quin, quoniam coràm id facere prohibeor, abſens proſim: ſiquidem mea ſalus aut utilis reip. eſt, aut conjuncta certè publicæ ſaluti. Nam, per deûm immortalium fidem (niſi fortè fruſtra eos appello, quorum aures, atque animus à nobis

nobis abhorrent) perque fortunam pop. R. (quæ quamquam nobis infeſta eſt, fuit aliquando propitia, &, ut ſpero, futura eſt) quis tam expers humanitatis, quis hujus urbis nomini, ac ſedibus uſque adeò eſt inimicus, ut iſta aut diſſimulare poſſit, aut non dolere? aut, ſi nulla ratione publicis incommodis mederi queat, non *morte* proprium periculum vitet? Nam, ut ordiar ab initio, & perducam ad extremum, & noviſſima conferam primis, quæ non poſterior dies acerbior priore? & quæ non inſequens hora antecedente calamitoſior pop. R. illuxit? M. Antonius, vir animi maximi (utinam etiam ſapientis conſilii fuiſſet) C. Cæſare, fortiſſimè, ſed parum feliciter, à reip. dominatione ſummoto, concupiverat magis regium, quàm libera civitas pati poterat, principatum. publicam dilapidabat pecuniam, ærarium exhauriebat, minuebat vectigalia, donabat civitates. ex commentario; dictaturam gerebat; leges imponebat; prohibebat dictatorem creari plebiſcito, ipſe regnabat in conſulatu: provincias unus omneis concupiebat. cui ſordebat Macedonia provincia, quam victor ſibi ſumſerat Cæſar, quid de hoc ſperare, aut exſpectare nos oportebat? Exſtitiſti tu vindex noſtræ libertatis, ut *tunc quidem*, optimus (quòd utinam neque noſtra nos opinio, neque tua fides fefelliſſet) & veteranis in unum conductis, & duabus legionibus à pernicie patriæ ad ſalutem avocatis, ſubitò propè jam affectam, ac proſtratam remp. tuis opibus extuliſti. Quæ tibi non antè, quàm poſtulares; majora, quàm velles; plura, quàm ſperares, detulit ſenatus? Dedit faſceis, ut cum auctoritate defenſorem haberet, non ut imperio ſe adverſum amaret. Appellavit imperatorem, hoſtium exercitu pulſo, tribuens honorem, non ut ſua cæde cæſus ille fugiens exercitus te nominaret imperatorem. Decrevit in foro ſtatuam, locum in ſenatu, ſummum honorem ante tempus. Si quid aliud eſt, quod dari poſſit, addat. Quid aliud eſt majus, quod velis ſumere? Sin autem ſupra ætatem, ſupra conſuetudinem, ſupra etiam mortalitatem tuam tibi ſunt omnia tributa: cur aut ingratus crudeliter, aut immemor beneficii ſceleratè circumſcribis ſenatum? Quò te miſimus? à quibus reverteris? contra quos armavimus? quibus arma cogitas inferre? à quibus exercitum abducis? adverſus quos aciem ſtruis? Cur hoſtis relinquitur? civis hoſtis loco ponitur? cur caſtra medio itinere longiùs adverſariorum caſtris, & propiùs urbem moventur? O me numquam ſapientem, & aliquando id, quod non eram, fruſtra exiſtimatum! quantum te, popule Romane, de me fefellit opinio! O meam calamitoſam, ac præcipitem ſenectutem! O turpem exacta, dementique ætate, caniciem! Ego P. C. ad parricidium induxi: ego remp. fefelli, ego ipſe ſenatum ſibi manus afferre coëgi, cum te, *Junonium puerum*, & matris tuæ partum aureum eſſe dixi. At te fata patriæ Paridem futurum prædicabant, qui vaſtares urbem incendio, Italiam bello, qui caſtra in templis deorum immortalium, Senatum in caſtris habiturus eſſes. O miſeram, & in brevi tam celerem, & tam variam reipub. commutationem! Quiſnam tali futurus ingenio eſt, qui poſſit hæc ita mandare litteris, ut facta, non ficta videantur eſſe? Quis erit tanta animi facilitate, qui, quæ veriſſimè memoria propagata fuerint, non fabulæ ſimilia ſit exiſtimaturus? Cogita enim Antonium hoſtem judicatum, ab eo circumſeſſum conſulem deſignatum, eundemque reip. parentem: te profectum ad conſ. liberandum, & hoſtem opprimendum, hoſtemque à te fugatum, & conſ. obſidione liberatum: deinde paullo poſt fugatum illum hoſtem arceſſitum, tamquam coheredem mortua rep. ad bona P. R. rapienda: conſulem deſ. rurſus incluſum eo, ubi ſe non mœnibus, ſed *fluminibus* & montibus tueretur. Hæc quis conabitur exponere? quis credere audebit? liceat ſemel impunè peccaſſe: ſit ERRANTI medicina confeſſio. Verum enim dicam: utinam te potiùs, Antoni, dominum non expuliſſemus, quàm hunc reciperemus: non quòd ulla ſit optanda ſervitus, ſed quia *dignitate* domini minùs turpis eſt fortuna ſervi. in duobus autem malis cùm fugiendum majus ſit, levius eſt eligendum. Ille tamen ea exorabat, quæ volebat auferre: tu extorques. Ille conſul provinciam petebat: tu privatus concupiviſti. Ille ad malorum ſalutem judicia conſtituebat, & leges ferebat: tu ad perniciem optimorum. Ille à ſanguine & incendio ſervorum Capitolium tuebatur: tu cruore & flamma cuncta delere vis. Si, qui dabat, provincias Caſſio, & Brutis, & illis cuſtodibus nominis noſtri, regnabat, quid faciet, qui vitam adimit? ſi qui urbe ejiciebat, tyrannus erat: quem hunc vocemus, qui ne locum quidem reliquit exilio? Itaque ſi quid ille majorum noſtrorum ſepultæ reliquiæ ſapiunt, ſi non una cum corpore ſenſus omnis, uno atque eodem conſumtus eſt igni; quid illis interrogantibus, quid agat nunc populus Romanus, reſpondebit aliquis noſtrûm, qui proximus in illam æternam domum deceſſerit? aut quem accipient de ſuis poſteris nuntium illi veteres Africani, Maximi, Pauli, Scipiones? quid de ſua patria audient, quam ſpoliis, triumphiſque decorarunt? an eſſe quendam annos XVII. natum, cujus avus fuerit argentarius, adſtipulator pater; uterque verò precarium quæſtum fecerit, ſed alter uſque ad ſenectutem, ut non negaret: alter à pueritia, ut non poſſet non confiteri: eum agere, rapere rempub. cui nulla virtus, nullæ bello ſubactæ, & ad imperium adjunctæ provinciæ, nulla dignitas majorum conciliaſſet eam potentiam, ſed *forma* per dedecus, pecuniam & nomen nobile conſceleratum impudicitia dediſſet: veteres vulneribus & ætate confectos Julianos gladiatores, egenteis reliquias Cæſaris ludi, ad rudem compuliſſet? quibus ille ſæptus omnia miſceret, nulli parceret, ſibi viveret. Qui tamquam in dotali matrimonio remp. teſtamento legatam ſibi obtineret. Audient duo Decii ſervire eos civeis, qui ut hoſtibus imperarent, victoriæ ſe devoverunt. Audiet C. Marius impudico domino parêre nos, qui ne militem quidem habere voluit niſi pudicum. Audiet Brutus eum populum, quem ipſe primò, pòſt progenies ejus à regibus liberavit, pro turpi ſtupro datum in ſervitutem. Quæ quidem ſi nullo alio, me tamen internuntio ad illos celeriter deferentur. nam ſi vivus iſta ſubterfugere non potero, unà cum iſtis vitam ſimul fugere decrevi.

TITI POMPONII ATTICI VITA, AUCTORE CORNELIO NEPOTE.

[1] POMPONIUS Atticus, ab origine ultima, [2] ſtirpis Romanæ genere natus, perpetuò à majoribus acceptam Equeſtrem obtinuit dignitatem. patre uſus eſt diligente, indulgente, &, ut tum erant tempora, diti, in primiſque ſtudioſo litterarum. hic prout ipſe amabat litteras, omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas [3] impertiri debet, filium erudivit: erat autem in puero, præter docilitatem ingenii, ſumma ſuavitas oris, & vocis; ut non ſolùm celeriter acciperet, quæ tradebantur, ſed etiam excellenter pronuntiaret: [4] qua ex re pueritiâ nobilis inter æquales ferebatur, clariuſque exſplendeſcebat, quàm generoſi condiſcipuli [5] animo æquo ferre poſſent. itaque incitabat omneis ſuo ſtudio. quo in numero fuerunt L. Torquatus, [6] C. Marius filius, M. Cicero: quos conſuetudine ſua [7] ſic ſibi devinxit, ut nemo iis perpetuo fuerit carior. pater maturè deceſſit. ipſe adoleſcentulus propter affinitatem P. Sulpicii, qui Tribunus pleb. interfectus eſt, non expers fuit illius periculi. namque Anicia, Pomponii conſobrina [8] nupſerat M. Servio fratri Sulpicii. itaque [9] interfecto Sulpicio, poſteaquàm vidit Cinnano tumultu civitatem eſſe perturbatam; neque ſibi dari facultatem pro dignitate vivendi, quin alterutram partem offenderet, diſſociatis animis civium, cùm alii Sullanis, alii Cinnanis faverent partibus, idoneum tempus ratus ſtudiis obſequendi ſuis, Athenas ſe contulit: neque eò ſeciùs adoleſcentem Marium, hoſtem judicatum, juvit opibus ſuis: cujus fugam pecunia ſublevavit. ac, ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum trajecit ſuarum. hic ita vixit, ut univerſis Athenienſibus merito eſſet cariſſimus. nam præter gratiam, quæ jam in adoleſcentulo magna erat, ſæpe ſuis opibus inopiam eorum publicam levavit. cùm enim [10] verſuram facere publicè neceſſe eſſet, neque ejus conditionem æquam haberent, ſemper ſe interpoſuit, atque ita ut neque uſuram umquam ab iis acceperit, neque longiùs, quam dictum eſſet, [11] debere paſſus ſit. quod utrumque erat iis ſalutare. nam neque indulgendo inveteraſcere eorum æs alienum patiebatur, neque multiplicandis uſuris creſcere. auxit hoc officium alia quoque liberalitate. nam univerſos frumento donavit; ita [12] ut ſingulis VI. modii tritici darentur; qui modus menſuræ medimnus Athenis appellatur. hic autem ſic ſe gerebat, ut [13] communis infimis, par principibus, videretur. quo factum eſt, ut huic omnes honores, quos poſſent, publicè haberent, civemque facere ſtuderent. quo beneficio ille uti noluit. quod nonnulli ita interpretantur, amitti civitatem Romanam alia adſcita. Quamdiu affuit, ne qua ſibi ſtatua poneretur, reſtitit; abſens prohibere non potuit. itaque aliquot ipſi, [14] & Piliæ locis ſanctiſſimis poſuerunt. hunc enim in omni procuratione Reip. actorem, auctoremque habebant. Igitur primum illud munus fortunæ, quòd in ea potiſſimum urbe natus eſt, in qua domicilium orbis terrarum eſſet imperii, ut eandem & patriam haberet, & domum. hoc ſpecimen prudentiæ, quòd, cum in eam ſe civitatem contuliſſet, quæ antiquitate, humanitate, doctrinaque præſtaret [15] omnes, ei unus ante alios fuerit cariſſimus. Huc ex Aſia Sulla decedens cùm veniſſet; quamdiu ibi fuit, ſecum habuit Pomponium, captus adoleſcentis & humanitate & doctrina. ſic enim Græcè loquebatur, ut Athenis natus videretur. [16] tanta autem erat ſuavitas ſermonis Latini, ut appareret in eo nativum quendam lepôrem eſſe, non adſcitum. idem poëmata pronuntiabat & Græcè, & Latinè ſic, ut ſupra [17] nihil poſſet addi. quibus rebus factum eſt, ut Sulla [18] numquam à ſe dimitteret, cuperetque ſecum deducere. qui cùm perſuadere tentaret; Noli, oro te, inquit Pomponius, adverſum eos me velle deducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui. at Sulla, adoleſcentis officio collaudato, omnia munera ei, quæ Athenis acceperat, proficiſcens juſſit deferri. Hic complures annos moratus, cùm & rei familiari tantum operæ daret, quantum non indiligens deberet paterfamilias, & omnia reliqua tempora aut litteris, aut Athenienſium Reip. tribueret, nihilo minus amicis urbana officia præſtitit. nam & ad comitia eorum ventitavit; & ſi qua res major acta eſt, non defuit: ſicut Ciceroni [19] in omnibus ejus periculis ſingularem fidem præbuit; cui ex patria fugienti H-S CC & quinquaginta millia donavit. Tranquillatis autem rebus Romanis, remigravit Romam, ut opinor, L. Cotta, & L. Torquato Coſs. [20] quem diem ſic univerſa civitas Athenienſium proſecuta eſt, ut lacrimis deſiderii futuri dolorem

1. *POmponius Atticus.*] In antiquiſſimo libro Giſanii legitur prænomen T. *Pomponius Atticus.*

2. *Stirpis Romanæ genere natus.*] Ita ſubſtituit Boſius pro vulgato, *ſtirpis Romanæ generatus*, quam vocem, *generatus*, gloſſema ſuſpicatur Manutius.

3. *Impertiri.*] Vulg. *impartiri.*

4. *Qua ex re pueritia nobilis.*] Fulvius legebat ex mſ. *qua ex re nobilis* quid ſi legatur; *qua ex re puer etiam nobilis*. Liber Giſanii, *in pueritia*, probante Manutio.

5. *Animo æque ferre.*] Vulg. *animo æquo ferre.*

6. *C. Marius filius.*] Sic Giſanii liber & ita placuit Urſino.

7. *Sic ſibi devinxit.*] Abeſt vocabulum, *ſibi*, a Giſanii libro.

8. *Nupſerat M. Servio fratri Sulpicii.*] Mſſ. omnes & editiones antiquæ habent, *Nupſerat M. Servio*, & ita legendum ex denario aſſerit Urſinus: vulg. *nupſerat Servio fratri.*

9. *Interfecto Sulpicio.*] Vulg. *interfecto P. Sulpicio.*

10. *Verſuram facere.*] Vulgati mendosè habent, *uſuram facere.*

11. *Debere paſſus ſit.*] Vulg. *eos debere paſſus ſit.*

12. *Ut ſingulis ſex modii.*] Hunc locum ita reſtituerunt Manutius & Urſinus, cum antea *VII.* ut eſt in libro Giſanii, pro, *VI.* &, *modius*, pro, *modiis*, legeretur.

13. *Communis infimis.*] *Comis*, mavult Anton. Auguſtinus. Gruterus adhæret alteri.

14. *Et Piliæ.*] Antiquus liber habet, *Phidiæ*, & ita legit Manutius: Urſino placeret, *filiæ*. Lipſius ait Suſio viſum *& Fidei*, carpitque qui aliter legunt, tanquam peccantes in ſanctiſſimos Attici mores, a cujus moderatiſſimo ingenio hæc abfuerit ambitio. videatur libro I. Electorum cap. 14.

15. *Omnes, ei unus.*] Giſanii liber, *unus ei fuerit cariſſimus*: vulgò, *omnes: & unus.*

16. *Tanta autem erat ſuavitas ſermonis.*] Giſanii liber, *ſuavitas erat.*

17. *Nihil poſſet addi.*] Ita Giſanii liber; *addi*, deeſt in vulg.

18. *Numquam à ſe dimitteret.*] Manutius addi malit, *cum*, quàm ſubaudiri. Giſanii liber, *nuſquam.*

19. *In omnibus ejus.*] Sic habet Giſanii mſ. in vulg. deeſt.

20. *Quem diem ſic univerſa.*] *Quem diſcedentem*, poſtulare ſententiam Manutio videtur. Anton. Auguſt. delet, *diem*. placeret magis Urſino ſi legeretur, *abeuntem ſic.*

I. Opti-

rem indicaret. Habebat avunculum Q. Cæcilium, equitem Romanum, familiarem L. Luculli, divitem, difficillima natura: cujus ſic aſperitatem veritus eſt, ut, quem nemo ferre poſſet, hujus ſine offenſione ad ſummam ſenectutem retinuerit benivolentiam. quo facto, tulit pietatis fructum. Cæcilius enim moriens teſtamento adoptavit eum, heredemque fecit ex dodrante. ex qua hereditate accepit circiter centies H-S. Erat nupta ſoror Attici Q. Tullio Ciceroni: eaſque nuptias M. Cicero conciliarat, cùm quo à condiſcipulatu vivebat conjunctiſſime, multo etiam familiarius, quàm cum Quinto: ut judicari poſſit plus in amicitia valere ſimilitudinem morum, quàm affinitatem. utebatur autem intimè Q. Hortenſio, qui iis temporibus principatum eloquentiæ tenebat, ut intelligi non poſſet, uter eum plus diligeret, Cicero, an Hortenſius: & id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut inter quos tantæ laudis eſſet æmulatio; nulla intercederet obtrectatio, eſſetque talium virorum copula. In Rep. ita eſt verſatus, ut ſemper [1] optimarum partium & eſſet & exiſtimaretur; neque tamen ſe civilibus fluctibus committeret; quòd non magis eos in ſua poteſtate exiſtimabat eſſe, qui ſe iis dediſſent, quàm qui maritimis jactarentur. honores non petiit, cùm ei paterent propter vel gratiam, vel dignitatem, quod neque peti more majorum, neque capi poſſent, conſervatis legibus, in tam [2] effuſis ambitus largitionibus, [3] neque geri ſine periculo, corruptis civitatis moribus. ad haſtam publicam numquam acceſſit. nullius rei neque præs, neque manceps factus eſt. [4] neminem ſuo nomine, neque ſubſcribens accuſavit. in jus de ſua re numquam iit. judicium nullum habuit. multorum Conſulum, Prætorumque præfecturas delatas ſic accepit, ut neminem in provinciam ſit ſecutus, honore fuerit contentus, rei familiaris deſpexerit fructum, qui ne cum Q. quidem Cicerone voluit ire in Aſiam, cum apud eum legati locum obtinere poſſet. non enim decere ſe arbitrabatur, cùm Præturam gerere noluiſſet, aſſeclam eſſe Prætoris. qua in re non ſolum dignitati ſerviebat, ſed etiam tranquillitati, cùm ſuſpiciones quoque vitaret criminum. quo fiebat, ut ejus obſervantia omnibus eſſet carior, cùm eam officio, non timori, neque ſpei tribui viderent. Incidit Cæſarianum civile bellum, cum haberet annos circiter ſexaginta. uſus eſt ætatis vacatione, [5] neque quoquam ſe movit ex urbe. quæ amicis ſuis opus fuerant ad Pompejum proficiſcentibus, omnia ex ſua re familiari dedit, [6] ipſum Pompejum non junctus non offendit. nullum ab eo habebat ornamentum, ut ceteri, qui per eum aut honores, aut divitias ceperant: quorum partim invitiſſimi caſtra ſunt ſecuti, partim ſumma cum ejus offenſione domi remanſerunt. Attici autem quies tantopere Cæſari fuit grata, ut victor, cùm privatis pecunias per epiſtolas imperaret, huic non ſolum moleſtus non fuerit, ſed etiam ſororis 7 filium Q. Ciceronem ex Pompeii caſtris conceſſerit. ſic vetere inſtituto vitæ effugit nova pericula. Secutum eſt illud occiſo Cæſare, cùm reſpub. penes Brutos videretur eſſe, & Caſſium, ac tota civitas [8] ſe ad eum convertiſſe videretur. ſic M. Bruto uſus eſt, ut nullo ille adoleſcens æquali familiarius, quàm hoc ſene: neque ſolùm eum principem conſilii haberet, ſed etiam in convictu. Excogitatum eſt à quibuſdam, ut privatum ærarium Cæſaris interfectoribus ab Equitibus Romanis conſtitueretur. id facile effici poſſe arbitrati ſunt, ſi & principes [9] illius ordinis pecunias contuliſſent. itaque appellatus eſt à C. Flavo, Bruti familiari, Atticus, ut ejus rei princeps eſſe vellet. at ille, qui officia amicis præſtanda ſine factione exiſtimaret, ſemperque à talibus ſe conſiliis removiſſet; reſpondit, ſi quid Brutus de ſuis facultatibus uti voluiſſet, uſurum, quantum eæ paterentur; ſed neque cum quoquam de ea re collocuturum, neque coiturum. ſic ille conſenſionis globus hujus unius diſſenſione disjectus eſt. Neque multo poſt ſuperior eſſe cœpit Antonius, [10] ita, ut Brutus & Caſſius provinciarum, quæ iis dicis cauſa datæ erant à Conſulibus, deſperatis rebus, in exilium proficiſcerentur. Atticus, qui pecuniam ſimul cum ceteris conferre noluerat florenti illi parti, abjecto Bruto, Italiaque cedenti H-S centum millia muneri miſit: eidem in Epiro abſens ccc juſſit dari: neque eo magis potenti adulatus eſt Antonio, neque deſperatos reliquit. Secutum eſt bellum geſtum apud Mutinam, in quo ſi tantum eum prudentem dicam; minus, quàm debeam, prædicem? cùm ille potius divinus fuerit; ſi divinatio appellanda eſt perpetua naturalis bonitas, quæ nullis caſibus [11] augetur, neque minuitur. Hoſtis Antonius judicatus, Italia ceſſerat. ſpes reſtituendi nulla erat. [12] non ſolùm inimici, qui tamen erant potentiſſimi, & plurimi, [13] ſed etiam qui adverſariis ejus ſe dabant, & in eo lædendo aliquam conſecuturos ſperabant [14] commoditatem, familiares inſequebantur, uxorem Fulviam omnibus rebus ſpoliare cupiebant, liberos etiam exſtinguere parabant. Atticus, cùm Ciceronis intima familiaritate uteretur, amiciſſimus eſſet Bruto, non modò nihil iis indulſit ad Antonium violandum, ſed è contrario familiares ejus, ex urbe profugientes, quantum potuit, texit, quibus rebus indiguerunt, adjuvit: P. verò Volumnio ea tribuit, ut plura à parente proficiſci non potuerint. ipſi autem Fulviæ, cùm litibus diſtineretur, magniſque terroribus vexaretur: tanta diligentia officium ſuum præſtitit, ut nullum illa [15] præſtiterit vadimonium ſine Attico, ſponſor omnium rerum fuerit. quin etiam, cùm illa fundum ſecunda fortuna emiſſet in diem: neque poſt calamitatem verſuram facere potuiſſet, ille ſe interpoſuit: pecuniamque ſine fœnore, ſineque ulla ſtipulatione credidit. maximum exiſtimans quæſtum, memorem gratumque cognoſci, [16] ſimulque aperire, ſe non fortunæ, ſed hominibus ſolere eſſe amicum: quæ cùm faciebat, nemo eum temporis cauſa facere poterat exiſtimare. nemini enim in opinionem veniebat, Antonium rerum potiturum, [17] ſed ſenſus ejus à nonnullis optimatibus reprehendebatur, quòd parum odiſſe malos cives videretur. ille autem ſui judicii, potius, quid ſe facere par eſſet, intuebatur, quàm quid alii laudaturi forent, [18] converſa fortuna eſt. ut Antonius rediit in Italiam, nemo non magno in periculo Atticum putarat, propter intimam familiaritatem Ciceronis & Bruti. itaque ad adventum imperatorum de foro deceſſerat, timens proſcriptionem: latebatque apud P. Volumnium,

1. *Optimarum partium.*] *Optimatum* legit Urſinus.
2. *Effuſis ambitus.*] Gifanii liber, *effuſi.*
3. *Neque geri ſine.*] *Regi*, legebat Fulvius: Gifanii liber, *neque rep.* vulg. *neque reip.*
4. *Neminem ſuo nomine.*] Gifanii liber, *neminem neque ſuo nomine.*
5. *Neque quoquam ſe movit.*] Gifanii liber, *neque ſe quoquam movit.*
6. *Ipſum Pompejum non junctus non offendit.*] Vulg. *conjunctum non offendit*; ſed Urſinus videre jubet num melius ſit, *conniventem* pro, *conjunctum.*
7. *Filium Q. Ciceronem.*] Liber Gifanii, *filium, & Q. Ciceronem.* Urſino legendum videtur, *filium ei Q. Ciceronem.*
8. *Se ad eum.*] Gifanii liber, *ad eos.*
9. *Illius ordinis.*] Gifanii liber, *ejus ordinis.*
10. *Ita, ut B. & C. provinciarum, quæ iis dicis cauſa.*] Sic omnino magis placet Manutio, non verò, *necis cauſa*, ut in vulgatis. Antonius Auguſt. legit, *ita ut B. & Caſſ. in provincias quæ iis dicis cauſa.*
11. *Augetur.*] Gifanii liber, *agitur*, ut & in vulg.
12. *Non ſolùm inimici, qui tamen.*] Vulg. *non ſolum ejus inimici, qui tum.*
13. *Sed etiam qui adverſariis.*] Vulg. *ſed etiam amici adverſariis.*
14. *Commoditatem, familiares inſequebantur.*] Gifanii liber, *inſequebantur*, quod probat Urſinus. Ceterùm idem mſ. pro, *commoditatem*, refert, *commendationem*: vulg. *commoditatem, Antonii familiares.*
15. *Præſtiterit vadimonium.*] Multo melius ſi per veteres libros liceat, *ſtiterit vadimonium*, Manutio videtur.
16. *Simulque aperire.*] Legendum, *apparere*, dicit Urſinus, & ita notatum in libro Camilli Sighicelli.
17. *Sed ſenſus ejus à nonnullis.*] Vulgò, *ſed ſenſim is à nonnullis.*
18. *Converſa fortuna eſt.*] Gifanii liber, *converſa ſubito.*

lumnium, cui, ut oſtendimus paullò ante, opem tulerat. tanta varietas his temporibus fuit fortunæ, ut modò hi, modò illi in ſummo eſſent aut faſtigio, aut periculo. habebat ſecum [1] Gellium Canium, æqualem, ſimillimumque ſui. hoc quoque ſit Attici bonitatis exemplum, quòd cum eo, quem puerum in ludo cognorat, adeo conjunctè vixit, ut ad extremam ætatem amicitia eorum creverit. Antonius autem, etſi tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut non ſolùm ei, ſed etiam omnibus [2] ſuis amicis eſſet inimicus, eoſque vellet proſcribere; multis hortantibus tamen, Attici memor fuit officii: & ei, cùm requiſiſſet, ubinam eſſet, ſua manu ſcripſit, ne timeret, ſtatimque ad ſe veniret: [3] ſe eum, & Gellium Canium de proſcriptorum numero exemiſſe, ac, ne quod periculum incideret, quod noctu fiebat, præſidium ei miſit. ſic Atticus in ſummo timore non ſolùm ſibi, ſed etiam ei, quem cariſſimum habebat, [4] præſidio fuit. neque enim ſuæ ſolùm à quoquam auxilium petiit ſalutis, [5] ſed conjunctim, ut appareret nullam ſejunctam ſibi ab eo velle fortunam. quòd ſi gubernator præcipua laude fertur, qui navem ex hieme, marique ſcopuloſo ſervat; cur non ſingularis ejus exiſtimetur prudentia, qui ex tot, tamque gravibus procellis civilibus ad incolumitatem pervenit? quibus ex malis ut [6] ſe emerſerat, nihil aliud egit, quàm ut plurimis, quibus rebus poſſet, eſſet auxilio. cùm proſcriptos præmiis imperatorum vulgus conquireret, nemo in Epirum venit, cui res ulla defuerit. nemini non ibi perpetuò manendi poteſtas facta eſt: [7] qui etiam, poſt prœlium Philippenſe, interitumque C. Caſſii, & M. Bruti, L. Julium Mocillam Prætorium, & filium ejus, Aulumque Torquatum, ceteroſque pari fortuna perculſos [8] inſtiterit tueri, atque ex Epiro iis omnia Samothraciam ſupportari juſſerit. [9] difficile enim eſt omnia perſequi, & non neceſſaria. illud unum intelligi volumus, illius liberalitatem neque temporariam, neque callidam fuiſſe. id ex ipſis rebus, ac temporibus [10] judicari poteſt, quòd non florentibus ſe venditavit, ſed afflictis ſemper ſuccurrit: qui quidem Serviliam Bruti matrem non minus poſt mortem ejus, quàm florentem, coluerit. ſic liberalitate utens, nullas inimicitias geſſit, quòd neque lædebat quemquam, neque, ſi quam injuriam acceperat, non malebat oblivìſci, quam ulciſci. Idem immortali memoria percepta retinebat beneficia. quæ autem ipſe tribuerat, tamdiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat. itaque hic fecit, ut vere dictum videatur: [11] SUI CUIQUE MORES FINGUNT FORTUNAM. neque tamen [12] prius ille fortunam, quàm ſe ipſe, finxit, qui cavit, [13] ne qua in re plecteretur. His igitur rebus effecit, ut M. Vipſanius Agrippa, intima familiaritate conjunctus adoleſcenti Cæſari, cùm propter ſuam gratiam, & Cæſaris potentiam nullius conditionis non haberet poteſtatem, potiſſimum ejus deligeret affinitatem, præoptaretque equitis R. filiam [14] generoſarum nuptiis; atque harum nuptiarum conciliator fuit ([15] non enim eſt celandum) M. Antonius, Triumvir Reip. [16] C. cujus gratia cùm augere poſſeſſiones poſſet ſuas, tantum affuit à cupiditate pecuniæ, ut nulla in re uſus ſit ea, niſi in deprecandis amicorum aut periculis, aut incommodis: quod quidem ſub ipſa proſcriptione perilluſtre fuit. nam cum L. Saufeii, equitis R. æqualis ſui, [17] qui cum eo complures annos, ſtudio ductus philoſophiæ, habitabat, habebatque in Italia pretioſas poſſeſſiones, Triumviri bona vendidiſſent, conſuetudine ea, qua tum res gerebantur; Attici labore, atque induſtria factum eſt, ut eodem nuntio Saufejus fieret certior, ſe patrimonium amiſiſſe, & recuperaſſe. idem [18] L. Julium Calidum, quem poſt Lucretii, Catullique mortem multo elegantiſſimum poëtam, noſtram tuliſſe ætatem, verè videor poſſe contendere, neque minùs virum bonum, optimiſque artibus eruditum, [19] poſt proſcriptionem Equitum, propter magnas ejus Africanas poſſeſſiones, in proſcriptorum numerum à P. Volumnio, præfecto fabrum Antonii, abſentem relatum, expedivit. quod in præſenti utrum ei laborioſius, an glorioſius fuerit difficile fuit judicare; quod in eorum periculis non ſecus abſentes, quàm præſentes amicos Attico eſſe curæ, cognitum eſt. [20] Neque verò minùs ille vir, bonus paterfamilias habitus eſt, quam civis. nam cum eſſet pecunioſus, nemo illo minus fuit emax, minus ædificator. neque tamen non in primis bene habitavit, omnibuſque optimis rebus uſus eſt. nam domum habuit in colle Quirinali [21] Cæcilianam, ab avunculo hereditate relictam, cujus amœnitas non ædificio, ſed ſilva conſtabat. ipſum enim tectum, antiquitus conſtitutum, plus ſalis, quàm ſumtus, habebat: in quo nihil commutavit, niſi ſi quid vetuſtate coactus eſt. Uſus eſt familia, ſi utilitate judicandum eſt, optima; ſi forma, vix mediocri. namque in ea erant pueri litteratiſſimi, anagnoſtæ optimi, & plurimi librarii; ut ne pediſequus quidem quiſquam eſſet, qui non utrumque horum pulchrè facere poſſet. pari modo artifices ceteri, quos cultus domeſticus deſiderat, apprimè boni. neque tamen horum quemquam, niſi domi natum, domique factum, habuit: quod eſt ſignum non ſolùm continentiæ, ſed etiam diligentiæ. nam & non intemperanter concupiſcere, quòd à pluribus videas, continentis debet duci; & potiùs diligentia, quàm pretio, parare, non mediocris eſt induſtriæ. Elegans, non magnificus; ſplendidus, non ſumtuoſus, [22] omni diligentia munditiam non affluentem affectabat. ſupellex non modica, non multa; ut in neutram partem conſpici poſſet. Nec præteribo (quamquam non nullis leve viſum iri putem) cùm in primis lautus eſſet eques R. & non parum liberaliter in domum ſuam omnium ordinum homines invitaret; ſcimus, non amplius, quam terna milla æris peræque in ſingulos menſes ex ephemeride eum expenſum ſumtui ferre ſolitum: atque hoc non auditum, ſed cognitum prædicamus. ſæpe enim, propter familiaritatem, domeſticis rebus interfuimus. nemo in convivio ejus aliud ἀκρόαμα audivit, quàm anagnoſten: quod nos quidem jucundiſſimum arbitramur: neque umquam ſine aliqua lectione apud eum cenatum eſt; ut non minus animo, quàm ventre, convivæ delectarentur. namque eos vocabat, quorum mores à ſuis non abhorrerent. Cùm tanta pecuniæ facta eſſet acceſſio, nihil de quotidiano cultu mutavit, nihil de vitæ conſuetudine: tantaque uſus eſt moderatione, ut neque in H-S vicies, quod à patre acceperat, parum ſe ſplendidè geſſerit, neque in H-S centies affluentius vixe-

1. *Gellium Canium.*] Liber Gifanii, *Gellium Canum*: vulg. *Q. Gellium.*

2. *Suis amicis.*] Gifanii liber, *ejus amicis.*

3. *Se eum, & Gellium Canium.*] Gifanii liber, *ſe eum, & illius Canum.*

4. *Præſidio fuit.*] Gifanii liber, *præſidium fuit*; quod verſus dirimit, ſcriptum eſt, *vel præſidio.*

5. *Sed conjunctim.*] Gifanii liber, *conjuncti.*

6. *Se emerſerat.*] Liber Gifanii, *emerſerit.*

7. *Qui etiam, poſt.*] Vulg. *quin etiam poſt.*

8. *Inſtiterit tueri.*] Gifanii liber, *inſtituerit* ut in vulgatis.

9. *Difficile enim.*] Abeſt, *enim*, à vetere Gifanii libro.

10. *Judicari poteſt.*] Vulg. *indicari.*

11. *Sui cuique mores fingunt fortunam.*] Gifanii liber, *Sui cuique mores fingunt fortunam hominibus.*

12. *Prius ille fortunam.*] Gifanii liber, *ille prius fortuna.*

13. *Ne qua in re plecteretur.*] Vulg. *ne qua in re jure plecteretur.*

14. *Generoſarum nuptiis.*] Vulg. *generoſam nuptiis.*

15. *Non enim eſt.*] Gifanii liber, *non eſt enim.*

16. *C. cujus gratia.*] Nota illa, *C.* abeſt à vulgatis.

17. *Qui cum eo complures annos ſt. d. Ph. habitarat.*] Ita hunc locum corrigendum cenſuit Urſinus, quum legeretur, *qui cum plures annos ſtudio ductus Philoſophiæ habitabat.*

18. *L. Julium Calidum.*] Gifanii liber ut & vulgati, *Calidium.*

19. *Poſt proſcript.*] Gifanii liber, *quem poſt proſcr.*

20. *Neque verò minus.*] *Minus*, abeſt à Gifanii libro.

21. *Cecilianam.*] Gifanii liber *Tamphilianam*; vulgò *Pamphilianam.*

22. *Omni diligentia.*] Gifanii liber, *omnique diligentia.*

1. Nul-

vixerit quàm inſtituerat, parique faſtigio ſteterit in utraque fortuna, [1] nullos habuerit hortos, nullam ſuburbanam, aut maritimam ſumtuoſam villam; neque in Italia, præter [2] Ardeatinum, & Nomentanum, ruſticum prædium: omniſque ejus pecuniæ reditus conſtabat in Epiroticis, & urbanis poſſeſſionibus. ex quo cognoſci poteſt, [3] eum uſum pecuniæ non magnitudine, ſed ratione metiri ſolitum. Mendacium neque dicebat, neque pati poterat. itaque ejus comitas non ſine ſeveritate erat, neque gravitas ſine facilitate: ut difficile eſſet intellectu, utrum eum amici magis vererentur, an amarent. Quidquid rogabatur, religioſè promittebat; quòd non liberalis, ſed levis arbitrabatur, polliceri quod præſtare non poſſet. Idem in nitendo quod ſemel [4] admiſiſſet, tanta erat cura, ut non mandatam, ſed ſuam rem videretur agere. nuſquam ſuſcepti negotii eum pertæſum eſt. ſuam enim exiſtimationem in ea re agi putabat: qua nihil habebat carius. quo fiebat, ut [5] omnia Ciceronum, [6] Catonis, Marii, Q. Hortenſii, A. Torquati, multorum præterea Equitum Romanorum negotia procuraret: ex quo judicari poterat, non inertia, ſed judicio fugiſſe Reip. procurationem. Humanitatis verò nullum afferre majus teſtimonium poſſum, quàm quòd adoleſcens idem ſeni Sullæ fuerit jucundiſſimus, ſenex adoleſcenti M. Bruto; cum æqualibus autem ſuis Q. Hortenſio, & M. Cicerone ſic vixerit, ut judicare difficile ſit, cui ætati fuerit aptiſſimus: quamquam eum præcipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit, aut familiarior. ei rei ſunt indicio, præter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus ſunt editi, ſexdecim volumina epiſtolarum ab Conſulatu ejus uſque ad extremum tempus ad Atticum miſſarum: quæ qui legat, non multùm deſideret hiſtoriam contextam eorum temporum. ſic enim omnia de ſtudiis principum, vitiis ducum, [7] æmulationibus Reip. perſcripta ſunt, ut nihil in his non appareat; & facile exiſtimari poſſit, prudentiam quodam modo eſſe divinationem. non enim Cicero ea ſolùm, quæ vivo ſe acciderunt, futura prædixit, ſed etiam, quæ nunc uſu veniunt, cecinit, ut vates. De pietate autem Attici quid plura commemorem? cùm hoc ipſum [8] verè gloriantem audierim in funere matris ſuæ, quam extulit annorum nonaginta, cùm eſſet ſeptem, & ſexaginta, ſe numquam cum matre in gratiam rediiſſe, numquam cum ſorore fuiſſe in ſimultate, quam prope [9] ætate æqualem habebat. quod eſt ſignum, aut nullam umquam inter eos querimoniam interceſſiſſe, aut hunc ea fuiſſe in ſuos indulgentia, ut, quos amare deberet, iraſci eis, nefas duceret. neque id fecit natura ſolùm (quamquam omnes ei paremus) ſed etiam doctrina. nam & principum philoſophorum ita percepta habuerat præcepta, ut his ad vitam agendam, non ad oſtentationem, uteretur. Moris etiam majorum ſummus imitator fuit, antiquitatiſque amator: quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine expoſuerit, quo magiſtratus ornavit. nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illuſtris eſt [10] populo R. quæ non in eo ſuo tempore ſit notata: &, quod difficillimum fuit, ſic familiarum originem ſubtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines poſſimus cognoſcere. [11] fecit hoc idem ſeparatim in aliis libris, ut, M. Bruti rogatu, Juniam familiam à ſtirpe ad hanc ætatem ordine enumeraverit, notans, qui à quoque ortus, quos honores, quibuſque temporibus cepiſſet. pari modo, Marcelli Claudii, de Marcellorum; Scipionis Cornelii, & Fabii Maximi; [12] de Fabiorum, & [13] Æmiliorum: quibus libris nihil poteſt eſſe dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum virorum. Attigit quoque poëticen, credimus, ne ejus expers eſſet ſuavitatis. namque verſibus, qui honore, rerum geſtarum amplitudine ceteros Romani populi præſtiterunt, expoſuit; ita, ut ſub ſingulorum imaginibus facta, magiſtratuſque eorum non amplius quaternis, quinisve verſibus deſcripſerit: quod vix credendum ſit, tantas res tam breviter potuiſſe declarari. Eſt etiam unus liber Græcè confectus de conſulatu Ciceronis. Hactenus, Attico vivo, edita à nobis ſunt. nunc, quoniam fortuna nos ſuperſtites ei eſſe voluit, reliqua perſequemur: & [14] quantum poterimus, rerum exemplis lectores docebimus, ſicut ſupra ſignificavimus, ſuos cuique mores plerumque conciliare fortunam. namque hic contentus ordine Equeſtri, quo erat ortus, in affinitatem pervenit imperatoris, [15] divi Julii filii, cum jam ante familiaritatem ejus eſſet conſecutus, nulla alia re, quàm elegantia vitæ, qua ceteros ceperat principes civitatis, dignitate pari, [16] fortuna humiliore. tanta enim proſperitas [17] Cæſarem eſt conſecuta, ut nihil ei non tribueret fortuna, quod cuiquam ante detulerit, & conciliarit, [18] quod civis Romanus quivit conſequi. Nata autem eſt Attico neptis ex Agrippa, cui virginem filiam [19] collocavit. hanc Cæſar vix anniculam Ti. Claudio Neroni, Druſilla nato, privigno ſuo, deſpondit. quæ conjunctio neceſſitudinem eorum ſanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem. quamvis ante hæc ſponſalia non ſolum cum ab urbe abeſſet, nunquam ad ſuorum quemquam litteras miſit, quin Attico mitteret, quid ageret: in primis, quid legeret, quibuſque in locis, & quàm diu eſſet moraturus: ſed &, cum eſſet in urbe, & propter [20] ſuas infinitas occupationes minùs ſæpe, quam vellet, Attico frueretur, nullus dies temere interceſſit, quo non ad eum ſcriberet, quo aliquid de antiquitate ab eo requireret; modo aliquam quæſtionem poëticam ei proponeret; interdum jocans ejus verboſiores eliceret epiſtolas: ex quo accidit, cùm ædes Jovis Feretrii in Capitolio, ab Romulo conſtituta, vetuſtate atque incuria detecta prolaberetur, ut Attici admonitu Cæſar eam reficiendam curaret. Neque verò à M. Antonio minus abſens litteris colebatur, adeo ut accuratè ille ex ultimis terris, quid ageret, quid curæ ſibi haberet, certiorem faceret Atticum. hoc quale ſit, facilius exiſtimabit is, qui judicare poterit, quantæ ſit ſapientiæ, eorum retinere uſum, benivolentiamque, inter quos maximarum rerum non ſolùm æmulatio, ſed obtrectatio tanta intercedebat, quantum fuit intercedere neceſſe inter Cæſarem, atque Antonium; cum ſe uterque principem non ſolùm urbis Romæ, ſed orbis terrarum eſſe cuperet. Tali modo cùm ſeptem, & ſeptuaginta annos compleſſet, atque ad extremam ſenectutem non minus dignitate, quam gratia, fortunaque, creviſſet (multas enim hereditates nulla alia re, quàm bonitate, conſecutus) tantaque proſperitate uſus eſſet valitudinis, ut annis XXX medicina non indiguiſſet; nactus eſt morbum, quem initio & ipſe, & medici contemſerunt: nam putarunt eſſe τεινεσμόν: cui remedia celeria, faciliaque proponebantur. in hoc cùm tres menſes ſine ullis doloribus, præterquam quos ex curatione capiebat, conſumſiſſet, ſubitò tanta vis morbi in unum inteſtinum

1. *Nullos habuerit.*] Gifanii liber, *habuit.*
2. *Ardeatinum.*] Liber Gifanii; *Arrentinum*, unde ipſe Gifanius legendum putat, *Arretinum.*
3. *Eum uſum.*] Gifanii liber, *uſum eum.*
4. *Admiſiſſet.*] Gifanii liber, *annuiſſet.*
5. *Omnia Ciceronum.*] Vulg. *Ciceronis.*
6. *Catonis, Marii, Q. Hortenſii.*] Ant. Auguſtinus *Marci Catonis, Q. Hortenſii*, emendat: quod Urſino Manutioque probatur.
7. *Æmulationibus.*] Liber Gifanii, *mutationibus.*
8. *Verè gloriantem.*] Vulg. *verò gloriantem.*
9. *Ætate æqualem.*] Abeſt, *ætate*, à Gifanii libro.
10. *Populo Rom.*] Gifanii liber ut & vulgati, *populi Romani.*
11. *Fecit hoc quidem.*] Vulgò *fecit hoc quidem.*
12. *De Fabiorum.*] *De*, in vulgatis, deeſt.
13. *Æmiliorum.*] *Corneliorum*, malit Manutius eò quod *Æmilii* ad Scipionem nihil pertineant.
14. *Quantum poterimus.*] Vulg. *quantum potuerimus.*
15. *Divi Julii filii.*] Gifanii liber, *Divi filii.*
16. *Fortuna humiliore.*] Vulg. *humiliores.*
17. *Cæſarem eſt conſecuta.*] Gifanii liber, *Cæſarum cum eſt conſecuta.*
18. *Quod civis Romanus.*] Gifanii liber, *quod nemo adhuc civis.*
19. *Collocavit.*] Gifanii liber, *collocarat.*
20. *Suas infinitas.*] Gifanii liber, *infinitas ſuas.*

1. *Antea*

num prorupit, ut extremo tempore per lumbos fiſtula putris eruperit atque [1] antea quidem morbi diuturnitatem moleſte ferebat, priùs quàm hoc ei accideret: poſtquam verò in dies dolores accreſcere, [2] febreſque acceſſiſſe ſenſit; Agrippam generum ad ſe [3] accerſiri juſſit, & cum eo L. Cornelium Balbum, Sextumque Peduceum. hos ut veniſſe vidit, in cubitum nixus. Quantam, inquit, curam diligentiamque in valitudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, cùm vos teſtes habeam, [4] nihil opus eſt pluribus verbis commemorare: quibus quoniam ut ſpero, ſatisfeci, me nihil reliqui feciſſe, quod ad ſanandum me pertineret: reliquum eſt, ut egomet mihi conſulam. id vos ignorare nolui. nam mihi ſtat, alere morbum deſinere. namque his diebus quidquid cibi ſumſi, ita produxi vitam, ut auxerim dolores ſine ſpe ſalutis. quare à vobis peto, primùm ut conſilium probetis meum; deinde ne fruſtra dehortando conemini. Hac ratione habita, tanta conſtantia vocis atque vultus, ut non ex vita, ſed ex domo in domum videretur migrare; cùm quidem Agrippa eum flens, atque oſculans oraret atque obſecraret, [5] ne id, quod natura cogeret, ipſe quoque ſibi acceleraret; &, quoniam tum quoque poſſet temporibus ſupereſſe, ſe ſibi, ſuiſque reſervaret; preces ejus taciturna ſua obſtinatione [6] depreſſit. ſic cum biduum cibo ſe abſtinuiſſet, ſubito febris deceſſit, leviorque morbus eſſe cœpit: tamen propoſitum nihilo ſecius peregit. itaque die quinto poſtquam id conſilium inierat, pridie Kal. April. Cn. Domitio, C. Soſio coss. deceſſit. elatus eſt in lecticula, ut ipſe præſcripſerat, ſine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia. ſepultus eſt juxta viam Appiam, ad quintum lapidem; in monumento Q. Cæcilii, avunculi ſui.

1. *Antea quidem morbi diuturnitatem moleſtè ferebat.*] Hæc omnia verba deſunt in vulgatis.
2. *Febreſque.*] Vulg. *febremque.*
3. *Accerſiri.*] Liber Gifanii, *accerſ.*
4. *Nihil opus eſt.*] Liber Gifanii, *nihil neceſſe eſt.*
5. *Ne, ad id, quod.*] Vulgò, *ne id quod.*
6. *Depreſſit.*] Vulg. *compreſſit.*

MARCI

MARCI TULLII
CICERONIS
OPERUM
TOMUS QUARTUS,

QUO CONTINENTUR

PHILOSOPHICI LIBRI OMNES,

UT INDICABIT SEQUENS PAGINA.

CONTENTA

QUARTI TOMI.

Academicarum quæſtionum ad Varronem Liber I. Pag. 971
Academicarum quæſtionum Liber IV. *qui inſcribitur* LUCULLUS. 976

De finibus bonorum & malorum Libri V. *quorum* I. 997; II. 1005; III. 1020; IV. 1029; V. 1039

Tuſculanarum quæſtionum Libri V. *quorum* I. 1051; II. 1066; III. 1075; IV. 1086; V. 1097

De natura Deorum Libri III. *quorum* I. 1111; II. 1123; III. 1139

De Divinatione Libri II. *quorum* I. 1150; II. 1165

De fato Liber I. 1180

De legibus libri III. *quorum* I. 1185; II. 1193; III. 1204

De Officiis libri III. *quorum* I. 1210; II. 1231; III. 1241

Cato major, ſeu de ſenectute, liber ſingularis. 1254
Lælius, ſeu de amicitia, liber ſingularis. 1265
Paradoxa Stoicorum ſex. 1277
De petitione Conſulatus. 1283
Conſolatio M. T. Ciceronis, ut quibuſdam placet, numquam antehac operibus ejus inſerta. 1288
Fragmenta Orationum, Epiſtolarum, & librorum Philoſophicorum, quæ exſtant, à DIONYSIO LAMBINO *aucta & emendata.* 1305
Somnium Scipionis. 1317

M. TUL-

M. TULLII CICERONIS ACADEMICARUM QUÆSTIONUM LIBER PRIMUS.

CICERO VARRONI S. D.

ETsi *munus flagitare*, quamvis quis oſtenderit, ne populus quidem ſolet, niſi concitatus: tamen ego exſpectatione promiſſi tui moveor, ut *admoneam* te, non ut *flagitem*; miſi autem ad te quatuor admonitores non nimis verecundos. noſti enim profectò os adoleſcentioris Academiæ. Ex ea igitur media excitatos miſi: qui, metuo, ne te fortè flagitent. ego autem mandavi, ut rogarent. Exſpectabam omninò jamdiu, meque ſuſtinebam, ne ad te priùs ipſe quid ſcriberem, quàm aliquid accepiſſem, ut poſſem te remunerari quàm ſimillimo munere. Sed cum tu *tardiùs* faceres, id eſt, ut ego interpretor, *diligentiùs*, teneri non potui, quin conjunctionem ſtudiorum, amoriſque noſtri, quo poſſem litterarum genere declararem. Feci igitur ſermonem inter nos habitum in Cumano, cùm eſſet unà Pomponius. [1] tibi dedi parteis Antiochianas, quas à te probari intellexiſſe mihi videbar: mihi ſumſi Philonis. Puto fore, ut, cùm legeris, mirere id nos locutos eſſe inter nos, quod numquam locuti ſumus. ſed noſti *morem dialogorum*. poſthæc autem mi Varro, quàm plurima, ſi videbitur, & de nobis, & inter nos: ſerò fortaſſe: ſed ſuperiorum temporum, fortuna reip. cauſam ſuſtineat: hæc ipſi *præſtare* debemus. atque utinam quietis temporibus, atque aliquo, ſi non bono, at ſaltem certo ſtatu civitatis, hæc inter nos ſtudia exercere poſſemus, quamquam tum quidem vel aliæ quæpiam rationes, honeſtas nobis & curas, & actiones darent. nunc autem QUID EST, SINE HIS CUR VIVERE VELIMUS? mihi verò cum his ipſis vix: his autem detractis, ne vix quidem. ſed hæc coràm, & ſæpiùs. Migrationem, & emtionem feliciter evenire volo, tuumque in ea re conſilium probo. Cura ut valeas.

1. *Tibi dedi parteis Antiochianas*, Gulielmius *Antiochias* malebat.

M. TULLII CICERONIS ACADEMICARUM QUÆSTIONUM LIBER PRIMUS.

AD M. TERENTIUM VARRONEM.

1 IN Cumano nuper cùm mecum Atticus noſter eſſet, nuntiatum eſt nobis à M. Varrone, veniſſe eum Roma pridie veſperi, & niſi de via feſſus eſſet, continuò ad nos venturum fuiſſe. quod cùm audiſſemus, nullam moram interponendam putavimus, quin videremus hominem, nobiſcum & ſtudiis eiſdem, & vetuſtate amicitiæ conjunctum. itaque confeſtim ad eum ire perreximus: paullumque cùm ejus villa abeſſemus, ipſum ad nos venientem vidimus: atque illum complexi, [1] ut *mos amicorum* eſt, ſatis eum longo intervallo ad ſuam villam reduximus. Hîc pauca primò, atque ea percunctantibus nobis, & *ſi quid fortè Romæ novi*: Atticus, Omitte iſta, quæ nec percunctari, nec audire ſine moleſtia poſſumus, quæſo, inquit: & quære potiùs, ecquid ipſe novi. ſilent enim diutiùs Muſæ Varronis, quam ſolebant: nec tamen iſtum *ceſſare*, ſed CELARE quæ ſcribat, exiſtimo. Minimè verò, inquit ille. INTEMPERANTIS enim eſſe arbitror, ſcribere quod occultari, velit. ſed habeo opus magnum in manibus, [2] quòd jam pridem ad hunc eum ipſum (me autem dicebat) quædam inſtitui, quæ & ſunt magna ſanè, & limantur à me politiùs. Et ego, iſta quidem, inquam, Varro, jam diu exſpectans, non audeo tamen flagitare: audivi enim è Libone noſtro, cujus noſti ſtudium

(nihil

1. UT *mos amicorum eſt.*] Miror cur iſthæc habeat pro adulterinis Lambinus.

2. *Quod jam pridem ad hunc*, *&c.*] Pall. accedunt Lambinianis, ſervantque *quæ jam*.

1. Ita

(nihil enim ejuſmodi celare poſſumus) non te ea intermittere, ſed accuratiùs tractare, nec de manibus umquam deponere. Illud autem mihi ante hoc tempus numquam in mentem venit a te requirere: ſed nunc, poſteaquam ſum ingreſſus res eas, quas tecum ſimul didici, mandare monumentis, philoſophiamque veterem illam, a Socrate ortam, Latinis litteris illuſtrare: quæro, quid ſit, cur, cum multa ſcribas, genus hoc prætermittas, præſertim cùm & ipſe in eo excellas, & id ſtudium, totaque ea res longè ceteris & ſtudiis, & artibus antecedat. Tum ille, Rem à me ſæpe deliberatam, & multùm agitatam requiris. [1] itaque non hæſitans, reſpondebo: ſed ea dicam, quæ mihi ſunt in promptu; quod iſta ipſa de re multum, ut dixi, & diu cogitavi. Nam cùm philoſophiam viderem diligentiſſimè Græcis litteris explicatam, exiſtimavi, ſi qui de noſtris ejus ſtudio tenerentur, [2] ſi eſſent Græcis doctrinis eruditi, *Græca potiùs, quam noſtra lecturos*: ſin a Græcorum artibus, & diſciplinis abhorrerent, ne hæc quidem curaturos, quæ ſine eruditione Græca intelligi non poſſunt: itaque ea nolui ſcribere, quæ nec indocti intelligere poſſent, nec docti legere curarent. Vides autem eadem ipſe. didiciſti enim non poſſe nos Amafanii, aut Rabirii ſimileis eſſe, qui, nulla arte adhibita, de rebus ante oculos poſitis vulgari ſermone diſputant: nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, *nullam denique artem eſſe nec dicendi, nec diſſerendi putant*. nos autem præceptis dialecticorum, & oratorum [3] etiam (quoniam utramque vim, virtutem eſſe noſtri putant) ſic parentes, ut legibus, verbis, quamquam novis, cogimur uti: quæ docti (ut dixi) à Græcis petere mallent, indocti ne à nobis quidem accipiunt: ut fruſtra omnis ſuſcipiatur labor. Jam verò phyſica, ſi Epicurum, id eſt, ſi Democritum probarem, poſſem ſcribere ita planè, ut Amafanius. quid eſt enim magnum, cùm cauſas rerum efficientium ſuſtuleris, de corpuſculorum (ita enim appellat atomos) concurſione fortuita loqui? noſtra tu phyſica noſti, [4] quæ contineantur ex effectione, & ex materia ea, quam fingit, & format effectio. adhibenda enim geometria eſt: quoniam quibuſnam quiſquam enunciare verbis, aut quem ad intelligendum poterit adducere hæc ipſa de *vita*, & *moribus*, de *expetendis*, *fugiendiſque rebus*? illi enim ſimpliciter pecudis & hominis idem bonum eſſe cenſent. apud noſtros enim, non ignoras, quæ ſit & quanta ſubtilitas. Sive enim Zenonem ſequare: magnum eſt efficere, ut quis intelligat, quid ſit illud verum, & ſimplex bonum, quod non poſſit ab honeſtate ſejungi. quod bonum quale ſit, negat omnino Epicurus ſine voluptatibus ſenſum moventibus *nec ſuſpicari*. ſi verò Academiam veterem perſequamur, quam nos, ut ſcis, probamus: quàm erit illa acutè explicanda nobis? quàm argutè, quam obſcure etiam contra Stoicos diſſerendum? totum igitur illud PHILOSOPHIÆ STUDIUM mihi quidem ipſe ſumo & ad [5] vitæ & conſtantiam quantam poſſum, & ad delectationem animi. nec ullum arbitror, ut apud Platonem eſt, *majus aut melius à diis datum munus homini*, ſed meos amicos, in quibus eſt ſtudium, in Græciam mitto, id eſt, ad Græcos ire jubeo, ut ea à fontibus potius hauriant, [6] quam rivulos conſectentur. Quæ autem nemo adhuc docuerat, nec erat unde ſtudioſi ſcire poſſent; ea, quantum potui, (*nihil enim magnopere meorum miror*) feci, ut eſſent nota noſtris. à Græcis enim peti non poterant, ac poſt L. Ælii noſtri occaſum ne à Latinis quidem. Et tamen in illis veteribus noſtris, quæ, Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conſperſimus, multa admiſta ex intima philoſophia, multa dicta dialecticè: quæ quo faciliùs minùs docti intelligerent, *jucunditate* quadam ad legendum invitati, in laudationibus, in iis ipſis antiquitatum proœmiis, philoſophiæ ſcribere voluimus, ſi modò conſecuti ſumus. Tum 3
ego, Sunt, inquam, iſta Varro. nam nos in noſtra urbe peregrinanteis, erranteiſque, tanquam hoſpites, tui libri [7] quaſi domum deduxerunt, ut poſſemus aliquando, qui, & ubi eſſemus, *agnoſcere*. tu ætatem patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum jura, tu ſacerdotum; tu domeſticam, tu bellicam diſciplinam; tu ſedem regionum, locorum; tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſas aperuiſti: [8] plurimumque poëtis noſtris, omninoque Latinis & litteris luminis attuliſti, & verbis: atque ipſe varium, & elegans omni ferè numero, poëma feciſti: philoſophiamque multis locis inchoaſti, ad impellendum ſatis, [9] ad edocendum parum. Cauſam autem probabilem tu quidem affers. aut enim Græca legere malent, qui erunt eruditi: aut ne hæc quidem, qui illa neſciunt, [10] ſed da mihi nunc, ſatiſne probas? immò & hæc, qui illa non poterunt, & qui Græca poterunt, non contemnent ſua. quid enim cauſæ eſt, cur poëtas Latinos Græcis litteris eruditi legant, philoſophos non legant? an quia delectat Ennius, Pacuvius, Accius, [11] multi alii, qui non verba, ſed vim Græcorum expreſſerunt poëtarum? quanto magis philoſophi delectabunt, ſi, ut illi Æſchylum, Sophoclem, Euripidem, ſic hi Platonem imitentur, Ariſtotelem, Theophraſtum? Oratores quidem laudari video, ſi qui è noſtris Hyperidem ſint, aut Demoſthenem imitati. ego autem (dicam enim, ut res eſt) dum me ambitio, dum honores, dum cauſæ, dum *reipub.* non ſolùm cura, ſed quædam etiam *procuratio* multis officiis implicatum, & conſtrictum tenebat, hæc incluſa habebam; &, ne obſoleſcerent, renovabam, cùm licebat, legendo. nunc verò & fortunæ graviſſimo percuſſus vulnere, & adminiſtratione reipub. liberatus, *doloris medicinam à philoſophia peto*, & otii oblectationem hanc, honeſtiſſimam judico. aut enim huic ætati hoc maximè aptum eſt: aut iis rebus, ſi quas dignas laude geſſimus, hoc in primis conſentaneum: aut etiam ad noſtros civeis erudiendos nihil utilius: aut, ſi hæc ita non ſunt, nihil aliud video, quod agere poſſimus. Brutus quidem noſter excellens omni genere laudis, ſic philoſophiam Latinis litteris perſequitur, [12] nihil ut iiſdem de rebus

---

1. *Itaque non hæſitans.*] Vulgati, *itaque non multùm hæſitans*; præter Vict. & Lamb. & Pall. & alioquin odioſe repetatur id verbo, vel ea propter quod ſtatim præceſſerit.

2. *Si eſſent Græcis, &c.*] Videntur ab interprete adjecta, *ſi eſſent.* certe ſuperflua ſunt.

3. *Etiam (quoniam utramque vim virtutem.)*] Voculam *etiam* addimus fide Pall. codd. eorumque quos excuſſit Lambinus; qui licet taceat, invenit puto in iiſdem ſuis, quod ego in noſtris, illud nempe *virtutem*. nam & ſic Aldi vetus, ſic Victorii editio: neoterici, *vim unam, &c.* peſſime. conſulantur modo Turnebi ad hunc locum commentarii.

4. *Quæ contineantur.*] Forſan non malè Pal. quart. *quæ cum contineantur*. ſed tunc mox legendum *etiam*, non *enim*. ut publicavit Aldus Nepos.

5. *Vitæ & conſtantiam, quantam poſſum.*] Sic producti à Victorio, neque aliter Lambini codd. ſcripti, aut Palatini. vetuſtiores habebant, retinuitque Aldus Nepos, *vitæ & conſuetudinem, & conſtantiam, &c.* inepte. Gulielmius præterea *quantam* mutatum volebat in *quantum*. quemadmodum edidit Turnebus.

6. *Quàm rivulos conſectentur.*] Pal. quart. *rivulos quàm ſectentur.*

7. *Quaſi domum deduxerunt.*] Perplacet quod reperi in Pal. quarto, *adduxerunt*. Turnebus ediderat, *reduxerunt*; perplacet quod & ſecutus Aldus Nepos.

8. *Plurimumque poëtis noſtris.*] Pal. *plurimum quidem à poëtis.* ut videatur ſic legendum, aut *& poëtis*, ut edidit Turnebus, niſi quod verius putarim; *plurimumque idem & poëtis.* ita tamen ut non damnem illud *à poëtis*.

9. *Ad edocendum parum.*] Sic edd. Victorii, ſic Turnebi, neque aliter Pall. vulgati, *ad docendum*.

10. *Sed da mihi nunc, &c.*] Aldus Nepos prodidit, *ſed da te mihi nunc*. verum ſic nulla editio, neque viſitur in Pall.

11. *Multi alii, qui non verba.*] Sic Victorius, ſic Turnebus, ſic Pall. aliis edd. non adeſt illud *multi alii*.

12. *Nihil ut iiſdem de rebus Græcia deſideret.*] Hæc eſt vetus lectio. neoterici enim obtruſerunt *a Græcis deſideres*, ſed contra fidem membranaceorum: Turnebus legendum cenſebat, *à Græcia deſideres*. Aldus Nepos vulgavit, *Græca deſideres*: quod ultimum placebat & Gulielmio. mihi non diſpliceret *Græca deſideret*, quod alicubi ad oram adpictum.

1 Quæ

rebus à Græcis deſideres: & eandem quidem ſententiam ſequitur, quam tu. nam Ariſtum Athenis audivit aliquandiu: cujus tu fratrem Antiochum. quamobrem da, quæſo,
4 te huic etiam generi litterarum. Tum ille, iſtuc quidem conſiderabo, nec verò ſine te. Sed de te ipſo quid eſt, inquit, quod audio? Quanam, inquam, de re? Relictam à te veterem jam, inquit: tractari autem novam. Quid ergo, inquam, Antiocho id magis licuerit, noſtro familiari, remigrare in domum veterem è nova, quàm nobis in novam è vetere? certe enim *recentiſſima quæque ſunt correcta*, & emendata maximè. quamquam Antiochi magiſter Philo, magnus vir, ut tu exiſtimas ipſe, negaret in libris, (quod coràm etiam ex ipſo audiebamus) duas Academias eſſe; errorémque eorum, qui ita putarunt, coarguit. Eſt, inquit, ut dicis: ſed ignorare te non arbitror, [1] quæ contra Philonis Antiochus ſcripſerit. Immò verò & iſtam, & totam veterem Academiam, [2] à qua abſumtam diu, renovari à te, niſi moleſtum eſt, velim: & ſimul, aſſidamus, inquam, ſi videtur. Sanè iſtud quidem, inquit: ſum enim admodum infirmus. ſed videamus, idemne Attico placeat fieri à me, quod te velle video. Mihi verò, ille. quid eſt enim, quod malim, quam ex Antiocho jam pridem *audita recordari*? & ſimul videre, ſatiſne ea commodè dici poſſint Latinè? [3] quæ cùm ſunt dicta, in conſpectu conſedimus omnes. Tum Varro ita exorſus eſt. Socrates mihi videtur, id quod conſtat inter omneis, primus à rebus occultis, & ab ipſa natura involutis, [4] in quibus omnes ante eum philoſophi occupati fuerunt, avocaviſſe philoſophiam, & *ad vitam communem* adduxiſſe: ut de virtutibus, & vitiis, omninoque de bonis rebus, & malis quæreret: cæleſtia autem vel procul eſſe à noſtra cognitione cenſeret, vel, ſi maximè cognita eſſent, [5] *nihil tamen ad bene vivendum*. Hic in omnibus ferè ſermonibus, qui ab iis, qui illum audierunt, perſcripti variè, copioſè ſunt, ita diſputat, ut nihil affirmet ipſe, refellat alios: nihil ſe ſcire dicat, niſi id ipſum: eoque præſtare ceteris, quod illi, *quæ neſciant, ſcire ſe putent*: ipſe ſe nihil ſcire; id unum ſciat: ob eamque rem ſe arbitrari ab Apolline omnium ſapientiſſimum eſſe dictum, quòd hæc ESSET [6] UNA OMNIS SAPIENTIA, NON ARBITRARI SESE SCIRE QUOD NESCIAT. quæ cùm diceret conſtanter, & in ea ſententia permaneret, omnis ejus oratio [7] tum in virtute laudanda, & in omnibus hominibus ad virtutis ſtudium cohortandis conſumebatur, ut è Socraticorum libris maximeque Platonis intelligi poteſt. Platonis autem auctoritate, qui varius, & multiplex, & copioſus fuit, una & conſentiens duobus vocabulis philoſophiæ forma inſtituta eſt, Academicorum, & Peripateticorum: qui *rebus congruentes, nominibus differebant*. nam, cùm Speuſippum, ſororis filium, Plato philoſophiæ quaſi heredem reliquiſſet, duos autem [8] præſtantiſſimos ſtudio, atque doctrina, Xenocratem Chalcedonium, & Ariſtotelem Stagiritem: qui erant cum Ariſtotele, *Peripatetici* dicti ſunt, quia diſputabant inambulantes in Lycio. illi autem, qui Platonis inſtituto in *Academia*, quod eſt alterum gymnaſium, cœtus erant, & ſermones habere ſoliti, è loci vocabulo nomen habuerunt. ſed utrique Platonis ubertate completi, certam quandam diſciplinæ formulam compoſuerunt, & eam quidem plenam, ac refertam: illam autem *Socraticam dubitationem* de omnibus rebus, & nulla affirmatione adhibita conſuetudinem differendi reliquerunt. [9] ita facta eſt differendi, quod minimè Socrates probabat, ars quædam philoſophiæ, & rerum ordo, & deſcriptio diſciplinæ. quæ quidem erat primò duobus, ut dixi, nominibus una. nihil enim inter Peripateticos, & illam veterem Academiam differebat. abundantia quadam ingenii præſtabat, ut mihi videtur quidem, Ariſtoteles: ſed idem fons erat utriſque, & eadem rerum expetendarum, fugiendarumque partitio. Sed quid ego? inquit: aut ſumne ſanus, qui hæc vos doceo? nam etſi non *ſus Minervam*, ut ajunt: tamen *inepte, quiſquis Minervam docet*.
Tum Atticus, Tu verò, inquit, perge, Varro. valde enim 5
amo noſtra, atque noſtros: meque iſta delectant, cùm Latine dicuntur, & iſto modo. Quid me, inquam, putas, qui philoſophiam jam profeſſus ſim populo noſtro exhibiturum? Pergamus igitur, inquit, quoniam placet. Fuit ergo jam accepta à Platone philoſophandi ratio triplex: una, de *vita*, & moribus: altera, de *natura*, & rebus occultis: tertia, de *diſſerendo*, & quid verum, & quid falſum; quid rectum in oratione, pravumve; quid conſentiens, [10] quid repugnet, judicando. Ac primam illam partem bene vivendi, à natura petebant, eique parendum eſſe dicebant: neque ulla alia in re, niſi in natura, quærendum eſſe illud SUMMUM BONUM, quò omnia referrentur: conſtituebantque, extremum eſſe rerum expetendarum, & finem bonorum, adeptum eſſe omnia è natura & animo, & corpore, & vita. CORPORIS autem alia ponebant eſſe in toto, alia in partibus. valitudinem, vireis, pulcritudinem, in toto: in partibus autem, ſenſus integros, & præſtantiam aliquam partium ſingularum: ut in pedibus, celeritatem: vim, in manibus: claritatem, in voce: in lingua etiam [11] explanatam vocum impreſſionem. Animi autem, quæ eſſent [12] ad comprehendendam ingeniis virtutem idonea: eaque ab iis in naturam, & mores dividebantur. NATURÆ celeritatem ad diſcendum, & memoriam dabant: quorum utrumque, mentis eſſet proprium, & ingenii. MORUM autem putabant ſtudia eſſe: & quaſi conſuetudinem: quam partim 5
exercitationis aſſiduitate, partim ratione formabant. in quibus erat philoſophia ipſa. in qua [13] quod inchoatum eſt, neque abſolutum, *progreſſio quædam ad virtutem* appellatur: quod autem abſolutum, id eſt *virtus*, quaſi perfectio naturæ, omniumque rerum, quas in animis ponunt, una res optima. ergo hæc animorum. VITÆ autem (id enim erat tertium) adjuncta eſſe dicebant, quæ ad virtutis uſum vale-

1. *Quæ contra Philonis Antiochus ſcripſerit.*] Sic erat in noſtris duobus, ſic in Gulielmiano, notati littera T. vulgati, *Philonem* quod eodem quidem redit: ſed tamen ſua ſibi relinquenda auctori.

2. *A qua abſumptam diu.*] Sic Victorius, ſic Turnebus, ſic Pall. nam recentiores, *à qua abſumtam diu.* non ineptè quidem. ſed ſciendum eſt loqui Ciceronem, non Varronem. deinde quis adeſſe velit ruinoſis?

3. *Quæ cum ſunt dicta in conſpectu conſedimus omnes.*] Ita Aldus avus & Nepos. at Victoriana *ſint*, quod & in Pall. Turnebus vulgavit, *eſſent*. notavit Gulielmius, ejecta illa voce, exire verſum longum, forte alicujus poëtæ veteris.

4. *In quibus omnes ante eum Philoſophi.*] Haud aliter quidem Aldus pater & Nepos. ſed Victorius, ſed Turnebus, item Pall. & T. Gulielmianus *omnibus*.

5. *Nihil tamen ad bene vivendum.*] Expreſſi quod erat in Palatino utroque; tanto quidem promptius, quod ſic quoque Victorius edidiſſet. alii enim voce adjecta *vivendum conferre*, cujus nulla littera in libris ſuperioribus. & recte. tale enim quid belle ſubintelligitur.

6. *Una omnis ſapientia.*] Lambinus *hominis*: ſed noſtrum, tuetur ſe fide omnium editorum & calamo exaratorum codicum.

7. *Tum in virtute laudanda.*] Ambo Pal. *tam*. forſan *tamen*. nam nimis ſuperbe Lambinus, qui mox ſubſtituit alterum *tum*, loco &; contra mſſ. editioneſque ceteras.

8. *Præſtantiſſimos ſtudio atque doctrina.*] Pall. & editi à Turnebo, *præſtantiſſimo*.

9. *Ita facta eſt differendi.*] Extat quidem ita in edd. & mſſ. ſed Turnebus tollendum putabat vocem *differendi*, tanquam officeret ſenſui. nec mora; eam illico jugulavit Lambinus, promptus ſatelles; ſed qui talis nolit videri.

10. *Quid repugnet.*] Hodie paſſim eſt *repugnans*, ſed alterum tuetur ſe veterum editione & Pall. mſſ. fide.

11. *Explanatam vocum impreſſionem.*] Pal. pr. *expreſſionem*, quod licet de conjectura placeret P. Manutio, retinuerim tamen prius, quod in omnibus edd. item in noſtro quarto, codice alioquin non vulgaris bonitatis.

12. *Ad comprehendendam ingeniis virtutem idonea.*] Etiam Pal. accedunt Memmiano, in quo *ingeniis*; ideoque admiſi, rejecto, *ingenii*, quod in hactenus vulgatis.

13. *Quod inchoatum eſt neque abſolutum.*] Vox poſtrema non viſitur in Pal. an ſit in aliorum membranis, ideo ambigo; quod vett. editiones recenteſque aggerant noſtrum *abſolutum*; Victorii autem atque Turnebi, *perfectum*.

 1. Bone-

valerent. Jam virtus, animi bonis & corporis cernitur in quibuſdam, quæ non tam naturæ, quàm beatæ vitæ adjuncta ſunt. Hominem eſſe cenſebant, quaſi *partem quandam civitatis*, & univerſi generis humani, eumque eſſe conjunctum cum hominibus humana quadam ſocietate. Ac de ſummo quidem, atque naturali bono ſic agunt. cetera autem pertinere ad id putant, aut ad augendum, aut ad tuendum, ut divitias, ut opes, ut gloriam, ut gratiam. ita tripar-
6 tita ab iis inducitur ratio bonorum. Atque hæc illa ſunt tria genera, quæ putant plerique Peripateticos dicere: id quidem non falſò. eſt enim hæc partitio illorum: illud imprudenter, ſi alios eſſe Academicos, qui tum appellarentur, alios Peripateticos arbitrantur. Communis hæc ratio, & utriſque hic [1] bonorum finis videbatur, adipiſci quæ eſſent prima in natura, quæque ipſa per ſeſe expetenda, aut omnia, aut maxima. ea ſunt autem maxima, quæ in ipſo animo, atque in ipſa virtute verſantur. Itaque omnis illa antiqua philoſophia ſenſit IN UNA VIRTUTE ESSE POSITAM BEATAM VITAM: nec tamen beatiſſimam, niſi adjungerentur & corporis, & cetera, quæ ſuprà dicta ſunt, ad virtutis uſum idonea. ex hac deſcriptione, agendi quoque aliquid in vita, & officii ipſius initium reperiebatur: quod erat in conſervatione earum rerum, quas natura præſcriberet. hinc gignebatur *fuga deſidiæ*, *voluptatumque contemtio*: ex quo laborum, dolorumque ſuſceptio multorum, magnorum, recti honeſtique cauſa; & earum rerum, quæ erant congruentes cum deſcriptione naturæ. unde amicitia exſiſtebat, & juſtitia, atque æquitas. hæque & voluptatibus, & multis vitæ commodis anteponebantur. Hæc quidem fuit apud eos morum inſtitutio, & ejus artis, quam primam poſui, forma atque deſcriptio. De natura autem (id enim ſequebatur) ita dicebant, ut eam dividerent in res duas: ut altera eſſet efficiens, altera autem quaſi huic [2] ſe præbens, ea, qua efficeretur aliquid. In eo, quod efficeret, vim eſſe cenſebant: in eo autem, quod efficeretur, materiam quandam: in utroque tamen utrumque. neque enim materiam ipſam cohærere potuiſſe, ſi nulla vi contineretur, neque vim ſine aliqua materia. NIHIL EST enim, quod non alicubi eſſe cogatur. ſed quod ex utroque, id jam corpus, & quaſi qualitatem quandam nominabant. dabitis enim profectò, ut in rebus inuſitatis, quod Græci ipſi faciunt, à quibus hæc jam diu tractantur, utamur verbis in-
7 terdum inauditis. Nos verò inquit Atticus. quin etiam Græcis licebit utare, cùm voles, ſi te Latina fortè deficient. Bene ſanè facis: ſed enitar, ut Latinè loquar, niſi in hujuſcemodi verbis, ut philoſophiam, aut rhetoricam, aut phyſicam, aut dialecticam appellem, quibus, ut aliis multis, conſuetudo jam utitur pro Latinis. *qualitates* igitur appellavi, quas ποιότητας Græci vocant: quod ipſum apud Græcos non eſt vulgi verbum, ſed philoſophorum, atque id in multis. dialecticorum verò verba nulla ſunt publica: ſuis utuntur. & id quidem commune omnium ferè eſt artium. aut enim nova ſunt rerum novarum facienda nomina, aut ex aliis transferenda. quod ſi Græci faciunt, qui in iis rebus tot jam ſæcula verſantur, quanto id magis nobis concedendum eſt, qui hæc nunc primùm tractare conamur? Tu verò, inquam, Varro, bene etiam meriturus mihi videris de tuis civibus, ſi eos non modò copia rerum auxeris, ut effeciſti, ſed etiam verborum. Audebimus ergo, inquit, novis verbis uti, te auctore, [3] ſi neceſſe erit. Earum igitur qualitatum ſunt aliæ principes, aliæ ex iis ortæ. principes ſunt uniuſmodi, & ſimplices. ex iis autem ortæ, variæ ſunt, & quaſi multiformes. itaque aër quoque (utimur enim pro Latino) ignis, & aqua, & terra, prima ſunt. ex iis autem ortæ animantium formæ earumque rerum, quæ gignuntur è terra. ergo illa initia, &, ut è Græco vertam, *elementa* dicuntur: è quibus aër, & ignis, movendi vim habent, & efficiendi: reliquæ partes, accipiendi, & quaſi patiendi: aquam dico, & terram. Quinctum genus, è quo eſſent aſtra, [4] menteſque ſingulares, eorum quattuor, quæ ſuprà dixi, diſſimile Ariſtoteles quiddam eſſe rebatur. [5] ſed ſubjectam putant omnibus ſine ulla ſpecie, atque carentem omni illa qualitate (faciamus enim *tractando uſitatius* hoc verbum, & tritius) materiam quandam, ex qua omnia expreſſa, [6] atque effecta ſint: quæ tota omnia accipere poſſint, omnibuſque modis mutare, atque ex omni parte: eoque etiam interire, non in nihilum, ſed in ſuas parteis, quæ infinitè ſecari, ac dividi poſſint, cùm ſit *nihil omnino* in rerum natura minimum, quod dividi nequeat: quæ autem moveantur, omnia intervallis moveri. quæ intervalla item infinitè dividi poſſint. & cùm ita moveatur illa vis, quam qualitatem eſſe diximus, & cùm ſic [7] ultrò, citroque verſetur: & materiam ipſam totam penitus commutari putant, & ita effici quæ appellant *qualia*, è quibus in omni natura cohærente, & continuata cum omnibus ſuis partibus effectum eſſe mundum: extra quem nulla pars materiæ ſit, nullumque corpus: parteis autem eſſe mundi, omnia, quæ inſint in eo, quæ natura ſentiente teneantur: in qua ratio perfecta inſit, quæ ſit eadem ſempiterna. nihil enim valentius eſſe, à quo intereat. quam vim animum eſſe dicunt mundi, eandemque eſſe mentem, ſapientiamque perfectam: quem DEUM appellant, omniumque rerum, quæ ſunt ei ſubjectæ, quaſi prudentiam quandam, procurantem cœleſtia maxime; deinde in terris ea, quæ pertinent ad homines: quam interdum NECESSITATEM appellant; quia nihil aliter poſſit, atque ab ea conſtitutum ſit [8] inter quaſi fatalem, & immutabilem continuationem ordinis ſempiterni: nonnumquam quidem eandem FORTUNAM, quòd efficiat multa [9] improviſa hæc, nec opinata nobis propter obſcuritatem, ignorationemque cauſarum. Tertia deinde philoſophiæ pars, 8
quæ erat in ratione, & in diſſerendo, ſic tractabatur ab utriſque: quamquam oriretur à ſenſibus, tamen non eſſe judicium veritatis in ſenſibus. *mentem* volebant *rerum eſſe judicem*: ſolam cenſebant idoneam, cui crederetur. quia ſola cerneret id, quod ſemper eſſet ſimplex, & uniuſmodi, & tale, quale eſſet. hanc illi IDEAM appellabant, jam à Platone ita nominatam: nos rectè *ſpeciem* poſſumus dicere. Senſus autem omneis, hebetes, & tardos eſſe arbitrabantur, nec percipere ullo modo res eas, quæ ſubjectæ ſenſibus viderentur: [10] quæ eſſent aut ita parvæ, ut ſub ſenſum cadere non poſſent; aut ita mobiles, & concitatæ, ut nihil umquam unum eſſet conſtans; ne idem quidem, quia continenter laberentur, & fluerent omnia. itaque hanc omnem partem rerum, *opinabilem* appellabant. ſcientiam autem

1. *Bonorum finis videbatur.*] Pall. *videatur*; quod & in editis ab Aldo ſeniore. ferre poſſem totam abeſſe.

2. *Se præbens, eaque efficeretur aliquid.*] Turnebus malebat *ex qua efficeretur*. indicatque alios voluiſſe, *ea qua*; quod viſitur in editione Aldi Nepotis. primo loco poſita eſt lectio communis, reſtatque in Pall. recentius cuſi prætulere, *ea quæ*.

3. *Si neceſſe erit.*] Facit iſtud magis huc, quàm vulgatum, *neceſſe eſt*; reperitque in T. Gulielmius, egoque in Pal. quarto.

4. *Menteſque ſingulares.*] Duo iidem codd. *ſingulare*, quod heic an locum propriè habeat, videbunt alii, ego puto poſſe: tanto quidem magis, quod uterque Palatinus, mox agnoſcat, *eorumque*, qua enclitica vulgares carent, excepta Victoriana.

5. *Sed ſubjectam putant.*] Iidem Palatini, *putat*. non malè fortaſſis. examinent otioſi. nam ego nimis propero.

6. *Atque effecta ſint.*] Turnebus conjiciebat *efficta*, admiſitque ſtatim Lambinus; ſed non addicentibus mſſ. etiam id tuetur Paulus Manutius; qui conſulatur.

7. *Ultro citroque.*] T. & Palat. quart. *introque*. primus, *in utroque*. non eſt hæc diverſitas de nihilo.

8. *Inter quaſi fatalem, &c.*] Sic edd. vett. nec diſcrepant Pall. ſolùm eſt in quarto; alias legi, *item*, vel *interdum*; quod ultimum in textum retulit Lamb. mireque probat Mich. Brutus, P. Manut. mallet, *fieri quaſi*. quamvis non neget, inveniſſe in libro veteri, *iter quaſi fatale*. Turnebi editio refert, *evenire quaſi, &c.* ſi è mſſ. rectiſſimè. interim non diſpliceat mihi, *item*; utique ſi recedendum eſt à vulgato.

9. *Improviſa hæc, nec opinata nobis.*] Sic Pall. & edd. priſcæ. Aldi Nepotis rejecit hæc. Lambinus mutavit in &.

10. *Quæ eſſent aut ita parvæ.*] Forſan fuit, *quia eſſent*. aut *quod*.

1. *Rerum*

autem nuſquam eſſe cenſebant, niſi in animi motionibus, atque rationibus. qua de cauſa *definitiones rerum* probabant, & has ad omnia, de quibus diſceptabatur, adhibebant. *verborum* etiam *explicatio* probabatur, id eſt, qua de cauſa quæque eſſent ita nominata: quam *etymologiam* appellabant, pòſt argumentis, & quaſi [1] rerum notis ducibus, utebantur ad probandum, & ad concludendum id, quod explanari volebant: in qua tradebatur [2] omnis dialecticæ diſciplina, id eſt, orationis ratione concluſæ. huic quaſi ex altera parte oratoria vis dicendi adhibebatur, explicatrix orationis perpetuæ ad perſuadendum accommodatæ. Hæc erat illis prima à Platone tradita: cujus quas acceperim diſputationes, ſi vultis, exponam. Nos verò
9 volumus inquam, ut pro Attico etiam reſpondeam. Et rectè, inquit, reſpondes. præclarè enim explicatur Peripateticorum, & Academiæ veteris auctoritas. Ariſtoteles primus *ſpecies*, quas paullo antè dixi, labefactavit: quas mirificè Plato erat amplexatus: ut in his quiddam divinum eſſe diceret. Theophraſtus autem, vir & oratione ſuavis, [3] & ita moratus, ut præ ſe probitatem quandam, & ingenuitatem ferat, vehementiùs etiam fregit quodam modo auctoritatem veteris diſciplinæ. ſpoliavit enim virtutem ſuo decore, imbecillamque reddidit, quòd negavit *in ea ſola poſitum eſſe, beatè vivere.* Nam Strato, ejus auditor, quamquam fuit acri ingenio, tamen ab ea diſciplina omnino ſemovendus eſt: qui cùm maximè neceſſariam partem philoſophiæ, quæ poſita eſt in virtute, & in moribus, reliquiſſet, totumque ſe ad inveſtigationem naturæ contuliſſet, in ea ipſa plurimùm diſſedit à ſuis. Speuſippus autem, & Xenocrates, qui primi Platonis rationem, auctoritatemque ſuſceperant; & poſt hos Polemo, & Crates, unaque Crantor, in Academia congregati, diligenter [4] eis, quæ à ſuperioribus acceperant, utebantur. Jam Polemonem audiverant aſſiduè Zeno, & Arceſilas. ſed Zeno cùm Arceſilam anteiret ætate, valdeque ſubtiliter diſſereret, & peracutè moveretur: corrigere conatus eſt diſciplinam. eam quoque, ſi videtur, correctionem explicabo, ſicut ſolebat Antiochus. Mihi verò, inquam, videtur: quod vides idem ſignificare Pompo-
10 ponium. Zeno igitur nullo modo is erat, qui, ut Theophraſtus, *nervos virtutis inciderit:* ſed contrà, qui omnia, quæ ad beatam vitam pertinerent, in una virtute poneret: nec quidquam aliud numeraret in bonis, idque appellaret HONESTUM, quod eſſet ſimplex quoddam, & ſolum, & unum bonum. cetera autem etſi nec bona, nec mala eſſent, tamen alia ſecundum naturam dicebat, alia naturæ eſſe contraria. iis ipſis alia interjecta, & media numerabat. quæ autem ſecundum naturam eſſent, ea ſumenda, & quadam æſtimatione dignanda docebat: contraque contraria: neutra autem in mediis relinquebat: in quibus ponebat nihil omnino eſſe momenti. ſed quæ eſſent ſumenda, ex iis alia pluris eſſe æſtimanda, alia minoris: quæ pluris, ea *præpoſita* appellabat: *rejecta* autem, quæ minoris. atque ut hæc non tam rebus, quàm vocabulis commutaverat: ſic inter rectè factum, atq; peccatum; officium, & contra officium, media locabat quædam: rectè facta ſola in bonis actionibus ponens, pravè, id eſt, peccata, in malis. officia autem & ſervata, prætermiſſaque, media putabat, ut dixi. cumque ſuperiores *non omnem virtutem in ratione* eſſe dicerent, ſed quaſdam virtutes natura, aut more perfectas: hic omneis in ratione ponebat: cumque illi ea genera virtutum, quæ ſuprà dixi, ſejungi poſſe arbitrarentur; [5] hic nec id ullo modo fieri poſſe diſſerebat: nec virtutis uſum modò, ut ſuperiores, ſed ipſum habitum per ſe eſſe præclarum, nec tamen virtutem cuiquam adeſſe, *quin ea ſemper uteretur.* cumque perturbationem animi illi ex homine non tollerent, naturaque & condoleſcere, & concupiſcere, & extimeſcere, & efferri lætitia dicerent, ſed ea contraherent, in anguſtumque deducerent: hic omnibus his quaſi morbis voluit carere ſapientem: cùmque eas perturbationes antiqui naturaleis eſſe dicerent, & rationis experteis, aliaque in parte animi cupiditatem, alia rationem collocarent, ne his quidem aſſentiebatur. nam & perturbationes, voluntarias eſſe putabat, [6] opinioniſque judicio ſuſcipi, & *omnium perturbationum arbitrabatur eſſe matrem, immoderatam quandam intemperantiam.* Hæc ferè de moribus. De naturis autem ſic 11
ſentiebat, primùm, ut in quattuor initiis rerum illis quintam hanc naturam, ex qua ſuperiores ſenſus, & mentem effici rebantur, non adhiberet. ſtatuebat enim ignem eſſe ipſam naturam, quæ quidque gigneret, & mentem, atque ſenſus. diſcrepabat etiam ab iiſdem, quòd nullo modo arbitrabatur quidquam effici poſſe ab ea, quæ *expers eſſet corporis.* cujus generis Xenocrates, & ſuperiores etiam animum eſſe dixerunt: nec verò, aut quod efficeret aliquid, aut quod efficeretur, poſſe eſſe non corpus. Plurima autem in illa tertia philoſophiæ parte mutavit. in qua primùm de ſenſibus ipſis quædam dixit nova: quos junctos eſſe cenſuit à quadam quaſi impulſione oblata extrinſecus: quam ille φαντασίαν, nos viſum appellemus licet: & teneamus hoc verbum quidem; erit enim utendum in reliquo ſermone ſæpius. ſed ad hæc, quæ viſa ſunt, & quaſi accepta ſenſibus, aſſenſionem adjungit animorum: quam eſſe vult in nobis poſitam, & voluntariam. Viſis non omnibus adjungebat fidem, ſed iis ſolùm, quæ propriam quandam haberent declarationem earum rerum, quæ viderentur: id autem viſum cùm ipſum per ſe cerneretur, [7] *comprehenſibile.* feretis hæc? nos verò, inquit. quonam enim modo κατάληπτον diceres? ſed, cùm acceptum jam, & approbatum eſſet, *comprehenſionem* appellabat, ſimilem iis rebus, quæ manu prenderentur: ex quo etiam nomen hoc duxerat; cùm eo verbo antè nemo tali in re uſus eſſet: plurimiſque idem novis verbis (nova enim dicebat) uſus eſt. quod autem erat ſenſu comprehenſum, id ipſum ſenſum appellabat, & ſi ita erat comprehenſum, ut convelli ratione non poſſet, *ſcientiam:* ſin aliter, *inſcientiam* nominabat: ex qua exſiſteret etiam *opinio*, quæ eſſet imbecilla, & cum falſo, incognitoque communis. Sed inter ſcientiam, & inſcientiam, comprehenſionem illam, quam dixi, collocabat, eamque neque in rectis, neque in pravis numerabat, ſed ſoli credendum eſſe dicebat. è quo ſenſibus etiam fidem tribuebat, quòd, ut ſuprà dixi, comprehenſio facta ſenſibus & vera eſſe illi, & fidelis videbatur: non quòd omnia, quæ eſſent in re, comprehenderet: ſed quia nihil, quod cadere in eam poſſet, relinqueret, quòdque *natura quaſi normam ſcientiæ*, & principium ſui dediſſet, unde poſtea notiones rerum in animis imprimerentur; è quibus

1. *Rerum notis, ducibus utebantur, &c.*] Haud aliter Palatini, & aliquot Lambiniani; quod ipſe licet rejiciat, exhibuit id tamen tanquam haud aſpernandum, editione ſua Turnebus.

2. *Omnis dialecticæ diſciplina.*] Suavius iſtud auribus accedit quàm vulgatum, *dialectica.* exſtabatque in Pal. quart. & ed. Turn.

3. *Et ita moratus.*] Sic & noſtri libri, expreſſitque editione ſua Petrus Victorius. vult enim mores prætuliſſe vultu. vulgati, *moderatus.*

4. *Eis quis à ſuperioribus acceperant utebatur.*] Sic Victorii ac Turnebi editio; ſic Pal. noſtri. olim cuſi, *ea quæ à ſup. acc. tuebantur.* quod expreſſi. iterum uſurpavit noſter libris de Finibus. Lambinus adhæret publicatis, licet ſic quoq; inveniſſet in duobus ſuis.

5. *Hic nec id ullo modo fieri poſſe diſſerebat.*] Clauſula hæc Aldinis & Lambinianis aliquot editionibus tota excidit. ne deinceps quoque negligatur, id heic adnotandum duxi. nam quamvis non compareat in Pal. primo, ſervat eam tamen quartus; & omninò neceſſaria eſt.

6. *Opinioniſque judicio ſuſcipi.*] Vulgatur ferè ab ortu Victorianæ, Lambiniarumque editionum, *opinioneſque*; ſed præter antiquiores; quibus accedit & Turnebiana, auctoritaſque Palatinorum noſtrorum.

7. *Comprehenſibile.*] Pall. *comprehendibile*, annotatum ad quarti oram, alias legi *comprendibile.* diſpiciat proles Grammaticorum.

quibus non principia ſolùm, ſed latiores quædam [1] ad rationem inveniendam viæ reperiuntur. *errorem* autem, & *temeritatem*, & *ignorantiam*, & *opinationem*, & *ſuſpicionem*, & uno nomine omnia, quæ eſſent aliena firmæ & conſtantis aſſenſionis, à virtute ſapientiaque removebat. atque in iis ferè commutatio conſiſtit omnis, diſ-
12 ſenſioque Zenonis à ſuperioribus. Quæ cùm dixiſſet: & breviter ſanè, minimeque obſcure expoſita eſt, inquam, à te, Varro, & veteris Academiæ ratio, & Stoicorum. verum eſſe autem arbitror, ut Antiocho, noſtro familiari, placebat, correctionem veteris Academiæ potiùs quàm aliquam novam diſciplinam putandam. Tunc Varro, Tuæ ſunt nunc partes, inquit, qui ab antiquorum ratione nunc deſciſcis, & ea, quæ ab Arceſila novata ſunt, probas, [2] docere, quod, & qua de cauſa diſcidium factum ſit; ut videamus, ſatiſne iſta ſit juſta defectio. Tum ego, Cum Zenone, inquam, ut accepimus, Arceſilas ſibi omne certamen inſtituit, *non pertinacia, aut ſtudio vincendi*, ut mihi quidem videtur, ſed earum rerum obſcuritate, quæ ad confeſſionem ignorationis adduxerant Socratem, & veluti amanteis Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omneis pænè veteres: qui nihil cognoſci, nihil percipi, nihil ſciri poſſe dixerunt: *anguſtos ſenſus*, *imbecillos animos*, *brevia curricula vitæ*, & (ut Democritus) *in profundo veritatem* eſſe demerſam: opinionibus, & inſtitutis omnia teneri, [3] nihil veritati relinqui: deinceps omnia tenebris circumfuſa eſſe dixerunt. Itaque Arceſilas negabat eſſe quidquam, quod ſciri poſſet, ne illud quidem ipſum, quod Socrates ſibi reliquiſſet. ſic omnia latêre cenſebant in occulto; neque eſſe quidquam, quod cerni, aut intelligi poſſit: quibus de cauſis nihil oportere neque profiteri, neque affirmare quemquam, [4] neque aſſertione approbare: cohibereque ſemper, & AB OMNI LAPSU CONTINERE TEMERITATEM: quæ tum eſſet inſignis, cùm aut falſa, aut incognita res approbaretur: neque hoc quidquam eſſe turpius, quàm cognitioni & præceptioni aſſertionem, approbationemque præcurrere. Huic rationi quod erat conſentaneum, faciebat, ut contra omnium ſententias [5] dies jam pleroſque deduceret: ut, cùm in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, facilius ab utraque parte aſſertio ſuſtineretur. Hanc Academiam novam appellabant, quæ mihi vetus videtur: ſi quidem Platonem ex illa vetere numeramus. cujus in libris nihil affirmatur, & in utramque partem multa diſſeruntur, de omnibus quæritur, nihil certi dicitur. ſed tamen illa, quam expoſui, vetus: hæc, nova nominetur: quæ uſque ad Carneadem perducta, qui quartus ab Arceſila fuit, in eadem Arceſilæ ratione permanſit. Carneades autem nullius philoſophiæ partis ignarus, &, ut cognovi ex iis, qui illum audierant, maximeque ex Epicureo Zenone, qui cùm ab eo plurimùm diſſentiret, unum tamen præter ceteros mirabatur, incredibili quadam fuit facultate.

Multa ex hoc primo libro Academicarum quæſt. ad Varronem, & ſecundus, tertius, quartus deſiderantur: niſi quis velit eum, qui inſcribitur, Lucullus, qui deinceps ſequitur, quartum numerare: quòd facit Nonius.

1. *Ad rationem inveniendam viæ reperiuntur.*] Manutius ac Lamb. conjiciunt, ut *aperirentur*. ſi etiam mihi hiſcere licet; dicam, videri poſſe illud *reperiuntur*, ſcholion librarii alicujus. abſque eo ſane ſententia belle procedit. ſin retinendam; concinnius foret littera mutata ſcriptum, *reperirentur*.

2. *Docere, quod, &c.*] Pall. *doce.* quod & heic locum ſuum habeat, alia interpunctione.

3. *Nihil veritati relinqui.*] Alii aliter emendant. ſi quid mutandum; malim, *reliquum*.

4. *Aſſertione approbare.*] Nihil variant noſtri ſcripti: tamen Erric. Stephanus & Lambinus repoſitum eunt *aſſenſione*; ut & mox iterum *aſſenſionem*, loco *aſſertionem*.

5. *Dies jam pleroſque.*] Pall. & Gulielmii T. *pleros.* an dicemus antique? ſic & libro IV. Academ. quæſtion. cap. 4. legitur in exemplari S. Victoris *compleros dies*, ubi vulgati, *complures*.

M. TULLII CICERONIS

ACADEMICARUM QUÆSTIONUM

LIBER SECUNDUS.

ſeu potiùs, ut eum numerat Nonius, IIII. *qui inſcribitur,*

LUCULLUS.

MAGNUM ingenium L. Luculli, magnumq; optimarum artium ſtudium, tum omnis liberalis, & digna homine nobili ab eo percepta doctrina, quibus temporibus florere in foro maximè potuit, [1] caruit omnino rebus humanis. [2] Ut enim urbanus, admodum adoleſcens, cum fratre, pari pietate, & induſtria prædito, *paternas inimicitias* magna cum gloria eſt *perſecutus*: in Aſiam quæſtor profectus, ibi permultos annos admirabili quadam laude provinciæ præfuit: deinde abſens factus ædilis, continuò prætor: (licebat enim celeriùs *legis præmio*) poſt in Africam: inde ad conſulatum; quem ita geſſit, ut diligentiam admirarentur omnes, [3] ingenium agnoſcerent. Pòſt ad Mithridaticum bellum miſſus à ſenatu, non modò *opinionem vicit* omnium, quæ de virtute ejus erat, ſed etiam *gloriam ſupe-*

1. *Caruit omnino rebus humanis.*] Non potui diutius invidere ſeculo noſtro veram Tullii lectionem, inventam à me in duobus Pall. a Gulielmio verò in T. atque membranis S. Victor. quod ſuburbanum Pariſienſe. hactenus vulgati, *rebus urbanis*. prorſus ſtolide, quocunque etiam modo interpretemur.

2. *Ut enim urbanus, admodum adoleſcens.*] Sic iidem Palatini: recte. *urbanus*, id eſt, dum in urbe vixit. Gulielmius nihil heic annotat. ſed mihi dubium non eſt, quin & ea vox fuerit in eiſdem mſſ. ſcilicet, Criticis non ſolum opus, ingenio, judicioque, ſed & oculis & attentione ſuperſtitioſiſſima. Certè, adquieſcere variantibus lectionibus, quas alius quis noſtrâ cauſâ enodavit: eſt hominis nimis ſecuri, nimis creduli. imò multa noſmet ipſos fugiunt tunc quoque cum ſingulis quaſi verbis litteriſque inhæſiſſe putamus.

3. *Ingenium agnoſcerent.*] Sic duo noſtri & Gulielmii totidem melius longe quam vulgati *cognoſcerent*; quod & ejectum cupiebat, admiſſo noſtro Victorius; ſed nemo obſecutus eſt, præter Sturmium & Manutium; non Brutus, non Lambinus, non ceteri.

1. *Non*

ſuperiorum. idque eo fuit mirabilius, quod ab eo *laus imperatoria* [1] non admodum exſpectabatur, qui adoleſcentiam in forenſi opera, quæſturæ diuturnum tempus, Muræna bellum in Ponto gerente, [2] in Aſiæ pace conſumſerat. Sed incredibilis quædam ingenii magnitudo non deſideravit indocilem uſus diſciplinam. Itaque cùm totum iter & navigationem conſumſiſſet partim in percunctando à peritis, partim in rebus geſtis legendis, in Aſiam factus imperator venit, cum eſſet Roma profectus rei militaris rudis. Habuit enim divinam quandam memoriam rerum, verborum majorem Hortenſius. Sed quo *plus in negotiis gerendis res, quàm verba proſunt*, [3] hoc erat memoria illa præſtantior: quam fuiſſe in Themiſtocle, quem facilè Græciæ principem ponimus, ſingularem ferunt. Qui quidem etiam pollicenti cuidam ſe artem ei memoriæ, quæ tum primùm proferebatur, traditurum, reſpondiſſe dicitur, [4] *oblivisci ſe malle diſcere:* credo, quòd hærebant in memoria quæcunque audierat vel viderat. Tali ingenio præditus Lucullus adjunxerat etiam illam, quam Themiſtocles ſpreverat, diſciplinam. Itaque ut literis conſignamus, quæ monumentis mandare volumus: ſic ille in *animo res inſculptas habebat*. Tantus ergo imperator in omni genere belli fuit, præliis, oppugnationibus, navalibus pugnis, totiuſque belli inſtrumentis, & apparatu, ut ille rex poſt Alexandrum maximus hunc à ſe majorem ducem cognitum, quàm quemquam eorum, [5] quos legiſſet, fateretur. In eodem tanta prudentia fuit in conſtituendis, *temperandiſque civitatibus*, tanta æquitas, ut hodie ſtet Aſia Luculli inſtitutis ſervandis, & quaſi veſtigiis perſequendis. Sed, etſi magna cum utilitate reipublicæ, tamen diutiùs, quàm vellem, tanta vis virtutis, atque ingenii, peregrinata abfuit ab oculis & fori, & curiæ. Quin etiam, cùm victor à Mithridatico bello revertiſſet, *inimicorum calumnia* triennio tardiùs, quàm debuerat, triumphavit. nos enim conſules introduximus pænè in urbem currum clariſſimi viri: cujus mihi conſilium, & auctoritas quid tum in maximis rebus profuiſſet, dicerem, niſi de me ipſo dicendum eſſet: quod hoc tempore non eſt neceſſe. itaque privabo illum potiùs *debito teſtimonio*, quàm id cum mea laude
2 communicem. Sed, quæ populari gloria decorari in Lucullo debuerunt, ea ferè ſunt & Græcis litteris, & Latinis celebrata. Nos autem illa [6] externa, cum multis: hæc interiora, cum paucis ex ipſo ſæpè cognovimus. majore enim ſtudio Lucullus cùm omni litterarum generi, tum philoſophiæ deditus fuit, quàm, qui illum ignorabant, arbitrabantur. nec verò *ineunte ætate ſolùm*, ſed & pro quæſtore aliquot annos, & in ipſo bello: in quo ita magna rei militaris eſſe occupatio ſolet, ut non multum imperatori ſub ipſis pellibus OTII relinquatur. Cùm autem è philoſophis, ingenio, ſcientiaque putaretur Antiochus, Philonis auditor, excellere, eum ſecum & quæſtor habuit, & poſt aliquot annos, imperator. cumque eſſet ea memoria, quam antè dixi, ea ſæpè audiendo facilè cognovit, quæ vel ſemel audita meminiſſe potuiſſet. Delectabatur autem mirificè *lectione librorum*, de quibus audiebat. Ac vereor interdum, ne talium perſonarum, cùm amplificare velim, minuam etiam gloriam. Sunt enim multi, qui omnino Græcas non ament litteras: plures, qui philoſophiam: reliqui, qui etiamſi hæc non improbent, tamen earum rerum diſputationem *principibus civitatis non ita decoram* putent. Ego autem, cùm Græcas litteras M. Catonem *in ſenectute* didiciſſe acceperim, P. autem Africani, hiſtoriæ loquantur, [7] in legatione illa nobili, quam ante cenſuram obiit, Panætium unum omnino comitem fuiſſe: nec litterarum Græcarum, nec philoſophiæ jam nullum auctorem requiro. Reſtat, ut iis reſpondeam, qui ſermonibus ejuſmodi nolint *perſonas tam graves* illigari. Quaſi verò clarorum virorum aut tacitos congreſſus eſſe oporteat, aut *ludicros ſermones*, aut rerum colloquia leviorum. Etenim, ſi quodam in libro verè eſt à nobis philoſophia laudata, profectò ejus tractatio optimo, atque ampliſſimo quoque digniſſima eſt. [8] nec quidquam aliud videndum eſt nobis, quos populus R. hoc in gradu collocavit, niſi *ne quid privatis ſtudiis de opera publica detrahamus*. Quòd ſi, cùm fungi munere debeamus, non modò operam noſtram numquam à populari cœtu removemus, ſed ne litteram quidem ullam facimus, niſi forenſem: quis reprehendet noſtrum otium: qui in eo non modo noſmetipſos hebeſcere, & languere nolumus, ſed etiam ut plurimis proſimus, enitimur? GLORIAM VERÒ non modò non minui, ſed etiam augeri arbitramur eorum, quorum ad populareis, illuſtreiſque laudes, has etiam minùs notas, minuſque pervulgatas adjungimus. Sunt etiam, qui negent, in iis, qui in noſtris libris diſputent, fuiſſe earum rerum, de quibus diſputatur, ſcientiam. Qui mihi videntur non ſolùm vivis, ſed etiam *mortuis invidere*. Reſtat unum genus reprehenſorum, quibus Academiæ 3
ratio non probetur. Quod graviùs ferremus, ſi *quiſquam ullam diſciplinam philoſophiæ probaret, præter eam, quam ipſe ſequeretur*. Nos autem quoniam [9] contra omneis dicere, qui ſcire ſibi videntur, ſolemus, non poſſumus, quin alii à nobis diſſentiant, recuſare. Quamquam [10] noſtra quidem cauſa facilis eſt, qui verum invenire ſine ulla contentione volumus: idque ſumma cura ſtudioque conquirimus. Etſi enim omnis *cognitio multis eſt obſtructa difficultatibus*, eaque eſt, & in ipſis rebus obſcuritas, & in judiciis noſtris infirmitas, ut non ſine cauſa & doctiſſimi, & antiquiſſimi invenire ſe poſſe, quod cuperent, diffiſi ſint: tamen nec illi defecerunt; neque nos ſtudium exquirendi defatigati relinquemus, neque noſtræ diſputationes quidquam aliud agunt, niſi ut in utramque partem [11] dicendo, & audiendo, eliciant, & tanquam exprimant aliquid, quod aut verum ſit, aut ad id quàm proximè accedat. Neque inter nos, & eos, qui ſe ſcire arbitrantur, quidquam intereſt, niſi quod illi non dubitant, quin ea vera ſint, quæ defendunt: nos *probabilia multa habemus, quæ ſequi facilè, affirmare vix poſſumus*. Hoc autem liberiores, & ſolutiores ſumus, quòd integra nobis eſt judicandi poteſtas: nec, ut omnia, quæ præſcripta, & quaſi imperata ſint defendamus, neceſſitate ulla

---

1. *Non admodum exſpectabatur.*] Si ſtandum Pall. item exemplari S. Victoriano, cujus varias lectiones libro ſuo adlevit Gulielmius legendum prorſus, *ſpectabatur*. & ita profectò loquebantur veteres retinentque etiamnum libri plutearii, ut ſæpe notis meis prodidi, ad hunc auctorem. ad Senecam, ad alios.

2. *In Aſiæ pace.*] Sic Pal. ſec. nam pr. *in Aſia pace*. quomodo edidit Victorius; exſtatque item in Gryphii mſ. à Mich. Bruto laudato. Gulielmius, quod eſſet in Victor. membranis, *in Aſiam pace*, cupiebat *Aſia in pace*.

3. *Hoc erat memoria, &c.*] Dubito de loci integritate. Pal. ſanè ſec. habet, *nec erat, &c.*

4. *Oblivifci ſe malle diſcere.*] Liquet ſententia. ſed ecce tamen Pal. ſec. qui oggerit amplius, *malle, quàm diſcere*.

5. *Quos legiſſet fateretur.*] Victorinus codex ille Pariſienſis *quos legibus fat*. unde fieri facile poterat, *legimus*, uti & annotarat Gulielmius.

6. *Externa cum multis.*] Sic Victorii editio, neque aliter Palatini. vulgati, *exteriora*.

7. *In legatione illa nobili.*] T. & Victor. codex à manu prima *in regione*; quod annotavit Guliel. nec videtur de nihilo. cogitemus.

8. *Nec quidquam aliud videndum eſt nobis.*] Victor. mſ. *eſt ut videndum*. neque aliter Pal. ſec. niſi quod is, *ut videndum eſt*. Gryphii membranæ, *nec quidquam adeſt ut invidendum vel intendendum judicium nobis*. Lambiniani duo: *nec quidquam aliud, eſt enim enitendum nobis*.

9. *Contra omnes dicere qui ſcire ſibi videntur.*] Sic Palat. prim. & Gryphii vetus. at ſecun. *dicere quæ videntur*, quod expreſſit editio Victorii, ſequiturque Sturmiana. Paullus Manutius adhæret, ut & nos olim vulgatis.

10. *Noſtra quidem cauſa facilis eſt.*] Retinui Victorii lectionem, confirmatam Pall. noſtris. alii edidere, *facilior eſt*.

11. *Dicendo & audiendo eliciant.*] Lambinus ejecit, *& audiendo*, fide, inquit, mſſ. neque aliter videbatur facturus Gulielmius: verùm cùm noſtrum illud exſtet in Pall. in T. & Victor. item editionibus omnium; exprimat velim nobis Lambinus, quinam ſint veteres ejus libri, aut quales.

ulla cogimur. Nam ceteri primùm antè tenentur adſtricti, quam, quid eſſet optimum, judicare potuerunt: deinde INFIRMISSIMO TEMPORE ÆTATIS aut obſecuti amico cuidam, aut una alicujus, quem primum audierunt, oratione capti, de rebus incognitis judicant, & ad quamcumque ſunt diſciplinam quaſi tempeſtate delati, ad eam, tanquam ad ſaxum, adhæreſcunt. Nam quòd dicunt omnia ſe credere ei quem judicent fuiſſe ſapientem: probarem, ſi id ipſum rudes & indocti judicare potuiſſent: (*Statuere enim qui ſit ſapiens, vel maximè videtur eſſe ſapientis*) [1] ſed, ut potuerunt, omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum ſententiis, judicaverunt: aut re ſemel audita ad unius ſe auctoritatem contulerunt. Sed neſcio quo modo PLERIQUE ERRARE MALUNT, eamque ſententiam, quam adamaverunt, pugnaciſſimè defendere, quàm ſine pertinacia, quid conſtantiſſimè dicatur, exquirere. Quibus de rebus & alias ſæpè nobis multa quæſita & diſputata ſunt, & quondam in Hortenſii villa, quæ eſt ad Baulios, cùm eò Catulus, & Lucullus, noſque ipſi poſtridie veniſſemus, quàm apud Catulum fuiſſemus. quò quidem etiam maturiùs venimus, quòd erat conſtitutum, ſi ventus eſſet, Lucullo in Neapolitanum, mihi in Pompejanum navigare. Cùm igitur pauca in Xyſto locuti eſſemus, tum eodem in ſpacio
4 conſedimus. Hic Catulus, Etſi heri, inquit, id, quod quærebatur, pænè explicatum eſt, [2] ut tota ferè quæſtio tractata videatur; tamen exſpecto ea, quæ te pollicitus es, Lucullo, ab Antiocho audita, dicturum. Equidem, inquit Hortenſius, feci plus, quàm vellem: [3] totam enim rem Lucullo integram ſervari oportuit. & tamen fortaſſe ſervata eſt. à me enim ea quæ in promtu erant dicta ſunt: à Lucullo autem [4] reconditiora deſidero. Tum ille, Non ſanè, inquit Hortenſi, conturbat me exſpectatio tua; etſi nihil eſt iis, qui placere volunt, *tam adverſarium:* ſed quia non laboro, quàm valde ea, quæ dico, probaturus ſim, eo minùs conturbor. dicam, enim, nec mea, nec ea, [5] in quibus, ſi non fuerint, non vinci me malim, quàm vincere. Sed mehercule, ut quidem nunc ſe cauſa habet, etſi heſterno ſermone [6] labefacta eſt, mihi tamen videtur eſſe veriſſima. Agam igitur ſicut Antiochus agebat. nota enim mihi res eſt. nam & *vacuo animo* illum audiebam, & *magno ſtudio*, eadem de re etiam *ſæpius:* ut etiam majorem exſpectationem mei faciam, quam modò fecit Hortenſius. Cùm ita eſſet exorſus, ad audiendum animos ereximus. At ille, Cùm Alexandriæ pro quæſtore, inquit, eſſem, fuit Antiochus mecum, & erat jam antea Alexandriæ familiaris Antiochi Heraclitus Tyrius: qui & Clitomachum multos annos, & Philonem audierat, homo ſanè in iſta philoſophia, quæ nunc propè *dimiſſa revocatur*, probatus, & nobilis: cum quo & Antiochum ſæpe diſputantem audiebam: ſed utrumque leviter. Et quidem iſti libri duo Philonis, de quibus heri dictum à Catulo eſt, tum erant allati Alexandriam, tumque primùm in Antiochi manus venerant: & homo natura leniſſimus (nihil enim poterat fieri illo mitius) *ſtomachari tamen* cœpit. Mirabar. neque enim unquam antea videram. At ille Heracliti memoriam implorans, quærere ex eo, viderenturne illa Philonis, aut ea num vel è Philone, vel ex ullo Academico audiviſſet aliquando? negabat. Philonis tamen *ſcriptum agnoſcebat:* nec id quidem dubitari poterat. nam [7] aderant mei familiares, & docti homines, P. & C. Selii, & [8] Tetrilius Rogus: qui ſe illa audiſſe Romæ de Philone, & ab eo ipſo illos duos libros dicerent deſcripſiſſe. Tum & illa dixit Antiochus, quæ heri Catulus commemoravit à patre ſuo dicta Philoni, & alia plura: nec ſe tenuit, quin contra ſuum doctorem [9] librum etiam ederet, [10] qui, Soſus, inſcribitur. Tum igitur & cùm Heraclitum ſtudioſè audirem contra Antiochum diſſerentem, & item Antiochum contra Academicos, dedi Antiocho *operam diligentiùs*, ut cauſam ex eo totam cognoſcerem. Itaque compluresdies, adhibito Heraclito, doctiſque compluribus, & in his Antiochi fratre Ariſto, & præterea Ariſtone, & Dione: quibus ille ſecundum fratrem plurimum tribuebat: multum temporis in iſta una diſputatione conſumſimus. Sed ea pars, quæ contra Philonem erat, prætermittenda eſt. minùs enim acer eſt adverſarius is, qui iſta, quæ ſunt heri defenſa, negat Academicos omnino dicere. Etſi enim mentitur, tamen eſt *adverſarius lenior*. Ad Arceſilam, Carneademque veniamus. Quæ cùm dixiſſet, ſic rurſus exorſus eſt: Pri- 5
mùm mihi videmini (me autem nomine appellabat) cùm veteres phyſicos nominatis, facere idem, quod *ſeditioſi cives* ſolent, cùm aliquos ex antiquis claros viros proferunt, quos dicant fuiſſe populareis, ut eorum ipſi ſimiles eſſe videantur. [11] Repetunt jam P. Valerium, qui exactis regibus, primo anno conſul fuit: commemorant reliquos, qui leges populareis DE PROVOCATIONIBUS tulerint, cùm conſules eſſent: tum ad hos notiores, C. Flaminium, qui legem agrariam aliquot annis ante ſecundum Punicum bellum tribunus pleb. tulerit, invito ſenatu, & poſtea bis conſul factus ſit. [12] L. Caſſium, Q. Pompejum illi quidem, etiam P. Africanum referre in eundem numerum ſolent. Duos verò ſapientiſſimos, & clariſſimos fratres, P. Craſſum, & P. Scævolam, aiunt T. Graccho *auctores legum fuiſſe*, [13] alterum quidem, ut videmus, palàm: alterum, ut ſuſpi-

1. *Sed, ut potuerunt, omnibus.*] Lambinus multa verba & addit & mutat, ideoque eum reprehendit Muretus lib. VII. Var. lect. cap. 18. alterque graſſatur ad Medicinam. etiam P. Manutius accurrit huic agro, minime ægrotanti; ſi quid modò ſentio. proque ſano habuit etiam Gulielmius; annotato: Judicare, ait, qui ſit ſapiens maxime ſapientis eſt: quod certe ii qui adoleſcentes, certam Philoſophiæ ſectam ſecuti ſunt, facere non potuerunt; ſed quod potuerunt, hoc fecerunt, ut exploratis diligenter examinatiſque rationibus, pro captu ſuo judicarint.

2. *Ut tota ferè quæſtio tractata videatur.*] Videri hæc poterant eſſe ſpuria, certe ſuperflua, niſi comparerent in omn. mſſ.

3. *Totam enim rem Lucullo integram.*] Non temerarium eſt, quod Pal. & S. Vict. cod. ſervent *Catulo integram*. examinabunt otioſiores.

4. *Reconditiora deſidero.*] Liber S. Victoris non agnoſcit ſyllabam primam vocis primæ, quod placet Gulielmio, ut *condita* veniſſe opponantur iis quæ *in promptu*. ego nihil tribuo uni manuſcripto, niſi ratio pro eo tota etiam militet. quæ cum non abeat à vulgato, id retineo.

5 *In quibus ſi non fuerint, non vinci me malim.*] Lambinus interjecit, *ſi erunt vera*. ex mſſ. quos gloſſa fœdatos aſſerit Gulielmius. vocem enim eam elegantius ſubintelligi. ſic Lælio: *ſunt iſta Læli. neque enim vir melior Africano, &c.* & verò non eſt verbi in membranis meis, aut S. Vict. quibus ſi auſcultamus, jugulandum *non* alterum: reſcribendum, inquam, *in quibus ſi non fuerint, vinci me malim.*

6. *Labefacta eſt.*] Sic S. Victoris, ſic Pall. neque aliter editi à Victorio, quem ſtatim deſeruit Sturmius, revocavitque vulgatum, *labe afflata*, cui & adraſere magiſtelli ceteri.

7. *Aderant mei familiares, & docti homines.*] Copula non eſt in S. Vict. habetque Pal. ſecund. *familiares, docti omnes*, quod placet.

8. *Tetrilius Rogus.*] Lambinus publicavit *Tertullius Rogus*. maluiſſem ego *Tetrinius*. verum cùm exſtet in Pal. prim. *Creticius*, in S. Victoris *Crecilius*, videndum an non fuerit *C. Racilius* ut conjecerat Gulielmius.

9. *Librum etiam ederet.*] Sic omnes edd. ante Lambinum. qui è ſuis produxit, *edidit*, quod in libro S. Victoris. alterum hæret in Pall. neque quid habet vitii.

10. *Qui Solus inſcribitur.*] At reperi in Pall. eratque in T. & Victor. *Solus*. quod an alludat ad Ciliciæ urbem, viderint curis ſoluti. mihi ſatis eſt indicaſſe lectionem librorum plutealiorum.

11. *Repetunt jam P. Valerium.*] Sic Pall. noſtri. ſic omnes edd. ante Lambinum, qui obtrudit nobis, *jam à P. Valerio*, quod inveniſſet in ſuis, *jam P. Valerio*. quomodo etiam habet exemplar S. Victoris. Brutus tamen affirmat ſe Lambinianam lectionem offendiſſe in mſ. Gryphii. fides ſit penes auctorem. quippe non tam mihi diſplicet lectio recepta vulgo, quàm illud *jam*.

12. *L. Caſſium, Q. Pompejum illi quidem; etiam P. Africanum referre, &c.*] Ita Pall. legunt, diſtinguit verò præterea primus, nec longe ſecus editio Victorii, nempe; *L. Caſſium. Q. Pompejum illi quidem, etiam, &c.* vulgatiores interpunxerant; *L. Caſſium, Q. Pompejum. illi quidem etiam, &c.* Lambinus ab ultimis iſtis nihil recedit, niſi quod interſerat vocem. *Pompejum atque illi quidem etiam P. &c.*

13. *Alterum quidem, ut videmus palam, alterum, ut ſuſpicamur obſcurius.*] Cum mſſ. varient in illo *ſuſpicamur*, habeantque nonnulli *ſuſpicantur*; ſuſpicor legi poſſe, *alterum quidem palam, alterum obſcurius*, expunctis ceteris, tanquam annotamento interpretum.

ſuſpicamur, obſcuriùs. Addunt etiam C. Marium. & de hoc quidem nihil mentiuntur. horum nominibus tot virorum atque tantorum expoſitis, *eorum ſe inſtitutum ſequi* dicunt. [1] Similiter vos cùm perturbare, ut illi rempublicam, ſic vos philoſophiam bene jam conſtitutam velitis, Empedoclem, Anaxagoram, Democritum, Parmenidem, [2] Xenophanem, Platonem etiam, & Socratem profertis. Sed neque Saturnius (ut noſtrum inimicum potiſſimùm nominem) ſimile quidquam habuit veterum illorum, nec Arceſilæ calumnia conferenda eſt cum Democriti verecundia. Et tamen iſti phyſici raro admodum, cùm hærent aliquo loco, exclamant [3] quaſi mente incitati: Empedocles quidem, ut interdum mihi furere videatur: *abſtruſa eſſe omnia, nihil nos ſentire, nihil cernere: nihil omnino, quale ſit, poſſe reperire.* Majorem autem partem mihi quidem omnes iſti videntur nimis etiam quædam affirmare, *pluſque profiteri ſe ſcire, quàm ſciant.* Quòd ſi illi tum in novis rebus, quaſi modò naſcentes, hæſitaverunt, nihilne tot ſeculis, ſummis ingeniis, maximis ſtudiis, explicatum putamus? nonne, cùm jam philoſophorum diſciplinæ graviſſimæ conſtitiſſent, [4] tum exortus eſt; ut in optima repub. T. Gracchus, qui otium perturbaret; ſic Arceſilas, qui conſtitutam philoſophiam everteret, & *in eorum auctoritate deliteſceret*, qui negaſſent quidquam ſciri, aut percipi poſſe? quorum è numero tollendus eſt & Plato, & Socrates: alter, quia reliquit perfectiſſimam diſciplinam, Peripateticos, & Academicos, nominibus differenteis, re congruenteis: à quibus Stoici ipſi verbis magis, quàm ſententiis diſſenſerunt. Socrates autem de ſe ipſe detrahens in diſputatione, plus tribuebat iis, quos volebat refellere. Ita cùm [5] aliud diceret, atque ſentiret, libenter uti ſolitus eſt ea *diſſimulatione*, quam Græci εἰρωνείαν vocant: quam ait etiam in Africano fuiſſe Fannius: idque propterea vitioſum in illo non
6 putandum, quòd idem fuerit in Socrate. Sed fuerint illa vetera, ſi vultis, incognita. Nihilne eſt igitur actum, quòd inveſtigata ſunt, poſteaquàm Arceſilas Zenoni, ut putatur *obtrectans*, nihil novi reperienti, ſed emendanti ſuperiores, immutatione verborum, dum hujus definitiones labefactare vult, conatus eſt *clariſſimis rebus tenebras obducere?* Cujus primò non admodum probata ratio, quamquam floruit cùm acumine ingenii, tum admirabili quodam lepôre dicendi, proximè à Lacide ſolo retenta eſt: poſt autem conficta à Carneade, qui eſt quartus ab Arceſila. [6] audivit enim Egeſinum, qui Evandrum audierat, Lacydis diſcipulum, cùm Arceſilæ Lacydes fuiſſet. Sed ipſe Carneades diu tenuit. nam *nonaginta vixit annos:* & qui illum audierant, admodum floruerunt; è quibus induſtriæ plurimum in Clitomacho fuit: declarat multitudo librorum: [7] ingenii non minus in hoc, quàm in Carneade eloquentiæ, in Melanthio Rhodio ſuavitatis. Bene autem noſſe Carneadem [8] Stratoniceus Metrodorus putabatur. Jam Clitomacho [9] Philo veſter operam multos annos dedit. Philone autem vivo patrocinium Academiæ non defuit. Sed, quod [10] nos facere nunc ingredimur, ut contra Academicos diſſeramus: id quidam è Philoſophis, & ii quidem non mediocres, faciendum omnino non putabant: [11] nec verum eſſe, *ullam rationem diſputare cum iis, qui nihil probarent:* Antipatrumque Stoicum, qui multus in eo fuiſſet, reprehendebant: nec definiri ajebant neceſſe eſſe, quid eſſet *cognitio*, aut *perceptio*, aut, ſi verbum è verbo volumus, *comprehenſio*, quam κατάληψιν illi vocant: eoſque, qui perſuadere vellent, eſſe aliquid, quod comprehendi & percipi poſſet, inſcienter facere dicebant, propterea quod nihil eſſet clarius ἐναργείας, ut Græci *perſpicuitatem*, aut *evidentiam* nos, ſi placet, nominemus: fabricemurque, ſi opus erit, verba; ne hic ſibi (me appellabat jocans) hoc licere putet ſoli. Sed tamen orationem nullam putabant illuſtriorem [12] ipſa *evidentia* reperiri poſſe, nec ea, quæ tam clara eſſent, definienda cenſebant. Alii autem negabant ſe pro hac evidentia quidquam priores fuiſſe dicturos: ſed ad ea, quæ contra dicerentur, dici oportere putabant; ne qui fallerentur. Plerique tamen & definitiones ipſarum etiam evidentium rerum non improbant: & *rem idoneam*, de qua quæratur, & [13] *homines dignos*, quibuſcum diſſeratur putant. Philo autem, dum nova quædam commovet, quòd ea ſuſtinere vix poterat, quæ contra Academicorum pertinaciam dicebantur, & apertè mentitur, ut eſt reprehenſus à patre Catulo, &, ut docuit Antiochus, *in id ipſum ſe induit, quod timebat.* Cùm enim ita negaret quidquam eſſe, quod comprehendi poſſet (id enim volumus eſſe [14] ἀκατάληπτον) illud eſſet, ſicut Zeno definiret, tale viſum (jam enim hoc pro φαντασίᾳ verbum ſatis heſterno ſermone trivimus) viſum igitur impreſſum, effictumque ex eo, unde eſſet, quale eſſe non [15] poſſet, ex eo, unde non eſſet: id nos à Zenone definitum rectiſſimè dicimus. qui enim poteſt quidquam comprehendi, ut planè confidas, id perceptum, cognitumque eſſe, quod eſt tale, quale vel falſum eſſe poſſit; hoc cùm infirmat, tollitque Philo, judicium tollit incogniti, & cogniti. ex quo efficitur, nihil poſſe comprehendi. ita imprudens eò, quò minimè vult, revolvitur. Quare omnis oratio contra Academiam ſuſcipitur à nobis, ut retineamus eam definitionem, quam Philo voluit evertere. quam niſi obtinemus, percipi nihil poſſe concedimus. Ordiamur igitur à ſenſibus. quorum ita clara
judicia, & certa ſunt, ut ſi optio naturæ noſtræ detur, & 7
ab ea Deus aliquis requirat, *contentáne ſit ſuis, integris, incorruptiſque ſenſibus, an poſtulet melius aliquid:* non videam, quid quærat amplius. Neque verò hoc loco exſpectandum

1. *Similiter vos.*] Victorii editio *ſimile vos.* quomodo S. Victoris & Pal. ſec. nam pr. *ſimiles vos.* fere eſt utramque vocem habeam pro adulterina. iis ſanè deletis, belle reliqua procedunt.

2. *Xenophanem.*] Pall. duo *Zenonem.* ut & Aldi ſenioris editio. S. Victoris *Xenophontem.*

3. *Quaſi mente incitati.*] S. Victoris liber, *citati*, quod videtur probaſſe Gulielmius. ego adhæreo publicatis, cui & favent Pall.

4. *Tum exortus eſt, ut in optima, &c.*] Ita Pall. ut & vetuſtè impreſſi. nam Victorius, *tum ut exortus eſt in opt.* Lambinus edidit, *ut exortus eſt in opt.* ſicque eſſe in Gryphiano codice prodit Brutus, in S. Victoris Gulielmius.

5. *Aliud diceret, aliud ſentiret.*] Codex S. Victoris, *aliud agnoſceret, aliud ſentiret;* hoc eſt, inquit Gulielmius, *probaret*, ac præ ſe ferret. Terentius: *non agnoſco iſtud veſtrum tam ſuperbum.* equidem vereor, ne manus Gulielmii erraverit, ſcribendumque ſit, *aliud diceret, aliud agnoſceret.* Palatini noſtri nihil mutant.

6. *Audivit enim Egeſinum.*] Sic olim cuſi, ſic Pall. neque aliter vocatur Laërtio. male Lambinus & Brutus, *Egeſimum.*

7. *Ingenii non minus in hoc quàm in Carneade eloquentiæ.*] Locum arguit mendæ librorum diſſonantia. Pal. ſecun. non agnoſcit illud, *in Carneade.* S. Victoris ferè habet: *ingenii hac nonne in Charmiada.* ex quo fingebat Gulielmius; *ingenii non minus in Æmone; in Charmida eloquentia.* nam de Carneade non loquitur, ſed diſcipulo ejus aliquo.

8. *Stratoniceus Metrodorus putabatur.*] Sic quidem Palat. ſecun. ſed prim. ſolummodò præfert, *Strato Nicæus putabatur.*

9. *Philo veſter.*] Pall. & S. Victoris *noſter* revocandumque putaſſem, niſi alterum pertinaciter perſtaret in omnibus edd.

10. *Nos facere nunc ingredimur.*] S. Victoris *adgredimur*, & ita Lambiniani. prius tamen reſtat in Pall. edd.que omnibus.

11. *Nec verum eſſe, ullam rationem diſp.*] Sic editio Aldi ſenioris, ſic Victorii. nec aliter Gryphii mſ. aut Palat. pr. nam ſecun. *veram.* P. Manutius ſecutus unum Maffæi librum edidit; *nec vero eſſe.* Lambinus è duobus codicibus, (ſed apud quos viſos, aut ubi repperiundos ſubticet) repoſuit, *nec verum eſſe diſp.* ejectis, *ullam rationem.* Maſculè.

12. *Ipſa evidentia reperiri poſſe.*] Voces duæ poſtremæ ſine damno ſententiæ tolli poterant.

13. *Homines quibuſcum diſſeratur.*] Pal. pr. *diſſerant.* poteratque admitti, niſi ſtatim ſequeretur *putant.*

14. Ἀκατάληπτον.] Turnebus lib. VII. Adverſ. cap. I. reponendum putat κατάληπτον. ſed invitis mſſ. noſtris tribus. videantur & notæ Lambini.

15. *Poſſet ex eo unde non eſſet.*] Sic Pall. duo, ſic editiones Victorii & Paulli Manutii. nam patris ejus amplius, *poſſet, ut ex eo &c.* quod Sturmius aliique in hunc uſque diem retinuerunt, ſed præter mſſ. Lambinus ſuo more, multa addidit, multa abſtulit, nimis licenter.

ſtandum eſt, dum de remo inflexo, aut de collo columbæ reſpondeam. non enim is ſum, [1] qui *quidquid videtur, tale dicam eſſe, quale videatur.* Epicurus hoc viderit, & multa alia. meo autem judicio ita eſt MAXIMA in ſenſibus veritas, ſi & ſani ſunt, & valentes, & omnia removentur, quæ obſtant, & impediunt. itaque & lumen mutari ſæpe volumus, & ſitus earum rerum, quas intuemur, & intervalla aut contrahimus, aut diducimus: multaque facimus uſque eò, dum *adſpectus ipſe fidem faciat ſui judicii.* quod idem fit in vocibus, in odore, in ſapore: ut nemo ſit noſtrûm [2] qui non in ſenſibus ſui cujuſque generis judicium requirat acrius. adhibita verò exercitatione, & arte, ut oculi pictura teneantur, & aures cantibus, quis eſt quin cernat, quanta vis ſit in ſenſibus? quàm multa vident *pictores* in umbris, & in eminentia, quæ nos non videmus? quàm multa, quæ nos fugiunt *in cantu*, exaudiunt in eo genere exercitati? qui primo inflatu tibicinis *Antiopam* eſſe ajunt, aut *Andromacham*, cùm id nos ne ſuſpicemur quidem. nihil neceſſe eſt de *guſtatu*, & *odoratu* loqui. in quibus intelligentia, etſi vitioſa, eſt quædam tamen. quid de *tactu*, & eo quidem, quem philoſophi interiorem vocant, aut doloris, aut voluptatis? in quo Cyrenaici ſolo putant veri eſſe judicium, quia ſentiatur. Poteſtne igitur quiſquam dicere, inter eum, qui doleat, & inter eum, qui in voluptate ſit, nihil intereſſe? aut, ita qui ſentiat, non apertiſſimè inſaniat? atqui qualia ſunt hæc, quæ ſenſibus percipi dicimus? talia ſequuntur ea, quæ non ſenſibus ipſis percipi dicuntur, ſed quodam modo ſenſibus: ut hæc: illud eſt *album*, hoc *dulce*, *canorum* illud, hoc *bene olens*, hoc *aſperum*. animo jam hæc tenemus comprehenſa, non ſenſibus. ille deinceps *equus* eſt, ille *canis*. cetera ſeries deinde ſequitur, majora nectens, ut hæc, quæ quaſi expletam rerum comprehenſionem amplectuntur, *ſi homo eſt, animal eſt mortale, rationis particeps.* quo è genere nobis notitiæ rerum imprimuntur: ſine quibus nec intelligi quidquam, nec quæri aut diſputari poteſt. quòd ſi eſſent falſæ notitiæ (ἐννοίας enim *notitias* appellare tu videbare) ſi igitur eſſent hæ falſæ, aut ejuſmodi viſis impreſſæ, qualia viſa à falſis diſcerni non poſſent: quo tandem his modo uteremur: quo modo autem, quid cuique rei conſentaneum eſſet, quid repugnaret, videremus? *memoriæ* quidem certe, quæ non modò philoſophiam, ſed omnis vitæ uſum, omneiſque arteis una maximè continet, nihil omnino loci relinquitur. quæ poteſt enim eſſe *memoria falſorum*? aut quid quiſquam *meminit*, quod non animo comprehendit, & tenet? *ars* verò quæ poteſt eſſe, niſi quæ non ex una, aut duabus, ſed ex multis animi perceptionibus conſtat? quam ſi ſubtraxeris, quî diſtingues artificem ab inſcio? non enim fortuitò hunc *artificem* dicemus eſſe, illum negabimus: ſed cùm alterum percepta, & comprehenſa tenere videmus, alterum non item. cùmque artium aliud ejuſmodi genus ſit, ut tantummodò animo rem cernat: aliud, ut moliatur aliquid & faciat: quo modo aut *geometres* cernere ea poteſt, quæ aut nulla ſunt, aut internoſci à falſis non poſſunt: aut is, qui *fidibus utitur*, explere numeros, & conficere verſus? quod idem in ſimilibus quoque artibus continget: quarum omne opus eſt in faciendo, atque agendo. QUID ENIM eſt, quod arte effici poſſit, niſi is, qui ar-
8 tem tractabit, multa perceperit? Maximè verò virtutum cognitio confirmat, percipi, & comprehendi multa poſſe. in quibus ſolis ineſſe etiam *ſcientiam* dicimus, quam nos non comprehenſionem modò rerum, [3] ſed eam ſtabilem quoque atque immutabilem eſſe cenſemus: itemque *ſapientiam*, artem vivendi, quæ ipſa ex ſeſe habeat conſtantiam. ea autem conſtantia ſi nihil habeat percepti, & cogniti, quæro, *unde* ILLE VIR BONUS qui ſtatuit omnem cruciatum perferri, intolerabili dolore lacerari potiùs, quàm aut officium prodat, aut fidem, cur has ſibi tam graveis leges impoſuerit, cùm, quamobrem ita oporteret, nihil haberet comprehenſi, percepti, cogniti, conſtituti? Nullo igitur modo fieri poteſt, ut quiſquam tanti æſtimet æquitatem, & fidem, ut ejus conſervandæ cauſa nullum ſupplicium recuſet, niſi iis rebus aſſenſus ſit, quæ falſæ eſſe non poſſunt. Ipſa verò SAPIENTIA, ſi ſe ignorabit, ſapientia ſit, necne; quo modo primùm obtinebit nomen ſapientiæ; deinde quo modo ſuſcipere aliquam rem, aut agere fidenter audebit, cùm certi nihil erit, quod ſequatur? cùm verò dubitabit, quid extremum, & ultimum bonorum, ignorans, quò omnia referantur, quî poterit eſſe ſapientia? Atque etiam illud perſpicuum eſt, conſtitui neceſſe eſſe *initium*, quod ſapientia, cùm quid agere incipiat, ſequatur: idque initium, eſſe naturæ accommodatum. nam aliter *appetitio*, (eam enim eſſe volumus ὁρμὴν) qua ad agendum impellimur, & id appetimus, quod eſt viſum, moveri non poteſt. illud autem, quod movet, priùs oportet videri, eique credi: quod fieri non poteſt, ſi id, quod viſum erit, diſcerni non poterit à falſo. Quo modo autem moveri animus ad appetendum poteſt, ſi id, quod videtur, non percipitur, accommodatumne naturæ ſit, an alienum? Itemque, ſi, quid *officii ſui* ſit, non occurrit animo, nihil umquam omnino aget, ad nullam rem umquam impelletur, numquam movebitur. quòd ſi aliquid aliquandò acturus eſt, neceſſe eſt id ei verum, quod occurrit, videri. Quid? quòd, ſi iſta vera ſunt, *ratio* omnis tollitur, quaſi quædam *lux, lumenque vitæ?* tamenne in iſta pravitate perſtabitis? nam quærendi initium ratio attulit: quæ perfecit virtutem, cùm eſſet ipſa ratio confirmata quærendo. quæſtio autem, eſt appetitio cognitionis: quæſtioniſque finis, inventio. At *nemo invenit falſa:* nec ea, quæ incerta permanent, inventa eſſe poſſunt: ſed, cùm ea, quæ quaſi involuta fuerunt, aperta ſunt, tum inventa dicuntur. ſic & initium quærendi, & exitus percipiendi, & comprehendendi tenet. itaque argumenti concluſio, quæ eſt Græcè ἀπόδειξις, ita definitur: *Ratio, quæ ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit.* Quòd ſi omnia 9
viſa ejuſmodi eſſent, qualia iſti dicunt, ut ea vel falſa eſſe poſſent, neque ea poſſet ulla notio diſcernere: quo modo quempiam aut concluſiſſe aliquid, aut inveniſſe diceremus? aut quæ eſſet concluſi argumenti fides? Ipſa autem philoſophia, *quæ rationibus progredi debet*, quem habebit exitum? ſapientiæ verò quid futurum eſt? quæ *neque de ſe ipſa dubitare* debet, neque de ſuis decretis, quæ philoſophi vocant δόγματα: quorum nullum ſine ſcelere prodi poterit. cùm enim decretum proditur, lex veri, rectique proditur. quo è vitio & amicitiarum proditiones, & rerum publicarum naſci ſolent. Non poteſt igitur dubitari, quin *decretum nullum falſum poſſit eſſe*, [4] ſapientique ſatis ſit, non eſſe falſum, ſed etiam ſtabile, fixum, ratum eſſe debeat: quod movere nulla ratio queat. talia autem neque eſſe, neque videri poſſunt eorum ratione, qui illa viſa, è quibus omnia decreta ſunt nata, negant quidquam à falſis intereſſe. Ex hoc illud eſt natum, quod poſtulabat Hortenſius, ut id ipſum ſaltem perceptum à ſapiente diceretis, *nihil poſſe percipi.* Sed Antipatro hoc idem poſtulanti, cùm diceret,

1. *Qui quidquid videtur.*] Ita quidem editus ab Aldis; ſed Victoriana *videatur*. neque aliter Pall.

2. *Qui non in ſenſibus.*] Lambinus indicavit quibuſdam mſſ. abeſſe negativam; cumque abeſſet item membranis S. Victoris, delendam cenſebat Gulielmius. habent tamen Palatini, & videtur prorſus neceſſaria.

3. *Sed eam ſtabilem quoque atque.*] Sic Pall. noſtri, ſic editio Victorii, quam tamen nemo ſecutus eſt; contenti vulgato, *ſed etiam ſtabilem atque.*

4. *Sapientique ſatis ſit non, &c.*] Pall. & liber S. Victoris *ſapientiſque.* P. Manutius, & poſtea Lambinus adhuc alteram negativam textui interſeruere, ex uno mſ. *ſap. ſatis non ſit, non, &c.* ex ſupervacuo: idem enim ſenſus reſultat ex vulgato; inquit Gulielmius.

1. Ei

ceret, ei, [1] qui affirmaret nihil poſſe percipi, conſentaneum eſſe unum tamen illud dicere percipi poſſe, ut alia non poſſent, Carneades acutiùs reſiſtebat. nam tantum abeſſe dicebat, ut id conſentaneum eſſet, ut maximè etiam repugnaret. qui enim negaret *quidquam eſſe, quod perciperetur*, eum nihil excipere. ita neceſſe eſſe, ne id ipſum quidem, quod exceptum non eſſet comprehendi, & percipi ullo modo poſſe. Antiochus ad iſtum locum preſſiùs videbatur accedere. quoniam enim id haberent Academici *decretum* (ſentitis enim jam hoc me δόγμα dicere) nihil poſſe percipi, non debere eos in ſuo decreto, ſicut in ceteris rebus, fluctuare, præſertim cùm in eo ſumma conſiſteret. hanc enim eſſe REGULAM TOTIUS PHILOSOPHIÆ, conſtitutionem veri, falſi, cogniti, incogniti: quam rationem quoniam ſuſciperent, docereque vellent, quæ à quovis accipi oporteret, & quæ repudiari, certè hoc ipſum ex quo omne *veri, falſique judicium* eſſet, percipere eos debuiſſe. etenim duo eſſe hæc maxima in philoſophia, IUDICIUM VERI, & FINEM BONORUM, nec ſapientem poſſe eſſe, qui aut [2] cognoſcendi eſſe initium ignoret, aut extremum expetendi, ut aut unde proficiſcatur, aut quò perveniendum ſit, neſciat. hæc autem habere dubia, neque his ita confidere, ut moveri non poſſint, abhorrere à ſapientia plurimùm. Hoc igitur modo potiùs erat ab his poſtulandum, ut hoc unum ſaltem, *percipi nihil poſſe*, perceptum eſſe dicerent. Sed de inconſtantia totius illorum ſententiæ, ſi ulla ſententia cujuſquam eſſe poteſt nihil approbantis, [3] ſit, ut
10 opinor, dictum ſatis. Sequitur diſputatio copioſa illa quidem, ſed paulo abſtruſior. habet enim aliquantum à phyſicis: ut verear, ne majorem largiar ei, qui contrà dicturus eſt, libertatem, & licentiam. nam quid eum facturum putem de abditis rebus, & obſcuris, qui *lucem eripere* conetur? Sed diſputari poterat ſubtiliter, quanto quaſi artificio natura fabricata eſſet primùm *animal omne*: [4] deinde *hominem* maximè: quæ vis eſſet in *ſenſibus*: quemadmodum *prima viſa* nos pellerent: deinde appetitio ab his pulſa ſequeretur: tum ut ſenſus ad res percipiendas intenderemus. Mens enim ipſa, quæ *ſenſuum fons* eſt, atque etiam ipſa ſenſus eſt, naturalem vim habet, quam intendit ad ea, quibus movetur. itaque alia viſa ſic arripit, ut his ſtatim utatur: [5] aliqua ſic recondit; è quibus memoria oritur. cetera autem ſimilitudinibus conſtituit: ex quibus efficiuntur notitiæ rerum: quas Græci tum ἐννοίας, tum προλήψεις vocant. eò cùm acceſſit *ratio*, argumentique concluſio, rerumque innumerabilium multitudo, tum & perceptio eorum omnium apparet, & eadem ratio perfecta his gradibus, ad ſapientiam pervenit. Ad rerum igitur ſcientiam, vitæque conſtantiam aptiſſima cùm ſit mens hominis, amplectitur maximè cognitionem: [6] & iſtam κατάληψιν, quam, ut dixi, verbum è verbo exprimentes *comprehenſionem* dicemus, cùm ipſam per ſe amat (nihil eſt enim ei *veritatis luce* dulcius) tum etiam propter uſum. quocirca & ſenſibus utitur: & arteis efficit, quaſi ſenſus alteros: & uſque eò philoſophiam ipſam corroborat, ut virtutem efficiat, ex qua re una vita omnis apta ſit. Ergo hi, qui negant quidquam poſſe comprehendi, hæc ipſa eripiunt vel inſtrumenta, vel ornamenta vitæ: vel potiùs etiam *totam vitam evertunt* funditùs, ipſumque animal orbant animo: ut difficile ſit de temeritate eorum, perinde ut cauſa poſtulat, dicere. Nec verò ſatis conſtituere poſſum, quod ſit eorum conſilium, aut quid velint. Interdum enim cum adhibemus ad eos orationem hujuſmodi: *Si ea, quæ diſputentur, vera non ſint, tum omnia fore incerta:* reſpondent, *Quid ergo iſtud ad nos?* num noſtra culpa eſt? naturam accuſa, quæ in profundo veritatem, ut ait Democritus, penitùs abſtruſerit. Alii autem elegantiùs, qui etiam queruntur, quod eos inſimulemus *omnia incerta dicere:* quantumque interſit inter *incertum*, & id quod *percipi non poſſit*, docere conantur, eaque diſtinguere. Cum his igitur agamus, qui hæc diſtinguunt: illos, qui omnia ſic incerta dicunt, ut, ſtellarum numerus, [7] par, an impar ſit, neſciatur, quaſi deſperatos aliquos relinquamus. volunt enim (& hoc quidem vel maximè animadvertebam vos moveri) probabile aliquid eſſe, & quaſi veriſimile, eaque ſe uti *regula* & in agenda vita, & in quærendo, ac diſſerendo. Quæ iſta regula eſt veri & falſi, ſi notionem veri & 11
falſi, propterea quòd ea non poſſunt internoſci, nullam habemus? nam, ſi habemus, intereſſe oportet, ut inter rectum, & pravum, ſic inter verum, & falſum. ſi nihil intereſt, nulla regula eſt: nec poteſt is, cui eſt viſio veri, falſique communis, ullum habere judicium, aut ullam omninò veritatis notam. nam, cum dicunt, hoc ſe unum tollere, ut quidquam poſſit ita videri, ut non eodem modo falſum etiam poſſit ita videri, cetera autem concedere: faciunt *pueriliter*. quo enim omnia judicantur, ſublato, reliqua ſe negant tollere. ut, ſi quis quem oculis privaverit, dicat, ea, quæ cerni poſſent, non ſe ei ademiſſe. ut enim illa oculis modò cognoſcuntur, ſic reliqua viſis: ſed propria veri, non communi veri, & falſi nota. Quamobrem, ſive tu probabilem viſionem, [8] ſive improbabilem, & quæ non impediatur, ut Carneades volebat, ſive aliud quid proferes, quod ſequare: ad viſum illud, de quo agimus, tibi erit revertendum. in eo autem, ſi erit communitas cum falſo, nullum erit judicium, quia *proprium in communi ſigno notari non poteſt.* ſin autem commune nihil erit: habeo, quod volo. id enim quæro, quod ita mihi videatur *verum*, ut non poſſit idem *falſum* videri. ſimili in errore verſantur, [9] cùm convicti, ac vi veritatis coacti, perſpicua à perceptis volunt diſtinguere, & conantur oſtendere, eſſe aliquid perſpicui, verum illud quidem impreſſum in animo, atque mente, neque tamen id percipi, ac comprehendi poſſe. quo enim modo id perſpicuè dixeris *album* eſſe aliquid, cùm poſſit accidere [10] ut id, quod *nigrum* ſit, album eſſe videatur? aut quo modo iſta aut perſpicua dicemus, aut impreſſa ſubtiliter, cum ſit incertum vere, inaniterve moveatur? Ita neque color neque corpus, nec veritas, nec argumentum, nec ſenſus, neque perſpicuum ullum relinquitur. Ex hoc illud his uſu venire ſolet, ut, quidquid dixerint, à quibuſdam interrogentur: *Ergo iſtuc quidem percipis?* Sed qui ita interrogant, ab his irridentur, non

1. *Ei qui affirmaret nihil, &c.*] Sic à conjectura P. Manutius, quem ſecutus Lambinus alique, contra vett. edd. & mſſ. in quibus, *eique.* habent præterea eædem edd. item Victorii, bis repetitum, *conſentaneum eſſe*; iterum nimirum inter *percipi poſſe, ut alia*; ſic: *percipi poſſe, conſentaneum eſſe.* quod examinabunt minus feſtini.

2. *Cognoſcendi eſſe initium ignoret, &c.*] Vox *eſſe* aliis viſa ſuperflua. Gulielmius transformabat in *ſeſe.*

3. *Sit ut opinor, dictum ſatis.*] Sufficeret ſententiæ vox ultima: certè quatuor reliquæ ſi abſint, oratio fuerit venuſtior.

4. *Deinde hominem maximè: quæ vis, &c.*] Palat. pr. diſtinguit, *deinde hominem: maximè quæ vis, &c.* non omnino abſurdè.

5. *Aliqua ſic recondit; e quibus, &c.*] Sic editi omnes. P. Manutius conjecit, *recondit ut poſtea; è quibus;* aut certe, *aliqua ſibi recondit.* Lambinus oræ adlevit, forte: *recondit, ut ea, cùm opus ſit, depromat: è quibus.* ficulneum auxilium.

6. *Et iſtam κατάληψιν.*] Sic & Pall. editioque Vict. ne forte quis putet provocabulum, *iſtam*, à Lambino primitus redditum auctori.

7. *Par an impar ſit neſciatur.*] Lambinus, tollit vocem poſtremam, conjectura motus; eique viſus adſentire Gulielmius, tanquam item abeſſet libro S. Victoris. exſtat tamen in Pall. & edd. omnibus.

8. *Sive improbabilem, & quæ non impediatur.*] Lambinus beneficio codicum mſſ. ait feliciſſime tranſponere ſe, *& quæ non impediatur, ſive improbabilem*, Pall. ſtant pro vulgatis.

9. *Cum convicti, ac vi veritatis coacti.*] Ita editi à Victorio; cui ſcripturæ proxime accedit Pal. ſecun. ſolummodò enim deſtituitur ſyllaba *vi.* nam prim. ſervat, *ac judicio veritatis coacti*, ut eſt lectio vulgata. Lambinus legit è mſſ. ſuis, *cum judicio veritatis coacti*; neque aliter liber S. Victoris. ſed cùm illum ſæpius compererim inquinatiſſime deſcriptum; haud temere aliquid mutarim. imò ferè mihi perſuadeo; manuſcriptos Lambini, nihil heic aliud eſſe, quam codicem S. Victoris.

10. *Ut id quod nigrum ſit, album eſſe videatur.*] Sic & Pal. ſec. verùm pr. *ut id quidem nigrum ſit, quod album, &c.*

non enim urgent: ut coarguant, neminem ulla de re poſſe contendere, neque aſſeverare, ſine aliqua ejus rei, quam ſibi quiſque placere dicit, certa, & propria nota. [1] Quod eſt igitur iſtuc veſtrum probabile? nam ſi, quod cuique occurrit, & primo quaſi adſpectu probabile videtur, id confirmatur, quid eo levius? ſin ex circumſpectione aliqua, & accurata conſideratione, quod viſum ſit, id ſe dicent ſequi: tamen exitum non habebunt: primùm quia his viſis, inter quæ nihil intereſt, æqualiter omnibus abrogatur fides: deinde, cùm dicant *poſſe accidere ſapienti*, ut, cùm omnia fecerit, diligentiſſimeque circumſpexerit, exiſtat aliquid, quod & veriſimile videatur, & abſit longiſſimè à vero: [2] quo modo, ſi magna parte quidem (ut ſolent dicere) ad verum ipſum, aut quàm proximè accedant, confidere ſibi poterunt? ut enim confidant, notum his eſſe debebit *inſigne veri*. quo obſcuro, & oppreſſo, quod tandem verum ſibi videbuntur attingere? [3] Quid autem tàm abſurdè dici poteſt, quàm cùm ita loquuntur? Eſt *hoc quidem* rei illius ſignum, aut argumentum, & ea re id ſequor: ſed fieri poteſt, ut id quod ſignificatur, aut falſum ſit, aut nihil ſit
12 omnino. Sed de perceptione hactenus. ſi quis enim ea, quæ dicta ſunt, labefactare volet, facilè, etiam abſentibus nobis, *veritas ſe ipſa defendet*. His ſatis cognitis: quæ jam explicata ſunt, nunc de aſſenſione, atque approbatione, quam Græci συγκατάθεσιν vocant, pauca dicemus. non quò non latus locus ſit: ſed paullo antè jacta ſunt fundamenta. [4] nam cùm vim, quæ eſſet in ſenſibus, explicabamus, ſimul illud aperiebatur, comprehendi multa, & percipi ſenſibus: quod fieri *ſine aſſenſione* non poteſt. deinde cùm inter inanimum, & animal, hoc maximè interſit, quòd inanimum nihil agit, animal agit aliquid, (*nihil enim agens ne cogitari quidem poteſt quale ſit*) aut ei ſenſus adimendus eſt: aut ea, quæ eſt in noſtra ſita poteſtate, [5] reddenda aſſenſio. At verò animus quodam modo eripitur his, quos neque ſentire, neque aſſentiri volunt. [6] ut enim NECESSE eſt, lancem in libra, ponderibus impoſitis deprimi: ſic animum perſpicuis cedere: [7] nam, quomodo non poteſt animal ullum non appetere id, quod accommodatum ad naturam appareat: (Græci id οἰκεῖον appellant) ſic non poteſt objectam rem perſpicuam non approbare. quamquam, ſi illa, de quibus diſputatum eſt, vera ſunt, nihil attinet de aſſenſione omnino loqui. qui enim quid percipit, aſſentitur ſtatim. ſed hæc etiam ſequuntur, *nec memoriam ſine aſſenſione poſſe conſtare*, nec notitias rerum, nec arteis: idque quod maximum eſt, ut ſit aliquid in noſtra poteſtate, in eo, qui rei nulli aſſentietur, non erit. Ubi igitur VIRTUS, ſi nihil ſitum eſt in ipſis nobis? Maximè autem abſurdum, vitia in ipſorum eſſe poteſtate, neque peccare quemquam, niſi aſſenſione: hoc idem in virtute non eſſe; cujus omnis conſtantia, & firmitas ex his rebus conſtat, [8] quibus aſſenſa eſt, & quas approbavit: omninoque *antè videri aliquid*, quam agamus, neceſſe eſt: eique, quod viſum ſit, aſſentiatur. quare qui aut viſum, aut aſſenſum tollit, is omnem
13 actionem tollit è vita. Nunc ea videamus, quæ contrà ab his diſputari ſolent. [9] Sed priùs poteſtis, totius eorum rationis quaſi fundamenta cognoſcere. Componunt igitur primùm artem quandam de his, quæ viſa dicimus: eorumque & vim, & genera definiunt: in his quale ſit id, quod percipi, & comprehendi poſſit: totidem verbis, quot Stoici. deinde illa exponunt duo, quæ quaſi contineant omnem hanc quæſtionem: QUÆ ITA VIDEANTUR, ut etiam alia multa eodem modo videri poſſint, nec in his quidquam interſit: non poſſe eorum alia percipi, alia non percipi: nihil intereſſe autem, non modò ſi ex omni parte ejuſdem modi ſint, ſed etiam ſi diſcerni non poſſint. quibus poſitis, unius argumenti concluſione tota ab his cauſa comprehenditur. compoſita autem ea concluſio ſic eſt: EORUM, QUÆ VIDENTUR, [10] alia vera ſunt, alia falſa: & quod falſum eſt, id percipi non poteſt: quod autem verum viſum eſt, id omne tale eſt, ut ejuſdem modi falſum etiam poſſit videri. Et, quæ viſa ſunt ejuſmodi, ut in iis nihil interſit, non poſſe accidere, ut eorum alia percipi poſſint, alia non poſſint. nullum igitur eſt viſum, quod percipi poſſit. Quæ autem ſumunt, ut concludant id quod volunt; ex his duo ſibi putant concedi. neque enim quiſquam repugnat. ea ſunt hæc: *Quæ viſa falſa ſint, ea percipi non poſſe*: & alterum, *Inter quæ viſa nihil interſit, ex his non poſſe alia talia eſſe, ut percipi poſſint, alia ut non poſſint*: reliqua verò, multa, & varia ratione defendunt. quæ ſunt item duo: unum, EORUM, QUÆ VIDEANTUR, alia vera eſſe, alia falſa: alterum, OMNE VISUM, quod ſit à vero, tale eſſe, quale etiam à falſo poſſit eſſe. Hæc duo propoſita non prætervolant, ſed ita dilatant, ut non mediocrem curam adhibeant, & diligentiam. dividunt enim in parteis, & eas quidem magnas: primùm in ſenſus: deinde in ea, quæ ducuntur à ſenſibus, & ab omni conſuetudine: quam obſcurari volunt. tum perveniunt ad eam partem, ut ne *ratione* quidem, & *conjectura* ulla res percipi poſſit. Hæc autem univerſa concidunt etiam minutiùs. Ut enim de ſenſibus heſterno ſermone vidiſtis, item faciunt de reliquis: in ſinguliſque rebus, quas in minima diſpartiunt, volunt efficere, his omnibus, quæ viſa ſint, veris adjuncta eſſe falſa, quæ à veris nihil differant: ea cùm talia ſint nihil poſſe comprehendi. Hanc ego ſubtilitatem, *philoſophia* quidem dignisſimam judico, ſed ab eorum cauſa, qui ita diſſerunt, re- 14
motiſſimam. definitiones enim, & partitiones, & horum luminibus utens oratio, tum ſimilitudines, diſſimilitudineſque, & earum tenuis & acuta diſtinctio, *fidentium eſt hominum*: illa vera, & firma, & certa eſſe, quæ tutentur: non eorum, qui clament, *nihilo magis vera illa eſſe, quàm falſa*. quid enim agant, ſi, cùm aliquid definierint, roget eos quiſpiam, num illa definitio poſſit in aliam transferri quamlibet: ſi poſſe dixerint: [11] (quid enim dicere habeant?) cur illa vera definitio ſit? ſi negaverint: fatendum ſit, quoniam vel illa veri definitio transferri non poſſit in falſum; [12] vel quod ea definitione explicetur, id percipi poſſe: quod minimè illi volunt. eadem dici poterunt in omnibus partibus. Si enim dicent, ea, de quibus diſſerent, *ſe dilucidè perſpicere*, nec ulla communione viſorum impediri: comprehendere ea ſe poſſe fatebuntur. ſin autem negabunt *vera viſa à falſis poſſe diſtingui*, quî poterunt longius progredi? occurretur enim, ſicut occurſum eſt. nam concludi argumen-

1. *Quid eſt igitur iſtuc veſtrum probabile?*] Liber S. Victoris, & Pall. *noſtrum*.

2. *Quomodo, ſi magna parte.*] Neuter Palatinus agnoſcit illud *quo modo*.

3. *Quid autem tam abſurdè, &c.*] Vulgati, *tam obſcurum*, ſed contra Pall. item editos a Victorio.

4. *Nam cum vim, quæ eſſet, &c.*] Aliter Lambinus, ſed contra mſſ. & edd. qui habent vulgatum, niſi quod Pal. prim. *eſſent*. S. vero Victoris excludit ſyllabam *vim* ut videatur poſſe legi: *nam cum quæ eſſent, &c.*

5. *Reddenda aſſenſio.*] Sic & Pall. noſtri. nam in S. Victoris extat *credenda*, quod & in pleriſque vett. reperiſſe ſe annotavit Lambinus, mutatque in *prodenda*.

6. *Ut enim neceſſe eſt lancem in, &c.*] Sic membranæ S. Victoris, ſic Pall. prodideratque dudum etiam ipſe Victorius; ſed nemo veſtigiis ejus inſiſtere voluit, non Sturmius, non alii: maluerunt etenim *neceſſe eſt, ut lancem*, oratione diſtorta.

7. *Nam quomodo non poteſt, &c.*] S. Victoris exemplar non agnoſcit negativam. neque neceſſaria eſt.

8. *Quibus aſſenſa eſt, & quas adprobavit.*] Idem liber *quaſi*.

9. *Sed prius poteſtis totius eorum rationis quaſi fundamenta cognoſcere.*] Maluiſſem dixiſſe: *ſed prius totius eorum rationis quaſi fund. cognoſcite*.

10. *Alia vera eſſe, alia falſa.*] Non ſunt ab P. Manutio, ita enim ante ipſum publicarat Victorius, retinentque mſſ. noſtri. vulgata. *aliud verum eſſe, aliud falſum*.

11. *Quid enim dicere habeant? cur, &c.*] Sic & Pall. noſtri. P. Manutius mallet, *quidnam dicere habeant cur illa vero definitio ſit*.

12. *Vel quod ea definitione.*] Voculam *vel* inata eſt ab Lambino, è mſſ. & verò ita legi in S. Victoris, annotavit Gulielmius. alioquin non habent noſtri Pall. neque agnoſcunt ullæ editiones.

1. *Viſa*

mentum non poteſt, niſi his, quæ ad concludendum ſumta erunt, ita probatis, ut falſa ejuſdem modi nulla poſſint eſſe. ergo ſi, rebus comprehenſis, & perceptis, [1] viſa, & progreſſa ratio hæc efficiet, nihil poſſe comprehendi: quid poteſt reperiri, quod ipſum ſibi repugnet magis? cumque ipſa natura accuratæ orationis hoc profiteatur, ſe aliquid patefacturam, quod non appareat, &, quo id faciliùs aſſequatur, adhibituram & ſenſus, & ea quæ perſpicua ſint: qualis eſt iſtorum oratio, qui omnia non tam *eſſe*, quàm *videri* volunt? Maximè autem convincuntur, cùm hæc duo pro congruentibus ſumunt, tam vehementer repugnantia: primùm eſſe quædam FALSA VISA: quod cùm volunt, declarant quædam eſſe VERA. [2] deinde inter falſa viſa, & vera nihil intereſſe. At primùm ſumſeras, tanquam intereſſet. ita priori poſterius, [3] poſteriori ſuperius conjungitur. Sed progrediamur longiùs, & ita agamus, ut nihil nobis aſſentati eſſe videamur: quæque ab his dicuntur, ſic perſequamur, ut nihil in præteritis relinquamus. Primùm igitur perſpicuitas illa, quam diximus, ſatis magnam habet vim, ut ipſa per ſeſe, ea, quæ ſint nobis, ita ut ſint, indicet. Sed tamen, ut maneamus in perſpicuis firmiùs, & conſtantiùs, majore quadam opus eſt vel *arte*, vel *diligentia*, ne ab iis, quæ clara ſint ipſa per ſeſe, *quaſi præſtigiis* quibuſdam, & captionibus depellamur. Nam, qui voluit ſubvenire erroribus Epicurus, iis, qui videntur conturbare veri cognitionem, dixitque *ſapientis eſſe, opinionem à perſpicuitate* ſejungere. [4] nihil fecit. ipſius enim
15 opinionis errorem nullo modo ſuſtulit. Quamobrem cùm duæ cauſæ perſpicuis, & evidentibus rebus adverſentur: auxilia totidem ſunt contrà comparanda. [5] adverſatur enim primùm, quòd parum defigunt animos, & intendunt in ea *quæ perſpicua ſunt*, ut quanta luce ea circumfuſa ſunt, [6] poſſint agnoſcere: alterum eſt, quòd fallacibus, & *captioſis interrogationibus* circumſcripti, atque decepti quidam, cùm eas diſſolvere non poſſunt, deſciſcunt à veritate. oportet igitur & ea, quæ pro perſpicuitate reſponderi poſſunt, in promptu habere, de quibus jam diximus: & eſſe armatos, ut occurrere poſſimus interrogationibus eorum captioneſque diſcutere. quod deinceps facere conſtitui. Exponam igitur generatim argumenta eorum, quoniam ipſi etiam illa ſolent non confusè loqui. Primùm conantur oſtendere, *multa poſſe videri eſſe, quæ omnino nulla ſunt*, cùm animi inaniter moveantur eodem modo rebus iis, quæ nullæ ſint, ut iis, quæ ſint. Nam cùm dicatis, inquiunt, viſa quædam mitti à deo, velut ea, quæ in ſomniis videantur, quæque oraculis, auſpiciis, extis declarentur: (hæc enim ajunt probari à Stoicis, quos contra diſputant) quærunt, quonam modo, *falſa viſa quæ ſint*, ea deus efficere poſſit probabilia: quæ autem planè proximè ad verum accedant, efficere non poſſit? aut, ſi ea quoque poſſit, cur illa non poſſit, quæ perdifficiliter, internoſcantur tamen? &, ſi hæc, cur non inter quæ nihil ſit omnino? deinde, cùm *mens moveatur ipſa per ſeſe*, ut & declarant, quæ cogitatione depingimus, & ea, quæ vel furioſis, vel dormientibus videntur, [7] nonne, inquiunt veriſimile ſit, ſic etiam mentem moveri, ut non modò internoſcat, viſa vera illa ſint, anne falſa, ſed ut in his nihil interſit omnino? ut, ſi qui tremerent, & exalbeſcerent vel ipſi per ſe, motu mentis aliquo, vel objecta terribili re extrinſecus, [8] nihil ut eſſet, qui diſtingueretur tremor ille, & pallor, neque, ut quidquam intereſſet inter inteſtinum, & oblatum. Poſtremo ſi nulla viſa ſunt probabilia, quæ falſa ſint, alia ratio eſt. ſin autem ſunt: cur non etiam quæ non facilè internoſcantur? cur non ut planè nihil interſit? præſertim cùm dicatis, *ſapientem in furore ſuſtinere ſe ab omni aſſenſu*, quia nulla in viſis diſtinctio appareat. Ad 16
has omneis viſiones inaneis Antiochus quidem & permulta dicebat, & erat de hac una re unius diei diſputatio. mihi autem non idem faciundum puto: ſed ipſa capita dicenda: & primùm quidem hoc reprehendendum, quòd *captioſiſſimo genere interrogationis utuntur*: [9] quod genus minimè in philoſophia probari ſolet, cum aliquid minutatim, & gradatim additur, aut demitur. *Soritas* hos vocant, qui acervum efficiunt uno addito grano. Vitioſum ſane, & captioſum genus. ſic enim adſcenditis. SI TALE VISUM objectum eſt à deo dormienti, ut probabile ſit, cur non etiam ut valde veriſimile? cur deinde non, ut difficiliter à vero internoſcatur? deinde, ut ne internoſcatur quidem? poſtremò ut nihil inter hoc & illud interſit? Huc ſi perveneris, me tibi primum quidque concedente: meum vitium fuerit. ſin ipſe tuà ſponte proceſſeris: tuum. Quis enim tibi dederit, aut *omnia deum poſſe*: aut *ita facturum eſſe*, ſi poſſit? quomodo autem ſumis, ut, ſi quid cui ſimile eſſe poſſit, ſequatur, ut etiam internoſci difficiliter poſſit? [10] deinde, ut ne internoſci quidem? [11] poſtremò, ut idem ſit? ut, ſi lupi canibus ſimiles: eoſdem dices ad extremum. Et quidem HONESTIS ſimilia ſunt quædam non honeſta, & bonis non bona, & artificioſis minimè artificioſa. quid dubitamus igitur affirmare, nihil inter hæc intereſſe? Ne repugnantia quidem videmus? nihil eſt enim quod de ſuo genere in aliud genus transferri poſſit. at ſi efficeretur, ut inter viſa differentium generum nihil intereſſet: reperirentur quæ & in ſuo genere eſſent, & in alieno: quod fieri quî poteſt? omnium deinde inanium viſorum una depulſio eſt; ſive illa *cogitatione* informantur, quod fieri ſolere concedimus: ſive in *quiete*, ſive per *vinum*, ſive per *inſaniam*. nam ab omnibus ejuſdem modi viſis perſpicuitatem, quam mordicùs tenere debemus, abeſſe dicemus. QUIS ENIM, cùm ſibi fingit aliquid, & cogitatione depingit, non, ſimul ac ſe ipſe commovit, atque ad ſe revocavit, ſentit quid interſit inter perſpicua, & inania? Eadem ratio eſt ſomniorum. num cenſes Ennium, cùm in hortis cum Ser. Galba, vicino ſuo ambulaviſſet, dixiſſe, *viſus ſum mihi cum Galba ambulare?* At, cùm ſomniavit, ita narravit:

Viſus Homerus adeſſe poëta.

Idemque in Epicharmo;

Nam videbar [12] ſomniare me & ego eſſe mortuum.

Itaque, ſimul ut experrecti ſumus, viſa illa contemnimus: 17
neque ita habemus, ut ea, quæ in foro geſſimus. At enim DUM VIDENTUR, eadem eſt in ſomniis ſpecies eorum, quæ

1. *Viſa & progreſſa ratio.*] P. Manutius de conjectura emendarat *viſa*; id Lambinus alique raptim intulerunt libris ſuis, ſed invitis ſane Pall. exemplarique S. Victoris, in quibus viſitur alterum paſſim vulgatum.

2. *Deinde inter falſa viſa.*] Sic Pall. ſic editi à Victorio; nam prius publicati, *deinde ibidem inter*. quod etiamnum hodie circumferunt recentius excuſi.

3. *Poſteriori ſuperius conjungitur.*] *Non jungitur* erat à conjectura P. Manutii. nam mſſ. & edd. *conjungitur*. quod tamen tanquam illegitimum, jam paſſim exulat libris neotericis.

4. *Nihil fecit.*] Pal. ſec. & S. Victoris *profecit*, quod placuit Gulielmio.

5. *Adverſatur enim primum.*] Pall. & edd. Victorii, *adverſantur*.

6. *Poſſint agnoſcere.*] Lambiniana *non poſſint*, præter omnes libros, imò & rationem.

7. *Nonne inquiunt.*] Pall. *non inquam*; quod & in Vict. editione.

8. *Nihil ut eſſet qui.*] Sic idem Victorius & Pal. ſec. nam primus ſtat à vulgatioribus, *nihil intereſſet qui*.

9. *Quod genus minimè in Philoſophia probari ſolet; cum aliquid minutatim & gradatim additur aut demitur.* Si hæc periodus tota abſit, nihil deſiat auctoris ſententiæ.

10. *Deinde ut ne internoſci.*] Sic Pall. & S. Victor. & ed. Victorii. vulgati, *ne vix internoſci*.

11. *Poſtremo ut idem ſit.*] Victorii ed. *eadem ſint*, neque aliter Pal. pr. nam ſec. *eadem ſit*, quomodo & S. Victoris.

12. *Somniare me & ego eſſe mortuum.*] Lambinus cupiebat, *med ego* vel *ego med eſſe*. Gulielmius *memet eſſe*. Exemplaria ſcripta propugnant vulgatum.

1. Plu-

quæ vigilantes videmus. [1] Plurimùm intereſt. ſed id omittamus. illud enim dicimus, non eandem eſſe vim, neque integritatem *dormientium*, & *vigilantium*, nec mente, nec ſenſu. Ne *vinolenti* quidem quæ faciunt, eadem approbatione faciunt, qua *ſobrii*: dubitant, hæſitant, revocant ſe interdum, iiſque, quæ videntur, imbecilliùs aſſentiuntur: cùmque edormiverunt, illa viſa quàm levia fuerint, intelligunt. quod idem contingit *inſanis*; [2] ut & incipientes furere, ſentiant, & dicant aliquid, quod non ſit, id videri ſibi: &, cùm relaxentur, ſentiant, atque illa dicant Alcmeonis:

Sed mihi neutiquam cor conſentit cum oculorum adſpectu.

At enim IPSE SAPIENS ſuſtinet ſe in furore, ne approbet falſa pro veris. Et aliàs quidem ſæpe, ſi aut in ſenſibus ipſius eſt aliqua fortè gravitas, aut tarditas, aut obſcuriora ſunt quæ videntur, aut à perſpiciendo temporis brevitate excluditur. quamquam totum hoc, ſapientem aliquando ſuſtinere aſſenſionem, contra vos eſt. ſi enim inter viſa nihil intereſſet: aut *ſemper* ſuſtineret, aut *numquam*. Sed ex hoc genere toto perſpici poteſt levitas orationis eorum, qui omnia cupiunt confundere. Quærimus gravitatis, conſtantiæ, firmitatis, ſapientiæ judicium: utimur exemplis ſomniantium, furioſorum, ebrioſorum. [3] illud attendimus in hoc omni genere, quàm inconſtanter loquamur. non enim proferremus vino, aut ſomno oppreſſos, aut mente captos, tam abſurdè, [4] ut cùm diceremus *intereſſe inter vigilantium viſa*, & ſobriorum, & ſanorum, & eorum qui eſſent aliter affecti: tum nihil intereſſe. Ne hoc quidem cernunt, omnia ſe reddere incerta quod nolunt. ea dico incerta, quæ ἄδηλα Græci. Si enim res ſe ita habeant, ut nihil interſit, utrùm ita cui videatur, ut inſano, an ſano: cui poſſit exploratum eſſe de ſua ſanitate? quod velle efficere, non mediocris inſania eſt. Similitudines verò aut geminorum, aut ſignorum annulis impreſſorum, pueriliter conſectantur. quis enim noſtrûm *ſimilitudines* negat eſſe, cùm eæ plurimis in rebus appareant? ſed, ſi ſatis eſt ad tollendam cognitionem, ſimilia eſſe multa multorum: cur eo non eſtis contenti, præſertim concedentibus nobis? & cur id potiùs contenditis, quod rerum natura non patitur, ut non ſuo quicque genere ſit tale, quale eſt? nec ſit in duobus aut pluribus nulla re differens ulla communitas? ut ſibi ſint & ova ovorum, & apes apium ſimillimæ. Quid pugnas igitur? aut quid tibi vis in geminis? conceditur enim ſimileis eſſe: quo contentus eſſe potueras. tu autem vis eoſdem planè eſſe, non ſimileis. quod fieri nullo modo poteſt. Dein confugis ad phyſicos eos, qui maximè in Academia irridentur: à quibus ne tu quidem jam te abſtinebis: & ais Democritum dicere, *innumerabileis eſſe mundos*, & quidem ſic quoſdam inter ſe non ſolùm ſimileis, ſed undique perfectè, & abſolutè ita pares, ut inter eos nihil prorſus interſit, [5] & eos quidem innumerabileis: itemque homines. deinde poſtulas, ut, ſi mundus ita ſit par alteri mundo, ut inter eos ne minimum quidem interſit, concedatur tibi, ut in hoc quoque noſtro mundo aliquid alicui par ſit, ut nihil differat, nihil interſit. cur enim, inquies, cùm ex illis individuis, unde omnia Democritus gigni affirmat, in reliquis mundis, & in his quidem innumerabilibus, innumerabiles Q. Lutatii Catuli non modò poſſint eſſe, ſed etiam ſint, in hoc tanto mundo
18 Catulus alter non poſſit effici? Primùm quidem me ad Democritum vocas, cui non aſſentior: potiùſque refellam, propter id, quod dilucidè docetur à politioribus phyſicis, *ſingularum rerum ſingulas proprietates* eſſe. fac enim antiquos illos Servilios, qui *gemini* fuerunt, tam ſimileis, quàm dicuntur: num cenſes etiam eoſdem fuiſſe? non cognoſcebantur *foris*: at *domi*. non ab *alienis*: at à *ſuis*. An non videmus, hoc uſu venire, ut quos numquam putaſſemus à nobis internoſci poſſe, eos, *conſuetudine adhibita*, tam facile internoſceremus, uti ne minimum quidem ſimiles eſſe viderentur? Hic, pugnes licet, non repugnabo: quin etiam concedam, illum ipſum ſapientem, de quo omnis hic ſermo eſt, cùm ei res ſimiles occurrant, quas non habeat denotatas, retenturum aſſenſum, nec umquam ulli viſo aſſenſurum, niſi quod tale fuerit, quale falſum eſſe non poſſit. Sed ad ceteras res habet quandam artem, qua vera à falſis poſſit diſtinguere: & ad ſimilitudines iſtas uſus adhibendus eſt. ut mater geminos internoſcit conſuetudine oculorum: ſic tu internoſces, *ſi aſſueveris*. Videſne, ut in proverbio ſit *ovorum inter ſe ſimilitudo*? tamen hoc accepimus, Deli fuiſſe complureis ([6] ſalvis rebus illis) qui gallinas alere permultas quæſtus cauſa ſolerent. hi cùm ovum inſpexerant, quæ id gallina peperiſſet, dicere ſolebant. neque id eſt contra nos. nam nobis ſatis eſt, ova illa internoſcere. [7] nihil enim magis aſſentiri poteſt hoc illud eſſe, quàm ſi inter illa omnino nihil intereſſet. habeo enim regulam, ut talia viſa vera, judicem, qualia falſa eſſe non poſſunt. ab hac mihi non licet *tranſverſum*, ut ajunt, *digitum* diſcedere, ne confundam omnia. VERI enim, & falſi non modò cognitio, ſed & natura tolletur, ſi nihil erit, quod interſit: ut etiam illud abſurdum ſit, quod interdum ſoletis dicere, cùm viſa in animos imprimantur, non vos id dicere, *inter ipſas impreſſiones nihil intereſſe*, ſed inter ſpecies, & quaſdam formas eorum. Quaſi verò non ſpecie viſa judicentur: quæ fidem nullam habebunt, ſublata veri & falſi nota. Illud verò perabſurdum, quòd dicitis *probabilia vos ſequi*, ſi re nulla impediamini. Primùm qui poteſtis non impediri, cùm à veris falſa non diſtent? deinde quod judicium eſt veri, cùm ſit commune falſi? Ex his illa neceſſariò nata eſt ἐποχὴ, id eſt aſſenſionis retentio: in qua melius ſibi conſtitit Arceſilas, ſi vera ſunt quæ de Carneade nonnulli exiſtimant. ſi enim percipi nihil poteſt, quod utrique viſum eſt: tollendus aſſenſus eſt. QUID ENIM EST TAM FUTILE, quàm quidquam approbare non cognitum? Carneadem autem etiam heri audiebamus, ſolitum eſſe delabi interdum, ut diceret, opinaturum, id eſt, peccaturum eſſe ſapientem. Mihi porrò non tam certum eſt, eſſe aliquid, quod comprehendi poſſit, de quo jam nimiùm etiam diu diſputo, quàm *ſapientem nihil opinari*, id eſt, numquam aſſentiri rei vel falſæ, vel incognitæ. Reſtat illud, quòd dicunt, veri inveniendi cauſa contra omnia dici oportere, & pro omnibus. Volo igitur videre, quid invenerint. Non ſolemus, inquit, oſtendere. Quæ ſunt tandem iſta myſteria? aut cur *celatis*, *quaſi turpe aliquid*, ſententiam veſtram? Ut, qui audient, inquit, *ratione* potiùs, quàm *auctoritate* ducantur. Quid ſi utrumque? num pejus eſt? [8] unum tamen illud non celant, nihil eſſe, quod percipi poſſit. an in eo auctoritas nihil obeſt? mihi quidem videtur vel plurimùm. quis enim iſta tam apertè, perſpicueque & perverſa, & falſa ſecutus eſſet, niſi tanta in Arceſila, multò etiam major in Carneade & copia rerum, &
dicendi vis fuiſſet? Hæc Antonius ferè & Alexandriæ 19
tum,

1. *Plurimum intereſt.*] Ita vett. edd. nam Victorii & Aldi Nepotis, *primum intereſt*: neque aliter Pall.

2. *Ut & incipientes furere.*] Sic Pall. at liber S. Victoris, *furore*. unde divinat Gulielmius, *ut & incipiente furore*.

3. *Illud attendimus.*] Vulgati *attendamus*. ſed alterum produxit P. Victorius, exſtatque in noſtris tribus mſſ.

4. *Ut cum diceremus.*] Eſt hoc a Victorio & Pall. nam publicati, *ut tum dic.*

5. *Et eos quidem innumerabileis.*] Pall. *& eo quidem*. codex S. Vict. *eo quoque ignum*. ſine *&*. unde facit Gulielmius, *eho quoque innumerabileis!* P. Manutius voces iſtas omnes habet adulterinas, expreſſitque *eo*, non *eos*.

6. *Salvis rebus illis.*] Exemplar S. Victoris, *illi*; pro *illic*, inquit Gulielmius; niſi ſit *Ilii*.

7. *Nihil enim magis aſſentiri poteſt.*] Noſtri nihil habent quale invexit editio proterva Lambini; ſolum vitiatur in pr. *aſſentire*, quod & in ſec. ſed loco τὸ *poteſt*, habet *per hoc*.

8. *Unum tamen illud non celant.*] Sic & Pall. at codex S. Victoris, *celamus*. forte *celamur* inquit Gulielmius.

1. Sed

tum, & multis annis pòſt, multo etiam aſſeverantiùs in Syria, cùm eſſet mecum paullo antè, quàm eſſet mortuus. [1] Sed jam *confirmata cauſa*, te, hominem amiciſſimum, (me autem appellabat) & aliquot annis minorem natu, non dubitabo monere: Tune, cùm tantis laudibus philoſophiam extuleris, Hortenſiumque noſtrum diſſentientem commoveris, eam philoſophiam ſequère, quæ confundit vera cum falſis, ſpoliat nos judicio, privat approbatione, omnibus orbat ſenſibus? Et Cimmeriis quidem, quibus *adſpectum ſolis* ſive deus aliquis, ſive natura ademerat, ſive ejus loci, quem incolebant, ſitus, ignes tamen aderant, [2] quorum illis uti lumine licebat. iſti autem, quos tu probas, tantis offuſis tenebris, ne ſcintillam quidem ullam nobis [3] ad adſpiciendum reliquerunt. quos ſi ſequamur, iis vinculis ſimus adſtricti, ut nos commovere nequeamus. *ſublata* enim aſſenſione, omnem & motum animorum, & actionem rerum ſuſtulerunt. quod non modò rectè fieri, ſed omnino fieri non poteſt. provide etiam, ne uni tibi iſtam ſententiam minimè liceat defendere. an tu, cùm res occultiſſimas aperueris, in lucemque protuleris, *juratusque* dixeris, EA TE COMPERISSE: quod mihi quoque licebat, qui ex te illa cognoveram: negabis eſſe rem ullam, quæ cognoſci, comprehendi, percipi poſſit? vide, quæſo, etiam atque etiam, ne illarum quoque rerum pulcherrimarum à te ipſo minuatur auctoritas. Quæ cùm dixiſſet, ille, finem fecit. Hortenſius autem vehementer admirans, quod quidem perpetuò Lucullo loquente fecerat, ut etiam *manus* ſæpe *tolleret*. nec mirum. nam numquam arbitror contra Academiam dictum eſſe ſubtilius. me quoque, jocanſne, an ita ſentiens, (non enim ſatis intelligebam) cœpit hortari, ut ſententia deſiſterem. Tum mihi Catulus, Si te, inquit, Luculli oratio flexit, quæ eſt habita memoriter, accuratè, copioſè: taceo, neque te, quo minùs, ſi tibi ita videatur, ſententiam mutes, deterrendum puto. illud verò non cenſuerim, ut ejus *auctoritate moveare:* [4] tantùm enim te non monuit, inquit, arridens, ut caveres, ne quis improbus tribunus pleb. quorum vides quanta copia ſemper futura ſit, arriperet te, & in concione quæreret, quî ibi conſtares, cùm idem negares *quidquam certi poſſe reperiri*, idem te COMPERISSE dixiſſes. Hoc, quæſo, ne te terreat. de cauſa autem ipſa malim quidem te ab hoc diſſentire. ſin ceſſeris, non magnopere mirabor. memini enim Antiochum ipſum, cùm annos multos talia ſenſiſſet, ſimul ac viſum ſit, ſententia deſtitiſſe. Hæc cùm dixiſſet

20 Catulus: me omnes intueri. Tum ego non minùs commotus, quàm ſoleo in cauſis majoribus, [5] hujuſmodi quaſi oratione ſum exorſus: Me, Catule, oratio Luculli de ipſa re ita movit, ut docti hominis, & copioſi, & parati, & nihil prætereuntis eorum, quæ pro illa cauſa dici poſſent, non tamen [6] ut *ei reſpondere poſſe* diffiderem. auctoritas autem tanta planè me movebat, niſi tu oppoſuiſſes non minorem tuam. aggrediar igitur, ſi pauca antè quaſi de fama mea dixero. Ego enim ſi aut *oſtentatione* aliqua adductus, aut *ſtudio certandi*, ad hanc potiſſimum philoſophiam me applicavi; non modò ſtultitiam meam, ſed etiam mores, & naturam condemnandam puto. nam, ſi *in minimis rebus pertinacia reprehenditur*, *calumnia etiam coërcetur:* [7] ego de omni ſtatu, conſilioque totius vitæ aut certare cum aliis pugnaciter, aut fruſtrari cùm alios, tum etiam me ipſum velim? Itaque, niſi ineptum [8] putarem, in tali diſputatione id facere, quod, cùm de rep. diſceptatur, fieri interdum ſolet: jurarem per Jovem, deoſque penateis, me & *ardere ſtudio veri reperiendi*, & ea ſentire, quæ dicerem. qui enim poſſum non cupere verum invenire, cùm gaudeam, ſi ſimile veri quid invenerim? ſed, ut hoc pulcherrimum eſſe judicem, vera videre: ſic, *pro veris probare falſa*, *turpiſſimum eſt*. nec tamen ego is ſum, qui nihil umquam falſi approbem, qui numquam aſſentiar, qui nihil opiner: ſed quærimus de ſapiente, ego verò ipſe & magnus quidem ſum opinator (non enim ſum ſapiens) & meas cogitationes ſic dirigo, non ad illam parvulam Cynoſuram,

Qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto,

ut ait Aratus, eoque directiùs gubernant, quòd eam tenent,

Quæ curſu interiore, brevi convertitur orbe:

ſed ad Helicen, & clariſſimos Septemtriones, id eſt, rationes has, latiore ſpecie, non ad tenue elimatas: eò fit, ut errem, & vager latiùs. ſed non de me, ut dixi, ſed de ſapiente quæritur. *viſa* enim iſta cùm acriter mentem, ſenſumve pepulerunt, *accipio*, hiſque interdum etiam *aſſentior*, nec *percipio* tamen. nihil enim arbitror poſſe percipi. non ſum ſapiens. itaque viſis cedo, neque poſſum reſiſtere. ſapientis autem hanc cenſet Arceſilas vim eſſe maximam, Zenoni aſſentiens, CAVERE NE CAPIATUR: NE FALLATUR, VIDERE. nihil eſt enim ab ea cogitatione, quam habemus de gravitate ſapientis, errore, levitate, temeritate dijunctius. quid igitur loquar de firmitate ſapientis? quem quidem nihil opinari tu quoque, Luculle, concedis. quod quoniam à te probatur (ut præpoſterè tecum agam, mox referam me ad ordinem) hæc primùm conclusio quam habeat vim, conſidera. SI ULLI REI ſapiens 21
aſſentietur umquam, aliquando etiam opinabitur. numquam autem opinabitur: nulli igitur rei aſſentietur. hanc concluſionem Arceſilas probat: confirmabat enim & primum, & ſecundum. Carneades nonnumquam ſecundum illud dabat *aſſentiri aliquando*, [9] ita ſequebatur enim OPINARI: quod tu non vis, & rectè, ut mihi videris. Sed illud primùm, SAPIENTEM, ſi aſſenſurus eſſet, etiam opinaturum, falſum eſſe & Stoici dicunt, & eorum adſtipulator Antiochus. poſſe enim eum falſa à veris, & quæ non poſſunt percipi, ab iis, quæ poſſint, diſtinguere. Nobis autem primùm, etiam ſi quid percipi poſſit, tamen ipſa *conſuetudo aſſentiendi*, *periculoſa eſſe videtur*, *& lubrica*. quamobrem cùm tam vitioſum eſſe conſtet, aſſentiri quidquam aut falſum, aut incognitum: ſuſtinenda eſt potiùs omnis aſſenſio, ne præcipitet, ſi temerè proceſſerit. ita enim *finitima ſunt falſa veris*, [10] eaque quæ percipi poſſunt (ſi modò ea ſunt quædam: jam enim videbimus) [11] ut tamen in præcipitem locum non debeat ſe ſapiens committere. ſin autem, omnino nihil eſſe, quod percipi poſſit, à me ſumſero, &, quod tu mihi das, accepero, ſapientem nihil opinari: effectum illud erit, ſapientem aſſenſus omneis cohibiturum: ut tibi videndum ſit, idne malis, an aliquid opinaturum eſſe ſapientem. neutrum, inquies, illorum. nitamur

1. *Sed jam confirmata cauſa:*] Eſt à Victorii ed. neque ſecus Pal. ſec. ac S. Victoris. vulgati *ſed jam etiam conf.*

2. *Quorum illis uti lumine.*] Sic Pall. & S. Victoris, & editi à Victorio. nam Lambiniani ceterique, *quo tum illis*.

3. *Ad aſpiciendum.*] Non inepte exemplar S. Victoris, *ad diſpiciendum*.

4. *Tantum enim te non monuit.*] Ita recentius cuſi. nam Victorius, nam Manutius avus, *te modo monuit*. à quibus abeunt mſſ. noſtri. quippe Pal. pr. *te nunc modo monuit*. ſec. ac Victoris, *te non modo monuit*.

5. *Hujuſmodi quaſi oratione ſum exorſus.*] Reſtitui omnino locum fide Pal. ſecundi. nam prim. *quadam oratione*, quod & in Victoriana editione. vulgati olim *quandam orationem*.

6. *Ut ei reſpondere poſſe diffiderem.*] Sic Vict. ed. & Pall. at enim liber S. Victoris adhuc ignorat illud *poſſe*. publicati, *me poſſe diff.*

7. *Ego de omni ſtatu.*] Pal. ſec. *ergo*. quomodo & in publicum emiſit Petrus Victorius.

8. *Putarem in tali diſputatione id facere.*] Sic Pal. ſec. & S. Victoris, neque aliter editus à Victorio, quod tamen nemo ſequi voluit, contentus illo, *putarem, cùm in tali diſputatione id facerem, &c.*

9. *Ita ſequebatur.*] Eſt à conjectura P. Manutii. prius enim impreſſi, *id aſſequebatur*, quod item in Pall. & poterat revocari, ne nimium videremur tribuere hariolationibus.

10. *Eaque quæ percipi poſſunt.*] Adjicit Lambinus, *iis quæ poſſunt*. ſed planè de ſuo. nihil eorum in edd. in mſſ. vetuſtis.

11. *Ut tamen in præcipitem.*] Fortè, *ut tam in præcipitem*. Lambinus edidit, *ut in tam præc.* arbitratu ſuo. nam Pall. accedunt vulgato, niſi quod in primo etiam legi poſſit, *ut tum*. at S. Victoris membranæ, *ut cauſa præcipitem*.

nitamur igitur, *nihil poſſe percipi*. etenim de eo omnis eſt
22 controverſia. Sed prius pauca cum Antiocho: qui hæc ipſa,
quæ à me defenduntur, & didicit apud Philonem tam diu,
ut conſtaret diutiùs didiciſſe neminem, & ſcripſit de his
rebus acutiſſime, & idem hæc non acriùs accuſavit in ſene-
ctute, quàm anteà defenſitaverat. Quamvis igitur fuerit
acutus, ut fuit. tamen *inconſtantia levatur auctoritas*: [1] quis,
inquam, enim iſte dies illuxerit, quæro, qui illi oſtende-
rit eam, quam multos annos [2] eſſe negaviſſet, veri & falſi
notam. excogitavit aliquid: eadem dicit, quæ Stoici: pœ-
nituit eum illa ſenſiſſe. cur non ſe tranſtulit ad alios, &
maximè ad Stoicos? eorum enim erat propria [3] iſta diſſen-
ſio. quid? eum Mneſarchi pœnitebat? quid? Dardani?
qui erant Athenis tum principes Stoicorum. numquam à
Philone diſceſſit, niſi *poſteaquàm ipſe cœpit, qui ſe audi-
rent, habere*. Unde autem ſubitò vetus Academia revocata
eſt? nominis dignitatem videtur, cùm à re ipſa deſciſceret,
retinere voluiſſe, quod erant [4] qui illum gloriæ cauſa face-
rent, ſperare etiam, fore, ut ii, qui ſe ſequerentur, [5] *An-
tiochii* vocarentur. Mihi autem magis videtur non potuiſſe
ſuſtinere concurſum omnium philoſophorum. etenim de
ceteris ſunt inter illos nonnulla communia: hæc Academi-
corum eſt una ſententia, quam reliquorum philoſopho-
rum nemo probet. itaque ceſſit. & [6] ut ii, qui ſub nubes
ſolem non ferunt: item ille, cùm æſtuaret, veterum, ut
Menianorum, ſic Academicorum umbram ſecutus eſt. quo-
que ſolebat uti argumento tum, cùm ei placebat, *nihil poſſe
percipi*, cùm quæreret, Dionyſius ille Heracleotes, utrum
comprehendiſſet certa illa nota, qua aſſentiri dicitis opor-
tere, illudne, quod multos annos tenuiſſet, Zenonique
magiſtro crediſſet, *honeſtum quod eſſet, id bonum ſolum
eſſe*: an quod poſteà defenſitaviſſet, honeſti *inane nomen
eſſe, voluptatem eſſe ſummum bonum*: qui ex illius commu-
tata ſententia docere vellet, nihil ita ſignari in animis no-
ſtris à vero poſſe, quod non eodem modo poſſit à falſo, is
curavit, quod argumentum ex Dionyſio ipſe ſumſiſſet, ex
23 eo ceteri ſumerent. Sed cùm hæc alio loco plura, nunc ad
ea, quæ a te, Luculle, dicta ſunt: & primùm quod initio
dixiſti, videamus, quale ſit: ſimiliter à nobis de antiquis
philoſophis commemorari, [7] atque ſeditioſi ſolerent *claros
viros*, ſed tamen populareis aliquos nominare. illi cùm
[8] res non bonas tractent, ſimiles bonorum videri volunt.
nos autem dicimus, ea nobis videri, quæ voſmetipſi no-
biliſſimis philoſophis placuiſſe conceditis. Anaxagoras
nivem nigram dixit eſſe. ferres me, ſi ego idem dicerem?
tu, ne ſi dubitarem quidem. at [9] quis eſt hic? num *ſophi-
ſtes*? [10] ſic enim appellabantur ii, qui oſtentationis, aut quæ-
ſtus cauſa philoſophantur. maxima fuit & gravitatis, &
ingenii gloria. Quid loquar de Democrito? quem cum eo
conferre poſſumus non modò ingenii magnitudine, ſed
etiam animi? qui ita ſit auſus ordiri, HÆC LOQUOR DE
UNIVERSIS. nihil excipit, de quo non profiteatur. quid
enim eſſe poteſt extra univerſa? quis hunc philoſophum
non anteponit Cleanthi, Chryſippo, reliquiſque inferioris
ætatis? qui mihi cum illo collati, *quinctæ claſſis* videntur.
atque is non hoc dicit, quod nos, qui veri eſſe aliquid non
negamus, percipi poſſe negamus: [11] ille VERUM ESSE
PLANE negat: eſſe ſenſus quidem non obſcuros dicit, nec
tenebricoſos: (ſic enim appellat eos is, qui hunc maximè
eſt admiratus, Chius Metrodorus initio libri, qui eſt de
natura.) NEGO, inquit, SCIRE NOS SCIAMUSNE ALIQUID,
AN NIHIL SCIAMUS: NE IDIPSUM QUIDEM NESCIRE,
AUT SCIRE, SCIRE NOS: NEC OMNINO SIT NE ALIQUID,
AN NIHIL SIT. Furere tibi Empedocles videtur: at mihi
digniſſimum rebus iis de quibus loquitur, ſonum fundere.
num ergo is excæcat nos, aut orbat ſenſibus, ſi parum ma-
gnam vim cenſet in iis eſſe ad ea, quæ ſub eos ſubjecta ſunt,
judicanda? Parmenides, Xenophanes, minùs bonis quam-
quam verſibus, ſed tamen illis verſibus increpant eorum
arrogantiam, quaſi irati, qui cùm ſciri nihil poſſit, [12] au-
deant *ſe ſcire* dicere. Et ab his ajebas *removendum Socratem
& Platonem*. cur? an de ullis certiùs poſſum dicere? vixiſſe
cum his equidem videor. [13] ita multi ſermones perſcripti
ſunt, è quibus dubitari non poſſit, quin Socrati nihil ſit
viſum *ſciri poſſe*. excepit unum tantùm, SCIRE SE, NI-
HIL SE SCIRE: nihil amplius. Quid dicam de Platone?
qui certè tam multis libris hæc perſecutus non eſſet, niſi
probaviſſet. *ironiam* enim alterius, perpetuam præſertim,
nulla fuit ratio perſequi. [14] Videorne tibi, non ut Saturni- 24
nus, nominare modò illuſtreis homines, [15] ſed etiam imi-
tari numquam, niſi clarum, niſi nobilem? Atqui habebam
moleſtos vobis, ſed minutos, Stilbonem, Diodorum,
Alexinum, quorum ſunt contorta, & aculeata quædam
ſophiſmata. ſic enim appellantur fallaces concluſiunculæ.
Sed

---

1. *Quis inquam enim iſte dies illuxerit, quæro.*] Sic vulgati. Lambinus ejecit, *inquam*, ſtatu inquit mſſ. quibus aberat. neſcio an uſquequaque. nam S. Victoris liber habet, *quiſquam enim dies iſte ill.* Pall. pr. facit pro recepta ſcriptura. ſecundus etiam: niſi quod habeat, *ille*, non *iſte*. ſcriptum ibidem quoque *Deus*, loco *dies*, ſed ſtatim deletum fuit. forte reponendum: *quiſnam enim iſte dies illuxerit quæro.*

2. *Eſſe negaviſſet.*] Exemplar S. Victoris, *negitaviſſet*, voce frequentata Plauto ac Lucretio.

3. *Iſta diſſenſio.*] Non potui excludere quod inveneram in Pall. & S. Victoris; utique confirmatum editione P. Victorii, quamvis eum nemo ſecutus fuerit, non Camerarius, non Sturmius, non alii; qui repræſentarunt Aldinum, *defenſio.*

4. *Qui illum gloriæ cauſa facerent, ſperare etiam, &c.*] Lambinus, *facere dicerent*; præter libros, ex conjectaneo Camerarii. at ego libentius eraſerim illud *facerent*, tanquam gloſſema. belle profecto tale quid ſubaudiatur. & alioquin non conſtant libri noſtri. Pal. enim pr. *faceret*. S. Victoris, *fecerunt.*

5. *Antiochii vocarentur.*] Maluit P. Victorius *Antiochi*, libros ſecutus ſcilicet, & ſic quoque noſtra triga.

6. *Et ut ii qui ſub nubes ſolem.*] Admiſi editionem Petri Victorii, confirmatam auctoritate fere noſtrorum trium: ſanè Pal. ſec. nam pr. & S. Victoris, *ut & hii qui ſub nubes ſolem.* hactenus vulgati; *ut enim ii qui ſub nube ſolem.* niſi quod Lambinus, *ut enim ii qui niſi ſub nube ſolem.* intolerabili arrogantia: tanto quidem magis, quod hæc ſua ſupplementa clam immittat in contextum, nulla eorum facta in Annotatiunculis ſuis mentione: adeo ut hæc ſpuria nemo deprehendat, niſi qui accedat ad editiones alias. quod quis facit?

7. *Atque ſeditioſi ſolerent.*] Dictio *ſolerent*, non eſt in Pal. ſec. & forſan eſt ab librariis.

8. *Res non bonas tractent.*] Ita quidem Victorius, Camerarius, Lambinus, Manutii poſteriores aliique. verum Aldus avus non agnoſcit negativam, neque habetur in mſſ. noſtris. ideoque delenda, ſi viſum fuerit Senatui populoque Critico.

9. *Quis eſt hic? num Sophiſtes?*] Sic & Aldus avus. verùm Victorii editio, *quis eſt nunc hic Sophiſtes*, neque aliter Pall.

10. *Sic enim appellabantur ii.*] Secutus ſum fidem libri qui ſervatur apud S. Victorem, item utrumque Pall. hactenus cuſi, *appellantur*, minus aptè rei propoſitæ.

11. *Ille verùm eſſe planè negat: eſſe ſenſus quidem non obſcuros, nec tenebricoſos.*] Hæc eſt lectio Palatinorum, tam clara, noſtra diſtinctione; ut nemo ſit futurus, quin execretur impudens facinus Lambini, obtrudentis nobis, *quidem ſed obſcuros, ſed tenebricoſos.* vulgati prius, *quidem nec obſcuros.* excipio P. Victorii editionem: ea enim expreſſit quoque noſtrum *non*, quod tamen nemini placuit præter Camerarium, qui procul dubio animadvertit verba ſic reſolvenda; *non dicit ſenſus obſcuros ſed tenebricoſos.* quid ergo *nego inquit, &c.* ſi cui hæc non placet, ille repetat licet vocem *negat*; hoc modo; *plane negat: negat eſſe ſenſus quidem. non obſcuros, &c.* & de hac conjectura, alius quis ſe jactaret; verum ea mihi diſplicet præ altero.

12. *Audeant ſe ſcire, dicere.*] S. Victoris, *ſe ſcire nihil, dicere.* acutius forſan quàm verius: ſed forſan, inquio; neque enim tantum otii eſt, ut conſulam ipſorum ſententias.

13. *Ita mult. ſermones perſcripti ſunt.*] Sic vulgo editi: neque aliter Pal. tert. at enim ſecund. *proſcripti*, quod non omnino diſplicet, ut velit in modum tabulæ publicitus propoſitos. S. Victoris *præſcripti*, quod & expreſſit Victorius.

14. *Videor ne tibi, non ut Saturnius, &c.*] Sic Pall. at S. Victoris volumen *tibi Saturninus*, omiſſis intermediis.

15. *Sed & jam imitari numquam, niſi clarum.*] Nihil variant Pall. at S. Victoris, *ſed mutari numquam.* unde natum puto, ut prodiderit Lambinus; non eſſe in mſſ. verbum *etiam*. ceterùm non diſplicet mihi conjectura P. Manutii; *ſed etiam imitari: num quem niſi clarum, &c.*

1. Quid

Sed quid eos colligam, cùm habeam Chryſippum, qui *fulcire* putatur *porticum* Stoicorum? quam multa ille contra ſenſus, quàm multa contra omnia, quæ in conſuetudine probantur diſſolvit: idem mihi quidem non videtur: ſed diſſolverit ſanè. certè tam multa non collegiſſet, quæ nos falleret probabilitate magna, niſi videret his reſiſti non facilè poſſe. [1] Quid Cyrenei videntur? minimè contemti philoſophi: qui negant ESSE QUIDQUAM, quod percipi poſſit extrinſecus: ea ſe ſola percipere, quæ tactu intimo ſentiant, ut dolorem, ut voluptatem: neque ſe, quo quid colore, aut quo ſono ſit, ſcire, ſed tantum ſentire, affici ſe quodammodo. Satis multa de auctoribus. quamquam ex me quæſieras, nonne putarem poſt illos veteres, tot *ſæculis*, inveniri verum potuiſſe, tot *ingeniis*, tantiſque *ſtudiis* quærentibus. Quid inventum ſit, paulo pòſt video, te ipſo quoque judice. Arceſilam verò non obtrectandi cauſa cum Zenone pugnaviſſe, ſed verum invenire voluiſſe, ſic intelligitur. Nemo, inquam, ſuperiorum non modò expreſſerat, ſed ne dixerat quidem, *poſſe hominem nihil opinari*: nec ſolùm poſſe, ſed ita neceſſe eſſe ſapienti: viſa eſt Arceſilæ cùm vera ſententia, tum honeſta, & digna ſapiente. quæſivit de Zenone fortaſſe, quid futurum eſſet, ſi nec percipere quidquam poſſet ſapiens, nec opinari ſapientis eſſet. Ille credo, *Nihil opinatur*; quoniam eſſet quod percipi poſſet. Quid ergo id eſſet? *Viſum*, credo. Quale igitur viſum? tum illum ita definiviſſe, ex eo, quod eſſet, ſicut eſſet impreſſum, & ſignatum, & effectum. Pòſt requiſitum, etiamne, ſi ejuſmodi eſſet viſum verum, quale falſum. Hîc Zenonem vidiſſe acutè, nullum eſſe viſum, quod percipi poſſet, ſi id tale eſſet ab eo, quod eſt, ut ejuſmodi ab eo, quod non eſt, poſſet eſſe. Rectè conſenſit Arceſilas; ad definitionem additum. neque enim falſum percipi poſſe, neque verum, ſi eſſet tale, quale vel falſum. Incubuit autem in eas diſputationes, ut doceret, nullum tale eſſe viſum à vero, ut non ejuſdemmodi etiam à falſo poſſit eſſe. Hæc autem eſt una contentio, quæ adhuc permanſerit. nam illud, *nulli rei aſſenſurum eſſe ſapientem*, nihil ad hanc controverſiam pertinebat. licebat enim nihil percipere, & tamen opinari: quod à Carneade dicitur probatum. Equidem Clitomacho plus, quàm Philoni, aut Metrodoro, credens, hoc magis ab eo diſputatum, quàm
25 probatum puto. Sed id omittamus, illud certè, opinatione, & perceptione ſublata, ſequitur omnium aſſenſionum retentio: ut, ſi oſtendero nihil poſſe percipi, tu concedas nunquam aſſenſurum eſſe. Quid ergo eſt, quod percipi poſſit, ſi *ne ſenſus quidem vera nuntiant?* quos tu, Luculle, communi loco defendis. quod ne id facere poſſes, idcirco heri, non neceſſario loco contra ſenſus tam multa dixeram: tu autem te negas infracto *remo*, neque *columbæ collo* commoveri. primùm cur? nam & in remo ſentio non eſſe id, quod videatur: & in columba plureis videri colores, nec eſſe plus uno. deinde nihilne præterea diximus? maneant illa omnia: [2] lacerat iſta cauſa; veraceis ſuos eſſe ſenſus dicit. Igitur ſemper auctorem habes, & eum, qui magno ſuo periculo cauſam agat. eò enim rem dimittit Epicurus, SI UNUS ſenſus ſemel in vita mentitus ſit, nulli umquam eſſe credendum. Hoc eſt verum eſſe, confidere ſuis teſtibus, [3] & importunè inſiſtere. Itaque Timagoras Epicureus negat ſibi umquam, *cùm oculum torſiſſet*, duas ex lucerna flammulas eſſe viſas. opinionis enim eſſe mendacium, non oculorum. quaſi quæratur, quid ſit, non quid videatur. Sed hîc quidem majorum ſimilis. Tu verò, qui viſa ſenſibus alia vera dicas eſſe, alia falſa: quî ea diſtinguis? deſine, quæſo, communibus locis. domi nobis iſta naſcuntur. [4] Si quis deus te interroget, *ſanis modò, & integris ſenſibus*, num amplius quid deſideras? quid reſpondeas? Utinam quidem roget. [5] audias, quàm nobiſcum malè egerint: ut enim vera videamus, quàm longè videbimus? [6] Ego Catuli Cumanam ex hoc loco regionem video, Pompejanum non cerno: neque quidquam interjectum eſt, quod obſtet: ſed intendi longiùs acies non poteſt. O præclarum proſpectum! Puteolos videmus: at familiarem noſtrum Avianum fortaſſe in porticu Neptuni ambulantem, non videmus. At ille [7] neſcio qui in ſcholis nominari ſolet, *mille & octingenta ſtadia quod abeſſet, videbat*: quædam volucres longiùs. Reſponderem igitur audacter iſti veſtro deo, me planè his oculis non eſſe contentum. [8] Dicet me acriùs videre, quam ullos piſceis fortaſſe: qui neque videntur à nobis & nunc quidem ſub oculis ſunt: neque ipſi nos ſuſpicere poſſunt. Ergo ut illis *aqua*, ſic nobis *aer craſſus* offunditur. At amplius non deſideramus. Quid talpam? num deſiderare lumen putas? [9] neque tam quereretur cum deo, quòd parum longè, quàm quòd falſum videret. videſne navem illam. ſtare nobis videtur: at iis qui in navi ſunt, moveri hæc villa. quære rationem, cur ita videatur: quam ut maximè inveneris, quod haud ſcio, an non poſſis, non tu verum teſtem habere, ſed eum non ſine cauſa falſum teſtimonium dicere oſtenderis. Quid ego de navi? vidi enim 26
à te remum contemni. majora fortaſſe quæris. quid poteſt eſſe *ſole majus?* quem mathematici amplius duodeviginti partibus confirmant majorem eſſe, quàm terram. quantulus nobis videtur? mihi quidem quaſi pedalis. Epicurus autem poſſe putat etiam minorem eſſe eum, quàm videatur ſed non multo, ne majorem quidem multo putat eſſe, vel tantum eſſe, quantus videatur: ut oculi aut nihil mentiantur, aut non multum mentiantur. Ubi igitur illud eſt, SEMEL? Sed ab hoc credulo, qui numquam ſenſus mentiri putat, diſcedamus: [10] qui ne nunc quidem, cùm ille ſol, qui *tanta incitatione fertur*, ut celeritas ejus quanta ſit ne cogitari quidem poſſit, tamen nobis ſtare videatur. Sed, ut minuam controverſiam: videte, quæſo, quàm in parvulis ſitis. Quattuor ſunt capita, quæ concludunt, nihil eſſe, quod noſci, percipi, comprehendi poſſit. de quo hæc tota quæſtio eſt: è quibus primum eſt, *eſſe aliquod viſum falſum*: ſecundum, *non poſſe id percipi*: tertium, *inter quæ viſa nihil interſit, fieri non poſſe, ut eorum alia percipi poſſint, alia non poſſint*: quartum, *nullum eſſe viſum verum a ſenſu profectum, cui non appoſitum ſit viſum aliud, quod ab eo nihil interſit, quodque percipi non poſſit*. Horum quattuor capitum ſecundum, & tertium, omnes concedunt. primum Epicurus non dat. vos, quibuſcum res eſt, id quoque conceditis. omnis pugna de quarto eſt. Qui igitur P. Servilium

---

1. *Quid Cyrenæi videntur? minimè contemti Philoſophi.*] Sic Aldus Avus & Nepos. at Victorius, *Quid Cyrenæi? videntur mihi minimè, &c.* quomodo Pall. noſtri adeò ut omnino ſuſpicer illa *videntur mihi*, eſſe a manu extranea; legendùmque; *quid Cyrenæi, minime cont. Philoſophi? &c.*

2. *Lacerat iſta cauſa: veraceis, &c.*] Notæ ſunt conjecturæ Lambini & P. Manutii. Pall. nihil juvant, niſi quod abeat à vulgato ſec. habeatque, *iſte cauſa veraci, &c.*

3. *Et importunè inſiſtere.*] Scriptus S. Victoris *inporta inſiſtere.* ex quo fingebat Gulielmius *in porta inſiſtere.*

4. *Si quis Deus, &c.*] Pall. & editio Victorii, *ſi, inquis, Deus.*

5. *Audias quàm nobiſcum male egerint.*] Eſt à Victorio; neque recedit Aldi vetus, niſi quod *ea audies*; quomodo reſtat in Pal. ſec. & S. Victoris. nam pr. *egerit.* poſterius cuſi, *audiat quam nob. male agatur.* quæ diverſitas ferè me cogit ſuſpicari, totum iſtud eſſe litteratoris adſutum pannum.

6. *Ego Catuli Cumanum ex hoc loco regionem video.*] Pal. ſec. *regionum.* Lipſius emendabat, *Cumanum ex hoc loco è regione video.* Baulis enim habita hæc diſputatio, oppoſitumque ei Cumanum.

7. *Neſcio qui.*] Forte *Argus* fuit, inquit Aldus Nepos. non fuit; ſed *Lynceus.*

8. *Dicet me acrius.*] Ita Victorii editio, aſſentiturque Pal. pr. vulgati, *dicit.*

9. *Neque tam quereretur cum Deo, &c. videret.*] Revocavi quod erat in tribus mſſ. noſtris; produxeratque etiam P. Victorius. recentiores enim adhærentes antiquitus cuſis, *neque tam quererer cum Deo, &c. viderem.* ineptè.

10. *Qui ne nunc quidem, cùm ille Sol, &c.*] Sic Pall. quoque. Victorii editio verbo amplior, *quidem putat, cùm.* Gulielmius diſtinguit, *qui? ne nunc quidem?* quo quid velit, vix adſequor.

villum Geminum videbat, [1] ſi Quintum ſe videre putabat, incidebat in ejuſmodi viſum, quod percipi non poſſet. quia nulla nota verum diſtinguebatur à falſo: qua diſtinctione ſublata, quam haberet M. Cotta, qui bis cum Geminio conſul fuit, agnoſcendo ejuſmodi notam, quæ falſa eſſe non poſſit? Negas tantam ſimilitudinem in rerum natura eſſe. Pugnas omnino, ſed cum adverſario facili. ne ſit ſane: videri certe poteſt. fallet igitur ſenſum. & ſi una fefellerit ſimilitudo, dubia omnia reddiderit. ſublato enim judicio illo, quo oportet agnoſci: etiam ſi ipſe erit, quem tu videris, qui tibi videbitur, tamen non ea nota judicabis, qua dicis oportere, ut non poſſit eſſe ejuſdemmodi falſa. Quando igitur poteſt tibi P. Geminus, Quintus videri, quid habes explorati, cur non poſſit tibi Cotta videri, qui non ſit, quoniam aliquid videtur eſſe, quod non eſt? Omnia dicis ſui generis eſſe, *nihil eſſe idem, quod ſit aliud*. Stoicum eſt quidem, nec admodum credibile; nullum eſſe pilum omnibus rebus talem, qualis ſit pilus alius, nullum granum. hæc refelli poſſunt: ſed pugnare nolo. ad id enim, quod agitur, nihil intereſt, omnibuſne partibus viſa res nihil differat, an internoſci non poſſit, etiam ſi differat. ſed, ſi *hominum ſimilitudo tanta eſſe non poteſt*, ne ſignorum quidem? dic mihi, Lyſippus eodem aere, eadem temperatione, eodem cælo, aqua, ceteris omnibus, [2] centum Alexandros ejuſdem modi facere non poſſit? qua igitur notione diſcerneres? Quid ſi in ejuſmodi cera centum ſigilla hoc annulo impreſſero? ecquæ poterit in agnoſcendo eſſe diſtinctio? an tibi erit quærendus [3] annularius aliqui, quoniam gallinarium inveniſti Deliacum
27 illum, qui [4] ova cognoſceret? Sed adhibes artem advocatam etiam ſenſibus. *pictor videt, quæ nos non videmus*: &, ſimul inflavit tibicen, a perito carmen agnoſcitur. Quid? hoc nonne videtur contra te valere, ſi ſine magnis artificiis, *ad quæ pauci accedunt*, noſtri quidem generis, admodum, nec videre, nec audire poſſumus? Iam illa præclara, quanto artificio eſſet ſenſus noſtros, mentemque, & totam conſtructionem hominis fabricata natura. Cur non extimeſcam opinandi temeritatem? Etiamne hoc affirmare potes, Luculle, eſſe aliquam vim, cum prudentia & conſilio ſcilicet, quæ finxerit, vel ut tuo verbo utar, quæ fabricata ſit hominem? qualis iſta fabrica eſt? ubi adhibita? quando? cur? quo modo? tractantur iſta ingenioſe: diſputantur etiam eleganter. denique videantur ſane, ne affirmentur modo. ſed de phyſicis mox, & quidem ob eam cauſam, ne tu, qui idem me facturum paulo ante dixeris, videare mentitus. ſed ut ad ea, quæ clariora ſunt, veniam: res jam univerſas profundam: de quibus volumina impleta ſunt non a noſtris ſolum, ſed etiam a Chryſippo. de quo queri ſolent Stoici: *dum ſtudioſe* omnia conquiſierit contra ſenſus, & perſpicuitatem, contraque omnem conſuetudinem, contraque rationem, ipſum ſibi reſpondentem, inferiorem fuiſſe: itaque ab eo armatum eſſe Carneadem. Ea ſunt ejuſmodi, quæ à te diligentiſſimè tractata ſunt. dormientium, & [5] vinolentorum, & furioſorum viſa imbecilliora eſſe dicebas, quam vigilantium, ſiccorum, ſanorum: quo modo? quia cùm experrectus eſſet Ennius, non diceret ſe vidiſſe Homerum, ſed viſum eſſe: Alcmæo autem,

Sed mihi neutiquam cor conſentit.

Similia de vinolentis. Quaſi quiſquam neget, [6] & qui experrectus ſit, eum ſomniare: &, cujus furor conſederit, putare non fuiſſe ea vera, quæ eſſent ſibi viſa in furore. Sed non id agitur: tum, cùm videantur, quo modo videntur, id quæritur. niſi verò Ennium non putamus ita totum illud audiviſſe.

O pietas animi,

ſi modò id ſomniavit? ut ſi vigilans audiret. experrectus enim potuit illa viſa putare, ut erant, & ſomnia: dormienti verò, æque, [7] ac vigilanti probabantur. quid Iliona ſomno illo?

Mater te appello:

nonne illa credit filium locutum, [8] ut experrecta etiam crederet? unde enim illa?

Age adſta: mane: audi iteradum eademmet iſta mihi:

num videtur minorem habere viſis, quam vigilanteis, fidem? Quid loquar de inſanis? qualis tandem fuit affinis 28
tuus, Catule, Tuditanus? quiſquam ſaniſſimus tam certa putabat, quæ videt, quam is putabat, quæ videbantur? quid ille, qui,

Video, video te vivum, Vlyſſes, dum licet:

nonne etiam bis exclamavit ſe videre, cùm omnino non videret? quid apud Euripidem Hercules, cùm [9] ut Euryſthei filios, ita ſuos configebat ſagittis: cùm uxorem interimebat? cùm conabatur etiam patrem? non perinde movebatur falſis, ut veris moveretur? Quid? ipſe Alcmæo tuus, qui negat cor ſibi cum oculis conſentire, nonne ibidem incitato furore;

Unde hæc flamma oritur?

& illa deinceps,

[10] *Incede, incede: adſunt, adſunt: me, me expetunt.*

Quid, cùm virginis fidem implorat?

Fer mi auxilium: peſtem abige à me:
Flammiferam hanc vim, quæ me excruciat.
Cæruleæ incinctæ [11] *igni incedunt:*
Circumſtant cum ardentibus tædis.

Num dubitas, quin ſibi hæc videre videatur? itemque cetera:

Intendit crinitus Apollo
[12] *Arcum auratum luna innixus.*
Diana facem jacit a lævâ.

Qui magis hæc crederet, ſi eſſent, quàm credebat, quia videbantur? appàret enim jam cor cum oculis conſentire. omnia autem hæc proferuntur, ut illud efficiatur, quo certius nihil poteſt eſſe: *inter viſa vera, & falſa, ad animi aſſenſum, nihil intereſſe*. Vos autem nihil agitis, cùm falſa illa vel furioſorum, vel ſomniantium, recordatione ipſorum refellitis. non enim id quæritur, qualis recordatio fieri ſoleat eorum, qui experrecti ſunt: aut eorum, qui furere deſtiterunt: ſed qualis viſio fuerit aut furentium, aut ſom-

1. *Si Quintum ſe videre putabat.*] Neſcio an non æque bene Pal. ſec. *ſed Quintum*.

2. *Centum Alexandros ejuſdem modi.*] P. Victorii editio *certum Alexandrum*. neque aliter Pal. nam S. Victoris exemplar *certum Alexandreis*.

3. *Annularius aliqui.*] Vulgati *aliquis*. ſed ultima littera non viſitur in ullo è noſtris tribus, omiſitque etiam editus à Victorio.

4. *Ova cognoſceret.*] Pal. ſec. *agnoſceret*.

5. *Vinolentorum.*] Annotavit Gulielmius S. Victoris exemplar, & hic, & ſupra ſemper habere, *vinolentorum*: rectéque dici putat; ut à *muſto, muſulentus*. parum iſtud refert: videtur potius aliquis locum ne ſic haberet queat ſcriptura Pal. ſec. *vinolentium*.

6. *Et qui experrectus ſit, eum ſomniare.*] Ita Pall. nam S. Victoris, *eum ſomnia*. P. Manutius e mſ. interſerit negativam, *eum non ſomniare*. ipſe viderit. Lambinus edidit, *eum ſomniaſſe*.

7. *Ac vigilanti probabantur.*] Sic Lambini editio, neque aliter S. Victoris, aut Pal. ſec. nam pr. *probabatur*.

8. *Ut experrecta etiam crederet.*] Vulgati olim, & recentiores *ut verè exp.* quomodo nulli mſſ. noſtri, excluſeratque editione ſua Victorius: ſed nemo auſus imitari, non Camerarius, non Brutus, non Sturmius, non Lambinus; hoc ideo quod non conſuluiſſent libros antiquitatis obſoletæ. Aldus Nepos delevit, quamvis id avus ejus uſurparat.

9. *Ut Euryſthei filios, ita ſuos.*] Muretus hanc lectionem tuetur lib. xvii. Var. lect. cap. 10. contra P. Victorium, qui tollebat *ita*. lib. xxxv. Variar. lect. cap. 12.

10. *Incede, incede.*] Vulgati *Incende, incende*. Sed præter Pall. in quibus alterum, ut & in codice S. Victoris & editione Victoriana; quam miror neminem poſteriorum ſecutum.

11. *Igni incedunt.*] Sic ead. editio, item Pal. ſec. *non incendunt*, ut fere olim cuſi.

12. *Arcum auratum, luna innixus.*] Lambinus, *genu innixus*: miror unde; niſi ab ingenio. nam libri noſtri ei non adſtipulant; neque variant editiones.

1. *Sed*

ſomniantium tum, cùm commovebantur. ſed abeo à ſenſibus. Quid eſt, quod ratione percipi poſſit? *dialecticam* inventam eſſe dicitis, veri, & falſi quaſi diſceptatricem, & judicem. cujus veri & falſi? & in qua re? in geometriane, quid ſit verum, vel falſum, dialecticus judicabit, an in litteris, aut in muſicis? At ea non novit. In philoſophia igitur: ſol quantus ſit. quid ad illum? quod ſit ſummum bonum, quid habet, ut queat judicare? quid igitur judicabit? quæ conjunctio, quæ disjunctio vera ſit, quid ambiguè dictum ſit, quid ſequatur quamque rem, quid repugnet? ſi hæc, & horum ſimilia judicat, *de ſe ipſa judicat.* plus autem pollicebatur. nam hæc quidem judicare ad ceteras res, quæ ſunt in philoſophia multæ, atque magnæ, non eſt ſatis. Sed quoniam tantum in ea arte ponitis: videte, ne contra vos tota nata ſit. quæ primo progreſſu feſtivè tradit elementa loquendi, & ambiguorum intelligentiam, concludendique rationem: tum, paucis additis, venit ad 29 ſoritas, lubricum ſanè, & periculoſum locum: quod tu modò dicebas eſſe vitioſum interrogandi genus. Quid ergo? iſtius vitii num noſtra culpa eſt? rerum natura nullam nobis dedit *cognitionem finium*, ut ulla in re ſtatuere poſſimus, quatenus. nec hoc in acervo tritici ſolùm, unde nomen eſt, [1] ſed nulla omnino in re minutatim interroganti: dives, pauper: clarus, obſcurus ſit: multa, pauca: magna, parva: longa, brevia: lata, anguſta: quanto aut addito, aut demto, certum reſpondeamus, non habemus. At vitioſi ſunt ſoritæ. [2] Frangite igitur eos, ſi poteſtis, ne moleſti ſint. erunt enim, niſi cavetis. cautum eſt, inquit. placet enim Chryſippo, cùm gradatim interrogetur, verbi cauſa, tria, pauca ſint, anne multa: aliquanto priùs, quàm ad multa perveniat, *quieſcere*, id eſt, quod ab iis dicitur, *ἡσυχάζειν*. *Per me vel ſtertas licet*, inquit Carneades, *non modo quieſcas.* ſed quid proficit? ſequitur enim qui te ex ſomno excitet, & eodem modo interroget. [3] QUOD IN numero conticuiſti: ſi ad eum numerum unum addidero, multane erunt? progrediere rurſus, quoad videbitur. Quid plura? hoc enim fateris: neque ultimum te paucorum, neque primum multorum reſpondere poſſe. cujus generis error ita manat, ut non videam, quò non poſſit accedere. Nihil me lædit, inquit. ego enim, ut agitator callidus, priùs quàm ad finem veniam, equos ſuſtinebo: eoque magis, ſi locus is, [4] quò ferentur equi, præceps erit. ſic me, inquit, antè ſuſtinebo, nec diutiùs captioſè [5] interroganti reſpondebo. Si habes, quod liqueat, neque [6] reſpondes, *ſuperbus.* ſi non habes; ne tu quidem perſpicis. ſi, quia obſcura, concedo. ſed negas te uſque ad obſcura progredi. illuſtribus igitur rebus inſiſtis. ſi id tantummodò, ut taceas, nihil aſſequeris. quid enim ad illum, qui te captare vult, utrùm tacentem irretiat te, an loquentem? ſin autem uſque ad novem, verbi gratia, ſine dubitatione reſpondes pauca eſſe, in decimo inſiſtis: etiam à certis, & illuſtrioribus cohibes aſſenſum: hoc idem me in obſcuris facere non ſinis. nihil igitur te contra ſoritas ars iſta adjuvat: [7] quæ nec augendi, nec minuendi, quid aut primum ſit, aut poſtremum, docet. Quid, quod eadem illa ars *quaſi Penelope telam retexens*, tollit ad extremum ſuperiora? utrùm ea veſtra, an noſtra culpa eſt? nempe fundamentum dialecticæ eſt, quidquid enuntietur (id autem appellatur *ἀξίωμα*, quod eſt quaſi effatum) aut verum eſſe, aut falſum. quid igitur? hæc vera, an falſa ſunt? *Si te mentiri dicis: idque verum dicis: mentiris, verum dicis.* Hæc ſcilicet *inexplicabilia* eſſe dicitis. quod eſt odioſius, quam illa, 30 quæ nos *incomprehenſa*, & *non percepta* dicimus. Sed hæc omitto. illud quæro, ſi iſta explicari non poſſunt, nec eorum ullum judicium invenitur, ut reſpondere poſſitis, vera ne, an falſa ſint: ubi eſt illa definitio, *effatum eſt id, quod aut verum, aut falſum ſit?* Rebus ſumptis adjungam, ex his ſequendas eſſe alias, alias improbandas, quæ ſint in genere contrario. [8] Quo modo igitur hoc concluſum eſſe judicas? [9] *ſi dicis, nunc lucere, & verum dicis: lucet igitur.* probatis certè genus, & rectiſſime concluſum dicitis. itaque in docendo, eum primum concludendi modum traditis. aut, quidquid igitur eodem modo concluditur, probabitis, aut ars iſta nulla eſt. [10] Vide ergo, hanc concluſionem probaturuſne ſis: *ſi dicis te mentiri, verumque dicis: mentiris. dicis autem te mentiri, verumque dicis. mentiris igitur.* Qui potes hanc non probare, cùm probaveris ejuſdem generis ſuperiorem? Hæc Chryſippéa ſunt, ne ab ipſo quidem diſſoluta. quid enim faceret huic concluſioni? *ſi lucet, lucet. lucet autem. lucet igitur.* cederet ſcilicet. ipſa enim ratio connexi, cùm conceſſeris ſuperius, cogit inferius concedere. Quid ergo hæc ab illa concluſione differt? *Si mentiris, mentiris. mentiris autem; mentiris igitur.* Hoc negas te poſſe nec approbare, nec improbare. Qui igitur magis illud? Si ars, ſi ratio, ſi via, ſi vis denique concluſionis valet; eadem eſt in utroque. Sed hoc extremum eorum eſt. poſtulant, ut excipiantur hæc inexplicabilia. [11] Tribunum aliquem cenſeo adeant. à me iſtam exceptionem numquam impetrabunt. etenim cùm ab Epicuro, qui totam dialecticam & contemnit, & irridet, non impetrent, ut verum eſſe concedat, quod ita effabimur, *aut vivet cras Hermachus, aut non vivet:* cùm dialectici ſic ſtatuant, omne, quod ita disjunctum ſit, quaſi, aut etiam, aut non, non modò verum eſſe, ſed etiam neceſſarium: vide, [12] quàm ſit cautus is, quem iſti tardum putant. SI ENIM, inquit, alterutrum conceſſero: neceſſarium eſſe neceſſe erit, cras Hermachum aut vivere, aut non vivere. nulla autem eſt in natura rerum talis neceſſitas. Cum hoc igitur dialectici pugnent, id eſt, Antiochus, & Stoici. totam enim evertit dialecticam. nam ſi è contrariis disjunctio (*contraria* autem ea dico, cùm alterum ait, alterum negat) ſi talis disjunctio falſa poteſt eſſe, nulla vera eſt. mecum verò quid habent litium, qui ipſorum diſciplinam ſequor? Cùm aliquid hujuſmodi inciderat, ſic ludere Carneades ſolebat:

---

1. *Sed nulla omnino.*] Alii, *ſed ulla*, contra noſtros libros & editionem P. Victorii.

2. *Frangite igitur eos ſi poteſtis.*] Lectio forſan minus recta. nam Pal. pr. *agite igitur.* ſec. *angite qui eos.* utrumvis præpoſuerim vulgato, quod attinet quidem ad vocem primam.

3. *Quod in numero.*] Sic noſtri. Lambinus *quo*, ſecutus Paullum Manutium qui monuerat ita fuiſſe in libro veteri.

4. *Quo ferentur equi.*] Auferri poſſet ſine ullo ſenſus detrimento.

5. *Interroganti reſpondeo.*] Vulgati *reſpondebo.* ſed alterum reſtat in Pall. in S. Victoris, denique editione Victoriana.

6. *Si reſpondes ſuperbus.*] Eſt in Victoriana, neque aliter Pal. ſec. nam prim. *ſuperbi.* quod & in Aldina veteri. vulgatur, *ſuperbè.*

7. *Quæ nec augendi, nec minuendi.*] Lambinus, libris, ut inquit, reclamantibus, invexit, *augenti, nec minuenti.* egregium facinus.

8. *Quomodo igitur hoc concluſum eſſe judicas.*] Sic omnes edd. item Pal. prim. & S. Victoris, niſi quod is, *hoc concl.* at enim Pal. ſec. exhibet nobis, *quomodo aut falſum eſſe judicas, ſi dicis.* quod examinabunt quietiores. nam mihi quidem ſic feſtinanti, ſcrupulum non levem injecit; quod non ſoleat ille liber exorbitare niſi cum cauſa.

9. *Si dicis nunc lucere, & verum dicis: lucet igitur.*] Homo non acutus, auſus ſum delere ſeptem aliquot voces, quæ quinquaginta fere per annos iſtum inſederant locum. quippe & alii edidere, & Boulierius, & Brutus, & Lambinus, & Aldus Nepos; *Si dicis nunc lucere, & verum dicis: lucet. dicis autem lucere, & verum dicis: lucet igitur.* quæ intermedia, neque agnoſcit Aldus major, neque Victorius, neque Pall. neque S. Victoris codex. itaque cur ego tolerarem?

10. *Vide ergo.*] Pall. item edd. veteres, etiam Victoriana, *video ergo.*

11. *Tribunum aliquem cenſeo adeant.*] Pall. ille ſec. *cenſeo videant.* non temere profecto. & videant acutiores an hoc reponi debeat. notum eſt enim, *me vide*, apud Comicos, aliiſque tale quid quo auxilium auctoritaſve ſpondeatur alteri.

12. *Quam ſit cautus.*] Lamb. rurſus libris omnibus, inquit, invitis, obtrudit nobis, *catus*, utpote quod tarde potius opponeretur, quam *cautus*, quod tamen ſic roadum probavit.

lebat: *Si recte concluſit: teneo. ſin vitioſe:* [1] *minam Diogenes reddet.* ab eo enim Stoico dialecticam didicerat. hæc autem merces erat dialecticorum. [2] ſequor igitur eas vias, quas didici ab Antiocho: nec reperio, quomodo judicem, *Si lucet, lucet*, verum eſſe, ob eam cauſam, quòd ita didici, *omne, quod ipſum ex ſe connexum ſit, verum eſſe:* non judicem, *Si mentiris, mentiris:* eodem modo eſſe connexum. Aut igitur hoc, & illud: aut niſi hoc, ne illud quidem judicabo.

31 Sed, ut omneis iſtos aculeos, & totum tortuoſum genus diſputandi relinquamus, oſtendamuſque, qui ſimus: jam, explicata tota Carneadis ſententia Antiochi iſta corruent univerſa. Nec verò quidquam ita dicam, ut quiſquam *id fingi* ſuſpicetur. à Clitomacho ſumam, qui uſque ad ſenectutem cum Carneade fuit, homo & acutus, ut Pœnus, & valde ſtudioſus, ac diligens. & quattuor ejus libri ſunt de ſuſtinendis aſſenſionibus. hæc autem, quæ jam dicam, ſunt ſumta de primo. Duo placet eſſe Carneadi genera viſorum: in uno hanc diviſionem, *Alia viſa eſſe, quæ percipi poſſint: alia quæ non poſſint:* in altero autem, *Alia viſa eſſe probabilia, alia non probabilia.* itaque, quæ contra ſenſus, contraque perſpicuitatem dicantur, ea pertinere ad ſuperiorem diviſionem: contra poſteriorem nihil dici oportere. quare ita placere, tale viſum nullum eſſe, ut perceptio conſequeretur: ut autem probatio, multa. etenim *contra naturam eſſet*, ſi probabile nihil eſſet. & [3] ſequitur omnis vitæ ea, quam tu, Luculle, commemorabas, everſio. itaque & ſenſibus probanda multa ſunt: teneatur modò illud, non ineſſe in his quidquam tale, quale non etiam falſum nihil ab eo differens eſſe poſſit. ſic, quidquid acciderit ſpecie probabile, ſi nihil ſe offeret, quod ſit probabilitati illi contrarium, utetur eo ſapiens: ac ſic omnis ratio vitæ gubernabitur. etenim is quoque, qui à vobis *ſapiens* inducitur, multa ſequitur probabilia, non comprehenſa, neque percepta, neque aſſenſa, ſed *ſimilia veri:* quæ niſi probet, omnis vita tollatur. Quid enim? conſcendens navem ſapiens, num comprehenſum animo habet, atque perceptum, ſe ex ſententia navigaturum? qui poteſt? ſed ſi jam ex hoc loco proficiſcatur Puteolos ſtadia triginta, *probo navigio, bono* gubernatore, hac tranquillitate: probabile videatur, ſe illuc venturum eſſe ſalvum. Hujuſmodi igitur viſis conſilia capiet & agendi, & non agendi: faciliorque erit, ut albam eſſe nivem probet, quàm erat Anaxagoras: qui id non modò ita eſſe negabat, ſed ſibi, quia ſciret aquam nigram eſſe, [4] unde illa concreta eſſet, albam ipſam eſſe ne videri quidem. & quæcumque res eum ſic attinget, ut ſit viſum illud probabile, neque ulla re impeditum: movebitur. non enim eſt *è ſaxo ſculptus*, [5] *aut è robore dolatus.* habet corpus; habet animum: movetur mente; movetur ſenſibus: ut ei multa vera videantur. neque tamen habere inſignem illa, & propriam percipiendi notam: eoque ſapientem non aſſentiri, quia poſſit ejuſdem modi exſiſtere falſum aliquod, cujuſmodi hoc verum. neque nos contra ſenſus aliter dicimus, ac Stoici. qui multa falſa eſſe dicunt, longeque aliter ſe habere, ac ſenſibus videantur.

32 Hoc autem ſi ita ſit, ut unum modò ſenſibus falſum videatur: præſtò eſt, qui neget, rem ullam percipi poſſe ſenſibus. ita, nobis tacentibus ex uno Epicuri capite, altero veſtro, *perceptio*, & *comprehenſio* tollitur. Quod eſt caput Epicuri? *Si ullum ſenſibus viſum falſum eſt: nihil percipi poteſt.* quod veſtrum? *Sunt falſa ſenſus viſa.* Quid ſequitur? ut taceam, concluſio ipſa loquitur, *nihil poſſe percipi.* Non concedo, inquit, Epicuro. Certa igitur cum illo, qui à te totus diverſus eſt: noli mecum, qui hoc quidem certè, falſi eſſe aliquid in ſenſibus, tibi aſſentior. Quanquam nihil mihi tam mirum videtur, quàm iſta dici, ab Antiocho quidem maximè cui erant, quæ paullo antè dixi, notiſſima. licet enim hæc quivis arbitratu ſuo reprehendat, quòd negemus rem ullam percipi poſſe; certè [6] levior reprehenſio eſt. quòd tamen dicimus eſſe *quædam probabilia*; non videtur hoc ſatis eſſe vobis. ne ſit. illa certè debemus effugere, quæ à te vel maximè agitata ſunt. nihil igitur cernis? nihil? audis nihil tibi eſt perſpicuum? Explicavi paullo antè, Clitomacho auctore, quo modo iſta Carneades diceret. accipe quemadmodum ea dicantur à Clitomacho, in eo libro, quem ad C. Lucilium ſcripſit poëtam, cùm ſcripſiſſet iiſdem de rebus ad L. Cenſorinum, eum, qui conſul cum M. Manilio fuit. ſcripſit igitur his ferè verbis. ſunt enim mihi nota, propterea quòd earum ipſarum rerum, de quibus agimus, prima inſtitutio, & quaſi diſciplina illo libro continetur, ſed ſcriptum eſt ita: ACADEMICIS PLACERE, eſſe rerum ejuſmodi diſſimilitudines, ut aliæ probabiles videantur, aliæ contrà: id autem non eſſe ſatis, cur alia percipi poſſe dicas, alia non poſſe; propterea quòd multa falſa probabilia ſint: nihil autem falſi perceptum, & cognitum poſſit eſſe. Itaque ait vehementer errare eos, qui dicant, ab Academia ſenſus eripi, à quibus numquam dictum ſit, aut colorem, aut ſaporem, aut ſonum nullum eſſe. illud ſit diſputatum, non ineſſe in his propriam, quæ nuſquam alibi eſſet, veri & certi notam. Quæ cùm expoſuiſſet, adjungit, DUPLICITER DICI aſſenſus ſuſtinere ſapientem: uno modo, cùm hoc intelligatur, omnino eum rei nulli aſſentiri: altero, cùm ſe à reſpondendo, [7] ut aut approbet quid, aut improbet, ſuſtineat, ut neque neget aliquid, neque ajat. Id cùm ita ſit: alterum placere, ut numquam aſſentiatur: alterum tenere, ut ſequens probabilitatem, ubicumque hæc aut occurrat, aut deficiat; aut *etiam* aut *non*, reſpondere poſſit. [8] nec, ut placeat, eum, qui de omnibus rebus contineat ſe ab aſſentiendo, moveri tamen, & agere aliquid, reliquit ejuſmodi viſa, quibus ad actionem excitemur: item ea, quæ interrogati in utramque partem reſpondere poſſumus, ſequentes tantummodò quod ita viſum ſit, dum *ſine aſſenſu:* neque tamen omnia [9] ejuſmodi viſa approbari, ſed ea, quæ nulla re impedirentur. Hæc ſi vobis non probamus, ſint falſa ſanè: invidioſa certè non ſunt. non enim lucem eripimus: ſed ea, quæ vos percipi, comprehendique, eadem nos, ſi modò *probabilia* ſint, videri dicimus. 33

[10] Sic igitur inducto & conſtituto probabili, & eo quidem expedito, ſoluto, libero, nulla re implicato, vides profectò, Luculle, jacêre jam illud tuum perſpicuitatis patrocinium. iiſdem enim hic ſapiens, de quo loquor, oculis, quibus iſte veſter cælum, terram, mare intuebitur: iiſdem ſenſibus reliqua, quæ ſub quemque ſenſum cadunt, ſentiet. [11] Mare illud quod nunc Favonio naſcente, purpureum videtur, idem

1. *Minam Diogenes reddet.*] Eſt ab Aldina veteri, & Victoriana, & tribus noſtris. aliæ edd. *reddat.*

2. *Sequor igitur.*] Vulgati *ſequar.* ſed alterum eſt à Victorio, à Pal. ſec. & S. Victoris exemplari.

3. *Sequitur omnis vitæ ea, &c.*] Nihil variant mſſ. niſi quod S. Victoris *everſionem.* P. Manutius edidit, *ſequitur enim.* P. Victorius interpunxit: *probatio multa etenim c. nat. &c. eſſet ſequitur omnis.* non ſatisfacit. forſan reponendum erat, *& ſequeretur omnis, &c.*

4. *Unde illa concreta eſſet.*] Ita nuper natæ edd. verùm priores omnes, *congregatæ*, quod & in noſtris tribus mſſ. Camerarius conjicit *congelata.*

5. *E robore dolatus.*] Membranæ tres, *ebore dolatus*, neque aliter Aldi vetus. quod ipſum junior aliquis Criticaſter, mordicus tueretur.

6. *Levior reprehenſio eſt.*] Pal. ſec. *reſponſio*; qui etiam mox habet *præterea*, pro quo editi *propterea.*

7. *Ut aut approbet quid.*] Non agnoſcit Pal. ſec. *ut aut*, & poterant abeſſe ſalva ſententia; neque videntur auctoris.

8. *Nec ut placeat eum, &c.*] Nihil mutant noſtri. Paulus Manutius edidit *hic ut pl.* Lambin. *nam cum placeat*; cum prius tamen edidiſſet, *cum id placeat.*

9. *Ejuſmodi viſa approbari.*] Sic Pall. P. Manutius admiſit *approbat*, ſide, inquit, manuſcripti.

10. *Sic igitur inducto & conſtituto probabili.*] Hæc eſt lectio vulgata, quæ & in Aldino veteri. at Victoriana *inducta & conſtituta probabilia*, quod & in utroque Pal.

11. *Mare illud quod nunc Favonio.*] Ita trias mſſ. noſtrorum, neque ſecus Victoriana. aliæ omnes *illud quidem nunc.*

idem huic noſtro videbitur, nec tamen aſſentietur; quia nobiſmetipſis modò cæruleum videbatur; [1] mane flavum; quodque nunc, [2] quia à ſole collucet, albeſcit, & vibrat, diſſimileque eſt proximo ei continenti: ut, etiam ſi poſſis rationem reddere, cur id eveniat, tamen non poſſis id verum eſſe, quod videbatur oculis, defendere. *Unde memoria, ſi nihil percipimus?* (ſic enim quærebas,) quòd meminiſſe viſa, niſi comprehenſa non poſſumus. Quid? Polyænus, qui magnus mathematicus fuiſſe dicitur, is poſteaquàm Epicuro aſſentiens, totam geometriam eſſe falſam credidit, num illa etiam, quæ ſciebat, oblitus eſt? Atqui, *falſum quod eſt, id percipi non poteſt*, [3] ut nobiſmetipſis placet. Si igitur memoria perceptarum, comprehenſarumque rerum eſt: omnia, quæ quiſque meminit, habet ea comprehenſa, atque percepta. falſi autem comprehendi nihil poteſt: & omnia meminit Scyron Epicuri dogmata. vera igitur illa ſunt nunc omnia. Hoc per me licet. ſed tibi aut concedendum ita eſſe, quod minimè vis: aut memoriam mihi remittas, oportet, [4] & facilè eſſe ei locum, etiam ſi comprehenſio, perceptioque nulla ſit. Quid fiet artibus? quibus? iiſne, quæ ipſæ fatentur conjectura ſe plus uti, quàm ſcientia: an iis, quæ tantùm id, quod videtur, ſequuntur, nec habent iſtam artem veſtram, qua vera & falſa dijudicent? Sed illa ſunt *lumina duo*, quæ maximè cauſam iſtam continent. primùm enim *negatis fieri poſſe, ut quiſquam nulli rei aſſentiatur*. At id quidem perſpicuum eſt: cum Panætius, princeps propè, meo quidem judicio, Stoicorum, ea de re dubitare ſe dicat, quam omnes, præter eum, Stoici certiſſimam putant, VERA ESSE [5] haruſpicum auſpicia, oracula, ſomnia, vaticinationes, ſeque ab aſſenſu ſuſtineat. Quod is poteſt facere de iis rebus, quas illi, à quibus ipſe didicit, certas habuerint: cur id ſapiens de reliquis rebus facere non poſſit? an eſt aliquid, quod poſitum vel improbare, vel approbare poſſit, dubitari non poſſit? an tu in ſoritis poteris hoc, cùm voles: ille in reliquis rebus [6] non poterit eodem modo inſiſtere, præſertim cùm poſſit ſine aſſenſione ipſam veriſimilitudinem non impeditam ſequi? Alterum eſt, quod *negatis actionem ullius rei poſſe in eo eſſe, qui nullam rem aſſenſu ſuo comprobet*. primùm enim videri oportet, in quo ſit etiam aſſenſus. dicunt enim Stoici, *ſenſus ipſos aſſenſus eſſe:* quos quoniam appetitio conſequatur, actionem ſequi. tolli autem omnia, ſi viſa tollan-
34 tur. Hac de re in utramque partem & dicta ſunt, & ſcripta multa ([7] vide ſuperiora) ſed brevi res poteſt tota confici. ego enim etſi maximam actionem puto, repugnare viſis, obſiſtere opinionibus, aſſenſus lubricos ſuſtinere, credoque Clitomacho ita ſcribenti, [8] Herculi quendam laborem exanclatum à Carneade, quod, ut feram, & immanem beluam, ſic ex animis noſtris *aſſenſionem*, id eſt, opinationem, & temeritatem extraxiſſet: tamen, ut ea pars defenſionis relinquatur, quid impediet actionem ejus, qui probabilia ſequitur, nulla re impediente? Hoc, inquit, ipſum impediet, quòd ſtatuet, ne id quidem, quod probet, poſſe percipi. Jam iſtuc te quoque impediet, in navigando, & in conſerendo, in uxore ducenda, in liberis procreandis, plurimiſque in rebus, in quibus nihil ſequêre, præter probabile. Et tamen illud uſitatum, & ſæpe repudiatum refers non ut Antipater, ſed, ut ais, preſſius. nam Antipatrum reprehenſum, quòd diceret, conſentaneum eſſe ei, qui affirmaret, *nihil poſſe comprehendi*, id ipſum ſaltem dicere poſſe comprehendi: quod ipſi Antiocho pingue videbatur, & ſibi contrarium. non enim poteſt convenienter dici, nihil comprehendi poſſe, ſi ipſum comprehendi poſſe dicatur. Illo modo potiùs putat urgendum fuiſſe Carneadem: CUM SAPIENTIS nullum decretum eſſe poſſit, niſi comprehenſum, perceptum, cognitum; ut hoc ipſum decretum, quod ſapientis eſſet, nihil poſſe percipi, fateretur eſſe perceptum. proinde quaſi ſapiens nullum aliud decretum habeat, & ſine decretis vitam agere poſſit. Sed ut illa habet probabilia, non percepta, ſic hoc ipſum, nihil poſſe percipi. nam ſi in hoc [9] haberet cognitionis notam, eadem uteretur in ceteris. quam quoniam non habet, utitur probabilibus. Itaque non metuit, ne confundere omnia videatur, & incerta reddere. non enim, quemadmodum, ſi quæſitum ex eo ſit, ſtellarum numerus par, an impar ſit: item, ſi de officio, multiſque aliis de rebus, in quibus verſatur, exercitatuſque ſit, neſcire ſe dicat. *in incertis* enim nihil *eſt probabile:* in quibus autem eſt, in his non deerit ſapienti, nec quid faciat, nec quid reſpondeat. Ne illam quidem prætermiſiſti, Luculle, reprehenſionem Antiochi (nec mirum: in primis enim eſt nobilis) qua ſolebat dicere Antiochus, Philonem maximè perturbatum. cùm enim ſumeretur unum, *eſſe quædam falſa viſa:* alterum, *nihil ea differre à veris*; non attendere, ſuperius [10] illud ea re à ſe eſſe conceſſum, quod videretur eſſe quædam in viſis differentia, eam tolli altero, quo neget viſa à falſis vera differre: nihil tam repugnare. Id ita eſſet, ſi nos verum omnino tolleremus. [11] non facimus nam tam vera quàm falſa cernimus. ſed probandi ſpecies eſt: percipiendi ſignum nullum habemus. Ac mihi videor nimis etiam nunc agere 35
jejune. cùm ſit enim campus, in quo poſſit exſultare oratio: cur eam in tantas anguſtias, & in *Stoicorum dumeta* compellimus? ſi enim mihi cum Peripatetico res eſſet, qui id percipi poſſe diceret, quod impreſſum eſſet è vero: neque adhiberet illam magnam acceſſionem, quo modo imprimi non poſſet à falſo: cum ſimplici homine ſimpliciter agerem, nec magnopere contenderem, atque etiam, ſi, cùm ego nihil dicerem poſſe comprehendi, diceret ille, ſapientem interdum opinari: non repugnarem: præſertim ne Carneade quidem huic loco valde repugnante: nunc quid facere poſſum? Quæro enim, *quid ſit, quod comprehendi poſſit*. reſpondet mihi non Ariſtoteles, aut Theophraſtus, ne Xenocrates quidem, aut Polemo, [12] ſed mihi minor eſt; tale verum, quale falſum eſſe non poſſit. Nihil ejuſmodi invenio. [13] itaque in cognitione nimirum aſſentiar, id eſt, opinabor. hoc mihi & Peripatetici, & vetus

1. *Mane flavum.*] Sic Pall. nam S. Victoris *acrum*. Lambinus publicavit *ravum quia à Sole*, omiſſo *quodque*. quod in edd. & mſſ. noſtris. *Rivum* illud eruit è Nonio, non ipſe primus, ſed Camerarius.

2. *Qui à Sole albeſcit.*] Reponendum videtur, *quà à Sole*. quomodo exſtat in Pal. ſecundo.

3. *Ut nobiſmet ipſis placet.*] An non potius: *vobiſmet*.

4. *Et facile eſſe ei locum.*] S. Victoris ſcriptus, *facere*. P. Manutii codex, *& facias eſſe ei locum*.

5. *Aruſpicum auſpicia.*] S. Vict. *aruſpicem*. malim, *aruſpicia, auſpicia, &c.* & verò Pal. ſec. habet *aruſpicum aruſpicia*.

6. *Non poterit eodem modo inſiſtere.* Forſan tres voces ſuperfluæ ſunt. ſanè Pal. pr. habet *eodem ſtudio inſ.*

7. *Vide ſuperiora.*] Aldi ſenioris editio *unde ſuperioris*. Sed adſentior Paullo Manutio, arbitranti adnotamentum lectoris.

8. *Herculi quendam laborem exanclatum.*] Sic omnes noſtri, quod ad vocem primam attinet, quod & de ſuis monuit Lambinus. antiquè pro *Herculis*. ultimam dictionem ſervat omnibus litteris Pal. ſec. nam pr. *exanhelatum* S. Vict. *exaridatum*. quæ tamen diverſitas accedit ad *exanclatum* magis, quàm aliorum *exantlatum*.

9. *Haberet cognitionis notam.*] Pal. ſec. *recognitionis*.

10. *Illud ea re à ſe eſſe.*] Videtur *ea re*, eſſe ſpurium, certè non comparet in Pal. ſec. qui tamen habet *illud à ſe ſeſe*.

11. *Non facimus. nam tam vera, &c.*] Pal. ſec. *non facimus, non: tam vera, &c.* quod malim.

12. *Sed mihi minor eſt; tale verum.*] Locus vexatiſſimus. repræſentavi quod erat in Pal. prim. neque abibat ſec. quam quod is, *ſed mihi minores tale verum:* volebatque ultimum iſtud Turnebus lib. XVI. Adverſ. cap. 18. f. à primo videtur ſtare codex S. Victoris; neque recedit editio Victoriana. Aldus ſenior expreſſit; *ſed nihil minor: quod eſt tale verum.* Junior; *ſed nihilo minor: quod eſt tale verum.* vulgatur ferè: *ſed nihil miror: quod eſt tale.* Lambinus maluit, *ſed nihilo minor: eſſe tale verum:* cujus tamen adeat notas, qui videre vult andabatam pugnantem cum umbra divini planè Turnebi.

13. *Itaque in cognitione nimirum adſentiar.*] S. Victoris & Pal. ſec. *mirum:* adeo ut non omnino abſurdè Lambinus, *Itaque in cognito nimirum adſentiar*. ſed non ideo tamen idem inferre debebat latifundiis auctoris.

1. *Et*

vetus Academia concedit: vos negatis, Antiochus in primis qui me valde movet: vel quòd amavi hominem, ſicut ille me: vel quòd ita judico, politiſſimum, & acutiſſimum omnium noſtræ memoriæ philoſophorum: à quo primum quæro, quo tandem modo ſit ejus Academiæ, cujus ſe eſſe profiteatur? Ut omittam alia: hæc duo, de quibus agitur, quis umquam dixit aut veteris Academiæ, aut Peripateticorum? vel *id ſolum percipi poſſe, quod eſſet verum tale, quale falſum eſſe non poſſet*: vel *ſapientem nihil opinari*? certe nemo. horum neutrum ante Zenonem magnopere defenſum eſt. ego tamen utrumque verum puto: nec dico TEMPORIS CAUSA: ſed ita planè probo.

36 Illud ferre non poſſum. Tu, cùm me *incognito aſſentiri vetes*, idque turpiſſimum eſſe dicas, & pleniſſimum temeritatis; tantum tibi arroges, ut exponas diſciplinam ſapientiæ, naturam rerum omnium evolvas, mores fingas, fineis bonorum, malorumque conſtituas, officia deſcribas, quam vitam ingrediar, definias: idemque etiam diſputandi, & intelligendi judicium dicas te, & artificium traditurum: perficies, ut ego iſta innumerabilia complectens, nuſquam labar? nihil opiner? quæ tandem ea eſt diſciplina, ad quam me deducas, ſi ab hac abſtraxeris? vereor, ne ſubarroganter facias, ſi dixeris tuam. atqui ita dicas, neceſſe eſt. Neque verò tu ſolus, ſed me ad ſuam quiſque rapiet. Age, reſtitero Peripateticis, qui ſibi cum oratoribus cognationem eſſe, qui claros viros à ſe inſtructos dicant remp. ſæpe rexiſſe: ſuſtinuero Epicureos: tot meos familiareis, tam bonos, tam inter ſe amanteis viros. Diodoto quid faciam Stoico, quem à puero audivi? qui mecum vivit tot annos? qui habitat apud me? quem & admiror, & diligo? qui iſta Antiochea contemnit? Noſtra, inquies, ſola vera ſunt. Certè ſola, ſi vera. *plura* enim *vera diſcrepantia eſſe non poſſunt*. Utrùm igitur nos impudentes, qui labi nolumus: an illi arrogantes, qui ſibi perſuaſerint, ſcire ſe ſolos omnia? Non me quidem, inquit, ſed ſapientem dico ſcire. Optimè: nempè iſta ſcire, quæ ſunt in tua diſciplina. Hoc primùm quale eſt, *à non ſapiente explicari ſapientiam*? ſed diſcedamus à nobiſmetipſis: de ſapiente loquamur: de quo (ut ſæpe jam dixi) omnis hæc quæſtio eſt. In treis igitur parteis & à pleriſque, & nobiſmetipſis diſtributa ſapientia eſt. primùm ergo, ſi placet, quæ de natura rerum ſunt quæſita, videamus: velut illud ante. Eſtne quiſquam tanto inflatus errore, ut ſibi ſe illa ſcire perſuaſerit? non quæro rationes, eas, quæ ex conjectura pendent: quæ diſputationibus huc, & illuc trahuntur, nullam adhibent perſuadendi neceſſitatem. Geometræ provideant, qui ſe profitentur *non perſuadere, ſed cogere*: [1] & qui omnia vobis, quæ deſcribunt, probant. non quæro ex his illa initia mathematicorum: quibus non conceſſis, digitum progredi non poſſunt. Punctum eſſe, quod magnitudinem nullam habeat. Extremitatem, & quaſi libramentum, in quo nulla omnino craſſitudo [2] ſit, liniamento ſine ulla latitudine carentem. Hæc cùm vera eſſe conceſſero: [3] ſi adjiciam jusjurandum, ſapientemne priùs, quàm Archimedes eo inſpectante rationes omneis deſcripſerit eas, quibus efficitur, multis partibus ſolem majorem eſſe, quam terram, juraturum putas? ſi fecerit: ſolem ipſum, quem deum cenſet eſſe, contemſerit. Quòd ſi geometricis rationibus non eſt crediturus, quæ *vim afferunt* in docendo. vos ipſi ut dicitis: næ ille longè aberit, ut argumentis credat philoſophorum: aut, ſi eſt crediturus, quorum potiſſimùm? omnia phyſicorum licet explicare. ſed longum eſt. quæro tamen, quem ſequatur. Finge aliquem nunc fieri ſapientem, nondum eſſe: [4] qua potiſſimùm ſententia meliùs eliget diſciplinam? etſi quamcumque eliget, inſipiens eliget. Sed ſit ingenio divino, quem unum è phyſicis potiſſimùm probabit? nec plus uno poterit. non perſequor quæſtiones infinitas: tantùm de principiis rerum, è quibus omnia conſtant, videamus quem probet. eſt enim inter magnos homines ſumma diſſenſio. Princeps Thales, unus è ſeptem, cui ſex reliquos 37
[5] conſenſiſſe primos ferunt; *ex aqua* dixit conſtare omnia. At hoc Anaximandro, populari, & ſodali ſuo, non perſuaſit. is enim *infinitatem naturæ* dixit eſſe è qua omnia gignerentur. pòſt ejus auditor Anaximenes, *infinitum aera*: ſed ea, quæ ex eo orirentur, definita: gigni autem terram, aquam, ignem, tum ex his omnia: Anaxagoras, *materiam infinitam*: [6] ſed ex ea particulas ſimileis inter ſe minutas; eas primùm confuſas, poſtea in ordinem adductas à mente divina: Xenophanes paullo etiam antiquior, unum eſſe omnia, neque id eſſe mutabile, & id eſſe *deum*, neque [7] natum uſquam, & ſempiternum, conglobata figura: Parmenides, *ignem*, qui moveat terram, quæ ab eo formetur: Leucippus, *plenum*, *& inane*: Democritus huic in hoc ſimilis, uberior in ceteris: Empedocles, hæc pervulgata, & *nota quattuor*: Heraclitus, *ignem*: Meliſſus, hoc, quod eſſet *infinitum*, & immutabile, & fuiſſe ſemper, & fore. Plato *ex materia* in ſe omnia recipiente, mundum eſſe factum cenſet à deo ſempiternum. [8] Pythagorei, *ex numeris*, & mathematicorum initiis proficiſci volunt omnia. Ex his eliget veſter ſapiens unum aliquem, credo, quem ſequatur: ceteri tot viri, & tanti, repudiati ab eo, condemnatique diſcedent. Quamcumque verò ſententiam probaverit, eam ſic animo comprehenſam habebit, ut ea quæ ſenſibus: nec magis [9] approbabit nunc lucere: quàm, quoniam Stoicus eſt; hunc MUNDUM ESSE ſapientem, habere mentem, quæ & ſe, & ipſum fabricata ſit, & omnia moderetur, moveat, regat. Erit perſuaſum etiam, ſolem, lunam, ſtellas omneis, terram, mare, deos eſſe, quòd quædam animalis intelligentia per omnia ea permeet, & tranſeat: fore tamen aliquando, ut omnis hic mundus ardore deflagret. Sint iſta vera: (vides enim jam me fateri aliquid 38
eſſe veri) comprehendi ea tamen, & percipi nego. cum enim tuus iſte Stoicus ſapiens ſyllabatim tibi iſta dixerit; veniet flumen orationis aureum fundens Ariſtoteles, qui illum *deſipere* dicat: neque enim ortum eſſe umquam mundum, quod nulla fuerit, [10] novo conſilio inito tam præclari operis inceptio, & ita eum eſſe undique aptum, ut nulla vis tantos queat motus, mutationemque moliri, nulla ſenectus diuturnitate temporum exiſtere, ut hic ornatus umquam

1. *Et qui omnia nobis quæ deſcribunt probant.*] Sic Pal. prim. & S. Victoris, item Lamb. editio. aliæ; *& quia omnia vobis*, quomodo Pal. ſec. Gulielmius conjiciebat; *ecqui omnia nobis quæ deſc. probant.*

2. *Sit, liniamento ſine ulla, &c.*] Sic editus à Victorio, neque aliter Pal. prim. nam ſec. *ſit. Lineamenta ſine.* vulgata, *ſit. Lineamentum ſine ulla, &c.* quomodo & ſcriptus S. Victoris.

3. *Si adjiciam jusjurandum.*] Sic omnes edd. ante P. Manutium. is enim conjecturam ſuam admiſit *adigam*, quem ſecutus & Lambinus. Mſſ. noſtri tres ſtant pro vulgata; ita tamen ut habeant *adjiciamus jurandum.*

4. *Qua potiſſimum ſententia melius eliget diſciplinam.*] Liber S. Victoris *quam potiſſimum ſententiam melius eliget, aut diſciplinam?* Palat. prim. *qua potiſſimum ſcientia melius eliget diſciplinam?* ſec. *qua ſententia melius eliget diſciplina.* forte *qua ſcientia potiſſimum eliget melius? diſciplinam etſi quamcumque eliget, &c.*

5. *Conceſſiſſe primas.*] Ita diſerte liber mſ. Gryphii, ſi fides Mich. Bruto. & accedit alioquin codex S. Victoris, in quo *conſenſiſſe primas.* nam vulgg. *conſenſiſſe primos.* alterum illud conjecerat olim P. Manutius, ſtatimque intulerat in editionem ſuam Lambinus.

6. *Sed ex ea particulas, &c.*] Vulgati: *ſed eas particulas ſimiles inter ſe, & minutas.* verum altera lectio perſtat in Pall. & edit. Vict. neque recedit S. Victoris membrana, quam quod ea, *ex eas.*

7. *Natum uſquam & ſempiternum, conglobata figura.*] Eſt à Pall. noſtris, cui accedit etiam editio Victorii, niſi quod ea amplius, *uſquam quidquam.*

8. *Pythagorei è numeris, &c.*] Pall. & publicati à Victorio, non agnoſcunt particulam *ex.*

9. *Approbabit nunc lucere, quam quoniam Stoicus eſt, &c.*] Sic Victorii etiam editio. ſed Pall. prim. habet, *approbabit. Num lucere quamquam Stoicus eſt huc mundum.* ſec. *approbabit num lucere quam quoniam Stoicus eſt, &c.*

10. *Novo conſilio inito.*] Sic & editio Victorii, ne quis putet Lambini eſſe. Palatini tamen adhærent vulgatis, in quibus *initio.* S. Victoris habet *nucio* cum virgula undiquaque ſuperjacente.

1. *Sicut*

numquam dilapſus occidat. Tibi hoc repudiare, illud autem ſuperius, [1] ſicut *caput, & famam tuam, defendere* neceſſe erit: mihi, ne ut dubitem quidem, relinquatur? ut omittam levitatem temere aſſentientium, quanti *libertas* iſta æſtimanda eſt, non mihi neceſſe eſſe, quod tibi eſt? Cur deus, omnia *noſtri cauſa* cùm faceret (ſic enim vultis) tantam vim natricum, viperarumque fecerit? cur mortifera tam multa pernicioſa terra, marique diſperſerit? negatis hæc tam politè, tamque ſubtiliter effici potuiſſe ſine *divina aliqua ſolertia*. cujus quidem vos majeſtatem deducitis uſque ad apium, formicarumque perfectionem: ut etiam inter deos Myrmecides aliquis [2] minutorum opuſculorum fabricator, fuiſſe videatur. Negas *ſine deo poſſe quidquam*. Ecce tibi è tranſverſo Lampſacenus Strato, qui det iſti deo immunitatem: magni quidem muneris, ſed cùm ſacerdotes deorum *vacationem* habeant, quanto eſt æquius habere ipſos deos? negat opera deorum ſe uti ad fabricandum mundum. quæcumque ſint, docet omnia eſſe effecta *natura*: nec, ut ille, qui aſperis, & lævibus, & hamatis, uncinatiſque corporibus concreta hæc eſſe dicat, interjecto inani. ſomnia cenſet hæc eſſe Democriti, non docentis, ſed optantis. ipſe autem ſingulas mundi parteis perſequens, quidquid aut ſit, aut fiat, naturalibus fieri, aut factum eſſe docet ponderibus, & motibus. Sic ille & deum opere magno liberat: & me timore. Quis enim poteſt (cùm exiſtimet *à deo ſe curari*) non & dies, & nocteis divinum numen horrere? &, ſi quid adverſi acciderit (quod cui non accidit?) extimeſcere, ne id jure evenerit? Nec Stratoni tamen aſſentior: nec verò tibi. modò hoc, modò illud

39 probabilius videtur. Latent iſta omnia, Luculle, craſſis occultata, & circumfuſa tenebris, ut NULLA ACIES HUMANI INGENII tanta ſit, quæ penetrare in cælum, terram intrare poſſit. corpora noſtra non novimus: qui ſint ſitus partium; quam vim quæque pars habeat, ignoramus. itaque medici ipſi, quorum intererat ea noſſe, [3] aperuerunt, ut viderentur. nec eo tamen ajunt [4] empirici notiora eſſe illa: quia poſſit fieri, [5] ut patefacta, & detecta *mutentur*. Sed ecquid nos eodem modo rerum naturas perſecare, aperire, dividere poſſumus, ut videamus, terra penituſne defixa ſit, & quaſi radicibus ſuis hæreat, an *media* pendeat? Habitari ait Xenophanes in luna, eamque eſſe terram multarum urbium, & montium. portenta videntur: ſed tamen neque ille, qui dixit, jurare poſſet ita ſe rem habere, neque ego. Nonne etiam dicitis, eſſe [6] è regione nobis, è contraria parte terræ, qui adverſis veſtigiis ſtent contra noſtra veſtigia, quos *Antipodas* vocatis? cur mihi magis ſuccenſetis, qui iſta non aſpernor, quàm eis, qui, cùm audiunt, deſipere vos arbitrantur? [7] Nicetas Syracuſius, ut ait Theophraſtes, cælum, ſolem, lunam, ſtellas, ſupera denique omnia, *ſtare cenſet*: neque præter terram, rem ullam in mundo moveri: quæ cùm circum axem ſe ſumma celeritate convertat, & torqueat, eadem effici omnia, [8] quaſi ſtante terra cælum moveretur. atque hoc etiam Platonem in Timæo dicere quidam arbitrantur, ſed paullo obſcurius. Quid tu Epicure? loquere. putas ſolem eſſe tantulum? [9] Ego ne vobis quidem tantum. ſed & vos ab illo irridemini: & ipſi illum viciſſim eluditis. Liber igitur à tali irriſione Socrates, liber Ariſto Chius, qui *nihil iſtorum ſciri putat poſſe*. Sed redeo ad animum, & corpus. Satiſne tandem ea nota ſunt nobis, quæ *nervorum* natura ſit, quæ *venarum*? tenemuſne *quid animus* ſit? ubi ſit? denique, ſitne, aut, ut Dicæarcho viſum eſt, ne ſit quidem ullus? ſi eſt: treiſne parteis habeat, ut Platoni placuit, rationis, iræ, cupiditatis: an ſimplex, unuſque ſit? ſi ſimplex utrum ſit ignis, an anima, an ſanguis? an, ut Xenocrates, mens nullo corpore? quod intelligi, quale ſit, vix poteſt. &, quidquid eſt, *mortale* ſit, an *æternum*? nam [10] utraque in parte multa dicuntur. Horum aliquid veſtro ſapienti certum videtur: 40

noſtro, ne quid maximè quidem probabile ſit, occurrit. ita ſunt in pleriſque contrariarum rationum paria momenta. Sin agis verecundiùs, & me accuſas, non quòd tuis rationibus non aſſentiar, ſed quòd nullis: vincam animum: cuique aſſentiar, deligam. quem potiſſimum? quem? Democritum? ſemper enim (ut ſcitis) ſtudioſus nobilitatis fui. Urgebor jam omnium veſtrûm convicio. Tune aut *inane* quidquam putes eſſe, cum ita completa, & conferta ſint omnia, [11] ut & quod movebitur corporum cedat, & quà quidque ceſſerit, aliud illico ſubſequatur? aut *atomos* ullas, è quibus quidquid efficiatur, illarum ſit diſſimillimum? aut ſine aliqua *mente* rem ullam effici poſſe præclaram? &, cùm in uno mundo ornatus hic tam ſit mirabilis, innumerabileis, ſuprà, infrà, dextrà, ſiniſtrà, antè, pòſt, alios diſſimileis, alios ejuſdemmodi mundos eſſe? &, ut nos nunc [12] ſimus ad Baulos, Puteoloſque videamus; ſic innumerabileis paribus in locis eſſe, eiſdem nominibus, honoribus, rebus geſtis, ingeniis, formis, ætatibus, eiſdem de rebus diſputanteis? &, ſi nunc, aut ſi etiam dormientes aliquid animo videre videamur, imagines extrinſecus in animos noſtros per corpus irrumpere? Tu verò iſta ne aſciveris, neve fueris commentitiis rebus aſſenſus. nihil ſentire, eſt melius, quàm tam prava ſentire. Non ergo id agitur, ut aliquid aſſenſu meo comprobem. quæ tu vide, ne *impudenter* etiam poſtules, non ſolùm *arroganter*: præſertim cùm iſta tua mihi ne probabilia quidem videantur. nec enim *divinationem*, quam probatis, ullam eſſe arbitror: *fatumque* illud etiam, quo omnia contineri dicitis, contemno. ne exædificatũ quidem hunc *mundum* divino conſilio exiſtimo. atque haud ſcio, an ita ſit. Sed cur rapior in invidiam? Licetne per vos neſcire, 41

quod neſcio? an Stoicis ipſis inter ſe diſceptare, mihi cum iis non licebit? Zenoni, & reliquis ferè Stoicis *æther* videtur ſummus deus, mente præditus, qua omnia regantur. Cleanthes, qui quaſi majorum eſt gentium Stoicus, Zenonis auditor, *Solem* dominari, & rerum potiri putat. itaque cogimur diſſenſione ſapientum, dominum noſtrum ignorare: quippe qui neſciamus, Soli, an Ætheri ſerviamus. Solis autem magnitudo (ipſe enim hic radiatus me intueri vide-

---

1. *Sicut caput & famam tuam defendere.*] Pal. ſec. *ſicut caput è flamma tuum defend.*

2. *Minutorum opuſculorum.*] Pal. ſec. & S. Victoris *inimicorum.* forte *inimicorum*, annotat Gulielmius.

3. *Aperuerunt ut viderentur.*] Eſt à Pall. & editione Victorii. publicati, *ut ea viderent.*

4. *Empirici notiora eſſe.*] Sic emendavit primitus Turnebus lib. XIIX. cap. 18. Adverſ. ne quis Lambino adſcribat, ſibi id arroganti. Et verò ita ſcribitur in S. Victoris libro. non *empiricis*, ut ferè vulgatur. quod cùm & reſtet in Pall. videndum an non fuerit, *empirici iis notiora, &c.*

5. *Ut patefacta & detecta mutentur.*] Volumen S. Victoris *dejecta*, quod mihi placet, licet maluerit Gulielmius reformari in *disjecta*. hactenus recepta vox ineptiſſima eſt.

6. *E regione nobis, è contraria parte terræ, &c.*] Pal. ſec. *in regione*, adeo ut dubites, ſpurium ſit ne potius, *è regione nobis*, an *è contraria parte terræ*; licet ultimum proſcripſerit pro tali Lambinus.

7. *Nicetas.*] Ita duo codd. ſcripti, quos Gulielmius citat, quomodo emendandum putabant Octavius Ferrarius apud P. Manutium, Adr. Turnebus lib. XVI. Adverſ. cap. 18. Muretus lib. XI. Var. lect. cap. 14. Pal. ſecun. huic ſcripturæ alludit, in quo *Hecetas*. vulgg. *Nicetas*.

8. *Quaſi ſtante terra cælum moveretur.*] Sic Pall. & S. Victoris, item ed. Victoriana. vulgatur paſſim, *quæ ſi ſtante.* minus venuſtè.

9. *Ego ne vobis quidem tantum.*] Sic Pall. neque diſſentit S. Victoris, quam quod is, *ne vos.* Lambinus refragantibus mſſ. finxit nobis; *Egone? ne his quidem tantum, &c.* tanquam Epicurus hæc loquatur; planè contra mentem & rationem orationis, ſi modò quidquam heic percipio.

10. *Utraque in parte multa dicuntur.*] Sic meliores mſſ. nam Pall. prim. *utramque in partem.*

11. *Ut & quod movebitur, &c.*] Nihil juvant mſſ. noſtri; niſi quod detegant Lambini conjectandi artem ineptiſſimam. quippe omnia habent vulgatis ſimilia, niſi quod Pal. ſecun. & S. Victoris, non agnoſcant particulam *&*.

12. *Simus ad Baulos, Puteoloſque videamus; ſic.*] Ita Palat. ſecun. & membranæ S. Victoris. malè vulgati *ſumus*; pejus illi Critici, qui *videamus* ideo mutarunt in *videmus*.

videtur) admonet, ut crebrò faciam mentionem ſui. [1] Vos ergo hujus magnitudinem quaſi decempeda (hinc enim me quaſi malis architectis menſuræ veſtræ nego hoc) permenſi refertis. ergo credere dubium eſt, uter noſtrûm ſit, leviter ut dicam, verecundior? neque tamen iſtas quæſtiones phyſicorum, exterminandas puto. eſt enim *animorum, ingeniorumque naturale quoddam quaſi pabulum, conſideratio, contemplatioque naturæ:* erigimur, [2] latiores fieri videmur; humana deſpicimus: cogitanteſque ſupera, atque cæleſtia, hæc noſtra, ut exigua, & minima, contemnimus. indagatio ipſa rerum tum maximarum, tum etiam occultiſſimarum, habet oblectationem. ſi verò aliquid occurret, quod veriſimile videatur; *humaniſſima* completur animus *voluptate.* Quæret igitur hæc & veſter ſapiens & hic noſter: ſed veſter, ut aſſentiatur, credat, affirmet. noſter, ut vereatur temerè opinari. præclareque agi ſecum putet, ſi in ejuſmodi rebus, *veriſimile quod ſit,* invenerit. Veniamus nunc ad bonorum, malorumque notionem. ſed paullulum antè dicendum eſt. non mihi videntur conſiderare, [3] cum phyſica iſta valde affirmant, earum etiam rerum auctoritatem, ſi quæ illuſtriores videantur, amittere. non enim magis aſſentiuntur, neque approbant lucere nunc, quàm, cùm *cornix cecinerit*, tum aliquid eam aut jubere, aut vetare: nec magis affirmabunt, ſignum illud, ſi erunt menſi, ſex pedum eſſe, quàm ſolem, quem metiri non poſſunt, plus quàm duodeviginti partibus majorem eſſe, quàm terram. Ex quo illa concluſio naſcitur: SI, SOL QUANTUS ſit, percipi non poteſt, qui ceteras res eodem modo, quo magnitudinem ſolis, approbat, is eas res non percipit. magnitudo autem ſolis percipi non poteſt. qui igitur approbat quaſi percipiat, nullam rem percipit. Reſponderint, poſſe percipi, quantus ſol ſit. non repugnabo, dummodò eodem pacto cetera percipi, comprehendique dicant. nec enim poſſunt dicere, aliud alio magis, minuſve comprehendi: quoniam omnium rerum

42 una eſt definitio comprehendendi. Sed, quod cœperam: Quid habemus in rebus bonis, & malis explorati? nempe fines conſtituendi ſunt, ad quos & bonorum & malorum ſumma referatur. Qua de re eſt igitur inter ſummos viros major diſſenſio? & omitto illa, quæ relicta jam videntur, & Herillum, qui in *cognitione, & ſcientia* ſummum bonum ponit. qui cùm Zenonis auditor eſſet, vides quantum ab eo diſſenſerit, & quàm non multùm à Platone Megarici: quorum fuit nobilis diſciplina, cujus, ut ſcriptum video, princeps Xenophanes, quem modò nominavi: deinde eum ſecuti, Parmenides, & Zeno: itaque ab his [4] Eleatici philoſophi nominabantur. pòſt Euclides, Socratis diſcipulus, Megareus: à quo iidem illi *Megarici* dicti: qui id bonum ſolùm eſſe dicebant, quod eſſet *unum, & ſimile, & idem ſemper.* hi quoque multa à Platone. A Menedemo autem, quòd is Eretrias fuit, Eretriaci appellati: quorum omne bonum *in mente* poſitum, & mentis acie, qua verum cerneretur. Illis ſimilia, ſed, opinor, explicata uberiùs & ornatiùs. Hos ſi contemnimus, & jam abjectos putamus; illos certè minùs deſpicere debemus, Ariſtonem, qui, cùm Zenonis fuiſſet auditor, re probavit ea, quæ ille verbis: *nihil eſſe bonum, niſi virtutem:* neque malum, niſi quod virtuti eſſet contrarium: in mediis ea momenta, quæ Xeno voluit, nulla eſſe cenſuit. Huic ſummum bonum eſt, in his rebus *neutram in partem moveri:* quæ ἀδιαφορία ab ipſo dicitur. Pyrrho autem, *ea ne ſentire quidem ſapientem: quæ* ἀπάθεια nominantur. Has igitur tot ſententias ut omittamus; hæc nunc videamus, quæ diu, multumque defenſa ſunt. Alii *voluptatem*, finem eſſe voluerunt: quorum princeps Ariſtippus, qui Socratem audierat. unde Cyrenaici: pòſt Epicurus: cujus eſt diſciplina nunc notior: neque tamen cum Cyrenaicis de ipſa voluptate conſentiens. *voluptatem* autem, & *honeſtatem* finem eſſe Callipho cenſuit: *vacare omni moleſtia*, Hieronymus: hoc idem *cum honeſtate*, Diodorus. ambo hi Peripatetici. *Honeſtè autem vivere*, fruentem rebus iis, quas primas homini natura conciliet, & vetus Academia cenſuit, ut indicant ſcripta Polemonis, quem Antiochus probat maximè, & Ariſtoteles: ejuſque amici nunc proximè videntur accedere. Introducebat etiam Carneades, non quò probaret, ſed ut opponeret Stoicis, ſummum bonum eſſe, frui iis rebus, quas primas natura conciliaviſſet. *Honeſtum* autem, quod ducatur à conciliatione naturæ, Zeno ſtatuit finem eſſe bonorum: qui inventor, & princeps Stoicorum fuit. Jam illud perſpi- 43
cuum eſt, omnibus iis finibus bonorum, quos expoſui, malorum fineis eſſe contrarios. Ad vos nunc refero, quem ſequar? modò ne quis illud tam ineruditum, abſurdumque reſpondeat: *Quemlibet, modò aliquem.* Nihil poteſt dici inconſideratius. Cupio ſequi Stoicos. licetne? omitto per ipſum Ariſtotelem, meo judicio in philoſophia propè ſingularem; per ipſum Antiochum, qui appellabatur Academicus: erat quidem, ſi perpauca mutaviſſet, [5] germaniſſimus Stoicis. erit igitur res jam in diſcrimine. [6] nam aut Stoicus conſtituatur ſapiens, aut veteris Academiæ. utrumque non poteſt, eſt enim inter eos non de *terminis*, ſed de tota *poſſeſſione* contentio. nam omnis ratio vitæ definitione ſummi boni continetur: de qua qui diſſident, de omni ratione vitæ diſſident. non poteſt igitur uterque eſſe ſapiens, quoniam tantopere diſſentiunt, ſed alter. ſi Polemoneus peccat Stoicus, rei falſæ aſſentiens; vos quidem nihil dicitis à ſapiente tam alienum eſſe: ſin vera ſunt Zenonis, eadem in veteres Academicos, Peripateticoſque dicenda. Hic igitur neutri [7] aſſentiens ſi numquam, uter eſt prudentior? Quid, cùm ipſe Antiochus diſſentit quibuſdam in rebus ab iis, quos amat, Stoicis? nonne indicat [8] non poſſe illa probanda eſſe ſapienti? Placet Stoicis *omnia peccata eſſe paria.* at hoc Antiocho vehementiſſimè diſplicet. liceat tandem mihi conſiderare, utram ſententiam ſequar. [9] Præcide, inquit: ſtatue aliquando quidlibet. quid? quæ dicuntur quidem & acuta mihi videntur in utramque partem, & paria. nonne caveam, ne ſcelus faciam? ſcelus enim dicebas eſſe, Luculle, dogma prodere, contineo igitur me, ne incognito aſſentiar: quod mihi tecum eſt dogma commune. Ecce multo major etiam diſſenſio. Zeno *in una virtute poſitam beatam vitam* putat. Quid Antiochus? Etiam, inquit: *beatam*, ſed non *beatiſſimam.* Deus ille, qui nihil cenſuit deeſſe virtuti: homuncio hic, qui multa putat præter virtutem homini partim cara eſſe, partim etiam neceſſaria. Sed ille vereor ne virtuti plus tribuat, quàm natura patiatur, præſertim Theophraſto multa diſertè, copioſeque dicente. & hic metuo, ne vix ſibi conſtet: qui cùm dicat eſſe quædam

---

1. *Vos ergo hujus magnitudinem, quaſi decempeda (hinc.*] Lambinus arripuit debilem conjecturam P. Manutii; quam admirabilem indigitat Brutus. ſed malo ſanè lectionem hanc vulgatam, noſtra interpunctione. Mutavi ſolummodo *verò* in *ergo* volentibus Pall. & editione Victoriana. quod ſi tollitur *hoc*, reſultat ſenſus meo animo egregius.

2. *Latiores fieri videmur.*] Lectio communis *elatiores*; ſed alterum eſt in Pall. & editis a Victorio, longè aptius quam *altiores*, quod ex uno libro eruerat Lambinus.

3. *Cum Phyſici.*] Sic noſtri mſſ. tres & editi à Victorio, non *Phyſica*, quod habent vulgati.

4. *Eleatici Philoſophi.*] Hæc jam eſt quaſi recepta lectio, ſed cui vitam dedit P. Victorius libro x. Var. lect. cap. 17. antea excudebatur *Eretriaci*, neque aliter triga mſſ. noſtrorum.

5. *Germaniſſimus Stoicis.*] Vulgati *Stoicus*. ſed alterum eſt in noſtris tribus, & editione Victorii.

6. *Nam aut Stoicus conſtituatur ſapiens.*] S. Victoris *Stoicum conſideratur ſap.* & verò vox *conſideratur* heic minime inepta.

7. *Aſſentiens ſi nunquam uter eſt prudentior?*] Nihil juvant noſtri, niſi quatenus ſec. *aſſentientes*; & *uter*, ſcriptum *ut*, cum virgula ſuperjacente. P. Manutius conjicit, *aſſentietis. ſin utrique, uter, &c.* nam Lambini hariolatio, interponentis tres quatuor voces, prorſus miſeranda eſt.

8. *Non poſſe illa probanda eſſe.*] P. Manutius repoſuit ex antiquo, inquit libro *probabi ia.* ſed noſtri ſtant pro vulgato.

9. *Præcide, inquit.*] Pal. pr. *prei de inquit.* ſec. *præcide quidlibet. quid? quæ dicuntur, &c.* Pal. ſec. *quidlibet: quæque dicuntur, &c.* forſan melius.

1. Nec

dam & corporis, & fortunæ mala, tamen eum, qui in his omnibus ſit, beatum fore cenſet, ſi ſapiens ſit. Diſtrahor: cum hoc mihi probabilius, tum illud videtur: & tamen, niſi alterutrum ſit, virtutem jacêre planè puto. Verùm in his diſcrepant. Quid illud? in quibus conſentiunt, num pro veris probare poſſumus? *Sapientis animum numquam*
44 *nec cupiditate moveri, nec lætitia efferri.* Age, hæc probabilia ſanè ſint: num etiam illa? *numquam timere, numquam dolere.* ſapienſne non timeat? nec, ſi patria deleatur non doleat? Satis durum: ſed Zenoni neceſſarium: cui, præter honeſtum, nihil eſt in bonis: tibi verò, Antioche, minimè: cui, præter honeſtatem, multa bona: præter turpitudinem, multa mala videntur: quæ & venientia metuat ſapiens neceſſe eſt, & veniſſe doleat. Sed quæro, quando iſta fuerint ab Academia vetere decreta, ut animum ſapientis commoveri, & conturbari negarent? mediocritates illi probabant, & in omni permotione naturalem volebant eſſe quendam modum. legimus omnes Crantoris, veteris Academici, *De luctu.* eſt enim non magnus, verùm aureolus, &, ut Tuberoni Panætius præcipit, ad verbum ediſcendus libellus. Atque illi quidem etiam utiliter à natura dicebant permotiones iſtas animis noſtris datas, metum cavendi cauſa: miſericordiam, ægritudinemque, clementiæ: ipſam *iracundiam, fortitudinis quaſi cotem* eſſe dicebant: rectè, ſecuſne, aliàs viderimus, atrocitas quidem iſta tua quo modo in veterem Academiam irruperit, neſcio. Illa verò ferre non poſſum, non quò mihi diſpliceant: ſunt enim Socratica pleraque mirabilia Stoicorum, quæ παράδοξα nominantur: ſed ubi Xenocrates, ubi Ariſtoteles iſta tetigit? hos enim quaſi eoſdem eſſe vultis. illi umquam dicerent, SAPIENTEIS SOLOS REGES? ſolos divites? ſolos formoſos? omnia, quæ ubique eſſent, ſapientis eſſe? neminem conſulem, prætorem, imperatorem, neſcio an ne quinquevirum quidem quemquam, niſi ſapientem? poſtremò, ſolum civem, ſolum liberum? inſipienteis omneis, peregrinos, exſules, ſervos, furioſos? denique ſcripta Lycurgi, Solonis, duodecim tabulas noſtras, non eſſe leges? ne urbeis denique, aut civitateis, niſi quæ eſſent ſapientium? Hæc tibi, Luculle, ſi es aſſenſus Antiocho, familiari tuo, tam ſunt defendenda, *quàm mœnia:* mihi autem,
45 *bono modo:* tantum, quantum videbitur. Legi apud Clitomachum, cum Carneades, & Stoicus Diogenes ad ſenatum in Capitolio ſtarent; A. Albinum, qui tum, P. Scipione, & M. Marcello coss. prætor eſſet, eum, qui cum avo tuo, Luculle, conſul fuit, doctum ſanè hominem, ut indicat ipſius hoſtoria, ſcripta Græcè, jocantem dixiſſe Carneadi: *ego tibi, Carneade, prætor eſſe non videor, quia ſapiens non ſum:* [1] *nec hæc urbs, nec in ea civitas.* Tum ille, huic Stoico non vidêris. Ariſtoteles, aut Xenocrates, quos Antiochus ſequi volebat, non dubitaviſſet, quin & prætor ille eſſet, & Roma urbs, & eam civitas incoleret. ſed ille, noſter eſt planè, ut ſuprà dixi, Stoicus perpauca balbutiens. Vos autem mihi veremini, ne labar ad opinionem, & aliquid aſciſcam, & comprobem incognitum, quod minimè vultis. quid conſilii datis? teſtatur ſæpe Chryſippus, treis ſolas eſſe ſententias, quæ defendi poſſint, de finibus bonorum: circumcidit, & amputat multitudinem. aut enim *honeſtatem* eſſe finem, aut *voluptatem*, aut utrumque. nam qui ſummum bonum dicant id eſſe, ſi *vacemus omni moleſtia*, eos invidioſum nomen voluptatis fugere: ſed in vicinitate verſari. quod facere eos etiam, qui illud idem cum honeſtate conjungerent: nec multo ſecus eos, qui ad honeſtatem *prima naturæ commoda* adjungerent. Ita treis reliquit ſententias, quas putet probabiliter poſſe defendi. ſit ſanè ita. quamquam à Polemonis, & Peripateticorum, & Antiochi finibus non facilè divellor: neque quidquam habeo adhuc probabilius. verumtamen video, quam SUAVITER VOLUPTAS SENSIBUS NOSTRIS BLANDIATUR. [2] labor, ut aſſentiar Epicuro, aut Ariſtippo. revocat virtus; vel potiùs reprehendit manu: pecudum illos motus eſſe dicit: hominem jungit deo. poſſum eſſe medius, ut, quoniam Ariſtippus, quaſi animum nullum habeamus, corpus ſolum tuetur: Zeno, quaſi corporis ſimus expertes, animum ſolum complectitur: [3] aut Calliphontem ſequar; cujus quidem ſententiam Carneades ita ſtudioſè defenſitabat, ut eam probare etiam videretur. quamquam Clitomachus affirmabat, numquam ſe intelligere potuiſſe, quid Carneadi probaretur. Sed, ſi ipſum finem velim ſequi, nonne 46
ipſa ſeveritas, & gravis, & recta ratio mihi obverſetur? [4] TU, CUM HONESTAS IN VOLUPTATE contemnenda conſiſtat, honeſtatem cum voluptate, tanquam hominem cum belua, copulabis? Unum igitur par, quod depugnet, reliquum eſt, voluptas cum honeſtate. de quo Chryſippo fuit, quantum ego ſentio, non magna contentio. alterum ſi ſequare, multa ruunt, & maximè *communitas cum hominum genere*, caritas, amicitia, juſtitia, reliquæ virtutes: quarum eſſe nulla poteſt, niſi erit gratuita. nam QUÆ VOLUPTATE, quaſi mercede aliqua, ad officium impellitur, ea non eſt virtus, ſed fallax imitatio, ſimulatioque virtutis. Audi contrà illos, qui nomen honeſtatis à ſe ne intelligi quidem dicant, niſi fortè quod *glorioſum* ſit *in vulgus*, id honeſtum velimus dicere: fontem omnium bonorum in corpore eſſe: hanc normam, hanc regulam, hanc præſcriptionem eſſe naturæ, à qua qui aberraviſſet, eum numquam, quid in vita ſequeretur, habiturum. [5] Nihil igitur me putatis, hæc & alia innumerabilia cùm audiam, moveri? *tam moveor, quàm tu*, Luculle: neque me minùs hominem, quàm te putaveris. Tantum intereſt, quòd tu, cùm es commotus, acquieſcis, aſſentiris, approbas; verum illud, certum, comprehenſum, perceptum, ratum, firmum, fixum fuiſſe vis: deque eo nulla ratione neque pelli, neque moveri potes. ego nihil ejuſmodi eſſe arbitror, cui ſi aſſenſus ſim, non aſſentiar ſæpe falsè, quoniam vera à falſis nullo diſcrimine ſeparantur, præſertim cùm judicia iſta dialecticæ, nulla ſint. Venio enim jam ad tertiam partem philoſophiæ. aliud judicium Protagoræ eſt, qui putet *id cuique verum eſſe, quod cuique videatur:* aliud Cyrenaicorum: qui præter *permotiones intimas*, nihil putant eſſe judicii: aliud Epicuri, qui omne judicium *in ſenſibus*, & in rerum notitiis, & in voluptate conſtituit. Plato autem omne *judicium veritatis*, veritatemque ipſam, abductam ab opinionibus, & à ſenſibus cogitationis ipſius, & mentis eſſe voluit. Numquid horum probat noſter Antiochus? ille verò ne majorum quidem ſuorum. ubi enim aut Xenocratem ſequitur, cujus libri ſunt de ratione loquendi multi, & multùm probati? aut ipſum Ariſtotelem, quo profectò nihil eſt acutius, nihil politius? à Chryſippo *pedem numquam.* Quî ergo Aca- 47
demici appellamur? an abutimur gloria nominis? aut cur cogimur eos ſequi, qui inter ſe diſſident? In hoc ipſo, quod in elementis dialectici docent, quo modo judicare oporteat, verum, falſumne ſit, ſi quid ita connexum eſt, ut hoc: *Si dies eſt, lucet:* quanta contentio eſt? aliter Diodoto, aliter Philoni, Chryſippo aliter placet. Quid? cum Cleanthe, doctore ſuo, quàm multis rebus Chryſippus diſſidet? quid? duo vel principes dialecticorum, Antipater, & Archidemus, opinioſiſſimi homines, nonne multis in rebus

1. *Nec hæc urbs, nec in ea civitas.*] Pal. ſec. *ne hæc urbs, ne civitas.*

2. *Labor, ut aſſentiar.*] Eſt à conjectura P. Manutii. prius cuſi, *laboro*; neque aliter Pall. nam S. Victoris, *labore.* forſan fuit, *labor eo ut.* nam *laboro* heic minus convenit, quod præceſſerit, *non facilè divellor*, ut recte monuit Brutus.

3. *Aut Caliphontem ſequar.*] Unius litterulæ additione redintegravi locum ſatis luxatum, fide Palatini tertii, ſententia tam clara, ut vel ipſius unius teſtimonio ſtari poſſe videretur. antea erat, *ut Caliph.* Lambinus, qui heic eam particulam delere cupiebat, ceu ſupervacuam; non videtur aſſecutus mentem auctoris.

4. *Tu cum honeſtas, &c.*] Mſſ. noſtri tres *Tum*; quod mutatum ibat Gulielm. in *Tun'* non malè.

5. *Nihil igitur me putatis.*] Vulgati *putabis*; ſed noſtrum eſt in Pall. duobus & libro S. Victoris, exhibetque editio Victorii, ſecutuſque eſt in ſua Camerarius. Supra quoque repoſui *ſequeretur*, loco *ſequatur*, auctoritate eorundem librorum.

rebus diſſentiunt? Quid me igitur, Luculle, in invidiam, & *tamquam in concionem vocas*? & quidem, ut ſeditioſi tribuni ſolent, *occludi tabernas* jubes? quò enim ſpectat illud, cum artificia tolli quereris a nobis, niſi ut opifices concitentur? qui ſi undique omnes convenerint, facilè contra vos incitabuntur. expromam primùm illa invidioſa, quòd eos omneis, qui in concione ſtabunt, *exſules*, *ſervos*, *inſanos* eſſe dicatis. deinde ad illa veniam, quæ jam non ad multitudinem, ſed ad voſmetipſos, qui adeſtis, pertinent. negat enim vos Zeno, negat Antiochus *ſcire quidquam*. quo modo? inquies. nos enim defendimus, etiam inſipientem multa comprehendere. At ſcire negatis quemquam rem ullam, niſi ſapientem. & hoc quidem Zeno geſtu conficiebat. nam, cùm extenſis digitis adverſam manum oſtenderat, *viſum*, inquiebat, *hujuſmodi eſt*. deinde, cùm paullùm digitos conſtrinxerat, *aſſenſus hujuſmodi*. tum cùm planè compreſſerat, pugnumque fecerat; *comprehenſionem* illam eſſe dicebat. qua ex ſimilitudine etiam nomen ei rei, quod antè non fuerat, κατάληψιν impoſuit. cùm autem lævam manum admoverat, & illum pugnum arctè, vehementerque compreſſerat, *ſcientiam talem eſſe* dicebat: cujus compotem, niſi ſapientem, eſſe neminem. Sed, qui ſapiens ſit, aut fuerit, ne ipſi quidem ſolent dicere. Ita tu nunc, Catule, lucere neſcis; nec tu Hortenſi, in tua villa nos eſſe. [1] Num minus hæc invidioſè dicuntur? nec tamen nimis eleganter: illa ſubtiliùs. Sed, quo modo tu, ſi nihil comprehendi poſſet, artificia concidere dicebas, neque mihi dabas, id quod probabile eſſet, ſatis magnam vim habere ad arteis: ſic ego nunc tibi refero, *artem ſine ſcientia eſſe non poſſe*. An pateretur hoc Zeuxis, aut Phidias, aut Polycletus, nihil ſe ſcire, cùm in his eſſet tanta ſolertia? quòd ſi eos docuiſſet aliquis, quam vim habere diceretur ſcientia, deſinerent iraſci: ne nobis quidem ſuccenſerent, cùm didiciſſent id tollere nos, quod nuſquam eſſet: quod autem ſatis eſſet ipſis, relinquere. quam rationem, majorum etiam comprobat diligentia: qui primùm *jurare* EX SUI ANIMI SENTENTIA quemque voluerunt: deinde ita *teneri*, SI SCIENS FALLERET, quod inſcientia multa verſaretur in vita: tum, qui *teſtimonium diceret*, ut ARBITRARI ſe diceret, etiam quod ipſe vidiſſet: quæque jurati *judices cognoviſſent*, [2] ut ea non eſſe facta, ſed ut VIDERI
pronuntiarent. Verùm, quoniam non ſolùm nauta ſignifi- 48
cat, ſed etiam Favonius ipſe inſuſurrat, [3] navigandi nobis, Luculle, tempus eſſe, & quoniam ſatis multa dixi, eſt mihi perorandum. poſthac tamen, cùm hæc quæremus, potiùs de diſſenſionibus tantis ſummorum virorum diſſeramus, de obſcuritate naturæ, deque errore tot philoſophorum, qui de bonis, contrariiſque rebus tantopere diſcrepant, ut cum *plus uno verum eſſe non poſſit*, jacère neceſſe ſit tot, tam nobileis diſciplinas; quàm de oculorum, ſenſuumque reliquorum mendaciis, & de ſorite, aut pſeudomeno: quas plagas ipſi contra ſe Stoici texuerunt. Tum Lucullus, non moleſtè, inquit, fero, nos hæc contuliſſe. ſæpius enim congredientes nos, & maximè in Tuſculanis noſtris, ſi qua videbuntur, requiremus. Optimè, inquam. ſed quid Catulus ſentit? quid Hortenſius? Tum Catulus, egone, inquit? ad patris revolvor ſententiam: quam quidem ille Carneadeam eſſe dicebat, ut percipi nihil putem poſſe, aſſenſurum autem non percepto, id eſt, opinaturum ſapientem exiſtimem: [4] ſed ita, ut intelligat ſe opinari, ſciatque nihil eſſe, quod comprehendi, & percipi [5] poſſit: per ἐποχὴν illam omnium rerum comprobans, illi alteri ſententiæ, nihil eſſe, quod percipi poſſit, vehementer aſſentior. Habeo, inquam, ſententiam tuam, nec eam admodum aſpernor. Sed tibi quid tandem videtur, Hortenſi? Tum ille ridens; [6] *Tollendum*. Teneo te, inquam. nam iſta Academiæ eſt propria ſententia. Ita ſermone confecto, Catulus remanſit: nos ad naviculas noſtras deſcendimus.

M. TUL-

---

1. *Num minus hæc invidioſè dicuntur? nec tamen nimis eleganter.*] Sic Victorii editio, item Pall. fere, & exemplar S. Victoris. neque abiit Lambinus, quam quod is *tamen minus*. vulgata: *Num nimis hæc inv. dicuntur. hæc tamen minus eleg.* nam aliter habent, & Camerarius, & Sturmius.

2. *Ut ea non eſſe facta, ſed ut videri pronuntiarent.*] Sic nunc ferè vulgatur. verum Aldus avus, Victoriuſque ediderant, *ut eſſent facta, ſed ut vid. pronuntiarentur*; quomodo fere etiam mſſ. noſtri; & videtur revocandum, certe ultimum illud *pronuntiarentur*. S. Victoris exemplar præferebat, *ut ea non ut eſſent facta, ſed ut videri pronuntiarentur*.

3. *Navigandi nobis Luculle tempus eſſe.*] Pal. ſec. *tempus eſt*. unde fit, ut ſuſpicer proxime ſequentia; *& quoniam ſatis multa dixi, eſt mihi perorandum*, promanaſſe non à fonte Ciceronis, ſed lacunis librariorum; hoc eſt, eſſe additamentum magiſtellorum.

4. *Sed ita ut intelligat ſe opinari, ſciatque.* Hæc eſt lectio recepta. à qua abiit Victorius, ediditque, *ut ſi intelligat*. & verò Pal. ſec. longius adhuc recedit à vulgatis, habetque: *ſed ita ut ſi intelligentis opinarique, ſciatque.*

5. *Poſſit: per ἐποχὴν illam, &c.*] Turnebus lib. XVI. Adverſ. cap. 18. emendat: *poſſit. nec ἐποχὴν illam, &c.* P. Manutius: *poſſit: quare ἐποχὴν.* Lambin. *poſſit: ἐποχὴν enim illam, &c.* mſſ. noſtri nihil variant.

6. *Tollendum.*] Sic Pall. & S. Victoris. Lambinus edidit, *Tollendam*. mallem ego *tollendum*.

M. TULLII CICERONIS DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM, AD BRUTUM, LIBER PRIMUS.

1 NON eram neſcius, Brute, cùm, quæ ſummis ingeniis, exquiſitaque doctrina philoſophi Græco ſermone tractaviſſent, ea Latinis litteris mandaremus, fore, ut hic noſter labor in varias reprehenſiones incurreret. nam quibuſdam, & iis quidem non admodum indoctis, totum hoc diſplicet, *philoſophari.* quidam autem [1] non id tam reprehendunt, ſi remiſſiùs agatur: ſed tantum ſtudium, tamque multam operam ponendam in eo non arbitrantur. Erunt etiam, & hi quidem eruditi Græcis litteris, contemnentes Latinas, qui ſe dicant *in Græcis legendis operam malle conſumere.* Poſtremò aliquos futuros ſuſpicor, qui me ad alias litteras vocent: genus hoc ſcribendi, etſi ſit elegans, perſonæ tamen, & dignitatis eſſe negent. Contra quos omneis dicendum breviter exiſtimo. quamquam philoſophiæ quidem vituperatoribus ſatis reſponſum eſt eo libro, quo à nobis philoſophia defenſa, & collaudata eſt, cùm eſſet accuſata, & vituperata ab Hortenſio. qui liber cùm & tibi probatus videretur, & iis, quos ego poſſe judicare arbitrarer, plura ſuſcepi, veritus ne *movere hominum ſtudia* viderer, retinere non poſſe. Qui autem ſi maximè hoc placeat moderatiùs tamen id volunt fieri, difficilem quandam temperantiam poſtulant in eo [2] quod ſemel jam miſſum, coërceri, reprimique non poteſt: ut propemodum juſtioribus utamur illis, qui omnino avocent à philoſophia, quàm iis, qui *rebus infinitis modum conſtituant:* in reque eo meliore, quo major ſit, mediocritatem deſiderent. SIVE ENIM ad ſapientiam perveniri poteſt: non paranda nobis ſolùm ea, ſed fruenda etiam ſapientia eſt. ſive hoc difficile eſt: tamen nec modus eſt ullus inveſtigandi veri, niſi inveneris: & quærendi defatigatio turpis eſt, cùm id, quod quæritur, ſit pulcherrimum. Etenim ſi delectamur, cùm ſcribimus: quis eſt tam invidus, qui ab eo nos abducat? ſin laboramus: *quis eſt qui alienæ modum ſtatuat induſtriæ?* Nam, ut Terentianus Chremes non inhumanus, qui novum vicinum non vult:

Fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique.

non enim illum ab induſtria, ſed ab illiberali labore deterret: ſic iſti curioſi, quos offendit noſter minimè nobis in-
2 jucundus labor. His igitur eſt difficilius ſatisfacere, qui ſe Latina ſcripta dicunt contemnere, in quibus hoc primum eſt, in quo admirer: cur in graviſſimis rebus non delectet eos patrius ſermo, cùm iidem fabellas Latinas, ad verbum de Græcis, expreſſas, non inviti legant. Quis enim tam inimicus pænè nomini Romano eſt, qui Ennii Medeam, aut Antiopam Pacuvii ſpernat, aut rejiciat? qui ſe iiſdem Euripidis fabulis delectari dicat, [3] Latinas litteras oderit? Synephebos ego, inquit, potiùs Cæcilii, aut Andriam Terentii, quàm utramque Menandri legam? A quibus tantum diſſentio, ut, cùm Sophocles vel optimè ſcripſerit Electram, tamen malè converſam Attilii mihi legendam putem. de quo Licinius, [4] ferreum ſcriptorem: verum opinor: ſcriptorem tamen, ut legendus ſit. rudem enim eſſe omnino in noſtris poëtis, aut inertiſſimæ *ſegnitiæ* eſt, aut *faſtidii* delicatiſſimi. mihi quidem NULLI ſatis eruditi videntur, quibus noſtra ignota ſunt: [5] At,

Utinam ne in nemore, ----

nihilo minùs legimus, quàm hoc idem Græcum. quæ autem de bene, beateque vivendo à Platone diſputata ſunt, hæc explicari non placebit Latinè? Quòd ſi nos non interpretum fungimur munere, ſed tuemur ea, quæ dicta ſunt ab iis quos probamus, eiſque noſtrum judicium, & noſtrum ſcribendi ordinem adjungimus, quid habent, cur Græca anteponant iis, quæ & ſplendide [6] dicta ſunt, neque ſint converſa de Græcis? [7] Nam ſi dicerent, ab illis has res eſſe tractatas: ne ipſos quidem Græcos eſt cur tam multos legant, quàm legendi ſunt. quid enim eſt à Chryſippo prætermiſſum in Stoicis? legimus tamen Diogenem, Antipatrum, Mneſarchum, Panætium, multos alios, in primiſque familiarem noſtrum Poſſidonium. [8] Quid Theophraſtus? mediocritérne delectat, cùm tractat locos ab Ariſtotele antè tractatos? quid Epicurei? num deſiſtunt de iiſdem, de quibus & ab Epicuro ſcriptum eſt, & ab antiquis, ad arbitrium ſuum ſcribere? Quòd ſi Græci leguntur à Græcis iiſdem de rebus *alia ratione compoſitis:* quid eſt, cur noſtri à noſtris non legantur? Quamquam ſi planè ſic ver-
terem Platonem, aut Ariſtotelem, ut verterunt noſtri poë- 3
tæ fabulas: [9] malè, credo, mererer de meis civibus, ſed ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem. ſed id neque feci adhuc, nec mihi tamen, ne faciam, interdictum puto. locos quidem quoſdam, ſi videbitur, transferam, & maximè ab iis, quos modò nominavi, cùm inciderit, ut id aptè fieri poſſit: ut ab Homero Ennius, Afra-

---

1. N*On id tam reprehendunt.*] Mſſ. ferè, *non id tantum reprehendunt.* Palatinus ſolum pr. *non tam id.* vulgati, *id non totum.* videtur vocula illa contentioſa, ſupervacua.

2. *Quod ſemel jam miſſum.*] Sic Pall. o. repræſentavitque Victorius. communis lectio, *quod ſemel admiſſum*, omnino improbaverim: ut altera ſcriptura nata fuerit a veteri ratione orthographiæ *ammiſſum.* ſtat tamen pro noſtra Turnebus lib. XXIV. cap. 2.

3. *Latinas litteras oderit.*] Gulielmius delet dictionem *litteras*; ſubintelligitque *fabulas.*

4. *Ferreum ſcriptorem. verum opinor: ſcriptorem tamen ut, &c.*] Miſit ad me Daniel Heinſius, Joſephi Scaligeri librum, cui ſua manu magnus ille vir adſcripſerat aliquot lectiones variantes codicis veteris: heic verò habebat; *verum ut opinor exſcriptorem tamen.* neque diſplicet. ipſe malebat, *ferreum ſcriptorem opinor, verum ex cr. tamen.*

5. *At utinam ne in, &c.*] Palatini ſex ſcripturam hanc tuentur. Muretus conjecerat *an utinam.* idque mox etiam in duobus ſuis reperit Lambinus.

6. *Dicta ſunt, neque ſint.*] Ita Pal. pr. ſec. tert.

7. *Nam ſi dicerent.*] Pal. pr. *dicent.* quomodo edidit Lambinus. mox quoque Pall. omnes, ſervant *has res*, non ut editio Victorii *omnes res.*

8. *Quid Theophraſtus?*] Sic ſolus Pal. tert. ceteri quinque *Theophraſtum*: & verum puto.

9. *Male credo mererer de meis civibus.*] Scaliger noſter habet ad oram libri ſui, *non male credo.* dignumque eſt quod excutiatur.

Afranius [1] à Menandro ſolet. nec verò, ut noſter Lucilius, recuſabo, quo minùs omnes mea legant. [2] Utinam eſſet ille Perſius: Scipio verò, & Rutilius multo etiam magis: quorum ille judicium reformidans, *Tarentinis* ait *ſe & Conſentinis, & Siculis ſcribere.* Facetè is quidem, ſicut aliàs: ſed nec tam docti tunc erant, ad quorum judicium elaboraret, & ſunt illius ſcripta leviora, ut *urbanitas ſumma* appareat, *doctrina mediocris.* Ego autem quem timeam lectorem, cùm ad te, ne Græcis quidem cedentem in philoſophia, audeam ſcribere? Quamquam à te ipſo id quidem facio, provocatus gratiſſimo mihi libro, quem ad me de VIRTUTE miſiſti. Sed ex eo credo quibuſdam uſuvenire, ut abhorreant à Latinis, quòd inciderint in inculta quædam, & horrida, de malis Græcis Latinè ſcripta deteriùs. quibus ego aſſentior, dummodò à ſe de iiſdem rebus ne Græcos quidem legendos putent. RES VERÒ bonas verbis electis, graviter, [3] ornateque dictatas, quis non legat? niſi qui ſe plane Græcum dici velit: [4] ut à Scævola eſt prætor ſalutatus Athenis Albucius. [5] quem quidem locum cum multa venuſtate, & omni ſale idem Lucilius: apud quem præclare Scævola,

Græcum te, Albuci, quàm Romanum, atque Sabinum,
Municipem [6] Pontii, Tritanni, centurionum,
Præclarorum hominum, ac primorum, ſigniferumque,
Maluiſti dici. Græcè ergo prætor Athenis,
Id quod maluiſti, te, cùm ad me accedi', ſaluto:
Χαῖρε, inquam, Tite: lictores, turma omni', cohorſque,
[7] *Χαῖρε Tite, hinc hoſtis mi Albucius, hinc inimicus.*

ſed jure Mucius. Ego autem mirari non queo, unde hoc ſit tam inſolens *domeſticarum rerum faſtidium*, non eſt omnino hìc docendi locus: ſed ita ſentio, & ſæpè diſſerui, Latinam linguam non modò non inopem, ut vulgò putarent, ſed locupletiorem etiam eſſe, quàm Græcam. Quando enim [8] vel nobis dicam, aut oratoribus bonis, aut poëtis, poſteà quidem quàm fuit quem *imitarentur*, ullus ora-
4 tionis vel copioſæ, vel elegantis ornatus defuit? Ego verò, cùm forenſibus operis, laboribus, periculis, non *deſeruiſſe* mihi videor *præſidium*, in quo à pop. Rom. locatus ſum: debeo profectò, quamtumcumque poſſim, in eo quoque laborare, ut ſint opera, ſtudio, labore meo doctiores cives mei, nec cum iſtis tantopere pugnare, qui Græca legere malint: modò legant illa ipſa, nec ſimulent: & iis ſervire, qui vel utriſque literis uti velint, vel, ſi ſuas habent, illas non magnopere deſiderent. Qui autem alia malunt ſcribi à nobis, æqui eſſe debent, quòd & ſcripta multa ſunt; ſic ut plura nemini è noſtris, & ſcribentur fortaſſe plura, ſi vita ſuppetet: & tamen qui diligenter hæc, quæ de philoſophia litteris mandamus, legere aſſueverit, judicabit *nulla ad legendum his eſſe potiora.* QUID EST enim in vita tantopere quærendum, quàm cùm omnia in philoſophia, tum id, quod his libris quæritur, quid ſit finis, quid extremum, quid ultimum, quò ſint omnia bene vivendi, recteque faciendi conſilia referenda? quid ſequatur natura, ut ſummum ex rebus expetendis? quid fugiat, ut extremum malorum? qua de re cùm ſit inter doctiſſimos magna diſſenſio, quis alienum putet ejus *eſſe dignitatis*, quam mihi quiſque tribuit, quod in omni munere vitæ optimum, & veriſſimum ſit, exquirere? An, *partus ancillæ ſitne in fructu habendus*, diſſeretur inter principes civitatis, P. Scævolam, M'. Manilium? ab hiſque M. Brutus diſſentiet, quòd & acutum genus eſt, & ad uſus civium non inutile: noſque ea ſcripta, reliquaque ejuſdem generis & legimus libenter, & legemus: *hæc, quæ vitam continent omnem, negligentur?* nam, ut ſint illa vendibiliora, hæc uberiora certè ſunt. quamquam id quidem licebit iis exiſtimare, qui legerint. Nos autem hanc omnem quæſtionem de finibus bonorum & malorum, ferè à nobis explicatam eſſe iis litteris arbitramur, in quibus, quantum potuimus, non modò quid nobis probaretur, ſed etiam quid à ſingulis [9] philoſophiæ diſciplinis diceretur, perſecuti ſumus. Ut autem *à facillimis ordiamur*, prima veniat in me- 5
dium Epicuri ratio, quæ pleriſque notiſſima eſt: quàm à nobis ſic intelliges expoſitam, ut ab ipſis, qui eam diſciplinam probant, non ſoleat accuratiùs explicari. VERUM enim invenire volumus, non tamquam adverſarium aliquem convincere. Accuratè autem quondam à L. Torquato, homine omni doctrina erudito, defenſa eſt Epicuri ſententia de *voluptate*: à meque ei reſponſum, cùm C. Triarius, in primis gravis, & doctus adoleſcens, ei diſputationi intereſſet. nam cùm ad me in Cumanum ſalutandi cauſa uterque veniſſet, pauca primò inter nos de litteris, quarum ſummum erat in utroque ſtudium: deinde Torquatus: Quoniam nacti te, inquit, ſumus aliquando otioſum, certè audiam, quid ſit, quod [10] Epicurum noſtrum, non tu quidem *oderis*, ut ferè faciunt, qui ab eo diſſentiunt, ſed certè non probes, eum, quem ego arbitror unum vidiſſe verum, maximiſque erroribus hominum animos liberaviſſe, & omnia tradidiſſe, quæ pertinerent ad benè beateque vivendum: ſed exiſtimo, te, ſicut noſtrum Triarium, [11] minùs ab eo delectari, quòd iſta Platonis, Ariſtotelis, Theophraſti *orationis ornamenta* neglexerit. nam illuc quidem adduci vix poſſum, ut ea, quæ ſenſerit ille, tibi non vera videantur. Vide quantum, inquam, fallare, Torquate. oratio me iſtius philoſophi non offendit. nam & complectitur verbis, quod vult: & dicit planè, quod intelligam: & tamen à philoſopho, *ſi afferat eloquentiam, non aſperner: ſi non habeat, non admodum flagitem.* re mihi non æquè ſatisfacit, & quidem locis pluribus. ſed QUOT HOMINES TOT SENTENTIÆ. falli igitur poſſumus. Quamobrem tandem, inquit, non ſatisfacit? te enim judicem æquum puto: modò, quæ dicat ille, bene noris. [12] Niſi mihi Phædrum, inquam, mentitum, aut Zenonem putas (quorum utrumque audivi, cùm mihi nihil ſanè præter ſedulitatem probarent) [13] omnes mihi Epicuri ſententiæ ſatis notæ ſunt. atque eos, quos nominavi, cum Attico noſtro frequenter audivi; cùm miraretur ille quidem utrumque, Phædrum autem etiam amaret: quotidieque inter nos ea, quæ audiebamus, conferebamus: neque erat umquam con-

1. *A Menandro ſolet.*] Vox *ſolet*, non eſt in veteri libro quem conſuluit Scaliger.

2. *Utinam eſſet ille Perſius.*] Revocavi dictionem *eſſet*, urgentibus Pall. & Toſano, quem excuſſit Gulielmius; neque ſecus editio Aldi Manutii avi. ceterùm Pal. pr. habuit a manu prima, *illi*.

3. *Ornateque dictatas.*] Lambinus *dictas*, ſed invitis, ut ipſemet fatetur libris. Gulielmius annotarat, legendum *tractata*.

4. *Ut à Scævola eſt prætor ſalutatus Athenis, &c.*] Omnino legendum *prætore*, quod & monuit in Faſtis ſuis ad annum urbis DCXXXII. Pighius noſter. Scaliger annotavit non comparere in antiquo illo dictionem *Athenis*.

5. *Quem quidem locum.*] Scaligeri noſtri mſ. *jocum*.

6. *Pontii, Tritanni, &c.*] Sic fere noſtra exemplaria omnia, item Turnebi. vulgati, *Ponti, Titi, Anni*.

7. *Χαῖρε Tite, hinc hoſtis mi Albucius.*] Ita editio Camerarii, proxime mſſ. noſtros. nam Victor. *χαῖρε. hinc hoſtis Mutii. Albucius*, excluſo *Tite*, quod in omnibus membranis. Pighius legebat *χαῖρε Tite. hinc Albuci jam Albucius eſt inimicus*. Scaliger videtur emendaſſe: *χαίρετον omnes. χαῖρε Tite. Hinc inimicus, ſed jure Mucius.*

8. *Vel nobis dicam.*] Lambinus, *ne nobis dicam*. contra ſex mſſ. Pall. in quibus hæret alterum, omneſque edd. imò & auctoris mentem; quæ magis pateret, ſi trias horum verborum includeretur parentheſi.

9. *Philoſophiæ diſciplinis.*] Scaliger ad oram libri adlevit *diſcipulis*.

10 *Epicurum noſtrum non, &c.*] Pal. prim. amplius habet *inſtiter*, vel ſimile quid. nam ſyllaba poſtrema virgula eſt incubans litteræ *t*.

11. *Minus ab eo delecteris.*] Coactus ſum recipere hanc ſcripturam, ob ſex Palatinorum concordiam. vulgata alioqui nihilo pejus; *minus eo delecteris*.

12. *Niſi mihi Phædrum, inquam.*] Eſt à Palatinis notæ melioris tribus. tres enim reliqui: *Hic mihi Phædrum inquam.* quomodo & Camerarii editio: nam Aldi vetus: *hic niſi mihi*. Victorii *Niſi tu Phædrum.*

13. *Omnes mihi Epicuri ſententiæ, &c.*] Scaligerani libri margo, *omnes enim Ep.*

1. *In*

controverſia, quid ego intelligerem, ſed quid probarem.
6 Quid igitur eſt, inquit? audire enim cupio, quid non probes. Principio, inquam, in Phyſicis, quibus maximè gloriatur, primùm *totus eſt alienus.* Democrito adjicit, perpauca mutans, ſed ita, ut ea, quæ *corrigere* vult mihi, quidem *depravare* videatur. Ille atomos, quas appellat, id eſt, corpora individua, propter ſoliditatem cenſet in infinito inani, [1] in quo nihil nec ſummum, nec infimum, nec medium, nec ultimum, nec extremum ſit, ita ferri, ut concurſionibus inter ſe cohæreſcant: ex quo efficiantur ea, quæ ſint, quæque cernantur, omnia: eumque motum atomorum nullo à principio, ſed ex æterno tempore intelligi convenire. Epicurus autem, in quibus ſequitur Democritum, non ferè labitur. quamquam utriuſque cùm multa non probo, tum illud in primis, quòd cùm *in rerum natura* duo quærenda ſint, unum, quæ materia ſit, ex qua quæque res efficiatur: alterum, quæ vis ſit, quæ quidque efficiat: de materia diſſeruerunt; vim, & cauſam efficiendi reliquerunt. ſed hoc commune vitium: illæ Epicuri propriæ ruinæ. cenſet enim, eadem illa individua, & ſolida corpora ferri ſuo deorſum pondere ad lineam: hunc naturalem eſſe omnium corporum motum. deinde ibidem *homo acutus*, cùm illud occurreret; ſi omnia deorſum è regione ferrentur, &, ut dixi, ad lineam, numquam fore, ut atomus altera alteram poſſet attingere: [2] itaque attulit rem commentitiam: declinare dixit atomum perpaullum: quo nihil poſſet fieri minùs. ita effici complexiones, & copulationes, [3] & adhæſitationes atomorum inter ſe: ex quo efficeretur mundus, omneſque partes mundi, quæque in eo eſſent. quæ cùm res tota *ficta ſit pueriliter*, tum ne efficit quidem quod vult. nam & ipſa declinatio, ad libidinem fingitur (ait enim declinare atomum ſine cauſa: quo *nihil turpius phyſico* [4] *quam fieri ſine cauſa quidquam dicere)* & illum motum naturalem omnium ponderum, ut ipſe conſtituit, è regione inferiorem locum petentium, ſine cauſa eripuit atomis: nec tamen id, cujus cauſa hæc finxerat, aſſecutus eſt. nam ſi omnes atomi declinabunt, nullæ umquam cohæreſcent: ſive aliæ declinabunt, aliæ ſuo nutu rectè ferentur: primùm erit hoc quaſi *provincias* atomis dare, quæ rectè quæ obliquè ferantur: deinde eadem illa atomorum, in quo etiam Democritus hæret, turbulenta concurſio hunc *mundi ornatum* efficere non poterit. ne illud quidem phyſici, *credere aliquid eſſe minimum.* quod profectò numquam putaviſſet, ſi à Polyæno, familiari ſuo, [5] geometriam diſcere maluiſſet, quam illam etiam ipſum dedocere. SOL Democrito magnus videtur, quippe homini erudito, in geometriaque perfecto. huic bipedalis fortaſſe: tantum enim eſſe cenſet, quantus videtur, vel paullo aut majorem, aut minorem. Ita quæ mutat, ea corrumpit: quæ ſequitur, ſunt tota Democriti. atomi, inane, imagines, quæ *idola* nominant, quorum incurſione non ſolùm videamus, ſed etiam cogitemus: infinitio ipſa, quam ἀπειρίαν vocant, tota ab illo eſt: tum innumerabiles mundi, qui & oriantur, & intereant quotidie. quæ etſi mihi nullo modo probantur: tamen Democritum laudatum à ceteris, *ab hoc qui eum unum ſecutus eſt*, [6] *nollem vituperatum.* Jam in altera philoſophiæ parte, quæ eſt quærendi, 7
ac diſſerendi, quæ λογικὴ dicitur, iſte veſter, planè, ut mihi quidem videtur, inermis ac nudus eſt. tollit definitiones: nihil de dividendo, ac partiendo docet: non, quo modo efficiatur concludaturque ratio, tradit: non, qua via captioſa ſolvantur, ambigua diſtinguantur, oſtendit. judicia rerum in ſenſibus ponit: quibus ſi ſemel aliquid falſi pro vero probatum ſit, ſublatum eſſe omne *judicium veri, & falſi* putat [7 In tertia verò parte, quæ eſt de vita, & moribus, in conſtitutione finis, nil generoſum ſapit, atque magnificum.] Confirmat illud vel maximè, quod ipſa natura, ut ait ille, [8] aſciſcat, & reprobet, id eſt, VOLUPTATEM, & DOLOREM. ad hæc & quæ fugiamus, & quæ ſequamur, refert omnia. quod quamquam Ariſtippi eſt, à Cyrenaciſque meliùs, liberiusque defenditur, tamen ejuſmodi eſſe judico, ut nihil homine videatur indignius. AD MAIORA enim quædam nos natura genuit, & conformavit, ut mihi quidem videtur. ac fieri poteſt, ut errem: ſed ita prorſus exiſtimo, neque eum Torquatum, qui hoc primus cognomen invenerit, aut torquem illum hoſti detraxiſſe, ut aliquam ex eo perciperet corpore voluptatem, aut cum Latinis tertio conſulatu conflixiſſe apud Veſerim propter voluptatem. Quòd verò ſecuri filium percuſſerit, privaviſſe ſe etiam videtur multis voluptatibus, cùm ipſi *naturæ, patrioque amori prætulerit jus majeſtatu*, atque imperii. Quid? L. Torquatus, is, qui conſul cum Cn. Octavio fuit, cùm illam ſeveritatem in eo filio adhibuit, quem in adoptionem D. Silano emancipaverat, ut eum, Macedonum legatis accuſantibus, *quòd pecunias prætorem in provincia cepiſſe arguerent*, cauſam apud ſe dicere juberet; reque ex utraque parte audita, pronuntiaret, [9] EUM NON TALEM VIDERI FUISSE IN IMPERIO, QUALES EIUS MAIORES FUISSENT: & in conſpectum ſuum venire vetuit: numquid videtur tibi de voluptatibus ſuis cogitaviſſe? Sed ut omittam pericula, labores, dolorem etiam, quem OPTIMUS QUISQUE pro patria, & pro ſuis ſuſcipit, ut non modò nullam captet, ſed etiam prætereat omneis voluptates; dolores denique quoſvis ſuſcipere malit, quàm deſerere ullam officii partem: ad ea, quæ hoc non minùs declarant, ſed videntur leviora, veniamus. [10] Quid tibi, Torquate? quid huic Triario litteræ, quid hiſtoriæ, cognitioque rerum, quid poëtarum evolutio, quid tanta tot verſuum memoria voluptatis affert? Nec mihi illud dixeris: *Hæc enim ipſa mihi ſunt voluptati.* & erant illa Torquatis. Numquam hoc ita defendit Epicurus: [11] neque verò tu, Triari, aut quiſquam eorum, qui aut ſaperet aliquid, aut iſta didiciſſet. Et, quod quæritur ſæpe, *cur tam multi ſunt Epicurei:* ſunt aliæ quoque cauſæ, ſed multitudinem hoc maximè alli-

1. *In quo nihil nec ſummum.*] Ita rurſus omnes ſex Pall. vox *nihil* deerat Aldinæ editioni veteri & Lambinianæ. Victorius eam admiſit, ſed adhuc quoque alteram, *nihil æquè*, quæ in nullo tamen noſtrorum.

2. *Itaquè attulit rem, &c.*] Suſpicantur alii abundare illud *itaquè*, alii mutant in *ita*. Verùm cùm reſtet conſtanter in omnium membranis; cur ei movemus controverſiam? ſupra quoque Pal. prim. habet, *deorſus è regione;* quod non de nihilo expreſſum eſt in exemplari & antiquiſſimo & emendatiſſimo.

3. *Et adhæſitationes.*] Hæc eſt ſcriptura omnium Palatinorum ſex. eandemque eſſe item codicum aliorum, annotavit Gulielmius. Vulgati prius, *adhæſiones*, retinetque Lambinus, ſed non item indicat, cur rejiciat alterum, quod reperi tamen in Palatino infimæ vetuſtatis; ideoque indigno, quem perpetuò conſulerem.

4. *Quàm fieri ſine cauſa quidquam dicere.*] Ita fere omnes Palatini. Manutius putat emblema eſſe ſupervacuum; idemque viſum Lambino, aſſeveranti non comparere in libris melioribus. mihi ſecus videtur.

5. *Geometriam diſcere.*] Palatini quinque *Geometricam.* placet, ob vocem eam paullo poſt repetitam.

6. *Nollem vituperatum.*] Palatinus pr. *vituperare*, à manu prima.

7. *(In tertia verò parte.)*] Uncis incluſi totam hanc periodum, quod nullam ejus litteram invenirem in Palatinis. ſed nec reperit in ſuis mſſ. Lambinus nec repræſentavit Victorius. imò ne Aldus quidem habet avus; contentus notaſſe locum aſteriſco: & verò liqu.t ex capite VIII. nihil hujus dictum ab auctore.

8. *Aſciſcat & reprobet.*] Pall. omnes ad unum, *ſciſcat.* primus præterea ſolùm *habet probet.*

9. *Eum non talem videri fuiſſe.*] Annotavit Gulielmius in ſuis fuiſſe, *fidei fuiſſe*, aut *fideri*. & primum quidem etiam eſt in Pall. quarto ac ſexto. ſed non eſt dubitandum de vulgatæ bonitate. *videri* enim vox mere judicialis.

10. *Quid tibi Torquate? quid Triario*] Reduxi lectionem priſcam à Lambino exterminatam; à quo ſuppoſitum: *Quid tibi Torquate, huic Triario*, ſumma cum injuria Torquati.

11. *Neque verò tu Triari.*] Vox *Triarii*, non eſt in Palatino ullo. Quartus ejus loco habet *Troii.* extat tamen in editione Petri Victorii. Lambinus multum hic ſe vexat, quod non feciſſet, conſultis Victorii libris: quos etiam neſcio an viderit Aldus Nepos. Mihi heic vox *Triarii* abeſſe poſſe videtur, ſalva auctoris ſententia, ut ſubintelligatur *Torquatus* quem alloquitur.

1. *Niſi*

allicit, quòd ita putat dici ab illo, *recta, & honeſta quæ ſint, ea facere ipſa per ſe lætitiam*, id eſt, voluptatem. Homines optimi non intelligunt totam RATIONEM EVERTI, ſi ita ſe res habeat. nam ſi concederetur, etiam ſi ad corpus nihil referatur, iſta ſua ſponte, & per ſe eſſe jucunda, per ſe eſſet & virtus, & cognitio rerum, quod minime ille vult, expetenda. Hæc igitur Epicuri non probo, inquam. de cetero, vellem equidem aut ipſe doctrinis fuiſſet inſtructior (eſt enim, quod ita tibi videri neceſſe eſt, non ſatis politus iis artibus, quas qui tenent, *eruditi* appellantur) aut ne deterruiſſet alios à ſtudiis. quamquam te quidem
8 video minime eſſe deterritum. Quæ cùm dixiſſem, magis ut illum provocarem, quam ut ipſe loquerer. tum Triarius leniter arridens, Tu quidem, inquit, totum Epicurum penè è philoſophorum choro ſuſtuliſti. quid ei reliquiſti, [1] niſi te quoquo modo loqueretur, intelligere, quid diceret? [2] aliena dicit in phyſicis, nec ea ipſa, quæ tibi probarentur. [3] ſi qua in his corrigere voluit deteriora fecit. diſſerendi artem nullam habuit. voluptatem cùm ſummum bonum diceret, primùm in eo ipſe parum vidit: deinde hoc quoque alienum. nam ante Ariſtippus, & [4] ille meliùs. addidiſti ad extremum, etiam indoctum fuiſſe. [5] Fieri, inquam, ô Triari, nullo pacto poteſt, ut non dicas, quid non probes ejus, à quo diſſentias. quid enim me prohiberet Epicureum eſſe, ſi probarem quæ ille diceret; cùm præſertim illa perdiſcere, ludus eſſet. Quamobrem [6] DISSENTIENTIUM inter ſe reprehenſiones non ſunt vituperandæ. maledicta, contumeliæ; [7] tum iracundiæ, contentiones, concertationeſque in diſputando pertinaces, indignæ mihi philoſophia videri ſolent. Tunc Torquatus, Prorſus, inquit, aſſentior. *neque enim diſputari ſine reprehenſione, nec cum iracundia, aut pertinacia rectè diſputari poteſt.* Sed ad hæc, niſi moleſtum eſt, habeo quæ velim. At me, inquam, niſi te audire vellem, cenſes hæc dicturum fuiſſe? Utrùm igitur percurri omnem Epicuri diſciplinam placet: an de una voluptate quæri, de qua omne certamen eſt? Tuo verò id quidem, inquam, arbitratu. Sic faciam igitur, inquit: unam rem explicabo, eamque maximam. de Phyſicis alias, & quidem tibi & declinationem iſtam atomorum, & magnitudinem ſolis probabo & Democriti errata, ab Epicuro reprehenſa, & correcta permulta. nunc dicam de voluptate; nihil ſcilicet novi, ea tamen, quæ te ipſum probaturum eſſe confidam. Certè, inquam, pertinax non ero tibique, *ſi mihi probabis* ea, quæ dices, libenter aſſentiar. Probabo, inquit: modò iſta ſis æquitate, quam oſtendis. ſed uti oratione perpetua malo, quam interrogare, aut interrogari. Ut placet, inquam.
9 Tunc dicere exorſus eſt. Primùm igitur, inquit, ſic agam, ut ipſi auctori hujus diſciplinæ placet: conſtituam, quid, & quale ſit id, de quo quærimus, non quo ignorare vos arbitrer: ſed ut ratione, & via procedat oratio. Quærimus igitur, [8] *quid ſit extremum, quid ultimum bonorum.* quod omnium philoſophorum ſententia tale debet eſſe, ut ad id omnia referri oporteat: ipſum autem nuſquam. hoc Epicurus *in voluptate* ponit: quod ſummum bonum eſſe vult, ſummumque malum, *dolorem*, idque inſtituit docere ſic: OMNE ANIMAL, ſimulatque natum ſit, voluptatem appetere, eaque gaudere, ut ſummo bono: dolorem aſpernari, ut ſummum malum, &, quantum poſſit, à ſe repellere: idque facere nondum depravatum, ipſa natura incorruptè, atque integrè judicante. itaque negat opus eſſe ratione, neque diſputatione, quamobrem voluptas expetenda, fugiendus dolor ſit. ſentiri hoc putat, ut calere ignem, nivem eſſe albam, dulce mel: quorum nihil oporteret exquiſitis rationibus confirmare: tantùm ſatis eſſe admonere. *intereſſe enim inter argumentum, concluſionemque rationis:* & inter mediocrem animadverſionem, atque admonitionem: altera, occulta quædam, & quaſi involuta *aperiri:* altera, promta & aperta *judicari.* etenim quoniam *detractis de homine ſenſibus, reliqui nihil eſt:* neceſſe eſt, [9] quid aut ad naturam, aut contra ſit, à natura ipſa [10] judicari. ea quid percipit, & quid judicat, quo aut petat, aut fugiat aliquid, præter voluptatem, & dolorem? Sunt autem quidam è noſtris, qui hæc ſubtiliùs velint tradere, & negent ſatis eſſe, quid bonum ſit, aut quid malum *ſenſu* judicari: ſed *animo* etiam, ac *ratione* intelligi poſſe, & voluptatem ipſam per ſe eſſe expetendam, & dolorem ipſum per ſe eſſe fugiendum. itaque ajunt hanc quaſi naturalem, atque inſitam in animis noſtris ineſſe notionem, ut alterum eſſe appetendum, alterum aſpernandum ſentiamus. Alii autem (quibus ego aſſentior) cùm à philoſophis compluribus permulta dicantur, CUR NEC VOLUPTAS IN BONIS SIT NUMERANDA, NEC IN MALIS DOLOR non exiſtimant oportere nimiùm nos cauſæ confidere, ſed & argumentandum, & accuratè diſſerendum, & rationibus conquiſitis, de voluptate, & dolore diſputandum putant. Sed ut perſpiciatis, unde omnis iſte natus ſit error, voluptatem accuſantium, doloremque laudantium, totam rem aperiam: 10
eaque ipſa, quæ ab illo inventore veritatis, & quaſi architecto beatæ vitæ dicta ſunt, explicabo. nemo enim ipſam voluptatem, quia voluptas ſit, [11] aſpernatur, aut odit, aut fugit; ſed quia CONSEQUUNTUR magni dolores eos, qui ratione voluptatem ſequi neſciunt. neque porrò quiſquam eſt, qui dolorem ipſum, quia dolor ſit, amet, conſectetur, adipiſci velit: ſed quia nonnumquam EIUSMODI tempora incidunt, ut labore, & dolore magnam aliquam quærat voluptatem-

1. *Niſi te quoquo modo loqueretur.*] Eſt a Palatino primo, qui tamen prius forte habuit *quoque*. nam apparet litteram poſtremam eſſe manus recentioris. & ſic etiam conjecerat ex Maffæi libro Paullus Manutius; in quo itidem fuerat illud *quoque*. vulgati amplius, *niſi te quoque ut id modo loq.*

2. *Aliena dixit in Phyſicis.*] Sic Pal. prim. rectè. non *dicit* ut reliqui vulgati. nam & deinceps præterito ſemper utitur.

3. *Si qua in his.*] Ita rurſus idem Palatinus. neque abeunt reliqui, quam quod præponant adhuc, *ſed ſi qua.* publicati hactenus, *ſed ſi quæ in his.*

4. *Ille melius: addidiſti.*] Hæc liquida eſt ſcriptura Palatini primi, adeo ut firmetur jam ſententia Turnebi ac Lambini ambigua prius, neque ſatis certis tibicinibus ſuffulta. ceteri mſſ. Pal. interſerunt: *ille melius. etenim quoniam detractis de homine ſenſibus, addidiſti;* quomodo & omnes editi, niſi quod ii *quaſi detractis*. Voces illæ expunctæ comparent infra, medio fere capitis noni. Gulielmius tamen annotavit legendum, *ille melius. etenim addidiſti*, vel *etiam addidiſti.* ſed nihil ejus in membranis Palat. primis. Ita enim eas appello, ob bonitatem ſuam; non (ut ſæpe aliis libris nomen feci) ob voluminis magnitudinem.

5. *Fieri, inquam, ô Triari.*] Littera ô non viſitur in Pal. pr. neque requiritur.

6. *Diſſentientium inter ſe reprehenſiones.*] Hoc modo edidit Victorius; neque recedit Pal. prim. ceteri *differentium*, quomodo antiquitus cuſi & recentius.

7. *Tum iracundiæ, contentiones.*] Placebat Gulielmio annotatum ad Lamb. editiones, *iracundæ contentiones*, quia vox *iracundia*, mox repeteretur. nos noluimus quid mutare invitis libris pluteariis.

8. *Quid ſit extremum, quid ultimum bonorum.*] Palat. prim. *extremum & ultimum*, quod mallem niſi fine capitis XII. iterum occurreret, *vel ultimum, vel extremum.*

9. *Quid aut ad naturam aut contra ſit.*] Non auſus ſum excludere lectionem Palatinorum trium; confirmatam editione Victoriana. ſequentes maluerunt, *aut ſecundum naturam*, quod & in Pall. reliquis; ſed iis, commatis quaſi ſequioris. quorum ſecund. ac quart. habent *fit*, non *ſit*.

10. *Judicari. ea quid, &c.*] Sic omnino Palatinus primus, neque abit Victoriana impreſſio, quam quod illa *ea quid*, quod etiam in Palat. quatuor, ſed quartus ſtat pro primo. Editiones exoletæ ac nuper natæ gloſſam marginalem admiſere in contextum; tali forma. *judicari: voluptatem etiam, & per ſe expetendam eſſe, & dolorem ipſum per ſe eſſe fugiendum. etenim quid, &c.* quæ voces cum paullo poſt conſpiciantur in libris omnibus, heic certe locum habere non debebant, quamvis reperiantur in pluribus mſſ. Itaque & Camerario habita pro ſubditiciis. quod tamen aliter cepit quam debuit Lambinus, tanquàm ſcilicet inferius potius tollenda putaſſet, quam iſto loco.

11. *Aſpernatur, aut odit, aut fugit.*] Vulgati, *aſpernetur, aut oderit, aut fugiat.* ſed contra omnes Pall. quorum tert. quart. ſext. habent quidem *oderit*, ſed non, *aſpernetur*, vel *fugiat*. ſcripturæ noſtræ auctor etiam fuit Victorius.

1. *Eſſe,*

luptatem. ut enim ad minima veniam, quis noſtrûm exercitationem ullam corporis ſuſcipit laborioſam, niſi ut aliquid ex ea *commodi* conſequatur? quis autem vel eum jure reprehenderit, qui in ea voluptate velit[1] eſſe, quam nihil moleſtiæ conſequatur, vel illum, qui dolorem eum fugiat, quo voluptas nulla, pariatur? At verò eos & *accuſamus, & juſto odio digniſſimos ducimus*, qui blanditiis præſentium voluptatum deliniti, atque corrupti, quos dolores, & quas moleſtias excepturi ſint, occæcati cupiditate non provident, ſimilique ſunt in culpa, qui *officia deſerunt mollitia animi*, id eſt, laborum & dolorum fuga. & harum quidem rerum facilis eſt, & expedita diſtinctio. nam *libero tempore*, cùm ſoluta nobis eſt eligendi optio, cumque nihil impedit, quo minùs id, quod maximè placeat, facere poſſimus, omnis voluptas aſſumenda eſt, omnis dolor depellendus. *temporibus* autem *quibusdam*, [2] & aut officiis debitis, aut rerum neceſſitatibus ſæpe eveniet, ut & voluptates repudiandæ ſint, & moleſtiæ non recuſandæ. Itaque earum rerum hic tenetur à ſapiente delectus, ut aut rejiciendis voluptatibus majoreis alias conſequatur, aut perferendis doloribus aſperioreis repellat. Hanc ego cùm teneam ſententiam, quid eſt, cur verear, [3] ne ad eam non poſſim accommodare Torquatos noſtros? quos tu paullo antè tum memoriter, tum etiam erga nos amicè, & benevolè collegiſti. nec me tamen *laudandis*[4] *majoribus meis corrupiſti*, nec ſegniorem ad reſpondendum reddidiſti. quorum facta quemadmodum, quæſo, interpretaris? Siccine eos cenſes aut in armatum hoſtem impetum feciſſe, aut in liberos, aut in ſanguinem ſuum tam crudeleis fuiſſe, [5] nihil ut de *utilitatibus*, nihil ut de commodis ſuis cogitarent? At id *ne feræ quidem faciunt*, [6] ut ita ruant, itaque turbent, ut, earum motus, & impetus quò pertineant, non intelligamus. tu tam egregios viros cenſes tantas res geſſiſſe ſine cauſa? quæ fuerit cauſa, mox videro: interea hoc tenebo: ſi ob aliquam cauſam iſta, quæ ſine dubio præclara ſunt, fecerint, virtutem his per ſe ipſam cauſam non fuiſſe. torquem detraxit hoſti. & quidem ſe texit, ne interiret. At magnum periculum adiit, in oculis quidem exercitus. quid ex eo conſecutus eſt? [7] *Laudem*, & *caritatem*: quæ ſunt *vitæ ſine metu degendæ præſidia firmiſſima*. Filium morte multavit: ſi ſine cauſa, nollem me ab eo ortum, tam importuno, tamque crudeli. ſin ut dolore ſuo *ſanciret militaris imperii diſciplinam*, exercitumque in graviſſimo bello animadverſionis metu contineret; ſaluti proſpexit civium, *qua intelligebat contineri ſuam*. Atque hæc ratio latè patet. in quo enim maximè conſuevit jactare veſtra ſe oratio, tua præſertim, qui ſtudioſè antiqua perſequeris, claris & fortibus viris commemorandis, eorumque factis non *emolumento* aliquo, ſed ipſius *honeſtatis decore*, laudandis, id totum evertitur eo delectu rerum, quem modò dixi, conſtituto, ut aut voluptates omittantur, majorum voluptatum adipiſcendarum cauſa, aut dolores ſuſcipiantur, majorum
11 dolorum effugiendorum gratia. Sed de clarorum hominum factis illuſtribus, & glorioſis, ſatis hoc loco dictum ſit. erit enim jam de omnium virtutum curſu ad voluptatem proprius diſſerendi locus. nunc autem explicabo, voluptas ipſa, quæ, qualiſque ſit, ut tollatur error omnis imperitorum: intelligaturque ea, quæ *voluptaria, delicata, mollis* habeatur diſciplina, quàm *gravis*, quàm *continens*, quàm *ſevera* ſit: non enim hanc ſolam ſequimur, quæ ſuavitate aliqua naturam ipſam movet, & cum jucunditate quadam percipitur ſenſibus, ſed [8] maximam illam voluptatem habemus, quæ percipitur, omni dolore detracto. nam quoniam CUM PRIVAMUR dolore, ipſa liberatione, & vacuitate omnis moleſtiæ gaudemus, omne autem id, *quo gaudemus, voluptas eſt*, ut omne id, *quo offendimur dolor*: doloris omnis privatio rectè nominata eſt voluptas. Ut enim cùm cibo, & potione fames, ſitiſque depulſa eſt, ipſa detractio moleſtiæ conſecutionem affert voluptatis: ſic in omni re doloris amotio ſucceſſionem efficit voluptatis. itaque non placuit Epicuro, *medium eſſe quiddam* inter dolorem, & voluptatem. Illud enim ipſum, quod quibuſdam medium videtur, [9] cùm omni dolore caret, omni non modò voluptatem eſſe, verùm etiam ſummam voluptatem. quiſquis enim ſentit, quemadmodum ſit affectus, eum neceſſe eſt aut in voluptate eſſe, aut in dolore. omni autem privatione doloris putat Epicurus terminari ſummam voluptatem: ut poſtea *variari voluptas, diſtinguique* poſſit; augeri, amplificarique non poſſit. At etiam Athenis, ut à patre audiebam, facetè, & urbanè [10] Stoicos irridente, ſtatua eſt in Ceramico, Chryſippi ſedentis, porrecta manu: quæ manus ſignificet illum in hac eſſe rogatiuncula delectatum. Num quidnam manus tua ſic affecta, quemadmodum affecta nunc eſt, deſiderat? Nihil ſanè. At, ſi voluptas eſſet bonum, deſideraret. Ita credo. Non eſt igitur voluptas bonum. Hoc *ne ſtatuam quidem dicturam* pater ajebat, ſi loqui poſſet. concluſum eſt enim contra Cyrenaicos ſatis acutè: nihil ad Epicurum. nam ſi ea ſola voluptas eſſet, quæ quaſi titillaret ſenſus, ut ita dicam, & ad eos cum ſuavitate afflueret, & illaberetur: nec manus eſſe [11] contenta poſſet ulla vacuitate doloris ſine jucundo motu voluptatis. ſin autem ſumma voluptas eſt, ut Epicuro placet, nihil dolere: primum tibi rectè, Chryſippe, conceſſum eſt, nihil deſiderare manum, cùm ita eſſet affecta: ſecundum non rectè, ſi voluptas eſſet bonum, fuiſſe deſideraturam. idcirco enim non deſideraret, quia, *quod dolore caret, id in voluptate eſt*. Extremum autem eſſe bono- 12
rum voluptatem, ex hoc facilè perſpici poteſt. conſtituamus aliquem magnis, multis, perpetuis fruentem & animo, & corpore voluptatibus, nullo dolore nec impediente, nec impendente: quem tandem hoc ſtatu præſtabiliorem, aut magis expetendum poſſumus dicere? ineſſe enim neceſſe eſt in eo, [12] qui ita ſit affectus, & firmitatem animi, nec mortem, nec dolorem timentis, quòd mors ſenſu careat: *dolor* in longinquitate, *levis*: in gravitate, *brevis* ſoleat eſſe: ut ejus magnitudinem celeritas, diuturnitatem allevatio conſoletur. Ad ea cùm accedit, ut *neque divinum numen horreat*, nec præteritas voluptates effluere patiatur, earumque

---

1. *Eſſe, quam nihil moleſtiæ.*] Victor. ed. *qua*, ſed alterum viſitur in omnibus Pall. aliorumque item ſcriptis.

2. *Et aut officiis debitis, aut rerum neceſſit.*] Poſteriores edd. ejecere primam voculam, quæ in omnibus mſſ. Lambinus totum iſtud alienum putabat. non putaſſet, mutato *&* in *i.* quod valeret, *id eſt.*

3. *Ne ad eam non poſſim.*] Lambini editio & Aldi vetus *non* excluſerant, quod tamen admiſit Victorius, viſiturque in Pall. omn.

4. *Majoribus meis corrupiſti.*] Pall. noſtri omnes ad unum *corripuiſti*; cui lectioni etiam ſuus eſt ſenſus, neque is quidem ineptus. ſed heic planè non quadrat. *corrumpere* enim eſt labefactare. ſic *corrupti parietes*. adnotatum Scaligero noſtro.

5. *Ut nihil de utilitatibus.*] Palat. ſec. horum nihil habet. poteſt tamen locum ſuum tueri: neque mutanda vox ultima in *voluptatibus*, ut Lambino placuit.

6. *Ut ita ruant, itaque turbent.*] Ea eſt quoque conſona lectio Pall. trium. nam tertius, *itaque trahantur*. quint. & ſext. *itaque turbentur*, quomodo ed. Camer. nam Victorii *atque turbent*. poſteriores, *atque turbentur*.

7. *Laudem ac caritatem.*] Ita ferè Pall. meliores, non *claritatem*, quod miror potuiſſe placere Bruto.

8. *Maximam illam voluptatem habemus.*] Videtur *habemus* poſitum pro *avemus*, aut vox tota tolli poterat.

9. *Cum omni dolore caret.*] Pall. omnes *careret*, quod & in Maffæo inventum. Paullus Manutius conjiciebat, littera ultima detracta, abjectoque verbo primore, *omni dolore carere*. quod ipſum ſtatim Lambinus textui intulit.

10. *Stoicos irridente.*] Toſani ſcriptus, item Pal. prim. tert. *arridente*.

11. *Contenta poſſet ulla vacuitate.*] Gulielmius legendum putabat *illa*. Palatini nihil variant præter primum, in quo *cont. poſſet, nec ulla par vacuitate*.

12. *Qui ita ſit affectus.*] Reſipiunt iſthæc additamentum librarii.

remque aſſidua recordatione leniter? [1] quid eſt, quod huc poſſit, quod melius ſit, accedere? Statue contra aliquem confectum tantis animi, corporiſque doloribus, quanti in hominem maximi cadere poſſunt, nulla ſpe propoſita, fore [2] levius aliquando, nulla præterea nec præſenti, nec exſpectata voluptate: quid eo miſerius dici, aut fingi poteſt? Quòd ſi VITA doloribus referta, maxime fugienda eſt: ſummum profecto malum eſt, vivere cum dolore. cui ſententiæ conſentaneum eſt, *ultimum eſſe bonorum cum voluptate vivere.* nec enim habet noſtra mens quidquam, ubi conſiſtat, tamquam in extremo: omneſque & metus, & ægritudines ad dolorem referuntur: nec præterea eſt res ulla, [3] quæ ſua natura aut ſollicitare poſſit, aut angere. Præterea & appetendi, & refugiendi & omnino rerum gerendarum initia proficiſcuntur aut à voluptate, aut à dolore. quod cum ita ſit, perſpicuum eſt omneis rectas res, atque laudabileis eò referri, *ut cum voluptate vivatur.* quoniam autem id eſt vel ſummum bonum, vel ultimum, vel extremum, quod Græci τέλος nominant, quod ipſum nullam ad aliam rem, ad id autem res referuntur omnes: fatendum eſt, SUMMUM ESSE BONUM JUCUNDE VIVERE.

13 Id qui in una virtute ponunt, & ſplendore nominis capti, quid natura poſtulet, non intelligunt; errore maximo, ſi Epicurum audire voluerint, [4] liberabuntur. iſtæ enim veſtræ eximiæ, pulchræque virtutes, niſi voluptatem efficerent, quis eas aut laudabileis, aut expetendas arbitraretur? Ut enim medicorum ſcientiam non ipſius artis, ſed bonæ valitudinis cauſa probamus: & gubernatoris ars, quia benè navigandi rationem habet, UTILITATE, NON ARTE laudatur: ſic ſapientia, quæ ars vivendi putanda eſt, non expeteretur, ſi nihil efficeret: nunc expetitur, quod eſt tanquam artifex conquirendæ, & comparandæ voluptatis. Quam autem dicam voluptatem, jam videtis, ne invidia verbi labefactetur oratio mea. nam cum *ignoratione rerum bonarum, & malarum maximè hominum vita vexetur*, ob eumque errorem & voluptatibus maximis ſæpe priventur, & [5] praviſſimis animi doloribus torqueantur. ſapientia eſt adhibenda, quæ & terroribus, cupiditatibuſque detractis, & omnium falſarum opinionum temeritate derepta, certiſſimam ſe nobis ducem præbeat ad voluptatem. SAPIENTIA enim eſt una, quæ mæſtitiam pellat ex animis, quæ nos exhorreſcere metu non ſinat: qua præceptrice, in tranquillitate vivi poteſt, omnium cupiditatum ardore reſtincto. *cupiditates* enim ſunt inſatiabiles: quæ non modo ſingulos homines, ſed *univerſas familias evertunt*; totam etiam labefactant ſæpe remp. Ex cupiditatibus odia, diſcidia, diſcordiæ, ſeditiones, bella naſcuntur. nec hæ ſeſe foris ſolùm jactant, nec tantùm in alios cæco impetu incurrunt: ſed intus *etiam in animis incluſæ* inter ſe diſſident, atque diſcordant. ex quo vitam amariſſimam neceſſe eſt effici: ut ſapiens ſolùm, amputata, circumciſaque inanitate omni, & errore, naturæ finibus contentus, ſine ægritudine poſſit, & ſine metu vivere. Quæ eſt enim aut utilior, aut ad bene vivendum aptior partitio, quàm illa, qua eſt uſus Epicurus? qui unum genus poſuit earum cupiditatum, quæ eſſent & naturales, & neceſſariæ: alterum, quæ naturales eſſent, nec tamen neceſſariæ: tertium, quæ nec naturales * nec neceſſariæ. quarum ea ratio eſt, ut neceſſariæ nec opera multa, nec impenſa expleantur. ne naturales quidem multa deſiderant, propterea quòd *ipſa natura divitias, quibus contenta ſit & parabiles, & terminatas habet. inanium autem cupiditatum nec modus ullus, nec finis inveniri poteſt.*

Quòd ſi vitam omnem perturbari videmus errore, & inſcientia: ſapientiamque eſſe ſolam, quæ nos à libidinum impetu, & formidinum terrore vindicet, & ipſius fortunæ modicè ferre doceat injurias, [6] & omneis monſtret vias, quæ ad quietem, & tranquillitatem ferant: quid eſt, cur dubitemus dicere, & ſapientiam propter voluptatem expetendam, & inſipientiam propter moleſtias eſſe fugiendam? 14 Eademque ratione ne temperantiam quidem propter ſe expetendam eſſe dicemus, ſed quia pacem animis afferat, & eos quaſi concordia quadam placet, ac leniat. *Temperantia* eſt enim, quæ in rebus aut expetendis, aut fugiendis, rationem ut ſequamur, monet. NEC ENIM ſatis eſt judicare, quid faciendum, non faciendumve ſit: ſed ſtare etiam oportet in eo, quod ſit judicatum. plerique autem, quòd tenere, atque ſervare id, quod ſtatuerunt, non poſſunt, victi & debilitati, objecta ſpecie voluptatis, tradunt ſe libidinibus conſtringendos, nec, [7] quid eventurum ſit, provident, ob eamque cauſam propter voluptatem & parvam, & non neceſſariam, & quæ vel aliter pararetur, & qua etiam carere poſſent ſine dolore, tum *in morbos graveis, tum in damna, tum in dedecora incurrunt: ſæpe etiam legum, judiciorumque pœnis obligantur.* Qui autem ita frui volunt voluptatibus, ut nulli propter eas dolores conſequantur: & qui ſuum judicium retinent, ne voluptate victi faciant id, quod ſentiunt non eſſe faciendum: hi *voluptatem maximam adipiſcuntur, prætermittenda voluptate.* Iidem etiam dolorem ſæpe perpetiuntur, ne, ſi id non faciant, incidant in majorem. Ex quo intelligitur, nec intemperantiam propter ſe fugiendam eſſe: temperantiamque expetendam, non quia voluptates fugiat, ſed quia majores conſequatur. 15 Eadem fortitudinis ratio reperietur. nam neque laborum perfunctio, neque perpeſſio dolorum, per ſe ipſa allicit: nec patientia, [8] nec aſſiduitates, nec vigiliæ, nec ea ipſa, quæ laudatur, induſtria, ne fortitudo quidem: ſed *iſta ſequimur, ut ſine cura, metuque vivamus*: animumque, & corpus, quantum efficere poſſimus, moleſtia liberemus. Ut enim *mortis metu* omnis quietæ vitæ ſtatus perturbatur: & ut, ſuccumbere doloribus, eoſque humili animo, imbecilloque ferre, miſerum eſt; ob eamque debilitatem animi, MULTI parentes, multi amicos, nonnulli patriam, plerique autem ſe ipſos penitus perdiderunt: ſic robuſtus animus, & excelſus, omni eſt liber cura, & angore, cùm & mortem contemnit, qua qui affecti ſunt, in eadem cauſa ſunt, qua antequàm nati: & ad dolores ita paratus eſt, ut meminerit, *maximos morte finiri, parvos multa habere [9] intervalla requietis, mediocrium nos eſſe dominos*: ut, ſi tolerabiles ſint, feramus: ſin minùs, æquo animo e vita, cùm ea non placeat, tanquam è theatro, exeamus. Quibus rebus intelligitur, nec timiditatem, ignaviamque vituperari, nec fortitudinem patientiamque laudari ſuo nomine: ſed illas rejici, quia dolorem pariant: has optari, quia voluptatem. 16 Juſtitia reſtat, ut de omni virtute ſit dictum, ſed ſimilia ferè dici poſſunt. ut enim ſapientiam, temperantiam, fortitudinem, copulatas eſſe docui

---

1. *Quid eſt quod huc poſſit, quod melius ſit, accedere.*] Sic duo Pall. & editio Victoriana. aliæ *huic*, item *accidere* quod ultimum in nullo eſt Palatinorum.

2. *Levius aliquando, nulla præterea, &c.*] Vulgati *præterita*, ſed contra omn. Pall. quorum duo adhuc habent *aliquanto*. primum illud conjecerat olim Paullus Manutius.

3. *Quæ ſua natura aut ſollicitare poſſit aut agere.*] Eſt à Victoriana; cum proxime alludant Pall. quinque in quibus *tangere*. quod & in ſuo inventum probabat Scaliger, dictum ut Lucretio, *tangitur ira*. vulgati tamen *frangere*, quod Lambinus retinuit, ſed mutavit priora in *quæ ſua ſede naturam aut ſoli.* fide, inquit membranarum. vix credo. *curæ atque angoris* rurſus meminit noſter infra cap. xv. circa finem.

4. *Liberatuntur.*] Communis lectio *liberantur*. ſed noſtra eſt à membranis Pall. & Victorio.

5. *Praviſſimis animi doloribus.*] Sic Pal. tert. ac quint. nam pr. quart. ſext. *puriſſimis*, quomodo omnes libri Lambiniani. ſec. *duriſſimis*.

6. *Et omnes monſtret vias.*] Sic Pal. pr. & Scaligeri liber. ceteri *doceat*, præter quintum, in quo verbum nullum eſt ejuſmodi.

7. *Quid eventurum ſit, provident.*] Et hoc eſt a Pal. pr. ceteri *proventurum*, quomodo vulgati. Urſini codex *porro eventurum*.

8. *Nec aſſiduitates.*] Publicati; *aſſiduitas*. ſed contra omnes Pall. editionemque Victorii.

9. *Intervalla requietis.*] Adjeci ſyllabam ſuaſu omnium Palatinorum. vulgg. enim *quietis*, exceptâ Victorianâ. Puſillum quidem iſtud ſed tamen cur aliquid detrahamus auctori quod ipſe additum voluit.

I. Sem-

docui cum voluptate, ut ab ea nullo modo nec divelli, nec diſtrahi poſſint: ſic de juſtitia judicandum eſt: quæ NON MODO numquam nocet cuiquam, ſed contra, [1] ſemper alit aliquid tum vi ſua, atque natura, quod tranquillet animos: tum ſpe, nihil earum rerum defuturum, [2] quas natura non depravata deſideret. quemadmodum temeritas, & libido, & ignavia ſemper animum excruciant, & ſemper ſollicitant, turbulentæque ſunt: [3] ſic *** cujus in mente conſedit, hoc ipſo, quòd abeſt, [4] turbulenta non poteſt fieri: & ſi verò molita quippiam eſt, quamvis occultè fecerit, numquam tamen confidet id fore ſemper occultum. Plerumque IMPROBORUM FACTA primò *ſuſpicio* inſequitur: deinde *ſermo*, atque fama: tum *accuſator*, [5] tum *judex*: multi etiam, ut te conſule, ipſi ſe indicaverunt. [6] Quòd ſi qui ſatis ſibi contra hominum conſcientiam ſepti eſſe, & muniti videntur, deorum tamen numina horrent, eaſque ipſas ſollicitudines, quibus eorum animi noctes, atque dies exeduntur, *à diis immortalibus ſupplicii cauſa importari putant*. Quæ autem tanta ex improbis factis ad minuendas vitæ moleſtias acceſſio fieri poteſt, quanta ad augendas, cùm conſcientia factorum, tum pœna legum, odioque civium? Et tamen in quibuſdam neque pecuniæ modus eſt, neque honoris, neque imperii, nec libidinum, nec epularum, nec reliquarum cupiditatum: quas nulla præda umquam improbè parta [7] minuit; potiùs inflammat: ut coërcendi magis, quàm dedocendi eſſe videantur. Invitat igitur vera ratio benè ſanos ad juſtitiam, æquitatem, fidem: neque homini infanti, atque impotenti injuſtè facta conducunt: qui nec facilè efficere poſſit, quod conetur, nec obtinere, ſi effecerit: & *opes vel fortunæ, vel ingenii, liberalitati magis conveniunt*; qua qui utuntur, benivolentiam ſibi conciliant, &, quod aptiſſimum eſt ad quietè vivendum, caritatem; præſertim cùm omnino nulla ſit cauſa peccandi. quæ enim CUPIDITATES à natura proficiſcuntur, facilè explentur ſine ulla injuria: quæ autem inanes ſunt, his parendum non eſt. nihil enim deſiderabile concupiſcunt, [8] pluſque in ipſa injuria detrimenti eſt, quàm in iis rebus emolumenti, quæ pariuntur injuria. Itaque ne juſtitiam quidem rectè quis dixerit per ſe ipſam optabilem, ſed quia jucunditatis vel plurimum afferat. nam *diligi & carum eſſe, jucundum eſt*, propterea quia tutiorem vitam, & voluptatem efficit pleniorem. itaque non ob ea ſolùm incommoda, quæ eveniunt improbis, fugiendam improbitatem putamus, ſed multò etiam magis, quòd cujus in animo verſatur, *numquam ſinit eum reſpirare, numquam acquieſcere*. Quòd ſi ne ipſarum quidem virtutum laus, in qua maximè ceterorum philoſophorum exſultat oratio, reperire poteſt exitum, niſi dirigatur ad voluptatem, voluptas autem eſt ſola, quæ nos vocet ad ſe, & alliciat ſuapte natura: non poteſt eſſe dubium, quin id ſit ſummum, atque extremum bonorum omnium: beateque vivere, nihil aliud ſit, niſi cum voluptate vivere. Huic 17
certæ, ſtabilique ſententiæ, quæ ſint conjuncta, explicabo brevi. Nullus in ipſis error eſt finibus bonorum, & malorum, id eſt, in voluptate, aut in dolore: ſed in his rebus peccant, cùm, è quibus hæc efficiantur, ignorant. animi autem voluptates, & dolores naſci fatemur è corporis voluptatibus, & doloribus. Itaque concedo quod modò dicebas: [9] cadere cauſa, ſi qui è noſtris aliter exiſtimant: quos quidem video eſſe multos, ſed imperitos. Quamquam autem & lætitiam nobis voluptas animi, & moleſtiam dolor afferat: eorum tamen utrumque & ortum eſſe è corpore, & ad corpus referri: nec ob eam cauſam non multo majores eſſe & voluptates, & dolores animi, quàm corporis. nam *corpore nihil, niſi præſens, & quod adeſt, ſentire poſſumus: animo autem, & præterita, & futura*. ut enim æquè doleamus animo, cùm corpore dolemus: fieri tamen permagna acceſſio poteſt, ſi aliquod æternum, & infinitum impendere malorum nobis opinemur. quod idem licet transferre in voluptatem, ut ea major ſit, ſi nihil tale metuamus. Jam illud quidem perſpicuum eſt, maximam animi aut voluptatem, aut moleſtiam plus aut ad beatam, aut ad miſeram vitam afferre momenti, quàm eorum utrumvis, ſi æquè diu ſit in corpore. non placet autem, detracta voluptate, ægritudinem ſtatim conſequi, niſi in voluptatis locum dolor fortè ſucceſſerit: at contrà, gaudere noſmet omittendis doloribus, etiam ſi voluptas ea, quæ ſenſum moveat, nulla ſucceſſerit. eoque intelligi poteſt, *quanta voluptas ſit* non dolere. Sed ut iis bonis erigimur, quæ *exſpectamus*: ſic lætamur iis, quæ *recordamur*. STULTI autem malorum memoria torquentur: ſapienteis bona præterita grata recordatione renovata delectant. eſt autem ſitum in nobis, ut & adverſa quaſi perpetua oblivione obruamus, & ſecunda jucundè ac ſuaviter meminerimus. Sed cùm ea, quæ præterierunt, acri animo, & attento intuemur, tunc fit, ut ægritudo ſequatur, ſi illa mala ſint; lætitia, ſi bona. O præclaram beatè vivendi, & apertam, 18
& ſimplicem, & directam viam. cùm enim certe NIHIL HOMINI poſſit melius eſſe, quàm vacare omni dolore, & moleſtia, perfruique maximis & animi, & corporis voluptatibus: videtiſne, quàm nihil prætermittatur, quod vitam adjuvet, quò faciliùs id, quod propoſitum eſt, ſummum bonum conſequamur? clamat Epicurus is, quem vos nimis voluptatibus eſſe deditum dicitis, NON POSSE JUCUNDE VIVI, NISI SAPIENTER, HONESTE, JUSTEQUE VIVATUR: NEC SAPIENTER, HONESTE, JUSTE, NISI JU-

1. *Semper alit aliquid.*] Mſſ. ferè *alit quid*; ſicque quatuor è Pall. nam pr. & tert. *ſemper aliquid*, ſine illo *alit*.

2. *Quas natura non depravata deſideret.*] Haud refugi quod invenerat in ſuo Fulvius Urſinus, egoque in Pal. pr. & Scaligerano. Hactenus publicatis exulabat negativa *non*. & verò ità legendum, aut tollenda præterea dictio *depravata*. ſed ne quid diſſimulem, & periodus iſthæc & ſequentes omnino adulteratæ ſunt. quare & aſteriſco locum inſignivi.

3. *Sic *** cujus in mente conſedit.*] Malui indicare locum eſſe mancum, quàm ei addere aliquid de meo, ut fecit Paulus Manutius, interjecto, verbo *impietas*; ut Lambinus addito *injuſtitia*, ex mſſ. ajunt: ſed vix ego credulus illis: aut ſi ſunt manuſcripti, ſunt certè interpolati. neque tale quid reperi in Palatinis ſex. Si liceret libere proponere quod ſentiam, dicerem locum ſic bellè poſſe ſanari: *deſideret: quemadmodum temeritas, & libido, & ignavia, ſi cujus in mente conſedit, hoc ipſo quod adeſt turbulenta eſt: ſi vero molita quippiam, quamvis occultè, numquam tamen confidit id fore ſemper occultum*. cetera omnia è margine recepta in textum videri queant.

4. *Turbulenta non poteſt fieri.*] Lambinus adjecit adhuc alteram negativam, *non poteſt non fieri*; ſed præter libros calamo exaratos, certe Palatinos, è quibus primus, reſpuit prorſus tria illa verba, *non poteſt fieri*, turbantque ſane magis ſententiam, quàm farciant.

5. *Tum judex.*] Lambinus *index*, & ita quoque Pal. pr. ſed alterum profectò requirit ductus ſententiæ. quamvis & pro altero ſtet Scaliger, adpicto ad oram verſu Juvenalis: 70. Satyra x.

Quibus indicibus quo teſte probavit?

6. *Quod ſi qui ſatis ſibi contra hominum conſcientiam ſepti, &c.*] Gratia ſit Palatino primo, cujus auctoritate locum bellè redintegravi. ita enim is ſcriptum habet omnibus literis, neque recedunt alii Palatini, niſi quod ſec. ac quart. habeant: *Quod ſi qui ſatis cum hominum ſibi contra ſcientiam*. quint. ac ſext. *ſatis cum hominum ſibi contra conſcientiam*. nam tert. *ſatis animi hominum ſibi contra conſcientiam*. vulgabatur prius: *Quod ſi qui ſatis opibus hominum ſibi contra conſcientiam ſepti eſſe & muniti videntur; Deorum tamen horrent*. Victorius deinde interſeruit de ſuo, *Deorum tamen numen horrent*. quod poſtea pleræque ſunt ſecutæ editiones. Male. impoſuit librariis *conſcientia* ſignificatione minus frequentata: quá tamen iterum uſus libro II. infra cap. 9. *ut hominum conſcientiâ remotâ, &c*. Centies ita uſurpat Tacitus, alii.

7. *Minuit, magis inflammat.*] Iterum ſuſtuli voculas aliquas ductu Palatini primi. Editi in hunc diem, *minuit, ſed auget magis atque inflammat*. quod quidem etiam reſtat in tert. at ſext. verum arguuntur falſi à quarto, qui habet, *minuit, ſed amat potius atque inflammat magiſque*, à ſec. & quarto in quibus, *minuit potius atque inflammat*.

8. *Pluſque in ipſa injuria detrimenti eſt.*] Non diſplicet, imò perplacet, ſcriptura Pal. primi, *pluſque injuria ipſa detrimenti eſt*.

9. *Cadere cauſa.*] Pall. omnes *cadere cauſæ*. vulgatum tuetur Turnebus lib. XXV. capitis 2. fine.

 1. *A, è*

[illegible]. neque enim *civitas in ſeditione* beata eſſe poteſt, nec in diſcordia dominorum domus: quo minùs animus [1] a ſe ipſe diſſidens, ſecumque diſcordans, guſtare partem ullam liquidæ voluptatis, & liberæ poteſt. atqui pugnantibus & contrariis ſtudiis, conſiliiſque ſemper utens, *nihil quieti videre, nihil tranquilli poteſt.* Quòd ſi corporis gravioribus morbis vitæ jucunditas impeditur: quanto magis animi morbis impediri neceſſe eſt? *animi* autem *morbi* ſunt cupiditates immenſæ, & inanes, divitiarum, gloriæ, dominationis, libidinoſarum etiam voluptatum. accedunt ægritudines, moleſtiæ, mœrores, qui animos exedunt, conficiuntque curis, hominum non intelligentium; nihil dolendum eſſe animo, quod ſit à dolore corporis præſenti, futurove ſejunctum. Nec verò quiſquam *ſtultus* non horum morborum aliquo laborat. nemo igitur eſt non miſer. Accedit etiam *mors*, quæ, quaſi ſaxum Tantalo, ſemper impendet: tum *ſuperſtitio*, qua qui eſt imbutus, quietus eſſe numquam poteſt. Præterea bona *præterita* non meminerunt, *præſentibus* non fruuntur, *futura* modò exſpectant: quæ quia certa eſſe non poſſunt, conficiuntur & angore, & metu: maximeque cruciantur, cùm ſerò ſentiunt, FRUSTRA SE aut pecuniæ ſtuduiſſe, aut imperiis, aut opibus, aut gloriæ. nullas enim conſequuntur voluptates, quarum potiendi ſpe inflammati, multos labores, magnoſque ſuſceperant. Ecce autem alii [2] minuti, & anguſti, aut omnia ſemper deſperantes, aut malevoli, invidi, difficiles, lucifugi, maledici, [3] monſtroſi: alii autem etiam amatoriis levitatibus dediti, alii petulantes, [4] alii audaces, protervi, iidem intemperantes, & ignavi, numquam in ſententia permanentes. quas ob cauſas *in eorum vita nulla eſt intercapedo moleſtiæ*. Igitur NEQUE STULTORUM QUISQUAM BEATUS, NEQUE SAPIENTUM NON BEATUS. multoque hoc meliùs nos, veriuſque, quàm Stoici. Illi enim negant bonum quidquam eſſe, niſi neſcio quam *illam umbram*, quod appellant *honeſtum*, non tam ſolido, quàm ſplendido nomine: virtutem autem nixam hoc honeſto, nullam requirere voluptatem, atque ad beatè vivendum ſeipſa eſſe conten-
19 tam. Sed poſſunt hæc quadam ratione dici, non modò non repugnantibus, verùm etiam approbantibus nobis. ſic enim ab Epicuro SAPIENS, ſemper beatus inducitur. finitas habet cupiditates: negligit mortem; de diis immortalibus ſine ullo metu vera ſentit; non dubitat, ſi ita meliùs ſit, migrare de vita. his rebus inſtructus ſemper eſt in voluptate. neque enim tempus eſt ullum, quo non plus habeat voluptatum, quàm dolorum. nam & *præterita* grate meminit, & *præſentibus* ita potitur, ut animadvertat, quanta ſint ea, quamque jucunda: neque pendet ex *futuris*, ſed exſpectat illa, fruitur præſentibus: ab iiſque vitiis, quæ paullo antè collegi, abeſt plurimùm: &, cùm ſtultorum vitam cum ſua comparat, magna afficitur voluptate. dolores autem, ſi qui incurrunt, numquam vim tantam habent, *ut non plus habeat ſapiens, quod gaudeat, quàm quod angatur.* Optimè verò Epicurus, quòd EXIGUAM dicit FORTUNAM INTERVENIRE SAPIENTI: maximaſque ab eo, & graviſſimas res conſilio ipſius, & ratione adminiſtrari: neque majorem voluptatem ex infinito tempore ætatis percipi poſſe, quàm ex hoc percipiatur, quod videamus eſſe finitum. In dialectica autem veſtra nullam vim exiſtimavit eſſe nec ad meliùs vivendum, nec ad commodiùs diſſerendum. [5] In phyſicis plurimùm poſuit. Ea ſcientia, & verborum vis, & natura orationis, & conſequentium, repugnantiumve ratio poteſt perſpici: omnium autem rerum natura cognita, levamur ſuperſtitione, liberamur mortis metu, non conturbamur *ignoratione rerum*, è qua ipſa horribiles exſiſtunt ſæpè formidines. denique etiam morati meliùs erimus, cum didicerimus, quæ natura deſideret. tum verò, ſi ſtabilem ſcientiam rerum tenebimus, ſervata illa, (quæ quaſi *delapſa de cœlo* eſt ad cognitionem omnium) *regula*, ad quam omnia judicia rerum dirigentur, numquam ullius oratione victi ſententia deſiſtemus. Niſi autem rerum natura perſpecta erit, nullo modo poterimus ſenſuum judicia defendere. QUIDQUID porrò animo cernimus, id omne oritur à ſenſibus. qui ſi omnes veri erunt, ut Epicuri ratio docet: tum denique poterit aliquid cognoſci, & percipi. quos qui tollunt, & nihil poſſe percipi dicunt, ii, remotis ſenſibus, ne id ipſum quidem expedire poſſunt, quod diſſerunt. Præterea, SUBLATA cognitione, & ſcientia, tollitur omnis ratio & vitæ degendæ, & rerum gerendarum. Sic è *Phyſicis*, & fortitudo ſumitur contra mortis timorem; & conſtantia contra metum religionis, & ſedatio animi, omnium rerum occultarum ignoratione ſublata, & moderatio, natura cupiditatum, generibuſque earum explicatis; & (ut modo docui) cognitionis regula, & judicio ab eadem illa conſtituto, veri à falſo diſtinctio traditur. Reſtat locus huic diſputationi vel maxi- 20
mè neceſſarius, de *amicitia*, quam, ſi voluptas ſummum ſit bonum, affirmatis nullam omnino fore: de qua Epicurus quidem ita dicit: OMNIUM RERUM, QUAS AD BEATE VIVENDUM SAPIENTIA COMPARAVERIT, NIHIL ESSE MAJUS AMICITIA, NIHIL UBERIUS, NIHIL JUCUNDIUS. neque verò hoc oratione ſolùm, ſed multo magis vita & factis, & moribus comprobavit. quod quàm magnum ſit, fictæ veterum *fabulæ* declarant: in quibus tam multis, tamque variis, ab ultima antiquitate repetitis, tria vix amicorum paria reperiuntur, ut ad Oreſtem pervenias profectus à Theſeo. At verò Epicurus una in domo, & ea quidem anguſta, quàm magnos, quantaque amoris conſpiratione conſentienteis tenuit *amicorum greges*? quod fit etiam nunc ab Epicureis. Sed ad rem redeamus. [6] de omnibus dici non neceſſe eſt. Tribus igitur modis video eſſe à noſtris de amicitia diſputatum. Alii, cùm eas voluptates, quæ ad amicos pertinerent, negarent eſſe per ſe ipſas tam expetendas, quàm noſtras expeteremus: quo loco videtur quibuſdam ſtabilitas amicitiæ vacillare. tuentur tamen eum locum, ſeque facilè, ut mihi videtur, expediunt. ut enim virtutes, de quibus ante dictum eſt, ſic amicitiam negant poſſe à voluptate diſcedere. nam cùm *ſolitudo*, & *vita ſine amicis*, *inſidiarum*, & *metus plena* ſit ratio, ipſa monet amicitias comparare: quibus partis confirmatur animus, & à ſpe pariendarum voluptatum ſejungi non poteſt. Atque ut ODIA, invidiæ, deſpicationes, adverſantur voluptatibus: ſic amicitiæ, [7] non modò fautrices fideliſſimæ,

1. *A ſe ipſe diſſidens.*] Vulgati *à ſeipſo diffidens ipſe*. ſed noſtra ſcriptura tuetur ſe libris exoletis & editione Victorii.

2. *Minuti & anguſti, aut omnia ſemper.*] Placere omnibus debet divinatio Guilielmii, *anguſti animi, omnia, &c.*

3. *Monſtroſi.*] Sic & Pall. aut verò *monſtruoſi*. itaque non accedo Lambinianæ conjecturæ, *moroſi*; quod hominum genus agmen propoſitum alioquin minus apte claudit.

4. *Alii audaces, protervi, iidem.*] Malè hæc mutat Lambinus, nam verbo quod vult immiſſo, non conſiſtit auctoris antitheſis.

5. *In phyſicis plurimum poſuit.*] Repræſentavi ſcripturam Palatini primi, a quo non receſſit editio Victorii, niſi quod interjecerit, *In phyſicis quidem plurimum poſuit* at priores ea, & poſteriores: *In phyſicis quidem cum plurimum poſſint, &c.* quod & retinuit Lambinus, ſed expreſſit & alteram lectionem, contra manuſcriptos, licet neget. Idem quoque licentioſe trajecit plures voces; & perperam ex *autem* fecit *enim*. omnia contra Palatinos noſtros editoſque: & non neceſſario. Nam Torquatus heic reddit rationem cur plus impenderit phyſicæ Epicurus quàm Dialecticæ, atque utramque quaſi in bilance examinat: oſtenditque illam hærere circa verba & voces: hanc verò penetrare rerum omnium naturam, &c. Valde hoc etiam loco ineptit Michaël Brutus, dum parentheſi neſcio quâ, cuncta redintegrare ſatagit. Magis laudo Aldum Nepotem, qui dum tacet, non peccat.

6. *De omnibus dici non neceſſe eſt.*] Victorii editio omiſit *non*, quod tamen in aliis cuſis, item mſſ. noſtris. Impoſuit viro doctiſſimo librariorum hallucinatio. legendum enim non *omnibus*, ſed *hominibus*, quomodo diſertè Palatinus ille noſter jure meritoque primus, quod & recipere debebam in contextum: ſed nolui nimium tribuere teſti unico præſertim in re forſan non omnibus æque clara.

7. *Non modò fautrices fideliſſimæ.*] Scaliger ad oram libri adpinxit *fotrices*.

mæ, ſed etiam effectrices ſunt voluptatum tam amicis, quàm ſibi. quibus non ſolùm præſentibus fruuntur, ſed etiam ſpe eriguntur conſequentis, ac poſteri temporis. Quòd quia nullo modo *ſine amicitia firmam, & perpetuam jucunditatem vitæ tenere poſſumus*, neque verò ipſam amicitiam tueri, niſi æquè amicos, & noſmetipſos diligamus: iccirco & hoc ipſum efficitur in amicitia, & amicitia cum voluptate connectitur. nam & lætamur amicorum lætitiæ æquè, atque noſtra; & pariter dolemus angoribus. Quocirca eodem modo ſapiens erit affectus erga amicum, quo in ſeipſum: quoſque labores propter ſuam voluptatem ſuſciperet, eoſdem ſuſcipiet propter amici voluptatem: quæque de virtutibus dicta ſunt, quemadmodum hæ ſemper voluptatibus inhærent, eadem de amicitia dicenda ſunt. præclarè enim Epicurus his pænè verbis: *Eadem*, inquit, *ſcientia confirmavit animum, ne quod aut ſempiternum, aut diuturnum timeret malum: quæ perſpexit, in hoc ipſo vitæ ſpatio, amicitiæ præſidium eſſe firmiſſimum.* Sunt autem quidam Epicurei timidiores paullo contra veſtra convicia; ſed tamen ſatis acuti, qui verentur, ne, ſi amicitiam propter noſtram voluptatem expetendam putemus, tota amicitia quaſi claudicare videatur. itaque primos congreſſus, [1] copulationeſque & conſuetudinum inſtituendarum voluntates fieri propter voluptatem: cum autem *uſus progrediens familiaritatem effecerit*, tum amorem efflorèſcere tantùm, ut, etiam ſi nulla ſit utilitas ex amicitia, tamen ipſi amici propter ſe ipſos amentur. etenim ſi loca, ſi fana, ſi urbeis, ſi gymnaſia, ſi campum, ſi canes, ſi equos, [2] ſi ludicras exercendi, aut venandi conſuetudines, adamare ſolemus: quanto id in hominum conſuetudine [3] faciliùs fieri potuerit, & juſtiùs? Sunt autem qui dicunt fœdus quoddam eſſe ſapientum, *ut ne minùs quidem amicos, quàm ſe ipſos diligant.* quod & fieri poſſe intelligimus, [4] & ſæpe id videmus, & perſpicuum eſt, nihil ad jucundè vivendum reperiri poſſe, quod conjunctione tali ſit aptius. Quibus ex omnibus judicari poteſt, non modò non impediri rationem amicitiæ, ſi ſummum bonum in voluptate ponatur, ſed ſine hoc inſtitutionem omnino amicitiæ non poſſe reperiri. Quapro- 21
pter ſi ea, quæ dixi, ſole ipſo illuſtriora, & clariora ſunt: ſi omnia dixi hauſta è *fonte naturæ*: ſi tota oratio noſtra omnem ſibi fidem ſenſibus confirmat, id eſt, incorruptis, atque integris teſtibus: ſi infantes pueri, mutæ etiam beſtiæ, pæne loquuntur, magiſtra, ac duce natura, *nihil eſſe proſperum, niſi voluptatem; nihil aſperum, niſi dolorem*; de quibus neque depravatè judicant, neque corruptè: nonne ei maximam gratiam habere debemus, [5] qui hac exaudita quaſi voce naturæ, ſic eam [6] firmè, graviterque comprehenderit, ut omneis bene ſanos in viam placatæ, tranquillæ, quietæ, beatæ vitæ deduceret? qui quòd tibi parum videtur eruditus, ea cauſâ eſt, quòd *nullam eruditionem eſſe duxit, niſi quæ beatæ vitæ diſciplinam juvaret.* An ille tempus aut in poëtis evolvendis, ut ego, & Triarius, [7] te hortatore, facimus, conſumeret? in quibus nulla ſolida utilitas, omniſque puerilis eſt delectatio: aut ſe, ut Plato, in muſicis, geometria, numeris, aſtris contereret? quæ & à *falſis initiis profecta, vera eſſe non poſſunt*: &, ſi eſſent vera, nihil afferrent, quo jucundiùs, id eſt, quo meliùs viveremus. eas ergo arteis perſequeretur, vivendi artem tantam, tamque operoſam, & perinde fructuoſam relinqueret? Non ergo Epicurus ineruditus, ſed ii indocti, qui, *quæ pueros non didiciſſe turpe eſt, ea putent uſque ad ſenectutem eſſe diſcenda.* Quæ cùm dixiſſet; explicavi, inquit, ſententiam meam, & eo quidem conſilio, tuum judicium ut cognoſcerem. quæ mihi facultas, ut id meo arbitratu facerem, ante hoc tempus numquam eſt data.

1. *Copulationeſque & conſuetudinum inſtituendarum voluntates.*] Hactenus inter minus ſanos fuit locus iſte qui nunc bene prorſus habet ope Palatini primi. Vulgati quidem, *copulationeſque conſuetudinum inſtituendarum amicitiarum*: neque aliter Victoriana editio, niſi quod illa *copulationeſque inſtit. amicitiarum*; ſed contra mſſ. noſtros, in quibus, *conſuetudinum inſtituendarum voluptatum*; quemadmodum & de ſuis ferè teſtatur Lambinus, qui tamen infeliciter graſſatus ad medicinam.

2. *Si ludicras exercendi aut venandi conſuetudines.*] Rurſus eſt à Palatino noſtro primo, cui & ſuffragatur vetus codex Fulvii noſtri Urſini. In hunc diem illepide lectum, *ſi ludicra exercendi aut venandi conſuetudine.* contra omnia exemplaria antiqua, in quibus *ludicra*, & *conſuetudines*.

3. *Faciliùs fieri potuerit.*] Literam interpoſui, volentibus ſex Palatinis. Communis lectio *poterit*. minus appoſite.

4. *Et ſæpe id videmus.*] Sic Victorii editio ac ſequentes. verum Aldi veteris, *& ſæpè enim videmus*; quod ipſum mordicus defendunt partim totidem literis, partim notâ Palatini ſex.

5. *Qui hac exaudita quaſi voce naturæ.*] Reſtitui voculam *hac* è Palatino primo, quæ etiam in Vict. editione. Cæteri noſtri mſſ. ejus vicem habebant *hæc*.

6. *Firmè graviterque comprehenderit.*] Scaliger noſter oræ ſui libri adſcripſit *gnaviterque*. ſic & Plautus, pro, re grata.

7. *Te hortatore facimus.*] *Fecimus* prius publicati, ſed adverſante tota cohorte membranarum noſtrarum, etiam Scaligerano codice.

M. TULLII CICERONIS DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM, AD BRUTUM.

LIBER SECUNDUS.

1 HIc cùm uterque me intueretur, ſeſeque ad audiendum ſignificarent paratos: primùm, inquam, deprecor, ne me, tamquam philoſophum, putetis ſcholam vobis aliquam explicaturum: quod ne in ipſis quidem philoſophis magnopere umquam probavi. quando enim Socrates, qui parens philoloſophiæ jure dici poteſt, quidquam tale fecit? eorum erat iſte mos, qui tum ſophiſtæ nominabantur: quorum è numero primus eſt auſus Leontinus Georgias in conventu *poſcere quæſtionem*, id eſt, jubere dicere, qua de re quis vellet audire. Audax negotium; dicerem impudens, niſi hoc inſtitutum poſtea translatum ad philoſophos noſtros eſſet. Sed & illum, quem nominavi, & ceteros ſophiſtas, ut è Platone intelligi poteſt, luſos videmus à Socrate. is enim percunctando, atque interrogando elicere ſolebat eorum opiniones, quibuſcum diſſerebat, ut ad ea, quæ ii reſpondiſſent, ſi quid videretur, diceret. qui mos cùm à poſterioribus non eſſet retentus, Arceſilas eum revocavit: inſtituitque, ut ii, qui ſe audire vellent, non de ſe quærerent, ſed ipſi dicerent, quid

ſentirent. quod cùm dixiſſent, ille contrà. ſed qui audiebant, quoad poterant, defendebant ſententiam ſuam. Apud ceteros autem philoſophos, qui quæſivit aliquid tacet. quod quidem jam fit etiam in academia. Ubi enim is, qui audire vult, ita dixit, VOLUPTAS MIHI VIDETUR ESSE SUMMUM BONUM: perpetua oratione contrà diſputatur: ut facilè intelligi poſſit, eos, qui *aliquid ſibi videri* dicant, non ipſos in ea ſententia eſſe, audire velle contraria. Nos commodiùs agimus. non enim ſolùm Torquatus dixit, quid ſentiret, ſed etiam cur: ego autem arbitror, quamquam admodum delectatus ſum ejus oratione perpetua, tamen commodiùs, cùm in rebus ſingulis inſiſtas, & intelligas, quid quiſque concedat, quid abnuat, ex rebus conceſſis concludi quid velis, & ad exitum perveniri. CÙM ENIM fertur, quaſi torrens, oratio, quamvis multa cujuſquemodi rapiat: nihil tamen teneas, nihil apprehendas, nuſquam orationem rapidam coërceas. omnis autem in quærendo, quæ via quadam, & ratione habetur, oratio, præſcribere primùm debet, [1] (ut quibuſdam in formulis, EA RES AGETUR,) ut, inter quos diſſeritur,
2 conveniat, quid ſit id, de quo diſſeratur. Hoc poſitum in Phædro à Platone probavit Epicurus: ſenſitq; *in omni diſputatione* id fieri oportere. ſed quod proximum fuit, non vidit. negat enim *definiri rem* placere: ſine quo fieri interdum non poteſt, ut inter eos, qui ambigunt, conveniat, quid ſit id, de quo agatur: velut in hoc ipſo, de quo nunc diſputamus. quærimus enim FINEM BONORUM: poſſumúſne ſcire, hoc, quale ſit, niſi contulerimus inter nos, cùm finem bonorum dixerimus, quid finis, quid etiam ſit ipſum bonum? Atqui hæc patefactio quaſi rerum opertarum, cùm quid quidque ſit, aperitur, *definitio* eſt: qua tu etiam imprudens utebare nonnumquam. nam hunc ipſum ſive FINEM, ſive extremum, ſive ultimum definiebas, id eſſe, quò omnia, quæ rectè fierent, referrentur, neque id ipſum uſquam referretur. Præclarè hoc quidem. BONUM ipſum etiam quid eſſet, fortaſſe, ſi opus fuiſſet, definiſſes: aut, quod eſſet natura appetendum: aut, quod prodeſſet: aut, quod juvaret: aut quod liberet [2] modo. nunc idem (niſi moleſtum eſt) quoniam tibi non omnino diſplicet definire, & id facis cùm vis; velim definias, quid ſit VOLUPTAS: de quo omnis hæc quæſtio eſt. [3] Quaſi quis, inquit, ſit, qui, quid ſit voluptas, neſciat: aut qui, quo magis id intelligat, definitionem aliquam deſideret. Me ipſum eſſe dicerem, inquam, niſi mihi viderer habere bene cognitam voluptatem, & ſatis firmè conceptam animo, atque comprehenſam. nunc autem dico, ipſum Epicurum neſcire, & in eo nutare: eumque qui crebrò dicat, *diligenter oportere exprimi, quæ vis ſubjecta ſit vocibus*, non intelligere interdum, quid ſonet hæc vox voluptatis, [4] id eſt,
3 quæ res huic voci ſubjiciatur. Tunc ille ridens, Hoc verò, inquit, optimum, ut is, qui finem rerum expetendarum, voluptatem eſſe dicat, id extremum, id ultimum bonorum: [5] id ipſum, quid ſit, quale ſit, neſciat. Atqui, inquam, aut Epicurus, quid ſit voluptas, aut omnes mortales, qui ubique ſunt, neſciunt. Quonam, inquit, modo? Quia voluptatem hanc eſſe ſentiunt omnes, quam ſenſus accipiens, movetur, & jucunditate quadam perfunditur. [6] Quid ergo, iſtam voluptatem, inquit, Epicurus ignorat? Non ſemper, inquam. nam interdum nimis etiam novit. quippe qui teſtificetur, *ne intelligere quidem ſe poſſe, ubi ſit, aut quid ſit ullum bonum, præter illud, quod cibo, aut potione, & aurium delectatione, & obſcœna voluptate capiatur.* An hæc ab eo non dicuntur? [7] Quaſi verò me pudeat, inquit iſtorum, aut non poſſim, quemadmodum ea dicantur oſtendere. Ego verò non dubito, inquam, quin facilè poſſis: *nec eſt*, [8] *quod te pudeat ſapienti aſſentiri*, qui ſe unus, quod ſciam, ſapientem profiteri ſit auſus. nam [9] Metrodorum non putant ipſum profeſſum: ſed, cùm appellaretur ab Epicuro, repudiare tantum beneficium noluiſſe. Septem autem illi, non ſuo, ſed *populorum ſuffragio omnium* nominati ſunt. Verùm hoc loco ſumo, verbis his eandem certè vim voluptatis Epicurum noſſe, quàm ceteros. omnes enim jucundum motum, [10] quo ſenſus hilaretur, Græcè ἡδονὴν, Latinè *voluptatem* vocant. Quid eſt igitur, inquit, quod requiras? Dicam, inquam, & quidem diſcendi cauſa magis, quàm quo te, aut Epicurum reprehenſum velim. Ego quoque, inquit, didicerim libentiùs, ſi quid attuleris quàm te reprehenderim. Teneſne igitur, inquam, Hieronymus Rhodius quod dicat eſſe ſummum bonum, quò putet omnia referri oportere? Teneo, inquit, finem illi videri, NIHIL DOLERE. Quid? idem iſte de voluptate quid ſentit? negat eſſe eam, inquit, propter ſeipſam expetendam. Aliud igitur eſſe cenſet gaudere, aliud non dolere. Et quidem, inquit, vehementer errat. nam, ut paullo antè docui, augendæ voluptatis finis eſt, doloris omnis amotio. [11] Non dolere, inquam, iſtud quam vim habeat, poſtea videro: aliam verò vim voluptatis eſſe, aliam nihil dolendi, niſi valde pertinax fueris, concedas neceſſe eſt. Atqui reperies, inquit, in hoc quidem pertinacem. dici enim nihil poteſt verius. Eſtne quæſo, inquam, *ſitienti in bibendo voluptas*? Quis iſtud, inquit, poſſet negare. Eademne, inquam, quæ reſtincta ſiti? Immò alio genere. reſtincta enim ſitis, ſtabilitatem voluptatis habet, inquit: illa autem voluptas ipſius reſtinctionis, in motu eſt. Cur igitur, inquam, res tam diſſimileis eodem nomine appellas? Quid paullo antè, inquit, dixerim, nonne meminiſti, cùm omnis dolor detractus eſſet, variari, non augeri voluptatem? Memini verò, inquam. ſed tu [12] iſtuc dixti bene Latinè, parum planè. *varietas* enim latinum verbum eſt, idque propriè quidem in diſparibus coloribus dicitur: ſed transfertur in multa diſparia. *varium poëma, varia oratio, varii mores, varia fortuna: voluptas varia* etiam dici ſolet, cùm percipitur ex multis diſſimilibus rebus, [13] diſſimileis

1. *UT quibuſdam formulis* EA RES AGETUR.] Expreſſi quod erat in Pal. pr. videbaturque etiam fuiſſe in ſec. nam tres alii *agatur*. quartus vero *agitur*, quomodo legi volebat Turnebus lib. 11. Adverſ. cap. 17. neque vero ſane quin heic introducatur; dummodo conſtet rem eodem plane redire, hoc illove modo legamus.

2. *Modò. nunc idem, &c. velim definias.*] Obſecutus ſum rurſus majeſtati membranarum Palatinarum quod ad voces, nam diſtinctio eſt Pauli Manutii. vulgati enim: *Modo idem, &c. velim definires.*

3. *Quaſi quis, inquit, ſit.*] Locus fortè non ſatis ſanus. Palatini enim quinque, *inquit eſt*. primus vero, *quis quam ſi inquit eſt*. punctiſque ſubducta ſyllaba *ſi*, tanquam ſupervacua. ut legi voluerit, *Quiſquam, inquit eſt qui, &c.* per interrogationem Victor. expreſſit, *Quiſquam ſit inquit, qui*. media lectio videtur optima.

4. *Id eſt quæ res huic voci ſubjiciatur.*] Verba iſthæc omnia pro ſpuriis habet Petrus Faber libro 11. Semeſtrium cap. 24. & verò non admodum faciunt ad rem; ſed tamen non omnino hoc loco ſunt ſupervacua, ubi contendit adverſarius, & inculcat eadem aliis atiiſque verbis.

5. *Id ipſum quid ſit, quale ſit, neſciat.*] Et illud arguit ſeu minus purum Pal. pr. in quo, *id ipſum quidem quale ſit, neſciat.* Probo.

6. *Quid ergo, iſtam voluptatem, inquit, Epicurus ignorat.*] Ita voces collocavit exemplar Palatinum. rectè meo judicio.

7. *Quaſi verò me pudeant, &c.*] Adjeci verbum *verò* ex Palatino, tanquam non parum efficax.

8. *Quod te pudeat ſapienti adſentiri, qui ſe unus, &c.*] Vox *ſapienti*, non eſt in Pal. pr. niſi à manu longè recentiori, & poterat forſan abeſſe, ſi ejus loco ſubſtitueretur, *ei*.

9. *Metrodorum non putant ipſum profeſſum.*] Malim quod eſt in Pal. pr. *non puto*, quod & in aliorum libris inventum, indicat margo editionis Lambinianæ.

10. *Quo ſenſus hilaretur.*] Sic proximè Palatinus pr. nempe *hilaretur*. nam ceteri omnes *hiarent*. Nonius ſtat à noſtro illo, item Victorii editio. nam poſteriores *hilarentur*.

11. *Non dolere inquam iſtud.*] Eſt a Victoriana, & Pal. primo. nam ceteri, *cum non dolere*. editi olim, *Tum non dolere*, ex quo finxit Lambinus, *Tum non dolere*, argutè: ſed præter mſſ.

12. *Iſtuc dixti.*] Et hoc eſt à Victorio, neque aliter Pal. pr. non ut publicati, *iſtud dixiſti*. quamvis leviculum ſit, tamen monendum erat.

13. *Diſſimileis efficientibus voluptates.*] Secutus ſum & heic Palat. primum, tanto quidem promptius, quod Lambinus innueret ita quoque fuiſſe in aliquot ſuis. vulgg. *diſſimiliter*.

1. *Indo-*

mileis efficientibus voluptates. Eam ſi varietatem diceres, intelligerem, ut, etiam non dicente te, intelligo. iſta varietas quæ ſit, non ſatis perſpicio, quod ais, cùm dolore careamus, tum in ſumma voluptate nos eſſe: cùm autem veſcamur iis rebus, quæ dulcem motum afferant ſenſibus, tum eſſe in motu voluptatem, quæ faciat varietatem voluptatum: ſed non augeri illam non dolendi voluptatem.
4 quam cur voluptatem appelles, neſcio. An poteſt, inquit ille, quidquam eſſe *ſuavius quàm nihil dolere?* Immò ſit ſanè nihil melius, inquam (nondum enim id quæro) num propterea idem voluptas eſt, quod (ut ita dicam) [1] indolentia? Planè idem, inquit, & maxima quidem, qua fieri nulla major poteſt. Quid dubitas igitur, inquam, ſummo bono à te ita conſtituto, ut id totum in non dolendo ſit, id tenere unum, id tueri, id defendere? quid enim neceſſe eſt, tamquam *meretricem in matronarum cœtum*, ſic voluptatem in virtutum conſilium [2] adducere? invidioſum nomen eſt, infame, ſuſpectum. Itaque hoc frequenter dici ſolet à vobis, non intelligere nos, quam dicat Epicurus voluptatem. Quod quidem mihi ſi quando dictum eſt: eſt autem dictum non parum ſæpe: etſi ſatis clemens ſum in diſputando, tamen interdum ſoleo ſubiraſci, egone non intelligo, quid ſit ἡδονὴ Græcè, Latinè *voluptas*? utram tandem linguam neſcio? deinde, quî fit, ut ego neſciam, ſciant omnes, quicumque Epicurei eſſe voluerunt? quod veſtri quidem vel optimè diſputant, *nihil, opus eſſe, eum, qui philoſophus futurus ſit, ſcire litteras.* Itaque, ut majores noſtri [3] ab aratro abduxerunt Cincinnatum illum, ut dictator eſſet: ſic vos de Pelaſgis omnibus colligitis bonos illos quidem viros, ſed certè non pereruditos. Ergo illi intelligunt, quid Epicurus dicat, ego non intelligo? Ut ſcias me intelligere, primùm idem eſſe voluptatem dico, quod ille ἡδονήν. & quidem ſæpe quærimus verbum Latinum par Græco, & quod idem valeat: hîc nihil fuit, quod quæreremus. nullum inveniri poteſt, quod magis idem declaret Latinè, quod Græcè, quàm declarat *voluptas*. huic verbo omnes, qui ubique ſunt, qui Latinè ſciunt, duas res ſubjiciunt, *lætitiam in animo, commotionem ſuavem jucunditatis in corpore.* nam & ille apud Trabeam, voluptatem animi nimiam, *lætitiam* dicit, eandem, quam ille Cæcilianus, qui *omnibus lætitiis eſſe ſe lætum* narrat. ſed hoc intereſt, quod voluptas dicitur etiam in animo vitioſa res, ut Stoici putant; qui eam ſic definiunt: *Sublationem animi ſine ratione, opinantis ſe magno bono frui:* non dicitur lætitia, nec gaudium in corpore. in eo autem voluptas, omnium Latine loquentium more, ponitur, cùm percipitur ea, quæ ſenſum aliquem moveat, jucunditas. hanc quoque jucunditatem, ſi vis, transfer in animum: juvare enim in utroque dicitur, ex eoque jucundum: modò intelligas, inter illum, qui dicat,

Tanta lætitia auctus ſum, ut mihi non conſtem:

& eum, qui,

Nunc demum mihi animus ardet:

quorum alter lætitia geſtiat, alter dolore cruciatur: eſſe illum medium,

Quamquam hæc inter nos nuper notitia admodum eſt,

qui nec lætetur, nec angatur: itemque inter eum, qui potiatur expetitis corporis voluptatibus, & eum, qui crucietur ſummis doloribus, eſſe eum, qui utroque careat. Satiſ- 5
ne igitur videor vim verborum tenere: an ſum etiam nunc vel Græcè loqui, vel Latinè docendus? & tamen vide, ne, ſi ego non intelligam, quid Epicurus loquatur, cùm Græcè, ut videor, luculenter ſciam; ſit aliqua culpa ejus, qui ita loquatur, ut non intelligatur. quod duobus modis ſine reprehenſione fit: ſi aut *de induſtria* facias, ut Heraclitus, cognomento qui σκοτεινὸς perhibetur, quia de natura nimis obſcurè memoravit: aut cùm *rerum obſcuritas*, non verborum, facit, ut non intelligatur oratio: qualis eſt in Timæo Platonis. Epicurus autem, ut opinor, nec non vult, ſi poſſit, planè, & apertè loqui: nec de re obſcura, ut phyſici; aut artificioſa, ut mathematici, ſed de illuſtri, & facili, etiam in vulgus pervulgata, loquitur. Quamquam non negatis nos intelligere, quid ſit voluptas, ſed quid ille dicat. è quo efficitur, [4] non ut nos non intelligamus, quæ vis ſit iſtius verbi, ſed ut ille ſuo more loquatur, noſtrum negligat. ſi enim idem dicit, quod Hieronymus, qui cenſet *ſummum bonum eſſe, ſine ulla moleſtia vivere:* cur mavult dicere voluptatem, quàm vacuitatem doloris; ut ille facit, qui, quid dicat, intelligit? [5] Sin autem voluptatem putat; dicat adjungendam eam, quæ ſit in motu: (ſic enim appellat hanc dulcem, in motu, illam nihil dolentis, in ſtabilitate:) [6] quid tendit; cùm efficere non poſſit ut cuiquam, qui ipſe notus ſibi ſit, hoc eſt, qui ſuam naturam, cenſumque perſpexerit, vacuitas doloris, & voluptas idem eſſe videatur? hoc eſt *vim afferre*, Torquate, *ſenſibus:* extorquere ex animis [7] cognitiones verborum, quibus imbuti ſumus. Quis enim eſt, qui non videat, hæc eſſe in natura rerum tria? unum, cùm in voluptate ſumus: alterum, cùm in dolore: tertium hoc in quo nunc quidem ſumus. [8] credo idem vos nec in dolore, nec in voluptate; ut in voluptate ſit, qui epuletur; in dolore, qui torqueatur. Tu autem inter hæc, tantam multitudinem hominum interjectam non vides, nec lætantium, nec dolentium? Non, prorſus, inquit. [9] omneiſque, qui ſine dolore ſint, in voluptate, & ea quidem ſumma, eſſe dico. Ergo IN EADEM voluptate eum, qui alteri miſceat mulſum, ipſe non ſitiens, &, eum, qui illud ſitiens bibat? Tum ille, finem, inquit, 6
interrogandi, ſi videtur: quod quidem ego à principio ita me malle dixeram, hoc ipſum providens, *dialecticas captiones.* Rhetoricè igitur, inquam, nos mavis, quàm dialecticè diſputare? Quaſi verò, inquit, perpetua oratio, rhetorum ſolùm, non etiam philoſophorum ſit. Zenonis, eſt inquam, hoc Stoici. omnem vim loquendi, ut jam antè

1. *Indolentia.*] Inveni iſtud in omnibus Pall. etiam primo illo optimi commatis, ideoque vix admiſerim aliorum *indoloria* planè analogum, quidquid dicat Sidonius.

2. *Adducere; invidioſum nomen eſt, & infamiæ ſuſpectum.*] Reddidi cælo ſcripturam Palatini pr. vulgati enim; *adducere? Sed fortè dicitis, invidioſum nomen eſt, & infamiæ ſubjectum*; quomodo etiam reliqui Pall. niſi quod tert. diſertè præferat, *infame, ſuſpectum*. Victorius edidit, *adducere? Sed invidioſum nomen eſt, & infamiæ ſubjectum.* quod produxi, auctoris ſane genuinum eſt; niſi quod forte *ſubjectum* cedere non debeat illi *ſuſpecto*. de quo viderint cordatiores.

3. *Ab aratro abduxerunt.*] Pall. meliores *adduxerunt*. ſed in eo parum ſitum eſt; plus aliquantulum in illo quod ſequitur *de pelaſgis*, quod egregie interpretatus eſt libro I. Variar. lect. cap. 10. Victorius: ſed nullus Palatinorum agnoſcit eam ſcripturam, habentque tres *pelagis*, treſque *plagis*, inter quos etiam eſt ille primus. itaque accedo conjecturæ Turnebianæ legenti *de plagis*, quamvis ipſe magis inclinet in *pagis*. videatur lib. IV. Adverſar. cap. 8.

4. *Non ut nos non intelligamus.*] Lambini editiones excludunt alterum *non*, quod in Victoriana aliiſque; item Pal. pr. nam tres alii rejiciunt *nos*. quomodo & editus ab Aldo avo; duo reliqui utrumque, & *non* & *nos*.

5. *Sin autem voluptatem putat; dicat adjungendam eam quæ ſit in motu.*] Ita Pal. pr. neque aliter Vict. ed. quàm quod ipſa *ſit*. proxime accedunt ad hanc lectionem Pall. ceteri, in quibus ferè, *putat, dicat adjungendam illam quæ ſit in motu.* Aldus avus & vulgati; *dicat adjungendam ad illam, quæ in motu ſit.* Gulielmius annotavit; legerim *putam*, vel *juta*. tam deſperatis non me immiſceo. Scaliger libro ſuo adſcripſit, *ſin voluptatem putat; dicat adjungendum, illam quæ in motu, &c. quid tendit?*

6. *Quid tendit.*] Non aliter Pal. pr. aut reliqui quinque ne auxilium quis ſperet a nobis. Scaliger libro ſuo adſcripſit *tundit*.

7. *Cognitiones verborum.*] Ita lectio vulgata. neque aliter Pal. quint. aut ſext. verùm priores quatuor & Scalig. planè exhibent, *cogitationes verb.* Fulvius promit e ſuo *notiones*.

8. *Credo idem vos nec in dolore nec in voluptate: ut in voluptate.*] Sic fere Pall. ſex. rotundius multo, quam hactenus publicati.

9. *Omneiſque, qui ſine dolore, &c.*] Sic iidem mſſ. Aliter Lambinus, ſed ex ſuperfluo. Gulielmius in Plauti Sticho conjiciebat, *omnes quiqui ſine dolore*, non etiam neceſſario.

antè Ariſtoteles, in duas [1] tributam eſſe parteis; *rhetoricam*, palmæ; *dialecticam*, pugno ſimilem eſſe dicebat, quòd latiùs loquerentur rhetores, dialectici autem compreſſiùs. Obſequar igitur voluntati tuæ: dicamque, ſi potero, rhetoricè, ſed hac rhetorica Philoſophorum, non noſtra illa foreuſi: quam neceſſe eſt, [2] cùm populariter loquatur, eſſe interdum paulo hebetiorem. ſed dum dialecticam, Torquate, contemnit Epicurus, quæ una *continet omnem & perſpiciendi, quid in quaque re ſit, ſcientiam, & judicandi, quale quidque re ſit*, & ratione, ac via diſputandi: ruit in dicendo, ut mihi quidem videtur, [3] nec ea, quæ docere vult, ulla arte diſtinguit, ut hæc ipſa, quæ modò loquebamur. Summum a vobis bonum voluptas dicitur. aperiendum eſt igitur, quid ſit voluptas, aliter enim explicari, quod quæritur, non poteſt. quam ſi explicaviſſet, [4] non tam hæſitaret. aut enim eam voluptatem tueretur, quam Ariſtippus, id eſt, qua ſenſus dulciter, ac jucundè movetur: quam etiam pecudes, ſi loqui poſſent, appellarent voluptatem: aut, ſi magis placeret ſuo more loqui, quàm ut

Omnes Danai, [5] *aut Mycenenſes*, *Attica pubes*,

reliquique Græci, qui hoc anapæſto citantur, hoc *non dolere* ſolùm voluptatis nomine appellaret, illud Ariſtippeum contemneret: aut, ſi utrumque probaret, ut probat, conjungere doloris vacuitatem cum voluptate, & duobus ultimis uteretur. multi enim, & magni philoſophi hæc ultima bonorum juncta fecerunt, ut Ariſtoteles, qui *virtutis uſum cum vitæ perfectæ proſperitate conjunxit*. Callipho adjunxit ad honeſtatem, voluptatem: Diodorus ad eandem honeſtatem addidit vacuitatem doloris. idem feciſſet Epicurus, ſi ſententiam hanc, quæ nunc Hieronymi eſt, conjunxiſſet cum Ariſtippi vetere ſententia. illi enim inter ſe diſſentiunt; propterea ſingulis finibus utuntur: &, cùm uterque Græcè egregiè loquatur; nec Ariſtippus, qui voluptatem ſummum bonum dicit, in voluptate ponit non dolere; neque Hieronymus, qui ſummum bonum ſtatuit non dolere, voluptatis nomine umquam utitur, pro illa indolentia: quippe qui *ne in expetendis quidem rebus numeret volupta-*

7 *tem.* Duæ ſunt enim res quoque, ne tu verba ſolùm putes. unum eſt, ſine dolore eſſe: alterum, cum voluptate. vos ex his tam diſſimilibus rebus non modò nomen unum (nam id faciliùs paterer) ſed etiam rem unam ex duabus facere conamini. quod fieri nullo modo poteſt. Hic, qui utramque probat, ambobus debuit uti, [6] ſicut facit re, neque tamen dividit verbis. cùm enim eam ipſam voluptatem, quam eodem nomine omnes appellamus, laudat locis plurimis, audet dicere, ne ſuſpicari quidem ſe ullum bonum ſejunctum ab illo Ariſtippeo genere voluptatis: atque ibi hoc dicit, ubi omnis ejus eſt oratio de ſummo bono. In alio verò libro, in quo breviter comprehenſis graviſſimis ſententiis, quaſi ORACULA edidiſſe SAPIENTIÆ dicitur, ſcribit his verbis: quæ nota tibi profectò, Torquate, ſunt. quis enim veſtrûm non edidicit Epicuri κυρίας δόξας, [7] id eſt, quaſi maximè ratas? quia graviſſimæ ſint ad beatè vivendum breviter enuntiatæ ſententiæ. animadverte igitur, rectene hanc ſententiam interpreter. SI EA, « QUÆ luxurioſis efficientia voluptatum, liberarent eos « deorum, & mortis, & doloris metu, docerentque, qui « eſſent fines cupiditatum: [8] nihil hæreremus: cùm undique « complerentur voluptatibus, nec haberent ulla ex parte « aliquid aut dolens, aut ægrum, [9] id eſt, autem malum. « Hoc loco ſe tenere Triarius non potuit. Obſecro, inquit, Torquate, hæc dicit Epicurus? quod mihi quidem viſus eſt, cùm ſciret, velle tamen contitentem audire Torquatum. At ille non pertimuit, ſaneque fidenter, iſtis quidem ipſis verbis, inquit: ſed quid ſentiat, non videtis. *Si alia ſentit*, inquam, *alia loquitur: numquam intelligam, quid ſentiat:* [10] ſed planè dicit, quod intelligam. idque ſi ita dicit, non eſſe reprehendendos luxurioſos, ſi ſapientes ſint, dicit abſurdè: [11] ſimiliter & ſi dicat non reprehendendos parricidas, ſi nec cupidi ſint, nec deos metuant, nec mortem, nec dolorem. & tamen, quid attinet luxurioſis ullam exceptionem dari, aut fingere aliquos, qui, cùm luxurioſè viverent, à ſummo philoſopho non reprehenderentur eo nomine, duntaxat cetera caverent? Sed tamen nonne reprehenderes, Epicure, luxurioſos ob eam ipſam cauſam, quòd ita viverent, ut perſequerentur cujuſquemodi voluptates; cùm eſſet præſertim, ut ais tu, ſumma voluptas nihil dolere? Atque reperiemus aſotos primùm ita non religioſos, [12] *Ut edant de patella:* deinde ita mortem non timenteis, ut illud in ore habeant ex Hymnide:

Mihi ſex menſes ſatis ſunt vitæ: ſeptimum Orco ſpondeo.

jam doloris medicamenta illa Epicurea, tanquam [13] de narthecio promant: *ſi gravis, brevis: ſi longus, levis.* unum neſcio, quo modo poſſit, ſi luxurioſus ſit, finitas cupiditates habere. Quid ergo attinet dicere, *nihil haberem, quod* 8
reprehenderem, ſi finitas cupiditates haberent? hoc eſt dicere, *non reprehenderem aſotos, ſi non eſſent aſoti.* iſto modo, ne improbos quidem, ſi eſſent boni viri. Hic homo ſeverus luxuriam per ſe ipſam reprehendendam non putat. & hercule, Torquate, ut verum loquamur, ſi voluptas ſummum bonum eſt, rectiſſimè non putat. nolim enim mihi fingere aſotos, ut ſoletis, qui in menſam vomant, & qui de conviviis auferantur, crudique poſtridie ſe rurſus ingurgitent: qui *ſolem*, ut ajunt, *nec occidentem umquam viderint, nec orientem:* qui, conſumtis patrimoniis, egeant. nemo noſtrûm iſtius generis aſotos jucundè putat vivere. [14] mundos, eleganteis, optimis cocis, piſtoribus, piſcatu, aucupio, venatione, his omnibus exquiſitis, vitanteis cruditatem; [15] *quibus vinum defuſum è pleno ſit: hir ſiphon*, ut ait Lucilius, *cui nihil demſit: jus, & ſacculus abſtulerit: adhibenteis*

1. *Tributam eſſe parteis; rhetoricam, &c.*] Ejeci vocem *dicere* quæ hactenus obſederat locum. adulterinam fuiſſe, arguit Pal. pr. poteratque adhuc tolli verbum *eſſe*.

2. *Cum populariter loquatur.*] Lectio vulgata, *loquamur*; ſed altera exſtat in Pall. omn. nec rejecit Victorius.

3. *Nec ea quæ docere vult, ulla arte diſtinguit.*] Iſtud quoque eſt à Pal. pr. quod admiſi eo confidentius, quod ſic quoque edidiſſet Lambinus. adſcriptumque haberet amicus noſter Scaliger: is tamen de cri. publicati prius, *quæ docet, vult ulla arte diſtingui.*

4. *Non tam hæſitaret.*] Vetus liber Scaligeri *æſtuaret*, & ſic ſanè oratus in Verrem, ac pro Flacco.

5. *Aut Mycenenſes.*] Sic Pall. omnes, & vulgati. Turneb. lib. II. cap. 17. emendat verſus cauſa, *atque Myceenenſes*. & ita vetus Scalig.

6. *Sicut facit re, neque tamen dividit verbis.*] Expreſſi quod erat in Pal. pr. antea ſic conjeciſſe quoſdam liquet ex notis Lambini. priùs legebatur, *ſicut facit, remque tamen dividit verbis.*

7. *Id eſt quaſi maxime ratas?*] Vocem *quaſi* adjicere libuit ex Pal. primo; etſi alioquin non admodum refrager Lambino, arbitranti totum iſtud alienum. quin imò ejuſdem planè farinæ adhuc mihi videntur novem verba poſt ſequentia.

8. *Nihil hæreremus; cum undique.*] Sic tres Pall. neque aliter Vict. ed. prior enim & poſteriores, *nihil haberem. quod reprehenderem, cum*, quæ tamen in nullo Palatino, ſed ſolum *haberemus*.

9. *Id eſt autem malum.*] Eſt a Palat. primo. vulgati antehac, *id eſt aut malum*, nulla ſententiæ venuſtate.

10. *Sed plane dicit quod, &c.*] Pal. pr. *intelligit.* reliqui *intelligam.*

11. *Similiter & ſi dicat.*] Nihil variant Pall. niſi quod tert. *etiam ſi.* Turnebus libro XXVIII. cap. 34. ait perſpicue emendandum, *ſimiliter ac ſi dicat.* malim ego, *ſimiliter ut.* deprehendi enim ſæpe deflecti *ut* in *&*. ut ecce infra cap. X. ubi eſt, *ſimul ut ortum eſt animal, & ſeipſum &c.* mſſ. aliquot *ſimul & ortum, &c.* Idem Turnebus mox pauloque poſt, *duntaxat cetera caverent*, ait valere, *modò cetera caverent; tantum cetera caverent.*

12. *Ut edant de patella.*] Pall. pr. *edint*, cùm tamen prius præterea ibi fuiſſet litera *i*, *edient*. ſcio illud Horatianum, *Edit cicutis allium nocentius*; ſed an id heic intrudi debeat, neſcio.

13. *De narthecio promant.*] Pal. ille pr. *proment*, vix improbem, ut reſpiciat ad illud quod præceſſit, *reperiemus*.

14. *Mundos eleganteis, &c.*] Hæc ipſa ſunt poëtæ alicujus verſus: ſed quis digeret in pedes, niſi otioſus?

15. *Quibus vinum defuſum è pleno ſit: hir, ſiphon (ut ait Lucilius) cui nihil demſit; jus & ſacculus abſtulerit.*] Ob oculos poſui & ſcripturam membranarum Palatinarum aliquot; quibus proximè accedit editio Vict. in qua; *ſit hirſiphon, ut ait Luc. cui nihil dum ſit, jus & ſacculos abſtulerit.* Pal. pr. exprimit *ſit. hirſizon, ut ait Luc. cui nihil dum ſit jus & ſacculus.* Videatur Scalig. Appendix Conjectaneor. in Varron.

1. Reſpon-

benteis ludos, & quæ ſequuntur, illa; quibus detractis, clamat Epicurus ſe neſcire, quid ſit bonum adſint etiam formoſi pueri, qui miniſtrent: [1] reſpondeat his veſtis, argentum, Corinthium, locus ipſe, ædificium. Hos ego aſotos *bene quidem vivere, at beatè numquam dixerim.* ex quo efficitur, non ut voluptas ne ſit voluptas, ſed ut voluptas non ſit ſummum bonum. nec ille, qui Diogenem Stoicum adoleſcens, poſt autem Panætium audierat, Lælius, eò dictus eſt ſapiens, quòd non intelligeret, quid ſuaviſſimum eſſet (*nec enim ſequitur, ut cui cor ſapiat, ei non ſapiat palatus*) ſed quia parvi id duceret.

O lapathe, [2] ut jactere neceſſe eſt, cognitu' cui ſis.
In quo Læliu' clamores ſophos ille ſolebat
Edere, compellans gumias ex ordine noſtros.
Læliu' præclare, & rectè ſophos, [3] illudque verè:
O Publi, ô gurges, Galloni: es homo miſer, inquit:
Cenaſti in vita numquam bene, cùm omnia in iſta
Conſumis ſquilla, atque acipenſere cùm decumano.

Is hæc loquitur, qui in voluptate nihil ponens, negat eum bene cenare, qui omnia ponat in voluptate: [4] & tamen non negat libenter umquam cenaſſe Gallonium: (mentiretur enim) ſed bene. Ita graviter, & ſeverè voluptatem ſecernit à bono. ex quo illud efficitur, *qui benè cenent, omneis libenter cenare: qui libenter, non continuo bene.* ſemper Lælius bene. Quid bene? dicit Lucilius, *cocto, condito.* ſed cedò caput cenæ: *ſermone bono.* [5] quid ex eo? *ſi quæri', libenter.* veniebat enim ad cenam, ut animo quieto ſatiaret deſideria naturæ. rectè ergo is negat, umquam bene cenaſſe Gallonium; rectè, miſerum, cum præſertim in eo omne ſtudium conſumeret quem libenter cenaſſe nemo negat. Cur igitur non benè? quia *quod bene, id rectè, frugaliter, honeſtè:* ille porrò malè, pravè, nequiter, turpiter cenabat. Non igitur nec lapathi ſuavitatem acipenſeri Gallonii Lælius anteponebat, ſed ſuavitatem ipſam negligebat. quod
9 non faceret, ſi in voluptate ſummum bonum poneret. SEMOVENDA eſt igitur voluptas, non ſolum ut recta ſequamini. ſed etiam ut loqui deceat frugaliter. Poſſumuſne igitur in vita ſummum bonum dicere, cùm id ne in cena quidem poſſe videamur? Quo modo autem philoſophus loquitur tria genera cupiditatum? naturaleis, & neceſſarias: naturaleis, non neceſſarias: nec naturaleis, nec neceſſarias? primùm diviſit ineleganter. duo enim genera quæ erant, fecit tria. hoc eſt *non dividere*, ſed *frangere* rem. qui ſi diceret, cupiditatum eſſe duo genera, naturaleis, & inaneis: naturalium, quoque item duo, neceſſarias, & non neceſſarias, [6] confecta res eſſet. qui hæc didicerunt quæ ille contemnit, ſic ſolent. *vitioſum eſt enim in dividendo, partem in genere numerare.* Sed hoc ſanè concedamus. contemnit enim diſſerendi elegantiam: confusè loquitur. gerendus eſt mos, modò rectè ſentiat. Et quidem illud ipſum non nimiùm probo ([7] & tantum patior) philoſophum loqui de cupiditatibus finiendis. An poteſt cupiditas finiri? *tollenda eſt, atque extrahenda radicitus.* quis eſt enim, in quo ſit cupiditas, quin rectè cupidus dici poſſit? Ergo & avarus erit, ſed finitè: adulter, verùm habebit modum: & luxurioſus eodem modo. Qualis iſta philoſophia eſt, quæ non interitum afferat pravitatis, ſed ſit contenta mediocritate vitiorum? quamquam in hac diviſione rem ipſam prorſus probo: elegantiam deſidero. appellet hæc *deſideria naturæ:* cupiditatis nomen ſervet aliò, ut, cùm de avaritia, cùm de intemperantia, cùm de maximis vitiis loquetur, [8] eam tamquam capitis accuſet. Sed hæc quidem liberiùs ab eo dicuntur, & ſæpius. quod equidem non reprehendo. eſt enim tanti philoſophi, tamque nobilis, audacter ſua decreta defendere. ſed tamen ex eo, quòd eam voluptatem, (quam omnes gentes hoc nomine appellant) videtur amplexari ſæpe vehementiùs, in magnis interdum verſatur anguſtiis, ut, *hominum conſcientia remota*, nihil tam turpe ſit, quod voluptatis cauſa non videatur eſſe facturus. deinde, ubi *erubuit* (vis enim eſt permagna naturæ) confugit illuc, ut neget accedere quidquam poſſe ad voluptatem nihil dolentis. At iſte non dolendi ſtatus non vocatur voluptas. Non laboro, inquit, de *nomine.* Quid, quòd *res* alia tota eſt? Reperiam multos, vel innumerabileis potiùs, non tam curioſos, nec tam moleſtos, quàm vos eſtis: quibus, quidquid velim, facilè perſuadeam. Quid ergo dubitamus, quin, ſi non dolere, voluptas ſit ſumma, non eſſe in voluptate, dolor ſit maximus? cur id non ita ſit? Quia dolori non voluptas contraria eſt, ſed doloris privatio.
[9] ** Hoc verò non videre, maximo argumento, [10] eſſe 10
voluptatem illam; qua ſublata, neget ſe intelligere omnino, quid ſit bonum. eam autem ita perſequitur, quæ palato percipiatur, quæ auribus: cetera addit, quæ ſi appelles, *honos præfandus ſit.* hoc igitur, quod ſolum bonum ſeverus, & gravis philoſophus novit, idem non videt ne expetendum quidem eſſe, quòd eam voluptatem hoc eodem auctore non deſideremus, cùm dolore careamus. [11] quamquam hæc ſunt contraria. Hic ſi *definire*, vel *dividere didiciſſet*, ſi loquendi vim, ſi denique conſuetudinem verborum teneret, numquam in tantas ſalebras incidiſſet. nunc vides, quid faciat. quam nemo umquam voluptatem appellat, & hanc in motu voluptatem, quæ duo ſunt, unum facit. ſic enim has ſuaveis, & quaſi dulceis voluptates appellat. interdum ita extenuat, ut M. Curium putes loqui: interdum ita laudat, ut, quid præterea ſit bonum, neget ſe poſſe ne ſuſpicari quidem. quæ jam oratio non à philoſopho aliquo, ſed *à cenſore opprimenda eſt.* non eſt enim vitium in oratione ſolùm, ſed etiam in moribus. luxuriam non reprehendit, modò ſit vacua infinita cupiditate, & timore. Hoc loco diſcipulos quærere videtur, ut, qui aſoti eſſe velint, philoſophi antè fiant. A primo, ut opinor, animantium ortu petitur origo ſummi boni. Simul atque natum animal eſt, gaudet voluptate, & eam appetit, ut bonum: aſpernatur dolorem, ut malum. de malis autem, & bonis, ab iis animalibus, quæ nondum depravata ſint, ait optimè judicari. Hæc & tu ita poſuiſti, & verba veſtra ſunt.

---

1. *Reſpondeat his veſtis, argentum, Corinthium, locus ipſe, ædificium.*] Ita nulla littera plus minuſve Pal. pr. tert. ſextus, item ad oram quartus è regione illius vulgati *odrilitium*, quod monſtrum etiam extabat in ſec. ac quinto. Muretus etiam hunc locum reſtituere voluit è mſſ. ſed vereor ut aliquid indulſerit ingenio ſuo. Videatur tamen libro VI. Variar. lect. cap. 20. ut etiam Turnebus lib. XXVIII. cap. 34. fine. ſed & conſulatur Paullus Manutius in Notis filii ad hunc locum. pro *reſpondeat*, quod erat in omnibus Palatinis, erat vulgatis *reſplendeat*, minus apposite. Scaliger pro, *odrilitium* habebat *ædificium*. cui ſanè ſuus heic eſſet locus, ſi ita fuiſſet in ullo libro.

2. *Ut jactere neceſſe eſt.*] Pall. o. *ut jactare ne ceſſatis*. iidem etiam habent *gumas*, præter pr. in quo *gumias*, quod malui.

3. *Illudque verè.*] Sic omnes mſſ. omnes edd. præter Lambinianam, quæ *illeque*. Urſinus malebat *illaque*. videatur Turnebus d. cap. 34.

4. *Et tamen non negat, libenter, &c.*] Pal. prim. non habet negativam.

5. *Quid ex eo? quæri' libenter. veniebat.*] Liber Scaligeri habet adnotatum; *quid ex eo? ſecærus, libenter veniebat enim, &c.*

6. *Confecta res eſſet. qui hæc didicerunt quæ ille contemnit ſic ſolent. Vitioſum enim, &c.*] Clauſula octo verborum nunc primum a me redditur Ciceroni. eam erui è Palatino tertio. comparebatque item in primo, verum poſt, *ſed frangere* ſupra.

7. *(Et tantum patior.)*] Sic repoſui a Pal. primo. editi antea *tamen*, minus vivide. male etiam qui trigam iſtam verborum parentheſi eximunt, diſtinguuntque, *probo: & tamen patior, Philoſophum*, Lambiniana editio.

8. *Eam tanquam capitis accuſet.*] Non diſplicet quod eſt in Pal. pr. *ut eam cùm de avaritia, &c.* ita ut iſto loco expungatur. Lamb. edidit, *ea tanquam*, ſicque Palat. ſec. ſed ceteri favent vulgato.

9. ** *Hoc verò non videre.*] Locum aſteriſco notarat Gulielmius, nec removi, quod & mihi quædam deeſſe viderentur.

10. *Eſſe voluptatem illam, qua.*] Ita Palatinus pr. non *ullam*, ut vulgg. ex quo liquet de vanitate lectionis Lambinianæ.

11. *Quamquam hæc ſunt contraria.*] Fortiùs multò Pal. pr. *quàm hæc ſunt contraria*; Idem mox quoque *appellavit* exhibet, loco publicati *appellat*: quod hactenus probo ut arbitrer admittendam utramque ſcripturam, ſic; quam nemo voluptatem appellavit, appellat. quomodo ſuo adſcripſit libro Scaliger.

ſunt. Quàm multa vitioſa? ſummum enim bonum, & malum *vagiens puer* utra voluptate dijudicabit, ſtante, an movente? quoniam, ſi diis placet, ab Epicuro loqui diſcimus. ſi ſtante, hoc natura videlicet vult, ſalvam eſſe ſe, quod concedimus: ſi movente, quod tamen dicitis, nulla turpis voluptas erit, quæ prætermittenda ſit. & ſimul non proficiſcitur animal illud modò natum, a ſumma voluptate: quæ eſt à te poſita in non dolendo. nec tamen argumentum hoc Epicurus à parvis petivit, aut etiam à beſtiis: quæ putat eſſe *ſpecula naturæ*: ut diceret, ab his, duce natura, hanc voluptatem expeti nihil dolendi. neque enim hæc movere poteſt appetitum animi: nec illum habet ictum, [1] quo pellat animum ſtatus hic non dolendi. itaque in hoc eodem peccat Hieronymus. [2] At ille pellit, qui permulcet ſenſum voluptate. Itaque Epicurus [3] ſemper hoc utitur, ut probet, *voluptatem natura expeti*; quòd ea voluptas, quæ in motu ſit, & parvos ad ſe alliciat, & beſtias, non illa ſtabilis, in qua tantùm ineſt nihil dolere. [4] quid igitur convenit, ab alia voluptate dicere naturam proficiſci, in alia
11 ſummum bonum ponere? *Beſtiarum* verò *nullum judicium* puto. quamvis enim depravatæ non ſint, pravæ tamen eſſe poſſunt. Ut bacillum aliud eſt inflexum, & incurvatum de induſtria; aliud ita natum: ſic ferarum natura, non eſt illa quidem depravata mala diſciplina, ſed natura ſua. nec verò, ut voluptatem expetat, natura movet infantem: ſed tantùm *ut ſe ipſe diligat*, ut integrum ſe, ſalvumque velit. OMNE enim animal, ſimul ut ortum eſt, & ſeipſum, & omneis parteis ſuas diligit: [5] duaſque, quæ maximæ ſunt, in primis amplectitur: animum, & corpus: deinde utriuſque partes. nam ſunt & in animo præcipua quædam, & in corpore: quæ cùm leviter agnovit, tunc diſcernere incipit, ut ea, quæ prima data ſunt natura, appetat, aſperneturque contraria. in his primis naturalibus voluptas inſit, necne, magna quæſtio eſt. nihil verò putare eſſe, præter voluptatem, non membra, non ſenſus, non ingenii motum, non integritatem corporis, non valitudinem, ſummæ mihi videtur inſcitiæ. Atque ab iſto capite fluere neceſſe eſt omnem rationem bonorum, & malorum. Polemoni, etiam antè Ariſtoteli, ea prima viſa ſunt, quæ paullo antè dixi. [6] Ergo nata eſt ſententia veterum Academicorum, & Peripateticorum, ut *finem bonorum dicerent, ſecundum naturam vivere*, id eſt, virtute adhibita, frui primis à natura datis. Callipho ad virtutem nihil adjunxit, niſi *voluptatem*: Diodorus, niſi *vacuitatem doloris*. His omnibus, quos dixi, conſequentes ſunt fines bonorum. Ariſtippo ſimplex voluptas: Stoicis, conſentire naturæ: quod eſſe volunt è virtute, id eſt, honeſtè vivere: quod ita interpretantur, vivere cum intelligentia earum rerum, quæ natura evenirent, eligente ea, quæ eſſent ſecundum naturam, rejicienteque contraria. Ita tres ſunt *fines expertes honeſtatis*, unus Ariſtippi, vel Epicuri: alter Hieronymi: Carneadis tertius: tres, in quibus honeſtas cum aliqua acceſſione, Polemonis, [7] Calliphonis, Diodori. una ſimplex, cujus Zeno auctor, poſita *in decore tota*, id eſt, honeſtate. nam Pyrrho, Ariſto, Herillus, jam diu abjecti. reliqui ſibi conſtiterunt, ut extrema cum initiis convenirent, ut Ariſtippo, voluptas: Hieronymo, doloris vacuitas: Carneadi, frui principiis naturalibus, eſſet extremum. Epicurus autem cùm in prima commendatione 12
voluptatem dixiſſet: ſi eam, quam Ariſtippus, idem tenere debuit ultimum bonorum, quod ille: ſin eam, quam Hieronymus, feciſſet idem, ut voluptatem illam Ariſtippi in prima commendatione poneret. nam, quod ait, *ſenſibus ipſis judicari*, voluptatem, bonum eſſe: dolorem, malum: plus tribuit ſenſibus, quàm nobis leges permittunt. [8] privatarum litium judices ſumus. NIHIL ENIM poſſumus judicare, niſi quod eſt noſtri judicii. in quo fruſtra judices ſolent, cùm ſententiam pronunciant, addere, SI QUID MEI JUDICII EST. ſi enim non fuit eorum judicii, nihilo magis, hoc non addito, illud eſt judicatum, [9] quod judicat ſenſus: dulce, amarum: lene, aſperum: propè, longè: ſtare, movere: quadratum, rotundum. Quam igitur pronuntiabit ſententiam ratio? Adhibita primùm *divinarum, humanarumque rerum ſcientia*, quæ poteſt appellari ritè *ſapientia*: deinde adjunctis virtutibus, quas ratio rerum omnium *dominas*, tu voluptatum *ſatellites*, & miniſtras eſſe voluiſti: quarum adeò omnium ſententia pronunciabit, primùm de voluptate, NIHIL ESSE EI LOCI, non modò ut ſola ponatur in ſummi boni ſede, quam quærimus, ſed ne illo quidem modo, ut ad honeſtatem applicetur. de vacuitate doloris eadem ſententia eſt. rejicietur etiam Carneades: [10] nec illa de ſummo bono ratio aut voluptatis, non dolendive particeps, aut honeſtatis expers, probabitur. ita relinquet duas, de quibus etiam atque etiam conſideret. aut enim ſtatuet, NIHIL ESSE BONUM, NISI HONESTUM: NIHIL MALUM, NISI TURPE: cetera aut omnino nihil habere momenti, aut tantum, ut nec expetenda, nec fugienda, ſed eligenda modò, aut rejicienda ſint: aut *anteponet eam*, quam cùm honeſtate ornatiſſimam, tum etiam ipſis initiis naturæ, & totius perfectione vitæ locupletatam videbit. quod eo liquidiùs faciet, ſi perſpexerit, rerum inter eas, verborumne ſit controverſia. Hu- 13
jus ego nunc auctoritatem ſequens, idem faciam. quantum enim potero, minuam contentiones: omneiſque ſimpliceis ſententias eorum, in quibus nulla ineſt VIRTUTIS adjunctio, omnino à philoſophia ſemovendas putabo: primùm Ariſtippi, Cyrenaicorumque omnium: quos non eſt veritum, in ea voluptate, quæ maxima dulcedine ſenſum moveret, ſummum bonum ponere, contemnenteis iſtam vacuitatem doloris. hi non viderunt, UT AD CURSUM, equum: ad arandum, bovem: ad indagandum, canem: ſic hominem ad duas res, ut ait Ariſtoteles, intelligendum, & agendum eſſe natum, quaſi *mortalem deum*: contraque, ut tardam aliquam, & languidam pecudem, ad paſtum, & ad procreandi voluptatem hoc *divinum animal* ortum eſſe voluerunt. quo nihil mihil videtur abſurdius. atque hæc contra Ariſtippum, qui eam voluptatem non modò ſummam, [11] ſed ſolam etiam ducit: quam omnes unam appellamus voluptatem. aliter autem vobis placet. ſed ille, ut dixi, vitioſe. nec enim *figura corporis*, nec *ratio* excellens ingenii humani ſignificat, ad hanc unam rem natum hominem, ut frueretur voluptatibus. Nec verò audiendus Hieronymus: cui ſummum bonum eſt idem, quod vos interdum, vel potiùs nimium ſæpe dicitis, *nihil dolere*. non

1. *Quo pellat animum ſtatus hic non dolendi.*] Editiones priſcæ & Pall. o. *animi ſtatum hic*. illud tamen probat ſe loco Tullii pro Cælio; ut monuit Gulielmius, qui variantem eam lectionem annotarat item ex Tuſano.

2. *At ille pellit.*] Lambinus obtruſit nobis conjecturam ſuam, *illa voluptas*, refragantibus mſſ. ideoque perperam. *ille*, ictus ſcilicet.

3. *Semper hoc utitur.*] Pal. pr. ſuperſcribitur *nititur*, ſicque comparet in Pal. ſec.

4. *Quid igitur convenit.*] Lambinus *Qui igitur*. Gulielmius, *Qui id igitur*, quam conjecturam non improbo.

5. *Duaſque, quæ maximæ ſunt.*] Recentius editi *duaſque res quæ*, ſed præter exoletas edd. etiam Victorianam, & mſſ. noſtros.

6. *Ergo nata eſt.*] Sic omnes Palatini. Lambinus conjicit, *Hinc ergo nata eſt*, ſupervacaneè. nam *Ergo*; aliquando notat *exinde*, *poſtea*, &c. ut Critici dudum oſtendere exemplis ad Propertium.

7. *Calliphonis.*] Non video cur ſequi non debeamus ſcripturam omnium Pall. *Calliphontis*.

8. *Privatarum litium judices ſumus.*] Pal. pr. *privarum*. quod annoto potius, quei appareat animadverſum fuiſſe à me, quam ut & jam arbitrer alterum ei cedere debere. Ceterum mirari ſatis non poſſum, cur tot deſultoriis heic utatur conjecturis Lambinus, in ſententia plana.

9. *Quod judicat ſenſus.*] Lambinus iterum emendationes jactat, ſed à quibus recedunt Pall. omnes. itaque miror a vulgato receſſiſſe Aldum nepotem.

10. *Nec illa de ſummo bono.*] Adlubeſcit ferè ſcriptura Palatini primi, *ulla*. tanto magis quod & viſitur in tertio.

11. *Sed ſolam etiam ducit.*] Vulgati *dicit*, ſed alterum reſtat in omnibus Pall. placuitque Victorio.

I. *Sive*

non enim, ſi malum dolor eſt, carere eo malo ſatis eſt ad bene vivendum. hoc dixerit potiùs Ennius:

Nimium boni eſt cui nihil eſt mali.

Nos beatam vitam non depulſione mali, ſed adeptione boni judicemus: nec eam ceſſando, [1] ſive gaudentem, ut Ariſtippus; ſive non dolentem, ut hic: ſed agendo aliquid, conſiderandove quæramus. Quæ poſſunt eadem contra Carneadeum illud ſummum bonum dici: quod is non tam, *ut probaret*, protulit: quàm ut Stoicis, quibuſcum bellum gerebat, opponeret. Id autem ejuſmodi eſt, ut additum ad virtutem, *auctoritatem* videatur habiturum, & expleturum cumulatè vitam beatam: de quo omnis hæc quæſtio eſt. nam qui ad virtutem adjungunt vel voluptatem, quam unam virtus *minimi facit:* vel vacuitatem doloris, quæ etiam ſi malo caret, tamen non eſt ſummum bonum: acceſſione utuntur non ita probabili, nec tamen, cur id tam parcè, tamque reſtrictè faciant, intelligo. quaſi enim emendum eis ſit, quod addant ad virtutem, primùm viliſſimas res addunt: deinde ſingulas potiùs, quàm omnia quæ prima natura approbaviſſet, [2] ea cum voluptate conjungerent. quæ cùm Ariſtoni, & Pyrrhoni omnino viſa ſunt pro nihilo, ut *inter optimè valere, & graviſſimè ægrotare, nihil prorſus dicerent intereſſe*, rectè jam pridem contra eos deſitum eſt diſputari. dum enim in una virtute ſic omnia eſſe voluerunt, ut eam rerum ſelectione exſpoliarent: nec ei quidquam, aut unde oriretur, darent, aut ubi niteretur: virtutem ipſam, quam amplexabantur, ſuſtulerunt. Herillus autem ad ſcientiam omnia revocans, unum quoddam bonum vidit: ſed nec optimum, nec *quo vita gubernari poſſit*. itaque hic ipſe jam pridem eſt rejectus. poſt
14 enim Chryſippum non ſanè eſt diſputatum. Reſtatis igitur vos. [3] nam cum Academicis incerta luctatio eſt: qui nihil affirmant, & quaſi deſperata cognitione certi, id ſequi volunt: quodcumque veriſimile videatur. Cum Epicuro autem hoc eſt plus negotii, quòd è duplici genere voluptatis conjunctus eſt: quodque & ipſe, & amici ejus, & multi poſtea defenſores ejus ſententiæ fuerunt: & neſcio quomodo (is, qui *auctoritatem minimam* habet, *maximam vim*) populus cum illis facit. quos niſi arguimus omnis virtus, omne decus, omnis vera laus deſerenda eſt. Ita ceterorum ſententiis ſemotis, relinquitur non mihi cum Torquato, ſed *virtuti* cum *voluptate* certatio. quam quidem certationem homo & acutus, & diligens Chryſippus, non contemnit, totumque diſcrimen ſummi boni in eadem comparatione poſitum putat. ego autem exiſtimo, ſi honeſtum aliquid oſtendero, quod ſit ipſum [4] vi ſua, propter ſeque expetendum, jacêre veſtra omnia. itaque eò, quale ſit, breviter, ut tempus poſtulat, conſtituto, [5] accedam ad omnia tua, Torquate; niſi memoria fortè defecerit. HONESTUM igitur id intelligimus, quod tale eſt, ut detracta omni utilitate, ſine ullis præmiis, fructibuſve, per ſe ipſum poſſit jure laudari. quod quale ſit, non tam definitione, qua ſum uſus, intelligi poteſt, (quamquam aliquantum poteſt) quàm *communi omnium judicio*, & optimi cujuſque ſtudiis, atque factis: qui *permulta ob eam unam cauſam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honeſtum eſt, etſi nullum conſecuturum emolumentum vident.* homines enim, etſi aliis multis, tamen hoc uno à beſtiis plurimùm differunt, quod RATIONEM habeant [6] à natura datam *mentemque*, & acrem, & vigentem, celerrimeque multa ſimul agitantem, & ut ita dicam, ſagacem: quæ & cauſas rerum, & conſecutiones videat, & ſimilitudines transferat, & disjuncta conjungat, & cum præſentibus futura copulet, omnemque complectatur vitæ conſequentis ſtatum. [7] eademque ratio fecit hominem hominum appetentem, cumque his natura, & ſermone, & uſu congruentem, ut profectus à caritate domeſticorum, ac ſuorum, [8] ſerpat longiùs, & ſe implicet primùm civium, deinde omnium mortalium ſocietate: atque, ut ad Architam ſcripſit Plato, *non ſibi ſe ſoli natum meminerit, ſed patriæ, ſed ſuis, ut perexigua pars ipſi relinquatur.* Et quoniam eadem natura CUPIDITATEM ingenuit homini [9] VERI INVENIENDI, quod facillimè apparet, cum vacui curis, etiam quid in cælo fiat, ſcire avemus: [10] his initiis inducti omnia vera diligimus, id eſt, fidelia, ſimplicia, conſtantia: tum vana, falſa, fallentia odimus, ut fraudem, perjurium, malitiam, injuriam. eadem ratio habet in ſe quiddam amplum, atque magnificum, ad *imperandum* magis, quàm ad *parendum* accommodatum: omnia humana non tolerabilia ſolùm, ſed etiam levia ducens: altum quiddam & excelſum, nihil timens, nemini cedens, ſemper invictum. Atque his tribus generibus honeſtorum notatis, quartum ſequitur, & in eadem pulcritudine, & aptum ex illis tribus: in quo ineſt ORDO, & MODERATIO. cujus ſimilitudine perſpecta [11] in formarum ſpecie; à dignitate tranſitum eſt ad *honeſtatem dictorum, atque factorum.* nam ex his tribus laudibus, quas antè dixi, & temeritatem reformidat, & non audet cuiquam aut dicto protervo, aut facto nocere: vereturque quidquam aut facere, aut loqui, quod parum virile videatur. Habes 15
undique expletam, & perfectam, Torquate à formam honeſtatis: quæ tota his quattuor virtutibus, quæ, te quoque commemoratæ ſunt, continentur. hanc ſe tuus Epicurus omnino

1. *Sive gaudentem, ut Ariſtippus; ſive non dolentem, ut hic.*] Non potui excludere hanc lectionem, inventam parte ſui in Pal. omnibus ac Lambinianis, integram verò in Pal. primo. vulgati enim ſono admodum auribus ingrato, *ſive gaudendo, ut Ariſtip. ſive non dolendo, &c.*

2. *Ea cum voluptate conjungerent.*] Lambinus quatuor iſtas voces editione ſua excluſit, quod non comparerent (inquit) in uno libro longè optimo. at habent eas Pall. o. niſi quod in tertio *cum honeſtate.* Aldus Nepos vulgavit, *conjungunt*, aptius ad ſenſum, ſed quo jure? malim ego repræſentare nævos auctoris, quam ſubſtituere qualecunque mangonium. nam ſi voculam repetamus, & iſthæc proximè ſequentibus attribuamus, bellè procedet ſententia ſic: *Ea quum cum voluptate conjungerent, quæ Ariſtoni &.*

3. *Nam cum Academicis incerta luctatio eſt.*] Sic quidem Palatini, præter primum, in quo *uncta luctatio eſt*, quod qui negaverit auctoris geminum germanum, negabit & meridie lucere.

4. *Vi ſua propter ſeque.*] Sic Pall. omnes & editio Victorii; niſi quod pr. *ſua vi*, ſecundo verò deſit copula. vulgati, *vi ſua propterque ſe.* quàm puſillis cogor inhærere! ſed aliter fieri non poteſt, ſi velim munire me contra eos qui in me incurrerent, ac ſi quidpiam temerè mutaſſem.

5. *Accedam ad omnia tua Torquate; niſi memoria forte defecerit.*] Invito ferè animo manus lectionem hanc invexit, coacta liquidâ quaſi veritate Palatini primi. nihil enim ea evolutius, nihil rotundius. at hactenus putidè occupavit libros omnes; *Torquate: ubi ſi me memoria fortè defecerit, tuum eſt ut ſuggeras.* quorum poſteriorum nullum veſtigium in electo illo Palatino, relicto Bibliothecæ ab corculo illo Electorum Othone Henrico: cujus ſymbolum atque inſignia membranis illis propoſita. Dolendum ſolummodò nihil eo contineri, præterquam libros de finibus priores.

6. *A natura datam, mentemque & acrem, &c.*] Eſt ab editione Victoriana; neque ſecus Pal. pr. nam ſec. quint. ſex. *à natura menti datam & acrem, &c.* reliqui, *à natura mentemque datam*, ut publicitus excuſi. media lectio non eſt abſurda quidem, ſed tamen vilior noſtra.

7. *Eademque ratio fecit.*] Vulgati quidem *facit*, ſed alterum reperi in Pall. ſex.

8. *Serpat longius & ſe implicet.*] In hunc diem vulgati, *currat longius.* alterum tuetur ſe auctoritate Palatini primi ac tertii, item Scaligerani codicis. & venuſtius eſt quam ut cedere debeat priori, licet longiſſimi temporis poſſeſſori. aſſerit enim id ſibi Cicero lib. v. de Finib. cap. 23. pr. optimeque convenit cum ſequenti *implicet*, quod nollem mutari in *adplicet* cum exemplari Urſiniano, contra omnes Palatinos. multo minus ut iis refragantibus admittamus Lambinianum *ſocietati*.

9. *Veri inveniendi.*] Non ita ineptè Pal. pr. *veri videndi.* idem mox præ ſe fert *habemus* antiqua ſcribendi forma, pro *avemus*, quomodo item eſt in quarto ac ſexto.

10. *His initiis inducti.*] Haud aliter Pall. o. non *imbuti*, quod miror cur magis fere arriſerit Lambino.

11. *In formarum ſpecie; à dignitate tranſitum eſt, &c.*] Ita una voce Pall. itaque non admiſerim Urſini ac Paulli Manutii *ac dignitate*, multo minus Lambini adhuc licentioſiorem interpolationem. Nam *dignitas* reſultat ex formarum ſpecie, itaque ne eam vocem repeteret, ſuppoſuit *dignitatem.*

 1. *Ta-*

omnino ignorare dicit, quam, aut qualem eſſe velint, qui honeſtate ſummum bonum metiantur. ſi enim ad honeſtatem omnia referantur, neque in ea voluptatem dicant ineſſe, ait eos *inani voce ſonare* (his enim ipſis verbis utitur) neque intelligere, neque videre, ſub hac voce honeſtatis quæ ſit ſubjicienda ſententia. ut enim conſuetudo loquitur, id ſolum dicitur *honeſtum*, quod eſt *populari fama glorioſum.* quod, inquit, quamquam voluptatibus quibuſdam eſt ſæpe jucundius, tamen expetitur propter voluptatem. Videſne quàm ſit magna diſſenſio? philoſophus nobilis, à quo non ſolum Græcia, & Italia, ſed etiam omnis barbaria commota eſt, honeſtum quid ſit, ſi id non eſt in voluptate, negat ſe intelligere: niſi fortè illud, quod *multitudinis rumore laudetur.* Ego autem hoc etiam turpe eſſe ſæpe judico: &, ſi quando turpe non ſit, [1] tamen non eſſe non turpe, cùm id à multitudine laudetur. [2] quod ſi ſit ipſum per ſe rectum, atque laudabile, non ob eam cauſam tamen illud dici honeſtum eſſe, quia laudetur à multis, ſed quia tale ſit, ut (*vel ſi ignorarent id homines, vel ſi obmutuiſſent*) ſua tamen pulchritudine eſſet, ſpecieque laudabile. Itaque idem *natura victus*, cui obſiſti non poteſt, dicit alio loco id, quod à te etiam paullo ante dictum eſt, *non poſſe jucundè vivi, niſi etiam honeſte.* Quid nunc, HONESTE, dicit? idemne, quod jucundè? ergo ita, non poſſe honeſte vivi, niſi honeſtè vivatur; an niſi populari fama? ſine ea igitur jucundè negat poſſe vivere? QUID TURPIUS, quàm ſapientis vitam ex inſipientium ſermone pendere? quid ergo hoc loco intelligit honeſtum? certè nihil, niſi quod poſſit ipſum propter ſe jure laudari. nam ſi propter voluptatem: *quæ eſt iſta laus, quæ poſſit è macello peti?* Non is vir eſt, ut, cùm honeſtatem eo loco habeat, ut ſine ea jucundè neget poſſe vivi, illud honeſtum, quod populare ſit, ſentiat, & ſine eo jucundè neget vivi poſſe: aut quidquam aliud honeſtum intelligat, [3] niſi quod ſit rectum, ipſumque per ſe, ſua vi,
16 ſua ſponte, ſua natura laudabile. Itaque, Torquate, cùm diceres, clamare Epicurum, *non poſſe jucundè vivi, niſi honeſtè, & ſapienter, & juſtè viveretur*, tu ipſe mihi gloriari videbare. tanta vis inerat in verbis, propter earum rerum, quæ ſignificabantur his verbis, dignitatem, ut altior fieres, ut interdum inſiſteres, ut nos intuens, quaſi teſtificarere, laudari honeſtatem, & juſtitiam aliquando ab Epicuro. Quàm te decebat iis verbis uti, quibus ſi philiſophi non uterentur, *philoſophia omnino non egeremus?* iſtorum enim verborum amore, quæ perrarò appellantur ab Epicuro, ſapientiæ, fortitudinis, juſtitiæ, temperantiæ, præſtantiſſimis ingeniis homines ſe ad philoſophiæ ſtudium contulerunt. *Oculorum*, inquit Plato, *eſt in nobis ſenſus acerrimus: quibus ſapientiam non cernimus. quam illa ardentes amores excitaret ſui, ſi videretur.* cur tandem? [4] an quòd ita callida eſt, ut optimè poſſit architectari voluptates? cur juſtitia laudatur? aut unde eſt hoc contritum vetuſtate proverbium? QUICUM IN TENEBRIS. Hoc dictum in una re, latiſſimè patet: ut in omnibus factis, *re, non teſte moveamur.* Sunt enim levia, & perinfirma, quæ dicebantur à te, cùm animi conſcientia improbos excruciari, tum etiam pœnæ timore; qua [5] aut afficiuntur, aut ſemper ſunt in metu, ne afficiantur aliquando. Non oportet timidum, aut imbecillo animo fingi; non bonum illum virum, qui, quidquid fecerit, ipſe ſe cruciet, omniaque formidet: ſed omnia callidè referentem ad utilitatem, acutum, verſutum, veteratorem, facilè ut excogitet, quo modo occultè, *ſine teſte, ſine ullo conſcio fallat.* An tu me de L. Tubulo putas dicere? qui, cùm prætor quæſtionem inter ſicarios exercuiſſet, ita apertè *cepit pecunias ob rem judicandam*, ut anno proximo P. Scævola, tribunus pleb. ferret ad plebem, [6] VELLENTNE DE EA RE QUÆRI. quo plebiſcito, decreta à ſenatu eſt conſuli quæſtio, [7] Cn. Cæpioni. profectus in exſilium Tubulus ſtatim, nec reſpondere auſus. erat enim res aperta. Non igitur de improbo, [8] ſed *callido improbo* 17
quærimus: qualis Qu. Pompejus in fœdere Numantino infitiando fuit. nec verò omnia timentem: primùm qui animi conſcientiam non curet; quam ſcilicet comprimere nihil eſt negotii. IS ENIM, qui occultus, & tectus dicitur, tantum abeſt, ut ſe indicet, perficiet etiam, ut dolere alterius improbè facto videatur: quid eſt enim aliud, eſſe *verſutum?* Memini me adeſſe [9] P. Sextilio Rufo, cùm is ad amicos rem ita deferret, ſe eſſe heredem [10] Qu. Fadio Gallo: cujus in teſtamento ſcriptum eſſet, ſe ab eo rogatum, ut omnis hereditas ad filiam perveniret. id Sextilius factum negabat. poterat autem impune. quis enim redargueret? [11] nemo noſtrûm negabat: eratque veriſimilius, hunc mentiri, *cujus intereſſet*, quàm illum, qui id ſe rogaſſe ſcripſiſſet, quod debuiſſet rogare. addebat etiam, ſe in legem Voconiam juratum contra eam facere non audere, niſi aliter amicis videretur. Aderamus nos quidem adoleſcentes, ſed & multi ampliſſimi viri: quorum nemo cenſuit plus Fadiæ dandum, quàm poſſet ad eam lege Voconia pervenire. Tenuit permagnam Sextilius hereditatem. unde, ſi ſecutus eſſet eorum ſententiam, qui *honeſta & recta emolumentis omnibus, & commodis anteponerent*, ne nummum quidem unum attigiſſet. Num igitur poſtea cenſes anxio animo, aut ſollicito fuiſſe? nihil minùs, contraque, illa hereditate dives; ob eamque rem lætus. magni enim æſtimabat pecuniam, non modò non contra leges, ſed etiam legibus partam. quæ quidem vel cum periculo eſt quærenda vobis. eſt enim effectrix multarum, & magnarum voluptatum. Ut igitur illis, qui, recta & honeſta quæ ſunt, ea ſtatuunt per ſe expetenda, [12] adeunda ſunt quævis pericula, decoris, honeſtatiſque cauſa: ſic veſtris, qui *omnia voluptate metiuntur*, pericula adeunda ſunt, ut adipiſcantur magnas voluptates. ſi magna res, magna hereditas agetur, cùm pecunia voluptates pariantur plurimæ. idemque erit Epicuro veſtro faciendum, ſi ſuum finem bonorum ſequi volet, quod Scipioni, *magna gloria propoſita*, ſi Annibalem in Africam retraxiſſet. itaque quantum adiit periculum? ad honeſtatem enim [13] illum omnem conatum ſuum refe-

1. *Tamen non eſſe non turpe.*] Pal. pr. *tum eſſe non turpe.* ceteri *tum non eſſe non turpe*, præter quartum.

2. *Quod ſi ſit ipſum per ſe rectum ac laudabile.*] Paullus Manutius hanc lectionem primum produxit ex libro antiquo. Eam ego nunc firmo Pal. primo ac tert. item Scaligerano. vulgati: *ipſum perfectum ac laud.*

3. *Niſi quod ſit rectum, ipſumque per ſe, &c.*] Eſt à Pal. pr. & tert. editi: *rectum ipſum quod per ſe.* proxime ad hanc ſcripturam pervenit conjectura ſua Paullus Manutius. mox quoque expunxi voculam *ſit*, tranſpoſitis duabus aliis dictionibus, ſuaſu Palatini primi.

4. *An quod ita callida eſt.*] Vulgati *illa*, non *ita*, ſed præter ſcripturam Pall. item Tuſani codicis, denique editionem Victorii, quam unice miror ita ſtatim deſertam poſt enatam Camerianam, cum ſit optimæ proxima: certe. Sed quid ſæculo integro conviciter, eique prætexto; qui ne quidem ætatis hujus ſtudia adeptus ſum.

5. *Aut afficiuntur, aut ſemper ſunt in metu.*] Malim quod eſt in Pal. pr. *afficiantur*, item *ſint.*

6. *Vellentne de ea re quæri.*] Lambinus divinat, *Velletne*: non recte. formula enim erat, *Velitis jubeatis, &c.* Gulielmius.

7. *Cn. Cæpioni.*] Sic Pal. pr. & Scalig. vetus non *Scipioni*; ut alii, fere & olim cuſi.

8. *Sed callido improbo.*] Sic Pall. omnes. Victorius & Manutius Nepos, *callidè.*

9. *P. Sextilio Rufo*] Eximius ille Palatinus pr. aliud huic homini verſuto dat cognomen, ſcribit enim *Fuſo.*

10. *Quinto Fadio Gallo.*] Mſſ. noſtri heic omnes ſervant *Fabio*, ſed infra tamen plerique filiam vocant *Fadiam*: neque aliter editio Victorii.

11. *Nemo noſtrum negabat.*] Inepta lectio, quam arguit Pal. pr. in quo, *credebat.* cujus veritatem tuentur ſatis inſequentia. neque aliter eruerat ex membranis vetuſtis Joſ. Scaliger.

12. *Adeunda ſunt quævis pericula.*] Pal. pr. videtur initio habuiſſe *adeunda ſunt ſeu pericula*, factumque inde *ceu* ſubductumque lineola, tanquam ſuperfluum.

13. *Illum omnem conatum ſuum.*] Ita omnes Pall. *non ille*, quomodo vulgati.

1. *Animi*

referebat, non ad voluptatem. ſic veſter ſapiens magno aliquo emolumento commotus, [1] animi cauſa, ſi opus fuerit, dimicabit. occultum facinus eſſe potuerit: gaudebit deprehenſus, omnem pœnam contemnet. erit enim inſtructus ad mortem contemnendam, ad exſilium, ad ipſum etiam dolorem. quem quidem vos, cùm improbis pœnam proponitis, impatibilem facitis: cùm ſapientem
18 ſemper boni plus habere vultis, tolerabilem. Sed finge non ſolùm callidum eum, qui aliquid improbè faciat, verùm etiam præpotentem: ut M. Craſſus fuit: qui tamen *ſolebat uti ſuo bono:* ut hodie eſt noſter Pompejus, cui rectè facienti gratia eſt habenda: [2] eſſe enim quamvis vellet juſtus, iniquus poterat impunè. Quàm multa verò injuſtè fieri poſſunt, *quæ nemo poſſit reprehendere?* Si te amicus tuus moriens rogaverit, ut hereditatem reddas ſuæ filiæ, nec uſquam id ſcripſerit, ut ſcripſit Fadius, nec cuiquam dixerit: quid facies? Tu quidem reddes: ipſe Epicurus fortaſſe redderet: ut Sext. Peducæus, Sex. F. is, qui hunc noſtrum reliquit, *effigiem & humanitatis, & probitatis ſuæ filium*, tum doctus, tum omnium vir optimus, & juſtiſſimus, cùm ſciret nemo, eum rogatum a C. Plotio, equite Rom. ſplendido, Nurſino, ultro ad mulierem venit, eique nihil opinanti viri mandatum expoſuit, hereditatemque reddidit. Sed ego ex te quæro, (quoniam idem tu certè feciſſes) nonne intelligas, eo majorem vim eſſe naturæ, quòd ipſi vos, qui omnia ad veſtrum commodum, &, ut ipſi dicitis, ad voluptatem referatis, tamen ea faciatis, è quibus appareat, *non voluptatem vos, ſed officium ſequi?* pluſque rectam naturam, quam rationem pravam valere? Si ſciens, inquit Carneades, *aſpidem* occultè latère uſpiam, & [3] velle aliquem imprudentem ſuper eam aſſidere, cujus [4] mors tibi emolumentum futura ſit: improbè feceris, niſi monueris, ne aſſideat: [5] ſed impunè tamen, ſciſſe enim te quis coarguere poſſit? Sed nimis multa. PERSPICUUM eſt enim, niſi æquitas, fides, juſtitia proficiſcantur à natura, & ſi omnia hæc ad utilitatem referantur, virum bonum non poſſe reperiri: deque his rebus ſatis multa in noſtris
19 de Republica libris ſunt dicta à Lælio. Transfer idem ad MODESTIAM, vel temperantiam, quæ eſt *moderatio cupiditatum, rationi obediens.* ſatiſne ergo pudori conſulat, ſi quis *ſine teſte libidini pareat?* an eſt aliquid per ſe ipſum flagitioſum, etiam ſi nulla comitetur infamia? Quid fortes viri? voluptatumne calculis ſubductis, prœlium ineunt, ſanguinem pro patria profundunt: an quodam animi ardore, atque impetu concitati? utrùm tandem cenſes, Torquate, Imperioſum illum, ſi noſtra verba audiret, tuamne de ſe orationem libentiùs auditurum fuiſſe, an meam; cùm ego dicerem, *nihil eum feciſſe ſua cauſa, omniaque reip.* tu contrà *nihil, niſi ſua?* ſi verò id etiam explanare velles, [6] apertiùſque diceres, *nihil eum feciſſe, niſi voluptatis cauſâ*, quo modo eum tandem laturum fuiſſe exiſtimes? Eſto: fecerit, ſi ita vis, Torquatus propter ſuas utilitates. malo enim dicere, quam voluptates, in tanto præſertim viro: num etiam ejus collega. P. Decius, princeps in ea familia conſulatus, cùm ſe devoveret, & equo admiſſo in mediam aciem Latinorum irruebat, aliquid de voluptatibus ſuis cogitabat? [7] nam ubi eam caperet, aut quando, cùm ſciret confeſtim eſſe *moriendum*, eamque mortem ardentiore ſtudio peteret, quàm Epicurus voluptatem petendam putat? quod quidem ejus factum niſi eſſet *jure laudatum*, non eſſet imitatus quarto conſulatu ſuo filius: neque porrò ex eo natus, cum Pyrrho bellum gerens, conſul cecidiſſet in prœlio, ſeque è continenti genere tertiam victimam reip. præbuiſſet. contineo me ab exemplis. Græcis hoc modicum eſt: Leonidas, Epaminondas, tres aliqui, aut quattuor. ego, ſi noſtros colligere cœpero, perficiam illud quidem, ut ſe virtuti tradat conſtringendam voluptas. ſed dies me deficiet: &, ut A. Varius, qui eſt habitus judex durior, dicere conſeſſori ſolebat, cùm, datis teſtibus, alii tamen citarentur, *Aut hoc teſtium ſatis eſt, aut neſcio, quid ſatis ſit:* ſic à me [8] ſatis datum eſt teſtium. quid enim? te ipſum, digniſſimum majoribus tuis, voluptaſne induxit, ut adoleſcentulus eriperes P. Sullæ conſulatum? quem cùm ad patrem tuum retuliſſes, fortiſſimum virum, qualis ille vel conſul, vel civis cùm ſemper, tum poſt conſulatum fuit? quo quidem auctore nos ipſi ea geſſimus ut *omnibus potiùs quàm ipſis nobis conſuluerimus.* At quàm pulchrè dicere videbare, cùm ex altera parte ponebas cumulatum aliquem plurimis, & maximis voluptatibus, nullo nec præſenti, nec futuro dolore: ex altera autem, cruciatibus maximis, toto corpore, nulla nec adjuncta, nec ſperata voluptate: & quærebas, quis aut hoc miſerior, aut ſuperiore illo beatior foret? deinde concludebas, *ſummum malum eſſe dolorem, ſummum bonum voluptatem?* L. 20
Thorius Balbus fuit, Lanuvinus; quem meminiſſe tu non potes. is ita vivebat, ut nulla tam exquiſita poſſet inveniri voluptas, qua non abundaret. erat & cupidus voluptatum, & cujuſvis generis ejus intelligens, & copioſus: ita non ſuperſtitioſus, ut illa plurima in ſua patria ſacrificia, & fana contemneret: ita non timidus ad mortem, ut in acie ſit ob remp. interfectus. cupiditates non Epicuri diviſione finiebat, ſed ſua ſatietate. habebat tamen *rationem valitudinis:* utebatur iis exercitationibus, ut ad cœnam & eſuriens, & ſitiens veniret: eo cibo, qui & ſuaviſſimus eſſet, & idem facillimus ad concoquendum: vino, & ad voluptatem, & *ne noceret.* cetera illa adhibebat, quibus demtis negat ſe Epicurus intelligere, quid ſit bonum. aberat omnis dolor: qui ſi adeſſet, nec molliter ferret. & tamen medicis plus, quàm philoſophis uteretur. color: egregius, *integra valitudo*, ſumma gratia, vita denique conferta voluptatum omnium varietate. [9] Hunc verò beatum oratio quidem veſtra ſic cogitat. Ego, huic quem anteponam, non audeo dicere: dicit pro me ipſa virtus; nec dubitabit iſti veſtro beato M. Regulum anteponere. quem quidem, cùm ſua voluntate, nulla vi coactus, præter *fidem*, quam dederat hoſti, ex patria Karthaginem revertiſſet, [10] tum ipſum,

---

1. *Animi cauſa ſi opus fuerit dimicabit.*] Scripturam hanc falſi arguunt Pall. ſec. in quibus omnibus, *cum cauſa.* non aſſequor mentem auctoris. Eadem exemplaria, mox habent *potuerit:* non *poterit.*

2. *Eſſe enim quamvis vellet juſtus, iniquus poterat impunè.*] Aliquid & heic latet monſtri. eſt enim in Pal. pr. *eſſe enim quàm vellet iniquus, juſtus poterat impune.* lectione plana, ſi addita ſyllaba legeretur, *injuſtus.* Manutius eruit ex uno, *eſſe enim quamvis injuſtus poterat impune.* Scaliger adſcriptum habet libro ſuo: *Eſt enim quàm vellet, iniquus: juſtus poterat impunè.*

3. *Velle aliquem imprudentem.*] Eſt à Pall. pr. ac tert. antea publici juris editiones, non habebant illud *aliquem.*

4. *Mors tibi emolumentum futura ſit*] Sic Pal. pr. expreſſeratque optimus Victorius, ſed nemo voluit ſequi. maluerunt *factura;* quod Gulielmio tamen haud ſatisfaciebat, eaque propter conjecerat *latura.*

5. *Sed impune tamen, ſciſſe enim te quis coarguere poſſit?*] Mire ſe ſuper hoc loco jactat Lambinus, ſed totum tamen non perpurgavit; nos fecimus, ope Palat. primi, & tertii. ſi[illegible] erat *ſed impunè tamen id te conſtat feciſſe. quis enim coarguere poſſit.* Lambinus repoſuerat e ſcriptis ſuis: *tamen, feciſſe eum quis coarguere poſſit?*

6. *Apertiuſque diceres.*] Encliticam addidi e Pal. pr. quo ipſo aliter diſtinguitur tota periodus fitque nervoſior.

7. *Nam ubi eam caperet aut quando.*] Sequendus magis Pal. pr. in quo non comparet *nam*, habetque *ubi aut eam caperet.* hoc tamen à manu ſecunda, cum prius fuiſſet, *ut eam.*

8. *Satis datum eſt teſtium.*] Eſt a Palatino primo & Scalig. admiſique tanto confidentius quod tale quid etiam eruiſſet Lambinus e ſuis homo enim ille ſæpius editionem ſuam meliorem fecit auctoritate veterum exemplarium; quamvis id minime retulerit in notis. quod neſcio, an fecerit, quod non arbitraretur ſibi tam exilium reddendam rationem; aut verò, ne diſcerni poſſent, emendationes ipſiuſmet textui invectæ, ab prioribus iſtis. Gulielmius heic conjiciebat; *ſatis teſtium eſt. Dic dum. quid enim, &c.* nimis coactè.

9. *Hunc verò beatum oratio quidem veſtra ſic cogitat.*] Nihili lectio, ſi credendum Pal. pr. qui habet; *Hunc vos beatum oratio quidem veſtra ſic cogitat.* rectè, dummodo reſcribatur: *Hunc vos beatum, ratio quidem veſtra ſic cogitat; ego quid, &c.*

10. *Tum ipſum.*] Pal. idem, *eum ipſum*, melius.

ipſum, cùm vigiliis, & fame cruciaretur, clamat virtus beatiorem fuiſſe, quàm potantem in roſa Thorium. [1] Bella magna geſſerat, bis conſul fuerat, triumpharat: nec tamen ſua illa ſuperiora, tam magna, neque tam præclara ducebat, quàm illum ultimum caſum, quem propter fidem, conſtantiamque ſuſceperat: QUI NOBIS miſerabilis videtur audientibus, [2] illi perpetienti erat voluntarius. *non enim hilaritate, nec laſcivia, nec riſu, aut joco, comite levitatis, ſed ſæpe etiam triſtes firmitate, & conſtantia ſunt beati.* Stuprata per vim Lucretia à regis filio, [3] teſtata civeis, ſeipſam interemit. hic dolor populi Rom. duce & auctore Bruto, cauſa civitati libertatis fuit: ob ejuſque mulieris memoriam primo anno & vir, & pater ejus, conſul eſt factus. Tenuis L. Virginius, unuſque de multis, ſexageſimo anno poſt libertatem receptam, [4] virginem filiam, *ſua manu occidit*, potiùs, quàm ea App. Claudii libidini, qui tum erat
21 [5] ſummo in imperio, dederetur. Aut hæc tibi, Torquate, ſunt vituperanda, aut patrocinium voluptatis repudiandum. Quod autem patrocinium, aut quæ iſta cauſa eſt voluptatis, quæ nec teſteis ullos è claris viris, nec laudatores poterit adhibere? ut enim nos ex annalium monumentis teſteis excitamus eos, quorum *omnis vita conſumta eſt in laboribus glorioſis*, qui voluptatis nomen audire non poſſent: ſic in veſtris diſputationibus hiſtoria muta eſt: numquam audivi in Epicuri ſchola Lycurgum, Solonem, Miltiadem, Themiſtoclem, Epaminondam nominari: qui in ore ſunt ceterorum omnium philoſophorum. [6] Nunc verò, quoniam hæc nos etiam tractare cœpimus, ſuppeditabit nobis [7] Atticus de theſauris ſuis, [8] quos, & quantos viros habere teſtium ſat eſt. nonne melius eſt de his aliquid, quam tantis voluminibus [9] de Themiſta loqui? Sint iſta Græcorum. quamquam ab his philoſophiam, & omneis ingenuas diſciplinas habemus. ſed tamen *eſt aliquid, quod nobis non liceat, liceat illis.* Pugnant Stoici cum Peripateticis. alteri negant quidquam eſſe bonum, niſi quod honeſtum ſit. alteri, plurimum ſe, & longè, longeque plurimum tribuere honeſtati, ſed tamen & in corpore, & extrà, eſſe quædam bona. Et CERTAMEN HONESTUM, & diſputatio ſplendida: omnis eſt enim de virtutis dignitate contentio, [10] at cum tuis cùm differas, multa ſunt audienda etiam de obſcænis voluptatibus, de quibus ab Epicuro ſæpiſſimè dicitur. Non potes ergo iſta tueri, Torquate, mihi crede, ſi te ipſe, & tuas cogitationes, & ſtudia perſpexeris. pudebit te, inquam illius *tabulæ*, quam Cleanthes, ſanè commodè, verbis depingere ſolebat. Jubebat eos, qui audiebant, ſecum ipſos cogitare pictam in tabula VOLUPTATEM, pulcherrimo veſtitu, & ornatu regali, in ſolio ſedentem: præſtò eſſe virtutes, ut ancillulas, quæ nihil aliud agerent, nullum ſuum officium ducerent, niſi ut voluptati miniſtrarent, & *eam tantùm ad aurem admonerent*, (ſi modò id pictura intelligi poſſet,) ut caveret, [11] nequid perficeret imprudens, quod offenderet animos hominum, aut quidquam, è quo oriretur aliquis dolor. Nos quidem virtutes, ſic natæ ſumus, ut tibi ſerviremus: [12] aliud negotii nihil habemus. At negat Epicurus (hoc enim veſtrum lu- 22
men eſt) quemquam, *qui honeſtè non vivat, jucundè poſſe vivere.* quaſi ego id curem, quid ille ajat, aut neget. illud quæro, quid ei, [13] qui in voluptate ſummum bonum putat, conſentaneum ſit dicere. Quid affers [14] cur Thorius, Poſtumius, cur Chius, cur omnium horum magiſter, Orata, non jucudiſſimè vixerit? Ipſe negat, ut antè dixi, luxurioſorum vitam reprehendendam, niſi planè fatui ſint, id eſt, niſi aut cupiant, aut metuant. quarum ambarum rerum cùm medicinam pollicetur, *luxuriæ licentiam pollicetur.* his enim rebus detractis, negat ſe reperire in aſotorum vita quod reprehendat. non igitur poteſtis voluptate omnia dirigentes, aut tueri, aut retinere virtutem. nam nec vir bonus, ac juſtus haberi debet, qui ne malum habeat, abſtinet ſe ab injuria. noſti credo illud:

[15] *Nemo pius eſt, qui pietatem* —— .

Cave quidquam putes eſſe verius. nec enim, dum metuit, juſtus eſt: & certè, ſi metuere deſtiterit, non erit, [16] non metuet autem, ſive celare poterit, ſive opibus magnis, quidquid fecerit obtinere certeque malet: exiſtimari bonus vir, ut non ſit, quàm eſſe, ut non putetur. Ita, quod certiſſimum eſt, pro vera, certaque juſtitia, *ſimulationem* nobis *juſtitiæ* traditis; præcipitiſque quodam modo, ut noſtram *ſtabilem conſcientiam* contemnamus, aliorum *errantem opinionem* aucupemur. Quæ dici eadem de ceteris virtutibus poſſunt: quarum omnium fundamenta vos in voluptate, tanquam *in aqua* ponitis. Quid enim? fortemne poſſumus dicere eundem illum Torquatum? delector enim, quamquam te non poſſum, ut ais, corrumpere: delector, inquam, & familia veſtra, & nomine. [17] & hercule mihi vir optimus, noſtrique amantiſſimus, A. Torquatus, verſatur ante oculos: cujus quantum ſtudium, & quàm inſigne

1. *Bella magna geſſerat; bis Conſul.*] Haud aliter Pall. pr. ſine illo *is*.

2. *Illi perpetienti erat voluntarius.*] Neotericæ edd. *voluptarius*, ſed præter Pall. ſex. & olim cuſos, etiam Victorianum & Camerarianum, quibuſcum ſentit oratio ſubſequens.

3. *Teſtata civeis.*] Ita omnes Pall. nempe *civis*, excepto ſexto, in quo, *teſtata ejus vi.* hoc moneo: quia video quoſdam non abhorrere ab, *teſtata crimen*: inter quos & Gulielmius, interpretaturque *deteſtata*, quomodo locutus & Propertius. male. nec refert quod domi ſe interfecit Lucretia. adjuratio enim æque teſtatur Deos homineſque abſentes, quam præſentes. Scaligeri vetus habebat *teſtata vim.*

4. *Virginem filiam ſua manu.*] Longè iſtud venuſtius quàm vulgatum, *Virginiam*, quod erat tantum in uno Palatino, alterum in ceteris omnibus: neque ſecus editio Victorii.

5. *Summo in imperio.*] Nihilo pejus, ſi non melius Pall. quatuor, *ſummo imperio.*

6. *Nunc vero, quoniam, &c.*] Paullus Manutius aptius putabat ad ſententiam: *Nec verò.* & ita quoque Pall. quatuor; ſed pr. tamen & tertius propugnant vulgatum; pro quo ſanè ſtat exemplorum copia, quam ſtatim exhibet auctor, verbaque omnia ſubſequentia idipſum diſertim vociferantur.

7. *Atticus noſter.*] Vocem poſtremam erui nunc primum ex Pal. pr. ac tertio, hactenus delituit.

8. *Quos & quantos viros habere teſtium ſat eſt.*] Vix ſe tenuit manus, quin funditus eradicaret, voces quatuor à fine, tanquam librarii potius quàm Tullii. certè nulla ejus fibra, imo umbra in optimo illo noſtro Palatino Scaliger indicavit fuiſſe in ſuo codice ac Morelli, *viros?* .... quibus punctis, ſi voluit oſtendere dictiones eas abfuiſſe iiſdem libris, rem factam habemus.

9. *De Themiſta loqui.*] Vulgata lectio *Themiſtocle.* minus rectè, & contra quinque Palatinos, quorum plerique *Themiſtio*, aut *Temeſtio*, primus verò, *Thæmiſta*, cùm prius fuiſſet *Thamiſta.* conſulantur notæ Lambinianæ. nam & Scalig. lib. *Themiſta.*

10. *At cum tuis cum differas.*] Melius quod eſt in Pal. pr. à manu emendatoris, *tuis tu differas.*

11. *Ne quid perficeret imprudens.*] Pal. ille melior, *faceret.* nec video cur diſplicuerit.

12. *Aliud negotii nihil habemus.*] Antiquè Pal. pr. & quart. *aliud negotium nihil habemus.*

13. *Qui in voluptate ſummum bonum putat.*] Pal. pr. *ponat.* rectè. alias haud abſurda conjectura Gulielmii, *qui voluptate ſummum bonum putat.*

14. *Cur, Thorius, Poſtumius, cur Chius, &c.*] Ita omnes editi neque recedit Pal. pr. quam tranſpoſitu vocum, *cur Thorius, cur Chius Poſtumius.* ceteri noſtri mſſ. inſiſtunt ſcripturæ vulgatæ, niſi quod unus atque alter, *curchius* unita voce. videantur aliæ lectiones in Notis Fulvii Urſini. Scaliger annotavit alias legi *Chireus.* ipſeque ſubſtituit, *cur Thorius, cur C. Hirius Poſtumius*, qui primus murenarum vivarium excogitavit, teſte Plinio lib. IX. Nat. Hiſt. cap. 55.

15. *Nemo pius eſt qui pietatem. Cave quidquam, &c.*] Expreſſi fidenter quod erat in Pal. pr. quod meminiſſem Tullium ſæpe dimidiatos laudare verſus, quaſi proverbiales. & alioquin illud *cavet* quod addebant editiones aliæ, nihil in ſe continet, quo ſenſus melius ſit. Fulvii Urſini amicus conjiciebat, *qui piè metu aget.* Gulielmius verò, *qui pietatem metu capit.* Scaliger: *Nemo pius eſt, qui piet, Atem cavet.*

16. *Non metuet autem, ſive celare poterit, ſive opibus magnis, quidquid fecerit, obtinere: certeque malet.*] Ita Paullus Manutius ex ſcripto Maffæi libro, cui reſpondet omnino Pal. pr. quàm quod is, *mallet.*

17. *Et hercule mihi vir optimus.*] Sic etiam Lambiniani, nedum Palatinus ille primus. nam reliqui modò, *vir*; ut editi.

1. *Nul-*

ſigne fuerit erga me temporibus illis, quæ nota ſunt omnibus, ſcire neceſſe eſt utrumque veſtrûm. quæ mihi ipſi, qui volo & eſſe, & haberi gratus, grata non eſſent, niſi cum perſpicerem *mea cauſa mihi amicum fuiſſe*, *non ſua:* niſi hoc dicis, ſua *quod intereſt omnium rectè facere*. ſi id dicis, vicimus. id enim volumus, id contendimus, ut OFFICII FRUCTUS, SIT IPSUM OFFICIUM. Hoc ille tuus non vult, omnibuſque ex rebus voluptatem, quaſi mercedem, exigit. ſed ad illum redeo. Si voluptatis cauſa cum Gallo apud Anienem depugnavit provocatus, & ex ejus ſpoliis ſibi & torquem, & cognomen induit, [1] nullam aliam ob cauſam, niſi quod ei talia facta, digna viro videbantur; fortem non puto. [2] Jam ſi pudor, ſi modeſtia, ſi pudicitia, ſi uno verbo, temperantia, pœnæ, aut infamiæ metu coërcebuntur, non *ſanctitate ſua ſe tuebuntur:* quod adulterium, quod ſtuprum, quæ libido non ſe proripiet, ac projiciet aut occultatione propoſita, aut impunitate, aut licentia? Quid? illud, Torquate, quale tandem videtur? te iſto nomine, ingenio, gloria, quæ facis, quæ cogitas, quæ contendis, quo referas, cujus rei cauſa perficere, quæ conaris, velis, quod optimum denique in vita judices, non audere *in conventu dicere?* quid enim mereri velis jam, cùm magiſtratum inieris, & in concionem adſcenderis, (eſt enim tibi edicendum, quæ ſis obſervaturus in jure dicendo: & fortaſſe etiam, ſi tibi erit viſum, aliquid de majoribus tuis, & de te ipſo dices, *more majorum*) quid merearis igitur, ut te dicas in eo magiſtratu omnia voluptatis cauſa facturum eſſe? teque nihil feciſſe in vita, niſi voluptatis cauſa? An me, inquis, tam amentem putas, ut apud imperitos iſto modo loquar? At tu eadem iſta dic in judicio, aut, ſi coronam times, dic in ſenatu: numquam facies. cur, niſi quòd *turpis eſt oratio?* mene ergo, & Triarium, dignos
23 exiſtimas, apud quos turpiter loquare? Verùm, eſto. verbum ipſum voluptatis non habet dignitatem: nec nos fortaſſe intelligimus. hoc enim itentidem dicitis, non intelligere nos, voluptatem quam dicatis. Rem vides difficilem, & obſcuram. [3] individua cùm dicitis, & intermundia, quæ nec ſunt ulla, nec poſſunt eſſe, intelligimus: voluptas, quæ paſſeribus nota eſt omnibus, à nobis intelligi non poteſt? quid, ſi efficio, ut fateare, me non modò, quid ſit voluptas, ſcire, (eſt enim *jucundus motus in ſenſu*) ſed etiam, quid eam tu velis eſſe? tum enim eam ipſam vis, quam modò ego dixi: & nomen imponis, in motu ut ſit, & faciat aliquam *varietatem:* tum aliam quandam ſummam voluptatem, cui addi nihil poſſit: eam tum adeſſe, cùm dolor omnis abſit, eamque *ſtabilem* appellas. ſit ſanè iſta voluptas. dic in quovis conventu, te omnia facere, ne doleas. ſi ne hoc quidem ſatis amplè, ſatis honeſtè dici putas; dic te omnia & in iſto magiſtratu, & in omni vita, utilitatis tuæ cauſa facturum, nihil niſi quod expediat, nihil denique niſi tua cauſa: quem clamorem concionis, aut quam ſpem conſulatus ejus, qui tibi paratiſſimus eſt, futuram putes? [4] eamne rationem ſequare, qua tecum, ipſe cum tuis utare, *profiteri autem, & in medium proferre non audeas?* At verò illa, quæ Peripatetici, quæ Stoici dicunt, ſemper tibi in ore ſunt. in judiciis, in ſenatu, OFFICIUM, [5] ÆQUITATEM, DIGNITATEM, FIDEM, RECTA, HONESTA, DIGNA IMPERIO, DIGNA POP. ROM. OMNIA PERICULA PRO REPUBLICA, MORI PRO PATRIA, hæc cùm loqueris, [6] nos barones ſtupemus: tu videlicet tecum ipſe rides. nam inter iſta tam magnifica verba, tamque præclara, non habet ullum voluptas locum, non modò illa, quam in motu eſſe dicitis, quam omnes urbani, ruſtici, omnes, inquam, qui Latinè loquuntur, voluptatem vocant: ſed ne hæc quidem ſtabilis, quam, præter vos, nemo appellat voluptatem. [7] Vide, ne non debeas verbis
noſtris uti, ſententiis tuis. Quòd *ſi vultum tibi*, [8] *ſi inceſſum* 24
fingeres, quo gravior viderere, non eſſes tui ſimilis: verba tu fingas, & ea dicas, quæ non ſentias, aut etiam, ut veſtitum, ſic ſententiam habeas aliam domeſticam, aliam forenſem, ut in fronte oſtentatio ſit, intus veritas occultetur? Vide, quæſo, rectumne ſit. mihi quidem EÆ VERÆ VIDENTUR opiniones, quæ honeſtæ, quæ laudabiles, quæ glorioſæ, quæ in ſenatu, quæ apud populum, quæ in omni cœtu, [9] concilioque proferendæ ſint: ne id non pudeat ſentire, quod pudeat dicere. Amicitiæ verò locus ubi eſſe poteſt, aut *quis amicus eſſe cuiquam, quem non ipſum amet propter ipſum?* quid autem eſt amare, è quo nomen ductum amicitiæ eſt, niſi velle bonis aliquem affici quàm maximis, etiam ſi ad ſe ex iis nihil redeat? [10] Et quidem prodeſt, inquis, mihi eo eſſe animo. Immò videri fortaſſe. [12] eſſe enim, niſi eris, non potes. quî autem eſſe poteris, niſi te amor ipſe ceperit? quod non [11] ſub dubia utilitatis ratione effici ſolet, ſed ipſum à ſe oritur, & ſua ſponte naſcitur. At enim ſequor utilitatem. Manebit ergo amicitia tam diu, quàm diu ſequitur utilitas: &, *ſi utilitas amicitiam conſtituet, tollet eadem.* Sed quid ages tandem, ſi utilitas ab amicitia (ut fit ſæpe) defecerit? relinqueſne? quæ iſta amicitia eſt? retinebis? qui convenit? quid enim de amicitia ſtatueris, [13] utilitatis cauſa expetenda, vides. Ne in odium veniam, ſi amicum deſtitero tueri. Primùm cur iſta res digna [14] odio eſt, niſi quod eſt turpis? Quod ſi, ne quo incommodo afficiare, non relinques amicum: tamen, ne ſine fructu alligatus ſis, ut moriatur, optabis. Quòd ſi non modò utilitatem tibi nullam afferet, ſed *jactura rei familiaris erunt faciundæ*, labores ſuſcipiendi, adeundum vitæ periculum: ne tum quidem te reſpicies, & cogitabis ſibi quemque natum eſſe, & ſuis voluptatibus? vadem te ad mortem tyranno dabis pro amico: ut Pythagoreus ille [15] fecit Siculo tyranno? aut Pylades cùm ſis, dices te eſſe Oreſtem, ut moriare pro amico? aut, ſi eſſes Oreſtes, Pyladem refelleres, te indicares? &, ſi id non probares,
quo minùs ambo unà necaremini, [16] non precarere? Faceres 25
tu quidem, Torquate, hæc omnia. nihil enim arbitror magna

1. *Nullam aliam ob cauſam, &c.*] Manut. & Lamb. *ullam*. ſed nolentibus mſſ. certe noſtris, imo & ratione, & loquendi conſuetudine.

2. *Jam ſi pudor, ſi modeſtia.*] Illud *ſi pudor* eſt à Pal. pr. voluitque revocatum Victorius, ſed nemo auſcultavit.

3. *Individua cum dicitis & intermundia.*] Verba bina *cum dicitis*, revocavi ex Pal. pr. ac tert. fecerat idem antea Victorius, ſed iterum ejecere editores ſequentes.

4. *Eamne rationem ſequare.*] Pal. pr. *eamne rationem igitur ſequere.* quod *igitur* etiam eſt in tertio; & interſerendum videtur.

5. *Æquitatem, dignitatem, fidem, &c.*] Sic quoque ille Palatinus, non ut conjiciunt nonnulli, *æquitas, dignitas, fides*. neque opus eſt ullo modo, noſtra interpunctione.

6. *Nos barones.*] Ita omnes Palatini ad unum, neque ſecus aliorum mſſ. non *varrones*, aut *varones*.

7. *Vide ne non debeas.*] Palatinus ille: *Vide igitur, ne non debeas*. quæ particula heic habet quod agat. Scalig. vetus, *vide ne non dubites*.

8. *Si inceſſum fingeres.*] Neſcio an non ſit librarii vitium, quod reperi in Pal. pr. *fringere*.

9. *Concilioque proferendæ ſunt.*] Membranæ eædem item Scalig. *profitendæ*; neque diſplicet.

10. *Et quidem prodeſt inquis mihi eo eſſe animo.*] Sic ferè Pall. niſi quod haud agnoſcant *quidem*, melioreſque habeant, *inquit*. Victorius: *Quid! prodeſt inquis mihi in eo eſſe animo.* Manutius: *Ecquid prodeſt inquis mihi eo, &c.* peſſimè ultimus: quod moneo quia eidem lectioni acquieſcat Brutus.

11. *Eſſe enim niſi eris non potes.*] Fulvii Urſini codex, *niſi ſis*; cui nullus noſtrorum adſtipulatur, etiam ſi ſcripturæ non malæ.

12. *Sub dubia utilitatis ratione.*] Lambinus *ſubducta*, præter exemplaria calamo exarata.

13. *Utilitatis cauſa expetenda.*] Verba iſthæc tria tollunt Paullus Manutius, ac Lambinus. ſed invitis mſſ. & mente auctoris. nam Epicureorum hoc erat, nihil facere niſi utilitatis ſuæ cauſa, ut ſupra auditum eſt.

14. *Odio eſt, niſi quod eſt turpis? Quod ſi ne quo, &c.*] Debetur palmaria iſthæc emendatio Palatino pr. tamque clara eſt, ut de ea dubitari nequeat. at vulgata lectione, nihil erat inquinatius; Lambiniana correctione, nihil dilutius.

15. *Fecit Siculo tyranno.*] Dictio poſtrema videtur adnotamentum Scholiaſtis.

16. *Non precarere.*] Sic mſſ. noſtri omnes, ſic antiquitus impreſſi; etiam Victorius. recentiores objecerant nobis *deprecarere*. quare quæſo?

1. *In*

magna laude dignum, quod te prætermiſſurum credam aut mortis, aut doloris metu. non quæritur autem, quid naturæ tuæ conſentaneum ſit, ſed quid *diſciplinæ*. ratio iſta, quam defendis; præcepta, quæ didiciſti, quæ probas, funditus evertunt amicitiam: quamvis eam Epicurus, ut facit, in cœlum efferat laudibus. At coluit ipſe amicitias. Quaſi quis illum neget & bonum virum, & comem, & humanum fuiſſe. de *ingenio* ejus in his diſputationibus, non de *moribus* quæritur. ſit iſta in Græcorum levitate *perverſitas*, qui maledictis inſectantur eos, à quibus de veritate diſſentiunt. Sed quamvis comis [1] in amicitiis tuendis fuerit, tamen, ſi hæc vera ſunt, (nihil enim affirmo) non ſatis acutus fuit. At multis ſe probavit: & quidem jure fortaſſe. ſed tamen NON GRAVISSIMUM EST TESTIMONIUM MULTITUDINIS; in omni enim arte, vel ſtudio, vel quavis ſcientia, vel in ipſa virtute, optimum quidque rariſſimum eſt. Ac mihi quidem, quòd & ipſe bonus vir fuit, & multi Epicurei fuerunt, & hodie ſunt & in amicitiis fideles, & in omni vita conſtantes, & graves, nec voluptate, ſed *officio conſilia moderantes*, hoc videtur major vis honeſtatis, & minor voluptatis. ita enim vivunt quidam, [2] ut eorum vita refellatur oratio. atque ut ceteri exiſtimantur *dicere meliùs*, *quàm facere*: ſic hi mihi videntur facere me-
26 liùs, quàm dicere. Sed hæc nihil ſanè ad rem. illa videamus, quæ à te de amicitia dicta ſunt. è quibus unum mihi videbar ab ipſo Epicuro dictum cognoſcere: *amicitiam a voluptate non poſſe divelli*, ob eamque rem, colendam eſſe, [3] quòd ſine ea tutò, & ſine metu vivi non poſſet, nec jucundè quidem poſſet. Satis eſt ad hoc reſponſum. attuliſti aliud humanius horum recentiorum, numquam dictum ab ipſo illo, quod ſciam: primò utilitatis cauſa amicum expeti: cùm autem uſus acceſſiſſet, tum ipſum *amari propter ſe*, etiam omiſſa ſpe voluptatis. hoc etſi [4] multis modis reprehendi poteſt, tamen [5] accipio quod dat. mihi enim ſatis eſt, ipſis non ſatis. nam aliquando poſſe rectè fieri dicunt, nulla exſpectata, nec quæſita voluptate. [6] Poſuiſti etiam, dicere alios, fœdus quoddam inter ſe facere ſapienteis, ut quemadmodum ſint in ſe ipſos animati, eodem modo ſint erga amicos: id & fieri poſſe, & ſæpe eſſe factum, & ad voluptates percipiendas maximè pertinere. Hoc fœdus facere ſi potuerunt, faciant etiam illud, *ut aquitatem*, *modeſtiam*, *virtutes omneis per ſe ipſas gratis diligant*. At vero ſi fructibus, & emolumentis, & utilitatibus amicitias colemus, ſi nulla caritas erit, quæ faciat amicitiam ipſam ſua ſponte, vi ſua, ex ſe, & propter ſe expetendam: dubium eſt, quin *fundos*, *& inſulas amicis anteponamus?* Licet hîc rurſus ea commemores, quæ optimis verbis ab Epicuro de laudibus amicitiæ dicta ſunt. non quæro, quid dicat, ſed quid convenienter poſſit rationi, & ſententiæ ſuæ dicere. Utilitatis cauſa amicitia eſt quæſita. num igitur utiliorem tibi hunc Triarium putas eſſe poſſe, [7] quàm ſi tua ſint, Puteolis gramina? collige omnia, quæ ſoletis: PRÆSIDIUM AMICORUM. Satis eſt tibi in te, ſatis in legibus, [8] ſatis & in mediocribus amicitiis præſidii: jam contemni non poteris. odium autem & invidiam facilè vitabis. ad eas enim res ab Epicuro præcepta dantur. & tamen [9] non tantis vectigalibus ad libertatem utens, etiam ſine hac Pyladea amicitia, multorum te benevolentia præclarè & tuebere, & munies. At quicum *joca*, *ſeria*, ut dicitur, quicum *arcana*, quicum *occulta omnia?* Tecum optimè: deinde etiam cum mediocri amico. Sed fac iſta eſſe [10] non inoportuna: quid ad utilitatem tantæ pecuniæ? Vides igitur, ſi *amicitiam ſua caritate metiare*, nihil eſſe præſtantius: ſin emolumento, ſummas familiaritates, prædiorum pretioſorum mercede ſuperari. ME igitur IPSUM ames oportet, non mea, ſi veri amici futuri ſumus. Sed in rebus apertiſſimis nimiùm longi ſumus. perfecto 27
enim, & concluſo, neque virtutibus, neque amicitiis uſquam locum eſſe, ſi ad voluptatem omnia referantur: nihil præterea magnopere dicendum. attamen, ne cui loco non videatur eſſe reſponſum, pauca etiam nunc dicam ad reliquam orationem tuam. Quoniam igitur omnis ſumma philoſophiæ, ad beatè vivendum refertur, idque unum expetentes homines ſe ad hoc ſtudium contulerunt: beatè autem vivere alii in alio, vos in voluptate ponitis, item contrà, [11] omnem infelicitatem in dolore: id primùm videamus, beatè vivere veſtrum quale ſit. Atque hoc dabitis, ut opinor, ſi modò ſit aliquid, eſſe beatum, *id oportere totum poni in poteſtate ſapientis*. nam, ſi amitti vita beata poteſt, beata eſſe non poteſt. quis enim confidit ſemper ſibi illud ſtabile, & firmum permanſurum, quod fragile, & caducum ſit? qui autem diffidet perpetuitati bonorum ſuorum, timeat neceſſe eſt, ne aliquando, amiſſis illis, ſit miſer. *beatus* autem *eſſe in maximarum rerum timore nemo poteſt*. nemo igitur eſſe beatus poteſt. neque enim in aliqua parte, ſed in perpetuitate temporis [12] vita beata duci ſolet: neque appellatur omnino vita beata, niſi confecta, atque abſoluta: nec poteſt quiſquam aliàs beatus eſſe, aliàs miſer. qui enim exiſtimabit poſſe ſe miſerum eſſe, beatus non erit. nam cùm ſemel eſt ſuſcepta beata vita, tam permanet, quàm ipſa illa *effectrix beatæ vitæ ſapientia*: neque exſpectat ultimum tempus ætatis: quod Crœſo ſcribit Herodotus præceptum à Solone. etenim, quemadmodum tute dicebas, negat Epicurus diuturnitatem quidem temporis ad beatè vivendum aliquid afferre, nec minorem voluptatem percipi in brevitate temporis, quàm ſi illa ſit ſempiterna. Hæc dicuntur inconſtantiſſimè. cùm enim ſummum bonum in voluptate ponat, negat infinito tempore ætatis voluptatem fieri majorem, quam finito, atque modico. Qui bonum omne in virtute ponit, is poteſt dicere *perfici beatam vitam perfectione virtutis*. negat enim ſummo bono afferre incrementum diem. qui autem voluptate vitam effici beatam putabit, quî ſibi is conveniet, ſi negabit voluptatem creſcere longinquitate? igitur ne dolorem quidem. An *dolor longiſſimus quiſque miſerrimus*: voluptatem non optabiliorem diuturnitas facit? Quid eſt igitur, cur ita ſemper deum appellet Epicurus, beatum & æternum. dempta enim æternitate nihilo beatior Jupiter, quàm Epicurus. uterque

1. *In amicitiis tuendis.*] Ita quidem Victorii editio & ſequentes, verum Aldi vetus, *in amicis*. quomodo & Pall. ſex.

2. *Ut eorum vita refellatur oratio.*] Reduxi ſcripturam veterem, tam cuſorum, quam manu exaratorum codicum. recentiores enim, *vita probetur, refellatur oratio.*

3. *Quod ſi ſine ea tuto, &c.*] Acutè admodum Paullus Manutius conjicit, *quod ſi ſine ea, &c.* ſed hæreo adhuc an admittere debeam.

4. *Multis modis reprehendi.*] Pal. pr. *multimodè* aut *multimodis*. nam ſyllaba ultima ſcripta eſt per notam.

5. *Accipio quod dat.*] Malim *dant*, ob ſtatim ſequentia: & verò ſic quoque ille pr. Pal.

6. *Poſuiſti etiam.*] Ita planè Pal. pr. quod longè heic aptius illo vulgato *autem*. ideoque ſtatim ejeci.

7. *Quam, ſi tua ſint, Puteolis gramina.*] Palatini quatuor propugnant hanc ſcripturam, nam tert. *granaria*. at enim primus ille repræſentat *gramana*, ut vix mihi dubium fiat, quin ita ſcribendum, ſed litera priore majuſcula, ut ſit nomen fundi admodum uberis in tractu Puteolano. videatur tamen Victorius ſuper vulgata lectione libro VI. Var. lect. cap. 12. Muretus verò eidem adverſarius libro VII. Var. lect. cap. 20.

8. *Satis in mediocribus amicitiis præſidii.*] Palat. ille pr. *præſidium*, antiquè: neque refugerim; præſertim cùm ſic quoque compareat in ceteris Pall. quamvis alia diſtinctione; ea ſcilicet quam & in ſuo reperit Fulvius noſter Urſinus.

9. *Non tantis vectigalibus ad libertatem utens.*] Revocavi exoletarum editionum ſcripturam pertinaciter hærentem in Palatinis omnibus, tanto magis quod diſpliceret Lambino, cui in deliciis *ad liberalitatem*. interim monendus lector nondum Tullio ſuam redditam ſententiam, ejiciamus negativam *non*, quæ nulla prorſus eſt in Pal. primo, heicque menti loquentis maxime adverſatur, meo quidem judicio. quid quod idem *non* ſubductum lineis in Scaligerano.

10. *Non inopportuna.*] Ita quoque Pal. pr. non *importuna*, ut prius editi.

11. *Infelicitatem omnem.*] Pal. idem; *miſeriam omnem*. quomodo item Scal.

12. *Vita beata duci ſolet.*] Communis lectio *dici*. ſed contra Pall. omnes, item Victorii editionem.

uterque enim ſummo bono fruitur, id eſt, voluptate. [1] at enim hic etiam dolore. at eum nihili facit. ait enim ſe, ſi uratur, *quàm hoc ſuave,* dicturum. Qua igitur re à deo vincitur, ſi æternitate non vincitur? in qua quid eſt boni præter ſummam voluptatem, & eam ſempiternam? quid ergo attinet glorioſè loqui, niſi conſtanter loquare? in voluptate corporis (addam, ſi vis, animi, [2] dum ea ipſa, ut vultis ſit quod & in corpore) ſitum eſt vivere beatè. Quid? iſtam *voluptatem perpetuam* quis poteſt præſtare ſapienti? nam quibus rebus efficiuntur voluptates, hæ non ſunt in poteſtate ſapientis. non enim in ipſa ſapientia poſitum eſt beatum eſſe, ſed in in iis rebus, quas ſapientia comparat ad voluptatem. totum autem id externum: &, *quod externum, id in caſu eſt.* ita fit beatæ vitæ domina fortuna. quam
28 Epicurus ait *exiguam intervenire ſapienti.* Age inquies: iſta parva ſunt. *ſapientem locupletat ipſa natura:* cujus divitias Epicurus ipſe parabileis eſſe docuit. Hæc bene dicuntur: nec ego repugno: ſed inter ſeſe ipſa pugnant. negat enim TENUISSIMO victu, id eſt contemtiſſimis eſcis, & potionibus minorem voluptatem percipi, quàm rebus exquiſitiſſimis ad epulandum. Huic ego, ſi negaret quidquam intereſſe ad beatè vivendum, quali uteretur victu, concederem: laudarem etiam: verum enim diceret: idque Socratem, qui voluptatem nullo loco numerat, audio dicentem, *cibi condimentum eſſe famem: potionis ſitim.* ſed, qui ad voluptatem omnia referens, vivit ut Gallonius, loquitur ut Frugi ille Piſo, non audio. nec enim eum, quod ſentiat, dicere exiſtimo. Naturaleis divitias dixit parabileis eſſe, quòd parvo eſſet natura contenta. certè, niſi voluptatem tanti æſtimaretis. *Non minor,* inquit, *voluptas* [3] *percipitur ex viliſſimis rebus, quam ex pretioſiſſimis.* Hoc eſt non modò cor non habere, ſed ne palatum quidem. qui enim voluptatem ipſam contemnunt, iis licet dicere, ſe acipenſerem menæ non anteponere. cui verò in voluptate ſummum bonum eſt, huic omnia ſenſu, non ratione ſunt judicanda: eaque dicenda *optima, quæ ſunt ſuaviſſima.* [4] Verùm eſto: conſequatur ſummas voluptates, non modò parvo, ſed per me nihilo, ſi poteſt: ſit voluptas non minor in naſturtio illo, quo veſci Perſas eſſe ſolitos ſcribit Xenophon, quàm in Syracuſanis menſis, quæ à Platone graviter vituperantur: ſit, inquam, tam facilis, quàm vultis, voluptatis comparatio: quid de dolore dicemus? cujus tanta tormenta ſunt, ut in his beata vita, ſi modò dolor ſummum malum eſt, eſſe non poſſit. ipſe enim Metrodorus pænè alter Epicurus, *beatum eſſe* deſcribit his ferè verbis: *cùm corpus bene conſtitutum ſit, & ſit exploratum, ita futurum.* An id exploratum cuiquam poteſt eſſe, [5] quo modo ſeſe habiturum ſit corpus, non dico ad annum, ſed ad veſperam? dolor igitur, id eſt ſummum malum, metuetur ſemper, etiam ſi non aderit. jam enim adeſſe poterit. quî poteſt igitur *habitare in beata vita ſummi mali metus?* Traditur, inquit, ab Epicuro ratio negligendi doloris. Jam ipſum abſurdum, maximum malum negligi. ſed quæ tandem iſta ratio eſt? *Maximus dolor,* inquit, *brevis eſt.* primùm, quid tu dicis, breve? [6] deinde dolorem quem maximum? quid enim? ſummus dolor plureis dies manere non poteſt? vide ne etiam menſes. niſi fortè eum dicis, qui ſimulatque arripuit, interficit. quis iſtum dolorem timet? illum mallem levares, quo optimum atque humaniſſimum virum, Cn. Octavium, M. filium, familiarem meum, confici vidi: nec verò ſemel, nec ad breve tempus, ſed & ſæpe planè, & diu. quos, ille, dii immortales, cùm omneis artus ardere viderentur, cruciatus perferebat? nec tamen miſer eſſe, quia ſummum id malum non erat: tantummodò laborioſus videbatur. at miſer, ſi in vitioſa, & flagitioſa vita afflueret voluptatibus. Quòd 29
autem *magnum dolorem brevem, longinquum levem* eſſe dicitis: id non intelligo, quale ſit. video enim & magnos, & [7] eoſdem bene longinquos dolores: [8] quorum alia toleratio eſt verior; qua uti vos non poteſtis, qui honeſtatem ipſam per ſe non amatis. Fortitudinis quædam præcepta ſunt, ac pænè *leges,* quæ *effæminari virum vetant in dolore.* quamobrem turpe putandum eſt, non dico dolere (nam id quidem eſt interdum neceſſe) ſed ſaxum illud Lemnium clamore Philoctetæo funeſtare:

Quod ejulatu, queſtu, gemitu, fremitibus
Reſonando [9] *multùm, flebileis voces refert.*

[10] Huic Epicurus comparet ſe, ſi poteſt:

Cui viperino morſu venæ viſcerum
Veneno imbutæ tætros cruciatus cient.

Sit Epicurus Philoctetа: ſi gravis dolor brevis. At jam decimum annum in ſpelunca jacet. Si longus, levis. dat enim intervalla, & relaxat. Primùm non ſæpe: deinde quæ eſt iſta relaxatio cùm & præteriti doloris memoria, recens eſt: & futuri atque impendentis torquet timor? Moriatur, inquit. Fortaſſe id optimum, ſed ubi illud, Plus ſemper voluptatis? ſi enim ita eſt; vide, ne facinus facias, cùm mori ſuadeas. Potiùs ergo illa dicantur, *turpe eſſe viro debilitari, dolore frangi, ſuccumbere,* nam iſta veſtra, Si gravis, brevis: ſi longus, levis, [11] dictata ſunt. virtutis, magnitudinis animi, patientiæ, fortitudinis fomentis dolor mitigari ſolet. Audi, ne longè abeam, moriens quid dicat Epicurus: [12] & intellige, facta ejus cum dictis diſcrepare. EPICURUS HERMACHO S. *Cum ageremus,* inquit, 30
vitæ beatum, & eundem ſupremum diem, ſcribebamus hæc. [13] *tanti autem morbi aderant veſicæ, & viſcerum, ut nihil ad eorum magnitudinem poſſit accedere.* [14] Ecce miſerum hominem, ſi dolor, ſummum malum eſt. dici aliter non poteſt. ſed audiamus ipſum: *Compenſabatur tamen,* inquit, *cum his omnibus animi lætitia, quam capiebam memoria rationum,*

---

1. *At enim hic etiam dolore. at eum, &c.*] Sic iterum Pall. & editi à Victorio. inepte recentiores, *nam eum, &c.*

2. *Dum ea ipſa, ut vultis, ſit, quod & in corpore.*] Haud ſecus Aldus avus, ſecutuſque eſt Victorius. at Nepos, *dum in ea ipſa.* Pal. pr. nihil diſcrepat à priore ſcriptura, niſi in fine. habet enim tantum, *ſit & corpore.* reliqui admittunt quidem *quod*, ſed excludunt tamen *in*; præter tertium. malim, *dum ea ipſa, ut vultis, ſit & in corpore.*

3. *Percipitur ex viliſſimis.*] Eſt à Pal. pr. vulgati, *præc. tam ex vil.* quod diſplicuit & Lambino; expunxitque, ſed ſine auctoritate librorum pluteariorum.

4. *Verum eſto: conſeq. ſummas vol. non modò parvo, ſed per me nihilo.*] Expreſſi Palatini primi ſcripturam; quam parte ſua ſubodoratus eſt non tam Lambinus, quam P. Manutius, haud etiam integrè. publicati: *Verum iſto modo conſequatur ſummas voluptates, non modo parvo, ſed fermè nihilo.* quod & in omnibus Palatinis; adeo ut vix credam Lambino adfirmanti in nullo ſuorum comparuiſſe vocem *modo.* invaſit nimirum conjectaneum Manutii, & adornare voluit pro ſuo.

5. *Quomodo ſeſe habiturum.*] Pal. pr. *ſe hæc* forte *ſe heic.*

6. *Deinde dolorem quem maximum.*] Sic Pal. pr. optimè. neque aliter conjecerat Manutius, & poſt ipſum Lambinus.

7. *Eoſdem bene longinquos.*] Illud *bene,* reduxi ſuaſu Pall. editioniſque Victorii.

8. *Quorum alia toleratio eſt verior; qua, &c.*] Non potui amplius ſubtrahere ſcripturam Pal. pr. qua videbam loco iſti melius fore quam prius cum legeretur: *Quædam alia toleratio eſt verior.*

9. *Multum flebiles voces refert.*] Magis iſtud probo ſubnixum fide veterum editionum omnium, quam nuper natum, *multum,* quod tantum reperi in duobus Pal. cum ſervarent alterum numero quatuor interque alios ille primus.

10. *Huic Epicurus comparet, ſe ſi poteſt.*] Lectio nata ex P. Manutii conjectura. prius enim legebatur: *Huic Epicurus competenter, & ſi poteſt.* quomodo etiam eſt in Pall. ſed non in primo; qui tantum ſervat, *Huic Epicurus & ſi poteſt.* quod melius vulgato, quamvis tamen affirmare haud auſim locum ſic eſſe perſanatum.

11. *Dictata ſunt. virtutis, &c.*] Neſcio an non diſtingui poſſit; *dictata ſunt virtutis, magnitudinis animi, patientiæ, fortitudinis. fomentis dolor mitigari ſolet.*

12. *Et intellige facta ejus, &c.*] Non male: ſed tamen Pal. pr. *ut intelligas.*

13. *Tanti autem morbi aderant veſicæ & viſcerum.*] Diſcrepat & heic ab ceteris Pal. pr. *tanti aderant veſicæ & terminum morbi.*

14. *Ecce miſerum hominem.*] Vox *Ecce* non conſpicitur in primo, neque omnino deſideratur.

rationum, inventorumque nostrorum. ſed tu, ut dignum eſt tua erga me, et philoſophiam voluntate [1] *ab adoleſcentulo ſuſcepta, fac ut Metrodori tueare liberos.* Non ego jam Epaminondæ, non Leonidæ mortem hujus morti antepono: quorum alter cùm viciſſet Lacedæmonios apud Mantineam, ſimulque ipſe gravi vulnere exanimari ſe videret; ut primùm diſpexit, quæſivit, *ſalvuſne eſſet clypeus*, cùm ſalvum eſſe flentes ſui reſpondiſſent: rogavit, *eſſentne fuſi hoſtes:* cumque id quoque, ut cupiebat, audiviſſet, evelli juſſit eam, qua erat transfixus, haſtam. ita multo ſanguine profuſo, in lætitia, & in victoria eſt mortuus. Leonidas autem, rex Lacedæmoniorum, ſe in Thermopylis, trecentis cum eos, quos eduxerat Sparta, cùm eſſet propoſita aut fuga turpis, aut glorioſa mors, oppoſuit hoſtibus. *Præclaræ mortes ſunt imperatoriæ.* philoſophi autem in ſuis lectulis plerumque moriuntur. [2] Refert tamen, quòd ſibi videtur eſſe morienti magna laus. *Compenſabatur*, inquit, *cum ſummis doloribus lætitia.* Audio equidem philoſophi vocem, Epicure; ſed, quid tibi dicendum ſit, oblitus es. primùm enim, ſi vera ſunt ea, quorum recordatione te gaudere dicis, hoc eſt, ſi vera ſunt tua ſcripta & inventa; gaudere non potes. nihil enim jam habes, quod ad corpus referas. eſt autem à te ſemper dictum, *nec gaudere quemquam niſi propter corpus: nec dolere. Præteritis*, inquit, *gaudeo.* Quibuſnam præteritis? ſi ad corpus pertinentibus, rationes tuas te video compenſare cum iſtis doloribus, non memoriam corpore perceptarum voluptatum. ſi autem ad animum; falſum eſt; quòd negas animi ullum eſſe gaudium, quod non referatur ad corpus. Cur deinde *Metrodori liberos* commendas? [3] quid ex iſto tuo egregio officio, & tanta fide (ſic enim exiſtimo) ad corpus refers?
31 Huc, & illuc, Torquate, vos verſetis licet: nihil in hac præclara epiſtola ſcriptum ab Epicuro congruens, & conveniens decretis ejus reperietis. ita redarguitur ipſe à ſeſe; [4] veneuntque ſcripta ejus probitate ipſius, ac moribus. nam iſta commendatio puerorum, memoria, & caritas amicitiæ, ſummorum officiorum in extremo ſpiritu conſervatio, indicat innatam eſſe homini probitatem gratuitam, [5] non invitatam voluptatibus, nec præmiorum mercedibus evocatam. quod enim teſtimonium majus quærimus, *quæ honeſta & recta ſint, ipſa eſſe optabilia per ſeſe*, cùm videamus [6] tanta *officia morientis*? Sed, ut epiſtolam laudandam arbitror eam, quam modò totidem ferè verbis interpretatus ſum ([7] quamquam ea cum ſumma ejus philoſophi nullo modo congruebat:) ſic ejuſdem teſtamentum non ſolùm à philoſophi gravitate, ſed etiam ab ipſius ſententia judico diſcrepare. ſcripſit enim, & multis ſæpe verbis, & breviter, apteque, in eo libro, quem modò nominavi, *mortem nihil ad nos pertinere. quod enim diſſolutum ſit, id eſſe ſine ſenſu: quod autem ſine ſenſu ſit, id nihil omnino ad nos pertinere.* hoc ipſum elegantiùs poni, meliuſque potuit. nam quod ita poſitum eſt, *Quod diſſolutum ſit, id eſſe ſine ſenſu*, id ejuſmodi eſt, ut non ſatis planè dicat, quid ſit diſſolutum. ſed tamen intelligo, quid velit. quæro autem, quid ſit, quòd, cùm diſſolutione, id eſt, morte ſenſus omnis exſtinguatur: & cùm reliqui nihil ſit omnino, quod pertineat ad nos: tam accuratè, tamque diligenter caveat, & ſanciat, *Ut Amynomachus & Timocrates, heredes ſui, de Hermachi ſententia dent, quod ſatis ſit ad diem agendum natalem ſuum quotannis, menſe Gamelione: itemque omnibus menſibus, viceſimo die lunæ, dent ad eorum epulas, qui unà ſecum philoſophati ſint, ut & ſui, & Metrodori memoria colatur.* Hæc ego non poſſum dicere non eſſe [8] hominis & belli, & humani; ſapientis verò nullo modo, phyſici præſertim, quem ſe ille eſſe vult, putare ullum eſſe cujuſquam diem natalem. Quid? verene *poteſt eſſe dies ſæpiùs, qui ſemel fuit?* certè non poteſt. an ejuſdemmodi? ne id quidem, [9] niſi cùm multa annorum interceſſerint millia, [10] ut omnium ſiderum eodem, unde profecta ſint, fiat ad unum tempus reverſio: nullus eſt igitur cujuſquam dies natalis. At habetur. Et ego id ſcilicet neſciebam. ſed, ut ſit, etiamne poſt mortem coletur: idque teſtamento cavebit is, qui vobis quaſi oraculum ediderit, *nihil ad nos pertinere poſt mortem?* Hæc non erant ejus, qui innumerabileis mundos, infinitaſque regiones, quarum nulla eſſet ora, nulla extremitas, mente peragraviſſet. numquid tale Democritus? ut alios omittam, hunc appello, quem ille unum ſecutus eſt. Quòd ſi dies notandus fuit, eumne potiùs, quo natus, an eum, quo ſapiens factus eſt? Non potuit, inquies, fieri ſapiens, niſi natus eſſet. & iſto modo ne ſi avia quidem ejus nata non eſſet. Res tota, Torquate, *non-doctorum* hominum, velle poſt mortem epulis celebrari memoriam ſui nominis. quos quidem dies quemadmodum agatis, & in quantam hominum facetorum urbanitatem incurratis, non dico. NIHIL OPUS EST LITIBUS. tantùm dico, magis fuiſſe veſtrum agere Epicuri diem natalem, [11] quam illius teſtamento cavere, ut ageretur. [12] Sed, ut ad propoſitum revertamur, (de 32
dolore enim cùm diceremus, ad iſtam epiſtolam delati ſumus) nunc totum illud concludi ſic licet: QUI IN SUMMO malo eſt, [13] is tum cùm in eo eſt, non eſt beatus. ſapiens autem ſemper beatus eſt, & eſt aliquando in dolore. non eſt igitur ſummum malum dolor. Jam illud quale tandem eſt? BONA PRÆTERITA non effluere ſapienti, mala meminiſſe non oportere. Primùm in noſtrane poteſtate eſt, quid meminerimus? Themiſtocles quidem, cùm ei [14] Simonides, aut quis alius artem memoriæ polliceretur, *oblivionis*, inquit, *mallem. nam memini etiam quæ nolo, oblíviſci non poſſum quæ volo.* Magno hic ingenio. ſed res ſe tamen ſic habet, ut nimis imperioſi philoſophi ſit, vetare meminiſſe. vide, ne iſta ſint Manliana veſtra, aut majora etiam, ſi imperes quod facere non poſſim. Quid, ſi etiam *jucunda memoria eſt præteritorum malorum?* ut proverbia nonnulla veriora ſint, quàm veſtra dogmata. vulgò enim

1. *Ab adoleſcentulo ſuſcepta.*] Sic editio Victorii, neque aliter Pal. ſex. recentiores, *ab adoleſcentia*, quomodo & Aldus ſenior, ſed proculdubio a manu Scholiaſtis.

2. *Refert tamen quod ſibi videtur eſſe morienti magna laus.*] Lectionem hanc, cur minus ſana ſit, facit Pal. pr. in quo: *Refert tamen quo modo ſibi videtur eſſe moriens, magna laus.*

3. *Quid ex iſto tuo, &c.*] Vocula *ex* in nullo eſt Palatinorum, neque agnoſcit editus a Victorio liber.

4. *Veneuntque ſcripta ejus.*] Palatinus ille pr. *vincuntur que*, quod cum referat Lambinus exſtare etiam in aliorum libris, non video cur poſtponi debeat vulgato.

5. *Non invitatam voluptatibus.*] Sic legendum duxerat Lambinus, omnibus libris invitis; cum vulgaretur *mutua. tam*, aut *mutatam*. at vero ſic ante ipſum ediderat Petrus Victorius, exſtatque ea ſcriptura diſerte in Pal. pr. tert. ſexto.

6. *Tanta officia morientis.*] Ita Victorii editio, & Pal. pr. vulgati interjecere, *tanta eſſe officia mor.*

7. *Quamquam ea cum ſumma.*] Haud aliter Pal. pr. nam tert. *cum ſumma ſententia.* Vulgati alterum adſumpſerunt, minus rectè, cum id vocis paulò poſt iterum ſequatur. & verò Victorius illud huc etiam revocatum voluit, ſed nemo eum voluit ſequi. at ecce tamen idem Tullius libro de legibus III. cap. 7. f. *Leges à me edentur non perfectæ, ſed ipſæ ſummæ rerum ac ſententiæ.*

8. *Hominis & belli & humani.*] Pal. pr. *hominis quamvis & belli &.* non malè. ſicque etiam Victorii editio.

9. *Niſi cum multa annorum, &c.*] Palat pr. excluſit voculam *cum*, neque ea nobis opus.

10. *Ut omnium ſiderum, &c.*] Eſt à Victoriana, & omnibus Palatinis. vulgati, *& omnium ſid.*

11. *Quàm illius teſtamento cavere.*] Sic Pal. pr. & ſext. reſpicitque ad præcedens *veſtrum*: quod ideo mutari non debet cum Victorio, in *verum*. vulgati *illum*, quomodo nullus Pall. in quibus aut *illam*, aut *illa*.

12. *Sed ut ad propoſitum revertamur.*] Si ſequimur auctoritatem Pal. pr. delebimus illud *revertamur*, tanquam quod alioquin belle ſubintelligatur.

13. *Is tum cum in eo eſt.*] Eſt à Palatino primo, ita tamen ut junctim ibi deprehendas *iſtum*. Vulgg. *iſte.* ſatis frigidè. animadvertitque Lambinus, & a ſe mutavit in *is tum*.

14. *Simonides, aut quis alius.*] Melius Pal. pr. *an quis alius.* parum intereſt hoc illove modo ſcribatur. ſed cur non potius loquatur auctor verbis ſuis quàm alienis?

enim dicitur, [1] *Jucundi acti labores:* nec malè Euripides: concludam, ſi potero, Latinè: Græcum enim hunc verſum noſtis omnes:

[2] *Suavis laborum eſt præteritorum memoria.*

Sed ad bona præterita redeamus. quæ ſi à vobis talia dicerentur, qualibus C. Marius uti poterat, ut expulſus, egens, in palude demerſus, tropæorum recordatione levaret dolorem ſuum: audirem, & planè probarem. NEC ENIM ABSOLVI beata vita ſapientis, nec ad exitum perduci poterit, ſi prima quæque bene ab eo conſulta, atque facta, ipſius oblivione obruerentur. Sed vobis voluptatum perceptarum recordatio vitam beatam facit, & quidem corpore perceptarum. nam ſi quæ ſunt aliæ, falſum eſt, omneis animi voluptates eſſe è corporis ſocietate. Corporis autem voluptas ſi etiam præterita delectat non intelligo, cur Ariſtoteles Sardanapali epigramma tantopere derideat. in quo ille rex Aſſyriæ glorietur, ſe omneis ſecum libidinum voluptates abſtuliſſe. *quod enim ne vivus quidem*, inquit, *diutiùs ſentire poterat, quàm dum fruebatur; quo modo id potuit mortuo permanere?* Fluit igitur voluptas corporis, & prima quæque [3] avolat, ſæpiuſque relinquit cauſas pœnitendi, quàm recordandi; itaque beatior Africanus cum patria illo modo loquens,

Deſine Roma tuos hoſteis:———

reliquaque præclarè;

Namque tibi monumenta mei peperere labores.

Laboribus hic præteritis gaudet: tu jubes voluptatibus. hic ſe ad ea revocat, è quibus nihil umquam retulerit ad
33 corpus; tu totus hæres in corpore. Illud autem ipſum quî obtineri poteſt, quod dicitis, omneis animi & voluptates, & dolores ad corporis voluptates, & dolores pertinere? [4] Nihil ne te delectat umquam? video, quicum loquar. te igitur, Torquate, ipſum per ſe nihil delectat? omitto dignitatem, honeſtatem, *ſpeciem ipſam virtutum*, de quibus antè dictum eſt: [5] hæc leviora ponam: poëma, aut orationem, cùm aut ſcribis, aut legis; cùm omnium factorum, cùm regionum conquiris hiſtoriam; ſignum, tabula, locus amœnus, ludi, venatio, villa Luculli, (nam ſi tuam dicerem, latebram haberes: ad corpus diceres pertinere) ſed ea, quæ dixi, ad corpuſne refers? an eſt aliquid, quod te *ſua ſponte delectet?* Aut pertinaciſſimus fueris, ſi in eo perſtiteris ad corpus ea, quæ dixi, referre: aut deſerueris totam Epicuri voluptatem, ſi negaveris. Quod verò à te diſputatum eſt, *majores eſſe voluptates, & dolores animi, quam corporis;* quia trium temporum particeps animus ſit, corpore autem præſentia ſolum ſentiantur? quî probari poteſt, ut is, [6] qui propter me aliquid, plus, quàm ego ipſe, gaudeat? Animi voluptas oritur propter voluptatem corporis, & major eſt animi voluptas, quam corporis. ita fit, ut *gratulator lætior ſit, quàm is, cui gratuletur.* Sed, dum efficere vultis beatum ſapientem, cùm maximas animo voluptates percipiat, omnibuſque partibus majores, quàm corpore: quid occurrat, non videtis. animi enim quoque dolores percipiet omnibus partibus majores, quàm corporis. ita miſer ſit aliquando neceſſe eſt is, quem vos beatum ſemper vultis eſſe. nec verò id, dum omnia ad voluptatem, doloremque referetis, efficietis umquam. Quare aliud aliquid, Torquate, hominis ſummum bonum reperiendum eſt. *voluptatem beſtiis concedamus:* quibus vos de ſummo bono teſtibus uti ſoletis. Quid, ſi etiam beſtiæ multa faciunt, duce ſua quæque natura partim indulgenter vel cum labore; ut in gignendo, in educando perfacile appareat, aliud quiddam iis propoſitum, non voluptatem? [7] turtures & curſu, & peregrinatione lætantur: congregatione aliæ cœtum quodam modo civitatis imitantur. videmus in quodam volucrium genere nonnulla indicia pietatis, cognitionem, memoriam: [8] in multis etiam deſideria videmus. Ergo in beſtiis erunt ſecreta à voluptate humanarum quædam ſimulacra virtutum: in ipſis hominibus virtus, niſi voluptatis cauſa, nulla erit? & HOMINI, qui ceteris animantibus plurimùm præſtat, præcipui à natura nihil datum eſſe dicemus? Nos verò, ſi quidem in voluptate ſunt omnia, 34
longè, multumque ſuperamur à beſtiis: quibus ipſa terra fundit ex ſeſe paſtus varios, varieque abundanteis nihil laborantibus: nobis autem aut vix, aut ne vix quidem, ſuppetunt multo labore quærentibus. nec tamen ullo modo *ſummum pecudis bonum, & hominis, idem mihi videri poteſt.* quid enim tanto opus eſt inſtrumento in optimis artibus comparandis, quid tanto concurſu honeſtiſſimorum ſtudiorum, tanto virtutum comitatu, ſi ea nullam ad aliam rem, niſi ad voluptatem conquiruntur? ut, ſi Xerxes, cùm tantis claſſibus, tantiſque equeſtribus, & pedeſtribus, copiis, Helleſponto juncto, [9] Athone perfoſſo, maria ambulaviſſet, terramque navigaſſet, ſi, cùm tanto impetu in Græciam veniſſet, cauſam ejus quis ex eo quæreret, tantarum copiarum, tantique belli, [10] *mel ſe auferre ex Hymetto voluiſſe* diceret, certè ſine cauſa videretur tanta conatus: ſic nos ſapientem, plurimis, & graviſſimis artibus, atque virtutibus inſtructum, & ornatum, non, ut illum, maria pedibus peragrantem, claſſibus monteis, ſed omne cœlum, totamque cum univerſo mari terram mente complexum, voluptatem petere ſi dicemus, mellis cauſa dicemus tanta molitum. ad ALTIORA QUÆDAM, & magnificentiora, mihi crede, Torquate, nati ſumus: nec id ex animi ſolùm partibus, in quibus ineſt memoria rerum innumerabilium, [11] vitæ quidem infinita, ineſt conjectura conſequentium, non multùm à divinatione differens, ineſt *moderator cupiditatis pudor*, ineſt ad humanam ſocietatem juſtitiæ fida cuſtodia: ineſt in perpetiendis laboribus adeundiſque periculis firma, & ſtabilis doloris, mortiſque contemtio. ergo hæc in animis: tu autem etiam membra ipſa ſenſuſque conſidera: qui tibi ut reliquæ corporis partes, non comites ſolùm virtutum, ſed miniſtri etiam videbuntur. quid, ſi in ipſo corpore multa voluptati proponenda ſunt, ut vires, valitudo, velocitas, pulchritudo? quid tandem in animis cenſes? in quibus doctiſſimi illi veteres ineſſe *quidquam cæleſte* & divinum putaverunt. quòd ſi eſſet in voluptate ſummum bonum (ut dicitis,) optabile eſſet, in voluptate maxima, nullo intervallo interjecto, dies, nocteiſque verſari, cùm omnes ſenſus dulce-

---

1. *Jucundi acti labores.*] Idem mſ. & alii præterea quatuor *jucundè acti labores*; neque ſecus Aldi ſenis editio.

2. *Suavis laborum eſt præterit. &c.*] Eſt à Palat. pr. nam editi *Suavis eſt laborum*, quod refingebat Gulielmius in, *Suav. eſt lab.*

3. *Avolat, ſæpiuſque relinquit cauſas.*] Ita Pal. pr. & tert. quorum pr. præterea habet *cauſam.* non male publicati ante Lambinum; *avolat, ut ajebat, ſæpiuſque, &c.*

4. *Nihil ne te delectat unquam?*] Sic Pall. ſine illo Lambini, *te ſua ſponte del.* quod fruſtra magnifacit Mich. Brutus.

5. *Hæc leviora ponam: poëma, orationem, cum aut ſcribis, &c.*] Sic mſſ. noſtri ferè; niſi quod aliquot omittant illud *poëma*; primus verò alio poſitu referat, *poëma ponam, orationem, cum, &c.* ut ſuſpicer vocem adhuc *ponam* exterminandam.

6. *Qui propter me aliquid gaudeat, plus quam ego ipſo gaudeat.*] Ita quidem editio Victorii. at Aldi non agnoſcit voces quinque poſtremas, neque adeo unus Palatinorum. qui etiam uno conſenſu retinent: *Quid probari poteſt, ut is qui propter me aliquid gaudeat. animo voluptas oritur.*

7. *Turtures & curſu & peregrinatione lætantur.*] Sic aliquot Pall. nam duo; *Cicures & curſu;* ſed lectio utraque morbida, ſi quidem ſequimur Pal. pr. is enim ſolum habet, *partim curſu, &c.* Aliud certè quid latet, quod in hac feſtinatione jam non eruo; aut ſic potius legendum erit. nam illud *turtures* ſanè ineptiſſimum eſt.

8. *In multis etiam deſideria videmus.*] Eſt è Tuſani codice, item Pall. omnibus; etſi non negem poſſe abjici vocem ultimam. hancque etiam expreſſit ſcripturam Victorius. olim cuſi, *etiam diſciplinam videmus:* recentiores primo verbo retento deleverunt ſecundum.

9. *Athone perfoſſo.*] Sic noſtrûm tres; ceteri accedunt vulgato *Athove.*

10. *Mel ſe auferre.*] Haud aliter conjecerat P. Manutius, reſtatque in Pal. pr. publicati antea *afferre.*

11. *Vitæ quidem infinita.*] Pal. idem videtur habere, *in te quidem.*

dulcedine omni quaſi perfuſi moverentur. QUIS EST autem dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit eſſe in iſto genere voluptatis? Cyrenaici quidem non recuſant. veſtri hæc verecundiùs: illi fortaſſe conſtantiùs. Sed luſtremus animo non has maximas arteis, quibus qui carebant, *inertes* à majoribus nominabantur: ſed quæro, num exiſtimes non dico Homerum, Archilochum, Pindarum, ſed Phidiam, Polycletum, Zeuxin, ad voluptates arteis ſuas direxiſſe? Ergo opifex [1] plus ſibi proponet ad formarum, quam civis excellens ad factorum pulchritudinem? quæ autem eſt alia cauſa erroris tanti, tam longè, lateque diffuſi, niſi quòd is, qui voluptatem ſummum bonum eſſe decernit, non cum ea parte animi, in qua ineſt ratio, atque conſilium, ſed cum *cupiditate*, id eſt, cum animi leviſſima parte deliberat? quæro enim de te: ſi ſunt dii, ut vos etiam putatis, qui poſſunt eſſe beati, cùm voluptates corpore percipere non poſſint? ut ſi ſine eo genere voluptatis beati ſunt, cur ſimilem animi uſum in ſapiente eſſe nolitis? Lege laudationes, Torquate, non eorum, qui ſunt ab Homero laudati, non Cyri, non Ageſilai, non Ariſtidis, non Themiſtoclis, non Philippi, non Alexandri: lege noſtrorum hominum, lege veſtræ familiæ: neminem videbis ita laudatum ut *artifex callidus comparandarum voluptatum* diceretur. [2] non elogia monumentorum id ſignificant, velut hoc ad portam? [3] UNO ORE CUI PLURIMÆ CONSENTIUNT GENTES, POPULI PRIMARIUM FUISSE VIRUM. Id ne conſenſiſſe de Calatino plurimas genteis arbitramur, *primarium populi* fuiſſe, quòd præſtantiſſimus fuiſſet in conficiendis voluptatibus? Ergo in iis adoleſcentibus bonam ſpem eſſe dicemus, & magnam indolem, quos ſuis commodis inſervituros, & quidquid ipſis expediat, facturos arbitramur? nonne videmus, quanta perturbatio rerum omnium conſequatur? quanta confuſio? tollitur *beneficium:* tollitur *gratia:* quæ ſunt vincula concordiæ. nec enim, ſi tuam ob cauſam cuiquam commodes, beneficium illud habendum eſt, ſed fæneratio: nec gratia deberi videtur ei, qui ſuam ob cauſam commodaverit. Maximas verò virtutes jacère omneis neceſſe eſt, voluptate dominante. Sunt etiam turpitudines plurimæ, quæ [4] niſi honeſtas natura plurimum valeat, cur non cadant in ſapientem, non eſt facile defendere. Ac, ne plura complectar (ſunt enim innumerabilia) bene laudata *virtus voluptatis aditus intercludat neceſſe eſt.* quod jam à me exſpectare noli. tute introſpice in mentem tuam ipſe: eamque omni cogitatione pertractans, percunctare ipſe te, perpetuiſne malis [5] voluptatibus perfruens, in ea, quam ſæpe uſurpabas, tranquillitate degere omnem ætatem ſine dolore, aſſumto etiam illo, quod vos quidem adjungere ſoletis, ſed fieri non poteſt, ſine doloris metu: an, cùm de omnibus gentibus optimè mererère, cùm opem indigentibus, ſalutemque ferres, vel Herculis perpeti ærumnas. ſic enim majores noſtri labores non fugiendos, triſtiſſimo tamen verbo *ærumnas* etiam in deo nominaverunt. [6] Exigerem ex te, cogeremque, ut reſponderes, niſi vererer, ne Herculem ipſum ea, quæ pro ſalute gentium ſummo labore geſſiſſet, voluptatis cauſa geſſiſſe diceres. Quæ cùm dixiſſem, Habeo, inquit Torquatus, ad quos iſta referam: &, quamquam aliquid ipſe poteram, tamen invenire malo paratiores familiareis noſtros. Credo Syronem dicis, & Philodemum, cùm optimos viros, tum doctiſſimos homines. Rectè, inquit, intelligis. Age ſanè, inquam. ſed erat æquius, Triarium aliquid de noſtra diſſenſione judicare. Immò, inquit arridens, iniquum, hac quidem de re. tu enim iſta *lenius:* hic Stoicorum more nos *vexat.* Tum Triarius, Poſthac quidem, inquit, audacius. nam hæc ipſa mihi erunt in promtu, quæ modò audivi; nec ante aggrediar, quàm te ab iſtis, quos dicis, inſtructum videro. Quæ cùm eſſent dicta, finem fecimus & ambulandi, & diſputandi.

1. *Plus ſibi proponet.*] Pal. *apponet.*
2. *Non elogia monumentorum.*] Pall. ſex. *eulogia.*
3. *Uno ore cui plurimæ conſentiunt.*] Lectio minus vera. quippe Pal. pr. quart. quint. ſext. *uno cum plurimæ.* tert. *Uno cui plurimæ.* ſec. *Uno cum plurimæ.* Reſtituendum forſan: *Unicum plurimæ conſentiunt, &c.* Sed quid ſi ſub illo *uno cum* lateret nomen portæ alicujus? diſpiciant acutiores.
4. *Niſi honeſtas natura.*] Pall. o. *honeſta natura:* quod non video cur excludi debuerit.
5. *Voluptatibus perfruens.*] Sic Pall. quatuor priores, non *perfluens* ut antea edit.
6. *Exigerem ex te.*] Pal. pr. *Eligerem.* an voluit? *Elicerem.*

M. TULLII CICERONIS
DE
FINIBUS BONORUM ET MALORUM,
AD
BRUTUM.
LIBER TERTIUS.

I VOLUPTATEM equidem, Brute, ſi ipſa pro ſe loquatur, nec tam pertinaceis habeat patronos, conceſſuram arbitror, convictam ſuperiore libro, dignitati. etenim ſit impudens, ſi virtuti diutius repugnet, aut ſi honeſtis jucunda anteponat, aut pluris eſſe contendat [1] dulcedinem corporis titillantem, ex eavè natam lætitiam, quàm gravitatem animi, atque conſtantiam. quare illam quidem dimittamus, & [2] ſuis ſe finibus tenere jubeamus, ne blanditiis ejus, illecebriſque impediatur diſputandi ſeveritas. quærendum eſt enim, ubi ſit illud ſummum bonum, quod reperire volumus, quoniam & voluptas ab eo remota eſt, & eadem ferè contra eos dici poſſunt, qui vacuitatem doloris finem bonorum eſſe voluerunt. Nec verò ita ullum probetur *ſummum bonum, ut virtute careat:* qua nihil poteſt eſſe præſtantius. Itaque quamquam in eo ſermone, qui cum Torquato eſt habitus, non remiſſi fuimus: tamen hæc acrior

1. *Dulcedinem corporis titillantem, ex eavè natam lætitiam.*] Sic Pall. quinque, niſi quod immiſſa copula, *& titillantem.* at primus ille, nec copulam agnoſcit, nec verbum *titillantem;* quam ſcripturam habuerim pro vera.
2. *Suis ſe finibus tenere jubeamus.*] Lectio non eſt ſincera. nam Pal. prim. *petere jubeamus.* ſext. *ſuos ſe fines petere jubeamus.* ſec. tert. quart. quint. *cedere jubeamus.* illud *petere* examinandum eſt penſius.

1. Quæ

acrior eſt cum Stoicis parata contentio. quæ enim de voluptate dicuntur, ea nec acutiſſimè, nec abſconditè diſſeruntur. neque enim qui defendunt eam, verſuti in diſſerendo ſunt, nec qui contrà dicunt, cauſam difficilem repellunt. Ipſe etiam dicit Epicurus, *ne argumentandum quidem eſſe* de voluptate, quòd ſit poſitum ejus judicium in ſenſibus, ut commoneri nos ſatis ſit, nihil attineat doceri. quare illa nobis ſimplex fuit in utramque partem diſputatio. nec enim in Torquati ſermone quidquam implicatum, aut tortuoſum fuit: noſtraque, ut mihi videtur, dilucida oratio. Stoicorum autem non ignoras quàm ſit ſubtile, vel ſpinoſum potiùs, diſſerendi genus: idque cùm Græcis, tùm magis nobis, quibus etiam verba parienda ſunt, imponendaque nova novis rebus nomina. quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans, IN OMNI ARTE, cujus uſus vulgaris communiſque non ſit, multam novitatem nominum eſſe, cùm conſtituantur earum rerum vocabula, quæ in quaque arte verſentur. Itaque & dialectici, & Phyſici verbis utuntur iis, [1] quæ ipſi Græciæ nota ſunt. geometræ verò, muſici, grammatici, etiam more quodam loquuntur ſuo. item ipſæ rhetorum artes, quæ ſunt totæ forenſes, atque populares, [2] verbis tantum in docendo quaſi privatis utuntur, ac ſuis. Atque, ut omittam has arteis eleganteis, & ingenuas, ne opifices quidem tueri ſua artificia poſſent, niſi vocabulis uterentur nobis incognitis, uſitatis ſibi. Quin etiam agricultura, quæ abhorret ab omni politiore elegantia, tamen eas res, in quibus verſatur, nominibus notavit novis. quo magis hoc philoſopho faciendum eſt. *ars eſt enim philoſophia vitæ:* de qua diſſerens arripere verba de foro non poteſt. Quamquam ex omnibus philoſophis, [3] Stoici plurima nominaverunt. Zeno quoque eorum princeps non tam rerum inventor fuit, quàm novorum verborum. Quòd ſi in ea lingua, quam plerique uberiorem putant, conceſſum à Græcia eſt, ut doctiſſimi homines [4] de rebus non pervulgatis, inuſitatis verbis uterentur: [5] quanto id nobis magis eſt concedendum, qui ea nunc primùm audemus attingere? Etſi, quod ſæpe diximus, & quidem cum aliqua querela non Græcorum modò, ſed etiam eorum, qui ſe Græcos magis, quàm noſtros haberi volunt, nos non modò non vinci à Græcis *verborum copia*, ſed eſſe in ea etiam ſuperioreis: elaborandum eſt, ut hoc non in noſtris ſolùm artibus, ſed etiam in illorum ipſorum [6] conſequamur, quàm ea verba, quibus ex inſtituto veterum utimur pro Latinis, ut ipſa philoſophia, ut rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, muſica. quamquam Latinè ea dici poterant, tamen, quoniam *uſu præcepta* ſunt, noſtra ducamus.
2 Atque hæc quidem de rerum nominibus. De ipſis rebus autem ſæpenumero, Brute, vereor, ne reprehendar, cùm hæc ad te ſcribam, qui cùm in philoſophia, tum in optimo genere philoſophiæ tantùm proceſſeris. quod ſi facerem, quaſi te erudiens, jure reprehenderer. ſed ab eo plurimum abſum: neque, ut ea cognoſcas, quæ tibi notiſſima ſunt, ad te mitto, ſed quia facillimè in nomine tuo acquieſco, & quia te habeo æquiſſimum eorum ſtudiorum, quæ mihi communia tecum ſunt, exiſtimatorem, & judicem. Attendes igitur, ut ſoles, diligenter, eamque controverſiam dijudicabis, quæ mihi fuit cum avunculo tuo, divino, ac ſingulari viro. Nam, in Tuſculano cùm eſſem, vellemque è bibliotheca pueri Luculli quibuſdam libris uti, veni in ejus villam, ut eos ipſe ([7] ut ſolebam) inde promerem. quò cùm veniſſem, M. Catonem, quem ibi eſſe neſcieram, vidi in bibliotheca ſedentem, multis circumfuſum Stoicorum libris. erat enim, ut ſcis, in eo inexhauſta aviditas legendi, nec ſatiari poterat: quippe qui *ne reprehenſionem quidem vulgi inanem reformidans*, in ipſa curia ſoleret legere ſæpe, dum ſenatus cogeretur, nihil operæ reip. detrahens, quo magis tum in ſummo otio, maximaque copia [8] quaſi heluari libris, ſi hoc verbo in tam clara re utendum eſt, videbatur. Quod cùm accidiſſet, ut alter alterum nec-opinatò videremus, ſurrexit ſtatim. deinde prima illa, quæ in congreſſu ſolemus: Quid, tu, inquit, huc? à villa enim, credo: &, ſi ibi te eſſe ſciſſem, ad te ipſe veniſſem. Heri, inquam, *ludis commiſſis, ex urbe profectus* [9] veni ad veſperum. cauſa autem fuit huc veniendi, ut quoſdam hinc libros promerem: & quidem, Cato, totam hanc copiam jam Lucullo noſtro notam eſſe oportebit. nam his LIBRIS EUM MALO, QUAM RELIQUO ORNATU VILLÆ DELECTARI. eſt enim mihi magnæ curæ: quamquam hoc quidem proprium tuum munus eſt, ut ita erudiatur, ut & patri, [10] & Cæpioni noſtro, & tibi tam propinquo reſpondeat. Laboro autem non ſine cauſa. nam & avi ejus memoria moveor (nec enim ignoras, quanti fecerim Cæpionem: qui, ut opinio mea fert, *in principibus jam eſſet*, ſi viveret) & Lucullus mihi verſatur ante oculos, vir cùm omnibus excellens, tum mecum & amicitia, & omni voluntate, ſententiaque conjunctus. Præclarè, inquit, facis, cùm & eorum memoriam tenes, quorum uterque tibi teſtamento liberos ſuos commendavit, & puerum diligis. Quòd autem meum munus dicis, non equidem recuſo: ſed te adjungo ſocium. addo etiam illud, *multa jam mihi dare ſigna puerum & pudoris, & ingenii.* ſed ætatem vides. Video equidem, inquam: [11] ſed tamen jam inſici debet iis artibus, quas ſi, *dum eſt tener*, combiberit, ad majora veniet [12] paratior: ſic, & quidem diligentiùs, ſæpiuſque iſta loquemur inter nos, agemuſque communiter. ſed reſideamus, inquit, ſi placet. itaque fecimus.
Tum ille: Tu autem, cùm ipſe tantum 3
librorum habeas, quos hic tandem requiris? Commentarios quoſdam, inquam, [13] Ariſtotelios, quos hic ſciebam eſſe, veni ut auferrem, quos legerem, dum eſſem otioſus: quod quidem nobis (ut ſcis) *non ſæpe contingit*. Quàm vellem, inquit, te ad Stoicos inclinaviſſes. erat enim, ſi cujuſquam, certè tuum, NIHIL PRÆTER VIRTUTEM IN BONIS DUCERE. Vide, ne magis, inquam, tuum fuerit, cùm re

1. *Quæ ipſi Græciæ nota ſunt.* Nolui fraudare deinceps lectorem ſcriptura Pall. quatuor. peſſime hactenus publicati, *non nota ſunt.* quibus enim quæſo utuntur Romani vocabulis in dialectica, in phyſica?

2. *Verbis tantum in docendo.*] Ita Pal. pr. melius longè quam in hunc diem, *tamen in dicendo.* quamvis & Aldus nepos vulgavit *docendo.*

3. *Stoici plurima novaverunt.*] Eſt à Pal. prim. & tert. & ita ferè ex vetuſtis Lambinus, nempe *novarunt.* cuſi vulgo, *nominaverunt.*

4. *De rebus non pervagatis.*] Sic Victorius, ſic Pall. quinque. editi olim *pervulgatis.*

5. *Quanto id nobis magis.*] Vulgg. *quanto id vel nobis.* ſed illud *vel* abeſt Pal. pr. Gulielmius conjecerat, *quanto idem nobis.*

6. *Conſequamur, quàm ea verba, &c.*] Publicati, *quamquam*, ſed eam lectionem damnat Pal. pr. mox etiam repoſui *præcepta ſunt*, loco *percepta*, fide Pal. tertii.

7. *Ut ſolebam inde promerem.*] Pal. pr. ſolummodò, *ut ſolebam depromerem.* Idem ſtatim non habet vocem *inexhauſta.*

8. *Quaſi helluari libris.*] Cur non revocarem inventum omnibus literis in mſ. veteri à Joſepho Scaligero collato, item in Palatino primo, niſi quod adſpiratio ibi ita picta eſſet ut *B* videri poſſit: unde etiam factum, ut in Cujaciano & Pal. quarto ad oram legeretur *beluaris.* hactenus receptum *heluo librorum*, in nullo exſtat Pall. habent enim omnes, *heluo libri.*

9. *Veni ad veſperum. cauſa autem.*] Nec heic volui excludere quod erat in Pal. pr. quod & quintus & ſext. parte ſua juvarent. cuſi; *veſperam. cauſa enim.* ineptè.

10. *Et Cæpioni noſtro.*] Hoc quoque debitum Pal. primo. quemadmodum dudum conjecerat P. Manutius, ſed non etiam ſtabilierat librorum fidis tibicinibus. vulgati *Scipioni*, & heic infra.

11. *Sed inſici tamen jam debet, &c.*] Scaliger noſter, adſcripſit, legere ſe *ſed ſuffici.* Sic Cicero Hortenſio: *Uti qui combibi purpuram volet, ſufficiunt prius lanam medicamentis quibuſdam, &c.*

12. *Paratior: ſic, & quidem diligentius, &c.*] Emendavi locum è Pal. pr. in quo tamen *paratior ſit. & quidem:* Lectio noſtra, ſententiæ magis quadrat, quam Lambinianum, nimis licenter invectum.

13. *Ariſtotelios.*] Ita Pal. pr. quomodo & in ſuis reperit Lambinus. idem paullo poſt ignorabat voculam *ut*, deinde præpoſitionem *in*, ideoque utramque expunxi; monitus præterea a Lambino abfuiſſe, item à ſuis.

re idem tibi, quod mihi videretur, non nova te rebus nomina imponere. ratio enim noſtra conſentit, oratio pugnat. Minimè verò, inquit ille, conſentit. quidquid enim præter id, quod honeſtum ſit, expetendum eſſe dixeris, in boniſque numeraveris: & *honeſtum ipſum, quaſi virtutis lumen*, exſtinxeris, & virtutem penitus everteris. Dicuntur iſta, Cato, magnificè, inquam: ſed videſne verborum gloriam tibi cum Pyrrhone, & Ariſtone, qui omnia exæquent, eſſe communem? de quibus, cupio ſcire, quid ſentias. Ergone quæris, inquit, ſcire, quid ſentiam? quos bonos viros, forteis, juſtos, moderatos aut audivimus in republica fuiſſe, aut ipſi vidimus; qui *ſine ulla doctrina naturam ipſam ſecuti, multa laudabilia fecerunt*; eos meliùs à natura inſtitutos fuiſſe, quàm inſtitui potuiſſent à philoſophia, ſi ullam aliam probaviſſent, præter eam, quæ nihil aliud in bonis habet, niſi honeſtum: nihil, niſi turpe, in malis: ceteræ philoſophorum diſciplinæ, [1] omnino alia magis alia; ſed tamen omnes, quæ rem ullam virtutis expertem aut in bonis, aut in malis numerent, eas non modò nihil adjuvare arbitror, [2] neque affirmare, quo meliores ſimus, ſed ipſam depravare naturam. [3] nam ſi hoc non obtineatur, *id ſolum bonum eſſe, quod honeſtum ſit:* nullo modo probari poſſit, *beatam vitam virtute effici.* quòd ſi ita ſit; [4] cur opera philoſophiæ ſit danda, neſcio. ſi enim ſapiens aliquis miſer eſſe poſſit, næ ego iſtam glorioſam, memorabilemque virtutem non magno æſtimandam pu-
4 tem. Quæ adhuc, Cato, à te dicta ſunt, eadem, inquam, dicere poſſes, ſi ſequerere Pyrrhonem, aut Ariſtonem. nec enim ignoras, his iſtud honeſtum, non ſummum modò, ſed etiam (ut tu vis) ſolum bonum videri. quod ſi ita eſt, ſequitur id ipſum, quod te velle video, omneis ſemper beatos eſſe ſapienteis. hoſne igitur laudas, & hanc eorum ſententiam ſequi nos cenſes oportere? Minimè verò iſtorum quidem, inquit; cùm enim virtutis hoc proprium ſit, earum rerum, quæ ſecundum naturam ſint, *habere delectum:* qui omnia ſic exæquaverunt, ut in utramque partem ita paria redderent, uti nulla ſelectione uterentur ejus, virtutem ipſam ſuſtulerunt. Iſtud quidem, inquam, optimè dicis: ſed quæro, [5] nonne tibi faciendum idem ſit, nihil dicenti bonum, quod non rectum, honeſtumque ſit, reliquarum rerum diſcrimen omne tollenti? Si quidem, inquit, tollerem: ſed relinquo. Quonam modo, inquam, ſi *una virtus*, unum iſtud, quod *honeſtum* appellas, *rectum, laudabile, decorum* (erit enim notius quale ſit, pluribus notatum vocabulis idem declarantibus) id ergo, inquam, ſi ſolum eſt bonum, quid habebis præterea, quod ſequare? aut, ſi *nihil malum, niſi quod turpe, inhoneſtum, indecorum, pravum, flagitioſum, fœdum*, ut hoc quoque pluribus nominibus inſigne faciamus: quid præterea dices eſſe fugiendum? Non ignoranti, inquit, tibi, quid ſim dicturus, ſed aliquid, ut ego ſuſpicor, ex mea brevi reſponſione arripere cupienti, non reſpondebo ad ſingula: explicabo potiùs, quoniam otioſi ſumus, niſi alienum putas, totam Zenonis, Stoicorumque ſententiam. Minimè id quidem, inquam, alienum: multumque ad ea, quæ quærimus, explicatio tua iſta profecerit. Experiamur igitur, inquit, etſi habet hæc Stoicorum ratio difficilius quiddam & obſcurius. nam cùm in Græco ſermone hæc ipſa quondam [6] rerum nomina novarum nova videbantur, quæ nunc *conſuetudo diuturna trivit:* quid cenſes in Latino fore? Facillimum id quidem eſt, inquam. ſi enim Zenoni licuit; cùm rem aliquam inveniſſet inuſitatam, inauditum quoque ei rei nomen imponere, cur non liceat Catoni? nec tamen exprimi verbum è verbo neceſſe erit, ut *interpretes indiſerti* ſolent, cùm ſit verbum, [7] quod idem declaret, magis uſitatum. equidem ſoleo etiam quod uno Græci, ſi aliter non poſſum, idem pluribus verbis exponere: & tamen puto concedi nobis oportere, ut *Græco verbo utamur, ſi quando minùs occurret Latinum*, ne hoc *ephippiis*, & *acratophoris*, potiùs, quàm *proegmenis*, & *approegmenis*, concedatur. quamquam hæc quidem [8] *præpoſita* rectè, & *rejecta* dicere licebit. Bene facis, inquit, quòd me adjuvas: & iſtis quidem, quæ modò dixiſti, utar potiùs Latinis. in ceteris ſubvenies, ſi me hærentem videbis. Sedulò, inquam, faciam. SED FORTUNA FORTEIS. quare conare, quæſo. quid enim hoc poſſumus agere divinius? Placet his, 5
inquit, quorum ratio mihi probatur, ſimulatque natum ſit animal (hinc enim eſt ordiendum) ipſum ſibi conciliari, & commendari ad ſe conſervandum, & ad ſuum ſtatum, [9] & ad ea, quæ conſervantia ſunt ejus ſtatus, diligenda: *alienari autem ab interitu*, iiſque rebus, quæ interitum videantur afferre. id ita eſſe ſic probant, quòd antè quàm voluptas, aut dolor, attigerit, ſalutaria appetant parvi, aſpernenturq; contraria. quod non fieret, niſi ſtatum ſuum diligerent, interitum timerent. fieri autem non poſſet, ut appeterent aliquid, niſi ſenſum haberent ſui, [10] eoque ſe, & ſua diligerent. ex quo intelligi debet, principium ductum eſſe [11] *à ſe diligendi.* In principiis autem naturalibus diligendi ſui plerique Stoici non putant voluptatem eſſe ponendam. quibus ego vehementer aſſentior: ne, ſi voluptatem natura poſuiſſe in iis rebus videatur, quæ primæ appetuntur, multa turpia ſequantur. ſatis eſſe autem argumenti videtur, quamobrem illa, quæ natura prima ſunt aſcita, natura diligamus; quòd eſt nemo, quin, cùm utrumvis liceat, APTAS MALIT, & integras omneis parteis corporis, quàm eodem uſu imminutas, aut detortas habere. [12] rerum autem cognitiones: vel, ſi hæc verba aut minùs placent, aut minùs intelliguntur, καταλήψεις appellemus licet: eas igitur ipſas propter ſe aſciſcendas arbitramur, quòd habeant quiddam in ſe quaſi complexum, & continens veritatem. id autem *in parvis* intelligi poteſt: quos delectari videamus, etiam ſi eorum nihil interſit, ſi quid ratione per ſe ipſi invenerunt: arteis etiam ipſas propter ſe aſſumendas putamus; cùm quia ſit in his aliquid dignum aſſumtione, tum quòd conſtent ex cognitionibus, & contineant quiddam in ſe ratione conſtitutum, & via: à falſa autem aſſenſione magis nos alienatos eſſe, quàm à ceteris rebus, quæ ſunt contra naturam, arbitrantur. Jam membrorum, id eſt,

---

1. *Omnino alia magis alia; ſed tamen.*] Palatinus pr. ſuſtulit heic Ciceronis ſolæcum, auferendo illud *minus*, quod in omnibus erat editionibus. itaque faceſſant deinde tot mutationes Lambini.

2. *Neque affirmare.*] Ab exilio revocari hanc ſcripturam, quod & Aldus & Victorius eam exhibuiſſent, hæreretque in Pall. ſex. recentiores admiſerant *afferre*.

3. *Nam ſi hoc non obtineatur, id ſolum.*] Primus Pal. *nam niſi hoc obtineatur.* quod miror cur iverint mutatum librarii.

4. *Cur opera Philoſophiæ.*] Sic quidem Pal. tert. & ſext. ſed tamen pr. ſec. quart. non admittunt illud *cur*. quintus verò ejus loco habet *an*; quomodo & ed. Victorii: adeo ut videatur expungendum.

5. *Nonne tibi faciendum, &c.*] Sic præcipuè è Palatinis. alii conſentiunt cum vulgg. *numne*.

6. *Rerum nomina novarum nova videbantur.*] Conjecturam hanc Paulli Manutii, ſcriptis ſuis adjuvari prodidit Lambinus. fieri poteſt; ſed Palatini non accedant; in quibus *novarum non videbantur*; aut *novantur non videbantur*. in ſexto vox *novarum* tota evanuit. Victorius ediderat, *novarum novabantur*. Scaligero placebat, *nomina novabantur*, reciſis ceteris.

7. *Quod idem declaret magis uſitatum.*] Expunxi vocem *minuſque*, ſed accedente auctoritate Pal. pr. ut & ipſius ſententiæ venuſtate. reſtat tamen in Pall. ceteris omnibus: adeo & heic verum eſt, *non graviſſimum eſſe teſtimonium multitudinis.*

8. *Præpoſita.*] Sic tres Pall. meliores, non *propoſita*, ut quondam cuſi.

9. *Et ad ea quæ conſervantia.*] Pall. ille pr. *æquè quæ conſervantia.* nihilo deterius, ſi non melius.

10. *Eoque ſe & ſua diligerent.*] Illud *& ſua*, non exſtat in Pal. pr. & eſt forſan adſutum alicujus librarii.

11. *A ſe diligendi.*] Pall. quinque iſtud habent. at pr. *diligendo*, ut & Urſini item Scaligeri codex. examinet otioſior.

12 *Rerum autem cognationes.*] Sic aliquot Palatini; & verò cum ſequatur, *ſi hæc verba aut minus placent*, fuit certè plus uno verbo. itaque omiſſum meritò revocavi. quemadmodum etiam bis repoſui voculam *aut*, ſuaſu earundem membranarum; cùm ſemel tantum repræſentaſſent edd. vulgatæ.

1. *Alia*

eſt, partium corporis alia videntur *propter eorum uſum* à natura eſſe donata, ut manus, crura, pedes, ut ea, quæ ſunt intus in corpore, quorum utilitas quanta ſit, à medicis etiam diſputatur: [1] alia autem nullam ob utilitatem, quaſi ad quendam ornatum, ut cauda pavoni, plumæ verſicolores columbis, viris mammæ, atque barba. Hæc dicuntur fortaſſe jejuniùs: ſunt enim quaſi prima elementa naturæ; quibus ubertas orationis adhiberi vix poteſt, nec equidem eam cogito conſectari: verumtamen cùm de rebus grandioribus dicas, *ipſæ res verba rapiunt.* ita fit cùm gravior, tum etiam ſpendidior oratio. Eſt ut dicis, inquam. ſed tamen OMNE, quod de re bona dilucidè dicitur, mihi præclarè dici videtur. iſtiuſmodi autem res dicere ornatè velle, puerile eſt: planè autem, & perſpicuè expedire poſſe,
6 docti, & intelligentis viri. Progrediamur igitur, quoniam, inquit, ab his principiis naturæ diſceſſimus: quibus congruere debent, quæ ſequuntur. ſequitur autem prima diviſio hæc. *Æſtimabile* eſſe dicitur: ſic enim, ut opinor, appellamus id, quod aut ipſum ſecundum naturam ſit, aut tale quid efficiat, ut ſelectione dignum propterea ſit, quòd aliquod pondus habeat dignum æſtimatione: quam ille ἀξίαν, vocat: contraque *inæſtimabile,* quod ſit ſuperiori contrarium. initiis igitur ita conſtitutis, ut ea, quæ ſecundum naturam ſunt, ipſa propter ſe ſumenda ſint, contrariaque item rejicienda; primum eſt *officium* (id enim appello καθῆκον) ut ſe conſervet in naturæ ſtatu: deinceps ut ea teneat, quæ ſecundum naturam ſint, pellatque contraria: [2] quæ, inventa ſelectione, & item rejectione, ſequuntur: deinceps cùm officio ſelectio; deinde ea perpetua, tum ad extremum conſtans, conſentaneaque naturæ: in qua primùm ineſſe incipit, [3] & intelligi, quid ſit, quod verè bonum poſſit dici. prima eſt enim *conciliatio hominis* ad ea, quæ ſunt ſecundum naturam. ſimul autem cepit intelligentiam, vel notionem potiùs, quam appellant ἔννοιαν illi, viditque rerum agendarum ordinem, &, ut dicam, *concordiam*: multò eam pluris æſtimavit, quàm omnia illa, quæ primùm dilexerat: [4] atque ita cognitione, & ratione collegit, ut ſtatueret, in eo collocatum SUMMUM illud hominis per ſe laudandum, & expetendum BONUM, quod cùm poſitum ſit in eo, quod ὁμολογίαν Stoici, nos appellemus *convenientiam*, ſi placet: cùm igitur in eo ſit id bonum, quò referenda ſunt omnia honeſtè facta, ipſumque honeſtum, quod in bonis ducitur, quamquam pòſt oritur, tamen id ſolum, vi ſua & dignitate expetendum eſt: eorum autem, quæ ſunt prima naturæ, propter ſe nihil expetendum. Cùm verò illa, quæ *officia* eſſe dixi, proficiſcantur ab initiis naturæ; ea ad hæc referri neceſſe eſt: ut rectè dici poſſit, *omnia officia eò referri, ut adipiſcamur principia naturæ:* nec tamen ut hoc ſit bonorum ultimum, propterea quòd non ineſt in primis naturæ conciliationibus honeſta actio. conſequens enim eſt, & pòſt oritur, ut dixi. eſt tamen ea ſecundum naturam, multoque nos ad ſe expetendam magis hortatur, quàm ſuperiora omnia. ſed ex hoc primùm error tollendus eſt, [5] ne quis ſequi exiſtimet, ut duo ſint ultima bonorum. Ut enim, ſicui ſit propoſitum, [6] collineare haſtam aliquò, aut ſagittam, ſicut nos [7] *ultimum* in bonis diximus: ſic illi facere omnia, quæ poſſit, ut collineet: huic in ejus ſimilitudine omnia ſint facienda, ut collineet; & tamen ut omnia faciat, quo propoſitum aſſequatur: ſed hoc, quaſi ultimum, quale nos ſummum in vita bonum dicimus: illud autem, ut feriat, *quaſi ſeligendum, non expetendum.* Cùm autem omnia officia à principiis 7
naturæ proficiſcantur, ab iiſdem neceſſe eſt proficiſci ipſam ſapientiam. Sed quemadmodum SÆPE FIT, ut is, qui commendatus ſit alicui, pluris eum faciat, cui commendatus ſit, quàm illum, [8] à quo; ſic minimè mirum eſt, primò nos ſapientiæ commendari ab initiis naturæ, pòſt autem ipſam ſapientiam nobis cariorem fieri, quàm illa ſint, à quibus ad hanc venerimus. atque ut membra nobis ita data ſunt, ut ad quandam rationem vivendi data eſſe appareant: ſic appetitio animi, quæ ὁρμὴ Græcè vocatur, non ad quodvis genus vitæ, ſed ad quandam formam vivendi videtur data: itemque & *ratio*, & *perfecta ratio.* [9] Ut enim hiſtrioni actio, ſaltatori motus, non quivis, ſed certus quidam eſt datus: ſic vita agenda eſt certo genere quodam, non quolibet: quod genus conveniens, conſentaneumque dicimus. nec enim gubernationi, aut medicinæ ſimilem ſapientiam eſſe arbitramur, ſed actioni illi potiùs, quam modò dixi, & ſaltationi, ut *in ipſa arte inſit,* non foris petatur extremum, id eſt, artis effectio. & tamen eſt etiam alia cum his ipſis artibus ſapientiæ diſſimilitudo; propterea quòd in illis, quæ rectè facta ſunt, non continentur tamen omnes partes, è quibus conſtant. quæ autem nos aut recta, aut rectè facta dicamus, ſi placet, illi autem appellant κατορθώματα, omneis numeros virtutis continent. ſola enim *ſapientia in ſe tota converſa eſt:* quod idem in ceteris artibus non fit. Inſcitè autem medicinæ, & gubernationis ultimum cum ultimo ſapientiæ comparatur. *ſapientia* enim & animi magnitudinem complectitur, & juſtitiam, & ut omnia, quæ homini accidant, infra ſe eſſe judicet: quod idem in ceteris artibus non contingit. Tenere autem virtutes eas ipſas, quarum modò mentionem feci, nemo poterit, niſi ſtatuerit, nihil eſſe, quod interſit, aut differat aliud ab alio, præter *honeſta,* & *turpia.* Videamus nunc, quàm ſint præclarè illa iis, quæ jam poſui, conſequentia. cùm enim hoc ſit extremum (ſentis enim, credo, me jam diu, quod τέλος Græcus dicat, id dicere tum *extremum,* tum *ultimum,* tum *ſummum*: licebit etiam *finem* pro extremo, aut ultimo dicere) cùm ergo hoc ſit extremum, congruenter naturæ, convenienterque vivere, neceſſario ſequitur, *omneis ſapienteis ſemper feliciter, abſolutè, fortunatè vivere, nulla re impediri, nulla prohiberi, nulla egere.* Quod autem continet non magis eam diſciplinam, de qua loquor, quàm vitam, fortunaſque noſtras, id eſt, ut, quod honeſtum ſit, id bonum ſolum judicemus. Poteſt id qui- 8
dem fusè, & copioſè, & omnibus electiſſimis verbis, graviſſimiſque ſententiis rhetoricè & augeri, & ornari: ſed conſectaria me Stoicorum, brevia, & acuta delectant. Concluduntur igitur eorum argumenta ſic: Quod eſt bonum, omne laudabile eſt. quod autem laudabile eſt, omne hone-

---

1. *Alia autem nullam ob utilitatem.*] Lectionem minus veram, arguit Pal. pr. in quo *alia utitur nullam, &c.* quo quid voluerit indicare librarius, neſcio.

2. *Quæ, inventa ſelectione.*] Obſcura iſta ſunt, ideoque nihil temerè audeo. verior tamen videtur ſcriptura Pal. primi & tertii: *Qua inventa ſelectione, & item rejectione, ſequitur deinceps cum officio ſelectio.*

3. *Et intelligi quid ſit.*] Victorii editio, omneſque Pall. *intelligit.*

4. *Atque ita cognitione & ratione.*] Sic Victorius & Pall. pr. ac tert. non ut arripuit Lambinus *cogitatione*, quod tamen in Pall. ceteris.

5. *Ne quis ſequi exiſtimet.*] Ita Lambini membranæ, ita Palatini Principis numero quatuor: ſtantque tantum duo ab illo vulgato *ne quis ſit qui exiſtimet.*

6. *Collineare haſtam aliquo, &c.*] Nolui diſcedere ab editione Victorii. aliæ enim *collimare*; quomodo ferè Pall. noſtri, niſi quod tert. *colimare*, quart. *collumare.* at primus ille diſertè habet *conliniare*; quod tamen magis comparet in ſequenti *conliniet.* quam probare debeam lectionem, neſcio. *fas ſcire non eſt omnia*; præſertim jam ſeni: nam juventuti ſane aliquid ignorare, turpiſſimum. itaque ipſa diſcutiat.

7. *Ultimum in bonis diximus.*] Nihil reperio auxilii in Pal. pr. reſpondet fere vulgatis: ſolummodò habet heic *dicimus*, & ſtatim *ejuſmodi*, pro publicato *ejus*, denique non agnoſcit illud *ut* ante *conliniet* ſecundo poſitum loco. Scaliger adſcripſit *huic in ejus*, cum vocibus ſequentibus ſeptem, non comparere in mſ. ſuo, & ſtatim loco *tamen*, adnotavit, *tum.* denique ex cod. vetere reſtituit, *nos ſummum bonum in vita bonum: illud* ſine dictione *dicimus.*

8. *A quo; ſic minimè, &c.*] Sic Lambinus ferè, hoc eſt, retento *ſit*; quod & in Pal. tert. ſed primo Pal. prorſus abeſt; neque ullo modo requiritur.

9. *Ut enim hiſtrioni actio, ſaltari motus.*] Quidam volunt, *actio ſaltatori motus*; ſed non habent faventes membranas.

1. *Nam*

honeſtum eſt. *bonum igitur quod eſt, honeſtum eſt.* Satiſne hoc concluſum videtur? Certe. quod enim efficiebatur ex his duobus, quæ erant ſumta, in eo vides eſſe concluſum. duorum autem, è quibus effecta concluſio eſt, contra ſuperius dici ſolet, *Non omne bonum eſſe laudabile.* [1] nam quod laudabile ſit, honeſtum eſſe conceditur. Illud autem perabſurdum, *Bonum eſſe aliquid, quod non expetendum ſit:* aut expetendum, quod non placens: aut, ſi id, non etiam diligendum. ergo & probandum. ita etiam laudabile. id autem honeſtum. ita ſit, ut, quod bonum ſit, id etiam honeſtum ſit. Deinde quæro, QUIS AUT de miſera vita poſſit gloriari, aut non de beata? de ſola igitur beata. ex quo efficitur, *gloriatione*, ut ita dicam, *dignam eſſe beatam vitam:* [2] quod non poſſit quidem niſi honeſtæ vitæ jure contingere. ita fit, ut honeſta vita, beata vita ſit. & quoniam is, CUI CONTINGIT, ut jure laudetur, habet inſigne quiddam ad decus, & ad gloriam, ut ob ea, quæ tanta ſint, beatus dici jure poſſit: idem de vita talis viri rectiſſimè dicitur. ita, ſi *beata vita honeſtate cernitur:* quod honeſtum eſt, id bonum ſolum habendum eſt. Quod verò negari nullo modo poſſit, quem umquam ſtabili, & firmo, & magno animo, quem fortem virum dicimus effici poſſe, niſi conſtitutum ſit, non eſſe malum dolorem? Ut enim *qui mortem in malis ponit, non poteſt eam non timere:* ſic nemo ulla in re poteſt id, [3] quod malum eſſe decernit, non curare, idque contemnere: quo poſito, & omnium aſſenſu approbato, illud aſſumitur, eum, qui magno ſit animo, atque forti, omnia, quæ cadere in hominem poſſint, deſpicere, & pro nihil putare. quæ cùm ita ſint, effectum eſt, NIHIL ESSE MALUM, QUOD TURPE NON SIT. Atque iſte vir altus, & excellens, magno animo, verè fortis, infra ſe omnia humana ducens, is inquam, quem efficere volumus, quem quærimus certè, & confidere ſibi debet, & ſuæ vitæ & actæ, & conſequenti: & benè de ſe judicare, ſtatuens NIHIL MALI POSSE INCIDERE SAPIENTI. ex quo intelligitur idem illud, ſolum bonum eſſe, quod honeſtum ſit; idque eſſe beatè vivere, honeſtè, id eſt, cum
9 virtute vivere. Nec verò ignoro varias philoſophorum fuiſſe ſententias, eorum dico, qui ſummum bonum, quod ultimum appello, in animo ponerent. quas quamquam vitioſè quidam ſecuti ſunt, tamen non modò his tribus, qui virtutem à ſummo bono ſegregaverunt, cùm aut voluptatem, aut vacuitatem doloris, aut prima naturæ in ſummis bonis ponerent, ſed etiam alteris tribus, qui mancam fore putaverunt, ſine aliqua acceſſione, virtutem, ob eamque rem trium earum rerum, quas ſuprà dixi, ſingulis ſingulas addiderunt: his tamen omnibus eos antepono, [4] cujuſmodi ſunt, qui ſummum bonum in animo, atque in virtute poſuerunt. Sed ſunt tamen perabſurdi & ii, qui, *cum ſcientia vivere*, ultimum bonorum, & qui nullam rerum differentiam eſſe dixerunt, atque ita ſapientem beatum fore, nihil aliud alii momento ullo anteponentem: ut quidam Academici conſtituiſſe dicuntur, extremum bonorum, & ſummum munus eſſe ſapientis, *obſiſtere viſis*, aſſenſuſque ſuos firmè ſuſtinere. His ſingulis copioſè reſponderi ſolet. ſed *quæ perſpicua ſunt, longa eſſe non debent.* Quid autem apertius, quàm, ſi ſelectio nulla ſit ab iis rebus, quæ contra naturam ſint, earum rerum quæ ſint ſecundum naturam, tollatur omnis ea, quæ quæratur, laudeturque prudentia? Circumſcriptis igitur iis ſententiis, quas poſui, [5] & iis, quæ ſimiles earum ſunt, relinquitur, ut ſummum bonum ſit, VIVERE, ſcientiam adhibentem earum rerum, quæ natura eveniant, ſeligentem, quæ ſecundum naturam, &, ſi quæ etiam contra naturam ſunt, rejicientem, id eſt convenienter, congruenterque naturæ vivere. Sed in ceteris artibus cùm dicitur artificioſè, poſterum quodammodo, & conſequens putandum eſt: quod illi ἐπιγεννηματικὸν appellant. quod autem in quo ſapienter dicimus, [6] id adprimò rectiſſimè dicitur. *quidquid enim à ſapiente proficiſcitur, id continuò debet expictum eſſe omnibus ſuis partibus.* in eo enim poſitum eſt id, quod dicimus eſſe expetendum. nam ut PECCATUM EST, patriam prodere, parenteis violare, fana depeculari, quæ ſunt in effectu; ſic timere, ſic mœrere, ſic in libidine eſſe, peccatum eſt, *etiam ſine effectu.* verùm ut hæc non in poſteris, & in conſequentibus, ſed in primis continuò peccata ſunt: ſic ea, quæ proficiſcuntur à virtute, ſuſceptione prima, non perfectione, recta ſunt judicanda. Bonum autem, 10
quod in hoc ſermone toties uſurpatum eſt, [7] id etiam definitione explicetur. ſed eorum definitiones paullum oppidò inter ſe differunt, & tamen eodem ſpectant. Ego aſſentior Diogeni, qui *bonum* definierit, id, quod eſſet natura abſolutum. id autem ſequens, illud etiam quod prodeſſet (ὠφέλημα enim ſic appellemus) motum, aut ſtatum eſſe dixit, è natura abſoluta. Cùmque rerum notiones in animis ſtant, ſi aut uſu aliquid cognitum ſit, aut conjunctione, aut ſimilitudine, aut collatione rationis; hoc quarto, quod extremum poſui, [8] *bonum, notitia* facta eſt. cùm enim ab iis rebus, quæ ſunt ſecundum naturam, adſcendit animus collatione rationis, tum ad notionem boni pervenit. Hoc autem ipſum bonum, non acceſſione, neque creſcendo, aut cum ceteris comparando, ſed *propria vi ſua* & ſentimus, & appellamus bonum. Ut enim mel, etſi dulciſſimum eſt, ſuo tamen proprio genere ſaporis, non comparatione cum aliis, dulce eſſe ſentitur: ſic bonum hoc, de quo agimus, eſt illud quidem plurimi æſtimandum, ſed ea æſtimatio *genere valet, non magnitudine.* nam cùm æſtimatio, quæ ἀξία dicitur, neque in bonis numerata ſit, neque rurſus in malis: quantum cumque eò addideris, in ſuo genere manebit. alia eſt igitur propria æſtimatio virtutis: quæ genere, non creſcendo, valet. Nec verò perturbationes animorum, quæ vitam inſipientium miſeram, acerbamque reddunt: quas Græci πάθη appellant (poteram ego verbum ipſum interpretans, *morbos* appellare: ſed non conveniret ad omnia: quis enim miſericordiam, aut ipſam iracundiam, morbum ſolet dicere? at illi dicunt πάθος. ſit igitur *perturbatio*, quæ nomine ipſo vitioſa declarari videtur:) nec hæ perturbationes vi aliqua naturali moventur: [9] omneſque hæ ſunt genere quattuor, partibus plures, ægritudo, formido, libido, quamque Stoici communi nomine corporis, & animi, ἡδονὴν appellant, ego malo *lætitiam* appellare, quaſi geſtientis animi elationem voluptariam. perturbationes autem nulla naturæ vi commoventur: omniaque ea, ſunt opiniones, ac *judicia levitatis.* itaque his ſapiens ſemper vacabit. Omne autem, quod honeſtum ſit, 11
id eſſe propter ſe expetendum commune nobis eſt cum multo-

---

1. *Nam quod laudabile ſit, honeſtum eſſe conceditur.*] Ediderat hoc modo quidem Lambinus, ſed dubium e conjecturane an è membranis. at nunc ita quoque legi in Pal. pr. teſtor.

2. *Quod non poſſit quidem niſi, &c.*] Vox *quidem* non videtur in Pal. pr. at reſtat ea in Pall. ceteris; e quibus habet ſec. *quidem in honeſtæ vitæ jure conting.* quod & reſtat in quart. quinto, ſexto. habetque ſuam heic quoque ſententiam minimè abſurdam. perpendant accuratiores.

3. *Quod malum eſſe decernit.*] Pal. pr. *decreverit* melius.

4. *Cujuſcujuſmodi ſunt.*] Eſt à Lambino. communis enim lectio, *Cujuſmodi ſunt*; quomodo & Pall. quinque. nam primus noſter heic mutilus eſt; habetque tantum; *eos ante potui modi ſunt.*

5. *Et his quæ ſimiles.*] Pal. pr. & Scalig. & *iis ſi quæ ſimiles.* mox verò eandem voculam non agnoſcunt, ubi vulgo eſt; *& ſi quæ etiam contra naturam, &c.* quam & abjecit Lambinus.

6. *Id adprimo rectiſſimè dicitur.*] Eſt à Pal. pr. à quo non recedunt alii, quàm quod *apprime*; quomodo & Vict. ed. nam Lambiniana, *apprimè rectè dicitur.*

7. *Et definitione explicetur.*] Non admodum diſplicet ſcriptura Palatini pr. *explicatur.*

8. *Bonum notitia facta eſt.*] Recentius cuſi; *bonorum*; ſed alterum eſt in Victoriana, habentque Palatini notæ ſelectioris. at Scaliger inter lineas poſuit, *bonum boni notitia factum eſt.*

9. *Omneſque hæ ſunt genere quatuor.*] Pal. pr. non habet illud *hæ.* penitus enim eraſum eſt à manu emendatrice.

1. *Quam*

multorum aliorum philoſophorum ſententiis. præter enim treis diſciplinas, quæ virtutem à ſummo bono excludunt, ceteris omnibus philoſophis hæc eſt tuenda ſententia, maximè tamen his Stoicis, qui nihil aliud in bonorum numero, niſi honeſtum, eſſe voluerunt. Sed hæc quidem eſt perfacilis, & perexpedita defenſio. QUIS EST ENIM, AUT QUIS UMQUAM FUIT aut avaritia tam ardenti, aut tam effrenatis cupiditatibus, ut eandem illam rem, [1] quam adipiſci ſcelere quovis velit, non multis partibus malit ad ſeſe, etiam omni impunitate propoſita, ſine facinore, quàm illo modo pervenire? QUAM VERO utilitatem, aut quem fructum petentes, ſcire cupimus, illa, quæ occulta nobis ſunt, [2] quò moveantur, quibuſque de cauſis ea verſentur in cœlo? quis autem tam agreſtibus inſtitutis vivit, aut quis contra ſtudia naturæ tam vehementer obduravit, ut à rebus cognitu dignis abhorreat, eaſque ſine voluptate, aut utilitate aliqua non requirat, & pro nihilo putet? aut quis eſt, qui majorum, aut Africanorum, aut ejus, [3] quem tu in ore ſemper habes, proavi mei, ceterorumque virorum fortium, atque omni virtute præſtantium, *facta*, *dicta*, *conſilia* cognoſcens, nulla animo afficiatur voluptate? quis autem honeſta in familia inſtitutus, & educatus ingenuè, non *ipſa turpitudine, etiam ſi eum læſura non ſit, offenditur*? quis animo æquo videt eum, quem impurè, ac flagitioſè putet vivere? quis non odit ſordidos, vanos, leveis, futileis? Quid autem dici [4] poterit, ſi turpitudinem non ipſam per ſe fugiendam eſſe ſtatuemus, quò minùs homines *tenebras, & ſolitudinem nacti*, nullo dedecore ſe abſtineant, niſi eos per ſe fœditate ſua turpitudo ipſa deterreat? Innumerabilia dici poſſunt in hanc ſententiam: ſed non neceſſe eſt. nihil eſt enim, de quo minùs dubitari poſſit, quàm & honeſta, expetenda per ſe, & eodem modo turpia, per ſe eſſe fugienda. Conſtituto autem illo, de quo antè [5] diximus, quod honeſtum ſit, id eſſe ſolum bonum: intelligi neceſſe eſt, pluris id, quod honeſtum ſit, æſtimandum eſſe, quàm illa media, quæ ex eo comparentur. STULTITIAM autem, & temeritatem, & injuſtitiam, & intemperantiam cùm dicimus eſſe fugienda propter eas res, quæ ex ipſis eveniant, non ita dicimus, ut cum illo, quod poſitum eſt, ſolum id eſſe malum, quod turpe ſit, hæc pugnare videatur oratio: propterea quod ea non ad corporis incommodum referuntur, ſed ad turpeis actiones, quæ oriuntur è vitiis. quas enim Græci κακίας appellant, *vitia* malo, quàm *malitias* nominare.

12 [6] Næ tu, inquam, Cato, verbis illuſtribus, & id, quod vis, declarantibus. Itaque mihi videris Latinè docere philoſophiam, & ei quaſi civitatem dare: quæ quidem adhuc peregrinari Romæ videbatur, nec offerre ſeſe noſtris [7] ſermonibus: & iſta maximè propter limatam quandam & rerum, & verborum tenuitatem. ſcio enim eſſe quoſdam, [8] qui quavis lingua philoſophari poſſint, nullis tamen partitionibus, nullis definitionibus [9] utuntur; ipſique dicunt, ea ſe modò probare, quibus natura tacita aſſentiatur. Itaque in rebus minimè obſcuris non multus eſt apud eos diſſerendi labor. Quare attendo te ſtudioſè, &, quæcumque rebus iis, de quibus hic ſermo eſt, nomina imponis, memoriæ mando. mihi enim erit iiſdem iſtis fortaſſe jam utendum. Virtutibus igitur rectiſſimè mihi videris, & ad conſuetudinem noſtræ orationis, vitia poſuiſſe contraria. quod enim vituperabile eſt per ſe ipſum, id eo ipſo vitium nominatum puto, vel etiam à *vitio* dictum *vituperari*. ſin κακίαν, *malitiam* dixiſſes, ad aliud nos unum certum vitium conſuetudo Latina traduceret. [10] nunc omni virtuti vitium contrario nomine opponitur. Tum ille: His igitur ita poſitis, inquit, ſequitur magna contentio: [11] quam tractatam à Peripateticis molliùs (eſt enim eorum conſuetudo dicendi non ſatis acuta, propter *ignorationem dialecticæ*) Carneades tuus egregia quadam exercitatione in dialecticis, ſummaque eloquentia, rem in ſummum diſcrimen adduxit: propterea quòd pugnare non deſtitit, in omni hac quæſtione, quæ de bonis, & malis appelletur, non eſſe *rerum* Stoicis cum Peripateticis *controverſiam*, *ſed nominum*. mihi autem nihil tam perſpicuum videtur, quàm has ſententias eorum philoſophorum re inter ſe magis, quàm verbis diſſidere: [12] majorem multo inter Stoicos, & Peripateticos rerum eſſe ajo diſcrepantiam, quàm verborum. quippe cùm Peripatetici omnia, quæ ipſi bona appellant, pertinere dicant ad beatè vivendum: [13] noſtri verò, quod æſtimatione omnino aliqua dignum ſit, complecti beatam vitam putent. An verò certius quidquam poteſt eſſe, [14] quàm 13
illorum ratione, qui dolorem in malis ponunt, *non poſſe ſapientem beatum eſſe*, cùm eculeo torqueatur? eorum autem, qui dolorem in malis non habent, [15] ratio certè cogit, uti *in omnibus tormentis* conſervetur beata vita ſapienti. Etenim ſi DOLORES eoſdem tolerabiliùs patiantur, qui excipiunt eos pro patria, quàm qui leviore de cauſa: *opinio* facit, non *natura*, vim doloris aut majorem, aut minorem. Ne illud quidem eſt conſentaneum, ut, ſi, cùm tria genera bonorum ſint, quæ ſententia eſt Peripateticorum, eo beatior quiſque ſit, quo ſit corporis, aut externis bonis plenior, ut hoc idem approbandum ſit nobis, ut qui plura habeat, quæ in corpore magni æſtimantur, ſit beatior. illi enim *corporis commodis compleri vitam beatam* putant: noſtri

1. *Quam adipiſci ſcelere quovis velit.*] Satisfacit judicio meo magis quod eſt in Pal. pr. ſec. quart. *quamquam adipiſci*.

2. *Quò moveantur.*] Lambinus, *quei moveantur*. ſed melius Pall. *quomodo moveantur*: niſi malimus cum codice Scaligerano, *quomodo novantur*: quod verius videtur; utique cum mox præferant Pall. omnes *verſantur*, non *verſentur*.

3. *Quem tu ſemper in ore habes.*] Si fides Palatino primo, vox *habes* ſpuria eſt, adjecta à ſciolo, ſupplendæ ſententiæ.

4. *Poterit, ſi turp. non ipſam per ſe fug. ſtatuemus.*] Ita aliquot Pall. neque longè aliter quidam, quos conſuluit Lambinus. vulgati, *poterat, &c. ſtatuerimus*.

5. *Diximus quod honeſtum ſit.*] Non minus rectè Palatinus pr. *honeſtum eſſet*.

6. *Næ tu, inquam, Cato.*] Sic cum aliorum mſſ. Palatinus pr. nam editi invenuſtius, *Hæc tu, &c.*

7. *Sermonibus: & iſta maximè.*] Non recedit ab hac ſcriptura Pal. pr. at ceteri omnes accedunt Lambinianis, habentque: *& iſtam*. Scaliger indicat fuiſſe tantum in mſ. ſuo, *ſermonibus è liſta propter*. unde fingebat, *ſermonibus eſt quita propter, &c.*

8. *Qui quavis lingua.*] Victorii editio, aliorumque *quamvis*, ſed prior extat in Aldina vetere, retinetque Pal. pr.

9. *Utuntur; ipſique dicunt ea ſe modo.*] Redintegravit locum hunc controverſum Pal. pr. antea legebatur, *utuntur ipſi, qui dicunt*, plurimumque faceſſit negotii Paullo Manutio.

10. *Nunc omni virtuti vitium, &c.*] Longè planius ita Pal. pr. quàm vulgati, *hoc omni, &c.* & verò ſic etiam mutavit Aldus Nepos, quod pater quoque reperiſſet noſtrum *nunc* in libro vetere. Scaliger videtur reperiſſe in veteri ſuo, hoc enim virtuti contrario nomine opponit.

11. *Quam tractatam à Peripateticis mollius (eſt enim, &c.)*] Ita ſcripſimus, ita diſtinximus moti auctoritate Pall. pr. quarti, quinti. ſine omni gratia. prius publicati: *quæ pertractata eſt à Peripateticis mollius. eſt enim, &c.*

12. *Majorem multo inter Stoicos & Peripateticos rerum eſſe ajo diſcrepantiam.*] Nata hæc pulcra lectio à Palat. primo. languide admodum retrò vulgati, *majorem multo habere St. & Perip. rerum omnino diſcrepantiam*. noſtram quoque firmat Scaligeri liber, niſi quod is, *animo*.

13. *Noſtri verò, quod æſtimatione omnino aliqua dignum ſit complecti, &c.*] Lectio non bona. nam primò Pall. omnes rectè habent, *compleri*; quod & in Aldina veteri. præterea Pal. pr. reponit: *noſtri non quod ex omni æſtimatione aliqua*; ejecto *omnino*; neque aliter Pal. quartus, niſi quod is non agnoſcat *ex omni*, ac retineat *omnino*. conſtituat iſthæc cui otium eſt: ego nimis feſtino.

14. *Quam illorum ratione, qui.*] Lambini eſt, ſed è libris ut ait; proximeque eis accedit Pal. pr. in quo, *quam illo ratione qui*. tert. ac quart. habent, *quam illa ratio eſt qui, &c.* vulgati, *quam illa ratio eorum, qui, &c.* Scaligeri vetus habebat *quàm ratione eorum qui, &c.* appoſitumque ex alio codice, *quam illa ratio eſt, qui, &c.*

15. *Ratio certè cogit.*] Non abhorreo ab emendatione Lambini: ſed haud etiam approbant ipſam noſtri veteres.

ſtri nihil minùs. nam cùm ita placeat, ne eorum quidem bonorum, quæ nos [1] bona naturæ appellemus, frequentia beatiorem vitam fieri, aut magis expetendam, aut pluris æſtimandam: certe minùs ad beatam vitam pertinet multitudo corporis commodorum. etenim ſi & SAPERE, expetendum ſit, & VALERE: conjunctum utrumque magis expetendum ſit, quàm ſapere ſolùm. neque tamen, ſi utrumque ſit æſtimatione dignum, pluris ſit conjunctum, quàm ſapere ipſum ſeparatum. nam qui valitudinem [2] æſtimatione aliqua dignam judicamus, neque tamen eam in bonis ponimus, iidem cenſemus NULLAM ESSE tantam æſtimationem, ut ea virtuti anteponatur. quod idem Peripatetici non tenent: quibus dicendum eſt, quæ & honeſta actio ſit, & ſine dolore eam magis eſſe expetendam, quàm ſi eſſet eadem actio cum dolore. nobis aliter videtur: rectè, ſecuſne, poſtea. ſed poteſtne rerum major eſſe diſ-
14 ſenſio? Ut enim obſcuratur, & *offunditur luce ſolis lumen lucernæ*; & ut interit magnitudine maris Ægei, ſtilla muriæ; & ut in divitiis Crœſi, teruncii acceſſio; & gradus unus in ea via, quæ eſt hinc in Indiam: ſic, cùm ſit is bonorum finis, quem Stoici dicunt, omnis iſta [3] rerum in corpore ſitarum æſtimatio, *ſplendore virtutis*, & magnitudine obſcuretur, & obruatur, atque intereat neceſſe eſt. Et quemadmodum *opportunitas* (ſic enim appellemus εὐκαιρίαν) non fit major productione temporis (*habent enim ſuum modum quæcumque opportuna dicuntur*) ſic recta effectio: κατόρθωσιν enim ita appello, quoniam rectum factum (κατόρθωμα) recta igitur effectio, item convenientia, denique ipſum bonum, quod in eo poſitum eſt, ut naturæ conſentiat, creſcendi acceſſionem nullam habet. ut enim opportunitas illa, ſic hæc, de quibus dixi, non fiunt temporis productione majora: ob eamque cauſam Stoicis non videtur *optabilior*, nec magis expetenda *beata vita*, *ſi ſit longa, quam ſi brevis*: utunturque ſimili. ut ſi cothurni laus illa eſſet, ad pedem aptè convenire, neque multi cothurni paucis anteponerentur, nec majores minoribus: ſic quorum omne bonum convenientia, atque opportunitate finitur, nec plura paucioribus, nec longinquiora brevioribus anteponentur. nec verò ſatis acute dicunt: Si bona *valitudo pluris æſtimanda ſit longa, quàm brevis*, ſapientiæ quoque uſus longiſſimus quiſque ſit plurimi. non intelligunt, valitudinis æſtimationem *ſpatio* judicari: virtutis *opportunitate*: ut videantur [4] qui illud dicant, iidem hoc eſſe dicturi, bonam mortem, & bonum partum, meliorem longum eſſe, quàm brevem. non vident, alia brevitate pluris æſtimari: alia, diuturnitate. itaque conſentaneum eſt his, quæ dicta ſunt, ratione illorum, qui illum bonorum finem, quod appellamus extremum, quod ultimum, [5] creſcere putent poſſe, iiſdem placere, eſſe alium alio etiam ſapientiorem, itemque alium magis alio vel peccare, vel rectè facere. quod nobis non licet dicere: qui creſcere bonorum finem non putamus. ut enim qui DEMERSI ſunt in aqua, nihilo magis reſpirare poſſunt, ſi non longè abſunt a ſummo, ut jam, jamque poſſint emergere, quàm ſi etiam tum eſſent in profundo: nec catulus ille, qui jam appropinquat, ut videat, plus cernit, quàm is qui modò eſt natus: [6] ita QUI PROCESSIT [7] aliquantum ad virtutis aditum, nihilominùs in miſeria eſt, quàm ille, qui nihil
proceſſit. Hæc mirabilia videri intelligo. ſed cùm certè 15
ſuperiora firma, ac vera ſint, his autem ea conſentanea, & conſequentia; ne de eorum quidem veritate eſt dubitandum. ſed quamquam negent, *nec virtutes, nec vitia creſcere*: attamen utrumque eorum fundi quodammodò, & quaſi dilatari putant. DIVITIAS autem Diogenes cenſet non eam modò vim habere, ut quaſi duces ſint ad voluptatem, & ad valitudinem bonam, ſed etiam ut ea contineant: non idem facere eas in virtute, neque in ceteris artibus, ad quas eſſe *dux pecunia poteſt*, *continere autem non poteſt*. itaque ſi voluptas, aut ſi bona valitudo ſit in bonis, divitias quoque in bonis eſſe ponendas: at, ſi ſapientia bonum ſit, non ſequi, ut etiam divitias bonum eſſe dicamus: nec ab ulla re, quæ non ſit in bonis, id quod ſit in bonis, contineri poteſt, ob eamque cauſam [8] quia cogitationes, comprehenſioneſque rerum, è quibus efficiuntur artes, appetitionem movent; cùm divitiæ non ſint in bonis, nulla ars divitiis contineri poteſt. quod ſi de artibus concedamus, virtutis tamen non ſit eadem ratio, propterea quòd hæc plurimæ commentationis, & exercitationis, indigeat; quod idem in artibus non ſit: & quòd *virtus ſtabilitatem, firmitatem, conſtantiam totius vitæ complectatur*, nec eadem hæc in artibus eſſe videamus. Deinceps explicatur differentia rerum: quam ſi non ullam eſſe diceremus, confunderetur omnis vita, ut ab Ariſtone: nec ullum ſapientiæ munus, aut opus inveniretur, cùm inter res eas, quæ ad vitam degendam pertinerent, nihil omnino intereſſet, neque ullum delectum adhiberi oporteret. itaque cùm eſſet ſatis conſtitutum, *id ſolum eſſe bonum, quod eſſet honeſtum, & id malum ſolum, quod turpe*: [9] tum inter hæc, & illa, quæ nihil valerent ad beatè, miſereve vivendum, aliquid tamen, quo differrent, eſſe voluerunt, ut eſſent eorum alia æſtimabilia, alia contrà, alia neutrum. quæ autem æſtimanda eſſent, eorum in aliis ſatis eſſe cauſæ, quamobrem quibuſdam *anteponerentur*, ut in valitudine, ut in integritate ſenſuum, ut in doloris vacuitate, ut gloriæ, divitiarum, ſimilium rerum: [10] alia autem non eſſe ejuſmodi: Itemque eorum, quæ nulla æſtimatione digna eſſent, partim ſatis habere cauſæ, quamobrem *rejicerentur*, ut dolorem, morbum, ſenſuum amiſſionem, paupertatem, ignominiam, ſimilia horum: partim non. Itemque hinc eſſe illud exortum, quod Zeno προηγμένον contraque quod ἀποπροηγμένον nominavit, cùm uteretur in lingua copioſa factis tamen nominibus, ac novis: quod nobis in hac *inopi lingua* non conceditur. quamquam tu hanc copioſiorem etiam dicere ſoles. ſed non alienum eſt, quo faciliùs vis verbi intelligatur, rationem [11] hujus verbi faciendi Zenonis
exponere. Ut enim, inquit, nemo dicit, in regia *regem* 16
ipſum quaſi productum eſſe ad dignitatem (id enim eſt προηγμένον) ſed eos, qui in aliquo honore ſint, quorum ordo pro-

1. *Bona naturæ appellemus.*] Pal. pr. & quart. *Bona verè app.* quod cum & repererint in ſuis alii, non diſplicet.

2. *Æſtimatione aliqua dignam judicamus.*] Manavit à Pal. pr. ſec. tert. hactenus fere publicati, *videamus*. inepte. quare expreſſit & Aldus Nepos illud noſtrum. recentiores verò adſumpſerunt *videmus*.

3. *Rerum in corpore ſitarum.*] Ita ex Maffæi libro P. Manutius; cum prius legeretur *in corpore harum*, quomodo & quatuor Palatini. nam ſec. ac tert. exhibent nobis *incorporearum*; ut nihil certius ſit ita legendum, vel omiſſa ſyllaba, *corporearum*. neque enim tantum mihi eſt otii ut penitus rem excutiam. etiam Scaliger, ad oram libri ſui ſcripſerat e veteri libro *incorporearum*. ſed idem expunxerat ſtatim illud *inc.* ſubjeceratque σωματικῶν.

4. *Qui illud dicant, iidem hoc eſſe dicturi.*] Si ſtandum eſt, ut arbitror auctoritati Pal. pr. reſecanda ſunt tria illa verba, *qui illud dicant*, tanquam a gloſſemate lectoris.

5. *Creſcere putent poſſe, iiſdem placere, &c.*] Palat. pr. diſtinxit, *putent, poſſe iiſdem, &c.* non ita abſurde.

6. *Ita qui proceſſit, &c.*] Malè vulgati *item*. alterum eſt in aliquot Pall. & editione Victorii.

7. *Proceſſit aliquantum ad virtutis aditum.*] Non averſatur auris, *habitum*, quod extat in Pal. ſec. eſt etiam in tertio à manu prima *additum*. Err. Stephanus divinabat, *adeptum* pro *adeptione*. propius literas fuiſſet, *adytum*; ut poëticè id poſuiſſet pro templo.

8. *Quia cognitiones comprehenſioneſque.*] Non eſt quod jactet Lambinus ita ſe reſtituiſſe libris reclamantibus. nam ſic omnino Pal. prim. reſtat tamen vulgatum illud *cogitationes*, in mſſ. noſtris ceteris.

9. *Inter hæc & illa quæ nihil valerent.*] Pal. pr. *Inter illa quæ.* ſec. & ſext. *hæc inter illa quæ nihil valerent.* tert. quart. quint. *tum hæc ut illa quæ nihil val.*

10. *Alia autem non eſſe ejuſmodi.*] Dubites de ſinceritate ſcripturæ, ob Pal. pr. in quo, *alii autem ejuſmodi.*

11. *Hujus verbi faciendi Zenonis.*] Pal. tert. *facundi.* voluit forſan exprimere antiquè *faciundi*.

1. Quo

proximè accedit, ut ſecundus ſit ad regium principatum: ſic in vita non ea, [1] quæ primario loco ſunt, ſed ea, quæ ſecundum locum obtinent, προηγμένα, id eſt, *producta* nominentur. quæ vel ita appellemus (id erit verbum è verbo) [2] vel *promota*, & *remota*, vel ut dudum diximus, *præpoſita*, vel *præcipua*, & illa *rejecta*. re enim intellecta, in verborum uſu faciles eſſe debemus. quoniam autem omne, quod eſt bonum, primum locum tenere dicimus, neceſſe eſt, nec bonum eſſe, nec malum hoc, quod *præpoſitum*, vel *præcipuum* nominamus. itaque id definimus, quod ſit *indifferens, cum æſtimatione mediocri*. quod enim illi ἀδιάφορον dicunt, id mihi ita occurrit, ut *indifferens* dicerem. neque enim illud fieri poterat ullo modo, ut nihil relinqueretur in mediis, quod aut ſecundum naturam eſſet, aut contrà: nec, cùm id relinqueretur, nihil in his poni, quod ſatis æſtimabile eſſet: [3] nec hoc poſito, non aliqua eſſent præpoſita. Recté igitur hæc facta diſtinctio eſt, atque etiam ab iis, quò faciliùs res perſpici poſſit, hoc ſimile ponitur. Ut enim, inquiunt, ſi hoc fingamus eſſe quaſi finem, & ultimum, ita pars jacere talum, ut rectus aſſiſtat: qui ita talus erit jactus, ut cadat rectus, præpoſitum quiddam habebit ad finem: qui aliter, contrà: neque tamen illa præpoſitio tali, ad eum, quem dixi, finem pertinebit: ſic ea, quæ ſunt præpoſita, referuntur illa quidem ad finem: ſed ad ejus vim, naturamque nihil pertinent. Sequitur illa diviſio, ut bonorum alia ſint ad illud ultimum pertinentia, (ſic enim appello, quæ τελικὰ dicuntur: [4] jam hoc ipſum inſtituamus, ut placuit, *pluribus verbis dicere*, [5] *quod uno non poterimus*: ut res intelligatur) alia autem efficientia, quæ Græci, ποιητικὰ, alia utrumque. de pertinentibus, nihil eſt bonum, præter *actiones honeſtas*. de efficientibus, nihil præter *amicum*. Sed & pertinentem, [6] & efficientem ſapientiam volunt eſſe. nam quia ſapientia eſt conveniens actio, [7] eſt illo pertinenti genere, quod dixi. quod autem honeſtas actiones affert, & efficit, id efficiens dici poteſt.

17 Hæc, quæ præpoſita dicimus, partim ſunt per ſe ipſa præpoſita, partim quòd aliquid efficiunt, partim utrumque. per ſe, ut quidam *habitus oris*, & vultus, ut ſtatus, ut motus: in quibus ſunt & præponenda quædam, & rejicienda: alia ob eam rem [8] præpoſita dicuntur, quòd ex ſe aliquid efficiant, ut *pecunia*: alia autem ob utramque rem, ut *integri ſenſus*, ut bona valitudo. de bona autem fama (quam enim appellant εὐδοξίαν, aptius eſt hoc loco *bonam famam*, appellare, quàm gloriam) Chryſippus quidem, & Diogenes, detracta utilitate, ne digitum quidem, ejus cauſa, porrigendum eſſe dicebant. quibus ego vehementer aſſentior. qui autem poſt eos fuerunt, cùm Carneadem ſuſtinere non poſſent, hanc, quam dixi, bonam famam, ipſam propter ſe præpoſitam, & ſumendam eſſe dixerunt, eſſeque *hominis ingenui, & liberaliter educati, velle bene audire à parentibus, à propinquis, à bonis etiam viris*, idque propter rem ipſam, non propter uſum: dicuntque, ut liberis conſultum velimus, etiam ſi poſtumi futuri ſint, propter ipſos: ſic futuræ poſt mortem famæ tamen eſſe propter rem, etiam detracto uſu, conſulendum. Sed, cum, quod *honeſtum ſit, id ſolum bonum eſſe dicamus*: conſentaneum tamen eſt, fungi officio, cùm id officium, nec in bonis ponamus, nec in malis. eſt enim aliquid in his rebus probabile, & quidem ita, ut ejus ratio reddi poſſit. [9] ergò ut etiam probabiliter acti ratio reddi poſſit. Eſt autem OFFICIUM, quod ita factum eſt, ut ejus facti probabilis ratio reddi poſſit. ex quo intelligitur, officium medium quoddam eſſe, quod neque in bonis ponatur, neque in contrariis. quoniamque in iis rebus, quæ neque in virtutibus ſunt, neque in vitiis, eſt tamen quiddam, quod uſui poſſit eſſe: tollendum id non eſt. Eſt autem ejus generis actio quoque quædam, & quidem talis, ut ratio poſtulet agere aliquid, & facere, eorum. quod autem ratione actum ſit, id officium appellamus. Eſt igitur officium ejus generis, quod nec in bonis ponatur, nec in contrariis. [10] Atqui per- 18
ſpicuum etiam illud eſt, in iſtis rebus mediis aliquid agere ſapientem. judicat igitur, cùm agit officium illud eſſe. quod quoniam *numquam fallitur in judicando*, erit in mediis rebus officium: quod efficitur etiam hac concluſione rationis. Quoniam enim videmus eſſe quiddam quod rectè factum appellemus, id autem eſt perfectum officium: erit autem etiam inchoatum: ut, ſi *juſtè depoſitum reddere*, in rectè factis ſit: in officiis ponatur, depoſitum reddere: illo enim addito, *juſtè*, facit rectè factum: per ſe autem hoc ipſum reddere, in officio ponitur: quoniamque non dubium eſt, quin in iis, quæ media dicimus, ſit aliud ſumendum, aliud rejiciendum: quidquid ita ſit, aut dicitur, [11] communi officio continetur. ex quo intelligitur, quoniam *ſe ipſos omnes natura diligunt*, tam inſipientem, quàm ſapientem, ſumturum quæ ſecundum naturam ſint, rejecturumque contraria. Ita eſt quoddam commune officium ſapientis & inſipientis. ex quo efficitur, verſari in iis, quæ media dicamus. Sed cùm ab his omnia proficiſcantur officia, non ſine cauſa dicitur, ad ea referri omneis noſtras cogitationes: in his & exceſſum è vita, & in vita manſionem. in quo enim plura ſunt, quæ ſecundum naturam ſunt, hujus officium eſt *in vita manere*: in quo autem aut ſunt plura contraria, aut fore videntur, hujus officium eſt, *è vita excedere*. è quo apparet, & ſapientis eſſe aliquando officium, excedere è vita, cùm beatus ſit: & ſtulti manere in vita, cùm ſit miſer. nam bonum illud, & malum, quod ſæpe jam dictum eſt, poſtea conſequitur. prima autem illa naturæ, ſive ſecunda, ſive contraria, ſub judicium ſapientis, & delectum cadunt: eſtque illa ſubjecta quaſi materia ſapientiæ. itaque & manendi in vita & migrandi ratio, omnibus iis rebus, quas ſuprà dixi, metienda. [12] nam neque iis, qui virtute retinentur in vita, neque iis, qui ſine virtute ſunt, mors eſt oppetenda. ut, SÆPE OFFICIUM eſt ſapientis, deſciſcere à vita, cùm ſit beatiſſimus, ſi id opportune facere poſſit; quod eſt convenienter naturæ vivere. ſic enim cenſent, *opportunitatis eſſe beatè vivere*. itaque

---

1. *Quæ primario loco ſunt.*] Locum minus integrum, prodit primus Pal. in quo, *primoriè*. ſec. in quo *primore*. Scaligeri vetus, qui *primiore*. ultimumque, meretur examen ſubire Criticæ juventutis.

2. *Vel promota, & remota, vel, ut dudum diximus, præpoſita, vel præcipua, & illa rejecta.*] Nolui recedere ab editione Victorii, quod ita etiam extaret in Pall. noſtris, etiam primo; niſi quod is ultima voce, *rejecto*. Manutius & Lambinus demunt, addunt, ſed non etiam præeuntibus libris vetuſtis.

3. *Nec hoc poſito, non aliqua eſſent præpoſita.*] Expreſſi quod erat in Maffæi libro & Pal. pr. vulgò, *nec hæc poſita*.

4. *Jam hoc ipſum inſtituamus.*] Æque bene Pal. pr. ſec. quart. ſext. *nam hoc*.

5. *Quod uno non poterimus.*] Negativa *non* eſt in Aldo vetere, neque in ullo Palatinorum: omnino tamen requiritur.

6. *Et efficientem ſapientiam.*] Pal. pr. tert. quart. ſext. *ſapientem*, forſan melius.

7. *Eſt illo pertinenti genere.*] Lambinus, *eſt ex illo pert.* Aldus Avus & Nepos, *erit cum illo pertinenti gen.* ſed præter mſſ. noſtros, nam primus adhæret vulgato, à quo etiam non receſſit Victorius. ceteri quinque ſcribunt, *eſt cum illo pert.*

8. *Præpoſita dicuntur.*] Olim cuſi *dicentur*: neque aliter Pall. ſex, editioque Victorii.

9. *Ergo ut etiam probabiliter acti ratio reddi poſſit.*] Totum iſtud non eſt in veteribus Aldi, omiſſum negligentià typographorum, ob repetitiones vocum, *ratio reddi poſſit*. quod neque animadvertit aut Manutius filius, aut Nepos. Victorius tamen auctori reddidit, ne quis forſan id Lambino acceptum ferat, ut videri vult. qui tamen contra mſſ. noſtros ſex publicavit, *probabilis facti*.

10. *Atqui.*] Sic Pal. prim. nihilo pejus certe quam vulgatum, *atque*.

11. *Communi officio continetur.*] Vetuſtius cuſi, etiam ed. Victorii, *omni officio*, quod & in Pall. quatuor. nam ſecundo deſit; tertius mutavit *omni* in *in*. forte, *omne officio*.

12. *Nam neque iis qui virtute retinentur in vita, &c.*] Lambinus iſthæc de ſuo mire interpolavit. at legendum erat: *nam neque virtute retinetur in vita*. ita enim Pal. pr. ac quart. aliudque tert. in quo, *neque is qui virtute retinetur*.

que à ſapientia præcipitur, ſe ipſam, ſi uſus ſit, [1] ſapiens ut relinquat. Quamobrem cùm vitiorum iſta vis non ſit, ut cauſam afferant mortis voluntariæ: perſpicuum eſt, etiam ſtultorum, qui iidem miſeri ſint, officium eſſe, manere in vita, ſi ſint in majore parte earum rerum, quas ſecundum naturam eſſe dicimus. Et quoniam excedens è vita, & manens, æquè miſer eſt: nec diuturnitas magis ei vitam fugiendam facit: non ſine cauſa dicitur, iis, qui pluribus
19 naturalibus frui poſſint, eſſe in vita manendum. Pertinere autem ad rem arbitrantur, intelligi natura fieri, *ut liberi à parentibus amentur:* à quo initio profectam communem humani generis ſocietatem perſequimur. quod primum intelligi debet, figura, membriſque corporum; quæ ipſa declarant procreandi à natura habitam eſſe rationem. Neque verò hæc inter ſe congruere poſſint; *ut natura & procreari vellet, & diligi procreatos non curaret.* Atque etiam in beſtiis vis naturæ inſpici poteſt: quarum in fœtu, & educatione laborem cùm cernimus, *naturæ ipſius vocem* videmur audire. [2] Quare ut perſpicuum eſt, natura nos à dolore abhorrere: ſic apparet, à natura ipſa, ut eos, quos genuerimus, amemus, impelli. Ex hoc naſcitur, ut etiam communis hominum inter homines naturalis ſit commendatio, *ut oporteat hominem ab homine ob idipſum, quòd homo ſit, non alienum videri.* ut enim in membris alia ſunt tanquam ſibi nata, ut oculi, ut aures: aliqua etiam ceterorum membrorum uſum adjuvant, ut crura, ut manus: ſic immanes quædam beſtiæ ſibi ſolùm natæ ſunt: at illa, quæ in concha patula *pinna* dicitur; iſque, qui enat è concha, qui, quòd eam cuſtodiat, *pinnotéres* vocatur, in eamque [3] cùm ſe recipit, includitur; ut videatur monuiſſe, ut caveret: itemque formicæ, apes, ciconiæ, aliorum etiam cauſâ quædam faciunt. multo magis hæc conjunctio eſt hominis. itaque natura ſumus apti ad cœtus, concilia, civitates. Mundum autem cenſent *regi numine deorum*, eumque eſſe quaſi communem urbem, & civitatem hominum, & deorum: & unumquemque noſtrûm, ejus mundi eſſe partem, [4] ex quo illud natura conſequi, ut COMMUNEM UTILITATEM NOSTRÆ ANTEPONAMUS. ut enim leges omnium ſalutem, ſingulorum ſaluti anteponunt: ſic vir bonus, & ſapiens, & legibus parens, & civilis officii non ignarus, utilitati omnium plus, quàm unius alicujus, aut ſuæ conſulit. NEC MAGIS vituperandus eſt proditor patriæ, quàm communis utilitatis, aut ſalutis deſertor, propter ſuam utilitatem, aut ſalutem. ex quo fit ut laudandus ſit, is, qui mortem oppetat pro rep. quod doceat, *cariorem eſſe patriam nobis, quàm noſmet ipſos.* quoniamque illa vox inhumana, & ſcelerata ducitur, eorum, qui negant ſe recuſare, quo minùs, *ipſis mortuis, terrarum omnium deflagratio conſequatur:* quod vulgari quodam verſu Græco pronuntiari ſolet. certè verum eſt, etiam iis, qui aliquando
20 futuri ſint, eſſe propter ipſos conſulendum. Ex hac animorum affectione teſtamenta, commendationeſque morientium natæ ſunt. quodque nemo in ſolitudine vitam agere velit, ne cum infinita quidem voluptatum abundantia; facilè intelligitur, nos ad conjunctionem, congregationemque hominum, & ad naturalem communitatem eſſe natos. IMPELLIMUR autem natura, ut prodeſſe velimus quamplurimis, in primiſque docendo, rationibuſque prudentiæ tradendis. itaque *non facile eſt invenire, qui, quod ſciat ipſe, non tradat alteri.* Ita non ſolùm ad diſcendum propenſi ſumus; verùm etiam ad docendum. Atque ut tauris natura datum eſt, ut pro vitulis contra leones ſumma vi, impetuque contendant: ſic ii, QUI VALENT opibus, atque id facere poſſunt, ut de Hercule, & Libero accepimus, ad ſervandum genus hominum natura incitantur. Atque etiam Jovem cùm *optimum* & *maximum* dicimus, cumque eundem *ſalutarem, hoſpitalem, ſtatorem*; hoc intelligi volumus, ſalutem hominum in ejus eſſe tutela. Minimè autem convenit, [5] cùm ipſi inter nos abjecti, neglectique ſimus, poſtulare, ut diis immortalibus cari ſimus, & ab his diligamur. quemadmodum igitur membris utimur priùs, quam didicimus, cujus ea utilitatis cauſa habeamus: ſic inter nos *natura ad civilem communitatem conjuncti, & conſociati ſumus.* quod ni ita ſe haberet, nec juſtitiæ ullus eſſet, nec bonitati locus. Et quo modo hominum inter homines juris eſſe vincula putant, ſic homini nihil juris eſſe cum beſtiis. præclarè enim Chryſippus, CETERA NATA eſſe hominum cauſa, & deorum: eos autem, communitatis, & ſocietatis ſuæ, ut beſtiis homines uti ad utilitatem ſuam poſſint ſine injuria. quoniamque ea natura eſſet hominis, [6] ut ei cum genere humano quaſi civile jus intercederet: qui id conſervaret, eum juſtum: [7] qui migraret injuſtum fore. ſed, quemadmodum, THEATRUM cùm commune ſit, rectè tamen dici poteſt, ejus eſſe eum locum, quem quiſque occuparit: ſic in urbe mundove communi non adverſatur jus quo minùs ſuum quidque cujuſque ſit. cùm autem ad tuendos, conſervandoſque homines hominem natum eſſe videamus: conſentaneum eſt huic naturæ, ut *ſapiens velit gerere, & adminiſtrare remp.* atque, ut è natura vivat, uxorem adjungere, [8] & velle ex ea liberos. NE AMORES quidem ſanctos, à ſapiente alienos eſſe arbitrantur. Cynicorum autem rationem, atque vitam alii cadere in ſapientem dicunt, ſi quis ejuſmodi fortè caſus inciderit, ut id faciendum ſit: alii nullo modo. Ut verò conſervetur omnis homini 21
erga hominem ſocietas, conjunctio, caritas: & emolumenta, & detrimenta, quæ ὠφελήματα & βλάμματα appellant, communia eſſe voluerunt: quorum altera proſunt, nocent altera. nec ſolùm ea *communia*, verùm etiam *paria* eſſe dixerunt. incommoda autem, & commoda (ita εὐχρηστήματα & δυσχρηστήματα appello) communia eſſe voluerunt, paria noluerunt. illa enim quæ proſunt, aut quæ nocent, aut bona ſunt, aut mala: quæ ſint paria neceſſe eſt. commoda autem, aut incommoda in eo genere ſunt, quæ præpoſita, [9] & rejecta dicimus. ea poſſunt paria non eſſe: ſed emolumenta communia eſſe dicuntur. rectè autem *facta, & peccata, non habentur communia.* Amicitiam autem adhibendam eſſe cenſent, quia ſit ex eo genere, quæ proſunt. quamquam autem in amicitia alii dicant, ÆQUE CARAM eſſe ſapienti rationem amici, ac ſuam: alii autem ſibi cuique cariorem, ſuam tamen hi quoque poſteriores fatentur, alienum eſſe à juſtitia, ad quam nati eſſe videamur, *detrahere quid de aliquo, quod ſibi aſſumat.* minimè verò probatur huic diſciplinæ, de qua loquor, aut amicitiam, aut juſtitiam propter utilitates adſciſci aut probari. [10] eædem enim utilitates poterunt eas labefactare, atque

1. *Si uſus ſit, ſapiens ut relinquat.*] Gemma iſthæc orationis manavit a Palatino pr. inepte in hodiernum diem lectum nobis, *ſi juſſerit, ſapiens.*

2. *Quare ut perſpicuum eſt, &c.*] Vocula *ut*, non eſt in Pall. aut edd. antiquioribus, imò ne quidem in Victoriana.

3. *Cum ſe recipit.*] Eſt a pleriſque Pall. melius, quàm ut antea vulgg. *recepit.*

4. *Ex quo illud natura conſequi.*] Ita Pal. pr. quart. quint. repræſentavitque editio Victoriana. aliæ *conſequitur.*

5. *Cum ipſi inter nos abjecti neglectique.*] Lectio minus vera, ſi ſtandum Pal. pr. in quo, *nos ciles neglectique.* nimirum reſcribendum, *viles neglectique*, doctus ſum a Pal. tertio, in quo, *nos viles abjecti neglectique.*

6. *Ut ei cum genere, &c.*] Sic Lambinus, an è mſſ. neſcio, ſed cum Pal. pr. & quart. ſervent, *ut & cum genere:* vocem illam in hanc facilè degenerare potuiſſe ſentio. malim tamen fere illud noſtrum.

7. *Qui migraret injuſtum fore.*] Sic Pall. quinque, nam primus ille alioquin optimus, *qui negaret*; quod etiam abſurdi nihil in ſe habet, olim vulgati, *qui vi ageret.* jure ejectum à Lambino.

8. *Et velle ex ea liberos.*] Non potui excludere ſcripturam Pal. pr. & quarti, ejecta voce quæ erat in omnibus vulgatis à fine, *procreare.* in quales codices ſi incidiſſet P. Manutius numquam profectò nobis obtruſiſſet Lambinus *ex ea liberos procreare*, omiſſo illo *velle*, voce gratioſiſſima.

9. *Et rejecta dicimus.*] Malim cum Pal. pr. *diximus.*

10. *Eædem enim utilitates.*] Sic tres è Pall. alii *voluptates*, quod in editionibus à Lambiniana diverſis. Si res mei eſſet arbitrii, utramque vocem jugularem, tanquam ſupervacuam.

que pervertere. etenim NEC JUSTITIÆ, nec amicitiæ eſſe omnino poterunt, niſi ipſæ per ſe expetantur. jus autem, quod ita dici, appellarique poſſit, [1] id eſſe naturam: ALIENUMQUE eſſe à ſapiente non modò injuriam cui facere, verùm etiam nocere. nec verò rectum eſt cum amicis, aut bene meritis conſociare, aut conjungere injuriam: graviſſimeque, & veriſſimè defenditur, *numquam æquitatem ab utilitate poſſe ſejungi:* &, quidquid æquum, juſtumque eſſet, id etiam honeſtum: viciſſimque, quidquid eſſet honeſtum, id juſtum etiam, atque æquum fore. Ad eaſque virtutes, de quibus diſputatum eſt, *dialecticam* etiam adjungunt, & *phyſicam:* eaſque ambas virtutum nomine appellant: alteram, quòd habeat rationem, necui falſo aſſentiamur, neve umquam captioſa probabilitate fallamur, eaque, quæ de bonis [2] & malis diceremus, ut tenere, tuerique poſſimus. nam ſine hac arte [3] quemvis arbitrabantur à vero abduci, fallique poſſe. rectè igitur, ſi *omnibus in rebus temeritas, ignoratioque vitioſa eſt,* [4] ab his ea, quæ tollit hæc, virtus nominata eſt. Phyſicæ quoque non ſine cauſa tributus idem eſt honos: propterea quòd QUI CONVENIENTER naturæ victurus ſit, ei & proficiſcendum eſt ab omni mundo, & ab ejus procuratione. nec verò poteſt quiſquam de bonis, & malis vere judicare, niſi omni cognita ratione naturæ, & vitæ etiam deorum, & utrùm conveniat, necne, natura hominis cum univerſa: quæque ſunt vetera præcepta ſapientium, qui jubent [5] TEMPORI PARERE, & SEQUI DEUM, & SE NOSCERE, & NIHIL NIMIS. Hæc ſine phyſicis quam vim habeant (& habent maximam) videre nemo poteſt. Atque etiam ad juſtitiam colendam, ad tuendas amicitias, & reliquas caritates quid natura valeat, hæc una cognitio poteſt tradere. Nec verò pietas adverſus deos, nec quanta his gratia debeatur, ſine explicatione naturæ in-
22 telligi poteſt. Sed jam ſentio me eſſe longiùs profectum, quàm propoſita ratio poſtularet. verùm admirabilis compoſitio diſciplinæ, incredibiliſque rerum traxit ordo, [6] quæ, per deos immortaleis, nonne miraris? QUID ENIM aut in natura, qua nihil eſt aptius, nihil deſcriptius, aut in operibus manu factis tam compoſitum, tamque [7] compactum, & coagmentatum inveniri poteſt? quid poſterius priori non convenit? quid ſequitur, quod non reſpondeat ſuperiori? quid non ſic aliud ex alio nectitur, ut non, ſi ullam litteram moveris, labent omnia? [8] nec tamen quidquam eſt, quo moveri poſſit. quàm gravis verò, quàm magnifica, quàm conſtans conficitur perſona ſapientis? qui, cùm *ratio docuerit, quod honeſtum eſſet, id eſſe ſolum bonum,* ſemper ſit neceſſe eſt beatus, vereque omnia iſta nomina poſſideat, quæ irrideri ab imperitis ſolent. rectiùs enim appellabitur rex, quàm Tarquinius, *qui nec ſe, nec ſuos regere potuit:* rectiùs magiſter populi, (is enim eſt dictator) quàm Sulla, qui trium peſtiferorum vitiorum, luxuriæ, avaritiæ, crudelitatis magiſter fuit: rectiùs dives, quàm Craſſus, qui, niſi eguiſſet, numquam Euphratem nulla belli cauſa tranſire voluiſſet. rectè ejus omnia dicentur, QUI SCIT UTI SOLUS OMNIBUS. rectè etiam pulcher appellabitur: animi enim lineamenta, ſunt pulchriora, quàm corporis: rectè ſolus liber, nec dominationi cujuſquam parens, neque obediens cupiditati; rectè invictus, cujus etiam ſi corpus conſtringatur, animo tamen vincula injici nulla poſſint: neque exſpectet ullum tempus ætatis, ut tum denique judicetur, beatuſne fuerit, cùm extremum vitæ diem morte confecerit: quod ille unus è ſeptem ſapientibus non ſapienter Crœſum monuit. nam ſi beatus umquam fuiſſet, beatam vitam uſque ad illud à Cyro [9] exſtructum rogum protuliſſet. quod ſi ita eſt, ut neque quiſquam, niſi bonus vir, & omnes boni beati ſint: quid philoſophia magis colendum, aut quid eſt virtute divinius?

1. *Id eſſe naturam.*] Lambinus edidit *natura*, quod conjecerat Paullus Manutius, ſed nullus ei ſcripturæ accedit Palatinus. placuit tamen Scaligero.

2. *Et malis diceremus.*] Scaliger ſcripſit inter lineas *diſſeremus*.

3. *Quemvis arbitrantur.*] Eſt a Pal. pr. & Manutiano. minus recte hactenus impreſſi, *arbitramur*.

4. *Ab his ea quæ tollit hæc, virtus, &c.*] Adblanditur valde lectio codicis Scaligerani, *ars ea quæ tollit hæc, virtus, &c.*

5. *Tempori parere.*] Multa veroſimilia protulit Petrus Victorius cur arbitretur heic ſubſtituendum *parcere*, lib. XI. Var. lect. cap. 20. quibus adquieſco. haud tamen ei adminiculantur Pall. noſtri.

6. *Quæ per Deum immortalem.*] Pal. pr. *quem*, ut referatur ad ordinem, neſcio an rectè. putat omnino Paullus Manutius.

7. *Compactum ac coagmentatum.*] Pal. pr. *cocicmentatum*, ex quo formari quidem poſſet *coccinnatum*: ſed ſimilius eſt vero natum ex vetere ſcribendi ratione *coacmentatum*. alioquin aliquot noſtri, *coaugmentatum*.

8. *Nec tamen quidquam eſt quo moveri poſſit.*] Reſtauravi hunc locum volentibus omnibus membranis bibliothecæ Palatinæ. prius habebamus, *quod moveri*. ſed bene quod id hactenus etiam nemo interpretatus eſt.

9. *Exſtructum rogum protuliſſet.*] Non poteſt diſplicere quod reperi in Pal. pr. *pertuliſſet*.

M. TULLII CICERONIS
DE
FINIBUS BONORUM ET MALORUM,
AD
BRUTUM,
LIBER QUARTUS.

1 QUÆ cùm dixiſſet, finem ille. ego autem, næ tu, inquam, Cato, iſta expoſuiſti tam multa memoriter, tam obſcura dilucide. itaque aut omittamus contrà omnino velle aliquid, aut ſpatium ſumamus ad cogitandum: tam enim diligenter, etſi minùs verè, (nam nondum id quidem audeo dicere) ſed tamen accuratè non modò fundatam, verùm etiam exſtructam diſciplinam non eſt facilè perdiſcere. Tum ille, ain' tandem, inquit, cùm ego te hac *nova lege* videam eodem die accuſatori reſpondere, & tribus horis perorare, in hac me cauſa tempus dilaturum putas? quæ tamen à te agetur non melior, quam illæ ſunt, quas interdum obtines. Quare iſtam quoque aggredere, tractatam

 præſer-

præſertim & ab aliis, & à te ipſo ſæpe, ut tibi deeſſe non poſſit oratio. Tum ego, [1] Non mehercule ſoleo temerè contra Stoicos: non quo illis admodum aſſentiar: ſed *pudore impedior*: ita multa dicunt, quæ vix intelligam. Obſcura, inquit, quædam eſſe confiteor: nec tamen ab illis ita dicuntur de induſtria: ſed *ineſt in rebus ipſis obſcuritas*. Cur igitur eaſdem res, inquam, Peripateticis dicentibus, verbum nullum eſt, quod non intelligatur? Eaſdemne res, inquit? an parum diſſerui, non verbis Stoicos à Peripateticis, ſed univerſa re, [2] & tota ſententia diſſentire? Atqui, inquam, Cato, ſi iſtud obtinueris, traducas me ad te totum licebit. Putabam equidem ſatis, inquit, me dixiſſe. quare ad ea primùm, ſi videtur. ſin aliud quid voles, poſtea. [3] Immò iſto quidem, inquam, loco, niſi iniquum poſtulo, reſponde arbitratu meo. Ut placet, inquit. [4] etſi enim illud erat aptius, *æquum cuique concedere*. Exiſtimo, inquam,
2 Cato, veteres illos Platonis auditores, Speuſippum, Ariſtotelem, Xenocratem: deinde eorum, Polemonem, Theophraſtum, ſatis & copioſè, & eleganter habuiſſe conſtitutam diſciplinam, ut non eſſet cauſa Zenoni, cùm Polemonem audiſſet, cur & ab eo ipſo, & à ſuperioribus diſſideret. quorum fuit hæc inſtitutio. in qua animadvertas velim, quid putes mutandum, nec exſpectes, dum ad omnia dicam, quæ à te dicta ſunt. univerſa enim illorum ratione cum tota veſtra confligendum puto. qui cùm viderent, ita nos eſſe natos, ut & communiter *ad eas virtutes apti* eſſemus, quæ notæ, illuſtreſque ſunt, juſtitiam dico, temperantiam, ceteraſque generis ejuſdem: quæ omnes ſimiles artium reliquarum, materia tantùm ad meliorem partem, & tractatione differunt: eaſque ipſas virtutes viderent nos magnificentiùs appetere, & ardentiùs, habere etiam inſitam quandam, vel potiùs *innatam cupiditatem ſcientiæ*, natoſque eſſe ad congregationem hominum, & ad ſocietatem, communitatemque generis humani, eaque *in maximis ingeniis maximè elucere*: totam philoſophiam treis in parteis diviſerunt. quam partitionem à Zenone retentam eſſe videmus. quarum cùm una ſit, [5] qua mores conformari putantur: differo eam partem, quæ quaſi ſtirps eſt hujus quæſtionis: qui ſit enim finis bonorum, mox: hoc loco tantum dico, a veteribus Peripateticis, Academiciſque, qui re conſentientes, vocabulis differebant, eum locum, quem *civilem* rectè appellaturi videmur, Græcè
3 πολιτικὸν, graviter, & copioſè eſſe tractatum. Quàm multa illi de republ. ſcripſerunt? quàm multa de legibus? quàm multa non ſolùm præcepta in artibus, ſed etiam exempla in orationibus bene dicendi reliquerunt? primùm enim ipſa illa, quæ ſubtiliter diſſerenda erant, *politè*, *apteque* dixerunt, cùm definientes, tum partientes: ut veſtri etiam: ſed vos ſqualidiùs; illorum, vides, quàm niteat oratio. deinde ea, quæ requirebant orationem ornatam, & gravem, quàm *magnificè* ſunt dicta ab illis? quàm ſplendidè? de juſtitia, de fortitudine, de amicitia, de ætate degenda, de philoſophia, de capeſſenda rep. de temperantia, de fortitudine hominum * *. [6] de ſpinas vellentium ut Stoici, nec oſſa nudantium, ſed eorum, qui grandia ornatè, vellent enucleatè minora dicere. Itaque quæ ſunt eorum conſolationes? quæ cohortationes? quæ etiam monita, & conſilia, ſcripta ad ſummos viros? erat enim apud eos, ut eſt rerum ipſarum natura, ſic dicendi exercitatio, duplex. nam QUIDQUID QUÆRITUR, id habet aut generis ipſius ſine perſonis, temporibuſque, aut iis adjunctis, facti, aut juris, aut nominis controverſiam. ergo in utroque exercebantur: eaque diſciplina effecit tantam illorum utroque in genere dicendi copiam. Totum genus hoc & Zeno, & ab eo qui ſunt, aut non potuerunt aut noluerunt, certè reliquerunt. quamquam ſcripſit artem rhetoricam Cleanthes, Chryſippus etiam, ſed ſic, ut, *ſi quis obmuteſcere concupierit*, *nihil aliud legere debeat*. itaque vides, quo modo loquantur. nova verba fingunt: deſerunt uſitata. At quanta conantur? mundum hunc omnem oppidum eſſe noſtrum. Incendit igitur eos, qui audiunt. vides, quantam rem agas: ut, Circeis qui habitet, totum hunc mundum, ſuum municipium eſſe exiſtimet. Quid ille incendat? reſtinguet citiùs, ſi ardentem acceperit. Iſta ipſa, quæ tu breviter, *regem*, *dictatorem*, *divitem*, *ſolum eſſe ſapientem*, à te quidem aptè, ac rotundè: quippè; habes enim à rhetoribus. illorum verò iſta ipſa quàm exilia de virtutis vi? quam tantam volunt eſſe, ut beatum per ſe efficere poſſit. pungunt, quaſi aculeis, interrogatiunculis anguſtis. quibus etiam qui aſſentiuntur, nihil commutantur animo, & *iidem abeunt*, *qui venerant*: res enim fortaſſe veræ, certè graves, non ita tractantur, ut debent, ſed aliquando minutiùs. [7] Sequitur diſſerendi 4
ratio, cognitioque naturæ. nam de ſummo bono mox, ut dixi, videbimus, & ad id explicandum diſputationem omnem conferemus. In iis igitur partibus duabus nihil erat, quod Zeno commutare geſtiret. res enim præclarè ſe habent, & quidem in utraque parte. quid enim ab antiquis ex eo genere, quod ad diſſerendum valet, prætermiſſum eſt? qui & definierunt plurima: & definiendi arteis reliquerunt: quodque eſt definitioni adjunctum, ut *res in parteis dividatur*, id & fit ab illis, &, quemadmodum fieri oporteat, traditur. item de contrariis: à quibus ad genera, formaſque generum devenerunt. Jam argumenti, ratione concluſi, *caput eſſe* [8] *faciunt* ea, quæ perſpicua, dicunt: deinde ordinem ſequuntur: tum, quid verum ſit in ſingulis: extrema concluſio eſt. Quanta autem ab illis varietas argumentorum, ratione concludentium, eorumque cum captioſis interrogationibus diſſimilitudo? quid, quòd pluribus locis *quaſi denuntiant*, ut neque ſenſuum fidem ſine ratione, [9] nec rationis ſine ſenſibus exquiramus; [10] atque ut eorum alterum ab altero ſeparemus? Quid? ea, quæ dialectici nunc tradunt, & docent, nonne ab illis [11] inſtituta ſunt, & inventa? de quibus etſi à Chryſippo maximè eſt elaboratum, tamen à Zenone minùs multo, quàm ab antiquis.

---

1. *Non mehercule ſoleo temere.*] Haud ineptè Pal. pr. ac tert. interponit, *quam*, ſed idem habet *ſolete*; hoc modo. *Non meh. in quam ſole te temerè.* & vero ceteri omnes habent, *ſolere*, præter ſec. ſicque etiam edidit P. Victorius. adeo ut aliquid adhuc heic latere videatur rei non bonæ.

2. *Et tota ſententia diſſentire.*] Pal. pr. & quart. item ed. Vict. *diſſidere*. ſed cum & mox eadem dictio repetatur, non auſus fui admittere.

3. *Imo iſto quidem inquam loco, niſi iniquum, &c.*] Sic hodie quidem paſſim vulgatur. at Aldus avus ediderat, *Imo iſtud quidem inquam; quo loco niſi, &c.* nec aliter Victorius. proxime ad mſſ. noſtros, qui tamen verbulo adhuc uno auctiores. nam pr. habet, *Imo iſtud quidem, inquam, quo loco quidque niſi*: nec aliter ſext. imò nec tert. & quart. quam quod ii, *quicque*. nam ſec. habebat, *quin.* quint. *quicquam*. Lambinus, non examinatis, puto, plutеariis libris, obtruſit nobis: *Imo iſti quidem inquam loco, niſi.*

4. *Etſi enim illud erat aptius, &c.*] Revocavi *enim* ex mſſ. Pall. & edd. vett. excluſerant neoterici, totius ſententiæ ruina. adhuc licentius Lambinus objecerat nobis, *etſi illud erat æquius ſuum cuique concedere*. quid enim eſt evirare aliquem, ſi hoc non eſt? mire heic hæret P. Manutius, dum non atendit diſtinctioni. Scaliger ſecutus libros Lambini emendabat *etſi illud erat æquius, ſuum cuique*. id eſt, ſuo quidque loco.

5. *Qua mores conformari.*] Ita hodiernæ edd. at patrum avorumque *confirmari*, quibus accedunt Pall. omnes.

6. * * *De ſpinas vellentium.*] Hoc ſolum nos juvit Pal. pr. *ſpinas* legendum monuit, non ut hactenus *ſpinis*. locum conſtituere ſine remigio librorum bibliothecis inſepultorum, mera eſt inſania. itaque valeant nugæ Lambinianæ.

7. *Sequitur diſſerendi ratio.*] Scaliger delevit vocem *Sequitur*, ac ſequentia ſic annectit præcedentibus, *debent: ſed aliquanto minutius diſſerendi ratio, &c.*

8. *Faciunt ea, quæ perſpicua dicunt.*] Antiquius cuſi, & Pall. omnes, *eaque perſpicua dicunt*.

9. *Nec rationis ſine ſenſibus.*] Haud aliter Pall. niſi quod pr. *nec rationis ſenſibus*. vulgati, *nec rationes ſine ſenſibus*.

10. *Atque ut eorum alterum ab altero ſeparemus?*] Ita noſtri ſex ſcripti, præter tert. cui deſit particula *ut*. Lamb. auſus eſt immittere negationem ſic; *altero ne ſeparemus?* Brutus mal'et, *Atque ne eorum*. ſed neuter tamen rationem reddidit vulgaris lectionis corruptæ.

11. *Inſtituta ſunt & inventa?*] Pall. ſex uno ore, *inſtituta ſunt, inventa ſunt?*

quis ab hoc autem quædam non meliùs, quàm veteres: quædam omnino relicta. cùmque *duæ ſint artes, quibus perfecte ratio, & oratio compleatur*, una inveniendi, altera diſſerendi: hanc poſteriorem & Stoici, & Peripatetici; priorem autem illi egregiè tradiderunt: hi omnino ne attigerunt quidem. nam è quibus locis, *quaſi theſauris*, argumenta depromerentur, veſtri ne ſuſpicati quidem ſunt, ſuperiores autem *artificio, & via tradiderunt*. quæ quidem res efficit, ne neceſſe ſit, iiſdem de rebus ſemper quaſi *dictata* decantare, neque à commentariolis ſuis diſcedere. nam qui ſciet, ubi quidque poſitum ſit, quaque eò veniat, is, etiam ſi quid obrutum erit, poterit eruere, ſemperque eſſe in diſputando ſuus. Quòd etſi ingeniis magnis præditi quidam dicendi copiam ſine ratione conſequuntur: ARS TAMEN, EST DUX CERTIOR, QUAM NATURA. aliud eſt enim poëtarum more verba fundere, aliud ea, quæ dicas, ratione, & arte diſtin-
5 guere. Similia dici poſſunt de explicatione naturæ: qua hi utuntur, & veſtri: neque verò ob duas modò cauſas, quod Epicuro videtur, ut pellatur mortis, & religionis metus: ſed etiam *modeſtiam quandam cognitio rerum cœleſtium affert iis*, qui videant, quanta ſit etiam apud deos moderatio, quantus ordo: & magnitudinem animi, deorum opera, & facta cernentibus: juſtitiam etiam, cùm cognitum habeas, quod ſit ſummi rectoris, & domini numen, quod conſilium, quæ voluntas. cujus ad naturam apta ratio, VERA ILLA ET SUMMA LEX à philoſophis dicitur. Ineſt in eadem explicatione naturæ, inſatiabilis quædam è cognoſcendis rebus *voluptas*: in qua una, confectis rebus neceſſariis vacui negotiis, honeſtè, ac liberaliter poſſumus vivere. Ergo in hac ratione tota de maximis ferè rebus Stoici illos ſecuti ſunt, ut & deos eſſe, & quatuor ex rebus omnia conſtare dicerent. Cùm autem quæreretur res admodum difficilis, num *quinta quædam natura* videretur eſſe, ex qua ratio, & intelligentia oriretur, in quo etiam de animis, cujus generis eſſent, quæreretur: Zeno id dixit eſſe ignem: nonnulla deinde aliter, ſed ea pauca; de maxima autem re, eodem modo, *divina mente, atque natura mundum univerſum, atque ejus maximas parteis adminiſtrari*: materiam verò rerum, & copiam, apud hos, exilem: apud illos uberrimam reperiemus. quàm multa ab his conquiſita, & collecta ſunt de omnium animantium genere, ortu, membris, ætatibus? quàm multa de rebus iis, quæ gignuntur è terra? quàm multæ, quamque de rebus variis & cauſæ, cur quidque fiat, & demonſtrationes, quemadmodum quæque fiant? qua ex omni copia, plurima, & certiſſima argumenta ſumuntur ad cujuſque rei naturam explicandam. ergo adhuc, quantum equidem intelligo, cauſa non videtur fuiſſe mutandi nominis. NON ENIM, ſi omnia non ſequebatur, idcirco non erat ortus illinc. Equidem etiam [1] Epicurum, in phyſicis quidem, Democritum puto: pauca mutat, [2] vel plura ſane. at cùm è plurimis eadem dicit, tum certè de maximis. quod item cùm veſtri faciant, [3] non ſatis magnam tribuunt *inventoribus gratiam*. Sed
6 hæc hactenus. Nunc videamus, quæſo, de ſummo bono, quod continet philoſphiam, ecquid tandem attulerit, quamobrem ab inventoribus, tanquam à parentibus, diſſentiret. Hoc igitur loco, quamquam à te, Cato, diligenter eſt explicatus finis hic bonorum, qui continet philoſophiam, & quis à Stoicis, & quemadmodum diceretur: tamen ego quoque exponam, ut perſpiciamus, ſi potuerimus, quidnam à Zenone novi ſit allatum. Cum enim ſuperiores, è quibus planiſſimè Polemo, SECUNDUM NATURAM VIVERE, ſummum bonum eſſe dixiſſent, his verbis tria ſignificari Stoici dicunt: unum ejuſmodi, vivere adhibentem ſcientiam earum rerum, quæ natura evenirent. hunc ipſum Zenonis ajunt finem eſſe, declarantem illud, quod à te dictum eſt, CONVENIENTER NATURÆ VIVERE. alterum ſignificare [4] idem, ut ſi diceretur, officia omnia media, aut pleraque ſervantem, vivere. hoc ſic expoſitum diſſimile eſt ſuperiori. [5] illud enim *rectum eſt*, quod κατόρθωμα dicebas, contingitque ſapienti ſoli: hoc autem inchoati cujuſdam officii eſt, non perfecti, quod cadere in nonnullos inſipienteis poteſt. tertium autem, omnibus, aut maximis rebus iis, QUÆ SECUNDUM NATURAM SINT, fruentem, vivere. hoc non eſt poſitum in noſtra actione. completur enim & ex eo genere vitæ, quod virtute fruitur, & ex iis rebus, quæ ſecundum naturam ſunt, neque ſunt in noſtra poteſtate. Sed hoc ſummum bonum, [6] quod tertia ſignificatione intelligitur, eaque vita, quæ ex ſummo bono degitur, quia conjuncta ei virtus eſt, in ſapientem ſolum cadit: iſque finis bonorum, ut ab ipſis Stoicis ſcriptum videmus, à Xenocrate, atque ab Ariſtotele conſtitutus eſt. itaque ab his [7] conſtitutio illa prima natura, à qua tu quoque ordiebare, his propè verbis exponitur. OMNIS 7
NATURA VULT ESSE CONSERVATRIX SUI, ut & ſalva ſit, & in genere conſervetur ſuo. ad hanc rem ajunt [8] arteis quoque exquiſitas, quæ naturam adjuvarent: in quibus ea numeretur in primis, quæ eſt vivendi ars, ut tueatur quod à natura datum ſit: quod deſit acquirat. iidemque diviſerunt naturam hominis in animum, & corpus, cumque [9] eorum unumquodque per ſe expetendum eſſe dixiſſent, virtutes quoque utriuſque eorum per ſe expetendas eſſe dicebant: cùm animum quadam infinita laude anteponerent corpori, virtutes quoque animi bonis corporis anteponebant. ſed cùm *ſapientiam totius hominis cuſtodem, & procuratricem eſſe vellent*, quæ eſſet naturæ comes, & adjutrix: hoc ſapientiæ munus eſſe dicebant, ut eum tueretur, qui conſtaret ex animo & corpore: in utroque juvaret eum, atque contineret. atque ita re primò ſimpliciter collocata, reliqua ſubtiliùs perſequentes, corporis bona facilem quandam rationem habere cenſebant: de animi bonis accuratiùs exquirebant: in primiſque reperiebant, in his ineſſe *juſtitiæ ſemina*: primique ex omnibus philoſophis à natura tributum eſſe docuerunt, ut ii, qui PROCREATI, à procreatoribus amarentur, & id, quod temporum ordine antiquius eſt, ut CONJUGIA virorum, & uxorum, natura conjuncta eſſe dicerent: qua ex ſtirpe orirentur amicitiæ cognationum. atque ab his initiis profecti, omnium virtutum & originem, & progreſſionem perſecuti ſunt. ex quo magnitudo quoque animi exſiſtebat, qua facilè poſſet repu-

1. *Epicurum, in phyſicis quidem, Democritum puto.*] Victorius edidit *Democritum*. Pall. noſtri vocem illam non rapiunt in controverſiam, ſed alteram. habent enim pr. ac ſext. *Epicurorum*, ceteri *Epicureorum*. male omnes: ut liquebit ei cui curæ inſpicere Ciceronis lib. 1. Academ. quæſt. cap. 2. circa medium.

2. *Vel plura ſanè. at cùm è plurimis.*] Lambinus nobis finxit, *vel plurima ſanè. at cum è pluribus*; omnino utrumque contra Palatinos.

3. *Non ſatis magnam tribuunt inventoribus gratiam.*] Pal. pr. *nam*, ut forte fuerit primitus, *an ſatis, magnam* quod clementius dictum fuerit.

4. *Idem, ut ſi diceretur.*] Interpoſuerat Lambinus particulam *ut*, neque indicavit ab ingenio ne eſſet, an à mſſ. eſſe autem è libris vetuſtis confirmat Pal noſter. P. Manutius putabat, *ſignificare idem ut diceretur*, omnino tollenda ceu gloſſarium.

5. *Illud enim rectum eſt, quod κατόρθωμα dicebas, contingitque ſapienti, &c.*] Ita malui cum Pal. pr. quàm ut hactenus publicati, *rectum, quod κατ. dic. contingit ſap.* quod enclitica *que* exſtaret in ceteris Pall. quinque.

6. *Quod tertia ſignificatione intelligitur.*] Hactenus obtinuit, *quod certa ſignificatione*, ſenſu inepto. alterum illud erui e Palat. pr. ac ſexto.

7. *Conſtitutio illa prima natura.*] Lamb. invexit *naturæ*, ſed contra Pall. quinque; è quibus ſecundus ei adſtipulabatur. ceteri ſtabant pro lectione communi. Scaliger emendarat, *primorum natura*.

8. *Artes quoque requiſitas.*] Haud ſecus liber Morelli, Scaligeranus; etiam Pal. pr. qui heic etiam deſinit. quare non eſt, ut aliquid a me deinceps exſpectetur, exquiſitum quod ſit. ceteri membranacei propugnabant. vulg. *exquiſitas*; quomodo & Victorius.

9. *Eorum unumquodque.*] Paullus Manutius invexit *. um utrumque*. ex mſſ. ait, credoque: nam ſic & ſext. noſter & Morellianus à Scaligero percurſus. ceteri ſtant pro altero, niſi quatenus ſecundus, *eorum utrunque unumquodque*. ex quo liquet dubios fuiſſe librarios quid ſequerentur, ideoque admiſiſſe utrumque.

1. Fin

repugnari, obſiſtique fortunæ, quod *maximæ res eſſent in per, hæc ſapientis.* varietates autem, injuriaſque fortunæ facilem veterum philoſophorum præceptis inſtituta vita ſuperabat. Principiis autem à natura datis, amplitudines quædam bonorum excitabantur, partim profectæ à contemplatione rerum occultiorum, quòd erat *inſitus menti cognitionis amor*, [1] ex quo etiam rationis, explicandi, diſſerendique cupiditas conſequebatur: quodque hoc ſolum animal natum eſt pudoris, ac verecundiæ particeps, appetenſque conjunctionum hominum, ac ſocietatum, animadvertenſque in omnibus rebus, quas ageret, aut diceret, nequid ab eo fieret, NISI HONESTE, ET DECORE: his initiis, ut antè dixi, tamquam ſeminibus, à natura datis, temperantia, modeſtia, juſtitia, & omnis honeſtas perfectè ab-
8 ſoluta eſt. Habes, inquam, Cato, formam eorum, de quibus loquor, philoſophorum. qua expoſita, ſcire cupio, quæ cauſa ſit, cur Zeno ab hac antiqua inſtitutione deſciverit: quidnam horum ab eo non ſit probatum. quòdne omnem *naturam conſervatricem ſui* dixerit? an quòd *omne animal ipſum ſibi commendatum*, ut ſe & ſalvum in ſuo genere, incolumeque vellet? an, cùm omnium *artium finis* is eſſet, quid natura maximè quæreret, idem ſtatui debere de totius arte vitæ? an quòd, cùm animo conſtaremus, & corpore, & hæc ipſa, & eorum virtutes per ſe eſſe ſumendas? an verò diſplicuit ea, quæ tributa eſt *animi virtutibus* tanta præſtantia? an quæ de prudentia, de cognitione rerum, de conjunctione generis humani, quæque ab eiſdem de temperantia, de modeſtia, de magnitudine animi, de omni honeſtate dicuntur? fatebuntur Stoici, hæc omnia dicta eſſe præclarè. [2] neque enim eam cauſam Zenoni deſciſcendi fuiſſe. alia quædam dicent, credò; magna antiquorum eſſe peccata, quæ ille *veri inveſtigandi cupidus*, nullo modo ferre poterit. quid enim perverſius, quid intolerabilius, quid ſtultius, quàm bonam valitudinem, quàm dolorum omnium vacuitatem, quàm integritatem oculorum, reliquorumque ſenſuum, *ponere in bonis* potiùs, quàm dicere, nihil omnino inter eas res, iiſque contrarias, intereſſe? ea enim omnia, quæ illi bona dicerent, præpoſita eſſe, non bona: itemque illa, quæ *in corpore excellerent*, ſtultè antiquos dixiſſe per ſe eſſe *expetenda: & ſumenda* potiùs, quàm expetenda. eademque de omni vita, quæ in una virtute conſiſteret; illam vitam, quæ etiam ceteris rebus, quæ eſſent ſecundum naturam, abundaret, *magis expetendam non eſſe, ſed magis ſumendam:* cumque ipſa virtus efficiat ita beatam vitam, ut beatior eſſe non poſſit, tamen quædam deeſſe ſapientibus, tum, cùm ſunt beatiſſimi: itaque eos id agere, ut à ſe dolores, morbos, debilitateis re-
9 pellant. O magnam vim ingenii, cauſamque juſtam, cur nova exſiſteret diſciplina! Perge porrò. ſequentur enim quæ tu ſcientiſſimè complexus es, omnem inſipientiam, & injuſtitiam, alia vitia ſimilia eſſe, *omniaque peccata eſſe paria*, eoſque, qui natura, doctrinaque longè ad virtutem proceſſiſſent, niſi eam plenè conſecuti eſſent, ſummè eſſe miſeros, neque inter eorum vitam, & improbiſſimorum, *quidquam omnino intereſſe:* ut Plato tantus ille vir, ſi ſapiens non fuerit, nihilo meliùs, quàm quivis improbiſſimus, nec beatiùs vixerit. Hæc videlicet eſt correctio philoſophiæ veteris, & emendatio; quæ omnino aditum habere nullum poteſt in urbem, in forum, in curiam. quis enim ferre poſſet ita loquentem eum, qui ſe auctorem vitæ, graviter, & ſapienter agendæ, profiteretur, *nomina rerum commutantem:* cumque idem ſentiret, quod omnes, quibus rebus eandem vim tribueret, alia nomina imponentem, verba modò mutantem, de opinionibus nihil detrahentem? Patronuſne cauſæ, in epilogo pro reo dicens, negaret eſſe malum exilium, publicationem bonorum? hæc *rejicienda* eſſe; non *fugienda*? nec miſericordem judicem eſſe oportere? in concione autem ſi loqueretur, ſi Annibal ad portas veniſſet, murumque jaculo trajeciſſet, negaret eſſe in malis capi, venire, interfici, patriam amittere? an, ſenatus, [3] cum triumphum Africano decerneret; QUOD EJUS VIRTUTE, AUT FELICITATE; poſſet dicere, [4] ſi neque virtus in nullo, niſi in ſapiente, nec felicitas [5] verè dici poteſt? quæ eſt igitur iſta philoſophia, quæ *communi more*, in foro loquitur, [6] in libello, *ſuo*? præſertim cùm, quod illi verbis ſuis ſignificent, [7] in eo nihil novetur, de ipſis rebus nihil mutetur; eædem res maneant alio modo. Quid enim intereſt, divitias, opes, valitudinem, *bona* dicas, anne *præpoſita*, cùm ille, qui iſta bona dicit, nihilo plus his tribuat, quàm tu, qui eadem illa præpoſita nominas? Itaque homo in primis ingenuus, & gravis, dignus illa familiaritate Scipionis, & Lælii, Panætius, cùm ad Q. Tuberonem *De dolore patiendo* ſcriberet: quod eſſe caput debebat, ſi probari poſſet, numquam poſuit, *non eſſe malum dolorem:* ſed quid eſſet, & quale, quantumque in eo ineſſet alieni, deinde quæ ratio eſſet perferendi: cujus quidem, quoniam Stoicus fuit, ſententia, condemnata mihi videtur eſſe [8] *immanitas iſta verborum.* Sed, ut propiùs ad 10
ea, Cato, accedam, quæ à te dicta ſunt, preſſiùs agamus, eaque, quæ modò dixiſti, cum iis conferamus, quæ tuis antepono. Quæ ſunt igitur communia vobis cum antiquis, his ſic utamur, quaſi conceſſis: quæ in controverſiam veniunt, de iis, ſi placet, diſſeramus. Mihi verò, inquit, placet agi ſubtiliùs, &, ut ipſe dixiſti, preſſius. quæ enim adhuc protuliſti, popularia ſunt: ego autem à te elegantiora deſidero. A mene tu, inquam? ſed tamen enitar, &, ſi minùs mihi multa occurrent, non fugiam iſta popularia. Sed primùm poſitum ſit, noſmetipſos commendatos eſſe nobis, primamque ex natura hanc habere appetitionem, *ut conſervemus noſmetipſos*, hoc convenit: ſequitur illud, ut animadvertamus, qui ſimus ipſi, ut nos, quales oportet eſſe, ſervemus. ſumus igitur homines: ex animo conſtamus & corpore; quæ ſunt cujuſdammodi; noſque oportet, ut prima appetitio naturalis poſtulat, hæc diligere, conſtituereque ex his finem illum ſummi boni, atque ultimi. quem, ſi prima vera ſint, ita conſtitui neceſſe eſt, [9] EARUM RERUM, QUÆ SUNT SECUNDUM NATURAM, quamplurima, & quammaxima adipiſci. Hunc igitur finem illi tenuerunt: quodque ego pluribus verbis, illi breviùs, SECUNDUM NATURAM VIVERE. hoc his bonorum videtur extre-

1. *Ex quo etiam rationis, explicandi diſſerendique cup. &c.*] Lambinus, *etiam explicandæ rationis, diſſ.* quomodo etiam laudat ex Cujacii, puto membranis Scaliger. ſed ſic nullus Palatinorum.

2. *Neque enim eam cauſam, &c.*] Sic quidem etiam Victoriana. malim tamen eradi *enim*: nam neque viſitur aut in Aldina vetere, aut ullo Palatinorum, qui tamen omnes, *namque eam cauſam.*

3. *Decerneret, cùm triumphum Africano decerneret; Quod ejus virtute aut felicitate, poſſet.*] Deſperabam fermè de bona opera præſtanda Ciceroni, deſtitutus Palat. primo. ſed benè quod egregiam hanc emendationem ſuggeſſerit quartus. ineptè prius legebatur, *quid de ejus virtute*, &c. reſpicit enim Tullius ad Decreti voces QUOD N. VIRTUTE RES PROSPERE GESTÆ SUNT; DIIS IMMORTALIBUS, &c. item QUOD N. FELICITATE RESPUB. BENE GESTA EST; ET DIIS IMMORTALIBUS, HONOREM HABERI JUBEMUS, ET N. TRIUMPHUM DECERNIMUS. res clariſſima eſt, de qua, ſi vel per ſomnium veniſſet in mentem Lambino, parcere potuerat labori ſuo, quo totam hanc periodum peſſimè pervertit.

4. *Si neque virtus in nullo.*] Poſteriores edd. in *ullo*, ſed nolentibus prioribus, item Pall. omnibus.

5. *Verè dici poteſt.*] Lambinus interjecit *eſſet*: ſed ſic nullus è mſſ. Palatinis. idem ſtatim quoque edidit, *maneant, alio modo dicantur*; cum vox tamen ultima omnibus exulet Palatinis.

6. *In libello, ſuo.*] Aptius, *libellis*, quod è Cujacii codice annotatum à Scaligero illo noſtro.

7. *In eo nihil novetur.*] Eſt & hoc ab induſtria Lambini, aut magis Petri Fabri, autumantis ſic reſtituendum libro 1. cap. 21. ſemeſtrium. nam Pall. accedunt vulgatæ, *movetur*, quæ quid heic faciat, non video. ideoque non removi alterum.

8. *Immanitas iſta verborum.*] Lambiniana, *immanitas*, ſed alterum fuit in edd. aliis, reſtatque in Pall. univerſis.

9. *Earum rerum quæ ſunt.*] Plumâ levius eſt, ſed tamen ei ſic quoque ſuum eſt pondus; quare monendum duxi, in Pall. omnibus extare *ſint.*

1. *Quo-*

11 extremum. Age nunc iſti doceant, vel tu potiùs (quis enim iſta meliùs?) quonam modo ab iiſdem principiis profecti, efficiatis, ut honeſtè vivere, (id eſt enim vel ex virtute, vel naturæ congruenter vivere) ſummum bonum ſit, & quonam modo, aut quo loco corpus ſubitò deſerueritis, omniaque ea, quæ cùm ſecundum naturam ſint, abſint à noſtra poteſtate: ipſum denique officium. quæro igitur, [1] quo modo hæ tantæ commendationes à natura profectæ, ſubitò à ſapientia relictæ ſint. Quòd ſi non hominis ſummum bonum quæreremus, ſed cujuſdam animantis: is autem eſſet nihil, niſi animus: (licet enim *fingere aliquid* ejuſmodi, quo verum faciliùs reperiamus) tamen illi animo non eſſet [2] hic veſter finis. deſideraret enim valitudinem, vacuitatem doloris: appeteret etiam conſervationem ſui. earumque rerum cuſtodiam, finemque ſibi conſtitueret, SECUNDUM NATURAM VIVERE: quod eſt, ut dixi, habere ea, quæ ſecundum naturam ſunt, vel omnia, vel plurima, & maxima. cujuſcumque enim modi animal conſtitueris, neceſſe eſt, etiam ſi id ſine corpore ſit, ut fingimus, tamen eſſe in animo quædam ſimilia eorum, quæ ſint in corpore: ut nullo modo, niſi ut expoſui, conſtitui poſſit finis bonorum. Chryſippus autem exponens differentias animantium, ait alias earum *corpore* excellere, alias autem *animo*, nonnullas valere utraque re: deinde diſputat, quod cujuſque generis animantis ſtatui deceat extremum. cùm autem hominem in eo genere poſuiſſet, ut ei tribueret animi excellentiam: ſummum bonum id conſtituit, non excellere animo, ſed uti nihil
12 eſſe, præter animum, videretur. Uno autem modo IN VIRTUTE SOLA SUMMUM BONUM RECTE PONERETUR, ſi quod eſſet animal, quod totum ex mente conſtaret: idipſum tamen ſic, ut ea mens nihil haberet in ſe, quod eſſet ſecundum naturam: ut valitudo eſt. ſed id ne cogitari quidem poteſt, quale ſit, ut non repugnet ipſum ſibi. ſin dicit obſcurari quædam, nec apparere, quia valde parva ſint; nos quoque concedimus, quod dicit Epicurus de voluptate, quæ minimæ ſint voluptates, eas obſcurari ſæpe, & obrui. ſed non ſunt in eo genere tantæ commoditates corporis, tamque productæ temporibus, tamque multæ. Itaque, in quibus, propter earum exiguitatem, obſcuratio conſequitur; ſæpe accidit, ut *nihil intereſſe noſtra* fateamur, *ſint illa, necne ſint*: ut in ſole, quod à te dicebatur, lucernam adhibere nihil intereſt, aut teruntium addere Crœſi pecuniæ. Quibus autem in rebus obſcuratio tanta non ſit, fieri tamen poteſt, ut id ipſum, quod intereſt, non ſit magnum. ut ei, qui jucundè vixerit annos decem, ſi æquè vita jucunda menſtrua addatur; [3] quia momentum aliquod habeat ad jucundum acceſſio, bonum ſit: ſin autem id non concedatur, non continuò vita beata tollitur. Bona autem corporis, huic ſunt, quod poſteriùs poſui, ſimiliora. habent enim acceſſionem dignam, in qua elaboretur: ut mihi in hoc Stoici jocari videantur interdum, cùm ita dicant, *ſi ad illam vitam, quæ cum virtute degatur, ampulla, aut ſtrigilis accedat, ſumturum ſapientem eam vitam potiùs*, [4] quò hæc adjecta ſint, nec beatiorem tamen ob eam cauſam fore. Hoc ſimile tandem eſt non riſu potiùs, quàm oratione ejiciendum? ampulla enim ſit, necne ſit, quis non jure optimo irrideatur, ſi laboret? at verò GRAVITATE membrorum, & cruciatu dolorum ſi quis quem levet, magnam ineat gratiam: nec, ſi ille ſapiens ad tortoris eculeum à tyranno ire cogatur, ſimilem habeat vultum [5] ac ſi ampullam perdidiſſet: ſed, ut magnum, & difficile certamen iniens, cum ſibi cum *capitali adverſario*, dolore, depugnandum videret, excitaret omneis rationes fortitudinis, ac patientiæ: quarum præſidio iniret illud difficile, ut dixi, magnumque prœlium. deinde [6] non quæremus, quid obſcuretur, aut intereat, quia ſit admodum parvum: ſed quid tale ſit, [7] *ut expleat ſummum*. una voluptas è multis obſcuratur in illa vita voluptaria: ſed tamen ea quamvis parva ſit, pars eſt ejus vitæ, quæ poſita eſt in voluptate. nummus in Crœſi divitiis obſcuratur: pars eſt tamen divitiarum. quare obſcurentur etiam hæc, quæ ſecundum naturam eſſe dicimus, in vita beata: ſint modo partes beatæ vitæ. Atqui, ſi, ut convenire debet inter nos, eſt quædam *appetitio naturalis* ea, [8] quæ ſecundum naturam ſunt, appetens: eorum omnium eſt aliqua ſumma facienda. quo conſtituto, tum licebit otioſè iſta quærere, de magnitudine rerum, de excellentia, quanta in quoque ſit ad beatè vivendum, de iſtis ipſis obſcurationibus, quæ propter exiguitatem vix, aut ne vix quidem appareant. [9] Quid, de quo nulla diſſenſio eſt? nemo enim eſt, qui aliter dixerit, quin *omnium naturarum ſimile eſſet id, ad quod omnia referuntur*: quod eſt ultimum rerum appetendarum. OMNIS enim eſt natura diligens ſui. quæ eſt enim, quæ ſe umquam deſerat, aut partem aliquam ſui, aut ejus partis habitum, aut vim, aut ullius earum rerum, quæ ſecundum naturam ſint, aut motum, aut ſtatum? *quæ autem natura ſuæ primæ inſtitutionis oblita eſt*, nulla profectò, quin ſuam vim retineat à primo ad extremum. [10] quo igitur evênit, ut hominis natura ſola eſſet, quæ hominem relinqueret, quæ obliviſceretur corporis, quæ ſummum bonum non in toto homine, ſed in parte hominis poneret? quo modo autem, quod ipſi etiam fatentur, conſtatque inter omneis, conſervabitur, ut ſimile ſit omnium [11] naturale illud ultimum, de quo quæritur? tum enim eſſet ſimile, ſi in ceteris quoque naturis id cuique eſſet ultimum, quod in quaque excelleret. tale enim viſum eſſet ultimum Stoicorum. Quid dubitas igitur mutare principia naturæ? [12] quid enim dicis, OMNE ANIMAL, ſimulatque ſit ortum, applicatum eſſe ad ſe diligendum: eſſeque in ſe conſervando occupatum? quin potiùs ita dicis, OMNE ANIMAL applicatum eſſe ad id, quod in eo ſit optimum, & in ejus unius occupatum eſſe cuſtodia; reliquaſque naturas nihil aliud agere, niſi ut id conſervent, quod in quaque optimum ſit? quo modo autem optimum, ſi bonum præterea nullum eſt? ſi autem reliqua appetenda ſunt, cur, quod eſt ultimum rerum appetendarum, id non aut ex omnium earum, aut ex plurimarum, & maximarum appetitione concluditur? ut Phidias poteſt à principio inſtituere ſignum, idque perficere: poteſt ab alio inchoatum accipere, & abſolvere. huic eſt ſapientia ſimilis. non enim ipſa genuit hominem, ſed accepit, à natura inchoatum. [13] hanc intuens, debet inſtitutum illud, quaſi

1. *Quomodo hæ tantæ commendationes.*] Pal. tert. & quart. *quò hæ*, cui ſcripturæ & ſuus eſt ſenſus.

2. *Hic veſter finis.*] Iidem duo, ut & alii tres, *noſter*. quæ conſtantia non eſt fortuita.

3. *Quia momentum aliquod habeat ad jucundum acceſſio.*] Eſt à ſcriptis Lambini, quem firmat Pal. ſext. & Scaligeranus. Vulgata, *ad jucundam acceſſionem*. quo modo tamen pauciſſimi è Pall. nam tert. quint. *ad jucundum acceſſionem*.

4. *Quò hæc adjecta.*] An non fuit, *quoi hæc adjecta*.

5. *Ac ſi ampullam perdidiſſet.*] Petrus Vict. hanc lectionem mutavit in *& ſi ampullam*. procul dubio auctoritate membranaceorum. & verò ſic quoque Pall. quinque: adeo ut *& ſi*, valeat idem quod *ac ſi*; aut reformandum veniat in *ut ſi*.

6. *Non quæremus.*] Nuper cuſi, *quærimus*, ſed contra Victorianos in quo hæret alterum; quibus accedunt omnes Pall.

7. *Ut expleat ſummam.*] Sic olim cuſi ante annos nonaginta & amplius, ſic Victorius, ſic Lambinus, ſic Pall. o. adeò ut mirer hodiè fere reponi *ſummum*.

8. *Quæ ſecundum naturam ſunt, appetens.*] Nuſpiam inveni in meis Lambinianum, *appetentis*.

9. *Quid, de quo nulla aſſenſio eſt?*] Invexerunt iſtud è mſſ. ſuis Paullus primum Manutius, ac Dion. Lambinus. antea erat *multa diſſenſio*, quomodo item reſtat in Pall. quinque.

10. *Quo igitur evenit, &c.*] Haud aliter edidit Victorius. nam priores poſterioreſque, *quo modo igitur*. ſed ea vox aſcititia in nullo eſt Palatinorum.

11. *Naturale illud ultimum.*] Paullus Manutius conjiciebat, *naturarum*, aſſeruitque mox ſibi Lambinus, ſed non video cur heic inferciri debeat, ejecta lectione noſtra, quæ in Palatinis omnibus, & alioquin idem dicit quod altera.

12. *Quid enim dicis.*] Vox *dicis* non eſt in Pal. quarto; & poterat ſanè abeſſe.

13. *Hanc intuens.*] Prius cuſi, *hanc igitur intuens*, ſed præter Palat. o. editionemque Victorii.

quaſi ſignum, abſolvere. Qualem igitur natura hominem inchoavit? [1] & quod eſt munus, quod opus ſapientiæ? quid eſt, quod ab ea abſolvi, & perfici debeat? ſi [2] nihil in eo quidem perficiendum eſt, præter motum ingenii quendam, id eſt, rationem: neceſſe eſt, huic ultimum eſſe, ex virtute vitam fingere. *rationis enim perfectio, eſt virtus.* ſi nihil, niſi corpus: ſumma erunt illa, valitudo, vacuitas doloris, pulchritudo, & cetera. nunc de hominis ſummo bono quæritur. 14 Quid ergo dubitamus in tota ejus natura quærere quid ſit effectum? Cùm enim conſtet inter omneis, OMNE OFFICIUM, munuſque ſapientiæ, in hominis cultu eſſe occupatum: alii (ne me exiſtimes contra Stoicos ſolùm dicere) eas ſententias afferunt, ut ſummum bonum in eo genere ponant, quod ſit extra noſtram poteſtatem, tanquam de animali aliquo loquantur: alii contrà, quaſi nullum corpus ſit hominis, ita, præter animum, nihil curant: cùm præſertim ipſe quoque animus non inane neſcio quid ſit (neque enim id poſſum intelligere) ſed in quodam genere corporis: ut ne is quidem *virtute una contentus* ſit, ſed appetat vacuitatem doloris. quamobrem utrique idem faciunt, ut ſi lævam partem negligerent, dexteram tuerentur: aut ipſius animi, ut fecit Herillus, cognitionem amplexarentur, actionem relinquerent. eorum enim omnium, multa prætermittentium, dum eligant aliquid, quod ſequantur, *quaſi curta ſententia.* at verò illa perfecta, atque plena, eorum, qui cùm de hominis ſummo bono quærerent, nullam in eo neque animi, neque corporis partem vacuam tutela reliquerunt. Vos autem, Cato, quia virtus, ut omnes fatemur, *altiſſimum locum in homine, & maximè excellentem tenet*, & quòd eos, qui ſapientes ſunt, abſolutos, & perfectos putamus: aciem animorum noſtrorum [3] virtutis ſplendore præſtringitis. in omni enim animante eſt ſummum aliquid, atque optimum, ut in equis, in canibus: quibus tamen [4] & dolore vacare opus eſt, & valere. ſic igitur in homine perfectio iſta, in eo potiſſimùm, quod eſt optimum, id eſt, *in virtute* laudatur. Itaque mihi non ſatis videmini conſiderare, [5] quod iter ſit naturæ, quæque progreſſio. non enim hoc, quod facit in frugibus, ut, cùm ad ſpicam perduxerit ab herba, relinquat, & pro nihilo habeat herbam, idem facit in homine, cùm eum ad rationis habitum perduxerit. ſemper enim ita aſſumit aliquid, ut ea, *quæ prima dederit, ne deſerat.* itaque ſenſibus rationem adjunxit: &, ratione effecta, ſenſus non reliquit: ut ſi cultura vitium, cujus hoc munus eſt, ut efficiat, ut vitis cum partibus ſuis omnibus quàm optime ſe habeat: [6] ſed ſic intelligamus: (*licet enim, ut vos quoque ſoletis, fingere aliquid docendi cauſa*) ſi igitur illa cultura vitium in vite inſit, ipſa cetera, credo, velit, quæ ad colendam vitem attinebunt, ſicut antea: ſe autem omnibus vitis partibus præferat, ſtatuatque nihil eſſe melius in vite, quàm ſe: ſimiliter ſenſus, cùm acceſſit ad naturam, *tuetur illam quidem, ſed etiam tuetur ſe*: cùm autem aſſumta ratio eſt, tanto in dominatu locatur, ut omnia illa prima naturæ, hujus tutelæ ſubjiciantur. itaque non diſcedit ab eorum curatione, quibus præpoſita vitam omnem debet gubernare: ut mirari ſatis eorum inconſtantiam non poſſimus. naturalem enim appetitionem quam vocant ὁρμὴν, itemque officium, [7] ipſam etiam virtutem, tuentem eſſe volunt earum rerum, quæ *ſecundum naturam* ſunt. cùm autem ad ſummum bonum volunt pervenire, tranſiliunt omnia, & duo nobis opera pro uno relinquunt: ut alia ſumamus, alia appetamus potiùs, [8] quàm uno fine omnia concludant. 15
[9] At enim jam dicitis virtutem non poſſe conſtitui, ſi ea, quæ extra virtutem ſint, ad beatè vivendum pertineant. quod totum contrà eſt. INTRODUCI enim virtus nullo modo poteſt, niſi omnia, quæ leget, quæque rejiciet, unam referantur ad ſummam. nam ſi omnino nos negligimus, in Ariſtonea vitia, & peccata incidemus, obliviſcemurque, quæ virtuti ipſi principia dederimus. ſin ea non negligimus, neque tamen ad finem ſummi boni referimus, non multùm ab Herilli levitate aberrabimus. duarum enim vitarum nobis erunt inſtituta capienda. facit enim ille duo ſejuncta ultima bonorum: quæ, ut eſſent vera, conjungi debuerunt. [10] nunc iſta ſeparantur, ut disjuncta ſint. quo nihil poteſt eſſe perverſius. itaque contrà eſt, ac dicitis; nam conſtitui virtus nullo modo poteſt, niſi ea, quæ ſunt prima naturæ, ut ad ſummam pertinentia, tenebit. QUÆSITA enim virtus eſt, non quæ relinqueret naturam, ſed quæ tueretur. At illa, ut vobis placet, partem quandam tueretur, reliquam deſerit. Atque ipſa inſtitutio hominis ſi loqueretur, hæc diceret: *Primos ſuos quaſi cœptus appetendi fuiſſe, ut ſe conſervaret in ea natura, in qua ortus eſſet.* Nondum autem explanatum ſatis erat, quod maximè natura vellet. explanetur igitur. quid ergo aliud intelligetur, [11] niſi ut nequa pars naturæ negligatur? in qua ſi nihil eſt præter rationem, ſit in una virtute finis bonorum. ſin eſt etiam corpus, iſta explanatio naturæ nempe hoc effecerit, ut ea, quæ ante explicationem tenebamus, relinquamus. Ergo id eſt convenienter naturæ vivere, à natura diſcedere. Ut quidam philoſophi, [12] cùm à ſenſibus profecti, majora quædam, ac diviniora vidiſſent, ſenſus reliquerunt: ſic iſti, cùm ex appetitione rerum virtutis pulchritudinem adſpexiſſent, omnia, propter quæ virtutem ipſam viderant, abjecerunt, obliti, naturam omnem appetendarum rerum ita latè patêre, ut à principiis permanaret ad fineis: neque intelligunt, ſe rerum illarum pulchrarum, atque admirabilium fundamenta ſubducere.
16 Itaque mihi videntur omnes quidem illi erraſſe, qui finem bonorum eſſe dixerunt, HONESTE VIVERE: ſed alius alio magis: Pyrrho ſcilicet maximè, qui, *virtute* conſtituta, nihil

1. *Et quod eſt munus, &c.*] Sic Pall. o. item Aldi ſenioris & Victorii editio. neotericæ maluere: *ecquod, &c.* minus nervosè.

2. *Nihil in eo quidem perficiendum eſt.*] Victorii editio *quod perficiend.* quomodo & Pall. quatuor. nam numero quintus neutram agnoſcit voculam. & malim ſanè utramque abeſſe.

3. *Virtutis ſplendore præſtringitis.*] Ita legendum vel Nonii auctoritate. aliæ edd. fere *perſtringitis*. Lambinus voluit, *præſtinguitis*.

4. *Et dolore vacare opus eſt & valere.*] Mira lectio Palatini quarti, *& olere nare præ eſt & valere.* quam tamen non dubitarim auctoris germanam. canes enim cenſentur ſagacitate narium, quemadmodum equi robore, id eſt valentiâ. Si alius quis olim è gente critica talem emendationem orbi primum publicaſſet; exclamaſſet ſtatim ipſemet, dignum ſe qui ideo aurata cohoneſtaretur ſtatua medio in foro. inveniſſetque ſtatim non paucos, qui feſtâ acclamatione recentarent, dignum eſſe. at ego nihil à quoquam peto, quam ut miſereatur mei, cùm vapulabo à viliſſimo aliquo puerorum quod Ciceroni, vel, & vel *aut*, ſimileve quid abſtulerim illo non adſentiente; hoc eſt, priuſquam eum quaſi ſolenniter de calculo ſuo interpellaverim.

5. *Quod iter ſit naturæ, quæque progreſſio.*] Adeo clara erat correctionis hujus ſententia, ut ſtatim ei locum dederim, ejecto hactenus vulgato, *quid interſit naturæ quæque progr.* quomodo nulli Palatinorum: omnes enim habent *quod non quid*, præter quartum; auctorem lectionis reſtitutæ; cui item accedit vetus codex Scaligero excuſſus.

6. *Sed ſic intelligamus.*] Lambinus heic mirificè voces plures tranſpoſuit; verùm nullo ſuffragante Palatinorum.

7. *Ipſam etiam virtutem, tuentem eſſe volunt earum rerum.*] Aliter Pal. quartus. nempe: *ipſam etiam tuentem voluntatem earum rerum.* quo quid velit, non licet examinare nimium properanti.

8. *Quam uno fine omnia concludant.*] Paulus Manutius Alduſque filius communicarunt orbi, ex antiquo codice, *fine utrumque concludant*; ſed ſic nullus è Palatinis.

9. *At enim jam dicitis.*] Sic Aldi ſenioris editio. Junioris enim, *At enim veram dicitis*, ex mſſ. Maffæi. quomodo nulli Palatinorum. habebant enim uno conſenſu, *At enim: nam dicitis*, quod & publicavit Victorius. Lambinus prompſit ex Memmiano, *At enim natura dicitis.* quod & probabat Scaliger.

10. *Nunc iſta ſeparantur.*] Hodiernæ edd. *ita.* ſed contra antiquiores Aldi, Victorii, &c. item omnes Palatinos. ſi utraque vocula excluderetur, nihil decederet auctori.

11. *Niſi ut nequa pars naturæ negligatur?*] Sic ex Maffæi libro reſtituit Paull. Manutius. Pall. tamen o. ſtant pro vulgata; *niſi ut æque pars.* Scaliger ex V. C. hauſit, *niſi ut inæquè pars, &c.*

12. *Cum à ſenſibus profecti, &c.*] An non: *provecti.*

1. Quod

nihil omnino, quod appetendum ſit, relinquat: deinde Ariſto, qui nihil relinquere non eſt auſus: introduxit autem, quibus commotus ſapiens appeteret aliquid, [1] quod cuique in mentem incideret, & quodcumque tanquam occurreret. is hoc melior, quàm Pyrrho, quòd vel aliquod genus appetendi dedit: deterior, quàm ceteri, quòd penitus à natura receſſit. Stoici autem, quòd finem bonorum *in una virtute* ponunt, ſimiles ſunt illorum: quòd autem principium officii quærunt, meliùs quàm Pyrrho: quòd ea non occurrentia fingunt, vincunt Ariſtonem: quòd autem ea, quæ ad naturam accommodata, & per ſe aſſumenda eſſe dicunt, non adjungunt ad finem bonorum, deſciſcunt à natura, & quodam modo ſunt non diſſimiles Ariſtonis. ille enim occurrentia neſcio quæ comminiſcebatur: hi autem ponunt illi quidem prima naturæ, ſed ea ſejungunt à finibus, & à ſumma bonorum: quæ cùm proponunt, ut ſit aliqua rerum ſelectio; *naturam videntur ſequi.* cùm autem negant, ea quidquam ad beatam vitam pertinere: rurſus naturam relinquunt. [2] Atque adhuc ea dixi, cur cauſa Zenoni non fuiſſet, quamobrem à ſuperiorum auctoritate diſcederet. nunc reliqua videamus: niſi aut ad hæc, Cato, dicere aliquid vis, aut nos jam longiores ſumus. Neutrum verò, inquit ille. nam & à te perfici iſtam diſputationem volo, nec tua mihi oratio longa videri poteſt. Optimè, inquam. quid enim mihi poteſt eſſe optatius, quàm cum Catone omnium virtutum auctore de virtutibus diſputare? ſed primùm illud vide, graviſſimam illam veſtram ſententiam, quæ familiam ducit, HONESTUM QUOD SIT, ID ESSE SOLUM BONUM: honeſteque vivere, bonorum finem, communem fore vobis cum omnibus, qui in una virtute conſtituunt finem bonorum: quodque dicitis, *informari non poſſe virtutem,* ſi quidpiam, niſi quod honeſtum ſit, numeretur, idem dicetur ab illis, quos modò nominavi. mihi autem æquius videbatur, Zenonem cum Polemone diſceptantem, à quo, quæ eſſent principia naturæ, acceperat, à communibus initiis progredientem, videre ubi primùm inſiſteret, & unde cauſa controverſiæ naſceretur, non ſtantem cum iis, qui ne dicerent quidem ſua ſumma bona eſſe à natura profecta, ut iiſdem argumentis, quibus illi uterentur, iiſdemque ſententiis.

17 Minimè verò illud probo, quòd cùm docuiſtis, ut vobis videmini, SOLUM BONUM ESSE, QUOD HONESTUM SIT, tum rurſum dicitis, initia proponi neceſſe eſſe apta, & accommodata naturæ, quorum ex electione virtus poſſit exſiſtere. non enim in ſelectione virtus ponenda erat, ut idipſum, quod erat bonorum ultimum, aliud aliquid acquireret. nam omnia, quæ ſumenda, quæque legenda aut optanda ſunt, ineſſe debent in ſumma bonorum, ut is, qui eam adeptus ſit, nihil præterea deſideret. Videſne, ut, quibus *ſumma eſt in voluptate,* perſpicuum ſit, quid iis faciendum ſit, aut non faciendum? ut nemo dubitet, eorum omnia officia quò ſpectare, quid ſequi, quid fugere debeant. Sit hoc ultimum bonorum, quod nunc à me defenditur. apparet, ſtatim, quæ ſint officia, quæ actiones. vobis autem, quibus nihil eſt aliud propoſitum, niſi *rectum, atque honeſtum,* unde officii, unde agendi principium naſcatur, non reperietis. Hoc igitur quæritis omnes, & ii, qui, quodcumque in mentem veniat, aut quodcumque occurrat, ſe ſequi dicent: [3] & vos ad naturam revertimini. quibus natura jure reſponderit, non eſſe verum, aliunde finem beatè vivendi, à ſe principia rei gerendæ peti: eſſe enim unam rationem, qua & principia rerum agendarum, & ultima bonorum continerentur: atqui, ut Ariſtonis eſſet exploſa ſententia, dicentis, *nihil differre aliud ab alio,* nec eſſe res ullas, præter *virtutes, & vitia,* inter quas quidquam omnino intereſſet, ſic errare Zenonem, qui nulla in re, niſi in virtute, aut vitio, propenſionem, ne minimi quidem momenti, ad ſummum bonum adipiſcendum eſſe diceret: &, cùm ad beatam vitam nullum momentum ea res haberet, ad appetitionem autem rerum, eſſe in his momenta diceret: quaſi verò hæc appetitio non ad ſummi boni adeptionem pertineret. Quid autem minùs conſentaneum eſt, quàm, quod ajunt, cognito ſummo bono, reverti ſe ad naturam, ut ab ea petant agendi principium, id eſt, officii? NON ENIM ACTIONIS, aut officii ratio impellit ad ea, quæ ſecundum naturam ſunt, appetenda: ſed ab his & appetitio, & actio commovetur.

Nunc venio ad illa tua brevia, quæ conſectaria eſſe dicebas: 18 & primum illud, quo nihil poteſt eſſe brevius: Bonum omne, laudabile: laudabile autem omne, honeſtum: igitur *omne bonum, honeſtum.* O plumbeum pugionem! Quis enim tibi illud primum conceſſerit? quo quidem conceſſo, nihil opus eſt ſecundo. ſi enim omne bonum, laudabile eſt, [4] omne honeſtum eſt. Quis tibi ergo iſtud dabit, præter Pyrrhonem, Ariſtonem, eorumve ſimileis? quos tu non probas. [5] Ariſtoteles, Xenocrates, tota illa familia, non dabit, quippe qui valitudinem, vireis, divitias, gloriam, multa alia, bona eſſe dicant, laudabilia non dicant. & hi quidem ita non ſola virtute, finem bonorum contineri putant, ut rebus tamen *omnibus virtutem* anteponant. quid cenſes eos eſſe facturos, qui omnino virtutem à bonorum fine ſegregaverunt, Epicurum, Hieronymum, illos etiam, ſi qui Carneadeum finem tueri volunt? Jam aut Callipho, aut Diodorus, [6] quo poterunt tibi iſtud concedere, qui ad honeſtatem aliud adjungant, quod ex eodem genere non ſit? Placet igitur tibi, Cato, cùm res ſumſeris non conceſſas, ex illis efficere quod velis? Jam ille ſorites, quo nihil putatis eſſe vitioſius, *Quod bonum ſit, id eſſe optabile: quod optabile, id eſſe expetendum: quod expetendum, laudabile:* deinde reliqui gradus. ſed ego in hoc reſiſto. eodem enim modo tibi nemo dabit, quod expetendum ſit, id eſſe laudabile. Illud verò minimè conſectarium, ſed in primis [7] hebes, illorum *gloriatione dignam eſſe beatam vitam,* [8] quod non poſſit ſine honeſtate contingere, ut jure quiſquam glorietur. Dabit hoc Zenoni Polemon; etiam magiſter ejus, & tota illa gens, & reliqui, qui virtutem omnibus rebus multo anteponentes, adjungunt ei tamen aliquid ſummo in bono finiendo. Si enim *virtus digna eſt gloriatione,* ut eſt, tantumque præſtat ceteris rebus, ut dici vix poſſit: & beatus eſſe poterit virtute una præditus, carens ceteris, nec tamen illud tibi concedet, præter virtutem, nihil in bonis eſſe ducendum: illi autem, quibus ſummum bonum ſine virtute eſt, non dabunt fortaſſe, *vitam beatam habere, in quo jure poſſit gloriari.* etſi illi quidem etiam voluptates faciunt interdum glorioſas. Vides igitur, te aut ea ſumere, quæ non concedantur, aut ea, quæ etiam conceſſa, [9] te nihil juvent. Equidem in omnibus 19 iſtis

1. *Quod cuique in mentem incideret, &c.*] Nihil mutant Pall. noſtri, neque erat neceſſe. Paullus tamen Manutius omnino emendandum putat, *quodcumque in mentem.*

2. *Atque adhuc ea dixi, cur cauſa Zenoni non fuiſſet, &c.*] Dubito de integritate loci. nihil tamen juvant Pall. niſi quod quart. *dixi cauſa cùr Zenoni.* ceteri habent verbo tranſpoſito, *cauſa cur.*

3. *Et vos ad naturam revertimini.*] Ita edidit Victorius. ſed priores, item poſteriores, *revertemini*, quibus conſentiunt ferè Pall. nam admodum licentiose Lambinus, *& vos qui ad naturam revertimini.* P. Manutius eruit è Tertii libro: *Sed vos ad nat. revertimini.*

4. *Omne honeſtum eſt.*] Et hoc eſt à Victorio, cui accedunt omnes Palatini. nam Aldi vetus, *omni laudabile honeſtum eſt*; quod & in nonnullis adhuc retinetur edd. nam Lambinus, *omne bonum honeſtum eſt.*

5. *Ariſtoteles, Xenocrates, tota illa, &c.*] Sic Pall. o. editioque Victorii. aliæ enim; *Ariſt. verò Xenocr.*

6. *Quo poterunt tibi iſtud concedere.*] Et hoc habet editio Vict. ac Pall. o. nam aliæ, *quo modo poterunt tibi, &c.*

7. *Hebes illorum gloriatione.*] Eſt à conjectura Mureti libro IV. Var. lect. cap. 14. confirmata deinde membranis Caroli Sigonii, ut prodidit Manutius Nepos prius legebatur amplius, *illorum ſcilicet nominum gloriatione*: quod & in omnibus Pall.

8. *Quod non poſſit ſine, &c.*] Ita Palatini aliquot: reſpicitque ad ea quæ habuimus ſupra libro III. cap. 8. editi antea, *quæ non, &c.* nam Lambinus, *quia non, &c.*

9. *Te nihil juvent.*] Aldus uterque, *adjuvent*, ſed præter o. Pall. editoſque à Victorio.

iſtis concluſionibus hoc putarem philoſophia, nobiſque dignum & maximè, cum ſummum bonum quæreremus, VITAM NOSTRAM, CONSILIA, VOLUNTATES, NON VERBA CORRIGI. quis enim poteſt iſtis, quæ te, ut ais, delectant brevibus, & acutis, auditis, de ſententia decedere? Nam, cùm [1] ea ſpectant, & avent audire, *cur dolor, malum non ſit:* dicunt illi, [2] aſperum eſſe dolere, moleſtum, odioſum, contra naturam, difficile toleratu: ſed, quia nulla ſit in dolore nec fraus, nec improbitas, nec malitia, nec culpa, nec turpitudo, non eſſe illud malum. Hæc qui audierit, ut ridere non curet, diſcedet tamen nihilo firmior ad dolorem ferendum, quàm venerat. tu autem negas *fortem eſſe quemquam poſſe, qui dolorem malum putet.* Cur fortior ſit, ſi illud, quod tute concedis, aſperum, & vix ferendum putabit? EX REBUS enim timiditas, non ex vocabulis naſcitur. Et ais, ſi una littera commota ſit, fore, tota ut labet diſciplina. Utrùm igitur tibi litteram videor, an totas paginas commovere? ut enim ſit apud illos, id quod eſt à te laudatum, ordo rerum conſervatus, & omnia inter ſe apta, & connexa, (ſic enim ajebas) tamen perſequi non debemus, ſi à FALSIS PRINCIPIIS PROFECTA congruent ipſa ſibi, & à propoſito non aberrant. In prima igitur conſtitutione Zeno tuus à natura receſſit; cumque ſummum bonum poſuiſſet in ingenii præſtantia, quam virtutem vocamus, nec quidquam aliud bonum eſſe dixiſſet, niſi quod eſſet honeſtum, nec virtutem poſſe conſtare, ſi in ceteris rebus [3] eſſet quidquam, quod aliud alio melius eſſet, aut pejus: his propoſitis, tenuit prorſus conſequentia. rectè dicis. negare enim non poſſum. ſed ita falſa ſunt ea, quæ conſequuntur, ut illa, è quibus hæc nata ſunt, vera eſſe non poſſint. docent enim nos (ut ſcis) dialectici, [4] *ſi ea, quæ rem aliquam ſequantur, falſa ſint, falſam illam ipſam eſſe, quàm ſequantur.* Ita ſit illa concluſio non ſolùm vera, ſed ita perſpicua, ut dialectici ne rationem quidem reddi putent oportere; Si illud: hoc. non autem hoc. igitur ne illud quidem. ſic, conſequentibus veſtris ſublatis; [5] prima tollantur. quæ ſequuntur igitur: *omneis, qui non ſint ſapientes, æquè miſeros eſſe: ſapienteis omneis ſummè beatos eſſe: rectè facta omnia æqualia: omnia peccata paria.* quæ cum magnificè primò [6] dici viderentur, conſiderata minùs probantur. ſenſus enim cujuſque, & natura rerum, atque ipſa veritas clamabat quodam modo, non poſſe adduci, ut inter eas res, quas Zeno exæquaret, nihil
20 intereſſet. Poſtea tuus ille Pœnulus, (ſcis enim Citiæos, clienteis tuos, è Phœnicia profectos) homo igitur acutus cauſam non obtinens, repugnante natura, verba verſare cœpit: & primùm rebus iis, [7] quas nos bonas ducimus, conceſſit, ut haberentur aptæ, habiles, & ad naturam accommodatæ: faterique cœpit, ſapienti, hoc eſt, ſummè beato, commodiùs tamen eſſe, ſi ea quoque habeat, quæ *bona* non audet appellare; [8] natura ipſa *accommodata* eſſe concedit: negatque, Platonem, ſi ſapiens non ſit, eadem eſſe in cauſa, qua tyrannum Dionyſium. huic mori optimum eſſe, propter deſperationem ſapientiæ: illi, propter ſpem, vivere: peccata autem partim eſſe tolerabilia, partim nullo modo, propterea quòd alia peccata plureis, alia pauciores quaſi *numeros officii* præterirent. jam inſipienteis alios ita eſſe, ut nullo modo ad ſapientiam poſſent pervenire: alios, qui poſſent, [9] ſi id geſſiſſent, ſapientiam conſequi. Hic *loquebatur aliter, atque omnes: ſentiebat idem quod ceteri.* nec verò minoris æſtimanda ducebat ea, quæ ipſe bona negaret eſſe, quàm illi, qui ea bona eſſe dicebant. Quid igitur voluit ſibi, qui illa mutaverit? Saltem aliquid de pondere detraxiſſet, & paullo minoris æſtimaviſſet ea, quàm Peripatetici, ut ſentire quoque aliud, non ſolùm dicere videretur. [10] Quid? de ipſa beata vita, ad quam omnia referuntur, quæ dicitis? negatis eam eſſe, quæ expleta ſit omnibus iis rebus, quas natura deſideret: totamque eam *in una virtute* ponitis: cùmque omnis controverſia aut *de re* ſoleat, aut *de nomine* eſſe: utraque earum naſcitur, ſi aut res ignoratur, aut erratur in nomine. quorum ſi neutrum eſt, opera danda eſt, ut verbis utamur quàm uſitatiſſimis, & quàm maximè aptis, id eſt, rem declarantibus. Num igitur dubium eſt, quin, ſi in re ipſa nihil peccatur à
ſuperioribus, [11] verbis illi commodiùs utuntur? Videa- 21
mus igitur ſententias eorum: tum ad verba redeamus. Dicunt appetitionem animi moveri, cùm aliquid ei *ſecundum naturam* eſſe videatur: omniaque, quæ ſecundum naturam ſunt, *æſtimatione aliqua digna:* eaque pro eo, quantum in quoque ſit ponderis, eſſe æſtimanda: quæque ſecundum naturam ſint, partim nihil habere in ſeſe ejus appetitionis, de qua ſæpe jam diximus, quæ nec honeſta, nec laudabilia dicantur: partim quæ voluptatem habeant in omni animante, ſed in homine rationem etiam: ex iis quæ ſint apta, *ea honeſta, ea pulchra, ea laudabilia:* illa autem ſuperiora, *naturalia* nominantur: quæ conjuncta cum honeſtis, vitam beatam perficiunt, & abſolvunt. Omnium autem eorum commodorum, quibus non illi plus tribuunt, qui illa bona eſſe dicunt, quàm Zeno, qui negat, longè PRÆSTANTISSIMUM eſſe, quod honeſtum eſſet, atque laudabile: ſed, ſi duo honeſta propoſita ſint, alterum cum valitudine, alterum cum morbo: non eſſe dubium, ad utrum eorum natura nos ipſa deductura ſit. ſed tamen tantam vim honeſtatis eſſe, tantumque eam rebus omnibus præſtare, & excellere, ut *nullis nec ſuppliciis, nec præmiis demoveri poſſit ex eo, quod rectum eſſe decreverit:* omniaque, quæ dura, difficilia, adverſa videantur, ea virtutibus iis, quibus à natura eſſemus ornati, [12] obteri poſſe, non facileis illas quidem, nec contemnendas (quid enim eſſet in virtute tantum?) ſed ut hoc judicaremus, non eſſe in his partem maximam poſitam aut beatè aut ſecus vivendi. Ad ſummam, ea, quæ Zeno æſtimanda, & ſumenda,

&

1. *Ea ſpectant & avent audire.*] Pall. omnes ſcriptione antiqua, *habent.*

2. *Aſperum eſſe dolere, &c. difficile toleratu.*] Nequii mihi moderari quin admitterem hanc lectionem Pal. quarti, haud paullò gratioſiorem hactenus vulgato; *aſperum eſſe dolorem, &c. difficilem toleratu.*

3. *Eſſet quidquam, quod aliud alio, &c.*] Pall. quart. non agnoſcit vocem *quidquam.*

4. *Si ea quæ rem aliquam ſequantur, falſa ſint, falſa, &c. Ita fit.*] Si attendendum Pal. ſexto, qui tantum habet, *Si ea quæ rem aliquam ſequantur. Ita fit, &c.* cetera omnia excludemus ceu gloſſema: ut, nimirum auctori ſatis fuerit initium recitare rei notiſſimæ.

5. *Prima tollantur.*] Ita Aldus Senior, ita Pall. omnes, non ut poſt editi, *tolantur.*

6. *Dici viderentur, conſiderata, &c.*] Revocavi quod erat in omnibus fere Pal. atque vetuſte excuſis. neoterici enim, *dici videntur*, item *clamat*, obtruſerant nobis. Lambinus autem heic ſuo more abjicit, quod ei minus placebat. Locus meo judicio redderetur clarior, ſi geminaretur modo adhuc ſyllaba, fieretque *probabantur*, ἀντὶ τοῦ *probantur.*

7. *Quas nos bonas ducimus.*] Vulg. ferè *dicimus*, ſed contra Pall. aliosque calamo exaratos.

8. *Natura ipſa accommodata eſſe concedit.*] Sic lectio communis. nam Manutius Junior & Lambinus, *natura ipſi accommodata.* Pall. quatuor habent *natura ipſa commodo.* at quartus ille notæ melioris, *natura ipſa commodata eſſe con.*

9. *Si id geſſiſſent.*] Sic omnes uſque ad Lambinum; qui intruſit, *ſi proceſſiſſent.* Pall. quatuor ſtant pro vulgata. unus verò numero ſecundus conſentit Latinii & Tertii mſſ. habetque, *ſi id egiſſent.*

10. *Quid de ipſa beata vita.*] Verbum poſtremum non eſt in Pal. quarto. & forte ſubintelligi voluit auctor. nam nec reliqui noſtri concordant. habet enim ſec. *vitam*, ſextus *via.*

11. *Verbis illi commodius utuntur?*] Aldus Avus *utantur.* ſed alterum invexit Victorius, reſtatque in Pall. omn.

12. *Obteri poſſe; non facileis illas quidem, &c.*] Pall. nihil recedunt à vulgatis, niſi quod exprimant *optari.* Lambinus oggeſſit nobis ex mſ. inquit antiquiſſimo: *obteri poſſe: valetudinem autem, pulcritudinem, celeritatem, vireis corporis, divitias, & ceteras res hujus generis non facileis illas quidem.* at cur non etiam indicat, cujusnam fuerit domini liber ille, in cujus ora aliena manu embamma iſtud allitum erat? Paullus Manutius producebat ex Sigonii ſcripto, *obteri poſſe, non facilia illa quidem nec contemnenda:* ſed ne id quidem filio ſuo approbare potuit; etiamſi adlubeſcat Mich. Bruto.

1. Re

& apta naturæ eſſe dixit, eadem illi bona appellant: vitam autem beatam illi eam, quæ conſtaret ex iis rebus, quas dixi, aut plurimis, aut graviſſimis. Zeno autem, quod ſuam, quod propriam ſpeciem habeat, cur appetendum ſit, id ſolum bonum appellat: *beatam* autem *vitam* eam ſolam,
22 *quæ cum virtute degatur.* Si de re diſceptari oportet, nulla mihi tecum, Cato poteſt eſſe diſſenſio. nihil eſt enim, de quo aliter tu ſentias, atque ego: modò commutatis verbis ipſas res conferamus. nec hoc ille non vidit: ſed verborum magnificentia eſt, & gloria delectatus, qui ſi ea, quæ dicit, ita ſentiret, ut verba ſignificant: quid inter eum, vel Pyrrhonem, vel Ariſtonem intereſſet? ſin autem eos non probabat: quid attinuit cum iis, quibuſcum [1] re concinebat, verbis diſcrepare? Quid, ſi reviviſcant Platonici illi, & deinceps qui eorum auditores fuerunt, & tecum ita loquantur? Nos CÙM TE, M. Cato, ſtudioſiſſimum philoſophiæ, juſtiſſimum virum, optimum judicem, religioſiſſimum teſtem audiremus, admirati ſumus, quid eſſet, cur nobis Stoicos anteferres, qui de rebus bonis, & malis ſentirent ea, quæ ab hoc Polemone Zeno cognoverat: nominibus uterentur iis, quæ *prima ſpecie*, admirationem: re *explicata*, riſum moverent. Tu autem, ſi tibi illa probabantur, cur non propriis verbis illa tenebas? ſin te *auctoritas commovebat:* nobiſne omnibus, & Platoni ipſi, neſcio quem illum anteponebas? præſertim cùm in rep. princeps eſſe velles, ad eamque tuendam cum ſumma tua dignitate maximè à nobis *ornari*, atque *inſtrui* poſſes? nobis enim iſta quæſita, à nobis deſcripta, notata, præcepta ſunt: [2] omniumque rerumpublicarum rectiones, genera, ſtatus, mutationes, leges etiam, & inſtituta, ac mores civitatum [3] perſcripſimus. *eloquentiæ* verò, *quæ & principibus maximè ornamento eſt*, & qua te audivimus valere plurimùm, quantum tibi ex monumentis noſtris addidiſſes? Ea cùm dixiſſent, quid tandem talibus viris reſponderes? Rogarem te, inquit, ut diceres pro me tu idem, qui illis orationem dictaviſſes, vel potiùs paullum loci mihi, ut his reſponderem, dares, niſi & te audire nunc mallem, & iſtis tamen alio tempore reſponſurus eſſem, tunc ſcilicet, cùm tibi. Atqui, ſi verum reſpondere velles, Cato, hæc erant
23 dicenda, Non eos tibi non probatos, tantis ingeniis homines, tantaque auctoritate, ſe te animadvertiſſe, quas res illi *propter antiquitatem parum vidiſſent*, eas à Stoicis eſſe perſpectas, eiſdemque de rebus hos tum acutiùs diſſeruiſſe, tum ſenſiſſe graviùs, & fortiùs; quippe qui primùm valitudinem bonam, expetendam negent eſſe, eligendam dicant: non quia ſit bonum valere, ſed quia ſit non nihilo æſtimandum: [4] neque tamen pluris quàm illis videatur, qui illud non dubitant bonum dicere. Hoc verò te ferre non potuiſſe. quòd antiqui illi, quaſi *barbati*, ut nos de noſtris ſolemus dicere, crediderint, ejus, qui honeſtè viveret, ſi idem & bene valeret, bene audiret, copioſus eſſet, optabiliorem fore vitam, melioremque & magis expetendam, quàm illius, qui æquè vir bonus, *multis modis eſſet*, ut Ennii Alcmæo,

Circumventus morbo, exſilio, atque inopia.

Illi igitur antiqui non tam acutè optabiliorem illam vitam putant, præſtantiorem, beatiorem. Stoici autem tantummodò præponendam in ſeligendo, non quo beatior hæc vita ſit, ſed quòd ad naturam accommodatior, & *qui ſapientes non ſunt, omnes æquè miſeros* eſſe. Stoici hæc videlicet viderunt. illos autem id fugerat ſuperiores: qui arbitrabantur, homines ſceleribus, & parricidiis inquinatos, nihilo miſeriores eſſe, quàm eos, qui cùm caſtè & integrè viverent, nondum perfectam illam ſapientiam eſſent conſecuti. atque hoc loco ſimilitudines eas, quibus illi uti ſolent, diſſimillimas proferebas. Quis enim ignorat, ſi plures ex alto emergere velint, propiùs fore eos quidem ad reſpirandum, qui ad ſummam jam aquam appropinquant, ſed nihilo magis reſpirare poſſe, quàm eos, qui ſunt in profundo? nihil ergo adjuvat procedere, & *progredi in virtute*, quo minùs miſerrimus ſit, antequam ad eam pervenerit, quoniam in aqua nihil adjuvat: & quoniam catuli, qui jam deſpecturi ſunt; [5] cæci æquè, & ii, qui modò nati. Platonem quoque neceſſe eſt: [6] quoniam nondum videbat ſapientiam, æquè cæcum animo, ac Phalarim fuiſſe. Iſta 24
ſimilia non ſunt, Cato: in quibus quamvis multùm proceſſeris, tamen illud in eâdem cauſa eſt, à quo abeſſe velis, donec evaſeris. nec enim ille reſpirat, antè quàm emerſit, & catuli æquè cæci priuſquam deſpexerunt, ac ſi ita futuri ſemper eſſent. illa ſunt ſimilia: hebes acies eſt cuipiam oculorum: corpore alius langueſcit: hi curatione adhibita levantur in dies: alter valet plus quotidie: alter videt. hi ſimiles ſunt omnibus, qui virtuti ſtudent: *levantur vitiis, levantur erroribus.* niſi fortè cenſes T. Gracchum patrem non beatiorem fuiſſe, quàm filium, cùm alter ſtabilire remp. ſtuduerit, alter evertere. nec tamen ille erat ſapiens: quis enim hoc? aut quando? aut ubi? aut unde? ſed quia ſtudebat laudi, & dignitati, multum in virtute proceſſerat. conferam autem [7] avum tuum, Druſum, cum C. Graccho ejus ferè æquali. quæ hic reip. vulnera imponebat, eadem ille ſanabat. [8] Sed NIHIL EST, quod tam miſeros faciat, quam impietas, & ſcelus. Ut jam omnes inſipientes ſint miſeri, quod profectò ſunt: non eſt tamen æquè miſer, qui patriæ conſulit, & is, qui illam exſtinctam cupit. *levatio igitur vitiorum magna fit iis, qui habent ad virtutem progreſſionis aliquantulum.* veſtri autem progreſſionem ad virtutem fieri ajunt, levationem vitiorum fieri negant. [9] At, quo utuntur homines acuti argumento ad probandum, operæ pretium eſt conſiderare. QUARUM, inquiunt, artium ſumma creſcere poteſt, [10] earum etiam contrariarum ſumma poterit augeri. *ad virtutis autem ſummam accedere nihil poteſt.* ne vitia quidem igitur creſcere poterunt, quæ ſunt virtutum contraria. Utrùm igitur tandem, perſpicuiſne dubia aperiuntur, an dubiis perſpicua tolluntur? Atqui hoc perſpicuum eſt, vitia alia in aliis eſſe majora: illud dubium, ad id, quod ſummum bonum dicitis, ecquænam fieri poſſit acceſſio. vos autem cum perſpicuis dubia debeatis illuſtrare, dubiis perſpicua conamini tollere. [11] itaque uſi eâdem ratione, qua ſum paullo antè uſus, hærebitis. ſi enim propterea vitia alia aliis majora non ſunt, quia ne ad finem quidem bonorum eum, quem vos facitis, quidquam poteſt accedere: quoniam perſpicuum eſt, vitia non eſſe omnium paria, finis bonorum vobis mutandus eſt. Teneamus enim illud neceſſe eſt, *cùm conſequens aliquod falſum ſit, illud, cujus id conſequens ſit, non poſſe eſſe verum.* Quæ eſt igitur cauſa iſtarum. 25
angu-

1. *Re concinebat.*] Ita reſtituit Lambinus, Nonii motus auctoritate. & verò ſic plane legitur in Pal. quarto. nam ceteri vulgatis adhærent, præferendo, *conveniebat.*

2. *Omniumque rerum public.*] Sic Aldus Victorius, & Pall. omn. encliticam omiſerunt patrum ævo correctores. nam Aldus Nepos obtruſit nobis: *nos omnium rerum.* ubi invenit?

3. *Perſcripſimus.*] Eſt à Pal. ſec. ac quarto; ne quis putet Aldi aut Lambini auctoritate ſola permotos, abiiſſe à vulgata, *præſcripſimus.*

4. *Neque tamen pluris quàm illis videatur, &c.*] Pall. omnes *videntur*, quartus, præterea, quint. ſext. *plures quàm illi.*

5. *Cæci æquè, & ii.*] Aut &, hic notat ac; aut legendum *ut.* nihil eſt tamen ſcripturæ variantis in Pall.

6. *Quoniam nondum videbat ſapientiam.*] Verbum ultimum reduxi, perſuaſus ab editione Aldi ſenioris, & Pall. omnium conſenſu.

7. *Avum tuum Druſum.*] Lambinus & Brutus *avunculum.* ſed præter omnes editos & Palatinos; imò rationem. conſulatur Aldus Nepos.

8. *Sed nihil eſt, &c.*] Pal. quart. *Si nihil*, quæ ſcriptura non ita omninò abſurda. verum nihil ideo mutaverim.

9. *At, quo utuntur, &c.*] Pal. tert. ac ſext. *nituntur.* nihilo pejus.

10. *Earum etiam contrariarum ſumma.*] Ita omnes editi, neque aliter Pall. noſtri. Victorius edidit *contrarium*, ſicque & Aldus Nepos. Lambinus conjicit *contrariorum.*

11. *Itaque uſi eadem ratione, &c.*] Sic editi à Victorio, neque recedunt Pall. niſi quod ii *uſur.* Vox illa tota abfuit primis editionibus, neque recepta eſt a neotericis.

anguſtiarum glorioſa oſtentatio in conſtituendo ſummo bono. cùm enim, quod honeſtum ſit, id ſolum bonum eſſe confirmatur, tollitur cura valitudinis, diligentia rei familiaris; adminiſtratio reipub. ordo gerendorum negotiorum, officia vitæ? ipſum denique illud honeſtum, in quo uno vultis eſſe omnia, deſerendum eſt. quæ diligentiſſimè contra Ariſtonem dicuntur à Chryſippo. Ex ea difficultate *illæ* [1]*fallaciloquentiæ*, (ut ait Accius) *malitiæ natæ ſunt.* [2] Quod enim ſapientia ubi pedem poneret, non habebat, ſublatis officiis omnibus: officia autem tollebantur, delectu omni, & diſcrimine remoto (quæ enim eſſe poterant rebus omnibus ſic exæquatis, ut inter eas nihil intereſſet?) ex his anguſtiis iſta evaſerunt deteriora, quàm Ariſtonis. illa tamem ſimplicia: veſtra verſuta. Roges enim Ariſtonem, bonane ei videantur hæc, vacuitas doloris, divitiæ, valitudo? neget. quid, quæ contraria ſunt his, malane? nihilo magis. Zenonem roges. reſpondeat totidem verbis. admirantes quæramus ab utroque, QUONAM MODO vitam agere poſſimus, ſi nihil intereſſe noſtra putemus, valeamus, ægrine ſimus: vacemus, an cruciemur dolore: frigus, famem propulſare poſſimus, necne poſſimus: VIVES, inquit Ariſto, magnificè, atque præclarè: quod erit cumque viſum, ages, nunquam angère, numquam cupies, numquam timebis. Quid Zeno? portenta hæc eſſe dicit, nec ea ratione ullo modo poſſe vivi; ſed *differre inter honeſtum, & turpe*, [3] nimium quantum, neſcio quid immenſum: inter ceteras res nihil omnino intereſſe. Idem adhuc: (audi reliqua, & riſum contine, ſi potes.) MEDIA ILLA, inquit, inter quæ nihil intereſt, tamen ejuſmodi ſunt, ut eorum alia eligenda ſint, alia rejicienda, alia omnino negligenda, hoc eſt, ut eorum alia velis, alia nolis, alia non cures. At modò dixeras, nihil in his rebus eſſe, quod intereſſet. Et nunc idem dico, inquies, ſed ad virtutes, & ad vitia, nihil intereſſe. Quis iſtuc, quæſo,

26 neſciebat? Verùm audiamus. ISTA, inquit, QUÆ dixiſti, valere, locupletem eſſe, non dolere, bona non dico, ſed dicam Græcè προηγμένα, Latinè autem producta: ſed præpoſita, aut præcipua malo. [4] ſic tolerabilius, & mollius. Illa autem, egeſtatem, morbum dolorem, non appello mala, ſed, ſi libet, rejectanea. Itaque illa non dico me expetere, ſed legere, nec optare, ſed ſumere: contraria autem non fugere, ſed quaſi ſecernere. Quid ait Ariſtoteles, reliquique Platonis alumni? Se omnia, quæ ſecundum naturam ſint, bona appellare: quæ autem contra, mala. Videſne igitur, Zenonem tuum [5] cum Ariſtone verbis conſiſtere, re diſſidere: cum Ariſtotele, & illis re conſentire, verbis diſcrepare? cur igitur, cùm de re conveniat, non malimus uſitatè loqui? Aut doceat, paratiorem me *ad contemnendam pecuniam* fore, ſi illam in rebus præpoſitis, quàm ſi in bonis duxero: fortioremque in patiendo dolore, ſi eum aſperum, & difficilem perpeſſu, & contra naturam eſſe, quàm ſi malum dixero. Facetè M. Piſo, familiaris noſter, & alia multa, & hoc loco Stoicos irridebat. Quid enim ajebat? bonum negas eſſe divitias, præpoſitum eſſe dicis. quid adjuvas? avaritiamne minuis? quòd ſi verbum ſequimur, primùm longius verbum, *præpoſitum*, quàm *bonum*. Nihil ad rem. Ne ſit ſanè. at certè gravius. nam *bonum* ex quo appellatum ſit, neſcio: *præpoſitum* ex eo credo, quod præponatur aliis. id mihi magnum videtur. Itaque dicebat plus tribui divitiis à Zenone, qui eas in præpoſitis poneret, quàm ab Ariſtotele, qui bonum eſſe divitias fateretur. ſed nec magnum bonum, & præ rectis, honeſtiſque, contemnendum, ac diſpiciendum, nec magnopere expetendum: omninoque de omnibus iſtis verbis [6] à Zenone mutatis ita diſputabat, & quæ bona negarentur eſſe ab eo, & quæ mala, illa lætioribus nominibus ab eo

appellari, quàm à nobis, hæc triſtioribus. Piſo igitur hoc 27

modo vir optimus, tuique, ut ſcis, amantiſſimus. nos paucis ad hæc additis finem faciamus aliquando. longum eſt enim ad omnia reſpondere, quæ à te dicta ſunt. nam ex iiſdem *verborum præſtigiis & regna nata vobis* ſunt & imperia, & divitiæ, & tantæ quidem, ut omnia, quæ ubique ſint, ſapientis eſſe dicatis. ſolum præterea formoſum, ſolum liberum, ſolum civem: [7] ſtultorum omnia contraria, quos etiam inſanos eſſe vultis. Hæc παράδοξα illi, nos *admirabilia* dicamus. Quid autem habent admirationis, cùm propè acceſſeris? conferam tecum, quam cuique verbo rem ſubjicias: nulla erit controverſia. *omnia peccata paria* dicitis. non ego tecum jam ita loquar, ut iiſdem his de rebus cùm L. Murænam, te accuſante, defenderem. apud imperitos tum illa dicta ſunt: *aliquid etiam coronæ datum*: nunc agendum eſt ſubtiliùs. *peccata paria* quonam modo? quia nec honeſto quidquam honeſtius, nec turpi turpius. Perge porrò: nam de iſto magna diſſenſio eſt. illa argumenta propria videamus, cur omnia peccata ſint paria. UT, inquit, IN FIDIBUS plurimis, ſi nulla earum ita [8] contenta numeris ſit, ut concentum ſervare poſſit, omnes æquè incontentæ ſint: ſic peccata, quia diſcrepant, æquè diſcrepant: paria ſunt igitur. Hîc ambiguo ludimur. æquè enim contingit omnibus fidibus, ut incontentæ ſint: illud non continuò, ut æquè incontentæ. collatio igitur iſta te nihil juvat. nec enim omneis *avaritias* ſi æquè avaritias eſſe dixerimus, ſequitur etiam ut æquas eſſe dicamus. Ecce aliud ſimile diſſimile. Ut enim inquit, GUBERNATOR æquè peccat, ſi palearum navem evertit, & ſi auri: item æquè peccat qui parentem, & qui ſervum injuria verberat. Hæc non videre, cujus generis onus navis vehat, ad gubernatoris artem nihil pertinere: itaque, aurum, paleamve portet, ad bene, aut ad malè gubernandum, nihil intereſſe. at quid *inter parentem, & ſervulum interſit*, intelligi & poteſt, & debet. ergo in gubernando nihil, in officio plurimum intereſt, quo in genere peccetur. & ſi in ipſa gubernatione negligentia eſt navis everſa, majus eſt peccatum in auro, quàm in palea. OMNIBUS enim artibus volumus attributam eſſe eam, quæ *communis* appellatur prudentia: quam omnes, *qui cuique artificio præſunt, debent habere.* Ita ne

hoc modo paria quidem peccata ſunt. Urgent tamen, & 28

nihil remittunt. QUONIAM, inquiunt, omne peccatum, imbecillitatis, & inconſtantiæ eſt: hæc autem vitia, in omnibus ſtultis æquè magna ſunt: neceſſe eſt paria eſſe peccata. Quaſi verò aut concedatur, *in omnibus ſtultis æquè magna eſſe vitia*, & eadem imbecillitate, & inconſtantia L. Tubulum fuiſſe qua illum, cujus is condemnatus eſt rogatione, P. Scævolam: & quaſi nihil inter res quoque ipſas in quibus peccatur, interſit; ut, quo hæ majores, minoreſve ſint, eo, quæ peccentur in his rebus, aut majora

1. *Fallaciloquentiæ.*] Eſt à Victorio. nam Pall. *fallacis loquelæ*, ut edidit Aldus ſenior. filius enim ejus ac nepos maluere, *fallaciloquæ*, quod & arripuit Lambinus.

2. *Quod enim ſapientia, &c.*] Hanc lectionem diſtinctionemque introduxit Paullus Manutius ex Maſſæi codice, niſi quod illi abſit repetitum infra *enim*, quod nec in Pal. quarto, qui item habet initio: *quod enim ſapient.* non ut olim publicati, *Quid enim? ſapientia.*

3. *Nimium quantum, neſcio quid immenſum.*] Ludovicus Carrion lib. II. Antiq. Lect. cap. 12. dejerare auſit illa, *neſcio quid immenſum*, non eſſe Tullii, ſed alterius neſcio cujus; qui explicare voluerit prius illud, *nimium quantum*; addit præterea abeſſe à vetere codice trigam eam verborum. tale nihil dicere poſſum de Palatinis.

4. *Sic tolerabilius & mollius.*] Pall. omnes, *ſit.* quod aliam introferret ſententiam.

5. *Cum Ariſtone verbis conſiſtere.*] Sic Vict. ed. & Pall. o. non *conſentire.* ut vulgg. arbitrorque hoc quoque loco fuiſſe in Memmiano *cenſiſtere*, non inferius, ut quidem prodit Lambinus, mutatque in *concinere.*

6. *A Zenone mutatis.*] Legendum videbatur Scaligero noſtro *mutuatis.*

7. *Stultorum omnia contraria.*] Vox *ſtultorum* nata eſt ex Maſſæi codice, ſuſtulitque eam prolem P. Manutius, nam Pall. non agnoſcunt, neque viſitur in edd. priſcis.

8. *Contenta numeris.*] Pal. quart. *nervis*: neque diſplicet. Lambinus & iſtam vocem & alteram ejus incubam, rejecit. Scaligero præterea adnotatum legi in mſ. *pluribus*, ſupra, non *plurimis.*

majora ſint, aut minora. Itaque (jam enim concludatur oratio) hoc uno vitio maximè mihi premi videntur tui Stoici, quod ſe poſſe putant *duas contrarias ſententias obtinere.* quid enim eſt tam repugnans, quàm eundem dicere, quod honeſtum ſit, ſolum id bonum eſſe, qui dicat, appetitionem rerum ad vivendum accommodatarum, à natura profectam? Ita cùm ea volunt retinere, quæ ſuperiori ſententiæ conveniunt, in Ariſtonem incidunt: cùm id fugiunt; [1] re eadem defendunt, quæ Peripatetici; verba tenent mordicus. quæ rurſus dum ſibi [2] evelli ex ore nolunt, horridiores evadunt, aſperiores, duriores & oratione, & moribus, quam illorum triſtitiam, atque aſperitatem fugiens Panætius, nec acerbitatem ſententiarum, nec *diſſerendi ſpinas* probavit: fuitque in altero genere mitior, in altero illuſtrior: ſemperque habuit in ore Platonem, Ariſtotelem, Xenocratem, Theophraſtum, Dicæarchum, ut ipſius ſcripta declarant. quos quidem tibi ſtudioſè, & diligenter tractandos, magnopere cenſeo. Sed quoniam adveſperaſcit, & mihi ad villam revertendum eſt: nunc quidem hactenus: verùm *hoc idem ſæpe faciamus.* Nos verò, inquit ille. nam quid poſſumus facere melius? & hanc quidem primam exigam à te operam, ut audias me, quæ à te dicta ſunt, refellentem. ſed memento, te, quæ nos ſentiamus, omnia probare, ni quod verbis aliter utamur: mihi autem veſtrorum nihil probari. *ſcrupulum,* inquam, abeunti. ſed videbimus. Quæ cùm eſſent dicta, diſceſſimus.

1. *Re eadem defendunt, quæ Peripatetici; verba tenent mordicus.*] Sic mſſ. Pall. neque opus ulla mutatione cum Lambino, contrario modo iſthæc interpretanti quam debebat.

2. *Evelli ex ore nolunt.*] Paſſim ita legitur. at olim erat, *ex ordine nolunt*, ſicque Pal. quint. ſext. nam ceteri tres, *ex ordine volunt*, quomodo item fuiſſe in omnibus ſuis teſtatur Lambinus. & forſan rectè: ut velit, nullum eos ex iſtis verbum amiſſurum niſi vi mera extorqueatur.

M. TULLII CICERONIS DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM, AD BRUTUM.

LIBER QUINTUS.

1 CUM audiviſſem Antiochum, Brute, ut ſolebat, [1] cum M. Piſone, in eo gymnaſio, quod Ptolomæium vocatur, unaque nobiſcum Q. Frater, & T. Pomponius, & L. Cicero, frater noſter, cognatione, patruelis: *amore germanus:* conſtituimus inter nos, ut ambulationem poſtmeridianam conficeremus in Academia, maximè quòd is locus ab omni turba id temporis vacuus eſſet. Itaque ad tempus ad Piſonem omnes. inde vario ſermone ſex illa à Dipylo ſtadia confecimus. cùm autem veniſſemus [2] in Academiam, non ſine cauſa nobilitata ſpatia, ſolitudo erat ea, quam volueramus. Tum Piſo, Naturane nobis hoc, inquit, datum dicam, an errore quodam: ut, CÙM EA LOCA VIDEAMUS, in quibus memoria dignos viros acceperimus multum eſſe verſatos, magis moveamur, [3] quàm ſiquando eorum ipſorum aut facta audiamus, aut ſcriptum aliquod legamus? velut ego nunc moveor. venit enim mihi Platonis in mentem: quem accepimus primum hìc diſputare ſolitum: cujus etiam illi hortuli propinqui non memoriam ſolùm mihi afferunt: ſed ipſum videntur *in conſpectu* meo hìc *ponere.* hìc Speuſippus, hìc Xenocrates, hìc ejus auditor Polemo: cujus ipſa illa ſeſſio fuit, quam videmus. equidem etiam curiam noſtram, Hoſtiliam dico, non hanc novam, quæ *mihi minor eſſe videtur, poſteaquam eſt major;* ſolebam intuens Scipionem, Catonem, Lælium, noſtrum verò in primis avum cogitare. TANTA VIS ADMONITIONIS INEST IN LOCIS, ut non ſine cauſa ex his memoriæ ducta ſit diſciplina. Tum Quintus, eſt planè Piſo, ut dicis, inquit. nam me ipſum huc modò venientem convertebat ad ſeſe Coloneus ille locus, cujus incola Sophocles ob oculos verſabatur. quem ſcis quàm admirer, quàmque eo delecter. me quidem ad altiorem memoriam Oedipodis huc venientis, & illo molliſſimo carmine, quænam eſſent ipſa hæc loca, requirentis [4] ſpecies quædam commovit, *inanis ſcilicet, ſed commovit tamen.* Tum Pomponius, At ego, quem vos, ut deditum Epicuro, inſectari ſoletis, ſum multùm equidem cum Phædro, quem unicè diligo, ut ſcitis, in Epicuri hortis, quos modò præteribamus: ſed veteris proverbii admonitu, *vivorum memini:* nec tamen Epicuri licet oblivisci, ſi cupiam: cujus IMAGINEM non modò in tabulis noſtri familiares, ſed etiam in poculis, & in annulis habent. Hìc ego, Pomponius quidem, inquam, noſter jocari videtur, & fortaſſe ſuo jure. ita enim Athenis ſe collocavit, ut ſit pænè unus ex Atticis, [5] ut id etiam cognomine videatur habiturus. Ego autem tibi, Piſo, aſſentior: uſu hoc evenire, ut acriùs aliquanto, & *attentiùs de claris viris, locorum admonitu, cogitemus.* ſcis enim me quodam tempore Metapontum veniſſe tecum, nec ad hoſpitem antè divertiſſe, quàm Pythagoræ ipſum illum locum, ubi vitam ediderat, ſedemque viderim. hoc autem tempore, etſi multa in omni parte Athenarum ſunt *in ipſis locis indicia ſummorum virorum:* tamen ego illa moveor exedra. modò enim fuit Carneades: quem videre videor. eſt

1. CUm *M. Piſone, in eo gymnaſio.*] Lectionem hanc bellè propugnant P. Victorius lib. XXV. Var. lect. cap. 19. ceterum dum præterea inclinat in, *ut ſolebam*, non *ut ſolebat*; adverſarios ſibi habet Palatinos codd. omnes. vulgatum prius, *cum M. Piſone diſputantem, in eo, &c.* quæ ſcriptura non agnoſcitur à mſſ. melioribus.

2. *In Academiam, non ſine cauſa nob. ſpatia.*] Sic etiam Pall. præter quart. in quo, *in Academia*; ut videatur uſurpaſſe adjective; ſitque poëtæ alicujus verſiculus. Vict. edidit *in Academiæ, non, &c.*

3. *Quàm ſi quando eorum ipſorum.*] Ita hodie paſſim. at Aldus ſenior vulgarat, *quam ſi ante*, ſicque Pall. o. Victorius oggeſſit, *quàm ſi aut eorum, &c.* Camerarius controverſum illud totum omiſit; neque profectò requiritur, ſed quid tum fiet libris ſcriptis?

4. *Species quædam commovit.*] Lambinus conjicit *commonuit*, ſed cur obſecro? alterum certè tuentur mſſ. neque quid habet vitii; niſi quod, ſeu ſuperfluum poterat deleri; uti annotatum Scaligero noſtro.

5. *Ut id etiam cognomine.*] Sic omnes Pall. præter ſec. in quo ſyllaba ultima exarata per notam. Lambinus obtruſit nobis ex ſuis *cognomen*, contra optimam quamque editionem.

eſt enim nota imago: à ſedeque ipſa tanta ingenii magni-
tudine orbata deſiderari illam vocem puto. Tum Piſo,
[1] Quoniam igitur aliquid omnes, quid Lucius noſter, in-
quit? an eum locum libenter inviſit, ubi Demoſthenes,
& Æſchines inter ſe decertare ſoliti ſunt? *ſuo enim quiſ-
que ſtudio maximè ducitur.* Et ille, cùm erubuiſſet, Noli,
inquit, ex me quærere, qui in Phalericum etiam deſcen-
derim: quo in loco ad fluctum ajunt declamare ſolitum
Demoſthenem, ut fremitum aſſueſceret voce vincere.
modò etiam paullum ad dextram de via declinavi, ut ad
Periclis ſepulcrum accederem. quamquam id quidem in-
finitum eſt in hac urbe: quacumque enim ingredimur, *in
aliquam hiſtoriam veſtigium ponimus.* Tum Piſo, Atqui
Cicero, inquit, iſta ſtudia, ſi ad imitandos ſummos viros
ſpectant, *ingenioſorum* ſunt. ſin tantummodò ad indicia
veteris memoriæ cognoſcendæ, *curioſorum.* te autem hor-
tamur omnes, currentem quidem, ut ſpero, ut eos, QUOS
NOVISSE, ETIAM IMITARI VELIS. Hìc ego, Etſi facit
hic quidem, inquam, Piſo, (ut vides) ea, quæ præcipis:
tamen mihi grata eſt hortatio tua. Tum ille amiciſſimè, ut
ſolebat, Nos verò, inquit, omnes omnia ad hujus adoleſ-
centiam conferamus, in primiſque ut aliquid ſuorum ſtu-
diorum philoſophiæ quoque impertiat, vel ut te imitetur,
quem amat: vel ut illud ipſum, quod ſtudet, facere poſſit
ornatius. Sed utrùm hortandus es nobis, Luci, inquit, an
etiam tua ſponte propenſus es? mihi quidem Antiochum,
quem audis, ſatis bellè vidêris attendere. Tum ille ti-
midè, vel potiùs verecundè, Facio, inquit, equidem:
ſed audiſtine modò de Carneade? rapior illuc. revocat
autem Antiochus: nec eſt præterea, quem audiamus.
3 Tum Piſo, Etſi hoc, inquit, fortaſſe [2] non poterit ſic abire,
cùm hic adſit, (me autem dicebat) tamen audebo te ab hac
Academia nova ad veterem illam vocare: in qua ut dicere
Antiochum audiebas, non ii ſoli numerantur, qui Acade-
mici vocantur, Speuſippus, Xenocrates, Polemo, Crantor,
ceterique, ſed etiam Peripatetici veteres, quorum prin-
ceps Ariſtoteles. quem, excepto Platone, haud ſcio an
rectè dixerim *principem philoſophorum.* [3] Ad eos igitur con-
verte te, quæſo. ex eorum enim ſcriptis, & inſtitutis cùm
OMNIS DOCTRINA LIBERALIS, omnis hiſtoria, omnis ſer-
mo elegans ſumi poteſt, tum varietas eſt tanta artium, ut
nemo ſine eo inſtrumento ad ullam rem illuſtriorem ſatis
ornatus poſſit accedere. ab his oratores, ab his impera-
tores, ac rerum publicarum principes exſtiterunt. ut ad
minora veniam, mathematici, poëtæ, muſici, medici de-
nique ex hac, tanquam ex omnium *artium officina*, profe-
cti ſunt. Ad quæ ego, Scis me, inquam, iſtud idem ſentire,
Piſo: ſed à te oportunè mentio facta eſt. ſtudet enim meus
audire Cicero, quænam ſit iſtius veteris, quam comme-
moras, Academiæ de finibus bonorum, Peripateticorum-
que ſententia. cenſemus autem te facillimè id explanare
poſſe, quòd & Staſeam Neapolitanum multos annos *ha-
bueris apud te*, & complureis jam menſes Athenis hæc ipſa
te ex Antiocho videmus exquirere. Et ille ridens, Agè,
agè, inquit (ſatis enim ſcite me noſtri ſermonis princi-
pium eſſe voluiſti) exponamus adoleſcenti, ſi qua fortè
poſſumus. dat enim id nobis ſolitudo. quòd ſi quis Deus
diceret, numquam putarem, me in Academia, tanquam
philoſophum, diſputaturum. [4] ſed ne, dum huic obſequor,
vobis moleſtus ſim. Mihi, inquam, qui te id ipſum rogavi?
Tum Quintus, & Pomponius cùm idem ſe velle dixiſſent,
Piſo exorſus eſt. cujus oratio, attende quæſo, Brute,
ſatiſne videatur Antiochi complexa eſſe ſententiam: quam
tibi, qui fratrem ejus Ariſtum frequenter audieris, maxi-
mè probatam exiſtimo. Sic eſt igitur locutus. Quantus 4
ornatus in Peripateticorum diſciplina ſit, ſatis eſt à me, ut
breviſſimè potui, paullo antè dictum. Sed eſt *forma* ejus
diſciplinæ, ſicut ferè ceterarum, *triplex.* una pars eſt, natura:
diſſerendi altera: vivendi, tertia. natura ſic ab iis inveſti-
gata eſt, ut nulla pars cœlo, mari, terra, (ut poëticè loquar)
prætermiſſa ſit. Quinetiam, cùm de rerum initiis, omni-
que mundo locuti eſſent, ut multa non modò probabili
argumentatione, ſed etiam neceſſaria mathematicorum
ratione concluderent: maximam materiam ex rebus per
ſe inveſtigatis ad rerum occultarum cognitionem attule-
runt. perſecutus eſt Ariſtoteles *animantium* omnium ortus,
victus, figuras. Theophraſtus autem ſtirpium naturas,
omniumque ferè rerum, quæ *è terra gignerentur*, cauſas,
atque rationes. qua ex cognitione facilior facta eſt inveſti-
gatio rerum occultiſſimarum: diſſerendique ab iiſdem om-
nem non dialecticè ſolùm, ſed etiam oratoriè præcepta
ſunt tradita: ab Ariſtoteleque principe de ſingulis rebus *in
utramque partem dicendi* exercitatio eſt inſtituta, ut non
contra omnia ſemper, ſicut Arceſilas, diceret, & tamen, ut
in omnibus rebus, quidquid ex utraque parte dici poſſet,
expromeret. Cùm autem tertia pars *bene vivendi præcepta*
quæreret, ea quoque eſt ab iiſdem non ſolùm ad privatæ
vitæ rationem, ſed etiam ad rerump. rectionem relata.
omnium ferè civitatum non Græciæ ſolùm, ſed etiam
barbariæ, ab Ariſtotele, *mores, inſtituta, diſciplinas: à* Theo-
phraſto *leges* etiam cognovimus. cumque uterque eorum
docuiſſet, qualem in rep. [5] *principem* eſſe conveniret, plu-
ribus præterea cùm ſcripſiſſet, qui eſſet *optimus reip. ſtatus:*
hoc ampliùs Theophraſtus, quæ eſſent in rep. *inclinationes
rerum*, & momenta temporum, quibus eſſet moderan-
dum, utcumque res poſtularet. Vitæ autem degendæ
ratio maximè quidem illis placuit quieta, *in contempla-
tione & cognitione poſita rerum:* quæ quia deorum erat vitæ
ſimillima, ſapiente viſa eſt digniſſima, atque his de re-
bus & ſplendida eſt eorum, & illuſtris oratio. De ſummo 5
autem bono, quia duo genera librorum ſunt, unum po-
pulariter ſcriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabant: alterum
limatius, quod in commentariis reliquerunt: non ſem-
per idem dicere videntur: nec in ſumma tamen ipſa aut
varietas eſt ulla, apud hos quidem, quos nominavi: aut
inter ipſos diſſenſio. ſed cum BEATA VITA quæratur, id-
que ſit unum, quod philoſophia ſpectare, & ſequi debeat:
ſitne ea tota ſita in poteſtate ſapientis, an poſſit aut labe-
factari, aut *eripi rebus adverſis*, in eo nonnumquam variari
inter eos, & dubitari videtur. quod maximè efficit Theo-
phraſti de beata vita liber: [6] in quo multum admodum
fortunæ datur. quod ſi ita ſe habeat, non poſſit beatam
præſtare vitam ſapientia. hæc mihi videtur delicatior, ut
ita dicam, molliorque ratio, quàm virtutis vis gravitaſque
poſtulat. quare teneamus Ariſtotelem, & ejus filium Ni-
comachum: cujus accuratè ſcripti, de moribus libri, di-
cuntur illi quidem eſſe Ariſtotelis: ſed *non video, cur non
potuerit patri ſimilis eſſe filius.* Theophraſtum tamen adhi-
beamus ad pleraque, dummodò plus in virtute teneamus,
quam ille tenuit, firmitatis, & roboris. ſimus igitur con-
tenti his. namque horum poſteri, [7] meliores illi quidem,
mea ſententia, quàm reliquarum philoſophi diſciplinarum:
ſed ita degenerant, ut ipſi *ex ſe nati* eſſe videantur. pri-
mùm Theophraſti Strato, phyſicum ſe voluit. in quo etſi
eſt

---

1. *Quoniam igitur aliquid omnes.*] Non ineptè Scaliger litteris tranſpoſitis, finxerat ad libri ſui oram, *mones.*

2. *Non poterit ſic abire.*] Egregia locutio. & tamen Pall. o. *poteris.* unde factum ut Camerariana repræſentet; *Et ſi hinc, &c. non poteris.* ſed illud *hinc*, in nullo eſt noſtrorum.

3. *Ad eos igitur converte te, quæſo.*] Forſan *convertere quæſo.*

4. *Sed ne dum huic obſequor.*] Lambinus interpoſuit; *ſed verendum ne dum.* quod in nullo eſt Pall. neque agnoſcunt editi alii.

5. *Principem eſſe conveniret.*] Ita editio Victorii. Aldi vetus non habet illud *eſſe*, neque reperitur in Palatinis.

6. *In quo multum admodum fortunæ datur.*] Pal. quart. *adm. fortior eſt.* quomodo & ſext. quod eſſet intelligendum de libro Theophraſti. ſed nihil mutandum.

7. *Meliores illi quidem mea ſententia, quàm.*] Forſan melius imò omnino melius Pal. quart. *in ea ſententia.*

eſt magnus, tamen nova pleraque, & perpauca de moribus. [1] Hujus Lyſias & oratione locuples, rebus ipſis jejunior. concinnus deinde & elegans hujus Ariſto: ſed ea, quæ *deſideratur à magno philoſopho, gravitas* in eo non fuit. ſcripta ſanè & multa, & polita: ſed neſcio quo pacto auctoritatem oratio non habet. prætereo multos, in his doctum hominem, & ſuavem Hieronymum: quem jam cur Peripateticum appellem, neſcio. ſummum enim bonum expoſuit, vacuitatem doloris. qui autem de *ſummo bono diſſentit*, de tota philoſophiæ ratione diſſentit. [2] Critolaus, imitari antiquos voluit: & quidem eſt gravitate proximus, & redundat oratio. attamen is quidem in patriis inſtitutis manet. Diodorus, ejus auditor, adjungit ad honeſtatem, vacuitatem doloris. Hic quoque *ſuus eſt*: de ſummoque bono diſſentiens, dici verè Peripateticus non poteſt. Antiquorum autem ſententiam Antiochus noſter mihi videtur perſequi diligentiſſimè: quam eandem Ariſtotelis fuiſ-
6 ſe, & Polemonis docet. Facit igitur Lucius noſter prudenter, qui audire de ſummo bono potiſſimùm velit. hoc enim conſtituto in philoſophia, conſtituta ſunt omnia. nam ceteris in rebus ſive prætermiſſum, ſive ignoratum eſt quippiam, non plus incommodi eſt, quàm *quanti quæque earum rerum eſt*, in quibus neglectum eſt aliquid. ſummum autem bonum ſi ignoretur, vivendi rationem ignorari neceſſe eſt. ex quo tantus error conſequitur, ut, quem in portum ſe recipiant, ſcire non poſſint. cognitis autem rerum finibus, cùm intelligitur, quid ſit & bonorum extremum, & malorum, *inventa vitæ via eſt*, conformatioque omnium officiorum. Eſt igitur, quò quidque referatur: ex quo, id quod omnes expetunt, beatè vivendi ratio inveniri, & comparari poteſt. quod quoniam in quo ſit, magna diſſenſio eſt: Carneadea nobis adhibenda diviſio eſt, qua noſter Antiochus libenter uti ſolet. Ille igitur vidit, non modò quot fuiſſent adhuc philoſophorum de ſummo bono, ſed quot omnino eſſe poſſent ſententiæ. NEGABAT igitur ullam eſſe artem, quæ ipſa à ſe proficiſceretur. etenim ſemper illud extra eſt, quòd arte comprehenditur. nihil opus eſt exemplis hoc facere longius. eſt enim perſpicuum, *nullam artem in ſe verſari*, ſed eſſe aliud artem ipſam, aliud quod propoſitum ſit arti. Quoniam ut medicina valitudinis, navigationis gubernatio, ſic *vivendi ars eſt prudentia*: neceſſe eſt eam quoque ab alia re eſſe conſtitutam, & profectam. conſtitit autem ferè inter omneis, id, in quo prudentia verſaretur, & quod aſſequi vellet, aptum, & accommodatum naturæ eſſe oportere, & tale, ut ipſum per ſe invitaret, & alliceret appetitum animi: quem ὁρμὴν Græci vocant. Quid autem ſit, quod ita moveat, itaque à natura in primo ortu appetatur, non conſtat, deque eo eſt inter philoſophos, cùm ſummum bonum exquiritur, omnis diſſenſio. totius enim quæſtionis ejus, quæ habetur de finibus bonorum & malorum, cùm quæritur, in his quid ſit extremum, & ultimum, fons reperiendus eſt, in quo ſint *prima invitamenta naturæ*. quo invento, omnis ab eo, quaſi capite, de ſummo bono, & malo diſputatio ducitur.
7 Voluptatis alii primum appetitum putant, & primam depulſionem doloris: [3] alii cenſent primum aſcitum, doloris vacuitatem, & primum declinatum, dolorem. [4] Ab his alii, quæ prima ſecundum naturam nominant, proficiſcuntur: in quibus numerant incolumitatem, conſervationemque omnium partium, valitudinem, ſenſus integros, doloris vacuitatem, vireis, pulchritudinem, ceteraque generis ejuſdem: quorum ſimilia ſunt prima in animis, quaſi *virtutum igniculi, & ſemina*. Ex his tribus cùm unum aliquod ſit, quo primùm natura moveatur vel ad appetendum, vel ad repellendum, nec quidquam omnino, præter hæc tria, poſſit eſſe: neceſſe eſt omnino *officium aut fugiendi, aut ſequendi*, ad eorum aliquid referri: ut illa prudentia, quam artem vitæ eſſe diximus, in earum trium rerum aliqua verſetur, à qua totius vitæ ducat exordium. ex eo autem, quod ſtatuerit eſſe, quo primùm natura moveatur, exſiſtet etiam recti ratio, atque honeſti, quæ cum uno aliquo ex tribus illis congruere poſſit, ut aut id honeſtum ſit, facere omnia aut voluptatis cauſa, etiam ſi eam non conſequare; aut non dolendi, etiam ſi id aſſequi nequeas: aut eorum, quæ ſecundum naturam, adipiſcendi. Ita fit, ut, QUANTA DIFFERENTIA eſt in principiis naturalibus, tanta ſit in finibus bonorum, malorumque diſſimilitudo. Alii rurſus iiſdem à principiis, omne officium referunt aut ad voluptatem, aut ad non dolendum, aut ad prima illa ſecundum naturam obtinenda. Expoſitis jam igitur ſex de ſummo bono ſententiis, trium proximarum hi principes; *voluptatis*, Ariſtippus; *non dolendi*, Hieronymus, *fruendi rebus iis*, quas primas ſecundum naturam eſſe diximus, Carneades, non ille quidem auctor, ſed defenſor, diſſerendi cauſa fuit. Superiores tres erant, quæ eſſe poſſent: quarum eſt una ſola defenſa, eaque vehementer. nam *voluptatis cauſa facere omnia*, cùm, etiam ſi nihil conſequamur, tamen ipſum illud conſilium ita faciendi, per ſe expetendum, & honeſtum, & ſolum bonum ſit, nemo dicit. ne *vitationem quidem doloris ipſam* per ſe quiſquam in rebus expetendis putavit, ne ſi etiam evitare poſſet. At verò facere omnia, ut adipiſcamur *quæ ſecundum naturam ſint*, etiam ſi ea non aſſequamur, id eſſe & honeſtum, & ſolum per ſe expetendum, & ſolum bonum Stoici dicunt. Sex 8
igitur hæ ſunt ſimplices de ſummo bonorum, malorumque ſententiæ: duæ ſine patrono, quattuor defenſæ. junctæ autem, & duplices expoſitiones ſummi boni, tres omnino fuerunt: nec verò plures, ſi penitus rerum naturam videas, eſſe potuerunt. nam aut *voluptas* adjungi poteſt ad honeſtatem, ut Calliphoni, Dinomachoque placuit: aut *doloris vacuitas*, ut Diodoro: [5] aut *prima naturæ*, ut antiquis: quos eoſdem Academicos, & Peripateticos nominamus. Sed quoniam non poſſunt omnia ſimul dici, hæc in præſentia nota eſſe debebunt, voluptatem ſemovendam eſſe: quando *ad majora quædam*, ut jam apparebit, *nati ſumus*. de vacuitate doloris eadem ferè dici ſolent, quæ de voluptate. quoniam igitur & de voluptate cum Torquato, & de honeſtate, in qua una omne bonum poneretur, cum Catone eſt diſputatum: primùm, quæ contra voluptatem dicta ſunt, eadem ferè cadunt contra vacuitatem doloris: nec verò alia ſunt quærenda contra Carneadeam illam ſententiam. quocumque enim modo ſummum bonum ſic exponitur, ut id vacet honeſtate: nec officia, nec virtutes in ea ratione, nec amicitiæ conſtare poſſunt. Conjunctio autem cum honeſtate vel voluptatis, vel non dolendi, id ipſum honeſtum, quod amplecti vult, efficit turpe. ad eas enim res referre quæ agas: quarum una, ſi quis malo careat, in ſummo eum bono dicat eſſe: altera verſetur in leviſſima parte naturæ, *obſcurantis eſt omnem ſplendorem honeſtatis*, ne dicam inquinantis. Reſtant Stoici, qui cùm à Peripateticis, & Academicis omnia tranſtuliſſent, nominibus aliis eaſdem res ſecuti ſunt. Hos contra ſingulos dici eſt melius. ſed nunc, quod agimus.

---

1. *Hujus Lyſias & oratione.*] Lambinus ſuppoſuit *Lyco*, quod & adſcripſerat Scaliger: ſed noſtri manuſcripti nihil variant, niſi quod quartus non habeat *&*: quod & abeſſe poterat. nam ejus loco eſt in Maffejano *ex*.

2. *Critolaus imitari antiquos voluit.*] Verbum ultimum non exſtat in Pal. quart. & videtur ſanè ſubaudiri poſſe; niſi dicamus *imitari* poſitum pro *imitatur*; ut ſæpe bonis auctoribus.

3. *Alii cenſent primum aſcitum, doloris vacuitatem, & primum, &c.*] Quatuor è Palatinis non admiſerunt, *doloris vacuitatem*. quartus numero; habet id quidem, ſed tali poſitu: *Voluptatis alii primum appetitum putant & primam depulſionem doloris vacuitatem doloris, alii cenſent primum aſcitum, & primum, &c.*

4. *Ab his alii, quæ prima, &c.*] Lambinus, Brutus, alii, in iſta heic moliuntur, ſed ſuo remigio, non calami exaratorum codicum. itaque non eſt quod ipſorum conjecturis bonam chartam oneremus.

5. *Ut prima natura, ut antiquis.*] Monuit manu ſua Scaliger, reſcribendum, *aut*, rectè.

mus. de illis cùm volemus. Democriti autem SECURITAS, quæ eſt animi tanquam tranquillitas, quam appellant [illegible], eò ſeparanda fuit ab hac diſputatione, quia iſta *animi tranquillitas, ea ipſa eſt beata vita.* quærimus autem non quæ ſit, ſed unde ſit. Jam exploſæ, ejectæque ſententiæ Pyrrhonis, Ariſtonis, Herilli, quòd in hunc orbem, quem circumſcripſimus, incidere non poſſunt, adhibendæ omnino non fuerunt. nam cùm omnis hæc quæſtio de finibus, & quaſi de extremis bonorum, & malorum, ab eo proficiſcatur, quod dicimus naturæ eſſe aptum, & accommodatum, quodque ipſum per ſe primum appetatur: hoc totum & ii tollunt, qui in rebus iis, in quibus [1] nihil, quod non aut honeſtum, aut turpe ſit, negant eſſe ullam cauſam, cur aliud alii anteponatur, nec inter eas res quidquam omnino putant intereſſe: & Herillus, ſi ita ſenſit, *nihil eſſe bonum, præter ſcientiam*, omnem conſilii capiendi cauſam, inventionemque officii ſuſtulit. Sic, excluſis ſententiis reliquorum, cùm præterea nulla
9 eſſe poſſit, hæc antiquorum valeat neceſſe eſt. Ergo inſtituto veterum, quo etiam Stoici utuntur, hinc capiamus exordium. *Omne animal ſeipſum diligit*, [2] ac ſimul ut ortum eſt, id agit, ut ſe conſervet, quòd hic ei primus ad omnem vitam tuendam appetitus à natura datur, ſe ut conſervet, atque ita ſit affectum, ut optimè ſecundum naturam effectum eſſe poſſit. Hanc initiò conſtitutionem *confuſam habet*, & incertam, ut tantummodò ſe tueatur, qualecumque ſit. ſed nec quid ſit, nec quid poſſit, nec quid ipſius natura ſit, intelligit. Cùm autem proceſſit paullum, & quatenus quidquid ſe attingat, ad ſeque pertineat, perſpicere cœpit, tum ſenſim incipit progredi ſeſeque *agnoſcere*, & intelligere, quam ob cauſam habet eum, quem diximus, animi appetitum: cœptatque & ea, quæ naturæ apta ſentit, appetere, & propulſare contraria. ergo omni animali illud, quod appetit, poſitum eſt in eo, quod naturæ eſt accommodatum. ita finis bonorum exſiſtit, SECUNDUM NATURAM VIVERE, ſic affectum, ut optimè affici poſſit, ad naturamque accommodatiſſimè. Quoniam autem ſua cujuſque animantis natura eſt, neceſſe eſt quoque finem omnium hunc eſſe, *ut natura expleatur.* nihil enim prohibet, quædam eſſe & inter ſe animalibus reliquis, & cum beſtiis homini communia, quoniam omnium eſt natura communis. ſed extrema illa, & ſumma, quæ quærimus, inter animalium genera, diſtincta, & diſpertita ſunt, & ſua cuique propria, & ad id apta, quod cujuſque natura deſiderat. quare cum dicimus, *omnibus animalibus extremum eſſe, ſecundum naturam vivere:* non ita accipiendum eſt, quaſi dicamus, unum eſſe omnium extremum: ſed ut omnium artium rectè dici poteſt commune eſſe, ut in aliqua ſcientia verſetur, ſcientiam autem ſuam cujuſque artis eſſe: ſic *commune animalium omnium ſecundum naturam vivere*, ſed naturas eſſe diverſas, ut aliud equo ſit natura, aliud bovi, aliud homini, & tamen in omnibus ſumma communis, & quidem non ſolùm in animalibus, ſed etiam in rebus omnibus iis, quas natura alit, auget, & tuetur: in quibus videmus, ea, quæ gignuntur e terra, multa quodam modo efficere ipſa ſibi per ſe, quæ ad vivendum, creſcendumque valeant, & ſuo genere perveniant ad extremum: ut jam liceat una comprehenſione omnia complecti: non dubitemque dicere, *omnem naturam eſſe conſervatricem ſui*, idque habere propoſitum quaſi finem, & extremum, ſe ut cuſtodiat 3 quàm in optimo ſui generis ſtatu: ut neceſſe ſit; omnium rerum, quæ natura vigeant, ſimilem eſſe finem, non eundem. ex quo intelligi debet, homini id eſſe in bonis ultimum, SECUNDUM NATURAM VIVERE: quod ita interpretemur, vivere ex hominis natura undique perfecta, & nihil requirente. Hæc igitur nobis explicanda ſunt: ſed ſi enodatiùs, vos ignoſcetis. hujus enim *ætati*, & huic, nunc hoc primum fortaſſe audienti, *ſervire debemus.* Ita prorſus, inquam. etſi ea quidem, quæ adhuc dixiſti, quamvis ad ætatem rectè iſto modo dicerentur. Expoſita igitur, inquit, terminatione rerum 10
expetendarum, cur iſta ſe res ita habeat, ut dixi, deinceps demonſtrandum eſt. quamobrem ordiamur ab eo, quod primum poſui. [4] quod idem reapſe primum eſt, ut intelligamus, *omne animal ſeipſum diligere.* quod quamquam dubitationem non habet (eſt enim infixum in ipſa natura, comprehenditur ſuis cujuſque ſenſibus, ſic, ut, contrà ſi quis dicere velit, non audiatur) tamen, nequid prætermittamus, rationes quoque, cur hoc ita ſit, afferendas puto. etſi quî poteſt intelligi, aut cogitari, *eſſe aliquod animal, quod ſe oderit?* res enim concurrent contrariæ. nam cùm appetitus ille animi aliquid ad ſe trahere cœperit conſultò, quod ſibi obſit, quia ſit ſibi inimicus: cùm id ſua cauſa faciet: & oderit ſe, & ſimul diliget: quod fieri non poteſt. [5] neceſſe eſt quidem, ſi quis ſibi ipſi inimicus eſt, eum, quæ bona ſunt, mala putare: bona contrà, quæ mala: & quæ appetenda, fugere: & quæ fugienda, appetere: quæ ſine dubio vitæ ſunt everſio. neque enim, ſi nonnulli reperiuntur, qui aut laqueos, aut alia exitia quærant, aut, ut ille apud Terentium, qui decrevit *tantiſper ſe minùs injuriæ ſuo gnato facere*, (ut ait ipſe) *dum fiat miſer*, inimicus ipſe ſibi putandus eſt. ſed alii dolore moventur, alii cupiditate: iracundia etiam multi efferuntur: & cùm *in mala* [6] *ſcientes irruunt*, tamen ſe optimè ſibi conſulere arbitrantur: itaque dicunt, nec dubitant,

Mihi ſic uſus eſt: tibi ut opus eſt facto, face:

velut, qui ipſi ſibi bellum indixiſſent, cruciari dies, nocteis torqueri vellent: nec verò ſeſe ipſi accuſarent ob eam cauſam, quòd ſeſe malè rebus ſuis conſuluiſſe dicerent. eorum enim hæc eſt querela, qui ſibi cari ſunt, ſeſeque diligunt. Quare, quotieſcunque dicetur malè de ſe quis mereri, ſibique eſſe inimicus, atque hoſtis, vitam denique fugere: intelligatur aliquam ſubeſſe ejuſmodi cauſam, ut ex eo ipſo poſſit intelligi, ſibi quemque eſſe carum. Nec verò id ſatis eſt, neminem eſſe, qui ipſe ſe oderit; ſed illud quoque intelligendum eſt, *neminem eſſe, qui, quo modo ſe habeat, nihil ſua cenſeat intereſſe.* tolletur enim appetitus animi, ſi, ut in iis rebus, inter quas nihil intereſt, neutram in partem propenſiores ſimus, item in nobiſmet ipſis, quemadmodum affecti ſimus, nihil noſtra arbitrabimur intereſſe. Atque etiam illud, ſi quis dicere 11
velit, perabſurdum ſit: ita [7] diligi à ſeſe quemque, ut ea vis diligendi ad aliam rem quampiam referatur, non ad eum ipſum, qui ſeſe diligat. hoc cùm in amicitiis, cum in officiis, cùm in virtutibus dicitur, quomodocumque dicitur, intelligi tamen quid dicatur, poteſt. [8] in nobis autem ipſis ne intelligi quidem, ut propter aliam quampiam rem, verbi gratia, propter voluptatem, nos amemus. propter nos enim illam, non propter eam noſmetipſos diligimus. quamquam quid eſt, quod magis perſpicuum ſit, non

1. *Nihil quod non honeſtum, aut turpe ſit.*] Sic edd. omn. ſic Palatini. Lamb. ſuppoſuit, *nihil aut honeſtum aut turpe ſit*; ex duobus codd. ut inquit, ſcriptis. ſed cur quæſo non nominat?

2. *Ac ſimul ut ortum eſt.*] Ita Victorii editio, neque ſecus omn. Pall. item Aldus & ſenior *& ſimul ac ort.* quomodo recentiores; [illegible] omnia placent.

3. *Quàm in optimo ſui generis ſtatu.* Lambinus & Aldus Nepos, *quam in optimo.* ſed prius illud eſt in edd. aliis omnibus, neque abeunt ab ea Pall. niſi quod ſec. *quaſi in optimo.* quod mihi perplacet.

4. *Quod idem reapſe primum eſt.*] Eſt à Victorio, ne quis forte [illegible] Lambino. prius editi *re ab ſe*, quod adhuc in Pall. omnibus, niſi quod quint. *re à ſe.* Scaligeri vero vetus planè *reapſe.*

5. *Neceſſe eſt quidem, ſi quis.*] Pal. ſext. *neceſſe eſt quæ ſi quis.* at ſec. *neceſſe eſt æquè, ſi quis.* quod habuerim pro Tullii genuino.

6. *Scientes irruunt.*] Vulgati *ruunt*: ſed alterum produxit Petrus Victorius, legiturque in Pal. quarto.

7. *Diligi à ſe quemque.*] Recentiores & ævi extremi, *quemquam*, ſed contra ed. Victorii & omn. Pall.

8. *In nobis autem ipſis ne intelligi quidem ut propter*, &c.] Sic quidem Aldus ſenior. ſed dubites tamen de ſinceritate. edidit enim poſtea Victorius, *in nobiſmet ipſis autem intelligi quidem propter*, ſine illo *ne & ut*, quod neque in ullo Pall. quorum quartus habet, *in nobiſmet autem ipſis intelligi quod propter, &c.*

non modo carum ſibi quemque, verùm etiam vehementer carum eſſe? quis eſt enim, aut quotus quiſque, cui, mors cùm appropinquet,

Non refugiat timido ſanguen, [1] *atque exalbeſcat metu?*

& ſi hoc quidem eſt in vitio, diſſolutionem naturæ tam valde perhorreſcere: quod item eſt reprehendendum in dolore. ſed quia ferè ſic afficiuntur omnes, ſatis argumenti eſt, [2] *ab interitu naturam abhorrere:* idque quo magis quidam ita faciunt, ut jure etiam reprehendantur, hoc magis intelligendum eſt, hæc ipſa nimia in quibuſdam futura non fuiſſe, niſi quædam eſſent modica natura. nec verò dico eorum metum mortis, qui quia privari ſe vitæ bonis arbitrentur, aut quia quaſdam poſt mortem formidines extimeſcant, aut ſi metuant, ne cum dolore moriantur, icirco mortem fugiant: in parvis enim ſæpe, qui nihil eorum cogitant, ſi quando his ludentes *minamur præcipitaturos alicunde*, extimeſcunt. quinetiam feræ, inquit Pacuvius,

Quibus abeſt ad præcavendum intelligendi aſtutia,

ſibi injecto terrore mortis horreſcunt. Quis autem de ipſo ſapientis aliter exiſtimat? quinetiam *cùm decreverit* eſſe moriendum, tamen diſceſſu à ſuis, atque ipſa relinquenda luce moveatur. Maximè autem in hoc quidem genere vis eſt perſpicua naturæ, cùm & MENDICITATEM multi perpetiantur, ut vivant: & angantur appropinquatione mortis confecti homines ſenectute: & ea perferant, quæ Philoctetam videmus in fabulis: qui cùm cruciaretur non ferendis doloribus, propagabat tamen vitam aucupio ſagittarum.

Configebat tardus celeres, [3] *ſtans volanteis,*

ut apud Attium eſt,

Tinnarumque contextu corpori tegumenta faciebat.

De hominum genere, aut omnino de animalium loquor; cùm arborum, & ſtirpium eadem pænè natura ſit: ſive, ut doctiſſimis viris viſum eſt, major aliqua cauſa, atque divinior hanc vim ingenuit: [4] ſive hoc ita fit fortuitò. [5] videamus ea, quæ terra gignit, corticibus, & radicibus valida ſervari, quod contingit animalibus ſenſuum diſtributione, & quadam compactione membrorum. qua quidem de re, quamquam aſſentior iis, qui hæc omnia regi natura putant: quæ ſi natura negligat, ipſa eſſe non poſſint: tamen concedo, ut, qui de hoc diſſentiunt, exiſtiment quod velint, ac vel hoc intelligant, ſi quando *naturam hominis* dicam, hominem dicere me. nihil enim hoc differt. nam PRIÙS POTERIT à ſe quiſque diſcedere, quàm appetitum earum rerum, quæ ſibi conducant, amittere. Jure igitur graviſſimi philoſophi initium ſummi boni à natura petiverunt, & illum appetitum rerum ad naturam accommodatarum, ingeneratum putaverunt omnibus, qui continentur ea commendatione naturæ, qua ſe ipſi diligunt.
12 Deinceps videndum eſt, quoniam ſatis apertum eſt, ſibi quemque natura eſſe carum, *quæ ſit hominis natura.* id eſt enim, de quo quærimus. Atqui perſpicuum eſt, hominem è corpore, animoque conſtare, cùm primæ ſint animi partes, ſecundæ corporis. deinde id quoque videmus, & ita figuratum corpus, ut excellat aliis, animumque ita conſtitutum, ut & ſenſibus inſtructus ſit, & habeat præſtantiam mentis, cui tota hominis natura pareat, in qua ſit mirabilis quædam *vis rationis, & cognitionis & ſcientiæ, virtutumque omnium.* nam quæ corporis ſunt, ea nec auctoritatem cum animi partibus comparandam, & cognitionem habent faciliorem. itaque ab his ordiamur. Corporis igitur noſtri partes, totaque *figura*, & *forma*, & *ſtatura*, quam apta ad naturam ſit, apparet: neque eſt dubium quin frons, oculi, aures, & reliquæ partes, quales propriæ ſunt hominis, intelligantur; ſed certè opus eſt ea valere, & vigere, naturaleis motus, uſuſque habere, ut nec abſit quid eorum: nec ægrum, debilitatumve ſit. id enim natura deſiderat. [6] Eſt etiam *actio* quædam *corporis*, quæ motus, & ſtatus naturæ congruenteis tenet: in quibus ſi peccetur diſtortione, & depravatione quadam, aut motu, ſtatuve deformi, ut ſi aut manibus ingrediatur quis, aut non antè, ſed retrò; fugere plane ſe ipſe, & hominem ex homine exuens naturam odiſſe videatur. Quamobrem etiam ſeſſiones quædam, & flexi, *fractique motus*, quales protervorum hominum, aut mollium eſſe ſolent, contra naturam ſunt: ut, etiam ſi animi vitio id eveniat, tamen in corpore immutari hominis natura videatur. Itaque è contrario moderati, æquabileſque habitus, [7] affectiones, uſuſque corporis, apta eſſe ad naturam videntur. Jam verò animus non eſſe ſolùm, ſed etiam cujuſdam modi debet eſſe, ut & [8] omneis parteis habeat incolumeis, & de virtutibus nulla deſit. Atqui in ſenſibus eſt ſua cujuſque virtus, ut ne quid impediat, quominùs ſuo ſenſus quiſque munere fungatur in iis rebus, celeriter, expediteque percipiendis, quæ ſubjectæ ſunt ſenſibus. Animi autem, & ejus animi partis, quæ princeps eſt, quæque mens nominatur, plures ſunt virtutes, ſed *duo prima genera*: unum earum, quæ ingenerantur ſuapte natura, appellanturque non voluntariæ: alterum earum, quæ in voluntate poſitæ, magis proprio nomine appellari ſolent: quarum eſt excellens in animorum laude præſtantia. prioris generis eſt docilitas, memoria: quæ ferè omnia appellantur uno *ingenii* nomine: eaſque virtutes qui habent, *ingenioſi* vocantur. alterum autem genus eſt magnarum, verarumque virtutum: quas appellamus *voluntarias*, ut prudentiam, temperantiam, fortitudinem, juſtitiam, & reliquas ejuſdem generis. Et ſummatim quidem hæc erant de corpore, animoque dicenda. quibus quaſi informatum eſt, quod hominis natura poſtulet. ex quo perſpicuum eſt, quoniam ipſi à nobis diligamur, omniaque & in animo, & in corpore perfecta velimus eſſe, ea nobis ipſa cara eſſe propter ſe, & in iis eſſe ad benè vivendum momenta maxima. nam CUI PROPOSITA SIT conſervatio ſui, neceſſe eſt huic partes quoque ſui caras eſſe, carioreſque, quo perfectiores ſint, & magis in ſuo genere laudabiles. ea enim vita expetitur, quæ ſit animi, corporiſque expleta virtutibus: in eoque ſummum bonum poni neceſſe eſt, quandoquidem id tale eſſe debet, ut rerum expetendarum ſit extremum. quo cognito, dubitari non poteſt, quin, cùm ipſi homines ſibi ſint per ſe, & ſua ſponte cari, partes quoque & corporis, & animi, & earum rerum, quæ ſunt in utriuſque motu, & ſtatu, ſua caritate colantur, & per ſe ipſæ appetantur. quibus expoſitis, facilis eſt conjectura, ea *maximè eſſe expetenda ex noſtris, quæ plurimum habent dignitatis:* ut optimæ cujuſque partis, quæ per ſe expetatur, virtus ſit expetenda maximè. Ita fiet, ut animi virtus, corporis virtuti anteponatur, animique virtutes non voluntarias vincant virtutes voluntariæ: quæ quidem propriè virtutes appellantur, multumque excellunt, propterea quòd ex ratione gignuntur: qua *nihil eſt in homine divinius.* etenim omnium rerum, quas & creat natura, & tuetur,

quæ

1. *Atque exalbeſcat metu.*] Pal. quart. *exalbeſcit*, neſcio an formâ antiquâ, an ſphalmate librarii.

2. *Ab interitu naturam abhorrere.*] Ejuſdem membranis non adeſt vox *naturam*; neque admodum ea heic opus.

3. *Stans volanteis, &c.*] Lambinus *volatileis*, ex Scaligeri conjectura, ſed ipſo nolente, ſi modo ſatis adſequor quæ ſcripſit conjectaneis ad Varronem. edd. certe ac mſſ. ſtant a vulgato.

4. *Sive hoc ita fit fortuitò.*] Sic & Pal. quart. placuitque dudum Lambino. editi antea *ſit*.

5. *Videamus ea quæ, &c.*] Aldus Nepos edidit, *videmus*: malè. pendent hæc enim à ſuperioribus, quod magis pateret ſi addita enclitica legeretur, *videamuſque*.

6. *Eſt etiam actio.*] Ita ex veteri libro P. Manutius, reperique in Pal. ſec. ac quinto. prius vulgati *enim*.

7. *Affectioneſque uſuſque corporis.*] Eſt ab ed. Victorii, confirmantque o. Pall. prius cuſi, *effectiones*, quod malè ibat mutatum in *actiones* Paul. Manutius.

8. *Omneis parteis habeat incolumeis.*] Sic Vict. & Pal. quart. aliæ edd. *parteis non hab. ſuas* neceſſariò.

quæ aut ſine animo ſint, [1] aut non multo ſecus, earum ſummum bonum in corpore eſt: ut non inſcitè illud dictum videatur in ſue, [2] *animam illi pecudi datam pro ſale, ne putiſceret*.
14 Sunt autem beſtiæ quædam in quibus ineſt aliquid ſimile virtutis, ut in leonibus, ut in canibus, [3] ut in equis: in quibus non corporum ſolùm, ut in ſuibus, ſed etiam animorum aliqua ex parte motus quoſdam videmus. *in homine autem ſumma omnis animi eſt*, & in animo, rationis: ex qua virtus eſt: quæ rationis abſolutio definitur: quam etiam, atque etiam explicandam putant. Earum etiam rerum, quas terra gignit, educatio quædam, & perfectio eſt, non diſſimilis animantium. itaque & vivere vitem, & mori dicimus: arboremque & novellam, & vetulam, & vigere, & ſeneſcere. ex quo non eſt alienum, ut animantibus, ſic illis & [4] apta quædam ad naturam, aptare, & aliena; earumque augendarum, & alendarum quandam cultricem eſſe, quæ ſit ſcientia, atque ars agricolarum, quæ circumcîdat, amputet, erigat, extollat, adminiculetur, ut, *quò natura ferat, eò poſſit ire*: ut ipſæ vites, ſi loqui poſſint, ita ſe tractandas, tuendaſque eſſe fateantur. & nunc quidem, quod eam tuetur, ut de vite potiſſimùm loquar, eſt id extrinſecus. in ipſa enim parum magna vis eſt, ut quàm optimè ſe habere poſſit, ſi *nulla cultura adhibeatur*. At verò ſi ad vitem ſenſus acceſſerit, ut appetitum quendam habeat, & per ſe ipſa moveatur, quid facturam putas? an ea, quæ per vinitorem antea conſequebatur, & per ſe ipſam curabit? ſed videſne acceſſuram ei curam, ut ſenſus quoque ſuos, eorumque omnium appetitum, &, ſi qua ſint ei membra adjuncta tueatur? ſic ad illa, quæ ſemper habuit, junget ea, quæ poſtea acceſſerint: nec eundem finem habebit, quem cultor ejus habebat: ſed volet ſecundum eam naturam, quæ poſtea ei adjuncta ſit, vivere. ita ſimilis erit & finis boni, atque antea fuerat, nec idem tamen. non enim jam *ſtirpis* bonum quæret, ſed *animalis*. quòd ſi non ſenſus modò ei ſit datus, verùm etiam animus hominis: non neceſſe eſt, & illa priſtina manere, ut tuenda? & inter hæc multo eſſe cariora, quæ acceſſerint? animique optimam quamque partem cariſſimam? in eaque expletione naturæ ſummi boni finem conſiſtere, cùm *longè, multumquè præſtet mens atque ratio*? Sic & extremum omnium appetendorum, [5] atque ductum à prima communitate naturæ, multis gradibus adſcendit, ut ad ſummum perveniret: quod cumulatur ex integritate corporis, & ex mentis ratione perfecta.
15 Cùm igitur ea ſit, quam expoſui, forma naturæ: ſi, ut initiò dixi, ſimul atque ortus eſſet, ſe quiſque cognoſceret, judicareque poſſet, quæ vis & totius eſſet naturæ, & partium ſingularum, continuò videret, quid eſſet hoc, quod quærimus, omnium rerum, quas expetimus, ſummum, & ultimum: nec ulla in re peccare poſſet. nunc verò *à primo quidem mirabiliter occulta natura eſt*, nec perſpici, nec cognoſci poteſt. progredientibus autem ætatibus, ſenſim, tardeve potiùs quaſi noſmetipſos cognoſcimus. itaque illa prima commendatio, quæ à natura noſtri facta eſt, nobis obſcura, & incerta eſt: primuſque *appetitus ille animi* tantum agit, ut ſalvi, atque integri eſſe poſſimus. cùm autem diſpicere cœperimus, & ſentire, quid ſimus, & quid animantibus ceteris differamus, tum ea ſequi incipimus, ad quæ nati ſumus. quam ſimilitudinem videmus in beſtiis. quæ primò, in quo loco natæ ſunt, ex eo ſe non commovent: deinde ſuo quæque appetitu movetur. ſerpere anguiculas, nare anaticulas, evolare merulas, cornibus uti videmus boves, [6] nepas aculeis: ſuam denique cuique naturam eſſe ad vivendum ducem. quæ ſimilitudo in genere etiam humano apparet. parvi enim primo ortu *ſic jacent, tanquam omnino ſine animo ſint*. cùm autem paullum firmitatis acceſſerit: & animo utuntur, & ſenſibus; connituntur que, ut ſeſe erigant, & manibus utantur; & eos agnoſcunt, à quibus educantur: deinde æqualibus delectantur, libenterque ſe cum his congregant, dantque ſe ad ludendum: *fabellarumque* auditione ducuntur: deque eo, quod ipſis ſuperat, aliis gratificari volunt: animadvertuntque ea, quæ domi fiunt, curioſiùs, incipiuntque commentari aliquid, & diſcere: & eorum, quos vident, volunt non ignorare nomina: quibuſque rebus cum æqualibus decertant, ſi vincunt, efferunt ſe lætitia: victi debilitantur, animoſque demittunt. quorum ſine cauſa fieri nihil putandum eſt. eſt enim NATURA ſic generata vis hominis, ut ad omnem virtutem percipiendam facta videatur: ob eamque cauſam parvi virtutum ſimulacris, quarum in ſe habent ſemina, *ſine doctrina moventur*. ſunt enim prima elementa naturæ: quibus auctis, *virtutis quaſi carmen* efficitur. nam cum ita nati, factique ſimus, ut & agendi aliquid, & diligendi aliquos, & liberalitatis, & referendæ gratiæ principia in nobis contineremus, atque ad ſcientiam, prudentiam, fortitudinemque aptos animos haberemus, à contrariiſque rebus alienos: non ſine cauſa eas, quas dixi, in pueris *virtutum quaſi ſcintillulas* videmus, è quibus accendi philoſophi ratio debet, ut eam quaſi Deum, ducem ſubſequens, ad naturæ perveniat extremum. nam, ut ſæpe jam dixi, in infirma ætate, imbecillaque mente *vis naturæ per caliginem cernitur*. cùm autem progrediens confirmatur animus, agnoſcit ille quidem naturæ vim, ſed ita, ut progredi poſſit
longiùs, per ſe ſit tamen inchoata. Intrandum eſt igitur 16
in rerum naturam, & penitus, quid ea poſtulet, pervidendum. aliter enim NOSMETIPSOS NOSSE NON POSSUMUS. quod præceptum quia majus erat; quàm ut ab homine videretur, idcirco aſſignatum eſt Deo. jubet igitur nos Pythius Apollo noſcere noſmetipſos. cognitio autem hæc eſt una, ut *vim noſtri corporis animique norimus*, ſequamurque eam vitam, [7] quæ rebus ipſis perfruatur. Quoniam autem is animi appetitus à principio fuit, ut ea, quæ dixi, quàm perfectiſſima à natura haberemus: confitendum eſt, cùm id adepti ſimus, quod appetitum ſit, in eo quaſi ultimo conſiſtere naturam, atque id eſſe ſummum bonum: quod certè *univerſum ſua ſponte ipſum expeti*, & propter ſe, neceſſe eſt, quoniam antè demonſtratum eſt, etiam ſingulas ejus parteis eſſe per ſe expetendas. In enumerandis autem corporis commodis ſiquis prætermiſſam à nobis voluptatem putabit, in aliud tempus quæſtio differatur. utrum enim ſit voluptas in iis rebus, quas primas SECUNDUM NATURAM eſſe diximus, necne ſit, ad id, quod agimus, nihil intereſt. ſi enim (ut mihi quidem vide-

1. *Aut non multo ſecus.*] Sic Aldus ſenior. at Victorius ſuſtulit negativam; neque invenitur in ullo Palatinorum quàm ſexto. videtur tamen neceſſaria.

2. *Animam illi pecudi datam pro ſale ne putiſceret.*] Ita edidit Lambinus, neque aliter ſcribitur vox ultima apud Nonium. Vulgati tamen & Pall. omnes, *putreſceret*, item *animum datum*.

3. *Ut in equis.*] Sic quidem & Aldus avus, at Vict. ed. expunxit particulam *ut*, abeſtque Pall.

4. *Apta quædam, ad naturam aptare, & aliena: earumque, &c.*] Sic editus à Victorio, neque aliter Pal. quart. Aldus ſenior non habebat vocem *aptare*, ejuſque loco eſt in ceteris noſtris *amputareque aliena*. Lambinus obtruſit nobis, *naturam putare & aliena*. neque affirmat legi in mſſ. ſed quorum? ſuſpicer potius reſtituendum, *naturam autumare, & aliena*, ut illud *amputare*, item *aptare*, natum ſit ab altero illo minus frequentato Ciceroni. nam quid ineptius, quàm hærere librarios in *putare* voce vulgatiſſima? vulgatur paſſim, *naturam aptare, & aliena amputare*, quod & ſecutus Aldus Nepos.

5. *Atque ductum à prima communitate naturæ.*] Lambinus deleto *atque* emendaverat, *commendatione naturæ*, invitis, inquit, omnibus mſſ. & verum eſt de Pall. nihil etiam variant edd. forſan illud *atque* ſolummodò mutandum in *atquè*.

5. *Nepas aculeis.*] Eſt ab editione Victorii, neque aliter Nonius: ſicque alias legi, annotatum ad Pal. quartum, ad illud vulgatum *veſpas*; quod miror adhuc hærere in Aldina poſteriore. etiam vetus Scaligeri liber agnoſcit *nepas*.

7. *Quæ rebus ipſis perfruatur.*] Sic editio Victorii. nam Aldi, *perficiatur*, quomodo & Pall. omn. præter quart. in quo iſtud noſtrum, & ſext. in quo *perferatur*. male. primo enim loco poſita non eſt ſollicitanda.

3. Non

videtur) [1] *non explet bona naturæ voluptas*, jure prætermiſſa eſt: ſin eſt in ea, quod quidam volunt, nihil impedit noſtram hanc comprehenſionem ſummi boni. quæ enim conſtituta ſunt prima naturæ, ad ea ſi voluptas acceſſerit, unum aliquod acceſſerit commodum corporis, neque eam conſtitutionem ſummi boni, quæ eſt propoſita, mutaverit.
17 Et adhuc quidem ita nobis progreſſa ratio eſt, ut ea duceretur omnis à prima commendatione naturæ. nunc autem aliud jam argumentandi ſequamur genus, ut non ſolùm, quia nos diligamus, ſed quia cujuſque partis naturæ & in corpore, & in animo ſua quæque vis ſit: [2] idcirco in his rebus ſumma, noſtra ſponte moveamur. Atque ut à corpore ordiar, VIDESNE, [3] UT, SI QUA IN MEMBRIS PRAVA, aut debilitata, aut imminuta ſint, occultent homines? ut etiam contendant, & elaborent, ſi efficere poſſint, ut aut non appareat corporis vitium, aut quàm minimùm appareat? multoſque etiam dolores curationis cauſa perferant? ut, ſi ipſe uſus membrorum non modò non major, verum etiam minor futurus ſit, eorum tamen ſpecies ad naturam revertatur? etenim cùm omnes natura totos ſe expetendos putent, nec id ob aliam rem, ſed propter ipſos: neceſſe eſt ejus etiam parteis propter ſe expeti, quod univerſum propter ſe expetatur. [4] Quid? in *motu, & ſtatu corporis* nihil ne eſt, quod animadvertendum eſſe ipſa natura judicet? quemadmodum quis ambulet, ſedeat, qui ductus oris, qui vultus in quoque ſit: nihilne eſt in rebus, quod dignum libero, aut indignum eſſe ducamus? non *odio dignos multos putamus*, qui quodam motu aut ſtatu videntur naturæ legem, & modum contemſiſſe. [5] Et, quoniam hæc deducuntur de corpore, quid eſt, cur non rectè *pulcritudo* etiam ipſa propter ſe expetenda ducatur? nam ſi pravitatem, imminutionemque corporis, propter ſe fugiendam putamus: cur non etiam, ac fortaſſe magis, propter ſe formæ dignitatem ſequamur? &, ſi turpitudinem fugiamus in ſtatu, & motu corporis; quid eſt, cur pulchritudinem non ſequamur? atque etiam valitudinem, vireis, vacuitatem doloris non propter utilitatem ſolùm, [6] ſed etiam ipſas propter ſe expetemus. quoniam enim natura ſuis omnibus expleri partibus vult, hunc ſtatum corporis per ſe ipſum expetit, qui eſt maximè è natura: quæ tota perturbatur, ſi aut ægrum corpus eſt, aut dolet, aut caret viribus.
18 Videamus *animi partes*; quarum eſt adſpectus illuſtrior: quæ quo ſunt excelſiores, eo dant clariora indicia naturæ. Tantus eſt igitur [7] innatus in nobis cognitionis amor, & ſcientiæ, ut nemo dubitare poſſit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. VIDEMUSNE, ut pueri ne verberibus quidem à contemplandis rebus, perquirendiſque deterreantur? ut pulſi requirant, & aliquid ſcire ſe gaudeant? ut aliis narrare geſtiant? ut pompa, ludis, atque ejuſmodi ſpectaculis teneantur, ob eamque rem vel famem, & ſitim perferant? Quid verò? QUI INGENUIS STUDIIS, atque artibus delectantur, nonne videmus eos nec valitudinis, nec rei familiaris habere rationem? omniaque perpeti, ipſa cognitione, & ſcientiâ captos? & cum maximis curis, & laboribus compenſare eam, quam ex diſcendo capiant, voluptatem? Mihi quidem Homerus hujuſmodi quiddam vidiſſe videtur in iis, quæ de Sirenum cantibus finxerit neque enim *vocum ſuavitate* videntur, aut novitate quadam, & varietate cantandi revocare eos ſolitæ, qui prætervehebantur, ſed quia multa ſe ſcire profitebantur; ut homines ad earum ſaxa diſcendi cupiditate adhæreſcerent. ita enim invitant Ulyſſem: (nam verti, ut quædam Homeri, ſic iſtum ipſum locum)

O decus Argolicum, quin puppim flectis Ulyſſes,
Auribus ut noſtros poſſis [8] *agnoſcere cantus?*
Nam nemo hæc umquam eſt tranſvectus cærula curſu,
Quin prius adſtiterit vocum dulcedine captus;
Poſt variis avido ſatiatus pectore muſis,
Doctior ad patrias lapſus pervenerit oras.
Nos grave certamen belli, [9] *cladeṁque canemus,*
Græcia quam Trojæ divino numine vexit;
Omniaque è latis [10] *regum veſtigia terris.*

Vidit Homerus, probari fabulam non poſſe, ſi cantiunculis tantis vir irretitus teneretur. ſcientiam pollicentur: quam non erat mirum ſapientiæ cupido *patria cariorem*. atque omnia quidem ſcire, cujuſcumque modi ſunt, cupere *curioſorum*: DUCI verò majorum rerum contemplatione ad cupiditatem ſcientiæ, ſummorum virorum eſt putandum. Quem enim ardorem ſtudii cenſetis fuiſſe in Archimede, qui dum in pulvere quædam deſcribit attentiùs, 19
ne patriam quidem captam eſſe ſenſerit? quantum Ariſtoxeni ingenium conſumtum videmus in muſicis? quo ſtudio Ariſtophanem putamus ætatem in litteris duxiſſe? quid de Pythagora? quid de Platone, aut Democrito loquar, à quibus propter *diſcendi cupiditatem* videmus ultimas terras eſſe peragratas? quæ qui non vident, nihil umquam magna cognitione dignum amaverunt. Atque hoc loco, qui propter animi voluptates coli dicunt ea ſtudia, quæ dixi, non intelligunt idcirco eſſe ea propter ſe expetenda, quòd, [11] nulla utilitate objecta, delectentur animi, *atque ipſa ſcientia, etiam ſi* [12] *incommoda datura ſit, gaudeant.* Sed quid attinet de rebus tam apertis plura requirere? ipſi enim quæramus à nobis, ſtellarum motus contemplationeſque rerum cœleſtium, eorumque omnium, quæ naturæ obſcuritate occultantur, cognitiones, quemadmodum nos moveant: & quid *hiſtoria delectet*, quam ſolemus perſequi uſque ad extremum: prætermiſſa repetimus, inchoata perſequimur. Nec verò ſum inſcius, eſſe utilitatem in hiſtoria, non modò voluptatem. Quid, cùm fictas fabulas, è quibus [13] utilitas nulla duci poteſt, cum voluptate legimus? quid, cùm volumus nomina eorum, qui quid geſſerint, nota nobis eſſe, parenteis, patriam, multa præterea minimè

1. *Non explet bona naturæ voluptas.*] Sententia politior futura videtur, ejecto *voluptas*. eſt tamen in Pall. omnibus.

2. *Idcirco in his rebus ſumma, noſtra ſponte moveamur.*] Non diſplicet quod eſt in Aldo Nep. *moveatur*. & ita alias lectum veteribus, colligo ex nota marginali Pal. quarti. ibi enim adſcriptum, vel *moveamur*. ridicule, cùm ita alioquin eſſet in contextu: ſed aberravit dextra librarii, voluitque expreſſum *moveatur*: quo admiſſo, bellè heic quadrabit illud *ſumma*, vexatum & Lambino, & Bruto aliiſque.

3. *Ut ſi qua in membris.*] Pall. quatuor, *ſi qua quæ in membris*. quartus verò, *ut quaſi quæ in membr.* miror in ſententia tam clara diverſitatem.

4. *Quid? in motu & ſtatu corporis nihilne eſt, quod, &c.*] Sic Aldi vetus impreſſio. nam junior, *nihil ineſt*. Vict. publicaverat, *expetatur, quod in motu & ſtatu corporis nihil non eſt quod*; quomodo plane Pal. quart. niſi quod inchoet novam periodum ab illo *Quod*. ceteri noſtri exprimunt, *quod in motu & ſtatu corporis nihil ineſt quod*. præter ſec. qui deſtituitur illis, *quod in motu & ſtatu corporis*.

5. *Et quoniam hæc deducuntur de corpore.*] Sic Aldi vetus editio, ſic Pall. omn. exinde cuſi, *ducuntur*.

6. *Sed etiam ipſas propter ſe expetemus.*] Eſt à Victorio, neque recedunt Pall. vulgati per interrogationem *expetamus?*

7. *Innatus in nobis cognit.*] Ita Victorius, ita Pall. omn. vulgati *in omnibus*, quod falſiſſimum eſt.

8. *Agnoſcere cantus.*] Sic malui cum Pall. & vett. edd. quam *cognoſcere*, uti ex uno mſ. Urſinus: quod miror potuiſſe eidem placere.

9. *Cladeṁque canemus.*] Victorius quidem *tenemus*: ſed contra edd. priores, omneſque mſſ. noſtros, quorum duo, quartus ſcilicet ac ſextus, habent præterea non *Nos*, ſed *Nunc*; quod arbitror veriſſimum. neque me movet quod nihil tale Homerus: Cicero enim attendit argumento ſuo.

10. *Regum veſtigia.*] Et hoc quoque malui, fide omnium Pall. & editionum vett. Victorius, & ſeqq. *rerum*; dum nimium inhærent verbis Homeri.

11. *Nulla utilitate objecta, delectentur animi.*] Non eſt temerarium quod vox *objecta*, non habeatur in Pall. quarto. forſan eſt παρέλκον.

12. *Incommoda datura ſit.*] Lambinus, *incommodatura ſit*, ex mſſ. non male. noſtri tamen mordicus retinent vulgatum.

13. *Utilitas nulla duci.*] Sic edd. priſcæ: juniores enim *dici*, ſed inepte, quamvis ſic quoque aliquot Pall. quorum & unus *elici*, quod malim, niſi arbitrarer *dici* natum ex *duci*, quod omnino reſtat in quarto.

nimè neceſſaria ? quid, quòd homines infima fortuna, *nulla ſpe rerum gerendarum*, opifices denique, delectentur hiſtoria ? maximeque eos videre poſſumus res geſtas audire, & legere velle, qui à ſpe gerendi abſunt, confecti ſenectute. Quocirca intelligi neceſſe eſt, in ipſis rebus, quæ diſcuntur, & cognoſcuntur, invitamenta ineſſe, quibus ad diſcendum, cognoſcendumque moveamur. Ac veteres quidem philoſophi, in beatorum inſulis, fingunt, qualis natura ſit vita ſapientium, quos cura omni liberatos, nullum neceſſarium vitæ cultum, aut paratum requirenteis, nihil aliud eſſe acturos putant, niſi ut *omne tempus in quærendo, ac diſcendo in naturæ cognitione conſumant*. nos autem non ſolùm beatæ vitæ iſtam oblectationem videmus, ſed etiam, *levamentum miſeriarum*. itaque multi cùm in poteſtate eſſent hoſtium, aut tyrannorum; multi in cuſtodia, multi in exilio, *dolorem ſuum doctrinæ ſtudiis levaverunt*. Princeps hujus civitatis Phalereus Demetrius cum patria pulſus eſſet injuria, ad Ptolemæum ſe regem Alexandriam contulit. qui cùm in hac ipſa philoſophia, ad quam te hortamur, excelleret, Theophraſtique eſſet auditor: multa præclara in illo calamitoſo otio ſcripſit, non ad uſum aliquem ſuum, quo erat orbatus: ſed animi cultus ille, erat ei quaſi quidam *humanitatis cibus*. Equidem è Cn. Aufidio, prætorio, erudito homine, oculis capto, ſæpe audiebam, cùm ſe lucis magis, quàm utilitatis deſiderio moveri diceret, *ſomnum* denique nobis, niſi requietem corporibus, & medicinam quandam laboris afferret, contra naturam putaremus datum. aufert enim ſenſus, actionemque tollit omnem. itaque, ſi aut requietem natura non quæreret, aut eam poſſet alia quadam ratione conſequi, [1] facilè pateremur; qui etiam nunc agendi aliquid, diſcendique cauſa propè *contra naturam vigilias*
20 *ſuſcipere ſoleamus*. Sunt autem clariora, vel planè perſpicua, nec dubitanda judicia naturæ, maximè ſcilicet in homine, ſed in omni animali, ut appetat animus aliquid agere ſemper, neque ulla conditione quietem ſempiternam poſſit pati. facile eſt hæc cernere in primis puerorum ætatulis. quamquam enim vereor, ne nimius in hoc genere videar: tamen omnes veteres philoſophi, maximè noſtri, *ad incunabula* accedunt, quod in pueritia facillimè ſe arbitrentur naturæ voluptatem poſſe cognoſcere. videmus igitur, ut *conquieſcere ne infantes quidem poſſint* : cùm verò [2] paullum proceſſerint, luſionibus vel laborioſis delectantur, ut ne verberibus quidem deterreri poſſint. eaque cupiditas agendi aliquid adoleſcit unà cum ætatibus. Itaque, NE SI JUCUNDISSIMIS quidem nos ſomniis uſuros putemus, Endymionis ſomnum nobis velimus dari: idque ſi accidat, mortis inſtar putemus. Quin etiam inertiſſimos homines, neſcio qua ſingulari nequitia præditos, videmus tamen & animo, & corpore moveri ſemper, &, cùm re nulla impediantur neceſſaria, aut alveolum poſcere, aut *quærere quempiam ludum*, aut ſermonem aliquem requirere: cùmque non habeant ingenuas ex doctrina oblectationes, [3] circulos aliquos, & ſemicirculos conſectari. ne BESTIÆ quidem, quas delectationis cauſa concludimus, cùm copioſiùs alantur, quàm ſi eſſent liberæ, facilè patiuntur ſeſe contineri: motuſque ſolutos, & vagos, à natura ſibi tributos, requirunt. Itaque, UT QUISQUE optimè natus, inſtitutuſque eſt, eſſe omnino nolit in vita, ſi gerendis negotiis orbatus, poſſit paratiſſimis veſci voluptatibus. nam aut privatim aliquid gerere malunt: aut, qui altiore animo ſunt, capeſſunt remp. honoribus, imperiiſque adipiſcendis, aut totos ſe ad ſtudia doctrinæ conferunt. qua in vita, tantum abeſt, ut voluptates conſectentur: etiam curas, ſollicitudines, vigilias perferunt: optimaque parte hominis, quæ in nobis *divina* ducenda eſt, ingenii & mentis acie fruuntur, nec voluptates requirentes, nec fugientes laborem. nec verò intermittunt aut admirationem earum rerum, quæ ſunt ab antiquis repertæ, aut inveſtigationem novarum: quo ſtudio, cùm ſatiari non poſſunt, omnium *ceterarum rerum obliti*, nihil abjectum, nihil humile cogitant: tantaque eſt vis talibus in ſtudiis, ut eos etiam, qui ſibi alios propoſuerunt fines bonorum, quos utilitate, aut voluptate dirigunt, tamen in rebus quærendis, explicandiſque naturis ætates contere
rere videamus. Ergo hoc quidem apparet, nos *ad agendum* 21
eſſe natos. actionum autem genera plura, ut obſcurentur etiam minora majoribus. maximæ autem ſunt, primùm, ut mihi quidem videtur, & iis quorum nunc in ratione verſamur, [4] conſideratio, cognitiove rerum cœleſtium, & earum, quas à natura occultatas, & latenteis, indagare ratio poteſt: deinde rerumpub. [5] adminiſtratio. aut adminiſtrandi, ſciendique prudens, temperata, fortis & juſta ratio, reliquæque virtutes, & actiones virtutibus congruentes; quæ uno verbo complexi omnia, HONESTA dicimus: ad quorum etiam cognitionem, & uſum jam corroborati, *natura ipſa præeunte* deducimur. OMNIUM enim rerum principia parva ſunt, ſed ſuis [6] progreſſionibus uſa augentur: nec ſine cauſa: in primo enim ortu ineſt temeritas, & mollities quædam, ut nec res videre optimas, nec agere poſſint. virtutis enim, beatæque vitæ, quæ duo maximè expetenda ſunt, ſeriùs lumen apparet: multò etiam ſeriùs, ut planè, qualia ſint, intelligantur. præclarè enim Plato: BEATUM, CUI ETIAM IN SENECTUTE CONTIGERIT, UT SAPIENTIAM, VERASQUE OPINIONES ASSEQUI POSSIT. Quare, quoniam de primis naturæ commodis ſatis dictum eſt, nunc de majoribus, conſequentibuſque videamus. Natura igitur corpus quidem hominis ſic & genuit, & formavit, ut alia in *primo ortu* perficeret, alia progrediente ætate fingeret; neque ſane multum adjumentis externis, & adventitiis uteretur. animum autem reliquis rebus ita perfecit, ut corpus. ſenſibus enim ornavit ad res percipiendas idoneis, ut nihil, aut non multum adjumento ullo ad ſuam conformationem indigeret. quod autem *in homine præſtantiſſimum, atque optimum eſt, id deſeruit*. etſi dedit talem mentem, quæ omnem virtutem jam accipere poſſet, ingenuitque ſine doctrina notitias parvas rerum maximarum, & quaſi inſtituit docere, & induxit in ea, quæ inerant, tanquam *elementa virtutis*. ſed virtutem ipſam inchoavit: [7] nihil amplius. itaque noſtrum eſt (quod noſtrum dico, artis eſt) ad ea principia, quæ accepimus, conſequentia exquirere, quoad ſit id, quod volumus, effectum: quod quidem pluris ſit haud paullo, magiſque ipſum propter ſe expetendum, quàm aut ſenſus, aut corporis ea, quæ diximus: quibus tantum præſtat *mentis excellens perfectio*, ut vix cogitari poſſit quid interſit. itaque OMNIS HONOS, omnis admiratio, omne ſtudium, ad virtutem, & ad eas actiones, quæ virtuti ſunt conſentaneæ, refertur: eaque omnia, quæ aut ita in animis ſunt, aut ita geruntur, uno nomine *honeſta* dicuntur. quorum omnium quæque ſint notitiæ, quæque

1. *Facilè pateremur.*] Lambinus interjecit, *facilè nos eo carere pateremur*; ineptè, & præter Pall. omn. editoſque, nihil vulgata ſcriptione venuſtius.

2. *Paullum proceſſerint.*] Lamb. *Paullum ætate proceſſerint*, non neceſſariò, & invitis noſtris mſſ.

3. *Circulos aliquos & ſemicirculos conſectari.*] Scaliger adlevat magni ex libro veteri, *& ſeſſiunculas conſect.* quod profecto perplacet.

4. *Conſideratio, cognitioque rerum cœleſtium.*] Scaliger idem è veteri libro, *conſideratio cogitatione rerum*; & ipſi adlubeſcit, ut theoriam deſignet.

5. *Adminiſtratio, aut adminiſtrandi ſciendique prudens, &c.*] Paullo Manutio potius videtur *ſcientia; tum prudens.* quod reperit in veteri libro, extatque ſolum in Pal. ſexto, notæ alioquin protritæ libro. habet tamen etiam ad oram ſui Scaliger, tanquam probaret.

6. *Progreſſionibus uſa.*] Revocavi omnium ferè ætatum lectionem exturbato *uſu*, nuperè invecto, nulloque ſubnixo codice ſcripto, certè nullo Pal.

7. *Nihil eſt amplius. itaque noſtrum eſt.*] Eſt ab emendatione Paulli Manutii. prius enim legebatur paſſim, *Nihil itaque amplius noſtrum eſt*; quod & in Pall. niſi quod quart. *nihil ita amplius noſtrum eſt, quod iterum dico, &c.*

1. Ut

que ſignificentur rerum vocabulis, quæque cujuſque vis,
22 & natura ſit, mox videbimus. Hoc autem loco tantùm explicemus; hæc, honeſta quæ dico, præterquàm quòd noſmetipſos diligamus, præterea ſuapte natura per ſe eſſe expetenda, indicant pueri: in quibus [1] ut *in ſpeculis*, natura cernitur. QUANTA STUDIA decertantium ſunt? quanta ipſa certamina? ut illi efferuntur lætitia, cùm vicerint? ut pudet victos? ut ſe accuſari nolunt? quam cupiunt laudari? quos illi labores non perferunt, ut æqualium principes ſint? quæ memoria eſt in his benè merentium? quæ referendæ gratiæ cupiditas? atque ea *in optima quaque indole maxime apparent.* in qua hæc honeſta, quæ intelligimus, à natura tanquam adumbrantur, ſed hæc in pueris expreſſa. in iis verò ætatibus, quæ jam confirmatæ ſunt, QUIS EST TAM diſſimilis homini, qui non moveatur & offenſione turpitudinis, & comprobatione honeſtatis? quis eſt, qui non oderit libidinoſam, protervam adoleſcentiam? quis contrà in illa ætate pudorem, conſtantiam, etiam ſi ſua nihil interſit, non tamen diligat? quis Pullum Numitorem, [2] Fregellanum, proditorem, quamquam reip. noſtræ profuit, non odit? quis urbis conſervatorem Codrum, quis Erichthei filias non maximè laudat? cui Tubuli nomen odio non eſt? quis [3] Ariſtidem non mortuum diligit? an obliviſcimur, quantopere in audiendo, legendoque moveamur, cùm piè, cùm amicè, cùm magno animo aliquid factum cognoſcimus? quid loquar de nobis, qui *ad laudem, & ad decus nati*, ſuſcepti, inſtituti ſumus? qui clamores vulgi, atque imperitorum excitantur in theatris. cùm illa dicuntur?

Ego ſum Oreſtes.

contraque ab altero:

Immo enimverò ego ſum, inquam, Oreſtes.

[4] Cùm autem etiam exitus ab utroque datur conturbato, errantique regi: [5] ambos ergo unà vivere precamur. quoties hoc agitur, quandove, niſi admirationibus maximis? Nemo eſt igitur, qui non hanc affectionem animi probet, atque laudet: qua non modò utilitas nulla quæritur, ſed *contra utilitatem etiam conſervatur fides.* Talibus exemplis non fictæ ſolùm fabulæ, verùm etiam hiſtoriæ refertæ ſunt, & quidem maximè noſtræ. NOS ENIM ad [6] ſacra Idæa accipienda optimum virum delegimus: nos tutores miſimus regibus: noſtri imperatores pro ſalute patriæ ſua capita voverunt: noſtri conſules regem inimiciſſimum, mœnibus jam appropinquantem, monuerunt, *à veneno ut caveret:* noſtra in rep. &, quæ per vim oblatum ſtuprum voluntaria morte lueret, inventa eſt: & qui interficeret filiam, ne ſtupraretur: quæ quidem omnia, & innumerabilia præterea, quis eſt, qui non intelligat, & eos, qui fecerunt, *dignitatis ſplendore ductos, immemores fuiſſe utilitatum ſuarum*, noſque, cùm ea laudemus, nulla alia re, niſi
23 honeſtate duci? Quibus rebus breviter expoſitis (nec enim ſum copiam, quam potui, quia dubitatio in re nulla erat, perſecutus) ſed his rebus concluditur profectò, & virtutes omneis, & honeſtum illud, quod ex his virtutibus exoritur, & in his hæret, eſſe per ſe expetendum. In omni autem honeſto, de quo loquimur, nihil eſt tam illuſtre, nec quod latiùs pateat, quam conjunctio inter homines hominum, & quaſi quædam ſocietas, & communicatio utilitatum, & ipſa caritas generis humani: quæ nata à primo *ſatu, quo à procreatoribus nati diliguntur*, & tota domus conjugio, & ſtirpe conjungitur, ſerpit ſenſim foras cognationibus primùm, tum affinitatibus, deinde amicitiis: [7] poſt vicinitatibus; tum civibus, & iis, qui publicè ſocii, atque amici ſunt: deinde totius complexu gentis humanæ, quæ animi affectio ſuum cuique tribuens, atque hanc, quam dico, ſocietatem conjunctionis humanæ munificè, & æquè tuens, JUSTITIA dicitur: cui adjunctæ ſunt pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, quæque ſunt generis ejuſdem. atque hæc ita juſtitiæ propria ſunt, [8] ut ſint virtutum reliquarum communia. nam cùm ſic hominis natura generata ſit, ut habeat quiddam innatum quaſi civile, atque populare, quod Græci πολιτικὸν vocant: quidquid aget quæque virtus, id à communitate, & ea, quam expoſui, caritate, atque ſocietate humana non abhorrebit: viciſſimque juſtitia, ut ipſa ſe fundet uſu in ceteras virtutes, ſic illas expetet. *ſervari enim juſtitia, niſi à forti viro, niſi à ſapiente non poteſt.* Qualis eſt igitur omnis hæc, quam dico, conſpiratio, conſenſuſque virtutum, tale eſt illud ipſum honeſtum: quando quidem honeſtum, aut ipſa virtus eſt, aut res geſta virtute. quibus in rebus vita conſentiens, virtutibuſque reſpondens, recta, & honeſta, & conſtans, & naturæ congruens exiſtimari poteſt. atque hæc conjunctio, confuſioque virtutum, tamen à philoſophis ratione quadam diſtinguitur. nam cùm ita copulatæ, connexæque ſunt, ut *omnes omnium participes* ſint, nec alia ab alia poſſit ſeparari: tamen proprium ſuum cujuſque munus eſt, ut fortitudo in laboribus, periculiſque cernatur: temperantia in prætermittendis voluptatibus: prudentia in delectu bonorum, & malorum: juſtitia in ſuo cuique tribuendo. quando igitur ineſt in omni virtute cura quædam quaſi foras ſpectans, aliosque appetens, atque complectens, exſiſtit illud, ut amici, ut fratres, ut propinqui, ut affines, ut cives, ut omnes, denique (quando unam ſocietatem hominum eſſe volumus) *propter ſe expetendi* ſint. atque eorum nihil eſt ejus generis, ut ſit in fine, atque extremo bonorum. ita fit, ut duo genera propter ſe expetendorum reperiantur: unum, quod eſt in iis, in quibus completur illud extremum: quæ ſunt aut *animi* aut *corporis*. hæc autem, quæ ſunt *extrinſecus*, id eſt, quæ neque in animo ſunt, neque in corpore, ut amici, ut parentes, ut liberi, ut propinqui, ut ipſa patria, ſunt illa quidem ſua ſponte cara, ſed eodem in genere, quo illa, non ſunt. nec verò quiſquam ſummum bonum aſſequi umquam poſſet, ſi omnia illa, quæ ſunt extrà, quamquam expetenda, ſummo bono continerentur. Quo modo igitur, 24
inquies, verum eſſe poterit, omnia referri ad ſummum bonum, ſi amicitiæ, ſi propinquitates, ſi reliqua externa ſummo bono non continentur? Hac videlicet ratione: quòd ea, quæ externa ſunt, iis tuemur officiis, quæ oriuntur à ſuo cujuſque genere virtutis. nam & amici cultus, & parentis, & qui officio fungitur, in eo ipſo prodeſt, quòd, ita fungi officio, in rectè factis eſt: quæ ſunt orta virtutibus. quæ quidem ſapientes ſequuntur, utentes tanquam *duce natura.* non perfecti autem homines, & tamen ingeniis excellentibus præditi, [9] excitantur ſæpe gloria: quæ habet formam honeſtatis, & ſimilitudinem. QUOD SI IPSAM HONESTATEM undique perfectam, & abſolutam, rem unam præ-

1. *Ut in ſpeculis, natura cernitur. quanta ſtudia, &c.*] Noſter ille Scaliger ad oram libri ſui pinxit; *ſpeculis naturæ, cernitur quanta ſtud.* delicate.

2. *Fregellanum proditorem.*] Bene idem vir illuſtris *Fregellanum proditorem.*

3. *Quis Ariſtidem non mortuum diligit?*] Viſum mihi iſtud efficacius illo vulgato, *mortuum non dilig.* extabatque in omn. Pall.

4. *Cum autem etiam exitus ab utroque datur conturbato errantique regi.*] Locus minus caſtigatus, neque auxiliantur membranæ noſtræ. Scaliger adlevit margini, *exitus utrique datur à conturbato erranteque rege.*

5. *Ambos ergo unà vivere precamur. quoties hoc agitur, quandove, niſi, &c.*] Lectio non ſana. nam Pall. tert. quart. quint. interſerunt, *agitur, & quandove.* ſextus præterea ſervat, *ambo ergo negantum precamur quoties hoc igitur eſt, quando igitur, niſi.* ſed & habet ad oram quartus, alias legi; *ambo ergo ſibi unam necem imprecantur, &c.* quod poſtremum proximum eſt vero.

6. *Sacra Idæa accipienda.*] Reſtitui veterem ſcripturam auctori, jubentibus omnibus Pall. & hiſtoria ipſa. recentius editi, *concipienda.*

7. *Poſt vicinitatibus; tum civibus, &c.*] Retinui conjectaneum Pauli Manutii confirmatum auctoritate Pal. quarti ac ſexti. vulgati olim *cum civibus.*

8. *Ut ſint virtutum.*] Ita Pall. & editiones antiquæ Aldi Victorii: nam nuperæ, *ut ſunt*, minus rectè.

9. *Excitantur ſæpe gloria.*] Eſt a Lambini conjectura, pro qua plane facit vetus Scaligeri, & Pal. ſextus; partim etiam quartus, in quo *ſpe gloria.*

præclariſſimam omnium, maximeque laudandam, penitus viderent, quonam gaudio complerentur, cùm tantopere ejus adumbrata opinione lætentur? quem enim deditum voluptatibus, cupiditatum incendiis inflammatum, in iis potiendis, quæ acerrimè concupiviſſet, tanta *lætitia perfundi* arbitramur, quanta aut ſuperiorem Africanum Annibale victo: aut poſteriorem Karthagine everſa? quem [1] Tiberina diſſenſio, feſto illo die, tanto gaudio affecit, quanto L. Paullum, cùm regem Perſen captum adduceret, eodem flumine invectum? Agè nunc, Luci noſter, exſtrue animo altitudinem, excellentiamque virtutum: jam non dubitabis, quin earum compotes homines, magno animo, erectoque viventes, ſemper ſint beati: qui omneis motus fortunæ, mutationeſque rerum, & temporum, *leveis, & imbecillos fore intelligant*, ſi in virtutis certamen venerint. illa enim, quæ ſunt à nobis bona corporis numerata, complent ea quidem beatiſſimam vitam, ſed ita, ut ſine illis poſſit beata vita exſiſtere. ita enim parvæ, & exiguæ ſunt iſtæ acceſſiones bonorum, ut, quemadmodum ſtellæ in radio ſolis, ſic iſtæ in virtutum ſplendore ne cernantur quidem. [2] Atque hoc, ut verè dicitur, parva eſſe ad beatè vivendum momenta iſta corporis commodorum, ſic nimis violentum eſt, nulla eſſe dicere. qui enim ſic diſputant, obliti mihi videntur, [3] quæ ipſi egerint principia naturæ. tribuendum igitur eſt his aliquid dummodò, quantum tribuendum ſit, intelligas. Eſt tamen philoſophi, non tam glorioſa, quàm vera quærentis, nec pro nihilo putare ea, quæ ſecundum naturam illi ipſi glorioſi eſſe fatebantur, & videre tantam *vim virtutis*, tantamque ut ita dicam, *auctoritatem honeſtatis*, ut reliqua non illa quidem nulla, ſed ita parva ſint, ut nulla eſſe videantur. [4] Hæc eſt nec omnia ſpernentis, præter virtutem, & virtutem ipſam ſuis laudibus amplificantis oratio. denique hæc eſt undique completa, & perfecta explicatio ſummi boni. hinc ceteri parti-
25 culas arripere conati, ſuam quiſque videri voluit afferre ſententiam. Sæpe ab Ariſtotele, à Theophraſto mirabiliter eſt laudata per ſe ipſa rerum ſcientia. hoc uno captus Herillus, *ſcientiam*, ſummum bonum eſſe defendit, nec rem ullam aliam per ſe expetendam. Multa ſunt dicta ab antiquis de *contemnendis, ac deſpiciendis rebus humanis.* hoc unum Ariſto tenuit. præter *vitia*, atque *virtutes*, negavit rem eſſe ullam aut fugiendam, aut expetendam. Poſitum eſt à noſtris in iis rebus, quæ ſecundum naturam eſſent, *non dolere*. hoc Hieronymus ſummum bonum eſſe dixit. At verò Callipho, & poſt eum Diodorus, cùm alter *voluptatem* adamaviſſet, alter *vacuitatem doloris*; neuter honeſtate carere potuit, quæ eſt à noſtris laudata maximè. Quinetiam ipſi voluptarii deverticula quærant, & virtutes habeant in ore totos dies, voluptatemque primò duntaxat expeti dicant: deinde [5] *conſuetudine*, quaſi alteram naturam, effici, qua impulſi multa faciunt nullam quærentes voluptatem. Stoici reſtant. hi quidem non unam aliquam, aut alteram à nobis, ſed totam ad ſe noſtram philoſophiam tranſtulerunt. atque ut reliqui fures, [6] earum rerum, quas ceperunt, ſigna commutant: ſic illi, ut ſententiis noſtris pro ſuis uterentur, nomina, tanquam rerum notas, mutaverunt. Ita relinquitur ſola hæc diſciplina digna ſtudioſis ingenuarum artium, digna eruditis, digna claris viris, digna principibus, digna regibus. Quæ cùm dixiſſet, paullumque inſtitiſſet, Quid eſt, inquit? ſatiſne vobis videor pro meo jure [7] in veſtris auribus commentatus? Et ego. Tu verò, inquam, Piſo, ut ſæpe aliàs, ſic hodie ita iſta noſſe viſus es, ut, ſi tui copia nobis ſemper fieret, non multùm Græcis ſupplicandum putarem. quod quidem eo probavi magis, quia memini, Staſeam Neapolitanum, doctorem illum tuum, nobilem ſane Peripateticum, aliquanto iſta ſecus dicere ſolitum, aſſentientem iis, qui multum *in fortuna ſecunda, aut adverſa*, multùm *in bonis, aut malis corporis* ponerent. Eſt ut dicis, inquit: ſed hæc ab Antiocho, noſtro familiari, dicuntur multò meliùs, & fortiùs, [8] quàm à Staſea dicebantur. quamquam ego non quæro, quid tibi à me probatum ſit, ſed huic Ciceroni noſtro, quem diſcipulum cupio à te abducere. Tum Lucius, Mihi verò iſta valde probata ſunt: quod item fratri puto. Tum mihi Piſo. 26
Quid ergo, inquit, daſne adoleſcenti veniam? an eum diſcere ea mavis, quæ *cùm præclarè didicerit, nihil ſciat*? [9] Ego verò iſti inquam, permitto. ſed nonne meminiſti, mihi licere probare iſta, quæ ſunt à te dicta? quis enim poteſt ea, quæ probabilia videantur ei, non probare? *An vero*, inquit, quiſquam poteſt probare, quod perceptum, quod comprehenſum, quod cognitum non habet? Non eſt iſta, inquam, Piſo, magna diſſenſio. nihil eſt enim aliud, quamobrem nihil percipi mihi poſſe videatur, niſi quòd percipiendi vis ita definitur à Stoicis, ut negent quidquam poſſe percipi, niſi *tale verum, quale falſum eſſe non poſſit*. itaque hæc cum illis eſt diſſenſio, cum Peripateticis nulla ſanè. ſed hæc omittamus, habent enim & bene longam, & ſatis litigioſam diſputationem. Illud mihi à te nimiùm feſtinanter dictum videtur, SAPIENTEIS OMNEIS ESSE SEMPER BEATOS. neſcio quo modo prætervolavit oratio. quod niſi ita efficitur: quæ Theophraſtus de fortuna, de dolore, de cruciatu corporis dixit, cum quibus conjungi beatam vitam nullo modo poſſe putavit, vereor ne vera ſint. nam illud vehementer repugnat, eundem *& beatum eſſe, & multis malis oppreſſum*. hæc quo modo conveniant, non ſanè intelligo. Utrùm igitur tibi non placet, inquit, virtutis tantam vim eſſe, ut ad beatè vivendum *ſe ipſa contenta ſit*? an, ſi id probas, ita fieri poſſe negas, ut ii, qui virtutis compotes ſint, etiam malis quibuſdam affecti, beati ſint? Ego verò volo in virtute vim eſſe quàm maximam: ſed, quanta ſit, alias: nunc tantum, poſſitne eſſe tanta, ſi quidquam extra virtutem habeatur in bonis. Atqui, inquit, ſi Stoicis concedis, ut *virtus ſola, ſi adſit, vitam efficiat beatam*: concedis etiam Peripateticis. quæ enim mala illi non audent appellare, aſpera autem, & incommoda, & rejicienda, & aliena naturæ, eſſe concedunt, ea nos mala dicimus, ſed exigua, & porrò minima. Quare ſi poteſt eſſe beatus is, qui eſt in aſperis, rejiciendiſque rebus, poteſt is quoque eſſe, qui eſt in parvis malis. Et ego Piſo, inquam, ſi eſt quiſquam, qui acutè in cauſis videre ſoleat, [10] quæ res agatur, is es profectò tu. quare attende, quæſo. nam adhuc, meo fortaſſe vitio, quid ego quæram, non perſpicis. Iſtic ſum,

---

1. *Tiberina decurſio.*] Sic duo P. Manut. mſſ. cod. ſic Pal. quart. non *diſſenſio*, ut invenit in ſuis Vict. reſtatque in reliquis noſtris; ideoque excutiendum critico collegio. an *deſcenſio*, fuit?

2. *Atque hoc, ut verè dicitur.*] Eſt a Pal. quart. & ſext. vulgati, *hæc*. neſcio tamen, an huic præferri debeat lectio Pal. ſec. in quo: *Atque hæc ut vere dicitur, parva eſſe ad beatè vivendum momenta; ſic, &c.* omiſſis intermediis.

3. *Quæ ipſi egerint.*] Sic Pall. etiam omn. Lambinus recepit *fecerint*. an fuit? *elegerint*.

4. *Hæc eſt nec omnia.*] Secutus ſum Lambini codd. quibus reſpondebant Pal. quart. ac ſext. nam Vict. *Hoc eſt non omnia, &c. amplificantis. oratio denique, &c.* P. Man. *Hæc eſt non omnia, &c. amplificantis oratio denique. hæc eſt, &c.* uterque nimis coactè.

5. *Conſuetudine quaſi alteram, &c.*] Sic Victor. & Paull. Manut. item Aldus filius ex mſſ. quibus & noſtri aliquot accedunt. ſed tamen non aſperner quod eſt in iiſdem Pall. melioribus, *conſuetudinem*, quod & in vetuſtè cuſis.

6. *Earum rerum quas ceperunt.*] Muret. ait lib. IX. cap. 19. Variar. lect. extare in lib. vett. *clepſerunt*. fieri poteſt. ſed cùm Pall. noſtri non diverterent à vulgato, nihil auſus fui mutare. plus enim ſemel expertus ſum in Seneca Philoſopho, Muret. habuiſſe libros ad patientiam uſque ultimam obſequentes.

7. *In veſtris auribus commentatus.*] Fere eſt, ut ſuſpicer verbum ultimum, ex adnotamentis Scholiaſtis. quidam divinant *commoratus*, ut annotatum Scaligero.

8. *Quam à Staſea dicebantur.*] Et hæc omnia videri queant ab interpretis adjectione.

9. *Ego vero iſti inquam.*] Dictionem *iſti*, reduxi ſuaſu codd. antiqq. & Pall. à neotericis excluſam.

10. *Quæ res agatur.*] Lamb. ait ſe reponere libris omnibus invitis, *qua de re agatur*. per me licet; ſed vellem indicaſſet, cur ei non æque placuerit vulgatum.

1. Quia

ſum, inquit, exſpectoque quid ad id, quod quæram, reſpondeas. Reſpondebo, me non quærere, inquam, hoc tempore, quid virtus poſſit efficere, ſed quid conſtanter dicatur, quid ipſum à ſe diſſentiat. Quo igitur, inquit, modo? [1] Quia cum à Zenone, inquam, hoc magnificè, tanquam ex oraculo editur, VIRTUS AD BEATE VIVENDUM SE IPSA CONTENTA EST. Quare, inquit? Reſpondet: *Quia*
27 *niſi quod honeſtum eſt, nullum eſt aliud bonum.* Non quæro jam, verumne ſit: illud dico, ea, quæ dicat, præclarè inter ſe cohærere. [2] Dixerit hoc idem Epicurus, SEMPER BEATUM ESSE SAPIENTEM: quod quidem ſolet ebullire nonnumquam. quem quidem cum ſummis doloribus conficiatur, ait dicturum, *Quam ſuave eſt! quàm nihil curo!* non pugnem cum homine, cur tantum habeat in natura boni. illud urgeam, non intelligere eum, quid ſibi dicendum ſit, cùm dolorem *ſummum malum* eſſe dixerit. Eadem nunc mea adverſum te oratio eſt. dicis *eadem omnia & bona, & mala*, quæ quidem dicunt, qui numquam philoſophum pictum, ut dicitur, viderunt, valitudinem, vireis, ſtaturam, formam, integritatem unguiculorum omnium: deformitatem, morbum, [3] debilitatem, mala. Jam illa externa, parcè tu quidem: ſed hæc, cùm corporis bona ſint, eorum conficientia certè in bonis numerabis, amicos, liberos, propinquos, divitias, honores, opes. [4] contra hæc attende me nihil dicere: ſi iſta mala ſunt, in quæ poteſt incidere ſapiens, ſapientem eſſe, non eſſe ad beatè vivendum ſatis. Immò verò inquit, ad *beatiſſimè* vivendum, parum eſt: ad *beatè* verò, ſatis. Animadverti, inquam, te iſto modo paulo antè ponere: & ſcio ab Antiocho noſtro dici ſic ſolere. ſed quid minùs probandum, quàm eſſe aliquem beatum, nec ſatis beatum? QUOD AUTEM ſatis eſt, eò quidquid acceſſerit, nimium eſt: & nemo nimiùm beatus eſt: & nemo beato beatior. Ergo, inquit, tibi Q. Metellus, qui treis filios conſules vidit, è quibus unum etiam & cenſorem, & triumphantem, quartum autem prætorem, eoſque ſalvos reliquit, & treis filias nuptas, cùm ipſe conſul, cenſor etiam augurque fuiſſet, & triumphaſſet: ut ſapiens fuerit, nonne beatior, quàm, ut item ſapiens fuerit, qui in poteſtate hoſtium, vigiliis, & inedia necatus
28 eſt, Regulus? Quid me iſtud rogas, inquam? Stoicos roga. Quid igitur, inquit, eos reſponſuros putas? *Nihilo beatiorem eſſe Metellum, quàm Regulum.* Inde igitur, inquit, audiendum eſt. [5] Tamen à propoſito, inquam, aberravimus. non enim, inquam, quæro, quid verum, ſed quid cuique dicendum ſit. Utinam quidem dicerent alium alio beatiorem: jam ruinas videres. in virtute enim ſola, & in ipſo honeſto cùm ſit bonum poſitum, cumque nec virtus, ut placet illis, nec honeſtum creſcat, idque bonum ſolum ſit, quo qui potiatur, neceſſe eſt beatus ſit, cum id augeri non poſſit, in quo uno poſitum eſt beatum eſſe: quî poteſt eſſe quiſquam alius alio beatior? videſne, ut hæc concinant? Et Hercule (fatendum eſt enim, quod ſentio) mirabilis eſt apud illos contextus rerum. reſpondent extrema primis, media utriſque, omnia omnibus: quid ſequatur, quid repugnet, vident. *in geometria prima ſi dederis, danda ſunt omnia.* concede nihil eſſe bonum, niſi quod honeſtum ſit: concedendum eſt, in virtute ſola poſitam eſſe beatam vitam. Vide rurſus retrò. dato hoc: dandum erit illud. quod veſtri non item. Tria genera bonorum. [6] proclivius currit oratio: venit ad extremum: hæret in ſalebra: cupit enim dicere, NIHIL POSSE AD BEATAM VITAM DEESSE SAPIENTI. Honeſta oratio: Socratica, Platonis etiam. Audeo dicere, inquit. Non poteſt, niſi retexueris illa. *paupertas ſi malum eſt, mendicus beatus eſſe nemo poteſt, quamvis ſit ſapiens.* At Zeno eum non beatum modò, ſed etiam divitem dicere auſus eſt. Dolere, malum: [7] in crucem qui agitur, beatus eſſe non poteſt. *Bonum, liberi:* miſera orbitas. *bonum, patria:* miſerum exſilium. *bonum, valitudo:* miſerum, morbus. *bonum, integritas corporis:* miſera debilitas. *bonum, incolumis acies:* miſera cæcitas. quæ ſi poteſt ſingula conſolando levare, univerſa quomodo ſuſtinebit? ſit enim idem cæcus, debilis, morbo graviſſimo affectus, exſul, orbus, egens, torqueatur eculeo: quem hunc appellas Zeno? *Beatum*, inquit. Etiam *beatiſſimum?* Quippe, inquiet, cùm tam docuerim, gradus iſtam rem non habere, quàm virtutem, in qua ſit etiam ipſum beatum. Tibi hoc incredibile, quia beatiſſimum. quid tuum? credibile? ſi enim ad populum me vocas: eum, quia ita ſit affectus, beatum numquam probabis. ſi ad prudenteis: alterum fortaſſe dubitabunt, ſitne tantum in virtute, ut ea præditi, *vel in Phalaridis tauro beati ſint:* alterum non dubitabunt, quin & Stoici convenientia ſibi dicant, & vos repugnantia. Theophraſti igitur, inquit, tibi liber ille placet de beata vita? Tamen aberramus à propoſito: &, ne longiùs: prorſus, inquam, Piſo, ſi iſta mala ſunt, placet. Nonne igitur tibi videntur, inquit, mala? Id quæres? inquam: in quo, utrum reſpondebo, verſes te huc, atque illuc neceſſe eſt. Quo tandem modo, inquit? Quia ſi mala ſunt, is, qui erit in his, beatus non erit. ſi mala non ſunt, jacet omnis ratio Peripateticorum. Et ille ridens, video, inquit, quid agas. ne diſcipulum abducam, times. Tu vero, inquam, ducas licet, ſi ſequatur. erit enim mecum, ſi tecum erit. Audi igitur, inquit, 29
Luci. [8] tecum enim, ut ait Theophraſtus, mihi inſtituenda oratio eſt. Omnis auctoritas philoſophiæ conſiſtit in beata vita comparanda. *beatè enim vivendi cupiditate incenſi omnes ſumus.* Hoc mihi cum tuo fratre convenit. quare hoc videndum eſt, poſſitne nobis hoc ratio philoſophorum dare. pollicetur certè. niſi enim id faceret, CUR PLATO Ægyptum peragravit, ut à ſacerdotibus barbaris numeros, & cœleſtia acciperet? cur pòſt Tarentum ad Architam? cur ad ceteros Pythagoreos, Echecratem, Timæum, Acrionem Locros, ut, cùm Socratem expreſſiſſet, adjungeret Pythagoreorum diſciplinam, eaque, quæ Socrates repudiabat, addiſceret? cur ipſe Pythagoras & Ægyptum luſtravit, & Perſarum magos adiit? cur tantas regiones barbarorum pedibus obiit? tot maria tranſmiſit? cur hæc eadem Democritus? [9] qui (verè, falſone, quæreremus) dicitur oculis ſe privaſſe, certè *ut quàm minimè animus à cogitationibus abduceretur:* patrimonium neglexit: agros deſeruit incultos, quid quærens aliud, niſi beatam vitam? quam ſi etiam in rerum cognitione ponebat, tamen ex illa

---

1. *Quia cum à Zenone.*] Carolus Sigonius putat abundare *cum*, cui & aſſentitur P. Manutius.

2. *Dixerit hoc idem Epicurus.*] Lectionem hanc meliorem longè duxi, illâ vulgatâ, *quidem Epic.* habebatur autem expreſſe in Pal. quarto & ſexto.

3. *Debilitatem, mala. Jam illa externa, parce tu quidem: ſed hæc, &c.*] Ita diſtinguit etiam Aldus ſenior. ſed interim tamen aliam interpunctionem introduxerat Victorius; hanc nempe; *debilitatem, mala jam illa externa. Parcè tu quidem, ſed hæc, &c.* quomodo item ferè Pall. omn. Lambin. heic addit, demit, mutat regium in morem. nos maluimus quædam ignorare.

4. *Contra hæc attende me, &c.*] Nihil diſcrepant Pall. niſi quod quart. & ſextus *hoc*.

5. *Tamen à propoſito, inquam, aberravimus.*] Malim *erramus*, ut eſt in Pal. quart. ſicque rurſum loquitur ante finem hujus capitis.

6. *Proclivius currit oratio.*] Lambinus, *in proclivi currit*, & ita Pall. omnes, ſed abſque copula *in*.

7. *In crucem qui agitur.*] Sic proximè Pal. quart. nempe *in cruce qui angitur*; quod tamen diſplicuit & P. Manutio & Lambino; itaque & alterum in contextum receperunt, ſed tamen poſt Victorium, quem miror ab ipſis rarius conſultum. erat in Scaligerano, *in cruce qui agitur*.

8. *Tecum enim, ut ait Theophraſtus.*] Lambinus inferius poſuit, illa, *ut ait Theophraſtus*, poſt vocem *philoſophiæ*. non culpo, tamen ajo, eſſe contra edd. omnes & Pall. ideoque vix licere hariolationi cujuſquam adquieſcere, ut etiam imitemur.

9. *Qui (verè falſone quæremus.)*] Gulielmius conjicit, *qui vero falſone quæreremus*. acute. ſed non verè. refellit enim id vox *certe*; quæ ſequitur, innuitque dubium aliquod præceſſiſſe. Lamb. abjecit dictionem poſtremam, legitque, *verè falſove.* expedite ſatis, ſed unde ei tale jus? Vict. ſane uſurpare auſus non fuit, quamvis ſic quoque conjeciſſet; ut prodidit lib. XV. Variar. lect. cap. 9.

illa inveſtigatione naturæ conſequi volebat, ut eſſet *bono animo*. id enim ille ſummum bonum, εὐθυμίαν, [1] & ſæpe ἀχαχίαν appellat, id eſt, [2] animum terrore liberum. Sed hæc etſi præclare, nondum tamen & perpolita. pauca enim, neque ea ipſa enucleatè ab hoc, de virtute quidem, dicta. poſt enim hæc in hac urbe primùm à Socrate quæri cœpta: deinde in hunc locum delata ſunt. [3] nec dubitatum, quin in virtute omnis, ut benè, ſic etiam beate vivendi ſpes poneretur. quæ cùm Zeno didiciſſet à noſtris: ut in actionibus [4] præſcribi ſolet, *de re eadem fecit alio modo*. Hoc tu nunc in illo probas. Scilicet vocabulis rerum mutatis, inconſtantiæ crimen ille effugit, nos effugere non poſſumus? Ille Metelli vitam negat beatiorem, quam Reguli: præponendam tamen: nec magis expetendam, ſed magis ſumendam: &, ſi optio eſſet, eligendam Metelli, rejiciendam Reguli. Ego, quam ille præponendam, &, magis eligendam, beatiorem hanc appello: nec ullo minimo momento plus ei vitæ tribuo, quàm Stoici. Quid intereſt, niſi quòd ego res notas notis verbis appello: illi nomina nova quærunt, quibus idem dicant? Ita quemadmodum IN SENATU SEMPER EST ALIQUIS, QUI INTERPRETEM POSTULET: ſic iſti nobis cum interprete audiendi ſunt. bonum appello, quidquid ſecundum naturam eſt: quod contra, malum: nec ego ſolus: ſed tu etiam, Chryſippe, in foro, domi: in ſchola definis. Quid ergo? aliter homines, aliter philoſophos loqui putes [5] oportere, quanti quidque ſit? aliter doctos, & indoctos? ſed cùm conſtiterit inter doctos, quanti res quæque ſit: ſi homines eſſent, uſitatè loquerentur. dum res maneant: verba fingant arbitratu

30 ſuo. Sed venio ad inconſtantiæ crimen, ne ſæpius, dicas, me aberrare: quam tu ponis in verbis: ego poſitam in re putabam. ſi ſatis erit hoc perceptum, in quo adjutores Stoicos optimos habemus, TANTAM VIM ESSE VIRTUTIS, ut omnia, ſi ex altera parte ponantur, ne appareant quidem: cùm omnia, quæ illi commoda certè dicunt eſſe, & ſumenda, & eligenda, & præpoſita, quæ ita definiunt ut ſatis magno æſtimanda ſint: hæc igitur cùm ego tot nominibus à Stoicis appellata, partim novis, & commentitiis, ut iſta *producta*, & *reducta*, partim idem ſignificantibus: quid enim intereſt, *expetas*, an *eligas*? mihi quidem [6] etiam lautius videtur, quod eligitur, & ad quod delectus adhibetur. ſed, cùm ego iſta bona omnia dixero, tantum refert, quàm magna dicam: [7] cùm expetenda, quàm valde. ſin autem nec expetenda ego magis, quàm tu eligenda, nec illa pluris æſtimanda ego, qui *bona*, quàm tu, qui *producta* appellas: omnia iſta neceſſe eſt obſcurari, nec apparere, & in virtutes, tanquam in ſolis radios, incurrere. At enim, *qua in vita eſt aliquid mali, ea eſſe beata non poteſt*. Ne ſeges quidem igitur ſpicis uberibus, & crebris, ſi avenam ipſam videris: nec mercatura quæſtuoſa, ſi in maximis lucris parum aliquid damni contraxerit. An hoc uſquequaque, aliter in vita? & non ex maxima parte de tota judicabis? an dubium eſt, quin VIRTUS ITA maximam partem obtineat in rebus humanis, ut reliquas obruat? audebo igitur, quæ ſecundum naturam ſunt, bona appellare, nec fraudare ſuo veteri nomine, quàm aliquid potiùs novum exquirere, virtutis autem amplitudinem quaſi in altera libræ lance ponere. Terram, mihi crede, ea lanx, & maria deprimet. ſemper enim *ex eo, quod maximas partes continet, latiſſimeque funditur, tota res appellatur*. dicimus aliquem hilarè vivere. igitur, ſi ſemel triſtior effectus eſt, hilara vita amiſſa eſt? At hoc in eo M. Craſſo, quem ſemel ait in vita riſiſſe Lucilius, non contigit, ut ea re minùs ἀγέλαστος, ut ait idem, vocaretur. Polycratem Samium felicem appellant. nihil acciderat ei, quod nollet, niſi quòd anulum, quo delectabatur, in mare abjecerat. Ergo infelix una moleſtia: felix rurſus, cùm is ipſe anulus in præcordiis piſcis inventus eſt. Ille verò, ſi inſipiens: (quod certè, quoniam tyrannus:) numquam beatus. ſi ſapiens: ne tum quidem miſer, cùm [8] ab Oroete prætore Darii in crucem actus eſt. 31

At multis malis affectus. Quis negat? ſed ea *mala virtutis magnitudine obruebantur*. An ne hoc quidem Peripateticis concedis, ut dicant OMNIUM VIRORUM BONORUM, id eſt, ſapientum, omnibuſque virtutibus ornatorum, vitam omnibus partibus plus habere ſemper boni, quàm mali? quis hoc dicit? [9] Stoicis licet. minimè. ſed iſti ipſi, qui voluptate, & dolore omnia metiuntur, nonne clamant, *ſapienti plus ſemper adeſſe, quod velit, quàm quod nolit?* Cum tantum igitur in virtute ponant ii, qui ſe fatentur virtutis cauſa, [10] niſi ea voluptatem acciret, ne manum quidem verſuros fuiſſe: quid facere nos oportet, qui QUAMVIS MINIMAM ANIMI PRÆSTANTIAM OMNIBUS BONIS CORPORIS ANTEIRE dicamus, ut ea ne in conſpectu quidem relinquantur? quis enim eſt, qui hæc cadere in ſapientem dicere audeat, ut, ſi fieri poſſit, virtutem in perpetuum abjiciat, ut dolore omni liberetur? quis noſtrûm dixerit, quos non pudet ea, quæ Stoici aſpera dicunt, mala dicere, MELIUS ESSE, turpiter aliquid facere cum voluptate, quàm honeſtè cum dolore? nobis Heracleotes ille Dionyſius flagitioſè deſciviſſe videtur à Stoicis propter oculorum dolorem. [11] quis verò hoc didiciſſet à Zenone, non dolere, cùm doleret? illud audierat, nec tamen didicerat, *malum illud non eſſe, quia turpe non eſſet*, [12] & eſſet ferendum viro. Hic ſi Peripateticus fuiſſet, permanſiſſet, credo, in ſententia, quoniam dolorem dicunt malum eſſe. de aſperitate autem ejus fortiter ferenda præcipiunt eadem, quæ Stoici: & quidem Arceſilas tuus, etſi fuit in diſſerendo pertinacior, tamen noſter fuit. erat enim Polemonis. is cùm arderet podagræ doloribus, viſitaſſetque hominem Carneades, Epicuri perfamiliaris, & triſtis exiret: *mane, quæſo*, inquit, *Carneade noſter: nihil illinc huc pervenit*. oſtendit pedes, & pectus. attamen hic mallet non dolere. Hæc igitur eſt no- 32

ſtra ratio, quæ tibi videtur inconſtans: cùm propter virtutis cœleſtem quandam, & divinam, tantamque præſtantiam, ut,

1. *Et ſæpe ἀχαχίαν.*] Lamb. editio habet ad oram ἀταραξίαν, ſed longe à veſtigiis litterarum quæ in Pall. nam plerique ſervant *achamiam*. quartus verò *athamiam*, ſextus *athambiam*. quod ultimum excutiant licet otioſiores.

2. *Animum terrore liberum.*] Annotavit Gulielmius, legendum videri *errore*. vix puteo. P. Manutius totum iſtud habebat pro gloſſemate.

3. *Nec dubitatum quin in virtute.*] Ita editum à P. Manutio, neque aliter Pal. ſextus. ceteri *dubitant*; quod inventum etiam in ſuis Manutius, mutatum avebat in *dubitanter*. Lambinus objecit nobis, *nec dubitavit*, tanquam ſi de Zenone tantum ſermo eſſet.

4. *Præſcribi ſolet, de re eadem fecit alio modo.*] Conjecerat Lambinus, *fieri ſolet, de re eadem ſcripſit alio modo*; quod acriter carpit Petr. Faber lib. 1. Semeſtr. cap. 21. ſed is in eo labitur quod autumat eſſe omnium codicum lectionem, *de re ead. dixit*: ita enim nullus de impreſſis, nullus de Palatinis, in quibus omnibus *fecit*; quod ſpurium meritò putat P. Manut. ſubintelligitque *egit*. quicum & ego ſentio, & manus Scaligeri.

5. *Oportere, quanti quidque ſit? aliter doctos, & indoctos.*] Lambinus edidit ſide mſſ. duorum; *oportere? Quanti, quidque ſit, aliter docti & indocti*: ſicque etiam Pal. ſextus: ſed malè; propugnantque ceteri priorem lectionem, cui & ſententia eſt expeditiſſima.

6. *Idem lautius videtur.*] Aldi ambo, *laudatius*, ſed noſtrum eſt in ſcriptis melioribus, placuitque Victorio.

7. *Cùm expetenda quam valde.*] Ita Lambinus ex mſſ. ſuis, cui adſtipulatur etiam Pal. quart. ac ſextus.

8. *Ab Oroete Prætore Darii.*] Reſtituit ad hanc formam ex Herodoto Athenæoque P. Victorius lib. 2. Var. lect. cap. 4. vulgati *Oronte*. neque aliter Pall.

9. *Stoicis licet. minimè, &c.*] Nihil variant mſſ. noſtri. & certè ſic malim, quàm deſultoria illa Lambini.

10. *Niſi ea voluptatem acciret.*] Pal. quart. *voluptatem maceret*. ſext. *voluntate maceret*. ex eo ii quibus dextræ pruriunt, facile fecerint, *voluptate maderet*. ſed nos nihil movemus.

11. *Quis verò hoc didiciſſet, &c.*] Non abeunt ab hac ſcriptura Pall. adeò ut ambigam de Lambiniana, *quaſi vero, &c.* quamvis affirmet eſſe à libris ſcriptis: præcipuè cùm non etiam indicet quorum ſcripti illi fuerint, aut quo loco conſulti conſulendive.

12. *Et eſſet ferendum viro.*] P. Manutius mallet, *eſſe*, ſed nulli ei accedunt libri.

ut, UBI VIRTUS SIT, [1] reſque magnæ, ſumendæ, laudabileſque virtute geſtæ, ibi eſſe miſeria, & ærumna non poſſit, tamen labor poſſit, & moleſtia: non dubitem dicere, omneis ſapienteis ſemper beatos eſſe, ſed tamen fieri poſſe, ut ſit alius alio beatior. Atqui iſte locus eſt, Piſo, tibi etiam, atque etiam confirmandus, inquam. quem ſi tenueris, non modò meum Ciceronem, ſed etiam me ipſum abducas licebit. Tum Quintus, Mihi quidem, inquit, ſatis hoc confirmatum videtur. lætor quidem, philoſophiam, cujus antea ſuppellectilem pluris æſtimabam, quàm poſſeſſiones reliquorum, ita mihi dives videbatur, ut ab ea petere poſſem, quidquid in ſtudiis noſtris concupiſſem: hanc igitur lætor etiam acutiorem repertam, quàm ceteras: quod quidam ei deeſſe dicebant. [2] Non quàm noſtram quidem, inquit Pomponius, jocans. ſed mehercule pergrata mihi oratio tua. quæ enim dici Latinè poſſe non arbitrabar, ea dicta ſunt à te, nec minùs planè, quàm dicuntur à Græcis, verbis aptis. [3] Sed tempus eſt, ſi videtur: & rectà quidem ad me. Quod cùm ille dixiſſet, & ſatis diſputatum videretur, in oppidum ad Pomponium perreximus omnes.

---

1. *Reſque magnæ, ſumendæ, laudabileſque.*] Paullus Manutius auſit vel ſacramento contendere, aliter ſcripſiſſe Ciceronem; ac fortè inquit, *ſummeque laudabiles*. ſed impoſuit viro doctiſſimo vocabulum artis. alia enim erant apud Stoicos *expetenda*, alia *ſumenda*, de quibus ſæpius dictum libro IV. & nominatim fine capitis 8. addatur & cap. 10. lib. I. Acad. quæſt.

2. *Non quam noſtrum quidem.*] Aldus Nepos, *Num quam noſtram quidem?* ſed tale quid non patitur illud *quidem*.

3. *Sed tempus eſt, ſi videtur.*] Vocabulum *eſt* non exſtat in Pal. quarto. neque admodum eo opus.

M. TULLII CICERONIS TUSCULANARUM QUÆSTIONUM, AD M. BRUTUM,

LIBER PRIMUS.

DE CONTEMNENDA MORTE.

1 CUm defenſionum laboribus, ſenatoriiſque muneribus aut omnino, aut magna ex parte eſſem aliquando liberatus, retuli me, Brute, te hortante maximè, ad ea ſtudia, quæ retenta animo, remiſſa temporibus, longo intervallo intermiſſa revocavi: &, cùm omnium artium, quæ ad rectam vivendi viam petinerent, ratio & diſciplina, ſtudio ſapientiæ, quæ philoſophia dicitur, contineretur: hoc mihi Latinis litteris illuſtrandum putavi: non quia philoſophia Græcis & litteris, & doctoribus percipi non poſſet: [1] ſed meum ſemper judicium fuit, omnia noſtros aut inveniſſe per ſe ſapientiùs, quàm Græcos: aut accepta ab illis, feciſſe meliora, quæ quidem digna ſtatuiſſent, in quibus elaborarent. nam mores, & inſtituta vitæ reſque domeſticas, ac familiareis nos profectò & meliùs tuemur & lautiùs. rem verò publicam noſtri majores certè melioribus temperaverunt & inſtitutis, & legibus. Quid loquar de re militari? in qua cùm virtute noſtri multùm valuerunt, tum plus etiam diſciplina. jàm illa, quæ natura, non litteris aſſecuti ſunt, [2] neque cùm Græcia, neque ulla cum gente ſunt conferenda. Quæ enim tanta gravitas, quæ tanta conſtantia, magnitudo animi, probitas, fides, quæ tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut ſit cum majoribus noſtris comparanda? doctrina Græcia nos, & omni litterarum genere ſuperabat. in quo erat facilè vincere non repugnanteis. nam cùm apud Græcos antiquiſſimum ſit è doctis genus poëtarum, ſi quidem Homerus fuit, & Heſiodus ante Romam conditam, Archilochus regnante Romulo: ſeriùs poëticam nos accepimus: annis enim ferè CCCCX. poſt Romam conditam Livius fabulam dedit, C. Claudio, Cæci filio, M. Tuditano, conſulibus, anno ante natum Ennium: qui fuit major natu, quàm
Plautus, & Nævius. Serò igitur à noſtris poëtæ vel cogniti, 2
vel recepti. Quamquam eſt in Originibus, ſolitos eſſe in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus. honorem tamen huic generi non fuiſſe, declarat oratio Catonis, in qua objecit, ut probrum, Marco Nobiliori, quòd is in provinciam poëtas duxiſſet. duxerat autem conſul ille in Ætoliam, ut ſcimus, Ennium. [3] Quò minus

---

USi ſumus in libris hiſce recenſendis Manuſcriptis codicibus Bibliothecæ Palatinæ quinque; quos pr. ſec. tert. quart. quint. nomine & ordine laudavimus. Item Vaticani excerptis, quæ Andreas Schottus Jano Grutero tranſmiſerat. Contulerat hos eoſdem libros Janus Gulielmius cum aliis mſſ. quorum notas & nomina damus. F. notat librum Fr. Fabricii. Gembl. Gemblacenſem. Toſ. Toſanum. Mart. Martinianum, mſſ. Suff. deſumpta ex Suffridi chartaceo vetuſto, ante Belgicos codices conſcripto. P. Fr. Pithœi. Jam notis hicce abſolutis receperat Gruterus comitate Davidis Hœſchelii excerpta codicis membranacei Cœnobii Ulrichiani, haud ita (ut ipſo ultre fatetur cæteris, collati ad exemplar editionis Argentinæ: quibus parùm uſi ſumus; quod quæ recta ac bona erant, meliores impreſſiones ferè omnia ſibi vindicarant & occuparant.

* M. TULLII CICERONIS TUSCULANARUM QUÆSTIONUM AD M. BRUTUM LIBER.] Retinui vulgarem inſcriptionem, cùm Pall. omnes, ut & Gemblacenſis referant pro *Quæſtionum*, *Diſputationum*: & ſic infra ipſe appellat auctor *De Fato* cap. 2. *Atque hanc Academicorum contra propoſitum diſputandi conſuetudinem indicant te ſuſcepiſſe Tuſculanæ diſputationes.* Vide Tuſcul. V. initium. Item finem: *quinque dierum diſputationes*. Illud *Quæſtionum* omninò Magiſtrorum eſt ſuppoſititium. Meo animo rectiſſime excludatur, ut factitavit Aldus Manutius Nepos, cumque illo omnes, ut indico, mſſ. neque aliter Vaticani excerpta. Eadem cap. ſtatim primo legunt, *quia philoſophia Græcis & libris & doctoribus percipi non poſſet*. Si quid ſentio, non omninò plenè ac benè.

1. *Meum ſemper judicium fuit.*] Ita ordinavi verba in Crepundiis, ex ſecundo Palat. accedit jam quint. itemque editio Victorii. Vatic. *meum ſemper judicium hoc fuit*.

2. *Neque cum Græcis, neque ullâ cum gente ſunt conferenda.*] Parum abeſt, quin probem quod eſt in Pall. ſecund. quint. Mart. Gembl. P. Vaticani excerptis & Ulrichianis: *neque cum Græcia, neque*. Imò genuinnm ac germanum Ciceronis eſt, quod rectè recepit P. Vict. in Pal. pr. (ſicut erat forte in aliis conſpicitur, *neque cum Græcis*, unde vulgata lectio erupit. Ipſe paullo poſt Tullius: *Græcia nos & omni literarum genere ſuperabat*. In fine fere primi capitis elegantior eſt collocatio Vatic. *Heſiodus Romam ante conditam*.

3. *Quò minus ergò honoris erat Poëtis.*] Melius Pall. tres, Vaticani excerpta, atque ipſe Victorius: *Quò minus igitur honoris*: eleganter *igitur*, pro *ergò*, & vice verſa in his libris obſervavi. Ulrich. delet omninò τὸ *ergò*.

minus igitur honoris erat poëtis, eo minora ſtudia fuerunt. [1] nec tamen, ſi qui magnis ingeniis in eo genere exſtiterunt, non ſatis Græcorum gloriæ reſponderunt. An cenſemus, ſi Fabio, nobiliſſimo homini, laudi datum eſſet, quòd pingeret, non multos etiam apud nos futuros Polycletos, & Parrhaſios fuiſſe? Honos alit arteis, omneſque incenduntur ad ſtudia gloria: jacentque ea ſemper, quæ apud quoſque improbantur. Summam eruditionem Græci ſitam cenſebant in nervorum, vocumque cantibus. igitur & Epaminondas, princeps, meo judicio, Græciæ fidibus præclare cecinisse dicitur. Themiſtocleſque aliquot ante annos, cùm in epulis recuſaret lyram, habitus eſt indoctior. Ergo in Græcia muſici floruerunt, diſcebantque id omnes, nec, qui neſciebat, ſatis excultus doctrina putabatur. In ſummo apud illos honore geometria fuit. itaque nihil mathematicis illuſtrius. At nos, metiendi ratiocinandique
3 utilitate, hujus artis terminavimus modum. At contrà oratorem celeriter complexi ſumus: nec eum primò eruditum, aptum tamen ad dicendum: pòſt autem eruditum. nam, Galbam, Africanum, Lælium [2] doctos fuiſſe traditum eſt: ſtudioſum autem eum, [3] qui iis ætate anteibat, Catonem: pòſt verò Lepidum, Carbonem, Gracchos: deinde ita magnos noſtram ad ætatem, ut non multùm, aut nihil omnino Græcis cederetur. Philoſophia jacuit uſque ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen literarum Latinarum: quæ illuſtranda, & excitanda nobis eſt, ut, ſi occupati profuimus aliquid civibus noſtris, proſimus etiam, ſi poſſumus, otioſi. In quo eo magis nobis eſt elaborandum, quòd multi jam eſſe Latini libri dicuntur ſcripti inconſideratè ab optimis illis quidem viris, ſed non ſatis eruditis. fieri autem poteſt, ut rectè quis ſentiat, & id, quod ſentit, politè eloqui non poſſit. ſed mandare quemquam litteris cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis & otio, & litteris. Itaque ſuos libros ipſi legunt cum ſuis, nec quiſquam attingit, præter eos, qui eandem licentiam ſcribendi ſibi permitti volunt. Quare [4] ſi aliquid Oratoriæ laudis noſtra attulimus induſtria, multo ſtudioſiùs philoſophiæ fonteis aperiemus, è
4 quibus etiam illa manabant. Sed, ut Ariſtoteles vir ſummo ingenio, ſcientiæ copia, cùm motus eſſet Iſocratis rhetoris gloria, dicere etiam cœpit, adoleſcenteis docere, & prudentiam cum eloquentia jungere: ſic nobis placet nec priſtinum dicendi ſtudium deponere, & in hac majore, & uberiore arte verſari. hanc enim perfectam philoſophiam ſemper judicavi, quæ de maximis quæſtionibus copioſè poſſet, ornateque dicere. in quam exercitationem ita nos ſtudioſè operam dedimus, ut jam etiam ſcholas Græcorum more habere auderemus: ut nuper tuum poſt diſceſſum in Tuſculano, [5] cùm eſſent plures mecum familiares, tentavi, quid in eo genere poſſem. ut enim antea declamitabam cauſas, [6] quod nemo me diutiùs fecit: ſic hæc nunc mihi ſenilis eſt declamatio. Ponere jubebam de quo quis audire vellet: [7] ad id aut ſedens, aut ambulans diſputabam. itaque dierum quinque ſcholas, ut Græci appellant, in totidem libros contuli. fiebat autem ita, ut, cùm is, qui audire vellet, dixiſſet, quid ſibi videretur, tum ego contrà dicerem. hæc eſt enim, ut ſcis, vetus, & Socratica ratio contra alterius opinionem diſſerendi. nam ita facillimè, quid veriſimillimum eſſet, inveniri poſſe Socrates arbitrabatur. [8] ſed quo commodiùs diſputationes noſtræ explicentur, ſic eas exponam, quaſi agatur res, non quaſi narretur. ergo ita naſcetur exordium. A. Malum mihi videtur 5
eſſe mors. M. Iis ne, qui mortui ſunt, an iis, quibus moriendum eſt? A. Utriſque. M. Eſt miſerum igitur, quoniam malum. A. Certè. M. Ergo & ii, quibus evenit jam, ut morerentur, & ii, quibus eventurum eſt, miſeri. A. Mihi ita videtur. M. Nemo ergo non miſer. A. Prorſus nemo. M. Et quidem, ſi tibi conſtare vis, omnes, quicunque nati ſunt, eruntve, non ſolùm miſeri, ſed etiam ſemper miſeri. nam ſi ſolos eos diceres miſeros, quibus moriendum eſſet: neminem tu quidem eorum, qui viverent, exciperes: moriendum eſt enim omnibus: eſſet tamen miſeriæ finis in morte. quoniam autem etiam mortui, miſeri ſunt, in miſeriam naſcimur ſempiternam. neceſſe eſt enim, miſeros eſſe eos, qui centum millibus annorum antè occiderunt, vel potiùs omneis, quicumque nati ſunt. A. Ita prorſus exiſtimo. M. Dic, quæſo, num te illa terrent: [9] triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, tranſvectio Acherontis, mento ſummam aquam attingens ſiti enectus Tantalus? num illud, quod Siſyphu' verſat

Saxum ſudans nitendo, neque proficit hilum?

fortaſſe etiam inexorabiles judices, Minos, & Rhadamantus. apud quos nec te L. Craſſus defendet, nec M. Antonius, nec, quoniam apud Græcos judices res agetur, poteris adhibere Demoſthenem: tibi ipſi pro te erit maxima corona cauſa dicenda. Hæc fortaſſe metuis, & idcirco mortem cenſes eſſe ſempiternum malum. A. Adeòne me delirare cenſes, [10] ut iſta eſſe credam? M. An tu hæc non 6
credis? A. Minimè verò. M. Malè hercule narras. A. Cur? quæſo. M. [11] Quia diſertus eſſe poſſem, ſi contra iſta dicerem. A. Quis enim non in ejuſmodi cauſa? aut quid negotii eſt, hæc poëtarum, & pictorum portenta convincere? M. Atqui pleni ſunt libri contra iſta ipſa philoſophorum diſſerentium. A. Ineptè ſane. quis eſt enim tam excors quem iſta moveant? M. Si ergo apud inferos miſeri non ſunt, ne ſunt quidem apud inferos ulli. A. Ita prorſus exiſtimo. M. Ubi ergo ſunt ii, quos miſeros dicis? aut quem locum incolunt? ſi enim ſunt, nuſquam eſſe non poſſunt. A. Ego verò nuſquam eſſe illos puto. M. Igitur ne eſſe quidem. A. Prorſus iſto modo: & tamen miſeros ob id ipſum quidem, quia nulli ſunt. M. Jam mallem Cerberum metueres, quàm iſta tam inconſideratè diceres. A. Quid tandem? M. Quem eſſe negas, eundem eſſe dicis. ubi eſt acumen tuum? cùm enim miſerum eſſe dicis, tum eum, qui non ſit, dicis eſſe. A. [12] Non ſum ita hebes, ut iſtuc dicam. M. Quid

---

1. *Nec tamen, ſi qui magnis ingeniis in eo genere.*] Haud ſpernendum, quod injicit Vatic. *Nec tamen, ſic qui magn.* adjutus à Pal. ſec. qui paullulâ mutatione, *Non tamen ſic, qui, &c.*

2. *Doctos fuiſſe traditum eſt.*] Sic omnes Pall. Itemque Fabr. & Pithœi, deletque vulgi illud *memoriæ* Victorii editio: Sicut & Vaticani excerpta.

3. *Qui iis ætate anteibat.*] Tenui lectionem Victorii, quem ſtabilit quint. Pal. acceduntque reliqui tres Ulrich. *qui his ætate anteibat.* vulgo in accuſandi, *hos.*

4. *Si aliquid Oratoriæ laudis noſtra attulimus induſtriâ.*] Ita hunc locum in Crepundiis reſtituimus, ex tribus Pall. accedit jam quart. Martinian. Gembl. Fabr. Pithœi. Vide ibidem nos. nam vulgò nihil ſapit, *ſi aliquid oratoriæ laudi noſt.*

5. *Cum eſſent plures.*] Sic ex tribus Pall. Ulrich. reſtituo. vulgò *Complures.*

6. *Quod nemo me diutius fecit.*] Calidiores arriperent Vatic. Scripturam: *Quod nemo me ditius fecit.* Excuſſa, mihi non admodum congruere videtur.

7. *Ad id aut ſedens aut ambulans diſputabam.*] Debetur mihi quoque hujus loci reſtitutio, ſed tamen præeunte Gulielmio. cùm enim ille in Fabrit. & Pithœan. codd. reperiſſet *at*, quod juxta in pr. tert. quarto Pall. eſt, ingenioſè *ad* extricavit: ſed ut ſcripſi, eſt in Pal. ſec. plura adduxi in Crepundiis.

8. *Sed quo commodius diſputationes noſtræ explicentur.*] Ita quinque Pall. quatuor Gulielmii, editio Victorii. vulgo, *noſtræ* omittitur.

9. *Triceps apud inferos.*] Septenarios duos hic quæſivit veteris alicujus Poëtæ Guliel. ergò ſic ordinabat: *Triceps (apud inferos) Cerberus, Cocyti fremitus, Acherontis travectio,*
Mento ſummam aquam attingens, ſiti enectus Tantalus.

10. *Ut iſta eſſe credam.*] Sic quinque Pall. itemque editio Victorii. vulgò, *Ut ita eſſe credam.*

11. *Quia diſertus eſſe poſſem.*] Aſſerui lectionem in Crepundiis, *Quàm diſertus eſſe poſſem*, ex Pall. ſec. ſed quia neque editionem, neque ullum præterea codicem accedere video, non pertendo.

12. *Non ſum ita hebes, ut iſtuc dicam.*] Eſt lectio codicis Pithœani, quam aſſeruimus in crepundiis ex primo quoque Pal. alluditque quart. quint. Ulrich. ſuo *iſtud.* vulgò; *Ut iſta dicam.*

1. *Miſe-*

M. Quid dicis igitur? A. miſerum eſſe, verbi cauſa, M. Craſſum, qui illas fortunas morte dimiſerit: [1] miſerum Cn. Pompejum, qui tanta gloria ſit orbatus: omneis denique miſeros, qui hac luce careant. M. Revolveris eodem. ſint enim oportet, ſi miſeri ſunt: tu autem modò negabas eos eſſe, qui mortui eſſent. ſi igitur non ſunt, nihil poſſunt eſſe, ita ne miſeri quidem ſunt. A. Non dico fortaſſe etiam, quod ſentio. nam iſtuc ipſum, non eſſe, cum fueris, miſerrimum puto. M. Quid miſerius, quàm omnino numquam fuiſſe? ita, qui nondum nati ſunt, miſeri jam ſunt, quia non ſunt: & nos ipſi, ſi poſt mortem miſeri futuri ſumus, miſeri fuimus, antequàm nati. ego autem non commemini, antequàm ſum natus, me miſerum. tu ſi meliore memoria es, [2] velim ſcire, ecquid de te recordare.
7 A. Ita jocaris, quaſi ego dicam, eos eſſe miſeros, qui nati non ſunt, & non eos miſeros, qui mortui ſunt. M. Eſſe ergo eos dicis. A. Immò, quia non ſunt, cùm fuerint, eos miſeros eſſe. M. Pugnantia te loqui non vides? quid enim tam pugnat, quàm non modò miſerum, ſed omnino quidquam eſſe, qui non ſit? an tu egreſſus porta Capena, cùm Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum ſepulcra vides, miſeros putas illos? A. Quoniam me verbo premis, poſthac non ita dicam, miſeros eſſe, ſed tantùm, miſeros, ob id ipſum, quia non ſunt. M. Non dicis igitur miſer eſt M. Craſſus, ſed tantùm, miſer M. Craſſus. A. Ita plane. M. Quaſi non neceſſe ſit, quidquid iſto modo pronunties, id aut eſſe, aut non eſſe. an tu dialecticis ne imbutus quidem es? in primis enim hoc traditur: omne pronuntiatum (ſic enim mihi in præſentia occurrit, ut appellarem ἀξίωμα: [3] utar pòſt alio, ſed ſi invenero melius) [4] id ergo eſt pronuntiatum, quod eſt verum, aut falſum. cùm dicis igitur, miſer M. Craſſus: aut hoc dicis, miſer eſt M. Craſſus, ut poſſit judicari, verum id, falſum ne ſit: aut nihil dicis omnino. A. Agè, jam concedo non eſſe miſeros, qui mortui ſunt, quoniam extorſiſti, ut faterer, qui omnino non eſſent, eos ne miſeros quidem eſſe poſſe. quid? qui vivimus, cùm moriendum ſit, nonne miſeri ſumus? quæ enim poteſt in vita eſſe jucunditas, cùm dies, & noctеis cogitandum
8 ſit, jam, jamque eſſe moriendum? M. [5] Ecqui ergo intelligis, quantum mali de humana conditione dejeceris? A. quonam modo? M. Quia, ſi mori etiam mortuis miſerum eſſet, infinitum quoddam, & ſempiternum malum haberemus in vita. [6] nunc video calcem: ad quem cùm ſit decurſum, nihil ſit præterea extimeſcendum. ſed tu mihi videris Epicharmi, acuti, nec inſulſi hominis, ut Siculi, ſententiam ſequi. A. Quam? non enim novi. M. Dicam, ſi potero, Latine. ſcis enim me Græcè loqui in Latino ſermone non plus ſolere, quàm in Græco Latine. A. Et rectè quidem. ſed quæ tandem eſt Epicharmi iſta ſententia? M.

[7] *Emori nolo: ſed me eſſe mortuum nihil æſtimo.*

A. [8] Iam agnoſco Græcum: & quoniam coëgiſti, ut concederem, qui mortui eſſent, eos miſeros non eſſe, perfice, ſi potes, ut ne moriendum quidem eſſe, miſerum putem. M. [9] Jam iſtuc quidem nihil negotii eſt: ſed etiam majora molior. A. Quo modo hoc nihil negotii eſt? aut quæ ſunt tandem iſta majora? M. Quoniam ſi poſt mortem nihil eſt mali, ne mors quidem eſt malum: cui proximum tempus eſt poſt mortem, in quo mali nihil eſſe concedis: ita ne moriendum quidem eſſe, malum eſt. id eſt enim, perveniendum eſſe ad id, quod non eſſe malum confitemur. A. Uberiùs iſta quæſo. hæc enim ſpinoſiora, priùs, ut confitear, me cogunt, quàm ut aſſentiar. ſed quæ ſunt ea, quæ dicis te majora moliri? M. [10] Ut doceam, ſi poſſim, non modò malum non eſſe, ſed bonum etiam eſſe mortem. A. [11] Non poſtulo id quidem, habeo tamen audire. [12] ut enim efficias quod, vis tamen mors ut malum non ſit, non efficies. [13] ſed nihil te interpellabo. continentem orationem audire mâlo. [14] M. Quid? ſi te rogavero aliquid, nonne reſpondebis? A. [15] Superbum id quidem eſt. ſed, niſi quid neceſſe erit, mâlo ne roges. M. Geram tibi 9
morem, & ea, quæ vis, ut potero, explicabo, nec tamen quaſi Pythius Apollo, certa ut ſint, & fixa, quæ dixero: ſed ut homunculus unus è multis, probabilia conjectura ſequens. ultra enim quò progrediar, [16] quàm ut veri videam ſimilia, non habeo. certa dicent ii, qui & percipi ea poſſe dicunt, & ſe ſapienteis eſſe profitentur. A. Tu, ut videtur. nos ad audiendum parati ſumus. M. Mors igitur ipſa, quæ videtur notiſſima res eſſe, quid ſit, primùm eſt videndum. ſunt enim, qui diſceſſum animi à corpore putent eſſe mortem. ſunt, qui nullum cenſeant fieri diſceſſum, ſed unà ani-

1. *Miſerum Cn. Pompejum, qui tanta gloriâ ſit orbatus.*] Addit Victorius & Vatic. *dignitate tantâ.* ſed cum illud neque in Gulielmianis omnibus neque Pall. Ulrich. atque adeo editione Aldi habeatur, excludendum exiſtimavi: neque magnopere illo opus.

2. *Velim ſcire, ecquid recordare.*] Hanc lectionem poſtliminio redhibent quinque Pall. Fabr. itemque Pith. vulgò *recordere.* non potui conſenſum tot codd. aſpernari.

3. *Utar poſt alio; ſed ſi invenero melius.*] Particulam *ſed*, & quidem eleganter inferunt codd. Mſſ. Pithœani, Pall.que omnium optimi, tertius & quart.

4. *Id ergo eſt pronuntiatum, quod eſt verum aut falſum.*] Sic editio Victorii: quam lectionem quoque fatentur Pall. ſec. tert. Verùm quartus, Vatic. *quod eſt aut verum, aut falſum.* quintus: *quod eſt verum vel falſum.* & ſic quoque pr. ſed Vict. adjuvat Fabric. & Pithœanum; Vulgò, *quod aut verum aut falſum eſſe dicitur.*

5. *Ecqui ergo intelligis, quantum mali de humana conditione dejeceris.*] Hunc locum ſic exprimunt fere omnes codd. Mſſ. partim etiam Vict. editio, nam illud *Ecqui* præ vulgato *ecquid* vindicant Gembl. Fabr. Pith. Pall. pr. tert. quartus. Jam *de* pro *ex* omnes Pall. itemque Fabr. Vatic. Ulrich. oſtentant: & veriſſimum eſt. Cicero enim ſæpiſſimè, *De ſtatu dejicere.* ſic infra Tuſcul. 2. cap. 5. f. *Videſne igitur, quantum breviter admonitus de doloris terrore dejeceris?* Tetigi hunc locum quoque in Crepundiis.

6. *Nunc video calcem: ad quem cum ſit decurſum.*] Turbant hanc lectionem duo optimi libri tert. & quart. in illo ſuperſcriptum, *video callem. ad quam.* Hic autem alludit unicâ tantum litera excuſſa: *Vide calem: ad quam.* Ego cenſeo omninò nihil mutandum, licet quoque Vatican. habeat, *ad quam cum ſit decurſ.*

7. *Emori nolo, ſed me eſſe mortuum nihil æſtimo.*] Ita quatuor Pall. vulgò *nihili æſtimo:* melius plane quam Victorius, *nihil exiſtimo.* *Nihili æſtimare* eſt ἀδιαφόρως ποιεῖν: & ut ipſe Epicharmus loquitur, Ἀποθανεῖν ἢ τεθνάναι δ' οὔ μοι διαφέρει; & Catullus *unius æſtimare aſſis.* Idem eſt, *Nihil æſtimare.*

8. *Jam agnoſco Græcum. Sed quoniam.*] Vaticani excerpta: *Jam agnoſco gradum.*

9. *Jam iſtuc quidem nihil negotii: Sed etiam majora molior.*] Quadrigam hanc verborum ultimorum abgregant tres Pall. ſecund. tert. quart. item Fab. & Pithœan. Ulrich. ſed cùm ſequentia requirere videantur, *quæ tandem ſunt iſta majora;* & repetatur in fine capitis, *ſed quæ ſunt ea, quæ dicis te majora moliri?* non ſum auſus obſecundari.

10. *Ut doceam, ſi poſſim, non modò malum non eſſe, ſed bonum etiam eſſe mortem.*] Elegantior mihi videtur collocatio Victorii *non modo malum non eſſe mortem ſed bonum etiam eſſe.* quò inclinat quintus repræſentando *non malùm, non eſſe mortem ſed bonum eſſe.* Sed quoniam vulgarem tuentur ferè omnes Mſſ. non permiſi aliquid novare.

11. *Non poſtulo id quidem; habeo tamen audire.*] Suus antiquitati honos habeatur ex antiquiſſimis libris Pall. & optimis. *Habeo* enim eſt *aveo:* ſicque ſecund. tert. quart. eâdem facie reſtituit CL. Gruterus Salluſtium, Epiſtolâ Catilinæ ad Catulum. quem vide.

12. *Ut enim efficias quod vis, tamen, mors ut malum non ſit, non efficies.*] Aliter hunc locum concepi in Crepundiis ex Pal. pr. ſed cùm jam hanc lectionem Fabr. omniumque optimus Pal. quartus liberaliter ingerat, ut merum clarorem; ſpernere nefas duxi. Vulgò in omnibus edd. male luxata ſunt: *Ut enim non efficias quod vis, tamen, mors ut malum non ſit, efficies,* quod ego non intelligo.

13. *Sed nihil te interpellabo.*] Pal. quartus venuſtè omittit τὸ *te:* meoque animo rectius longum amandaretur.

14. *Quid? ſi te rogavero aliquid?*] Elegans & ad meum guſtum Vatic. lectio; *Si te erogavero.*

15. *Superbum id quidem eſt.*] Revocavi lectionem Victorii, quicum faciunt Pall. pr. ſec. tert. quart. & ferè quintus: tantum enim pro *eſt eſſet.* accedunt Mart. Gemblac. Fabr. Pithœanus, Vatic.

16. *Quam ut veri videam ſimilia.*] Elegantiſſima hæc traductio aſſeribenda eſt Pal. primo & codici P. Pithœi: vulgò: *quàm ut veriſimilia videam.*

animum, & corpus occidere, [1] animumque in corpore exſtingui. qui diſcedere animum cenſent, alii ſtatim diſſipari, alii diu permanere, alii ſemper. Quid ſit porrò ipſe animus, aut ubi, aut unde, magna diſſenſio eſt. aliis cor ipſum, animus videtur: ex quo excordes, vecordes, concordeſque dicuntur: & Naſica ille prudens, bis conſul, Corculum, &

Egregiè cordatus homo catus Æliu' Sextus.

Empedocles animum eſſe cenſet, cordi ſuffuſum ſanguinem. aliis pars quædam cerebri, viſa eſt animi principatum tenere. aliis nec cor ipſum placet, nec cerebri quandam partem, eſſe animum: ſed alii in corde, alii in cerebro dixerunt animi eſſe ſedem, & locum. [2] animum autem, alii animam, ut ferè noſtri declarant nomen. nam & agere animam, & efflare dicimus, & animoſos, & bene animatos, & ex animi ſententia: ipſe autem animus ab anima
10 dictus eſt. Zenoni Stoico animus, ignis videtur. Sed hæc quidem, quæ dixi, cor, cerebrum, animam, ignem, vulgò: reliqua ferè ſinguli, ut multi antè veteres. proximè autem Ariſtoxenus, muſicus, idemque philoſophus, ipſius corporis intentionem quandam, velut in cantu, & fidibus, quæ harmonia dicitur. ſic ex corporis totius natura, & figura, varios motus cieri, tanquam in cantu ſonos. Hic ab artificio ſuo non receſſit, & tamen dixit aliquid, quod ipſum quale eſſet, erat multo antè & dictum, & explanatum à Platone. Xenocrates animi figuram, & quaſi corpus, negavit eſſe, verùm numerum dixit eſſe, cujus vis, ut jam antea Pythagoræ viſum erat, in natura maxima eſſet. ejus doctor Plato triplicem finxit animam: cujus principatum, id eſt rationem, in capite, ſicut in arce, poſuit: [3] & duas parteis ſeparare voluit, iram, & cupiditatem: quas locis diſcluſit: iram in pectore, cupiditatem ſubter præcordia locavit. Dicæarchus autem in eo ſermone, quem Corinthi habitum tribus libris exponit, doctorum hominum diſputantium, primo libro multos loquenteis facit: duobus Pherecratem quendam Phthiotam ſenem, quem ait à Deucalione ortum, diſſerentem inducit, nihil eſſe omnino animum, & hoc eſſe nomen totum inane, fruſtraque animalia, & animanteis appellari: neque in homine ineſſe animum, vel animam, nec in beſtia: vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel ſentiamus, in omnibus corporibus vivis æquabiliter eſſe fuſam, nec ſeparabilem à corpore eſſe, quippe quæ nulla ſit, nec ſit quidquam, niſi corpus unum, & ſimplex, ita figuratum, ut temperatione naturæ vigeat, & ſentiat. Ariſtoteles longè omnibus (Platonem ſemper excipio) præſtans & ingenio, & diligentia, cùm quattuor illa genera principiorum eſſet complexus, è quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam cenſet eſſe, è qua ſit mens. cogitare enim, & providere, & diſcere, & docere, & invenire aliquid, & tam multa alia, meminiſſe, amare, odiſſe, cupere, timere, angi, lætari: hæc, & ſimilia eorum, in horum quattuor generum nullo ineſſe putat. quintum genus adhibet, vacans nomine: & ſic ipſum animum, ἐντελεχίαν appellat novo nomine, quaſi quandam continuatam motionem, &
11 perennem. Niſi quæ me fortè fugiunt, hæ ſunt ferè omnium de animo ſententiæ. Democritum enim magnum quidem illum virum, ſed levibus, & rotundis corpuſculis efficientem animum concurſu quodam fortuito, omittamus. nihil eſt enim apud iſtos, quod non atomorum turba conficiat. Harum ſententiarum quæ vera ſit, deus aliquis viderit: quæ veriſimillima, magna quæſtio eſt. utrùm igitur inter has ſententias dijudicare malumus, an ad propoſitum redire? A. Cuperem equidem utrumque, ſi poſſet: [4] ſed eſt difficile confundere. quare ſi, ut iſta non differantur, liberari mortis metu poſſumus, id agamus. ſin id non poteſt, niſi hac quæſtione animorum explicata, nunc, ſi videtur, hoc: illud, aliâs. M. Quod malle te intelligo, id puto eſſe commodius: efficiet enim ratio, ut quæcumque vera ſit earum ſententiarum, quas expoſui, mors aut malum non ſit, aut ſit bonum potiùs. nam ſi cor, aut ſanguis, aut cerebrum eſt animus, certè, quoniam eſt corpus, interibit cum reliquo corpore. ſi anima eſt, fortaſſe diſſipabitur: ſi ignis, exſtinguetur: ſi eſt Ariſtoxeni harmonia, diſſolvetur. Quid de Dicæarcho dicam, qui nihil omnino animum dicat eſſe? His ſententiis omnibus nihil poſt mortem pertinere ad quemquam poteſt. pariter enim cum vita ſenſus amittitur. non ſentientis autem, nihil eſt, ullam in partem quod interſit. reliquorum ſententiæ ſpem afferunt, ſi te fortè hoc delectat, poſſe animos, cùm è corporibus exceſſerint, in cælum, quaſi in domicilium ſuum, pervenire. A. Me verò delectat: [5] idque, primùm ita eſſe velim: deinde, etiam ſi non ſit, mihi tamen perſuaderi velim. M. Quid tibi ergo opera noſtra opus eſt? num eloquentia Platonem ſuperare poſſumus? evolve diligenter ejus eum librum, qui eſt de animo: amplius quod deſideres, nihil erit. A. Feci mehercule, & quidem ſæpius, ſed neſcio quo modo, dum lego, aſſentior: cùm poſui librum, & mecum ipſe de immortalitate animorum cœpi cogitare, aſſenſio omnis illa elabitur. M. Quid hoc? daſne aut manere animos poſt mortem, aut morte ipſa interire? A. Do verò. M. Quid ſi maneant? A. Beatos eſſe concedo. M. Si intereant? A. Non eſſe miſeros, quoniam ne ſint quidem. jam iſtuc, coacti à te, paullo antè conceſſimus. M. quo modo igitur, aut cur mortem malum tibi videri dicis, quæ aut beatos nos efficiat, animis manentibus, aut non miſeros, ſenſu carenteis? A. Expone igitur, 12
niſi moleſtum eſt, primùm animos, ſi potes, remanere poſt mortem: tum, ſi minùs id obtinebis: (eſt enim arduum) [6] docebis carere omni malo mortem. ego enim iſtuc ipſum vereor, ne malum ſit, non dico carere ſenſu, ſed carendum eſſe. A. [7] Auctoribus quidem ad iſtam ſententiam, quam vis obtineri, uti optimis poſſumus: quod in omnibus cauſis & debet, & ſolet valere plurimùm: & primùm quidem omni antiquitate: quæ quo propius aberat ab ortu, & divina progenie, hoc meliùs ea fortaſſe, quæ erant vera, cernebat. itaque unum illud erat inſitum priſcis illis, quos Caſcos appellat Ennius, eſſe in morte ſenſum, [8] neque exceſſu vitæ ſic deleri hominem, ut funditus interiret: idque cùm multis aliis rebus, tum è pontificio jure, & cæremoniis ſepulcrorum intelligi licet: quas maximis ingeniis præditi nec tanta cura coluiſſent, nec violatas tam inexpiabili religione ſanxiſſent, niſi hæſiſſet in eorum mentibus, mortem non interitum eſſe omnia tollentem,

1. *Animumque in corpore exſtingui.*] Ita quinque Pall. Mart. Gembl. Fab. Pith. Vatic. Ulr. & editio Victorii. rectè: nam animus ex Epicuri ſententiâ exſtinguitur ſtatim; corpus ſenſim extabeſcit, ſed vulgarem videtur ſtabilire Claudianus in IV. Conſul. Honorii Auguſti panegyr. v. 233. *Illæ cum corpore lapſæ Intereunt, &c.* quamvis ille aliò dicat.

2. *Animum autem alii animam, ut ferè noſtri declarant nomen.*] Commaculavi frontem, ut inducerem ex tot Mſſ. hanc lectionem, putà. ſecund. tert. quart. quint. Pall. Mart. Gembl. Vatic. Fab. Pith. vulgò; *Animum autem alii animam, ut ferè noſtri, declarant nominari.*

3. *Et duas partes ſeparare voluit.*] Vatic. *parteis parere voluit.* de quâ lectione in neutram partem aliquid dicam.

4. *Sed eſt difficile confundere.*] Vulgo *non* immittunt: Sed neque eſt in quinque Pall. neque in editione Victorii, aut denique Vatic.

5. *Idque primum ita eſſe velim.*] Exſultabat τὸ *velim* vulgò: reduxi ex editione Victorii quinque Pall. Fab. Pith. Vatic.

6. *Docebis carere omni malo mortem.*] Sic eſt in omnibus Mſſ. & edit. non malè tamen Guliel. ex conjecturâ: *Doce ſis carere.* animosè & præclarè, ſi ſubvenirent libri.

7. *Auctoribus quidem ad iſtam ſententiam, quam vis obtineri, uti optimis poſſumus.*] Codex Fabritianus, *quamvis obtineri difficilem, uti, &c.* præclarè. Dixerat enim paullò ante: *ſi minus id obtinebis, eſt enim arduum.* Adeò ut, *obtineri difficilis*, dicatur uſitato in primis Horatio Helleniſmo, quæ difficulter obtinetur. Sententia ſic. Idem Horatius, *Facilis teneri.*

8. *Neque exceſſu vitæ ſic deleri.*] Nihil mutant Mſſ. & edd. Alii tamen *neque exceſſit è vitâ.* alii *exceſſit hominum.* Sed *exceſſus vitæ eſt*, cùm vita exit.

ſentem, atque delentem, ſed quandam quaſi migrationem, commutationemque vitæ, quæ in claris viris, & fœminis dux in cælum ſoleret eſſe: in ceteris humi & retineretur, & permaneret tamen ex hoc, & noſtrorum opinione,

Romulus in cælo cum diis agit ævum,

ut famæ aſſentiens dixit Ennius: & apud Græcos, indeque perlapſus ad nos, & uſque ad Oceanum Hercules, tantus, & tam præſens habetur deus. [1] hinc Liber, Deus Semele natus, eademque famæ celebritate Tyndaridæ fratres: qui non modò adjutores in prœliis victoriæ populi R. ſed etiam nuntii fuiſſe perhibentur. Quid? Ino, Cadmi filia, nonne Leucothea nominata à Græcis, Matuta habetur à noſtris? quid? totum propè cælum, ne plureis perſequar,
13 nonne humano genere completum eſt? Si verò ſcrutari vetera, & ex his ea, quæ ſcriptores Græciæ prodiderunt, eruere coner: ipſi illi, majorum gentium dii qui habentur, hinc à nobis profecti in cælum reperientur. Quære, quorum demonſtrantur ſepulcra in Græcia: reminiſcere, [2] quoniam es initiatus, quæ tradantur, myſteriis: tum denique, quàm hoc latè pateat, intelliges. Sed qui nondum ea, quæ multis poſt annis tractari cœpiſſent, phyſica didiciſſent, tantum ſibi perſuaſerant, quantum natura admonente cognoverant: rationes, & cauſas rerum non tenebant: viſis quibuſdam ſæpe movebantur, hiſque maximè nocturnis, ut viderentur ii, qui vita exceſſerant, vivere. Ut porrò firmiſſimum hoc afferri videtur, cur deos eſſe credamus, quòd nulla gens tam fera, nemo omnium tam ſit immanis, cujus mentem non imbuerit deorum opinio. multi de diis prava ſentiunt. id enim vitioſo more effici ſolet. omnes tamen eſſe vim & naturam divinam arbitrantur. nec verò id collocutio hominum, aut conſenſus efficit: non inſtitutis opinio eſt confirmata, non legibus. Omni autem in re conſenſio omnium gentium, lex naturæ putanda eſt. quis eſt igitur, qui ſuorum mortem primùm non eò lugeat, quòd eos orbatos vitæ commodis arbitretur? Tolle hanc opinionem: luctum ſuſtuleris. *nemo enim mæret ſuo incommodo*. dolent fortaſſe, & anguntur: SED ILLA lugubris lamentatio, fletuſque mærens, ex eo eſt, quòd eum, quem dileximus, vitæ commodis privatum arbitramur, idque ſentire. Atque hæc ita ſentimus natura
14 duce, nulla ratione, nullaque doctrina. Maximum verò argumentum eſt, *naturam ipſam de immortalitate animorum tacitam judicare*, [3] quòd omnibus curæ ſunt, & maximè quidem, quæ poſt mortem futura ſint. *Serit arbores, quæ alteri ſæculo proſint*, [4] ut ait Statius in Synephebis: quid ſpectans, niſi etiam poſtera ſecula ad ſe pertinere? Ergo arbores ſeret diligens agricola, quarum adſpiciet bacam ipſe numquam: [5] vir magnus leges, inſtituta, remp. non ſeret? Quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid teſtamentorum diligentia, quid ipſa ſepulcrorum monumenta, quid elogia ſignificant, niſi nos futura etiam cogitare? Quid illud? num dubitas, quin *ſpecimen naturæ capi deceat ex optima quaque natura?* quæ eſt igitur melior in hominum genere natura, quàm eorum, qui ſe natos ad homines juvandos, tutandos, conſervandos arbitrantur? abiit ad deos Hercules. numquam abiiſſet, niſi, cùm inter homines eſſet, eam ſibi viam muniviſſet. Vetera jam iſta, & religione 15
omnium conſecrata. Quid in hac rep. tot, tantoſque viros ob remp. interfectos, cogitaſſe arbitramur? iiſdemne ut finibus nomen ſuum, quibus vita, terminaretur? NEMO *umquam ſine magna ſpe immortalitatis ſe pro patria offerret ad mortem.* licuit eſſe otioſo Themiſtocli, licuit Epaminondæ, licuit, ne & vetera, & externa quæram, mihi: ſed *neſcio quomodo inhæret in mentibus quaſi ſæculorum quoddam augurium futurorum; idque in maximis ingeniis, altiſſimiſque animis & exſiſtit maxime, & apparet facillimè.* quo quidem demto, quis tam eſſet amens, qui ſemper in laboribus, & periculis viveret? loquor de principibus. quid poëtæ? nonne poſt mortem nobilitari volunt? unde ergo illud?

Adſpicite ô cives ſenis Ennii imagini' formam.
[6] *Hic veſtrûm pinxit maxima facta patrum.*

Mercedem gloriæ flagitat ab iis, quorum patres affecerat gloria, idemque,

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. cur? volito vivu' per ora virûm.

Sed quid poëtas? opifices poſt mortem nobilitari volunt. quid enim Phidias ſui ſimilem ſpeciem incluſit in clypeo Minervæ, cùm inſcribere non liceret? Quid noſtri philoſophi? nonne in his ipſis libris, quos ſcribunt de contemnenda gloria, ſua nomina inſcribunt? Quòd ſi *omnium conſenſus, naturæ vox eſt:* omneſque, qui ubique ſunt, conſentiunt eſſe aliquid, [7] quod ad eos pertineat, qui vita ceſſerint: nobis quoque idem exiſtimandum eſt. &, ſi, quorum aut ingenio, aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima ſunt, cernere naturæ vim maximè: veriſimile eſt, *cùm optimus quiſque maximè poſteritati ſerviat*, eſſe aliquid, cujus is poſt mortem ſenſum ſit habiturus. SED UT DEOS eſſe natura opinamur, qua- 16
leſque ſint, ratione cognoſcimus: ſic permanere animos arbitramur conſenſu nationum omnium: qua in ſede maneant, qualeſque ſint, ratione diſcendum eſt. cujus ignoratio finxit inferos, eaſque formidines, quas tu contemnere non ſine cauſa videbare. in terram enim cadentibus corporibus, hiſque humo tectis, è quo dictum eſt *humari*, ſub terra cenſebant reliquam vitam agi mortuorum. quam eorum opinionem magni errores conſecuti ſunt: quos auxerunt poëtæ. frequens enim conſeſſus theatri, in quo ſunt mulierculæ, & pueri, movetur audiens tam grande carmen:

Adſum, atque advenio Acheronte, [8] *vix, via alta, atque ardua,*
Per ſpeluncas ſaxis ſtructas aſperis, pendentibus,
Maximis: ubi rigida conſtat craſſa caligo inferûm.

tantumque valuit error, qui mihi quidem jam ſublatus videtur, ut, corpora cremata cùm ſcirent, tamen ea fieri apud inferos fingerent, quæ ſine corporibus nec fieri poſſent, nec intelligi. *animos enim per ſe ipſos viventeis non poterant mente complecti:* formam aliquam, figuramque quærebant. inde Homeri tota νεκυία: inde ea, quam meus amicus Appius νεκρομαντεῖα faciebat: inde in vicinia noſtra Averni lacus,

Unde

1. *Hinc Liber Deus, Semele.*] Sic Victorius edidit, pro quo ſtant pr. ſec. quint. Pall. vulgata omiſerat *Deus*.

2. *Quoniam es initiatus, quæ tradantur, myſteriis.*] Liber Pithæanus *myſticis*, de quo diſquirendum ſibi, Gulielmius notaverat.

3. *Quòd omnibus curæ ſunt, & maximè quidem.*] Si res mei arbitrii foret, totum hunc complexum orationis ex ſecundo Pal. refingerem. *Maximum verò argumentum eſt, naturam ipſam de immortalitate animorum tacitam judicare quod omnibus curæ ſunt eorum maximè quidem, quæ poſt mortem futura ſint.* quæ per ſe liquidiſſima ſunt, ſed idem Codex pro *ſunt*, *ſit* exhibet.

4. *Ut ait Statius in Synephebis.*] Pall. quatuor: & Pithæi omnes clarè ad oculum, *Ennius*. ceterùm optimi duo libri Pal. quart. & Fabr. omninò abdicant. & videtur ejiciendum; modo revoces provocabulum *Ille* aut tale quid: aut referas ad ſequens *Agricola*.

5. *Vir magnus leges, inſtituta, Remp. non ſeret?*] Retinuimus lectionem Lambini, quam tres Pall. confirmant; accedit quintus, qui habet. *Reip. non ſeret.* vulgò, *Inſtituta, Remp. conſeret.*

6. *Hic veſtrûm pinxit maxima facta patrum.*] Ita legitur in quatuor Pall. Ulrich. quintus tantum antiquâ ſcriptura *pinſit* ſ. pro *x*. ut & Fab. Pith. *Pingere* eſt Poëtarum ποικίλλειν, δαιδάλλειν. vulgò *panxit*.

7. *Quod ad eos pertineat cum vitâ ceſſerint.*] Hanc lectionem nobis præſtat quinque Pall. concordia, & Fab. Pith. eſt verò *vitâ cedere*, ut *bonis cedere* ac ſimilia. vulgò, *cum è vita ceſſerunt*. ex gloſſâ.

8. *Vix, viâ altâ, atque arduâ.*] Nihil mutant omnes mſſ. Quartus; *Viâ altâ atque arduâ, viâ aliâ atque aliâ*; ut appareat locum valde affectum ſeu corruptum eſſe, cui ex conjectura medicâ ſuccurrebat Gulielmius, pro *vix viâ* ariolando *inviâ viâ*.

1. *Alii*

Unde animæ excitantur obſcura umbra, aperto oſtio
[1] *Alti Acheruntis, ſalſo ſanguine, imagines mortuorum.*

has tamen imagines loqui volunt: quod fieri nec ſine lingua, nec ſine palato, nec ſine faucium laterumve & pulmonum vi, & figura poteſt. nihil enim animo videre poterant: ad oculos omnia referebant. *magni autem eſt ingenii, revocare mentem à ſenſibus, & cogitationem à conſuetudine abducere.* itaque credo equidem [2] etiam alios tot ſeculis: ſed, quod litteris exſtet, Pherecydes Syrus primum dixit, animos hominum eſſe ſempiternos: antiquus ſanè. fuit enim meo regnante gentili. Hanc opinionem diſcipulus ejus Pythagoras maximè confirmavit: qui cùm Superbo regnante in Italiam veniſſet, tenuit magnam illam Græciam cùm honore, & diſciplina, tum etiam auctoritate: multaque ſæcula poſtea ſic viguit Pythagoreorum nomen, ut
17 nulli alii docti viderentur. Sed redeo ad antiquos. rationem illi ſententiæ ſuæ non ferè reddebant, niſi quid erat numeris, aut deſcriptionibus explicandum. Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognoſceret, [3] in Italiam veniſſe, & didiciſſe Pythagorea omnia: primumque de animorum æternitate non ſolùm ſenſiſſe idem, quod Pythagoras, ſed rationem etiam attuliſſe. quam, niſi quid dicis, prætermittamus, & hanc totam ſpem immortalitatis relinquamus. A. An tu, cùm me in ſummam exſpectationem adduxeris, deſeris? errare mehercule mâlo cum Platone, quem tu quanti facias, ſcio, & quem ex tuo ore admiror, quàm cum iſtis vera ſentire. M. Macte virtute. ego enim ipſe cum eodem ipſo non invitus erraverim. Num igitur dubitamus, an, ſicut pleraque, ſic & hoc? quamquam hoc quidem minimè. perſuadent enim mathematici, [4] terram in medio mundo ſitam ad univerſi cœli complexum quaſi puncti inſtar obtinere, quod κέντρον illi vocant: eam porrò naturam eſſe quattuor omnia gignentium corporum, ut quaſi partita habeant inter ſe, & diviſa momenta: terrena, & humida ſuopte nutu, & ſuo pondere ad pareis angulos in terram, & in mare ferantur, reliquæ duæ partes, una ignea, altera animalis, ut illæ ſuperiores in medium locum mundi gravitate ferantur, & pondere, [5] ſic hæ rurſum rectis lineis in cæleſtem locum ſubvolent; ſive ipſa natura ſuperiora appetente, ſive quòd à gravioribus leviora natura repellantur. quæ cùm conſtent, perſpicuum debet eſſe, animos, cùm è corpore exceſſerint, [6] ſive illi ſint animales, id eſt, ſpirabiles, ſive ignei, ſublimè ferri. ſi verò aut numerus quidam ſit animus, quod ſubtiliter magis, quàm dilucidè dicitur, aut quinta illa non nominata magis, quàm non intellecta natura: multo etiam integriora, ac puriora ſunt, ut à terra longiſſimè ſe efferant. horum igitur aliquid animus eſt, ne tam vegeta mens aut in corde, cerebrove, aut in Empedo-
18 cleo ſanguine demerſa jaceat. Dicæarchum verò cum Ariſtoxeno æquali, & condiſcipulo ſuo, [7] doctos ſanè homines omittamus: quorum alter ne condoluiſſe quidem umquam videtur, qui animum ſe habere non ſentiat: alter ita delectatur ſuis cantibus, ut eos etiam ad hæc transferre conetur. Harmoniam autem ex intervallis ſonorum noſſe poſſumus, quorum varia compoſitio etiam harmonias efficit plureis: membrorum verò ſitus, & figura corporis, vacans animo, quam poſſit harmoniam efficere, non video: ſed hic quidem, quamvis eruditus ſit, ſicut eſt, hæc magiſtro concedat Ariſtoteli: canere ipſe doceat. bene enim illo proverbio Græcorum præcipitur,

Quam quiſque norit artem, in hac ſe exerceat.

illam verò funditus ejiciamus individuorum corporum levium, & rotundorum concurſionem fortuitam: quam tamen Democritus concalefactam, & ſpirabilem, id eſt, animalem eſſe voluit. is autem animus, qui, ſi eſt horum quattuor generum, ex quibus omnia conſtare dicuntur, ex inflammata anima conſtat, ut potiſſimum videri video Panætio, ſuperiora capeſſat neceſſe eſt. nihil enim habent hæc duo genera proni, & ſupera ſemper petunt. ita, ſive diſſipantur procul à terris, id evenit: ſive permanent, & conſervant habitum ſuum, hoc etiam magis neceſſe eſt ferantur ad cælum, & ab his perrumpatur, & dividatur craſſus hic, & concretus aër, qui eſt terræ proximus. calidior eſt enim, vel potiùs ardentior animus, quàm eſt hic aër, quem modò dixi craſſum, atque concretum. Quod 19
ex eo ſciri poteſt, quia [8] corpora noſtra terreno principiorum genere confecta, ardore animi concaleſcunt. accedit, ut eo faciliùs animus evadat ex hoc aëre, [9] quem ſæpe jam appello, eumque perrumpat, quòd nihil eſt animo velocius, nulla eſt celeritas, quæ poſſit cum animi celeritate contendere. qui ſi permanet incorruptus, ſuique ſimilis: neceſſe eſt ita feratur, ut penetret, & dividat omne cœlum hoc, in quo nubes, imbres, ventique coguntur: quod & humidum, & caliginoſum eſt, propter exhalationes terræ. quam regionem cùm ſuperavit animus, naturamque ſui ſimilem contigit, & agnovit: junctus ex anima tenui, & ex ardore ſolis temperato, ignibus inſiſtit, & finem altiùs ſe efferendi facit. cùm enim ſui ſimilem & levitatem, & calorem adeptus, tanquam paribus examinatus ponderibus, nullam in partem movetur, *eaque ei demum naturalis eſt ſedes, cùm ad ſui ſimilem penetravit, in quo nulla re egens aletur; & ſuſtentabitur iiſdem rebus, quibus aſtra ſuſtentantur, & aluntur.* cumque *corporis facibus inflammari ſoleamus ad omneis ferè cupiditates, eoque magis incendi, quod iis æmulemur, qui ea habeant, quæ nos habere cupiamus:* PROFECTÒ beati erimus, cùm, corporibus relictis & cupiditatum, & æmulationum erimus expertes: quodque nunc facimus, cùm laxati curis ſumus, ut ſpectare aliquid velimus, & viſere, id multo tum faciemus liberiùs: totoſque nos in contemplandis rebus, perſpiciendiſque ponemus, propterea, quòd & *natura ineſt mentibus noſtris inſatiabilis quædam cupiditas veri videndi:* & oræ ipſæ locorum illorum, quò pervenerimus, quo faciliorem nobis cognitionem rerum cæleſtium, eo majorem cognoſcendi cupiditatem dabunt. hæc enim pulchritudo etiam in terris [10] patritam illam, & avitam (ut ait Theophraſtus) philoſophiam, cognitionis cupiditate incenſam, exci-

1. *Alti Acherontis ſalſo ſanguine. imagines mortuorum.*] Hæc Turnebi conjectura erat, eamque ſibi aſſerunt libri Mſſ. tert. Pall. ſic præterea Mart. Gembl. Pithœan. In Pall. quarto ita exſtat: *Alto ante Acherontis*, ut facilè poſſit emendari *Alto amne Acherontis*. Ceterum legendum putarat propter verſum, Gulielm. *Mortuorum imagines*. in Vaticano eſt: *Apertæ oſtio Alto.*

2. *Etiam alios tot ſeculis: ſed quod literis exſtet.*] Repræſentavi lectionem Lamb. cui adſtipulantur quatuor Pall. Vatic. & Pith. vulgò nimis luxurianter: *Etiam alios tot ſeculis diſputaſſe de animis: ſed quod.* imò inepte.

3. *In Italiam veniſſe & didiciſſe Pythagorea omnia.*] Non agnoſcunt vulgo inſerta illa verba; *Et in eâ cùm alios multos, tum Architam, Timæumque cognoviſſe*, Pall. optimi tres, ſec. tert. quart. & videntur a prodigo. Ceterum verba hæc ita concipit Vatic. *Platonem ferunt, qui ut Pythagoreos cognoſceret, in Italiam venit, didiciſſe Pythagorea omnia.* aliquo ex alio Ciceronis libro huc intruſa, ut ad hunc locum non ignorarentur.

4. *Terram in medio mundo ſitam.*] Sequimur Lambinum, omnibus Pall. Fabr. Pith. amplius niſi.

5. *Sic hæ rurſum rectis lineis.*] Ita eleganter tres Pall. ſec. tert. quartus. Vat. vulgo *ſurſum*.

6. *Sive illi ſint animales, id eſt, ſpirabiles.*] Sic plerique Codd. in tertio ſubſcriptum eſt, *ſpiritales*. quod expreſsè quart. tuetur. Guliel. ex conjectura *ſpirituales*. Sic infra paullò, *quam tamen Democritus concalefactam & ſpiritalem, id eſt, animalem eſſe voluit.* In Vaticani excerptis reſtat: *ſpiritabiles ſive ignei.*

7. *Doctos ſanè homines omittamus.*] In optimo Pal. tertio, & emendatiſſimo erat, *amittamus*. Recte meo animo. *Amittere* enim eſt *amandare*, *ablegare*: & ut fermè *Amittere perſonam*, ita *omittere rem* dicimus. ſed hæc ſæpe confunduntur ab optimis auctoribus.

8. *Corpora noſtra terreno principiorum genere confecta.*] Stant pro hac lectione & codd. veteres omnes, & edd. alii tamen ex conjectura inferunt *ex*. Guliel. pro *confeſta conferta* conjectat.

9. *Quem ſæpe jam appello, eumque.*] Pall. quinque & Pith. cod. illud *craſſum* quod in vulgatis viſebatur inter *appello* & *eumque*, tanquam craſſam gloſſam, amittunt ad gemonias: Sicut quoque Vaticanus.

10. *Patritam illam & avitam.*] Ita Lambinus, & ante illum Manutius ex Nonio. vulgo *Patriam*.

1. *Cùm*

excitavit. præcipuè verò fruentur ea, qui tum etiam, cùm has terras incolentes, circumfuſi erant caligine, tamen
20 acie mentis diſpicere cupiebant. Etenim ſi nunc aliquid aſſequi ſe putant, qui oſtium Ponti viderunt, & eas anguſtias, per quas penetravit ea, quæ eſt nominata

Argo, quia Argivi in ea, delecti viri,
Vecti, petebant pellem inauratam arietis;

aut ii, qui Oceani freta illa viderunt,

Europam, Libyamque rapax ubi dividit unda:

quod tandem ſpectaculum fore putamus, [1] cùm totam terram contueri licebit, ejuſque cùm ſitum, formam, circumſcriptionem, tum & habitabileis regiones, & rurſum omni cultu propter vim frigoris, aut caloris, vacanteis? *nos enim ne nunc quidem oculis cernimus ea quæ videmus.* neque enim eſt ullus ſenſus in corpore, ſed, ut non ſolùm phyſici docent, verùm etiam medici, qui iſta aperta, & patefacta viderunt, viæ quaſi quædam ſunt ad oculos, ad aureis, ad nareis à ſede animi perforatæ. *itaque ſæpe aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris & oculis, & auribus, nec videmus, nec audimus:* ut facilè intelligi poſſit, ANIMUM & videre, & audire, non eas parteis, quæ quaſi feneſtræ ſunt animi: quibus tamen ſentire nihil queat mens, niſi id agat, & adſit. Quid, quòd eadem mente res diſſimillimas comprehendimus, ut colorem, ſaporem, calorem, odorem, ſonum? *quæ numquam quinque nuntiis animus cognoſceret, niſi ad eum omnia referrentur, & is omnium judex ſolus eſſet.* Atque ea profectò tum multo puriora, & dilucidiora cernentur, cùm, quò natura fert, liber animus pervenerit. nam nunc quidem, quamquam foramina illa, quæ patent ad animum à corpore, callidiſſimo artificio natura fabricata eſt, tamen terrenis, concretiſque corporibus ſunt interſepta quodammodo. cùm *autem nihil erit præter animum: nulla res obje-
21 cta impediet, quo minus percipiat, quale quidque ſit.* Quamvis copioſè hæc diceremus, ſi res poſtularet, [2] quàm multa, quàm varia, quanta ſpectacula animus in locis cœleſtibus eſſet habiturus. quæ quidem cogitans, ſoleo ſæpe mirari nonnullorum inſolentiam philoſophorum, qui naturæ cognitionem admirantur, ejuſque inventori, & principi gratias exſultantes agunt, eumque venerantur, ut deum. LIBERATOS enim ſe per eum dicunt graviſſimis dominis, terrore ſempiterno, & diurno, ac nocturno metu. quo terrore? quo metu? quæ eſt anus tam delira, quæ timeat iſta, quæ vos videlicet, ſi phyſica non didiciſſetis, timeretis;

Acheruntia templa, alta Orci, pallida
Leti, [3] obnubila, obſita tenebris loca.

Non pudet philoſophum in eo gloriari, quòd hæc non timeat, & quòd falſa eſſe cognoverit? ex quo intelligi poteſt, quàm acuti natura ſint, qui hæc ſine doctrina credituri fuerint. Præclarum autem neſcio quid adepti ſunt, quod didicerunt, ſe cùm tempus mortis veniſſet, totos eſſe perituros. quod ut ita ſit (nihil enim pugno) quid habet iſta res aut lætabile, aut glorioſum? nec tamen mihi ſanè quidquam occurrit, cur non Pythagoræ ſit, & Platonis vera ſententia. ut enim rationem Plato nullam afferret (vide, quid homini tribuam) ipſa *auctoritate me frangeret.* tot autem rationes attulit, ut velle ceteris, ſibi certè per-
ſuaſiſſe videatur. Sed plurimi contrà nituntur, animoſque 22
quaſi capite damnatos, morte multant, neque aliud eſt quidquam, cur incredibilis his animorum videatur æternitas, niſi quod nequeunt, qualis animus ſit vacans corpore, intelligere, & cogitatione comprehendere. Quaſi verò intelligant, qualis ſit in ipſo corpore, quæ conformatio, quæ magnitudo, qui locus: ut, ſi jam poſſent in homine uno cerni omnia, quæ nunc tecta ſunt, caſuruſne in conſpectum videatur animus: an tanta ſit ejus tenuitas, ut fugiat aciem. Hæc reputent iſti, qui negant, animum ſine corpore ſe intelligere poſſe. videbunt, quem in ipſo corpore intelligant. mihi quidem naturam animi intuenti, multo difficilior occurrit cogitatio, multoque obſcurior, qualis animus in corpore ſit, tanquam alienæ domui, quàm qualis, cùm exierit, & in liberum cœlum, [4] quaſi domum ſuam venerit. [5] *niſi enim, quod numquam vidimus, id quale ſit, intelligere non poſſumus, certè, & deum ipſum, & divinum animum, corpore liberatum, cogitatione complecti non poſſumus.* Dicæarchus quidem, & Ariſtoxenus, quia difficilis erat animi, quid, aut qualis eſſet, intelligentia, nullum omnino animum eſſe dixerunt. eſt illud quidem vel maximum, animo ipſo animum videre: & nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, *ut ſe quiſque noſcat.* non enim, credo, id præcipit, ut membra noſtra, aut ſtaturam, figuramve noſcamus: neque nos corpora ſumus: neque ego tibi dicens hoc corpori tuo dico. cùm igitur, NOSCE TE, dicit, hoc dicit, noſce animum tuum. nam corpus quidem, quaſi vas eſt, aut aliquod animi receptaculum. *ab animo tuo quidquid agitur, id agitur à te.* hunc igitur noſſe, niſi divinum eſſet, non eſſet hoc acrioris cujuſdam animi præceptum, [6] ſic, ut tributum deo ſit. hoc eſt, *ſe ipſum poſſe cognoſcere.* Sed ſi, qualis ſit animus, ipſe animus neſciet: dic, quæſo, ne eſſe quidem ſe ſciet? ne moveri quidem ſe? ex quo illa ratio nata eſt Platonis, quæ à Socrate eſt in Phædro explicata, à me autem poſita eſt in VI. lib. de rep.

[7] *Quod ſemper movetur, æternum eſt. quod autem motum* 23
affert alicui quodque ipſum agitatur aliunde, quando finem habet motus, [8] *vivendi habeat neceſſe eſt. ſolum igitur quod ſe ipſum movet, quia numquam deſeritur à ſe, numquam ne moveri quidem deſinit, quinetiam ceteris, quæ moventur, hic fons, hoc principium eſt movendi. principii autem nulla eſt origo. nam è principio oriuntur omnia: ipſum autem nulla ex re alia naſci poteſt. nec enim eſſet principium, quod gigneretur aliunde. quod ſi numquam oritur, ne occidit quidem umquam. nam principium exſtinctum nec ipſum ab alio renaſcetur, nec à ſe aliud creabit, ſiquidem neceſſe eſt à principio oriri omnia, ita fit, ut motus principium ex eo ſit, quod ipſum à ſe movetur. id autem nec naſci poteſt, nec mori: vel concidat omne cœlum,* [9] *omniſque natura conſiſtat neceſſe eſt, nec vim ullam nanſciſcatur* [10] *qua primò impulſa moveatur. Cùm pateat igitur æternum id eſſe quod ſe ipſum moveat, quis eſt qui hanc naturam animis eſſe tributam neget? inanimum eſt enim omne, quod pulſu agitatur externo.* [11] *quod autem eſt*

1. *Cùm totam terram contueri licebit.*] Gulielm. ex cod. P. Pithæi, *contui*: quod nullibi in noſtris apparet.

2. *Quàm multa, quàm varia, quanta ſpectacula animus.*] Explent hunc locum Pall. pr. quart. quint. Vat. Martin. Gemb. Pith. editio Victorii. vulgò conciſior, *quàm varia ſpectacula.*

3. *Obnubila, obſita tenebris loca.*] Quinque Pall. ut & Fabr. Gembl. Mart. Pith. *Nubila tenebris loca*, emoto illo *obſita*. quod tamen in hac ut editione ſolicitarem, non indulſi; defendente, aut ſaltem retentante Victorio. Vatican. *Leto nubila tenebris loco.* & prius, *Acheruſia.*

4. *Quaſi domum ſuam venerit.*] Quinque Pall. exturbant *in*. & ſic Latinè, & eleganter dicitur.

5. *Niſi enim quod numquam vidimus.*] Sic quinque Pall. Vatic. germaniſſimo conſenſu. Vulgo, *ſi enim, &c.*

6. *Sic ut tributum Deo ſit, hoc eſt, ſeipſum poſſe cognoſcere.*] Hæc ſic conſpiciuntur in omnibus codd. etiamſi Lambin. nimis imperioſus ædilis partim abjicienda dicat.

7. *Quod ſemper movetur, æternum eſt.*] Sic Fab. Pith. & quinque Pall. vulgo, *id* ante *æternum*, præmittunt. Vatic. *movetur, & æternum.* pro *etiam*.

8. *Vivendi habeat neceſſe eſt.*] Sic duo ex Gulielmianis, & tres Pall. priores. vulgo luxuriat: *Vivendi quoque finem habeat neceſſe eſt.* non ad Genium ac pectus Suadæ Arpinatis.

9. *Omniſque natura conſiſtat neceſſe eſt.*] Sic ed. Vict. Mſſ. adeoque omnes. Alii tamen inter quos Muretus lib. 8. Var. cap. 3. *Omniſque terra & conſiſtant.*

10. *Qua primò impulſa moveatur.*] Sic Vatic. Pall. pr. tert. quintus. nam quart. *impulſo*. Fabr. vulgò, *quâ primo impulſu mov.* Alii ex conjectura, *quâ primò impulſa moveantur.*

11. *Quod eſt animal.*] Aſſerunt hoc omnes libri, quinque Pall. Vatic. Mart. Gembl. Fabr. Pith. vulgò *animatum.*

eſt animal, id motu cietur interiore, & ſuo. nam hæc eſt propria natura animi atque vis. quæ ſi eſt una ex omnibus, quæ ſe ipſam ſemper moveat: neque nata certè eſt, & æterna eſt. Licet concurrant plebeji omnes philoſophi, (ſic enim ii, qui à Platone, & Socrate, & ab ea familia diſſident, appellandi videntur) non modò nihil umquam tam eleganter explicabunt, ſed ne hoc quidem ipſum quàm ſubtiliter concluſum ſit, intelligent. Sentit igitur animus ſe moveri: quod cùm ſentit, illud unà ſentit, ſe vi ſua non aliena moveri: nec accidere poſſe, ut ipſe umquam à ſe deſeratur. ex quo efficitur æternitas: niſi quid habes ad hæc. A. Ego verò facilè ſum paſſus, ne in mentem quidem mihi ali-
24 quid contrà venire: ita iſti faveo ſententiæ. M. Quid illa tandem? num leviora cenſes? quæ declarant ineſſe in animis hominum divina quædam: quæ ſi cernerem quemadmodum naſci poſſent, etiam, quemadmodum interirent, viderem. nam ſanguinem, bilem, pituitam, oſſa, nervos, venas, omnem denique membrorum, & totius corporis figuram videor poſſe dicere, unde concreta, & quo modo facta ſint. *per animum ipſum, ſi nihil eſſet in eo, niſi id ut per eum viveremus, tam natura putarem hominis vitam ſuſtentari, quàm vitis, quàm arboris.* hæc enim etiam dicimus vivere. item ſi nihil haberet animus hominis, [1] niſi ut appeteret, aut refugeret, id quoque eſſet ei commune cum beſtiis. habet primum memoriam, & eam infinitam, rerum innumerabilium. *quam quidem Plato recordationem eſſe vult ſuperioris vitæ.* nam in illo libro, qui inſcribitur Menon, puſionem quendam Socrates interrogat quædam geometrica de dimenſione quadrati. ad ea ſic ille reſpondet, ut puer: & tamen ita faciles interrogationes ſunt, ut gradatim [2] reſpondens eodem perveniat, quaſi geometrica didiciſſet. ex quo effici vult Socrates, ut diſcere, nihil aliud ſit, niſi recordari. quem locum multo etiam accuratiùs explicat in eo ſermone quem habuit eo ipſo die, quo exceſſit è vita: docet enim, quemvis, qui omnium rerum rudis eſſe videatur, benè interroganti reſpondentem, declarare, ſe non tum illa diſcere, ſed reminiſcendo recognoſcere: nec verò fieri ullo modo poſſe, ut à pueris tot rerum, atque tantarum inſitas, & quaſi conſignatas in animis notiones, quas ἐννοίας vocant, haberemus, niſi *animus*, [3] *antequàm in corpus intraviſſet, in rerum cognitione viguiſſet.* cumque nihil eſſet, ut omnibus locis à Platone diſſeritur, (nihil enim ille putat eſſe, quod oriatur & intereat, idque ſolum eſſe, quod ſemper tale ſit, qualem ideam appellat ille, nos ſpeciem) [4] non potuit animus hæc in corpore incluſus agnoſcere, cognita attulit. ex quo tam multarum rerum cognitionis admiratio tollitur: *neque ea planè videt animus, cùm tam repentè in inſolitum, tamque perturbatum domicilium immigravit, ſed cùm ſe collegit, atque recreavit, tum agnoſcit illa reminiſcendo.* ita nihil aliud eſt diſcere, niſi recordari: ego autem majore etiam quodam modo memoriam admiror. [5] quid eſt enim illud, quo meminimus? aut quam habet vim? aut unde naturam? non quæro, quanta memoria Simonides fuiſſe dicatur, quanta Theodectes, quanta is, qui à Pyrrho legatus ad ſenatum eſt miſſus, Cineas, [6] quanta nuper Carmadas, quanta, qui modò fuit, Sceptius Metrodorus, quanta noſter Hortenſius: [7] de communi omnium memoria loquor, & eorum maximè, qui in aliquo majore ſtudio, & arte verſantur: *quorum quanta mens ſit, difficile eſt exiſtimare: ita multa meminerunt.* [8] Quorſum
igitur hæc ſpectat oratio? [9] quæ ſit illa vis, & unde intelligendum puto. non eſt certè nec cordis, nec ſanguinis, nec cerebri, nec atomorum. [10] anima ſit animus, ignisve, neſcio: *nec me pudet*, ut iſtos, *fateri neſcire quod neſciam.* illud, ſi ulla alia de re obſcura affirmare poſſem, ſive anima, ſive ignis ſit animus, [11] eum jurarem eſſe divinum. Quid enim obſecro te, terrane tibi, aut hoc nebuloſo, & caliginoſo cœlo aut ſata, aut concreta videtur tanta vis memoriæ? ſi, quid ſit hoc, non vides: at, quale ſit, vides. ſi ne id quidem: at, quantum ſit, profectò vides. quid igitur? utrùm *capacitatem aliquam in animo putamus eſſe, quò, tanquam in aliquod vas, ea quæ meminimus, infundantur?* abſurdum id quidem. qui enim fundus, aut quæ talis animi figura intelligi poteſt? aut quæ tanta omnino capacitas? *an imprimi quaſi ceram, animum putamus & memoriam eſſe ſignatarum rerum in mente veſtigia?* quæ poſſunt verborum, quæ rerum ipſarum eſſe veſtigia? quæ porrò tam immenſa magnitudo, quæ illa tam multa poſſit effingere? Quid illa vis, quæ tandem eſt, quæ inveſtigat occulta, quæ inventio, atque excogitatio dicitur? ex hacne tibi terrena, mortalique natura, & caduca concreta ea videtur? aut qui primus, quod ſummæ ſapientiæ Pythagoræ viſum eſt, omnibus rebus impoſuit nomina? aut qui diſſipatos homines congregavit, & ad ſocietatem vitæ convocavit? aut qui ſonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis litterarum notis terminavit? aut qui errantium ſtellarum curſus, progreſſiones, inſtitutiones notavit? OMNES magni: etiam ſuperiores, qui fruges, qui veſtitum, qui tecta, qui cultum vitæ, qui præſidia contra feras invenerunt: *à quibus manſuefacti, & exculti, à neceſſariis artificiis ad elegantiora defluximus.* [12] nam & auribus oblectatio magna parta eſt, inventa & temperata varietate, & natura ſonorum: [13] & aſtra ſuſpeximus, tum ea, quæ ſunt infixa certis locis, tum illa non re, ſed vocabulo errantia. quorum converſiones, omneiſque motus *qui animus vidit, is docuit, ſimilem animum ſuum ejus eſſe, qui ea fabricatus eſſet in cælo.* nam cum Archimedes lunæ, ſolis, quinque errantium motus in ſphæram illigavit, effecit idem, quod ille, qui in Timæo mundum ædificavit Platonis deus, ut tarditate, & celeritate diſſimillimos motus una regeret converſio. Quod *ſi in hoc mundo fieri ſine deo non poteſt*, ne in ſphæra quidem eoſdem motus Archimedes ſine divino ingenio potuiſſet imitari. Mihi verò ne hæc 26
quidem notiora, & illuſtriora carere vi divina videntur, ut ego aut poëtam grave, plenumque carmen ſine cœleſti aliquo mentis inſtinctu putem fundere, aut eloquentiam ſine quadam vi majore fluere, abundantem ſonantibus ver-

1. *Niſi ut appeteret aut refugeret.*] Non auſus ſum credulitatem meam addicere Mſſ. Pall. omnibus habentibus pro *refugeret* ſimplex *fugeret*: alios tamen totidem ſic legentes eſt ſecutus Victor.

2. *Reſpondens eodem perveniat.*] Sic quatuor Pall. itemque Fabr. Pith. vulgò, *Reſpondens eo perv.*

3. *Antequam in corpus intraviſſet.*] Exhibui lectionem Victorii, quam ad apicem quinque Pall. referunt, ac Vatic. vulgo; *antequam corpus intraſſet.*

4. *Non potuit animus hæc in corpore incluſus agnoſcere.*] Non male Vict. cum Pal. pr, *hoc in corpore.* ceterum *agnoſcere* omnes Mſſ. tam noſtri quam Gulielmiani: quod ideo dico, ut evaneſcat cujuſdam conjectura, *cognoſcere* ſupponentis.

5. *Quid eſt enim illud, quo meminimus?*] Mſſ. quinque Vat. Fabr. Pith. *quod* conſtantiſſimè.

6. *Quanta nuper Carmadas.*] Lamb. accedunt, Fabr. Vat. Pall. tert. quart. optimi libri. Illi enim *Charmadas.* vulgò *Carneades.*

7. *De Communi omnium memoriâ loquor.*] Sic quinque Pall. Vat. Fab. Pith. Gemb. & Vict. longè melius quàm illud vulgi *hominum.*

8. *Quorſum igitur hæc ſpectat oratio.*] Pall. optimi, tert. quart. item Mart. Gembl. Fab. Pith. *Quorſus* placet.

9. *Quæ ſit illa vis, & unde, intelligendum.*] Ejeci alterum *ſit* poſt *unde*, imperantibus Fabr. & tribus prioribus Pall.

10. *Anima ſit animus, ignisve.*] Communi ſuffragio ablegant τὸ *animus* Fab. Pith. & quinque Pall. cum Vaticano.

11. *Eum jurarem eſſe divinum.*] Gulielmius ex conjecturâ annotabat, *jurare me eſſe divinum non opus eſt.*

12. *Nam & auribus oblectatio magna parta eſt, inventa & temperata.*] Emendationis hujus primi ſumus Architecti *in Crepundiis noſtris* ex Palat. prim. & tertio codice optimo: accedit jam nihil illo deterior quartus, ſupervacuum quoque quintus: ut nihil dubii relinquatur eſſe omninò genuinam. in Vaticano unicâ ſyllabâ amplius: *magna parta eſt, inventaque & temperatâ.* vulgo, *Oblectatio magna ex parte eſt inventa, & temperatâ, &c.* Quidam ex vet. cod. *Oblectatio magna partem eſt inventa & temperata.* adjuvant hæc noſtra, Pal. ſec. Fab. Pith. delentes *ex.*

13. *Et aſtra ſuſpeximus.*] Gul. ex Pith. lib. *ſuſpenſimus.* latet ὕπαλλον.

1. *Ju-*

verbis, uberibuſque ſententiis. PHILOSOPHIA verò, omnium mater artium, quid eſt aliud, niſi, ut Plato ait, donum, ut ego, inventum deorum? HÆC NOS primùm ad illorum cultum, deinde ad jus hominum, quod ſitum eſt in generis humani ſocietate, tum ad modeſtiam, magnitudinemque animi erudivit: eademque ab animo, tanquam ab oculis, caliginem diſpulit, ut omnia ſupera, infera, prima, ultima, media videremus. *prorſus hæc divina mihi videtur vis, quæ tot res efficiat, & tantas.* quid eſt enim memoria rerum, & verborum? quid porrò inventio? profectò id, qua nec in deo quidquam majus intelligi poteſt. non enim ambroſia deos, aut nectare, [1] aut Juventate pocula miniſtrante, lætari arbitror: nec Homerum audio, qui Ganymedem à diis raptum ait propter formam, [2] ut Jovi bibere miniſtraret. non juſta cauſa, cur Laomedonti tanta fieret injuria. fingebat hæc Homerus, & humana ad deos transferebat. divina mallem ad nos. quæ autem divina? vigere, ſapere, invenire, meminiſſe. Ergo ANIMUS, qui, ut ego dico, divinus EST, ut Euripides audet dicere, deus: & quidem ſi deus, aut anima, aut ignis eſt, idem eſt animus hominis. nam ut illa natura cœleſtis & terra vacat, & humore: ſic utriuſque harum rerum humanus animus eſt expers. ſin autem eſt quinta quædam natura ab Ariſtotele inducta: primùm hæc & deorum eſt, & animorum. Hanc nos ſententiam ſecuti, his ipſis verbis in conſolatione hæc expreſſimus:

27 *Animorum nulla in terris origo inveniri poteſt: nihil enim eſt in animis mixtum, atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum eſſe videatur: nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. his enim in naturis nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura provideat, & complecti poſſit præſentia: quæ ſola divina ſunt. nec invenietur umquam, unde ad hominem venire poſſint, niſi à deo. ſingularis eſt igitur quædam natura atque vis animi ſejuncta ab his uſitatis, notiſque naturis. Ita quidquid eſt illud, quod ſentit, quod ſapit,* [3] *quod vult, quod viget, cæleſte & divinum eſt, ob eamque rem æternum ſit neceſſe eſt. Nec verò deus ipſe, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam, & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, & movens, ipſaque prædita motu ſempiterno.*

28 --Hoc è genere, atque eadem è natura eſt humana mens. Ubi igitur, aut qualis eſt iſta mens? Ubi tua, aut qualis? poteſne dicere? an, ſi omnia ad intelligendum non habeo, quæ habere vellem, ne iis quidem, quæ habeo, mihi per te uti licebit? non valet tantum animus, [4] ut ſe ipſum ipſe videat. at, ut oculus, ſic animus ſe non videns, alia cernit. *non videt autem, quod minimum eſt, formam ſuam.* fortaſſe: quamquam id quoque: ſed relinquamus: vim certè, ſagacitatem, memoriam, motum, celeritatem videt. HÆC magna, hæc divina, hæc ſempiterna ſunt. qua facie quidem ſit, aut ubi habitet, ne quærendum quidem eſt. ut, cùm videmus ſpeciem primùm, candoremque cœli. deinde converſionis celeritatem tantam, quantam cogitare non poſſumus: tum viciſſitudines dierum, atque noctium, commutationeſque temporum quadripartitas, ad maturitatem frugum, & ad temperationem corporum aptas, eorumque omnium moderatorem & ducem ſolem, lunamque accretione, & diminutione luminis, quaſi faſtorum notantem, & ſignificantem dies, tum in eodem orbe in XII. parteis diſtributo, quinque ſtellas ferri, eoſdem curſus conſtantiſſimè ſervanteis, diſparibus inter ſe motibus, nocturnamque cœli formam undique ſideribus ornatam: tum globum terræ eminentem è mari, fixum in medio mundi univerſi loco, duabus oris diſtantibus habitabilem, & cultum: quarum altera, quam nos incolimus, ſub axe poſita ad ſtellas ſeptem, unde

Horrifer Aquilonis ſtridor gelidas molitur niveis:

altera Auſtralis, ignota nobis, [5] quam vocant Græci ἀντίχθονα. ceteras parteis incultas, quòd aut frigore rigeant, aut urantur calore: hic autem, ubi habitamus, non intermittit ſuo tempore

[6] *Cœlum miteſcere, arbores frondeſcere,*
[7] *Vites lætiſcere, pampinis pubeſcere,*
Rami baccarum ubertate incurviſcere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes ſcatere, herbis prata conveſtirier:

tum multitudinem pecudum, partim ad veſcendum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum, partim ad corpora veſtienda: hominemque ipſum quaſi contemplatorem cœli ac deorum, ipſorumque cultorem: atque hominis utilitati agros omneis & maria parentia. [8] Hæc 29 igitur, & alia innumerabilia cùm cernimus, poſſumuſne dubitare, quin his præſit aliquis vel effector, ſi hæc nata ſunt, ut Platoni videtur: vel, ſi ſemper fuerint, ut Ariſtoteli placet, moderator tanti operis, & muneris? SIC mentem hominis, quamvis eam non videas, ut deum non vides: tamen ut deum agnoſcis ex operibus ejus, ſic ex memoria rerum, & inventione, & celeritate motus, omnique pulchritudine virtutis vim divinam mentis agnoſcito. In quo igitur loco eſt? credo equidem in capite: &, cur credam, afferre poſſum: [9] ſed aliâs: nunc ubi ſit animus, certè quidem in te eſt. Quæ eſt ei natura? Propria puto, & ſua. [10] ſed fac igneam, fac ſpirabilem: nihil ad id, de quo agimus. ILLUD modò videto, ut deum noris, etſi ignores & locum, & faciem, ſic animum tibi tuum notum eſſe oportere, etiam ſi ejus ignores & locum, & formam. in animi autem cognitione dubitare non poſſumus, niſi planè in phyſicis plumbei ſumus, quin *nihil ſit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex.* quod cùm ita ſit, certè nec ſecerni, nec dividi, nec diſcerpi, nec diſtrahi poteſt: nec interire igitur. eſt enim interitus quaſi diſceſſus, [11] & ſecretio, ac direptus earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur. [12] his, & talibus rationibus adductus Socrates, nec patronum quæſivit ad judicium capitis, nec judicibus ſupplex fuit: *adhibuitque liberam contumaciam,* [13] *à magnitudine animi ductam, non à ſuperbia:* & ſupremo vitæ die de.

1. *Juventate pocula miniſtrante.*] Sic edidit Victorius, quem ſecutus cum Lambino Aldus Nepos. & ſic eſt in Gembl. Fabr. Pith. vulgò *Juventute.*

2. *Ut Jovi bibere miniſtraret.*] Hoc aſſerunt quinque Pall. Vatic. quatuor Gulielmiani, cauſam uberius dixi in Crepundiis. vulgo ex gloſsà, *ut Jovi pocula miniſtr.*

3. *Quod vult, quod viget.*] Quinque Pall. ut & Fabr. itemque Pith. *quod vult, vivit.* Vatic. *quod vivit, quod viget.*

4. *Ut ſeipſum ipſe videat.*] Eſt lectio Victorii, à quâ ſtant quatuor poſteriores Pall. vulgò, *ut ſeſe ipſe videat.*

5. *Quam Græci vocant ἀντίχθονα.*] Ita legendum. accedunt fere omnes Mſſ. Pall. tert. quint. cum Pith. *antioona.* Fab. *anticoona.* Et tale aliquid molitur tertius.

6. *Cœlum miteſcere.*] Ita juſſi emendari in Crepundiis ex Pall. accedit jam unus ex Gulielm. ſive is Pith. ſive Fab. ſit, non poſſum propter raſuram diſcernere. vulgò *niteſcere.*

7. *Vites lætiſcere.*] Itidem hîc ſum ſecutus Pal. pr. in tertio tale quiddam fuiſſe ſubjicit raſura: & omninò accedit quartus, in quo hujus verbi gloſſa *lætificare.* Manut. nimis licentioſe hæc interpolat legendo, & edendo: *Vites lætificas pampini pubeſcere.* Dixi de his aliquid in Crepundiis.

8. *Hæc igitur & alia innumerabilia.*] Gulielmius ex conjecturâ, *Et talia.* quia paullo poſt, *His & talibus adductus Socrates.* & quia ducebatur veſtigiis cod. Fab.

9. *Sed alias. nunc ubi ſit.*] Victorii hanc lectionem confirmat quint. in pr. tert. quart. *Sed alias ubi.* vulgò; *Sed de hoc aliàs, nunc.*

10. *Fac igneum, fac ſpirabilem.*] Tert. & quart. Vatic. ut ſupra, *Spiritabilem.*

11. *Et ſecretio ac direptus earum partium.*] Non libuit ſequi Lamb. & Manutium, reponentem *Diremtus*, licet illis etiam faveant duo poſteriores Pall. at Vulg. noſtram defendunt juncto umbone tres priores Pall. omneſque Gulielmiani, ac denique ipſe Victorius.

12. *His & talibus rationibus adductus.*] Inſeruerunt *rationibus* Mart. Gembl. Pith. Vatic. quinque Pall. Vict. ed. quorum conjuratam pertinaciam faſtidire periculoſum duxi. vulgò, *His & talibus adductus.*

13. *A magnitudine animi ductam.*] Victorius: *A magn. animi inductam.* quod in nullo mſ. poſtea videre contigit.

de hoc ipſo multa diſſeruit, & paucis antè diebus, cùm facilè poſſet educi è cuſtodia, noluit: & cùm pæne in manu jam mortiferum illud teneret poculum, locutus ita eſt, ut non ad mortem trudi, verùm in cœlum videretur aſ-

30 cendere. ita enim cenſebat, itaque diſſeruit: *duas eſſe vias, duplicesque curſus animorum è corpore excedentium.* nam qui ſe humanis vitiis contaminaviſſent, [1] & ſe totos libidinibus dediſſent, quibus cæcati velut domeſticis vitiis, atque flagitiis ſe inquinaviſſent, [2] vel rep. violanda fraudes inexpiabileis concepiſſent, [3] iis devium quoddam iter eſſe, ſecluſum à concilio deorum. qui autem ſe integros, caſtoſque ſervaviſſent, quibuſque fuiſſet minima cum corporibus contagio, ſeſeque ab his ſemper ſevocaſſent, eſſentque in corporibus humanis vitam imitati deorum: his ad illos, à quibus eſſent profecti, reditum facilem patêre. itaque commemorat, UT CYGNI, qui non ſine cauſa Apollini dicati ſunt, ſed quòd ab eo divinationem habere videantur, qua providentes quid in morte boni ſit, cum cantu & voluptate moriantur: SIC omnibus & bonis, & doctis eſſe faciendum. nec verò de hoc quiſquam dubitare poſſet, niſi idem nobis accideret, diligenter de animo cogitantibus, quod iis ſæpe uſu venit, [4] qui cum acriter oculis deficientem ſolem intuerentur, ut adſpectum omninò amitterent: ſic mentis acies ſeipſam intuens, nonnumquam hebeſcit: ob eamque cauſam contemplandi diligentiam amittimus. Itaque dubitans, circumſpectans, hæſitans, multa adverſa revertens, [5] *tanquam in rate, in mari immenſo*, [6] noſtra vehitur oratio. Sed hæc & vetera & à Græcis. Cato autem ſic abiit è vita, ut cauſam moriendi nactum ſe eſſe gauderet. VETAT enim dominans ille in nobis deus, [7] injuſſu hinc nos ſuo demigrare. cùm verò cauſam juſtam deus ipſe dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, ſæpe multis: næ ille, medius fidius, vir ſapiens, lætus ex his tenebris in lucem illam exceſſerit. [8] nec tamen illa vincla carceris ruperit. leges enim vetant. ſed tanquam à magiſtratu, aut ab aliqua poteſtate legitima, ſic à deo evocatus, atque emiſſus, exierit. *tota enim philoſo-*

31 *phorum vita*, ut ait idem, *commentatio mortis eſt.* Nam quid aliud agimus, cùm à voluptate, id eſt, à corpore, cùm à re familiari, quæ eſt miniſtra, & famula corporis, cùm à rep. cùm à negotio omni ſevocamus animum? quid, inquam, tum agimus, [9] niſi animum ad ſeipſum advocamus, ſecum eſſe cogimus, maximeque à corpore abducimus? *ſecernere autem à corpore animum, nec quidquam aliud eſt, quàm emori diſcere.* quare hoc commentemur, mihi crede, disjungamuſque nos à corporibus, id eſt, conſueſcamus mori. Hoc &, dum erimus in terris, erit illi cœleſti vitæ ſimile: &, cum illuc ex his vinculis emiſſi feremur, minùs tardabitur curſus animorum. nam [10] *qui in compedibus corporis ſemper fuerunt, etiam cùm ſoluti ſunt, tardius ingrediuntur, ut ii, qui ferro vincti multos annos fuerunt.* quò cùm venerimus, tùm denique vivemus. NAM hæc quidem vita mors eſt: quam lamentari poſſem, ſi liberet. A. [11] Satis quidem tu in conſolatione es lamentatus: quam cum lego, nihil malo, quàm has res relinquere, his verò modò auditis, multo magis. M. Veniet tempus, & quidem celeriter, & [12] ſive retractabis, ſive properabis. *volat enim ætas.* tantum autem abeſt ab eo, ut malum mors ſit quod tibi dudum videbatur. ut verear, *ne homini nihil ſit non malum aliud certè, ſed bonum aliud potius:* ſi quidem vel dii ipſi, vel cum diis futuri ſumus. A. Quid refert? adſunt enim, qui hæc non probent. M. Ego autem numquam ita te in hoc ſermone dimittam ulla uti ratione, ut mors tibi videri malum poſſit. A. Qui poteſt; cùm iſta cognoverim? M. Qui poſſit, rogas? catervæ veniunt contrà dicentium, non ſolum Epicureorum, equidem non deſpicio, ſed neſcio quo modo doctiſſimus quiſque contemnit: acerrimè autem deliciæ meæ, Dicæarchus contra hanc immortalitatem diſſeruit. is enim treis libros ſcripſit, qui Lesbiaci vocantur, quòd Mitylenis ſermo habetur, in quibus vult efficere, animos eſſe mortaleis. Stoici autem uſuram nobis largiuntur, tanquam cornicibus: *diu manſuros ajunt animos, ſemper negant.* Num vis igitur audire, cur, 32

etiam ſi ita ſit, mors tamen non ſit in malis? A. Ut videtur: ſed me nemo de immortalitate depellet. M. Laudo id quidem: [13] etſi nihil animis oportet confidere. movemur enim ſæpe aliquo acutè concluſo: *labamus, mutamuſque ſententiam clarioribus etiam in rebus. in his eſt enim aliqua obſcuritas.* id igitur ſi acciderit, ſimus armati. A. Sanè quidem: ſed, ne accidat, providebo. M. Num quid igitur eſt cauſæ, quin amicos noſtros Stoicos dimittamus, eos dico, qui ajunt animos manere, è corpore cùm exceſſerint, ſed non ſemper? A. Iſtos verò: qui, quod tota in hac cauſa difficillimum eſt, ſuſcipiant poſſe animum manere corpore vacantem: illud autem, quod non modò facile ad credendum eſt, [14] ſed eo conceſſo, quod volunt, conſequens, id certè non dant, ut, cùm diu permanſerit, ne intereat. M. Bene reprehendis: & ſe iſto modo res habet. Credamus igitur Panætio à Platone ſuo diſſentienti. quem enim omnibus locis divinum, quem ſapientiſſimum, quem ſanctiſſimum, quem Homerum philoſophorum appellat, hujus hanc unam ſententiam de immortalitate animorum non probat. vult enim, quod nemo negat, quidquid natum ſit, interire: naſci autem animos quod declarat eorum *ſimilitudo*, qui procreantur: *quæ etiam in ingeniis, non ſolum in corporibus appareat.* alteram autem affert rationem: nihil eſſe, quod doleat, quin id ægrum eſſe quoque poſſit. quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum: dolere autem animos, ergo etiam interire. Hæc refelli 33

poſſunt. ſunt enim ignorantis, cùm de æternitate animorum dicatur, de mente dici, quæ omni turbido motu ſemper vacet, non de partibus iis, in quibus ægritudines, iræ,

1. *Et ſe totos libidinibus dediſſent.*] Sic enneas Mſſ. Alii tamen, inter quos Victor. *dedidiſſent.*

2. *Vel Rep. violandà fraudes inexpiabiles.*] Delevi *in* ante *Rep.* auctoritate quinque Pall. mſſ. & ſic fortius ibit Oratio.

3. *Iis devium quoddam iter eſſe, ſecluſum.*] Sic indicavi legendum in Crepundiis, ex tribus prioribus Pall. accedunt jam duo poſteriores, ac Victorii editio, ubi totum ſic habetur ut & in Fabr. Pith. codd. vulgò ineptiſſimè, *Iis demum quoddam, &c.*

4. *Qui cùm acriter oculis deficientem ſolem.*] Ita Victor. editio. Ceterum locus valde turbatus, principe auctore Lambino; contra omnes libros hoc modo reſcribente: *Qui acribus oculis deficientem ſolem.* In omnibus libris *cum* vel *quem* apparet in Martiniano *Deficientibus*: Unde Gulielmius; *Cum qui acriter oculis deficientibus.*

5. *Tanquam in rate in mari immenſo.*] Obſecutus ſum majori conſenſui Mſſ. cum Turnebo ac Lambino facientium. Paſſeratius volebat, *Tanquam rati in mare.* Pall. tres priores: *Tanquam in rate in mare im.* ſi autoritas ſequeretur, legerem: *Tanquam rates in mari immenſo*: prout eſt in Fab. & tertio ad marginem. Videtur omnino aliquem ex vett. Poëtam reſipiſcere. *Rates* autem pro *Ratis*, ut *Canes* taliaque Lucilius, *Laniorum immanes canes ut, &c.*

6. *Noſtra vehetur oratio.*] Nihil divertunt ulli libri. Lambin. verò *ratio.*

7. *Injuſſu hinc nos ſuo demigrare.*] Quomodo placet lectio quarti Pall. *remigrare?* Expendite ſultis.

8. *Nec tamen illa vincla carceris ruperit.*] Sic prim. tert. quart. quint. Pall. Fab. & Cicero ipſemet ſæpius. vulgò *vincula.*

9. *Niſi animum ad ſeipſum advocamus.*] Licet alii propugnent τὸ *Avocamus* quod & Pall. duo pr. ac tertius & Vat. ſervant; tamen Vict. ſec. quint. & Pith. denique Manutii avus & Nepos retentant alterum Pal. quart. *Evocamus.*

10. *Qui in compedibus corporis ſemper fuerunt, etiam cùm ſoluti ſunt, tardius.*] Videtur aliquid alere nervoſitatis ſecundus Pal. *etiam ſoluti ſint.*

11. *Satis quidem tu.*] Ita mutant verba Pal. pr. ac quint. vulgò, *ſatis tu quidem.*

12. *Sive retractabis, ſive properabis.*] Lambini lectionem ſtabiliunt codd. Mſſ. Gembl. Mart. & Pall. quint. in quo *retractabilis*: Sicque ante Lamb. edidit Victorius.

13. *Et ſi nihil animis oportet confidere.*] Sic omnes Mſſ. quâ noſtri quâ Gulielmiani: & editio Victorii: unde Gulielmius ex conjecturâ: *animi.* vulgò verò *nimis.*

14. *Sed eo conceſſo, quod volunt conſequens, id certè non dant.*] Quinque Pall. & Fab. Vatic. *idcirco non dant*, vel, *iccirco.* legendum putem, *id circo non dant*; quid hoc ſit, alibi dicimus.

1. *Fatis*

iræ, libidineſque verſentur: quas is, contra quem hæc
dicantur, ſemotas à mente, & diſcluſas putat. Jam ſimili-
tudo magis appâret in beſtiis: quarum animi ſunt rationis
expertes. *hominum* autem *ſimilitudo in corporum figura*
magis exſtat: & ipſi animi magni refert quali in corpore locati
ſint. multa enim è corpore exiſtunt, quæ acuant mentem:
multa, quæ obtundant. Ariſtoteles quidem ait, omneis
ingenioſos melancholicos eſſe: ut ego me tardiorem eſſe
non moleſtè feram. enumerat multos: idque quaſi con-
ſtet, rationem, cur ita fiat affert. Quòd ſi tanta vis eſt ad
habitum mentis in iis, quæ gignuntur in corpore: (ea ſunt
autem, quæcumque ſunt, quæ ſimilitudinem faciant) nihil
neceſſitatis affert, cur naſcatur animi ſimilitudo. omitto
ſimilitudines. vellem adeſſe poſſet Panætius. vixit cum
Africano. quærerem ex eo, cujus ſuorum ſimilis fuiſſet
Africani fratris nepos, [1] facie vel patris: vita, omnium
perditorum ita ſimilis, [2] ut eſſet facilè deterrimus. cujus
etiam ſimilis, P. Craſſi, & ſapientis, [3] & eloquentis & pri-
mi hominis, nepos, multorumque aliorum virorum claro-
rum, quos nihil attinet nominare, nepotes, & filii. Sed
quid agimus? oblitine ſumus, hoc nunc nobis eſſe pro-
poſitum, cùm ſatis de æternitate dixiſſemus, ne ſi inter-
irent quidem animi, quidquam mali eſſe in morte? A. Ego
verò memineram: ſed te de æternitate dicentem [4] aberrare
34 à propoſito facilè patiebar. M. [5] Video te altè ſpectare, &
velle in cœlum migrare. A. Spero fore, ut contingat id no-
bis. ſed fac, ut iſti volunt, animos non remanere poſt
mortem. video nos, ſi ita ſit, privari ſpe beatioris vitæ.
M. Mali verò quid affert iſta ſententia? [6] fac enim ſic ani-
mum interire, ut corpus; [7] num igitur aliquis dolor, aut
omnino poſt mortem ſenſus in corpore eſt? nemo id
quidem dicit: [8] etſi Democritum inſimulat Epicurus: De-
mocritici negant. ne in animo quidem igitur ſenſus re-
manet. ipſe enim nuſquam eſt: [9] ubi igitur malum eſt?
quoniam nihil tertium eſt. an, quoniam ipſe animi diſ-
ceſſus à corpore non fit ſine dolore? ut credam ita eſſe.
[10] *quàm eſt id exiguum! & falſum eſſe arbitror: & fit ple-*
rumque ſine ſenſu: nonnumquam etiam cum voluptate:
totumque hoc leve eſt, qualecumque eſt. fit enim ad
punctum temporis. *illud angit, vel potiùs excruciat, diſ-*
ceſſus ab omnibus iis, quæ ſunt bona in vita. Vide, ne à malis
dici veriùs poſſit. quid ego nunc lugeam vitam hominum?
verè & jure poſſum. ſed quid neceſſe eſt, cùm id agam, ne
poſt mortem miſeros nos putemus fore, etiam vitam
efficere deplorando miſeriorem? fecimus hoc in eo *libro*,
in quo noſmetipſos, quantum potuimus, conſolati ſumus.
à malis igitur mors abducit, non à bonis, verum ſi quæ-
rimus. Hoc quidem à Cyrenaico Hegeſia ſic copiosè diſ-
putatur, ut is à rege Ptolemæo prohibitus eſſe dicatur illa
in ſcholis dicere, [11] quò multi, his auditis, mortem ſibiipſi
conſciſcerent. Callimachi quidem epigramma in [12] Ambra-
ciotam Cleombrotum eſt: quem ait, cùm nihil ei accidiſ-
ſet adverſi, è muro ſe in mare abjeciſſe, lecto Platonis
libro. ejus autem, quem dixi, Hegeſiæ liber eſt, ἀπὸ καρ-
τερῶν: [13] quòd à vita quidam per inediam diſcedens, revocatur
ab amicis: quibus reſpondens, vitæ humanæ enumerat
incommoda: poſſem id facere, etſi minùs, quàm ille,
qui omnino vivere expedire nemini putat. [14] Mitto alios.
etiamne nobis expedit, qui & domeſticis, & forenſibus
ſolatiis, ornamentiſque privati, certè, ſi antè occidiſſemus,
mors nos à malis, non à bonis abſtraxiſſet? Sit igitur aliquis, 35
qui nihil mali habeat, nullum à fortuna vulnus acceperit.
Metellus ille honoratus quattuor filiis: at quinquaginta
Priamus. [15] quibus ſeptem & decem, juſta uxore natis: in
utroque eandem habuit fortuna poteſtatem: [16] ſed uſa in
altero eſt. Metellum enim multi filii, filiæ, nepotes,
neptes in rogum impoſuerunt: Priamum tanta progenie
orbatum, cùm in aram confugiſſet, hoſtilis manus inter-
emit. Hic ſi vivis filiis, incolumi regno occidiſſet:

> [17] *Aſtante ope barbarica,*
> *Tectis cœlatis, laqueatis,*

utrùm tandem à bonis, [18] an à malis diſceſſiſſet? tum pro-
fectò videretur à bonis. At certè ei meliùs eveniſſet, nec
tam flebiliter illa canerentur,

> *Hæc omnia vidi inflammari,*
> *Priamo vi vitam evitari,*
> *Jovis aram ſanguine turpari.*

Quaſi verò iſta, vel quidquam tum potuerit ei melius ac-
cidere. [19] *quòd ſi antè accidiſſet, tamen eventum omnino*
amiſiſſet: hoc autem tempore ſenſum malorum amiſit. Pom-
pejo noſtro familiari, cùm graviter ægrotaret Neapoli,
meliùs eſt factum. [20] coronati Neapolitani fuerunt: nimi-
rum etiam Puteolani vulgò ex oppidis publicè gratulaban-
tur. Ineptum ſanè negotium, & Græculum: ſed tamen
fortunatum. Utrùm igitur, ſi tum eſſet extinctus, à bo-
nis rebus, an à malis diſceſſiſſet? Certè à miſeris. non
enim cum ſocero bellum geſſiſſet, non imparatus arma
ſumſiſſet: non domum reliquiſſet: non ex Italia fugiſſet:
non,

---

1. *Facie vel patris: vita.*] Sic omnes Mſſ. Pal., & tres Gulielmiani. Victorius, *Facie patris.* ſed illud *vel*, conditionem hîc ponens non benè tollitur.

2. *Ut eſſet omnium deterrimus.*] Tuentur id omnes Mſſ. unanimo conſenſu. licet Lamb. & ante eum Victorius, *teterrimus.*

3. *Eloquentis & primi hominis nepos.*] Vulgò abeſt, *& primi.* Reſtitui ex Victor. omnibus Pall. & tribus Gulielm. Mart. Gembl. Fab. Vat.

4. *Aberrare à propoſito facilè patiebar.*] Ita communis omnium Mſſ. cum Lambino conſenſus. vulgò præpoſitio abeſt, & in Victorii editione.

5. *Video te altè ſpectare.*] Ἄνω βλέπειν. hanc elegantiam debemus quinque Pall. Martin. Gembl. Fabr. vulgò, *alta.*

6. *Fac enim ſic animum interire.*] Paullum divertit ab hac lectione Vict. editio, quam quatuor Pall. Mart. Gemb. Fabr. Pith. Vatic. tuentur. Secundus, ut Victoriana, *Fac enim animum ſic.* vulgò, *fac animum ſic interire.*

7. *Num igitur aliquis dolor.*] Præferrem, ſi penes me eſſet, lectionem tertii Pall. codicis: *Nunc igitur.* Examinet, cui aceto cor acre in pectore.

8. *Etſi Democritum inſimulat Epicurus.*] Pal. pr. & quint. *quaſi Democritum.* vel *quia, ſi.*

9. *Ubi igitur malum eſt? quoniam nihil tertium eſt, an.*] Lambini lectioni adſtipulantur quinque Pall. Fabr. Pith. Vatic. ipſequemet Vict. vulgò; *Ubi igitur malum eſt, quoniam nihil tertium?*

10. *Quam eſt id exiguum.*] In Crepundiis docui, legendum ex ſec. tert. Pall. *Quam eſt id ad exiguum!* non deſiſto.

11. *Quo multi his auditis mortem ſibi ipſi conſciſcerent.*] Ita partim veteres Codices, partim Lambin. & Victorius. vulgò: *quòd multi his auditis mortem ſibi ipſi conſciſcerent.* Guliel. ex conjecturâ, *quum* pro *quo:* Pith. lib. *Conſciſſent.*

12. *Ambraciotam Cleombrotum.*] Neſcio quid velint omnes Pall. cum Vat. & Fab. & Pith. ingerendo oculis clare *Theombr.* vel *teombrotum.*

13. *Quod à vitâ quidam per inediam diſcedens.*] Tuentur hanc lectionem unâ voce mſſ. & edit. Lamb. tamen, *è vita*, unde conjiciens Gulielmius *quò de vita*, quia in Fab. cod. pro *quod* erat *quò.*

14. *Mitto alios.*] Sic ſecund. tert. quart. Fab. Victor. edit. vulgo *omitto.*

15. *Quibus ſeptem & decem juſta uxore natis.*] Acceſſi Lambino, ratione meliori ſuffulto, & autoritate ſecundi Pal. motus. ceteri præpoſitionem tollunt. Fab. Pith. pr. tert. quart. quint. Pall. Vict. edit.

16. *Sed uſa in altero eſt.*] Quam lectionem ex pr. ſec. indicavi in Crepundiis, jam licet accedente quarto, veritus ſum in textum recipere, *ſec uſa in altero eſt.*

17. *Aſtante ope barbaricâ.*] Nihil variant libri hîc quidem. Gulielmius tamen legendum cenſebat, *Ac ſtante*, & illud ex ſecundo offic. huc trahit, cap. 1. *primum enim, ut ſtante rep. facere ſolebamus, in agendo plus, quam ſcribendo operæ poneremus.* Mihi aliud videtur, nec vacat jam dicere.

18. *An à malis diſceſſiſſet? tum.*] Dirimunt ita plerique libri. Gulielmius tamen ſic legit: *diſceſſiſſet tum, Prof.*

19. *Quod ſi ante accidiſſet.*] Ita Fabr. Pith. quinque Pall. &, ſi accuratiore aure exigatur, omnino melius erit. vulgò *occidiſſet*; à ſciolo invectum primò.

20. *Coronati Neapolitani fuerunt: nimirum etiam Puteolani vulgo ex oppidis.*] Ita omnes libri, præter Gemb. *paſſim* ante *vulgo* inferentem; unde Gulielmius ariolabatur: *fuerunt nimium: etiam Puteolani; paſſim vulgò ex opp.*

non, exercitu amiſſo, nudus in ſervorum ferrum, & manus incidiſſet: non liberi defleti: non fortunæ omnes à victoribus poſſiderentur. qui, ſi mortem tum obiſſet, in ampliſſimis fortunis occidiſſet. is propagatione vitæ quot, quantas, quàm incredibileis hauſit
36 calamitates? HÆC morte effugiuntur, etiam ſi non evenerint, tamen quia poſſunt evenire. ſed homines ea ſibi accidere poſſe non cogitant. Metelli ſperat ſibi quiſque fortunam: *proinde quaſi aut plures fortunati ſint, quàm infelices, aut certi quidquam ſit in rebus humanis, aut ſperare ſit prudentius, quam timere.* Sed hoc ipſum concedatur, bonis rebus homines morte privari: ergo etiam carere mortuos vitæ commodis, idque eſſe miſerum. certè ita dicant neceſſe eſt. [1] An poteſt is, qui non eſt, re ulla carere? triſte enim eſt nomen ipſum carendi, quia ſubjicitur hæc vis: habuit, non habet: deſiderat, requirit, indiget. opinor, hæc incommoda ſunt carentis. caret oculis, odioſa cæcitas. liberis, orbitas. valet hoc in vivis: mortuorum autem non modò vitæ commodis, ſed ne vita quidem ipſa quiſquam caret. de mortuis loquor, qui nulli ſunt. nos, qui ſumus, num aut ſi cornibus caremus, aut pennis, ſit qui id dixerit? certè nemo. quid ita? quia *cùm id non habeas, quod tibi nec uſu, nec natura ſit aptum, non careas, etiam ſi ſentias te non habere.* Hoc premendum etiam atque etiam eſt argumentum, confirmato illo, de quo, ſi mortales animi ſunt, dubitare non poſſumus, quin tantus interitus in morte ſit, ut ne minima quidem ſuſpicio ſenſus relinquatur. hoc igitur probè ſtabilito, & fixo, illud excutiendum eſt, ut ſciatur, quid ſit carere, ne relinquatur aliquid erroris in verbo. CARERE igitur hoc ſignificat, egere eo, quod habere velis. ineſt enim velle in carendo, niſi cùm ſic, tanquam in febri, dicitur, alia quadam notione verbi. dicitur enim alio modo etiam carere, cùm aliquid non habeas, & non habere te ſentias, etiam ſi id facilè patiare. [2] carere enim in morte non dicitur. nec enim eſſet dolendum. *dicitur illud, bono carere, quod eſt malum.* ſed ne vivus quidem bono caret, ſi eo non indiget: ſed in vivo intelligi tamen poteſt, regno carere: dici autem hoc in te ſatis ſubtiliter non poteſt: poſſet in Tarquinio, cùm regno eſſet expulſus. at in mortuo ne intelligi quidem poteſt. *carere* enim *ſentientis* eſt: *nec ſenſus in mortuo:* nec carere quidem igitur in mortuo eſt. quamquam quid opus eſt in hoc philoſophari, cùm rem non magnopere philoſophia egere videamus?
37 Quoties non modò ductores noſtri, ſed univerſi etiam exercitus ad non dubiam mortem concurrerunt? quæ quidem ſi timeretur, non L. Brutus arcens eum reditu tyrannum, quem ipſe expulerat, in prœlio concidiſſet: non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruſcis filius, [3] cum Pyrrho nepos, ſe hoſtium telis objeciſſent: non uno bello pro patria cadenteis Scipiones Hiſpania vidiſſet, [4] Paullum & Geminum Cannæ, Venuſia Marcellum, Latini Albinum, Lucani Gracchum. num quis horum miſer hodie? NE TUM quidem poſt ſpiritum extremum: nec enim poteſt eſſe miſer quiſquam ſenſu peremto. At id ipſum odioſum eſt, ſine ſenſu eſſe. Odioſum, ſi id eſſet carere. cùm verò perſpicuum ſit, nihil poſſe in eo eſſe, qui ipſe non ſit: quid poteſt eſſe in eo odioſum, [5] qui nec careat, nec ſentiat? quamquam hoc quidem nimis ſæpe. ſed eò, *quòd in hoc ineſt omnis animi contractio, ex metu mortis.* qui enim ſatis viderit, id quod eſt luce clarius, animo, & corpore conſumto, totoque animante deleto, & facto interitu univerſo, illud animal, quod fuerit, factum eſſe nihil, is planè perſpiciet, inter Hippocentaurum, qui numquam fuerit, & regem Agamemnonem, nihil intereſſe: nec pluris nunc facere M. Camillum hoc civile bellum, quàm ego illo vivo fecerim Romam captam. Cur igitur & Camillus doleret, ſi hæc poſt trecentos, & quinquaginta ferè annos eventura putaret, & ego doleam, ſi ad decem millia annorum gentem aliquam urbem noſtram potituram putem? quia TANTA CARITAS *patriæ eſt, ut eam non ſenſu noſtro, ſed ſalute ipſius metiamur.* Itaque *non deterret* 38
ſapientem mors, quæ propter incertos caſus quotidie imminet, propter brevitatem vitæ nunquam longè poteſt abeſſe, quo minùs in omne tempus reip. ſuiſque conſulat, & poſteritatem ipſam, cujus ſenſum habiturus non ſit, ad ſe putet pertinere. Quare licet etiam *mortalem eſſe animum judicantem, æterna moliri, non gloriæ cupiditate, quam ſenſurus non ſit, ſed virtutis, quam neceſſariò gloria, etiam ſi tu id non agas, conſequatur.* natura verò ſic ſe habet, ut, quo modo *initium nobis rerum omnium ortus noſter afferat, ſic exitum mors; ut nihil pertinuit ad nos ante ortum, ſic nihil poſt mortem pertinebit.* in quo quid poteſt eſſe mali, cùm [6] *mors nec ad vivos pertineat, nec ad mortuos?* alteri nulli ſunt, alteros non attinget. quam qui leviorem faciunt, ſomni ſimillimam volunt eſſe. quaſi verò quiſquam ita nonaginta annos velit vivere, ut, cùm ſexaginta confecerit, reliquos dormiat. ne ſues quidem id velint, non modò ipſe. Endymion verò, ſi fabulas audire volumus, neſcio quando in Latmo obdormivit, qui eſt mons Cariæ. nondum, opinor, eſt experrectus. num igitur eum curare cenſes, cùm Luna laboret, à qua conſopitus putatur, ut eum dormientem oſcularetur? quid curet autem, qui ne ſentit quidem? *habes ſomnum imaginem mortis, eamque quotidie induis.* Et dubitas, quin ſenſus in morte nullus ſit, cùm in ejus ſimulacro videas
eſſe nullum ſenſum? Pellantur ergo iſtæ ineptiæ pænè 39
aniles, ante tempus mori, miſerum eſſe. quod tandem tempus? naturæ ne? At *ea quidem dedit uſuram vitæ, tanquam pecuniæ, nulla præſtituta die.* Quid eſt igitur, quòd querare, ſi repetit cùm vult? ea enim conditione acceperas. Iidem, ſi puer parvus occidit, æquo animo ferendum putant: ſi verò in cunis, ne querendum quidem. Atqui *ab hoc acerbius exegit natura, quod dederat.* Nondum guſtaverat, inquiunt, vitæ ſuavitatem: hic autem jam ſperabat magna: quibus frui cœperat. At *id quidem ipſum in ceteris rebus melius putatur, aliquam partem, quàm nullam, attingere*, cur in vita ſecus? Quamquam non malè ait Callimachus, *multo ſæpius lacrymaſſe Priamum, quam Troilum.* eorum autem, qui exacta ætate moriuntur, fortuna laudatur. cur? [7] nam, reor, nullis, ſi vita longior daretur, poſſet eſſe jucundior. NIHIL EST ENIM profectò homini prudentia dulcius, QUAM, ut *cetera auferat, affert certè ſenectus.* QUÆ VERO ætas longa eſt? aut quid omnino homini longum? nonne modo pueros, modo adoleſcenteis, in curſu, à tergo inſequens, nec-opinanteis aſſecuta eſt ſenectus? ſed quia ultrà nihil habemus, hoc longum ducimus. omnia iſta, perinde ut cuique data ſunt, [8] pro rata parte à vita, aut longa aut brevia dicuntur. Apud Hypanim fluvium, qui ab Europæ parte in Pontum influit, Ariſtoteles ait beſtiolas quaſdam naſci, quæ unum diem vivant. ex his igitur, hora octava quæ mortua eſt, provecta ætate mortua eſt: quæ

1. *An poteſt is, qui non eſt, re ullâ carere.*] Lepidè Fabr. *qui non eſt quis.* cui accedit ſecundus *in* ſupponens. Mihi videretur pro *quis* legendum *quid.* Sed nihil refert.

2. *Carere enim in morte non dicitur.*] Quinque Pall. Vatic. Fab. Pith. hanc lectionem præſtant. editio Victorii, *Carere enim malo, id non dicitur.*

3. *Cum Pyrrho nepos.*] Delevi particulam *etiam* ante *cum*, ſequutus quinque Pall.

4. *Paullum & Geminum.*] Ita Victorius. quinque Pall. unâ littera amplius, *Geminium.* ac inepte vulgo *Paullum Æmilium.* nam & Vaticanus, *Paullum Geminum Cannæ.*

5. *Qui nec careat, nec ſentiat?*] Probant Lambini hæc quinque Pall. atque ipſe Victorius.

6. *Mors nec ad vivos pertineat, nec ad mortuos?*] Eleganter mihi videretur illud *pertineat* ſubaudiri, cum principe Pal. qui eo deſtituitur.

7. *Nam, reor, nullis ſi vita longior daretur.*] Ita Lamb. ita Fab. duoque Pall. tert. quint. vulgò: *Nam, reor, non illis, ſi vita cong.*

8. *Pro ratâ parte à vitâ, aut longa aut brevia dicuntur.*] Secuti ſumus Victorium obſequentes habentem Pall. pr. tert. quart. quint. Ceterum Grutero videbatur illud *pro rata parte*, gloſſa. Vulgò omittunt *à vita.* Lambinus, *pro ratâ parte ita aut longa.*

1. In

quæ verò occidente ſole, decrepita: eo magis, ſi etiam ſolſtitiali die. *confer noſtram longiſſimam ætatem cum æternitate, in eadem propemodum brevitate, qua illæ beſtiolæ, reperiemur.*

40 Contemnamus igitur omneis ineptias: (quod enim levius huic levitati nomen imponam? *totamque vim bene vivendi in animi robore, ac magnitudine, & in omnium rerum humanarum contemtione, ac deſpicientia,* [1] *& in omni virtute ponamus.* nam nunc quidem [2] cogitationibus moleſtiſſimis effœminamur, ut, ſi antè mors adveniet, quam Chaldæorum promiſſa conſecuti ſumus, ſpoliati magnis quibuſdam bonis, illuſi, deſtitutique videamur. Quòd ſi exſpectando, & deſiderando pendemus animis, cruciamur, angimur: pro dii immortales! [3] *quàm iter illud jucundum eſſe debet, quo confecto, nulla reliqua cura, nulla ſollicitudo futura ſit!* quàm me delectat Theramenes, quam elato animo eſt! etſi enim flemus, cùm legimus, tamen non miſerabiliter vir clarus emoritur. qui cum conjectus in carcerem triginta juſſu tyrannorum, [4] venenum ut ſitiens obduxiſſet, reliquum ſic è poculo ejecit, ut id reſonaret, [5] quo ſonitu reddito, arridens, *Propino,* inquit, *hoc pulcro Critiæ,* qui in eum fuerat tæterrimus. Græci enim in conviviis ſolent nominare, cui poculum tradituri ſint. Luſit vir egregius extremo ſpiritu, cùm jam præcordiis conceptam mortem contineret: [6] vereque ei, qui venenum præbuerat, mortem eſt eam auguratus, quæ brevi conſecuta eſt. *Quis hanc animi maximi æquitatem in ipſa morte laudaret, ſi mortem, malum judicaret?* Vadit in eundem carcerem, atque in eundem paucis poſt annis ſcyphum Socrates, eodem ſcelere judicum, quo tyrannorum, Theramenes. quæ eſt igitur ejus oratio, qua facit eum Plato uſum apud judices, jam morte

41 multatum? *Magna me,* inquit, *ſpes tenet, judices, bene mihi evenire, quòd mittar ad mortem. neceſſe eſt enim, ſit alterum de duobus; ut aut ſenſus omnino omneis mors auferat, aut in alium quemdam locum ex his locis morte migretur. quamobrem, ſive ſenſus exſtinguitur, morſque ei ſomno ſimilis eſt, qui nonnunquam, etiam* [7] *ſine viſis ſomniorum,* [8] *placatiſſimam quietem affert: dii boni, quid lucri eſt emori? aut quam multi dies reperiri poſſunt, qui tali nocti anteponantur, cui ſimilis futura eſt perpetuitas omnis conſequentis temporis? quis me beatior? ſin vera ſunt, quæ dicuntur, migrationem eſſe, mortem, in eas oras, quas, qui è vita exceſſerunt, incolunt: id multo jam beatius eſt, te, cùm ab iis, qui ſe judicum numero haberi volunt, evaſeris, ad eos venire, qui verè judices appellentur, Minoem, Rhadamanthum, Æacum, Triptolemum: convenireque eos, qui juſtè, & cum fide vixerint, hæc peregrinatio mediocris vobis videri poteſt? ut verò colloqui cum Orpheo, Muſæo, Homero, Heſiodo liceat, quanti tandem æſtimatis? equidem ſæpe emori, ſi fieri poſſet, vellem, ut ea, quæ dico, mihi liceret invenire. quanta delectatione autem afficerer, cùm Palamedem, cùm Ajacem, cùm alios, judicio iniquorum circumventos, convenirem! tentarem etiam ſummi regis, qui maximas copias duxit ad Trojam, & Ulyſſis, Siſyphique prudentiam: nec ob eam rem, cùm hæc exquirerem, ſicut hic faciebam, capite damnarer. ne vos quidem judices, ii, qui me abſolviſtis, mortem timueritis. nec enim cuiquam bono mali quidquam evenire poteſt, nec vivo, nec mortuo: nec umquam ejus res à diis immortalibus negligentur. nec mihi ipſi hoc accidit fortuito. nec verò ego iis, à quibus accuſatus ſum, aut à quibus condemnatus, habeo quod ſuccenſeam, niſi quòd mihi nocere ſe crediderunt.* [9] & hæc quidem hoc modo. nihil autem melius æſtimo. *Sed tempus eſt,* inquit, *jam hinc abire me, ut moriar, vos, ut vitam agatis. utrum autem ſit melius, dii immortales ſciunt: hominem quidem ſcire arbitror neminem.* Næ ego haud paullo hunc animum malim, 42
quàm eorum omnium fortunas, qui de hoc judicaverunt. etſi, quod præter deos negat ſcire quemquam, id ſcit ipſe, utrùm melius ſit. nam dixit antè. ſed ſuum illud, nihil ut affirmet, tenet ad extremum. nos autem teneamus, ut nihil cenſeamus eſſe malum, quod ſit à natura datum omnibus. intelligamuſque, ſi mors malum ſit, eſſe ſempiternum malum. nam vitæ miſeræ, mors finis eſſe videtur. [10] mors ſi eſt miſera, finis eſſe nullus poteſt. Sed quid ego Socratem, aut Theramenem, præſtanteis viros virtutis, & ſapientiæ gloria, commemoro, cùm Lacedæmonius quidam cujus ne nomen quidem proditum eſt, mortem tantopere contemſerit, ut, cùm ad eam duceretur, damnatus ab Ephoris, & eſſet vultu hilari, atque læto, dixiſſetque ei quidam inimicus, Contemniſne leges Lycurgi? reſponderit, *Ego* verò *illi maximam gratiam habeo, qui me ea pœna multaverit, quam ſine mutuatione, & ſine verſura poſſem diſſolvere.* O virum Sparta dignum! ut mihi quidem, qui tam magno animo fuerit, innocens damnatus eſſe videatur. Taleis innumerabileis noſtra civitas tulit. Sed quid duces & principes nominem, cùm legiones ſcribat Cato ſæpe alacreis in eum locum profectas, unde redituras ſe non arbitrarentur? Pari animo Lacedæmonii in Thermopylis occiderunt, in quo Simonides:

Dic hoſpes Spartæ, nos te hic vidiſſe jacenteis,
Dum ſanctis patriæ legibus obſequimur.

Quid ille dux Leonidas dicit? Pergite animo forti, Lacedæmonii: hodie apud inferos fortaſſe cenabimus. fuit hæc gens fortis, dum Lycurgi leges vigebant. è quibus unus, cùm Perſes hoſtis in colloquio dixiſſet glorians, *Solem præ jaculorum multitudine, & ſagittarum non videbitis. In umbra,* inquit, *igitur pugnabimus.* Viros commemoro. qualis tandem Lacæna? [11] quæ cum filium in prælium miſiſſet, & interfectum audiſſet, *Idcirco,* inquit, *genueram, ut eſſet* [12] *qui pro patria mortem non dubitaret occumbere.* [13] Eſto: 43
fortes, & duri Spartiatæ: magnam habet vim reip. diſciplina. quid? Cyrenæum Theodorum, philoſophum non ignobilem, nonne miramur? cui cùm Lyſimachus rex crucem minaretur, Iſtis quæſo inquit, iſta horribilia minitare purpuratis tuis: *Theodori quidem nihil intereſt, humine, an ſublimè putreſcat.* cujus hoc dicto admoneor, ut aliquid etiam de humatione, & ſepultura dicendum exiſtimem: rem non difficilem, iis præſertim cognitis, quæ de nihil ſentiendo

1. *In omni virtute ponamus.*] Addunt Pall. pr. tert. quart. quint. cum Pith. ſtatim poſt *ponamus, juſſu tyrannorum*; ex inferioribus traductum.

2. *Cogitationibus moleſtiſſimis effeminamur.*] Sic Victorius & Pall. pr. tert. quart. quint. vulgò *molliſſimis.*

3. *Quàm illud iter jucundum eſſe debet.*] Dudum ante Lambinum, qui tamen tanquam princeps in hac emendatione triumphat, ſic edidit Victorius. & ſic habetur ad verbum in Pall. ſec. tert. quarto. Pith. in primo ac quinto, *nobis* amplius. vulgò, *quàm optabiliter iter illud incundum eſt.*

4. *Venenum ut ſitiens obduxiſſet.*] Primus Victorius laudem hujus emendationis tulit, etiam a Lamb. ceteriſque. faciunt huc quoque quinque Pall. Vatic.

5. *Quo ſonitu reddito arridens.*] Ita Victorius; ita Pith. Pall. ſecund. quart. quint. mihi magis placeret lectio tertii Pal. *quod ſonitu reddito arridens.* quò alludit etiam primus, *quod ſonitu reddito arridetis.* ut innuat levaſſe poculum & vultu ridibundo aſpexiſſe. vulgò, *quo ſonitu reddito ridens.*

6. *Vereque ei, qui venenum præbuerat.*] Retinui vulgatum, etiam ſi *præbiberat*, erat in Pall. tert. quarto, libris optimis, quam etiam in Gryph. reperiſſe teſtatur Mich. Brutus? quid ſi quis *præbuverat* aut *præbuerat* malit? à *præbuo* vel *præbueo* quod eſt *præbibo.*

7. *Sine viſis ſomniorum.*] Optimus Pal. tert. *luſis.*

8. *Placatiſſimam quietem affert.*] Fab. Pal. quart. *pacatiſſimam.*

9. *Et hæc quidem hoc modo. nihil autem melius æſtimo.*] Sic Lambinus poſt Manutium & Victorium. quibus aſſentitur pr. Pall. vulgò pro *æſtimo, extremo.*

10. *Mors ſi eſt miſera, finis eſſe nullus poteſt.*] Omnes & mſſ. noſtri, & editio Lambini *mortis, ſi eſt miſera, finis eſſe nullus poteſt.* quod etiam eſt in mſſ. Suffridi.

11. *Quæ cùm filium in prælium miſiſſet.*] Pal. ſecundus, *miſſet.* quintus *amiſiſſet*, hoc eſt, *amandaſſet*, ut ſupra.

12. *Qui pro patriâ mortem non dubitaret occumbere.*] Inſtiti vulgatis editionibus, cum quibus conſpirat hîc Victorius: licet vet. cod. itemque Pith. Fab. & tres priores Pall. ac Vatic. *morte occumbere*, unde Lamb. *morti occumbere.* quintus denique planè omittit τὸ *mortem.*

13. *Eſto. fortes & duri Spartiatæ.*] Et hîc vulgatæ cum Manutio ſubſcripſimus. Victorius: *eſto fortes & duri Spartiatæ.* ſed quinque Pall. *Eſtote fortes.*

1. Sed

tiendo paullo antè dicta ſunt. de qua Socrates quidem quid ſenſerit, appâret in eo libro, in quo moritur: de quo jam tam multa diximus, cùm enim de immortalitate animorum diſputaviſſet, & jam moriendi tempus urgeret, *rogatus* à Critone, *quemadmodum ſepeliri vellet, Multam verò*, inquit, *operam, amici, fruſtra conſumſi. Critoni enim noſtro non perſuaſi, me hinc avolaturum, neque quidquam mei relicturum. verumtamen, Crito, ſi me aſſequi potueris, aut ſicubi nactus eris, ut tibi videbitur, ſepelito. ſed, mihi crede, nemo me veſtrûm, cum hinc exceſſero, conſequetur.* Præclarè id quidem, qui & amico permiſerit, & ſe oſtenderit de hoc toto genere nihil laborare. Durior Diogenes, & id quidem ſentiens, ſed, ut Cynicus, aſperiùs, *projici ſe juſſit inhumatum.* tum amici, *Volucribuſne, & feris? Minimè verò*, inquit: [1] *ſed bacillum propter me, quo abigam, ponitote. Quî poteris?* illi. *non enim ſenties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit, nihil ſentienti?* Præclarè Anaxagoras: qui cùm Lampſaci moreretur, quærentibus amicis, *velletne Clazomenas* [2] *in patriam, ſi quid ei accidiſſet, afferri: nihil neceſſe eſt*, inquit. *undique enim ad inferos tantundem via eſt.* Totaque de ratione humationis unum tenendum eſt: ad corpus illam pertinere, ſive occiderit animus, ſive vigeat. in corpore autem perſpicuum eſt, vel exſtincto animo, vel elapſo,
44 nullum reſidere ſenſum. Sed plena errorum ſunt omnia. trahit Hectorem, ad currum religatum, Achilles: lacerari eum, & ſentire, credo, putat. ergo hic ulciſcitur, ut quidem ſibi videtur. At illa ſicut acerbiſſimam rem mœret:

Vidi videre quod me paſſa ægerrimè.
[3] *Hectôrem quadrijugo curru raptarier.*

quem Hectorem? aut quamdiu ille erit Hector? meliùs Accius & aliquando ſapiens Achilles, *Immo enimverò corpus Priamo reddidi, Hectorem abſtuli.* Non igitur Hectora traxiſti, ſed corpus, quod fuerat Hectoris. Ecce alius exoritur è terra, qui matrem dormire non ſinat.

Mater, te appello, tu quæ curam ſomno ſuſpenſo levas,
Neque te mei miſeret: ſurge, & ſepeli natum.

Hæc cùm preſſis, & flebilibus modis, [4] qui totis theatris mœſtitiam inferant, concinuntur: difficile eſt, non eos, qui inhumati ſunt, miſeros judicare:

--- *priùs quàm feræ, volucreſque:*

metuit, ne laceratis membris minus bene utatur: ne combuſtis, non extimeſcit.

Heu relliquias ſemiaſſi regis, denudatis oſſibus,
Per terram ſanie delibutas fœdè divexarier.

Non intelligo, quid metuat, cùm tam bonos ſeptenarios fundat ad tibiam. Tenendum eſt igitur, nihil curandum eſſe poſt mortem, [5] cùm multi inimicos etiam mortuos pœniantur. Exſecratur luculentis ſanè verſibus apud Ennium Thyeſtes, primùm ut naufragio pereat Atreus. durum hoc ſanè: talis enim interitus non eſt ſine gravi ſenſu. illa inania,

--- *Ipſe ſummis ſaxis fixus aſperis,*
Eviſceratus, latere pendens, ſaxa ſpargens tabo,
Sanie & ſanguine atro.

Non ipſa ſaxa magis ſenſu omni vacabunt, quàm ille, latere pendens, cui ſe hic cruciatum cenſet optare. quàm eſſent dura, ſi ſentiret? [6] nulla ſine ſenſu ſunt. Illud verò perquam inane.

Neque ſepulcrum, [7] *quò recipiat, habeat, portum corporis:*
Ubi, remiſſa humana vita, corpus [8] *requieſcat à malis.*

Vides quanto hæc in errore verſentur: portum eſſe corporis, & requieſcere in ſepulcro putat mortuum. magna culpa Pelopis, qui non erudierit filium, nec docuerit, quatenus eſſet quidque curandum. Sed quid ſingulorum opiniones 45
animadvertam, nationum varios errores perſpicere cùm liceat? condiunt Ægyptii mortuos, & eos domi ſervant: [9] Perſæ etiam cera circumlitos condunt, ut quàm maximè permaneant diuturna corpora. Magorum mos eſt non humare corpora ſuorum, niſi à feris ſint ante laniata. in Hyrcania [10] plebs publicos alit canes: optimates, domeſticos. nobile autem genus canum illud ſcimus eſſe. ſed pro ſua quiſque facultate parat, à quibus lanietur: eamque optimam illi eſſe cenſent ſepulturam. permulta alia colligit Chryſippus, ut eſt in omni hiſtoria curioſus. ſed ita tætra ſunt quædam, ut ea fugiat, & reformidet oratio. *Totus igitur hic locus eſt contemnendus in nobis, non negligendus in noſtris:* ita tamen [11] ut mortuorum corpora nihil ſentire ſentiamus. quantum autem conſuetudini, famæque dandum ſit, id curent vivi, ſed ita, ut intelligant, nihil ad mortuos pertinere. *ſed profectò mors tum æquiſſimo animo oppetitur, cum ſuis ſe laudibus vita occidens conſolari poteſt. nemo parum diu vixit qui virtutis perfecta perfecto functus eſt munere.* multa mihi ipſi ad mortem tempeſtiva fuerunt: quæ utinam potuiſſem obire. nihil enim jam acquirebatur: cumulata erant officia vitæ, [12] cum fortunæ bella reſtabant. quare, ſi ipſa ratio minùs perficiet, ut mortem negligere poſſimus: at vita acta perficiat, ut ſatis, ſuperque vixiſſe videamur. *quamquam* enim *ſenſus abierit, tamen ſummis, & propriis bonis & laudis, & gloriæ, quamvis non ſentiant, mortui non carent.* ETSI ENIM nihil in ſe habeat gloria, cur expetatur, tamen virtutem tanquam umbra ſequitur. verùm multudinis judicium de bonis, ſi quando eſt, magis laudandum eſt, quàm illi ob eam rem beati. Non 46
poſſum autem dicere, quoquo modo hoc accipiatur, Lycurgum, Solonem, legum, & publicæ diſciplinæ carere gloria: Themiſtoclem, Epaminondam, bellicæ virtutis. ANTE ENIM Salaminam ipſam Neptunus obruet, quàm, Salaminii tropæi memoriam: priuſque Bœotia Leuctra tollentur, quàm pugnæ Leuctricæ gloria. multo autem tardiùs fama deferet Curium, Fabricium, Calatinum, [13] duos Scipiones, duos Africanos, Maximum, Marcellum, Paullum, Catonem, Lælium, innumerabileis alios. quorum ſimilitudinem aliquam qui arripuerit, non eam fama populari, ſed vera bonorum laude metiens, fidenti animo, [14] ſi ita refert, gradietur ad mortem. in qua aut ſummum bonum, aut nullum malum eſſe cognovimus: ſecundis verò ſuis

rebus

1. *Sed bacillum propter me.*] Lambino ſuffragantur Mart. Gembl. Fabr. Vatic. Pal. quartus, vulgò *prope me.*

2. *In patriam, ſi quid ei accidiſſet, afferri.*] Secutus eſt Lambinus Victorium, qui ita edidit. verùm Pall. tollunt *ei.* ac quatuor priores pro *afferri*, *auferri*. Pith. *conferri.*

3. *Hectôrem curru quadrijugo.*] Ita ordinant quinque Pall. & antiquiores mediam producebant, ut multa infinita. *Caſtòrem, Neſtòrem.* ſicut Hannibalis.

4. *Qui totis theatris mæſtitiam inferant, concinuntur.*] Victori ſic edenti adſunt quatuor Pall. Fab. Pith. vulgò, *conciuntur.*

5. *Cùm multi inimicos etiam mortuos pœniantur.*] Ita imprimendum curavi, quia etiam ſic Lambinus è veteri codice, nec aliter Gemb. Gryph. Vatic. denique Pall. omnium optimus: quali nempe formâ reſtituit & Langius Officiorum lib. 1. cap. 43. p.

6. *Nulla ſine ſenſu ſunt.*] *Sunt* abeſt ab omnibus Pall. itemque Fab. Pith.

7. *Quo recipiat habet.*] Sic Victorii. Lambini lectio *quò recipiatur*, vilitur in Pall. tert. quinto, & Fab. quæ præ noſtrâ nauci non eſt.

8. *Requieſcat à malis.*] Omittunt Mart. Gembl. Fab. Pall. quart. quint. præpoſitionem. Ego eam omnino delendam cenſeo, ne officiat trochaico.

9. *Perſæ etiam cerâ circumlitos condunt.*] Ita Lambinus, cui accedit Victorius lib. x. cap. 6. ut & Manutius Nepos. Sic denique Pall. tert. quart. quint. Fab. Pith. quid multis? nota ſunt *conditoria* regum Ægypti.

10. *Plebs publicos alit canes.*] Neſcio quid velint Pall. tert. quart. quint. pro *publicos*, *ſupplices* reponentes.

11. *Ut mortuorum corpora nihil ſentire ſentiamus.*] Quinque Pall. mſ. Suffridi. Mart. Gembl. Pith. *nihil ſentire vivi ſentiamus*, quemadmodum & Vaticani excerpta.

12. *Cùm fortunæ bella reſtabant.*] Ita legendum, próduxi in Crepundiis ex optimo Pal. tertio. accedit ei bonitate geminus germanus quart. vulgo: *cùm fortuna bella reſtabant.*

13. *Duos Scipiones, duos Africanos.*] Gembl. ſec. tert. Pall. melius, *duo Scipiones, duo Africanos.* & ſic Vaticani excerpta, nec auctori inſolens.

14. *Si ita refert.*] Sic Pall. tert. cum tali gloſſa, *expedit.* itemque quart. quint. Gryphii liber. Martin. Gembl. Fabr. Pith. vulgo: *ſi ita res feret.*

1. *Omni*

rebus volet etiam mori. *non* enim *tam cumulus bonorum jucundus eſſe poteſt, quàm moleſta deceſſio.* hanc ſententiam ſignificare videtur Laconis illa vox, qui cùm Rhodius Diagoras, Olympionices nobilis, uno die duos ſuos filios victores Olympiæ vidiſſet, acceſſit ad ſenem, & gratulatus, *Morere Diagora*, inquit, *non enim in cælum adſcenſurus es.* Magna hæc, & nimiùm fortaſſe Græci putant, vel tum potiùs putabant, iſque, qui hoc Diagoræ dixit, permagnum exiſtimans, treis Olympionicas una è domo prodire, cunctari illum diutiùs in vita, fortunæ objectum, inutile putabat ipſi. Ego autem tibi quidem quod ſatis eſſet, paucis verbis, ut mihi videbar, reſponderam. conceſſeras enim, nullo in malo mortuos eſſe: ſed ob eam cauſam contendi, ut plura dicerem, quòd in deſiderio, & luctu hæc eſt conſolatio maxima. noſtrum enim, & noſtra cauſa ſuſceptum dolorem, modicè ferre debemus, ne & noſmetipſos amare videamur. *illa ſuſpicio intolerabili dolore cruciat, ſi opinamur eos, quibus orbati ſumus, eſſe cum aliquo ſenſu in iis malis, quibus vulgò opinantur.* hanc excutere opinionem mihimet
47 volui radicitus, eoque fui fortaſſe longior. A. Tu longior? non mihi quidem. prior enim pars orationis tuæ faciebat, ut mori cuperem: poſterior, ut modò non nollem, modò non laborarem. [1] omni autem oratione illud certè perfectum eſt, ut mortem non ducerem in malis. M. Num igitur etiam rhetorum epilogum deſideramus? an jam hanc artem planè relinquimus? A. Tu verò iſtam ne reliqueris, quam ſemper ornaſti: & quidem jure. illa enim te, [2] verum ſi loqui volumus, ornaverat. ſed quinam eſt iſte epilogus? [3] aveo enim audire, quicquid eſt. M. Deorum immortalium judicia ſolent in ſcholis proferre de morte, nec verò ea fingere ipſi, ſed Herodoto auctore, aliiſque pluribus. Primùm Argiæ ſacerdotis, [4] Cleobis & Biton filii, prædicantur. nota fabula eſt: cùm enim illam [5] ad ſolemne, & ſtatum ſacrificium curru vehi jus eſſet, ſatis longè ab oppido ad fanum, morarenturque jumenta: tunc juvenes ii, quos modò nominavi, veſte poſita corpora oleo perunxerunt: ad jugum acceſſerunt. ita ſacerdos advecta in fanum, cùm currus eſſet ductus à filiis, precata à dea dicitur, [6] *ut illis præmium daret pro pietate, quod maximum homini dari poſſet à deo:* pòſt epulatos cùm matre adoleſcenteis, ſomno ſe dediſſe, mane inventos eſſe mortuos. Simili precatione Trophonius, & Agamedes, uſi dicuntur: qui, cùm Apollini Delphis templum exædificaviſſent: venerantes deum, *petierunt mercedem non parvam quidem operis, & laboris ſui, nihil certi, ſed quod eſſet optimum homini.* quibus Apollo ſe id daturum oſtendit, poſt ejus diei tertium: qui ut illuxit, mortui ſunt reperti. Judicaviſſe deum dicunt & eum quidem deum, cui reliqui dii conceſſiſſent,
48 [7] ut præter ceteros divinaret. Affertur etiam de Sileno fabella quædam: qui cùm à Mida captus eſſet, hoc ei muneris pro ſua miſſione dediſſe ſcribitur: docuiſſe regem, NON NASCI HOMINI LONGE optimum eſſe: proximum autem, quam primùm mori. qua eſt ſententia in Creſphonte uſus Euripides:

Nam nos decebat cœtus celebrantis domum,
Lugere, ubi eſſet aliquis in lucem editus,
Humanæ vitæ varia reputantis mala:
At, qui labores morte finiſſet gravis,
[8] *Hunc omneis amicos laude, & lætitia exequi.*

ſimile quiddam eſt in conſolatione Crantoris: [9] ait enim Terinæum quendam Eliſium, cùm graviter filii mortem mœreret, veniſſe in Pſychomantium, quærentem quæ fuiſſet tantæ calamitatis cauſa: huic [10] in tabellis tris hujuſmodi verſiculos datos:

Ignaris homines in vita mentibus errant:
Euthynous potitur [11] *fatorum munere, letho.*
Sic fuit utilius finiri ipſique, tibique.

His, & talibus auctoribus uſi, [12] confirmant cauſam, rebus à diis immortalibus judicatam. Alcidamus quidam, rhetor antiquus, in primis nobilis, ſcripſit etiam laudationem mortis, quæ conſtat ex enumeratione humanorum malorum. cui rationes eæ, quæ exquiſitiùs à philoſophis colliguntur, defuerunt, ubertas orationis non defuit. *claræ verò mortes pro patria oppetitæ, non ſolùm glorioſæ rhetoribus, ſed etiam beatæ videri ſolent.* repetunt ab Erichtheo: cujus etiam filiæ cupidè mortem expetiverunt pro vita civium: Codrum, qui ſe in medios immiſit hoſteis, veſte famulari, ne poſſet agnoſci, ſi eſſet ornatu regio: quòd oraculum erat datum, *ſi rex interfectus eſſet, victriceis Athenas fore.* [13] Menœceus verò non prætermittitur: qui oraculo edito largitus eſt patriæ ſuum ſanguinem. Iphigenia Aulide duci ſe immolandam jubet, ut *hoſtium ſanguis eliciatur ſuo.* Ve- 49
niunt inde ad propiora. Harmodius in ore, & Ariſtogiton, Lacedæmonius Leonidas, Thebanus Epaminondas vigent. noſtros non norunt: quos enumerare magnum eſt: ita ſunt multi, quibus videmus optabileis morteis fuiſſe cum gloria. quæ cum ita ſint, magna tamen eloquentia eſt utendum, atque ita velut ſuperiore è loco concionandum, ut homines mortem vel optare incipiant, vel certè timere deſiſtant. nam ſi ſupremus ille dies non exſtinctionem, ſed commutationem affert loci, quid optabilius? ſin autem perimit, ac delet omnino, quid melius, quàm in mediis vitæ laboribus obdormiſcere, & ita conniventem ſomno conſopiri ſempiterno? quod ſi fiat, melior Ennii, quàm Solonis oratio. hic enim noſter,

Nemo me lacrymis decoret (inquit) *nec funera fletu*
Faxit.

At verò ſapiens ille,

Mors mea ne careat lacrymis: linquamus amicis
Mærorem, ut celebrent funera cum gemitu.

Nos verò, ſi quid tale acciderit, ut à deo denuntiatum videatur, ut exeamus è vita, læti, & agentes gratias pareamus, emittique nos è cuſtodia, & levari vinculis arbitremur, ut aut in æternam, [14] & planè in noſtram domum remigremus, aut omni ſenſu, moleſtiaque careamus: ſin autem nihil denuntiabitur, eo tamen ſimus animo, [15] ut horri-

1. *Omni autem oratione illud certè.*] Secutus ſum Lambinum, faventes habentem Pall. pr. ſec. tert. quint. vulgo: *omni autem ratione.*

2. *Verum ſi loqui volumus.*] Eſt Victorii lectio: conſtabilita à Mart. Gembl. à Pal. pr. ſec. tert. quint. Vat. vulgo: *ſi verè loqui.*

3. *Aveo enim audire, quicquid eſt.*] Iterum quinque Pal. unanimi conſenſu: *habeo enim*: quod quoque recipiendum duco.

4. *Cleobis & Biton filii.*] Fabr. Pith. Mart. Gembl. Pall. tert. quart. quint. *Binoto*: quod eſt quoque in Vaticani excerptis.

5. *Ad ſolemne & ſtatum ſacrificium.*] Sic Lamb. Victorius *ſtatutum*, cum quo facit quart. quint. Pall. Vatic.

6. *Ut illis præmium daret.*] Pith. & Pal. quint. à primâ manu, *præmii.*

7. *Ut præter ceteros divinaret. Affertur.*] Ita edendum curavi; ejecto illo ſpurio, ab aliquo inepto intruſo; *mortem eſſe optimum homini*: ſi conſideres, nihil huc pertinent. certe in Pall. omnibus & Vatic. hujus rei neque volam neque veſtigium conſpicio.

8. *Hunc omnes amicos.*] Vulgo abeſt *Hunc*, reſtitui ex Victorii ed. Pall. tribus poſterioribus.

9. *Ait enim Terinæum quemdam Eliſium.*] Ita Victorius, cui ſecundas facit And. Schottus in Nodis l. 2. c. 11. Vaticani excerpta *Tirenæum*. Sed omnes fere mſſ. diſcrepant. Fab. Pall. pr. quart. *termaneum* ſec. *theramencum*. tert. *terbinæum*. Gemb. *Terinanæum*. Mart. *Trinæneum*.

10. *In tabellis tris hujuſmodi verſiculos datos.*] Ita Vict. quinque Pall. Pith. vulgo: *treis.*

11. *Fatorum munere, letho.*] Ita debet ſcribi, ut dudum annotavit Turneb. & fèrè ita Membranæ: pro *læto*, *leto.* Mart. Gembl. Fabr. vulgo *numine læto*, perperam.

12. *Confirmant cauſam, rebus à diis immortalibus judicatam.*] Tò *rebus* delet quart. Pal. ceterùm Gulielm. ex conject. legi volebat, *tot rebus.*

13. *Menœceus verò.*] Lambinus ita emendavit, quod video confirmari ab Pith. Pall. tert. quinto, Vaticani excerptis. Sed Schottus ex Cod. *Menoxius.* vulgò *Menecheus.*

14. *Et planè in noſtram domum remigremus.*] Mart. Fabr. Pith. Vatic. tert. Pal. *plene*: unde ex conjecturâ Gulielm. *penè.* quod viſitur in primo.

15. *Ut horribilem illum diem.*] Sic quinque Pal. Vict. edit. vulgò *eum.* non diſplicet Fabr. *horribilem illum illum diem.*

horribilem illum diem aliis, nobis fauſtum putemus, *nilque in malis ducamus, quod ſit vel à diis immortalibus, vel à natura parente omnium conſtitutum.* non enim temerè, nec fortuitò ſati, & creati ſumus, ſed profectò fuit quædam vis, quæ generi conſuleret humano: nec id gigneret, aut aleret, [1] quod, cùm exanclaviſſet omneis labores, tum incideret in mortis malum ſempiternum: [2] portum potiùs paratum nobis, & perfugium putemus. quo utinam velis paſſis pervehi liceat. ſin reflantibus ventis rejiciemur, tamen eodem paullo tardiùs referamur neceſſe eſt. QUOD AUTEM omnibus neceſſe eſt, id ne miſerum eſſe uni poteſt? Habes epilogum, ne quid prætermiſſum, aut relictum putes. A. Ego verò. & quidem fecit etiam iſte me epilogus firmiorem. M. Optimè inquam. ſed nunc quidem valitudini tribuamus aliquid. cras autem, & quot dies erimus in Tuſculano, agamus hæc, & ea potiſſimùm, quæ levationem habeant ægritudinum, formidinum, cupiditatum. [3] qui omni è philoſophia eſt fructus uberrimus.

1. *Quod cùm exanclaviſſet omnes labores.*] Ita quinque Pall. etiam Nonius. vulgò *exantlaviſſet.* Dudum, ut ſcripſimus legendum docuit Muretus. porrò codex Pith. *exaudaviſſet.* quod ſi preſſius literarum ductum rimeris, eodem recidit: unde tamen evolvit Gulielmius *exſudaviſſet.*

2. *Portum potius paratum nobis & perfugium putemus.*] Ita omnes omnino editi, & libri vett. Victorius tamen *profugium.*

3. *Qui omni è philoſophiâ eſt fructus uberrimus.*] Victorii editio hanc lectionem habet. Pall. tamen tres cum Fab. Pith. *qui in omni philoſophia eſt.* quart. quint. omittunt præpoſitionem: quart. amplius *philoſophie*: unde proclive legere: *qui omnis philoſophiæ eſt fructus uberrimus.* quam lectionem poſtea, omnibus apicibus inveni in Vaticani excerptis.

M. TULLII CICERONIS TUSCULANARUM QUÆSTIONUM, AD M. BRUTUM, LIBER SECUNDUS.

DE TOLERANDO DOLORE.

1 NEOPTOLEMUS quidem apud Ennium *philoſophari ſibi ait neceſſe eſſe, ſed paucis: nam omnino haud placere.* ego autem, Brute, neceſſe mihi quidem eſſe arbitror philoſophari: nam quid poſſum, præſertim nihil agens, agere melius? ſed non paucis, ut ille. difficile eſt enim, in philoſophia pauca eſſe ei nota, cui non ſint aut pleraque, aut omnia. nam nec pauca, niſi è multis, eligi poſſunt; [1] nec, qui pauca perceperit, non idem reliqua eodem ſtudio perſequetur. ſed in vita tamen occupata, atque, ut Neoptolemi tum erat, militari, *pauca ipſa multum ſæpe proſunt,* & ferunt fructus, [2] ſi non tantos, quanti ex univerſa philoſophia percipi poſſunt; tamen eos, quibus aliqua ex parte interdum aut cupiditate, aut ægritudine, aut metu liberemur: velut ex ea diſputatione, quæ mihi nuper habita eſt in Tuſculano, magna videbatur mortis effecta contemtio: quæ non minimùm valet ad animum metu liberandum. nam qui id, quod vitari non poteſt, metuit, is vivere animo quieto nullo modo poteſt. ſed qui, non modò quia neceſſe eſt mori, verùm etiam quia nihil habet mors, quod ſit horrendum, mortem non timet, magnum is ſibi præſidium ad beatam vitam comparat. quamquam non ſumus ignari, multos ſtudioſè contrà eſſe dicturos, quod vitare nullo modo potuimus: niſi nihil omnino ſcriberemus. etenim ſi orationes, quas nos multitudinis judicio probari volebamus (popularis eſt enim illa facultas, & effectus eloquentiæ eſt audientium approbatio) ſed ſi *reperiebantur nonnulli, qui nihil laudarent, niſi quod ſe imitari poſſe confiderent,* quemque ſperandi ſibi, eundem, & bene dicendi finem proponerent, & cum obruerentur copia ſententiarum, atque verborum, jejunitatem, & famem ſe malle, quàm ubertatem, & copiam dicerent. [3] unde erat exortum genus Atticorum, iis ipſis, qui id ſequi ſe profitebantur, ignotum: [4] qui jam conticuere, pænè ab ipſo foro irriſi: quid futurum putamus, cùm, adjutore populo, quo utebamur antea, nunc minimè nos uti poſſe videamus? *eſt* enim *philoſophia paucis contenta judicibus, multitudinem conſultò ipſa fugiens, eique ipſi & ſuſpecta, & inviſa:* ut vel, ſi quis univerſam velit vituperare, ſecundo id populo facere poſſit: vel, ſi in eam, quam nos maximè ſequimur, conetur invadere, [5] magna habere poſſit auxilia à reliquorum philoſophorum diſciplinis. nos autem univerſæ philoſophiæ vituperatoribus reſpondimus in Hortenſio. Pro 2
Academia autem [6] quæ dicenda eſſent, ſatis accuratè in Academicis quattuor libris explicata arbitramur: ſed tamen tantum abeſt, ut ſcribi contra nos nolimus, ut id etiam maximè optemus: *in ipſa* enim *Græcia philoſophia tanto in honore numquam fuiſſet, niſi doctiſſimorum contentionibus, diſſenſionibusque viguiſſet.* quamobrem hortor omneis, qui facere id poſſunt, ut hujus quoque generis laudem jam languenti Græciæ eripiant, [7] & perferant in hanc urbem, ſicut reliquas omneis, quæ quidem erant expetendæ, ſtudio atque induſtria ſua majores noſtri tranſtu-

1. *NEc qui pauca perceperit.*] Retinui Victorii lectionem, conſenſum Fab. Pall. ſecundi, tert. quarti Vatic. trahentem. vulgò *percepit.*

2. *Si non tantos, quanti, &c. liberemur.*] Mſſ. pæne omnes, & Victorius: *Sed non, &c. liberentur*; ſicut quoque Ulrich. excerpta.

3. *Unde erat exortum genus Atticorum, iis ipſis, qui id ſequi ſe profitebantur.*] Amplecterer lectionem Palat. quint. & Pith. cod. ſi penes me ſtaret, *qui ſe profitebantur.* Palat. tamen ſecundus, *qui aſſequi id ſe profiteb.*

4. *Qui jam conticuère pænè ab ipſo foro irriſi.*] Pœnè recepi in textum lectionem Pal. quarti, adeò perblandiebatur, *pænè ab ipſo foro truſi.*

5. *Magna habere poſſit auxilia à reliquorum Philoſophorum diſciplinis.*] Secuti ſumus Turnebum lib. XI. cap. 8. item Lambinum præpoſitionem *à* inſerentes, quibus ſociat ſuum in partem conſenſum Fabr. cod. *à* præferens.

6. *Quæ dicenda eſſent.*] Ita quinque Pall. Pith. Vatic. Ulrich. vulgo *erant.*

7. *Et perferant in hanc urbem.*] Pall. pr. tert. Fab. Pith. *præferant.* Pall. quart. *proferant.* & excerpta Ulrichiani codicis.

1. Ut

tranſtulerunt. Atque *oratorum quidem laus ita ducta ab humili, venit ad ſummum,* [1] *ut jam, quod natura fert in omnibus ferè rebus, ſeneſcat, brevique tempore ad nihilum ventura videatur.* philoſophia naſcatur Latinis quidem litteris ex his temporibus, eamque nos adjuvemus: noſque ipſos redargui, refellique patiamur. quod ii ferunt animo iniquo, qui certis quibuſdam, deſtinatiſque ſententiis quaſi addicti, & conſecrati ſunt, eaque neceſſitate conſtricti, ut, etiam quæ non probare ſoleant, ea cogantur conſtantiæ cauſa defendere. nos, qui ſequimur probabilia, nec ultra id, quàm, quod veriſimile occurrerit, progredi poſſumus, & refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia parati ſumus. Quòd ſi hæc ſtudia traducta erunt ad noſtros, ne bibliothecis quidem Græcis egebimus, in quibus multitudo infinita librorum propter eorum eſt multitudinem, qui ſcripſerunt: *eadem* enim *dicuntur à multis: ex quo libris omnia referſerunt.* quod accidet etiam noſtris, [2] ſi ad hæc ſtudia plures confluxerint. ſed eos, ſi poſſumus, excitemus, qui liberaliter eruditi, adhibita etiam diſſerendi elegantia, ratione & via philoſophantur. eſt enim quoddam

3 genus eorum, qui ſe philoſophos appellari volunt, quorum dicuntur eſſe Latini ſanè multi libri: quos non contemno equidem, quippe quos numquam legerim: ſed quia profitentur ipſi illi, qui eos ſcribunt, ſe neque diſtinctè, neque diſtributè, neque eleganter, neque ornatè ſcribere: *lectionem ſine ulla delectatione negligo:* quid enim dicant, & quid ſentiant ii, qui ſunt ab ea diſciplina, nemo mediocriter quidem doctus ignorat. quamobrem, quoniam, quemadmodum dicant, ipſi non laborant: cur legendi ſint, niſi ipſi inter ſe, qui idem ſentiunt, non intelligo. nam, ut Platonem, reliquoſque Socraticos, & deinceps eos, qui ab his profecti ſunt, legunt omnes, etiam qui illa aut non approbant, aut non ſtudioſiſſimè conſectantur: Epicurum autem, & Metrodorum [3] non ferè præter ſuos quiſquam in manus ſumit: ſic hos Latinos ii ſoli legunt, qui illa rectè dici putant. *nobis* autem *videtur, quidquid litteris mandetur,* [4] *id commendari omnium eruditorum lectioni decere.* nec, ſi ipſi minùs conſequi poſſumus, iccirco minùs id ita faciendum eſſe ſentimus. Itaque mihi ſemper Peripateticorum, Academiæque conſuetudo, de omnibus rebus in contrarias parteis diſſerenti, non ob eam cauſam ſolùm placuit, quòd aliter non poſſet, quid in unaquaque re veriſimile eſſet, inveniri: ſed etiam quòd eſſet ea maxima dicendi exercitatio: qua princeps uſus eſt Ariſtoteles: deinde eum qui ſecuti ſunt. noſtra autem memoria Philo, quem nos frequenter audivimus, inſtituit alio tempore rhetorum præcepta tradere, alio philoſophorum, ad quam nos conſuetudinem à familiaribus noſtris adducti, in Tuſculano, quod datum eſt temporis nobis, in eo conſumſimus. Itaque cum ante meridiem dictioni operam dediſſemus, ſicut pridie feceramus: poſt meridiem in Academiam deſcendimus. in qua diſputationem habitam non quaſi narrantes exponimus, ſed eiſdem ferè verbis, ut actum, diſpu-

4 tatumque eſt. Eſt igitur ambulantibus ad hunc modum ſermo ille nobis inſtitutus, & à tali quodam inductus exordio. A. DICI NON POTEST, quàm ſim heſterna diſputatione tua delectatus, vel potiùs adjutus. etſi enim mihi ſum conſcius, numquam me nimis cupidum fuiſſe vitæ, tamen [5] objicebatur interdum animo metus quidam, & dolor, cogitanti, fore aliquando finem hujus lucis, & amiſſionem omnium vitæ commodorum. hoc genere moleſtiæ ſic, mihi crede, ſum liberatus, ut nihil minùs curandum putem. M. Minimè mirum id quidem, nam efficit hoc philoſophia: medetur animis: inaneis ſollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat: pellit timores. ſed hæc ejus vis non idem poteſt apud omneis: tum *valet multùm, cùm eſt idoneam complexa naturam;* FORTEIS enim non modò fortuna adjuvat, ut eſt in vetere proverbio, ſed multo magis ratio, quæ quibuſdam quaſi præceptis confirmat vim fortitudinis. *te natura excelſum quendam videlicet, & altum, & humana deſpicientem genuit.* [6] itaque facilè in animo forti contra mortem habita inſedit oratio. ſed hæc eadem num cenſes apud eos ipſos valere, niſi admodum paucos, à quibus inventa, diſputata, conſcripta ſunt? quotus enim quiſque philoſophorum invenitur, qui ſit ita moratus, ita animo, ac vita conſtitutus, ut ratio poſtulat? qui diſciplinam ſuam, non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet? qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis ſuis pareat? videre licet alios tanta levitate, & jactatione, iis ut fuerit non didiciſſe melius: alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos, multos libidinum ſervos: ut *cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. quod quidem mihi videtur eſſe turpiſſimum.* Ut enim, ſi grammaticum ſe profeſſus quiſpiam, barbarè loquatur, aut ſi abſurdè canat is, qui ſe haberi velit muſicum, hoc turpior ſit, quod in eo ipſo peccet, cujus profitetur ſcientiam: ſic *philoſophus in ratione vitæ peccans, hoc turpior eſt, quòd in officio, cujus magiſter eſſe vult, labitur, artemque vitæ profeſſus, delinquit in vita.*

A. Nonne verendum igitur, ſi eſt ita, ut dicis, ne philoſo- 5
phiam falſa gloria exornes? quod eſt enim majus argumentum, nihil eam prodeſſe, [7] quàm quoſdam perfectos philoſophos turpiter vivere? M. Nullum verò id quidem argumentum eſt. nam ut agri non omnes frugiferi ſunt, qui coluntur, [8] falſumque illud, ac [9] improbè,

Etſi in ſegetem ſunt deteriorem datæ
Fruges, tamen ipſæ ſuapte natura enitent:

ſic animi non omnes culti fructum ferunt. atque, ut in eodem ſimili verſer, ut ager, quamvis fertilis, ſine cultura fructuoſus eſſe non poteſt, ſic ſine doctrina animus. [10] *ita eſt utraque res ſine altera debilis.* cultura autem animi, philoſophia eſt. [11] hæc extrahit vitia radicitus, & præparat animos ad ſatus accipiendos, [12] eaque mandat his, &, ut ita dicam, ſerit, quæ adulta fructus uberrimos ferant. Agamus igitur, ut cœpimus. dic, ſi vis, de quo diſputari velis. A. DOLOREM exiſtimo maximum malorum omnium. M. Etiamne majus, quàm dedecus? A. Non audeo id dicere quidem, & me pudet tam citò de ſententia eſſe dejectum. M. Magis eſſet pudendum, ſi in ſententia permaneres. quid enim minùs eſt dignum, quàm tibi pejus quidquam videri dedecore, flagitio, turpitudine? quæ ut effu-

---

1. *Ut jam, quod natura fert in omnibus ferè rebus, ſeneſcat.*] Pall. quinque, Ulrich. ita ordinant *in omnibus ferè ſeneſcat rebus.* Gruterus vocem poſtremam, arbitratur gloſſarii.

2. *Si ad hæc ſtudia plures confluxerint.*] Palat. quartus *conflixerint,* ut intelligat quod paullò ante dixerat, philoſophiam *ex contentionibus diſſenſionibuſque viguiſſe & magnam evaſiſſe.* ſed forte eſt noto errore. *i.* pro *u.*

3. *Non ferè præter ſuos quiſquam in manus ſumit.*] Ita omnes libri mſſ. cum Turneb. & Lamb. Victorius tamen, *in manu ſumit.*

4. *Id commendari omnium eruditorum lectioni decere.*] Ita Turnebus, cui aſſentiuntur Fabr. mſſ. Suffridi. Pall. quart. vulgo *lectione.* ceterum pro *decere,* vet. cod. *debere.* ut eſt quoque in Pith. Pal. quint. in primo à manu primâ *docere.* tert. quart. *dicere.*

5. *Objiciebatur interdum animo metus quidam, & dolor cogitanti.*] Placet mihi lectio Pall. tert. quart. & Pith. *cogitantis.*

6. *Itaque facilè in animo forti contra mortem habita inſedit oratio.*] Cum Pal. primo, amandem illud *habita* in Charonium.

7. *Quam quoſdam perfectos Philoſophos.*] Multis diſputavi de hac lectione in Crepundiis, repoſuique quod veriſſimum omnino eſt, ex Pal. ſec. *quoſdam profeſſos Philoſophos:* ſed quia nullus præterea teſtis ſuccederet, timidus fui hoc in lectionem ducere.

8. *Falſumque illud ac improbè.*] Non ea frons mihi eſt mutare hanc lectionem contra omnes libros. neque damno Lambini: *falſoque illud & illud ac improbè.* Mureti tamen Var. libro XVI. cap. 20. *falſumque illud Attii.*

9. ,, *Probæ etſi, &c.*] Nullibi invenio; eſt tamen omnibus coloribus bellum.

10. *Ita eſt utraque res ſine alterâ debilis.*] Ejeci illud *una* ante *res,* conſenſu vett. codd. Pall. pr. tert. quart. quint. Pith. Fab. denique ex edit. Victorii. Vatic.

11. *Hæc extrahit vitia radicitus.*] Ita Lambinus faventibus Fab. mſſ. Suffrid. Vatic. Ulrich. Pall. quart. quint. tres priores, *hæc autem extrahit.* vulgò *quæ extrahit.*

12. *Eaque mandat his.*] Pal. ſec. tert. q. Pith. F. Vat. Ulr. *mandat.*

effugias, quis eſt non modò non recuſandus, [1] ſed non ultro appetendus, ſubeundus, excipiendus dolor? A. Ita prorſus exiſtimo. quare ne ſit ſanè ſummum malum dolor: malum certè eſt. M. Videſne igitur, quantum, breviter admonitus, de doloris terrore dejeceris? A. Video planè: ſed plus deſidero. M. Experiar equidem: ſed *magna res eſt, animoque mihi opus eſt non repugnante.* A. Habebis id quidem. ut enim heri feci, ſic nunc rationem, quò ea me
6 cumque ducet, ſequar. M. Primùm igitur de imbecillitate multorum, & de variis diſciplinis philoſophorum loquar. quorum princeps & auctoritate, & antiquitate Socraticus Ariſtippus non dubitavit ſummum malum dolorem dicere. [2] deinde ad hanc enervatam, muliebremque ſententiam ſatis docilem ſe Epicurus præbuit. hunc poſt Rhodius Hieronymus, dolore vacare, ſummum bonum dixit: tantum in dolore duxit mali. ceteri, præter Zenonem, Ariſtonem, Pyrrhonem, [3] idem ferè, quod modò tu: malum illud quidem, ſed alia pejora. ergo id, quod natura ipſa, & quædam generoſa virtus ſtatim reſpuit, [4] ne dolorem ſummum malum diceres, oppoſitoque dedecore, ſententia depellerere, in eo *magiſtra vitæ philoſophia* tot ſecula permanet: [5] quod huic officium, quæ laus, quod decus erit tanti, quod adipiſci cum dolore corporis velit, qui dolorem ſummum malum ſibi eſſe perſuaſerit? [6] quam porrò quis ignominiam, quam turpitudinem non pertulerit, ut effugiat dolorem, ſi id ſummum malum eſſe decreverit? quis autem non miſer non modò tunc, cùm premetur ſummis doloribus, ſi in his eſt ſummum malum, ſed etiam cùm ſciet id ſibi poſſe evenire? & quis eſt, cui non poſſit? ita fit, ut omnino nemo eſſe poſſit beatus. Metrodorus quidem *eum perfectè putat beatum, cui corpus bene conſtitutum ſit, & exploratum ita ſemper fore.* quis autem
7 eſt iſte, cui id exploratum poſſit eſſe? Epicurus verò ea dicit, ut mihi quidem riſus captare videatur. *affirmat* enim *quodam loco, ſi uratur ſapiens, ſi crucietur:* expectas fortaſſe dum dicat, *Patietur, perferet, non ſuccumbet:* Magna me hercule laus, & eo ipſo, per quem juravi, Hercule digna: ſed Epicuro homini aſpero, & duro non eſt hoc ſatis: *In Phalaridis tauro ſi erit, dicet, Quàm ſuave eſt hoc! quàm hoc non curo!* Suave etiam? an parum eſt, ſi non amarum? [7] at id quidem illi ipſi, qui dolorem, malum eſſe negant, non ſolent dicere, cuiquam ſuave eſſe cruciari: aſperum, difficile, odioſum, contra naturam dicunt, nec tamen malum. Hic, qui ſolum hoc malum dicit, & malorum omnium extremum, ſapientem cenſet id ſuave dicturum, ego à te non poſtulo, ut dolorem eiſdem verbis afficias, quibus Epicurus voluptatem, homo, ut ſcis, voluptarius. ille dixerit ſanè idem in Phalaridis tauro, quod, ſi eſſet in lectulo. [8] ego tantam vim non tribuo ſapienti contra dolorem, [9] ſit fortis in perferendo, officio ſatis eſt: ut lætetur etiam, non poſtulo. triſtis enim res eſt ſine dubio, aſpera, amara, inimica naturæ, ad patiendum, tolerandumque difficilis. Adſpice Philoctetam: cui concedendum eſt gementi. ipſum enim Herculem viderat in Oeta [10] magnitudine dolorum ejulantem. nihil igitur hunc virum ſagittæ, quas ab Hercule acceperat, tum conſolabantur: [11] cum *E viperino morſu venæ viſcerum, [12] Veneno imbutæ tætros cruciatus cient.* itaque exclamat auxilium expetens, [13] mori cupiens:

[14] Heu quis ſalſis fluctibu' mandet
Me ex ſublimi vertice ſaxi?
Jamjam abſumor: conficit animam
Vis vulneris, ulceris æſtus.

Difficile dictu videtur, eum non in malo eſſe, & magno 8
quidem, qui ita clamare cogitur. Sed videamus Herculem ipſum, qui tum dolore frangebatur, cùm immortalitatem ipſa morte quærebat. quas hic voces apud Sophoclem in Trachiniis edit? cui cùm Dejanira ſanguine centauri tinctam tunicam induiſſet, inhæſiſſetque ea viſceribus, ait ille,

O multa dictu gravia, perpeſſu aſpera,
[15] Quæ corpore exanclato, atque animo pertuli.
Nec mihi Junonis terror implacabilis,
Nec tantum invexit triſtis Euryſtheus mali,
Quantum una vecors Oenei partu edita.
Hæc me irretivit veſte furiali inſcium:
Quæ lateri inhærens morſu lacerat viſcera,
Urgenſque graviter pulmonum haurit ſpiritus:
Jam decolorem ſanguinem omnem exſorbuit:
Sic corpus clade horribili abſumptum extabuit.
Ipſe illigatus peſte interimor textili.
Hos non hoſtilis dextra, non terra edita
Moles gigantum, non biformato impetu
[16] Centaurus ictus corpori infixit meo,
Non Graja vis, non barbara ulla immanitas,
Non ſæva terris gens relegata ultimis,
Quas peragrans undique omnem hinc feritatem expuli:
[17] Sed fœminea vi, fœminea interimor manu.
O nate, verè hoc nomen uſurpa patri,
[18] Nec me occidentem matris ſuperet caritas.
Heu arripe ad me manibus abſtractam piis.
Jam cernam, mene, an illam potiorem putes.
Perge, aude nate, illacryma patris peſtibus:
Miſerere, gentes noſtras flebunt miſerias.
Heu virginalem me ore ploratum edere,
Quem vidit nemo ulli ingemiſcentem malo?
Sic fœminata virtus afflicta occidit.
Accede nate, aſſiſte, miſerandum adſpice 9
Eviſceratum corpus lacerati patris.
Videte cuncti, tuque cœleſtum ſator,

Jace,

1. *Sed non ultro appetendus.*] Lambino ſic placuit, firmantque Pithœanus, quinque Pall. Fabr. mſſ. Suffridi. vulgo *non* neglexerant.

2. *Deinde ad hanc enervatam.*] Sic quatuor priores Pal. vet. quidam præterea codex, Fabr. & Gryphii liber. vulgò *dehinc*.

3. *Idem fere, quod modo tu.*] Victorius: *idem fere. A. Quomodo tu? M. Malum.* ut & quart. Pal. ceteri quatuor, *quomodo tu*. quod & in Pith. & Fabr. Vatic.

4. *Ne dolorem ſummum malum diceres, oppoſitoque dedecore ſententia depellerere.*] Pall. pr. quart. quint. Pith. Ulrich. *dicere*, & *depellere*. primus, *ſententiam depellere*. Ulrich. *repellere*.

5. *Quod huic officium.*] Pal. ſecundus, *ſed quæſo quod huic.*

6. *Quam porrò quis ignominiam.*] Pall. pr. ſec. quint. *contraque quam.*

7. *At id quidem illi ipſi.*] Victor. Palat. tert. *ad id.* quint. *atqui.*

8. *Ego tantam vim non tribuo ſapienti contra dolorem.*] Pervicit auctoritas Lambini, ut ſic ederem, aſſeclam habens Manutium Nep. & Pal. primum, in quo, *ſapienti & contra.*

9. *Sit fortis in perferendo.*] Ita codex Huraltinus, & ex eo Lamb. in priore edit. ſic quoque in Pal. quinto. at prim. ſecund. *ſi fortis.* Lambinus tamen ipſe maluit, *eſſe fortem.* vulgo *ſi fortè in perf.*

10. *Magnitudine dolorum ejulantem.*] Gembl. Pall. tert. quart. *hejulantem.* ſic infra libri habent cap. 13. m. *nec dignum viro videbitur, gemere, hejulari, lamentari &c.*

11. *Cum, E viperino morſu.*] Fabricianus *Ei.*

12. *Veneno imbutæ tetros cruciatus cient.*] Ita quinque Pall. Fabr. Vatican. Schedæ Longobardicæ. vulgò *cierent.*

13. *Mori cupiens.*] Gulielmius ſcribi volebat *cupiens mori.* notatque exſiluiſſe verſum Poëtæ, & ideo a Cicerone mollitum. vulgatam tuentur omnes libri.

14. *Heu quis ſalſis fluctibus.*] Rectè. ſic Victor. Pall. quart. quint. Fabr. Pith. quid vulgò cum *falſis fluctibus* agant, an deſipiant, meum non eſt curare. Vaticanus refert, *heu qui*, recte.

15. *Quæ corpore exanclato.*] Ita Victorius cum omnibus libris noſtris. Lamb. tamen *exantlavi* ex aliquot lib. vett. probat etiam aliorum partim *exanclata* ut eſt in Ulrich. partim *exantlata.* ut verùm fatear, in ſolo Palat. tertio ſuper *to* erat ſcriptum, *al' ta.* habentque *exanclata* Fab. & Pith. codd.

16. *Centaurus ictus corpori infixit meo.*] Turneb. malit *inflixit:* ſicque eſt in Pal. pr. quod Lamb. ſecutus.

17. *Sed fœmineâ vi.*] Sic eleganter Victor. pr. tert. quint. Pall. at vulgò *vir*, à naſutulo interpolatum, quia erat in mſſ. quibuſdam *vis.*

18. *Nec me occidentem.*] Ita vulgo & Turneb. contrà Victorius, quinque Pall. Fab. Pith. *ne me.*

1. Nunc

Jace, obſecro, in me vim coruſcam fulminis.
[1] *Nunc, nunc dolorum anxiferi torquent vertices:*
Nunc ſerpit ardor. ô antè victrices manus,
O pectora, ô terga, ô lacertorum tori!
Veſtrone preſſu quondam Nemeæus leo
Frendens efflavit graviter extremum halitum?
Hæc dextra Lernam tetram mactata excetra,
Placavit: hæc bicorporem afflixit manum:
Erimanthiam hæc vaſtificam abjecit beluam:
Hæc à Tartarea tenebrica abſtractum plaga
Tricipitem eduxit Hydra generatum canem:
Hæc interemit tortu multiplicabili
Draconem, [2] *auriferam obtutu obſervantem arborem.*
Multa alia victrix noſtra luſtravit manus,
Nec quiſquam è noſtris ſpolia cepit laudibus.

10 Poſſumuſne nos contemnere dolorem, cùm ipſum Herculem tam intoleranter dolere videamus? [3] Veniat Æſchylus non poëta ſolum, ſed etiam Pythagoreus. ſic enim accepimus. quo modo fert apud eum Prometheus dolorem, quem excipit ob furtum Lemnium, [4] *unde ignis lucet mortalibus clam diviſus? eum doctus Prometheus clepſiſſe dolo, pœnaſque Jovi fato expendiſſe ſupremo.* Has igitur pœnas pendens, affixus ad Caucaſum hæc dicit:

Titanum ſoboles, ſocia noſtri ſanguinis,
Generata cœlo, adſpicite religatum aſperis
Vinctumque ſaxis, navem ut horriſono freto
Noctem paventes timidi adnectunt navitæ.
Saturnius me ſic infixit Jupiter,
Joviſque numen Mulcibri aſcivit manus.
Hos ille cuneos fabrica crudeli inſerens,
Perrupit artus: qua miſer ſollertia
Tranſverberatus, caſtrum hoc furiarum incolo.
Jam tertio me quoque funeſto die,
Triſti advolatu, aduncis lacerans unguibus
Jovis ſatelles paſtu dilaniat fero.
[5] *Tum jecore opimo farta, & ſatiata affatim*
Clangorem fundit vaſtum, & ſublime avolans
Pinnata cauda noſtrum adulat ſanguinem.
Cùm verò adeſum inflatu renovatum eſt jecur,
Tum rurſus tætros avida ſe ad paſtus refert.
Sic hunc cuſtodem mœſti cruciatus alo:
Qui me perenni vivum fœdat miſeria.
Namque, ut videtis, vinclis conſtrictus Jovis,
Arcere nequeo diram volucrem à pectore.
Sic me ipſe viduus peſtes accipio anxias,
[6] *Amore mortis terminum anquirens mali.*
[7] *Sed longè à leto numine aſpellor Jovis.*
Atque hæc vetuſta ſæclis glomerata horridis,
Luctifica clades noſtro infixa eſt corpori:
E quo liquatæ ſolis ardore excidunt
Guttæ, quæ ſaxa aſſiduè inſtillant Caucaſi.

11 Vix igitur poſſe videmur ita affectum non miſerum dicere: & ſi hunc miſerum, certè dolorem, malum. A. Tu quidem adhuc meam cauſam agis. ſed hoc mox videro. interea unde iſti verſus? non enim agnoſco. M. Dicam hercle. etenim rectè requiris. videſne abundare me otio? A. Quid tum? M. Fuiſti ſæpe, credo, cùm Athenis eſſes, in ſcholis philoſophorum. [8] A. Verò, ac libenter quidem. M. Animadvertebas igitur, etſi tum nemo erat admodum copioſus, verumtamen verſus ab his admiſceri orationi. A. Ac multos quidem à Dionyſio Stoico. M. Probè dicis. ſed is quaſi dictata, [9] nullo delectu, nulla elegantia, [10] Philo noſter & proprium numerum [11] & lecta poëmata, & loco adjungebat. Itaque poſtquàm adamavi hanc quaſi ſenilem declamationem, ſtudioſè equidem utor noſtris poëtis. ſed, ſicubi illi defecerunt. [12] Verti enim multa de Græcis, ne quo ornamento in hoc genere diſputationis careret Latina oratio. Sed videſne, poëtæ quid mali afferant; lamentanteis inducunt fortiſſimos viros: molliunt animos noſtros: ita ſunt deinde dulces, ut non legantur modò, ſed etiam ediſcantur. *ſic ad malam domeſticam diſciplinam, vitamque umbratilem, & delicatam cùm acceſſerunt etiam poëtæ, nervos omnis virtutis elidunt.* rectè igitur à Platone educuntur ex ea civitate, quam finxit ille, cùm mores optimos, & optimum reip. ſtatum exquireret. At verò nos, docti ſcilicet à Græcia, hæc & [13] à pueritia legimus, & diſcimus: hanc eruditionem liberalem, & doctrinam putamus.

12 Sed quid pueris iraſcimur? virtutis magiſtri philoſophi inventi ſunt, qui ſummum malum dolorem dicerent. at tu adoleſcens, cùm id tibi paullo antè dixiſſes videri, rogatus à me, etiamne majus, quàm dedecus, verbo de ſententia deſtitiſti. [14] Rogo hoc idem Epicurum: majus dicet eſſe malum, mediocrem dolorem, quàm maximum dedecus. in ipſo enim dedecore mali nihil eſſe, niſi ſequantur dolores. quis igitur Epicurum ſequitur dolor, cum hoc ipſum dicit, ſummum malum eſſe dolorem, quo dedecus majus à philoſopho nullum exſpecto? quare ſatis mihi dediſti, cùm reſpondiſti, majus tibi videri malum, dedecus, quàm dolorem. hoc ipſum enim ſi tenebis, intelliges, quàm ſit obſiſtendum dolori. *nec tam quærendum eſt, dolor, malumne ſit, quàm firmandus animus ad dolorem ferendum.* [15] Concludunt ratiunculis Stoici, cur non ſit malum: quaſi de verbo, non de re laboretur. Quid me decipis Zeno? nam cùm id, quod mihi horribile videtur, tu omnino malum eſſe negas, capior, & ſcire cupio, quo modo id, quod ego miſerrimum exiſtimem, ne malum quidem ſit. *Nihil eſt*, inquit, *malum, niſi quod turpe, atque vitioſum eſt.* Ad ineptias redis. illud enim, quod me angebat, non eximis. ſcio dolorem non eſſe nequitiam. deſine id me docere: hoc doce, doleam, necne doleam, nihil intereſſe. *Numquam quidquam*, inquit, *ad beatè quidem vivendum, quod eſt in una virtute poſitum: ſed eſt tamen rejiciendum.* Cur? *Aſperum eſt, contra naturam, difficile perpeſſu, triſte, durum.*

13 Hæc eſt copia verborum, quod omnes uno verbo malum appellamus, id tot modis poſſe dicere. definis tu mihi, non tollis dolorem, cùm dicis aſperum, contra naturam,

vix

1. *Nunc nunc dolorum anxiferi torquent vertices.*] Victorio ac Lambino præſto ſunt quinque Pall. Fab. Pith. vulgo *dolorem.* Ulrichian. *dolorum & anxiferi.*

2. *Auriferam obtutu obſervantem arborem.*] Victorius cum Pall. tert. quart. Fabr. Pith. *aſſervantem.* Vatic. *optutum adſervantem arborem.*

3. *Veniat Æſchylus, non poëta ſolùm.*] Ita Victorius: ita quinque Pall. Pith. accedit in partem Fab. qui *ſolùm ſed & Pyth.* vulgo *tantum.*

4. *Unde ignis lucet.*] Palat. quart. & Pith. *elucet.*

5. *Tum jecore opimo.*] Pall. quart. quint. *Tum jecure opimo farta.*

6. *Amore mortis terminum anquirens mali.*] Ita docui legendum in Crepundiis, hunc & plures alios locos harum diſputationum. Video jam ſic Victorium edidiſſe & ſic omnino in Pal. tert. Pith. Vatic. Ulrich. Palat. vero quart. *acquirens.* vulgo *inquirens.*

7. *Sed longe à lcto numine aſpellor Jovis.*] Ita rectè Lambiniani ſicque in omnibus Pall. præter primum. Victorius & ejus aſſeclæ *læto* vitiose.

8. *A. verò ac libenter quidem.*] Sic omnes mſſ. Lambinus præponit *fui*: ſed ipſe poſtea rejicit. ſic Cicero Divin. lib. 1. cap. 46. *verò, mea puella, tibi concedo meas ſedes.* & alias frequenter. Victorius omittit *quidem.*

9. *Nullo delectu.*] Rectè ſic Lamb. ſic quoque Pall. prim. tert. quart. Vatic. & liber Gryphii. vulgò *delectu.*

10. *Philo noſter & proprium numerum.*] Accommodavimus nos Lambino, cùm conſuadeant Pall pr. quint. Fab. quippe Pal. tert. *Philo & proprium noſter.* ſec. *Philo etiam proprius noſter.* vulgò omittunt τὸ *noſter.*

11. *Et lecta poëmata.*] Probavimus hoc cum Lambino, aſſerentibus Pall. pr. ſec. quart. Fab. Gryph. liber eſt in Pal. tert. *læta.* vulgo *electa.*

12. *Verti enim multa de Græcis.*] Lectionis hujus cuſtos Victorii editio. quàm adſtruunt Pall. tert. quart. quint. ſed reliqui duo certè pro vulgato *ipſe.*

13. *A pueritia legimus & diſcimus.*] Conſentit cum Victorio Lambin. item Pall tres priores, Vatic. Fab. Pith. vulgo *didicimus.*

14. *Rogo hoc idem Epicurum.*] Rectè ſic Victor. cum quinque Pall. Pith. vulgo *Roga hoc.*

15. *Concludunt ratiunculis Stoici.*] Pall. ſec. tert. quart. Fabr. *ratiunculas.* quemadmodum Ulrichianus.

1. Optare

vix quod ferri, tolerarique poſſit: nec mentiris: ſed re ſuccumbere non oportebat, verbis gloriantem, *dum nihil bonum, niſi quod honeſtum: nihil malum, niſi quod turpe.* [1] Optare hoc quidem eſt, non docere. illud & meliùs, & verius: *omnia, quæ natura aſpernatur, in malis eſſe: quæ aſciſcat, in bonis.* hoc poſito, & verborum concertatione ſublata, tantum tamen excellet illud, quod rectè amplexantur iſti, quod honeſtum, quod rectum, quod decorum appellamus; quod idem interdum virtutis nomine amplectimur, ut omnia præterea quæ bona corporis, & fortunæ putantur, [2] perexigua, & minuta videantur: [3] *ne malum quidem ullum,* [4] *nec, ſi in unum locum collata omnia ſunt, cum turpitudinis malo comparanda.* Quare, ſi, ut initiò conceſſiſti, turpitudo pejus eſt, quàm dolor: nihil eſt planè dolor. nam dum tibi turpe, nec dignum viro videbitur, gemere, ejulare, lamentari, frangi, debilitari, dolere, [5] tum honeſtas, tum dignitas, tum decus aderit: [6] tuque in ea intueberis, te continebis: cedet profectò virtuti dolor, & animi inductione langueſcet: *aut* enim *nulla virtus eſt, aut contemnendus omnis dolor.* prudentiamne vis eſſe, ſine qua ne intelligi quidem ulla virtus poteſt? [7] quid ergo ea? patieturne te quidquam facere nihil proficientem, & laborantem? an temperantia ſinet te immoderatè facere quidquam? an coli juſtitia poterit ab homine propter vim doloris enuntiante commiſſa, prodente conſcios, multa officia relinquente? Quid? Fortitudini, comitibusque ejus, magnitudini animi, gravitati, patientiæ, rerum humanarum deſpicientiæ, quo modo reſpondebis? afflictuſne, & jacens, & lamentabili voce deplorans, audies, O virum fortem? [8] Te verò ita affectum ne virum quidem dixerit quiſquam. *amittenda* igitur *fortitudo eſt, aut ſepeliendus*
14 *dolor.* [9] Ecquid ſcis igitur, ſi quid de Corinthiis tuis amiſeris, poſſe habere te reliquam ſupellectilem ſalvam: virtutem autem ſi unam amiſeris: etſi *amitti non poteſt virtus:* ſed ſi unam confeſſus fueris te non habere, nullam te eſſe habiturum? num igitur fortem virum, num magno animo, num patientem, num gravem, [10] num humana contemnentem potes dicere aut Philoctetam illum? A te enim malo diſcere. Sed ille certè non fortis [11] qui jacet in lecto humido, qui

Ejulatu, queſtu, gemitu, fremitibus,
Reſonando, multum flebileis voces refert.

non ego dolorem, dolorem eſſe nego: [12] cur enim fortitudo deſideraretur? ſed eum opprimi dico patientia, ſi modò eſt aliqua patientia: ſi nulla eſt, quid exornamus philoſophiam? aut quid ejus nomine glorioſi ſumus? Pungit dolor. Vel fodiat ſanè. ſi nudus es, da jugulum. ſin tectus Vulcaniis armis, id eſt, fortitudine, reſiſte. hæc enim te, niſi ita facies, *cuſtos dignitatis*, relinquet, & deſeret. [13] Cretum quidem leges, quas ſive Jupiter, ſive Minos ſanxit, de Jovis quidem ſententia, ut poëtæ ferunt, itemque Lycurgi, laboribus erudiunt juventutem, *venando, currendo, eſuriendo, ſitiendo, algendo, æſtuando.* Spartæ verò pueri ad aram ſic verberibus accipiuntur, [14] *ut multus è viſceribus ſanguis exeat:* nonnunquam etiam, ut, cùm ibi eſſem, audiebam, ad necem: quorum non modò nemo exclamavit umquam, ſed ne ingemuit quidem. Quid ergo? hoc pueri poſſunt, viri non poterunt? [15] & mos valet, ratio non valebit? Intereſt aliquid inter laborem, & dolo- 15
rem. ſunt finitima omnino, [16] ſed tamen differt aliquid. LABOR, eſt functio quædam vel animi, vel corporis gravioris operis, & muneris: DOLOR autem, motus aſper in corpore, alienus à ſenſibus. Hæc duo Græci illi, quorum copioſior eſt lingua, quàm noſtra, uno nomine appellant. itaque induſtrios homines, illi ſtudioſos, vel potiùs amanteis doloris appellant: nos commodiùs laborioſos. aliud eſt enim laborare: aliud dolere. ô verborum inops interdum, quibus abundare te ſemper putas, Græcia! aliud, inquam, eſt dolere, aliud laborare. cùm varices ſecabantur C. Mario: dolebat. cùm æſtu magno ducebat agmen: laborabat. eſt inter hæc tamen quædam ſimilitudo. [17] *conſuetudo* enim *laborum perpeſſionem dolorum efficit faciliorem.* itaque illi, qui Græciæ formam rerum publicarum dederunt, *corpora juvenum firmari labore voluerunt.* quod Spartiatæ etiam in fœminas tranſtulerunt: *quæ cæteris in urbibus molliſſimo cultu, parietum umbris occuluntur.* illi autem voluerunt [18] nihil horum ſimile eſſe *apud Lacænas virgines: quibus magis palæſtra, Eurotas, ſol, pulvis, labor, militia in ſtudio eſt, quàm fertilitas barbara.* ergo his laborioſis exercitationibus & dolor intercurrit nonnumquam. [19] impelluntur, feriuntur, abjiciuntur, cadunt: & ipſe labor quaſi callum quoddam obducit dolori. Militiam verò noſtram dico, non Spartia- 16
tarum, quorum procedit ad modum, ad tibiam, nec adhibetur ulla ſine anapæſtis pedibus hortatio. *Noſtri exercitus* primùm *unde nomen habeant, vides:* deinde qui labor, quantus agminis ferre plus dimidiati menſis cibaria: ferre, ſi quid ad uſum velint: ferre vallum. nam ſcutum, gladium, galeam, in onere noſtri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus. *arma* enim *membra militis eſſe dicunt.* quæ quidem ita geruntur aptè, ut, ſi foret uſus, abje-

1. *Optare hoc quidem eſt, non docere.*] Conjecturam P. Fabri, quam tantopere laudat Lambinus, nullibi inveni. eſt autem ea *aptare.*

2. *Perexigua & minuta videantur.*] Non malè Pal. pr. *perexigua & perminuta.*

3. *Ne malum quidem ullum.*] Lambini lectionem aſſerunt v. c. Pall. ſec. tert. Vat. quartus. vulgo, *nec malum quidem ull.*

4. *Nec ſi in unum locum collata omnia ſunt.*] Victorii hæc eſt lectio, ſed quoque eſt à quatuor Pall. prioribus. Fabr. Pith. vulgo: *nec ſi unum in locum collata omnia ſint.*

5. *Tum honeſtas, tum dignitas.*] Ita Victorius, ita Lambinus cum congrege Pall. turbâ Fabr. Pith. mſſ. Suffridi. Vatic. Ulrich. vulgo omittitur *tum honeſtas.*

6. *Tuque in ea intueberis.*] Aſſentiuntur ferè Pall. tres Lambino, ita legenti; *dumque in ea intueberis:* quippe prim. ſec. *cumque.* quart. *tumque.* Vatic. Ulrich. *tuque in ea intueris.*

7. *Quid ergo ea? patieturne.*] Sic ſcripſi fretus auctoritate Victorii, quinque Pall. vulgo: *quid ergo? ea patieturne.*

8. *Te verò ita affectum ne virum quidem.*] Neſcio quid in mentem fuerit Victorii ita exhibenti hunc locum: *Te verò ita affectumne verum quidem:* vitioſè.

9. *Ecquid ſcis igitur, ſi quid de Corinthiis tuis amiſeris.*] Fabr. Pith. *ſi quem de Corinth.* ſubaudit Gulielmius *matellionem*, aut *ſcyphum.*

10. *Num humana contemnentem potes dicere aut Philoctetam illum? A te enim malo diſcere. ſed.*] Reduximus lectionem Victorii, à mſſ. noſtris pleriſque confirmatam prim. tert. quart. quint. Fab. Pith. Vatic. licet Lambinus cum Manutio refingat: *aut Prometheum aut Philoctetam illum? Illos enim, quàm te, malo dicere.* cum Gulielm. in ſuis *à* reperiſſet conjecturâ ductus volebat *ac.* vulgo: *potes dicere aut Philoctetam illum, (quam te enim malo dicere: ſed ille certè non fortis.)*

11. *Qui jacet in lecto humido.*] Hanc lectionem ex mſſ. vindicarunt Vict. Lamb. ego iterum ex Pall. quatuor poſterioribus Fab. Pith. Vatic. alias *lectulo.*

12. *Cur enim fortitudo deſideraretur.*] Pal. quart. *deſereret.*

13. *Cretum quidem leges, quas ſive Juppiter, ſive Minos ſanxit, de Jovis quidem ſententia.*] Meo palato ſapidius Pal. quart. & Ulrich. *cretum quidem leges Minos ſanxit, de Jovis quidem ſententiâ;* miſſo illo carcinomate ſuperfluo.

14. *Ut multus è viſceribus ſanguis exeat.*] Sic eſt in omnibus libris: alii tamen: *ut multis è viſc.* Hotomanus verò obſervat. lib. v. cap. 30. pro *viſceribus* legit *vibicibus.*

15. *Et mos valet, ratio non valebit.*] Victorii lectionem à Lambino receptam, in quinque Pall. Fabr. Pith. Vatican. repoſitam. vulgo, *& quos mos valet.*

16. *Sed tamen differt aliquid.*] Quod exſtat in edit. Victorii, reperi quoque in quinque Pall. Vatic. itaque admittendum duxi. vulgo *differunt.*

17. *Conſuetudo enim laborum perpeſſionem dolorum efficit faciliorem.*] Ita ſcripſi inſtinctu Pall. quart. quint. Fab. vulgò *efficiet.*

18. *Nihil horum ſimile eſſe apud Lacænas virgines, quibus, &c.*] Clariſſimus Puteanus indicavit, Joſeph. Scaligerum arbitratum, hæc fuiſſe veteris poëtæ cujuſpiam, atque ita digerenda: *Nil horum ſimile apud Lacænas virgines.*

Queis magi' palæſtra, turota, ſol, polvis, labos,
Militia in ſtudio eſt, quàm fertilitas barbara.

19. *Impelluntur, feriuntur, abjiciuntur.*] Ita omnes mſſ. Victoriana tamen, *feruntur.*

1. *Quid?*

abjectis oneribus, expeditis armis, ut membris pugnare poſſint. Quid exercitatio legionum? [1] quid? ille curſus, concurſus, clamor, quanti laboris eſt? ex hoc ille animus in prœliis paratus ad vulnera: [2] adduc pari animo inexercitatum militem: mulier videbitur. cur? tantum intereſt inter novum, & veterem exercitum, quantum experti ſumus. ætas tironum, plerumque melior: ſed *ferre laborem, contemnere vulnus, conſuetudo docet.* quin etiam videmus ex acie efferri ſæpe ſaucios & quidem rudem illum, & inexercitatum, quamvis levi ictu, ploratus turpiſſimos edere. at verò ille exercitatus, & vetus, ob eamque rem fortior, medicum modò requirens, à quo obligetur,

[3] O Patrocle, (inquit) ad vos adveniens auxilium, & veſtras manus peto, (nu:
Priuſquàm oppeto malam peſtem, mandatam hoſtili ma-
Neque ſanguis ullo potu eſt pacto profluens conſiſtere,
Si quà ſapientia magis veſtra devitari mors poteſt.
Namque Æſculapii liberorum ſaucii opplent porticus:
Non poteſt accedi.

17 [4] Certe Euripylus hic quidem eſt. hominem exercitatum! [5] ubi tantum luctus continuatur? vide, quàm non flebiliter reſpondeat: rationem etiam afferat, cur æquo animo ſibi ferendum ſit.

---qui alteri exitium parat,
Eum ſcire oportet ſibi paratam peſtem, ut participet parem.

Abducet Patroclus, credo, ut collocet in cubili, ut vulnus obliget, ſi quidem homo eſſet. [6] ſed nihil vidi minus. quærit enim, quid actum ſit.

Eloquere: res Argivûm prœlio ut ſe ſuſtinet.

Non poteſt effari tantum dictis, quantum factis ſuppetit laboris.

Quieſce igitur, & vulnus alliga.

[7] Etiam ſi Euripylus poſſet, non poſſet Æſopus.

---ubi fortuna Hectoris
Noſtram acrem aciem inclinatam:--

& cetera explicat in dolore. SIC EST enim intemperans militaris in forti viro gloria. ergo hæc veteranus miles facere poterit: doctus vir, ſapienſque non poterit? Ille verò melius, ac non paullo quidem. ſed de conſuetudine adhuc exercitationis loquor: nondum de ratione & ſapientia. Aniculæ ſæpe inediam biduum, aut triduum ferunt. ſubduc cibum unum diem athletæ: Jovem Olympium, eum ipſum, cui ſe exercebit, implorabit: ferre non poſſe clamabit. *Conſuetudinis magna vis eſt.* pernoctant venatores in nive: in montibus uri ſe patiuntur. inde pugiles ceſtibus contuſi, ne ingemiſcunt quidem, ſed quid hos, quibus Olympiorum victoria, conſulatus ille antiquus videtur? gladiatores, aut perditi homines, aut barbari, quas plagas perferunt? quo modo illi, qui bene inſtituti ſunt, accipere plagam malunt, quàm turpiter vitare? quàm ſæpe apparet nihil eos malle, quàm vel domino ſatisfacere, vel populo? mittunt etiam vulneribus confecti ad dominos, qui quærant, quid velint; [8] ſi ſatisfactum iis non ſit, ſe velle decumbere. quis mediocris gladiator ingemuit? quis vultum mutavit umquam? quis non modò ſtetit, verùm etiam decubuit turpiter? quis cùm decubuiſſet, ferrum recipere juſſus, [9] collum contraxit? tantum exercitatio, meditatio, conſuetudo valet. ergo hoc poterit

Samnis, ſpurcus homo, vita illa dignus locoque:

vir natus ad gloriam, ullam partem animi tam mollem habebit, quam non meditatione, & ratione corroboret? crudele gladiatorum ſpectaculum, & inhumanum nonnullis videri ſolet: [10] & haud ſcio an ita ſit, ut nunc ſit. cùm verò ſontes ferro depugnabant, auribus fortaſſe multæ, oculis quidem nulla poterat, eſſe fortior contra dolorem, & mortem diſciplina. De exercitatione, & conſuetudine, & com- 18
mentatione dixi. [11] age ſis, nunc de ratione videamus: niſi quid vis ad hæc. A. Egone ut te interpellem? ne hoc quidem vellem: ita me ad credendum tua ducit oratio. M. [12] Sitne igitur malum dolere, necne, Stoici viderint, qui contortulis quibuſdam, ac minutis concluſiunculis, [13] nec ad ſenſus permanantibus, effici volunt, non eſſe malum, dolorem. ego illud, quidquid ſit, tantum eſſe, quantum videatur, non puto: falſaque ejus viſione, & ſpecie moveri homines dico vehementiùs, doloremque ejus omnem eſſe tolerabilem. unde igitur ordiar? an eadem breviter attingam, quæ modò dixi, quo faciliùs oratio progredi poſſit longiùs? Inter omneis igitur hoc conſtat, nec doctos homines ſolùm, ſed etiam indoctos, virorum eſſe fortium, & magnanimorum, & patientium, & humana vincentium, toleranter dolorem pati: nec verò quiſquam fuit, qui eum, qui ita pateretur, non laudandum putaret. quod ergo & poſtulatur à fortibus, & laudatur, cùm fit, id aut extimeſcere veniens, aut non ferre præſens, nonne turpe eſt? Atqui vide, ne, cùm omnes rectæ animi affectiones, virtutes appellentur, non ſit hoc proprium nomen omnium, [14] ſed ab ea, quæ una ceteris excellebat, omnes nominatæ ſint. [15] appellata eſt enim ex viro virtus: *viri autem propria maximè eſt fortitudo.* cujus munera duo ſunt maxima, mortis, doloriſque contemtio. utendum eſt igitur his, ſi virtutis compotes, vel potiùs ſi viri volumus eſſe, quoniam à viris virtus nomen eſt mutuata. Quæres fortaſſe, quo modo: & rectè. talem enim medicinam philo- 19
ſophia profitetur. venit Epicurus, homo minimè malus, vel potiùs vir optimus: tantum monet, quantum intelligit: *Neglige,* inquit, *dolorem.* Quis hoc dicit? Idem, qui dolorem ſummum malum. vix ſatis conſtanter audiamus. *Si ſummus dolor eſt,* inquit, *neceſſe eſt brevem eſſe.* Iteradum eadem iſta mihi; [16] non enim ſatis intelligo, quid ſummum

---

1. *Quid? ille curſus, concurſus, clamor.*] Ita Victorius, Lambinus, Vatic. quinque Pall. Pith. vulgo: *quid ille curſus, clamor, quanti laboris eſt?*

2. *Adduc pari animo inexercitatum militem.*] Ita vulgo & in Vatic. ſed in quinque Pall. Victorii edit. *adhuc.*

3. *O Patrocle.*] Adhæſimus Turnebianis lib. IV. Adverſ. cap. 18. vulgò, *Patrocles*. Pall. pr. tert. quart. quint. Fabr. Pith. *O Patrocles*. Pall. ſec. Ulrich. *Patricole.*

4. *Certè Euripylus hic quidem eſt, hominem exercitatum.*] Pall. tres poſteriores codd. *exercitum.* quemadmodum Vatic. & Ulrichianus.

5. *Ubi tantum luctus continuatur.*] Nihil potuimus decernere de hoc. Aldus Avus, Victorius, Pal. tert. *tantum luctus continuatus.* Pal. prim. *ubi tantum luctum continuam.* quartus, quint. *luctum continuat.* Lamb. cum ſuis aſſeclis: *quis tot verba tanto in luctu continuat?* Vat. *hominem exercitum, ubi tantus luctus continuatus.* Ulrich. *luctum continuamus.*

6. *Sed nihil vidi minus.*] Pall. quinque cum Fab. *vidimus.*

7. *Etiamſi Euripylus poſſet, non poſſet Æſopus.*] Quam lectionem in Memmianis & Huraltino invenit Lambinus, exſtat quoque in Vict. ed. & quatuor Pall. nam tertius planè Turnebi eſt, ita legentis Advert. lib. 4. cap. 18. *etiamſi Eurypilus non poſſet, poſſet Æſopus.*

8. *Si ſatis factum iis non ſit.*] Sic Lambinus, ex ſententiâ Turnebi; cui accedit Pal. ſec. *ſi ſatis iis factum non ſit.* tert. *ſi ſatis hic factum non ſit.* alii ex conjecturâ: *ni ſatis factum ſit.* vulgo, *ſatis factum iis ſit*, Vatic. *ſi ſatis bis actum ſit.*

9. *Collum contraxit.*] Mſſ. Suffridi: *retraxit.*

10. *Et haud ſcio an ita ſit ut nunc ſit.*] Pal. quart. *& adhuc neſcio an ita ſit, ut nunc ſit.*

11. *Age ſis nunc de ratione videamus.*] Palatt. quatuor. ut in crepundiis indicavi, *Agage ſis.*

12. *Sitne igitur malum dolere.*] Iſtud Pal. prim. tertius ſuperne: quart. quint. Pith. imò ipſe Victorius aſſerit. vulgo *dolor.*

13. *Nec adſenſus permanantibus.*] Prætuli hanc lectionem Crepundiis jam repertam mihi in Pal. quart. illuſtrat hunc locum ipſe Tullius ſupra lib. 1. cap. 8. f. *uberius iſta quæſo. hæc enim ſpinoſiora prius ut confitear, me cogunt, quàm ut aſſentiar.* conjeceram etiam *permanentibus*, quod jam editum video olim à Victorio. vulgo, *nec adſenſus permanentibus.* Fab. codex *aſſenſibus perm.*

14. *Sed ab ea, quæ una ceteris excellebat.*] Victorius ſic edidit, ſicque reperi in Pall. quart. quint. Vatic. in ceteris quoque, ut Fab. Pith. eſt *excellebat.* aliàs; *ſed ab eâ unâ, quæ ceteris excellat.*

15. *Appellata eſt enim ex viro virtus.*] Vulgo *à viro.* ſed à nobis eſt Victor. quinque Pall. Fab. Pith.

16. *Non enim ſatis intelligo.*] Auctior adverbio *ſatis* editio Victor. quinque Pall. Fab. Pith.

1. Ferri

mum dicas eſſe, qui breve. *Summum, quo nihil ſit ſuperius: breve, quo nihil brevius.* Contemno magnitudinem doloris, à qua me brevitas temporis vindicabit antè pænè, quàm venerit. ſed ſi eſt tantus dolor, quantus Philoctetæ, benè planè magnus mihi quidem videtur, ſed tamen non ſummus: nihil enim dolet, niſi pes. poſſunt oculi: poteſt caput, latera, pulmones: poſſunt omnia. Longè igitur abeſt à ſummo dolore. *Ergo*, inquit, *dolor diuturnus habet lætitiæ plus, quàm moleſtiæ.* Nunc ego non poſſum, tantum hominem, nihil ſapere dicere. ſed nos ab eo derideri puto. ego ſummum dolorem (ſummum autem dico, etiam ſi decem atomis eſt major alius) non continuò dico eſſe brevem: multoſque poſſum bonos viros nominare, qui complureis annos doloribus podagræ crucientur maximis. ſed homo cautus numquam terminat nec magnitudinis, nec diuturnitatis modum, ut ſciam quid ſummum dicat in dolore, quid breve in tempore. Omittamus hunc igitur, nihil prorſus dicentem: cogamuſque confiteri, non eſſe ab eo doloris remedia quærenda, qui dolorem, malorum omnium maximum dixerit. quamvis idem forticulum ſe in torminibus, & in ſtranguria ſua præbeat. aliunde igitur eſt quærenda medicina, & maximè quidem, ſi, quid maximè conſentaneum ſit, quærimus, ab iis, *quibus, quod honeſtum ſit, ſummum bonum, quod turpe, ſummum videtur malum.* his tu præſentibus gemere, & te jactare non audebis profectò. loquetur enim eorum voce
20 virtus ipſa tecum. Tune, cùm pueros Lacedæmone, adoleſcentes Olympiæ, barbaros in arena videris excipienteis graviſſimas plagas, & ferenteis ſilentio, ſi te fortè dolor aliquis pervellerit, exclamabis, ut mulier? non conſtanter, & ſedatè feres? [1] ferri non poteſt: natura non patitur. Audio. pueri ferunt, gloria ducti: ferunt pudore alii, multi metu: & tamen veremur, ut hoc, quod à tam multis, & quod tot locis perferatur, natura non patiatur? Illa verò non modò patitur, verùm etiam poſtulat. *nihil* enim *habet præſtantius, nihil, quod magis expetat, quam honeſtum, quam laudem, quam dignitatem, quam decus.* Hiſce ego pluribus nominibus unam rem declarari volo, ſed utar, ut quam maximè ſignificem, pluribus. volo autem dicere, illud homini longe optimum eſſe, quod ipſum ſit optandum per ſe, à virtute profectum, vel in ipſa virtute ſitum, ſua ſponte laudabile: [2] quod quidem citiùs dixerim ſolum, quàm non ſummum bonum. Atque, ut hæc de honeſto, ſic de turpi contraria. *nihil tam tætrum, nihil tam aſpernandum, nihil homine indignius.* quod ſi tibi perſuaſum eſt: principiò enim dixiſti, plus in dedecore mali tibi videri, quàm in dolore: reliquum eſt, ut tute tibi imperes. quamquam hoc neſcio, quo modo dicatur, quaſi duo ſimus, ut alter
21 imperet, alter pareat: non inſcitè tamen dicitur. [3] Eſt enim animus in parteis tributus duas: quarum altera, rationis eſt particeps, altera expers. cum igitur præcipitur, ut nobiſmetipſis imperemus, hoc præcipitur, ut ratio coërceat temeritatem. EST IN animis omnium ferè natura molle quiddam, demiſſum, humile, [4] enervatum quodammodo, & languidum, ſenile. ſi nihil aliud: nihil eſſet homine deformius. ſed *præſtò eſt domina omnium, & regina ratio,* [5] quæ connixa per ſe, & progreſſa longiùs, fit perfecta virtus. hæc ut imperet illi parti animi, quæ obedire debet, id videndum eſt viro. quonam modo? inquies. velut dominus ſervo, velut imperator militi, velut parens filio. ſi turpiſſimè ſe illa pars animi geret, quam dixi eſſe mollem, ſi ſe lamentis muliebriter, lacrymiſque dedet, vinciatur, & conſtringatur amicorum, propinquorumque cuſtodiis, *ſæpe enim videmus, fractos pudore, qui ratione nulla vincerentur:* ergo hos quidem, ut famulos, [6] vinclis prope ac [7] cuſtodia arceamus. qui autem erunt firmiores, nec tamen robuſtiſſimi, [8] hos admonitu oportebit, ut bonos milites, revocatos, dignitatem tueri. non nimis in Niptris ille ſapientiſſimus Græciæ ſaucius lamentatur, vel modicè potiùs:

> *Pedetentim* (inquit) *ite, & ſedato niſu, ne ſuccuſſu arripiat major dolor.*

Pacuvius hæc meliùs, quàm Sophocles. apud illum enim perquàm flebiliter Ulyſſes lamentatur in vulnere: tamen huic leviter gementi, illi ipſi, qui ferunt ſaucium, perſonæ gravitatem intuentes, non dubitarunt dicere:

> *Tu quoque Ulyſſes, quamquam graviter cernimus ictum,*
> *Nimis pænè animo es molli, qui conſuetus in armis ævum agere.*

Intelligit poëta prudens, ferendi doloris conſuetudinem, eſſe non contemnendam magiſtram. Atque ille non immoderatè magno in dolore,

> *Retinete, tenete, [9] opprimite,*
> *Ulcus nudate. heu miſerum me, excrucior.*

Incipit labi: deinde illico deſinit,

> *Operite, abſcedite, [10] jamjam mittite.*
> *Nam attrectatu, & quaſſu ſævum amplificatis dolorem.*

Videſne, ut obmutuerit non ſedatus corporis, ſed caſtigatus animi dolor? itaque in extremis Niptris alios quoque objurgat, idque moriens,

> *Conqueri fortunam adverſam, non lamentari decet.*
> *Id viri eſt officium: fletus muliebri ingenio additus.*

Hujus animi pars illa mollior rationi ſic paruit, [11] ut
ſevero imperatori miles pudens. In quo viro erit perfecta 22
ſapientia (quem adhuc nos quidem videmus neminem: ſed philoſophorum ſententiis, qualis futurus ſit, ſi modò aliquando fuerit, exponitur) is igitur, [12] ſi ea ratio, quæ erit in eo perfecta, atque abſoluta, ſic illi parti imperabit inferiori, ut juſtus parens probis filiis: nutu, quod volet, conficiet, nullo labore, nulla moleſtia: [13] eriget ipſe ſe, ſuſcitabitur, inſtruet, armabit, ut, tanquam hoſti, ſic obſiſtat dolori. quæ ſunt iſta arma? contentio, confirmatio, ſermoque intimus, cùm ipſe ſecum, *Cave turpe quidquam, languidum, non virile.* obverſentur ſpecies honeſtæ animo: Zeno proponatur Eleates, qui perpeſſus eſt omnia potiùs, quàm conſcios delendæ tyrannidis indicaret. de

1. *Ferri non poteſt.*] Victorius & quinque Pall. Vatic. Ulrich. *fieri non poteſt.*

2. *Quod quidem citius dixerim ſolum, quàm non ſummum bonum.*] Hæc eſt mſſ. codd. etiam Lambino teſte, ſcriptura: quam etiam præfert Victorii editio, Pal. quart. Pith. Vatic. Ulrich. nuper Schottus in Nodis libro 11 c. 13.

3. *Eſt enim animus in partes tributus duas.*] Ita Victorius; Gryphianus liber Vatic. Ulrich. Pall. ſec. tert. quart. quint. Pith. alias *diſtributus.*

4. *Enervatum quodammodo & languidum, ſenile. ſi nihil aliud: nihil.*] Maluimus pendere à Victor. quam aliorum conjecturis & ludibriis obedire: præſertim ita jubentibus Pal. quatuor prioribus. vulgo: *enervatum quodammodo & languidum. ſi nihil eſſet aliud: nihil eſſet, &c.*

5. *Quæ connixa per ſe & progreſſa longius.*] Editio Victorii cum quinque Pall. Fab. Pith. exhibet *connexa.* ut & Vatic. Ulrich.

6. *Vinclis propè ac cuſtodia.*] Ita Victorii editio. Pall. pr. tert. quart. quintus. Pith. Vatic. vulgò deeſt *propè.*

7. *Cuſtodia arceamus.*] Pal. quart. Vatic. membranæ Toletanæ, ut notat Schot. l. 2. c. 13. Nod. carebant τὸ *arceamus.* Meo animo pæniſſimè abeſſet.

8. *Hos admonitu oportebit, ut bonos milites revocatos dignitatem.*] Delevi ex mſſ. Pall. quart. quint. Pith. Vatic. poſt *admonitu* τὸ *ſimili* ut ſupervacuum.

9. *Opprimite Ulcus.*] Pith. *opprimit te.* unde Gulielm. legebat, *opprimit, heu.*

10. *Jamjam mittite.*] Manat hæc lectio à Victor. Pall. ſec. tert. quart. quint. Fab. Pith. in editis *dimittite.*

11. *Ut ſevero imperatori miles pudens.*] Cur hoc recipiendum ſit ubertim diſputavi in Crepundiis. Rationes inde petantur. ſic editum aliis annotavit Guliel. ſic erat a manu primâ in Pal. tert. ad apices in Fab. Vat. vulgo *prudens.*

12. *Si ea ratio quæ erit.*] Editionem Victorii prætulimus. vulgo, *ſive ea ratio.* quæ tamen omnino diſparent in Fabr. Pall. quart. *ratio ſi vera quæ erit.*

13. *Eriget ipſe ſe, ſuſcitabitur.*] Sic eſt in Victorii edit. Pall. tribus prioribus. Fabr. Vatic. vulgò *ſuſcitabit.*

de Anaxarcho Democritio cogitetur, [1] qui cùm Cypri in manus Nicocreontis regis incidiſſet, nullum genus ſupplicii deprecatus eſt, neque recuſavit. Calanus Indus, indoctus, ac barbarus, in radicibus Caucaſi natus, ſua voluntate vivus combuſtus eſt. nos, ſi pes condoluit, ſi dens, [2] ſed fac totum dolere corpus, ferre non poſſumus. *opinio eſt* enim *quædam effæminata, ac levis, nec in dolore magis, quam eadem in voluptate:* qua cùm liqueſcimus, fluimuſque mollitia, apis aculeum ſine clamore ferre non poſſumus. At verò C. Marius, ruſticanus vir, ſed planè vir, cum ſecaretur, ut ſuprà dixi, principiò vetuit ſe alligari: nec quiſquam ante Marium ſolutus dicitur eſſe ſectus. cur ergo poſtea alii? valuit auctoritas. videſne igitur opinionis eſſe non naturæ malum? & tamen fuiſſe acrem morſum doloris, idem Marius oſtendit. crus enim alterum non præbuit. ita & tulit dolorem ut vir, &, ut homo, majorem ferre ſine cauſa neceſſaria noluit. totum igitur in eo eſt, ut tibi imperes. oſtendi autem, quod eſſet imperandi genus, atque HÆC cogitatio, quid patientia, quid fortitudine, [3] quid magnitudine animi digniſſimum ſit, non ſolùm animum comprimet, ſed ipſum etiam dolorem neſcio
23 quo pacto mitiorem facit. ut enim fit in prœlio, ut ignavus miles, ac timidus, ſimul ac viderit hoſtem, abjecto ſcuto fugiat, quantum poſſit, ob eamque cauſam pereat nonnumquam, etiam integro corpore, cùm ei, qui ſteterit, nihil tale evenerit: ſic, qui doloris ſpeciem ferre non poſſunt, abjiciunt ſe, atque ita afflicti, & exanimati jacent: qui autem reſtiterunt, diſcedunt ſæpiſſimè ſuperiores: ſunt enim quædam animi ſimilitudines cum corpore: ut onera contentis corporibus faciliùs feruntur, remiſſis opprimunt: ſimillime *animus intentione ſua depellit preſſum omnem ponderum: remiſſione autem ſic urgetur, ut ſe nequeat extollere.* Et, ſi verum quærimus, in omnibus officiis perſequendis animi eſt adhibenda contentio. ea eſt ſola officii tanquam cuſtodia. [4] ſed hoc quidem in dolore maximè eſt providendum, ne quid abjectè, ne quid timidè, ne quid ignavè, ne quid ſerviliter, muliebriterve faciamus: in primiſque refutetur, ac rejiciatur Philoctetæus ille clamor. ingemiſcere nonnunquam viro conceſſum eſt, idque raro: ejulatus ne mulieri quidem. & hic nimirum eſt fletus, quem duodecim tabulæ in funeribus adhiberi vetuerunt. nec verò umquam ne ingemiſcit quidem vir fortis, ac ſapiens, niſi fortè ut ſe intendat ad firmitatem, ut in ſtadio curſores exclamant quàm maximè poſſunt. faciunt idem, cùm exercentur athletæ: pugiles verò, etiam cùm feriunt adverſarium, in jactandis ceſtibus ingemiſcunt: non quòd doleant, animove ſuccumbant, ſed quia profundenda voce omne corpus intenditur, venitque plaga
24 vehementior. quid? qui volunt exclamare majus, num ſatis habent latera, fauces linguam intendere, [5] è quibus elici vocem, & fundi videmus? toto corpore, atque omnibus ungulis, ut dicitur, contentioni vocis aſſerviunt. genu mehercule M. Antonium vidi, cùm contentè pro ſe ipſe lege Varia diceret, terram tangere. ut enim baliſtæ lapidum, & reliqua tormenta telorum, eo graviores emiſſiones habent, quo ſunt contenta, atque adducta vehementiùs: ſic vox, ſic curſus, ſic plaga, hoc gravior, quo eſt miſſa contentiùs. cujus contentionis cùm tanta vis ſit, ſi gemitus in dolore ad confirmandum animum valebit, utemur. [6] ſin erit ille gemitus elamentabilis, ſi imbecillus, ſi abjectus, ſi flebilis: ei qui ſe dederit, vix eum virum dixerim. qui quidem gemitus ſi levationis aliquid afferret, tamen videremus, quid eſſet fortis, & animoſi viri. cùm verò nihil imminuat doloris, cur fruſtra turpes eſſe volumus? *quid eſt* enim *fletu muliebri viro turpius?* atque hoc præceptum, quod de dolore datur, patet latiùs. omnibus enim rebus, non ſolùm dolori, ſimili contentione animi reſiſtendum eſt. ira exardeſcit: libido concitatur. in eandem arcem confugiendum eſt: eadem ſunt arma ſumenda. ſed quoniam de dolore loquimur, illa omittamus. ad ferendum igitur dolorem placidè & ſedatè, plurimum proficit toto pectore, ut dicitur, cogitare, quam id honeſtum ſit. ſumus enim natura, ut antè dixi (dicendum eſt enim ſæpius) ſtudioſiſſimi, appetentiſſimique honeſtatis. cujus ſi quaſi lumen aliquod adſpexerimus, nihil eſt, quod, ut eo potiamur, non parati ſimus & ferre, & perpeti. ex hoc curſu, atque impetu animorum ad veram laudem, atque honeſtatem, illa pericula adeuntur in prœliis, non ſentiunt viri fortes in acie vulnera, vel ſentiunt, ſed mori malunt, quàm tantum modò de dignitatis gradu demoveri. fulgenteis gladios hoſtium videbant Decii, cùm in aciem eorum irruebant. *his levabat omnem vulnerum metum nobilitas mortis, & gloria.* num tum ingemuiſſe Epaminondam putas, cùm unà cum ſanguine vitam effluere ſentiret? imperantem enim patriam Lacedæmoniis relinquebat, quam acceperat ſervientem. hæc ſunt ſolatia, hæc fomenta ſum-
morum dolorum. Dices, quid in pace? quid domi? quid 25
in lectulo? ad philoſophos me revocas, qui in aciem non ſæpe prodeunt. è quibus homo ſanè levis Heracleotes Dionyſius, cùm à Zenone fortis eſſe didiciſſet, à dolore deductus eſt. nam cùm ex renibus laboraret, ipſo in ejulatu clamitabat, *falſa eſſe illa, quæ antea de dolore ipſe ſenſiſſet.* quem cùm Cleanthes condiſcipulus rogaret, quænam ratio eum de ſententia deduxiſſet, reſpondit, *Quia*, [7] *cùm tantum operæ philoſophiæ dediſſem, dolorem tamen ferre non poſſem: ſatis eſſet argumenti, malum eſſe dolorem. plurimos autem annos in philoſophia conſumſi, nec ferre poſſum: malum eſt igitur dolor.* Tum Cleanthem, cùm pede terram percuſſiſſet, [8] verſum ex Epigonis ferunt dixiſſe:

Audiſne hæc Amphiarae, ſub terram abdite?

Zenonem ſignificabat: à quo illum degenerare dolebat. At non noſter Poſidonius: quem & ipſe ſæpe vidi, & id dicam, quod ſolebat narrare Pompejus: ſe, cùm Rhodum veniſſet decedens ex Syria, audire voluiſſe Poſidonium: ſed cùm audiviſſet eum graviter eſſe ægrum, quòd vehementer ejus artus laborarent, voluiſſe tamen nobiliſſimum philoſophum viſere: quem ut vidiſſet, & ſalutaviſſet, honorificiſque verbis proſecutus eſſet, moleſteque ſe dixiſſet ferre, quòd eum non poſſet audire. at ille, *Tu verò*, inquit, *potes: nec committam, ut dolor corporis efficiat ut fruſtra tantus vir ad me venerit.* Itaque narrabat, eum graviter, & copiosè de hoc ipſo, nihil eſſe bonum, niſi quod honeſtum eſſet, cubantem diſputaviſſe: cumquè quaſi faces ei doloris admoverentur, ſæpe dixiſſe, *Nihil agis dolor: quamvis ſis moleſtus, numquam te eſſe confitebor malum.* Omnique omnes clari, & nobilitati labores contemnendo
fiunt etiam tolerabiles. Videmuſne, apud quos eorum lu- 26
dorum, qui Gymnici nominantur, magnus honos ſit, nullum ab iis, qui in id certamen deſcendant, devitari dolorem? apud quos autem venandi, & equitandi laus viget,

1. *Qui cum Cypri in manus Nicocreontis.*] Ita Victor. cum omnibus fere noſtris mſſ. ſed illi tamen germano conſenſu *Timocreontis.* ut & Pith. vulgo *qui cum in manus Cyprii Nic.*

2. *Sed fac totum dolere corpus.*] Enormis eſt diverſitas ſec. Pal. *ſi tactum dolore corpus.* Vatic. *ſed fac totum corpus.* elegantius.

3. *Quid magnitudine animi digniſſimum ſit.*] Adſtruunt hanc lectionem Vict. edit. reliquæque. quinque Pall. Fab.

4. *Sed hoc quidem in dolore maximè eſt providendum.*] Quatuor Pal. priores, *ſed hoc idem.* puto me indicaſſe in crepundiis.

5. *E quibus elici vocem & fundi videmus.*] Sic eſt in omnibus mſſ. tum noſtris tum Gulielm. denique editione Victorii reliquiſque. Lambinus, ex duobus, ut ait, mſſ. *è quibus ejici vocem: quia* etiam, quod Latini, *ejicere* & *mittere* & *fundere vocem*, hoc Græci dicunt, *ἀφιέναι φωνήν.* ſed quid hac novitate opus?

6. *Sin erit ille gemitus elamentabilis.*] Extra controverſiam hæc eſt hujus loci vera lectio. in vet. cod. eſt *clamentabilis*, ſolenti mutatione *e* in *c*. in Pal. tertio *elementabilis.* ſed in quart. & Fabr. *elamentabilis.* vulgo *lamentabilis.*

7. *Cùm tantum operæ Philoſophiæ dediſſem.*] Pal. tert. *tantopere.* quart. *tanto opere*, recte.

8. *Verſum ex Epigonis ferunt dixiſſe.*] Pal. primus, *Epigoniis.* reliqui quart. *Epigoneis*, ut & Fabr. Pith. Vatic.

1. *Ipſe*

viget, qui hanc peteſſunt, nullum fugiunt dolorem. Quid de noſtris ambitionibus, quid de cupiditate honorum loquar? quæ flamma eſt, per quam non cucurrerint ii, qui hæc olim punctis ſingulis colligebant? itaque ſemper Africanus Socraticum Xenophontem in manibus habebat. cujus in primis laudabat illud, quod diceret, *eoſdem labores non eſſe æquè graveis imperatori, & militi, quòd* [1] *ipſe honos laborem leviorem faceret imperatorium.* ſed tamen hoc evenit, ut in vulgus inſipientium opinio valeat honeſtatis, cùm ipſam videre non poſſint. itaque fama & multitudinis judicio moventur, *cum id honeſtum putent, quod à pleriſque laudetur.* Te autem, ſi in oculis ſis multitudinis, tamen ejus judicio ſtare nolim, [2] nec, quod illa putet, idem putare pulcherrimum. tuo tibi judicio eſt utendum: [3] tibi ſi recta probanti placebis, tum non modò tu te viceris, quod paullo ante præcipiebam, ſed omneis, & omnia. Hoc igitur tibi propone: [4] amplitudinem animi & quaſi quandam exaggerationem quàm altiſſimam animi, quæ maximè eminet contemnendis, & deſpiciendis doloribus: unam eſſe omnium rem pulcherrimam, eoque pulchriorem, ſi vacet populo, neque plauſum captans, ſe tantùm ipſa delectet. quinetiam mihi quidem *laudabiliora videntur omnia, quæ ſine venditatione, & ſine populo teſte fiunt:* non quo fugiendus ſit (*omnia* enim *benefacta in luce ſe collocari volunt*) ſed tamen *nullum theatrum virtuti conſcientia majus eſt.* Atque in primis meditemur illud, ut hæc patientia dolorum, quam ſæpe jam animi intentione dixi eſſe firmandam in omni genere ſe æquabilem præbeat. ſæpe enim multi, qui aut propter victoriæ cupiditatem, aut propter gloriæ, aut etiam ut jus ſuum, & libertatem tenerent, vulnera exceperunt fortiter, & tulerunt, iidem omiſſa contentione dolorem morbi ferre non poſſunt. neque enim illum, quem facilè tulerant, ratione, aut ſapientia tulerant, ſed ſtudio potiùs, & gloria. itaque [5] barbari quidam, & immanes, ferro decertare acerrimè poſſunt: ægrotare viriliter non queunt. Græci autem homines non ſatis animoſi, prudentes, ut eſt captus hominum, ſatis [6] hoſtem 27 adſpicere non poſſunt, eidem morbos toleranter atque humane ferunt; At Cimbri, & Celtiberi in prœliis exſultant, lamentantur in morbo: *nihil* enim *poteſt eſſe æquabile, quòd non à certa ratione proficiſcatur.* [7] ſed cum videas, eos, qui aut ſtudio, aut opinione ducantur, in eo perſequendo, atque adipiſcendo dolore non frangi: debeas exiſtimare aut non eſſe malum, dolorem, aut, etiamſi, quidquid aſperum, alienumque natura ſit, id appellari placeat malum, *tantulum* tamen *eſſe, ut à virtute ita obruatur, ut nuſquam appareat.* quæ meditare, quæſo, dies, & nocteis. latiùs enim manabit hæc ratio, & aliquanto majorem locum, quàm de uno dolore, occupabit. nam ſi omnia fugiendæ turpitudinis, adipiſcendæque honeſtatis cauſa faciemus, non modò ſtimulos doloris, ſed etiam fulmina fortunæ contemnamus licebit, præſertim cùm paratum ſit illud ex heſterna diſputatione perfugium; [8] ut enim ſi cui naviganti, prædones inſequantur, deus quis dixerit, *Ejice te navi: præſtò eſt qui excipiat:* vel delphinus, ut Arionem Methymnæum, vel equi Pelopis illi Neptunii, qui per undas currus ſuſpenſos rapuiſſe dicuntur, excipient te, &, quò velis, perferent: omnem omittat timorem: ſic urgentibus aſperis & odioſis doloribus, [9] ſi tanti non ſint, ut ferendi ſint, quò ſit confugiendum, vides. Hæc ferè hoc tempore putavi eſſe dicenda. ſed tu fortaſſe in ſententia permanes. A. Minimè verò: meque biduo duarum rerum, quas maximè timebam, ſpero liberatum metu. M. Cras ergo ad clepſydram. [10] ſic enim duximus. [11] & tibi hoc video non poſſe deberi. A. Ita prorſus. & illud quidem ante meridiem, hoc eodem tempore. M. Sic faciemus, tuiſque optimis ſtudiis obſequemur.

M. TUL-

1. *Ipſe honos laborem leviorem faceret imperatorium.*] Ita Victor. Pall. tert. quint. Fabr. Pith. mihi tamen magis placet quarti ſcriptura, *leviorem faceret imperatori.* vulgò, *imperatorum.*

2. *Nec, quod illa putet, idem putare pulcerrimum.*] Ita Lambinus, quem tuentur quinque Pall. Fabr. ablegantes τὸ *te*, ante *putare.*

3. *Tibi ſi recta probanti placebis.*] Eſt à Victorio, & quatuor prioribus Pall. Vatic. Fabr. Pith. aliàs *rectè.*

4. *Amplitudinem animi.*] Hoc etiam loco & poſt τὸ *altiſſimam,* inſerunt Victor. quinque Pall.

5. *Barbari quidam immanes.*] Pith. *Barbariæ immanes.*

6. *Satis hoſtem adſpicere non poſſunt, eidem morbos.*] Lambinus ſic rectè edidit cui fere quatuor Pal. adſentiuntur: nam ſolùm quartus *& inde morbos.* vulgò, *poſſunt, ſed iidem morbos.*

7. *Sed cum videas eos, qui aut ſtudio aut opinione ducantur.*] Vaticanus codex: *videas quo quis aut ſtudio aut opinione ducatur.* omninò melius.

8. *Ut enim ſi cui naviganti prædones inſequantur, deus quis dixerit, ejice te navi.*] Sic fere eſt in quinque Pall. Vaticano; nam paullum divertit tertius, ſed ut noſtram ſtabiliat ita: *inſequantur, deuſque quis dix.* ceterùm tres Pall. priores Pith. Vat. pro *quis, qui.* Pal. quartus τὸ *Deus* omittit. vulg. *ut enim ſi cui naviganti, quem prædones inſequantur, Deus quis dixerit, ejice te de navi.*

9. *Si tanti non ſint, ut ferendi ſint.*] Nihil mutant Mſſ. at Victorius, Pal. quartus, *ſi tanti ſint ut ferendi ſint.* Lambin. *ſi tanti ſint, ut ferendi non ſint,* ſic temere mutavit, non expenſa lectionis vulgatæ acrimoniâ. Melius Gulielm. *ſi tanti non ſit,* ſed ex conjecturâ.

10. *Sic enim duximus.*] Pal. quart. Fabr. Vatic. *diximus.*

11. *Et tibi hoc video non poſſe deberi.*] Prævaluit apud me auctoritas Turnebi libro IV. cap. 18. Adverſ. ſic emendantis. Aliàs; *ſed tibi hoc video.*

M. TULLII CICERONIS TUSCULANARUM QUÆSTIONUM, AD BRUTUM.

LIBER TERTIUS.

DE ÆGRITUDINE LENIENDA.

1 QUIDNAM eſſe, Brute, cauſæ putem, cur, cùm conſtemus ex animo, & corpore, corporis curandi, tuendique cauſa quæſita ſit ars ejus, atque utilitas, deorum immortalium inventioni conſecrata: animi autem medicina, nec tam deſiderata ſit, antequàm inventa, nec tam culta, poſteaquàm cognita eſt, nec tam multis grata, & probata, pluribus etiam ſuſpecta & inviſa? an quòd corporis gravitatem, & dolorem animo judicamus, animi morbum corpore non ſentimus? ita fit, ut animus de ſe ipſe tum judicet,[1] cùm id ipſum, quo judicatur, ægrotet. quòd ſi taleis nos natura genuiſſet, ut eam ipſam intueri, & perſpicere, eademque optima duce curſum vitæ conficere poſſemus:[2] haud erat ſanè, quòd quiſquam rationem, ac doctrinam requireret. nunc parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus,[3] opinionibusque depravati ſic reſtinguimus, ut nuſquam naturæ lumen appareat. *ſunt* enim *ingeniis noſtris ſemina innata virtutum: quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret.* nunc autem, ſimul atque editi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni continuò pravitate, & in ſumma opinionum perverſitate verſamur: ut pænè cùm lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur:[4] cùm verò parentibus redditi, demum magiſtris traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vani-
2 tati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat. Accedunt etiam poëtæ: qui cum magnam ſpeciem doctrinæ, ſapientiæque præ ſe tulerunt, audiuntur, leguntur, ediſcuntur, & inhæreſcunt penitus in mentibus.[5] cùm verò eòdem quaſi maximus quidam magiſter, populus, atque omnis undique ad vitia conſentiens multitudo, tum planè inficimur opinionum pravitate,[6] à naturaque deſciſcimus:[7] ut nobis optimam naturam invidiſſe videantur, qui NIHIL MELIUS homini, nihil magis expetendum, nihil præſtantius honoribus, imperiis, populari gloria judicaverunt. ad quam fertur optimus quiſque, veramque illam honeſtatem expetens,[8] quam una natura maximè inquirit,[9] in ſumma inanitate verſatur, conſectaturque nullam eminentem effigiem virtutis, ſed adumbratam imaginem gloriæ. EST enim *gloria ſolida quædam res, & expreſſa, non adumbrata. ea eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox benè judicantium de excellente virtute.*[10] *ea virtuti reſonat, tanquam imago.* quæ quia rectè factorum plerumque comes eſt, non eſt bonis viris repudianda. Illa autem, quæ ſe ejus imitatricem eſſe vult, temeraria, atque inconſiderata, &, plerumque peccatorum, vitiorumque, laudatrix, fama popularis, ſimulatione honeſtatis formam ejus, pulchritudinemque corrumpit. qua cæcitate homines, cùm quædam etiam præclara cuperent, eaque neſcirent nec ubi, nec qualia eſſent, funditus alii everterunt ſuas civitates, alii ipſi occiderunt. atque hi quidem optima petentes, non tam voluntate, quàm curſus errore falluntur. Quid, qui pecuniæ cupiditate, qui voluptatum libidine, feruntur: quorumque ita perturbantur animi, ut non multùm abſint ab inſania, quod inſipientibus contingit omnibus, his nullane eſt adhibenda curatio? utrùm quòd minùs noceant animi ægrotationes, quàm corporis? an quòd corpora cu-
rari poſſint, animorum medicina nulla ſit? At & morbi 3
perniicioſiores, pluresque ſunt animi, quàm corporis. hi enim ipſi odioſi ſunt, quòd ad animum pertinent, eumque ſollicitant: *animuſque æger*, ut ait Ennius, *ſemper errat, neque pati, neque perpeti poteſt: cupere numquam deſinit.* quibus duobus morbis (ut omittam alios) ægritudine & cupiditate, quî tandem poſſunt in corpore eſſe graviores? quî verò probari poteſt, ut ſibi mederi animus non poſſit,[11] cùm ipſam medicinam corporis animus invenerit, cumque ad corporum ſanationem multùm ipſa corpora, & natura valeant, nec omnes, qui curari ſe paſſi ſunt, continuò etiam convaleſcant: animi autem, qui ſanari voluerint, præceptiſque ſapientium paruerint, ſine ulla dubitatione ſanentur? *Eſt profectò* animi medicina, philoſophia: cujus auxilium non, ut in corporis morbis, petendum eſt foris: omnibuſque opibus, viribus, ut noſmetipſi nobis mederi poſſimus, elaborandum eſt. quamquam de univerſa philoſophia

1. *CUm id ipſum, quo judicatur, ægrotet.*] Sic eſt in edit. Victorii, Lambin. quinque Pall. Pith. Fabr. Vaticano. vulg. *cum id ipſum, quo judicatur, ægrotet.* ſunt tamen qui hanc veterem ſcripturam aſſerentes noſtræ præferant. quibus omne, quod crediturus ſum, credidi.

2. *Haud erat ſanè quod quiſquam rationem ac doctrinam requireret.*] Hæc lectio vindices ac patronos habet Adrian. Turnebum, Lambinum ex tribus ſuis libris proferentem; & Pal. quint. librum, ut non optimum; ita nec peſſimum. In editione Victorii, quatuor Pall. Fab. Pith. Ulrich. *quod quiſquam ratione ac doctrinâ requireret.*

3. *Opinionibuſque depravati ſic reſtinguimus.*] Credidi Lambino ſic emendanti, adductus codice Vaticano. in Pall. pr. ſec. quinto, *depravatos.* alias *depravatis.* porrò pro *reſtinguimus*, Pal. tert. optimus codex *reſtringuimus.*

4. *Cùm verò parentibus redditi, demum magiſtris traditi ſumus.*] Ita vetus codex, atque ita Lambinus: quæ lectio eſt etiam Fab. mihi magis placet Vatic. lectio, *redditi dein Magiſtris.* vulgò, *id eſt, magiſtris*; quod mutabat Gruterus in *iidem.*

5. *Cùm verò eodem quaſi maximus quidam magiſter.*] Sic Victor. & tres Pall. poſteriores extrito illo ante *eodem*, *accedit.* Vatican. tamen: *cùm vero eodem quaſi max. quid. mag. populus acceſſit, atque.*

6. *A naturaque deſciſcimus.*] Cauſam hujus lectionis habent Victor. Lamb. Pall. pr. tert. Vatic. quint. ſec. verò *à naturaque deſiſtimus.* quart. *à naturaque cedimus.* vulgo adjiciunt *ipſa*, poſt *naturaque.*

7. *Ut nobis optimam naturam invidiſſe videantur.*] Sic edidit Lambin. quod tamen convellunt quinque Pall. vet. cod. Fab. Pith. Vatic. editio Vict. liber Gryphii, *optimè natura.* vel *naturam.*

8. *Quam una natura maxime inquirit.*] Victor. vet. cod. quinque Pall. Vat. alias *unam.*

9. *In ſummâ inanitate verſatur.*] Pall. ſecund. quart. Fabr. *vanitate.*

10. *Ea virtuti reſonat tanquam imago. quæ.*] Variè agitatus locus. prætuli conjecturam Lambini, excutientis illud *gloriæ*: quod vocabulum etiam omiſſum eſt in Pall. prim. tert. Vaticano. hucque inclinat etiam Andr. Schottus.

11. *Cum ipſam medicinam corporis animus invenerit.*] Sic eſt in quinque Pall. Fab. Pith. Vatic. vulgò, *cùm ipſe.*

phia, quantopere expetenda eſſet, & colenda, ſatis, ut arbitror, dictum eſt in Hortenſio. de maximis autem rebus nihil ferè intermiſimus poſtea nec diſputare, nec ſcribere. his autem libris expoſita ſunt ea, quæ à nobis cum familiaribus noſtris in Tuſculano erant diſputata. Sed quoniam duobus ſuperioribus, de morte, & de dolore dictum eſt, tertius dies diſputationis hoc tertium volumen efficiet. Ut enim in Academiam noſtram deſcendimus, inclinato jam in poſtmeridianum tempus die, popoſci eorum aliquem, qui aderant, cauſam diſſerendi. Tum res acta ſic
4 eſt. A. Videtur mihi cadere in ſapientem ægritudo. M. Num reliquæ quoque perturbationes animi, formidines, libidines, iracundiæ? hæc enim ferè ſunt ejuſmodi, quæ Græci πάθη appellant: ego poteram morbos, & id verbum eſſet è verbo: ſed in conſuetudinem noſtram non caderet. nam miſereri, invidere, geſtire, lætari, hæc omnia morbos Græci appellant, motus animi rationi non obtemperanteis: nos autem hos eoſdem motus concitati animi, rectè, ut opinor, perturbationes dixerimus: morbos autem non ſatis uſitatè: niſi quid aliud tibi videtur. A. Mihi verò iſto modo. M. hæccine igitur cadere in ſapientem putas? A. Prorſus exiſtimo. M. Næ iſta glorioſa ſapientia non magno æſtimanda eſt, ſiquidem non multùm differt ab inſania. Quid? tibi omniſne animi commotio videtur inſania? M. Non mihi quidem ſoli: ſed, id quod admirari ſæpe ſoleo, majoribus quoque noſtris hoc ita viſum intelligo multis ſæculis ante Socratem: à quo hæc omnis, quæ eſt de vita, & de moribus, philoſophia manavit. A. Quonam tandem modo? M. Quia nomen inſaniæ ſignificat mentis ægrotationem, & morbum, id eſt, [1] inſanitatem, & ægrotum animum, quam appellarunt inſaniam. omnes autem perturbationes animi, morbos philoſophi appellant: negantque, ſtultum quemquam his morbis vacare: qui autem in morbo ſunt, ſani non ſunt: & omnium inſipientium animi in morbo ſunt: omnes inſipientes igitur inſaniunt. ſanitatem enim animorum, poſitam in tranquillitate quadam, conſtantiaque cenſebant, his rebus mentem vacuam, appellarunt inſaniam, [2] propterea quòd in perturbato animo, ſicut in corpore, ſanitas eſſe non poſſit.
5 Nec minùs illud acute, [3] quòd animi affectionem, lumine mentis carentem, nominaverunt amentiam, eandemque dementiam. ex quo intelligendum eſt, eos, qui hæc rebus nomina poſuerunt, ſenſiſſe hoc idem, quod à Socrate acceptum diligenter Stoici retinuerunt, *omneis inſipienteis eſſe non ſanos*. [4] qui enim animus eſt in aliquo morbo (morbos autem, hos perturbatos motus ut modò dixi, philoſophi appellant) non magis eſt ſanus, quàm id corpus, quod in morbo eſt. ita fit, ut ſapientia, ſanitas ſit animi: inſipientia autem, quaſi inſanitas quædam, quæ eſt inſania, eademque dementia. multoque meliùs hæc notata ſunt verbis Latinis, quàm Græcis: quod aliis quoque multis locis reperietur. ſed id alias: nunc, quod inſtat. Totum igitur id, quod quærimus, quid & quale ſit, verbi vis ipſa declarat. [5] eos enim ſanos intelligi neceſſe eſt, [6] quorum mens motu, quaſi morbo, perturbata nullo ſit. qui contrà affecti ſunt, hos inſanos appellari neceſſe eſt. itaque nihil melius, quàm quod eſt in conſuetudine ſermonis Latini, cùm exiſſe ex poteſtate dicimus eos, qui effrenati feruntur aut libidine, aut iracundia. quamquam ipſa *iracundia*, libidinis eſt pars: ſic enim definitur iracundia, *ulciſcendi libido*. Qui igitur exiſſe ex poteſtate dicuntur, idcircò dicuntur, quia non ſunt in poteſtate mentis: cui regnum totius animi à natura tributum eſt. [7] Græci autem μανίαν unde appellant, non facilè dixerim. eam tamen ipſam diſtinguimus nos meliùs, quam illi. hanc enim inſaniam, quæ juncta ſtultitiæ patet latiùs, [8] à furore disjungimus. Græci volunt illi quidem, ſed parum valent verbo: quem nos furorem μελαγχολίαν illi vocant. quaſi verò atra bili ſolùm mens, ac non ſæpe vel iracundia graviore, vel timore, vel dolore moveatur. quo genere Athamantem, Alcmæonem, Ajacem, Oreſtem furere dicimus. qui ita ſit affectus, eum dominum eſſe rerum ſuarum vetant duodecim tabulæ. itaque non eſt ſcriptum, SI INSANUS, ſed SI FURIOSUS ESSE INCIPIT. [9] ſtultitiam enim cenſuerunt, inconſtantiam, id eſt, ſanitate vacantem, poſſe tamen tueri mediocritatem officiorum, & vitæ communem cultum, atque uſitatum. furorem autem eſſe rati ſunt, [10] mentis ad omnia cæcitatem. quòd cùm majus eſſe videatur, quàm inſania, tamen ejuſmodi eſt, ut furor in ſapientem cadere poſſit, non poſſit inſania. ſed hæc alia quæſtio eſt. nos ad propoſitum revertamur. Cadere, opinor, in ſapientem ægritudinem tibi dixiſti videri. A. Et verò ita exiſtimo. M. Humanum id quidem, quòd ita exiſtimas. non 6
enim ſilice nati ſumus [11] ſed eſt naturabile in animis tenerum quiddam atque molle, quod ægritudine, quaſi tempeſtate, quatiatur. Nec abſurde Crantor ille, qui in noſtra Academia vel in primis fuit nobilis, *Minimè*, inquit, *aſſentior iis, qui iſtam neſcio quam indolentiam magnopere laudant: quæ nec poteſt ulla eſſe, nec debet.* [12] *Ne ægrotus ſim*, inquit, *ſed ſi fuerim, ſenſus adſit, ſive ſecetur quid, ſive avellatur à corpore. nam iſtuc nihil dolere, non ſine magna mercede contigit, immanitatis in animo, ſtuporis in corpore.* Sed videamus, ne hæc oratio ſit hominum aſſentantium noſtræ imbecillitati, & indulgentium mollitudini: nos autem audeamus non ſolùm ramos amputare miſeriarum, ſed omneis radicum fibras evellere. tamen aliquid relinquetur fortaſſe. ita ſunt altæ ſtirpes ſtultitiæ. ſed relinquetur id ſolum, quod erit neceſſarium. illud quidem ſic habeto, *niſi ſanatus animus ſit quod ſine philoſophia fieri non poteſt, finem miſeriarum nullum fore.* quamobrem, quoniam cœpimus, tradamus nos ei curandos, ſanabimur, ſi volemus. & progrediar quidem longiùs: non enim de ægritudine ſolùm, quamquam id quidem primùm, ſed de omni animi, ut ego poſui, perturbatione, morbo, ut Græci volunt, explicabo.

1. *Inſanitatem & ægrotum animum.*] Retinuit lectionem veterem Victorius, quàm poſtea produxit Turneb. lib. 1. Adverſ. cap. 6. ea verò eſt in vet. cod. quinque Pall. Fabr. Pith. Vatic. vulgò: *& ægritudinem animi.*

2. *Propterea quod in perturbato animo, ſicut in corpore ſanitas eſſe non poſſit.*] Diverſum abit Fabr. *quod in perturbatione animi, ſicut in corpore perturbato, ſanitas eſſe non poſſit.* quod non probo.

3. *Quod animi affectionem lumine mentis carentem nominarunt amentiam, eandemque dementiam.*] Melius meo animo cod. Fabr. *lumine mentis carentem nominaverunt dementiam*, omiſſis mediis.

4. *Qui enim animus eſt in aliquo morbo.*] Pall. pr. quint. Victor. *quis eſt enim ſanus in aliquo morbo.* Pall. quart. *quid eſt enim animus & in aliquo morbo.* ſed vulgatam defendit juncto umbone cetera mſſ. & editionum cohors.

5. *Eos enim ſanos intelligi neceſſe eſt.*] Recepiſſem penè ante *intelligi* τὸ *quoniam*, conſpicuum in Pall. ſec. tert. quart. Vatic. ſi pr. quint. item Vict. edit. addixiſſent. quoniam vero eam ipſam exturbat Lambinus, deſtitutam eſſe paſſi ſumus.

6. *Quorum mens motu quaſi morbo perturbata nullo ſit.*] Non temerarium eſt. quod hic demutent Pall. ſec. tert. quart. *quaſi morbo perturbata nulla ſit.*

7. *Græci autem μανίαν unde appellant.*] Ita Victorius, & quinque Pall. Pith. vulgo *appellent.*

8. *A furore disjungimus.*] Pall. ſec. quart. quint. Ulrich. Fabr. *diſtinguimus.* male.

9. *Stultitiam enim cenſuerunt, conſtantiam, id eſt, ſanitate vacantem.*] Sic quinque Pall. Fab. Pith. legitque ita ex vet. cod. Schottus Nodor. lib. 2. cap. 22. Vaticanus tamen, *ſtultitiam enim cenſuerunt, conſtantia, id eſt, ſanitate vacan.* vulgo; *ſtult. enim cenſuerunt, id eſt, inconſtantiam, &c.*

10. *Mentis ad omnia cæcitatem.*] Indicavi in Crepundiis legi in Pal. primo *caritatem.*

11. *Sed eſt naturabile in animis tenerum.*] Secutus ſum optimos mſſ. codd. Pall. pr. tert. quart. Pith. Fabr. ſic in Lælio ipſi Cic. legitur. Videatur Lambinus ad Lucret. vulgò *naturale.*

12. *Ne ægrotus ſim, inquit, ſed ſi fuerim.*] Magnæ huic loco turbæ à mſſ. Palat. quart. & Vatican. *nec ægrotaſſem, ſi, inquit, fuerat ſenſus, adſit, ſive ſecetur.* pr. ſecund. tertius verò ad marginem: *ſi is qui fuerat ſenſus aſſ.* in textu verò: *ſi inquam, id fuerat.* quint. *nec ægrotis eſt, ſi iis qui fuerat ſenſus adſit.* in Vaticano denique ſuperſcriptum: *ſi, inquit, ſuat ſenſus, adſit.*

plicabo. Et primò, ſi placet, Stoicorum more agamus, qui breviter adſtringere ſolent argumenta: deinde noſtro
7 inſtituto vagabimur. Qui fortis eſt, idem eſt fidens: quoniam CONFIDENS mala conſuetudine loquendi in vitio ponitur, ductum verbum à confidendo, quod laudis eſt. qui autem eſt fidens, is profectò non extimeſcit. diſcrepat enim à timendo, confidere. atque [1] in quem cadit ægritudo, in eundem timor. quarum enim rerum præſentia ſumus in ægritudine, eaſdem impendenteis, & venienteis timemus. ita fit, ut fortitudini ægritudo repugnet. veriſimile eſt igitur, in quem cadat ægritudo, cadere in eundem timorem, & infractionem quidem animi, & demiſſionem. quæ in quem cadunt, in eundem cadit ut ſerviat, [2] ut victum ſe quandoque eſſe fateatur. quæ qui recipit, recipiat idem neceſſe eſt timiditatem, & ignaviam. non cadunt autem hæc in virum fortem. igitur ne ægritudo quidem. at nemo ſapiens, niſi fortis. non cadet ergo in ſapientem ægritudo. præterea neceſſe eſt, qui fortis ſit, eundem eſſe magni animi: [3] qui magni animi ſit, invictum. qui invictus ſit, eum res humanas deſpicere, atque infra ſe poſitas arbitrari. deſpicere autem nemo poteſt eas res, propter quas ægritudine affici poteſt. ex quo efficitur, fortem virum ægritudine numquam affici. omnes autem ſapientes, fortes. non cadit igitur in ſapientem ægritudo. & quemadmodum oculis conturbatus, non eſt probè affectus ad ſuum munus fungendum: & reliquæ partes, [4] totumve corpus ſtatu cùm eſt motum, deeſt officio ſuo, & muneri: ſic *conturbatus animus, non eſt aptus ad exſequendum munus ſuum.* munus autem animi eſt, ratione bene uti: & ſapientis animus, ita ſemper affectus eſt, ut ratione optimè utatur. numquam igitur eſt perturbatus. at ægritudo, perturbatio eſt animi. ſemper igitur ea ſapiens va-
8 cabit. [5] Veri etiam ſimile illud eſt, qui ſit temperans, quem Græci σώφρονα appellant, eamque virtutem σωφροσύνην vocant, quam ſoleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, nonnumquam etiam modeſtiam: ſed haud ſcio, an rectè ea virtus frugalitas appellari poſſit, quod anguſtiùs apud Græcos valet: qui frugi homines χρησίμους appellant, id eſt, tantummodò utileis. at illud eſt [6] latius. omnis enim abſtinentia, omnis innocentia, quæ apud Græcos uſitatum nomen nullum habet, ſed habere poteſt ἀβλάβειαν. nam eſt innocentia, affectio talis animi, quæ noceat nemini. [7] reliquas etiam virtutes frugalitas continet. quæ niſi tanta eſſet, & ſi iis anguſtiis, quibus plerique putant, teneretur, numquam eſſet L. Piſonis cognomen tantopere laudatum. Sed quia nec qui, propter metum, præſidium reliquit, quod eſt ignaviæ: nec qui, propter avaritiam, clam depoſitum non reddidit, quod eſt injuſtitiæ: nec qui, propter temeritatem, malè rem geſſit, quod eſt ſtultitiæ, frugi appellari ſolet, eò treis virtutes, fortitudinem, juſtitiam, prudentiam, frugalitas eſt complexa: etſi hoc quidem commune eſt virtutum. omnes enim inter ſe [8] nexæ, & jugatæ ſunt: [9] reliqua igitur, & quarta virtus, ut ſit ipſa frugalitas, ejus enim videtur eſſe proprium, motus animi appetentis regere, & ſedare, ſemperque adverſantem libidini, moderatam in omni re ſervare conſtantiam. cui contrarium vitium nequitia dicitur. FRUGALITAS, ut opinor, à fruge: [10] quâ nihil melius è terra. nequitia ab eo, (etſi hoc erit fortaſſe durius, [11] ſed temerius luſiſſe putemur, ſi nil ſit) ab eo, [12] quod nec quidquam eſt in tali homine: [13] ex quo idem, nihili dicitur. qui ſit frugi igitur, vel, ſi mavis, moderatus, & temperans, eum neceſſe eſt eſſe conſtantem: qui autem conſtans, quietum: qui quietus, perturbatione omni vacuum: ergo etiam ægritudine. & ſunt illa ſapientis: aberit igitur à ſapiente ægritudo. itaque non inſcite Hera-
cleotes Dionyſius ad ea diſputat, quæ apud Homerum Achilles queritur, hoc, ut opinor, modo, 9

> *Corque meum penitus turgeſcit triſtibus iris,*
> *Cùm decore, atque omni me orbatum laude recordor.*

Num manus affecta rectè eſt, cùm in tumore eſt? [14] aut num aliquod quippiam membrum tumidum, ac turgidum, non vitioſè ſe habet? ſic igitur inflatus, & tumens animus, in vitio eſt. *ſapientis* autem *animus, ſemper vacat vitio,* [15] *numquam turgeſcit, numquam tumet.* [16] at iratus animus, ejuſmodi eſt: numquam igitur ſapiens iraſcitur. nam ſi iraſcitur, etiam concupiſcit. proprium eſt enim irati, cupere, à quo læſus videatur, [17] ei quàm maximum dolorem inurere. qui autem id concupierit, eum neceſſe eſt, ſi id conſecutus ſit, magnopere lætari. ex quo fit, ut alieno malo gaudeat. quod quoniam non cadit in ſapientem, ne ut iraſcatur quidem cadit. ſin autem caderet in ſapientem ægritudo, caderet etiam iracundia. qua quoniam vacat, ægritudine etiam vacabit. etenim ſi ſapiens in ægritudinem incidere poſſet, etiam in miſericordiam, poſſet in invidentiam: non dixi in invidiam, quæ tum eſt, cùm invidetur: ab invidendo autem invidentia rectè dici poteſt, ut effugiamus ambiguum nomen invidiæ: quod verbum ductum eſt à nimis intuendo fortunam alterius, ut eſt in Menalippo,

> *Quiſnam florem liberûm invidit meûm?*

malè Latinè videtur. ſed præclarè Accius, ut enim videre, [18] ſic invidere florem rectiùs, quàm flori. nos conſuetudine prohibemur: *poeta jus ſuum tenuit*, & dixit audaciùs.

Cadit

---

1. *In quem cadat ægritudo, cadere in eumdem timorem & infractionem quidem animi & demiſſionem. quæ in quem cad.*] Ita emendavi de mſſ. pænè omnium Pall. (nam ſecundus uno atque altero apice abit. ſententiâ, & Vat. tum Fabr. & Lamb. vulgò: *in quem cadat ægr. in eundem cadere timorem & infract. quandam animi & demiſſionem. in quemque ea cad.* Multum quoque nos juvit Victor. editio.

2. *Ut victum ſe quandoque eſſe fateatur*] Stamus pro vulgatâ; quam tuentur una nobiſcum Victorius. Pall pr. ſec. quart. quint. licet Lamb. *victum aliquando eſſe ſe fateatur* propugnet; quod fermè eſt in Vatican. diverſitas in hoc: *ſe eſſe*. Palat. tert. *victum ſi quandoque ſe eſſe.*

3. *Qui magni animi ſit, invictum: qui invictus ſit.*] Ita Victorius: cui ſe ſociant in propaganda hac lectione Palatt. pr. ſec. quint. Fabr. Pall. tert. & quart. *qui fortis ſit, eundem eſſe magni animi, ſive invictum, qui invictus ſit.* Vatic. *qui autem magni animi ſit.* vulgò, geminum *ſit* omittunt.

4. *Totumve corpus ſtatu cùm eſt motum.*] Ita eſt in Pall. tribus prioribus Vat. Fabr. Pith. nam in edit. Victorii, & duobus reliquis Pall. *totumve corpus ſtatim cùm eſt motum.*

5. *Veri etiam ſimile illud eſt.*] Ita reperi in quinque Pall. Fabr. Pith. Vatican. Gryphii. vulgo, *veriſimile etiam illud eſt.*

6. *Latius. omnis enim abſtinentia, omnis innocentia.*] Victorii ſic habet editio, quam lectionem cuſtodiunt quinque Pall. Fab. Pith. Vaticanus. vulgò; *latius. eſt enim omnis abſtin.*

7. *Reliquas enim virtutes frugalitas continet.*] Pal. ſecund. *connectet frugalitas.*

8. *Nexæ & jugatæ ſunt.*] Poſt Victorium ſic edidit Lamb. & ſic quinque Pall. Fabr. Pith. *nexæ & conjugatæ.*

9. *Reliqua igitur, & quarta virtus, ut ſit ipſa frugalitas. ejus.*] Ejeci cum Victorio τὸ *neceſſe eſt.* in nullo mſſ. Pal. neque Fabr. Pith. comparens. in Vaticano: *virtus ut ſit ipſa frugalitas.* unde quidam conjiciebat: *reliquum igitur, ut quanta virtus ſit.*

10. *Qua nihil melius è terra. nequit.*] Neque Victorius neque Pall. quinque cum Pith. Fab. agnoſcunt τὸ *oritur*, poſt *terra*. Pal. tamen quart. *quia nihil melius in terra.*

11. *Sed temerius luſiſſe putemur.*] Hanc ſcripturam repperi in Pal. quinto, Fabr. & Pal. tert. ut etiam libri Lamb. *temerius juſſiſſe.* hinc tamen Lamb. *tenerius luſiſſe* quaſi *temerius* non Latinum ſit à *temere*. Vaticanus: *ſed temptemus luſiſſe putatos.* vulgo: *ſed tentemus & luſiſſe putemur.*

12. *Quod nec quicquam eſt in tali homine.*] Sic Lamb. emendavit. quod extat quoque in Pall. pr. tert. Fabr. vulgò, *nequidquam.*

13. *Ex quo idem, nihili dicitur.*] Pall. quinque *nihil.*

14. *Aut num aliquod quippiam membrum.*] Ita quinque Pall. Gulielmius pro *aliquod* malebat *aliud.* laudo ego magis ſcripturam Pal. quart. *num aliquod quippiam membrorum tumidum.*

15. *Nunquam turgeſcit, nunquam tumet.*] Pal. ſec. omittit τὸ *nunquam tumet.*

16. *At iratus animus ejuſmodi eſt.*] Laudo Vaticani cod. lectionem: *at irati animus.*

17. *Ei quàm maximum dolorem inurere.*] Pal. tert. *innuere.*

18. *Sic invidere florem rectius quàm flori. nos.*] Conſenſus quinque Pall. cum Fabr. Pith. hanc præſtat lectionem. ejecto τὸ *dicitur* poſt *flori.*

1. *Idem*

10 Cadit igitur in eundem & miſereri, & invidere. nam *qui dolet rebus alicujus adverſis*, [1] *idem alicujus etiam ſecundis ſolet*: ut Theophraſtus interitum deplorans Calliſthenis, ſodalis ſui, rebus Alexandri proſperis angitur: itaque dicit Calliſthenem incidiſſe in hominem ſumma potentia, ſummaque fortuna, ſed ignarum, quemadmodum rebus ſecundis uti conveniret. Atqui quemadmodum miſericordia, ægritudo eſt ex alterius rebus adverſis: ſic invidentia, ægritudo eſt ex alterius rebus ſecundis: in quem igitur cadit miſereri, in eundem etiam invidere. non cadit autem invidere in ſapientem: ergo ne miſereri quidem. [2] quòd ſi hoc ægrè ferre ſapiens ſoleret, miſereri etiam ſoleret. abeſt ergo à ſapiente ægritudo. Hæc ſic dicuntur à Stoicis, concluduntur que contortiùs. ſed latiùs aliquanto dicenda ſunt, & diffuſiùs: ſententiis tamen utendum eorum potiſſimum, qui maximè forti, &, ut ita dicam, virili utuntur ratione, atque ſententia. nam Peripatetici, familiares noſtri, quibus nihil eſt uberius, nihil eruditius, nihil gravius, [3] mediocritates vel perturbationum, vel morborum animi, mihi non ſanè probant. *omne* enim *malum*, *etiam mediocre*, *magnum eſt*. nos autem id agimus, ut id in ſapiente nullum ſit omnino. nam ut corpus, etiam ſi mediocriter ægrum eſt, ſanum non eſt: [4] ſic in animo iſta mediocritas, caret ſanitate. itaque præclarè noſtri, ut alia multa, moleſtiam, ſollicitudinem, angorem, propter ſimilitudinem corporum ægrorum, ægritudinem nominaverunt. hoc propemodum verbo Græci omnem animi perturbationem appellant. [5] vocant enim πάθος, id eſt, morbum, quicunque eſt motus in animo turbidus? nos meliùs: ægris enim corporibus ſimillima eſt animi ægritudo. [6] at non ſimilis ægrotationis eſt libido, non immoderata lætitia, quæ eſt voluptas animi elata, & geſtiens. ipſe etiam metus non eſt morbi admodum ſimilis, quamquam ægritudini eſt finitimus, ſed propriè, ut ægrotatio in corpore, ſic ægritudo in animo, nomen habet non ſejunctum à dolore. doloris igitur hujus origo nobis explicanda eſt, id eſt, cauſa efficiens ægritudinem in animo, tanquam ægrotationem in corpore. nam, ut *medici*, *cauſa morbi inventa*, *curationem eſſe inventam putant*: ſic nos, cauſa ægritudinis reperta, medendi facul-
11 tatem reperiemus. Eſt igitur cauſa omnis in opinione, nec verò ægritudinis ſolùm, ſed etiam reliquarum omnium perturbationum: quæ ſunt genere quattuor, partibus plures. nam cùm omnis perturbatio ſit animi motus vel rationis expers, vel rationem aſpernans, vel rationi non obediens, iſque motus aut boni, aut mali opinione citetur: bifariam quattuor perturbationes æqualiter diſtributæ ſunt. nam duæ ſunt ex opinione boni: quarum altera, voluptas geſtiens, id eſt, præter modum elata lætitia, opinione præſentis magni alicujus boni: [7] altera cupiditas, quæ rectè, vel libido dici poteſt: quæ eſt immoderata appetitio opinati magni boni, [8] rationi non obtemperans. ergo hæc duo genera, voluptas geſtiens, & libido, bonorum opinione turbantur, ut duo reliqua, metus & ægritudo, malorum. nam & metus, opinio magni mali impendentis: & ægritudo, eſt opinio magni mali præſentis: & quidem recens opinio talis mali, ut in eo rectum videatur eſſe angi: id autem eſt, ut is, qui doleat, oportere opinetur ſe dolere. his autem perturbationibus, [9] *quas in vita hominum ſtultitia quaſi quaſdam furias immittit*, *atque incitat*, omnibus viribus, atque opibus repugnandum eſt, ſi volumus hoc, quod datum eſt vitæ, tranquillè, placideque traducere. [10] ſed cetera aliàs: nunc ægritudinem ſi poſſumus, depellamus. id enim ſit propoſitum: quandoquidem eam tu videri tibi in ſapientem cadere dixiſti. quod ego nullo modo exiſtimo. tætra enim res eſt, miſera, deteſtabilis, omni contentione, velis, ut ita dicam, remiſque fugienda. Qua- 12
lis enim tibi [11] ille videtur *Tantalo prognatus*, *Pelope natus*, *qui quondam à ſocero Oenomao rege* [12] *Hippodamiam raptu nactus nuptiis?* Jovis iſte quidem pronepos. tamne ergo abjectus, tamque fractus?

Nolite (inquit) *hoſpites* [13] *ad me adire ilico iſtic*;
Ne contagio mea bonis, *umbrave obſit*:
Tanta vis ſceleris in corpore hæret.

Tu te, Thyeſta, damnabis, orbabiſque luce propter vim ſceleris alieni? quid? illum filium Solis nonne patris ipſius luce indignum putas?

Refugêre oculi: corpus macie extabuit:
Lacrymæ peredêre humore exſanguis genas:
Situ nidoris barba pædore horrida,
Atque intonſa infuſcat pectus illuvie ſcabrum.

Hæc mala, ô ſtultiſſime Æëta, ipſe tibi addidiſti. [14] non inerant in his, quæ tibi caſus invexerat, & quidem inveterato malo [15] cum tumor animi reſediſſet. eſt autem ægritudo, ut docebo, in opinione mali recentis. ſed mœres videlicet regni deſiderio, non filiæ. illam enim oderas, & jure fortaſſe. regno non æquo animo carebas. *eſt* autem *impudens luctus mœrore ſe conficientis*, *quòd imperare non liceat liberis*. Dionyſius quidem tyrannus, Syracuſis expulſus, Corinthi pueros docebat. uſque eò imperio carere non poterat. Tarquinio verò quid impudentius, qui bellum gereret cum iis, qui ejus non tulerant ſuperbiam? is, cùm reſtitui in regnum nec Vejentium, nec Latinorum armis potuiſſet, Cumas ſe contuliſſe dicitur, inque ea urbe ſenio, & ægritudine eſſe confectus. Hoc tu igitur cenſes 13
ſapienti accidere poſſe, ut ægritudine opprimatur, id eſt, miſeria? nam cùm omnis perturbatio, miſeria eſt, tum carnificina eſt, ægritudo, habet ardorem libido, levitatem lætitia geſtiens, humilitatem metus: ſed ægritudo majora quæ-

1. *Idem alicujus etiam ſecundis ſolet.*] Recepi Victorii lectionem, etiam à Pal. tert. redhibitam. vulgo *dolet*. ſi mei res juris eſſet τὸ *idem* quoque ex Fabr. auctoritate tollerem, & ex pr. Pal. ſic digererem: *nam qui dolet rebus alicujus adverſis*, *etiam alicujus ſecundis ſolet*.

2. *Quod ſi hoc ægrè ferre ſapiens ſoleret.*] Pall. tert. quart. *quod ſi hæc ſapiens referre ſoleret*. quint. *quod ſi hæc ferre ſapiens ſol.*

3. *Mediocritates vel perturbationum.*] Μεσότητας. Ita quatuor Pall. priores, Fab. edit. Victorii: vulgo, *mediocritatem*.

4. *Sic in animo iſta mediocritas caret ſanitate.*] Veteris codicis hæc lectio eſt, quam quoque Lamb. aſcivit: eſtque in Pall. quart. quint. Fabr. Pith. vulgò: *ſic. ſi in animo eſt iſta mediocritas*, *caret ſanitate*.

5. *Vocant enim πάθος*, *id eſt*, *morbum*, *quicunque eſt motus.*] Pal. quart. *morbum*, *quibus quicumque eſt motus*.

6. *At non ſimilis ægrotationis eſt libido.*] Mirè variant in hoc loco noſtri codd. ſecund. *ægritudo ac non ſimilis egrotatio*. tert. quart. *at non ſimiles egrotationes*. *Eſt libido immoderata*. quint. *At non ſimiles ægrotatio eſt. libido enim immoderata*, &c.

7. *Altera cupiditas quæ rectè vel libido.*] Sic edidit Victorius: ſic quinque Pal. Vatic. vulgò; *altera*, *vel cupiditas rectè vel libido*.

8. *Rationi non obtemperans. ergo.*] Locupletant hunc locum cum Victorio quinque Pall. hoc modo: *obtemperans*, *quæ vel cupiditas rectè*, *vel libido dici poteſt. Ergo.*

9. *Quas in vita hominum ſtultitia quaſi quaſdam furias immittit atque.*] Victorius hæc ſic edidit à mſſ. pleriſque conſtabilita. Lambinus ut aliquid innovet, reponit *in vitam*: contra libros. ſed hanc eandem bigam vocum Pal. quint. non agnoſcit, nec videtur neceſſaria.

10. *Sed cetera aliàs.*] Vulgò, *ſed ceteras aliàs*. hoc, ſic produnt Victor. quinque Pall. Fab. Pith. Vatic.

11. *Ille videtur Tantalo prognatus.*] Pith. cod. *pronatus*, ut pronepos.

12. *Hippodamiam raptu nactus nuptiis.*] Vulgo *raptis nactus nuptiis*. nimis aſperè: noſtrum autem ingeſſit Palat. quint. Pith.

13. *Ad me adire ilico iſtic.*] Sic Victorius & partim Pall. nam ſolus quint. *iſta*: in cetera conſonans. Gulielmius ex conjecturâ; *ilico ſiſtite*. amplectar ego diſtinctionem meam & lectionem Pith. codicis.

Nolite, inquit, *hoſpites ad me adire*, *ilico iſtic*;
Ne contagio, &c.

14. *Non inerant in his.*] Victorii editam ſic lectionem ſuſtentant quinque Pall. Fabr. Pith. vulgò, *non erant in iis*.

15. *Cum tumor animi reſediſſet.*] Lectionem tenui Victorii, Pall. pr. ſec. quart. quinti, ut & Fab. Pith. miſsâ vulgatâ, *animo reſediſſet*.

1. *Crucia-*

quædam , *tabem* , [1] *cruciatum* , *afflictationem* , *fœditatem: lacerat* , *exeſt animum* , *planeque conficit.* hanc niſi exuimus ſic, ut abjiciamus , miſeria carere non poſſumus. [2] Atque hoc quidem perſpicuum eſt , tum ægritudinem exſiſtere, cùm quid ita viſum ſit , ut magnum quoddam malum adeſſe , & urgere videatur. Epicuro autem placet , opinionem mali , ægritudinem eſſe natura , ut quicumque intueatur in aliquod majus malum , ſi id ſibi accidiſſe opinetur, [3] ſit continuò in ægritudinem. Cyrenaici non omni malo ægritudinem effici cenſent , [4] ſed inſperato , & nec opinato malo. eſt id quidem non mediocre ad ægritudinem augendam. *videntur* enim *omnia repentina graviora.* ex hoc & illa jure laudantur :

Ego , cùm genui , [5] tum morituros ſcivi , & ei rei ſuſtuli.
Præterea ad Trojam cùm miſi ob defendendam Græciam ,
[6] Sciebam me in mortiferum bellum , non in epulas mittere.

14 Hæc igitur præmeditatio futurorum malorum, lenit eorum adventum, [7] quæ venientia longè antè videris. itaque apud Euripidem à Theſeo dicta laudantur. licet enim , ut ſæpe facimus , in Latinum illa convertere.

Nam qui hæc audita à docto meminiſſem viro ,
Futuras mecum commentabar miſerias :
Aut mortem acerbam , aut exſilii mœſtam fugam ,
Aut ſemper aliquam molem meditabar mali :
Ut , ſiqua invecta diritas caſu foret ,
Ne me imparatum cura laceraret repens.

[8] Quod autem Theſeus à docto ſe audiſſe dicit, id de ſeipſo loquitur Euripides. fuerat enim auditor Anaxagoræ : quem ferunt , nuntiata morte filii , dixiſſe , *Sciebam me genuiſſe mortalem.* quæ vox declarat , [9] iis eſſe hæc acerba , quibus non fuerint cogitata. ergo id quidem non dubium , quin *omnia , quæ mala putantur , ſint improviſa graviora.* itaque quamquam non hæc una res efficit maximam ægritudinem : tamen , quoniam multùm poteſt proviſio animi , & præparatio ad minuendum dolorem , ſint ſemper omnia homini humana meditata. & NIMIRUM HÆC eſt illa præſtans , & divina ſapientia , [10] & perceptas penitus , & pertractatas humanas res habere : nihil admirari , cùm acciderit, nihil , antequàm evenerit , non evenire poſſe arbitrari.

Quamobrem omneis , [11] cùm ſecundæ res ſunt maximè, tum maxime
Meditari ſecum oportet , quo pacto adverſam ærumnam ferant :
[12] Pericla , damna , peregrè rediens ſemper ſecum cogitet ,
Aut filii peccatum , aut uxoris mortem , aut morbum filiæ :
[13] Communia eſſe hæc , ne quid horum umquam accidat animo novum :
Quidquid præter ſpem eveniat , omne id deputare eſſe in lucro.

Ergo hoc Terentius à philoſophia ſumtum cùm tam com- 15
modè dixerit , nos , e quorum fontibus id hauſtum eſt, non & dicemus hoc melius, & conſtantiùs ſentiemus ? hic eſt enim ille vultus ſemper idem , quem dicitur Xantippe prædicare ſolita in viro ſuo fuiſſe Socrate , [14] eodem vultu ſemper ſe vidiſſe exeuntem illum domo , & revertentem. [15] nec verò ea frons erat , quæ M.Craſſi illius veteris , *quem ſemel* ait *in omni vita riſiſſe* Lucilius : ſed tranquilla , & ſerena. ſic enim accepimus. jure autem erat ſemper idem vultus , cùm mentis, à qua is fingitur, nulla fieret mutatio. Quare accipio equidem à Cyrenaicis hæc arma contra caſus, & eventus , quibus eorum advenienteis impetus diuturna præmeditatione frangantur: ſimulque judico , malum illud , opinionis eſſe , non naturæ. ſi enim in re eſſent , cur fierent proviſa leviora ? Sed eſt , iiſdem de rebus quod dici poſſit ſubtiliùs , ſi priùs Epicuri ſententiam viderimus : qui cenſet , neceſſe eſſe omneis in ægritudine eſſe, qui ſe in malis eſſe arbitrentur , ſive illa antè proviſa , & exſpectata ſint, ſive inveteraverint. nam *neque vetuſtate minui mala, nec fieri præmeditata , leviora :* ſtultamque etiam eſſe meditationem futuri mali , aut fortaſſe ne futuri quidem : ſatis eſſe odioſum malum omne, cùm veniſſet : qui autem ſemper cogitaviſſet, accidere poſſe aliquid adverſi, ei fieri illud ſempiternum malum : ſi verò ne futurum quidem ſit , fruſtra ſuſcipi miſeriam voluntariam : ita ſemper angi , aut accipiendo , aut cogitando malo. levationem autem ægritudinis in duabus rebus ponit , avocatione à cogitanda moleſtia , & revocatione ad contemplandas voluptates , parêre enim cenſet animum rationi poſſe , & , quò illa ducat , ſequi. vetat igitur ratio intueri moleſtias : [16] abſtrahit ab acerbis cogitationibus hebetem aciem ad miſerias contemplandas : [17] à quibus cùm cecinit receptui , impellit rurſum , & incitat ad conſpiciendas , totaque mente contrectandas varias voluptates. quibus ille & præteritarum memoria , & ſpe conſequentium, [18] ſapientis vitam refertam putat. Hæc noſtro more nos diximus. Epicurei dicunt ſuo. ſed , quæ
dicant , videamus quo modo negligamus. Principio malè 16
reprehendunt præmeditationem rerum futurarum , NIHIL EST enim , quod tam obtundat, elevetque ægritudinem, quàm perpetua in omni vita cogitatio , *nihil eſſe , quod accidere non poſſit :* quàm meditatio conditionis humanæ : quam vitæ lex , commentatioque parendi : quæ non hoc affert, ut ſemper

1. *Cruciatum, afflictationem, fœditatem.*] Victorius ſic edidit, pro quo pugnant Pall. pr. tert. quart. Pith. Vatican. vulgo , *afflictionem.* ſunt omnino hæc ex veteri poëtâ deſumpta.

2. *Atque hoc quidem perſpicuum eſt.*] Sic quinque Pall. Fab. Pith. Vatic. nec longe Victorius *atqui hoc.* vulgò : *At hoc quidem.*

3. *Sit continuò in ægritudinem.*] Similem locum ſupra reſtitui : ſic autem legendum ducunt Pal. tert. Vatic. vulgò, *in ægritudine.*

4. *Sed inſperato & nec opinato malo.*] Ita vetus codex, item mſſ. Suffridi. Pall. ſecundus, tert. quint. Vatic. vulgò & immittunt.

5. *Tum morituros ſcivi.*] Victorius recepit hanc lectionem ; quam habet & vet. codex quatuor Pall. Vatic. Fabr. Pith. vulgò , cum quinto Pal. *moriturum.*

6. *Sciebam me in mortiferum.*] Non erat Lambini omnium librorum auctoritate inſuperhabita *ſcibam* ſcribere : extat enim in quinque Pall. edit. Victorii. Fab. Pith.

7. *Quæ venientia longè ante videris.*] Mſ. Pal. quart. *quæ evenientia.*

8. *Quod autem Theſeus à docto ſe audiſſe dicit*] Ita Victorius quinque Pall. Fabr. Pith. vulgo : *à docto viro ſe audiſſe.*

9. *Iis eſſe hæc acerba, quibus non fuerint cogitata.*] Elegantiſſimam hanc lectionem repono ex Pall. prim. ſec. tert. quint. Fab. Pith. ſic Terent. Phorm. *omnia mihi cogitata ſunt.* alias illepidius, *à quibus non ſ.*

10. *Et perceptas penitus & pertractatas.*] Tò & ſic præmittunt Victor. Pall. quinque , duo germani ſeu conjurati Fab. Pith. porrò pro *perceptas* non pœnitet in Crepundiis aſſeruiſſe ex Pall. pr. ſec. *præceptas.*

11. *Cùm ſecundæ res ſunt maximè , tum maximè Meditari ſecum.*] Ita Victor. Manutius Nep. Pall. pr. ſecund. quint. alias *tum maxime* deſit.

12. *Pericla , damna. peregrè rediens ſemper ſecum cogitet.*] Hoc modo reſcribunt quinque Pall. (ſolus quartus *iens*) Fabr. Pith. in edit. illa formâ.

Pericla, damna, exſilia. peregrè rediens ſemper cogitet.

13. *Communia eſſe hæc ; ne quid horum umquam accidat animo novum.*] Victus conſenſu Libror. & veritatis vi , hæc ita ſcripſi ex Pall. quinque, Fabr. Pith. denique Vaticano. vulgo ; *communia eſſe hæc ; fieri poſſe : ut ne quid animo ſit novum.*

14. *Eodem ſemper ſe vidiſſe exeuntem.*] Tanquam ſupervacuum rectè ablegant *vultu* quinque Pall. Fab. Pith. Vatic. Victorii editio.

15. *Nec verò ea frons erat.*] Melius tres Pal. priores, *eadem frons.*

16. *Abſtrahit ab acerbis cogitationibus hebetem aciem.*] Fab. *hebentem ac.* Pal. tert. *habentem.* omninò legendum *hebentem.* ſic apud Fabium , *intra vaginam hebens gladius* ; ut quidem nos reſtituimus in Crepundiis.

17. *A quibus cùm cecinit receptui.*] Palat. quart. Fabr. Pith. Vatic. *cecidit receptu.* Pal. ſecund. *cecidit , receptum impell.* tert. *cecidit receptui.*

18. *Sapientis vitam refertam putant.*] Pal. quint. *refertam.*

1. *Exte-*

ſemper mœreamus, ſed ut numquam. neque enim qui rerum naturam, qui vitæ varietatem, qui imbecillitatem generis humani cogitat, mœret cùm hæc cogitat, ſed tum vel maximè ſapientiæ fungitur munere. utrumque enim conſequitur, ut & conſiderandis rebus humanis proprio philoſophiæ fruatur officio, & adverſis caſibus triplici conſolatione ſanetur: primùm, quòd poſſe accidere diu cogitaverit, quæ cogitatio una maximè moleſtias omneis [1] extenuat, & diluit: deinde, [2] quòd humanè ferenda intelligit: poſtremo, quòd videt malum nullum eſſe, niſi culpam, culpam autem malum eſſe, cum id, quod ab homine non potuerit præſtari, evenerit. [3] Nam revocatio illa, quam affert, cùm à contuendis nos malis avocat, nulla eſt. non eſt enim in noſtra poteſtate, [4] fodicantibus iis rebus, quas malas eſſe opinemur, diſſimulatio, vel oblivio. lacerant, vexant, ſtimulos admovent, igneis adhibent, reſpirare non ſinunt. Et tu oblivìſci jubes, quod contra naturam eſt? [5] quia natura datum eſt auxilium, extorqueas inveterati doloris? eſt enim *tarda illa quidem medicina, ſed tamen magna, quam affert longinquitas, & dies.* jubes me bona cogitare, oblivìſci malorum. diceres aliquid, & magno quidem philoſopho dignum, ſi ea bona ſentires eſſe, quæ eſſent homine digniſſima. [6] Pythagoras mihi ſi di-
17 ceret, aut Socrates, aut Plato: Quid jaces? aut quid mœres? aut cur ſuccumbis, cedìſque fortunæ? quæ pervellere te forſitan potuerit, & pungere: non potuit certè vireis frangere. *magna vis eſt in virtutibus.* eas excita, ſi fortè dormiunt. jam tibi aderit princeps fortitudo, quæ te animo tanto eſſe coget, ùt omnia, quæ poſſint homini evenire, contemnas, & pro nihilo putes. aderit temperantia, quæ eſt eadem moderatio: à me quidem paullo antè appellata frugalitas: quæ te turpiter, & nequiter facere nihil patiatur. Quid eſt autem nequius, aut turpius effæminato viro? [7] ne juſtitia quidem ſinet te iſta facere: [8] cui minimum eſſe videtur in hac cauſa loqui: quæ tamen ita dicet, dupliciter eſſe te injuſtum, cum & alienum appetas, qui mortalis natus, conditionem poſtules immortalium, & graviter feras, te, quod utendum acceperis, reddidiſſe. prudentiæ verò quid reſpondebis, [9] dicenti *virtutem ſeſe eſſe contentam, quo modo ad bene vivendum, ſic & ad beate?* quæ ſi extrinſecus religata pendeat, & non oriatur à ſe, & rurſus ad ſe revertatur, & omnia ſua complexa nihil quærat aliunde: non intelligo, cur aut verbis tam vehementer ornanda, aut re tantopere expetenda videatur. Ad hæc bona me ſi revocas, Epicure, pareo, ſequor, utor te ipſo duce, oblivìſcor etiam malorum, ut jubes, eoque faciliùs, quòd ea ne in malis quidem ponenda cenſeo. ſed traducis cogitationes meas ad voluptates. quas? corporis, credo, aut quæ propter corpus vel recordatione, vel ſpe cogitentur. numquid eſt aliud? rectene interpretor ſententiam tuam? ſolent enim iſti negare nos intelligere, quid dicat Epicurus, hoc dicit, [10] & hoc ille acriculus, me audiente, Athenis ſenex Zeno, iſtorum acutiſſimus, contendere, & magna voce dicere ſolebat: eum eſſe beatum, qui præſentibus voluptatibus frueretur, confideretque ſe fruiturum aut in omni, aut in magna parte vitæ, dolore non interveniente: aut ſi interveniret, ſi ſummus foret, futurum brevem: ſi productior, plus habiturum jucundi, quàm mali: hæc cogitantem fore beatum, præſertim ſi & antè præceptis bonis contentus eſſet, [11] nec mortem, nec deos extimeſceret. Habes formam 18
Epicuri vitæ beatæ, verbis Zenonis expreſſam, nihil ut poſſit negari. [12] Quid ergo? hujuſne vitæ propoſitio, & cogitatio aut Thyeſten levare poterit, aut Æetam, de quo paullo antè dixi, aut Telamonem, pulſum patria, exſulantem, atque egentem? in quo hæc admiratio fiebat:

Hiccine eſt Telamo ille, modò quem gloria ad cælum extulit?

[13] *Quem aſpectabant? cujus ob os Graii ora obvertebant ſua.*

Quòd ſi cui, ut ait idem, [14] ſimul animus cum re concidit, à gravibus illis antiquis philoſophis petenda medicina eſt, non ab his voluptariis. quam enim iſti bonorum copiam dicunt? fac ſanè eſſe ſummum bonum, non dolere. quamquam id non vocatur voluptas. ſed non neceſſe eſt nunc omnia. idne eſt, quò traducti luctum levemus? ſit ſanè ſummum malum, dolere. in eo igitur, qui non eſt, ſi malo careat, continuone fruitur ſummo bono? quid tergiverſamur, Epicure, nec fatemur eam nos dicere voluptatem, quam tu idem, [15] cùm os perfricuiſti, ſoles dicere? ſunt hæc tua verba, necne? in eo quidem libro, qui continet omnem diſciplinam tuam (fungar enim jam interpretis munere, ne quis me putet fingere) dicis hæc. *Nec equidem habeo quod intelligam bonum illud, detrahens eas voluptates, quæ ſapore percipiuntur, detrahens eas, quæ auditu, & cantibus: detrahens eas etiam, quæ ex formis percipiuntur oculis, ſuaves motiones, ſive quæ aliæ voluptates in toto homine gignuntur quolibet ſenſu. Nec verò ita dici poteſt, mentis lætitiam ſolam eſſe in bonis.* lætantem enim mentem ita novi, ſpe eorum omnium, quæ ſuprà dixi, fore ut natura iis potiens, dolore careat. Atque hæc quidem his verbis, quivis ut intelligat, quam voluptatem norit Epicurus. deinde paullo intrà, SÆPE QUÆSIVI (inquit) ex iis, qui appellantur ſapientes, [16] quid haberent, quod in bonis relinquerent, ſi illa detraxiſſent, [17] niſi ſi vellent voces inaneis fundere. nihil

---

1. *Extenuat & diluit.*] In nullo reperi Lambini *deluit.*

2. *Quod humanè ferenda intelligit.*] Sic Victorius edidit: & ſic habetur in Pall. ſecund. tert. quint. primus, *humanæ.* præfero lectionem Vaticanam, *quod humana humanè ferenda*, utpote liquidiſſimam & propriam Ciceroni infra cap. 27. p.

3. *Nam revocatio illa quam affert.*] Lamb. *avocatio*; quod licet damnet Gulielm. tanquam è conjectatione Lambini ortum; tamen præfert Vaticanus.

4. *Fodicantibus iis rebus.*] Pal. pr. *foditantibus*: quod eſt à *ſodare.* ſicut calci illi, teſte Feſto, dixerunt pro *fodere.*

5. *Quia natura datum eſt auxilium extorqueas inveterati doloris.*] Quia inveni in melioribus codd. Pall. tert. quart. Pith. Vatic. hanc lectionem recepi in contextum: at illud *extorqueas* etiam reliqui tres Pall. amplius aſſerunt. vulgo: *quod à natura datum eſt auxilium, extorques, juvet.* inoffenſo quidem curſu, prout Magiſtelli capiebant; ſed vereor an legitimè.

6. *Pythagoras mihi ſi diceret.*] Ita Pall. pr. ſec. quart. quint. mſſ. Suffrid. Vatic. ſed nequid diſſimulem, in quarto ſic ſcriptum offendi: *mihi etiamſi.* aliàs; *mihi ſic diceret.*

7. *Ne juſtitia quidem ſinet te iſta facere.*] Immiſi ante *iſta* particulam ſeu provocabulum *te*, ex Pall. quart. quint. Fab. Vaticano.

8. *Cui minimum eſſe videtur in hac causâ loci.*] Ita cum vulgatis Victorius. Fabr. *cui minimus eſſe videtur in hac causâ locus.* ceterùm quinque Pall. Pith. *min. eſſe vid. in hac cauſa loqui.* quàm veram eſſe lectionem, evincunt ſequentia: *quæ tamen ita dicet.*

9. *Dicenti virtutem ſeſe eſſe contentam.*] Partim Victorio, partim Pall. ſecund. Fab. Pith. Vaticano debes hanc lectionem: nam hi integram; ille *ſe minus* præſtat. vulgo, *virtute ſe eſſe contentam.* ſed iſtud etiam ſcias *docenti* reſtare in Pal. tert. Pith. Fab. non *dicenti.*

10. *Et hoc ille acriculus me audiente.*] Feliciſſima hæc eſt Turnebi conjectura, à Vatic. ad oculum repræſentata: quam adjuvat Pal. tert. *agriculus*, ſcribendo. quid ſentiam, diſputo in Crepundiis. Pal. quart. *acricolus* ſolemni mutatione *o* pro *u.* quæ de ſcriptura de plano lectionem hanc dubio eximit. Nam Victorio ipſimet ſuum ἀκρόχολος diſplicuit; qui *Graculus* nobis obtruſum it, à graculis forſan accepit. vulgò *Græculus* mendosè, ut indicatum eſt Victorio atque Lambino.

11. *Nec mortem nec deos extimeſceret.*] Auctior eſt duabus primoribus vocibus editio Victorii: Pall. quinque, mſſ. Suffrid. Fabr. Pith.

12. *Quid ergo? hujuſne vitæ propoſitio & cogitatio.*] Non addixi me hic Victorio *propoſitam* oſtentanti: cum illud *propoſitio* exſtet in omnibus noſtris mſſ.

13. *Quem aſpectabant.*] Ita Victorius, Pal. pr. ſec. quint. Vatic. Pith. Pall, verò tertius, quart. Fabr. *exſpectabant.*

14. *Simul animus cum re concidit.*] Vet. codex Pall. prim. ſecund. tert. quint. *ſimul animus rem condidit.* quart. *recondidit.* ſed illud noſtrum tuentur Vict. ceterique editionum manipuli.

15. *Cùm os perfricuiſti.*] Fabr. *nos perſtrinxiſti.*

16. *Quid haberent, quod in bonis relinquerent.*] Pall. tert. quart. *quod homini relinq.* quint. *quod quidem in bonis rel.*

17. *Niſi ſi vellent voces inanes.*] Eleganter ſic Victorius, ut & Pall. pr. tert. quart. Fabr. alias omittitur *ſi.*

nihil ab his potui cognoſcere: qui ſi virtutes ebullire volent, & ſapientias, nihil aliud dicent, niſi eam viam, qua efficiantur eæ voluptates, quas ſuprà dixi. Quæ ſequuntur, in eadem ſententia ſunt: totuſque liber, qui eſt de ſummo bono, [1] refertus, & verbis & ſententiis talibus. Ad hanccine igitur vitam Telamonem illum revocabis, ut leves ægritudinem? & ſi quem tuorum afflictum mœrore videris, huic acipenſerem potiùs, quàm aliquem Socraticum libellum dabis? [2] hydrauli hortabere ut audiat voces potiùs, quàm Platonis? expones, *quæ ſpectet florida, & varia? faſciculum ad naris admovebis? incendes odores?* [3] *& ſertis redimiri jubebis, & roſa?* [4] *Si verò aliquid etiam: tum*

19 *planè luctum omnem abſterſeris?* Hæc Epicuro confitenda ſunt, aut ea, quæ modò expreſſa ad verbum dixi, tollenda de libro, vel totus liber potiùs abjiciundus. eſt enim confertus voluptatibus. quærendum igitur, quemadmodum ægritudine privemus eum, qui ita dicat:

--- pol mihi fortuna magis nunc deſit, quam genus.
Namque regnum ſuppetebat mihi: ut ſcias quanto è loco,
Quantis opibus, quibus de rebus [5] *lapſa fortuna accidat.*

Quid? huic calix mulſi impingendus eſt, ut plorare deſinat, aut aliquid ejuſmodi? Ecce tibi ex altera parte ab eodem poëta:

Ex opibus ſummis opis egens Hector tuæ.

Huic ſubvenire debemus. quærit enim auxilium.

Quid petam præſidî, aut exſequar, [6] *quove nunc auxilio, aut fuga*
Freta ſim arce, & urbe orba ſum. quò accedam? quò applicem,
Cui nec aræ patriæ domi ſtant: fractæ, & disjectæ jacent:
Fana flamma deflagrata: [7] *toſti alti ſtant parietes,*
Deformati, atque abiete criſpa.

[8] Scitis quæ ſequantur: & illud in primis,

O pater, ô patria, ô Priami domus,
Septum altiſono cardine templum:
Vidi ego te, adſtante ope barbarica,
Tectis cælatis, laqueatis,
Auro, ebore inſtructam regificè.

O poëtam egregium! quamquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur. ſentit omnia [9] repentina, & nec opinata eſſe graviora. exaggeratis igitur regis opibus, quæ videbantur ſempiternæ fore, quid adjungit?

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari,
Jovis aram ſanguine turpari.

Præclarum carmen. eſt enim & rebus, & verbis, & modis lugubre. eripiamus huic ægritudinem. quo modo? collocemus in culcitra plumea: pſaltriam adducamus: [10] hedrychum incendamus: demus ſcutellam dulciculæ potionis: [11] aliquid videamus, & cibi. Hæc tandem bona ſunt quibus ægritudines graviſſimæ detrahantur? tu enim paullo antè [12] ne intelligere te quidem alia ulla dicebas. revocari igitur oportere à mœrore ad cogitationem bonorum, conveniret mihi cum Epicuro, ſi, quid eſſet bonum, conveniret. Dicet aliquis: Quid ergo? tu Epicurum exiſtima- 20
bas iſta voluiſſe, aut libidinoſas ejus fuiſſe ſententias? Ego verò minimè. video enim ab eo dici multa ſeverè, multa præclare. Itaque, ut ſæpe dixi, de acumine agitur ejus, non de moribus, quamvis ſpernat voluptates eas, quas modò laudavit: ego tamen meminero, quod videatur ei ſummum bonum. non enim verbo ſolùm poſuit voluptatem, ſed explanavit quid diceret. *Saporem*, inquit, *& corporum complexum & ludos, atque cantus, & formas eas, quibus oculi jucundè moveantur.* Num fingo? num mentior? cupio refelli. quid enim laboro, niſi ut veritas in omni quæſtione explicetur? At idem ait, non creſcere voluptatem dolore detracto: ſummamque voluptatem, nihil dolere. Paucis verbis tria magna peccata: unum, quòd ſecum ipſe pugnat. modò enim, ne ſuſpicari quidem ſe quidquam bonum, niſi ſenſus quaſi titillarentur voluptate: nunc autem, ſummam voluptatem eſſe, dolore carere. poteſtne magis ſecum ipſe pugnare? alterum peccatum, quòd, cum in natura tria ſint: unum, gaudere: alterum, dolere: tertium, nec gaudere, nec dolere: hic primum, & tertium putat idem eſſe, nec diſtinguit à non dolendo voluptatem. tertium peccatum commune cum quibuſdam, quòd, cùm virtus maximè expetatur, *ejuſque adipiſcendæ cauſa philoſophia quæſita ſit*, ille à virtute ſummum bonum ſeparavit. At laudat, & ſæpe, virtutem. Et quidem C. Gracchus, cùm largitiones maximas feciſſet, & effudiſſet ærarium, verbis tamen defendebat ærarium. Quid verba audiam, cùm facta videam? Piſo ille Frugi, ſemper contra legem frumentariam dixerat. is lege lata, conſularis ad frumentum accipiendum venerat. animadvertit Gracchus in concione Piſonem ſtantem. quærit audiente pop. Rom. quî ſibi conſtet, cùm ea lege frumentum petat, quam diſſuaſerat. [13] *Nolim*, inquit, *mea bona, Gracche, tibi viritim dividere libeat: ſed ſi facias, partem petam.* Parumne declaravit vir gravis, & ſapiens, lege Sempronia patrimonium publicum diſſipari? Lege orationes Gracchi: patronum ærarii eſſe dices. Negat Epicurus jucundè poſſe vivi, niſi cum virtute vivatur. negat *ullam in ſapientem vim eſſe fortunæ*: tenuem victum antefert copioſo: negat ullum eſſe tempus, quo ſapiens non beatus ſit. omnia philoſopho digna, ſed cum voluptate pugnantia. Non iſtam dicit voluptatem. Dicat quamlibet. nempe eam dicit, in qua virtutis nulla pars inſit. Agè, ſi voluptatem non intelligimus, ne

---

1. *Refertus & verbis & ſententiis talibus.*] Ita quinque Pall. Fab. Vatic. vulgò: *refertus & ſententiis & verbis talibus eſt.* Delet quoque *eſt* Victor.

2. *Hydrauli hortabere ut audiat voces potius.*] Secutus ſum majorem partem hanc ſcripturam agnoſcentium: ita vet. codex mſſ. Suffridi. Gryphii liber. Pal. tert. Pith. ΗΥΔΡΑΛΙ quart. *hyarali.* quint. ΗΥΔραυ. Vatic. *hydraulis.* Lamb. *hydraulei.* Vict. Υδραύλεως. vulg. Αὐλῶν.

3. *Et ſertis redimiri jubebis.*] Placet mſſ. lectio Pall. pr. quart. Pith. *videbis*, noto helleniſmo: nam videntur hæc ex poëta vetere huc inſerta.

4. *Si verò aliquid etiam.*] Non laudo Pith. cod. mutationem: *etiam aliquid.* noſtrum venuſtiſſimum eſt. Plaut. Trucul. *mane jam fiet aliquid.*

5. *Lapſa fortuna accidat.*] Sic, non *occidat*, ut vulgo habent Pall. tert. quart. Fabr. Vatic. editio Victor.

6. *Quove nunc auxilio aut fuga.*] Fabr. Pall. prim. ſecund. tert. quint. *auxilio exſilii.* unde Schottus lib. 2. Nodorum cap. 22. *quove nunc exſilio aut fugâ freta ſim:* vel potius, *quâ nunc exſilii fuga freta ſim.* illud *exſilii* eſt à male prodigâ mente ac manu.

7. *Toſti alti ſtant parietes.*] Sic Victor. Pal. quint. tamen Vatic. *& toſti alii.* Fabr. *toti alii.* Pith. *coſti alii.*

8. *Scitis quæ ſequantur.*] Sic Victoriana, Pal. tert. quart. quint. Pith. Vatic. alias, *ſcis quæ ſeq.*

9. *Repentina & nec opinata.*] Ut ſupra, ita hic quoque locus reformatus eſt à Lambino; cui adſunt quinque Pall. Fabr. Pith. Vict. & Vatic. *repentina nec opinata.*

10. *Hedrycum incendamus: demus ſcultellam.*] Inſtitimus Victorii editioni; quam comprobat Pal. pr. *adducamus ---- edricum incendamus, demus ſcutellam.* ſecund. *demus hediricum, incendamus ſcutellam dulceriolæ pot.* tert. *daemus hedrycum, incendamus ſcutellam.* quart. *damus hedrum, incend.* vulgò, *cedrum incendamus.*

11. *Aliquid videamus & cibi.*] Rectiſſime ſic Victor. cum Lambino, item Pall. quart. quint. Fabr. Pith. Vatic. aliàs *provideamus* ineptè. Sic Terent. Heautontim. *Lenius vinum videre.* exempla plura coacervat Giſanius in Obſervationibus Linguæ Latinæ; quæ videantur.

12. *Ne intelligere te quidem alia ulla dicebamus.*] Rectius ita ex Fabr. & Vatic. quàm ut cum faſtidio iteretur *bona.* aliàs eſt in Pall. ſec. tert. quart. *multa*, ut & in Pith.

13. *Nolim, inquit, mea bona, Gracche, tibi viritim dividere libeat.*] Sic eſt in multis mſſ. Suffridi, ut notat Gulielmius; ſic Fabr. Pith. Pall. quartus ac Vatican. vulgò *liceat.* in Pithœano porrò eſt, *libeat dividere.* Libeat etiam conſiderare ſcripturam Fabr. *Nolim, inquit, bone Gracche, tibi viritim dividere libeat.* quæ abſque dubio, aut vera, aut vero proxima eſt. Fermè ſic in Gryphii libro; *Nolim, inquit, mea, bone Gracche tibi viritim dividere libeat.*

ne dolorem quidem? nego igitur ejus eſſe, qui dolore ſum-
21 mum malum metiatur, mentionem facere virtutis. Et queruntur quidam Epicurei, viri optimi (nam nullum genus eſt minùs malitioſum) me ſtudioſè dicere contra Epicurum. Ita credo, de honore, aut de dignitate contendimus. mihi ſummum in animo bonum videtur, illi autem in corpore: mihi in virtute, illi in voluptate. & illi pugnant: & quidem vicinorum fidem implorant. multi autem ſunt, qui ſtatim convolent. ego ſum is, qui dicam me non laborare, [1] actum habiturum quod egerint. quid enim? de bello Punico agitur? de quo ipſo cùm aliud M. Catoni, aliud L. Lentulo videretur, nulla inter eos concertatio umquam fuit. hi nimis iracundè agunt, præſertim cùm ab his [2] non ſanè animoſa defendatur ſententia, pro qua non in ſenatu, non in concione, non apud exercitum, [3] neque apud cenſores dicere audeant. ſed cum iſtis aliàs, & eo quidem animo, nullum ut certamen inſtituam: verum dicentibus facilè cedam. tantùm admonebo: ſi maximè verum ſit, ad corpus omnia referre ſapientem: ſive, ut honeſtiùs dicam, nihil facere, niſi quod expediat: ſive omnia referre ad utilitatem ſuam: quoniam hæc plauſibilia non ſunt, [4] ut in ſinu gaudeant, glorioſe loqui deſinant.
22 Cyrenaicorum reſtat ſententia: qui tum ægritudinem cenſent exſiſtere, ſi nec-opinatò quid evenerit. eſt id quidem magnum, ut ſuprà dixi. etiam Chryſippo ita videri ſcio, *quod proviſum antè non ſit*, [5] *id ferire vehementius*. ſed non ſunt in hoc omnia: quamquam hoſtium repens adventus magis aliquando conturbat, quàm exſpectatus. & maris ſubita tempeſtas, quam antè proviſa terret naviganteis vehementiùs: & ejuſmodi ſunt pleraque. ſed cùm diligenter nec-opinatorum naturam conſideres, nihil aliud reperias, niſi omnia videri ſubita majora: & quidem ob duas cauſas: primùm, quòd, quanta ſint quæ accidunt, conſiderandi ſpatium non datur: deinde cùm videtur præcaveri potuiſſe, ſi proviſum eſſet, quaſi *culpa contractum malum ægritudinem acriorem facit*. quod ita eſſe dies declarat: quæ procedens ita mitigat, ut iiſdem malis manentibus non modò leniatur ægritudo, ſed in pleriſque tollatur. Karthaginienſes multi Romæ ſervierunt, Macedones rege Perſe capto. vidi etiam in Peloponneſo, cùm eſſem adoleſcens, quoſdam Corinthios. hi poterant omnes eadem illa de Andromacha deplorare,

Hæc omnia vidi.

Sed jam decantaverant fortaſſe. eo enim erant vultu, oratione, omni reliquo motu, & ſtatu, ut eos Argivos, aut Sicyonios diceres: [6] magiſque me moverant Corinthi ſubitò adſpectæ parietinæ, quàm ipſos Corinthios: quorum animis diuturna cogitatio callum vetuſtatis obduxerat. Legimus librum Clitomachi, quem ille everſa Karthagine miſit conſolandi cauſa ad captivos civeis ſuos. in eo eſt diſputatio ſcripta Carneadis: quam ſe ait in commentarium retuliſſe. cùm ita poſitum eſſet, videri fore in ægritudine ſapientem, patria capta: quæ Carneades contrà dixerit, ſcripta ſunt. Tanta igitur calamitatis præſentis adhibetur à philoſopho medicina, quanta inveteratæ ne deſideratur quidem. nec ſi aliquot annis pòſt idem ille liber captivis miſſus eſſet, vulneribus mederetur, ſed cicatricibus. *ſenſim enim, & pedetentim progrediens extenuatur dolor:* non quo ipſa res immutari ſoleat, aut poſſit: ſed id, quod ratio debuerat, uſus docet, *minora eſſe ea, quæ ſint viſa majora.*
Quid ergò opus eſt, dicet aliquis, ratione, aut omnino 23
conſolatione ulla, qua ſolemus uti, cùm levare dolorem mœrentium volumus? hæc enim ferè tum habemus in promtu, *nihil oportere inopinatum videri.* At qui tolerabilius feret incommodum, qui cognoverit, neceſſe eſſe homini tale aliquid accidere. hæc enim oratio de ipſa ſumma mali nihil detrahit: tantum modò affert, *nihil eveniſſe, quod non opinandum fuiſſet.* neque tamen genus id orationis in conſolando non valet: ſed id haud ſciam an plurimum. ergo iſta nec-opinata non habent tantam vim, ut ægritudo ex his omnis oriatur. feriunt enim fortaſſe graviùs: non id efficiunt, ut ea, quæ accidant, majora videantur, [7] quia recentia ſunt, non quia repentina. duplex eſt igitur ratio veri reperiendi, non in iis ſolùm, quæ mala, ſed in iis etiam, quæ bona videntur. [8] nam aut de ipſius rei natura, qualis, & quanta ſit, quærimus, ut de paupertate nonnumquam, cujus onus diſputando levamus, docentes, *quam parva, & quàm pauca ſint, quæ natura deſideret:* aut à diſputandi ſubtilitate orationem ad exempla traducimus. hîc Socrates commemoratur, hîc Diogenes, hîc Cæcilianum illud,

Sæpe eſt etiam ſub palliolo ſordido ſapientia.

Cùm enim paupertatis una, eademque ſit vis, quidnam dici poteſt, quamobrem C. Fabricio tolerabilis ea fuerit, alii negent ſe ferre poſſe? huic igitur alteri generi ſimilis eſt ea ratio conſolandi, quæ docet humana eſſe, quæ acciderint. non enim ſolùm id continet ea diſputatio, ut cognitionem afferat generis humani. ſed ſignificat, tolerabilia eſſe, quæ
& tulerint, & ferant ceteri. De paupertate agitur: multi 24
patientes pauperes commemorantur. De contemnendo honore: multi inhonorati proferuntur, *& quidem propter id ipſum beatiores:* eorumque, qui privatum otium negotiis publicis antetulerunt, nominatim vita laudatur: nec ſiletur illud potentiſſimi regis anapæſtum, qui laudat ſenem, & fortunatum eſſe dicit, quòd inglorius ſit, atque ignobilis ad ſupremum diem perventurus. ſimiliter commemorandis exemplis, orbitates quoque liberorum prædicantur, eorumque qui graviùs ferunt, luctus, aliorum exemplis leniuntur. ſic perpeſſio ceterorum facit, ut ea, quæ acciderint, multo minora, quàm quanta ſint exiſtimata, videantur. ita fit ſenſim cogitantibus, ut, *quantum ſit ementita opinio,* appareat. atque hoc idem & Telamo ille declarat,

[9] *Ego cùm genui.*

& Theſeus,

Futuras mecum commentabar miſerias.

& Anaxagoras, *Sciebam me genuiſſe mortalem.* Hi enim omnes diu cogitantes de rebus humanis, intelligebant, eas nequaquam pro opinione vulgi eſſe extimeſcendas. & mihi quidem videtur idem ferè accidere iis, qui antè meditantur, quod iis, quibus medetur dies: niſi quòd ratio quæ-

1. *Actum habiturum quod egerint.*] Sic Victorius ex conſenſu quoque quinque Pall. Fabr. ac Pith. Lambinus libris omnibus, ut ait, invitis reponit, *ratum habiturum.* Schottus emendat *actum abiturum*, libro 2. Nod. cap. 22. aliàs *factum habiturum*, eſt in vulgatis.

2. *Non ſanè animoſa defendatur ſententia.*] Sic rectè Pall. quatuor (nam quartus vulgi eſt hoc loco) in mſſ. Suffridi. Fabr. Pith. in editis erat, *non ſanè animoſe.*

3. *Neque apud cenſores dicere audeant.*] Peculiaris eſt, ſed præclara Vaticani cod. lectio, *neque ad cenſores.*

4. *Ut in ſinu gaudeant.*] Pall. tert. quart. Pith. *in ſignum gaudeant.*

5. *Id ferire vehementius.*] Quamquam hoc in nullo noſtrorum repererim; tamen quia à Rivio ſic emendatum approbat Lambinus, nefas duxi hominis illius fidem damnare, qui nihil ſine mſſ. audebat. vulgò *fieri.*

6. *Magiſque me moverant Corinthi ſubitò adſpectæ parietinæ.*] Miror hanc lectionem in vulgatis edit. Ciceronis exſulare, cum eam dudum poſtliminio reduxerit Victorius: quid multis? Pall. tert. quart. quint. Pithœan. expreſsè ſic tenent. ſunt autem *Parietinæ* ſemiruti parietes. Utitur & Cicer. lib. 13. Epiſt. ad Memmium; *peteremque ut neſcio quid illud Epicuri parietinarum ſibi concederes.* vulgò *Parietum ruinæ.*

7. *Quia recentia ſunt, non quia repentina.*] Ita Victorius cùm Fabr. Pith. Pall. tert. quint. ſenſus eſt: malum recens non videtur gravius inveterato, quia recens; ſed quia repens, & nec-opinatum, videtur. Turneb. tamen uberius hoc modo: *quia recentia ſunt, majora videntur, non quia repentina:* quæ lectio quoque conſpicitur in Pall. pr. ſec. libris ſequioris ſeculi, licet elegantis manus. aliàs, *quia recentia ſunt, videntur, non quia repentina.*

8. *Nam aut de ipſius rei naturâ.*] Pall. prim. tert. quart. Vatic. *nam ut ipſius rei natura.* quint. *nam ipſius rei naturâ.* Victor. omittit τὸ *de.*

9. *Ego cùm genui. & Theſeus.*] Sic rectius quàm vulgo: nam ſolet Cicero, quæ ſemel protulerat, poſtea abrumpere. hoc ingeſſit, quia jam non fides haberi ſolet hominibus, Pal. tert. *Ego cum genui, &c.* hoc quoque Vatican.

1. *Intel-*

quædam ſanat illos, hos ipſa natura, [1] intellecto eo, quod remedium illud continet, malum, quod opinatum ſit eſſe maximum, nequaquam eſſe tantum, ut vitam beatam poſſit evertere. hoc igitur efficitur, ut ex illo nec-opinato plâga major ſit, non ut illi putant, ut, cùm duobus pares caſus evenerint, is modò ægritudine afficiatur, [2] cui ille nec-opinato caſus evenerit. itaque dicuntur nonnulli in mœrore, [3] cùm de hac communi hominum conditione audiviſſent, *ea lege eſſe nos natos, ut nemo in perpetuum eſſe*
25 *poſſet expers mali*, graviùs etiam tuliſſe. Quocirca Carneades, ut video noſtrum ſcribere Antiochum, reprehendere Chryſippum ſolebat, laudantem Euripideum carmen illud,

[4] Mortalis nemo eſt, quem non attingit dolor,
Morbuſque. multi ſunt humandi liberi,
Rurſum creandi: [5] morſque eſt finita omnibus,
Quæ generi humano angorem nequidquam afferunt,
Reddenda eſt terræ terra: tum vita omnibus,
Metenda, ut fruges, ſic jubet neceſſitas.

Negabat genus hoc orationis quidquam omnino ad levandam ægritudinem pertinere. id enim ipſum dolendum eſſe dicebat, quòd in tam crudelem neceſſitatem incidiſſemus. nam illam quidem orationem ex commemoratione alienorum malorum ad malivolos conſolandos eſſe accommodatam. mihi verò longè videtur ſecus. nam & neceſſitas ferendæ conditionis humanæ, quaſi cum deo pugnare cohibet, admonetque eſſe hominem: quæ cogitatio magnopere luctum levat: & enumeratio exemplorum, non ut animum malivolorum oblectet, affertur, ſed ut ille, qui mœret, ferendum ſibi id cenſeat, quod videat multos moderate, & tranquillè tuliſſe. *omnibus* enim *modis fulciendi ſunt, qui ruunt*, nec cohærere poſſunt propter magnitudinem ægritudinis. [6] ex quo ipſam ægritudinem λύπην Chryſippus, quaſi ſolutionem totius hominis, appellatam putat. quæ tota poterit evelli, explicata, ut principio dixi, cauſa ægritudinis. EST ENIM nulla alia, niſi opinio, & judicium magni præſentis, atque urgentis mali. itaque & dolor corporis, cujus eſt morſus acerrimus, perferetur ſpe propoſita boni: & acta ætas honeſtè, ac ſplendidè, tantam affert conſolationem, ut eos, qui ita vixerint, aut non tangat ægri-
26 tudo, aut perleviter pungat animi dolor. [7] Sed ad hanc opinionem magni mali cum illa etiam opinio acceſſerit, oportere: rectum eſſe: ad officium pertinere: ferre illud ægrè, quod acciderit: tum denique efficitur illa gravis ægritudinis perturbatio. ex hac opinione ſunt illa varia, & deteſtabilia genera lugendi, pædores, muliebres lacerationes genarum, pectoris, fæminum, capitis percuſſiones. [8] Hinc ille Agamemnon Homericus, & idem Accianus,

Scindens dolore identidem intonſam comam.

In quo facetum illud Bionis, perinde ſtultiſſimum regem in luctu capillum ſibi evellere, quaſi calvitio mœror levaretur. Sed hæc omnia faciunt, opinantes ita fieri oportere. Itaque & Æſchines in Demoſthenem invehitur, quòd is ſeptimo die poſt filiæ mortem hoſtias immolaſſet. At quàm rhetorice? quàm copioſe? quas ſententias colligit? quæ verba contorquet? ut licere quidvis rhetori intelligas. quæ nemo probaret, niſi inſitum illud in animis haberemus, *omneis bonos interitu ſuorum quàm graviſſimè mœrere oportere.* ex hoc evenit, ut in animi doloribus alii ſolitudines captent, ut ait Homerus de Bellerophonte,

Qui miſer in campis mœrens errabat Aleis,
Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.

& Nioba fingitur lapidea, propter æternum, credo, in luctu ſilentium. Hecubam autem putant propter animi acerbitatem quandam, & rabiem, fingi in canem eſſe converſam. ſunt autem alii, quos in luctu cum ipſa ſolitudine loqui ſæpe delectat, ut illa apud Ennium nutrix:

Cupido cepit miſeram nunc me, proloqui
Cælo atque terræ [9] Medeæ miſerias.

Hæc omia recta, vera, debita putantes, faciunt in dolore: 27
maximeque declaratur, hoc quaſi officii judicio fieri, quòd ſi qui fortè, [10] cùm ſe in luctu eſſe vellent, aliquid fecerunt humaniùs, aut ſi hilariùs locuti ſunt, revocant ſe rurſus ad mœſtitiam, peccatique ſe inſimulant, [11] quòd dolere intermiſerint. pueros verò matres, & magiſtri caſtigare etiam ſolent, nec verbis ſolùm, ſed etiam verberibus, ſi quid in domeſtico luctu [12] hilariùs ab iis factum eſt, aut dictum, plorare cogunt. quid? ipſa remiſſio luctus cùm eſt conſecuta, [13] intellectaque nihil profici mœrendo, [14] nonne res declarat fuiſſe totum illud voluntarium? [15] quid ille Terentianus ipſe ſe puniens, id eſt, ἑαυτὸν τιμωρούμενος?

Decrevi tantiſper me minus injuriæ,
Chremes, meo gnato facere, dum fiam miſer.

Hic decernit, ut miſer ſit. num quis igitur quidquam decernit invitus?

Malo quidem me quovis dignum deputem.

malo ſe dignum deputat, niſi miſer ſit. vides ergo opinionis eſſe, non naturæ malum. [16] quid, quod res ipſa lugere prohibet? ut apud Homerum quotidianæ neces, interituſque multorum, ſedationem mœrendi afferunt. apud quem ita dicitur,

Namque nimis multos, [17] atque omni luce cadenteis
Cernimus: ut nemo poſſit mœrore vacare.
Quo magis eſt æquum tumulis mandare peremtos
Firmo animo, & luctum lacrymis finire diurnis.

Ergo in poteſtate eſt abjicere dolorem, cum velis, tempori ſervientem. An eſt ullum tempus (quoniam quidem res in noſtra poteſtate eſt) cui non ponendæ curæ ægritudinis cauſa

1. *Intellecto eo quod remedium illud continet, Malum quod opinatum ſit.*] Palat. quart. Vatican. *quod rem illud continet malum.* quint. *quod rem continet malum.* Fab. *quod opinatum ſit, & ſi rem continent eſſe maximum.*

2. *Cui ille nec-opinatò caſus evenerit.*] Sic rectè Victorius, Pall. pr. ſec. quint. Fabr. Pith. Vatic. vulgò *nec-opinatus caſus.*

3. *Cùm de hac communi hominum conditione audiviſſent.*] Dicant alii quod libet: jure præfero hanc lectionem à Victor. admiſſam, in Pal. quinque, Vaticanoque repertam. vulgò *de hac communi omnium conditione audiſſent.*

4. *Mortalis nemo eſt, quem non attingit dolor.*] Ita ſcripſi fiduciâ Pal. quatuor priorum: Euripid. ἔςιν μὲν οὐδεὶς, ὅςις οὐ πονεῖ βροτῶν. Quod ſi non hoc ſatiſdat; obtendatur illud Flacci: *Edit cicutis allium nocentius.*

5. *Morſque eſt finita omnibus.*] Quod exhibet Victorius, habent Pall. pr. tert. quart. quint. Pith. ſecundus tamen ac tertius ad oram, *finitas.* vulgò *eſt finis omnibus.*

6. *Ex quo ipſam ægritudinem λύπην Chryſippus quaſi ſolutionem.*] Hoc recte Victorius & concinnè cum Pall. ſec. quart. quint. Vatican. Fabr. Pith. alii in editione ſuâ: *λύπην Chryſippus quaſi λύσιν; id eſt, ſolutionem.*

7. *Sed ad hanc opinionem magni mali.*] Inſerunt τὸ *magni* editio Victorii, Pall. quinque. Fabr. Pith. Vatican. vulgò omittunt.

8. *Hinc ille Agamemnon.*] Pall. ſecund. quart. *Agamemno*: ut & Pithœanus codex.

9. *Medeæ miſerias.*] Bene Turnebus lib. XIX. cap. 5. *Medeai*: ſed cum in nullo noſtrûm reperiatur, non auſus ſum introducere editioni.

10. *Cum ſe in luctu eſſe vellent.*] Eleganti pleonaſmo, ut indicavi in Crepundiis, ſic Pall. ſec. tert. quart. quint. Fabr.

11. *Quod dolere intermiſerint.*] Pall. pr. ſec. quart. *dolore.*

12. *Hilarius ab iis factum eſt aut dictum.*] Laudo Pal. quart. præſentantem *aut edictum*: ut *edicere* ſua primo ſigno ſit proferre, eloquendo dicere. ipſe infra de Fin. II. *Eſt enim tibi edicendum, quæ ſis obſervaturus in jure dicundo.*

13. *Intellectaque nihil profici.*] Sic edentem Victorium defenſitant quinque Pall. aliàs: *intellectumque eſt nihil profici.*

14. *Nonne res declarat.*] Itidem hæc a Vict. & quinque Pall. Fab. Pith. Vatican. in tralatitiis exempl. τὸ *res* deſerunt.

15. *Quid ille Terentianus ipſe ſe puniens.*] Pall. tert. Fabr. Pith. *pænitens.* Pall. ſec. quint. *penitens.* quart. *penites.* Ex Pith. & Fab. libb. Gulielmius conjecerat *pæniens*; quod veriſſimum eſt, ut ſupra libro 1.

16. *Quid quod res ipſa.*] Pal. tert. à primâ manu *quid quos res ipſa.* quod ad apicem æque in Vatic. eſt.

17. *Atque omni luce cadentes.*] Hom. ἐπήτριμοι ἤματα πάντα πίπτουσιν. tamen in omnibus editionibus & mſſ. certe Pall. quinque, Pith. Vatic. *carentes* vel *carentis.*

1. Quod

cauſa ſerviamus? Conſtabat, eos, qui concidentem vulneribus Cn. Pompejum vidiſſent, cùm illo ipſo acerbiſſimo, miſerrimoque ſpectaculo ſibi timerent, [1] quòd ſe claſſe hoſtium circumfuſos viderent, nihil tum aliud egiſſe, niſi ut remiges hortarentur, & ut ſalutem adipiſcerentur fuga: poſteaquàm Tyrum veniſſent, tum afflictari, lamentarique cœpiſſe. timor igitur ab iis ægritudinem po-
28 tuit repellere, ratio ac ſapientia vera non poterit? Quid eſt autem, quod plus valeat ad ponendum dolorem, quàm cùm eſt intellectum, nihil profici, & fruſtra eſſe ſuſceptum? ſi igitur deponi poteſt, etiam non ſuſcipi poteſt. voluntate igitur, & judicio ſuſcipi ægritudinem confitendum eſt. idque indicatur eorum patientia, qui cùm multa ſint ſæpe perpeſſi, faciliùs ferunt, quidquid accidit: obduruiſſeque ſeſe contra fortunam arbitrantur: ut ille apud Euripidem,

Si mihi nunc triſtis primùm illuxiſſet dies,
Nec tam ærumnoſo navigaviſſem ſalo:
Eſſet dolendi cauſa; ut injecto equulei
Freno repentè tactu exagitantur novo.
[2] *Sed jam ſubactus miſeriis obtorpui.*

Defatigatio igitur miſeriarum ægritudines cùm faciat leniores, intelligi neceſſe eſt, [3] non rem ipſam atque cauſam, fontem eſſe mœroris. [4] Philoſophi ſummi, neque dum tamen ſapientiam conſecuti, nonne intelligunt, in ſummo ſe malo eſſe? ſunt enim inſipientes: neque *inſipientia ullum majus malum eſt:* neque tamen lugent. quid ita? quia [5] huic generi malorum non affigitur illa opinio rectum eſſe, & æquum: & ad officium pertinere ægrè ferre, quòd ſapiens non ſis. quod idem affigimus huic ægritudini, in qua luctus ineſt: quæ omnium maxima eſt. Itaque Ariſtoteles, veteres philoſophos accuſans, qui exiſtimaviſſent, philoſophiam ſuis ingeniis eſſe perfectam, ait *eos aut ſtultiſſimos, aut glorioſiſſimos fuiſſe: ſed ſe videre, quòd paucis annis magna acceſſio facta eſſet, brevi tempore philoſophiam planè abſolutam fore.* Theophraſtus autem moriens accuſaſſe naturam dicitur, [6] quòd cervis, & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil intereſſet: hominibus, quorum maximè interfuiſſet, tam exiguam vitam dediſſet: quorum ſi ætas potuiſſet eſſe longinquior, futurum fuiſſe, ut, omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur. querebatur igitur ſe tum, cùm illa videre cœpiſſet, exſtingui. Quid? ex ceteris philoſophis nonne optimus, & graviſſimus quiſque confitetur, multa ſe ignorare? & multa ſibi etiam, atque etiam eſſe diſcenda? neque tamen, [7] cùm ſe in media ſtultitia, qua nihil eſt pejus, habere intelligant, ægritudine premuntur. *nulla enim admiſcetur opinio officioſi doloris.* quid, qui non putant lugendum viris? qualis fuit Q. Maximus efferens filium conſularem: qualis L. Paullus, duobus paucis diebus amiſſis filiis: qualis M. Cato, prætore deſignato, mortuo filio: quales reliqui, quos in conſolatione collegimus. Quid hos aliud placavit, niſi quòd luctum, & mærorem non putabant viri? Ergo id, quod alii rectum opinantes, ægritudini ſe ſolent dedere, [8] id ii turpe putantes ægritudinem repulerunt. ex quo intelligitur, non in natura, ſed in opinione eſſe ægritudinem. Contrà dicuntur hæc. Quis tam demens, 29
ut ſua voluntate mœreat? natura affert dolorem. [9] cui quidem Crantor, inquiunt, noſter cedendum putat. premit enim, atque inſtat, nec reſiſti poteſt. Itaque Oileus ille apud Sophoclem, qui Telamonem antea de Aiacis morte conſolatus eſſet, [10] is cùm audiſſet de ſuo, fractus eſt. de cujus commutata mente ſic dicitur:

Nec verò tanta præditus ſapientia
Quiſquam eſt, qui aliorum ærumnam dictis allevans,
Non idem, cùm fortuna mutata impetum
Convertat, clade ut ſubita frangatur ſua,
Ut illa ad alios dicta, & præcepta excidant.

Hæc cùm diſputant, hoc ſtudent efficere, naturæ obſiſti nullo modo poſſe. ii tamen fatentur, graviores ægritudines ſuſcipi, quàm natura cogat. quæ eſt igitur amentia, ut nos quoque idem ab aliis requiramus? ſed plures ſunt cauſæ ſuſcipiendi doloris. primùm illa opinio mali, quo viſo, atque perſuaſo ægritudo inſequitur neceſſario. deinde etiam gratum mortuis ſe facere, ſi graviter eos lugeant, arbitrantur. accedit ſuperſtitio muliebris quædam. *exiſtimant* enim, *diis immortalibus ſe faciliùs ſatisfacturos, ſi eorum plaga perculſi, afflictos ſe, & ſtratos eſſe fateantur.* ſed hæc inter ſe quam repugnent, plerique non vident. laudant enim eos, qui æquo animo moriantur: qui alterius mortem æquo animo ferant, eos putant vituperandos. quaſi fieri ullo modo poſſit, quod in amatorio ſermone dici ſolet, *ut quiſquam plus alterum diligat, quàm ſe.* Præclarum illud eſt, & ſi quæris, rectum quoque, & verum, ut eos, qui nobis cariſſimi eſſe debeant, æquè ac noſmetipſos amemus: [11] at verò plus, fieri nullo pacto poteſt. [12] ne optandum quidem eſt in amicitia, ut me ille plus, quàm ſe, ego illum plus, quàm me. perturbatio vitæ, ſi ita ſit, atque officiorum omnium, conſequatur. Sed de hoc aliàs. 30
nunc illud ſatis eſt, non attribuere ad amiſſionem amicorum, miſeriam noſtram, ne illos plus, quàm ipſi velint, ſi ſentiant: plus certè, quàm noſmetipſos, diligamus. nam quod ajunt, pleroſque conſolationibus nihil levari, adjunguntque, conſolatores ipſos confiteri ſe miſeros, [13] cùm ad eos impetum ſuum fortuna converterit: utrumque diſſolvitur. ſunt enim iſta non naturæ vitia, ſed culpæ. ſtultitiam autem accuſare quamvis copioſe licet. nam & qui non levantur, [14] ipſi ad miſeriam invitant: & qui ſuos caſus

1. *Quod ſe claſſe hoſtium circumfuſos viderent.*] Fabr. *Circumcluſos.*

2. *Sed jam ſubactus miſeriis obtorpui.*] Ita & Euripidi ſatisfiet, qui habet Νῦν δ' ἀνέλωτ εἰμὶ καὶ κατηρτυκώς. Ex vett. codd. Expreſsè *ſubactus* eſt in Fabr. in Vat. *ſubjactus.* in alio quodam v. c. *ſubactis.* vulgò *ſubjectus.*

3. *Non rem ipſam atque cauſam, fontem eſſe mœroris.*] Sic eſt in omnibus mſſ. Pall. quinque Fab. Pith. Vatic. alias: *non rem ipſam, cauſam atque fontem.* nimis illepide. Lamb. arbitratu ſuo; *intelligi neceſſe eſt, opinionem, non rem ipſam, cauſam.* an hoc eſt mſſ. ſequi?

4. *Philoſophi ſummi, neque dum tamen.*] Pervicit optimorum librorum conſpiratio, ut ſic reſcriberem, Pall. ſecun. tert. quint. Vatic. nam Pall. quart. *nedum.* vulgò *necdum.*

5. *Huic generi malorum non affigitur illa opinio.*] Elegantiſſimam locutionem reſtaurant nobis Pal. pr. ſecund. tert. in quibus, priore & poſteriore, *non* expungitur, tanquam àculpa ſcribæ: in medio ad oculum reſtat, ut & in Vatic. ſic Fab. dixit lib. 2. *Jam familiarius animo ſuo affigent.* Ipſe ſtatim poſt; *quod idem affigimus huic ægritudini;* Itidem ſic tres Pall.

6. *Quod corvis & cornicibus vitam diuturnam.*] Rectè conjunguntur vivaces alites: ſicque habet opt. codex Fab. vidi etiam in mſſ. Fabii, ubi hæc verba ex Cicerone ad oram adnotata fuerant. vulgò *cervis.* & quidem ex Virgilio *vivaces cervos* novimus. videatur Plin. l. VII. cap. 48.

7. *Cum ſe in mediâ ſtultitiâ, quâ nihil eſt pejus, habere intelligant.*] Fremant quibus ab omnibus alienis oculi corque dolent: per me, per me certè hic locus reſtitutus eſt de Pal. ſecundo, confirmat jam me amplius, quòd in quart. *inhærere*, in quinto hujus verbi neque vola neque veſtigium reſtet. ſic locum poſt Turnebum reſtituimus. De Leg. libro III. cap. 5. *Theophraſtus verò inſtitutus ab Ariſtotele habitavit, ut ſcitis, in eo genere rerum.* hoc quoque in Crepundiis monuimus.

8. *Id ii turpe putantes.*] Hoc rectè Victorius quoque cum vet. cod. Pall. pr. ſec. quart. Vatic. vulgò; *dedere, ii turpe putantes.*

9. *Cui quidem Crantor, inquiunt, noſter cedendum putat.*] Victor. adjuvat Pal. pr. alias, *veſter.*

10. *Is dum audiſſet de ſuo.*] Quod *ſuus* eſſet; diſputavi in Crepundiis, non tamen hoc loco laudato; qui addatur. cave proinde audias Pall. pr. quint. Fabr. *filio* mutantes.

11. *At vero plus, fieri nullo pacto poteſt.*] Vulgò, *ut verò plus.* verùm illud accerſere me juſſerant Vict. Pall. quinque, Vatican.

12. *Nec optandum quidem eſt in amicitia, ut me ille plus, quàm ſe: ego illum plus, quàm me.*] Sic refingatur hic orationis tractus, ex Victorii editione, Pall. quinque. Fabr. Pith. Vatic. vulgò, *ut me ille plus, quàm ſe amet.*

13. *Cùm ad eos impetum ſuum fortuna converterit.*] Quinque Pall. omittunt τὸ *fortuna.*

14. *Ipſi ad miſeriam invitant.*] Delendum *alios* quod vulgò habetur: & hoc edicunt Pall. quinque, Vatic. Vict. editio.

1. *Sed*

caſus aliter ferunt, atque ut auctores aliis ipſi fuerunt, non ſunt vitioſiores, quàm ferè plerique, qui avari avaros, gloriæ cupidos glorioſi reprehendunt. EST ENIM PROPRIUM ſtultitiæ aliorum vitia cernere, obliviſci ſuorum. [1] Sed nimirum hoc maximum eſt experimentum, cùm conſtet ægritudinem vetuſtate tolli, hanc vim [2] non eſſe in die poſitam, [3] ſed in cogitatione diurna. nam ſi & eadem res eſt, & idem eſt homo: quî poteſt quidquam de dolore mutari, ſi neque de eo, propter quod dolet, quidquam eſt mutatum, neque de eo, qui dolet? cogitatio igitur diurna, nihil eſſe in re mali, dolori medetur, non ipſa diuturnitas.

31 Hic mihi afferunt mediocritates. quæ ſi naturales ſunt, quid opus eſt conſolatione? natura enim ipſa terminabit modum. ſin opinabiles, opinio tota tollatur. ſatis dictum eſſe arbitror, ægritudinem, eſſe opinionem mali præſentis, in qua opinione illud inſit, ut ægritudinem ſuſcipere oporteat. additur ad hanc definitionem à Zenone rectè, ut illa opinio præſentis mali ſit recens. hoc autem verbum ſic interpretatur, ut non tantùm illud recens eſſe velit, quod paullo antè acciderit, ſed, quàm diu in illo opinato malo vis quædam inſit, & vigeat, & habeat quandam viriditatem, tam diu appelletur recens: ut Artemiſia illa, Mauſoli, Cariæ regis, uxor: quæ nobile illud Halicarnaſſi fecit ſepulcrum. quamdiu vixit, vixit in luctu, eodemque etiam confecta contabuit. huic erat illa opinio quotidie recens: quæ tum denique non appellabatur recens, cùm vetuſtate exaruit. Hæc igitur officia ſunt conſolantium, tollere ægritudinem funditus, aut ſedare, aut detrahere quàm plurimum, aut ſupprimere, nec pati manare longiùs, [4] aut ad aliam traducere. Sunt, qui unum officium conſolantis putent, malum illud omnino non eſſe, ut Cleanthi placet. ſunt, qui non magnum malum, ut Peripatetici. ſunt, qui abducunt à malis ad bona, ut Epicurus. ſunt, qui ſatis putant oſtendere, nihil inopinati accidiſſe, nihil mali. Chryſippus autem caput eſſe cenſet in conſolando, detrahere illam opinionem [5] mœrenti, ſi ſe officio fungi putet juſto, atque debito. ſunt etiam, qui hæc omnia genera conſolandi colligunt. alius enim alio modo movetur, [6] ut ferè nos omnia in conſolationem unam conjecimus: erat enim in tumore animus, & omnis in eos tentabatur curatio. ſed ſumendum tempus eſt non minùs in animorum morbis, quàm in corporum: ut Prometheus ille Æſchyli: cui cùm dictum eſſet,

Atqui, Prometheu, te hoc tenere exiſtimo,
Mederi poſſe rationem iracundiæ.

Reſpondit,

Si quidem qui tempeſtivam medicinam admovens
Non adgraveſcens vulnus illidat manus.

Erit igitur in conſolationibus PRIMA medicina, docere 32
aut nullum malum eſſe, aut admodum parvum: [7] ALTERA & de communi conditione vitæ, & propriè, ſi quid ſit de ipſius, qui mœreat, diſputandum: TERTIA, ſummam eſſe ſtultitiam fruſtra confici mœrore, cùm intelligas, nihil poſſe profici. nam Cleanthes quidem ſapientem conſolatur: qui conſolatione non eget. *nihil* enim *eſſe malum, quod turpe non ſit*, ſi lugenti perſuaſeris, non tu illi luctum, ſed ſtultitiam detraxeris. alienum autem tempus docendi. & tamen non ſatis mihi videtur vidiſſe hoc Cleanthes, ſuſcipi aliquando ægritudinem poſſe ex eo ipſo, [8] quod eſſe ſummum malum Cleanthes ipſe fateatur. quid enim dicemus? cùm Socrates Alcibiadi perſuaſiſſet, ut accepimus, eum nihil hominis eſſe, nec quidquam inter Alcibiadem, ſummo loco natum, & quemvis bajulum intereſſe: cùm ſe Alcibiades afflictaret, lacrymanſque Socrati ſupplex eſſet, ut ſibi virtutem traderet, turpitudinemque depelleret: quid dicemus, Cleanthe? [9] tum in illa re, quæ ægritudine Alcibiadem afficiebat, mali nihil fuiſſe? quid? illa Lyconis, qualia ſunt? *qui ægritudinem extenuans, parvis ait eam rebus moveri, fortunæ, & corporis incommodis, non animi malis.* quid ergo? illud, quod Alcibiades dolebat, non ex animi malis, vitiiſque conſtabat? Ad Epicuri conſolationem ſatis eſt antè dictum. Ne illa quidem conſo- 33
latio firmiſſima eſt, quamquam & uſitata eſt, & ſæpe prodeſt: NON TIBI HOC SOLI. Prodeſt hæc quidem, ut dixi, ſed nec ſemper, nec omnibus. ſunt enim, qui reſpuant: ſed refert, quo modo adhibeatur. ut enim tulerit quiſque eorum, qui ſapienter tulerunt, non quo quiſque incommodo affectus ſit, prædicandum eſt. [10] Chryſippi, ad veritatem firmiſſima eſt: ad tempus ægritudinis, difficilis. [11] magnum opus eſt, probare mœrenti, illum ſuo judicio, & quòd ſe ita putet oportere facere, mœrere. nimirum igitur, ut in cauſis non ſemper utimur eodem ſtatu: (ſic enim appellamus controverſiarum genera) ſed ad tempus, ad controverſiæ naturam, ad perſonam accommodamus: [12] ſic in ægritudine lenienda quam quiſque curationem recipere poſſit, videndum eſt. ſed neſcio quo pacto ab eo, [13] quod erat à te propoſitum, aberravit oratio. tu enim de ſapiente quæſieras: cui aut malum videri nullum poteſt, quod vacet turpitudine: aut ita *parvum malum, ut id obruatur ſapientia, vixque appareat*: qui nihil opinione affingat, aſſumatque ad ægritudinem: nec id putet eſſe rectum, ſe quàm maximè excruciari, luctuque confici: [14] quo pravius nihil eſſe poſſit. edocuit tamen ratio, ut mihi quidem videtur, cùm hoc ipſum propriè [15] non quæreretur hoc tempore, num quod eſſet malum, niſi quod idem dici turpe poſſet: tamen ut videremus, quidquid eſſet in ægritudine mali

1. *Sed nimirum hoc maximum eſt experimentum.*] Quinque Pall. cum Vatic. *exprimendum.*

2. *Non eſſe in die poſitum.*] Pall. quint. Vatican. *non eſſe in diem poſ.*

3. *Non eſſe in cogitatione diurna. nam ſi & eadem.*] Scripſi ita pleriſque mſſ. ductus. nam *diurna* non *diuturna*, Pall. tert. quart. quint. Vatican. ceterum omnes. Victorius tamen, *nam & ſi eadem.* alias, *nam ſi eadem.* Sic paulo poſt; *cogitatio igitur diurna, nihil.* Nam & ibi ſic legendum jubent Pall. tert. quart. quint. Vatican. quamquam prim. *diutina.*

4. *Aut ad aliam traducere.*] Pall. quart. quint. Vatic. *ad alia traducere.* ſecund. *ab illâ traducere.*

5. *Mœrentis ſi ſe officio.*] Pall. quart. Vatic. *mœrentis ſe officio.* quint. *merentis ne ſe.*

6. *Ut fere nos omnia in conſolationem unam conjecimus.*] Vulgatam lectionem non auſus ſum expungere, quod valde titubent mſſ. eam tuetur ſolus Pall. quint. & Victorii editio. ceteri, *ut ferè* pr. *verò in conſolatione: omnia in conſolationem unam* (pr. *una conj.* quart. *ut fore nos in conſolatione omnia in conſolationem unam conjecimus.* Vatic. verò: *ut ferè nos in conſolatione fecimus, & omne genus conſolandi in conſolationem unam conjecimus.*

7. *Altera & de communi conditione vitæ, & propriè.*] Victorius: *altera eſt & de comm.* Pal. pr. *conditione tuta propria.* Recte tamen Lambin. *& propriè ſi quid ſit*: nam ſic repperi in duobus Pall. quart. quint.

8. *Quod eſſe ſummum malum Cleanthes ipſe fateatur.*] Sic Victorius, quem ſequutus Lambinus: & ita vet. cod. Pal. quart. Pith. nam Pal. quint. *Fatebatur.* vulgò *fatetur.*

9. *Tum illâ in re, quæ ægritudine Alcibiaden afficiebat.*] Ita emendavi ex Pall. ſec. tert. quint. Pith. Vatic. cum alio in vet. cod. id etiam extare teſtentur alii: vulgò, *num illâ in re.* in Pall. quart. *cùm nullâ re.*

10. *Chryſippi ad veritatem firmiſſima eſt.*] Sequutus ſum Victor. editionem, in quâ deeſt vox *ratio*: quòd ſic quoque repererim in Pall. tert. quart. etiam omittatur in alio vet. codd. & Gryphii libro. Pall. pr. quint. *Chryſippi auctoritas ad veritatem firmiſſima eſt.*

11. *Magnum opus eſt, probare mœrenti.*] Excepto quinto Pall. omnes reliqui quatuor, Fabr. Vatican. Gryph. *Magnum onus eſt.* ſed illud tuetur & ſervat Victoriana.

12. *Sic in ægritudine leniendâ, quam quiſque curationem recipere poſſit, videndum eſt.*] Secutus hîc ſum libros quatuor, vet. codd. Pall. quint. Fabr. Pith. etiam ductus ſententiæ concinnitate: ſolutius vulgo, *ſic in ægritudine leniendâ. nam quam quiſque curationem recipere poſſit, videndum eſt.*

13. *Quod erat à te propoſitum.*] Mſſ. Pall. ſec. quart. Fabr. *quod erat ante prop.*

14. *Quo pravius nihil eſſe poſſit.*] Victor. Pal. quart. *gravius.* Pal. pr. *pravius.*

15. *Non quæreretur hoc tempore, ne quidem ullum eſſe malum.*] Pal. prim. *ne quod eſſet malum.* ſecund. tert. quart. quint. *nunc quod eſſet malum.* Vatic. vet. cod. Lamb. *numquod eſſet malum.* Fabr. *non turpi, quod eſſet malum.*

1. Se-

mali, id non naturale eſſe, ſed voluntario judicio, & opinionis errore contractum. tractatum eſt autem à nobis id genus ægritudinis, quod unum eſt omnium maximum, ut, eo ſublato, reliquorum remedia ne magnopere quæren-
34 da arbitraremur. Sunt enim certa, quæ de paupertate, certa, quæ de vita inhonorata, & ingloria dici ſoleant. [1] ſeparatim certæ ſcholæ ſunt de exſilio, de interitu patriæ, de ſervitute, de debilitate, de cæcitate, & de omni caſu: [2] in quo nomen poni ſolet calamitatis. hæc Græci in ſingulas ſcholas, & in ſingulos libros diſpertiunt. *opus* enim *quærunt:* [3] quamquam plenæ diſputationes delectationis ſunt. & tamen, ut medici, toto corpore curando, minimæ etiam parti, ſi condoluit, medentur: ſic philoſophia, cùm univerſam ægritudinem ſuſtulit, tamen, ſi quis error aliunde exſtitit, ſi paupertas momordit, ſi ignominia pupugit, ſi quid tenebrarum obfudit exſilium, aut eorum, quæ modo dixi, ſi quid exſtitit: & ſi ſingularum rerum ſunt propriæ conſolationes: de quibus audies tu quidem, cùm voles: ſed ad eundem fontem revertendum eſt, *ægritudinem omnem procul abeſſe à ſapiente*, quòd inanis ſit, quòd fruſtra ſuſcipiatur, quòd non natura exoriatur, ſed judicio, ſed opinione, ſed quadam invitatione ad dolendum, cùm id decreverimus ita fieri oportere. hoc detracto, quod totum eſt voluntarium, ægritudo erit ſublata illa mœrens: morſus tamen, & contractiunculæ quædam animi relinquentur. hanc dicant ſanè naturalem, dum ægritudinis nomen abſit, grave, tætrum, funeſtum: quod cum ſapientia eſſe, atque, ut ita dicam, habitare nullo modo poſſit. Atqui ſtirpes ſunt ægritudinis, quàm multæ, quàm amaræ! [4] quæ, ipſo trunco everſo, omnes eligendæ ſunt, &, ſi neceſſe erit, ſingulis diſputationibus. ſupereſt enim nobis hoc, cuicuimodi eſt, otium. Sed ratio una omnium eſt ægritudinum, plura nomina. nam & invidere, ægritudinis eſt, & æmulari, & obtrectare, & miſereri, angi, lugere, mœrere, ærumna affici, lamentari, ſollicitari, dolere, in moleſtia eſſe, afflictari, deſperare. hæc omnia definiunt Stoici: eaque verba, quæ dixi, ſingularum rerum ſunt, non, ut videntur, eaſdem res ſignificant, ſed aliquid differunt: quod alio loco fortaſſe tractabimus. hæ ſunt illæ fibræ ſtirpium, quas initiò dixi, perſequendæ, & omnes eligendæ, ne ulla umquam poſſit exſiſtere. magnum opus, & difficile. quis negat? *quid autem præclarum, non idem arduum?* ſed tamen id effecturam philoſophia profitetur. nos modò curationem ejus recipiamus. Verùm quidem hæc hactenus. cetera, quotieſcumque voletis, & hoc loco, & aliis, parata vobis erunt.

---

1. *Separatim certæ ſcholæ ſunt.*] Ejeci illud *autem*, Pall. quinque ac Fabr. jubentibus.

2. *In quo nomen poni ſolet calamitatis.*] Palat. quart. *dici.* quint. *imponi.*

3. *Quanquam plenæ diſputationes delectationis ſunt.*] Malui certiſſima Turnebi emendatione cum Lambino pauciſque aliis ſtare, quàm dubiis aliorum concertationibus & æſtuationibus σαλεύεσθαι. vulgò editur: *quamquam planè diſputationis ſunt, delectationis.* unde P. Manut. *quamquam planè diſputationis ſunt, & delectationis.* Palat. quart. *quamquam planè diſputationes delectioni ſunt.* quint. & Pith. quart. *planè diſputationis delectationiſque ſunt.* Vatican. inſolenter ab omnibus divertit: *quanquam planè diſputationis, delectationis ſummæ: tamen.* quæ utinam lectio pluribus ſe tueretur teſtibus.

4. *Quæ ipſo trunco everſo, omnes eligendæ ſunt.*] Quid dubitemus de hac ſcripturâ, cùm illam vindicent & redhibeant optimi duo Pall. tert. quart. Pith. Fabr. nec abludat quint. in quo, *eliendæ.* neque Vatican. in quo *eliciendæ.* vulgò *elidendæ.* plura dixi in Crepundiis. quid quod paulo poſt tres Pall. poſteriores quoque legant: *hæc ſunt illæ fibræ ſtirpium, quas initio dixi perſequendæ, & omnes eligendæ.* ſic quoque hic Fabr. Pith. ceterùm *hæc*, non *hæ*, habent Pall. ſecund. tert. quart. (nam quint. *h e e*) Vatican. unde conjeci *hæce.* Addit denique Gulielmius, *eligere ſtirpes*, eſt *evellere.* nam *legere, vellere*; unde *legumina*, quod vellantur.

M. TULLII CICERONIS
TUSCULANARUM QUÆSTIONUM,
AD
M. BRUTUM,
LIBER QUARTUS.
DE RELIQUIS ANIMI PERTURBATIONIBUS.

1 CUM multis locis noſtrorum hominum ingenia, virtuteſque Brute, ſoleo mirari, tum maximè his in ſtudiis, quæ ſerò admodum expetita, in hanc civitatem è Græcia tranſtulerunt. nam cùm à primo urbis ortu, regiis inſtitutis, partim etiam legibus, auſpicia, cæremoniæ, comitia, provocationes, patrum conſilium, equitum, peditumque deſcriptio, tota res militaris, divinitus eſſet conſtituta; tum *progreſſio admirabilis, incredibiliſque curſus ad omnem excellentiam factus eſt*, dominatu regio rep. liberata. nec verò hic locus eſt, ut de moribus, inſtitutiſque majorum, & diſciplina, ac temperatione civitatis loquamur. aliis hæc locis ſatis accuratè à nobis dicta ſunt, maximeque in iis ſex libris, [1] quos de rep. ſcripſimus. hoc autem loco conſideranti mihi ſtudia doctrinæ, multa ſanè occurrunt, [2] cur ea quoque arceſſita aliunde, neque ſolùm expetita, ſed etiam conſervata, & culta videantur. erat enim illis pœnè in conſpectu præſtanti ſapientia, & nobilitate Pythagoras, qui fuit in Italia temporibus iiſdem, quibus L. Brutus patriam liberavit, præclarus auctor nobilitatis tuæ. Pythagoræ autem *doctrina cùm longè, lateque flueret*, permanaviſſe mihi videtur in hanc civitatem: idque cùm conjectura probabile eſt, tum quibuſdam etiam veſtigiis indicatur. quis enim eſt, qui putet, cùm floreret in Italia Græcia potentiſſimis, & maximis urbibus, ea, quæ magna dicta eſt, in hiſque primùm ipſius Pythagoræ, deinde poſtea Pythagoreorum tantum nomen eſſet, noſtrorum hominum ad eorum doctiſſimas voces, aureis clauſas fuiſſe? quinetiam arbitror, propter Pythagoreorum admira-

---

1. *QUod de Repub. ſcripſimus.*] Melius ſimplici verbo Victor. Pal. ſecund. tert. quart. quint. Fabr. Pith. Vatican. quam vulgò *conſcripſimus.*

2. *Cur ea quoque arceſſita aliunde.*] Prætulimus hoc ex Lambini & Pal. tert. Pith. vet. cod. Vatican. auctoritate, vulgatarum edd. *accerſita.*

1. Nam

miratuonem, Numam quoque regem, Pythagoreum à poſterioribus exiſtimatum. [1] nam cùm Pythagoræ diſciplinam, & inſtituta cognoſcerent, regiſque ejus æquitatem, & ſapientiam à majoribus ſuis accepiſſent, ætates autem & tempora ignorarent, propter vetuſtatem, eum, qui ſapien-
2 tia excelleret, Pythagoræ auditorem fuiſſe crediderunt. Et de conjectura quidem hactenus. veſtigia autem Pythagoreorum, quamquam multa colligi poſſunt, paucis tamen utemur, quoniam non id agitur hoc tempore. nam cùm carminibus ſoliti illi eſſe dicantur & præcepta quædam occultiùs tradere, & *mentes ſuas à cogitationum intentione, cantu, fidibuſque ad tranquillitatem traducere*, graviſſimus auctor in Originibus dixit Cato, morem apud majores hunc epularum fuiſſe, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes, atque virtutes. ex quo perſpicuum eſt, & [2] cantus tum fuiſſe reſcriptos vocum ſonis, & carmina. quamquam id quidem etiam XII. tabulæ declarant, condi jam tum ſolitum eſſe carmen: quod ne liceret fieri ad alterius injuriam, [3] lege ſanxerunt. nec verò illud non eruditorum temporum argumentum eſt, quod & deorum pulvinaribus, & epulis magiſtratuum, fides præcinunt: quod proprium ejus fuit, de qua loquor, diſciplinæ. mihi quidem etiam Appii Cæci carmen, quod valde Panætius laudat epiſtola quadam, quæ eſt ad Qu. Tuberonem, Pythagoreorum videtur. [4] multa etiam ſunt in noſtris inſtitutis ducta ab illis, [5] quæ prætereo, ne ea, *quæ peperiſſe ipſi putamur, aliunde didiciſſe videamur*. Sed, ùt ad propoſitum redeat oratio: quam brevi tempore, quot, & quanti poëtæ, qui autem oratores exſtiterunt? facilè ut appareat, *noſtros omnia conſequi potuiſſe, ſimul ut velle cœpiſſent*. ſed de ceteris ſtudiis alio loco & dicemus, ſi uſus fuerit, &
3 ſæpe diximus. Sapientiæ ſtudium vetus id quidem in noſtris: ſed tamen, ante Lælii ætatem, & Scipionis, non reperio, quos appellare poſſim nominatim. quibus adoleſcentibus Stoicum Diogenem, & Academicum Carneadem video ad ſenatum ab Athenienſibus miſſos eſſe legatos, qui cùm reip. nullam umquam partem attigiſſent, eſſetque eorum alter Cyreneus, alter Babylonius, nunquam profectò ſcholis eſſent excitati, neque ad illud munus electi, niſi in quibuſdam principibus, temporibus illis, fuiſſent ſtudia doctrinæ. qui cùm cetera litteris mandarent, alii jus civile, alii orationes ſuas, alii monumenta majorum: hanc *ampliſſimam omnium artium bene vivendi diſciplinam vita magis, quàm litteris perſecuti ſunt*. Itaque illius veræ, elegantiſque philoſophiæ, quæ ducta à Socrate in Peripateticis adhuc permanſit, & idem alio modo dicentibus Stoicis, cùm Academici eorum controverſias diſceptarent, nulla ferè ſunt, aut pauca admodum Latina monumenta, ſive propter magnitudinem rerum, [6] occupationemque hominum, ſive etiam, quòd imperitis ea probari poſſe non arbitrabantur: [7] cùm interim, illis ſilentibus C. Amafinius exſtitit dicens: cujus libris editis, commota multitudo contulit ſe ad eandem potiſſimùm diſciplinam, ſive quòd erat cognitu perfacilis, ſive quòd invitabatur *illecebris* blandis voluptatis, ſive etiam, quia *nihil prolatum erat melius; illud, quod erat, tenebant*. poſt Amafinium autem multi ejuſdem æmuli rationis multa cùm ſcripſiſſent, Italiam totam occupaverunt: quodque maximum argumentum eſt, non dici illa ſubtiliter, quòd etiam facilè ediſcantur, & ab indoctis probentur, id illi firmamentum
eſſe diſciplinæ putant. [8] Sed defendat quidem quod quiſque 4
ſentit: *ſunt* enim *judicia libera:* nos inſtitutum tenebimus; nulliſque unius diſciplinæ legibus adſtricti, quibus in philoſophia neceſſariò pareamus, *quid ſit in quaque re maximè probabile, ſemper requiremus*. quod cùm ſæpe aliâs, tum nuper in Tuſculano ſtudioſè egimus. Itaque expoſitis tridui diſputationibus, quartus dies hoc libro concluditur. ut enim in inferiorem ambulationem deſcendimus, quod feceramus idem ſuperioribus diebus, [9] acta res eſt ſic. M. Dicat, ſi quis vult, [10] qua de re diſputari velit. A. Non mihi videtur omni animi perturbatione poſſe ſapiens vacare. M. Ægritudine quidem heſterna diſputatione videbatur: [11] niſi fortè temporis cauſa aſſentiebare. A. Minimè verò. nam mihi egregiè probata eſt oratio tua. M. Non igitur exiſtimas cadere in ſapientem ægritudinem? A. Prorſus non arbitror. M. Atqui, ſi iſta perturbare animum ſapientis non poteſt, nulla poterit. Quid enim? metuſne conturbet? At earum rerum eſt abſentium metus quarum præſentium eſt ægritudo. *ſublata* igitur *ægritudine, ſublatus eſt metus*. reſtant duæ perturbationes, lætitia geſtiens, & libido: quæ ſi non cadent in ſapientem, ſemper mens erit tranquilla ſapientis. A. Sic prorſus intelligo. M. Utrùm igitur mavis? ſtatimne nos vela facere, an quaſi è portu egredienteis paululum remigare? A. Quidnam eſt iſtuc? non enim intelligo.
M. Quia Chryſippus, & Stoici, cùm de animi perturbatio- 5
nibus diſputant, magnam partem in his partiendis, & definiendis occupati ſunt: illa eorum perexigua oratio eſt, qua medeantur animis, nec eos turbulentos eſſe patiantur. Peripatetici autem ad placandos animos multa afferunt: ſpinas partiendi, & definiendi prætermittunt. quærebam igitur, utrùm panderem vela orationis ſtatim, an eam antè paullulum dialecticorum remis propellerem. A. Iſto modo verò. erit enim hoc totum, quod quæro, ex utroque perfectius. M. Eſt id quidem rectius: ſed pòſt requires, ſi quid fuerit obſcurius. A. Faciam equidem. tu tamen, ut ſoles, dices iſta ipſa obſcura planiùs, quàm dicuntur à Græcis. M. Enitar equidem: ſed *intento opus eſt animo ne omnia dilabantur, ſi unum aliquod effugerit*. Quoniam, quæ Græci πάθη vocant, nobis perturbationes appellari magis placet, quàm morbos: in his explicandis veterem illam equidem Pythagoræ primùm, deinde Platonis deſcriptionem ſequar: qui animum in duas parteis dividunt: alteram rationis participem faciunt, alteram expertem. in participe rationis ponunt tranquillitatem, id eſt, placidam, quietamque conſtantiam: in illa altera motus turbidos tum iræ, tum cupiditatis, contrarios, inimicoſque rationi. Sit igitur hic

1. *Nam cum Pythagoræ diſciplinam & inſtituta.*] Tres Pall. Vatican. *conſtituta*. Pal. quart. *diſciplinam & conſtitutam*. quint. *diſciplinam conſtituta*. Melius omnino *conſtituta*, quia *ſancita & ſecreta*.

2. *Cantus tum fuiſſe reſcriptos.*] Sic omnes noſtri mſſ. Pall. Fab. Gembl. Victor. edit. in Vatican. quoque *reſcriptos*. & ſupra ſcriptum: *deſcriptos*.

3. *Lege ſanxerunt.*] Reduxi hoc ex Victorii editione, Pall. quarto, quinto. Vatican. *tamen in alterius injuriam legem ſanxerunt*. vulgò, *leges ſanxerunt*.

4. *Multa etiam ſunt in noſtris.*] Hoc modo procedant verba ex edit. Victor. quinque Pall. Fabr. Pith. alias, *multa ſunt etiam*.

5. *Quæ prætereo, ne ea, quæ peperiſſe ipſi putamur, aliunde didiciſſe videamur.*] Variè agitatus locus in ſcriptis libris; quas turbelias proponere exiguæ operæ eſt: Palat. prim. *ut ea quoque peperiſſe ipſi putem*. tert. *ne ea quæ perperiſſe ipſe*. iterum pr. *noſtros aliud didiciſſe. videantur omnia conſequi* tert. *noſtros aliunde didiciſſe videamur*. Pall. quart. *ne peperiſſe ea quæ percepiſſe ipſi putamur*. acute; modo legamus *putemur*. quint. *ne ea peperiſſe ipſi putemur aliunde didiciſſe videamur*.

6. *Occupationemque hominum.*] Ita vet. cod. ita Pal. quart. ita Lamb. elegantius. vulgò *omnium*.

7. *Cùm interim C. Amafinius exſtitit dicens.*] Lambinus *Amaſinius*, & ita eſt in Pall. tert. quart. in Pal. tamen quinto, & Vaticano eſt, *Amiſinius*. vulgò *Amafanius*. ceterùm τὸ *dicens* præ ſe ferunt quinque Pall. Fabr. Pith. unde conjecturâ non abſurdâ Gulielm. *Picens*. Gembl. *docens*.

8. *Sed defendat quod quiſque ſentit.*] Teneatur hoc ex Victorii edit. Pall. ſecund. tert. quint. Vatican. Fabr. Pith. vulgo: *ſed defendat quidem quod quiſque*. Palat. quart. *ſi defendat unuſquiſque quod ſentit*.

9. *Acta res eſt ſic.*] Non temerarium eſt ſic collocari in editione Victorii, Pall. prim. quart. alias; *ſic acta res eſt*.

10. *Quâ de re diſputari velit.*] Conſenſus omnium codicum hanc lectionem prælatam eſſe cogit, nempe Pall. quatuor, Fabr. Pith. Vatican. editæ *de quâ re diſputare velit*. Palat. quint. *dicat ſi quis vult de quâ diſputari velit*. liquidior illa.

11. *Niſi fortè temporis causâ aſſentiebare.*] Victor. Lambin. *temporis causâ nobis aſſentiebare*: ſed *nobis*, in Palat. quinto, & vulgò deſit: pro quo Pall. prim. quart. Toſſan. Gembl. Pith. *novi*, unde Gulielmius, ex conjectura, *non vi*; quod exſtat in Vaticano: non omnino abſonè.

1. *Per-*

hic fons. Utamur tamen, in his perturbationibus deſcribendis, Stoicorum definitionibus, & partitionibus: qui mihi
6 videntur in hac quæſtione verſari acutiſſimè. Eſt igitur Zenonis hæc definitio, ut *perturbatio* ſit, quod πάθος ille dicit, *averſa à recta ratione, contra naturam, animi commotio.* quidam breviùs, [1] PERTURBATIONEM, eſſe appetitum vehementiorem: ſed vehementiorem eum volunt eſſe, qui longiùs diſceſſerit à naturæ conſtantia. parteis autem perturbationum volunt ex duobus opinatis bonis naſci, & ex duobus opinatis malis: ita eſſe quattuor: ex bonis LIBIDINEM, & LÆTITIAM: ut ſit lætitia, præſentium bonorum: libido futurorum: ex malis METUM, & ÆGRITUDINEM naſci cenſent: metum, futuris: ægritudinem, præſentibus. quæ enim venientia metuuntur, [2] eadem afficiunt ægritudine inſtantia. LÆTITIA autem, & LIBIDO in bonorum opinione verſantur, cùm [3] LIBIDO ad id, quod videtur bonum, injecta, & inflammata rapiatur. LÆTITIA, ut adepta jam aliquid concupitum, efferatur, & geſtiat. *natura* enim *omnes ea, quæ bona videntur, ſequuntur, fugiuntque contraria.* Quamobrem ſimul objecta ſpecies cujuſpiam eſt, quod bonum videatur, ad id adipiſcendum impellit ipſa natura. id cùm conſtanter, prudenterque fit, ejuſmodi appetitionem Stoici βούλησιν appellant, nos appellamus VOLUNTATEM. eam illi putant in ſolo eſſe ſapiente, quam ſic definiunt: VOLUNTAS eſt, quæ quid cum ratione deſiderat. quæ autem ratione adverſa, incitata eſt vehementiùs, ea libido eſt, vel cupiditas effrenata: quæ in omnibus ſtultis invenitur. itemque, cùm ita movemur, ut in bono ſimus aliquo, dupliciter id contingit. nam cùm ratione animus movetur placidè, atque conſtanter, tum illud GAUDIUM dicitur. cum autem inaniter, & effusè animus exſultat, tum illa LÆTITIA geſtiens, vel nimia dici poteſt: quam ita definiunt, ſine ratione, animi elationem. [4] *quoniamque ut bona natura appetimus, ſic à malis natura declinamus:* quæ declinatio ſi cum ratione fiet, CAUTIO appelletur, eaque intelligatur in ſolo eſſe ſapiente: quæ autem ſine ratione, & cum exanimatione humili, atque fracta, nominetur metus. [5] eſt igitur METUS ratione adverſa cautio. præſentis autem mali, ſapientis affectio, nulla eſt. [6] ſtulti autem ægritudo eſt ea, qua afficiuntur in malis opinatis, animoſque demittunt, & contrahunt, rationi non obtemperantes. itaque hæc prima definitio eſt, ut ægritudo ſit animi, adverſante ratione contractio. ſic quatuor perturbationes ſunt, tres conſtantiæ, quoniam ægri-
7 tudini nulla conſtantia opponitur. Sed omnes perturbationes judicio cenſent fieri, & opinione. Itaque eas definiunt preſſiùs, ut intelligatur non modò quam vitioſæ, ſed etiam quam in noſtra ſint poteſtate. EST IGITUR ÆGRITUDO, opinio recens mali præſentis, in quo demitti, contrahique animo rectum eſſe videatur. LÆTITIA, opinio recens boni præſentis, in quo efferri rectum eſſe videatur. METUS, opinio impendentis mali, quod intolerabile eſſe videatur. LIBIDO, opinio venturi boni, quod ſit ex uſu jam præſens eſſe, atque adeſſe. ſed quæ judicia, quaſque opiniones perturbationum eſſe dixi, non in eis perturbationes ſolùm poſitas eſſe dicunt, verùm illa etiam, quæ efficiuntur perturbationibus, ut ægritudo quaſi morſum aliquem doloris efficiat, metus, receſſum quendam animi, & fugam, lætitia profuſam hilaritatem, libido effrenatam appetentiam. [7] opinationem autem, quam in omneis definitiones ſuperiores incluſimus, volunt eſſe imbecillam aſſenſionem. Sed ſingulis perturbationibus parteis ejuſdem generis plures ſubjiciuntur: ut ægritudini, invidentia, (utendum eſt enim, docendi cauſa, verbo minùs uſitato: quoniam invidia non in eo, qui invidet, ſolùm dicitur, ſed etiam in eo, cui invidetur) æmulatio, obtrectatio, miſericordia, angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamentatio, ſollicitudo, moleſtia, afflictatio, deſperatio, & ſi quæ ſunt de genere eodem. ſub metum autem ſubjecta ſunt pigritia, pudor, terror, timor, pavor, exanimatio, conturbatio, formido. [8] Voluptati malevolentia lætans malo alieno, delectatio, jactatio, & ſimilia. Libidini ira, excandeſcentia, odium, inimicitia, diſcordia, indigentia, deſiderium, [9] & cetera ejuſmodi. hæc autem definiunt hoc modo. INVIDENTIAM eſſe dicunt ægritudi- 8
nem ſuſceptam propter alterius res ſecundas, quæ nihil noceant invidenti. nam ſi quis doleat ejus rebus ſecundis, à quo ipſe lædatur, non rectè dicitur invidere. [10] ut, ſi Hectori Agamemno. qui autem, cui alterius commoda nihil noceant, tamen eum doleat his frui, is invidet profectò. ÆMULATIO autem dupliciter illa quidem dicitur, ut & in laude, & in vitio nomen hoc ſit. nam & imitatio virtutis, æmulatio dicitur: ſed ea nihil hoc loco utimur: eſt enim laudis: & eſt æmulatio, ægritudo, ſi eo, quod concupierit, alius potiatur, ipſe careat. OBTRECTATIO autem eſt ea, quam intelligi zelotypiam volo, ægritudo ex eo, quòd alter quoque potiatur eo, quod ipſe concupiverit. MISERICORDIA, eſt ægritudo ex miſeria alterius, injuria laborantis. nemo enim parricidæ, aut proditoris ſupplicio miſericordia commovetur. ANGOR, eſt ægritudo premens. LUCTUS ægritudo ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo. MŒROR, ægritudo flebilis. ÆRUMNA, ægritudo laborioſa. DOLOR, ægritudo crucians. LAMENTATIO, ægritudo cum ejulatu. SOLLICITUDO, ægritudo cum cogitatione. MOLESTIA, ægritudo permanens. AFFLICTATIO, ægritudo cum vexatione corporis. DESPERATIO, ægritudo ſine ulla rerum exſpectatione meliorum. Quæ autem ſubjecta ſunt ſub metu, ea ſic definiunt: PIGRITIAM, metum conſequentis laboris: TERROREM, metum concutientem, ex quo fit, ut pudorem rubor, terrorem pallor, & tremor, & dentium crepitus conſequatur: TIMOREM, metum mali appropinquantis: PAVOREM, metum mentem loco moventem, ex quo illud Ennii,

Tum pavor ſapientiam omnem mihi ex animo expectorat:

EXANIMATIONEM, metum ſubſequentem, & quaſi comitem pavoris: [11] CONTURBATIONEM, metum excutientem cogitata: FORMIDINEM, metum permanentem. Volupta-
tis autem partes hoc modo deſcribunt, ut malevolentia, ſit 9
voluptas ex malo alterius ſine emolumento ſuo: DELECTATIO,

1. *Perturbationem eſſe appetitum vehementiorem: ſed vehementiorem.*] Ut eſt in Pall. quinque, Fabr. Vatican. Gryphii libro, edidit Victorius, ejecto ante *ſed*, verbo *dicunt*.

2. *Eadem afficiunt ægritudine venientia.*] Germaniſſima lectio hæc eſt, omnibus apicibus exhibita à Vatican. ceterum eſt in Pall. tert. quart. Fabr. Pith. *afficiunt ægritudinem*, unde de conjecturâ annotarat quoquè noſtram ſeu Vatican. lectionem, Gulielmius. vulgò putidius; *efficiunt ægritudinem*.

3. LIBIDO *ad id, quod videtur, bonum injecta & inflammata.*] Egregia emendatio Pall. tert. quart. quint. Fabr. Pith. Vatican. *injecta*. Gulielmius, quia ſic in duobus Gallicanis libris repererat, augurabatur *invecta*. ſed nihil eſt. *injici ad aliquid*, rectum eſt, de impetuoſa cupiditate, quæ ſe ultrò quaſi in hoſtem injicit. vulgò, *illecta* ex gloſsâ.

4. *Quoniamque ut bona natura.*] Revocavi hoc ex editione Victor. Pall. primo, quarto, quinto, Vatican. in editis; *quomodoque bona natura*.

5. *Eſt igitur* METUS *ratione adverſa cautio.*] Ita primò edidit Lambin. & ita legendum ex Palat. ſecund. ut ſupra paullo: *quæ autem ratione adverſa incitata eſt vehementius*. alioquin Pall. prim. tert. quart. Pith. Vatic. *ratione averſa*. edit. *rationi adverſa*.

6. *Stulti autem ægritudo eſt ea.*] Pall. quinque Vatican. *ſtulta autem*.

7. *Opinationem autem quam in omnes.*] Introduxi, quod exſtabat in vet. cod. Gryphiique libro, Pall. omnibus; Fab. Gembl. Pith. aliàs: *opinionem*.

8. *Voluptati malivolentia.*] Neſcio quid velint Pal. quart. Vatic. *voluptatis malivol.*

9. *Et cetera ejuſmodi.*] Vatican. *eimodi*: ſicut *cuimodi* pro *cujuſmodi*.

10. *Ut ſi Hectori Agamemno.*] Ut ſupra *Telamo*: & ita duo optimi Libri Pal. quart. Pith.

11. CONTURBATIONEM *metum excutientem cogitata.*] Fabr. *exacuentem*. non invenio quomodo huc quadret.

Tan-

ctatio, voluptas ſuavitate auditus animum deleniens. &, qualis eſt hæc aurium, tales ſunt oculorum, & tactionum, & odorationum, & ſaporum: quæ ſunt omnes unius generis, ad perfundendum animum [1] tanquam illiquefactæ voluptates. IACTATIO, eſt voluptas geſtiens, & ſe efferens inſolentiùs. Quæ autem libidini ſubjecta ſunt, [2] ea ſic definiuntur, ut IRA, ſit libido puniendi ejus, qui videatur læſiſſe injuria. [3] EXCANDESCENTIA autem, ſit ira naſcens, & modò exſiſtens, quæ θύμωσις Græcè dicitur: ODIUM, ira inveterata: INIMICITIA, ira ulciſcendi tempus obſervans: DISCORDIA, ira acerbior, intimo odio, & corde concepta: INDIGENTIA, libido inexplebilis: DESIDERIUM, libido ejus, qui nondum adſit, videndi. Diſtinguunt illud etiam, ut ſit libido earum rerum, quæ dicuntur de quodam, aut quibuſdam: quæ κατηγορήματα dialectici appellant: ut habere divitias, capere honores. [4] Indigentia, rerum ipſarum eſt, ut honorum, ut pecuniæ. Omnium autem perturbationum fontem eſſe dicunt, INTEMPERANTIAM: quæ eſt à tota mente, & à recta ratione defectio, ſic averſa à præſcriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi, nec regi, nec contineri queant. quemadmodum igitur temperantia ſedat appetitiones, & efficit, ut hæ rectæ rationi pareant: conſervatque conſiderata judicia mentis: ſic huic inimica intemperantia, omnem animi ſtatum inflammat, conturbat, incitat. itaque & ægritudines, & metus, & reliquæ per-

10 turbationes omnes gignuntur ex ea. Quemadmodum cùm ſanguis corruptus eſt, aut pituita redundat, aut bilis in corpore, morbi, ægrotationeſque naſcuntur: ſic *pravarum opinionum conturbatio, & ipſarum inter ſe repugnantia, ſanitate ſpoliat animum, morbiſque perturbat.* ex perturbationibus autem primùm morbi conficiuntur: quæ vocant illi νοσήματα, eaque, quæ ſunt eis morbis contraria. quæ habent ad res certas vitioſam offenſionem, atque faſtidium: deinde ægrotationes, [5] quæ appellantur à Stoicis ἀῤῥωστήματα, hiſque item oppoſitæ contrariæ offenſiones. hoc loco nimium operæ conſumitur à Stoicis, maximè à Chryſippo, dum morbis corporum comparatur morborum animi ſimilitudo. qua oratione prætermiſſa minimè neceſſaria, ea, quæ rem continent, pertractemus. [6] intelligatur igitur, perturbationem, jactantibus ſe opinionibus inconſtanter, & turbidè, in motu eſſe ſemper. cùm autem hic fervor, concitatioque animi inveteraverit, & tanquam in venis, medulliſque inſederit, tum exſiſtit & morbus, & ægrotatio, & offenſiones eæ, quæ ſunt eis morbis, ægrotationibuſ-

11 que contrariæ. 7 Hæc, quæ dico, cogitatione inter ſe differunt, re quidem copulata ſunt, eaque oriuntur ex libidine, & lætitia, nam cùm eſt concupita pecunia, nec adhibita continuò *ratio, quaſi quædam Socratica medicina*, quæ ſanaret eam cupiditatem: [8] permanat in venas, & inhæret in viſceribus illud malum, exſiſtitque morbus, & ægrotatio: quæ avelli inveterata non poſſunt: eique morbo nomen eſt avaritia, ſimiliterque ceteri morbi: ut gloriæ cupiditas, ut mulieroſitas, ut ita appellem eam, quæ Græcè φιλογυνεία dicitur, ceterique ſimiliter morbi, ægrotationeſque naſcuntur. quæ autem ſunt his contraria, ea naſci putantur à metu, ut odium mulierum, [9] quale in μισογυνεία eſt, ut in hominum univerſum genus, quod accepimus de Timone, qui μισάνθρωπος appellatur: ut inhoſpitalitas eſt. quæ omnes ægrotationes animi ex quodam metu naſcuntur earum rerum, [10] quas fugiunt, & oderunt. definiunt autem animi ægrotationem, opinationem vehementem de re non expetenda, tanquam valde expetenda ſit, inhærentem, & penitus inſitam. quod autem naſcitur ex offenſione, ita definiunt, Opinionem vehementem de re non fugienda, inhærentem, & penitus inſitam, tanquam fugienda. [11] hæc autem opinatio eſt judicare ſe ſcire, quod neſciat. Ægrotationi autem talia quædam ſubjecta ſunt, avaritia, ambitio, mulieroſitas, [12] pervicacia, ligurritio, vinolentia, cupedia, & ſi qua ſimilia. eſt autem avaritia, opinatio vehemens de pecunia, quaſi petenda ſit, inhærens, & penitus inſita. ſimiliſque eſt ejuſdem generis definitio reliquarum. Offenſionum autem definitiones ſunt ejuſmodi, ut inhoſpitalitas, ſit opinio vehemens, valde fugiendum eſſe hoſpitem, eaque inhærens, & penitus inſita. ſimiliterque definitur & mulierum odium, ut Hippolyti, & ut Timonis, generis humani. Atque ut ad valitudinis ſimi- 12
litudinem veniam, eaque collatione utamur aliquando, ſed parciùs, quàm ſolent Stoici: ut ſunt alii ad alios morbos procliviores: (itaque dicimus gravedinoſos quoſdam, quoſdam torminoſos, [13] non quia jam ſint, ſed quia ſæpe ſint:) alii ad metum, alii ad aliam perturbationem. ex quo in aliis anxietas, unde anxii, in aliis iracundia dicitur: quæ ab ira differt: eſtque aliud iracundum eſſe, aliud iratum: ut differt anxietas ab angore. neque enim omnes anxii, qui anguntur aliquando, [14] nec qui anxii, ſemper anguntur: [15] ut inter ebrietatem, & ebrioſitatem intereſt: aliudque eſt amatorem eſſe, aliud amantem. atque hæc aliorum ad alios morbos proclivitas latè patet, nam pertinet ad omneis perturbationes. in multis etiam vitiis apparet: ſed nomen res non habet. [16] ergo & invidi, & malevoli, & lividi, & timidi, & miſericordes, quia proclives ad eas perturbationes, non quia ſemper feruntur. hæc igitur proclivitas ad ſuum quodque genus, à ſimilitudine corporis, ægrotatio dicitur, dum ea intelligatur ad ægrotandum proclivitas. ſed hæc in bonis

1. *Tanquam illiquefactæ voluptates.*] Pal. quart. Fabr. *liquef.*

2. *Ea ſic definiuntur, ut ira ſit libido puniendi.*] In patiendi figurâ edidit hic Victor. cui ſubcinunt Vatic. Pall. quart. quintus. vulgò; *definiunt.* porrò pro *puniendi* Pall. ſecund. tert. *penitendi*, unde feceris, ut ſupra, *pœniendi*, ut videatur non indelectatus hoc modo Tullius.

3. *Excandeſcentia autem ſit ira naſcens, & modò exſiſtens.*] Quid differunt *naſcens* & *exiſtens?* nugæ meræ. legend. ex duobus Pall. poſtremis, *& modo deſiſtens*; hoc eſt, citò decreſcens, evaneſcens: ut in illo Propertii: *Nec cito deſiſto, nec temerè incipio.*

4. *Diligentia rerum ipſarum eſt.*] Sic eſt in editione Aldi Avi. in mſſ. Pall. quinque (ſecund. *diligentia libido rerum*) Vatican. vulgo: *indigentia.* unde Victorius: *indigentia libido*: nos vulgatum amplexi ſumus: nam id ratio omnino flagitat, ac ſubjicit textum orationis.

5. *Quæ appellantur à Stoicis ἀῤῥωστήματα.*] Vet. cod. Latinâ formâ *arrhoſtemata.* Palat. ſecund. ἀποστήματα, ad oram *apoſtemata.*

6. *Intelligatur igitur perturbationem, jactantibus, &c.*] Seceſſionem hîc mirificè facit Palat. quart. *perturbatione jactantibus opinionibus inconſtanter* (puto, *inconſtanti, & turbido in animo motus eſſe ſemper.*

7. *Hæc, quæ dico, cogitatione quidem inter ſe differunt, re quidem copulata ſunt.*] Hoc repoſui ex quinque Pall. Vatic. concinnius, quàm vulgo, *hæc, quæ dico, cogitatione quidem inter ſe differunt, re verò copulata ſunt.*

8. *Permanat in venas & inhæret in viſceribus illud malum exſiſtitque morbus.*] Pal. pr. *inh. in viſceribus illud malum, exſiſtitque, morbus & ægrotatio.* ſecund. tert. *viſceribus, illud malum exſiſtit: qui.* quart. *inheret in viſceribus illud malum exſiſtit. Qui morbus & ægrotatio quæ avell.* quint. *& heret in viſceribus, &c.* ex quibus omnibus legerim, ſi conjecturæ locus; *inhæret in viſceribus; illicò malum exſiſtit; qui morbus ægrotatioque inv.* ſed N. L.

9. *Quale in μισογυνεία eſt, ut.*] Nihil volui novare in hoc corruptiſſimo loco, contentus ingenioſioribus veterem prodidiſſe ſcripturam: Pal. ſec. *quæ in miſſogino atilia eſt.* tert. *in miſſagino atilia eſt.* ad marg. *immiſſogino atilie.* quart. *in miſſogyno'ili eſt.* quint. *quale in miſſogymo atilia eſt.* Vatican. *quale in miſſoguno atili eſt.* Vet. cod. & Fabr. *quale in μισογύνῳ. Atilii eſt*; quæ videtur veriſſima lectio, probatque Mercerus ad Nonium, in *Mulieroſitas.*

10. *Quas fugiunt & oderunt.*] Fabr. cod. *odiunt.*

11. *Hæc autem opinatio eſt judicare ſe ſcire.*] Pal. quart. vet. cod. Vatic. *eſt judicatio ſe ſcire.*

12. *Pervicacia, ligurritio.*] Ita ſcribatur duplice irritante litterâ *rr.* ex Pall. pr. tert. quart. ac vet. cod. Lambini.

13. *Non quia jam ſint, ſed quia ſæpe ſint.*] Sic legendùm ex quinque Pall. Fabr. Vatic. vulgò, *non quia ſemper ſint.*

14. *Nec qui anxii, ſemper anguntur.*] Ita repoſui ex quinque Pal. Vatican. vulgò *neque anxii.*

15. *Ut inter ebrietatem & ebrioſitatem intereſt.*] Pall. quatuor poſteriores ut & Vatic. exterunt, *& ebrioſitatem.*

16. *Ergo & invidi & malevoli & lividi & timidi & miſericordes, quia proclives ad eas perturbationes, non quia.*] Et πολυσύνδετον effeci hunc orationis tractum, ex mſſ. & verbo *ſunt* indidem decurtavi. vulgò ferè aſyndeta.

bonis rebus, quòd alii ad alia bona ſunt aptiores, facilitas nominetur, in malis proclivitas, ut ſignificet lapſionem: in neutris habeat ſuperius nomen. [1] Quo modo autem in corpore eſt morbus, eſt ægrotatio & vitium; ſic in animo.
13 Morbum appellant totius corporis corruptionem: Ægrotationem morbum cum imbecillitate: vitium, cùm partes corporis inter ſe diſſident. ex quo pravitas membrorum, diſtortio, deformitas. itaque illa duo, morbus, & ægrotatio, ex totius valitudinis corporis conquaſſatione, & perturbatione gignuntur: vitium autem, integra valitudine, ipſum ex ſe cernitur. ſed in animo tantummodò cogitatione poſſumus morbum ab ægrotatione ſejungere. vitioſitas autem, eſt habitus, aut affectio in tota vita inconſtans, & à ſe ipſa diſſentiens. ita fit, ut in altera, corruptione opinionum morbus efficiatur, & ægrotatio: in altera inconſtantia, & repugnantia. *non enim omne vitium parteis habet diſſentienteis, ut eorum, qui non longè à ſapientia abſunt,* [2] affectio eſt illa quidem diſcrepans ſibi ipſa, dum eſt inſipiens, ſed non diſtorta, nec prava. morbi autem, & ægrotationes, partes ſunt vitioſitatis: ſed perturbationes, ſint ne ejuſdem partes, quæſtio eſt. vitia enim, affectiones ſunt manentes: perturbationes autem, moventes, ut non poſſint affectionum manentium partes eſſe. atque ut in malis attingit animi naturam corporis ſimilitudo, ſic in bonis. ſunt enim in corpore præcipua, pulcritudo, vires, valitudo, firmitas, velocitas: [3] ſunt item in animo. Enim corporis temperatio, cùm ea congruunt inter ſe, è quibus conſtamus: ſanitas ſic animi dicitur, cùm ejus judicia, opinioneſque concordant, eaque animi eſt virtus: quam alii ipſam temperantiam dicunt eſſe, alii obtemperantem temperantiæ præceptis, [4] & eam ſubſequentem, nec habentem ullam ſpeciem ſuam: ſed ſive hoc, ſive illud ſit, in ſolo eſſe ſapiente. [5] Eſt autem quædam animi ſanitas, quæ in inſipientem etiam cadat, cùm curatione medicorum conturbatio mentis aufertur. Et, ut corporis eſt quædam apta figura membrorum, cum coloris quadam ſuavitate: eaque dicitur pulcritudo: ſic in animo, opinionum, judiciorumque æquabilitas, & conſtantia, cum firmitate quadam, & ſtabilitate virtutem ſubſequens, aut virtutis vim ipſam continens, pulcritudo vocatur. Itemque viribus corporis, & nervis, & efficacitati ſimiles ſimilibus verbis, animi vires nominantur. Velocitas autem corporis, celeritas appellatur: quæ eadem ingenii etiam laus habetur [6] propter
14 animi multarum rerum brevi tempore percurſionem. Illud, animorum corporumque diſſimile, quòd *animi valentes, morbo tentari non poſſunt*, corpora poſſunt. ſed *corporum offenſiones ſine culpa accidere poſſunt, animorum non item.* Quorum omnes morbi, & perturbationes ex aſpernatione rationis eveniunt. itaque in hominibus ſolùm exſiſtunt. nam beſtiæ ſimile quiddam faciunt, ſed in perturbationes non incidunt. [7] Inter acutos autem, & inter hebetes intereſt, quod ingenioſi, ut æs Corinthium in æruginem, ſic illi in morbum & incidunt tardiùs, & recreantur ocyus: hebetes non item. *Nec verò in omnem morbum, ac perturbationem animus ingenioſi cadit.* non enim multa efferata, & immania: quædam autem humanitatis quoque habent primam ſpeciem, ut miſericordia, ægritudo, metus. Ægrotationes autem, morbique animorum, difficiliùs evelli poſſe putantur, quàm ſumma illa vitia, quæ virtutibus ſunt contraria. morbis enim manentibus, vitia ſublata eſſe non poſſunt, quia non tam celeriter ſanantur, quàm illa tolluntur. Habes ea, quæ de perturbationibus enucleatè diſputant Stoici, quæ logica appellant, quia diſſeruntur ſubtiliùs. ex quibus quoniam tanquam è ſcrupuloſis cotibus enavigavit oratio, reliquæ diſputationis curſum teneamus: modò ſatis illa dilucidè dixerimus pro rerum obſcuritate. A. Prorſus ſatis: ſed ſi qua diligentiùs erunt cognoſcenda, quæremus aliàs: nunc vela, quæ modò di-
cebas, exſpectamus, & curſum. M. Quando & aliis locis de 15
virtute diximus, & ſæpe dicendum erit (pleræque enim quæſtiones, quæ ad vitam moreſque pertinent, à virtutis fonte ducuntur) quando igitur virtus, eſt affectio animi conſtans, convenienſque, laudabileis efficiens eos, in quibus eſt, & *ipſa per ſe, ſua ſponte, ſeparata etiam utilitate, laudabilis:* ex ea proficiſcuntur honeſtæ voluntates, ſententiæ, actiones, omniſque recta ratio: quamquam ipſa virtus breviſſimè recta ratio dici poteſt. hujus igitur virtutis contraria eſt vitioſitas. ſic enim mâlo, quàm malitiam appellare, quam Græci κακίαν appellant. nam malitia, certi cujuſdam vitii nomen eſt: vitioſitas, omnium. ex qua cogitantur perturbationes, quæ ſunt, ut paullo antè diximus, turbidi animorum, concitatique motus, averſi à ratione, & inimiciſſimi mentis, v[illegible]tæque tranquillæ. *importat enim ægritudines anxias, atque acerbas, animoſque affligunt, & debilitant metu.* iidem [illegible] nant appetitione nimia: quam tum cupiditatem, [illegible] dicimus, impotentiam quandam animi, a temp[illegible]ntia, & moderatione plurimùm diſſidentem. [8] quæ ſi quando adepta eſt id, quod ei fuerit concupitum, [9] tum fert alacritatem, ut nihil eſſe conſtet, quod [illegible]: ut ille, qui VOLUPTATEM animi nimiam, ſummum eſſe errorem arbitratur. eorum
igitur malorum in una virtute poſita ſanatio eſt. Quid au- 16
tem eſt non miſerius ſolùm, fœdius etiam, & deformius, quàm ægritudine quis afflictus, [10] debilitatus, jacens? cui miſeriæ proximus eſt is, qui appropinquans aliquod malum metuit, exanimatuſque pendet animi. quam vim mali ſignificantes, poëtæ impendêre apud inferos ſaxum Tantalo faciunt, ob ſcelera, animique impotentiam, & ſuperbiloquentiam. ea communis pœna ſtultitiæ eſt. *omnibus enim, quorum mens abhorret à ratione* [11] *ſemper aliquis talis terror impendet* [illegible] ut hæ tabificæ mentis perturbationes ſunt, ægritudinem dico, & metum: ſic hilariores illæ, cupiditas, avidè ſemper aliquid expetens, & inanis alacritas, id eſt, lætitia geſtiens, non multùm differunt ab amentia. ex quo intelligitur, qualis ille ſit, quem tum moderatum, aliàs modeſtum, temperantem, aliàs con-

1. *Quomodo autem in corpore eſt morbus, eſt ægrotatio & vitium.*] Ut Lambinus edidit, conſpicio in Pall. omnibus, (niſi quod pro poſteriore *eſt* Pal. pr. & tert. *at.*, & Vatic. vulgò: *quomodo autem in corpore morbus, ægrotatio & vitium.*

2. *Affectio eſt illa quidem ſibi ipſa.*] *Sibi* permutavi τῷ *à ſe* ex edit. Vict. Pall. quinque Fabr. ac Vatican.

3. *Sunt item animo. Enim corporis temp.*] Malui locum, ut proſtat in Pall. ſec. tert. quart. Vatic. edere; quam creperas aliorum micationes in refingendo & integrando attendere. Victorius edidit: *ſunt item in animo, corporis temperatio, quum ea.* Lambin. *& ut corporis eſt temperatio*, ex ſuis obſequentiſſimis, quos non nomin at libris. Pal. tamen quint. ævo, ut videtur, muſteus, *eſt enim corporis.* alias, *ſunt item in animo. Corporis.*

4. *Et eam ſubſequentem.*] Tres Pall. Fabr. *etiam.*

5. *Eſt autem quædam animi ſanitas, quæ in ſapientem etiam cadat, cùm curatione medicorum conturbatio mentis aufertur.*] Secutus ſum Victorium & Turnebum, Palat. quint. cum reliqui fere omnes mſſ. referent tale quid: *cum curatione & perturbatione medicorum conturbatio mentis auf.* unde Lambinus, *curatione medicorum & purgatione.* in Vatic. ſuper voce *perturbatione*, repoſitum eſt, *gubernatione*, de quo ampliandum cenſeo. in Fabritiano cod. *cum curatione & procuratione*, cui, ſi tamen quid eſt, longe præfero Vaticanum.

6. *Propter animi multarum rerum brevi tempori percurſionem.*] Pall. pr. tert. quart. quint. *percuſſionem.*

7. *Inter acutos & inter hebetes intereſt.*] Sic partim ex edit. Vict. partim ex omnibus mſſ. qui illud hoc excutiunt, ceterùm, bis *inter* repetunt, Fabr. Pal. quint. Vatican.

8. *Quæ ſi quando adepta eſt id.*] Palat. pr. *eadem piaretur id.* ſec. *eadem putaretur id.* tert. ut & Fab. Vat. *ſi quando ea demptaretur id quod.* quart. *ea deputaret id.* quint. *adeptaretur id.*

9. *Tum fert alacritatem.*] Fabr. *affert.* ceterùm Pall. ſec. quart. Vatic. *tum fert alacritate, ut a. c. c. quid agat.* Lambinus ut eſt in Gryphii libro: *tum eâ fertur alacritate.*

10. *Debilitatus, jacens?*] Juſſus ſic ſcripſi, auctoritate vet. cod. Lambiniani. Pall. ſecund. tert. quart. Vatic. vulgò; *debilitatuſque jacens.*

11. *Semper aliquis talis terror impendet.*] Sic edidit Victorium ſecutus Lamb. nec longè abeunt vett. codd. Palat. quart. Vatican. *ſemper aliquid aliis terror i. a. ut hæc.* Palat. quint. *ſemper aliquid aliis dolor, aliis terror imp. atque ut hæc.*

1. Nun.

conſtantem, continentemque dicimus. nonnumquam
hæc eadem vocabula ad frugalitatis nomen, tanquam ad
caput, referre volumus. quòd niſi eo nomine virtutes con-
tinerentur, [1] numquam illud ita pervulgatum eſſet, ut
jam proverbii locum obtineret, HOMINEM FRUGI OMNIA
RECTE FACERE. quod idem cùm Stoici de ſapiente dicunt,
nimis admirabiliter, nimiſque magnificè dicere videntur.
17 Ergo is, quiſquis eſt, qui moderatione, & conſtantia quie-
tus animo eſt, ſibique ipſe placatus, ut nec tabeſcat mo-
leſtiis, nec frangatur timore, nec ſitienter quid expetens
ardeat deſiderio, nec alacritate futili geſtiens deliqueſcat,
IS EST SAPIENS, quem quærimus, is eſt beatus: cui nihil
humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum ani-
mum, aut nimis lætabile ad efferendum videri poteſt. quid
enim videatur ei magnum in rebus humanis, cui æterni-
tas omnis, totiuſque mundi nota ſit magnitudo? nam
quid aut in ſtudiis humanis, aut in tam exigua brevitate
vitæ magnum ſapienti videri poteſt, qui ſemper animo
ſic excubat, ut ei nihil improviſum accidere poſſit, nihil
inopinatum, nihil omnino novum? atque idem ita acrem
in omneis partes aciem intendit, ut ſemper videat ſedem
ſibi, ac locum ſine moleſtia, atque angore vivendi, ut
quemcumque caſum fortuna invexerit, hunc aptè & quietè
ferat. quod qui faciet, non ægritudine ſolùm vacabit,
ſed etiam perturbationibus reliquis omnibus. *his* autem
vacuus animus, perfectè atque abſolutè beatos efficit: idem-
que concitatus, & abſtractus ab integra, certaque ratione,
non conſtantiam ſolùm amittit, verùm etiam ſanitatem.
quocirca mollis, & enervata putanda eſt Peripateticorum
ratio, & oratio, qui *perturbari animos neceſſe eſſe dicunt.*
ſed *adhibent modum quendam, quem ultra progredi non opor-
teat.* Modum tu adhibes vitio? an vitium nullum eſt,
non parere rationi? an ratio parum præcipit, nec bonum
illud eſſe, quod aut cupias ardenter, aut adeptus efferas te
inſolenter? nec porrò malum, quo aut oppreſſus jaceas,
aut, ne opprimare, mente vix conſtes? eaque omnia aut
nimis triſtia; aut nimis læta errore fieri? qui ſi error
ſtultis extenuetur die, ut, cùm res eadem maneat, aliter
ferant inveterata, aliter recentia: [2] ſapientes ne attingat
quidem omnino. etenim quis erit tandem modus iſte?
quæramus enim modum ægritudinis, in qua operæ pluri-
mum ponitur. ægrè tuliſſe P. Rutilium fratris repulſam
conſulatus, ſcriptum apud Fannium eſt. ſed tamen trans-
iſſe videtur modum, quippe qui ob eam cauſam à vita
receſſerit. moderatiùs igitur ferre debuit. quid ſi, cùm id
ferret modicè; mors liberorum acceſſiſſet? nata eſſet ægri-
tudo nova, ſed ea modica: magna tamen facta eſſet acceſſio.
Quid, ſi deinde dolores graves corporis, ſi bonorum
amiſſio, ſi cæcitas, ſi exilium, ſi pro ſingulis malis ægri-
tudines accederent? ſumma ea fieret, quæ non ſuſtinere-
18 tur. Qui modum igitur vitio quærit, ſimiliter facit, ut ſi
poſſe putet eum, [3] qui ſe è Leucade præcipitaverit, ſuſti-
nere ſe, cùm velit. ut enim id non poteſt: ſic animus
perturbatus, & incitatus nec cohibere ſe poteſt, nec, quo
loco vult, inſiſtere omnino: *quæque creſcentia pernicioſa
ſunt, eadem ſunt vitioſa naſcentia.* ægritudo autem, cete-
ræque perturbationes amplificatæ, certè peſtiferæ ſunt.
igitur etiam ſuſceptæ, continuò in magna peſtis parte ver-
ſantur. etenim ipſæ ſe impellunt, ubi ſemel à ratione
diſceſſum eſt: *ipſaque ſibi imbecillitas indulget, in altumque
provehitur imprudens, nec reperit locum conſiſtendi.* quam-
obrem nihil intereſt, utrùm moderatas perturbationes
approbent, an moderatam injuſtitiam, moderatam igna-
viam, moderatam intemperantiam. *qui* enim vitiis *mo-
dum apponit, is partem ſuſcipit vitiorum.* quod cùm ipſum
per ſe odioſum eſt, tum eo moleſtius, quia ſunt in lubrico,
[4] incitataque ſemel proclive labuntur, ſuſtinerique nullo
modo poſſunt. Quid? quòd iidem Peripatetici perturbatio- 19
nes iſtas, quas nos exſtirpandas putamus, non modò na-
turaleis eſſe dicunt, ſed etiam utiliter à natura datas? quo-
rum eſt talis oratio. Primùm multis verbis iracundiam
laudant: COTEM fortitudinis eſſe dicunt, multoque &
in hoſtem, & improbum civem vehementiores iratorum
impetus eſſe: leveis autem ratiunculas eorum, qui ita co-
gitarent: prœlium rectum eſt hoc fieri; convenit dimi-
care pro legibus, pro libertate, pro patria. hæc nullam
habent vim, niſi ira excanduit fortitudo. nec verò de
bellatoribus ſolùm diſputant. *imperia ſeveriora nulla eſſe
putant ſine aliqua acerbitate iracundiæ:* oratorem denique
non modò accuſantem, ſed ne defendentem quidem pro-
bant ſine aculeis iracundiæ. quæ etiam ſi non adſit, tamen
verbis, atque motu ſimulandam arbitrantur, ut auditoris
iram oratoris incendat actio. virum denique videri ne-
gant, qui iraſci neſciat. eamque, quam lenitatem nos
dicimus, vitioſo *lentitudinis* nomine appellant. nec verò
ſolùm hanc libidinem laudant (eſt enim ira, ut modò
definivi, ulciſcendi libido) ſed ipſum illud genus vel li-
bidinis, vel cupiditatis ad ſummam utilitatem eſſe dicunt
à natura datum: nihil enim quemquam, niſi quod libeat,
præclarè facere poſſe. noctu ambulabat in publico The-
miſtocles, quòd ſomnum capere non poſſet: quærenti-
buſque reſpondebat, *Miltiadis tropæis ſe è ſomno ſuſcitari.*
cui non ſunt auditæ Demoſthenis vigiliæ? *qui dolere ſe
ajebat, ſi quando opificum antelucana victus eſſet induſtria.*
philoſophiæ denique ipſius principes numquam in ſuis
ſtudiis tantos progreſſus ſine flagranti cupiditate facere
potuiſſent. ultimas terras luſtraſſe Pythagoram, Demo-
critum, Platonem accepimus. *ubi enim quidquid eſſet,
quod diſci poſſet, eò veniendum* judicaverunt. num putamus
hæc fieri ſine ſummo cupiditatis ardore potuiſſe? Ipſam 20
ægritudinem, quam nos ut tetram, & immanem belluam,
fugiendam eſſe diximus, non ſine magna utilitate à natura
dicunt conſtitutam, [5] ut homines caſtigationibus, repre-
henſionibus, ignominiis affici ſe in delicto dolerent. *im-
punitas* enim *peccatorum data videtur eis, qui & ignomi-
niam, & infamiam ferunt ſine dolore.* morderi eſt melius
conſcientia. [6] ex quo eſt illud è vita ductum ab Afranio.
nam cùm diſſolutus filius,

[7] *Heu me miſerum,*

tum ſeverus pater,

Dummodo doleat aliquid, doleat quod lubet.

Reliquas quoque parteis ægritudinis, utileis eſſe dicunt,
MISERICORDIAM ad opem ferendam, & calamitates ho-
minum indignorum ſublevandas: ipſum illud æmulari,
obtrectare, non eſſe inutile, cùm aut ſe non idem videat
conſecutum, quod alium, aut alium idem, quod ſe:
METUM verò ſi quis ſuſtuliſſet, omnem vitæ diligentiam
ſublatam fore, quæ ſumma eſſet in eis, qui leges, qui
magiſtratus, qui paupertatem, qui ignominiam, qui
mortem, qui dolorem timerent. hæc tamen ita diſputant,
ut

1. *Nunquam illud ita pervulgatum eſſet.*] Pall. quatuor priores: *nunquam ita pervulgatum illud eſſet.* elegantius Victorius: *nunquam ita per illud vulgatum eſſet.*

2. *Sapientes ne attingat quidem.*] Victorius: ita & vet. cod. cum Pall. pr. ſec. tert. quart. Vatic. *ſapientis ne attingat.* Pal. quint. *ſapientis quidem ne attingat omninò.*

3. *Qui ſe è Leucade præcipitarit.*] Vet. cod. quinque Pal. Vatic. *è Leucatâ.*

4. *Incitataque ſemel proclive labantur.*] Conjecerat hoc olim P. Lambinus, exſtatque in Pall. pr. quint. reliqui cum Vatic. & Fab. *ſemel proclivi lab.* vulgò, *in proclive.*

5. *Ut homines caſtigationibus.*] Non auſim ejicere τὸ *homines.* illique ſubſtituere τὸ *omnes.* quod extat in quinque Pall. Fab. Vatic. ed. Victorii. quod item ſe tueatur vett. editionibus, huicque loco aptius.

6. *Ex quo eſt illud è vitâ ductum ab Afranio.*] Non reperio ullum veſtigium in noſtris codd. emendationis Lambin. *ex quo eſt illud ſcitè dictum ab Afr.* ſolus Pal. quint. cum Vatican. *evicta.* Fabr. item delet *ab.*

7. *Heu me miſerum: tum ſeverus pater.*] Rectè ſic edidit Victorius conſenſum nactus quinque Pall. ineptè poſt *miſerum*, *dixiſſet* inſeritur.

ut reſecanda eſſe fateantur, evelli penitus dicant nec poſſe, nec opus eſſe: ut in omnibus ferè rebus mediocritatem eſſe optimam exiſtiment. quæ cùm exponunt, nihil ne tibi videntur, an aliquid dicere? A. Mihi verò dicere ali-
21 quid: itaque exſpecto, quid ad iſta. M. Reperiam fortaſſe: ſed illud antè. videſne, *quanta fuerit apud Academicos verecundia?* plane enim dicunt quod ad rem pertineat. Peripateticis reſpondetur à Stoicis. digladientur illi, per me licet: cui nihil eſt neceſſe, [1] niſi ubi ſit illud, quod veriſimillimum videatur, anquirere. quid eſt igitur, quod occurrat in hac quæſtione, è qua poſſit attingi aliquid veriſimile, quo longiùs mens humana progredi non poteſt? definitio perturbationis: qua rectè Zenonem uſum puto. ita enim definit, ut *perturbatio ſit adverſa ratione, contra naturam, animi commotio:* vel breviùs, [2] ut *perturbatio ſit appetitus vehementior:* vehementior autem intelligatur is, qui procul abſit à naturæ conſtantia. Quid ad has definitiones poſſim dicere? atqui hæc pleraque ſunt prudenter, acuteque diſſerentium. illa quidem *ex rhetorum pompa, ardores animorum, coteſque virtutum.* an verò vir fortis, niſi ſtomachari cœperit, non poteſt fortis eſſe? [3] gladiatorium id quidem: quamquam in eis ipſis videmus ſæpe conſtantiam. colloquuntur, [4] congrediuntur, queruntur, aliquid poſtulant, ut magis placati, quàm irati eſſe videantur. ſed in illo genere ſit ſanè Pacideianus aliquis hoc animo, ut narrat Lucilius,

Occidam illum equidem, & vincam, ſi id quæritis, inquit,
Verùm illud credo fore, in os priùs accipiam ipſe,
Quàm gladium in ſtomacho, [5] ſura, ac pulmonibu' ſiſto,
Odi hominem: iratus pugno: nec longius quidquam
Nobis, quàm dextra gladium dum accommodet alter:
Uſque adeò ſtudio, atque odio illius, efferor ira.

22 Ac ſine hac gladiatoria iracundia videmus progredientem apud Homerum Ajacem multa cum hilaritate, cùm depugnaturus eſſet cum Hectore: cujus, ut arma ſumſit, ingreſſio lætitiam attulit ſociis, terrorem autem hoſtibus: ut ipſum Hectorem, quemadmodum eſt apud Homerum, toto pectore trementem provocaſſe ad pugnam pæniteret. Atque hi collocuti inter ſe, priuſquàm manum conſererent, leniter & quietè nihil ne in ipſa quidem pugna iracundè, rabioſeve fecerunt. ego ne Torquatum quidem illum, qui hoc cognomen invenit, iratum exiſtimo Gallo torquem detraxiſſe: nec Marcellum apud Claſtidium ideò fortem fuiſſe, quia fuerit iratus. De Africano quidem, qui notior eſt nobis propter recentem memoriam, vel jurare poſſum, non illum iracundia tum inflammatum fuiſſe, [6] cùm in acie M. Halienum Pelignum ſcuto protexerit, gladiumque hoſti in pectus infixerit. De L. Bruto fortaſſe dubitarim, an propter infinitum odium tyranni effrenatiùs in Arruntem invaſerit. video enim utrumque comminus ictu cecidiſſe contrario. Quid igitur huc adhibetis iram? *an fortitudo, niſi inſanire cœperit, impetus ſuos non habet?* quid? Herculem, quem in cœlum iſta ipſa, quam vos iracundiam eſſe vultis, ſuſtulit fortitudo. iratumne cenſes conflixiſſe cum Erimanthio apro, aut leone Nemeæo? an etiam Theſeus Marathonii tauri cornua comprehendit iratus? *vide, ne fortitudo minimè ſit rabioſa, ſitque iracundia tota levitatis.* [7] neque enim eſt ulla fortitudo, quæ rationis eſt expers. Contemnendæ res ſunt humanæ: negligenda 23
mors eſt: patibiles & dolores, & labores putandi. Hæc cùm conſtituta ſint judicio, atque ſententia, tum eſt robuſta illa, & ſtabilis fortitudo: niſi fortè quæ vehementer, acriter, animosè fiunt, iracundè fieri ſuſpicamur. Mihi ne Scipio quidem ille, pontifex maximus, qui hoc Stoicorum verum eſſe declaravit, [8] numquam privatum eſſe ſapientem, iratus videtur fuiſſe Ti. Graccho, tum, cùm conſulem languentem reliquit, atque ipſe privatus, ut ſi conſul eſſet, qui remp. ſalvam eſſe vellet, ſe ſequi juſſit. Neſcio, ecquid ipſi nos fortiter in rep. fecerimus. ſi quid fecimus, certè irati non fecimus. An eſt quidquam ſimilius inſaniæ, quàm ira? quam bene Ennius *initium* dixit *inſaniæ.* Color, vox, oculi, ſpiritus, impotentia dictorum, atque factorum, quam partem habent ſanitatis? quid Achille Homerico fœdius? quid Agamemnone, in jurgio? nam Ajacem quidem ira ad furorem, mortemque perduxit. Non igitur deſiderat fortitudo advocatam iracundiam. Satis eſt inſtructa, armata, parata per ſeſe. Nam iſto modo quidem licet dicere, utilem vinolentiam ad fortitudinem, utilem etiam dementiam, quòd & inſani, & ebrii multa faciunt ſæpe vehementiùs. Semper Ajax fortis: fortiſſimus tamen in furore:

Nam facinus fecit maximum, cùm, Danais inclinantibus,
Summam rem perfecit manus, [9] prœlium reſtituit inſaniens.

Dicamus igitur utilem inſaniam. [10] tracta definitionem 24
fortitudinis. intelliges, eam ſtomacho non egere. FORTITUDO eſt igitur, affectio animi, legi ſummæ in perpetiendis rebus obtemperans, vel conſervatio ſtabilis judicii in eis rebus, quæ formidoloſæ videntur, ſubeundis, & repellendis, vel ſcientia rerum formidoloſarum, contrariarumque, aut omnino negligendarum, conſervans earum rerum ſtabile judicium: vel breviùs, ut Chryſippus. nam ſuperiores definitiones erant Sphæri, hominis in primis benè definientis, ut putant Stoici: ſunt enim omnino omnes ferè ſimiles: ſed declarant communeis notiones, alia magis alia. Quo modo igitur Chryſippus? FORTITUDO eſt, inquit, ſcientia perferendarum rerum, vel affectio animi in patiendo, ac perferendo, ſummæ legi parens ſine timore. [11] Quamvis licet inſectemur iſtos, ut Carneades ſolebat: metuo, ne ſoli philoſophi ſint. Quæ enim iſtarum definitionum non aperit notionem noſtram, quam habemus omnes de fortitudine, tectam, atque involutam? qua aperta, quis eſt, qui aut bellatori, aut imperatori, aut oratori quærat aliquid, neque eos exiſtimet ſine rabie quidquam fortiter facere poſſe? Quid? Stoici, qui omneis inſipienteis inſanos eſſe dicunt, nonne iſta colligunt? remove perturbationes, maximeque iracundiam: jam videbuntur monſtra dicere. Nunc autem ita diſſerunt, ſic ſe dicere, *omneis ſtultos inſanire, ut malè olere omne cœnum.* At non ſemper. Commove: ſenties. Sic iracundus non ſemper iratus eſt. Laceſſe: jam videbis furentem. Quid? iſta bellatrix iracundia, cùm domum rediit, qualis eſt cum uxore? cum liberis? cum familia? an tum quoque eſt

1. *Niſi ubi ſit illud, quod veriſimillimum videatur, anquirere.*] Ita legendum docui in Crepundiis: video jam exſtare in edit. Vict. in Vaticano: imò dudum à Victorio ſic edidit Lambinus; & ita vet. ejus codex. Liber Gryphii, Palat. tert. *acquirere.* vulgò, *inquirere.*

2. *Ut perturbatio ſit appetitus vehementior: vehementior a.*] Palat. Vatican. *ſit appetitus: vehementior autem.*

3. *Gladiatorium id quidem.*] Itidem ex Victorio ſic edidit Lambin. exſtatque in vet. cod. ſec. tert. Vatican. vulgò, *gladiatorum.*

4. *Congrediuntur, queruntur, aliquid p.*] Medio verbo, quod vulgatis abeſt, auctior eſt editio Victorii cum quinque Pall. Fabr.

5. *Surâ ac pulmonibu' ſiſto.*] Fab. Palat. quart. *furiâ.* Turneb. libro VII. cap. 18. *fibrâ.* Lamb. *Lurâ ac pulm.*

6. *Cum in acie M. Halienum Pelignum ſcuto protexerit.*] Codex Vatic. *in acie Malienum Pelignum ſc. prot.* quo alludit Pal. quart. *mallienynum:* item ceteri cùm Fabr. *alienum* reponentes.

7. *Neque enim eſt ulla fortitudo, quæ rationis eſt expers.*] Ita eſt in quinque Pall. Fabr. Vaticano; Victorii partim quoque editione; nam ſolum *eſt* ante *ulla* ſpernit. vulgò; *neque enim eſt illa fortitudo, quæ rationis expers eſt.*

8. *Nunquam privatum eſſe ſapientem.*] Rectè hoc Lambinus, cui ſecundas ferunt Pall. ſec. tert. quart. Fabr. Vatic. alias, *nunquam iratum eſſe.*

9. *Prælium reſtituit inſaniens.*] Ejeci illud *cum* ſeu *quum* ſuaſu quinque Pall. Vatic. ante *reſtituit.*

10. *Tracta definitionem.*] Pal. tert. *tracta definitione.* Fabr. *tata definitione.*

11. *Quamvis licet inſectemur iſtos.*] Ita vet. codex; quinque Pal. vulgò: *licet enim inſectemur.*

1. *Ira-*

eſt utilis? eſt igitur aliquid, quod perturbata mens meliùs poſſit facere, quàm conſtans? an quiſquam poteſt ſine perturbatione mentis iraſci? bene igitur noſtri, cùm omnia eſſent in morbis vitia, quòd nullum erat iracundia fœdius, [1] iracundos ſolos, morboſos nominaverunt.
25 Oratorem verò iraſci minimè decet: [2] ſimulare non dedecet. An tibi iraſci tum videmur, cùm quid in cauſis acriùs, & vehementiùs dicimus? quid? cum jam rebus tranſactis, & præteritis orationes ſcribimus, num irati ſcribimus?

Et quis hoc animadvertit? Vincite.

Num aut egiſſe umquam iratum Æſopum, aut ſcripſiſſe exiſtimamus iratum Accium? aguntur iſta præclarè, & ab oratore quidem meliùs, ſi modò eſt orator, quàm ab ullo hiſtrione: ſed aguntur leniter, & mente tranquilla. *Libidinem verò laudare, cujus eſt libidinis?* Themiſtoclem mihi & Demoſthenem profertis: additis Pythagoram, Democritum, Platonem. Quid? vos ſtudia, libidinem vocatis? quæ vel optimarum rerum, ut ea ſunt, quæ profertis, ſedata tamen, & tranquilla eſſe debent. Jam ægritudinem laudare, unam rem maximè deteſtabilem, quorum eſt tandem philoſophorum? At commodè dixit Afranius,

Dummodò doleat aliquid, doleat quod lubet.

Dixit enim de adoleſcente perdito, ac diſſoluto: nos autem de conſtanti viro, ac ſapienti quærimus. Et quidem ipſam illam iram centurio habeat, aut ſignifer, vel ceteri, de quibus dici non neceſſe eſt, ne rhetorum aperiamus myſteria. *utile eſt* enim *uti motu animi, qui uti ratione non poteſt:* nos autem, ut teſtificor ſæpe, de ſapiente quæ-
26 rimus. At etiam æmulari utile eſt, obtrectare, miſereri. Cur miſereare potiùs, quam feras opem, ſi id facere poſſis? an ſine miſericordia liberales eſſe non poſſumus? non enim ſuſcipere ipſi ægritudines propter alios debemus: ſed *alios, ſi poſſumus, levare ægritudine.* Obtrectare verò alteri, aut illa vitioſa æmulatione, quæ rivalitati ſimilis eſt, æmulari quid habet utilitatis, cùm ſit æmulantis, angi alieno bono, quod ipſe non habeat: [3] obtrectantis autem, angi alieno bono, quòd id etiam alius habeat? quis id approbare poſſit, ægritudinem ſuſcipere pro experientia, ſi quid habere velis? *nam ſolum habere velle, ſumma dementia eſt.* Mediocritates autem malorum quis laudare rectè poſſit? quis enim poteſt, in quo libido, cupiditaſve ſit, non libidinoſus & cupidus eſſe? in quo ira, non iracundus? in quo angor, non anxius? in quo timor, non timidus? [4] libidinoſum igitur, & cupidum, & iracundum, & anxium, & timidum cenſemus eſſe ſapientem? [5] de cujus excellentia multa quidem dici quamvis fusè, lateque poſſint: ſed breviſſimè illo modo, SAPIENTIAM eſſe rerum divinarum, & humanarum ſcientiam, cognitionemque, quæ cujuſq; rei cauſa ſit. ex quo efficitur, ut *divina imitetur, humana omnia inferiora virtute ducat.* In hanc tu igitur, tanquam in mare, quod eſt ventis ſubjectum, perturbationem cadere tibi dixiſti videri? quid eſt, quod tantam gravitatem, conſtantiamque perturbet? an improviſum aliquid, aut repentinum? [6] quid poteſt accidere tale, & cui nihil quod homini evenire poſſit? Nam quod ajunt nimia reſecari oportere, naturalia relinqui: quid tandem poteſt eſſe naturale, quod idem nimium eſſe poſſit? ſunt enim omnia iſta ex errorum orta radicibus. [7] Quæ evellenda, & extrahenda penitus, non circumcidenda, nec amputanda ſunt. Sed quoniam ſuſpicor 27
te non tam de ſapiente, quàm de te ipſo quærere (illum enim putas omni perturbatione eſſe liberum, te vis) videamus, quanta ſint, [8] quæ à philoſophia remedia morbis animorum adhibeantur. eſt enim quædam medicina certè: *nec tam fuit hominum generi infenſa, atque inimica natura,* ut corporibus tot res ſalutareis, [9] animis nullam invenerit. De quibus hoc etiam eſt merita meliùs, quòd corporum adjumenta adhibentur extrinſecus, animorum ſalus incluſa in his ipſis eſt. Sed quo major eſt in eis præſtantia, & divinior, [10] eo majore indigent diligentia. [11] Itaque *bene adhibita ratio cernit, quid optimum ſit: neglecta, multis implicatur erroribus.* Ad te igitur mihi jam convertenda omnis oratio eſt. ſimulas enim quærere te de ſapiente: quæris autem fortaſſe de te. Earum igitur perturbationum, quas expoſui, variæ ſunt curationes. nam neque omnis ægritudo una ratione ſedatur. alia eſt enim lugenti, alia miſeranti, alia invidenti adhibenda medicina. eſt etiam in omnibus quattuor perturbationibus illa diſtinctio, utrùm ad univerſam *perturbationem, quæ eſt aſpernatio rationis, aut appetitus vehementior:* an ad ſingulas, ut ad metum, libidinem, reliquaſque meliùs adhibeatur oratio, & utrùm illudne non videatur ægrè ferendum, ex quo ſuſcepta ſit ægritudo, [12] an omnium rerum tollenda omnino ægritudo: ut ſi quis ægrè ferat, ſe pauperem eſſe, idne diſputes, *paupertatem malum non eſſe:* an hominem ægrè ferre nihil oportere. nimirum hoc melius: ne, ſi fortè de paupertate non perſuaſeris, ſit ægritudini concedendum: ægritudine autem ſublata, propriis rationibus, quibus heri uſi ſumus, quodam modo etiam [13] paupertatis malum tollitur. Sed 28
omnis ejuſmodi perturbatio, animi placatione abluatur illa quidem, cùm doceas, nec bonum illud eſſe, ex quo lætitia, aut libido oriatur: nec malum, ex quo aut metus, aut ægritudo: verumtamen hæc eſt certa, & propria ſanatio, ſi doceas, ipſas perturbationes per ſe eſſe vitioſas, nec habere quicquam aut naturale, aut neceſſarium: ut ipſam ægritudinem leniri videmus, cùm objicimus mœrentibus imbecillitatem animi effeminati, cumque eorum gravitatem, conſtantiamque laudamus, qui non turbulentè humana patiantur. quod quidem ſolet eis etiam accidere, qui illa mala eſſe cenſent, ferenda tamen æquo animo arbitrantur. putat aliquis eſſe voluptatem bonum: alius autem pecuniam: tamen & ille ab intemperantia, & hic ab avaritia avocari poteſt. illa autem altera ratio, quæ ſimul & opinionem falſam tollit, & [14] ægritudinem detrahit, eſt ea quidem utilior, ſed raro proficit, [15] neque eſt ad vulgus adhibenda. Quædam autem ſunt ægritudines, quas levare illa medicina nullo modo poſſit: ut ſi quis ægrè ferat, nihil in ſe eſſe virtutis, nihil animi, nihil officii, nihil

1. *Iracundos ſolos morboſos nominaverunt.*] Fabr. Vatic. *moroſos.* quæ, ut puto, genuina eſt lectio. Pal. quartus, *mortuos.*

2. *Simulare non dedecet.*] Pal. tert. Vatic. *non decet.* non probo.

3. *Obtrectantis autem angi alieno bono.*] Sic edidit Victorius, & poſt eum Lamb. repetuntque τὸ *angi* Pal. ſec. tert. quart.

4. *Libidinoſum igitur & cupidum & iracundum.*] *Et cupidum* ignorant quatuor Pall. Fabr. Vatic.

5. *De cujus excellentia multa quidem quamvis fusè lateque poſſint.*] Vat. *dici quamvis lateque poſſit.* ceterum Pal. tert. quart. etiam *poſſit.*

6. *Quid poteſt accidere tale, & cui nihil quod homini evenire poſſit?*] Malui hanc lectionem, cum quinque Pall. Vatic. Victorii (quamvis in ſecundo, quint. amplius appendantur hæc: *evenire poſſit, ne præmeditatum ſit.*) quam vulgarem tolerare lectionem fœdis gloſſis oblitam: *quid poteſt accidere tale ei, cui nihil ſubitum eſt, quod homini evenire poſſit.*

7. *Quæ evellenda & extrahenda penitus.*] Vatic. *quæ evellenda penitus.* duo Pall. ſec. quint. luxuriant: *ſunt enim omnia iſta non ex naturalibus cauſis; ſed ex errorum orta radicibus.* ineptè.

8. *Quæ à Philoſophia remedia morbus animorum.*] Quinque Pall. Vatic. omittunt præpoſitionem *à.*

9. *Animis nullam invenerit.*] Fab. Vat. *animis nullas.* quart. *nulla.*

10. *Eo majore indigent diligentiâ.*] Pal. quatuor priores; Vat. *indiget.*

11. *Itaque benè adhibita ratio.*] Turneb. ex conjectura lib. VII. cap. 8. Adverſ. reponit, *benè habita.*

12. *An omnium rerum tollenda omnino ægritudo.*] Pertinaciſſimè pro hac lectione dimicat Lambinus, cui in ſubſidium adveniunt Pall. pr. ſec. quartus. reliqui cum Fabr. Vatic. *toleranda* vel *tolleranda.*

13. *Paupertatis nomen tollitur.*] Pall. ſecundus *paupertatis nomen toll.*

14. *Et ægritudinem detrahit.*] Pal. tert. *diſtrahit.*

15. *Neque eſt ad vulgus adhibenda.*] Sic cum Victorio Lambinus, Pall. ſecund. tert. nam pr. *neque etiam eſt ad vulg. adh.* ſicque fere quint. nam τὸ *eſt* tollit.

nihil honeſtatis: propter mala is quidem angatur, ſed alia quædam ſit ad eum admovenda curatio, & talis quidem, quæ poſſit eſſe omnium, etiam de ceteris rebus diſcrepantium philoſophorum. inter omneis enim convenire oportet, commotiones animorum, à recta ratione averſas, eſſe vitioſas, ut etiam ſi nec mala ſint illa, quæ metum, ægritudinemve: [1] nec bona, quæ cupiditatem, lætitiamve moveant, tamen ſit vitioſa ipſa commotio. *conſtantem enim quendam volumus, ſedatum, gravem, humana omnia prementem illum eſſe, quem magnanimum, & fortem virum dicimus.* talis autem nec mœrens, nec timens, nec cupiens, nec geſtiens eſſe quiſquam poteſt. eorum enim hæc ſunt. qui eventus humanos, ſuperiores, quàm ſuos
29 animos eſſe ducunt. Quare omnium philoſophorum, ut antè dixi, una ratio eſt medendi, ut nihil, quale ſit illud, quod perturbet animum, ſed de ipſa ſit perturbatione dicendum. itaque primùm in ipſa cupiditate, cùm id ſolùm agitur, ut ea tollatur, non eſt quærendum, bonum illud, necne ſit, quod libidinem moveat: ſed libido ipſa tollenda eſt: ut ſive, quod honeſtum eſt, id ſit ſummum bonum, ſive voluptas, ſive horum utrumque conjunctum, ſive illa tria genera bonorum, tamen, etiam ſi virtutis ipſius vehementior appetitus ſit, [2] eadem ſit omnibus ad deterrendum adhibenda oratio. [3] continet autem omnem ſedationem animi, humana in conſpectu poſita natura: quæ quo faciliùs expreſſa cernatur, explicanda eſt oratione communis conditio, lexque vitæ. Itaque non ſine cauſa [4] cùm Oreſtem fabulam doceret Euripides: primos tris verſus revocaſſe dicitur Socrates:

> [5] *Neque tam terribilis ulla fando oratio eſt,*
> [6] *Nec ſors, nec ira cœlitum invectum malum,*
> [7] *Quod non natura humana patiendo efferat.*

Eſt autem utilis ad perſuadendum, [8] ea, quæ acciderunt, ferri & poſſe, & oportere, enumeratio eorum, qui tulerunt. etſi ægritudinis ſedatio & heſterna diſputatione explicata eſt, & in Conſolationis libro, quem in medio (non enim ſapientes eramus) mœrore, & dolore conſcripſimus: quodque vetat Chryſippus, *ad recentes quaſi tumores animi, remedium adhibere*, id nos fecimus, naturæque vim attulimus, ut magnitudini medicinæ doloris
30 magnitudo concederet. Sed ægritudini, de qua ſatis eſt diſputatum, finitimus eſt metus. De quo pauca dicenda ſunt. Eſt enim metus, ut ægritudo, præſentis: ſic ille, futuri mali. Itaque nonnulli ægritudinis partem quandam metum eſſe dicebant. alii autem metum, præmoleſtiam appellabant, quod eſt quaſi dux conſequentis moleſtiæ. Quibus igitur rationibus inſtantia feruntur, eiſdem contemnuntur ſequentia. nam videndum eſt in utriſque, ne quid humile, ſummiſſum, molle, effœminatum, fractum, abjectumque faciamus. Sed quamquam de ipſius metus inconſtantia, imbecillitate, levitate dicendum eſt: tamen multum *prodeſt, ea, quæ metuuntur, ipſa contemnere.* Itaque, ſive caſu accidit, ſive conſilio, percommodè factum eſt, quòd eis de rebus, quæ maximè metuuntur, de morte, & de dolore, primo & proximo die diſputatum eſt. Quæ ſi probata ſunt, metu magna ex parte liberati ſumus. Ac de malorum opinione, hactenus. Videa- 31
mus nunc de bonorum, id eſt, de lætitia, & de cupiditate. Mihi quidem in tota ratione ea, quæ pertinet ad animi perturbationem, una res videtur cauſam continere, omneis eas eſſe in noſtra poteſtate, omneis judicio ſuſceptas, omneis voluntarias. Hic igitur error eſt eripiendus, hæc detrahenda opinio: [9] atque *ut in malis opinatis, tolerabilia: ſic in bonis, ſedatiora ſunt efficienda ea quæ magna, & lætabilia dicuntur.* Atque hoc quidem commune malorum, & bonorum: ut, ſi jam difficile ſit perſuadere, nihil earum rerum, quæ perturbent animum, aut in bonis, aut in malis eſſe habendum, tamen alia ad alium motum curatio ſit adhibenda, aliaque ratione malevolus, alia amator, alia rurſus anxius, alia timidus, corrigendus. atque erat facile. ſequentem eam rationem, quæ maximè probatur de bonis & malis, negare umquam lætitia affici poſſe inſipientem, quod nihil umquam haberet boni. Sed loquimur nunc more communi. [10] Sint ſanè iſta bona, quæ putantur, [11] honores, divitiæ, voluptates, cetera: tamen in eis ipſis potiundis exſultans, geſtienſque lætitia, turpis eſt: ut, ſi ridere conceſſum ſit, vituperetur tamen cachinnatio. eodem enim vitio eſt [12] effuſio animi in lætitia, quo, in dolore, contractio: eademque levitate cupiditas eſt in appetendo, qua lætitia, in fruendo: [13] & *ut nimis afflicti moleſtia, ſic animi elati lætitia, jure judicantur leves.* & cum invidere, ægritudinis ſit: malis autem alienis voluptatem capere, lætitiæ: utrumque immanitate, & feritate quadam proponenda, caſtigari ſolet. Atque [14] ut confidere decet, timere non decet: ſic gaudere decet, lætari non decet: quoniam docendi cauſa à gaudio lætitiam diſtinguimus, illud jam ſuprà diximus, fieri contractionem animi rectè numquam poſſe, [15] elationem poſſe: aliter enim Nævianus ille gaudet Hector,

> *Lætus ſum*
> *Laudari me abs te, pater, laudato viro:*

[16] aliter ille apud Trabeam,

> *Læna delenita argento nutum obſervabit meum,*
> *Quid velim, quid ſtudeam: adveniens digito impellam januam:*
> *Fores patebunt. de improviſo Chryſis ubi me adſpexerit,*
> *Alacris obviam mihi veniet, complexum exoptans meum,*
> *Mihi ſe dedet:*

Quàm hæc pulchra putet, ipſe jam dicet,

> *Fortunam ipſam anteibo fortunis meis.*

Hæc lætitia quàm turpis ſit, ſatis eſt diligenter attenden- 32
tem penitus videre. Et ut turpes ſunt, qui efferunt ſe lætitia tum, cùm fruuntur Veneris voluptatibus: ſic flagitioſi, qui eas inflammato animo concupiſcunt. Totus verò iſte, qui vulgò appellatur amor, (nec, hercule, invenio, quo nomine alio poſſit appellari) tantæ levitatis eſt, ut nihil

1. *Nec bona quæ cupiditatem.*] Optimus Pal. quart. *cupidinem.*
2. *Eadem ſit omnibus ad deterrendum.*] Fabr. *deterendum.*
3. *Continet autem omnem ſedationem animi.*] Sic reperi in Pall. pr. tert. quart. quint. quippe ſec. *omnes.* nec longe abit Victorius edito hoc ordine, *ſedationem omnem, &c.* vulgò abeſt *omnem:* ſed eſt quoque in Fabr.
4. *Cùm Oreſtem fabulam doceret Euripides.*] Prætuli vulgatam lectionem. nam Victor. cum Palatin. quart. *Oreſtis.* ſecund. quart. *Oreſte.* ceterùm *diceret.* agnoſcunt Palatin. quinque, Vatic. Fabr. non *doceret.*
5. *Neque tam terribilis ulla fando oratio eſt.*] Quinque Pal. *ratio eſt.*
6. *Nec ſors, nec ira cælitum invectum malum.*] Sic emendavi adjutus autoritate Lambini & Palatin. in quibus ſingulis *nec.* ſed in ſolo primo, & Vaticano *ſors.* quod cur melius hîc ſit, dixit Lambinus. in ceteris, ut & Victorii editione, libro Fabr. *nec fors nec ceterum ira cælitum invectum malum*, eſt ξυμφορὰ θεήλατος; itaque miror cur Victorius ediderit, *invictum*, & in quinque Palatin. lateat *inventum.*
7. *Quod non natura humana patiendo efferat.*] Sic legatur, aut ut vult Lambin. *ecferat*, ἄρειτο. Græci verſus ſunt ex initio Oreſtis Euripidis. Vide Muretum Variar. lib. VIII. cap. 16.
8. *Ea, quæ acciderunt.*] Quinque Pall. Fab. *acciderint.*
9. *Atque ut in malis opinatis tolerabilia.*] Quod habent & editio Victor. & quatuor Pall. ac Vatic. vulgò, *tolerabiliora.*
10. *Sint ſanè iſta bona.*] Palat. quart. Fabr. Vatic. *ſunt ſanè iſta.*
11. *Honores, divitiæ, voluptates, cetera: tamen.*] Hæc ſcriptura tuetur ſe auctoritate Pall. tert. quart. Vaticani in Fabr. Palat. quint. editur, *& cetera tamen.* male: ut & in editione Victor. *voluptates: cetera tamen.*
12. *Effuſio animi in lætitia.*] Pall. quart. *lætitiam.*
13. *Et ut nimis afflicti moleſtia.*] Pal. ſec. quart. Vaticanus *afflictio moleſtia.*
14. *Ut confidere decet.*] Alius *diffidere:* alius; *ut non fidere.*
15. *Elationem poſſe.*] Abſunt hæc à tribus prioribus Pall. qui & antecedentia verba ita digerunt: *contractionem animi rectè fieri nunquam.*
16. *Aliter ille apud Trabeam.*] Ejeci quod ſequebatur *Chærea*, cum neque agnoſcatur quinque Pall. neque Fabritiano.

nihil videam, quod putem conferendum. Quem Cæcilius,

-- deum qui non ſummum putet,
Aut ſtultum, aut rerum eſſe imperitum exiſtimet:
Cui in manu ſit, quem eſſe dementem velit,
[1] *Quem ſapere, quem inſanire, quem in morbum injici,*
Quem contra amari, [2] *quem arceſſiri, quem expeti.*

O præclaram emendatricem vitæ, poëticam! quæ amorem, flagitii, & levitatis auctorem, in concilio deorum collocandum putet. De comœdia loquor: [3] quæ, ſi hæc flagitia non probaremus, nulla eſſet omnino. [4] Quid ait ex tragœdia princeps ille Argonautarum?

[5] *Tu m' amoris magis, quam honoris ſervaſti gratia.*

Quid ergo? hic amor Medeæ quanta miſeriarum excitavit incendia! atque ea tamen apud alium poëtam patri dicere audet, ſe conjugem habuiſſe

Illum, amor quem dederat, qui plus pollet, potiorque eſt patre.

33 Sed poëtas ludere ſinamus, quorum fabulis in hoc flagitio verſari ipſum videmus Jovem. Ad magiſtros virtutis, philoſophos veniamus: qui amorem negant ſtupri eſſe, & in eo litigant cum Epicuro, non multùm, ut opinio mea fert, mentiente. quis eſt enim iſte amor amicitiæ? *cur neque deformem adoleſcentem quiſquam amat, neque formoſum ſenem?* mihi quidem hæc in Græcorum gymnaſiis nata conſuetudo videtur: in quibus iſti, liberi & conceſſi ſunt amores. Bene ergo Ennius,

Flagitii principium eſt nudare inter civis corpora.

[6] Qui ut ſint, fieri poſſe video, pudici, ſolliciti tamen, & anxii ſunt: eoque magis, quòd ſeipſi continent, & coërcent. Atque, ut muliebreis amores omittam, quibus *majorem licentiam natura conceſſit:* quis aut de Ganymedis raptu dubitat, quid poëtæ velint: aut non intelligit, quid apud Euripidem & loquatur, & cupiat Lajus? quid denique homines doctiſſimi, & ſummi poëtæ de ſeipſis, & carminibus edant, & cantibus? fortis vir in ſua rep. cognitus, quæ de juvenum amore ſcribit Alcæus? nam Anacreontis quidem tota poëſis, eſt amatoria. Maximè verò omnium flagraſſe amore Rheginum Ibicum, appa-
34 ret ex ſcriptis. Atque horum omnium libidinoſos eſſe amores videmus. Philoſophi ſumus exorti, & auctore quidem noſtro Platone, quem non injuria Dicæarchus accuſat, qui amori auctoritatem tribueremus. Stoici verò & *ſapientem amaturum eſſe dicunt: & amorem ipſum, conatum amicitiæ faciundæ ex pulcritudinis ſpecie* definiunt. qui ſi quis eſt in rerum natura ſine ſollicitudine, ſine deſiderio, ſine cura, ſine ſuſpirio: ſit ſane. vacat enim omni libidine. hæc autem de libidine oratio eſt. ſin autem eſt aliquis amor, ut eſt certè, qui nihil abſit, aut non multùm ab inſania, qualis in Leucadia eſt:

Si quidem ſit quiſquam deus, cui ego ſim curæ.

At id erat deis omnibus curandum, quemadmodum hic frueretur voluptate amatoria.

Heu me infelicem.

Nihil verius. Probè & ille,

Sanuſne es, qui temerè lamentare?

Sic inſanus videtur etiam ſuis. At quas tragœdias efficit?

Te Apollo ſancte, fer opem, teque omnipotens Neptune: invoco.
Voſque adeò venti.

Mundum totum ſe ad amorem ſuum ſublevandum converſurum putat: Venerem unam excludit, ut iniquam.

Nam quid ego te appellem Venus?

Eam præ libidine negat curare quidquam. quaſi verò ipſe non propter libidinem tanta flagitia & faciat, & dicat. Sic 35
igitur affecto hæc adhibenda curatio eſt, ut & illud, quod cupiat, oſtendat quàm leve, quàm contemnendum, quàm nihil ſit omnino, quàm facilè vel aliundè, vel alio modo perfici, vel omnino negligi poſſit. [7] Abducendus eſt etiam nonnumquam ad alia ſtudia, ſollicitudines, curas, negotia. *Loci denique mutatione, tanquam ægroti non convaleſcentes, ſæpe curandus eſt.* [8] Etiam novo quodam amore veterem amorem tanquam clavo clavum ejiciendum putant. maximè autem admonendus, quantus ſit furor amoris. *omnibus* enim *ex animi perturbationibus eſt profectò nulla vehementior:* ut, ſi jam ipſa illa accuſare nolis, ſtupra dico, & corruptelas, & adulteria, inceſta denique, quorum omnium accuſabilis eſt turpitudo: [9] ſed ut hæc omittas, perturbatio ipſa mentis in amore, fœda per ſe eſt. nam ut illa prætercam, quæ ſunt furoris: hæc ipſa per ſeſe quam habent levitatem, quæ videntur eſſe mediocria?

--injuriæ,
Suſpiciones, inimicitiæ, induciæ.
Bellum, pax rurſum. Incerta hæc ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quàm ſi des operam, ut cum ratione inſanias.

Hæc inſtantia, mutabilitaſque mentis, quem non ipſa pravitate deterreat? eſt enim illud, quod in omni perturbatione dicitur, demonſtrandum, nullam eſſe niſi opinabilem, niſi judicio ſuſceptam, niſi voluntariam. etenim ſi naturalis amor eſſet: [10] & amarent omnes, & ſemper amarent, & idem amarent, neque alium pudor, alium
cogitatio, alium ſatietas deterreret. [11] Ira verò quæ quam diu 36
perturbat animum, dubitationem inſaniæ non habet: cujus impulſu exſiſtit etiam inter fratres tale jurgium:

Quis homo te exſuperavit umquam gentium impudentia?
Quis autem malitia te?

Noſti quæ ſequuntur. alternis enim verſibus intorquentur inter fratres graviſſimæ contumeliæ, ut facilè appareat, Atrei filios eſſe, ejus, qui meditatur pœnam in fratrem novam.

Major mihi moles, majus miſcendum malum,
Qui illius acerbum cor contundam & comprimam.

[12] Quæ igitur hæ erunt moles? audi Thyeſtem ipſum:

¹ *Im-*

---

1. *Quem ſapere, quem inſanire.*] Ita Victorius, omneſque mſſ. tàm Pall. quam Fab. Vatican. vulgò *ſanari.*

2. *Quem arceſſiri.*] Ita malui cum Lambino ex vet. cod. ac quinque Palat. Vatican. ſed iidem omnes quoque, *quem expeti, quem arceſſiri.*

3. *Quæ, ſi hæc flagitia non probaremus.*] Conſtanter duo Pall. quart. quint. Fab. *ſi hæc flagitia nos probaremus.*

4. *Quid ait ex Tragœdia princeps ille Argonautarum?*] Sic reſtituendum eſt ex Victor. Pal. quart. inclinante huc Pal. tert. qui *aut* legit. quint. verò *quid ex Tragœdia princeps ille Argonautarum Jaſon?* quod probarem abſente nomine Ducis. vulgò, *quid autem ex Trag.*

5. *Tu m' amoris magis quam honoris ſervaſti gratiâ.*] Hoc ſcripſi fiduciâ editionis Victor. & quinque Pall. tum Fabr. alias, *Tu m' amori' magis, quàm honoris ſervaſti gratiâ.* Euripides,

ὡς ἔρως σ' ἠνάγκασε
Πόνων ἀφύκτων τὸμὸν ἐκσῶσαι δέμας.

6. *Qui ut ſint, quod fieri poſſe video.*] Reprehendi Victor. ſcripturam, quam vide exſtare quoque in quinque Palatin. Fab. Vat. vulgò, *ſicut fieri poſſe.*

7. *Abducendus eſt etiam nonnumquam.*] Sic edidit Victorius, & rectè, cum quo faciunt Palatin. quart. quint. Fabr. Vatican.

8. *Etiam novo quodam amore.*] Palatin. tert. quart. Fab. *novo quidam amore.*

9. *Sed ut hæc omittas, perturbatio.*] Sic edidit Victorius, cui adſentiantur Palat. quinque ac Fabr. in Vatican. tamen; *ut hæc comitas, perturbatio.*

10 *Et amarent omnes, & ſemper amarent, & idem amarent.*] Ut edidit Victorius, extat in Pal. quart. Vatic. aliàs hæc tendunt, & *amarent omnes, & amarentur, & ſemper amarent.*

11. *Ira verò quæ quàm diu perturbat animum.*] Reſumſi hoc itidem ex editione Victorii, Palatin. Fabr. Pith. vulgò: *ira verò quamquam.* quanquam Lambini lectio, *ira verò quamdiu pert.* extet in Palat. prim. quæ meo animo multò concinnior.

12. *Quæ igitur hæ erunt moles.*] Vatic. *quæ igitur hæc erunt moles* ſic *hæc* in aliis libris fœm. plur. cujus ignoratio impulit Lambinum, ut emendaret, *quæ igitur hæc erit moles.* Palatin. prim. quart. quint. *quo igitur hæ* (pr. *eæ*) *erunt moles.* ſecund. tert. *quò igitur hæc erunt moles.*

1. Du-

[1] *Impius hortatur me frater*, [2] *ut meos malis miſer Manderem natos.*

Eorum viſcera apponit: quid eſt enim, quò non progrediatur eodem ira, quò furor? Itaque iratos propriè dicimus exiſſe de poteſtate, id eſt, de conſilio, de ratione, de mente. horum enim poteſtas in totum animum eſſe debet. [3] his aut ſubtrahendi ſunt ei, in quos impetum conantur facere, dum ſe ipſi colligant (quid eſt autem ſe ipſum colligere, niſi [4] diſſipatas animi parteis rurſum in ſuum locum cogere?) aut rogandi orandique ſunt, ut, ſi quam habent ulciſcendi vim, differant in tempus aliud, dum deferveſcat ira. Deferveſcere autem certè ſignificat ardorem animi invita ratione excitatum. Ex quo illud laudatur Architæ: qui cùm villico factus eſſet iratior, *Quo te modo*, inquit, *accepiſſem, niſi iratus eſſem?* Ubi ſunt ergo iſti,
37 [5] qui iracundiam utilem dicunt? (Poteſt utilis eſſe inſania?) Aut naturalem? an quidquam eſſe poteſt ſecundum naturam, quod ſit repugnante ratione? quò modo autem, ſi naturalis eſſet ira: aut alius alio magis iracundus eſſet: [6] aut finem haberet priùs, quàm eſſet ulla ulciſcendi libido: aut quemquam pœniteret, [7] quod feciſſet per iram? ut Alexandrum regem videmus, qui cùm interemiſſet Clytum, familiarem ſuum, vix à ſe manus abſtinuit. tanta vis fuit pænitendi. quibus cognitis, quis eſt, qui dubitet, quin hic quoque motus animi, ſit totus opinabilis, ac voluntarius? quis enim dubitarit, quin ægrotationes animi, qualis eſt avaritia, gloriæ cupiditas, ex eo, quòd magni æſtimetur ea res, ex qua animus ægrotat, oriantur? unde intelligi debet, *perturbationem* quoque *omnem, eſſe in opinione.* Et, ſi fidentia, id eſt, firma animi confiſio, ſcientia quædam eſt, & opinio gravis, [8] non temerè aſſentiens; [9] metus quoque eſt diffidentia exſpectati, & impendentis mali. Et, ſi ſpes, eſt exſpectatio boni: mali exſpectationem eſſe neceſſe eſt, metum. Ut igitur metus, ſic reliquæ perturbationes ſunt in malo. Ergo ut conſtantia, ſcientiæ: ſic perturbatio, erroris eſt. Qui autem natura dicuntur iracundi, aut miſericordes, aut invidi, [10] aut tale quid, ii ſunt conſtituti, quaſi mala valitudine animi: [11] ſanabiles tamen. ut Socrates dicitur, cùm multa in conventu vitia collegiſſet in eum Zopyrus, qui ſe naturam cujuſque ex forma perſpicere profitebatur, deriſus eſt à ceteris, qui illa in Socrate vitia non agnoſcerent: ab ipſo autem Socrate ſublevatus, [12] cùm illa ſibi ſigna, ſed ratione à ſe dejecta diceret. [13] Ergo ut optima quiſque valitudine effectus, poteſt videri, ut natura, ad aliquem morbum proclivior: ſic *animus alius ad alia vitia propenſior.* qui autem non natura, ſed culpa vitioſi eſſe dicuntur, eorum vitia conſtant è falſis opinionibus rerum bonarum, ac malarum, ut ſit alius ad alios motus, perturbationeſque proclivior, [14] *inveteratio* autem ut *in corporibus ægrius depellitur, quam perturbatio:* citiuſque repentinus oculorum tumor ſanatur, quàm diuturna lippitudo depellitur. Sed cognita jam cauſa perturbationum, quæ 38
omnes oriuntur ex judiciis opinionum, & voluntatibus, ſit jam hujus diſputationis modus. [15] Scire autem vos oportet, cognitis, quoad poſſunt ab homine cognoſci, bonorum & malorum finibus, nihil à philoſophia poſſe aut majus, aut utilius optari, quam hæc, quæ à nobis hoc quatriduo diſputata ſunt. morte enim contemta, & dolore ad patiendum levato, [16] adjunximus ſedationem ægritudinis: qua nullum homini malum majus eſt. etſi enim omnis animi perturbatio gravis eſt, nec multum differt ab amentia: tamen ita ceteros, cùm ſint in aliqua perturbatione aut metus, aut lætitiæ, aut cupiditatis, commotos modò, & perturbatos dicere ſolemus. at eos qui ſe ægritudini dediderunt, miſeros, afflictos, ærumnoſos, calamitoſos. Itaque non fortuitò factum videtur, ſed à te ratione propoſitum, ut ſeparatim de ægritudine, & de ceteris perturbationibus diſputare. in ea eſt enim fons miſeriarum, & caput. Sed & ægritudinis, & reliquorum animi morborum una ſanatio eſt: *omneis opinabileis eſſe, & voluntarios, ea reque ſuſcipi, quòd ita rectum eſſe videatur.* Hunc errorem, quaſi radicem malorum omnium, ſtirpitus, philoſophia ſe extracturam pollicetur. Demus ergo nos huic excolendos, patiamurque nos ſanari. [17] *his* enim *malis inſidentibus, non modò beati, ſed ne ſani quidem eſſe poſſumus.* aut igitur negemus quidquam ratione confici, cùm contrà nihil ſine ratione rectè fieri poſſit: aut cùm philoſophia ex rationum collatione conſtet, ab ea, ſi & boni, & beati volumus eſſe, omnia adjumenta, & auxilia petamus benè, beateque vivendi.

M. TUL-

---

1. *Impius hortatur me frater.*] *Impius* neſciunt quinque Pal.

2. *Ut meos malis miſer Manderem natos.*] Turnebus libro VII. cap. 18. & Lambin. ex conjecturâ *mandem.* ut, *malis mandare*, eſſet mâlis ſeu maxillis committere & permittere, hoc eſt, devoratum ſeu comminutum ire, ut Lucret. lib. 2.

Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus. hæc illi.

Sed hoc genus loquendi in Palatin. quart. & Fabr. æque eſt, habent enim *mandarem.*

3. *His aut ſubtrahendi ſunt ei.*] Repoſui hoc ex edit. Victor. Vatican. Palat. Fabr. Vatican. imprimis. Victor. *his aut ſunt ſubtrahendi ei.* Pal. quint. *is autem ſubtrahendi ſunt ei.* vulgò: *his autem ſunt ſubtrahendi, in quos.*

4. *Diſſipatas animi partes rurſum in ſuum locum cogere.*] Palatin. quint. *congerere.*

5. *Qui iracundiam utilem dicunt? (poteſt utilis eſſe inſania?) aut naturalem?*] Optimam & vero proximam lectionem Victorii recepimus: Fabr. cod. *poteſt utilis eſſe inſania? aut naturale quidquam eſt, & ſecundum naturam, quod ſit repugnant erat.* Palatin. quart. *qui iracundiam utilem dicunt, poteſt utilis eſſe inſania aut naturalem hanc quicquam eſt.* & ita Vatican. unde quidam malit: *poteſt utilis eſſe inſania ac naturalis? aut quicquam eſſe ſecundum naturam, quod ſit repug.* Palatin. quint. *poteſt utilis eſſe inſania an naturalis an poteſt quicquam eſſe ſecundum naturam, quod ſit rep.* vulgò: *poteſt utilis eſſe inſania? aut naturalis eſt?* unde Manutii conjectura irrepit ſequiores editiones: *at naturalis eſt.*

6. *Aut finem haberet, prius, quàm eſſet ulla, ulciſcendi libido.*] Potior apud me omnium codicum conſenſus eſt, quàm magnificæ edictiones Lambini, clamantis omnino legendum, *priuſquam eſſet ulla, ulciſcendi libido:* addit epiſodii loco, *hæc qui non videt, ſe nihil videre fateatur neceſſe eſt.* Potior, inquam, eſt apud me quinque Palatin. Vatic. Vict. edit. Gryph. lib. ſic exhibentium autoritas.

7. *Quod feciſſet per iram.*] Fabr. Palatin. ſecund. tert. *quod defeciſſet per iram.*

8. *Non temerè aſſentiens.*] Quinque Pal. cum Vatic. *aſſentientis.*

9. *Metus quoque eſt diffidentiâ.*] Palat. tert. quart. libri optimi, *defidentiâ.*

10. *Aut tale aliquid, ii ſunt conſtituti quaſi.*] Ita eſt in Palat. ſec. tertio, quarto, quinto, Vatic. niſi quod pro *ii, ei:* unde Lambinus tamen: *ii ſunt ita conſtituti.* vulgò, *ii ſunt ejuſmodi conſtituti.*

11. *Sanabiles tamen.*] Palat. ſecund. tert. quart. Vatican. *ſanabile eſt tamen.*

12. *Cum illa ſibi ſigna ſed, &c.*] Omnes libri tam Lambin. quàm Palat. Vatic. Gryph. & editio Victorii, quod apprehendere quam nugalia vulgi interpolatitia, *cùm illa ſibi vitia ineſſe, ſed:* maluimus: quidam tamen ex conject. *cum illa ſibi ingenita.*

13. *Ergo ut optima quiſque valetudine affectus poteſt videri, ut natura ad al.*] Ita eſt in quinque Palat. Pith. Vatican. vulgò, *poteſt videri alius, ut nat.*

14. *Inveteratio autem ut in corporibus ægrius depellitur, quàm perturbatio.*] Ut Victorius edidit, ſic reperi in Pall. prim. tert. quart. quint. Vatican. aliàs: *ægrius depellitur, ſic in animis quoque perturbatio.*

15. *Scire autem vos oportet, cognitis, quoad poſſunt ab homine.*] Sic plerique libri Pall. ſec. tert. quint. Vatic. alias *nos*, & *poſſint.*

16. *Adjunximus ſedationem ægritudinis.*] Fab. *ſanationem.*

17. *His enim malis inſidentibus.*] Pal. optim. cod. *inſidiantibus.*

M. TULLII CICERONIS TUSCULANARUM QUÆSTIONUM, AD M. BRUTUM, LIBER QUINTUS.

VIRTUTEM AD BEATE VIVENDUM SE IPSA ESSE CONTENTAM.

1 QUINTUS hic dies, Brute, finem faciet Tuſculanarum diſputationum: quo die eſt à nobis ea de re, quam tu ex omnibus maximè probas, diſputatum. placere enim tibi admodum [1] ſenſi & ex eo libro, [2] quem ad me accuratiſſime ſcripſiſti, & ex multis ſermonibus tuis, *virtutem ad beatè vivendum ſe ipſa eſſe contentam.* Quod etſi difficile eſt probatu, propter tam varia, & tam multa tormenta fortunæ: tale tamen eſt, ut elaborandum ſit, quo faciliùs probetur. nihil eſt enim omnium, quæ in philoſophia tractantur, quod graviùs, magnificentiuſque dicatur. Nam, cùm ea cauſa impulerit eos, qui primi ſe ad philoſophiæ ſtudium contulerunt, ut, omnibus rebus poſthabitis, totos ſe in optimo vitæ ſtatu exquirendo collocarent: profectò ſpe beatè vivendi tantam in eo ſtudio curam, operamque poſuerunt. Quòd ſi ab iis inventa, & perfecta virtus eſt, &, ſi præſidii ad beatè vivendum in virtute ſatis eſt: quis eſt, qui non præclarè & ab illis poſitam, & à nobis ſuſceptam operam philoſophandi arbitretur? ſin autem virtus ſubjecta ſub varios, incertoſque caſus, famula fortunæ eſt, nec tantarum virium eſt, ut ſe ipſa tueatur: vereor, ne non tam virtutis fiducia nitendum nobis ad ſpem beatè vivendi, quàm vota facienda videantur. Equidem eos caſus, in quibus me fortuna vehementer exercuit, mecum ipſe conſiderans, huic incipio ſententiæ diffidere: [3] interdum & humani generis imbecillitatem, fragilitatemque extimeſcere. vereor enim, ne natura, cùm corpora nobis infirma dediſſet, iiſque, & morbos inſanabilis, & dolores intolerabilis adjunxiſſet, animos quoque dederit & corporum doloribus congruentis, & ſeparatim ſuis angoribus & moleſtiis implicatos. Sed in hoc me ipſe caſtigo, quòd ex aliorum, [4] & ex noſtra fortaſſe mollitiâ, non ex ipſa virtute de virtutis robore exiſtimo. ILLA enim, ſi modò eſt ulla virtus, quam dubitationem avunculus tuus, Brute ſuſtulit: *omnia, quæ cadere in hominem poſſunt, ſubter ſe habet: eaque deſpiciens, caſus contemnit humanos: culpaque omni carens, præter ſe ipſam, nihil cenſet ad ſe pertinere.* Nos autem omnia adverſa tum [5] venientia metu augentes, tum mœrore præſentia, rerum naturam, [6] quàm errorem noſtrum, damnare malumus. Sed & hujus culpæ, & ceterorum vitiorum, 2
peccatorumque noſtrorum omnis à philoſophia petenda correctio eſt. cujus in ſinum cùm à primis temporibus ætatis noſtra voluntas, [7] ſtudiumque nos compuliſſet, his graviſſimis caſibus in eundem portum, ex quo eramus egreſſi, magna jactati tempeſtate confugimus. O VITÆ philoſophia dux, ô virtutis indagatrix, [8] expultrixque vitiorum! quid non modò nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? tu urbeis peperiſti: tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti: tu eos inter ſe primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum, & vocum communione junxiſti: tu inventrix legum, tu magiſtra morum, & diſciplinæ fuiſti. ad te confugimus: à te opem petimus: tibi nos, [9] ut antea magna ex parte, ſic nunc penitus, totoſque tradimus. *Eſt* autem *unus dies bene,* [10] *& ex præceptis tuis actus, peccanti immortalitati anteponendus.* [11] Cujus igitur potiùs opibus utamur, quàm tuis? quæ & vitæ tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis ſuſtuliſti. [12] Ac philoſophia quidem tantum abeſt, ut proinde, ac de hominum eſt vita merita laudetur; ut à pleriſque neglecta, à multis etiam vituperetur. [13] Vituperare quiſquam vitæ parentem, & hoc parricidio ſe inquinare audet? & tam impiè ingratus eſſe, ut eam accuſet, quam vereri deberet, etiam ſi minùs percipere potuiſſet? Sed, ut opinor, hic error, & hæc indoctorum animis offuſa caligo eſt,

1. *SEnſi & ex eo libro.*] Internectunt & quod vulgò abeſt, Victorius, Pall. ſec. tert. quart. quint.

2. *Quem ad me accuratiſſimè ſcripſiſti.*] Palatin. quart. *quem ad me tu accurat.* ceter. Pr. *acutiſſime*, non *accuratiſſimè*, minus probè.

3. *Interdum & humani generis imbecillitatem.*] Ita Victorius cum Pall. ſec. tert. quart. Vatic. alii *etiam*.

4. *Ex noſtrâ fortaſſe mollitiâ.*] Secutus eſt & Victorius & Lambinus Nonium: nos præter illos Palatin. prim. tert. quart. quint. Vatican. Fabr. vulgò *molitiæ*. ſed ſuperiora verba Gryphii liber ſic concipit: *ſed hoc me ipſe caſtigo quod.* Quod etiam nonnulli veteres, teſte Lamb. habent. Nonius in verbo *caſtigo* legit *ſed hoc in me ipſe caſtigo.* Ceterùm paullò poſt Vatic. *de virtutis robore exiſtimem.*

5. *Venientia metu augentes.*] Fabr. *angentes.*

6. *Quàm errorem noſtrum damnare malumus.*] Quinq; Pal. *maluimus.*

7. *Studiumque nos compuliſſet.*] Lambinus ne videretur a Victorio accepiſſe, *compuliſſent* edi juſſit: ſed illud eſt præterea in Pall. quatuor, Fabr. Vatican. vulgò: *nos contuliſſent*; omnino ineptè: licet & mſſ. lectionem duriuſculam autumet quidam Baro.

8. *Expultrixque vitiorum.*] Fabr. *excultrix*. an ſic *excolere* uſurpatur ut *excoquere?* ut Ovidius dixit Faſt. IV. *vitium metalli excoquit ignis.* Et Virg. I. Georg. *vitium excoquitur per ignem.* Ita videtur ipſe Cicero II. De Legibus: *Tum nihil melius iis myſteriis, quibus ex agreſti immanique vitâ exculti ad humanitatem & mitigati ſumus.*

9. *Ut antea magna ex parte, ſic nunc penitus totoſque tradimus.*] Fab. cod. *ut antea magnâ ex parte totos tradimus.*

10. *Ex præceptis tuis actus peccanti immortalitati anteponendus.*] Tuentur hoc communibus viribus Pall. quinque: ipſe Lambin. in poſteriore edit. mſſ. Suffridi. Victoriana verò: *penè toti immortalitati anteponend.* alias quidam cod. *perpetuitati & immortalitati.* abſurdè.

11. *Cujus igitur potius opibus utamur quàm tuis?*] Palat. ſec. *cujus igitur opibus magis utamur, quàm tuis?*

12. *Ac Philoſophia quidem tantum abeſt, ut proinde, ac de hominum eſt vita merita laudetur; ut à pleriſque neglecta, à multis etiam vituperetur.*] Totam hanc circumductionem, ut eſt, reſinxi ex Victor. Palat. prim. ſec. quart. quint. Vatican. nam in Fabr. eſt: *à pleriſque neglecta, à pleriſque etiam.* vulgò *à pleriſque neglecta.* evanida ſunt, cum ſententiæ & elegantiæ detrimento.

13. *Vituperare quiſquam vitæ parentem.*] Victor. editio, *vituperare quiſquam inquam vitæ par.* quod nullibi præterea reperi.

eſt, quòd tam longè retrò reſpicere non poſſunt: nec eos, [1] à quibus vita hominum inſtructa primis ſit, fuiſſe philoſophos arbitrantur. Quam rem antiquiſſimam cùm videamus, [2] nomen tamen confitemur eſſe recens. Nam ſapientiam quidem ipſam quis negare poteſt, non modò re eſſe antiquam, verùm etiam nomine? quæ divinarum, humanarumque rerum, tum initiorum, [3] cauſarumque, cujuſque rei cognitione hoc pulcherrimum nomen apud antiquos aſſequebatur. Itaque & illos ſeptem, qui à Græcis σοφοὶ, ſapientes à noſtris & habebantur, & nominabantur, & multis antè ſæculis Lycurgum, cujus temporibus Homerus etiam fuiſſe ante hanc urbem conditam traditur, etiam heroicis ætatibus Ulyſſem, & Neſtorem accepimus & fuiſſe, & habitos eſſe ſapienteis. Nec verò Atlas ſuſtinere cælum, nec Prometheus affixus Caucaſo, nec ſtellatus Cepheus cum uxore, genero, filia traderetur, niſi cæleſtium divina cognitio nomen eorum ad errorem fabulæ traduxiſſet. A quibus ducti deinceps omnes, qui in rerum contemplatione ſtudia ponebant, ſapientes & habebantur, & nominabantur: idque eorum nomen uſque ad Pythagoræ manavit ætatem: quem, ut ſcribit auditor Platonis Ponticus Heraclides, vir doctus in primis, Phliuntem ferunt veniſſe, eumque cum Leonte, Principe Phliaſiorum, docte, & copioſè diſſeruiſſe quædam. cujus ingenium, & eloquentiam cùm admiratus eſſet Leon, quæſiviſſe ex eo, qua maximè arte confideret. at *illum* artem *quidem ſe ſcire nullam, ſed eſſe philoſophum*. admiratum Leontem novitatem nominis, quæſiſſe, *quinam eſſent philoſophi, & quid inter eos, & reliquos intereſſet*: Pythagoram autem reſpondiſſe, SIMILEM ſibi videri vitam hominum, & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. nam ut illic alii corporibus exercitatis gloriam, & nobilitatem coronæ peterent: [4] alii emendi, aut vendendi quæſtu, & lucro ducerentur: eſſet autem quoddam genus eorum, idque vel maximè ingenuum, qui nec plauſum, nec lucrum quærerent, ſed viſendi cauſa venirent, ſtudioſeque perſpicerent, quid ageretur, & quo modo: [5] item nos quaſi in mercatus quandam celebritatem ex urbe aliqua, ſic in hanc vitam ex alia vita, & natura profectos: alios gloriæ ſervire, alios pecuniæ: raros eſſe quoſdam, qui, ceteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam ſtudioſè intuerentur: hos ſe appellare ſapientiæ ſtudioſos, id eſt, philoſophos: & ut illic liberaliſſimum eſſet, ſpectare, [6] nihil ſibi acquirentem, ſic in vita longè omnibus ſtudiis contemplationem rerum, cognitionemque præſtare.
4 Nec verò Pythagoras nominis ſolùm inventor, ſed rerum etiam ipſarum amplificator fuit. Qui cùm poſt hunc Phliaſium ſermonem in Italiam veniſſet, exornavit eam Græciam, quæ magna dicta eſt, & privatim, & publicè, præſtantiſſimis & inſtitutis, & artibus. Cujus de diſciplina aliud tempus fuerit fortaſſe dicendi. Sed ab antiqua philoſophia uſque ad Socratem, qui Archelaum, Anaxagoræ diſcipulum, audierat, numeri, motuſque tractabantur, & [7] unde omnia orirentur, quove recederent: ſtudioſeque ab his ſiderum magnitudines, [8] intervalla, curſus anquirebantur, & cuncta cœleſtia. Socrates autem primus philoſophiam devocavit è cœlo, & in urbibus collocavit, [9] & in domos etiam introduxit, & coëgit de vita, & moribus, rebuſque bonis, & malis quærere. Cujus multiplex ratio diſputandi, *rerumque varietas, & ingenii magnitudo*, Platonis memoria, & litteris conſecrata, [10] plura genera effecit diſſentientium philoſophorum. [11] E quibus nos id potiſſimùm conſectati ſumus, quo Socratem uſum arbitramur, ut noſtram ipſi ſententiam tegeremus, errore alios levaremus. & in omni diſputatione, quid eſſet ſimillimum veri, quæreremus. Quem morem cùm Carneades acutiſſimè, copioſiſſimeque tenuiſſet, fecimus & aliàs ſæpe, & nuper in Tuſculano, ut ad eam conſuetudinem diſputaremus. Et quatridui quidem ſermonem ſuperioribus ad te perſcriptum libris miſimus: quinto autem die, cùm eodem loco conſediſſemus, ſic eſt propoſitum, de quo diſputaremus. A. *Non mihi videtur ad beatè vivendum ſatis* 5
poſſe virtutem. M. At hercule Bruto meo videtur: cujus ego judicium, pace tua dixerim, longè antepono tuo. A. Non dubito. Nec id nunc agitur, tu illum quantum ames: [12] ſed de hoc, quod mihi dixi videri, quale ſit: de quo à te diſputari volo. M. Nempe negas ad beatè vivendum ſatis poſſe virtutem? A. Prorſus nego. M. Quid? ad rectè, honeſtè, laudabiliter, poſtremò ad bene vivendum ſatiſne eſt præſidii in virtute? A. Certè ſatis. M. Potes igitur, aut qui malè vivat, non eum miſerum dicere, aut, quem bene fateare, eum negare beatè vivere? A. Quidni poſſim? nam etiam in tormentis rectè, honeſtè, laudabiliter, & ob eam rem bene vivi poteſt, dummodò intelligas, quid nunc dicam bene. dico enim, conſtanter, graviter, ſapienter, fortiter. Hæc etiam in equuleum conjiciuntur, quò vita non adſpirat beata. M. Quid igitur? ſolane beata vita, quæſo, relinquitur extra oſtium, limenque carceris, cùm conſtantia, gravitas, fortitudo, ſapientia reliquæque virtutes rapiantur ad tortorem, nullumque recuſent nec ſupplicium, nec dolorem? A. Tu, ſi quid es facturus, nova aliqua conquiras oportet. Iſta me minimè movent, non ſolùm quia pervulgata ſunt, ſed multo magis, quia, tanquam *levia quædam vina nihil valent in aqua*, ſic Stoicorum iſta magis guſtata, quàm potata delectant. Velut iſte chorus virtutum, in equuleum impoſitus, imagines conſtituit ante oculos cum ampliſſima dignitate, ut ad eas curſim perrectura, nec eas beata vita à ſe deſertas paſſura videatur. cùm autem animum ab iſta pictura imaginibuſque virtutum, ad rem, veritatemque traduxeris, hoc nudum relinquitur, poſſitne quis beatus eſſe, quamdiu torqueatur. Quamobrem hoc nunc quæramus. virtutes autem noli vereri ne expoſtulent, & querantur ſe à beata vita eſſe relictas. Si enim *nulla virtus prudentia vacat*, prudentia ipſa hoc videt, non omneis bonos eſſe etiam beatos: multaque de M. Attilio, Q. Cæpione, M. Aquillio recordatur: beatamque vitam, ſi imaginibus potiùs uti,

1. *A quibus vita hominum inſtructa primis ſit*] Sic Vict. editio, cui συμφωνεῖ Palat. quart. quint. qui, *primum ſit*. at pr. *à quibus primò vita hom. inſtructa ſit*. quint. *inſtructa primùm ſit*. vulgo: *primò ſit*.

2. *Nomen tamen confitemur eſſe recens.*] Hoc maluimus cum Victorio, & Palatin. quint. ita tamen ut non improbem ſcripturam pr. *nomen tamen ejus confit. recens.*

3. *Cauſarumque cujuſque rei cognitione.*] Genuina lectio Victorio primùm, deinde Lambino recepta; jam amplius in ſupervacuum comprobata à quatuor Pal. ſolus quart. paululum abit, *cauſarumque cujus reique* Fab. Vat. vulgo τὸ *tam* ante *cujuſque* exturbat.

4. *Alii emendi aut vendendi.*] Pall. ſec. quint. *alii emendi, alii vendendi.*

5. *Item nos quaſi in mercatus quandam celebritatem.*] Non video cur hæc lectio Nonio producta, Lambino deinde probata, rejicula quibuſdam eſſe debeat: illis ut faſtidio ſuo parcant, oggero auctoritatem Fab. ac Vat. nam certe vulgatæ non potui acquieſcere: *quaſi in mercatus quandam celebritatem ex urbe aliqua*, Palat. tamen quintus, *quaſi in mercatum quadam celebritate.*

6. *Nihil ſi acquirentem.*] Palat. quart. *adconquirentem.*

7. *Unde omnia orirentur, quove recederent.*] Quidam Lambino teſte legi poſſe putant, *reciderent*. quod ex Fabr. annotavit quoque Gulielmius.

8. *Intervalla, curſus anquirebantur.*] Ita citat Langius in lib. 1. Offic. & habet quoque Victorii editio: quam iſti mali cur non ſequerentur, mirum mihi accidit. nam & ſic tert. ac Vat. in quart. planè omiſſum. quint. *requireb.* vulgò *inquirebantur.*

9. *Et in domos etiam introduxit.*] Pall. ſecund. quart. *domibus*, tert. *domus.*

10. *Plura genera effecit diſſentientium.*] Diligebam in crepundiis *diſſidentium*. cujus me nondum pœnitere poteſt, ex Palat. ſecund. at Pall. tert. quint. Fabr. *differentium*. quart. *diſſencionum.*

11. *E quibus nos id potiſſimum conſectati ſumus.*] Satisfecit mihi & CL. Grutero noſtro hæc lectio, quam tamen ut ſollicitarem, movere me poterant, ſeptem mſſ. & editio Vict. in quibus, *conſecuti.*

12. *Sed de hoc, quod mihi dixi videri.*] Ita Victorii editio, quinque Pall. Vatican. vulgo *de* abeſt.

1. Quæ

uti, quàm rebus ipſis placet, conantem ire in equuleum retinet ipſa prudentia, negatque ei cum dolore, & cruciatu
6 quidquam eſſe commune. M. Facilè patior, te iſto modo agere: etſi iniquum eſt præſcribere mihi te, quemadmodum à me diſputari velis. Sed quæro, utrum aliquid actum ſuperioribus diebus, an nihil arbitremur? A. Actum verò, & aliquantum quidem. M. Atqui, ſi ita eſt, profligata jam hæc, & pænè ad exitum adducta quæſtio eſt. A. Quo tandem modo? M. Quia motus turbulenti, jactationeſque animorum incitatæ, & impetu inconſiderato elatæ, rationem omnem repellentes, vitæ beatæ nullam partem relinquunt. quis enim poteſt, mortem aut dolorem metuens, quorum alterum ſæpe adeſt, alterum ſemper impendet, eſſe non miſer? quid, ſi idem (quod plerumque fit) paupertatem, ignominiam, infamiam timet: ſi debilitatem, cæcitatem: ſi denique, quod non ſingulis hominibus, ſed potentibus populis ſæpe contingit, ſervitutem: *poteſt ea timens eſſe quiſquam beatus?* Quid, qui non modò ea futura timet, verùm etiam fert, ſuſtinetque præſentia? adde eodem exſilia, luctus, orbitates. Qui rebus his fractus ægritudine eliditur, poteſt tandem eſſe non miſerrimus? quid verò illum, quem libidinibus inflammatum, & furentem videmus, omnia rabidè appetentem cum inexplebili cupiditate, quoque affluentiùs voluptates undique hauriat, eo gravius, ardentiuſque ſitientem, nonne rectè miſerrimum dixeris? quid elatus ille levitate, inanique lætitia exſultans, & temerè geſtiens, nonne tanto miſerior, quanto ſibi videtur beatior? ergo, ut hi miſeri, ſic contrà illi beati, quos nulli metus terrent, nullæ ægritudines exedunt, nullæ libidines incitant, nullæ futiles lætitiæ, exſultanteis languidis liquefaciunt voluptatibus. Ut maris igitur tranquillitas intelligitur, nulla ne minima quidem aura fluctus commovente: ſic animi quietus, & placatus ſtatus cernitur, cùm perturbatio nulla eſt, qua moveri queat. Quòd ſi eſt, qui vim fortunæ, qui omnia humana, [1] quæ cuique accidere poſſunt, tolerabilia ducat, ex quo nec timor eum, nec angor attingat: idemque, ſi nihil concupiſcat, nulla efferatur animi inani voluptate, quid eſt, cur is non beatus ſit: & ſi hæc virtute efficiuntur, quid eſt, cur virtus ipſa per ſe
7 non efficiat beatos? A. Atqui alterum dici non poteſt, quin ii, qui nihil metuant, nihil angantur, nihil concupiſcant, nulla impotenti lætitia efferantur, beati ſint: itaque id tibi concedo: alterum autem jam integrum non eſt: ut ſuperioribus enim diſputationibus effectum eſt, *vacare omni animi perturbatione ſapientem.* M. Nimirum igitur confecta res eſt, videtur enim ad exitum veniſſe quæſtio. A. Propemodum id quidem. M. Verumtamen [2] mathematicorum iſte mos eſt, non eſt philoſophorum. Nam geometræ cùm aliquid docere volunt, ſi quid ad eam rem pertinet eorum, quæ antè docuerunt, id ſumunt pro conceſſo, & probato: illud modò explicant, de quo antè nihil ſcriptum eſt. Philoſophi, quamcumque rem habent in manibus, in eam, quæ conveniunt, congerunt omnia: etſi alio loco diſputata ſunt. Quod ni ita eſſet, cur Stoicus, ſi eſſet quæſitum, ſatiſne ad beatè vivendum virtus poſſet, multa diceret? cui ſatis eſſet, reſpondere, [3] ſe antè docuiſſe, nihil bonum eſſe, niſi quod honeſtum eſſet: hoc probato, conſequens eſſe, beatam vitam virtute eſſe contentam: &, quo modo hoc ſit conſequens illi, ſic illud huic: ut, ſi beata vita virtute contenta ſit: *niſi honeſtum quod ſit, nihil aliud ſit bonum.* Sed tamen non agunt ſic. Nam & de honeſto, & de ſummo bono ſeparatum libri ſunt: & cùm ex eo efficiatur, ſatis magnam in virtute ad beatè vivendum eſſe vim, nihilo minùs hoc agunt ſeparatim. propriis enim, & ſuis argumentis, & admonitionibus tractanda quæque res eſt, tanta præſertim. cave enim putes, [4] ullam in philoſophia vocem emiſſam clariorem, ullumve eſſe philoſophiæ promiſſum uberius, aut majus. Nam quid profitetur? ò dii boni! PERFECTURAM ſe, qui legibus ſuis paruiſſet, ut eſſet contra fortunam ſemper armatus: ut omnia præſidia haberet in ſe, bene, beateque vivendi: ut eſſet ſemper denique beatus. Sed videro, quid efficiat. Tantiſper hoc ipſum magni æſtimo, quod pollicetur. [5] Nam Xerxes quidem refertus omnibus præmiis, doniſque fortunæ, non equitatu, non pedeſtribus copiis, non navium multitudine, non infinito pondere auri contentus, præmium propoſuit, qui inveniſſet novam voluptatem. [6] Qua ipſe non fuit contentus: *neque* enim *unquam finem inveniet libido.* Nos vellem præmio elicere poſſemus, qui nobis aliquid attuliſſet, quó hoc firmiùs crederemus. A. Vellem id quidem: ſed habeo 8
paullulum, quod requiram. ego enim aſſentior, eorum quæ poſuiſti, [7] alterum alteri conſequens eſſe, ut quemadmodum, ſi quod honeſtum ſit, id ſolum ſit bonum, ſequatur beatam vitam virtute confici: ſic, ſi vita beata in virtute ſit, *nihil eſſe niſi virtutem bonum.* Sed Brutus tuus auctore Ariſtone, & Antiocho non ſentit hoc: putat enim, [8] etiam ſi ſit bonum aliquod præter virtutem. M. Quid igitur? contra Brutumne me dicturum putas? A. Tu verò, ut videtur: nam præfinire non eſt meum. M. Quid cuique igitur conſentaneum ſit, alio loco. Nam iſta mihi & cum Antiocho ſæpe, & cum Ariſtone nuper, cùm Athenis imperator apud eum diverſarer, diſſenſio fuit. mihi enim non videbatur quiſquam eſſe beatus poſſe, cùm in malis eſſet: in malis autem ſapientem eſſe poſſe, ſi eſſent ulla corporis, aut fortunæ mala. Dicebantur hæc, quæ ſcripſit etiam Antiochus locis pluribus: virtutem ipſam per ſe beatam vitam efficere poſſe, neque tamen beatiſſimam: deinde ex majore parte pleraſque res nominari, etiam ſi qua pars abeſſet, ut vireis, ut valitudinem, ut divitias, ut honorem, ut gloriam: quæ genere, non numero cernerentur: item beatam vitam, [9] etiam ſi ex aliqua parte clauderet, tamen ex multo majore parte obtinere nomen ſuum. Hæc nunc enucleare non ita neceſſe eſt: quamquam non conſtantiſſimè dici mihi videntur. Nam & *qui beatus eſt, non intelligo, quid requirat, ut ſit beatior:* (ſi eſt enim quod deſit, ne beatus quidem eſt) &, quòd *ex majore parte,* [10] *unamquamque rem appellari, ſpectarique dicunt,* eſt ubi id iſto modo valeat. cùm verò tria genera malorum eſſe dicant: qui duorum generum malis omnibus urgeatur, ut omnia adverſa ſint in fortuna, omnibus oppreſſum corpus, & confectum doloribus, huic paullumne ad beatam vitam deeſſe dicemus, non modò ad beatiſſimam? hoc illud eſt, quod

1. *Quæ cuique accidere poſſunt.*] Hoc præferebat Victorii editio & Palat. pr. tert. quart. Martin. alias *quæcumque.*

2. *Mathematicorum iſte mos eſt, non eſt Philoſophorum.*] Eleganter poſterius eſt, inſerui ex quinque Palatin.

3. *Se ante docuiſſe.*] Vatic. *ſi antè docuiſſet.*

4. *Ullam in philoſophia vocem emiſſam clariorem.*] Benè Vatic. *ullam à Philoſophia.* in quint. omnis præpoſitio deeſt.

5. *Nam Xerxes quidem refertus omnibus præmiis.*] Palat. quart. *Perſes.* ſic in Catalectis. *Perſes magnus adeſt, orbis comitatur euntem.* Lambinus legit *omnibus muneribus doniſque.* credo quia τὸ *præmia* non capiebat. Sic Propert. *nulla mihi triſti præmia ſint Venere.* & hinc *præmioſus.*

6. *Qui ipſe non fuit contentus.*] Intruſerunt quidam malè feriati, *qui ipſi inventâ non ſunt.* ſed nego ipſis jus fuiſſe contra omnes libros ſuis ſcoriis Tullianum aurum ac puritatem corrumpere. abnegant iſtud quinque Palat. ac Vatic. editioque Victorii.

7. *Alterum alteri conſequens eſſe.*] Revocavi lectionem hanc ex emendatiſſimâ ante omnes editione Victorii, quinque Pall. Vatic. Fabr. vulgò τὸ *alterum* evanuit.

8. *Etiam ſi ſit bonum aliquod præter.*] Quatuor Palatin. (nam in quart. hæc deſiant) *putat etiam ut ſit bonum aliquod.*

9. *Etiamſi ex aliquâ parte clauderet.*] Invito & fremente Anconitano ita legendum, nam licet αὐθεκαστος & nimio gentis contradicendi ſtudio Decuria 1. cap. 2. obſervationum in Criticos, Lipſio obvertat cornua, tamen & veritas & vetuſtiſſimorum librorum conſpiratio plus potuit, quam iſtius Criticomaſtigos veſania. Ita autem habet Pal. tert. quart. Vatic. Fabr. vulgo ex gloſsâ *claudicaret.* in Pal. quint. eſt *clauderet.* veſtigium primæ lectionis.

10. *Unamquamque rem appellari.*] Quinque Pall. *partem.*

quod Theophraſtus ſuſtinere non potuit. Nam cùm ſtatuiſſet, verbera, tormenta, cruciatus, patriæ everſiones, exſilia, orbitates magnam vim habere ad malè, miſereque vivendum, non eſt auſus elatè, & amplè loqui, cum
9 humiliter, demiſſeque ſentiret. Quàm bene, non quæritur: conſtanter quidem certè. Itaque mihi placere non ſolet, conſequentia reprehendere, cùm prima conceſſeris. Hic autem, elegantiſſimus omnium philoſophorum, & eruditiſſimus, non magnopere reprehenditur, cùm tria genera dicit bonorum: vexatur autem ab omnibus, primum in eo libro, quem ſcripſit de vita beata, in quo multa diſputat, quamobrem is, qui torqueatur, qui crucietur, beatus eſſe non poſſit. in eo etiam putatur dicere, [1] *in rotam, beatam vitam non adſcendere.* Non uſquam id quidem dicit omnino, ſed, quæ dicit, idem valent. Poſſum igitur, cui conceſſerim, in malis eſſe dolores corporis, in malis, naufragia fortunæ: huic ſuccenſere dicenti, non omneis bonos eſſe beatos, cùm in omneis bonos ea, quæ ille in malis numerat, cadere poſſint? vexatur idem Theophraſtus & libris, & ſcholis omnium philoſophorum, quòd in Calliſthene ſuo laudarit illam ſententiam,

Vitam regit fortuna, non ſapientia.

Negant ab ullo philoſopho quidquam dictum eſſe languidius. rectè id quidem: ſed nihil intelligo dici potuiſſe conſtantiùs. Si enim tot ſunt in corpore bona, tot extra corpus, in caſu, atque fortuna: nonne conſentaneum eſt, plus fortunam, quæ *domina rerum* ſit & externarum, & ad corpus pertinentium, quàm conſilium, valere? an malumus Epicurum imitari? qui multa præclarè ſæpe dicit: quàm enim ſibi conſtanter, convenienterque dicat, non laborat. *Laudat tenuem victum.* Philoſophi id quidem: ſed ſi Socrates, aut Antiſthenes diceret, non is, qui finem bonorum voluptatem eſſe dixerit. Negat, *quemquam jucunde poſſe vivere, niſi idem honeſtè, ſapienter juſteque vivat.* Nihil gravius, nihil philoſophia dignius: niſi idem hoc ipſum, honeſtè, ſapienter, juſtè, ad voluptatem referret. Quid meliùs, quàm fortunam exiguam intervenire ſapienti? ſed hoc iſne dicit, qui, cùm dolorem non modò maximum malum, ſed ſolum malum etiam dixerit, toto corpore opprimi poſſit doloribus acerrimis, tum cùm maximè contra fortunam glorietur? quod idem melioribus etiam verbis Metrodorus. *Occupavi*, inquit, *te fortuna, atque cepi: omneiſque aditus tuos interclusi, ut ad me adſpirare non poſſes.* Præclarè, ſi Ariſto Chius, aut ſi Stoicus Zeno diceret, qui, *niſi quod turpe eſſet, nihil malum* duceret. Tu verò, Metrodore, qui omne bonum in viſceribus, medulliſque condideris: & definieris, ſummum bonum firma corporis affectione, explorataque ſpe contineri, fortunæ aditus interclusiſti? quo modo? iſto enim bono jam ex-
10 ſpoliari potes. Atqui his capiuntur imperiti: & propter hujuſmodi ſententias, iſtorum hominum eſt multitudo. Acutè autem diſputantis illud eſt, non quid quiſque dicat, ſed quid cuiq; dicendum ſit, videre. Velut in ea ipſa ſententia, quam in hac diſputatione ſuſcepimus, *omneis bonos ſemper beatos volumus eſſe.* [2]Quid dicam bonos, perſpicuum eſt. omnibus enim virtutibus inſtructos, & ornatos, cum ſapienteis tum viros bonos dicimus. Videamus, qui dicendi ſint beati. equidem hos exiſtimo, qui ſint in bonis, nullo adjuncto malo. Neque ulla alia huic verbo, cùm beatum dicimus, [3] ſubjecta notio eſt, niſi, *ſecretis malis* omnibus, cumulata bonorum complexio. Hanc aſſequi virtus, ſi quidquam præter ipſam boni eſt, non poteſt. aderit enim malorum, [4] ſi mala illa ducimus, turba quædam, paupertas, ignobilitas, humilitas, ſolitudo, [5] amiſſio ſuorum, graves dolores corporis, perdita valitudo, debilitas, cæcitas, interitus patriæ, exſilium, ſervitus. [6] Denique in his tot, & tantis, atque etiam quæ plura poſſunt accidere, poteſt eſſe ſapiens. nam hæc caſus importat, qui in ſapientem poteſt incurrere. at ſi ea mala ſunt, quis poteſt præſtare, ſapientem ſemper beatum fore, cùm vel in omnibus his uno tempore eſſe poſſit? non igitur facilè concedo neque Bruto meo, neque communibus magiſtris, neque veteribus illis, Ariſtoteli, Speuſippo, Xenocrati, Polemoni, ut cùm ea, quæ ſuprà enumeravi, in malis numerent, iidem dicant ſemper beatum eſſe ſapientem. [7] quod ſi titulus hic delectat inſignis, & pulcher, Pythagora, Socrate, Platone digniſſimus, inducant animum, illa, quorum ſplendore capiuntur, vireis, valitudinem, pulchritudinem, divitias, honores, opes *contemnere, eaque, quæ his contraria ſint, pro nihilo ducere.* Tum poterunt clariſſima voce profiteri, ſe neque fortunæ impetu, nec multitudinis opinione, nec dolore, neque paupertate terreri, omniaque ſibi in ſeſe eſſe poſita, neque eſſe quidquam extra ſuam poteſtatem, quod ducant in bonis. Neque hunc & hæc loqui, quæ ſunt magni cujuſdam, & alti viri, & eadem, quæ vulgus, in malis, & bonis numerare, concedi ullo modo poteſt: qua gloria commotus Epicurus exoritur. Cui etiam, ſi diis placet, *videtur ſemper ſapiens beatus.* Hic dignitate hujus ſententiæ capitur. ſed numquam id diceret, ſi ipſe ſe audiret. quid eſt enim, quòd minùs conveniat, quàm ut is, qui vel ſummum, vel ſolum malum dolorem eſſe dicat, idem cenſeat, Quàm hoc ſuave eſt, tum, cùm dolore crucietur, dicturum eſſe ſapientem? Non igitur ex ſingulis vocibus, philoſophi ſpectandi ſunt, ſed ex perpetuitate, atque
conſtantia. A. Adducis me, ut tibi aſſentiar. Sed tua quo- 11
que vide ne deſideretur conſtantia. M. Quonam modo? A. Quia legi tuum nuper quartum de finibus. In eo mihi videbare, contra Catonem diſſerens, hoc velle oſtendere, quod mihi quidem probatur, inter Zenonem, & Peripateticos nihil præter verborum novitatem intereſſe. Quod ſi ita eſt, quid eſt cauſæ, quin, ſi Zenonis rationi conſentaneum ſit, ſatis magnam vim in virtute eſſe ad beatè vivendum, liceat idem Peripateticis dicere? rem enim opinor ſpectari oportere, non verba. M. Tu quidem, tabellis obſignatis agis mecum: & teſtificaris, quid dixerim aliquando, aut ſcripſerim. Cum aliis iſto modo, qui legibus impoſitis diſputant. Nos in diem vivimus: quodcumque noſtros animos probabilitate percuſſit, id dicimus. itaque *ſoli ſumus liberi.* verumtamen, quoniam de conſtantia paullo antè diximus, non ego hoc loco id quærendum puto, verumne ſit, quod Zenoni placuerit, quodque ejus auditori, Ariſtoni, bonum eſſe ſolum, quod honeſtum eſſet: ſed, [8] ſi ita eſſet, tum ut hoc totum, beatè vivere, in una virtute poneret. Quare demus hoc ſanè Bruto, ut ſit beatus ſemper ſapiens. quàm ſibi conveniat, ipſe viderit. Gloria quidem hujus ſententiæ quis eſt illo viro dignior? nos tamen teneamus, ut ſit idem beatiſſimus: etſi Zeno Cittieus, advena quidam, & ignobilis, verborum opifex,

1. *In rotam beatam vitam non aſcendere. Non uſquam id.*] Quod conjectaram in crepundiis *eſcendere.* hic legendum eſſe extare jam comperio in Vatic. & libro Merceri, ut Ovid. Metam. l. IX. v. 519. reſtitui: & omnino germana videtur lectio: nam libri varie variant. alii *non ſcandere.* Fabr. *attingere.*

2. *Quid dicam bonos perſpicuum eſt.*] Ita malui cum Victorio, quinque Palat. Fabr. & alio quodam codice: licet ab productore damnetur. vulgo: *quos dicam bonos.*

3. *Subjecta notio eſt.*] Pall. tert. pr. *ſubjuncta.*

4. *Si mala illa ducimus.*] Vet. cod. & ſic recte Lambin. Pall. ſecund. tert. Vatic. vulgo: *dicimus.*

5. *Amiſſio ſuorum.*] Quid *ſui* eſſent pro conatibus meis dixi in Crepundiis. Hic verò miror Gulielmium cogitaſſe expuncto τῷ *ſuorum* gloſſam præ hoc nativo ſpuriam reponere, *carorum.*

6. *Denique in his tot & tantis atque etiam quæ plura poſſunt accidere.*] Lambin. certiſſima, ut ait, conjectura ductus legit, *ad quæ etiam plura poſſunt accedere.* Palat. tamen ſec. tert. Vatic. *atque etiam plura poſſunt accid.* Palat. quart. *atque etiam cui plura poſſunt accid.* Fabr. *& quæ etiam plura, &c.*

7. *Quod ſi titulus hic delectat inſignis.*] Hoc ingeſſerunt Palatin. quart. quint. & Vatican. vulgo: *quos ſi titulus.*

8. *Si ita eſſet, tum ut hoc totum.*] Vatic. delet τὸ *tum.*

1. *Nun-*

opifex, inſinuaſſe ſe in antiquam philoſophiam videtur.

12 Hujus ſententiæ gravitas à Platonis auctoritate repetatur: apud quem ſæpe hæc oratio uſurpata eſt, ut nihil præter virtutem diceretur bonum: velut in Gorgia Socrates, cùm eſſet ex eo quæſitum, Archelaum Perdiccæ filium, qui tum fortunatiſſimus haberetur, nonne beatum putaret? *Haud ſcio*, inquit. [1] *numquam* enim *cum eo collocutus ſum*. [2] Ain tu? an tu aliter id ſcire non potes? nullo modo. Tu igitur ne de Perſarum quidem rege magno potes dicere, beatuſne ſit? an ego poſſum, cum ignorem, [3] quàm ſit doctus, quàm vir bonus? Quid? tu in eo ſitam vitam beatam putas? Ita prorſus exiſtimo, bonos, beatos: improbos, miſeros. miſer ergo Archelaus? certè, ſi injuſtus. Videturne omnem hic beatam vitam in una virtute ponere? Quid verò in epitaphio? quo modo idem? *Nam cui viro*, inquit, *ex ſe ipſo apta ſunt omnia, quæ ad beatè vivendum ferunt, nec ſuſpenſa aliorum aut bono caſu, aut contrario pendère ex alterius eventis, & errare coguntur: huic optime vivendi ratio comparata eſt. Hic eſt ille moderatus, hic fortis, hic ſapiens, hic & naſcentibus & cadentibus cum reliquis commodis, tum maxime liberis, parebit, & obediet præcepto illi veteri.*

Neque enim lætabitur umquam, nec mœrebit nimis,
Quod ſemper in ſe ipſo omnem ſpem reponet ſui.

13 Ex hoc igitur Platonis quaſi quodam ſancto, auguſtoque fonte noſtra omnis manabit oratio. [4] unde igitur rectiùs ordiri poſſumus, quàm à communi parente natura? quæ quidquid genuit, non modò animal, ſed etiam quod ita ortum eſſet è terra, ut ſtirpibus ſuis niteretur, in ſuo quodque genere perfectum eſſe voluit. Itaque & arbores, & vites, & ea, quæ ſunt humiliora, neque ſe tollere à terra altiùs poſſunt: alia ſemper virent: alia hieme nudata, verno tempore tepefacta frondeſcunt: neque eſt ullum, quod non ita vigeat interiore quodam motu, [5] & ſuis in quoque ſeminibus incluſis, ut aut flores, aut fruges fundat, aut baccas, omniaque in omnibus, quantum in ipſis ſit, nulla vi impediente, perfecta ſint. Faciliùs verò etiam in beſtiis, quòd his ſenſus à natura eſt datus, vis ipſius naturæ perſpici poteſt. Namque alias beſtias nantis, aquarum incolas eſſe voluit: alias, volucreis, cælo frui libero. ſerpentis quaſdam: quaſdam eſſe gradientis, earum ipſarum partim ſolivagas, partim congregatas: immaneis alias, quaſdam autem cicures. nonnullas abditas, terraque tectas. atque earum quæque ſuum tenens munus, cùm in diſparis animantis vitam tranſire non poſſit, manet in lege naturæ. & ut beſtiis aliud alii præcipui à natura datum eſt, quod ſuum quæque retinet, nec diſcedit ab eo: ſic homini multo quiddam præſtantius: *etſi præſtantia debent ea dici, quæ habent aliquam comparationem.* Humanus autem animus, decerptus ex mente divina, cum alio nullo, niſi cum ipſo deo, ſi hoc fas eſt dictu, comparari poteſt. Hic igitur, ſi eſt excultus, & ſi ejus acies ita curata eſt, [6] ut ne cæcaretur erroribus: fit perfecta mens, id eſt, abſoluta ratio: [7] quod eſt idem virtus. Et, ſi omne *beatum* eſt, *cui nihil deeſt, & quod in ſuo genere expletum, atque cumulatum eſt, idque virtutis eſt proprium:* certè omnes virtutis compotes, beati ſunt. Et hoc quidem mihi cum Bruto convenit, item cum Ariſtotele, Xenocrate, Speuſippo, Polemone. Sed mihi videntur etiam beatiſſimi. quid enim deeſt ad beatè vivendum ei, qui confidit ſuis bonis? [8] aut, qui diffidit, beatus 14
eſſe quî poteſt? At diffidat neceſſe eſt, qui bona dividit tripertitò. Qui enim poterit aut corporis firmitate, aut fortunæ ſtabilitate confidere? atqui, *niſi ſtabili, & fixo & permanente bono, beatus eſſe nemo poteſt.* Quid ergo ejuſmodi iſtorum eſt? [9] ut mihi Laconis illud dictum in hos cadere videatur: qui glorianti cuidam mercatori, quòd multas navis in omnem oram maritimam dimiſiſſet. [10] *Non ſanè optabilis quidem iſta*, inquit, *rudentibus apta fortuna.* An dubium eſt, quin nihil ſit habendum [11] in eo genere, quo vita beata complectitur, ſi id poſſit amitti? [12] nihil enim interareſcere, nihil exſtingui, nihil cadere debet eorum, in quibus vita beata conſiſtit. nam qui timebit, [13] ne quid ex his deperdat, beatus eſſe non poterit. volumus enim, eum, qui beatus ſit, tutum eſſe, inexpugnabilem, ſæptum, atque munitum, non ut parvo metu præditus ſit, ſed ut nullo. Ut enim innocens is dicitur, non qui leviter nocet, ſed qui nihil nocet: ſic ſine metu is habendus eſt, [14] non qui parva metuit, ſed qui omnino metu vacat. quæ eſt enim alia fortitudo, niſi animi affectio cùm in adeundo periculo, & in labore ac dolore patiens, tum procul ab omni metu? Atque hæc certè non ita ſe haberent, niſi omne bonum in una honeſtate conſiſteret. Qui autem illam maximè optatam, & expeditam ſecuritatem (ſecuritatem autem nunc appello, vacuitatem ægritudinis, in qua vita beata poſita eſt) habere quiſquam poteſt, cui aut adſit, aut adeſſe poſſit multitudo malorum? quî autem poterit eſſe celſus, & erectus, & ea, quæ homini accidere poſſunt, omnia parva ducens, qualem ſapientem eſſe volumus, niſi omnia ſibi in ſe poſita cenſebit? an Lacedæmonii Philippo minitanti per litteras, ſe omnia, quæ conarentur, prohibiturum, quæſiverunt, *num ſe eſſet etiam mori prohibiturus*: vir is, quem quærimus, non multo facilius tali animo reperietur, quam civitas univerſa? quid ad hanc fortitudinem, de qua loquimur, temperantia adjuncta, quæ ſit moderatrix omnium commotionum? quid poteſt ad beatè vivendum deeſſe ei, quem fortitudo ab ægritudine, & à metu vindicet: temperantia tum à libidine avocet, tum inſolenti alacritate geſtire non ſinat? Hæc efficere virtutem oſtenderem, niſi ſuperioribus diebus eſſent explicata. Atqui cùm per- 15
turbationes animi, miſeram: ſedationes autem, vitam efficiant beatam: duplexque ratio perturbationis ſit, quòd ægritudo, & metus, in malis opinatis: in bonorum autem errore,

1. *Nunquam enim cum eo collocutus ſum.*] Ita quatuor Pal. Vatic. Fabr. vel *conlocutus*. vulg. ſimplici verbo *locutus*, contentum eſt.

2. *Ain tu? an tu aliter.*] Palatin. quinque Fabr. delent illa verba *Ain tu?*

3. *Quàm ſit doctus, quàm vir bonus?*] Ita Victorii editio, & quinque Palatin. item Fabr. parciora alias hæc in editionibus vulgaribus cernuntur; *cùm ignorem, quàm ſit bonus?*

4. *Unde igitur rectius ordiri poſſumus*] Abſone quibuſdam, certè mihi neſcio quo pacto approbari videtur duorum optimorum librorum, tert. quart. ſcriptura: *unde igitur ordiri rectius.*

5. *Et ſuis in quoque ſeminibus incluſis.*] Hoc recte Lambin. & ita Pal. tres. quart. paullulum declinat, *& ſuis quoque in ſeminibus.* item Fab. Vatican. Gryphiique liber. vulgo: *ſuis quoque ſeminibus incl.* Palat. autem ſec. *in uno quoque ſeminibus.*

6. *Ut ne cæcaretur erroribus.*] Hoc quia conſpexi in quinque Palatin. dein eſſe comperi in Fabr. Vatican. admiſi: alias, *cæcetur.*

7. *Quod eſt idem virtus.*] Sic habetur in editione Victorii, quinque Palatin. Fabr. Vatican. vulgo: *quæ eſt idem, quod virtus.*

8. *Aut qui diffidit, beatus eſſe qui poteſt?*] Hæc omnia ignorantur ab Fabr. & Pall. ſecundo.

9. *Ut mihi Laconis illud dictum in hos cadere videatur.*] Neſcio quid velint Palatin. prim. quint. Fabr. exhibentes, *in os cadere.* quod ne te, lector, minimo defraudarem, annotare libuit.

10. *Non ſanè optabilis quidem iſta, inquit.*] Concinne hoc ita Victorius cùm Palat. ſec. tert. quart. Vatic. Fabr. ceteroquin, *Non ſanè optabilis iſta quidem eſt, inquit.*

11. *In eo genere, quo vita beata complectitur.*] Qui non intellexerunt, aut ad ſuas normas Grammaticas exegerunt, corruperant hunc locum: recte ergo a Dion. Lambino litori ſuo redonatus; & ſic habetur in Pall. tert. quart. quint. Fabr. nec ſperno Vatic. in quo: *genere, qui vita.* vulgo, *quod vita b. comp.*

12. *Nihil enim interareſcere.*] Quid appellem eos neſcio, qui Victorii editionem caſtigatiſſimam & teriſſimam poſteriores, aut faſtidierunt aut neglexerunt: in quâ & hic locus ingenio ſuo rectus, in aliis adverſo correctorum genio depravatus ac interverſus, remanſit, ut & in Pal. pr. tert. quarto, quinto. In Fabr. eſt *areſcere.* vulgo *inveteraſcere.*

13. *Ne quid ex his deperdat.*] Fabr. *diſperdat.*

14. *Non qui parva metuit.*] Ita quoque recte Victor. cum Pall. quinque. vulgo: *non qui parùm metuit.*

cruore, lætitia geſtiens, [1] libidoque verſetur: cùm omnia cum conſilio, & ratione pugnent: his tu tam gravibus concitationibus, tamque ipſis inter ſe diſſentientibus, atque diſtractis, quem vacuum, ſolutum, liberum videris, hunc dubitabis beatum dicere? atqui ſapiens ſemper ita affectus eſt. ſemper igitur ſapiens beatus eſt. atqui etiam omne bonum, lætabile eſt: quod autem lætabile, id prædicandum, & præ ſe ferendum: quod tale autem, id etiam glorioſum; ſi verò glorioſum, certè laudabile: quod autem laudabile, profectò etiam honeſtum: quod bonum igitur, id honeſtum. At quæ iſti bona numerant, ne ipſi quidem honeſta dicunt. ſolum igitur bonum, quod honeſtum. ex quo efficitur, *honeſtate una vitam contineri beatam.* Non ſunt igitur ea bona dicenda, nec habenda, quibus abundantem licet eſſe miſerrimum. An dubitas, quin præſtans valitudine, viribus, forma, acerrimis, integerrimiſque ſenſibus, adde etiam, ſi libet, pernicitatem, & velocitatem, da divitias, honores, imperia, opes, gloriam: ſi fuerit is, qui hæc habet, injuſtus, intemperans, timidus, hebeti ingenio, atque nullo: dubitabiſnè eum miſerum dicere? qualia igitur iſta bona ſunt, quæ qui habeat, miſerrimus eſſe poſſit? videamus, ne, ut acervus ex ſui generis granis, ſic beata vita ex ſui ſimilibus partibus effici debeat. Quod ſi ita eſt: ex bonis, quæ ſola honeſta ſunt, efficiendum eſt beatum. ea mixta ex diſſimilibus ſi erunt: honeſtum ex his effici nihil poterit. quo detracto, quid poterit beatum intelligi? etenim quidquid eſt, quod bonum ſit, id expetendum eſt: quod autem expetendum, id certè approbandum: quod verò approbaris, id gratum acceptumque habendum. ergo etiam dignitas ei tribuenda eſt. quod ſi ita eſt: laudabile ſit neceſſe eſt. *bonum* igitur *omne laudabile.* ex quo efficitur, ut, quod ſit honeſtum, id ſit ſolum bonum. Quod ni ita tenebimus: multa erunt, quæ nobis bo-
16 na dicenda ſint. Omitto divitias: quas, cùm quivis, quamvis indignus, habere poſſit, in bonis non numero. *quod enim eſt bonum, id non quivis habere poteſt.* Omitto nobilitatem, famamque popularem, ſtultorum, improborumque conſenſu excitatam. Hæc, quæ ſunt minima, tamen bona dicantur neceſſe eſt: candiduli dentes, venuſti oculi, color ſuavis, & ea, [2] quæ Anticlea laudat Vlyſſi pedes abluens, *lenitudo orationis, mollitudo corporis.* ea ſi bona ducemus, quid erit in philoſophi gravitate, quàm in vulgi opinione, ſtultorumque turba, quod dicatur aut graviùs, aut grandiùs? At enim eadem Stoici præcipua, vel producta dicunt, quæ bona iſti. Dicunt illi quidem: ſed his vitam beatam compleri negant: hi autem ſine iis eſſe nullam putant: aut, ſi ſit beata, beatiſſimam certè negant. Nos autem volumus beatiſſimam: idque nobis Socratica illa concluſione confirmatur. Sic enim princeps ille philoſophiæ diſſerebat. *Qualis cujuſque animi affectus eſſet, talem eſſe hominem: qualis autem ipſe homo eſſet, talem ejus eſſe orationem: orationi autem facta ſimilia, factis vitam. Affectus autem animi in bono viro laudabilis. &* [3] *vita igitur laudabilis boni viri & honeſta. Ergo, quoniam laudabilis, ex quibus, bonorum beatam vitam eſſe, concluditur.* Etenim, prò deorum, atque hominum fidem, parumnè cognitum eſt ſuperioribus noſtris diſputationibus, an delectationis, [4] & otii conſumendi cauſa locuti ſumus, ſapientem ab omni concitatione animi, quam perturbationem voco, ſemper vacare? ſemper in animo ejus eſſe placidiſſimam pacem? vir igitur temperatus, conſtans, ſine metu, ſine ægritudine, [5] ſine alacritate ulla, ſine libidine nonne beatus? at ſemper ſapiens talis: ſemper igitur beatus. Jam verò quî poteſt vir bonus non ad id, quod laudabile ſit, omnia referre, quæ agit, quæque ſentit? refert autem omnia ad beatè vivendum. beata igitur *vita laudabilis. nec quidquam ſine virtute laudabile.* beata igitur vita virtute conficitur. At- 17
que hoc ſic etiam concluditur. Nec in miſera vita quidquam eſt prædicabile, aut gloriandum: nec in ea, quæ nec miſera ſit, nec beata. Et eſt in aliqua vita prædicabile aliquid, aut gloriandum, ac præ ſe ferendum: ut Epaminondas,

Conſiliis noſtris laus eſt attonſa Laconum:

ut Africanus,

A ſole exoriente, ſupra [6] Mæoti' paludes,
Nemo eſt [7] qui factis æquiperare queat.

Quòd ſi beata vita: glorianda, & prædicanda, & præ ſe ferenda eſt. nihil eſt enim aliud, quod prædicandum, & præ ſe ferendum ſit. Quibus poſitis, intelligis quid ſequatur: & quidem, niſi ea vita beata eſt quæ eſt eadem honeſta: ſit aliud neceſſe eſt melius vita beata. quod erit enim honeſtum, certe fatebuntur eſſe melius. ita erit beata vita melius aliquid, quo quid poteſt dici perverſius? quid; cùm fatentur ſatis magnam vim eſſe in vitiis ad miſeram vitam, nonne fatendum eſt, [8] eandem vim in virtute eſſe ad beatam vitam? contrariorum enim contraria ſunt conſequentia. Quo loco quæro, quam vim habeat libra illa Critolai: *qui cùm in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis, & externa: tantum propendere illam boni lancem putet, ut terram, & maria deprimat.* Quid ergo aut hunc 18
prohibet, aut etiam Xenocratem illum graviſſimum philoſophorum, exaggerantem tantopere [9] virtutem, extenuantem cetera, & abjicientem, in virtute non beatam modò vitam, ſed etiam beatiſſimam ponere? quod quidem niſi ſit, virtutum interitus conſequetur. nam in quem cadit ægritudo, in eundem metum cadere neceſſe eſt. eſt enim metus futuræ ægritudinis ſollicita exſpectatio. In quem autem metus, in eundem formido, timiditas, pavor, ignavia. Ergo [10] ut idem vincatur interdum, nec putet ad ſe præceptum illud Atrei pertinere,

Proinde ita parent ſe in vita, ut vinci neſciant.

Hic autem vincetur, ut dixi: nec modò vincetur, ſed etiam ſerviet. [11] *At nos virtutem ſemper liberam volumus, ſemper invictam.* Quæ niſi ſunt, ſublata virtus eſt. Atqui ſi in virtute ſatis eſt præſidii ad bene vivendum, ſatis eſt etiam ad beatè. ſatis eſt enim certè in virtute, ut fortiter vivamus. ſi fortiter, etiam ut magno animo, & quidem ut nulla re umquam terreamur, ſemperque ſimus invicti. Sequitur, ut nihil pœniteat, nihil deſit, nihil obſtet. Ergo omnia profluenter, abſolutè, proſperè. igitur beatè. Satis autem ad fortiter vivendum virtus poteſt. ſatis ergo etiam ad beatè. Etenim ut ſtultitia, etſi adepta eſt quod concupivit, numquam ſe tamen ſatis conſecutam putat: ſic *ſapientia*

1. *Libidoque verſetur: cum omnia.*] Ex Victorii editione hæc retraxi & Palatinis quinque. Vaticanus alioquin: *verſentur, cum hæc omnia.*

2. *Quæ Anticlea laudat.*] Hoc nomen omnes codd. præferunt, tum Pal. tum ii, quos Victorius adhibuit editioni ſuæ. nec ſi in Homero non eſt, continuo quoque ex Ciceronis monumentis exſculpendam. vulgo *Euryclia* ceterum Septenarium trochaicum ex veteri poeta hinc conſtituit Gulielmius.

Lenitudo orationis, mollitudo corporis.

3. *Vita igitur laudabilis boni viri & honeſta. Ergo quoniam.*] Et diſtinctionem & lectionem Victorii, qui cum faciunt quinque Pal. Fabr. Vatican. ſecutus ſum. vulgo: *boni viri honeſta ergo, quoniam, &c.*

4. *Et otii conſumendi cauſâ locuti ſumus.*] Palat. ſecund. neſcit τὸ *conſumendi.* mihi [illegible] gloſſam.

5. *Sine alacritate ullâ.*] Fabr. *alacritudine.*

6. *Mæoti' paludes.*] Pall. pr. quart. *meotides*, unde non ineptè cum Hier. Columna in Ennium *Mæotidi pludes*, feceris.

7. *Qui factis æquiperare queat.*] Ita ſcripſi, plurimis libris fretus: nam in Toletano, Palat. quart. Vatican. provocabulum *me* diſparet. *æquiperare* verò poſui, ex edit. Venetâ, Victor. Pall. ſec. tert. quart. Vatic.

8. *Eandem vim in virtute eſſe ad beatam vitam.*] Tres Pal. priores, *vim virtutem eſſe.* quart. *eandem vim eſſe ad beatam vitam.*

9. *Virtutem, extenuantem cetera.*] Dempſi copulam & auctoritate Pal. quinque ac Vatic. in quo præterea *tanto opere*: ſed in quarto, pro *extenuantem*, *exterminantem.*

10. *Ut idem vincatur interdum, nec putet.*] Eliſi illud ſupervacuum poſt *interdum*, *neceſſe eſt.* ductu quatuor Pall. Fabr. Vatic. denique edit. Victorii.

11. *At nos virtutem ſemper.*] Palatin. ſec. tert. quart. *At nos autem virt.* Victorii edit. *nos autem virt.*

1. Simi-

pientia ſemper eo contenta eſt, quod adeſt, neque eam umquam
19 *ſui pœnitet.* [1] Similene putas C. Lælii unum conſulatum fuiſſe, & eum quidem cùm repulſa ([2] ſic cùm ſapiens, & bonus vir, qualis ille fuit, ſuffragiis præteritur, non populus à bono conſule potiùs, [3] quàm ille à bono populo repulſam fert, ſuffragiis præteritur) ſed tamen utrum malles, te, ſi poteſtas eſſet, ſemel, ut Lælium, conſulem, an, ut Cinnam, quater? non dubito, tu quid reſponſurus ſis. Itaque video, cui committam. Non quemvis hoc idem interrogarem. reſponderet enim alius fortaſſe, ſe non modò quattuor conſulatus uni anteponere: ſed *unum diem Cinnæ multorum, & clarorum virorum totis ætatibus.* Lælius ſi digito quem attigiſſet, pœnas dediſſet. at Cinna, collegæ ſui, conſulis, Cn. Octavii, præcidi caput juſſit, P. Craſſi, L. Cæſaris, nobiliſſimorum hominum: quorum virtus fuerat domi, militiæque cognita, M. Antonii, omnium eloquentiſſimi, quos ego audierim, C. Cæſaris, in quo mihi videtur fuiſſe ſpecimen humanitatis, ſalis, ſuavitatis, lepôris. Beatuſne igitur, qui hos interfecit? mihi contrà non ſolùm eò videtur miſer, quòd ea fecit, ſed etiam quòd ita ſe geſſit, ut ea facere ei liceret. Etſi *peccare nemini licet.* ſed ſermonis errore labimur. id enim licere dicimus, quod cuique conceditur. Utrùm tandem beatior C. Marius, tum, cùm Cimbricæ victoriæ gloriam cum collega Catulo communicavit, pænè altero Lælio, [4] (nam huic illum dico ſimillimum) an [5] cùm civili bello victor, iratus, neceſſariis Catuli deprecantibus non ſemel reſpondit, ſed ſæpe, MORIATUR? in quo beatior ille, qui huic nefariæ voci paruit, quàm is, qui tam ſceleratè imperavit. nam cùm *accipere, quàm facere præſtat injuriam:* tum morti jam ipſi adventanti paullum procedere obviam, quod fecit Catulus, quàm, quod Marius, talis viri interitu ſex ſuos obruere conſulatus, & contaminare extremum tempus
20 ætatis. Duodequadraginta annos tyrannus Syracuſanorum fuit Dionyſius, cùm v. & xx. natus annos dominatum occupaviſſet. Qua pulcritudine urbem, quibus autem opibus præditam, ſervitute oppreſſam tenuit civitatem? Atqui de hoc homine à bonis auctoribus ſic ſcriptum accepimus, ſummam fuiſſe ejus in victu temperantiam, in rebuſque gerendis virum acrem, & induſtrium, eundem tamen maleficum natura, & injuſtum. [6] Ex quo omnibus, benè veritatem intuentibus, videri neceſſe eſt miſerrimum. ea enim ipſa quæ concupierat, ne tum quidem, cum omnia ſe poſſe cenſebat, conſequebatur. Qui cùm eſſet bonis parentibus, atque honeſto loco natus (etſi id quidem alius alio modo tradidit) [7] abundaretque æqualium familiaritatibus, & conſuetudine propinquorum; haberet etiam more Græciæ quoſdam adoleſcenteis amore conjunctos: credebat eorum nemini. ſed iis, quos ex familiis locupletum ſervos delegerat, quibus nomen ſervitutis ipſe detraxerat, [8] & quibuſdam convenis, & feris barbaris, corporis cuſtodiam committebat. Ita propter injuſtam dominatus cupiditatem [9] in carcerem quodammodo ipſe ſe incluſerat. Quin etiam ne tonſori collum committeret, [10] tondêre filias ſuas docuit. Ita ſordido, ancillarique artificio regiæ virgines, ut tonſtriculæ, tondebant barbam, & capillum patris. Et tamen ab iis ipſis, cùm jam eſſent adultæ ferrum removit, inſtituitque; ut candentibus juglandium putaminibus barbam ſibi, & capillum adurerent. Cùmque duas uxores haberet, Ariſtomachen, civem ſuam, Doridem autem Locrenſem, ſic noctu ad eas ventitabat, [11] ut omnia ſpecularetur, & perſcrutaretur antè. Et, cùm foſſam latam cubiculari lecto circumdediſſet, ejuſque foſſæ tranſitum ponticulo ligneo conjunxiſſet: eum ipſum, [12] cùm forem cubiculi clauſerat, detorquebat. Idemque cùm in communibus ſuggeſtis conſiſtere non auderet, concionari ex turri alta ſolebat. Atque is cùm pila ludere vellet (ſtudioſè enim id factitabat) tunicamque poneret, adoleſcentulo, quem amabat, tradidiſſe gladium dicitur. Hîc cum quidam familiaris jocans dixiſſet: *Huic quidem certè vitam tuam committis:* arriſiſſetque adoleſcens: utrumque juſſit interfici: alterum, quia viam demonſtraviſſet interimendi ſui: alterum, quia id dictum riſu approbaviſſet. Atque eo facto ſic doluit, ut nihil graviùs tulerit in vita: [13] quem enim vehementer amarat, occiderat. *Sic diſtrahuntur* in contrarias parteis impotentium 21
cupiditates. Cùm huic obſecutus ſis, illi eſt repugnandum. [14] Quamquam hic quidem tyrannus ipſe judicavit, quàm eſſet beatus. Nam cùm quidam ex ejus aſſentatoribus Damocles, commemoraret in ſermone copias ejus, opes, majeſtatem, dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum: negaretque umquam beatiorem quemquam fuiſſe: Viſne igitur, inquit, Damocle, quoniam hæc te vita delectat, [15] ipſe eandem deguſtare, & fortunam experiri meam? cùm ſe ille cupere dixiſſet, collocari juſſit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo, textili ſtragulo, [16] magnificis operibus picto: abacoſque complureis ornavit argento, auroque cælato. Tum ad menſam eximia forma pueros delectos juſſit conſiſtere, [17] eoſque nutum ejus intuentis diligenter miniſtrare. Aderant unguenta, coronæ: incendebantur odores: menſæ conquiſitiſſimis epulis exſtruebantur. Fortunatus ſibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari, [18] ſeta equina aptum, demitti juſſit, ut impen-

1. *Similene putas C. Lælii unum conſulatum.*] Et hoc ita Victorius cum quinque Palat. Fabr. Vatic. vulgo: *ſimilemne putas.*

2. *Sic cùm ſapiens vir.*] Melius ſic Palatin. prim. tert. quint. Fabr. (quo inclinant quart. ac Vatic. *ſi cum.* unica literulâ desertâ) quam Lamb. *& ſi cùm ſapiens:* aut vulgi; *ſed cùm ſapiens.*

3. *Quam ille à bono populo repulſam fert.*] Correctores, quibus nihil vanius, diffuderunt hîc vanitatem ſuam, quippe ex hac genuinâ fecerunt, *à vano populo repulſ.* Eugepæ! illud habent Palat. quatuor, (nam quint. degenerat in *ab uno conſule potius quàm ille ab uno populo repulſam fert, ſuffragiis præteritur.*) item Fabr. ac Vatic. ut modo dictus quint. Victor. edit. adjiciunt: *repulſam fert, ſuffragiis præteritur ſed.*

4. *Nam huic illum. duco ſimillimum.*] Reduxi hûc hanc lectionem ex Pall. pr. ſecund. tert. quint. ut concinniorem. aliàs; *nam hunc illi duco.*

5. *Cùm civili bello victor, iratus.*] Conſideretur lectio Pal. quart. *bello civili victoriam ratus.*

6. *Ex quo omnibus bene veritatem intuentibus.*] Palatin. quintus τὸ *bene* delet. placet quod ſec. refingat, *verè veritatem:* notâ & Græcis & Latinis figurâ.

7. *Abundaretque æqualium familiaritatibus.*] Suſtuli copulam & evanidam quoque in aliis codd. Palat. quint. Fabr. Pal. at quart. & Vatic. *abundaretquè ei familiaribus.*

8. *Et quibuſdam convenis & feris barbaris.*] Alii ex conjecturâ: *& fere barbaris.* Palat. ſecund. quart. *conveniſſet feris:* unde quint. *convenis ſe feris.*

9. *In carcerem quodammodo ipſe ſe incluſerat.*] Palat. quart. *in carcere.* noverunt docti millies à bonis auctoribus hæc alterari.

10. *Tondere filias ſuas docuit.*] Palat. iterum quart. *extondere.*

11. *Ut omnia ſpecularetur.*] Idem *perſpecularetur.* Plin. lib. VIII. cap. 26. *Recentes arundinum cæſuras perſpeculatus.* quid ſi tamen *præſpecularetur.*

12. *Cum forem cubiculi clauſerat.*] Ita à Lactantio citari libro 4. annotat Gulielmius laudantque etiam Palat. ſec. tert. quart. Fab. Vatic. aliàs *fores.*

13. *Quem enim vehementer amarat, occiderat.*] Ita poſt Victorium Lambini vet. cod. quinque Palatin. Fabr. Vatican. vulgo, *amaret.*

14. *Quamquam hic quidem tyrannus ipſe indicavit.*] Multis verborum velitationibus defendat ſuum licet *indicavit* Lambin. mihi potiores ferentarii ſunt Palat. ſecund. tert. quart. Vatic. Gryph. liber Victor. editio.

15. *Ipſe eandem deguſtare.*] Fabr. *deguſtare ipſam eandem.* laudo ſcripturam Pal. quart. ac Vatic. *ipſe eadem deguſtare.*

16. *Magnificis operibus picto.*] Palat. quart. *pacto.*

17. *Eoſque nutum illius intuentis.*] Quidquid benè ſit hiſce Diſputationibus in noſtris emendationibus, reſcribendum diligentiſſimo P. Victorio: à quo & hunc locum recepimus, ut & à Palat. tert. quart. Fabr. vulgo: *ad nutum illius intuenteis.*

18. *Seta equina aptum demitti juſſit.*] Vulgo, *appenſum* ex gloſsâ ineptâ: ſed ita ante nos Victorius cum Lambin. quomodo & Pal. tert. quart. Fabr. Vatic. & ſic quoque citat hunc locum in ſuo Dictionario ſeu Theſauro Linguæ Latinæ Venetiis impreſſo Aldus Manutius.

impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec [1] pulchros illos miniſtratores adſpiciebat, nec plenum artis argentum: nec manum porrigebat in menſam: jam ipſæ defluebant coronæ. denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quòd jam beatus nollet eſſe. Satiſne videtur declaraſſe Dionyſius, *nihil eſſe ei beatum*, [2] *cui ſemper aliquis terror impendeat?* Atque ei ne integrum quidem erat, ut ad juſtitiam remigraret, civibus libertatem & jura redderet. iis enim ſe adoleſcens improvida ætate irretierat erratis, eaque commiſerat, ut ſalvus eſſe non poſſet, ſi ſanus eſſe cœpiſſet.
22 Quantopere verò amicitias deſideraret, quarum infidelitatem extimeſcebat, declaravit in Pythagoreis duobus illis: quorum cùm alterum vadem mortis accepiſſet: alter, ut vadem ſuum liberaret, præſtò fuiſſet [3] ad horam morti deſtinatam: *Utinam ego*, inquit, *tertius vobis amicus adſcriberer.* Quàm huic erat miſerum, carere conſuetudine amicorum, ſocietate victus, ſermone omnino familiari! [4] homini præſertim docto à puero, & artibus ingenuis erudito. [5] Muſicorum verò perſtudioſum, poëtam etiam tragicum: quàm bonum nihil ad rem *in hoc enim genere neſcio quo pacto magis, quàm in aliis, ſuum cuique pulchrum eſt.* adhuc enim cognovi poëtam (& mihi fuit cum Aquinio amicitia) qui ſibi non optimus videretur. Sic ſe res habet. *Te tua, me delectant mea.* Sed, ut ad Dionyſium redeamus: omni cultu, & victu humano carebat: vivebat cum fugitivis, cum facinoroſis, cum barbaris: neminem, qui aut libertate dignus eſſet, aut vellet omnino liber eſſe, ſibi amicum arbitrabatur. Non ego jam cum hujus vita, qua tetrius, miſerius, deteſtabilius excogitare nihil poſſum, Platonis, aut Architæ vitam comparabo, doctorum hominum, &
23 planè ſapientium. Ex eadem urbe humilem homunculum, à pulvere, & radio excitabo, qui multis annis pòſt fuit, Archimedem. Cujus ego quæſtor ignoratum ab Syracuſanis, cùm eſſe omnino negarent, ſæptum undique, & veſtitum vepribus, & dumetis indagavi ſepulcrum. tenebam enim quoſdam ſenariolos, quos in ejus monumento eſſe inſcriptos acceperam: qui declarabant, in ſummo ſepulcro ſphæram eſſe poſitam cum cylindro. Ego autem, cùm omnia colluſtrarem oculis ([6] eſt enim ad portas Agragianas magna frequentia ſepulchrorum) animadverti columellam non multùm è dumis eminentem: in qua inerat ſphæræ figura, & cylindri. Atque ego ſtatim Syracuſanis (erant autem principes mecum) dixi, me illud ipſum arbitrari eſſe, [7] quod quærerem. Immiſſi cum falcibus multi purgarunt & aperuerunt locum. Quò cùm patefactus eſſet aditus, ad adverſam baſim acceſſimus. apparebat epigramma exeſis poſterioribus partibus verſiculorum, dimidiatis ferè. Ita nobiliſſima Græciæ civitas, quondam verò etiam doctiſſima, ſui civis unius acutiſſimi monumentum ignoraſſet, niſi ab homine Arpinate didiciſſet. Sed redeat unde aberravit oratio. Quis eſt omnium, qui modò cum Muſis, id eſt, cum humanitate, & cum doctrina habeat aliquod commercium, qui ſe non hunc mathematicum malit, quàm illum tyrannum? Si vitæ modum, actionemque quærimus: alterius mens rationibus agitandis, exquirendiſque alebatur, cum oblectatione ſolertiæ: *qui unus ſuaviſſimus paſtus animorum:* alterius in cæde, & injuriis, cum & diurno, & nocturno metu. Age, confer Democritum, Pythagoram, Anaxagoram. quæ regna, quas opes ſtudiis eorum, & delectationibus antepones? Etenim quæ pars optima eſt in homine, in ea ſitum eſſe neceſſe [8] eſt illud, quod quæris, optimum. Quid eſt autem in homine, ſagaci ac bona mente melius? ejus bono fruendum eſt igitur, ſi beati eſſe volumus. bonum autem mentis, eſt virtus. ergo hac beatam vitam contineri neceſſe eſt. Hinc omnia, quæ pulchra, honeſta, præclara ſunt, ut ſuprà dixi: [9] ſed dicendum idem illud paullo uberiùs videtur: plena gaudiorum ſunt. Ex *perpetuis autem pleniſque gaudiis* cùm perſpicuum ſit [10] *vitam beatam exſiſtere*, ſequitur ut ea exſiſtat ex honeſtate. Sed, ne verbis ſolùm attingamus ea, quæ volumus oſtendere, proponenda quædam quaſi moventia ſunt, 24
quæ nos magis ad cognitionem, intelligentiamque convertant. Sumatur enim nobis quidam præſtans vir optimis artibus, iſque animo parumper, & cogitatione fingatur. Primùm ingenio eximio ſit, neceſſe eſt. [11] *tardis enim mentibus virtus non facilè comitatur.* deinde ad inveſtigandam veritatem ſtudio incitato. [12] Ex quo triplex ille animi fœtus exſiſtet: unus in cognitione rerum poſitus, & in explicatione naturæ: [13] alter in deſcriptione expetendarum, fugiendarumve rerum: tertius in judicando, quid cuique rei ſit conſequens, quid repugnans: in quo ineſt omnis tum ſubtilitas diſſerendi, tum veritas judicandi. Quo tandem igitur gaudio affici neceſſe eſt ſapientis animum, cum his habitantem, [14] pernoctantemque curis? ut, cùm totius mundi motus [15] converſioneſque perſpexerit, ſideraque viderit innumerabilia cœlo inhærentia cum ejus ipſius motu congruere certis infixa ſedibus? [16] ſeptem alia ſuos quæque tenere curſus, multùm inter ſe aut altitudine, aut humilitate diſtantia, quorum vagi motus rata tamen, & certa ſui curſus ſpatia definiant? Horum nimirum adſpectus impulit illos veteres, & admonuit, ut plura quærerent. Inde eſt indagatio nata initiorum, & tanquam ſeminum, unde eſſent omnia orta, generata, concreta: quæque cujuſque generis [17] vel inanimi, vel animantis, vel muti, vel loquen-

1. *Nec pulcros illos miniſtratores adſpiciebat.*] Ita quinque Palat. Fabr. Vatican. denique Victorii editio: utitur hoc vocabulo ſæpius Tullius pro L. Flacco: *Idem hic mihi Meandrius quaſi miniſtrator aderat.* Idem II. De Orat. & alibi vulgo: *adminiſtratores.*

2. *Cui ſemper aliquis terror impendeat.*] Neſcio quid mugineutur Palat. ſecund. quart. *Cui miſer ſemper aliquid error imp.* tert. *cui ſemper aliquid error.*

3. *Ad horam morti deſtinatam.*] Sic malui cum Lamb. & Pall. prim. tert. alias *mortis deſtin.*

4. *Homini præſertim docto à puero.*] Vatican. *præſertim dato à puero.*

5. *Muſicorum verò perſtudioſum, poëtam enim tragicum.*] Maluimus [illegible] orationem, quam aliorum tolerare gloſſemata [illegible] *perſtudioſum accepimus*, qui ſemper aliquid deſiderant: quod quia ejiciunt quinque Pall. Vatican. tolerandumne [illegible] ?

6. *Eſt enim ad portas Agragianas.*] Quis hic tam maſculæ aut ferreæ [illegible], qui à Victore duobuſque Palat. ſecund. quart. diſcederet ad [illegible] ariolationes, Schegkius in Præmeſſis legit: *Acradinas.* quia in Fulvii Urſini libro *Achradinas.* trahitque hûc illud ex [illegible] in Verrem: *Altera autem eſt urbs Syracuſis, cui nomen Acradina:* [illegible] præterea Plutarchum Timoleonte, Livium libro [illegible]. [illegible] *Acraganas.* alii *Agrigentinas.* Palatin. prim. [illegible] tert. *ſagratinas.* quint. *gargianas.* Vatican. *à porta Sagra* [illegible] *ſarragianas.* Gembl. *à porta agragiana.*

7. [illegible] e Palat. *quæreremus:* non male.

8. *Eſt [illegible] quod quæris, optimum.*] Ita Palat. quatuor. poſteriores & Fabr. vulgò, *quod quæris omnium optimum.* Idem obſervavit Schottus Nodor. libro II. cap. 20.

9. *Sed dicendum idem illud paullo uberius videtur: plena gaudiorum ſunt.*] Idem ibidem: ex veſtigiis veteris ſcripturæ, ut ait: *ſed illa (dicendum illud idem paullo uberius videtur) plena gaudiorum ſunt.* ſed non opus eſt εὐστοχίᾳ.

10. *Vitam beatam exiſtere.*] Fabr. *conſiſtere.* nihil annuo.

11. *Tardis enim mentibus virtus non facile comitatur.*] Ἐπεὶ: & ſunt quibus hæc lectio ſuſpecta videatur: ii per me amplexentur ſuum *committitur*: ſed illud objicit & obmunit quaſi vallum omnium mſſ. noſtrorum militia: ſic enim quinque Pall. Fabr. Vatican. Gryph. editio Victorii.

12. *Ex quo triplex ille animi fœtus exiſtet.*] Ceteræ editiones: *exiſtit:* ſed alterum eſt in quinque Palat. Fabr. edit. Victor. ceterum pro *fœtus*, Palat. quartus, *affectus* Gembl. *flexus.*

13. *Alter in deſcriptione expetendarum fugiendarumve rerum.*] Fabr. *fugiendarumve rerum in munere vivendi.* Palatin. tert. quart. quint. Gembl. *fugiendarumque rerum ne vivendi:* & ſic fere pr. ſec. niſi quod omittunt *ne.* Martin. verò; *fugiendarumque vivendi rerum.*

14. *Pernoctantemque curis.*] Pal. quart. *pernoctemque.* conſideretur.

15. *Converſioneſque perſpexerit.*] Palat. quart. *proſpexerit.* Apollonius libro I. ubi agit de Tiphy προδαῆναι.

16. *Septem alia ſuos quæque tenere.*] Palat. tert. *quæ.* Gembl. Fabr. *æquè.*

17. *Vel inanimi vel animantis.*] Sic eſt in edit. Victor. Vatican. tribus Palat. prioribus. Fabr. duo Pal. poſteriores; *vel etiam animi vel animantis.* item *vel animi vel animantis.*

1. Qui-

loquentis origo, quæ vita, qui interitus, quæque ex alio in aliud viciſſitudo, atque mutatio: unde terra, & quibus librata ponderibus, [1] quibus cavernis maria ſuſtineat: in qua omnia delata gravitate medium mundi locum ſemper
25 expetant, qui eſt idem infimus in rotundo. Hæc tractanti animo, & nocteis & dies cogitanti [2] exſiſtit illa à deo Delphis præcepta cognitio, [3] ut ipſa ſe mens agnoſcat, conjunctamque cum divina mente ſe ſentiat, ex quo inſatiabili gaudio compleatur. ipſa enim cogitatio de vi, & natura deorum, [4] ſtudium incendit illius æternitatis imitandæ, neque ſe in brevitate vitæ collocatam putat, cùm rerum cauſas alias ex aliis aptas, & neceſſitate nexas videt. Quibus ab æterno tempore fluentibus in æternum, ratio tamen, menſque moderatur. Hæc ille intuens, atque ſuſpiciens, vel potiùs omneis partes, oraſque circumſpiciens, quanta rurſus animi tranquillitate humana, & citeriora conſiderat? hinc illa cognitio virtutis exſiſtit: efflorеſcunt genera parteſque virtutum: invenitur, quid ſit, quod natura ſpectet extremum in bonis, quod in malis ultimum, quò referenda ſint officia, [5] quæ degendæ ætatis ratio diligenda. Quibus & talibus rebus exquiſitis, hoc vel maximè efficitur, [6] quod hac diſputatione agimus, ut virtus ad beatè vivendum, ſit ſe ipſa contenta. Sequitur tertia, quæ per omneis parteis ſapientiæ manat, & funditur, quæ rem definit, genera diſpertit, ſequentia adjungit, perfecta concludit, vera & falſa dijudicat, diſſerendi ratio, & ſcientia. Ex qua cùm ſumma utilitas exſiſtit ad res ponderandas, tum maximè ingenua delectatio, & digna ſapientia. Sed hæc otii. Tranſeat idem iſte ſapiens ad rempub. tuendam. quid eo poſſit eſſe præſtantius, cùm contineri prudentia utilitatem civium cernat, juſtitia nihil in ſuam domum inde derivet, reliquis utatur tot, [7] tam variiſque virtutibus? adjunge fructum amicitiarum: in quo doctis poſitum eſt cùm conſilium omnis vitæ, conſentiens, & pænè conſpirans, tum ſumma jucunditas è quotidiano cultu, atque victu. Quid hæc tandem vita deſiderat, quo ſit beatior? [8] cui rei refertæ tot, tantiſque gaudiis, fortuna ipſa cedat neceſſe eſt. Quòd ſi gaudere talibus bonis animi, id eſt virtutibus, beatum eſt, omneſque ſapientes iis gaudiis perfruuntur: omneis eos confiteri beatos eſſe ne-
26 ceſſe eſt. A. Etiamne in cruciatu, atque tormentis? M. An tu me in viola putabas aut in roſa dicere? an Epicuro, qui tantummodò induit perſonam philoſophi, & ſibi ipſe hoc nomen inſcripſit, dicere licebit: quod quidem, ut habet ſe res, me tamen plaudente dicit nullum ſapienti eſſe tempus, etſi uratur, torqueatur, ſecetur, quin poſſit exclamare. *Quàm pro nihilo puto!* cùm præſertim omne malum dolore definiat, bonum voluptate: hæc noſtra honeſta, turpia irrideat, dicatque, nos in vocibus occupatos, inaneis ſonos fundere, neque quidquam ad nos pertinere, niſi quod aut læve, aut aſperum in corpore ſentiatur. Huic ergo, ut dixi, non multùm differenti à judicio ferarum, oblivіſci licebit ſui? & tum fortunam contemnere, cùm ſit omne & bonum ejus, & malum in poteſtate fortunæ: tum dicere, ſe beatum in ſummo cruciatu, atque tormentis, cùm conſtituerit non modò ſummum malum eſſe dolorem, ſed etiam ſolum? [9] Nec verò illa ſibi remedia comparavit ad tolerandum dolorem, firmitatem animi, turpitudinis verecundiam, exercitationem, conſuetudinemque patiendi, præcepta fortitudinis, duritiam virilem: ſed una ſe dicit recordatione acquieſcere præteritarum voluptatum: ut ſi quis æſtuans, cùm vim caloris non facilè patiatur, recordari velit, ſe aliquando in Arpinati noſtro gelidis fluminibus circumfuſum fuiſſe. non enim video, quo modo ſedare poſſint mala præſentia præteritæ voluptates. Sed cùm is dicat ſemper beatum eſſe ſapientem: cui dicere hoc, ſi ſibi conſtare vellet, non liceret: quidnam faciendum eſt iis, qui nihil expetendum, nihil in bonis ducendum, quod honeſtate careat, exiſtimant? me quidem auctore, etiam Peripatetici, vetereſque Academici balbutire deſinant aliquando, aperteque & clara voce audeant dicere beatam vitam in Phalaridis taurum deſcenſuram. Sint enim tria genera bonorum, ut jam à laqueis 27
Stoicorum, quibus uſum me pluribus, quàm ſoleo, intelligo, recedamus: ſint ſanè illa genera bonorum, dum corporis, & externa jaceant humi, & tantummodò, quia ſumenda ſunt, appellentur bona: alia autem illa divina, longè, lateque ſe pandant, cœlumque contingant, ut, ea qui adeptus ſit, cur eum beatum modò, & non beatiſſimum etiam dixerim? [5] dolorem verò ſapiens extimeſcet? is enim huic maximæ ſententiæ repugnat. Nam contra mortem noſtram, atque noſtrorum, contraque ægritudinem, & reliquas animi perturbationes ſatis eſſe videmur ſuperiorum dierum diſputationibus armati, & parati. dolor eſſe videtur acerrimus virtuti adverſarius. is ardenteis faceis intentat: is fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam ſe debilitaturum minatur. Huic igitur ſuccumbet virtus? huic beata ſapientis, & conſtantis viri vita cedet? quàm turpe! ô dii boni. Pueri Spartiatæ non ingemiſcunt verberum dolore laniati. Adoleſcentium greges Lacedæmone vidimus ipſi incredibili contentione certanteis pugnis, calcibus, unguibus, [10] morſu denique ut exanimarentur, priuſquam ſe victos faterentur. Quæ barbaria India vaſtior, aut agreſtior? in ea tamen gente primùm ii, qui ſapientes habentur, nudi ætatem agunt, & Caucaſi niveis, hiemalemque vim perferunt ſine dolore: [11] cumque ad flammam ſe applicaverint, ſine gemitu aduruntur. Mulieres verò in India, [12] cùm eſt cujusvis earum vir mortuus, in certamen, judiciumque veniunt, quam plurimùm ille dilexerit. plures enim ſingulis ſolent eſſe nuptæ. Quæ eſt victrix, ea læta, proſequentibus ſuis, unà cum viro in rogum imponitur: illa victa, mœſta diſcedit. *Numquam naturam mos vinceret. eſt* enim *ea ſemper invicta.* Sed nos umbris, deliciis, otio, languore, deſidia animum infecimus: opinionibus, [13] maloque more delinitum mollivimus. Ægyptiorum morem quis ignorat? quo-

1. *Quibus cavernis maria ſuſtineat.*] Ita quoque cum Victorio Lambin. Pall. prim. quint. Fabr. ſecundus verò, quart. Vatican. *ſuſtineant*, vulgò, *ſuſtineantur*.

2. *Exiſtit illa à Deo Delphis præcepta cognitio.*] Palat. tert. quart. & Fabr. *illa de Delphis præcepta*: mihi τὸ *à Deo* pro gloſſa liquet: vel omnino legendum *illa præcepta cognitio*.

3. *Ut ipſa ſe mens agnoſcat.*] Debeatur hæc quoque lectio P. Victorio: quam indubitatam reddiderunt Pall. quatuor priores, Fabr. Gembl. Martin. Vatican. vulgò: *ut ipſe ſe mens vitiis exutam cognoſcat*.

4. *Studium incendit illius æternitatis imitandæ.*] Quinque Pall. Fabr. *imitandi*.

5. *Quæ degendæ ætatis ratio diligenda.*] Palatin. ſec. tert. quart. quint. Fabr. Gembl. Mart. vulgò *diligenda*.

6. *Quod hac diſputatione agimus.*] Benè hanc lectionem aſſerit Schottus Nodorum lib. 2. cap. 20. refertque ad ſacrorum formulam à Pontifice olìm pronuntiari ſolitam *hoc age*: ea quoque exſtat in edit. Vict. Pall. ſec. tert. quart. Fabr. vulgò: *agitamus*.

7. *Tam variiſque virtutibus.*] Victorii editio Palat. ſecund. tert. quart. quint. pr. *tamquam variis virtut.* vulgò: *tot tamque variis*.

8. *Cui rei refertæ tot tantiſque gaudiis.*] Ita malui cum Victorio, quinque Palatin. ipſoque Lambin. Vaticanus tamen; *cui rei referta & tot*. Pall. tert. quint. iterum *refertæ*. vulgò: *cui rei refertæ*.

9. *Nec verò illa ſibi remedia comparavit.*] Ita Victor. quinque Pall. Fabr. vulgò, *Hæc verò illa*.

10. *Morſu denique ut exanimarentur.*] Sic Victor. editio cum vulg. plenè conſpirans. ſed in omnibus mſſ. eſt, *cùm examinarentur*.

11. *Cumquè ad flammam ſe applicaverint.*] Victorii lectionem ut Palatin. ſecundi, quarti, quinti, expreſſum & Gryphii liber: aliuſque vet. cod. ac Vatican. *applicaverunt*: vulgò, ad normam Diobolarium Grammaticulorum, *applicuerint*.

12. *Cùm eſt cujuſvis earum vir mortuus.*] Reperi iſtud in Palatin. ſec. quart. Item Victor. edit. inclinant. Palat. tert. quint. Vatic. *cùm eſt cujus earum*.

13. *Maloque more delinitum.*] Nihil novandum exiſtimo, ſed tantùm diverſitatem animadvertendam: Palatin. ſecundus *deleatum molivimus*. tert. *devictum*: quam in ora habet quoque Gryph. ſed interius *demotum*.

quorum imbutæ mentes pravitatis erroribus, quamvis carnificinam prius ſubierint, quam ibim, aut aſpidem, aut fælem, aut canem, aut crocodilum violent: quorum etiam ſi imprudentes quippiam fecerint, pœnam nullam recuſent. De hominibus loquor. quid *beſtiæ*? [1] non frigus, non famem, non montivagos, atque ſilveſtreis curſus, luſtrationeſque patiuntur? non pro ſuo partu ita propugnant, ut vulnera excipiant? nullos impetus, nullos ictus reformident? omitto, quæ perferant, quæque patiantur ambitioſi, honoris cauſa: [2] laudis ſtudioſi, gloriæ gratia: amore

28 incenſi, cupiditatis. plena vita exemplorum eſt. Sed adhibeat oratio modum, & redeat illuc, unde deflexit. Dabit, dabit, inquam, ſe in tormenta vita beata: nec juſtitiam, temperantiam, in primiſque fortitudinem, [3] magnitudinem animi, patientia proſecuta, cùm tortoris os viderit, conſiſtet: virtutibuſque omnibus ſine ullo animi terrore ad cruciatum profectis, reſiſtet extra foreis, (ut antè dixi) limenque carceris. quid enim ea fœdius, quid deformius ſola relicta, comitatu pulcherrimo ſegregata? quod tamen fieri nullo pacto poteſt. *nec* enim *virtutes ſine beata vita cohærere poſſunt*, *nec illa ſine virtutibus*. Itaque eam tergiverſari non ſinent, ſecumque rapient ad quemcumque ipſæ dolorem, cruciatumque ducentur. ſapientis eſt enim proprium, nihil, quod pœnitere poſſit, facere, nihil invitum: ſplendidè, conſtanter, graviter, honeſtè omnia: nihil ita exſpectare, quaſi certò futurum: nihil, cùm acciderit, admirari, ut inopinatum, ac novum accidiſſe videatur: omnia ad ſuum arbitrium referre: ſuis ſtare judiciis. Quo quid ſit beatius, mihi certè in mentem venire non poteſt. Stoicorum quidem facilis concluſio eſt. Qui cùm finem bonorum eſſe ſenſerint, congruere naturæ, cumque ea convenienter vivere: cùm id ſit in ſapiente ſitum, non officio ſolùm, verùm etiam poteſtate: ſequatur neceſſe eſt, ut cujus in poteſtate ſummum bonum, in ejuſdem vita beata ſit. [4] Ita ſit ſemper vita beata ſapientis. Habes, quæ fortiſſimè de beata vita dici putem, &, quo modo nunc

29 eſt, niſi quid tu melius attuleris, etiam veriſſimè. A. Melius quidem afferre nihil poſſum: [5] ſed à te impetrarim libenter, ut, niſi moleſtum ſit, quoniam te nulla vincula impediunt [6] ullius certe diſciplinæ, libaſque ex omnibus, quodcumque te maximè ſpecie veritatis movet: quod paulo antè Peripateticos, veteremque Academiam hortari videbare, ut ſine retractatione liberè dicere auderent, ſapienteis eſſe ſemper beatiſſimos, id velim audire, quemadmodum his putes conſentaneum eſſe id dicere. multa enim à te contra iſtam ſententiam dicta ſunt, & Stoicorum ratione concluſa. M. Utamur igitur libertate: qua nobis ſolis in philoſophia licet uti: quorum oratio nihil ipſa judicat, ſed habetur in omneis partes, ut ab aliis poſſit ipſa per ſeſe, nullius auctoritate adjuncta, judicari. & quoniam videris hoc velle, ut, quæcumque diſſentientium philoſophorum ſententia ſit de finibus, tamen virtus ſatis habeat ad vitam beatam præſidii, quod quidem Carneadem diſputare ſolitum accepimus: ſed is, ut contra Stoicos, quos ſtudioſiſſimè ſemper refellebat, & contra quorum diſciplinam ingenium ejus exarſerat: nos illud quidem cum pace agemus. ſi enim Stoici fineis bonorum rectè poſuerunt; confecta res eſt: neceſſe eſt ſemper beatum eſſe ſapientem. Sed quæramus unamquamque reliquorum ſententiam, ſi fieri poteſt, ut hoc præclarum quaſi decretum beatæ vitæ poſſit omnium ſententiis, & diſciplinis convenire. [7] Sunt au- 30

tem hæ de finibus, ut opinor, retentæ, defenſæque ſententiæ: primùm ſimplices quattuor: *Nihil bonum*, *niſi honeſtum*, ut Stoici: *Nihil bonum*, *niſi voluptatem*, ut Epicurus: [8] *Nihil bonum*, *niſi vacuitatem*, ut Hieronymus: *Nihil bonum*, [9] *niſi naturæ primis bonis aut omnibus*, *aut maximis frui*, ut Carneades contra Stoicos diſſerebat. Hæc igitur ſimplicia: Illa mixta: Tria genera bonorum, maxima animi, ſecunda corporis, externa tertia, ut Peripatetici, nec multo veteres Academici ſecus. [10] Voluptatem cum honeſtate Dinomachus, & Callipho copulavit. Indolentiam autem honeſtati Peripateticus Diodorus adjunxit. Hæ ſunt ſententiæ, quæ ſtabilitatis aliquid habeant. Nam Ariſtonis, Pyrrhonis, Herilli, nonnullorumque aliorum evanuerunt. Hi quid poſſint obtinere, videamus, omiſſis Stoicis: quorum ſatis videor defendiſſe ſententiam. Et Peripateticorum quidem explicata cauſa eſt: præter Theophraſtum, & ſi qui illum ſecuti, imbecilliùs horrent dolorem, & reformidant. Reliquis quidem [11] licet facere id quod ferè faciunt, ut gravitatem, dignitatemque virtutis exaggerent. Quam cùm ad cœlum extulerint, quod facere eloquentes homines copioſè ſolent: [12] reliqua ex collatione facilè eſt conterere, atque contemnere. nec enim licet iis, qui laudem cum dolore petendam eſſe dicunt, negare, eos eſſe beatos, qui illam adepti ſunt. Quamquam enim ſint in quibuſdam malis,

[13] tamen hoc nomen beati longè & latè patet. Nam ut 31 quæſtuoſa mercatura, fructuoſa aratio dicitur, non ſi altera ſemper omni damno, altera omnis tempeſtatis calamitate ſemper vacet: [14] ſed ſi multo majore ex parte exſtat in utrâque felicitas: ſic vita, non ſolùm ſi undique referta bonis eſt, ſed ſi multo majore, & graviore ex parte bona propendent, beata rectè dici poteſt. [15] Sequetur igitur bonorum ratione vel ad ſupplicium beata vita virtutem, cumque ea deſcendet in taurum, Ariſtotele, Xenocrate, Speuſippo, Polemone auctoribus, nec eam minimis blandimentis corrupta deſeret. eadem Calliphontis erit, Diodorique ſententia: quorum uterque honeſtatem ſic complectitur,

---

1. *Non frigus, non famem, non montivagos atque ſylveſtres curſus.*] Ita mſſ. plerique & editio Victorii; qui tamen lib. 1. cap. 16. Variarum, notat in ſuo libro legi: *non montivagos atque ſylveſtri curſus.* vulgo: *Nonne frigus.* Palat. ſec. quint. *num frigus, num famem, &c.* Paulò poſt quoque legitur, *non pro ſuo partu*: vulgo: *nonne pro ſuo partu*: ubi tamen illi bini iterum: *num pro ſuo.*

2. *Laudis ſtudioſi, gloriæ gratia.*] Cùm præceſſerit *cauſa*: non videbatur hic quoque iterari debere: ergò recte Lamb. quinque Palat. Fabr. Vatic. *gratia.*

3. *Magnitudinem animi patientia proſecuta.*] Melius ſic quinque Palat. (nam tantulum demutat quart. *perſecuta* reſcribillans) Gryphii liber, Vatican. vulgò: *patientiam proſecuta.*

4. *Ita ſit vita beata ſemper ſapientis.*] Accepit & edidit ſic Lamb. à Victorio & melius omnino eſt in Pall. primo, tertio, quinto, ac Fabr. vulgo; *ita ſit vita beata.*

5. *Sed à te impetrarim libenter ut.*] Quod longè melius, aſſerui ex edit. Victorii, alio vet. cod. Palatin. quart. Vatican. in Palatin. tert. Fabr. eſt: *à te impetrarem libenter.* in Gryphiano vero, & Palatin. ſecund. *ſed à te impetrari lubenter.* vulgò: *ſed à te impetrare libenter velim, niſi.*

6. *Ullius certe diſciplinæ.*] Palatin. ſecundus, quartus, *illius certæ diſciplinæ.*

7. *Sunt autem hæ de finibus, retentæ defenſæque ſententiæ.*] Palatin. ſecund. quint. *ſunt autem hæc de finibus*: & ſic ſemper, ut & in Vatican. puto *hæce*, quia Palatin. quint. Fabr. *hæ.* ſic infra cap. 31. *hæc ſunt ſententiæ.* ita Palatin. quint. Vatican.

8. *Nihil bonum niſi vacuitatem, ut Hieronymus.*] Abeſt ab omnibus mſſ Palatin. Fabr. τὸ *doloris.* quod primo adjecit Aſulana editio, teſte Victorio libro 1. cap. 18. Variar.

9. *Niſi naturæ primis bonis aut omnibus.*] Gulielmius ex conjecturâ, *niſi naturæ plurimis bonis.*

10. *Voluptatem cum honeſtate Dinomachus & Callipho copulavit.*] Ita Victorii & Lambini editiones. Palat. quinque Fab. Gembl. Mart. Fabr. vulgò: *Clitomachus.*

11. *Licet facere id quod fere faciunt.*] Auctiores provocabulo *id* ſunt cod. omnes noſtri, Vatican. Victoriique editio.

12. *Reliqua ex conlatione facile eſt conterere.*] Duo Pal. ſec. quart. *reliqua ex conſolatione*: neſcio quam benè.

13. *Tamen hoc nomen beati longè & latè patet.*] Palatin. ſec. quart. *longè lateque patet.* Vatican. *longè latè patet.*

14. *Sed ſi multò majore ex parte exſtat in utraque felicitas.*] Sic malui partim cum Lambino; partim cum Victorio & Palatin. prim. ſecund. tert. quart. Vatican. vulgò: *majori ex parte exſtet.*

15. *Sequetur igitur bonorum ratione vel ad ſupplicium beata vita virtutem.*] Ut indicavit Schottus legendum: habent quoque Palat. pr. quint. Fabr. Pall. ſec. tert. quart. *honorum.* tenuiſſimo diſcrimine: vulgo, *horum.*

1. Qui

ſtitur, ut omnia, quæ ſine ea ſint, longè, & retrò ponenda cenſeat. Reliqui habere ſe videntur anguſtiùs: enatant tamen: Epicurus, Hieronymus, & ſi qui ſunt, [1] qui diſertum illum Carneadem curent defendere. nemo eſt enim, qui eorum bonorum animum putet eſſe judicem, eumque condocefaciat, ut ea, quæ bona malave videantur, poſſit contemnere. [2] Nam quæ tibi Epicuri videtur, eadem erit Hieronymi, & Carneadis cauſa, & hercle omnium reliquorum. quis enim parum eſt contra mortem, aut dolorem paratus? ordiamur ab eo, ſi placet, quem mollem, quem voluptarium dicimus. Quid? is tibi mortemne videtur, an dolorem timere? qui eum diem, quo moritur, beatum appellat, maximiſque doloribus affectus, eos ipſos inventorum ſuorum memoria, & recordatione confutat: nec hæc ſic agit, ut ex tempore quaſi effutire videatur. [3] de morte enim iſta ſentit, ut, diſſoluto animante, ſenſum exſtinctum putet: quod autem ſenſu careat, nihil ad nos id judicet pertinere. Item de dolore certa habet, quæ ſequatur? [4] quorum magnitudinem brevitate conſolatur, longinquitatem lenitate. quid tandem? iſti grandiloqui contra hæc duo, [5] quæ maximè angunt, meliùs ſe habent, quàm Epicurus? an ad cetera, quæ mala putantur, non & Epicurus, & reliqui philoſophi ſatis parati videntur? quis non paupertatem extimeſcit? neque tamen
32 quiſquam philoſophorum. Hic verò ipſe quàm parvo eſt contentus? nemo de tenui victu plura dixit. etenim quæ res pecuniæ cupiditatem afferunt, ut amori, ut ambitioni, ut quotidianis ſumtibus copiæ ſuppetant: cùm procul ab iis omnibus rebus abſit, cur pecuniam magnopere deſideret, vel potiùs curet omnino? an Scythes Anacharſis potuit pro nihilo pecuniam ducere: [6] noſtrates philoſophi facere non poterunt? Illius epiſtola fertur his verbis, *Anacharſis Hannoni ſalutem.* [7] *Mihi amictui eſt, Scythicum tegmen: calciamentum, ſolorum callum: cubile, terra,* [8] *pulpamentum, fames: lacte, caſeo, carne veſcor. Quare ut ad quietum me licet venias. Munera autem iſta,* [9] *quibus es delectatus, vel civibus tuis, vel diis immortalibus dona.* Omnes ferè philoſophi omnium diſciplinarum, niſi quos à recta ratione natura vitioſa detorſiſſet, eodem hoc animo eſſe potuerunt. Socrates, in pompa cùm magna vis auri, argentique ferretur, *Quàm multa non deſidero!* inquit. Xenocrates, cùm legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attuliſſent, quæ erat pecunia temporibus illis, Athenis præſertim, maxima: [10] abduxit legatos ad cenam in Academiam: iis appoſuit tantum, quod ſatis eſſet nullo apparatu. Cùm poſtridie rogarent eum, cui numerari juberet: *Quid? vos heſterna,* inquit, *cenula non intellexiſtis, me pecunia non egere?* [11] quod cùm triſtioris vidiſſet, xxx. minas accepit, ne aſpernari regis liberalitatem videretur. At verò Diogenes liberiùs, ut Cynicus, Alexandro roganti, ut diceret, [12] ſi quìs opus eſſet, [13] *Nunc quidem paullulum,* inquit, *à ſole.* offecerat videlicet apricanti. Et hic quidem diſputare ſolebat, quanto regem Perſarum vita, fortunaque ſuperaret. *ſibi nihil deeſſe: illi nihil ſatis umquam fore. ſe ejus voluptates non deſiderare, quibus numquam ſatiari ille poſſet: ſuas eum conſequi nullo modo poſſe.* 33 Vides, credo, ut Epicurus cupiditatum genera diviſerit, non nimis fortaſſe ſubtiliter, utiliter tamen: partim eſſe naturaleis, & neceſſarias: partim naturaleis & non neceſſarias: partim neutrum. neceſſarias ſatiari poſſe pæne nihilo: divitias enim naturæ, parabileis eſſe. Secundum autem genus cupiditatum, [14] nec ad potiendum difficile eſſe cenſet, nec verò ad carendum. Tertias, quòd eſſent planè inanes, neque neceſſitatem modò, ſed ne naturam quidem attingerent, funditus ejiciendas putavit. Hoc loco multa ab Epicureis diſputantur, [15] eæque voluptates ſingulatim extenuantur: quarum genera non contemnunt: quærunt tamen copiam. nam & obſcœnas voluptates, de quibus multa ab illis habetur oratio, faciles, communes, in medio ſitas eſſe dicunt: eaſque ſi natura requirat, non genere, aut loco, aut ordine, ſed forma, ætate, figura metiendas putant: ab iiſque abſtinere minimè eſſe difficile, ſi aut valitudo, aut officium, aut fama poſtulet: omninoque genus hoc voluptatum optabile eſſe, ſi non obſit: prodeſſe numquam. Totumque hoc de voluptate ſic ille præcepit, ut voluptatem ipſam per ſe, quia voluptas ſit, ſemper optandam, expetendamque putet: eademque ratione dolorem ob id ipſum, quia dolor ſit, ſemper eſſe fugiendum. itaque hac uſurum compenſatione ſapientem, ut voluptatem fugiat, ſi ea majorem dolorem effectura ſit: & dolorem ſuſcipiat majorem efficientem voluptatem: omniaque jucunda quamquam ſenſu corporis judicentur, ad animum referri tamen. Quocirca corpus gaudere tam diu, dum præſentem ſentiret voluptatem, animum & præſentem percipere pariter cum corpore, & proſpicere venientem, nec præteritam præterfluere ſinere. [16] ita perpetuas, & contextas voluptates in

---

1. *Qui diſertum illum Carneadem curent defendere.*] Pœnè recepi in textum lectionem Pall. tert. quart. quint. Fabr. *deſertum*, conſtanter & liquidè repræſentantium; nec putat CL. Gruterus noſter aliter ſcripſiſſe Tullium.

2. *Nam quæ tibi Epicuri videtur.*] Pall. ſec. quart. Fabr. Vatic. *Nam quod tibi Epicurus.*

3. *De morte enim iſta ſentit.*] Sic Pall. quatuor. Vatic. Victor. vulgò: *ita ſentit.* quintus *iſte ſentit.*

4. *Quorum magnitudinem brevitate conſolatur, longinquitatem lenitate.*] Itidem ex Victorii erui τὸ *lenitate*, & ex Vatic. Pal. quinto. indicavitque hoc quoque ex membr. Longobardicis And. Schott. quamquam eum deprehendas (ut caſſo verbo utar) natinare lib. 2. cap. 20. Nod. vulgò *levitate.*

5. *Quæ maximè angunt.*] Vatican. *quæ hæc maximè angunt.* Pall. ſec. quart. *quæ maximè agunt.*

6. *Noſtrates Philoſophi facere non poterunt.*] Ita ferè omnes Lambini libri & Pall. pr. quint. Vatican. aliàs *potuerunt.* at Manutio non auſculto emoventi verbum *facere*, tanquam otioſum, contraeuntibus omnibus libris mſſ. tam Pall. quàm Lambinianis, denique Gulielmianis, præſertim cùm nihil dedecoris aut dehoneſtamenti (ut idem ille autumat) patiatur nitor Ciceronianus.

7. *Mihi amictui eſt Scythicum tegmen.*] Dudum hæc ita emendaverat edideratque Victorius, quem nemo ex poſterioribus (conſiderate ſultis hominum pertinacem invidiam, & invidam pertinaciam) in egregia hac re eſt imitatus. ſed ſic Pall. quatuor: (quint. *mihi amictum eſt Scythicum tegmen*) Fabr. Vatican. ſic Plaut. *linteum exterſui*, Moſtell. ubi plura J. Mellerus Palmerius. vulgò: *amictus eſt:* putidè.

8. *Pulpamentum fames.*] Lamb. ex conjectura *Pulmentum*, quod in ſolo Palat. ſecundo reperi.

9. *Quibus es delectatus.*] Sic omnes editiones & libri mſſ. in vet. cod. alio *quibus delicatus es*, quod probat Lambin. vel, *quibus deliciaris:* vel, *quibus deliciatus es*, quia Græcè ſcriptum, δὲ ᾧ χαίρεις, οἷς ἐντρυφᾷς.

10. *Abduxit Legatos ad cenam in Academiam.*] Diſpliceat ſanè hæc aliis lectio; mihi genuina omnibus modis videtur, addicentibus & adducentibus eam Pall. tert. quart. quint. alio vet. cod. Fab. Vatic. & quis neget *abducere ad cenam* eſſe Latinum? abduxit ergo recuſantes. Donat. ad Adelp. Terent. *Ducimus volentes, ſed abducimus invitos.* vulgò *adduxit:* aut aliunde ex hoſpitio abduxit ſecum: quod eſt abducere. Terent. Eun. act. 3. ſc. 1.

Tum me convivam ſolum abducebat ſibi.

11. *Quod cùm triſtioris vidiſſet.*] Prætuli hanc lectionem ut probiſſimam ex Palatin. ſecund. nec procul deerrat quart. *quid* exhibens. prim. *quum.* vulgò *quos.* quid autem hîc *quod* agat noriut humaniores.

12. *Quid ſibi opus eſſet.*] Pall. prim. tert. quint. Fabr. ignorant τὸ *ſibi.* ſecund. verò, quart. *ei.* Vatican. *ſi quis opus eſſet*, pro *quibus.* quod mihi omnium maxime allubuit, ut etiam admiſerim.

13. *Nunc quidem paullulum, inquit, à ſole. offecerat.*] Ita Victorius & Lambin. ediderunt; & ita eſt quoque in Pal. prim. tert. quart. quint. Vatican. nam Fabr. *à ſole abſcede.* vulgò, *à ſole abſis:* unde non abſurdè Gulielmius; *à ſole abi ſis:* quia apud Plutarchum in Alexandro μικρὸν ἀπὸ τοῦ ἡλίου μετάστηθι.

14. *Nec ad patiendum difficile eſſe cenſet.*] Inſerunt *eſſe*, quod vulgo ſuo loco abeſt, Victorii edit. Pall. ſecund. quart. quint.

15. *Eæque voluptates ſingillatim extenuantur.*] Alii *ſingulatim.* quod extat in vet. cod. edit. Vict. Pall. pr. quart. vulgò *ſigillatim.* noſtrum defendunt Lambin. Pal. tert. quint. Vatican.

16. *Ita perpetuas & contextas voluptates in ſapiente fore ſemper.*] In Palat. quart. *concertas* fortè *confertas* aut *concretas.*

in ſapiente fore ſemper, [1] cùm exſpectatio ſperatarum voluptatum, perceptarum memoria jungeretur. Atque iis ſimilia, ad victum etiam transferuntur, extenuanturque magnificentia, & ſumptus epularum, quòd parvo cultu
34 natura contenta ſit. Etenim quis hoc non videt, *deſideriis iſta condiri omnia*? Darius in fuga, cum aquam turbidam, & cadaveribus inquinatam bibiſſet, *negavit umquam ſe bibiſſe jucundius.* Numquam videlicet ſitiens biberat. Nec eſuriens Ptolemæus ederat: cui cùm peragranti Ægyptum, comitibus non conſecutis, cibarius in caſa panis datus eſſet, nihil viſum eſt illo pane jucundius. Socratem ferunt, cùm uſque ad veſperum contentius ambularet, quæſitumque eſſet ex eo, quare id faceret, reſpondiſſe, *ſe, quo melius cœnaret, opſonare ambulando famem.* Quid? [2] victum Lacedæmoniorum in phiditiis nonne videmus? ubi cùm tyrannus cenaviſſet Dionyſius, negavit ſe jure illo nigro, [3] quod cenæ caput erat, delectatum. Tum is, qui illa coxerat, [4] *minimè mirum; condimenta enim defuerunt.* Quæ tandem, inquit ille: *Labor in venatu, ſudor, curſus ab Eurota, fames, ſitis.* his enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur. Atque hoc non ex hominum more ſolùm, ſed etiam ex beſtiis intelligi poteſt, quæ, ut quidquid objectum eſt, [5] quòd modò à natura non ſit alienum, eo contentæ non quærunt amplius. Civitates quædam univerſæ, more doctæ, parſimonia delectantur, ut de Lacedæmoniis paullo antè diximus. Perſarum à Xenophonte victus exponitur: quos negat ad panem adhibere quidquam, præter naſturtium. Quamquam, ſi quædam etiam ſuaviora natura deſideret, quàm multa ex terra, arboribuſque gignuntur cùm copia facili, [6] tum ſuavitate præſtantia? adde ſiccitatem, quæ conſequitur hanc continentiam in victu. adde integritatem valitudinis. Confer ſudantis, ructantis, refertos epulis, tanquam opimos boves: tum intelliges, qui voluptatem maximè ſequantur, eos minimè conſequi: *jucunditatemque victus eſſe in deſi-*
35 *derio, non in ſatietate.* Timotheum, clarum hominem Athenis, & principem civitatis, ferunt, cùm cenaviſſet apud Platonem, eoque convivio admodum delectatus eſſet, vidiſſetque eum poſtridie, dixiſſe: Veſtræ quidem cenæ [7] non ſolùm in præſentia, ſed etiam poſtero die jucundæ ſunt. Quid, quòd ne mente quidem rectè uti poſſumus, multo cibo, & potione completi? eſt præclara epiſtola Platonis ad Dionis propinquos: in qua ſcriptum eſt his ferè verbis, *Quò cùm veniſſem, vita illa beata, quæ ferebatur, [8] plena Italicarum, Syracuſiarumque menſarum, nullo modo mihi placuit, bis in die ſaturum fieri, nec umquam pernoctare ſolum: ceteraque, quæ comitantur huic vitæ, [9] in qua ſapiens nemo efficitur umquam, moderatus verò multo minus.* Quæ enim natura tam mirabiliter temperari poteſt? quo modo igitur jucunda vita poteſt eſſe, à qua abſit prudentia? abſit moderatio? ex quo Sardanapali opulentiſſimi Syriæ Regis error agnoſcitur, qui incidi juſſit in buſto:

Hæc habeo, quæ edi, quæque exſaturata libido
Hauſit: at illa jacent multa, & præclara relicta.

Quid aliud, inquit Ariſtoteles, *in bovis, non in regis ſepulcro inſcriberes?* hæc habere ſe mortuum dicit, quæ ne vivus quidem diutiùs habebat, quam fruebatur. Cur igitur divitiæ deſiderentur? aut ubi paupertas beatos eſſe non ſinit? Signis credo, tabulis, ludis. Si quis eſt, qui his delectetur, nonne meliùs tenues homines fruuntur, quàm illi, quis his abundant? eſt enim earum omnium rerum [10] noſtra in urbe ſumma in publico copia. Quæ qui privati habent, nec tam multa, & rarò vident, [11] cùm in ſua rura venerunt. *Quos tamen pungit aliquid, cùm illa unde habeant, recordantur.* [12] Dies deficiet, ſi velim paupertatis cauſam defendere. aperta enim res eſt. & quotidie nos ipſa natura admonet, quàm paucis, quàm parvis rebus egeat, quàm vilibus. Num igitur ignobilitas, aut humilitas, aut 36
etiam popularis offenſio, ſapientem beatum eſſe prohibebit? vide, ne plus commendatio in vulgus, & hæc, quæ expetitur, gloria moleſtiæ habeat, quàm voluptatis. Leviculus ſanè noſter Demoſthenes, qui illo ſuſurro delectari ſe dicebat aquam ferentis mulierculæ, ut mos in Græcia eſt, inſuſurrantiſque alteri, *Hic eſt ille Demoſthenes.* Quid hoc levius? At quantus orator? ſed apud alios loqui videlicet didicerat, non multum ipſe ſecum. Intelligendum eſt igitur, nec gloriam popularem [13] ipſam per ſeſe expetendam, nec ignobilitatem extimeſcendam. *Veni Athenas,* inquit Democritus, [14] *neque me quiſquam agnovit.* Conſtantem hominem, & gravem, qui glorietur, [15] à gloria ſe afuiſſe. An tibicines, iique, qui fidibus utuntur, ſuo, non multitudinis arbitrio, cantus, numeroſque moderantur: vir ſapiens, multò arte majore præditus, non quid veriſſimum ſit, ſed quid velit vulgus, exquiret? an quidquam ſtultius, quàm, quos ſingulos, ſicut operarios, barbaroſque contemnas, eos aliquid putare eſſe univerſos? ille verò noſtras ambitiones, levitateſque contemnet, honoreſque populi, etiam ultrò delatos, repudiabit: nos autem eos neſcimus, ante quàm pœnitere cœpit, contemnere. Eſt apud Heraclitum phyſicum de principe Epheſiorum Hermodoro. univerſos ait Epheſios eſſe morte multandos, quòd, cùm civitate expellerent Hermodorum, ita locuti ſunt: [16] *Nemo de nobis unus excellat: ſin quis exſtiterit, alio in loco, & apud alios ſit.* An hoc non ita fit omni in populo? nonne omnem exſuperantiam virtutis oderunt? quid? Ariſtides (mâlo enim Græcorum, quàm noſtra proferre) nonne ob eam cauſam expulſus eſt patria, quòd præter modum juſtus eſſet? Quantis igitur moleſtiis vacant, qui nihil omnino cum populo contrahunt? *quid eſt enim dulcius otio litterato?* iis dico litteris, quibus infinitatem rerum, atque naturæ, & in hoc ipſo mundo cœlum, terras, maria cognoſcimus. Contemto igitur honore, contemta 37
pecu-

1. *Cum exſpectatio ſperatarum voluptatum, perceptarum memoria jungeretur.*] Antiquiſſimam hanc ſcripturam edidit Victorius, neque improbat Lambinus, mavult tamen; *cum exſpectatio ſperatarum, perceptarum memoria jungeretur.* ſeu, *cum perceptarum memoria jungitur.* ſed non eſt neceſſe invitis libris iſtas exordiri curationes. ut edimus habent quoque Palat. tert. quart. quint. Fabr. Vatican. vulgò; *cum exſpectationi ſperatarum, perceptarum memoria jungeretur.* Pal. ſec. *cum exſpectatione ſperatur.*

2. *Victum Lacedæmoniorum in Phiditiis nonne videmus.*] Quinque Palat. Vatic. Fabr. alii *Philitiis.*

3. *Quod cœna caput erat.*] Pal. ſec. quart. *rapuerat.* tert. *cupierat.* non intelligo.

4. *Minime mirum; condimenta.*] Rectius ſic quinque Pal. Vatic. edit. Victorii. vulgò: *minimè mirum inquit.*

5. *Quod modo à natura non ſit alienum.*] Palat. quinque *quomodo.* Vatic. *quod a natura non ſit al.*

6. *Cum ſuavitate præſtantia.*] Lambinus & Gulielmius ex conjectura *præſtanti.*

7. *Non ſolum in præſentia.*] Fabr. *præſenti.*

8. *Plena Italicarum Syracuſiarumque menſarum.*] Non *Syracuſanarum*, vulgo cudit Victor. præferunt Pall. tert. quart. Fabr. Vatican.

9. *In qua nemo ſapiens efficietur unquam.*] Aſſenſum præbui Lambino impellentibus præterea tribus Palat. Fabr. Vatican. at Palat. quart. *afficietur.* vulgò *efficitur.*

10. *Noſtra in urbe ſumma in publico copia.*] Expungunt prius *in*, Palat. tert. quart. quint. & videtur omnino ſupervacuum.

11. *Cum in ſua rura venerunt.*] Sic quatuor Pallat. (nam in quinto hæc omiſſa ſunt) & Fabr. vulgò *venerint.*

12. *Dies deficiet.*] Palatin. tert. Vatican. *deficiat.* alii ex conjectura, *Dies me deficiet.*

13. *Ipſam per ſeſe expetendam.*] Inſerui alterum *ſe* ex mſſ. Pall. quatuor.

14. *Neque me quiſquam agnovit.*] Rectè Lambinus & vetus codex, ignorant τὸ *ibi*, quod neque in Palat. prim. tert. agnoſcitur. Vide Victorium lib. XIX. cap. 22. Palat. quart. *neque me quiſquam ibi ignovit.*

15. *A gloria afuiſſe.*] Ita vett. duo codd. ita Lambin. monuique in Crepundiis: ſic Ovidius, *Nec Chanis afuit arbor.* ſic Curtius: *pluribus cura omnibus afuiſſe fortunam.* libro III. vulgò *abſuiſſe.*

16. *Nemo de nobis unus excellat; ſin quis extiterit.*] Ita rectè accuratiſſimus Victorius, neque aliter Pal. ſec. quart. quint. Vatic. vulgò: *ſed, ſi quis ext.*

1. Sin

pecunia, quid relinquitur, quod extimeſcendum ſit? exſilium, credo: quod in maximis malis ducitur. Id ſi propter alienam, & offenſam populi voluntatem malum eſt: quàm ſit ea contemnenda, paullo antè dictum eſt. [1] Sin abeſſe patria miſerum eſt: plenæ miſerorum provinciæ ſunt: ex quibus admodum pauci in patriam revertuntur. At multantur bonis exſules. Quid tum? parumne multa de toleranda paupertate dicuntur? jam verò exſilium, ſi rerum naturam, non ignominiam nominis quærimus, [2] quantum demum à perpetua peregrinatione differt? in qua ætates ſuas philoſophi nobiliſſimi conſumſerunt, Xenocrates, Crantor, Arceſilas, Lacydes, Ariſtoleles, Theophraſtus, Zeno, Cleanthes, Chryſippus, Antipater, Carneades, Panætius, Clitomachus, Philo, Antiochus, Poſidonius, innumerabiles alii: qui ſemel egreſſi, numquam domum revertêre. [3] At enim ſine ignominia * afficere ſapientem. de ſapiente enim hæc omnis oratio eſt, cui jure id accidere non poſſit. nam jure exſulantem conſolari non oportet. Poſtremò ad omneis caſus facillima ratio eſt eorum, qui ad voluptatem ea referunt, quæ ſequuntur in vita, [4] ut, quocumque hæc loco ſuppeditetur, ibi beatè queant vivere. Itaque ad omnem rationem Teucri vox accommodari poteſt,

Patria eſt, ubicumque eſt bene.

Socrates quidem cùm rogaretur, cujatem ſe eſſe diceret. *Mundanum*, inquit. totius enim mundi ſe incolam, & civem arbitrabatur. Quid T. Albutius? nonne animo æquiſſimo Athenis exſul philoſophabatur? cui tamen illud ipſum non accidiſſet, ſi in repub. quieſcens, Epicuri legibus paruiſſet. Quî enim beatior Epicurus, quòd in patria vivebat, [5] quàm quòd Athenis Metrodorus? aut Plato Xenocratem vincebat, aut Polemo Arceſilam, quo eſſet beatior? Quanti verò iſta civitas æſtimanda eſt, ex qua boni, ſapienteſque pelluntur? Demaratus quidem Tarquinii, regis noſtri, pater, tyrannum Cypſellum quòd ferre non poterat, fûgit Tarquinios Corintho, & ibi ſuas fortunas conſtituit, ac liberos procreavit. Num ſtultè antepoſuit exſi-
38 lii libertatem domeſticæ ſervituti? Jam verò *motus animi, ſollicitudines, ægritudineſque oblivione leniuntur, traductis animis ad voluptatem.* Non ſine cauſa igitur Epicurus auſus eſt dicere, ſemper in pluribus bonis eſſe ſapientem, quia ſemper ſit in voluptatibus. Ex quo effici putat ille, quod quærimus, ut ſapiens ſemper beatus ſit. etiamne, ſi ſenſibus carebit oculorum, ſi aurium? Etiam. nam iſta ipſa contemnit. Primùm enim, horribilis iſta cæcitas quibus tandem caret voluptatibus? cùm quidam etiam diſputent, ceteras voluptates in ipſis habitare ſenſibus: quæ autem adſpectu percipiantur, ea non verſari in oculorum ulla jucunditate: ut ea, quæ guſtemus, olfaciamus, tractemus, audiamus, in ea ipſa, ubi ſentimus, parte verſentur, in oculis tale nihil fit. animus accipit quæ videmus. Animo autem multis modis, variiſque delectari licet, etiam ſi non adhibeatur adſpectus. Loquor enim de docto homine, & erudito, cui vivere eſt, cogitare. ſapientis autem cogitatio non fermè ad inveſtigandum adhibet oculos advocatos. etenim *ſi nox non adimit vitam beatam, cur dies nocti ſimilis adimat?* nam illud Antipatri Cyrenaici eſt quidem paullo obſcænius, ſed non abſurda ſententia eſt: cujus cæcitatem cùm mulierculæ lamentarentur, *Quid agitis:* inquit: *an vobis nulla videtur voluptas eſſe nocturna?* Appium quidem veterem illum, qui cæcus annos multos fuit, & ex magiſtratibus, & ex rebus geſtis intelligimus, in illo ſuo caſu nec privato, nec publico munere defuiſſe. [6] G. Druſi [7] domum compleri à conſultoribus ſolitam accepimus: cùm, quorum res eſſet, ſua ipſi non videbant, cæcum adhibebant ducem. Pueris nobis, Cn. Aufidius præ- 39
torius & in ſenatu ſententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat, & Græcam ſcribebat hiſtoriam, & videbat in litteris. [8] Diodotus Stoicus, cæcus, multos annos [9] domi noſtræ vixit. Is verò, quod credibile vix eſſet, cùm in philoſophia multo etiam magis aſſiduè, quàm antea, verſaretur, & cùm fidibus Pythagoreorum more uteretur, cumque ei libri nocteis, & dies legerentur, quibus in ſtudiis oculis non egebat: [10] tum quod ſine oculis fieri poſſe vix videtur, geometriæ munus tuebatur, verbis præcipiens diſcentibus, unde, quò, quamque lineam ſcriberent. [11] Aſclepiadem ferunt, non ignobilem, Eretricum philoſophum, cùm quidam quæreret, quid ei cæcitas attuliſſet, reſpondiſſe, *puero ut uno eſſet comitatior.* Ut enim vel ſumma paupertas tolerabilis ſit, ſi liceat, quod quibuſdam Græcis quotidie: ſic cæcitas ferri facilè poſſit, ſi non deſint ſubſidia valitudinum. Democritus luminibus amiſſis, alba ſcilicet, & atra diſcernere non poterat: at verò bona, mala: æqua, iniqua: honeſta, turpia: utilia inutilia: magna, parva poterat: & ſine varietate colorum licebat vivere beatè: ſine notione rerum non licebat. Atque hic vir impediri animi etiam aciem adſpectu oculorum arbitrabatur: &, [12] cùm alii ſæpe, quod ante pedes eſſet, non viderent, [13] ille infinitatem omnem peregrinabatur, ut nulla in extremitate conſiſteret. Traditum eſt etiam, Homerum cæcum fuiſſe. At ejus picturam, non poëſim, videmus. Quæ regio, quæ ora, qui locus Græciæ, [14] quæ ſpecies formæ, quæ pugna, quæ acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum, non ita expictus eſt, ut, quæ ipſe non vide-

1. *Sin abeſſe patriâ miſerum eſt.*] Delevi præpoſitionem *à* non neceſſariam ex quatuor Pall.

2. *Quantum demum à perpetua peregrinatione differt?*] Pal. quatuor priores *quantum damna* (vel, *dampna*) *perpetua peregrin. diff.* Vatican. *quantum damna à perp. peregrin. diff.*

3. *At enim * ſine ignominia afficere * ſapientem. de ſapiente enim hæc omnis oratio eſt.*] Ut reperi in mſſ. ita edendum judicavi: exſtat autem ſic in Palat. ſec. tert. quart. partim quint. Fabr. Vatic. vulgo: *At enim * non ſine ignominia afficere poterit ſapientem. de ſapiente enim eſt hæc omnis oratio.* Lambino impensè placet conjectura Manutii: *At enim non erit ſine ignominia. Ignominia afficere poterit ſapientem? de ſapiente enim.*

4. *Ut quocunque hæc loco ſuppeditetur.*] Recepi ex Victorii editione, Palatin. quarto, Vatican. Fabr. vulgò: *ſuppeditent.*

5. *Quam quod Athenis Metrodorus?*] Ita ordinant Victorii editio, Pal. ſecund. quart. quint. vulgò; *quam Metrodorus, quòd Athenis?*

6. *Gaij Druſi domum.*] Sic præit legendum Pal. quart. qui regerit *Gaij truſi.* Pal. tert. Gembl. *atruſi.* Fab. *atriſii.* Mart. *Gatruſi.* Pal. ſec. *Gratruſi.* vulgò: *C. autem Druſi.* interpolatitiè.

7. *Domum compleri à conſultoribus ſolitam.*] Immiſi τὸ *à* ex Pall. quinque Gemb. Martin.

8. *Diodotus Stoicus cæcus.*] Ut Victorius & Lambin. ediderunt, exprimendum duxi: quia ſic quoque Fabr. Palatin. nam ſecund. *Diodotus*, vulgò *Diodorus.*

9. *Domi noſtræ vixit.*] Sic rectius vet. cod. Pal. quint. ipſe Lamb. quippe Pal. quart. *noſtræ domui vixit.* vulgo; *noſtræ domi vixit.*

10. *Tum quod ſine oculis fieri poſſe vix videtur.*] Leviculam particulam *tum* pro *tamen* immutavi, jubente ac præeunte ſolertiſſimo editore Victorio, tùm quatuor Pall. prioribus.

11. *Aſclepiadem ferunt non ignobilem, Eretricum Philoſophum.*] Retinui lectionem Victorii, quam & Lambinus ſequutus eſt: quia parùm opis à libris Pall. aliiſque, quorum prim. ut & Victorii *hereticum.* tert. *heretricum*, quod proximè accedit veritati. Palatini quart. Mart. *metricum.* Fabr. Gembl. *criticum.* Palat. quint. *medicum.* ut & Lambinus in primâ: *non ignobilem medicum & philoſophum.* vulgò, *nec inexercitum.* quod per me placeat Schotto lib. 2. cap. 21. Nodorum.

12. *Cùm alii quod ante pedes eſſet non videret.*] Sic ordinavi ex Victorii edit. Pall. pr. tert. quint. Fabr. vulgò: *quod eſſet antè.* Propert. *Ante pedes cæcis lucebat ſemita nobis:* Terent. Adelph. act. III. ſc. 3.

Iſtuc eſt ſapere, non quod ante pedes modò eſt
Videre, ſed etiam illa quæ futura ſunt.

Ferè *ut* Græci πρὸ ποδῶν, πρὸ χειρῶν. ut Sophocles. ideò minus aſſentior Pall. ſec. tert. repræſentanti; *quod ante eſſet, non viderent.*

13. *Ille infinitatem omnem peregrinabatur.*] Inſolenter dictum, cui ut ſuccurreret Lambinus, nihil intentatum, nil liquit inauſum: quippe legit: *ille in infinitatem.* ſed illo melius Fabr. *ille per infinitatem.* Pal. verò quint. *illam infinitatem*; qui & mox legit: *ut nullâ extremitate conſiſteret.*

14. *Quæ ſpecies formæ, quæ pugna.*] Vet. codd. & Fabr. *quæ ſpecies formaque pugnæ*, non melius vulgatâ: cauſam norint ſapientes.

viderit, nos ut videremus, effecerit? [1] quid ergo aut Home-
ro ad delectationem animi, ac voluptatem, aut cuiquam
docto defuiſſe umquam arbitramur? [2] aut, ni ita ſe res ha-
beret, Anaxagoras, aut hic ipſe Democritus, agros, & pa-
trimonia ſua reliquiſſent: huic diſcendi, quærendique
[3] divinæ delectationi toto ſe animo dediſſent? Itaque au-
gurem Tireſiam, quem ſapientem fingunt poëtæ, num-
quam inducunt deplorantem cæcitatem ſuam: at verò Po-
lyphemum Homerus cùm immanem, ferumque finxiſſet,
cum ariete etiam colloquentem facit, ejuſque laudare for-
tunas, quòd, quà vellet, ingredi poſſet, [4] &, quæ vellet,
attingere. Rectè hic quidem. nihilo enim erat ipſe Cyclops,
40 quàm aries ille, prudentior. In ſurditate verò quidnam eſt
mali? erat ſurdaſter M. Craſſus: ſed *aliud moleſtius, quòd
male audiebat*, etiamſi, ut mihi videbatur, injuria. [5] Epi-
curei noſtri Græcè ferè neſciunt, nec Græci Latinè. ergo
hi in illorum, & illi in horum ſermone ſurdi: omneſque
id nos in iis linguis, quas non intelligimus, quæ ſunt in-
numerabiles, ſurdi profectò ſumus. At vocem citharœdi
non audiunt: ne ſtridorem quidem ſerræ tum, cum acui-
tur: [6] aut grunnitum, cùm jugulatur ſus: nec, cùm quie-
ſcere volunt, fremitum murmurantis maris. Et, ſi cantus
eos fortè delectant, primùm cogitare debent, antequàm hi
ſint inventi, multos beatè vixiſſe ſapienteis. deinde multo
majorem percipi poſſe legendis his, quàm audiendis, vo-
luptatem. Tum, ut paullo antè cæcos ad aurium traduce-
bamus voluptatem, ſic licet ſurdos ad oculorum. etenim
qui ſecum loqui poterit, ſermonem alterius non requiret.
[7] Congerantur in unum omnia, ut idem oculis, & auri-
bus captus ſit: prematur etiam doloribus acerrimis corpo-
ris: qui primùm per ſe ipſi plerumque conficiunt homi-
nem: ſin fortè longinquitate producti vehementiùs tamen
torquent, quàm ut cauſa ſit, cur ferantur: quid eſt tandem,
dii boni, quod laboremus? portus enim præſtò eſt, quo-
niam mors ibidem eſt, æternum nihil ſentienti receptacu-
lum. Theodorus Lyſimacho mortem minitanti: *Magnum
verò*, inquit, *effeciſti, ſi cantaridis vim conſecutus es.* Pau-
lus Perſæ deprecanti, ne in triumpho duceretur, [8] *In tua
id quidem poteſtate eſt.* Multa primo die, cùm de ipſa mor-
te quæreremus: non pauca etiam poſtero, cùm ageretur de
dolore, ſunt dicta de morte: quæ qui recordetur, haud
ſanè periculum eſt, ne non mortem aut optandam, aut
certè non timendam putet. Mihi quidem in vita, ſervanda 41
videtur illa lex, quæ in Græcorum conviviis obtinetur:
Aut bibat, inquit, *aut abeat.* Et rectè. Aut enim fruatur
aliquis pariter cum aliis voluptate potandi: aut, ne ſobrius
in violentiam vinolentorum incidat, antè diſcedat: ſic
injurias fortunæ, quas ferre nequeas, [9] defugiendo relin-
quas. Hæc eadem, quæ Epicurus, totidem verbis dicit &
Hieronymus. [10] Quòd ſi ii philoſophi, quorum ea ſententia
eſt, *ut virtus per ſe ipſa nihil valeat*, [11] omneque quod ho-
neſtum nos, & laudabile eſſe dicimus, id illi caſſum quid-
dam, [12] & inani vocis ſono decoratum eſſe dicant: & ta-
men ſemper beatum cenſent eſſe ſapientem: [13] quid tandem
à Socrate & Platone profectis philoſophis faciendum putes?
quorum alii tantam præſtantiam in bonis animi eſſe di-
cunt, [14] ut ab his, corporis externa obſervent: alii autem
hæc ne bona quidem ducunt; in animo reponunt omnia.
Quorum controverſiam ſolebat tanquam honorarius arbi-
ter, judicare Carneades. nam cùm, quæcumque bona
Peripateticis, eadem Stoicis commoda viderentur: neque
tamen Peripatetici plus tribuerent divitiis, bonæ valitudini,
ceteris rebus generis ejuſdem, quàm Stoici: cùm ea, re, non
ponderarentur: [15] cauſam eſſe deſiderandi negabat. Quare
hunc locum ceterarum diſciplinarum philoſophi quemad-
modum obtinere poſſint, ipſi viderint. Mihi tamen gratum
eſt, quòd de ſapientium perpetua bene vivendi facultate di-
gnum quiddam philoſophorum voce profitentur. Sed quo-
niam manè eſt eundum, has quinque dierum diſputationes
memoria comprehendamus. Equidem me etiam conſcri-
pturum arbitror. ubi enim meliùs uti poſſumus hoc, cui-
cuimodi eſt, otio? ad Brutumque noſtrum hos libros al-
teros quinque mittemus: à quo non modò impulſi ſumus
[16] ad philoſophas ſcriptiones, verùm etiam laceſſiti. In quo
quantum ceteris profuturi ſumus, non facilè dixerimus:
noſtris quidem acerbiſſimis doloribus, variiſque, & undi-
que circumfuſis moleſtiis alia nulla potuit inveniri le-
vatio.

M. Tul-

1. *Quid ergo aut Homero delectationem animi.*] Vulgò: *Homero ad delectat.* contra quod eunt Pall. quinque Fabr. Vatic. verò: *animi aut voluptatem cuique.* Fab. item Pall. ſecund. quart. quint. *delectationem animi aut voluptatem aut cuiquam.*

2. *Aut ni ita ſe res haberet.*] Pal. tert. *aut nuda ſe res haberet.* quart. *aut nudas res haberet.*

3. *Divinæ delectationi toto ſe amino dediſſent.*] Sic quinque Pall. & Fabr. & quinque libri Lambini, quod magis probat, quam vulgi *dedidiſſent.*

4. *Et quæ vellet attingere.*] Quidam, ut monet Lambin. *& quæ vellet aſpicere.* Fabr. Gemblac. Martin. Palat. ſecund. quint. *& quem vellet attingeret.* Pallat. quart. *quod quà vellet attingeret.* alii *contingere.* alii *amtingere*, quale invexi ex mſſ. Ovidio in Crepundiis.

5. *Epicurei noſtri Græcè ferè neſciunt.*] Inſulſius nobis vulgò; *Græci fari neſciunt.* ſed hanc elegantiam debemus Pall. tert. quart. Fabr. Gembl. Vatic.

6. *Aut grunnitum, cum jugulantur ſuis.*] Cum Victor. conſentiunt mſſ. Suffridi. Vatic. Gemb. vulgò *ſus.*

7. *Congerantur in unum omnia.*] Indicavi in Crepundiis, exhiberi à Fabritiano: *congregantur.* Vatican. nunc, *congregantur in unum.*

8. *In tua id quidem poteſtate eſt.*] Revocavi (extritâ vulgata hacce, *in tua id, inquit, poteſt.*) lectionem Victorii Pallat. pr. tert. quart. quint. Vatican. Fabr. Palatin. ſecund. *id in tua quidem poteſtate eſt.*

9. *Defugiendo relinquas.*] Palatin. ſecund. Fabr. *diffug.*

10. *Quod ſi ii Philoſophi quorum.*] Sequuti ſumus Lambin. à prim. ſecund. quart. Vatic. amplius invitati: vulgò, *quod ſi his Philoſophis.*

11. *Omneque quod honeſtum nos & laudabile eſſe dicimus.*] Inſinuarunt copulam *que* Victor. Pall. prim. ſecund. quart. quint. Fabr. Vatican. neque nobis omittendam. ceterùm Pall. ſecund. quart. quint. al. vet. eod. *dicamus.* Palat. pr. *ducamus.*

12. *Inani vocis ſono decoratum eſſe.*] Alii *inanis.* ſed illud ſervant Pall. ſecund. quartus, quint. Vatic. denique Fabr. Gembl. ipſaque editio Victorii.

13. *Quid tandem à Socrate & Platone profectis Philoſophis.*] Hoc malui, quia ſic in Vatican. hocque olim Gulielmius; ſed ex quo libro non addit: quippe notat, *perfecti à Socrate*, διδαχθέντες. malim tamen *profecti*, ut ſemper noſter Cicero loqui conſuevit.

14. *Ut ab his corporis externa obſervent.*] Sic reperio in Pall. quinque, Fabr. Gembl. Martin. vulgò ineptè: *obſcurentur.*

15. *Cauſam eſſe deſiderandi negabant.*] Sic Victorius, Pall. prim. tert. quint. Gembl. Martin. Vatican. at Pall. ſecund. quart. *deſideranti.* Fabr. *differendi.* vulgo: *diffidendi.*

16. *Ad Philoſophas ſcriptiones.*] Elegantius hoc in Pall. ſecund. quart. Ulrichian. Gembl. aliàs *Philoſophicas.*

1. Ad

M. TULLII CICERONIS DE NATURA DEORUM, AD M. BRUTUM, LIBER PRIMUS.

1 CUM multæ res in philoſophia nequaquam ſatis adhuc explicatæ ſint, tum perdifficilis, Brute, (quod tu minimè ignoras,) & perobſcura quæſtio eſt de natura deorum: quæ [1] & *ad agnitionem animi* pulcherrima eſt, & *ad moderandam religionem* neceſſaria. De qua tam variæ ſunt doctiſſimorum hominum, tamque diſcrepantes ſententiæ; [2] ut magno argumento eſſe debeat, cauſam, id eſt, principium philoſophiæ, eſſe ſcientiam: prudenterque Academicos *à rebus incertis aſſenſionem cohibuiſſe.* quid eſt enim [3] temeritate fortiùs? aut quid tam temerarium, tamque indignum ſapientis gravitate, atque conſtantia, quàm aut falſum ſentire, aut, quod non ſatis exploratè perceptum ſit, & cognitum, ſine ulla dubitatione defendere? velut in hac quæſtione, plerique (quod maximè veriſimile eſt, [4] & quo omnes duce natura vehimur,) DEOS ESSE dixerunt: *dubitare ſe* Protagoras: *nullos eſſe omnino* Diagoras Melius, & Theodorus Cyrenaicus putaverunt. Qui vero deos eſſe dixerunt, tanta ſunt in varietate, [5] ac diſſenſione, ut eorum moleſtum ſit dinumerare ſententias. Nam & de *figuris* deorum, & de *locis*, atque *ſedibus*, & *actione vitæ* multa dicuntur: [6] [deque his ſumma philoſophorum diſſenſione certatur.] quod verò maximè rem, cauſamque [7] continet, utrùm *nihil agant*, nihil *moliantur*; omni curatione, & adminiſtratione rerum vacent, an contrà ab his & à principio omnia facta, & conſtituta ſint, & ad infinitum tempus regantur, atque moveantur, inprimiſque magna diſſenſio eſt. eaque niſi dijudicetur, in ſummo errore neceſſe eſt homines, atque in maximarum
2 rerum ignoratione verſari. Sunt enim philoſophi, & fuerunt, qui omnino *nullam habere* cenſerent *humanarum rerum procurationem deos.* Quorum ſi vera ſententia eſt, quæ poteſt eſſe pietas? quæ ſanctitas? quæ religio? hæc enim omnia, purè, ac caſtè tribuenda deorum numini ita ſunt, ſi animadvertuntur ab his, & ſi eſt aliquid à diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem dii neque poſſunt nos juvare, neque volunt; nec omnino curant; nec, quid agamus, animadvertunt; nec eſt quod ab his ad hominum vitam permanare poſſit: quid eſt, quòd ullos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In ſpecie autem fictæ ſimulationis, ſicut reliquæ virtutes, ita *pietas* ineſſe non poteſt, cum qua ſimul & ſanctitatem, & religionem tolli neceſſe eſt: quibus ſublatis, *perturbatio vitæ* ſequitur, & magna confuſio. Atque haud ſcio, an pietate adverſus deos ſublata, *fides* etiam, & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus, juſtitia tollatur. Sunt autem alii philoſophi, & hi quidem magni, atque nobiles, qui deorum mente, atque ratione omnem *mundum adminiſtrari*, & regi cenſeant: neque verò id ſolum, ſed etiam ab iiſdem *vitæ hominum conſuli*, & provideri. nam & fruges, & reliqua, quæ terra pariat, & tempeſtates, ac temporum varietates, cælique mutationes, quibus omnia, quæ terra gignat, maturata pubeſcant, à diis immortalibus tribui generi humano putant: multaque, quæ dicentur in his libris, colligunt: quæ talia ſunt, ut ea ipſa dii immortales ad uſum hominum *fabricati penè* videantur. Contra quos Carneades ita multa diſſeruit, ut excitaret homines non ſocordeis ad veri inveſtigandi cupiditatem. res enim nulla eſt, de qua tantopere non ſolùm *indocti*, ſed etiam *docti* diſſentiant. quorum opiniones cùm tam variæ ſint, tamque inter ſe diſſidentes: alterum fieri profectò poteſt, ut earum nulla: alterum certè non poteſt, ut plus una vera ſit. Qua quidem in cauſa & benevolos objurgatores placare, & invidos vituperatores confutare poſſumus, 3
ut alteros reprehendiſſe pœniteat, alteri didiciſſe ſe gaudeant. Nam QUI ADMONENT amicè, docendi ſunt: qui inimicè inſectantur, repellendi. Multum autem fluxiſſe video de libris noſtris, quos complureis brevi tempore edidimus, variumque ſermonem, partim admirantium, unde hoc philoſophandi nobis ſubitò ſtudium exſtitiſſet: partim, quid quaque de re certi haberemus, ſcire cupientium. Multis etiam ſenſi mirabile videri, eam nobis potiſſimùm probatam eſſe philoſophiam, quæ *lucem eriperet*, & quaſi noctem quandam rebus offunderet, deſertæque diſciplinæ, [8] & jam pridem relictæ, patrocinium nec-opinatum à nobis eſſe ſuſceptum. Nos autem nec ſubitò cœpimus philoſophari: nec mediocrem à primo tempore ætatis in eo ſtudio operam, curamque conſumſimus, &, *cùm mini-*

1. A*d agnitionem animi.*] Ita Pall. nam Wouverii duo *cognitionem*, quod minus placet, quamvis exſtet ad oram Lambinianæ. videatur Turnebus, qui impugnat *agitationem* Mureti lib. XIV. cap. 14.

2. *Ut magno argumento eſſe debeat, cauſam, id eſt, principium Philoſophiæ eſſe ſcientiam.*] Vocula *ut* non comparet in Palat. ſecund. aut tert. nam primus ab principio mutilus eſt uſque ad caput XI. optimæ alioquin notæ, cui ſecundas agit Palatin. ſecund. tert. pro *ſcientiam*, exhibet *ſententiam.* Manutius publicavit *inſcientiam*, contra Turnebum qui conſulatur dicto capite.

3. *Temeritate fortius.*] Pala. tert. *turpius.* ſed ille eſt ſcripturæ recentis. alterum reſtat in ſecund. duobuſque quos excuſſit Janus noſter Wouverius; neque aliter Victoriana. & perplacet, propugnatore Turnebo, quidquid oblatret Lambinus.

4. *Et quo omnes duce natura vehimur.*] Gulielmii liber quidam *venimus*; quod ei placuit neque aliter Palat. ſec. qui tamen præterea, *omne eſſe duce, &c.* nam tert. *& quod hoc duce natura novimus.* quæ hæc exſcriptorum licentia eſt?

5. *Ac diſſenſione, ut eor. mol. ſit dinumerare, &c.*] Eſt ab editione Victorii, adſtipulaturque Palatin. ſecund. & alter Wouverianus: vulgati *& diſſenſione conſtituti, ut eor. mol. ſit annumerare, &c.* Lambino quidem etiam diſplicuit illud *conſtituti*, deletum cupit ideo tantum, quod ei diſpliceat.

6. *Deque his ſumma, &c.*] Sepſi hæc uncis, tanquam ſpuria, neque inventa Gulielmio in codice ſcripto cui notam ponit P. & vero Palatin. ſecund. habet, *de quo ſumma*; ut appareat vel ex diverſitate ſcripturæ de falſo.

7. *Continet, utrum, &c. moliantur; omni.*] Sic omnino Gulielmiani, & Palatin. tert. nam, ſecund. *ac ab omni.* vulgati; *continet eſt, utrum, &c. moliantur; an ab omni.* videantur & Lambinus.

8. *Et jam pridem relictæ.*] Palatin. ſecund. *& jam quidem pridem relictæ.* Idemque ſupra ubi habebamus, *alterum fieri profecto, &c.* præferebat *alterutrum, &c. ut earum ulla.*

1. Arbi-

nimus videbamur, *tum maximè philoſophabamur.* quod & orationes declarant, refertæ philoſophorum ſententiis, & doctiſſimorum hominum familiaritates, quibus ſemper domus noſtra floruit: & principes illi, Diodotus, Philo, Antiochus, Poſidonius, à quibus inſtituti ſumus. Et, ſi OMNIA PHILOSOPHIÆ præcepta referuntur ad vitam, [1] arbitramur nos & publicis, & privatis in rebus ea præſtitiſſe,
4 quæ ratio & doctrina præſcripſerit. Sin autem quis requirit, quæ cauſa nos impulerit, ut hæc tam ſerò litteris mandaremus, nihil eſt, quod expedire tam facilè poſſimus. Nam cùm otio langueremus, & is eſſet reip. ſtatus, ut eam *unius conſilio, atque cura gubernari neceſſe eſſet:* primùm ipſius reip. cauſa philoſophiam noſtris hominibus explicandam putavi, magni exiſtimans intereſſe ad decus & laudem civitatis, res tam graveis, tamque præclaras Latinis etiam literis contineri. [2] Eoque me minùs inſtituti mei pœnitet, quòd facile ſentio, quam multorum non modò *diſcendi*, ſed etiam *ſcribendi ſtudia* commoverim. complures enim [3] Græcis inſtitutionibus eruditi, ea, quæ didicerant, cum civibus ſuis communicare non poterant, quòd illa, quæ à Græcis accepiſſent, Latinè dici poſſe diffiderent. quo in genere tantum profeciſſe videmur, ut à Græcis ne verborum quidem copia vinceremur. Hortata etiam eſt, ut me ad hæc conferrem, *animi ægritudo*, fortunæ magna, & gravi commota injuria. [4] cujus ſi majorem aliquam levationem reperire potuiſſem, non ad hanc potiſſimùm confugiſſem. Ea verò ipſa nulla ratione meliùs frui potui, quàm ſi me non modò ad legendos libros, ſed etiam ad totam philoſophiam pertractandam dediſſem. Omnes autem ejus partes, atque omnia membra tum facillimè noſcuntur, cùm totæ quæſtiones ſcribendo explicantur. eſt enim admirabilis quædam continuatio, ſerieſque rerum, ut alia ex alia nexa, & omnes inter ſe aptæ, colligatæque videan-
5 tur. Qui autem requirunt, quid quaque de re ipſi ſentiamus, curioſiùs id faciunt, quàm neceſſe eſt. *non enim tam auctores in diſputando, quàm rationis momenta quærenda ſunt.* quin etiam obeſt plerumque iis, qui diſcere volunt, auctoritas eorum, qui ſe docere profitentur. deſinunt enim ſuum judicium adhibere: id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Nec verò probare ſoleo id, quod de Pythagoreis accepimus: quos ferunt, ſi quid affirmarent in diſputando, cùm ex iis quæreretur, quare ita eſſet, reſpondere ſolitos, IPSE DIXIT. ipſe autem, erat Pythagoras. tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam ſine ratione valeret auctoritas. Qui autem mirantur, nos hanc potiſſimùm diſciplinam ſecutos, his quattuor Academicis libris ſatis reſponſum videtur. Nec verò deſertarum, relictarumque rerum patrocinium ſuſcepimus. *non enim hominum interitu ſententiæ quoque occidunt:* ſed lucem auctoris fortaſſe deſiderant: ut hæc in philoſophia ratio contra omnia diſſerendi, nullamque rem apertè judicandi, profecta à Socrate, repetita ab Arceſila, confirmata à Carneade, uſque ad noſtram viguit ætatem: quam nunc propemodum orbam eſſe in ipſa Græcia intelligo. quod non Academiæ vitio, ſed *tarditate hominum* arbitror contigiſſe. Nam ſi ſingulas diſciplinas percipere, magnum eſt: quanto majus omneis? quod facere iis neceſſe eſt, quibus propoſitum eſt, veri reperiendi cauſa, & contra omneis philoſophos, & pro omnibus dicere. Cujus rei tantæ, tamque difficilis facultatem *conſecutum* eſſe me non profiteor: *ſecutum* eſſe præ me fero. Nec tamen fieri poteſt, ut, qui hac ratione philoſophentur, ii nihil habeant, quod ſequantur. Dictum eſt omnino hac de re alio loco diligentiùs: ſed quia nimis indocilis quidam, tardique ſunt, *admonendi videntur ſæpius.* [5] non enim ſumus ii, quibus nihil verum eſſe videatur: ſed ii, qui omnibus veris falſa quædam adjuncta eſſe dicamus, tanta ſimilitudine, ut in iis nulla inſit certa judicandi, & aſſentiendi nota. ex quo exiſtit & illud, *multa eſſe probabilia:* quæ quamquam non perciperentur, tamen quia viſum haberent quendam inſignem, & illuſtrem, his ſapientis vita regeretur. Sed jam, ut omni me 6
invidia liberem, ponam in medio ſententias philoſophorum de natura deorum. quo quidem loco convocandi omnes videntur, qui, quæ ſit earum vera, judicent. Tum demum mihi procax Academia videbitur, ſi aut conſenſerint omnes, aut erit inventus aliquis, qui, quid verum ſit, invenerit. Itaque mihi libet exclamare, [6] ut Statius in Synephebis:

> *Pro deûm, [7] popularium omnium adoleſcentium*
> *Clamo, poſtulo, obſecro, oro, ploro, atque imploro fidem.*

non leviſſima de re, ut queritur ille,

> *Fieri in civitate facinora capitalia:*
> *Ab amico amante argentum accipere meretrix non vult:*

ſed ut adſint, cognoſcant, animadvertant, quid de religione, pietate, ſanctitate, cæremoniis, fide, jurejurando, quid de templis, delubris, ſacrificiiſque ſollemnibus, quid de ipſis auſpiciis, quibus nos præſumus, exiſtimandum ſit. hæc enim omnia ad hanc de diis immortalibus quæſtionem referenda ſunt. Profectò eos ipſos, qui ſe aliquid certi habere arbitrantur, *addubitare coget* doctiſſimorum hominum de maxima re tanta diſſenſio. Quod cùm ſæpe aliàs, tum maximè animadverti, cùm apud C. Cottam familiarem meum, accuratè ſanè, & diligenter [8] de diis immortalibus diſputatum ſit. Nam, cùm feriis Latinis ad 7
eum, ipſius rogatu, arceſſituque veniſſem, offendi eum ſedentem in exhedra, & [9] cum C. Velleio ſenatore diſputantem: ad quem tum Epicurei primas ex noſtris hominibus deferebant. Aderat etiam Q. Lucilius Balbus, qui *tantos progreſſus* habebat in Stoicis, ut cum excellentibus in eo genere Græcis compararetur. Tum, ut me Cotta vidit, Peropportunè, inquit, venis. oritur enim mihi magna de re altercatio cum Velleio: cui, pro tuo ſtudio, non eſt alienum te intereſſe. Atqui mihi quoque videor, inquam, veniſſe, ut dicis, opportunè. tres enim trium diſciplinarum principes conveniſtis, M. enim Piſo ſi adeſſet, nullius philoſophiæ earum quidem, quæ in honore ſunt, vacaret locus. Tum Cotta, Si, inquit, liber Antiochi noſtri, qui ab eo nuper ad hunc Balbum miſſus eſt, vera loquitur; nihil eſt, quòd Piſonem, familiarem tuum, deſideres. Antiocho enim Stoici cum Peripateticis *re concinere videntur, verbis diſcrepare:* quo de libro velim ſcire, Balbe, quid ſentias. Egone? inquit ille miror, Antiochum, hominem in primis acutum, non vidiſſe, intereſſe plurimùm inter Stoicos, qui honeſta à commodis non nomine, ſed

1. *Arbitramur nos & publicis.*] Non agnoſcit Gulielmii P. pronomen *nos*, poteratque abeſſe.

2. *Eoque me minus inſtituti mei pœnitet.*] Abeſt Pal. ſecund. *me*, nec requiritur.

3. *Græcis inſtitutionibus eruditi.*] Dictio poſtrema non eſt in Palatin. ſecund. unde venit ſuſpicari, poſſe & duas priores eſſe manus alienæ. ſane ſi non adſint, non deſideres. aut ſi dicamus heic bene locum ſuum tueri, tunc profecto tolli poterant infra, *quæ à Græcis acceperint.*

4. *Cujus ſi majorem, &c.*] Non ita abſurde duo mſſ. Wouwerii, *cui ſi*, quomodo & publicati ab Aldo avo. reſtat tamen alterum in Victoriana, & Pall. noſtris.

5. *Non enim ſumus ii.*] Palat. ſecund. tenuit *ii*, neque videtur neceſſarium.

6. *Ut Statius in Synephebis.*] Exterminanda vox *Statius*, quæ non eſt in Palatin. tert. ejuſque loco habetur in ſecund. *Terentius*, in P. Gulielmii, *Plautus.* occupat tamen omnes edd. Aldinas, Victorianam, Lambinianam. nam Bruti, nam Sturmii, aliorum, cur conſulam? traduces ſunt priorum.

7. *Popularium omnium adoleſcentium.*] Verſus ſupplendi cauſa repetit Gulielmius, *popularium omnium*, *omnium adoleſcentium.* lepide.

8. *De Diis immortalibus diſputatum ſit.*] Sic Pall. ſed vox ultima non requiritur. Gulielmius ejus vicem malebat, *fuit.*

9. *Cum C. Velleio Senatore diſputantem.*] Palatin. ſecund. *diſputantem Senatore.* arguit ſcilicet talis poſitio dictionem *Senatore*, non eſſe Tullii, ſed librarii alicujus; niſi forte tale viro illi agnomen.

1. Et

ſed genere toto disjungerent: & Peripateticos; qui honeſta commiſcerent cum commodis, ut ea inter ſe magnitudine, & quaſi gradibus, non genere differrent. hæc enim eſt non verborum parva, ſed rerum permagna diſſenſio. Verum hæc aliàs: nunc quod cepimus, ſi videtur. Mihi verò, inquit Cotta, videtur. Sed ut hic, qui intervenit, me intuens, ne ignoret, quæ res agatur, de *natura* agebamus *deorum*. quæ cùm mihi videretur perobſcura, ut ſemper videri ſolet; Epicuri ex Velleio ſciſcitabar ſententiam. quamobrem, inquit, Vellei, niſi moleſtum eſt, repete quæ ceperas. Repetam verò. quamquam non mihi, ſed tibi hic venit adjutor. ambo enim, inquit arridens, ab eodem Philone *nihil ſcire* didiciſtis. Tum ego, quid didicerimus, Cotta viderit: tu autem nolo exiſtimes me *adjutorem* huic veniſſe, ſed *auditorem*, [1] & quidem æquum, libero judicio, nulla ejuſmodi adſtrictum neceſſitate, ut mihi, *velim*, *nolim*, ſit certa quædam tuenda ſententia.

8 Tum Velleius, fidenter ſanè, ut ſolent iſti, nihil tam verens, quàm ne dubitare aliqua de re videretur: tanquam modo ex deorum concilio, [2] & ex Epicuri intermundiis deſcendiſſet: audite, inquit, non futileis commentitiasque ſententias, non opificem ædificatoremque mundi Platonis de Timæo deum: nec anum fatidicam Stoicorum πρόνοιαν, quam Latinè licet *providentiam* dicere: neque verò mundum ipſum, animo & ſenſibus præditum, rotundum, ardentem, volubilem deum, portenta, & miracula non diſſerentium philoſophorum, ſed ſomniantium. Quibus enim oculis animi intueri potuit veſter Plato fabricam illam tanti operis, qua conſtrui à deo, atque ædificari mundum facit? quæ molitio? quæ ferramenta? qui vectes, quæ machinæ? qui miniſtri tanti muneris fuerunt? quemadmodum autem obedire, & parère voluntati architecti aër, ignis, aqua, terra potuerunt? Vnde verò ortæ illæ quinque formæ: ex quibus reliqua formantur, aptè cadentes ad animum efficiendum pariendoſque ſenſus? [3] longum eſt omnia. quæ talia ſunt, ut optata magis, quàm inventa videantur. Sed illa palmaris quidem, quòd, qui non modò natum mundum introduxerit, ſed etiam manu pænè factum, is eum dixerit fore *ſempiternum*. Hunc cenſes primis, ut dicitur, labris guſtaſſe phyſiologiam, qui quidquam, quod ortum ſit, putet æternum eſſe poſſe? quæ eſt enim coagmentatio non diſſolubilis? aut quid eſt, cujus principium aliquod ſit, nihil ſit extremum? Pronœa verò ſi veſtra eſt, Lucili, eadem; requiro, quæ paullo antè, miniſtros, machinas, omnem totius operis deſignationem, atque apparatum: ſin alia eſt, cur mortalem fecerit mundum, non

9 quemadmodum Platonicus deus, ſempiternum. Ab utroque autem ſciſcitor, cur mundi ædificatores repente exſtiterint; innumerabilia antè ſecula dormierint. Non enim *ſi mundus nullus erat, ſæcula non erant*. Sæcula nunc dico, non ea, quæ dierum, noctiumque numero annuis curſibus conficiuntur. nam fateor ea ſine mundi converſione effici non potuiſſe: ſed fuit quædam ab infinito tempore æternitas, quam nulla temporum circumſcriptio metiebatur, ſpatio tamen, [4] qualis ea fuerit, intelligi poteſt: quod ne in cogitationem quidem cadit, ut fuerit *tempus aliquod, nullum cùm tempus eſſet*. Iſto igitur tam immenſo ſpatio quæro, Balbe, cur Pronœa veſtra ceſſaverit. Laboremne fugiebat? At iſte nec attingit deum, nec erat ullus, cùm omnes naturæ numini divino, cælum, ignes, terræ, maria parerent. Quid autem erat, quòd concupiſceret deus mundum ſignis, & luminibus, *tanquam ædilis*, ornare? ſi, ut deus ipſe meliùs habitaret: antea videlicet tempore infinito in tenebris, tanquam in gurguſtio, habitaverat. Pòſt autem varietatene eum delectari putamus, qua cælum & terras exornatas videmus? quæ iſta poteſt eſſe oblectatio deo? quæ ſi eſſet, non ea tamdiu carere potuiſſet. An hæc, ut ferè dicitis, hominum cauſa à deo conſtituta ſunt? Sapientumne? propter paucos ergo tanta eſt facta rerum molitio. An ſtultorum? at primùm cauſa non fuit, cur de improbis bene mereretur. deinde quid eſt aſſecutus, cùm omnes ſtulti ſint ſine dubio miſerrimi: maximè quòd ſtulti ſunt: MISERIUS ENIM STULTITIA QUID POSSUMUS DICERE? deinde quòd ita multa ſunt incommoda in vita, ut ea ſapientes commodorum compenſatione leniant, ſtulti nec vitare venientia poſſint, nec ferre præſentia. Qui verò 10
mundum ipſum animantem, ſapientemque eſſe dixerunt, [5] nullo modo viderunt animi naturam, intelligentes in quam figuram cadere poſſet: de quo dicam paullo pòſt. Nunc autem hactenus admirabor eorum tarditatem, qui animantem, immortalem, & eundem beatum, *rotundum* eſſe velint, quòd ea forma ullam neget eſſe pulchriorem Plato. At mihi vel cylindri, vel quadrati, vel coni, vel pyramidis videtur eſſe formoſior. Quæ verò tribuitur vita iſti rotundo deo? nempe ut ea celeritate contorqueatur, cui par nulla ne cogitari quidem poſſit. In qua non video, ubinam mens conſtans, & vita beata poſſit inſiſtere. quòdque in noſtro corpore ſi minima ex parte ſignificetur, moleſtum ſit: cur hoc idem non habeatur moleſtum in deo? terra enim profectò, quoniam pars mundi eſt, *pars eſt etiam dei*. Atqui terræ maximas regiones, inhabitabileis, atque incultas videmus, quòd pars earum appulſu ſolis exarſerit, pars obriguerit nive, pruinaque, longinquo ſolis abſceſſu. quæ, ſi mundus eſt deus, quoniam partes mundi ſunt, dei membra partim ardentia, partim refrigerata dicenda ſunt. Atque hæc quidem veſtra, Lucili. [6] qualia verò ſint, ab ultimo repetam ſuperiorum. THALES enim Mileſius, qui primus [7] de talibus rebus quæſivit, *aquam* dixit eſſe initium rerum: deum autem, eam mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret. Si dii poſſunt eſſe ſine ſenſu & mente, cur aquæ adjunxit, ſi ipſa mens conſtare poteſt vacans corpore? ANAXIMANDRI autem opinio eſt, nativos eſſe deos, longis intervallis orienteis, occidenteiſque, [8] eoſque innumerabileis eſſe *mundos*. Sed nos *deum*, *niſi ſempiternum*, intelligere quî poſſumus? Pòſt Anaximenes, *aëra* deum ſtatuit, eumque gigni, eſſeque immenſum, & infinitum, & ſemper in motu: quaſi aut aër ſine ulla forma deus eſſe poſſit, cùm præſertim deum non modò aliqua, ſed pulcherrima ſpecie eſſe deceat: aut non *omne, quod ortum ſit, mortalitas conſequatur*. INDE Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene diſciplinam, 11
primus omnium rerum deſcriptionem, & modum, *mentis infinitæ* vi ac ratione deſignari, & confici voluit: in quo non vidit, neque motum ſenſui junctum [9] & continentem, in infinito ullum eſſe poſſe: neque ſenſum omnino, quo non ipſa natura pulſa ſentiret. Deinde ſi mentem iſtam quaſi animal aliquod eſſe voluit, erit aliquid interius, ex quo illud animal nominetur. quid autem interius mente? [10] cingatur igitur corpore externo. quod quoniam non

1. *Et quidem æquum, libero judicio, &c.*] Auribus meis animoque longè præſtat, *& quidem fretum libero jud.* ut habet Pal. noſter ſec.

2. *Et ex Epicuri intermundiis veniſſet.*] Palat. ſecund. *ex Epicuri internunciis deſcendens*, neque longè ſecus unus Wouver.

3. *Longum eſt omnia.*] Eſt à Victoriana, confirmatque uterque Palatinus. prius vulgati, *longum eſt, iter ad omnia.* ex quo molitur Gulielmius, cap. v. in Stichum Plauti. *longum eſt iterare omnia.* ſed quid opus conjecturis, vero prodeunte libris pluteariis?

4. *Qualis ea fuerit intelligi poteſt.*] Vulgata, *intelligi, non poteſt.* ſed reſpuit negativam editio Victorii, item P. & Palat. ſecund.

5. *Nullo modo viderunt animi naturam, intelligentes, &c.*] Variè heic ſe macerat conjectando Lambinus, neque proficit hilum. Pal. tert. expreſſit, *intelligentis*, quod & Gulielmio in mentem venerat.

6. *Qualia verò ſint, &c.*] Palat. ſec. item unus Wouverii, *qualia verò alia ſint.*

7. *De talibus rebus.*] Gulielmius conjicit *naturalibus.* neque aliter laudat hunc Tullii locum Lactantius, ut monuit Paulius Merula ad notas in lib. I. Annalium Ennii.

8. *Eoſque innumerabiles eſſe mundos.*] Sic editio Victorii, ſic Pall. duo, ſic P. vulgati *eoque.*

9. *Et continentem, in infinito ullum eſſe poſſe.*] P. *& in continentem;* deletoque *in infinito*, habet *nullum.* Pall. nihil variant, niſi quod non agnoſcant particulam *in.*

10. *Cingatur igitur.*] Ita quatuor noſtrûm & editi à Victorio. vulgati, *cingitur.*

non placet, aperta, ſimplexque mens, nulla re adjuncta, quæ ſentire poſſit, fugere intelligentiæ noſtræ vim, & notionem videtur. Crotoniates autem Alcmæo, qui *ſoli & lunæ*, reliquiſque ſideribus, animoque præterea divinitatem dedit, non ſenſit, ſeſe mortalibus rebus immortalitatem dare. Nam PYTHAGORAS, qui cenſuit, *animum* eſſe per naturam rerum omnem intentum, & commeantem, ex quo noſtri animi carperentur, non vidit diſtractione humanorum animorum diſcerpi & lacerari deum: & cùm miſeri animi eſſent, quòd pleriſque contingeret, tum dei partem eſſe miſeram: quod fieri non poteſt. Cur autem quidquam ignoraret animus hominis, ſi eſſet deus? quomodo porrò deus iſte, [1] ſi nihil eſſet niſi animus, aut infixus, aut infuſus eſſet in mundo? TUM XENOPHANES, qui *mente adjuncta*, omne præterea, quod eſſet infinitum, deum voluit eſſe, de ipſa mente item reprehenditur, ut ceteri: de infinitate autem vehementiùs, in qua nihil neque ſentiens, neque conjunctum poteſt eſſe. NAM PARMENIDES commentitium quiddam coronæ ſimilitudine efficit: *Stephanen* appellat, continentem ardore lucis orbem, qui cingit cœlum: quem appellat deum. in quo neque figuram divinam; neque ſenſum quiſquam ſuſpicari poteſt. multa ejuſdem monſtra, quippe qui *bellum*, qui *diſcordiam*, qui *cupiditatem*, ceteraque generis ejuſdem ad deum revocat: quæ vel morbo, vel ſomno, vel oblivione, vel vetuſtate delentur. eademque de ſideribus; quæ reprehenſa jam in
12 alio, in hoc omittantur. EMPEDOCLES autem multa alia
peccans, in deorum opinione turpiſſimè labitur. quattuor enim *naturas*, ex quibus omnia conſtare vult, divinas eſſe cenſet; quas & naſci, & exſtingui perſpicuum eſt, & ſenſu omni carere. [2] nec verò PROTAGORAS, qui ſeſe negat omnino de diis habere [3] quod liqueat, *ſint*, *non ſint*, qualeſve ſint, quidquam videtur de natura deorum ſuſpicari. Quid Democritus, qui tum *imagines*, earumque circuitus in deorum numero refert: tum illam naturam, quæ imagines fundat, ac mittat: [4] tum ſcientiam, intelligentiamque noſtram, nonne in maximo errore verſatur? cum idem omnino, quia nihil ſemper ſuo ſtatu maneat, neget eſſe quidquam ſempiternum: nonne deum omnino ita tollit, ut nullam opinionem ejus reliquam faciat? Quid aër, quo DIOGENES APOLLONIATES utitur deo, quem ſenſum habere poteſt, aut quam formam dei? Jam de PLATONIS inconſtantia longum eſt dicere: qui in Timæo, *patrem hujus mundi nominari neget poſſe*: in legum autem libris, quid ſit omnino deus, [5] *anquiri oportere* non cenſeat. Quòd verò ſine corpore ullo deum vult eſſe, ut Græci dicunt, ἀσώματον; id quale eſſe poſſit, intelligi non poteſt. careat enim ſenſu, neceſſe eſt careat etiam prudentia, careat voluptate: quæ omnia unà cum deorum notione comprehendimus. Idem & in Timæo dicit, & in legibus, & *mundum* deum eſſe, & cœlum, & aſtra, & terram, & animos & eos, quos majorum inſtitutis accepimus: quæ & per ſe ſunt falſa perſpicuè, & inter ſeſe vehementer repugnantia. Atque etiam XENOPHON paucioribus verbis eadem fere peccat. facit enim in iis, quæ à Socrate dicta retulit, Socratem diſputantem, *formam dei quæri non oportere*: eundemque & ſolem, & animum deum dicere: & modò unum, tum autem pluréis deos. quæ ſunt iiſdem in erratis ferè, quibus ea, [6] quæ de Platone dicimus. Atque
etiam ANTISTHENES in eo libro, qui phyſicus inſcribitur, 13
populareis deos multos, naturalem unum eſſe dicens, tollit vim, & naturam deorum. Nec multo ſecus SPEUSIPPUS, Platonem avunculum ſubſequens, & *vim* quandam dicens, qua omnia regantur, eamque *animalem*, evellere ex animis conatur cognitionem deorum. [7] ARISTOTELES quoque in tertio de philoſophia libro multa turbat, [8] à magiſtro Platone uno diſſentiens. modò enim *menti* tribuit omnem divinitatem: modò mundum ipſum deum dicit eſſe: modò quendam alium præficit mundo, eique eas parteis tribuit, ut replicatione quadam mundi motum regat, atque tueatur: tum cœli ardorem deum dicit eſſe, non intelligens, cœlum mundi eſſe partem: quem alio loco ipſe deſignarit deum. Quomodo autem cœli divinus ille ſenſus in celeritate tanta conſervari poteſt? ubi deinde *illi tot dii*, ſi numeramus etiam cœlum deum? Cùm autem ſine corpore idem vult eſſe deum, omni illum ſenſu privat, etiam prudentia. Quo porrò modo mundus [9] moveri carens corpore; aut quomodo ſemper ſe movens, eſſe quietus, & beatus poteſt? Nec verò ejus condiſcipulus XENOCRATES in hoc genere prudentior: in cujus libris, qui ſunt de natura deorum, nulla ſpecies divina deſcribitur. deos enim *octo* eſſe dicit. quinque eos, qui in ſtellis vagis nominantur: unum, qui ex omnibus ſideribus, quæ infixa cœlo ſunt, ex diſperſis quaſi membris ſimplex ſit putandus deus: ſeptimum, Solem adjungit: octavamque, Lunam: qui quo ſenſu beati eſſe poſſint, intelligi non poteſt. Ex eadem Platonis ſchola PONTICUS HERACLIDES puerilibus fabulis referſit libros: [10] & tamen modò *mundum*, tum mentem divinam eſſe putat: errantibus etiam ſtellis divinitatem tribuit, ſenſuque deum privat, & ejus formam, mutabilem eſſe vult: eodemque in libro rurſus terram, & cœlum refert in deos. Nec verò THEOPHRASTI inconſtantia ferenda eſt. modò enim *menti* divinum tribuit principatum: modò cœlo: tum autem ſignis, ſideribuſque cœleſtibus. Nec audiendus ejus auditor STRATO, is qui phyſicus appellatur: qui omnem vim divinam in *natura* ſitam eſſe cenſet, quæ cauſas gignendi, augendi, minuendi habeat: ſed ca-
reat omni ſenſu, & figura. ZENO autem (ut jam ad ve- 14
ſtros, Balbe, veniam) *naturalem legem*, divinam eſſe cenſet, eamque vim obtinere recta imperantem, prohibentemque contraria. quam legem quomodo efficiat animantem, intelligere non poſſumus. Deum autem animantem certè volumus eſſe. Atque hic eadem alio loco *æthera*, deum dicit eſſe, ſi intelligi poteſt nihil ſentiens deus, qui numquam nobis occurrit neque in precibus, neque in optatis, neque in votis. Aliis autem libris *rationem* quandam, [11] per omnium naturam rerum pertinentem, [12] ut divinam, eſſe affectam putat. Idem aſtris hoc idem tribuit, tum annis, menſibus, annorumque mutationibus. Cùm verò Heſiodi Theogoniam interpretatur, tollit omnino

1. *Si nihil eſſet, niſi animus.*] Lambinianæ edd. non habent illud *niſi*, typographi forte vitio: nam ipſe tacet, extatque in aliis cuſis, item Pall. noſtris tribus.

2. *Nec verò Protagoras, &c.*] Tota hæc periodus non exſtat in P. Gulielmii: habent tamen Pall. tres.

3. *Quod liqueat.*] Pal. ſec. *quo*, non ita abſurdè.

4. *Tum ſcientiam intelligentiamque.*] Meliores illi Palatini, prim. & ſecund. *ſententiam*.

5. *Anquiri oportere.*] Ita P. ita Pal. prim. nam ſecund. *an queri*. vulgatæ, *inquiri*.

6. *Quæ de Platone dicimus.*] Videtur commodior futura lectio, ſi abjiceretur *dicimus*. non celo tamen lectorem eſſe in Palat. prim. & utroque Wouveriano, *Deos quæſivit. iiſdem, &c.* at alter Wouverianus præterea ſic divertit à vulgato, *idem inerrans, quibus fere Platonem errare dicimus*.

7. *Ariſtoteles quoque.*] Pall. tres uno conſenſu *Ariſtoteleſque*. P. deſtituebatur adhuc illo *que*. ſed alterutrum requiritur.

8. *A magiſtro Platone uno diſſentiens.*] Sic Pall. tres, ſic Wouverianus, & P. nec non omnes editi ante Lambinum; qui admiſit, *non diſſ.* conjecturam P. Manutii; quam tamen non dignatus eſt textu filius Aldus. videatur Muretus libro VII. cap. 21. Lectionum Variar.

9. *Moveri carens corpore.*] Eſt ab editione Victorii; quibus accedunt Pall. tres & P. cuſi prius, *moveri poteſt carens corpore*.

10. *Et tamen modo mundum.*] Sic lectio vulgata, firmatque Palat. prim. nam ſecund. *tum*. tert. *tantum*. P. *dum*. Lambinus; & *tum mundum, tum mentem Deum eſſe putat*. præter ſcriptos ſanè noſtros.

11. *Per omnium naturam rerum.*] Sic editi à Victorio, ſic Pall. tres cuſi, *per omnem pertinentem naturam*.

12. *Ut divinam eſſe affectam putat.*] Palat. prim. *divina*; item ſecund. ſed is *eſſe* mutat in *ſit*. unde ſuſpicer legendum, *vi divina affectam putat*.

1. Uſita-

mino [1] uſitatas, perceptaſque cognitiones deorum. neque enim Jovem, neque Junonem, neque Veſtam, neque quemquam, qui ita appelletur, in deorum habet numero: ſed rebus inanimis, atque mutis, per quandam ſignificationem hæc docet tributa nomina. Cujus diſcipuli ARISTONIS non minùs magno in errore ſententia eſt: qui neq; formam dei intelligi poſſe cenſeat, neque in diis ſenſum eſſe dicat: dubitetque omnino, *deus animans*, *necne ſit*. CLEANTHES autem, qui Zenonem audivit unà cum eo, quem proximè nominavi, [2] tum ipſum *mundum*, deum dicit eſſe, tum totius naturæ menti, atque animo, tribuit hoc nomen: tum ultimum, & altiſſimum, atque undique circumfuſum, & extremum omnia cingentem, atque complexum ardorem, qui æther nominetur, certiſſimum deum judicat. Idemque quaſi delirans in iis libris, quos ſcripſit contra voluptatem, tum fingit formam quandam, & ſpeciem deorum, tum divinitatem omnem tribuit aſtris, tum nihil ratione cenſet eſſe divinius. Ita fit, ut deus ille, quem mente noſcimus, atque in animi notione, tanquam in veſtigio, volumus reponere, nuſquam prorſus appareat.

15 At PERSEUS, ejuſdem Zenonis auditor, [3] eos dicit eſſe habitos deos, à quibus *magna utilitas ad vitæ cultum eſſet inventa*: ipſaſque res utileis, & ſalutares, deorum eſſe vocabulis nuncupatas: ut ne hoc quidem diceret, illa inventa eſſe deorum, ſed ipſa divina. Quo quid abſurdius, quàm aut res ſordidas, atque deformeis deorum honore afficere, aut homines jam morte deletos, reponere in deos, quorum omnis cultus eſſet futurus in luctu? Jam verò CHRYSIPPUS, qui Stoicorum ſomniorum vaferrimus habetur interpres, magnam turbam congregat *ignotorum* deorum, atque ita *ignotorum*, ut eos ne conjectura quidem informare poſſimus, cùm mens noſtra quidvis videatur cogitatione poſſe depingere. ait enim, vim divinam in ratione eſſe poſitam, & univerſæ naturæ animo, atque mente: ipſumque mundum, deum dicit eſſe, & ejus animi fuſionem univerſam: tum ejus ipſius principatum, qui in mente & ratione verſetur, communemque rerum naturam, univerſa, atque omnia continentem: tum fatalem umbram, & neceſſitatem rerum futurarum: ignem præterea, & eum, quem antea dixi, æthera: tum ea, quæ natura fluerent, atque manarent, ut & aquam, & terram, & aëra; ſolem, lunam, ſidera, univerſitatemque rerum, qua omnia continerentur; atque homines etiam eos, qui immortalitatem eſſent conſecuti. Idemque diſputat, æthera eſſe eum, quem homines Jovem appellarent: quique aër per maria manaret, eum eſſe Neptunum: terramque eam eſſe quæ Ceres diceretur. ſimilique ratione perſequitur vocabula reliquorum deorum. Idemque etiam legis perpetuæ, & æternæ vim, quæ *quaſi dux vitæ & magiſtra officiorum* ſit, Jovem dicit eſſe, eandemque *fatalem neceſſitatem* appellat, ſempiternam rerum futurarum veritatem: quorum nihil tale eſt, ut in eo vis divina ineſſe videatur. Et hæc quidem in primo libro *de natura deorum*: in ſecundo autem vult Orphei, Muſæi, Heſiodi Homerique fabellas accommodare ad ea, quæ ipſe primo libro de diis immortalibus dixerit: ut etiam veterrimi poëtæ, qui hæc ne ſuſpicati quidem ſint, Stoici fuiſſe videantur. Quem Diogenes Babylonius conſequens in eo libro, qui inſcribitur de Minerva, partum Jovis, ortumque virginis ad phyſiologiam traducens, de-
16 jungit à fabula. Expoſui ferè non philoſophorum judicia, ſed *delirantium ſomnia*. nec enim multo abſurdiora ſunt ea, quæ poëtarum vocibus fuſa, ipſa ſuavitate nocuerunt: qui & ira inflammatos, & libidine furenteis induxerunt deos: feceruntque ut eorum bella, pugnas, prœlia, vulnera videremus; odia præterea, diſcidia, diſcordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes, effuſas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus, mortaleiſque ex immortali procreatos. Cum poëtarum autem errore conjungere licet *portenta magorum*, Ægyptiorumque in eodem genere dementiam: tum etiam vulgi opiniones, quæ in maxima inconſtantia, veritatis ignoratione verſantur. Ea qui conſideret, quàm inconſultè ac temerè dicantur, venerari Epicurum, & in eorum ipſorum numero, de quibus hæc quæſtio eſt, habere debeat. ſolus enim vidit, primùm eſſe deos, quòd in omnium animis eorum notionem impreſſiſſet ipſa natura. QUÆ EST ENIM GENS, aut quod genus hominum, quod non habeat ſine doctrina *anticipationem quandam deorum*? quam appellat πρόληψιν Epicurus, id eſt, anteceptam animo rei quandam informationem, ſine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec diſputari poteſt. Cujus rationis vim, atque utilitatem ex illo cœleſti Epicuri, de regula, & judicio volumine accepimus. Quod igitur fundamentum hujus 17
quæſtionis eſt, id præclarè jactum videtis. Cùm enim non inſtituto aliquo, aut more, aut lege ſit opinio conſtituta, maneatque ad unum omnium firma conſenſio: intelligi neceſſe eſt, *eſſe deos*, quoniam inſitas eorum, vel potiùs innatas cognitiones habemus. DE QUO AUTEM OMNIUM NATURA CONSENTIT, ID VERUM ESSE NECESSE EST. Eſſe igitur deos confitendum eſt. Quod quoniam ferè conſtat inter omneis non philoſophos ſolùm, ſed etiam indoctos: fateamur conſtare illud etiam, hanc nos habere ſive anticipationem, ut antè dixi, ſive prænotionem deorum. ſunt enim rebus novis nova ponenda nomina, ut Epicurus ipſe πρόληψιν appellavit, quam antea nemo eo verbo nominarat. Hanc igitur habemus, ut *deos beatos, & immortaleis putemus*. Quæ enim nobis natura informationem deorum ipſorum dedit, eadem inſculpſit in mentibus, ut eos æternos, & beatos haberemus. Quod ſi ita eſt, verè expoſita illa ſententia eſt ab Epicuro, *Quod æternum, beatumque ſit, id nec habere ipſum negotii quidquam, nec exhibere alteri. itaque neque ira, neque gratia teneri, quòd, quæ talia eſſent, imbecilla eſſent omnia*. Si nihil aliud quæreremus, niſi ut deos piè coleremus, & ut ſuperſtitione liberaremur, ſatis erat dictum. nam & præſtans deorum natura, hominum pietate coleretur, cùm & æterna eſſet, & beatiſſima. *habet enim venerationem juſtam quidquid excellit*: & metus omnis à vi atque ira deorum pulſus eſſet. intelligitur enim, à beata, immortalique natura & iram, & gratiam ſegregari: quibus remotis, nullos à ſuperis impendere metus. Sed ad hanc confirmandam opinionem [4] anquirit animus & formam, & vitam, & actionem mentis, atque agitationem in deo. Ac de forma quidem partim *natura* nos admonet, partim *ratio* docet. nam à natura habemus omnes om- 18
nium gentium ſpeciem nullam aliam niſi humanam, deorum. quæ enim alia forma occurrit umquam aut vigilanti cuiquam, aut dormienti? Sed, ne omnia revocentur ad primas notiones, ratio hoc idem ipſa declarat. nam cùm præſtantiſſimam naturam, vel quia beata eſt, vel quia ſempiterna, convenire videatur eandem eſſe pulcherrimam, quæ compoſitio membrorum, quæ confirmatio lineamentorum, quæ figura, quæ ſpecies, humana poteſt eſſe pulchrior? vos quidem, Lucili, ſoletis (nam Cotta meus modò hoc, modò illud) cùm artificium effingitis, fabricamque divinam, quàm ſint omnia in hominis figura non modò *ad uſum*, verum etiam *ad venuſtatem* apta, deſcribere. Quòd ſi omnium animantium formam vincit hominis figura, deus autem animans eſt: ea figura profectò eſt, quæ pulcherrima ſit omnium: quoniamque deos beatiſſimos eſſe conſtat, *beatus autem eſſe ſine virtute nemo poteſt*, nec virtus ſine ratione conſtare, nec ratio uſquam ineſſe, niſi in hominis figura: hominis eſſe ſpecie deos

1. *Uſitatas præceptaſque.*] P. Manutius ex Maffæi libro, *inſitas*, quod & illicò arripuit Lambinus. noſtri mſſ. adhærent vulgato.

2. *Tum ipſum mundum, Deum dicit eſſe.*] Triga Pall. ordine inverſo, *tum ipſum Deum mundum, &c.* mox quoque iidem exhibent non *voluptatem*, ſed *voluntatem*.

3. *Eos dicit eſſe habitos Deos.*] Vox *dicit* non viſitur in Pal. pr. ſec. aut P.

4. *Anquirit animus.*] Sic editio Victorii, ſic Palat. prim. acceditque ſecund. in quo *acquirit*. vulgg. *inquirit*.

deos confitendum eſt. Nec tamen ea ſpecies corpus eſt: ſed *quaſi corpus*: nec habet ſanguinem, ſed *quaſi ſanguinem*.
19 Hæc quamquam & inventa ſunt acutiùs, & dicta ſubtiliùs ab Epicuro, quàm ut quivis ea poſſit agnoſcere: tamen fretus intelligentia veſtra diſſero brevius, quàm cauſa deſiderat. Epicurus autem, qui res occultas, & penitùs abditas non modò viderit animo, [1] ſed etiam ſic tractet, ut manu doceat, eam eſſe *vim & naturam deorum*, ut primùm non ſenſu, ſed mente cernatur: nec ſoliditate quadam, nec ad numerum, ut ea, quæ ille propter firmitatem στερέμνια appellat, ſed imaginibus, ſimilitudine, & tranſitione perceptis: cum infinita ſimillimarum imaginum ſpecies ex innumerabilibus individuis exſiſtat, [2] & ad eos affluat, cum maximis voluptatibus in eas imagines mentem intentam, infixamque noſtram intelligentiam, capere quæ ſit & beata natura, & æterna. Summa verò vis infinitatis, & magna, ac diligenti contemplatione digniſſima eſt: in qua intelligi neceſſe eſt, eam eſſe naturam, ut omnia omnibus paribus paria reſpondeant. hanc ἰσονομίαν appellat Epicurus, id eſt, *æquabilem tributionem*. Ex hac igitur illud efficitur, ſi mortalium tanta multitudo ſit, eſſe immortalium non minorem: &, ſi, quæ interimant, innumerabilia ſint, etiam ea, quæ conſervent, infinita eſſe debere. Et quærere à nobis, Balbe, ſoletis, quæ vita deorum ſit, quæque ab iis *degatur ætas*. Ea videlicet, qua nihil beatius, [3] nihil omnibus bonis affluentius cogitari poteſt. nihil enim agit: nullis occupationibus eſt implicatus: nulla opera molitur: ſua ſapientia, & virtute gaudet: habet exploratum fore ſe ſemper cùm in maximis,
20 tum in æternis voluptatibus. Hunc deum ritè *beatum* diximus, veſtrum verò *laborioſiſſimum*. ſive enim ipſe mundus, deus eſt, quid poteſt eſſe minùs quietum, quàm nullo puncto temporis intermiſſo, verſari circum axem cœli admirabili celeritate? *niſi quietum* autem *nihil beatum eſt*, ſive in ipſo mundo deus ineſt aliquis, qui regat, qui gubernet, qui curſus aſtrorum, mutationes temporum, rerum viciſſitudines, ordineſque conſervet, terras & maria contemplans, hominum commoda, vitaſque tueatur: næ ille eſt implicatus moleſtis negotiis, & operoſis. Nos autem beatam vitam *in animi ſecuritate*, & in omnium vacatione munerum ponimus. docuit enim nos idem, qui cetera, natura effectum eſſe mundum: nihil opus fuiſſe fabrica? tamque eam rem eſſe facilem, quam vos effici negetis ſine divina poſſe ſolertia, ut innumerabileis natura mundos effectura ſit, efficiat, effecerit. Quod quia quemadmodum natura efficere ſine aliqua mente poſſit, non videtis: ut tragici poëtæ, cùm explicare argumenti exitum non poteſtis, *confugitis ad deum*. Cujus operam profectò non deſideraretis, ſi immenſam, & interminatam in omneis parteis magnitudinem regionum videretis: in quam ſe injiciens animus, & intendens, ita latè, longeque peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi videat, in qua poſſit inſiſtere. In hac igitur immenſitate latitudinum, longitudinum, altitudinum, infinita vis innumerabilium volitat atomorum: quæ, interjecto inani, cohæreſcunt tamen inter ſe, & aliæ alias apprehendentes continuantur: ex quo efficiuntur hæ rerum formæ, atque figuræ: quas vos effici poſſe ſine follibus, & incudibus non putatis. Itaque impoſuiſtis in cervicibus noſtris ſempiternum dominum, quem dies, & nocteis timeremus. Quis enim *non timeat* omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad ſe pertinere putantem, curioſum, & plenum negotii deum? Hinc vobis exſtitit primùm illa fatalis neceſſitas, quam εἱμαρμένην dicitis: ut, quidquid accidat, id *ex æterna veritate*, cauſarumque continuatione fluxiſſe dicatis. Quanti autem hæc philoſophia æſtimanda eſt, cui, tanquam aniculis, & iis quidem indoctis, fato fieri videantur omnia? Sequitur μαντικὴ veſtra, quæ Latine *divinatio* dicitur: qua tanta imbueremur ſuperſtitione, ſi vos audire vellemus, ut haruſpices, augures, harioli, vates, & conjectores nobis eſſent colendi. His terroribus ab Epicuro ſoluti, & in libertatem vindicati, nec metuimus eos, quos intelligimus nec ſibi fingere ullam moleſtiam, nec alteri quærere: & piè, ſancteque colimus naturam excellentem, atque præſtantem. Sed elatus ſtudio, vereor, ne longior fuerim. Erat autem difficile, rem tantam, tamque præclaram, inchoatam relinquere. quamquam non tam dicendi ratio mihi habenda fuit, quàm audiendi. Tum Cotta, comiter, ut ſolebat, Atqui, in- 21
quit, Vellei, niſi tu aliquid dixiſſes, nihil ſanè ex me quidem audire potuiſſes. mihi enim non tam facilè in mentem venire ſolet, *quare verum ſit aliquid quàm quare falſum*. Idque cùm ſæpe, tum, cùm te audirem paullo antè contingit. Roges me qualem *deorum naturam* eſſe ducam: nihil fortaſſe reſpondeam. Quæras, putemne talem eſſe, qualis modò à te ſit expoſita: nihil dicam mihi videri minus ſed antequàm aggrediar ad ea, quæ à te diſputata ſunt, de te ipſo dicam quid ſentiam. Sæpe enim de L. Craſſo, familiare illo tuo, videor audiſſe, cùm te togatis omnibus ſine dubio anteferret, & paucos tecum Epicureos è Græcia compararet. ſed, quòd ab eo te mirificè diligi intelligebam, arbitrabar illum *propter benivolentiam id uberius dicere*. Ego autem, etſi [4] vereor *laudare præſentem*, judico tamen de re obſcura, atque difficili à te dictum eſſe dilucidè: neque ſententiis ſolùm copioſè, ſed, verbis etiam ornatiùs, quàm ſolent veſtri. Zenonem, quem Philo noſter coryphæum appellare Epicureorum ſolebat: cùm Athenis eſſem, audiebam frequenter, & quidem ipſo auctore Philone: credo, ut faciliùs judicarem, quàm illa benè refellerentur, cùm a principe Epicureorum accepiſſem quemadmodum dicerentur. Non igitur ille, ut plerique ſed iſto modo, ut tu, diſtinctè, graviter, ornate. Sed quod in illo mihi uſu ſæpe venit, idem modò, cùm te audirem, acciderat, ut moleſtè ferrem, tantum ingenium (bona venia me audies) in tam leveis, ne dicam in tam ineptas, ſententias incidiſſe. Nec ego nunc ipſe aliquid afferam melius. ut enim modò dixi, omnibus fere in rebus, & maximè in phyſicis, *quid non ſit*, *citius*, *quàm quid ſit*, *dixerim*. Roges me, *quid*, *aut quale ſit deus*: auctore utar 22
Simonide: de quo cùm quæſiviſſet hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi cauſa ſibi unum diem poſtulavit. cùm idem ex eo poſtridie quæreret: biduum petivit. cùm ſæpius duplicaret numerum dierum, admiranſque Hiero requireret, cur ita faceret: Quia, *quanto*, inquit, *diutiùs conſidero*, [5] *tanto mihi ſpes videtur obſcurior*. Sed Simonidem arbitror (non enim poëta ſolùm ſuavis, verùm etiam ceteroqui doctus, ſapienſque traditur) quia multa venirent in mentem acuta, atque ſubtilia, dubitantem, quid eorum eſſet veriſſimum, deſperaſſe omnem veritatem. Epicurus verò tuus (nam cum illo mâlo diſſerere, quam tecum) [6] quid dicit, quòd non modò philoſophia dignum eſſet, ſed mediocri prudentia? Quæritur primum in ea quæſtione,

1. *Sed etiam ſic tractet, ut manu, doceat eam, &c.*] Ita editi à Victorio, neque aliter Pall. haud male tamen Turnebus ac Puteanus, *ducat eam*: quod non ſolum retinuit, Lambinus, ſed adjecit adhuc *docet*, plane ſuperflue.

2. *Et ad Deos affluat.*] Haud aliter publicati à Victorio, adſtipulanturque Pall. tres & P. Gulielmii. ſic item Aldus ſenior, niſi quod is, *effluat*. vulgati, *ad eos affluat*. Lambinus *ad nos affluat*.

3. *Nihil omnibus bonis affluentius cogitari.*] Eſt rurſus à Victoriana, & noſtris Pall. duobuſque Wouverian. editi paſſim, *nihilo omnino bonis omnibus affluentius excogitari*.

4. *Vereor laudare præſentem.*] Gulielmianus ille P. *vereor præſentem*, ſine *laudare*. altera tamen lectio perſtat in Pall. tribus.

5. *Tanto mihi ſpes videtur obſcurior.*] Non adſpernatus ſum quod erat in P. item Palatin. prim. ac ſecund. quod ſequeretur mox, *deſperaſſe omnem veritatem*.

6. *Quid dicit quod non modò Philoſophia dignum eſſet.*] Lambinus monet reſcribendum videri *dixit*, aut *ſit* pro *eſſet*. Gulielmius maluerat *eſt*, aut legendum ſupra *dicicit*. ego habuerim vocem controverſam pro ſpuria, unaque *quod*.

1. Nihil

ne, quæ eſt de natura deorum, *ſint ne dii, necne ſint*. Difficile eſt negare. credo, ſi in concione quæratur; ſed in ejuſmodi ſermone, & conſeſſu, facillimum. Itaque ego ipſe pontifex, qui cæremonias, religioneſque publicas ſanctiſſimè tuendas arbitror, is hoc, quod primum eſt, *eſſe deos*, perſuaderi mihi non opinione ſolùm, ſed etiam ad veritatem planè velim. multa enim occurrunt, quæ conturbent, ut interdum nulli eſſe videantur. Sed vide, quàm tecum agam liberaliter, quæ communia ſunt vobis cum ceteris philoſophis, non attingam, ut hoc ipſum: placet enim omnibus ferè, mihique ipſi in primis, deos eſſe. itaque non pugno. rationem tamen eam, quæ à te affertur,
23 non ſatis firmam puto. Quod enim omnium gentium generumque hominibus ita videretur, id ſatis magnum eſſe argumentum dixiſti, cur eſſe deos confiteremur. quod cùm leve per ſe, tum etiam falſum eſt. primum enim unde notæ tibi ſunt opiniones nationum? equidem arbitror multas eſſe genteis ſic immanitate efferatas, ut apud eas *nulla ſuſpicio deorum* ſit. Quid? Diagoras, atheos qui dictus eſt, poſteaque Theodorus, nonne apertè deorum naturam ſuſtulerunt? nam Abderites quidem Protagoras, cujus à te modò mentio facta eſt, ſophiſtes temporibus illis vel maximus, cum in principio libri ſic poſuiſſet, DE DIVIS NEQUE UT SINT, NEQUE UT NON SINT, HABEO DICERE, Athenienſium juſſu urbe, atque agro eſt exterminatus, librique ejus in concione combuſti. Ex quo equidem exiſtimo, tardiores ad hanc ſententiam profitendam multos eſſe factos, quippe cùm *pœnam ne dubitatio quidem effugere potuiſſet*. Quid de ſacrilegis, quid de impiis, perjuriſque dicemus?

--Tubulus ſi Lucius umquam,
Si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius,

ut ait Lucilius, putaſſet eſſe deos, tam perjurus, aut tam impurus fuiſſet? Non eſt igitur tam explorata iſta ratio ad id, quod vultis, confirmandum, quàm videtur. Sed quia commune eſt hoc argumentum aliorum etiam philoſophorum, omittam hoc tempore: ad veſtra propria venire màlo. Concedo eſſe deos, doce me igitur, *unde ſint, ubi ſint, quales ſint corpore, animo, vita*. Hæc enim ſcire deſidero. Abuteris ad omnia atomorum regno, & licentia. hinc, quodcumque in ſolum venit, ut dicitur, effingis, atque efficis. quæ primùm nullæ ſunt. [1] nihil eſt enim, quod vacet corpore: corporibus autè omnis obſidetur locus: ita nullum
24 inane, nihil eſſe in dividuum poteſt. Hæc ego nunc phyſicorum oracula fundo. vera, an falſa, neſcio: ſed veri tamen ſimiliora, quam veſtra. iſta enim flagitia Democriti, ſive etiam antè Leucippi, eſſe corpuſcula quædam lævia, alia aſpera, rotunda alia; partim autem [2] angulata, curvata quædam, & quaſi adunca: ex his effectum eſſe cœlum, atque terram, nulla cogente natura, ſed concurſu quodam fortuito. Hanc tu opinionem, C. Vellei, uſque ad hanc ætatem perduxiſti, priuſque te quis de omni vitæ ſtatu, quàm de iſta auctoritate dejecerit. antè enim judicaſti, Epicureum te eſſe oportere, quàm iſta cognoviſti. Ita neceſſe fuit aut hæc flagitia concipere animo, aut ſuſceptæ philoſophiæ nomen amittere. Quid enim mereas, ut Epicureus eſſe deſinas? Nihil equidem, inquis, *ut rationem vitæ beatæ, veritatemque deſeram*. Iſta igitur eſt veritas? Nam de vita beata nihil repugno: quam tu ne in deo quidem eſſe cenſes, niſi planè otio langueat. Sed ubi eſt veritas? in mundis, credo, innumerabilibus, omnibus minimis temporum punctis, aliis naſcentibus, aliis cadentibus: an individuis corpuſculis, tam præclara opera, nulla moderante natura, nulla ratione, fingentibus? Sed oblitus liberalitatis meæ, qua tecum paullo antè uti cœperam, plura complecto. Concedam igitur, ex individuis conſtare omnia. Quid ad rem? deorum enim natura quæritur. Sint ſanè ex atomis. non igitur æterni. [3] quia enim ex atomis ſit, id natum aliquando ſit. Si natum, nulli dii antè, quàm nati, & ſi ortus eſt deorum, interitus ſit, neceſſe eſt, ut tu paullo antè de Platonis mundo diſputabas. Ubi igitur illud veſtrum *beatum*, & *æternum*? quibus duobus verbis ſignificatis Deum. Quod cùm efficere vultis, in dumeta correpitis. ita enim dicebas, non corpus eſſe in deo, ſed *quaſi corpus*: nec ſanguinem, ſed *quaſi ſanguinem*. Hoc perſæpe facitis, ut, cùm aliquid non veriſimile 25
dicatis, & effugere reprehenſionem velitis, efferatis aliquid, quod omnino ne fieri quidem poſſit: ut ſatius fuerit illud ipſum, de quo ambigebatur, concedere, quam tam *impudenter reſiſtere*: velut Epicurus, cùm videret, ſi atomi ferrentur in locum inferiorem ſuopte pondere, nihil fore in noſtra poteſtate, quòd eſſet earum motus certus, & neceſſarius, invênit quo modo neceſſitatem effugeret, quod videlicet Democritum fugerat. ait atomum, cùm pondere & gravitate directò [4] deorſum feratur, declinare paullulum. Hoc dicere turpius eſt, quàm illud, quod vult, non poſſe defendere. Idem facit contra dialecticos: à quibus cùm traditum ſit, in omnibus disjunctionibus, in quibus, *aut etiam, aut non* poneretur, alterutrum verum eſſe: pertimuit, ne, ſi conceſſum eſſet hujuſmodi aliquid, *Aut vivet cras, aut non vivet Epicurus*, alterutrum fieret neceſſarium: totum hoc aut etiam, aut non, negavit eſſe neceſſarium. Quo quid dici poteſt obtuſius? Urgebat Arceſilas Zenonem, cùm ipſe falſa omnia diceret, quæ ſenſibus viderentur: Zeno autem nonnulla viſa eſſe falſa, non omnia. Timuit Epicurus, ne, ſi unum viſum eſſet falſum, nullum eſſet verum; *omneis ſenſus veri nuntios* dixit eſſe. [5] nihil horum, niſi callidè. GRAVIOREM enim plagam accipiebat, ut leviorem repelleret. Idem facit in natura deorum. dum individuorum corporum concretionem fugit, ne interitus, & diſſipatio conſequatur, negat eſſe corpus deorum, ſed tanquam corpus: nec ſanguinem, ſed tanquam ſanguinem.
MIRABILE VIDETUR, quòd non rideat haruſpex, cùm 26
haruſpicem viderit. hoc mirabilius, quòd vos inter vos riſum tenere poſſitis. non eſt corpus, ſed quaſi corpus. hoc intelligerem, quale eſſet, ſi id in ceris fingeretur, aut fictilibus figuris. in deo quid ſit quaſi corpus, aut quaſi ſanguis, intelligere non poſſum. ne tu quidem, Vellei: ſed non vis fateri. iſta enim à vobis *quaſi dictata* redduntur: quæ Epicurus oſcitans halucinatus eſt, cùm quidem gloriaretur, ut videmus in ſcriptis, *ſe magiſtrum habuiſſe nullum*. quod & non prædicanti, [6] tamen facilè quidem crederem: ſicut [7] mali ædificii domino glorianti, ſe architectum non habuiſſe. nihil enim olet ex Academia, nihil ex Lyceo, nihil ne è puerilibus quidem diſciplinis. Xenocratem audire potuit: quem virum! dii immortales! & ſunt qui putent audiviſſe: ipſe non vult. credo plus nemini. Pamphilum quendam, Platonis auditorem, ait à ſe Sami auditum. ibi enim adoleſcens habitabat cum patre, & fratribus, quòd in eam pater ejus Neocles agripeta venerat.

1. *Nihil eſt enim quod vacet corpore.*] Sic Aldi ſenioris editio, habentque Pal. tres & Palat. poſteriores, *nihil enim eſt quod*. Lambinus heic mire centones fercit.

2. *Angulata, curvata quædam.*] Vox media non eſt boni commatis. nam ejus loco eſt in Palat. pr. *firmata*. in ſecund. *hamata*. in tert. *pyramata*. media lectio verior videtur.

3. *Quia enim ex atomis ſit, id natum aliquando ſit.)*] Sic editi à Victorio. nam antea cuſi, *quod enim*. Lambinus adtexuit, *aliquando ſit neceſſe eſt*. at ego potius ſuſtulerim utrumque *ſit*. nam in Palat. primo aut ſec. non exſtat prius. habetque prim. *renatum* pro *id natum*; quod & in P. Gulielmiano.

4. *Deorſum feratur.*] Si ulla auctoritas membranarum Pall. retinendum *deorſus*. ita enim omnes.

5. *Nihil horum niſi callidè.*] Sic quidem Palat. ſecund. ſed alii duo, item Wouveriani *valdè*. forte *caldè*. niſi velimus aliud quid ſubintelligi.

6. *Tam facilè quidem crederem; ſicut, &c.*] Sic tota cohors librorum noſtrorum Pall. Wouverian. item editio Victorii; indicavitque ita extare in Marſicano P. Manutius; quem ne quidem ſequitur Lambinus, dum ſequi ſe jactat. publicavit enim, *equidem credam*. quomodo nullus è noſtris codd ſex.

7. *Mali ædificii domino.*] Nihil ſollicito; tantum prodo habere Palat. prim. *domo*; lectione haud uſquequaque abſurda.

rat. Sed, cùm agellus eum non ſatis aleret, ut opinor, *ludimagiſter fuit*. Sed hunc Platonicum mirificè contemnit Epicurus: ita metuit, ne quid umquam didiciſſe videatur. In Nauſiphane Democriteo tenetur: quem cùm à ſe non neget auditum, *vexat tamen* omnibus contumeliis. Atqui ſi hæc Democritea non audiſſet, quid audierat? quid eſt in phyſicis Epicuri non à Democrito? nam etſi quædam *commutavit*, ut, quod paullo antè de inclinatione atomorum dixi; tamen pleraque dicit eadem; [1] atomos, inane, imagines, infinitatem locorum, innumerabilitatemque mundorum, eorum ortus, interitus, omnia ferè, quibus naturæ ratio continetur. Nunc iſtuc *quaſi corpus*, & *quaſi ſanguinem*, quid intelligis? ego enim ſcire te iſta melius, quàm me, non fateor ſolùm, ſed etiam facilè patior. Cùm quidem ſemel dicta ſunt, quid eſt, quod Vellejus intelligere poſſit, Cotta non poſſit? Itaque corpus quid ſit, ſanguis quid ſit, intelligo: quaſi corpus, & quaſi ſanguis, quid ſit, nullo prorſus modo intelligo. Neque tu me celas, ut Pythagoras ſolebat alienos: nec conſultò dicis occultè, tanquam Heraclitus: ſed (quod inter nos liceat)

27 ne tu quidem intelligis. Illud video pugnare te, ſpecies ut quædam ſit deorum, quæ nihil concreti habeat, nihil ſolidi, nihil expreſſi, nihil eminentis, ſitque pura, levis, perlucida. Dicemus ergo idem, quod in Venere Coa: *corpus illud non eſt, ſed ſimile corpori*: nec ille fuſus, & candore mixtus rubor, ſanguis eſt, ſed quædam ſanguinis ſimilitudo: ſic in Epicureo deo non res, ſed ſimilitudines rerum eſſe. Fac, id, quod ne intelligi quidem poteſt, mihi eſſe perſuaſum. cedò mihi iſtorum adumbratorum deorum lineamenta, atque formas. Non deeſt hoc loco copia rationum, quibus docere velitis, *humanas eſſe formas deorum*: primùm quòd ita ſit informatum, anticipatumque mentibus noſtris, ut homini, cùm de deo cogitet, forma occurrat humana: deinde, ut, quoniam rebus omnibus excellat natura divina, forma quoque eſſe pulcherrima debeat: nec eſſe humana ullam pulchriorem. Tertiam rationem affertis, quòd nulla in alia figura domicilium mentis eſſe poſſit. Primum igitur quidque conſideremus quale ſit. arripere enim mihi videmini quaſi veſtro jure rem nullo modo [2] probabilem omnium. Quis tam cæcus in contemplandis rebus umquam fuit, ut non videret ſpecies iſtas hominum collocatas in deos aut *conſilio* quodam ſapientum, quo faciliùs animos imperitorum ad deorum cultum à vitæ pravitate converterent: aut *ſuperſtitione*, ut eſſent ſimulacra, quæ venerantes, deos ipſos ſe adire crederent? Auxerunt autem hæc eadem poëtæ, pictores, opifices. [3] Erat enim non facile, agenteis aliquid, & molienteis deos, in aliarum formarum imitatione ſervare. Acceſſit etiam iſta *opinio* fortaſſe, quòd homini homine nihil pulchrius videatur. Sed tu hoc, phyſice, non vides, quàm *blanda conciliatrix*, [4] *& quaſi ſui ſit lena natura*? An putas ullam eſſe terra, marique beluam, quæ non ſui generis belua maximè delectetur? quod ni ita eſſet, cur non geſtiret taurus equæ contractione, equus vaccæ? An tu aquilam, aut leonem, aut Delphinum ullam anteferre cenſes figuram ſuæ? quid igitur mirum, ſi hoc eodem modo homini natura præſcripſit ut nihil pulchrius, quàm hominem putaret, eam eſſe, cauſam, cur deos hominum ſimileis putaremus? quid cenſes, ſi ratio eſſet in beluis?

non *ſuo quaſque generi plurimùm tributuras* fuiſſe? At me- 28 hercule ego (dicam enim, ut ſentio) quamvis amem ipſe me, tamen non audeo dicere, pulchriorem eſſe me, [5] quàm ille fuerit taurus, qui vexit Europam. Non enim hoc loco de ingeniis, aut de orationibus noſtris, ſed de ſpecie, figuraque quæritur. Quòd ſi fingere nobis, & jungere formas velimus: qualis ille maritimus Triton pingitur, natantibus invehens beluis, adjunctis humano corpori; nolis eſſe? Difficili in loco verſor. Eſt enim vis tanta naturæ, *ut homo nemo velit niſi hominis ſimilis eſſe*. Et quidem formica formicæ. Sed tamen cujus hominis? quotus enim quiſque formoſus eſt? Athenis cùm eſſem, è gregibus epheborum vix ſinguli reperiebantur. Video, quid arriſeris. ſed tamen ita res ſe habet. Deinde nobis, qui concedentibus philoſophis antiquis, adoleſcentulis delectamur, *etiam vitia ſæpe jucunda ſunt*. Nævus in articulo pueri delectat Alcæum. at eſt corporis macula, nævus. illi tamen hoc lumen videbatur. Q. Catulus, hujus collegæ, & familiaris noſtri pater, dilexit municipem tuum Roſcium: in quem etiam illud eſt ejus:

Conſtiteram, exorientem auroram fortè ſalutans,
Cùm ſubitò à lævâ Roſcius exoritur.
Pace mihi liceat, cæleſtes, dicere veſtra,
Mortalis viſus pulchrior eſſe deo.

[6] Huic, deo pulchrior. at erat, ſicut hodie eſt, perverſiſſimis oculis. quid refert? ſi hoc ipſum ſalſum illi & venuſtum videbatur. Redeo ad deos: [7] ecquos ſi non tam ſtra- 29

bones, at pætulos eſſe arbitramur? ecquos nævum habere? ecquos ſilos, flaccos, frontones, capitones, quæ ſunt in nobis? an omnia emendata in illis? detur id vobis. Num etiam eſt una omnium facies? nam ſi plures: *aliam eſſe alia pulchriorem* neceſſe eſt. Igitur aliquis non pulcherrimus deus. Si una omnium facies eſt, florere in cælo Academiam neceſſe eſt. Si enim nihil inter deum, & deum differt; nulla eſt apud deos cognitio, nulla perceptio. Quid, ſi etiam, Vellei, falſum illud omnino eſt, nullam aliam nobis de deo cogitantibus ſpeciem, niſi *hominis* occurrere? tamenne iſta tam abſurda defendes? nobis fortaſſe [8] ſi occurrit, ut dicis: Jovem, Junonem, Minervam, Neptunum, Vulcanum, Apollinem, reliquos deos, ea facie novimus, qua pictores, fictoreſque voluerunt: neque ſolùm facie, ſed etiam ornatu, ætate, atque veſtitu. at non Ægyptii, nec Syri, nec ferè cuncta barbaria. firmioreis enim videas apud eos opiniones eſſe de beſtiis quibuſdam, quàm apud nos de ſanctiſſimis templis, & ſimulacris deorum. Etenim FANA MULTA EXSPOLIATA, & ſimulacra deorum de locis ſanctiſſimis ablata videmus à noſtris. at verò ne fando quidem auditum eſt, crocodilum, aut ibim, aut felem violatum ab Ægyptio. Quid igitur cenſes? Apim illum, ſanctum Ægyptiorum bovem, nonne deum videri Ægyptiis? tam hercle, quam tibi illam noſtram Soſpitam, quam tu numquam ne in ſomnis quidem vides, niſi cum pelle caprina, cum haſta, cum ſcutulo, [9] cum calceolis repandis. At non eſt talis Argiva, nec Romana Juno. Ergo alia

alia

1. *Atomos, inane, imagines.*] Non videtur contemnendum quod eſt in tribus Pall. *inanes*.

2. *Probabilem omnium. Quis.*] Eſt ab editione Victorii, viſiturque in P. & utroque Pall. ſecund. ac tert. nam primus aliquot foliis hîc mutilus eſt.

3. *Erat enim non facile agenteis, &c.*] Ita & Victorii editio neque ſecus Pal. noſtri, quorum tamen ſecund. non agnoſcit negativam; neque videtur auctoris.

4. *Et quaſi ſui ſit lena natura.*] Pall. & Wouverian. *& quam ſui ſit.* quod & expreſſit Victorius, adjecto, *ipſa natura*.

5. *Quam ille fuerit taurus.*] Victorii editio ſic habet, ut & Palat. tert. nam ſecund. *fuit ille*. verum cum P. voce illa deſtituatur, credibile eſt à manu manaſſe librariorum.

6. *Huic, Deo pulcrior. at erat, &c.*] Retinui lectionem vulgatam concordantem cum mſſ. noſtris, ſolummodò iiſdem membranis auctoribus tranſpoſui vocem, ſuſtulique interrogationem. quomodo item viſitur in Victoriana. oculis inquit hujus pulcrior videbatur Deo, non etiam noſtris, utpote perverſiſſimis oculis. Gul. Canterus malebat; *Hic pulcrior Deo?* lib. 4. Nov. lect. cap. 14. P. Manutius conjiciebat, *hui! pulcrior Deo!* quod, ut ambroſiam, ſtatim libris ſuis credidit Lambinus.

7. *Ecquos ſi non tam ſtrabones, at pætulos.*] Haud aliter Victoriana editio, imò & Aldi vetus, & accedunt fere membranæ noſtræ. Camerariana, *ecquos inſigni nota ſtrabones aut petulos, &c.* quæ tamen videntur uſurpata fuiſſe vulgo longè prius.

8. *Si occurrit, ut dicis: Jovem, &c.*] Sic Aldus avus, obtinetque paſſim hodie. ſed enim Victoriana, *ut dicis apparuiſſe Jovem*, quomodo duo Pall. & duo Wouw.

9. *Cum calceolis repandis.*] Pighius noſter ad annum urbis DXCIX. arbitratur melius *caligulis*: utique ſi ſequamur nummorum indicia.

1. *Alia*

alia ſpecies Junonis Argivis, [1] alia Lanuinis. Et quidem alia nobis Capitolini, alia Afris Ammonis Jovis.
30 Non pudet igitur *phyſicum, id eſt, ſpeculatorem, venatoremque naturæ* ab animis conſuetudine imbutis, petere teſtimonium veritatis? iſto enim modo dicere licebit, Jovem ſemper barbatum, Apollinem ſemper imberbem, cæſios oculos Minervæ, cæruleos eſſe Neptuni. Et quidem [2] Athenis laudamus Vulcanum eum, quem fecit Alcamenes: in quo ſtante, atque veſtito, leviter appâret claudicatio non deformis. Claudum igitur habebimus deum, quoniam de Vulcano ſic accepimus. Age & his vocabulis deos eſſe facimus, quibus à nobis nominantur. At primùm quot hominum linguæ, tot nomina deorum. Non enim, ut tu Velleius, quocumque veneris, ſic idem in Italia Vulcanus, idem in Africa, idem in Hiſpania. Deinde nominum non magnus numerus ne in pontificiis quidem noſtris: deorum autem innumerabilis. An ſine nominibus ſunt? iſtud quidem ita vobis dicere neceſſe eſt. quid enim attinet, cùm una facies ſit, plura eſſe nomina? quàm bellum erat, Vellei, *confiteri potiùs neſcire quod neſcires*, quàm iſta effutientem nauſeare, atque ipſum ſibi diſplicere? At tu mei ſimilem putas eſſe, aut tui deum? profectò non putas. Quid ergo? ſolem dicam, aut lunam, aut cælum, deum? ergo etiam *beatum*. Quibus fruentem voluptatibus? & *ſapientem*. Qui poteſt eſſe in ejuſmodi trunco ſapientia? Hæc veſtra ſunt. Si igitur nec humano viſu, quod docui: nec tali aliquo, quod tibi perſuaſum eſt: quid dubitas negare deos eſſe? Non audes. ſapienter id quidem. etſi hoc loco *non populum metuis, ſed ipſos deos*. novi ego Epicureos [3] omnia ſigilla numeranteis: quamquam video nonnullis videri, Epicurum, ne in offenſionem Athenienſium caderet, *verbis* reliquiſſe deos, *re* ſuſtuliſſe. Itaque in illis ſelectis ejus, brevibuſque ſententiis, quas appellatis κυρίας δόξας, hæc ut opinor, [4] prima ſententia eſt: *Quod beatum & immortale eſt, id nec habet, nec exhibet cuiquam nego-*
31 *tium.* In hac ita expoſita ſententia, ſunt qui exiſtiment, quod ille [5] inſcitia planè loquendi fecerit, feciſſe conſulto. de homine minimè vafro male exiſtimant. Dubium eſt enim, utrùm dicat aliquid iſte beatum & immortale, [6] an ſi quod ſit, id eſſe immortale. Non animadvertunt, hîc eum ambiguè locutum eſſe: ſed multis aliis locis, & illum, & Metrodorum tam apertè, quàm paullo antè te. ille verò deos eſſe putat: nec quemquam vidi, qui magis ea, quæ timenda eſſe negaret, timeret, mortem dico, & deos: quibus mediocres homines non ita valde moventur. his ille clamat, omnium mortalium menteis eſſe perterritas. *Tot millia latrocinantur, morte propoſita.* Alii omnia, quæ poſſunt, fana compilant. Credo, aut illos mortis timor terret, aut hos religionis. Sed, quoniam non audes (jam enim cum ipſo Epicuro loquar) negare eſſe deos: quid eſt, quod te impediat aut ſolem, aut lunam, aut mundum, aut mentem aliquam ſempiternam in deorum natura ponere? Numquam vidi, inquit, animam rationis, conſiliique participem in ulla alia, niſi humana figura. Quid? ſolis numquidnam, aut lunæ, aut quinque errantium ſiderum ſimile vidiſti? ſol duabus unius orbis ultimis partibus definiens motum, curſus annuos conficit. Hujus hanc illuſtrationem ejuſdem incenſa radiis menſtruo ſpatio luna complet. Quinque autem ſtellæ eundem orbem tenentes, aliæ propiùs à terris, aliæ remotiùs, ab iiſdem principiis, diſparibus temporibus eadem ſpatia conficiunt. Numquid tale, Epicure, vidiſti? Ne ſit igitur ſol, ne luna, ne ſtellæ: quoniam *nihil eſſe poteſt, niſi quod attigimus, aut vidimus*. Quid? deum ipſum numne vidiſti? cur igitur credis eſſe? tollamus ergo omnia, quæ [7] aut hiſtoria nobis, aut ratio nova affert. [8] Ita ſit, ut *mediterranei* mare eſſe non credant. Quæ ſunt tantæ animi anguſtiæ, ut, ſi Seriphi natus eſſes, nec umquam egreſſus ex inſula, in qua lepuſculos, vulpeculaſque ſæpe vidiſſes, non crederes leones, & pantheras eſſe, [9] cùm tibi, quales eſſent, diceretur? ſi verò de elephanto quis diceret, etiam rideri te putares? Et tu quidem, Vellei, non veſtro more, ſed dia- 32
lecticorum (quæ funditus gens veſtra non novit) argumenti ſententiam concluſiſti: *Beatos eſſe deos* ſumſiſti. Concedimus. *Beatum autem ſine virtute neminem eſſe poſſe.* Id quoque damus, & libenter quidem. *Virtutem autem ſine ratione conſtare non poſſe.* Conveniat id quoque neceſſe eſt. Adjungis, *nec rationem eſſe, niſi in hominis figura.* Quem tibi hoc daturum putas? ſi enim ita eſſet, quid opus erat te gradatim iſtuc pervenire? quid autem eſt iſtuc gradatim? ſumſiſſes tuo jure. Nam à beatis ad virtutem, à virtute ad rationem video te veniſſe gradibus. A ratione ad humanam figuram quo modo accedis? præcipitare iſtuc quidem eſt, non deſcendere. Nec verò intelligo, cur maluerit Epicurus deos hominum ſimileis dicere, quàm homines deorum. Quæres, quid interſit. Si enim hoc illi ſimile ſit, eſſe illud huic video. Sed hoc dico, non ab hominibus formæ figuram veniſſe ad deos. *dii enim ſemper fuerunt, & nati numquam ſunt*, ſi quidem æterni ſunt futuri. at homines nati. antè igitur humana forma, quàm homines, ea, qua erant forma dii immortales. Non ergo illorum, *humana forma*, ſed noſtra, *divina* dicenda eſt. Verùm hoc quidem, ut voletis. illud quæro, quæ fuerit tanta fortuna. nihil enim in rerum natura ratione factum eſſe vultis. Sed tamen quis iſte *tantus caſus*? unde tam felix concurſus atomorum, ut repentè homines deorum forma naſcerentur? ſemina deorum decidiſſe de cælo in terras putamus, & ſic homines patrum ſimileis exſtitiſſe? vellem diceretis: deorum cognationem agnoſcerem non invitus. Nihil tale dicitis: ſed caſu eſſe factum, ut deorum ſimiles eſſemus. Et nunc argumenta quærenda ſunt, quibus hoc refellatur? UTINAM TAM FACILE vera invenire poſſim, quam falſa convincere. Etenim enumeraſti memoriter, & copioſè 33
(ut mihi quidem admirari liberet, in homine eſſe Romano tantam ſcientiam) uſque à Thale Mileſio de natura deorum philoſophorum ſententias. Omneſne tibi illi delirare viſi ſunt, qui ſine manibus, & pedibus conſtare deum poſſe decreverunt? ne hoc quidem vos movet conſideranteis, quæ ſit utilitas, quæque opportunitas in homine membrorum, ut judicetis, *membris humanis deos non egere*? quid enim pedibus opus eſt ſine ingreſſu? quid manibus, ſi nihil comprehendendum? quid reliqua deſcriptione omnium corporis partium, in qua nihil inane, nihil ſine cauſa, nihil ſupervacaneum eſt? Itaque NULLA ARS imitari ſollertiam naturæ poteſt. Habebit igitur linguam deus, & non loquetur. denteis, palatum, fauceis nullum ad uſum: quæque procreationis cauſa natura corpori affinxit, ea fruſtra habebit deus: nec externa magis, quàm interiora, cor, pulmones,

1. *Alia Lanuinis.*] Inepte omnium libros obſidet *Latinis*. alterum eruerat quidem Victorius, ſed nemò fere ſequi voluit. ſic tamen Pal. noſtri & Wouw. niſi quod in iis etiam, *Lavinis, & Lavinis*. quid mirum? adhuc nondum conſenſerunt Critici *Lanuvium* ne dicendum an *Lavinium*. at ibidem eximiè cultam Soſpitam, notum ſatis vel ex Livio.

2. *Athenis laudamus Vulcanum eum, &c.*] Victorii editio *laudamus eſſe Athenis Vulcanum eum*. quæ vox item in P. & duobus Pall.

3. *Omnia ſigilla numerantes.*] Conjecit P. Manutius *venerantes*, illicoque intulit ſuis Lambinus. at propius literas Gulielmius, *munerantes*.

4. *Prima ſententia eſt.*] Vulg. *prior*: ſed contra omnes mſſ. noſtros, & editionem Victorii.

5. *Inſcitia planè loquendi.*] Lambinus invexit, vel omnibus, inquit, libris invitis, *inſcientia*. inſcitè.

6. *An ſi quod ſit, id eſſe immortale.*] Haud ſecus Aldus ſenior, & Victorius, adſtipulanturque Wouw. duo item Pall. niſi quod ſec. *mortale*. poſterius cuſi addidere, *ſit beatum, id eſſe immort.*

7. *Aut hiſtoria nobis, aut ratio nova affert.*] Palat. tert. *nova*. Gulielmius legebat, *nobis nova, aut ratio affert.* acquieſco vulgatæ, noſtrâ quidem poſiturâ, quæ & in Victoriana, & in Pall.

8. *Ita ſit ut mediterranei, &c.*] Non inepte Pall. noſtri: *ita ſit.* ut affirmet auctor; non futurum; ſed præſens, ſed præteritum.

9. *Si tibi quales eſſent dicerentur.*] Metuo ne ſint ab liberalitate exſcriptorum, voces iſtæ omnes.

mones, jecur, cetera; quæ detracta utilitate, quid habent venuſtatis? quandoquidem hæc eſſe in deo propter pulchritudinem vultus. Iſtiſne fidentes ſomniis non modò Epicurus, & Metrodorus, & Hermachus contra Pythagoram, Platonem, Empedoclemque dixerunt, ſed meretricula etiam Leontium, contra Theophraſtum ſcribere auſa ſit? ſcito illa quidem ſermone, & Attico: [1] ſed tamen. tantum Epicuri hortus habuit licentiæ. & ſoletis queri: Zeno quidem etiam litigabat. quid dicam Albutium? nam Phædro nihil elegantius, nihil humanius. ſed ſtomachabatur ſenex, ſi quid aſperius dixeram. cùm Epicurus contumelioſiſſimè Ariſtotelem vexaverit: Phædoni Socratico turpiſſimè maledixerit: Metrodori, ſodalis ſui, fratrem, Timocratem, quia neſcio quid in philoſophia diſſentiret, totis voluminibus conciderit: in Democritum ipſum, quem ſecutus eſt, fuerit ingratus: Nauſiphanem, magiſtrum ſuum,
34 a quo nihil didicerat, tam male acceperit. Zeno quidem non eos ſolum, qui tum erant, Apollodorum, [2] Syllum, ceteros figebat maledictis; ſed Socratem ipſum, parentem philoſophiæ, Latino verbo utens, *ſcurram Atticum* fuiſſe dicebat: Chryſippum numquam niſi *Cheſippum* vocabat. Tu ipſe paullo ante, cùm tanquam ſenatum philoſophorum recitares, ſummos viros *deſipere*, *delirare*, *dementes eſſe* dicebas. Quorum ſi nemo verum videt de natura deorum, verendum eſt, ne nulla ſit omnino. Nam iſta, quæ vos dicitis, ſunt tota commentitia, vix digna lucubratione anicularum. non enim ſentitis, quam multa vobis ſuſcipienda ſint, ſi impetraritis, ut concedamus eandem eſſe hominum, & deorum figuram. Omnis cultus, & curatio corporis erit eadem adhibenda deo, quæ adhibetur homini: ingreſſus, curſus, accubitio, inclinatio, ſeſſio, comprehenſio; ad extremum etiam ſermo, & oratio. Nam quòd & *mares deos*, & *fæminas* eſſe dicitis, quid ſequatur videtis. Equidem mirari ſatis non poſſum, unde ad iſtas opiniones veſter ille princeps venerit. Sed clamare non deſinitis, retinendum hoc eſſe, *deus ut beatus*, *immortaliſque ſit*. Quid autem obſtat, quo minùs ſit beatus, ſi non ſit bipes? aut iſta ſive beatitas, ſive beatitudo dicenda eſt (utrumque omnino durum, ſed *uſu mollienda nobis verba ſunt*) verum ea; quæcumque eſt, cur aut in ſolem illum, aut in hunc mundum, aut in aliquam mentem æternam, figura, membriſque corporis vacuam, cadere non poteſt? Nihil aliud dicis, niſi, numquam vidi ſolem, aut mundum beatum. Quid? mundum, præter hunc, umquamne vidiſti? negabis. Cur igitur non *ſexcenta millia eſſe mundorum*, ſed innumerabilia auſus es dicere? Ratio docuit. Ergo hoc te ratio non docebit, cùm præſtantiſſima natura quæratur, eaque beata, & æterna, [3] quæ ſola divina natura ſunt, ut immortalitate vincamur ab ea natura, ſic animi præſtantia vinci: atque ut animi, item corporis? cur igitur, cùm ceteris rebus inferiores ſimus, forma pares ſumus? ad ſimilitudinem enim deo propiùs accedebat hu-
35 mana *virtus*, quàm *figura*. An quidquam tam puerile dici poteſt (ut eundem locum diutiùs urgeam) quàm ſi ea genera beluarum, quæ in rubro mari, Indiave gignantur, nulla eſſe dicamus? Atqui NE CURIOSISSIMI QUIDEM HOMINES exquirendo audire tam multa poſſunt, quàm ſunt multa, quæ terra, mari, paludibus, fluminibus exſiſtunt. quæ negemus eſſe, quia numquam vidimus. Ipſa verò quàm nihil ad rem pertinet, quæ vos delectat maximè, ſimilitudo? Quid? canis nonne ſimilis lupo? atque, ut Ennius,

Simia quàm ſimilis, turpiſſima beſtia, nobis?

at mores in utroque diſpares. Elephanto belluarum nulla prudentior. at figura quæ vaſtior? De beſtiis loquor: quid? inter ipſos homines nonne & *ſimillimis formis diſpares mores* & moribus figura diſſimilis? etenim ſi ſemel, Vellei, ſuſcipimus genus hoc argumenti, attende quò ſerpat. tu enim ſumebas, niſi in hominis figura rationem, ineſſe non poſſe. ſumet alius, niſi in terreſtri: niſi in eo, qui natus ſit: niſi in eo, qui adoleverit: niſi in eo, qui didicerit: niſi in eo, qui ex animo conſtet, & corpore caduco, & infirmo: poſtremò niſi in homine, atque mortali. Quòd ſi in omnibus his rebus obſiſtis, quid eſt, quòd te una forma conturbet? his enim omnibus, quæ propoſui, adjunctis, in homine rationem eſſe, & mentem videbas. Quibus detractis, deum tamen noſſe te dicis, modò lineamenta maneant. Hoc eſt non conſiderare, ſed *quaſi ſortiri*, quid loquare. Niſi fortè ne hoc quidem attendis, non modò in homine, ſed etiam in arbore, *quidquid ſupervacaneum ſit, aut uſum non habeat*, *obſtare*. Quàm moleſtum eſt uno digito plus habere? quid ita? quia nec ſpeciem, nec uſum alium quinque deſiderant. Tuus autem deus non digito uno redundat, ſed capite, collo, cervicibus, lateribus, alvo, tergo, poplitibus, manibus, pedibus, feminibus, cruribus. Si ut immortalis ſit, quid hæc ad vitam membra pertinent? quid ipſa facies? magis illa, cerebrum, cor, pulmones, jecur. hæc enim ſunt domicilia vitæ. Oris quidem habitus ad vitæ firmitatem nihil pertinet. [4] At eos 36
vituperabas, qui ex operibus magnificis, atque præclaris, cùm ipſum mundum, cùm ejus membra, cælum, terras, maria, cumque horum inſignia, ſolem, lunam, ſtellaſque vidiſſent, cumque temporum maturitates, mutationes, viciſſitudineſque cognoviſſent, ſuſpicati eſſent *aliquam excellentem eſſe*, *præſtantemque naturam*, *quæ hæc feciſſet*, *moveret*, *regeret*, *gubernaret*. Qui, etiam ſi aberrant à conjectura, video tamen quid ſequantur. Tu quod opus tandem magnum, & egregium habes, quod effectum divina mente videatur, ex quo eſſe deos ſuſpicère? [5] Habebam, inquis, in animo inſitam informationem quandam dei; & barbati quidem Jovis, galeatæ Minervæ. Num igitur eſſe taleis putas? Quanto meliùs hæc vulgus imperitorum? qui non membra ſolùm hominis deo tribuunt, ſed uſum etiam membrorum. dant enim arcum, ſagittas, haſtam, clypeum, fuſcinam, fulmen: &, ſi, actiones quæ ſint deorum non vident, *nihil agentem tamen deum non queunt cogitare*. Ipſi, qui irridentur, Ægyptii, nullam beluam, niſi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, conſecraverunt. [6] Velut Ibes, maximam vim ſerpentium conficiunt, cùm ſint aves excelſæ, cruribus rigidis, corneo, proceroque roſtro: avertunt peſtem ab Ægypto, cùm volucreis angueis ex vaſtitate Libyæ vento Africo invectas interficiunt, atque conſumunt. ex quo fit, ut illæ, nec morſu vivæ noceant, nec odore mortuæ. Poſſum de ichneumonum utilitate, de crocodilorum, de felium dicere: ſed nolo eſſe longus. ita concludam; tamen beluas à barbaris propter beneficium conſecratas: veſtrorum deorum non modò beneficium nullum exſtare, ſed ne factum quidem omnino. Nihil habet, inquit, negotii. Profectò Epicurus, quaſi *pueri delicati*, *nihil ceſſatione melius exiſtimat*. At ipſi tamen pueri, etiam cùm ceſſant, exercitatione ali- 37
qua ludicra delectantur: deum ſic feriatum volumus ceſſatione torpere, ut, ſi ſe commoverit, vereamur ne beatus eſſe non poſſit. Hæc oratio non modò deos ſpoliat motu, & actione divina, ſed etiam homines inerteis efficit; ſi quidem agens aliquid, ne deus quidem, eſſe beatus poteſt.

Verùm

1. *Sed tamen. tantum Epicuri, &c.*] Secutus ſum lectionem à Petro Victorio examinatam interpunctamque libro XXIV. Variar. cap. 18. reſpondet quæ eidem Pall.

2. *Syllum, ceteros, &c.*] Victorius d. libro cap. 19. locum habet ſuſpectum de mendo. libri enim calamo exarati ſcribunt *ſine ceteros*. & vero Pal. ſec. quoque exhibet *ſive citeros*. tert. tamen *Sillum ceteros*.

3. *Quæ ſola divina natura ſunt.*] Ita Victorius. vulgati, *in divina*. Pal. ſec. *quæ ſola div. natura eſt*; nec aliter Wouw. codex. at tert. *quæ ſola divinæ naturæ ſunt*.

4. *At eos vituperabas.*] Editio Vict. item P. & Pal. ſec. *& eos vit.*

5. *Habebam, inquis, &c.*] Sic Pall. noſtri & Victoriana. publicati, *habeo*.

6. *Velut Ibes maximam, &c.*] Vox prima abeſt vulgatis. produxit è libris antiquis Victorius; reſtatque in P. & Pal. tert. nam ſecund. *ut Ibes*. Wouverianus habet, *velut Ibes quæ max.*

1. *Utatur*

Verùm ſit ſanè, ut vultis, deus, effigies hominis, & imago. quod ejus eſt domicilium? quæ ſedes? qui locus? quæ deinde actio vitæ? quibus rebus, id quod vultis, beatus eſt? [1] *utatur enim ſuis bonis oportet, & fruatur, qui beatus futurus eſt.* nam locus quidem iis etiam naturis, quæ ſine animis ſunt, ſuus eſt cuique proprius, ut terra infimum teneat, hanc inundet aqua; [2] ſuperior æther; ignibus altiſſima ora reddatur. [3] Beſtiarum autem terrenæ ſunt aliæ, partim aquatiles, aliæ quaſi ancipites, in utraque ſede viventes: ſunt quædam etiam, [4] quæ *igne naſci putentur*, appareantque in ardentibus fornacibus ſæpe volitantes. Quæro igitur, veſter deus primùm ubi habitet: deinde quæ cauſa eum loco moveat: ſi modò movetur aliquando: poſtremò, cùm hoc proprium ſit animantium, ut *aliquid appetant*, quod ſit naturæ accommodatum: deus quid appetat: ad quam denique rem motu mentis, ac rationis utatur. poſtremò, quo modo beatus ſit, quo modo æternus. [5] quidquid enim horum attigeris, ulcus eſt. ita malè inſtituta ratio exitum reperire non poteſt. Sic enim dicebas, SPECIEM DEI percipi cogitatione, non ſenſu: nec eſſe in ea ullam ſoliditatem, neque eandem ad numerum permanere, eamque eſſe ejus viſionem, ut ſimilitudine, & tranſitione cernatur, neque deficiat umquam ex infinitis corporibus ſimilium acceſſio: ex eoque fieri, ut in hæc intenta mens noſtra, beatam illam naturam, & ſempiternam
38 putet. Hoc, per ipſos deos, de quibus loquimur, quale tandem eſt? nam ſi tantummodò ad cogitationem valent, nec ullam habent *ſoliditatem* nec *eminentiam*: [6] quid intereſt, utrùm de hippocentauro, an de deo cogitemus? omnem enim talem conformationem animi ceteri philoſophi motum inanem vocant: vos autem adventum in animos, & introitum imaginum dicitis. Ut igitur Ti. Gracchum cùm videor concionantem in Capitolio videre, de M. Octavio deferentem ſitellam, tum eum motum animi dico eſſe inanem: tu autem & Gracchi, & Octavii imagines remanere, quæ, in Capitolium cùm pervenerint, tum ad animum meum referantur: hoc idem fieri in deo, cujus crebra facie pellantur animi: ex quo eſſe beati, atque æterni intelligantur. Fac imagines eſſe, quibus pulſentur animi. ſpecies duntaxat objicitur quædam. num etiam cur ea *beata* ſit? cur *æterna*? Quæ autem iſtæ imagines veſtræ, aut unde? à Democrito omnino hæc licentia. Sed & ille reprehenſus à multis eſt, nec vos exitum reperitis: totaque res vacillat, & claudicat. Nam quid eſt, quod minùs probari poſſit, quàm omnium in me incidere imagines, Homeri, Archilochi, Romuli, Numæ, Pythagoræ, Platonis, nec ex forma, qua illi fuerunt? quomodo ergo illi? & quorum imagines? Orpheum poëtam docet Ariſtoteles numquam fuiſſe, & hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cujuſdam [7] fuiſſe Cercopis. At Orpheus, id eſt, imago ejus, ut vos vultis, in animum meum ſæpe incurrit. Quid, quòd ejuſdem hominis *in meum alia*, *alia in tuum*? quid, quòd earum rerum, quæ numquam omnino fuerunt, neque eſſe potuerunt, ut Scyllæ, ut Chimeræ? quid, quòd hominum, locorum, urbium earum, *quas numquam vidimus*? quid, quòd, ſimulac mihi collibitum eſt, præſtò eſt imago? quid, quòd etiam ad dormientem ve-
niunt *invocatæ*? Tota res, Vellei, nugatoria eſt. vos au- 39
tem non modò oculis imagines, ſed etiam animis inculcatis. tanta eſt impunitas garriendi. At quàm licenter? Fluentium frequenter tranſitio fit viſionum, ut è multis una videatur. Puderet me dicere non intelligere, ſi vos ipſi intelligeretis, qui iſta defenditis. Quo modo enim probas, *continenter* imagines ferri? aut, ſi continenter, quo modo *æternæ*? Innumerabilitas, inquis, ſuppeditat atomorum. Num eadem ergo iſta facient, ut ſint omnia ſempiterna? confugis ad æquilibritatem, ſic enim ἰσονομίαν, ſi placet, appellemus: & ais, quoniam ſit natura mortalis, immortalem etiam eſſe oportere. Iſto modo, quoniam homines mortales ſunt, ſint aliqui immortales: & quoniam naſcuntur in terra, naſcantur & in aqua: & quia ſunt quæ interimant, ſint quæ conſervent. Sint ſanè: ſed ea conſervent, quæ ſunt. Deos iſtos eſſe non ſentio. Omnis tamen iſta rerum effigies ex individuis quo modo [8] corporibus oritur? quæ etiam ſi eſſent, quæ nulla ſunt; pellere ſe ipſa, & agitari inter ſe concurſu fortaſſe poſſent: formare, figurare, colorare, animare non poſſent. Nullo igitur modo *immortalem* deum efficitis. Videamus nunc de *beato*. Si- 40
ne virtute certè nullo modo. *virtus* autem *actuoſa*: & deus, veſter nihil agens: expers virtutis igitur: ita, ne beatus quidem. Quæ ergo vita? Suppeditatio, inquis, bonorum, nullo malorum interventu. Quorum tandem bonorum? voluptatum. Credo: nempe ad corpus pertinentium. nullam enim noviſtis, niſi profectam à corpore, & redeuntem ad corpus, animi voluptatem. Non arbitror te, Vellei, ſimilem eſſe Epicureorum reliquorum: [9] quos pudeat earum Epicuri vocum, quibus ille teſtatur, ſe NE INTELLIGERE QUIDEM ULLUM BONUM, QUOD SIT SEJUNCTUM A DELICATIS, ET OBSCÆNIS VOLUPTATIBUS: quas quidem non erubeſcens, perſequitur omneis nominatim. Quem cibum igitur, aut quas potiones, aut quas vocum, aut florum varietates, aut quos tactus, quos odores adhibebis ad deos, ut eos perfundas voluptatibus? At poëtæ quidem, nectar, ambroſiam, epulas comparant, & aut Iuventatem, aut Ganymedem pocula miniſtrantem. Tu autem, Epicure, quid facies? neque enim unde habeat iſta deus tuus, video: nec, quomodo utatur. Locupletior igitur hominum natura ad beatè vivendum eſt, quàm deorum, quod pluribus generibus fruitur voluptatum. At has leviores ducis voluptates, quibus quaſi titillatio (Epicuri enim hoc verbum eſt) ſenſibus adhibetur. Quouſque ludis? nam Philo etiam noſter ferre non poterat, aſpernari Epicureos, molleis, & delicatas voluptates. ſumma enim memoria pronuntiabat plurimas Epicuri ſententias, his ipſis verbis, quibus erant ſcriptæ. Metrodori verò, qui eſt Epicuri collega ſapientiæ, multa impudentiora recitabat. accuſat enim Timocratem, fratrem ſuum, Metrodorus, quòd dubitet *omnia, quæ ad beatam vitam pertineant, ventre metiri*: neque id ſemel dicit: ſed ſæpius. Annuere te video. nota enim tibi ſunt. Proferrem libros, ſi negares. Neque nunc reprehendo, quòd ad voluptatem omnia referantur: alia eſt ea quæſtio: ſed doceo, deos veſtros eſſe vo-
luptatis experteis: ita veſtro judicio ne beatos quidem. *At* 41
dolore vacant. Satin' eſt id ad aliam abundantem bonis vitam

---

1. *Utatur enim ſuis bonis oportet & fruatur.*] Pall. & P. reſpuunt copulam, neque admiſit Victorius. locum habet tamen ſuum, niſi malimus repetendum, *bonis oportet*, *oportet fruatur*. Wouverian. præterea liber unus pro *enim* habebat *ſanè*, quod & offenderat in P. Gulielmius.

2. *Superior æther.*] Sic mſſ. noſtra quinque. ſic editio Victorii. vulgg. *aër*. Lambinus edidit *aëri*. quomodo conjecerat P. Manutius.

3. *Beſtiarum autem terrenæ ſunt aliæ, partim aquatiles.*] Pal. tert. *aliæ, aliæ autem aquatiles*: nec improbaverim admodum, dummodò reſcribatur fide P. *Beſtiarum quidem terr.*

4. *Quæ igne naſci.*] Sic Pall. nam P. *igni*. unde conjicit Gulielmius, *igni enaſci*.

5. *Quidquid enim horum attigeris.*] Victorii ed. *attigerit*, neque aliter Pall. aut P.

6. *Quid intereſt utrum de Hippocentauro.*] Wouverio excuſſum exemplar ſcriptum non habebat *utrum*; & poterat ſubintelligi. ejus loco erat in P. *quid*.

7. *Fuiſſe Cercopis.*] Ita volebat reponi Parrhaſius, notis ſuis in Claudianum. vulgata, *Cecropis*. at Pal. ſec. *certonis*. tertio *Cerconis*. Wouveriani, *Cerdonis* exprimunt.

8. *Corporibus oritur? quæ etiamſi eſſent, quæ nulla ſunt, &c.*] Palat. ſecund. longè aliter verba diſpoſuit; ſic nempe: *corporibus*, *quæ nullæ ſunt*, *oritur? quæ etiamſi eſſent*, *pellere ſe ipſæ*. & verò illa, *quæ nulla ſunt*, non viſuntur in Palat. tertio.

9. *Quos pudeat earum, &c.*] Adjiciunt alii negativam, ſed repugnantibus libris noſtris, minimum quinque. cupiebat Camerarius, eodem ſenſu, *quin pudeat*.

tam beatiſſimam? [1] Cogitat, inquiunt, aſſiduè beatum eſſe ſe: habet enim nihil aliud, quod agitet in mente. Comprehende igitur animo, & propone ante oculos, deum nihil aliud in omni æternitate, niſi, *Mihi pulchrè eſt:* &, *Ego beatus ſum*, cogitantem. Nec tamen video, [2] quo modo non vereatur iſte deus beatus, ne intereat, cùm ſine ulla intermiſſione pulſetur, agiteturque incurſione atomorum ſempiterna, cumque ex ipſo imagines ſemper affluant. Ita nec beatus eſt veſter deus, nec æternus. At etiam de ſanctitate, de pietate adverſus deos, libros ſcripſit Epicurus. At quo modo in his loquitur? ut Coruncanium, aut Scævolam, pontifices maximos, te audire dicas: non eum, qui ſuſtulerit omnem funditus religionem: nec *manibus*, ut Xerxes: ſed *rationibus*, deorum immortalium templa, & aras everterit. Quid eſt enim, cur deos ab hominibus colendos dicas, [3] cùm dii non modò homines non colant, ſed omnino nihil curent, nihil agant? At eſt eorum eximia quædam, præſtanſque natura, ut ea debeat ipſa per ſe ad ſe colendam elicere ſapientem. An quidquam eximium poteſt eſſe in ea natura, quæ ſua voluptate lætans, nihil nec actura ſit umquam, neque agat, neque egerit? QUÆ PORRO PIETAS EI debetur, à quo nihil acceperis? aut quid omnino, cujus nullum meritum ſit, ei deberi poteſt? eſt enim pietas, juſtitia adverſum deos: cum quibus quid poteſt nobis eſſe juris, cùm homini nulla cum deo ſit communitas? *ſanctitas* autem, *eſt ſcientia colendorum deorum*: qui quamobrem colendi ſunt, non intelligo, nullo nec accepto ab iis, nec ſperato bono.

42 Quid eſt autem, quòd eos veneremur propter admirationem ejus naturæ, in qua egregium nihil videmus? Nam ſuperſtitione, quòd gloriari ſoletis, facilè eſt liberari, cùm ſuſtuleris omnem vim deorum. Niſi fortè Diagoram, aut Theodorum, qui omnino deos eſſe negabant, cenſes ſuperſtitioſos eſſe potuiſſe. Ego ne Protagoram quidem: cui neutrum liquerit, nec eſſe deos, nec non eſſe. Horum enim ſententiæ omnium, non modò ſuperſtitionem tollunt, in qua ineſt timor inanis deorum: ſed etiam *religionem, qua deorum cultu pio continetur*. Quid? ii, qui dixerunt, totam de diis immortalibus opinionem fictam eſſe ab hominibus ſapientibus *reip. cauſa*, ut, quos *ratio* non poſſet, eos ad officium *religio* duceret, nonne omnem religionem funditùs ſuſtulerunt? Quid Prodicus Chius? qui ea, quæ prodeſſent hominum vitæ, deorum in numero habita eſſe dixit, quam tandem religionem reliquit? Quid? qui aut forteis, aut claros, aut potenteis viros tradunt *poſt mortem ad deos perveniſſe*, eoſque eſſe ipſos, quos nos colere, precari, venerarique ſoleamus, nonne expertes ſunt religionum omnium? quæ ratio maximè tractata ab Euhemero eſt: quem noſter & interpretatus, & ſecutus eſt, præter ceteros, Ennius. Ab Euhemero autem & mortes, & ſepulturæ demonſtrantur deorum. Utrùm igitur hic confirmaſſe religionem videtur, an penitus totam ſuſtuliſſe? omitto Eleuſinam ſanctam illam, & auguſtam,

Ubi initiantur gentes orarum ultimæ:

Præterea Samothraciam, eaque,

--- [4] *Quæ Lemni*

Nocturno aditu occulta coluntur

Silveſtribus ſepibus denſa.

Quibus explicatis, ad rationemque revocatis, rerum magis

43 natura cognoſcitur, quàm deorum. Mihi quidem etiam Democritus, vir magnus in primis, cujus fontibus Epicurus hortulos ſuos irrigavit, nutare videtur in natura deorum. Tum enim cenſet imagines divinitate præditas ineſſe *univerſitati rerum*: tum principia, menteiſque, quæ ſunt in eodem univerſo, deos eſſe dicit: tum animanteis imagines, quæ vel prodeſſe nobis ſolent, vel nocere: tum ingenteis quaſdam imagines, tantaſque ut univerſum mundum complectantur extrinſecus. Quæ quidem omnia ſunt patria Democriti, quàm Democrito digniora. Quis enim iſtas imagines comprehendere animo poteſt? quis admirari? quis aut cultu, aut religione dignas judicare? Epicurus verò ex animis hominum extraxit radicitùs religionem, cùm diis immortalibus & *opem*, & *gratiam* ſuſtulit. cùm enim optimam, & præſtantiſſimam naturam dei dicat eſſe, negat idem eſſe in deo gratiam. tollit id, quod maximè proprium eſt optimæ, præſtantiſſimæque naturæ. quid enim eſt melius, aut QUID PRÆSTANTIUS BONITATE, & BENEFICENTIA? qua cùm carere deum vultis, neminem deo nec deum, nec hominem carum: neminem ab eo amari, neminem diligi vultis. Ita ſit, ut non modò homines à diis, ſed ipſi dii inter ſe ab aliis alii negligantur. Quanto 44

Stoici meliùs qui à vobis reprehenduntur? Cenſent autem, *ſapientes ſapientibus etiam ignotis eſſe amicos*. nihil eſt enim virtute amabilius. quam qui adeptus erit, ubicumque erit gentium, à nobis diligetur. Vos autem quid mali datis, cùm imbecillitatem, gratificationem, & benivolentiam ponitis? Ut enim omittam vim, & naturam deorum: ne homines quidem cenſetis, niſi imbecilli eſſent, futuros beneficos, & benignos fuiſſe. *Nulla eſt caritas naturalis inter bonos? carum* ipſum, verbum eſt amoris; ex quo amicitiæ nomen eſt ductum: quam ſi ad fructum noſtrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus; non erit iſta *amicitia*, ſed *mercatura* quædam utilitatum ſuarum. PRATA, & ARVA, & pecudum greges diliguntur iſto modo, quòd fructus ex eis capiuntur. *Hominum caritas, & amicitia, gratuita eſt.* Quanto igitur magis deorum? qui nulla re egentes, & inter ſe diligunt, & hominibus conſulunt. Quod ni ita ſit, quid veneramur, quid precamur deos? cur ſacris pontifices, cur auſpiciis augures præſunt? quid optamus à diis immortalibus? quid vovemus? At etiam liber eſt Epicuri, *de ſanctitate*. Ludimur ab homine non tam faceto, quàm ad ſcribendi licentiam libero. Quæ enim poteſt eſſe *ſanctitas*, ſi dii humana non curant? quæ autem *animans natura*, nihil curans? verius eſt igitur nimirum illud, quod familiaris omnium noſtrûm Poſidonius diſſeruit in libro quinto *de natura deorum*, nullos eſſe deos, Epicuro videri: quæque is de diis immortalibus dixerit, *invidiæ deteſtandæ gratia* dixiſſe. neque enim tam deſipiens fuiſſet, ut homunculis ſimilem deum fingeret, lineamentis duntaxat extremis, non habitu ſolido, membris hominis præditum omnibus, uſu membrorum ne minimo quidem; exilem quendam, atque perlucidum, nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem, omnino nihil curantem, nihil agentem. quæ natura primùm nulla eſſe poteſt: idque videns Epicurus, *re tollit, oratione relinquit deos*. Deinde, ſi maximè talis eſt deus, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur; valeat. quid enim dicam, propitius ſit? eſſe enim propitius poteſt nemini, quoniam, ut dicitis, *omnis in imbecillitate eſt & gratia, & caritas*.

M. TUL-

1. *Cogitat, inquiunt, &c.*] Plurali numero utitur Pal. tertius per omnia; etiam ſecund. præter quam quod is *cogitant*. & verò ad hanc noſtram faciem produxit quoque Victorius, vulgo eſt: *cogitant inquam, &c. beatos, &c. habent, &c. quod agitent*.

2. *Quomodo non vereatur iſte beatus Deus ne intereat; cum.*] Expreſſi lectionem Victorii & Camerarii. nam Aldus uterque, *quomodo videatur iſte Deus beatus cùm, &c.* omiſſis intermediis, quod & in pleriſque editionibus. ſed vide tamen an non reſcribi debeat, *quomodo non moveatur iſte Deus cùm*. ita ſanè habet Palat. noſter ſec. eſtque huic loco prorſus aptum. tert. iſthæc non habet, negligentia ſcribæ, qui lineam totam tranſiliit, deceptus voce illa *beatus*, quæ & ſupra erat poſita.

3. *Cum Dei non modò homines, non colant.*] Sic quoque Pall. ambo. P. Manutius conjicit, *cùm Dei non modo hominibus non conſulant*, idque ſtatim libris invexit Lambinus, præter mentem planè auctoris.

4. *Quæ Lemni, &c.*] Gulielmius mutat in Anapæſtos:

---- *Lemni.*

Nocturno adyta occulta coluntur

Silveſtribus ſepibus denſa. *noctūrno*, id eſt, noctu.

M. TULLII CICERONIS DE NATURA DEORUM, AD M. BRUTUM,

LIBER SECUNDUS.

1 QUÆ cùm Cotta dixiſſet, tum Velleius, Næ ego, inquit, incautus, qui cum Academico, & eodem rhetore congredi conatus ſum. Nam neque indiſertum Academicum pertimuiſſem, nec ſine iſta philoſophia rhetorem, quamvis eloquentem. neque enim flumine conturbor inanium verborum, nec ſubtilitate ſententiarum, ſi orationis eſt ſiccitas. Tu autem, Cotta, utraque re valuiſti. corona tibi, & judices defuerunt. Sed ad iſta aliàs. nunc Lucilium, ſi ipſi commodum eſt, audiamus. Tum Balbus, [1] Eundem equidem mallem audire Cottam, dum, qua eloquentia falſos deos ſuſtulit, eadem veros inducat. eſt enim & philoſophi, & pontificis, & Cottæ, de diis immortalibus habere non errantem, & vagam, ut Academici, ſed, ut noſtri, *ſtabilem, certamque ſententiam.* nam contra Epicurum ſatis, ſuperque dictum eſt: [2] Sed aveo audire, tu ipſe, Cotta, quid ſentias. An, inquit, oblitus es, quod initiò dixerim, faciliùs me, talibus præſertim de rebus, quid non ſentirem, quam quid ſentirem, poſſe dicere? Quòd ſi haberem aliquid, quod liqueret: tamen te viciſſim audire vellem, cùm ipſe tam multa dixiſſem. Tum Balbus, Geram tibi morem, & agam quàm breviſſimè potero. etenim convictis Epicuri erroribus, longa de mea diſputatione detracta oratio eſt. Omnino dividunt noſtri totam iſtam de diis immortalibus quæſtionem in parteis quattuor. Primùm docent *eſſe deos:* deinde, *quales ſint*: tum, *mundum ab his adminiſtrari:* poſtremò, *conſulere eos rebus humanis.* Nos autem hoc ſermone quæ priora duo ſunt ſumamus: tertium, & quartum, quia majora ſunt, puto eſſe in aliud tempus differenda. Minime verò, inquit Cotta: nam & otioſi ſumus, & iis de rebus agimus, quæ ſunt et-
2 iam negotiis anteponendæ. Tum Lucilius, Ne egere quidem videtur, inquit, oratione prima pars. quid enim poteſt eſſe tam apertum, tamque perſpicuum, cùm cælum ſuſpeximus, cæleſtiaque contemplati ſumus, quàm *eſſe aliquod numen* præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur? quod ni ita eſſet, quî potuiſſet aſſenſu omnium dicere Ennius?

> *Adſpice hoc ſublime candens, quem invocant omnes Jovem.*

Illum verò & Jovem, & dominatorem rerum, & omnia nutu regentem, &, ut idem Ennius,

> *--patrem divumque, hominumque,*

& præſentem, ac præpotentem deum. Quod qui dubitet, haud ſanè intelligo; cur non idem, ſol ſit, an nullus ſit, dubitare poſſit. Quid enim eſt hoc illo evidentius? quod niſi cognitum, comprehenſumque animis haberemus, non tam ſtabilis opinio permaneret, *nec confirmaretur diuturnitate temporis*, nec unà cum ſæculis, ætatibuſque hominum inveterare potuiſſet. Etenim videmus, ceteras opiniones fictas, atque vanas, diuturnitate extabuiſſe. Quis enim hippocentaurum fuiſſe, aut chimæram putat? quæve anus tam excors inveniri poteſt, quæ illa, quæ quondam credebantur, apud inferos portenta, extimeſcat? OPINIONUM ENIM COMMENTA DELET DIES: NATURÆ JUDICIA CONFIRMAT. Itaque & in noſtro populo, & in ceteris, deorum cultus religionumque ſanctitates exſiſtunt in dies majores, atque meliores. Idque evenit non temerè, nec caſu, ſed quòd *præſentiam* ſæpe divi ſuam declarant: ut & apud Regillum bello Latinorum, cùm A. Poſtumius dictator cum Octavio Mamilio Tuſculano prœlio dimicaret, in noſtra acie Caſtor, & Pollux ex equis pugnare viſi ſunt: & recentiore memoria iidem Tyndaridæ Perſem victum nuntiaverunt. P. enim Vatienus, avus hujus adoleſcentis, cùm è præfectura Reatina Romam venienti noctu duo juvenes cum equis albis dixiſſent, Regem Perſen illo die captum, ſenatui nuntiavit, & primò, *quaſi temerè de rep. locutus*, in carcerem conjectus eſt: poſt, à Paullo litteris allatis, cùm idem dies conſtitiſſet: & agro à ſenatu, & vacatione donatus eſt. Atque etiam cùm ad fluvium Sagram Crotoniatas Locri maximo prœlio deviciſſent, eo ipſo die auditam eſſe eam pugnam ludis Olympiæ, memoriæ proditum eſt. Sæpe Faunorum voces exauditæ, ſæpe viſæ formæ deorum, quemvis non aut *hebetem*, aut *impium*, deos præſenteis eſſe confiteri coëgerunt. Præ- 3
dictiones verò, & præſenſiones rerum futurarum quid aliud declarant, niſi hominibus ea, quæ ſint, oſtendi, monſtrari, portendi, prædici? ex quo illa oſtenta, monſtra, portenta, prodigia dicuntur. Quòd ſi ea ficta credimus licentia fabularum, Mopſum, Tireſiam, Amphiaraum, Calchantem, Helenum: quos tamen augures ne ipſæ quidem fabulæ aſciviſſent, ſi res omnino repudiarent: ne *domeſticis quidem exemplis docti*, numen deorum comprobabimus? nihil nos P. Claudii, bello Punico primo temeritas movebit, qui etiam per jocum deos irridens, cùm cavea liberati pulli non paſcerentur, mergi eos in aquam juſſit; *ut biberent, quoniam eſſe nollent.* qui riſus, claſſe devicta, multas ipſi lacrymas, magnam populo R. cladem attulit. Quid? collega ejus Junius eodem bello nonne tempeſtate claſſem amiſit, cùm auſpiciis non paruiſſet? itaque P. Claudius à populo condemnatus eſt: Junius necem ſibi ipſe conſcivit. C. Flaminium Cælius *religione neglecta* cecidiſſe apud Thraſimenum ſcribit cum magno reip. vulnere. Quorum exitio intelligi poteſt, *eorum imperiis remp. amplificatam, qui religionibus paruiſſent.* Et, ſi conferre volumus noſtra cum externis, ceteris rebus aut pares, aut etiam inferiores reperiemur: religione, id eſt, cultu deorum, multo ſuperiores. An Attii Navii lituus ille, quo ad inveſtigandum ſuem regiones vineæ terminavit, contemnendus eſt? crederem, niſi ejus *augurio* rex Hoſtilius maxima bella geſſiſſet. Sed negligentia nobili-

1. E*Undem equidem mallem audire.*] Eſt à Victoriano; neque aliter Palatini, item unus Wouw.

2. *Sed aveo audire.*] Pall, noſtri, aliorumque, veteri ratione ſcribendi *habeo.*

bilitatis, augurii diſciplina omiſſa, veritas auſpiciorum ſpreta eſt, *ſpecies tantum retenta.* Itaque maximæ reip. partes, in his bella, quibus reip. ſalus continetur, nullis auſpiciis adminiſtrantur, nulla peremnia ſervantur, nulla ex acuminibus, nulli viri vocantur: ex quo *in procinctu teſtamenta* perierunt. Tum enim bella gerere noſtri duces incipiunt, cùm auſpicia poſuerunt. At verò apud majores tanta religionis vis fuit, ut quidam imperatores etiam ſeipſos diis immortalibus capite velato [1] verbis certis *pro rep. devoverent.* Multa ex Sibyllinis vaticinationibus, multa ex haruſpicum reſponſis commemorare poſſumus, quibus ea confirmentur, quæ dubia nemini debent eſſe.
4 Atqui & noſtrorum augurum, & Etruſcorum, & haruſpicum diſciplinam P. Scipione, C. Figulo conſulibus *res ipſa* probavit. quos cùm T. Gracchus conſul iterum recrearet, primus rogatorum, ut eos retulit, ibidem eſt repentè mortuus. Gracchus cùm comitia nihilominus peregiſſet, remque illam in religionem populo veniſſe ſentiret, ad ſenatum retulit. ſenatus, quos adſoleret, referendum cenſuit. haruſpices introducti, reſponderunt, *non fuiſſe juſtum comitiorum rogatorem.* Tum Gracchus, ut è patre audiebam, incenſus ira, ITANE VERÒ? EGO non juſtus, qui & conſul rogavi, & augur, & auſpicatò? an vos Tuſci, ac barbari, auſpiciorum populi R. jus tenetis, & interpretes eſſe comitiorum poteſtis? itaque tum illos exire juſſit. Poſt autem ex provincia litteras ad collegium miſit, ſe, cùm legeret libros, recordatum eſſe vitio ſibi tabernaculum [2] captum fuiſſe in hortos Scipionis, quòd, cùm pomœrium poſteà intraſſet, habendi ſenatus cauſa, in redeundo, cùm idem pomœrium tranſiret, auſpicari eſſet oblitus: itaque vitio creatos conſules eſſe. [3] Augures rem ad ſenatum: ſenatus, ut abdicarent: conſules abdicaverunt. Quæ quærimus exempla majora? vir ſapientiſſimus, atque haud ſcio an omnium præſtantiſſimus, *peccatum ſuum, quod celari poſſit, confiteri maluit,* quàm hærere in rep. religionem: conſules ſummum imperium ſtatim deponere, quàm id tenere punctum temporis contra religionem. Magna augurum auctoritas. Quid haruſpicum ars, nonne divina? hæc innumerabilia ex eodem genere qui videat, nonne cogatur confiteri deos eſſe? quorum enim interpretes ſunt, eos ipſos eſſe certè neceſſe eſt. Deorum autem interpretes ſunt: deos igitur eſſe fateamur. At fortaſſe non omnia eveniunt, quæ prædicta ſunt. [4] Ne ægri quidem, quia non omnes convaleſcunt, idcirco ars nulla medicina eſt. Signa oſtenduntur à diis rerum futurarum. In his ſi qui erraverunt, non deorum natura, ſed hominum conjectura peccavit. Itaque [5] inter omneis omnium gentium ſententia conſtat. *omnibus enim innatum*
5 *eſt, & in animo quaſi inſculptum, eſſe deos.* Quales ſint, varium eſt: eſſe nemo negat. Cleanthes quidem noſter quattuor de cauſis dixit in animis hominum informatas deorum eſſe notiones. Primam poſuit eam, de qua modò dixi, quæ orta eſſet ex præſenſione rerum futurarum: alteram, quam ceperimus *ex magnitudine commodorum,* quæ percipiuntur cœli temperatione, fœcunditate terrarum, aliarumque commoditatum complurium copia: tertiam, *quæ terreret animos* fulminibus, tempeſtatibus, nimbis, nivibus, grandinibus, vaſtitate, peſtilentia, terræ motibus, & ſæpe fremitibus, lapideiſque imbribus, & guttis imbrium quaſi cruentis: [6] tum lapidibus, aut repentinis terrarum hiatibus: tum, præter naturam, hominum, pecudumque portentis: tum facibus viſis cœleſtibus: tum ſtellis iis, quas Græci [7] cometas, noſtri *cincinnatas* vocant: quæ nuper bello Octaviano magnarum fuerunt calamitatum prænuntiæ: tum ſole geminato, quod, ut è patre audivi, Tuditano, & Aquillio conſulibus evenerat: quo quidem anno P. Africanus *ſol alter* exſtinctus eſt. quibus exterriti homines vim quandam eſſe cœleſtem, & divinam ſuſpicati ſunt. quartam cauſam eſſe eamque vel maximam, *æquabilitatem motus,* converſionem cœli: ſolis, lunæ, ſiderumque omnium diſtinctionem, [8] utilitatem, pulchritudinem, ordinem: quarum rerum adſpectus ipſe ſatis indicaret, non eſſe ea fortuita. Ut ſi quis in domum aliquam, aut in gymnaſium, aut in forum venerit: cùm videat omnium rerum rationem, modum, diſciplinam, non poſſit ea ſine cauſa fieri judicare, ſed eſſe aliquem intelligat, qui præſit, & cui pareatur: multo magis in tantis motionibus, tantiſque viciſſitudinibus, tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, in quibus nihil umquam immenſa, & infinita vetuſtas mentita ſit, ſtatuat neceſſe eſt, ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari.
Chryſippus quidem, quamquam eſt acerrimo ingenio, 6
tamen ea dicit, ut ab ipſa natura didiciſſe, non ut ipſe reperiſſe videatur. SI ENIM, inquit, EST ALIQUID IN RERUM NATURA, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod poteſtas humana efficere non poſſit: eſt certè id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res cœleſtes, omneſque eæ, quarum eſt ordo ſempiternus, ab homine confici non poſſunt. eſt igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potiùs dixeris, quàm deum? etenim ſi dii non ſunt, quid eſſe poteſt in rerum natura homine melius? in eo enim ſolo ratio eſt, qua nihil poteſt eſſe præſtantius. Eſſe autem hominem, qui nihil in omni mundo melius eſſe, quàm ſe putet, deſipientis arrogantiæ eſt. Ergo eſt aliquid melius. Eſt igitur profectò deus. An verò, SI DOMUM magnam, pulchramque videris, non poſſis adduci, ut, etiam ſi dominum non videas, [9] muribus illam, & muſtelis ædificatam putes: tantum verò ornatum mundum, tantam varietatem, pulchritudinemque rerum cœleſtium, tantam vim, & magnitudinem maris atque terrarum, ſi tuum, ac non deorum immortalium domicilium putes, nonne planè deſipere videare? An ne hoc quidem intelligimus, *omnia ſupera eſſe meliora?* terram autem eſſe infimam quam craſſiſſimus circumfundat aër? ut ob eam ipſam cauſam, quod etiam quibuſdam regionibus, atque urbibus contingere videmus, *hebetiora* ut ſint hominum *ingenia* propter cœli pleniorem naturam, hoc idem generi humano evenerit, quòd in terra, hoc eſt, in craſſiſſima regione mundi collocati ſint. Et tamen ex ipſa hominum *ſolertia* eſſe aliquam mentem, & eam quidem acriorem, & divinam, exiſtimare debemus. Unde enim hanc homo arripuit? ut ait apud Xenophontem Socrates. Quin & humorem, & calorem, qui eſt fuſus in corpore, & terrenam ipſam viſcerum ſoliditatem,

1. *Verbis certis devoverent.*] Lambinus intruſit, *verbis conceptis.* ſed violenter; hoc eſt, præter mſſ. noſtros omnes, præter rationem; ut dudum indicavit columen antiquæ juriſprudentiæ libro 1. de Formulis Briſſonius. ceterum P. habet, *devotarent*; non inepte. nam & ſic quoque fermè Palat. quintus, nempe *denotarent.*

2. *Captum fuiſſe in hortos Scipionis.*] Hactenus editi conſentiunt in hanc ſcripturam: niſi quod Lambinus, *in hortis.* ſed tamen Pall. non agnoſcunt præpoſitionem *in.* & neſcio an non tolli debeat.

3. *Augures rem ad Senatum: Senatus, ut abdicarent: conſules abdicarunt.*] Libri noſtri plura hæc accumulant e gloſſa: ſolùm ſec. adhuc detraxit vocem *Senatus.* & verò abeſſe poterat.

4. *Ne ægri quidem, quia non omnes convaleſcunt.*] Stant ab hac lectione membranæ noſtræ omnes. eſtque gratioſiſſimæ venuſtatis elocutio præ Lambini ineptiis.

5. *Inter omnes omnium ſententia conſtat.*] Ita Aldus ſenior, aliique multi. nam Camerariana, *ſumma conſtat.* quomodo & Palat. ſecund. & P. & Wouver. nam tertius habebat, *ſcientia conſtat.* Victorius controverſam hanc vocem omnino omiſit. nec habet ſanè quod ibi agat. *ſumma* tamen potius ei convenerit, quam *ſententia.*

6. *Tum lapidibus.*] Locus fractus. Gulielmius reponendum putabat *lapſibus*, aut certe *labibus.* perplacet ultimum.

7. *Cometas noſtri cincinnatas vocant.*] Vulgati, *crinitas* vocant, ſed præter Pall. & P. & Victorii editionem in quo alterum.

8. *Utilitatem.*] Lambinus admiſit divinationem P. Manutii, *varietatem*; libris noſtris invitis.

9. *Muribus eam & muſtelis.*] Ita Pall. & Victorii editio. aliæ *muſtellis.* quod placuit Gulielmio capitque pro *monſtris ſpectriſque portentoſis*: unde Plauti *Moſtellaria.* at ego acceperim pro animalculis in domibus oberrantibus.

1. Quem

tatem, animum denique illum ſpirabilem ſi quis quærat unde habemus, apparet: quòd aliud à terra ſumſimus, aliud ab humore, aliud ab igne, aliud ab aëre eo, [1] quem
7 ſpiritu ducimus. Illud autem, quod vincit hæc omnia, RATIONEM dico, &, ſi placet, pluribus verbis, mentem, conſilium, cogitationem, prudentiam ubi invenimus? unde ſuſtulimus? an cetera mundus habebit omnia, hoc unum, [2] quod plurimi eſt, non habebit? atqui certè nihil omnium rerum melius eſt mundo, nihil præſtabilius, nihil pulchrius: nec ſolùm nihil eſt, ſed nec cogitari quidem quidquam melius poteſt. Et, ſi ratione, & ſapientia nihil eſt melius, neceſſe eſt hæc ineſſe in eo, quod optimum eſſe concedimus. Quid vero? tanta rerum conſentiens, conſpirans, continuata cognatio, quem non coget ea, quæ dicuntur à me, comprobare? poſſetne uno tempore florere, deinde viciſſim horrere terra? aut, tot rebus ipſis ſe immutantibus, ſolis acceſſus, diſceſſuſque ſolſtitiis, brumiſque cognoſci? aut æſtus maritimi, fretorumque anguſtiæ ortu, aut obitu lunæ commoveri? aut una totius cœli converſione curſus aſtrorum diſpares conſervari? hæc ita fieri omnibus inter ſe concinentibus mundi partibus profectò non poſſent, niſi ea uno divino, & continuato ſpiritu continerentur. Atque hæc cùm uberiùs diſputantur, & fuſiùs, ut mihi eſt in animo facere, faciliùs effugiunt Academicorum calumniam. cùm autem, ut Zeno ſolebat, breviùs, anguſtiuſque concluduntur: tum apertiora ſunt ad reprehendendum. Nam UT PROFLUENS AMNIS, aut vix, aut nullo modo: concluſa autem aqua, facilè corrumpitur: ſic orationis flumine reprehenſoris vitia diluuntur: anguſtia autem concluſæ orationis non facilè ſeipſa tutatur. hæc enim, quæ dilatantur à nobis, Zeno ſic premebat.
8 QUOD RATIONE utitur, id melius eſt, quàm id, quod ratione non utitur. Nihil autem mundo melius. ratione igitur mundus utitur. Similiter effici poteſt, ſapientem eſſe mundum: ſimiliter, beatum: ſimiliter, æternum. Omnia enim hæc meliora ſunt, quàm ea, quæ ſunt his carentia: nec mundo quidquam melius: ex quo efficitur, eſſe mundum deum. Idemque hoc modo: NULLIUS ſenſu carentis pars aliqua poteſt eſſe ſentiens. Mundi autem partes ſentientes ſunt. non igitur caret ſenſu mundus. Pergit idem, & urget anguſtius: NIHIL, inquit, quod animi, quodque rationis eſt expers, id generare ex ſe poteſt animantem, compotemque rationis. Mundus autem generat animanteis, compoteſque rationis. animans eſt igitur mundus, compoſque rationis. Idemque ſimilitudine, ut ſæpe ſolet, rationem concluſit hoc modo: SI EX OLIVA modulatè canentes tibiæ naſcerentur: num dubitares, quin ineſſet in oliva tibicinis quædam ſcientia? Quid, ſi platani fidiculas ferrent numeroſè ſonanteis? idem ſcilicet cenſeres, in platanis ineſſe muſicam. Cur igitur mundus non animans, ſapienſque judicetur, cùm ex ſe
9 procreet animanteis, atque ſapienteis? Sed quoniam cœpi ſecus agere, atque initiò dixeram: negaram enim hanc primam partem egere oratione, quòd eſſet *omnibus perſpicuum, deos eſſe:* tamen id ipſum rationibus phyſicis confirmari volo. ſic enim res ſe habet, ut omnia, quæ alantur, & creſcant, contineant in ſe VIM CALORIS: ſine qua neque ali poſſent, neque creſcere. Nam omne, quod eſt calidum, & igneum, cietur, & agitur motu ſuo. quod autem alitur, & creſcit, motu quodam utitur certo, & æquabili: qui quamdiu remanet in nobis, tamdiu ſenſus, & vita remanet: refrigerato autem, & exſtincto calore, occidimus ipſi, & exſtinguimur. Quod quidem Cleanthes his etiam argumentis docet, quanta vis inſit caloris in omni corpore. negat enim ullum eſſe *cibum tam gravem, quin is die, & nocte concoquatur:* cujus etiam in reliquiis ineſt calor iis, quas natura reſpuerit. Jam verò venæ, & arteriæ micare non deſinunt, quaſi quodam igneo motu: animadverſumque ſæpe eſt, cùm cor animantis alicujus evulſum, ita mobiliter palpitaret, ut imitaretur igneam celeritatem. Omne igitur, quod vivit, ſive animal, ſive terra editum, id vivit propter incluſum in eo calorem. Ex quo intelligi debet, eam caloris naturam, vim habere in ſe vitalem per omnem mundum pertinentem. Atque id faciliùs cernemus, toto genere hoc igneo, quod tranat omnia, ſubtiliùs explicato. Omnes igitur partes mundi (tangam autem maximas) calore fultæ ſuſtinentur. quod primùm in terrena natura perſpici poteſt. Nam & lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus: & recenti foſſione,

-- *terram fumare calentem*;

atque etiam ex puteis jugibus aquam calidam trahi, & id maximè hibernis fieri temporibus, quòd magna vis, terræ cavernis, contineatur caloris: eaque hieme fit denſior: ob eamque cauſam, calorem inſitum in terris contineat arctiùs. Longa eſt oratio, multæque rationes, quibus doceri poſſit, omnia, quæ terra concipiat, ſemina, quæque 10
ipſa ex ſe generata ſtirpibus infixa contineat, ea *temperatione caloris* & oriri, & augeſcere. Atque aquæ etiam admiſtum eſſe calorem, [3] primùm ipſe liquor, tum aquæ declarat effuſio: quæ neque conglaciaret frigoribus, neque nive, pruinaque concreſceret, niſi eadem ſe admiſto calore liquefacta, & dilapſa diffunderet. Itaque & aquilonibus, reliquiſque frigoribus adjectis dureſcit humor: & idem viciſſim mollitur tepefactus, & tabeſcit calore. Atque etiam *maria agitata ventis ita tepeſcunt*, ut intelligi facilè poſſit, in tantis illis humoribus incluſum eſſe calorem. nec enim ille externus, & adventitius habendus eſt tepor, ſed ex intimis maris partibus agitatione excitatus: quod noſtris quoque corporibus contingit, cùm motu, atque exercitatione recaleſcunt. Ipſe verò aër, qui natura eſt maximè frigidus, minimè eſt expers caloris. Ille verò & multo quidem calore admiſtus eſt. ipſe enim oritur ex reſpiratione aquarum. earum enim quaſi vapor quidam aër habendus eſt. Is autem exſiſtit motu ejus caloris, qui aquis continetur. Quam ſimilitudinem cernere poſſumus in iis aquis, [4] quæ efferveſcunt ſubditis ignibus. Jam verò reliqua quarta pars mundi, ea & ipſa tota natura fervida eſt, & ceteris naturis omnibus ſalutarem impertit, & vitalem calorem. Ex quo concluditur, cùm OMNES mundi partes ſuſtineantur calore, mundum etiam ipſum ſimili, parique natura in tanta diuturnitate ſervari: eoque magis, quòd intelligi debet, calidum illud, atque igneum ita in omni fuſum eſſe natura, ut in eo inſit procreandi vis, & cauſa gignendi, à quo & animantia omnia, & ea, quorum ſtirpes terra continentur, & naſci ſit neceſſe, & augeſcere.
[5] Natura eſt igitur, quæ contineat mundum omnem, eum- 11
que tueatur, & ea quidem non ſine ſenſu, atque ratione. omnem enim naturam neceſſe eſt, quæ non ſolitaria ſit, neque ſimplex, ſed cum alio juncta, atque connexa, habere aliquem in ſe principatum, ut in homine *mentem*, in belua quiddam *ſimile mentis*. unde oriantur rerum appetitus. In arborum autem, & earum rerum, quæ gignuntur è terra, radicibus ineſſe principatus putatur. *Principatum* autem id dico, quod Græci ἡγεμονικὸν vocant: quo nihil in quoque genere nec poteſt, nec debet eſſe præſtantius. Itaque neceſſe eſt, illud etiam, in quo ſit totius naturæ principatus, eſſe OMNIUM OPTIMUM, omniumque rerum poteſtate, dominatuque digniſſimum. Videmus autem, in partibus mundi (nihil eſt enim in omni mundo, quod non

1. *Quem ſpiritu ducimus.*] Pall. tres & P. editique à P. Victorio, *quem ſpiritum dicimus.*

2. *Quod plurimi eſt.*] Iidem libri omnes, *plurimum.*

3. *Primum ipſe liquor, tum aquæ declarat effuſio.*] Lectio forte fracta. nam ſic ſolùm inveni in Pal. tert. ſecundus quippe, *liquor aquæ declarat, effuſioque.* pr. *liquor aquæ declarat effuſio.* Victorio editi: *liquor aquæ declarat effuſæ.*

4. *Quæ efferveſcunt ſubditis ignibus.*] Victorius, *ſubitis*; & ita quoque Pal. pr. ac ſec. ſed ii quoque *ferveſcunt.*

5. *Natura eſt igitur quæ contineat mundum omnem, eumque tueatur.*] Sic Pall. omnes. ſolum Gulielmii P. *continet*, item *tuetur.*

non pars univerſi ſit) ineſſe ſenſum, & rationem. In ea parte igitur, in qua mundi ineſt principatus, hæc ineſſe neceſſe eſt, & acriora quidem, atque majora. Quocirca ſapientem eſſe mundum neceſſe eſt: naturamque eam, quæ res omneis complexa teneat, perfectione rationis excellere; eoque *deum eſſe mundum*, omnemque vim mundi natura divina contineri. Atque etiam mundi ille fervor, purior, perlucidior, mobiliorque multo: ob eaſque cauſas aptior ad ſenſus commovendos, quàm hic noſter calor; quo hæc, quæ nota nobis ſunt, retinentur, & vigent. Abſurdum igitur eſt dicere, CÙM HOMINES, beſtiæque hoc calore teneantur, & propterea moveantur, ac ſentiant, mundum eſſe ſine ſenſu; qui integro, & puro, & libero, eodemque acerrimo, & mobiliſſimo ardore teneatur. præſertim cùm is ardor, qui eſt mundi, non agitatus ab alio, neque externo pulſu, ſed per ſe ipſe, ac ſua ſponte moveatur. Nam quid poteſt eſſe mundo valentius, quod pellat, atque moveat calorem eum, quo ille teneatur?
12 Audiamus enim Platonem, quaſi quendam *deum philoſophorum*: [1] cui duo placet eſſe motus, unum ſuum, alterum externum: eſſe autem *divinius*, quod ipſum ex ſe ſua ſponte moveatur, quam quod pulſu agitetur alieno. Hunc autem motum in ſolis animis eſſe ponit, ab hiſque principium motus eſſe ductum putat. Quapropter quoniam ex mundi ardore motus omnis oritur, is autem ardor non alieno impulſu, ſed ſua ſponte movetur: animus ſit neceſſe eſt. Ex quo efficitur, *animantem eſſe mundum*. Atque ex hoc quoque intelligi poterit, in eo ineſſe intelligentiam, quòd certè eſt mundus melior, quàm ulla natura. Ut enim NULLA PARS corporis noſtri eſt, quæ non ſit minor, quàm noſmetipſi ſumus: ſic mundum univerſum pluris eſſe neceſſe eſt, quàm partem aliquam univerſi. Quod ſi ita eſt, ſapiens ſit mundus neceſſe eſt. nam ni ita eſſet, hominem, qui eſt mundi pars, quoniam rationis eſt particeps, pluris eſſe quàm mundum omnem, oporteret. Atque etiam ſi à primis inchoatiſque naturis ad ultimas, perfectaſque volumus procedere, ad deorum naturam perveniamus neceſſe eſt. Primò enim animadvertimus, à natura ſuſtineri ea, *quæ gignuntur è terra*, quibus natura nihil tribuit amplius, quam ut ea alendo, atque augendo tueretur. Beſtiis autem ſenſum, & motum dedit, & cum quodam appetitu acceſſum ad res ſalutareis, à peſtiferis receſſum: homini hoc amplius, quòd addidit rationem, qua regerentur animi appetitus, qui tum remitterentur,
13 tum continerentur. Quartus autem gradus, & altiſſimus, eorum, qui natura boni, ſapienteſque gignuntur: quibus à principio innaſcitur *ratio* recta, conſtanſque, quæ *ſupra hominem putanda eſt*, deoque tribuenda, id eſt, mundo: in quo neceſſe eſt perfectam illam, atque abſolutam ineſſe rationem. Neque enim dici poteſt, in ulla rerum inſtitutione non eſſe aliquid extremum, atque perfectum. Ut enim in vite, ut in pecude (niſi quæ vis obſtitit) videmus naturam ſuo quodam itinere ad ultimum pervenire: atque ut pictura, & fabrica, ceteræque artes habent quendam abſoluti operis effectum: ſic IN OMNI natura, ac multo etiam magis neceſſe eſt abſolvi aliquid, ac perfici. Etenim ceteris naturis multa externa, quo minùs perficiantur, poſſunt obſiſtere: univerſam autem naturam nulla res poteſt impedire: propterea quod omneis naturas ipſa cohibet, & continet. Quocirca neceſſe eſt eſſe quartum illum, & altiſſimum gradum, [2] quò nulla vis poſſit accedere. Is autem eſt gradus, in quo rerum omnium natura ponitur: quæ quoniam talis eſt, ut *præſit omnibus*, & eam nulla res poſſit impedire, neceſſe eſt, intelligentem eſſe mundum, & quidem etiam ſapientem. QUID AUTEM eſt inſcitius, quàm eam naturam, quæ omneis res ſit complexa, non optimam dici: aut, cùm ſit optima, non primùm animantem eſſe, deinde rationis & conſilii compotem, poſtremò ſapientem? quî enim poteſt aliter eſſe optima? neque enim, ſi ſtirpium ſimilis ſit aut etiam beſtiarum, optima putanda ſit potiùs, quàm deterrima: nec verò, ſi rationis particeps ſit, nec ſit tamen à principio ſapiens, [3] non ſit deterior mundi potiùs, quàm humana conditio. *homo* enim *ſapiens fieri poteſt*: mundus autem, ſi in æterno præteriti temporis ſpatio fuit inſipiens, numquam profectò ſapientiam conſequetur. ita erit homine deterior. Quod quoniam abſurdum eſt, & ſapiens à principio mundus, & deus habendus eſt. Neque enim eſt quidquam aliud, præter mundum, cui nihil abſit: quòdque undique aptum, atque perfectum, expletumque ſit omnibus ſuis numeris, & partibus. Scitè enim Chryſippus, UT CLYPEI cauſa, 14
involucrum; vaginam autem, gladii: ſic, præter mundum, cetera omnia aliorum cauſa eſſe generata, ut eas fruges, atque fructus, quos terra gignit, animantium cauſa: animanteis autem, hominum; ut equum, vehendi cauſa; arandi, bovem; venandi, & cuſtodiendi, canem. Ipſe autem *homo ortus eſt ad mundum contemplandum*, & imitandum, nullo modo perfectus, ſed eſt quædam particula perfecti. Sed mundus, quoniam omnia complexus eſt, nec eſt quidquam, quod non inſit in eo, perfectus undique eſt. Quid igitur poteſt ei deeſſe, quod eſt optimum? *nihil autem eſt mente, & ratione melius.* ergo hæc mundo deeſſe non poſſunt. Bene igitur idem Chryſippus, qui ſimilitudines adjungens, omnia in perfectis, & maturis docet eſſe meliora, ut IN EQUO, [4] quàm in equulo, in cane, quàm in catulo: in viro, quàm in puero: item, QUOD in omni mundo optimum ſit, id in perfecto aliquo, atque abſoluto eſſe debere. Eſt autem nihil mundo perfectius: nihil virtute melius. igitur mundi eſt propria virtus. Nec verò hominis natura perfecta eſt: & efficitur tamen in homine virtus. quanto igitur in mundo faciliùs? eſt ergo in eo virtus. ſapiens eſt igitur? & propterea deus. Atque 15
hac mundi divinitate perfecta, tribuenda eſt *ſideribus* eadem divinitas: quæ ex mobiliſſima, puriſſimaque ætheris parte gignuntur, neque ulla præterea ſunt admiſta natura, totaque ſunt calida, atque perlucida: ut ea quoque rectiſſimè & animantia eſſe, & ſentire, atque intelligere dicantur. Atque ea quidem tota eſſe ignea, duorum ſenſuum teſtimonio confirmari Cleanthes putat, tactus, & oculorum. Nam ſolis candor illuſtrior, quàm ullus ignis, quippe qui immenſo mundo tam longè, lateque colluceat: & is ejus tactus eſt, [5] non ut tepefaciat ſolùm, ſed etiam ſæpe comburat. Quorum neutrum faceret, niſi eſſet igneus. Ergo, inquit, cùm ſol igneus ſit, Oceanique alatur humoribus, quia *nullus ignis ſine pactu aliquo poſſit permanere*: neceſſe eſt, aut ei ſimilis ſit igni, quem adhibemus ad uſum, adque ad victum: aut ei, qui corporibus animantium continetur. Atque hic noſter ignis, quem uſus vitæ requirit, confector eſt, & *conſumtor omnium*, idemque, quocumque invaſit, cuncta diſturbat, ac diſſipat. Contrà ille corporeus, vitalis, & ſalutaris, omnia conſervat alit, auget, ſuſtinet, ſenſuque afficit. Negat ergo eſſe dubium, horum ignium ſol utri ſimilis ſit, cùm is quoque efficiat, ut *omnia floreant*, & in ſuo quæque genere pubeſcant. Quare cùm ſolis ignis ſimilis eorum ignium ſit, qui ſunt in corporibus animantium: ſolem quoque animantem eſſe oportet, & quidem reliqua aſtra, quæ oriantur in ardore cœleſti, qui *æther*, vel *cœlum* nominatur. Cùm igitur

1. *Cui duo placet eſſe motus.*] Non admitiſſem hanc ſcripturam, ob ſui inſolentiam, quamvis repertam in P. & Pal. pr. ac ſec. niſi eam nobis exhibuiſſet ante annos ſexaginta Petrus Victorius. & vero cur neceſſe eſt accommodare nos noſtra pueris, & non potius pueri ſua veteribus?

2. *Quo nulla vis poſſit accedere.*] Vulgata à Victorio *accidere*. ſed alterum reſtat in Pall. cuſiſque ceteris.

3. *Non ſit deterior mundi potius.*] Verbum *potius*, non exſtat in Pal. pr. poteratque abeſſe.

4. *Quàm in equulo.*] Scribendum *eculeo*, ſi modò ſtandum ſcripturæ veterum librorum, item Pal. pr. ac ſec.

5. *Non ut tepefaciat ſolum.*] Sic Pall. omnes. at P. *ut non tep.* quomodo publicavit item Victorius.

1. *Id*

igitur aliorum animantium ortus in terra ſit, aliorum in aqua, in aëre aliorum: ABSURDUM ESSE Ariſtoteli videtur, in ea parte, quæ ſit ad gignenda animalia aptiſſima, animal gigni nullum putare. Sidera autem æthereum locum obtinent: qui quoniam tenuiſſimus eſt, & ſemper agitatur, & viget: neceſſe eſt, quod animal in eo gignatur, [1] id & ſenſu acerrimo, & mobilitate celerrima eſſe. Quare cum in æthere aſtra gignantur, conſentaneum eſt, in iis ſenſum ineſſe, & intelligentiam. ex quo efficitur, in
16 deorum numero aſtra eſſe ducenda. Etenim licet videre ACUTIORA INGENIA, & ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolant eas, in quibus aër ſit purus, ac tenuis, quàm illorum, qui utantur craſſo cœlo, atque concreto. Quinetiam *cibo, quo utare, intereſſe aliquid ad mentis aciem putant.* Probabile eſt igitur, præſtantem intelligentiam in ſideribus eſſe, quæ & ætheream mundi partem incolant, & marinis, terrenisque humoribus longo intervallo extenuatis, alantur. Senſum autem aſtrorum, atque intelligentiam maximè declarat ordo eorum, atque conſtantia. NIHIL EST enim, quod ratione, & numero moveri poſſit ſine conſilio: in quo nihil eſt temerarium, nihil varium, nihil fortuitum. Ordo autem ſiderum, & in omni æternitate conſtantia, neque naturam ſignificat; eſt enim plena rationis: neque fortunam, quæ amica varietati conſtantiam reſpuit. Sequitur ergo, ut ipſa ſua ſponte, ſuo ſenſu, ac divinitate moveantur. Nec verò Ariſtoteles non laudandus in eo, quòd *omnia, quæ moventur,* aut natura moveri cenſuit, aut vi, aut voluntate: moveri autem ſolem, & lunam, & ſidera omnia: quæ autem natura moverentur, hæc aut pondere deorſum, aut levitate in ſublime ferri: quorum neutrum aſtris contingeret, propterea quòd eorum motus in orbem circumque ferretur. Nec verò dici poteſt vi quadam majore fieri, ut contra naturam aſtra moveantur. quæ enim poteſt major eſſe? reſtat igitur, ut motus aſtrorum ſit voluntarius. quæ qui videat, non *indoctè* ſolùm, verùm etiam *impiè* faciat, ſi deos eſſe neget. Nec ſanè multum intereſt, utrùm id neget, an eos omni procuratione, atque actione privet. MIHI ENIM, qui nihil agit, eſſe omnino non videtur. Eſſe igitur deos ita perſpicuum eſt, ut, id qui neget, vix eum ſanæ mentis exiſtimem.
17 [2] Reſtat, ut, qualis eorum natura ſit, conſideremus: in quo *nihil eſt difficilius, quàm à conſuetudine oculorum aciem mentis abducere.* ea difficultas induxit, & vulgò imperitos, & ſimileis philoſophos imperitorum; ut, niſi figuris hominum conſtitutis, nihil poſſent de diis immortalibus cogitare. Cujus opinionis levitas confutata à Cotta non deſiderat orationem meam. Sed cùm talem eſſe deum certa notione animi præſentiamus, primùm ut ſit animans, deinde ut in omni natura nihil eo ſit præſtantius: ad hanc præſenſionem, notionemque noſtram, nihil video, quod potiùs accommodem, quàm ut primùm hunc ipſum mundum, quo nihil fieri excellentiùs poteſt, *animantem eſſe, & deum* judicem. Hîc quàm volet Epicurus jocetur, homo non aptiſſimus ad jocandum, [3] minimeque reſpiciens patriam: & dicat, ſe non poſſe intelligere, qualis ſit volubilis, & rotundus deus: tamen ex hoc, quod ipſe etiam probat numquam me movebit. Placet enim illi eſſe deos, quia neceſſe ſit præſtantem eſſe aliquam naturam, qua nihil ſit melius. Mundo autem certè nihil eſt melius. Nec dubium, quin, quod animans ſit habeatque ſenſum, & rationem, & mentem, id ſit melius, quàm id, quod his careat. Ita efficitur, animantem, ſenſus, mentis, rationis mundũ eſſe compotem. qua ratione, DEUM ESSE MUNDUM, concluditur. Sed hæc paulò pòſt faciliùs cognoſcentur ex iis rebus ipſis, quas mundus efficit. Interea, Vellei, noli, 18
quæſo, præ te ferre, nos planè experteis eſſe doctrinæ. Conum tibi ais, & cylindrum, & pyramidem pulchriorem, quàm ſphæram, videri. Novum etiam oculorum judicium habetis. Sed ſint iſta pulchriora, duntaxat adſpectu: quod mihi tamen ipſum non videtur: quid enim PULCHRIUS ea figura; quæ ſola omneis alias figuras complexa continet, quæque nihil aſperitatis habere, nihil offenſionis poteſt, nihil inciſum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunoſum? cumque duæ formæ præſtantes ſint, ex ſolidis, *globus*: (ſic enim σφαῖραν interpretari placet) ex planis autem, *circulus*, aut *orbis*, qui κύκλος Græcè dicitur, his duabus formis contingit ſolis, ut omnes earum partes ſint inter ſe ſimillimæ, à medioque tantum abſit extremum, quantum idem à ſummo. Quo nihil fieri poteſt aptius. Sed ſi hæc non videtis, quia numquam *eruditum illum pulverem* attigiſtis: nec hoc quidem phyſici intelligere potuiſtis, hanc æqualitatem motus, conſtantiamque ordinum in alia figura non potuiſſe ſervari? Itaque nihil poteſt eſſe indoctius, quàm quod à vobis affirmari ſolet. Nec enim hunc ipſum mundum pro certo rotundum eſſe dicitis. nam poſſe fieri, ut ſit alia figura: innumerabileiſque mundos, alios aliarum eſſe formarum. Quæ, ſi bis bina quot eſſent, didiciſſet Epicurus, certè, non diceret. Sed dum palato, quid ſit optimum, judicat, *cœli palatum*, (ut ait Ennius) non ſuſpexit. Nam, cùm duo ſint genera 19
ſiderum: quorum alterum ſpatiis immutabilibus ab ortu ad occaſum commeans, nullum umquam curſus ſui veſtigium inflectat: alterum autem continuas converſiones duas iiſdem ſpatiis, curſibusque conficiat: ex utraque re & mundi volubilitas, quæ niſi in globoſa forma eſſe non poſſet, & ſtellarum rotundi ambitus cognoſcuntur: primuſque SOL, qui aſtrorum obtinet principatum, ita movetur, ut cùm terras larga luce compleverit, eaſdem modò his, modò illis ex partibus opacet. ipſa enim UMBRA TERRÆ ſoli officiens, noctem efficit: nocturnorum autem ſpaciorum eadem eſt æquabilitas, quæ diurnorum: ejuſdemque ſolis tum acceſſus modici, tum receſſus, & frigoris, & caloris modum temperant: circuitus enim ſolis [4] orbium V. defectibus & LX. & CCC. quarta ferè diei parte addita, converſionem conficiunt annuam: inflectens autem ſol curſum tum ad ſeptemtriones, tum ad meridiem, *æſtates, & hiemes efficit*, & ea duo tempora, quorum alterum hiemi ſeneſcenti adjunctum eſt, alterum æſtati. Ita ex quattuor temporum mutationibus omnium, quæ terra marique gignuntur, initia, cauſæque ducuntur. Jam ſolis annuos curſus ſpatiis menſtruis LUNA conſequitur: cujus tenuiſſimum lumen facit proximus acceſſus ad ſolem, digreſſus autem longiſſimus quiſque pleniſſimum. Neque ſolùm ejus ſpecies, ac forma mutatur tum creſcendo, tum defectibus in initia recurrendo, ſed etiam regio, [5] quæ tum eſt aquilonalis, tum auſtralis. In lunæ quoque curſu eſt & brumæ quædam, & ſolſtitii ſimilitudo: multaque ab ea manant, & fluunt, quibus & animantes alantur, augeſcantque: & pubeſcant, maturitatemque aſſequantur, quæ
oriuntur è terra. Maximè verò ſunt admirabiles motus ea- 20
rum quinque ſtellarum, quæ falsò vocantur errantes. nihil enim errat, quod in omni æternitate conſervat progreſſus, &

1. *Id & ſenſu acerrimo, &c.*] Secutus ſum Victorianam. nam vulgata, *idem quoque ſenſu*. à quo diſſentiunt noſtri. nam P. & Pal. ſec. non agnoſcunt *quoque*. tert. habebat, *idemque ſenſu, &c.* verùm pr. *id eſt, ſenſu ac.*

2. *Reſtat, ut qualis eorum natura, &c.*] Jactat ſe heic valde Lambinus propter ſublatam vocem *Sane*: cum tamen & Victorius prius ejeciſſet, eique aſſenſum præbuiſſent & Sturmius & Camerarius & verò non habent eam Pal. pr. aut ſec. aut P.

3. *Minimeque reſpiciens patriam.*] Gulielmius legit *reſipiens*, vultque alludere ad mel Gargettium, non ad ſales Atticos, ut æſtimabat Mich. Brutus.

4. *Orbium V & LX & CCC &c.*] Ita quidem Lambinus, neque abit Pal. tert. ſed pr. tamen ac ſec. vetuſtate longè priores, interſerunt *orbium V. defectibus & LX.* quod & in aliis edd. omnibus; niſi quod loco *defectibus*, ſubſtituerit *diebus* ex veteri libro P. Manutius.

5. *Quæ tum eſt aquilonaris tum auſtralis.* Omnes heic tacent. verùm Pall. nimium vocaliter clamant habere ſe, *aquilenta aut auſtralis.* quæ concordia profectò temeraria non eſt. inquirant in eam otioſiores.

1. *Veſper-*

& regreſſus, reliquoſque motus conſtanteis, & ratos. Quod eo eſt admirabilius in his ſtellis, quas dicimus, quia tum occultantur, tum rurſus aperiuntur, tum abeunt, tum recedunt, tum antecedunt, tum ſubſequuntur, tum celerius moventur, tum tardius, tum omnino ne moventur quidem, ſed ad quoddam tempus inſiſtunt. Quarum ex diſparibus motionibus *magnum annum* mathematici nominaverunt, qui tum efficitur, cùm ſolis, & lunæ, & quinque errantium ad eandem inter ſe comparationem confectis omnium ſpatiis eſt facta converſio. Quæ quàm longa ſit, magna quæſtio eſt: eſſe verò certam, & definitam, neceſſe eſt. Nam ea quæ *Saturni ſtella* dicitur, φαίνωνque à Græcis nominatur, quæ à terra abeſt plurimùm, XXX. ferè annis curſum ſuum conficit. in quo curſu multa mirabiliter efficiens, tum antecedendo, tum retardando, [1] tum veſpertinis temporibus deliteſcendo, tum matutinis rurſum ſe aperiendo, nihil immutat ſempiternis ſæculorum ætatibus, quin eadem iiſdem temporibus efficiat. Infra autem hanc propiùs à terra *Jovis ſtella* fertur, quæ φαέθων dicitur: eaque eundem XII. ſignorum orbem annis XII. conficit, eaſdemque, quas Saturni ſtella, efficit in curſu varietates. Huic autem proximum inferiorem orbem tenet πυρόεις, quæ *ſtella Martis* appellatur: eaque IIII. & XX. menſibus, VI. ut opinor diebus minùs, eundem luſtrat orbem, quem duæ ſuperiores. infra hanc autem *ſtella Mercurii* eſt. ea στίλβων appellatur à Græcis: quæ anno ferè vertente ſigniferum luſtrat orbem, neque à ſole longiùs umquam unius ſigni intervallo diſcedit, tum antevertens, tum ſubſequens. Infima eſt quinque errantium terræque proxima, *ſtella Veneris*, quæ φωσφόρος Græcè, *Lucifer* Latinè dicitur, cùm antegreditur ſolem: cum ſubſequitur autem, *Heſperos*. Ea curſum anno conficit, & latitudinem luſtrans ſigniferi orbis, & longitudinem: quod idem faciunt ſtellæ ſuperiores: neque umquam ab ſole duorum ſignorum intervallo
21 longiùs diſcedit, tum antecedens, tum ſubſequens. Hanc igitur in ſtellis conſtantiam, hanc tantam tam variis curſibus in omni æternitate convenientiam temporum, non poſſum intelligere ſine *mente*, *ratione*, *conſilio*. Quæ cùm in ſideribus ineſſe videamus, non poſſumus ea ipſa non [2] in deorum numero reponere. Nec verò ſtellæ eæ, quæ inerrantes vocantur, non ſignificant eandem mentem, atque prudentiam: quarum eſt quotidiana, conveniens, conſtanſque converſio: nec habent æthereos curſus, neque cœlo inhærentes, ut plerique dicunt phyſicæ rationis ignari. non eſt enim ætheris ea natura, ut vi ſua ſtellas complexa contorqueat. nam tenuis, ac perlucens & æquabili calore ſuffuſus æther, non ſatis aptus ad ſtellas continendas videtur. Habent igitur ſuam ſphæram ſtellæ inerrantes ab ætherea conjunctione ſecretam, & liberam. Earum autem perennes curſus, atque perpetui, cum admirabili, incredibilique *conſtantia*, declarant in his vim, & mentem eſſe divinam: ut, hæc ipſa qui non ſentiat deorum vim habere, is nihil omnino ſenſurus eſſe videatur. Nulla igitur in cœlo nec *fortuna*, nec *temeritas*, nec *erratio*, nec *vanitas* ineſt: contraque omnis *ordo*, *veritas*, *ratio*, *conſtantia*. quæque his vacant, ementita, & falſa, plenaque erroris eunt circum terras, infra lunam: quæ omnium ultima eſt, in terriſque verſatur. Cœleſtem ergo admirabilem ordinem, incredibilemque conſtantiam, ex qua conſervatio, & ſalus omnium omnis oritur, qui vacare mente putat, is ipſe mentis expers habendus eſt. Haud ergo, ut opinor, erravero, ſi à principe inveſtigandæ veritatis, hujus diſputationis prin-
22 cipium duxero. Zeno igitur ita *naturam* definit, ut eam dicat, ignem eſſe artificioſum ad gignendum progredientem via. cenſet enim artis maximè proprium eſſe, *creare*, *& gignere*, quodque in operibus noſtrarum artium manus efficiat, id multo artificioſiùs naturam efficere, id eſt, ut dixi, ignem artificioſum, magiſtrum artium reliquarum. Atque hac quidem ratione omnis natura, artificioſa eſt, quod habet quaſi viam quandam, & ſectam, quam ſequatur. Ipſius verò mundi, qui omnia complexu ſuo coërcet, & continet, natura non artificioſa ſolùm, ſed planè *artifex* ab eodem Zenone dicitur, conſultrix, & provida utilitatum, opportunitatumque omnium. Atque ut ceteræ naturæ ſuis ſeminibus quæque gignuntur, augeſcunt, continentur: ſic natura mundi omneis motus habet voluntarios, conatuſque, & appetitiones, quas ὁρμὰς Græci vocant, & his conſentaneas actiones ſic adhibet, ut noſmetipſi, qui animis movemur, & ſenſibus. Talis igitur mens mundi cùm ſit, ob eamque cauſam [3] vel *prudentia*, vel *providentia* appellari rectè poſſit, (Græcè enim πρόνοια dicitur) hæc potiſſimum providet, & in his maximè eſt occupata, primùm ut mundus quàm aptiſſimus ſit ad permanendum, deinde ut nulla re egeat, maximè autem ut in eo eximia
pulchritudo ſit, atque omnis ornatus. Dictum eſt de uni- 23
verſo mundo: dictum eſt etiam de ſideribus: ut jam propemodum appareat multitudo nec ceſſantium deorum, nec, ea, quæ agant, *molientium cum labore operoſo*, *ac moleſto*. Non enim venis, & nervis, & oſſibus continentur, nec iis eſcis, aut potionibus veſcuntur, ut aut nimis acres, aut nimis concretos humores colligant: nec iis corporibus ſunt, ut aut caſus, aut ictus extimeſcant. aut morbos metuant ex defatigatione membrorum. Quæ verens Epicurus *monogrammos* deos, & nihil agenteis commentus eſt. Illi autem pulcherrima forma prædidi, puriſſimaque in regione cœli collocati, ita feruntur, moderanturque curſus, ut ad omnia conſervanda, & tuenda conſenſiſſe videantur. multæ autem aliæ naturæ deorum ex magnis beneficiis eorum non ſine cauſa, & à Græciæ ſapientibus, & à majoribus noſtris conſtitutæ, nominatæque ſunt. QUIDQUID enim magnam utilitatem generi afferret humano, id non ſine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaque tum illud, quod erat à deo natum, nomine ipſius dei nuncupabant: ut cùm fruges *Cererem* appellamus, vinum autem *Liberum*: ex quo illud Terentii,

Sine Cerere, & Libero friget Venus.

Tum autem res ipſa, in qua vis ineſt major aliqua, ſic appellatur, ut ea ipſa vis nominetur deus, ut *Fides*, ut *Mens*: quas in Capitolio dedicatas videmus proximè à M. Æmilio Scauro, antè autem ab Atilio Calatino erat Fides conſecrata. Vides *Virtutis* templum, vides *Honoris* à M. Marcello renovatum: quod multis antè annis erat bello Liguſtico à Qu. Maximo dedicatum. Quid *Opis*? quid *Salutis*? quid *Concordiæ*? *Libertatis*? *Victoriæ*? quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut ſine deo regi non poſſet, ipſa res deorum nomen obtinuit. Quo ex genere, *Cupidinis*, *&* *Voluptatis*, & *Lubentinæ Veneris* vocabula conſecrata ſunt, vitioſarum rerum, neque naturalium: quamquam Vellejus aliter exiſtimat: ſed tamen ea ipſa vitia naturam vehementiùs ſæpe pulſant. Utilitatum igitur magnitudine conſtituti ſunt ii dii, qui utilitates quaſque gignebant. Atque his quidem nominibus, quæ paullo antè dicta ſunt à me, quæ vis
ſit in quoque declaratur deo. Suſcepit autem vita homi- 24
num, conſuetudoque communis, ut *beneficiis excellenteis viros in cælum fama*, *ac voluntate tollerent*. Hinc Hercules, hinc Caſtor, & Pollux, hinc Æſculapius, hinc Liber etiam: hunc dico Liberum Semele natum, non eum, quem noſtri majores auguſtè, ſanctèque Liberum cum Cerere, & Libera conſecraverunt: quod quale ſit, ex myſteriis intelligi poteſt. Sed quòd ex nobis natos *liberos* appellamus, idcircò

1. *Veſpertinis temporibus delitiſcendo.*] Non potui negligere Victorianum illud, quod extaret item in P. nec non in Pal. pr. & ſec. pro quo alii *deliteſcendo*.

2. *In Deorum numero reponere.*] Gulielmius annotat laudari hunc locum à Lactantio lib. II. cap. 5. legique ibidem *ponere*. verum alterum reſtat in Pall. & Wouw.

3. *Vel prudentia, vel providentia.*] Tres voces priores reduxi quaſi e ſepulcro, ſuaſu Palatinorum codicum; tanto quidem promptius quod eas orbi exhibuerat Victorii editio, ſed iterum neglexit Manutius, Brutus, Lambinus, alii.

1. Quod

Idcircò Cerere nati, nominati ſunt Liber, & Libera: [1] quod in Libera ſervant, in Libero non item. Hinc etiam Romulus, quem quidem eundem eſſe Quirinum putant: quorum cùm remanerent animi, atque æternitate fruerentur, dii ritè ſunt habiti: cùm & optimi eſſent, & æterni. Alia quoque ex ratione, & quidem *phyſica*, magna fluxit multitudo deorum: qui induti ſpecie humana fabulas poëtis ſuppeditaverunt, hominum autem vitam *ſuperſtitione* omni referſerunt. Atque hic locus à Zenone tractatus, poſt à Cleanthe, & Chryſippo, pluribus verbis explicatus eſt. Nam vetus hæc opinio Græciam opplevit, exſectum Cælum à filio Saturno, vinctum autem Saturnum ipſum à filio Jove. Phyſica ratio non inelegans incluſa eſt in impias fabulas. [2] CÆLESTEM enim, altiſſimam æthereamque naturam, id eſt, igneam, quæ per ſeſe omnia gigneret, vacare voluerunt ea parte corporis, quæ conjunctione alterius
25 egeret ad procreandum. SATURNUM autem, eum eſſe voluerunt, qui curſum, & converſionem ſpaciorum, ac temporum contineret? qui deus Græcè id ipſum nomen habet. Κρόνος enim dicitur; qui eſt idem χρόνος, id eſt, ſpatium temporis. Saturnus autem eſt appellatus, quòd ſaturetur annis. ex ſe enim natos comeſſe fingitur ſolitus, quia *conſumit ætas temporum ſpatia*, annisque præteritis inſaturabiliter expletur. Vinctus eſt autem à Jove, ne immoderatos curſus haberet, atque ut eum ſiderum vinclis alligaret. Sed ipſe *Jupiter*, id eſt, *juvans pater*, quem converſis caſibus appellamus à *Juvando* Jovem, à poetis *pater divumque hominumque* dicitur: à majoribus autem noſtris *optimus*, *maximus*; & quidem antè optimus, id eſt, beneficentiſſimus, quàm maximus, quia MAIUS EST, certeque gratius, prodeſſe omnibus, quàm opes magnas habere. Hunc igitur Ennius, ut ſuprà dixi, nuncupat ita dicens,

Adſpice hoc ſublime candens, quem invocant omnes Jovem.

Planiuſque alio loco idem,

[3] *Cui, quod in me eſt, exſecrabor hoc, quo lucet, quidquid eſt.*

hunc etiam augures noſtri; [4] cùm dicunt, *Jove fulgente, tonante*: dicunt enim, *cælo fulgente, tonante*. Euripides autem, ut multa præclarè, ſic hoc breviter,

Vides ſublime fuſum, immoderatum æthera,
Qui tenero terram circumjectu amplectitur:
Hunc ſummum habeto divum: hunc perhibeto Jovem.

26 Aër autem, ut Stoici diſputant, interjectus inter mare, & cælum, *Junonis* nomine conſecratur: quæ eſt ſoror, & conjux Jovis, [5] quod & ſimilitudo eſt ætheris, & cum eo ſumma conjunctio. Effæminarunt autem eum, Junonique tribuerunt, quod nihil eſt eo mollius. Sed Junonem à *juvando* credo nominatam. Aqua reſtabat, & terra, ut eſſent ex fabulis tria regna diviſa. Datum eſt igitur [6] NEPTUNO, altero Iovis, ut volunt, fratri, maritimum omne regnum: nomenque productum, ut Portunus à PORTU, ſic [7] Neptunus à NANDO, paullum primis litteris immutatis. Terrena autem vis omnis, atque natura DITI patri dedicata eſt: [8] qui DIVES, ut apud Græcos πλέτων, quia & recidant omnia in terras, & oriantur è terris. [9] Is rapuit PROSERPINAM, quod Græcorum nomen eſt: ea enim eſt, quæ περσεφόνη Græcè nominatur: quam frugum ſemen eſſe volunt, abſconditamque quæri à matre fingunt. Mater autem eſt à gerendis frugibus CERES, tanquam *geres*: caſuque prima littera itidem immutata, ut à Græcis. nam ab illis quoque δημήτηρ, quaſi γημήτηρ, nominata eſt. Iam qui *magna verteret*, MAVORS: *Minerva* autem, [10] quæ vel *minueret*, vel *minaretur*. Cumque in omnibus rebus vim haberent maximam prima, 27
& extrema, principem in ſacrificando IANUM eſſe voluerunt: quod ab *eundo* nomen eſt ductum: ex quo tranſitiones perviæ, *Jani*: foreſque in liminibus profanarum ædium, *januæ* nominantur. Nam VESTÆ nomen à Græcis: ea eſt enim, quæ ab illis ἑστία dicitur. vis autem ejus ad aras, & focos pertinet. itaque in ea dea, quæ eſt rerum cuſtos intimarum, omnis & precatio, & ſacrificatio extrema eſt. Nec longè abſunt ab hac vi dii PENATES, ſive à *penu* ducto nomine, (eſt enim omne, quo veſcuntur homines, *penus*) ſive ab eo, quòd *penitus inſident*: ex quo etiam *penetrales* à poëtis vocantur. Iam APOLLINIS nomen, eſt Græcum: quem ſolem eſſe volunt: Dianam autem, & Lunam, eandem eſſe putant: cùm *ſol* dictus ſit, vel quia ſolus ex omnibus ſideribus eſt tantus, vel quia, cùm eſt exortus, obſcuratis omnibus ſolus appâret: LUNA à *lucendo* nominata ſit. eadem eſt enim *lucina*. itaque, ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam, ſic apud noſtros *Junonem Lucinam* in pariendo invocant: quæ eadem [11] DIANA ANNIVAGA dicitur, non à *venando*, ſed quod in ſeptem numeratur tanquam vagantibus. Diana dicta, quia noctu quaſi diem efficeret. Adhibetur autem ad partus, quòd ii matureſcunt aut ſeptem nonnumquam, aut plerunque novem lunæ curſibus: qui quia menſa ſpacia conficiunt, *menſes* nominantur. Concinneque, ut multa, Timæus: qui cùm in hiſtoria dixiſſet, qua nocte natus Alexander eſſet, eâdem Dianæ Epheſiæ templum deflagraviſſe, adjunxit, *minimè id eſſe mirandum, quòd Diana, cùm in partu Olympiadis adeſſe voluiſſet,* [12] *abſuiſſet domo*. Quæ autem dea ad res omneis veniret, VENEREM noſtri nominaverunt, atque ex ea potiùs venuſtas, quàm Venus ex venuſtate. Videtiſne igitur, 28
ut à phyſicis rebus, bene, atque utiliter inventis, [13] tracta ratio ſit ad commentitios, & fictos deos? quæ res genuit falſas opiniones, erroreſque turbulentos, & ſuperſtitiones pænè anileis, & formæ enim nobis deorum, & ætates, & veſtitus, ornatuſque noti ſunt: genera præterea, conjugia, cognationes, omniaque traducta ad ſimilitudinem imbecillitatis humanæ. nam & perturbatis animis inducuntur: acci-

1. *Quod in Libera ſervant, in Libero non item.*] Sic mſſ. noſtri, & Gulielmiani; ſic editi à Victorio. nam Aldus uterque aliique, *quod in Libero ſervant, in Libera non item.* quàm rectè, ipſi viderint.

2. *Cæleſtem enim, &c.*] Quidam è noſtris, *cæleſtûm*, aut *cæleſtium*. neſcio quàm bene. libuit tamen indicare.

3. *Cui quod in me eſt, exſecrabor, hoc quod lucet, quidquid eſt.*] Sic mſſ. noſtri meliores: nam unus deterior, *quo lucet*, quomodo vulgati; placebatque Gulielmio, qui præterea, *Cui* vertebat in *Qui*. bene ultimum illud; meo quidem judicio.

4. *Cum dicunt, Jove fulgente, tonante. dicunt enim, cælo fulgente, tonante.*] Voces quinque poſteriores non habentur in P. aut Pal. ſec. quorum hic, priora format ad hanc faciem: *Qui dicunt Iove fulgente tonante. Euripides*, ille, *cùm dicunt Jovem fulgentem tonantem. Euripides*. Eſt in Pall. pr. *cùm dicunt Jovem fulgentem tonantem, dicunt enim melo fulgente tonante.* ſicque etiam tert. niſi quod is, *dicunt Jove fulgente tonante.*

5. *Quod & ſimilitudo eſt ætheris.*] Adrianus Junius reſcribebat, *quod ei ſim.* lib. IV. Animadverſorum cap. 20. non ineptè. noſtri tamen nihil variant.

6. *Neptuno, altero Jovis ut volunt fratri.*] Antiquè ſed ſic diſertè erat in Pall. pr, & tert. item Gulielmiano P. vulgati, *alterum*; quod Lambinus mutavit in *alteri*.

7. *Neptunus à nando.*] Sic etiam Pall. niſi quod primus, *Neptunanando*. Lipſius in libris Saturnalium emendabat, à *nubendo*, vel *nuptu*. ſed *nando* repetitur noſtro infra lib. III. cap. 24. nullo mſſ. divertente.

8. *Qui Dives.*] Publicati *Dis*. ſed alterum erat in mſſ. noſtris & Victorii editione.

9. *Is rapuit Proſerpinam, quod Græcorum.*] Ita ſe locum reſtituere jactat, è Maffæi libro Paullus Manutius. ſed ſic mſſ. nulli noſtri ſanè uno ore firmant, *terris cui Proſerpinam, quod, &c.* quomodo & edidit Victorius, & ante eum Aldus avus, quia ſcilicet ſic inveniſſent in libris calamo exaratis.

10. *Quæ vel minueret.*] Forſan *moneret*; aut ſimile quid. ſed vulgatum, iterum recurrit libro III. infra cap. 24.

11. *Diana annivaga.*] Pall. noſtri. editioneſque priſcæ, *omnivaga*. ſed produxit alterum ex Probo Adrian. Junius libro IV. Animadv. cap. 20. recepitque Lambinus, Brutus, alii. idem Junius ex eodem Probo ſtatim poſt legit, *in ſeptem vagatur tamquam venantibus.*

12. *Abſuiſſet domo.*] Non malè Pal. pr. *abſuiſſe domo.* niſi quod ſcribat *affuiſſe*; quod erat *afuiſſe*.

13. *Tracta ratio ſit.*] Monet Gulielmius legi apud Lactantium, *trahat ratio.*

accepimus enim deorum cupiditates, ægritudines, iracundias: nec vero, ut fabulæ ferunt, dii bellis, prœliiſque caruerunt: nec ſolum, ut apud Homerum, [1] cum duos exercitus contrarios alii dii ex alia parte defenderent, ſed etiam, ut cum Titanis, ut cum Gigantibus, propria bella geſſerunt. Hæc & dicuntur, & creduntur ſtultiſſime, & plena ſunt futilitatis, ſummæque levitatis. Sed tamen, his fabulis ſpretis ac repudiatis, deus pertinens per naturam cujuſque rei, *per terras* Ceres, *per maria* Neptunus, alii per alia, poterunt intelligi, qui, qualeſque ſint, quoque eos nomine conſuetudo nuncupaverit. quos deos & venerari, & colere debemus. CULTUS AUTEM DEORUM, eſt optimus, idemque caſtiſſimus, atque ſanctiſſimus, pleniſſimuſque pietatis, ut eos ſemper pura, integra, incorrupta & *mente*, & *voce* veneremur. non enim philoſophi ſolum, verum etiam majores noſtri ſuperſtitionem a religione ſeparaverunt. Nam qui totos dies precabantur, & immolabant, ut ſibi ſui liberi ſuperſtites eſſent, *ſuperſtitioſi* ſunt appellati: quod nomen poſtea latius patuit. Qui autem omnia, quæ ad cultum deorum pertinerent, [2] diligenter retractarent, & tanquam relegerent, ſunt dicti *religioſi*, ex relegendo, ut *elegantes* ex eligendo, tanquam a diligendo *diligentes*, ex intelligendo *intelligentes*. his enim in verbis omnibus ineſt vis legendi eadem, quæ in religioſo. Ita factum eſt in ſuperſtitioſo, & religioſo, alterum vitii nomen, alterum laudis. Ac mihi videor ſatis, & eſſe deos, & quales eſſent, oſtendiſſe.

29 Proximum eſt, ut doceam, deorum providentia mundum adminiſtrari. Magnus ſanè locus, & a veſtris, Cotta, vexatus: ac nimirum vobiſcum omne certamen eſt. Nam vobis, Vellei, minus notum eſt, quemadmodum quidque dicatur. *Veſtra enim ſolum legitis, veſtra amatis: ceteros cauſa incognita condemnatis.* Velut a te ipſo, heſterno die, dictum eſt, anum fatidicam πρόνοιαν a Stoicis induci, id eſt, *providentiam*. Quod eo errore dixiſti, quia exiſtimas ab his providentiam fingi quaſi quandam deam ſingularem, quæ mundum omnem gubernet, & regat: ſed id præciſè dicitur. Ut, ſi quis dicat, Athenienſium remp. conſilio regi, deſit illud, Areopagi: ſic, cum dicimus, providentia mundum adminiſtrari, [3] deeſſe arbitrator, deorum. Plene autem, & perfecte ſic dici exiſtimato, *providentia deorum mundum adminiſtrari*. Ita ſalem iſtum, quo caret veſtra natio, in irridendis nobis nolitote conſumere: & mehercle, ſi me audiatis, ne experiamini quidem. Non decet: non datum eſt: non poteſtis. Nec verò hoc [4] in te uno convenit, moribus domeſticis, ac noſtrorum hominum urbanitate limatum: ſed cum in reliquos veſtros, tum in eum maximè, qui iſta peperit, hominem ſine arte, ſine litteris, inſultantem in omneis, ſine acumine ullo, ſine auctoritate, ſine lepore.

30 Dico igitur PROVIDENTIA DEORUM mundum & omneis mundi parteis & initio conſtitutas eſſe, & omni tempore adminiſtrari: eamque diſputationem treis in parteis noſtri fere dividunt: quarum pars prima eſt, quæ ducitur ab ea ratione, quæ docet *eſſe deos*: quo conceſſo, confitendum eſt, eorum conſilio mundum adminiſtrari. Secunda eſt autem, quæ docet, *omnes res ſubjectas eſſe naturæ ſentienti*, ab eaque omnia pulcherrime geri: quo conſtituto, ſequitur ab animantibus principiis eam eſſe generatam. Tertius locus eſt, qui ducitur ex *admiratione* rerum cæleſtium, atque terreſtrium. Primùm igitur aut negandum eſt deos eſſe, quod & Democritus ſimulacra, & Epicurus imagines inducens, quodam pacto negat: aut, qui deos eſſe concedant, iis fatendum eſt, eos aliquid agere, idque præclarum. NIHIL EST autem præclarius mundi adminiſtratione. deorum igitur conſilio [5] adminiſtratur. Quod ſi aliter eſt, aliquid profectò ſit neceſſe eſt melius, & majore vi præditum, quam deos, quod id cumque eſt, ſive inanima natura, ſive neceſſitas vi magna incitata, hæc pulcherrima opera efficiens, quæ videmus. Non eſt igitur natura deorum præpotens, neque excellens, ſiquidem ea ſubjecta eſt ei vel neceſſitati, vel naturæ, qua cælum, maria, terræque regantur. *Nihil autem eſt præſtantius deo.* ab eo igitur neceſſe eſt mundum regi. Nulli igitur eſt naturæ obediens, aut ſubjectus deus. Omnem ergo regit ipſe naturam. etenim ſi concedimus, intelligenteis eſſe deos, concedimus etiam providenteis, & rerum quidem maximarum. Ergo utrùm ignorant, quæ res maximæ ſint, quoque hæ modo tractandæ, & tuendæ; an vim non habent, qua tantas res ſuſtineant & gerant? at & IGNORATIO RERUM, aliena naturæ deorum eſt, & ſuſtinendi muneris propter imbecillitatem difficultas, minime cadit in majeſtatem deorum. Ex quo efficitur id, quod volumus, *deorum providentia mundum adminiſtrari.* 31

Atqui neceſſe eſt, cum ſint dii, ſi modo ſint, ut profectò ſunt, animanteis eſſe, nec ſolum animanteis, ſed etiam rationis compotes, inter ſeque quaſi civili conciliatione, & ſocietate conjunctos, unum mundum, ut communem remp. atque urbem aliquam regenteis. Sequitur, ut eadem ſit in his, quæ in genere humano, ratio, eadem veritas utrobique ſit, eademque lex: quæ eſt *recti præceptio pravique depulſio.* Ex quo intelligitur, prudentiam quoque, & mentem a diis ad homines perveniſſe: ob eamque cauſam majorum inſtitutis *mens*, *fides*, *virtus*, *concordia*, conſecratæ, & publicè dedicatæ ſunt. Quæ qui convenit penes deos eſſe negare, cùm eorum auguſta, & ſancta ſimulacra veneremur? quòd ſi ineſt in hominum genere mens, fides, virtus, concordia: unde hæc in terras, niſi a ſuperis, defluere potuerunt? cumque ſit in nobis conſilium, ratio, prudentia; neceſſe eſt, deos hæc ipſa habere majora, nec habere ſolùm, ſed etiam his uti in maximis, & optimis rebus. Nihil autem eſt *nec majus*, *nec melius mundo*. neceſſe eſt ergo eum deorum conſilio, & providentia adminiſtrari. Poſtremò cùm ſatis docuerimus, hos eſſe deos, quorum inſignem vim, & illuſtrem faciem videremus, ſolem dico, & lunam, & vagas ſtellas, & inerranteis, & cælum, & mundum ipſum, & earum rerum vim, quæ ineſſent in omni mundo cum magno uſu, & commoditate generis humani: efficitur, *omnia regi divina mente, atque providentia.* Ac de prima quidem parte ſatis dictum eſt. Sequitur, ut doceam, omnia 32

ſubjecta eſſe naturæ, eaque ab ea pulcherrime regi. Sed quid ſit ipſa NATURA, explicandum eſt antè breviter, quo faciliùs id, quod docere volumus, intelligi poſſit. Namque alii naturam cenſent eſſe vim quandam ſine ratione, cientem motus in corporibus neceſſarios: alii autem, vim participem rationis, atque ordinis, tanquam via progredientem, declarantemque, quid cujuſque rei cauſa efficiat, quid ſequatur, cujus ſollertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex conſequi poſſit imitando. ſeminis enim vim eſſe tantam, ut id, quamquam ſit perexiguum, tamen ſi inciderit in concipientem, comprehendentemque naturam, nactumque ſit materiam, qua ali, augerique poſſit, ita fingat, & efficiat in ſuo quidque genere; partim ut tantummodò per ſtirpeis alantur ſuas, partim ut moveri etiam, & ſentire, & appetere poſſint, & ex ſeſe ſimilia ſui gignere. Sunt autem, qui omnia naturæ nomine appellent, ut Epicurus, qui ita dividit, OMNIUM, QUÆ SINT, NATURAM, ESSE CORPORA, ET INANE, QUÆQUE HIS ACCIDANT. Sed nos cum dicimus *natura conſtare, adminiſtrarique mundum*, non ita dicimus, ut glebam, aut fragmentum lapidis, aut aliquid ejuſmodi, nulla cohærendi natura, ſed ut arborem, ut animal; in quibus nulla temeritas, ſed ordo apparet, & artis quædam ſimilitudo. Quòd ſi ea, quæ à terra ſtirpibus continentur, arte naturæ vivunt, & vigent: profe-

1 *Cum duos exercitus, &c. contrarios.*] Fortaſſis auferendum erat [illegible]

2 *Diligenter retractarent.*] Vulgati *pertractarent*, ſed aliter Pall. & P. & Victorian.

3 *Deeſſe arbitrator, Deorum.*] Sic editū à Victorio, nec reluctantur Pal. duo: nam hæc iterum primus [illegible] in quibus [illegible]

4 *In te uno convenit.*] Sic F. ſic Pal. ſic Victoriani, non *convenit*, ut retro publicati.

5 *Adminiſtratur. Quod, &c.*] Rejeci *[illegible]* quod in vulgatis: ſuaſu mſſ. noſtrorum & Victorianorum.

I. Et

profectò ipſa terra eadem vi continetur, & arte naturæ, quippe quæ *gravidata ſeminibus*, omnia pariat, & fundat ex ſeſe, ſtirpeis amplexa alat, & augeat, ipſaque alatur viciſſim a ſuperis, externiſque naturis. Ejuſdemque ex-
33 ſpirationibus aër alitur, & æther, [1] & omnia ſupera. Ita, ſi terra natura tenetur, & viget, eadem ratio in reliquo mundo eſt. ſtirpes enim terræ inhærent. animantes autem adſpiratione aëris ſuſtinentur: ipſeque aër nobiſcum videt, nobiſcum audit, nobiſcum ſonat. nihil enim eorum ſine eo fieri poteſt. Quin etiam movetur nobiſcum. quacumque enim imus, quacumque movemur, videtur quaſi locum dare, & cedere. Quæque in medium locum mundi, qui eſt infimus, & quæ a medio in ſuperum, quæque converſione rotunda circum medium feruntur, ea continentem mundi efficiunt, unamque naturam. Et cum *quatuor* ſint *genera corporum*, viciſſitudine eorum mundi continuata natura eſt. Nam ex terra, aqua: ex aqua, oritur aër: ex aëre, æther: deinde retrorſum viciſſim ex æthere, aër: ex aëre, aqua: ex aqua, terra infima. Sic naturis his, ex quibus omnia conſtant, [2] ſurſum, deorſum, ultrò, citroque commeantibus, mundi partium conjunctio continetur. Quæ aut ſempiterna ſit neceſſe eſt, hoc eodem ornatu, quem videmus. aut certè perdiuturna, permanens ad longinquum, & immenſum pænè tempus. Quorum utrumvis ut ſit, ſequitur, *natura mundum adminiſtrari*. Quæ enim claſſium navigatio, aut quæ inſtructio exercitus, aut rurſus ut ea, quæ natura efficit, conferamus) quæ procreatio vitis, aut arboris, quæ porrò animantis figura, conformatioque membrorum, tantam naturæ ſollertiam ſignificat, quantam ipſe mundus? aut igitur NIHIL EST, quod ſentiente natura regatur: aut mundum regi confitendum eſt. Etenim qui reliquas naturas omneis earumque ſemina contineat, qui poteſt ipſe non natura adminiſtrari? ut, ſi qui denteis, & pubertatem natura dicat exſiſtere: ipſum autem hominem, cui ea exſiſtant non conſtare natura: non intelligat, ea, quæ efferant aliquid ex ſeſe perfectiores habere
34 naturas, quam ea, quæ ex iis efferantur. Omnium autem rerum, quæ natura adminiſtrantur, ſeminator, & ſator, & parens, ut ita dicam, atque educator, [3] & altor eſt mundus: omniaque, ſicut membra, & parteis ſuas, nutricatur, & continet. Quòd ſi mundi partes *natura adminiſtrantur*, neceſſe eſt mundum ipſum natura adminiſtrari: cujus quidem adminiſtratio nihil habet in ſe, quod reprehendi poſſit. ex iis enim naturis, quæ erant, quod effici potuit optimum, effectum eſt. Doceat ergo aliquis potuiſſe melius. Sed nemo umquam docebit: &, ſi quis corrigere aliquid volet, aut *deterius* facit, aut id, quod fieri non potuit, deſiderabit. Quòd ſi omnes mundi partes ita conſtitutæ ſunt, ut neque ad uſum meliores potuerint eſſe, neque ad ſpeciem pulchriores: videamus, utrùm ea *fortuita* ſint, an eo ſtatu, quo cohærere nullo modo potuerint, niſi ſenſu moderante, divinaque providentia. Si ergo meliora ſunt ea, quæ natura, quam illa quæ arte perfecta ſunt: *nec ars efficit quidquam ſine ratione*: ne natura quidem rationis expers eſt habenda. Quì igitur convenit, ſignum aut tabulam pictam cùm adſpexeris, ſcire adhibitam eſſe artem: cumque procul curſum navigii videris, non dubitare, quin id ratione, atque arte moveatur: aut cùm ſolarium vel deſcriptum, aut ex aqua contemplere, intelligere declarari horas arte, non caſu: mundum autem, qui & has ipſas arteis, & earum artifices, & cuncta complectatur, conſilii, & rationis eſſe expertem putare? quòd ſi in Scythiam, aut in Britanniam, *ſphæram* aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noſter effecit Poſidonius, cujus ſingulæ converſiones idem efficiunt in ſole, & in luna, & in quinque ſtellis errantibus, quod efficitur in cælo ſingulis diebus, & noctibus: quis in illa barbarie dubitet, quin ea ſphæra ſit perfecta ratione? Hi autem dubitant de mundo, ex quo & 35
oriuntur, & fiunt omnia, *caſune* ipſe ſit effectus, aut *neceſſitate* aliqua, an *ratione*, ac *mente divina*. & Archimedem arbitrantur plus valuiſſe in imitandis ſphæræ converſionibus, quàm naturam in efficiendis, præſertim cùm multis partibus ſint illa perfecta, quam hæc ſimulata, ſollertiùs. [4] Atque ille apud Attium paſtor, qui navem numquam antè vidiſſet, ut procul divinum, & novum vehiculum Argonautarum è monte conſpexit, primò admirans, & perterritus, hoc modo loquitur:

---- tanta moles labitur
Fremebunda ex alto [5] ingenti ſonitu, & ſpiritu:
[6] Præ ſe undas volvit: vertices vi ſuſcitat,
Ruit prolapſa: pelagus reſpergit: profluit.
Ita dum interruptum credas nimbum volvier,
Dum quod ſublime ventis expulſum rapi
Saxum, aut procellis, vel globoſos turbines
Exſiſtere ictos undis concurſantibus:
Niſi quas terreſtreis Pontus ſtrages conciet:
Aut forte Triton fuſcina evertens ſpecus,
Subter radices penitus undanti in freto
Molem ex profundo ſaxeam [7] ad cælum eruit.

Dubitat primò, quæ ſit ea natura, quam cernit ignotam: idemque, juvenibus viſis, auditoque nautico cantu,

Sicut inciti, atque alacres roſtris perfremunt
Delphini ---

item alia multa.

-- Silvani melo
Conſimilem ad aureis cantum, & auditum refert.

Ergo ut hic primo adſpectu inanimum quiddam, ſenſuque vacuum ſe putat cernere; pòſt autem ſignis certioribus, quale ſit id, de quo dubitaverat, incipit ſuſpicari: ſic philoſophi debuerunt, ſi fortè eos primus adſpectus mundi conturbaverat, poſteà, cùm vidiſſent motus ejus finitos, & æquabileis, omniaque ratis *ordinibus* moderata, immutabilique *conſtantia*, intelligere ineſſe aliquem non ſolùm habitatorem in hac cæleſti, ac divina domo, ſed etiam rectorem, & moderatorem, & tanquam *architectum tanti operis*, tantique muneris. Nunc autem mihi videntur ne 36
ſuſpicari quidem, quanta ſit admirabilitas cæleſtium rerum, atque terreſtrium. Principiò enim terra ſita in media parte mundi, circumfuſa undique eſt [8] hac animabili, ſpirabilique natura, cui nomen eſt *aër*, Græcum illud quidem, ſed perceptum jam tamen uſu à noſtris: tritum eſt enim pro Latino. Hunc rurſus amplectitur immenſus æther, qui conſtat ex altiſſimis ignibus. Mutuemur hoc quoque verbum, dicaturque tam *æther* Latinè, quam dicitur *aer*: etſi interpretatur Pacuvius:

Hoc, quod memoro, noſtri cælum, Grai perhibent æthera.

Quaſi vero non Graius hoc dicat. At Latine loquitur. Siquidem nos non quaſi Græce loquentem audiamus. Docet idem alio loco:

Grajugena de iſto aperit ipſa oratio.

Sed ad majora redeamus. Ex æthere igitur innumerabiles flammæ ſiderum exſiſtunt: quorum eſt princeps SOL, omnia clariſſima luce colluſtrans, multis partibus major, atque amplior, quam terra univerſa: deinde reliqua ſidera magni-

1. *Et omnia ſupera.*] In poſſeſſionem revocavi quod erat in Pal. & Wouwerianis; confirmatum utique dudum editione Victorii. vulgati poſteriores, *& omnia ſidera*.

2. *Surſum, deorſum, ultro, citroque.*] Pall. noſtri *ſurſus, deorſus, ultro citro*, ſine copula. equidem ſic reſtituendus videtur locus.

3. *Et altor eſt mundus.*] Wouweriani mſſ. omnes *alitor*. noſtri & Gulielmianus alterum exhibent.

4. *Atque ille apud Attium paſtor.*] Ita Pal. ſec. requiritque omnino ſententia. hactenus vulgati, *atque*.

5. *Ingenti ſonitu & ſpiritu.*] Sic & Aldus pater. verùm mſſ. noſtri quinque ſex, *& ſtrepitu*, quod & e ſuis eruit Victorius.

6. *Præ ſe undas volvit.*] Idem mſſ. *evolvit*. ſed non etiam editio Victorii.

7. *Ad cælum eruit.*] Ejeci *vomit*, quod in libris pleriſque; quoniam compareret in membranis noſtris omn. item edit. Victorii.

8. *Hac animabili.*] Quidam codd. *amabili*, ſive *animabili*. videatur Hadrianus Junius lib. IV. Animadv. cap. 20. qui mallet ex Probo *animali*.

magnitudinibus immenſis. Atque hi tanti ignes, tamque multi non modò nihil nocent terris, rebuſque terreſtribus, ſed ita proſunt, ut ſi mota loco ſint, conflagrare terras neceſſe ſit à tantis ardoribus, moderatione, & temperatione
37 ſublata. Hic ego non mirer eſſe quemquam, qui ſibi perſuadeat, corpora quædam ſolida, atque individua, vi & gravitate ferri, mundumque effici ornatiſſimum, & pulcherrimum ex eorum corporum concurſione fortuita? Hoc qui exiſtimat fieri potuiſſe, non intelligo, cur non idem putet, ſi innumerabiles unius, & viginti formæ litterarum vel aureæ, vel quales libet, aliquò conjiciantur, poſſe ex his in terram excuſſis annaleis Ennii, ut deinceps legi poſſint, effici: quod neſcio an ne in uno quidem verſu poſſit tantum valere fortuna. Iſti autem quemadmodum aſſeverant, ex corpuſculis non colore, non qualitate aliqua, quam ποιότητα Græci vocant, non ſenſu præditis, ſed *concurrentibus temerè*, atque caſu, mundum eſſe perfectum? vel innumerabileis potiùs in omni puncto temporis alios naſci, alios interire? Quòd ſi mundum efficere poteſt concurſus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non poteſt? quæ ſunt minùs operoſa, & multo quidem faciliora. Certè ita temerè de mundo effutiunt, ut mihi quidem numquam hunc admirabilem *cæli ornatum*, qui locus eſt proximus, ſuſpexiſſe videantur. Præclarè ergo Ariſtoteles, SI ESSENT, inquit, qui ſub terra ſemper habitaviſſent, bonis, & illuſtribus domiciliis, quæ eſſent ornata ſignis, atque picturis, inſtructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exiſſent umquam ſupra terram: accepiſſent autem fama, & auditione, eſſe quoddam numen, & vim deorum: deinde aliquo tempore, patefactis terræ faucibus, ex illis abditis ſedibus evadere in hæc loca, quæ nos incolimus, atque exire potuiſſent: cùm repentè terram, & maria, cælumque vidiſſent: nubium magnitudinem, ventorumque vim cognoviſſent, adſpexiſſentque ſolem, ejuſque tum magnitudinem, pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognoviſſent, quòd is diem efficeret, toto cælo luce diffuſa: cùm autem terras nox opacaſſet, [1] tum cælum totum cernerent aſtris diſtinctum, & ornatum, lunæque luminum varietatem tum creſcentis, tum ſeneſcentis, eorumque omnium ortus, & occaſus, atque in omni æternitate ratos, immutabileiſque curſus: [2] hæc cùm viderent, profectò & eſſe deos, & hæc tanta opera deorum eſſe ar-
38 bitrarentur. Atque hæc quidem ille. Nos autem tenebras cogitemus tantas, quantæ quondam eruptione Ætnæorum ignium finitimas regiones obſcuraviſſe dicuntur, ut per biduum nemo hominem homo agnoſceret: cùm autem tertio die ſol illuxiſſet, tum *ut revixiſſe* ſibi viderentur. Quòd ſi hoc idem ex æternis tenebris contingeret, ut ſubitò lucem adſpiceremus: quænam ſpecies cæli videretur? Sed ASSIDUITATE quotidiana, & conſuetudine oculorum, aſſueſcunt animi: neque admirantur, neque requirunt rationes earum rerum, quas ſemper vident: proinde quaſi *novitas* nos magis, quàm *magnitudo* rerum debeat ad exquirendas cauſas excitare. Quis enim hunc hominem dixerit, qui cùm *tam certos cæli motus*, tam ratos aſtrorum ordines, tamque omnia inter ſe connexa, & apta viderit, neget in his ullam ineſſe rationem, eaque caſu fieri dicat, quæ quanto conſilio gerantur, nullo conſilio aſſequi poſſumus? an cùm machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut ſphæram, ut horas, ut alia permulta: non dubitamus, quin illa opera ſint rationis: cùm autem impetum cæli admirabili cum celeritate moveri, vertique videamus, conſtantiſſimè conficientem viciſſitudines anniverſarias, cum ſumma ſalute, & conſervatione rerum omnium: dubitamus, quin ea non ſolùm ratione fiant, ſed etiam *excellenti quadam, divinaque ratione?* licet enim jam, remota ſubtilitate diſputandi, oculis quodammodo contemplari pulchritudinem rerum earum, quas divina providentia dicimus conſtitutas. Ac principiò *terra univerſa* cernatur, 39
locata in media mundi ſede, ſolida, & globoſa, & undique ipſa in ſeſe nutibus ſuis conglobata, veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus. quorum omnium incredibilis multitudo, inſatiabili varietate diſtinguitur. Adde huc fontium gelidas peremnitates, liquores perlucidos amnium, riparum veſtitus viridiſſimos, ſpeluncarum concavas altitudines, ſaxorum aſperitates, impendentium montium altitudines, immenſitateſque camporum: adde etiam reconditas auri, argentique venas, infinitamque vim marmoris. Quæ verò, & quàm varia genera BESTIARUM vel cicurum, vel ferarum? qui volucrum lapſus, atque cantus? qui pecudum paſtus? quæ vita ſilveſtrium? Quid jam de HOMINUM genere dicam? qui quaſi *cultores terræ* conſtituti, non patiuntur eam nec immanitate beluarum efferari, nec ſtirpium aſperitate vaſtari: quorumque operibus agri, inſulæ, littoraque collucent, diſtincta tectis, & urbibus. Quæ ſi, ut animis, ſic oculis videre poſſemus, nemo cunctam intuens terram, de divina ratione dubitaret. At verò quanta MARIS eſt pulchritudo? quæ ſpecies univerſi? quæ multitudo, & varietas inſularum? quæ amœnitates orarum, & litorum? quot genera, quamque diſparia partim ſubmerſarum, partim fluitantium, & innantium belluarum, partim ad ſaxa nativis teſtis inhærentium? Ipſum autem mare ſic terram appetens [3] litoribus eludit, ut una ex duabus naturis conflata videatur. Exinde MARI FINITIMUS AER, die, & nocte diſtinguitur: iſque tum fuſus, & extenuatus ſublime fertur: tum autem concretus, in nubeis cogitur: humoremque colligens terram auget imbribus: tum effluens huc, & illuc, ventos efficit. Idem annuas frigorum, & calorum facit varietates: idemque & volatus alitum ſuſtinet, [4] & ſpiritu ductus alit, & ſuſtentat animanteis. Reſtat ultimus, [5] & à domiciliis noſtris 40
altiſſimus, omnia cingens, & coërcens cæli complexus: qui idem ÆTHER vocatur, extrema ora, & determinatio mundi: in quo cum admirabilitate maxima igneæ formæ curſus ordinatos definiunt. E quibus SOL, cujus magnitudine multis partibus terra ſuperatur, circum eam ipſam volvitur. iſque oriens, & occidens, diem, noctemque conficit: & modo accedens, tum autem recedens, binas in ſingulis annis reverſiones ab extremo contrarias facit: quarum intervallo tum quaſi triſtitia quædam contrahit terram, tum viciſſim lætificat, ut cùm cælo hilarata videatur. LUNA autem, quæ eſt, ut oſtendunt mathematici, major, quàm dimidia pars terræ, iiſdem ſpatiis vagatur, quibus ſol: ſed tum congrediens cum ſole, tum digrediens, & eam lucem, quam à ſolè accepit, mittit in terras, & varias ipſa mutationes lucis habet: atque etiam tum ſubjecta, atque oppoſita ſoli, radios ejus, & lumen obſcurat: tum ipſa incidens in umbram terræ, cùm eſt è regione ſolis, interpoſitu, interjectuque terræ, repentè deficit. iiſdemque ſpatiis hæ STELLÆ, quas VAGAS dicimus, circum terram feruntur, eodemque modo oriuntur, & occidunt. quarum motus tum incitantur, tum retardantur, ſæpe etiam inſiſtunt. Quo *ſpectaculo nihil poteſt admirabilius eſſe, nihil pulchrius*. Sequitur STELLARUM INERRANTIUM maxima multitudo: quarum ita deſcripta diſtinctio eſt, ut ex notarum figurarum ſimilitudine nomina invenerint. Atque hoc loco me intuens, Utar, inquit, 41
carminibus Arati, eis, quæ à te admodum adoleſcentulo converſa, ita me delectant, quia Latina ſunt, ut multa ex iis

1. *Tum cælum totum cernerent.*] Pal. tert. & Wouv. unus. *tot cernerent*.

2. *Hæc cùm viderent, profectò.*] Hodie quidem paſſim ita legitur. ſed Aldi vetus edito, *Quæ cùm viderent*, quod & in duobus Wouv. & Pal. tert. nam ſec *qui quæ cùm vid.* quibus varietatibus ferè inducor, ut putem verborum illam trigam eſſe a mala librariorum manu.

3. *Littoribus eludit.*] Non refugi admittere ſcripturam Palatinorum inventam item Lambino in ſuis. vulgata *cludit* inſulsè.

4. *Et ſpiritu ductus.*] Victorii editio *ſpiritus*; quomodo & P. & Pal. ſec. non male.

5. *Et à domiciliis noſtris altiſſimus.*] Horum nihil habet codex unus Wouverii, & neſcio quam animo meo non placeant.

1. *Obſti-*

ſis memoria teneam. Ergo, ut oculis aſſiduè videmus ſine ulla mutatione, aut varietate,

Cetera labuntur celeri cæleſtia motu,
Cum cæloque ſimul nocteiſque, dieſque feruntur.

Quorum contemplatione nullius expleri poteſt animus, naturæ conſtantiam videre cupientis.

Extremuſque adeò duplici de cardine vertex
Dicitur eſſe polus. ----

Hunc circum ἄρκτοι duæ feruntur, numquam occidentes.

Ex his altera apud Graios Cynoſura vocatur,
Altera dicitur eſſe Helice. ----

Cujus quidem clariſſimas ſtellas totis noctibus cernimus.

Quas noſtri ſeptem ſoliti vocitare Triones.

Paribuſque ſtellis ſimiliter diſtinctis eundem cæli verticem luſtrat parva Cynoſura.

Hac fidunt duce nocturna Phœnices in alto.
Sed prior illa magis ſtellis diſtincta refulget,
Et latè prima confeſtim à nocte videtur,
Hæc vero parva eſt: ſed nautis uſus in hac eſt.
Nam curſu interiore brevi convertitur orbe ----

42 Et quo ſit earum ſtellarum admirabilior adſpectus,

Has inter, veluti rapido cum gurgite flumen,
Torvu' Draco ſerpit ſubter, ſupraque revolvens
Seſe, conficienſque ſinus è corpore flexos. ----

Ejus cùm totius eſt præclara ſpecies, in primis ſuſpicienda eſt figura capitis, atque ardor oculorum.

Huic non una modò caput ornans ſtella relucet,
Verùm tempora ſunt duplici fulgore notata,
E trucibuſque oculis duo fervida lumina flagrant,
Atque uno mentum radianti ſidere lucet:
[1] *Obſtipum caput, & tereti cervice reflexum.*
Obtutum in cauda majoris figere dicas.

Et reliquum quidem corpus draconis totis noctibus cernimus.

Hoc caput hîc paullum ſeſe, ſubitoque recondit,
Ortus ubi, atque obitus [2] *parte admiſcentur in una. ---*

Id autem caput,

Attingens defeſſa velut mœrentis imago
Vertitur. ----

quam quidem Græci

Engonaſin vocitant genibus quia nixa feratur.
Hîc illa eximio poſita eſt fulgore corona.

Atque hæc quidem à tergo: propter caput autem Anguitenens:

Quem claro perhibent Ophiuchum nomine Graii.
Hic preſſu duplici palmarum continet anguem,
Ejus & ipſe manet religatus corpore toto:
Namque virum medium ſerpens ſub pectora cingit.
Ille tamen nitens graviter veſtigia ponit,
Atque oculos urget pedibus, pectuſque Nepai. ----

Septem autem triones ſequitur

Arctophylax, vulgò qui dicitur eſſe Bootes:
Quòd quaſi temone adjunctam præ ſe quatit Arctum.

Dein quæ ſequuntur. Huic enim Booti ----

---- Subter præcordia fixa videtur
Stella micans radiis Arcturus nomine claro: ---

cui ſubjecta fertur,

Spicum illuſtre tenens ſplendenti corpore virgo.

43 Atque ita demetata ſigna ſunt, ut in tantis deſcriptionibus divina ſollertia appareat.

Et natos Geminos inviſes ſub caput Arcti.
Subjectus media eſt cancer, pedibuſque tenetur.
Magnu' Leo, tremulam quatiens è corpore flammam. ---

Auriga

Sub læva Geminorum obductus parte feretur.
Adverſum caput huic Helice truculenta tuetur.
At Capra lævum humerum clara obtinet. ----

Tum quæ ſequuntur,

Verùm hæc eſt magno, atque illuſtri prædita ſigno.
Contra Hædi exiguum jaciunt mortalibus ignem. ----

Cujus ſub pedibus

Corniger eſt valido connexus corpore Taurus.

Ejus caput ſtellis conſperſum eſt frequentibus.

Has Græci ſtellas, Hyadas vocitare ſuerunt: ----

[3] à pluendo: ὕειν enim eſt *pluere:* Noſtri imperitè *ſuculas* quaſi à ſuibus eſſent, non ab *imbribus* nominatæ. Minorem autem Septentrionem Cepheus paſſis palmis terga ſubſequitur.

Namque ipſum ad tergum Cynoſura vertitur Arcti. ----

Hunc antecedit

Obſcura ſpecie ſtellarum Caſſiopea.
Hanc autem illuſtri verſatur corpore propter
Andromeda, [4] *aufugiens adſpectum mœſta parentis.*
Huic Equus ille jubam quatiens fulgore micanti,
Summum contingit caput alvo: ſtellaque jungens
Una, tenet duplices communi lumine formas,
Æternum ex aſtris cupiens connectere nodum.
Exin contortis Aries cum cornibus hæret. ----

Quem propter 44

Piſces, quorum alter paullum prælabitur antè,
Et magis horriferis aquilonis [5] *tangitur auris. ----*

Ad pedes Andromedæ Perſeus deſcribitur.

Quem ſumma ab regione aquilonis flamina pulſant. ----

Cujus propter lævum genu

---- Vergilias tenui cum luce videbis.
Inde Fides leviter poſita, & connexa videtur.
Inde eſt ales avis lato ſub tegmine cæli.

Capiti autem Equi proximat Aquarii dextra, totuſque deinceps Aquarius.

Tum gelidum valido de pectore frigus anhelans,
Corpore ſemifero magno Capricornus in orbe.
Quem cùm perpetuo veſtivit lumine Titan,
Brumali flectens contorquet tempore currum. ----

Hinc autem adſpicitur,

[6] *Ut ſeſe oſtendens emergit Scorpius altè*
Poſteriore trahens [7] *flexum vi corporis arcum,*
Quem propter nitens pennis convolvitur ales.
At propter ſe Aquila ardenti cum corpore portat. ----

Deinde Delphinus:

Exinde Orion obliquo corpore nitens. ----

Quem ſubſequens,

Fervidus ille Canis ſtellarum luce refulget. ----

Pòſt lepus ſubſequitur,

Curriculum numquam defeſſo corpore ſedans.
At Canis ad caudam ſerpens prolabitur Argo.
Hanc Aries tegit, & ſquamoſo corpore Piſces,
Fluminis illuſtri tangentem corpore ripas, ----

[8] Quam longè ſerpentem, & manantem

---- adſpicies, proceraque Vincla videbis,
Quæ retinent Piſces caudarum à parte locata.
Inde Nepæ cernes propter fulgentis acumen,
Aram, quam flatu permulcet ſpiritus auſtri. ----

propter

1. *Obſtipum caput. & tereti, &c.*] Pal. ſec. & P. *à tereti.* alluditque tertius, in quo, *ætherenti.* non nimium improbem.

2. *Partim admiſcetur in una.*] Pall. & P. & editio Victorii hanc exhibent lectionem. vulgata enim *parte admiſcentur.* nam Lambinus *partem admiſcentur in unam.*

3. *Pluendo, ὕειν enim eſt pluere.*] Reſipit ſcribæ gloſſam.

4. *Aufugiens adſpectum mœſta, parentis.*] Palatinus pr. (heic enim iterum nobis adjumento venit, antea mutilus) *haud fugiens.* nec aliter ſec. niſi quod is, *haut.*

5. *Tangitur auris.*] Vulgata *alis:* ſed contra Pall. tres & P. Victoriique editionem.

6. *Ut ſeſe oſtendens emergit Scorpius.*] Sic quidem Victorius: neque ſecus Pall. niſi quod agnoſcant voculam *ut* publicati prius, *Ut ſeſe emergens oſtendat Scorp.*

7. *Flexum vi corporis.*] Pall. tres & P. repræſentant omnes, *plexum.*

8. *Quam longè ſerpentem, &c.*] Aldi editio, noſtrique & P. *quem longe ſerp.* Pal. ſec. *que longè.*

propter quæ Centaurus
Cedit, [1] Equi parteis properans ſubmergere Chelis.
Hic dextram porgens, quadrupes quà vaſta tenetur.
Tendit, & illuſtrem truculentus cadit ad aram,
Hic ſeſe infernis è partibus erigit Hydra:
Cujus longè corpus eſt fuſum:
In medioque ſinu fulgens Cratera relucet.
Extremam nitens plumato corpore Corvus
Roſtro tundit: & hic Geminis eſt ille ſub ipſis
[2] Ante -- Canem, Grajo Procyon qui nomine fertur.

Hæc omnis deſcriptio ſiderum, atque hic tantus cæli ornatus, ex corporibus huc, & illuc caſu, & temerè concurſantibus potuiſſe effici, cuiquam ſano videri poteſt? aut verò alia quæ natura, mentis & rationis expers, hæc efficere potuit, quæ non modò ut fierent, ratione eguerunt, ſed
45 intelligi qualia ſint, ſine ſumma ratione non poſſunt? Nec vero hæc ſolùm admirabilia: ſed nihil majus, quàm quòd *ita ſtabilis eſt mundus*, atque ita cohæret ad permanendum, ut nihil ne excogitari quidem poſſit aptius. omnes enim partes ejus undique medium locum capeſſentes, nituntur æqualiter. maximè autem corpora inter ſe juncta permanent, cùm quodam quaſi vinculo circumdato colligantur: quod facit ea natura, quæ per omnem mundum omnia mente, & ratione conficiens funditur, & ad medium rapit, & convertit extrema. Quocirca ſi mundus globoſus eſt, ob eamque cauſam omnes ejus partes undique æquabiles, ipſe per ſe, atque inter ſe continentur: contingere idem terræ neceſſe eſt, ut, omnibus ejus partibus in medium vergentibus, (id autem medium, infimum in ſphæra eſt) nihil interrumpat, quo labefactari poſſit tanta contentio gravitatis, & ponderum. Eademque ratione *mare*, cùm ſupra terram ſit, medium tamen terræ locum expetens, conglobatur undique æquabiliter, neque redundat umquam, neque effunditur. Huic autem continens aër, fertur ille quidem levitate ſublimi, ſed tamen in omneis parteis ſe ipſe fundit. itaque & mari continuatus, & junctus eſt, & natura fertur ad cælum: cujus tenuitate, & calore temperatus, vitalem, & ſalutarem *ſpiritum* præbet animantibus. Quem complexa ſumma pars cæli, [3] quæ æthra dicitur, & ſuum retinet ardorem tenuem; & nulla admiſtione concretum, & cum aëris extremitate conjungitur.
46 In æthere autem aſtra volvuntur: quæ ſe & nixu ſuo conglobata continent: & forma ipſa, figuraque, ſua momenta ſuſtentant. ſunt enim rotunda: quibus formis, ut antè dixiſſe videor, minimè noceri poteſt. Sunt autem *ſtellæ* natura flammeæ. quocirca terræ, maris, aquarum vaporibus aluntur iis, qui à ſole [4] ex agris tepefactis, & ex aquis excitantur: quibus altæ, renovatæque ſtellæ, atque omnis æther, refundunt eadem, & rurſum trahunt indidem, nihil ut ferè intereat, aut admodum paullulum, quod aſtrorum ignis, & ætheris flamma conſumat. Ex quo eventurum noſtri putant id, de quo Panætium addubitare dicebant, ut ad extremum *omnis mundus igneſceret*, cùm, humore conſumto, neque terra ali poſſet, neque remearet aër; cujus ortus, aqua omni exhauſta, eſſe non poſſet: ita relinqui nihil præter ignem: à quo rurſum animante, ac deo renovatio mundi fieret, atque idem ornatus oriretur. Nolo in ſtellarum ratione multus vobis videri, maximeque earum, quæ *errare* dicuntur. quarum tantus eſt concentus ex diſſimillimis motibus, ut, cùm ſumma Saturni refrigeret: media Martis incendat, his interjecta Jovis illuſtret, & temperet, infraque Martem duæ Soli obediant, ipſe Sol mundum omnem ſua luce compleat, ab eoque Luna illuminata graviditates, & partus afferat, maturitateſque gignendi. Quæ copulatio rerum, & quaſi conſentiens ad mundi incolumitatem coagmentatio naturæ, quem non movet; hunc horum nihil unquam reputaviſſe certò ſcio. Age ut à cæleſtibus rebus ad terreſtreis veniamus: 47
quid eſt in his, in quo non *naturæ oratio* intelligentis appareat? Principiò; eorum, *quæ gignuntur è terra*, ſtirpes & ſtabilitatem dant iis, quæ ſuſtinent, & ex terra ſuccum trahunt, quo alantur ea, quæ radicibus continentur: obducunturque libro, aut cortice trunci, quo ſint à frigoribus & caloribus tutiores. Jam verò *vites* ſic claviculis adminicula, tanquam manibus, apprehendunt, atque ſe ita erigunt, ut animantes. Quin etiam à *caulibus*, *braſſicis*que, ſi propè ſati ſint, ut à peſtiferis, & nocentibus, refugere dicuntur, nec eos ulla ex parte contingere. Animantium verò quanta varietas eſt? quanta ad eam rem vis, ut in ſuo quæque genere permaneant? quarum aliæ coriis tectæ ſunt, aliæ villis veſtitæ, aliæ ſpinis hirſutæ: pluma alias, alias ſquama videmus obductas: alias eſſe cornibus armatas, alias habere effugia pennarum. Paſtum autem animantibus largè, & copioſè natura eum, qui cuique aptus erat, comparavit. Enumerare poſſum ad eum paſtum capeſſendum, conficiendumque, quæ ſit in figuris animantium, & quàm ſollers, ſubtiliſque deſcriptio partium, quamque admirabilis *fabrica membrorum*. omnia enim, quæ quidem intus incluſa ſunt, ita nata, atque ita locata ſunt, ut nihil eorum ſupervacaneum ſit, nihil ad vitam retinendam non neceſſarium: Dedit autem eadem natura beluis & *ſenſum*, & *appetitum*; ut altero conatum haberent ad naturaleis paſtus capeſſendos, altero ſecernerent peſtifera à ſalutaribus. Jam verò alia animalia *gradiendo*, alia *ſerpendo* ad paſtum accedunt, alia *volando*, alia *nando*: cibumque partim oris hiatu, & dentibus ipſis capeſſunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate roſtrorum: alia ſugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. Atque etiam aliorum ea eſt humilitas, ut cibum terreſtrem roſtris facilè contingant. Quæ autem altiora ſunt, ut anſeres, ut cygni, ut grues, ut cameli; adjuvantur proceritate collorum. Manus etiam data elephantis, quia propter magnitudinem corporis difficileis aditus habebant ad paſtum. At, quibus 48
beſtiis erat is cibus, [5] ut alius generis beſtiis veſcerentur, aut *vireis* natura dedit, aut *celeritatem*. data eſt quibuſdam etiam machinatio quædam, atque *ſollertia*: ut in araneolis, aliæ quaſi rete texunt, ut, ſi quid inhæſerit, conficiant: aliæ autem ut ex inopinato obſervant, & ſi quid incidit, arripiunt, idque conſumunt. Pina verò, (ſic enim Græcè dicitur) duabus grandibus patula conchis, cum parva ſquilla quaſi ſocietatem coit comparandi cibi. Itaque cùm piſciculi parvi in concham hiantem innataverint, tum admonita à ſquilla pina morſu comprimit conchas. Sic diſſimillimis beſtiolis communiter cibus quæritur. in quo admirandum eſt, congreſſune aliquo inter ſe, an jam inde ab ortu naturæ ipſæ congregatæ ſint. Eſt etiam admiratio nonnulla in beſtiis aquatilibus iis, quæ gignuntur in terra: veluti crocodili, fluviatileſque teſtudines, quædamque ſerpentes ortæ extra aquam, ſimul ac primùm niti poſſunt, aquam perſequuntur. Quin etiam anatum ova gallinis ſæpè ſupponimus; è quibus pulli orti primùm [6] aluntur ab iis, ut à matribus, à quibus excluſi, fotique ſunt: deinde eas relinquunt & effugiunt ſequentes, cùm primùm aquam, quaſi naturalem domum, videre potuerunt. Tantam ingenuit animantibus conſervandi ſui natura cuſtodiam. Legi 49
etiam ſcriptum, eſſe avem quandam, quæ *Platalea* nominaretur:

1. *Equi parteis properans ſubmergere Chelis.*] Gulielmii P. & Pal. *equi partis prop. ſubjungere Cetis.*

2. *Ante canem Procyon.*] Pal. pr. unita voce *Anticanem*, &c.

3. *Quæ æthra dicitur.*] Eſt a Victorio, alluduntque noſtri libri; quibus partim *etherea*, partim *æthera*. Vulgg. *æther*.

4. *Ex agris tepefactis.*] Non habentur iſthæc in P. ſed agnoſcunt tamen Pall. tres.

5. *Ut alius generis beſtiis veſcerentur.*] Pal. pr. *alii*, veteri terminatione, cujus & meminit Priſcianus libro VII.

6. *Aluntur ab iis, ut à matribus, à quibus excluſi fotique ſunt: deinde eas relinquunt & effugiunt ſequentes, cùm primum, &c.*] Poſſeſſionem in ſuam collocavi ſcripturam veterem (mirè diſtortam in Aldinis ceteriſque edit. verboque integro decurtatam) fide Pall. trium; quibus acceſſit & auctoritas P. & Victorianæ, niſi quod hæc perperam interpungat, *effugiunt*, *ſequentes cum pr.* nam *ſequentes nutricum*, eſt non *anatum*.

1. *Milvo*

naretur: eam ſibi cibum quærere advolantem ad eas aveis, quæ ſe in mari mergerent: quæ cùm emerſiſſent, piſcemque cepiſſent, uſque eò premere earum capita mordicus, dum illæ captum amitterent; id quod ipſa invaderet. Eademque hæc avis ſcribitur conchis ſe ſolere complere, eaſque, cùm ſtomachi calore concoxerit, evomere, atque ita eligere ex iis, quæ ſunt eſculenta. *Ranæ* autem marinæ dicuntur obruere ſeſe arena ſolere, & moveri propè aquam: ad quas, quaſi ad eſcam, piſces cùm acceſſerint, confici à ranis, atque conſumi. [1] *Milvo* eſt quoddam bellum quaſi naturale cum corvo. ergo alter alterius, ubicumque nactus eſt, ova frangit. Illud verò ab Ariſtotele animadverſum, à quo pleraque, quis poteſt non mirari? *Grues*, cùm loca calidiora petentes [2] maria tranſmittant, trianguli efficere formam. ejus autem ſummo angulo aër ab iis adverſus pellitur: deinde ſenſim ab utroque latere, tanquam remis, ita pennis curſus avium levatur. Baſis autem trianguli, quam grues efficiunt, ea tanquam à puppi, ventis adjuvatur: hæque in tergo prævolantium, colla, & capita reponunt. quod quia ipſe dux facere non poteſt, quia non habet ubi nitatur, revolat, ut ipſe quoque quieſcat. In ejus locum ſuccedit ex iis, [3] quæ acquierunt: eaque viciſſitudo in omni curſu conſervatur. Multa ejuſmodi proferre poſſum: ſed genus ipſum videtis. Jam verò illa etiam notiora, quanto ſe opere cuſtodiant beſtiæ, ut in paſtu circumſpectent, ut in cubilibus deliteſcant. Atque illa mirabilia.
50 Quid ea, quæ nuper, id eſt paucis antè ſæculis *medicorum ingeniis* reperta ſunt? [4] vomitione canes, purgatione autem alvos ibes Ægyptiæ curant. Auditum eſt, pantheras, quæ in barbaria [5] venenata carne caperentur, remedium quoddam habere: quo cùm eſſent uſæ, non morerentur: capras autem in Creta feras, cùm eſſent confixæ venenatis ſagittis, herbam quærere quæ *dictamnus* vocaretur. quam cùm guſtaviſſent, [6] ſagittas excidere dicunt è corpore. Cervæque paulo ante partum perpurgant ſe quadam herbula, quæ Seſelis dicitur. Jam illa cernimus, ut contra *metum*, & *vim*, ſuis ſe armis quæque defendat. Cornibus tauri, apri dentibus, morſu leones; aliæ fuga ſe, aliæ occultatione tutantur: atramenti effuſione ſepiæ, torpore torpedines. multæ etiam inſectanteis odoris intolerabili fœditate de-
51 pellunt. Ut verò perpetuus mundi eſſet ornatus, magna adhibita cura eſt à providentia deorum, ut *ſemper eſſent* & beſtiarum genera, & arborum, [7] omniumque rerum quæ altæ aut radicibus à terra, aut ſtirpibus continerentur, quæ quidem omnia eam vim ſeminis habent in ſe, ut *ex uno plura* generentur: idque ſemen incluſum eſt in intima parte earum bacarum, quæ ex quaque ſtirpe funditur: iiſdemque ſeminibus & homines affatim veſcuntur, & terræ ejuſdem generis ſtirpium renovatione complentur. Quid loquar, quanta *ratio in beſtiis* ad perpetuam conſervationem earum generis appareat? nam primùm aliæ *mares*, aliæ *feminæ* ſunt: perpetuitatis cauſa machinata natura eſt. Deinde partes corporis & ad procreandum, & ad concipiendum aptiſſimæ: & in mari, & in fæmina commiſcendorum corporum miræ libidines. Cùm autem in locis ſemen inſedit, rapit omnem ferè cibum ad ſeſe, [8] eòque ſæptum fingit animal: quod cùm ex utero elapſum excidit; in iis animantibus, quæ lacte aluntur, omnis ferè cibus matrum lacteſcere incipit: eaque, quæ paulo ante nata ſunt, ſine magiſtro, duce natura, *mammas appetunt*, earumque ubertate ſaturantur. Atque, ut intelligamus nihil horum eſſe fortuitum, [9] & hæc omnia eſſe opera providæ ſolertiſque naturæ: quæ multiplices fætus procreat ut ſues, ut canes, his mammarum data eſt multitudo: quas eaſdem paucas habent eæ beſtiæ, quæ pauca gignunt. Quid dicam, quantus amor beſtiarum ſit *in educandis, cuſtodiendiſque iis, quæ procreaverunt*, [10] uſque ad eum finem, dum poſſint ſe ipſa defendere? etſi piſces, ut ajunt, ova cum genuerunt, relinquunt. facilè enim illa, aqua & ſuſtinentur, & fætum 52
fundunt. Teſtudines autem, & crocodilos dicunt, cùm in terra partum ediderint, obruere ova, deinde diſcedere. ita & naſcuntur, & educantur ipſa per ſeſe. Jam gallinæ, aveſque reliquæ & quietum requirunt ad pariendum locum, & cubilia ſibi, nidoſque conſtruunt, eoſque quàm poſſunt molliſſimè ſubſternunt, ut quàm facillimè ova ſerventur. Ex quibus pullos cùm excluſerint, ita tuentur, ut & pennis foveant, ne frigore lædantur; &, ſi eſt calor à ſole, ſe opponant. Cùm autem pulli pennulis uti poſſunt, tum volatus eorum matres proſequuntur; reliqua cura liberantur. Accedit etiam ad nonnullorum animantium, & earum rerum, quas terra gignit, conſervationem, & ſalutem, *hominum etiam ſollertia*, & diligentia. Nam multæ & pecudes, & ſtirpes ſunt, quæ ſine procuratione hominum ſalvæ eſſe non poſſunt. Magnæ etiam oportunitates ad cultum hominum, atque abundantiam, aliæ *aliis in locis* reperiuntur. Ægyptum NILUS irrigat, &, cùm tota æſtate obrutam, oppletamque tenuit, tum recidit, mollitoſque, & oblimatos agros ad ſerendum, relinquit. Meſopotamiam fertilem efficit EUPHRATES: [11] in quam quotannis quaſi novos agros invehit. INDUS verò, qui eſt omnium fluminum maximus, non aqua ſolùm agros lætificat, & mitigat, ſed eos etiam conſerit. magnam enim [12] vim ſeminum ſecum frumenti ſimilium dicitur deportare. Multaque alia in aliis locis commemorabilia proferre poſſum: multos fertileis agros aliorum fructuum. Sed illa quanta benignitas 53
naturæ, quòd tam multa ad veſcendum, tam varia, tamque jucunda gignit: neque ea uno tempore anni: ut ſemper *& novitate delectemur, & copia?* Quàm tempeſtivos autem dedit, quàm ſalutareis non modò hominum, ſed etiam pecudum generi, iis denique omnibus, quæ oriuntur è terra, *ventos eteſias*? quorum flatu nimii temperantur calores. Ab iiſdem etiam maritimi curſus celeres, & certi diriguntur. Multa prætereunda ſunt: & tamen multa dicuntur. Enumerari enim non poſſunt fluminum opportunitates, æſtus maritimi multùm accedentes, & recedentes: montes veſtiti, atque ſilveſtres: ſalinæ ab ora maritima remo-

---

1. *Milvo eſt quoddam bellum quaſi naturale, &c.*] Rovocatam voluit dictionem *quaſi* Victorius, ſed neſcio an quis ſecutus ſit: exulat ſanè Aldinis & Brutianis & Lambinianis, &c. agnoſcuntque & Pall. & Wouw. & P. Gulielmii.

2. *Maria tranſmittant.*] Ita Pall. & editio Victorii. Wouw. & P. *mare tranſmeant*, quod viſum placere Gulielmio, vulgati, *tranſmittunt.*

3. *Quæ acquierunt. eaque, &c.*] Lambinus, *quæ acquieverunt proxima, eaque.* ſed repugnantibus libris vetuſtis.

4. *Vomitione canes, purgatione autem alvos Ibes Ægyptiæ curant.*] Eſt ab editione Victorii; neque aliter Palat. pr. nam ſec. *purgantur autem alvos Ibis Ægyptiæ curant.* tert. verò, *purgare autem alvos Ibis Ægyptiæ curant.* vulgatæ, *vomitione canis purgare alvos Ibes Ægyptiæ curant.* P. Manutius fingebat; *vomitione canes purgantur: alvo ſe Ibes Ægyptiæ curant.* Lambinus heic non ſimpliciter inſanit.

5. *Venenata carne caperentur.*] Pall. uno ore *carperentur*, neque diſplicet.

6. *Sagittas excidere dicunt è corpore.*] Dictio *dicunt* poterat abeſſe.

7. *Omniumque rerum quæ altæ aut radicibus à terra, aut ſtirpibus continerentur.*] Non poſſum habere hanc ſcripturam pro vera, diffamante eam mſſ. noſtrorum quadriga, nam Pal. pr. & P. ſervant, *quæ à terræ ſtirpibus continentur.* nec aliter ſec. niſi quod is *à terra*, omiſſis ceteris omnibus, quæ olent profecto ſordes librariorum: nolui tamen aliquid heic mutare, quod & vulgatum repræſentaſſet P. Victorius.

8. *Eoque ſæptum fingit animal.*] Excuſſi præcipuas editiones, eratque in omnibus iſthæc lectio, neque abibant mſſ. noſtri. at non video cur non potius reſcribi debeat *cæptum.*

9. *Et hæc omnia eſſe opera, &c.*] Verbum poſtremum inſerui perſuaſus à mſſ. noſtris minimum ſex; adſervante item editione Victoriana, ſic legi in libris vetuſtis.

10. *Uſque ad eum finem, dum poſſint ſe ipſa defendere.*] Neſcio quomodo quaſi ſupervacanea videantur illa, *ad eum finem.*

11. *In quam quotannis quaſi novos, &c.*] Habet Victorius, reperique in tribus Pall. *quotannos.* adeo ut revocandum videatur.

12. *Vim ſeminum frumenti ſimilium.*] Vox poſtrema non eſt in Aldi patris editione. poſteriores admiſerunt, ſed admiſſa inſuper ſyllaba *&*. quam modò ejeci auctoritate Pall. trium & Victorianæ editionis.

remotiſſimæ : medicamentorum ſalutarium pleniſſimæ terræ : *artes* denique innumerabiles, *ad victum, & ad vitam neceſſariæ.* Jam diei, noctiſque viciſſitudo conſervat animanteis, tribuens aliud agendi tempus, aliud quieſcendi. Sic undique omni ratione concluditur, MENTE, CONSILIOQUE DIVINO OMNIA IN HOC MUNDO AD SALUTEM OMNIUM, CONSERVATIONEMQUE ADMIRABILITER ADMINISTRARI. Sin quæret quiſpiam, cujuſnam cauſa tantarum rerum molitio facta ſit: arborumne & herbarum? quæ quamquam ſine ſenſu ſunt, tamen à natura ſuſtinentur. at id quidem abſurdum eſt. An beſtiarum? nihilo probabilius, deos mutarum & nihil intelligentium cauſa tantum laboraſſe. Quorum igitur cauſa quis dixerit effectum eſſe mundum? Eorum ſcilicet animantium, quæ ratione utuntur. hi ſunt *dii*, & *homines:* quibus profectò nihil eſt melius. ratio eſt enim, quæ præſtat omnibus, [1] ita ſit credibile, DEORUM, ET HOMINUM CAUSA FACTUM ESSE MUNDUM, QUÆQUE IN EO SINT, OMNIA. Faciliuſque intelligitur, à diis immortalibus hominibus eſſe proviſum, ſi erit tota hominis fabricatio perſpecta, omniſque humanæ
54 naturæ figura, atque perfectio. Nam cùm tribus rebus animantium vita teneatur, *cibo, potione, ſpiritu:* ad hæc omnia percipienda os eſt aptiſſimum: quod adjunctis naribus ſpiritu augetur. DENTIBUS autem in ore constructis manditur, atque ab his extenuatur, & molitur cibus. eorum adverſi acuti morſu dividunt eſcas, intimi autem conficiunt, qui genuini vocantur: quæ confectio etiam à lingua adjuvari videtur. LINGUAM autem ad radices ejus hærens excipit STOMACHUS: quò primùm illabuntur ea, quæ accepta [2] ſunt: oris utraque ex parte tonſillas attingens, palato extremo, atque intimo terminatur. Atque is agitatione, & motibus linguæ cùm [3] depulſum, & quaſi detruſum cibum accepit, depellit. Ipſius autem partes eæ, quæ ſunt infra id, quod devoratur, dilatantur: quæ autem ſuprà, contrahuntur. Sed cùm *aſpera arteria*, (ſic enim à medicis appellatur) oſtium habeat, adjunctum linguæ radicibus, paullo ſuprà, quàm ad linguam ſtomachus annectitur, eaque ad pulmones uſque pertineat; excipiatque animam eam, quæ ducta ſit ſpiritu, eandemque à pulmonibus reſpiret, & reddat: tegitur quodam quaſi operculo, quod ob eam cauſam datum eſt, ne, ſiquid in eam cibi fortè incidiſſet, ſpiritus impediretur. Sed cùm ALVI NATURA, ſubjecta ſtomacho, cibi, & potionis ſit receptaculum: pulmones autem, & cor extrinſecus ſpiritum adducant: in alvo multa ſunt mirabiliter effecta, quæ conſtant ferè è nervis. Eſt autem multiplex, & tortuoſa, arcetque, & continet, ſive illud aridum eſt, ſive humidum, quod recipit, [4] ut id mutari, & concoqui poſſit: eaque tum adſtringitur, tum relaxatur, atque omne, quod accipit, cogit, & confundit: ut facilè & calore, quem multum habet, [5] exterendo cibo, & præterea ſpiritu omnia cocta, atque confecta [6] in reliquum corpus dividantur.
55 IN PULMONIBUS autem ineſt raritas quædam, & aſſimilis ſpongiis mollitudo, ad hauriendum ſpiritum aptiſſima: qui tum ſe contrahunt adſpirantes, [7] tum ſpiritu dilatant, ut frequenter ducatur cibus animalis, quo maximè aluntur animantes. [8] EX INTESTINIS autem, & alvo ſecretus à reliquo cibo ſuccus is, quo alimur, permanat ad jecur per quaſdam à medio inteſtino uſque ad *portas jecoris*, (ſic enim appellant) ductas, & directas vias, [9] quæ pertinent ad jecur, eique adhærent. Atque inde aliæ pertinentes ſunt, per quas cadit cibus à jecore dilapſus. Ab eo cibo cùm eſt ſecreta bilis, iique humores, qui ex renibus profunduntur: reliqua ſe in ſanguinem vertunt, ad eaſdemque portas jecoris confluunt, ad quas omnes ejus viæ pertinent: per quas lapſus cibus, in hoc ipſo loco in eam *venam*, quæ *cava* appellatur, confunditur, perque eam ad cor confectus jam, coactuſque perlabitur: à corde autem in totum corpus diſtribuitur per venas admodum multas, in omneis parteis corporis pertinenteis. Quemadmodum autem RELIQUIÆ CIBI depellantur tum adſtringentibus ſe inteſtinis, tum relaxantibus, haud ſanè difficile dictu eſt: ſed tamen prætereundum eſt, ne quid habeat injucunditatis oratio. Illa potiùs explicetur *incredibilis fabrica naturæ.* Nam quæ ſpiritu in pulmones ANIMA ducitur, ea caleſcit primùm ab eo ſpiritu, deinde [10] contagione pulmonum: ex eaque pars redditur reſpirando, pars concipitur cordis parte quadam, quam *ventriculum cordis* appellant: cui ſimilis alter adjunctus eſt, in quem ſanguis à jecore per venam illam cavam influit. Eoque modo ex his partibus & ſanguis per venas in omne corpus diffunditur, & ſpiritus per arterias. Utræque autem crebræ, multæque toto corpore intextæ vim quandam incredibilem *artificioſi operis*, divinique teſtantur. Quid dicam de OSSIBUS? quæ ſubjecta corpori mirabiles commiſſuras habent, & ad ſtabilitatem aptas, & ad artus finiendos accommodatas, & ad motum, & ad omnem corporis actionem. Huc adde NERVOS, à quibus artus continentur: eorumque implicationem toto corpore pertinentem: qui, ſicut venæ, & arteriæ à corde
tractæ, & profectæ, in corpus omne ducuntur. Ad hanc 56
providentiam naturæ tam diligentem, tamque ſolertem adjungi multa poſſunt, è quibus intelligatur, quantæ res hominibus à deo, quamque eximiæ tributæ ſint: qui primùm eos *humo excitatos, celſos, & erectos conſtituit*, ut deorum cognitionem, cœlum intuentes, capere poſſent. Sunt enim è terra homines non ut incolæ, atque habitatores, ſed quaſi ſpectatores ſuperarum rerum, atque cœleſtium, quarum ſpectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. *Senſus* autem, *interpretes, ac nuntii rerum*, in capite, tanquam in arce, mirificè ad uſus neceſſarios & facti, & collocati ſunt. Nam OCULI, tanquam SPECULATORES, altiſſimum locum obtinent: ex quo plurima conſpicientes, fungantur ſuo munere. Et AURES cùm [11] ſonum percipere debeant, qui natura in ſublime fertur; rectè in altis corporum partibus collocatæ ſunt. Itemque NARES, eò quòd omnis odor ad ſupera fertur, rectè ſurſum ſunt: & quòd cibi & potionis judicium magnum earum eſt, non ſine cauſa vicinitatem oris ſecutæ ſunt. Jam GUSTATUS, qui ſentire eorum, quibus veſcimur, genera deberet, habitat in ea parte oris, qua [12] eſculentis, & potu-

1. *Ita ſit credibile.*] Hactenus cuſi; *itaque*, ſed enclitica ea omnibus aberat Palatinis, eaque propter rejeci.

2. *Sunt. oris utraque, &c.*] Sic Pall. noſtri, & P. ſic editi à Victorio. prius erat; *ſunt ore. is utraque.* ſed quo minus id heic toleretur, fuit repetitio ejuſdem *is* paullò poſt.

3. *Depulſum & quaſi detruſum cibum accepit, depellit.*] Non poſſum mihi perſuadere iſthæc eſſe ſine vitio. nihil tamen diſcordant mſſ. noſtri.

4. *Ut id mutari & concoqui poſſit.*] Communis lectio interpoſitum habebat *concoqui facile poſſit.* ſed non comparet id vocis in ullo Pal. aut editione Victorii.

5. *Exterendo cibo.*] Ita Victorius, inventumque in P. Gulielmii. nam Pall. pr. ac ſec. retinent vulg. *& terendo cibo.* tert. verò habet *in terendo cibo.* mallem omnia abeſſent. ſane olent gloſſam.

6. *In reliquum corpus dividantur.*] Lambinus, *didantur*, ſed non reſpondent membranæ noſtræ ullæ.

7. *Tum ſpiritu dilatant.*] Eſt a Victorianis; neque aliter Pal. pr, nam ſec. *reſpiram.* vulgg. *tum ſpiritu dilatant.* Lambinus *tum in reſpiratu dil.* Pal. tert. habebat, *tum in ſe ſpirtu dil.* P. verò; *tum ſe in ſpiritu dil.* quæ omnia arguunt, fuiſſe ibi vocem, vulgo inviſam.

8. *Ex inteſtinis autem & alvo ſecretus, &c.*] Particula *&* non eſt in ullo Palatinorum; quorum etiam pr. *ſecretis.*

9. *Quæ pertinent ad jecur, eique adhærent.*] Sic Pal. quidem tert. bonitatis haud eximiæ: at pr. & ſec. & P. *quæ pertinent jecorique adhærent.*

10. *Contagione pulmonum.*] Vett. editi *coagitatione*, recentiores *cogitatione.* ſed verum eſt *contagione*, quod publicavit primum Victorius, repetiturque in Pal. pr. ſec. ac P.

11. *Sonum percipere.*] Ita concorditer Pall. ita editi à Victorio. Aldus ſenior *recipere*, quod hodieque ubivis recipitur, niſi à Lambinianis; ii enim, *accipere.*

12. *Eſculentis & potulentibus.*] Sic quatuor mſſ. noſtri, item Victoriani; adeo ut mirari non debeat Camerarius, ſi iſtud maluerit Victorius quàm *poculentis*, vulgo receptum quidem, ſed non etiam ſuſtentatum membranarum veterum auctoritate edecumata.

potulentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore æquabiliter fuſus eſt, ut omneis ictus, omneiſque nimios & frigoris, & caloris appulſus ſentire poſſimus. Atque, ut *in ædificiis architecti avertunt ab oculis, & naribus dominorum, ea,* [1] *quæ profluentia neceſſario tatri eſſent aliquid habitura:* ſic natura res ſimiles procul amandavit à ſenſibus.

57 Quis vero opifex, præter *naturam, qua nihil poteſt eſſe callidius*, tantam ſolertiam perſequi potuiſſet in ſenſibus? quæ primùm oculos membranis tenuiſſimis veſtivit, & ſæpſit: quas primùm perlucidas fecit, ut per eas cerni poſſet: firmas autem, ut continerentur. Sed lubricos oculos fecit, & mobileis, ut & declinarent, ſiquid noceret: & adſpectum, quò vellent, facilè converterent. acieſque ipſa, qua cernimus, quæ *pupula* vocatur, ita parva eſt, ut ea, quæ nocere poſſint, facilè vitet. Palpebræque, quæ ſunt tegmenta oculorum, molliſſimæ tactu, ne læderent aciem, aptiſſimè factæ & ad claudendas pupulas, ne quid incideret, & ad aperiendas: idque providit, ut identidem fieri poſſet cum maxima celeritate. munitæque ſunt palpebræ tanquam vallo pilorum: quibus & apertis oculis, ſi quid incideret, repelleretur: [2] & ſomno conniventibus, cùm oculis ad cernendum non egeremus, ut qui, tanquam involuti, quieſcerent. Latent præterea utiliter, & excelſis undique partibus ſæpiuntur. Primùm enim ſuperiora, ſuperciliis obducta, ſudorem à capite, & fronte defluentem repellunt. Genæ deinde ab inferiore parte tutantur ſubjectæ, leviterque eminentes. [3] Nasus ita locatus eſt, ut quaſi murus oculis interjectus eſſe videatur. Auditus autem ſemper patet. ejus enim ſenſu etiam dormientes egemus. à quo cùm ſonus eſt acceptus, etiam è ſomno excitamur. Flexuoſum iter habet, [4] ne quid intrare poſſit, ſi ſimplex, & directum pateret. proviſum etiam, ut, ſi qua minima beſtiola [5] conaretur irrumpere, in ſordibus aurium, tanquam in viſco, inhæreſceret. Extrà autem eminent, quæ appellantur *aures*, & tegendi cauſa factæ, tutandique ſenſus; & ne adjectæ voces laberentur, atque errarent, priuſquàm ſenſus ab his pulſus eſſet. Sed duros, & quaſi corneolos habent introitus, multiſque cum flexibus, quòd his naturis relatus amplificatur ſonus. Quocirca & in finibus teſtudine reſonatur, aut cornu: & ex tortuoſis locis, & incluſis referuntur ampliores. Similiter nares, quæ ſemper propter neceſſarias utilitates patent, contractiores habent introitus, ne quid in eas, quod noceat, poſſit pervadere: humoremque ſemper habent ad pulverem, multaque alia depellenda, non inutilem. Gustatus præclarè ſæptus eſt. ore enim continetur, & ad uſum aptè, & ad incolumitatis cuſtodiam. Omniſque ſenſus hominum *multo antecellit ſenſibus beſtiarum.*

58 Primùm enim oculi in iis artibus, quarum judicium eſt oculorum, in pictis, fictis, cælatiſque formis, in corporum etiam motione, atque geſtu multa cernunt ſubtilius. colorum etiam, & figurarum tum venuſtatem, atque ordinem, &, ut ita dicam, *decentiam*, oculi judicant: atque etiam alia majora. nam & *virtutes, & vitia* cognoſcunt: iratum, propitium: lætantem, dolentem: fortem, ignavum: audacem, timidumque cognoſcunt. Auriumque item eſt admirabile quoddam, artificioſumque judicium, quo judicatur & in vocis, & in tibiarum, nervorumque cantibus varietas ſonorum, intervalla, diſtinctio, & vocis genera permulta: canorum, fuſcum: læve, aſperum: grave, acutum: flexibile, durum: quæ *hominum ſolum auribus judicantur.* Nariumque item, & [6] guſtandi, & arte tangendi magna judicia ſunt. Ad quos ſenſus capiendos, & perfruendos plures etiam, quàm vellem, artes repertæ ſunt. Perſpicuum eſt enim, quò *compoſitiones unguentorum*, quò *ciborum conditiones*, quò *corporum lenocinia* proceſſerint.

Jam verò animum ipſum, 59 mentemque hominis, rationem, conſilium, prudentiam, qui non *divina cura perfecta eſſe* perſpicit, is his ipſis rebus mihi videtur carere. De quo dum diſputarem, tuam mihi dari velim, Cotta, eloquentiam. Quo enim tu illa modo diceres? quanta primùm intelligentia, deinde conſequentium rerum cum primis conjunctio, & comprehenſio eſſet in nobis: ex quo videlicet, quid ex quibuſque rebus efficiatur, idque ratione, concludimus: ſingulaſque res definimus, circumſcripteque complectimur: ex quo scientia intelligitur quam vim habeat, qualis ſit: qua *ne in deo quidem eſt res ulla præſtantior.* Quanta verò illa ſunt, quæ vos Academici infirmatis, & tollitis, quòd & ſenſibus, & animo ea, quæ extrà ſunt, percipimus, atque comprehendimus! Ex quibus collatis inter ſe, & comparatis, arteis quoque efficimus, partim ad *uſum vitæ*, partim ad *oblectationem* neceſſarias. Jam verò *domina rerum* (ut vos ſoletis dicere) eloquendi vis, quàm eſt præclara, quamque divina? quæ primum efficit, ut ea, quæ ignoramus, *diſcere*, & ea, quæ ſcimus, alios *docere* poſſimus. Deinde hac cohortamur, hac perſuademus, hac conſolamur afflictos, hac deducimus perterritos à timore, hac geſtienteis comprimimus, hac cupiditates, iracundiaſque reſtinguimus. hæc nos juris, legum, urbium ſocietate devinxit: hæc à vita immani, & fera ſegregavit. Ad uſum autem orationis, incredibile eſt, niſi diligenter attenderis, quanta opera machinata *natura* ſit. Primùm enim à pulmonibus arteria uſque ad os intimum pertinet: per quam vox principium à mente ducens, percipitur, & funditur. Deinde in ore ſita lingua eſt, finita dentibus. Ea vocem immoderatè profuſam, fingit, & terminat: quæ ſonos vocis diſtinctos, & preſſos efficit, cùm & ad denteis, & ad alias parteis pellit oris. Itaque *plectri ſimilem* linguam noſtri ſolent dicere: *chordarum* denteis, nareis *cornibus* iis, qui ad nervos reſonant in cantibus.

Quàm verò aptas, quamque mul- 60 tarum artium miniſtras manus natura homini dedit! digitorum enim contractio facilis, faciliſque porrectio, propter molleis commiſſuras, & artus, nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad ſcalpendum, ad nervorum eliciendos ſonos, ac tibiarum, apta manus eſt, admotione digitorum. Atque hæc oblectationis: illa neceſſitatis: cultus dico agrorum, exſtructioneſque tectorum, tegumenta corporum vel texta, vel ſuta, omnemque fabricam æris, & ferri: ex quo intelligitur, adinventa animo, percepta ſenſibus, adhibitis opificum manibus omnia nos conſecutos, *ut tecti, ut veſtiti, ut ſalvi eſſe poſſimus:* urbeis, muros, domicilia, delubra haberemus. Jam verò operibus hominum, id eſt, manibus, cibi etiam varietas invenitur, & copia. Nam & agri [7] multa ferunt manu quæſita, quæ vel ſtatim conſumantur, vel mandentur condita vetuſtati. Et præterea veſcimur beſtiis & terrenis, & aquatilibus & volatilibus partim capiendo, partim alendo. Efficimus etiam *domitu noſtro* quadrupedum vectiones: quorum celeritas, atque vis, nobis ipſis affert vim, & celeritatem. Nos onera quibuſdam beſtiis, nos juga imponimus: nos elephantorum acutiſſimis ſenſibus, nos ſagacitate canum ad utilitatem noſtram abuti-

1. *Quæ profluentia neceſſario, tatri, &c.*] Pal. pr. *quæ profluenti neceſſario, tetri, &c.* forſan rectius.

2. *Et ſomno conniventibus.*] Pal. tert. *coniventibus*, quomodo veteres ſcripſiſſe, indicio ſunt reliqui Pal. in quibus *conluentibus* accipiente librario *i.* longum pro *l.*

3. *Naſus ita locatus eſt.*] Victorius, *Naſuſque ita locatus*, fortè ne quid periret inventum in mſſ. ejus. nam ſanè Pal. pr. ac ſec. *Naſus itaque locatus eſt.*

4. *Ne quid intrare poſſit, ſi ſimplex & directum pateret.*] Dictiones quinque poſtremæ non habentur in Pal. ſec. & ſi abeſſent omnino nihil diſcederet de ſententia.

5. *Conaretur irrumpere.*] Admodum veroſimiliter corrigebat Claud. Puteanus, *irrepere.*

6. *Guſtandi & arte tangendi.*] Lectio fortè minus ſana. nam Pal. pr. & ſec. *& parte tang.* neque aliter P. Gulielmii, qui conjiciebat *peritè.* Aldus pater expreſſit *apertè*, Nepos, *guſtandi pariter ac tangendi* ex Maffæi libro. quod & habent Lambiniani. noſtrum exhibuit primum Victorius, ut puto. nam id inveni in Camerarianis, in Sturmianis, &c.

7. *Multa ferunt manu quæſita.*] Pal. noſtri tres *efferunt.*

abutimur: nos è terræ cavernis ferrum elicimus, *rem ad colendos agros neceſſariam:* nos æris, argenti, auri venas, penitus abditas, invenimus, & ad uſum aptas, & ad ornatum decoras: arborum autem confectione, omnique materia, & culta, & ſilveſtri, partim ad calefaciendum corpus, igni adhibito, & ad mitigandum cibum utimur, partim ad ædificandum, ut tectis ſæpti, frigora, caloreſque pellamus. Magnos verò uſus affert ad navigia facienda. quorum curſibus ſuppeditantur omnes undique ad vitam copiæ: quaſque res violentiſſimas natura genuit, earum moderationem nos ſoli habemus *maris, atque ventorum:* propter nauticarum rerum ſcientiam; plurimiſque maritimis rebus fruimur, atque utimur. Terrenorum item commodorum omnis eſt in homine dominatus. Nos campis, nos montibus fruimur. noſtri ſunt amnes, noſtri lacus: nos fruges ſerimus, nos arbores: nos aquarum inductionibus terris fœcunditatem damus: nos flumina arcemus, dirigimus, avertimus: noſtris denique manibus in rerum natura *quaſi alteram naturam efficere conamur.* Quid verò? hominum ratio non in cœlum uſque penetravit? Soli enim ex animantibus nos aſtrorum ortus, obitus, curſuſque cognovimus: ab hominum genere finitus eſt dies, menſis, annus: defectiones ſolis, & lunæ cognitæ, prædictæque in omne poſterum tempus, quæ, quantæ, quando futuræ ſint. Quæ contuens animus, [1] accipit ad cognitionem deorum: ex qua oritur pietas: cui conjuncta juſtitia eſt, reliquæque virtutes: è quibus vita beata exſiſtit par, & ſimilis deorum: nulla re, niſi *immortalitate*, quæ nihil ad bene vivendum pertinet, cedens cœleſtibus. Quibus rebus expoſitis, ſatis docuiſſe videor, hominis natura quanto omnes anteiret animanteis. Ex quo debet intelligi: nec figuram, ſitumque membrorum: nec ingenii, mentiſque vim talem effici potuiſſe fortuna. Reſtat, ut doceam, atque aliquando perorem, omnia, quæ ſint in hoc mundo, quibus utantur homines, *hominum cauſa facta eſſe*, & parata. Principiò ipſe mundus, deorum, hominumque cauſa factus eſt: quæque in eo ſunt omnia, ea parata ad fructum hominum, & inventa ſunt. Eſt enim MUNDUS quaſi communis deorum, atque hominum domus, aut urbs utrorumque. Soli enim ratione utentes, jure, ac lege vivunt. Ut igitur Athenas, & Lacedæmonem, Athenienſium, Lacedæmoniorumque cauſa putandum eſt conditas eſſe: omniaque quæ ſint in his urbibus, eorum populorum rectè eſſe dicuntur: ſic quæcumque ſunt in omni mundo, deorum, atque hominum putanda ſunt. Jam verò *circuitus ſolis, & lunæ, reliquorumque ſiderum*, quamquam etiam ad mundi cohærentiam pertinent, tamen & ſpectaculum hominibus præbent: nulla eſt enim inſatiabilior ſpecies, nulla pulchrior, & ad rationem, ſolertiamque præſtantior: eorum enim [2] curſus dimetati, maturitates temporum, & varietates, mutationeſque cognovimus. quæ ſi hominibus ſolis nota ſunt, hominum facta eſſe cauſa judicanda ſunt. TERRA VERÒ FÆTA frugibus, & vario leguminum genere, quæ cum maxima largitate fundit, ea ferarumne, an hominum cauſa gignere videtur? quid de vitibus, olivetiſque dicam? quarum uberrimi, lætiſſimique fructus nihil omnino *ad beſtias* pertinent. neque enim ſerendi, neque colendi, nec tempeſtivè demetendi, percipiendique fructus, neque condendi, ac reponendi ulla pecudum ſcientia eſt: earumque omnium rerum, hominum eſt & uſus, & cura. Ut fides igitur, & tibias eorum cauſa factas dicendum eſt, qui illis uti poſſunt: ſic ea, quæ diximus, ſolis iis confitendum eſt eſſe parata, *qui utuntur.* nec ſi quæ beſtiæ furantur aliquid ex his, aut rapiunt, illarum quoque cauſa ea nata eſſe dicemus. Neque enim homines murium aut formicarum cauſa frumentum condunt, ſed conjugum, & liberorum, [3] & familiarum ſuarum. itaque beſtiæ *furtim*, ut dixi, fruuntur: domini *palàm*, & libere. Hominum igitur cauſa eas rerum copias comparatas, fatendum eſt. Niſi fortè tanta ubertas, & varietas pomorum, eorumque jucundus non *guſtatus* ſolùm, ſed *odoratus* etiam, & *adſpectus* dubitationem affert, quin hominibus ſolis ea natura donaverit. tantumque abeſt, ut hæc beſtiarum etiam cauſa parata ſint, ut ipſas *beſtias hominum gratia generatas* eſſe videamus. Quid enim OVES aliud afferunt, niſi ut earum villis confectis, atque contextis homines veſtiantur? quæ quidem neque ali, neque ſuſtentari, neque ullum fructum edere ex ſe ſine cultu hominum, & curatione potuiſſent. CANUM verò tam fida cuſtodia, tamque amans dominorum adulatio, tantumque odium in externos, & tam incredibilis ad inveſtigandum ſagacitas narium, tanta alacritas in venando, quid ſignificat aliud, niſi ſe ad hominum commoditates eſſe generatos? quid de BUBUS loquar? quorum ipſa terga declarant non eſſe ſe ad onus accipiendum figurata: cervices autem natæ ad jugum: tum vires humerorum, & latitudines, ad aratra extrahenda. quibus cùm terræ ſubigerentur fiſſione glebarum, ab illo aureo genere, ut poëtæ loquuntur, vis umquam ulla afferebatur.

Ferrea tum verò proles exorta repentè eſt,
Auſaque funeſtum prima eſt fabricarier enſem,
Et guſtare manu victum, domitumque juvencum.

Tanta putabatur utilitas percipi ex bobus, ut eorum viſceribus veſci ſcelus haberetur. Longum eſt MULORUM perſequi utilitates, & aſinorum: quæ certè ad hominum uſum paratæ ſunt. SUS verò quid habet, præter eſcam? cui quidem [4] ne putiſceret, animam ipſam pro ſale datam dicit eſſe Chryſippus. quâ pecude, quòd erat ad veſcendum hominibus apta, nihil genuit natura fœcundius. Quid 64
multitudinem, ſuavitatemque PISCIUM dicam? quid AVIUM? ex quibus tanta percipitur voluptas, ut interdum Pronœa noſtra Epicurea fuiſſe videatur. Atque hæ ne caperentur quidem, niſi hominum ratione, atque ſollertia. quamquam aveis quaſdam, & alites, & oſcines ut noſtri augures appellant, rerum *augurandarum cauſa* eſſe natas putamus. Jam verò immaneis, & feras BELUAS nanciſcimur venando, ut & veſcamur iis, & exerceamur in venando ad ſimilitudinem bellicæ diſciplinæ, & utamur domitis, & condocefactis, ut elephantis: multaque [5] ex earum corporibus remedia, morbis, & vulneribus eligamus, ſicut ex quibuſdam ſtirpibus, & herbis, quarum utilitates longinqui temporis uſu, & periclitatione percipimus. Totam licet animis tanquam oculis luſtrare *terram, mariaque omnia?* cernes jam ſpatia frugifera, atque immenſa camporum, veſtituſque denſiſſimos montium, pecudum paſtus, tum incredibili curſus maritimos celeritate. [6] nec verò ſuprà terram, ſed etiam *in intimis ejus tenebris* plurimarum rerum latet utilitas, quæ ad uſum hominum orta, ab hominibus ſolis invenitur. Illud verò, quod 65
uterque veſtrûm fortaſſe arripiet ad reprehendendum: Cotta, quia Carneades libenter in Stoicos invehebatur: Vellejus, quia nihil tam irridet Epicurus, quàm *prædictionem rerum futurarum:* mihi videtur vel maximè confirmare, deorum providentia conſuli rebus humanis. eſt enim profectò divinatio, quæ multis locis, rebus, temporibus apparet, tum in *privatis*, tum maximè in *publicis*. Multa cernunt haruſpices: multa augures provident: multa oraculis declarantur, multa vaticinationibus, multa ſomniis, multa portentis: quibus cognitis, multæ ſæpe res hominum ſententia atque *utilitate partæ*, multa etiam *pericula depulſa* ſunt. Hæc igitur ſive vis, ſive ars, ſive natura, ad ſcientiam

1. *Accipit ad cognitionem Deorum.*] Eſt à Victorio, neque abit Pal. pr. aut ſec. vulgata, *accipit ab his cognitionem.*

2. *Curſus dimetati.*] Sic noſtri omnes, ſic Victoriana. non *demetiti*, ut vulgata.

3. *Sed familiarum ſuarum.*] Palatini apertè fovent, *familiarium.*

4. *Ne putiſceret.*] Ita quidem Nonius, ſed mſſ. noſtri *puteſceret*, quomodo & Victoriani. vulgati *putreſceret.*

5. *Ex earum corporibus.*] Pall. eorum, quæ mutatio generis non inſolens Ciceroni.

6. *Nec verò ſupra terram, ſed etiam.*] Ita omnino Pall. & P. viſumque genus dicendi elegans. hactenus editi, *nec verò tantum ſupra, &c.*

1. Nec

tiam rerum futurarum homini profectò eſt, [1] nec ab alio alicui, à diis immortalibus data. quæ ſi ſingula vos fortè non movent, univerſa certè tamen inter ſe connexa, atque conjuncta movere debebunt. Nec verò univerſo generi hominum ſolum, ſed etiam *ſingulis* à diis immortalibus conſuli, & provideri ſolet. Licet enim contrahere univerſitatem generis humani, eamque gradatim ad pauciores,
66 poſtremò deducere ad ſingulos. Nam SI OMNIBUS hominibus, qui ubique ſunt, quacumque in ora, ac parte terrarum, ab hujuſce terræ, quam nos incolimus, continuatione diſtantium, deos conſulere cenſemus ob eas cauſas, quas antè diximus: his quoque hominibus conſulunt, qui has nobiſcum terras ab oriente ad occidentem colunt. [2] ſin autem his conſulunt, qui quaſi magnam quandam inſulam incolunt, quam nos orbem terræ vocamus: etiam illis conſulunt, qui parteis ejus inſulæ tenent, Europam Aſiam, Africam. Ergo & earum parteis diligunt, ut Romam, Athenas, Spartam, Rhodum: & earum urbium ſeparatim ab univerſis ſingulos diligunt, ut Pyrrhi bello Curium, Fabricium, Coruncanium: primo Punico Calatinum, Duillium, Metellum, Lutatium: ſecundo Maximum, Marcellum, Africanum: poſt hos, Paullum, Gracchum, Catonem, patrumve memoria Scipionem, Lælium: multoſque præterea, & noſtra civitas, & Græcia tulit ſingulareis viros: *quorum neminem niſi juvante deo talem fuiſſe credendum eſt*. Quæ ratio poëtas, maximeque Homerum impulit, ut principibus heroum, Ulyſſi, Diomedi, Agamemnoni, Achilli, *certos deos*, diſcriminum, & periculorum comites, *adjungeret*. Præterea ipſorum deorum ſæpe præſentiæ, quales ſuprà commemoravi, declarant, ab his & civitatibus, & ſingulis hominibus conſuli. quod quidem intelligitur etiam *ſignificationibus rerum futurarum*, quæ tum dormientibus, tum vigilantibus portenduntur. multa præterea *oſtentis*, multa *in extis* admonemur, multiſque rebus aliis: quas *diuturnus uſus* ita notavit, ut artem divinationis efficeret. NEMO igitur vir magnus ſine aliquo afflatu divino umquam fuit. Nec verò ita refellendum eſt, ut, ſi ſegetibus, aut vinetis cujuſpiam tempeſtas nocuerit, aut ſi quid è vitæ commodis caſus abſtulerit, eum, cui quid horum acciderit, aut *inviſum deo*, aut neglectum à deo judicemus. Magna dii curant, parva negligunt. MAGNIS AUTEM VIRIS [3] PROSPERE SEMPER OMNES RES: ſi quidem ſatis à noſtris, & à principe philoſophorum Socrate dictum
eſt de ubertatibus virtutis, & copiis. Hæc mihi ferè in 67
mentem veniebant, quæ dicenda putarem de natura deorum. Tu autem Cotta, ſi me audias, eandem cauſam agas, teque & principem civem putes, & pontificem eſſe cogites, &, quoniam in utramque partem vobis licet diſputare, hanc potiùs ſumas. eamq; facultatem diſſerendi, quam tibi à rhetoricis exercitationibus acceptam amplificavit Academia, huc potiùs conferas. MALA ENIM, ET IMPIA conſuetudo eſt contra deos diſputandi, ſive ex animo id fit, ſive ſimulatè.

1. *Nec ab alio alicui quàm.*] Voces *ab alio*, non viſuntur in Pal. pr. aut ſec. duo verò Wouveriani habent, *nec aliter quod à Diis, &c.* ut valde ſuſpicer inquinatum locum gloſſemate, ſcribendumque tantum: *homini profectò à Diis immortalibus data.*

2. *Sin autem his conſulunt.*] Nec Victorii editio, nec Pall, tres agnoſcunt pronomen *his*.

3. *Proſperè ſemper omnes res.*] Eſt à Victorianis, quibus ſubſcribunt Pall. duo & P. ille Gulielmianus, niſi quod in Pal. prim. *proſperæ*. etiam non malè. vulgati voce auctiores, *proſperè eveniunt ſemper*.

M. TULLII CICERONIS
DE
NATURA DEORUM,
AD
M. BRUTUM,
LIBER TERTIUS.

1 QUÆ cùm Balbus dixiſſet, tum arridens Cotta, Serò, inquit, [1] mihi, Balbe, præcipis, quid defendam. ego enim, te diſputante, quid contrà dicerem, mecum ipſe meditabar, neque tam refellendi tui cauſa, quàm ea, quæ minùs intelligebam, requirendi. Cum autem *ſuo cuique judicio ſit utendum*, [2] difficile factu eſt, me id ſentire, quod tu velis. Hìc Vellejus, Neſcis, inquit, quanta cum exſpectatione, Cotta, ſim te auditurus. jucundus enim Balbo noſtro ſermo tuus contra Epicurum fuit. Præbebo igitur me tibi viciſſim attentum contra Stoicos auditorem. ſpero enim, te, ut ſoles, *bene paratum* venire. Tum Cotta, [3] Si me hercule, inquit, Vellei. neque enim mihi par ratio cum Lucilio eſt, ac tecum fuit. Qui tandem, inquit ille? Quia mihi videtur Epicurus veſter de diis immortalibus non magnopere pugnare. tantùm modò negare deos eſſe *non audet, ne quid invidiæ ſubeat, aut criminis.* Cùm verò deos nihil agere, nihil curare confirmat, membriſquè humanis eſſe præditos, ſed eorum membrorum uſum nullum habere; ludere videtur, ſatiſque putare, ſi dixerit eſſe quandam beatam naturam, & æternam. A Balbo autem animadvertiſti, credo, quàm multa dicta ſint, quamque, etiam ſi minùs vera, tamen apta inter ſe, & cohærentia. itaque cogito, ut dixi, non tam refellere ejus orationem, quàm ea, quæ minùs intellexi, requirere. Quare, Balbe, tibi permitto, reſponderene mihi malis, de ſingulis rebus quærenti ex te ea, quæ parum accepi, an univerſam audire orationem meam. Tum Balbus: Ego verò, ſi quid explanari tibi voles, reſpondere màlo. ſin me interrogare, non tam intelligendi cauſa, quàm refellendi: utrum voles, faciam: vel ad ſingula, quæ requires, ſtatim reſpondebo: vel, cùm peroraris, ad omnia. Tum Cotta, Optime, inquit. quamobrem ſic agamus, ut nos ipſa ducit oratio. Sed 2
antequam de re, pauca de me. non enim mediocriter moveor auctoritate tua, Balbe, orationeque ea, quæ me in

1. *Mihi, Balbe.*] Gulielmii liber P. *mi Balbe.* ſed Pall. nihil abeunt à priore.

2. *Difficile factu.*] Meliores Palatini codices, *factum*, quod & alibi præterea obſervavi.

3. *Si mehercule, &c.*] Ita & ſcripti noſtri, & edd. omnes ante Lambinianam. ea enim, *Sic eſt meh.* Paullus Manutius malebat, *ſanè mehercule, &c.*

in perorando cohortabatur, ut meminiſſem, me & Cottam eſſe, & pontificem. quod eò, credo, valebat, ut OPINIONES, QUAS A MAJORIBUS ACCEPIMUS de diis immortalibus, ſacra, cæremonias, religioneſque defenderem. Ego vero eas [1] defendam ſemper, ſemperque defendi: nec me ex ea opinione, quam a majoribus accepi de cultu deorum immortalium, ullius umquam oratio aut docti, aut indocti movebit. ſed [2] cùm de religione agitur, T. Coruncanium, P. Scipionem, P. Scævolam, pontifices maximos, non Zenonem, aut Cleanthem, aut Chryſippum ſequor: habeoque C. Lælium augurem, eundemque ſapientem: quem potiùs audiam de religione dicentem in illa oratione nobili, quàm quemquam principem Stoicorum. cumque omnis populi R. religio, in SACRA, & in AUSPICIA diviſa ſit: tertium adjunctum ſit, SI QUID PRÆDICTIONIS CAUSA EX PORTENTIS, ET MONSTRIS, SIBYLLÆ INTERPRETES, HARUSPICESVE MONUERUNT: harum ego religionum nullam umquam contemnendam putavi: mihique ita perſuaſi; Romulum auſpiciis, Numam ſacris conſtitutis *fundamenta jeciſſe* noſtræ civitatis: quæ numquam profectò ſine ſumma placatione deorum immortalium [3] tanta eſſe potuiſſent. Habes, Balbe, quid Cotta, quid pontifex ſentiat. [4] fac nunc ergo intelligam, tu quid ſentias. à te enim philoſopho rationem accipere debeo religionis: *majoribus* autem
3 *noſtris, etiam nulla ratione reddita, credere.* Tum Balbus, Quam igitur à me rationem, inquit, Cotta deſideras? Et ille, Quadripartita, inquit, fuit diviſio tua: primùm, ut velles docere *deos eſſe:* deinde, *quales eſſent:* tum, *ab his mundum regi:* poſtremò, *conſulere eos rebus humanis.* Hæc, ſi rectè memini, partitio fuit. Rectiſſimè, inquit Balbus: ſed exſpecto, quid requiras. Tum Cotta primum quidque videamus, inquit? Et ſi id eſt primum, quod inter omneis, niſi admodum impios, convenit, mihi quidem [5] *ex animo exuri* non poteſt, eſſe deos. Id tamen ipſum, quod mihi [6] perſuaſum eſt auctoritate majorum, cur ita ſit, nihil tu me doces. Quid eſt, inquit Balbus, ſi tibi *perſuaſum* eſt, cur à me velis diſcere? Tum Cotta, Quia ſic aggredior, inquit, ad hanc diſputationem, quaſi nihil umquam audierim de diis immortalibus, nihil cogitaverim: *rudem me diſcipulum*, & integrum accipe, & ea, quæ requiro, doce. Dic igitur, quid requiras. Egone? primùm illud, cùr quod perſpicuum in iſtam partem, ne egere quidem oratione dixiſſes, quòd eſſet perſpicuum, & inter omneis conſtaret, de eo ipſo tam multa dixeris. Quia te quoque inquit, animadverti, Cotta, ſæpe, cùm in foro diceres, quàm plurimis poſſes, argumentis *onerare judicem*, ſi modò eam facultatem tibi daret cauſa. Atque hoc idem & philoſophi faciunt, & ego, ut potui, feci. Tu autem, qui id quæris, ſimiliter facis, ac ſi me roges, cur te duobus contuear oculis, & non altero tantùm, cùm idem uno aſſequi poſſim.
4 Tum Cotta, Quàm ſimile iſtud ſit, inquit, tu videris. Nam ego neque in cauſis, ſi quid eſt evidens, de quo inter omneis conveniat, argumentari ſoleo: *perſpicuitas enim argumentatione elevatur:* nec, ſi id facerem in cauſis forenſibus, idem facerem in hac ſubtilitate ſermonis. Cur contuerere autem altero oculo, cauſa non eſſet; cùm idem obtutus eſſet amborum, & cùm rerum natura, quam tu ſapientem eſſe vis, *duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere voluiſſet.* Sed quia non confidebas, tam eſſe id perſpicuum, quam tu velis; propterea multis argumentis deos eſſe docere voluiſti. Mihi enim unum ſatis erat, ITA NOBIS MAJORES NOSTROS TRADIDISSE. Sed tu auctoritates contemnis, ratione pugnas. Patere igitur, rationem meam cum tua ratione contendere. Affers hæc omnia argumenta, cur dii ſint, remque mea ſententia minimè dubiam, *argumentando dubiam facis*, mandavi enim memoriæ non numerum ſolùm, ſed etiam ordinem argumentorum tuorum. primùm fuit, cùm *cœlum ſuſpexiſſemus*, ſtatim nos intelligere eſſe aliquod numen, quo hæc regantur. Ex hoc illuc etiam,

Adſpice hoc ſublime candens, quem invocant omnes Jovem.

Quaſi verò quiſquam noſtrûm, iſtum potiùs, quam Capitolinum, Jovem appellet: aut hoc perſpicuum ſit, conſtetque inter omneis, eos eſſe deos, quos tibi Vellejus, multique præterea, ne animanteis quidem eſſe concedant. Grave etiam argumentum tibi videbatur: quòd opinio de diis immortalibus & omnium eſſet, & quotidie creſceret. Placet igitur, tantas res *opinione ſtultorum judicari*, vobis præſertim, qui illos inſanos eſſe dicatis? At enim præſen- 5
teis videmus deos, ut apud Regillum Poſtumius, in Salaria Vatienus, neſcio quid etiam de Locrorum apud Sagram prœlio. Quos igitur tu Tyndaridas appellabas, id eſt, homines homine natos, & quos Homerus, qui recens ab illorum ætate fuit, ſepultos eſſe dicit Lacedæmone: eos tu canteriis albis, nullis calonibus, obviam Vatieno veniſſe exiſtimas, & victoriam populi R. Vatieno potiùs, homini ruſtico, quam M. Catoni, qui tum erat princeps, nuntiaviſſe? Ergo & illud in ſilice, quod hodie apparet apud Regillum, *tanquam veſtigium ungulæ*, Caſtoris equi credis eſſe? nonne mavis illud credere, quod probari poteſt, animos præclarorum hominum, quales iſti Tyndaridæ fuerunt, divinos eſſe, & æternos, quàm eos, qui ſemel cremati eſſent, equitare, & in acie pugnare potuiſſe? aut ſi hoc fieri potuiſſe dicis, doceas oportet, quomodo nec fabellas anileis proferas. Tum Lucilius, An tibi, inquit, fabellæ videntur? nonne A. Poſtumio ædem Caſtori & Polluci in foro dedicatam: nonne S. C. de Vatieno vides? nam de Sagra, Græcorum etiam eſt vulgare proverbium, qui, quæ affirmant, *certiora eſſe dicunt, quam illa, quæ apud Sagram.* His igitur auctoribus nonne debes moveri? Tum Cotta, Rumoribus, inquit, mecum pugnas, Balbe: ego autem à te rationes requiro.

* *Deſunt nonnulla.* *

[7] Sequuntur, quæ futura ſunt. *Effugere* enim *nemo id poteſt, quod futurum eſt.* Sæpe autem ne utile quidem eſt ſcire, 6
quid futurum ſit. MISERUM eſt enim, nihil proficientem angi nec habere ne ſpei quidem extremum, & tamen commune ſolatium: præſertim cùm vos idem *fato fieri* dicatis omnia: quod autem ſemper ex omni æternitate verum fuerit, id eſſe fatum. Quid igitur juvat, aut quid affert ad cavendum, ſcire aliquid futurum, cùm id certè futurum ſit? unde porrò iſta *divinatio?* quis invênit fiſſum jecoris? quis cornicis cantum notavit? quis ſorteis? quibus ego credo: nec poſſum Attii Navii, quem commemorabas, lituum contemnere. Sed qui iſta intellecta ſunt, à philoſophis debeo diſcere, præſertim cùm iſti plurimis de rebus divinis mentiantur. At medici quoque (ita enim dicebas) ſæpe falluntur. Quid ſimile, medicina, cujus ego rationem video, & divinatio? quæ unde oriatur, non intelligo. Tu autem, etiam Deciorum devotionibus placatos deos eſſe cenſes. Quæ fuit eorum tanta iniquitas, ut placari populo R. non poſſent, niſi viri tales occidiſſent? [8] *conſilium* illud

1 *Defendam ſemper, ſemperque defendi.*] Immiſi prius *ſemper*, fide Pal. i. Worm. neque alter Victoriana editio. aliæ non habent.

2. *Cum de religione agitur, Ti. Coruncanium.*] Pal. ſec. *agitur tunc Coruncanium.* probarem, niſi ſeq. præponerentur ſua prænomina.

3. *Tanta eſſe potuiſſent.*] Vulgata *potuiſſet.* ſed alterum reſtat in mſſ. noſtris & P. & Victorianis.

4. *Fac nunc ergo intelligam.*] Lactantius lib. II. cap. 7. citat, *ego*; non male: neque peius ſtatim poſt, *nulla ratione reddita, rationis eſt credere.* quippe mſſ. & vulgg. non habent, *rationis eſt.*

5. *Ex animo exuri non poteſt.*] Ita triga Palatinorum; neque divertendum ad conjecturas.

6. *Perſuaſum eſt auctoritate majorum.*] Sic quinque minimum mſſ. noſtri, neque recedit Victoriana. aliæ, *perſ. eſt, eſſe deos, auctoritate*, repetitione ſuperflua.

7. *Sequuntur quæ futura ſunt.*] Pal. pr. & tert. lacunam hanc tegunt verborum continuatione. at ſec. habet: *à te rationes percunctor eorum quæ futura ſunt.* ex quibus ſolum apparet, quantum ſibi permiſerint librarii.

8. *Conſilium illud imperatorium fuit.*] Eſt à noſtris libris quinque & Victoriana editione. vulgati *imperatorum.*

illud *imperatorium* fuit, quod Græci στρατήγημα appellant, ſed eorum imperatorum, qui *patriæ conſulerent*, vitæ non parcerent. rebantur enim fore, ut exercitus imperatorem, equo incitato ſe in hoſtem immittentem, perſequeretur: id quod evênit. Nam Fauni vocem equidem numquam audivi. [1] tibi, ſi audiſſe te dicis, credam; etſi, Faunus omni-
7 no quid ſit, neſcio. Non igitur adhuc, quantum quidem in te, Balbe, eſt, intelligo deos eſſe: quos equidem credo eſſe, ſed nihil docent Stoici. Nam Cleanthes, ut dicebas, quattuor modis formatas in animis hominum putat deorum eſſe notiones. Unus is modus eſt, de quo ſatis dixi, qui eſt ſuſceptus *ex præſenſione rerum futurarum*. Alter *ex perturbationibus tempeſtatum*, & reliquis motibus. Tertius *ex commoditate rerum*, quas percepimus, & copia. Quartus *ex aſtrorum ordine*, cælique conſtantia. De præſenſione diximus. De perturbationibus cœleſtibus, & maritimis, & terrenis, non poſſumus dicere, cùm ea fiant, non eſſe multos, qui illa metuant, & à diis immortalibus fieri exiſtiment. Sed non id quæritur, ſintne aliqui, qui deos eſſe putent: dii utrùm ſint, necne, quæritur. Nam reliquæ cauſæ, quas Cleanthes affert, quarum una eſt de commodorum, quæ capimus, copia: altera de temporum ordine, cœlique conſtantia: tum tractabuntur à nobis, cùm diſputabimus de providentia deorum: de qua plurima à te, Balbe, dicta ſunt: eodemque illa etiam differemus, quòd Chryſippum dicere ajebas, quoniam eſſet aliquid in rerum natura, quod ab homine effici non poſſet, *eſſe homine aliquid melius*: quæque in domo pulchra cum pulchritudine mundi comparabas, & cùm totius mundi convenientiam, conſenſumque afferebas, Zenoniſque breveis, & acutulas concluſiones in eam partem ſermonis, quam modò dixi, differemus: eodemque tempore illa omnia, quæ à te phyſicè dicta ſunt de vi ignea, deque eo calore, ex quo omnia generari dicebas, loco ſuo quærentur: omniaque quæ à te nudiuſtertius dicta ſunt, cùm docere velles, deos eſſe, quare & mundus univerſus, & ſol, & luna, & ſtellæ *ſenſum ac mentem haberent*, in idem tempus reſervabo. A te autem [2] illud etiam, atque etiam quæram, quibus rationi-
8 bus tibi perſuadeas, deos eſſe. Tum Balbus, Equidem attuliſſe rationes mihi videor: ſed eas tu ita refellis, ut, cùm me interrogaturus eſſe videare, & ego me ad reſpondendum compararim, repentè avertas orationem, nec des reſpondendi locum. Itaque maximæ res, tacitæ præterierunt, *de divinatione*, *de fato*: quibus de quæſtionibus tu quidem ſtrictim, noſtri autem multa ſolent dicere. ſed ab hac quæſtione, [3] quæ nunc in manibus eſt, ſeparantur. Quare, ſi videtur, noli agere confuſè: ut hoc explicemus hac diſputatione, quod quæritur. Optimè, inquit Cotta. Itaque quoniam quattuor in parteis totam quæſtionem diviſiſti, [4] de primaque diximus; conſideremus ſecundam. quæ mihi talis videtur fuiſſe, ut, cùm oſtendere velles, quales dii eſſent, oſtenderes nullos eſſe. A CONSUETUDINE enim oculorum animum abducere difficillimum dicebas: ſed, cùm deo nihil præſtantius eſſet, non dubitabas, quin mundus eſſet deus, quo nihil in rerum natura melius eſſet; modò poſſemus eum animantem cogitare, vel potiùs, ut cetera oculis, ſic animo hoc cernere. Sed cùm mundo negas quidquam eſſe melius, quid dicis melius? ſi pulchrius, aſſentior. ſi aptius ad utilitates noſtras, id quoque aſſentior. Sin autem id dicis, nihil eſſe mundo ſapientius: nullo modo prorſus aſſentior: non quòd *difficile ſit mentem ab oculis ſevocare*: ſed quo magis ſevoco, eo minùs id, quod tu vis, poſſum mente comprehendere. Nihil eſt, 9
mundo melius in rerum natura. Ne in terris quidem urbe noſtra. num igitur idcirco in urbe eſſe rationem, cogitationem, mentem putas? aut, quoniam non ſit, num idcirco exiſtimas formicam anteponendam eſſe huic pulcherrimæ urbi, quod *in urbe ſenſus ſit nullus*, in formica non modò ſenſus, ſed etiam mens, ratio, memoria? Videre oportet, Balbe, quid tibi concedatur, non te ipſum, quod velis, ſumere. Iſtum enim locum totum illa vetus Zenonis brevis, &, ut tibi videbatur acuta concluſio dilatavit. Zeno enim ita concludit: QUOD RATIONE UTITUR, MELIUS EST, QUAM ID, quod ratione non utitur. Nihil autem mundo melius. ratione igitur mundus utitur. Hoc ſi placet, jam efficies, ut mundus optimè librum legere videatur. Zenonis enim veſtigiis hoc modo rationem poteris concludere: QUOD LITTERATUM EST, id eſt melius, quàm quod non eſt litteratum. nihil autem mundo melius. litteratus igitur eſt mundus. Iſto modo etiam diſertus, & quidem mathematicus, muſicus, omni denique doctrina eruditus, poſtremò philoſophus erit mundus. [5] Sæpe dixti, *nihil fieri ſine deo*, nec ullam vim eſſe naturæ, ut ſui diſſimilia poſſet effingere. Concedam non modò animantem, & ſapientem eſſe mundum, ſed fidicinem etiam, & tibicinem, quoniam earum quoque artium homines ex eo procreantur. Nihil igitur affert pater iſte Stoicorum, quare mundum ratione uti putemus, nec cur amantem quidem eſſe. Non eſt igitur mundus deus: & tamen nihil eſt eo melius. [6] nihil eſt enim eo pulchrius, nihil nobis ſalutarius, nihil ornatius adſpectu, motuque conſtantius. Quòd ſi mundus univerſus, non eſt deus, ne ſtellæ quidem, quas tu innumerabileis in deorum numero reponebas. quarum te *curſus æquabiles, æternique delectabant*: nec mehercule injuria. ſunt enim admirabili, incredibilique conſtantia. Sed non omnia, Balbe, quæ curſus certos, & conſtanteis habent, ea deo potiùs tribuenda ſunt, quàm naturæ. Quid Chalcidico Euripo in motu identidem reci- 10
procando putas fieri poſſe conſtantius? quid freto Sicilienſi? quid Oceani fervore illis in locis,

Europam Libyamque rapax ubi dividit unda?

Quid? æſtus maritimi, vel Hiſpanienſes, vel Britannici, eorumque certis temporibus vel acceſſus, vel receſſus, ſine deo fieri poſſunt? Vide, quæſo, ſi omnis motus, omniaque, quæ certis temporibus ordinem ſuum conſervant, divina ducimus, [7] ne tertianas quidem febreis, & quartanas, divinas eſſe dicendum ſit, quarum reverſione, & motu quid poteſt eſſe conſtantius? Sed omnium talium rerum ratio reddenda eſt. Quod vos cùm facere non poteſtis, tanquam in aram, confugiſtis ad deum. Et Chryſippus tibi acutè dicere videbatur, homo ſine dubio verſutus, & callidus. *Verſutos* eos appello, quorum celeriter mens verſatur: *callidos* autem, quorum, tanquam manus opere, ſic animus uſu concalluit. Is igitur, SI ALIQUID EST, inquit, quod homo efficere non poſſit, qui id efficit, melior eſt homine. Homo autem hæc, quæ in mundo ſunt, efficere non poteſt. qui potuit igitur, is præſtat homini. Homini autem præſtare quis poſſit, niſi deus? eſt igitur deus. Hæc omnia in eodem, quo illa Zenonis, errore verſantur. Quid enim ſit melius, quid præſtabilius, quid inter naturam, & rationem interſit, non diſtinguitur. Idemque SI DEI NON SINT, negat eſſe in omni natura quidquam homine melius. id autem putare quemquam hominem, nihil homine eſſe melius, ſummæ arrogantiæ cenſet eſſe.

Sit

1. *Tibi ſi audiſſe te dicis.*] Pal. pr. & P. *tu ſi audiſſe te dicis, &c.*

2. *Idem illud etiam atque etiam, &c.*] Voculam *idem* immiſi perſuaſus à Victorii editione, & membranis noſtris.

3. *Quæ nunc in manibus eſt, ſeparantur.*] Pal. pr. & *ſequeſtrantur.*

4. *De primaque diximus.*] Haud aliter editi à Victorio, nec recedit Pal. pr. quam quod is, *quæ.* ſec. *quia.* tert. quidem quomodo vulgati.

5. *Sæpe dixti, nihil, &c.*] Revocavi Aldi ſenis lectionem, quod ei proximè accederent noſtri codd. in quibus *dixi*, quomodo & edidit Victorius: at ceteri *dixit.*

6. *Nihil eſt enim eo pulcrius, nihil nobis ſalutarius.*] Illud *enim*, & *nobis* revocavi ex libris noſtris editionibuſque veteribus. nam Victoriana habet heic primam vocem, Aldus pater ſecundam; quam nihilominus Victorius applicat membro ſequenti, *nihil nobis ornatius.*

7. *Ne tertianas quidem febres.*] Ita omnes Pall. & editi ante Lambinum. is vel invitis libris reſcribendum duxit, *quoque.* quod Mureto placebat; vel adeo *item.*

1. Sen-

Sit hæc arrogantis, pluris ſe putare, quàm mundum. At id non modò non arrogantis, ſed potiùs prudentis, intelligere ſe habere [1] ſenſum, & rationem; hæc eadem Orionem, & Caniculam non habere. Et, SI DOMUS PULCHRA SIT, intelligamus eam dominis, inquit, ædificatam eſſe, non muribus. ſic igitur mundum deorum domum exiſtimare debemus. Ita prorſus exiſtimarem, ſi illum ædificatum, non, quemadmodum docebo, à natura conformatum putarem.

11 At enim quærit apud Xenophontem Socrates, unde animam arripuerimus, ſi nulla fuerit in mundo. Et ego quæro, unde orationem, unde numeros, unde cantus. Niſi verò loqui ſolem cum luna putamus, cùm propiùs acceſſerit, aut ad harmoniam canere mundum, ut Pythagoras exiſtimat. Naturæ iſta ſunt, Balbe, naturæ non artificioſè ambulantis, ut ait Zeno, quod quidem quale ſit, jam videbimus, ſed omnia cientis, & agitantis motibus, & mutationibus ſuis. Itaque illa mihi placebat oratio de convenientia, conſenſuque naturæ, quam quaſi cognatione continuatam conſpirare dicebas. Illud non probabam, quòd negabas id accidere potuiſſe, niſi ea uno divino ſpiritu continerentur. Illa verò cohæret, & permanet *naturæ viribus*, non deorum: eſtque in ea iſte *quaſi conſenſus*, quam συμπάθειαν Græci vocant: ſed ea, quo ſua ſponte major eſt, eo minùs divina ratione fieri exiſtimanda eſt.

12 Illa autem, quæ Carneades afferebat, quemadmodum diſſolvitis? SI NULLUM corpus immortale ſit, nullum eſſe corpus ſempiternum. corpus autem immortale nullum eſſe, ne individuum quidem, nec quod dirimi, diſtrahive non poſſit. Cumque omne animal patibilem naturam habeat, nullum eſt eorum, quod effugiat accipiendi aliquid extrinſecus, id eſt, quaſi ferendi, & patiendi neceſſitatem. Et, SI OMNE animal mortale eſt, immortale nullum eſt. [2] Ergo ſi itidem omne animal ſecari ac dividi poteſt, nullum eſt eorum individuum, nullum æternum. Atqui omne animal ad accipiendam vim externam, & ferendam paratum eſt. mortale igitur omne animal, & diſſolubile, & dividuum ſit neceſſe eſt. Ut enim, SI OMNIS cera commutabilis eſſet, nihil eſſet cereum, quod commutari non poſſet: item nihil argenteum, nihil æneum, ſi commutabilis eſſet natura argenti & æris. ſimiliter igitur, ſi omnia, quæ ſunt, è quibus cuncta conſtant, mutabilia ſunt: nullum corpus eſſe poteſt non mutabile. mutabilia autem ſunt illa, ex quibus omnia conſtant, ut vobis videtur. omne igitur corpus, mutabile eſt. At ſi eſſet corpus aliquod immortale, non eſſet omne mutabile. ita efficitur, ut omne corpus mortale ſit. etenim *omne corpus aut aqua, aut aër, aut ignis, aut terra eſt, aut id, quod eſt concretum ex his*, aut ex aliqua parte eorum. horum autem nihil eſt, quin intereat. nam & terrenum omne dividitur, & humor ita mollis eſt, ut facilis comprimi, collidique poſſit. ignis vero, & aër omni impulſu facillimè pellitur, naturaque cedens eſt maximè, & diſſipabilis. præterea omnia hæc tum intereunt, cùm in naturam aliam convertuntur: quod fit, cùm terra in aquam ſe vertit, & cùm ex aqua oritur aër, & cùm ex aëre æther, cumque eadem viciſſim retrò commeant. Quòd ſi ea intereant, ex quibus conſtet omne animal; nullum eſt animal ſempiternum.

13 Et, ut hæc omittamus, tamen ANIMAL NULLUM inveniri poteſt, quod neque natum umquam ſit, & ſemper ſit futurum. omne enim animal ſenſus habet. ſentit igitur & calida, & frigida, & dulcia, & amara, nec poteſt ullo ſenſu jucunda accipere, & non accipere contraria. ſi igitur voluptatis ſenſum capit, doloris etiam capit, *quod* autem *dolorem accipit, id accipiat etiam interitum neceſſe eſt*. omne igitur animal confitendum eſt eſſe mortale. Præterea, ſi quid eſt, quod nec voluptatem ſentiat, nec dolorem, id animal eſſe non poteſt. ſin autem quod animal eſt, id illa neceſſe eſt, ſentiat: & quod ea ſentiat, non poteſt eſſe æternum: & omne animal ſentit: nullum igitur animal eſt æternum. Præterea NULLUM POTEST ESSE ANIMAL, in quo non & appetitio ſit, & declinatio naturalis. appetuntur autem quæ ſecundum naturam ſunt, declinantur contraria: & omne animal appetit quædam, & fugit à quibuſdam. Quod autem refugit, id contra naturam eſt: & quod eſt contra naturam, id habet vim interimendi. omne ergo animal intereat neceſſe eſt. Innumerabilia ſunt, ex quibus effici, cogique poſſit, nihil eſſe, quod ſenſum habeat, quin id intereat. etenim ea ipſa, quæ ſentiuntur, [3] ut frigus, & calor, ut voluptas, & dolor, ut cetera, [4] cùm amplificata ſunt, interimunt. nec ullum animal eſt ſine ſenſu. nullum igitur animal eſt æternum. Etenim aut SIMPLEX EST 14
NATURA ANIMANTIS, ut vel terrena ſit, vel ignea, vel animalis, vel humida: quod quale ſit, ne intelligi quidem poteſt: aut concretum ex pluribus naturis, quarum ſuum quæque locum habet, quo naturæ vi efferatur: alia infimum, alia ſummum, alia medium. Hæc ad quoddam tempus cohærere poſſunt: ſemper autem nullo modo poſſunt. neceſſe eſt enim, ſuum quæque in locum natura rapiatur. nullum igitur animal eſt ſempiternum. ſed omnia veſtri, Balbe, ſolent *ad igneam vim* referre, Heraclitum, ut opinor, ſequentes: quem ipſum non omnes interpretantur uno modo. qui quoniam, quid diceret, intelligi noluit, omittamus. vos autem ita dicitis, OMNEM VIM, eſſe ignem. itaque & animanteis, cùm calor defecerit, tum interire: & in omni natura rerum id vivere, id vigere, quod caleat. ego autem non intelligo, quo modo calore extincto corpora intereant, non intereant humore, aut ſpiritu amiſſo, præſertim cùm *intereant etiam nimio calore*. Quamobrem id quidem commune eſt de calido: verumtamen videamus exitum. Ita vultis, opinor, nihil eſſe animal extrinſecus in natura, atque mundo, præter ignem. qui magis, quàm præter animam, unde animantium quoque conſtet animus, ex quo *anima* dicitur? Quo modo autem hoc, quaſi concedatur, ſumitis, nihil eſſe animum, niſi ignem? probabilius enim videtur, tale quiddam eſſe animum, ut ſit ex igne, atque anima temperatum. quòd ſi ignis ex ſeſe ipſe animal eſt, nulla ſe alia admiſcente natura, quoniam is, cùm ineſt in corporibus noſtris, efficit ut ſentiamus: non poteſt ipſe eſſe ſine ſenſu. rurſus eadem dici poſſunt. quidquid eſt enim, quod ſenſum habeat, id neceſſe eſt ſentiat, & voluptatem, & dolorem: ad quem autem dolor veniat, ad eundem etiam interitum venire. ita fit, ut ne ignem quidem efficere poſſitis æternum. Quid enim? non eiſdem vobis placet, *omnem ignem paſtus indigere?* nec permanere ullo modo poſſe, niſi alatur? ali autem ſolem, lunam, reliqua aſtra, aquis alia dulcibus, alia marinis? eamque cauſam Cleanthes affert, cur ſe ſol referat, nec longiùs progrediatur ſolſtitiali orbe, itemque brumali, ne longiùs diſcedat à cibo. hoc totum quale ſit, mox. nunc autem concludatur illud, *quod interire poſſit, id æternum non eſſe natura:* ignem autem interiturum eſſe, niſi alatur: non eſſe igitur natura ignem ſempiternum. Qualem autem deum intelligere nos poſſumus 15
nulla virtute præditum? Quid enim? prudentiamne deo tribuemus? quæ conſtat ex ſcientia rerum bonarum, & malarum, &, nec bonarum, nec malarum. CUI MALI nihil eſt, nec eſſe poteſt, quid huic opus eſt delectu bonorum, & malorum? quid autem ratione? quid intelligentia?

---

1. *Senſum & rationem; hæc eadem Orionem & Caniculam non habere.*] Admiſi, inventum à P. Manutio in libro ſcripto, *Orionem*; quod ei alluderent omnino Pall. in quibus omnibus, *ſenſum & rationem; hæc eadem orationem & Caniculam, &c.* cum alioquin editi; *ſenſum & rationem, & orationem, hæc eadem & caniculam.*

2. *Ergo itidem, ſi omne animal, &c.*] Eſt à Pall. item P. neque ſecus editio Victorii. Retrò editi *Et, ſi omne.* quidam ſcripti habebant, *Ergo identidem ſi, &c.*

3. *Ut frigus & calor, ut voluptas & dolor.*] Eſt à Pal. ſec. alluduntque Gulielmiani, in quibus poſterius &. vulgata prius, *ut frigus, ut calor, ut voluptas, ut dolor.*

4. *Cùm amplificata ſunt, interimunt.*] Pal. pr. ſec. item P. *intereunt.*

1. *Sunt*

tia? quibus utimur ad eam rem, ut apertis obſcura aſſequamur. at OBSCURUM DEO NIHIL POTEST ESSE. nam *juſtitia*, quæ ſuum cuique diſtribuit, quid pertinet ad deos? hominum enim ſocietas, & communitas, ut vos dicitis, juſtitiam procreavit. *temperantia* autem conſtat ex prætermittendis voluptatibus corporis: cui ſi locus in cælo eſt, eſt etiam voluptatibus. Nam *fortis* deus intelligi quî poteſt? in dolore, an in labore, an in periculo? quorum deum nihil attingit. Nec ratione igitur utentem, nec virtute ulla præditum deum intelligere quî poſſumus? Nec verò vulgi, atque imperitorum inſcitiam deſpicere poſſum, cùm ea conſidero, quæ dicuntur à Stoicis. [1] ſunt enim illa imperitorum. piſcem Syri venerantur. omne fere genus beſtiarum Ægyptii conſecraverunt. [2] Jam verò in Græcia multos habent *ex hominibus deos*, Alabandum, Alabandi: Tenedi, Tenem: Leucotheam, quæ fuit Ino, & ejus Palæmonem filium, cuncta Græcia: Herculem, Æſculapium, Tyndaridas: Romulum noſtri, aliosque complureis, quos quaſi novos, & *adſcriptitios civeis* in cælum re-
16 ceptos putant. Hæc igitur indocti. Quid vos philoſophi? quî meliora? omitto illa: ſunt enim præclara. Sit ſanè deus ipſe mundus. Hoc credo illud eſſe

Sublime candens, quem invocant omnes Jovem.

quare igitur plureis adjungimus deos? quanta autem eſt eorum multitudo? mihi quidem ſanè multi videntur. ſingulas enim ſtellas numeras deos, eosque aut belluarum nomine appellas, ut Capram, [3] ut Lupam, ut Taurum, ut Leonem; aut rerum inanimatarum, ut Argon, ut Aram, ut Coronam. ſed ut hæc concedantur, reliqua quî tandem non modò concedi, ſed omnino intelligi poſſunt? cùm fruges, *Cererem*; vinum, *Liberum* dicimus, genere nos quidem ſermonis utimur uſitato: ſed ECQUEM TAM amentem eſſe putas, qui illud, quo veſcatur, deum credat eſſe? Nam quos ab hominibus, perveniſſe dicis ad deos, [4] tu reddes rationem, quemadmodum idem fieri potuerit, aut cur fieri deſierit, & ego diſcam libenter. quomodo nunc quidem eſt, non video, quo pacto ille, *cui [5] in monte Oetæo illatæ lampades fuerint*, ut ait Accius, *in domum æternam patris* ex illo ardore pervenerit. quem tamen Homerus conveniri apud inferos facit ab Ulyſſe, ſicut ceteros, qui exceſſerant vita. quamquam, quem potiſſimum Herculem colamus, ſcire ſanè velim. plureis enim tradunt nobis ii, qui interiores ſcrutantur, & reconditas litteras: antiquiſſimum, Jove natum, ſed antiquiſſimo item Jove. nam *Joveis quoque plureis* in priſcis Græcorum litteris invenimus. ex eo igitur & Liſyto eſt is Hercules, quem concertaviſſe cum Apolline de tripode accepimus. alter traditur Nilo natus, Ægyptius: quem ajunt Phrygias litteras conſcripſiſſe. Tertius eſt [6] ex Idæis Digitis: cui inferias afferunt. [7] Quartus, Jovis & Aſteriæ, Latonæ ſororis, [8] qui Tyri maximè colitur; cujus Karthaginem filiam ferunt. Quintus in India, qui Belus dicitur. Sextus hic ex Alcumena, quem Jupiter genuit, ſed tertius Jupiter: quoniam, ut jam docebo,
pluresis Joves etiam accepimus. Quando enim me in hunc 17
locum deduxit oratio, docebo, meliora me didiciſſe de colendis diis immortalibus jure pontificio, & majorum more, capedunculis iis, quas Numa nobis reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Lælius, quàm rationibus Stoicorum. Si enim vos ſequar, dic, quid ei reſpondeam, qui me ſic roget: SI DII SUNT, ſuntne etiam Nymphæ deæ? ſi Nymphæ, Paniſci etiam, & Satyri? Hi autem non ſunt: ne Nymphæ quidem deæ igitur. At earum templa ſunt publicè vota, & dedicata. [9] Quid igitur? ne ceteri quidem ergo dii, quorum templa ſunt dedicata. Age porrò, Jovem, & Neptunum, deum numeras. ergo etiam Orcus, frater eorum, deus, [10] & illi, qui fluere apud inferos dicuntur, Acheron, [11] Cocytus, Pyriphlegethon: tum Charon, tum Cerberus, dii putandi. At id quidem repudiandum: ne Orcus quidem igitur. Quid dicitis ergo de fratribus? hæc Carneades agebat, non ut deos tolleret: *quid enim philoſophò minùs conveniens?* ſed ut Stoicos nihil de diis explicare convinceret. Itaque inſequebatur. QUID ENIM? ajebat, ſi ii fratres ſunt in numero deorum, num de patre eorum Saturno negari poteſt? quem vulgò maximè ad Occidentem colunt. qui ſi eſt deus, patrem quoque ejus, Cælum, eſſe deum confitendum eſt. Quod ſi ita eſt, Cæli quoque parentes dii habendi ſunt, Æther, & Dies, eorumque fratres, & ſorores: qui à genealogis antiquis ſic nominantur, [12] Amor, Dolus, Metus, Labor, Invidentia, Fatum, Senectus, Mors, Tenebræ, Miſeria, Querela, [13] Gratia, Fraus, Pertinacia, Parcæ, Heſperides, Somnia: quos omnes Erebo, & Nocte natos ferunt. Aut igitur hæc *mon-
ſtra* probanda ſunt, aut prima illa tollenda. Quid? Apolli- 18
nem, Vulcanum, Mercurium, ceteros, deos eſſe dices: de Hercule, Æſculapio, Libero, Caſtore, Polluce dubitabis? At hi quidem coluntur æque, atque illi, apud quoſdam etiam multo magis. Ergo hi, dii ſunt habendi, *mortalibus nati matribus?* Quid? Ariſtæus, qui olivæ dicitur inventor, Apollinis filius: Theſeus, qui Neptuni: reliqui, quorum patres dii, non erunt in deorum numero? Quid, quorum matres? opinor etiam magis. ut enim in jure civili, [14] QUI EST MATRE LIBERA, LIBER EST: item jure naturæ, qui dea matre eſt, deus ſit neceſſe eſt. Itaque Achillem, [15] Aſtypalenſes inſulani ſanctiſſimum colunt. qui ſi deus eſt: & Orpheus, & Rheſus, dii ſunt, Muſa matre nati. niſi fortè maritimæ nuptiæ terrenis anteponuntur. Si hi dii non ſunt, quia nuſquam coluntur: quo modo illi ſunt? Vide igitur, ne *virtutibus hominum iſti honores habeantur*,

1. *Sunt enim illa imperitorum.*] Neſcio an non iſthæc haberi poſſint pro ſpuriis.

2. *Jam verò in Græcia multos habent ex hominibus Deos.*] Gulielmii ille P. habet tantum, *Jam Græcia multos habet ex, &c.*

3. *Ut Lupam, &c.*] Conſulantur P. Victorii Variæ lectiones libro XXXII. cap. 3. Robertus Titius emendabat *ut Nepam* lib. IX. Controverſorum cap. 4. ſed ei Villiomarus minime acquieſcit, niſi concedamus intelligi *Scorpium*.

4. *Tu reddes rationem.*] Pal. ſec. *reddis.* tert. & Wouw. *redè.* fortè fuit *reddeſis rationem.*

5. *In monte Oetæo.*] Pal. pr. & ſec. *in monte in Oetæo.* ut fortaſſis *in monte*, ſit additamentum ſcribæ.

6. *Ex Idæis Digitis.*] Non potui omittere trium Palatinorum ſcripturam, confirmatam inſuper editione Victorii. P. Manutius repoſuit *Ex Idæis Dactylis*, fide, ut inquit mſſ. ſed ſic nulli Gulielmiani, nulli Wouveriani; alluſere potius noſtris *Digitis*, ut Latinè locutus fuerit Cicero, non Græcè. hucque etiam inclinabat lectio olim publicata, *ex Idæis indigenis*.

7. *Quartus, Jovis & Aſteriæ, &c.*] Sic ferè Lambinus, addito nempe *eſt*, &c. Verùm Pall. tres habent voce amplius; *cui quartus Jovis eſt Aſteriæ*.

8. *Qui Tyri maximè colitur.*] Eſt & iſtud à quatuor noſtris membranis, atque editione Victoriana. vulgata, *quem Tyrii maximè colunt*.

9. *Quid igitur? ne ceteri quidem ergo Dii.*] Ita placuit diſtinguere cum Pall. nam Victorius legit cum nota interrogationis: Lambinus verò punctum poſuit poſt vocem *quidem*. malè. imo ſi ſequendæ membranæ noſtræ, eradicabimus illud *Quid igitur*, cujus nullum veſtigium in primo aut ſec. habet quidem ſolum *igitur* tertius; ſed is omiſit mox *ergo*.

10. *Et illi qui fluere apud inferos dicuntur.*] Brevius P. & Pal. pr. *qui fluunt apud inferos.* reſtat tamen alterum in ceteris noſtris.

11. *Cocytus, Pyriphlegethon.*] Secutus ſum Pall. tres & Wouv. duos; neque aliter editi a P. Victorio. nam vulgati; *Cocytus, Styx, Phlegeton.* mirum non item adjeciſſe *Lethen*, ut ne quis deeſſet.

12. *Amor, Dolus, Metus, &c.*] Non auſus ſum recedere à Victorii editione; ea priores, *Motus*, quod plerique typographorum retinuerunt, reſtatque in Pall. tert. ſed duo priores, ut & P. habent, *Modus.* quod examinabunt otioſiores.

13. *Gratia.*] Vox hæc mihi ſuſpecta; ob ea quæ mox infert auctor; ubi *monſtra* vocat totam hanc progeniem.

14. *Qui eſt matre libera liber eſt: item jure naturæ qui dea matre eſt.*] Eſt rurſus à Victoriana: neque aliter Pall. noſtri. vulgata lectio, *de matre*, item *de dea*.

15. *Aſtypalenſes inſulani ſanctiſſimum colunt.*] Eſt à Pal. ſecundo, quod & fuiſſe in membranis Victorii, fidem facit editio ejus. erat in Pal. pr. *aſtypaliſne inſula.* in tert. & P. *aſtiphaliſſe inſula.* Wouv. *Aſtiphali in inſula.* in omnibus *colunt*, non *colit.* vulgo enim *Aſtipalea inſula ſanct. colit.*

1. *Quæ*

beantur, non immortalitatibus. quod tu quoque, Balbe, viſus es dicere. Quo modo autem potes, ſi Latonam deam putas, Hecaten non putare, [1] quæ matre Aſteria eſt, ſorore Latonæ? an hæc quoque dea eſt? vidimus enim ejus aras, delubraque in Græcia. ſin hæc dea eſt, cur non Eumenides? quæ ſi deæ ſunt, quarum & Athenis fanum eſt, & apud nos, ut ego interpretor, *lucus Furinæ:* Furiæ deæ ſunt, ſpeculatrices, credo, & vindices facinorum, [2] & ſceleris. Quòd ſi tales dii ſunt, ut rebus humanis interſint: Natio quoque, dea putanda eſt: cui, cùm fana circuimus in agro Ardeati, rem divinam facere ſolemus. quæ quia partus matronarum tueatur, à naſcentibus, *Natio* nominata eſt. Ea ſi dea eſt; dii omnes illi qui commemorabantur à te, Honos, Fides, Mens, Concordia. ergo etiam Spes, Moneta, omniaque quæ cogitatione nobiſmet [3] ipſis poſſumus fingere. quod ſi veriſimile non eſt: ne illud quidem
19 dem eſt, hæc unde fluxerunt. Quid autem dicis? ſi dii ſunt illi, quos colimus, & accepimus: cur non eodem in genere Serapim, Iſimque numeremus? quod ſi facimus, cur barbarorum deos repudiemus? boves igitur, & equos, ibes, accipitres, aſpidas, crocodilos, piſceis, canes, lupos, feleis, multas præterea beluas, in deorum numero reponemus. quæ ſi rejiciamus, illa quoque unde hæc nata ſunt, rejiciemus. Quid deinde? Ino, dea dicetur, [4] quæ Leucothea à Græcis, à nobis Matuta dicitur, cùm ſit Cadmi filia? Circe autem, [5] & Paſiphaë, & Aëe, è Perſeide, Oceani filia, natæ, patre Sole, in deorum numero non habebuntur? quamquam Circen quoque coloni noſtri Circeienſes religioſe colunt. Ergo hanc deam dicis. Quid Medeæ reſpondebis? quæ duobus avis, Sole, & Oceano, Æeta patre, matre Idyia procreata eſt. Quid hujus Abſyrto fratri, qui eſt apud Pacuvium Ægialeus? ſed illud nomen veterum litteris uſitatius. Qui ſi dii non ſunt, vereor quid agat Ino. hæc enim omnia ex eodem fonte fluxerunt. An Amphiaraus, deus erit, & Trophonius? noſtri quidem publicani, cùm eſſent agri in Bœotia deorum immortalium excepti lege cenſoria, negabant *immortaleis eſſe ullos, qui aliquando homines fuiſſent.* Sed ſi ſunt hi dii, eſt certè Erechtheus, cujus Athenis & delubrum vidimus, & ſacerdotem. Quem ſi deum facimus, quid aut de Codro dubitare poſſumus, aut de ceteris, qui pugnantes *pro patriæ libertate ceciderunt?* quod ſi probabile non eſt: ne illa quidem ſuperiora, unde hæc manant, probanda ſunt. Atque in pleriſque civitatibus intelligi poteſt, AUGENDÆ VIRTUTIS GRATIA, quo libentiùs reip. cauſa periculum adiret optimus quiſque virorum fortium memoriam honore deorum immortalium conſecratam: ob eam enim ipſam cauſam Erechtheus Athenis, filiæque ejus in numero deorum ſunt. Itemque [6] Leonaticum eſt delubrum Athenis, quod *Leocorion* nominatur. Alabandenſes quidem ſanctiùs Alabandum colunt, à quo eſt urbs illa condita, quàm quemquam nobilium deorum: apud quos non inurbanè Stratonicus, ut multa, cùm quidam ei moleſtus Alabandum, deum eſſe confirmaret, Herculem negaret: *Ergo*, inquit, *mihi Alabandus, tibi Hercules ſit iratus.* Illa autem, Balbe, quæ 20
tu à cælo, aſtriſque ducebas, quàm longè ſerpant, non vides. Solem, deum eſſe, Lunamque, quorum alterum Apollinem Græci, alteram Dianam putant. Quòd ſi Luna, dea eſt: ergo etiam Lucifer: ceteræque errantes, numerum deorum obtinebunt. igitur etiam inerrantes. Cur autem [7] Atqui ſpecies non in deorum numero reponatur? eſt enim pulcher, & ob eam cauſam, quia ſpeciem habet admirabilem, *Thaumante* dicitur eſſe nata. cujus ſi divina natura eſt, quid facies nubibus? arcus enim ipſe ex nubibus efficitur quodam modo coloratus. Quarum una etiam Centauros peperiſſe dicitur. Quòd ſi nubes retuleris in deos, referendæ certè erunt tempeſtates, quæ populi Rom. ritibus conſecratæ ſunt. Ergo imbres, nimbi, procellæ, turbines, dii putandi. noſtri quidem duces, *mare ingredientes*, immolare hoſtiam fluctibus conſueverunt. Tum ſi eſt Ceres à gerendo (ita enim dicebas) terra ipſa dea eſt, & ita habetur: quæ eſt enim alia Tellus? ſin terra: mare etiam: quem Neptunum eſſe dicebas: ergo & flumina, & fontes. Itaque & Fontis delubrum Maſo ex Corſica dedicavit: & in augurum precatione Tiberinum, Spinonem, [8] Anemonem, Nodinum, alia propinquorum fluminum nomina videmus. Ergo hoc aut in immenſum ſerpet, aut nihil horum recipiemus, nec illa *infinita ratio ſuperſtitionis* probabitur.
Nihil ergo horum probandum eſt. Dicamus igitur, Bal- 21
be, oportet contra illos etiam, qui hos deos ex hominum genere in cælum tranſlatos, *non re, ſed opinione* eſſe dicunt, quos auguſtè omnes, ſanctèque veneramur. Principiò *Joves tres* numerant ii, qui theologi nominantur: ex quibus primum, & ſecundum natos in Arcadia: alterum patre Æthere, ex quo etiam Proſerpinam natam ferunt, & Liberum: alterum patre Cælo, qui genuiſſe Minervam dicitur, quam principem & *inventricem belli* ferunt: tertium Cretenſem, Saturni filium: cujus in illa inſula ſepulcrum oſtenditur. Διόσκουροι etiam apud Graios multis modis nominantur. Primi tres, [9] qui appellantur Anaces, Athenis ex Jove, rege antiquiſſimo, & Proſerpina nati, [10] Tritopatreus, Eubuleus, Dionyſius. Secundi, Jove tertio nati ex Leda, Caſtor & Pollux. Tertii dicuntur à nonnullis Aleo, & Melampus, Emolus, Atrei filii, qui Pelope natus fuit. [11] Jam muſæ primæ quattuor, natæ Jove altero, Thelxiope, Mneme, Aœde, Melete: ſecundæ, Jove tertio & Mnemoſyne, procreatæ novem: tertiæ, [12] Jove tertio Pierio natæ, & Antiopa, quas *Pieridas*, & *Pierias* ſolent poëtæ appellare, iiſdem nominibus, eodem numero, quo proximæ ſuperiores. Cùmque tu Solem, quia *ſolus* eſſet, appellatum eſſe dicas: Soles ipſi quàm multi à theologis proferuntur? unus eorum Jove natus, nepos Ætheris: alter, Hiperione: tertiùs, Vulcano, Nili filio: cujus urbem Ægyptii volunt eſſe eam, quæ Heliopolis appellatur: quartus

1. *Quæ matre Aſteria eſt, ſorore Latonæ?*] Noſtri libri nihil diſcrepant, niſi quod in Pal. pr. eſt, *Aſteria, ſoror Latonæ.* Lambinus impudenti arrogantia finxit nobis, *cujus matertera Aſteria eſt; mater Latonæ?*

2. *Et ſceleris.*] Vulgati *ſcelerum*, ſed præter Pall. tres, & P. & editionem Victorii.

3. *Ipſis poſſumus fingere.*] Gulielmii P. amplius, *ipſius volumus fingere, aut poſſumus.* Sed ita nullus Palatinorum.

4. *Quæ Leucothea à Græcis, à nobis Matuta dicitur.*] Aliter noſtra ſigla & ed. Victorii, nempe. *Ino Dea dicetur, & Leuc. à Græcis, à nob. Mat. dicetur.* quam ſcripturam ſi admittimus, ejiciemus primum dicitur.

5. *Et Paſiphaë & Aëe, è Perſeide.*] Hunc tendunt omnes libri noſtri ſcripti, expreſſeruntque aperte Pall. tres; neque aliter edidit Victorius. priores editi, *& Paſiphae è Perſeide.* vel *& Paſiphae & Heſperiam, è Perſeide.*

6. *Leonaticum eſt delubrum.*] Ita etiam Pall. & P. non, *Leonatarium*, uti publicavit Lambinus. videatur Gul. Canterus lib. v. Novar. Lect. cap. 1.

7. *Atqui ſpecies.*] Eſt a Pal. pr. & editione Victorii, neque recedit Pal. ſec. quam quod is. *Arci.* vulgati, *Arcus ſpecies.*

8. *Ænemonem.*] Sic Pall. noſtri. Turnebus ad Varronem tentabat *Anienonem.*

9. *Qui appellantur Anaces.*] Vetus editio Aldi, *Anactes*, neque ſecus Pall. tres & P. Gulielmii adeo ut videatur revocandum.

10. *Tritopatreus.*] Sic iidem mſſ. quibus accedit editio Victorii. vulgati, *Tricopatreus.*

11. *Jam Muſæ primæ quatuor, natæ Jove altero, Thelxiope, Aœde, Arche, Melete.*] Ita editio Victorii; alluduntque Pall. noſtri atque P. niſi quod omnes, *natæ Jove altero, nata Thelxinone*, aut ſimile quid. Aldus avus vulgarat, *altero, Thelxiope, Mneme, Aæde, Melete.* præter membranas ſanè noſtras, in quibus clarè *Arche.* & niſi me fallit, Camerarii conjectura proximè accedit ad ſcripturam noſtrorum; *Jam Muſæ primæ III. Jove altero natæ è Thelxinoë; Aœde, Melete.* nam Pal. tert. expreſſit per notam, IIII.

12. *Jove tertio Pierio natæ & Antiopa.*] Sic Victoriani, ſic noſtri duo. nam tert. *Piero.* editi alii *Pieriæ natæ*; quod & in Pal. quarto ac quinto.

tus is, quem heroicis temporibus Achanto Rhodi peperiſſe dicitur, [1] avum Jalyſi, Camiri, & Lindi: quintus, qui
22 Colchis fertur Æetam, [2] & Circen procreaviſſe. Vulcani item complures, primus Cælo natus, ex quo & Minerva Apollinem eum, cujus in tutela Athenas antiqui hiſtorici eſſe voluerunt: ſecundus [3] in Nilo natus, Opas, ut Ægyptii appellant, quem cuſtodem eſſe Ægypti volunt: tertius ex tertio Jove, & Junone, qui Lemni fabricæ traditur præfuiſſe: [4] quartus Menalio natus, qui tenuit inſulas propter Siciliam, quæ Vulcaniæ nominabantur. Mercurius unus Cælo patre, [5] Die matre natus: cujus *obſcænius excitata natura* traditur, quòd adſpectu Proſerpinæ commotus ſit: alter Valentis, & Phoronidis filius, is, [6] qui ſub terris habetur, idem Throphonius: tertius Jove tertio natus, & Maja, ex quo, & Penelopa Pana natum ferunt: quartus Nilo patre, quem Ægyptii *nefas habent nominare*: quintus, quem colunt Pheneatæ, qui & Argum dicitur interemiſſe, ob eamque cauſam [7] in Ægyptum profugiſſe, atque Ægyptiis *leges*, *& litteras* tradidiſſe. Hunc Ægyptii [8] *Thoth* appellant: eodemque nomine anni primus menſis apud eos vocatur. Æſculapiorum primus, Apollinis, quem Arcades colunt: qui *ſpecillum inveniſſe*, primuſque vulnus dicitur obligaviſſe: ſecundus, ſecundi Mercurii frater. is fulmine percuſſus, dicitur humatus eſſe Cynoſuris: tertius, Arſippi, & Arſinoæ: qui primus *purgationem alvi*, dentiſque evulſionem, ut ferunt, invênit: cujus in Arcadia non longè
23 à Luſio flumine ſepulcrum, & lucus oſtenditur. Apollinum antiquiſſimus is, quem paullo antè ex Vulcano natum eſſe dixi, cuſtodem Athenarum: alter Corybantis filius, natus in Creta: cujus de illa inſula [9] cum Jove ipſo certamen fuiſſe traditur: tertius Jove tertio natus, & Latona: quem ex Hyperboreis Delphos ferunt adveniſſe: quartus in Arcadia, quem Arcades *Nomionem*, appellant, quòd ab eo ſe legeis ferunt accepiſſe. Dianæ item plures: prima Jovis, & Proſerpinæ, quæ pinnatum Cupidinem genuiſſe dicitur: ſecunda notior, quam Jove tertio, & Latona natam accepimus: [10] tertiæ pater, Upis traditur, Glauce mater. eam Græci ſæpe *Upim* paterno nomine appellant. Dionyſos multos habemus: primum è Jove, & Proſerpina natum: ſecundum Nilo, [11] qui Nyſam dicitur interemiſſe: tertium, Caprio patre, eumque regem Aſiæ præfuiſſe dicunt: [12] cui Sabazia ſunt inſtituta: quartum Jove & Luna, cui ſacra Orphica putantur confici: quintum Niſo natum, & Thione, à quo Trieterides conſtitutæ putantur. Venus prima Cælo, & Die nata: [13] cujus Elide [14] delubrum videmus: altera, ſpuma procreata: ex qua, & Mercurio Cupidinem ſecundum natum accepimus: tertia, Jove nata, & Diona: quæ nupſit Vulcano. Sed ex ea, & Marte natus Anteros dicitur: quarta, Syria, Tyroque concepta: quæ *Aſtarte* vocatur: quam Adonidi nupſiſſe proditum eſt. Minerva prima, quam Apollinis matrem ſuprà diximus: ſecunda orta Nilo, quam Ægyptii Saitæ colunt: tertia illa, quam Jove generatam ſuprà diximus: quarta Jove nata, & Coryphe, Oceani filia: quam [15] Arcades Coriam nominant, & *quadrigarum inventricem* ferunt: quinta Pallantis: quæ patrem dicitur interemiſſe, virginitatem ſuam violare conantem: cui [16] pinnarum talaria affigunt. Cupido primus, Mercurio, & Diana prima natus dicitur: ſecundus, Mercurio, & Venere ſecunda: [17] tertius quidem eſt Anteros, Marte, & Venere tertia. [18] Atque hæc quidem ejuſmodi, ex vetere Græciæ fama collecta ſunt. Quibus intelligis reſiſtendum eſſe, *ne perturbentur religiones*. Veſtri autem non modò hæc non refellunt, verùm etiam confirmant, interpretando, quorſum quidque pertineat. Sed eò jam, unde huc digreſſi ſumus, revertamur. Num cenſes igitur ſubti- 24
liore ratione opus eſſe ad hæc refellenda? nam mentem, fidem, ſpem, virtutem, honorem, victoriam, ſalutem, concordiam, ceteraque ejuſmodi, *rerum vim* habere videmus, non *deorum*. Aut enim in nobiſmet inſunt ipſis, ut mens, ut fides, ut ſpes, ut virtus, ut concordia: aut optandæ nobis ſunt, ut, honos, ut ſalus, ut victoria. [19] quarum rerum utilitate, video etiam conſecrata ſimulacra. Quare autem in his vis deorum inſit, tum intelligam, cùm cognovero. Quo in genere vel maximè eſt *Fortuna* numeranda: quam nemo *ab inconſtantia*, *& temeritate ſejunget*: quæ digna certè non ſunt deo. Jam verò quid vos illa delectat explicatio fabularum, & enodatio nominum? exſectum à filio Cælum, vinctum itidem à filio Saturnum. Hæc, & alia generis ejuſdem ita defenditis, ut ii qui iſta finxerunt, non modò non inſani, ſed etiam fuiſſe ſapientes videantur. In enodandis autem nominibus, [20] quod miſerandum ſit, laboratis. Saturnus, quia *ſe ſaturat annis*; Ma-

---

1. *Avum Jalyſi, Camiri, & Lindi.*] Vox *avum* non eſt in ullo Pal. aut P. qui licet mendoſiſſimi omnes, annectunt *Lindo* neſcio quem nomine *Rhodi*, aut *Thodi*. Victorius edidit *dicitur Jalyſium, Camirum, Lindum.* ſed caſum illum quartum noſtri non agnoſcunt.

2. *Et Circen.*] Pal. pr. tert. quart. & P. *Circam*, quæ terminatio viſitur quoque in Plauto.

3. *In Nilo natus Opas.*] Præpoſitionem *in* addidit primum Victorius; & reperi in Pall. atque P.

4. *Quartus Menalio natus.*] Pall. *in Menolio, Memalio, in Emalio, Inemalio.* nihil tamen differunt à ſe invicem editi.

5. *Die matre.*] Sic Pal. ſecund. tert. quart. verum pr. quintus & P. *Dia.*

6. *Qui ſub terris habetur.*] Lambinus, *habet.* ex mſſ. inquit, ſed noſtri Pall. quinque non adſtipulantur. propugnat tamen *habet* illud pro *habitat*, poſitum, Giſanius, obſervationibus ſuis in linguam Latinam.

7. *In Ægyptum profugiſſe.*] Eſt à Lactantio, ita locum laudante libro 1. Divin. Inſt. cap. 6. ut prodidit primum Xyſtus Betulejus: acceduntque omnino Pall. nam tert. *Ægyptum præfuiſſe*, pr. *Ægypto profuiſſe.* ſec. *Ægyptum profugiſſe.* quart. quint. *Ægypto præfuiſſe*, ut retrò vulgati.

8. *Thoth appellant.*] Sic idem Lactantius. at mſſ. noſtri & Victorii *Theyn* vel *Thein.* Aldus avus *Thoyth.* Camerarius *Theutatem.* Aldus nepos *Thoith.* Pal. quart. exhibet *Thear.* quint. *Theni.*

9. *Cum Jove ipſo.*] Haud aliter Palatini priores ſed enim quart. quint. P. & Wouverii codex unus, *cum Jove tertio.*

10. *Tertiæ pater Upis traditur.*] Victorii ed. *Tertia patre Upi traditur, Glauca matre.* ſed ſic nullus noſtrorum, niſi quod ſec. *Tertia epatre Upis traditur.* quint. *Tertia pater Upis trad.*

11. *Qui Niſan dicitur interemiſſe.*] Ita etiam fere omnes noſtri, quod indico, ut ſciant eruditi, nihil eis inde auxilii ad conjecturas ſuas.

12. *Cui Sabazia ſunt inſtituta.*] Eſt à Sigonii libro vetere, ut indicat P. Manutius, quemadmodum & docti antea conjecerant; ut liquet ex ſcholiis Betuleii. noſtri non recedunt à vulgatis; *cujus Abazea ſunt inſt.* niſi quod quart. ac quint. *cuſus ab area.*

13. *Cujus Elide delubrum.*] Pall. duo *Eli*, quod & expreſſit Victorius. ſec. *Helis.* quart. *Ely.* ſolum reſtat *Elide* in quinto, codice non nimium bono.

14. *Delubrum videmus.*] Pall. duo priores & quint. *vidimus*, quod & in Gulielmiano P.

15. *Arcades Coriam nominant.*] Pall. pr. ſec. tert. quint. *Corian.* quart. *Corion.* Lambinus repoſuit *Coryphaſiam*, nimium ſecutus conjecturam P. Victorii, quam prodidit libro XI. Variar. lect. cap. 15. quippe licet Arnobius ac Clemens Alexand. meminerint *Coryphaſiæ*, adſcribunt iidem, ſic dictam Meſſeniis, cujus & meminit Pauſanias in Meſſeniacis. Cicero heic de Arcadibus loquitur; apud quos *Coriam* cultam, teſtatur idem in Arcadia Pauſanias. quæ monuit me patris ſui notis, P. Puteanus, patre Claudio digniſſimus filius.

16. *Pinnarum talaria affigunt.*] Editi à Victorio *affingunt.* ſed alterum remanet in noſtris ſcriptis & cuſis antiquioribus.

17. *Tertius quidem eſt Anteros, &c.*] Lambinus delevit *quidem*, tanquam ſupervacuum. & verò annotavit Gulielmius abeſſe, una cum *eſt*, ſuo P. ſed enim cùm extet in Pall. quatuor & Victorianis, reformarim potius in, *tertiuſque idem eſt Anteros, &c.* ut reſpiciat ad ea quæ paulò antea dixerat. nam quint. ſolum habet, *Tertius Antheneros.*

18. *Atque hæc quidem ejuſmodi.*] Elegantius iſtud multo, quàm hactenus vulgatum, *Atque hæc quidem atque ejuſmodi.* certè ſecundum illud *atque*, non eſt in Pal. prim. ſecund. quart. quinto, ut nec in P.

19. *Quarum rerum utilitate, video etiam, &c.*] Sic Pal. tert. & quart. ſed ceteri, *utilitatem video, video etiam, &c.* quod Ciceroni ſuo invexit Victorius; non neceſſariò.

20. *Quod miſerandum ſit laboratis.*] Mallem ablegatis binis voculis, *miſerandum laboratis.*

Mavors, quia *magna vertit:* Minerva, quia *minuit*, aut *quia minatur*: Venus, *quia venit ad omnia:* Ceres, *à gerendo.* Quàm periculoſa conſuetudo? in multis enim nominibus hærebitis. Quid Vejovi facies? quid Vulcano? quamquam, quoniam Neptunum à *nando* appellatum putas, nullum erit nomen, quod non poſſis una littera explicare, unde ductum ſit. In quo quidem magis tu mihi natare viſus es, quàm ipſe Neptunus. Magnam moleſtiam ſuſcepit, & minimè neceſſariam primus Zeno, pòſt Cleanthes, deinde Chryſippus, commentitiarum fabularum reddere rationem: vocabulorum, cur quique ita appellati ſint, cauſas explicare. Quod cùm facitis, illud profectò confitemini, longè aliter rem ſe habere, atque hominum opinio ſit: eos enim, *qui dii appellantur, rerum naturas eſſe*, non figuras deorum.

25 Qui tantus error fuit, ut pernicioſis etiam rebus [1] non modò nomen deorum tribueretur, ſed etiam ſacra conſtituerentur. Febris enim fanum in Palatio, [2] & Orbonæ ad ædem Larum, & aram malæ Fortunæ Eſquiliis conſecratam videmus. Omnis igitur talis à philoſophia pellatur error, ut, cùm de diis immortalibus diſputemus, *dicamus digna diis immortalibus:* de quibus habeo ipſe, quid ſentiam: non habeo autem, quid tibi aſſentiar. Neptunum eſſe dicis, animum cum intelligentia [3] per mare pertinentem. idem de Cerere. Iſtam autem intelligentiam aut maris, aut terræ non modò comprehendere animo, ſed ne ſuſpicione quidem poſſum attingere. Itaque aliunde mihi quærendum eſt, ut & eſſe deos, & quales ſint dii, diſcere poſſim; [4] quàm qualeis tu eos eſſe vis. Videamus ea, quæ ſequuntur: primùm *deorumne providentia mundus regatur:* deinde *conſulantne rebus humanis.* hæc enim mihi ex tua partitione reſtant duo. de quibus ſi vobis videtur, accuratiùs diſſerendum puto. Mihi verò, inquit Velleius, valde videtur: nam & majora exſpecto: & his, quæ dicta ſunt, vehementer aſſentior. Tum Balbus, Interpellare te, inquit, Cotta, nolo. ſed ſumemus tempus aliud. efficiam profectò ut fateare. Sed

Multa deſunt.

Nequaquam iſtuc iſtac ibit: magna ineſt certatio
Nam ut ego illis ſupplicarem tanta blandiloquentia?

26 Niobe parumne ratiocinari videtur, & ſibi ipſa nefariam peſtem machinari? Illud verò quàm callida ratione?

Qui volt, quod volt; ita dat ſe res, ut operam dabit.

Qui eſt verſus omnium ſeminator malorum:

Ille tranſverſa mente mihi hodie tradidit repagula:
Quibus ego iram omnem recludam, atque illi perniciem dabo:
Mihi mœrores, illi luctum: exitium illi, exſilium mihi.

Hanc videlicet rationem, quam vos divino beneficio homini ſolùm tributam dicitis, beſtiæ non habent. Videſne igitur, quanto munere deorum ſimus affecti? atque eadem Medea patrem, patriamque fugiens:

--- poſtquam pater
Appropinquat, jamque, penè ut comprehendatur, parat,
Puerum interea obtruncat, membraque articulatim dividit,
Perque agros paſſim diſpergit corpus: id ea gratia,
Ut, dum nati diſſipatos artus captaret parens,
Ipſa interea effugeret: illum ut mœror tardaret ſequi;
Sibi ſalutem ut familiari pareret parricidio.

Huic ut ſcelus, ſic nec ratio quidem defuit. Quid? ille funeſtas epulas fratri comparans, nonne verſat huc & illuc cogitatione rationem?

Major mihi moles, majus miſcendum eſt malum,
Qui illius acerbum cor contundam, & comprimam.

Nec tamen ille ipſe eſt prætereundus, qui non ſat habuit 27
conjugem illexe in ſtuprum: de quo rectè, & veriſſimè loquitur Atreus:

Quod re in ſumma ſummum eſſe arbitror
Periculum, [5] matres coinquinari, regias;
Contaminari ſtirpem; admiſceri genus.

At id ipſum quàm callidè, qui regnum adulterio quæreret;

Addo (inquit) *huc, quod mihi portento cæleſtum pater*
Prodigium miſit regni ſtabilimen mei,
Agnum inter pecudes aurea clarum coma
Quondam Thyeſtem clepere auſum eſſe, è regia:
Qua in re adjutricem conjugem cepit ſibi.

Videturne ſumma improbitate uſus non ſine ſumma eſſe ratione? nec verò ſcena ſolùm referta eſt his ſceleribus, ſed multo vita communis pænè majoribus. SENTIT DOMUS UNIUSCUJUSQUE, SENTIT FORUM SENTIT CURIA, CAMPUS, SOCII, PROVINCIÆ, UT, QUEMADMODUM RATIONE RECTE FIAT, SIC RATIONE PECCETUR. alterumque & à paucis, & raró: [6] alterum & ſemper, & à plurimis: ut ſatius fuerit nullam omnino nobis à diis immortalibus datam eſſe rationem, quàm tanta cum pernicie datam. Ut *vinum ægrotis*, quia prodeſt raró, nocet ſæpiſſimè, melius eſt non adhibere omnino, quàm ſpe dubiæ ſalutis in apertam perniciem incurrere: ſic haud ſcio, an melius fuerit, humano generi motum iſtum celerem cogitationis, acumen, ſollertiam, quam rationem vocamus, quoniam *peſtifera* ſit multis, admodum paucis *ſalutaris*, non dari omnino, quàm tam munificè, & tam largè dari. Quamobrem ſi mens, voluntaſque divina idcirco conſuluit hominibus, quòd iis largita eſt rationem: iis ſolis conſuluit, quos bona ratione donavit: quos videmus, ſi modò ulli ſunt, eſſe perpaucos. Non placet autem paucis à diis immortalibus eſſe conſul-
tum & ſequitur ergo: ut nemini conſultum ſit. Huic loco 28
ſic ſoletis occurrere: non idcirco non optimè nobis à diis eſſe proviſum, quòd multi eorum beneficio perverſè uterentur. etiam *patrimoniis multos malè uti:* nec ob eam cauſam eos beneficium à patribus nullum habere. [7] Quiſquam iſtuc negat? aut quæ eſt [8] in collatione iſta ſimilitudo? nec enim Herculi Dejanira nocere voluit, cùm ei tunicam, ſanguine Centauri tinctam, dedit: nec prodeſſe Phæreo Iaſoni is, qui gladio vomicam ejus aperuit, quam ſanare medici non potuerant. MULTI ENIM, ETIAM CUM OBESSE VELLENT, PROFUERUNT, ET CUM PRODESSE, OBFUERUNT. Ita non fit, ex eo, quod datur, ut voluntas ejus, qui dederit, appareat: nec, ſi is, qui accepit, bene utitur, idcirco is, qui dedit, amicè dedit. Quæ enim libido, quæ avaritia, quod facinus aut ſuſcipitur niſi conſilio capto, aut ſine animi motu, & cogitatione, id eſt, ratione, perficitur? nam *omnis opinio, ratio eſt, & quidem bona ratio, ſi vera: mala autem, ſi falſa eſt opinio.* Sed à deo tantùm rationem habemus, ſi modò habemus: bonam autem rationem, aut non bonam, à nobis. non enim, ut patrimonium relinquitur, ſic ratio homini eſt beneficio deorum data. Quid enim potiùs hominibus dediſſent, ſi iis nocere voluiſſent? injuſtitiæ autem, intemperantiæ, timiditatis quæ *ſemina* eſſent, ſi his vitiis ratio non ſubeſſet? Medea modò, & 29
Atreus

1. *Non modò nomen Deorum tribueretur.*] Pal. pr. & ſec. non admiſerunt illud *modo:* & eleganter profectò ſubaudiatur.

2. *Et Orbonæ ad ædem Larum.*] Paullus Manutius ſic primum reformavit ex mſſ. Maffæi ac Sigonii. prius impreſſi deſtituebantur illo, *Orbonæ ad*, neque eſt in ullo Palatinorum: quod ſatis mirari nequeo, cum primus ſingularis ſit & vetuſtate & bonitate.

3. *Per mare pertinentem.*] Sic Victorius & Pal. ſec. ac tert. nam ceteri *pergentem*, ut fere vulgati.

4. *Quam qualeis tu eos eſſe vis.*] Sic quatuor mſſ. noſtri vulgati antea, *vis.* nam quartus non agnoſcit *quam.*

5. *Matres contaminari regias.*] Eſt a duobus Pall. pr. & ſec. à P. & Victoriana. prius erat, *contaminari, regiam contaminari ſtirpem.* quomodo nullus Palatinorum.

6. *Alterum & ſemper & à plurimis.*] Vulgata, *alterum & ſæpe & à pluribus.* Sed prius illud, revocatum voluit editione ſua Victorius, reſtatque in Pall. & Wouw.

7. *Quiſquam iſtuc negat?*] Noſtri duo adhuc amplius, *Quiſquamne iſtuc negat?* Vulgati: *Quis iſtuc negat?* ſed alterum ſubnititur etiam fide codicum Victorii: utique ſi a recepta lectione numquam recedit, ſine auctoritate membranarum; quod certò mihi perſuaſi.

8. *In collatione.*] Delevit has duas voces Lambinus tanquam aliunde invectas. contra edd. omnes, item Pall. noſtros. modeſtius cancellaſſet uncis.

1. *Quanto*

Atreus commemorabantur à nobis, heroicæ perſonæ inita, ſubductaque ratione, nefaria ſcelera meditantes. Quid? levitates comicæ, parumne ſemper in ratione verſantur? parumne ſubtiliter diſputat ille in Eunucho?

--- quid igitur faciam? ---
Excluſit, revocat: redeam? non, ſi me obſecret.

Ille verò in Synephebis Academicorum more contra communem opinionem non dubitat pugnare ratione, qui in amore ſummo, ſummaque inopia ſuave eſſe dicit,

Parentem habere avarum, illepidum, in liberos
Difficilem, qui te nec amet, nec ſtudeat tui.

Atque huic incredibili ſententiæ ratiunculas ſuggerit:

Aut tu illum fructu fallas: aut per litteras
Avertas aliquod nomen: aut per ſervolum
Percutias pavidum. poſtremò, a parco patre
Quod ſumas [1] *quanto diſſipas libentius?*

Idemque facilem & liberalem patrem, incommodum eſſe amanti filio diſputat: quem

Neque quo pacto fallam, [2] *neque quid inde auferam,*
Nec quem dolum ad eum, aut machinam commoliar,
Scio quidquam. ita omneis meos dolos, fallacias,
Præſtigias præſtrinxit commoditas patris.

Quid ergo iſti doli? quid machinæ? quid fallaciæ præſtigiæque? num ſine ratione eſſe potuerunt? O præclarum munus deorum! ut Phormio poſſit dicere,

Cedo ſenem. jam inſtructa mihi ſunt in corde conſilia omnia.

30 Sed exeamus è theatro: veniamus in forum, [3] ſeſſum ite precor. quid? ut judicetur, *qui tabularium incenderit.* Quod facinus occultius? At ſe Qu. Soſius, ſplendidus eques Rom. ex agro Piceno, feciſſe confeſſus eſt. Qui *tranſſcripſerit tabulas publicas.* Id quoque L. Alenus fecit, cum chirographum Sex primorum imitatus eſt. Quid hoc homine ſolertius? Cognoſce alias quæſtiones, *auri Toloſani, conjurationis Jugurthinæ.* Repete ſuperiora: *Tubuli de pecunia capta ob rem judicandam:* poſteriora, *de inceſtu rogatione Peducæa:* tum hæc quotidiana, ſicæ, venena, peculatus, teſtamentorum etiam lege nova quæſtiones. Inde illa actio, OPE CONSILIOQUE TUO FURTUM AJO FACTUM ESSE: inde tot judicia de fide mala, tutelæ, mandati, pro ſocio, fiduciæ; reliqua, quæ ex emto, aut vendito, conducto, aut locato contra fidem fiunt: inde judicium publicum rei privatæ lege Lætoria: inde *everriculum malitiarum omnium,* judicium de dolo malo: quod C. Aquillius, familiaris noſter protulit. Quem dolum idem Aquillius tum teneri putat, CÙM ALIUD SIT SIMULATUM, ALIUD ACTUM. Hanc igitur à diis immortalibus tantam arbitramur malorum ſementem eſſe factam? Si enim rationem hominibus dii dederunt? malitiam dederunt. eſt enim *malitia,* verſuta, & fallax nocendi ratio. Idem autem dii fraudem dederunt, facinus, ceteraque quorum nihil nec ſuſcipi ſine ratione, nec effici poteſt. Utinam igitur, ut illa anus optat,

--- ne in nemore Pelio ſecuribus
[4] *Cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes:*

ſic iſtam calliditatem hominibus dii ne dediſſent. qua perpauci benè utuntur: qui tamen ipſi ſæpe à malè utentibus opprimuntur: innumerabiles autem improbè utuntur: ut donum hoc divinum rationis, & conſilii, ad fraudem hominibus, non ad bonitatem impertitum eſſe videatur.

31 Sed urgetis identidem, *hominum eſſe iſtam culpam, non deorum.* Ut ſi medicus gravitatem morbi, gubernator vim tempeſtatis accuſet. etſi hi quidem homunculi, ſed tamen ridiculi. Quis enim te adhibuiſſet, dixerit quiſpiam, ſi iſta non eſſent? contra deum licet diſputare liberiùs. In hominum vitiis ais eſſe culpam. Eam dediſſes hominibus rationem, quæ vitia, culpamque excluderet. Ubi igitur locus fuit errori deorum? nam *patrimonia ſpe bene tradendi relinquimus:* qua poſſumus falli: deus falli qui potuit? an ut Sol, in currum cùm Phaethontem filium ſuſtulit: aut Neptunus, cùm Theſeus Hippolytum perdidit, cùm ter optandi à Neptuno patre habuiſſet poteſtatem? Poëtarum iſta ſunt: nos autem philoſophi eſſe volumus, rerum auctores, non fabularum. Atque ii tamen ipſi dii poëtici ſi ſciſſent, perniciosa fore illa filiis, peccaſſe in beneficio putarentur. Et, ſi verum eſt, quod Ariſto Chius dicere ſolebat, *nocere audientibus philoſophos iis, qui bene dicta malè interpretarentur:* poſſe enim *aſotos* ex Ariſtippi, *acerbos* è Zenonis ſchola exire: prorſus, ſi, qui audierunt, vitioſi eſſent diſceſſuri, quòd perversè philoſophorum diſputationem interpretarentur; tacere præſtaret philoſophis, quàm iis, qui ſe audiſſent, nocere. Sic, ſi homines rationem bono conſilio à diis immortalibus datam, in fraudem, malitiamque convertunt: non dari illam, quàm dari humano generi melius fuit. Ut SI MEDICUS SCIAT, eum ægrotum, qui juſſus ſit vinum ſumere, meracius ſumturum, ſtatimque periturum; magna ſit in culpa: ſic veſtra iſta providentia reprehendenda, quæ rationem dederit iis, quos ſcierit ea perversè, & improbè uſuros. Niſi fortè dicitis eam neſciſſe. Utinam quidem. Sed non audebitis. non enim ignoro, quanti ejus nomen putetis. Sed hic qui- 32
dem locus concludi jam poteſt. Nam ſi STULTITIA, conſenſu omnium philoſophorum, majus eſt malum, quàm ſi omnia mala & fortunæ, & corporis ex altera parte ponantur: ſapientiam autem nemo aſſequitur: in ſummis malis omnes ſumus. quibus vos optimè conſultum à diis immortalibus dicitis. nam ut nihil intereſt, utrùm nemo valeat, an nemo poſſit valere: ſic non intelligo, quid interſit, utrùm nemo ſit ſapiens, an nemo eſſe poſſit. Ac nos quidem nimis multa de re apertiſſima. Telamo autem uno verſu locum totum conficit, [5] cur dii homines negligant:

Nam ſi curent, bene bonis ſit, malè malis: quod nunc abeſt.

Debebant illi quidem omneis bonos efficere, ſi quidem hominum generi conſulebant. Sin id minùs: bonis quidem certè conſulere debebant. Cur igitur duos Scipiones, fortiſſimos, & optimos viros, in Hiſpania Pœnus oppreſſit? Cur Maximus extulit filium conſularem? cur Marcellum Annibal interemit? Cur Paullum Cannæ ſuſtulerunt? cur Pœnorum crudelitati Reguli corpus eſt præbitum? cur Africanum domeſtici parietes non texerunt? Sed hæc vetera, & alia permulta. propiora videamus. Cur avunculus meus, vir innocentiſſimus, idemque doctiſſimus, P. Rutilius in exſilio eſt? cur ſodalis meus interfectus domi ſuæ, Druſus? cur *temperantiæ, prudentiæque ſpecimen,* ante ſimulacrum Veſtæ, [6] pontifex maximus eſt Q. Scævola trucidatus? cur etiam antè tot civitatis principes à Cinna interemti? cur omnium perfidioſiſſimus, C. Marius, Q. Catulum, præſtantiſſima dignitate virum, mori potuit jubere? Dies deficiat, ſi velim numerare quibus bonis malè evenerit: nec minùs, ſi commemorem, quibus improbis optimè. Cur enim Marius tam feliciter, [7] ſeptimùm conſul, domi ſuæ ſenex eſt mortuus? cur omnium crudeliſſimus tam diu Cinna regnavit? *At dedit pœnas.* Pro-

1. *Quanto diſſipas libentius.*] Pal. pr. *diſſipis.* ſec. ac P. *diſſipes.* alterum præponi poterat vulgato. nam Lambini *difficis,* nimis ſanè longe petitum. habet Pal. quartus alias. *deſipis.*

2. *Neque quid inde auferam.*] Pal. pr. ac ſec. item P. *neque unde auferam.* nihilo pejus.

3. *Seſſum ite precor.*] Nihil heic mutant Palatini. at Lambinus repoſuit ex Memmiano: *ſeſſum it prætor.*

4. *Cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes?*] Pal. pr. *Cæſæ accidiſſent abiegnæ.* ceteri, *Cæſæ cecidiſſent abiegnæ.* ſed minus rectè, ſi credendum Prisciani libro VII. qui ſingulari numero poni meminit. *accidiſſet* tamen placet.

5. *Cur dii homines negligant.*] Optimi libri noſtram habent ſcripturam, deteriores vulgatam *utrum* dii, quam & reſpuit Victorius.

6. *Pontifex max. eſt Q. Scævola trucidatus.*] Videatur auribus jucundius, quod extat in Pal. tert. *pont. max. Q. Scævola trucidatur.* ſed cum reſtet alterum in pr. & ſec. non auſim ab eis recedere. tanquam qui multis millibus præſtent ubique tertio.

7. *Septimum Conſul.*] Pal. pr. duoque Wouv. *ſepties.*

33 Prohiberi melius fuit, impedirique ne tot ſummos viros interficeret, quàm ipſum aliquando pœnas dare. Summo cruciatu, ſuppliciòque Q. Varius, homo importuniſſimus, periit: [1] ſi, quia Druſum ferro, Metellum veneno ſuſtulerat; illos conſervari melius fuit, quàm pœnas ſceleris Varium pendere. Duodequadraginta Dionyſius tyrannus annos fuit opulentiſſimæ, & beatiſſimæ civitatis. [2] Quàm multos ante hunc in ipſo Græciæ flore Piſiſtratus? *At Phalaris, at Apollodorus pœnas ſuſtulit.* Multis quidem antè cruciatis, & necatis. Et prædones multi ſæpe pœnas dant: nec tamen poſſumus dicere, non plureis captivos acerbè, quàm prædones necatos. Anaxarchum Democriteum à Cyprio tyranno excarnificatum accepimus: [3] Zenonem Eleæ in tormentis necatum. Quid dicam de Socrate? cujus morti illacrymari ſoleo, Platonem legens. Videſne igitur, deorum judicio, ſi vident res humanas, diſ-
34 crimen eſſe ſublatum? Diogenes quidem Cynicus dicere ſolebat, Harpalum, qui temporibus illis [4] prædo felix habebatur, *contra deos teſtimonium dicere*, quòd in illa fortuna tam diu viveret. Dionyſius, de quo antè dixi, cùm fanum Proſerpinæ Locris expilaviſſet, navigabat Syracuſas: iſque [5] cùm ſecundiſſimo vento curſum teneret, ridens: *Videtiſne*, inquit, *amici, quàm bona à diis immortalibus navigatio ſacrilegis detur?* Atque homo acutus, cùm bene, planeque percepiſſet, in eadem ſententia perſeverabat: qui, cùm ad Peloponneſum claſſem appuliſſet, & in fanum veniſſet Jovis Olympii; aureum ei detraxit amiculum, grandi pondere, quo Jovem ornarat ex manubiis [6] Karthaginienſium tyrannus Gelo. atque in eo etiam cavillatus eſt, *æſtate grave eſſe aureum amiculum, hieme frigidum:* [7] eique laneum pallium injecit, [8] cùm id eſſe ad omne anni tempus diceret. idemque [9] Æſculapii Epidauri barbam auream demi juſſit. neque enim convenire, barbatum eſſe filium, cùm in omnibus fanis pater imberbis eſſet. [10] Jam menſas argenteas de omnibus delubris juſſit auferri: in quibus quòd more veteris Græciæ inſcriptum eſſet, BONORUM DEORUM, uti ſe eorum bonitate velle dicebat. Idem victoriolas aureas, & pateras, [11] coronaſque, quæ ſimulacrorum porrectis manibus ſuſtinebantur, ſine dubitatione tollebat: eaque *ſe accipere* non *auferre*, dicebat. eſſe enim ſtultitiam, à quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus, & dantibus nolle ſumere. Eundemque ferunt hæc, quæ dixi, ſublata de fanis in forum protuliſſe, & per præconem vendidiſſe: exactaque pecunia edixiſſe, ut, quod quiſque à ſacris haberet, id ante diem certam in ſuum quidque fanum referret. ita *ad impietatem in deos, in homines adjunxit injuriam.* Hunc igitur nec Olympius Ju- 35
piter fulmine percuſſit, nec Æſculapius miſero, diuturnoque morbo tabeſcentem interemit: [12] atque in ſuo lectulo mortuus, [13] in Tympanidis rogum illatus eſt: eamque poteſtatem, quam ipſe per ſcelus erat nactus, *quaſi juſtam, & legitimam*, hereditatis loco filio tradidit. Invita in hoc loco verſatur oratio: videtur enim auctoritatem afferre peccandi: [14] rectè videretur; niſi & virtutis, & vitiorum, ſine ulla divina ratione, grave ipſius *conſcientiæ pondus* eſſet. qua ſublata, jacent omnia. Ut enim NEC DOMUS, NEC RESP. ratione quadam, & diſciplina deſignata videatur, ſi in ea nec rectè factis præmia exſtent ulla, nec ſupplicia peccatis: ſic mundi divina in homines moderatio, profectò nulla eſt, ſi in ea diſcrimen nullum eſt bonorum & malorum. At enim *minora dii negligunt*, neque agellos ſingulorum, nec viticulas perſequuntur: nec, ſi uredo, aut grando quippiam nocuit, [15] id Jovi animadvertendum fuit. *Ne in regnis quidem reges omnia minima curant.* ſic enim dicitis, quaſi ego paullo antè de fundo Formiano P. Rutilii ſim queſtus, non de amiſſa ſalute. Atque hoc quidem omnes 36
mortales ſic habent, EXTERNAS COMMODITATES, vineta, ſegetes, oliveta, ubertatem frugum, & fructuum: omnem denique commoditatem, proſperitatemque vitæ, à diis ſe habere: virtutem autem nemo umquam acceptam deo retulit. Nimirum rectè. propter virtutem enim jure laudamur, & in virtute rectè gloriamur. Quod non contingeret, ſi id donum à deo, non à nobis haberemus. At verò aut honoribus aucti, aut re familiari, aut ſi aliud quippiam nacti ſumus fortuiti boni, aut depulimus mali, cùm diis gratias agimus, tum nihil noſtræ laudi aſſumptum arbitramur. Num quis, quòd bonus vir eſſet, gratias diis egit umquam? At quòd dives, quòd honoratus, quòd incolumis. Jovemque *optimum*, *maximum*, ob eas res appellant, non quòd nos juſtos, temperatos, ſapienteis efficiat, ſed quòd ſalvos, incolumeis, opulentos, copioſos. Neque Herculi quiſquam decumam vovit umquam, ſi ſapiens factus eſſet. Quamquam Pythagoras, cùm in geometria quiddam novi inveniſſet, muſis bovem immolaſſe dicitur. ſed id quidem non credo, quoniam ille ne Apollini quidem Delio hoſtiam immolare voluit, ne aram ſanguine adſpergeret. Ad rem autem ut redeam, judicium hoc omnium mortalium eſt, FORTUNAM A DEO PETENDAM, A SE IPSO SUMENDAM ESSE SAPIENTIAM. [16] Quamvis Menti delubra, & Virtuti, & Fidei conſecremus; tamen hæc in nobis ipſis ſita videmus: Spei, Salutis, Opis, Victoriæ facultas à diis expetenda eſt. Improborum igitur proſperitates,

1. *Si quia Druſum ferro, &c.*] Aureola emendatio, quam hauſi è Pal. prim. ac quinto alludebantque ſecund. ac tert. in quibus, *ſic quia.* invenuſtè hactenus impreſſi: *ſed quia Druſ.* ipſumque illud non eſſe è mſſ. arguit editus ab Aldo avo, qui diſertè etiam *ſic quia.*

2. *Quam multos ante hunc, &c.*] Sic Pal. tert. item pr. & ſec. præter quam quod ii *multas*, quod & in editione Victorii. vulgata: *Quam multas ante hunc, in ipſo Græciæ flore Piſiſtratus, ac Phalaris, ac Apollodorus pœnas ſuſtulit, multis, &c.*

3. *Zenonem Eleæ, &c.*] *Eleaten* vulgati, ſed præter quatuor Pall. & productam lectionem a Victorio.

4. *Prædo felix habebatur.*] Sic Pal. quint. at pr. & ſec. *prædo filia hab.* tert. *prædo ſulia.* quartus ac Wouv. *prædo in Pamphylia habebatur.* aliquid latet monſtri in illo *filia*; quod excutiet aliquis attentior. ſatis mihi eſt detexiſſe falſitatem vulgatæ.

5. *Cum ſecundiſſimo vento curſum teneret, ridens: Videtiſne.*] Admiſi Palatinorum noſtrorum quinque & Wouw. codicum ſcripturam, ſtante etiam pro eis Victorio. nam publicati, *cum ſecundiſſimè curſum teneret: Videtiſne, &c.*

6. *Eique laneum pallium injecit.*] Pal. quinto ac P. non adeſt *pallium.* forſan e Valerio huic loco additum fuit.

7. *Karthaginienſium tyrannus Gelo.*] Videtur Camerarius pugnaturus pro *Hiero*, quod erat in retrò vulgatis. ſed deſtituebatur is mſſ. libris, in quibus diſertim alterum: & verò Pal. pr. ac ſec. exhibent, *Gelo.*

8. *Cum id eſſe ad omne anni tempus diceret.*] Ita egregiè Pal. pr. & quint. expreſſitque Victorius: ſed nemo ſequi auſus. non Camerarius, non Sturmius; ſublegere alias ſoliti ſelectiora Victorii. vulgata, voce auctior, *id eſſe aptum ad, &c.* à qua etiam divertit Pal. ſec. in quo, *apte.*

9. *Æſculapii Epidauri.*] Sic Pall. quatuor nec abit ulla editio præter Lambinianam in qua *Epidaurii.* quod in Pal. quinto, nec diſplicet. verum alterum e Valerii Maximi lib. I. c. I. de neglecta religione firmari annotaverat Gulielmius.

10. *Jam menſas argenteas.*] Non ineptè tentabat idem Gulielmius, *Etiam menſas:* aſt alter amicus noſter Pighius: *Idem menſas.* quod in quarto. quintus nec hoc nec illud habet. forſan rectè.

11. *Coronaſque, quæ ſimulacrorum porrectis manibus ſuſtinebantur.*] Cùm non habeat Pal. prim. *quæ*, expreſſeritque *ſuſtinebant*, vix dubitarim admittere ſcripturam P. & Pal. quint. *coronaſque ſimulacrorum, quas porrectis manibus ſuſtinebant.*

12. *Atque in ſuo lectulo mortuus.*] Jacobus Bongarſius noſter tentabat ad Juſtinum ſuum, *namque in ſuo.* ego potius *atque* habuerim pro additamento ſcribæ alicujus: quamvis major ſententiæ energia, ſi legeremus, *atqui.*

13. *In Tympanidis rogum illatus eſt.*] Sic reperit in vetuſtiſſimo cod. Victorius, cùm edidiſſet, *in tyrannidis*, quod exſtat quoque in Pal. tert. verùm pr. ac ſec. clarè præ ſe ferunt, in *typanidis.* quart. *tipanidis.* quint. *timpanidis.*

14 *Rectè videretur, niſi & virtutis, &c.*] Sic Aldus ſenior. Pall. quinque & P. & ed. Victorii, niſi quod demant *&* primo loco poſitum. vulgati poſterius: *& rectè videretur, niſi in virtutis.*

15. *Id Jovi animadvertendum fuit.*] Arridet magis quod habet Pal. pr. *advertendum.*

16. *Quamvis Menti delubra.*] Pal. pr. ac ſec. *Quamvis licet Menti.* alterutrum ſupervacuum eſt.

1. *Vim*

tates, ſecundæque res redarguunt (ut Diogenes dicebat)
37 [1] vim omnem deorum, ac poteſtatem. At *nonnumquam bonos exitus habent boni.* [2] Eos quidem arripimus, attribuimuſque ſine ulla ratione diis immortalibus. At Diagoras, cùm Samothraciam veniſſet, *Atheos* ille qui dicitur, [3] atque ei quidam amicus, Tu, QUI deos putas humana negligere, nonne animadvertis, ex tot tabulis pictis, quàm multi votis vim tempeſtatis effugerint, in portumque ſalvi pervenerint? Ita fit, inquit. illi enim nuſquam picti ſunt, qui naufragia fecerunt, in marique perierunt. Idemque, cùm ei naviganti vectores adverſa tempeſtate timidi, & perterriti dicerent, *non injuria ſibi illud accidere,* qui illum in eandem navem recepiſſent: oſtendit eis in eodem curſu multas alias laboranteis: quæſivitque *num etiam in iis navibus Diagoram vehi crederent.* Sic enim res ſe habet, ut ad proſperam, adverſamve fortunam, qualis ſis, aut quemadmodum vixeris, nihil interſit. *Non animadvertunt,* inquit, *omnia dii: ne reges quidem.* Quid eſt ſimile? Reges enim ſi ſcientes prætermittunt, magna culpa eſt. At deo
38 ne excuſatio quidem eſt inſcientiæ. Quem vos præclarè defenditis, cùm dicitis, eam vim deorum eſſe, ut, etiam ſi quis morte pœnas ſceleris effugerit, expetantur eæ pœnæ à liberis, à nepotibus, à poſteris. O miram æquitatem deorum! Ferretne ulla civitas latorem iſtiuſmodi legis, ut condemnaretur filius, aut nepos, ſi pater, aut avus deliquiſſet?

Quinam Tantalidarum internecioni modus
Paretur? aut quænam umquam ob mortem Myrtili
Pœnis luendis dabitur ſatias ſupplicii?

Utrùm poëtæ Stoicos depraverint, an Stoici poëtis dederint auctoritatem, non facilè dixerim. portenta enim, & flagitia ab utriſque dicuntur. neque enim, quem Hipponactis jambus læſerat, aut qui erat Archilochi verſu vulneratus, à deo immiſſum dolorem, non conceptum à ſe ipſo, continebat: nec, cùm Ægiſti libidinem, aut cùm Paridis videmus, à deo cauſam requirimus, cùm *culpæ pœnè vocem audiamus:* nec ego multorum ægrorum ſalutem non ab Hippocrate potiùs, quàm ab Æſculapio datam judico: nec Lacedæmoniorum diſciplinam dicam umquam ab Apolline potiùs Spartæ, quàm à Lycurgo datam. Critolaus, inquam, evertit Corinthum: Karthaginem Haſdrubal. [4] Hi duos illos oculos oræ maritimæ effoderunt, non iratus alicui, quem omnino iraſci poſſe negatis deum. At ſubvenire certè potuit, & conſervare urbeis tantas, atque
39 taleis. Vos enim ipſi dicere ſoletis, *nihil eſſe quod deus efficere non poſſit,* & quidem ſine labore ullo. ut enim hominum membra nulla contentione, mente ipſa, ac voluntate moveantur: ſic numine deorum omnia fingi, moveri, mutarique poſſe. Neque id dicitis ſuperſtitioſè atque aniliter, ſed phyſica, conſtantique ratione. materiam enim rerum, ex qua, & in qua omnia ſint, totam eſſe flexibilem, & commutabilem, ut nihil ſit, quod non ex ea quamvis ſubitò fingi, convertique poſſit. ejus autem univerſæ ſictricem, & moderatricem divinam eſſe providentiam. hanc igitur, quocumque ſe moveat, efficere poſſe; quidquid velit. Itaque aut neſcit, quid poſſit: aut negligit res humanas: aut, quid ſit optimum, non poteſt judicare. *Non curat ſingulos homines.* Non mirum: ne civitates quidem. Non eas? ne nationes quidem, & genteis. Quòd ſi has etiam contemnet, quid mirum eſt, omne ab ea genus humanum eſſe contemtum? Sed, quo modo iidem dicitis, non omnia deos perſequi, iidem vultis, à diis immortalibus hominibus diſpartiri, ac *dividi ſomnia?* idcirco hæc tecum, quia veſtra eſt de ſomniorum veritate ſententia. Atque iidem etiam vota ſuſcipi dicitis oportere. Nempe ſinguli vovent: audit igitur mens divina etiam de ſingulis. Videtis ergo, eam non eſſe tam occupatam, quàm putabatis? Fac eſſe diſtentam, cœlum verſantem, terram tuentem, maria moderantem: cur tam multos deos nihil agere, & ceſſare patitur? cur non rebus humanis aliquos *otioſos deos* præficit? qui à te, Balbe, innumerabiles explicati ſunt. Hæc ferè dicere habui de natura deorum, non ut eam tollerem, ſed ut intelligeretis, quàm eſſet obſcura, & quàm difficileis explicatus haberet. [5] Quæ cùm dixiſſet, Cotta finem. 40
Lucilius autem. Vehementiùs, inquit, Cotta, tu quidem, invectus es [6] in eam Stoicorum rationem, quæ de providentia deorum ab illis ſanctiſſimè, & providentiſſimè conſtituta eſt. Sed quoniam adveſperaſcit, dabis diem nobis aliquem, ut contra iſta dicamus. eſt enim mihi tecum pro aris, & focis certamen, & pro deorum templis, atque delubris, proque urbis muris, quos vos, pontifices, ſanctos eſſe dicitis, *diligentiuſque urbem religione, quàm ipſis mœnibus cingitis.* quæ deſeri à me, dum quidem ſpirare potero, nefas judico. Tum Cotta, Ego verò & opto redargui me, Balbe: & ea, quæ diſputavi, *diſſerere* malui, quàm *judicare:* & facilè me à te vinci poſſe, certò ſcio. Quippe, inquit Velleius, qui etiam ſomnia putet ad nos mitti ab Jove. Quæ ipſa tamen tam levia non ſunt, quàm eſt Stoicorum de natura deorum oratio. Hæc cùm eſſent dicta, ita diſceſſimus, ut Velleio Cottæ diſputatio verior, mihi Balbi ad veritatis ſimilitudinem videretur eſſe propenſior.

M. TUL-

1. *Vim omnem Deorum ac poteſtatem.*] Illud *ac poteſtatem*, non eſt in Pal. pr. neque nimium requiritur.
2. *Eos quidem arripimus, &c.*] Vulgati *adſcribimus*; ſed præter Pall. meliores & P. & editionem Victorianam.
3. *Atque ei quidam amicus.*] Pall. quart. quint. item P. *quidam Atticus.* & videtur verius.
4. *Hi duos illos oculos.*] Pall. quinque hi *duo illos oculos*; quod, dictumne ſit antiquè an verò reſpiciat *Critolaum* & *Haſdrubalem*, neſcio.
5. *Quæ cùm dixiſſet Cotta, finem.*] Vocabulum *fecit*, quod additum hactenus fuit illi *finem*, delevi. quippe non erat in Pal. pr. ſec. quart. quinto: & fuiſſe à librariis non dubitabunt, cui notus Cicero; præcipue fine cujuſque libri.
6. *In eam Stoicorum rationem.*] Sic quidem Pal. ſec. at pr. *in æram*, ſupraſcriptumque *iſtam*. tert. *in meram*. quartus ac quint. *in aram iſtam Stoicorum rationem*. P. *in aëram iſtam*. Gulielmius fingebat, *in aram iſtam Stoicorum*, omiſſo *rationem*.

M. TULLII CICERONIS DE DIVINATIONE.

LIBER PRIMUS.

1 VETUS opinio eſt, jam uſque ab heroicis ducta temporibus, eaque & populi Rom. & omnium gentium firmata conſenſu, verſari quandam inter homines divinationem, quam Græci *μαντικὴν* appellant, id eſt, *præſenſionem*, *& ſcientiam rerum futurarum.* [1] Magnifica quædam res, & ſalutaris, ſi modò eſt ulla: [2] quæque proxima ad deorum vim natura mortali poſſit accedere. Itaque ut alia nos meliùs multa, quàm Græci: ſic huic præſtantiſſimæ rei nomen noſtri à *divis*: Græci, ut Plato interpretatur, à *furore* duxerunt. Gentem quidem nullam video neque tam humanam, atque doctam, neque tam immanem, tamque barbaram, quæ non *ſignificari futura*, & à quibuſdam *intelligi*, prædicique poſſe cenſeat. Principiò Aſſyrii, [3] ut ab ultimis auctoritatem repetam, propter planitiem, magnitudinemque regionum, quas incolebant, cùm cœlum ex omni parte patens, atque apertum intuerentur, trajectiones, [4] motuſque ſtellarum obſervaverunt: quibus notatis quid cuique ſignificaretur, memoriæ prodiderunt. Qua in natione *Chaldæi*, non ex artis, ſed ex gentis vocabulo nominati, *diuturna obſervatione* ſiderum, ſcientiam putantur effeciſſe, ut prædici poſſet, quid cuique eventurum, & quo quiſque fato natus eſſet. Eandem artem etiam Ægyptii *longinquitate temporum* innumerabilibus pænè ſeculis conſecuti putantur. Cilicum autem, & Piſidarum gens, & his finitima Pamphilia, quibus nationibus præfuimus ipſi, volatibus avium, [5] cantibuſque, certiſſimis ſignis, declarari res futuras putant. Quam verò Græcia [6] *coloniam miſit* Æoliam, Ioniam, Aſiam, Siciliam, Italiam ſine Pythio, aut Dodonæo, aut Hammonis oraculo? aut quod *bellum ſuſce-*

2 *ptum* ab ea ſine conſilio deorum eſt? Nec unum genus eſt divinationis publicè, privatimque celebratum. nam, ut omittam ceteros populos; noſter, quàm multa genera complexus eſt? Principiò, hujus urbis parens Romulus, non ſolùm auſpicatò urbem condidiſſe, ſed ipſe etiam optimus augur fuiſſe traditur. Deinde auguribus & reliqui reges uſi: & exactis regibus, nihil publicè ſine auſpiciis nec domi, nec militiæ gerebatur. Cumque magna vis videretur eſſe [7] & in impetrandis, conſulendiſque rebus, & in monſtris interpretandis, ac procurandis in haruſpicum diſciplina; omnem hanc ex Etruria ſcientiam adhibebant, [8] ne genus eſſet ullum divinationis, quod neglectum ab iis videretur. Et, cùm duobus modis animi ſine ratione, & ſcientia, motu ipſi ſuo, ſoluto, & libero incitarentur: uno, *furente*: altero, *ſomniante*: furoris divinationem Sibyllinis maximè verſibus contineri arbitrati, eorum decem interpretes delectos è civitate eſſe voluerunt. Ex quo genere ſæpe hariolorum etiam, & vatum *furibundas prædictiones*, ut Octaviano bello, Cornelii Culleoli, *audiendas putaverunt.* Nec verò *ſomnia graviora*, ſi quæ ad remp. pertinere viſa ſunt, à ſummo conſilio neglecta ſunt. Quinetiam memoria noſtra templum Junonis Soſpitæ L. Julius, qui cum P. Rutilio conſul fuit, de ſenatus ſententia refecit ex Cæciliæ, Balearici filiæ, ſomnio. Atque hæc, ut ego arbitror, veteres 3 rerum magis eventis moniti, quàm [9] ratione docti, probaverunt. Philoſophorum verò exquiſita quædam argumenta, cur eſſet vera divinatio, collecta ſunt. è quibus, ut de antiquiſſimis loquar, Colophonius Xenophanes, unus, qui deos eſſe diceret, *divinationem funditus ſuſtulit.* Reliqui verò omnes, præter Epicurum, balbutientem de natura deorum, divinationem *probaverunt*, ſed non uno modo. Nam cùm Socrates, omneſque Socratici, Zenoque, & hi, qui ab eo eſſent profecti, manerent in antiquorum philoſophorum ſententia, vetere Academia, & Peripateticis conſentientibus; cùmque huic rei magnam auctoritatem Pythagoras jam antè tribuiſſet, [10] qui etiam ipſe augur vellet eſſe, plurimiſque locis gravis auctor Democritus *præſenſionem rerum futurarum* comprobaret: Dicæarchus Peripateticus cetera divinationis genera ſuſtulit, *ſomniorum*, & *furoris* reliquit: Cratippuſque, familiaris noſter, quem ego parem ſummis Peripateticis judico, iiſdem rebus fidem tribuit, reliqua divinationis genera rejecit. Sed cùm Stoici omnia ferè illa defenderent, quod & Zeno in ſuis commentariis quaſi *ſemina* quædam ſparſiſſet, & ea Cleanthes paullo uberiora feciſſet: acceſſit acerrimo vir ingenio Chryſippus, qui totam de divinatione duobus libris explicavit ſententiam, uno præterea de oraculis, uno de ſomniis: quem ſubſequens, unum librum Babylonius Diogenes edidit, ejus auditor: [11] duo Antipater: quinque noſter Poſidonius. [12] Sed à Stoicis, vel principibus ejus diſciplinæ, 4 Poſidonii doctor, diſcipulus Antipatri, degeneravit Panætius: nec tamen auſus eſt negare vim eſſe divinandi, ſed *dubitare ſe* dixit. Quod illi in aliqua re, invictiſſimis Stoicis,

1. *MAgnifica quædam.*] Fuit prius in Pal. pr. *quidem*, neque aliter Wouveriani: non admodum diſplicet.

2. *Quæque proxima ad Deorum, &c.*] Turnebus libro v. cap. 20. corrigit, *quaque proximè.* ſed non accedunt codd. noſtri, recepta tamen illi hæc correctura ab Manutio, ab Lambino, & ſic Marſus edidit ante annos centum.

3. *Ut ab ultimis auctoritatem repetam.*] Sic & noſtri, at Franciſci Pithœi codex *auctoritate*, quod placebat Gulielmio: *ultimi*, inquit *auctoritate*, [illegible]

4. *Motuſque ſtellarum obſervaverunt.*] Ita etiam noſtri duo priores. at tertius & exemplar, S. Victoris, quo uſus Janus Gulielmius, *obſervitaverunt*: quæ vox iterum occurrit infra cap. 45.

5. *Cantibuſque, certiſſimis ſignis.*] Vulgatiores, *cantibuſque*, *ut certiſſ.* ſed illa connexio non eſt in Pall. aut S. Victoris codd. neque admiſit Marſi Victoriive editio.

6. *Coloniam miſit in Æoliam.*] Eſt, non tam à conjectura Turnebi, quam prodidit d. cap. 20. quam ab auctoritate Pal. pr. atque Pithœani codicis a Gulielmio conſulti: expreſſeratque item Marſi editio. poſt publicati, *Ætoliam.*

7. *Et in impetrandis.*] Pal. pr. *& inpetrandis.* ſec. *& in patrandis.* S. Vict. *& in impetudis*, emendatumque à veteri manu, *impetadis.* non dubium eſt quin agat de *ſacris impetritis.* itaque viderint Critici, qua conjugatione hoc verbum auctori noſtro redonari debeat.

8. *Ne genus eſſet ullum divinationis, quod neglectum.*] Ejecto *eſſet*, ac *quod*, nihil periret venuſtati ſententiæ.

9. *Ratione docti probaverunt.*] Vulgati amplius *docti putaverunt & probaverunt*, ſed contra edd. Marſi atque Victorii item Pall. tres & S. Victoris.

10. *Qui etiam ipſe augur vellet eſſe.*] Pal. ſecund. tert. ac Wouv. *quin etiam.*

11. *Duo Antipater.*] Vulgo *duos.* ſed alterum expreſſit etiam Petrus Victorius, viſiturque in Pall. & S. Victoris, cui manu demum recenti adjecta illa litera.

12. *Sed à Stoicis, vel principibus ejus diſciplinæ.*] Non intelligo quid velit auctor. clarius & verius Pal. ſec. *vel princeps ejus diſc.* ut innuat Panætium. neque recedit ab hac ſcriptura Pal. pr. niſi quod litera auctior, *principes.*

1. *Quos*

cis, Stoico facere licuit, id, nos ut in reliquis rebus facia-
mus, à Stoicis non concedetur? præſertim cùm id, de quo
Panætio non liquet, reliquis ejuſdem diſciplinæ ſolis luce
videatur clarius. Sed hæc quidem laus Academiæ præſtan-
tiſſimi philoſophi judicio, & teſtimonio comprobata eſt.
Etenim nobiſmet ipſis quærentibus, quid ſit de divinatione
judicandum, quòd à Carneade multa acutè, & copioſè
contra Stoicos diſputata ſint: verentibuſque, *ne temerè vel
falſæ rei, vel non ſatis cognitæ, aſſentiamur*, faciendum vi-
detur, ut diligenter etiam, atque etiam argumenta cum ar-
gumentis comparemus, ut fecimus in iis tribus libris,
[1] quos de natura deorum ſcripſimus. Nam cùm omnibus
in rebus TEMERITAS IN ASSENTIENDO, errorque turpis
eſt, tum in eo loco maximè, in quo judicandum eſt, quan-
tum auſpiciis, rebuſque divinis, religionique tribuamus.
eſt enim periculum, ne aut, neglectis iis, *impia fraude:*
aut, ſuſceptis, *anili ſuperſtitione* obligemur. Quibus de re-
bus & aliàs ſæpe, & paullo accuratiùs nuper, cùm eſſem
5 cum Qu. fratre, in Tuſculano diſputatum eſt. Nam cùm
ambulandi cauſa in Lyceum veniſſemus: (id enim ſuperio-
ri Gymnaſio nomen eſt) perlegi, ille inquit, tuum paullo
antè tertium de natura deorum: in quo diſputatio Cottæ,
quamquam *labefactavit ſententiam* meam, non funditus
tamen ſuſtulit. Optimè verò, inquam. etenim ipſe Cotta
ſic diſputat, ut Stoicorum magis argumenta confutet, quàm
hominum deleat religionem. Tum Quintus, dicitur qui-
dem iſtuc inquit, à Cotta, & verò ſæpius: credo, [2] ne
communia jura migrare videatur: ſed ſtudio contra Stoi-
cos diſſerendi deos mihi videtur funditus tollere. Ejus ora-
tioni non ſanè deſidero quid reſpondeam: ſatis enim de-
fenſa religio eſt in ſecundo libro à Lucilio: cujus diſputa-
tio tibi ipſi, ut in extremo tertio ſcribis, ad veritatem eſt
viſa propenſior. Sed, quod prætermiſſum eſt in illis libris,
credo quia commodius arbitratus es ſeparatim id quæri: de-
que eo diſſeri, id eſt, *de divinatione*, quæ eſt earum rerum,
quæ fortuitæ putantur, prædictio, atque præſenſio, id, ſi
placet, videamus, *quàm habeat vim, & quale ſit.* Ego enim
ſic exiſtimo: ſi ſint ea genera divinandi vera, de quibus ac-
cepimus, quæque colimus, eſſe deos: viciſſimque, ſi dii
6 ſint, eſſe qui divinent. Arcem tu quidem Stoicorum, in-
quam, Quinte, defendis, ſi quidem iſta ſic reciprocantur;
ut &, *ſi divinatio* ſit, dii ſint, &, ſi dii ſint, ſit divinatio.
Quorum neutrum tam facilè, quàm tu arbitraris, conce-
ditur. Nam & natura ſignificari futura ſine deo poſſunt:
&, ut ſint dii, poteſt fieri, ut nulla ab iis divinatio generi
humano tributa ſit. Atque ille, Mihi verò, inquit, ſatis
eſt argumenti, *& eſſe deos, & eos conſulere rebus humanis*;
quòd eſſe clara, & perſpicua divinationis genera judico.
De quibus quid ipſe ſentiam, ſi placet, exponam, ita ta-
men, *ſi vacas animo*, neque habes aliquid, quod huic ſer-
moni prævertendum putes. Ego verò, inquam, PHILO-
SOPHIÆ, Quinte, SEMPER VACO. hoc autem tempore,
cùm ſit nihil aliud, quod libenter agere poſſim, [3] multo
magis aveo audire, de divinatione quid ſentias. Nihil, in-
quit, equidem novi, nec quod præter ceteros ipſe ſentiam.
nam cùm antiquiſſimam ſententiam, tum omnium popu-
lorum, & gentium conſenſu comprobatam ſequor. Duo
ſunt enim divinandi genera: quorum alterum *artis* eſt, al-
terum naturæ. Quæ eſt autem gens, aut quæ civitas, [4] quæ
non aut *extis* pecudum: aut *monſtra*, aut *fulgura* interpre-
tantium, aut augurum, aut aſtrologorum, aut *ſortium*,
(ea enim ferè artis ſunt) aut ſomniorum, aut vaticinatio-
num, (hæc enim duo naturalia putantur) prædictione mo-
veatur? quarum quidem rerum *eventa* magis arbitror, quàm
cauſas quæri oportere. Eſt enim vis, & natura quædam,
quæ cùm obſervatis longo tempore ſignificationibus, tum
aliquo inſtinctu, inflatuque divino futura prænuntiat.
Quare omittat urgere Carneades: quod faciebat etiam Pa- 7
nætius, requirens, JUPITERNE cornicem à læva, corvum
à dextera canere juſſiſſet. Obſervata ſunt hæc tempore im-
menſo, & in ſignificatione eventus animadverſa, & no-
tata. NIHIL EST autem, quod non longinquitas tempo-
rum, excipiente memoria, prodendiſque monumentis,
efficere, atque aſſequi poſſit. Mirari licet, quæ ſint *anim-
adverſa à medicis* herbarum genera, quæ radicum ad mor-
ſus beſtiarum, ad oculorum morbos, ad vulnera. quorum
vim, atque naturam ratio numquam explicavit: *utilitate*
& ars eſt, & inventor probatus. Age, ea, quæ, quamquam
ex alio genere ſunt, tamen divinationi ſunt ſimiliora, vi-
deamus.

Atque etiam ventos præmonſtrat ſæpe futuros
Inflatum mare cùm ſubitò, penituſque tumeſcit;
Saxaque cana, ſalis niveo ſpumata liquore,
Triſtificas certant Neptuno reddere voces:
Aut, denſus ſtridor cùm celſo è vertice montis
Ortus, [5] adaugeſcit ſcopulorum ſæpe repulſus.

Atque his rerum præſenſionibus prognoſtica tua referta 8
ſunt. Quis igitur elicere cauſas præſenſionum poteſt? etſi
[6] video Boethum Stoicum eſſe conatum. qui hactenus ali-
quid egit, ut earum rationem rerum explicaret, quæ in
mari cælove fierent. Illa verò cur eveniant, quis probabi-
liter dixerit?

[7] Cana fulix itidem fugiens è gurgite ponti,
Nuntiat horribileis clamans inſtare procellas,
Haud modicos tremulo fundens è gutture cantus.
Sæpe etiam pertriſte canit de pectore carmen,
Et matutinis acredula vocibus inſtat,
Vocibus inſtat, & aſſiduas jacit ore querelas,
Cùm primùm gelidos rores aurora remittit.
Fuſcaque nonnumquam curſans per littora cornix
[8] Demerſit caput, & fluctum cervice recepit.

Videmus hæc ſigna numquam ferè ementientia: nec ta- 9
men, cur ita fiat, videmus.

Vos quoque ſigna videtis, aquai dulcis alumnæ,
Cùm clamore paratis inaneis fundere voces;
Abſurdoque ſono fonteis, & ſtagna cietis.

Quis eſt, qui ranunculos hoc videre ſuſpicari poſſit? [9] ſed
ineſt in rivis & ranunculis quædam natura ſignificans ali-
quid, per ſe ipſa ſatis certa, cognitioni autem hominum
obſcurior.

Mollipedeſque boves ſpectantes lumina cæli,
Naribus humiferum duxere ex aëre ſuccum.

Non quæro, cur, quoniam, quid evenit, intelligo.

Jam verò ſemper viridis, ſemperque gravata
Lentiſcus triplici ſolita grandeſcere fœtu,
Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.

Nec hoc quidem quæro, cur hæc arbor una ter floreat, aut
cur arandi maturitatem ad ſignum floris accommodet. Hoc
ſum

1. *Quos de natura Deorum ſcripſimus.*] S. Victoris codex *præſcri-pſimus*, quod confirmabat Gulielmius illo Virgilii: *Quàm ſibi quæ Vari præſcripſit pagina nomen.* malebat tamen, *perſcripſimus.*

2. *Ne communia jura migrare videatur.*] *Communi jure*, vulgò legitur, ſed præter Pall. tres & mſ. S. Victoris; in quibus noſtrum clarè viſitur. ſicque conjecerat Turnebus lib. v. cap. 20.

3. *Multo magis aveo audire.*] Pall. tres & S. Victoris *habeo*; veteri ratione ſcribendi.

4. *Quæ non aut extis pecudum, &c.*] Sic mſſ. nam Joſias Mercerus conjicit valde veriſimiliter, *aut extiſpicum, &c.*

5. *Adaugeſcit ſcopulorum ſæpe repulſus.*] Vulgata *repulſu.* ſed alterum reſtat in Pall. & Pithœano, item S. Victoris; denique expreſſit editio Victorii.

6. *Video Boëthum.*] Pall. *videbo eothum.* S. Vict. *videbo eo cum.* editi à Victorio. *vide Boëthum.*

7. *Cana fulix.*] Lambinus edidit *Rava*, ſecutus codd. mſſ. ipſe ut inquit; ut ego puto, conjecturam Camerarii. certè Pall. & S. Victoris, & Wouv. codd. *Cana* præferunt, quamvis nonnulli corruptè.

8. *Demerſit caput & fluctum cervice recepit.*] Nihil variant noſtri. Gulielmius tamen malebat, *Demerſat caput & fluct. cer. receptat.*

9. *Sed ineſt in rivis & ranunculis.*] Ita mſſ. Victorii & putat verè Gulielmius, neque quid mutandum ut volebat idem Victorius. Pall. proximè accedunt ad hanc ſcripturam. primus enim & ſec. habebant *in renis.* nam tertius, *ſed ineſt mire & ran. ut*, paſſim publicatur.

1. *Quo*

ſum contentus, quòd, etiam ſi [1] quo quidque fiat ignorem, quid fiat intelligo. pro omni igitur divinatione idem
10 quod pro iis rebus, quas commemoravi, reſpondebo. Quid ſcammoneæ radix ad purgandum, quid ariſtolochia ad morſus ſerpentum poſſit, quæ [2] nomen ex inventore reperit, rem ipſam inventor [3] ex ſomnio, *video*, quod ſatis eſt: cur poſſit, *neſcio*. Sic ventorum, & imbrium ſigna, quæ dixi, rationem quam habeant, non ſatis perſpicio: vim, & eventum agnoſco, ſcio, approbo. Similiter, quid fiſſum in extis, quid fibra valeat, accipio: quæ cauſa ſit, neſcio. Atque horum quidem plena vita eſt: extis enim omnes fere utuntur. Quid? de fulgurum vi, dubitare num poſſumus? nonne cùm multa alia mirabilia, tum illud in primis? cùm Summanus in faſtigio Jovis optimi maximi, qui tum erat fictilis, è cælo ictus eſſet, nec uſquam ejus ſimulacri caput inveniretur, haruſpices in Tiberim id depulſum eſſe dixerunt, idque inventum eſt eo loco, qui eſt
11 ab haruſpicibus demonſtratus. Sed quo potiùs utar aut auctore, aut teſte, quàm te? cujus edidici etiam verſus, & libenter quidem, quos [4] in ſecundo conſulatu Urania muſa pronunciat:

Principiò ætherio flammatus Jupiter igni
Vertitur, & totum colluſtrat lumine mundum,
Menteque divina cælum, terraſque peteſſit:
Quæ penitus ſenſus hominum [5] vitaſque retentat,
Ætheris æterni ſæpta, atque incluſa cavernis.
Et, ſi ſtellarum motus, curſuſque vaganteis
Noſſe velis, quæ ſint ſignorum in ſede locatæ,
Quæ verbo, & falſis Grajorum vocibus errant,
Re vera certo lapſu, ſpatioque feruntur:
Omnia jam cernes divina mente notata.
Nam primùm aſtrorum volucreis te conſule motus,
Concurſuſque graves ſtellarum ardore micanteis
Tu quoque, cum tumulos Albano in monte nivaleis
Luſtraſti, & [6] læto mactaſti lacte Latinas,
Vidiſti, & claro tremulos ardore cometas,
Multaque miſceri nocturna ſtrage putaſti:
Quod fermè dirum in tempus cecinere Latinæ,
Cum claram ſpeciem concreto lumine luna
Abdidit, & ſubitò ſtellanti nocte peremta eſt,
Quid verò Phœbi fax, triſtis nuntia belli,
Quæ magnum ad columen flammato ardore volabat
Præcipiteis cæli partes, obituſque petiſſet:
Aut cùm terribili percuſſus fulmine civis,
Luce ſerenanti vitalia lumina liquit;
Aut cùm ſe gravido tremefecit corpore tellus.
Jam vero variæ nocturno tempore viſæ
Terribiles formæ, bellum motuſque monebant:
Multaque per terras vates oracla furenti
Pectore fundebant triſteis minitantia caſus:
Atque ea, quæ lapſu tandem cecidere vetuſto.
Hæc fore, perpetuis ſignis, clariſque frequentans
Ipſe deûm genitor cælo, terriſque canebat.
Nunc ea, Torquato quæ quondam, & conſule Cotta 12
Lydius ediderat Tyrrhenæ gentis haruſpex,
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonans ſtellanti nixus Olympo
Ipſe ſuos quondam tumulos, ac templa petivit,
Et Capitolinis injecit ſedibus igneis,
Tum ſpecies ex ære vetus, [7] generataque Nattæ,
Concidit, [8] elapſæque vetuſto numine leges:
Et divûm ſimulacra peremit fulminis ardor.
Hic ſilveſtris erat, Romani nominis altrix,
Martia, quæ parvos Mavortis ſemine natos
Uberibus gravidis vitali rore rigabat:
Quæ tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit, atque avulſa pedum veſtigia liquit.
Tum quis non artis ſcripta, ac monumenta volutans,
Voces triſtificas chartis promebat Etruſcis?
[9] Omnes civili generoſam ſtirpe profectam
[10] Vitare ingentem cladem, peſtemque monebant:
Vel legum exitium conſtanti voce ferebant,
Templa deumque adeò flammis, urbeiſque jubebant
Eripere, & ſtragem horribilem, cædemque vereri:
Atque hæc fixa gravi fato, ac fundata teneri;
[11] Ni pòſt exciſum ad columen formata decorè
Sancta Jovis species claros ſpectaret in ortus:
Tum fore, ut occultos populus, ſanctuſque ſenatus
Cernere conatus poſſet, ſi ſolis ad ortum
Converſa, inde patrum ſedes, populique videret,
Hæc tardata diu ſpecies, multumque morata,
Conſule te tandem celſa eſt in ſede locata:
Atque una fixi, ac ſignati temporis hora
[12] Jupiter excelſa clarabat ſceptra columna:
[13] At clades patriæ flamma, ferroque parata,
Vocibus Allobrogum patribus, populoque patebat.
Ritè igitur veteres, quorum monumenta tenetis,
Qui populo, urbeiſque modo, ac virtute regebant,
Ritè etiam veſtri, quorum pietaſque fideſque 13
Præſtitit, & longè vicit ſapientia cunctos,
[14] Præcipuè coluere vigenti numine divos.
Hæc adeo penitus cura videre ſagaci
Otia qui ſtudiis læti tenuere decoris,
Inque Academia umbrifera, nitidoque Lyceo
Fuderunt claras fæcundi pectoris arteis.
E quibus ereptum primo jam à flore juventa,

Te

1. *Quo quidque fiat.*] Publicata, *quomodo quidque fiat*, ſed contra omnes libros meliores, editionemque Victorii; quorum auctoritate expunxi etiam ſequenti linea dictionem *omnibus*, male inculcatam a librariis.

2. *Nomen ex inventore reperit.*] Explicat Gulielmius Canterus lib. I. Nov. Lect. cap. 14. videatur & Victorius libro VI. Var. Lect. cap. 3. Lambinus intulit libris conjecturam ſuam, *nomen ex inventa re reperit*. Gulielmius malebat propius ſcripturam vulgatam, ex *invento reperit*. τὸ ἄελςον λοχείας, inventum eſt.

3. *Ex ſomnio, video, &c.*] Ita quidem Aldus ſenior. ſed Victorius interſerta voce; *ex ſomnio: poſſe video, &c.* quæ item reperta mihi in Pall. Gulielmio & Pithœano.

4. *In ſecundo conſulatu.*] Adr. Turnebus, & P. Manutius emendant, *in ſecundo de Conſulatu*, ſubintellige *libro*. Gulielmius: *in ſecundo Conſulatus*; ut error natus fuerit e compendio ſcripturæ.

5. *Vitaſque retentat.*] Marſi editio *retentant*, ut & Pall. & Pith. nam S. Victoris liber *recentant*.

6. *Læto mactaſti lacte.*] Sic omnes noſtri. Gulielmius tamen videtur inclinare in *lecto*, quomodo conſtat legiſſe Marſum. ſic Virgilius, inquit, *lectos bidentes*. inepte.

7. *Generataque Nattæ.*] Sic quidem Pithœanus & Pal. tert. ſed ſec. *generataque*. pr. *generaque*. S. Vict. à prima manu, *genenateque Natæ*. Lambinus oggerit *generoſaque*. Gulielmius conjiciebat *veneratаque*, aut etiam *gener Attaque Nattæ*.

8. *Elapſaque vetuſto numine leges.*] Gulielmius reponi volebat *ærumine*: quod conſtat ex lib. II. infra cap. 21. *æra legum de cælo tacta*, hocque loco de eis agere Tullium. Palatini noſtri propugnant vulgatum. Wouverii unus habebat *nomine*.

9. *Omnes civili generoſam ſtirpe profectam.*] Hæc eſt recepta vulgò lectio, proximeque accedens ad mſſ. quorum tamen nonnulli, *generoſa*. Aldus ſenior ediderat, *omnes civili generoſa ſtirpe profectos, &c.* quod & in antiquo Urſini. Lambinus arbitratu ſuo fecit, *omnes civili & generoſa à ſtirpe profectam.*

10. *Vitare ingentem.*] Mſſ. noſtri ad unum omnes verſum hunc habent poſt ſequentem *vel legum*; neque aliter poſuit in editione ſua Victorius. ceterum Pal. pr. ac ſec. loco *Vitare*, repræſentant *viri*. tert. verò & S. Victoris, *vel diram*. præterea ἀντὶ τοῦ, *Vel legem*, erat in pr. & Pith. *Vultu legum*. in ſec. *Voltum legum*.

11. *Ni poſt exciſum ad columen.*] Sic ferè Pall. niſi quod ſec. *Nepos exceſum*. at S. Victoris codex, *Nepus exceſum*. Pith. *Nec pus exciſum*. unde formabat Gulielmius, *Nei prius exce.*

12. *Jupiter excelſa clarabat.*] Liber S. Victoris, *clarabit*, quod eſſet *claravit*. ſed alterum conſtanter hæret in noſtris.

13. *At clades.*] Sic Pall. o. & editio Victorii. aliæ *Ac clades*. mox pro *parata* Pal. prim. ac Pithœanus præ ſe ferunt patrata, membranæ verò S. Victoris ac Pal. tert. putata.

14. *Præcipuè coluere vigenti numine.*] Eſt à Pall. noſtris, niſi quod ii *viginti*. Victorius edidit, *vigenti nomine*. Ante cuſi, *præcipue ingenti* coluerunt *numine*. quæ poſitura in nullis eſt mſſ. à Gulielmio & Wouverio excuſſis.

1. *Quod*

Te patria in media virtutum mole locavit.
Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas,
[1] *Quod patriæ voces ſtudiis nobiſque ſacraſti.*

Tu igitur animum poteris inducere contra ea, quæ à me diſputantur, & de divinatione dicere, qui & geſſeris ea, quæ geſſiſti, & ea, quæ pronuntiavi, accuratiſſimè ſcripſeris? Quid? quæris, Carneades, cur hæc ita fiant, aut qua arte perſpici poſſint? neſcire me fateor: evenire autem, te ipſum dico videre. Caſu, inquis. Itane verò? QUIDQUAM POTEST caſu eſſe factum, quod omneis habet in ſe numeros veritatis? Quattuor tali jacti, caſu Venereum efficiunt. Num etiam centum Venereos, [2] ſi CCCC. talos ejeceris, caſu futuros putas? adſperſa temerè pigmenta in tabula, oris lineamenta effingere poſſunt; [3] num etiam Veneris Cnidiæ, Coæque pulchritudinem effingi poſſe adſperſione fortuita putas? Sus roſtro ſi humi A. litteram impreſſerit, num propterea ſuſpicari poteris, Andromacham Ennii ab ea poſſe deſcribi? Fingebat Carneades, in Chiorum lapicidinis ſaxo diffiſſo caput exſtitiſſe Paniſci. Credo, aliquam non diſſimilem figuram, ſed certè non talem, ut eam factam à Scopa diceres. ſic enim ſe profectò res habet, ut *numquam perfectè veritatem caſus imitetur.*

14 At nonnumquam ea, quæ prædicta ſunt, minùs eveniunt. Quæ tandem id ars non habet? earum dico artium, quæ conjectura continentur, & ſunt opinabiles. An medicina, ars non putanda eſt? quam tamen *multa fallunt.* Quid? gubernatores nonne falluntur? an Achivorum exercitus, & tot navium rectores non ita profecti ſunt ab Ilio,

Ut profectione læti piſcium laſciviam
Intuerentur, ut ait Pacuvius, [4] *nec tuendi ſatietas capere poſſet?*
Interea propè jam occidente ſole inhorreſcit mare,
Tenebræ conduplicantur, noctiſque & nimbûm occæcat nigror.

Num igitur tot clariſſimorum ducum, regumque naufragium ſuſtulit artem gubernandi? aut num *imperatorum ſcientia* nihil eſt, quia ſummus imperator nuper fugit, amiſſo exercitu? aut num propterea nulla eſt reip. gerendæ ratio, atque prudentia, quia multa Cn. Pompejum, quædam M. Catonem, nonnulla etiam te ipſum fefellerunt? Similis eſt haruſpicum reſponſio, omniſque opinabilis divinatio. conjectura enim nititur, ultra quam progredi non poteſt. Ea fallit fortaſſe nonnunquam: ſed tamen ad veritatem ſæpiſſimè dirigit. eſt enim ab omni æternitate repetita: in qua cùm [5] pænè innumerabiles res eodem modo evenirent iiſdem ſignis antegreſſis, ars eſt effecta, eadem ſæpe animadvertendo, ac notando. 15 Auſpicia verò veſtra quàm conſtant? quæ quidem nunc à Romanis auguribus ignorantur: (bona hoc tua venia dixerim:) à Cilicibus, Pamphyliis, Piſidis, Lyciis tenentur. [6] Nam quid ego hoſpitem noſtrum, clariſſimum, atque optimum virum, Dejotarum regem commemorem? qui nihil umquam niſi *auſpicatò* gerit: qui, cùm ex itinere quodam propoſito, & conſtituto revertiſſet, aquilæ admonitus volatu; conclave illud, ubi erat manſurus, ſi *ire perrexiſſet*, proxima nocte corruit. Itaque, ut ex ipſo audiebam, perſæpe revertit ex itinere, cùm jam progreſſus eſſet multorum dierum viam. Cujus quidem hoc præclariſſimum eſt, quòd poſteaquàm à Cæſare tetrarchiæ regno, pecuniaque multatus eſt, NEGAT SE TAMEN eorum auſpiciorum, quæ ſibi ad Pompejum proficiſcenti ſecunda evenerint, pœnitere. ſenatus enim auctoritatem, & populi Rom. libertatem, atque imperii dignitatem ſuis armis eſſe defenſam: ſibique eas aveis, quibus auctoribus *officium*, & *fidem* ſecutus eſſet, bene conſuluiſſe. *antiquiorem* enim *ſibi fuiſſe poſſeſſionibus ſuis gloriam.* Ille igitur mihi videtur verè augurari. Nam noſtri quidem magiſtratus auſpiciis utuntur coactis. neceſſe enim eſt, offa objecta, cadere fruſtum ex pulli ore, cùm paſcitur. Quod autem ſcriptum habetis, [7] AUT TRIPUDIUM FIERI, [8] SI EX EA QUID IN SOLIDUM CECIDERIT: hoc quoque, quod dixi coactum, tripudium ſoliſtimum dicitis. itaque multa auguria, multa auſpicia, quod Cato ille ſapiens queritur, *negligentia collegii amiſſa planè, & deſerta ſunt.* 16 Nihil ferè quondam majoris rei, niſi auſpicatò, ne privatim quidem gerebatur: quod etiam nunc [9] nuptiarum auſpices declarant, qui, *re omiſſa, nomen tantùm tenent.* Nam ut nunc extis: quamquam id ipſum aliquanto minùs, quàm olim; ſic tum avibus magnæ res impetriri ſolebant. Itaque, *ſiniſtra dum non exquirimus, in dira, & in vitioſa incurrimus.* Ut P. Claudius Appii Cæci filius, ejuſque collega, L. Junius, claſſeis maximas perdiderunt, cùm vitio navigaſſent. Quod eodem modo evênit Agamemnoni. qui, cùm Achivi cœpiſſent

Inter ſe ſtrepere, aperteque artem obterere extiſpicum:
Solvere imperat ſecundo rumore adverſaque avi.

Sed quid vetera? M. Craſſo quid acciderit, videmus, dirarum obnuntiatione neglecta. In quo Appius, collega tuus, bonus augur; ut ex te audire ſoleo, non ſatis ſcienter virum bonum, & civem egregium cenſor [10] C. Atejum notavit, quod ementita auſpicia ſubſcripſerit. Eſto: fuerit hoc cenſoris, ſi judicabat ementitum. At illud minimè auguris, quod adſcripſit, ob eam cauſam pop. Rom. calamitatem maximam cepiſſe. Si enim ea cauſa calamitatis fuit: non in eo eſt culpa, qui obnuntiavit: ſed in eo, qui non paruit. veram enim fuiſſe obnuntiationem, ut ait idem augur, & cenſor, exitus approbavit. Quæ ſi falſa fuiſſent, nullam afferre potuiſſent cauſam calamitatis. etenim [11] DIRA, ſicut cetera auſpicia, ut omina, ut ſigna, non cauſas afferunt, cur quid eveniat, ſed nuntiant eventura, niſi provideris. Non igitur obnuntiatio Ateii cauſam finxit calamitatis, ſed ſigno objecto *monuit* Craſſum, quid eventurum eſſet, niſi caviſſet. Ita aut illa obnuntiatio nihil valuit: aut ſi, ut Appius indicat, valuit, id valuit, ut peccatum hæreat non in eo, qui *monuerit:* ſed in eo, qui *non obtemperarit.* 17 Quid *lituus* iſte veſter, quod clariſſimum eſt inſigne auguratus, unde vobis eſt traditus? nempe eo Romulus regiones direxit tum, cùm urbem condidit. qui quidem Romuli lituus, [12] id eſt, incurvum, & leviter à ſummo

---

1. *Quod patriæ vocis ſtudiis.*] Ita longè melius Pith. S. Vict. editioque Victorii, quam vulgata, in qua *voces.* quid quod pro altera ſtent etiam Pall. niſi quod in pr. ac tert. *votis*, in ſec. *vota his.*

2. *Si* CCCC. *talos ejeceris.*] Sic Pall. item Pith. nec non S. Vict. denique editio Aldi ſenioris. exinde vulgati *jeceris.*

3. *Num etiam Veneris Gnidiæ Coæque.*] Sic quidem Aldus ſenior, & recentes quique. verùm Victorius, *Veneris Coæ*, omiſſo illo *Gnidiæ*, quod nec reperitur in Pall. aut Pith. aut S. Victoriano; quorum hic habet *æque*, quod & in Pall. pr. ille *eoque.* quod placuit Gulielmio, pro, *Auroræ.* Pal. ſec. exhibet; *Veneris coeque.* tert. *Veneris coeque pulcritudinem coeque effingi.* iidem mſſ. noſtri etiam ſcriptum habent, non *effingere*, & *effingi*; ſed *efficere*, & *effici*, quomodo & publicati à Victorio.

4. *Nec tuendi ſatietas caperé poſſet.*] Juſſi hæc ita ſcribi, ut verſus iidem, unà cum ſequentibus. pedibus eorum conſuletur, ſi fingamus, *ſatias capere poſſiet.* mirùm, neminem hactenus deprehendiſſe tam apertos numeros.

5. *Penè innumerabiles res, &c.*] Pall. omninò volunt reſtituamus, *innumerabiliter res.*

6. *Nam quid ego hoſpitem, &c.*] Ita ad unum libri noſtri; etiam editi à Marſo & Victorio. reliqui maluerunt Aldinum illud *Jam.*

7. *Aut tripudium fieri.*] Turnebus lib. V. Adverſ. cap. 20. conjicit, *avi trip.* quod illicò editioni ſuæ inſeruit Lambinus.

8. *Si quid ex ea in ſolidum ceciderit.*] Haud divertunt Pall. noſtri. Marſus tamen & Manutius, & Lambinus amplexi ſunt *in ſolum*; quos refellit gemma illa Juriſconſultorum Briſſonius libro 1. de formulis.

9. *Nuptiarum auſpices.*] Lambinus ſtultè heic invehitur in Turnebum. nam *auſpiciis* non ſolum viſitur in Victoriana, ſed in Pall. in Pithœano, in S. Victoris mſſ.

10. *Cajum Atejum.*] Ita aliis vocatur. Mſſ. tamen noſtri favent vulgato *Æthejum*; tam heic quàm infra.

11. *Dira, ſicut cetera auſpicia, ut omina.*] Eſt ab Victoriana, & reſpondent noſtri ſcripti. vulgata, *diræ, ſicut cetera auſpicia, ut omnia.*

12. *Id eſt, incurvum & leviter à ſummo inflexum bacillum, quod ab ejus litui quo canitur ſimilitudine nomen invenit.*] Lipſius lib. 1. Var. cap. 20. iſthæc omnia habet pro gloſſemate: reſtant tamen conſtanter in omnibus mſſ. delevitque Lambinus.

 I. Omnes

ſummo inflexum bacillum, quod ab ejus litui, quo canitur, ſimilitudine nomen invenit: cùm ſitus eſſet in curia Saliorum, quæ eſt in Palatio, eaque deflagraviſſet, inventus eſt integer. Quid multis annis poſt Romulum, Priſco regnante Tarquinio? quis veterum ſcriptorum non loquitur, quæ ſit ab Attio Navio per lituum regionum facta deſcriptio? qui cum *propter paupertatem ſues puer paſceret*, una ex his amiſſa, voviſſe dicitur, ſi recuperaſſet, uvam ſe deo daturum, quæ maxima eſſet in vinea. itaque ſue inventa, ad meridiem ſpectans in vinea media dicitur conſtitiſſe: cumque in quattuor parteis vineam diviſiſſet, treiſque parteis aves abdixiſſent, quarta parte, quæ erat reliqua, in regione diſtributa, mirabili magnitudine uvam, ut ſcriptum videmus, invênit. Qua re celebrata, cum vicini, [1] omnes ad unum de rebus ſuis referrent, erat in magno nomine, & gloria. Ex quo factum eſt, ut eum ad ſe rex Priſcus [2] arceſſeret. Cujus cùm tentaret ſcientiam auguratus, dixit ei cogitare ſe quiddam, id poſſetne fieri, conſuluit. [3] Ille augurio acto, poſſe reſpondit. Tarquinius autem dixit, ſe cogitaſſe, *cotem novacula poſſe præcidi*. Tum Attium juſſiſſe experiri. ita cotem in comitium allatam; inſpectante & rege & populo, novacula eſſe diſciſſam. Ex eo evênit, ut & Tarquinius augure Attio Navio uteretur, & populus [4] de ſuis rebus ad eum referret. Cotem autem illam, & novaculam defoſſam in comitio, ſupraque impoſitum puteal accepimus. Negemus omnia: comburamus annaleis; ficta hæc eſſe dicamus: quid vis denique potiùs, quàm *deos res humanas curare*, fateamur. Quid? quod apud te ſcriptum eſt de T. Graccho, nonne & augurum, & haruſpicum comprobat diſciplinam? qui cùm tabernaculum vitio cepiſſet imprudens, quòd inauſpicatò pomœrium tranſgreſſus eſſet: comitia [5] conſulibus rogandis habuit. Nota res eſt, & à te ipſo mandata monumentis. Sed & ipſe augur Ti. Gracchus auſpiciorum auctoritatem confeſſione errati ſui comprobavit, & haruſpicum diſciplinæ magna *acceſſit auctoritas*, qui recentibus comitiis in ſenatum introducti, negaverunt juſtum comitiorum rogatorem
18 fuiſſe. Iis igitur aſſentior, qui duo genera divinationum eſſe dixerunt: unum, quod particeps eſſet artis: alterum, quod arte careret. Eſt enim *ars* in iis, qui novas res conjectura perſequuntur, veteres obſervatione didicerunt. *Carent autem arte* ii; qui non ratione, aut conjectura obſervatis, ac notatis ſignis, ſed concitatione quadam animi, aut ſoluto, liberoque motu futura præſentiunt. quod & *ſomniantibus* ſæpe contingit, & nonnumquam *vaticinantibus per furorem*, ut Bacis Bœotius, ut Epimenides Cres, ut Sibylla Erythræa. Cujus generis oracula etiam habenda ſunt, non ea, quæ æquatis ſortibus ducuntur, ſed illa, quæ inſtinctu divino, afflatuque funduntur. etſi ipſa *ſors* contemnenda non eſt, ſi & auctoritatem habet vetuſtatis, ut eæ ſunt ſortes, quas è terra editas accepimus: [6] quæ tamen ductæ ut in rem aptè cadant, fieri credo poſſe divinitus. Quorum omnium interpretes, ut grammatici poëtarum, proximè ad eorum, quos interpretantur, divinationem videntur accedere. Quæ eſt igitur iſta calliditas, *res vetuſtate robuſtas calumniando velle pervertere*? Non reperio cauſam. latet fortaſſe obſcuritate involuta naturæ. non enim me deus iſta ſcire, ſed his tantummodò uti voluit. Utar igitur, [7] nec abducar, ut rear aut in extis *totam Etruriam delirare*, aut eandem gentem in fulguribus errare, aut fallaciter portenta interpretari, cùm terræ ſæpe fremitus, ſæpe mugitus, ſæpe motus, multa noſtræ reip. multa ceteris civitatibus gravia, & vera prædixerint. Quid? qui irridetur, partus hic mulæ, nonne quia fœtus exſtitit in ſterilitate naturæ, prædictus eſt ab haruſpicibus *incredibilis partus malorum*? quid? Ti. Gracchus, Publii filius, qui bis conſul, & cenſor fuit, idemque & ſummus augur, & vir ſapiens, civiſque præſtans; nonne (ut C. Gracchus, filius ejus, ſcriptum reliquit) duobus anguibus domi comprehenſis, haruſpices convocavit? qui cum reſpondiſſent, ſi marem emiſiſſet, uxori brevi tempore eſſe moriendum: ſi fœminam, ipſi: æquius eſſe cenſuit, ſe *maturam oppetere mortem*, quàm P. Africani filiam adoleſcentem. fœminam emiſit: ipſe paucis pòſt diebus eſt mortuus. Irrideamus haruſpi- 19
ces: vanos, futileis eſſe dicamus: quorumque diſciplinam & ſapientiſſimus vir, & eventus, ac res comprobavit, contemnamus: contemnamus etiam Babylonios, & eos, qui è Caucaſo cæli ſigna ſervantes, numeris, & motibus, ſtellarum curſus perſequuntur: condemnemus, inquam, hos aut *ſtultitiæ*, aut *vanitatis*, aut *imprudentiæ*, qui CCCCLXX. millia annorum, ut ipſi dicunt, monumentis comprehenſa continent, & mentiri judicemus, nec *ſæculorum* reliquorum *judicium*, quod de ipſis futurum ſit, *pertimeſcere*. Age, Barbari vani, atque fallaces: num etiam Grajorum hiſtoria mentita eſt? quæ Crœſo Pythius Apollo, ut de naturali divinatione dicam, quæ Athenienſibus, quæ Lacedæmoniis, [8] quæ Tegeatis, quæ Argivis, quæ Corinthiis reſponderit, quis ignorat? collegit innumerabilia oracula Chryſippus, nec ullum ſine locuplete auctore, atque teſte. quæ quia nota tibi ſunt, relinquo. Defendo unum hoc. Numquam illud oraculum Delphis tam celebre, & tam clarum fuiſſet, neque tantis donis refertum omnium populorum, atque regum, niſi omnis ætas, oraculorum illorum *veritatem* eſſet experta. Jam diu idem non facit. Ut igitur nunc minore gloria eſt, quia minùs oraculorum veritas excellit: ſic tum, niſi ſumma veritate, in tanta gloria non fuiſſet. Poteſt autem vis illa terræ, quæ mentem Pythiæ divino afflatu concitabat, evanuiſſe vetuſtate, ut quoſdam [9] *evanuiſſe & exaruiſſe amnes*, aut in alium curſum contortos, & deflexos videmus. [10] Sed, ut vis, acciderit: magna enim quæſtio eſt: modò maneat id, quod negari non poteſt, niſi omnem hiſtoriam perverterimus, multis ſæclis *verax* fuiſſe id *oraculum*. Sed omittamus oracula: veniamus ad ſomnia. 20
de quibus diſputans Chryſippus, multis, & minutis ſomniis colligendis facit idem, quod Antipater, ea conquirens, quæ Antiphontis interpretatione explicata, declarant illa quidem acumen interpretis, ſed *exemplis grandioribus* decuit uti. Dionyſii mater, ejus, qui [11] Syracuſiorum tyrannus fuit, ut ſcriptum apud Philiſtum eſt, & doctum hominem, & diligentem; & æqualem temporum illorum, cùm prægnans hunc ipſum Dionyſium alvo contineret, ſomniavit ſe peperiſſe Satyriſcum. Huic interpretes portentorum, qui [12] Galleotæ tum in Sicilia nominabantur, reſponderunt, ([13] ut ait Philiſtus) eum, quem illa peperiſſet, clariſſimum Græciæ

1. *Omnes ad unum.*] Pall. & S. Victoris exemplar *omnes ad eum*, quomodo & edidit Victorius.

2. *Arceſſeret.*] Sic quidem Pall. ſec. tert. S. Vict. item editi à Victorio: ſed tamen pr. *accerſiret*. vulgg. *accerſeret*.

3. *Ille augurio acto.*] Lambinus *capto*. præter Pall. noſtros, ſugillatque Gitanus in Obſervationibus Latinæ linguæ. nam & ſic lib. III de Officiis: *cum in arce augurium augures acturi eſſent*, &c.

4. *De ſuis rebus ad eum referret.*] Pal. pr. & Pithœanus, *adferret*.

5. *Conſulibus rogandis.*] Attendant Antiquarii. nam S. Victoris liber, item Pal. ſec. tert. habent *rogatis*. Pith. & pr. *rogantis*.

6. *Quæ tamen ductæ.*] Pal. pr. *eductæ*.

7. *Nec adducar, ut rear aut in extis.*] Vix potui refrenare manum, quin ejicerem illud *ut rear*, quod nullo apice compareret in Pal. prim. aut ſecund. & certe Latine loquetur Tullius, quamvis reſecetur.

8. *Quæ Tegeatis.*] Eſt Turnebi conjectura, quam ſibi putidè arrogare nititur Lambinus. vulgata, *Taygetis*, ad quam magis inclinant mſſ. quam ad priorem.

9. *Evanuiſſe & exaruiſſe amnes.*] Illud *evanuiſſe &*, redditum auctori volentibus membranis noſtris. quid quod & Victoriana agnoſcit editio. & habet ſanè heic quod agat.

10. *Sed, ut vis acciderit.*] Pal. pr. & ſec. *occiderit*, quod ſalivam nonnullis movebit. Urſini liber *ut ut vis occiderit*.

11. *Syracuſiorum tyrannus fuit.*] Pal. pr. *Syracuſanorum*.

12. *Galleotæ.*] Si ſtandum à numero mſſ. reſcribendum *Galleatæ*. ſic enim Pal. pr. ſec. Pith. S. Victoris. liber tamen Urſini noſtri *Galeotæ*. quomodo vocati Stephano.

13. *Ut ait Philiſtus.*] Non videtur Tullii, ſed librarii. proximè enim præceſſit, *ut ſcriptum apud Philiſtum eſt*.

Græciæ diuturna cum fortuna fore. Num te ad fabulas revoco vel noſtrorum vel Græcorum poëtarum? narrat enim & apud Ennium Veſtalis illa:

Excita cùm tremulu anus attulit artubu' lumen,
Talia commemorat lacrymans exterrita ſomno,
Euridica prognata, pater quam noſter amavit,
Vires, vitaque corpu' meum nunc deſerit omne.
Nam me viſus homo pulcher per amœna ſalicta
Et ripas raptare, locoſque novos. ita ſola
Poſt illa, germana ſoror errare videbar,
Tardaque veſtigare, & quærere te, neque poſſe
Corde capeſſere. ſemita nulla pedem ſtabilibat.
Exin compellare pater me voce videtur
His verbis [1] *cognata, tibi ſunt antè gerenda.*
Hæc pater effatus germana, repente receſſit
Ærumnæ poſt: ex fluvio [2] *fortuna reſiſtit;*
Nec ſeſe dedit in conſpectum corde cupitus
Quamquam multa manus, ad cœli cærula templa
Tendebam lacrymans, & blanda voce vocabam.
Vix ægro tum corde meo me ſomnu' reliquit.

21 Hæc, etiam ſi ficta ſunt à poëta, non abſunt tamen à conſuetudine ſomniorum. Sit ſanè etiam illud commentitium, quo Priamus eſt conturbatus.

Quia mater gravida parere ſe ardentem facem
Viſa eſt in ſomnis Hecuba: quo facto pater
Rex ipſe Priamus, ſomnio [3] *mentis metu*
Perculſus, [4] *curis ſumtus ſuſpirantibus*
Exſacrificabat hoſtiis balantibus.
[5] *Tum conjectorem poſtulat, pacem petens,*
Ut ſe edoceret obſecrans Apollinem,
Quo ſeſe vertant tantæ ſortes ſomniûm.
Ibi ex oraclo voce divina edidit
Apollo; puerum, primus Priamo qui foret
Poſt illa [6] *natus tempora, hunc ſi tolleret,*
Eum eſſe exitium Trojæ, peſtem Pergamo.

Sint hæc ut dixi, ſomnia fabularum: hiſque adjungatur etiam Æneæ ſomnium: quod in Numerii Fabii Pictoris Græcis annalibus ejuſmodi eſt, ut omnia, quæ ab Ænea geſta ſunt, quæque illi acciderunt, ea fuerint, quæ ei ſe-
22 cundum quietem viſa ſunt. Sed propiora videamus. cujuſnam modi eſt Superbi Tarquinii ſomnium, de quo in Bruto Accii loquitur ipſe?

[7] *Cùm jam quieti corpus nocturno impetu*
Dedi, ſopore placans artus languidos;
[8] *Viſum eſt in ſomnis paſtor ad me appellere,*
Duos conſanguineos arietes inde eligi,
[9] *Pecus lanigerum eximia pulchritudine:*
Præclarioremque alterum [10] *immolare me:*
Deinde ejus germanum cornibus connitier
In me arietare, eoque ictu me ad caſum dari:
Exin proſtratum terra graviter ſaucium.
Reſupinum; in cœlo contueri maximum,
Ac mirificum facinus; dextrorſum orbem flammeum
Radiatum ſolis [11] *liquier curſu novo.*

Ejus igitur ſomnii à conjectoribus quæ ſit interpretatio facta, videamus.

Rex, quæ invita uſurpant homines, cogitant, curant, vident,
Quæque ajunt vigilantes, agitantque, ea ſi cui in ſomnis accidunt,
Minùs mirum eſt: ſed in re tanta haud temerè improviſo offerunt,
Proin vide, ne, quem tu eſſe hebetem deputes, æquè ac pecus,
Is ſapientia munitum pectus egregium gerat,
Teque regno expellat. Nam id quod de ſole [12] *oſtentum eſt tibi,*
Populo commutationem rerum portendit fore.
[13] *Perpropinqua* [14] *hæc bene verruncent populo. nam quod ad dexteram*
Cœpit curſum ab læva ſignum præpotens, pulcherrimè
Auguratum eſt, rem Romanam publicam ſummam fore.

Age nunc ad externa redeamus. Matrem Phalaridis ſcri- 23
bit Ponticus Heraclides, doctus vir, auditor, & diſcipulus Platonis, viſam eſſe videre in ſomniis ſimulacra deorum, [15] quæ ipſa Phalaris domi conſecraviſſet: ex his Mercurium è patera, quàm dextra manu teneret, ſanguinem viſum eſſe fundere: qui cùm terram attigiſſet, refervescere videretur ſic ut tota domus ſanguine redundaret. Quod matris ſomnium immanis filii *crudelitas* comprobavit. Quid ego, quæ magi Cyro illi principi interpretati ſunt, [16] ex Dinonis Perſicis libris proferam? nam cùm dormienti ei ſol ad pedes viſus eſſet, ter eum ſcribit fruſtra appe-

---

1. *Cognata tibi ſunt antè gerenda. Hæc pater, &c. Ærumnæ poſt. ex fluvio.*] Sic Aldi vetus, ſic omnes, mſſ. noſtri, niſi quòd diſtinctio mea eſt, videbatur enim duriuſculum: *ante gerendæ (Hæc pater effatus, germana repente receſſit) Ærumnæ: poſt ex fluvio, &c.* quomodo ediderat Victorius. poſt editi tranſpoſuere verſum. Lambinus præterea *cognata*, mutavit in *o. gnata*; ſecutus conjecturam Turnebi, cujus meminit lib. v. Adverſ. cap. 21.

2. *Fortuna reſiſtit.*] Sic Pith. & Pal. pr. alii *reſiſtet*, quod & in vulgg. Pal. ſec. præfert, *receſſit*; qui & interpunxerat, *Ærumnæ poſt ex fluvio. fortuna receſſit.* forſan non male.

3. *Mentis metu perculſus.*] Lambinus *mentem.* ſed contra mſſ. neque erat neceſſe. nam *mentis perculſus* dictum, ut Terentio, *animi perculſus.* Gulielmius.

4. *Curis ſumptus ſuſpirantibus.*] Edebatur antea, *ſumptis*, ſed mutavi ſecutus Gulielmii mentem, & librum Fulvii Urſini, item mſſ. Pal. pr. tert. & librum S. Victoris, in quibus hærebat alterum. *ſumptus* pro *conſumptus, maceratuſque.* Terentius: *Curæ ſumitur, dum tibi ſit quod placeat.*

5. *Tum conjectorem poſtulat.*] Pall. omnes & S. Victoris exemplar. *conjecturam*, quod probabatur Gulielmio, pro *conjectrici Sibylla.*

Ibi ex oraclo voce divina edidit
Apollo, puerum primus Priamo qui foret
Poſt illa natus, temperaret tollere,
Eum eſſe exitium Troiæ, peſtem Pergamo.

Sic refingendi verſus illi ex optimo noſtro codice. *Iſ. Voſſius.*

6. *Natus; temperaret tollere: Eum, &c.*] Ita recte edidit P. Victorius. ineptè ante & poſt cuſi; *natus tempora, hunc ſi tolleret.* Pal. ſec. habebat, *natus, temptaret tollere.* Codex S. Victoris ſolum habebat, *natus tempora, Eum, &c.* neque plus erat in Pal. pr. aut Pithœano, niſi quod hic *ipſa* per compendium, loco *tempora.* tert. *tempora & tolleret.* quart. *tempora & tollere. quod in Numerii Fabii Pictoris.* Conjecturam Sigonii admiſit dudum Aldus Nepos; itaque nec mihi excludenda videbatur; quod nihil ſani eſſet in vulgato, *in numerum Fabii*; adprobaſſetque alterum Turnebi cenſura, præ ſeque tulerit, P. Manutium ſic inveniſſe in libris antiquis.

7. *Cùm jam quieti.*] Sic quidem hactenus editi; ſed adverſantibus membranis Pall. Pithœi & S. Victoris omnibus. Eæ enim *Quoniam quieti.* quod item poni pro *poſtquam* meminit Donatus, qui videatur.

8. *Viſum eſt in ſomnis paſtor.*] Vulgati *paſtorem.* Aldi vetus & Victorii editio, *Viſus eſt in ſomnis paſtor.* Lambinus, *Viſus in ſom. paſtor.* ſed noſtrum illud viſitur in quatuor Pall. in Pith. in S. Victoris, annotavitque Gulielmius dictum, ut *pugna factum eſt.*

9. *Pecus lanigerum.*] Nihil variant mſſ. noſtri. Bene tamen monet P. Manutius Muretum Notis in Terentium ſic tranſponendos putare verſus: *ad me appellere petus lanigerum eximia pulcritudine. Duos conſanguineos, &c.* poteſt tamen conſiſtere vulgatum.

10. *Immolare me.*] Ridiculè Lambinus contra editos ineditoſque *involare.* nam Tarquinius utique fratrem Bruti occidit.

11. *Liquier curſu novo.*] Pall. duo priores melioreſque *linquier.* quod mihi rectius.

12. *Oſtentum eſt tibi.*] Pal. pr. ſec. quart. *oſtenſum.*

13. *Perpropinqua hæc, &c.*] Lambinus arripuit Turnebi *fore perpropinquam hæc bene, &c.* malè & contra omnes mſſ. *perpropinqua* poſitum, pro *perpropinquè* ut *crebrà* Virgilio, alia aliis. Gulielm.

14. *Hæc benè verruncent.*] Pal. pr. & Pithœanus, *averruncent*, neque video cur admitti non debeat.

15. *Quæ ipſa Phalaris.*] Revocavi quod erat in Pal. pr. ſecund. & membranis S. Victoris. nam Pithœi liber & Marſi editio non habent vocem tertiam. vulgati; *Phalaridis.* & verò ſi alii adhuc codices ea voce carent, abjiciatur.

16. *Ex Dinonis Perſicis libris.*] Haud aliter Pal. tert. ac quart. item S. Victoris, niſi quod adjiciant literam, *Dinoniſi.* inde natum publicatorum hactenus, *Dionyſii.* interim videatur Muretus l. xi. c. 14. Var. lect. Gulielmius putabat gloſſema τὸ *libris*, & videtur.

appetiviſſe manibus, cùm ſe convolvens ſol elaberetur, & abiret: ei magos dixiſſe (quod genus ſapientum & doctorum [1] habebatur in Perſis) ex triplici appetitione ſolis, XXX annos Cyrum regnaturum eſſe, portendi. quod ita contigit. nam ad ſeptuageſimum pervenit, cum XL. natus annos regnare cœpiſſet. Eſt profectò quiddam etiam *in Barbaris* gentibus præſentiens, atque divinans: ſiquidem ad mortem proficiſcens Calanus Indus [2] cùm adſcenderet in rogum ardentem, O PRÆCLARUM diſceſſum, inquit, è vita, cùm, ut Herculi contigit, mortali corpore cremato, in lucem animus exceſſerit. Cumque Alexander eum rogaret, ſi quid vellet, ut diceret. *Optimè*, inquit: *propediem te videbo.* quod ita contigit. nam Babylone paucis pòſt diebus Alexander eſt mortuus. Diſcedo parumper à ſomniis: ad quæ mox revertar. Qua nocte templum Epheſiæ Dianæ deflagravit, eadem conſtat ex Olympiade natum eſſe Alexandrum, atque ubi lucere cœpiſſet, clamitaſſe magos, *peſtem, ac perniciem Aſiæ proxima nocte natam.*

24 Hæc de Indis, & Magis. Redeamus ad ſomnia. Hannibalem Cœlius ſcribit, cùm columnam auream, quæ eſſet in fano [3] Junonis Laciniæ, auferre vellet, dubitaretque, utrùm ea ſolida eſſet, an extrinſecus inaurata, perterebraviſſe: cumque ſolidam [4] inveniſſet, ſtatuiſſetque tollere, ei ſecundum quietem viſam eſſe Junonem prædicere, *ne id faceret*, minarique, ſi id feciſſet, ſe curaturam, ut eum quoque oculum, quo bene videret, amitteret: idque ab homine acuto non eſſe neglectum: itaque ex eo auro, [5] quod exterebratum eſſet, buculam curaſſe faciendam, & eam [6] in ſumma columna collocaviſſe. Hoc idem in Sileni, quem Cœlius ſequitur, Græca hiſtoria eſt: is autem diligentiſſimè res Hannibalis perſecutus eſt: Hannibalem, cùm cepiſſet Saguntum, viſum eſſe in ſomnis à Jove in *deorum conſilium* vocari: quò cùm veniſſet, Jovem imperaſſe, ut Italiæ bellum inferret, ducemque ei unum è concilio datum: quo illum utentem, cum exercitu progredi cœpiſſe: tum ei ducem illum præcepiſſe, ne reſpiceret: illum autem id diutius facere non potuiſſe, elatumque cupiditate reſpexiſſe: tum viſam belluam vaſtam, & immanem, circumplicatam ſerpentibus, quacumque incederet, omnia arbuſta, virgulta, tecta pervertere: & eum admiratum quæſiſſe de deo, quodnam illud eſſet tale *monſtrum*: & deum reſpondiſſe, *vaſtitatem eſſe Italiæ*: præcepiſſeque ut pergeret protinus: quid retrò, atque à tergo fieret, ne laboraret. Apud Agathoclem ſcriptum in hiſtoria eſt, Hamilcarem Karthaginienſem, cùm oppugnaret Syracuſas, viſum eſſe audire vocem, SE POSTRIDIE CENATURUM SYRACUSIS: cùm autem is dies illuxiſſet, magnam ſeditionem in caſtris ejus *inter Pœnos, & Siculos* milites eſſe factam: quod cùm ſenſiſſent Syracuſani, improvisò eos in caſtra irrupiſſe, Hamilcaremque ab iis vivum eſſe ſublatum. Ita res ſomnium comprobavit. Plena exemplorum eſt hiſtoria, tum referta vita communis. At verò P. Decius ille, Q. filius, qui primus è Deciis conſul fuit, cùm eſſet tribun. mil. M. Valerio, A. Cornelio conſulibus, à Samnitibuſque premeretur noſter exercitus, cum pericula prœliorum iniret audaciùs, moneretùrque, *ut cautior eſſet*, dixit, quod exſtat in annalibus: ſibi in ſomniis viſum eſſe, cùm in mediis hoſtibus verſaretur, occidere cum maxima gloria. Et tum quidem incolumi exercitum obſidione liberavit. Poſt triennium autem cùm conſul eſſet, devovit ſe, & in aciem Latinorum irrupit armatus. quo ejus facto ſuperati ſunt, & deleti Latini. Cujus *mors ita glorioſa fuit, ut eandem concupiſceret filius*. Sed veniamus nunc, ſi placet, ad ſomnia philoſophorum. Eſt 25
apud Platonem Socrates, cùm eſſet in cuſtodia publica, dicens Critoni ſuo familiari, ſibi poſt tertium diem eſſe moriendum: vidiſſe ſe in ſomnis pulchritudine eximia fœminam, quæ ſe nomine appellans diceret Homericum quendam ejuſmodi verſum:

Tertia te Phthiæ tempeſtas læta locabit.

Quod ut eſt dictum, ſic ſcribitur contigiſſe. Xenophon Socraticus, [7] qui vir & quantus? in ea militia, qua cum Cyro minore perfunctus eſt, ſua ſcribit ſomnia. [8] quorum eventus mirabiles exſtiterunt. Mentiri Xenophontem, an delirare dicemus? Quid ſingulari vir ingenio Ariſtoteles, & pænè divino? ipſene errat? an alios vult errare, cùm ſcribit, Eudemum Cyprium, familiarem ſuum, iter in Macedoniam facientem Pheras veniſſe? quæ erat urbs in Theſſalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno [9] crudeli dominatu tenebatur: in eo igitur oppido ita graviter ægrum Eudemum fuiſſe, ut omnes medici diffiderent: ei viſum in quiete egregia facie juvenem dicere: [10] *fore ut perbrevi convaleſceret*, paucisque diebus interiturum Alexandrum tyrannum, ipſum autem Eudemum quinquennio pòſt domum eſſe rediturum. Atque ita quidem prima ſtatim ſcribit Ariſtoteles conſecuta; & convaluiſſe Eudemum; & ab uxoris fratribus interfectum tyrannum: quinto autem anno exeunte, cùm eſſet ſpes ex illo ſomnio, in Cyprum illum ex Sicilia eſſe rediturum, prœliantem eum ad Syracuſas occidiſſe: ex quo ita illud ſomnium eſſe interpretatum, ut, cùm animus Eudemi è corpore exceſſerit, tum *domum revertiſſe* videatur. [11] Adjungamus philoſophis doctiſſimum hominem, poëtam quidem divinum, Sophoclem: qui, cùm ex æde Herculis patera aurea gravis ſurrepta eſſet, in ſomnis vidit ipſum deum dicentem, qui id feciſſet. Quod ſemel ille, iterumque neglexit. ubi idem ſæpius, [12] aſcendit in Ariopagum: detulit rem. Ariopagitæ comprehendi jubent eum, qui à Sophocle erat nominatus. Is, quæſtione adhibita, confeſſus eſt, pateramque retulit. Quo facto, fanum illud *Indicis Herculis* nominatum eſt. Sed quid ego Græcorum? 26
neſcio quo modo me magis noſtra delectant. Omnes hoc hiſtorici, Fabii, Gellii, ſed proximè Cœlius. Cùm bello Latino ludi votivi maximi primùm fierent, civitas ad arma repentè eſt excitata. itaque ludis intermiſſis *inſtaurativi* conſtituti ſunt. qui antequam fierent, cumque jam populus conſediſſet, ſervus per circum, cùm virgis cæderetur, furcam ferens ductus eſt. Exin cuidam ruſtico Romano dormienti viſus eſt venire, qui diceret, [13] *præſulem ſibi non placuiſſe ludis*, idque ab eodem juſſum eſſe eum ſenatui

1. *Habebatur in Perſis.*] S. Victoris *in ſuperſis*, conjicitque Gulielmius *in Suſis*. ego ſinxerim potius *habebatur iis*, ſi tamen aliquid eſt mutandum.

2. *Cùm aſcenderet.*] Pal. pr. & S. Victoris, *inſcenderet* Pithœi, *deſcenderet*. unde facit Gulielmius, *eſcenderet*.

3. *Junonis Laciniæ.*] Libri noſtri ſex, aut *Lyciæ*, aut *Luciæ*. forte inquit Gulielmius, *Lucinæ*. malim vulgatum.

4. *Inveniſſet, ſtatuiſſetque tollere, ei ſecundum.*] Sic Victorii editio & membranæ Pithœi. item Pal. tert. quart. verùm pr. & ſec. *ſtatuiſſet tollere, et.* quod forte auctoris genuinum.

5. *Quod exterebratum eſſet.*] Pall. ille primus *terebratum*.

6. *In ſumma columna collocaviſſe.*] MSſ. ſex, *columnæ*. Pal. verò ſec. ac quart. præterea *imum*. quod fortaſſe melius.

7. [illegible] Vocem *vir* immiſcui, volentibus mſſ. noſtris, quibus accedebat editio Victorii.

8. *Quorum eventus mirabiles.*] Eſt & hoc ab iiſdem libris. nam recepta lectio, *quorum eventus mir.*

9. *Crudeli dominatu tenebatur.*] Idem iſtud eſt a dictis codicibus, & Victorianis, pro quo vulgati, *premebatur*. facinus proculdubio eorum, quibus ignota vis verbi alterius.

10. *Fore ut perbrevi convaleſceret.*] Ita Pal. ſec & S. Victoris congruitque cum eo quod ſequitur, *paucisque diebus*. illud *per* hactenus abfuit vulgatis.

11. *Adjungamus philoſophis.*] Vulgata lectio, *Adjungam*. ſed noſtrum extat in Pal. in S. Victoris, & Wouverianis, in editis a Victorio.

12. *Aſcendit in Ariopagum.*] Pal. ſec. *ſcandit*. tert. *ſcendit*, ut videatur excidiſſe vetus ſcriptura, *eſcendit*.

13. *Præſulem ſibi non placuiſſe.*] Tacet heic Gulielmius. ſed tamen cùm annotarit, legi in S. Victoris & Pithœano, *præſulem*, non, ut hactenus habuimus in editis, *præſultatorem*, ſcripturam receptam ejeci, tanto quidem fidentius, quod non compareret in ullo Palatinorum, in quibus omnino erat hæc noſtra. Haud aliter Capitolinus in Marco Philoſopho cap. IV. *Fuit in ſaliatu & præſul & vates*. proculdubio tale quid invenit & in ſuis Victorius, ſed non auſus ſuit exprimere.

natui nuntiare: illum non eſſe auſum. [1] iterum eſſe idem viſum, & monitum, *ne vim ſuam experiri vellet:* ne tum quidem eſſe auſum. exin filium ejus eſſe mortuum: eandem in ſomniis admonitionem fuiſſe tertiam. tum illum etiam debilem factum, rem ad amicos detuliſſe, quorum de ſententia lectula in curiam eſſe delatum, [2] cumque ſenatui ſomnium enarraviſſet, pedibus ſuis ſalvum reverti ſſe. Itaque ſomnio comprobato à ſenatu, ludos illos iterum inſtauratos memoriæ proditum eſt. [3] C. verò Gracchus multis dixit, ut ſcriptum apud eundem Cœlium eſt, ſibi in ſomnis quæſturam petenti Ti. fratrem viſum eſſe dicere, *quàm vellet cunctaretur, tamen eodem ſibi leto, quo ipſe interiiſſet, eſſe pereundum.* Hoc antequàm tribunus pleb. C. Gracchus factus eſſet, & ſe audiſſe ſcribit Cœlius, & dixiſſe multis. quo ſomnio quid invenire poteſt certius?

27 Quid? illa duo ſomnia, quæ creberrimè commemorantur à Stoicis, quis tandem poteſt contemnere? unum de Simonide: qui cùm ignotum quendam projectum mortuum vidiſſet, eumque humaviſſet, haberetque in animo navem conſcendere, moneri viſus eſt, ne id faceret, ab eo, quem ſepultura affecerat: *ſi navigaſſet, eum naufragio eſſe periturum:* itaque Simonidem rediſſe: periſſe ceteros, qui tum navigaſſent. Alterum ita traditum, clarum admodum ſomnium. Cùm duo quidam Arcades familiares iter unà facerent, & Megaram veniſſent, alterum ad cauponem divertiſſe: ad hoſpitem, alterum. qui ut cenati quieſcerent, concubia nocte [4] viſum eſſe in ſomnis ei, qui erat in hoſpitio, illum alterum orare, *ut ſubveniret*, quòd ſibi à caupone interitus pararetur: eum primò perterritum ſomnio ſurrexiſſe: dein cùm ſe collegiſſet: idque viſum pro nihilo habendum eſſe duxiſſet, recubuiſſe: tum ei dormienti eundem illum viſum eſſe rogare, ut, *quoniam ſibi vivo non ſubveniſſet, mortem ſuam ne inultam eſſe pateretur:* ſe interfectum in plauſtrum à caupone eſſe conjectum & ſuprà ſtercus injectum: petere, ut manè ad portam adeſſet, priuſquam plauſtrum ex oppido exiret. [5] hoc verò ſomnio eum commotum, manè bubulco præſtò ad portam fuiſſe: quæſiſſe ex eo, quid eſſet in plauſtro: illum perterritum fugiſſe, mortuum erutum eſſe: cauponem, re patefacta, pœnas

28 dediſſe. quid hoc ſomnio dici divinius poteſt? ſed quid aut plura, aut vetera quærimus? ſæpe tibi meum narravi; ſæpe ex te audivi tuum ſomnium: Me, [6] cùm Aſiæ Proconſul præeſſem, vidiſſe in quiete, cùm tu equo advectus ad quandam magni fluminis ripam, profectus ſubitò, atque delapſus in flumen, nuſquam apparuiſſes, me contremuiſſe, timore perterritum: tum te repentè lætum exſtitiſſe, eodemque equo adverſam adſcendiſſe ripam noſque inter nos eſſe complexos. Facilis conjectura hujus ſomnii: mihique à peritis in Aſia prædictum eſt, *fore eos eventus rerum, qui acciderunt.* Venio nunc ad tuum. audivi equidem ex te ipſo, ſed mihi ſæpius noſter Salluſtius narravit: cùm in illa fuga, *nobis glorioſa, patriæ calamitoſa*, in villa quadam campi Atinatis maneres, magnamque partem noctis vigilaſſes, ad lucem denique arctè, & graviter dormitare cœpiſſe. Itaque, quamquam iter inſtaret, te tamen ſilentium fieri juſſiſſe, neque eſſe paſſum te excitari: cùm autem experrectus eſſes hora ſecunda ferè, te ſibi ſomnium narraviſſe: viſum tibi eſſe, *cùm in ſolis locis* mœſtus errares, C. Marium cum faſcibus laureatis quærere ex te, quid triſtis eſſes: [7] cumque tu te tua patria vi pulſum eſſe dixiſſes, prehendiſſe eum dextram tuam, & bono animo te juſſiſſe eſſe, lictorique proximo tradidiſſe, ut te in monumentum ſuum deduceret: & dixiſſe, *in eo tibi ſalutem fore.* tum & ſe exclamaſſe Saluſtius narrat, reditum tibi celerem, & glorioſum paratum, & te ipſum viſum ſomnio delectari. nam illud mihi ipſi celeriter nuntiatum eſt, ut audiviſſes, in monumento Marii de tuo reditu magnificentiſſimum illud s. c. eſſe factum, referente optimo, & clariſſimo viro conſule, idque frequentiſſimo theatro, incredibili clamore, & plauſu comprobatum: dixiſſe te, nihil illo Atinati ſomnio fieri poſſe divinius. At multa *falſa.* Immò *obſcura* fortaſſe 29
nobis? ſed ſint falſa quædam, contra vera quid dicimus? quæ quidem multa plura evenirent, ſi *ad quietem integri iremus.* nunc onuſti cibo, & vino perturbata, & confuſa cernimus. Vide, quid Socrates in Platonis Politia loquatur. Dicit enim, *Cùm dormientibus ea pars animi, quæ mentis, & rationis ſit particeps, ſopita langueat: illa autem, in qua feritas quædam ſit, atque agreſtis immanitas, cùm ſit immoderato obſtupefacta potu, atque paſtu, exſultare eam in ſomno immoderateque jactari. itaque huic omnia viſa objiciuntur, à mente, ac ratione vacua: ut aut cum matre corpus miſcere videamur, aut cum quovis alio vel homine, vel deo, ſæpe bellua; atque etiam trucidare aliquem, & impiè cruentari, multaque facere impurè, atque tetrè, cum temeritate & impudentia. At qui ſalubri, & moderato cultu atque victu quieti ſe tradiderit, ea parte animi, quæ mentis & conſilii eſt* [8] *agitata, & erecta, ſaturataque bonarum cogitationum epulis: eaque parte animi, quæ voluptate alitur, nec inopia enecta, nec ſatietate affluenti (quorum utrumque præſtringere aciem mentis ſolet, ſive deeſt naturæ quippiam, ſive abundat, atque affluit) illa etiam tertia parte animi, in qua irarum exſiſtit ardor, ſedata, atque reſtincta: tum eveniet, duabus animi temerariis partibus compreſſis, ut illa tertia pars rationis, & mentis eluceat, & ſe vegetam ad ſomniandum, acremque præbeat: tum ei viſa quietis, occurrent tranquilla atque veracia.* Hæc verba ipſa Platonis expreſſi. Epicurum igitur audiemus potiùs? nam- 30
que Carneades concertationis ſtudio, modò ait hoc, modò illud. At ille quid ſentit? ſentit autem nihil umquam elegans, nihil decorum. Hunc ergo antepones Platoni, & Socrati? qui ut rationem non redderent, *auctoritate* tamen hos minutos philoſophos vincerent. Jubet igitur Plato, ſic ad ſomnum proficiſci corporibus affectis, ut nihil ſit, quod errorem animis, perturbationemque afferat. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, *ne faba veſcerentur*, quòd habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis, quærenti vera, contrariam. Cùm ergo eſt ſomno ſevocatus animus à ſocietate, & contagione corporis. tum meminit præteritorum, præſentia cernit, futura prævidet. jacet enim *corpus dormientis, ut mortui:* viget autem, & vivit animus. quod multo magis faciet poſt mortem, cùm omninò corpore exceſſerit. itaque appropinquante morte multo eſt *divinior.* Nam & idipſum vident, qui ſunt morbo gravi, & mortifero affecti, inſtare mortem. itaque his occurrunt plerumque imagines mortuorum: tamque vel maxime laudi ſtudent: eoſque qui ſecus, quàm decuit, vixerunt, *peccatorum ſuorum tum maximè pœnitet.* Divinare autem morienteis, etiam illo exemplo confirmat Poſidonius, quo affert, Rhodium quendam morientem ſex æqualeis

1. *Iterum eſſe idem juſſum.*] Non mihi ſit dubium reponendum *viſum*, quemadmodum extat in Pall. & Pith. & S. Vict. qui ultimus & ſupra diſertè habebat, *dormienti viſum eſt venire.* non auſus autem ſum delere vulgatum, quod veritas hujus loci non ita aperta cuivis ut prioris.

2. *Cumque ſenatui ſomnium enarraviſſet.*] Pal. pr. heic mancus eſt ob folium exciſum. ſed ſec. omninò non agnoſcit *cumque.* unde ſuſpicor, eſſe à librariorum liberalitate, detrahendamque adhuc literam poſtremam ab illo *enarraviſſet.*

3. *Cajus verò Gracchus, &c.*] Auribus admodum blanditur, S. Victoris, *Gracchus verò Cajus.*

4. *Viſum eſſe in ſomnis.*] Sic Pall. quatuor, Pithœanus & S. Victoris. vulgati, *in ſomniis.* Pal. præterea primus heic habet *copo* non *caupo;* quomodo tamen ceteri omnes.

5. *Hoc verò ſomnio commotum.*] Pal. pr. non habet pronomen *eum*, & jucundius auribus lectio accidat, ſi deſit.

6. *Cùm Aſiæ Procoſ. præeſſem.*] Ita rectè editio Victorii, & accedit plane Pal. tert. quart. & S. Victoris, in quibus *procis.* nam ceteri ſcripti, *provinciis.* recepta lectio, *provinciæ.*

7. *Cumque tu te tua patria vi pulſum.*] Melius fortaſſe Pall. tres, *cumque te tu patria vi, &c.* nam quart. *te tum patr.* Victorii editio habet *cumque de tua patria.* S. Victoris liber *cumque tu patria vi pulſum*, forſan optimè.

8. *Agitata atque erecta.*] Lambinus *excitata*, ſed contra mſſ. & editos. neque erat cauſa.

leis nominaſſe, & dixiſſe, qui primus eorum, qui ſecundus,[1] qui deinde deinceps moriturus eſſet. Sed *tribus modis* cenſet deorum appulſu homines ſomniare: uno, quòd prævideat animus ipſe per ſeſe, quippe qui *deorum cognatione* teneatur: altero, quòd plenus aër ſit *immortalium animorum*, in quibus tanquam inſignitæ notæ veritatis appareant: tertiò, quòd ipſi dii *cum dormientibus* colloquantur: idque ut modo dixi, faciliùs evenit appropinquante morte, ut animi futura augurentur. Ex quo & illud eſt Calani, de quo antè dixi, & Homerici Hectoris, qui moriens pro-
31 pinquam Achilli mortem denuntiat. Neque enim illud verbum temerè conſuetudo approbaviſſet, ſi ea res nulla eſſet omnino.

Præſagibat animus, fruſtra me ire, cum exirem domo.

Sagire enim, ſentire acutè eſt: ex quo *ſagæ anus*, quia multa ſcire volunt: & *ſagaces* dicti *canes*. Is igitur, qui antè ſagit, quàm oblata res eſt, dicitur *præſagire*, id eſt futura antè ſentire. Ineſt igitur in animis *præſagitio* extrinſecus injecta, atque incluſa, divinitus. ea ſi exarſit acriùs, *furor* appellatur, cùm à corpore animus abſtractus divino inſtinctu concitatur.

Sed quid oculis [2] rabere viſa eſt derepentè ardentibus?
Ubi illa paullo ante ſapiens, virginali modeſtia?
[3] *Mater optuma, tum multo mulier melior, mulierum;*
Miſſa ſum ſuperſtitioſis hariolationibus:
Neque me Apollo fatis fandis dementem in vitam ciet.
[4] *Virgines vero æquales, patris, meùm factùm pudet,*
Optimi viri: mea mater, tui me miſeret, mei piget:
Optumam progeniem Priamo repperiſti extra me: hoc doiet,
[5] *Me obeſſe, illos prodeſſe, me obſtare, illos obſequi.*

O poëma tenerum & moratum, atque molle! ſed hoc minùs ad rem. illud, quod volumus, expreſſum eſt, ut vaticinari furor vera ſoleat.

[6] *Adeſt, adeſt fax obvoluta ſanguine, atque incendio:*
Multos annos latuit. [7] *cives referte opem, & reſtinguite.*

Deus incluſus corpore humano jam, non Caſſandra loquitur,

Jamque mari magno claſſis cita
Texitur: exitiùm examen rapit:
Advenit, & fera velivolantibus
Navibu' complevit manu littora.

32 Tragœdias loqui videor, & fabulas. At ex te ipſo non commentitiam rem, ſed factam, ejuſdem generis audivi: C. Coponium ad te veniſſe Dyrrhachio, cùm prætorio imperio claſſi Rhodiæ præeſſet, [8] cùm primis hominem prudentem, atque doctum: eumque dixiſſe remigem quendam è quinqueremi Rhodiorum vaticinatum, *madefactum iri minus* XXX. *diebus Græciam ſanguine:* rapinas Dyrrhachii, & conſcenſionem in naveis cum fuga; fugientibuſque miſerabilem reſpectum incendiorum fore: ſed Rhodiorum claſſi propinquum reditum, [9] ac domum itionem dari: tum neque te ipſum non eſſe commotum; Marcumque Varronem, & M. Catonem, qui tum ibi erant, doctos homines, vehementer eſſe perterritos: paucis ſanè pòſt diebus ex Pharſalica fuga veniſſe Labienum: qui cùm interitum exercitus nuntiaviſſet, reliqua vaticinationis brevi eſſe confecta. Nam & ex horreis direptum, *effuſumque frumentum* vias omneis, angiportuſque conſtraverat: & naveis ſubitò perterriti metu conſcendiſtis; & noctu ad oppidum reſpicientes, flagranteis onerarias, quas incenderant milites, *quia ſequi noluerant*, videbatis: poſtremò à Rhodia claſſe deſerti, verum vatem fuiſſe ſenſiſtis. Expoſui quàm breviſſimè potui, ſomnii, & furoris oracula, quæ carere arte dixeram. quorum amborum generum una ratio eſt, qua Cratippus noſter uti ſolet; animos hominum quadam ex parte extrinſecus eſſe tractos, & hauſtos. Ex quo intelligitur, eſſe extra divinum animum, humanus unde ducatur: humani autem animi eam partem, quæ ſenſum, quæ motum, quæ appetitum habeat, non eſſe ab actione corporis ſejugatam: quæ autem pars animi rationis, atque intelligentiæ ſit particeps, eam tum *maximè vigere, cùm plurimum abſit à corpore*. Itaque [10] expoſitis exemplis verarum vaticinationum, & ſomniorum Cratippus ſolet rationem concludere hoc modo. SI SINE OCULIS non poteſt exſtare officium, & munus oculorum; poſſunt autem aliquando oculi non fungi ſuo munere: qui vel ſemel ita eſt uſus oculis, ut vera cerneret; is habet ſenſum oculorum vera cernentium. Item igitur, ſi ſine divinatione non poteſt, & officium, & munus divinationis exſtare, poteſt autem quis, cùm divinationem habeat, errare aliquando, nec vera cernere: ſatis eſt ad confirmandam divinationem, ſemel aliquid eſſe ita divinatum, ut nihil fortuitò cecidiſſe videatur. Sunt autem ejus generis innumerabilia: eſſe
igitur divinationem confitendum eſt. Quæ verò aut *con-* 33
jectura explicantur, aut *eventis*, animadverſa, & notata ſunt, ea genera divinandi, ut ſuprà dixi, non naturalia, ſed artificioſa dicuntur. in quo haruſpices, augures, conjectoreſque numerantur. Hæc improbantur à Peripateticis: à Stoicis defenduntur. Quorum alia ſunt poſita in monumentis, & *diſciplina:* quod Etruſcorum declarant & haruſpicini,[11] & fulgurales, & rituales libri,[12] noſtri etiam augurales: alia autem ſubitò *ex tempore* conjectura explicantur, ut apud Homerum Chalcas, qui ex paſſerum numero belli Trojani annos auguratus eſt: & [13] ut in Sullæ ſcriptum hiſtoria videmus, quod te inſpectante factum eſt,

---

1. *Qui deinde deinceps moriturus.*] Verbum *deinde* revocavi è duobus Pall. melioribus; erat præterea in tert. & quarto, item Pithœano, ſed repetita præterea voce hoc modo: *qui deinde, qui deinceps.* quod etiam ferri queat.

2. *Rabere viſa.*] Ita codex antiquus Mureti de quo lib. IX. Var. lect. cap. 19. Ipſemet noſtri omnes unà literà aberrant, habentque *rapere*. Sequentem verſum conſtituere nititur Turneb. lib. V. Adverſ. cap. 22. ſed membranæ noſtræ ſtant à vulgatis.

3. *Mater optuma, tum multo mulier optima, mulierum.*] Addidi *mulierum*, ex Pall. & Gallicanis duobus. Gulielmius concinnare volebat, *Mater optumatum multo mul. opt. mulierum.*

4. *Virgines vero æquales, patris mei, meùm factùm pudet.*] Pal. pr. non agnoſcit illud *factum* habetque *mecum:* quod ultimum quoque eſt in Pithœano, ſed retinet tamen *factum*.

5. *Me obeſſe, illos prodeſſe.*] Sic Pal. pr. ac ſec. forte *Meme obeſſe.* eſt tamen aperte in tert. & quarto *Men obeſſe:* quod alia diſtinctione addita nota interrogatoria heic conveniat. Gulielmius ait in S. Vict. codice fuiſſe, *Men;* unde facit, *Me heu obeſſe.* Turnebus malebat *Med obeſſe*, quod ſtatim arripuit Lambinus.

6. *Adeſt, adeſt fax, &c.*] Lamb. e conjectura Turnebi: *Ah, adeſt fax.* præter mſſ. qui duplicant vocem. fortè fuit, *Ades, ades.*

7. *Cives referte opem.*] Non potui excludere illud *re* inventum a me in Pall. quatuor, a Gulielm. in S. Vict. & Pithœano. ſicque locutus Cicero lib. III. de legibus cap. 19. m. Turneb. libro V. cap. 22 putabat *re* tollendum, verſus cauſa.

8. *Cum primis hominem prudentem, &c.*] Si præſcriptioni membranarum adquieſcimus, reſcribendum *cum primo.* ita enim quatuor Pall. item S. Victoris & Pithœanus; neque aliter fuiſſe in mſſ. Victorii, fidem facit editio, in qua idem expreſſum.

9. *Ac domuitionem dari.*] Etiam iſtam admiſi ſcripturam, exhibitam a codice Fulvii Urſini, item S. Victoris: niſi quod is *domuicionem.* nam Pall. *domum itionem.* de qua voce conſulatur Andr. Schottus noſter lib. IV. Nodorum Cicer. cap. 10.

10. *Expoſitis exemplis.*] Ita Pall. quatuor, & Wouveriani, exhibuitque editione ſua Petrus Victorius. alii, *ex ipſis exemplis.*

11. *Et fulgurales & rituales libri.*] Aut omnia me fallunt, aut reſtituendam eſt fide Pal. ſec. *& tonitruales*, ſanè *rituales* heic plane ſunt inepte; & alioquin eſt in Pal. tert. ac quart. *trituales.*

12. *Noſtri etiam augurales.*] Non vacat retro legere, qui loquatur. ſed monendus lector, Pall. omnes & Pithœanum ſervare *veſtri.* neque temeraria eſt talis conſpiratio.

13. *Ut in Sullæ ſcriptum hiſtoria videmus, &c. ut cum ille, &c.*] Feliciter hunc locum emendavimus præeuntibus libris mſſ. ſex, quatuor Pall. item Pithœano & S. Victoris. hactenus falsò lectum, *ut in Siſennæ ſcriptum hiſt. vid. &c. ut cum Sylla.* nimirum hæc talia cudit in Aldina officina Aſulanus, veroſimilia potius quàm vera. Petrus ſane Victorius tale quid quod nos in ſuis item invenit. nam etſi retineat *Siſennæ*, expreſſit tamen *ille.* quod quàm rectè adplicetur *Siſennæ*, ipſe viderit. contra dicit ei diſerte Val. Maximus lib. I. cap. 3.

eſt, ut, cùm ille in agro Nolano immolaret ante prætorium, ab infima ara ſubitò anguis emergeret, [1] cùm quidem C. Poſtumius haruſpex oraret illum, ut in expeditionem exercitum educeret, id cùm Sulla feciſſet, tum ante oppidum Nolam florentiſſima Samnitium caſtra cœpit. Facta conjectura etiam in Dionyſio eſt paullo antè, quàm regnare cœpit: qui cùm per agrum Leontinum iter faciens, equum ipſe dimiſiſſet in flumen: [2] ſummerſus equus voraginibus non extitit: quem cùm maxima contentione non potuiſſet extrahere, diſceſſit, ut ait Philiſtus, ægrè ferens. cùm autem aliquantulum progreſſus eſſet, ſubitò exaudivit hinnitum, reſpexitque, & equum alacrem lætus aſpexit, cujus in juba examen apum conſederat. Quod oſtentum habuit hanc vim, ut Dionyſius paucis pòſt diebus *re-*
34 *gnare cœperit.* Quid? Lacedæmoniis paullo ante Leuctricam calamitatem quæ ſignificatio facta eſt, cùm in Herculis fano arma ſonuerunt, Herculiſque ſimulacrum multo ſudore manavit? At eodem tempore Thebis, ut ait Calliſthenes, in templo Herculis valvæ clauſæ repagulis, ſubitò ſe ipſæ aperuerunt: armaque, quæ fixa in parietibus fuerant, ea ſunt humi inventa. Cùmque eodem tempore apud Lebadiam Trophonio res divina fieret, gallos gallinaceos in eo loco ſic aſſiduè canere cœpiſſe, ut nihil intermitterent: tum augures dixiſſe Bæotios, Thebanorum eſſe victoriam, propterea quòd avis illa *victa ſilere ſoleret: canere, ſi viciſſet.* Eademque tempeſtate multis ſignis, Lacedæmoniis Leuctricæ pugnæ calamitas denuntiabatur. Namque & Lyſandri, qui Lacedæmoniorum clariſſimus fuerat, ſtatuæ, quæ Delphis ſtabat, in capite *corona* ſubitò extitit ex aſperis herbis & agreſtibus: [3] ſtellæque aureæ, quæ Delphis erant à Lacedæmoniis poſitæ poſt navalem illam victoriam Lyſandri, qua Athenienſes conciderunt, qua in pugna quia Caſtor, & Pollux cum Lacedæmoniorum claſſe viſi eſſe dicebantur, eorum *inſignia deorum, ſtellæ aureæ*, quas dixi, Delphis poſitæ, paullo ante Leuctricam pugnam deciderunt, neque repertæ ſunt. Maximum verò illud portentum iiſdem Spartiatis fuit, quòd, cùm oraculum ab Jove Dodonæo petiviſſent, de victoria ſciſcitantes, legatique illud, in quo inerant ſortes, collocaviſſent: ſimia, quam rex Moloſſorum in deliciis habebat, & ſorteis ipſas, & cetera, quæ erant ad ſortem parata, diſturbavit, & aliud aliò diſſipavit. Tum ea, quæ propoſita erat oraculo, ſacerdos dixiſſe dicitur, *de ſalute Lacedæmoniis eſſe, non de*
35 *victoria cogitandum.* Quid? bello Punico ſecundo, nonne C. Flaminius conſul iterum, neglexit ſigna rerum futurarum magna cum clade reip.? Qui, exercitu luſtrato, cùm Arretium verſus caſtra moviſſet, & contra Annibalem legiones duceret: & ipſe, & equus ejus ante ſignum Jovis ſtatoris ſine cauſa repentè concidit, nec eam rem habuit religioni, *objecto ſigno*, ut peritis videbatur, ne committeret prælium. Idem cùm tripudio auſpicaretur, pullarius diem prœlii committendi differebat. Tum Flaminius ex eo quæſivit, ſi ne poſtea quidem pulli paſcerentur, quid faciendum cenſeret. Cùm ille quieſcendum reſpondiſſet: Flaminius, *Præclara verò auſpicia, ſi eſurientibus pullis res geri poterit, ſaturis nihil geretur.* itaque ſigna convelli, & ſe ſequi juſſit. Quo tempore, cùm ſignifer primi haſtati ſignum non poſſet movere loco, nec quidquam proficeretur, plures cùm accederent; Flaminius re nuntiata, ſuo more neglexit. itaque [4] tribus his horis conciſus exercitus, atque ipſe interfectus eſt. Magnum illud etiam, quod addidit Cœlius, [5] eo tempore ipſo, cùm hoc calamitoſum fieret prœlium, tantos *terræ motus* in Liguribus, Gallia, compluribuſque inſulis, totaque in Italia factos eſſe, ut multa oppida corruerint, multis locis labes factæ ſint, terræque deſederint, fluminaque in contrarias parteis fluxerint; atque
in amneis mare influxerit. Fiunt certè divinationum *con-* 36
jecturæ à peritis. Midæ illi Phrygio, cum puer eſſet, dormienti formicæ in os tritici grana congeſſerunt. *Divitiſſimum fore*, prædictum eſt. quod evenit. At Platoni, cùm in cunis parvulo dormienti apes in labellis conſediſſent, reſponſum eſt, *ſingulari illum ſuavitate orationis fore.* ita futura eloquentia proviſa in infante eſt. Quid amores, ac deliciæ tuæ Roſcius? num aut ipſe, aut pro eo Lanuvium totum mentiebatur? qui cùm eſſet in cunabulis, educareturque in Selonio, qui eſt campus agri Lanuvini; noctu lumine appoſito experrecta nutrix animadvertit puerum dormientem *circumplicatum ſerpentis amplexu.* quo adſpectu exterrita, clamorem ſuſtulit. Pater autem Roſcii ad haruſpices retulit. qui reſponderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore. Atque hanc ſpeciem Praxiteles cælavit argento, & noſter expreſſit Archias verſibus. Quid igitur exſpectamus? an dum in foro nobiſcum dii immortales, dum in viis verſentur, dum domi? qui quidem ipſi ſe nobis non offerunt, *vim autem ſuam longè, lateque diffundunt.* Quam cùm terræ cavernis includunt, tum hominum naturis implicant. Nam terræ vis Pythiam Delphis incitabat, naturæ Sibyllam. Quid enim? non videmus, quam ſint varia terrarum genera, ex quibus & *mortifera* quædam pars eſt, ut & Ampſancti in Hirpinis, & in Aſia Plutonia, quæ videmus. & ſunt partes agrorum aliæ *peſtilentes*: aliæ *ſalubres*: aliæ quæ *acuta* ingenia gignant: aliæ, quæ *retuſa.* quæ omnia fiunt & ex cœli varietate, & ex diſparili adſpiratione terrarum. Fit etiam ſæpè ſpecie quadam, ſæpe vocum gravitate, & cantibus, ut pellantur animi vehementius: ſæpe etiam cura, & timore: qualis eſt illa,

Flexanima tanquam lymphata, [6] *ut Bacchi ſacris*
Commota: in tumulis Teucrum commemorans ſuum.

Atque etiam illa concitatio declarat vim in animis eſſe di- 37
vinam. negat enim, *ſine furore* Democritus *quemquam poëtam magnum eſſe poſſe.* quod idem dicit Plato. quem, ſi placet, appellet furorem, dummodò is furor ita laudetur, ut in Phædro Platonis laudatus eſt. Quid veſtra oratio in cauſis? quid ipſa actio? poteſt eſſe vehemens, & gravis, & copioſa, niſi eſt *animus* ipſe *commotior*? equidem etiam in te ſæpè vidi: & (ut ad leviora veniamus) in Æſopo familiari tuo, tantum ardorem vultuum, atque motuum, ut eum vis quædam abſtraxiſſe *à ſenſu mentis* videretur. Objiciuntur etiam ſæpe formæ, quæ reapſe nullæ ſunt: ſpeciem autem offerunt. Quod contigiſſe Brenno dicitur, ejuſque Gallicis copiis, cùm fano Apollinis Delphici nefarium bellum intuliſſet. tum enim ferunt, ex oraculo [7] effatam eſſe Pythiam,

Ego providebo rem iſtam, & albæ virgines.

ex quo factum, ut & viderentur virgines ferre arma contrà, & nive Gallorum obrueretur exercitus. Ariſtoteles quidem eos etiam, qui valitudinis vitio furerent, & melancholici dicerentur, cenſebat habere aliquid in animis
præſagiens, atque divinum. Ego autem haud ſcio, an nec 38
cardiacis hoc tribuendum ſit, nec phreneticis. *animi* enim *integri*, *non vitioſi corporis eſt divinatio.* Quam quidem eſſe re vera, hac Stoicorum ratione concluditur. SI SUNT DII, neque antè declarant hominibus quæ futura ſunt: aut non diligunt homines: aut, quid eventurum ſit, ignorant: aut exiſti-

1. *Cum quidem C. Poſtumius.*] Male libri vulgati, *quidam.* alterum extat in quadriga Pall. & prodidit Victorius, ſed nemo ſequi dignatus eſt: adeo procliviores ſumus in pejora.

2. *Submerſus voraginibus non extitit.*] Vox poſtrema mihi non placet. nihil tamen variant libri noſtri.

3. *Stellæque aureæ, &c. conciderunt.*] Aut omnia iſthæc ſupervacua ſunt, aut illa poſt, *qua in pugna & deciderunt.*

4. *Tribus his horis.*] Pronomen *his* coactus ſum interponere è libris ſcriptis, viſiturque in Victoriana.

5. *Eo tempore ipſo, cum hoc calamitoſum fieret prælium.*] Dictio *prælium* non eſt in mſſ. noſtris. habetque Pal. tert. *ipſo hoc quo cal.* & forſan quinque voces à fine, ſunt ſcribarum.

6. *Ut Bacchi ſacris.*] Sic ſolùm Pal. ſec. ceteri *Baccha.* & in nullo eſt, *aut*, quod Lambinus recepit in contextum ex conjectura J. Aurati.

7. *Effatam eſſe Pythiam.*] Eſt è Pithœi membranis, quibus accedebant veteri ratione ſcribendi Pal. prim. in quibus *ecfatam.* nam reliqui *hac fatam*; ut in hunc diem evulgati.

1. *Eu*

exiſtimant, nihil intereſſe hominum, ſcire quid futurum ſit. aut non cenſent eſſe ſuæ majeſtatis præſignificare hominibus quæ ſunt futura: aut ea ne ipſi quidem dii ſignificare poſſunt. At neque non *diligunt nos*: ſunt enim benefici, generique hominum amici: neque *ignorant ea*, quæ ab ipſis conſtituta, & deſignata ſunt. neque noſtra nihil intereſt, ſcire ea, quæ eventura ſunt: erimus enim *cautiores, ſi ſciemus*: neque hoc alienum ducunt majeſtate ſua: nihil eſt enim *beneficientia præſtantius*: neque non poſſunt futura prænoſcere. Non igitur ſunt dii, nec ſignificant futura. Sunt autem dii: ſignificant ergo. [1] Et non ſi ſignificant, nullas vias dant nobis ad ſignificationis ſcientiam: fruſtra enim ſignificarent: nec, ſi dant vias, non eſt divinatio:
39 eſt igitur divinatio. Hac ratione & Chryſippus, & Diogenes, & Antipater utitur. Quid eſt igitur, cur dubitandum ſit, quin ſint ea, quæ diſputavi, veriſſima, ſi ratio mecum facit, ſi eventa, ſi populi, ſi nationes, ſi Græci, ſi barbari, ſi majores etiam noſtri, ſi denique hoc *ſemper ita putatum eſt*, ſi ſummi Philoſophi, ſi poëtæ, ſi ſapientiſſimi viri, qui res publicas conſtituerunt, qui urbeis condiderunt? an, dum beſtiæ loquantur, exſpectamus, hominum conſentiente auctoritate contenti non ſumus? Nec verò quidquam aliud affertur, cur ea, quæ dico, divinandi genera, nulla ſint: niſi quòd difficile dictu videtur, quæ cujuſque *divinationis ratio*, quæ *cauſa* ſit. Quid enim habet haruſpex, cur pulmo inciſus [2] etiam bonis extis dirimat tempus, & proferat diem? quid augur, cur à dextra corvus, à ſiniſtra cornix faciat ratum? quid aſtrologus, cur ſtella Jovis, aut Veneris conjuncta cum Luna ad ortus puerorum ſalutaris ſit: Saturni, Martiſve contraria? cur autem deus *dormienteis* nos moneat, *vigilanteis* negligat? quid deinde cauſæ ſit, cur Caſſandra furens futura proſpiciat, Priamus ſapiens hoc idem facere non queat? Cur fiat quidque, quæris? rectè omnino. ſed non nunc id agitur. fiat, necne fiat, id quæritur. ut ſi Magnetem lapidem eſſe dicam, qui ferrum [3] ad ſe alliciat, & trahat; rationem, cur id fiat, afferre nequeam: fieri omninò neges. Quod idem facis in divinatione. quam & cernimus ipſi, [4] & audimus, & legimus, & *à patribus accepimus*: neque ante philoſophiam patefactam, quæ nuper inventa eſt, hæc de re communis vita dubitavit: & poſtea, quàm philoſophia proceſſit, nemo aliter philoſophus ſenſit, in quo modò eſſet auctoritas. Dixi de Pythagora, de Democrito, de Socrate: excepi de antiquis, præter Xenophanem, neminem: adjunxi veterem Academiam, Peripateticos, Stoicos. unus diſſentit Epicurus. quid verò hoc turpius, quàm quod
40 idem nullam ſenſit gratuitam eſſe virtutem? Quis eſt autem, quem non moveat clariſſimis monumentis teſtata, conſignataque *antiquitas*? Chalcantem augurem ſcribit Homerus longe optimum, eumque [5] ducem claſſis fuiſſe. [6] at illum auſpiciorum credo ſcientia, non locorum. Amphilochus, & Mopſus, Argivorum reges fuerunt, ſed iidem augures: iiq; urbeis in ora maritima Ciciliæ Græcas condiderunt. Atque etiam ante hos Amphiaraus, & Tireſias, non humiles, & obſcuri, neque eorum ſimiles, ut apud Ennium eſt:

Qui ſui quæſtus cauſa fictas ſuſcitant ſententias.

ſed clari, & præſtantes viri, qui avibus, & ſignis admoniti futura dicebant. Quorum de altero etiam apud inferos Homerus ait, *ſolum ſapere, ceteros umbrarum vagari modo.* Amphiaraum autem ſic honoravit fama Græciæ, deus ut haberetur, atque ut ab ejus ſolo, in quo eſt humatus, [7] oracula peterentur. Quid Aſiæ rex Priamus, nonne & Helenum filium & Caſſandram filiam divinanteis habebat, alterum *auguriis*, alteram *mentis* [8] *incitatione, & permotione divina?* quo in genere Martios quoſdam fratres, nobili loco natos, apud majores noſtros [9] fuiſſe ſcriptum videmus. Quid? Polyidum Corinthium, nonne Homerus & aliis multa, & filio ad Trojam proficiſcenti, mortem prædixiſſe commemorat? Omnino apud veteres, *qui rerum potiebantur, iidem auguria tenebant.* ut enim ſapere, ſic divinare regale ducebant, ut teſtis eſt noſtra civitas: in qua & reges, augures, & poſtea privati eodem ſacerdotio præditi remp. religionum auctoritate rexerunt. Eaque divinatio- 41
num ratio ne in barbaris quidem gentibus neglecta eſt. ſi quidem & in Gallia [10] *Druidæ* ſunt, è quibus ipſe Divitiacum Æduum, hoſpitem tuum, laudatoremque cognovi: qui & naturæ rationem, quam Phyſiologiam Græci appellant, notam eſſe ſibi profitebatur, & partim auguriis, partim conjectura, quæ eſſent futura dicebat. Et in Perſis augurantur, & divinant *Magi*, qui congregantur in fano commendandi cauſa, atque inter ſe colloquendi: quod etiam idem vos quondam facere Nonis ſolebatis. nec quiſquam rex Perſarum poteſt eſſe, qui non antè magorum diſciplinam, ſcientiamque perceperit. Licet autem videre & genera quædam, & *nationes* huic ſcientiæ deditas. Thelmeſſus in Caria eſt: qua in urbe excellit haruſpicum diſciplina. itemque Elis in Peloponneſo familias duas certas habet, Iamidarum unam: alteram, Cluditarum, haruſpicinæ nobilitate præſtanteis. In Syria Chaldæi cognitione aſtrorum, ſollertiaque ingeniorum antecellunt. Etruria autem de cælo tacta ſcientiſſimè animadvertit: eademque interpretatur, quid quibuſque oſtendatur monſtris, atque portentis. Quocirca benè apud majores noſtros ſenatus tum, cùm florebat imperium, decrevit, ut DE PRINCIPUM FILIIS [11] ſex ſingulis Etruriæ populis in diſciplinam traderentur, ne ars tanta propter *tenuitatem hominum* à religionis auctoritate abduceretur ad mercedem, atque quæſtum. Phryges autem, & Piſidæ, & Cilices, & Arabum natio, avium ſignificationibus plurimùm obtemperant. quod idem factitatum in Vmbria accepimus. Ac mihi quidem videntur è *locis quoque ipſis*, qui à quibuſque incolebantur, 42
divinationum opportunitates eſſe ductæ. ut enim Ægyptii, ut Babylonii in camporum patentium æquoribus habitantes, cùm ex terra nihil emineret, quod contemplationi cæli officere poſſet, omnem curam in ſiderum cognitione poſuerunt. Etruſci autem, quod religione imbuti ſtudioſiùs, & crebriùs hoſtias immolabant, extorum cognitioni ſe maximè dediderunt: quodque propter *aëris craſſitudinem* de cælo apud eos multa fiebant, & quòd ob eandem cauſam multa inuſitata partim è cælo, alia ex terra oriebantur, quædam

1. *Et non ſi ſignificant.*] Victorii editio, *Etſi, non*, quomodo & Pall. omnes.

2. *In bonis extis dirimat tempus.*] Lambini editiones aliquot, *boreis*, quod neſcio an ſit typographi ſphalma. Gulielmius maluiſſet *perimat tempus*. ſed alterum retinent mſſ.

3. *Ad ſe alliciat & trahat, rationem.*] Ita Pal. prim. & ſec. item editi à Victorio. Pithœanus, *& attrahat rationem*; vulgati, *& trahat, at rationem.* quod etiam in Pal. tert. & quarto, ſequioris notæ codicibus.

4. *Et audimus.*] Aliæ edd. *audivimus*. ſed noſtra eſt in omnibus Pall. habetque Victoriana.

5. *Ducem claſſium fuiſſe.*] Ita Marſi editio & Victorii, neque aliter Pal. ſec. aut Pithœanus. nam pr. *claſſici*. cum linea jacente ſupra literam extremam: tert. ac quart. *claſſicis*. S. Victoris *claſſicum*. vulgati *claſſis*.

6. *At illum auſpiciorum.*] Corrupti heic omnes libri. vix tamen cordato dubium quin reſcribendum ſit cum Gulielmio, *ducem claſſium fuiſſ. ad Ilium, auſp. &c.* emendatio palmaria.

7. *Oracula peterentur.*] Pithœanus addit, *vel præſtarentur*, & verò, Pal. pr. *præterentur*. ut forſan *præſtarentur* verum ſit.

8. *Incitatione & permotione divina.*] Illud, *& permotione*, manavit ab editione Victorii, reſtatque in S. Victoris & Pall. omnibus, niſi quod ſec. *promotione*.

9. *Fuiſſe ſcriptum videmus.*] Supervacua videri queat dictio ultima *videmus*.

10. *Druidæ ſunt.*] Sic fere Pall. omn. & Gulielmiani; non *Druides*, ut editi ante Victorium, quem tamen nemo ſequi auſus, cùm niteretur procul dubio auctoritate librorum antiquorum; ut nos.

11. *Sex ſingulis Etruriæ populis.*] Lipſius lib. II. Electorum c. II. fine, putat inſinuaſſe heic ſe errorem, reponendumque *duodecim*. non putarim. etſi enim totidem fuerint populi, non id negat Tullius, ſed vult fortè duodecim illis Etruriæ populis concreditos in univerſum ſexaginta duos filios principum Romanorum. aliter hæc Valerius ſcio, ſed quid ſi & ille locus in menda cubat. verùm ego non pertendo, neque niſi ipſi mea ſatisfacit interpretatio.

1. *Somniandi*

quædam etiam ex hominum, pecudumve conceptu, & ſatu, oſtentorum exercitatiſſimi interpretes exſtiterunt. quorum quidem vim, ut tu ſoles dicere, verba ipſa prudenter à majoribus poſita declarant. quia enim oſtendunt, portendunt, monſtrant, prædicunt, *oſtenta*, *portenta*, *monſtra*, *prodigia* dicuntur. Arabes autem, & Phryges, & Cilices, quòd paſtu pecudum maximè utuntur, campos, & monteis hieme, & æſtate peragrantes, propterea faciliùs *cantus* avium, & *volatus* notaverunt. eademque & Piſidiæ cauſa fuit, & huic noſtræ Umbriæ. Tum Caria tota, præcipueque Telmeſſes, quos antè dixi, quod agros uberrimos, maximeque fertileis incolunt, in quibus multa propter fœcunditatem fingi, gignique poſſunt, in *oſtentis* animad-
43 vertendis diligentes fuerunt. Quis verò non videt, in optima quaque rep. plurimùm auſpicia, & reliqua divinandi genera valuiſſe? quis rex umquam fuit, quis populus, qui non uteretur *prædictione divina*? neque ſolùm in pace, ſed in bello multo etiam magis: quo majus erat certamen, & diſcrimen ſalutis. Omitto noſtros, qui nihil in bello ſine extis agunt, nihil ſine auſpiciis domi habent. Auſpicia externa videamus. Nam & Athenienſes omnibus ſemper publicis conſiliis divinos quoſdam ſacerdotes, quos *manteis* vocant, adhibuerunt: & Lacedæmonii regibus ſuis augurem aſſeſſorem dederunt; itemque ſenibus (ſic enim conſilium publicum appellant) augurem intereſſe voluerunt: iidemque de rebus majoribus ſemper aut Delphis oraculum, aut ab Hammone, aut à Dodona petebant. Lycurgus quidem, qui Lacedæmoniorum remp. temperavit, *leges ſuas* auctoritate Apollinis Delphici, confirmavit. quas cùm vellet Lyſander commutare, eâdem eſt prohibitus religione. Atque etiam qui præerant Lacedæmoniis, non contenti vigilantibus curis, in Paſiphaæ fano, quod eſt in agro propter urbem, [1] ſomniandi cauſa excubabant, quia vera quietis oracula ducebant. Ad noſtra jam redeo. Quoties ſenatus decemviros ad libros ire juſſit? nam & cùm duo viſi ſoles eſſent, & cùm tres lunæ, & cùm faces, & cùm ſol noćte viſus eſſet, & cùm è cœlo fremitus auditus, & cùm cœlum diſceſſiſſe viſum eſt, atque in eo animadverſi globi. Delata etiam ad ſenatum labes agri Privernatis, cum ad infinitam altitudinem terra deſediſſet, Apuliaque maximis terræ motibus conquaſſata eſſet. quibus portentis *magna populo R. bella*, pernicioſæque ſeditiones denuntiabantur. inque his omnibus reſponſa haruſpicum cum Sibyllæ verſibus congruebant. Quid, cum Cumis Apollo ſudavit, Capuæ Victoria? quid ortus androgyni? nonne fatale quoddam monſtrum fuit? quid, quòd fluvius atratus ſanguine fluxit? quid, cùm ſæpe lapidum, ſanguinis nonnumquam, terræ interdum, quondam etiam [2] lactis imber effluxit? quid, cùm in Capitolio ictus centaurus è cœlo eſt? in Aventino portæ, & homines? Tuſculi ædes Caſtoris, & Pollucis, Romæque pietatis? nonne & haruſpices *ea reſponderunt, quæ evenerunt*, & in Sibyllæ libris eædem repertæ præ-
44 dictiones ſunt? Quoties ſenatus decemviros ad libros ire juſſit? quantis in rebus, quamque ſæpe reſponſis haruſpicum paruit? Ceciliæ, Q. filiæ, ſomnio, modò, Marſico bello, templum eſt à ſenatu Iunoni Soſpitæ reſtitutum. quod quidem ſomnium Siſenna cùm diſputaviſſet mirificè ad verbum cum re conveniſſe, tum inſolenter, credo ab Epicureo aliquo inductus, diſputat, *ſomniis credi non oportere*. Idem contra oſtenta nihil diſputat, exponitque initio belli Marſici & deorum ſimulacra ſudaviſſe, & ſanguinem fluxiſſe, & diſceſſiſſe cœlum: & ex occulto auditas eſſe voces, quæ pericula belli nuntiarent: & Lanuvii clypeos, quod haruſpicibus triſtiſſimum viſum eſſet, à muribus eſſe deroſos. Quid, quod in annalibus habemus, Vejenti bello, cùm lacus Albanus præter modum creviſſet, Vejentem quendam ad nos hominem nobilem profugiſſe, eumque dixiſſe, ex fatis, quæ Vejentes ſcripta haberent, Vejos capi non poſſe, *dum lacus* is redundaret, &, [3] ſi lacus emiſſus, lapſu, & curſu ſuo ad mare profluxiſſet, pernicioſum populo Rom. ſin autem ita eſſet eductus, ut ad mare pervenire non poſſet, tum ſalutare noſtris fore. ex quo illa admirabilis à majoribus Albanæ aquæ facta deductio eſt. Cùm autem Vejentes *bello feſſi* legatos ad ſenatum miſiſſent, tum ex his quidam dixiſſe dicitur, non omnia illum transfugam auſum eſſe ſenatui dicere: in iiſdem enim fatis ſcriptum Vejenteis habere, FORE UT BREVI A GALLIS ROMA CAPERETUR. quod quidem ſexennio [4] poſt Vejos captos factum eſſe vidimus. Sæpe etiam & in prœliis Fauni 45
auditi; & in rebus turbidis veridicæ voces ex occulto miſſæ eſſe dicuntur. cujus generis duo ſunt ex multis exempla, ſed maxima. Nam non multo ante urbem captam exaudita vox eſt à luco Veſtæ, qui à Palatii radice in novam viam devexus eſt: UT MURI, & portæ reficerentur: futurum eſſe, niſi proviſum eſſet, ut Roma caperetur. Quod *neglectum, cùm caveri poterat*, poſt acceptam illam maximam cladem explicatum eſt. ara enim AIO LOQUENTI quam ſæptam videmus, exadverſus eum locum conſecrata eſt. Atque etiam ſcriptum à multis eſt, cùm terræ motus factus eſſet, UT SUE PLENA PROCURATIO FIERET, vocem ab æde Iunonis ex arce exſtitiſſe: quocirca Iunonem illam appellatam *Monetam*. Hæc igitur & à diis ſignificata, & à noſtris majoribus judicata contemnimus? Neque ſolum deorum voces Pythagorei [5] obſervitaverunt, ſed etiam hominum, quæ vocant *omina*. quæ majores noſtri, quia valere cenſebant, idcirco omnibus rebus agendis, QUOD BONUM, FAUSTUM, FELIX, FORTUNATUMQUE ESSET, præfabantur: rebuſque divinis, quæ publicè fierent, UT FAVERENT LINGUIS, imperabatur: inque feriis imperandis, *ut litibus & jurgiis ſe abſtinerent*. Itemque in luſtranda colonia, ab eo, qui eam deduceret; & cùm imperator exercitum, cenſor populum luſtraret, *bonis nominibus* qui hoſtias ducerent, eligebantur. quod idem in delectu conſules obſervant ut primus miles fiat bono nomine. quæ quidem à te ſcis & conſule, & imperatore ſumma religione eſſe ſervata. *Prærogativam* etiam majores [6] omen juſtorum comitiorum eſſe voluerunt. Atque ego exempla om- 46
nium nota proferam. L. Paullus conſul iterum, cùm ei, bellum ut cum rege Perſe gereret, obtigiſſet: ut ea ipſa die domum ad veſperam rediit, filiolam ſuam Tertiam, quæ tum erat admodum parva, oſculans animadvertit triſticulam. quid eſt, inquit, mea Tertia? quid triſtis es? *Mi pater*, inquit, *Perſa periit*. tum ille arctiùs puellam complexus, *Accipio* inquit, *mea filia omen*, [7] erat autem mortuus catellus eo nomine. L. Flaccum, flaminem Martialem ego audivi cum diceret, Cæciliam Metelli, cùm vellet ſororis ſuæ filiam in matrimonium collocare, exiſſe in quoddam ſacellum ominis capiendi cauſa: quod fieri more veterum ſolebat, cum virgo ſtaret, & Cæcilia in ſella ſederet, neque diu ulla vox extitiſſet, puellam defatigatam petiiſſe à matertera, ut ſibi concederet pauliſper, ut in ejus ſella requieſceret: illam autem dixiſſe, *Vero, mea puella, tibi concedo meas ſedes*. quod omen res conſecuta eſt: ipſa enim brevi mortua eſt: virgo autem nupſit cui Cæcilia nupta fuerat. Hæc

1. *Somniandi cauſa excubabant.*] Recepit Lambinus conjecturam P. Manutii *incubabant*; non bonam. certe contra mſſ. noſtros ſex. nam excubabant à domo ſua foris in æde ſacra. quamobrem & *excubiæ* Plauto dicuntur; ut monuit Gulielmius.

2. *Lactis imber effluxit.*] Sic Aldus ſenior. ſic Pith. ſic S. Vict. & Pall. ſequentes *effluxit*, etiam Victorius.

3. *Si lacus emiſſus.*] Pal. ſec. non agnoſcit *emiſſus*. quid fuerit in primo, incertum eſt, utpote heic mutilo.

4. *Poſt Vejos captos factum eſſe vidimus.*] Nihil decederet ſententiæ, quamvis recideretur, *eſſe vidimus*. vulgati adhuc ineptius, *videmus*, verſu ferè longo.

5. *Obſervitaverunt.*] Ita mſſ. noſtri ſex, nec non editio Victorii. Vulgati, *obſervaverunt*. ex iiſdem ſupra etiam repoſui *exadverſus*, cùm prius legeretur *adverſus*, tantum.

6. *Omen juſtorum comitiorum.*] Ita eſt in P. Manutii editione, ſecutuſque eſt Lambinus, ſed vetuſtiores & mſſ. noſtri, *omnes*.

7. *Erat autem mortuus catellus.*] Eſt à noſtris mſſ. & edit. Victoriana. vulgata enim *mortua catella*.

Hæc poſſe contemni, vel etiam rideri, præclarè intelligo: ſed idipſum eſt, deos non putare: quæ ab iis ſignificantur,
47 contemnere. Quid de auguribus loquar? tuæ partes ſunt: tuum, inquam, auſpiciorum patrocinium debet eſſe. tibi P. Claudius augur conſuli nuntiavit, addubitato ſalutis augurio, bellum domeſticum triſte, ac turbulentum fore: quod paucis poſt menſibus exortum, paucioribus à te eſt diebus oppreſſum. Cui quidem auguri vehementer aſſentior. ſolus enim multorum annorum memoria non decantandi augurii, ſed divinandi tenuit diſciplinam. quem irridebant collegæ tui, eumque tum Piſidam, tum Soranum augurem eſſe dicebant. quibus nulla videbatur in auguriis, aut auſpiciis præſenſio, aut ſcientia veritatis futuræ; *ſapientes* aiebant *ad opinionem imperitorum eſſe fictas religiones.* Quod longè ſecus eſt, neque enim in paſtoribus illis, quibus Romulus præfuit, nec in ipſo Romulo hæc calliditas eſſe potuit, ut ad errorem multitudinis religionis ſimulacra fingerent: ſed difficultas, laborque diſcendi diſertam negligentiam reddidit. malunt enim diſſerere, nihil eſſe in auſpiciis, quàm, quid ſit, ediſcere. Quid eſt illo auſpicio divinius, quod apud te in Mario eſt? ut utar potiſſimum te auctore.

Hic Jovis altiſoni ſubitò pinnata ſatelles
Arboris è trunco ſerpentis ſaucia morſu,
[1] *Subigit ipſa feris transfigens unguibus anguem*
Semianimum, & varia graviter cervice micantem.
Quem ſe intorquentem lanians, roſtroque cruentans,
Jam ſatiata animos, jam duros ulta dolores,
Abjicit efflantem, & laceratum affligit in unda,
Seque obitu à ſolis nitidos convertit ad ortus.
Hanc ubi præpetibus pinnis, lapſuque volantem
Conſpexit Marius, divini numinis augur:
Fauſtaque ſigna ſuæ laudis, rediruſque notavit:
Partibus intonuit cæli pater ipſe ſiniſtris.
Sic aquilæ clarum firmavit Jupiter omen.

48 Atque ille Romuli auguratus, paſtoralis, non urbanus fuit: nec fictus ad opiniones imperitorum, ſed à certis acceptus, & poſteris traditus, Itaque Romulus augur, ut apud Ennium eſt, cum fratre item augure.

[2] *Curantes magna cum cura, concupientes*
Regni, dant operam ſimul auſpicio, augurioque.
[3] *Hinc Remus auſpicio ſe devovet, atque ſecundam*
[4] *Solus avem ſervat. At Romulus pulcher in alto*
Quærit Aventino, [5] *ſervans genus altivolantum:*
Certabant, urbem [6] *Romam, Remoramne vocarent.*
[7] *Omnibus cura viris, uter eſſet induperator.*
Exſpectant, veluti, conſul cùm mittere ſignum
Volt: omnes avidi ſpectant ad carceris oras,
[8] *Quà mox emittat pictis ex faucibu' currus:*
Sic exſpectabat populus, [9] *atque ore timebat*
Rebus, utri magni victoria ſit data regni.
Interea ſol albu' receſſit in infera noctis.
Exin candida ſe radiis dedit icta foras lux:
Et ſimul ex alto longe pulcherrima præpes
Læva volavit avis: ſimul aureus exoritur ſol.
Cedunt de cælo ter quattuor corpora ſancta
Avium, præpetibus ſeſe, pulchriſque locis dant.
Conſpicit inde ſibi data Romulus eſſe priora,
Auſpicio regni [10] *ſtabilita ſcamna, ſolumque.*

[11] Sed unde huc digreſſa eſt, eodem redeat oratio. Si nihil 49
queam diſputare, quamobrem quidque fiat, & tantùm modò fieri ea, quæ commemoravi, doceam, parumne Epicuro, Carneadive reſpondeam? quid, ſi etiam ratio exſtat artificioſæ præſenſionis, facilis: divinæ autem, paullo obſcurior? quæ enim extis, quæ [12] fulguribus, quæ portentis, quæ aſtris præſentiuntur, hæc notata ſunt obſervatione diuturna. Affert autem *vetuſtas* omnibus in rebus longinqua obſervatione incredibilem ſcientiam: quæ poteſt eſſe etiam ſine motu, atque impulſu deorum, cùm, quid ex quoque eveniat, & quid, quamque rem ſignificet, crebra animadverſione perſpectum eſt. Altera divinatio, eſt naturalis, ut antè dixi: quæ phyſica diſputandi ſubtilitate referenda eſt ad naturam deorum: à qua, ut doctiſſimis, ſapientiſſimiſque placuit, [13] hauſtos animos, & libatos habemus: cumque [14] omnia completa & referta ſint, æterno ſenſu, & mente divina, neceſſe eſt *cognatione* divinorum animorum animos humanos commoveri. Sed VIGILANTES ANIMI vitæ neceſſitatibus ſerviunt, dijunguntque ſe à ſocietate divina, vinclis corporis impediti. Rarum eſt quoddam genus eorum, qui ſe à corpore avocent, & ad divinarum rerum cognitionem cura omni, ſtudioque rapiantur. horum ſunt auguria non divini impetus, ſed rationis humanæ. nam & natura futura præſentiunt, ut [15] aquarum fluxiones, & deflagrationem futuram aliquando cæli, atque terrarum. alii autem in rep. exercitati, ut de Athenienſi Solone accepimus, orientem tyrannidem multò *ante proſpiciunt:* quos prudenteis poſſumus dicere, id eſt, providenteis, *divinos* nullo modo poſſumus, non plus, quàm Mileſium Thalem, qui ut objurgatores ſuos convinceret, oſtenderetque *etiam philoſophum, ſi ei commodum eſſet, pecuniam facere poſſe*, omnem oleam, antequam florere cœpiſſet, in agro Mileſio coëmiſſe dicitur. Animadverterat fortaſſe quadam ſcientia, olearum ubertatem fore. Et quidem idem primus defectionem ſolis, quæ Aſtyage regnante facta eſt, prædixiſſe fertur. Multa medici, multa guber- 50
natores, agricolæ etiam multa præſentiunt: ſed nullam eorum divinationem voco, ne illam quidem, qua ab Anaximandro phyſico moniti Lacedæmonii ſunt, ut urbem, & *tecta linquerent*, armatique in agro excubarent, quod terræmotus inſtaret, tum, cum & urbs tota corruit, & ex monte Taygeto extrema montis quaſi puppis avulſa eſt. Ne Pherecydes quidem ille Pythagoræ magiſter, potiùs divinus habebitur, quàm phyſicus: qui cùm vidiſſet *hauſtam aquam* de jugi puteo, terræmotus dixit inſtare. Nec verò umquam

1. *Subigit ipſa feris.*] Ita Pall. & Pithœanus. Lambinus duplicavit literam tertiam ut verſus ſtaret. Giſanius, in Lucretiano Indice, vult ſic quoque longam ſyllabam. Guliel. emendabat *Subicit* pro *ſubjicit.*

2. *Curantes magna, &c.*] Ciofanus, in Notis ad Ovidii Triſtia, reponit e veteri libro *certantes.* ſed ſic non eſt in ullo noſtrorum.

3. *Hinc Remus auſpicio.*] Pithœi liber & Pall. quatuor: *In monte Remus auſp.*

4. *Solus avem ſervat.*] Sic Pall. & Ciofanianus, item editio Victorii. editi *ſervans.*

5. *Servans genus altivolantum.*] Eſt à Ciofani codice. nam Pall. *ſervat*, quomodo etiam publicati alii. Aldus Manutius Nepos videtur legiſſe, *cernens.* Pithœanus habet *cernit.*

6. *Romam Remoramne vocarent.*] Victorius *Romam Remamne.* Aldus Nepos *Romamne Remamne*, quod & in ſcripto Ciofani. ſed Pall. quart. item S. Vict. & Pith. habent illud noſtrum exſtatque item in Aldi vetere editione. Lambinus expreſſit, *Remuramne*; quod eodem redit.

7. *Omnibus cura viris.*] Sic Pall. pr. ſec. ac Pithœanus; neque aliter edidit Victorius. aliæ editiones, *Omnis cura.*

8. *Quam mox emittat.*] Ita omnino Pal. ſec. neque aliter volebat Turnebus lib. v. Adverſ. cap. 22. vulgg. *Qua mox.*

9. *Atque ore timebat.*] Lambinus admiſit Turnebi conjecturam, *atque ora tenebat*, nolentibus mſſ. & ratione ipſa. bellè enim tribuit poeta ſpectatoribus eam ſollicitudinem quæ & ipſo ſe vultu proderet; ut fere ſolet.

10. *Stabilita ſcamna.*] Ciofani liber *ſtabilitaque.* ſed præter mſſ. noſtros.

11. *Sed unde huc digreſſa, &c.*] Pall. duo: *Sed ut unde huc.* & revocandum videtur.

12. *Fulguribus.*] Neſcio ſit ne ab antiqua ratione ſcribendi, an verò alio ſignificatu, in Pal. *fulgoribus.* idem reperit in ſuis Gulielmius, expreſſitque editione ſua Victorius. idem tamen infra c. 52. p. ſervat *fulguribus*, ubi iidem noſtri habent *fulgoribus.*

13. *Hauſtos animos & libatos.*] Vulgg. *delibatos*, verum reſtat alterum in mſſ. Pall. & S. Vict. neque aliter Victoriana. ſicque iterum loquitur lib. 2. cap. 11.

14. *Omnia completa & referta ſint.*] Gulielmius adnotavit codicem S. Victoris ſervare *complexa*, neque aliter exſtare in fragmento Busbequiano. noſtri nihil variant.

15. *Aquarum fluxiones.*] Acutè Turnebus divinat, *cluviones.* membranæ tamen nihil variant.

1. *Multa*

quam animus hominis naturaliter divinat, niſi cùm ita ſolutus eſt, & vacuus, ut ei planè nihil ſit cum corpore. quod aut vatibus contingit, aut dormientibus. Itaque ea duo genera à Dicæarcho probantur, &, ut dixi, à Cratippo noſtro, ſi propterea, quod ea proficiſcuntur à natura, ſint ſumma ſanè, modò ne ſola. ſin autem nihil eſſe in obſervatione putant: multa tollunt, quibus vitæ ratio continetur. Sed quoniam dant aliquid, idque non parvum, *vaticinationes cum ſomniis:* nihil eſt, quod cum his magnopere pugnemus, præſertim cùm ſint, qui omninò nullam divinationem probent. Ergo & ii, quorum animi, ſpretis corporibus, evolant, atque excurrunt foras, ardore aliquo inflammati, atque incitati, cernunt illa profectò, quæ vaticinantes prænuntiant: multiſque rebus inflammantur tales animi, qui corporibus non inhærent; ut ii, qui ſono quodam vocum, & Phrygiis cantibus incitantur: multos nemora, ſilvæque: multos amnes, aut maria commovent: quorum furibunda mens videt antè multo, quæ futura ſunt. Quo de genere illa ſunt:

Eheu, videte: judicavit inclytum judicium
Inter deas treis aliquis: quo judicio Lacedæmonia
Mulier, furiarum una, adveniet.

Eodem enim modo [1] multa à vaticinantibus ſæpe prædicta ſunt, neque ſolùm verbis, ſed etiam

Verſibu', quos olim Fauni, vateſque canebant.

Similiter Martius, & Publicius vates ceciniſſe dicuntur. quo è genere, Apollinis operta prolata ſunt. Credo etiam anhelitus quoſdam fuiſſe terrarum, quibus inflatæ mentes
51 oracula funderent. Atque hæc quidem [2] vatum ratio eſt: nec diſſimilis ſanè ſomniorum. nam quæ vigilantibus accidunt vatibus, eadem nobis dormientibus. [3] *viget* enim *animus in ſomnis*, liberque ſenſibus ab omni impeditione curarum, jacente & mortuo pænè corpore. Qui quia vixit ab omni æternitate, verſatuſque eſt cum innumerabilibus animis, omnia, quæ in natura rerum ſunt, videt, ſi modò temperatis eſcis modiciſque potionibus ita eſt affectus, ut ſopito corpore ipſe vigilet. hæc ſomniantis eſt divinatio. Hic magna quædam exoritur, neque ea naturalis, ſed artificioſa ſomniorum [4] Antiphonis interpretatio: eodemque modo & oraculorum, & vaticinationum. ſunt enim explanatores, ut grammatici poëtarum. Nam ut aurum, & argentum, æs, ferrum fruſtra natura divina genuiſſet, niſi eadem docuiſſet, quemadmodum ad eorum venas perveniretur: nec fruges terræ, bacaſve arborum cum utilitate ulla generi humano dediſſet, niſi earum cultus, & conditiones tradidiſſet, [5] materiave quid juvaret, [6] niſi confectionis ejus fabricam haberemus? ſic cum omni utilitate, quam dii hominibus dederunt, ars aliqua conjuncta eſt, per quam illa utilitas percipi poſſit. Item igitur ſomniis, vaticinationibus, oraculis, quod erant multa obſcura, multa ambigua, explanationes adhibitæ ſunt interpretum. Quo modo autem aut vates, aut ſomniantes ea videant, quæ nuſquam etiam tunc ſint, magna quæſtio eſt. Sed explorata ſi ſint ea, quæ antè quæri debeant: ſint hæc, quæ quærimus, faciliora, continet enim totam hanc quæſtionem ea ratio, quæ eſt de natura deorum, quæ à te ſecundo libro explicata dilucidè. Quam ſi obtinemus, ſtabit illud quidem, quod locum hunc continet, de quo agimus, ESSE DEOS, ET EORUM PROVIDENTIA MUNDUM ADMINISTRARI, EOSDEMQUE CONSULERE REBUS HUMANIS, NEC SOLUM UNIVERSIS, VERUM ETIAM SINGULIS. Hæc ſi tenemus, quæ mihi quidem non videntur poſſe convelli: profectò hominibus à diis futura ſignificari neceſſe eſt. Sed diſtinguen-
52 dum videtur, quonam modo. Non placet Stoicis, ſingulis jecorum fiſſis, aut avium cantibus intereſſe deum: neque enim decorum eſt, nec *diis dignum*, nec fieri ullo pacto poteſt: ſed ita à principio inchoatum eſſe mundum, ut certis rebus certa ſigna præcurrerent, alia in extis, alia in avibus, alia in fulguribus, alia in oſtentis, alia in ſtellis, alia in ſomniantium viſis, alia in furentium vocibus. Ea quibus benè percepta ſunt, ii non ſæpe falluntur. Malè conjecta, maleque interpretata, falſa ſunt, non *rerum vitio*, ſed *interpretum inſcientia*. Hoc autem poſito, atque conceſſo, eſſe quandam vim divinam, hominum vitam continentem, non difficile eſt, quæ fieri certè videmus, ea qua ratione fiant, ſuſpicari. Nam & ad hoſtiam deligendam poteſt dux eſſe vis quædam ſentiens, quæ eſt toto confuſa mundo: & tum, ipſam cùm immolare velis, extorum fieri mutatio poteſt, ut aut abſit aliquid, aut ſuperſit. *parvis* enim *momentis multa natura aut affingit aut mutat, aut detrahit:* quod ne dubitare poſſimus, maximo eſt argumento, quod paullo ante interitum Cæſaris contigit: qui cum immolaret illo die, quo primum in ſella aurea ſedit, & cùm purpurea veſte proceſſit, in extis bovis opimi cor non fuit. Num igitur cenſes ullum animal, quod ſanguinem habeat, *ſine corde* eſſe poſſe? qua ille rei novitate perculſus, cum Spurinna diceret, timendum eſſe, ne & *conſilium*, & *vita deficeret:* earum enim rerum utrumque à corde proficiſci: poſtero die caput in jecore non fuit. quæ quidem illi portendebantur à diis immortalibus, ut *videret* interitum, non ut *caveret*. Cum igitur eæ partes in extis non reperiuntur, ſine quibus victima illa vivere nequiſſet: intelligendum eſt, in ipſo immolationis tempore eas parteis, quæ abſint, interiſſe. Eademque efficit in avibus divina mens: ut tum 53
huc, tum illuc volent alites: tum in hac, tum in illa parte ſe occultent: tum à dextra, tum à ſiniſtra parte canant oſcines. Nam ſi *animal omne, ut vult, ita utitur motu ſui corporis*, prono, obliquo, ſupino, membraque quocumque vult flectit, contorquet, porrigit, contrahit; eaque antè efficit pænè, quam cogitat: quanto id deo eſt facilius, cujus *numini parent omnia?* Idemque mittit & ſigna nobis ejus generis, qualia permulta hiſtoria tradidit: quale ſcriptum illud videmus: *ſi luna* paullo ante ſolis ortum defeciſſet in ſigno leonis, fore, ut armis Darius, & Perſæ ab Alexandro, & Macedonibus prælio vincerentur, Dariuſque moreretur: &, *ſi puella* nata biceps eſſet, ſeditionem in populo fore, corruptelam, & adulterium domi: &, *ſi mulier* leonem peperiſſe viſa eſſet, fore, ut ab exteris gentibus vinceretur ea reſp. in qua id contigiſſet. Ejuſdem autem generis etiam illud eſt, quod ſcribit Herodotus: Crœſi filium, cum eſſet *infans*, locutum: quo oſtento regnum patris, & domum funditus concidiſſe. *Caput arſiſſe* Ser. Tullio dormienti, quæ hiſtoria non prodidit? Ut igitur, qui ſe tradet ita quieti, præparato animo cum bonis cogitationibus, tum rebus ad tranquillitatem accommodatis, certa & vera cernit in ſomnis: ſic caſtus animus, puruſque vigilantis, & ad aſtrorum, & ad avium, reliquorumque ſignorum, & ad extorum veritatem eſt paratior. Hoc nimirum 54
eſt illud, quod de Socrate accepimus, quodque ab ipſo in libris Socraticorum ſæpe dicitur, *eſſe divinum quiddam*, quod *dæmonion* appellat, cui ſemper ipſe paruerit, numquam impellenti, ſæpe revocanti. Et Socrates quidem: quo quem auctorem meliorem quærimus? Xenophonti conſulenti, ſequereturne Cyrum, poſtea quàm expoſuit, quæ ſibi videbantur, *Et noſtrum quidem*, inquit, *humanum eſt conſilium; ſed de rebus & obſcuris, & incertis ad Apollinem cenſeo referendum: ad quem etiam Athenienſes publicè de majoribus rebus ſemper retulerunt*. Scriptum eſt item, cùm Critonis,

1. *Multa à vaticinantibus ſæpe prædicta.*] Codex S. Victoris interjicit *vaticinantibus & avantibus.* quod benè mutat in *evantibus* noſter Gulielmius. verùm Palat. conſentiunt cum vulgg.

2. *Vatum ratio eſt.*] Pal. pr. & ſec. *vatium.*

3. *Viget enim animus in ſomnis.*] Vulgati *ſomniis*, ſed alterum hæret in Pith. & Pall. quatuor.

4. *Antiphonis.*] Sic Pall. exemplarque S. Victoris, expreſſitque editione ſua Victorius. vulgg. *Antiphontis.*

5. *Materiave quid juvaret.*] Eſt ab editione Victorii, neque aliter Pal. pr. aut ſec. ſicque etiam Pithœanus. vulg. *materia deinde quid.*

6. *Niſi confectionis ejus fabricam.*] Ita Pall. duo meliores. nam tert. & quart. *conſectionis*, quod invenit etiam in S. Victoris Gulielmius, & tantum non probabat.

tonis, ſui familiaris, oculum alligatum vidiſſet, quæſiviſſet, quid eſſet: cum autem ille reſpondiſſet, in agro ambulanti ramulum adductum, ut remiſſus eſſet, in oculum recidiſſe: tum Socrates, Non enim paruiſti mihi *revocanti*, cum uterer, qua ſoleo, præſagitione divina. Idem etiam Socrates, cùm apud Delium male pugnatum eſſet, Lachete prætore, fugeretque cum ipſo Lachete: ut ventum eſt in trivium, eadem, quà ceteri fugere noluit. quibus quærentibus, cur non eadem via pergeret, deterreri ſe a deo dixit. tum quidem ii, qui alia via fugerant, in hoſtium equitatum inciderunt. [1] Permulta collecta ſunt ab Antipatro, quæ mirabiliter a Socrate divinata ſunt. quæ prætermittam. tibi enim nota ſunt: mihi ad commemorandum non neceſſaria. Illud tamen ejus philoſophi magnificum, ac pænè divinum, quod, cum impiis ſententiis damnatus eſſet, ÆQUISSIMO ANIMO ſe dixit mori. neque enim domo egredienti, neque illud ſuggeſtum, in quo cauſam dixerat, adſcendenti, ſignum ſibi ullum, quod conſueſſet, à deo, quaſi mali alicujus impendentis, datum. Equidem ſic ar-
55 bitror, etiam ſi multa fallant eos, qui aut arte, aut conjectura divinare videantur, eſſe tamen divinationem: homines autem, ut in ceteris artibus, ſic in hac *poſſe falli*. Poteſt accidere, ut aliquod ſignum dubie datum pro certo ſit acceptum: poteſt aliquod latuiſſe aut ipſum, aut quod eſſet illi contrarium. mihi autem ad hoc, de quo diſputo, probandum ſatis eſt, non modò plura, ſed pauciora, divinè præſenſa, & prædicta reperiri. Quin etiam hoc non dubitans dixerim: ſi unum aliquid ita ſit prædictum, præſenſumque, ut cùm evenerit, ita cadat ut prædictum ſit, neque in eo quidquam *caſu, & fortuitò* factum eſſe appareat, eſſe certè *divinationem*, idque eſſe omnibus confitendum. Quocirca primùm mihi videtur, ut Poſidonius facit à deo, de quo ſatis dictum eſt, deinde à fato, deinde à natura, vis omnis divinandi, ratioque repetenda. Fieri igitur omnia fato, ratio cogit fateri. *Fatum* autem id appello, quod Græci εἱμαρμένην, id eſt, ordinem, ſeriemque cauſarum, cum cauſa cauſæ nexa rem ex ſe gignat. ea eſt ex omni æternitate fluens *veritas ſempiterna*. Quod cùm ita ſit, nihil eſt factum, quod non futurum fuerit, eodemq; modo nihil eſt futurum, cujus non cauſas idipſum efficienteis, natura contineat. Ex quo intelligitur, ut fatum ſit non id, quod ſuperſtitiosè, ſed id quod phyſicè dicitur, *cauſa æterna rerum*, cur & ea, quæ præterierunt, facta ſint, & quæ inſtant, fiant, &, quæ ſequuntur, futura ſint. ita fit, ut & obſervatione notari poſſit, quæ res quamque cauſam plerumque conſequatur, etiam ſi non ſemper. nam id quidem affirmare difficile eſt. Eaſdemque cauſas veriſimile eſt rerum futurarum cerni ab
56 iis, qui aut *per furorem* eas, aut *in quiete* videant. Præterea cùm fato omnia fiant (id quod alio loco oſtendetur,) [2] ſi quis mortalis poſſit eſſe, qui colligationem cauſarum omnium perſpiciat animo, nihil eum profectò fallat. qui enim teneat *cauſas* rerum futurarum, idem neceſſe eſt omnia teneat, quæ futura ſint. Quod cum nemo facere, niſi deus, poſſit, relinquendum eſt homini, ut ſignis quibuſdam, conſequentia declarantibus, futura præſentiat. non enim illa quæ futura ſunt, ſubito exiſtunt, ſed eſt, quaſi *rudentis explicatio*, ſic traductio temporis nihil novi efficientis, & primum quidque replicantis. Quod & ii vident, quibus naturalis divinatio data eſt: & ii, quibus curſus rerum obſervando notatus eſt. qui etſi cauſas ipſas non cernunt, ſigna tamen cauſarum, & notas cernunt: ad quas, adhibita *memoria*, & *diligentia*, ex monumentis ſuperiorum efficitur ea divinatio, quæ artificioſa dicitur, extorum, fulgurum, oſtentorum, ſignorumque cæleſtium. [3] Non eſt igitur, ut mirandum ſit, ea præſentiri à divinantibus, quæ *nuſquam ſint*. ſunt enim omnia, ſed tempore abſunt. Atque UT IN SEMINIBUS vis ineſt earum rerum, quæ ex iis progignuntur: ſic in cauſis conditæ ſunt res futuræ, quas eſſe futuras aut concitata mens, aut ſoluta ſomno, cernit: aut ratio, aut conjectura præſentit. Atque ut ii, qui ſolis, & lunæ, reliquorumque ſiderum ortus, obitus, motuſque cognorunt, quo quidque tempore eorum futurum ſit, multò antè *prædicunt*: ſic qui curſum rerum, eventorumque conſequentiam diuturnitate pertractata notaverunt, aut ſemper, aut, ſi id difficile eſt, plerumque: quod ſi ne id quidem conceditur, nonnumquam certè, quid futurum ſit, intelligunt. Atque hæc quidem, & quædam hujuſmodi argumenta, cur ſit divinatio, ducuntur à fato. A natura au- 57
tem alia quædam ratio eſt: quæ docet, quanta ſit animi vis ſejuncta à corporis ſenſibus: quod maximè contingit aut dormientibus, aut mente permotis. Ut enim deorum animi ſine oculis, ſine auribus, ſine lingua ſentiunt inter ſe, quid quiſque ſentiat: ex quo fit, ut homines, etiam cùm taciti optent quid, aut voveant, non dubitant, quin dii illud exaudiant: ſic animi hominum, cùm aut *ſomno ſoluti* vacant corpore, aut *mente permoti* per ſe ipſi liberi incitati moventur, cernunt ea, quæ permiſti cum corpore animi videre non poſſunt. Atque hanc quidem rationem naturæ difficile eſt fortaſſe traducere ad id genus divinationis, quod ex arte profectum dicimus: ſed tamen id quoque rimatur quantum poteſt? Poſidonius eſſe cenſet in natura ſigna quædam rerum futurarum. [4] Ut enim Ceos accepimus *ortum caniculæ* diligenter quotannis ſolere ſervare, conjecturamque capere, ut ſcribit Ponticus Heraclides, ſalubriſne, an peſtilens annus futurus ſit. nam ſi obſcurior quaſi caliginoſa ſtella exſtiterit, pingue & concretum eſſe cælum, ut ejus adſpiratio gravis & peſtilens futura ſit: ſin illuſtris, & perlucida ſtella apparuerit, ſignificari cœlum eſſe tenue, purumque, & propterea ſalubre. Democritus autem cenſet ſapienter inſtituiſſe veteres, ut hoſtiarum immolatarum inſpicerentur exta, quorum ex *habitu* atque ex *colore* tum ſalubritatis, tum peſtilentiæ ſigna percipi, nonnumquam etiam quæ ſit vel ſterilitas agrorum, vel fertilitas futura. quæ, ſi à natura profecta, *obſervatio*, atque uſus agnovit; multa afferre potuit dies, quæ animadvertendo notarentur: ut ille Pacuvianus, qui in Chryſe phyſicus inducitur, minimè naturam rerum cognoſcere videatur.

Nam iſtis, qui linguam avium intelligunt,
Pluſque ex alieno jecore ſapiunt, quam ex ſuo:
Magis audiendum, quam auſcultandum cenſeo.

Cur quæſo? cùm ipſe, paucis interpoſitis verſibus, [5] dicat ſatis luculentè:

Quidquid eſt hoc, omnia animat, format, alit, auget, creat,
Sepelit, recipitque in ſeſe omnia: omniumque idem eſt pater;
[6] *Indidemque eadem, quæ oriuntur, de integro, atque eodem occidunt.*

Quid eſt igitur, cur, cùm domus ſit omnium una, eaque communis, cùmque animi hominum ſemper fuerint, futurique ſint, cur ii, quid ex quoque eveniat, & quid quamque rem ſignificet, perſpicere non poſſint? Hæc ha- 58
bui, inquit, de divinatione quæ dicerem. Nunc illa teſtabor, non me *ſortilegos*, neque eos, qui quæſtus cauſa hariolentur: nec pſychomantia quidem, quibus Appius amicus tuus uti ſolebat, agnoſcere.

[1] *Non*

1. *Permulta collecta.*] Sic legendum conjecit P. Vict. lib. x. Var. Lect. cap. 7. recepitque Lambinus & Aldus Nepos. nam priores, *conjecta*: quod & in omnibus noſtris mſſ.

2. *Si quis mortalis poſſit eſſe, &c.*] Haud aliter editio Victorii, cui accedit Pithœi liber, & quatuor Pall. & Wouverianus. publicati, *ſi quis modo talis poſſit.*

3. *Non eſt igitur ut mirandum ſit.*] Tolle, *ut*, item *ſit*, nihil tamen defuerit ſententiæ.

4. *Ut enim Ceos, &c.*] Poſſent deleri ſine damno ſententiæ voces duæ priores, *ut enim.* P. Manutius mutat: *Etenim Ceos.* ſcripti noſtri nihil variant.

5. *Dicas ſatis luculentè.*] Vulgata lectio, *dicat.* ſed alterum exſtat in S. Victoris, in Pith. in Pall. in edit. Victorii.

6. *Indidemque eadem quæ oriuntur.*] Guljelmius caſtigat, *Indidemque, eademque oriuntur, &c.*

1. *Non*

[1] Non habeo denique nauci Marſum augurem,
Non vicanos haruſpices, non de circo aſtrologos,
Non Iſiacos conjectores, non interpretes ſomniûm.
[2] Non enim ſunt ii aut ſcientia, aut arte divini,
Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque harioli.
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat:
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam:
Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipſi petunt.
De his divitiis ſibi deducant drachmam, reddant cetera.

Atque hæc quidem Ennius, qui paucis antè verſibus eſſe deos cenſet, ſed eos non curare opinatur, quid agat humanum genus. Ego autem, qui & curare arbitror, & monere etiam ac multa prædicere, levitate, vanitate, malitia [3] excluſa, divinationem probo. Quæ cùm dixiſſet Quintus, Præclarè tu quidem, inquam, paratus.

Deſunt pauca quædam.

1. *Non habeo denique nauci.*] Sic quidem omnes edd. ſed noſtri mſſ. planè, *non ab eodem ſanci.*
2. *Non enim ſunt ii aut, &c.*] Gulielmio verſus iſte habebatur non verſus, ſed interlocutio Quinti.
3. *Excluſa, divinationem.*] Pall. omnes ut & vulgati à Victorio, *excluſam divinationem*, quod forte revocandum.

M. TULLII CICERONIS DE DIVINATIONE LIBER SECUNDUS.

1 QUÆRENTI mihi, multumque & diu cogitanti, quanam re poſſem prodeſſe quàm plurimis, ne quando *intermitterem conſulere reip.* nulla major occurrebat, quàm ſi optimarum artium vias traderem meis civibus: quod compluribus jam libris me arbitror conſecutum. Nam & cohortati ſumus, ut maximè potuimus, ad *philoſophiæ ſtudium* eo libro qui eſt inſcriptus Hortenſius, & quod genus philoſophandi minimè arrogans, maximèque & conſtans, & elegans arbitraremur, quattuor Academicis libris oſtendimus. Cumque fundamentum eſſet philoſophiæ poſitum in finibus bonorum, & malorum, perpurgatus eſt is locus à nobis quinque libris, ut, quid à quoque, & quid contra quemque philoſophum diceretur, intelligi poſſet. Totidem ſubſecuti libri Tuſculanarum diſputationum, res *ad beatè vivendum* maximè neceſſarias aperuerunt. primus enim eſt de contemnenda morte: ſecundus de tolerando dolore: de ægritudine lenienda tertius: quartus de reliquis animi perturbationibus: quintus eum locum complexus eſt, qui totam philoſophiam maximè illuſtrat. docet enim, ad beatè vivendum *virtutem ſe ipſa eſſe contentam.* Quibus rebus editis, tres libri perfecti ſunt de natura deorum: in quibus omnis ejus loci quæſtio continetur. quæ ut plenè eſſet cumulateque perfecta, de divinatione ingreſſi ſumus his libris ſcribere. quibus (ut eſt in animo) de *fato* ſi adjunxerimus, erit abundè ſatisfactum toti huic quæſtioni. Atque his libris annumerandi ſunt ſex *de Rep.* quos tunc ſcripſimus, cùm gubernacula reip. tenebamus. magnus locus, philoſophiæque proprius, à Platone, Ariſtotele, Theophraſto, totaque Peripateticorum familia tractatus uberrimè. Nam quid ego de *Conſolatione* dicam? quæ mihi quidem ipſi ſanè aliquantum medetur. ceteris item multùm illam profuturam puto. [1] interjectus eſt etiam nuper liber is, quem ad noſtrum Atticum de *Senectute* miſimus. In primiſque, quoniam *philoſophia vir bonus efficitur, & fortis,* Cato noſter in horum librorum numero ponendus eſt. Cumque Ariſtoteles, itemque Theophraſtus, excellentes viri cùm ſubtilitate, tum copia, cum philoſophia dicendi etiam præcepta conjunxerint, noſtri quoque *oratorii libri* in eundem numerum referendi videntur. ita tres
2 erunt de Oratore: quartus, Brutus: quintus, Orator. Adhuc hæc erant. ad reliqua [2] alacri tendebamus animo, ſic parati, ut, niſi quæ cauſa gravior obſtitiſſet, nullum philoſophiæ locum eſſe pateremur, qui non Latinis literis illuſtratus pateret. QUOD ENIM MUNUS REIP. AFFERRE MAIUS, MELIUSVE POSSUMUS, QUAM SI DOCEMUS, ATQUE ERUDIMUS JUVENTUTEM? his præſertim moribus, atque temporibus: quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrenanda, ac coërcenda ſit. Nec verò id effici poſſe confido, quod ne poſtulandum quidem eſt, ut omnes adoleſcentes ſe ad hæc ſtudia convertant. *pauci utinam!* quorum tamen in rep. latè patere poterit induſtria. Equidem ex his etiam fructum capio laboris mei, qui jam ætate provecti in noſtris libris acquieſcunt: quorum *ſtudio legendi* meum *ſcribendi ſtudium* vehementius indies incitatur; quos quidem plureis, quam rebar, eſſe cognovi. Magnificum illud etiam, Romaniſque hominibus glorioſum, ut Græcis de philoſophia litteris non egeant. Quod aſſequar profectò, ſi inſtituta perfecero. Ac mihi quidem explicandæ philoſophiæ cauſam attulit gravis caſus civitatis, cùm in armis civilibus nec tueri meo more remp. nec *nihil agere* poteram; nec, quid potius, quod quidem me dignum eſſet, agerem, reperiebam. Dabunt igitur mihi veniam mei cives, vel gratiam potiùs habebunt, quòd, cum eſſet in unius poteſtate reſp. neque ego me *abdidi*, neque *deſerui*, neque *afflixi*, neque ita geſſi, quaſi *homini aut temporibus iratus:* neque ita porrò aut *adulatus*, aut *admiratus fortunam* ſum alterius, ut me mei pœniteret. id enim ipſum à Platone, philoſophiaque didiceram, NATURALEIS ESSE QUASDAM CONVERSIONES RERUM PUBLICARUM, ut eæ tum à principibus tenerentur, tum à populis, aliquando à ſingulis. Quod cum accidiſſet noſtræ reip. tum priſtinis orbati muneribus hæc ſtudia renovare cœpimus, ut & animus moleſtiis hac potiſſimùm re levaretur, & prodeſſemus civibus noſtris qua re cumque poſſemus. In libris enim *ſententiam dicebamus*, concionabamur, philoſophiam nobis pro reipub. procreatione ſubſtitutam putabamus. Nunc, quoniam de republica conſuli cœpti ſumus, tribuenda eſt opera reipub. vel omnis potiùs in ea cogitatio, & cura ponenda: tantum huic ſtudio relinquendum, *quantum vacabit à publico officio & munere.* Sed hæc aliàs pluribus: nunc ad inſtitutam diſputationem revertamur. Nam cùm de divinatione Quintus 3
frater ea diſſeruiſſet, quæ ſuperiore libro ſcripta ſunt, ſatiſque ambulatum videretur, tum in bibliotheca, quæ in Lyceo eſt, aſſedimus. Atque ego, Accuratè tu quidem, inquam,

1. *Interjectus eſt etiam nuper liber is.*] Vocabulum *liber* addidimus, ſecuti mſſ. & editionem Victorii. ſupra etiam iiſdem volentibus ſcripſimus, *multum illam profuturam*; cùm pronomen *id* abeſſet vulgo publicatis.
2. *Alacri tendebamus.*] Ita S. Victoris & Pall. quatuor unaque editi à Victorio. publicati alii *acri*.

inquam, Quinte, & Stoicè Stoicorum ſententiam defendiſti: quodque me maximè delectat, plurimis noſtris exemplis uſus es, & iis quidem claris & illuſtribus. Dicendum eſt mihi igitur ad ea, quæ ſunt à te dicta, ſed ita, *nihil ut affirmem, quæram omnia.* dubitans plerumque & mihi ipſe diffidens. ſi enim aliquid certi haberem, quod dicerem; ego ipſe divinarem, qui eſſe divinationem nego. Etenim me movet illud, quod inprimis Carneades quærere ſolebat, quarumnam rerum divinatio eſſet: earumne quæ ſenſibus perciperentur? At eas quidem cernimus, audimus, guſtamus, olfacimus, tangimus. Numquid ergo in iis rebus eſt, quod proviſione, aut permotione mentis magis, quàm natura ipſa ſentiamus? aut neſcio qui ille divinus, ſi oculis captus ſit, ut Tireſias fuit, poſſit, quæ alba ſint, quæ nigra, dicere? aut, ſi ſurdus ſit, varietates vocum, aut modos noſcere? Ad nullam igitur earum rerum, *quæ ſenſu accipiuntur*, divinatio adhibetur. Atque ne in iis quidem rebus, quæ arte tractantur, divinatione opus eſt. Etenim ad ægros non vates, aut hariolos, ſed medicos ſolemus adducere. Nec verò, qui fidibus, aut tibiis uti volunt, ab haruſpicibus accipiunt earum tractationem, ſed à muſicis. [1] Eadem in literis ratio eſt, reliquiſque rebus, quarum eſt diſciplina. Num cenſes eos, qui divinare dicuntur, poſſe reſpondere, *ſol majorne, quàm terra ſit:* an tantus, quantus videatur? lunaque ſuo lumine, an ſolis, utatur? ſol, luna, quem motum habeant? quem quinque ſtellæ, quæ errare dicuntur? nec hæc, qui divini habentur, profitentur ſe eſſe dicturos: nec eorum, quæ in geometria deſcribuntur, *quæ vera, quæ falſa ſint*, ſunt enim ea mathematicorum, non
4 hariolorum. De illis verò rebus, quæ in philoſophia verſantur, numquid eſt, quod quiſquam divinorum aut reſpondere ſoleat, aut conſuli, *quid bonum ſit, quid malum*, quid neutrum? ſunt enim hæc propria philoſophorum. Quid de officio? num quis haruſpicem conſuluit, quemadmodum ſit *cum parentibus, cum fratribus, cum amicis vivendum?* quemadmodum utendum pecunia? quemadmodum honore? quemadmodum imperio? ad ſapienteis hæc, non ad divinos referri ſolent. Quid? quæ à dialecticis aut phyſicis tractantur, num quis eorum divinare poteſt, *unuſne mundus ſit*, an plures? quæ ſint initia rerum, ex quibus naſcuntur omnia? phyſicorum eſt iſta prudentia. [2] Quo modo, aut *mentientem*, quem ψευδόμενον vocant, diſſolvas? aut quemadmodum *ſoriti* reſiſtas? quem ſi neceſſe ſit, Latino verbo liceat *acervalem* appellare: ſed nihil opus eſt: ut enim ipſa philoſophia, & multa verba Græcorum, ſic ſorites ſatis Latino ſermone tritus eſt. Ergo hæc quoque dialectici dicent, non divini. Quid? cùm quæritur, *qui ſit optimus reip. ſtatus*, quæ leges, qui mores aut utiles, aut inutiles, haruſpiceſne [3] ex Etruria arceſſentur, an principes ſtatuent, & delecti viri, periti rerum civilium? Quòd ſi nec earum rerum, quæ ſubjectæ ſenſibus ſunt, ulla divinatio eſt: nec earum, quæ artibus continentur, nec earum, quæ in philoſophia diſſeruntur: nec earum, quæ in rep. verſantur: quarum rerum ſit, nihil prorſus intelligo; nam aut omnium debet eſſe, aut aliqua ei materia danda eſt, in qua verſari poſſit. ſed nec omnium divinatio eſt, ut ratio docuit: nec locus, nec materia invenitur, cui divinationem præficere poſſimus. vide igitur, ne nulla ſit divinatio. [4] Eſt quidam Græcus vulgaris in 5
hanc ſententiam verſus:

Bene qui conjiciet, [5] vatem hunc perhibebo optimum.

Num igitur, aut quæ tempeſtas impendeat, vates meliùs conjiciet, quam gubernator: aut morbi naturam acutiùs, quàm medicus: aut belli adminiſtrationem prudentiùs, quàm imperator, conjectura aſſequetur? ſed animadverti, Quinte, te cautè & ab iis conjecturis, quæ haberent artem, atque prudentiam, & ab iis rebus, quæ ſenſibus aut artificiis perciperentur, abducere divinationem; eamque ita definire, DIVINATIONEM, *eſſe earum rerum prædictionem, & præſenſionem, quæ eſſent fortuitæ.* Primum eodem revolveris. nam & medici, & gubernatoris, & imperatoris præſenſio eſt rerum fortuitarum. Num igitur aut haruſpex, aut augur, aut vates quis, aut ſomnians meliùs conjecerit, aut è morbo evaſurum ægrotum, aut è periculo navem, aut ex inſidiis exercitum; quàm medicus, quam gubernator, quam imperator? Atqui ne illa quidem divinantis eſſe dicebas: ventos aut imbreis impendenteis quibuſdam præſentire ſignis. in quo noſtra quædam Aratea memoriter à te pronuntiata ſunt, etſi hæc ipſa fortuita ſunt. *plerumque*, enim, *non ſemper eveniunt.* Quæ eſt igitur, aut ubi verſatur fortuitarum rerum præſenſio, quam divinationem vocas? quæ enim præſentiri aut arte, aut ratione, aut uſu, aut conjectura poſſunt, ea non divinis tribuenda putas, ſed peritis. Ita relinquitur, ut ea fortuita divinari poſſint, quæ nulla nec arte, nec ſapientia provideri poſſunt: ut, ſi quis M. Marcellum illum, qui ter conſul fuit, multis annis antè dixiſſet naufragio eſſe periturum: divinaſſet profectò. nulla enim arte alia id, nec ſapientia ſcire potuiſſet. Talium ergo rerum, *quæ in fortuna poſita ſunt, præſenſio*, divinatio eſt. Poteſtne igitur earum rerum, quæ nihil habent rationis, 6
quare futuræ ſint, ulla eſſe præſenſio? quid eſt enim aliud ſors, quid fortuna, quid caſus, quid eventus, niſi cùm ſic aliquid cecidit, ſic evenit, ut [6] vel non cadere, atque evenire, vel aliter cadere, atque evenire, potuerit? quò modo ergo id, quod temere fit *cæco* caſu, & [7] volubilitate fortunæ, præſentiri, & prædici poteſt? Medicus morbum ingraveſcentem ratione providet, inſidias imperator, tempeſtates gubernator. & tamen hi ipſi *ſæpe falluntur*, qui nihil ſine certa ratione opinantur. ut agricola cùm florem oleæ videt, baccam quoque ſe viſurum putat: non ſine ratione ille quidem: ſed nonnumquam tamen fallitur. Quòd ſi falluntur ii, qui nihil ſine aliqua *probabili conjectura* ac ratione dicunt: quid exiſtimandum eſt de conjectura eorum, qui extis, aut avibus, aut oſtentis, aut oraculis, aut ſomniis futura præſentiunt? Nondum dico, quàm hæc ſigna nulla ſint, fiſſum jecoris, corvi cantus, volatus aquilæ, ſtellæ trajectio, voces furentium, ſortes, ſomnia: de quibus ſingulis dicam ſuo loco: nunc de univerſis. *Qui poteſt provideri*, quidquam futurum eſſe, quod neque cauſam habet ullam, neque notam, cur futurum ſit? ſolis defectiones, itemque lunæ, prædicuntur in multos annos ab iis, qui [8] ſiderum curſus & motus numeris perſequuntur. ea enim prædicunt, quæ *naturæ neceſſitas* perfectura eſt. Vident *ex conſtantiſſimo motu lunæ*, quando illa è regione ſolis facta incurrat in umbram terræ, quæ eſt meta noctis, ut eam obſcurari neceſſe ſit: quandoque eadem luna ſubjecta atque oppo-

1. *Eadem in litteris ratio eſt, reliquiſque rebus quarum eſt diſciplina.*] Manifeſte hic litteræ ponuntur pro numeris. Sic Terent. Eunucho: *Fac periculum in literis, fac in palæſtra, &c.* Per litteras omnino intellige elementa matheſeos, quæ ςοιχεῖα vocant Græci. *Is. Voſſius.*

2. *Quomodo aut mentientem.*] Sic editio Victorii & Pith. & Pal. ſec. nam pr. *aut ementientem.* tert. *autem non mentientem.* quart. *aut non ment.* vulgati, *quomodo autem ment.*

3. *Ex Etruria arceſſentur.*] Haud aliter Pall. quatuor, Pith. S. Victoris, editioque Victorii: aliæ, *accerſentur.*

4. *Eſt quidam Græcus vulgaris in hanc ſententiam.*] Sic meliores Palatini editioque Victorii. nam tert. & quart. non habent illud *Græcus*, abeſtque codici S. Victoris. at Pithœanus deſtituitur illo *vulgaris.* lectio communis: *Eſt quidem Gr. vulg. &c.*

5. *Vatem hunc perhibebo optimum.*] Eſt à Victorianis, item S. Vict. Pith. Pall. tribus. nam ſecund. *perhibeo.* vulgata, *perhibeto. optim.*

6. *Vel non cadere atque evenire.*] Pall. meliores, hoc eſt, pr. & ſec. nihil horum habent, neque agnoſcunt membranæ Pithœi. equidem vel ea propter ſuſpecta mihi ſunt.

7. *Volubilitate fortunæ.*] Liber S. Victoris *nobilitate.* quod mutat in *mobilitate* Gulielmius. ſed malim alterum, firmatum omnibus Palatinis.

8. *Siderum curſus & motus.*] Ita ſolum Pithœanus. quippe Pall. quatuor, codex S. Victoris, editioque Victorii non agnoſcunt illud *curſus, &c.*

1. *Qui*

oppoſita Soli, noſtris oculis ejus lumen obſcuret: quo in ſigno quæque errantium ſtellarum, quoque tempore futura ſit, qui exortus quoque die ſigni alicujus, aut qui occaſus futurus ſit. hæc qui ante dicunt, quam rationem ſequan-
7 tur, vides. [1] Qui theſaurum inventurum, aut hereditatem venturam dicunt, quid ſequuntur? aut in qua rerum natura ineſt, id futurum? [2] quod ſi hæc eaque quæ ſunt ejuſdem generis, habent aliquam talem neceſſitatem; quid eſt tandem, quod caſu fieri, aut forte fortuna putemus? *nihil* enim *eſt tam contrarium rationi, & conſtantiæ, quam fortuna:* ut mihi ne in deum quidem cadere videatur, ut ſciat, quid caſu, & fortuitò futurum ſit. Si enim ſcit, certè illud eveniet. ſin certè eveniet, nulla fortuna eſt. eſt autem fortuna. rerum igitur fortuitarum nulla eſt præſenſio. Aut ſi negas eſſe fortunam, & omnia, quæ fiunt, quæque futura ſunt, ex omni æternitate definita dicis eſſe *fataliter*: muta definitionem divinationis, quam dicebas præſenſionem eſſe rerum fortuitarum. Si enim *nihil fieri poteſt*, nihil accidere, nihil evenire, niſi quod ab omni æternitate certum fuerit eſſe futurum rato tempore: quæ poteſt eſſe fortuna? qua ſublata, qui locus eſt divinationi? quæ à te fortuitarum rerum eſt dicta præſenſio. quamquam dicebas, omnia, quæ fierent, futurave eſſent, *fato contineri*. Anile ſanè, & plenum ſuperſtitionis fati nomen ipſum. ſed tamen apud Stoicos de iſto fato multa dicuntur, de quo aliàs:
8 nunc quod neceſſe eſt. Si omnia fato: quid mihi divinatio prodeſt? quod enim is, qui divinat, prædicit, id verò futurum eſt: ut ne illud quidem ſciam quale ſit, quod [3] Dejotarum, neceſſarium noſtrum, ex itinere aquila revocavit. qui niſi revertiſſet, in eo conclavi ei cubandum fuiſſet, quod proxima nocte corruit; ruina igitur oppreſſus eſſet. At id neque ſi fatum fuerat, effugiſſet: nec, ſi non fuerat, in eum caſum incidiſſet. Quid ergo adjuvat divinatio? aut quid eſt, quod me moveant aut ſortes, aut exta, [4] aut ulla prædictio? ſi enim *fatum fuit*, claſſeis populi Rom. bello Punico primo, alteram naufragio, alteram à Pœnis depreſſam interire: etiam ſi *tripudium ſoliſtimum* pulli feciſſent, L. Junio, & P. Clodio conſulibus claſſes tamen interiſſent. Sin, cum auſpiciis obtemperatum eſſet, interituræ claſſes non fuerunt, non interierunt fato. vultis autem omnia fato. nulla igitur eſt divinatio. Quòd ſi fatum fuit, bello Punico ſecundo exercitum populi R. ad lacum Thraſimenum interire: [5] num id mutari potuit, ſi Flaminius conſul iis ſignis, iiſque auſpiciis, quibus pugnare prohibebatur, paruiſſet? certè potuit. Aut igitur non fato interiit exercitus: mutari enim fata non poſſunt: aut, ſi fato; quod certè vobis ita dicendum eſt: etiam ſi obtemperaſſet auſpiciis, idem eventurum fuiſſet. Ubi eſt igitur *divinatio* iſta Stoicorum? quæ, ſi fato omnia fiunt, nihil nos *admonere poteſt*, *ut cautiores ſimus*. quoquo enim modo nos geſſerimus, fiet tamen illud, quod futurum eſt. ſin autem id poteſt flecti, nullum eſt fatum. ita ne divinatio quidem, quoniam ea rerum futurarum eſt. Nihil autem eſt pro certo futurum, quod poteſt aliqua procuratione accidere ne fiat.
9 Atque ego *ne utilem quidem arbitror eſſe nobis futurarum rerum ſcientiam*. Quæ enim vita fuiſſet Priamo, ſi ab adoleſcentia ſciſſet, quos eventus ſenectutis eſſet habiturus? Abeamus à fabulis: propiora videamus. Clariſſimorum hominum noſtræ civitatis graviſſimos exitus in *Conſolatione* collegimus. Quid igitur? ut omittamus ſuperiores, Marcone Craſſo putas utile fuiſſe, tum, cùm maximis opibus, fortuniſque florebat, ſcire, ſibi, interfecto Publio filio, exercituque deleto, trans Euphratem cum ignominia, & dedecore eſſe pereundum? An Cn. Pompejum cenſes, tribus ſuis conſulatibus, tribus triumphis, maximarum rerum gloria lætaturum fuiſſe, ſi ſciſſet ſe in ſolitudine Ægyptiorum trucidatum iri, amiſſo exercitu: poſt mortem verò ea conſecutura, quæ ſine lacrymis non poſſumus dicere? Quid verò Cæſarem putamus? ſi divinaſſet fore, ut in eo ſenatu, quem majore ex parte ipſe cooptaſſet, [6] in curia Pompeja, ante ipſius Pompeji ſimulacrum, tot centurionibus ſuis inſpectantibus, à nobiliſſimis civibus, partim etiam à *ſe omnibus rebus ornatis*, trucidatus ita jaceret, ut ad ejus corpus non modò amicorum, ſed ne ſervorum quidem quiſquam accederet; quo cruciatu animi vitam acturum fuiſſe? Certè igitur ignoratio futurorum malorum, utilior eſt, quam ſcientia. Nam illud quidem dici, præſertim à Stoicis, nullo modo poteſt: NON ISSET ad arma Pompejus: non tranſiſſet Craſſus Euphratem: non ſuſcepiſſet bellum civile Cæſar. non igitur fataleis exitus habuerunt. vultis autem evenire omnia fato, nihil ergo illis profuiſſet divinare: atque etiam omnem fructum vitæ ſuperioris perdidiſſent. quid enim poſſet iis *eſſe lætum*, *exitus ſuos cogitantibus*? Ita, quoquò ſe verterint Stoici, jaceat neceſſe eſt omnis eorum ſolertia. Si enim id, quod eventurum eſt, vel hoc modo, vel illo poteſt evenire: fortuna valet plurimùm. Quæ autem fortuita ſunt, certa eſſe non poſſunt. Sin autem certum eſt, quid quaque de re, quoque tempore futurum ſit: quid eſt quod me adjuvent haruſpices, cùm
res triſtiſſimas portendi dixerint? Addunt ad extremum, 10
omnia levius caſura, *rebus divinis procuratis*. Si enim nihil fit extra fatum, [7] nihil levari re divina poteſt. Hoc ſentit Homerus, cùm querentem Jovem inducit, quòd Sarpedonem filium à morte contra fatum eripere non poſſet. Hoc idem ſignificat Græcus ille in eam ſententiam verſus:

Quòd fore paratum eſt, id ſummum exſuperat Jovem.

Totum omninò fatum etiam Atellanio verſu jure mihi eſſe irriſum videtur. ſed in rebus tam ſeveris non eſt jocandi locus. Concludatur igitur ratio. ſi enim provideri nihil poteſt futurum eſſe eorum, quæ caſu fiunt, quia eſſe certa non poſſunt: divinatio nulla eſt. Sin autem idcirco poſſunt provideri, quia certa ſunt, & fatalia: rurſus divinatio nulla eſt. eam enim tu fortuitarum rerum eſſe dicebas. Sed hæc fuerit nobis tanquam *levis armaturæ* prima orationis *excurſio*: nunc comminus agamus, experiamurque, ſi
poſſimus cornua commovere diſputationis tuæ. Duo enim 11
genera divinandi eſſe dicebas, unum artificioſum, alterum naturale. artificioſum conſtare partim ex *conjectura*, partim ex *obſervatione* diuturna: naturale, quod animus arriperet, aut exciperet extrinſecus ex divinitate, unde omnes animos hauſtos, aut acceptos, aut libatos haberemus. Artificioſæ divinationis illa ferè genera ponebas, *extiſpicum*, eorumque, qui ex *fulguribus*, *oſtentiſque* prædicerent, tum *augurum*, eorumque, qui *ſignis*, aut *ominibus* uterentur, omneque genus conjecturale in hoc ferè genere ponebas. Illud autem naturale, aut *concitatione mentis* edi, & quaſi fundi videbatur, aut animo, *per ſomnum* ſenſibus, & curis vacuo, provideri. Duxiſti autem divinationem omnem à tribus rebus, à deo, à fato, à natura. Sed tamen cum explicare nihil poſſes, pugnaſti commentitiorum exemplorum mirifica copia. De quo primum hoc libet dicere. hoc ego philoſophi non arbitror, *teſtibus uti*; qui aut caſu veri, aut malitia

---

1. *Qui theſaurum inventurum.*] Subintellige, *alicujus*, vel *aliquem*, inquit Gulielmius. Lambinus quamvis libris omnibus reclamantibus repoſuit, *inventum iri*.

2. *Quod ſi hæc eaque quæ ſunt ejuſdem generis.*] Eſt ab editione Victorii, alluduntque & Pall. & Gulielmiani. vulgatur paſſim, *quod ſi ea, quæ ſunt ejuſdem, &c.*

3. *Dejotarum neceſſarium noſtrum.*] Non aliter Pall. quatuor, Pith. S. Vict. editique à Victorio. alii *familiarem noſtrum*. cur obſecro?

4. *Aut ulla prædictio?*] Pal. pr. & Pithœanus *dictio*. non male. nam *dicere*, eſt Apollinis vatum oraculorumque. ſic ſupra lib. 1. cap. 40. *futura dicebant*. & cap. ſequenti: *conjectura quæ eſſent futura dicebat*. Gulielmius.

5. *Num id vitari potuit.*] Vulgata ſcriptura *mutari*. ſed alterum hæret in Pall. in Pith. in edit. Victorii.

6. *In curia Pompeja.*] Lectio communis, *Pompejana*. ſed prior eſt in omnibus Pall.

7. *Nihil levari re divina poteſt.*] Ita Pal. o. & Victoriana. Aldus ſenior, *nihil levare divinatio poteſt*, quod eſt in Pithœano. vulgata, *nihil levari de re divina poteſt*.

1. Exiſ

[illegible] talia, fictaque eſſe poſſunt. Argumentis, & rationibus oportet, quare quidque ita ſit, docere, non eventis,
12 iis præſertim, quibus mihi liceat non credere. Ut ordiar ab haruſpicina, quam ego reip. cauſa, communiſque religionis, colendam cenſeo: ſed ſoli ſumus: licet verum exquirere ſine invidia, mihi præſertim de pleriſque dubitanti. inſpiciamus, ſi placet, exta primùm. Perſuaderi igitur cuiquam poteſt, ea, quæ ſignificari dicuntur extis, cognita eſſe ab haruſpicibus obſervatione diuturna? quam diuturna iſta fuit? aut quam longinquo tempore obſervari potuit: aut quo modo eſt collata inter ipſos, quæ pars *inimici*, quæ pars *familiaris* eſſet: quod *fiſſum*, periculum: quod commodum aliquod oſtenderet? an hæc inter ſe haruſpices Etruſci, Elii, Ægyptii, Pœni contulerunt? At id, præterquam quod fieri non potuit, ne fingi quidem poteſt. alios enim alio more videmus exta interpretari, nec eſſe unam omnium diſciplinam. Et certè, ſi eſt in extis aliqua vis, quæ declaret futura, neceſſe eſt, eam aut cum *rerum natura* eſſe conjunctam, aut *conformari* quodam modo numini deorum. Atqui divina cum rerum natura tanta, tamque præclara in omneis parteis, motuſque diffuſa, quid habere poteſt commune? non dicam gallinaceum fel, (ſunt enim, qui vel argutiſſima hæc exta eſſe dicant) ſed tauri opimi jecur, aut cor, aut pulmo, quid habet naturale, quod declarare poſſit, quid futurum ſit? Democritus ta-
13 men non inſcite nugatur ut phyſicus: quo genere *nihil arrogantius*.

Quod eſt ante pedes, nemo ſpectat: cœli ſcrutantur plagas.

Verùm is tamen habitu extorum, & colore declarari cenſet, hoc duntaxat, pabuli genus, & earum rerum, quas terra procreet, vel ubertatem, vel tenuitatem: ſalubritatem etiam, aut peſtilentiam[1] extis ſignificari putat. O mortalem beatum! cui certò ſcio *ludum* numquam defuiſſe. Hunccine hominem tantis delectatum eſſe nugis, ut non videret, tum futurum id veriſimile, ſi omnium pecudum exta eodem tempore in eundem habitum ſe, coloremque converterent? ſed ſi eâdem hora aliæ pecudis jecur nitidum, atque plenum eſt, aliæ horridum, & exile: quid eſt quod declarari poſſit *habitu* extorum, & *colore*? an hoc ejuſdem modi eſt, quale Pherecydêum illud quod eſt à te dictum? qui cùm aquam vidiſſet ex puteo hauſtam, terræ motum dixit futurum. Parum, credo, impudenter, quòd cùm factus eſſet motus, dicere audent, quæ vis id effecerit. etiamne futurum eſſe, aquæ jugis colore præſentiunt? multa iſtiuſmodi dicuntur in *ſcholis*: ſed *credere* omnia vide ne non ſit neceſſe. Verùm ſint ſanè iſta Democritea vera. quando ea nos extis exquirimus? aut quando aliquid ejuſmodi ab haruſpice, inſpectis extis, audivimus? ab aqua, aut ab igni *pericula* monent: tum hereditates, tum damna denuntiant: fiſſum familiare, & vitale tractant: caput jecoris ex omni parte diligentiſſimè conſiderant: ſi verò id non eſt inventum, nihil putant accidere potuiſſe triſtius,
14 Hæc obſervari certè non potuerunt, ut ſupra docui. ſunt igitur *artis* inventa, non *vetuſtatis*, ſi eſt ars ulla rerum incognitarum. Cum rerum autem natura quam cognationem habent? quæ ut uno conſenſu juncta ſit, & continens, quod video placuiſſe Phyſicis, eiſque maximè, qui omne, quod eſſet, unum eſſe dixerunt: quid habere mundus poteſt cum theſauri inventione conjunctum? ſi enim extis, pecuniæ mihi amplificatio oſtenditur, idque fit natura: primùm exta ſunt conjuncta mundo: deinde meum lucrum natura rerum continetur. Nonne pudet phyſicos hæc dicere? Ut enim jam ſit aliqua[2] in *natura rerum cognatio*, quam eſſe concedo: multa enim Stoici colligunt: nam & muſculorum jecuſcula bruma dicuntur augeri, & pulejum aridum floreſcere ipſo brumali die, & inflatas rumpi veſiculas, & ſemina malorum, quæ in iis mediis incluſa ſint, in contrarias parteis ſe vertere: jam nervos in fidibus aliis pulſis reſonare alios: oſtreiſque, & conchyliis omnibus contingere, ut cum luna pariter creſcant, pariterque decreſcant: arboreſque ut hyemali tempore, cum luna ſimul ſeneſcentes, quia tum exſiccatæ ſint, *tempeſtivè cædi* putentur. quid de fretis, aut de marinis æſtibus plura dicam? quorum acceſſus, & receſſus *lunæ motu* gubernantur. Sexcenta licet ejuſmodi proferri, ut diſtantium rerum cognatio 15
naturalis appareat. Demus hoc. nihil enim huic diſputationi adverſatur. num etiam, ſi fiſſum cujuſdammodi fuerit in jecore, lucrum oſtenditur? [3] qua ex conjunctione naturæ, & [4] quaſi concentu, atque conſenſu, quam συμπάθειαν Græci appellant, convenire poteſt, aut fiſſum jecoris cum lucello meo, aut meus quæſticulus cum cœlo, terra, rerumque natura? concedam hoc ipſum, ſi vis; etſi magnam jacturam cauſæ fecero, ſi ullam eſſe convenientiam naturæ cum extis conceſſero: ſed tamen eo conceſſo, quî evenit, ut is qui *impetrire* velit, convenientem hoſtiam rebus ſuis immolet? hoc erat, quod ego non rebar poſſe diſſolvi. At quàm feſtivè diſſolvitur. Pudet me non tui quidem, cujus etiam memoriam admiror, ſed Chryſippi, Antipatri, Poſidonii, qui idem iſtuc quidem dicunt, quod eſt dictum à te, AD HOSTIAM deligendam ducem eſſe vim quandam ſentientem, atque divinam, quæ toto confuſa mundo ſit. Illud verò multo etiam melius, quod & à te uſurpatum eſt, & dicitur ab illis: cùm immolare quiſpiam velit, tum fieri extorum mutationem, ut aut abſit aliquid aut ſuperſit: deorum enim numini parêre omnia. Hæc, mihi jam crede, *ne aniculæ quidem exiſtimant*. An cenſes, eundem vitulum, ſi alius delegerit, ſine capite jecur inventurum: ſi alius, cum capite? hæc deceſſio capitis, aut acceſſio ſubitone fieri poteſt, ut ſe exta ad immolatoris fortunam accommodent? non perſpicitis, *aleam quandam* ineſſe hoſtiis deligendis, præſertim cùm res ipſa doceat? cùm enim triſtiſſima exta ſine capite fuerunt, quibus nihil videtur eſſe dirius: proxima hoſtia *litatur* ſæpè pulcherrimè. Ubi illæ minæ ſuperiorum extorum? aut quæ tam ſubitò facta eſt deorum tanta placatio? Sed affers, in tauri opimi 16
extis, immolante Cæſare, cor non fuiſſe: id quia non potuerit accidere, ut ſine corde victima illa viveret, judicandum eſſe tum interiiſſe cor, cùm immolaretur. Quî fit, ut alterum intelligas, ſine corde non potuiſſe bovem vivere: alterum non videas, cor ſubitò non potuiſſe neſcio quò *avolare*? ego enim poſſum vel neſcire, quæ vis ſit cordis ad vivendum, vel ſuſpicari, contactum aliquo morbo, bovis, exile, & exiguum, & vietum cor, & diſſimile cordis fuiſſe. Tu verò quid habes, quare putes, ſi paullo ante cor fuerit in tauro opimo, ſubitò id in ipſa immolatione interiiſſe? an, quòd adſpexit veſtitu purpureo excordem Cæſarem, ipſe corde privatus eſt? *urbem* philoſophiæ, mihi crede, *proditis*, dum caſtella defenditis. Nam, dum haruſpicinam veram eſſe vultis, phyſiologiam totam pervertitis. Caput eſt in jecore, cor in extis: jam abſcedet, ſimul ac molam, & vinum inſperſeris. deus id eripiet, vis aliqua conficiet, aut exedet. Non ergo omnium interitus, atque obitus natura conficiet: & erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum ſubitò occidat. Quis hoc *Phyſicus* dixit umquam? haruſpices dicunt. His igitur, quàm phyſicis, potiùs credendum exiſtimas? Quid cùm 17
pluribus diis immolatur, quî tandem evenit, ut *litetur* aliis, aliis non litetur? quæ autem inconſtantia deorum eſt, ut primis minentur extis, benè promittant ſecundis? aut tanta inter eos diſſenſio, ſæpe etiam inter proximos, ut Apollinis exta bona ſint, Dianæ non bona? quid eſt tam perſpi-

1. *Extis ſignificari putat.*] Pall. omnes & S. Victoris *puto*; ut ſuſpicer has tres voces manaſſe ab librariis, & delendas.

2. *In natura rerum cognatio.*] Omnes Pall. & S. Victoris *contagio*. ſed facilis eſt litteræ unius tranſpoſitio. itaque Lambinus heic fluctus excitat in ſimpulo.

3. *Qua ex conjunctione naturæ.*] Sic editi a Victorio & Pall. duo meliores, nam tert. & quart. *cognatione*, ut vulgg.

4. *Quaſi concentu*] Pal. prim. *accentu*. ut forſan voluerit vitare repetitiones ſimilis ſyllabæ auctor.

1. *Tan-*

perſpicuum, quam, cùm fortuitò hoſtiæ adducantur, talia cuique exta eſſe, qualis cuique obtigerit hoſtia? At enim idipſum habet aliquid divini, quæ cuique hoſtia obtingat [1] tanquam in ſortibus, quæ cui ducatur. Mox de ſortibus. quamquam tu quidem non hoſtiarum caſum confirmas ſortium ſimilitudine, ſed *infirmas ſorteis* collatione hoſtiarum. An, cùm in Æquimelium miſimus qui afferat agnum, quem immolemus: is mihi agnus affertur, qui habet exta rebus accommodata, & ad eum agnum non caſu, ſed duce deo ſervus deducitur? nam [2] ſi caſus in eo quoque dicis eſſe, quaſi ſortem quandam cum deorum voluntate conjunctam; doleo tantam Stoicos noſtros Epicureis irridendi ſui facultatem dediſſe. non enim ignoras, quàm iſta derideant. Et quidem illi faciliùs facere poſſunt. deos enim ipſos *jocandi cauſa* induxit Epicurus perlucidos, & perflabileis, & habitanteis, tanquam inter duos lucos, ſic inter duos mundos, propter metum ruinarum: eoſque habere putat eadem membra, quæ nos, nec uſum ullum habere membrorum. Ergo is circuitione quadam deos tollens, rectè non dubitat divinationem tollere. Sed non, ut hic ſibi conſtat, item Stoici. illius enim deus nihil habens nec ſui, nec alieni negotii, non poteſt hominibus divinationem impertire. veſter autem deus poteſt non impertire, ut nihilo minùs
18 *mundum regat, & hominibus conſulat.* Cur igitur vos [3] induitis in eas captiones, quas numquam explicetis? ita enim, cùm magis properant, concludere ſolent: SI DII ſunt, eſt divinatio. ſunt autem dii. eſt ergo divinatio. Multo eſt probabilius: non eſt autem divinatio. non ſunt ergo dii. Vide, quàm temerè committant, ut, ſi nulla ſit divinatio, nulli ſint dii. divinatio enim perſpicuè tollitur. deos eſſe, retinendum eſt. Atque hac extiſpicum divinatione ſublata, omnis haruſpicina ſublata eſt. *oſtenta* enim ſequuntur, & *fulgura.* valet autem in fulguribus obſervatio diuturna; in oſtentis ratio plerumque conjecturaque adhibetur. Quid eſt igitur, quod obſervatum ſit in fulgure? cœlum in XVI. parteis diviſerunt Etruſci. facile id quidem fuit, quattuor, quas nos habemus, duplicare: poſt idem iterum facere, ut ex eo dicerent, fulmen qua ex parte veniſſet. Primùm id quid intereſt? deinde quid ſignificat? nonne perſpicuum eſt, *ex prima admiratione* hominum, quod tonitrua, jactuſque fulminum extimuiſſent, crediſſe ea efficere rerum omnium præpotentem Jovem? itaque in noſtris commentariis ſcriptum habemus: JOVE TONANTE, FULGURANTE, COMITIA POPULI HABERE NEFAS. Hoc fortaſſe *reip. cauſa* conſtitutum eſt. comitiorum enim non habendorum cauſas eſſe voluerunt. Itaque comitiorum ſolum vitium eſt, fulmen: quod idem omnibus rebus optimum auſpicium habemus, ſi ſiniſtrum fuit. Sed de auſpi-
19 ciis alio loco, nunc de fulguribus. Quid igitur minùs à phyſicis dici debet, quàm *quidquam certi ſignificari rebus incertis?* non enim te puto eſſe eum, qui Jovi fulmen fabricatos eſſe Cyclôpas in Ætna putes. nam eſſet mirabile, quomodo id Jupiter toties jaceret, cùm unum haberet. Nec verò fulminibus homines, quid aut faciendum eſſet, aut cavendum, moneret. placet enim Stoicis, eos anhelitus terræ, qui frigidi ſint, cùm fluere cœperint, ventos eſſe: cùm autem ſe in nubem induerint, ejuſque tenuiſſimam quamque partem cœperint dividere, atque diſrumpere, idque crebriùs facere, & vehementiùs, tum [4] & fulgura, & tonitrua exſiſtere: ſi autem nubium conflictu ardor expreſſus ſe emiſerit, id eſſe fulmen. Quod igitur vi naturæ, nulla conſtantia, nullo rato tempore videmus effici, ex eo ſignificationem rerum conſequentium quærimus? Scilicet, ſi iſta Jupiter ſignificaret, [5] tam multa fruſtra fulmina emitteret. quid enim proficit, cùm in medium mare [6] fulmen jecit? quid, cum in altiſſimos monteis? quod plerumque fit: quid, cùm in deſertas ſolitudines? quid, cùm in earum gentium oras, in quibus hæc ne obſervantur quidem? At *inventum eſt caput in Tiberi.* Quaſi ego artem aliquam iſtorum eſſe negem. divinationem nego. cœli enim diſtributio, quam antè dixi, & certarum rerum notatio docet, unde fulmen venerit, quò conceſſerit: quid ſignificet autem, nulla ratio docet. Sed urges me meis verſibus: 20

Nam pater altitonans ſtellanti nixus olympo,
Ipſe ſuos quondam tumulos, ac templa petivit,
Et Capitolinis injecit ſedibus igneis.

Tum Statua Nattæ, tum ſimulacra deorum, Romuluſque & Remus cum altrice bellua, [7] vi fulminis icti conciderunt, deque his rebus haruſpicum exſtiterunt reſponſa veriſſima. Mirabile autem illud, quòd eo ipſo tempore, quò fieret judicium conjurationis in ſenatu, ſignum Jovis biennio pòſt, quam erat locatum, in Capitolio collocabatur. Tu igitur animum induces, (ſic enim mecum agebas) cauſam iſtam & contra facta tua, & contra ſcripta defendere? *Frater es, eò vereor.* Verum quid tibi hîc tandem nocet? reſne, quæ talis eſt: an ego, qui verum explicari volo? Itaque nihil contrà dico: à te rationem totius haruſpicinæ peto. Sed te mirificam in latebram conjeciſti. Quod enim intelligeres, [8] fore, ut premerere, cùm ex te cauſas uniuſcujuſque divinationis exquirerem, multa verba feciſti, te, *cùm res videres, rationem, cauſamque non quærere:* quid fieret, non cur fieret, ad rem pertinere. Quaſi ego aut fieri concederem, aut eſſet philoſophi, cauſam cur quidque fieret, non quærere. Et eo quidem loco & prognoſtica noſtra pronuntiabas, & genera herbarum, ſcammoneam, ariſtolochiamque radicem, quarum cauſam ignorares, vim & effectum videres. Diſſimile 21
totum. nam & prognoſticorum cauſas perſecuti ſunt & Boëthus Stoicus, qui eſt à te nominatus, & noſter etiam Poſidonius. etſi cauſæ non reperiantur iſtarum rerum, res tamen ipſæ obſervari, [9] animadvertique potuerunt. Nattæ verò ſtatua, aut æra legum de cœlo tacta, [10] quid habent obſervatum, ac vetuſtum? Pinarii Nattæ nobiles: *à nobilitate igitur [11] periculum.* hoc tam callidè Jupiter cogitavit. Romulus lactens fulmine ictus: *urbi igitur periculum* oſtenditur, ei, quam ille condidit. quàm ſcitè per notas nos certiores facit Jupiter? At eodem tempore ſignum Jovis collocabatur quo conjuratio indicabatur. Et tu ſcilicet mavis, numine deorum id factum, quàm caſu arbitrari? & redemtor, qui columnam illam de Cotta, & de Torquato conduxerat faciendam, nòn *inertia*, aut *inopia* tardior fuit, ſed à diis immortalibus [12] ad iſtam horam reſervatus eſt? non equidem planè deſpero iſta eſſe vera, ſed neſcio, & diſcere

1. *Tanquam in ſortibus.*] Pal. pr. *fortibus.* quod ne fortuitum fuiſſe videatur, ſtatim iterum eadem forma expreſſit.

2. *Si caſus in eo, &c.*] Vulgati *caſum*, ſed alterum erat in Pall. omnibus, agnoverantque item ſcripti Victoriani.

3. *Induitis in eas captiones.*] Sic Pal. pr. & ſec. item S. Victoris antiquus liber. *inducitis*, aliæ editiones; quod & diſplicuit P. Manutio. ſed non habuit ſuffraganteis membranas. ideoque jure ſe ei oppoſuit Mich. Brutus, cui iniquum videbatur recipi à Lambino in contextum meram conjecturam.

4. *Et fulgura, & tonitrua.*] Editio Victorii & S. Victoris, *fulgores.* Pal. pr. & ſec. *fulgures*, tert. *fulgorem.* quart. *fulgora.*

5. *Tam multa fruſtra fulmina emitteret.*] Pall. pr. ac ſec. immittunt negationem, *fulmina non emitteret.* & hoc verum eſt. non auſus tamen ſum admittere in contextum, quod & alteri ſcripturæ ſuus eſſet ſenſus, neque diſcordarent editiones.

6. *Fulmen jecit.*] Ita Pall. tres, ita editio Victorii, ita membranæ S. Victoris, neque abit noſter tert. quàm quod is, *injecit.* editi, *jacit.*

7. *Vi fulminis icti.*] Pal. pr. tert. quart. *ut fulminis ictu.*

8. *Fore ut premerere, cùm, &c.*] Eſt à Pall. quatuor. mirorque hactenus obtinuiſſe *premerem te, cùm*; lectionem inficetam, præ noſtra.

9. *Animadvertique potuerunt.*] Ita Pal. pr. & ſec. nam tert. ac quart. item S. Vict. ultima voce carent; quam tamen expreſſit etiam editio Victorii. aliæ enim, *poſſunt.*

10. *Quid habent obſervatum ac vetuſtum?*] Diſtinguit Gulielmius, *quid habent? Obſervatum, ac vetuſtum. Pinarii, &c.* placet.

11. *Periculum, hoc tam callidè Jupiter.*] Sic Pall. & S. Victoris. editi hactenus *tamen.* forſan adhuc interpungendum: *periculum hoc. tam callidè*, niſi malimus, *calidè.* quomodo S. Vict. codex.

12. *Ad iſtam horam reſervatus eſt?*] Vulgati deſtituebantur illo *re*; quod ejeci è Pall. S. Victoris, & Victoriana editione.

diſcere à te volo. Nam cùm mihi quædam caſu viderentur ſic evenire, ut prædicta eſſent a divinantibus: dixiſti multa de caſu, ut, *Venerium jaci* poſſe caſu, quattuor talis jactis? quadringentis, centum Venerios non poſſe caſu conſiſtere. Primùm neſcio, cur non poſſint: ſed non pugno: abundas enim ſimilibus: habes & *reſperſionem pigmentorum*, & *roſtrum ſuis*, & alia permulta. Idem Carneadem fingere dicis *de capite Paniſci*. Quaſi non potuerit id evenire caſu, & non in omni marmore neceſſe ſit ineſſe vel Praxitelia capita. illa enim ipſa efficiuntur detractione: nec quidquam illuc affertur à Praxitele: ſed cùm multa ſunt detracta, & ad lineamenta oris perventum eſt, tum intelligas, illud, quod jam expolitum ſit, intus fuiſſe. poteſt igitur tale aliquid etiam ſua ſponte in lapicidinis Chiorum exſtitiſſe. Sed ſit hoc fictum. quid? in nubibus numquam animadvertiſti leonis formam, aut hippocentauri? Poteſt igitur,
22 quod, modò negabas, *veritatem caſus imitari*. Sed quoniam de extis, & fulguribus ſatis eſt diſputatum, oſtenta reſtant, ut tota haruſpicina ſit pertractata. *Mulæ partus* prolatus eſt à te: res mirabilis, propterea quia *non ſæpe fit*: ſed ſi fieri non potuiſſet, facta non eſſet. Atque hoc contra omnia oſtenta valeat; numquam, quod fieri non potuerit, eſſe factum: ſin potuerit, non eſſe mirandum. CAUSARUM enim ignoratio in re nova mirationem facit. eadem ignoratio ſi in rebus uſitatis eſt; non miramur. nam qui mulam peperiſſe miratur, is, quo modo equa pariat, aut omnino quæ natura partum animantis faciat, ignorat. ſed, quod crebrò videt, non miratur, etiamſi, cur fiat, neſcit. [1] quod antè non vidit, id ſi evenerit, oſtentum eſſe cenſet. Utrum igitur, cùm concepit mula, an cùm peperit, oſtentum eſt? conceptio contra naturam fortaſſe: ſed partus propè neceſſarius. Sed quid plura? ortum videamus haruſpicinæ. ſic fa-
23 cillimè, quid habeat auctoritatis, judicabimus. Tages quidam dicitur in agro Tarquinienſi, cùm terra araretur, & ſulcus altiùs eſſet impreſſus, extitiſſe repentè, & eum affatus eſſe, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris eſt Etruſcorum, puerili ſpecie dicitur viſus, ſed *ſenili* fuiſſe *prudentia*. ejus adſpectu cùm obſtupuiſſet bubulcus, clamoremque majorem cum admiratione edidiſſet: concurſum eſſe factum, totamque brevi tempore in eum locum Etruriam conveniſſe: tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia ejus verba exceperint, litteriſque mandaverint: omnem autem orationem fuiſſe eam, qua haruſpicinæ diſciplina contineretur: eam poſtea creviſſe rebus novis cognoſcendis, & ad eadem illa principia referendis. Hæc accepimus ab ipſis: hæc ſcripta conſervant: hunc fontem habent diſciplinæ. Num ergo opus eſt ad hæc refellenda Carneade? num Epicuro? Eſt ne quiſquam ita deſipiens, qui credat exaratum eſſe, deum dicam, an hominem? ſi deum, cur ſe contra naturam in terram abdiderit, ut patefactus aratro lucem adſpiceret? Quid? idem nonne poterat deus hominibus diſciplinam ſuperiore è loco tradere? Si autem homo ille Tages fuit, quonam modo potuit *terra oppreſſus vivere?* unde porrò illa potuit, quæ docebat alios, ipſe didiciſſe? ſed ego inſipientior, quàm illi ipſi, qui iſta cre-
24 dunt, qui quidem contra eos tam diu diſputem. Vetus autem illud Catonis admodum ſcitum eſt, QUI MIRARI SE ajebat, QUOD NON RIDERET HARUSPEX, HARUSPICEM CUM VIDISSET. Quota enim quæque res evenit prædicta ab iſtis? aut ſi evenit quippiam, quid afferri poteſt, cur non caſu id evenerit? Rex Pruſias, cùm Annibali apud eum exſulanti depugnari placeret, negabat ſe audere, quòd exta prohiberent. *Antu*, inquit, *carunculæ vitulinæ mavis, quam imperatori veteri credere?* Quid? ipſe Cæſar, cùm a ſummo haruſpice moneretur, ne in Africam antè brumam tranſmitteret, nonne tranſmiſit? quod ni feciſſet, [2] *uno in loco* omnes adverſariorum copiæ conveniſſent. Quid ego haruſpicum reſponſa commemorem, (poſſum equidem innumerabilia) quæ aut *nullos* habuerunt exitus aut *contrarios*? Hoc civili bello, dii immortales, quàm multa luſerunt? quæ nobis in Græciam Roma reſponſa haruſpicum miſſa ſunt? quæ dicta Pompejo? etenim ille admodum extis, & oſtentis movebatur. Non lubet commemorare, nec verò neceſſe eſt, tibi præſertim, qui interfuiſti. vides tamen omnia ferè contra, ac dicta ſint, eveniſſe. Sed hæc hactenus. nunc ad oſtenta veniamus. Multa 25
me conſule à me ipſo ſcripta recitaſti: multa ante Marſicum bellum à Siſenna collecta attuliſti: multa ante Lacedæmoniorum malam pugnam in Leuctris à Calliſthene commemorata dixiſti. de quibus dicam equidem ſingulis, quoad utile videbitur: ſed dicendum etiam eſt de univerſis. Quæ eſt enim iſta à diis profecta ſignificatio, & quaſi denuntiatio calamitatum? [3] quid autem volunt ea dii immortales primùm ſignificantes, quæ ſine interpretibus non poſſumus intelligere: deinde ea, quæ cavere nequeamus? At hoc ne homines quidem probi faciunt, ut amicis *impendenteis calamitates* prædicant, quas illi effugere nullo modo poſſint: ut medici, quamquam intelligunt ſæpe, tamen numquam ægris dicunt illo morbo eos eſſe morituros. OMNIS enim PRÆDICTIO mali tum probatur, cùm ad prædictionem cautio adjungitur. Quid igitur aut oſtenta, aut eorum interpretes, vel Lacedæmonios olim, vel nuper noſtros adjuverunt? quæ ſi ſigna deorum putanda ſunt, cur tam *obſcura* fuerunt? ſi enim, ut intelligeremus, quid eſſet eventurum; apertè declarari oportebat, aut ne *occultè* quidem, ſi ea ſciri nolebant. Jam verò conjectura 26
omnis, in qua nititur divinatio, ingeniis hominum in multas, ac diverſas, aut etiam contrarias parteis ſæpè deducitur. Ut enim in *cauſis judicialibus* alia eſt conjectura accuſatoris, alia defenſoris, & tamen utriuſque credibilis: ſic in omnibus iis rebus, quæ conjectura inveſtigari videntur, anceps reperitur oratio. Quas autem res tum natura, tum caſus affert, nonumquam etiam *errorem creat ſimilitudo*: magna ſtultitia eſt earum rerum deos facere effectores, cauſas rerum non quærere. Tu vates Bœotios credis Lebadiæ vidiſſe ex *gallorum* gallinaceorum cantu, victoriam eſſe Thebanorum, quia galli victi ſilere ſolerent, canere victores. Hoc igitur per gallinas Jupiter tantæ civitati ſignum dabat? An illæ aves, niſi cùm vicerint, canere non ſolent? At tum canebant, nec vicerant. Id enim, inquies, oſtentum. Magnum verò: quaſi piſces, non galli cecinerint. quod autem eſt tempus, quo illi *non cantent*, vel nocturnum, vel diurnum? quòd ſi victores alacritate, & quaſi lætitia, ad canendum excitantur: potuit accidiſſe alia quoque lætitia, qua ad cantum moverentur. Democritus quidem optimis verbis cauſam explicat cur *ante lucem galli canant*. depulſo enim de pectore, & in omne corpus diviſo, & [4] mitificato cibo, cantus edere, quiete ſatiatos: qui quidem *ſilentio noctis*, ut ait Ennius, [5] *favent faucibus ruſſis* cantu, plauſuque premunt alas. Cùm igitur hoc animal tam ſit canorum ſua ſponte, quid in mentem venit Calliſtheni dicere, deos gallis ſignum dediſſe cantandi, cùm id vel natura, vel caſus efficere potuiſſet? *Sanguinem* 27
pluiſſe ſenatui nuntiatum eſt, *Atratum etiam fluvium fluxiſſe*

1. *Quod ante non vidit.*] Eſt ab editione Victoriana & Pall. quatuor. prius enim, *quod autem non vidit*.

2. *Uno in loco omnes, &c.*] Vulgati, *unum in locum*, ſed præter Pall. & editionem Victorii, in quo extat alterum: ſicque etiam S. Victoris, niſi quod is, *uni in loco*.

3. *Quid autem volunt ea dii, &c.*] Sic Pall. omnes & S. Victoris, neque receſſit Victorii editio, quam quod ipſa, *ea volunt dii*. lectio vulgaris, *quid autem ea volunt*.

4. *Mitificato cibo.*] Eſt à Victorianis, cui ſuccurrunt ultrò Pal. prim. ac ſecund. nam tert. & quart. *modificato*, quomodo aliæ editiones; ineptè.

5. *Favent faucibus ruſſis cantu.*] Eſt à Victoriana aliiſque editt. ſolummodò diſtinctio eſt a Gulielmio. nam, *favent faucibus: ruſſis cantu, &c.* Victorius *favent cantibus ruſſis cantu*, P. Manutius, Lambinus, Brutus minus rectè. nam *favere cantu*, eſt *canere*: ut *favere linguis*, ominari verbis bene; non tacere, ut vult Petrus Marſus. hæc Gulielmius.

1. San-

fluxiſſe ſanguine; *deorum ſudaſſe ſimulacra*: num cenſes his nuntiis Thalem, aut Anaxagoram aut quemquam phyſicum crediturum fuiſſe? nec enim ſanguis, nec ſudor, niſi è corpore eſt. ſed & decoloratio quædam ex aliqua contagione terrena maximè poteſt [1] ſanguinis ſimilis eſſe, & humor allapſus extrinſecus, ut in tectoriis videmus auſtro, ſudorem imitari. Atque hæc in bello *plura & majora videntur timentibus*: eadem non tam animadvertuntur in pace. accedit illud etiam, quod in metu & periculo cùm creduntur facilius, tum finguntur impuniùs. Nos autem ita leves, atque *inconſiderati* ſumus, ut, ſi mures corroſerint aliquid, quorum eſt opus hoc unum, monſtrum putemus. Ante verò Marſicum bellum, quod clypeos Lanuvii, ut à te eſt dictum, mures roſiſſent, maximum id portentum haruſpices eſſe dixerunt. quaſi verò quidquam interſit, mures, diem noctem aliquid rodentes, ſcuta, an cribra corroſerint. Nam ſi iſta ſequimur, quod Platonis *Politiam* nuper apud me mures corroſerint, de rep. debui pertimeſcere: aut, ſi Epicuri de *Voluptate* liber roſus eſſet,
28 putarem annonam in macello cariorem fore. An verò illa nos terrent, ſi quando aliqua portentoſa aut ex pecude aut ex homine nata dicuntur? quorum omnium, ne ſim longior, una ratio eſt. quidquid enim oritur, qualecumque eſt, cauſam habeat à natura neceſſe eſt: ut etiam ſi *præter conſuetudinem* exſtiterit, præter naturam tamen non poſſit exſiſtere. Cauſam igitur [2] inveſtigato in re nova atque admirabili, ſi potes. ſi nullam reperies: illud tamen exploratum habeto, *nihil fieri potuiſſe ſine cauſa*: [3] eumque errorem, quem tibi rei novitas attulerit, naturæ ratione depellito. ita te nec terræ fremitus, nec cœli diſceſſus, nec lapideus, aut ſanguineus imber, nec trajectio ſtellæ, nec faces viſæ terrebunt. Quarum omnium cauſas ſi [4] à Chryſippo quæram, ipſe ille divinationis auctor numquam illa dicet facta fortuitò, naturalemque rationem omnium reddet. nihil enim fieri ſine cauſa poteſt: *nec quicquam fit quod fieri non poteſt*. nec, ſi id factum eſt, quod potuit fieri, portentum debet videri. nulla igitur portenta ſunt. Nam ſi, quod raro fit, id portentum putandum eſt, *ſapientem eſſe, portentum eſt*. ſæpius enim mulam peperiſſe arbitror, quàm ſapientem fuiſſe. Illa igitur ratio concluditur, nec id, quod non potuerit fieri, factum umquam eſſe: nec, quod potuerit, id portentum eſſe: ita omninò nullum eſſe portentum. quod etiam conjector quidam & interpres portentorum non inſcitè reſpondiſſe dicitur ei, qui cùm ad eum retuliſſet, quaſi oſtentum, quod anguis domi [5] vectem circumjectus fuiſſet, *Tum eſſet*, inquit *oſtentum, ſi anguem vectis circumplicaviſſet*. Hoc ille reſponſo ſatis apertè declaravit, nihil habendum eſſe portentum, quod fieri poſ-
29 ſet. C. Grachus ad M. Pomponium ſcripſit, duobus anguibus domi comprehenſis, haruſpices à patre convocatos. Qui magis anguibus, quàm lacertis, quàm muribus? quia ſunt hæc quotidiana, angues non item. quaſi verò *referat, quod fieri poteſt, quam id ſæpe fiat*. Ego tamen miror, ſi emiſſio fœminæ anguis mortem afferebat T. Graccho: emiſſio autem maris anguis erat mortifera Corneliæ, cur alterutram emiſerit. nihil enim ſcribit reſpondiſſe haruſpices, ſi neuter anguis emiſſus eſſet, quid eſſet futurum. At mors inſecuta Gracchum eſt. Cauſa quidem, credo, aliqua morbi gravioris, non emiſſione ſerpentis. neque enim tanta eſt infelicitas haruſpicum, ut ne caſu quidem unquam fiat, quod futurum illi eſſe dixerint. Nam illud mirarer, ſi crederem, quòd apud Homerum Calchantem dixiſti *ex paſſerum numero* belli Trojani annos auguratum: de cujus conjectura ſic apud Homerum, ut nos otioſi convertimus, loquitur Agamemnon:

Ferte viri, & duros animo tolerate labores, 30
Auguris ut noſtri Calchantis fata queamus
Scire, ratoſne habeant, an vanos pectoris orſus:
Namque omnes memori portentum mente retentant,
Qui non funeſtis liquerunt lumina fatis.
Argolicis primùm ut veſtita eſt claſſibus Aulis,
Quæ Priamo cladem, & Trojæ, peſtemque ferebant:
Nos circum latices gelidos fumantibus aris,
Aurigeris divûm placantes numina tauris,
Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquai,
Vidimus immani ſpecie, tortuque draconem
Terribilem, Jovis ut pulſu penetraret ab ara:
Qui platani in ramo foliorum tegmine ſæptos
Corripuit pullos: quos cùm conſumeret octo,
Nona ſuper tremulo genitrix clangore volabat:
Cui ferus immani laniavit viſcera morſu.
Hunc, ubi tam teneros volucreis matremque peremit,
Qui luci ediderat, genitor Saturnius idem
Abdidit, & [6] duro formavit tegmine ſaxi.
Nos autem timidi ſtantes mirabile monſtrum
Vidimus in mediis divûm verſarier aris.
Tum Calchas hæc eſt fidenti voce locutus,
Quidnam torpentes ſubitò obſtupuiſtis Achivi?
Nobis hæc portenta deûm dedit ipſe creator,
Tarda, & ſera nimis: ſed fama, ac laude perenni.
Nam quot aveis tætro mactatas dente videtis,
Tot nos ad Trojam belli exanclabimus annos:
Quæ decimo cadet, & pœna ſatiabit Achivos.
Edidit hæc Calchas: quæ jam matura videtis.

Quæ tandem iſta auguratio eſt ex paſſeribus, annorum potiùs, quàm aut menſium, aut dierum? cur autem de paſſerculis conjecturam facit: in quibus nullum erat monſtrum: de dracone ſilet, qui, id quod *fieri non potuit*, lapideus dicitur factus? poſtremò quid ſimile habet paſſer annis? nam de angue illo, qui Sullæ apparuit immolanti, utrumque memini, & Sullam, cùm in expeditionem educturus eſſet, immolaviſſe, & anguem ab ara extitiſſe, eoque die rem præclarè eſſe geſtam non haruſpicis conſilio, ſed *imperatoris*. Atque hæc oſtentorum genera mirabile 31
nihil habent. quæ cùm facta ſunt, tum ad conjecturam aliqua interpretatione revocantur: ut illa tritici grana in os pueri Midæ congeſta: aut apes, quas dixiſti in labris Platonis conſediſſe pueri, non tam mirabilia ſint, quàm conjecta bellè: quæ tamen vel ipſa falſa eſſe, vel ea quæ prædicta ſunt, [7] fortuitò cecidiſſe potuerunt. De ipſo Roſcio poteſt illud quidem eſſe falſum, ut circumligatus fuerit angui. ſed ut in cunis fuerit anguis, non tam eſt mirum, [8] in Selonio præſertim, ubi ad focum angues [9] nundinari ſolent. Nam quod haruſpices reſponderunt, nihil illo clarius, nihil nobilius fore: miror, deos immortaleis *hiſtrioni* futuro claritatem oſtendiſſe, nullam oſtendiſſe Africano. Atque etiam à te Flaminiana oſtenta collecta ſunt, quòd ipſe, & equus ejus repentè conciderit. non ſanè mirabile hoc quidem, quod evelli primi haſtati ſignum non potuerit. timidè fortaſſe ſignifer evellebat, quod fidenter inſi-

1. *Sanguinis ſimilis.*] Pal. quatuor & S. Vict. *ſanguini*, nihilo pejus.
2. *Inveſtigato, &c. ſi potes.*] Editio Victorii *poteris*, neque ſecus Pal. pr. ac ſec. nam tert. & quart. *inveſtigare, &c. ſi poteris.*
3. *Eumque errorem.*] Sic omnes noſtri. Lambinus tamen adfirmat, duos ſuorum codd. habere *terrorem*. non probo; & improbant iſtud, ſtatim ſequentia.
4. *A Chryſippo quæram.*] Eſt à Pal. pr. & ſec. item Victoriana, & Aldina recente. vulgata, *quæras*.
5. *Vectem circumjectus.*] Sic Pall. & Victoriana. vulgata *circumvectus*. Lambinus, *circumnexus*, fingebat Gulielmius *circumplexus*.
6. *Duro formavit tegmine ſaxi.*] Vulgati *firmavit*. ſed alterum eſt in editione Vict. in Pall. & S. Victoris.
7. *Fortuito cecidiſſe.*] Ita iidem noſtri aliorumque codices. vulgata lectio *accidiſſe*. ex iiſdem paulò ante pro *illa* repoſuimus *ea*. quæ indigna quidem ſunt ut moneantur. ſed ſciri oportet ne minimum quidem apicem nobis mutatum, niſi fide membranarum, aut editionum nobilium.
8. *In Selonio.*] Victorius edidit *Solonio*, neque aliter Pal. & S. Victoris. ſed cùm iidem ſupra lib. 1. cap. 36. habuerint *Selonio*, nihil heic mutare auſim.
9. *Nundinari ſolent.*] Habent hoc modo Pal. prim. & ſec. nam tert. & quart. *nudari*. conjiciunt *nidulari*, non neceſſariò.

inſixerat. Nam Dionyſii equus quid attulit admirationis, quòd emerſit ex flumine? quodque habuit apes in juba? ſed quia brevi tempore regnare cœpit, quod *acciderat caſu*, vim habuit oſtenti. At Lacedæmoniis in Herculis fano arma ſonuerunt, ejuſdemque dei Thebis valvæ clauſæ, ſubitò ſe aperuerunt: eaque ſcuta, quæ fuerant ſublimè fixa, ſunt humi inventa. Horum cùm fieri nihil potuerit ſine aliquo motu, quid eſt cur divinitus ea potiùs, quam *caſu*
32 *facta* eſſe dicamus? At in Lyſandri ſtatuæ capite Delphis exſtitit corona ex aſperis herbis, & quidem ſubita. Itane cenſes [1] ante coronam herbæ exſtitiſſe, quàm conceptum eſſe ſemen? herbam autem aſperam, credo, avium congeſtu, non humano ſatu. Jam quicquid *in capite eſt*, id coronæ ſimile videri poteſt. Nam quòd eodem tempore ſtellas aureas Caſtoris & Pollucis, Delphis poſitas, decidiſſe, neque eas uſquam repertas eſſe dixiſti: furum id magis factum, quàm deorum videtur. Simiæ verò Dodoneæ improbitatem Hiſtoriis Græcis mandatam eſſe demiror. Quid minus mirum, quam illam [2] *monſtruoſiſſimam beſtiam* urnam evertiſſe, ſorteis diſſipaviſſe? Et negant hiſtorici Lacedæmoniis ullum oſtentum hoc triſtius accidiſſe. Nam illa prædicta Vejentium, SI LACUS Albanus redundaſſet, iſque in mare fluxiſſet, Romam perituram: ſi repreſſus eſſet, Veios: [3] ita aqua Albana deducta *ad utilitatem agri* ſuburbani, non ad arcem, urbemque retinendam. At paullo poſt audita vox eſt monentis, ut providerent ne à Gallis Roma caperetur: ex eo [4] AJO LOQUENTI aram in nova via conſecratam. Quid ergo? Ajus iſte *loquens*, quando eum nemo norat, ajebat, & loquebatur, & ex eo nomen invênit: poſteaquàm & ſedem, & aram, & nomen invênit, obmutuit? Quod idem dici de MONETA poteſt: à qua, præterquam de ſue plena, quid umquam moniti ſumus?
33 Satis multa de oſtentis. *Auſpicia* reſtant, & *ſortes* eæ, quæ ducuntur, non illæ, quæ vaticinatione funduntur, quæ *oracula* veriùs dicimus: de quibus tum dicemus, cùm ad naturalem divinationem venerimus. reſtat etiam de *Chaldæis*. ſed primùm auſpicia videamus. Difficilis auguri locus ad contra dicendum. Marſo fortaſſe, ſed Romano facillimus, non enim ſumus ii nos augures, qui avium, reliquorumve ſignorum obſervatione futura dicamus: & tamen credo Romulum, qui urbem auſpicatò condidit, habuiſſe opinionem, eſſe *in providendis rebus* augurandi ſcientiam. ERRABAT enim MULTIS IN REBUS ANTIQUITAS: quam vel uſu jam, vel doctrina, vel vetuſtate immutatam videmus. retinetur autem & *ad opinionem vulgi*, & ad magnas utilitates reip. MOS, RELIGIO, DISCIPLINA, [5] JUS AUGURUM, COLLEGII AUCTORITAS. Nec verò non omni ſupplicio digni P. Claudius, L. Junius, conſules, qui contra auſpicia navigarunt, parendum enim fuit religioni, nec patrius mos tam *contumaciter repudiandus*. Jure igitur alter populi judicio damnatus eſt: alter mortem ſibi ipſe conſcivit. Flaminius non paruit auſpiciis. itaque periit cum exercitu. at anno pòſt Paullus paruit. num minùs cecidit in Cannenſi pugna cum exercitu? etenim, ut ſint auſpicia, quæ nulla ſunt; hæc certè, quibus utimur ſive tripudio, ſive de cælo,
ſimulacra ſunt auſpiciorum, auſpicia nullo modo. Qu. 34
FABI, [6] TE MIHI IN AUSPICIO ESSE VOLO; reſpondet, AUDIVI. hic apud majores noſtros adhibebatur peritus, nunc quilibet. peritum autem eſſe neceſſe eſt eum, qui, ſilentium quid ſit, intelligat. id enim *ſilentium* dicimus in auſpiciis, quod omni vitio caret. hoc intelligere, perfecti auguris eſt. illi autem, qui in auſpicium adhibetur, cùm ita imperavit is, qui auſpicatur, [7] DICITO, SI SILENTIUM ESSE VIDEBITUR; nec ſuſpicit, nec circumſpicit: ſtatim reſpondet, SILENTIUM ESSE, VIDERI. Tum ille, DICITO, SI PASCUNTUR. PASCUNTUR. Quæ aves, aut, ubi? Attulit, inquit, in cavea pullos is, qui ex eo ipſo nominatur pullarius. Hæ ſunt igitur *aves internuntiæ Jovis*: quæ paſcuntur, necne, quid refert? nihil ad auſpicia: ſed quia, cùm paſcuntur, neceſſe eſt aliquid ex ore cadere, & terram pavire, *terripavium* primò, pòſt *terripudium* dictum eſt: hoc quidem [8] jam *tripudium* dicitur. cùm igitur offa cecidit ex ore pulli, tum auſpicanti *tripudium ſoliſtimum* nun-
tiant. Ergo hoc auſpicium divini quidquam habere po- 35
teſt, quod tam ſit coactum, & expreſſum? quo antiquiſſimos augures non eſſe uſos, argumento eſt, quòd decretum collegii vetus habemus, OMNEM AVEM TRIPUDIUM FACERE POSSE. Tum igitur eſſet auſpicium, ſi modò ei eſſet liberum ſe oſtendiſſe; tum avis illa videri poſſet interpres, & ſatelles Jovis. nunc verò incluſa in cavea, & fame enecta, ſi in offam pultis invadit, & ſi aliquid ex ore cecidit, hoc tu auſpicium, aut hoc modo Romulum auſpicari ſolitum putas? Jam de cælo ſervare non ipſos cenſes ſolitos, qui auſpicabantur? nunc imperant pullario. ille renuntiat. Fulmen ſiniſtrum, [9] auſpicium optimum habemus ad omneis res, præterquam ad comitia: quod quidem inſtitutum *reip. cauſa eſt*, ut comitiorum vel in judiciis populi, vel in jure legum, vel in creandis magiſtratibus principes civitatis eſſent interpretes. At Ti. Gracchi litteris Scipio, & Figulus,[10] quòd tum augures judicaſſent eos *vitio creatos* eſſe, magiſtratu ſe abdicaverunt. Quis negat augurum diſciplinam eſſe? divinationem nego. At haruſpices divini. quos cùm Ti. Gracchus propter mortem repentinam ejus, qui in prærogativa referenda ſubito concidiſſet, in ſenatum introduxiſſet, [11] *non juſtum rogatorem* fuiſſe dixerunt. Primùm vide, ne in eum dixerint, qui rogator centuriæ fuiſſet. is enim erat mortuus. id autem ſine divinatione, conjectura poterat dicere. deinde fortaſſe caſu; qui nullo modo eſt ex hoc genere tollendus. Quid enim ſcire Etruſci haruſpices aut de *tabernaculo rectè capto*, aut de *pomærii jure* potuerunt? equidem aſſentior C. Marcello potiùs, quàm App. Claudio: qui ambo mei collegæ fuerunt: exiſtimoque jus augurum, etſi divinationis *opinione* principio conſtitu-
tum ſit, tamen poſtea reip. cauſa conſervatum, ac reten-
tum. Sed de hoc loco plura in aliis: nunc hactenus. ex- 36
terna enim auguria, quæ ſunt non tam artificioſa, quàm ſuperſtitioſa, videamus. Omnibus ferè *avibus* utuntur: nos admodum paucis. alia illis ſiniſtra ſunt, alia noſtris.

Sole-

---

1. *Ante coronam herbæ extitiſſe, quàm conceptum, &c.*] Eſt à Victorii editione, firmantque Pall. omnes & liber S. Victoris. Aldi vetus ceterorumque, *ante coronam extitiſſe, quàm herbarum conceptum, &c.*

2. *Monſtruoſiſſimam beſtiam.*] Et iſtud eſt ab iiſdem libris. vulgò *monſtroſiſſimam.*

3. *Itaque aqua Albana, &c.*] Lamb. locum aſteriſco inſignivit. falſo ſibi, quod nihil variarent mſſ. & ſententia belle cohærere videretur.

4. *Ajo loquenti.*] Paullus Merula in Ennianis ſuis monet reſtituendum, *Ajo locutio*, non heic ſolum, ſed aliis Ciceronis locis. faciet id qui volet, non ego; niſi videro libros qui tale quid mihi præſcribant.

5. *Jus augurum.*] Liber S. Victoris, *augurium*; quod idem concorditer in quatuor Palatinis. adeo ut videatur poſitum pro *augurorum.*

6. TE MIHI IN AUSPICIO ESSE VOLO. *reſpondet*, AUDIVI. *hic apud.*] Reſtitui egregie ex Pal. pr. ac ſec. quomodo ante quinquaginta amplius annos emendarat P. Victorius: ſed nemo obſecutus eſt præter Camerarium. qui tamen diſtinctione uſus minus bona. ſed nec Lambinus bene; qui omiſſo altero *volo*, repoſuit, *ad hæc apud.* ſic enim nulli ſcripti.

7. DICITO SI SILENTIUM, *&c.*] Totam hanc etiam periodum reduxi, fide codicum Petri Victorii, & Bibliothecæ Palatinæ. ſed & mox repoſui: *Quæ aves aut ubi? &c.* ſuadentibus iiſdem libris.

8. *Jam tripudium dicitur.*] Videtur expungendum *dicitur*, utpote quod ſit in ſolo Palat. ſecund. non in tribus reliquis, aut S. Victoris.

9. *Auſpicium optimum habemus.*] Si ſequemur libros eoſdem, admittemus præterea *quod*, ſic: *auſp. opt. quod habemus, &c.*

10. *Quòd tum augures judicaſſent.*] Eſt ab edit. Victorii, nam aliæ excludunt *tum*. verùm Pall. omnes exhibent, *quos cum aug.*

11. *Non juſtum rogatorem fuiſſe.*] Hactenus excuſi, *rogatorem comitiorum*, ſed ea vox in nullo eſt Pall. reſpuitque codex S. Victoris; nec mihi ſit dubium, natum in officina Aldi Romani.

1. *Ego*

Solebat ex me Dejotarus percunctari noſtri augurii diſciplinam, [1] ego ex illo ſui. Dii immortales, quantum differebat: ut quædam eſſent etiam contraria. Atque ille iis ſemper utebatur: nos, niſi dum à populo auſpicia accepta habemus, quàm multum iis utimur? Bellicam rem adminiſtrari majores noſtri *niſi auſpicatò* noluerunt. quàm multi anni ſunt, cùm bella à proconſulibus & proprætoribus, adminiſtrantur? qui auſpicia non habent. [2] itaque nec amneis tranſeunt auſpicatò, nec tripudio auſpicantur. Nam *ex acuminibus* quidem, quod totum auſpicium militare eſt, jam M. Marcellus ille quinquies conſul totum omiſit, idem imperator, idem augur optimus. Ubi ergo avium divinatio? quæ, quoniam ab iis, qui auſpicia nulla habent, bella adminiſtrantur. ab urbanis retenta videtur, à bellicis eſſe ſublata. Et quidem ille dicebat: ſi quando rem agere vellet, *ne impediretur auſpiciis*, lectica operta facere iter ſe ſolere. Huic ſimile eſt, quod nos augures præcipimus, [3] ne *juge auſpicium* obveniat, ut jumenta jubeant disjungere. Quid eſt aliud nolle moneri à Jove, niſi efficere, ut aut ne fieri
37 poſſit auſpicium, aut, ſi fiat, videri? Nam illud admodum ridiculum, quod negas Dejotarum, auſpiciorum, quæ ſibi ad Pompejum [4] proficiſcenti facta ſunt, pœnitere, quod fidem ſecutus, amicitiamque pop. Rom. functus ſit officio: antiquiorem enim ſibi fuiſſe laudem, & gloriam, quàm regnum, & poſſeſſiones ſuas. Credo id quidem: ſed hoc nihil ad auſpicia. [5] nec enim cornix canere potuit, rectè eum facere, quod pop. Rom. libertatem defendere pararet. ipſe hoc ſentiebat, ſicuti ſenſit. Aves eventus ſignificant aut adverſos, aut ſecundos. Virtutis auſpiciis video eſſe uſum Dejotarum: quæ [6] vetat *ſpectare fortunam, dum præſtetur fides.* aves verò ſi proſperos eventus oſtenderunt, certè fefellerunt. Fugit è prælio cum Pompejo: grave tempus. diſceſſit ab eo: luctuoſa res. Cæſarem eodem tempore hoſtem, & hoſpitem vidit: quid hoc triſtius? Is cùm ei [7] Troginorum tetrarchiam eripuiſſet, & aſſeclæ ſuo Pergameno neſcio cui dediſſet, eidemque detraxiſſet Armeniam à ſenatu datam: cumque ab eo magnificentiſſimo hoſpitio acceptus eſſet; ſpoliatum reliquit & hoſpitem, & regem. Sed labor longius. ad propoſitum revertar. Si eventa quærimus, quæ exquiruntur avibus nullo modo proſpera Dejotaro. ſin officia à virtute ipſius, non ab auſpiciis petita
38 ſunt. Omitte igitur lituum Romuli, quem in maximo incendio negas potuiſſe comburi: contemne cotem Attii Navii. *nihil debet eſſe in philoſophia commentitiis fabellis loci.* Illud erat philoſophi, totius augurii primùm naturam ipſam videre, deinde inventionem, deinde conſtantiam. Quæ eſt igitur natura, quæ volucreis huc, & illuc paſſim vaganteis efficiat, ut ſignificent aliquid, & tum vetent agere, tum jubeant, aut cantu, aut volatu? cur autem aliis à læva, aliis à dextra datum eſt avibus, ut ratum auſpicium facere poſſint? quo modo autem hæc, aut quando, aut à quibus inventa dicemus? Etruſci tamen habent exaratum puerum auctorem diſciplinæ ſuæ. nos quem? Attiumne Navium? At aliquot annis antiquior Romulus, & Remus, ambo augures, ut accepimus. An Piſidarum, aut Cilicum, aut Phrygum iſta inventa dicemus? placet igitur, humanitatis experteis habere divinitatis auctores? At OMNES REGES, POPULI, NATIONES UTUNTUR AUSPICIIS. Quaſi verò 39
quidquam ſit tam valde, quàm *nihil ſapere*, vulgare: aut quaſi tibi ipſi in judicando placeat multitudo. Quotus quiſque eſt, qui voluptatem neget eſſe bonum? plerique etiam *ſummum bonum* dicunt. Num igitur eorum frequentia Stoici de ſententia deterrentur? aut num plerisque in rebus ſequitur eorum auctoritatem multitudo? Quid mirum igitur, ſi in omnibus auſpiciis, & omni divinatione *imbecilli animi ſuperſtitioſa iſta* [8] *concipiant?* verum diſpicere non poſſunt. Quæ autem eſt inter augures conveniens, & conjuncta conſtantia? ad noſtri augurii conſuetudinem dixit Ennius,

Cùm tonuit lævum bene tempeſtate ſerena.

At Homericus Aiax apud Achillem querens de ferocitate Trojanorum, neſcio quid hoc modo nuntiat:

Proſpera Iupiter his dextris fulgoribus edit.

Ita nobis ſiniſtra videntur: Graiis, & Barbaris dextra, meliora. Quamquam haud ignoro [9] quæ bona ſint, *ſiniſtra* nos dicere: etiam ſi dextra ſint. Sed certè noſtri ſiniſtrum nominaverunt, externique dextrum, quia plerumque melius id videbatur. Hæc quanta diſſenſio eſt? Quid, quod aliis avibus utuntur, aliis ſignis? [10] aliter obſervant, aliter reſpondent? non neceſſe eſt fateri, partim horum errore ſuſceptum eſſe, partim ſuperſtitione multa fallendo? At- 40
que his ſuperſtitionibus non dubitaſti etiam omina adjungere. Æmilia Paullo, *Perſam periiſſe:* quod pater omen accepit: Cæcilia ſororis filiæ *ſedes ſuas* tradere. Jam illa, FAVETE LINGUIS: & prærogativam, omen comitiorum: hoc eſt, ipſum eſſe contra ſe copioſum, & diſertum. quando enim illa obſervans, quieto, & libero animo eſſe poteris, ut ad rem gerendam non ſuperſtitionem habeas, ſed rationem ducem? itane? ſi quis aliquid ex ſua re, atque ex ſuo ſermone dixerit, & ejus verbum aliquod aptè ceciderit ad id, quod ages, aut cogitabis, ea res tibi aut timorem afferet, aut alacritatem? Cùm M. Craſſus exercitum Brundiſii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, *Cauneas*, clamitabat. Dicamus, ſi placet, monitum ab eo Craſſum, caveret, ne iret: non fuiſſe periturum ſi omini paruiſſet. Quæ ſi ſuſcipiamus, pedis offenſio nobis, & abruptio corrigiæ, & ſternutamenta erunt obſervanda. Sortes reſtant, & Chaldæi: ut ad vates veniamus, & ad ſomnia. Dicendum igitur putas de ſortibus. 41
Quid enim *ſors* eſt? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod teſſeras. quibus in rebus temeritas, & caſus, non ratio, nec conſilium valet. tota res eſt inventa fallaciis, aut ad *quæſtum*, aut ad *ſuperſtitionem*, aut ad *errorem*. Atque ut in haruſpicina fecimus, ſic videamus, clariſſimarum ſortium quæ tradatur inventio. [11] Numerium Suffucium Præneſtinorum monumenta declarant, honeſtum hominem, & nobilem, ſomniis crebris, ad extremum etiam minacibus, cùm juberetur certo in loco ſilicem cædere, perterritum viſis, *irridentibus ſuis civibus*, id agere cœpiſſe: itaque perfracto ſaxo ſorteis erupiſſe, [12] in robore inſculptas priſcarum litterarum notis. Is eſt hodie locus ſæptus religioſè propter Jovis pueri, qui lactens cum Junone

1. *Ego ex illo ſui.*] Hoc modo editi à Victorio, quàm proximè ad Pal. pr. in quo, *ego & illos vidi immortales.* nam ſec. *ego ex illo ſi dii.* ceteri, *ego & illos. ò dii.* quas lectiones produxi, ut conſtaret vulgatum, *& ego illius*, eſſe typographorum emblema, non membranaceorum codicum.

2. *Itaque nec amneis tranſeunt auſpicato.*] Ita legendum cum Pall. melioribus, neque aliter Aldus Victorius, aliique nam ineptè Lambinianæ aliquot edd. *omneis.*

3. *Ne juge auſpicium.*] Pal. pr. & S. Victoris *juges auſp.* unde ſec. *ingens auſp.* tertius tamen & quart. ſervant vulgatum.

4. *Proficiſcenti ſint, pœnitere.*] Ita Pall. meliores. Victoriana, *non pœnitere;* quod etiam in tert. & quarto, ſed non nimium legitimi commatis libris.

5. *Nec enim cornix canere potuit.*] Sic Pal. tert. vulgati, *nec enim ei cornix canere poterat.*

6. *Vetat ſpectare fortunam.*] Palatinorum quadriga, *exſpectare.* & ſic quoque promiſcuè ſupra uſus auctor noſter.

7. *Troginorum.*] Duo Pall. meliores, *Trochamorum.* reliqui, *Trachamorum.*

8. *Concipiant? vera diſpicere non poſſunt.*] Quanto ſic melius Pall. & edd. Vict. quam vulgata, *Concipiant, vera diſpicere non poſſint.*

9. *Quæ bona ſint, ſiniſtra nos dicere.*] Non divertunt noſtri. Lambinus tamen auſus ingerere nobis, *qua mala ſint.*

10. *Aliter obſervant, alia reſpondent.*] Communis lectio *aliter reſpondent.* ſed præter Pall. S. Vict. & editos a Victorio.

11. *Numerium Suffucium.*] Ita vulgò. at Pal. & ed. Vict. *Suffuſtium.* ſec. *Suſuſtium.* tert. *Suffiſcium.* quart. *Suffiſium.* S. Victoris *Suffuſcium.*

12. *In robore inſculptas.*] Sic Pall. omnes. nam S. Vict. *inſculpta.* recepta lectio, *inſculptis.* iidem Pall. etiam habebant *eripuiſſe*, pro vulgato *erupiſſe.*

Junone [1] Fortunæ in gremio ſedens, mammam appetens, caſtiſſime colitur à matribus. [2] eodemque tempore, in eo loco, ubi Fortunæ nunc ſit ædes, *mel ex olea fluxiſſe* dicunt: haruſpiceſque dixiſſe, ſumma nobilitate illas ſorteis futuras, eorumque juſſu ex illa olea arcam eſſe factam; [3] eaque conditas ſorteis, quæ hodie Fortunæ monitu tolluntur. Quid igitur in his poteſt eſſe certi, quæ Fortunæ monitu, pueri manu miſcentur, atque ducuntur? quo modo autem iſtæ poſitæ in illo loco? quis robur illud cecîdit, dolavit, inſcripſit? NIHIL EST, inquiunt, QUOD DEUS EFFICERE NON POSSIT. Utinam ſapienteis Stoicos effeciſſet, ne omnia *ſuperſtitioſa ſollicitudine*, & miſeria crederent. Sed hoc quidem genus divinationis vita jam communis exploſit. Fani pulchritudo, & vetuſtas, PRÆNESTINARUM etiam nunc retinet SORTIUM nomen, atque id in vulgus. Quis enim magiſtratus, aut quis vir illuſtrior utitur ſortibus? ceteris verò in locis ſortes planè refrixerunt. quod Carneadem Clitomachus ſcribit dicere ſolitum, nuſquam ſe fortunatiorem, quàm Præneſte vidiſſe fortunam.
42 Ergo hoc divinationis genus omittamus. Ad Chaldæorum monſtra veniamus: de quibus Eudoxus, Platonis auditor, in aſtrologia, judicio doctiſſimorum hominum, facilè princeps, ſic opinatur, id quod ſcriptum reliquit: *Chaldæis in prædictione, & in notatione cujuſque vitæ ex natali die, minimè eſſe credendum.* Nominat etiam Panætius, qui unus è Stoicis aſtrologorum prædicta rejecit, Archelaum, & Caſſandrum, ſummos aſtrologos illius ætatis, qua erat ipſe, cùm in ceteris aſtrologiæ partibus excellerent, hoc prædictionis genere non uſos. Scylax Halicarnaſſeus, familiaris Panætii, excellens in aſtrologia, idemque in regenda ſua civitate princeps, totum hoc Chaldaicum prædicendi genus repudiavit. Sed, ut ratione utamur, omiſſis teſtibus, ſic iſti diſputant, qui hæc Chaldæorum natalitia prædicta defendunt. Vim quandam eſſe ajunt ſignifero in orbe, qui Græcè ζωδιακὸς dicitur, talem, ut ejus orbis unaquæque pars alia alio modo moveat, *immutetque cælum*, perinde ut quæque ſtellæ in iis, finitimiſque partibus ſint quoque tempore: eamque vim variè moveri ab iis ſideribus, quæ vocantur errantia. Cùm autem in eam ipſam partem orbis venerint, in qua ſit ortus ejus, qui naſcitur: aut in eam, quæ conjunctum aliquid habeat, aut conſentiens: ea triangula illi, & quadrata nominant. Etenim cùm tempore anni, tempeſtatumque, *cæli converſiones*, commutationeſque tantæ fiant acceſſu ſtellarum, & receſſu, cumque ea vi ſolis efficiantur, quæ videmus: non veriſimile ſolùm, ſed etiam verum eſſe cenſent, perinde, utcumque temperatus ſit aër, ita *pueros orienteis animari*, atque formari, ex eoque ingenia, mores, animum, corpus, actionem vitæ,
43 caſus cujuſque, eventuſque fingi. O delirationem incredibilem! non enim omnis error, *ſtultitia eſt* dicenda. Quibus etiam Diogenes Stoicus concedit, aliquid ut prædicere poſſint, duntaxat qualis quiſque natura, & ad quam quiſque maximè *rem aptus* futurus ſit. Cetera, quæ profiteantur, negat ullo modo poſſe ſciri: etenim *geminorum formas* eſſe ſimileis, vitam atque fortunam plerumque diſparem. Proclus, & Euryſthenes, Lacedæmoniorum reges, gemini fratres fuerunt. At hi nec totidem annos vixerunt: anno enim Procli vita brevior fuit, multumque is fratri rerum geſtarum gloria præſtitit. At ego id ipſum, quod vir optimus Diogenes Chaldæis, quaſi quadam *prævaricatione*, concedit, nego poſſe intelligi. Etenim cùm, ut ipſi dicunt, *ortus naſcentium luna moderetur*, eaque animadvertant, & notent ſidera natalitia Chaldæi, quæcumque lunæ juncta videantur: oculorum *fallaciſſimo ſenſu* judicant ea, quæ ratione, atque animo videre debebant. docet enim ratio mathematicorum, quam iſtis notam eſſe oportebat, quanta humilitate luna feratur, terram pæne contingens, quantum abſit à proxima Mercurii ſtella, multo autem longiùs à Veneris, deinde alio intervallo diſtet à ſole, cujus lumine colluſtrari putatur. Reliqua verò tria intervalla, infinita, & immenſa, à ſole ad Martis, inde ad Jovis, ab eo ad Saturni ſtellam, inde ad cælum ipſum, quod extremum, atque ultimum mundi eſt. Quæ poteſt igitur *contagio* ex infinito pæne intervallo pertinere ad lunam, vel potiùs ad terram? Quid? cùm dicunt id, quod iis dicere neceſſe eſt, 44
omneis omnium ortus, quicumque gignantur in omni terra, quæ incolatur, *eoſdem eſſe*, eademque omnibus, qui eodem ſtatu cæli, & ſtellarum nati ſunt, accidere neceſſe eſſe: nonne ejuſmodi ſunt, ut ne cæli quidem naturam interpretes iſtos cæli, noſſe appareat? cùm enim illi orbes, qui cælum quaſi medium dividunt, & adſpectum noſtrum definiunt, qui à Græcis ὁρίζοντες nominantur, à nobis *finientes* rectiſſimè nominari poſſunt, varietatem maximam habeant, aliique in aliis locis ſint, neceſſe eſt, ortus, occaſuſque ſiderum non fieri eodem tempore apud omneis. Quòd ſi eorum vi cælum modò hoc, modò illo modo temperatur: quî poteſt eadem vis eſſe naſcentium, cùm cæli tanta ſit *diſſimilitudo*? in his locis, quæ nos incolimus, poſt ſolſtitium Canicula exoritur, & quidem aliquot diebus: apud Troglodytas, ut ſcribitur, ante ſolſtitium: ut, ſi jam concedamus aliquid vim cæleſtem ad eos, qui in terra gignuntur, pertinere, confitendum ſit illis, eos, qui naſcuntur eodem tempore, poſſe in diſſimileis incidere naturas propter cæli diſſimilitudinem. Quod minime illis placet. volunt enim illi, omneis eodem tempore ortos, qui ubique ſint nati, *eadem conditione naſci*. Sed quæ tanta de- 45
mentia eſt, ut maximis motibus, mutationibuſque cæli, nihil interſit, qui ventus, qui imber, quæ tempeſtas ubique ſit? quarum rerum in proximis locis tantæ diſſimilitudines ſæpe ſunt, ut alia Tuſculi, alia Romæ eveniat ſæpe *tempeſtas*. Quod, qui navigant, maximè animadvertunt, cùm in flectendis promontoriis, ventorum mutationes maximas ſæpe ſentiant. Hæc igitur cùm ſit tum ſerenitas, tum perturbatio cæli: eſtne ſanorum hominum, hoc ad naſcentium ortus pertinere non dicere: quod non certè pertinet: illud neſcio quid tenue, quod ſentiri nullo modo, intelligi autem vix poteſt, quæ à luna, ceteriſque ſideribus cœli temperatio fiat, dicere ad puerorum ortus pertinere? Quid? quòd non intelligunt, *ſeminum vim*, quæ ad gignendum, procreandumque plurimum valeat, funditus tolli, mediocris erroris eſt? quis enim non videt, & formas, & mores, & pleroſque ſtatus, ac motus effingere à parentibus liberos? quod non contingeret, ſi hoc non vis, & natura gignentium efficeret, ſed temperatio lunæ, cælique moderatio. Quid? quòd uno & eodem *temporis puncto nati*, diſſimileis & naturas, & vitas, & caſus habent: parumne declarant, nihil ad agendam vitam naſcendi tempus pertinere? niſi fortè putamus neminem eodem tempore ipſo & conceptum, & natum, quo Africanum. Num quis igitur talis fuit? Quid? illudne dubium eſt, quin 46
multi, cùm ita nati eſſent, ut quædam contra naturam depravata haberent, reſtituerentur, & corrigerentur ab natura, cum ſe ipſa revocaſſet, aut *arte*, aut *medicina*? aut quorum linguæ ſic inhærerent, ut loqui non poſſent, eæ ſcalpello reſectæ liberarentur? Multi etiam naturæ vitium *meditatione*, atque exercitatione ſuſtulerunt; ut Demoſthenem ſcribit Phalereus, cùm RHO dicere nequiret, exercitatione feciſſe, ut planiſſimè diceret. quòd ſi hæc aſtro ingenerata, & tradita eſſent, nulla res ea mutare poſſet. Quid? *diſſimilitudo locorum* nonne diſſimileis hominum procreationes habet?

---

1. *Fortunæ in gremio ſedens, mammam appetens, &c.*] Ita Pall. duo meliores. nam tert. & quart. interponunt, *mammam notis appetens*. S. Victoris, *nodis*. ex quo facit Gulielmius *Opis*. ingenioſius fortaſſe quam verius.

2. *Eodemque tempore in eo loco, ubi Fortunæ nunc ſit ædes, mel. &c.*] Ita a membranis S. Victoris, & Pall. quatuor. quippe vulgata, *Eodem tempore illo loco ubi nunc Fortunæ ſita ædes eſt, mel. &c.* priorem partem hujus emendationis admiſit etiam editio Petri Victorii, non etiam poſteriorem, quæ tamen meo judicio ſatis certa eſt.

3. *Eaque conditas ſorteis.*] Quinque iidem codices, *eoque*, nihilo pejus.

habet? quas quidem percurrere oratione facile eſt: quid inter Indos, & Perſas, [1] Æthiopas, & Syros differat, *corporibus*, *animis:* ut incredibilis varietas, diſſimilitudoque ſit. Ex quo intelligitur, plus terrarum ſitus, quàm [2] lunæ tractus ad naſcendum valere. Nam quod ajunt, quadringenta, & ſeptuaginta millia annorum in *periclitandis*, experiundiſque pueris, quicumque eſſent nati, Babylonios poſuiſſe, fallunt. ſi enim eſſet factitatum, non eſſet deſitum. neminem autem habemus auctorem, qui id aut fieri
47 dicat, aut factum ſciat. Videſne, me non ea dicere, quæ Carneades, ſed ea, quæ princeps Stoicorum Panætius dixerit? ego autem etiam hoc requiro, omneiſne, qui Cannenſi pugna ceciderunt, *uno aſtro fuerint.* Exitus quidem omnium unus, & idem fuit. Quid? qui ingenio, atque animo ſingulares, num aſtro quoque uno? quod enim tempus, quo non innumerabiles naſcantur? at certè ſimilis nemo Homeri. Et, ſi ad rem pertinet, quo modo cælo affecto, compoſitiſque ſideribus quodque animal oriatur: valeat id neceſſe eſt etiam *in rebus inanimis.* quo quid dici poteſt abſurdius? L. quidem Tarutius Firmanus, familiaris noſter, in primis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam noſtræ *natalem diem* repetebat ab iis Parilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus. Romamque, in jugo cùm eſſet luna, natam eſſe dicebat, nec ejus *fata* canere dubitabat. O vim maximam erroris! Etiamne urbis natalis dies ad vim ſtellarum, & lunæ pertinebat? fac in puero referre, ex qua affectione cæli primum ſpiritum duxerit. nam hoc in latere, aut in cæmento, ex quibus urbs effecta eſt, potuit valere? ſed quid plura? quotidie refelluntur. Quàm multa ego Pompejo, quàm multa Craſſo, quàm multa huic ipſi Cæſari à Chaldæis dicta memini, neminem eorum niſi ſenectute, niſi domi, niſi cum claritate eſſe moriturum? ut mihi permirum videatur, quemquam exſtare, qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta
48 quotidie videat *re, & eventis refelli.* Reſtant duo divinandi genera: quæ habere dicimur à natura, non ab arte: vaticinandi, & ſomniandi. De quibus, Quinte, inquam, ſi placet, diſſeramus. Mihi verò, inquit, placet. his enim, quæ adhuc diſputaſti, prorſus aſſentior: &, verè ut loquar, quamquam tua me oratio confirmavit, tamen etiam mea ſponte nimis ſuperſtitioſam de divinatione Stoicorum ſententiam judicabam; ac me Peripateticorum ratio magis movebat, & veteris Dicæarchi, & ejus, qui nunc floret, Cratippi, qui cenſent eſſe in mentibus hominum *tanquam oraculum* aliquod, ex quo futura præſentiant, ſi aut *furore divino incitatus animus*, *aut ſomno relaxatus*, ſolutè moveatur, ac liberè. His de generibus quid ſentias, & quibus ea rationibus infirmes, audire ſanè velim. Quæ cùm ille dixiſſet, tum ego rurſus quaſi ab alio principio ſum exorſus dicere. Non ignoro, inquam, Quinte, te ſemper ita ſenſiſſe, ut de ceteris divinandi generibus dubitares: [3] iſta duo, furoris, & ſomnii, quæ à libera mente
49 fluere viderentur, probares. Dicam igitur, de iſtis ipſis duobus generibus mihi quid videatur, ſi priùs, Stoicorum rationis concluſio, & Cratippi noſtri, quid valeat, videro. Dixiſti enim, & Chryſippum, & Diogenem, & Antipatrum concludere hoc modo. SI SUNT DII, neque antè declarant hominibus, quæ futura ſint: aut non diligunt homines: aut, quid eventurum ſit, ignorant: aut exiſtimant nihil intereſſe, hominem ſcire, quid ſit futurum: aut non cenſent eſſe ſuæ majeſtatis, præſignificare hominibus, quæ ſint futura: aut ea ne ipſi quidem dii ſignificare poſſunt. At neque non diligunt nos: ſunt enim *benefici*, generique hominum amici: neque ignorant ea, quæ ab ipſis conſtituta, & deſignata ſunt: neque noſtra nihil intereſt, ſcire ea, quæ futura ſunt: erimus enim *cautiores*, ſi ſciemus: neque hoc alienum ducunt majeſtate ſua: nihil eſt enim *beneficentia* præſtantius: neque non poſſunt futura prænoſcere. non igitur dii ſunt, nec ſignificant nobis futura: ſunt autem dii: ſignificant ergo. Et, non, ſi ſignificant futura, nullas dant nobis vias ad ſignificationum ſcientiam: fruſtra enim ſignificarent: neque ſi dant vias, non eſt divinatio: eſt igitur divinatio. O acutos homines! quam paucis verbis negotium confectum putant! Ea ſumunt ad concludendum, quorum iis nihil conceditur. Concluſio autem rationis ea probanda eſt in qua *ex rebus non dubiis* id, quod dubitatur, efficitur. Videſne Epicurum, quem hebetem, & 50
rudem dicere ſolent Stoici, quemadmodum, quod in natura rerum *omne* eſſe dicimus, id infinitum eſſe concluſerit? *Quod finitum eſt*, inquit, *habet extremum.* Quis hoc non dederit? quod habet extremum, id cernitur ex alio extrinſecus. hoc quoque eſt concedendum. At, quod omne eſt, id non cernitur ex alio extrinſecus. Ne hoc quidem negari poteſt. Nihil igitur cùm habeat extremum, infinitum ſit neceſſe eſt. Videſne, ut ad rem dubiam conceſſis rebus pervenerit? Hoc vos dialectici non facitis: nec ſolùm ea non ſumitis ad concludendum, quæ ab omnibus concedantur: ſed ea ſumitis, quibus conceſſis, [4] nihilo magis efficiatur quod velitis. Primùm enim hoc ſumitis. *Si ſunt dii, benefici in homines ſunt.* Quis hoc vobis dabit? Epicuruſne qui negat, quidquam deos nec alieni curare, nec ſui? an noſter Ennius, qui magno plauſu loquitur, aſſentiente populo?

Ego deûm genus eſſe ſemper dixi, & dicam cælitum:
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.

Et quidem, cur ſic opinetur, rationem ſubjicit. Sed nihil eſt neceſſe dicere, quæ ſequuntur. tantum ſat eſt intelligi, id ſumere iſtos pro certo, quod dubium, controverſumque ſit. Sequitur porrò, *Nihil deos ignorare* quòd omnia ſint 51
ab iis conſtituta. Hic verò quanta pugna eſt doctiſſimorum hominum, negantium eſſe hæc à diis immortalibus conſtituta? At *noſtra intereſt ſcire*, quæ eventura ſint. Magnus Dicæarchi liber eſt, neſcire ea melius eſſe, quàm ſcire. [5] Negant id eſſe alienum majeſtate deorum, [6] ſcilicet caſas omnium introſpicere, ut videant quid cuique conducat. Neque non poſſunt *futura prænoſcere.* Negant poſſe ii, quibus non placet eſſe certum, quid futurum ſit. Videſne igitur, quæ dubia [7] ſint, ea ſumi pro certis, atque conceſſis? deinde contorquent, & ita concludunt: *Non igitur* & ſunt dii, nec ſignificant futura: id enim jam perfectum arbitrantur. Deinde aſſumunt: *Sunt autem dii:* quod ipſum non ab omnibus conceditur: *Significant ergo.* Ne id quidem ſequitur. poſſunt enim non ſignificare, & tamen eſſe dii: nec ſi ſignificent, non dare vias aliquas ad ſcientiam ſignificationis. At id quoque poteſt, ut non dent homini; ipſi habeant. cur enim Tuſcis potiùs, quàm Romanis darent? Nec ſi dant vias, nulla eſt divinatio. Fac dare deos: quod abſurdum eſt: quid refert, ſi accipere non poſſumus? Extremum eſt, Igitur divinatio. Sit extremum: effectum tamen non eſt. ex falſis enim, ut ab ipſis didicimus, verum effici non poteſt. jacet igitur tota concluſio. Veniamus nunc ad optimum virum familiarem noſtrum, 52
Cratippum. SI SINE OCULIS, inquit, non poteſt exſtare officium, & munus oculorum, poſſunt autem aliquando oculi non fungi ſuo munere: qui vel ſemel ita eſt uſus oculis, ut vera cerneret, is habet ſenſum oculorum, vera cernentium:

1. *Æthiopas & Syros.*] Editio Victorii *Æthiopas Syros*, neque aliter S. Victoris aut Pall. duo meliores.

2. *Lunæ tractus.*] Pall. tres & S. Victoris *tactus.* ſecund. *actus.* utrumque præpoſuerim vulgato.

3. *Iſta duo, furoris, &c.*] Victorii editio & Pall. quatuor *ita.* ſed cum eadem vox ſtatim præceſſerit, vix admiſerim.

4. *Nihilo magis efficiatur.*] Sic Pall. quatuor. prius vulgati *efficiatis*. à quo etiam recedit Wouv. in quo *efficitur.*

5. *Negant id eſſe, &c.*] Lambinus heic multa interponit de ſuo, plane ex ſupervacuo. quod nos damus, eſt à mſſ. Pall. item editione Victorii. neque aliquid deeſſe videtur.

6. *Scilicet caſas omnium introſpicere.*] Ita videtur legiſſe in antiquo P. Manutius, quomodo erui omnino è Palatino ſecundo. alii, *cauſas omnium*; minus bene.

7. *Sint, ea ſumi pro certis.*] Eſt à melioribus Pall. editiſque à Victorio. alii, *ſunt, ea ſumere ipſo pro certis.*

nentium. Item igitur, SI SINE DIVINATIONE non poteſt officium, & munus divinationis exſtare, poteſt autem cùm quis divinationem habeat, errare aliquando, nec vera cernere: ſatis eſt ad confirmandam divinationem, ſemel aliquid ita eſſe divinatum, nihil ut fortuitò cecidiſſe videatur. ſunt autem ejus generis innumerabilia. eſſe igitur divinationem confitendum eſt. Feſtivè, & breviter. ſed cum bis ſumſit quod voluit, etiam ſi facileis nos ad concedendum habuerit: id tamen, quod aſſumit, concedi nullo modo poteſt. Si, inquit, aliquando oculi peccent, tamen, quia rectè aliquando viderint, ineſt in iis vis videndi. Item, [1] ſi quis ſemel aliquid dixerit, is etiam cùm peccet,
53 tamen exiſtimandus ſit habere vim divinandi. Vide, quæſo, Cratippe noſter, quàm ſint iſta ſimilia. nam mihi non videntur. oculi enim vera cernentes, utuntur *natura*, atque *ſenſu*: animi ſi quando vel vaticinando, vel ſomniando vera viderunt, uſi ſunt *fortuna*, atque caſu. Niſi fortè conceſſuros tibi exiſtimas eos, qui ſomnia pro ſomniis habent, ſi quando aliquod ſomnium verum evaſerit, non id fortuitò accidiſſe. Sed demus tibi iſtas duas *ſumtiones*, ea, quæ λήμματα appellant dialectici: ſed nos Latinè loqui malumus, [2] *præſumptio* tamen, quam πρόληψιν iidem vocant, non dabitur. Aſſumit autem Cratippus hoc modo: *Sunt autem innumerabiles præſenſiones non fortuitæ.* At ego dico nullam. Vide, quanta ſit controverſia. Jam aſſumtione non conceſſa, nulla concluſio eſt. At impudentes ſumus, [3] qui, cum tam perſpicuum ſit, non concedamus. Quid eſt perſpicuum? Multa vera, inquit, evadere. Quid, quòd multo plura falſa? nonne ipſa *varietas*, quæ eſt propria fortunæ. fortunam, eſſe cauſam, non naturam eſſe docet? deinde, ſi tua iſta concluſio, Cratippe, vera eſt: (tecum enim mihi res eſt) nonne intelligis eâdem uti poſſe & haruſpices, & fulguratores, & interpretes oſtentorum, & augures, & ſortilegos, & Chaldæos? quorum generum nullum eſt, ex quo non aliquid, ſicut prædictum ſit, evaſerit. Ergo aut ea quoque genera divinandi ſunt, quæ tu rectiſſimè improbas: aut, ſi ea non ſunt, non intelligo, cur hæc duo ſint, quæ relinquis. qua ergo ratione hæc inducis, eâdem illa poſſunt eſſe, quæ tollis. Quid verò habet au-
54 ctoritatis *furor* iſte, quem *divinum* vocatis, ut, quæ ſapiens non videat, ea videat inſanus, & is, qui humanos ſenſus amiſerit, divinos aſſecutus ſit? Sibyllæ verſus obſervamus, quos illa *furens fudiſſe* dicitur. quorum interpres nuper falſa quædam hominum fama dicturus in ſenatu putabatur, eum, quem *re vera regem habebamus*, appellandum quoque eſſe regem, ſi ſalvi eſſe vellemus. Hoc ſi eſt in libris, in quem hominem, & in quod tempus eſt? callidè enim, qui illa compoſuit, perfecit, ut, quodcumque accidiſſet, prædictum videretur, hominum, & temporum definitione ſublata. Adhibuit etiam latebram obſcuritatis, ut iidem verſus aliâs in aliam rem poſſe accommodari viderentur. Non eſſe autem illud carmen furentis, cùm ipſum poëma declarat (eſt enim magis *artis*, & *diligentiæ*, quam *incitationis*, & *motus*) tum verò ea, quæ ἀκροστιχίς dicitur, cùm deinceps [4] ex primis verſus litteris aliquid connectitur, ut in quibuſdam Ennianis, [5] *quæ Ennius fecit.* id certe magis eſt attenti animi, quàm furentis. [6] Atque in Sibyllinis [7] ex primo verſu cujuſque ſententiæ primis litteris illius ſententiæ carmen omne prætexitur. Hoc *ſcriptoris* eſt, non *furentis*: adhibentis diligentiam, non inſani. Quamobrem Sibyllam quidem ſepoſitam, & conditam habeamus, ut, id quod proditum eſt à majoribus, injuſſu ſenatus ne legantur quidem libri, valeantque ad deponendas potiùs, quàm ad ſuſcipiendas religiones: cum antiſtitibus agamus, ut quidvis potiùs ex illis libris, quàm regem proferant: quem Romæ poſt hæc nec dii, nec homines eſſe patientur.
At multi ſæpe *vera vaticinati*, ut Caſſandra, 55

Jamque mari magno. ----

Eademque paullo pòſt:

Eheu videte. ----

Num igitur me cogis etiam fabulis credere? quæ delectationis habeant, quantum voles: verbis, ſententiis, numeris, cantibus adjuventur: *auctoritatem* quidem nullam debemus, nec *fidem* commentitiis rebus adjungere. Eodemque modo nec ego Publicio neſcio cui, nec Martiis vatibus, nec Apollinis opertis credendum exiſtimo: quorum partim ficta apertè, partim effutita temerè, numquam ne mediocri quidem cuiquam, non modò prudenti, probata ſunt. Quid? inquies: remex ille de claſſe Coponii, nonne ea prædixit, quæ facta ſunt? Ille verò, & ea quidem, quæ omnes eo tempore, ne acciderent *timebamus*. caſtra enim in Theſſalia caſtris collata audiebamus: videbaturque nobis exercitus Cæſaris & *audaciæ* plus habere, quippe qui patriæ bellum intuliſſet: & *roboris*, propter vetuſtatem. Caſum autem prœlii, nemo noſtrûm erat, quin timeret: ſed ita, ut conſtantibus hominibus par erat, *non aperte*. Ille autem Græcus quid mirum, ſi magnitudine timoris, ut plerumque fit, à conſtantia, atque à mente, atque à ſe ipſe diſceſſit? qua perturbatione animi, quæ, ſanus cùm eſſet, timebat ne evenirent, ea *demens* eventura eſſe dicebat. Utrùm tandem per deos, atque homines, magis veriſimile eſt, veſanum remigem, an aliquem noſtrûm, qui ibi tum eramus, me, Catonem, Varronem, Coponium ipſum,
conſilia deorum immortalium [8] perſpicere potuiſſe? Sed 56
jam ad te venio,

[9] O ſancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obſides,
Unde ſuperſtitioſa primùm [10] ſæva evaſit vox fera.

Tuis enim oraculis Chryſippus totum volumen implevit partim falſis, ut ego opinor, partim caſu veris, [11] ut fit in omni oratione ſæpiſſimè; partim flexiloquis, & obſcuris, ut interpres egeat interprete, & ſors ipſa ad ſorteis referenda ſit; partim ambiguis, & quæ [12] ad dialecticum referenda ſint. Nam cùm ſors illa edita eſt opulentiſſimo regi Aſiæ,

CROESUS HALYM PENETRANS MAGNAM PERVERTET OPUM VIM:

hoſtium

---

1. *Si quis ſemel aliquid dixerit.*] Vulgati in hunc uſque diem, *aliquid in divinatione dixerit.* ſed delevi gloſſulam illam auctoritate Palatini primi, ubi ejus nec vola, nec veſtigium. & ſupra notavi, *dicere* idem eſſe quod *prædicere*.

2. *Præſumptio tamen, quam πρόληψιν, &c.*] Si libros noſtros, & S. Victoris, imò ſi editos à Victorio, Sturmio, Camerario, ſequimur; reſcribendum erit plane *præſenſio*: quod item repoſuiſſem, niſi iteraſſet Cicero linea ſequenti.

3. *Qui cum tam perſpicuum ſit, &c.*] Vulgati, *qui quod.* ſed præter Pall. præter S. Victoris, præter Petri Victorii editionem, quam æque heic ſequi poterat Camerarius ac Sturmius, quàm ſupra.

4. *Ex primis verſus literis.*] Notet curioſior extare in Pal. pr. & ſec. *primi*, non *primis*.

5. QUÆ ENNIUS FECIT.] Expreſſi quod erat in Pall. alii malunt, *Q. Ennius*, de quo videatur Henr. Stephanus in Schediaſmate Januarii ſui. Clariſſimus vir Claud. Puteanus iſthæc habebat pro ſpuriis.

6. *Atque in Sibyllinis.*] Forſan *Æque in, &c.*

7. *Ex primo verſu cujuſque ſententiæ primis literis illius ſententiæ carmen, &c.*] Pal. pr. non agnoſcit, *primis literis illius ſententiæ*. & reſipiunt ſane aliquid falſi. quamvis in prioribus omnia fortè nondum emaculata. Puteanus adnotarat, repertum in veteri ſcripto, *ex primis verſuum cujuſque ſententiæ literis*, videndumque Dionyſ. Halicarnaſſæum, libro 1. Antiq. Rom. & Euſebium in oratione ad Chriſtianos.

8. *Perſpicere potuiſſe.*] Si antiquos libros ſequi oportet, longè alia exorietur, & melior fortè ſententia. habent enim S. Victoris, certè Pall. quatuor *reſpicere*: ſecundus præterea, *reſpicere non potuiſſe*.

9. *O Sancte Apollo.*] Prima litera verſus expungenda potius, ut fiat trochaicus; quàm ut cum Lambino reſcribamus, carmine ſecundo contra libros: *Unde hæc ſuperſtitioſa*.

10. *Sæva evaſit vox fera.*] Junior, conjiciebam, *ſæpe evaſit vox foras*. nunc, malo aliquid non intelligere, quàm indulgere divinationi qualicunque; quam debere ingeniis melioris doctrinæ fruge ſaturis ludibrium.

11. *Ut fit in omni oratione ſæpiſſimè; partim flexiloquis.*] Idem hariolabar, *ut fit in partim flexiloquis*; omiſſis mediis, tanquam à manu interpolatorum. nunc taceo.

12. *Ad dialecticum referenda ſint.*] Duo Palatini veriores, *deferenda ſint*, neque aliter edidit Victorius. etiam S. Victoris liber *deferenda*.

hoſtium vim ſeſe perverſurum putavit, pervertit autem ſuam. Utrum igitur eorum accidiſſet, verum oraculum fuiſſet. Cur autem hoc credam umquam editum Crœſo? aut Herodotum cur veraciorem ducam Ennio? num minùs ille potuit de Crœſo, quàm de Pyrrho fingere Ennius? quis enim eſt, qui credat, Apollinis ex oraculo Pyrrho eſſe reſponſum?

AIO TE ÆACIDA ROMANOS VINCERE POSSE.

Primum Latinè Apollo numquam locutus eſt. deinde iſta ſors inaudita Græcis eſt. præterea Pyrrhi temporibus jam Apollo verſus facere deſierat. poſtremò, quamquam ſemper fuit, ut apud Ennium eſt,

--- *ſtolidum genus Æacidarum,*

Bellipotentes ſunt magi', quam ſapientipotentes:

tamen hanc amphiboliam verſus intelligere potuiſſet, VINCERE TE ROMANOS, nihilo magis in ſe, quàm in Romanos valere. Nam illa amphibolia, quæ Crœſum decepit, vel Chryſippum potuiſſet fallere. hæc verò ne Epicurum
57 quidem. Sed, quod caput eſt, cur iſto modo jam oracula Delphis non eduntur, non modò noſtra ætate, [1] ſed jamdiu, jam ut nihil poſſit eſſe contemtius? Hoc loco cùm urgentur, evanuiſſe ajunt *vetuſtate vim loci* ejus, unde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia mente incitata oracula ederet. De vino, aut ſalſamento putes loqui, quæ evaneſcunt vetuſtate. de vi loci agitur, neque ſolùm naturali, ſed etiam divina: quæ quo tandem modo evanuit? Vetuſtate, inquies. Quæ *vetuſtas* eſt, quæ vim divinam conficere poſſit? quid tam divinum autem quàm afflatus ex terra mentem ita movens, ut eam providam rerum futurarum efficiat, ut ea non modò cernat multo antè, ſed etiam numero, verſuque pronuntiet? quando autem iſta vis evanuit? an *poſtquàm homines minùs creduli* eſſe cœperunt? Demoſthenes quidem, qui abhinc annos propè CCC. fuit, jam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, id eſt, *quaſi cum Philippo facere*. hoc autem eò ſpectabat, ut eam à Philippo corruptam diceret. quo licet exiſtimare, in aliis quoque oraculis Delphicis aliquid non ſinceri fuiſſe. Sed neſcio quomodo iſti philoſophi, ſuperſtitioſi, & pænè fanatici, quidvis malle videntur, quàm ſe non ineptos. Evanuiſſe mavultis, & exſtinctum eſſe id, quod ſi umquam fuiſſet, certè æternum eſſet, quàm ea, quæ non ſunt credenda, non credere.
58 Similis eſt error in ſomniis: quorum quidem defenſio repetita quam longè eſt? *divinos animos* cenſent eſſe noſtros, eoſque eſſe tractos extrinſecus, animorumque conſentientium multitudine completum eſſe mundum: hac igitur mentis, & ipſius divinitate, & conjunctione cum externis mentibus, cerni quæ ſint futura. Contrahi autem animum Zeno, & quaſi labi putat, atque concidere, & ipſum eſſe *dormire*. Jam Pythagoras, & Plato locupletiſſimi auctores, quo in ſomnis certiora videamus, præparatos quodam cultu, atque victu proficiſci ad dormiendum jubent. faba quidem Pythagorei utique abſtinuere: quaſi verò eo cibo mens, non venter infletur. Sed neſcio quomodo NIHIL TAM abſurdè dici poteſt, quod non dicatur ab aliquo philoſophorum. Utrùm igitur cenſemus dormientium animos [2] per ſe ne ipſos in ſomniando moveri, an, ut Democritus cenſet, externa, & adventitia viſione pulſari? ſive enim ſic eſt, ſive illo modo, videri poſſunt permulta ſomniantibus falſa pro veris. Nam & *navigantibus* moveri videntur ea, quæ ſtant: & quodam obtutu oculorum duo pro uno lucernæ lumina. Quid dicam, inſanis, quid, ebriis quàm multa falſa videantur? quòd ſi ejuſmodi viſis credendum non eſt, cur ſomniis credatur, neſcio. nam tam licet de his erroribus, ſi velis, quàm de ſomniis diſputare: ut ea, quæ ſtant, ſi moveri videantur, *terræ-motum* ſignificare dicas, aut repentinam aliquam fugam: gemino autem lucernæ lumine declarari, *diſſenſionem*, ac ſeditionem moveri. Jam ex inſanorum, aut ebriorum viſis innumerabilia 59
conjectura trahi poſſunt, quæ futura videantur. Quis EST enim, qui totum diem jaculans [3] non aliquando collineet? [4] totas nocteis ſomniamus; neque ulla ferè eſt, qua non dormiamus: & miramur, aliquando id, quod ſomniarimus, evadere? quid eſt tam incertum, quàm talorum jactus? tamen nemo eſt, quin ſæpe jactans, Venereum jaciat aliquando, nonnumquam etiam iterum, ac tertium. num igitur, ut inepti, Veneris id fieri impulſu malumus, quàm caſu dicere? quod ſi ceteris temporibus, falſis viſis credendum non eſt; non video, quid præcipui ſomnus habeat, in quo valeant falſa pro veris. Quòd ſi ita natura paratum eſſet, ut ea dormientes agerent, quæ ſomniarent: [5] alligandi omnes eſſent, qui cubitum irent. majores enim, quàm ulli inſani, efficerent motus ſomniantes. Quòd ſi *inſanorum viſis* fides non eſt habenda, quia falſa ſunt; cur credatur ſomniantium viſis, quæ multo etiam perturbatiora ſunt, non intelligo. an quod inſani ſua viſa conjectori non narrant, narrant qui ſomniaverunt? Quæro etiam, ſi velim ſcribere quid, aut legere, aut canere vel voce, vel fidibus, aut geometricum quiddam, aut Phyſicum, aut dialecticum explicare, ſomniumne expectandum ſit, an *ars adhibenda*, ſine qua nihil earum rerum nec fieri, nec expediri poteſt? Atqui, ne ſi navigare quidem velim, ita gubernarem, ut ſomniaverim. præſens enim pœna ſit. Qui igitur convenit, ægros à conjectore ſomniorum potiùs, quàm à medico petere medicinam? an Æſculapius, an Serapis poteſt nobis præſcribere *per ſomnium* curationem valitudinis; Neptunus gubernantibus non poteſt? &, ſi ſine medico medicinam dabit Minerva; Muſæ ſcribendi, legendi, ceterarum artium ſcientiam ſomniantibus non dabunt? At ſi curatio daretur valitudinis, hæc quoque, quæ dixi, darentur. quæ quoniam non dantur, medicina non datur. qua ſublata, tollitur omnis auctoritas ſomniorum.
[6] Sed hæc quoque in promptu fuerint: nunc interiora vi- 60
deamus. Aut enim divina vis quædam, conſulens nobis, ſomniorum ſignificationes facit: aut conjectores ex quadam convenientia, & conjunctione naturæ, quam vocant συμπάθειαν, quid cuique rei conveniat, ex ſomniis, & quid quamque rem ſequatur, intelligunt: aut eorum neutrum eſt, ſed quædam *obſervatio conſtans*, atque diuturna eſt, cùm quid viſum ſecundum quietem ſit, quid evenire, & quid ſequi ſoleat. Primùm igitur intelligendum eſt, nullam vim eſſe divinam effectricem ſomniorum. Atque illud quidem perſpicuum eſt, nulla viſa ſomniorum proficiſci à numine deorum. noſtra enim cauſa dii id facerent, ut providere futura poſſemus. Quotus igitur eſt quiſque, qui ſomniis pareat? qui intelligat? qui meminerit? quàm multi verò, qui *contemnant*, eamque ſuperſtitionem imbecilli animi, atque anilis putent? quid eſt igitur, cur his hominibus conſulens deus, ſomniis moneat eos, qui illa non modò cura, ſed ne memoria quidem digna ducant? NEC enim ignorare deus poteſt, qua mente quiſque ſit: nec fruſtrà, ac ſine cauſa quid facere, dignum deo eſt: quod abhorret etiam ab hominis *conſtantia*. Ita ſi pleraque ſomnia aut ignorantur, aut negliguntur; aut neſcit hoc deus, aut fruſtrà ſomniorum ſignificatione utitur. Sed horum neutrum in deum cadit. nihil igitur à deo ſomniis ſignificari fatendum eſt. Illud etiam requiro, cur, ſi deus iſta viſa

1. *Sed jam diu, jam ut nihil.*] Metuo ne locus mala laboret interſtinctione, ſitque vitioſior quàm habetur. nam Pal. pr. & tert. *ſed jamdiu tantummodo jam ut nihil.* neque aliter quartus, niſi quod adhuc infarciat, *ſed etiam jamdiu.* S. Victoris, *ſed jam diu tantummodo ut nihil, &c.* Victorius vulgavit, *ſed jam diu, ut nihil.*

2. *Per ſe ne ipſos.*] Vulgati *per ſemetipſos.* ſed alterum eſt in Pall. in exemplari S. Victoris & editione Victoriana.

3. *Non aliquando collineet.*] Ita Pall. omnes S. Victoris, ſed hac facie *conliniet.* ſic in iiſdem *liniamenta* viſas pro *lineamenta.*

4. *Totas noctes ſomniamus, &c.*] Confirmant hanc lectionem Pall. Muretus tamen lib. VI. Var. lect. cap. 16. emendat, *totas noctes dormimus, &c. qua non ſomniemus*, quod ſtatim arripuit Lamb.

5. *Alligandi omnes eſſent.*] Pal. prim. non habet *eſſet*, neque eo adeo eget ſententia.

6. *Sed hæc quoque in promptu fuerint.*] Illud *fuerint* redonavi Tullio, flagitantibus Pall. quatt. S. Vict. & edit. Victorii.

viſa nobis providendi cauſa dat, non vigilantibus potius det, quam *dormientibus*. Sive enim externus, & adventitius pulſus animos dormientium commovet, ſive per ſe ipſi animi moventur, ſive quæ cauſa alia eſt, cur ſecundum quietem aliquid videre, audire, agere videamur, eadem cauſa vigilantibus eſſe poterat: idque ſi noſtra cauſa dii ſecundum quietem facerent, vigilantibus idem facerent; præſertim cùm Chryſippus, Academicos refellens, permultò clariora, & certiora eſſe dicat, quæ *vigilantibus* videantur, quàm quæ ſomniantibus. Fuit igitur divina beneficentia dignius, cum conſuleret nobis, clariora viſa dare vigilantibus, quàm obſcuriora per ſomnium. quod quoniam non fit, ſomnia divina putanda non ſunt. Jam verò quid opus eſt circuitione, & amfractu, ut ſit utendum interpretibus ſomniorum potiùs, quàm directo? deus ſi quidem nobis conſulebat, HOC FACITO, HOC NE FECERIS, diceret? idque viſum vigilanti potiùs, quàm dormienti daret? jam verò quis dicere audeat, vera omnia eſſe ſomnia? ALIQUOT SOMNIA VERA, inquit Ennius; SED OMNIA NON
62 EST NECESSE. Quæ eſt tandem iſta diſtinctio? quæ vera, quæ falſa habet? & ſi vera à deo mittuntur, falſa unde naſcuntur? nam ſi ea quoque divina, quid inconſtantius deo? quid inſcitius autem eſt, quàm menteis mortalium falſis, & mendacibus viſis concitare? ſin vera viſa divina ſunt: falſa autem, & inania, humana: quæ eſt iſta deſignandi licentia, ut hoc deus, hoc natura fecerit potiùs, quàm aut omnia deus, quod negatis, aut omnia natura? quod quoniam illud negatis, hoc neceſſariò confitendum eſt. *Naturam* autem eam dico, qua numquam animus inſiſtens, agitatione, & motu eſſe vacuus poteſt. Is cùm languore corporis, nec membris uti, nec ſenſibus poteſt, incidit in viſa varia, & incerta ex reliquiis, ut ait Ariſtoteles, inhærentibus, earum rerum, quas *vigilans* geſſerit, aut cogitarit: quarum perturbatione mirabiles interdum exſiſtunt ſpecies ſomniorum. Quæ ſi alia vera, alia falſa: qua nota internoſcantur, ſcire ſanè velim. Si nulla eſt: quid iſtos interpretes audiamus? ſin quæpiam eſt, [1] aveo audire, quæ
63 ſit. Sed hærebunt. venit enim jam in contentionem, utrum ſit probabilius, DEOSNE IMMORTALEIS, rerum omnium præſtantia excellenteis, concurſare omnium mortalium, qui ubique ſunt, non modò lectos, verùm etiam grabatos, &, cùm ſtertenteis aliquos viderint, objicere his viſa quædam tortuoſa, & obſcura, quæ illi exterriti ſomnio ad conjectorem manè deferant; an natura fieri, ut mobiliter animus agitatus, *quod vigilans viderit, dormiens videre videatur.* utrum philoſophia dignius, ſagarum ſuperſtitione iſta interpretari, an explicatione naturæ? ut, ſi jam fieri poſſit conjectura vera ſomniorum, tamen iſti, qui profitentur, eam facere non poſſint: ex leviſſimo enim, & indoctiſſimo genere conſtant. Stoici autem tui negant quemquam, niſi ſapientem, divinum eſſe poſſe. Chryſippus quidem divinationem definit his verbis, *Vim cognoſcentem*, & videntem, & explicantem ſigna, quæ à diis hominibus portendantur: officium autem eſſe ejus, prænoſcere, dei erga homines mente qua ſint, quidque ſignificent, quemadmodumque ea procurentur, atque expientur. Idemque ſomniorum conjectionem definit hoc modo, *Eſſe vim* cernentem, & explanantem, quæ à diis hominibus ſignificentur in ſomnis. Quid ergo, ad hæc mediocri opus eſt prudentia, an & ingenio præſtanti, & eruditione perfecta?
64 talem autem cognovimus neminem. Vide igitur, ne, etiam ſi divinationem tibi eſſe conceſſero, quod numquam faciam, neminem tamen divinum reperire poſſimus. Qualis autem iſta mens eſt deorum, ſi neque ea nobis ſignificant in ſomnis, quæ ipſi per nos intelligamus: neque ea, quorum interpretes habere poſſimus? ſimiles enim ſunt dii, ſi ea nobis objiciunt, quorum nec ſcientiam, [2] neque explanatorem habeamus, tamquam ſi Pœni, aut Hiſpani in ſenatu noſtro loquerentur ſine interprete. Jam vero quò pertinent obſcuritates, & ænigmata ſomniorum? intelligi enim à nobis dii velle debebant ea, quæ *noſtra cauſa* nos monerent. Quid? poëta nemo, nemo phyſicus obſcurus? ille verò nimis etiam obſcurus Euphorion. at non Homerus. Uter igitur melior? Valde Heraclitus obſcurus: minimè Democritus. num igitur conferendi? mea cauſa me mones, quod non intelligam. Quid me igitur mones? ut ſi quis medicus ægroto imperet, ut ſumat

Terrigenam, herbigradam, domi-portam, ſanguine caſſam,

potiùs quàm hominum more, cochleam, dicere. Nam [3] Pacuvianus Amphion,

Quadrupes tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera,
Capite brevi, cervice anguina, adſpectu truci,
Eviſcerata, inanima, cum animali ſono,

cùm dixiſſet obſcuriùs, tum Attici reſpondent: *Non intelligimus, niſi aperte dixeris.* At ille uno verbo, *Teſtudo*. Non potueras hoc igitur à principio, cithariſta, dicere? Defert 65
ad conjectorem quidam, ſomniaſſe ſe, ovum pendêre ex faſcia lecti ſui cubicularis. Eſt hoc in Chryſippi libro ſomnium. Reſpondit conjector, theſaurum defoſſum eſſe ſub lecto. fodit: invenit auri aliquantum, idque circumdatum argento. miſit conjectori quantulum viſum eſt de argento. Tum ille, *nihilne*, inquit, *de vitello?* id enim ei ex ovo videbatur aurum declaraſſe; reliquum, argentum. Nemone igitur umquam alius ovum ſomniavit? cur ergo hic neſcio qui theſaurum ſolus invenit? quam multi inopes, *digni præſidio deorum*, nullum ſomnio ad theſaurum reperiendum admonentur? quam autem ob cauſam tam eſt obſcurè admonitus, ut ex ovo naſceretur *theſauri* ſimilitudo potius, quam apertè theſaurum quærere juberetur, ſicut apertè Simonides vetitus eſt navigare? Ergo obſcura ſomnia, [4] minimè conſentanea majeſtati deorum. Ad aperta, & 66
clara veniamus, quale eſt de illo interfecto à caupone Megaris: quale de Simonide, qui ab eo, quem humarat, vetitus eſt navigare: quale etiam de Alexandro: quod à te præteritum eſſe miror: qui, cùm Ptolemæus, familiaris ejus, in prœlio *telo venenato* ictus eſſet, eoque vulnere ſummo cum dolore moreretur: Alexander aſſidens, ſomno eſt conſopitus. Tum ſecundum quietem viſus ei dicitur draco is, quem mater Olympias alebat, radiculam ore ferre, & ſimul dicere, quo illa loci naſceretur, (neque is longe aberat ab eo loco) ejus autem eſſe vim tantam, ut Ptolemæum facilè ſanaret. Cùm Alexander experrectus narraſſet amicis ſomnium, emiſiſſe qui illam radiculam quærerent. qua inventa, & Ptolemæus ſanatus dicitur, & multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati. Multa etiam ſunt à te ex hiſtoriis prolata ſomnia, matris Phalaridis, Cyri ſuperioris, matris Dionyſii, Pœni Hamilcaris, Annibalis, P. Decii: pervulgatum jam [5] illud de præſule: Gracchi etiam: & recens Cæciliæ, Balearici filiæ, ſomnium. Sed hæc externa, ob eamque cauſam ignota nobis ſunt: nonnulla etiam ficta fortaſſe. quis enim auctor iſtorum? de noſtris ſomniis quid habemus dicere, tu de merſo me, & equo ad ripam? ego de Mario cum faſcibus laureatis me in ſuum deduci jubente monumentum? Omnium ſomniorum, Quinte, una 67
ratio eſt. quæ, per deos immortaleis, videamus ne noſtra *ſuperſtitione*, & depravatione ſuperetur. Quem enim tu Marium viſum à me putas? Speciem, credo, ejus, & imagi-

1. *Aveo audire.*] Pall. omnes veteri modo ſcribendi, *habeo*.
2. *Neque explanatorem.*] Sic plerique Palatinorum, neque ſecus editio Victorii. vulgata *explanationem*.
3. *Pacuvianus Amphio.*] Recepta lectio *Amphion*. ſed alterum reſtat in libro S. Victoris, in Pal. prim. ac ſec. denique in editis ab Victorio.
4. *Minimè conſentanea majeſtati deorum.*] Ita Pall. & S. Victoris, omiſſo *ſunt*, quod in omnibus publicatis.
5. *Illud de præſule.*] Id jam primum redditur Ciceroni, inventum in Palatinis quatuor & codice S. Victoris. aliæ omnes editiones *præſultore*. ſupra etiam erat in Pal. pr. & S. Vict. *copo*. non *caupo*. ſed tamen tanti non erat ut textui immitteretur.

imaginem, ut Democrito videtur. Unde profectam imaginem? à corporibus enim ſolidis, & à certis figuris vult fluere imagines. quod igitur Marii corpus erat? [1] Ex eo, inquit, quod fuerat. plena ſunt imaginum omnia. iſta igitur me imago Marii in campum Atinatem perſequebatur. nulla enim ſpecies cogitari poteſt, niſi pulſu imaginum. Quid ergo? iſtæ imagines ita nobis *dicto audientes* ſunt, ut ſimul atque velimus, accurrant? etiamne earum rerum, quæ nullæ ſunt? quæ eſt enim [2] forma tam inuſitata, tam nulla, quam non ſibi ipſe animus poſſit effingere? ut, quæ numquam vidimus, [3] ea tamen informata habeamus, oppidorum ſitus, hominum figuras. Num igitur, cùm aut muros Babylonis, aut [4] Homeri faciem cogito, imago illorum me aliqua pellit? Omnia igitur, quæ volumus, nota nobis eſſe poſſunt. nihil eſt enim de quo cogitare nequeamus. Nullæ ergo imagines obrepunt in animos dormientium extrinſecus, nec omnino fluunt illæ: nec cognovi quemquam, qui majore auctoritate nihil diceret. *animorum eſt ea vis, eaque natura, ut vigeant vigilantes*, nullo adventitio pulſu, ſed ſuo motu, incredibili quadam celeritate. Hi cùm ſuſtinentur membris, & corpore, & ſenſibus, omnia certiora cernunt, cogitant, ſentiunt. cùm autem hæc ſubtracta ſunt, deſertuſque animus languore corporis, tum agitatur ipſe per ſeſe. itaque in eo & formæ verſantur, & actiones: & multa audiri, multa dici videntur. Hæc ſcilicet imbecillo, remiſſoque animo, multa omnibus modis confuſa, & variata verſantur, maximeque reliquiæ earum rerum moventur in animis, & agitantur, de quibus vigilantes aut cogitavimus, aut egimus: ut mihi temporibus illis multùm in animo Marius verſabatur, recordanti, quàm ille gravem ſuum *caſum magno animo*, quàm
68 conſtanti tuliſſet. Hanc credo cauſam de illo ſomniandi fuiſſe. Tibi autem de me cum ſollicitudine cogitanti ſubito ſum viſus emerſus è flumine. inerant enim in utriuſque noſtrûm animis, *vigilantium cogitationum veſtigia*. At quædam adjuncta ſunt: ut mihi de monumento Marii: tibi, quòd equus, in quo ego vehebar, mecum unà demerſus rurſus apparuit. An tu cenſes ullam anum tam deliram futuram fuiſſe, ut ſomniis crederet, niſi iſta caſu nonnumquam, fortè temerè concurrerent? Alexandro draco loqui viſus eſt. Poteſt omnino hoc eſſe falſum, poteſt verum: ſed utrum ſit, [5] non eſſe mirabile. non enim audivit ille draconem loquentem, ſed eſt viſus audire: & quidem, quo majus ſit, cùm radicem ore teneret, locutus eſt. Sed *nihil eſt magnum ſomnianti*. Quæro autem cur Alexandro tam illuſtre ſomnium, tam certum, nec huic eidem aliàs, nec multa ceteris. Mihi quidem, præter hoc Marianum, nihil ſanè, quod meminerim. [6] Fruſtrà igitur conſumtæ tot noctes tam longa in ætate. Nunc quidem propter intermiſſionem forenſis operæ & lucubrationes detraxi, & *meridiationes* addidi, quibus uti antea non ſolebam: nec tam multùm dormiens, ullo ſomnio ſum admonitus, tantis præſertim de rebus: nec mihi magis uſquam videor, quam cùm aut in foro magiſtratus, aut in curia ſenatum video, ſomniare.
69 Etenim (ex diviſione hoc ſecundum eſt) quæ eſt continuatio, conjunctioque naturæ (quam, ut dixi, vocant συμπάθειαν) ejuſmodi, ut theſaurus ex ovo intelligi debeat? nam medici ex quibuſdam rebus & advenienteis, & creſcenteis *morbos* intelligunt: nonnullæ etiam valitudinis ſignificationes, ut hoc ipſum, *pleni*, *enective ſimus*, ex quodam genere ſomniorum intelligi poſſe dicuntur. Theſaurus vero & hereditas, & honos, & victoria, & multa generis ejuſdem, qua cum ſomniis naturali cognatione junguntur? Dicitur quidam, cùm in ſomnis complexu Venerio jungeretur, calculos ejeciſſe. video ſympathiam. viſum eſt enim tale objectum dormienti, ut id, quod evenit, *natura vis*, non *opinio erroris* effecerit. Quæ igitur natura obtulit illam ſpeciem Simonidi, à qua vetaretur navigare? aut quid naturæ copulatum habuit Alcibiadis, quod ſcribitur, ſomnium? qui paullo ante interitum, viſus eſt in ſomnis amicæ eſſe amictus amiculo. Is cùm eſſet projectus inhumatus, ab omnibuſque deſertus jaceret: amica corpus ejus texit ſuo pallio. Ergo hoc inerat in rebus futuris: & cauſas naturaleis habebat: an, & ut videretur, & ut eveniret, caſus
effecit? Quid? ipſorum interpretum conjecturæ, nonne 70
magis *ingenia declarant*, eorum, quàm vim, conſenſumque naturæ? Curſor ad Olympia proficiſci cogitans, viſus eſt in ſomnis *curru quadrigarum vehi*. mane ad conjectorem. At ille, Vinces, inquit. id enim celeritas ſignificat, & vis equorum. Poſt idem ad Antiphontem. Is autem, Vincare, inquit, neceſſe eſt. An non intelligis quattuor ante te cucurriſſe? Ecce alius curſor: atque horum ſomniorum, & talium plenus eſt Chryſippi liber, plenus Antipatri. ſed ad curſorem redeo. ad interpretem detulit, *aquilam ſe in ſomnis viſum eſſe factum*. At ille, Viciſti, iſta enim avi volat nulla vehementiùs. [7] Huic equidem Antipho, Baro, inquit, te victum eſſe non vides? iſta enim avis inſectans alias aves & agitans, ſemper ipſa poſtrema eſt. Parere quædam matrona cupiens, dubitans eſſetne prægnans, viſa eſt in quiete *obſignatam habere naturam*. [8] retulit. Negavit eam, quoniam obſignata fuiſſet, concipere potuiſſe. At alter, prægnantem eſſe dixit. [9] nam *inane obſignari nihil ſolere*. [10] Quæ eſt iſta ars conjectoris, eludentis ingenio? an ea, quæ dixi, & innumerabilia, quæ collecta habent Stoici, quidquam ſignificant, niſi acumen hominum, ex ſimilitudine aliqua, conjecturam modò huc, modò illuc ducentium? Medici ſigna quædam habent ex venis, & ex ſpiritu ægroti: multiſque ex aliis futura præſentiunt. Gubernatores cùm exſultanteis loligines viderint, aut delphinos ſe in portum conjicienteis, *tempeſtatem ſignificari* putant. Hæc ratione explicari, & ad naturam facilè revocari poſſunt: ea verò quæ paullo antè dixi, nullo modo.
At enim *obſervatio diuturna*, (hæc enim pars una reſtat) 71
notandis rebus fecit artem. An tandem ſomnia obſervari poſſunt? quonam modo: ſunt enim innumerabiles varietates. Nihil tam præpoſterè, tam inconditè, tam monſtruosè cogitari poteſt, quod non poſſimus ſomniare. Quo modo igitur hæc infinita, & ſemper nova aut memoria complecti, aut obſervando notare poſſumus? Aſtrologi motus *errantium ſtellarum* notaverunt. inventus eſt enim ordo in iis ſtellis, qui non putabatur. cedò tandem, qui ſit ordo, aut quæ concurſatio ſomniorum? quo modo autem diſtingui poſſunt vera ſomnia à falſis, cùm eadem & aliis aliter evadant, [11] & iiſdem non ſemper eodem modo? ut mihi mirum videatur, cùm *mendaci homini, ne verum quidem dicenti credere ſoleamus*, quo modo iſti, ſi ſomnium verum evaſit aliquod, non ex multis potiùs uni fidem derogant, quàm ex uno innumerabilia confirmant. Si igitur neque

1. *Ex eo inquit quod fuerat.*] Rectè Pal. tamen pr. *fluerat*. ſec. *fluxerat*.

2. *Forma tam inuſitata.*] Non diſplicet quod eſt in Pal. prim. *inviſitata*.

3. *Ea tamen informata.*] Eſt à Pall. & Victorii editione. aliæ *formata*. S. Victoris liber *id formata*.

4. *Homeri faciem cogito, imago illorum.*] Pal. pr. *cogita*. unde fortè non malè Pal. tert. & quart. *cogito*, *cogitato*, *imago*. ſicque etiam Wouverii liber. ſed bene habet vulgata.

5. *Non eſſe mirabile.*] Eſt à Pall. tribus & S. Vict. item editione Victorii. vulgò, *eſt*.

6. *Fruſtra igitur conſumptæ tot noctes.*] Pal. pr. ſine præpoſitione, *ſumptæ*. & vix eſt ut non ſic ſcripſerit Cicero.

7. *Huic equidem Antipho; Baro, inquit, te victum eſſe non vides.*] Haud aliter Pal. pr. ac ſec. nam tert. heic mutilus eſt, quartus verò vocem illam inuſitatam omiſit; quam tamen etiam in ſcriptis ſuis reperit Victorius. Vulgati, *Antipho, Tu verò, inquit*. inſulsè.

8. *Retulit.*] Ita libri noſtri. inepte igitur Lambinus interponit ad ſententiæ perſpicuitatem de ſuo, *ad conjectorem retulit*. ſatis ſubintelligitur.

9. *Nam inane obſignari.*] Non malè forſan pr. & quart. *nam & inane obſign.*

10. *Quæ eſt iſta ars conjectoris.*] Pall. non agnoſcunt *iſta*. neque habetur in Victoriana.

11. *Et iiſdem non ſemper eodem modo.*] Pal. pr. habet amplius, *& iiſdem ſenſet evaſionis non ſemper*. aliquid certè in eo latet.

neque deus eſt effector ſomniorum, neque naturæ ſocietas ulla cum ſomniis, neque obſervatione inveniri potuit ſcientia effectum eſt, ut *nihil prorſus ſomniis tribuendum ſit:* præſertim cum illi ipſi, qui ea vident, nihil divinent: ii, qui interpretantur, conjecturam adhibeant, non naturam: CASUS autem innumerabilibus pæne ſæculis in omnibus plura mirabilia, quam in ſomniorum viſis effecerit: neque conjectura, quæ in varias partes duci poteſt, nonnumquam

72 etiam in contrarias, [1] quidquam ſit incertius. Explodatur hæc quoque ſomniorum divinatio pariter cum ceteris. nam ut vere loquamur, *ſuperſtitio* fuſa per genteis, oppreſſit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupavit. quod & in iis libris dictum eſt, qui ſunt de natura deorum: & hac diſputatione id maximè egimus. multùm enim & nobiſmet ipſis, & noſtris profuturi videbamur, ſi eam funditus ſuſtuliſſemus. *Nec* verò (id enim diligenter intelligi volo) *ſuperſtitione tollenda religio tollitur.* Nam &, MAJORUM INSTITUTA tueri ſacris, cæremoniiſque retinendis, ſapientis eſt: & eſſe præſtantem aliquam, æternamque naturam, & eam ſuſpiciendam, admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cæleſtium cogit confiteri. Quamobrem ut religio propaganda etiam eſt, quæ eſt juncta cum cognitione naturæ: ſic *ſuperſtitionis* [2] *ſtirpes omnes ejiciendæ:* inſtat enim, & urget, [3] & quocumque te verteris, perſequitur; ſive tu vatem, ſive tu omen audieris; ſive immolaris, ſive avem aſpexeris; ſi Chaldæum, ſi haruſpicem videris; ſi fulſerit, ſi tonuerit, ſi tactum aliquid erit de cælo, ſi oſtenti ſimile natum, factumve quippiam: quorum neceſſe eſt plerumque aliquid eveniat: ut numquam liceat quieta mente conſiſtere. *Per-* 73
fugium videtur *omnium laborum, & ſollicitudinum eſſe ſomnus.* at ex eo ipſo plurimæ curæ, metuſque naſcuntur. qui quidem ipſi per ſe minùs valerent, & magis contemnerentur, niſi ſomniorum patrocinium philoſophi ſuſcepiſſent, nec ii quidem contemtiſſimi, ſed in primis acuti, & conſequentia, & repugnantia videntes: qui propè jam abſoluti, & perfecti putantur. quorum licentiæ niſi Carneades reſtitiſſet, haud ſcio, an *ſoli jam philoſophi* judicarentur. cum quibus omnis ferè nobis diſceptatio, contentioque eſt, non quod eos maximè contemnamus: ſed quod videntur acutiſſimè ſententias ſuas, prudentiſſimeque defendere. [4] Cùm autem proprium ſit Academiæ, judicium ſuum nullum interponere, ea probare, quæ ſimillima veri videantur, conferre cauſas, & quid in quamque ſententiam dici poſſit, expromere, nulla adhibita ſua auctoritate, *judicium audientium relinquere integrum,* ac liberum. tenebimus hanc conſuetudinem à Socrate traditam: eaque inter nos, ſi tibi, Quinte frater, placebit, quàm ſæpiſſimè utemur. Mihi verò, inquit ille, nihil poteſt eſſe jucundius. Quæ cùm eſſent dicta ſurreximus.

1. *Quidquam ſit incertius.*] Pal. pr. *certius,* quod forſan referendum ad *caſum,* ut conjectura æque ſit certa ac caſus; hoc eſt incertiſſima. ſed cum reliqui codd. ei non adſtipulentur, non eſt quod librario uni nimium tribuamus.

2. *Stirpes omnes ejiciendæ.*] Sic mſſ. noſtri, ſed more ſuo, unica litera *eiciendæ.* fruſtra alii conjecturis operantur. quippe ejiciendæ ſtirpes jam antea evulſæ ſint extractæque radicitus oportet; quo ipſo, nunquam certe renaſcantur. ſi tamen quid mutandum, malim *eligendæ ſunt,* quomodo locutus noſter fine libri III. Tuſculan. quæſt. pro quo tamen vulgati *elidendæ.*

3. *Et quocunque te verteris.*] Haud aliter huc uſque cuſi, ſed num recte? Pall. enim quatuor & liber S. Victoris nulla litera variante præferunt, & *quo te, Quinte, verteris.* loqui verò Ciceronem cum fratre ſuo Quinto, ſatis conſtat. verum viderit Senatus Criticus, ego feſtino.

4. *Cùm autem proprium ſit Academiæ.*] Pal. tert. & S. Victoris non habent voculam *proprium.* ſed cum reſtet in aliis illis noſtris melioribus, nihil ei adhuc moveo controverſiæ.

M. TULLII CICERONIS DE FATO LIBER SINGULARIS.

Deeſt principium.

1 [1] QUIA pertinet ad mores, quos ἤθη illi vocant, nos eam partem philoſophiæ, de moribus appellare ſolemus: ſed decet augentem linguam Latinam, [2] nominare *moralem.* explicandaque vis eſt ratioque enuntiationum, quæ Græci ἀξιώματα vocant, quæ de re futura cùm aliquid dicunt, deque eo, quod poſſit fieri, aut non poſſit, quam vim habeant, obſcura quæſtio eſt: [3] quam περὶ δυνατῶν philoſophi appellant: totaque eſt logice; quam *rationem diſſerendi* voco. Quod autem in aliis libris feci, qui ſunt de natura deorum: itemque in iis, quos de divinatione edidi, ut in utramque partem perpetua explicaretur oratio, quo faciliùs id à quoque probaretur, quod cuique maximè probabile videretur, id in hac diſputatione de fato, caſus quidam, ne facerem impedivit. Nam cùm eſſem in Puteolano, Hirtiuſque noſter, conſul deſignatus, iiſdem in locis, vir nobis amiciſſimus, & iis ſtudiis, in quibus nos à pueritia viximus, deditus: multùm unà eramus; maximè nos quidem exquirentes ea conſilia, quæ ad pacem, & ad concordiam civium pertinerent. cùm enim omnes poſt interitum Cæſaris *novarum perturbationum cauſæ* quæri viderentur, hiſque eſſe occurrendum putaremus: omnis ferè noſtra in iis deliberationibus conſumebatur oratio; idque & ſæpe aliàs, & quodam liberiore, quàm ſolebat, & magis vacuo ab interventoribus die, cùm ille ad me veniſſet, primò illa, quæ erant quotidiana, & quaſi legitima nobis, [4] de pace, & de otio. Quibus actis, Quid ergo? inquit, 2
ille, quoniam oratorias exercitationes non tu quidem, ut ſpero, reliquiſti, ſed certè philoſophiam illis antepoſuiſti, poſſumne

1. *QUia pertinet ad mores, quod* ἤθη *illi vocant.*] Eſt à mſſ. noſtris; firmavitque dudum editione ſua Petrus Victorius. Palatinis ego uſus ſum tribus. Gulielmius variantes lectiones adſcripſit marginibus, e libris S. Victoris, Franciſci Pithœi, & Franciſci Fabricii. vulgata lectio habet, *quos* ἤθη *Græci vocant.*

2. *Appellare moralem.*] Pal. ſec. & S. Victoris, *morabilem.* quod, quamvis non probem, libuit tamen indicare. quippe ſecundus ille noſter, quantivis eſt pretii, præ aliis duobus quibus utor.

3. *Quam* περὶ δυνατῶν *Philoſophi appellant.*] Dictionem *Philoſophi* reddimus auctori, fide Pall. & P. atque S. V. exhibuitque editione ſua Victorius, infinitæ & incredibilis diligentiæ vir.

4. *De pace & otio. Quibus actis, Quid.*] Hæc eſt lectio Pal. prim. editioniſque Victorianæ, aliorumque. nam ceteri mſſ. *Quibus acceptis.* omnes tamen omiſerant illa vulgata, *dicta ſunt;* quæ in Lambinianis ac Brutianis.

poſſumne aliquid audire? Tu verò inquam, vel *audire*, vel *dicere*. nec enim (quod rectè exiſtimas) oratoria illa ſtudia deſerui: quibus etiam te incendi, quamquam flagrantiſſimum acceperam: nec ea, quæ nunc tracto minuunt, ſed augent potiùs illam facultatem. nam cum hoc genere philoſophiæ, quod nos ſequimur, magnam habet orator ſocietatem. *ſubtilitatem* enim ab Academia mutuatur, & ei viciſſim reddit *ubertatem orationis*, & ornamenta dicendi. Quamobrem, inquam, quoniam utriuſque ſtudii noſtra poſſeſſio eſt, hodie, utro frui malis, optio ſit tua. Tum Hirtius, Gratiſſimum, inquit, & tuorum omnium ſimile. nihil enim umquam abnuit meo ſtudio voluntas tua. Sed quoniam [1] rhetorica mihi noſtra ſat nota, teque in iis & audivimus ſæpe, & audiemus, atque hanc Academicorum, contra propoſitum diſputandi, conſuetudinem indicant te ſuſcepiſſe *Tuſculanæ diſputationes*; [2] ponere aliquid, ad quod audiam, ſi tibi non eſt moleſtum, volo. An mihi, inquam, poteſt quidquam eſſe moleſtum, quod tibi gratum futurum ſit? ſed ita audies, ut Romanum hominem, ut timide ingredientem ad hoc genus diſputandi, ut longo intervallo hæc ſtudia repetentem. Ita, inquit, audiam te diſputantem; ut ea lego, quæ ſcripſiſti, proinde
3 ordire. *Multa hic deſunt.* [3] conſideramus hic: quorum in aliis, ut in Antipatro poëta, ut in brumali die natis, ut in ſimul ægrotantibus fratribus, ut in urina, ut in unguibus, ut in reliquis ejuſmodi, naturæ contagio valet: quam ego non tollo: vis eſt nulla fatalis. In aliis autem *fortuita* quædam eſſe poſſunt, ut in illo naufrago, ut in Icadio, ut in Daphita. Quædam etiam Poſidonius (pace magiſtri dixerim) comminiſci videtur. Sunt, inquam, quidem abſurda. Quid enim? ſi Daphitæ fatum fuit de equo cadere, atque ita perire? ex hocne equo qui cùm equus non eſſet, nomen habebat alienum? aut Philippus haſce in capulo quadrigulas vitare monebatur? quaſi verò capulo ſit occiſus. Quid autem magnum, & naufragum illum ſine nomine in rivo eſſe lapſum? quamquam huic quidem hic ſcribit prædictum *in aqua eſſe pereundum*. Ne hercule Icadii quidem prædonis video fatum ullum. nihil enim ſcribit ei prædictum. Quid mirum igitur, ex ſpelunca ſaxum in crura ejus incidiſſe? puto enim, etiam ſi Icadius tum in ſpelunca non fuiſſet, ſaxum tamen illud caſurum fuiſſe. Nam aut nihil eſt omnino fortuitum, aut hoc ipſum potuit evenire fortuna. Quæro igitur, (atque hoc late patebit) ſi fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla vis eſſet, & *fortè, temerè, caſu* aut pleraque fierent, aut omnia: num aliter, ac nunc eveniunt, evenirent? quid ergo attinet inculcare fatum, cùm ſine fato ratio omnium rerum ad naturam, for-
4 tunamve referatur? Sed Poſidonium, ſicut æquum eſt, cum bona gratia dimittamus: ad Chryſippi laqueos revertamur. Cui primùm quidem de ipſa *rerum contagione* reſpondeamus: reliqua poſtea perſequemur. Inter *locorum naturas* quantum interſit, videmus: alios eſſe ſalubreis, alios peſtilenteis: in aliis eſſe pituitoſos, & quaſi redundanteis, in aliis exſiccatos, atque aridos: multaque ſunt alia, quæ inter locum, & locum plurimum differunt. Athenis tenue cælum, ex quo *acutiores* etiam putantur *Attici*: craſſum Thebis. itaque *pingues Thebani, & valentes*. Tamen neque illud tenue cælum efficiet, ut aut Zenonem quis, aut Arceſilam, aut Theophraſtum audiat neque craſſum, ut Nemea potiùs, quàm Iſthmo victoriam petat. Dijunge longiùs. quid enim loci natura afferre poteſt, ut in porticu Pompeii potiùs, quàm in campo ambulemus? tecum, quàm cum alio? Idibus potiùs, quàm Kalendis? Ut igitur ad quaſdam res natura loci pertinet aliquid, ad quaſdam autem nihil: ſic *affectio aſtrorum* valeat, ſi vis, ad quaſdam res; ad omneis certè non valebit. At enim quoniam in naturis hominum diſſimilitudines ſunt, ut alios dulcia, alios ſubamara delectent; alii libidinoſi, alii iracundi, aut crudeles, aut ſuperbi ſint; alii talibus vitiis abhorreant: quoniam igitur, inquit, tantum natura à natura diſtat, quid mirum eſt, has diſſimilitudines ex differentibus cauſis eſſe factas? Hæc diſſerens, qua de 5
re agatur; & in quo cauſa conſiſtat, non videt. Non enim ſi alii ad alia propenſiores ſint propter cauſas naturales, & antecedenteis, idcirco etiam noſtrarum voluntatum, atque appetitionum ſunt cauſæ naturales, & antecedentes. nam nihil eſſet in noſtra poteſtate, ſi res ita ſe haberet. nunc verò fatemur, ACUTI, HEBETESNE: valentes, imbecilline ſimus, non eſſe id in nobis. Qui autem ex eo cogi putat, ne ut ſedeamus quidem, aut ambulemus; voluntatis eſſe, is non videt, quæ quamque res conſequatur. Ut enim & ingenioſi, & tardi ita naſcantur antecedentibus cauſis, itemque valentes, & imbecilli: non ſequitur tamen, ut etiam ſedere, & ambulare, & rem agere aliquam, principalibus cauſis definitum, & conſtitutum ſit. Stilponem [4] Megaricum philoſophum, acutum ſanè hominem, & probatum temporibus illis accepimus. Hunc ſcribunt ipſius familiares & ebrioſum, & mulieroſum fuiſſe: neque hoc ſcribunt vituperantes, ſed potiùs *ad laudem*. vitioſam enim naturam ab eo ſic edomitam, & compreſſam eſſe doctrina, ut nemo umquam vinolentum illum; nemo in eo libidinis veſtigium viderit. Quid? Socratem nonne legimus, quemadmodum notarit Zopyrus, phyſiognomon, qui ſe profitebatur *hominum mores, naturaſque* ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoſcere? [5] ſtupidum eſſe Socratem dixit, & bardum, quod jugula concava non haberet: obſtructas eas parteis, & obturatas eſſe dicebat: addidit etiam, mulieroſum: in quo Alcibiades cachinnum dicitur ſuſtuliſſe. Sed hæc ex naturalibus cauſis vitia naſci poſſunt: exſtirpari autem & funditus tolli, ut is ipſe, qui ad ea propenſus fuerit à tantis vitiis *avocetur*, non eſt id poſitum in naturalibus cauſis, ſed in *voluntate, ſtudio, diſciplina*. quæ tolluntur omnia, ſi vis, & natura fati ex divinationis ratione
firmabitur. Etenim ſi eſt divinatio, [6] qualibus nam à per- 6
ceptis artis proficiſcitur: percepta appello, quæ dicuntur Græcè θεωρήματα. Non enim credo nullo percepto aut ceteros artifices verſari in ſuo munere, aut eos, qui divinatione utantur, futura prædicere. Sunt igitur aſtrologorum percepta hujuſmodi. Si quis, verbi cauſa, ORIENTE CANICULA NATUS EST, IS IN MARI NON MORIETUR. Vigila Chryſippe, ne tuam cauſam, in qua tibi cum Diodoro, valente dialectico, magna luctatio eſt, deſeras. Si enim verum eſt, quod ita connectitur, *Si quis* oriente Canicula natus eſt, in mari non morietur: illud quoque verum eſt, *Si Fabius* oriente Canicula natus eſt, Fabius in mari non morietur. Pugnant ergo hæc inter ſe, Oriente canicula natum eſſe, & in mari Fabium moriturum: & quoniam certum in Fabio ponitur, ortum eſſe eum Canicula oriente, hæc quoque pugnant, & eſſe Fabium, & in mari moriturum. Ergo hæc quoque conjunctio eſt ex repugnantibus, & eſt Fabius, & in mari Fabius morietur: quod ut propoſitum eſt, ne fieri quidem poteſt. Ergo illud, *Morietur in mari Fabius*, ex eo genere eſt, quod fieri non poteſt. Omne igitur,
quod falſum dicitur in futuro, id fieri non poteſt. At hoc, 7
Chryſippe, minimè vis: maximeque tibi de hoc ipſo cum Diodoro certamen eſt. ille enim id ſolum fieri poſſe dicit, quod

1. *Rhetorica mihi noſtra ſat nota.*] Pall. *ſunt nota*, quod & in Gulielmianis tribus, qui præterea *veſtra*. quod ego expreſſi a Victorianis.

2. *Ponere aliquid, ad quod audiam.*] Eſt à mſſ. quinque neque ſecus Victorii editio. publicati fere *proponere*.

3. *Conſideramus hic, quorum, &c.*] Turnebus monuit vett. libros præferre *conſtamuſici*; ex quo factum illud vulgatum, *Conſideramus Hirti*. Pal. ſec. ſervat *odire conſidamus hic hic deeſt quorum*. alii duo, neſcio quot verſus admiſerant.

4. *Megaricum.*] Eſt a Victorii editione. & accedit Pal. ſecund. in quo *Megari*[illegible]. nam ceteri *Megaricum*, quibus adhæret Turnebus.

5. *Stupidum eſſe Socratem dixit.*] Gulielmius adnotavit videri expungenda, *Socratem dixit*, ut ſupervacua; uti revera ſunt.

6. *qualibuſnam a perceptis artis, &c.*] Sic meliores mſſ. neque aliter Victorius Turnebus, Aldus. alii, *quælibet natura a perceptis*.

quod aut ſit verum, aut futurum ſit verum: &, quidquid futurum ſit, id dicit fieri neceſſe eſſe, & quidquid non ſit futurum, id negat fieri poſſe. Tu, & quæ non ſint futura, poſſe fieri dicis, ut *frangi hanc gemmam*, etiam ſi id numquam futurum ſit: neque neceſſe fuiſſe Cypſelum regnare Corinthi, quamquam id milleſimo antè anno Apollinis oraculo editum eſſet. At ſi iſta comprobabis divina prædicta; & quæ falſa in futuris dicentur, in his habemus, ut ea fieri non poſſint: ut, ſi [1] dicatur, Africanum Karthagine potiturum: & ſi verè dicatur de futuro, idque ita futurum ſit, dicas eſſe neceſſarium. quæ eſt tota Diodori vobis inimica ſententia. Etenim ſi illud verè connectitur, *Si oriente* Canicula natus es, in mari non morieris: primumque, quod in connexo, *Natus es oriente* Canicula: neceſſarium eſt: (*omnia enim vera in præteritis, neceſſaria ſunt*, ut Chryſippo placet, diſſentienti à magiſtro Cleanthe, quia ſunt immutabilia, nec in falſum è vero præterita poſſunt converti) ſi igitur quod primum in connexo eſt, neceſſarium eſt: fit etiam quod conſequitur, neceſſarium. Quamquam hoc Chryſippo non videtur valere in omnibus. Sed tamen, ſi naturalis eſt cauſa, cur in mari Fabius non moriatur, in
8 mari Fabius mori non poteſt. Hoc loco Chryſippus æſtuans falli ſperat Chaldæos, ceteroſque divinos, neque eos uſuros eſſe conjunctionibus, ut in ſua percepta pronuntient. *Si quis natus* eſt oriente Canicula, is in mari non morietur: ſed potiùs ita dicant: *Non & natus eſt* quis oriente Canicula, & is in mari morietur. O licentiam jocularem! ne ipſe incidat in Diodorum, docet Chaldæos, quo pacto eos exponere percepta oporteat. Quæro enim, ſi Chaldæi ita loquantur, ut negationes infinitarum conjunctionum potiùs, quàm infinita connexa ponant: cur idem medici, cur geometræ, cur reliqui facere non poſſint? medicus in primis, quod erit ei perſpectum in arte, non ita proponet: [2] SI CUI VENÆ ſic moventur, is habet febrem: ſed potiùs illo modo, Non ei venæ ſic moventur, & febrem is non habet: itemque geometres non ita dicet, [3] IN SPHÆRA maximi orbes, medii inter ſe dividuntur: ſed potiùs illo modo: Non & ſunt in ſphæra maximi orbes, & hi non medii inter ſe dividuntur. Quid eſt, quod non poſſit iſto modo ex connexo transferri ad conjunctionum negationem? & quidem aliis modis eaſdem res efferre poſſumus. Modò dixi, *In ſphæra maximi orbes, medii inter ſe dividuntur:* poſſum dicere, *In ſphæra maximi orbes erunt*; poſſum dicere, *Quia in ſphæra maximi orbes erunt:* Multa genera ſunt enuntiandi, nec ullum diſtortius, quàm hoc, quo Chryſippus ſperat Chaldæos contentos Stoicorum cauſa fore. Illorum tamen nemo ita loquitur. majus eſt enim has contortiones oratio-
9 nis, quàm ſignorum ortus, obituſque perdiſcere. Sed ad illam Diodori contentionem, quam περὶ δυνατῶν appellant revertamur: in qua quid valeat [4] id, quod fieri poſſit, anquiritur. Placet igitur Diodoro, id ſolum fieri poſſe, quod aut *verum ſit*, aut *verum futurum ſit*. Qui locus attingit hanc quæſtionem, Nihil fieri, quod non neceſſe fuerit: &, Quidquid fieri poſſit, id aut eſſe jam, aut futurum eſſe: nec magis commutari ex veris in falſa ea poſſe, quæ futura ſunt, quàm ea, quæ facta ſunt: ſed in factis *immutabilitatem* apparere, in futuris quibuſdam quia non apparent, [5] ne ineſſe quidem videri: ut in eo, qui mortifero morbo urgeatur, verum ſit: Hic morietur hoc morbo: at hoc idem ſi verè dicatur in eo, in quo vis morbi tanta non appareat, nihilo minùs futurum ſit. Ita fit, ut commutatio ex vero in falſum ne in futuro quidem ulla fieri poſſit. Nam, *Morietur Scipio*, talem vim habet, ut, quamquam de futuro dicitur, tamen ut id non poſſit converti in falſum. de homine enim dicitur, cui neceſſe eſt mori. Sic ſi diceretur, Morietur noctu in cubiculo ſuo Scipio, vi oppreſſus, verè diceretur, id enim fore diceretur, quod eſſet futurum: *futurum autem fuiſſe, ex eo, quia factum eſt, intelligi debet*. nec magis erat verum, Morietur Scipio, quàm Morietur illo modo: [6] nec minùs neceſſe mori Scipionem, quàm illo modo mori: nec magis immutabile ex vero in falſum, *Necatus eſt* Scipio, quàm Necabitur Scipio: nec, cùm hæc ita ſint, eſt cauſa, cur Epicurus, [7] fatum extimeſcat, & ab atomis petat præſidium, eaſque de via deducat, & uno tempore ſuſcipiat res duas inenodabileis: unam, ut ſine cauſa fiat aliquid, ex quo exſiſtet, ut de nihilo quippiam fiat, quod nec ipſi, nec cuiquam phyſico placet: alteram, ut, cùm duo individua per inanitatem ferantur: alterum è regione moveatur, alterum declinet. licet enim Epicuro, concedenti omne enuntiatum aut verum, aut falſum eſſe, non vereri, ne omnia fato fieri ſit neceſſe: non enim æternis cauſis naturæ neceſſitate mutantibus verum eſt id, quod ita enuntiatur: *Deſcendit in Academiam Carneades:* nec tamen ſine cauſis: ſed intereſt inter cauſas fortuitò antegreſſas, & inter cauſas cohibenteis in ſe efficientiam naturalem. Ita & ſemper verum fuit, Morietur Epicurus, cùm duo & ſeptuaginta annos vixerit, Archonte Pitharato; neque tamen erant cauſæ fatales, cur ita accideret: ſed quòd ita cecidiſſet, certè caſurum, ſicut cecidit, fuit. Nec ii, qui dicunt *immutabilia eſſe*, *quæ futura ſint*, nec poſſe [8] verum futurum converti in falſum, fati neceſſitatem confirmant, ſed verborum vim interpretantur. At, qui introducunt cauſarum ſeriem ſempiternam, ii mentem hominis *voluntate libera* ſpoliatam, neceſſitate fati devinciunt. Sed hæc hactenus. Alia videamus. concludit enim Chryſippus 10
hoc modo, SI EST MOTUS SINE CAUSA, non omnis enuntiatio, quod ἀξίωμα dialectici appellant, aut vera, aut falſa erit. cauſas enim efficienteis quod non habebit, id nec verum, nec falſum erit. omnis autem enuntiatio, aut vera aut falſa eſt. motus ergo ſine cauſa nullus eſt. Quod ſi ita eſt, omnia, quæ fiunt, cauſis fiunt antegreſſis. id ſi ita eſt, omnia, fato fiunt. efficitur igitur, fato fieri, quæcumque fiant. Hic primùm ſi mihi libeat aſſentiri Epicuro, & negare omnem enuntiationem aut veram eſſe, aut falſam: eam plagam potiùs accipiam, quàm fato omnia fieri comprobem. illa enim ſententia aliquid habet diſputationis, hæc verò non eſt tolerabilis. itaque contendit omneis nervos Chryſippus, ut perſuadeat, *omne ἀξίωμα aut verum eſſe, aut falſum*. Ut enim Epicurus veretur, ne, ſi hoc conceſſerit, concedendum ſit, fato fieri, quæcumque fiant: (ſi enim alterutrum ex æternitate verum ſit, eſſe id etiam certum: &, ſi certum, etiam neceſſarium: ita & neceſſitatem, & fatum confirmari putat) ſic Chryſippus metuit, ne, ſi non obtinuerit, omne, quod enuntietur, aut verum eſſe, [9] aut falſum, non teneat, omnia fato fieri poſſint, & ex cauſis æternis rerum futurarum. Sed Epicurus declinatione atomi vitari fati neceſſitatem putat. Itaque tertius quidam motus oritur extra pondus, & plagam, cùm declinat atomus *intervallo minimo*. id appellat ἐλάχιστον. Quam declinationem ſine cauſa fieri ſi minùs verbis, re cogitur confi-

1. *Dicatur Africanum Karthagine potiturum.*] Recte ita editi à Victorio, reſpondetque Pal. ſec. caſtiſſimus liber. alii quidem *Karthaginem*, ſed non ii tam bonæ notæ, itaque viderit de ſuis Lambinus.

2. *Non ei venæ ſic moventur.*] Vulgata: *Non & huic venæ*, ſed contra Pal. ſec. Pith. Fabr. & Victorii editionem. nec abludunt Pal. tert. quart. in quibus, *Non enim venæ*.

3. *In ſphæra maximi orbes, medii, &c.*] Secutus ſum eoſdem libros: nam communis lectio: *Si in ſphæra maximi orbes ſunt, medii.* quidquid etiam in mox ſequentibus mutavi; feci codicibus iiſdem præeuntibus.

4. *Id quod fieri poſſit anquiritur.*] Sic Pithœanus, neque ſecus editio Victorii atque Turnebi. vulgata, *inquirit*.

5. *Ne ineſſe quidem videri.*] Lambini, eaque priores aliquot edit. *ne neceſſe quidem*.

6. *Nec minus mori neceſſe Scipionem.*] Ita Pal. ſec. & Fabricianus. editi; *nec minus neceſſe eſt mori Scipioni*.

7. *Fatum extimeſcat.*] Nihilo pejus Pal. ſec. ac Pithœanus, *pertimeſcat*.

8. *Verum futurum converti in falſum.*] Pall. omn. & Pith. & publicati à Victorio *convertere*.

9. *Aut falſum, non teneat, omnia fato fieri, &c.*] Secutus ſum Victorianam, cùm apertè ſic exſtaret in Palat. ſec. vulgatis abeſt illud *non teneat*.

1. *Aut*

confiteri. non enim atomus ab atomo pulſa declinat. nam quî poteſt pelli alia ab alia, ſi gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua, rectis lineis, ut Epicuro placet? ſequitur enim ut, ſi alia ab alia numquam depellatur, ne contingat quidem alia aliam. ex quo efficitur, ut jam ſi ſit atomus, eaque declinet, declinare ſine cauſa. Hanc rationem Epicurus induxit ob eam rem, quòd veritus eſt, ne, ſi ſemper atomus gravitate ferretur naturali, ac neceſſaria, *nihil liberum nobis eſſet*, cùm ita moveretur animus, ut atomorum motu cogeretur. Hinc Democritus auctor atomorum accipere maluit, neceſſitate omnia fieri, quàm à
11 corporibus individuis naturaleis motus avellere. Acutiùs Carneades, qui docebat, poſſe Epicureos ſuam cauſam ſine hac commentitia declinatione defendere. nam cùm doceret, eſſe poſſe quendam *animi motum voluntarium*, id fuit defendi melius, quàm introducere declinationem, cujus præſertim cauſam reperire non poſſunt. quo defenſo, facilè Chryſippo poſſent reſiſtere. Cùm enim conceſſiſſent, motum nullum eſſe ſine cauſa, non concederent, omnia, quæ fierent, fieri cauſis antecedentibus. voluntatis enim noſtræ non eſſe cauſas externas, & antecedenteis. Communi igitur conſuetudine ſermonis abutimur, cùm ita dicimus, *velle aliquid quempiam aut nolle ſine cauſa*. ita enim dicimus, ſine cauſa, ut dicamus, ſine externa, & antecedente cauſa, non ſine aliqua. Ut cùm *vas inane* dicimus, non ita loquimur, ut phyſici, quibus inane eſſe nihil placet: ſed ita, ut, verbi cauſa, ſine aqua, ſine vino, ſine oleo vas eſſe dicamus: ſic, cùm ſine cauſa animum moveri dicimus, ſine antecedente, & externa cauſa moveri, non omnino ſine cauſa, dicimus. De ipſa atomo dici poteſt, cùm per inane moveatur gravitate, & pondere, ſine cauſa moveri, quia nulla cauſa accedat extrinſecus. Rurſus autem, ne omnes à phyſicis irrideamur, ſi dicamus, quidquam fieri ſine cauſa, diſtinguendum eſt, & ita dicendum, ipſius individui hanc eſſe naturam, ut pondere, & gravitate moveatur, eamque ipſam eſſe *cauſam*, cur ita feratur. Similiter ad animorum motus voluntarios, non eſt requirenda externa cauſa. motus enim voluntarius eam naturam in ſe ipſo continet, ut ſit in noſtra poteſtate, nobiſque pareat: nec id ſine cauſa. ejus enim rei cauſa, *ipſa natura eſt*. Quod cùm ita ſit, quid eſt, cur non omnis pronuntiatio aut vera, aut falſa ſit, niſi conceſſerimus fato fieri quæcumque fiant? *quia futura, vera* inquit, non poſſunt eſſe ea, quæ cauſas, cur futura ſint, non habent. habeant igitur cauſas neceſſe eſt, ut ea, quæ vera ſunt, ita cùm evenerint, fato
12 evenerint. Confectum negotium, ſi quidem tibi concedendum eſt, [1] aut fato omnia fieri: aut quidquam poſſe fieri ſine cauſa. An aliter hæc enuntiatio vera eſſe non poteſt, *Capiet Numantiam Scipio*, niſi ex æternitate cauſa cauſam ſerens hoc erit effectura? An hoc falſum potuiſſet eſſe, ſi eſſet ſexcentis ſæculis antè dictum? &, ſi tum non eſſet vera hæc enuntiatio, Capiet Numantiam Scipio: [2] ne illa quidem everſa vera eſt hæc enuntiatio, capiet Numantiam Scipio. Poteſt igitur quidquam factum eſſe, quod non verum fuerit futurum eſſe. nam ut præterita ea vera dicimus, quorum ſuperiore tempore vera fuerint inſtantia: ſic futura, quorum conſequenti tempore vera erunt inſtantia, ea vera dicemus. nec ſi omne enuntiatum aut verum, aut falſum eſt, ſequitur illico eſſe cauſas immutabileis, eaſque æternas, quæ prohibeant quidquam ſecus cadere, atque caſurum ſit. fortuitæ ſunt cauſæ, quæ efficiant, ut verè dicantur, quæ ita dicentur, *Veniet Cato in ſenatum*, non incluſæ in rerum natura, atque mundo. Et tamen tam eſt immutabile venturum, cùm eſt verum; quàm veniſſe: nec ob eam cauſam fatum, aut neceſſitas extimeſcenda eſt. Etenim erit confiteri neceſſe, ſi hæc enuntiatio, *Veniet in Tuſculanum Hortenſius*, [3] verum non eſt: ſequitur ut falſum ſit. quorum iſti neutrum volunt. quod fieri non poteſt. nec nos impediet illa *ignava ratio*, quæ dicitur. appellatur enim quidam à philoſophis ἀργὸς λόγος, cui ſi pareamus, [4] nihil omnino agamus in vita. Sic enim interrogant: SI FATUM TIBI EST, ex hoc morbo convaleſcere; ſive medicum adhibueris, ſive non, convaleſces. Item, SI FATUM TIBI eſt, ex hoc morbo non convaleſcere: ſive tu medicum adhibueris, ſive non, non convaleſces. & alterutrum fatum eſt. medicum ergo adhibere nihil attinet. Rectè genus hoc interrogationis *ignavum*, atque *iners* nominatum eſt, quòd eadem ratione omnis è vita tolletur 13
actio. Licet etiam immutare, [5] ut fati nomen ne adjungas, & eandem tamen teneas ſententiam, hoc modo: SI EX ÆTERNITATE verum hoc fuit, Ex iſto morbo convaleſces; ſive adhibueris medicum, ſive non, convaleſces. Itemque, SI EX ÆTERNITATE, hoc falſum fuit, Ex iſto morbo non convaleſces, ſive adhibueris medicum, ſive non adhibueris, non convaleſces: deinde cætera. Hæc ratio à Chryſippo reprehenditur. Quædam enim ſunt, inquit, in rebus ſimplicia, quædam copulata. Simplex eſt, *Morietur eo die Socrates*. Huic, ſive quid fecerit, ſive non fecerit, finitus eſt moriendi dies. At ſi ita fatum ſit, *Naſcetur OEdipus Laio*: non poterit dici, ſive fuerit Lajus cum muliere, ſive non fuerit, copulata enim res eſt, & confatalis. ſic enim appellat: quia ita fatum ſit, & concubiturum cum uxore Lajum, & ex ea OEdipum procreaturum, ut ſi eſſet dictum, *Luctabitur Olympius Milo*: & referret aliquis: Ergo, [6] ſive habuerit adverſarium, ſive non habuerit, luctabitur: erraret. eſt enim copulatum, *Luctabitur*, quia ſine adverſario nulla luctatio eſt. Omnes igitur iſtius generis captiones eodem modo refelluntur: SIVE TU adhibueris medicum, ſive non adhibueris, convaleſces: captioſum. tam enim eſt fatale, medicum adhibere, quàm convaleſcere. hæc ut dixi, *confatalia* ille appellat. Carneades hoc totum 14
genus non probabat, & [7] nimis inconſideratè concludi hanc rationem putabat. itaque premebat alio modo, nec ullam adhibebat calumniam: cujus erat hæc concluſio: SI OMNIA ANTECEDENTIBUS cauſis fiunt, omnia naturali colligatione conſertè, contexteque fiunt. quod ſi ita eſt, omnia neceſſitas efficit. Id ſi verum eſt, nihil eſt in noſtra poteſtate. eſt autem aliquid in noſtra poteſtate. Ac, ſi omnia fato fiunt, omnia cauſis antecedentibus fiunt. non igitur fato fiunt, quæcumque fiunt. [8] Hoc arctiùs adſtringi ratio non poteſt. Nam ſiquis velit idem referre, atque ita dicere: SI OMNE FUTURUM, ex æternitate verum eſt, ut ita certè eveniat, quemadmodum ſit futurum, omnia neceſſe eſt colligatione naturali conſertè, contexteque

---

1. *Aut fato omnia fieri, aut quidquam, &c.*] Lambinus amplius inſerit, *omnia quæ cauſas habeant cur fiant fieri, aut quidquam, &c.* ſed non addit e mſſ. ne an ex ingenio. nihil ejus profectò eſt in Pall. aut Gulielmianis, neque agnoſcunt meliores ullæ edd. Aldi, Victorii, Turnebi. itaque valeat.

2. *Ne illa quidem everſa vera eſt, &c.*] Edidit iſtud Turnebus. inde ſumpſit Lambinus, quamvis diſſimulet. aliis exulabat *everſa*; pro quo in Pal. ſec. *vera eſſet*, in Pith. *vera eſſe*. Lambinus deinde legit, *Cepit Numantiam*: ſed ſic nulla editio, nulli ſcripti.

3. *Verum non eſt, ſequitur ut falſum ſit.*] Haud aliter Aldus, Turnebus, Victorius, firmatque Pal. ſec. neque abeunt alii noſtri quàm quod ii *vera*, item *falſa*. at Lambinus ingentem verborum molem iſtis intermiſcuit, proculdubio totam de ſuo, licet partem admittat.

4. *Nihil omnino agamus in vita.*] Sic Turn. Vict. item Pith. & ſec. nam Aldus *nihil eſt quod omnino agamus in vita*.

5. *Ut fati nomen ne adjungas.*] Habent Pal. ſec. ac Pith. item editi à Vict. vulgg. *non adjungas*.

6. *Sive habuerit adverſarium, ſive non habuerit.*] Pal. ſec. utrobique, *adhibuerit*.

7. *Nimis inconſideratè.*] Pal. ſec. *minus conſideratè*. non ineptè.

8. *Hoc arctius aſtringi ratio non poteſt.*] Victorii editio ſic habet, neque ſecus Pal. ille ſec. cujus bonitatem cum expertus fuerim etiam in aliis Tullii libris, delevi vulgatum *hæc*, neque adhæſi Turnebiano, *Hoc arctius ratione aſtringi non poteſt*; quod id reperiſſem in Pal. tert. ac quarto, non nimium caſtis codicibus; utpote conjecturis librariorum ſæpiculè violatis.

1. *Ergo*

que fieri: nihil dicat. multùm enim differt, utrum *cauſa naturalis* ex æternitate, futura vera efficiat, an etiam ſine æternitate naturali, futura quæ ſint, ea vera eſſe poſſint intelligi. Itaque dicebat Carneades, ne Apollinem quidem futura poſſe dicere, niſi ea, quorum cauſas natura ita contineret, ut ea fieri neceſſe eſſet. Quid enim ſpectans deus ipſe diceret, *Marcellum* eum, qui ter conſul fuit, *in mari eſſe periturum?* erat quidem hoc verum ex æternitate, ſed cauſas id efficienteis non habebat. ita ne præterita quidem ea, quorum nulla ſigna, tanquam veſtigia, exſtarent, Apollini nota eſſe cenſebat: quo minus futura. cauſis enim efficientibus quamque rem cognitis, poſſe denique ſciri, quid fu-
15 turum eſſet. [1] ergo nec de OEdipode potuiſſe Apollinem prædicere, nullis in rerum natura *cauſis præpoſitis*, cur ab eo patrem interfici neceſſe eſſet: nec quidquam hujuſmodi. Quocirca ſi Stoicis, qui omnia fato fieri dicunt, conſentaneum eſt hujuſmodi oracula, ceteraque, quæ ad divinationem pertinent, comprobare: iis autem, qui, quæ futura ſunt, ea vera eſſe ex æternitate dicunt, non idem dicendum eſt: vide, ne non eadem ſit illorum cauſa, & Stoicorum. hi enim urgentur anguſtiùs, illorum ratio ſoluta, ac libera eſt. Quod ſi concedatur, *nihil poſſe evenire, niſi cauſa antecedente:* quid proficiatur, ſi ea cauſa non ex æternis cauſis apta ducatur? cauſa autem ea eſt, quæ id efficit, cujus eſt cauſa; ut vulnus, mortis; cruditas, morbi; ignis, ardoris. Itaque non ſic cauſa intelligi debet, ut, quod cuique antecedat, id ei cauſa ſit, ſed quod cuique *efficienter* antecedat: nec, quòd in campum deſcenderim, id fuiſſe cauſæ, cur pila luderem: nec Hecubam, cauſam interitus fuiſſe Trojanis, quòd Alexandrum genuerit: nec Tyndareum Agamemnoni, quòd Clytemneſtram. hoc enim modo viator quoque bene veſtitus [2] cauſa graſſatori fuiſſe dicetur, cur ab eo ſpoliaretur. Ex hoc genere illud eſt Ennii,

Utinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes.

Licuit vel altiùs, *Utinam ne in Pelio nata ulla umquam eſſet arbor!* etiam ſuprà, *Utinam ne eſſet mons* ullus Pelius! ſimiliterque ſuperiora repetente regredi infinitè licet.

Neve [3] inde navis inchoandæ exordium
Cœpiſſet.

Quorſum hæc præterita? quia ſequitur illud,

Nam numquam hera errans mea, domo efferret pedem,
Medèa, animo ægro, amore ſævo ſaucia,

16 non ut eæ res cauſam afferrent amoris. Intereſſe autem ajunt, utrùm ejuſmodi quid ſit, ſine quo aliquid effici non poſſit, [4] an ejuſmodi, quo aliquid effici neceſſe ſit. Nulla igitur earum eſt cauſa, [5] quoniam nulla eam rem ſua vi efficit, cujus dicitur cauſa: nec id, ſine quo quippiam non fit, cauſa eſt: ſed id, quod cùm acceſſit, id, cujus cauſa eſt, efficit neceſſariò. nondum enim ulcerato ſerpentis morſu Philoctèta, quæ cauſa in rerum natura continebatur, fore, ut is in inſula Lemno linqueretur? poſt autem cauſa fuit propior, & cum exitu junctior. ratio igitur eventus aperit cauſam. ſed ex æternitate vera fuit hæc enuntiatio. [6] *Relinquetur in inſula Philoctetes:* nec hoc ex vero in falſum poterat converti. neceſſe eſt enim in rebus contrariis duabus (contraria autem hoc loco ea dico, quorum alterum ait quid, alterum negat) ex his igitur neceſſe eſt, invito Epicuro, alterum verum eſſe, alterum falſum: ut, [7] *Sauciabitur Philoctèta*, omnibus antè ſeculis verum fuit: *Non ſauciabitur*, falſum. Niſi fortè volumus Epicureorum opinionem ſequi, qui taleis enuntiationes nec veras, nec falſas eſſe dicunt: aut, cùm id pudet, illud tamen dicunt, quod eſt impudentius, veras eſſe ex contrariis disjunctiones: ſed quæ in his enuntiata eſſent, eorum neutrum eſſe verum. O admirabilem *licentiam*, & miſerabilem [8] *inſcientiam* differendi! Si enim aliquid in loquendo nec verum, nec falſum eſt, certè id verum non eſt. quod autem verum non eſt: qui poteſt non falſum eſſe? aut quod falſum non eſt, qui poteſt non verum eſſe? [9] Tenebitur id, quod à Chryſippo defenditur; *Omnem enuntiationem* aut veram, aut falſam eſſe, ratio ipſa cogitet, & ex æternitate quædam vera eſſe, & ea non eſſe nexa cauſis æternis, & à fati neceſſitate eſſe libera. Ac mihi quidem videtur, cùm duæ ſen- 17
tentiæ fuiſſent veterum philoſophorum, una eorum, qui cenſerent omnia ita fato fieri, ut id fatum *vim neceſſitatis afferret*, in qua ſententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Ariſtoteles fuit: altera eorum, quibus viderentur ſine ullo fato eſſe *animorum motus voluntarii:* Chryſippus, tanquam *arbiter honorarius*, [10] medium ferire voluiſſe: ſed applicat ſe ad eos potiùs, qui neceſſitate motus animos liberatos volunt. Dum autem verbis utitur ſuis, delabitur in eas difficultates, ut neceſſitatem fati confirmet invitus. Atque hoc, ſi placet, quale ſit videamus in *aſſenſionibus*, quas prima oratione tractavi. eas enim veteres illi, quibus omnia fato fieri videbantur, vi effici, & neceſſitate dicebant. qui autem ab his diſſentiebant, fato aſſenſiones liberabant, negabantque fato aſſenſionibus adhibito, neceſſitatem ab his poſſe removeri: iique ita diſſerebant. SI OMNIA FATO fiunt, omnia fiunt cauſa antecedente: &, ſi appetitus: illa etiam, quæ appetitum ſequuntur. ergo etiam aſſenſiones. At, ſi cauſa appetitus non eſt ſita in nobis, ne ipſe quidem appetitus eſt in noſtra poteſtate. Quod ſi ita eſt, ne illa quidem, quæ appetitu efficiuntur, ſunt ſita in nobis. non ſunt igitur neque aſſenſiones, neque actiones in noſtra poteſtate. ex quo efficitur, ut nec *laudationes*, *juſtæ* ſint: nec *vituperationes*, nec honores, nec *ſupplicia*. Quod cùm vitioſum ſit, probabiliter concludi putant, non [11] omnia fato fieri, quæcumque fiant. Chryſippus autem cùm & ne- 18
ceſſitatem improbaret, & nihil vellet ſine præpoſitis cauſis evenire, cauſarum genera diſtinguit, ut & neceſſitatem effugiat, & retineat fatum. Cauſarum enim, inquit, aliæ ſunt *perfectæ*, & principales, aliæ *adjuvantes*, & proximæ. Quamobrem cùm dicimus, omnia fato fieri cauſis antecedentibus, non hoc intelligi volumus, cauſis perfectis, & principalibus, ſed cauſis adjuvantibus, antecedentibus, & proximis. Itaque illi rationi, quam paullo ante concluſi, ſic occurrit, SI OMNIA FATO fiant, ſequi illud quidem, ut omnia cauſis fiant antepoſitis; verum non principalibus, & perfectis, ſed adjuvantibus, & proximis. quæ ſi ipſæ non ſint in noſtra poteſtate, non ſequitur, ut ne appetitus quidem ſit in noſtra poteſtate. at hoc ſequeretur, ſi omnia perfectis, & principalibus cauſis fieri diceremus, ut cùm hæ cauſæ non eſſent in noſtra poteſtate, ne ille quidem eſſet in noſtra poteſtate. Quamobrem qui

1. *Ergo nec de Oedipode.*] Coactus fui iſtud admittere, quod exſtaret in Fabriciano, in Pal. omn. in edit. Victorina. publicati alii, *Oedipo.*

2. *Cauſa graſſatori fuiſſe dicetur.*] Sic Pal. ſec. editio Victorii, *dicitur*, vulgg. *diceretur*.

3. *Inde navis inchoandi exordium Cœp.*] Pall. tres Pith. Fabr. *inchoandi*. quod probabat Gulielmius; atque ſi *navis* poneretur accuſ. ..di caſu [illegible]. ſupra etiam erat in Fab. & Pith. *accidiſſent abiegna*, &c. adeo ut videatur revocandum, *accidiſſet*.

4. *An ejuſmodi quo aliquid.*] Publicati paſſim, *ejuſmodi*, *cum quo*. ſed præpoſitio non erat in Pal. ſec. aut Victorianis.

5. *Quia nulla eam rem ſua vi*, &c.] Haud aliter tres Pall. & Fabricianus. nam Vict. & Turn. *earum rerum ſua vi*. vulgg. *nullam rem*, &c.

6. *Relinquetur in inſula Phil.*] Aliæ edd. *inſula Lemno*. ſed id vocis abeſt & Pall. tribus & Pithœano, neque admiſit Vict.

7. *Sauciabitur Philoctèta.*] Editi alii *Philoctetes*. verùm eſt in Pall. in Pith. & Victorinis alterum.

8. *Inſcientiam differendi.*] Habui à Pal. ſec. Fabricianoque vulgata, *inſcitiam*.

9. *Tenebitur id.*] Fabricianus, *Tenebitur ergo id*, non otioſè. niſi malimus *igitur*, quod erat in Pithœano. nam Pall. nihil abibant a vulgatis.

10. *Medium ferire voluiſſe.*] Eſt à Victorio, qui conſulatur lib. 1. Var. lect. cap. 18. Pal. ſec. *medium ferre voluiſſe*. tert. quart. *medium ferre voluit ſe*. vulgata, *medium ſe ferre voluiſſe*.

11. *Omnia fato fieri quæcumque fiant.*] Gulielmius auctoritate cod. Pithœani delebat *quæcumque fiant*; cui aberat. habent tamen Pall.

1. *Non*

qui ita fatum introducunt, ut *neceſſitatem* adjungant, in eos valebit illa concluſio. qui autem cauſas antecedenteis non dicent perfectas, neque principales, in eos nihil valebit. quod enim dicantur aſſenſiones fieri cauſis antepoſitis, id quale ſit, facilè à ſe explicari putant. nam quamquam aſſenſio non poſſit fieri niſi *commota viſo:* tamen cùm id viſum proximam cauſam habeat, non principalem, hanc habet rationem (ut Chryſippus vult) quam dudum diximus, non ut illa quidem fieri poſſit nulla vi extrinſecus excitata, (neceſſe eſt enim aſſenſionem viſo commoveri) ſed revertitur ad cylindrum, & ad turbinem ſuum, quæ moveri incipere, *niſi pulſa*, non poſſunt: id autem cùm accidit, ſuapte natura, quod ſupereſt, & cylindrum volvi,
19 & verſari turbinem putant. Ut igitur, inquit, qui protruſit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit: ſic viſum objectum imprimet illud quidem, & quaſi ſignabit in animo ſuam ſpeciem, ſed aſſenſio noſtra erit *in poteſtate:* eaque quemadmodum in cylindro dictum eſt, extrinſecus pulſa, quod reliquum eſt; ſuapte vi, & natura movebitur. Quòd ſi aliqua res efficeretur ſine cauſa antecedente, falſum eſſet, omnia fato fieri: ſin omnibus, quæcumque fiunt, veriſimile eſt cauſam antecedere; quid afferri poterit, cur non omnia fato fieri fatendum ſit? modò intelligatur, quæ ſit *cauſarum diſtinctio*, ac diſſimilitudo. Hæc cùm ita ſint à Chryſippo explicata, ſi illi, qui negant aſſenſiones fato fieri, fateantur tamen eas [1] non ſine viſo antecedente fieri; alia ratio eſt. ſed ſi concedunt anteire viſa, nec tamen fato fieri aſſenſiones, quòd proxima illa, & continens cauſa non moveat aſſenſionem: vide, ne idem dicant. neque enim Chryſippus concedens, aſſenſionis proximam, & continentem cauſam eſſe in viſo poſitam, [2] neque eam cauſam ad aſſentiendum neceſſariam eſſe, concedet, ut, ſi omnino fato fiant, omnia fiant cauſis antecedentibus, & neceſſariis: itemque illi, qui ab hoc diſſentiunt, confitentes non fieri aſſenſiones ſine præcurſione viſorum, dicent, ſi omnia fato fierent ejuſmodi, ut nihil fieret, niſi prægreſſione cauſæ, confitendum eſſe fato fieri omnia: ex quo facile intellectu eſt, quoniam utrique, patefacta, atque explicata ſententia ſua, ad eundem exitum veniant, *verbis eos*, *non re diſſidere.* omninoque cum hæc ſit diſtinctio, ut quibuſdam in rebus verè dici poſſit, cùm hæ cauſæ antegreſſæ ſint, non eſſe in noſtra poteſtate, quin illa eveniant, quorum cauſæ fuerint. quibuſdam autem in rebus, cauſis antegreſſis, in noſtra tamen eſſe poteſtate, ut aliud aliter eveniat: hanc diſtinctionem utrique approbant: ſed alteri cenſent, quibus in rebus cùm cauſæ anteceſſerint, ita, ut non ſit in noſtra poteſtate, ut aliter illa eveniant, illas fato fieri: quæ autem in noſtra poteſtate ſint, [3] ab his fatum abeſſe. Hoc 20
modo hanc cauſam diſceptari oportet, non ab *atomis* errantibus, & de via declinantibus præſidium petere. Declinat, inquit, atomus. Primùm cur? [4] aliam quandam vim motus habebunt à Democrito impulſionis, quam plagam ille appellat: à te, Epicure, gravitatis, & ponderis. Quæ ergo nova cauſa in natura eſt, quæ declinet atomum? aut num ſortiuntur inter ſe, quæ declinet, quæ non? aut cur minimo declinent intervallo, majore non? aut cur declinent uno minimo, non declinent duobus, aut tribus? *optare* hoc quidem eſt, non *diſputare*. Nam neque extrinſecus impulſam atomum loco moveri, & declinare dicis: neque in illo inani, per quod feratur atomus, quidquam fuiſſe cauſæ, cur ea non è regione ferretur: nec in ipſa atomo mutationis aliquid factum eſt, quamobrem naturalem ſui ponderis motum non teneret. Ita cùm attuliſſet nullam cauſam, quæ iſtam declinationem efficeret: tamen *aliquid ſibi dicere videtur:* cùm id dicat, quod omnium mentes aſpernentur, ac reſpuant. Nec verò quiſquam magis confirmare mihi videtur non modò fatum, verumetiam neceſſitatem, & vim omnium rerum, ſuſtuliſſeque motus animi voluntarios, quàm hic, qui aliter obſiſtere fato fatetur ſe non potuiſſe, niſi ad has commentitias declinationes confugiſſet. nam, ut eſſent atomi, quas quidem eſſe, mihi probari nullo modo poteſt: tamen declinationes iſtæ numquam explicarentur. nam ſi atomis, ut gravitate ferantur, tributum eſt neceſſitate naturæ, quòd omne pondus nulla re impediente moveatur, & feratur neceſſe eſt: illud quoque neceſſe eſt, declinare quibuſdam atomis, vel, ſi volunt, omnibus naturaliter.

Multa deſunt.

1. *Non ſine viſo antecedente.*] Lambinus contra omnes edd. mſſ.-que noſtros delet *non*.
2. *Neque eam cauſam ad aſſentiendum.*] Idem invitis ferè libris cuſis, incuſiſque omittit priorem vocem *neque*; ſecutus editionem Turnebi.
3. *Ab his fatum abeſſe.*] Lambinus poſt hæc aſteriſcum poſuit, tanquam aliquid neceſſario abeſſet. Carrioque libro I. Emendationum cap. 13. heic quoddam fragmentum reponere conatur, ſed avi non fauſta. ipſe videatur.
4. *Aliam quandam vim, &c.*] Vulgati, *aliam enim quandam.* ſed præter Pal. ſec. Fabr. & editos à Victorio.

M. TULLII CICERONIS DE LEGIBUS, LIBER PRIMUS.

ATTICUS.

1 Lucus quidem ille, & hæc Arpinatium quercus agnoſcitur, ſæpe à me lectus in Mario. Si manet illa quercus, hæc eſt profectò. etenim eſt ſanè vetus. QUINTUS. Manet verò, Attice noſter, & ſemper manebit. ſata eſt enim ingenio. NULLIUS autem AGRICOLÆ cultu ſtirps tam diuturna, quàm poëtæ verſu ſeminari poteſt. ATT. Quo tandem modo, Quinte? aut quale eſt iſtuc, quod poëtæ ſerunt? mihi enim videris, fratrem laudando, *ſuffragari* tibi. QU. Sit ita ſanè. Verum tamen, dum Latine loquentur litteræ, quercus huic loco non deerit, quæ *Mariana* dicatur: eaque, ut ait Scævola de fratris mei Mario,

Caneſcet ſæclis innumerabilibus.

Niſi forte Athenæ tuæ ſempiternam in arce oleam tenere potuerunt, aut, quod Homericus Ulyſſes Deli ſe proceram, & teneram palmam vidiſſe dixit, hodie monſtrant eandem: multaque alia multis locis diutiùs *commemoratione* manent,

manent, quàm *natura* ſtare potuerunt. Quare glandifera illa quercus, ex qua olim evolavit

Nuntia fulva Jovis, miranda viſa figura,

nunc ſit hæc. ſed cum eam [1] tempeſtas, vetuſtaſve conſumſerit, tamen erit his in locis quercus, quam MARIANAM QUERCUM vocent. ATT. Non dubito id quidem: ſed hoc jam non ex te, Quinte, quæro, verùm ex ipſo poëta, tuine verſus hanc quercum ſeverint, [2] an ita factum de Mario, ut ſcribis, acceperis. MAR. Reſpondebo tibi equidem, ſed non antè, quam mihi tu ipſe reſponderis, Attice. certe, non longe a tuis ædibus inambulans, poſt exceſſum ſuum Romulus Proculo Julio dixerit, *ſe deum eſſe, & Quirinum vocari*, templumque ſibi dedicari in eo loco juſſerit: [3] & Athenis, non longè item à tua illa antiqua domo, Orithyjam Aquilo ſuſtulerit: ſic enim eſt traditum. ATT. Quorſum tandem, aut cur iſta quæris? M. Nihil ſanè, niſi ne [4] nimis diligenter anquiras in ea, quæ iſto modo memoriæ ſint prodita. ATT. Atqui multa quæruntur in Mario, fictane, an vera ſint: & a nonnullis, quòd & in recenti memoria, & in Arpinati homine, [5] vel ſeveritas à te poſtulatur. M. [6] Et me, hercule, ego cupio non mendacem putari: ſed tamen nonnulli iſti, Tite, faciunt imperitè, [7] qui in iſto periculo [8] non ut à poëta, ſed ut à teſte, *veritatem exigant*. nec dubito, quin iidem, & cum Egeria collocutum Numam, & ab aquila Tarquinio apicem impoſitum putent. QU. Intelligo, te, frater, alias in hiſtoria leges obſervandas putare, alias in poëmate. M. Quippe cùm in illa ad *veritatem*, Quinte, referantur, in hoc *ad delectationem* pleraque. quamquam & apud Herodotum, patrem hiſtoriæ, & apud Theopompum ſunt innumerabi-
2 les fabulæ. ATT. Teneo quam optabam occaſionem, neque omittam. M. Quam tandem, Tite? ATT. Poſtulatur à te jamdiu, vel flagitatur potiùs hiſtoria. ſic enim putant, te illam tractante, effici poſſe, ut in hoc etiam genere Græciæ nihil cedamus. Atque, ut audias, quid ego ipſe ſentiam, non ſolùm mihi videris eorum ſtudiis, qui litteris delectantur, ſed etiam patriæ debere hoc munus; ut ea, quæ *ſalva* per te eſt, per te eundem ſit *ornata*. abeſt enim hiſtoria litteris noſtris, ut & ipſe intelligo, & ex te perſæpe audio. potes autem tu profectò ſatisfacere in ea, quippe cùm ſit opus, ut tibi quidem videri ſolet, unum hoc oratorium maximè. Quamobrem aggredere, quæſumus, & ſume ad hanc rem tempus, quæ eſt à noſtris hominibus adhuc aut ignorata, aut relicta. Nam poſt annaleis pontificum maximorum, [9] quibus nihil poteſt eſſe jucundius: ſi aut ad Fabium, aut ad eum, qui tibi ſemper in ore eſt, Catonem, aut ad Piſonem, aut ad Fannium, aut ad Vennonium venias: quamquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile, quàm iſti omnes? Fannii autem ætate conjunctus Antipater paullo inflavit vehementiùs, habuitque vireis agreſteis ille quidem, [10] atque horridas, ſine nitore, ac palæſtra, ſed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratiùs ſcriberent. Ecce autem, [11] ſucceſſere huic Gellius, Clodius, Aſellio, nihil ad Cœlium, ſed potiùs ad antiquorum languorem, atque inſcitiam. Nam [12] quid Attium numerem? cujus loquacitas habet aliquid argutiarum. nec id tamen ex illa [13] erudita Græcorum copia, ſed ex librariolis Latinis: in orationibus autem [14] multus & ineptus, ad ſummam impudentiam. Siſenna, ejus amicus, omneis adhuc noſtros ſcriptores, niſi qui fortè nondum ediderunt, de quibus *exiſtimare non poſſumus*, facilè ſuperavit. Is tamen neque orator in numero veſtro umquam eſt habitus, & in hiſtoria puerile quiddam conſectatur: ut unum Clitarchum, neque præterea quemquam, de Græcis legiſſe videatur: eum tamen velle duntaxat imitari: quem ſi aſſequi poſſet aliquantùm ab optimo tamen abeſſet. Quare tuum eſt munus: hoc à te exſpectatur: niſi quid Quinto videtur ſecus. QU. Mihi verò nihil: & ſæpe 3
de iſto collocuti ſumus. ſed eſt quædam inter nos parva diſſenſio. AT. Quæ tandem. Q. A quibus temporibus ſcribendi [15] capiat exordium. ego enim ab ultimis cenſeo, quoniam illa ſic ſcripta ſunt, ut legantur quidem: ipſe autem æqualem ætatis ſuæ memoriam depoſcit, ut ea complectatur, quibus ipſe interfuit. ATT. Ego verò huic potius aſſentior. ſunt enim maximæ res in hac memoria, atque ætate noſtra: tum autem hominis amiciſſimi, Cn. Pompeii, laudes illuſtrabit. [16] incurret etiam in illummet memorabilem annum ſuum. quæ ab iſto mâlo prædicari, quàm ut ajunt, de Remo, & Romulo. M. Intelligo equidem à me iſtum laborem jamdiu poſtulari, Attice: quem non recuſarem, ſi mihi ullum tribueretur vacuum tempus, & liberum. neque enim *occupata opera*, neque *impedito animo*, res

1. *Tempeſtas vetuſtaſve.*] Pal. quartus, *neceſſitaſve.* nec videtur temerarium.

2. *An ita factum de Mario, ut ſcribis, acceperis.*] Ferè magis placet, quod in Pal. quarto. & Fabriciano, *ut ſcriptis aſſeris.*

3. *Et Athenis, non longè item à tua, &c.*] Ita Aldi editio vetus. junioris enim, *& verum ne ſit Athenis, non, &c.* quomodo & Victoriana; acceſſitque proxime Pal. tert. in quo; *& verumne ſit an is non longe, &c.* nam quartus; *juſſit. ne ſit altius non longe.* cui quarto demceps magis fere attendendum, quam tertio; quam is alioquin ſit non magnæ rei. quippe tertius idem eſt, quem ſuperioribus aliquot libris citavi laude cum exigua. at quartus iſte nihil habet niſi libros hos de Legibus, ſed ſcriptura antiquiore; quanquam papyraceas. Erat in Gulielmii Fabr. τῷ [illegible]. ut ipſemet vocat, *& verum ne ſit atiis.* in S. Victoris & Pithœano, *& verum ne ſit Athenis.*

4. *Nimis diligenter anquiras.*] Ita Turnebi mſſ. repræſentaratque antea editio Victorii. vulgata, *inquiras.* Pal. quart. nihil illius verbi habet; & quam magis examino, tam id minus heic requiritur. belle ſubaudiatur.

5. *Vel ſeveritas à te poſtulatur.*] Non aliter Pal. quart. & Turnebianus, & S. Victoris; neque nimirum abit aut Pithœanus, aut Fabricianus. vulgata prius lectio: *ſed veritas à te poſtulatur.* quæ te[illegible] non eſt; cum præceſſerit, *ficta* ad eam enim vocem eſt reſponſio Ciceronis, non ad *veritatem*, ut Turnebus aliique arbitrantur. Alludit, ne forte ad illud Terentii:

T[illegible] ſeveritas ineſt in vultu, atque in verbis fides.

6. *Et, mehercule ego cupio, &c.*] Ita Pall. noſtri. Victorius tranſpoſuit pronomen: *Et hercule ego me cupio.* publicata paſſim, *& mehercule ego me cupio.*

7. *Qui in iſto periculo.*] Non potui recedere à ſcriptura librorum noſtrorum [illegible] & Victorius, quantus vir; contra antiquos procul dubio ſuos, adhæſit vulgato, *iſto opuſculo.* de noſtro, variè litigant Cujacius lib. v. Obſervat. cap. 25. & Hotomanus lib. III. Obſervat. cap. 20. qui conſulantur.

8. *Non ut à poëta, ſed ut à teſte veritatem exigant.*] Hotomannus locum variè corrigit. mihi ſufficit indicaſſe, reperiri in Pal. quarto; *ut à teſte examinant.* quomodo item fuit in Fabriciano, ſed is item admiſerat vocem, *veritatem.* ſi quis aſſeverarit, illud *veritatem exigant*, eſſe ab interprete, ei facilè acceſſerim.

9. *Quibus nihil poteſt eſſe jucundius.*] Sic & libri noſtri omnes. Victorius vulgavit, *nudius.* Lambino placebat *ejuncidius*, aut *juncidius.* Gulielmius fingebat *jejunius.*

10. *Atque horridas ſine nitore*] Pal. quart. *atque rudeis.*

11. *Succeſſere huic Gellius, Clodius, Aſellio.*] Monuit Mercerus ad Nonium ita emendaſſe Paſſeratium. & verò hujus mentio apud noſtrum lib. I. de Divinat. cap. 26. Gulielmius, quod inveniſſet in ſuis *Belli* quomodo & edidit Victorius, & reſtat item in Pal. quarto adnotarat *Gellii.* ut de duobus ſermo fuerit.

12. *Quid Attium numerem.*] Pal. tert. *Acrum.* quart. *Acium.* Paulus Manutius publicavit *Acrum*, acceditque Sigonio autumanti legendum *Macrum*, ut intelligatur *C. Licinius Macer.* At Turnebus monuit *Atii* mentionem factam Tullio in Bruto, laudatumque eundem a Feſto, in verbo *Metelli.*

13. *Erudita Græcorum copia.*] Pal. quart. *Gracchorum.* quod nonnullis fortè dignum examine.

14. *Multus & ineptus ad ſummam impudentiam.*] Sic Aldus ſenior. nam filius Paulus, *ineptus, datio ſumma impudentia.* Victorius ſine dubio repræſentavit quod invenit in antiquis ſuis; nempe, *multas ineptias, elatio ſummam impudentiam*, quomodo item eſt in S. Victoris, & in Pithœano, niſi quod hic *datio.* Palatin. aliorumque varietates, producere tædet: ſatis adle[illegible] iſſe libri noſtri oræ.

15. *Capiat exordium.*] Eſt ab noſtris omnibus, neque aliter Victorii editio. aliæ, *capiatur.*

16. *Incurret etiam in illummet memorabilem, &c.*] Eſt à conjectura Turnebi, cùm mſſ. paſſim haberent *illum & memor, &c.* ideoque locum aſteriſco inſigniiſſet Victorius.

1. *Nimi-*

ſes tanta ſuſcipi poteſt. utrumque opus eſt, & cura vacare, & negotio. Att. Quid? ad cetera (quæ ſcripſiſti plura, quàm quiſquam è noſtris) quod tibi tandem tempus vacuum fuit conceſſum? M. Subſiciva quædam tempora incurrunt: quæ ego perire non patior: ut ſiqui dies ad ruſticandum dati ſint, ad eorum numerum accommodentur, quæ ſcribimus. *Hiſtoria* verò nec inſtitui poteſt, niſi præparato otio, nec exiguo tempore abſolvi: & ego animi pendère ſoleo, cùm ſemel quid orſus, traducor aliò: neque tam facilè interrupta contexo, quàm abſolvo inſtituta. Att. Legationem aliquam [1] nimirum oratio iſta poſtulat, aut ejuſmodi quampiam [2] ceſſionem liberam, atque otioſam. M. Ego verò *ætatis* potiùs *vacationi* confidebam, cùm præſertim non recuſarem, quo minùs more patrio ſedens in ſolio conſulentibus reſponderem, [3] *ſenectutiſque non inertis* grato, atque honeſto fungerer munere. [4] ſic enim mihi liceret & iſti rei, quam deſideras, & multis uberioribus, atque majoribus, operæ, quantum vellem, dare. Att.
4 Atquî vereor, ne iſtam cauſam nemo noſcat: tibique ſemper dicendum ſit, & eo magis, quòd te ipſe mutaſti, & aliud dicendi inſtituiſti genus: ut quemadmodum Roſcius, familiaris tuus, in ſenectute [5] numeros in cantu cecinerat, ipſaſque tardiores fecerat tibias: ſic tu à contentionibus, quibus ſummis uti ſolebas, quotidie relaxes aliquid, [6] ut jam oratio tua non multùm à philoſophorum lenitate abſit. quod ſuſtinere cùm vel *ſumma ſenectus* poſſe videatur, nullam tibi à cauſis vacationem video dari. Qu. [7] At mehercule ego arbitrabar poſſe id populo noſtro probari, ſi te ad jus reſpondendum dediſſes. quamobrem, cùm placebit, experiendum tibi cenſeo. M. Id, ſiquidem, Quinte, nullum eſſet in experiendo periculum. ſed vereor, ne, dum *minuerē* velim laborem, *augeam*, atque ad illam cauſarum operam, ad quam ego numquam niſi paratus, & meditatus accedo, adjungatur hæc juris interpretatio, quæ non tam mihi moleſta ſit propter laborem, quàm quòd dicendi cogitationem auferat, ſine qua ad nullam majore umquam cauſam ſum auſus accedere. Att. Quin igitur iſta ipſa explicas nobis his ſubſicivis, ut ais, temporibus, & conſcribis de jure civili ſubtiliùs, quàm ceteri? Nam à primo tempore ætatis *juri ſtudere* te memini, cùm ipſe etiam ad Scævolam ventitarem: neque umquam mihi viſus eſt ita te ad dicendum dediſſe, ut jus civile contemneres. M. [8] In longum ſermonem me vocas, Attice: quem tamen, niſi Quintus aliud quid nos agere mavult, ſuſcipiam: & , quoniam vacui ſumus, dicam. Qu. Ego verò libenter audierim. quid enim agam potiùs? aut in quo meliùs hunc conſumam diem? M. Quin igitur ad illa ſpatia noſtra ſedeſque pergimus? ubi, cùm ſatis erit deambulatum, requieſcemus. nec profectò nobis delectatio deerit, aliud ex alio quærentibus. Att. Nos verò: & hac quidem adire, ſi placet, *per ripam & umbram.* Sed jam ordire explicare, quæſo, de jure civili quid ſentias. M. [9] Egone? ſummos fuiſſe in civitate noſtra viros, qui id interpretari populo, & reſponſitare ſoliti ſint: ſed eos *magna profeſſos, in parvis eſſe verſatos.* Quid enim eſt tantum, quantum jus civitatis? quid autem tam exiguum, quàm eſt munus hoc eorum, qui conſuluntur, [10] quamquam eſt populo neceſſarium? nec verò eos, qui ei muneri præfuerunt, univerſi juris experteis fuiſſe exiſtimo, ſed hoc civile quod vocant, eatenus exercuerunt, [11] quoad *populum præſtare voluerunt.* [12] Id autem incognitum eſt, minuſque in uſu neceſſarium. Quamobrem quo me vocas? aut quid hortaris? ut libellos conficiam de ſtillicidiorum, [13] ac de parietum jure? aut ut ſtipulationum, & judiciorum formulas componam? quæ & ſcripta ſunt à multis diligenter, & ſunt humiliora, quàm illa, quæ à vobis exſpectari puto. Att. Atqui, ſi quæres, ego quid exſpectem: quoniam ſcriptum 5
eſt à te de optimo reip. ſtatu, conſequens eſſe videtur, ut ſcribas tu idem de legibus. ſic enim feciſſe video Platonem illum tuum, quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maximè diligis. M. Viſne igitur, ut ille Cretæ cum Clinia, & cum Lacedæmonio Megillo, æſtivo, quemadmodum deſcribit, die, in cupreſſetis Cnoſiorum, & ſpatiis ſilveſtribus, crebrò inſiſtens, interdum acquieſcens, de inſtitutis rerum publicarum, ac de optimis legibus diſputat: ſic nos inter has proceriſſimas populos, in viridi, opacaque ripa inambulantes, tum autem reſidentes, quæramus iiſdem de rebus aliquid uberius, quàm forenſis uſus deſiderat? Att. Ego verò iſta audire cupio. M. Quid ait Quintus? Qu. Nulla de re magis. M. Et rectè quidem. nam ſic habetote, nullo in genere [14] diſputandi magis honeſte patefieri, quid ſit homini *tributum natura*, quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, cujus muneris colendi, efficiendique cauſa nati, & in lucem editi ſimus, quæ ſit conjunctio hominum, quæ naturalis ſocietas inter ipſos. his enim explicatis, *fons legum, & juris* inveniri poteſt. Att. Non ergo à prætoris edicto, ut plerique nunc, neque à XII. tabulis, ut ſuperiores, ſed penitus ex

---

1. *Nimirum iſta oratio poſtulat.*] Victoriana, *nimirum hiſtoria poſtulat.* male, & præter edd. omnes, noſtroſque ſcriptos quinque. *ut tua verba, inquit, audio; legationem aliquam requiris.* Hotomannus lib. VI. Obſerv. cap. 8. emendabat, *iſta opera.*

2. *Ceſſionem liberam.*] Adhæſimus libris pluteariis, in quibus hæc ſcriptura; de qua conſulatur Turnebus. alii ediderunt *ceſſationem.* Lambinus, ſecutus Cujacii conjecturam, repoſuit *cretionem;* quem impugnat Hotomannus, emendatque *ſeceſſionem.*

3. *Senectutiſque non inertis grato, &c.*] Haud abſurde Pal. quart. *ſenectutiſque meritis grato.* ſed nihil tamen putarim mutandum.

4. *Sic enim mihi liceret, &c. quantum vellem dare.*] Idem codex: *Sic enim veri liceret, &c. quantum vellemus.* aliquid latet in illo *veri.*

5. *Numeros in cantu cecinerat.*] Eſt à Victorii & Turnebi editis, neque aliter noſtrum quinque. Aldus ſenior, *ceciderat*, quod plerique receperunt in contextum, litera ſecunda mutata in *e*. Lambinus heic, more ſuo, multa interjicit à ſcriptis aliena.

6. *Ut jam oratio tua.*] Fabricianus *utinam*, unde facit Gulielmius, *uti jam.*

7. *At mehercule ego arbitrabar.*] Pal. quart. *At ne ego hercule;* ut videatur reſcribendum: *At me ego hercule arb.*

8. *In longum ſermonem me vocas.*] Vulgata *revocas*, ſed noſtra eſt à Pal. quart. & S. Victoris; neque aliter Victorina aut Turnebiana.

9. *Ego ne? ſummos fuiſſe, &c.*] Sic Pal. quart. S. Victoris & Pith. neque aliter Victorius aut Turnebus. vulgata: *Ego memini ſummos, &c.* quam tuetur Mich. Brutus tanquam alteram priorem.

10. *Quanquam eſt populo neceſſarium.*] Admiſi conjecturam Gul. Canteri, quæ conjectura non erit, ſi grandioribus literis exaretur publicatum *quam:* notaret enim id vocis bis reponendum. Turnebus conjecit *quum eſt, &c.* non ineptè. ſed alterum eſt appoſitum magis. videatur ipſe Canterus lib. V. Var. lect. cap. 10. ne quis autumet, ſcripturam hanc natam e capite Lambini; quemadmodum præ ſe fert. Victorius edidit *Atqui eſt populo, &c.*

11. *Quoad populum præſtare voluerunt.*] Eſt à mſſ. noſtris melioribus, probavitque Turnebus: cuſi vulgo, *populo.*

12. *Id autem incognitum eſt, minuſque in uſu neceſſarium.*] Eſt hæc quidem lectio vulgata, ſed non etiam vera: quod vel arguit diverſitas ſcripturarum. hæret quidem in Pall. noſtris; ſed S. Victoris codex expreſſit tantum; *id autem incogniti eſt, in uſu neceſſarium;* quod & e ſuo produxit probavitque Turneb. etſi non neget eſſe qui legant, *id autem cognitum eſt, in uſu neceſſarium.* Victorius publicavit, *id autem incognitum eſt, * in uſu neceſſarium.* Aldus Nepos, *id autem incognitum eſt minus neceſſarium.* Adoleſcens finxeram: *id autem incognitum, eſt minus minuſque in uſu neceſſarium.* ut exciderit *minus* ob repetitionem. *inuſus* autem vox priſca, pro eo quo quis non utitur. poterat etiam, *id autem incognitum minus in uſu neceſſarium.*

13. *Ac de parietum jure.*] Scriptura neſcio an ſana ſit. nam Fabricii membranæ, *porientium*, aut tale quid. Pal. quart. *ponentium*, vel ſimile. notat Gulielmius ad oram Fabr. legi *par.* unde conjicit *pariantium.* ego malim *parcentium.* hoc ideo, quod ubi habemus in Oratione pro Murena cap. 10. *ille tenet & ſcit ut hoſtium copiæ; tu ut aquæ pluviæ arceantur;* exſtet apud Quintilianum, laudatorem illius ſententiæ, *aquæ pluviæ parceantur.* quod quis non videt mutandum in *porciantur.*

14. *Diſputandi magis honeſtè patefieri.*] Malui iſtud ut erat in Pal. tert. & Fabr. quàm *honeſta*, ut Aldi vetus editio. nam Victorii, ac Turnebi, *diſputando honeſtè patefieri*, quomodo & liber S. Victoris.

ex intima philoſophia hauriendam juris diſciplinam putas. M. Non enim id quærimus hoc ſermone, Pomponi, quemadmodum caveamus in jure, aut quid de quaque conſultatione reſpondeamus. Sit iſta res magna, ſicut eſt: quæ quondam à multis claris viris, nunc *ab uno* ſumma auctoritate, & ſcientia ſuſtinetur: [1] ſed nobis ita complectenda in hac diſputatione tota cauſa univerſi juris eſt, ac legum; ut hoc, civile quod dicimus, in parvum quendam, & anguſtum locum concludatur naturæ. natura enim juris explicata eſt nobis, eaque ab hominis repetenda natura: conſiderandæ leges, quibus civitates regi debeant: tum hæc tractanda, quæ compoſita ſunt, & deſcripta jura, & juſſa populorum, in quibus ne noſtri quidem populi latebunt,
6 quæ vocantur *jura civilia*. QU. Altè verò, &, ut oportet, à capite, frater, repetis quod quærimus: & qui aliter jus civile tradunt, non tam juſtitiæ, quàm litigandi tradunt vias. M. Non eſt ita, Quinte: ac potiùs *ignoratio juris litigioſa eſt*, quàm ſcientia. Sed hæc poſteriùs. Nunc juris principia videamus. Igitur doctiſſimis viris proficiſci placuit à lege: haud ſcio an rectè, ſi modò, ut iidem definiunt, LEX EST RATIO SUMMA, inſita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda ſunt, prohibetque contraria. Eadem ratio cùm eſt in hominis mente [2] confirmata, & confecta, lex eſt. Itaque arbitrantur, prudentiam eſſe legem, cujus ea vis ſit, ut *rectè facere jubeat*, *vetet delinquere*: eamque rem illi Græco putant nomine, à ſuum cuique tribuendo appellatam: ego noſtro à *legendo*. nam ut illi æquitatis, ſic nos delectus vim in lege ponimus & proprium tamen utrumque legis eſt. Quod ſi ita rectè dicitur, ut mihi quidem plerumque videri ſolet: à lege ducendum eſt juris exordium. ea eſt enim naturæ vis: [3] ea mens, ratioque prudentis: ea juris, atque injuriæ regula. Sed quoniam in populari ratione omnis noſtra verſatur oratio, *populariter interdum loqui neceſſe erit*, & eam legem, QUÆ SCRIPTO ſancit quod vult, aut jubendo, aut vetando, ut vulgus, appellare. Conſtituendi verò juris ab illa ſumma lege capiamus exordium, quæ ſæculis omnibus antè nata eſt, quàm *ſcripta lex* ulla, aut quam omninò civitas conſtituta. QU. Commodiùs verò, [4] & ad rationem inſtituti ſermonis ſapientius. M. Viſne ergo, ipſius juris ortum à fonte repetamus? quo invento, non erit dubium, quò ſint hæc referenda, quæ quærimus. QU. Ego verò ita faciendum eſſe cenſeo. ATT. Me quoque adſcribito fratris ſententiæ. M. Quoniam igitur ejus reip. quam optimam eſſe docuit in illis ſex libris Scipio tenendus eſt nobis, & ſervandus ſtatus, omneſque leges accommodandæ ad illud civitatis genus, ſerendi *etiam mores*, nec ſcriptis omnia ſancienda: repetam ſtirpem juris à natura, qua duce eſt nobis omnis diſputatio explicanda. ATT. Rectiſſimè: & quidem iſta duce *errari* nullo pacto poteſt.
7 M. Daſne igitur hoc nobis, Pomponi, (nam Quinti novi ſententiam) de deorum immortalium vi, natura, ratione, poteſtate, numine, mente, ſive quod eſt aliud verbum, quo planiùs ſignificem quod volo, [5] naturam omnem regi? nam ſi hoc non probas, ab eo nobis cauſa ordienda eſt potiſſimum. ATT. Do ſanè, ſi poſtulas. etenim propter hunc concentum avium, ſtrepitumque fluminum, non vereor, condiſcipulorum nequis exaudiat. M. Atquì cavendum eſt. ſolent enim, id quod *virorum bonorum eſt*, *admodum iraſci*. nec vero ferent, ſi audierint, te primum caput libri optimi prodidiſſe: in quo ſcripſit, NIHIL CURARE DEUM, NEC SUI, NEC ALIENI. ATT. Perge, quæſo, nam id, quod tibi conceſſi, quorſum pertineat exſpecto. M. Non faciam longiùs. huc enim pertinet. Animal hoc providum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & conſilii, quem vocamus HOMINEM, præclara quadam conditione generatum eſſe à ſupremo DEO. ſolum eſt enim ex tot animantium generibus, atque naturis, particeps rationis, & cogitationis, cùm cetera ſint omnia expertia. Quid eſt autem non dicam in homine, ſed in omni cœlo, atque terra, *ratione divinius*? quæ cùm adolevit, atque perfecta eſt, nominatur rite SAPIENTIA. Eſt igitur, quoniam nihil eſt ratione melius, eaque & in homine, & in deo; prima homini cum deo rationis ſocietas. Inter quos autem ratio, inter eoſdem etiam recta ratio communis eſt. Quæ cùm ſit lex, [6] lege quoque conſociati homines cum diis putandi ſumus. Inter quos porrò eſt *communio legis*, inter eos communio juris eſt. Quibus autem hæc ſunt inter eos communia, & civitatis ejuſdem habendi ſunt. Si verò iiſdem imperiis, & poteſtatibus parent: multo etiam magis parent huic cœleſti deſcriptioni, mentique divinæ, & præpotenti deo. ut jam univerſus hic mundus, *una civitas* communis deorum, atque hominum, exiſtimanda: & quòd in civitatibus ratione quadam, de qua dicetur idoneo loco, [7] agnationibus familiarum diſtinguuntur ſtatus, id in rerum natura tanto eſt magnificentius, tantoque præclarius, ut homines *deorum agnatione*, & gente teneantur.
Nam cùm de natura omni quæritur, [8] diſputari ſolet: & 8
nimirum ita ſunt ut diſputantur perpetuis curſibus, converſionibus cæleſtibus exſtitiſſe quandam maturitatem ſerendi generis humani. quod [9] ſparſum in terras, atque ſatum, divino auctum ſit animorum munere. [10] cumque alia quibus cohærent homines, è mortali genere ſumſerint, quæ fragilia eſſent, & caduca; *animum tamen eſſe ingeneratum à deo*: ex quo verè vel agnatio nobis cùm cæleſtibus, [11] vel genus, vel ſtirps appellari poteſt. itaque ex tot generibus nullum eſt animal, præter hominem, quod habeat notitiam aliquam dei: ipſiſque in hominibus NULLA GENS EST neque tam immanſueta, neque tam fera, quæ non, etiam ſi ignoret, qualem habere deum deceat, tamen habendum ſciat. Ex quo efficitur illud, [12] ut is *agnoſcat Deum*, qui, unde ortus ſit, quaſi recordetur, ac noſcat. Jam verò virtus eadem in homine, ac deo eſt, neque ullo alio ingenio præterea. eſt autem VIRTUS nihil aliud, quàm in ſe perfecta, & ad ſummum perducta natura. eſt igitur homini cum deo ſimilitudo. Quod cum ita ſit, quæ tandem poteſt eſſe [13] proprior certiorve cognatio? Itaque *ad hominum commoditates*,

1. *Sed nobis ita complectenda.*] Ita Aldus Nepos, neque aliter Victoriana, niſi quod non habeat *ita*. olim edita, *ſed noris iſta. complectenda.*

2. *Confirmata & confecta.*] Conjecit Gulielmius *conformata*. neſcio an verè.

3. *Ea vis ratioque prudentis.*] Non inſubidè Pal. quartus, *prudentia.*

4. *Ad rationem inſtituti ſermonis ſapientius.*] Victorii & Turn. ac Lamb. edd. *aptius*. noſtri mſſ. nihil recedunt à vulgata.

5. *Naturam omnem coegi.*] Pal. quart. à prima manu *hominum*, emendatumque *omnium*. medium non diſplicet.

6. *Lege quoque conſociati homines cum deo, &c.*] Pal. quart. & Fabricianus, *conciliati*. neque diſplicet, ut uſus ſit varietate verborum Cicero.

7. *Agnationibus familiarum, &c.*] Gulielmius emendat, *ac nationibus.*

8. *Diſputari ſolet (& nimirum ita ſunt ut diſputantur) perpetuis, &c.*] Ita fere mſſ. noſtri, editique à Turn. & Victorio, & Lambino. forſan omnia planiora eſſent, ſi tranſpoſita ſyllaba legeretur: *& mirum ni ita ſunt ut diſputantur*. vulgata lectio ſolùm habet; *diſputari ſolent, nimirum iſta: perpetuis*. cui adhæſit Aldus Nepos.

9. *Sparſum in terras atque ſatum.*] Sic mſſ. *aut factum*. Lambini editio qua uſus Gulielmius, habebat *ſenatum*. unde ipſe fingebat, *atque enatum*. & verò conjectura orta à ſphalmate typographo, minime eſt inepta.

10. *Cumque alia, quibus cohærent homines, è mortali.*] Secutus ſum editionem Turnebi, ut etiam fecit Aldus Nepos, & Lambinus, qui ipſam alioquin ſemper arripit. vulgata: *Nam quod aliquibus coh. &c. ſumſerunt, &c. animum eſſe ingeneratum*. Victorius exhibet: *quanquam alia quibus cohor. &c.* ut vulgata. Pal. quart. accedit ſcripturæ communi. at quart. à manu prima ſolùm agnoſcit: *quanquam alia quibus cohærent homines è mortali genere & Deo. ex quo, &c.*

11. *Vel genus vel ſtirps.*] Victorius, *gens*, ſicque editi à Turnebo: quamquam hic non neget, in mſſ. hærere alterum, quod & in Pal.

12. *Ut is agnoſcat Deum.*] Turnebus de ingenio edidit, *ut is ſe agnoſcat Deum*; quod tale quid requireret ſententiæ nexus. idque ſtatim etiam intulit ſuis Lambinus. mſſ. noſtri nihil variant, niſi quod S. Victoris reſpuat illud *is*.

13. *Proprior certiorve cognatio.*] Ita Pal. tert. nam quart. & Fab. *prior*. non male. ceteri *propior*.

moditates, & uſus tantam rerum ubertatem natura largita eſt, ut ea, quæ gignuntur, donata conſultò nobis, non fortuitò nata videantur: nec ſolùm ea, quæ frugibus, atque bacis terræ fœtu profunduntur, ſed etiam pecudes: quòd perſpicuum ſit, partim eſſe ad uſum hominum, partim ad fructum, partim ad veſcendum procreatas. ARTES verò innumerabiles repertæ ſunt, *docente natura.* quam imitata
9 ratio, res ad vitam neceſſarias ſollerter conſecuta eſt. Ipſum autem hominem eadem natura non ſolum celeritate mentis ornavit, ſed etiam ſenſus, *tanquam ſatellites*, attribuit, ac nuntios: & rerum plurimarum [1] obſcuras, & neceſſarias intelligentias enudavit, quaſi fundamenta quædam ſcientiæ: figuramque corporis habilem, & aptam ingenio humano dedit. nam cùm ceteras animanteis adjeciſſet ad paſtum, ſolum *hominem erexit*, ad cælique quaſi cognationis, domiciliique priſtini conſpectum excitavit: tum ſpeciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. Nam & *oculi* nimis arguti, quemadmodum animo affecti ſimus, loquuntur: & is, qui appellatur *vultus*, qui nullo in animante eſſe, præter hominem, poteſt, indicat mores: cujus vim Græci norunt, nomen omninò non habent. Omitto opportunitates, habilitateſque reliqui corporis, moderationem vocis, *orationis vim*, quæ conciliatrix eſt humanæ maximè ſocietatis. Neque enim omnia ſunt hujus diſputationis, ac temporis: & hunc locum ſatis, ut mihi videtur, in iis libris, quos legiſtis, expreſſit Scipio. Nunc quoniam hominem, [2] quod principium reliquarum rerum eſſe voluit, generavit, & ornavit Deus, perſpicuum ſit illud (ne omnia diſſerantur) ipſam per ſe naturam longiùs progredi: quæ etiam nullo docente profecta ab iis, quorum, ex prima, & inchoata intelligentia, genera cognovit, confirmat ipſa per *ſe rationem*, & perficit. ATT.
10 Dii immortales, quàm tu longè juris principia repetis! atque ita, ut ego non modo ad illa non properem, quæ exſpectabam à te de jure civili, ſed facilè patiar te hunc diem vel totum in iſto ſermone conſumere. ſunt enim hæc majora, quæ aliorum cauſa fortaſſe complecteris, quàm ipſa illa quorum hæc cauſa præparantur. M. Sunt hæc quidem magna, quæ nunc breviter attinguntur: ſed omnium, quæ in hominum doctorum diſputatione verſantur, nihil eſt profectò præſtabilius, quam planè intelligi NOS AD JUSTITIAM ESSE NATOS, neque opinione, ſed natura conſtitutum eſſe jus. Id jam patebit, ſi hominum inter ipſos ſocietatem, conjunctionemq; perſpexeris. Nihil eſt enim unum uni tam ſimile, tam par, quam omnes inter noſmetipſos ſumus. Quòd ſi *depravatio conſuetudinum*, ſi *opinionum vanitas* non imbecillitatem animorum torqueret, & flecteret quocumque cœpiſſet: ſui nemo ipſe tam ſimilis eſſet, quàm omnes ſunt omnium. itaque quæcumque eſt hominis definitio, una in omneis valet. Quod argumenti ſatis eſt, nullam diſſimilitudinem eſſe in genere. quæ ſi eſſet, non una omneis definitio contineret. Etenim *ratio*, qua *una præſtamus beluis*, per quam conjectura valemus, argumentamur, refellimus, diſſerimus, conficimus aliquid, concludimus, certè eſt communis, doctrina differens, diſcendi quidem facultate par. nam & ſenſibus eadem omnia comprehenduntur: & ea, quæ movent ſenſus, itidem movent omnium: quæque in animis imprimuntur, de quibus antè dixi, inchoatæ intelligentiæ, ſimiliter in omnibus imprimuntur: *interpreſque eſt mentis oratio*, *verbis diſcrepans*, *ſententiis congruens.* nec eſt quiſquam gentis ullius, qui ducem naturam nactus *ad virtutem* pervenire non poſ-
ſit. Nec ſolùm in rectis, ſed etiam in pravitatibus, inſi- 11
gnis eſt humani generis ſimilitudo. nam & *voluptate* capiuntur omnes: quæ etſi illecebra turpitudinis, tamen, [3] habet quiddam ſimile naturalis boni. [4] lenitate eſt enim, & ſuavitate delectans, ſic ab errore mentis, tanquam ſalutare aliquid, aſciſcitur: ſimilique inſcitia *mors* fugitur, quaſi diſſolutio naturæ: *vita* expetitur, quia nos, in quo nati ſumus, continet: *dolor* in maximis malis ducitur, cùm ſua aſperitate, tum quod naturæ interitus videtur ſequi. propterque honeſtatis, & gloriæ ſimilitudinem, beati, qui honorati ſunt, videntur: miſeri autem, qui inglorii. moleſtiæ, lætitiæ, cupiditates, timores, ſimiliter omnium menteis pervagantur: nec, ſi opiniones aliæ ſunt apud alios, idcircò, qui canem, & felem, ut deos, colunt, non *eadem ſuperſtitione*, qua ceteræ gentes, conflictantur. QUÆ autem NATIO NON COMITATEM, non benignitatem, non gratum animum & beneficii memorem diligit? quæ ſuperbos, quæ maleficos, quæ crudeleis, quæ ingratos non aſpernatur, non odit? quibus ex rebus cùm omne genus hominum ſociatum inter ſe eſſe intelligatur, illud extremum eſt, quòd *rectè vivendi ratio* meliores efficit. Quæ ſi approbatis, pergam ad reliqua: ſin quid requiritis, id explicemus prius.
ATT. Nos verò nihil: ut pro utroque reſpondeam. M. Se- 12
quitur igitur, ad participandum alium ab alio, communicandumque inter omneis, *juſtos natura nos eſſe factos.* atque hoc in omni hac diſputatione ſic intelligi volo, [5] quod dicam naturam eſſe: tantam autem eſſe corruptelam malæ conſuetudinis, ut ab ea tanquam igniculi extinguantur à natura dati, exorianturque, & confirmentur vitia contraria. Quòd ſi, quod modo eſt natura, ſic judicio, homines, *humani* (ut ait poëta) *nihil à ſe alienum putarent*, coleretur jus æquè ab omnibus. quibus enim ratio natura data eſt, iiſdem etiam recta ratio data eſt: ergo & lex, quæ eſt recta ratio in jubendo, & vetando: ſi lex, jus quoque. at omnibus ratio. jus igitur datum eſt omnibus. recteque Socrates exſecrari eum ſolebat, qui primus *utilitatem à natura ſejunxiſſet.* id enim querebatur caput eſſe exitiorum omnium: [6] unde eſt illa Pythagorea vox, [7] ΤΑ ΤΩΝ ΦΙΛΩΝ ΚΟΙΝΑ, *καὶ*, ΦΙΛΙΑΝ ΙΣΟΤΗΤΑ, ex quo perſpicitur, cùm hanc benevolentiam tam latè longeque diffuſam vir ſapiens in aliquem pari virtute præditum contulerit, tum illud effici, quod quibuſdam incredibile videatur, ſit autem neceſſarium, ut NIHILO SESE PLUS, QUAM ALTERUM DILIGAT. Quid enim eſt, quod differat, cùm ſint cuncta paria? quòd ſi intereſſe quippiam tantulum modò potuerit, jam amicitiæ nomen occiderit: cujus eſt ea vis, ut, ſimul atque ſibi aliquid, quàm alteri, maluerit, nulla ſit. Quæ præmuniuntur omnia reliquo ſermoni, diſputationique noſtræ, quo

---

1. *Obſcuras & neceſſarias intelligentias enudavit.*] Retinui vulgatum. nam Victorius *obſcuras nec ſatis intelligentias enudavit.* quomodo & Turnebus, niſi quod is *enodavit*, inventum etiam Gulielmio in cod. S. Victoris; qui maluiſſet, *obſcuras nec faciles intelligentias enucleavit.* Pall. & Fabr. *obſcuratum neceſſarias intelligentias enudavit.* Gulielmius Canterus lib. 1. Novar. lect. cap. 4. contentus vulgata lectione, ſolùm mutat *nudavit*, in *inchoavit.* quam emendationem tranſſcribit Aurato Lambinus; qui præterea ſuo more intulit in contextum hariolationem ſuam, *obſcuras nec ſatis apertas intellig.* Scilicet hoc erat emendare Ciceronem, ad fidem codicum calamo exaratorum.

2. *Quod principium reliquarum rerum eſſe voluit.*] Pal. tert. apertè præfert, *quem principem reliq.* ſed interpretis forſan eſt emblema, non auctoris.

3. *Habet quiddam ſimile naturalis boni.*] Vox *ſimile* erat in Pal. quart. & Fabr. nam S. Victoris *ſimile naturali bono.* æquè benè, ſi non melius. vulgata, *habet quiddam naturalis bono.* ſed ab ea ſeorſum abiere Victorius & Turnebus. Supra etiam edidi, eoſdem viros libroſque ſecutus, *pravitatibus*, pro quo vulgatiores, *pravis actibus.*

4. *Lenitate & ſuavitate delectans, ſic ab errore, &c.*] Eſt a Turnebi editione, cui reſpondet Victorina, niſi quod ipſa, *delectat.* vulgata; *lenitatis eſt enim & ſuavitatis: id enim, ut ſuavitate delectans. ſic ab errore, &c.* quam ſcripturam ſolam retinent, qui Bruti veſtigia ſequuntur. nam Aldus Nepos, admiſit item illud noſtrum.

5. *Quod dicam naturam eſſe.*] Haud aliter Vict. & Turn. edd. ea priores, *quod dico natura eſſe.* P. Manut. iſtud putat eſſe à gloſſa; cui potius accedam, quam Lamb. alia atque alia interponenti. nam variant mſſ. noſtri, ut ſolent teſtes in re falſa. quippe quart. habet, *quod dicam verum eſſe.*

6. *Unde eſt illa Pythagorea vox.*] Sic Pal. tert. expreſſitque Aldus Nepos. Vulgati: *unde enim illa, &c.* quæ particula heic inepta.

7. *Τὰ τῶν φίλων.*] Exſtant hæc in Aldi ſenioris editione. Victorii ac Turnebi ejus loco habent vacuum, eique inſcriptum *Locus de Amicitia*, quomodo mſſ. noſtri quatuor.

quo faciliùs jus in natura eſſe poſitum, intelligi poſſit. De quo cùm perpauca dixero, tum ad jus civile veniam, ex
13 quo hæc omnis nata eſt oratio. Qu. Tu verò jam perpauca ſcilicet. ex iis enim, quæ dixiſti, Attico videtur, mihi quidem certè, *ex natura ortum eſſe jus*. ATT. An mihi aliter videri poſſit, cùm hæc jam perfecta ſint. *primum* quaſi muneribus deorum nos eſſe inſtructos, & ornatos. *ſecundo* autem, unam eſſe hominum inter ipſos vivendi parem, communemque rationem: *deinde* omneis inter ſe naturali quadam indulgentia, & benivolentia, tum etiam ſocietate juris contineri? quæ cùm vera eſſe recte, ut arbitror, conceſſerimus, qui jam licet nobis à natura leges, & jura ſejungere? M. Recte dicis: & res ſic ſe habet. Verùm philoſophorum more, non veterum quidem illorum; ſed eorum, qui quaſi *officinas inſtruxerunt ſapientiæ*: quæ fusè olim diſputabantur, ac libere, ea nunc articulatim, diſtincteque dicuntur. nec enim ſatisfieri cenſent huic loco, qui nunc eſt in manibus, niſi ſeparatim hoc ipſum, naturæ eſſe jus, diſputarint. ATT. Et ſcilicet tua libertas differendi amiſſa eſt: aut tu is es, qui in diſputando non tuum judicium ſequare, ſed auctoritati aliorum pareas? M. Non ſemper, Tite: ſed iter hujus ſermonis quod ſit, vides. ad reip. firmandas, & ad ſtabiliendas vireis, *ſanandos populos*, omnis noſtra pergit oratio. Quocirca vereor committere, ut non bene proviſa & diligenter explorata principia ponantur: nec tamen ut omnibus probentur, (nam id fieri non poteſt) ſed ut iis, qui omnia recta, atque honeſta, [1] per ſe expetenda duxerunt, & aut nihil omnino in bonis numerandum, niſi quod *per ſeipſum laudabile* eſſet, aut certè nullum habendum magnum bonum, niſi quod verè laudari ſua ſponte poſſet: his omnibus (ſive in Academia vetere cum [2] Speuſippo, Xenocrate, Polemone manſerunt: ſive Ariſtotelem, & Theophraſtum, cum illis re congruentes genere docendi paullum differentes, ſecuti ſunt: ſive, ut Zenoni viſum eſt, rebus non commutatis, immutaverunt vocabula: ſive etiam Ariſtonis difficilem, atque arduam, ſed jam tamen fractam, & convictam ſectam ſecuti ſunt, ut, virtutibus exceptis, atque vitiis, cetera in ſumma æqualitate ponerent) his omnibus hæc, quæ dixi, probantur. Sibi autem indulgentes, & corpori deſervientes, atque omnia, quæ ſequantur in vita, quæque fugiant, *voluptatibus, & doloribus ponderantes*, etiam ſi vera dicunt, (nihil enim opus eſt hoc loco litibus) in hortulis ſuis jubeamus dicere, atque etiam ab omni ſocietate reip. cujus partem nec norunt ullam, nec unquam noſſe voluerunt, [3] paulliſper faceſſant, rogemus. Perturbatricem autem harum omnium rerum Academiam, hanc ab Arceſila, & Carneade recentem, exoremus, ut ſileat. nam ſi invaſerit in hæc, quæ ſatis ſcitè nobis inſtructa, & compoſita [4] videntur, nimias edet ruinas. quam quidem ego *placare* cupio, *ſubmovere* non *audeo*.

Deſunt hic fortaſſe nonnulla de peccati conſcientia & ſcelerum pœnis.

[5] Nam & in iis ſi ne illius ſuffimentis expiati ſumus. At verò ſcelerum in homines, atque impietatum *nulla expiatio eſt*. Itaque pœnas luunt non tam judiciis, (quæ quondam nuſquam erant, hodie multifariam nulla ſunt, ubi ſunt tamen, perſæpe falſa ſunt) [6] quàm ut eos agitent, inſectenturque furiæ, non ardentibus tædis, ſicut in fabulis, ſed *angore conſcientiæ*, fraudiſque cruciatu. Quòd ſi homines ab injuria pœna, non natura arcere deberet, quænam ſollicitudo vexaret impios, [7] ſublato ſuppliciorum metu? quorum tamen NEMO TAM AUDAX umquam fuit, quin aut abnueret à ſe commiſſum eſſe facinus, aut juſti ſui doloris cauſam aliquam fingeret, defenſionemque facinoris à naturæ jure aliquo quæreret. Quæ ſi appellare audent impii, quo tandem ſtudio colentur à bonis? Quòd ſi pœna, ſi metus ſupplicii, non *ipſa turpitudo*, *deterret ab injurioſa, facinoroſaque vita*: nemo eſt injuſtus; [8] aut incauti potiùs habendi ſunt improbi. tum autem qui non ipſo honeſto movemur, ut boni viri ſimus, ſed *utilitate* aliqua, atque *fructu*, callidi ſumus, non boni. [9] nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet niſi *teſtem*, & *judicem*? quid in deſerto loco nactus, quem multo auro ſpoliare poſſit *imbecillum*, atque ſolum? noſter quidem hic natura juſtus vir, ac bonus, etiam colloquetur, juvabit, in viam deducet. is verò, qui nihil alterius cauſa [10] facit, & metitur ſuis commodis omnia, videtis, credo, quid ſit acturus. Quòd ſi negabit ſe illi vitam erepturum, & aurum ablaturum, numquam ob eam cauſam negabit, quòd id natura turpe judicet, ſed quòd metuat, ne emanet, id eſt, ne malum habeat. O rem dignam, [11] in qua non modò docti, verùm etiam agreſtes erubeſcant! Jam verò illud ſtultiſſimum, EXISTIMARE OMNIA juſta eſſe, quæ ſcita ſint in populorum inſtitutis, aut legibus. Etiamne, ſi quæ leges ſint tyrannorum? ſi triginta illi Athenis leges imponere voluiſſent? aut, ſi omnes Athenienſes delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco hæ leges, juſtæ haberentur? nihilo, credo, magis illa, quam interrex noſter tulit, ut dictator quem vellet civium, indicta cauſa impunè poſſet occidere. eſt enim unum jus, quo devincta eſt hominum ſocietas, & quod lex conſtituit una. quæ lex eſt recta ratio *imperandi, atque prohibendi*: quam qui ignorat, is eſt injuſtus, ſive eſt illa ſcripta uſpiam, ſive nuſquam. Quòd ſi juſtitia, eſt obtemperatio ſcriptis legibus, inſtitutiſque populorum, & ſi, ut iidem dicunt, *utilitate* omnia metienda ſunt: negliget leges, eaſque perrumpet, ſi poterit, is, qui ſibi eam rem fructuoſam putabit fore. Ita fit ut nulla ſit omninò *juſtitia*; ſi neque natura eſt, & ea, quæ propter utilitatem conſtituitur, [12] utilitate alia convellitur. Atqui, ſi natura confirmatura jus non erit, virtutes omnes tollantur. ubi enim liberalitas, ubi patriæ caritas, ubi pietas, ubi aut bene merendi de altero, aut referendæ gratiæ voluntas poterit exſiſtere? nam hæc naſcuntur ex eo, quòd *natura propenſi ſumus ad diligendos homines*: quod fundamentum juris eſt: neque ſolùm in homines obſequia, ſed etiam in deos cæremoniæ, religioneſque tolluntur: quas non metu, ſed ea conjunctione, quæ eſt homini cum deo,

(14 and 15 in the right margin beside "Nam & in iis…" and "…illud ſtultiſſimum")

1. *Per ſe expetenda duxerunt.*] Vict. & Turn. edd. *dixerunt*. quomodo & exemplar S. Victoris. ſed alii tamen libri faciunt pro vulgata.

2. *Speuſippo, Xenocrate, Polemone manſerunt.*] Exemplar S. Victoris, *Xenocrate, Crate, Polemone*.

3. *Paulliſper faceſſant rogemus.*] Pal. quart. habet ad oram, *faceſſant & abſiſtant, rogemus*.

4. *Videntur, nimias edet ruinas.*] Turnebi mſ. *viderentur inferet ruinas*. Pal. quart. *videantur injiciet & ruinas*, S. Vict. *videntur dabit ruinas*.

5. *Nam & in iis ſine illius ſuffimentis.*] Ita editi à Victorio & Turnebo. At priores, *nam etiam ſine illius ſuff.* quod & in Pal. quarto. quidam *ſine ullis*.

6. *Quam ut eos agitent.*] Haud aliter Aldus Nepos. ſed in avi libris, aliorumq; comparet *quàm*, neque agnoſcit ullum mſ. noſtrum; nedum ut præterea habeat Lambini *quam conſcientia, ut eos agit*.

7. *Sublato ſuppliciorum metu.*] S. Victoris liber *ſublatos metu*. & verò placeret *ſublato metu*, ejecto illo *ſuppliciorum*, quod mihi gloſſam reſipit, quoniam præceſſerat pœna.

8. *Aut incauti potius.*] Sic Pall. ſic S. Vict. ac Fabr. expreſſitque editio Victorii. aliæ *at* præter Lambini quæ *ſed incauti*. pro arbitrio ſcilicet ſuo.

9 *Nam quid faciet is homo in tenebris.*] Pal. quart. *is non in tenebris*. Placeret magis ſi tranſpoſitis verbis foret: *nam quid non faciet in tenebris*.

10. *Facit & metitur.*] Sic vulgata; placetque præ *faciet & metietur*; quod in Victorio & Turnebo; quia videam in Pal. quarto talem lectionem natam ex librariorum negligentia. habet tamen Pal. tert. item S. Vict. & Fabr. *faciet* & *emetietur*.

11. *In qua non modo docti, verùm etiam.*] Vict. & Turn. non habent illud *verùm*. & poterat abeſſe: ſed cum fuerit in noſtris omnibus, non auſus ſum amovere.

12. *Utilitate alia convellitur.*] Eſt à Victoriana. quippe Turnebi *illa*, quomodò & vulgata. Pal. tert. *ipſa*.

1. *Teſta-*

16 deo, conſervandas puto. Quòd ſi populorum juſſis, ſi principum decretis, ſi ſententiis judicum, jura conſtituerentur: jus eſſet latrocinari: jus adulterare: jus, [1] teſtamenta falſa ſupponere, ſi hæc ſuffragiis, aut ſcitis multitudinis probarentur. Quæ ſi tanta poteſtas eſt ſtultorum ſententiis, atque juſſis, ut eorum ſuffragiis rerum natura vertatur: cur non ſanciunt, ut, quæ mala, pernicioſaque ſunt, habeantur pro bonis, ac ſalutaribus? aut cur, cùm *jus ex injuria lex facere poſſit*, bonum eadem facere non poſſit ex malo? Atqui nos legem bonam à mala, nulla alia niſi naturæ norma dividere poſſumus. Nec ſolùm jus & injuria à natura dijudicatur, ſed omnino omnia honeſta, ac turpia. nam & communis intelligentia nobis notas res efficit, eaſque in animis noſtris inchoavit, ut honeſta in virtute ponantur, in vitiis turpia. Hæc autem in *opinione* exiſtimare, non in *natura* poſita, dementis eſt. Nam nec arboris, nec equi virtus, quæ dicitur (in quo abutimur nomine) in opinione ſita eſt, ſed in natura. quod ſi ita eſt; honeſta quoque, & turpia, natura, dijudicanda ſunt. Nam ſi opinione univerſa virtus, eâdem ejus etiam partes probarentur. Quis igitur prudentem, &, ut ita dicam, catum, non ex ipſius habitu, ſed ex aliqua re externa judicet? eſt enim *virtus perfecta ratio*. quod certè in natura eſt. igitur
17 omnis honeſtas eodem modo. Nam ut vera, & falſa, ut conſequentia, & contraria, ſua ſponte, non aliena judicantur: ſic conſtans, & perpetua ratio vitæ, quæ eſt virtus, itemque inconſtantia, quod eſt vitium, ſua natura probatur. [2] Nos ingenia juvenum non item ad ingenia: naturæ virtutes & vitia, quæ exſiſtunt ab ingeniis, judicabuntur? an ea non aliter? honeſta, & turpia, non ad naturam referri neceſſe erit? quod laudabile bonum eſt, *in ſe habeat* quod laudetur neceſſe eſt. ipſum enim bonum, [3] non eſt opinionibus, ſed natura. nam ni ita eſſet, beati quoque opinione eſſent. quo quid dici poteſt ſtultius? quare cùm & bonum, & malum natura judicetur, & ea ſint principia naturæ: certè honeſta quoque, & turpia, ſimili ratione dijudicanda, & *ad naturam* referenda ſunt. Sed perturbat nos *opinionum varietas* hominumque diſſenſio: & quia non idem contingit in ſenſibus, hos natura certos putamus: illa, quæ aliis ſic, aliis ſecus, nec iiſdem ſemper uno modo videntur, ficta eſſe dicimus. quod eſt longè aliter. Nam ſenſus noſtros non parens, non nutrix, non magiſter, non poëta, non ſcena depravat, non multitudinis conſenſus [4] abducit à vero. ANIMIS OMNES TENDUNTUR INSIDIÆ, vel ab iis, quos modo enumeravi, qui teneros, & rudeis cùm acceperunt, inficiunt, & flectunt, ut volunt: vel ab ea, quæ penitus in omni ſenſu implicata inſidet, *imitatrix boni, voluptas, malorum autem mater omnium.* cujus blanditiis corrupti, quæ natura bona ſunt, quia dulcedine hac,

& ſcabie carent, non cernimus ſatis. Sequitur, ut con- 18
cluſa mihi jam hæc ſit omnis ratio, (id quod ante oculos ex iis eſt, quæ dicta ſunt) *& jus, & omne honeſtum, ſua ſponte eſſe expetendum.* Etenim omnes viri boni ipſam æquitatem, & jus ipſum amant, nec eſt viri boni, errare, & diligere, quod per ſe non ſit diligendum. Per ſe igitur jus eſt expetendum, & colendum. quod ſi jus eſt: etiam juſtitia. ſic in ea reliquæ quoque virtutes, per ſe colendæ ſunt. Quid? *liberalitas* gratuitane eſt, an mercenaria? [5] ſi ſine præmio benigna eſt, gratuita: ſi cum mercede, conducta: nec eſt dubium, quin is, qui liberalis, benignusve dicitur, officium, non fructum ſequatur. Ergo item *juſtitia* [6] nihil exprimit præmii, nihil pretii, per ſe igitur expetitur. eademque omnium virtutum cauſa, atque ſententia eſt. Atque etiam ſi emolumentis, non [7] ſua ſponte virtus expenditur, una erit virtus, quæ *malitia* rectiſſimè dicetur. Ut enim quiſque maximè ad ſuum commodum refert quæcumque agit, ita minimè eſt vir bonus; ut, QUI VIRTUTEM præmio metiuntur, nullam virtutem, niſi malitiam putent. Ubi enim beneficus, ſi nemo alterius cauſa benignè facit? ubi *gratus*, [8] ſi non eum ipſum cernunt grati cui referunt gratiam? [9] ubi illa ſancta *amicitia*, ſi non ipſe amicus per ſe amatur *toto pectore*, ut dicitur? qui etiam deſerendus, & abjiciendus eſt, deſperatis emolumentis, & fructibus. quo quid poteſt dici immanius? Quòd ſi amicitia per ſe colenda eſt, ſocietas quoque hominum, & æqualitas, & juſtitia, per ſe expetenda. Quod ni ita eſt, omnino juſtitia nulla eſt. id enim INJUSTISSIMUM IPSUM
EST, JUSTITIÆ MERCEDEM QUÆRERE. Quid verò de 19
modeſtia, quid de temperantia, quid de continentia, quid de verecundia, pudore, pudicitiaque dicemus? infamiæne metu non eſſe petulanteis: an legum, & judiciorum? Innocentes ergo, & verecundi ſunt, *ut bene audiant*, & ut rumorem bonum [10] colligant? Erubeſcunt pudici etiam loqui de pudicitia. [11] ac me nimis iſtorum philoſophorum pudet, qui nullum vitium vitare, niſi [12] judicio ipſo notatum, putant. Quid enim? poſſumus eos, quia ſtupro arcentur infamiæ metu, pudicos dicere, cùm ipſa [13] *infamia propter rei turpitudinem conſequatur?* nam quid aut [14] laudari ritè, aut vituperari poteſt, [15] ſi ab ejus natura receſſeris, quod aut laudandum, aut vituperandum putes? AN CORPORIS PRAVITATES, ſi erunt perinſignes, habebunt aliquid offenſionis: animi deformitas non habebit? cujus turpitudo ex ipſis vitiis facillimè percipi poteſt. quid enim fœdius avaritia, quid immanius libidine, quid contemtius timiditate, quid abjectius tarditate, & ſtultitia dici poteſt? Quid ergo? eos, qui ſingulis vitiis excellunt, aut etiam pluribus; propter damna, aut detrimenta; aut cruciatus aliquos, miſeros eſſe dicimus, an propter vim, *turpitudinem*

---

1. *Teſtamenta falſa ſupponere.*] Pal. quartus *ſubjicere.*

2. *Nos ingenia juvenum, non item, &c.*] Lambinus heic mirè ludit de corio Ciceronis. Quod nos repræſentamus, nititur auctoritate Victorii, quam antiquis libris ſuſtentatam affirmavit Turnebus: cui quis fidem deneget.

3. *Non eſt opinionibus ſed natura.*] Sic etiam omnes Pall. & Gulielmiani. vulgata nuper *in opinionibus ſed in natura*: quomodo nec Aldus ſenior.

4. *Abducit à vero: animis omnes tenduntur inſidiæ.*] Victorius & Turnebus publicarunt, *abducit: at vero animis omn. &c.* & ſic ferè mſſ. noſtri. nihil tamen muto.

5. *Si ſine præmio benigna eſt.*] Ita Pal. quart. nam tert. *benignus*, & S. Victoris, neque aliter editio Turnebi.

6. *Nihil exprimit præmii.*] Sic Pal. quart. Fabric. editique à Turnebo. vulgata *expetit.*

7. *Sua ſponte virtus expenditur.*] Eſt à Victorii editione, cui accedit Turnebiana, niſi quod ea *ſuapte.* Minus recte: quod inde colligo quod mſſ. noſtri quatuor exhibeant ſolùm *ſuapte*, non etiam *ſponte*, tanquam ſi utraque vox conflata eſſet in unam. vulg. *ſua natura virtus expetitur.*

8. *Si non eum ipſum cernunt grati cui referunt gratiam?*] Eſt à Palat. item Fabr. expreſſitque Aldus Nepos. neque recedunt Victorius aut Turnebus, niſi quod ii, *ipſi cernunt.* liber S. Victoris habet tantum: *ſi non eum ipſi cernunt grati? ubi illa, &c.* ante cuſi, *eum ipſum, cui referunt gratiam, ipſi cernunt grati?*

9. *Ubi illa ſancta amicitia.*] Pal. quart. *tibi ulla ſancta*, quod non ita inficetum videri queat.

10. *Colligant? erubeſcunt pudici etiam loqui de pudicitia.*] Sic Victoriana & Turnebiana; neque aliter membranæ S. Victoris, quam quod meliore forſan poſitu, *de pudicitia loqui.* nihil hac lectione certius; ut nihil ineptius Lambinianâ. Eâ potior & Pal. quarti: *colligant, erubeſcunt. Pudet jam loqui quod pudicitia. Ac. &c.* ut fuerit ἀποσιώπησις, neque aliter tertius aut Fabricianus, quàm quod ii, *loqui de pudicitia.* retro vulgata habebat: *erubeſcunt: & pudet impudica loqui. Ac.*

11. *Ac me nimis iſtorum Philiſophorum pudet.*] Egregiè hunc locum correxi ex Pall. meis & Fabriciano. olim enim cuſi, *Ac me nimirum. iſtorum Phil.* Victorius abjecerat *nimirum*, neque comparet in codice S. Victoris. cohærent hæc cum ſuperioribus; neque quidquam deeſt, ut videbatur Turnebo.

12. *Judicio ipſo notatum.*] Haud aliter idem S. Victoris, item editi à Vict. & Turn. vulgata, *mulctatum.*

13. *Infamia propter rei turpitudinem conſequatur.*] Victorii editio *formidinem*; neque aliter S. Victoris volumen, aut Pal. tert. reſtat tamen alterum in ceteris noſtris.

14. *Laudari ritè aut vituperari poteſt.*] Ita ferè pluteari i noſtri, niſi quod quart. a Fabr. *laudari à te.* Turnebus induxit e mſſ. *laudare, Tite, aut vituperare potes.* non ſequor.

15. *Si ab ejus natura receſſeris.*] Ita noſtri aliquot, unus tamen & alter, *eo nat. receſſerit*, quod admiſit Vict. & Turn. neque improbem.

1. *Poſtre-*

dicemuſque vitiorum? quod item ad contrariam laudem in virtutem dici poteſt. [1] Poſtremò, ſi propter alias res virtus expetitur, melius eſſe aliquid, quam virtutem, neceſſe eſt. Pecuniamne igitur? an honores? an formam? an valetudinem? quæ, & cùm adſunt, *perparva ſunt*, & quam *diu affutura ſint*, certum ſciri nullo modo poteſt. an, (quod turpiſſimum dictu eſt) voluptatem? at in ea quidem ſpernenda, & repudianda, virtus vel maximè cernitur. Videtisne, quanta ſeries rerum, ſententiarumque ſit: atque ut ex alio alia nectantur? quin labebar longius, niſi me retinuiſſem.
20 Qu. Quo tandem? libenter enim, frater, ad iſtam orationem tecum prolaberer. M. Ad finem bonorum, quo referuntur, [2] & cujus adipiſcendi cauſa ſunt facienda omnia: controverſam rem, & plenam diſſenſionis, inter doctiſſimos, ſed aliquando tamen judicandam. Att. Qui iſtuc fieri poteſt, L. Gellio mortuo? M. Quid tandem id ad rem? Att. Quoniam Athenis audire ex Phædro meo memini, Gellium, familiarem tuum, cum proconſule ex prætura in Græciam veniſſet, Athenis philoſophos, qui tum erant, in locum unum convocaſſe, ipſiſque magnopere auctorem fuiſſe, ut aliquando controverſiarum aliquem facerent modum. quod ſi eſſent eo animo, ut nollent *ætatem in litibus conterere*: [3] poſſe rem convenire: & ſimul operam ſuam illis eſſe pollicitum, ſi poſſet inter eos aliquid convenire. M. Joculare iſtuc quidem, Pomponi, & a multis ſæpe deriſum. ſed ego plane vellem me arbitrum inter antiquam Academiam, & Zenonem datum. Att. Quo tandem iſtuc modo? M. Quia de re una ſolum diſſident, de ceteris mirificè congruunt. Att. [4] Ain tandem? una de re eſt ſolum diſſenſio? M. Quæ quidem ad rem pertineat, una: quippe cum antiqui omnes, quod ſecundum naturam eſſet, quo juvaremur in vita, bonum eſſe decreverint: hic, niſi quod honeſtum eſſet, [5] nihil putarit bonum. Att. [6] Perparvam vero controverſiam dicis, at non eam, quæ dirimat omnia. M. Probe quidem ſentis, ſi re, ac non verbis diſſiderent. Att. Ergo aſſentiris Antiocho familiari meo (magiſtro enim non audeo dicere) quo cum vixi, & qui me ex noſtris pæne convellit hortulis, deduxitque in Academiam perpaucis paſſibus. M. Vir iſte [7] fuit ille quidem prudens, & acutus, & in ſuo genere perfectus, mihique, ut ſcis, familiaris: cui tamen ego aſſentiar in omnibus, necne, mox videro: huc dico, controverſiam
21 totam iſtam poſſe ſedari. Att. [8] Quin iſtuc tandem vides? M. Quia ſi, ut Chius Ariſto dixit, [9] ſolum *bonum* eſſe diceret, quod *honeſtum* eſſet, *malumque*, quod *turpe*, ceteras res omneis plane pares, ac ne minimum quidem utrùm adeſſent, an abeſſent, intereſſe: valde a Xenocrate, & Ariſtotele, & ab illa Platonis familia diſcreparet, eſſetque inter eos de re maxima, & de omni vivendi ratione diſſenſio. Nunc verò cùm decus, quod antiqui *ſummum bonum* eſſe dixerunt, hic *ſolum bonum* dicat: item dedecus, quod illi *ſummum malum*, hic *ſolum*: divitias, valetudinem, pulchritudinem, *commodas* res appellet, non *bonas*: paupertatem, debilitatem, dolorem, *incommodas*, non *malas*: ſentit idem, quod Xenocrates, quod Ariſtoteles: loquitur alio modo. Ex hac autem non rerum, ſed verborum diſcordia, controverſia nata eſt de finibus: in qua quoniam USUCAPIONEM XII. tabulæ [10] INTER QUINQUE PEDES ESSE VOLUERUNT, depaſci veterem poſſeſſionem Academiæ ab hoc acuto homine non ſinemus; nec [11] Mamilia lege ſinguli, [12] ſed ex iis tres arbitri fineis regemus. Qu. Quamnam igitur ſententiam dicimus? M. Requiri placere terminos, [13] quos Socrates pegerit: iiſque parere. Q. Præclare, frater, jam nunc a te verba uſurpantur civilis juris, & legum: quo de genere [14] ex ſpecto diſputationem tuam. nam iſta quidem magna dijudicatio eſt, ut ex te ipſo ſæpe cognovi. Sed certe res ita ſe habent, ut EX NATURA VIVERE, SUMMUM BONUM SIT, id eſt, vita modica, & apta virtute perfrui: aut naturam ſequi, & ejus quaſi lege vivere, id eſt, nihil, quantum in ipſo ſit, prætermittere, quo minùs ea, quæ natura poſtulet, conſequatur, quod [15] inter hæc velit virtute tanquam lege vivere. Quapropter hoc dijudicari neſcio an umquam, ſed hoc ſermone certe non poteſt, ſi quidem id, quod ſuſcepimus, perfecturi ſimus. Att. At ego [16] huc declinabam nec invitus. 22
Qu. Licebit aliàs: nunc id agamus, quod cœpimus, cum præſertim ad id nihil pertineat hæc de ſummo malo, bonoque diſſenſio. M. Prudentiſſimè, Quinte, dicis, nam quæ a me adhuc dicta ſunt, * Q. Nec Lycurgi leges, nec Solonis, neque Charondæ, neque Zaleuci, nec noſtras XII. tabulas, nec plebiſcita deſidero. ſed te exſtimo cùm populis, tùm etiam ſingulis hodierno ſermone leges vivendi, & diſciplinam daturum. M. Eſt hujus verò diſputationis, Quinte, proprium id, quod exſpectas: atque utinam eſſet etiam facultatis meæ. Sed profectò ita ſe res habet, ut, quoniam VITIORUM EMENDATRICEM, LEGEM eſſe oportet, commendatricemque virtutum, ab ea vivendi doctrina ducatur. Ita fit, ut *mater omnium bonarum artium, ſapientia ſit*: à cujus amore Græco verbo

---

1. *Poſtremò, ſi propter.*] Sic Pal. quart. & Fabr. expreſſitque item Victorius [illegible]. vulgata, *Nam ſi propter*.

2. *Et cujus adipiſcendi cauſa.*] Eſt a Victorio. nam Turnebus *adipiſcendi*. prius [illegible] verbum illud non habebant, neque extat in Pal. tert. nam quart. *adipiſcendi*. Fab. *apiſcendi*.

3. *Poſſe rem convenire.*] [illegible] interſerendum, *poſſe rem tum convenire*. nam eſt in Pal. quart. *tum*, in tert. *tum te*. in S. Vict. *&* [illegible] aliquid latet aut videntur mox expungenda, *ſi poſſet inter eos aliquid convenire*.

4. *Ain tandem? una de re eſt.*] Sic Turnebiana, quippe Victorii *Ain tandem? una non eſt ſolum diſſenſio?* & habet utraque lectio fautores mſſ.

5. *Nihil putarit bonum.*] Vox *nihil* abeſt mſſ. noſtris quatuor; & [illegible] Victorius, [illegible] Turnebus non agnoſci [illegible] & ſic interdum loqui antiquos oſtendit exemplis [illegible].

6. *Perparvam vero controverſiam dicis, at non eam quæ dirimat omnia.*] Lectio controverſa. nam edidit Victorius, *Parvam vero controverſiam dicis* [illegible] * *quæ dirimat omnia*. Turnebus adhæret vulgatæ, niſi quatenus repellit *parvam*, quomodo & Pal. tert. at [illegible] quart. *perparvam vero controverſiam dicis*. [illegible] *An non eam quæ* [illegible]. S. Victoris liber: *Perparvam vero contr. dicis at nuſquam* [illegible] *omnia*. unde Gulielmius conjicit, *at non communia quæ* [illegible].

7. *Fuit ille quidem prudens.*] Si obtemperandum mſſ. noſtris omnibus, [illegible] *prudens*, ut fecit Petr. Victorius.

8. *Quin iſtuc tandem vides?*] Eſt a Victorii editione, cui adſtipulatur Fabricianus, etiam Pal. quart. niſi quod is præterea, *tandem ne*.

9. *Solum bonum eſſe diceret, quod honeſtum.*] Pall. noſtris, item Gulielmianis non adeſt illud *diceret*, habetque. quart. ac Fab. *eſſet*; infra quoque *intereſſet*, pro *intereſſe*. de qua ſcriptura deliberent quibus plus [illegible] eſt otii.

10. *Inter quinque pedes eſſe voluerunt.*] Haud ſecus editi omnes ante Victorium. is publicavit, *intra quinque pedes eſſe noluerunt*; quomodo legi voluerat Alciatus; cujus rationes ex Aggenio videantur tit. Cod. Finium reg. noſtræ ſcripturæ accedunt Pall. & codex S. Victoris, item Fabricianus, imò & Turnebi veteres, qui item conſulatur hoc loco.

11. *Mamilia lege.*] Sic Fabr. & S. Vict. item vet. liber Claudii Puteani: alludantque literæ Pal. tertii in quo *Manubia*. vulgati olim *Manilia*.

12. *Sed ex iis tres arbitri.*] Pall. *his*. S. Victoris *hiis*. Fabr. *iis*. Victorii editio excluſit illud, *ex iis*, ſuppoſuitque *xii*. verum argute finxit Ranconnetus de priore, *ſed ex XII. tres arb.* ut monuit Turnebus lib. IV. Adverſar. cap. 24. quod ſtatim in contextum admiſit Lambinus. quam bene, ipſe viderit. conſulatur tamen & Cujacius libro V. Obſervat. cap. 21. ubi & propugnat emendationem hanc Æmarianam.

13. *Quos Socrates pegerit, iiſque parere.*] Eſt à Turnebi ſcriptis, neque ſecus S. Victoris liber. præteritum ſcilicet a *pango* notatum Priſciano. editi olim, *pepigerit*.

14. *Exſpecto diſputationem tuam.*] Pal. quart. & Fabr. *dubitationem*.

15. *Inter hæc velit virtute, tanquam lege vivere.*] Scriptus S. Victoris *virtutem*, ex quo facit Gulielmius, *virtutum*.

16. *Huc declinabam nec invitus.*] Idem liber *invitiis*, quod probabat Gulielmius dictum, ſicut *ingratiis*.

1. Lege-

verbo PHILOSOPHIA nomen invênit: qua nihil à diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil præſtabilius hominum vitæ datum eſt. hæc enim una nos cùm ceteras res omneis, tum, quod eſt difficillimum, docuit, ut *noſmet ipſos noſceremus*: cujus præcepti tanta vis, tanta ſententia eſt, ut ea non homini cuipiam, ſed Delphico deo tribueretur. Nam qui ſe ipſe norit, primùm aliquid ſentiet ſe habere divinum, [1] ingeniumque in ſe ſuum, ſicut ſimulacrum aliquod, dedicatum putabit; tantoque mùnere deorum ſemper dignum aliquid *& faciet, & ſentiet*: &, cùm ſe ipſe perſpexerit, totumque tentarit; intelliget, quemadmodum [2] à natura ſubornatus in vitam venerit, quantaque inſtrumenta habeat ad obtinendam, adipiſcendamque ſapientiam: quoniam principio rerum omnium quaſi adumbratas intelligentias animo, ac mente conceperit: quibus illuſtratus, ſapientia duce, bonum virum, & ob eam ipſam
23 cauſam cernat ſe beatum fore. Nam cùm animus, cognitis, perceptiſque virtutibus, à corporis obſequio, indulgentiaque diſceſſerit, *voluptatemque*, ſicut *labem* aliquam *decoris* oppreſſerit, omnemque mortis, doloriſque timorem effugerit, [3] ſocietatemque caritatis coierit cum ſuis omneiſque natura conjunctos, ſuos duxerit, cultumque deorum, & puram religionem ſuſceperit, & exacuerit illam, ut oculorum, ſic ingenii aciem, ad bona deligenda, & rejicienda contraria: quæ virtus ex providendo eſt appellata PRUDENTIA: quid eo dici, aut excogitari poterit beatius? idemque cùm cœlum, terras, maria, rerumque omnium naturam perſpexerit, eaque unde generata, quò recurrant, quando, quo modo obitura, quid in iis mortale, & caducum, quid divinum, æternumque ſit, viderit, ipſumque ea moderantem, & regentem pæne prehenderit, ſeſeque non unis circumdatum mœnibus, [4] popularem alicujus definiti loci, ſed *civem totius mundi*, quaſi unius urbis, agnoverit: in hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conſpectu, & cognitione naturæ, dii immortales, quàm ipſe ſe noſcet! quod Apollo præcepit Pythius quàm contemnet, quàm deſpiciet, quàm pro nihilo putabit ea, quæ vulgo dicuntur ampliſſima! Atque hæc omnia, quaſi ſæpi- 24
mento aliquo, vallabit diſſerendi ratione, veri, & falſi judicio, ſcientia, & arte quadam intelligendi, quid quamque rem ſequatur, & quid ſit cuique contrarium. Cùmque ſe ad civilem ſocietatem natum ſenſerit, non ſolùm illa ſubtili diſputatione ſibi utendum putabit, ſed etiam fuſa latiùs perpetua oratione, qua regat populos, qua ſtabiliat leges, qua caſtiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros: qua præcepta ſalutis, & laudes aptè ad perſuadendum edat ſuis civibus: qua hortari ad decus, revocare à flagitio, conſolari poſſit afflictos: factaque, & conſulta fortium, & ſapientum, *cum improborum ignominia*, ſempiternis monumentis prodere. Quæ cum tot res, tantæque ſint, quæ ineſſe in homine perſpiciantur ab iis, qui ſeipſi velint noſſe, earum parens eſt, educatrixque ſapientia. ATT. Laudata quidem à te graviter, & verè. Sed quorſum hæc pertinent? M. Primùm ad ea, Pomponi, de quibus acturi jam ſumus: quæ tanta eſſe volumus: non enim erunt, niſi ea fuerint, unde illa manant, ampliſſima. Deinde facio & libenter, &, ut ſpero, rectè, quòd eam cujus ſtudio teneor, [5] quæque me, quicumque ſum, effecit, non poſſum ſilentio præterire. ATT. [6] Verò facis & meritò, & ipſe: fuitque id, ut dicis, in hoc ſermone [7] faciendum.

1. *Ingeniumque in ſe ſuum.*] Deleta ſyllaba Gulielmius tentabat *geniumque*. non male.

2. *A Natura ſubornatus.*] Forte, *ſua ornatus*, inquit Gulielmius. ſed libri nihil variant, & benè explicat Turnebus.

3. *Societatemque caritatis cojerit cum ſuis, &c.*] Non eſt iſthuc à conjectura Turnebi, ut autumat Mich. Brutus, ſed à libris veteribus: neque aliter etiam Victorii editio, niſi quod ea, forte typothetæ errato, *conjecerit*; quomodo tamen exemplar S. Victoris. Pal. quart. habebat ad oram *caritatis tenuerit*.

4. *Popularem alicujus definiti loci.*] Illud *definiti* deerat olim impreſſis; revocavique ex Victoriana & Turnebiana; quod exſtaret alioquin in membranis S. Victoris.

5. *Quæque me quicumque ſum effecit.*] Pal. tert. & S. Vict. *mecum*: unde Gulielmius, *me eum*. non inepte.

6. *Verò facis, & meritò, & ipſe, &c.*] Eſt à Victoriana editione, cui accedit codex S. Victoris, etiam Pal. quart. niſi quod is *Vere*. Turnebus publicavit: *Enimvero facis, &c.* quod ſecutus eſt Aldus Nepos. nam Lamb. antiquum obtinet: multa de ſuo interſpargit.

7. *Faciundum.*] Fuiſſe iſtud in veteribus ſcriptus, inde collegi quod eſſet in Pal. quarto *facundius*.

M. TULLII CICERONIS
DE
LEGIBUS,
LIBER SECUNDUS.

ATTICUS.

1 SED viſne, quoniam & ſatis jam ambulatum eſt, & tibi aliud dicendi initium ſumendum eſt, locum mutemus, & in inſula, quæ eſt [1] in Fibreno, (nam opinor illi alteri flumini nomen eſſe) ſermoni reliquo demus operam, ſedentes? M. Sanè quidem. nam illo loco libentiſſimè ſoleo uti, ſive quid mecum ipſe cogito, [2] ſive aut ſcribo, aut lego. ATT. Equidem, qui [3] nunc potiſſimùm huc venerim, ſatiari non queo: magnificaſque villas, & pavimenta marmorea, [4] & laqueata tecta contemno. ductus verò aquarum, [5] quos iſti tubos & euripos vocant, quis non cùm hæc videat, irriſerit? Itaque, ut tu paullo antè de lege, & jure diſſerens, ad naturam referebas omnia; ſic in his ipſis rebus, quæ ad requietem animi, delectationemque quæruntur; natura dominatur. Quare antea mirabar, (nihil enim his in locis niſi ſaxa, & monteis cogitabam: idque ut facerem, & orationibus inducebar tuis, & verſibus) ſed mirabar,

1. IN *Fibreno.*] Pall. S. Vict. & Fabr. *Fibrino*, quomodo etiam partim fuiſſe in veteri ſuo teſtatus eſt Turnebus. ſed infra tamen cap. 3. accedunt vulgato.

2. *Sive aut ſcribo, aut lego.*] Eſt à Victorio. nam editi, *ſive aliquid*, quod in ſolo Pal. tert. quart. enim *ſive aliud quid*. S. Vict. *ſive aut quid*. quomodo & Fabr.

3. *Nunc potiſſimum huc venerim.*] Vulgatur paſſim, *nunc primùm*, ſed alterum eſt in Pall. in Fabr. & S. Vict. exhibuitque olim Victorius ac Turnebus; ſed metuerunt ſequi ad unum omnes, Sturmius, Camerarius, Lambinus, Aldus Nepos, Brutus. vellem ſcire cauſam.

4. *Et laqueata tecta.*] Pall. & Fabr. *illaqueata*. neque nimium recedit S. Vict. unde Gulielmius, *& illa laqueata*.

5. *Quos iſti Nilos & Euripos vocant.*] Sic mſſ. noſtrorum quadriga; erueratque è ſuis Victorius ac Turnebus. antea erat, *tubos & euripos*.

mirabar, ut dixi, te tam valde hoc loco *delectari*. nunc
contra miror, te, cùm Roma abſis, uſquam potiùs eſſe.
M. Ego verò, cùm licet plureis dies abeſſe, præſertim
hoc tempore anni, & amœnitatem hanc & ſalubritatem ſe-
quor, raro autem licet. [1] Sed nimirum me alia quoque
cauſa delectat, [2] quæ te non attingit ita. ATT. Quæ tandem
iſta cauſa eſt? M. Quia, ſi verum dicimus, hæc eſt mea
& hujus fratris mei *germana patria:* hinc enim [3] orti ſtirpe
antiquiſſima: hic ſacra; hic gens. hic majorum multa ve-
ſtigia. Quid plura? [4] hanc vides villam, ut nunc quidem
eſt [5] lautiùs ædificatam patris noſtri ſtudio: qui cùm eſſet
infirma valitudine, hic ferè ætatem egit in literis. ſed hoc
ipſo in loco cùm avus viveret, & antiquo more parva eſſet
villa, ut illa Curiana in Sabinis, me ſcito eſſe natum. Quare
ineſt neſcio quid, & latet in animo, ac ſenſu meo, quo me
plus [6] hic locus fortaſſe delectet: ſiquidem etiam ille ſa-
pientiſſimus vir, *Ithacam* ut videret, immortalitatem ſcri-
2 bitur repudiaſſe. ATT. [7] Ego verò tibi iſtam juſtam cauſam
puto, cur huc libentiùs venias, atque hunc locum diligas.
Quin ipſe, verè dicam, ſum illi villæ amicior modò factus,
atque huic omni ſolo, in quo tu ortus, & procreatus es.
movemur enim neſcio quo pacto *locis ipſis, in quibus eorum,
quos diligimus, aut admiramur, adſunt veſtigia,* me quidem
ipſæ illæ noſtræ Athenæ non tam operibus magnificis, ex-
quiſitiſque antiquorum artibus delectant, quàm RECOR-
DATIONE SUMMORUM VIRORUM, ubi quiſque habitare,
ubi ſedere, ubi diſputare ſit ſolitus: ſtudioſeque eorum
etiam ſepulcra contemplor. quare iſtum, ubi tu es natus,
plus amabo poſthac locum. M. Gaudeo igitur, me incuna-
bula pæne mea tibi oſtendiſſe. ATT. Equidem me cognoſſe
admodum gaudeo. Sed illud tamen quale eſt, quod paullo
antè dixiſti; hunc locum (idem ego te accipio dicere Ar-
pinum) germanam patriam eſſe veſtram? [8] numquid duas
habetis patrias? [9] anne eſt illa una patria communis? niſi
fortè ſapienti illi Catoni fuit patria non Roma, ſed Tuſcu-
lum. M. Ego me hercule & illi, & omnibus *municipibus
duas eſſe cenſeo patrias:* unam naturæ: alteram, civitatis: ut
ille Cato, cùm eſſet Tuſculi natus, in populi Rom. civita-
tem ſuſceptus eſt. itaque, cùm ortu Tuſculanus eſſet, civi-
tate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris:
ut veſtri Attici, priuſquàm Theſeus eoſdem migrare ex
agris, & in *aſtu*, quod appellatur, omneis ſe conferre
juſſit, [10] & Sunii erant iidem, & Attici: ſic nos eam patriam
ducimus, ubi nati; & illam, qua excepti ſumus. ſed ne-
ceſſe eſt, *caritate eam præſtare,* [11] qua reip. nomen univerſæ
civitatis eſt: pro qua mori, & cui nos totos dedere, & in
qua noſtra omnia ponere, & quaſi conſecrare debemus.
Dulcis autem non multò ſecus eſt ea, quæ genuit, quàm illa,
quæ excepit. itaque ego hanc meam eſſe patriam prorſus
numquam negabo, dum illa ſit major, [12] & hæc in ea
contineatur. ATT. Rectè igitur Magnus ille noſter, me au- 3
diente, poſuit in judicio, [13] cùm pro Avidio tecum ſimul
diceret, REMP. NOSTRAM juſtiſſimas huic municipio gra-
tias agere poſſe, quòd ex eo duo ſui conſervatores exſti-
tiſſent: ut jam videar adduci, hanc quoque, quæ te procrea-
vit, eſſe patriam tuam. Sed ventum in inſulam eſt. Hac
verò nihil eſt amœnius. ut enim hoc quaſi roſtro finditur
Fibrenus, & diviſus æqualiter in duas parteis latera hæc
alluit, rapideque dilapſus citò in unum confluit, & tantum
complectitur, quod ſatis ſit *modicæ palæſtræ* loci. quo effe-
cto, tanquam id habuerit operis, ac muneris, ut hanc nobis
efficeret ſedem ad diſputandum, ſtatim præcipitat in Li-
rem, &, quaſi in *familiam patriciam* venerit, amittit nomen
obſcurius, Liremque multo gelidiorem facit. nec enim
ullum hoc frigidius flumen attigi, cùm ad multa acceſſe-
rim, ut vix pede tentare id poſſim: quod in Phædro Pla-
tonis facit Socrates. M. Eſt verò ita: ſed tamen huic amœ-
nitati, quam ex Quinto, ſæpe audio, [14] Thebanus Epirotes
tuus ille nihil, opinor, conceſſerit. Q. Eſt ita, ut dicis.
cave enim putes Attici noſtri [15] Emathio, plataniſque illis
quidquam eſſe præclarius. Sed, ſi videtur, conſidamus hîc
in umbra, atque ad eam partem ſermonis, ex qua egreſſi
ſumus, revertamur. M. Præclare exigis, Quinte. at ego
effugiſſe arbitrabar: & tibi horum nihil deberi poteſt.
Q. Ordire igitur: nam hunc tibi totum dicamus diem.

M. A Jove Muſarum primordia. ---

ſicut in Aratio carmine orſi ſumus. Q. Quorſum iſtuc?
M. Quia nunc itidem ab eodem, & ceteris diis immorta-
libus ſunt nobis agendi capienda primordia. Q. Optimè
verò, frater: & fieri ſic decet. M. Videamus igitur rurſus, 4
priuſquam aggrediamur ad leges ſingulas, vim, naturam-
que legis, ne, cùm referenda ſint ad eam nobis omnia, la-
bamur interdum errore ſermonis, ignoremuſque vim ſer-
monis ejus, quo jura nobis definienda ſint. Q. Sanè qui-
dem, hercule. & eſt iſta recta docendi via. M. Hanc igitur
video ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, LEGEM NEQUE
HOMINUM INGENIIS EXCOGITATAM, nec ſcitum aliquod
eſſe populorum, ſed æternum quiddam, quod univerſum
mundum regeret, imperandi, prohibendique ſapientia.
Ita principem legem illam, & ultimam, *mentem* eſſe di-
cebant, omnia ratione aut cogentis, aut vetantis dei: ex
qua illa lex, quam dii humano generi dederunt, rectè eſt
laudata. eſt enim ratio, menſque ſapientis, ad jubendum,
& ad deterrendum idonea. Q. Aliquoties jam iſte locus à
te tactus eſt: ſed antè quàm ad populareis leges venias, vim
iſtius cœleſtis legis explana, ſi placet: ne *æſtus* nos *conſue-
tudinis*

1. *Sed nimirum me alia quoque cauſſa delectat.*] Pal. quart. *ſed nimium ex alia quoque, &c.* ut videatur reſcribendum, *ſed nimium me ex alia quoque.*

2. *Quæ te non attingit ita.*] Gulielmius inclinabat in *Tite.*

3. *Orti ſtirpe antiquiſſima; hic ſacra, hic gens.*] Secutus ſum Pal. quart. & Fabricianum exemplar. hactenus cuſi, *antiq. ſumus*, voce ſupervacua. ceterum monendus lector, Pall. præterea ſcribere, *hinc ſacra, hinc gens.* de quo ipſe cogitet licet.

4. *Hanc vides villam.*] Dictio *vides* non comparet in codice S. Victoris. & mox deſtituitur illo *Curiana* quod ſequitur.

5. *Lautius ædificata.*] Pal. tert. *latius.* quod malebat etiam Turnebus, ob ſequens *parva.*

6. *Hic locus fortaſſe delectet.*] S. Victoris antiquus codex: *electet.* quod placuit Gulielmio.

7. *Ego verò tibi iſtam juſtam cauſam puto.*] Pal. tertio non adeſt *juſtam.* quod mirè laudaret alius quis, at ego nihil muto.

8. *Nunquid duas habetis patrias?*] Pal. tert. *numquid? duaſne habetis patr.* quart. ac Fabr. *Quid? duas ne hab. patrias?* editi, *nunquid vos duas hab.* quod pronomen in nullo eſt noſtrorum, exulatque editione Victorii.

9. *Anne eſt illa una patria.*] Sic ed. Turnebi & vetus S. Victoris. nam vulgatis deeſt *ne.* Victorius publicat: *eſt ne una illa patria.* Pal. quart. habet; *an eſt illa patria*, ſine *una.*

10. *Et Sunii erant iidem & Attici.*] Eſt à Victoriana & Turnebiana; quam imitatæ ſunt quoque aliæ. prius erat, *& ſymphradas ex Atticis.* de qua lectione conſulatur & Camerarius, & Paulus Manutius. nam mſſ. noſtri mirificè variant. alludunt tamen admodum emendationi illi Duumvirûm.

11. *Qua reip nomen univerſæ civitatis eſt.*] Pal. tert. *quam R. P.* tert. *quæ reip. nomen univerſæ civitatis adepta eſt.* Lambinus *qua reip. nomen & univ.* annotat tamen extare in Memmiano, *quæ populi Romani univerſi civitas* eſt. noſtram lectionem recepere Victorius, Turnebus, Manutius.

12. *Et hæc in ea contineatur.*] Pall. abjiciunt *&* poteſtque abeſſe. Aldus ſenior poſt *hæc* novum orditur ſermonem; item Victorius. at enim Turnebi editio attexuit, *contineatur, quæ jus habet civitatis, & unam illam civitatem putat.* Camerarii verò, *contineatur. habet civitates duas, ſed illas unam civitatem putat.* quorum verborum nullus apex in mſſ. noſtris.

13. *Cùm pro Avidio tecum.*] Malui iſtud, quia placuit Victorio, quem ſcio uſum libris edecumatæ antiquitatis; ſicque extat in membranis S. Victoris. nam Pall. ſervant vulgatum *Ambio.* ſunt qui legant *Albio*, ſunt qui *Balbo*, quod hærere in Maffæano aſſeveravit P. Manutius; nec deeſt qui legat *Oppio*, aut *Ampio*, vel denique *Appio.* Turnebus divinabat *Gabinio.*

14. *Thebanus Epirotes.*] Nihil variant noſtri, quàm quod S. Vict. *Thenanus.* Turnebus lib. XI. Adverſ. cap. 16. emendat *Thyamis.* quod recepit in contextum Lambinus.

15. *Emathio.*] Ita Pal. tert. nam quart. *Emachio.* Turnebi vetus *Emathyro.* emendabat idem *Amaltheo*; propter ea quæ ſcribit Cicero I. ad Atticum; idque in contextum receperunt Lambinus, Aldus Nepos, alii.

1. S

tudinis abſorbeat, & ad ſermonis morem uſitati trahat. M. A parvis enim Quinte, dicimus, [1] SI IN JUS VOCAT, atque ejuſmodi alias *leges* nominare. ſed verò intelligi ſic oportet, & hæc, & alia juſſa, ac vetita populorum, vim habere ad rectè facta vocandi, & à peccatis avocandi: quæ vis non modò ſenior eſt, quàm ætas populorum, & civitatum, ſed æqualis illius, cœlum, atque terras tuentis, & regentis dei. *neque enim eſſe mens divina ſine ratione poteſt,* nec ratio divina non hanc vim in rectis, praviſque ſanciendis habere: nec, quia nuſquam erat ſcriptum, ut contra omneis hoſtium copias in ponte unus aſſiſteret, à tergoque pontem interſcindi juberet, iccirco minùs Coclitem illum rem geſſiſſe tantam, *fortitudinis lege*, atque imperio putabimus: nec ſi regnante Tarquinio nulla erat Romæ ſcripta lex de ſtupris, iccirco non contra illam *legem ſempiternam* Sex. Tarquinius vim Lucretiæ, Tricipitini filiæ, attulit. erat enim ratio profecta à rerum natura, & ad rectè faciendum impellens, & à delicto avocans: quæ non tum denique incipit lex eſſe, cum *ſcripta* eſt, ſed tum, cùm *orta* eſt. orta autem ſimul eſt cum mente divina. quamobrem lex vera, atque princeps, apta ad jubendum, & ad ve-
5 tandum, ratio eſt recta ſummi Jovis. Q. Aſſentior, frater, ut QUOD EST RECTUM, VERUM QUOQUE ſit, neque cum litteris, quibus ſcita ſcribuntur, aut oriatur, aut occidat. M. Ergo ut illa divina mens, ſumma lex eſt; item, [2] cùm in homine eſt perfectum, eſt in mente ſapientis. Quæ ſunt autem [3] variè, & *ad tempus* deſcripta populi ſi favore magis, quàm re, legum nomen tenent. omnem enim legem, quæ quidem rectè lex appellari poſſit, eſſe laudabilem, quibuſdam talibus argumentis docent. Conſtat profectò AD SALUTEM CIVIUM, civitatumque incolumitatem, vitamque hominum quietam, & beatam, INVENTAS ESSE LEGES: eoſque, qui primùm ejuſmodi ſcita ſanxerint, populis oſtendiſſe, ea ſe ſcripturos, atque laturos, [4] quibus illi adſcriptis, ſuſceptiſque, *honeſtè, beateque viverent*: quæque ita compoſita, ſanctaque eſſent, eas LEGES videlicet nominarunt. Ex quo intelligi par eſt, eos, qui *pernicioſa*, *& injuſta populis juſſa* deſcripſerint, cùm contrà fecerint, quàm polliciti, profeſſique ſint, quidvis potiùs tuliſſe, quàm leges: ut perſpicuum eſſe poſſit, in ipſo nomine legis interpretando ineſſe vim, & ſententiam juſti, [5] & juris legendi. Quæro igitur à te, Quincte, ſicut illi ſolent; Quo SI CIVITAS careat, ob eam ipſam cauſam, quòd eo careat, pro nihilo habenda ſit, id eſtne numerandum in bonis? Qu. Ac maximis quidem. M. Lege autem carens civitas, anne ob ipſum habenda nullo loco? Qu. Dici aliter non poteſt. M. Neceſſe eſt igitur, legem haberi in rebus optimis. Qu. Prorſus aſſentior. M. Quid, quod multa pernicioſè, multa peſtiferè ſciſcuntur in populis, quæ non magis legis nomen attingunt, [6] quam ſi latores aliqua conceſſu ſuo ſanxerint? Nam neque *medicorum præcepta* dici verè poſſent, ſi quæ inſcii, imperitique pro ſalutaribus mortifera conſcripſerint: neque in populo lex, cuicuimodi fuerit illa, etiam ſi pernicioſum aliquid populus acceperit. Ergo eſt lex, juſtorum injuſtorumque diſtinctio, ad illam antiquiſſimam, & rerum omnium principem expreſſa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ *ſupplicio*
improbos afficiunt, *defendunt*, *ac tuentur bonos*. Præclarè 6
intelligo: nec verò jam aliam eſſe ullam legem puto non modò habendam, ſed ne appellandam quidem. M. [7] Igitur tu Titias, & Apulejas leges nullas putas? Qu. Ego verò ne Livias quidem. M. Et rectè, quæ præſertim uno verſiculo ſenatus, puncto temporis ſublatæ ſint: lex autem illa, cujus vim explicavi, neque tolli, neque abrogari poteſt. Qu. Eas tu igitur leges rogabis videlicet, quæ numquam abrogentur. M. Certè, ſi modò acceptæ à vobis duobus erunt. Sed, ut vir doctiſſimus fecit Plato, atque idem graviſſimus philoſophorum omnium, qui princeps de rep. conſcripſit, idemque ſeparatim de legibus ejus, id mihi credo eſſe faciendum; ut priuſquàm ipſam legem recitem, de ejus legis laude dicam. quod idem & Zaleucum, & Charondam feciſſe video; cùm quidem illi non ſtudii, & delectationis, ſed reip. cauſa leges civitatibus ſuis ſcripſerunt. Quos imitatus Plato, videlicet hoc quoque legis putavit eſſe, *perſuadere* aliquid, non omnia *vi ac minis* cogere. Qu. Quid, quod Zaleucum iſtum negat ullum fuiſſe Timæus? M. At Theophraſtus auctor haud deterior, mea quidem [8] ſententia; meliorem multi nominant: commemorant verò ipſius cives, noſtri clientes, Locri. Sed ſive fuit, ſive non fuit, nihil ad rem. loquimur, quod
traditum eſt. Sit igitur hoc à principio perſuaſum civibus, 7
DOMINOS ESSE OMNIUM RERUM, AC MODERATORES DEOS, eaque quæ gerantur, eorum geri [9] vi, ditione, ac numine, eoſdemque optimè de genere hominum mereri, &, qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri: piorumque, & impiorum *habere rationem*. his enim rebus imbutæ mentes, haud ſanè [10] abhorrebunt ab utili, & à vera ſententia. Quid eſt enim verius, quàm neminem eſſe oportere tam ſtultè arrogantem, ut in ſe rationem, & mentem, putet ineſſe, in cœlo, mundoque non putet? aut ut ea, quæ vix ſumma ingenii ratione comprehendat, nulla ratione moveri putet? quem verò *aſtrorum* ordines, quem *dierum*, *noctiumque* viciſſitudines, quem *menſium* temperatio, quemq; ea, quæ gignuntur nobis ad fruendum, non *gratum* eſſe cogant; hunc hominem omninò numerare quî decet? cumque omnia, quæ rationem habent, præſtent iis, quæ ſint rationis expertia, nefaſque ſit dicere, ullam rem præſtare naturæ

1. SI IN JUS VOCAT, *atque ejuſmodi alias; leges, &c.*] Secutus ſum Pal. quartum; neque abibat tertius, niſi quod is, *atque ad ejuſmodi, &c.* quid quod ne quoque præierit mihi Aldus avus & Nepos; ut nimirum Tullius principium modò legis laudarit. ſequentes editiones adjecere VOCAT ATQUE, EAT, *ejuſmodi, &c.* quò Juriſconſultis nonnullis crucem fixerunt. certè Cujacius lib. VII. Obſervat. cap. 16. legere capitur, VOCAT, NEI EAT. Carrio contra defendit alterum lib. II. Emendat. cap. 12. *atque* enim idem eſſe, quod *ſtatim*, quod ipſum triginta aliquot ante annos prodiderat Turnebus.

2. *Cum in homine eſt perfecta, eſt in mente ſapientis.*] Hæc eſt lectio recepta, quam & mirè probat Turnebus, reperique in Pall. & Fabr. ipſe edidit, *eſt perfectum in mente.* quod & exſtat in S. Victoris, expreſſitque editione ſua Petr. Victorius. Lambinus multa interjicit de ſuo; & nobis ludos facit.

3. *Variè & ad tempus deſcripta populi ſi favore, &c.*] Sic uno conſenſu Vict. & Turnebus; ſecutuſque eſt Aldus Nepos. nam Lambinus adhæſit vulgatæ, *variæ & ad tempus ſcriptæ, populi favore.* Pal. quart. exhibet, *variæ & ad tempus deſcriptæ, populi favorem magis quàm legum nomen tenent.* cui & ſuus quoque ſenſus.

4. *Quibus illi adſcriptis ſuſceptiſque.*] Pall. & Fab. & S. Vict. *illis aſcriptis.* notavitque Gulielmius, *à* literam puncto ſignatam. mihi edita ſatisfacit.

5. *Et juris legendi.*] Ita Turnebi editio, nam Victorii & *vim legendi.* communis lectio *juris colendi*; cui aſſentitur Pal. tert. ſed quart. habet *& jurulenti.*

6. *Quam ſi latores aliqua conceſſu ſuo ſanxerint.*] Legit Gulielmius, *latrones conſeſſu ſuo.* quod verum videtur: certè præponendis tribus quatuor conjectaneis Lambini. eodem modo conjecit Lipſius lib. II. Antiq. cap. 2.

7. *Ergo tu Titias & Apulejas.*] Scriptura iſta vera eſt; neque aliter codex S. Victoris & ii quos excuſſit Petrus Victorius; niſi quod iis unitâ dictione *Tutias.* male reſcribendum enim fuerat veteri ratione literarum, *tu* TIAS, quod valeret *tu Titias.* bis enim legendum illud TI majuſculum; ſuppeditantque exempla Pandectæ Florentinorum. cur *tu* arbitratus ſim requiri, facit reſponſio Quinti; *Ego verò, &c.* Petr. Pithœus lib. II. Adverſ. ſubſec. cap. 2. inclinat reponere *Turias*, aut *Torias.* videantur ibidem rationes ejus minime frivolæ.

8. *Sententia; meliorem multi nominant.*] Lipſius lib. II. Variarum cap. II. labem hujus ſententiæ auferre conatur, reſcribendo, *ſententia melior, cùm multis commemorat.* ingenioſè. Turnebus monuit alios legere, *ſententia melior, multi memorant.*

9. *Vi, ditione, ac numine.*] Eſt à Turnebiana. quippe Victorina omiſit illud *vi.* quod nec in Palat. quarto. vulgata, *judicio, numine.*

10. *Abhorrebunt ab utili & à vera ſententia.*] Pall. *utili ac vera ſententia.*

naturæ omnium rerum: rationem ineſſe in ea, confitendum eſt. Utileis eſſe autem opiniones has, quis neget, cùm intelligat, quam multa firmentur *jurejurando*, [1] quantæ ſalutis ſint fœderum religiones? quam multos divini *ſupplicii metus* à ſcelere revocarit? quamque ſancta ſit *ſocietas civium* inter ipſos, diis immortalibus interpoſitis tum judicibus, tum teſtibus? Habes legis prooemium: ſic enim hoc appellat Plato. Qu. Habeo verò, frater: & in hoc admodum delector, quòd in aliis rebus, aliiſque ſententiis verſaris, atque ille. nihil enim tam diſſimile eſt, quam vel ea, quæ antè dixiſti, vel hoc ipſum legis exordium. Unum illud mihi vidêris imitari, orationis genus. M. Vellem fortaſſe. quis enim id poteſt, aut umquam poterit imitari? nam ſententias interpretari perfacile eſt. Quod quidem ego facerem, niſi plane eſſe vellem meus. quid enim negotii eſt, eadem, propè verbis iiſdem converſa, dicere? Qu. Prorſus aſſentior. Verùm, [2] ut modò tute dixiſti, te eſſe mâlo tuum. Sed jam exprome, ſi placet, iſtas leges de religione. M. Expromam equidem, ut potero: &, quoniam & locus, & ſermo, familiaris eſt, legum leges voce proponam. Qu. Quidnam id eſt? Sunt *certa legum verba*, Quinte, neque ita priſca [3] ut in veteribus ex his, ſacratiſque legibus, & tamen, quo plus auctoritatis habeant paullo antiquiora, quàm hic ſermo eſt. Eum morem igitur cum brevitate, ſi potero, conſequar. Leges autem à me edentur non perfectæ: nam eſſet infinitum: ſed ipſæ [4] ſummæ rerum, atque ſententiæ. Qu. ita verò neceſſe eſt. quare audiamus verba legis:

8 M. AD DIVOS ADEUNTO CASTE. *Pietatem adhibento. opes amovento. Qui ſecus faxit, deus ipſe vindex erit. Separatim nemo habeſſit deos, neve novos: ſed ne advenas, niſi publice adſcitos, privatim colunto. conſtructa à patribus delubra habento. lucos in agris habento & larum ſedes. ritus familiæ, patrumque ſervanto. divos, & eos, qui cœleſtes ſemper habiti, colunto, & ollos,* [5] *quos endo cœlo merita vocaverint, Herculem, Liberum, Æſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum. aſt olla, propter quæ datur homini adſcenſus in cœlum, Mentem, Virtutem, Pietatem, Fidem, earumque laudum delubra ſunto.* [6] *Nec ulla vitiorum ſacra ſollemnia obeunto. Feriis jurgia amovento, eaſque in Famulis, operibus patratis, habento.* [7] *itaque, ut ita cadat in annuis amfractibus, deſcriptum eſto. certaſque fruges, certaſque bacas ſacerdotes publice libanto: hoc certis ſacrificiis, ac diebus.* [8] *Itemque alios addes ubertatem lactis, fœtuſque ſervanto.* [9] *Id quod ne committi poſſit,* [10] *ad eam rem, rationem curſus annuos ſacerdotes finiunto. Quæque quoique divo decoræ, grataeque ſint hoſtiæ, providento:* [11] *diviſque aliis alii ſacerdotes, omnibus pontifices, ſingulis flamines ſunto. Virgines Veſtales in urbe cuſtodiunto ignem foci publici ſempiternum. Quodque hæc privatim, & publicè modo, rituque fiat, diſcunto ignari à publicis ſacerdotibus. Eorum autem duo genera ſunto; unum, quod præſit cæremoniis, & ſacris: alterum,* [12] *quod interpretetur fatidicorum, & vatum effata incognita cùm ſenatus, populuſque adſciverit. Interpretes autem Jovis optimi maximi, publici augures ſignis, &* [13] *auſpiciis poſtea vidento, diſciplinam tenento. Sacerdotes vineta, virgetaque, & ſalutem populi auguranto, quique agent rem duelli, quique popularem, auſpicium præmonento; ollique obtemperanto.* [14] *divorumque iras providento, iiſque apparento. cœlique fulgura regionibus ratis temperanto: urbemque & agros, & templa liberata, & effata habento:* [15] *quæque augur injuſta, nefaſta,* [16] *vitioſa, dira defixerit,* [17] *irrita, infeſtaque ſunto: quique non paruerit, capitale eſto. Fœderum, pacis,* 9 *belli, induciarum oratores, fetiales* [18] *judices duo ſunto. bella, diſceptanto. Prodigia, portenta ad Etruſcos, & haruſpices* [19] *ſi ſenatus juſſerit, deferunto: Etruriaque principes diſciplinam docento. Quibus divis creverint, procuranto iidemque fulgura, atque obſtita pianto. Nocturna mulierum ſacrificia ne ſunto, præter olla, quæ pro populo ritè fiant. Neve quem initianto, niſi ut aſſolet Cereri, Græco ſacro Sacrum commiſſum quod neque expiari poterit, impie commiſſum eſt: quod expiari poterit, publici ſacerdotes expianto. Ludis publicis, quod ſine curriculo, & ſine certatione corporum fiat, popularem lætitiam in cantu, & fidibus, & tibiis moderanto, eamque cum divûm honore jungunto. Ex patriis ritibus optuma colunto. præter Idææ matris famulos eoſque juſtis diebus, nequis ſtipem cogito. Sacrum, ſacrove commendatum* [20] *qui clepſerit, rapſeritque, parricida eſto. Perjurii pœna divina exitium: humana, dedecus. Inceſtum pontifices ſupremo ſupplicio ſanciunto. Impius ne audeto placare donis iram deorum. Cautè vota reddunto. Pœna violati juris eſto.* [21] *Quocirca ne quis agrum conſecrato auri,*

1. *Quantæ ſalutis ſint fœderum religiones.*] Eſt à mſſ. noſtris quatuor, neque à ſter Vict. aut Turn. quos & ſecutus Manut. Nepos.

2. *Ut modò tute dixiſti.*] Pal. quartus *tupte.* quod an temerarium ſit, neſcio.

3. *Ut in veteribus ex his ſacratiſque legibus.*] Hæc eſt ſcriptura codicum noſtrorum, neque abeunt Victoriani, in quibus *ex is ſacratiſque.* Turnebus aliquando putavit legendum *ſaxis*, aliquando *Oſcis*, aliquando *regiis.* ſed Cujacius malebat *veteribus.* XII. *ſacratiſque.* videatur libro V. Obſerv. cap. 21. Gulielmius, *veteribus ex* XII. *ſacratiſque.* quod ultimum animo maximè ſatisfacit.

4. *Summæ rerum atque ſententiæ.*] Ita mſſ. noſtri omnes. nam vulgata, *ac ſententiæ.* haud tamen diſplicet quod publicavit Victorius, *ſummæ rerum ſententiæ.*

5. *Quos endo cœlo merita vocaverint.*] E tenebris iſtud eruit ſolertiſſimus Victorius. allubeſcunt etiam huic ſcripturæ liber S. Victoris, in quo *quos ſecundo cœlo.* Pal. quartus, qui, *in aſciſcendo cœlo.* Fabr. ubi, *nanciſcendo cœlo.* ceterum nordum videtur locus perſanatus. nam Lactantius laudat, *locaverunt*; & ſic loquitur ipſe Tullius lib. III. de offic. cap. 5. Iſtudque ipſum aliquando divinarat Notis in Catullum Janus Douſa filius cap. 2. cujus immatura morte inſignem alumnum amiſerunt Muſæ ac Gratiæ, ego vero æqualem eximium. Vulgatur hodie, *quos in cœlum merita voc.*

6. *Nec ulla vitiorum ſacra.*] Pal. quart. *Neucula.* Fabr. *Neucula.* S. Vict. *nucula.* unde Gulielmius facit, *neve ulla.* Turnebus autumat illud *nucula* eſſe poſſe vocem ipſam, qua tunc loquebantur; cum ab iis etiam *nungiuus* pro *nullus* dictum eſſe annotetur.

7. *Itaque ut ita cadat, ann. anfr. deſ. eſto.*] Ita noſtri libri, & publicati per Victorium. verum Turnebiani; *cadant.*

8. *Itemque alios ad dies.*] Debetur editioni Turnebianæ. nam aliæ, ut & mſſ. noſtri, *addes* nullo ſenſu. Steph. Pighius lib. III. Faſtorum malebat adhuc vocula tranſpoſita, *alios dies ad.* quod loqui videatur de feriis conceptivis.

9. *Id quod ne committi.*] Eſt & iſtud ab eadem. ceteræ enim, *Idque ne comm.*

10. *Ad eam rem, rationem, curſus, &c.*] Haud aliter mſſ. noſtri aliorumque, Turnebus tamen malebat *ratione*: niſi velimus idem valere alterum ſcriptura priſca; ut *ætatem*, aliaque.

11. *Diviſque aliis alii ſacerdotes.*] Sic Aldi vetus. nam Victorina, Turnebiana, item mſſ. noſtri quatuor excludunt illud *alii.*

12. *Quod interpretetur fatidicorum.*] Quod eſſet in membranis S. Victoris *faticorum*, legebat Gulielmius *fanaticorum.*

13. *Et auſpiciis poſtea vidento.*] Lamb. *poſtera*, contra mſſ. & edd. Gulielmius, licet ſciret vulg. probari à J. Scalig. in Conjectaneis ad Varronem, juſſit nos videre num legendum ſit, *hoſtia, aut poſca.*

14. *Divorumque iras.*] Claud. Puteanus malebat *divumque.*

15. *Quæque Augur injuſta, nefaſta, vitioſa, dira defixerit.*] Quid enim eſſet, *dira & injuſta defigere?* melius alii ſcribunt: *vitioſa, dira deixerit*, hoc eſt, dixerit. *Defigere* diris aliquem, incantationibus, maleficis herbis & aliis veneficiis ſagæ dicebantur, hoc eſt, πήξαι καὶ καταδεσμεῖν. At *verba defigere*, aut imagines quid ſit neſcio. *Salmaſ.*

16. *Vitioſa dira defixerit.*] Lipſius lib. IV. Epiſtol. quæſt. cap. 11. arbitratur ſcriptum antiquitus, *deixerit.* neque enim heic aptum videri *defixerit.* at mihi videtur aptiſſimum. conſulatur modo ad hunc locum ſummus ille Criticorum Turnebus.

17. *Irrita infeſtaque ſunt.*] Obſecutus ſum libris ineditis, in quibus hæc lectio; probabatque etiam præ vulgato, *infecta*, Turneb.

18. *Judices duo ſunto.*] Melius iſtud longe quàm quomodo olim vulgati, *judices ne ſunto*; aut mſſ. *non ſunto*; qui error inde ortus, quod virgula jaceret ſuper binarium numerum. videatur Turnebus.

19. *Si ſenatus juſſerit.*] Mſſ. noſtri omn. *juſſit*, ſicque editi à Turnebo, antiqua ſcilicet ſcribendi ratione.

20. *Qui clepſerit rapſeritque.*] Turnebus *clepſit rapſitque*, veteri pronuntiatione; etiamſi non neget in mſ. ſuo eſſe *clepſerit*; quod ipſum probatur Scaligero ad Varronem. Fab. favet ſcripturæ mediæ. nam Pall. & S. Victoris; *qui clepſerit rapſitque.*

21. *Quocirca ne quis agrum conſecrato.*] Claud. Puteanus delendum putabat, *Quocirca*, tranſlatum ex interpretatione Platonis, quæ infra ſequitur.

1. *Sum-*

auri, argenti, eboris ſacrandi modus eſto. Sacra privata, perpetua, manento. Deorum manium jura, ſancta ſunto. Hos leto datos, divos habento. [1] *Sumtum in ollos luctumque minuunto.*

10 ATT. Concluſa quidem eſt [2] à te tam magna lex, ſanè quàm brevi: &, ut mihi quidem videtur, non multùm diſcrepat iſta conſtitutio religionum à legibus Numæ, noſtriſque moribus. M. An cenſes, cùm in illis *De republica* libris perſuadere videatur Africanus, omnium rerumpub. noſtram veterem illam fuiſſe optimam, non neceſſe eſſe optimæ reip. leges dare conſentaneas? ATT. Immò prorſus ita cenſeo. M. [3] Ergo adeò exſpectate leges, quæ genus illud optimum reip. contineant: &, ſi quæ forte à me hodie rogabuntur, quæ non ſint in noſtra rep. nec fuerint, tamen erant ferè *in more majorum: qui tum, ut lex, valebat.* ATT. Suade igitur, ſi placet, iſtam ipſam legem, [4] ut ego, UT EI ROGAS, poſſim edicere. M. Ain tandem, Attice, non es edicturus aliter? ATT. Prorſus majorem quidem rem nullam ſciſcam aliter. in minoribus, ſi voles, remittam hoc tibi. [5] M. Atque mea quidem ſententia eſt. At ne longum fiat, videte. ATT. Utinam quidem. quid enim agere malumus? M. *Caſtè* jubet lex *adire ad deos*, animo videlicet, in quo ſunt omnia: nec tollit caſtimoniam corporis: ſed hoc oportet intelligi, cùm multùm animus corpori præſtet; obſerveturque, ut [6] caſta corpora adhibeantur, multo eſſe in animis id ſervandum magis. nam illud vel aſperſione aquæ, vel dierum numero tollitur: animi labes nec diuturnitate vaneſcere, [7] nec amnibus ullis elui poteſt. Quòd autem *pietatem adhiberi*, *opes amoveri* jubet, ſignificat, probitatem gratam eſſe deo: ſumtum eſſe removendum. quid eſt enim cùm paupertatem divitiis etiam inter homines eſſe æqualem velimus, cur eam, ſumtu [8] ad ſacra addito, deorum aditu arceamus? præſertim cùm ipſi deo nihil minùs gratum futurum ſit, quàm non omnibus patère ad ſe placandum, & colendum viam. [9] Quòd autem non judex, ſed *deus ipſe vindex* conſtituitur; præſentis pœnæ metu religio confirmari videtur. *Suoſque deos*, aut *novos*, aut *alienigenas coli*, confuſionem habet religionum, & ignotas [10] cærimonias. non à ſacerdotibus, non à patribus acceptos deos, ita placet coli, ſi huic legi paruerunt ipſi. Patrum delubra eſſe in urbibus cenſeo: nec ſequor magos Perſarum: quibus auctoribus Xerxes inflammaſſe templa Græciæ dicitur, quòd *parietibus includerent deos*, quibus omnia deberent eſſe patentia, ac libera, quorumque hic mundus omnis templum eſſet, & domus. Meliùs Græci, 11
atque noſtri: qui, ut augerent pietatem in deos, eaſdem illos, quas nos, urbeis incolere voluerunt. affert enim hæc opinio religionem utilem civitatibus: ſiquidem & illud benè dictum eſt à Pythagora, doctiſſimo viro, *tum maxime, & pietatem, & religionem verſari in animis, cùm rebus divinis operam daremus.* [11] & quod Thales, qui ſapientiſſimus in ſeptem fuit, *homines exiſtimare oportere, omnia quæ cernerentur, deorum eſſe plena:* fore enim omnes caſtiores, [12] veluti qui in fanis eſſent maximè religioſis. eſt enim quadam opinione ſpecies deorum in oculis, non ſolùm in mentibus. Eamdemque rationem *luci* habent in agris. Neque ea, quæ à majoribus prodita eſt cùm dominis, tum famulis, poſita in fundi, villæque conſpectu, *religio Larum*, repudianda eſt. Jam *ritus familiæ, patrumque* ſervare, id eſt (quoniam antiquitas proximè accedit ad deos) à diis quaſi traditam religionem tueri. Quòd autem *ex hominum genere conſecratos*, ſicut Herculem, & ceteros, coli lex jubet, indicat omnium quidem animos immortaleis eſſe, ſed fortium, bonorumque divinos. Bene verò, quòd *Mens*, *Pietas*, *Virtus*, *Fides*, conſecratur manu: quarum omnium Romæ dedicata publicè templa ſunt, ut illa qui habeant (habent autem omnes boni) deos ipſos in animis ſuis collocatos putent. * Nam illud vitioſum Athenis, quòd, Cylonio ſcelere expiato, Epimenide Crete ſuadente, fecerunt *Contumeliæ fanum*, & *Impudentiæ*. virtutes enim non vitia conſecrare decet. [13] Araque vetus ſtat in Palatio, *Febris*: & altera Eſquiliis, [14] *Malæ Fortunæ*, deteſtatæque. quæ omnia ejuſmodi repudianda ſunt. Quòd ſi fingenda nomina, [15] *Vicepotæ* potiùs vincendi, atque potiundi, [16] ſtataſſandique cognomina, *Statoris*, & *Invicti Jovis*: rerumque expetendarum nomina, *Salutis*, *Honoris*, *Opis*, *Victoriæ*: [17] quoniamque exſpectatione rerum bonarum erigitur animus,

1. *Sumptum in ollos luctumque minuunto.*] Pal. quart. *lucrumque.* S. Vict. *luſcumque.* unde facit Gulielmius, *luxumque.* non benè. nam duo vetat, & *luxum & luctum.* luxus ineſt voci *ſumptum.*

2. *A te tam magna lex ſanè quàm brevi.*] Ita Aldi vetus editio, niſi quod addita literula *brevis.* unde putabat Gulielmius edendum, *brevi: ſed, ut mihi.* Victorius publicavit, *breviter*, omiſitque *tam*, quod nec in Turnebiano. retinui ego quod extaret in Pal. quart. eſſetque in ceteris, *altera magna.* ubi aperte videntur elementa ejuſdem voculæ.

3. *Ergo adeo exſpectate leges.*] Reduxi veterem ſcripturam Aldi. nam Victorii, Turnebi, Camerarii, Sturmii, Bruti editiones, *exſpectatæ:* neque auſus fuiſſem mutare, niſi vidiſſem meam in Aldina ultima. pro qua tamen nimium nolim pugnare; imò ne rixari quidem.

4. *Ut ego* UT EI ROGAS *poſſim edicere.*] Libuit ita ſcribere quod inde ortam putarem lectionem vulgatam, *ut ego* UT ET TU ROGAS. quod extat quidem in Pal. tert. ſed reſpuunt alii, in quibus, *ut ego, & tu rogas.*

5. *M. Atque mea quidem ſententia eſt.*] Turnebus hæc adhuc relinquit Attico. non video tamen quam appoſitè. imo ne quidem quomodo dicantur à Tullio; ſuſpicorque attribuenda *Quinto.* certè mſſ. Pall. diſertè nomen ejus præpoſuere infra illis, *Utinam quidem*; rectèque factum, inde magis inducor, quod Cicero inferat: *At ne longum fiat, videte*; non, *vide*, ut debebat ſoli Attico reſponſurus. Pal. tert. repræſentat, *Atque quidem mea ſententia eſt.* ut adhuc fortaſſe reſcribi debeat: *Q. Atque idem mea ſententia eſt*, nam quartus ferè habet; *Atque hæc mihi ea quidem ſentent.*

6. *Caſta corpora adhibeantur.*] Eſt a libris noſtris antiquis, item Vict. & Turn. editionibus priores, *caſto corpore adeatur.*

7. *Nec amnibus ullis.*] Non dubitavi admittere id quod ſententia omninò requirebat. vulgati *manibus*; quod quidem in pal. tert. verùm quartus. Fabr. S. Vict. diſerte *amanibus.*

8. *Ad ſacra addito.*] Habent & iſtud iidem libri editi ſcriptique, niſi quod Turnebiana ſtet pro vulgata, quæ *adhibito.*

9. *Quod autem non judex.*] Fere non diſplicet ſcriptura Pall. & Fabr. *non homo judex.*

10. *Cærimonias non à ſacerdotibus, non à patribus acceptos Deos, ita placet coli.*] Secutus ſum, quod repererunt in ſuis Victorius ac Turnebus. ſolummodò diſtinctio noſtra eſt. quam tamen, ita me Deus amet, vix intelligo. quare hæreo adhuc; hæreo. vulgata habebat, *cæremonias etiam ſacerdotibus. nam à patribus acceptos, &c.* neque aliter Aldi vetus, quam quod ea; *eſſe ſacerdotibus*: propius ad manuſcriptos noſtros, in quibus, *cæremonias noſſe ſacerdotibus. nam patribus acceptos, &c.* Tu Mercere, tu Guitheri, tu Rigalti, ſuccurrite.

11. *Et quod Thales, qui, &c.*] Lamb. *& quod à Thale*; ſed nullo ſuffragante mſſ. ſi quid mutandum, maluiſſem. *& quid Thales, &c.*

12. *Veluti qui in fanis eſſent maximè religioſis.*] Retinui Lambinianum, natum e conjectura Turnebi, *velutique in fanis eſſent, maximè religioſos.* vulgata ſine ſenſu: *veluti quo infans eſſet maximè religioſus*, quod & in Pall. tert. nam quart. *caſtiores quo infans eſſet religioſus*, excluſis ceteris.

13. *Araque vetus ſtat in Palatio Febris.*] Pal. quart. *Araque vetuſtiſſima eſt Palatio Febris.*

14. *Malæ fortunæ, deteſtatæque. quæ omnia ejuſmodi.*] Nihil adjuvant heic membranæ noſtræ. nam Pal. tert. ſtat a vulgato. quartus verò legit, *deteſtataque hujuſmodi repudienda ſunt.* S. Vict. *deteſtataque omnia ejuſmodi rep.* nec aliter Fabr. niſi quod is, *deteſtataque.* videatur Turnebus lib. XIV. cap. 6.

15. *Vicepotæ.*] Verbi hujus reſtitutio, debita Errici Memmii libris: qui eam communicavit Nicolao Fabro, à quo primum prodita fuit in Notis ad Senecam de Morte Claudii. exinde & Jacobus Schegkius idem conjecit Premeſſo Obſervat. Epiſtol. 1. Nos de voce iſta multa quoque ad eundem Senecam in animadverſiobus noſtris ante luſtra bis duo.

16. *Stataſſandi, &c.*] Adhuc medicas expectat manus hic locus. Memmius e libro ſuo exhibuit *ſtaſſandi.* ſed non ſatisfacit, non magis quàm Schegkiana conjectura *ſiſſendoque.* in voce enim tam plana non ita hærent librarii, aut tam longè divertunt. Palat. tert. ſtat à vulgata, ut & Fabr. niſi quod una littera *ſtataſandi.* quartus habebat, *ſtacaſſandi.* codex S. Victoris *ſtharaſandi.* ex quo fingebat Gulielmius noſter, *& Ara ſancti.* ſed tali malagmate non ſanatur iſtud vulnus.

17. *Quoniamque exſpectatione, &c.*] Arrogat conjecturam hanc ſibi Lambinus, quomodo tamen dudum antea ediderat Petr. Victorius. vulgata, *quoniam quidam exſp.* quæ & in mſſ. noſtris.

mus, rectè etiam à Calatino *Spes* conſecrata eſt : *Fortunaque* ſit [1] vel *Hujuſce diei*, nam valet in omnes dies : vel *Reſpiciens*, ad opem ferendam, vel *Fors*; in quo incerti caſus ſignificantur magis, vel *Primigeniam*, [2] à gignendo comes. tum.

Deſunt pauca.

12 * *Feriarum* feſtorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium, & jurgiorum : in ſervis, operum, & laborum : [3] quas compoſitor anni conferre debet [4] & ad perfectionem operum ruſticorum. quod tempus, ut ſacrificiorum libamenta ſerventur, fœtuſque pecorum, quæ dicta in lege ſunt; diligenter habenda ratio intercalandi eſt quod inſtitutum peritè à Numa; poſteriorum pontificum negligentia diſſolutum eſt. Jam illud ex inſtitutis pontificum, & haruſpicum, non mutandum eſt, quibus *hoſtiis immolandum* cuique deo, cui majoribus, cui lactentibus, cui maribus, cui fæminis. [5] Plures autem deorum omnium, ſinguli ſingulorum ſacerdotes, & reſpondendi juris, & [6] confitendarum religionum facultatem afferunt. Cumque *Veſta*, [7] quaſi focum urbis, ut Græco nomine eſt appellata (quod nos propè idem Græcum interpretatum nomen tenemus) complexa ſit; ei colendæ virgines præſint, ut advigiletur faciliùs ad cuſtodiam ignis, & ſentiant mulieres [8] in natura fæminarum omnem caſtitatem pati. Quod ſequitur verò, non ſolùm ad religionem pertinet, ſed etiam ad civitatis ſtatum, ut ſine iis, qui ſacris publicè præſunt, religioni privatæ ſatisfacere non poſſint. [9] continet enim, reip. conſilio, & auctoritate optimatium ſemper populum indigere. *Deſcriptioque ſacerdotum*, nullum juſtæ religionis genus prætermittit. nam ſunt ad placandos deos alii conſtituti, qui ſacris præſint ſollemnibus : ad interpretanda alii prædicta vatum; neque multorum, ne eſſet infinitum, [10] neq; ut ea ipſa, quæ ſuſcepta publicè eſſent, quiſquam extra collegium noſſet. Maximum autem & præſtantiſſimum in rep. jus eſt *augurum*, & cum auctoritate conjunctum. neque verò hoc, quia ſum ipſe augur, ita ſentio, ſed quia ſic exiſtimare nos eſt neceſſe. Quid enim majus eſt, ſi de jure quærimus, quam poſſe à ſummis imperiis, & ſummis poteſtatibus [11] comitiatus & concilia, vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? quid gravius, quàm rem ſuſceptam dirimi, [12] ſi unus augur ALIUM dixerit? quid magnificentius, quàm poſſe decernere, ut magiſtratu ſe abdicent conſules? [13] quid religioſius, quàm cum populo, cum plebe agendi jus; aut dare, aut non dare? quid? legem, ſi non jure rogata eſt, tollere? [14] ut Tetiam decreto collegii; ut Livias, conſilio Philippi, conſulis, & auguris : [15] nihil domi, nihil foris per magiſtratus geſtum, ſine eorum auctoritate poſſe cuiquam probari? ATT. Agè, 13 jam iſta video, fateorque eſſe magna : ſed eſt in collegio veſtro inter Marcellum, & Appium, optimos augures, magna diſſenſio. nam eorum ego in libros incidi : cùm alteri placeat, auſpicia iſta *ad utilitatem eſſe reip.* compoſita: alteri diſciplina veſtra [16] quaſi divinare videatur prorſus poſſe. hac tu de re, quæro quid ſentias. M. Egone? divinationem, quàm Græci μαντικὴν appellant, eſſe cenſeo, & hujus hanc ipſam partem, quæ eſt in avibus, [17] ceteriſque ſignis diſciplinæ noſtræ, quòd cum ſummos deos eſſe concedamus, *eorumque mente mundum regi*, & eorundem benignitatem hominum conſulere generi, & poſſe nobis ſigna rerum futurarum oſtendere, non video cur eſſe divinationem negem. Sunt autem ea, quæ poſui, ex quibus id, quod volumus, efficitur, & cogitur. Jam verò permultorum exemplorum & noſtra eſt plena reſp. & omnia regna, omneſque populi, cunctæque gentes augurum, prædictis multa *incredibiliter vera cecidiſſe.* [18] neque enim Poletis, neque Melampodis, neque Mopſi, neque Amphiarai, neque Calchantis, neque Heleni tantum nomen fuiſſet, neque tot nationes id ad hoc tempus retinuiſſent, [19] Arabum, Phrygum, Lycaonum, Cilicum, maximeque Piſidarum, niſi *vetuſtas* ea certa eſſe docuiſſet : nec verò Romulus noſter auſpicatò urbem condidiſſet, neque Attii Navii nomen memoria floreret tam diu, niſi hi omnes multa ad veritatem admirabilia dixiſſent. Sed dubium non eſt, quin hæc diſciplina, & ars augurum evanuerit jam & *vetuſtate*, & *negligentia*. Itaque neque illi aſſentior, qui hanc ſcientiam negat umquam in noſtro collegio fuiſſe: neque illi, qui eſſe etiam nunc putat. quæ mihi videtur apud majores fuiſſe dupliciter, ut *ad reip. tempus* nonnumquam, ad *agendi conſilium* ſæpiſſimè pertineret. A. Credo, hercle,

1. *Vel hujuſce diei.*] Valet *hujuſque diei*, id eſt uniuſcujuſque diei; de quo pulcre multa libro 1. de Formulis Briſſonius, qui conſulatur. *Hujuſce* autem eſt in Pal. tert. & Fab. item editis a Victorio & Turnebo. nam priores & poſteriores, *hujus diei*.

2. *A gignendo comes. tum.*] Ita duo è mſſ. noſtris, niſi quod ii junctim *comeſtum*. videatur Turnebus. vulgata *cùm eſt*. quod Aldus Junior annectit ſequentibus, hoc modo : *cùm eſt feriarum*, &c.

3. *Quas compoſitor anni*, &c.] Huic quoque ſcripturæ accedit Pal. quart. publicati, *compoſitio anni*. adeantur P. Victorii Variæ lect. lib. XXXVI. cap. 6.

4. *Et ad perfectionem op. ruſt.*] Eſt ab eodem quarto, item Franciſci Fabritii libro. vulgata, *& perfect.* Vict. & Turn. *ad perf.* ſine copula antecedenti.

5. *Plures autem Deorum omnium, ſinguli ſingulorum ſacerdotes*, &c.] Lipſius lib. 2. cap 11. Antiq. lectionum putat locum mancum, interponendumque, *omnium pontifices ſinguli*. ſed poteſt ἀπὸ τοῦ κοινοῦ intelligi, *ſacerdotes*.

6. *Conferendarum religionum.*] Eſt ab antiquo codice Paulli Manutii. quippe vulgo recepta lectio, *confitendarum*; quod utcunque explicat Turnebus. Idem noſter Lipſius divinat *cum fide tuendarum relig.* ingenioſe. Palat. noſter quart. habet, *confitendorum*.

7. *Quaſi focum urbis complexa ſit.*] Ita editio Turnebi, & alludunt aliquot mſſ. antiquiores tamen, *focus urbis conſpexa*, quomodo item exſtat in Victoriana. nam lectio communis, *focis urbis conſpecta ſit*.

8. *In natura feminarum omnem caſtitatem pati.*] Longè iſtud animo vetuſtius illo Turnebiano, *peti*, licet probatum Lambino, Aldoque Nepoti. quid quod iſtud exſtat in omnibus membranis noſtris. olimque cuti, *omnium Deûm caſt. pati.*

9. *Continet enim, reipubl. conſilio.*] Petri Victorii editio, *R. P.* quod & in Pal. tert. Turnebi, *rempub.* quod & alii ſecuti ſunt. noſtrum iſtud, eſt in omnibus impreſſis, agnoſcuntque mſſ. caſtiores.

10. *Neque ut ea ipſa*, &c.] Lambin tanquam ſi locus eſſet defectioſus, adjecit de ſuo, *neque paucorum librorum, ne ea.* Phuy!

11. *Comitiatus & concilia, vel inſtituta*, &c.] Haud aliter ferè mſſ. noſtri : prodideruntque Victorius ac Turnebus. malè, vulgata, *comitia tollere? conſilia vel inſtit.*

12. *Si unus augur* ALIUM *dixerit.*] Id eſt, *diem*. ſic & Victoris codex, repræſentaruntque Victorius ac Turnebus, qui tamen maluiſſet, ALIO DIE; quod ipſum ſtatim contextui intulit Lambinus, contra mſſ. qui ſi abeunt ab priore, accedunt vulgato, *aliter*.

13. *Quid religioſius.*] Palat. quart. *regius*. natum forte, ex decurtata ſcribendi ratione.

14. *Ut Tetiam decreto collegii.*] Ita mſſ. quos citat Franciſcus Fabricius anno Ciceronis IIX. inquit Gulielmius, & accedunt antiqui noſtri, in quibus, *ut etiam*; quomodo olim vulgati. Critici deinde intulere *Titiam*. Petrus Pithœus lib. 2. Adverſ. ſubſec. cap. 2. emendat *Toriam* ſeu *Turiam*. rationes ejus ibidem videantur.

15. *Nihil domi, nihil foris.*] Pall. & Fabr. *nihil familiæ*. ex quo facilè fiat, *nihil militiæ*. ut volebat Gulielmius.

16. *Quaſi divinare videatur prorſus poſſe.*] Sic editio Victorii. nam priores *divinari*. Turnebus abjecit *prorſus*, quod nec in codice S. Victoris. habet tamen Palatin. tert. nam quart. *quam divinatio videatur prorſus eſſe poſſe*. & verò *quaſi divinatio*, habet item Fabr.

17. *Ceteriſque ſignis diſciplinæ noſtræ, quod cùm ſummos Deos eſſe concedamus*, &c.] Pall. item S. Vict. & Fabr. mire abeunt ab hac ſcriptura. nam tert. & Fabr. ſervat primum, *ſignis quos diſc.* quart. *ſignis que diſc.* S. Vict. *ſignis quod diſc.* deinde concorditer rejiciunt *quod cum*; denique non agnoſcunt *Deos*. mox etiam nullus eorum admittit vocem *benignitatem*. Victor. & Turnebus ſilent : ideo forſan, quod nihil ex ſuis ſcriptis eruerent vulgata lectione melius.

18. *Neque enim Poletis.*] Ita reformavit Victorius; cùm prius fuiſſet, *Polide*. non dubio quin ex veteri libro. at noſtri tamen omnes quatuor, & Turnebi, habent, *Polyidi*. videturne revocandum?

19. *Arabum, Phrygum.*] Harum duarum gentium loco eſt in noſtris vel *Adparigum*, vel *Adpangum*. ut Arabes iſti forſan hujus non fuerint claſſis.

hercle, ita eſſe, iſtique rationi potiſſimùm aſſentior. Sed
14 redde cetera. M. [1] Reddam verò, &, ſi potero, brevi. Sequitur enim de *jure belli:* in quo & ſuſcipiendo, & gerendo & deponendo, *jus* ut plurimum valet, & *fide:* horumque ut publici interpretes eſſent, lege ſancimus. Jam de *haruſpicum* religione, de expiationibus, & procurationibus ſatis ſuperque in ipſa lege dictum puto. A. Aſſentior, quoniam omnis hæc in religione verſatur oratio. M. At verò, quod ſequitur, quomodo aut tu aſſentiare, aut ego reprehendam, ſanè quæro, Tite. A. Quid tandem id eſt? M. *De nocturnis ſacrificiis mulierum.* A. Ego verò aſſentior; excepto præſertim in ipſa lege ſollemni ſacrificio, ac publico. M. Quid ergo aget *Jacchus*, [2] *Eumolpidæque* noſtri, & *auguſta* illa *myſteria*, ſiquidem ſacra nocturna tollimus? non enim populo R. ſed omnibus bonis, firmiſque populis leges damus. A. Excipis, credo, illa, quibus ipſi initiati ſumus. M. Ego verò excipiam. Nam mihi cùm multa eximia, divinaque videntur Athenæ tuæ peperiſſe, atque in vita hominum attuliſſe, tum nihil melius illis myſteriis, quibus ex agreſti, immanique vita, exculti ad *humanitatem*, & mitigati ſumus: initiaque, ut appellantur, ita re vera principia vitæ cognovimus: neque ſolùm cum lætitia *vivendi rationem* accepimus, ſed etiam cum *ſpe meliore moriendi.* Quid autem mihi diſpliceat, [3] innocentes poëtæ indicant comici. Qua licentia Romæ data, quidnam egiſſet ille, qui in ſacrificium cogitatam libidinem intulit, quo ne im-
15 prudentiam quidem oculorum adjici fas fuit? A. [4] Tu verò iſtam Romæ legem rogato. nobis noſtras ne ademeris. M. Ad noſtra igitur revertor: quibus profectò diligentiſſimè ſanciendum eſt, ut MULIERUM FAMAM MULTORUM OCULIS LUX CLARA CUSTODIAT, initienturque eo ritu Cereri, quo Romæ initiantur. Quo in genere ſeveritatem majorum ſenatus vetus auctoritas de Bacchanalibus, &, conſulum exercitu adhibito, quæſtio, animadverſioque declarat. Atq; omnia nocturna, ne nos duriores fortè videamur, in media Græcia Diagondas Thebanus lege perpetua ſuſtulit. Novos verò deos, & in his colendis *nocturnas pervigilationes* ſic Ariſtoph. facetiſſimus poëta veteris comœdiæ, vexat, ut apud eum Sabazius, & quidam alii dii peregrini judicati, è civitate ejiciantur. Publicus autem ſacerdos, imprudentiam conſilio expiatam metu liberet; audaciam in admittendis religionibus fœdis damnet, atque impiam judicet. Jam *ludi publici*, quoniam ſunt cavea, circoque diviſi, [5] ſint corporum certationes, curſu, & pugilatione, luctatione, curriculiſque equorum uſque ad certam victoriam circo conſtitutis: cavea, cantu, voce, ac fidibus, & tibiis; dummodò ea moderata ſint, ut lege præſcribitur. aſſentior enim Platoni, *nihil tam facilè in animos teneros, atque molleis influere, quàm varios canendi ſonos.* quorum dici vix poteſt quanta ſit vis in utramque partem. Namque & incitat languenteis, & [6] languefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit: civitatumque hoc multarum in Græcia interfuit, antiquum vocum ſervare modum: quarum mores lapſi ad mollitiem, pariter ſunt immutati cum cantibus: aut hac dulcedine, corruptelaque depravati, ut quidam putant: aut, cùm ſeveritas eorum ob alia vitia cecidiſſet, tum fuit in auribus animiſque mutatis etiam huic mutationi locus. Quamobrem ille quidem ſapientiſſimus Græciæ vir, longeque doctiſſimus, valde hanc labem veretur. negat enim *mutari poſſe muſicas leges ſine mutatione legum publicarum.* Ego nec tam valde id timendum, nec planè contemnendum puto. Illa quidem, quæ ſolebant quondam compleri ſeveritate jucunda Livianis, & Nævianis modis, nunc ut eadem exſultent, cervices, oculoſque pariter cum modorum flexionibus torqueant. Graviter olim iſtà vindicabat vetus illa Græcia, longè providens, quàm *ſenſim* pernicies illapſa civium animos, malis ſtudiis, maliſque doctrinis *repentè* totas civitates everteret: ſi quidem illa ſevera Lacedæmon nervos juſſit, quòd plures quàm ſeptem haberet [7] in Timothei fidibus demi. Deinceps in 16
lege eſt, ut de ritibus patriis *colantur optimi:* de quo cùm conſulerent Athenienſes Apollinem Pythium, quas potiſſimùm religiones tenerent, oraculum editum eſt, EAS, QUÆ ESSENT IN MORE MAIORUM. Quò cùm iterum veniſſent, majorumque morem dixiſſent ſæpe eſſe mutatum, quæſiviſſentque quem morem potiſſimùm ſequerentur è variis: reſpondit, OPTIMUM. & profectò ita eſt, UT ID HABENDUM SIT ANTIQUISSIMUM, ET DEO PROXIMUM, QUOD SIT OPTIMUM. *Stipem ſuſtulimus*, niſi eam, quam ad paucos dies propriam Idææ Matris excepimus. implet enim ſuperſtitione animos, & exhaurit domos. *Sacrilego* pœna eſt, neque ei ſoli, qui ſacrum abſtulerit, ſed etiam ei, qui ſacro commendatum. quod & nunc multis fit in fanis. Alexander in Cilicia depoſuiſſe [8] apud Solos in delubro pecuniam dicitur; & Athenienſis Cliſthenes Junoni Samiæ, civis egregius, cùm rebus timeret ſuis, filiarum dotes credidit. Sed jam de perjuriis: de inceſtis nihil ſanè hoc quidem loco diſputandum eſt. *Donis* impiine placare audeant deos: Platonem audiant, qui vetat dubitare, qua ſit mente futurus Deus, cùm *vir nemo bonus ab improbo ſe donari velit.* Diligentia votorum ſatis in lege dicta eſt, ac voti ſponſio, qua obligamur deo. Pœna verò *violatæ religionis* juſtam recuſationem non habet. Quid ego hic ſceleratorum utar exemplis? quorum ſunt plenæ tragœdiæ. quæ ante oculos ſunt, ea potiùs attingantur. Etſi hæc commemoratio vereor ne ſupra hominis fortunam eſſe videatur: tamen, [9] quoniam mihi ſermo eſt *apud eos*, nihil reticebo: velimque hoc, quod loquar, diis immortalibus gratum potiùs videri, quàm grave. Omnia tum perditorum civium 17
ſcelere, diſceſſu meo, religionum jura polluta ſunt: vexati noſtri Lares familiares: in eorum ſedibus exædificatum templum Licentiæ: pulſus à delubris is, qui illa ſervarat. [10] Circumſpicite celeriter animo, (nihil enim attinet quemquam nominari) qui ſint *rerum exitus conſecuti.* Nos, qui illam cuſtodem urbis, omnibus ereptis noſtris rebus, ac perditis, violari ab impiis paſſi non ſumus, eamque ex noſtra domo in ipſius patris domum detulimus, [11] judicia ſenatus, Italiæ, gentium denique omnium, conſervatæ patriæ conſecuti ſumus. quo quid accidere potuit homini præclarius? [12] Quorum ſcelere religiones tum proſtratæ, affli-

---

1. *Reddam verò, ſi & potero, brevi.*] Pall. & Fabr. amplius, *& ipſa ſi pot.* S. Vict. *& ipſi potero.* Gulielmius inde format, *vero, & id ſi potero br.*

2. *Eumolpidæque noſtri.*] Victorii editio, *veſtri.* ſed alterum exſtat in noſtris ſcriptis & Turnebi. neque aliquid habet vitii.

3. *Innocentes poëtæ indicant comici.*] Nihil variant mſſ. noſtri niſi quod quarto abſit *comici.* maluiſſem exulaſſet, *poëtæ.* Turnebus impreſſit, *in nocentes.* Victorius *in nocturnis.* mihi ſatisfacit vulgata, quidquid ogganniat Lambinus. ita enim vocat, illud genus comicum quod nemini infert fabulis ſuis injuriam; tantum memorias veterum repræſentant. videatur item Turnebus lib. XIV. Adverſ. cap. 6.

4. *Tu verò Romæ iſtam legem rogato.*] Dictio *rogato*, non eſt in Pal. quarto. & certe non diſplicet nimis ſed tamen.

5. *Sint corporum certationes.*] Palatin. quart. *fuerint.*

6. *Languefacit excitatis.*] Mallet *languere facit* CL. Pluteanus.

7. *In Timothei fidibus demi.*] Hoc quidem modo Turnebus. ſed vulgata voce auctior, *inde demi*, quod & in Palat. tert. quartus nihil habet ſinceri. S. Victoris non agnoſcit *demi*, contentus ſolo *inde*, quod & in editione Victorii cum aſteriſco. Lambinus ſuo arbitratu finxit, *fidibus incidi.* hoc eſt ſcilicet ſolvere nodum Gordium.

8. *Apud Solos.*] Sic Turnebus. vulgata *Solem*, quod & in Victoriana; neque aliter tert. at quart. *Seleph.* S. Victoris *Soleſit.* Gulielmius conjicit *apud Solenſes.*

9. *Quia mihi ſermo eſt apud eos.*] Ita Turnebi vetus, item Gulielmiani. nam Pall. *Deos*, quod & in Victorinis. hodie ferè excuditur *apud vos*, ex conjectura Ranconeti; ſed non neceſſariò.

10. *Circumſpicite celeriter animo.*] Stabiliit hanc lectionem Victorius lib. XXXII. Var. lect. cap. 22. prius erat: *circumſpicit hæc celeriter animus.*

11. *Judicia Senatus, Italiæ, &c.*] Fruſtra heic mutata quædam additaque cupit Lambinus. omnia ſana ſunt.

12. *Quorum ſcelere, &c.*] Totius hujus periodi emendatio debita Victorio ac Turnebo. antea legebatur: *quo ſcelere, &c. illis diſtracta ac diſſipatæ jacent.*

1. Quò

afflictæque ſunt: partim ex illis diſtracti, ac diſſipati jacent: [1] qui verò ex iis & horum ſcelerum principes fuerunt, & præter ceteros in omni religione impii; [2] non ſolùm *vita cruciati*, atque dedecore, verum etiam ſepultura, ac [3] juſtis exſequiarum caruerunt. Q. Equidem iſta agnoſco, frater, & meritas diis gratias ago: ſed nimis ſæpe ſecus aliquanto videmus evadere. M. Non enim, Quinte, rectè exiſtimamus, quæ *pœna divina* ſit: [4] & opinionibus vulgi rapimur in errorem, nec vera cernimus: MORTE, aut dolore corporis, aut luctu animi, aut offenſione judicii, hominum miſerias ponderamus: quæ fateor humana eſſe, & multis bonis viris accidiſſe: ſceleris eſt pœna, triſtis: & præter eos eventus, qui ſequuntur, *per ſe ipſa maxima eſt.* Vidimus eos, qui niſi odiſſent patriam, numquam inimici nobis fuiſſent, [5] ardenteis cùm cupiditate, tum metu, tum conſcientia: quid agerent; modò timenteis; viciſſim contemnenteis religiones; judicia perrupta ab iiſdem; corrupta hominum, *non deorum.* [6] Reprimam jam, & non inſequar longiùs, eoque minùs, quo plus pœnarum habeo, quàm petivi. [7] tantùm ponam, erui duplicem *pœnam* eſſe *divinam*, quòd conſtaret & ex vexandis vivorum animis; & ea fama mortuorum, ut eorum exitium & judicio vi-
18 vorum, & gaudio comprobetur. *Agri* autem *ne conſecrentur*, Platoni prorſus aſſentior: qui, ſi modò interpretari potuero, his ferè verbis utitur: [8] *Terra igitur, ut focus domiciliorum, ſacra deorum omnium eſt. Quocirca ne-quis iterum idem conſecrato. Aurum autem, & argentum in urbibus & privatim, & in fanis invidioſa res eſt. Tum* [9] *ebur ex inani corpore extractum, haud ſatis caſtum donum deo. Jam æs, atque ferrum, duelli inſtrumenta, non fani. Ligneum autem* [10] *quodque voluerit,* [11] *uno è ligno dedicato, itemque lapideum, in delubris communibus. Textile ne operoſius, quàm mulieris opus menſtruum. color autem albus, præcipuè decorus deo eſt tum in ceteris, tum maximè in textili. tincta verò abſint, niſi à bellicis inſignibus. Diviniſſima autem dona,* [12] *aves & formæ ab uno pictore uno abſoluta die: itemque cetera hujus exempli dona ſunto.* Hæc illi placent. ſed ego cetera non tam reſtrictè præfinio, *vel hominum vitiis*, vel ſubſidiis temporum victus. Terræ cultum ſegniorem ſuſpicor fore, [13] ſi ad eam tuendam, ferroque ſubjicendam, ſuperſtitionis aliquid acceſſerit. ATT Habeo iſta. Nunc de ſacris perpetuis, & de manium jure reſtat. M. O miram memoriam, Pomponi, tuam. at mihi iſta exciderant. ATT. Ita credo: ſed tamen hoc magis eas res & memini, & exſpecto, quod ad pontificium jus & ad civile pertinent. M. Verò; & apertiſſima ſunt iſtis de rebus & reſponſa & ſcripta multa: & ego in hoc omni ſermone noſtro, quod ad cumque legis genus me diſputatio noſtra deduxerit, tractabo, quoad potero, ejus ipſius generis jus civile noſtrum: ſed ita, locus ipſe ut notus ſit, ex quo [14] ducatur, quæque pars juris, [15] ut non difficile ſit, qui paullum modò ingenio poſſit moveri, quæcumque nova cauſa, conſultatiove acciderit, ejus tenere jus, cùm ſcias à quo ſit capite repetendum. Sed jure- 19
conſulti ſive *erroris objiciendi* cauſa, quo plura, & difficiliora ſcire videantur: ſive, quod ſimilius veri eſt, *ignoratione docendi* (nam non ſolum ſcire aliquid, artis eſt, ſed quædam ars etiam docendi) ſæpe, quod poſitum eſt in una cognitione, id in infinita diſpartiuntur: velut in hoc ipſo genere, quàm magnum illud Scævolæ faciunt, pontifices ambo, & iidem juris peritiſſimi? Sæpe, inquit Publii filius, ex patre audivi, pontificem neminem bonum eſſe, niſi qui *jus civile cognoſſet.* totumne? quid ita? quid enim ad pontificem, de jure parietum, aut aquarum, [16] aut ullo omninò? ergo, quod *cum religione* conjunctum eſt. id autem quantulum eſt? de *ſacris*, credo, de *votis*, de *feriis*, de *ſepulcris*, & ſi quid ejuſmodi eſt. Cur igitur hæc tanta facimus, cùm cetera perparva ſint? *De ſacris* autem, qui locus patet latiùs, hæc ſit una ſententia, ut conſerventur ſemper, & deinceps familiis prodantur, &, ut in lege poſui, *perpetua ſint ſacra.* Hoc uno poſito, hæc jura pontificum auctoritate conſecuta ſunt, UT NE MORTE patrisfamiliâs ſacrorum memoria occideret; iis eſſent ea adjuncta, AD QUOS ejuſdem morte pecunia venerit. Hoc uno poſito, quod eſt ad cognitionem diſciplinæ ſatis, innumerabilia naſcuntur, quibus implentur juriſconſultorum libri. quæruntur enim, *qui adſtringantur ſacris.* Heredum cauſa juſtiſſima eſt. nulla eſt enim perſona, quæ ad vicem ejus, qui è vita emigraverit, propiùs accedat. Deinde, qui morte, teſtamentove ejus tantumdem capiat, quantum omnes heredes. id quoque ordine. eſt enim ad id, quod propoſitum eſt, accommodatum. Tertio loco, ſi nemo ſit heres, is, qui de bonis, quæ ejus fuerint, cùm moritur, uſu ceperit plurimum poſſidendo. Quarto, ſi nemo ſit, qui ullam rem ceperit, de creditoribus ejus, qui plurimum ſervet. extrema illa

1. *Qui verò ex iis & horum ſcelerum.*] Eſt à mſſ. noſtris & edd. Duumvirûm ſuperiorum. nam vulgata; *ex his qui omnium ſcelerum.*

2. *Non ſolùm vita cruciati, &c.*] Multa heic ineptè mutat Lambinus, dum non aſſequitur mentem auctoris, quam pluribus explicavimus ad illud Taciti lib.2. Annal. c.85. *More inter veteres recepto, qui ſatis pœnarum adverſus impudicos, in ipſa profeſſione flagitii credebant.*

3. *Juſtis exequiarum caruerant.*] Hoc quoque à Turn. & Vict. eſt, neque aliter noſtri codices calamo exarati; præterquam quod quart. *inſtar exequiorum.* olim vulgati, *juſtis exequiis.*

4. *Et opinionibus vulgi.*] Iſta recepta eſt lectio, magiſque placet, quam Victorii ac Turnebi, quæ, *nos opin.* veteres noſtri præferunt, *nec opinion., &c.* quæ diverſitas facit, ut opiner omnino ejiciendam ſyllabam primam, reſcribendumque: *quæ pœna divina ſit. opinionibus vulgi rapimur in errorem, &c.*

5. *Ardentes cum cupiditate, tum metu, &c.*] Sic Victor. & Turnebiana; nam vulgata *tum cup.* quod & in Palat. tert. quippe quartus, *ardentes verò cupiditate, metu, cum conſcientia quid gerent.* S. Victoris codex, *cum cupiditatum metu*; quod fuit, item in mſ. Turnebi; fingebatque *ardentes tum cupiditatum æſtu, tum conſcientia.* quod ipſum ſtatim in contextum recepit Lambinus; nec improbabat Henr. Stephanus lib.IV. Schediaſmatum; niſi quod putaret adhuc requiri genitivum *conſcientia peccatorum, ſcelerum, facinorumve.* minus recte. *conſcientia* enim verbum eſt ambiguum & tam bonam notat, quam malam.

6. *Reprimam jam, & non inſequar, &c.*] Conjicit Turnebus *jam me.* quod illico admiſit Lambinus, maluiſſem *Reprimam animum, & non.* ut id verbi natum ſit a compendiaria ſcribendi forma.

7. *Tantum ponam erui duplicem pœnam eſſe, &c.*] Obſecutus ferè fuiſſem duobus mſſ. quos laudat Paullus Manutius: quibus abeſſet illud *erui.* ſed enim cum ſervet vulgata; *tantum pœnam merui, duplicem, &c.* reſtetque & in mſſ. noſtris, niſi quod Pal. quart. *metui*; habeantque item membranæ Turnebi; neque recedant Victorianæ quam unâ littera, *pœna merui*; quomodo & liber S. Victoris, malui acquieſcere conjectaneo Turnebi.

8. *Terra igitur, ut focus domiciliorum, ſacra Deorum, &c.*] Eſt à Turnebi mſſ. quibus adſtipulantur item noſtri; excepto quod in in iis, *ſacra.* vulgata, *ut focus, domicilium ſacrum omnium Deorum eſt.*

9. *Ebur ex inani corpore extractum.*] Ita edd. olim & mſſ. noſtri omnes curentius *in animo.* quod tamen eodem redit. Lipſius lib.2. Antiq. lect. cap.2. item ad librum 2. Hiſtoriarum Taciti, aſſeverat manifeſtè legendum *ex immani corpori.*

10. *Quodque voluerit.*] Sic mſſ. noſtri, pro *quodcunque.* Turnebus conjicit, *quod qui vol.* quod recepit ſtatim Lambinus, addita adhuc littera *ſ.*

11. *Uno è ligno dedicato.*] S. Victoris antiquus liber, *cato.* Pall. & Fabr. *cavato.* ortus fortè inde error, quod illud *dedicato*, prioribus litteris minus legere poterant librarii.

12. *Aves & formæ.*] Lectio hæc egregia debetur conjecturæ Victorii, cùm inveniſſet in ſuis *habes.* quod & in noſtris omnibus. nam vulgg. *habent & formæ.*

13. *Si ad eam tuendam ferroque ſubjiciendam.*] Ita noſtri, niſi quod antiquo ſcribendi modo *ſubiciendam.* P. Manutius & Lambinus, malebant, *ſubigendam.* at Gulielmius potius illud *tuendam*, reformabat in *ruendam*, benè.

14. *Ducatur quæque pars juris.*] Antiquiores ſcripti, *quæque rars juris*; ex eo Ranconetus fecit *pars.* approbante Turnebo. antea legebatur, *ducatur quæque res & ars juris.*

15. *Ut non difficile ſit, qui paullum modo ingenio poſſit moveri, quæcunque, &c.*] Eſt a mſſ. libris, niſi quod *domo* mutarit in *modo* Turnebus. ediderat Victorius, *ut non diff. ſit qui domo ingenii poſſit moveri, quæcunque, &c.* quod item exſtat in exemplari S. Victoris.

16. *Aut ullo omnino?*] Haud aliter mſſ. niſi quod ii, *iullo.* Turnebus putabat legendum *aut luminum?* quod ſtatim arripuit, pro auctoris genuino, Lambinus.

1. *Tribus*

ma illa perſona eſt; ut is, qui ei qui mortuus ſit, pecuniam debuerit, neminique eam ſolverit, perinde habeatur,
20 quaſi eam pecuniam ceperit. Hæc nos à Scævola didicimus; non ita deſcripta ab antiquis. Nam illi quidem his verbis docebant, [1] *tribus modis* ſacris adſtringi: hereditate: aut ſi majorem partem pecuniæ capiat: aut ſi major pars pecuniæ legata eſt, ſi inde quippiam ceperit. Sed pontificem ſequamur. Videtis igitur omnia pendêre ex uno illo, quod pontifices pecuniam ſacris conjungi volunt: iiſdemque ferias, & cærimonias adſcribendas putant. Atque etiam dant hoc Scævolæ, [2] quod eſt partitio: [3] ut, ſi in teſtamento deducta, ſcripta non ſit, ipſique minus ceperint, quàm omnibus heredibus relinquatur, ſacriſne alligentur. In *donatione* hoc iidem ſecus interpretantur? & quod paterfamiliâs in ejus donatione, qui in ipſius poteſtate eſſet, approbavit, ratum eſt: quod eo inſciente factum eſt, ſi id is non approbat, ratum non eſt. His propoſitis, quæſtiunculæ multæ naſcuntur: [4] quas qui intelligat, non ſi ad caput referat, per ſe ipſe facilè perſpiciat: veluti, ſi minus quis cepiſſet, ne ſacris alligaretur: ac poſt de ejus heredibus aliquis exegiſſet pro ſua parte id, quod ab eo, cujus ipſe heres eſſet, prætermiſſum fuiſſet: eaque pecunia non minor eſſet facta cum ſuperiore exactione, quàm heredibus omnibus eſſet relicta: qui eam pecuniam exegiſſet, [5] ſolum ſine coheredibus, ſacris alligari. Quin etiam cavent, ut, cui plus legatum ſit, quam ſine religione capere liceat, is per æs, & libram, [6] heredem teſtamenti ſolvat, propterea quòd eo loco res eſt, ita ſoluta hereditate, quaſi ea pecunia legata non
21 eſſet. Hoc ego loco, multiſque aliis quæro à vobis, Scævolæ, pontifices maximi, & homines, meo quidem judicio, acutiſſimi, quid ſit, quod ad jus pontificium *civile* appetatis. civilis enim juris ſcientia pontificium quodam modo tollitis. nam ſacra cum pecunia, pontificum auctoritate, nulla lege, conjuncta ſunt. [7] Itaque ſi vos tantummodò pontifices eſſetis, pontificalis maneret auctoritas: ſed [8] quod iidem juris civilis eſtis peritiſſimi, hac ſcientia illa eluditis. Placuit P. Scævolæ, & Coruncanio, pontificibus maximis, itemque ceteris, QUI TANTUMDEM caperet, quantum omnes heredes, ſacris alligari. Habeo jus pontificium. Quid huc acceſſit ex jure civili? partitionis caput, ſcriptum cautè, UT CENTUM nummi deducerentur. Inventa eſt ratio, cur pecunia ſacrorum moleſtia liberaretur. Quòd ſi hoc, qui teſtamentum faciebat, cavere noluiſſet, admonet juriſconſultus hic quidem ipſe Mucius, pontifex idem, ut minus capiat, quàm omnibus heredibus relinquatur. [9] Super dicebant, qui quid cepiſſet, adſtringi. Rurſus ſacris liberantur. Hoc verò nihil ad pontificium jus, & è medio eſt jure civili, ut *per æs, & libram* heredem teſtamenti ſolvant, & eodem loco res ſit, quaſi ea pecunia legata non eſſet, ſi is, cui legatum eſt, ſtipulatus eſt idipſum, quod legatum eſt, ut ea pecunia ex ſtipulatione debeatur, [10] ſitque ea [*non alligata ſacris. Venio nunc ad manium jura, quæ majores noſtri & ſapientiſſimè inſtituerunt, & religioſiſſimè coluerunt. Februario autem menſe, qui tunc extremus anni menſis erat, mortuis parentari voluerunt: quod tamen D. Brutus, ut ſcriptum a Siſenna eſt, Decembri facere ſolebat. Cujus ego rei cauſam cum mecum quærerem, Brutum reperiebam idcirco à more majorum diſceſſiſſe, (nam Siſennam video cauſam, cur is vetus inſtitutum non ſervarit, ignorare. Brutum autem majorum noſtrorum inſtitutum temere neglexiſſe, non ſit mihi veriſimile*] doctum hominem ſanè: cujus fuit Accius perfamiliaris:) ſed menſe, credo, extremum anni, ut veteres Februarium, ſic hic Decembrem ſequebatur. *Hoſtia* autem maxima parentare, pietatis eſſe adjunctum putabat. Jam tanta religio eſt *ſepulcrorum*, 22
ut extra ſacra, & gentem, inferri fas negent eſſe: idque apud majores noſtros A. Torquatus in gente Popilia judicavit. Nec verò tam *denicales*, quæ à nece appellatæ ſunt, [11] quia reſidentur mortui, quàm ceterorum cæleſtium quieti dies, feriæ nominarentur, niſi majores eos, qui ex hac vita migraſſent, in deorum numero eſſe voluiſſent: eas in eos dies conferre [12] jus, quibus neque ipſius, neque publicæ feriæ ſint. totaque hujus juris compoſitio pontificalis magnam religionem, cæremoniamque declarat. Neque neceſſe eſt ediſſeri à nobis, quæ *finis funeſtæ familiæ*, [13] quod genus ſacrificii Lare vervecibus fiat; [14] quemadmodum os rejectum terræ obtegatur? quæque [15] in porca contracta jura ſint; quo tempore incipiat ſepulcrum eſſe, & religione teneatur. [16] At mihi quidem antiquiſſimum ſepulturæ genus id fuiſſe videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. redditur enim terræ corpus, & ita locatum, ac ſitum, quaſi *operimento matris* obducitur. eodemque ritu in eo ſepulcro, [17] quod procul ad fontis aras, regem noſtrum Numam conditum accepimus: gentemque Corneliam uſque ad memoriam noſtram hac ſepultura ſcimus eſſe uſam. C. Marii ſitas reliquias apud Anienem, diſſipari juſſit Sulla victor, acerbiore *odio* incitatus, quàm ſi tam ſapiens fuiſſet, [18] quàm fuit vehemens. quod haud ſcio an timens ſuo corpori poſſe acci-

1. *Tribus modis adſtringi: hereditate, &c.*] Secuti ſumus editionem Victorii: quam & Turnebus repræſentavit; cui Turnebo per omnia ferè libris his tribus ſecundas agit Aldus Manutius Nepos. equidem in re tam obſcura, neminem invenire poterat, cui ſe tutius honeſtiuſque committeret.

2. *Quod eſt partitio, &c.*] Lambinus heic mirè omnia confundit, ut ſententia ſua ſibi conſtet Tullio, ſi Diis placet: recepitque præterea in contextum Ranconeti divinationem, *partitionis caput*; eumque ſecutus, quod miror, Aldus Nepos.

3. *Ut ſi in teſtamento deducta ſcripta non ſit.*] Victorii editio *ut ſi in teſt. ut deducantur ſcriptum non ſit.* Pal. tert. item Turnebi codd. ſtant a vulgato. quartus habet, *ut ſi in teſto ſe ducta ſcripta non ſit.*

4. *Quas, qui intelligat, non ſi ad caput referat.*] Exhibendum putavi iterum lectionem exoletam. Victorius enim, Lambinus, Aldus Nepos maluerunt, *quas qui non intelligant, ſi ad caput referat*, contra auctoris mentem, ut bene oſtendit Turnebus.

5. *Solum ſine coheredibus.*] Mſſ. noſtri *niſi coh.* neque aliter vulgati ante Victorium & Turnebum.

6. *Heredem teſtamenti ſolvat.*] S. Victoris ſcriptus & Pal. quart. *heredis*, quod valet *heredeis*.

7. *Itaque ſi vos tantummodo Pontifices eſſetis, pontificalis maneret, &c.*] Elegans hæc emendatio manavit a libris Petri Victorii. prius cuſi, *itaque uſibus tantummodò pontificis eſſet, ſi pontificalis, &c.*

8. *Quod iidem juris civilis eſtis peritiſſimi, hac, &c.*] Debemus & iſtud Vict. antea enim erat, *quod idem jur. civ. eſt aſpernitis, ac, &c.*

9. *Super dicebant.*] Palat. tert. ita ſcribit tanquam ſi una eſſet dictio. Turnebus legendum cenſebat *ſuperiores dicebant*: quod illicò Lambinus textui intulit.

10. *Sitque ea non alligata, &c.*] Uncis incluſa, adfirmat Lambinus invita ſibi in codice perantiquo ad oram: ideoque heic retineri poſſe cenſebat Gulielmius: quamvis eorum nullum exſtaret veſtigium in Fabr. aut S. Vict. & verò nihilo magis comparent in Pal. tertio aut quarto: reſpuuntque omnes ad unum editiones.

11. *Quia reſidentur mortui.*] Turnebus ait lectionem eſſe a Ranconneto. eam ego quoque offendi in editione Victorii. publicati alii *reſidunt*. ſed contra mſſ. noſtros, in quibus fere noſtra illa; quam mirificè; ſed ridicule tamen verſat agitatque Lambinus.

12. *Jus, quibus neque ipſius, &c.*] Ita Turnebus aliique eum ſecuti. verùm priores, *jus, ut neque ipſius.* Victorii editio, *jus ut ne ipſius, &c.* quomodo, & ſcripti ferè noſtri, alioquin mendoſiſſimi.

13. *Quod genus ſacrificii lare vervecibus fiat.*] Hæc eſt lectio communis ab Aldo uſque Manutio; licet aliam proferat Lambinus. Turnebi mſ. ut & noſter S. Victoris, *quod genus ſacrificare verberibus fiat.* at Pal. tert. nihil abit à vulgato, niſi addita littera, *è lare.* quartus exhibet, *ſacrificii verberibus fiat.* Turneb. videbatur ſcriptum fuiſſe *ſacrificii aræ vervecibus fiat.*

14. *Quemad. os rejectum terræ obtegatur.*] Ita omnes mſſ. noſtri, ita editi ferè ante Lambinum, qui maluit e Feſto, *os reſectum terra obteg.* Aldus Nepos expreſſit, *os receptum terra obteg.*

15. *In porca contracta jura.*] Sic & membranæ noſtræ meliores. vulgata *olim confracta.*

16. *At mihi quidem.*] Nuperæ edd. *Ac.* ſed altera ſcriptura remanet in mſſ. noſtris.

17. *Quod procul ad Fontis aras.*] Hæc eſt vulgata, item mſſ. Turnebus abjecit *procul.* quod tamen in omnium mſſ. quippe & ipſius liber habebat, *quod procul à Fontis ara.* unde Lambinus fecit, *non procul à Fontis ara*; ſed præter meliores membranaceos, in quibus exſtat recepta lectio.

18. *Quàm fuit vehemens.*] Ita & noſtri ſcripti omnes. P. Manutius, ſecutus fidem unius libri, repoſuit, *fuit felix.*

accidere, primus è patritiis Corneliis igni voluit cremari. declarat etenim Ennius de Africano, HIC EST ILLE SITUS. Verè. nam *ſiti* dicuntur ii, qui conditi ſunt. nec tamen eorum antè ſepulcrum eſt, quàm juſta facta, & [1] corpus incenſum eſt. & quod nunc communiter in omnibus [2] ſepultis penitus, *humati* dicantur: id erat proprium tum in iis, quos humus injecta contegeret: eumque morem jus pontificale confirmat. Nam priuſquàm in eos injecta gleba eſt, locus ille, ubi crematum eſt corpus, nihil habet religionis. Injecta gleba [3] tum & illic humatus eſt, [4] & *gleba* vocatur: ac tum denique multa religioſa jura complectitur. Itaque in eo, qui in navi necatus, deinde in mare projectus eſſet, decrevit. P. Mucius, familiam puram [5] quòd os ſupra terram non exſtaret: porcam heredi eſſe contractam, & habendas triduum ferias, & porco fæmina piaculum pati. ſi in mari mortuus eſſet, eadem, præter
23 piaculum & ferias. A. Video, quæ ſint in pontificio jure. Sed quæro, quidnam ſit in legibus. M. Pauca ſanè, Tite, &, uti arbitror, non ignota vobis. Sed ea non tam ad religionem ſpectant, quàm ad jus ſepulcrorum. *hominem mortuum*, inquit lex in XII. tabulis, *in urbe ne ſepelito, neve urito*. [6] Credo, vel propter ignis periculum. Quod autem addit, *neve urito*, indicat, non qui uratur, ſepeliri, ſed qui humetur. A. Quid, qui poſt XII. in urbe ſepulti ſunt, clari viri. M. Credo, Tite, fuiſſe; aut eos, quibus hoc ante hanc legem *virtutis cauſa* tributum eſt, ut Publicolæ, ut Tuberto, quod eorum poſteri jure tenuerunt: aut eos, ſi qui hoc, ut C. Fabricius, virtutis cauſa, *ſoluti legibus*, conſecuti ſunt. Sed in urbe ſepeliri lex vetat. Sic decretum à pontificum collegio, non eſſe jus, in loco publico fieri ſepulcrum. noſtis extra portam Collinam *ædem Honoris*: & aram in eo loco fuiſſe, memoriæ proditum eſt. ad eam cùm lamina eſſet inventa, & in ea ſcriptum, [7] DOMINA HONORIS: ea cauſa fuit ædis hujus dedicandæ. Sed cùm multa in eo loco ſepulcra fuiſſent, exarata ſunt. ſtatuit enim collegium, locum publicum non potuiſſe privata religione obligari. Jam cetera in XII. minuendi ſumtus, lamentationeſque funeris, tranſlata de Solonis ferè legibus [8] HOC PLUS, inquit, NE FACITO. ROGUM ASCIA NE POLITO. Noſtis quæ ſequuntur. Diſcebamus enim pueri XII. ut carmen neceſſarium: quas *jam nemo diſcit*. Extenuato igitur ſumtu, [9] tribus riciniis, & [10] vinculis purpuræ, & decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem. *mulieres* [11] *genas ne radunto, neve leſſum funeris ergo habento*. Hoc veteres interpretes, Sex. Ælius, L. Acillius non ſatis ſe intelligere dixerunt, [12] ſed ſuſpicari veſtimenti aliquod genus funebris: [13] L. Ælius, *leſſum* quaſi lugubrem ejulationem, ut vox ipſa ſignificat. quod eo magis judico verum eſſe, quia lex Solonis id ipſum vetat. Hæc laudabilia, & locupletibus ferè cum plebe communia. Quod quidem maximè è natura eſt, *tolli fortunæ diſcrimen in morte*. Cetera item fune- 24
bria, quibus luctus augetur, duodecim ſuſtulerunt. HOMINI, inquit, MORTUO NE OSSA LEGITO, QUO POST FUNUS FACIAT. Excipit bellicam, peregrinamque mortem. Hæc præterea ſunt in legibus de unctura: quibus SERVILIS UNCTURA tollitur, omniſque CIRCUMPOTATIO. quæ & rectè tolluntur, neque tollerentur, niſi fuiſſent; *ne Sumtuoſa reſperſio*; *ne longæ coronæ*, [14] *nec acerræ* prætereantur. Illa jam ſignificatio eſt, *laudis ornamenta ad mortuos pertinere*, quod, [15] *coronam virtute partam*, & ei, qui peperiſſet, & ejus parenti, ſine fraude eſſe lex impoſitam jubet: credoque, quòd erat factitatum, ut uni plura fierent, lectique plures ſternerentur, id quoque ne fieret, lege ſanctum eſt. Qua in lege cùm eſſet, NEVE AURUM ADDITO, quàm [16] humanè excipit. altera lex QUOI *auro dentes vincti eſcunt, aſt im cum illo ſepelire urere-ve, ſe fraude eſto*. & ſimul illud videtote, aliud habitum eſſe, [17] ſepelire, & urere. Duæ ſunt præterea leges de ſepulcris. quarum altera privatorum ædificiis, altera ipſis ſepulcris cavet. Nam quod *rogum*, *buſtum ve novum* vetat *propius ſexaginta pedes adjici ædeis alienas*, *invito domino*, incendium veretur acerbum. [18] Quòd autem FORUM, id eſt, veſtibulum ſepulcri, BUSTUMVE, USUCAPI vetat, tuetur jus ſepulcrorum. Hæc habemus in Duodecim, ſanè ſecundam naturam: quæ *norma*

1. *Et corpus incenſum eſt.*] Palat. quart. *inteſtum eſt*. liber S. Vict. *& corpus orſus eſt*, quomodo & Turnebi mſ. unus, nam alius *ceſius*. P. Manutius, putat Tullium heic loqui de eis qui cremabantur. Turnebus verò contra. unde lib. XIV. Adverſ. cap: 6. cupide ac perlibenter legerit, *& corpus ejus eſt*, id eſt corpus ſepulcri factum eſt.

2. *Sepultis penitus, humati dicantur.*] Hæc eſt conſentiens omnium vett. librorum lectio. Turnebus primùm de ſuo fecit *ſepultis ponitur, ut humati d.* quod Lambinus, Aldus Nepos, alii ſequantur, quo jure ipſi viderint. Turnebus ſane aperte fatetur, illud *ponitur ut*, non eſſe à libris, ſed à conjectura ſua.

3. *Tum & illic humatus eſt, & gleba vocatur.*] Expreſſi quod erat in Pal. quarto, neque abit S. Victoris, quam quod is *illis*. ſed & *tum illis*. erat in Fabr. nihilque ab hac ſcriptura recedit Turnebus, quàm quod edat *tum & ille*. Victorius lib. XXIII. cap. 8. emendabat *tum in hum.* recepta lectio, *tumulis humatus eſt, &c.*

4. *Et gleba vocatur.*] Sic Pall. duo: ſic S. Victoris, ſic Fabricianus; neque aliter legit in veterrimo ſuo Turnebus, adprobatque. Lambinus eo rejecto oggerit ex Memmiano, *& tumulus voc.* quod quis non videt eſſe gloſſema, æque ac Victorii, *& ſepulcrum vocatur?*

5. *Quod os ſupra terram non extaret: porcam heredi eſſe contractam, & habendas triduum ferias, & porco femina piaculum pati. ſi in mari mortuus eſſet, eadem, præter piaculum & ferias.*] Locus deſperatus eſt. itaque cum viderem aliter ei medicinam facere Victorium, aliter Turnebum, aliter Lambinum, repræſentavi eam omnino ſcripturam quam expreſſerat pro vera, in Nonio ſuo, Joſias Mercerus: tanto quidem proclivius, quod conſpiraret ferè omnino cum Pal. noſtro quart. qui habebat: *quotos ſupra terram non extare porcam heredi eſſe contractet habendas, &c.* Aldus ſenior publicarat, *quotos ſupra terram non extare porcam heredi eſſet. contra cenſet hab. trid. ferias, & porco fem. piac. pati. ſi in mari mortuus eſſet: eadem præter piaculum & ferias:* quomodo, apice nullo minus Pal. tert. niſi quod is, *portam*.

6. *Credo vel propter ignis periculum.*] Turnebus lib. XXIV. Adverſ. cap. 3. mallet, *credo videlicet*. at vulgatum mihi effacius. alterum tamen pro legitimo auctoris recepit Lambinus.

7. DOMINA HONORIS.] Eſt ab Aldi antiqua; reperique in Palatin. tert. nam quart. *numa honoris*. Victorius * MINA HONORIS. conjecit Turnebus LAMINA HONORIS, quod illico recepit in contextum Lambinus. accipit rem qui vocaverit, verum ei dederit cognomen.

8. HOC PLUS *inquit.*] Inclinat Paul. Manutius legere OPUS, *inruit*. non neceſſario.

9. *Tribus riciniis.*] Explicat hæc contra Rævardum Lipſius lib. I. Epiſt. quæſt. cap. 8.

10. *Et vinculis purpuræ.*] Pall. & S. Vict. item Turnebi *vincla*. unde idem conjicit, *& clavis purpuræ*, quod & textui intulit Lambinus.

11. GENAS NE RADUNTO.] Lambinus repoſuit è Servio CARPUNTO. ſed contra edd. omnes, & mſſ. noſtros, item auctoritatem Plinii lib. XI. cap. 37. quæ mihi Serviana potior.

12. *Sed ſuſpicari veſtim. aliq. genus funebris: Lælius, &c.*] Lipſius noſter libro I. Epiſt. quæſt. cap. 7. immittit, *ſed Acilius ſuſpicari, &c.* decepit eum quod ſequitur *L. Ælius*, quem eundem putavit cum Sexto; cùm tamen ſit ille cui cognomen *Præconini*.

13. *L. Ælius.*] Ita Turnebus. nam prius editi *Lælius*, quod & in Pall. & Gulielmianis.

14. *Nec acerræ prætereantur.*] Palatin. quart. *prætereant*. P. Manutius divinabat, *præferantur*.

15. *Coronam virtute partam.*] S. Victoris, & Palat. quart. *paratam*.

16. *Humanè excipit altera lex:* QUOI AURO DENTES, *&c.*] Secutus ſum Victorii & Turnebi. Victorius tamen adhuc abjecerat, *altera lex*. nam vulgo recepta lectio habebat, *humanè excipiat: Altera lex præcipit, altera lex vetat, ut* CUI AURO, &c. quomodo & Pall. noſtri. De illo ESCUNT, videatur Columna ad Ennium, Giſanius ad Lucretium. Imò de emendatione atque interpretatione harum legum conſulatur Rævardus, Hotomannus, aliique qui ſcripſerunt in XII. tabulas. neque enim vacat occupari ipſorum conjecturis, cùm quod eorum capita, tot etiam ſint ſententiæ.

17. *Sepelire & urere.*] Eſt à conjectura Turnebi, prius cuſi, *ſepeliretur ære*, quod & in mſſ. noſtris.

18. *Quod autem forum, id eſt, veſtibulum.*] Ita legit ex Feſto Turnebus; cùm eſſet in ſcriptis ejus noſtriſque, *eorum*. Victorius excudit ἡρῷον.

norma legis eſt. Reliqua ſunt in more: funus ut indicatur, ſi quid ludorum; [1] dominuſque funeris utatur accenſo, atque lictoribus: HONORATORUM *virorum laudes in concione memorentur, eaſque etiam cantu ad tibicinem proſequatur:* cui nomen *næniæ*: quo vocabulo [2] etiam Graccho can-
25 tus lugubres nominantur. Q. Gaudeo noſtra jura ad naturam accommodari: majorumque ſapientia admodum delector. M. Sed credo, Quinte, ut ceteros ſumtus, ſic etiam ſepulcrorum modum rectè requiri. quos enim ad ſumtus progreſſa jam iſta res ſit, in C. Figuli ſepulcro vides. Sed credo minimam olim iſtius rei fuiſſe cupiditatem. [3] Alioquin multa exſtarent exempla majorum. Noſtræ quidem legis interpretes, quo capite jubentur ſumtus, & luctum removere à deorum manium jure, hoc intelligunt, in primis *ſepulcrorum magnificentiam eſſe minuendam*. Nec hæc à ſapientiſſimis legum ſcriptoribus neglecta ſunt. nam & Athenis jam ille mos à Cecrope, ut ajunt, [4] permanſit, hoc jus terra humandi: [5] quam cùm proximi injecerant, obductaque terra erat, frugibus obſerebatur, ut ſinus & gremium quaſi matris mortuo tribueretur, ſolum autem frugibus expiatum ut vivis redderetur. Sequebantur epulæ, [6] quas inibant parentes coronati: apud quas de mortui laude, cum quid veri erat, prædicatum. nam *mentiri* nefas habebatur. [7] at juſta conjecta erant. Poſteaquam ut ſcribit Phalereus, ſumptuoſa fieri funera, & lamentabilia cœpiſſent, Solonis lege ſublata ſunt. quam legem eiſdem propè verbis [8] noſtri xviri in undecimam tabulam conjecerunt. Nam de tribus riciniis, & pleraque illa Solonis ſunt. de lamentis verò expreſſa verbis ſunt. MULIERES *genas ne*
26 *radunto, neve leſſum, funeris ergo, habento*. De ſepulcris autem nihil eſt apud Solonem amplius, quàm, *ne quis ea deleat, neve alienum inferat:* pœnaque eſt, *ſi quis buſtum* (nam id puto appellari *tymbon*) *aut monumentum* inquit, *aut columnam violarit, dejecerit, fregerit*. Sed pòſt aliquanto propter has amplitudines ſepulcrorum, quas in Ceramico videmus, lege ſanctum eſt, *ne quis ſepulcrum faceret operoſius, quàm quod decem homines effecerint triduo*. neque id opere tectorio exornari, nec *Hermas hos*, quos vocant licebat imponi; nec de mortui laude, niſi in publicis ſepulturis; nec ab alio, niſi qui publicè ad eam rem conſtitutus eſſet, dici licebat. Sublata etiam erat celebritas virorum ac mulierum, quo lamentatio minueretur. *habet enim luctum concurſus hominum*. quocirca Pittacus omninò accedere quemquam vetat in funus aliorum. Sed ait rurſus idem Demetrius, increbruiſſe eam funerum, ſepulcrorumque magnificentiam, quæ nunc ferè Romæ eſt. quam conſuetudinem lege minuit ipſe. fuit enim hic vir, ut ſcitis, non ſolum eruditiſſimus, ſed etiam civis è rep. maximè, [9] tuendæque civitatis peritiſſimus. iſte igitur ſumtum minuit non ſolum *pœna*, ſed etiam *tempore*. ante lucem enim juſſit efferri. Sepulcris autem novis finivit *modum*. nam ſuper terræ tumulum noluit quid ſtatui, niſi columellam tribus cubitis ne altiorem, aut menſam, aut labellum: & huic procurationi certum magiſtratum præfecerat. Hæc igitur Athenienſes tui. Sed videamus Platonem, qui juſta funerum 27
rejicit ad interpretes religionum. quem nos morem tenemus. de ſepulcris autem dicit hæc: Vetat EX AGRO CULTO, eove, qui coli poſſit, ullam partem ſumi ſepulcro: ſed, quæ natura agri tantummodò efficere poſſit, ut mortuorum corpora ſine detrimento vivorum recipiat, ea potiſſimùm ut compleatur: quæ autem terra fruges ferre, &, ut mater, cibos ſuppeditare poſſit, eam ne quis nobis minuat, neve vivus, neve mortuus. Exſtrui autem vetat ſepulcrum altius, [10] quàm quod quinque diebus homines quinque abſolverint, nec è lapide excitari plus, nec imponi, quàm quod capiat [11] laudem mortui, inciſam quattuor herois verſibus; quos *longos* appellat Ennius. Habemus igitur hujus quoque auctoritatem de ſepulcris ſummi viri: à quo iterum funerum ſumtus præfinitur *ex cenſibus*, à minis quinque uſque ad minam. Deinceps dicit eadem illa de immortalitate animorum, & reliqua poſt mortem *tranquillitate bonorum, pœnis impiorum*. Habetis igitur explicatum omnem, ut arbitror, religionis locum. Q. Nos verò, frater, & copioſè quidem: [12] ſed perge cetera. M. Pergam quidem: & quoniam libitum eſt vobis me ad hæc impellere, hodierno ſermone conficiam, ſpero; hoc præſertim die. video enim Platonem idem feciſſe, omnemque orationem ejus de legibus, peroratam eſſe uno æſtivo die. Sic igitur faciam, & dicam de *magiſtratibus*. id enim eſt profectò, quod conſtituta religione *remp. contineat maximè*. A. Tu verò dic, [13] & iſtam rationem, quam cœpiſti, tene.

---

1. *Dominuſque funeris.*] Editi omnes & ſcripti, *domuſque.* alterum conjecit Paullus Manutius, probavitque Turnebo.

2. *Etiam Graccho cantus lugubres nominantur.*] Vulgati *Græci*; ſed falsò. Meliores mſſ. habent *Gracchos.* unde fecit *Graccho* Turnebus. Pal. quart. non agnoſcit illa etiam *Græci.* neque quidpiam habet eorum loco, & potuit gloſſa eſſe ad vocem *næniæ.*

3. *Alioquin multa extarent exempla majorum.*] Pall. & Fabr. *extarent ampla maj.* quod item expreſſum à Victorio, à Turnebo, aliiſque noſtrum reſtat in Aldina vetere.

4. *Permanſit hoc jus terra humandi.*] Sic & idem Aldus neque recedunt noſtri, quàm quod ſcribant *ocius.*

5. *Quam cum proximi injecerant.*] Eſt à conjectura Paulli Manutii. Turnebus quoque divinarat *jecerant.* nam vulgata & mſſ. *fecerant.*

6. *Quas inibant propinqui coronati.*] Sic Pal. quartus. vetus editio, *quas inibant parentes.* tert. *quas irent prop.* quod & in Vict. & Turneb. S. Vict. exhibet, *quas intrant propinqui cor.*

7. *At juſta, conjecta erant.*] Ita ferè mſſ. noſtri, neque aliter Victorii aut Turnebi editio. nam vulgata, *ad juſta, &c.* Paullus Manutius conjiciebat, *confecta:* quod non improbem. Pal. quart. ſervat, *ac juſta conjectaverant.*

8. *Noſtri Decemviri in undecimam tabulam.*] Eſt à mſſ. Turnebi; cui conſentit codex S. Victoris. qui tamen non habet illud x. ſed *noſtris viri.* vulgata, *noſtri viri in decimam tabul.*

9. *Tuendæque civitatis peritiſſimus.*] Palatin. & Fabr. *paratiſſimus.* S. Vict. *pariliſſimus.*

10. *Quam quod quinque diebus homines quinque.*] Voces illæ *homines quinque*, ortum habent a Turnebo, qui eas adjecit e Platone. non viſuntur in anterioribus edd. aut mſſ. noſtris.

11. *Laudem mortui inciſam quatuor.*] Pall. & Gulielmiani, *inciſam ne plus*, quod & in editis à Victorio & Turnebo. Poteratque revocari. monendum tamen Pall. ſupra habere *excitare prius*, non *exc. plus*, ut eſt in publicatis omnibus.

12. *Sed perge cetera.*] Editi olim *perge ad cetera.* ſed ſic nulli mſſ. noſtri; revocavit primùm Victorius.

13. *Et iſtam rationem quam cepiſti.*] Palat. quart. & liber S. Victoris, *accepiſti.* forſan *occepiſti*, inquit Gulielmius.

M. TULLII CICERONIS DE LEGIBUS, LIBER TERTIUS.

MARCUS.

1 SEQUAR igitur, ut inſtitui, divinum illum virum: quem quadam admiratione commotus, ſæpius fortaſſe laudo, quam neceſſe eſt. A. [1] Platonem videlicet dicis. M. Iſtum ipſum, Attice. A. Tu verò eum nec nimis valde umquam, nec nimis ſæpe laudaveris. nam hoc mihi etiam noſtri illi, qui *neminem*, *niſi ſuum*, *laudari volunt*, concedunt, ut eum arbitratu meo diligam. M. Bene hercule faciunt. quid enim eſt elegantia tua dignius? cujus & vita, & oratio conſecuta mihi videtur *difficillimam* illam *ſocietatem* gravitatis cum humanitate. A. Sanè gaudeo, quòd te interpellavi, quandoquidem tam præclarum mihi dediſti judicii tui teſtimonium. Sed perge, ut cœperas. A. Laudemus igitur priùs legem ipſam veris, & propriis generis ſui laudibus. A. Sanè quidem, ſicut de religionum lege feciſti. M. Videtis igitur, magiſtratus hanc eſſe vim, ut præſit, præſcribatque recta, & utilia, & conjuncta cum legibus. Ut enim magiſtratibus leges: ita populo præſunt magiſtratus: vereque dici poteſt, MAGISTRATUM *legem eſſe loquentem*, *legem autem*, *mutum magiſtratum*. Nihil porrò tam aptum eſt ad jus, conditionemque naturæ: (quod cùm dico, [2] legem à me dici, nihilque aliud intelligi volo,) quàm imperium, ſine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec *rerum natura* omnis, nec ipſe mundus poteſt. nam & hic *deo paret*, & huic obediunt maria, terræque, &
2 hominum vita juſſis ſupremæ legis obtemperat. Atque [3] ut ad hæc citeriora veniam, & notiora nobis: omnes antiquæ gentes *regibus quondam paruerunt*. quod genus imperii primùm ad [4] homines juſtiſſimos, & ſapientiſſimos deferebatur: idque in rep. noſtra maximè valuit, quoad ei regalis poteſtas præfuit. deinde etiam deinceps poſteris prodebatur: quod & in his etiam, qui nunc regnant, manet. Quibus autem regia poteſtas non placuit, non ii nemini, ſed *non ſemper uni* parère voluerunt. Nos autem quoniam leges damus liberis populis; quæque de optima rep. ſentiremus, [5] in ſex libris ante diximus: accommodabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus, civitatis ſtatum. MAGISTRATIBUS igitur opus eſt: ſine quorum prudentia, ac diligentia eſſe civitas non poteſt: quorum deſcriptione omnis reip. moderatio continetur. Neque ſolùm iis præſcribendus eſt imperandi, [6] ſed etiam civibus obtemperandi modus. nam & *qui bene imperat paruerit aliquando neceſſe eſt*: & *qui modeſtè paret*, *videtur*, *qui aliquando imperet*, *dignus eſſe*. Itaque oportet & eum, qui paret, ſperare ſe aliquo tempore imperaturum: & illum qui imperat, cogitare brevi tempore ſibi eſſe parendum. Nec verò ſolùm ut obtemperent, obediantque magiſtratibus, ſed etiam ut eos *colant*, *diligantque*, præſcribimus, ut Charondas in ſuis facit legibus. Noſter verò Plato [7] Titanum è genere ſtatuit eos, qui ut illi cœleſtibus, ſic hi adverſentur magiſtratibus. Quæ cùm ita ſint, ad ipſas jam leges veniamus, ſi placet. A. Mihi verò & iſtud, & ordo iſte rerum placet. M. JUSTA IMPERIA SUNTO; *iiſque cives modeſte, ac ſine recuſatione parento. Magiſtratus* [8] *nec obedientem*, *& noxium civem*, *multa*, *vinculis*, *verberibuſve* 3
coërceto: ni par, *majorve poteſtas*, *populuſve prohibeſſit: ad quos provocatio eſto. Cùm magiſtratus* [9] *judicaſſit*, *inrogaſſitve*; *per populum multæ pœnæ certatio eſto. Militiæ ab eo, qui imperabit*, *provocatio ne eſto: quodque is*, *qui bellum gerat*, *imperaſſit; jus, ratumque eſto. Minores magiſtratus* [10] *partiti juris*, *plures in plura ſunto. Militiæ quibus juſſi erunt imperanto*, *eorumque tribuni ſunto. Domi pecuniam publicam cuſtodiunto: vincula ſontium ſervanto: capitalia vindicanto: æs*, *argentum*, *aurumve publice ſignanto: liteis contractas judicanto: quodcumque ſenatus creverit, agunto. Suntoque ædiles curatores urbis, annonæ*, *ludorumque ſollemnium: olliſque ad honoris amplioris gradum is primus adſcenſus eſto. Cenſores*, *populi ævitates*, *ſoboles*, *familias*, *pecuniaſque cenſento: urbis templa*, *vias*, *aquas*, *ærarium*, *vectigalia tuento: populique partes in tribus diſtribuunto: exin pecunias*, *ævitateis*, *ordineis partiunto: equitum*, *peditumve prolem deſcribunto: cœlibes eſſe prohibento: mores populi regunto: probrum in ſenatu ne relinquunto: bini ſunto: magiſtratum quinquennium habento: reliqui magiſtratus annui ſunto: eaque poteſtas ſemper eſto. Juris diſceptator*, *qui privata judicet*, *judicarive jubeat prætor eſto. is juris civilis cuſtos eſto*, [11] *huic poteſtate pari quotcumque ſenatus creverit*, *populuſve juſſerit*, *tot ſunto. Regio imperio duo ſunto: iique præeundo*, *judicando*, *conſulendo*, *prætores*, *judices*, *conſules appellantor. militiæ ſummum*

---

1. P*Latonem videlicet dicis.*] Pall. Fab. S. Victoris *diligis*. nec temeraria videtur talis concordia.

2. *Legem à me dici*, *nihilque aliud intelligi volo.*] Ita Pal. quartus. reliqui, *nihil aliud.* quod & in editionibus omnibus antequam operi huic manum admoviſſet Victorius. is enim delevit par illud vocum, ſecutuſque eum Turnebus & Ald. Nepos, & alii. an recte neſcio. nam quod Lambinus aſſeveret duas illas dictiones deletas in Memmiano, nihil eum juvat; cùm non conſtet, a quo ſint deletæ; certe non quo jure.

3. *Ut ad hæc citeriora veniam.*] Pal. quart. editioque Victorii: *cetera*. malo pejus. olim vulgati deſtituebantur pronomine *hæc*. addita eſt e libris.

4. *Ad homines juſtiſſimos & ſapientiſſimos.*] Palatin. quart. non admittit, *& ſapientiſſimos*. viderique queat minus neceſſarium. nam & Juſtinus lib. 1. c. 1. *Reges ad faſtigium hujus majeſtatis*, *non ambitio popularis*, *ſed ſpectata inter bonos moderatio*. verùm nihil pertendo.

5. *In ſex libris ante diximus.*] Tres voces priores non viſuntur in Pal. quart.

6. *Sed etiam civibus obtemperandi modus.*] Hotomannus lib. VIII. cap. 7. Obſervationum habet pro adulterino *civibus*. mihi non videtur.

7. *Titanum è genere ſtatuit eos*, *qui ut illi cœleſtibus.*] Gulielmius collocat defectus notam poſt *eos*, & legit, *quia*, *ut*, *&c.* videtur ſane aliquid deeſſe.

8. *Nec obedientem & noxium civem.*] Membranæ noſtræ quatuor, *& innoxium*. reperitque item in ſuis Turnebus: adeo ut ita reſtituendum videatur; vel certe, & *in noxia civem*.

9. *Judicaſſit inrogaſſitve.*] Pal. quart. *interogaſſitve*, quomodo emendandum divinabat Gulielmius. ſed non video, quei heic locum habere debeat præ altero. ſic tamen etiam habet Aldi vetus.

10. *Partiti juris plures in plura ſunto.*] Eſt à Victorio & Turnebo; alluduntque fere mſſ. noſtri. ut prius publicati, *periti juris*, *plures in prælia ſunto*.

11. *Huic poteſtate pari quotcunque Senatus*, *&c.*] Vulgata, *huic poteſtati parento. Quotcunque*, *&c.* altera manavit à mſſ. Victorii.

1. *Diſcer-*

mum jus habento, nemini parento. ollis ſalus populi ſuprema lex eſto. Eundem magiſtratum, ni interfuerint decem anni, nequis capito. Ævitatem annali lege ſervanto. Aſt quando duellum gravius, [1] *diſcordiæve civium eſcunt, œnus, ne amplius ſex menſes, ſi ſenatus creverit, idem juris, quod duos conſules, teneto: iſque ave ſiniſtra dictus, populi magiſter eſto. Equitem cumque qui regat, habeto pari jure cum eo, quicumque erit juris diſceptator.* [2] *Aſt quando conſulis eſt, magiſterve populi; reliqui magiſtratus ne ſunto. Auſpicia patrum ſunto: ollique ex ſe prodanto, qui comitiatu creare conſules ritè poſſint. Imperia, poteſtates, legationes, cùm ſenatus creverit populuſve juſſerit, ex urbe exeunto: duella juſta juſte gerento: ſociis parcunto: ſe, & ſervos continento: populi ſui gloriam augento: domum cum laude redeunto: rei ſuæ ergo ne quis legatus eſto. Plebes quos pro ſe contra vim, auxilii ergo, decem creaſſet, tribuni ejus ſunto: quodque ii prohibeſſint, quodque plebem rogaſſint, ratum eſto: ſanctique ſunto: neve plebem orbam tribunis relinquunto. Omnes magiſtratus auſpicium, judiciumque habento:* [3] *ex quois ſenatus eſto: ejus decreta, rata ſunto. aſt ni poteſtas par, majorve prohibeſſit, S. C. perſcripta ſervanto. Is ordo vitio vacato: ceteris ſpecimen eſto creatio magiſtratuum, judicia, populi juſſa, vetita,* [4] *cùm ſuffragio conſciſcentur, optimatibus nota, plebi libera ſunto.*

4 *At ſi quid erit, quod extra* [5] *magiſtratus cœratore œſus ſit, qui cœret populus creato, eique jus cœrandi dato. Cum populo, patribuſque agendi jus eſto conſuli, prætori, magiſtro populi, equitumque, eique, quem produnt patres conſulum rogandorum ergo: tribuniſque quos ſibi plebes rogaſſit jus eſto cum patribus agendi:* [6] *iidem, ad plebem, quod œſus erit, ferunto. Quæ cum populo, quæque in patribus agentur, modica ſunto. Senatori, qui nec aderit; aut cauſa, aut culpa eſto. Loco ſenator, & modo orato: cauſas populi teneto. Vis in populo abeſto. Par, majorve poteſtas plus valeto.* [7] *Aſt qui turbaſſitur in agendo, fraus actoris eſto. Interceſſor rei malæ, ſalutaris civis eſto. Qui agent, auſpicia ſervanto, auguri parento: promulgata, propoſita,* [8] *in ærario cognita, agunto:* [9] *nec plus, quàm de ſingulis rebus ſemel conſulunto: rem populum docento: doceri à magiſtratibus, privatiſque patiunto. Privilegia ne irroganto: de capite civis, niſi per maximum comitiatum, olloſque, quos cenſores in partibus populi locaſſint,* [10] *ne ferunto: donum ne capiunto, neve danto, neve petenda, neve gerenda, neve geſta poteſtate. Quod quis earum rerum migraſſit, noxiæ pœna par eſto.* [11] *Cenſoris fide legem cuſtodiunto.* [12] *Privati ad eos acta referunto: nec eo magis lege liberi ſunto.* Lex recitata eſt. [13] Diſcerem, & tabellam jubebo dari.

5 QU. Quàm brevi, frater, in conſpectu poſita eſt à te omnium magiſtratuum deſcriptio: ſed ea pæne noſtræ civitatis: etſi a te paullum allatum eſt novi. M. Rectiſſimè, Quinte, animadvertis. hæc eſt enim [14] quam Scipio laudat in libris, [15] & quam maximè probat temperationem reip. quæ effici non potuiſſet, niſi tali deſcriptione magiſtratuum. nam ſic habetote, magiſtratibus, iiſque, qui præſint, contineri remp. & ex eorum compoſitione, quod cujuſque Reip. genus ſit, intelligi. Quæ res cùm ſapientiſſimè, moderatiſſimeque conſtituta eſſet à majoribus noſtris, nihil habui, ſanè non multum, quod putarem novandum in legibus. A. Reddes igitur nobis, ut in religionis lege feciſti admonitu, & rogatu meo, ſic de magiſtratibus, ut diſputes, quibus de cauſis maximè placeat iſta deſcriptio. M. Faciam, Attice, ut vis: & locum iſtum totum, ut à doctiſſimis Græciæ quæſitum, & diſputatum eſt, explicabo: &, ut inſtitui, noſtra jura attingam. A. Iſtud maximè exſpecto diſſerendi genus. [16] Atqui pleraque ſunt dicta in illis libris, cùm de optima rep. quæreretur. Sed hujus loci de magiſtratibus ſunt propria quædam, à Theophraſto primùm, deinde à Dione Stoico quæſita ſubtiliùs. A. Ain

6 tandem? etiam à Stoicis iſta tractata ſunt? M. Non ſanè, niſi ab eo, quem modò nominavi, & poſtea à magno homine, & in primis erudito, Panætio. Nam veteres verbo tenus, acutè illi quidem: ſed non ad hunc uſum popularem, atque civilem, de rep. diſſerebant. [17] Ab hac familia magis iſta manarunt, Platone principe: pòſt Ariſtoteles illuſtravit omnem hunc civilem in diſputando locum, Heraclideſque Ponticus, profectus ab eodem Platone. Theophraſtus verò [18] inſtitutus ab Ariſtotele, habitavit, ut ſcitis, in eo genere rerum, ab eodemque Ariſtotele doctus Dicæarchus, huic rationi, ſtudioque non defuit. Poſt à Theophraſto Phalereus ille Demetrius, de quo feci ſuprà mentionem,

1. *Diſcordiæ civium eſcunt, œnus, ne amplius.*] Neſcio à quo primum eruta ſit iſthæc lectio, Giſanione an Lambino. accedit certè ei plane vetus ſcriptura codicis Turneb. in quo *civium eſcuntones ne amplius.* ſed & in S. Victoris libro erat, *civium eſcuntones.* Pall. *civium eſcunto ne ampl.* publicati prius, *civium eſunto ne amplius.* CL. Puteanus tentabat, *diſcordiave civium eſſet, unus ne a. ſ. m. nei. ſen.*

2. *Aſt quando conſul is magiſterve populi; reliqui magiſtratus ne ſunto.*] Non receſſi ab editione Victorii, præterquam quod *conſulis* diviſi in duas dictiones. videturque Cicero idem jus tribuere Dictatori quod habebat olim. Aliter hæc Turnebus, aliter P. Manutius. ſed noſtra ſcriptura ſenſum habet maniteſtiſſimum. Puteanus annotârat: *Is quando eſt, conſules mag.*

3. *Ex quois Senatus eſto.*] Etiam heic adhæreo Victorianæ, confirmatæ à noſtris, in quibus *ex quo is*; aut, *ex quo his.* Turnebus habet *ex quis.* vulgata, *eque his*; vel, *exque iis.*

4. *Cum ſuffragio conſciſcentur.*] Inclinabat clariſſimus Puteanus legere, *cum ſuffragia ſciſcentur.*

5. *Magiſtratus cœratore œſus ſit, qui cœretur.*] Eſt à conjectura Turnebi. nam libri Victorii, *mag. cohærario uſu ſit, qui cohæret populus creato eique jus cohærendi.* ſcilicet antiquis æ uſurpatum pro u. itaque *cœrator*, & *œſus* eſt *curator* & *uſus.* ideatur Turnebus.

6. *Iidem ad plebem quod œſus erit.*] Eſt a libro S. Victoris item à divinatione Turnebi; cum extaret in veteri editione, *cenſus erit*; in recentiore *quod cenſuerint*, protraxiſſetque e ſuis Victorius, *quod ceſus erit.* quomodo & Palatin. tert. Lipſius lib. II. Antiq. Lect. cap. 2. idem conjicit quod Turnebus.

7. *Aſt qui turbaſſitur in agendo, &c.*] Legit Puteanus, *Aſt quoi turba ſit in agendo, fraus actoris, &c.*

8. *In ærario cognita agunto.*] Controverſiam ſtatus movit huic *ærario* Paull. Manutius, varieque locum vexat: verum quanto facilius erat emendare, *in ærario condita*, quod mihi naſcebatur ſub acumen ſtyli. Puteanus annotarat, *promulgata cognita agunto, in ærario ſervantor.*

9. *Nec pluſquam de ſingulis rebus ſemel conſulunto.*] Delet τὸ *ſemel* Vict. editio ejuſque tradux Manutiana. ſed retinent duo mſſ. Pall. edit. ceteræ. Gruterus inter fabulandum calidè conjecerat *ſimul.*

10. *Ne ferunto: donum ne cap.*] Inſerit præterea Victorius *ne ferunto. vim ne faciunto. donum, &c.* ſed neque id in mſſ. neque in edd. noſtris apparet.

11. *Cenſoris fide legem cuſtodiunto.*] Ita editio Aldi; ſic quoque vult Turnebus ex ſcriptis nobb. aut levi mutatione *cenſorum.* Fabr. S. Vict. Pal. tert. *cenſoris fidem legem cuſt.* unicâ tantùm litterâ abit quart. *cenſores.* in vulgatis *cenſores fide legem.*

12. *Privati.*] Ita editio Victorii. conſuadet codex S. Victoris *private* repræſentans. erat ſcriptum *privatei*, deinde a ſcriba *i* omiſſum fortaſſe.

13. *Duce rem, & tabellam iubebo dari.*] Sic editio Victorii ceteræque. accedit Pal. quartus exhibens *diſcerem.* Ceterum Turnebus pro *iubebo* in antiquis libris *vincbo* reperiſſe teſtatur, ut alluſum ſit ad ſuffragiorum diribitores, quorum, videre & proſpicere de dandis populo tabellis. ſed ſæpe ſic *ui* pro *iu* alterant mſſ.

14. *Quam Scipio laudat in libris, & quam Reip.*] Nihil divertunt ab hac lectione Pall. neque Gulielmiani: retinentque editiones meliores, puta Aldi atque Victorii.

15. *Et quam maximè probat temperationem Reip.*] Delentur hæc in Fabr. S. Vict. at retinent ad hunc modum editiones Aldi, Victorii, Turnebi, reliquæque; præterea mſſ. quartus. nam ſecundus, *Temperatione.*

16. *Atqui pleraque ſunt dicta, cùm de optima Republ. quæreretur.*] Auſus ſum ejicere verborum illam tricam, qua abundant editiones *quod faciundum fuit*: quia nihil hic agunt, & quoniam abjiciunt duo optimi libri mſſ. S. Victor. quartus Palatin.

17. *Ab hac familia magis iſta, &c.*] Argute admodum corculum illud Galliæ ſuæ, *ab Academia magis iſta*, &c.

18. *Inſtitutus ab Ariſtotele habitavit, ut ſcitis, in, &c.*] Nemo auſus eſt ſequi magnum Turnebum hanc lectionem primò producentem: ſed cum eam quoque afferant S. Vict. Pal. tert. Fabr. nihil relinquitur amplius dubii eam veriſſimam eſſe. Eſt igitur *habitavit* ἐνεσχολάζεν, ut idem explicat, plurimùm ſe dedidit. ſimile quid Tuſculanis reſtituimus in Crepundiis. vulgatum *abundavit* putidum planè eſt gloſſema.

 1. *Niſi*

tionem, mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum,
otioque, non modò in ſolem, atque pulverem, ſed in
ipſum diſcrimen, aciemque produxit. Nam & mediocri-
ter doctos magnos in rep. viros, & doctiſſimos homines
non nimis in rep. verſatos, multos commemorare poſſu-
mus. Qui vero utraque re excelleret, ut & doctrinæ ſtu-
diis & regenda civitate princeps eſſet, quis facilè, præter
7 hunc, inveniri poteſt? A. Puto poſſe, & quidem aliquem
de tribus nobis. Sed perge, ut cœperas. M. Quæſitum
igitur ab illis eſt, placeretne unum in civitate eſſe magi-
ſtratum, cui reliqui parerent: quod exactis regibus intel-
ligo placuiſſe noſtris majoribus. Sed quoniam regale civi-
tatis genus, probatum quondam, poſtea non tam regni,
quam regis vitiis, repudiatum eſt, nomen tantùm videbitur
regis repudiatum, res manebit, ſi unus omnibus reliquis
magiſtratibus imperabit. Quare nec Ephori Lacedæmone
ſine cauſa à Theopompo oppoſiti regibus, nec apud nos
conſulibus tribuni. Nam illud quidem ipſum, quod in
jure poſitum eſt, habet conſul, ut ei reliqui magiſtratus
omnes pareant, excepto tribuno, qui pòſt exſtitit, ne id,
quod fuerit eſſet: hoc enim primùm minuit conſulare jus,
quod exſtitit ipſe, qui eo non teneretur: deinde quod at-
tulit auxilium reliquis non modò magiſtratibus, ſed etiam
privatis, conſuli non parentibus. Q. Magnum dicis malum.
nam iſta poteſtate nata, gravitas optimatium cecidit, con-
valuitque jus multitudinis. M. Non eſt ita, Quinte. non
enim jus illud ſolùm ſuperbius populo, ſed violentius vi-
deri neceſſe erat: quò poſteaquàm modica, & ſapiens tem-
peratio acceſſit, converſa lex in omneis eſt.

Deeſt omnium hujus legis capitum explicatio à principio, uſque ad hoc caput, Domum cum l.

8 DOMUM CUM LAUDE REDEUNTO. Nihil enim, præter
laudem, bonis atque innocentibus, neque ex hoſtibus,
neque à ſociis reportandum. Jam illud apertum profectò
eſt, nihil eſſe turpius, quàm quemquam legari niſi reip.
cauſa. Omitto quemadmodum iſti ſe gerant, atque geſſe-
rint, qui legatione hereditates, aut ſyngraphas ſuas per-
ſequuntur. In hominibus eſt hoc fortaſſe vitium. Sed
quæro, quid reapſe ſit turpius, quàm ſine procuratione
ſenator, legatus ſine mandatis, ſine ullo reip. munere?
quod quidem genus legationis ego conſul, quamquam ad
commodum ſenatus pertinere videatur, tamen approbante
ſenatu frequentiſſimo, [1] niſi mihi leviſſimus tribunus-
pleb. tum interceſſiſſet, ſuſtuliſſem. tamen minui tempus,
& quod erat infinitum, annuum feci. ita turpitudo ma-
net, diuturnitate ſublata. Sed jam, ſi placet, de provinciis
diſcedatur, in urbemque redeatur. A. Nobis placet: ſed iis,
qui in provinciis ſunt, minimè placet. M. At verò, Tite,
ſi pareant his legibus, nihil erit his urbe, nihil domo ſua
dulcius: nec laborioſius, moleſtiuſque provincia. Sed ſe-
quitur lex, quæ ſancit eam tribunorum pl. poteſtatem,
quæ in rep. noſtra: de qua diſſeri nihil neceſſe eſt. Q. At
mehercule ego, frater, quæro, de iſta poteſtate quid ſentias.
nam mihi quidem peſtifera videtur, quippe quæ in ſedi-
tione, & ad ſeditionem nata ſit: [2] cujus primum ortum,
ſi recordari volumus, inter arma civium, & occupatis, &
obſeſſis urbis locis procreatum videmus. [3] Deinde cùm
eſſet citò legatus, tanquam ex XII. tabulis, inſignis ad
deformitatem puer, brevi tempore creatus, multoque
tætrior, & fœdior natus eſt. [4] Quem enim ille non edidit? 9
qui primùm, ut impio dignum fuit, patribus omnem ho-
norem eripuit, omnia infima ſummis paria fecit, turbavit,
miſcuit: cùm afflixiſſet principum gravitatem, numquam
tamen conquievit. atque ut Cn. Flaminium, atque ea,
quæ jam priſca ſunt, relinquam: quid juris bonis viris
Ti. Gracchi tribunatus reliquit? etſi quinquennio antè,
D. Brutum, & P. Scipionem conſules, quos, & quantos
viros! homo omnium infimus, & ſordidiſſimus tribu-
nus pl. C. Curiatius in vincula conjecit: quod antè factum
non erat. C. verò Gracchus [5] ruinis, & iis ſicis, quas ipſe
ſe projeciſſe in forum dixit: quibus digladiarentur inter ſe
cives, nonne omnem reip. ſtatum permutavit? Quid jam
de Saturnini ſupplicio, reliquiſque dicam? quos ne de-
pellere quidem à ſe ſine ferro potuit reſp. Cur autem aut
vetera, aut aliena proferamus potiùs, quàm & noſtra, &
recentia? quis umquam tam audax, tam inimicus nobis
fuiſſet, ut cogitaret umquam de ſtatu noſtro labefactando,
niſi mucronem aliquem tribunitium exacuiſſet in nos?
quem cùm homines ſcelerati ac perditi non modò ulla in
domo, ſed nulla in gente reperirent, genteis ſibi in tene-
bris reip. perturbandas putaverunt. Quod nobis quidem
egregium, & ad immortalitatem memoriæ glorioſum, ne-
minem in nos mercede ulla tribunum potuiſſe reperiri niſi
cui ne eſſe quidem licuiſſet tribuno. Sed ille quas ſtrages
edidit? eas videlicet, quas ſine ratione, ac ſine ulla ſpe
bona furor edere potuit impuræ beluæ, multorum inflam-
matus furoribus. Quamobrem in iſta quidem re vehe-
menter Sullam probo, qui tribunus pleb. ſua lege injuriæ
faciendæ poteſtatem ademerit, auxilii ferendi reliquerit:
Pompejumque noſtrum ceteris rebus omnibus ſemper am-
pliſſimis, ſummiſque effero laudibus: de tribunitia poteſtate
taceo. nec enim reprehendere libet, nec laudare poſſum.
M. Vitia quidem tribunatus præclarè, Quinte, perſpicis.
Sed eſt iniqua in omni re accuſanda, prætermiſſis bonis
malorum enumeratio, vitiorumque ſelectio. Nam iſto 10
quidem modo [6] vel conſulatus vituperatio eſt, ſi conſulum,
quos enumerare nolo, peccata collegeris. Ego enim fateor
in iſta ipſa poteſtate ineſſe quiddam mali. Sed bonum,
quod eſt quæſitum in ea, ſine iſto malo non haberemus.
Nimia poteſtas eſt tribunorum pl. quis negat? ſed vis po-
puli multo ſævior, multoque vehementior, quæ ducem
quòd habet, interdum lenior eſt, quàm ſi nullum haberet.
dux enim ſuo periculo progredi cogitat: populi impetus
periculi rationem ſui non habet. [7] At aliquando incendi-
tur; & quidem ſæpe ſedatur. quod enim eſt tam deſpera-
tum

---

1. *Niſi mihi leviſſimus Tribunus.*] Ita vulgat. editiones, mſſ. tamen ut & Victorii edit. *levis.* ſic infra paullò cap. 10. *leveis & non bonos fortaſſe plureis.*

2. *Cujus primum ortum ſi recordari volumus brevi tempore recreatus, multoque concretior & fœdior natus eſt.*] Ita enim legendum: loquitur de Tribunicia poteſtate velut de monſtroſo partu. *Concretum* intellige, non contaminatum & inquinatum, ut cenſuit Turnebus; ſed cujus membra male coaluerunt: non deſcripta & ordinata, & ſuis locis, numeris modiſque poſita; ſed turbata, permixta & aliis alia præter naturam velut inſerta ſunt. *Gronov.*

3. *Deinde cum eſſet cito legatus, tanquam.*] Sic habent Pall. edd. Aldi, Victorii. mſſ. Turnebi *octo leg.* ex quo ille, *ſtolo Gajus* facit. Gulielmius verò, *orco legatus.* noti ſunt *Orcini* ex jure civili. Auratus ex conjectura, *allegatus*; Canterus, *ablegatus*, Puteanus *necatus*, denique Gruterus *Lethatus.* cetera ferè cum edd. & mſſ. conſentiunt; niſi quod abdicent τὸ *neſcio quo pacto.* locus igitur depoſitus, quem conjecturâ ſanare velle, eſt rete jaculo piſcari in aëre; quanquam mihi neque Gulielm. neque Gruteri conjectura diſpliceat.

4. *Quem enim ille non edidit?*] Sic Turnebus aliæque. verùm Victorius aſteriſco notat *quem enim * non edidit.* Palat. tertius cum Lambino facit aſſerens, *quæ enim ille non edit.* ceterùm quart. pro *edidit*, *addidit.*

5. *Ruinis & iis ſicis.*] Ita Turneb. quem ſequuti Lambin. atque Aldus N. edd. vulgatæ, *ruinis & emiſſitiis exitiis*, quod exſtat in tert. quoque Pal. at quart. pro *emiſſitiis exitiis.* Locus intimè corruptus. allubuit Turnebi tamen præ vulgatâ lectio. nam ſtatim poſt *mucronem* meminit: requiritque tale quid adſitum verbum *digladiarentur.*

6. *Vel conſulatus vituperio eſt.*] Recepi contra omnes edd. hanc lectionem repoſitam à concordi Palat. conſenſu. nam ſic loquitur Cicero frequentiſſimè, aliique. Vulgo *vituperabilis eſt*, quod liquet mihi pro gloſſa.

7. *Et aliquando incenditur: & quidem ſæpe ſedatur.*] Sic in omnibus præter quartum, reſcribentem, *& aliquando ſedatur.* non malè, ſi adhuc unus pluresque melioris notæ teſtes accederent.

1. *Quin*

tum collegium, in quo nemo è decem ſana mente ſit? [1] quin per ipſum Ti. Gracchum non ſolùm nectus, ſed etiam ſublatus interceſſor fuerat. Quid enim illum aliud perculit, niſi quod poteſtatem intercedendi collegæ abrogavit: ſed tu ſapientia majori nihilo vide. Conceſſo plebi à patribus iſta poteſtate arma ceciderunt: reſtincta ſeditio eſt: inventum eſt temperamentum, quo tenuiores cum principibus æquari ſe putarint: in quo uno fuit civitatis ſalus. At duo Gracchi fuerunt. Et præter eos quamvis enumeres multos licet; [2] cùm deni creantur, nullos in omni memoria reperies pernicioſos tribunos? leveis, etiam non bonos fortaſſe plureis. invidia quidem ſummus ordo caret: plebes de ſuo jure periculoſas contentiones nullas facit. Quamobrem aut exigendi reges non fuerunt: aut plebi re, non verbo danda libertas: quæ tamen ſic data eſt, [3] ut multis præclariſſimis addiceretur, ut auctoritati princi-
11 pum cederet. Noſtra autem cauſa, quæ, optime, & dulciſſime frater, incidit in tribunitiam poteſtatem, nihil habuit contentionis cum tribunatu. Nom enim plebs incitata noſtris rebus invidit: ſed vincula ſoluta ſunt, & ſervitia incitata, adjuncto terrore etiam militari. Neque nobis cum illa tum peſte certamen fuit, ſed cum graviſſimo reip. tempore: cui ſi non ceſſiſſem, non diuturnum beneficii mei patria fructum tuliſſet. Atque hoc rei exitus indicavit. Quis enim non modò liber, ſed etiam ſervus libertate dignus fuit, cui noſtra ſalus cara non eſſet? Quòd ſi is caſus fuiſſet rerum, quas pro ſalute reip. geſſimus, ut non omnibus gratus eſſet: &, [4] ſi nos multitudinis vis furentis inflammata invidia pepuliſſet; ſi tribunus aliquis in me populum, ſicut Gracchus in Lenatem, Saturninus in Metellum, incitaſſet: ferremus; ô Quinte frater: conſolarenturque nos non tam philoſophi, qui Athenis fuerunt, qui hoc facere debent, quàm clariſſimi viri, qui illa urbe pulſi carere ingrata civitate, quàm manere in improba maluerunt. Pompejum verò quòd unà iſta in re non ita valde probas, vix ſatis mihi illud videris attendere, non ſolùm ei, quid eſſet optimum, videndum fuiſſe, ſed etiam quid neceſſarium. [5] ſenſit enim deberi non poſſe huic civitati illam poteſtatem. quippe non tantopere populus noſter ignotam expetiſſet, quî poſſet carere cognita? ſapientis autem civis fuit, cauſam nec pernicioſam, & ita popularem, ut non poſſet obſiſti, pernicioſè populari civi non relinquere. Scis ſolere, frater, in hujuſmodi ſermone, ut
12 tranſiri aliò poſſit, ADMODUM, dici. [6] T. Prorſus ita eſt. Q. Haud equidem aſſentior, tu tamen ad reliqua pergas velim. M. Perſeveras tu quidem, & in tua vetere ſententia permanes. Q. Nunc mehercule. A. Ego ſane à Quinto noſtro diſſentio. Sed ea, quæ reſtant, audiamus. M. Deinceps igitur omnibus magiſtratibus auſpicia, & judicia dantur: judicia, ut eſſet populi poteſtas, ad quam provocaretur: auſpicia, ut multos inutileis comitiatus, probabiles impedirent moræ: ſæpe enim populi impetum injuſtum, auſpiciis dii immortales repreſſerunt. [7] Ex his autem, qui magiſtratum ceperunt, quòd ſenatus efficitur, popularem ſanè neminem in ſummum locum, niſi per populum, venire, ſublata cooptatione cenſoria. Sed præſtò eſt hujus vitii temperatio, quòd ſenatus lege noſtra confirmatur auctoritas. Sequitur enim: EJUS DECRETA SUNTO. Nam ita ſe res habet, ut, ſi ſenatus, dominus ſit publici conſilii, quodque is creverit, defendant omnes: &, ſi ordines reliqui, principis ordinis conſilio remp. gubernari velint, poſſit, ex temperatione juris, cùm poteſtas in populo, auctoritas in ſenatu ſit, teneri ille moderatus, & concors civitatis ſtatus, præſertim ſi proximæ legi parebitur. Nam proximum eſt: IS ORDO VITIO CARETO, CETERIS SPECIMEN ESTO. Q. [8] Præclara verò, frater, iſta lex eſt, & latè patet, ut vitio careat ordo, & cenſorem quærat interpretem. A. Ille verò, etſi eſt totus tuus ordo, graviſſimamque memoriam retinet conſulatus tui, pace tua dixerim, non modò cenſores, ſed etiam judices omneis poteſt defatigare. M. Omitte iſta, Attice. non enim de hoc ſenatu, nec 13
his de hominibus, qui nunc ſunt, ſed de futuris, ſi qui fortè his legibus parêre voluerint, hæc habetur oratio. Nam cùm omni vitio carere lex jubeat, ne veniet quidem in eum ordinem umquam vitii particeps. Id autem difficile factu eſt, niſi educatione quadam, & diſciplina: de qua dicemus aliquid fortaſſe, ſi quid fuerit loci, aut temporis. A. Locus certè non deerit, quoniam tenes ordinem legum: tempus verò largitur longitudo diei. Ego autem, etiamſi præterieris, repetam à te iſtum de educatione, & de diſciplina locum. M. Tu verò & iſtum, Attice, [9] & ſi quem alium præterii. Ceteris ſpecimen eſto: quod ſi eſt, tenemus omnia. Ut enim cupiditatibus principum, & vitiis infici ſolet tota civitas: ſic emendari, & corrigi continentia. Vir magnus, & nobis omnibus amicus, L. Lucullus, [10] efferebatur quaſi commodiſſimè reſpondiſſet, cùm eſſet objecta magnificentia villæ Tuſculanæ, duos ſe habere vicinos: ſuperiorem, equitem R. inferiorem, libertinum: quorum cùm eſſent magnificæ villæ, concedi ſibi oportere, quod iis, qui tenuioris ordinis eſſent, liceret. Non vides, Luculle, à te id ipſum natum, ut illi cuperent, quibus id, ſi tu non faceres, non liceret. Quis enim ferret iſtos, cùm videret eorum villas ſignis, & tabulis refertas, partim publicis, partim etiam ſacris, & religioſis? quis non fran-

---

1. *Quin per ipſum Tib. Gracchum non ſolùm nectus, ſed.*] Varie agitatus locus. Turnebus ita edidit, ut ſcripſi. Victorii verò editio, *quin * per ipſum, &c.* Pal. tert. omittit τὸ *per*, in reliquis cum vulgatis concinens. quartus tale quid muginatur, *quin ipſum Tiberium Gracchum non ſolum vectus, ſed etiam ſublatus interceſſor ſervaverat.* de quo miraculo ad ingenioſiores referendum cenſeo. Porro ex noſtra lectione concinnarat Gulielm. *rejectus*, aut, quod veriſſimum putat, *neglectus.* Puteanus conabatur, *quin perdidit ipſum Tib. Gracchum, non ſolum vetitus, ſed etiam ſublatus interceſſor*; ejecta, voce *fuerat*, quæ ſequebatur in vulgatis. Ego, quod Victorius, Turnebus, Ald. Nepos, præterea cum quarto S.Vict. Fabr. codd. retinent, exhibendum duxi.

2. *Cum deni creantur, nullos in omni memoria reperies pernicioſos Tribunos? leves etiam non bonos fortaſſe plureis.*] Sic e mſſ. Pall. Fabr. Interrogationis notam immiſi judicium ſecutus Gulielmii. nam quod alii *non* inferciunt, contra mſſ. eſt: ſicque leviculâ diſtinctione ſenſus juvatur.

3. *Ut multis præclariſſimis addiceretur.*] Sic mſſ. & edd. Lambinus ſua lubidine *legibus* immiſcuit. Gulielmius ex conjecturâ *adduceretur.* quod non probat, qui legit eruditiſſimum Turnebi commentarium.

4. *Si nos multitudinis vis furentis inflammata invidiâ pepuliſſet; ſi tribunus aliquis in me populum.*] Malumus Turnebum & Manutium Nep. ſequi, quam vulgatum: *ſi in os m. f. v. f. inf. invidia pepuliſſet tribunitia: quis in me popul. &c.* Locus in mſſ. etiam eximiè corruptus. Lambinus, ne non aliquid novi poſt Turnebum & Manutium repetiſſe videretur, contra omnes mſſ. *perculiſſet* legit. Puteanus adquieſcit noſtræ lectioni; ſed mallet reſcribi, *percuiſſet, ſi quis ſic in me*, reciſis intermediis.

5. *Senſit enim deberi non poſſe.*] Sic omnes edd. elegantiſſimè. ſic etiam Ovidius Epiſtolâ Paridis. At Pall. itemque Fabric. *deleri.*

6. *T. Prorſus ita eſt. Q. Haud equidem.*] Sic diſtinxi ex Victorio, Turnebo, Manutio Nep. vulgo: *Q. Prorſus ita ſentio: haud equid.* mſſ. Palatin. Fabr. S. Victor. *P. ita eſt: aut equidem.* ut vulgata inepta; Lambini audax & contra libb. eſt.

7. *Ex his autem, qui magiſtratum ceperunt, quod ſenatus efficitur, popularem ſanè.*] Non ſuſtinui ſequi conjecturam Turnebi, refingentis, *populare eſt*, cùm vulgatam lectionem tueantur mſſ. S. Victor. Fabr. Pal. tert. (nam quart. hîc deficit) atque adeo viſatur in edd. Ald. Victor. ceterùm pro *ſublata cooptatione cenſoriâ.* Pal. tert. Fabr. *ſublata eſt cooptatio cenſoria.* Lambino, quodlibet, licet.

8. *Præclara verò, frater, iſta lex eſt, & latè patet, ut vitio careat ordo, & cenſorem quær.*] Ita Turnebus, quem ſequitur nobiſcum Ald. Nep. Mich. Brutus. vulgò, *iſta lex, ſed & altera ut & vitio careat ordo, & ut cenſ.*

9. *Etſi quem alium prætorii.*] Mſſ. Palat. edit. Victorii, Turneb. vulgò deeſt.

10. *Efferebatur, quaſi commodiſſimè reſpondiſſet.*] Parui editioni Victorii, Turnebi aliorumque: & minus duabus litteris hanc lectionem præſtant Palatinæ Membranæ; in iis pro *efferebatur*, *ferebatur.* vulgò, *ferebatur quàm commodiſſimè reſpondiſſe.*

1. *Cupi-*

frangeret eorum libidines, niſi illi, qui eas frangere debe-
14 rent, [1] cupiditatis ejuſdem tenerentur? Nec enim tantum mali eſt peccare principes (quamquam eſt magnum hoc per ſe ipſum malum) quantum illud, quòd permulti imitatores principum exiſtunt. Nam licet videre, ſi velis replicare memoriam temporum, qualeſcumque ſummi civitatis viri fuerunt, talem civitatem fuiſſe: quæcumque mutatio morum in principibus extiterit, eandem in populo ſecuturam. Idque haud paullo eſt verius, quàm quod Platoni noſtro placet, qui muſicorum cantibus ait mutatis, mutari civitatum ſtatus. Ego autem nobilium vita, victuque mutato, mores mutari civitatum puto. Quo pernicioſius de rep. merentur vitioſi principes, quòd non ſolùm vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in civitatem: neque ſolùm obſunt, quòd ipſi corrumpuntur, pluſque exemplo, quàm peccato nocent. Atque hæc lex dilatata in ordinem cunctum, coanguſtari etiam poteſt. pauci enim, atque admodum pauci, honore & gloria amplificati, vel corrumpere mores civitatis, vel corrigere poſſunt. Sed hæc & nunc ſatis, & in illis libris tractata ſunt diligentiùs. Quare ad reliqua veniamus. Proximum autem eſt de ſuffragiis: quæ jubeo nota eſſe optimatibus, populo libera. A. Ita mehercule attendi, nec ſatis intellexi, quid ſibi lex,
15 aut quid verba iſta vellent. M. [2] Dicam, Tite, & verſabor in re difficili, ac multùm, & ſæpe quæſita: ſuffragia in magiſtratu mandando, [3] aut reo judicando, aut lege, aut rogatione ſciſcenda clam, an palam ferre, melius eſſet. Q. An etiam id dubium eſt? Q. Vereor, ne à te rurſus diſſentiam. M. Non facies, Quinte. nam ego in iſta ſum ſententia, qua te fuiſſe ſemper ſcio, nihil ut fuerit in ſuffragiis voce melius, ſed, obtineri an poſſit, videndum eſt. Q. Frater, Bona tua venia dixerim, iſta ſententia maximè & fallit imperitos, & obeſt ſæpiſſimè reip. cùm aliquid verum, & rectum eſſe dicitur, ſed obtineri, id eſt, obſiſti poſſe populo, negatur. Primùm enim obſiſtitur, cùm agitur ſeverè: deinde vi opprimi in bona cauſa, eſt melius, quàm malæ cedere. Qui autem non ſentit, auctoritatem omnem optimatium tabellariam legem abſtuliſſe? quam populus liber numquam deſideravit: idem oppreſſus dominatu, ac potentia principum, flagitavit. Itaque graviora judicia de potentiſſimis hominibus [4] exſtant voces, quàm tabellæ. Quamobrem ſuffragandi nimia libido in non bonis cauſis eripienda fuit potentibus, non latebra danda populo, in qua bonis ignorantibus, quid quiſque ſentiret, tabella vitioſum occultaret ſuffragium. Itaque iſti rationi neque lator quiſquam eſt inventus, nec auctor
16 umquam bonus. Sunt enim quattuor leges tabellariæ: quarum prima de magiſtratibus mandandis: ea eſt Gabinia, lata ab homine ignoto, & ſordido. Secuta biennio pòſt Caſſia eſt, de populi judicio. ea à nobili homine lata eſt, L. Caſſio, ſed, pace familiæ dixerim, diſſidente à bonis, [5] atque omni rumuſculos populares ratione aucupante. Carbonis eſt tertia de jubendis legibus, ac vetandis, ſeditioſi, atque improbi civis: [6] cui ne reditus quidem ad bonos, ſalutem à bonis potuit afferre. Uno in genere relinqui videbatur vocis ſuffragium, quod ipſe Caſſius exceperat, perduellionis. Dedit huic quoque judicio Cœlius tabellam, [7] docuitque quoad vixit, ſe, ut opprimeret C. Popilium, nocuiſſe & reip. Et avus quidem noſter ſingulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, reſtitit M. Gratidio, cujus in matrimonio ſororem, aviam noſtram, habebat, ferenti legem tabellariam. excitabat enim fluctus in ſimpulo, ut dicitur, Gratidius, quos pòſt [8] filius ejus Marius [9] in Ægæo excitavit mari, ac noſtro quidem. Quoi cùm res eſſet ad ſe delata, Scaurus conſul, Utinam, inquit, M. Cicero, iſto animo, atque virtute in ſumma rep. nobiſcum verſari, quàm in municipali maluiſſes. Quamobrem, quoniam non recognoſcimus nunc leges populi R. ſed aut repetimus ereptas, aut novas ſcribimus: non quid hoc populo obtineri poſſit, ſed quid optimum ſit, tibi dicendum puto. Nam Caſſiæ legis culpam Scipio tuus ſuſtinet, quo auctore lata eſſe dicitur. Tu, ſi tabellariam tuleris, ipſe præſtabis. nec enim mihi placet, nec Attico noſtro, quantum è vultu ejus intelligo. A. Mihi verò nihil umquam populare 17
placuit: eamque optimam remp. eſſe duco, quam hic conſul conſtituerat, [10] quæ ſit in poteſtatem optimorum. M. Vos demum ut video, legem antiquaſtis ſine tabella. Sed ego, etſi ſatis dixit pro ſe in illis libris Scipio, tamen libertatem iſtam largior populo, ut & auctoritate valeant, & utantur bonis. Sic enim à me recitata lex eſt de ſuffragiis. *Optimatibus nota, plebi libera ſunto.* Quæ lex hanc ſententiam continet, ut omneis leges tolleret, quæ poſtea latæ ſunt, quæ tegunt omni ratione ſuffragium, *ne quis inſpiciat tabellam, ne roget, ne appellet.* Ponteis etiam lex Maria fecit anguſtos. Quæ ſi oppoſita ſunt ambitioſis, ut ſunt ferè, non reprehendo. Sin valuerint tantum leges, ut ne ſint ambitus: habeat ſanè populus tabellam, quaſi vindicem libertatis, dum modò hæc optimo cuique, & graviſſimo civi oſtendatur, ultroque offeratur, [11] uti in eo ſit ipſo libertas, in quo populo poteſtas honeſtè bonis gratificandi datur. Eoque nunc fit illud, quod à te modò, Quinte, dictum eſt, ut minùs multos tabella condemnet, quàm ſolebat vox, quia populo licere ſatis eſt. Hoc retento, reliqua voluntas auctoritati, aut gratiæ traditur. Itaque, ut omittam largitione corrupta ſuffragia, non vides, ſi quando ambitus ſileat, quæri in ſuffragiis, quid optimi viri ſentiant? Quamobrem lege noſtra libertatis ſpecies datur, bonorum auctoritas retinetur, contentionis cauſa tollitur. Deinde ſequitur, quibus jus ſit cum populo agendi, aut 18
cum ſenatu. gravis, &, ut arbitror, præclara lex. [12] *Quæ cum*

1. *Cupiditatis ejuſdem tenerentur.*] Non malè Victorius. *Eiſdem tenerentur.* ſed quandoquidem Palat. Fabr. S. Victoris conſentiunt cum Turnebo, nihil viſum mutare: Lambinus ex conjectura Manutii *cupiditatibus eiiſdem tener.* contra omnes libros.

2. *Dicam, Tite, & verſabor.*] Adhæſimus tribus mſſ. Pall. Vict. Fabr. videbaturque adeò mirum cur nunc, quem ſemper Titum compellabat, Atticum nominet: quippe & inter amicos, *gaudent prænomine molles Auriculæ*

3. *Aut reo judicando aut lege aut rogatione ſciſcendâ clam an palam fere melius eſſet.*] Sic Victorius, abſque dubio ex mſſ. vulgò: *Aut de reo judicando, quin in lege aut rogatione clam an palam ferre.* Et fere nulla eſt editio, quæ non variet in hoc loco.

4. *Exſtant voces quam tabellæ.*] Contra alias editiones amplexi ſumus Victorii lectionem, quam ſtabilit Palatin. item Aldi vetus: ac ſi quis introſpiciat, præferet noſtrum vulgatæ *vocis.*

5. *Atque omni rumuſculos populares ratione aucupante.*] Ita cum Victorio malui: vulgò tamen non male, *atque omnes rumuſculos populari ratione auc.*

6. *Cujus ne reditus quidem ad bonos, ſalutem à bonis potuit afferre.*] Miror Lambinum, unde nobis eduxerit illud ſuum *auferri.* certè à nobis ſtant mſſ. S. Vict. Fab. Palat. editioneſque adeo omnes.

7. *Docuitque quoad vixit, ſe, ut opprimeret C. Popilium, nocuiſſe & reipub.*] Merus dies hic eſt à Turnebo, quem ſequitur Lambinus. Vulgatis nihil intricatius, *doluitque quoad vixit, ſed ut opprimeret Cælius populum, nocuit & reipub.* Pighius emendationem hanc quoque probat, niſi quod putat retineri poſſe, *doluit.* videatur ad annum urbis conditæ DCXLVI.

8. *Filius ejus Marius.*] Ita membranæ Pall. Vict. ed. Turneb. accedunt mſſ. S. Victor. Fabr.

9. *In Ægæo excitavit mari, ac noſtro quidem. Quoi cùm res eſſet.*] Sic elegantiſſimus Victorius. vulgo, *mari. ac noſtro, quidem qui cum res eſſet ad ſe del.* Lambinus, ut captus iſtius viri erat, ad placitum interpolat; neſcirem an ex libris an de conjectura; niſi Claudii Puteani filius communicaſſet Grutero patris ſui hariolationes, inter quas & hæc, *ac noſtro quidem avo cùm, &c.*

10. *Quæ ſit in poteſtatem optimorum.*] Reſtitutum ivi ſuam elegantiam Ciceroni ex mſſ. S. Victoris atque edit. Victorii: ſic ſæpius per Tuſculanas emendavimus in Crepundiis Tullium: & ſic ſæpiſſimè loquitur.

11. *Uti in eo ſit ipſo libertas, in quo populo poteſtas.*] Prætuli Turnebi lectionem indicatam & aſſertam ab ipſo ex veteri libro. alioquin non diſplicet Victorii, *uti in eo ſit ipſa libertas, quod populo pot.* vulgata habet, *uti ſit ipſa libertas, in qua populo.* cum Turnebo facit codex S. Victoris.

12. *Quæ cum populo, quæque in patribus agentur.*] Turnebus ita edidit. ceteræ edit. duabus vocibus minus *cum populo.*

1. *Oratio-*

cum populo, quaque in patribus agentur, modica ſunto: id eſt, modeſta, atque ſedata. Actor enim moderatur, & fingit non modò mentem, ac voluntates, ſed pænè vultus eorum, apud quos agit. quod in ſenatu non difficile eſt. eſt enim ſenatoris, cujus non ad auditorem referatur animus, ſed qui per ſe ipſe ſpectari velit. huic juſſa tria ſunt: ut adſit: nam gravitatem res habet, cùm frequens ordo eſt: ut loco dicat, id eſt, rogatus: ut modo, ne ſit infinitus: nam brevitas, non modò ſenatoris, ſed etiam [1] oratoris magna laus eſt in ſententia. Nec eſt umquam longa oratione utendum, [2] niſi aut peccante ſenatu, quod fit ambitione ſæpiſſimè, nullo magiſtratu adjuvante, tolli diem utile eſt: aut cùm tanta cauſa eſt, ut opus ſit oratoris copia, vel ad hortandum, vel ad docendum: quorum generum in utroque magnus noſter Cato eſt. Quòdque addit, *cauſas populi teneto*, eſt ſenatori neceſſarium noſſe remp. idque latè patet, quid habeat militum, quid valeat ærario, quos ſocios reſp. habeat, quos amicos, quos ſtipendiarios, qua quiſque ſit lege, conditione, fœdere: tenere conſuetudinem decernendi, noſſe exempla majorum. Videtis jam, genus hoc omne ſcientiæ, diligentiæ, memoriæ eſſe, ſine quo paratus eſſe ſenator nullo pacto poteſt. Deinceps ſunt cum populo actiones: in quibus primum, & maximum, *Vis abeſto*, nihil eſt enim exitioſius civitatibus, nihil tam contrarium juri, & legibus, nihil minus civile, & humanum, quàm, compoſita, & conſtituta rep. quidquam agi per vim. Parêre jubet interceſſori: quo nihil præſtantius. impediri enim
19 bonam rem melius, [3] quàm concedi malæ. [4] Quòd verò actoris jubeo eſſe fraudem, id totum dixi ex Craſſi, ſapientiſſimi hominis, ſententia: quem eſt ſenatus ſecutus, cùm decreviſſet. [5] C. Claudio conſule de Cn. Carbonis ſeditione referente, invito eo, qui cum populo ageret, ſeditionem non poſſe fieri, quippe cui liceat concilium, ſimul atque interceſſum, turbarique cœptum ſit, dimittere. [6] Quod qui permovet, cùm agi nihil poteſt, vim quærit. cujus impunitatem amittit hac lege. Sequitur illud: *Interceſſor rei malæ, ſalutaris civis eſto.* Quis non ſtudioſè reip. ſubvenerit, hac tam præclara legis voce laudatus? Sunt deinde poſita deinceps, quæ habemus etiam in publicis inſtitutis, atque legibus: *auſpicia ſervanto. auguri parento.* Eſt autem boni auguris, meminiſſe maximis reip. temporibus præſtò eſſe debere: Jovique optimo, maximo, ſe conſiliarium, atque adminiſtrum datum, ut ſibi eos, quos in auſpicio eſſe juſſerit: cœlique partes ſibi definitas eſſe traditas: [7] de quibus ſæpe opem referre poſſit. Deinde de promulgatione, de ſingulis rebus agendis, de privatis, magiſtratibuſve audiendis. Tum leges præclariſſimè de XII. tabulis tralatæ duæ: quarum altera privilegia tollit: altera de capite civis rogari, niſi maximo comitiatu, vetat. [8] nondum initis ſeditioſis trib. pl. [9] Negotialis quidem admirandum tantum majores in poſterum providiſſe: [10] in privatos homines leges ferri noluerunt: id eſt enim privilegium: quo quid eſt injuſtius? cùm legis hæc vis ſit, [11] ſcitum eſt juſſum in omnes? ferri de ſingulis niſi centuriatis comitiis noluerunt. deſcriptus enim populus cenſu, ordinibus, ætatibus, plus adhibet ad ſuffragium conſilii, quàm fusè in tribus convocatus. Quo verius in noſtra cauſa vir magni ingenii, ſummaque prudentia, L. Cotta, dicebat, nihil omnino actum eſſe de nobis. præter enim quàm quòd comitia illa eſſent armis geſta ſervilibus, præterea neque tributa capitis comitia, rata eſſe poſſent, neque ulla privilegii: quocirca nihil nobis opus eſſe lege, de quibus nihil omnino actum eſſet legibus. Sed viſum eſt & nobis, & clariſſimis viris, meliùs, [12] de quo ſervi, & latrones ſciviſſe ſe aliquid dicerent, de hoc eodem cunctam Italiam, quid ſentiret, oſtendere. Sequuntur de captis pecuniis, & 20
de ambitu legis. Quæ cùm magis judiciis, quàm verbis ſancienda ſint: adjungitur, *noxiæ pœna par eſto*, ut in ſuo vitio quiſque plectatur: vis, capite: avaritia, multa: honoris cupiditas, ignominia ſanciatur. Extremæ leges ſunt nobis non uſitatæ: reip. neceſſariæ. Legum cuſtodiam nullam habemus. itaque hæ leges ſunt, quas apparitores noſtri volunt: à librariis petimus, publicis litteris conſignatam memoriam publicam nullam habemus. Græci hoc diligentiùs: apud quos νομοφύλακες creantur: nec hi ſolùm litteras (nam id quidem etiam apud majores noſtros erat) ſed etiam facta hominum obſervabant, ad legeſque revocabant. Hæc detur cura cenſoribus: quandoquidem eos in rep. ſemper volumus eſſe apud eoſdem, qui magiſtratu abierint, edant, & exponant, quid in magiſtratu geſſerint: deque iis cenſores præjudicent. Hoc in Græcia fit, publicè conſtitutis accuſatoribus. Qui quidem graves eſſe non poſſunt, niſi ſint voluntarii. Quocirca melius eſt, rationes referri, cauſamque exponi cenſoribus: integram tamen legem accuſatori, judicioque ſervari. Sed ſatis jam diſputatum eſt de magiſtratibus, niſi fortè quid deſideratis. A. Si nos tacemus, locus ipſe non admonet, quid tibi ſit deinde dicendum? M. Mihine? de judiciis arbitror, Pomponi: id eſt enim junctum magiſtratibus. A. Quid? de jure populi R. quemadmodum inſtituiſti, dicendum nihil putas? M. Quid tandem hoc loco eſt, quod requiras? A. Egone? quod ignorari ab iis, qui in rep. verſantur, turpiſſimum puto. Nam, ut modò à te dictum eſt, leges [13] à librariis lego: ſic animadverto, [14] pleroſque in magiſtratibus ignoratione juris ſui tantum ſapere, quantum apparitores velint. Quamobrem, ſi de ſacrorum alienatione dicen-

1. *Oratoris magna laus eſt in ſententia.*] Puteanus delet, tanquam gloſſema, *eſt in ſententia.* quod nemini non adprobandum videtur.

2. *Niſi aut peccante Senatu.*] Retinui Turnebi lectionem: adnitente etiam Lambino & Pall. membranis; nec longe abeunt S. Victoris, Fabr. ingerentes, *peccante.* vulgò *ſpectante.*

3. *Quàm concedi malæ*] Maluiſſet Puteanus, *malam.*

4. *Quod verò actoris jubebo eſſe fraudem.*] S. Victor. edit. Vict. Turnebi aliæque. *fraudem* vero, cum Turnebo, culpam ac pœnam interpretare. vulgo: *actoris jubeo abeſſe fraudem.*

5. *C. Claudio conſule de Cn. Carbonis ſeditione referente, invito eo.*] Turnebo debetur hæc emendatio, qui eam ex vett. libris eruit: acceditque proxime Victorius; tantum in *C.* pro *Cn.* demutans. vulgò: *C. Claudio conſule deſignato Carbonis ſeditionem referente, eo invito.* quæ varietas unde nata ſit, prodit Pighius in Faſtis ad annum urbis DCXXII.

6. *Quod qui permovet.*] Rectius arbitratur de loco Pighius, *permoratur.*

7. *De quibus ſæpe opem referre poſſit.*] Non auſus ſum conjecturam Manutii in textum recipere, *è quibus ſæpe opem reip. ferre poſſit*: quamquam eam valde laudet Lambinus, receperitque Turnebus, præſertim cum & Victorianæ lectioni ſenſus ſuus conſtet.

8. *Nondum initis ſeditioſis Tribunis plebis.*] Variè conſpurcatus locus. Turnebus quia in mſſ. invenerat *nitis*, *invectis* reponit. Lambinus *cognitis.* omninò mihi, ut verum fateor, præ reliquis allubeſcit Guhelmii conjectura, *munitis* ex Turnebo ariolantis.

9. *Negotialis quidem admirandum.*] Etiam inſigniter corruptum locum ſic legi in mſſ. notat Turnebus. Volebat ille *negotioſis.* Victorius edidit *negotia * is quidem.* Boſius ex conjecturâ: *nec hoc ſatis eſt admir.* ceterùm Camerarius, neſcio quibus opibus fretus, exhibuit: *negotia ſiquidem admirandum, &c.* contra mſſ. nihil conari potui. Lambinus ediderat, *vetat, nondum cognitis ſeditioſis tribunis pleb. ne cogitatis quidem, &c.* quod habuiſſe à conjectura Puteani, liquet ex notis ejus, quas filius Petrus Grutero ſubmiſit.

10. *In privatos homines.*] Idem Puteanus amabat, *privos.*

11. *Scitum eſt juſſum in omnes? ferri de ſingulis.*] Hæc eſt mſſ. omnium lectio, quam Victorius ſuâ editione expreſſit; reperitque poſteà in V. L. Turnebus. conjectat tamen, Lambino ſecundas agente, *ſcitum eſſe & juſſum.* ſed quoniam pertinaciter noſtram, & Fab. & Pal. defendunt, religio fuit ab illis diſſenſionem facere.

12. *De quo ſervi & latrones ſciviſſe ſe.*] Receptum hoc eſt in omnes ferè edd. à Turnebi conjecturâ. nam Vict. ed. codiceſque mſſ. vet. *patroni*, vel *patronis.*

13. *A librariis lego.*] Placebat Puteano *legi.* Lambino *peti.*

14. *Quoſque in magiſtratibus, &c.*] Idem Puteanus, *quoſque magiſtratus, &c.*

dicendum putaſti, quoniam de religione leges propoſueras. faciendum tibi eſt, ut, magiſtratibus lege conſtitutis, de poteſtate, tum de jure diſputes. M. Faciam breviter, ſi conſequi potuero: nam pluribus verbis ſcripſit ad patrem tuum M. Junius ſodalis, peritè, meo quidem judicio, & diligenter. [1] At de jure naturæ cogitare per nos, atque dicere debemus de jure populi R. quæ relicta ſunt, & tradita. A. Sic profectò cenſeo: & id ipſum, quod dicis, exſpecto.

1. *At de jure naturæ cogitare per nos atque dicere.*] Expeditiſſima hæc Turn. lectio an a libris ſit, neſcio. an quandoquidem ex ipſiſſimis veſtigiis vulgatæ lectionis eruta eſt; habeat has ſedes ejecta vulgatâ implicitiſſimâ: *at de jure naturæ cogitari per nos & quæ dicere debemus.*

M. TULLII CICERONIS DE OFFICIIS, AD MARCUM FILIUM,

LIBER PRIMUS.

1 QUAMQUAM te, Marce fili, annum jam audientem Cratippum, idque Athenis, abundare oportet præceptis, inſtitutiſque philoſophiæ, propter ſummam & doctoris auctoritatem, & urbis; quorum alter te ſcientia augere poteſt, altera exemplis: tamen, ut ipſe ad meam utilitatem ſemper cum Græcis Latina conjunxi, neque id in philoſophia ſolùm, ſed etiam in dicendi exercitatione feci: [1] idem tibi cenſeo faciendum, ut par ſis in utriuſque orationis facultate. Quam quidem ad rem, nos, (ut videmur) magnum attulimus adjumentum hominibus noſtris, ut non modò Græcarum litterarum rudes, ſed etiam docti, aliquantum ſe arbitrentur adeptos [2] *& ad dicendum, & ad judicandum.* Quamobrem diſces tu quidem à principe hujus ætatis philoſophorum, & diſces, quamdiu voles: tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non pœnitebit. Sed tamen noſtra legens, non multùm à Peripateticis diſſidentia: quoniam utrique, & Socratici, & Platonici eſſe volumus: de rebus ipſis utere tuo judicio: nihil enim impedio: orationem autem Latinam profectò legendis noſtris efficies pleniorem. Nec verò arroganter hoc dictum exiſtimari velim. Nam philoſophandi ſcientiam concedens multis: quod eſt oratoris proprium, aptè, diſtinctè, ornateque dicere, quoniam in eo ſtudio ætatem conſumſi, ſi id mihi aſſumo, videor id *meo jure* quodam modo vendicare. Quamobrem magnopere te hortor, mi Cicero, ut non ſolùm orationes meas, ſed hos etiam de philoſophia libros, [3] qui jam ſe illis ferè æquarunt, ſtudioſè legas. Vis enim dicendi major eſt in illis: ſed hoc quoque colendum eſt æquabile, & temperatum orationis genus. Et id quidem nemini video Græcorum adhuc contigiſſe, ut idem utroque in genere laboraret, ſequereturque & illud forenſe dicendi, & hoc quietum diſputandi genus: niſi fortè Demetrius Phalereus in hoc numero haberi poteſt, diſputator ſubtilis, orator parum vehemens: dulcis tamen; ut Theophraſti diſcipulum poſſis agnoſcere. Nos autem quantum in utroque profecerimus, aliorum ſit judicium: utrumque certè ſecuti ſumus. Equidem & Platonem exiſtimo, [4] ſi genus forenſe dicendi tractare voluiſſet, graviſſimè, & copioſiſſimè potuiſſe dicere: & Demoſthenem, ſi illa, quæ à Platone didicerat, tenuiſſet, & pronuntiare voluiſſet, ornatè, ſplendideque facere potuiſſe. Eodemque modo de Ariſtotele, & Iſocrate judico: quorum uterque ſuo ſtudio delectatus, contemſit alterum.

Sed cùm ſtatuiſſem aliquid hoc tempore ad te ſcribere, & 2
multa poſthac, ab eo ordiri volui maximè, quod & ætati tuæ eſſet aptiſſimum, [5] & auctoritati meæ. Nam cùm multa ſint in philoſophia & gravia, & utilia, accuratè, copioſeque à philoſophis diſputata, latiſſimè patere videntur ea, quæ de officiis tradita ab illis, & præcepta ſunt. NULLA enim vitæ pars, neque publicis, neque privatis: neque forenſibus, neque domeſticis in rebus: neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, vacare officio poteſt: in eoque colendo ſita vitæ eſt honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo. Atque hæc quidem quæſtio communis eſt omnium philoſophorum. quis eſt enim, qui nullis officii præceptis tradendis *philoſophum* ſe audeat dicere? Sed ſunt nonnullæ diſciplinæ, quæ propoſitis bonorum, & malorum finibus, [6] officium omne pervertunt. nam qui ſummum bonum inſtituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum; idque ſuis commodis, non honeſtate metitur: hic ſi ſibi ipſe conſentiat, & non interdum naturæ bonitate [7] vincatur, neque amicitiam colere poſſit, nec juſti-

1. *IDem tibi cenſeo faciendum.*] Malebat Gulielmius *itidem*, ſecutus fidem Suffridi Petreii, qui ita in mſſ. ſuis reperiſſe teſtatus eſt. at Lambinus præponebat *item.* nos adhærebimus vulgato, dum naſcatur Dictator aliquis legitimè factus, à quo doceamur verum. nam Palatini noſtri adhærent lectioni receptæ. ceterùm meminerit lector, me tantum conſuluiſſe Palatin. duos; cum innumeros haberet Bibliotheca Electoralis, duos inquam notæ optimæ. Gulielmius verò citat Colonienſem & Fabricianum. item V. & D. per Merulam collatos, ut & excerpta Carrionis; denique Cruceianum exemplar.

2. *Et ad dicendum & ad judicandum.*] Palatini, & ſex membranæ Gulielmii, una littera amplius, *diſcendum*, neque ei diſplicebat.

3. *Qui jam ſe illis ferè æquarunt.*] Vocula *ſe*, non eſt in aliquot Langianis, excluſitque Pal. pr. putabatque Gulielm. delendam; item Giſanius in Indice Lucretiano, ad verbum *locare*; ut capiatur *æquare* παθητικῶς, quemadmodum, *augere*, *maturare*, alia trecenta.

4. *Si genus forenſe.*] Prius editi, *ſi genus id forenſe*, ſed contra bigam Palatinorum, & Gulielmianos tres, in quibus dictiuncula illa non comparebat.

5. *Auctoritati meæ.*] Excluſi illud *graviſſimum*, ſive *gratiſſimum*, quod exſtat in aliis edd. ſecutus Victorianam: neque agnoſcunt Pall. aut quatuor Gulielmiani.

6. *Officium omne pervertunt.*] Ita Pall. malebat tamen Gulielmius *pervertant*, inventum in ſuis quatuor.

7. *Vincatur, neque amicitiam colere poſſit.*] Fulvius Urſinus perſuaſerat nonnullis, legerent fide mſ. ſui, *vincatur, ſit ut neque, &c.* ſicque etiam plerique antea excuſi. verùm cùm utraque vox abſit & Pall. & Gul. item antiquiſſimis edd. cur admitterem?

1. Sequi-

juſtitiam, nec liberalitatem. fortis verò, dolorem ſummum malum judicans: aut temperans, voluptatem ſummum bonum ſtatuens, eſſe certè nullo modo poteſt. Quæ quamquam ita ſunt in promptu, ut res diſputatione non egeat, tamen ſunt à nobis alio loco diſputata. Hæ diſciplinæ igitur ſi ſibi conſentaneæ eſſe velint, de officio nihil queant dicere. neque ulla officii præcepta firma, ſtabilia, conjuncta naturæ, tradi poſſunt, niſi aut ab iis, qui ſolam; aut ab iis, qui maximè honeſtatem propter ſe dicant expetendam. Itaque propria eſt ea præceptio Stoicorum, & Academicorum, & Peripateticorum: quoniam Ariſtonis, Pyrrhonis, Herilli, jam pridem exploſa ſententia eſt: qui tamen haberent jus ſuum diſputandi de officio, ſi rerum aliquem delectum reliquiſſent, ut ad officii inventionem aditus eſſet. [1] Sequimur igitur hoc quidem tempore, & hac in quæſtione potiſſimùm Stoicos, non ut interpretes: ſed ut ſolemus, è *fontibus* eorum, judicio, arbitrioque noſtro, [2] quantocumque modo videbitur, hauriemus. Placet igitur, quoniam omnis diſputatio de officio futura eſt, antè definire, quid ſit officium: quod à Panætio prætermiſſum eſſe miror. OMNIS enim, quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re, inſtitutio, debet à definitione proficiſci: ut intelli-
3 gatur, quid ſit id, de quo diſputetur. Omnis de officio duplex eſt quæſtio. unum genus eſt, quod pertinet ad finem bonorum: alterum, quod poſitum eſt in præceptis, quibus in omneis parteis uſus vitæ confirmari poſſit. Superioris generis hujuſmodi exempla ſunt: Omniane officia perfecta ſint: num quod officium aliud alio majus ſit: & quæ ſunt generis ejuſdem. Quorum autem officiorum præcepta traduntur, ea, quamquam pertinent ad finem bonorum, tamen id minus apparet, quia magis ad inſtitutionem vitæ communis ſpectare videntur: de quibus eſt nobis his libris explicandum. Atque etiam alia diviſio eſt officii. nam & medium quoddam officium dicitur, & perfectum. Perfectum officium, *rectum*, (opinor) vocemus; quod Græci κατόρθωμα: [3] hoc autem, *commune*, quod καθῆκον vocant. Atque ea ſic definiunt, ut, rectum quod ſit, id perfectum officium eſſe definiant: medium autem officium id eſſe dicant, quod, cur factum ſit, ratio probabilis reddi poſſit. Triplex igitur eſt, ut Panætio videtur, [4] *conſilii* capiendi deliberatio. nam, honeſtumne factu ſit, an turpe, dubitant, id, quod in deliberationem cadit. in quo conſiderando ſæpe animi in contrarias ſententias diſtrahuntur. Tum autem aut inquirunt, aut conſultant ad vitæ commoditatem, jucunditatemque, ad facultates rerum, atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus & ſe poſſint juvare, & ſuos: conducat id, necne, de quo deliberant. quæ deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus eſt, cùm pugnare videtur cum honeſto id, quod videtur eſſe utile. Cùm enim utilitas ad ſe rapere, honeſtas contrà revocare ad ſe videtur, fit ut diſtrahatur deliberando animus, afferatque ancipitem curam cogitandi. Hac diviſione, (cùm præterire aliquid maximum vitium in dividendo ſit) duo prætermiſſa ſunt. Nec enim ſolùm utrum honeſtum, an turpe ſit, deliberari ſolet, ſed etiam, duobus propoſitis honeſtis, utrum honeſtius. Itemque duobus propoſitis utilibus, utrum utilius. Ita, quam ille triplicem putavit eſſe rationem, in quinque parteis diſtribui debere reperitur. Primum igitur eſt de honeſto, ſed dupliciter: tum pari ratione de utili; poſt de comparatione eorum diſſerendum. Principio generi animantium omni eſt *à natura* 4
tributum, ut ſe, vitam, corpuſque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque, quæcumque ad vivendum ſint [5] neceſſaria, inquirat, & paret. ut paſtum, ut latibula, ut alia ejuſdem generis. Commune autem animantium omnium eſt conjunctionis appetitus, procreandi cauſa, & cura quædam eorum, quæ procreata ſunt. Sed inter hominem, & beluam hoc maximè intereſt, quod hæc tantùm, quantùm ſenſu movetur, ad id ſolum, quod adeſt, quodque *præſens eſt*, ſe accommodat, paullulum admodum ſentiens præteritum, aut futurum. [6] Homo autem, quod rationis eſt particeps, per quam conſequentia cernit, cauſas rerum videt, earumque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus præſentibus adjungit, atque annectit futuras: facile totius vitæ curſum videt, ad eamque degendam præparat res neceſſarias: eademque natura, vi rationis hominem conciliat homini & ad orationis, & ad vitæ ſocietatem: ingeneratque in primis præcipuum quendam amorem in eos, qui procreati ſunt: [7] impellitque ut hominum cœtus, & celebrationes eſſe, & à ſe obiri velit: ob eaſque cauſas ſtudeat parare ea, quæ ſuppeditent & ad cultum, & ad victum: nec ſibi ſoli, ſed conjugi, liberis, ceteriſque, quos caros habeat, tuerique debeat. Quæ cura exſuſcitat etiam animos, & majores ad rem gerendam facit. In primiſque hominis eſt propria [8] veri inquiſitio, atque inveſtigatio. Itaque cum ſumus neceſſariis negotiis, curiſque vacui, [9] tum avemus aliquid videre, audire, addiſcere, cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium, [10] ad beatè vivendum neceſſariam ducimus. ex quo intelligitur, quod VERUM, ſimplex, ſincerumque ſit, id eſſe naturæ hominis aptiſſimum. Huic veri videndi cupiditati adjuncta eſt appetitio quædam principatus, ut nemini parere animus bene à naturâ informatus velit, niſi præcipienti, aut docenti, aut utilitatis cauſa, juſtè, & legitimè imperanti: ex quo animi magnitudo exſiſtit, [11] humanarumque rerum con-

1. *Sequimur igitur hoc, &c.*] Sic omnes noſtri, non *ſequemur*, ut plerique cuſi.

2. *Quantocunque modo videbatur.*] Obſecutus ſum mſſ. Parrhaſii. aliæ edd. *quantum quoque modo*, quod & in Palat. ſecund. nam pr. aliorumque, *quantum quoquo modo*; quomodo item impreſſiones primæ.

3. *Hoc autem commune* καθῆκον *vocant.*] Eſt à Lambino, aut potius Maturantio. conſulantur notæ Camerarii. Pall. noſtri & Gul. habent, *hoc autem commune*, *officium vocant*. quod etiam ferri poſſet, inquit Gulielmius; ut velit, vocari poſſe Latinè *rectum*, quoniam Græcis κατόρθωμα; *commune* autem occupaſſe jam generis nomen, & vulgo *officium* dici. ita enim uſurpabant *officii* nomen, pro quovis etiam leviculo benefacto: *rectum* verò, ut & auctori ad Herennium, id eſt, quod cum virtute atque officio fit. igitur illud *vocant*, non reſpiciet, quod præceſſit *Græci*, ſed ἀπὸ τοῦ κοινοῦ intelligetur homines.

4. *Conſilii capiendi deliberatio.*] Inquirit in hanc locutionem Erricus Stephanus libro II. Schediaſmatum cap. 25.

5. *Neceſſaria inquirunt.*] Lambinus *anquirunt*, placebatque Gulielmio, qui id repererat in M. & V. alluditque Pal. pr. & F. in quibus *acquirat*. nam ſecundus noſter, *atquirat*. idem Lambinus ſupra cap. 3. admiſit item Langianum; *cum aut anquirunt*, pro quo Pal. noſter ſecund. *tum autem aut anxiè quærunt*, quod videtur interpretamentum alterius. Interim perpendat Criticus, num illud præcedens *ad vivendum*, auctoris ſit genuinum. certè non eſt in Pal. pr. niſi inter lineas, à manu recentiſſima.

6. *Homo autem, quod rationis eſt particeps, per quam conſequentia cernit, cauſas rerum videt, earumque progreſſus, &c.*] Sic Giſanii, ſic Gulielmii codd. ſic Pall. niſi quod pr. *qui rationis*; quomodo & primæ edd. nam ſubſequæ, *quoniam rationis*, *&c.* ut mirer poſtea irrepſiſſe, *qui rationis eſt particeps*, *conſequentia cernit*, *principia & cauſas rerum videt*, *&c.* Turnebus lib. XXVI. cap. 32. maluit præterea *prægreſſus*; quod & in Giſanianis, ſi non mentiuntur literæ ejus ad Suffridum noſtrum; diſerteque præfert Pal. ſecund.

7. *Impellitque, ut hominum cœtus & celebrationes, & eſſe, & à ſe obiri velit.*] Sic Turnebus è mſſ. ſuis, neque aliter Langiani duo, Pal. ſec. M. D. V. C. primitus cuſi, *ut hominum cœtus & celebrari inter ſe & ſibi obediri velit*; quod & ſecuti Victorius ac P. Manutius. Palatinæ membranæ primæ brevius; *impellitque hominum cœtus & celebrari inter ſe & obediri velit*.

8. *Veri inquiſitio.*] Adnotat Gulielmius in Langianis inveniri *anquiſitio*.

9. *Tum avemus aliquid videre, audire, addiſcere.*] Ita Lambinus, neque aliter M. V. D. Cr. primæ enim editiones, *audire*, *diſcere*, *vel adiſcere*: ſic ſanè liber editus Romæ CIↃ CCCCLXVIII. per Ulricum Han de Vienna. mſſ. alii *ac diſcere*.

10. *Ad beatè vivendum.*] Haud ſecus Pal. M. Cr. V. D. C. codiceſque Lambini; non, *ad bene beateque vivendum*; ut præferunt primis temporibus excuſi.

11. *Humanarumque rerum contentio.*] Sic & Pall. & M. rectè, ut Suffridus noſter jamdudum docuit. Gulielmius verò addit, *contentionem* heic non tantum ſignificare ſtudium, ſed & comparationem

contemtio. Nec verò illa parva vis naturæ eſt, rationiſque quod unum hoc animal ſentit „ [1] *quid ſit ordo, quid ſit, quod deceat*, in factis, dictiſque qui modus. itaque eorum ipſorum, quæ adſpectu ſentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venuſtatem, convenientiam partium ſentit. quam ſimilitudinem natura, ratioque ab oculis ad animum transferens, multò etiam magis pulchritudinem, conſtantiam, ordinem in [2] conſiliis, factiſque conſervandum putat: cavetque ne quid indecorè, effæminateve faciat: tum in omnibus & opinionibus, & factis, ne quid libidinoſe aut faciat aut cogitet. quibus ex rebus conflatur, & efficitur id, quod quærimus honeſtum: quod etiam ſi nobilitatum non ſit, tamen honeſtum ſit: quodque verè dicimus, etiam, ſi à nullo laudetur, natura eſſe laudabile.

5 Formam quidem ipſam, Marce fili, [3]& tanquam *faciem* honeſti vides: quæ *ſi oculis cerneretur, mirabiles amores*, (ut ait Plato) *excitaret ſapientiæ*. Sed omne, quod honeſtum eſt, id quattuor partium oritur ex aliqua. aut enim in perſpicientia veri, ſollertiaque verſatur: aut in hominum ſocietate tuenda, tribuendoque ſuum cuique & rerum contractarum fide, aut in animi excelſi, atque invicti magnitudine, ac robore: aut in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine, & modo, [4] in quo ineſt modeſtia, & temperantia. Quæ quattuor quamquam inter ſe colligata, atque [5] implicita ſunt, tamen ex ſingulis certa officiorum genera naſcuntur, velut ex ea parte, quæ primò deſcripta eſt, in qua ſapientiam & prudentiam ponimus, ineſt indagatio, atque inventio veri: ejuſque virtutis hoc munus eſt proprium. Ut enim quiſque maximè perſpicit, quid in re quaque veriſſimum ſit, quique acutiſſimè, & celerrimè poteſt [6] & videre, & explicare rationem, is *prudentiſſimus*, & ſapientiſſimus ritè haberi ſolet. quocirca huic, quaſi materia, quam tractet, & in qua verſetur, ſubjecta eſt veritas. Reliquis autem tribus virtutibus neceſſitates propoſitæ ſunt ad eas res parandas, tuendaſque, quibus actio vitæ continetur: ut & ſocietas hominum, conjunctioque ſervetur: & animi excellentia magnitudoque cum in augendis opibus, utilitatibuſque & ſibi, & ſuis comparandis, tum multo magis in his ipſis deſpiciendis eluceat. Ordo autem, & conſtantia, & moderatio, & ea quæ ſunt his ſimilia, verſantur in eo genere, ad quod adhibenda eſt actio quædam, non ſolum mentis agitatio. His enim rebus, quæ tractantur in vita, modum quendam & ordinem adhibentes, honeſtatem & decus conſervabimus. Ex quattuor au- 6
tem locis, in quos honeſti naturam, vimque diviſimus, primus ille, qui in veri cognitione conſiſtit, maximè naturam attingit humanam. OMNES enim trahimur & ducimur ad cognitionis, & ſcientiæ cupiditatem: in qua excellere pulchrum putamus: [7] labi autem, errare, neſcire, decipi, & malum, & turpe ducimus. In hoc genere & naturali, & honeſto, duo vitia vitanda ſunt: unum, NE INCOGNITA pro cognitis habeamus, hiſque temerè aſſentiamus. quod vitium effugere qui volet, (omnis autem velle debent) adhibebit ad conſiderandas res & tempus, & diligentiam. Alterum eſt vitium, quòd quidam NIMIS magnum ſtudium, multamque operam in res obſcuras, atque difficileis conferunt, eaſdemque non neceſſarias: quibus vitiis declinatis quod in rebus honeſtis, & cognitione dignis, operæ, curæque ponetur, id jure laudabitur: [8] ut in aſtrologia C. Sulpicium audivimus: in geometria Sex. Pompejum ipſi cognovimus: multos in dialectica, plureis in jure civili. quæ omnes artes [9] in veri inveſtigatione verſantur: [10] cujus ſtudio à rebus gerundis abduci, contra officium eſt. *virtutis* enim laus omnis in actione conſiſtit: [11] à qua tamen ſæpe fit intermiſſio: multique dantur ad ſtudia reditus: tum agitatio mentis, quæ numquam acquieſcit, [12] poteſt nos in ſtudiis cogitationis, etiam ſine opera noſtra continere. OMNIS autem cogitatio, motuſque animi, aut in conſiliis capiendis de rebus honeſtis, & pertinentibus ad bene, beateque vivendum; aut in ſtudiis ſcientiæ, cognitioniſque verſatur. [13] ac de primo quidem officii fonte diximus. De tribus autem reliquis latiſſimè
patet ea ratio, qua ſocietas hominum inter ipſos, & vitæ 7
quaſi communitas continetur. cujus partes duæ ſunt. Juſtitia, in qua virtutis ſplendor eſt maximus: ex qua boni viri nominantur: [14] & huic conjuncta beneficientia, quam eamdem vel *benignitatem*, vel *liberalitatem* appellari licet. Sed juſtitiæ primum munus eſt, ut [15] ne cui quis noceat, niſi laceſ-

---

quandam rerum humanarum, quæ permagna ſit a viro magnanimo & forti: eædem enim ſæpe magni faciendæ, ſæpe deſpiciendæ ſunt. Sic infra: *capeſſentibus autem Rempub. nihilo minus quàm Philoſophis, haud ſcio an magis etiam, & magnificentia & deſpicientia adhibenda eſt rerum humanarum.*

1. *Quid ſit ordo, quid ſit quod deceat in factis dictiſque, qui modus.*] Eſt a mſſ. M. F. V. D. E. C. neque aliter fere primæ editiones. at enim Pal. pr. *quid ſit quod deceat in factis dictiſque, qui modus*; ſine illo, *quid ſit ordo*: quod reſtat quidem in ſec. ſed is, *quid deceat*, ſolum habet, excluſis *ſit quod.* placetque.

2. *In conſiliis factiſque conſervandum.*] Editio vetuſtior ac Pal. nec non M. F. D. *conſervandam.* manifeſta veritas, *conſervanda*, inquit Gulielmius.

3. *Et tanquam faciem.*] Vetuſta editio *etiam tanquam faciem*, quod placebat Gulielmio. Sic Catone: *Non modo eos qui ſunt novi, ſed eorum patres: etiam avos.* & infra hoc libro; *non repulſam ſolum ſed ignominiam, etiam calamitatem.* Facies heic pulcritudinem ſignat & venuſtatem; eſt enim τὸ μορφὸν. Terentius: *ò faciem pulcram!* Virgilius: *quibus aſpera quondam Viſa maris facies.*

4. *In quo ineſt modeſtia & temperantia.*] Nihil certius quam veram huius loci ſcripturam hærere in Pal. pr. qui habet, *in quo vis eſt modeſtiæ & temperantiæ.* quo quid fortius?

5. *Implicata ſunt.*] Pal. pr. & vetuſtius cuſi *impliciti.* ſed malebat Gulielmius cum Langianis & M. V. D. *implicata*, quomodo citari a Grammaticis reperirique in mſſ. aliis dudum teſtatus eſt in Epiſtolicis ſuis doctiſſimus Parrhaſius.

6. *Et videre & explicare rationem.*] Pal. pr. *ratione.* mſ. E. *oratione.* quod non diſplicet, ſecund. videtur habere *ratiocinationem.*

7. *Labi autem, errare, neſcire.*] Gulielmius initio putabat delendum illud *neſcire*: ſed re amplius deliberata ſententiam mutavit, vultque alludi ad ſtultorum vulgare dictum, *neſcio.*

8. *Ut in Aſtrologia C. Sulpicium audivimus.*] Palat. ſec. M. & V. *audimus.* recte. perverſe enim hactenus acceptus locus. non enim hoc dicit, ſibi magiſtratum fuiſſe Sulpicium; ſed fando accepiſſe de ejus in aſtrologia ſtudio: quod ſequentia liquido docent: & repetendum ubique ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, *poſuiſſe operam.* Eſt hic Sulpicius Gallus, qui bello Perſico lunæ deliquium prædixit, de quo ſæpe alibi; quem certe docentem audiſſe Cicero non potuit.

9. *In veri inveſtigatione verſantur.*] M. V. D. Palatin. prim. item Langiani, *veſtigatione*, neque inſuper habuerim. placebat quoque Gulielmio.

10. *Cujus ſtudio à rebus gerundis.*] Prima editio, Pal. M. L. E. F. D. hanc ſcripturam tuentur, non vulgatam *agendis.*

11. *A qua tamen ſæpe fit intermiſſio.*] Non libenter indulgeo conjecturæ; ſed ut heic inſiſtam faciunt aliquot libri vett. in quibus reperio, *a qua tamen fit intermiſſione ſæpe.* legebam, *à qua tamen fit iter miſſione ſæpe.* venuſtiſſima tralatione a re militari ducta; in qua miſſione honeſta ad viſendos noſtros ſæpe iter facimus. itaque perſiſtens in eadem metaphora, adjicit, *multique dantur ad ſtudia reditus.* Hoc ſuſpicabar. eruditi judicent. ſic Gulielmius. & verò Pall. nec non F. V. E. habent, *fit intermiſſio ſæpe*, quod & in editione principe. haud tamen acquieverim ſuſpicioni huic amici noſtri, & longius petitæ, & poſitu verborum mire tortuoſæ.

12. *Poteſt nos in ſtudiis cogitationis.*] Lambinus libris, ut ait, omnibus invitis, legit *cognitionis*; male, ſi quid judico. Studia aut ſunt lectionis aut cogitationis. illa interrumpit ſæpe occupatio rerum agendarum: in his nos continet agitatio mentis perpetua, quæ & in mediis negotiis cogitatione ſæpe rapitur ad ſtudia litterarum. probant & ſequentia: inducit enim diſtributionem quandam earum rerum de quibus cogitetur. Gulielmius.

13. *Ac de primo quidem officii fonte diximus.*] Adlubeſcebat Gulielmio illud Fulvii noſtri Urſini *ſatis diximus*: ſed ſic tamen nullum exemplar ſcriptum. Si conjecturæ quid liceret, mallem; *Hæc de primo quidem officii fonte*, omiſſa dictione, *diximus.* Pal. ſec. habebat *duximus.*

14. *Et huic conjuncta beneficientia.*] Haud aliter Langiani, ac Lambiniani; ſicque etiam Pall. ac Gulielmii M. F. V. D. annotatque dici, ut *efficientia, deſpicientia.* pugnat verò pro analogia iſta Giſanius in Lucretio, ad *Deſipientia.*

15. *Ne quis noceat niſi laceſſitus injuria.*] Vox poſtrema non eſt in Pal. prim. diſpiciant acutiores: liber enim notæ eſt planè ſelectæ.

laceſſitus injuriâ : deinde ut communibus utatur pro communibus, privatis ut ſuis. Sunt autem privata nulla, natura : ſed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt : [1] aut victoria, ut qui bello potiti ſunt, [2] aut lege, pactione, conditione, ſorte. ex quo fit, ut ager Arpinas, Arpinatum dicatur : Tuſculanus, Tuſculanorum. Similiſque eſt privatarum poſſeſſionum deſcriptio. ex quo, quia ſuum cujuſque fit: eorum, quæ natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quiſque teneat. [3] è quo ſi quis ſibi appetet ; violabit jus humanæ ſocietatis. Sed quoniam, (ut præclarè ſcriptum eſt à Platone) *Non nobis ſolùm nati ſumus, ortuſque noſtri,* [4] *partem patria vindicat, partem amici :* atque, (ut placet Stoicis) quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari, homines autem hominum cauſa eſſe generatos, [5] ut ipſi inter ſe, aliis alii prodeſſe poſſent : in hoc naturam debemus ducem ſequi, & communeis utilitates in medium afferre, [6] mutatione officiorum, dando, accipiendo : tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines ſocietatem. FUNDAMENTUM eſt autem juſtitiæ fides : id eſt, dictorum, conventorumque conſtantia, & veritas. ex quo, quamquam hoc videbitur fortaſſe cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui ſtudioſe exquirunt, unde verba ſint ducta : credamuſque *quia fiat, quod dictum eſt*, appellatam *fidem*. Sed INJUSTITIÆ genera duo ſunt: unum eorum, qui inferunt : alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, ſi poſſint, non propulſant injuriam. Nam qui INJUSTE impetum in quempiam facit, aut ira, aut aliqua perturbatione incitatus, [7] is quaſi manus afferre videtur ſocio. qui autem non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt injuriæ, tam eſt in vitio, quàm ſi parenteis, aut patriam, aut ſocios deſerat. Atque illæ quidem injuriæ, quæ nocendi cauſa de induſtria inferuntur, ſæpe à metu [8] proficiſcuntur ; cùm is, qui nocere alteri cogitat, [9] timet, ne, niſi id fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo. Maximam autem partem ad injuriam faciendam [10] aggrediuntur, ut adipiſcantur ea, quæ concupiverunt : in quo vitio latiſſimè
8 patet avaritia. Expetuntur autem divitiæ cum ad uſus vitæ neceſſarios, tum ad perfruendas voluptates. In quibus autem major eſt animus, in iis pecuniæ cupiditas ſpectat ad opes, & ad gratificandi facultatem : ut nuper M. Craſſus negabat, *ullam ſatis magnam pecuniam eſſe ei, qui in rep. princeps vellet eſſe,* [11] *cujus fructibus exercitum alere non poſſet* [12] Delectant etiam magnifici apparatus, vitæque cultus cum elegantia, & copia : quibus rebus effectum eſt, [13] ut infinita pecuniæ cupiditas eſſet. Nec verò rei familiaris amplificatio, nemini nocens, vituperanda : ſed fugienda ſemper injuria eſt. Maximè autem adducuntur plerique, ut eos juſtitiæ capiat oblivio, cùm in imperiorum, honorum, gloriæ cupiditatem inciderunt. Quod enim eſt apud Ennium,

Nulla ſancta ſocietas, nec fides regni eſt. :

id latiùs patet. nam, quidquid ejuſmodi eſt, in quo non poſſint plures excellere, in eo fit plerumque tanta contentio, ut difficillimum ſit, ſanctam ſervare ſocietatem. [14] Declaravit id modo temeritas C. Cæſaris, qui omnia jura divina, atque humana pervertit, [15] propter eum, quem ſibi ipſe opinionis errore finxerat, principatum. Eſt autem in hoc genere moleſtum, quod in maximis animis, ſplendidiſſimiſque ingeniis plerumque exſiſtunt honoris, imperii, potentiæ, gloriæ cupiditates. quo magis cavendum eſt, ne quid in eo genere peccetur. Sed in omni injuſtitia per- 9
multum intereſt, utrùm *perturbatione aliqua animi*, quæ plerumque brevis eſt, & ad tempus, [16] an conſultò, & cogitatò fiat injuria. Leviora enim ſunt, quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea, quæ meditata, & præparata inferuntur. Ac de inferenda quidem injuria ſatis dictum eſt. Prætermittendæ autem defenſionis, deſerendique officii plures ſolent eſſe cauſæ. Nam, aut *inimicitias*, aut laborem, aut ſumtus ſuſcipere nolunt: aut etiam negligentia, pigritia, inertia ; aut ſuis ſtudiis quibuſdam, occupationibuſve ſic impediuntur, ut eos, quos tutari debeant, deſertos eſſe patiantur. [17] Itaque videndum eſt, ne non ſatis ſit id, quod apud Platonem eſt in philoſophos dictum : [18] quod in veri inveſtigatione verſentur, quodque ea, quæ plerique vehementer expetunt, de quibus inter ſe digladiari ſolent, contemnant, [19] & pro nihilo ducant, propterea juſtos eſſe. [20] Nam alterum juſtitiæ genus aſſequuntur inferenda ne cui noceant injuria : [21] in alterum incidunt. Diſcendi enim ſtudio impediti, quos tueri debent, deſerunt.

1. *Aut victoria, ut qui bello potiti ſunt.*] Victoria ait fieri è communibus privata. nam quibus belli impetu potimur, ea vi & jure victoriæ poſſidemus. Eſt ergo heic, *bello potiri*, in bello occupare, & nobis vindicare neque neceſſe, ſententiæ explicandæ cauſa locum integrum pervertere cum Lambino ; invitis præſertim libris omnibus, quos ego aut alii viderint. Gulielmius.

2. *Aut lege, pactione, conditione, ſorte.*] Pulcre iſthæc explicat Turnebus lib. XXVIII. cap. 39. at Nannius lib. IX. Miſcellaneorum producit vetuſta exemplaria, ubi inter reliquos modos *conſuetudo* ; ſic : *aut lege, aut conſuetudine, aut pactione.*

3. *E quo ſi quis ſibi appetet.*] Vulgati, *ex quo ſi quis ſibi plus appetet.* ſed illud *plus*, aberat Pal. ſecund. M. & F. interpretandumque, *è quo.* eo videlicet quod quiſque tenet. quod & Langio dicitur placuiſſe.

4. *Partem patria vindicat, partem amici.*] Libros ſcriptos ſecutus ſum, qui ad unum omnes illa, *partem parentes* (quod illi infarſere, qui Platonis verbis attendunt) non habent. Gulielmius.

5. *Ut ipſi inter ſe, aliis alii, prodeſſe poſſent.*] Ita concinnius Pall. M. F. V. D. E. vulgò, *alius alii* ; minus benè.

6. *Mutatione officiorum.*] Mutare officia, honeſtè dicitur, non item *mutuari.* rectius ergo, ut in omnibus meis eſt, *mutatione*, quam *mutuatione*, Lambini invento. Gulielmius.

7. *Is quaſi manus adferre videtur ſocio.*] Vulgo, *violenter adferre* ; ſed vocem inculcatam induxi, auctoribus membranis Palatinis, item fide M. F. V. D. E. mirorque Suffridum noſtrum teſtari eam dictionem, repertam in omnibus tam mſſ. quàm excuſis. habet eam liber excuſus Moguntiæ CIↃ CCCCLXV. ſed qui editus Romæ CCCCLVIII. nullum exhibet vocabuli illius veſtigium.

8. *Proficiſcuntur ; cùm is, &c.*] Haud ſecus Pall. M. F. V. D. & Fulvianus ; non ut nupere vulgati, *ut cum.* nam ne poſteriores quidem edd. verbulum id præferunt.

9. *Timet ne, niſi id fecerit, &c.*] Auribus longè ſuavius Palatinus pr. *timet ne, ſi id non fecerit.*

10. *Aggrediuntur, ut adipiſcantur.*] Antiquitus cuſi verbo amplius *aggr. nonnulli, ut adip.* ſed ejus nihil comparet in Pal. alterutro, in M. F. V. D. E. ideoque etiam delendum exiſtimabat Gulielm.

11. *Cujus fructibus exercitum alere.*] Reduxi ſcripturam olim cuſorum codicum : recentiores enim, *qui ſuis fructibus*, contra omnes mſſ. & Langii & Gulielmii, & Palatinum noſtrum utrumque.

12. *Delectant etiam magnifici apparatus.*] Longè hoc melius Pal. pr. M. F. & primæ edd. quam *enim* recentiorum.

13. *Ut infinita pecuniæ cupiditas eſſet.*] Blanditur mihi admodum Erfurdienſe exemplar, in quo non habetur vox *pecuniæ.*

14. *Declaravit id modo temeritas C. Cæſaris.*] Sic mſſ. omnes ferè, certe edd. priſcæ. *tempeſtas*, placet Manutio, repertam etiam in mſſ. ut inquit.

15. *Propter eum, quem ſibi ipſe.*] Dictio poſtrema non eſt in Pal. pr. neque requiritur.

16. *An conſultò & cogitatò fiat injuria.*] M. F. D. V. & Pall. *cogitata.* Sic Horatius *incogitare malum* ; & ita mox *meditata* Gulielmius.

17. *Itaque videndum eſt, ne non ſatis, &c.*] Parum aſſecutus & heic vim verbi Lambinus. itaque reponit *verendum eſt* ; reclamantibus, ut ipſemet adjicit, libris omnibus : & recte reclamantibus. *videre*, valet conſiderare & ſecum cogitare. Lælio : *quam recte faciam, viderint ſapientes.* Ad Atticum : *Sed videndum eſt, ne diſtracti adverſariis pares eſſe non poſſimus.* Hoc libro non longe infra : *Quapropter & hæc videnda ſunt, & pecuniæ fugienda cupiditas.* ita enim melioris notæ libri. Gulielmius.

18. *Quod in veri inveſtigatione.*] Iterum Pal. p. item E. & D. *veſtigatione*, ut ſupra.

19. *Et pro nihilo ducant.*] Palat. ſec. M. E. F. V. editioque Romana anni LXVIII. *putent*, quod malit Gulielmius, ut Terentianum. Sic Lælio : *Honores permulti ſunt qui pro nihilo putent.* Pal. pr. & editio princeps Fauſti, ſtant pro altero.

20. *Nam alterum juſtitiæ genus aſſequuntur, inferenda ne cui noceant injuria.*] Sic Pall. & V. D. vulgati ; *nam dum alterum, &c.* F. habet, *in non inferenda.*

21. *In alterum incidunt.*] *Incidere*, videtur eſſe hoc loco offendere, impingere. Gulielmius.

Itaque eos ad remp. ne acceſſuros quidem putant, niſi coactos. æquius autem erat id voluntate fieri. nam hoc ipſum ita juſtum eſt, quod rectè fit, ſi eſt *voluntarium*. Sunt etiam, qui aut ſtudio rei familiaris tuendæ, aut odio quodam hominum, ſuum ſe negotium agere dicant, ne facere cuiquam videantur injuriam: [1] qui altero injuſtitiæ genere vacant; in alterum incurrunt. deſerunt enim vitæ ſocietatem, quia nihil conferunt in eam ſtudii, nihil operæ, nihil facultatum. Quoniam igitur duobus generibus injuſtitiæ propoſitis, adjunximus cauſas utriuſque generis, eaſque res antè conſtituimus, quibus juſtitia continetur: facilè, quod cujuſque temporis officium ſit, poterimus, niſi noſmetipſos valde amabimus, judicare. Eſt enim difficilis cura rerum alienarum. quamquam Terentianus ille Chremes *humani nihil à ſe alienum putat*. Sed tamen, quia magis ea percipimus, atque ſentimus, quæ nobis ipſis aut proſpera, aut adverſa eveniunt, quam illa, quæ ceteris: quæ quaſi longo intervallo interjecto videmus: aliter de illis, ac de nobis, judicamus. Quocirca benè præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites, æquum ſit, an iniquum. Æquitas enim lucet ipſa per ſe: dubitatio cogi-
10 tationem ſignificat injuriæ. Sed INCIDUNT ſæpe tempora, cùm ea, quæ maximè videntur digna eſſe juſto homine, eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur, fiuntque contraria: [2] ut reddere depoſitum; promiſſum facere, quæque pertinent ad veritatem, & ad fidem, ea migrare interdum, & non ſervare, fit juſtum. Referri enim decet ad ea, quæ propoſui in principio, fundamenta juſtitiæ: primùm, ut ne cui noceatur: deinde, ut communi utilitati ſerviatur. ea cùm tempore commutantur, commutatur officium; [3] & non ſemper eſt idem: poteſt enim accidere promiſſum aliquod, & conventum, ut id effici ſit inutile vel ei, cui promiſſum ſit, vel ei, qui promiſerit. Nam ſi, ut in fabulis eſt, Neptunus, quod Theſeo promiſerat, non feciſſet, Theſeus filio Hippolyto non eſſet orbatus. Ex tribus enim optatis, ut ſcribitur, hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit: quo impetrato, in maximos luctus incidit. NEC PROMISSA igitur ſervanda ſunt ea, quæ ſint iis, quibus promiſeris, inutilia: nec, ſi plus tibi noceant, quàm illi proſint, cui promiſeris. [4] Contra officium eſt, majus damnum anteponi minori: ut, ſi conſtitueris te cuipiam advocatum in rem præſentem eſſe venturum, atque interim graviter ægrotare filius cœperit, non ſit contra officium, non facere quod dixeris: magiſque ille, cui promiſſum ſit, ab officio diſcedat, ſi ſe deſtitutum queratur. Jam illis promiſſis ſtandum non eſſe, quis non videt, quæ coactus quis metu, quæ deceptus dolo promiſerit? Quæ quidem pleraque jure prætorio liberantur, nonnulla legibus. Exſiſtunt etiam ſæpe injuriæ calumnia quadam, & [5] nimis callida, ſed malitioſa juris interpretatione. Ex quo illud, SUMMUM JUS, SUMMA INJURIA, factum eſt jam tritum ſermone proverbium. Quo in genere etiam in rep. multa peccantur: ut ille, qui, [6] cùm triginta dierum eſſent cum hoſte pactæ induciæ, noctu populabatur agros, quòd dierum eſſent pactæ, non noctium induciæ. Nec noſter quidem probandus, ſi verum eſt, Q. Fabium Labeonem, ſeu quem alium (nihil enim præter auditum habeo) arbitrum Nolanis, & Neapolitanis [7] de finibus à ſenatu datum, cum ad locum veniſſet, cum utriſque ſeparatim locutum, [8] ne cupidè quid agerent, ne appetenter; atque ut regredi, quàm progredi mallent. Id cùm utrique feciſſent, aliquantum agri in medio relictum eſt. Itaque illorum fineis, ſicut ipſi dixerant, terminavit: in medio relictum quod erat, populo Rom. adjudicavit. decipere hoc quidem eſt, non *judicare*, quocirca in omni re fugienda eſt talis ſollertia. Sunt autem quædam 11
officia etiam adverſus eos ſervanda, à quibus injuriam acceperis. EST ENIM ulciſcendi, & puniendi modus. atque haud ſcio, an ſatis ſit, eum; qui laceſſierit, injuriæ ſuæ pœnitere: [9] ut & ipſe ne quid tale poſthac; & ceteri ſint ad injuriam tardiores. Atque in rep. maximè conſervanda ſunt jura belli. Nam cùm ſint duo genera decertandi: unum per diſceptationem, alterum per vim: cumque illud proprium ſit hominis, hoc beluarum: confugiendum eſt ad poſterius: ſi uti non licet ſuperiore. Quare ſuſcipienda quidem *bella* ſunt ob eam cauſam, ut ſine injuria in pace vivatur. parta autem victoria, [10] conſervandi ii, qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt: ut majores noſtri Tuſculanos, Æquos, Volſcos, Sabinos, Hernicos in civitatem etiam acceperunt: at Karthaginem, & Numantiam funditus ſuſtulerunt. nollem Corinthum: [11] ſed credo aliquid ſecutos, opportunitatem loci maximè, ne poſſet aliquando ad bellum faciendum *locus* ipſe adhortari. Mea quidem ſententia, paci, quæ nihil habitura ſit inſidiarum, ſemper eſt conſulendum. [12] In quo ſi mihi eſſet obtemperatum; etſi non optimam, at aliquam rempub. quæ nunc nulla eſt, haberemus. [13] Et cum iis, quos vi deviceris, conſulendum eſt, tum ii, qui, armis poſitis, ad imperatorum fidem confugient, quamvis murum aries percuſſerit, recipiendi ſunt. in quo tantopere apud noſtros juſtitia culta eſt, ut ii, qui civitates, aut nationes devictas bello in fidem recepiſſent, earum patroni eſſent, more majorum

---

1. *Qui altero injuſtitiæ genere.*] Vulgg. *qui dum altero*, quæ dictio abeſt Palat.M.F.D.V. & editioni 1468. habetur tamen in omnium prima.

2. *Ut reddere depoſitum, promiſſum facere, &c.*] Auſus ſum reformare hunc locum, ad eam faciem quam ei optabant Langius, Suffridus, Giſanius: neque abibant mſſ. Pall. aliorumque plurimi, quam quod præterea interponerent, *etiamne furioſo?* quod & expreſſit Victorius, placebatque Gulielmio. ego gloſſam marginalem arbitror. ſequentia certè palam clamant, Tullium illo loco exemplum commutati officii ponere nondum potuiſſe. conſulatur Schottus noſter libro II. Nodor. Cic. cap. 12. item Hotomanus lib.II. Obſervat. cap.22.

3. *Et non ſemper eſt idem.*] Gulielmius malebat, ut *non ſemper ſit idem*, cum duobus libris Suffridi. ego nihil mutavi cùm altera lectio firmaretur omnibus mſſ. ipſius, item Pal. pr. atque editionibus antiquioribus; nam ſecund. *ut non ſemper eſt idem.*

4. *Contra officium eſt majus damnum anteponi minori.*] Monuit Gulielmius vocabulum *damnum* abeſſe M. V. D. E. placet; dummodò iſthæc ſic connectantur præcedentibus verbis, *cui promiſeris; contra officium eſt majus antep. min.* verùm cum Langius editione ſecundâ publicarit, *eſt majus non anteponi minori;* ſicque palam extitet in Pal. pr. lectioni ei magis acquieverim, una cum Gulielmio.

5. *Nimis callida, ſed malitioſa.*] Sic M. F. V. D. E. neque aliter Palatt. aut edd. primæ; non *aut malit.* haud celo tamen lectorem emendatum eſſe in editione principe omnium anni ſcilicet CIↃ CCCC LXV. *ſeu malitioſa:* male. nam ſi abſit malitia, calliditas propria Jureconſultorum, ut annotat heic Gulielmius.

6. *Cùm XXX. dierum eſſent cum hoſte pactæ induciæ.*] Gulielmii mſſ. & Pall. *induciæ factæ.* unde ſuſpicor, eam vocem irreptitiam, abjiciendamque. certè cùm paullò poſt ſequatur iterum *pactæ*, heic locum ſuum vix bellè tueatur.

7. *De finibus à Senatu datum.*] Ita Pall. eddque proximæ à prima, nec non Gulielmii M. V. D. F. ſine voce *agri*, quæ in aliis adjecta non neceſſariò.

8. *Ne cupidè quid agerent, ne appetenter.*] Eſt ab Pall. M. & V. firmatque auctoritas Turnebi libro XXVI. Adverſariorum cap.32. publicati, *nec appeterent;* minus venuſtè.

9. *Ut & ipſe ne quid tale poſthac, & ceteri, &c.*] Sic multi codd. ſcripti, quos ſecutus Lambinus & Aldus Nepos. neque aliter M. aut Pall. item editio Romana princeps. ſolùm Palatinus pr. tranſponit, *& ut ipſe*, quod placet; ut, *ne quid tale poſthac*, ſit deprecandi formula; ſicut illud apud Terentium: *ſi unquam poſthac occidito.* quod & annotarat Gulielmius. adeantur annotationes Langii. noſter. publicati, *poſthac committat, & ceteri.*

10. *Conſervandi ii qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt.*] Haud aliter mſſ. quos excuſſit Gulielmius, ſine verbulo *ſunt*. Palatinus pr. adhuc abjicit *non immanes.*

11. *Sed credo aliquid ſecutos; opportunitatem, &c.*] Sic mſſ. fere Gulielmii, & Langii & Pal. ſec. nam prim. & ed. Romana prima *aliquos.* ſeqq. *illos.* veniebat in mentem *aliud*; ſed non eſt neceſſe.

12. *In quo ſi mihi eſſet obtemperatum.*] Gulielmius motus fide mſ. M. deletum ivit *ſi*, tanquam inculcatum à ſciolis, venuſteque ſubintelligeretur. nimis calidè.

13. *Et cum his quos vi deviceris, &c.*] Editio vetus *dejeceris*, inquit Gulielmius. at Pall. *vi viceris.*

rum. Ac belli quidem æquitas ſanctiſſimè feciali populi Rom. jure perſcripta eſt. Ex quo intelligi poteſt, nullum bellum eſſe juſtum, niſi quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum ante ſit, & indictum. Pompilius, imperator, tenebat provinciam: in cujus exercitu Catonis filius tiro militabat. [1] Cum autem Pompilio videretur unam dimittere legionem, Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat dimiſit. Sed cum amore pugnandi in exercitu remanſiſſet, Cato ad Pompilium ſcripſit, ut, ſi eum pateretur in exercitu remanere, ſecundo eum obligaret militiæ ſacramento: quia, priore amiſſo, jure cum hoſtibus pugnare non poterat. Adeò ſumma erat obſervatio in bello movendo. Marci quidem Catonis ſenis epiſtola eſt ad M. filium, in qua ſcripſit, *ſe audiſſe, eum miſſum factum eſſe à conſule, cùm in Macedonia Perſico bello miles eſſet.* Monet igitur *ut caveat, ne prœlium ineat.* negat enim
12 *jus eſſe, qui miles non ſit, pugnare cum hoſte.* Equidem illud etiam animadverto, quòd qui proprio nomine perduellis eſſet, is *hoſtis* vocaretur, lenitate verbi triſtitiam rei mitigante. Hoſtis enim apud majores noſtros is dicebatur, quem nunc *peregrinum* dicimus: [2] indicant duodecim tabulæ: AUT STATUS DIES CUM HOSTE. Itemque ADVERSUS HOSTEM ÆTERNA AUCTORITAS. Quid ad hanc manſuetudinem addi poteſt? eum qui cum bella geras, tam molli nomine appellari? Quamquam id nomen durius jam effecit vetuſtas. à peregrino enim jam receſſit, & propriè in eo, qui arma contrà ferret, remanſit. Cum verò de imperio decertatur, [3] belloque quæritur gloria, cauſas omnino ſubeſſe tamen oportet eaſdem, quas dixi paullo antè juſtas cauſas eſſe bellorum. Sed ea bella, quibus imperii gloria propoſita eſt, minùs *acerbè* gerenda ſunt. [4] Ut enim cum civi aliter contendimus, ſi eſt inimicus, aliter, ſi competitor: cum altero certamen honoris, & dignitatis eſt: cum altero capitis, & famæ: ſic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum, ut cum inimicis gerebatur, uter eſſet, non uter imperaret: cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho de imperio dimicabatur. Pœni fœdifragi, crudelis Hannibal, reliqui juſtiores. [5] Pyrrhi quidem de captivis reddendis, illa præclara:

Nec mi aurum poſco, nec mi pretium dederitis,
Ferro, non auro vitam cernamus utrique.
Virtute experiamur. & hoc ſimul accipe dictum:
Eorumdem me libertati parcere certum eſt:
[6] *Nec cauponantes bellum, ſed belligerantes:*
Voſne velit, an me regnare hera, quidve ferat fors,
[7] *Quorum virtuti belli fortuna pepercit,*
[8] *Dono, ducite, doque,* [9] *volentibu' cum magnis diis.*

Regalis ſanè, & digna Æacidarum genere ſententia. Atque 13
etiam ſi quid ſinguli, temporibus adducti, hoſti promiſerint, eſt in eo ipſo fides conſervanda: ut primo Punico bello Regulus captus à Pœnis, cùm de captivis commutandis Romam miſſus eſſet, juraſſetque ſe rediturum: [10] primùm, ut venit, captivos reddendos in ſenatu non cenſuit: deinde, [11] cùm retineretur à propinquis, & ab amicis, ad ſupplicium redire maluit, quàm fidem hoſti datam fallere. [12] *Secundo autem Punico bello, poſt Cannenſem pugnam, quos decem Hannibal Romam adſtrictos miſit jurejurando ſe redituros eſſe, niſi de redimendis iis, qui capti erant, impetraſſent: eos omnes cenſores, quoad quiſque eorum vixit, qui pejeraſſent, in ærariis reliquerunt: nec minùs illum, qui jurisjurandi fraude culpam invenerat. Cum enim Hannibalis permiſſu exiſſet de caſtris, rediit paullo pòſt, quod ſe oblitum neſcio quid diceret. Deinde egreſſus è caſtris, jurejurando ſe ſolutum putabat: & erat verbis, re non erat.* [13] SEMPER *autem in fide, quid ſenſeris, non quid dixeris, cogitandum. Maximum autem exemplum eſt juſtitiæ in hoſtem à majoribus noſtris conſtitutum. Cùm à Pyrrho perfuga ſenatui eſt pollicitus, ſe venenum regi daturum, & eum necaturum: ſenatus, & C. Fabricius perfugam Pyrrho dedit.* ITANE *hoſtis quidem, & potentis, & bellum ultro inferentis, interitum cum ſcelere approbavit.* Ac de bellicis quidem officiis ſatis dictum eſt. Meminerimus autem, etiam adverſus infimos juſtitiam eſſe ſervandam. Eſt autem infima conditio, & fortuna ſervorum: quibus, non malè præcipiunt, qui ita jubent uti, [14] ut mercenariis: operam exigendam, juſta præbenda. Cùm autem duobus modis, id eſt, aut vi, aut fraude fiat injuria: *fraus, quaſi vulpeculæ: vis, leonis videtur:* [15] utrumque homine alieniſſimum: ſed fraus odio digna majore. Totius autem injuſtitiæ [16] NULLA capitalior eſt, quàm eorum, qui tum, cùm maximè fallunt, id agunt, ut viri boni eſſe videantur. De juſtitia ſatis dictum eſt. Deinceps 14
(ut erat propoſitum) [17] de beneficientia ac liberalitate dicatur: qua quidem nihil eſt naturæ hominis accommodatius. ſed habet multas cautiones. Videndum eſt enim primùm ne ob-

1. *Cùm autem Pompilio, &c.*] Sic Pall. & edd. primæ *Popillius.* M. D. infraque etiam V. quod placuit Gulielmio, textuique intulit Lambinus, ſecutus Langium.

2. *Indicant* XII. *tabulæ.*] Sic edd. primæ. ſequiores interpoſito verbo: *indicant enim* XII. *tab.* Palat. pr. *indicant hoc* XII. *tabulæ.* quod non aſperner.

3. *Belloque quæritur gloria.*] Tò *gloria* videtur inculcatum: maximè quia mox ſequitur: *bella quibus imperii gloria propoſita eſt.* & ita eſſet ad exemplum Salluſtii, *conviviis quærere.* ſed nihil muto; quamvis magis eſt ut ſubintelligatur de *imperio* quàm de *gloria.* Gulielmius.

4. *Ut enim cum cive aliter contendimus, ſi eſt, &c.*] Ita ediderat Lambinus; & placet. ſic enim eruit ex membranis Auguſtanis Anemæcius.

5. *Pyrrhi quidem de captivis reddendis illa præclara: Nec, &c.*] Sic M. F. item Pall. ſecutuſque eſt Victorius. alii adjecere, *præclara ſententia eſt: Nec.* quod & in editione prima Moguntiæ publicata. verùm quæ tribus poſt annis Romæ prodiit præfert: *præclara verba ſunt: Nec.* quæ diverſitas clarè prodit gloſſema.

6. *Nec cauponantes.*] Palat. pr. *Non caup.* quod placet, ut Romanos alloquatur, dicatque vos qui minime *cauponatis*, ſed belligeratis, ne mihi dederitis pretium. Suffridi emendatio frigidior eſt, quàm ut veritatis Solem ferat. neque ſtatim liqueſcat, nivis inſtar. conſulatur tamen.

7. *Quorum virtuti belli fortuna.*] Sic nulla littera minus Pal. & vetuſtè cuſi. monet tamen Gulielmius eſſe in M. F. V. D. *ſuorumve virtute belli fortuna.* ſuſpicabaturque *ſi veſtrorum virtutei fortuna;* maximè quod in uno mſ. *bello* gloſſæ loco lineis interjectum eſſet.

8. *Dono ducite.*] Ut *dono promittere* Plauto Moſtellariâ. Virgilius *abducere: Jamdudum à me illos abducere Theſtylis orat.* Gulielmius.

9. *Volentibus cum magnis Diis.*] Quod alii repererunt *volentibus id magnis Diis.* id verò perſpicuè adulterinum eſt. Hoc enim modo ſemper Latini. Plautus Perſa: *ſequere hac, mea gnata, me, cum Diis volentibus.* Gulielmius.

10. *Primùm ut venit, captivos reddendos in Senatu, non cenſuit.*] Auribus ſuavius influit lectio Palatini pr. *reddendos non eſſe, in Senatu cenſuit.* Gulielmius adnotat, mſſ. ſuos habere, *in Senatum:* unde ſuſpicari quis poſſet commutandum, *primùm ut venit in Senatum, captivos reddendos non cenſuit.*

11. *Cùm retineretur à propinquis & ab amicis.*] Vocula *ab* non eſt in editione Romana prima. Palat. verò prim. tranſpoſuit, *ab amicis & propinquis*; quod non diſplicet.

12. *Secundo autem, &c.*] Hæc ſequentia omnia. non comparent in Pal. aut primis editionibus. quis primùm invexerit neſcio. comparent in Joachimi Camerarii editione, nata anno CIↃ DXL. ſed non in Roberti Stephani Victoriana, producta duobus annis citius. Gulielmius annotavit, non extare in M. ſed in Fabriciano codice. idem de Parcenſi ſuo prodidit Langius. iterantur ferè totidem verbis libro III. ut ferè liqueat non eſſe auctoris germana.

13. *Semper autem.*] Retinet hanc ſcripturam Gulielmius, ejecto *enim* Suffridi, quod admiſerat Lambinus.

14. *Ut mercenariis: operam exigendam; juſta præbenda.*] Haud aliter edd. primæ, item Palatin. ac mſſ. Gulielmii, ἀσυνδέτως. *Opera* eſt quæ per ſingulos dies datur, ait Paullus I. C. l. 20. de ſtatu liberis. *Juſta* intelligit cibaria quæ debentur. Haud diſſimiliter Propertius: *Surge & poſcentes juſta precare Deos.*

15. *Utrumque homine alieniſſimum.*] Eſt a Pall. & Gulielmianis. editi enim, *utrumque alieniſſimum ab homine.*

16. *Nulla capitalior quàm eorum, qui tum cùm, &c.*] Sic Gulielmius, è mſſ. nec aliter editio Romana prima, aut Palatinus pr. qui præterea non agnoſcit particulam *tum*, neque deſideratur. ejus loco exſtat in Pal. ſec. *tamen.*

17. *De beneficientia.*] Ita rurſus Pall. item M. F. aliorumque membranæ; nec heic modò ſed & fine hujus cap. & alibi ſemper.

1. *Quàm*

ne obſit benignitas, & iis ipſis, quibus benignè videbitur fieri, & ceteris: deinde, ne major benignitas ſit, [1] quàm facultas: tum ut pro dignitate cuique tribuatur. Id enim eſt juſtitiæ fundamentum, ad quam hæc referenda ſunt *omnia*. Nam & qui gratificantur cuipiam, quod obſit illi, cui prodeſſe velle videantur, non benefici, neque liberales, ſed pernicioſi aſſentatores judicandi ſunt: & qui aliis nocent, ut in alios liberales ſint, in eâdem ſunt injuſtitia, ut ſi in ſuam rem aliena convertant. Sunt autem multi, & quidem cupidi ſplendoris & gloriæ, qui eripiunt aliis, quod aliis largiantur. Hique arbitrantur ſe beneficos [2] in ſuos amicos viſum iri, ſi locupletent eos quacumque ratione. Id autem [3] tantum abeſt officio, ut nihil magis officio poſſit eſſe contrarium. Videndum eſt igitur, ut ea liberalitate utamur, quæ proſit amicis, noceat nemini. Quare L. Sullæ, & C. Cæſaris pecuniarum translatio à juſtis dominis ad alienos non debet liberalis videri. NIHIL eſt enim liberale, [4] quod non idem juſtum. Alter erat locus cautionis, ne benignitas maior eſſet, quàm facultates: quòd, qui benigniores volunt eſſe, quàm res patitur, primùm in eo peccant, quòd [5] injurioſi ſunt in proximos. quas enim copias his & ſuppeditari æquius eſt, & relinqui, eas transferunt ad alienos. Ineſt autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi, & auferendi per injuriam, ut ad largiendum ſuppetant copiæ. Videre etiam licet pleroſque NON TAM natura liberaleis, quàm quadam gloria ductos, ut benefici videantur facere multa, [6] quæ proficiſci ab oſtentatione magis, quàm à voluntate videantur. Talis autem ſimulatio, vanitati eſt conjunctior, quàm aut liberalitati, aut honeſtati. Tertium eſt propoſitum, ut in beneficentia delectus eſſet dignitatis: in quo & mores ejus erunt ſpectandi, in quem beneficium conferetur, & animus erga nos, & communitas, ac ſocietas vitæ, & ad noſtras utilitates officia antè collata: quæ ut concurrant omnia, optabile eſt: ſin minùs, plures cauſæ,
15 majoreſque, ponderis plus habebunt. Quoniam autem vivitur non cum perfectis hominibus, pleneque ſapientibus, [7] ſed cum iis, in quibus præclarè agitur, ſi ſunt ſimulacra virtutis: etiam hoc intelligendum puto, neminem omnino eſſe negligendum, in quo aliqua ſignificatio virtutis appareat: colendum autem eſſe ita quemque maximè, ut quisque maximè his virtutibus lenioribus erit ornatus, modeſtia, temperantia, hac ipſa, de qua jam multa dicta ſunt, juſtitia. Nam fortis animus, & magnus in homine non perfecto, nec ſapiente, *ferventior* plerumque eſt: [8] illæ virtutes, virum bonum videntur potiùs attingere. [9] Atque hæc in moribus. De benevolentia autem, quam quiſque habeat erga nos, primùm illud eſt in officio, ut ei plurimum tribuamus, à quo plurimum diligimur: ſed benevolentiam non adoleſcentulorum more, ardore quodam amoris, ſed ſtabilitate potiùs, & conſtantia judicemus. Sin erunt merita, ut non ineunda, ſed referenda ſit gratia: major quædam cura adhibenda eſt. Nullum enim officium referenda gratia magis neceſſarium eſt. Quòd ſi ea, quæ utenda acceperis, majore menſura, [10] ſi modò poſſis, jubet reddere Heſiodus: quidnam beneficio provocati facere debemus? [11] an imitari agros fertileis, qui multo plus afferunt, quàm acceperunt? Etenim ſi in eos, quos ſperamus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre: quales in eos eſſe debemus, qui jam profuerunt? Nam cùm duo genera liberalitatis ſint, unum dandi beneficii, alterum reddendi: demus, necne, in noſtra poteſtate eſt: non reddere, viro bono non licet, modò id facere poſſit ſine injuria. Acceptorum autem beneficiorum ſunt delectus habendi. Nec dubium, quin MAXIMO cuique plurimum debeatur. In quo tamen in primis, quo quiſque animo, ſtudio, benevolentia fecerit, ponderandum eſt. MULTI enim faciunt multa temeritate quadam, ſine judicio, [12] vel morbo, in omneis, vel repentino quodam, quaſi vento, impetu animi incitati: quæ beneficia æquè magna non ſunt habenda, atque ea, quæ judicio, conſideratè, conſtanterque delata ſunt. Sed in collocando beneficio, & in referenda gratia, ſi cetera paria ſint, hoc maximè officii eſt, *ut quiſque maximè opus indigeat, ita ei potiſſimùm opitulari*: quod contrà fit à pleriſque. [13] A quo enim plurimum ſperant, etiamſi ille his non eget, tamen ei potiſſimum inſerviunt.

16 OPTIME autem ſocietas hominum, conjunctioque ſervabitur, ſi ut quiſque erit conjunctiſſimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. Sed quæ naturæ principia ſint communitatis, & ſocietatis humanæ, repetendum altiùs videtur. eſt enim primum, quod [14] cernitur in univerſi generis humani ſocietate. ejus autem vinculum eſt, ratio, & oratio: quæ docendo, diſcendo, communicando, diſceptando, judicando, conciliat inter ſe homines, conjungitque naturali quadam ſocietate. Neque ulla re longiùs abſumus à natura ferarum, in quibus ineſſe fortitudinem ſæpe dicimus, ut in equis, in leonibus: juſtitiam, æquitatem, bonitatem non dicimus. Sunt enim rationis, & orationis expertes. Ac latiſſimè quidem patens hominibus inter ipſos, omnibus inter omneis, ſocietas hæc eſt: in qua omnium rerum, quas ad communem hominum uſum, natura genuit, eſt ſervanda communitas: ut quæ deſcripta ſunt legibus, & jure civili, hæc ita teneantur, [15] ut ſit conſtitutum: è quibus ipſis cetera ſic obſerventur, ut in Græcorum proverbio eſt: AMICORUM ESSE OMNIA COMMUNIA.

Omnia

1. *Quàm facultates.*] Editi ferè *facultas*: ſed alterum viſitur in M. F. D. E. ac Palatino.

2. *In ſuos amicos.*] Habuerim vocem *amicos* pro ſpuriâ.

3. *Tantum abeſt officio.*] Sic M. F. D. item Langiani, & quos excuſſit Lambinus. vulgatis, *abeſt ab officio*. Pal. ſec. *tantum eſt ab officio*.

4. *Quod non idem juſtum.*] *Idem ſit juſtum*, editi. verùm ea vox non eſt in Pall. aut M. & E.

5. *Injurioſi ſunt in proximos.*] M. *in proximis*. illud autem uſitatius, quod retineo. neque tamen non & hoc modo locuti ſunt veteres Ita de Rep. lib. VI. noſter: *Juſtitiam cole & pietatem, quæ cùm magna in parentibus & propinquis, tum in patria maxima eſt.* ut enim illic *pietas in propinquis*, ita heic *injuria in proximis*, quo afficiuntur proximi. Gulielmius.

6. *Quæ proficiſci ab oſtentatione magis, quàm à voluntate videantur.*] Sic omnes mſſ. Gulielmiani, ſic Pall. vulgati enim; *quæ videntur ab oſtentatione magis quàm à voluntate proficiſci.* ſuffeciſſet mihi dixiſſe, *quæ ab oſtentatione magis quam à voluntate.*

7. *Sed cum his, in quibus præclare agitur ſi ſunt ſimulacra virtutis.*] Haud aliter M. P. C. item Palat. pr. niſi quod is amplius, *ſed & cum*, &c. quod non diſplicet. aliæ edd. *ſi ſint*. Lambinus *ſi inſunt* repoſuit ex mſſ. ſuis, uti quidem jactat. Palat. ſec. legit, *ſed cum civibus: præclarè agitur ſi ſunt*, &c.

8. *Illæ virtutes bonum virum videntur potius attingere.*] Sic Lambiniani, neque abeunt Pall. aut Gulielm. codd. qui ipſe præterea annotavit M. retinere *bonorum virorum*. unde ei ſuſpicio eſt, e gloſſemate adjectum verbum *attingere*; aut legendum, *videntur propius attingere*.

9. *Atque hæc in moribus.*] Vulgati poſterius *in minoribus conſiderentur*; ſed præter edd. priſcas & mſſ. Pall. M. F. D. ne addam etiam Lambinianos.

10 *Si modò poſſis.*] Gulielmius maluit *poſſit*, è Mauritiano, notâ veterum loquendi formulâ.

11. *An imitari agros, &c.*] Eſt non modò à Lambinianis libris omnibus, ſed & Pall. M. F. D. idem editione Romana prima. nam Moguntina, ut & aliæ ſeqq. *an non imitari agros*.

12. *Vel morbo.*] Vulgati, *vel modo*: ſed alterum illud longè verius, eruitque Gulielmius è M. D. C. affirmatque etiam Aldus Nepos inventum à ſe in tribus mſſ. retrahendum autem putabat ante Aldum fere natum Anemœcius fide codicis Auguſtani: neque aliter quoque Pal. ſec. *morbus* autem eſt animi vitium inveteratum, ita ut evelli difficile ſit: quale in prodigis opum proluvium. Cicero in Verrem: *venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat ſtudium, ut amici ejus morbum & inſaniam, ut Siculi latrocinium.* Et Seneca centies *morbum* opponit *judicio*. videantur modo Animadverſiones noſtræ in eum auctorem.

13. *A quo enim plurimum ſperant, &c.*] Sic omnes ſcripti antiquituſque publicati, recentiſſimi tamen omiſerunt litteram illam primam.

14. *Cernitur in univerſi generis humani ſocietate.*] Tò *in* abeſt M. non malè. ita *hereditate cernere* dicimus. Gulielmius.

15. *Ut ſit conſtitutum: è quibus ipſis cetera, &c.*] Gulielmius malebat conjunctim hæc legere, *conſtitutum legibus ipſis cetera, &c.*

1. Qua

Omnia autem communia hominum videntur ea, [1] quæ ſunt generis ejus; quod ab Ennio poſitum in una re, [2] transferri in multas poteſt.

[3] Homo qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit:
Nihilominus ipſi luceat, cùm illi accenderit.

Una ex re ſatis præcipitur, ut, quidquid ſine detrimento poſſit commodari, id [4] tribuatur vel ignoto. Ex quo ſunt illa communia, [5] NON PROHIBERE aquam profluentem: PATI AB IGNE IGNEM capere, ſi quis velit; CONSILIUM FIDELE deliberanti dare; quæ ſunt iis utilia, qui accipiunt: danti non moleſta. Quare & his utendum eſt, & ſemper aliquid ad communem utilitatem afferendum. Sed quoniam copiæ parvæ ſingulorum ſunt: eorum autem, qui his egeant, infinita eſt multitudo: vulgaris liberalitas referenda eſt ad illum Ennii finem, NIHILOMINUS IPSI LUCEAT: ut facultas ſit, qua in noſtros ſimus liberales. Gradus autem
17 plures ſunt ſocietatis hominum. Ut enim [6] ab infinita illa diſcedatur, propior eſt ejuſdem gentis, nationis, linguæ: qua maximè homines conjunguntur: [7] interius etiam eſt, ejuſdem eſſe civitatis. Multa enim ſunt civitatibus inter ſe communia: forum, fana, porticus, viæ, leges, jura, judicia, ſuffragia, conſuetudines præterea, & familiaritates, [8] multæque cum multis res, rationesque contractæ. Arctior verò colligatio eſt ſocietatis propinquorum. ab illa enim immenſa ſocietate humani generis in exiguum, anguſtumque concluditur. [9] nam cùm ſit hoc natura commune animantium, [10] ut habeant lubidinem procreandi, prima ſocietas in ipſo conjugio eſt: proxima in liberis: [11] deinde una domus, communia omnia. Id autem eſt principium urbis, & quaſi ſeminarium reip. Sequuntur fratrum conjunctiones: pòſt conſobrinorum, ſobrinorumque: qui cùm una domo jam capi non poſſint, in alias domos, tamquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia, & affinitates: ex quibus etiam plures propinqui. Quæ propagatio, & ſoboles, origo eſt rerum publicarum. Sanguinis autem conjunctio, & benevolentia devincit homines caritate. Magnum eſt enim, eadem habere monumenta majorum, iiſdem uti ſacris, ſepulcra habere communia. Sed omnium ſocietatum nulla præſtantior eſt, [12] nulla firmior, quàm cùm viri boni, moribus ſimiles, ſunt familiaritate conjuncti. Illud enim honeſtum (quod ſæpe dicimus) etiam ſi in alio cernimus, tamen nos movet, [13] atque illi, in quo id ineſſe videtur, amicos facit. Et quamquam OMNIS virtus [14] nos ad ſe alliciat, faciatque ut eos diligamus, in quibus ipſa ineſſe videatur. [15] tamen juſtitia, & liberalitas id maximè efficit. nihil autem eſt amabilius, nec copulatius, quàm morum ſimilitudo bonorum. In quibus enim eadem ſtudia ſunt, eædemque voluntates: in his fit, ut æquè quiſque altero delectetur, ac ſeipſo: efficiturque, id, quod Pythagoras vult in amicitia, [16] ut unus fiat ex pluribus. Magna etiam illa communitas eſt, quæ conficitur ex beneficiis [17] ultrò citrò, datis acceptis: quæ & mutua, & grata dum ſunt, inter quos ea ſunt, firma devinciuntur ſocietate. Sed cùm omnia ratione, animoque luſtraris, omnium ſocietatum [18] nulla eſt gravior, nulla carior, quàm ea, quæ cum rep. eſt unicuique noſtrûm: cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: ſed omneis omnium caritates patria una complexa eſt: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? Quo eſt deteſtabilior iſtorum immanitas, qui lacerarunt omni ſcelere patriam, & in ea funditus delenda occupati & ſunt, & fuerunt. Sed ſi contentio quædam, & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum officii, principes ſunt, *patria* & *parentes*, quorum beneficiis maximè obligati ſumus: proximi, liberi, totaque domus, quæ ſpectat in nos ſolos, neque aliud ullum poteſt habere [19] perfugium: deinceps bene convenientes propinqui, quibuscum etiam communis plerumque fortuna eſt. Quamobrem neceſſaria præſidia vitæ debentur iis maximè, quos antè dixi: vita autem, victusque communis, conſilia, ſermones, cohortationes, conſolationes, interdum etiam objurgationes [20] in amicitiis vigent maximè: eſtque ea jucundiſſima amicitia, quam ſimilitudo morum conjugavit. Sed in his omnibus officiis tribuendis 18
videndum erit, quid cuique maximè neceſſe ſit, & quid quiſque nobiſcum, vel ſine nobis aut poſſit conſequi, aut non poſſit. Ita non iidem erunt neceſſitudinum gradus, qui temporum; ſuntque officia, quæ aliis magis, quàm aliis debeantur: ut vicinum citiùs adjuveris [21] in fructibus percipiendis, quàm aut fratrem, aut familiarem. at, ſi lis in judicio ſit, propinquum potiùs, & amicum, quàm vicinum defenderis. Hæc igitur, & talia, circumſpicienda ſunt

1. *Quæ ſunt generis ejus, &c.*] Non *ejuſdem* ut poſterius vulgati. alterum enim hæret in omnibus membranis & edd. priſcis.

2. *Transferri in multas.*] Sic etiam ante ſæculum cuſi & Pall. & F. D. non, *per multas*, ut heri natæ editiones. Lambinus produxit, *in permultas*, quod & in M.

3. *Homo qui erranti.*] Ita Pall. nec non M. F. V. D. omiſſo, *ut*, quod præponitur ab aliis. Gulielmius malit, *Domo qui erranti.*

4. *Tribuatur vel ignoto.*] Illud *cuique*, quod hodie comparet in pleriſque edd. non agnoſcunt Palatin. non F. aut Langiani, ſed nec editio Romana, in qua, *vel etiam ignoto.*

5. *Non prohibere aquam profluentem.*] Scilicet haurire, inquit Gulielmius. ſicque vett. edd. etiam Victorii, neque ſecus mſſ. etiam Palatin. prim. Nannius tamen libro IX. Συμμίκτων exemplaria laudat in quibus, *aqua profluente*, quod placitum Aldo Nepoti; neque profectò contemnendum eſt; exſtititque etiam in M. habetque Pal. ſec.

6. *Ab infinitâ illa diſcedatur.*] Eſt à Pall. M. F. D. & Langianis; item primitus excuſis. alii quippe, *ab illa diſcedatur infinitate.*

7. *Interius etiam eſt, ejuſdem eſſe civitatis.*] Ita Langius; & defendi rectè poteſt. magis tamen placet aliorum librorum ſcriptura, *interior*, ſubintellige *ſocietas*. Gulielmius. Et verò cùm illud *interior* reſtet in aliquot Manutianis, ei acquieverim; ſed ut deinde publicetur tantum, *interior etiam ejuſdem civitatis.* ſic enim omninò editio Romana orta anno CIↃ CCCC LXVIII. niſi quod ipſa quoque *interius.*

8. *Multæque cum multis res, &c.*] Palatin. Lil. F. D. *multiſque cum multis res*, quod in editionem ſuam admiſit Lambinus, neque vituperari meretur.

9. *Nam cùm ſit hoc natura commune animantium.*] Sic Pal. ſec. M. F. D. aliorumque ſcripti ſine voce *omnium*, quæ paſſim additur. Palatinus noſter pr. rotundius, meo judicio, *nam cùm ſit hoc commune naturæ animalium.*

10. *Ut habeant lubidinem procreandi.*] *Lubidinem* in re ponunt bona; in mala *libidinem.*

11. *Deinde una domus, communia omnia.*] F. *domus cui ſunt com.* neque aliter editio Romana prima. malim tamen quod reſtat in Pall. pr. *domus, & communia omnia.*

12. *Nulla firmior, quàm cùm viri boni moribus ſimiles, ſunt familiaritate conjuncti.*] Suffeciſſet mihi, *nulla firmior, quàm viri boni moribus ſimiles*, abjectis ceteris omnibus.

13. *Atque illi in quo id ineſſe videtur.*] Vocula *id* non eſt in Pal. pr. neque ea heic opus. Editio Romana princeps ſolummodò agnoſcit, *atque illi quo videtur ineſſe.* rectè; reformato *quo* in *quoi.*

14. *Ad ſe alliciat faciatque.*] Cùm ſic quoque repererit in duobus ſuis Suffridus noſter Petrejus, ſequi ipſum libuit, cum ita quoque exſtaret in Palat. pr. editionibuſque primis, Moguntina, Romana, ceteriſque. ſeqq. maluere, *allicit facitque.*

15. *Juſtitia ac liberalitas id maxime efficit.*] Ferrem ſi delerentur illa, *id*, & *efficit*; tanquam gloſſatoris additamentum.

16. *Ut unus fiat è pluribus.*] Præpoſuerim Palatini primi exemplaris ſcripturam *unum.*

17. *Ultro citrò, datis acceptis: quæ & mutua.*] Ita liquidò ſcriptus liber, neque aliter divinarat Langius. Donatus ad hoc Terentii: *poſtulo ut mihi tua domus te abſente præſente pateat.* Proverbiale eſt, *abſente præſente: ut ſurſum deorſum, ultro citro*, & cetera hujuſmodi; *fanda infanda, juſta injuſta, velit nolit.* Gulielmius.

18. *Nulla gravior, nulla carior.*] Vulgg. *gratior.* ſed altera lectio conſpicitur in editione Romana prima, in M. F. D. I. ac Langianis; denique Pal. ſec.

19. *Perfugium.*] Pall. & F. item edd. primæ *profugium.* nec aliter Victorii impreſſio; neque video cur non debeat recipi.

20. *In amicitiis vigent maximè: eſtque ea jucund.*] Sic vett. edd. & mſſ. omnes. niſi quod Palatino pr. abſit vox *maximè*. Gulielmius monuit in Hittorpiano correctum ab eadem manu; *in amicitiis vigent: maximeque eſt ea jucund.* idque amplectitur. vulgati nuper *in amicis.*

21. *In fructibus percipiendis.*] Sic edd. omnes vetuſtæ, ſic Pall. M. F. D. deincipes maluerunt *frugibus.*

 1. Con-

ſunt in omni officio: [1] & conſuetudo, exercitatioque capienda, ut boni *ratiocinatores* officiorum eſſe poſſimus, [2] & addendo, deducendoque videre, quæ reliqui ſumma fiat: ex quo, quantum cuique debeatur, intelligas. Sed ut nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quidquam magna laude dignum ſine uſu, & exercitatione conſequi poſſunt: ſic officii conſervandi præcepta [3] traduntur illa quidem, ut facimus ipſi: ſed rei magnitudo uſum quoque exercitationemque deſiderat. Atque ab iis rebus, quæ ſunt in jure ſocietatis humanæ; quemadmodum ducatur honeſtum, [4] ex quo aptum eſt officium, ſatis fere diximus.

Intelligendum eſt autem, cùm propoſita ſint genera quattuor, è quibus honeſtas, officiumque manaret, ſplendidiſſimum videri, quod animo magno, elatoque, humanaſque res deſpiciente factum ſit. Itaque in probris maximè in promtu eſt, ſi quid tale dici poteſt:

Vos etenim juvenes, [5] animum geritis muliebrem;
Illa virago viri.

Et ſi quid ejuſmodi:

[6] *Salmacida ſpolia, ſine ſudore & ſanguine.*

Contraque in laudibus, quæ magno animo, & fortiter, excellenterque geſta ſunt, ea neſcio quomodo quaſi pleniore ore laudamus. Hinc rhetorum campus de Marathone, Salamine, Platæis, Thermopylis, [7] Leuctris. hinc noſter Cocles, hinc Decii, hinc Cnæus, & publius Scipiones, hinc M. Marcellus, innumerabileſque alii: maximeque ipſe populus Romanus animi magnitudine excellit. Declaratur autem ſtudium bellicæ gloriæ, quod ſtatuas quoque videmus ornatu ferè militari. Sed ea animi elatio, quæ cernitur in periculis, & laboribus, ſi juſtitia vacat, pugnatque non pro ſalute communi, ſed pro ſuis commodis, in vitio eſt. non enim modò id virtutis non eſt, ſed potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis. Itaque probè definitur à Stoicis FORTITUDO, cùm eam, virtutem eſſe dicunt propugnantem pro æquitate. Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam conſecutus eſt, inſidiis, & malitia laudem eſt adeptus. nihil enim honeſtum eſſe poteſt, quod juſtitia vacat. Præclarum igitur Platonis illud. *Non ſolùm*, inquit, *ſcientia, quæ eſt remota à juſtitia, calliditas potius, quàm ſapientia eſt appellanda: verum etiam animus paratus ad periculum, ſi ſua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciæ potius nomen habeat, quàm fortitudinis.* Itaque [8] viros forteis, magnanimos, eoſdem bonos, & ſimpliceis, veritatis amicos, minimeque fallaceis eſſe volumus:

19

quæ ſunt ex media laude juſtitiæ. Sed illud odioſum eſt, quod in hac elatione, & magnitudine animi, facillimè pertinacia, & nimia cupiditas principatus innaſcitur. Ut enim apud Platonem eſt, *omnem morem Lacedæmoniorum, inflammatum eſſe cupiditate vincendi* ſic, ut quiſque animi magnitudine maximè excellit, ita maxime vult princeps omnium, vel potiùs ſolus eſſe. DIFFICILE autem eſt, cum præſtare omnibus concupieris, ſervare æquitatem, quæ eſt juſtitiæ maximè propria. Ex quo fit, ut neque diſceptatione vinci ſe, nec ullo publico, ac legitimo jure patiantur. exſiſtuntque in rep. plerumque largitores, & factioſi, ut opes quàm maximas conſequantur, & ſint vi potiùs ſuperiores, quàm juſtitia pares. Sed quo difficilius, hoc præclarius. nullum eſt enim tempus, quod juſtitia vacare debeat. FORTES igitur, & magnanimi ſunt habendi, non qui faciunt, ſed qui propulſant injuriam. Vera autem, & ſapiens animi magnitudo, honeſtum illud, quod maximè natura ſequitur, in factis poſitum, non in gloria judicat: principemque ſe eſſe mavult, quàm videri. [9] Etenim qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris non eſt habendus. Facillimè autem ad res injuſtas impellitur, [10] ut quiſque eſt altiſſimo animo, & gloriæ cupiditate: qui locus eſt ſane lubricus, quod vix invenitur, qui, laboribus ſuſceptis, periculiſque aditis, non quaſi *mercedem* rerum geſtarum deſideret gloriam.

Omnino fortis animus, & magnus, duabus rebus maximè cernitur: quarum una in rerum externarum deſpicientia ponitur, cùm perſuaſum ſit, nihil hominem, niſi quod honeſtum, decorumque ſit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere: nullique neque homini, neque perturbationi animi, nec fortunæ ſuccumbere. Altera eſt res, ut, cùm ita ſis affectus animo, ut ſuprà dixi, res geras magnas illas quidem, & maximè utileis, [11] ſed & vehementer arduas, plenaſque laborum, & periculorum, [12] tum vitæ, tum multarum aliarum rerum, quæ ad vitam pertinent. Harum rerum duarum ſplendor omnis, & amplitudo, addo etiam utilitatem, in poſteriore eſt: cauſa autem, & ratio efficiens magnos viros, eſt in priore. in eo enim eſt illud, quod excellenteis animos, & *humana contemnenteis* facit. Id autem ipſum cernitur in duobus, ſi & ſolum id, quod honeſtum ſit, bonum judices, & omni animi perturbatione liber ſis. nam & ea, quæ eximia pleriſque & præclara videntur, parva ducere: eaque ratione ſtabili, firmaque contemnere, fortis animi, magnique ducendum eſt: & ea, quæ videntur acerba: [13] quæ multa, & varia in hominum vita, fortunaque

20

1. *Conſuetudo exercitatioque capienda.*] Nihil temerè mutandum: ſed venuſtius fortaſſe ſit *facienda*; idque malim quam quod viri docti excogitarunt, *adhibenda.* nimium recedentes à veſtigiis ſcripturæ veteris. Gulielmius.

2. *Et addendo deducendoque.*] Sic Pal. prim. & mſſ. ferè omnes, niſi quod ſecund. D. M. *du endoque*, in quam vocem inclinabat Gulielmius; ut & ante ipſum Langius.

3. *Traduntur illa quidem, ut fa imus ipſi.*] Ita ſcripſi, Langium & mſſ. meos ſecutus. antea erat *fa iamus*, ineptè, *facimus*, in his libris ſcilicet, quibus officiorum ſervandorum præcepta tradit. Gulielmius.

4. *Ex quo aptum eſt officium.*] Haud ſecus Aldi nepotis editio, firmatque Palat. ſec. M. F. D. alluduntque edd. exoletæ, in quibus *actum*, non *ortum*, ut deinde publicati. Sic *apta pinnis* poëta vetus. *Aptus* ab *apiſcor*, quo multi veterum uſi; in illis Livius lib. IV. *& non prædicitur ſpes plebeio quoque, ſi dignus ſit, apiſcendi ſummi honoris.* Ibidem: *Ut patricios deſperatio primùm irritata plebi apiſcendi honoris, &c. deterreret.* ita optimum fragmentum Colon. in vulgatis utrobique *adipiſcendi*, male. Gulielmius.

5. *Animum geritis muliebrem; illa virago viri.*] Revocavi lectionem primam editionis Romanæ, quam ſtabiliunt Palatin. pr. aliorumque ſcripti. neque aliter Victorius aut Lambinus. intermediis placuit, *animos geritis muliebres, Illaque virgo viri.*

6. *Salmacida ſpolia, ſine ſudore & ſanguine.*] Sic Palat. M.F.D.V. *Salmacida* ἀγρευμα Gloſſarium. captura enim marina, venatione eſt faciliore; utpote ἀναιμωτὶ καὶ ἀκονιτὶ; cum illa ſit & pulverulenta & cruenta. quod præclare ut omnia, notavit Scaliger ad Auſonium & Feſtum. Ut autem à *Salmaci Salmacidus*, ita fere inflexit M. Tullius a *Threce Threcidica*, Philippica III. Gulielmius.

7. *Leuctris. hinc noſter Cocles, hinc Decii.*] Ita εὐστόχως Petrus Balduinus; proxime veſtigiis ſcripturæ veteris, quæ eſt, *Leuctris, Stercocles, hinc Decii*; aut *Stercodes*. Langius maluit, *Leuctris, Strato: hinc noſter Cocles* ſed recedit a libris longius. Gulielmius. Parrhaſius, dudum indicarat in libro de Quæſitis per epiſtolam, *Leuctris. hinc ſunt Cocles, hinc Decii*, quæ lectio nec aſpernanda.

8. *Viros fortes, magnanimos.*] Copulam delevit Gulielmius è mſſ. ſuis, quæ nec in Palatt. aut editionibus primis.

9. *Etenim qui ex errore, &c.*] Hæc periodus in vetuſto M. dimidiata ſolum legitur, hoc vultu: *eſt enim qui ex errore imperitæ multitudinis pendet* ceteris omiſſis. Gulielmius.

10. *Ut quiſque eſt altiſſimo animo & gloriæ cupiditate.*] Sic ferè mſſ. noſtri, ſic aliorum prope omnes, non *cupido*, quod ne in primis quidem extat editionibus. At Lamb. Latinè ſic dici negat: a quo diſſentio. *altiſſimo*, utrumque συλληπτικῶς comprehendit, & *animum*, & *cupiditatem gloriæ.* ſic Gulielmius. ſed enim cùm Anemæcius prodiderit, extare in mſ. Auguſtano, *& gloria, & cupiditate*, quærendum an non ea lectio potior adhuc ſit priore. utpote quæ duabus quaſi alis inſtruat altiſſimum illum animum. Pal. ſecund. præfert *altiſſimo, ex gloriæ cup.*

11. *Sed & vehementer arduas.*] Sic Pal. pr. alluduntque edd. vetuſtiſſ. in quibus, *ut*, & in mſſ. M. F. Palatin. ſec. *ſed ut veh.*

12. *Tum vitæ, tum multarum aliarum rerum, &c.*] Sic M. F. & Lambinian. niſi quod M. F. item D. abſit adhuc vox *aliarum.* Pal. pr. oſtentat, *tum vitæ tum aliarum cauſa rerum, &c.* & verò ſi mei foret arbitratus, *tum vitæ, tum aliarum rerum, &c*

13. *Quæ multa & varia.*] M. *quæ inulta & alia*; Adjecto tamen manu eadem *varia.* lego; *inulta & varia.* impunè, inquit & multis modis graſſatur in vitam humanam fortuna. Gulielmius.

1. *Quam-*

tunaque verſantur: ita ferre, ut nihil à ſtatu naturæ diſcedas, nihil à dignitate ſapientis, robuſti animi eſt, magnæque conſtantiæ. Non eſt autem conſentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate: nec, qui invictum ſe à labore præſtiterit, vinci à voluptate. [1] Quamobrem & hæc videnda; & pecuniæ fugienda cupiditas: nihil enim eſt tam anguſti animi, tamque parvi, quàm amare divitias: nihil honeſtius, magnificentiuſque, quàm pecuniam contemnere, ſi non habeas: ſi habeas, [2] ad beneficientiam, liberalitatemque conferre. Cavenda eſt etiam gloriæ cupiditas, ut ſupra dixi. Eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet eſſe contentio. Nec verò imperia expetenda, [3] ac potius aut *non accipienda* interdum, aut deponenda nonnumquam. Vacandum autem eſt omni animi perturbatione, tum cupiditate, & metu, tum etiam ægritudine, & voluptate animi, & iracundia; ut tranquillitas & ſecuritas adſit, quæ affert cum conſtantiam, tum etiam dignitatem. Multi autem & ſunt, & fuerunt, qui eam, quam dico, tranquillitatem expetentes, à negotiis publicis ſe [4] removerint, ad *otiumque* perfugerint. In his & nobiliſſimi philoſophi, longeque principes, & quidam homines ſeveri, & graves, [5] nec populi, nec principum mores ferre potuerunt: vixeruntque nonnulli in agris, delectati re ſua familiari. His idem propoſitum fuit, quod regibus, ut ne qua re egerent, ne cui parerent, *libertate uterentur:* cujus
21 proprium eſt, ſic vivere, ut velis. Quare, cùm hoc commune ſit potentiæ cupidorum cum iis, quod dixi, otioſis: alteri ſe adipiſci id poſſe arbitrantur, ſi opes magnas habeant: alteri, ſi contenti ſint & ſuo, & parvo. in quo neutrorum omnino contemnenda eſt ſententia: ſed & facilior, & tutior, & minus aliis gravis, aut moleſta vita eſt otioſorum: fructuoſior autem hominum generi, & ad claritatem, amplitudinemque aptior eorum, qui ſe ad remp. & ad res magnas gerendas accommodaverunt. Quapropter & iis forſitan concedendum ſit, remp. non capeſſentibus, qui [6] excellenti ingenio, doctrinæ ſeſe dediderunt: & iis, qui aut valitudinis imbecillitate, aut aliqua graviore cauſa impediti, à repub. receſſerunt, cùm ejus adminiſtrandæ poteſtatem aliis, laudemque concederent. [7] Quibus autem talis nulla eſt cauſa, ſi deſpicere ſe dicant ea, quæ plerique mirentur, imperia, & magiſtratus, iis non modo non laudi, verùm etiam vitio dandum puto. Quorum judicium in eo, quod gloriam contemnant, & pro nihilo putent, difficile factu eſt non probare: ſed videntur labores, & moleſtias, [8] tum offenſionum, tum repulſarum, quaſi quandam ignominiam timere, & infamiam. Sunt enim, qui in rebus contrariis parum ſibi conſtent: voluptatem ſeveriſſimè contemnant, in dolore ſint molliores: gloriam negligant, frangantur infamia: atque ea quidem non ſatis conſtanter. SED IIS, qui habent à natura adjumenta rerum gerendarum, abjecta omni cunctatione, [9] adipiſcendi magiſtratus, & gerenda reſp. eſt. nec enim aliter aut regi civitas, aut declarari animi magnitudo poteſt. Capeſſentibus autem remp. nihilo minùs, quàm philoſophis, haud ſcio an magis etiam, & magnificentia, & deſpicientia adhibenda ſit rerum humanarum, quam ſæpe dico, & tranquillitas animi, atque ſecuritas: ſi quidem nec anxii futuri ſunt, & cum gravitate, conſtantiaque victuri. Quæ eo faciliora ſunt philoſophis, quo minùs multa patent in eorum vita, quæ fortuna feriat, & quo minùs multis rebus egent: & quia, ſi quid adverſi eveniat, tam graviter cadere non poſſunt. Quocirca non ſine cauſa majores motus animorum concitantur, [10] majoraque efficienda, remp. gerentibus, quàm quietis. quo magis his & magnitudo animi eſt adhibenda, & vacuitas ab angoribus. Ad rem gerendam autem qui accedit, caveat, ne id modò conſideret, quàm illa res honeſta ſit: ſed etiam, ut habeat *efficiendi facultatem.* in quo ipſo conſiderandum eſt, ne aut temerè deſperet, propter ignaviam: aut nimis confidat, propter cupiditatem. In omnibus autem negotiis, priùs, quam aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens.

Sed cum plerique arbitrentur res bellicas majores eſſe, 22
quam urbanas: minuenda eſt hæc opinio. multi enim bella ſæpe quæſierunt propter gloriæ cupiditatem: atque id in magnis animis, ingeniiſque plerumque contingit: eoque magis, ſi ſunt ad rem militarem apti, & cupidi bellorum gerendorum. Verè autem ſi volumus judicare, multæ res exſtiterunt urbanæ majores, clarioreſque, quàm *bellicæ*. Quamvis enim Themiſtocles jure laudetur, & ſit ejus nomen, quàm Solonis, illuſtrius, citeturque Salamis clariſſimæ teſtis victoriæ, quæ anteponatur conſilio Solonis, ei, quo primùm conſtituit Areopagitas: non minùs præclarum hoc, quàm illud, judicandum eſt. illud enim ſemel profuit, hoc ſemper proderit civitati: hoc conſilio leges Athenienſium, hoc majorum inſtituta ſervantur. Et Themiſtocles quidem nihil dixerit, in quo ipſe Areopagum adjuverit: [11] at ille adjuvit Themiſtoclem. Eſt enim bellum geſtum conſilio ſenatus ejus, qui à Solone erat conſtitutus. Licet eadem de Pauſania, Lyſandroque dicere: [12] quorum rebus geſtis quamquam imperium Lacedæmoniis putatur, tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus, & diſciplinæ conferendi ſunt. Quinetiam ob has ipſas cauſas [13] & parentiores habuerunt exercitus, & fortiores. Mihi quidem neque pueris nobis, M. Scaurus C. Mario, neque cùm

---

1. *Quamobrem & hæc videnda, &, &c.*] Sic M. P. D. item Palat. vulgo eſt, *ſunt vitanda.*

2. *Ad beneficientiam.*] Ita & hoc loco Palatin. &. M. F. probatque Gulielmius.

3. *At potius aut non accipienda interdum, aut reponenda nonnunquam.*] Brevius Romana editio prima, *at potius non accipienda, aut deponenda nonnunquam.* M. reliqua retinet, ſolumque excludit vocem poſtremam, ſcribitque, *aut non deponenda.* quod neſcio cui Politico ſaliviam movebit.

4. *Removerint ad otiumque perfugerint.*] Haud aliter Pal. pr. & Gulielmii M. F. V. D. C. editioque Romana princeps, & Victoriana. alii maluere, *removerunt*, & *perfugerunt*. Palat. præterea ſecund. *profugerunt.*

5. *Nec populi nec principum mores ferre potuerunt.*] Gulielmius ejecta ultima voce, ſubſtituebat Langianorum codd. *potentes.* ego utrunque potius removerim, tanquam a ſciolo immiſſum, ignorante *ferre* valere *ferebant.*

6. *Excellenti ingenio, doctrinæ ſe dediderunt.*] Sic mſſ. omnes, ſic edd. vetuſtiores, etiam Victorii atque Aldi nepotis. ſequiores interjecere otio doctrinæque.

7. *Quibus autem talis nulla eſt cauſa.*] Mſſ. & impreſſi ævi majoris, *ſit cauſa.* forte *fit cauſa.* Plautus Mercatore: *Fit cauſa viro: exigitur matrimonio.* Gulielmius.

8. *Tum offenſionum tum repulſarum.*] M. F. item Carrionis mſ. nec non Palat. *& repulſarum*; quod probabat Gulielmius, tanquam quatuor poneret cauſas, labores, moleſtias, offenſiones, repulſas; quæ multos deterrerent ab adeundis magiſtratibus.

9. *Adipiſcendi magiſtratus, & gerenda, &c.*] Ita concorditer vett. edd. & Pall. treſque è mſſ. Gulielmianis; ſine verbo *ſunt.*

10. *Majoraque efficienda.*] Palatin. ut & M. atque F. *efficienda.* Gulielmius repoſitum ibat ex C. & D. *majorque cura efficiendi.* nam ſolicitudo major urget reip. adminiſtros, quam privatarum rerum curioſos, ut quæ conantur exitu optato concludantur: ſic ille.

11. *At ille adjuvit Themiſtoclem.*] Sic prima editio, Moguntiæ nata; ſic Romana, anni CCCLXXI. neque recedit Palatinus noſter niſi quod voce auctior; *at ille verè adjuvit Th.* erat in Palatin. ſec. & M. *at ille verò ſe adjutum Th.* in F. D. C. *at ille verum eſt eſſe adjutum Th.*

12. *Quorum rebus geſtis quamquam imperium Lacedæmoniis putatur.*] Ita rectum arbitror, deleta voce quæ vulgatos libros obſedit, *dilatatum*; quam neque invenio in M. aut D. & à ſuis abeſſe, permulti dudum meminerunt. *Putare*, æſtimare eſt. In Verrem V. *Si denariis CCCC. cupidinem illum putaſſet.* Ita heic, imperii Spartani magnitudo æſtimatur rebus geſtis Lyſandri & Pauſaniæ. Famil. Epiſt. 15. *Natio hominis me impulit, ut ei rectè putarem.* Terent. Adelphis: *Num id ſibi laudi putat, ſi filium corruperit?* Salluſtius Catilin. de Cethego: *Maximum bonum celeritate putabat.* ita mſ. Gulielm. habetque ſibi quoque faventes Palat. noſtros.

13. *Et parentiores habuerunt exercitus.*] Eſt à Palatin. ut & M. F. D. Gulielmianis, præfertque editio Victorii. aliæ maluerunt *paratiores.* ex iiſdem membranis rurſum ſtatim feci *parvi enim ſunt, &c.* probatum & Turnebo lib. XXVIII. cap. 39.

cùm verſaremur in rep. Qu. Catulus Cn. Pompeio cedere videbatur. Parvi enim ſunt foris arma, niſi eſt conſilium domi. Nec plus Africanus, ſingularis & vir, & imperator, in exſcindenda Numantia reip. profuit, quàm eodem tempore P. Naſica privatus, cùm Ti. Gracchum interemit: quamquam hæc quidem res non ſolum ex domeſtica eſt ratione: [1] attingit etiam bellicam, quoniam vi, manuque confecta eſt: ſed tamen id ipſum geſtum eſt conſilio urbano, ſine exercitu. Illud autem optimum eſt, [2] in quo me invadi ſolere ab improbis, & invidis audio:

Cedant arma togæ, [3] concedat laurea linguæ.

Ut enim alios omittam, nobis remp. gubernantibus, nonne togæ arma ceſſere? neque enim in repub. periculum fuit gravius unquam, [4] nec majus odium. Ita conſiliis, diligentiaque noſtra celeriter de manibus audaciſſimorum civium delapſa arma ipſa ceciderunt. Quæ res igitur geſta umquam in bello tanta? qui triumphus conferendus? Licet enim, Marce fili, apud te gloriari, ad quem & hereditas hujus gloriæ, & factorum imitatio pertinet. Mihi quidem certè vir abundans bellicis laudibus Cn. Pompejus, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret, *fruſtra ſe triumphum tertium deportaturum fuiſſe, niſi meo in remp. beneficio, ubi triumpharet, eſſet habiturus.* Sunt ergo domeſticæ fortitudines non inferiores militaribus: in quibus plus etiam,
23 quàm in his, operæ, ſtudiique ponendum eſt. OMNINO illud honeſtum, quod ex animo excelſo, magnificoque quærimus, animi efficitur, non corporis viribus. Exercendum tamen corpus, & ita afficiendum eſt, ut obedire conſilio, rationique poſſit in exſequendis negotiis, & in labore tolerando. Honeſtum autem id, quod exquirimus, totum eſt poſitum in animi cura, & cogitatione: in quo non minorem utilitatem afferunt, qui togati reip. præſunt, quàm qui bellum gerunt. Itaque eorum conſilio ſæpe aut non ſuſcepta, aut confecta bella ſunt, nonnumquam etiam illata: ut M. Catonis bellum tertium Punicum: in quo etiam *mortui valuit auctoritas.* Quare expetenda quidem magis eſt decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo: ſed cavendum, ne id bellandi magis fuga, quàm utilitatis ratione faciamus. Bellum autem ita ſuſcipiatur, ut nihil aliud, niſi pax, quæſita videatur. [5] FORTIS verò & conſtantis eſt, non perturbari in rebus aſperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur; [6] ſed præſentis animi uti conſilio, nec à ratione diſcedere: quamquam hoc animi, illud etiam ingenii magni eſt, *præcipere cogitatione futura*, [7] & aliquanto antè conſtituere, quid accidere poſſit in utramque partem: &, quid agendum ſit, cùm quid evenerit: nec committere, ut aliquando dicendum ſit, NON PUTARAM. [8] Hæc ſunt opera magni animi, & excelſi, & prudentia, conſilioque fidentis. Temere autem in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, immane quiddam, & beluarum ſimile eſt. [9] ſed cùm tempus, neceſſitaſque poſtulat, decertandum manu eſt, & mors ſervituti, turpitudinique
anteponenda. De evertendis autem, diripiendiſque urbi- 24
bus, [10] valde conſiderandum eſt, NE QUID TEMERE, NE QUID CRUDELITER. idque eſt viri magnanimi, rebus agitatis, punire ſonteis: multitudinem conſervare: in omni fortuna, recta, atque honeſta retinere. Ut enim ſunt, quemadmodum ſuprà dixi, qui urbanis rebus bellicas anteponant: ſic reperies multos, quibus periculoſa, & calida conſilia [11] quietis cogitationibus & ſplendidiora, & majora videantur. Numquam omnino periculi fuga committendum eſt, ut imbelles, timidique videamur. ſed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis ſine cauſa: quo nihil poteſt eſſe ſtultius. Quapropter IN ADEUNDIS periculis conſuetudo imitanda medicorum eſt, [12] qui leviter ægrotanteis leviter curant: gravioribus autem morbis periculoſas curationes, & ancipiteis adhibere coguntur. Quare in tranquillo tempeſtatem adverſam optare, dementis eſt: ſubvenire autem tempeſtati quavis ratione, ſapientis: eoque magis, ſi plus adipiſcare re explicata boni, quàm addubitata mali. Periculoſæ autem rerum actiones partim iis ſunt, qui eas ſuſcipiunt, partim reip. Itemque alii de vita, alii de gloria, & benivolentia civium in diſcrimen vocantur. Promtiores igitur debemus eſſe ad noſtra pericula, quàm ad communia, dimicareque paratiùs de honore, & gloria, quàm de ceteris commodis. Inventi autem multi ſunt, qui non modò pecuniam, ſed vitam etiam profundere *pro patria* parati eſſent: iidem gloriæ jacturam ne minimam quidem facere vellent, ne rep. quidem poſtulante: ut Callicratidas, qui cùm Lacedæmoniorum dux fuiſſet Peloponneſiaco bello, multaque feciſſet egregiè: vertit ad extremum omnia, cùm conſilio non paruit eorum, qui claſſem ab Arginuſſis removendam, nec cum Athenienſibus dimicandum putabant. Quibus ille reſpondit, Lacedæmonios, claſſe illa amiſſa, aliam parare poſſe: ſe fugere ſine ſuo dedecore non poſſe. [13] Atque hæc quidem Lacedæmoniis plaga mediocris: illa peſtifera, qua, cùm Cleombrotus, invidiam timens, temerè cum Epaminonda conflixiſſet, Lacedæmoniorum opes corruerunt. Quanto Qu. Maximus meliùs? de quo Ennius:

[14] Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.
[15] Non ponebat enim rumores ante ſalutem.

Ergo

1. *Attingit etiam bellicam.*] Haud aliter iidem libri quinque; neque abit editio Romana princeps: ſecutuſque eſt Victorius, niſi quod præpoſuerit, *ſed.* aliæ edd. *attingit enim & bellicam.*

2. *In quod invadi ſolere ab improbis.*] Eſt ab iiſdem mſſ. noſtris aliorumque; quibus proximè accedunt primitus vulgati, qui: *in quo invadi.* nam deincipes, *in quo me invadi.*

3. *Concedat laurea linguæ.*] Haud aliter Palat. pr. cuſique avorum ævo. Duo tamen mſſ. quibus uſus Gulielmius & Palat. ſec. volebant *laurea laudi*, quod & probare videbatur: tanquam huc faceret illud pro Cn. Plancio cap. 27. *Ita ſi quam habeo laudem, &c.* ita cap. 13. Bruti: *At vero extra Græciam magna dicendi ſtudia fuere, maximique huic laudi habiti honores, &c.* Et quidem illud laudi invenit etiam in ſuis Turnebus, ſed plures ſunt, ſed plura; qui, quæque militant pro altera ſcriptura.

4. *Nec majus otium.*] Revocavit hanc lectionem primus Paullus Manutius, firmaturque Palat. ſec. M. F. D. prius legebatur nullo idoneo ſenſu, *odio.*

5. *Fortis verò & conſtantis, &c.*] Approbavi conjecturam Suffridi noſtri, qui iſtud *animi*, ejiciendum rectè monuit: idque convincunt ſequentia, & omnes membranæ Langii. Gulielmius. reſtat tamen in Palatt.

6. *Sed præſentis animi uti conſilio.*] M. F. D. E. item Palat. editioque Romana omnium prima, *ſed præſenti animo uti & conſilio*, quod & in contextum recepit Lambinus; exſtabatque alioquin in editione Victorina; invenitque in aliquot ſuis mſſ. Aldus nepos; qui tamen adhæret lectioni alteri.

7. *Et aliquanto ante conſtituere.*] Omnes mſſ. *aliquando*, ut videatur gloſſema ejus quod ſequitur, *ante.* Gulielmius.

8. *Hæc ſunt opera magni animi & excelſi.*] Suavius influit auribus *magni & excelſi animi*, quomodo eſt in Palat. prim.

9. *Sed cum tempus neceſſitaſque poſtulat.*] Vulgati *tempus eſt*; verùm præter Palat. & M. atque F. editioneſque ultimæ originis; neque aliter Victoriana ejuſque traduces.

10. *Valde conſiderandum, ne quid temere, ne quid crudeliter.*] Sic Palat. ſic M. F. D. ejecto primùm voce *illud*, deinde *fiat.* de quo poſtremo, temere libris invecto, dudum conqueſtus fuit Janus Parrhaſius in Quæſitis per epiſtolam.

11. *Quietis cogitationibus & ſplendidiora, &c.*] Ita Palat. pr. niſi quod is tranſpoſita copula, *quietis & cogitationibus ſplendidiora.* Editio Romana prima ut & Palat. ſec. habet, *& quietis & cogitationis ſplend.* quod cùm & offendiſſet in M.F.D. Gulielmius, eidem placuit; ſic tamen, ut præponeret Lambini lectionem, *quietis & cogitatis*; ut hoc opponatur *calidus*, quemadmodum *periculoſis quieta.*

12. *Qui leviter ægrotantes leniter curant.*] Sic Palat. pr. & M. D. item editio Victorii, & Lambini: aliæ enim *leviter.*

13. *Atque hæc quidem Lacedæmoniis plaga mediocris.*] Excluſi vocem *fuit*, quod non exſtaret in Palatin. aut M. F. D. C. qui quatuor poſtremi quod haberent, *de Lacedæmoniis*, Gulielmius τὸ *Lacedæmoniis* auſus fuit delere, tanquam verba illa bina initio oræ adjecta à ſtudioſo, librarii poſtea retuliſſent in textum.

14. *Unus homo nobis.*] Sic primæ edd. ſic Palat. & M. alii tamen libris, *unus qui nobis.* malè tamen; ſi & Macrobium audias, & haud paullò meliorem teſtem, T. Livium hiſtor. lib. xxx. cap. 26.

15. *Non ponebat enim rumores.*] O. l. Langii & Pal. & M. F. D. *Non enim ponebat.* legebat Gulielmius, *non eni ponebat.* veteres quippe *eni* dixiſſe quod nos *enim* enunciamus.

1. Ut

Ergo poſtque, magiſque viri nunc gloria claret.

Quod genus peccandi vitandum eſt etiam in rebus urbanis. Sunt enim, qui, quod ſentiunt, etſi optimum ſit, tamen
25 invidiæ metu non audent dicere. Omnino qui reipub. præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant: *Vnum, ut utilitatem civium ſic tueantur,* [1] *ut quæcunque agunt, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum: alterum, ut totum corpus reip. curent: ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant.* Ut enim tutela, ſic procuratio reip. ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt, gerenda eſt. Qui autem parti civium conſulunt, partem negligunt, rem pernicioſiſſimam in civitatem inducunt, ſeditionem, atque diſcordiam: ex quo evenit, ut alii populares, alii ſtudioſi optimi cujuſque videantur, pauci univerſorum. [2] Hinc apud Athenienſeis magnæ diſcordiæ: in noſtra rep. non ſolùm ſeditiones, ſed peſtifera etiam bella civilia: quæ gravis, & fortis civis, & in repub. dignus principatu fugiet, atque oderit: tradetque ſe totum reipub. neque opes, aut potentiam conſectabitur: totamque eam ſic tuebitur, ut omnibus conſulat. Nec verò criminibus falſis in odium aut invidiam quemquam vocabit: omninoque ita juſtitiæ, honeſtatique adhæreſcet, [3] ut, dum ea conſervet, [4] quamvis graviter offendat, mortemque oppetat potiùs, quam deſerat illa, quæ dixi. Miſerrima eſt omnino ambitio, honorumque contentio: de qua præclarè apud eundem eſt Platonem: *Similiter facere eos, qui inter ſe contenderent, uter potiùs remp. adminiſtraret, ut ſi nautæ certarent, quis eorum potiſſimùm gubernaret.* Idemque præcepit, *ut eos adverſarios exiſtimemus,* [5] *qui arma contra ferant: non eos, qui ſuo judicio tueri rempub. velint:* qualis fuit inter P. Africanum, & Qu. Metellum ſine acerbitate diſſenſio. Nec verò audiendi, qui *graviter* [6] *iraſcendum inimicis* putabunt, idque magnanimi, & fortis viri eſſe cenſebunt. Nihil enim laudabilius, nihil magno, & præclaro viro dignius placabilitate, atque clementia. In liberis verò populis, & in juris æquabilitate exercenda, etiam eſt facilitas, & altitudo animi, quæ dicitur: ne, ſi iraſcamur aut intempeſtivè accedentibus, [7] aut impudenter rogantibus, in moroſitatem inutilem, & odioſam incidamus. Et tamen ita probanda eſt manſuetudo, atque clementia, ut adhibeatur, reip. cauſa, ſeveritas, ſine qua adminiſtrari civitas non poteſt. OMNIS autem & animadverſio, & caſtigatio, contumelia vacare debet: neque ad ejus, qui punit aliquem, aut verbis caſtigat, ſed ad reipub. utilitatem referri. Cavendum eſt etiam, ne major pœna, quàm culpa ſit: & ne iiſdem de cauſis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. Prohibenda autem maximè eſt ira in puniendo. numquam enim, iratus qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ eſt inter nimium & parum; quæ placet Peripateticis: & rectè placet, modò ne laudarent iracundiam, & dicerent utiliter à natura datam. Illa verò omnibus in rebus repudianda eſt: OPTANDUMQUE UT II, qui præſunt reip. legum ſimiles ſint, quæ ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur.

Atque etiam in rebus proſperis, & ad voluntatem no- 26
ſtram fluentibus, ſuperbiam, faſtidium, arrogantiamque magnopere fugiamus. nam ut adverſas res, ſic ſecundas immoderatè ferre, levitatis eſt: præclaraque eſt æquabilitas in omni vita, & idem ſemper vultus, eademque frons, ut de Socrate, item de C. Lælio accepimus. Philippum quidem Macedonum regem, rebus geſtis, & gloria ſuperatum à filio: facilitate & humanitate video ſuperiorem fuiſſe. Itaque alter ſemper magnus, alter ſæpe turpiſſimus fuit: ut rectè præcipere videantur, qui monent, ut quanto ſuperiores ſumus, tanto nos geramus ſummiſſiùs. Panætius quidem Africanum auditorem, & familiarem ſuum ſolitum ait dicere, ut equos [8] propter crebras contentiones præliorum ferocitate exſultanteis, domitoribus tradere ſoleant, ut his facilioribus poſſint uti: ſic homines ſecundis rebus effrenatos, [9] ſibique præfidenteis, tamquam in *gyrum* rationis, & doctrinæ duci oportere, [10] ut perſpicerent rerum humanarum imbecillitatem, varietatemque fortunæ. Atque ETIAM IN SECUNDISSIMIS rebus maximè eſt utendum conſilio amicorum, hiſque major etiam, quàm antè, tribuenda auctoritas. iiſdemque temporibus cavendum eſt, [11] ne aſſentatoribus patefaciamus aureis, nec adulari nos ſinamus: in quo falli facile eſt. TALEIS enim nos eſſe putamus, ut jure laudemur. ex quo naſcuntur innumerabilia peccata, cùm homines inflati opinionibus, turpiter irridentur, & in maximis verſantur erroribus. Sed hæc quidem hactenus. Illud autem ſic eſt judicandum, *maximas geri res,* & maximi animi ab iis, qui reſp. regant, quod earum adminiſtratio latiſſimè pateat, ad plurimoſque pertineat. Eſſe autem magni animi, & fuiſſe multos etiam in vita otioſa, qui aut inveſtigarent, aut conarentur magna quædam, ſeſeque ſuarum rerum finibus continerent: aut interjecti inter philoſophos, & eos, qui remp. adminiſtrarent, delectarentur re ſua familiari, non eam quidem omni ratione exaggerantes, neque excludentes ab ejus uſu ſuos: potiuſque & amicis impartientes, & reip. ſi quando uſus eſſet. quæ primùm bene parata ſit, nullo neque turpi quæſtu, neque odioſo: tum quàm plurimis, modò dignis, ſe utilem præbeat: deinde augeatur ratione, diligentia, parſimonia: nec libidini *potiùs* luxuriæque, quàm liberalitati [12] & beneficientiæ pateat. Hæc præſcripta ſervantem licet magnificè, graviter, animoſeque vivere, atque etiam ſimpliciter, fideliter, vitæque hominum amicè. Sequitur, 27
ut de una reliqua parte honeſtatis dicendum ſit: in qua verecundia, & quaſi quidam ornatus vitæ, temperantia, & modeſtia, omniſque ſedatio perturbationum animi, & rerum modus cernitur. Hoc loco continetur id, quod dici Latinè decorum poteſt: Græcè enim πρέπον dicitur. Hujus vis ea eſt, ut ab honeſto non queat ſeparari. Nam ET QUOD DECET, honeſtum eſt: & quod honeſtum eſt, decet. Qualis autem differentia ſit honeſti, & decori, faciliùs intelligi, quàm explanari poteſt. quidquid eſt enim quod deceat; id tum appâret, cùm antegreſſa eſt honeſtas. Itaque non ſolum in hac parte honeſtatis, de qua hoc loco diſſerendum eſt, ſed etiam in tribus ſuperioribus, quid deceat,

1. *Ut quæcunque agunt.*] Sic mſſ. omnia, non *quidquid.*

2. *Hinc apud Ath. magnæ diſcordiæ.*] Addiderant alii *ortæ*, quod non eſt in membranis Palatin. aut M. F. D. imo ne quidem in editione Romana prima.

3. *Ut dum ea conſervet.*] Eſt ab iiſdem libris. vulgati enim *eam.*

4. *Quamvis graviter offendat, mortemque oppetat.*] Pall. non habent encliticam *que*, quo ipſo alius ſenſus induceretur ſententiæ.

5. *Qui arma contra ferant.*] Liber M. *conferant.* non malè: ſed illo modo alibi loquitur. Gulielmius.

6. *Iraſcendum inimicis putabant, &c. eſſe cenſebunt.*] Revocavi lectionem Victorianæ editionis, quæ & in Romana anni CCCC LXXI. item Palat. prim. & M. F. D. E. ſequentes invexere, *putant*, & *cenſent.* Palatin. ſecund. præfert, *putabant, &c. viri cenſebitur.*

7. *Impudenter rogantibus.*] Haud aliter Victorii, Aldi nepotis, Lambinique editio; reſtatque in Palatin. & M. F. præpoſuere alii *imprudenter.*

8. *Propter crebras contentiones præliorum.*] Vereor ne ſub his verbis ulcus lateat occultius. nam Palatin. ſecund. *cont. plerumque præliorum.*

9. *Sibique præſidentes.*] Ita mſſ. noſtri, præter D. in quo *præfidentes.*

10. *Ut perſpicerent rerum humanarum.*] Erfurdienſe exemplar *proſpicerent.*

11. *Ne aſſentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos ſinamus.*] F. *aſſentationi.* non malè, ſi accederet præterea aliorum codd. auctoritas. ceterùm diſpiciant otii ſolutioris homines, num, *nec adulari nos ſinamus*, haberi poſſit pro interpretamento verborum præcedentium. certe Palatin. ſecund. habet, *ne adula.*

12. *Et beneficientia pateat.*] Veteres libri plerique omnes *pateat*, quod planè genuinum eſt. parent enim opes virtutibus aut vitiis, cum horum adminiſtræ ſunt, & quidam veluti apparitores. Probant tamen quod vulgantur ea quæ ſequuntur lib. [illegible] *renda benignitas, ut pateat omnibus.* Gulielmius.

ceat, appáret. nam & ratione uti, atque oratione prudenter, & agere quod agas, conſideratè: omnique in re quid ſit veri, videre; & tueri decet: contraque falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quàm delirare, & mente eſſe captum & juſta omnia, decóra ſunt: injuſta contrà, ut turpia, ſic indecora. Similis eſt ratio fortitudinis quod enim viriliter, animoque magno fit, id dignum viro, & decorum videtur: quod contra, id ut turpe, ſic indecorum. Quare pertinet quidem ad omnem honeſtatem hoc, quod dico, decorum: & ita pertinet, ut non recondita quadam ratione cernatur, ſed ſit in promptu. eſt enim quiddam, idque intelligitur in omni virtute, quod deceat: quod cogitatione magis a virtute poteſt, quam re ſeparari. UT VENUSTAS, & pulcritudo corporis ſecerni non poteſt à valitudine: ſic hoc, de quo loquimur, decorum, totum illud quidem eſt cum virtute confuſum: ſed mente, & cogitatione diſtinguitur. Eſt autem ejus deſcriptio duplex. nam & generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honeſtate verſatur: & aliud huic ſubjectum, quod pertinet ad ſingulas parteis honeſtatis. Atque illud ſuperius ſic ferè definiri ſolet: *Decorum* id eſſe, quod conſentaneum ſit hominis excellentiæ, in eo, in quo natura ejus à reliquis animantibus differat. Quæ autem pars ſubjecta generi eſt, eam ſic definiunt, ut id decorum eſſe velint, quod ita naturæ conſentaneum ſit, ut in eo moderatio, & temperantia appareat
28 cum ſpecie quadam liberali. [1] Hæc ita intelligi, exiſtimare poſſumus ex eo decoro, [2] quod Poëtæ ſequuntur: de quo alio loco plura dici ſolent. Sed tum ſervare illud poëtas dicimus, quod deceat, cùm id, quod quaque perſona dignum eſt, & fit, & dicitur. ut, ſi Æacus, aut Minos diceret,

Oderint dum metuant: ----- aut,

[3] *Natis ſepulcro ipſe eſt parens:*

indecorum videretur: quod eos fuiſſe juſtos accepimus. at Atreo dicente, plauſus excitantur. eſt enim digna perſona oratio. Sed poëtæ quid quemque deceat, ex perſona judicabunt. nobis autem perſonam impoſuit ipſa natura, magna cum excellentia, præſtantiaque animantium reliquarum. Quocirca poëtæ in magna varietate perſonarum, etiam vitioſis quid conveniat, & quid deceat, videbunt: nobis autem cùm à natura conſtantiæ, moderationis, temperantiæ, verecundiæ partes datæ ſint: cumque eadem natura doceat non negligere, quemadmodum nos adverſus homines geramus: efficitur, ut & illud, quod ad omnem honeſtatem pertinet, decorum, quàm latè fuſum ſit, appareat: & hoc, quod ſpectatur in unoquoque genere virtutis. Ut enim PULCRITUDO corporis apta compoſitione membrorum movet oculos, & delectat hoc ipſo, quòd inter ſe omnes partes cum quodam lepôre conſentiunt: ſic hoc decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuscum vivitur, ordine, & conſtantia, & moderatione dictorum omnium, atque factorum. Adhibenda eſt igitur quædam reverentia adverſus homines, & optimi cujuſque, & reliquorum. nam negligere quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolum arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti. Eſt autem quod differat, in hominum ratione habenda, inter juſtitiam, & verecundiam. Juſtitiæ partes ſunt, non violare homines: Verecundiæ, non offendere: in quo maximè perſpicitur vis decori. His igitur expoſitis, quale ſit id, quod decere dicimus, intellectum puto. Officium autem, quod ab eo ducitur, hanc primùm habet viam, quæ deducit ad convenientiam, conſervationemque *naturæ:* quam ſi ſequemur ducem, numquam aberrabimus: [4] ſequemurque & id, quod acutum, & perſpicax natura eſt: & id, quod [5] ad hominum conſociationem accommodatum: & id, quod vehemens atque forte. Sed maxima vis decori in hac ineſt parte, de qua diſputamus. neque enim ſolùm corporis, qui ad naturam apti ſunt, ſed multo etiam magis, animi motus probandi, qui item ad naturam accommodati ſunt. Duplex eſt enim vis animorum, atque naturæ: una pars in *appetitu* poſita eſt, quæ eſt ὁρμὴ Græcè, quæ hominem huc, & illuc rapit: altera in *ratione*, quæ docet, & explanat, [6] quid faciendum, fugiendumque ſit. ita fit, [7] ut ratio præſit, appetitus verò obtemperet. Omnis autem 29
actio vacare debet temeritate, & negligentia: nec verò agere quidquam, cujus non poſſit cauſam probabilem reddere. Hæc eſt enim ferè deſcriptio officii. Efficiendum, autem eſt, ut appetitus rationi obediant, eamque neque præcurrant, nec propter pigritiam, aut ignaviam deſerant: ſintque tranquilli, atque omni perturbatione animi careant. Ex quo elucebit omnis conſtantia, omniſque moderatio. nam qui appetitus longiùs evagantur, & tanquam exſultantes ſive cupiendo, ſive fugiendo, non ſatis à ratione retinentur, hi ſine dubio finem, & modum tranſeunt. relinquunt enim, & abjiciunt obedientiam, nec rationi parent, cui ſunt ſubjecti lege naturæ: à quibus non modò animi perturbantur, ſed etiam corpora. Licet *ora* ipſa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti ſunt, aut voluptate nimia geſtiunt: quorum [8] omnium vultus, voces, motus, ſtatuſque mutantur. Ex quibus illud intelligitur (ut ad officii formam revertamur) appetitus omneis contrahendos, ſedandoſque excitandamque animadverſionem, & diligentiam, ut ne quid temere, ac fortuitu, inconſideratè, negligenterque agamus. NEQUE ENIM ITA generati à natura ſumus, ut ad ludum, & jocum facti eſſe videamur: ſed ad ſeveritatem potiùs, & ad quædam ſtudia graviora, atque majora. Ludo autem & joco, [9] uti illo quidem licet: ſed ſicut [10] ſomno, & quietibus ceteris, tum cùm gravibus, ſeriiſque rebus ſatisfecerimus. Ipſumque genus jocandi non profuſum, nec immodeſtum, ſed ingenuum & facetum eſſe debet. Ut enim, *pueris* non omnem ludendi licentiam damus, ſed eam, quæ ab honeſtis actionibus non ſit aliena: [11] ſic in ipſo joco aliquod probi ingenii lumen eluceat. Duplex omnino eſt *jocandi* genus: unum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum: alterum, elegans, urbanum, ingenioſum, facetum. quo genere non modò Plautus noſter, & Atticorum antiqua comœdia, ſed etiam philoſophorum Socraticorum libri referti ſunt: multaque multorum facetè dicta: ut ea, quæ à ſene Catone collecta ſunt, [12] quæ vocant ἀποφθέγματα.

Faci-

1. *Hæc ita intelligi exiſtimare poſſumus.*] Ita o. l. vett. & rectè. Philoſophicum enim eſt illud intelligi, quod eſt mentis agitatione comprehendi. vulgati, *intelligi à Philoſophis, poſſumus exiſtimare.* Gulielmius.

2. *Quod poëtæ ſequuntur.*] Palatin. pr. *exſecuntur*.

3. *Natis ſepulcro ipſe eſt parens.*] Sic edd. vett. ſecund. ſic mſſ. omnes. ſolum Palatinus habet; *ſatis ſepulcro ipſe*, &c. poſterius vulgati, *Natis ſepulcrum eſt ipſe parens.*

4. *Sequemurque & id.*] Palatin. *conſequemurque.*

5. *Ad hominum conſociationem.*] Ita Lambiniani & F. D. neque aliter Palatin. ſecund. & quidem vetuſte cuſi, placuitque etiam Victorio prima editio, *conſolationem*, ſecunda *conſervationem*. Palatin. prim. ſervat *ſocietatem*, quod & in pleriſque editis.

6. *Quid faciendum fugiendumque ſit.*] F. *quid fugiendum*. Palatin. prim. *fugiendumve ſit.*

7. *Ut ratio præſit, appetitus obtemperet.*] Haud aliter M. F. D. item Palatin. ſed primus præterea habet, *& appetitus obtemperet.* vulgg. *appetitus verò obtemperet.*

8. *Omnium vultus, voces, motus, ſtatuſque mutantur.*] Fabr. codex interſerit *voces, geſtus, motus.* at Palatinus prim. ne quidem habet illud *motus.*

9. *Uti illo quidem licet.*] Eſt à vett. edd. & mſſ. M. F. item Pall. ceteriſque: poſterius cuſi *illis.*

10. *Somno & quietibus ceteris.*] Sic Palatin. & M. F. & omnes Suffridi. quare inducere verbum *quietibus* non ſum auſus. quod tamen ſi quis fecerit, Langii librum vetuſtum & judicium ſecutus, me libente fecerit. Gulielmius.

11. *Sic in ipſo joco aliquid probi ingenii eluceat.*] Auſus ſum ejicere voculam *lumen*, quæ in omnibus paſſim edd. quod priores viderem habere *aliquid*, quod & eſt in M. & F. eſſe *lumen* a gloſſa diſertè indicat Palatinus prim. in quo eſt inter lineas.

12. *Quæ vocant apophthegmata.*] Sic primæ edd. numero tres, ſic M. D. F. & Palatin. non *vocantur*, ut vulgati.

1. *Ac*

Facilis igitur eſt diſtinctio ingenui & illiberalis joci. alter eſt, ſi tempore fit, [1] ac remiſſo animo, homine dignus: alter ne libero quidem, ſi rerum turpitudini adhibetur verborum obſcœnitas. Ludendi etiam eſt quidam *modus* retinendus, [2] ut ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Suppeditant autem & campus noſter, & ſtudia venandi, honeſta exempla
30 ludendi. Sed pertinet ad omnem officii quæſtionem, ſemper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus, [3] reliquiſque beluis antecedat. Illæ nihil ſentiunt, niſi voluptatem, ad eamque feruntur omni impetu: HOMINIS autem mens diſcendo alitur, & cogitando, ſemper aliquid aut anquirit, aut agit, videndique, & audiendi delectatione ducitur. Quinetiam ſi quis eſt paullo ad voluptates propenſior, modò ne ſit ex pecudum genere, (ſunt enim quidam homines non re, ſed nomine) ſed ſi quis eſt paullo erectior, quamvis voluptate capiatur, [4] occultat, & diſſimulat appetitum voluptatis, propter verecundiam. ex quo intelligitur, corporis voluptatem non ſatis eſſe dignam hominis præſtantia, eamque contemni, & rejici oportere. ſin ſit quiſpiam, qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum eſſe ejus fruendæ modum. [5] Itaque victus, cultuſque corporis [6] ad valitudinem referantur, & ad vireis, non ad voluptatem. atque etiam ſi conſiderare volumus, quæ ſit in natura excellentia, & dignitas; intelligemus, quàm ſit turpe, diffluere luxuria, & delicatè ac molliter vivere: quamque honeſtum, parcè, continenter, ſeverè, ſobriè. Intelligendum eſt etiam, duabus quaſi nos à natura indutos eſſe perſonis: quarum una eſt communis, ex eo, quòd omnes, participes ſumus rationis, præſtantiæque ejus, qua antecellimus beſtiis: à qua omne honeſtum, decorumque trahitur, & ex qua ratio inveniendi officii exquiritur: altera autem, quæ propriè ſingulis eſt tributa. Ut enim in corporibus magnæ diſſimilitudines ſunt (alios enim videmus velocitate ad curſum, alios viribus ad luctandum valere: itemque in formis aliis dignitatem ineſſe, aliis venuſtatem) ſic in animis exſiſtunt etiam majores varietates. Erat in L. Craſſo, & in L. Philippo multus lepos: major etiam magiſque de induſtria in C. Cæſare, Lucii filio. At iiſdem temporibus in M. Scauro, & in M. Druſo adoleſcente, ſingularis ſeveritas: in C. Lælio multa hilaritas: in ejus familiari Scipione ambitio major, vita triſtior. De Græcis autem, dulcem, & facetum, feſtivique ſermonis, atque in omni oratione ſimulatorem, [7] quem εἴρωνα Græci nominaverunt, Socratem accepimus: contra, Pythagoram, & Periclem, ſummam auctoritatem conſecutos, ſine ulla hilaritate. Callidum Hannibalem, ex Pœnorum; ex noſtris ducibus Q. Maximum accepimus: facile celare, tacere, diſſimulare, inſidiari, præripere hoſtium conſilia. In quo genere Græci Themiſtoclem, & Pheræum Jaſonem ceteris anteponunt. in primiſque verſutum & callidum factum Solonis: qui, quo & tutior vita ejus eſſet, & plus aliquanto reip. prodeſſet, [8] *furere* ſe ſimulavit. Sunt his alii multum diſpares, ſimplices, & aperti: qui nihil ex occulto, [9] nihil ex inſidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici: itemque alii, qui quidvis perpetiantur, cuivis deſerviant, dum, quod velint, conſequantur: ut Sullam, & M. Craſſum videbamus. quo in genere verſutiſſimum, & patientiſſimum Lacedæmonium Lyſandrum accepimus. contraque Callicratidam, qui præfectus claſſi proximus poſt Lyſandrum fuit. Itemque in ſermonibus [10] alium quemque, quamvis præpotens ſit, efficere, ut unus de multis eſſe videatur. quod in Catulo, & in patre, & in filio: [11] idemque in Q. Mutio Mancia vidimus. Audivi ex majoribus natu hoc idem fuiſſe in P. Scipione Naſica: contraque patrem ejus, illum, qui T. Gracchi conatus perditos vindicavit, nullam comitatem habuiſſe ſermonis: [12] ne Xenocratem quidem, ſeveriſſimum philoſophorum, ob eamque rem ipſam magnum, clarumque fuiſſe. Innumerabiles aliæ diſſimilitudines ſunt naturæ, morumque, minimè tamen vituperandorum. [13] Admodum autem tenenda ſunt ſua 31
cuique, non vitioſa [14] ſed tamen propria, quo faciliùs decorum illud, quod quærimus, retineatur. ſic enim eſt faciendum, ut contra univerſam naturam contendamus: ea tamen conſervata, [15] *propriam naturam*, ſequamur: ut, etiamſi ſint alia graviora, atque meliora, tamen nos ſtudia noſtra, naturæ regula metiamur; [16] neque enim attinet repugnare naturæ, nec quidquam ſequi, quod aſſequi nequeas. Ex quo magis emergit, quale ſit decorum illud, ideo, quia nihil decet [17] *invita* (ut ajunt) *Minerva*, id eſt, adverſante, & repugnante natura. Omnino ſi quidquam eſt decorum,

---

1. *Ac remiſſo animo, homine dignus: alter ne libero quidem.*] Ita primæ edd. item Palat. & M. F. recentiores enim vocibus tranſpoſitis, *libero dignus, alter ne homine quidem*, quod ſequuntur Lambinus, Aldi nepos, aliique; non etiam Victorius aut Gulielmius.

2. *Ut ne nimis omnia profundamus.*] Retinent hanc ſcripturam Gulielmiani codd. ſcripti; neque aliter Palat. videantur caſtigationes Langii ac Suffridi, addaturque locus Ciceronis pro Cœlio, principio capitis 12. nam Gulielmius propendet in Langii, *animo profundamur*.

3. *Reliquiſque belluis antecedat.*] Sic & Palat. nec non M. F. D. editioque Romana princeps. aliæ *beſtiis*, nonnulli etiam *antecellat*. quod improbatum Gulielmio, adducitque verſum Titinnii: *Ubid ambitionem virtuti videas antecedere.*

4. *Occultat & diſſimulat appetitum voluptatis.*] Cùm non agnoſcat M. verbum *voluptatis*, ſuſpicor & alterum *appetitum*, ſcioli quoque eſſe additamentum. Gulielmius contentus fuerat abjeciſſe vocem ultimam.

5. *Itaque victus cultuſque corporis.*] Sic Palatin. nam M. *fructus victuſque*, quod amplectitur Gulielmius, quemadmodum dicitur *fructus, vitæ, libidinum.*

6. *Ad virtutem referantur.*] Palatin. *referatur*. M. F. D. *referat.*

7. *Quem εἴρωνα Græci nominaverunt.*] Poſtrema dictio non eſt in Palatin. prim. & videtur abeſſe poſſe. annotavit Gulielmius non eſſe in Baſilicano has voces quatuor, putatque eſſe poſſe à gloſſemate.

8. *Furere ſe ſimulavit.*] Palatin. prim. non habet pronomen *ſe*, neque eo erat opus.

9. *Nihil ex inſidiis agendum.*] Sic Palatin. prim. verùm edd. priſcæ, item mſſ. M. F. D. Palat. ſecund. de *inſidiis*; probabatque Gulielmius.

10. *Alium quemque, quamvis, &c.*] Ita omnes Langii & M. & F. ſine vocabulo *videmus*. neque aliter editio Romana prima, ut & ſecund. Palatin. nam primus poſitione diverſa, *quemque alium quamvis*. & verò illud *videmus* eſſe a manu correctorum, indicat editio Moguntina anni CCCCLXV. in qua, ejus loco eſt, *alium quemque accepimus*. at enim ſeqq. edd. *alium quidem videmus*. examinanda iſthæc otioſis: qui præterea ſciant licet, in ed. Roman. principe, extare non *itemque*, ſed *itaque*.

11. *Idemque in Qu. Mutio Mancia.*] Sic M. F. D. neque recedunt Palatin. quam quod prim. exhibeat *Q. Muntio Mantia* à qua ſcriptura minimum abeunt edd. priores, in quibus *Q. Mutio Numantio, Numantinove*. nam poſteriores, *Q. Mutio Mancino, Numantino*. videatur Turnebus libro XXIIX. cap. 39.

12. *Ne Xenocratem quidem.*] Eſt a Palatin. prim. item F. & D. neque divertit ed. Romana prima, quam quod adjecta littera, *nec*. poſteriores, *nec non Xenocratem*.

13. *Admodum autem tenenda.*] Sic Palatin. ſic M. F. D. neque aliter aliquot mſſ. Lambini, non *tuenda*, quod eſt quidem in editionum prima, ſed non in ſecunda.

14. *Sed tamen propria.*] Non aliter Palatin. aut Gulielmii. qui conjicit tamen, *ſed tandem propria*. Aldus nepos exhibet *tantum*, quod & in primis edd. omnibus, placueratque Suffrido.

15. *Propriam naturam ſequamur.*] In libris ſcriptis, *noſtram*; ſed ſcripturæ quodam compendio; explicarunt librarii *naturam*. malè. Etiam gloſſema videtur τὸ *propriam*. ſed non mihi animi tantum, ut delere auſim. ſic Gulielmius, & verò Palatin. noſtri habent, nunc *noſtram ſequamur propriam*; nunc *propriam noſtram ſequamur*.

16. *Neque etiam attinet repugnare naturæ.*] M. *atque*. unde mihi ſuſpicio incidit, ſcripſiſſe M. Tullium: *Ad quod enim attinet, repugnare naturæ, & nequicquam ſequi, quod aſſequi nequeas.*

17. *Invita, ut ajunt, Minerva.*] Non conſpiciuntur in M. *ut ajunt*. ceteri mſſ. locant poſt *Minerva*, etiam Palatin. adeò ut videatur exſcriptorum: præſertim cum in exemplari Romano anni CCCC LXVIII. conſpiciatur: *invita Minerva, obſtante ut ajunt, id eſt adverſante, &c.*

1. Quem

eorum, nihil eſt profectò magis, [1] quàm æquabilitas univerſæ vitæ, tum ſingularum actionum: quam conſervare non poſſis, ſi aliorum naturam imiteris, omittas tuam. Ut enim ſermone eo debemus uti, qui notus eſt nobis, ne (ut quidam) Græca verba inculcantes jure optimo irrideamur: ſic in actiones, omnemque vitam nullam diſcrepantiam conferre debemus. Atque hæc differentia naturarum tantam habet vim, ut nonnumquam mortem ſibi ipſe conſciſcere alius debeat, [2] alius in eadem cauſa non debeat. [3] Num enim alia in cauſa M. Cato fuit, alia ceteri, qui ſe in Africa Cæſari tradiderunt? Atqui ceteris forſitan vitio datum eſſet, ſi ſe interemiſſent, propterea quòd eorum vita lenior, & mores fuerant faciliores: [4] Catoni autem cum incredibilem tribuiſſet natura gravitatem, eamque ipſe perpetua conſtantia roboraviſſet, ſemperque in propoſito, ſuſceptoque conſilio permanſiſſet, moriundum potiùs, quàm tyranni [5] *vultus* adſpiciendus fuit. [6] Quàm multa paſſus eſt Ulyſſes in illo errore diuturno, cùm & mulieribus (ſi Circe, & Calypſo, mulieres appellandæ ſunt) inſerviret, & in omni ſermone [7] omnibus affabilem & jucundum ſe eſſe vellet? domi verò etiam contumelias ſervorum, ancillarumque pertulit, ut ad id aliquando, quod cupiebat, perveniret. At Ajax, quo animo traditur, millies oppetere mortem, [8] quàm illa perpeti maluiſſet. quæ contemplanteis expendere oportebit, quid quiſque habeat ſui: eaque moderari, nec velle experiri, quàm ſe aliena deceant. ID ENIM maximè quemque decet, [9] quod eſt cujuſque ſuum maxime. Quiſque igitur noſcat ingenium, acremque ſe & bonorum & vitiorum ſuorum judicem præbeat: ne ſcenici plus, quàm nos, videantur habere prudentiæ. illi enim non optimas, ſed ſibi accommodatiſſimas fabulas eligunt. qui voce freti ſunt, [10] Epigonos, Medumque: qui geſtu, Menalippam, Clytæmneſtram: ſemper Rupilius, quem ego memini, Antiopam: non ſæpè Æſopus Ajacem. Ergo HISTRIO hoc videbit in ſcena, quod non videbit ſapiens in vita? Ad quas igitur res aptiſſimi erimus, in iis potiſſimùm elaborabimus. ſin aliquando neceſſitas nos ad ea detruſerit, quæ noſtri ingenii non erunt: omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea, SI NON decorè, at quàm minimùm indecorè facere poſſimus. Nec tam eſt enitendum, ut bona, [11] quæ nobis data non ſint, ſequamur, quàm ut vitia fugiamus.

32 Ac duabus iis perſonis, quas ſuprà dixi, tertia adjungitur, [12] quam caſus aliquis, vel tempus imponit: quarta etiam, quam nobiſmetipſis judicio noſtro accommodamus. nam regna, imperia, [13] nobilitates, honores, divitiæ, opes, eaque, quæ ſunt his contraria, [14] in caſu ſita, *temporibus* gubernantur. Ipſi autem gerere quam perſonam velimus, à noſtra voluntate proficiſcitur. itaque ſe alii ad philoſophiam, alii ad jus civile, alii ad eloquentiam applicant: ipſarumque virtutum in alia alius mavult excellere. Quorum verò patres, aut majores aliqua gloria præſtiterunt, [15] ii ſtudent plerumque eodem in genere laudis excellere: ut Q. Mucius, P. filius, in jure civili; Pauli filius Africanus in re militari. Quidam autem ad eas laudes, quas à patribus acceperunt, addunt aliquam ſuam: ut hic idem Africanus eloquentia cumulavit bellicam gloriam. quod idem fecit Timotheus, Cononis F. qui, cùm belli laude non inferior fuiſſet, quàm pater: ad eam laudem, doctrinæ, & ingenii gloriam adjecit. Fit autem interdum, ut nonnulli, omiſſa imitatione *majorum*, ſuum quoddam inſtitutum conſequantur: maximèque in eo plerumque elaborant ii, qui magna ſibi proponunt, obſcuris orti majoribus. Hæc igitur omnia, [16] cum quærimus, quid deceat, complecti animo, & cogitatione debemus. In primis autem conſtituendum eſt, quos nos, & quales eſſe velimus, & in quo genere vitæ: quæ deliberatio eſt omnium difficillima. Ineunte enim adoleſcentia, [17] cùm eſt maxima imbecillitas conſilii, tum id ſibi quiſque genus ætatis degendæ conſtituit, quod maximè adamavit. itaque antè implicatur aliquo certo genere, curſuque vivendi, quàm potuit, quod optimum eſſet, judicare. Nam quod Herculem Prodicus dicit (ut eſt apud Xenophontem) *cùm primum pubeſceret* (quod tempus à natura ad deligendum, quam quiſque viam vivendi ſit ingreſſurus, datum eſt) *exiſſe in ſolitudinem, atque ibi ſedentem, diu ſecum, multumque dubitaſſe, cùm duas cerneret vias, unam Voluptatis, alteram Virtutis, utram ingredi melius eſſet.* hoc Herculi [18] Jovis ſatu edito, potuit fortaſſe contingere: nobis non item, qui imitamur, [19] quos cuique viſum eſt, atque ad eorum ſtudia, inſtitutaque impellimur: plerumque autem [20] parentium præceptis imbuti, ad eorum conſuetudinem, moremque deducimur. alii multitudinis judicio feruntur, quæque majori parti pulcherrima videntur, ea maximè exoptant. nonnulli tamen ſive felicitate quadam, ſive bonitate naturæ, ſive parentium diſciplina, rectam vitæ ſecuti ſunt viam. Illud 33
autem maximè rarum genus eſt eorum, [21] qui aut excellente ingenii magnitudine, aut præclara eruditione, atque doctrina,

1. *Quàm æquabilitas.*] Sic Palatin. edd. vetuſtæ, magiſque animo meo ſatisfacit, quàm Petreii *æqualitas*.

2. *Alius in eadem cauſa non debeat.*] Mſ. D. non habet *in eadem cauſa*, fortean non male, inquit Gulielmius. at in eo cardo vertitur totius ſententiæ. itaque minimè profectò id tollendum. nam exſtat in Palat. noſtro, quàm Auguſtano ab Anemæcio excuſſo, deſideratque omninò ſententia Tullii.

3. *Num enim alia in cauſa.*] Sic edd. primæ, neque ſecus Victorius, firmantque mſ. M. F. poſteriores admiſere: *non enim, &c.* quod languidius altero.

4. *Catoni autem cùm incredibilem tribuiſſet natura gravitatem.*] Mſ. M. *fuiſſet natura.* forte, *incredibili fuiſſet naturâ gravitate.* aut magis, *habuiſſe naturâ gravitatem.* Gulielmius.

5. *Vultus aſpiciendus.*] M. *aſpiciendum.* & ita ſupra idem cap. 28. m. *adhibendum eſt igitur quædam reverentia.* Gulielmius.

6. *Quàm multa paſſus eſt Ulyſſes.*] Jubet Gulielmius animadvertamus legi in mſſ. *Ulyxem.* & ſic ſanè Palatt. atque edd. exoletæ.

7. *Omnibus affabilem & jucundum ſe eſſe vellet.*] Revocavi lectionem Victorio publicatam, inventamque in Palatin. prim. atque F. ceteris abeſt illud, *& jucundum.*

8. *Quam illa perpeti maluiſſet.*] Sic quoque editus diligentia Victorii, ejectus *ab alio*, quod reliqui quidem cuſi retinent, ſed abſunt Pall. atque M. & F.

9. *Quod eſt cujuſque maximè ſuum. Quiſque igitur noſcat, &c.*] Ita mei libri: rectè *ſuum cujuſque.* id eſt maximè; in quod natura propendet. ſic Gulielmius. quod placet; hactenus dum illud *ſuum* refectum ab ipſo reponatur mox; *Quiſque igitur noſcat ingenium ſuum.* ſic enim Palatin. noſter; & neſcio quomodo eſt venuſtius.

10. *Epigonos, Medumque.*] Palatin. & F. *Medeamque.* nam M. & D. *Modumque*, quod & in primis edd. placuitque Victorio, Langio, Lambino, & Aldo; nobiſque approbandum, vel ob membranarum conſenſum.

11. *Quæ nobis data non ſint ſequamur.*] Palatin. prim. non habet *nobis*; exhibet verò *aſſequamur*, quod placet; niſi malimus *conſequamur*, quod ex Auguſtano cod. venerandæ antiquitatis olim eruit Anemæcius.

12. *Quàm caſus aliquis aut tempus.*] Sic Palatin. & mſſ. niſi quod præterea M. & D. *aliqui*, quod ſatisfacit Gulielmio, tanquam abjecerit ultimam litteram auctor, dum vitat continuatum ſtridorem ſibili.

13. *Nobilitas, honores, divitiæ.*] Palatin. & M. D. E. *nobilitatem, honores, divitias*; quod torſit Gulielmium.

14. *In caſu ſita.*] Palatin. prim. *ut ſunt caſu.*

15. *Ii ſtudent plerumque eodem in genere laudis excellere.*] Eſt à Palatin. & M. F. D. nec abit editio prima Romana, niſi quod ipſa *eodem in genere.* ſequentes retinuere, *eorumque plerique in hoc genere laudis ſtudent excellere.*

16. *Cùm quærimus quid deceat.*] Ita mſſ. noſtri, ita edd. primæ. poſteriores, *quæ deceant.* quæro quæſo?

17. *Cùm eſt maxima imbecillitas conſilii, tum.*] Sic Pall. & Gulielmiani, primituſque impreſſi Romæ; nam Moguntina editio *cui ineſt maxima*, quod & in Victorii exemplaribus. recentiores enim maluere, cùm *ineſt maxima imb. conſilii, tunc.*

18. *Jovis ſatu edita.*] Vox *edita* non eſt in primis edd quarum Moguntina & Romana ſecunda habent *ſato*, prima vero *ſatu.* & videtur operæ pretium ut ſuper iſto loco alii conſulant membranas vetuſtiores, cùm & Victorius teſtetur libro XVII. cap. 12. *Jovis ſato* tantum reſtare in veterrimo ſuo.

19. *Quos cuique viſum eſt.*] Palatin. prim. *quoſcunque.*

20. *Parentium præceptis.*] Eſt à mſſ. Gulielmii, cui perplacebat, præ vulgato *parentum*, tam heic quàm infra.

21. *Qui aut excellente ingenii magnitudine.*] Pal. noſter pr. *excellentis.*

1. *Ex*

doctrina, aut utraque re ornati, ſpatium etiam deliberandi habuerunt, quem potiſſimum vitæ curſum ſequi vellent: in qua deliberatione ad ſuam cujuſque naturam conſilium eſt omne revocandum. Nam cùm in omnibus, quæ aguntur[1] ex eo modo, quo quiſque natus eſt, (ut ſupra dictum eſt) quid deceat, exquirimus; tum in tota vita conſtituenda, [2] multo eſt rei cura major adhibenda, ut conſtare in vitæ *perpetuitate* poſſimus nobiſmetipſis, nec in ullo officio claudicare. Ad hanc autem rationem quoniam maximam vim natura habet: fortuna proximam: utriuſque omnino ratio habenda eſt in deligendo genere vitæ: ſed naturæ magis. multo enim & firmior eſt, & conſtantior: [3] ut *fortuna* nonnumquam, tamquam ipſa mortalis, cum immortali natura pugnare videatur. Qui igitur ad naturæ ſuæ non vitioſæ genus, [4] conſilium vivendi omne contulerit, is conſtantiam teneat. id enim maximè decet: niſi fortè ſe intellexerit erraſſe in deligendo genere vitæ. Quod ſi acciderit (poteſt autem accidere) [5] facienda morum, inſtitutorumque mutatio eſt. [6] eam mutationem, ſi tempora adjuvabunt, faciliùs, commodiuſque faciemus. ſin minùs: ſenſim erit, pedetentimque facienda: ut amicitias, [7] quæ minùs delectent, & minùs probentur, magis decere cenſent ſapientes [8] ſenſim diſſuere, quàm repentè præcidere. Commutato autem genere vitæ, omni ratione curandum eſt, ut id *bono conſilio* feciſſe videamur. Sed quoniam paullo antè dictum eſt, imitandos eſſe majores: primùm illud exceptum ſit, ne *vitia* ſint imitanda: deinde, ſi natura non feret, ut quædam imitari poſſint, ut ſuperioris Africani filius, qui hunc Paullo natum adoptavit, propter infirmitatem *valitudinis* non tam potuit patris ſimilis eſſe, quàm ille fuerat ſui. Si igitur non poterit ſive cauſas defenſitare, ſive populum concionibus tenere, ſive bella gerere: illa tamen præſtare debebit, quæ erunt in ipſius poteſtate, juſtitiam, fidem, liberalitatem, modeſtiam, temperantiam, quo minùs ab eo id, quod deſit, requiratur. OPTIMA autem hereditas à patribus traditur liberis, omnique patrimonio præſtantior, gloria virtutis, rerumque geſtarum: cui
34 dedecori eſſe, [9] nefas, & vitium judicandum eſt. Et quoniam officia non eadem diſparibus ætatibus tribuuntur, aliaque ſunt juvenum, alia ſeniorum: aliquid etiam de hac diſtinctione dicendum eſt. Eſt igitur *adoleſcentis*, majores natu vereri, exque his deligere optimos, & probatiſſimos, quorum conſilio, atque auctoritate nitatur. Ineuntis enim ÆTATIS inſcitia, ſenum conſtituenda, & regenda prudentia eſt. Maximè autem hæc ætas à *libidinibus* arcenda eſt, exercendaque in labore, patientiaque & animi, & corporis: ut eorum & in bellicis, & civilibus officiis vigeat induſtria. atque etiam cùm relaxare animos, & dare ſe jucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ: quod erit facilius, [10] ſi ejuſmodi quoque rebus majores natu intereſſe velint. Senibus autem labores corporis minuendi, exercitationes *animi* etiam augendæ videntur. danda verò opera, ut & amicos, & juventutem, & maximè rempub. conſilio, & prudentia quàm plurimùm adjuvent. Nihil autem magis cavendum eſt ſenectuti, quàm ne languori ſe, deſidiæque dedat. Luxuria verò cùm omni ætati turpis, tum ſenectuti fœdiſſima eſt. ſin autem libidinum etiam intemperantia acceſſerit, duplex malum eſt, quòd & ipſa ſenectus concipit dedecus, & facit adoleſcentium impudentiorem intemperantiam. Ac ne illud quidem alienum eſt, de magiſtratuum, de privatorum, de civium, de peregrinorum officiis dicere. Eſt igitur proprium munus *magiſtratus*, intelligere, ſe gerere perſonam civitatis, debereque ejus dignitatem, & decus ſuſtinere, ſervare leges, jura deſcribere, ea fidei ſuæ commiſſa meminiſſe. *Privatum* autem oportet æquo, & pari cum civibus jure vivere, neque ſubmiſſum & abjectum, neque ſe efferentem: tum in rep. ea velle, quæ tranquilla, & honeſta ſint. talem enim & ſentire bonum civem, & dicere ſolemus. *Peregrini* autem, & incolæ officium eſt, nihil præter ſuum negotium agere, nihil de alio anquirere, minimeque in aliena eſſe rep. curioſum. Ita ferè officia reperientur, cùm quæretur, quid deceat, & quid aptum ſit perſonis, temporibus, ætatibus. Nihil eſt autem, quod tam deceat, quàm *in omni* re gerenda, conſilioque capiendo ſervare conſtantiam. Sed quo- 35
niam decorum illud in omnibus factis, & dictis, in corporis denique motu, & ſtatu cernitur, idque poſitum eſt in tribus rebus, formoſitate, ordine, ornatu ad actionem [11] apto: difficilius ad eloquendum: ſed ſatis erit intelligi: in his autem tribus continetur cura etiam illa, ut probemur iis quibus-cum, & apud quos vivamus: his quoque de rebus pauca dicantur. Principiò, corporis noſtri magnam *natura* ipſa videtur habuiſſe rationem: quæ formam noſtram, reliquamque figuram, in qua eſſet ſpecies honeſta, eam poſuit in promptu. quæ partes autem corporis ad naturæ neceſſitatem datæ [12] adſpectum eſſent deformem habituræ, atque formam, eas contexit, atque abdidit. Hanc naturæ tam diligentem fabricam imitata eſt hominum verecundia. QUÆ ENIM NATURA occultavit, eadem omnes, qui ſana mente ſunt, removent ab oculis: ipſique neceſſitati

1. *Ex eo modo quo quiſque natus eſt.*] M. F. Palatin. voce tranſpoſita *ex eo quo modo.* at enim avorum ævo impreſſi, *ex eo modo quem quiſque nactus eſt*: quamvis tamen prima omnium editio, *ex eo modo quo quis nactus eſt.*

2. *Multo eſt rei cura major*] F. & C. *ei.* at Palatin. amplius *ejus rei.* editio Romana prima, *multo etiam rei cura major.* videtur Palatina lectio accommodatiſſima: & forſan fuit primitus, *multo ei rei cura major, &c.*

3. *Ut fortuna nonnumquam, tanquam ipſa mortalis.*] Vox *tanquam* non eſt in editione Moguntina prima, aut Romana ſecunda. nam prima exhibet, *conſtantior quàm fortuna. nonnumquam tanquam ipſa mortalis*: quæ diverſitas arguit locum iſtum minus ſanum. præterea M. ſervat, *mortalitas cum mortali in natura.* conſulite libros notæ melioris qui otio abundatis.

4. *Conſilium vivendi.*] Editio prima & Romana ſecunda *conſilium vitæ.* at prior & Palatin. & M. F. D. alteram ſcripturam propugnant, neque aliter Lambinus.

5. *Facienda morum inſtitutorumque mutatio.*] Palatin. non agnoſcit particulam *que*, & neſcio an omnino requiratur.

6. *Eam mutationem.*] Interpoſuerant alii *igitur*, quæ dictio neque in Romana prima, neque Palatin. non magis quam in M. F. D. Gulielmianis. quid quod neque comparet in editione Victorii.

7. *Quæ minus delectent minuſque probentur.*] Mauritianus *probent*; elegantius profectò, inquit Gulielmius.

8. *Senſim diſſuere, quàm repentè præcidere.*] Agnoſcit hanc vocem Palatin. prim. nam ſecund. M. F. D. C. *diluere*, quod & in editionum prima. altera quippe *diſuere.* unde meo judicio natus error. Aliter Turnebus libro XXVIII. capite 39. videatur ſimilis locus in Lælio capite 21.

9. *Nefas & vitium judicandum eſt.*] Vix me continui quin deleto illo *vitium*, intulerim *impium*, quod reperi in Palatino primo, edd. tamen omnes ſtant pro altero.

10. *Si ejuſmodi quoque rebus majores natu inter ſe velint.*] Haud aliter Palat. quàm quod agnoſcant *quidem* loco *quoque* interponantque *in*; denique repræſentent *volent*, vel *volint.* quomodo & M. & D. niſi quod habeat *nolint intereſſe.* quod non diſplicebat Gulielmio, faciebatque, *ſi ne ejuſmodi rebus majores natu nolint intereſſe.* mihi ſimplicius videretur *ſi quidem majores natu volent intereſſe.* ut intermedia acceſſerint ab interpretibus. quam conjecturam ſcio me adprobaturum ſenioribus quibuſcunque. Lambinus edi curavit, *ſi ejuſmodi quoque rebus majores natu non nolint intereſſe.* audacter ſatis, & tanto quidem magis, quod ne lectori quidem id indicarit. Supra quoque ubi eſt hodie, *cum relaxare animos & dare ſe jucunditati volent*, Palatinus prim. reſpuit pronomen *ſe*, neque deſideraverim.

11. *Apto: difficilius ad eloquendum: ſed ſatis erit intelligi.*] Sic Palatin. ſecund. & hujus ævi editiones. nam Victorii, *difficilius eſt ad eloquendum.* Romana anni CCCCLXXI. *difficilibus ad eloquendum rebus; ſed ſatis, &c.* quomodo & Pal. pr. adeo ut mihi dubium non ſit, legendum; *apto, difficilibus ad eloquendum; ſatis erit intelligi*; ut cetera invexerit librariorum ſiniſtra liberalitas. illud autem *difficilibus*, reſpicit *rebus*, quod præceſſit. Non diſplicebat Gulielmio libri unius ſcripti lectio, *difficile eſt ad eloquendum: ſed, &c.*

12. *Aſpectum eſſent deformem habituræ atque formam, eas.*] Sic Pal. ſec. Victorius præterea publicavit, *turpem formam, eas.* ſed enim edd. omnes exoletæ, item M. F. D. exhibent noſtrum iſtud. vulgata enim: *habituræ atque turpem, eam, &c.*

rati dant operam, ut quàm occultiſſimè pareant: quarumque partium corporis uſus ſunt neceſſarii, eas neque parteis, neque earum uſus ſuis nominibus appellant: quodque facere turpe non eſt, modò occultè; id dicere obſcœnum eſt. [1] itaque nec aperta actio rerum illarum, petulantia vacat, nec oratio obſcœnitate. Nec verò audiendi ſunt *Cynici*, aut ſi qui fuerunt Stoici pæne Cynici, qui reprehendunt, & irrident, quòd ea, quæ turpia re non ſint, [2] verbis flagitioſa dicamus: illa autem, quæ turpia ſint, nominibus appellemus ſuis. Latrocinari, fraudare, [3] adulterari, re turpe eſt: ſed dicitur non obſcœnè: liberis dare operam, re honeſtum eſt, nomine obſcœnum: pluraque in eam ſententiam ab eiſdem contra verecundiam diſputantur: Nos autem naturam ſequamur, & ab omni, quod abhorret [4] ab oculorum, auriumque approbatione, fugiamus. Status, inceſſus, ſeſſio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus, teneant illud decorum. Quibus in rebus duo maximè ſunt fugienda: ne quid effœminatum, aut molle, & ne quid durum, aut ruſticum ſit. Nec verò hiſtrionibus, oratoribuſque concedendum eſt, ut iis hæc apta ſint, nobis diſſoluta. SCENICORUM quidem mos [5] tantam habet veteri diſciplina verecundiam, [6] ut in ſcenam ſine ſubligaculo prodeat nemo. verentur enim, ne, ſi quo caſu evenerit, ut corporis partes quædam aperiantur, adſpiciantur non decore. Noſtro quidem more cum parentibus puberes filii, cum ſoceris è generi non lavantur. Retinenda eſt igitur hujus generis VERECUNDIA, præ-
36 ſertim natura ipſa magiſtra, & duce. Cùm autem pulchritudinis duo genera ſint, quorum in altero venuſtas ſit, in altero dignitas; VENUSTATEM, muliebrem ducere debemus; dignitatem, virilem. Ergo & à forma removeatur omnis viro non dignus ornatus: & huic ſimile vitium in geſtu, motuque caveatur. Nam & palæſtrici motus, ſæpe ſunt odioſiores; [7] & hiſtrionum nonnulli geſtus inepti, non vacant offenſione: & in utroque genere, QUÆ ſunt recta, & ſimplicia, laudantur. Formæ autem dignitas, coloris bonitate tuenda eſt: color, exercitationibus corporis. Adhibenda eſt præterea *munditia* non odioſa, neque exquiſita nimis, tantùm quæ fugiat agreſtem, & inhumanam negligentiam. eadem ratio eſt habenda veſtitus: in quo (ſicut in pleriſque rebus) *mediocritas optima* eſt. Cavendum eſt autem ne [8] aut tarditatibus utamur in greſſu mollioribus, ut pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur: aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates: quæ cùm fiunt, [9] anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur: ex quibus magna ſignificatio fit, non adeſſe conſtantiam. Sed multo etiam magis elaborandum eſt, ne animi motus à natura recedant: quod aſſequemur, ſi cavebimus, ne in perturbationes, atque exanimationes incidamus: &, ſi attentos animos [10] ad decoris conſervationem tenebimus. *Motus* autem animorum, duplices ſunt: alteri, cogitationis: alteri, appetitus. Cogitatio, in vero exquirendo maximè verſatur: appetitus impellit ad agendum. curandum eſt igitur, ut cogitatione ad res quàm optimas utamur: appetitum rationi obedientem præbeamus. Et quoniam 37
magna vis orationis eſt, eaque duplex: altera, contentionis: altera, ſermonis: contentio, diſceptationibus tribuatur judiciorum, concionum, ſenatus: ſermo in circulis, diſputationibus, congreſſionibus familiarium verſetur: perſequatur etiam convivia. contentionis præcepta [11] rhetorum ſunt; nulla ſermonis: quamquam haud ſcio, an poſſint hæc quoque eſſe. ſed diſcentium ſtudiis inveniuntur magiſtri: huic autem qui ſtudeant, ſunt nulli: rhetorum turba referta omnia: quamquam quæ verborum, ſententiarumque præcepta ſunt, eadem ad ſermonem pertinebunt. Sed cùm orationis indicem, *vocem* habeamus, in voce autem duo ſequamur, ut clara ſit, ut ſuavis: utrumque omnino à natura petendum eſt: verùm alterum exercitatio augebit, alterum imitatio preſſe loquentium, & leniter. [12] Nihil aliud fuit in Catulis, [13] ut eos exquiſito judicio putares uti litterarum; quamquam erant literati: ſed & alii. hi autem optimè uti lingua Latina putabantur. Sonus erat dulcis: litteræ neque expreſſæ, neque oppreſſæ, ne aut obſcurum eſſet, [14] aut putidum. Sine contentione vox, nec languens, nec canora. Uberior oratio L. Craſſi, nec minùs faceta: ſed beneloquendi de Catulis opinio non minor. [15] Sale verò, & facetiis Cæſar, Catuli patris frater, vicit omneis: ut in ipſo illo forenſi genere dicendi contentiones aliorum ſermone vinceret. in omnibus igitur his elaborandum eſt, ſi in omni, quid deceat, exquirimus. Sit igitur hic ſermo, in quo *Socratici* maximè excellunt, lenis, minimeque pertinax: inſit in eo lepôs. Nec verò, tanquam in poſſeſſionem ſuam venerit, excludat alios: ſed cùm reliquis in rebus, tum [16] in ſermone communi, viciſſi-

1. *Itaque nec aperta actio rerum illarum, petulantia vacat, nec oratio obſcenitate.*] Sic quidem hodie vulgati; at ævo poſteriores, *nec orationis obſcenitas.* quod & invenitur in Palatin. editiſque primis temporibus; niſi quod *ii nec actio rerum illarum aperta, petulantia*; quod & reperit Gulielmius in F. & D. nam M. *oratio obſcenitas.*

2. *Verbis flagitioſa dicamus.*] M. F. D. amplius, *nominibus ac verbis.* neque ſecus Palatin. prim. quàm quod is inſuper *ducamus.* nec diſplicet vox ea poſtrema.

3. *Adulterari, re turpe eſt.*] Palat. prim. item M. D. Langianique *adulterare, turpe eſt.*

4. *Ab oculorum auriumque approbatione.*] Sic editio Victorii & Romana prima, neque aliter M. D. nam F. & Palat. pr. adhuc auferunt particulam *ab.* retrò vulgg. *ab ipſa oculorum auriumque approbatione.*

5. *Tantam habet veteri diſciplina verecundiam.*] Sic mſſ. ſine præpoſitione *a*, quæ in poſtremis edd. nam avorum ſæculo natæ, *veteris diſciplinæ.* Gulielm. videtur heic maluiſſe, *tantum.* quam *tantam.*

6. *In ſcenam.*] Vulgo *ſcena.* ſed contra mſſ. vetereſque edd. etiam Victorinam.

7. *Et hiſtrionum nonnulli geſtus inepti non vacant offenſione.*] Wolfgang. Anemæcius (qui anno CIↃ IↃ XXXV. edidit hunc librum, collatum cum mſ. Cœnobii D. Ulrici, quod eſt Auguſtæ) affirmat in mſ. exſtare hanc lectionem, eaque propter auſi ſumus illam invehere textui; præſertim cùm nullo apice diſcreparet Palat. ille noſter prim. aliæ edd. *geſtus ineptiis non vacant.* malè. inepta enim multa vacant offenſione. at heic planè aliquid requiritur quod accederet ad laſciviam & obſcenitatem: quam intervenire *nodis ac nexibus luctantium*, præter D. Cyprianum libro de Spectaculis, etiam Sidonius credidit lib. 2. epiſt. 2. aliique.

8. *Aut tarditatibus utamur in greſſu mollioribus.*] Vocabulum poſtremum nullum habet ſui veſtigium in Palatin.

9. *Anhelitus moventur.*] Palatin. prim. *movetur.*

10. *Ad decoris conſervationem tenebimus.*] Editiones recentiores *decori*: ſed littera altera viſitur non ſolùm in olim cuſis, verùm & Palatin. item M. F. D. C. Et pagina ſequenti noſter: *Modus autem eſt optimus, decus ipſum tenere, de quo ante diximus.* ſignificat nimirum hunc locum. Gulielmius.

11. *Rhetorum ſunt; nulla ſermonis.*] In poſſeſſionem ſuam reduxi ſcripturam editionum antiquarum. recentior enim addiderat, *ſunt multa, nulla*; quod neque in Palat. aut M. F. D.

12. *Nihil aliud fuit in Catulis.*] Etiam heic revocavi priſcarum ed. lectionem; quam & expreſſit Victorius: ſequentes omiſerunt illud *aliud.* quod tamen etiam in membranis Palatinis prim. niſi quod eædem quàm *ut*, &c. at illo *aliud* etiam deſtituantur M. F. D. nam recentiores obtruſerant nobis; *Quid fuit in Catulis*, &c.

13. *Ut eos exquiſito judicio putares uti litterarum.*] Parrhaſius libro de Quæſitis per epiſtolam, verberat os impudentis typographi, quod hinc ſuſtuliſſet vocem quaſi minus neceſſariam, in quo ſenſus tamen verteretur, *uti, beneficio litterarum.* Sed verò neque vocabulum illud ejus reperi in Palatinis, aut ullâ editione notæ melioris. quid quod neque id compareat in Moguntina, aut duabus Romanis. itaque miror, quibus in impreſſis locum ſuum habuerit. haud negem tamen heic optimè convenire.

14. *Aut putidum.*] Ita quoque Victoriana, firmantque Palatin. M. F. D. item Lambiniani. editi alii, *aut nimis putidum.*

15. *Sale verò & facetiis, &c.*] Rurſus libuit adquieſcere publicatis à Victorio, quamvis Camerarius ab eo ſeorſim ſentiat, interpoſito, *verò conditus & facetiis*, quod certè non comparet in Pal. aut Gulielmii M. F. D. aliorumque codicibus.

16. *In ſermone communi, viciſſitudinem non iniquam putet.*] Non auſus ſum recedere à M. F. D. præſertim cùm ita quoque Palatin. & Auguſtanus collatus ab Anemæcoi. editi olim, *in ſermone, communi conſuetudine nonnunquam utendum putet.*

1. *Sed*

ciſſitudinem non iniquam putet, ac videat in primis, quibus de rebus loquatur: ſi ſeriis, ſeveritatem adhibeat: ſi jocoſis, lepôrem. in primiſque provideat, ne ſermo vitium aliquod indicet ineſſe *moribus:* quod maximè tum ſolet evenire, cùm ſtudioſè de abſentibus detrahendi cauſa, aut per ridiculum, aut ſeverè, maledicè, contumelioſeque dicitur. Habentur autem plerumque ſermones aut de domeſticis negotiis, aut de rep. aut de artium ſtudiis, atque doctrina. Danda igitur opera eſt, ut etiam ſi aberrare ad alia cœperit, ad hæc revocetur oratio: [1] ſed, utcumque aderunt res, neque enim omnes [2] iiſdem de rebus, nec omni tempore, nec ſimiliter delectamur. Animadvertendum eſt etiam, quatenus ſermo delectationem habeat: &,
38 ut incipiendi ratio fuerit, ita [3] ſit deſinendi modus. Sed quomodo in omni vita rectiſſimè præcipitur; ut perturbationes fugiamus, id eſt, motus animi nimios, rationi non obtemperanteis: ſic ejuſmodi motibus ſermo debet vacare, ne aut ira exſiſtat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignavia, aut tale aliquid appareat. maximeque curandum eſt, ut eos, quibus-cum ſermonem conferimus, & vereri, & diligere videamur. Objurgationes etiam nonnumquam incidunt neceſſariæ, in quibus utendum eſt fortaſſe & vocis contentione majore, & verborum gravitate acriore. [4] id agendum etiam, ut ne ea facere videamur *irati:* ſed, ut ad urendum, & [5] ſecandum; ſic & ad hoc genus caſtigandi, rarò, invitique veniamus. nec umquam, niſi neceſſariò, ſi nulla reperietur alia medicina. ſed tamen ira procul abſit, cùm qua nihil rectè fieri, nihil conſideratè poteſt. [6] Magna autem parte clementi caſtigatione licet uti, gravitate tamen adjuncta, [7] ut & ſeveritas adhibeatur, & contumelia repellatur. atque etiam illud ipſum, quod acerbitatis habet objurgatio, ſignificandum eſt, ipſius cauſa, qui objurgetur, ſuſceptum eſſe. Rectum eſt autem, etiam in illis contentionibus, quæ cum inimiciſſimis fiunt, etiam ſi nobis *indigna* audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam repellere. quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, [8] nec conſtanter fieri poſſunt, nec ab iis, qui adſunt, probari. Deforme etiam eſt, de *ſe ipſo* prædicare, falſa præſertim, & cum irriſione audientium, imitari militem glorioſum. [9] Et quoniam omnia perſequimur, (volumus 39
quidem certè,) dicendum eſt etiam, qualem hominis honorati, & principis domum placeat eſſe, [10] cujus finis eſt uſus: ad quem accommodanda eſt ædificandi deſcriptio: & tamen adhibenda dignitatis, commoditatiſque diligentia. Cn. Octavio, qui primus ex illa familia conſul factus eſt, honori fuiſſe accepimus, quòd præclaram ædificaſſet [11] in Palatino, & plenam dignitatis domum: quæ cum vulgò viſeretur, ſuffragata domino, novo homini, ad conſulatum putabatur. hanc Scaurus demolitus, acceſſionem adjunxit ædibus. Itaque ille in ſuam domum [12] conſulatum primus attulit: hic ſummi, & clariſſimi viri filius, in domum multiplicatam, non repulſam ſolùm retulit, ſed ignominiam, & calamitatem. Ornanda eſt enim *dignitas* domo, [13] non ex domo tota quærenda: nec domo dominus, ſed domino domus honeſtanda eſt. & ut in ceteris [14] habenda ratio non ſua ſolùm, ſed etiam aliorum: ſic in domo clari hominis, in quam & hoſpites multi recipiendi, & admittenda hominum [15] cujuſque generis multitudo, adhibenda eſt cura laxitatis. aliter ampla domus dedecori domino ſæpe fit, ſi eſt in ea ſolitudo. & maximè, ſi aliquando alio domino ſolita eſt frequentari. odioſum eſt enim, cùm à prætereuntibus dicitur:

[16] *O domus antiqua, heu, quàm diſpari dominare domino!*

quod quidem his temporibus in multis licet dicere. [17] Cavendum autem eſt, præſertim ſi ipſe ædifices, ne extra modum ſumtu, & magnificentia prodeas: quo in genere multum mali etiam in *exemplo* eſt. ſtudioſè enim plerique, præſertim [18] in hanc partem, [19] facta principum imitantur: ut L. Luculli, ſummi viri, virtutem, quis? at quàm multi villarum magnificentiam imitati ſunt? quarum quidem certè eſt adhibendus modus, ad mediocritatemque revocandus: eademque mediocritas [20] ad omnem uſum, cultumque vitæ transferenda eſt. Sed hæc hactenus. In omni autem actione ſuſcipienda, tria ſunt tenenda: primùm, ut appeti-

1. *Sed utcunque aderunt res, &c.*] Deletum ibat Gulielmius vocabulum *res*, auctoritate M. F. D. neque etiam exſtat in Palatin. verùm cùm pro ea pugnet Aldus Nepos, malui id relinquere ſuo loco, quàm cum ipſo inire certamen; utique cùm habeat omnis editio vetus.

2. *Iiſdem de rebus.*] Subintellige commemoratione, aut quid ſimile, non enim tollo contra codices *de*, quod Lambinus audet. Gulielmius.

3. *Sit deſinendi modus.*] Nihil variant noſtri. Turnebiani tamen duo *deſtinandi*. conſulatur lib. XVIII. cap. 39.

4. *Id agendum etiam, ut ne ea facere videamur irati.*] Requirit ſententia, *tantum* aut *tamen*, non *etiam*. annotatque Janus Gulielmius alicubi ſcriptum; *ſatagendum:* ſi ſic, nihil certius, quàm *etiam* mutandum in aliam quamcunque particulam.

5. *Secandum; ſic & ad hoc.*] Revocavi ſcripturam primarum editionum, certè Palatinorum. Camerarius enim duabus vocibus amplius, *ſecandum medici veniunt, ſic.* poſteriores unâ tantum, *ſecandum medici; ſic nos ad hoc gen. caſt. raro invitique veniamus*, ſed præter omnes mſſ.

6. *Magna autem parte.*] Recentiores editi, *ex parte*, contra mſſ. & edd. exoletas.

7. *Ut & ſeveritas.*] Haud ſecus Victorii editio, neque aliter Palatin. aut F. non editis aliis abeſt &.

8. *Nec conſtanter fieri poſſunt, nec ab iis qui adſunt probari.*] Expreſſi Palatinum prim. cui fere accedit editio omnium prima. editi enim poſtea, *ea nec conſtanter fieri poſſunt, nec iis qui adſunt approbari.*

9. *Et quoniam omnia perſequimur (volumus quidem certè) dicendum, &c.*] Iterum ſugillatur typographus neſcio quis Parrhaſio, tanquam hunc locum corruperit, cùm vera eſſet lectio: *Et quoniam omnia perſequi volumus quidem certè, dicendum, &c.* at eam ſcripturam non invenio in Palat. non in olim cuſis, non in celebribus edd. ſed planè priorem. neque ferri poteſt altera ejus.

10. *Cujus finis eſt uſus.*] Sic & Palatin. Gulielmius malebat, *& uſus*, quod & in M. F. D. item avorum ævo cuſis; ut dicat eundem finem ædificandi domus eſſe & uſum. qui ſenſus etiam reſultat ex altera ſcriptura.

11. *In Palatino.*] Sic Danielis mſ. ſuffragaturque editio Romana omnium princeps. vulgata *Palatio*. minus bellè. in altero ſubauditur *monte*. ita ſæpe legimus, *in Aventino*, *in Æſquilino*. Gulielmius.

12. *Conſulatum primus attulit.*] Nupere vulgati *intulit*, minus rectè. reſpondit enim *attulit* illi *retulit* quod mox ſequitur. neque enim id otioſum eſt, ut quidam autumant; habentque utrunque & vett. edd. & libri calamo exarati.

13. *Non ex domo tota quærenda.*] Ita Gulielmiani. nam typis quondam publicati, *non tota ex domo quærenda.* recentius impreſſi, *domo dignitas tota, &c.* ſuperflue.

14. *Habenda ratio non ſua ſolum.*] Vulgatius *ſui*, contra conſenſum veterum membranarum. Gulielmius.

15. *Cujuſque generis.*] Inveni & iſtud in omnibus editionibus jam antiquatis. & tamen Palatinus noſter expreſſit, *cujuſque modi.*

16. *O domus antiquâ heu, quàm diſpari dominare domino.*] Retinui quod inveni in pleriſque, cuſis avorum ſæculo: tanto quidem magis quod calculum eis adderent mſſ. Gulielmii aliorumque. haud reprehendo tamen quæ dictat Turneb. lib. XXVIII. cap. 39. Adverſariorum: imò nec abhorreo à tranſpoſitu verborum qui placuit Gulielmio. Sirleto. nam Latomi conjectura à Nannio producta lib. IX. Miſcellan. nimium abit à litteris.

17. *Cavendum antem eſt.*] In ſedem priſtinam intuli vocem *autem*, quæ & in ed. Romana prima, vulgatiſque à Victorio, neque recedunt Gulielm. aut Palatt. ſequentes invexerant, *cavendum eſt etiam.*

18. *In hanc partem.*] Reſtitui quod publicarat olim Victorius, quoniam ei faverent Palatt. & Gulielmiani. ſeqq. *in hac parte.*

19. *Facta principum imitantur.*] Mauritianus meus, *principium*, neque ſecus editio Romana prima. Gulielmius.

20. *Ad omnem uſum cultumque vitæ transferenda.*] Ita ſcripſi ex meis libris. nam ab habitandi mediocritate admonitus, iterum inculcat, in omni vitæ uſu ac cultu tenendum id quod eſt mediocre; fugiendum id quod aut nimium aut parum. Alia ſententia vulgo edunt, *ad communem uſum cultumque vitæ referenda.* ut dicat, jam mediocritatem referendam ad cujuſque uſum & cultum vitæ. rectè id quidem: ſed contra omnes libros. ſic Gulielmius; cujus caſtigationem præfert editio Victorii.

appetitus rationi pareat : quo nihil eſt ad officia conſervanda accommodatius : deinde, ut animadvertatur, quanta illa res ſit, quam efficere velimus : ut neve major, neve minor cura, & opera ſuſcipiatur, quam cauſa poſtulet. [1] tertium eſt, ut caveamus, ut ea, quæ pertinent ad liberalem ſpeciem, & dignitatem moderanda ſint. Modus autem eſt optimus, decus ipſum tenêre, de quo antè diximus, nec progredi longiùs. [2] Horum tamen trium præſtantiſſimum eſt, *appetitum obtemperare rationi*.

40 Deinceps de ordine rerum, & temporum opportunitate dicendum eſt. [3] Hac autem ſcientia continetur ea, quam Græci εὐταξίαν nominant, non hanc, quam interpretamur modeſtiam : quo in verbo modus ineſt : ſed illa eſt εὐταξία, in qua intelligitur ordinis conſervatio. Itaque, ut eandem nos modeſtiam appellemus, ſic definitur à Stoicis, ut MODESTIA, SIT SCIENTIA earum rerum, quæ agentur, aut dicentur, loco ſuo collocandarum. itaque videtur eadem vis ordinis, & collocationis fore. Nam & ordinem ſic definiunt, COMPOSITIONEM rerum aptis, & accommodatis locis. locum autem actionis, oportunitatem temporis eſſe dicunt. tempus autem actionis oportunum, Græce εὐκαιρία, Latinè appellatur occaſio. ſic fit, ut modeſtia hæc, quam ita interpretamur, ut dixi, ſcientia ſit oportunitatis idoneorum ad agendum temporum. [4] Sed poteſt eſſe eadem prudentiæ definitio, de qua principio diximus. hoc autem loco de moderatione, & temperantia, & earum ſimilibus virtutibus quærimus. Itaque, quæ erant prudentiæ propria, ſuo loco dicta ſunt. quæ autem harum virtutum, [5] de quibus jamdiu loquimur, quæ pertinent ad verecundiam, & ad eorum approbationem, quibuſcum vivimus, nunc dicenda ſunt. Talis eſt igitur ordo actionum adhibendus, ut, quemadmodum in oratione conſtanti, ſic in vita omnia ſint *apta* inter ſe, & convenientia. TURPE eſt enim, valdeque vitioſum, in re ſevera [6] convivio dignum, aut delicatum aliquem inferre ſermonem. Bene Pericles, cùm haberet collegam in prætura Sophoclem poëtam, hique de communi officio conveniſſent, & caſu formoſus puer præteriret, dixiſſetque Sophocles, *O puerum pulchrum, Pericle! At enim prætorem, Sophocle, decet non ſolùm manus, ſed etiam oculos abſtinentes habere.* Atque hoc idem Sophocles ſi in athletarum probatione dixiſſet, juſta reprehenſione caruiſſet. tanta vis eſt & loci, & temporis. Ut ſi quis, cùm cauſam ſit acturus, in itinere, aut in ambulatione ſecum ipſe meditetur, aut ſi quid aliud attentiùs cogitet, non reprehendatur : at hoc idem ſi in convivio faciat, inhumanus videatur, *inſcitia* temporis. Sed ea, quæ multum ab humanitate diſcrepant, ut, ſi quis in foro cantet, aut ſi qua eſt alia magna perverſitas, facilè apparent, nec magnopere admonitionem, & præcepta deſiderant. quæ autem parva videntur eſſe delicta, neque à multis intelligi poſſunt, ab iis eſt diligentiùs declinandum : [7] ut in fidibus, aut in tibiis, quamvis paullum diſcrepent, tamen id à ſciente animadverti ſolet : ſic videndum eſt in vita, ne fortè quid *diſcrepet* ; vel multo etiam magis, quo major, & melior actionum, quàm ſonorum concentus eſt. Itaque, 41
ut in fidibus muſicorum aures vel minima ſentiunt : ſic nos, [8] ſi acres, ac diligentes judices eſſe volumus, animadverſoreſque vitiorum, magna ſæpe intelligemus ex parvis. Ex oculorum obtutu, [9] ex ſuperciliorum aut remiſſione, aut contractione, ex mœſtitia, ex hilaritate, ex riſu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex ſubmiſſione, ex ceteris ſimilibus, facilè judicabimus, quid eorum aptè fiat, quid ab officio, naturaque diſcrepet. Quo in genere non eſt incommodum, quale quodque eorum ſit, *ex aliis* judicare : [10] ut, ſi quid dedeceat in aliis, vitemus & ipſi. fit enim neſcio quo modo, ut MAGIS in aliis cernamus, quàm in nobiſmetipſis, [11] ſi quid delinquitur. itaque facillimè [12] corriguntur in diſcendo, quorum vitia imitantur, emendandi cauſa, magiſtri. Nec verò alienum eſt, [13] ad ea eligenda, quæ dubitationem afferunt, adhibere doctos homines, vel etiam *uſu peritos*, &, quid his [14] de quoque officii genere placeat, exquirere. MAJOR enim pars eò ferè deferri ſolet, quo à natura ipſa deducitur. in quibus videndum eſt, non modò quid quiſque loquatur, ſed etiam, [15] quid quiſque ſentiat, atque etiam, qua de cauſa quiſque ſentiat. Ut enim pictores, & ii, qui ſigna fabricantur, [16] & verò etiam poëtæ, ſuum quiſque opus à vulgo conſiderari vult : ut, ſi quid reprehenſum ſit à pluribus, id corrigatur : hique & ſecum, & cum aliis, quid in eo peccatum ſit, exquirunt : ſic aliorum judicio permulta nobis & facienda, & non facienda, & mutanda, & *corrigenda* ſunt. Quæ verò more aguntur, inſtitutiſque civilibus, de iis nihil eſt præcipiendum. Illa enim ipſa præcepta ſunt : nec quemquam hoc errore duci oportet, ut, ſi quid Socrates, aut Ariſtippus contra morem, conſuetudinemque civilem fecerint, locutive ſint, idem ſibi arbitretur licere. Magnis illi, & divinis bonis hanc *licentiam* aſſequebantur. Cynicorum verò ratio, [17] tota eſt ejicienda. eſt enim inimica verecundiæ, ſine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum. Eos autem, quorum vita perſpecta

in

1. *Tertium eſt ut caveamus, ut ea quæ pertinent ad liberalem ſpeciem & dignitatem moderanda ſint.*] Par illud verborum *ut caveamus*, ſuſpicor ab librariorum adjecta manu. ſi non ; inclinat animus ad lectionem prim. Palatini, *ut ea quæ pertinent ad liberalitatem ſpecie & dignitate ; moderata ſint* : quomodo cum & legatur in membranis D. Ulrici Auguſtanis, nihil certius eſt quam ſic deinceps publicandum.

2. *Horum tamen trium præſtantiſſimum eſt.*] Mauricianus *præſentiſſimum*. & id verbi interpretatur eleganter eruditiſſimus Victor.

3. *Hac autem ſcientia continetur ea quam, &c.*] Repoſui in veterem ſedem ſcripturam editionum veterum, quam & expreſſit Victorius, extatque in Palatin. & F. D. nam nuper natæ, *hæc autem ſcientia continet eam, &c.*

4. *Sed poteſt eſſe eadem.*] M. P. voce tranſpoſita, *eadem eſſe* ; Palatinus verò pr. amplius : *ſed poteſt hæc eadem eſſe* ; quod perplacet.

5. *De quibus jam diu loquimur.*] Sic M. F. D. item Palatin. neque aliter aut editio Romana prima, aut vulgati auctore Victorio. ſequiores, *jamdudum*.

6. *Convivio dignum, aut delicatum, &c.*] M. F. D. *convivia digna*. Palat. prim. *convivii dicta*. quæ lectio ſanè millecuplò Cicerone dignior quam altera ; meo quidem judicio : dijudicent tamen prudentiores.

7. *Ut in fidibus aut in tibiis.*] Palatinus primus, *ut in fidibus tibiis*. omiſſis ceteris.

8. *Si acres ac diligentes judices eſſe volumus animadverſoreſque vitiorum.*] Editio Romana prima, *diligentes eſſe volumus animadverſores vitiorum* ; neque aliter Palatin. ſecund. M. F. D. quod ad vocem *judices* attinet, ſed ſolus F. adjecit encliticam.

9. *Ex ſuperciliorum aut remiſſione, aut contractione.*] Haud aliter mſſ. noſtri & Gulielmii, & ultimæ vetuſtatis editiones. Parrhaſius tamen in Quæſitis per epiſtolam, invehitur in neſcio quem impreſſorem, tanquam hunc locum mutilarit : legendum enim : *ex elevatione ſuperciliorum, aut remiſſione, aut contractione*. Bone Deus, quos ille habuit libros !

10. *Ut ſi quid dedeceat in aliis, vitemus & ipſi.*] Prima editio *in illos*, quomodo & Maurit. expreſſitque Victorius. aliæ, *in illis*. prim. Palatinus, *ut ſi quid dedeceat alios vitemus ipſi*, pro *in illis* pugnat Parrhaſius, in Quæſitis per epiſtolam.

11. *Quid delinquitur.*] Romana prima, *delinquatur*. Palatin. prim. *delinquimus*. quod & genuinum putarim.

12. *Corriguntur in diſcendo, quorum vitia.*] Sequiores edd. *corrig. illi in diſc.* prima verò omnium item Romana ſecunda exhibent nobis, *in diſcernendo vitia quorum* : adeo ut incipiam ſuſpicari, illud, *in diſcendo*, inculcatum ab interprete.

13. *Ad ea eligenda.*] Palatinus primus, *dirigenda*.

14. *De quoque.*] Ita quoque publicati à Victorio. nam alii *de uno quoque*. quod in nullo mſſ. Gulielmii.

15. *Quid quiſque ſentiat, atque etiam qua de cauſa quiſque ſentiat.*] Parrhaſius invehitur, Quæſitis ſuis per epiſtolam, in typographum Mediolanenſem, tanquam de ſuo adjeciſſet Ciceroni, *atque etiam qua de cauſa quiſque ſentiat*. ad illa tamen omnia reperiuntur in editionibus antiquioribus, noſtriſque : adeò mſſ. locumque ſuum bellè tuentur.

16. *Et verò etiam poëtæ.*] Videtur iſtud complacitum Gulielmio, ſuadente ejus Mauritiano. Aldus tamen Manutius prodidit, reſtare in pleriſque mſſ. & *veri etiam poëtæ*, neque ſecus Palatin. prim. aliique.

17. *Tota eſt ejicienda.*] Forſan, *rejicienda*, inquit Gulielmius.

1. *Bene*

in rebus honeſtis, atque magnis eſt, benè de repub. ſentienteis, [1] ac benè meritos, aut merenteis, aliquo honore, aut imperio affectos, obſervare, & colere debemus: tribuere etiam multum *ſenectuti*: cedere iis, qui magiſtratum habebunt: habere delectum civis, & peregrini: [2] in ipſoque peregrino, privatimne, an publicè venerit: ad ſummam, ne agam de ſingulis, communem totius generis hominum conciliationem, & conſociationem colere, tueri,
42 ſervare debemus. Jam de artificiis, & quæſtibus, qui *liberales* habendi, qui ſordidi ſint, hæc ferè accepimus. Primùm improbantur ii quæſtus, qui in odia hominum incurrunt: [3] ut portitorum, ut fæneratorum. Illiberales autem, & ſordidi [4] quæſtus mercenariorum, omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur. eſt enim illis ipſa merces auctoramentum ſervitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur à mercatoribus, quod ſtatim vendant. [5] nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur. [6] nec verò quidquam [7] eſt turpius vanitate. opificeſque omnes in ſordida arte verſantur. nec enim quidquam ingenuum poteſt habere officina. [8] minimeque artes hæ probandæ, quæ miniſtræ ſunt voluptatum, *cetarii*, *lanii*, *coqui*, *fartores*, *piſcatores*, ut ait Terentius. [9] adde huc, ſi placet, unguentarios, ſaltatores, [10] totumque ludum talarium. Quibus autem artibus aut prudentia major ineſt, aut non mediocris utilitas quæritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honeſtarum, hæ ſunt iis, quorum ordini conveniunt, honeſtæ. Mercatura autem, ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt, ſin magna, & copioſa, multa undique apportans, multiſque ſine vanitate impartiens: non eſt admodum vituperanda. atque etiam, ſi ſatiata quæſtu, vel contenta potiùs, ut ſæpe ex alto in portum, ex ipſo portu ſe in agros, poſſeſſioneſque contulerit, videtur jure optimo poſſe laudari. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt *agricultura* melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine, nihil libero dignius. de qua, quoniam in Catone majore ſatis multa diximus, [11] illinc
43 aſſumes, quæ ad hunc locum pertinebunt. Sed ab iis partibus, quæ ſunt honeſtatis, quemadmodum officia ducerentur, ſatis expoſitum videtur. Eorum autem ipſorum, quæ honeſta ſunt, poteſt incidere ſæpe contentio, & comparatio; de duobus honeſtis utrum honeſtius: qui locus à Panætio eſt prætermiſſus. Nam cùm omnis honeſtas manet à partibus quattuor, quarum una ſit cognitionis: altera, communitatis: tertia, magnanimitatis: quarta, moderationis: hæ in deligendo officio ſæpe inter ſe comparentur, neceſſe eſt. Placet igitur, *aptiora* eſſe naturæ ea officia, quæ ex communitate, quàm ea, quæ ex cognitione ducantur: idque hoc argumento confirmari poteſt, quòd, ſi contigerit ea vita ſapienti, [12] ut in omnium rerum affluentibus copiis, quamvis omnia, quæ cognitione digna ſunt, ſummo otio ſecum ipſe conſideret, & contempletur: tamen, ſi ſolitudo tanta ſit, ut hominem videre non poſſit, excedat è vita. Princepſque omnium virtutum eſt illa ſapientia quam σοφίαν Græci vocant: [13] prudentiam enim, quam Græci φρόνησιν dicunt, aliam quandam intelligimus: quæ eſt rerum expetendarum, fugiendarumque ſcientia. illa autem ſapientia, quam principem dixi, rerum eſt divinarum, atque humanarum ſcientia: in qua continetur deorum, & hominum communitas, & ſocietas inter ipſos. ea ſi maxima eſt, ut eſt certè: neceſſe eſt, quod à communitate ducatur officium, id eſſe maximum. Etenim cognitio, contemplatioque naturæ, manca quodam modo, atque inchoata ſit, ſi nulla actio rerum conſequatur. ea autem actio in hominum commodis tuendis maximè cernitur. pertinet igitur ad ſocietatem generis humani. ergo hæc *cognitioni* anteponenda eſt: atque id optimus quiſque re ipſa oſtendit, & judicat. Quis enim eſt [14] tam cupidus in perſpicienda, cognoſcendaque rerum natura, ut, ſi ei tractanti, contemplantique res cognitione digniſſimas, [15] ſubitò ſit allatum periculum, diſcrimenque patriæ, cui ſubvenire, opitularique poſſit: non illa omnia relinquat, atque abjiciat, etiam ſi dinumerare ſe ſtellas, aut metiri mundi magnitudinem poſſe arbitretur? atque hoc idem in parentis, in amici re, aut periculo fecerit. quibus rebus intelligitur, STUDIIS, officiiſque ſcientiæ, præponenda eſſe officia juſtitiæ, quæ pertinent [16] ad hominum utilitatem: qua nihil homini eſſe debet antiquius. Atque illi, quorum ſtudia 44
vitaque omnis in rerum cognitione verſata eſt, tamen ab augendis hominum utilitatibus & commodis non receſſerunt. nam & erudiverunt multos, quo meliores cives, [17] utilioreſque rebus ſuis publicis eſſent: ut Thebanum Epaminondam Lyſis Pythagoreus, [18] Syracuſium Dionem Plato, multique multos: noſque ipſi, quidquid ad remp. attulimus, (ſi modò aliquid attulimus) à doctoribus, atque

1. *Bene meritos aut merenteis, aliquo honore.*] Eſt à mſſ. noſtris, niſi quod Palatinus primus præterea, *ſicut aliquo*, &c. ut forte reſtituendum ſit auctori illud vocabulum: velitque non ſecus honorandos eſſe Philoſophos alioſque privatos bene merente de republica, atque eos qui conſtituti ſunt in honore vel imperio. Et vel hujus dictionis protractæ cauſa, nonnihil mihi debebit ſpero ſtudioſus Ciceronis. antea enim, ſententia erat & inepta & intricata. nam non loqui heic Tullium de conſtitutis in aliquo magiſtratu, evincunt illa ſequentia; *cedere iis qui magiſtratum habebunt.* Et quid eſt incivilius quam cenſere, minimè obſervandos eſſe colendoſque, quorum vita perſpecta in rebus honeſtis atque magnis eſt, deque republ. bene ſentientes, imò adeo merentes, ſi privati vixerint, ſi non ſimul fuerint in aliquo honore aut imperio?

2. *In ipſoque peregrino.*] Sic quoque Lambinus, firmatque M. F. D. item Palatin. editioque Romana prima, & Victorina. aliæ, *in ipſo quoque pereg.*

3. *Ut portitorum, ut feneratorum.*] Eſt ab editione principe, item Romana ſecunda. nam prima, *ut portitorum, feneratorum.* ſeqq. *ut portitorum & feneratorum.* & verò noſtram ſcripturam, reperit etiam in omnibus ſuis Gulielmius, probabatque unicè. ſic paullo poſt, *ut medicina, ut architectura.*

4. *Quæſtus mercenariorum omnium, quorum operæ.*] Palatin. prim. nullam habet dictionis *omnium* litteram. & poterat profectò abeſſe.

5. *Nihil enim proficiunt.*] Palatin. item M. D. *proficiant.*

6. *Nec enim quicquam.*] Revocavi in locum ſuum mſſ. plurium ſcripturam, quæ & in Romana prima & Victorina. aliæ, *nec verò quicquam.*

7. *Nec verò quicquam eſt turpius vanitate. opificeſque omnes in ſordida arte verſantur.*] Sic Palat. ſec. & Gulielmiani, niſi quod F. *omnes qui in* Verumenimverò membranæ Palatinæ primæ, *vanitate opificum, qui omnes in ſordida*, &c. quam lectionem ſane habuerim ferè meliorem hactenus vulgata.

8. *Minimeque artes hæ probandæ.*] Vocula *hæ* non aſpicitur in edd. omnium primis. Palatin. præterea habent; *probantur.*

9. *Adde huc, ſi placet*, &c.] Victorii editionem ſequor; cui accedunt M. F. D. item Palatin. alluditque Romana prima, in qua *huic.* ceteræ edd. *adde his.*

10. *Totumque ludum talarium.*] Pal. pr. *totum ludum tabularium.* Maurit. *tablinarium.* conſulatur Parrhaſius in Quæſitis. defendit enim egregie vulgatam contra eum qui ediderat *talarem.*

11. *Illinc aſſumes.*] Gulielmius fidem ſecutus Maurit. reponebat *illa.* ſicque Palat. prim.

12. *Ut in omnium rerum affluentibus copiis, quamvis*] Secutus ſum quo vocabar a Palatin. à M. D. ejecique vocem *diteſcur.* quæ fere in hactenus vulgatis. & eam quidem antea quoque reſpuerat Victorius, ſed adſumpſit illico Camerarius.

13. *Prudentiam enim, quam Græci φρόνησιν dicunt.*] Vox poſtrema non eſt in Palatin. pr. neque agnoſcit Moguntina editio, aut Romana ſecunda.

14. *Tam cupidus in perſpicienda*, &c.] Ingerunt alii fortè legendum, *tam cupidus perſpiciendæ cognoſcendæque rerum naturæ*, &c. ex ſupervacuo. auferendi enim caſus poſitus pro gignendi, ut ſæpe aliàs. ita *dives ab auro*, &c. Gulielmius.

15. *Subitum ſit allatum periculum.* Nihilo pejus, ſi non melius, Pal. pr. *oblatum.* eique alludit ed. Romana prima, in qua, *ablatum.*

16. *Ad hominum utilitatem.*] Non de nihilo eſt, quod Palatinus pr. oſtentet *ad hominum caritatem.*

17. *Utilioreſque rebus ſuis publicis eſſent.*] Videtur Gulielmius inclinaſſe in Lambinianum illud, *& ſuis, & publicis*, quod & in Aldi Nepotis editione. non auſus fui admittere, quod ſic nulla editio antiqua, nullus liber auctoritatis robuſtæ. & verò, ſi inſpiciamus penitius mentem auctoris, talis interpolatio ad mentem ejus non facit.

18. *Syracuſium Dionem Plato.*] Palatin. prim. particula auctior, *& Plato.*

que *doctrina* inſtructi ad eam, & ornati acceſſimus. Neque ſolùm vivi, atque præſentes ſtudioſos diſcendi erudiunt, atque docent: ſed hoc idem etiam *poſt mortem* monumentis litterarum aſſequuntur. nec enim locus ullus prætermiſſus eſt ab iis, qui ad leges, qui ad mores, qui ad diſciplinam reip. pertineret: ut otium ſuum ad noſtrum negotium contuliſſe videantur. ita illi ipſi doctrinæ ſtudiis, & ſapientiæ dediti, ad hominum utilitatem ſuam intelligentiam, prudentiamque potiſſimùm conferunt. [1] Ob eamque cauſam eloqui copioſè, modò prudenter, melius eſt, quàm vel acutiſſimè ſine eloquentia cogitare: quòd *cogitatio* in ſe ipſa vertitur, eloquentia complectitur eos, quibuſcum communitate juncti ſumus. [2] Atque ut apum examina non fingendorum favorum cauſa congregantur, ſed, cum congregabilia natura ſint, fingunt favos: ſic homines, ac multo etiam magis, natura congregati, [3] adhibent agendi, cogitandique ſollertiam. Itaque niſi ea virtus, quæ conſtat ex hominibus tuendis, id eſt, ex ſocietate generis humani, attingat cognitionem rerum, ſolivaga cognitio, & jejuna videatur. itemque magnitudo animi, [4] remota communitate, conjunctioneque humana, feritas ſit quædam, & immanitas. Ita fit, ut vincat cognitionis ſtudium conſociatio hominum, atque communitas. Nec verum eſt, quod dicitur à quibuſdam, propter *neceſſitatem* vitæ, quòd ea, quæ natura deſideraret, conſequi ſine aliis, atque efficere non poſſemus, [5] idcircò iſtam eſſe cum hominibus communitatem, & ſocietatem: quòd ſi omnia nobis, quæ ad victum cultumque pertinent, quaſi *virgula divina*, ut ajunt, ſuppeditarentur: tum optimo quiſque ingenio, negotiis omnibus omiſſis, totum ſe [6] in cognitione, & ſcientia collocaret. Non eſt ita. nam & ſolitudinem fugeret, & ſocium ſtudii quæreret: tum docere, tum diſcere vellet, tum audire, tum dicere. Ergo omne officium, quod ad conjunctionem hominum, & ad ſocietatem tuendam valet, [7] anteponendum eſt illi officio, quod cognitione, & ſcientia continetur. Illud forſitan quærendum ſit, 45
num hæc communitas, quæ maximè eſt apta naturæ, ſit etiam moderationi, modeſtiæque ſemper anteponenda. Non placet. ſunt enim [8] quædam partim ita fœda, partim ita flagitioſa, ut ea, ne conſervandæ quidem patriæ cauſa, ſapiens facturus ſit. ea Poſidonius collegit permulta, ſed ita tætra quædam, ita obſcæna, ut dictu quoq; videantur turpia. Hæc igitur [9] non ſuſcipiet quiſquam *reip. cauſa*; [10] nec reſp. quidem pro ſe ſuſcipi volet. [11] Sed & hæc commodiùs ſe res habet, quòd non poteſt accidere tempus, ut interſit reip. quidquam illorum facere ſapientem. Quare hoc quidem effectum ſit, in officiis deligendis id genus officiorum excellere, quod teneatur hominum ſocietate. etenim cognitionem, prudentiamque ſequitur conſiderata actio. ita fit, ut AGERE conſideratè pluris ſit, quam cogitare prudenter. Atque hæc quidem hactenus. patefactus eſt enim locus ipſe, ut non ſit difficile in exquirendo officio, quod cuique ſit præponendum, videre. In ipſa autem communitate ſunt *gradus* officiorum: ex quibus, quid cuique præſtet, intelligi poſſit: ut prima diis immortalibus; ſecunda, patriæ; tertia, parentibus, deinceps gradatim reliquis debeantur. Quibus ex rebus breviter diſputatis intelligi poteſt, non ſolùm id homines ſolere dubitare, honeſtumne, an turpe ſit: ſed etiam, duobus propoſitis honeſtis, utrum honeſtius. Hic locus à Panætio eſt, ut ſuprà dixi, prætermiſſus. Sed jam ad reliqua pergamus.

M. Tul-

1. *Ob eamque cauſam eloqui copioſè, modò prudenter.*] Eſt ab F. & D. & neque aliter Palatinus pr. niſi quod is inſuper, *modò & prudenter*. non malè. vulgatiores, *ob eam etiam cauſam*. Victorius, *ob eamque etiam cauſam*.

2. *Ut apum examina.*] Palat. pr. ut & M. F. *apium*; imo ſic & editio prima Romana.

3. *Adhibent agendi cogitandique ſolertiam.*] Haud aliter Palatin. noſter pr. nam M. F. D. ut & antiquitus impreſſi, *congregandique*: minus rectè.

4. *Remota communitate.*] Non auſus ſum excludere lectionem exemplaris Palatini primi, ſuſtentatam auctoritate editionum primariarum, ac plerorumque manuſcriptorum; etiam eorum quibus uſus Gulielmius, quamvis ipſe ab ea voce alienior. de ea ego latius in Suſpicionibus meis.

5. *Idcirco iſtam eſſe cum hominibus.*] Palatinus prim. diſertè, *ideo initam eſſe*. quod neſcio cuinam debeat diſplicere, quamvis & vulgatæ ſcripturæ ſua quoque ſit venuſtas. & verò *initam* ante octuaginta annos oggeſſit quoque nobis è codice Auguſtano Wolfgangus Anemæcius. itaque ſic legatur.

6. *In cognitione & ſcientia.*] Laudat hæc Tullii Parrhaſius in Quæſitis per epiſtolam; ſed ita, tanquam eſſet genuinum, *in cognitione ſcientiæ*; quomodo nulli libri vel impreſſi vel ſcripti, quod ſciam.

7. *Anteponendum eſt illi officio.*] Gulielmius expunxit vocem *officio*. an ex libris neſcio. non admodum heic deſiderari, palam eſt.

8. *Quædam partim ita fœda, partim ita flagitioſa.*] Palat. non iterat voculam *partim*. Editio princeps Moguntina, & Romana ſecunda ſervat; *quædam ita fœda, partim ita flagitioſa*. ſuper qua ſcriptura, adeantur commentaria Aldi nepotis. vulgatiores, *quædam partim ita fœda, quædam partim ita flag.*

9. *Non ſuſcipiet quiſquam reipubl. cauſa.*] Dictio *quiſquam* non eſt in Palatin. aut M. F. D. ejus loco habet editus à Victorio *quis*.

10. *Nec reſpublica quidem pro ſe.*] M. F. *ne reſpubl.* at Pal. pr. *nec res quidem publica*, quod auribus gratius, invenitque in uno ſuorum Aldus junior.

11. *Sed & hæc commodius ſe res habet.*] Ita Victorii editio, ac quatuor mſſ. Aldi. Palatin. enim pr. *ſed hoc commodius ſe res habebit*, ut ſuſpicer ab interpolatore illa, *ſe res habet*. ac fuiſſe initio, *ſed & hoc commodius, quod.*

1. Tum

M. TULLII CICERONIS DE OFFICIIS, AD MARCUM FILIUM, LIBER SECUNDUS.

1 QUEMADMODUM officia ducerentur ab honeſtate, Marce fili, atque ab omni genere virtutis, ſatis explicatum arbitror libro ſuperiore. Sequitur, ut hæc officiorum genera perſequar, quæ pertinent ad vitæ cultum, & ad earum rerum, quibus utuntur homines, facultatem, ad opes, ad copias. in quo tum quæri dixi, quid *utile*, quid *inutile:* [1] tum ex utilibus quid utilius, aut quid maximè utile. de quibus dicere aggrediar, ſi pauca priùs de inſtituto, ac de judicio meo dixero. Quamquam enim libri noſtri complureis non modò ad legendi, ſed etiam ad ſcribendi ſtudium excitaverunt: tamen interdum vereor, ne quibuſdam bonis viris philoſophiæ nomen ſit inviſum: mirenturque, in ea tantum me operæ, & temporis ponere. Ego autem quamdiu reſp. per eos gerebatur, quibus ſe ipſa *commiſerat*, omneis meas curas, cogitationeſque in eam conferebam: cùm autem dominatu unius omnia tenerentur, neque eſſet uſquam conſilio, aut auctoritati locus: ſocios denique tuendæ reip. ſummos viros, amiſiſſem: nec me angoribus dedidi, quibus eſſem confectus, niſi iis reſtitiſſem: nec rurſum indignis homine docto voluptatibus. Atque utinam reſp. ſtetiſſet quo cœperat ſtatu, nec in homines [2] non tam commutandarum rerum, quàm evertendarum cupidos, incidiſſet. primùm enim, ut ſtante rep. facere ſolebamus, in agendo plus, quàm in ſcribendo, operæ poneremus: deinde ipſis ſcriptis non ea, quæ nunc, ſed actiones noſtras mandaremus, ut ſæpe fecimus. Cùm autem reſp. in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni ſolebat, nulla eſſet omnino, illæ ſcilicet litteræ conticuerunt, forenſes, & ſenatoriæ. nihil agere autem cùm animus non poſſet: in his ſtudiis ab initio verſatus ætatis, exiſtimavi [3] honeſtiſſimè poſſe deponi, ſi me ad philoſophiam retuliſſem. cui cùm multum adoleſcens, diſcendi cauſa, temporis tribuiſſem: poſteà quàm honoribus inſervire cœpi, meque totum reip. tradidi; [4] tantum erat philoſophiæ loci, quantum ſuperfuerat amicorum, [5] & reipub. temporibus. Id autem omne conſumebatur in legendo: ſcribendi otium non erat. Maximis igitur *in malis* hoc tamen 2
boni aſſecuti videmur, ut ea litteris mandaremus, quæ nec ſatis erant nota noſtris, & erant cognitione digniſſima. QUID EST enim, per deos, optabilius ſapientia? quid præſtantius? quid homini melius? quid homine dignius? [6] Hanc igitur, qui expetunt, philoſophi nominantur: nec quidquam aliud eſt philoſophia, ſi interpretari velis, quàm ſtudium ſapientiæ. *Sapientia* autem eſt, (ut à veteribus philoſophis definitum eſt) rerum divinarum, & humanarum, cauſarumque, quibus hæ res continentur, ſcientia: cujus ſtudium qui vituperat, haud ſanè intelligo, quidnam ſit, quod laudandum putet. Nam ſive oblectatio quæritur animi, requieſque curarum: quæ conferri cum eorum ſtudiis poteſt, qui [7] ſemper aliquid anquirunt, quod ſpectet, & valeat ad bene, beateque vivendum? [8] ſive ratio conſtantiæ, virtutiſque ducitur: aut hæc ars eſt, aut nulla omnino, per quam eas aſſequamur. nullam dicere maximarum rerum artem eſſe, cùm minimarum ſine arte nulla ſit, hominum eſt parum conſideratè loquentium, atque in maximis rebus errantium. Si autem eſt aliqua diſciplina virtutis, ubi ea quæretur, cùm ab hoc diſcendi genere diſceſſeris? Sed hæc, cùm ad philoſophiam cohortamur, accuratiùs diſputari ſolent: quod alio quodam libro fecimus. Hoc autem tempore tantùm nobis declarandum fuit, cur orbati reip. muneribus, ad hoc nos ſtudium potiſſimùm contuliſſemus. Occurritur autem nobis, & quidem à doctis, & eruditis, quærentibus, ſatiſne conſtanter facere videamur, qui, cùm *percipi nihil* poſſe dicamus, tamen & aliis de rebus diſſerere ſoleamus, & hoc ipſo tempore præcepta officii perſequamur. Quibus vellem ſatis cognita eſſet noſtra ſententia. non enim ſumus ii, quorum vagetur animus errore, nec habet umquam, quid ſequatur. quæ enim eſſet iſta mens, vel quæ vita potiùs, non modo diſputandi, ſed vivendi ratione ſublata? Nos autem, ut ceteri, alia, certa, alia incerta eſſe dicunt: ſic ab his diſſentientes, alia probabilia, [9] contrà, alia non probabilia eſſe dicimus. Quid eſt igitur,

1. T*Um ex utilibus quid utilius, aut quid maximè utile.*] Habentur hæc omnia quidem in Palat. prim. non etiam in M. F. D. Palat. ſecund. nedum ut approbent illa Lambiniana; *tum ex duobus utilibus quid utilius, aut ex pluribus quid maximè utile.* imò ſic nulli quidem typis excuſi.

2. *Non tam commutandarum rerum quàm evertendarum cupides, &c.*] Palatin. prim. non habet illud *rerum.* quod gloſſographi nc alicujus ſit, diſquirent otioſiores.

3. *Honeſtiſſimè poſſe deponi.*] Vulgati aliquot, *moleſtias* inſerunt inter vocem primam & ſecundam; quod tamen non comparet in ed. Romana prima, aut M. D. neque agnoſcit editio Victorii: recepit tamen iterum Camerarii, extatque in Palatino primo, ſed non etiam in ſec.

4. *Tantùm erat Philoſophiæ loci.*] Vocabulum *loci*, non videtur in Maurit. neque videbatur requirere Gulielmius.

5. *Et reipubl. temporis.*] Ita F. D. M. Pal. ſec. neque aliter edd. antiquatæ. nam novatrices, *temporibus.* in Palat. pr. eſt *tempori.*

6. *Hanc igitur qui expetunt.*] Palatin. ſecund. M. F. D. *exſpectant.* alterum eſt in Palatin. prim. edd. que priſcis, quarum Romana prima non admittit voculam *igitur.* ſecund. & Moguntina collocarunt poſt *expetunt.*

7. *Semper aliquid anquirunt.*] Ita Maurit. aliorumque ſcripti. cui alludunt edd. priſcæ & mſſ. in quibus *acquirunt*. quamquam fortè hoc priore melius; licet placitum Lambino ac Gulielmio. vulgatiores, *inquirunt*, quod & in multorum membranis, etiam Nannii.

8. *Sive ratio conſtantiæ virtutiſque ducitur.*] Reduxi lectionem Victorianam, quippe Cameraria *quæritur*, præter mſſ. omnes, & antiquitus typis expreſſos. ſic enim Moguntina & Romana prima; extat tantum illud *quæritur* in ſecunda. ceterum notandum duxi loco *conſtantiæ*, eſſe in Pal. pr. *vivendi.*

9. *Contra, alia non probabilia eſſe dicimus.*] Illud *non probabilia* abeſt M. F. D. Palatin. ſecund. neque agnoſcunt vetuſtæ edd. nii quod quædam earum *alia improbabilia.* prius hæret in Palatin. prim. expreſſitque Victorius. idem tamen Palatin. abjicit voculam *eſſe*, quæ neque in ed. Romana prima.

1. Fini-

igitur, quod me impediat, ea, quæ mihi probabilia videantur, ſequi: quæ contrà, improbare: atque affirmandi arrogantiam vitantem, fugere temeritatem, quæ à ſapientia diſſidet plurimum? Contra autem omnia diſputatur à noſtris, quòd hoc ipſum probabile elucere non poſſet, niſi ex utraque parte cauſarum eſſet facta contentio. Sed hæc explanata ſunt in Academicis noſtris ſatis, ut arbitror, diligenter. Tibi autem, mi Cicero, quamquam in antiquiſſima, nobiliſſimaque philoſophia, Cratippo auctore, verſaris, iis ſimillimo, qui iſta præclara pepererunt: tamen hæc noſtra [1] finitima veſtris, ignota eſſe nolui. Sed jam
3 & ad inſtituta pergamus. Quinque igitur rationibus propoſitis officii perſequendi, quarum duæ ad decus, honeſtatemque pertinent: duæ ad commoda vitæ, copias, opes, facultates: quinta ad eligendi judicium, ſi quando ea, quæ dixi, pugnare inter ſe viderentur: [2] honeſtatis pars, confecta eſt: quam quidem tibi cupio eſſe notiſſimam. Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipſum eſt, quod utile appellatur. [3] in quo verbo lapſa conſuetudo deflexit de via, ſenſimque eò deducta eſt, ut honeſtatem ab *utilitate* ſecernens, & conſtitueret honeſtum eſſe aliquid, quod utile non eſſet: & utile, quod non honeſtum: qua nulla pernicies major hominum vitæ potuit afferri. Summa quidem auctoritate philoſophi ſeverè ſanè, atque honeſtè, hæc tria genera confuſa, cogitatione diſtinguunt. quidquid enim juſtum ſit, id etiam utile eſſe cenſent: itemque quod honeſtum, idem juſtum. ex quo efficitur, ut, quidquid honeſtum ſit, idem ſit utile. Quod qui parum perſpiciunt, hi ſæpe verſutos homines, & callidos admirantes; *malitiam*, ſapientiam judicant. quorum error eripiendus eſt, opinioque omnis ad eam ſpem traducenda, ut honeſtis conſiliis, juſtiſque factis, non fraude, & malitia ſe intelligant ea, quæ velint, conſequi poſſe. Quæ ergo ad vitam hominum tuendam pertinent, partim ſunt inanima, ut aurum, argentum, ut ea, quæ gignuntur è terra, ut alia ejuſdem generis: partim animalia, quæ habent ſuos impetus, & rerum appetitus. Eorum autem alia rationis expertia ſunt, alia ratione utentia. Expertes rationis, equi, boves, reliquæ pecudes, apes, [4] quarum opere efficitur aliquid ad hominum uſum, atque vitam. Ratione autem utentium duo genera ponuntur: unum *deorum*: alterum, *hominum*. deos, placatos, pietas efficiet, & ſanctitas: proximè autem, & ſecundum deos, homines hominibus maximè utiles eſſe poſſunt. Earumque rerum, quæ noceant, & obſint, eadem diviſio eſt. Sed quia deos nocere non putant, his exceptis, homines, hominibus [5] obeſſe plurimùm, arbitrantur. ea enim ipſa, quæ inanima diximus, pleraque ſunt hominum operis effecta, quæ nec haberemus, niſi *manus*, & *ars* acceſſiſſent: nec his ſine hominum adminiſtratione uteremur. neque enim valitudinis curatio, neque navigatio, neque agricultura, neque frugum, fructuumque reliquorum perceptio, & conſervatio, ſine hominum opera ulla eſſe potuiſſet. Jam verò & earum rerum, quibus abundaremus, exportatio, & earum, quibus egeremus, invectio, certè nulla eſſet, niſi his muneribus homines fungerentur. eademque ratione nec lapides è terra exciderentur ad uſum noſtrum neceſſarii:

[6] *Nec ferrum, æs, aurum, argentum effoderetur penitus abditum.*

ſine hominum labore, & manu. Tecta verò, quibus & 4
frigorum vis pelleretur & calorum moleſtiæ ſedarentur, unde aut initiò generi humano dari potuiſſent, [7] aut poſteà ſubveniri, ſi aut vi tempeſtatis, aut terræ motu, aut vetuſtate cecidiſſent, niſi communis vita ab hominibus harum rerum auxilia petere didiciſſet? [8] Adde ductus aquarum, derivationes fluminum, agrorum irrigationes, moles oppoſitas fluctibus, portus manu factos, [9] quæ unde ſine hominum opera habere poſſemus? ex quibus, multiſque aliis perſpicuum eſt, qui fructus, quæque utilitates ex rebus iis, quæ ſunt inanimæ, percipiantur, eas nos nullo modo ſine hominum manu, atque opera capere potuiſſe. Qui denique ex *beſtiis* fructus, aut quæ commoditas, niſi homines adjuvarent, percipi poſſet? nam & qui principes inveniendi fuerunt, quem ex quaque belua uſum habere poſſemus, homines certè fuerunt: nec hoc tempore ſine hominum opera aut paſcere eas, aut domare, aut tueri, aut tempeſtivos fructus ex his capere poſſemus: [10] ab eiſdemque & eæ, quæ nocent, interficiuntur: & quæ uſui poſſunt eſſe, capiuntur. Quid enumerem artium multitudinem, ſine quibus vita omnino nulla eſſe potuiſſet? quis enim ægris ſubveniret: quæ eſſet oblectatio valentium, qui victus, aut cultus, niſi tam [11] multæ nobis artes miniſtrarent? quibus rebus exculta hominum vita [12] tantum deſtitit à victu, & cultu beſtiarum. *Urbes* verò ſine hominum cœtu non potuiſſent nec ædificari, nec frequentari: ex quo leges, moreſque conſtituti: tum juris æqua deſcriptio, [13] certaque vivendi diſciplina. quas res & manſuetudo animorum conſecuta, & verecundia eſt: effectumque, ut eſſet vita munitior; atque ut dando, & accipiendo, [14] mutandiſque facultatibus, & commodis nulla re egeremus.

Longio-

1. *Finitima.*] *Finituma*, quinta vocali non tertia fere ſcribitur in mſſ. quemadmodum & in ſimilibus dictionibus. quod uno verbo monere volui, quia exiſtimem genuinam eam ſcripturam, & ab ipſo Cicerone eſſe: cùm primus Dictator Cæſar in his vocali tertia ſit uſus, Quintiliano teſte. Gulielmius.

2. *Honeſtatis pars confecta eſt.*] Ita Palatin. M. F. D. item editio Romana prima. nam aliæ *perfecta*. à quo & abiere mſſ. Lambiniani.

3. *In quo verbo lapſa conſuetudo.*] Illud *verbo* non eſt in Palatino prim. nec Anemæcii Auguſtanis membranis. ſcio, quomodo explicet Aldus Nepos: ſed tamen vix habuerim pro genuino auctoris.

4. *Quarum opere efficitur.*] Non mihi animus invitis libris omnibus ſubſcribere Lambino, cui placuit *opera*. quid autem movit illum? nonne opus faciunt cùm arant boves, cùm vehunt equi, cum mellificant apes? nonne eo opere efficitur aliquid ad uſum hominum? *En cor Zenodoti! en jecur Cratetis!* Gulielmius.

5. *Obeſſe plurimum arbitrantur.*] Vulgati hactenus, *plurimum obeſſe vel prodeſſe arbitrantur*. ſed contra mſſ. noſtros aliorumque, imò & editionem Romanam primam; in quibus dictionum earum nullum veſtigium.

6. *Nec ferrum, æs, aurum, argentum effoderetur penitus abditum.*] Scripſi charactere diverſo. eſt enim ſeptenarius, ex poëta veteri, more Ciceronis, ut videtur, tranſlatus. mutatio verborum manavit a mſſ. noſtris & Lambinianis; neque aliter editio Victorii. aliæ enim *nec ferrum, aurum, æs arg. effoderentur penitus abdita.*

7. *Aut poſtea ſubveniri.*] Langius conjicit. *ſubmuniri*, cui propemodum adſentior, ut vetuſtè ſcriptum fuerit *ſubmæniri*, niſi tamen verum eſt *ſubmoliri*, ut Livius dixit *immoliri: quæ in loca publica inædificata immolitave privati habebant*. ſed tamen rectè illud *ſubveniri* quoque explicatur. Gulielmius.

8. *Adde ductus aquarum.*] Vetus Gulielmii liber *aut deductus*. unde conjecit *at deductus*, quomodo omnino præfert Palatinus prim. certè de aquæductibus heic non agit, ſed de aquis deducendis, ne in vicina inundent.

9. *Quæ unde ſine hominum opera habere poſſemus.*] Sic & editio Victor. neque aliter antiquitus cuſi, niſi quod ii *opere*, quod & in Palatin. & F. ac D. vulgatiores, *quæ non ſine*. Gulielmius reſtituendum putabat, *quæſo unde*; quod repererat in cuſo ita veteri, ut è mſ. deſumptus videretur.

10. *Ab eiſdemque & eæ, &c.*] Ita M. F. D. nec aliter vetuſtius cuſi Moguntiæ anno CCCC LXV. Romæque anno LXXI. id placuit Gulielmio; uti ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repeteretur *hominibus*. neque aliter expreſſerat Victorius. minus concinne vulgo legunt, *ab eis denique*.

11. *Multæ nobis artes miniſtrarent.*] Edd. pleræque *miniſtrarentur*, ſed præter mſſ. noſtros aliorumque, è quibus tamen Palatin. prim. *multa*.

12. *Tantum deſtitit à victu, &c.*] Malim *tandem deſtitit*. Palatin. prim. habet, *tantum diſtat*, neque aliter reſtat in cod. Auguſtano, verùm cùm quem Anemæcius excuſſit; abſit ut id non ſequamur: niſi velimus aureo ſæculo homines ediſſe & vixiſſe cum beſtiis.

13. *Certaque vivendi diſciplina. quas res.*] Sic Palatin. ſic M.F.D. item Langiani, nec non editio Romana prima, ſecutuſque eſt Victorius. aliæ edd. *diſciplina, per quas bene beateque vivitur. quas res.*

14. *Mutandiſque facultatibus.*] Ita rurſus iidem ſcripti, neque aliter Victorius. vulgati alii *permutandiſque*.

1. Nec

5 Longiores hoc loco ſumus, quàm neceſſe eſt. Quis eſt enim, cui non perſpicua ſint illa, quæ pluribus verbis à Panætio commemorantur, neminem [1] neque ducem bello, nec principem domi, magnas res, & ſalutareis ſine hominum ſtudiis gerere potuiſſe? Commemoratur ab eo Themiſtocles, Pericles, Cyrus, Ageſilaus, Alexander, quos negat [2] ſine adjumentis hominum tantas res efficere potuiſſe. Utitur in re non dubia, teſtibus non neceſſariis. Atque ut magnas utilitates adipiſcimur conſpiratione hominum, atque conſenſu: ſic NULLA TAM DETESTABILIS peſtis eſt, quæ non homini ab homine naſcatur. Eſt Dicæarchi liber de interitu hominum, Peripatetici magni, & copioſi: qui, collectis ceteris cauſis, eluvionis, peſtilentiæ, vaſtitatis, beluarum etiam repentinæ multitudinis, quarum impetu docet quædam hominum genera eſſe conſumta: deinde comparat, quanto plures deleti ſint homines hominum impetu, id eſt, bellis, aut ſeditionibus, quàm omni reliqua calamitate. Cùm igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin homines plurimum hominibus & proſint, & obſint: [3] proprium hoc ſtatuo eſſe virtutis, *conciliare animos* hominum, & ad uſus ſuos adjungere. Itaque, quæ in rebus inanimis, [4] quæque in uſu, & tractatione beluarum fiunt, utiliter ad hominum vitam, artibus ea tribuuntur operoſis: hominum autem ſtudia ad amplificationem noſtrarum rerum prompta ac parata, [5] virorum præſtantia, ſapientia, & virtute excitantur. Etenim virtus omnis tribus in rebus ferè vertitur: quarum una eſt in perſpiciendo, quid in quaque re verum [1] ſincerumque ſit, quid conſentaneum cuique, quid conſequens, [6] ex quoque gignantur, quæ cujuſque rei cauſa ſit: [7] alterum cohibere motus animi turbatos, quos Græci πάθη nominant: appetitioneſque, quas illi ὁρμὰς, obedienteis efficere rationi: tertium, iis, quibuſcum congregamur, uti moderatè, & ſcienter, quorum ſtudiis ea, quæ natura deſiderat, expleta, cumulataque habeamus. [8] per eos denique, ſi quid importetur nobis incommodi, propulſemus, ulciſcamurque eos, qui nocere nobis conati ſunt, tantaque pœna afficia-
6 mus, quantam æquitas, humanitaſque patitur. Quibus autem rationibus hanc facultatem aſſequi poſſimus, ut hominum ſtudia complectamur, eaque teneamus, dicemus: neque ita multo pòſt: ſed pauca antè dicenda ſint. MAGNAM VIM eſſe in fortuna in utramque partem, vel ſecundas ad res, vel adverſas, quis ignorat? nam & [9] cùm proſpero flatu ejus utimur, [10] ad exitus pervehimur optatos: & cùm reflavit, affligimur. Hæc igitur ipſa fortuna ceteros caſus rariores habet, primum ab inanimis procellas, tempeſtates, naufragia, ruinas, incendia: deinde, à beſtiis ictus, morſus, impetus. Hæc ergo, ut dixi, rariora. At verò interitus exercituum, ut proximè trium, ſæpe multorum, clades imperatorum, ut nuper ſummi, ac ſingularis viri: invidiæ præterea multitudinis, atque ob eas, *bene meritorum* ſæpe civium expulſiones, calamitates, fugæ: rurſuſque ſecundæ res, honores, imperia, victoriæ, quamquam fortuita ſunt, tamen ſine hominum opibus, & ſtudiis neutram in partem effici poſſunt. Hoc igitur cognito, dicendum eſt, quonam modo hominum ſtudia ad utilitates noſtras allicere, atque excitare poſſimus. quæ ſi longior fuerit oratio, cum magnitudine utilitatis comparetur. ita fortaſſis etiam brevior videbitur. Quæcumque igitur homines homini tribuunt ad eum augendum, atque honeſtandum, aut *benivolentiæ* gratia faciunt, cùm aliqua de cauſa quempiam diligunt: aut *honoris*, ſi cujus virtutem ſuſpiciunt, [11] & ſi quem dignum fortuna quàm ampliſſima putant: aut cui *fidem* habent, & bene rebus ſuis conſulere arbitrantur: aut cujus opes *metuunt*: aut contrà, à quibus aliquid *exſpectant*: ut cum reges, populareſve homines largitiones aliquas proponunt: aut poſtremò, *pretio*, ac mercede ducuntur: quæ ſordidiſſima eſt illa quidem ratio, & inquinatiſſima, & iis, qui ea tenentur, & illis, qui ad eam confugere conantur. MALE ENIM SE res habet, cùm, quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. Sed quoniam nonnumquam hoc ſubſidium neceſſarium eſt: quemadmodum ſit utendum eo, dicemus, ſi priùs iis de rebus, quæ virtuti propiores ſunt, dixerimus. Atque etiam *ſubjiciunt* ſe homines imperio alterius, & poteſtati de cauſis pluribus. ducuntur enim aut benevolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præſtantia, aut ſpe, ſibi id utile futurum, aut metu, ne vi parère cogantur, aut ſpe [12] largitionis, promiſſioniſque capti: aut poſtremò, ut ſæpe in noſtra repub.
videmus, mercede conducti. Omnium autem rerum nec 7
aptius eſt quidquam ad opes tuendas, quàm diligi: nec alienius, quàm timeri. Præclare enim Ennius: *Quem metuunt, oderunt: quem quiſque odit, periiſſe expetit.* Multorum autem odiis nullas opes poſſe obſiſtere, ſi antea fuit ignotum, nuper eſt cognitum. Nec verò hujus tyranni ſolùm, quem armis oppreſſa pertulit civitas, [13] interitus declarat, quantum odium hominum valeat ad peſtem, ſed reliquorum ſimiles exitus tyrannorum: quorum haud ferè quiſquam interitum ſimilem effugit. MALUS ENIM CUSTOS diuturnitatis metus: contraque, benevolentia, fidelis eſt, vel ad perpetuitatem. Sed iis, qui vi oppreſſos imperio coërcent, ſit ſanè adhibenda ſævitia, ut heris in famulos, ſi aliter teneri non poſſunt. qui verò in libera civitate ita ſe inſtruunt, ut metuantur: his nihil eſſe poteſt dementius. quamvis enim demerſæ ſint leges alicujus opibus, quamvis [14] timefacta libertas, emergunt tamen hæc aliquando aut judiciis tacitis, aut occultis de honore ſuffragiis. ACRIORES autem morſus ſunt intermiſſæ libertatis, quàm retentæ.

---

1. *Nec ducem bello, nec principem domi.*] Haud aliter libri, quibus uſus Gulielmius, qui arbitrabatur ſcribendum *belli*. ſic enim Terentius & Plautus uſitaverunt, *belli domique*. imò & ipſe Tullius hujus libri ſub finem: *Quibuſcunque rebus vel belli vel domi poterunt.* & verò *belli* illud diſerte exſtat in Palatino noſtro primo.

2. *Sine adjumentis.*] Palat. idem expreſſit *adjuvamentis*.

3. *Proprium hoc ſtatuo eſſe virtutis.*] Idem Palat. *primum hoc.* quod ſi & reperiretur in aliorum membranis, non erat contemnendum.

4. *Queque in uſu & tractatione.*] Sic quidem Palat. prim. verùm ſec. aut F. & D. non agnoſcunt *uſu &*; ut nec editionum prima, aut Victorina.

5. *Virorum præſtantium ſapientia ac virtute excitantur.*] Palatin. prim. *virorum ſapientium & virtute præſtantium. excitantur.* ſecund. *exercitantur.*

6. *Ex quo quæque gignantur.*] Palat. prim. *ex quo quidque gignatur.* Maur. *ex quoque gignantur.*

7. *Alterum, cohibere motus animi.*] Annotant alii fortè reſcribendum: *altera.* ſed non ſic vetuſtas librorum. forſan non malè Palatinus prim. alterum eſt cohibere, &c.

8. *Per eos denique.*] Palat. M. F. C. *per eoſdemque.* neque aliter Victorii editio, aliquotque ſequentes.

9. *Cùm proſpero flatu ejus utimur.*] Vetus M. *fluctu*. de quo cogitandum. mox idem *inflavit*, quod perplacet, & ſic memini locutum Ovidium. Gulielmius.

10. *Ad exitus pervehimur optatos.*] Sic Victorii, Lambini, Aldi Nepotis editio. antiquiores tamen *provehimur*, quod & in Pall. aliquotque aliis mſſ. annotavit Gulielmius, *pervehi* ex alto in portum, *provehi* ex portu in altum.

11. *Et ſi quem dignum.*] Sic nonnullæ editiones, ut & Camerarii. at Victorii omiſſis duobus prioribus verbis, *quemque dignum*, quod & in Palat. D. M. F. item impreſſione Romana prima.

12. *Largitionis, promiſſioniſque.*] Vulg. *promiſſionibuſque*. ſed alterum hæret in ed. Vict. & mſſ. M. F. D. olimque cuſis, item Pal. ſec.

13. *Interitus declarat, quantum, &c.*] Locum hunc Gulielmius compungit notulis non Threiciis, ſed his noſtris cenſoriis; tanquam haud dubie mutilum clamet varietas lectionis; alia quidem apud Langium, alia in mſſ. ejus; iſta nempe; *Nec verò hujus tyranni ſ. q. a. op. pert. civitas, apparet cujus maxima portui interitus di clarat, quantum.* tentabat; *pertulit civitas, apparere cuivis maximè potuit, quantum.* & aptiſſimè quidem hoc reſpondet iis quæ præcedunt; ſed tamen tu cogita, erudite lector. Palatinus primus non diſcrepat à vulgato, niſi quod mox excludat vocem *ſimiles*. iterumque fine periodi eandem dictionem *ſimilem*, ſive *talem*, ut nonnulli publicarunt. & utrumque verbum abeſſe profectò poterat ſententia ſalva. Palat. ſecund. præfert: *civitas, apparet cujus maximè protervi interitus declarat, &c.*

14. *Timefacta libertas.*] Publicati ante Victorium *tremefacta*, eique ſcripturæ accedunt quoque membranæ; haud tamen deſunt in quibus hæreat alterum. certè ita Pal. & Maur. exemplar.

retentæ. Quod igitur latiſſimè patet, neque ad incolumitatem ſolùm, ſed etiam ad opes, & potentiam valet plurimùm, id amplectamur, ut METUS ABSIT, caritas retineatur, ita facillimè, quæ volumus, & privatis in rebus, & in rep. conſequemur. etenim, QUI SE METUI volent, à quibus metuentur, eoſdem metuant ipſi, neceſſe eſt. Quid enim cenſemus ſuperiorem illum Dionyſium? quo cruciatu timoris angi ſolitum, qui cultros metuens tonſorios, [1] candenti carbone ſibi adurebat capillum? quid? Alexandrum Pheræum, quo animo vixiſſe arbitramur? qui (ut ſcriptum legimus) cùm uxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, & eum quidem, ut ſcriptum eſt, compunctum notis Threiciis, diſtricto gladio jubebat anteire: præmittebatque de ſtipatoribus ſuis, qui ſcrutarentur arculas muliebreis, &, [2] ne quod in veſtimentis occultaretur telum, exquirerent. O miſerum, qui fideliorem & barbarum, & [3] ſtigmatiam putaret, quàm conjugem! [4] nec eum fefellit. ab ea enim eſt ipſe, propter pellicatus ſuſpicionem, interfectus. NEC verò ULLA VIS IMPERII tanta eſt, quæ premente metu, poſſit eſſe diuturna. Teſtis eſt Phalaris, cujus eſt præter ceteros nobilitata crudelitas: qui non ex inſidiis interiit, ut is, quem modò dixi, Alexander: non à paucis, ut hic noſter: ſed in quem univerſa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Quid? Macedones nonne Demetrium reliquerunt, univerſique ſe ad Pyrrhum contulerunt? Quid? Lacedæmonios injuſtè imperanteis: nonne repentè omnes fere ſocii deſeruerunt, [5] ſpectatoreſque ſe otioſos præbuerunt Leuctricæ calami-
8 tatis? Externa libentiùs in tali re, quàm domeſtica, recordor. Verumtamen quamdiu imperium pop. R. *beneficiis* tenebatur, non injuriis, bella, aut pro ſociis, aut de imperio gerebantur: exitus erant bellorum aut mites, aut neceſſarii. Regum, populorum, nationum portus erat, & refugium, ſenatus. Noſtri autem magiſtratus, imperatoreſque ex hac una re maximam laudem capere ſtudebant, ſi provincias, ſi ſocios æquitate, & fide defendiſſent. Itaque illud *patrocinium orbis terræ* veriùs, quàm imperium poterat nominari. Senſim hanc conſuetudinem, & diſciplinam jam anteà minuebamus: poſt verò Syllæ victoriam penitus amiſimus. Deſitum eſt enim videri quidquam in ſocios iniquum, cùm exſtitiſſet in civeis tanta crudelitas. Ergo in illo ſecuta eſt honeſtam cauſam non honeſta victoria. eſt enim auſus dicere, haſta poſita, cùm bona in foro venderet & bonorum virorum, & locupletum, & certè civium, *prædam ſuam ſe vendere.* ſecutus eſt, qui in cauſa impia, victoria etiam fœdiore, [6] non ſingulorum civium bona publicaret, ſed univerſas provincias, regioneſque [7] uno calamitatis jure comprehenderet. Itaque, vexatis, & perditis exteris nationibus, ad exemplum amiſſi imperii portari in triumpho Maſſiliam vidimus, & ex ea urbe triumphari, ſine qua numquam noſtri imperatores ex tranſalpinis bellis triumpharunt. multa præterea commemorarem nefaria in ſocios, ſi hoc uno ſol quidquam vidiſſet indignius. Jure igitur plectimur. niſi enim multorum impunita ſcelera tuliſſemus, numquam ad unum tanta perveniſſet licentia: à quo quidem rei familiaris, ad paucos; cupiditatum, ad multos improbos venit hereditas. Nec verò umquam bellorum civilium ſemen, & cauſa deerit, dum homines perditi haſtam illam cruentam & meminerint, & ſperabunt. quam P. Sylla cùm vibraſſet, dictatore propinquo ſuo: idem ſexto triceſimo anno pòſt à ſceleratiore haſta non receſſit. alter autem, qui in illa dictatura ſcriba fuerat, in hac fuit quæſtor urbanus. Ex quo debet intelligi, talibus præmiis propoſitis, numquam defutura bella civilia. Itaque parietes urbis modo ſtant, & manent, iique ipſi jam extrema ſcelera metuentes: rem verò publicam penitus amiſimus: atque in has cladeis incidimus (redeundum eſt enim ad propoſitum) DUM METUI, quàm cari eſſe, & diligi maluimus. Quæ ſi populo R. injuſtè imperanti accidere potuerunt, [8] quid debent putare ſinguli? Quod cùm perſpicuum ſit, BENIVOLENTIÆ vim, eſſe magnam: metus, imbecillam: ſequitur, ut diſſeramus, quibus rebus poſſimus facillimè eam, quam volumus, adipiſci cum honore, & fide caritatem. Sed ea non pariter omnes egemus. nam ad cujuſque vitam inſtituendam accommodandum eſt, à multiſne opus ſit, an ſatis à paucis diligi. Certum igitur hoc ſit, idque & primum & maximè neceſſarium, familiaritates habere fidas amantium nos amicorum, & noſtra mirantium: hæc enim eſt una res prorſus, ut non multùm differat inter ſummos, & mediocreis viros; eaque utriſque eſt propemodum comparanda. Honore, & gloria, & benevolentia civium fortaſſe non æquè omnes egent, ſed tamen ſi cui hæc ſuppetunt, adjuvant aliquantùm tum ad cetera, tum ad amicitias comparandas. Sed de amicitia 9
alio libro dictum eſt, [9] qui inſcribitur Lælius. Nunc dicamus de gloria: quamquam ea quoque de re duo ſunt noſtri libri: ſed attingamus, quando quidem ea in rebus majoribus adminiſtrandis adjuvat plurimum. Summa igitur, & perfecta gloria conſtat ex tribus his: ſi diligit multitudo: ſi fidem habet: ſi cum admiratione quadam honore dignos putat. Hæc autem, ſi eſt ſimpliciter, breviterque dicendum, [10] quibus rebus pariuntur à ſingulis, eiſdem ferè à multitudine. Sed eſt alius quoque quidam aditus ad multitudinem, ut in univerſorum animos tanquam influere poſſimus. Ac primùm de illis tribus, quæ antè dixi benevolentiæ præcepta, videamus: quæ quidem [11] beneficiis capitur maximè: ſecundo autem loco benefica voluntate benevolentia movetur, etiam ſi res fortè non ſuppetit. vehementer autem amor multitudinis commovetur ipſa fama, & opinione liberalitatis, benificentiæ, juſtitiæ, fidei, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad manſuetudinem morum, ac facilitatem. Etenim illud ipſum, [12] quod honeſtum decorumque dicimus, quia per ſe nobis placet, animoſque omnium natura, & ſpecie ſua commovet, maximeque quaſi perlucet ex eis, quas commemoravi, virtu-

---

1. *Candente carbone ſibi adurebat capillum.*] Baſilicanus *adulebat*, antiquè pro *adolebat*: ita & aduleſcens pro adoleſcens. Gulielm.

2. *Ne quod in veſtimentis occultaretur telum.*] Palat. prim. ſine voce poſtrema, *ne quid in veſtim. occultaretur.* & placet.

3. *Et ſtigmatiam.*] Sic ex Nonio edd. Victorii, Lambini, Aldi; ſuffragantibus M. & F. aliæ *ſtigmaticum.*

4. *Nec eum fefellit. ab ea enim.*] Prius editi, *fefellit opinio. ab, &c.* verùm ea dictio haud viſitur in Palat. non magis quàm M. F. D. quid quod & abeſt edit. Rom. pr.

5. *Spectatoreſque ſe otioſos.*] Palat. prim. non arguatus eſt ullo loco voculam *ſe.*

6. *Non ſingulorum civium.*] Secuti ſumus Victorianam edit. adſtipulantibus ei Palatin. item M. F. D. Gulielmianis. aliæ auctiores, *non ſolum ſingulorum.*

7. *Uno calamitates jure comprehenderet.*] In poſſeſſionem, quaſi poſtliminio, reduxi lectionem omnium fere mſſ. quam ejecerat judicium Lambini, invecto, *calamitatis genere*; quod quidem in exoletis edd. ſed minimè in membranaceis Gulielmio excuſſis, aut Palatino utroque. *calamitatis jure*, eſt jure belli, quo in aliis adimebat regna Cæſar, aliis dabat; aliis populis largiebatur, aliis tributa ac vectigalia nova imponebat. venuſtè ſimul atque acerbè.

8. *Quid debent putare ſinguli?*] Palatinus prim. *quid debetur putare ſingulis.* Idem quoque antea præfert, *Quæ ſi populo Roman. injuſtè accidere imperanti potuere*; ut ſupicer aliquid latere ulceris occulti. Palatin. ſecund. præfert, *deberent.*

9. *Qui inſcribitur Lælius.*] Vix eſt, ut hoc à Cicerone eſſe, & non à magiſtro quopiam potius adjecta arbitretur Gulielmius.

10. *Quibus rebus pariuntur.*] Palatin. prim. *parantur*; quod cùm etiam repræſentet codex qui ſervatur Auguſtæ ad D. Ulricum ætate admodum grandi, ut affirmat Anemæcius, præpoſuerim figurato illi *pariuntur.*

11. *Beneficiis capitur maximè.*] Langius *carpitur* è libro uno. at nos nihil mutamus conſentientibus libris. *captare benevolentiam* eleganter dicitur; quidni ergo & *capere*: cùm illud conatum, hoc effectum ſignificet. Plautus Amphitruone: *Tu ſi me impudicitiæ captas, non potes capere.* Gulielmius.

12. *Quod honeſtum decorumque dicimus.*] Sic editio Victorii, ſic Palatin. ſic Gulielmiani. aliæ, *quod decorum honeſtumque dicimus.*

1. Poſ-

virtutibus : idcircò illos, in quibus eas virtutes eſſe remur, à natura ipſa diligere cogimur. Atque hæ quidem cauſæ diligendi graviſſimæ : [1] poſſunt enim præterea nonnullæ eſſe leviores. Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici poteſt : ſi exiſtimabimur adepti conjunctam cum juſtitia prudentiam. nam ET IIS FIDEM habemus, quos plus intelligere, quàm nos, arbitramur, quoſque & futura proſpicere credimus, & cùm res agatur, in diſcrimenque ventum ſit, expedire rem, & conſilium ex tempore capere poſſe. hanc enim utilem omnes exiſtimant, veramque prudentiam. Juſtis autem & fidis hominibus, id eſt, bonis, ita fides habetur, ut nulla ſit in his fraudis, injuriæque ſuſpicio. Itaque his ſalutem noſtram, his fortunas, his liberos rectiſſimè committi arbitramur. Harum igitur duarum ad fidem faciendam juſtitia plus pollet : quippe cùm ea ſine prudentia ſatis habeat auctoritatis, prudentia ſine juſtitia nihil valeat ad faciendam fidem. QUO ENIM QUIS verſutior, & callidior eſt, hoc inviſior, & ſuſpectior, detracta opinione probitatis. Quamobrem intelligentiæ juſtitia conjuncta, quantum volet, habebit ad faciendam fidem virium. juſtitia ſine prudentia multùm poterit : ſine
10 juſtitia nihil valebit prudentia. Sed, ne quis ſit admiratus, cur, cùm inter omneis philoſophos conſtet, à meque ipſo ſæpe diſputatum ſit, qui unam haberet, omneis habere virtutes : nunc ita ſejungam, quaſi poſſit quiſquam, qui non idem prudens ſit, juſtus eſſe : alia eſt illa, cùm veritas ipſa limatur in diſputatione, ſubtilitas : alia, cùm ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quamobrem, ut vulgus, ita nos hoc loco loquimur, ut alios forteis, alios bonos viros, alios prudenteis dicamus. Popularibus enim verbis eſt agendum, & uſitatis, cùm loquimur de opinione populari, idque eodem modo fecit Panætius. Sed ad propoſitum revertamur. Erat igitur ex tribus, quæ ad gloriam pertinent, hoc tertium, ut cum admiratione hominum, honore ab iis digni judicaremur. Admirantur igitur communiter illi quidem omnia, quæ magna, & præter opinionem ſuam animadverterunt : ſeparatim autem in ſingulis, ſi perſpiciunt nec-opinata quædam bona. itaque EOS VIROS ſuſpiciunt, maximiſque efferunt laudibus, in quibus exiſtimant ſe excellenteis quaſdam, & ſingulares virtutes perſpicere : deſpiciunt autem eos, & contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant. non enim omneis eos contemnunt, de quibus malè exiſtimant. nam quos improbos, maledicos, fraudulentos putant, & ad faciendam injuriam inſtructos, [2] eos haud contemnunt quidem, ſed de his malè exiſtimant. Quamobrem, (ut antè dixi) contemnuntur ii, [3] qui *nec ſibi, nec alteri*, ut dicitur; in quibus nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt. [4] Admiratione afficiuntur ii, qui anteire ceteros virtute putantur, & cùm omni carere dedecore, tum verò iis vitiis, quibus alii non facilè poſſunt obſiſtere. nam & VOLUPTATES, blandiſſimæ dominæ, majores parteis animi à virtute detorquent : & dolorum cùm admoventur faces, præter modum plerique exterrentur : VITA, MORS, divitiæ, paupertas, omneis homines vehementiſſimè permovent. Quæ qui in utramque partem excelſo animo magnoque deſpiciunt, cumque aliqua his ampla, & honeſta res objecta eſt, totos ad ſe convertit, & rapit, tum quis non admiretur ſplendorem, pulchritudinemque virtutis? Ergo & hæc animi deſpicientia 11
admirabilitatem magnam facit : & maximè juſtitia (ex qua una virtute viri boni appellantur) mirifica quædam multitudini videtur : nec injuria. NEMO enim juſtus eſſe poteſt, qui mortem, qui dolorem, qui exſilium, qui egeſtatem timet, aut qui ea, quæ his ſunt contraria, æquitati anteponit. maximeque admirantur eum, qui pecunia non movetur : quod in quo viro perſpectum ſit, [5] hunc *igni ſpectatum* arbitrantur. Itaque illa tria, quæ propoſita ſunt ad gloriam, omnia juſtitia conficit : & benevolentiam, quòd prodeſſe vult plurimis, & ob eandem cauſam, fidem & admirationem, quòd eas res ſpernit, & negligit, ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur. Ac mea quidem ſententia omnis ratio, atque inſtitutio vitæ adjumenta hominum deſiderat : in primiſque, ut habeas, quibuſcum poſſis familiareis conferre ſermones : quod eſt difficile, niſi ſpeciem præ te boni viri feras. Ergo etiam ſolitario homini, atque in agro vitam agenti, opinio juſtitiæ neceſſaria eſt : eoque etiam magis, quòd ſi eam non habebunt, injuſti habebuntur : nullis præſidiis ſæpti, multis afficientur injuriis. Atque iis etiam, qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendiſque negotiis implicantur, juſtitia ad rem gerendam neceſſaria eſt. cujus tanta vis eſt, ut NEC ILLI QUIDEM, qui maleficio, & ſcelere paſcuntur, poſſint ſine ulla particula juſtitiæ vivere. nam qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid, aut eripit; is ſibi ne in latrocinio quidem relinquit locum : ille autem, qui archipirata dicitur, niſi æquabiliter prædam diſpertiat, aut interficiatur à ſociis, aut relinquatur. quinetiam leges latronum eſſe dicuntur, quibus pareant, quas obſervent. Itaque propter æquabilem prædæ partitionem, & Bargulus Illyrius latro, de quo eſt apud Theopompum, magnas opes habuit : & multo majores Viriatus Luſitanus : cui quidem etiam exercitus noſtri, imperatoreſque ceſſerunt : quem C. Lælius, is, qui ſapiens uſurpatur, prætor fregit, & comminuit, ferocitatemque ejus ita repreſſit, ut facile bellum reliquis traderet. Cùm igitur tanta vis juſtitiæ ſit, ut ea etiam latronum opes firmet, atque augeat, quantam ejus vim inter leges, [6] & judicia, & inſtituta reip. fore putamus? Mihi quidem non apud Medos ſolùm, ut ait He- 12
rodotus, ſed etiam apud majores noſtros, [7] juſtitiæ fruendæ cauſa videntur olim bene morati reges conſtituti. [8] Nam cum premeretur inops multitudo ab iis, qui majores opes habebant : ad unum aliquem confugiebant, virtute præſtantem : qui [9] cum prohiberet injuria tenuiores, æquitate conſtituenda; [10] ſummos cum infimis pari jure retinebat. Eademque conſtituendarum legum fuit cauſa, quæ regum. Jus

1. *Poſſunt enim præterea nonnullæ eſſe leviores.*] Nihil horum viſitur in prim. Palatino; & certè poterat totum abeſſe. ſupra quoque repoſui *atque hæ quidem cauſæ*, fiducia mſſ. editionumque primarum.

2. *Eos haud contemnunt quidem.*] Palatin. prim. *eos contemnunt quidem neutiquam* : quod & in quatuor mſſ. reperit Aldus Nepos, ac probat; ut magis antiquum. in Palatin. ſecund. erat, *eos contemnunt quidem nunquam.*

3. *Qui nec ſibi nec alteri, ut dicitur.*] Reduxi lectionem quam intulerat editioni ſuæ Victorius, confirmatam à Palatin. F. D. aliorumque membranis. vulgata enim *alteri proſunt, ut dicitur.*

4. *Admiratione afficiuntur ii, &c.*] Secutus ſum Palat. & Gulielmianos; item editionem primam. ceteræ aut *admiratione quadam afficiuntur.* aut *admiratione quadam verò afficiuntur.* aut adeo *admiratione autem affic.* quæ varietas ſatis prodit falſitatem ſcripturæ.

5. *Hunc igni ſpectatum arbitrantur.*] Parœmiam redolet. *ſpectare aurum*, probare eſt. Plautus Perſa : *non hercle cui nunc hoc dum ſpectandum ſcio.* Probatur autem igni optimè. ab auro igitur ad hominem facta tranſlatio eſt. Gulielmius.

6. *Et judicia, & inſtituta reipubl.*] Ita Palatin. neque aliter Lambiniani. editio Romana prima, *& judicia conſtituta reipubl.* non abſurdè. vulgati alii, *& inſtituta reipubl.*

7. *Juſtitiæ fruendæ cauſa.*] Sic Palat. & F. editioneſque antiquiores, etiam Victorina. aliæ *ſervandæ juſtitiæ.*

8. *Nam cum premeretur inops multitudo.*] Sic Moguntina editio omnium princeps & Romana altera; neque aliter invenit in ſuis duobus mſſ. Aldus Nepos. Palatinus noſter uterque habet *in otio multitudo.* Gulielmio placebat, quod habebatur in tribus Suffridi mſſ. *premeretur in otio inops multitudo.* at mihi illud *in otio* natum videtur ab altero *inops.* vulgati ferè, *premeretur initio multitudo.*

9. *Cùm prohiberet injuria tenuiores.*] Palat. pr. accedit lectioni Victorinæ *injuriam tenuioris.*

10. *Summos cum infimis pari jure retinebat.*] Editiones primæ, item Palat. & Langiani, ut & Lambiniani & Aldini, una cum D. & F. ſervant omninò *pertinebat.* adnotatque Gulielmius, F. adſcriptum, *id eſt, perfectè tenebat.* & videtur revocanda vox minus ſed nota, vel ob exemplariumconſpirationem.

Jus enim ſemper quæſitum eſt æquabile. neque enim aliter eſſet jus. id ſi ab uno juſto, & bono viro conſequebantur, eo erant contenti. cùm id minùs contingeret, leges ſunt inventæ, quæ cum omnibus ſemper una, atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perſpicuum eſt, eos AD IMPERANDUM deligi ſolitos, quorum de juſtitia magna eſſet opinio multitudinis. Adjuncto verò, ut iidem etiam prudentes haberentur, nihil erat, quod homines his auctoribus non poſſe conſequi ſe arbitrarentur. Omni igitur ratione colenda, & retinenda juſtitia eſt, tum ipſa propter ſeſe: nam aliter juſtitia non eſſet: tum propter amplificationem honoris, & gloriæ. Sed ut pecuniæ non quærendæ ſolùm ratio eſt, ſed etiam collocandæ, quæ perpetuos ſumtus ſuppeditet, nec ſolùm neceſſarios, ſed etiam liberaleis: ſic gloria & quærenda, & collocanda ratione eſt. Quamquam præclarè Socrates, hanc viam ad gloriam proximam, & quaſi compendiariam dicebat eſſe, ſi quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis eſſet. Quòd ſi qui ſimulatione, & inani oſtentatione, & ficto non modò ſermone, ſed etiam vultu, ſtabilem ſe gloriam conſequi poſſe rentur, vehementer errant. VERA GLORIA radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam floſculi, decidunt, nec ſimulatum poteſt quidquam eſſe diuturnum. Teſtes ſunt permulti in utramque partem: ſed brevitatis cauſa, familia erimus contenti una. Tiberius enim Gracchus, Publii filius, tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit. At ejus filii, nec vivi probabantur bonis, & mortui [1] nomen obtinent *jure*
13 *cæſorum*. Qui igitur adipiſci veram gloriam volet, juſtitiæ fungatur officiis. ea quæ eſſent, dictum eſt libro ſuperiore. Sed, ut facillimè, quales ſimus, tales eſſe videamur, etſi in eo ipſo vis maxima eſt, ut ſimus ii, qui haberi velimus, tamen quædam præcepta danda ſunt. nam ſi quis ab ineunte ætate habet cauſam celebritatis, & nominis, aut à patre acceptam, (quod tibi, mi Cicero, arbitror contigiſſe) aut aliquo caſu, atque fortuna: IN HUNC oculi omnium conjiciuntur, atque in eum, quid agat, quemadmodum vivat, inquiritur: & tanquam in clariſſima luce verſetur, ita nullum obſcurum poteſt nec dictum ejus eſſe, nec factum. Quorum autem prima ætas propter humilitatem, & obſcuritatem in hominum ignoratione verſatur: hi ſimul ac juvenes eſſe cœperunt, magna ſpectare, & ad ea rectis ſtudiis debent contendere: quod eo firmiore animo facient, quia [2] NON MODO non invidetur illi ætati, verùm etiam favetur. Prima igitur eſt adoleſcenti commendatio ad gloriam, ſi qua ex bellicis rebus comparari poteſt: in qua multi apud majores noſtros exſtiterunt: ſemper enim ferè bella gerebantur. Tua autem ætas incidit in id bellum, cujus altera pars, ſceleris nimium habuit: altera, felicitatis parum. Quo tamen in bello, cùm te Pompeius alæ alteri præfeciſſet, magnam laudem & à ſummo viro, & ab exercitu conſequebare equitando, jaculando, [3] omni militari labore tolerando. atque ea quidem tua laus pariter cum repub. cecidit. Mihi autem hæc oratio ſuſcepta non de te eſt, ſed de genere toto. quamobrem pergamus ad ea, quæ reſtant. Ut igitur in reliquis rebus MULTO majora ſunt opera animi, quam corporis: ſic hæ res, quas perſequimur ingenio, ac ratione, graviores ſunt, quam illæ, quas viribus. Prima igitur commendatio proficiſcitur à modeſtia, tum pietate in parenteis, tum in ſuos benivolentia. Facillimè autem, & in optimam partem cognoſcuntur adoleſcentes, QUI SE AD claros, & ſapienteis viros, benè conſulentes reip. contulerunt: quibus cum ſi frequenteis ſint, opinionem afferunt populo, eorum fore ſe ſimileis, quos ſibi ipſi delegerint ad imitandum. P. Rutilii adoleſcentiam ad opinionem & innocentiæ, & juris ſcientiæ P. Mucii commendavit domus. nam Lucius quidem Craſſus, cùm eſſet admodum adoleſcens, non aliunde mutuatus eſt, ſed ſibi ipſe peperit maximam laudem ex illa accuſatione nobili &glorioſa. &, qua ætate qui exercentur, laude affici ſolent (ut de Demoſthene accepimus) ea ætate L. Craſſus oſtendit, id ſe in foro optimè jam facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari. Sed cum duplex ratio ſit ora- 14
tionis, quarum in altera ſermo ſit; in altera, contentio: non eſt id quidem dubium, [4] quin contentio orationis majorem vim habeat etiam ad gloriam. ea eſt enim, quam eloquentiam dicimus. ſed tamen difficile dictu eſt, quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitaſque ſermonis. Exſtant epiſtolæ, & Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Caſſandrum, & Antigoni ad Philippum filium, trium prudentiſſimorum, (ſic enim accepimus) quibus præcipiunt, *ut oratione benigna multitudinis animos ad benivolentiam alliciant*, [5] *militeſque blandè appellando deleniant.* Quæ autem in multitudine cum contentione habetur oratio, ea ſæpe univerſam excitat. Magna eſt enim admiratio copioſè, ſapienterque dicentis: quem qui audiunt, intelligere etiam, & ſapere plus, [6] quàm ceteros, arbitrantur. Si verò ineſt in oratione MISTA modeſtiæ gravitas, nil admirabilius fieri poteſt; eoque magis, ſi ea ſunt in adoleſcente. Sed, cùm ſint plura cauſarum genera, quæ eloquentiam deſiderant, multique in noſtra repub. adoleſcentes & apud judices, & apud ſenatum dicendo laudem aſſecuti ſint, maxima admiratio eſt in judiciis, quorum ratio duplex eſt. nam ex accuſatione, & defenſione conſtat: quarum etſi laudabilior eſt defenſio, tamen etiam accuſatio probata perſæpe eſt. Dixi paullo antè de Craſſo. idem fecit adoleſcens M. Antonius. etiam P. Sulpicii eloquentiam accuſatio illuſtravit, cùm ſeditioſum, & inutilem civem, C. Norbanum, in judicium vocavit. Sed hoc quidem non eſt ſæpe faciendum, nec umquam niſi aut reipub. cauſa, ut duo Luculli: aut patrocinio, ut nos pro Siculis; [7] pro Sardis: pro M. Albucio Julius. in accuſando etiam [8] Man. Aquilio L. Fufii cognita induſtria eſt. Semel igitur, aut non ſæpe certè. Sin erit, cui faciendum ſit ſæpius, reip. tribuat

1. *Nomen obtinent jure cæſorum.*] Aliæ editiones *numerum obtinent*, ſed præter ſcripturam Pal. pr. & Gulielmianorum, ut puto, nam nihil ipſe adſcripſit huic loco, niſi nomen Langii; quem & initio ſecutus fuerat Lambinus, ſed poſtea adhæſit lectioni alteri; quam tamen improbo. rationes prompſi ad locum Senecæ Epiſt. 104. in ſuſpicionibus. Palat. ſecund. *numerum* agnoſcit, nec *nomen*, neque aliud quid eorum loco.

2. *Non modò non invidetur.*] Pal. pr. *non videtur*. & verò cùm in pluribus olim auctoribus invenirem *livetur* pro *invidetur*; examinet lector, heic ne ſuum obtinere queat locum; quod forſan ab imperitioribus abiit primum in *videtur*, deinde in *invidetur*.

3. *Omni militari labori.*] Haud aliter Palatin. & F. expreſſeratque in editione Victorius. nam priores, *omnia milit.* aut *omnem militarem laborem*. poſteriores, *omniaque milit.*

4. *Quin contentio rationis majorem vim habeat etiam ad gloriam.*] Hæc eſt ſcriptura Palatinorum, a quibus nihil abit F. aut Romana ed. prima, niſi quod eæ, *& ad gloriam.* ſicque etiam ſeqq. edd. præterquam quod deſtituuntur illo *&*. at poſteriores, *orationis plurimum poſſit, & majorem vim habeat ad gloriam.* Lambinus verò, *plus poſſit, majoremque vim habeat & ad gratiam & ad gloriam.* ſatis licentioſe; certe præter mſſ. etſi ipſe ſuper iſto ſuo facinore totus taceat; ut ſolet, cùm mentiri palam pudet, & interim venditat operam ſuam minus naſutis. unde factum, ut Suffridus Petri Lambiniana omninò ſequenda cenſeat, tanquam Ciceronis maxime germana; cum adulterina ſint; certe tale nihil in mſſ. Aldus Nepos.

5. *Militeſque blandè appellando deleniant.*] Tò *ſermone* delevit ut gloſſema, e libris tribus mſſ. Gulielmius. idem quoque ſtatim delevit vocem *gloriam*, quam non agnorant aut Langii, aut Lambini membranacei. In F. erat *excitat turbam aut gloriam*, interpretis ſcilicet additamentum.

6. *Plus quàm ceteros arbitrantur.*] Palat. pr. *plus ceteris arbitrantur*, nihilo pejus vulgatis, ſi non melius.

7. *Pro Sardis, pro M. Albucio Julius.*] Nihil variant heic mſſ. Gulielmiani, aut Palatini, Lambinus delet, *pro M. Albucio.* Langius ac Paulus Manutius mutarunt in *contra M. Albucium*; aut *in M. Albucium.* ſed conjectura obtrudi nequit pro vero. quare malui repræſentare omnium editionum ſcripturam, quàm nimium tribuere hariolis.

8. *Man. Aquilio L. Fufii.*] Sic ingenioſè Paullus Manutius ex Ciceronis Bruto, cujus conjectaneum Lambinus ſibi arrogaſſe videtur. Editi *Manlio L. Fufii.* mſſ. *Manlio L. Fufii.*

1. *Judi-*

tribuat hoc muneris, cujus inimicos ulciſci ſæpius, non eſt reprehendendum. modus tamen adſit. DURI ENIM hominis, vel potiùs vix hominis videtur, periculum capitis inferre multis. id cùm periculoſum ipſi eſt, tum etiam ſordidum ad famam, committere, ut accuſator nominetur: quod contigit M. Bruto, ſummo genere nato, illius filio, qui juris civilis in primis peritus fuit. Atque etiam hoc præceptum officii diligenter tenendum eſt, NE QUEM umquam innocentem [1] judicio capitis arceſſas: id enim ſine ſcelere fieri nullo pacto poteſt. Nam QUID EST tam inhumanum, quàm eloquentiam, à natura ad ſalutem hominum, & ad conſervationem datam, ad bonorum peſtem, perniciemque convertere? Nec tamen, ut hoc fugiendum eſt, [2] ita habendum eſt religioni, nocentem aliquando, & nefarium, impiumque defendere. vult hoc multitudo, patitur conſuetudo, fert etiam humanitas. JUDICIS eſt, ſemper in cauſis verum ſequi: patroni, nonnumquam veriſimile, etiam ſi minùs ſit verum, defendere: quod ſcribere (præſertim cum de philoſophia ſcriberem) non auderem, niſi idem placeret graviſſimo Stoicorum Panætio. Maximè autem & gloria paritur, & gratia defenſionibus: eoque major, ſi quando accidit, ut ei ſubveniatur, qui *potentis* alicujus opibus circumveniri, urgerique videatur. ut nos & ſæpe aliàs, & adoleſcentes, contra L. Sullæ dominantis opes pro Sex. Roſcio Amerino fecimus:
15 quæ, ut ſcis, exſtat oratio. Sed expoſitis adoleſcentium officiis, quæ valeant ad gloriam adipiſcendam, deinceps de beneficentia ac liberalitate dicendum eſt. Cujus eſt ratio duplex. nam aut opera benignè fit indigentibus, aut pecunia. facilior eſt hæc poſterior, locupleti præſertim: ſed illa lautior, ac ſplendidior, & viro forti, claroque dignior. quamquam enim in utroque ineſt gratificandi liberalis voluntas, tamen [3] altera ex arca, altera ex virtute depromitur: LARGITIOQUE, quæ fit ex re familiari, fontem ipſum benignitatis exhaurit. ita benignitate benignitas tollitur: qua quo in plureis uſus ſis, eo minùs in multos uti poſſis. At qui opera, id eſt, virtute, & induſtria, benefici, & liberales erunt, primùm quo pluribus profuerint, eo plures ad benignè faciendum adjutores habebunt: deinde *conſuetudine* beneficientiæ paratiores erunt, & tamquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. [4] Præclarè in epiſtola quadam Alexandrum filium Philippus accuſat, quòd *largitione benivolentiam Macedonum conſectetur. Quæ te, malum,* inquit, *ratio in iſtam ſpem induxit, ut eos tibi fideleis putares fore, quos pecunia corrupiſſes? An tu id agis, ut Macedones non te regem ſuum, ſed miniſtrum & præbitorem ſperent fore?* [5] Bene *miniſtrum, &* [6] *præbitorem*; quia ſordidum regi: meliùs etiam, quod *largitionem, corruptelam* eſſe dixit. FIT enim deterior, qui accipit, atque ad idem ſemper exſpectandum paratior. Hoc ille filio: SED præceptum putemus omnibus. Quamobrem id quidem non dubium eſt, quin illa benignitas, quæ conſtat ex opera, & induſtria, & honeſtior ſit, & latiùs pateat, & poſſit prodeſſe pluribus. nonnumquam tamen eſt largiendum, nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum eſt. & [7] ſæpe idoneis hominibus indigentibus, de re familiari impertiendum: ſed diligenter, atque moderate. MULTI enim patrimonia effuderunt, inconſultè largiendo. Quid autem eſt ſtultius, quàm quod libenter facias, curare, ut id diutiùs facere non poſſis? Atque etiam SEQUUNTUR largitionem rapinæ. Cùm enim dando egere cœperint, alienis bonis manus afferre coguntur. ita, cùm benivolentiæ comparandæ cauſa benefici eſſe velint: non tanta ſtudia aſſequuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerunt. Quamobrem nec ita claudenda eſt res familiaris, ut eam benignitas aperire non poſſit: nec ita reſeranda, ut pateat omnibus. modus adhibeatur, iſque referatur ad facultates. Omnino meminiſſe debemus id, quod à noſtris hominibus ſæpiſſimè uſurpatum, jam in proverbii conſuetudinem venit, LARGITIONEM FUNDUM NON HABERE. etenim quis poteſt modus eſſe, cùm & idem qui conſueverunt, & idem illud alii deſiderent? Omnino duo ſunt genera largorum: quorum 16
alteri, prodigi: alteri, liberales: PRODIGI, qui epulis, & viſcerationibus, & [8] gladiatorum muneribus, ludorum, venationumque apparatu, pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem, aut nullam omnino ſint relicturi. LIBERALES autem, qui ſuis facultatibus aut captos à prædonibus redimunt, aut æs alienum ſuſcipiunt amicorum, aut in filiarum collocatione adjuvant, aut opitulantur vel in re quærenda, vel augenda. Itaque miror, quid in mentem venerit Theophraſto, in eo libro, quem de divitiis ſcripſit: in quo multa præclarè: illud abſurde. Eſt enim multus in laudanda magnificentia, & apparatione popularium munerum: *taliumque ſumtuum, facultatem fructum divitiarum* putat. Mihi autem ille fructus liberalitatis, cujus exempla pauca poſui, multo & major videtur, & certior. [9] Quanto Ariſtoteles gravius, & veriùs nos reprehendit, *qui has pecuniarum effuſiones* [10] *non admiremur, quæ fiunt ad multitudinem deleniendam. at ii qui ab hoſte obſidentur, ſi emere* [11] *aquæ ſextarium mina cogerentur, hoc primò incredibile nobis videri, omneiſque mirari: ſed, cùm attenderint; veniam neceſſitati dare: in his immanibus jacturis, infinitiſque ſumtibus, nihil nos magnopere mirari; cùm præſertim nec neceſſitati ſubveniatur, nec dignitas augeatur; ipſaque illa* [12] *delenitio multitudinis ſit* [13] *ad breve exiguumque tempus; eaque*

1. *Judicio capitis arceſſas.*] Duo ait hominis duri judicio multos arceſſere, & arceſſere capitis. hoc minus viderunt, qui hinc expulerunt *judicio*, contra libros. Gulielmius.

2. *Ita habendum eſt religioni.*] Addiderant alii, *contrarium*, præter mſſ. editionemque omnium primam; in quibus vocis ejus nec vola nec veſtigium.

3. *Altera ex arca.*] Rejecit has tres voculas, ut ſubdititias Langius, cùm non inveniſſet in uno ſcripto. minus rectè. *arca* enim ſumitur pro parata nummorum copia, ſæpe Tullio.

4. *Præclarè in epiſtola quadam.*] Palat. prim. non habet præpoſitionem, neque deſideratur. Idem paulò poſt exhibet, *Quid te malum*, inquit, *in iſtam, &c.* non ut vulgati, *Quod te malum, inquit, rationis*, aut, *Quæ te malum, inquit, ratio.* moxque pro *præbitorem putent?* oggerit, *præbitorem ſperent fore?* quæ utraque lectio, vulgatam antecedit bonitate. certe illud *putent*, non eſſe auctoris genuinum, inde ſciamus, quod extet ejus loco in ed. Roman. prima, & Palat. ſec. *exiſtiment.* utramque ſcripturam admiſiſſem in contextum, niſi eſſet contra bonos mores ſtare teſtimonio unius: admiſi tamen illud *ſperent fore*; quod Anemæcius prodidiſſet, ſic quoque reſtare in exemplari Auguſtano.

5. *Bene miniſtrum, &c.*] Hæc Victorianis & Aldinis abſunt. peſſimè. abſque eis enim nimis quàm frigidum eſt illud, *melius etiam*, quod ſtatim ſequitur. quid quod omnibus litteris repræſentent Palatinæ membranæ, & Auguſtanæ.

6. *Præbitorem.*] Gulielmius adnotavit: cave ſequaris eos qui reponunt, *diribitorem.* primum contra ſunt libri omnes. deinde ne vox quidem huc convenit: notat enim eum qui calculos tribubus diribit, non qui nummos, quem *diviſorem* rectius dixeris. *Præbitor* autem proprie convivii dominus. huc fortaſſis in Lucano emendatio mea poſſit inculcari.

7. *Sæpe idoneis hominibus indigentibus, &c.*] Lactantii ævo, *idonei* homines haud alii ferè quam boni & locupletes dicebantur: ideo tanquam aſtutum & ἐπιχαρές hoc præceptum reprehendit, quaſi illis ſolum eſſet impertiendum, qui reſtituere poſſent. lib. VI. cap. 11. Sed *idoneos indigentes* omnino dicit Cicero probos homines paupertate oppreſſos. *Gronov.*

8. *Gladiatorum muneribus.*] Palat. prim. *gladiatoriis*, quod ferè malim. ſupra quoque delevi dictionem *dicuntur*, infraque *cauſa*, jubentibus mſſ.

9. *Quanto Ariſtoteles gravius.*] Muretus malebat *Ariſto*, quod horum nihil inveniretur in Ariſtotele.

10. *Non admiremur.*] Fulvius Urſinus putabat deleri poſſe adverſativam particulam, contra mentem auctoris, quæ ab illa voce tota pendet; neque aliter argumentatio ejus procedit, ut liquet ex ſequentibus.

11. *Aquæ ſextarium mina cogerentur.*] Palat. prim. *mina argenti cogantur.* nec diſplicet.

12. *Delenitio multitudinis.*] Forſan melius, *delectatio multitud.* uti eſt in Palat. in D. F. in Aldinis ſex. placebatque etiam Gulielm..

13. *Sit ad breve exiguumque tempus; eaque à leviſſimo quoque: in quo, &c.*] Secutus ſum editionem accuratiſſimam Petri Victorii, niſi quod adpoſuerim illud *ſit*, ut placebat Lambino, quod anno-

eaque à leviſſimo quoque: in quo tamen ipſo unà cum ſatietate, memoria quoque moriatur voluptatis. Bene etiam colligit, *hæc pueris, & mulierculis, & ſervis, & ſervorum ſimillimis liberis, eſſe grata. gravi verò homini, &* EA QUÆ FIUNT, *judicio certo ponderanti, probari poſſe nullo modo.* quamquam intelligo, in noſtra civitate [1] inveteraſſe jam à bonis temporibus, ut ſplendor ædilitatum ab optimis viris poſtuletur. itaque & P. Craſſus cùm cognomine dives, tum copiis,
17 functus eſt ædilitio maximo munere. Et paullo pòſt L. Craſſus cum omnium hominum moderatiſſimo, Q. Mucio, magnificentiſſima ædilitate functus eſt: deinde C. Claudius, Appii filius: [2] multi pòſt, Luculli, Hortenſius, Silanus. omneis autem P. Lentulus, me conſule, vicit ſuperiores. hunc eſt Scaurus imitatus. Magnificentiſſima verò noſtri Pompeii munera ſecundo conſulatu: in quibus omnibus quid mihi placeat, vides. VITANDA tamen eſt ſuſpicio avaritiæ. Mamerco, homini ditiſſimo, prætermiſſio ædilitatis conſulatus repulſam attulit. Quare &, ſi poſtulatur à populo, bonis viris ſi non deſiderantibus, attamen approbantibus, faciendum eſt, modò pro facultatibus; nos ipſi ut fecimus: &, ſiquando aliqua res major, atque utilior populari largitione acquiritur: ut Oreſti nuper prandia in ſemitis decumæ nomine magno honori fuerunt. ne Marco quidem Seio vitio datum eſt, [3] quòd in caritate aſſe modium populo dedit. magna enim ſe, & inveterata invidia, nec turpi jactura, quando erat ædilis, nec maxima liberavit. Sed honori ſummo nuper noſtro Miloni fuit, quòd gladiatoribus emtis reip. cauſa, quæ ſalute noſtra continebatur, omneis P. Clodii conatus, furoreſque compreſſit. Cauſa igitur largitionis eſt, ſi aut neceſſe eſt, aut utile. In his autem ipſis mediocritatis regula optima eſt. L. quidem Philippus Q. filius, magno vir ingenio, in primiſque clarus, gloriari ſolebat, *ſe ſine ullo munere adeptum eſſe omnia, quæ haberentur ampliſſima.* dicebat idem Cotta, Curio. Nobis quoque licet in hoc quodammodo gloriari. Nam pro amplitudine honorum, quos cunctis ſuffragiis adepti ſumus *noſtro* quidem anno, quod contigit eorum nemini, quos modò nominavi, ſanè exiguus ſumtus ædilitatis fuit. Atque etiam illæ impenſæ meliores, muri, navalia, portus, aquarum ductus, omniaque, quæ ad uſum reip. pertinent. quamquam quod præſens tamquam in *manum datur*, jucundius eſt: tamen hæc in poſterum gratiora. Theatra, porticus, nova templa, verecundiùs reprehendo, propter Pompeium: ſed doctiſſimi non *probant*, ut & hic ipſe Panætius, quem multùm [4] in his libris ſecutus ſum, non interpretatus: & Phalereus Demetrius, qui Periclem, principem Græciæ vituperat, quòd tantam pecuniam in præclara illa propylæa conjecerit. Sed de hoc genere toto, in iis libris; quos de repub. ſcripſi, diligenter eſt diſputatum. Tota igitur ratio talium largitionum, genere, vitioſa eſt: *temporibus*, neceſſaria; & tum ipſa & ad facultates ac-
18 commodanda, & mediocritate moderanda eſt. In illo autem altero genere largiendi, quod à liberalitate proficiſcitur, non uno modo in diſparibus cauſis affecti eſſe debemus. Alia cauſa eſt ejus, qui calamitate premitur, & ejus, qui res meliores quærit, nullis ſuis rebus adverſis. Propenſior benignitas eſſe debebit in *calamitoſos*, niſi fortè erunt digni calamitate. in his tamen, qui ſe adjuvari volent, non ut ne affligantur, ſed ut altiorem gradum adſcendant, reſtricti omnino eſſe nullo modo debemus: ſed in deligendis idoneis judicium, & diligentiam adhibere. nam præclarè Ennius:

Benefacta malè locata, malefacta arbitror.

Quod autem tributum eſt bono viro & grato, in eo cùm ex ipſo fructus eſt, tum etiam ex ceteris. temeritate enim remota, [5] gratiſſima eſt liberalitas: eoque eam ſtudioſiùs plerique laudant, quòd SUMMI CUJUSQUE bonitas, commune perfugium eſt omnium. Danda igitur opera eſt, ut his beneficiis quàm plurimos afficiamus, quorum memoria liberis poſteriſque prodatur, ut iis ingratis eſſe non liceat. OMNES enim immemorem beneficii oderunt: eamque injuriam [6] in deterrenda liberalitate ſibi etiam fieri; eumque, qui faciat, communem hoſtem tenuiorum putant. Atque hæc benignitas etiam reip. utilis eſt, redimi è ſervitute captos, locupletari tenuiores: quod quidem vulgò ſolitum fieri ab ordine noſtro in oratione Craſſi ſcriptum copioſè videmus. Hanc ergo conſuetudinem benignitatis, [7] *largitioni munerum* longè antepono. hæc eſt gravium hominum, atque magnorum: [8] illa quaſi aſſentatorum populi, multitudinis levitatem voluptate quaſi titillantium. Conveniet autem cùm in dando munificum eſſe, tum in exigendo non acerbum: in omnique re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando; [9] vicinitatibus & confiniis, æquum, & facilem; multa multis de jure ſuo cedentem: à litibus verò, quantum liceat, & neſcio an paullo plus etiam *quam liceat*, abhorrentem. Eſt enim non modò liberale, PAULLUM nonnumquam de ſuo jure decedere, ſed interdum etiam fructuoſum. Habenda autem eſt ratio rei familiaris, quam quidem dilabi ſinere, flagitioſum eſt: ſed ita, ut illiberalitatis, avaritiæque abſit ſuſpicio. Poſſe enim liberalitate uti, non ſpoliantem ſe patrimonio, nimirum is eſt pecuniæ fructus maximus. Rectè etiam à Theophraſto eſt laudata *hoſpitalitas*. eſt enim (ut mihi quidem videtur) valde decorum, patere domos hominum illuſtrium illuſtribus hoſpitibus: idque etiam reip. eſt ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe noſtra non egere. Eſt autem etiam vehementer utile iis, qui honeſtè poſſe multum volunt, per hoſpites apud externos populos valere opibus, & gratia. Theophraſtus quidem ſcribit, Cimonem Athenis etiam in ſuos curialeis Laciadas hoſpitalem fuiſſe. ita enim inſtituiſſe, & villicis imperaviſſe, ut omnia præberentur; quicumque Laciades in villam ſuam devertiſſet. Quæ autem 19
opera, non largitione, beneficia dantur, hæc tum in univerſam remp. tum in ſingulos civeis conferuntur. nam in jure cavere, conſilio juvare, atque hoc ſcientiæ genere prodeſſe

---

annotaſſet Gulielmius haberi etiam in veteribus ſuis F. & D. neque aliter ſane editio princeps. nam ſequentes, *ad breve exiguumque tempus duret, eaque à leviſſimo quoque animo: in quo, &c.*

1. *Inveteraſſe jam à bonis.*] Sic è Langianis & F. D. Gulielmius. vulgati non habent illud *a*. in Palatin. prim. eſt, *inv. etiam bonis*; quod alteri ferè præpoſuerim; utique cum idem mox habeat *poſtularetur*.

2. *Multi poſt, Luculli.*] Expreſſi ſcripturam Palatinorum confirmatam veteribus Langii libris. vulgg. *Lucullus*.

3. *Quod in caritate aſſe.*] Vulgati ferè *caritate annonæ aſſe*. ſed vox ea media non apparet in Palat. D. F. imò ne in editione quidem Romana prima. quare & jure excluſit ſuis Victorius, ſed deinde iterum irrepſit, culpâ eorum quibus nihil ſatis apertum eſt, niſi & ſuperfluis circumvalletur vocibus.

4. *In his libris ſecutus.*] Palatinus refugit particulam *in*; & non requiritur. mox ſcripſi *non probant* pro vulgari *improbant*, volentibus edd. primis & mſſ. noſtris.

5. *Gratiſſima eſt liberalitas.*] Vix mihi eripi poteſt, pejorem eſſe ſcripturam codicis Palatini prim. *graviſſima*. examinent eam modo otioſiores, conferantque cum eis quæ habet Tullius capituli hujus medio.

6. *In deterrenda liberalitate.*] Elegans figura. Palatinus tamen prim. *deterenda*. cui quidem non adquieſco; ſolùm modò indico ob Aldum Nepotem, qui hujuſmodi ſcripturam extare negat in veteribus libris.

7. *Largitioni munerum longè antepono.*] Manutius negat vocem *longè* reperiri in exemplaribus vetuſtis, invectamque primam à Lambino, ſed fallitur: repræſentavit enim & Petrus Victorius, extatque diſertè in Palatino pr.

8. *Illa quaſi aſſentatorum populi.*] Vox *quaſi* non eſt in Palat. pr. niſi à manu recentiore. neque admodum requiritur. imò cùm mox repetatur, ne requiritur quidem.

9. *Vicinitatibus, &c.*] Sic mſſ. quoque noſtri, ſine *in*. Eiſdem auctoribus ſtatim eam reſcripſi, *de jure ſuo credentem*: tanto confidentius, quod ita publicaſſet Victorius; imò & ille qui Romæ primùm vulgavit libros de Officiis, anno CCCCLXIX. exinde cuſi, *concedentem*. *Vicinitates & confinia* dixit pro vicinis ac confinibus: quemadmodum alibi paſſim legimus, *matrimonia, ſervitia, convivia*, loco convivarum, ſervorum, uxorumque.

1. In

deſſe quam plurimis, vehementer & ad opes augendas pertinet, & ad gratiam. Itaque cùm multa præclara majorum, tùm quod optimè conſtituti *juris civilis* ſummo ſemper in honore fuit cognitio, atque interpretatio: quam quidem ante hanc confuſionem temporum in poſſeſſione ſua principes retinuerunt. nunc ut honores, ut omnes dignitatis gradus, ſic hujus ſcientiæ ſplendor deletus eſt: idque eo indignius, quod eo tempore hoc contigit, cùm is eſſet, qui omneis ſuperiores, quibus honore par eſſet, ſcientia facile viciſſet. Hæc igitur opera, grata multis, & ad beneficiis obſtringendos homines accommodata. Atque huic arti finitima eſt dicendi gravior facultas, & gratior & ornatior. Quid enim *eloquentia* præſtabilius, vel admiratione audientium, vel ſpe indigentium, vel eorum, qui defenſi ſunt, gratia? huic quoque ergo à majoribus noſtris eſt [1] in toga dignitatis principatus datus. Diſerti igitur hominis, & facile laborantis, quodque in patriis eſt moribus, multorum cauſas, & non gravatè, & gratuitò defendentis, beneficia, & patrocinia latè patent. Admonebat me res, ut hoc quoque loco intermiſſionem eloquentiæ, ne dicam interitum, deplorarem: ni vererer, ne de meipſo aliquid viderer queri. Sed tamen videmus, quibus exſtinctis oratoribus, quam in paucis ſpes, quanto in paucioribus facultas, quàm in multis ſit *audacia*. Cùm autem omnes non poſſint, ne multi quidem, aut juriſperiti eſſe, aut diſerti: licet tamen opera prodeſſe multis, beneficia petentem, commendantem judicibus, & magiſtratibus, vigilantem pro re alterius, eos ipſos, qui aut conſuluntur, aut defendunt, rogantem: quod qui faciunt, plurimum gratiæ conſequuntur, latiſſimeque eorum manat induſtria. Jam illud non ſunt admonendi, (eſt enim in promtu) [2] ut animadvertant, CUM JUVARE alios velint, ne quos offendant. ſæpe enim aut eos lædunt, quos non debent: aut eos, quos non expedit. ſi imprudentes, negligentiæ eſt: ſi ſcientes, temeritatis. Utendum etiam eſt excuſatione adverſus eos, quos invitus offendas, quacumque poſſis, quare id, quod feceris, neceſſe fuerit, nec aliter facere potueris: ceteriſque operis, & officiis erit id, quod violatum eſt, compenſan-
20 dum. Sed cum in hominibus juvandis aut mores ſpectari, aut fortuna ſoleat: dictu quidem eſt proclive, itaque vulgò loquuntur, *ſe in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam ſequi*. honeſta oratio eſt: ſed QUIS EST tandem, qui inopis, & optimi viri cauſæ non anteponat, in opera danda, gratiam fortunati, & potentis? à quo enim expeditior, & celerior remuneratio fore videtur, in eum ferè eſt voluntas noſtra propenſior. Sed animadvertendum eſt diligentiùs, quæ natura rerum ſit. nimirum enim inops ille, ſi bonus eſt vir, etiam ſi referre gratiam non poteſt, habere certè poteſt. Commodè autem, quicumque dixit, PECUNIAM QUI HABEAT, NON REDDIDISSE: qui reddiderit, non habere: gratiam autem & qui retulerit, habere: & qui habeat, retuliſſe. At, qui ſe locupleteis, honoratos, beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt. quinetiam BENEFICIUM ſe dediſſe arbitrantur, cùm ipſi, quamvis magnum aliquod acceperint: æquè etiam à ſe aut poſtulari, aut exſpectari aliquid ſuſpicantur: patrocinio verò ſe uſos, & clienteis appellari, mortis inſtar putant. At verò ille tenuis, cum, quidquid factum ſit, ſe ſpectatum, non fortunam putet, non modò illi, qui eſt meritus, ſed etiam illis, à quibus exſpectat (eget enim multis) gratum ſe videri ſtudet. neque verò verbis auget ſuum munus, ſi quo forte fungitur, ſed etiam extenuat. Videndumque illud eſt, quòd ſi opulentum, fortunatumque defenderis, in illo uno, aut fortè in liberis ejus manet gratia. ſin autem inopem, probum tamen, & modeſtum: omnes non improbi humiles (quæ magna in populo multitudo eſt) præſidium ſibi paratum vident. Quamobrem MELIUS apud bonos, quàm apud fortunatos, beneficium collocari puto. Danda omnino opera eſt, ut omni generi ſatisfacere poſſimus. ſed ſi res in contentionem veniet, nimirum Themiſtocles eſt auctor adhibendus, qui cùm conſuleretur, utrùm bono viro pauperi, an minus probato diviti filiam collocaret: *Ego verò*, inquit, *mâlo virum, qui pecunia egeat, quam pecuniam, quæ viro*. Sed corrupti mores, depravatique ſunt admiratione divitiarum: quarum magnitudo quid ad unumquemque noſtrûm pertinet? Illum fortaſſe adjuvat, qui habet: ne id quidem ſemper. ſed fac juvare: [3] utentior ſane ſit: honeſtior verò quomodo? Quod ſi etiam bonus erit vir, ne impediant divitiæ, quo minus juvetur, modò ne adjuvent: ſitque OMNE judicium, non quàm locuples, ſed qualis quiſque ſit. Extremum autem præceptum in beneficiis, operaque danda eſt, ne quid contra æquitatem contendas, ne quid per injuriam. FUNDAMENTUM enim perpetuæ commendationis, & famæ, eſt juſtitia, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile. Sed quoniam de eo genere 21
beneficiorum dictum eſt, quæ ad ſingulos ſpectant: deinceps de iis, quæ ad univerſos, quæque ad remp. pertinent, diſputandum eſt. Eorum autem ipſorum partim ejuſmodi ſunt, ut ad univerſos civeis pertineant, partim ſingulos ut attingant, quæ ſunt etiam gratiora. danda eſt opera omnino, ſi poſſit, utriſque, nec minùs, ut etiam ſingulis conſulatur: ſed ita, ut ea res aut profit, aut certè non obſit reip. C. Gracchi frumentaria magna largitio; exhauriebat igitur ærarium: modica M. Octavii, & reip. tolerabilis, & plebi neceſſaria. ergo & civibus, & reipub. ſalutaris. In primis autem videndum erit ei, qui rempub. adminiſtrabit, ut SUUM quiſque teneat, neque de bonis privatorum publicè [4] deminutio fiat. perniciosè enim Philippus in tribunatu, cùm legem agrariam ferret, quam tamen antiquari facilè paſſus eſt, & in eo vehementer ſe moderatum præbuit: ſed cùm in agendo multa populariter: tum illud malè: *non eſſe in civitate duo millia hominum, qui rem haberent*. Capitalis oratio, & ad æquationem bonorum pertinens: qua peſte quæ poteſt eſſe major? Hanc enim ob cauſam maximè, [5] ut ſua tenerentur, reſpub. civitateſque conſtitutæ ſunt. Nam etſi duce natura congregabantur homines, tamen ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum, urbium præſidia quærebant. Danda etiam opera eſt, ne (quod apud majores noſtros ſæpe fiebat, propter ærarii tenuitatem, aſſiduitatemque bellorum) TRIBUTUM ſit conferendum: idque ne eveniat, multo antè erit providendum. ſin qua neceſſitas hujus muneris alicui reipub. obvenerit: [6] (mâlo enim quàm noſtræ ominari, neque tamen de noſtra, ſed de omni repub. diſputo) danda erit opera, ut omnes intelligant, (ſi ſalvi eſſe velint) NECESSITATI eſſe parendum. atque etiam omnes, qui rempub. gubernabunt, conſulere debebunt, ut EARUM rerum copia ſit, quæ ſunt neceſſariæ. quarum qualis comparatio fieri ſoleat, & debeat, non eſt neceſſe diſputare. eſt enim in promtu: tantùm locus attingendus fuit. Caput autem eſt in omni procuratione negotii, & muneris publici, ut AVARITIÆ pellatur etiam minima ſuſpicio. 7 Utinam, inquit C. Pontius

1. *In toga dignitatis.*] Haud aliter Palatinus pr. nec abibat Petri Danielis liber, quam quod is *toga dignitate*. publicati ferè, *in tota dignitate*. inepte. *toga* enim opponitur *ſago*. tueatur Manutius Nepos, & Nannii Symmicta.

2. *Ut animadvertant.*] Minutum quidem eſt, ſed tamen moneri operæ pretium eſt, Palatinum pr. ſervare *animum advertant*.

3. *Utentior ſanè ſit.*] Diu eſt quod monuit Turnebus reſtituendam è mſſ. hanc ſcripturam; ſed nemo id fecit, deterriti credo raritate vocis. & verò cùm conſpiciatur in Palatinis, in F. in D. eam non admittere religio fuit. vulgati prius *potentior*. Lambinus *opulentior*.

4. *Deminutio fiat.*] Exemplar Palatinum pr. *minutio* ſyllaba prima ablata.

5. *Ut ſua tenerentur.*] Palatinus idem *tenerent*.

6. *Malo enim quàm noſtræ ominari.*] Sic quoque Palatinus uterque, ſine illo *alii*, aut *alteri* aut *alienæ*, invecto à correctoribus; quodque ſuis quoque abfuiſſe teſtatus eſt & Langius & Lambinus.

8. *Utinam inquit C. Pontius Samnis, &c.*] Non video quomodo votum hominis huc quadret: niſi velimus vatem fuiſſe; aut potius hæc ipſum pronunciare apud inferos. ſi ſic; viderint acutiores, num ex verbis ipſius erui poſſit genus aliquod carminum.

tius Samnis, ad illa tempora me fortuna ſervaſſet, & tum eſſem natus, quando Romani dona accipere cœpiſſent! non eſſem paſſus diutius eos imperare. Næ illi multa ſæcula exſpectanda fuerunt. modò enim hoc malum in hanc rempub. invaſit. itaque facilè patior tum potiùs Pontium fuiſſe, ſiquidem in illo tantum fuit roboris. Nondum centum, & decem anni ſunt, cùm de pecuniis *repetundis* à L. Piſone lata eſt lex, nulla antea cùm fuiſſet. At verò poſtea tot leges, & proximæ quæque duriores: tot rei, tot damnati, tantum Italicum bellum propter judiciorum metum excitatum: tanta, ſublatis legibus, & judiciis, expilatio, direptioque ſociorum, ut IMBECILLITATE aliorum,

22 non noſtra virtute valeamus. Laudat Africanum Panætius, quòd fuerit abſtinens. Quid ni laudet? ſed in illo alia majora. laus abſtinentiæ, non hominis eſt ſolùm, ſed etiam *temporum* illorum. Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus eſt Paullus: [1] tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut unius imperatoris præda finem attulerit *tributorum*. at hic [2] nihil domum ſuam intulit, præter memoriam nominis ſempiternam. Imitatus patrem Africanus, nihilo locupletior, Karthagine everſa. Quid? qui ejus collega in cenſura fuit L. Mummius, numquid copioſior, cùm copioſiſſimam urbem funditus ſuſtuliſſet? Italiam ornare, quam domum ſuam, maluit. quamquam Italia ornata, domus ipſa mihi videtur ornatior. NULLUM igitur vitium tætrius, (ut eò, unde egreſſa eſt, ferat ſe oratio) quàm avaritia, præſertim [3] in principibus, & rempub gubernantibus. habere enim quæſtui rempub. non modò turpe eſt, ſed ſceleratum etiam, & nefarium. Itaque quod Apollo Pythius oraculo edidit, *Spartam nulla re alia, niſi avaritia perituram*, id videtur non ſolum Lacedæmoniis, ſed & omnibus opulentis populis prædixiſſe. Nulla autem re conciliare faciliùs benivolentiam multitudinis poſſunt ii, qui reipub. præſunt, quàm abſtinentia & continentia. Qui verò [4] ſe *populares* volunt, ob eamque cauſam aut agrariam rem tentant, ut poſſeſſores ſuis ſedibus pellantur: aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant, ii labefactant fundamenta reipublicæ; concordiam primùm, quæ eſſe non poteſt, cùm aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniæ: deinde æquitatem, quæ tollitur omnis, ſi habere ſuum cuique non licet. id enim eſt proprium (ut ſuprà dixi) civitatis, atque urbis, ut ſit libera, & non ſollicita ſuæ rei cujuſque cuſtodia. Atque in hac pernicie reip. ne illam quidem conſequuntur, quam putant, gratiam. nam CUI RES erepta eſt, eſt inimicus: cui data, etiam diſſimulat ſe accipere voluiſſe: & maximè in pecuniis creditis occultat ſuum gaudium, ne videatur non fuiſſe ſolvendo. At verò ille, qui accipit injuriam, & meminit, & præ ſe fert dolorem ſuum: nec, ſi plures ſunt ii, quibus improbè datum eſt, quàm, illi, quibus injuſtè ademtum eſt, idcirco plus etiam valent. Non enim numero hæc judicantur, ſed pondere. QUAM AUTEM habet æquitatem, ut agrum multis annis, aut etiam ſæculis antè poſſeſſum, qui nullum

23 habuit, habeat: qui autem habuit, amittat. Ac propter hoc injuriæ genus Lacedæmonii Lyſandrum Ephorum expulerunt: Agin regem ([5] quod numquam antea apud eos acciderat) *necaverunt*: ex eoque tempore tantæ diſcordiæ ſecutæ ſunt, ut & tyranni exſiſterent, & optimates exterminarentur: & præclariſſimè conſtituta reſp. dilaberetur. nec vero ſolùm ipſa cecidit, ſed etiam reliquam Græciam evertit contagionibus malorum, quæ à Lacedæmoniis profectæ, manarunt latiùs. Quid? noſtros Gracchos, Ti. Gracchi, ſummi viri, filios, Africani nepotes, nonne agrariæ contentiones perdiderunt? At verò Aratus Sicyonius jure laudatur, qui cùm ejus civitas quinquaginta annos à tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem, clandeſtino introitu urbe eſt potitus. Cùmque tyrannum Nicoclem improvisò oppreſſiſſet, ſexcentos exſules, qui fuerant ejus civitatis locupletiſſimi, reſtituit, remque pub. adventu ſuo liberavit. Sed cùm magnam animadverteret in bonis, & poſſeſſionibus difficultatem, quòd & eos, quos ipſe reſtituerat, quorum bona alii poſſederant, egere iniquiſſimum arbitrabatur, & QUINQUAGINTA annorum poſſeſſiones movere non nimis æquum putabat, propterea quòd tam longo ſpatio multa hereditatibus, multa emtionibus, multa dotibus tenebantur ſine injuria: judicavit, neque illis adimi, neque his non ſatisfieri, quorum illa fuerant, oportere. Cùm igitur ſtatuiſſet, opus eſſe ad eam rem conſtituendam pecunia, Alexandriam ſe proficiſci velle dixit, remque integram ad reditum ſuum juſſit eſſe: iſque celeriter ad Ptolemæum, ſuum hoſpitem venit, qui tum regnabat alter poſt Alexandriam conditam: cui cùm expoſuiſſet, patriam ſe liberare velle, cauſamque docuiſſet: à rege opulento vir ſummus facilè impetravit, ut grandi pecunia adjuvaretur. Quam cùm Sicyonem attuliſſet, adhibuit ſibi in conſilium quindecim principes, cum quibus cauſas cognovit & eorum, qui aliena tenebant, & eorum, qui ſua amiſerant: perfecitque æſtimandis poſſeſſionibus, ut perſuaderet aliis, ut pecuniam accipere mallent, poſſeſſionibus cederent: aliis, ut commodius putarent, numerari ſibi [6] quòd tanti eſſet, quàm ſuum recuperare. Ita perfectum eſt, ut omnes concordia conſtituta *ſine querela* diſcederent. O virum magnum, dignumque qui in noſtra repub. natus eſſet! Sic par eſt agere cum civibus, non (ut bis jam vidimus) haſtam in foro ponere, & bona civium voci ſubjicere præconis. At ille Græcus (id quod fuit ſapientis, & præſtantis viri) OMNIBUS CONSULENDUM putavit: eaque eſt [7] ſumma ratio, & ſapientia boni civis, commoda [8] civium non divellere, atque omneis æquitate eadem continere. [9] Habitant gratis in alieno. Quid ita? Ut, cùm ego emerim, ædificarim, tuear, impendam, tu, me invito, fruare meo? Quid eſt aliud, aliis ſua eripere, aliis dare aliena? Tabulæ verò *novæ* quid habent argumenti, niſi ut emas mea pecunia fundum: eum tu habeas: ego non habeam pecuniam? Quamobrem ne ſit æs alienum, 24
quod reipub. noceat, providendum eſt: quod multis rationibus caveri poteſt: non ſi fuerit, ut locupletes ſuum perdant, debitores lucrentur alienum. NEC ENIM ulla res vehementiùs remp. continet, quàm fides: quæ eſſe nulla poteſt, niſi erit neceſſaria ſolutio rerum creditarum. Numquam vehementiùs actum eſt, quàm me conſule, ne ſolveretur. armis, & caſtris tentata res eſt ab omni genere hominum, & ordine: [10] quibus ſic reſtiti, ut hoc tantum malum de repub. tolleretur. numquam nec majus æs alienum

1. *Tantum in ærarium pecuniæ invexit.*] Palatinæ membranæ *tantam pecuniam.* malim.

2. *Nihil domum ſuam intulit*] Sic plerique Aldini & Pal. ſec. D. atque F. etiam Pal. pr. quint. tamen habet, *nihil domum ſuam præter memoriam nominis ſempiternam detulit.*

3. *In principibus & remp. gubernantibus*] Copula non comparet in Pal. pr. & verò tantum abeſt eam deſiderem, ut facile paterer adhuc auferri ſequentia *remp. gubernantibus.*

4. *Se populares volunt.*] Sic Pall. F. D. editioneſque primæ, imò & Victorina. aliæ *populares eſſe volunt.*

5 *Quod numquam antea apud eos acciderat.*] Poterant abeſſe voces tres poſteriores. Sic & mox videri queant interpretis potius quam Tulli illa, *quæ à Lacedæmoniis profectæ, manarunt latius.*

6. *Quod tanti eſſet.*] Palat. *quanti eſſent.* quod mihi non ita videtur ineptum. quin facile præponerem vulgato, ſi haberem adſtipulatorem adhuc alium aliumque codicem vetuſtatis edecumatæ.

7. *Summa ratio & ſapientia.*] Illud *& ſapientia*, non viſitur in Palatino prim. neque requiritur. qui ferè etiam quæ præcedunt, *id quod fuit ſapientis & præſtantis viri*, habuerim omnia pro gloſſatoris interpretatiuncula.

8. *Civium non divellere.*] Editi olim *civium defendere non divellere*, ſed contra ſcripturam Palatinorum codicum, item F. ne dicam & Langianorum.

9. *Habitant gratis in alieno.*] Lectionem iſtam primus eruit è mſſ. ſuis Turnebus, reperitque in F. Gulielmius: exſtat quoque in Pall. non. *Habitant prius.*

10. *Quibus ſic reſtiti ut hoc tantum malum.*] Victorii ed. *ut totum hoc.* Pal. pr. *quibus reſtiti, ut tum hoc malum.* ſec. *quibus ita reſti. ut hoc totum, &c.*

1. *Sol-*

-num fuit: nec meliùs, nec faciliùs diſſolutum eſt. fraudandi enim ſpe ſublata, [1] ſolvendi neceſſitas conſecuta eſt. [2] At verò hic nunc victor, tum quidem victus, [3] quæ cogitarat, ea perfecit, cùm ejus jam nihil intereſſet. tanta in eo peccandi libido fuit, ut hoc ipſum eum delectaret, peccare, etiam ſi cauſa non eſſet. Ab hoc igitur genere largitionis, ut aliis detur, aliis auferatur, aberunt ii, qui rempub. tuebuntur: in primiſque operam dabunt, UT JURIS, & judiciorum æquitate ſuum quiſque teneat: & neque tenuiores [4] propter humilitatem, circumveniantur, neque locupletibus ad ſua [5] vel tenenda, vel recuperanda obſit invidia: præterea quibuſcumque rebus vel belli, vel domi poterunt, remp. augeant imperio, agris, vectigalibus. Hæc magnorum hominum ſunt: hæc apud majores noſtros factitata: hæc genera officiorum qui perſequuntur, cum ſumma utilitate reip. magnam ipſi adipiſcentur & gratiam, & gloriam. In his autem utilitatum præceptis Antipater Tyrius, Stoicus, qui Athenis nuper eſt mortuus, [6] duo præterita cenſet eſſe à Panætio, valitudinis curationem, & pecuniæ. quas res à ſummo philoſopho præteritas arbitror, quòd eſſent faciles: ſunt certè utiles. Sed valitudo ſuſtentatur notitia ſui corporis; [7] & obſervatione, quæ res aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe: & continentia in victu omni, atque cultu, corporis tuendi cauſa; & prætermittendis voluptatibus, poſtremò arte eorum, quorum ad ſcientiam hæc pertinent. Res autem familiaris quæri debet iis rebus, à quibus abeſt turpitudo: conſervari autem diligentia, & parſimonia: iiſdem etiam rebus augeri. has res commodiſſimè Xenophon Socraticus perſecutus eſt in eo libro, qui Oeconomicus inſcribitur: quem nos iſta ferè ætate cùm eſſemus, qua es tu nunc, è Græco in Latinum convertimus. Sed utilitatum comparatio, quoniam hic locus erat quartus à Panætio prætermiſſus, ſæpe eſt neceſſaria. Nam & corporis commoda cum externis, & externa cum corporis, & ipſa inter ſe corporis, & externa cum externis comparari ſolent. Cum externis corporis, hoc modo comparantur: VALERE ut malis, quàm dives eſſe. Cum corporis, externa, hoc modo: DIVES eſſe potiùs, quàm maximis corporis viribus. Ipſa inter ſe corporis ſic: ut BONA valitudo voluptati anteponatur, vires celeritati. Externorum autem, ut GLORIA divitiis, vectigalia urbana ruſticis. [8] Ex quo genere comparationis illud eſt Catonis ſenis: à quo cùm quæreretur, quid maxime in re familiari expediret, reſpondit, *Bene paſcere.* Quid ſecundum? *Satis bene paſcere.* [9] Quid tertium? *Male paſcere.* Quid quartum? *Arare.* Et, cùm ille, qui quæſierat, dixiſſet, Quid fenerari? Tum Cato, *Quid hominem,* inquit, *occidere?* Ex quo, & multis aliis, intelligi debet, utilitatum comparationes fieri ſolere, recteque hoc adjunctum eſſe quartum exquirendorum officiorum genus. Sed toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda *pecunia*, etiam de utenda, commodius à quibuſdam optimis viris ad medium Janum ſedentibus, quàm ab ullis philoſophis ulla in ſchola diſputatur. Sunt tamen ea cognoſcenda. pertinent enim ad utilitatem, de qua hoc libro diſputatum eſt. Reliqua deinceps perſequemur.

1. *Solvendi neceſſitas.*] Pal. pr. *vendendi*, quod agros reſpicit & poſſeſſiones obæratorum.

2. *At verò hic nunc victor, tum quidem victus.*] Eſt à libris ſanctæ antiquitatis quos conſuluit Turnebus, neque aliter F. D. Pal. aliæ edd. *mſter victor, tum quidem victus.* contra verùm.

3. *Quæ cogitarat, ea perfecit, &c.*] Pal. idem amplius, neſcio an & melius, *quæ cogitarat cùm ipſius intererat, tum ea perfecit cùm ejus jam nihil intereſſet.*

4. *Propter humilitatem.*] Vulgati *imbecillitatem*; ſed alterum exſtat in Pall. & omnibus Langii Gulielmiique mſſ. quod & invenit in ſex ſuorum Aldus Nepos; etiamſi præferat *imbecillitatem.*

5. *Vel tenenda.*] Palatinus primus *vel utenda.*

6. *Duo præterita cenſet eſſe à Panætio, valitudinis, &c.*] Hæc fuit Victorii lectio, pro qua aliæ ſubſtituere, *duo præcepta cenſet eſſe à Panætio prætermiſſa, valetudinis*; invitis & Palatinis & F. D. Gulielmianis, imo & editione prima Romana.

7. *Obſervatione, quæ res, &c.*] Sic rurſus Victoriana, cui accedunt mſſ. noſtri & aliquot Aldini. vulgati exinde, *obſervatione earum rerum quæ.*

8. *Ex quo genere comparationis.*] Dictio ultima non eſt in Palat. prim. & neſcio an non poſſit abeſſe.

9. *Quid tertium? male paſcere.*] Quid ſentiendum ſit de omnibus calamo exaratis codicibus aliorum indicio eſt vel iſte locus. Victorius enim, item Turnebus lib. VI. Adverſ. cap. 20. ut & Langius, nec non Aldus Nepos ac Lambinus, Suffridus præterea & Gifanius, jactant heic ſuum *veſtire*, aut *vitire*; ſed ſine omni venere & gratia. *male paſcere* repoſitum oportuit; quod diſertè extat in Palatino noſtro primo: meminitque prorſus Columella libro VI. de re ruſtica, ipſa præfatione; his verbis: *Ceterum de tam ſapienti viro piget dicere, quod eum quidam auctores memorant, quid nam quærenti cuidam tertium in agricolatione quæſtuoſum eſſet, aſſeveraſſe, ſi quis vel male paſceret, &c.* Nimirum quod homines non adſequerentur, quid eſſet *male paſcere*, id Ciceronis fundo omninò eradicarunt. at vult Cato, tantum eſſe utilitatis, in pecore, ut quamvis malignißimè curetur; ſuperet tamen fructus omnes arationis, reliquæque adeo agriculturæ. Pal. ſec. totum iſtud membrum omiſit; deceptus repetitione vocis poſtremæ. quo ipſo confirmatur magis majeſtas Palatini primi.

M. TULLII CICERONIS DE OFFICIIS, LIBER TERTIUS.

1 PUBLIUM Scipionem, Marce fili, eum, qui primus Africanus appellatus eſt, dicere ſolitum ſcripſit Cato, qui fuit ferè ejus æqualis, *Numquam ſe minùs otioſum eſſe, quàm cum otioſus: nec minùs ſolum, quam cum ſolus eſſet.* Magnifica verò vox, & magno viro, ac ſapiente digna: quæ declarat, illum & in otio de negotiis cogitare, & in ſolitudine *ſecum loqui* ſolitum: ut neque ceſſaret umquam, & interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duæ res, quæ languorem afferunt ceteris, illum acuebant, *otium*, & *ſolitudo.* Vellem nobis hoc idem verè dicere liceret: ſed ſi minùs imitatione tantam ingenii præſtantiam conſequi poſſumus, voluntate certè proximè accedimus: nam & à repub. forenſibuſque negotiis, armis impiis, vique prohibiti, otium perſequimur: & ob eam cauſam, urbe relicta, [1] rura peragrantes, ſæpe ſoli ſumus. Sed nec otium hoc cum Africani otio, nec hæc ſolitudo cum illa comparanda eſt.

1. *Rura paragrantes.*] Nihil mutandum cum Langio ejuſque aſſecla Lambino. nam ſic fere de Tiberio, Tacitus libro 3. Annal. *littera & lacus Campaniæ tum maximè peragrantem.* Gulielmius.

eſt. Ille enim requieſcens à reip. pulcherrimis muneribus otium ſibi ſumebat aliquando, & à cœtu hominum, frequentiaque interdum, tamquam *in portum* ſe in ſolitudinem recipiebat. noſtrum autem otium negotii inopia, non requieſcendi ſtudio, conſtitutum eſt. exſtincto enim ſenatu, deletiſque judiciis, quid eſt, quod dignum nobis aut in curia, aut in foro agere poſſimus? Itaque qui in maxima celebritate, atque [1] in oculis civium quondam viximus: nunc fugientes conſpectum ſceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos, quantùm licet, & ſæpe ſoli ſumus. Sed quia ſic ab hominibus doctis accepimus, *non ſolum ex malis eligere minima oportere: ſed etiam excerpere ex his ipſis, ſi quid ineſſet boni:* propterea & otio fruor non illo quidem, quo debeat is, qui quondam peperiſſet otium civitati: nec eam ſolitudinem [2] languere patior, quam mihi adfert neceſſitas, non voluntas. Quamquam Africanus majorem laudem vel meo judicio aſſequebatur; [3] nulla enim ejus ingenii monumenta mandata litteris, nullum opus otii, nullum ſolitudinis munus exſtat. ex quo intelligi debet, illum mentis agitatione, inveſtigationeque earum rerum, quas cogitando conſequebatur, nec otioſum, nec ſolum umquam fuiſſe. nos autem, qui non tantum roboris habemus, ut cogitatione tacita à ſolitudine abſtrahamur, ad hanc ſcribendi operam omne ſtudium, curamque convertimus. itaque plura brevi tempore, everſa, quàm multis annis ſtante rep. ſcripſimus. 2 Sed cùm tota philoſophia, mi Cicero, frugifera, & fructuoſa, nec ulla pars ejus, inculta ac deſerta ſit: tum nullus feracior in ea locus eſt, nec uberior, quàm de officiis, à quibus conſtanter, honeſteque vivendi præcepta ducuntur. Quare quamquam à Cratippo noſtro, principe hujus memoriæ philoſophorum, hæc te aſſiduè audire, atque accipere confido: tamen CONDUCERE arbitror, talibus aureis tuas vocibus undique circumſonare. nec eas, ſi fieri poſſit, quidquam aliud audire. Quod cùm omnibus eſt faciendum, qui vitam honeſtam ingredi cogitant, tum haud ſcio, an nemini potiùs, quàm tibi. ſuſtines enim [4] non parvam exſpectationem imitandæ induſtriæ noſtræ, magnam honorum, nonnullam fortaſſe nominis. Suſcepiſti onus præterea grave & Athenarum, & Cratippi: [5] ad quos cùm TAMQUAM ad mercaturam bonarum artium ſis profectus, inanem redire turpiſſimum eſt, dedecorantem & urbis auctoritatem & magiſtri. Quare quantum conniti animo potes, quantum labore contendere (SI DISCENDI labor eſt potiùs, quàm voluptas) tantum fac ut efficias: neve committas, ut, cùm omnia ſuppeditata ſint à nobis, tute tibi defuiſſe videare. Sed hæc hactenus. multa enim ſæpe ad te cohortandi gratia ſcripſimus. nunc ad reliquam partem propoſitæ diviſionis revertamur. Panætius igitur, qui ſine controverſia de officiis accuratiſſimè diſputavit, quemque nos, correctione quadam adhibita, potiſſimùm ſecuti ſumus, tribus generibus propoſitis, in quibus deliberare homines, & conſultare de officio ſolerent: uno, cùm dubitarent, honeſtumne id eſſet, de quo ageretur, an turpe: altero, utilene, an inutile: tertio, ſi id, quod ſpeciem haberet honeſti, pugnaret cum eo, quod utile videretur, quomodo ea diſcerni oporteret: de duobus generibus primis, tribus libris explicavit: de tertio autem genere deinceps ſe ſcripſit dicturum, nec id exſolvit, quod promiſerat. Quod eò magis miror, quia ſcriptum à diſcipulo ejus Poſidonio eſt, *triginta annis vixiſſe Panætium poſteaquàm eos libros edidiſſet.* quem locum miror à Poſidonio breviter eſſe tactum in quibuſdam commentariis; præſertim cùm ſcribat, *nullum eſſe locum in tota philoſophia tam neceſſarium.* minimè verò aſſentior iis, qui negant, eum locum à Panætio prætermiſſum, ſed conſultò relictum, nec omnino ſcribendum fuiſſe: quia NUMQUAM poſſet utilitas cum honeſtate pugnare: de quo alterum poteſt habere dubitationem, adhibendumne fuerit hoc genus, quod in diviſione Panætii tertium eſt, an planè omittendum: alterum dubitari non poteſt, quin à Panætio ſuſceptum ſit, ſed relictum. nam qui è diviſione tripartita, duas parteis abſolverit, huic neceſſe eſt reſtare tertiam. Præterea in extremo libro tertio de hac parte pollicetur ſe deinceps eſſe dicturum. Accedit eodem teſtis locuples, Poſidonius, qui etiam ſcribit in quadam epiſtola, Publium Rutilium Rufum dicere ſolere, qui Panætium audierat, ut nemo pictor eſſet inventus, [6] qui Coæ Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquiſſet, abſolveret (oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi ſpem auferebat:) ſic ea, [7] quæ Panætius prætermiſiſſet, & non perfeciſſet, propter eorum, quæ perfeciſſet, præſtantiam, neminem eſſe perſecutum. Quamobrem de judicio Panætii dubitari non poteſt: recte- 3 ne autem hanc tertiam partem ad exquirendum officium adjunxerit, an ſecus, [8] de eo fortaſſe diſputari poteſt. Nam ſive honeſtum, ſolum bonum eſt, ut Stoicis placet: ſive quod honeſtum eſt, id ita ſummum bonum eſt, quemadmodum [9] Peripateticis veſtris videtur, ut omnia ex altera parte collocata, vix minimi momenti inſtar habeant: dubitandum non eſt, quin NUMQUAM poſſit utilitas cum honeſtate contendere. Itaque accepimus, Socratem exſecrari ſolitum eos, qui primùm hæc natura cohærentia, opinione diſtraxiſſent. Cui quidem ita ſunt Stoici aſſenſi, ut, quidquid honeſtum eſſet, id utile eſſe cenſerent: nec utile quidquam, quod non honeſtum. Quòd ſi is eſſet Panætius, qui virtutem propterea colendam diceret, [10] quòd ea efficiens utilitatis eſſet; ut ii, qui res expetendas vel voluptate, vel indolentia metiuntur: liceret ei dicere, [11] utilitatem aliquando cum honeſtate pugnare. Sed, cùm ſit is, qui id ſolum bonum judicet, quod honeſtum ſit: quæ autem huic repugnent ſpecie quadam utilitatis, eorum neque acceſſione meliorem vitam fieri, nec deceſſione pejorem: non videtur ejuſmodi debuiſſe deliberationem introducere, in qua, quod utile videretur, cum eo, quod honeſtum eſt, compararetur. Etenim quod ſummum bonum à Stoicis dicitur, CONVENIENTER naturæ vivere: id habet hanc (ut opinor) ſententiam, cum virtute congruere ſemper: cætera autem, quæ ſecundum naturam eſſent, ita legere, ſi ea virtuti non repugnarent. Quod cùm ita ſit, putant quidam, hanc comparationem non rectè introductam, nec omnino de eo genere quidquam præcipiendum fuiſſe. Atque illud quidem honeſtum, quod propriè, vereque dicitur, id in ſapientibus eſt ſolis, neque à virtute divelli umquam poteſt, in iis autem, in quibus ſapientia perfecta non eſt, ipſum illud

1. *In oculis civium.*] Ei reſpondent quæ ſequuntur, *conſpectum ſceleratorum.* nam ne cives quidem illos ſcelerum ſervos a ſe haberi ſignificat. non recte igitur Langius Lambinuſque cenſent delendum τὸ *civium.* Gulielmius.

2. *Languere patior.*] Palatinus pr. *exlangere patior.* an voluit exprimere? *exlanguere.*

3. *Nulla enim ejus, &c.*] Sic omnes libri. rectè opinor. tametſi mirifica ſit & ſingularis ratio, eum hoc ipſo majorem laudem aſſecutum, quod nihil in ſolitudine elaborarit operis. eſſe enim hoc argumentum, eum ſola cogitatione contentum, nihil præterea requiſiſſe. quod ſummæ ingenii præſtantiæ eſt.

4. *Non parvam expectationem.*] Pal. pr. *exiſtimationem.*

5. *Ad quos cùm tanquam ad mercaturam.*] Pal. pr. *ad quæ.*

6. *Qui Coæ Veneris.*] Ita etam Pal. pr. ſed præterea adtexit, *qui in templo Coæ Veneris.*

7. *Quæ Panætius prætermiſiſſet & non perfeciſſet.*] Prodidit M. Antonius Muret. lib. XV. cap. 9. Variar. lect. tres poſtremas voces non comparere in uno mſ. ſuo. quod idem cùm confirmet de quinque ſuorum Aldus Nepos; habuerim pro ſpuriis.

8. *De eo fortaſſe diſputari poteſt.*] Cùm ſic invenerit in omnibus ſuis Lamb. reſtetque in Pal. in F. & D. item plurimis Aldinis, nec non editionum principe, quid ni id admittamus, excluſo *dubitari* 2

9. *Peripateticis veſtris.*] *Noſtris* olim editi. ſed alterum præferunt Pall. item aliquot Aldini. quid quod ſic quoque Victorius?

10. *Quod ea efficiens utilitatis eſſet.*] Pal. pr. ſolùm habet: *quod eſt efficiens utilitatis.*

11. *Utilitatem aliquando cum honeſtate pugnare.*] Non auſus ſum excludere ſcripturam Palatinam, præſertim cum ei ſuffragaretur editio Romana princeps, & Victoriana, & decas mſſ. Aldi Nepotis. alii expreſſerant, *honeſtatem aliquando cum utilitate pugnare.*

1. *In*

illud quidem perfectum honeſtum, nullo modo; ſimilitudines honeſti eſſe poſſunt. Hæc enim omnia officia, de quibus his libris diſputamus, *media* Stoici appellant. ea, communia ſunt, & latè patent: quæ & ingenii bonitate multi aſſequuntur, & progreſſione diſcendi. Illud autem officium, quod *rectum* iidem appellant, perfectum, atque abſolutum eſt: &, ut iidem dicunt, *omneis numeros habet*; nec, præter ſapientem, cadere in quemquam poteſt. Cùm autem aliquid actum eſt, [1] in quo media officia compareant, id cumulatè videtur eſſe perfectum: propterea que vulgus, quid abſit à perfecto non ferè intelligit: quatenus autem intelligit, nihil putat prætermiſſum. quod item in poëmatibus, & picturis uſu evenit, in aliiſque compluribus, ut delectentur imperiti, laudentque ea, quæ laudanda non ſint, ob eam, credo, cauſam, quòd inſit in his aliquid probi, quod capiat ignaros, qui iidem, quid in unaquaque re vitii ſit, nequeant judicare. itaque cùm ſunt docti à
4 peritis, facilè deſiſtunt à ſententia. Hæc igitur officia, de quibus his libris diſſerimus, *quaſi ſecunda quædam honeſta* eſſe dicunt, non ſapientum modò propria, ſed cum omni hominum genere communia. itaque his omnes, in quibus eſt virtutis indoles, commoventur. Nec verò cùm duo Decii, aut duo Scipiones, *fortes viri* commemorantur, [2] aut cùm Fabricius, Ariſtideſve *juſtus* nominatur: aut ab illis, fortitudinis: aut ab his, juſtitiæ, tamquam à ſapientibus, petitur exemplum. nemo enim horum ſic ſapiens eſt, ut ſapientem volumus intelligi. Nec ii, [3] qui ſapientes habiti ſunt, & nominati, M. Cato, & C. Lælius, ſapientes fuerunt: ne illi quidem ſeptem: ſed ex mediorum officiorum frequentia *ſimilitudinem* quandam gerebant, ſpeciemque ſapientum. [4] Quocirca nec id, quod verè honeſtum eſt, fas eſt cum utilitatis repugnantia comparari: nec id, quod communiter appellamus honeſtum, quod colitur ab iis, qui bonos ſe viros haberi volunt, cum emolumentis umquam eſt comparandum: tamque id honeſtum, quod in noſtram intelligentiam cadit, tuendum, conſervandumque eſt nobis, quàm id, quod propriè dicitur, vereque eſt honeſtum, ſapientibus. ALITER ENIM TENERI non poteſt, ſi qua eſt ad virtutem facta progreſſio. Sed hæc quidem de iis, [5] qui conſervatione officiorum exiſtimantur boni. Qui autem omnia metiuntur emolumentis & commodis, neque ea volunt præponderari honeſtate, hi ſolent in deliberando honeſtum cum eo, quod utile putant, comparare: BONI VIRI non ſolent. Itaque exiſtimo, Panætium, cùm dixerit, *homines ſolere in hac comparatione dubitare*, hoc ipſum ſenſiſſe, quod dixerit, ſolere modò, non etiam oportere. etenim non modò pluris putare quod utile videatur, quàm quod honeſtum: ſed hæc etiam inter ſe comparare, & in his addubitare, turpiſſimum eſt. quid eſt ergo, quod nonnumquam dubitationem afferre ſoleat, conſiderandumque videatur? Credo, ſi quando dubitatio accidit, quale ſit id, de quo conſideretur. SÆPE ENIM TEMPORE FIT, ut, quod plerumque turpe haberi ſoleat, inveniatur non eſſe turpe. Exempli cauſa, ponatur aliquid, quod pateat latiùs. Quod poteſt majus eſſe ſcelus, quàm non modo hominem, ſed etiam familiarem hominem occidere? Num igitur ſe adſtrinxit ſcelere, ſi quis tyrannum occîdit, quamvis familiarem? Populo quidem Rom. non videtur, qui ex omnibus præclaris factis illud pulcherrimum exiſtimat. [6] Vicit ergo utilitas honeſtatem, immò verò honeſtas utilitatem ſecuta eſt. Itaque, ut ſine ullo errore dijudicare poſſimus, ſiquando cum illo, quod honeſtum intelligimus, pugnare id videbitur, quod appellamus utile, FORMULA quædam conſtituenda eſt: quam ſi ſequemur in comparatione rerum, ab officio numquam recedemus. Erit autem hæc formula, Stoicorum rationi, diſciplinæque maximè conſentanea: quam quidem his libris propterea ſequimur, quòd, quamquam à veteribus Academicis, & à Peripateticis veſtris, [7] qui quondam iidem erant, qui Academici, quæ honeſta ſunt, anteponuntur iis, quæ videntur utilia: tamen ſplendidiùs hæc ab eis diſſeruntur, quibus, *quidquid honeſtum eſt, idem utile* videtur *nec utile quidquam, quod non honeſtum*: quàm ab iis, quibus aut honeſtum aliquid non utile, aut utile non honeſtum. Nobis autem noſtra Academia magnam licentiam dat, ut, quodcumque maximè probabile occurrat, id in noſtro jure liceat defendere. Sed redeo ad formulam. DETRAHERE 5
igitur aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cetera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. nam principiò tollit convictum humanum, & ſocietatem. ſi enim ſic erimus affecti, ut propter ſuum quiſque emolumentum ſpoliet, aut violet alterum, diſrumpi neceſſe eſt eam, quæ maximè eſt ſecundum naturam, humani generis ſocietatem. Ut, ſi unumquodque membrum ſenſum hunc haberet, ut poſſe putaret, ſe valere, ſi proximi membri valitudinem ad ſe traduxiſſet: debilitari, & interire totum corpus neceſſe eſt: ſic, SI UNUSQUISQUE noſtrûm rapiat ad ſe commoda aliorum, detrahatque quod cuique poſſit, emolumenti ſui gratia: ſocietas hominum, & communitas evertatur neceſſe eſt. nam, SIBI UT quiſque malit, quod ad uſum vitæ pertineat, quàm alteri, acquirere, conceſſum eſt, non repugnante natura. illud natura non patitur, ut aliorum ſpoliis noſtras facultates, copias, opes augeamus. Neque verò hoc ſolum natura, id eſt, jure gentium, ſed etiam legibus populorum, quibus in ſingulis civitatibus reſp. continetur, eodem modo conſtitutum eſt, ut non liceat ſui commodi cauſa nocere alteri. hoc enim SPECTANT leges, hoc volunt; incolumem eſſe civium conjunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exſilio, vinculis, damno coërcent. atque hoc multo magis exigit ipſa naturæ ratio, quæ eſt lex divina, & humana: cui parêre qui velit (omnes autem parebunt, qui ſecundum naturam volent vivere) numquam committet, ut alienum appetat, & id, quod alteri detraxerit, ſibi aſſumat. Etenim multo magis eſt ſecundum naturam excelſitas animi; & magnitudo: itemque comitas, juſtitia, liberalitas, quàm voluptas, quàm vita, quàm divitiæ: quæ quidem CONTEMNERE, & pro nihilo ducere, comparantem cum utilitate communi, magni animi, & excelſi eſt. [8] Detrahere autem alteri ſui commodi cauſa, magis eſt contra naturam, quàm mors, quàm dolor, quàm cetera generis ejuſdem: itemque, magis eſt ſecundum naturam, pro omnibus gentibus, ſi fieri poſſit, conſervandis, aut juvandis maximos labores, moleſtiaſque ſuſcipere, imitantem Herculem illum,

1. *In quo media officia compareant.*] Ita editio Victorii nec non Langii eumque fere ſemper inſequi ſolita Lambini, laudatque ad hanc faciem hunc locum ex veteri ſuo Petrus Nannius lib. 9. Pal. pr. habet *comparent.* ſec. *comparant.* vulg. *comparantur.*

2. *Aut cùm Fabricius Ariſtideſve juſtus.*] Heic auſus ſum ſequi auctoritatem unius Pal. pr. cùm hactenus legeretur, *aut Ariſtides*, quod quàm auribus minus ſit venuſtum altero, quis dubitet?

3. *Qui ſapientes habiti ſunt & nominati.*] Vocula *ſunt*, non eſt in Pall. aut editionibus principibus Moguntina, ac Romana.

4. *Quocirca, &c. cum utilitatis repugnantia, &c.*] Inquinata lectio ſic fortè refingenda ex vet. lib. Nannii: *Quocirca nec id quod verè honeſtum eſt, cum utilitatis ratione comparari; nec id quidem quod communiter appellamus honeſtum.* alterum tamen ſervatur in Palat. & Auguſtano.

5. *Qui conſervatione officiorum.*] Ferri poteſt, & ita ante dixit, *honeſtum tuendum conſervandumque eſt nobis.* ſed neſcio an melius ſit, *coacervatione.* ſic enim ſupra, *mediorum officiorum frequentiam*, ait Gulielmius.

6. *Vicit ergo utilitas honeſtatem.*] Neſcio an præſtet locum animare nota interrogatoria, quæ eſt in Palat. invenitque in exemplari uno Muretus, qui conſulatur lib. xv. Var. cap. 9.

7. *Qui quondam iidem erant, qui Academici.*] Aldus Manutius junior, affirmat duo verba poſtrema non reperiri in uno mſ. idemque teſtatur de altero ſuorum Urſinus noſter. habent tamen Pall.

8. *Detrahere autem alteri.*] Tota iſta periodus mihi ſuſpecta eſt, tanquam repetita à ſciolo de capitis hujus principio. Pall. tamen noſtri habent *Detrah. autem de altero*, quod & in Fabr. & plurimis Aldi exemplaribus.

illum, quem HOMINUM fama, beneficiorum memor, in concilio cœleſtium collocavit: quàm vivere in ſolitudine, non modò ſine ullis moleſtiis, ſed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis; ut excellas etiam pulchritudine, & viribus. Quocirca optimo quiſque, & ſplendidiſſimo ingenio longe illam vitam huic anteponit. Ex quo efficitur, HOMINEM naturæ obedientem, homini nocere non poſſe. Deinde, qui alterum violat, ut ipſe aliquid commodi conſequatur: aut nihil ſe exiſtimat contra naturam facere: aut magis fugiendam cenſet mortem, paupertatem, dolorem, amiſſionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum, quàm facere cuipiam injuriam ſi nihil exiſtimat contra naturam fieri hominibus violandis: QUID CUM eo diſſeras, qui omnino hominem ex homine tollat? ſin fugiendum id quidem cenſet, ſed & multo illa pejora, mortem, paupertatem, dolorem: errat in eo, quod ullum aut corporis, aut fortunæ vitium,
6 animi vitiis gravius exiſtimat. Ergo unum debet eſſe omnibus propoſitum, ut eadem ſit utilitas uniuſcujuſque, & univerſorum: quam ſi ad ſe quiſque rapiat, diſſolvetur [1] omnis humana conſortio. Atque ſi etiam hoc natura præſcribit, UT HOMO homini, quicunque ſit, ob eam ipſam cauſam, quòd is homo ſit, conſultum velit: neceſſe eſt ſecundum eandem naturam omnium utilitatem eſſe communem. quod ſi ita eſt, una continemur omnes, & eàdem lege naturæ: idque ipſum ſi ita eſt, certè violare alterum lege naturæ prohibemur. verum autem primum. verum igitur & extremum. Nam illud quidem abſurdum eſt, quod quidam dicunt, parenti ſe, aut fratri nihil detracturos, commodi ſui cauſa: aliam rationem eſſe civium reliquorum: hi ſibi nihil juris, & nullam ſocietatem, communis utilitatis cauſa, ſtatuunt eſſe cum civibus: quæ ſententia omnem ſocietatem diſtrahit civitatis. Qui autem civium rationem ducunt habendam, externorum negant: hi dirimunt communem humani generis ſocietatem: qua ſublata, beneficientia, liberalitas, bonitas, juſtitia funditus tollitur: quæ qui tollunt, etiam ADVERSUS deos immortaleis impii judicandi ſunt. ab iis enim conſtitutam inter homines ſocietatem evertunt: cujus ſocietatis arctiſſimum vinculum eſt, MAGIS arbitrari eſſe contra naturam, hominem homini detrahere, ſui commodi cauſa, quàm omnia incommoda ſubire vel externa, vel corporis, [2] vel etiam ipſius animi, quæ vacent juſtitia. hæc enim una virtus, omnium eſt domina, & regina virtutum. Forſitan quiſpiam dixerit: *Nonne igitur ſapiens, ſi fame ipſe conficiatur, abſtulerit cibum alteri, homini ad nullam rem utili?* Minimè verò. Non enim mihi eſt vita mea utilior, quàm animi talis affectio, NEMINEM ut violem commodi mei gratia. Quid? *Phalarim, crudelem tyrannum, & immanem, vir bonus, [3] ne ipſe frigore conficiatur, veſtitu ſpoliare poſſit, nonne faciat?* Hæc ad judicandum ſunt facillima. nam, ſi quid ab homine ad nullam partem utili, tuæ utilitatis cauſa detraxeris: inhumanè feceris, contraque naturæ legem. ſin autem is tu ſis, qui multam utilitatem reip. atque hominum ſocietati, ſi in vita remaneas, afferre poſſis: ſi quid ob eam cauſam alteri detraxeris, non ſit reprehendendum: [4] ſin autem id non ſit ejuſmodi: SUUM cuique incommodum ferendum eſt potiùs, quàm de alterius commodis detrahendum. Non igitur magis eſt contra naturam morbus, aut egeſtas, aut quid hujuſmodi, quàm detractio, aut appetitio alieni. Sed communis utilitatis derelictio contra naturam eſt. eſt enim injuſta. itaque lex ipſa naturæ, quæ utilitatem hominum conſervat, & continet, decernit profectò, UT AB homine inerti, atque inutili, ad ſapientem, bonum, fortemque virum transferantur res ad vivendum neceſſariæ: qui ſi occiderit, multam de communi utilitate detraxerit: modò hoc ita faciat, ut ne ipſe de ſe bene exiſtimans, ſeſeque diligens, hanc cauſam habeat ad injuriam. ita ſemper officio fungetur, utilitati conſulens hominum, & ei, quam ſæpe commemoro, humanæ ſocietati. Nam, quod ad Phalarim attinet, perfacile judicium eſt. NULLA enim nobis ſocietas cum tyrannis, ſed potiùs ſumma diſtractio eſt: neque eſt contra naturam, ſpoliare, ſi poſſis, quem honeſtum eſt necare: atque hoc omne genus peſtiferum, atque impium, ex hominum communitate exterminandum eſt. Etenim, ut MEMBRA quædam amputantur, ſi & ipſa ſanguine, & tamquam ſpiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis: ſic iſta in figura hominis feritas, & immanitas beluæ, à communi tamquam humanitate corporis ſegreganda eſt. Hujus generis ſunt quæſtiones omnes eæ, in quibus ex
tempore officium exquiritur. Ejuſmodi igitur credo res 7
Panætium perſecuturum fuiſſe, niſi aliqui caſus, aut occupatio conſilium ejus peremiſſet: ad quas ipſas conſultationes ex ſuperioribus libris ſatis multa præcepta ſunt, quibus perſpici poſſit, quid ſit propter turpitudinem fugiendum: quid ſit id, quod idcirco fugiendum non ſit, quia omnino turpe non eſt. [5] Sed quoniam operi inchoato, propè tamen abſoluto, tamquam faſtigium imponimus: ut geometræ ſolent non omnia docere, ſed poſtulare, ut quædam ſibi concedantur, quò faciliùs, quæ volunt, explicent: ſic ego à te poſtulo, mi Cicero, ut mihi concedas, ſi potes, NIHIL, præter id, quod honeſtum ſit, propter ſe eſſe expetendum. ſin hoc non licet per Cratippum: at illud certè dabis, QUOD honeſtum ſit, id eſſe maximè propter ſe expetendum. Mihi utrumvis ſatis eſt: & cùm hoc, tum illud probabilius videtur, nec præterea quidquam probabile. Ac primùm Panætius in hoc defendendus eſt, quod non utilia cum honeſtis pugnare aliquando poſſe dixerit (neque enim ei fas erat) ſed ea, quæ videntur utilia. *Nihil verò utile, quod non idem honeſtum: nihil honeſtum, quod non idem utile ſit*, ſæpe teſtatur: negatque *ullam peſtem majorem in vitam hominum invaſiſſe, quàm eorum opinionem, qui iſta diſtraxerint*. Itaque non ut aliquando anteponeremus utilia honeſtis, ſed ut ea ſine errore dijudicaremus, ſi quando incidiſſent, induxit eam, quæ videretur eſſe, non quæ eſſet, repugnantiam. Hanc igitur partem relictam explebimus, nullius adminiculis, ſed (ut dicitur) Marte noſtro. neque enim quidquam de hac parte poſt Panætium explicatum eſt, quod quidem mihi probaretur, de iis, quæ
in manus meas venerunt. CUM IGITUR aliqua ſpecies utili- 8
tatis objecta eſt, commoveri neceſſe eſt. ſed ſi, cùm animum attenderis, turpitudinem videas adjunctam ei rei, quæ ſpeciem utilitatis attulerit: [6] tunc non utilitas relinquenda eſt, ſed intelligendum, UBI turpitudo ſit, ibi utilitatem eſſe non poſſe. Quòd ſi nihil eſt tam contra naturam, quàm

1. *Omnis humana conſortio.*] Hanc lectionem firmat & uterque Pal. codex. & editio prima Moguntina, & Romana altera. nam prima admiſit illud vulgatum *conſociatio*.

2. *Vel etiam ipſius animi quæ vacent juſtitia.*] Sic & Pall. Muretus monuit veterem ſcripturam depravatam fuiſſe, *cevatem juſtitiam*, exque ea facit *ſervantem juſtitiam*; tanquam ita plane legendum. vix putarim.

3. *Ne ipſe frigore conficiatur.*] Muretus dicto libro xv. cap. 9. affirmat libros ſuos vett. habere, *ne ipſe algore pereat*. at ſic nulla editio, nulli mſſ. aliorum, neque adeò Palatini: ita ut dubitem de fide codicum ejus.

4. *Sin autem id non ſit ejuſmodi.*] Sic quoque Pall. niſi quod pr. habeat *is non ſit ejuſmodi*. Muretus ait codicem antiquum præferre, *ſin autem is non ſis ejuſmodi*: unde colligit librarium primò per errorem, cùm ſcripſiſſet *ſin*, rediiſſe denuò ad ſuperius membrum, cujus principium erat, *ſin autem is tu ſis*: deinde errore animadverſo, non deleviſſe quidem duas voces quas fruſtra repetiverat, *autem is*, ſed cetera perſecutum: ut ſit vera lectio, *ſin non ſis ejuſmodi*. acutè. Fabricii exemplar periodum iſtam non agnoſcit.

5. *Sed quoniam operi inchoato, propè tamen abſoluto, tanquam faſtigium imponimus.*] Palatinus prim. pro his omnibus, ſolummodò habet, *inchoato jam, quaſi faſtigium impon.* quod genuinum magis videtur.

6. *Tunc non utilitas relinquenda.*] Sic Auguſtanus Anemœcii codex & Victorii editio; neque ſecus Romana prima, quomodo & erat in Fabriciano & Danieliano, & Pal. ſec. alterum tamen *requirenda* hæret in Palatino pr. & Aldi Nepotis mſſ. omnibus: ambigoque quænam ſcriptura alteri cedere debeat.

quàm turpitudo (recta enim & convenientia, & conſtantia natura deſiderat, aſpernaturque contraria) nihilque tam ſecundum naturam, quàm utilitas: certè in EADEM re utilitas, & turpitudo eſſe non poteſt. itemque ſi ad honeſtatem nati ſumus, *eaque aut ſola expetenda eſt*, (ut Zenoni viſum eſt) *aut certe omni pondere gravior habenda, quam reliqua omnia*, quod Ariſtoteli placet: neceſſe eſt, quod honeſtum ſit, id eſſe aut ſolum, aut ſummum bonum: quod autem bonum, id certè utile: ita QUIDQUID honeſtum, id utile. quare error hominum non proborum, cùm aliquid, quod utile viſum eſt, [1] arripuit, id continuò ſecernit ab honeſto. Hinc ſicæ, hinc venena, hinc falſa teſtamenta naſcuntur: hinc furta, peculatus, expilationes, direptioneſque ſociorum, & civium: hinc opum nimiarum potentiæ non ferendæ: poſtremo etiam in liberis civitatibus [2] regnandi exſiſtunt cupiditates, quibus nihil nec tætrius, nec fœdius excogitari poteſt. EMOLUMENTA enim rerum fallacibus judiciis vident. [3] pœnam non dico legum, quas ſæpe perrumpunt, ſed ipſius turpitudinis, quæ acerbiſſima eſt, non vident. Quamobrem hoc quidem deliberantium genus pellatur è medio (eſt enim totum ſceleratum, & impium) qui deliberant, utrùm id ſequantur, quod honeſtum eſſe videant, an ſe ſcientes ſcelere contaminent: in ipſa enim dubitatione facinus ineſt, etiamſi ad id non pervenerint. Ergo ea DELIBERANDA omnino non ſunt, in quibus eſt turpis ipſa deliberatio. atque etiam ex omni deliberatione celandi, & occultandi ſpes, opinioque removenda eſt. ſatis enim nobis (ſi modò in philoſophia aliquid profecimus) perſuaſum eſſe debet, *ſi omnes deos, hominesque celare poſſimus*, [4] *nihil tamen avarè, nihil injuſtè, nihil libidinoſe, nihil incontinenter eſſe faciendum.* Hinc, ille Gyges inducitur à Platone: qui, [5] cum terra deceſſiſſet magnis quibuſdam imbribus, in illum hiatum deſcendit, æneumque equum, (ut ferunt fabulæ) animadvertit, cujus in lateribus fores eſſent: quibus apertis mortui vidit corpus magnitudine inuſitata, annulumque aureum in digito, quem ut detraxit, ipſe induit: (erat autem regius paſtor) tum in concilium paſtorum ſe recepit. ibi cùm palam ejus annuli ad palmam converterat, à nullo videbatur, ipſe autem omnia videbat. idem rurſus videbatur, [6] cùm in lucem annulum inverterat. Itaque hac opportunitate annuli uſus reginæ ſtuprum intulit: eaque adjutrice regem dominum interemit, ſuſtulit quos obſtare arbitrabatur: nec in his eum quiſquam facinoribus potuit videre: ſic repentè annuli beneficio rex exortus eſt Lydiæ. Hunc igitur ipſum annulum ſi habeat ſapiens, nihil plus ſibi licere putet peccare, quàm ſi non haberet. HONESTA enim bonis viris, non occulta quæruntur. Atque hoc loco philoſophi quidam, minimè mali illi quidem, ſed non ſatis acuti, fictam, & commentitiam fabulam dicunt prolatam à Platone: quaſi verò ille, aut factum id eſſe, aut fieri potuiſſe defendat. Hæc eſt vis hujus annuli, & hujus exempli: SI NEMO ſciturus, nemo ne ſuſpicaturus quidem ſit, cùm aliquid, divitiarum, potentiæ, dominationis, libidinis cauſa, feceris, ſi id diis, hominibuſque futurum ſit ſemper ignotum, ſiſne facturus. negant id fieri poſſe: [7] quamquam poteſt id quidem. ſed quæro, quod negant poſſe, [8] id ſi poſſet, quidnam facerent? Urgent ruſticè ſanè. negant enim poſſe, & in eo perſtant: hoc verbum quid valeat, non vident. Cùm enim quærimus, [9] ſi poſſint celare, quid facturi ſint: non quærimus, poſſintne celare: ſed tamquam tormenta quædam adhibemus, ut, ſi reſponderint, *ſe, impunitate propoſita, facturos quod expediat*, facinoroſos ſe eſſe fateantur: ſi negent, omnia turpia per ſeipſa fugienda eſſe concedant. Sed jam ad propoſitum revertamur. Incidunt ſæpe multæ cauſæ, quæ conturbent animos utilitatis ſpecie; non, cum hoc deliberetur, relinquendane ſit honeſtas propter utilitatis magnitudinem: (nam id quidem improbum eſt) ſed illud, poſſitne id, quod utile videatur, fieri non turpiter. Cùm Collatino collegæ Brutus imperium abrogabat, poterat videri facere id injuſtè. fuerat enim in regibus expellendis ſocius Bruti, conſiliorum etiam adjutor. cùm autem conſilium hoc principes cepiſſent, cognationem Superbi, nomenque Tarquiniorum, & memoriam regni, tollendam: [10] quod erat utile, patriæ conſulere; id erat ita honeſtum, ut etiam ipſi Collatino placere deberet. Itaque UTILITAS valuit propter honeſtatem: ſine qua ne utilitas quidem eſſe potuiſſet. At in eo rege, qui urbem condidit, non ita. ſpecies enim utilitatis animum pepulit ejus: cui cùm viſum eſſet utilius, ſolum, quàm cum altero regnare, fratrem interemit. Omiſit hic & pietatem, & humanitatem, ut id, quod utile videbatur, neque erat, aſſequi poſſet: & tamen muri cauſam oppoſuit, SPECIEM honeſtatis neque probabilem, neque ſatis idoneam. Peccavit igitur, pace vel Quirini, vel Romuli dixerim. Nec tamen noſtræ nobis utilitates omittendæ ſunt, aliiſque tradendæ, cùm his ipſi egeamus: ſed ſuæ cuique utilitati, quod ſine alterius injuria fiat, ſerviendum eſt. Scitè Chryſippus, ut multa: *Qui ſtadium, inquit, currit, eniti, & contendere debet, quam maxime poſſit, ut vincat: ſupplantare eum, qui cum certet, aut manu depellere, nullo modo debet. ſic in vita ſibi quemque petere, quod pertineat ad uſum, non iniquum eſt:* [11] *alteri deripere, jus non eſt.* Maximè autem perturbantur officia in amicitiis: quibus & non tribuere, quod rectè poſſis, & tribuere, quod non ſit æquum, contra officium eſt. Sed hujus generis totius, breve, & non difficile præceptum eſt. QUÆ ENIM VIDENTUR utilia, honores, divitiæ, voluptates, cetera generis ejuſdem, hæc amicitiæ numquam anteponenda ſunt. At neque contra remp. neque contra jusjurandum, ac fidem amici cauſa, vir bonus faciet; ne ſi judex quidem erit de ipſo amico. PONIT enim perſonam amici, cùm induit judicis. Tantum dabit amicitiæ, ut veram amici cauſam eſſe mâlit: ut orandæ liti tempus, quoad per leges liceat, accommodet. [12] cùm verò jurato ſententia dicenda ſit: meminerit, deum ſe adhibere teſtem, id eſt (ut arbitror) MENTEM SUAM, qua nihil homini dedit deus ipſe divinius. Itaque præclarum à majoribus accepimus morem rogandi judicis, ſi eum teneremus, QUÆ SALVA FIDE FACERE POSSIT. Hæc rogatio ad ea pertinet, quæ paullo antè dixi honeſte amico à judice poſſe concedi. nam, ſi omnia facienda ſint, quæ amici velint: NON amicitiæ tales, ſed conjurationes putandæ ſunt. Loquor autem de communibus amicitiis. nam in ſapientibus viris, perfectiſque, nihil poteſt

1. *Arripuit, id continuo ſecernit.*] Danielis liber adhæret Langianis, in quibus *arripiunt* item *ſecernunt*.

2. *Regnandi exiſtunt cupiditates.*] Verbum *exiſtunt*, videtur à gloſſa.

3. *Pœnas non dico legum, quas ſæpe perrumpunt.*] Langiani omnes, item Pall. F. D. *quàm*.

4. *Nihil tamen avarè.*] Fabr. interſerit *nos*. Pal. pr. *nobis*: quod ultimum ferri queat.

5. *Cùm terra diſceſſiſſet.*] Pal. pr. oggerit *deiſceſſiſſet*; formatum forte ab *dehiſcere*.

6. *Cum in lucem.*] Retinui hanc vocem contra Pall. & mſſ. aliorum, in quibus *locum*. perſuaſus verbis Suffridi, affirmantis ſic legi in Erphurdienſibus codd.

7. *Quanquam poteſt id quidem.*] Sic omnes vett. edd. ſic omnes codd. ſcripti. neque immittenda negatio, ut placuit Lambino & Aldo Nepoti. ut enim Academicus, dubitanter de providentia & natura divina loquitur Cicero, inquit Gulielmius.

8. *Id ſi poſſet.*] Pal. pr. *poſſent*, quomodo & editi ab Victorio.

9. *Si poſſint celare.*] Vox poſtrema non eſt in Pal. pr. neque videtur omninò neceſſaria.

10. *Quod erat utile, patriæ conſulere.*] Dictionem ultimam deletum ivit Langius ac Lamb. contra omnes membranas. male. nam interpunctione noſtra, id utile ait Tullius quod ſequebatur Brutus, ut *patriæ ſcilicet conſuleret*, id etiam honeſtiſſimum erat.

11. *Alteri deripere.*] Sic Victorii editio, ac Moguntina omnium princeps; neque aliter F. D. Pall. aliorumque exemplaria mſſ. vulgo, *ſurripere*.

12. *Cùm vero jurato ſententia dicenda.*] Pal. pr. habet, aut *jurationis ſententia*. aut *jurati omnis*, compendiaria ſcribendi ratione. Editio Romana prima, *juramento*. An forte fuit? *Cùm vero jurato omnis ſent.* Et in Pal. ſec. *juratio*.

poteſt eſſe tale. [1] Damonem, & Phintiam, Pythagoreos, ferunt hoc animo inter ſe fuiſſe, ut, cùm eorum alteri Dionyſius tyrannus diem necis deſtinaviſſet: & is, qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies [2] commendandorum ſuorum cauſa poſtulaviſſet: vas factus eſt alter ejus ſiſtendi: ut, ſi ille non revertiſſet, moriendum eſſet ipſi. qui cùm ad diem ſe recepiſſet, admiratus eorum fidem tyrannus, pe-

11 tivit, ut ſe ad amicitiam tertium adſcriberent. Cùm igitur id, quod utile videtur in amicitia, cum eo, quod honeſtum eſt, comparatur: JACEAT utilitatis ſpecies, valeat honeſtas. cùm autem in amicitia, quæ honeſta non ſunt, poſtulabuntur, religio, & fides anteponatur amicitiæ: ſic habebitur is, quem exquirimus, delectus officii. Sed utilitatis ſpecie in repub. ſæpiſſimè peccatur, ut in Corinthi diſturbatione noſtri. durius etiam Athenienſes, qui ſciverunt, ut Æginetis, qui claſſe valebant, pollices præciderentur. hoc viſum eſt utile. nimis enim imminebat, propter propinquitatem, Ægina Piræo: ſed NIHIL, quod crudele, utile. eſt enim hominum naturæ, quam ſequi debemus, maximè inimica crudelitas. Malè etiam qui *peregrinos* urbibus uti prohibent, eoſque exterminant, ut Pennus apud patres noſtros, Papius nuper. Nam eſſe pro cive, qui civis non ſit, rectum eſt non licere: quam tulerunt legem ſapientiſſimi conſules, Craſſus & Scævola: uſu verò urbis prohibere peregrinos, ſanè inhumanum eſt. Illa præclara, in quibus publicæ utilitatis ſpecies præ honeſtate contemnitur. Plena exemplorum eſt noſtra reſpub. [3] cùm ſæpe, tum maximè bello Punico ſecundo: quæ Cannenſi calamitate accepta, majores animos habuit, quàm umquam rebus ſecundis. nulla timoris ſignificatio, nulla mentio pacis. tanta vis eſt honeſti, ut ſpeciem utilitatis obſcuret. Athenienſes cum Perſarum impetum nullo modo poſſent ſuſtinere, ſtatuerentque ut urbe relicta, conjugibus & liberis Trœzene depoſitis, naveis conſcenderent, libertatemque Græciæ claſſe defenderent: Cyrſilum quendam, ſuadentem, ut in urbe manerent, Xerxemque reciperent, [4] lapidibus obruerunt. Atque ille utilitatem ſequi videbatur: ſed ea nulla erat repugnante honeſtate. Themiſtocles poſt victoriam ejus belli, quod cum Perſis fuit, dixit in concione, *ſe habere conſilium reip. ſalutare, ſed id ſciri opus non eſſe.* poſtulavit, ut aliquem populus daret, qui cum communicaret. datus eſt Ariſtides. Huic ille, *claſſem Lacedæmoniorum, quæ ſubducta eſſet ad Gytheum, clam incendi poſſe: quo facto frangi Lacedæmoniorum opes neceſſe eſſet.* Quod Ariſtides cùm audiſſet, [5] in concionem magna exſpectatione venit: dixitque, *perutile eſſe conſilium, quod Themiſtocles afferret: ſed minime honeſtum.* [6] Itaque Athenienſes, QUOD HONESTUM non eſſet, id ne utile quidem putaverunt: totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Ariſtide repudiaverunt. Meliùs hi, quàm nos, qui piratas, immuneis: ſocios, vectigaleis habemus.

12 Maneat ergo, quod turpe ſit, id numquam eſſe utile: ne tum quidem, cùm id, quod eſſe utile putes, adipiſcare. Hoc enim ipſum utile putare, quod turpe ſit, calamitoſum eſt. Sed incidunt (ut ſupra dixi) ſæpe cauſæ, cùm repugnare utilitas honeſtati videatur, ut animadvertendum ſit, repugnetne planè, an poſſit cum honeſtate conjungi. Ejus generis hæ ſunt quæſtiones: Si (exempli gratia) vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia, & fame, ſummaque annonæ caritate: ſi idem ſciat, complureis mercatores Alexandria ſolviſſe, naveſque in curſu, frumento onuſtas, petenteis Rhodum, viderit: dicturuſne ſit id Rhodiis, an ſilentio ſuum quam plurimo venditurus? Sapientem, & bonum virum fingimus: de ejus deliberatione & conſultatione quærimus: qui celaturus Rhodios non ſit, ſi id turpe judicet: ſed dubitet, an turpe non ſit. In hujuſmodi cauſis aliud Diogeni Babylonio videri ſolet, magno & gravi Stoico: aliud Antipatro, diſcipulo ejus, homini acutiſſimo. Antipatro, omnia patefacienda, ut ne quid omnino, quod venditor norit, emtor ignoret: Diogeni, venditorem, quatenus jure civili conſtitutum ſit, dicere vitia oportere: cetera ſine inſidiis agere: & QUONIAM vendat, velle quam optimè vendere. *Advexi, expoſui, vendo meum non pluris, quàm ceteri: fortaſſe etiam minoris. cùm major eſt copia cui ſit injuria?* Exoritur Antipatri ratio ex altera parte: *Quid ais? tu cum hominibus conſulere debeas, & ſervire humanæ ſocietati, eaque lege natus ſis & ea habeas principia naturæ, quibus parere, & quæ ſequi debeas, ut utilitas tua, communis utilitas ſit: viciſſimque communis utilitas, tua ſit: celabis homines, quid iis adſit commoditatis, & copiæ?* Reſpondebit Diogenes fortaſſe ſic, *Aliud eſt celare, aliud tacere: neque ego nunc te celo, ſi tibi non dico, quæ natura deorum ſit, quis ſit finis bonorum: quæ tibi plus prodeſſent cognita, quam tritici vilitas: ſed non quidquid tibi audire utile eſt, id mihi dicere neceſſe eſt.* [7] *Immò verò* (inquiet ille) *neceſſe eſt, ſi quidem meminiſti eſſe inter homines natura conjunctam ſocietatem. Memini,* inquiet ille, *ſed num iſta ſocietas talis eſt, ut nihil ſuum cujuſque ſit? quod ſi ita eſt, ne vendendum quidem quidquam eſt, ſed donandum.* Vides in hac tota diſceptatione non illud dici, QUAMVIS hoc turpe ſit; tamen, quoniam expedit, faciam: ſed ita expedire, ut turpe non ſit: ex altera autem parte; ea re, [8] quia turpe

ſit, non eſſe faciendum. Vendat ædeis vir bonus propter 13

aliqua vitia, quæ ipſe norit, ceteri ignorent: peſtilentes ſint, & habeantur ſalubres: ignoretur, in omnibus cubiculis apparere ſerpenteis: malè materiatæ, ruinoſæ: ſed hoc, præter dominum, nemo ſciat. quæro, ſi hoc emtoribus venditor non dixerit, ædeiſque vendiderit pluris multo, quàm ſe venditurum putarit, num id injuſtè, an improbè fecerit. *Ille verò,* (inquit Antipater) *quid enim eſt aliud, erranti viam non monſtrare (quod Athenis exſecrationibus publicis ſancitum eſt) ſi hoc non eſt, emtorem pati ruere, & per errorem in maximam fraudem incurrere? plus etiam eſt, quàm viam non monſtrare. nam eſt ſcientem in errorem, alterum inducere.* Diogenes contra: *Num te emere coëgit, qui ne hortatus quidem eſt? ille, quod non placebat, proſcripſit: tu, quod placebat, emiſti. quod ſi qui proſcribunt,* VILLAM BONAM, *beneque ædificatam,* [7] *non exiſtimantur fefelliſſe, etiam ſi illa nec bona eſt, nec ædificata ratione; multo minus, qui domum non laudarunt.* UBI ENIM, *judicium emtoris eſt, ibi fraus venditoris quæ poteſt eſſe? ſin autem dictum non omne præſtandum eſt, quod dictum non eſt, id præſtandum putas? Quid vero eſt ſtultius, quam venditorem, ejus rei quam vendat, vitia narrare? quid autem tam abſurdum, quàm ſi domini juſſu ita præco prædicet?* DOMUM PESTILENTEM VENDO. Sic ergo in quibuſdam cauſis dubiis ex altera parte defenditur honeſtas, ex altera ita de utilitate dicitur, ut id, quod utile videatur, non modò facere honeſtum ſit: ſed etiam, non facere, turpe. Hæc eſt illa,

1. *Damonem & Phintiam.*] Quid nos torqueamus in vero hujus nomine, cum Palatini pr. contextus habeat, *Pinthiam*; ora verò *Phyntiam*, item *Pitthyam*? admiſi tamen Turnebi *Phintiam*, motus ratione quam ponit lib. xx. Adverſ. cap. 13. totidemque habet literis Pal. ſec.

2. *Commendandorum ſuorum cauſa.*] Ita vetuſta exempla, non *conveniendorum*. commendare enim idem quod *valedicere* notat Giſanius noſter. mihi potius eſt, *ſidei aliorum committere*; ut faciunt morituri. unde idem auctor de Finibus: *Simulatque natum ſit animal, ipſum ſibi conciliari & commendari ad conſervandum.*

3. *Cum ſæpe tum maxime.*] Sic primitus cuſi, ſic Pall. & F. & Victoriani, poſteriores, *cum ſæpe alias tum*, cur obſecro?

4. *Lapidibus obruerunt.*] Blanditur magis, quod eſt in exemplari Palat. pr. *lap. cooperuerunt.*

5. *In concionem magna expectatione venit.*] Pal. idem tantum, *in concionem magnam venit.*

6. *Itaque Athenienſes, quod honeſtum non eſſet, id.*] Pal. *Ita quod Ath. honeſtum non eſſe.* nihilo pejus vulgato.

7. *Imo verò, inquiet ille.*] Voces duæ poſtremæ non habentur in Palat. pr. & poſſunt abeſſe. ſatis enim ſubintelliguntur.

8. *Quia turpe ſit, non eſſe faciendum.*] Non vacat perpendere locum ne heic habere poſſit ſcriptura Palatini, pr. *quia turpe non ſit, faciendum.*

1. *Cym-*

illa, quæ videtur utilium fieri cum honeſtis ſæpe diſſenſio. Quæ dijudicanda ſunt. non enim, ut quæreremus, expoſuimus, ſed ut explicaremus. Non igitur videtur nec frumentarius ille Rhodius, nec hic ædium venditor, celare, quæ emtores debuiſſe. NEQUE enim id eſt celare, quidquid reticeas: ſed cùm, quod tu ſcias, id ignorare emolumenti tui cauſa velis eos, quorum interſit id ſcire. Hoc autem celandi genus quale ſit, & cujus hominis, quis non videt? certè non aperti, non ſimplicis, non ingenui, non juſti, non viri boni: verſuti potiùs, obſcuri, aſtuti, fallacis, malitioſi, callidi, veteratoris, vafri. hæc tot, & alia plura,
14 nonne inutile eſt vitiorum ſubire nomina? Quòd ſi VITUPERANDI ſunt, qui reticuerunt: quid de iis exiſtimandum eſt, qui orationis vanitatem adhibuerunt? Cajus Canius, eques Romanus, nec infacetus, & ſatis litteratus, cùm ſe Syracuſas otiandi (ut ipſe dicere ſolebat,) non negotiandi cauſa, contuliſſet, dictitabat, ſe hortulos aliquos velle emere quò invitare amicos, & ubi ſe oblectare ſine interpellatoribus poſſet. quod cùm percrebuiſſet, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracuſis, venaleis quidem ſe hortos non habere, ſed licere uti Canio, ſi vellet, ut ſuis: & ſimul ad cenam hominem in hortos invitavit in poſterum diem. cùm ille promiſiſſet, tum Pythius, qui eſſet, ut argentarius, apud omneis ordines gratioſus, piſcatores ad ſe convocavit; & ab his petivit, ut ante ſuos hortulos poſtridie piſcarentur, dixitque, quid eos facere vellet. Ad cenam tempore venit Canius: opiparè à Pythio apparatum convivium: [1] cymbarum ante oculos multitudo. pro ſe quiſque quod ceperat, afferebat: ante pedes Pythii piſces abjiciebantur. Tum Canius, Quæſo, inquit, quid eſt hoc Pythi, tantumne piſcium, tantumne cymbarum? Et ille, Quid mirum? inquit, hoc loco eſt, Syracuſis quidquid eſt piſcium: hîc aquatio: hac villa iſti carere non poſſunt. Incenſus Canius cupiditate, contendit à Pythio, ut venderet. Gravatè ille primò. quid multa? impetrat, emit homo cupidus, & locuples, tanti, quanti Pythius voluit, & emit inſtructos: nomina facit: negotium conficit. invitat Canius poſtridie familiareis ſuos. venit ipſe maturè. ſcalmum nullum videt. quærit ex proximo vicino, [2] num feriæ quædam piſcatorum eſſent, quòd eos nullos videret. Nullæ, (quod ſciam) inquit ille: ſed hîc piſcari nulli ſolent. itaque heri mirabar, quid accidiſſet. Stomachari Canius. Sed quid faceret? nondum enim Aquilius, collega, & familiaris meus [3] protulerat de dolo malo formulas: in quibus ipſis cùm ex eo quæreretur: *quid eſſet dolus malus*: reſpondebat, *cùm eſſet aliud ſimulatum, aliud actum*. [4] Hoc quidem ſanè luculenter, ut ab homine perito definiendi. Ergo & Pythius, & omnes aliud agentes, aliud ſimulantes, perfidi, improbi, malitioſi ſunt. Nullum igitur factum eorum poteſt utile eſſe, cùm ſit tot vitiis
15 inquinatum. Quod ſi Aquiliana definitio vera eſt: EX OMNI vita ſimulatio, diſſimulatioque tollenda eſt. ita nec, ut emat meliùs, nec ut vendat, quidquam ſimulabit, aut diſſimulabit, vir bonus. Atque iſte dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela XII. tabulis, & circumſcriptio adoleſcentium lege Lætoria: & ſine lege, judiciis, in quibus additur, EX FIDE BONA AGITUR. Reliquorum autem judiciorum hæc verba maximè excellunt; in arbitrio rei uxoriæ, MELIUS, ÆQUIUS: in fiducia, UT INTER BONOS BENE AGIER. Quid ergo? aut in eo, quod MELIUS, ÆQUIUS: poteſt ulla pars ineſſe fraudis? aut, cùm dicitur: INTER BONOS BENE AGIER: quidquam agi doloſe, aut malitioſè poteſt? Dolus autem malus ſimulatione, ut ait, Aquilius, continetur. tollendum eſt igitur ex rebus contrahendis omne mendacium. [5] non licitatorem venditor, [6] nec qui contra ſe liceatur, emtor opponet: uterque, ſi ad eloquendum venerit, non plus, quàm ſemel, eloquetur. Q. quidem Scævola, P. filius, cùm poſtulaſſet, ut ſibi fundus, cujus emtor erat, ſemel indicaretur, idque venditor ita feciſſet: dixit, ſe pluris æſtimare: [7] addidit centum millia. NEMO EST, qui hoc boni viri fuiſſe neget; ſapientis, negant: ut ſi minoris, quam potuiſſet vendidiſſet. Hæc igitur eſt illa pernicies, quòd ALIOS bonos, alios ſapienteis exiſtimant. ex quo Ennius, *Ne quicquam ſapere ſapientem, qui ſibi ipſi prodeſſe nequiret*. Vere id quidem, ſi, quid eſſet, PRODESSE, mihi cum Ennio conveniret. Hecatonem quidem Rhodium, diſcipulum Panætii, video in iis libris, quos de Officiis ſcripſit Q. Tuberoni, dicere, *Sapientis eſſe, nihil contra mores, leges, inſtituta facientem, habere rationem rei familiaris. neq; enim ſolùm nobis divites eſſe volumus, ſed liberis, propinquis, amicis, maximeque reip. ſingulorum enim facultates, & copiæ, divitiæ ſunt civitatis.* Huic Scævolæ factum, (de quo paullo antè dixi) placere nullo modo poteſt. etenim omnino tantum ſe negat facturum compendii ſui cauſa, quod non liceat. Huic nec laus magna tribuenda, nec gratia eſt. Sed ſive ſimulatio, & diſſimulatio, dolus malus eſt; PERPAUCÆ res ſunt, in quibus dolus iſte malus non verſetur: ſive vir bonus eſt is, qui prodeſt, quibus poteſt, nocet nemini, [8] rectè iſtum virum bonum non facilè reperimus. Numquam igitur eſt utile peccare, quia ſemper eſt turpe: &, QUIA ſemper eſt honeſtum, virum bonum eſſe, ſemper eſt utile. Ac de jure quidem prædio- 16
rum ſancitum eſt apud nos jure civili, ut in his vendendis vitia dicerentur, quæ nota eſſent venditori. Nam, cùm ex XII. tabulis ſatis eſſet ea præſtari, quæ eſſent LINGUA NUNCUPATA, quæ qui inficiatus eſſet, [9] dupli pœnam ſubiret: à jureconſultis etiam reticentiæ pœna eſt conſtituta. [10] Quidquid enim eſſet in prædio vitii, id ſtatuerunt, ſi venditor ſciret, niſi nominatim dictum eſſet, præſtari oportere. Ut, cùm in arce [11] augurium augures acturi eſſent, juſſiſſentque Titum Claudium Centumalum, qui ædeis in Cœlio monte habebat, demoliri eas, quarum altitudo officeret auſpiciis: Claudius proſcripſit inſulam, vendidit: emit [12] P. Calpurnius Lanarius. huic ab auguribus illud idem denun-

---

1. *Cymbarum ante oculos multitudo.*] Sic vett. edd. & Pall. Vict. publicavit ante *hortulos*, quomodo ex Ambroſio antea editum fuiſſe a Balduino monuit Suffridus noſter. mihi ſatisfacit vulgata.

2. *Num feriæ quædam piſcatorum eſſent.*] Pronomen *quædam* non eſt in Pal. pr. ſed *aliquæ* poſt vocem *eſſent*: unde fit ut ſuſpicer prius fuiſſe tantum, *num feriæ piſcatorum eſſent?* reciſa non ſolum unâ illa vocula, ſed & ſequentibus illis, *quod eos nullos videret*.

3. *Protulerat de dolo malo formulas.*] Sic editi ante Victorium qui maluit *pertulerat*, ſed contra Palatinum utrumque, & rationem. mecum facit & Turnebus lib. xx. cap. 13.

4. *Hoc quidem ſanè luculenter*] Mſſ. ferè *luculentè*, item etiam edd. avorum ſeculo procuratæ. at Pal. pr. copula interſerta, *ſanè & luculentè*. ſec. *ſatis luculentè*.

5. *Non licitatorem venditor.*] Palatini noſtri pr. fundus herbam novi quaſi generis ſuggerit, nempe *illicitorem*: quod non improbem ſi & aliis membranis firmetur.

6. *Nec qui contra ſe liceatur emptor apponet.*] Sic quoque Pall. niſi quod ii *non qui*. vulgati ferè *opponet*. Muretus lib. xiv. Var. lect. cap. 3. *contra eſſe liceatur emptor apponet*. argutè quidem, an etiam vere, examinare non licet, hoc ictu temporis.

7. *Addidit centum millia.*] Editio omnium prima item Romana ſecunda voce amplius, *nummorum*. Wolfio vix probabile fit alterum aut ita fundi pretium ignoraſſe, aut alterum tantum addidiſſe; itaque putat erratum eſſe in numero, niſi aliquod choragium gloriæ captarit Scævola.

8. *Rectè iſtum virum bonum non facilè reperimus.*] Sic membranæ meæ & aliorum & ſenſus eſt, non facilè iſtum Hecatonem reperiri virum bonum, ſive doli mali definitione, ſive ſua natura accipiat vir bonus. *rectè*, ei eſt perfecte, abſolute. Gulielmius.

9. *Dupli pœnam ſubiret.*] Vox *pœnam* non eſt in Pal. pr. & verò cùm varie hic locus exprimatur in membranaceis & editis, veriſimile eſt, non eſſe à Cicerone.

10. *Quicquid enim eſſet in prædio vitii.*] Ita Pal. pr. neque recedit Victorius, quam quod is, *eſt*. quomodo & Pal. ſec.

11. *Augurium acturi eſſent.*] Forte *facturi*, annotavit ad oram libri ſui Gulielmius.

12. *P. Calphurnius Lanarius.*] Sic & Pall. forſan *Lanatus*. nam inſcriptio antiqua producta ab Aldo Nepote, nihil probat, niſi Caſurium illum fuiſſe arte *Lanarium*, non cognomine; mea quidem ſententia.

1. *Emptori*

denuntiatum eſt. Itaque Calpurnius cùm demolitus eſſet, cognoſſetque, Claudium ædeis poſteà proſcripſiſſe, quàm eſſet ab auguribus demoliri juſſus, arbitrium illum adegit, QUIDQUID SIBI DARE, FACERE OPORTERET EX FIDE BONA. M. Cato ſententiam dixit, hujus noſtri Catonis pater. ut enim ceteri ex patribus, ſic hic, qui lumen illud progenuit, ex filio eſt nominandus. Is igitur judex ita pronuntiavit: *cùm in vendundando rem eam ſciſſet, & non pronuntiaſſet,* [1] *emtori damnum præſtari oportere.* Igitur ad fidem bonam ſtatuit pertinere, notum eſſe emtori vitium, quod noſſet venditor. Quòd ſi recte judicavit: non rectè frumentarius ille, non rectè ædium peſtilentium venditor tacuit. ſed hujuſmodi reticentiæ jure civili omnes comprehendi non poſſunt: quæ autem poſſunt, diligenter tenentur. M. Marius Gratidianus, propinquus noſter, C. Sergio Oratæ vendiderat ædeis eas, quas ab eodem ipſe paucis antè annis emerat. hæ Sergio ſerviebant: ſed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in judicium eſt. Oratam Craſſus, Gratidianum defendebat Antonius. jus Craſſus urgebat: *quod vitii venditor non dixiſſet ſciens, id oportere præſtari:* æquitatem Antonius: *quoniam id vitium ignotum Sergio non fuiſſet, qui illas ædeis vendidiſſet, nihil fuiſſe neceſſe dici: nec eum eſſe deceptum, qui id, quod emerat, quo jure eſſet, teneret.* Quorſum hæc? ut illud intelligas,
17 non placuiſſe majoribus noſtris aſtutos. Sed ALITER leges, aliter philoſophi tollunt aſtutias: leges, quatenus manutenêre poſſunt: philoſophi, quatenus ratione, & intelligentia. Ratio igitur poſtulat, ne-quid inſidiosè, nequid ſimulatè, nequid fallaciter. Suntne igitur inſidiæ, tendere plagas, etiam ſi excitaturus non ſis, nec agitaturus? ipſæ enim feræ nullo inſequente ſæpe incidunt. ſic tu ædeis proſcribas, tabulam, tamquam plagam, ponas, domum propter vitia vendas; in eam aliquis incurrat imprudens. Hoc quamquam video propter depravationem conſuetudinis, neque more turpe haberi, neque aut lege ſanciri, aut jure civili: tamen naturæ lege ſancitum eſt. ſocietas enim eſt, (quod etſi ſæpe dictum eſt, dicendum tamen eſt ſæpius) LATISSIME quidem quæ pateat, hominum inter homines: interior eorum, qui ejuſdem generis ſunt; propior eorum, qui ejuſdem civitatis. Itaque majores aliud jus gentium, aliud jus civile eſſe voluerunt. quod civile, non idem continuò gentium: quod autem gentium, idem civile eſſe debet. Sed nos veri juris, germanæque juſtitiæ ſolidam, & expreſſam effigiem nullam tenemus: umbra & imaginibus utimur: eas ipſas utinam ſequeremur! feruntur enim ex optimis naturæ, & veritatis exemplis. Nam quanti verba illa, UTI *ne propter te, fidemve tuam captus, fraudatuſve ſiem?* quam illa aurea! *ut inter bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione?* Sed, qui ſunt BONI, & quid ſit, BENE AGI, magna quæſtio eſt. Qu. quidem Scævola, pontifex max. ſummam vim dicebat eſſe in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur, EX FIDE BONA: fideique bonæ nomen exiſtimabat manare latiſſimè, idque verſari in tutelis, ſocietatibus, fiduciis, mandatis, rebus emtis, venditis, conductis, locatis, quibus vitæ ſocietas continetur: in his magni eſſe judicis, ſtatuere (præſertim cùm in pleriſque eſſent judicia contraria) quid quemque cuique præſtare oporteret. Quocirca ASTUTIÆ tollendæ ſunt, eaque malitia, quæ vult illa quidem videri ſe eſſe prudentiam: ſed abeſt ab ea, diſtatque plurimum. Prudentia eſt enim locata in delectu bonorum, & malorum: malitia (ſi omnia, quæ turpia ſunt, mala ſunt) mala bonis anteponit. Nec verò in prædiis ſolùm jus civile, ductum à natura, malitiam fraudemque vindicat: ſed etiam in mancipiorum venditione fraus venditoris omnis excluditur. qui enim ſcire debuit, de ſanitate, de fuga, de furtis, [2] præſtat edicto Ædilium. Heredum alia cauſa eſt. Ex quo intelligitur, quoniam juris natura fons ſit, hoc ſecundum naturam eſſe, NEMINEM id agere, ut ex alterius prædetur inſcientia. nec ulla pernicies vitæ major inveniri poteſt, quàm in malitia ſimulatio intelligentiæ: ex quo iſta innumerabilia naſcuntur, ut utilia cum honeſtis pugnare videantur. QUOTUS enim quiſque reperietur, qui impunitate, & ignoratione omnium propoſita, abſtinere poſſit injuria? Periclitemur, ſi placet, in iis quidem exemplis, 18
in quibus peccari vulgus hominum fortaſſe non putat. Neque enim de ſicariis, veneficiis, teſtamentariis, furibus, peculatoribus hoc loco diſſerendum eſt: qui non verbis ſunt, & diſputatione philoſophorum, ſed vinculis & carcere fatigandi. ſed hæc conſideremus, quæ faciunt ii, qui habentur boni. L. Minutii Baſili, locupletis hominis, falſum teſtamentum quidam è Græcia Romam attulerunt: quod quo faciliùs obtinerent, ſcripſerunt heredes ſecum M. Craſſum, & Qu. Hortenſium, homines ejuſdem ætatis potentiſſimos: qui, cùm illud falſum eſſe ſuſpicarentur, ſibi autem nullius eſſent conſcii culpæ: ALIENI facinoris munuſculum non repudiaverunt. Quid ergo? ſatin' hoc eſt, ut non deliquiſſe videantur? mihi quidem non videtur: quamquam alterum amavi vivum, alterum non odi mortuum. Sed cum Baſilus M. Satrium, ſororis filium, nomen ſuum ferre voluiſſet, eumque feciſſet heredem: hunc dico patronum agri Piceni, & Sabini: (ô turpem notam temporum illorum!) num erat æquum, principes civeis rem habere, ad Satrium nihil, præter nomen pervenire? Etenim, ſi is, QUI NON defendit injuriam, neque propulſat à ſuis, cùm poteſt, injuſte facit, ut in primo libro diſſerui: qualis habendus eſt is, qui non modò non repellit, ſed etiam adjuvat injuriam? Mihi quidem etiam veræ hereditates, non honeſtæ videntur, ſi ſint malitioſis blanditiis officiorum, [3] non veritate, ſed ſimulatione quæſitæ. Atqui in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honeſtum videri ſolet. Falsò: nam EADEM utilitatis, quæ honeſtatis eſt regula: qui hoc non perviderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. ſic enim cogitans: *Eſt iſtuc quidem honeſtum, verum hoc expedit:* res à natura copulatas audebit errore divellere. qui fons eſt fraudum, maleficiorum, ſcelerum omnium. Itaque ſi vir bonus habeat 19
hanc vim, ut, ſi digitis concrepuerit, poſſit in locupletium teſtamenta nomen ejus irrepere, hac vi non utatur, ne ſi exploratum quidem habeat, id omnino neminem umquam ſuſpicaturum. [4] At ſi dares hanc vim M. Craſſo, ut digitorum percuſſione heres poſſet ſcriptus eſſe, qui re vera non eſſet heres: in foro, mihi crede, ſaltaret. homo autem juſtus, iſque quem ſentimus virum bonum, NIHIL cuiquam, quod in ſe transferat, detrahet. Hoc qui admiratur, is ſe, quid ſit vir bonus, neſcire fateatur. At verò ſi quis voluerit animi ſui complicatam notionem evolvere, jam ſe ipſe doceat, eum virum bonum eſſe, qui proſit quibus poſſit: noceat nemini, niſi laceſſitus injuria. Quid ergo? [5] hic non noceat, qui quodam quaſi veneno perficiat, ut veros heredes moveat, in eorum locum ipſe ſuccedat? Non igitur faciat (dixerit quis) quod utile ſit, quod expediat? Immò intelligat, NIHIL nec expedire, nec utile eſſe, quod ſit injuſtum. hoc qui non didicerit, bonus vir eſſe non poterit. Fimbriam conſularem, audiebam de patre noſtro puer, judicem M. Lutatio Pinthiæ fuiſſe, equiti Rom. ſanè honeſto, cùm is ſponſionem feciſſet, NI BONUS VIR ESSET. itaque ei dixiſſe Fimbriam, ſe illam rem num-

1. *Emtori damnum præſtari oportere.*] Sic & Pall. Nonius tamen in *Præſtare* citat; *Emptorem indemnem damno præſtari oportere.*

2. *Præſtat edicto Ædilium.*] Palatinus præponit voculam *is*, quam facile potuit devorare præcedens dictio *furtis*.

3. *Non veritate, ſed ſimulatione quæſitæ.*] Quidam ejiciunt, *ſed ſimulatione*, quamvis retinet in mſſ. Gulielmius putabat potius uncis includendum, una cum illo non *veritate*, tanquam controverſum.

4. *At ſi dares hanc vim Marco Craſſo.*] Vocula *ſi* excluditur Langianis, item Danielis noſtri membranis; neque agnoſcitur ab editione Romana omnium prima. poteratque abeſſe.

5. *Hic non noceat, qui quodam quaſi veneno perficiat.*] Pal. *nocet*, item *perficit*. nihilo pejus. ſunt etiam exemplaria olim cuſa, in quibus, *nocet*, ſed ii tamen *perficiat*.

1. Quod

numquam judicaturum: ne aut ſpoliaret fama probatum hominem, ſi contrà judicaſſet: aut ſtatuiſſe videretur, virum bonum aliquem eſſe, cùm ea res innumerabilibus officiis, & laudibus contineretur. Huic igitur viro bono, quem Fimbria etiam, non modo Socrates noverat, nullo modo videri poteſt quidquam eſſe utile, quod non honeſtum ſit. Itaque talis vir NON MODO facere, ſed nec cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat prædicare. Hæc nonne eſt turpe, dubitare philoſophos, quæ ne ruſtici quidem dubitent? à quibus natum eſt id, [1] quod jam tritum eſt vetuſtate proverbium: cùm enim fidem alicujus, bonitatemque laudant: *dignum eſſe* dicunt, *quicum in tenebris mices.* Hoc quam habet vim, niſi illam, NIHIL expedire, quod non deceat, etiam ſi id poſſis nullo refellente obtinere? Videſne igitur, hoc proverbio, neque Gygi illi poſſe veniam dari, neque huic, quem paullo antè fingebam, digitorum percuſſione [2] hereditates omnium poſſe converrere? Ut enim, QUOD TURPE eſt, id quamvis occultetur, tamen honeſtum fieri nullo modo poteſt: ſic, quod honeſtum non eſt, id utile ut ſit,
20 effici non poteſt, adverſante & repugnante natura. At enim, CUM permagna præmia ſunt, eſt cauſa peccandi. C. Marius cùm à ſpe conſulatus longè abeſſet, & jam ſeptimum annum poſt præturam jaceret, neque petiturus umquam conſulatum videretur: Qu. Metellum, cujus legatus erat, ſummum virum, & civem, cùm ab eo, imperatore ſuo, Romam miſſus eſſet, apud pop. Rom. [3] criminatus eſt, *bellum producere: ſi ſe conſulem feciſſent, brevi tempore, aut vivum, aut mortuum Jugurtham ſe in poteſtatem pop. Rom. redacturum.* Itaque factus eſt ille quidem conſul, ſed à fide, juſtitiaque diſceſſit, qui optimum, & graviſſimum civem, cujus legatus & à quo miſſus eſſet, in invidiam falſo crimine adduxerit. Ne noſter quidem Gratidianus officio boni viri functus eſt tum, cùm prætor eſſet, collegiumque prætorum tribuni plebis adhibuiſſent, ut res nummaria de communi ſententia conſtitueretur. [4] jactabatur enim temporibus illis nummus, ſic, ut nemo poſſet ſcire, quid haberet. Conſcripſerunt communiter edictum cum pœna, atque judicio, conſtitueruntque, ut omnes ſimul [5] in Roſtra poſt meridiem eſcenderent: & ceteri quidem alius aliò: Marius à ſubſelliis in Roſtra rectà, idque quod communiter compoſitum fuerat, ſolus edixit. & ea res (ſi quæris) ei magno honori fuit. omnibus vicis ſtatuæ: ad eas tus, & cerei. quid multa? nemo umquam multitudini fuit carior. Hæc ſunt, quæ conturbant homines in deliberatione nonnumquam, cùm id, in quo violatur æquitas, non ita magnum; illud autem, quod ex eo paritur, permagnum videtur: ut Mario, præripere collegis, & tribunis pleb. popularem gratiam, non ita turpe: conſulem ob eam rem fieri, quod ſibi tunc propoſuerat, valde utile videbatur. Sed omnium una regula eſt, quam tibi cupio eſſe notiſſimam: AUT ILLUD, quod utile videtur, turpe ne ſit: aut, ſi turpe eſt; ne videatur eſſe utile. Quid igitur? poſſumuſne aut illum Marium, virum bonum judicare, aut hunc? Explica, atque excute intelligentiam tuam, ut videas, quæ ſit [6] in ea, ſpecies, forma, & notio viri boni. Cadit ergo in virum bonum, mentiri emolumenti ſui cauſa, criminari, præripere, fallere? nihil profectò minùs. Eſt ergo ulla res tanti, aut commodum ullum tam expetendum, ut viri boni & ſplendorem, & nomen amittas? QUID EST, quod afferre tantùm utilitas iſta, quæ dicitur, poſſit, quantùm auferre, ſi boni viri nomen eripuerit? fidem, juſtitiamque detraxerit? Quid enim intereſt, utrùm ex homine ſe quis convertat in beluam, an *hominis figura immanitatem gerat beluæ?* Quid? qui omnia recta & ho- 21
neſta negligunt, dummodo potentiam conſequantur, nonne idem faciunt, quod is, qui etiam ſocerum habere voluit eum, cujus ipſe audacia potens eſſet? Utile ei videbatur plurimum poſſe alterius invidia. id quàm injuſtum in patriam, quàm inutile, quàm turpe eſſet, non videbat. Ipſe autem ſocer in ore ſemper Græcos verſus de Phœniſſis habebat, quos dicam ut potero, inconditè fortaſſe, ſed tamen ut res poſſit intelligi:

Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

Capitalis Eteocles, vel potiùs Euripides, qui id unum, quod omnium ſceleratiſſimum fuerat, exceperit. Quid igitur minuta colligimus, hereditates, mercaturas, venditiones fraudulentas? Ecce tibi, qui rex pop. Roman. dominuſque omnium gentium eſſe concupierit, idque perfecerit. Hanc cupiditatem ſi honeſtam quis eſſe dicit, amens eſt. probat enim legum, & libertatis interitum: earumque oppreſſionem tætram, & deteſtabilem, glorioſam putat. Qui autem fatetur, HONESTUM non eſſe in ea civitate, quæ libera fuit, quæque eſſe debeat, regnare, ſed ei, qui id facere poſſit, eſſe utile: qua hunc objurgatione, aut quo potiùs convicio à tanto errore [7] coner avertere? Poteſt enim, dii immortales, cuiquam eſſe utile fœdiſſimum & tæterrimum parricidium patriæ: quamvis is qui ſe eo obſtrinxerit, ab oppreſſis civibus Parens nominetur? Honeſtate igitur dirigenda utilitas eſt, & quidem ſic, ut hæc duo, verbo inter ſe diſcrepare, re tamen unum ſonare videantur. [8] Non habeo, *ad vulgi opinionem*, quæ major utilitas, quàm regnandi, eſſe poſſit: nihil contra inutilius ei, qui id injuſte conſecutus ſit, invenio, cùm ad VERITATEM cœpi revocare rationem. *poſſunt* enim cuiquam eſſe utiles, angores, ſollicitudines, diurni & nocturni metus, vita inſidiarum, periculorumque pleniſſima?

Multi iniqui, atque infideles regno, pauci ſunt boni, inquit Accius. At cui regno? quod à Tantalo, & Pelope proditum jure obtinebatur. Nam quanto plures ei regi putas, qui exercitu populi Roman. populum ipſum Rom. oppreſſiſſet, civitatemque non modo liberam, ſed etiam gentibus imperantem, ſervire ſibi coëgiſſet? Hunc tu [9] quas conſcientiæ labes in animo cenſes habuiſſe? quæ vulnera? Cujus autem vita ipſi poteſt utilis eſſe, cùm ejus vitæ ea conditio ſit, ut, qui illam eripuerit, in maxima & gratia futurus ſit, & gloria? Quod ſi hæc utilia non ſunt, quæ maximè

1. *Quod jam tritum eſt vetuſtate proverbium.*] Aliquid heic latet falſi. nam exemplaria antiquiora habent *contritum*, Palatinus verò noſter pr. *contrarium*.

2. *Hereditates omnium poſſe converrere.*] Ita vetus codex Nannii, uti dudum prodidit Συμμίκτων libro IX. neque aliter aliorum exemplaria. primitus editi, *poſſe convertere.* deincipes *poſſe ad ſeſe convertere.* Eſt in Palat. prim. *poſt ſe convertere.* & verò *converrere poſt ſe*, num locum heic aliquem habeat viderint otioſiores. *Hereditates omnium poſſe converrere.*] Quod & Langius fatetur in quibuſdam libris inveniri; probat tamen magis *convertere*, propter ſequentia: eſſe enim id, quibuſdam velut præſtigiis in teſtamenta irrepere. Sed non aliter dictum credo *hæreditates convertere*, domum nempe aut ad ſe, quam quæ Senecæ averſa hæreditas. *Gronov.*

3. *Criminatus eſt bellum producere.*] Sic & Pall. alii interpoſita voce, *bellum illud prod.* plerique, *bellum illum ducere.* non carpo *ducere*, ſed *illum* autumo ſupervacaneum.

4. *Jactabatur enim, &c.*] Periodum hanc, capitis ream fecerat Lambinus, inducto habitu ſqualenti. ego ei priorem ſuam reddidi, cùm nihil in ea invenirem, cur ſpuria haberi poſſet.

5. *In roſtra poſt meridiem eſcenderent.*] Quod affirmaret Muretus ſic legi in uno ſuo codice, idemque diceret de altero ſuo Aldus Nepos, neque aliter exſtaret in membranis Petri Danielis, auſus ſum excludere hactenus vulgatum, *deſcederent. eſcendere*, antiquis eſſe adſcendere, diu eſt quod Critici palam fecere.

6. *In ea ſpecies, forma.*] Pal. *ſpecie*, quod & placuit Victorio. videatur Suffridus & Lambinus.

7. *Coner avertere.*] Etiam Palatinus facit pro eis mſſ. in quibus *avellere*.

8. *Non habeo, ad vulgi opinionem, quæ major utilitas quam regnandi eſſe poſſit.*] Sic habet Palatinus uterque, ſic Mureti unus, ſic Aldi. ineptè prius: *Nunc abeo ad vulgi opinionem. Quæ major utilitas, quam regnandi eſſe poſſit?*

9. *Quas conſcientiæ labes.*] Henricus Stephanus libro IV. Schediaſmatum mutat vocem poſtremam in *tabes*. non erat neceſſe: intelligit enim & maculas & ictus, & lacerationes mentium tyrannicarum, de quibus multa diximus ad librum VI. Annal. Taciti cap. 6.

maximè videntur, quia plena ſunt dedecoris, ac turpitudinis: ſatis perſuaſum eſſe debet, *nihil eſſe utile, quod non*
22 *honeſtum ſit.* Quamquam id quidem, cùm ſæpè aliàs, tum Pyrrhi bello à C. Fabricio, conſule iterum, & à ſenatu noſtro judicatum eſt. Cùm enim rex Pyrrhus populo Rom. bellum ultrò intuliſſet, cùmque de imperio certamen eſſet cum rege generoſo, ac potente; perfuga ab eo venit in caſtra Fabricii, eique eſt pollicitus, ſi præmium ſibi propoſuiſſet, ſe, ut clàm veniſſet, ſic clàm in Pyrrhi caſtra rediturum, & eum veneno necaturum. Hunc Fabricius *reducendum curavit* ad Pyrrhum. idque factum ejus à ſenatu laudatum eſt. Atqui ſi ſpeciem utilitatis, opinionemque quærimus, magnum illud bellum perfuga unus, & gravem adverſarium imperii ſuſtuliſſet: ſed magnum dedecus, & flagitium, quicum laudis certamen fuiſſet, eum non virtute, ſed ſcelere ſuperatum. [1] Utrum igitur utilius vel Fabricio, qui talis in hac urbe, qualis Ariſtides Athenis fuit, vel ſenatui noſtro, qui NUMQUAM utilitatem à dignitate ſejunxit, armis cum hoſte certare, an venenis? SI GLORIÆ cauſa imperium expetendum eſt, ſcelus abſit, in quo non poteſt eſſe gloria. ſin ipſæ opes expetuntur quoquo modo, non poterunt utiles eſſe cum infamia. Non igitur utilis illa L. Philippi, Qu. filii, ſententia: quas civitates L. Sulla, pecunia accepta, ex ſenatuſconſulto liberaviſſet, ut hæ rurſus vectigales eſſent: neque his pecuniam, quam pro libertate dederant, redderemus. Eſt ei ſenatus aſſenſus. turpe imperio. piratarum enim melior fides, quàm ſenatus. At aucta vectigalia: utile igitur. QUOUSQUE audebunt dicere quidquam utile, quod non honeſtum? Poteſt autem ulli imperio, quod gloria fultum eſſe debet, & benivolentia ſociorum, utile eſſe odium, & infamia? Ego etiam cum Catone meo ſæpe diſſenſi. nimis mihi præfractè videbatur ærarium, vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare: multa ſociis: cum in hos benefici eſſe deberemus: cum illis ſic agere, ut cum colonis noſtris ſoleremus: eoque magis, quo illa ordinum conjunctio ad ſalutem reipub. pertinebat. Malè etiam Curio, cum cauſam Transpadanorum æquam eſſe dicebat: ſemper autem addebat, *Vincat utilitas.* Potius diceret, non eſſe æquam, quia non eſſet utilis reip. [2] quàm, cùm utilem eſſe diceret, non eſſe
23 æquam fateretur. Plenus eſt ſextus liber de officiis Hecatonis, talium quæſtionum, *Sitne boni viri, in maxima caritate annonæ, familiam non alere.* in utramque partem diſputat: ſed tamen ad extremum [3] utilitate putat officium dirigi magis, quàm humanitate. Quærit, *ſi in mari jactura facienda ſit, equine pretioſi potiùs jacturam faciat, an ſervuli vilis.* hic aliò res familiaris, aliò ducit humanitas. *Si tabulam de naufragio ſtultus arripuerit, extorquebitne eam ſapiens, ſi potuerit?* negat, *quia ſit injurium.* Quid? *dominus navis, eripietne ſuum? minimè: non plus, quam ſi navigantem in alto, ejicere de navi velit, quia ſua ſit.* QUOAD enim perventum ſit eò, quò ſumta navis eſt, non domini eſt navis, ſed navigantium. *Quid, ſi in una tabula ſint duo naufragi, æque ſapientes, ſibine uterque rapiat, an alter cedat alteri?* cedat verò: ſed ei, cujus magis interſit vel ſuæ, vel reipub. cauſa, vivere. *Quid ſi hæc paria in utroque?* nullum erit certamen, ſed [4] quaſi forte, aut micando victus, alteri cedat alter. *Quid ſi pater fana expilet, cuniculos agat ad ærarium: indicetne id magiſtratibus filius?* nefas id quidem eſt. quinetiam defendat patrem, ſi arguatur. non igitur patria præſtat omnibus officiis? immò verò: ſed ipſi patriæ conducit, pios civeis habere in parenteis. *Quid, ſi tyrannidem occupare, ſi patriam prodere conabitur pater? ſilebitne filius?* immò verò obſecrabit patrem, ne id faciat. ſi nihil proficiet, accuſabit: minabitur etiam: ad extremum ſi ad perniciem patriæ res ſpectabit, PATRIÆ ſalutem anteponet ſaluti patris. Quærit etiam, *ſi ſapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis: cùm id reſcierit, ſoluturuſne ſit eos, ſi cui debeat, pro bonis.* Diogenes ait: Antipater negat: cui potius aſſentior [5] Qui *venenum fugiens vendat ſciens, debeatne dicere.* Non neceſſe putat Diogenes: Antipater viri boni exiſtimat. Hæc ſunt quaſi controverſa jura Stoicorum. In mancipio vendendo, dicendane vitia, non ea, quæ niſi dixeris, redhibeatur mancipium jure civili: ſed hæc, mendacem eſſe, [6] aleatorem, furacem, ebrioſum. Alteri dicenda videntur, alteri non videntur. Si quis aurum vendens, orichalcum ſe putet vendere, indicetne ei vir bonus, aurum illud eſſe, [7] an emat denario, quod ſit mille denariûm? Perſpicuum jam eſt, & quid mihi videatur, & quæ ſit inter eos philoſophos, quos nominavi, controverſia. PACTA, & promiſſa 24
ſemperne ſervanda ſint, quæ nec vi, nec dolo malo [8] (ut prætores ſolent) facta ſint? Si *quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem, pepigeritque, ne illo medicamento umquam poſteà uteretur. ſi eo medicamento ſanus factus fuerit: & annis aliquot poſt inciderit in eundem morbum: nec ab eo, qui cum pepigerat, impetret, ut item eo liceat uti, quid faciendum ſit;* [9] cùm ſit is inhumanus, qui non concedat, nec ei quidquam fiat injuriæ? Vitæ, & ſaluti conſulendum. Quid? *ſi quis ſapiens rogatus ſit ab eo, qui eum heredem faciat, cùm ei teſtamento ſeſtertiûm millies relinquatur, ut antèquàm hereditatem adeat, luce palàm in foro ſaltet, idque ſe facturum promiſerit, quòd aliter eum heredem ſcripturus ille non eſſet: faciat, quod promiſerit, necne?* [10] Promiſiſſe nollem, & id arbitror fuiſſe gravitatis. ſed quoniam promiſit, ſi ſaltare in foro turpe ducet, honeſtiùs mentietur, ſi ex hereditate nihil ceperit, quàm ſi ceperit: niſi fortè eam pecuniam in reip. magnum aliquod tempus contulerit: ut vel ſaltare eum, cùm patriæ conſulturus ſit, turpe non ſit. AC NE ILLA quidem promiſſa ſervanda ſunt, quæ non ſunt 25
iis ipſis utilia, quibus illa promiſeris. Sol Phaethonti filio (ut redeamus ad fabulas) facturum ſe eſſe dixit, quidquid optaſſet: *optavit, ut in currum patris tolleretur:* [11] *ſublatus eſt;*

---

1. *Utrum igitur utilius, &c.*] Palatinus pr. favet lectioni quæ eſt in editione Victorii: *Viſum eſt igitur.* ſed adhæſerim alteri, quæ item in Pal. altero.

2. *Quàm cùm utilem eſſe diceret, non eſſe æquam fateretur.*] Secutus ſum Palatinos, auctoritate fultos editionis Victorianæ, librorumque Suffridi; imò & Petri Danielis, imò editionum primariis. poſteriores enim invertere, *æquam eſſe dic. non eſſe utilem fat.* ineptè.

3. *Utilitate putat officium dirigi magis.*] Pal. pr. & editio Rom. prima, *utilitate ut putat.* neque ſecus à Victorio publicatus & Pal. ſec. niſi quod ii præterea *dirigit.* unde ſuſpicio mihi oritur fuiſſe primitus, *utilitate putat officium magis*, omiſſo illo *dirigi.*

4. *Quaſi forte aut micando victus.*] Sic Pal. pr. & F. non *ſorte.* habet tamen Pal. illud *dimicando*, quod Turnebus ſyllaba una decurtavit, ſuadente mſ. ſuo. ad quam faciem & aliorum fuere item membranæ. verùm Pal. ſec. *medicando.*

5. *Qui venenum fugiens.*] Hæc eſt lectio conſentiens editionum primogeniarum, neque aliter mſſ. Pall. Danielis, Fabricii, aliorumque. videatur Briſſonius in voce *Venenum* libro De verborum ſignificationibus. recentiores maluere *vinum fugiens*; male: poteſt enim hoc ſciri guſtu: neque de talibus interrogatur venditor, ſed emptor ipſemet experitur.

6. *Aleatorem.*] Non vidi qui aliam lectionem produceret, ſicque omnes edd. antiquæ. ſed tamen vix mihi eripi poteſt malam eſſe ſcripturam codicis Palatini pr. in quo *amatorem.* ſervis otium ſubtrahe, ſubtrahis aleam; non etiam amores. & certè longè plura damna domino contingent ex ſervo amatore quàm aleatore. ſcio tamen quæ de eo Juriſconſulti: ſcio.

7. *An emat denario, quod eſt mille denarium?*] Hæc verba demonſtrant clare, τὸ *mille* adjectivum manere in hac compoſitione, τὸ *denarium* autem, intellecto τῷ *nummum*, ſubſtantivi vicem gerere, & utrumque eſſe genitivi caſus. *Gronov.*

8. (*Ut prætores ſolent*) *facta ſint.*] Sic Victorius, neque ſecus olim cuſi, ſubſequentes enim ætatis minoris interſeruere *ſolent dicere*, vel *edicere.* at enim Pal.pr.adhuc reſecat illud *facta ſunt.* & perplaceret dùmmodo annuerent huic apoſiopeſi aliæ etiam membranæ.

9. *Cùm ſit is inhumanus, &c.*] Malim ferè hæc omnia attribui reſpondenti, connectique cum, *Vitæ & ſaluti conſulendum eſt.*

10. *Promiſiſſe nollem, & id arbitror fuiſſe gravitatis. ſed quoniam promiſit, &c.*] Horum nihil exſtat in Pal. pr. niſi ad oram manu recentiori.

11. *Sublatus eſt; atque inſanus quà conſtitit, &c.*] Sic collocat voces Palatinus, item Lilienſis Suffridi. Gulielmius format hæc in verſum hoc modo: *Sublatuſt, atque inſanus quà conſtitit ictu.* ex poëta deſumptum, indicat ipſa dictio.

1. *Quamv*

eſt; atque inſanus quà conſtitit, ictu fulminis deflagravit. [1] Quanto melius fuerat, in hoc, promiſſum patris non eſſe ſervatum? Quid, quod Theſeus exegit promiſſum à Neptuno? Cui cùm tres optationes Neptunus dediſſet, optavit interitum Hippolyti, filii ſui, cùm is patri ſuſpectus eſſet de noverca: quo optato impetrato, Theſeus in maximis fuit luctibus. Quid? Agamemnon cùm devoviſſet Dianæ, quod in ſuo regno pulcherrimum natum eſſet illo anno, immolavit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. promiſſum potiùs non faciendum, quàm tam tætrum facinus admittendum fuit. Ergo & PROMISSA non facienda nonnunquam: neque ſemper depoſita reddenda. Si gladium quis apud te ſana mente depoſuerit, repetat inſaniens: reddere, peccatum ſit: non reddere, officium. Quid? ſi is, qui apud te pecuniam depoſuerit, bellum inferat patriæ, reddaſne depoſitum? non, credo: facias enim contra remp. quæ debet eſſe cariſſima. Sic MULTA, quæ honeſta natura videntur eſſe, temporibus fiunt non honeſta. facere promiſſa, ſtare conventis, reddere depoſita, commutata utilitate, fiunt non honeſta. Ac de iis quidem, quæ videntur eſſe utilitates contra juſtitiam, ſimulatione prudentiæ, ſatis arbitror dictum. Sed quoniam à quattuor fontibus honeſtatis primo libro officia duximus, in eiſdem verſabimur, cum docebimus, ea, quæ videntur eſſe utilia, neque ſunt, quàm ſint virtutis inimica. Ac de prudentia quidem, quam vult imitari malitia: itemque de juſtitia, quæ ſemper eſt utilis, diſputatum eſt. Reliquæ ſunt duæ partes honeſtatis, quarum altera in animi excellentis magnitudine, & præſtantia cernitur: altera in conformatione, & moderatione continentiæ, &

26 temperantiæ. Utile videbatur Ulyſſi, ut quidem poëtæ tragici prodiderunt: nam apud Homerum, optimum auctorem, talis de Ulyſſe nulla ſuſpicio eſt: ſed inſimulant eum tragœdiæ, SIMULATIONE inſaniæ militiam ſubterfugere voluiſſe. non honeſtum conſilium. *at utile* (ut aliquis fortaſſe dixerit) *regnare, & Ithacæ vivere otioſè cum parentibus, cum uxore, cum filio.* Ullum tu decus in quotidianis periculis & laboribus cum hac tranquillitate conferendum putas? Ego verò iſtam contemnendam, & abjiciendam: quoniam, QUÆ HONESTA non ſit, ne utilem quidem eſſe arbitror. Quid enim auditurum putas fuiſſe Ulyſſem, ſi in illa ſimulatione perſeveraſſet? qui cùm maximas res geſſerit in bello, tamen hæc audiat ab Aiace:

Cuju' ipſe princeps jurisjurandi fuit,
Quod omnes ſcitis, ſolus neglexit fidem.
Furere aſſimulavit, ne coiret, inſtitit.
Quod ni Palamedis perſpicax prudentia
Iſtius percepſet malitioſam audaciam,
Fide ſacratum jus perpetuo falleret.

Illi verò non modò cum hoſtibus, verum etiam cum fluctibus, id quod fecit, dimicare meliùs fuit, quàm deſerere conſentientem Græciam ad bellum barbaris inferendum. Sed dimittamus & fabulas, & externa: ad rem factam, noſtramque veniamus. M. Atilius Regulus, cum conſul iterum in Africa ex inſidiis captus eſſet, duce Xantippo Lacedæmonio, imperatore autem patre Hannibalis, Hamilcare: juratus miſſus eſt ad ſenatum, ut, niſi redditi eſſent Pœnis captivi nobiles quidam, rediret ipſe Karthaginem. is cùm Romam veniſſet, utilitatis ſpeciem videbat, ſed eam, ut res declarat, falſam judicavit: quæ erat talis. *manere in patria, eſſe domi ſua cum uxore, cum liberis: quam calamitatem accepiſſet in bello, communem fortunæ bellicæ judicantem, tenere conſularis dignitatis gradum. quis hæc neget eſſe utilia?* quæ cenſes? magnitudo animi &

27 fortitudo negat. Num locupletiores quæris auctores? Harum enim eſt virtutum proprium, NIL EXTIMESCERE, omnia humana deſpicere: nihil, quod homini accidere poſſit, intolerandum putare. itaque quid fecit? In ſenatum venit: mandata expoſuit: ſententiam ne diceret, recuſavit: *quamdiu jurejurando hoſtium teneretur, non eſſe ſe ſenatorem.* Atque illud etiam (ô ſtultum hominem, dixerit quiſpiam, & repugnantem utilitati ſuæ!) reddi captivos, negavit eſſe utile: illos enim adoleſcenteis eſſe, & bonos duces, ſe jam confectum ſenectute. cujus cùm valuiſſet auctoritas, captivi retenti ſunt: ipſe Karthaginem rediit: neque eum caritas patriæ retinuit, nec ſuorum. Neque verò tum ignorabat, ſe ad crudeliſſimum hoſtem, & ad exquiſita ſupplicia proficiſci: ſed jusjurandum conſervandum putabat. Itaque tum, cùm vigilando necabatur, ERAT in meliore cauſa, quàm ſi domi ſenex captivus, perjurus, conſularis remanſiſſet. At ſtultè, qui non modò non cenſuerit captivos remittendos, verùm etiam diſſuaſerit. Quomodo ſtultè? etiamne ſi reipub. conducebat? *poteſt autem, quod inutile reipub. ſit, id cuiquam civi utile eſſe?* PERVERTUNT homines ea, quæ ſunt 28

fundamenta naturæ, cum utilitatem ab honeſtate ſejungunt. omnes enim expetimus utilitatem, ad eamque rapimur, nec facere aliter ullo modo poſſumus. nam quis eſt, qui utilia fugiat? aut qui potiùs, quis ea non ſtudioſiſſimè perſequatur? ſed quia NUSQUAM poſſumus, niſi in laude, decore, honeſtate utilia reperire, propterea illa prima, & ſumma habemus: utilitatis nomen non tam ſplendidum, quàm neceſſarium ducimus. Quid eſt igitur, dixerit quis, in jurejurando? num iratum timemus Jovem? At hoc quidem commune eſt omnium philoſophorum, non eorum modò, qui *deum nihil habere ipſum negotii* dicunt, *& nihil exhibere alteri:* ſed eorum etiam, qui *deum ſemper agere aliquid, & moliri* volunt, *numquam nec iraſci deum, nec nocere.* Quid autem iratus Jupiter plus nocere potuiſſet, quàm nocuit ſibi ipſe Regulus? nulla igitur vis fuit religionis, quæ tantam utilitatem præverteret. An ne turpiter faceret? Primùm, MINIMA DE MALIS. Num igitur tantum mali turpitudo iſta habebat, quantum ille cruciatus? deinde illud etiam apud Attium,

Fregiſtine fidem? neque dedi, neque do infideli cuiquam.

Quamquam ab impio rege dicitur, luculentè tamen dicitur. Addunt etiam, quemadmodum nos dicamus, videri quædam utilia, quæ non ſint: [2] ſic ſe dicere, videri quædam honeſta, quæ non ſint: ut hoc ipſum *videtur honeſtum, conſervandi jurisjurandi cauſa ad cruciatum revertiſſe:* ſed ſit non honeſtum: quia, *quod per vim hoſtium eſſet actum, ratum eſſe non debuit.* Addunt etiam, *quidquid valde utile ſit, id fieri honeſtum, etiam ſi anteà non videretur.* Hæc ferè con- 29

tra Regulum. Sed prima videamus. Non fuit Jupiter metuendus, ne iratus noceret: qui neque iraſci ſolet, neque nocere. Hæc quidem ratio non magis contra Regulum, quàm contra omne jusjurandum valet. ſed IN JUREJURANDO, non qui metus, ſed quæ vis ſit, debet intelligi. eſt enim jusjurandum, affirmatio religioſa. quod autem affirmatè, quaſi deo teſte, promiſeris: id tenendum eſt. jam enim non ad iram deorum, quæ nulla eſt: ſed ad juſtitiam, & ad fidem pertinet. nam præclarè Ennius:

O fides alma, [3] apta pinnis, & jusjurandum Jovis!

Qui igitur jusjurandum violat, is Fidem violat, quam in Capitolio vicinam Jovis Opt. Max. (ut in Catonis oratione eſt) majores noſtri eſſe voluerunt. At enim ne iratus quidem Jupiter plus Regulo nocuiſſet, quàm ſibi nocuit ipſe Regulus. Certè, ſi nihil malum eſſet, niſi dolere. Id autem [4] non modò non ſummum malum, ſed nec malum quidem eſſe, maxima auctoritate philoſophi affirmant: quo-

---

1. *Quanto melius fuerat, &c.*] Totam hanc periodum videas in Pal. pr. ad oram libri, ſcriptura minus veteri.

2. *Sic ſe dicere, videri, &c.*] Palat. pr. non habet vocem *dicere*, & videtur ſubintelligi poſſe. ſic & paullo poſt, ubi eſt, *quod per vim hoſtium eſſet actum*, idem liber excluſit verbum *hoſtium*, non abſurde.

3. *Apta pinnis.*] Benè hæc explicat Muretus lib. XIV. Var. lect. cap. 3. itaque miror quod Aldus Nepos neget ſe intelligere quid ſit, *apta pinnis*.

4. *Non modò non ſummum malum.*] Alterum *non* abeſt pr. Palatino, neque ſemper neceſſarium eſt.

1. Cru-

quorum quidem teſtem non mediocrem, ſed haud ſcio an graviſſimum, Regulum, nolite, quæſo, vituperare. quem enim locupletiorem quærimus, quam principem populi Rom. qui retinendi officii cauſa, [1] cruciatum ſubierit voluntarium? Nam quod ajunt, MINIMA DE MALIS, id eſt, ut turpiter potiùs, quam calamitosè: AN EST ullum majus malum turpitudine? quæ ſi in deformitate corporis habet aliquid offenſionis, quanta illa depravatio, & fœditas turpificati animi debet? Itaque, nervoſiùs qui iſta diſſerunt, [2] ſolùm audent malum dicere id, quod turpe ſit: qui autem remiſſiùs, hi tamen non dubitant ſummum malum dicere. Nam illud quidem,

[3] *Neque dedi, neque do fidem infideli cuiquam*;

idcirco rectè à poëta; quia, cùm tractaretur Atreus, perſonæ ſerviendum fuit. Sed ſi hoc ſibi ſumunt, *nullam eſſe fidem, quæ infideli data ſit*: videant. ne quæratur latebra perjurio. Eſt autem *jus* etiam *bellicum*, fideſque jurisjurandi ſæpe cum hoſte ſervanda. QUOD enim ita juratum eſt, ut mens conciperet fieri oportere, id ſervandum eſt: quod aliter; id ſi non feceris, nullum eſt perjurium. ut, ſi prædonibus pactum pro capite non attuleris, nulla fraus eſt, ne ſi juratus quidem id non feceris. nam pirata non eſt [4] ex perduellium numero definitus: ſed communis hoſtis omnium. cum hoc nec fides debet, nec jusjurandum eſſe commune. NON ENIM falſum jurare; perjurare eſt: ſed, quod ex animi tui ſententia juraris, ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere, perjurium eſt. Scitè enim Euripides:

Juravi lingua, mentem injuratam gero.

Regulus verò non debuit conditiones, pactioneſque [5] bellicas, & hoſtileis perturbare perjurio. cum juſto enim, & & legitimo hoſte res gerebatur; adverſus quem & totum jus fetiale, & multa ſunt jura communia. quod ni ita eſſet, numquam claros viros ſenatus vinctos hoſtibus dedidiſſet.

30 At verò T. Veturius, & Sp. Poſtumius, cùm iterum conſules eſſent, quia, cùm malè pugnatum apud Claudium eſſet, legionibus noſtris ſub jugum miſſis, pacem cum Samnitibus fecerant, dediti ſunt his: INJUSSU enim populi, ſenatuſque fecerant. eodemque tempore [6] Ti. Numicius, Qu. Mælius, qui tum tribuni plebis erant, quod eorum auctoritate pax erat facta, dediti ſunt, ut pax Samnitium repudiaretur. Atque hujus deditionis ipſe Poſtumius, qui dedebatur, ſuaſor & auctor fuit. quod idem multis annis pòſt C Mancinus: qui, ut Numantinis, quibuſcum ſine ſenatus auctoritate fœdus fecerat, dederetur, rogationem ſuaſit eam, quam L. Furius, & Sex. Atilius ex S. C. ferebant: qua accepta, eſt hoſtibus deditus. Honeſtiùs hic, quam Qu. Pompejus, quo, cum in eadem cauſa eſſent, deprecante, accepta lex non eſt. hîc ea, quæ videbatur utilitas, plus valuit, quàm honeſtas: apud ſuperiores, utilitatis ſpecies falſa, ab honeſtatis auctoritate ſuperata eſt. *At non debuit ratum eſſe, quod erat actum per vim.* QUASI VERO forti viro vis poſſit adhiberi. Cur igitur ad ſenatum proficiſcebatur, cùm præſertim de captivis diſſuaſurus eſſet? Quod maximum in eo eſt, id reprehenditis. non enim ſuo judicio ſtetit, ſed ſuſcepit cauſam, ut eſſet judicium ſenatus: cui niſi ipſe auctor fuiſſet, captivi profectò Pœnis redditi eſſent. ita incolumis in patria Regulus reſtitiſſet. quod quia patriæ non utile putavit, idcirco ſibi honeſtum & ſentire illa, & pati credidit. Nam quod ajunt, *quod valdè utile ſit, id fieri honeſtum*: immò verò eſſe, non fieri. eſt enim nihil utile quod idem non honeſtum: nec quia utile, honeſtum eſt: ſed quia honeſtum, utile. Quare ex multis mirabilibus exemplis, haud facilè quis dixerit hoc exemplo aut laudabilius, aut præſtantius. Sed ex tota hac laude 31
Reguli, unum illud eſt admiratione dignum, quòd captivos retinendos cenſuerit. nam quòd rediit, nobis nunc mirabile videtur: illis quidem temporibus aliter facere non potuit. itaque ISTA LAUS non eſt hominis, ſed temporum. nullum enim vinculum ad adſtringendam fidem jurejurando majores arctius eſſe voluerunt. id indicant leges in XII. tabul. indicant ſacra, indicant fœdera, quibus etiam cum hoſte devincitur fides: [7] indicant notiones, animadverſioneſque cenſorum; qui nulla de re diligentiùs, quàm de jurejurando, judicabant. L. Manlio, Auli filio, cùm dictator fuiſſet, M. Pomponius, tribunus plebis, diem dixit, quòd is paucos ſibi dies ad dictaturam gerendam addidiſſet: criminabatur etiam, *quod Titum filium*, qui poſtea eſt Torquatus appellatus, *ab hominibus relegaſſet, & ruri habitare juſſiſſet*. quod cùm audiviſſet [8] adoleſcens filius, negotium exhiberi patri: accurriſſe Romam, & cum prima luce Pomponii domum veniſſe dicitur. cui cùm eſſet nuntiatum, quòd illum iratum allaturum ad ſe aliquid contra patrem arbitraretur: ſurrexit è lectulo, remotiſque arbitris, ad ſe adoleſcentem juſſit venire. At ille, [9] ut ingreſſus eſt, confeſtim gladium diſtrinxit, juravitque, ſe illum ſtatim interfecturum, niſi jusjurandum ſibi dediſſet, ſe patrem miſſum eſſe facturum. Juravit, hoc coactus terrore Pomponius. [10] rem ad populum detulit: docuit, cur ſibi cauſa deſiſtere neceſſe eſſet: Manlium miſſum fecit. tantum temporibus illis *jusjurandum* valebat. Atque hic T. Manlius is eſt, qui ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto, cognomen invênit. cujus tertio conſulatu Latini ad Veſerim fuſi, & fugati. magnus vir in primis, & QUI perindulgens in patrem. idem acerbe ſeverus in filium. Sed ut laudandus Regulus in 32
conſervando jurejurando, ſic decem illi, quos poſt Cannenſem pugnam, [11] juratos ad ſenatum miſit Annibal, ſe in caſtra redituros, ea, quorum potiti erant Pœni, niſi de redimendis captivis impetraviſſent: ſi non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes uno modo. nam Polybius, bonus auctor in primis, ſcribit, ex decem nobiliſſimis, qui tum erant miſſi, novem revertiſſe à ſenatu re non impetrata: unum ex decem, qui paullo pòſt, quam egreſſus erat

1. *Cruciatum ſubierit voluntarium?*] Pal. idem *cruciat. ſibi ferat voluntarium*: quæ diverſitas ſcripturæ non videtur temeraria.

2. *Solum audent malum dicere.*] Vox ultima non eſt in Pal. pr. & verò ἀπὸ τȣ̃ κοινȣ̃ belle ſubintelligi poteſt, cùm mox iterum repetatur.

3. *Neque dedi neque do fidem, &c.*] Senarium inde facit Muretus tranſpoſitu verborum, *Neque do infideli cuiquam, neque dedi fidem.* ſed quis præſtabit germanum eſſe Attii?

4. *Ex perduellium numero definitus.*] Videtur vox poſtrema à gloſſatore. certe Romana editio prima tale quid ferè arguit, in qua, *eſt perduellum numero, deffinitur.*

5. *Bellicas & hoſtiles.*] Non habet Pal. pr. voculas duas poſteriores; & ambigat quis ſanè num ſint auctoris.

6. *Ti. Numicius, Q. Mælius.*] Pal. noſter non abit ab eis libris qui præferunt *Ti. Minucius, Q. Æmilius.*

7. *Indicant notiones.*] Sic edd. primæ. poſteriores *notationes*: ſed contra mſſ. qui catervatim alterum tuentur, poniturque pro *judicio ac cognitione.* Noſter pro Domo: *Omnis notio Pontificum eſſe debuit.* De provin. *Clodius cenſorium judicium & notionem ac morem illum ſeveriſſimum ſuſtulit, &c.*

8. *Adoleſcens filius, negotium exhiberi patri.*] Pal. idem *exhibere*, annotatumque alias legi, *filii*; quæ ſcriptura non diſplicet, ut doluerit adoleſcenti Pomponium patri eripere jus quod per leges habebat in filium familias. videatur Suffridus Petri. nam ceteri commentatores heic tacent.

9. *Ut ingreſſus eſt.*] Magis ferè probem quod eſt in Palatino pr. *ut congreſſus eſt.*

10. *Rem ad populum detulit.*] Gulielmius emendandum putat *retulit.*

11. *Juratos ad Senatum miſit Hannibal, &c.*] Vellem & heic Aldum Nepotem produxiſſe variantes ſcripturas membranarum ſuarum, item Suffridum, alioſque. ſed quid? omnes ad unum tacent; in loco tamen minus integro. quippe Palatinus noſter pr. ſolummodò agnoſcit, *jur. ad Senatum miſſos, in caſtra redituros ea quorum Peni, niſi de redimendis, &c.* ſec. *jur. ad Senatum in caſtra redituros ea quorum erant tui Peni, niſi, &c.* Romæ excuſus CCCCLXIX. præfert: *juratos in caſtra redituros à ſenatu: ea quorum erant uſi Peni: niſi de, &c.* Moguntiæ cuſus anno quarto maturius habet: *miſit Hannibal, in caſtra redituros ea quorum erant Peni, niſi de.* ex quo facile faciamus, *Senatum miſit Annibal, in caſtra redituros ea quorum erant potiti, niſi.* & veroſimile enim omnes has turbas lectionum ortas ab inſolenti locutione, *potiri caſtrorum.*

erat è caſtris, rediſſet, quaſi aliquid eſſet oblitus, Romæ remanſiſſe. Reditu enim in caſtra, liberatum ſe eſſe jurejurando interpretabatur: non rectè. [1] FRAUS enim adſtringit, non diſſolvit perjurium. Fuit igitur ſtulta calliditas, perversè imitata prudentiam. Itaque decrevit ſenatus, ut ille veterator, & callidus, vinctus ad Annibalem duceretur. Sed illud maximum: octo hominum millia tenebat Annibal, non quos in acie cepiſſet, aut [2] qui periculo mortis diffugiſſent, ſed qui relicti in caſtris fuiſſent à Paullo, & Varrone, conſulibus. eos ſenatus non cenſuit redimendos, cùm id parva pecunia fieri poſſet: ut eſſet inſitum militibus noſtris *aut vincere, aut emori*. Qua quidem re audita, *fractum animum Annibalis* ſcripſit idem, quòd ſenatus, populuſque Roman. rebus afflictis tam excelſo animo fuiſſet. ſic honeſtatis comparatione, ea, quæ videntur utilia, vincuntur. Acilius autem, qui Græcè ſcripſit hiſtoriam, plureis ait fuiſſe, qui in caſtra revertiſſent, eàdem fraude, ut jurejurando liberarentur, eoſque à cenſoribus, omnibus ignominiis notatos. Sit jam hujus loci finis. perſpicuum eſt enim, quæ timido animo, humili, demiſſo, fractoque fiant: quale fuiſſet Reguli factum, ſi aut de captivis, [3] quod ipſi opus eſſe videretur, non quod reipub. cenſuiſſet, aut domi remanere voluiſſet: non eſſe utilia, quia
33 ſint flagitioſa, fœda, turpia. Reſtat quarta pars, quæ decore, moderatione, modeſtia, continentia, temperantia, continetur. Poteſt igitur quidquam eſſe utile, quod ſit huic talium virtutum choro contrarium? Atqui ab Ariſtippo Cyrenaici, atque Annicerii philoſophi nominati, omne bonum in voluptate poſuerunt: *virtutemque* cenſuerunt *ob eam rem eſſe laudandam, quòd efficiens eſſet voluptatis.* quibus obſoletis floret Epicurus, ejuſdem ferè adjutor, auctorque ſententiæ. [4] Cum his viris, equiſque, ut dicitur, ſi honeſtatem tueri, ac retinere ſententia eſt, decertandum eſt. nam ſi non modò utilitas, ſed vita omnis beata, corporis firma conſtitutione, ejuſque conſtitutionis ſpe explorata, ut à Metrodoro ſcriptum eſt, continetur: certè hæc utilitas, & quidem ſumma (ſic enim cenſent) cum honeſtate pugnabit. nam ubi primùm prudentiæ locus dabitur? an, ut conquirat undique ſuavitates? QUAM MISER virtutis famulatus, ſervientis voluptati! quod autem munus prudentiæ? an legere intelligenter voluptates? fac nihil iſto eſſe jucundius: quid cogitari poteſt turpius? Jam, qui dolorem ſummum malum dicat, apud eum quem habet locum fortitudo, quæ eſt dolorum, laborumque contemtio? quamvis enim multis in locis dicat Epicurus (ſicut hîc dicit) ſatis fortiter de dolore: tamen NON ID ſpectandum eſt, quid dicat, ſed quid conſentaneum ſit ei dicere, qui bona voluptate terminaverit, mala, dolore: ut, ſi illum audiam de continentia, & temperantia; dicit ille quidem multa multis locis: ſed aqua hæret, ut ajunt. nam quî poteſt temperantiam laudare is, qui ponat ſummum bonum in voluptate? eſt enim TEMPERANTIA libidinum inimica: libidines autem, conſectatrices voluptatis. Atque in hîs tamen tribus generibus, quoquo modo poſſunt, non incallidè tergiverſantur. Prudentiam introducunt, ſcientiam ſuppeditantem voluptates, depellentem dolores. fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, cùm tradunt, rationem negligendæ mortis, perpetiendique doloris. Etiam temperantiam inducunt, non facillimè illi quidem, ſed tamen quoquo modo poſſunt. dicunt enim, voluptatis magnitudinem [5] doloris detractione finiri. Juſtitia vacillat, vel jacet potius, omneſque eæ virtutes, quæ in communitate cernuntur, & in ſocietate generis humani. neque enim bonitas, nec liberalitas, nec comitas eſſe poteſt, non plus quam amicitia, ſi hæc non per ſe expetantur, ſed ad voluptatem, utilitatemve referantur. Conferamus igitur in pauca. nam ut utilitatem nullam eſſe docuimus, quæ honeſtati eſſet contraria: ſic OMNEM voluptatem dicimus honeſtati eſſe contrariam. quo magis reprehendendos Calliphonem, & Dinomachum judico, qui ſe diremturos controverſiam putaverunt, ſi cum honeſtate voluptatem, *tamquam cum homine pecudem*, copulaviſſent. Non recipit iſtam conjunctionem honeſtas, aſpernatur, repellit. nec vero [6] finis bonorum, & malorum, qui ſimplex eſſe debet, ex diſſimilibus rebus miſceri, & temperari poteſt. Sed de hoc (magna enim res eſt) alio loco pluribus. nunc ad propoſitum. Quemadmodum igitur, ſi quando ea, quæ videretur utilitas, honeſtati repugnat, dijudicanda res ſit, ſatis eſt ſuprà diſputatum. ſin autem SPECIEM utilitatis etiam voluptas habere dicetur, nulla poteſt eſſe ei cum honeſtate conjunctio. nam, ut tribuamus aliquid voluptati, condimenti fortaſſe nonnihil, utilitatis certè nihil habebit. Habes à patre munus, Marce fili, mea quidem ſententia, MAGNUM: ſed perinde erit, ut acceperis. quamquam tibi hi tres libri, inter Cratippi commentarios, tamquam hoſpites, erunt recipiendi. Sed, ut, ſi ipſe veniſſem Athenas (quod quidem eſſet factum, niſi me è medio curſu clara voce patria revocaſſet) aliquando me quoque audires: ſic, quoniam his voluminibus ad te profecta vox eſt mea, tribues his, temporis quantum poteris: POTERIS autem, quantum voles. cùm verò intellexero, te hoc ſcientiæ genere gaudere, tum & præſens tecum propediem (ut ſpero) & dum aberis, abſens loquar. Vale igitur, mi Cicero, tibique perſuade, eſſe te quidem mihi cariſſimum: ſed multo fore cariorem, ſi talibus monimentis, præceptiſque lætabere.

M. TUL-

1. *Fraus enim adſtringit.*] *Diſtringit* editi ferè. ſed alterum exſtat in Palat. pr. in Fabriciano, in Langianis, & minus auribus offenſaculo eſt quàm *diſtringit*. quod tamen propugnat Giſanius noſter in Obſervationibus ſuis Linguæ Latinæ, quæ in adoleſcentum manibus verſantur. vultque *diſtringere* interdum valere non dirumpere, aut diſſolvere, ſed aliquid reſolutum aliter ligare ac ſtringere.

2. *Qui periculo mortis diffugiſſent.*] Pal. idem, *periculum mortis effugiſſent*. neſcio utra lectio potior ſit.

3. *Quod ipſi opus.*] Pal. *ſibi*. idem etiam primus habet, *ſed jam hujus loci finis ſit*. ex quibus nihil haurimus, niſi immane quantum calamo ſuo indulſiſſe librarios.

4. *Cum his viris equiſque.*] Editiones multæ *veſis equiſque*. ſed alterum exſtat in Romana ſecunda, neque aliter Palat. pr. nam Gulielmii mſſ. *veri pediſequis*; ignoratione ſcilicet proverbii.

5. *Doloris detractione finiri.*] Eſt a Palatino pr. cui ſecundas facit codex vetus Mureti, uti videre eſt in Variis ipſius lib. XIV. cap. 3. prius cuſi, *fieri*.

6. *Finis bonorum ac malorum.*] Muretus dicto loco autumat duas illas voces *& malorum* ab hominibus fortaſſe minimè malis, ſed certè non ſatis intelligentibus, additas eſſe.

M. Tullii Ciceronis
Cato Major,
seu
De Senectute.
Ad T. Pomponium Atticum, Præfatio.

1 O *Tite, ſi quid ego adjuëro, curamve levaſſo,*
Quæ nunc te coquit, & verſat ſub pectore fixa,
Ecquid erit pretii?

Licet enim verſibus iiſdem mihi affari te, Attice, quibus affatur Flamininum

Ille vir, haud magna cum re, ſed [1] *plenus fidei.*

quamquam certò ſcio, non, ut Flamininum,

Sollicitari te, Tite, ſic noctciſque dieſque.

novi enim moderationem animi tui, & æquitatem: teque non cognomen ſolùm Athenis deportaſſe, ſed humanitatem, & prudentiam intelligo. & tamen ſuſpicor, iiſdem rebus te, quibus meipſum interdum graviùs commoveri: quarum conſolatio & major eſt, & in aliud tempus differenda. Nunc autem mihi viſum eſt de Senectute aliquid [2] ad te conſcribere. hoc enim onere, quod mihi tecum commune eſt, aut jam urgentis, aut certè adventantis ſenectutis, & te, & meipſum levari volo. etſi te quidem id modicè, ac ſapienter, (ſicut omnia) & ferre, & laturum eſſe certò ſcio. Sed mihi cùm de ſenectute aliquid vellem ſcribere, tu occurrebas dignus eo munere, quo uterque noſtrûm communiter uteretur. Mihi quidem ita jucunda hujus libri confectio fuit, ut non modò omneis abſterſerit ſenectutis moleſtias, ſed effecerit mollem etiam, & jucundam ſenectutem. numquam igitur ſatis laudari dignè poterit philosophia, cui qui pareat, omne tempus ætatis ſine moleſtia poſſit degere. Sed de ceteris & diximus multa, & ſæpe dicemus. hunc librum de ſenectute ad te miſimus. Omnem autem ſermonem tribuimus non Tithono, ut Ariſto Chius [3] ne parum eſſet auctoritatis in fabula: ſed M. Catoni ſeni, quò majorem auctoritatem haberet oratio. apud quem, Lælium, & Scipionem facimus admiranteis, quod is tam facilè ſenectutem ferat, iiſque eum reſpondentem. qui ſi eruditiùs videbitur diſputare, quam conſuevit ipſe in ſuis libris, attribuito Græcis litteris, quarum conſtat eum perſtudioſum fuiſſe in ſenectute. Sed quid opus eſt plura? jam enim ipſius Catonis ſermo explicabit
2 noſtram omnem de ſenectute ſententiam. Scip. Sæpenumero mirari ſoleo cum hoc C. Lælio, tum ceterarum rerum tuam excellentem, M. Cato, perfectamque ſapientiam, tum vel maximè, quòd numquam ſenectutem tibi gravem eſſe ſenſerim: quæ pleriſque ſenibus ſic odioſa eſt, ut *onus ſe Ætna gravius* dicant *ſuſtinere*. Cato. Rem haud ſanè difficilem, Scipio & Læli, admirari videmini. quibus enim nihil opis eſt in ipſis ad bene, beateque vivendum, iis omnis gravis eſt ætas: qui autem omnia bona à ſeipſis petunt, iis nihil poteſt malum videri, quod naturæ neceſſitas afferat. quo in genere in primis eſt ſenectus, [4] quam ut adipiſcantur, omnes optant: eandem accuſant adepti: tanta eſt inconſtantia, ſtultitia, atque perverſitas. *Obrepere* ajunt *eam citiùs quam putaſſent*. Primùm, quis coëgit eos falſum putare? quî enim citiùs adoleſcentiæ ſenectus, quàm pueritiæ adoleſcentia obrepit? deinde, quî minùs gravis eſſet iis ſenectus, ſi octingenteſimum annum agerent, quàm octogeſimum? Præterita enim ætas, quamvis longa, cùm effluxiſſet, nulla conſolatione permulcere poſſet ſtultam ſenectutem. Quocirca ſi ſapientiam meam admirari ſoletis (quæ utinam digna eſſet opinione veſtra, noſtroque cognomine) in hoc ſumus ſapientes, quod naturam optimam ducem, tamquam deum, ſequimur, eique paremus: à qua non veriſimile eſt, cùm ceteræ partes ætatis [5] bene deſcriptæ ſint, extremum actum, tamquam ab inerti poëta, eſſe neglectum. ſed tamen neceſſe fuit eſſe aliquid extremum, & tamquam in arborum baccis, terræque frugibus maturitate tempeſtiva, quaſi vietum, & caducum: quod ferendum eſt molliter ſapienti. Quid enim eſt aliud, gigantum modo bellare cum diis, niſi naturæ repugnare? Læl. Atqui, Cato, gratiſſimum nobis, ut etiam pro Scipione pollicear, feceris, ſi, quoniam volumus, (ſperamus quidem certè) ſenes fieri, antè multò à te didicerimus, quibus facillimè rationibus ingraveſcentem ætatem ferre poſſimus. Cat. Faciam verò, Læli; præſertim ſi utrique veſtrûm gratum, ut dicis, futurum eſt. Scip. Volumus ſanè, niſi moleſtum eſt, Cato, tamquam aliquam viam longam confeceris, quam nobis quoque ingrediendum ſit, iſtuc, quò perveniſti, videre, quale ſit. Cat. Faciam, ut
potero, Læli. ſæpe enim interfui querelis meorum æqua- 3
lium (pares autem cum paribus, veteri proverbio, facillimè congregantur) [6] quæ C. Salinator, quæ Sp. Albinus, homines conſulares, noſtri ferè æquales, deplorare ſolebant: tum quòd voluptatibus carerent, ſine quibus vitam nullam puta-

Uſus eſt heic iterum Gulielmius libro Mauriciano ac Fabriciano: acceſſit Celberdenſis, olim Abbatiæ in Friſia quem habuit à Suffrido Petrejo. Quartus fuit Matalii Metelli: quintus erat bibliothecæ Carthuſianorum Coloniæ. ſextus Victorinorum Pariſienſium. Sed & adhibuit, codicem collatum à Franciſco Martinio. Ego Palatinos duos tres conſulere ſatis habui. omnes excutere, operæ fuiſſet infinitæ.

1. *Plenus fidei.*] Sic omnes libri vett. probatque Gifanius ad Lucretium. ut ſit verſus μείουρ☉, alii *fide plenus*, aut *fidei plenus*.

2. *Ad te conſcribere.*] Sic omnes mſſ. etiam Palatini, aliorumque. vulgo *ſcribere*.

3. *Ne parum eſſet auctoritatis.*] Maur. Celberd. ac S.Vict. codd. *parum enim eſſet auctor*. quod ut venuſtius perplacebat Gulielm. ego alteri adhæreo, a quo ſtant & Pal. aliorumque membranæ omnes.

4. *Quam ut adipiſcantur.*] Verſus hos eſſe, leviter à M. Tullio immutatos, acute jam olim vidit Scaliger ad Varronem. Gulielmius propius ad libros eos ita ſcribebat:

Quam ut adipiſcantur omnes optant: eandem item
Adeptam accuſant. tanta eſt inconſtantia
Stulticiai & perverſitas.

5. *Bene deſcriptæ ſint.*] E Metelli libro reſtituit Gulielmius *diſſcriptæ*; addito: *diſſcribere* eſt ſuum cuique, & diverſa diverſis adſcribere. pro hoc verbo penè ubique ſubſtitutum, *deſcribere*: quod longè aliud eſt. ita *diſſignare*, *diſſinire*, alia paſſim corrupta in libris.

6. *Quæ C. Salinator, &c.*] Sic primitus cuſi, neque aliter Victorius. monuitque Gulielmius collocandam heic admirandi notam. alii vulgarunt, *quas*, quidam *queis*.

1. *Fade*

putarent: tum quòd ſpernerentur ab iis, à quibus eſſent coli ſoliti. qui mihi non id videbantur accuſare, quod eſſet accuſandum. nam ſi id culpa ſenectutis accideret, [1] eadem mihi uſu evenirent, reliquiſque omnibus, majoribus natu: quorum ego multorum cognovi ſenectutem ſine querela: qui ſe à libidinum vinculis laxatos eſſe non moleſtè ferrent, nec à ſuis deſpicerentur: ſed omnium iſtiuſmodi querelarum in *moribus* eſt culpa, non in ætate. moderati enim, & nec difficiles, nec inhumani ſenes; tolerabilem agunt ſenectutem. IMPORTUNITAS autem, & inhumanitas [2] omni ætati moleſta eſt. LÆL. Eſt, ut dicis, Cato. ſed fortaſſe dixerit quiſpiam, tibi propter opes, & copias, & dignitatem tuam, tolerabiliorem ſenectutem videri: id autem non poſſe multis contingere. CATO. Eſt iſtuc quidem, Læli, aliquid; ſed nequaquam in iſto ſunt omnia: ut Themiſtocles fertur Seriphio cuidam in jurgio reſpondiſſe, cùm ille dixiſſet, *non eum ſua, ſed patriæ gloria ſplendorem aſſecutum: Nec herculè,* inquit, [3] *ſi ego Seriphius eſſem, nobilis: nec tu ſi Athenienſis eſſes, clarus umquam fuiſſes.* quod eodem modo de ſenectute poteſt dici. NEQUE enim in ſumma inopia levis eſſe ſenectus poteſt, ne ſapienti quidem: nec inſipienti etiam in ſumma copia non gravis. APTISSIMA omnino ſunt, Scipio, & Læli, arma ſenectutis, artes, exercitationeſque virtutum: quæ in omni ætate cultæ, cùm multùm, diuque vixeris, mirificos efferunt fructus, non ſolùm quia numquam deſerunt, ne in extremo quidem tempore ætatis, (quamquam id maximum eſt) verùm etiam quia CONSCIENTIA benè actæ vitæ, multorumque
4 benefactorum recordatio, jucundiſſima eſt. Ego Q. Maximum, eum, qui Tarentum recepit, adoleſcens ita dilexi ſenem, ut æqualem. erat enim in illo viro comitate condita gravitas: NEC ſenectus mores mutaverat. quamquam eum colere cœpi non admodum grandem natu, ſed tamen jam ætate provectum. [4] anno enim pòſt, conſul primùm fuerat, quàm ego natus ſum: cùmque eo quartum conſule adoleſcentulus miles profectus ſum ad Capuam, quintoque anno [5] poſt ad Tarentum quæſtor: deinde ædilis, quadriennio pòſt factus ſum prætor: quem magiſtratum geſſi conſulibus Tuditano, & Cethego, cùm quidem ille admodum ſenex, ſuaſor legis Cinciæ de donis, & muneribus fuit. Hic & BELLA gerebat, ut adoleſcens, cùm planè grandis eſſet: & Annibalem juveniliter exſultantem [6] patientia ſua molliebat: de quo præclarè familiaris noſter Ennius:

Unus qui nobis cunctando reſtituit rem.
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
Ergo poſtque, magiſque viri nunc gloria claret.

Tarentum verò qua vigilantia, quo conſilio recepit? cùm quidem, me audiente, Salinatori, qui, amiſſo oppido, [7] fugerat in arcem, glorianti, atqui ita dicenti: *Mea opera, Q. Fabi, Tarentum recepiſti: Certe,* inquit ridens: *nam, niſi tu amiſiſſes, numquam recepiſſem.* Nec verò in armis præſtantior, quàm in toga: qui conſul iterum, [8] Sp. Carvilio collega quieſcente, C. Flaminio tribuno pl. quoad potuit, reſtitit, agrum Picenum, & Gallicum viritim contra ſenatus auctoritatem dividenti: augurque cùm eſſet, dicere auſus eſt, OPTIMIS *auſpiciis ea geri, quæ pro reip. ſalute gererentur: quæ contra remp. ferrentur contra auſpicia ferri.* Multa in eo viro præclara cognovi: ſed nihil eſt admirabilius, quam quomodo ille mortem M. filii tulit, clari viri, & conſularis. eſt in manibus laudatio: quam cùm legimus, quem philoſophum non contemnimus? Nec verò ille IN LUCE modò, atque in oculis civium magnus: ſed intus, domique præſtantior. qui ſermo? quæ præcepta? quanta notitia antiquitatis? [9] quæ ſcientia juris augurii? multæ etiam, ut in homine Romano litteræ. omnia memoria tenebat, non domeſtica ſolùm, ſed etiam externa bella: cujus ſermone ita tum cupide fruebar, quaſi jam divinarem id, quod evenit, *illo exſtincto, fore unde diſcerem* neminem.
Quorſum igitur hæc tam multa de Maximo? quia profectò 5
videtis, NEFAS eſſe dictu, miſeram fuiſſe talem ſenectutem. Nec tamen omnes poſſunt eſſe Scipiones, aut Maximi, ut urbium expugnationes, ut pedeſtreis, navaleiſve pugnas, ut bella à ſe geſta, [10] triumphoſque recordentur. eſt etiam quietè, & purè, & eleganter actæ ætatis placida, ac lenis ſenectus: qualem accepimus Platonis, qui uno, & octogeſimo anno ſcribens mortuus eſt. qualem Iſocratis, qui eum librum, qui Panathenaicus inſcribitur, [11] quarto & nonageſimo anno ſcripſiſſe dicitur, vixitque quinquennium poſtea: cujus magiſter Leontinus Gorgias, centum & ſeptem complevit annos: neque umquam in ſuo ſtudio, atque opere ceſſavit. qui, cùm ex eo quæreretur, *cur tamdiu vellet eſſe in vita? Nihil habeo,* inquit, *quod incuſem ſene-*

---

1. *Eadem mihi uſu evenirent, &c.*] Palatinus unus præfert, *eadem omnia mihi uſu evenirent, reliquiſque majoribus natu.* neque lectio illa temeraria eſt.

2. *Omni ætati.*] Malebat Gulielmius, ſuaſu aliquot codd. ſuorum, *ætate.* alterum reſtat in Palatinis & edd. omnibus, neque quid in eo vitii.

3. *Si ego Seriphius eſſem, nobilis.*] Alter Palatinus, non agnoſcit illa *ſi ego.* & verò ſi hinc tollantur, auferenda ſunt etiam paullò poſt. ceterùm *nobilis.* non exſtat in Pall. aut aliis membranis à Gulielmio excuſſis, *ſed ignobilis* aut *in nobilis*, quod ei non diſplicet; præcipuè ſi præterea ſequamur Celberdenſis libri ſcripturam marginalem: *Neque enim in ſumma inopia non levis eſſe ſenectus poteſt; ſapienti quidem: nec inſipienti etiam in ſumma copia non gravis.* At repugnat huic ſententiæ Plato aliique. Scio, inquit, ſed tamen vide, ne Cato & ſenex, & in rebus Græcis, quas ſerò attigit, voluntate & commodo Ciceronis halucinetur memoria. certe idem in *Laërte ſtercorante*, & *Pelia recocto*, uſu ei eveniſſe negari non poteſt & unde alias in omnibus omnium, non ſcriptis modò, ſed etiam ante hanc pervertendi omnia licentiam, impreſſis codicibus iſtud *ignobilis.* Verùm nihil præjudico. hactenus Gulielmius. Puteanus quod non fuiſſet vox *ignobilis* in uno veteri codice Danielis, niſi à manu recenti, in altero verò nihil illius loco; arbitrabatur repeti poſſe ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *clarus*, quemadmodum & apud Platonem ubi hæc ſententia effertur, eſt, ὀνομαστὸς, apud Plutarchum ἔνδοξος: itaque reſtituendum putabat, *Seriphius eſſem, nec tu ſi Athenienſis clarus unquam.* cui ſubſcribo.

4. *Anno enim poſt conſul primùm fuerat, quàm ego natus ſum.*] Sic tres Pall. & tres Gulielmiani, neque aliter editio Victoriana. recentius ut & antiquius publicati, *poſtquam primùm conſul fuit:* contra chronologiam, ut egregiè oſtendit Vincentius Contarenus Variarum lectionum libro cap. 24. & ante ipſum Carolus Langius. habet tamen altera ſcriptura ſuas rationes, quas perſequitur Pighius noſter in Faſtis ſuis anno P. R. C. DXXI. qui adeantur.

5. *Poſt ad Tarentum Quæſtor, deinde Ædilis, quadriennio poſt factus ſum prætor: quem magiſtratum, &c.*] Pighius, anno DXLIX. emendandum putabat, *poſt ad Tarentum? Quæſtor deinde quadriennio poſt factus ſum; quem magiſtratum, &c.* excluſis illo *Ædilis* & *Prætor.* Puteanus adhæret Langianæ correcturæ, *ad Tarentum: Quæſtor, quem magiſtratum geſſi, &c.* eraſis illis, *deinde ædilis quad. poſt fact. ſum prætor:* quæ quidem in unius veteris codicis quem vidit Puteanus, contextu non ſunt, ſed ad oram poſtea alia manu adſcripta à ſtudioſo, ut opinatur, qui ceteros Catonis magiſtratus indicare vellet.

6. *Patientia ſua molliebat.*] Langius *moliebatur* ex uno libro; quod non diſplicet: ſed vulgatam lectionem loco non moni ob conſenſum codicum, & locum T. Livii III. Hiſtor. *Propalam obviam ire cupiditati non auſi, obſecundandoque mollire impetum aggrediuntur.* Agnoſcit & *molliebat* Nonius. Sicque & Accius Telepho mons dicitur *mollire mare*, quod fluctus infringat & retundat mole ſua: *Remiſque nixi properiter navem in fugam tradunt, ſubter ſaxa ad lævam quà mons mare Mollibat.* Gulielmius.

7. *Fugerat in arcem.*] Reſcribit Gulielmius, *fuerat in arcem*, ex mſſ. duobus. & verò Pal. ſecundus diſertè habet, *fuerat vel fugerat.* primus enim, *fegerat. fuiſſe in arcem* dictum vult; ut infra, *in portum futurus.* ſed nihil tamen muto.

8. *Sp. Carvilio collega quieſcente, C. Flaminio, &c. dividenti.*] Pighius d. loco hæc ita putat ſupplenda ex Chariſio: *quieſcente, C. Carvilio & C. Flaminio, &c. dividentibus.* quo ipſo tacitè declaratur cur Sp. quieverit: ne ſcilicet conſanguineo aut gentili adverſaretur.

9. *Quæ ſcientia juris augurii?*] Pall. tres deſtituuntur vocula principe, firmant tamen vocem ultimam. nam editiones aliæ, etiam Victorii, *augurandi.*

10. *Triumphoſque recordentur.*] Pall. trias, *ut triumphos recordentur.*

11. *Quarto & nonageſimo anno ſcripſiſſe dicitur.*] Pal. pr. & duo Gulielmiani, *ſcripſiſſe ſe dicit.* non male. nam ipſemet Iſocrates hoc de ſe non ſemel autumat.

3. *Spacio*

ſenectutem. Præclarum reſponſum, & docto homine dignum. *ſua* enim vitia inſipientes, & ſuam culpam, in ſenectutem conferunt: quod non faciebat is, cujus modò mentionem feci, Ennius,

Sicut fortis equus, [1] *ſpatio qui ſæpe ſupremo*
Vicit Olympia, nunc ſenio confectu' quieſcit.

Equi fortis, & victoris ſenectuti comparat ſuam: quem quidem probe meminiſſe poteſtis. Anno enim undevigeſimo poſt ejus mortem, hi conſules, T. Flamininus, & M. Acilius facti ſunt: ille autem Cæpione & Philippo iterum conſulibus, mortuus eſt: cùm ego quidem V. & LX. annos natus, legem Voconiam voce magna, & bonis lateribus ſuaſiſſem. Annos LXX. natus (tot enim vixit Ennius) ita ferebat duo, quæ *maxima putantur onera,* paupertatem, & ſenectutem, [2] ut eis pæne delectari videretur. [3] Etenim, cùm contemplor animo; reperio quattuor cauſas, cur ſenectus miſera videatur: unam, *quòd avocet à rebus gerendis:* alteram, *quòd corpus faciat infirmius:* tertiam, *quod privet omnibus ferè voluptatibus:* quartam, *quòd haud procul abſit à morte.* Earum, ſi placet, cauſarum [4] quanta, quamque ſit juſta unaquæque, videamus. *A re-*
6 *bus gerendis ſenectus* [5] *abſtrahit?* Quibus? an iis, quæ geruntur juventute, & viribus? Nullæne igitur RES ſunt ſeniles, quæ vel infirmis corporibus, animo tamen adminiſtrentur? Nihil ergo agebat Q. Maximus? nihil L. Paullus, pater tuus, Scipio, ſocer optimi viri, filii mei? ceteri ſenes, Fabricii, Curii, Coruncanii, cum remp. conſilio & auctoritate defendebant, nihil agebant? Ad App. Claudii ſenectutem accedebat etiam, ut cæcus eſſet: tamen is, cùm ſententia ſenatus inclinaret ad pacem, [6] & fœdus faciendum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa, quæ verſibus perſecutus eſt Ennius:

[7] *Quò vobis mentes, rectæ quæ ſtare ſolebant*
Antehac, [8] *dementes ſeſe flexere via?*

ceteraque graviſſimè: notum enim vobis carmen eſt: & tamen ipſius Appii exſtat oratio. atque hanc ille egit ſeptem & decem annos poſt alterum conſulatum, cùm inter duos conſulatus [9] anni decem interfluxiſſent, cenſorque ante conſulatum ſuperiorem fuiſſet. Ex quo intelligitur, Pyrrhi bello grandem ſanè fuiſſe: & tamen ſic à patribus accepimus. Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda verſari ſenectutem negant, ſimileſque ſunt, ut, ſi qui *gubernatorem in navigando agere nihil* dicant, cùm alii malos ſcandant, alii per foros curſent, alii ſentinam exhauriant: ille autem clavum tenens ſedeat in puppi quietus [10] non faciat ea, quæ juvenes. at verò multò majora, & meliora facit. NON viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur: [11] ſed conſilio, auctoritate, ſententia: quibus non modò non orbari, ſed etiam augeri ſenectus ſolet. niſi fortè ego vobis, qui & miles, & tribunus, & legatus, & conſul verſatus ſum in vario genere bellorum, ceſſare nunc videor, cùm bella non gero. At ſenatui, quæ ſunt gerenda, [12] præſcribo, & quomodo: Karthagini malè jam diu cogitanti, bellum multo antè denuntio: de qua vereri non antè deſinam, quam illam exciſam eſſe cognovero. quam palmam utinam dii immortales tibi Scipio, reſervent, ut avi reliquias perſequare: [13] cujus à morte hic tertius, & triceſimus eſt annus: ſed MEMORIAM illius viri excipient omnes anni conſequentes. Anno ante me cenſorem mortuus eſt, novem annis poſt meum conſulatum, cùm conſul iterum, me conſule, creatus eſſet. Num igitur, ſi ad centeſimum annum vixiſſet, ſenectutis eum ſuæ pœniteret? [14] nec enim excurſione, nec ſaltu, nec eminùs haſtis, aut comminùs gladiis uteretur: ſed conſilio, ratione, ſententia. quæ niſi eſſent in ſenibus, non ſummum conſilium majores noſtri appellaſſent *Senatum.* Apud Lacedæmonios quidem ii, qui ampliſſimum magiſtratum gerunt ut ſunt, ſic etiam nominantur *ſenes.* Quòd ſi legere, aut audire voletis externa, *maximas reſp. ab adoleſcentibus labefactas, à ſenibus ſuſtentatas, & reſtitutas* reperietis.

Cedo,

1. *Spacio qui ſæpe ſupremo Vicit Olympia.*] Non ita abſurda videtur ſcriptura Palatini primi, in quo, *qui forte ſupremo Vincit Olympia.* & verò illud *vincit* reſtat adhuc in edd. antiquiſſimis.

2. *Ut eis penè delectari videretur.*] Fr. & Maur. *ei.* fuit ſcilicet, *ut ei pene delect.* Gulielmius; conjectura non abſurda.

3. *Etenim cum contemplor animo.*] Sic Gulielmius malebat, non *complector.* ſecutus Hittorpiani codicis ſcripturam quæ & libris Balduini confirmatur. *contemplari*, verbum augurale, eorum qui templo capto, qua viſus pertinet, circumſpiciunt. unde eleganter ad animi contentionem tranſtulit Cicero, & heic, & in Tuſculana prima: *Sic mentis acies ſe ipſa intuens nonnumquam hebeſcit, ob eamque cauſam contemplandi diligentiam amittimus.* neque multo aliter Plautus Pſeudolo: *Ne illi, quantum ego nunc corde conſpicio meo, Malam rem magnam multaſque ærumnas danunt.* Videatur & Nizolius.

4. *Quanta, quamque ſit juſta unaquæque videamus.*] Auſus ſum mutare lectionem vulgatam, quæ erat, *quantum quæque valeat, quantumque juſta ſit unaquæque videamus*; quod nihil tale conſpiceretur in Palat. aut membranis S. Victoris. quid quod noſtram ſcripturam Aldus Nepos aſſeverat exſtare in ſcriptis ſuis undecim; idemque fatetur in Variis ſuis Contarenus de membranis ſuis tribus, niſi quod ibidem, *quamque juſta ſit.*

5. *Abſtrahit? quibus? an iis quæ geruntur juventute.*] Pal. ſec. *abſtrahit? A quibus? his quæ juventute geruntur.* quod non diſplicet. Gulielmius malebat: *abſtrahit? quibus? an iis quæ in juventute geruntur*; quod erat in Pal. tertio, Maur. & Martin. neque aliter edidit Victorius, reperitque in novem mſſ. Aldus: addit tamen alia novem exemplaria reſpuiſſe eam conjunctionem. Camerarius etiam ſua editione excluſit ceterique.

6. *Et fœdus faciendum cum Pyrrho.*] Palatini tres *cum Pyrrho fœduſque faciundum*: quæ ſcriptura ſanè temeraria non eſt. an vox *faciendum* manavit à gloſſa fuitque tantum? *fœduſque cum Pyrrho.*

7. *Quo vobis mentes.*] Pall. pr. ſec. *nobis*, oratione minus invidioſa. Iidem etiam, ut & tertius, ſupra habebant, *proſecutus eſt Ennius*, non *perſecutus.*

8. *Dementes ſeſe flexere via?*] Lectio communis, *dementi ſeſe flexere ruina*, pro qua mirè pugnat Suffridus Petrejus, at Gulielmius proclivior erat in alteram noſtram, repertam in Lambinianis pleriſque & duobus ſuis. ipſi fons mendi, hic: fuerat olim ἀρχαικῶς; *mentes dementis*, νόοι ἄνοι. inde cùm evanuiſſet litera ultima, ob eandem in ſequenti voce primam; boni correctores verſus conſtituendi, excogitarunt iſtud *ruina*, cujus veſtigium nullum in libris ullis, præter Erphurdenſes; quos non auſculto. neque enim Latinum eſt, *ruina ſe flectere*, ſed *præcipitare.* at *via flectere* pro *deflectere*, pro *aberrare*, mel merum. neque opus mutatione in *viai*, etiamſi juvarent libri, nedum iis invitis omnibus. peribit enim ardor omnis increpantis Appii. ita Gulielmius. At ego potius arbitrer adhuc illud *via* æque eſſe interpretum atque erat *ruina*, quæ vox ſanè in XI. mſſ. Aldi Nepotis, atque in altero Palatino, in quo tamen, *dementes.*

9. *Anni decem interfluxiſſent.*] Mſſ. plerique *interfuiſſent*, cui & adſentitur Pal. pr. & tert. ſed melius forſan ſecundus, in quo tantum, *anni decem fuiſſent.*

10. *Non faciat ea quæ juvenes. at verò multo majora, & meliora facit.*] Languere mihi videtur vis argumenti hac verborum pronuntiatione. cui roboris multum accederet, ſi mutata interpunctione legeretur: *quietus. Non facit ea quæ juvenes? at verò multa majora, & meliora facit.* & ſic fere editio Aldi Manutii Nepotis.

11. *Sed conſilio, auctoritate, ſententia.*] Pal. ſec. *ſcientia*, de quo viderint alii; nam mihi ſanè ea vox heic abſurda minimè videtur, quamvis fine hujus capitis recurrat, *conſilia, ratione, ſententia.*

12. *Præſcribo, & quomodo: Carthagini male jam diu cogitanti, bellum multo ante denuncio.*] Sic Vict. Celberd. & Metelli codices. vulgati ineptè, *præſcribo; & quomodo Carthagini male jam cogitanti bellum inferatur, multo ante denuncio.* nam illud *inferatur* exulat pleriſque libris mſſ. neque agnoſcit Pal. ſec. qui tamen habet, *& quomodo Carthagini, cui male jam diu cogitanti, bellum multo ante denuntio.* Pal. tert. habet, *& quomodo Karthagini male jam diu cogitanti, reſiſtant, multò ante denuncio.* non benè. nam multo ante, inquit, Carthagini ſe denunciare bellum, quod Orationibus ſuis ſemper pro ſententia adjiceret: HOC CENSEO: ET KARTHAGINEM DELENDAM. auctor in vita ejus Plutarchus.

13. *Cujus à morte tertius hic & triceſimus eſt annus.*] Sic ferè omnes edd. præter Aldi Nepotis; in quâ, *ſextus hic, &c.* idem tamen candidè profitetur, viginti aliquot membranas ſuas ſervare alteram ſcripturam. Vincentius Contarenus repoſitum it, *quintus hic, &c.* & quidem è tribus mſſ. idem conſulatur Variarum lectionum cap. 24. nam Pall. noſtri ac Gulielmiani conſpirant cum vulgatis. Pighius in Faſtis anno Urbis DLXVIII. mallet *quartus.*

14. *Nec enim excurſione.*] Nihil moveo, ſed malim, *decurſione. Decurſiones* enim & *decurrere*, in exercitiis iſtis propria.

1. *Si:*

Cedo, qui veſtram remp. tantam amiſiſtis tam cito?
[1] ſic enim percontantur, ut eſt in Nævii poëtæ ludo, reſpondentur & alia, & hæc in primis?
[2] *Proventabant oratores novi, ſtulti, adoleſcentuli.*

TEMERITAS eſt videlicet florentis ætatis; [3] prudentia,
7 ſeneſcentis. At *memoria minuitur.* credo, niſi eam exerceas, aut ſi ſis natura tardior. Themiſtocles omnium civium nomina perceperat. num igitur cenſetis eum, cùm ætate proceſſiſſet, qui Ariſtides eſſet, Lyſimachum ſalutare ſolitum? Equidem non modò eos novi, qui ſunt; ſed eorum patres etiam, & avos. *nec ſepulcra legens vereor,* (quod ajunt) *ne memoriam perdam:* his enim ipſis legendis redeo in memoriam mortuorum. nec verò quemquam ſenum audivi oblitum, quo loco theſaurum obruiſſet. omnia, quæ curant, meminerunt: vadimonia conſtituta: qui ſibi, quibus ipſi debeant. Quid juriſconſulti? quid pontifices? quid augures? quid philoſophi ſenes? quàm multa meminerunt? MANENT ingenia ſenibus, modò permaneat ſtudium, & induſtria: nec ea ſolum in claris & honoratis viris, ſed in vita etiam privata, & quieta. Sophocles ad ſummam ſenectutem tragœdias fecit: quod propter ſtudium cùm rem familiarem negligere videretur, à filiis in judicium vocatus eſt: ut, quemadmodum noſtro more [4] MALE rem gerentibus patribus bonis interdici ſolet: ſic illum, quaſi deſipientem, à re familiari removerent judices. Tum ſenex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat, & proximè ſcripſerat, Oedipum Coloneum recitaſſe judicibus, quæſiſſeque, num illud carmen deſipientis videretur. quo recitato, ſententiis judicum eſt liberatus. [5] Num igitur hunc, num Homerum, num Heſiodum, num Simonidem, num Steſichorum, num, quos antè dixi, Iſocratem, Gorgiam, num philoſophorum principes, Pythagoram, Democritum, num Platonem, num Socratem, num poſtea Zenonem, Cleanthem, aut eum, quem vos etiam Romæ vidiſtis, Diogenem Stoicum, coëgit in ſuis ſtudiis obmuteſcere ſenectus? [6] an in omnibus iis ſtudiorum agitatio, vitæ æqualis fuit? Agè, ut iſta divina ſtudia omittamus, poſſum nominare ex agro Sabino ruſticos Romanos vicinos, & familiareis meos, QUIBUS abſentibus, numquam ferè ulla in agro majora opera fiunt, non ferendis, non percipiendis, non condendis fructibus. quamquam in illis minùs hoc mirum. NEMO enim eſt tam ſenex, qui ſe annum non putet poſſe vivere: ſed iidem laborant in eis, quæ ſciunt nihil omnino ad ſe pertinere.

Serunt arbores, quæ alteri ſæculo proſint,

ut ait Statius noſter in Synephebis. Nec verò dubitet agricola, quamvis ſenex, quærenti, cui ferat, reſpondere: *Diis immortalibus, qui me non accipere modò hæc à majoribus*
8 *voluerunt, ſed etiam poſteris prodere.* Meliùs Cæcilius de ſene alteri ſeculo proſpiciente, quàm illud, idem:

Ædepol ſenectus, ſi nihil quidquam aliud vitii
Apportes tecum, cùm advenis; unum id ſat eſt,
Quod diu vivendo, multa, quæ non volt, videt.

Et *multa* fortaſſe, *quæ vult:* atque in ea quidem, *quæ non vult*, ſæpe etiam adoleſcentia incurrit. Illud verò idem Cæcilius vitioſiùs:

Tum equidem in ſenecta hoc deputo miſerrimum,
Sentire ea ætate eſſe ſe odioſum alteri.

Jucundum potiùs, quam *odioſum*. ut enim ADOLESCENTIBUS bona indole præditis ſapientes ſenes delectantur, leviorque fit eorum ſenectus, qui à juventute coluntur, & diliguntur: ſic adoleſcentes ſenum præceptis gaudent, quibus ad virtutum ſtudia ducuntur. nec minùs intelligo me vobis, quam vos mihi eſſe jucundos. Sed videtis, UT ſenectus non modò languida, atque iners non ſit, verum etiam ſit operoſa, & ſemper agens aliquid, & moliens; tale ſcilicet, quale cujuſque ſtudium in ſuperiore vita fuit. Quid, quòd etiam addiſcunt aliquid? ut Solonem verſibus gloriantem videmus, [7] qui *ſe quotidie aliquid addiſcentem, ſenem fieri dicit:* ut ego feci, qui Græcas litteras ſenex didici. quas quidem ſic avidè arripui, quaſi diuturnam ſitim explere cupiens, ut ea ipſa mihi nota eſſent, quibus me nunc exemplis uti videtis. quod cùm feciſſe Socratem in fidibus audirem, vellem equidem & illud: (diſcebant enim fidibus antiqui) ſed in litteris certè elaboravi. Nec nunc 9
quidem vireis deſidero adoleſcentis, (is enim erat locus alter de vitiis ſenectutis) non plus, quàm adoleſcens tauri, aut elephanti deſiderabam. [8] QUOD EST, EO DECET UTI: & QUIDQUID AGAS, AGERE PRO VIRIBUS. Quæ enim vox poteſt eſſe contemtior quàm Milonis Crotoniatæ? qui, cùm jam ſenex eſſet, athletaſque ſe in curriculo exerceneis videret, adſpexiſſe lacertos ſuos dicitur, illachrymanſque dixiſſe, *At hi quidem jam mortui ſunt.* Non verò tam iſti, quàm tu ipſe, nugator. neque enim ex te umquam es nobilitatus, ſed ex lateribus & lacertis tuis. Nihil Sext. Ælius tale, nihil multis annis antè T. Coruncanius: nihil modò P. Craſſus: à quibus jura civibus præſcribebantur: quorum uſque ad extremum ſpiritum eſt provecta prudentia. ORATOR, metuo, ne langueſcat ſenectute. eſt enim munus ejus non ingenii ſolùm, ſed laterum etiam, & virium. Omnino canorum illud in voce ſplendeſcit etiam neſcio quo pacto in ſenectute: quod equidem adhuc non amiſi: & videtis annos: ſed tamen eſt decorus ſermo ſenis, quietus, & remiſſus: [9] facitque perſæpe ipſa ſibi audientiam diſerti ſenis comta & mitis oratio. quod ſi ipſe exſequi nequeas, poſſis tamen Scipioni præcipere, & Lælio. QUID enim eſt jucundius ſenectute, ſtipata ſtudiis juventutis? An ne eas quidem vireis ſenectuti relinquemus, ut adoleſcentulos doceat, inſtituat, ad omne officii munus inſtruat? quo quidem opere quid poteſt eſſe præclarius? Mihi verò Cn. & P. Scipiones, & avi tui duo, L. Æmilius, & P. Africanus comitatu nobilium juvenum fortunati videbantur. NEC ulli bonarum artium magiſtri non beati putandi, quamvis conſenuerint vires, atque defecerint. etſi iſta ipſa DEFECTIO virium, adoleſcentiæ vitiis efficitur ſæpius, quàm ſenectutis. libidinoſa etenim, & intemperans adoleſcentia effœtum corpus tradit ſenectuti. Cyrus quidem apud Xenophontem eo ſermone, quem moriens habuit, cùm admodum ſenex eſſet, negat *ſe umquam ſenſiſſe, ſenectutem ſuam imbecilliorem factam, quam adoleſcentia fuiſſet.* Ego L. Metellum memini puer, (qui cum quadriennio poſt alterum conſulatum pontifex maximus

1. *Sic enim percontantur.*] Ita omnes libri, ait Langius, quibus conſentiunt Aldini, Gulielmiani, & Palatini. intellige ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *homines.* publicati recentius *percunctanti:* nam & antiquiores ſtant à noſtra ſcriptura.

2. *Proventabant oratores.*] Sic ſcripſit è libro Celberdenſi Gulielmius, neque aliter Pal. ſecund. hactenus tamen, ut & alterum admiſerit, *provenicbant;* quod in ceteris vulgatis, niſi Lambinianis; qui *Provehebantur ad res novi ſtulti, &c.* è veteri libro Rhenani.

3. *Prudentia ſeneſcentis.*] Ita omnes omnium libri, & mirum hactenus receptum non fuiſſe, manifeſtè enim captatum à Cicerone ὁμοιοτέλευτον. vulgg. *ſenectutis.*

4. *Male rem gerentibus patribus*] Ideoque iiſdem actio rei uxoriæ in dote filiæ nomine repetenda non dabatur; quod periculum eſſet, ne accepta conſumerent. Ulpianus Diſput. 3. ex Labeonis ſententia. *Gulielmius.*

5. *Num Homerum, num Heſiodum.*] Retraxi ex alio loco Homerum & primore poëtarum collocavi, è fide Celberdenſis, eorumque quos excuſſit Aldus Nepos.

6. *An in omnibus iis.*] Sic plures Aldini & Gulielmiani niſi quod adhuc reſecet voculam *iis* codex S. Victoris. vulgati, *an non in omnibus*, quomodo neque Pall.

7. *Qui ſe quotidie aliquid addiſcentem ſenem fieri dicit.*] Nihil diſcederet ſententiæ, ſi verba iſthæc truncarentur capite ac cauda, hoc eſt, auferretur eis vox prima & ultima.

8. *Quod eſt, eo uti decet.*] Sic editio Victorii, ſic omnes fere mſſ. non ut vulgati, *quod enim homini naturaliter inſitum eſt, eo uti decet:* quas voces miror non excluſiſſe ſuo Cicerone Camerarium. fecit poſtea Aldus Nepos.

9. *Facitque perſæpe ipſa ſibi audientiam.*] Subodoror antiqui poëtæ verſus duos, tres, ſub his & adſitis vocibus ordinandi rationem, non video.

mus factus eſſet, viginti & duos annos ei ſacerdotio præfuit) ita bonis eſſe viribus extremo tempore ætatis, ut adoleſcentiam non requireret. Nihil neceſſe eſt mihi de me ipſo dicere: quamquam EST ID quidem ſenile, ætatique
10 noſtræ conceditur. Videtisne, ut apud Homerum ſæpiſſimè [1] Neſtor de virtutibus ſuis prædicet? [2] tertiam enim jam ætatem hominum vivebat: nec erat ei verendum, ne vera de ſe prædicans, nimis videretur aut inſolens, aut loquax. etenim (ut ait Homerus) *ex ejus lingua melle dulcior fluebat oratio:* quam ad ſuavitatem nullis egebat corporis viribus: & tamen dux ille Græciæ [3] nuſquam optat, ut Ajacis ſimileis habeat decem, at ut Neſtoris: quod ſi acciderit, non dubitat, quin brevi Troja ſit peritura. Sed redeo ad me. quartum annum ago & octogeſimum: equidem poſſe vellem idem gloriari, quod Cyrus: ſed tamen hoc queo dicere, non me quidem iis eſſe viribus, quibus aut miles bello Punico, aut quæſtor eodem bello, aut conſul in Hiſpania fuerim, aut quadriennio pòſt, [4] cùm tribunus militaris depugnavi apud Thermopylas, M. Acilio Glabrione conſule: ſed tamen (ut vos videtis) non planè me enervavit, nec afflixit ſenectus: non curia vireis meas deſiderat, non Roſtra, non amici, non clientes, non hoſpites. nec enim umquam ſum aſſenſus veteri illi, laudatoque proverbio, quod monet, *maturè fieri ſenem, ſi diu velis eſſe ſenex.* Ego verò me minùs diu ſenem eſſe mallem, quàm eſſe ſenem antè, quàm eſſem. Itaque nemo adhuc convenire [5] me voluit, cui fuerim occupatus. At minùs habeo virium, quàm veſtrûm utervis. Nec vos quidem T. Pontii Centurionis vireis habetis. num idcirco eſt ille præſtantior? MODERATIO modò virium adſit, & tantum, quantum poteſt quiſque, nitatur: [6] næ ille non magno deſiderio tenebitur virium. Olympiæ per ſtadium ingreſſus eſſe Milo dicitur, [7] cùm humeris ſuſtineret bovem vivum. utrum igitur has corporis, an Pythagoræ tibi malis vireis ingenii dari? [8] denique ISTO bono utare, dum adſit: cum abſit, ne requiras. niſi fortè adoleſcentes pueritiam, paullum ætate progreſſi adoleſcentiam debeant requirere. Curſus eſt certus ætatis, & una via naturæ, eaque ſimplex: [9] ſuaque cuique parti ætatis, *tempeſtivitas* eſt data; [10] ut & infirmitas puerorum, & ferocitas juvenum, & gravitas jam conſtantis ætatis; & ſenectutis maturitas naturale quiddam habeat, quod ſuo tempore percipi debeat. Arbitror te audire, Scipio, hoſpes tuus avitus Maſiniſſa quæ faciat hodie, nonaginta annos natus: cùm ingreſſus iter pedibus ſit, in equum omnino non adſcendere: cum equo, ex equo non deſcendere: nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto ſit: ſummam in eo eſſe corporis ſiccitatem: itaque exſequi omnia regis officia, & munera. POTEST igitur exercitatio, & temperantia etiam in ſenectute conſervare aliquid priſtini roboris. [11] *Non ſunt in ſenectute* 11
vires? ne poſtulantur quidem vires à ſenectute. ergo & legibus & inſtitutis vacat ætas noſtra muneribus iis, quæ non poſſunt ſine viribus ſuſtineri. itaque NON modò, quod non poſſumus, ſed ne quantum poſſumus quidem, cogimur. *At ita multi ſunt imbecilli ſenes, ut nullum officii, aut omnino vitæ munus exſequi poſſint.* At id quidem non proprium ſenectutis eſt vitium, [12] ſed commune valitudinis. Quam fuit imbecillus P. Africani filius is, qui te adoptavit? quàm tenui, aut nulla potiùs valitudine? quod ni ita fuiſſet, alterum ille exſtitiſſet lumen civitatis. ad paternam enim magnitudinem animi *doctrina* uberior acceſſerat. Quid mirum igitur in ſenibus, ſi infirmi ſunt aliquando, cùm ne id quidem adoleſcentes effugere poſſint? RESISTENDUM, Læli, & Scipio, ſenectuti eſt, ejuſque vitia [13] diligentia compenſanda ſunt. Pugnandum, tamquam contra morbum, ſic contra ſenectutem. Habenda ratio valitudinis: utendum exercitationibus modicis. tantum cibi, & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Nec verò CORPORI ſoli ſubveniendum eſt, ſed menti, atque animo multo magis. nam hæc quoque, niſi tamquam lumini oleum inſtilles, exſtinguuntur ſenectute. & CORPORA quidem [14] defatigatione, & exercitatione ingraveſcunt: animi autem exercitando levantur. nam quos ait Cæcilius ---- *comicos ſtultos ſenes:* hos ſignificat credulos, obliviosos, diſſolutos: quæ vitia ſunt non ſenectutis, ſed inertis, ignavæ, ſomniculoſæ ſenectutis: ut PETULANTIA, ut libido, magis eſt adoleſcentium, quàm ſenum: nec tamen omnium adoleſcentium, ſed non proborum: ſic iſta ſenilis ſtultitia (quæ *deliratio* appellari ſolet) ſenum levium eſt, non omnium. Quattuor robuſtos filios,

1. *Neſtor de virtutibus ſuis.*] Alluſit ad Orationem Catonis, inſcriptam, *De Virtutibus ſuis, in Thermum.* è qua multa huc tranſlata à Cicerone, ex reliquiis, quas conſervarunt Grammatici, colligere eſt. Catonis jactantiam & Plutarchus notat, & Cicero, dum πρέποντι perſonæ ſervit, oſtentat. ſed hoc loco diſſimulanter exemplo ſimili Neſtoris excuſat. Non inſulto Cantero, conjicienti *viribus.* Lambinum rideo, magnificè ſe jactantem in re leviſſima; *virtutem* pro *viribus* corporis uſitari. quod mehercule pueri ſi neſciant, meritò virgis varientur. *Gulielmius.*

2. *Tertiam enim jam ætatem hominum videbat.*] Vulgo *vixerat*, ſed contra Pal. omneſque codd. mſſ. quos excuſſit Contarenus. quid quod ſic quoque editi à Petro Victorio, à Camerario, ab Aldo Nepote. adeo ut mirum ſit homines quoſdam inventis frugibus, redire ad glandem.

3. *Nuſquam optat.*] Apud Homerum ſcilicet. & ſic mſſ. Gulielmiani & Pal. ſec. tert. vulgo, *numquam*, malè.

4. *Tribunus militaris.*] Revocavi lectionem exoletam, quæ & in primis edd. & in Victoriana. recentiores enim *tribunus mil.* quod fere *militum* ſignat. antiquè alterum; quomodo & apud Plautum *tribunus vapularis.* & hinc *tribuni conſulares*, inquit Gulielmius.

5. *Me voluit, cui fuerim occupatus.*] Ita Langiani, & Pal. tert. nam ſec. *me voluit qui fuerim.* reſpexit ad illud Plauti Mercatore: *Non ſum occupatus unquam amico operam dare.* vulgata, *me valuit, quin*, a ſenſu Catonis aliena, & certe falſa eſt; cùm mox remiſſiones ſuas commemoraturus ſit. ſed nec rectè Aldus & Lambinus, *me voluit quin*, &c.

6. *Næ ille non magno deſiderio tenebitur virium.*] Sic edd. quidem poſteriores; verùm priores annorum centum; *nec ille magno* ſine negativa; quæ & abeſt Pal. duobus, quorum primus *ne ille magno, &c.* ſec. *ne ille quidem magno.* reſtat tamen recepta in tertio.

7. *Cum humeris ſuſtineret bovem vivum. Utrum.*] In poſſeſſionem ſuam repoſui lectionem priſcam, confirmatam pleriſque mſſ. exemplaribus, etiam Pal. ſec. aliæ edd. omiſerunt vocem *vivum.* habet eam tamen Victorius.

8. *Denique iſto bono utare dum adſit, &c.*] Pal. pr. ſec. *utere.* Gulielmius ea totâ voce neglectâ, reſtituebat, *denique iſto bono dum adſit, gaudeas*; ex Hittorpiano. venuſtè quidem: ſed unius teſtimonio quei ſtabitur? ſuſpicari potius capior & *gaudeas* æquè eſſe ſpurium quàm *utare*, ac per elleipſin uſurpaſſe ſententiam proverbialem.

9. *Suaque cuique parti ætatis, tempeſtivitas, &c.*] Vox *ætatis* exſtat quidem in Victoriana, ſed non etiam in primoribus editionibus annorum centum, neque eſt in Pal. pr. tert. imò ne quidem in ſec. qui tamen habet, *partita temp.* quod probem ſublato deinde, *eſt data*, quod mox ſequitur. Gulielmius ex V. & Suffr. mſſ. ubi erat *perticitatis*, divinat, *pernicitatis.*

10. *Ut & infirmitas.*] Nolui abire à Langianis, quod mſſ. Gulielmiani, aut Pal. variarent, & ferè propenderent in lectionem quam propoſui. vulgati prius: *Ut enim infirmitas puerorum eſt, & ferocitas juvenum, & gravitas jam conſtantis ætatis, ſic ſenectutis*; quomodo tamen eſſe in tribus ſuis membranis teſtatus eſt Vinc. Contarenus.

11. *Non ſunt in ſenectute vires?*] Ita Pal. ſed abſque interrogatione. at Gulielmii codd. nulli ſic legunt. Metelli, *Ne ſint.* ceteri duo: *Ne deſint.* quod putat Gulielmius apte cohærere cum præcedentibus. mallet tamen: *Sed ne ſint in ſenectute vires: ne poſtulantur quidem. Ergo, &c.* abjectis *à ſenectute vires*, quæ ſane ſi abſint nemo requirat.

12. *Sed commune valitudinis.*] Sic omnes Gul. & Pal. idque præſtat quam *invalitudinis* Langianum, hoc quidem loco. hæc enim numquam non vitioſa, ut morbus: illa cùm imbecilla tantum.

13. *Diligentia compenſanda ſunt.*] Ita omnes Gulielmii codices, cui mirè placet quod edidit Langius, *compeſcendæ ſunt*, qui licet non indicet an è libris ſumpſerit, ſic tamen legi in Pal. primo & tert. teſtor, deque octo ſuis idem prodidit Manutius Nepos.

14. *Defatigatione & exercitatione.*] Pal. ſec. *exercitatione defatigatione*, ſine copula, ut ſuſpicer illud *& exercitatione*, quod non agnoſcit Pal. tertius, eſſe interpretamentum prioris, unde nata lectio altera *exercitationum defatigatione*, quæ & in Pal. pr. & Victorii editione.

1. *Si*

filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat & ſenex, & cæcus. intentum enim animum, tamquam arcum, habebat, nec langueſcens ſuccumbebat ſenectuti. tenebat non modò auctoritatem, ſed etiam imperium in ſuos: metuebant ſervi, verebantur liberi, carum omnes habebant: vigebat in illa domo patrius mos, & diſciplina. Ita enim ſenectus honeſta eſt, ſi ſe ipſa defendit, ſi jus ſuum retinet, [1] ſi nemini emancipata eſt, ſi uſque ad extremum ſpiritum dominatur in ſuos, ut ENIM adoleſcentem, in quo ſenile aliquid: ſic ſenem, in quo eſt adoleſcentis aliquid, probo: quod qui ſequitur, corpore ſenex eſſe poterit, animo numquam erit. Septimus mihi Originum liber eſt in manibus: omnia antiquitatis monumenta colligo: cauſarum illuſtrium, quaſcumque defendi, nunc quàm maximè conficio orationes: jus augurum, pontificum, civile tracto: multùm etiam Græcis litteris utor: Pythagoreorumque more exercendæ memoriæ gratia, QUID QUOQUE die dixerim, audierim, egerim, commemoro veſperi. Hæ ſunt exercitationes ingenii, hæc curricula mentis: in his deſudans, atque elaborans; corporis vireis non magnopere deſidero: adſum amicis: venio in ſenatum [2] frequens, ultroque affero res multùm, & diu cogitatas; eaſque tueor animi, non corporis viribus. quæ ſi exſequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret meus, ea ipſa cogitantem, quæ jam agere non poſſem: ſed ut poſſim, facit acta vita. SEMPER enim in his ſtudiis, laboribuſque viventi non intelligitur, quando obrepat ſenectus. Ita ſenſim, ſine ſenſu ætas ſeneſcit: nec ſubito frangitur:
12 ſed diuturnitate exſtinguitur. Sequitur tertia vituperatio ſenectutis, quod *eam carere* dicunt *voluptatibus*. O præclarum munus ætatis, ſi quidem id aufert nobis, quod eſt in adoleſcentia vitioſiſſimum! Accipite enim, optimi adoleſcentes, veterem orationem Architæ Tarentini, magni in primis, & præclari viri: quæ mihi tradita eſt, cùm eſſem adoleſcens Tarenti cum Q. Maximo. *Nullam capitaliorem peſtem, quàm corporis voluptatem, hominibus* dicebat *à natura datam: cujus voluptatis avidæ libidines temerè, & effrenatè ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, hinc rerump. everſiones, hinc cum hoſtibus* [3] *clandeſtina colloquia naſci: nullum denique ſcelus, nullum malum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impelleret: ſtupra verò, & adulteria, & omne tale flagitium,* [4] *nullis aliis illecebris excitari, niſi voluptatis. Cùmque homini ſive natura, ſive quis deus nihil mente præſtabilius dediſſet; huic divino muneri, ac dono nihil eſſe tam inimicum, quàm voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiæ locum eſſe; neque omnino in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere. quod quo magis intelligi poſſet, fingere animo jubebat, tanta incitatum aliquem voluptate corporis,* [5] *quanta percipi poſſet maxima. nemini cenſebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione conſequi poſſet. quocirca nihil eſſe tam deteſtabile, tamque peſtiferum, quàm voluptatem: ſi quidem ea, cùm major eſſet, atque longior, omne animi lumen exſtingueret.* Hæc cum C. Pontio Samnite, patre ejus, à quo, Caudino prœlio Sp. Poſtumius, T. Veturius, conſules, ſuperati ſunt, locutum Architam, Nearchus Tarentinus, hoſpes noſter, qui in amicitia populi Rom. permanſerat, ſe à majoribus natu accepiſſe dicebat, cùm quidem ei ſermoni interfuiſſet Plato Athenienſis: quem Tarentum veniſſe, [6] L. Camillo, Appio Claudio conſulibus reperio. Quorſum hæc? ut intelligatis, SI VOLUPTATEM aſpernari ratione & ſapientia [7] non poſſemus, magnam habendam ſenectuti gratiam, quæ efficeret, ut id non liberet, quod non oporteret. IMPEDIT enim conſilium voluptas, rationi inimica: ac mentis (ut dicam) [8] præſtringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium. Invitus quidem feci, ut fortiſſimi viri T. Flaminini fratrem L. Flamininum è ſenatu ejicerem, ſeptem annis pòſt, quàm conſul fuiſſet: ſed notandam putavi libidinem. Ille enim cùm eſſet conſul in Gallia, [9] exoratus in convivio à ſcorto eſt, ut ſecuri feriret aliquem eorum, qui in vinculis eſſent damnati rei capitalis. hic Tito fratre ſuo cenſore, (qui proximus ante me fuerat) elapſus eſt: mihi verò, & Flacco neutiquam probari potuit tam flagitioſa, & tam perdita libido, quæ cum probro privato conjun-
geret imperii dedecus. Sæpe audivi à majoribus natu qui 13
ſe porrò pueros à ſenibus audiſſe dicebant, mirari ſolitum C. Fabricium, quòd cùm [10] apud regem Pyrrhum legatus eſſet, audiſſet à Theſſalo Cinea, eſſe quendam Athenis, qui ſe ſapientem profiteretur: eumque dicere, *omnia, quæ faceremus, ad voluptatem eſſe referenda.* quod ex eo audientes, M. Curium, & T. Coruncanium optare ſolitos, *ut id Samnitibus, ipſiſque Pyrrho perſuaderetur*: quo faciliùs vinci poſſent, cùm ſe voluptatibus dediſſent. Vixerat M. Curius cum P. Decio, qui quinquennio ante eum conſulem ſe pro rep. quarto conſulatu devoverat. Norat eundem Fabricius, norat Coruncanius: qui cum ex ſua vita, tum ex ejus, quem dico, P. Decii facto, judicabant *eſſe profecto aliquid natura pulchrum, atque præclarum, quod ſua ſponte peteretur, quodque ſpreta, & contemta voluptate optimus quiſque ſequeretur.* Quorſum igitur tam multa de voluptate? quia NON modò vituperatio nulla, ſed etiam ſumma laus ſenectutis eſt, quòd ea voluptates nullas magnopere deſiderat. caret epulis, exſtructiſque menſis, & frequentibus poculis? [11] caret ergo etiam vinolentia, & cruditate, & inſomniis. Sed ſi aliquid dandum eſt voluptati, quoniam ejus

---

1. *Si nemini emancipata eſt.*] Pro hac lectione præter Lambinum alioſque facit Juretus Animadverſionibus ſuis ad Symmachum. & verò ſic quoque Pal. primus. ſecundus tamen & tert. ſtant à vulgato, *mancipata*; in quam magis etiam inclinare videbatur Gulielmius, laudato Ciceronis loco XVI. Epiſt. ad Brutum: *an ut eſſet ſui juris, an mancipii reſpublica.*

2. *Frequens, ultroque: adfero.*] Ita interpunxit Gulielmius. prius fuerat, *frequens: ultroque adfero.* Nimirum aut inviti in Senatum cogebantur; aut cùm abeſſe liceret, ultro veniebant. neque aliter diſtinxit Pal. pr.

3. *Clandeſtina colloquia naſci.*] Attexunt alii, *dicebat*, quam vocem cum Petro Victorio abjeci, quamvis extare in mſſ. tribus Contareni: aberat enim Palatinis tribus; & omninò non requiritur.

4. *Nullis aliis illecebris excitari, niſi voluptatis.*] Membranæ Metelli *enim aliis rebus illecebris, excitari niſi voluptatibus.* antiquè. *res illecebræ*, ut *rate jaculum. mulier Gallia, hecatombæ hoſtiæ.* ſed nihil muto. Ita Gulielmius. ego propter hanc diverſitatem ſcripturæ, eò potius inclinem, ut ſuſpicer illud *niſi voluptatis*, eſſe à gloſſa.

5. *Quanta percipi poſſet maxima.*] Vox *percipi* non eſt in Pal. ſecundo. & verò ejicienda videbatur etiam Gulielmio, ceu ſpuria, quamvis eam reperiſſet in mſſ. ſuis omnibus.

6. *L. Camillo, Appio Claudio.*] Repoſui *Appio*, ejecique *Publium*, qui in poſterioribus editionibus irrepſerat, contra Faſtos Capitolinos, contra mſſ. pleroſque & primæ ætatis cuſos; qui tamen cuſi perperam, *L. Æmilio.* nam alterum reperit in ſex mſſ. ſuis Aldus Nepos. Conſulatur Pighius noſter libro IV. Faſtorum; qui Faſti dum hodie paucis ſunt in manibus; ſæculo noſtro clarum faciunt convicium.

7. *Non poſſemus.*] Sic Pal. & tres Contareniani, neque aliter Aldus Nepos. priores *poſſumus* aut *poſſimus.*

8. *Præſtringit.*] Haud aliter editiones annorum centum & amplius; ſequentes, *perſtringit*, noviſſimæ *præſtinguit*; in quam ultimam propendebat etiam Gulielmius, tanquam inventam in omnibus libris: quod tamen pronunciare valde lubricum eſt. quis enim omnes inſpexit? certè Pal. pr. tert. habet *perſtringit*. ſec. *præſtringit.*

9. *Exoratus in convivio à ſcorto eſt.*] Cùm non offenderim in Pal. ſec. illa, *à ſcorto eſt*, fermè ſuſpicor eſſe additamentum interpretis. Ceterùm Gulielmius heic introduxit, *exhortatus eſt*, ex libris ſcriptis & olim cuſis. non repugno: ſed tamen imitari non libuit, cùm etiam ſint exemplaria calamo exarata, in quibus reſtet alterum: & convenit magis perſonæ obnoxiæ, quàm *exhortatus*; dummodò tamen demus ita olim locutos rei Latinæ ſcriptores.

10. *Apud regem Pyrrhum.*] Dictio *regem* non eſt in Pal. pr. neque eo opus fuerat.

11. *Caret ergo etiam vinolentia, & cruditate, & inſomniis.*] *Ergo etiam* adjecit Gulielmius, e libris omnibus: ut neceſſaria ad oſtendendam ἀκολουθίαν ſermonis. & *inſomniis* heic rectè tuetur contra Lambini *inſomnia*, Suffridus noſter. falſum certè eſt vinolentos traducere noctes inſomneis, neque hoc quiſquam aut ſcripſit, aut expertus eſt.

cius blanditiis non facilè obſiſtimus (divinè enim Plato *eſcam malorum*, voluptatem appellat, quòd ea videlicet homines capiantur, ut hamo piſces) quamquam immoderatis epulis careat ſenectus, modicis tamen conviviis delectari poteſt. C. Duillium, M. filium, qui Pœnos claſſe primus devicerat, redeuntem à cena ſenem ſæpe videbam puer, [1] delectabatur crebro funali, & tibicine, quæ ſibi nullo exemplo privatus ſumſerat: TANTUM licentiæ dabat gloria. Sed quid ego alios? ad meipſum jam revertar. Primùm habui ſemper ſodaleis. ſodalitates autem me quæſtore conſtitutæ ſunt, ſacris Idæis Magnæ Matris acceptis. epulabar igitur cum ſodalibus omnino modicè, ſed erat quidam fervor ætatis: qua progrediente, omnia fient indies mitiora. neque enim ipſorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis, quam cœtu amicorum, & ſermonibus metiebar. bene enim majores noſtri [2] accubitionem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, *convivium* nominarunt, meliùs, quàm Græci, qui hoc idem tum COMPOTATIONEM, tum CONCENATIONEM vocant: ut, quod in eo genere minimum eſt, id maxime
14 probare videantur. Ego verò PROPTER ſermonis delectationem tempeſtivis quoque conviviis delector, nec cum æqualibus ſolùm (qui pauci admodum reſtant) ſed cum veſtra etiam ætate, atque vobiſcum: habeoque ſenectuti magnam gratiam, quæ MIHI ſermonis aviditatem auxit, potionis, & cibi ſuſtulit. Quod ſi quem etiam iſta delectant (ne omnino bellum indixiſſe videar voluptati, cujus eſt etiam fortaſſe [3] quidam naturalis modus) non intelligo, ne in iſtis quidem voluptatibus ipſis, carere ſenſu ſenectutem. Me verò & magiſteria delectant, à majoribus inſtituta: & is ſermo, qui more majorum [4] à ſummo adhibetur in poculis: & pocula, ſicut in ſympoſio Xenophontis, minuta, atque rorantia, & refrigeratio æſtate, & viciſſim aut ſol, aut ignis hibernus. quæ quidem in Sabinis etiam perſequi ſoleo, conviviumque vicinorum quotidie compleo: quod ad multam noctem, [5] quàm maximè poſſumus, vario ſermone producimus. *At non eſt voluptatum tanta quaſi titillatio in ſenibus.* Credo: ſed ne deſideratio quidem. NIHIL autem moleſtum, quod non deſideres. Bene Sophocles, cum ex eo quidam [6] jam affecto ætate, quæreret, *utereturne rebus venereis: Dii meliora*, inquit. *libenter vero iſtinc, tanquam à domino agreſti, ac furioſo profugi.* cupidis enim rerum talium, odioſum, & moleſtum eſt fortaſſe carere. ſatiatis verò, & expletis, jucundius eſt carere, quàm frui. quamquam NON caret is, qui non deſiderat. [7] Ergo hoc non deſiderare, dico eſſe jucundius, quam frui. Quòd ſi iſtis ipſis voluptatibus bona ætas fruitur libentiùs: primùm [8] parvulis fruitur rebus, ut diximus: deinde iis, quibus ſenectus, ſi non abundè potitur, non omnino caret. ut Turpione Ambivio magis delectatur, qui in prima cavea ſpectat: delectatur tamen etiam qui in ultima: ſic ADOLESCENTIA voluptates propè intuens magis fortaſſe lætatur: ſed delectatur etiam ſenectus procul eas ſpectans, tantum, quantum ſat eſt. At illa QUANTI ſunt, animum tamquam emeritis ſtipendiis libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium, ſecum eſſe, ſecumque (ut dicitur) vivere? ſi verò habet aliquod tamquam *pabulum ſtudii* atque doctrinæ, nihil eſt otioſa ſenectute jucundius. mori videbamus in ſtudio dimetiundi pœnè cœli, atque terræ [9] C. Gallum, familiarem patris tui, Scipio. quoties illum lux noctu aliquid deſcribere ingreſſum, quoties nox oppreſſit, cùm manè cœpiſſet? [10] quàm delectabat eum defectiones ſolis, & lunæ multo ante nobis prædicere? Quid in levioribus ſtudiis, ſed tamen acutis! quàm gaudebat bello ſuo Punico Nævius! quàm Truculento Plautus! quam Pſeudolo! Vidi etiam ſenem Livium: qui cùm ſex annos antè, quam ego natus ſum, fabulam docuiſſet, Centone, Tuditanoque conſulibus, uſque ad adoleſcentiam meam proceſſit ætate. quid de [11] P. Licinii Craſſi & pontificii, & civilis juris ſtudio loquar? aut de hujus P. Scipionis, qui his paucis diebus pontifex maximus factus eſt? Atqui eos omneis, quos commemoravi, his ſtudiis flagranteis ſenes vidimus, M. verò Cethegum, quem rectè *Suadæ medullam* dixit Ennius, quanto ſtudio exerceri in dicendo videbamus, etiam ſenem? QUÆ ſunt igitur epularum, aut ludorum, aut ſcortorum voluptates cum his voluptatibus comparandæ? [12] Atque hæc quidem ſtudia doctrinæ. quæ quidem PRUDENTIBUS, & bene inſtitutis pariter cùm ætate creſcunt: ut honeſtum illud Solonis ſit, quod ait verſiculo quodam, ut ante dixi, *ſeneſcere ſe multa indies addiſcentem:* qua voluptate animi nulla certè poteſt eſſe major. Venio nunc ad voluptates agrico- 15
larum, quibus ego incredibiliter delector: quæ nec ulla impediuntur ſenectute, & mihi ad ſapientis vitam proxime videntur accedere. [13] habent enim rationem cum terra, quæ NUMQUAM [14] recuſat imperium, nec umquam ſine uſura reddit, quod accepit: ſed aliàs minore, plerumque majore cum fænore. quamquam me quidem non fructus modò, ſed etiam ipſius terræ vis, ac natura delectat: quæ cum [15] gremio mollito, ac ſubacto ſemen ſparſum excepit, [16] primùm id occæ-

1. *Delectabatur crebro funali.*] Sic omnino Pall. pr. ſec. Gulielmius malebat *credo*, quod Aldus in duobus ſuis reperit, & exſtabat in Pal. tert. in Celberdenſi interque lineas Metelliano. ita Livius lib. I. *Huic nuncio, quia (credo) dubiæ fidei videbatur, nihil voce reſponſum eſt.* & ſic infra: *Vult, credo, ſe carum eſſe ſuis.* Lipſius noſter lib. IV. Centuria Miſcell. Epiſt. 3. legendam cenſebat, *cereo funali.*

2. *Accubitionem epularum.*] Sic Nonius, retinetque adhuc plurimi mſſ. Aldi, Giſanii, Gulielmii, Pal. ſec. tert. alii *accubationem.*

3. *Naturalis quidam modus.*] Vulgati *motus*, male, & contra o. l. Alluſit ad formulam, *quod bono fiat modo.* Plautus Mercatore: *Neu quiſquam poſthac prohibeto adoleſcentem filium, Quin amet, & ſcortum ducat, quod bono fiat modo.* Et plane quidquid ſine cupiditate & deſiderio fit, bono modo fieri dicebant. ad Q. Fratrem lib. II. Epiſt. 5.

4. *A ſummo adhibetur in poculis.*] Videatur Turneb. lib. XIII. c. 6. ſic. legenti ex mſ. quomodo haud dubie legendum affirmat Lipſius lib. III. Antiq. Lectionum. Gulielmins monuit in Metelli mſ. extare a ſummo *magiſterio* adhib. vulgo: *à ſummo magiſtro.* atque ut non neget alterutrum abundare. aut *ſummo* aut *magiſtro*; ita utrum potiſſimum, hæret. certe an *à ſummo* ſermo more majorum habitus ſit, neſcit: *à magiſtro* ſcit; cum leges convivii edictaret.

5. *Quàm maxime poſſumus.*] Gloſſam olet Gulielmio vocabulum *poſſumus*.

6. *Jam affecto ætate.*] Sic omnes libri Gul. aliorumque vulgo, *jam confecto æt.* [illegible] *jam affecta æt.*

7. *Ergo hoc non deſiderare, dico eſſe jucundius quàm frui.*] Adſenſum præbeo Aldo Manutio Nepoti arbitranti, ob monſtroſam in his verbis diverſitatem ſcripturarum, iſthæc omnia eſſe ſuppoſititia.

8. *Parvulis fruitur.*] [illegible] *pravis*, contra mſſ. & Ciceronis argumentationem.

9. *C. Gallum.*] Pronomen huic homini dedi, faventibus mſſ. meis & Contareni. id prius aberat; ſed non editionibus omnibus: conſpicitur enim in Victoriana.

10. *Quam delectabat eum defect. Solis & Lunæ multo ante nobis prædicere!*] Eſt ab Palatinis: neque multò ſecus Contareniana: certe ſic omnino editio Victorii. adeo ut mirer Camerarium ab hac ſcriptura tranſiiſſe ad illam antiquiorem, *quàm delectabatur, cum defect. &c. prædiceret!*

11. *P. Licinii Craſſi.*] Pal. non agnoſcunt illud *Licinii*, & eſt ſanè additamentum librarii.

12. *Atque hæc quidem ſtudia doctrinæ. quæ quidem prudentibus, &c.*] Ita Pall. & Gulielmiani. nam editi fere, *ſtudia ſunt doctrinæ, quæ.* nam Aldus nimis licentiosè, *Atque hæc quidem ſtudia doctrinæ prudentibus.* & benè quod non indicat ita eſſe in libris ſuis.

13. *Habet enim rationem cum terra.*] Gulielmius reſcribi voluit ex Hittorpiano, *habent etiam*; ut tertia proponatur cauſa, cur delectetur agri cultione Cato, utilitas; cum præceſſiſſent duæ, voluptas atque honeſtas. at mihi auctor heic potius reddit rationem. cur conveniat maximè rus ſapienti. itaque nihil mutavi contra alios mſſ. lectionemque hactenus publicatam.

14. *Recuſat imperium,*] Sic porro legendum. nam Pauli Manutii *impendium*, heic minus facit. nemini enim ignotum eſt effatum ruſticorum, *non nimium eſſe imperandum terræ.*

15. *Gremo mollito.*] Forte *molito*, ut Virgilius *molire terram*; annotat Gulielmius.

16. *Primum id occæcatum cohibet, &c.*] Petr. Victorius id repoſuit ex mſſ. ſuis lib. III. Var. cap. 23. item lib. XXIV. cap. 12. eratque in Langg. & noſtris. vulgo, *occatum.*

1. Vigore

occæcatum cohibet; ex quo occatio (quæ hoc efficit) nominata eſt: deinde, tepefactum [1] vapore, & compreſſu ſuo diffundit, & elicit herbeſcentem ex eo viriditatem: quæ nixa fibris ſtirpium, ſenſim adoleſcit, culmoque erecta geniculato, vaginis jam quaſi pubeſcens includitur, è quibus cum emerſerit, [2] fundit frugem ſpici, ordine ſtructam, & contra avium minorum morſum munitur vallo ariſtarum? Quid ego vitium ſatus, ortus, incrementa, commemorem. ſatiari delectatione non poſſum, ut meæ ſenectutis requietem, oblectamentumque noſcatis. Omitto enim vim ipſam omnium, quæ generantur è terra: quæ ex fici tantulo grano, aut ex acino vinaceo, aut ex ceterarum frugum, ac ſtirpium minutiſſimis ſeminibus tantos truncos, ramoſque procreat: malleoli, plantæ, ſarmenta, viviradices, propagines, nonne ea efficiunt, ut quemvis non ſine admiratione delectent? [3] Vitis quidem quæ natura caduca eſt, & niſi fulta ſit, ad terram fertur; eadem, ut ſe erigat, claviculis ſuis, quaſi manibus, quidquid eſt nacta, complectitur: quam ſerpentem multiplici lapſu & erratico, ferro amputans coërcet ars agricolarum, ne ſilveſcat ſarmentis, & in omneis parteis nimia fundatur. Itaque ineunte vere in iis, quæ relicta ſunt, exſiſtit [4] tanquam ad articulos ſarmentorum ea, quæ gemma dicitur: à qua oriens uva ſeſe oſtendit: quæ & ſucco terræ, & calore ſolis augeſcens primò eſt peracerba guſtatu, deinde maturata dulceſcit; veſtitaque pampinis, nec modico tepore caret, & nimios ſolis defendit ardores, qua quid poteſt eſſe cùm fructu lætius, tum adſpectu pulchrius? cujus quidem non utilitas me ſolùm, ut antè dixi, ſed etiam cultura, & ipſa natura delectat: adminiculorum ordines, capitum conjugatio, religatio & propagatio vitium; ſarmentorumque ea, quam dixi, aliorum amputatio, aliorum immiſſio. Quid ego irrigationes? quid foſſiones agri, repaſtinationeſque proferam, quibus fit multo terra fœcundior? Quid de utilitate loquar ſtercorandi? dixi in eo libro, quem de rebus ruſticis ſcripſi: de qua doctus Heſiodus ne verbum quidem fecit, cùm de cultura agri ſcriberet. At Homerus, qui multis, ut mihi videtur, antè ſæculis fuit, Laertem lenientem deſiderium, quod capiebat è filio, colentem agrum, [5] & eum ſtercorantem facit. Nec verò ſegetibus ſolùm, & pratis, & vineis, & arbuſtis res ruſticæ lætæ ſunt. ſed etiam hortis & pomariis: tum pecudum paſtu, apum examinibus, florum omnium varietate. Nec conſitiones modò delectant, ſed etiam inſitiones: quibus nihil invenit agricultura ſollertius. Poſſum perſequi multa oblectamenta rerum ruſticarum: ſed ea ipſa, quæ dixi [6] fuiſſe ſentio longiora. 16

Ignoſcetis autem. nam [7] & ſtudio rerum ruſticarum provectus ſum, & SENECTUS eſt natura loquacior: ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare. [8] Ergo in hac vita M. Curius, cùm de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphaſſet, [9] conſumſit extremum tempus ætatis: cujus quidem villam ego contemplans (abeſt enim non longè à me) admirari ſatis non poſſum VEL hominis ipſius continentiam, vel temporum diſciplinam. Curio ad focum ſedenti, magnum auri pondus Samnites cùm attuliſſent, repudiati ab eo ſunt. *non enim aurum habere, præclarum ſibi videri* dixit; *ſed iis, qui haberent aurum, imperare.* Poteratne tantus animus non jucundam efficere ſenectutem? Sed venio ad agricolas, ne à meipſo recedam. In agris erant tum ſenatores, id eſt, ſenes. ſiquidem aranti L. Quinctio Cincinnato nuntiatum eſt, eum dictatorem eſſe factum: cujus dictatoris juſſu magiſter equitum C. Servilius Ahala Sp. Mælium regnum appetentem, [10] occupatum interemit. à villa in ſenatum accerſebantur & Curius, & ceteri ſenes: ex quo, qui eos accerſebant, viatores nominati ſunt. [11] NUM igitur eorum ſenectus, miſerabilis fuit, qui ſe agricultione oblectabant? Mea quidem ſententia haud ſcio, [12] an ulla beatior eſſe poſſit: neque ſolum officio, quod hominum generi univerſo cultura agrorum eſt ſalutaris: ſed & delectatione, quam dixi, & ſaturitate, copiaque omnium rerum, quæ ad victum hominum, ad cultum etiam deorum pertinent: ut, quoniam hæc quidam deſiderant, in gratiam jam cum voluptate redeamus. SEMPER enim boni, aſſiduique domini referta cælla [13] vinaria, olearia, etiam penaria eſt, villaque tota locuples eſt: abundat porco, hædo, agno, gallina, lacte, caſeo, melle. Jam hortum ipſi agricolæ *ſuccidiam alteram* appellant: tum conditiora facit hæc, [14] ſupervacanei etiam operis, aucupium, atque venatio. Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum, olivetorumque ſpecie dicam? Brevi præcidam. AGRO bene culto nil poteſt eſſe, nec uſu uberius, nec ſpecie ornatius: ad quem fruendum non modò non retardat, verùm etiam invitat, atque allectat ſenectus. Ubi enim poteſt illa ætas, aut caleſcere vel apricatione meliùs, vel igni: aut viciſſim umbris, aquiſve refrigerari ſalubriùs? Sibi igitur habeant arma, ſibi equos, ſibi haſtas, ſibi clavam, ſibi pilam, [15] ſibi nationes, & curſus: nobis ſenibus ex luſionibus multis talos relinquant, & teſſeras: [16] idipſum, utrum

1. *Vapore ſuo & compreſſu diffundit.*] Ita vulgati. Celberdenſis tamen ſpatio interlineari *diffindit.* quod verum eſſe convincit id quod præcedit, *compreſſu.* & norunt qui in re ruſtica non planè hoſpites ſunt, granum primo diffindi, tum culmen ejicere. atque hoc quidem jam pridem ſagaciter odoratus erat Godeſcalcus Stewechius noſter ad Vegetium. Gulielmius.

2. *Fundit frugem ſpici ordine ſtructam.*] Gulielmius mutatum it vocem ultimam in *ſtructo.* ex mſſ. duobus. *ſpici* ordo gluma eſt, quam ſtructam fruge ait compleri. mox notat *munitur* ἐνεργητικῶς poſitum, pro *munit*; ut alibi *punitur* Tuſculana I. *Multi inimicos etiam mortuos puniuntur.*

3. *Vitis quidem, quæ natura caduca eſt, & niſi fulta ſit, &c.*] Sic Pall. quatuor; quorum numero ſecundus non agnoſcit voculam *ſit*, & euphonia ſanè fuerit ea abſente, gratior. nam non eſſe auctoris, inde liqueat quod Pal. pr. ejus vicem habeat *eſt.*

4. *Tanquam ad articulos ſarmentorum.*] Metel. mſ. non habet *ad.* unde conjicit Gulielmius, *tanquam articulus ſarmentorum.* eſſe enim gemmam vere quaſi articulum quendam. lectio vulgata mihi ſollicitanda non videtur.

5. *Et cum ſtercorantem*] Budæus libro v. de Aſſe, monet Ciceronem alicujus fide deceptum: nec enim hujus rei meminiſſe Homerum. conſulatur & Brodæus Miſcellaneorum lib. VI. cap. 13. Tullii cauſam agit Victorius lib. XXVIII. cap. 4.

6. *Fuiſſe ſentio longiora.*] Vox *fuiſſe* non comparet in Palat. ſec.

7. *Studio rerum ruſticarum provectus.*] Nihil diſcederet de ſententia, ſi omitterentur *rerum ruſticarum.*

8. *Ergo in hac vita Manius Curius.*] M. V. C. conſtanter habent *hanc vitam*, adprobat atque ipſe Gulielmius. noſtri nihil abeunt a vulgata, niſi quod quarto abſit *vita.*

9. *Conſumpſit extremum tempus ætatis.*] Dictio *extremum* non viſitur in Pal. ſec. & poterat abeſſe.

10. *Occupatum interemit.*] Ita omnes libri Gulielmii, & Palatinus quart. nam priores variant. primus enim, vocem *occupatum* non habet, ſed ſecundus. at tert. *vi occupatum.* per me dictio tota abeſſe poterat. retrò cuſi ferè, *& occupantem interemit.* forſan fuit initio, *regnum occupantem interemit*; aut certe, *regnum appetentem occupat.* deleto, *interemit*; quod verius arbitror; ut impoſuerit hominibus notio rarior *occupare*, pro *prævenire & inexpectato opprimere.* editio princeps habet *& occuparem.* Victoriana, *& occupare volentem*, indicia falſitatis.

11. *Num igitur horum ſenectus miſerabilis fuit.*] Pal. pr. *miſ. erat*: unde conjicias utrumque eſſe à librario, & *fuit*, & *erat.*

12. *An ulla beatior eſſe poſſit.*] Eſt ab editione prima, à qua nihil recedunt Gulielmiani, aut Pal. ſec. aut tert. aut quart. vulgati fere: *hac an ulla vita beatior poſſit eſſe.*

13. *Vinaria, olearia, etiam penaria eſt.*] Sic Pall. & Gulielmiani. Lambinus interjecerat, *mellaria*, ſed ejus nullum in libris noſtris veſtigium. & cum excuſſerit viginti aliquot codices ſcriptos Aldus Nepos, vix id invenit in uno atque altero. & verò non eſt omnium patrumfamilias educare tot apes, imò ne patitur quidem quivis locus. ſed & poſtea meminit auctor *mellis.*

14. *Supervacanei etiam operis.*] Hoc malui cum Victorio ac Langio, quam Lambini *ſupervacaneis.* etſi id repererim in Pal. ſec.

15. *Sibi nationes & curſus.*] Ita editio princeps, ita Pal. pr. item Hittorpianus, *natio à nando*; *natatio eſt à natando.* Pal. quart. præter, *venationes.*

16. *Idipſum utrum libebit.*] Sic Pal. omnes, & Gulielmiani. vulgati; *id ipſum tamen id libebit.* quod neſcio an originem ſumpſerit ab Victorianis: certe primæ edd. nihil recedunt a ſcriptura noſtra.

utrum lubebit: quoniam ſine his beata eſſe ſenectus poteſt.
17 Multas ad res, perutiles Xenophontis libri ſunt. quos legite, quæſo, ſtudioſè ut facitis. quam copioſè ab eo agricultura laudatur in eo libro, [1] qui eſt de tuenda re familiari, qui Oeconomicus inſcribitur? Atque ut intelligatis [2] nihil ei tam regale videri, quam ſtudium agri colendi, Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo, Cyrum minorem, regem Perſarum, præſtantem ingenio, atque imperii gloria, cùm Lyſander Lacedæmonius, vir ſummæ virtutis, veniſſet ad eum Sardis, eique dona à ſociis attuliſſet: & ceteris in rebus comem erga Lyſandrum, atque humanum fuiſſe, & ei quendam conſæptum agrum, diligenter conſitum oſtendiſſe. cùm autem admiraretur Lyſander & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam, atque puram, & ſuavitatem odorum, [3] qui afflarentur è floribus: tum dixiſſe, mirari ſe non modò diligentiam, ſed etiam ſollertiam ejus, à quo eſſent illa dimenſa, atque deſcripta: & ei Cyrum reſpondiſſe: *Atqui ego omnia iſta ſum dimenſus; mei ſunt ordines, mea deſcriptio; multæ etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſatæ.* Tum Lyſandrum intuentem [4] ejus purpuram, & nitorem corporis, ornatumque Perſicum multo auro, multiſque gemmis, dixiſſe: [5] *Ritè verò te*, Cyre, *beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta eſt.* Hac igitur fortuna frui licet ſenibus: nec ætas impedit, quo minùs & ceterarum rerum, & inprimis agri colendi ſtudia teneamus [6] uſque ad ultimum tempus ſenectutis. Marcum quidem Valerium Corvinum accepimus [7] ad centeſimum annum perduxiſſe, cùm eſſet acta jam ætate in agris, eoſque coleret: cujus inter primum & ſextum conſulatum, ſex & quadraginta anni interfuerunt. itaque quantum ſpatium ætatis majores noſtri ad ſenectutis initium eſſe voluerunt, tantus illi curſus honorum fuit. atque ejus extrema ætas hoc beatior, quàm media, quòd auctoritatis plus habebat, laboris verò minùs. *Apex* autem ſenectutis eſt auctoritas. Quanta fuit in L. Cæcilio Metello? quanta in Atilio Calatino? in quem illud [8] elogium unicum: PLURIMÆ CONSENTIUNT GENTES, POPULI PRIMARIUM FUISSE VIRUM. [9] notum eſt totum carmen, inciſum in ſepulchro. Jure igitur gravis, cujus de laudibus *omnium* eſſet *fama* conſentiens. Quem virum P. Craſſum, nuper pontificem maximum, quem poſteà M. Lepidum eodem ſacerdotio præditum vidimus? Quid de Paullo, aut Africano loquar? aut, ut jam antè de Maximo? quorum NON in ſententia ſolùm, ſed etiam in nutu reſidebat auctoritas. HABET ſenectus, honorata præſertim, tantam auctoritatem, ut ea pluris ſit,
18 quàm omnes adoleſcentiæ voluptates. Sed in omni oratione mementote, eam me laudare ſenectutem, quæ fundamentis adoleſcentiæ conſtituta ſit, ex quo id efficitur (quod ego magno quondam cum aſſenſu omnium dixi:) *Miſeram eſſe ſenectutem, quæ ſe oratione defenderet.* non cani, non rugæ repentè [10] auctoritatem arripere poſſunt: ſed honeſtè acta ſuperior ætas fructus capit auctoritatis extremos. HÆC ENIM ipſa ſunt honorabilia, quæ videntur levia, atque communia, ſalutari, appeti, decedi, aſſurgi, deduci, reduci, conſuli: quæ & apud nos, & in aliis civitatibus, ut quæque optime morata, ita diligentiſſimè obſervantur. Lyſandrum Lacedæmonium, cujus modò mentionem feci, dicere aiunt ſolitum, *Lacedæmone eſſe honeſtiſſimum domicilium ſenectutis.* nuſquam enim tantum tribuitur ætati, nuſquam eſt ſenectus honoratior: quin etiam memoriæ proditum eſt, cùm Athenis, ludis, quidam in theatrum grandis natu veniſſet, in magno conſeſſu locum ei à ſuis civibus nuſquam datum: cùm autem ad Lacedæmonios acceſſiſſet, [11] qui cùm legati eſſent, in loco certo conſederant, conſurrexiſſe omneis, & ſenem illum ſeſſum recepiſſe. quibus cùm à cuncto conſeſſu plauſus eſſet multiplex datus, dixiſſe ex iis quendam, *Athenienſes ſcire, quæ recta eſſent, ſed facere nolle.* Multa in noſtro collegio præclara: ſed hoc, de quo agimus, inprimis, quod, ut quiſque ætate antecellit, ita ſententiæ principatum tenet: neque ſolùm honore antecedentibus, ſed iis etiam, qui cum imperio ſunt, majores natu augures anteponuntur. QUÆ SUNT igitur voluptates corporis cum auctoritatis præmiis comparandæ? quibus qui ſplendidè uſi ſunt, ii mihi videntur fabulam ætatis peregiſſe, nec tamquam inexercitati hiſtriones, in extremo actu corruiſſe. At ſunt *moroſi, & anxii, & iracundi, & difficiles ſenes*: ſi quærimus, *etiam avari.* ſed hæc, MORUM vitia ſunt, non, ſenectutis. Ac moroſitas tamen, & ea vitia, quæ dixi, habent aliquid excuſationis, non illius quidem juſtæ, ſed quæ probari poſſe videatur. contemni ſe putant, deſpici, illudi. præterea IN FRAGILI corpore odioſa omnis offenſio eſt. quæ tamen omnia dulciora ſunt & moribus bonis, & artibus: idque tum in vita, tum in ſcena intelligi poteſt ex iis fratribus, qui in Adelphis ſunt. quanta in altero duritas, in altero comitas! Sic ſe res habet. UT ENIM non omne vinum, ſic non omnis ætas vetuſtate coaceſcit. ſeveritatem in ſenectute probo, ſed eam (ſicut alia) modicam: acerbitatem nullo modo. avaritia verò ſenilis quid ſibi velit, non intelligo. POTEST enim quidquam eſſe abſurdius, quàm, quo minùs viæ reſtat, eo plus viatici quærere? Quarta re- 19
ſtat cauſa, quæ maximè angere, atque ſollicitam habere noſtram ætatem videtur, *Appropinquatio mortis*: quæ certè à ſenectute non poteſt longe abeſſe. O MISERUM ſenem, qui mortem contemnendam eſſe in tam longa ætate non viderit! quæ aut planè negligenda eſt, ſi omnino exſtinguit animum; aut etiam optanda, ſi aliquò eum deducit, ubi ſit futurus æternus. Atqui tertium certè nihil inveniri poteſt. Quid igitur timeam, ſi aut non miſer poſt mortem, aut beatus etiam futurus ſum? quamquam QUIS eſt tam ſtultus, quamvis ſit adoleſcens, cui ſit exploratum, ſe ad veſpe-

1. *Qui eſt de tuenda re familiari.*] Ferè habuerim omnia iſthæc pro additamento interpretis.

2. *Nihil ei tam regale.*] Pal. ſec. excluſit voculam *ei*; quæ neſcio an adeſſe debuerit.

3. *Qui afflarentur è floribus.*] Sic & Pall. niſi quod ſec. *aflaretur floribus.* Giſanius obtruſit criticis *adflarent.* Gulielmio placebat *efflagrarent*, quod in Cujacii codice exſtaret, *efflagrarentur.* non male.

4. *Purpuram ejus, & nitorem corporis, ornatumque.*] Pal. tert. *purpuram ejus corporis ornamentumque*; ut ſuſpicer illud, *& nitorem corporis*, eſſe à manu extranea: niſi ſi eo Tullius reddidit illud Xenophontis, καὶ τῆς ὀσμῆς αἰσθόμενος, quod veroſimile videtur.

5. *Ritè verò te Cyre, &c.*] Vulgo *Rectè.* malè, & contra ll. mſſ. inquit Gulielmius. & verò ita quoque in multis ſuis fuiſſe refert Suffridus noſter; & de tribus item ſuis teſtatur Aldus Nepos. Palatini tamen vulgatis olim favent, niſi quod ſec. *Rette.* quartus, *Rectè Cyre te.* ſine verò.

6. *Uſque ad ultimum tempus.*] Gulielmius abjiciendum putabat *ad*, fide Metelliani codicis. neque improbo: ſed uni libro tantum tribuere nequeo, ut abeam à lectione omnium nationum. ſi duo eſſent, forſan connivere m.

7. *Ad centeſimum annum perduxiſſe.*] Sic mſſ. omnes Gulielmiani, repudiato illo vulgato, *annum vitam produxiſſe.* adducitque ſimilem locum è Cenſorini libro antiquiſſimo: *Piſo Annali ſeptimo: Multos ſuorum civium ad hanc ætatem perducere videbant.* Mox idem ſcripſit, *cùm eſſet acta jam ætate*, e mſſ. omnibus; & expreſſum eſt de Terentio.

8. *Elogium unicum:* PLURIMÆ, *&c.*] Adſunt alii, UNO ORE PLURIMÆ. inter quos Turnebus & Gulielmius, Canterus, & Paullus Manutius. ſed cum voces eæ non conſpiciantur in Lambinianis, in Gulielmianis, in Pall. imò in nullis editionibus ætatis exoletæ, inſtiti veſtigiis Giſanii Aldique Nepotis, retinuique vulgatum: tanto quidem proclivius, quod liqueat ex ſequentibus, Catonem non laudaſſe carmen integrum. hæreo tamen an non interpungendum: UNICUM PLURIMÆ.

9. *Notum eſt totum carmen.*] Sic Victorii editio, & duo Gulielmiani. vulgati enim interjecto pronomine *totum ejus carmen* at ſi ſtandum tribus Palatinis prioribus, abjiciendum adhuc verbum *totum*, cujus nullus in iis apex.

10. *Auctoritatem arripere.*] Ita duo Pall. omnes Gulielmiani, quindecim Aldi Nepotis. neque ſecus editio Victorii. vulgatur magis, *auct. aſſerere.*

11. *Qui legati cùm eſſent, in loco certo conſederant.*] Pal. pr. vocibus aliquot minus, *qui legati certò in loco conſ.* vix eſt ut non probem.

1. *Mor-*

veſperum eſſe victurum? quin etiam ÆTAS illa multo plureis, quàm noſtra, [1] mortis caſus habet. faciliùs in morbos incidunt adoleſcentes; graviùs ægrotant; triſtiùs curantur; itaque pauci veniunt ad ſenectutem: quod ni ita accideret, meliùs & prudentiùs viveretur. MENS enim & ratio, & conſilium, in ſenibus eſt: qui ſi nulli fuiſſent, nullæ omnino civitates eſſent. Sed redeo ad mortem impendentem. quod illud eſt crimen ſenectutis, cùm illud videatis cum adoleſcentia eſſe commune? ſenſi ego cùm in optimo filio meo, tum in exſpectatis ad ampliſſimam dignitatem fratribus tuis, Scipio, omni ætati mortem eſſe communem. *At ſperat adoleſcens, diu ſe victurum: quod ſperare idem ſenex non poteſt.* Inſipienter ſperat. QUID enim ſtultius, quàm incerta pro certis habere, falſa pro veris? *Senex ne quod ſperet quidem habet.* At eſt eo [2] meliore conditione, quàm adoleſcens: cùm id, quod ille ſperat, hic jam conſecutus eſt. Ille vult diu vivere: hic diu vixit. Quamquam, ô dii boni! QUID EST in hominis vita diu? da enim ſupremum tempus: exſpectemus Tarteſſiorum regis ætatem: fuit enim (ut ſcriptum video) Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnavit annos, centum & viginti vixit. Sed mihi NE diuturnum quidem quidquam videtur, in quo eſt aliquid extremum. cùm enim id advenit; tunc illud, quod præteriit, effluxit: tantùm remanet, quod virtute, & rectè factis conſecutus ſis. horæ quidem cedunt, & dies, & menſes, & anni: nec præteritum tempus umquam revertitur, nec quid ſequatur, ſciri poteſt. quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet eſſe contentus. neque enim hiſtrioni, ut placeat, peragenda eſt fabula, modò, in quocumque fuerit actu, probetur: neque ſapienti [3] uſque *Plaudite*, vivendum. BREVE enim tempus ætatis, ſatis eſt longum ad bene, honeſteque vivendum. ſin proceſſeris longiùs, non magis dolendum eſt, quàm agricolæ dolent, præterita verni temporis ſuavitate, æſtatem, auctumnumque veniſſe. [4] ver enim, tamquam adoleſcentiam ſignificat, oſtenditque fructus futuros: reliqua tempora demetendis fructibus, & percipiendis accommodata ſunt. FRUCTUS autem ſenectutis eſt, (ut ſæpe dixi) antè partorum bonorum memoria & copia. OMNIA verò, quæ ſecundum naturam fiunt, ſunt habenda in bonis. quid eſt autem tam ſecundum naturam, quàm ſenibus emori? quod idem contingit adoleſcentibus, adverſante & repugnante natura. Itaque adoleſcentes mori ſic mihi videntur, ut cùm aquæ multitudine vis flammæ opprimitur: ſenes autem, ſicut ſua ſponte, nulla adhibita vi, conſumtus ignis exſtinguitur. & quaſi poma, ex arboribus, ſi cruda ſunt, [5] vi avelluntur; ſi matura, & cocta, decidunt: ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas: quæ mihi quidem tam jucunda eſt, ut, QUO propius ad mortem accedam, quaſi terram videre videar, aliquandoque [6] in portum ex longa navigatione eſſe venturus.
[7] OMNIUM ætatum certus eſt terminus: ſenectutis autem 20
nullus certus eſt terminus: recteque in ea vivitur, quoad munus officii exſequi, & tueri poſſis: & tamen mortem contemnere. ex quo fit, ut animoſior etiam ſenectus ſit, quàm adoleſcentia, & fortior. Hoc illud eſt, quod Piſiſtrato tyranno à Solone reſponſum eſt: cùm illi quærenti, *Qua tandem ſpe fretus, ſibi tam* [8] *audaciter obſiſteret:* reſpondiſſe dicitur, *Senectute.* Sed vivendi finis eſt optimus, cum integra mente, [9] ceteriſque ſenſibus, opus ipſa ſuum eadem, quæ [10] coagmentavit, natura diſſolvit. UT NAVEM, ut ædificium idem deſtruit facillimè, qui conſtruxit: ſic hominem eadem optimè, quæ conglutinavit, natura diſſolvit. jam omnis conglutinatio recens, ægrè: inveterata, facilè divellitur. ita fit, ut illud breve vitæ reliquum nec avidè appetendum ſenibus, nec ſine cauſa deſerendum ſit: vetatque Pythagoras *injuſſu imperatoris*, id eſt, dei, *de præſidio & ſtatione vitæ decedere.* Solonis quidem ſapientis [11] eulogium eſt, *quo ſe negat velle ſuam mortem dolore amicorum & lamentis vacare.* vult, credo, ſe eſſe carum ſuis. Sed haud ſcio, an meliùs Ennius:

Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu
Faxit.

Non cenſet lugendam eſſe mortem, quam immortalitas conſequatur. [12] Jam ſenſus moriendi, aliquis eſſe poteſt, iſque ad exiguum tempus, præſertim ſeni: poſt mortem quidem ſenſus aut optandus, aut nullus eſt. Sed hoc meditatum ab adoleſcentia debet eſſe, MORTEM UT NEGLIGAMUS: ſine qua meditatione, tranquillo eſſe animo nemo poteſt. moriendum enim certè eſt: & id incertum, an eo ipſo die. MORTEM igitur omnibus horis impendentem timens, quei poterit animo conſiſtere? de qua non ita longa diſputatione opus eſſe videtur, cùm recorder, [13] non ſolùm Brutum, *qui in* liberanda patria eſt interfectus: [14] non duos Decios, *qui* [15] *ad* voluntariam mortem curſum equorum incitaverunt: non M. Atilium, *qui ad* ſupplicium eſt profectus, ut fidem hoſti datam conſervaret: non duos Scipiones, *qui iter* Pœnis vel corporibus ſuis obſtruere voluerunt: non avum tuum L. Paullum, [16] *qui morte* luit collegæ in Cannenſi ignominia temeritatem: non M. Marcellum, *cujus* interitum ne crudeliſſimus quidem hoſtis honore ſepulturæ carere paſſus eſt: ſed legiones noſtras (quod ſcripſi in Originibus) in eum ſæpe locum profectas alacri animo, & erecto, unde ſe numquam redituras arbitrarentur. QUOD IGITUR adoleſcentes, & ii quidem non ſolùm indocti, ſed etiam ruſtici contemnunt, id docti ſenes extimeſcent? Omnino (ut mihi quidem videtur) RERUM omnium ſatietas, vitæ facit ſatietatem. Sunt pueritiæ certa ſtudia.

num

1. *Mortis caſus habent.*] Sic omnes omnium mſſ. non *cauſas*, quod in aliquibus edd. ſed non primogeniis.

2. *Meliore conditione quàm adoleſcens.*] In Pal. pr. non compareat *quàm adoleſcens*, neque erat neceſſarium.

3. *Uſque Plaudite.*] Sic plerique Pall. & Gulielmiani, excluſo *ad*; quod tamen retinuiſſem, niſi animadvertiſſem abeſſe etiam editione Victoriana.

4. *Ver enim adoleſcentiam ſignificat.*] Lambinus ediderat *adoleſcentia.* ſed alterum eſt in Pall. melioribus, item Gulielmianis, nec non quindecim Aldinis; ne dicam receptam eſſe alioquin lectionem omnium Typographorum.

5. *Vi avelluntur.*] Gulielmius abjiciendam putabat ſyllabam *vi*, quæ tamen erat in mſſ. ejus & Pall. aliorumque, & placet.

6. *In portum ex longa navig. venturus.*] Idem ex Hittorpiano emendat *futurus.* non placet.

7. *Omnium ætatum certus eſt terminus.*] Horum nihil reperitur in Pall. aut Gulielmianis. Monuit tamen Suffridus & Aldus Nepos extare in membranaceis aliquot. & veriſimile eſt omiſſa feſtinatione librariorum, ob vocem *terminus* mox repetitam. ſeorſim enim ſentio ab eis qui arbitrantur è marginali annotatione lectoris veniſſe in textum.

8. *Audaciter.*] Ita & Victorina ed. omneſque ſcripti Gulielmiani, annotavitque id magis κατὰ τὸ ἀνάλογον, quam *audacter.* ſic enim à ſagax, pernix, *ſagaciter*, *perniciter.*

9. *Ceteriſque ſenſibus.*] Plerique mſſ. *certis.* & utraque ſcriptura habet rationes ſuas. retinui tamen vulgatam quod eam non improbaſſet Victorius.

10. *Coagmentavit.*] Omnes Gull. & Pall. & Suffridi Martinius, *coagmentavit.* cogitandum, inquit Gulielmius.

11. *Eulogium.*] Sic Pall. priores tres, ſic editio princeps: neque refugit Aldus Nepos. alii *elogium*, *eclogium*, *elegejum*, *ellogium.*

12. *Jam ſenſus moriendi aliquis eſſe poteſt, iſque ad exiguum tempus, præſertim, &c.*] Obſecutus ſum libris Gulielmianis, quibus adſentiebantur quoque Pall. niſi quod ii *ſi aliquis, &c.* quod tamen ſenſum hactenus turbavit. vulgati fere, *ſi aliquis eſſe poteſt, is ad extremum tempus durat, præſ.* verùm illud *durat*, exturbatum rectè olim à Victorio: recepit tamen mox Camerarius aliique, ſed nolentibus membranis correctioribus.

13. *Non ſolùm L. Brutum.*] Dictio *ſolùm* non viſitur in Pal. pr. aut tertio; & forſan eſt interpretis. quart. *cùm non modò recordor L. Brutum.*

14. *Ad voluntariam mortem curſum equorum incitaverunt.*] Pal. ſec. *curſu equorum invetaverunt.* ex quo facile fieret *invectaverunt*, pro, *invectati ſunt.* ſed nonne nimium antiquè?

15. *Non duos Decios.*] Reponendum arbitrabatur Gulielmius, *duo*, fide Celberdenſis exemplaris. & ſic, inquit eadem in re Tuſculana prima Mſſ. mei.

16. *Qui morte luit collegæ in Cannenſi.*] Pal. ſec. *luit in Cannenſi ignominia Terentii collegæ ſui, &c.* neſcio num è mente interpretis an verò auctoris.

1. *Is*

num igitur ea deſiderant adoleſcentes? ſunt & ineuntis adoleſcentiæ. num ea jam conſtans requirit ætas, quæ media dicitur? ſunt etiam hujus ætatis. ne ea quidem quæruntur à ſenectute. ſunt extrema quædam ſtudia ſenectutis. ergo, ut ſuperiorum ætatum ſtudia occidunt, ſic occidunt etiam ſenectutis. quod cùm evênit, ſatietas vitæ tem-
21 pus maturum mortis affert. Equidem non video, cur, quid ipſe ſentiam de morte, non audeam vobis dicere: quòd eo meliùs mihi cernere videor, quò ab ea propiùs abſum. Ego veſtros patres, P. Scipio, tuque, C. Læli, clariſſimos, mihique amiciſſimos, vivere arbitror: & eam quidem vitam, quæ eſt ſola vita nominanda. Nam, DUM ſumus in his incluſi compagibus corporis, múnere quodam neceſſitatis, & gravi opere perfungimur. eſt enim animus cæleſtis ex altiſſimo domicilio depreſſus, & quaſi demerſus in terram, locum divinæ naturæ, æternitatique contrarium. Sed CREDO, deos immortaleis ſparſiſſe animos in corpora humana, ut eſſent, qui terras tuerentur, quique cæleſtium ordinem contemplantes, imitarentur eum vitæ modo, atque conſtantia. nec me ſolum ratio, ac diſputatio impulit, ut ita crederem: ſed nobilitas etiam ſummorum philoſophorum, & auctoritas. Audiebam Pythagoram, Pythagoreoſque, incolas pænè noſtros, qui eſſent *Italici philoſophi* quondam nominati, numquam dubitaſſe, *quin ex univerſa mente divina delibatos animos haberemus.* demonſtrabantur mihi præterea quæ Socrates ſupremo vitæ die de immortalitate animorum diſſeruiſſet, [1] is, qui eſſet ſapientiſſimus oraculo Apollinis judicatus. Quid multa? ſic mihi perſuaſi, ſic ſentio, CUM TANTA celeritas animorum ſit, tanta memoria præteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tantæ ſcientiæ, tot inventa, non poſſe eam naturam, quæ [2] res eas contineat, eſſe mortalem: cumque ſemper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia ſe ipſe moveat: ne finem quidem habiturum eſſe motus, quia numquam ſe ipſe ſit relicturus. &, cùm ſimplex animi natura eſſet, neque haberet in ſe quidquam admiſtum diſpar ſui, atque diſſimile, non poſſe eum dividi: quod ſi non poſſit, non poſſe interire: magnoque eſſe argumento, HOMINES ſcire pleraque antè, quam nati ſint, quod jam pueri, cùm arteis difficileis diſcant, ita celeriter res innumerabileis arripiant, ut eas non tum primùm accipere videantur, ſed reminiſci, & recordari. [3] Hæc Pla-
22 tonis ferè. Apud Xenophontem autem moriens Cyrus major, hæc dicit. *Nolite arbitrari, ô mihi chariſſimi filii, me, cùm à vobis diſceſſero, nuſquam, aut nullum fore. nec enim, dum eram vobiſcum, animum meum videbatis: ſed eum eſſe in hoc corpore, ex iis rebus, quas gerebam, intelligebatis. eundem igitur eſſe creditote, etiam ſi nullum videbitis. Nec verò clarorum virorum poſt mortem honores permanerent, ſi nihil eorum ipſorum animi efficerent,* [4] *quo diutiùs memoriam ſui teneremus. Mihi quidem numquam perſuaderi potuit, animos, dum in corporibus eſſent mortalibus, vivere: cùm exiſſent ex iis, emori: nec vero tum animum eſſe inſipientem, cùm ex inſipienti corpore evaſiſſet: ſed cùm omni admixtione corporis liberatus, purus & integer eſſe cœpiſſet, tum eſſe ſapientem. Atque etiam, cùm hominis natura morte diſſolvitur, ceterarum rerum perſpicuum eſt, quò quaque diſcedant: abeunt enim illuc omnia, unde orta ſunt: animus autem ſolus, nec cùm adeſt, nec cùm diſcedit, appàret. Jam vero videtis, nihil eſſe morti tam ſimile, quam ſomnum. Atqui dormientium animi maximè declarant divinitatem ſuam. multa enim cum remiſſi, & liberi ſunt futura proſpiciunt. Ex quo intelligitur, quales futuri ſint, cùm ſe planè corporis vinculis relaxaverint. Quare, ſi hæc ita ſunt, ſic me colitote ut deum. ſin una eſt interiturus animus cum corpore, vos tamen deos verentes, qui hanc omnem pulchritudinem tuentur, & regunt, memoriam noſtri piè, inviolateque ſervabitis.* Cyrus quidem hæc moriens.
Nos (ſi placet) noſtra videamus. NEMO umquam mihi, 23
Scipio, perſuadebit, aut patrem tuum Paullum, aut duos avos, Paullum, & Africanum, aut Africani patrem, aut patruum, aut multos præſtanteis viros; quos enumerare non eſt neceſſe, tanta eſſe conatos, quæ ad poſteritatis memoriam pertinerent: niſi animo cernerent, poſteritatem [5] ad ſe pertinere. An cenſes (ut de me ipſo aliquid MORE ſenum glorier) me tantos labores diurnos, nocturnoſque domi, militiæque ſuſcepturum fuiſſe, ſi iiſdem finibus gloriam meam, quibus vitam eſſem terminaturus? nonne melius multo fuiſſet, otioſam ætatem, & quietam, ſine ullo labore, & contentione traducere? ſed neſcio quomodo ANIMUS erigens ſe, poſteritatem ſemper ita proſpiciebat, quaſi, cùm exceſſiſſet è vita, tum denique victurus eſſet, quod quidem ni ita ſe haberet, ut animi immortales eſſent, haud optimi cujuſque animus maximè [6] ad immortalem gloriam niteretur. Quid, quòd SAPIENTISSIMUS quiſque æquiſſimo animo moritur, ſtultiſſimus iniquiſſimo? Nonne vobis videtur animus is, qui plus cernat, & longiùs, videre, ſe ad meliora proficiſci: ille autem, cujus obtuſior ſit acies, non videre? Equidem efferor ſtudio patres veſtros, quos colui, & dilexi, videndi, neque verò eos ſolùm convenire aveo, quos ipſe cognovi; ſed illos etiam, de quibus audivi, & legi, & ipſe conſcripſi. Quò quidem me proficiſcentem haud ſanè quis facilè retraxerit, [7] neque tamquam Peliam recoxerit. QUOD ſi quis deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repueraſcam, & in cunis vagiam, valde recuſem: nec verò velim, quaſi decurſo ſpatio ad carceres à calce revocari. QUID enim habet vita commodi? quid non potius laboris? ſed habeat ſanè. habet certè tamen, aut ſatietatem, aut modum. non lubet enim mihi deplorare vitam, quod multi & ii docti, ſæpe fecerunt. neque me vixiſſe pœnitet: quoniam ita vixi, ut non fruſtra me natum exiſtimem: & ex vita ita diſcedo, tamquam ex hoſpitio, non tamquam ex domo. commorandi enim natura diverſorium nobis, non habitandi dedit. O PRÆCLARUM diem, cùm ad illud divinum animorum concilium, cœtumque proficiſcar, cùmque ex hac turba, & colluvione diſcedam! proficiſcar enim non ad eos ſolùm viros, de quibus ante dixi: ſed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus eſt, nemo pietate præſtantior: cujus à me corpus crematum eſt: quod CONTRA decuit ab illo meum. animus verò non me deſerens, ſed reſpectans, in ea profectò loca diſceſſit, quò mihi ipſi cernebat eſſe veniendum. quem ego meum caſum *fortiter* ferre viſus ſum: non quòd æquo animo ferrem: ſed me ipſe conſolabar, exiſtimans, non longinquum inter nos digreſſum, & diſceſſum fore. His

1. *Is qui eſſet ſapientiſſimus oraculo.*] Monet Gulielmius mſſ. omn. adjicere *eſſet omnium ſap.* neque aliter de viginti aliquot ſuis teſtatur Aldus Nepos. abeſt tamen Pal. primo. haud tamen diſconvenit. Ceterum facile paterer, eo admiſſo auferri tres voculas priores, *is qui eſſet.* nam cur videantur adjectitia eſſe, facit Pal. ſecund. in quo viſitur, *is eſſet qui omnium ſapientiſſ. eſt oraculo, &c.* quart. enim cum habet, *is qui erat.*

2. *Res eas contineat.*] Hittorpianus *continuat.*

3. *Hæc Platonis ferè.*] Non minus heic variant Pall. quàm Aldi codd. nam pr. adſentitur lectioni quam publico. ſec. habet, *hæc Platonis ſunt.* tert. *Hæc Plato noſter.* quartt. *Hæc ſunt Plat. ferè.*

4. *Quo diutius memoriam ſui teneremus.*] Non pejor lectio Maur. ſi non melior, *quo juſtius mem. ſui tuerentur.* Xenophon: ὡ μᾶλλον αἱ ψυχαὶ κλέος ἔχουσι. Gul.

5. *Ad ſe pertinere.*] Ita Pall. quatuor, editioque Victorii. Gulielmius revocatum cupiebat olim vulgatum è mſſ. ſuis, *ad ſe poſſe pertinere:* tanquam Ethnici ſemper hæſitanter loquerentur de immortalitate animorum. at Catonis tota oratio contrarium clamat: Aldique membranæ maximà parte ſui, eunt in noſtram ſententiam.

6. *Ad immortalem gloriam.*] Duo Gulielmii codd. *ad immortalitatem & gloriam, eique placebat.* Ego nihil muto contra Palatinos, aliorumque ſcriptos.

7. *Neque tanquam Peliam recoxerit.*] Ita legendum facilè adſentitur doctiſſimis viris Gulielmius, eſtque & hæc Plauti imitatio, more illius ſæculi, quo ex eo Comico joca ſeria qui politiores audiebant, depromebant omnia. videatur Muretus lib. VI. Variarum cap. 10. & ante eum Junii Adagia Centur. VII. 76.

1. *Nec*

His mihi rebus, Scipio (id enim te cum Lælio admirari ſolere dixiſti) levis eſt ſenectus, [1] nec ſolùm non moleſta, ſed etiam jucunda. quòd ſi in hoc erro, *animos hominum immortales eſſe credam*, lubenter erro: nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo. ſin mortuus (ut quidam minuti philoſophi cenſent) nihil ſentiam: non vereor, ne hunc errorem meum mortui philoſophi irrideant, quòd ſi non ſumus immortales futuri, tamen exſtingui homini ſuo tempore optabile eſt. Nam HABET natura, ut aliarum omnium rerum, ſic vivendi modum. Senectus autem, peractio ætatis eſt, tamquam fabulæ: [2] cujus defatigationem fugere debemus, præſertim adjuncta ſatietate. habui hæc, de ſenectute quæ dicerem: ad quam utinam perveniatis; ut ea, quæ ex me audiſtis, re experti probare poſſitis.

1. *Nec ſolum non moleſta.*] Pal. ſecund. non habet dictiones duas priores, *nec ſolum*. Gulielmius annotavit in Hittorpiano fuiſſe, *nec moleſta*, quod Langius reperit. unde neſcit, an faciendum ſit, *ne moleſta*, ut *nefanda*.

2. *Cujus defatigationem.*] Hittorpianus, *defectionem*, ni fallor bene, inquit Gulielmius. hiſtrio *deficit* cùm eum vox & vires deſerunt. ſimile illi, quod paullò ante dixit, *in extremo actu corruiſſe*. mihi vulgata ſatisfacit.

M. TULLII CICERONIS

LÆLIUS,

SIVE

DE AMICITIA DIALOGUS.

AD T. POMPONIUM ATTICUM, PRÆFATIO.

1 [1] QUINTUS Mucius augur multa narrare de C. Lælio, ſocero ſuo, memoriter, & jucundè ſolebat, nec dubitare illum in omni ſermone appellare *ſapientem*. Ego autem *à patre* ita eram deductus ad Scævolam, ſumta virili toga, ut, quoad poſſem, & liceret, [2] à ſenis latere numquam diſcederem. Itaque multa ab eo prudenter diſputata, multa etiam breviter, & commodè dicta, memoriæ mandabam: fierique ſtudebam ejus prudentia doctior. Quo mortuo, me ad pontificem Scævolam contuli: quem unum noſtræ civitatis & ingenio, [3] & juſtitia præſtantiſſimum audeo dicere. Sed de hoc aliàs: nunc redeo ad augurem. [4] Cùm ſæpe multa, tum memini, domi in hemicyclio ſedentem, ut ſolebat, cùm & ego eſſem unà, & pauci admodum familiares, in eum ſermonem illum incidere, [5] qui tum ferè omnibus erat in ore. [6] meminiſti enim profectò, Attice, & eo magis, quòd P. Sulpicio utebare multùm (cùm is tribunus pleb. capitali odio à Q. Pompeio, qui tum erat conſul, diſſideret) quocum conjunctiſſimè, & amantiſſimè vixerat, quanta hominum eſſet vel admiratio, vel querela. Itaque tum Scævola, cùm in eam ipſam mentionem incidiſſet, expoſuit nobis ſermonem Lælii de amicitia, habitum ab illo ſecum, & cum altero genero C. Fannio, Marci filio, paucis diebus poſt mortem Africani. Ejus diſputationis ſententias memoriæ mandavi: [7] quas hoc libro expoſui meo arbitratu. quaſi enim ipſos induxi loquenteis, ne, *Inquam*, &, *Inquit*, [8] ſæpius interponeretur: atque ut tamquam à præſentibus coràm haberi ſermo videretur. Cùm enim ſæpe mecum ageres, *ut de amicitia ſcriberem aliquid*, digna mihi res cum omnium cognitione, tum noſtra familiaritate, viſa eſt. Itaque feci non invitus, ut prodeſſem multis tuo rogatu. Sed, ut in Catone Majore, qui eſt ſcriptus ad te de ſenectute, Catonem induxi ſenem diſputantem, quia nulla videbatur aptior perſona, quæ de illa ætate loqueretur, quàm ejus, qui & diutiſſimè ſenex fuiſſet, & in ipſa ſenectute [9] præ ceteris floruiſſet: ſic, cùm accepiſſemus à patribus maximè memorabilem, C. Lælii, & P. Scipionis familiaritatem fuiſſe, idonea mihi Lælii perſona viſa eſt, quæ de amicitia ea ipſa diſſereret, quæ diſputata ab eo [10] meminiſſet Scævola. Genus autem hoc ſermonum, poſitum in hominum veterum auctoritate, & eorum illuſtrium, PLUS, neſcio quo pacto, videtur habere gravitatis. Itaque ipſe mea legens, ſic afficior interdum, ut Catonem, non me loqui exiſtimem. Sed ut tum ad ſenem ſenex de ſenectute, ſic hoc libro ad amicum amiciſſimus de amicitia ſcripſi. Tum eſt Cato locutus, quo erat nemo ferè ſenior temporibus illis, nemo prudentior: nunc

1. *QUintus Mucius augur multa.*] Aliæ edd. *augur Scævola multa*; quomodo & Pall. noſtri; præter pr. in quo *Scævola augur*. ſed vocem tamen intermediam expunxi fide Martialis Rogerii, aſſeverantis, ſuis in hunc librum commentariis, eam abfuiſſe duobus exemplaribus antiquiſſimis. falſiſſimum enim eſt quod adſcribitur editionibus Lambinianis, cognomen iſtud abeſſe o. v. l. Aldus enim Manutius Nepos, aliique in omnibus id ſuis profectò invenere. omiſit tamen editio Victorii; neque èxtat apud Chariſium in *jucunditer*.

2. *A ſenis latere nunquam diſcederem.*] Pal. ſec. *non*. Gulielmius nihil quidem mutabat invitis libris; ſed tamen putabat magis è conſuetudine Latine loquentium *nuſquam*.

3. *Et juſtitia præſtantiſſimum.*] Edd. primæ & Pal. ſex. iſtud præferunt, non Victorii *induſtria*. ſed & mſſ. Gallorum Italorumque plures habent noſtrum.

4 *Cùm ſæpe multa, tum, &c.*] Paſſim interpoſitum, *narraret*. ſed adnotat Gulielmius, libris ſuis omnibus id vocis abfuiſſe; Rogeriuſque idem antea adſeverarat de pluribus ſuis; neque agnoſcit Pal. ſec. habetque item pro ſuppoſititio Aldus Nepos. Pal. ſextus habebat, *multa dixiſſet*.

5. *Qui tum ferè omnibus erat in ore.*] Sic Pall. omnes præter quintum, in quo, *qui tum multis & omnibus, &c.* Vulgati, *qui tum multis*. adſentior Vallæ; & hanc & illam vocem adſcititiam cenſeo.

6. *Meminiſti enim profectò, Attice.*] Vox *profectò* non eſt in Pal. quarto ſummæ vetuſtatis codice. ceterum aliæ edd. intruſerant, *profectò, ut opinor, Attice*. ſed ita nullus Palatinorum, adſirmatque idem de Gallicanis pleriſque Rogerius, qui & D. Victoris membranas aliquot excuſſit. ne dicam Aldum annotare nihil ejus comparuiſſe in exemplaribus mſſ. duodecim.

7. *Quas hoc libro*] Tò *in* quod viſitur in aliis ed. ex fide omnium codicum ſuorum delet Gulielmius; neque habetur in aliorum melioribus ſuis.

8. *Sæpius interponeretur.*] Pal. ſec. quart. *interponerentur*. neque aliter unus Rogerii, neque diſplicet.

9. *Præ ceteris floruiſſet.*] Gulielmius malebat cum ſuis *præter ceteros*. utraque ſcriptura exſtat etiam in Pall. nihil tamen temerè mutaverim, cùm utrumque Tullio fuerit familiare.

10. *Meminiſſet Scævola.*] Non conſpiciebantur in Gulielmianis, aut Pall. quinque, *magiſter meus*, quæ in aliis aliquot edd.

nunc Lælius & ſapiens (ſic enim eſt habitus) & amicitiæ gloria excellens, de amicitia loquitur. Tu velim animum à me parumper avertas, Lælium loqui ipſum putes. C. Fannius, & Q. Mucius ad ſocerum veniunt poſt mortem Africani. ab his ſermo oritur: reſpondet Lælius: cujus tota diſputatio eſt de amicitia, [1] QUAM legens te ipſum cognoſces.

2 FANNIUS. [2] Sunt iſta vera, Læli. [3] nec enim melior vir fuit Africano quiſquam, nec clarior. ſed exiſtimare debes, [4] omnium oculos in te eſſe conjectos: unum te ſapientem & appellant & exiſtimant. tribuebatur hoc modò M. Catoni. ſcimus L. Atilium apud patres noſtros appellatum eſſe *ſapientem*. ſed uterque alio quodam modo: Atilius, quia [5] prudens eſſe in jure civili putabatur: Cato, quia multarum rerum uſum habebat: multa ejus & in ſenatu, & in foro vel proviſa prudenter, vel acta conſtanter, vel reſponſa acutè ferebantur, [6] propterea quaſi cognomen jam habebat in ſenectute ſapientis, te autem alio quodam modo, non ſolum natura, & moribus, verum etiam ſtudio, [7] & doctrina eſſe ſapientem: nec ſicut vulgus, ſed ut eruditi ſolent appellare SAPIENTEM, qualem in [8] reliqua Græcia neminem. nam qui ſeptem appellantur, (eos, qui iſta ſubtiliùs quærunt, in numero ſapientium non habent.) Athenis unum accepimus, & eum quidem etiam Apollinis oraculo SAPIENTISSIMUM judicatum. hanc eſſe in te ſapientiam exiſtimant, *ut omnia tua in te poſita eſſe ducas, humanoſque caſus virtute inferiores putes*. itaque ex me quærunt, [9] credo item ex te Scævola, quonam pacto mortem Africani feras, eoque magis, [10] quòd his proximis Nonis, cum in hortos D. Bruti auguris, commentandi cauſa, ut aſſolet, veniſſemus, tu non affuiſti: qui diligentiſſimè ſemper illum diem, & illud munus ſolitus eſſes obire. SCÆVOLA. Quærunt quidem, C. Læli, multi, ut eſt à Fannio dictum: ſed ego id reſpondeo, quod animadverti, te dolorem, quem acceperis cùm SUMMI viri, tum amiciſſimi morte, ferre moderatè: nec potuiſſe non commoveri, nec fuiſſe id humanitatis tuæ. [11] quòd autem his Nonis in noſtro collegio non affuiſſes, valitudinem cauſæ, non mæſtitiam fuiſſe. LÆL. Rectè tu quidem Scævola, & verè. nec enim ab iſto officio, quod ſemper uſurpavi cùm valerem, abduci incommodo meo debui: NEC ULLO caſu arbitror hoc conſtanti homini poſſe contingere, ut [12] ulla intermiſſio fiat officii. Tu autem Fanni, qui mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnoſco, nec poſtulo, facis amicè: ſed, ut mihi videris, [13] non rectè judicas de Catone. aut enim *nemo*, quod quidem magis credo, aut, ſi quiſquam ille *ſapiens fuit* Quomodo enim (ut alia omittam) mortem filii tulit? memineram Paullum, videram Gallum: ſed hi in pueris; [14] Cato in perfecto, & ſpectato viro. Quamobrem cave Catoni anteponas, ne iſtum quidem ipſum, quem Apollo, ut ais, ſapientiſſimum judicavit: hujus enim facta, illius dicta laudantur. De me autem (ut jam cum utroque loquar) ſic habetote. Ego, ſi Scipionis deſiderio me moveri negem, quàm id rectè faciam, viderint ſapientes: ſed certè mentiar. MOVEOR enim tali amico orbatus, qualis, ut arbitror, nemo umquam erit: &, [15] ut confirmare poſſum, nemo certè fuit. ſed non egeo medicina: me ipſe conſolor, & maximè illo ſolatio, quod eo errore careo, quo, amicorum deceſſu, plerique angi ſolent. nihil enim mali accidiſſe Scipioni puto mihi accidit, ſi quid accidit. SUIS autem incommodis graviter angi, non amicum, ſed ſe-

ipſum amantis eſt. 3 Cum illo verò quis neget actum eſſe præclare? [16] niſi enim, quod ille minimè putabat, immortalitatem optare vellet, quid non eſt adeptus, quod homini fas eſſet optare? qui SUMMAM ſpem civium, quam de eo jam puero habuerant, continuo adoleſcens incredibili virtute ſuperavit. qui conſulatum petivit numquam, factus eſt conſul bis, primùm ante tempus: iterum ſibi, ſuo tempore: reip. pæne ſerò: qui, duabus urbibus everſis, inimiciſſimis huic imperio, NON MODO præſentia, verùm etiam futura bella delevit. Quid dicam de moribus facillimis? de pietate in matrem? liberalitate in ſorores? bonitate in ſuos? juſtitia in omneis? nota ſunt vobis: quàm autem civitati carus fuerit, *mærore funeris indicatum eſt*. Quid igitur hunc paucorum annorum acceſſio juvare potuiſſet? ſenectus enim quamvis non ſit gravis, ut memini Catonem anno antè, quàm mortuus eſt, mecum, & cum Scipione diſſerere, tamen aufert eam viriditatem, in qua [17] etiam tunc erat Scipio. Quamobrem vita quidem talis fuit,

1. *Quam legens te ipſum cognoſces.*] Ita Pal. ſec. & ſext. Metelli codex: & editio vetus, *te ipſe*; à quo ceteri verbis non nihil, ſententia plane non diſcrepabant. Mauricianus ita, *tu te ipſum cogn.* Gelb. *te ipſe*, Pal. quart. *tu te ipſe cogn.* Ait perſpecturum Atticum in hac veri amici idea ſe ipſum, & tanquam exemplar quoddam intuiturum ſui. Nihil ſani erat in hactenus vulgatis, *quam legens tu ipſe cognoſces*.

2. *Sunt iſta vera, Læli.*] Gulielmius deletum ibat vocem *vera* ex mſſ. ſuis ac Lambini. reſtat ea quidem in Pall. quatuor; ſed malim cum Pal. tert. *Sunt iſta Læli, ut dicis*; nam eæ voces duo diſerte exſtant in ſec. & quinto, produxitque ex aliquot ſuis Rogerius atque Aldus Nepos. Pal. ſextus verba iſthæc omnia omiſit.

3. *Nec enim melior vir fuit.*] Dictio *vir*, non eſt in Pal. quarto, notæ optimæ libro, neque requiritur.

4. *Omnium oculos in te eſſe conjectos.*] Mirum eſt, dicere, Aldum Nep. omnes mſſ. ſuos interjicere *nunc*. cum id in nullo compareat Palatinorum, quorum ſec. *converſos*.

5. *Prudens eſſe in jure civili.*] Pal. quart. *prudens jure civili*, ſine *eſſe in*, quæ ſi abſint nemo deſideret.

6. *Propterea quaſi cognomen.*] Palat. noſter ordine quidem quartus, ſed bonitate primus; *præterea*.

7. *Et doctrina eſſe ſapientem.*] Cuperem abeſſe verbum *eſſe*. nam illud *dicunt*, quod præceſſit in vulgatis, non eſt in ullo Palatinorum, quorum tamen unus heic adſuit, *ſapientem æſtimant*, alter *judico*.

8. *Reliqua neminem (nam, &c.*] Sic iſta parentheſi incluſit Gulielmius, omninò recte.

9. *Credo item ex te, Scævola.*] Secutus eſt Gulielmius auctoritatem duorum Erphurdienſium codd. nam vulgati, *credo ex hoc item Scævola*; quomodo & Pall. omnes. & ferri poterat.

10. *Quod his proximis Nonis.*] Sic omnes noſtri, quidam etiam amplius, *quod in his prox.* Gulielmius tamen ex mſſ. ſuis omnibus induxerat *his*. & hoc loco, & paullò poſt infra. non improbo; ſed tamen non libuit eum ſequi.

11. *Quod autem his Nonis in collegio noſtro non adfuiſſes.*] Gulielmius ſuſtulerat *noſtro*; ſecutus codicem unum Fulvii Urſini. ſed cùm exſtet in Pall. omnibus, nihil auſus fui mutare, indicandum ſolùm dixi, illud *his Nonis*, non comparere in Pal. pr. aut ſec. adeo ut ſuſpicer eſſe ab interpretibus.

12. *Ulla intermiſſio fiat officii.*] Movet Gulielmium Langii codex, in quo *interceſſio* ut locum putet inquinatum gloſſemate: conjicit, *ut illa interceſſio fiat officii*: hoc eſt, ut ullus dolor tantus ſit, qui officium impediat, eique tanquam violentus tribunus plebi intercedat. de Legibus: *Interceſſor rei malæ ſalutaris civis eſto*. ſic Gulielmius. Pall. nihil recedunt à vulgato. Palmerius divinabat, *interſciſſio officii*.

13. *Non rectè judicas de Catone.*] Hittorpianus, *nec rectè*, quod perplacet Gulielmio, pro malè aut injuriè, quomodo ſæpe Plautus.

14. *Cato in perfecto & ſpectato viro.*] Vulgò legebatur: *Sed hi nec comparantur Catoni maximo & ſpectato viro.*

15. *Et ut confirmare poſſum, nemo certè fuit.*] Habuerim illa, *& ut confirmare poſſum*, interpretamentum vocis *certe*, quæ ſequitur.

16. *Niſi enim, quod ille minimè putabat, immortalitatem optare vellet.*] Gulielmii unus liber, *minimi*, probatque Giſanius: & ſic Tullius lib. 1. Famil. Epiſt. 9. *tamen à me minimi putabantur*. verum in eo magis ſum ut ſuſpicer voculam *putabat* non eſſe auctoris ſed inſitivam. vertit ſeſe heic in omnes partes Lambinus, ſed parvo ſucceſſu, ſive *immortalitatem* accipimus pro ἀθανασίᾳ ſive pro ἀποθεώσει. quia, uti omnium rerum, ſic & vitæ quæpiam ſit ſatietas, ut eſt in Catone: pro ſecunda verò ſignificatione habemus Ciceronem Orat. poſt reditum in Senatu: *Itaque Patres conſcripti, quod ne optandum quidem eſt homini, immortalitatem quandam per vos adepti videmur.* Immortales enim iidem qui Dei. Varro apud D. Auguſtinum: *Primum quod dixi in eo ſunt multa, contra dignitatem & naturam Immortalium ficta.* Plautus Mercatore: *Neque apud mortuos. neque hic es. CH. ſalvus ſum. Immortalitas mihi data eſt.*

17. *Etiam tunc erat Scipio.*] Si ſequemur libros Gulielmii, Aldi, meoſque, reponendum, *nunc*; quod præterito quoque dicit, ut apud Græcos νῦν, exemplis aliquot alii dudum confirmarunt: & verò ſic quoque antiquitus cum.

1. *Senatu*

fuit, vel fortuna, vel gloria, ut nihil poſſet accedere. moriendi autem ſenſum celeritas abſtulit. quo de genere mortis difficile dictu eſt: quid homines ſuſpicentur, videtis. Hoc tamen verè licet dicere, P. Scipioni, ex multis diebus, quos in vita celeberrimos, lætiſſimoſque viderit, illum diem clariſſimum fuiſſe, cùm, [1] ſenatu dimiſſo, domum reductus ad veſperum eſt, à patribus conſcriptis, à populi Rom. ſociis, & Latinis, pridie quàm exceſſit è vita: UT EX tam alto dignitatis gradu [2] ad ſuperos videatur Deos potiùs, quàm ad inferos perveniſſe. neque enim aſſentior iis, qui hæc [3] nuper diſſerere cæperunt, cum corporibus
4 ſimul animos interire, atque omnia morte deleri. PLUS apud me antiquorum auctoritas valet, vel noſtrorum majorum, qui mortuis tam religioſa jura tribuerunt: quod non feciſſent profectò, ſi nihil ad eos pertinere arbitrarentur: vel eorum, qui in hac terra fuerunt: magnamque Græciam (quæ nunc quidem deleta eſt; tum florebat) inſtitutis, & præceptis ſuis erudierunt: vel ejus, qui Apollinis oraculo ſapientiſſimus eſt judicatus: qui non tum hoc, tum illud, ut in pleriſque, [4] ſed idem dicebat ſemper, *animos hominum eſſe divinos; iiſque, cùm è corpore exceſſiſſent, reditum in cælum patere, optimoque & juſtiſſimo cuique expeditiſſimum.* quod idem Scipioni videbatur: [5] qui idem quaſi præſagiret, perpaucis ante mortem diebus, cùm & Philus, & Manilius adeſſent, & alii plures, tuque etiam, Scævola, [6] mecum veniſſes, triduum diſſeruit de república: cujus diſputationis fuit extremum ferè de immortalitate animorum: quæ ſe in quiete per viſum ex Africano audiſſe dicebat. Id ſi ita eſt, ut OPTIMI cujuſque animus in morte facillimè evolet, tamquam è cuſtodia, vinculiſque corporis: cui cenſemus curſum ad deos faciliorem fuiſſe, quàm Scipioni: quocirca mœrere hoc ejus eventum, vereor, ne invidi magis, quàm amici ſit. [7] Sin autem illa veriora, ut idem interitus ſit animorum, & corporum, nec ullus ſenſus maneat; ut nihil boni eſt in morte, ſic certè nihil mali. SENSU enim amiſſo, fit idem, quaſi natus non eſſet omnino: quem tamen eſſe natum & nos gaudemus, & hæc civitas, dum erit, lætabitur. Quamobrem cum illo quidem (ut ſupra dixi) actum optimè eſt; mecum incommodiùs: quem fuerat æquius, ut priùs introieram, ſic priùs exire de vita. ſed tamen recordatione noſtræ amicitiæ ſic fruor, ut beatè vixiſſe videar, quia cum Scipione vixerim: quocum mihi conjuncta cura de re publica, & de privata fuit, quocum & domus, & militia communis; & id, in quo eſt *omnis vis amicitiæ*, voluntatum, ſtudiorum, ſententiarum ſumma conſenſio. Itaque [8] non tam iſta me ſapientiæ, quam modò Fannius commemoravit, fama delectat, falſa præſertim, quàm quod amicitiæ noſtræ memoriam ſpero ſempiternam fore. idque mihi eo magis eſt cordi, quòd EX OMNIBUS ſæculis vix tria, aut quattuor [9] nominantur paria amicorum: quo in genere ſperare videor Scipionis & Lælii amicitiam, notam poſteritati fore. FANN. Iſtuc quidem, Læli, ita neceſſe eſt: ſed, quoniam amicitiæ mentionem feciſti, & ſumus otioſi, pergratum mihi feceris, (ſpero item Scævolæ) ſi, quemadmodum ſoles, de ceteris rebus, cùm ex te quæruntur; ſic de amicitia diſputaris, quid ſentias, qualem exiſtimes, quæ præcepta des. SCÆV. Mihi verò pergratum erit: atque, idipſum cùm tecum agere conarer, Fannius antevertit. quamobrem utrique noſtrûm
gratum admodum feceris. LÆL. Ego verò non gravarer, 5
ſi mihi ipſe confiderem. nam & præclara res eſt, & ſumus, ut dixit Fannius, otioſi. ſed quis ego ſum? aut quæ in me eſt facultas? doctorum eſt iſta conſuetudo, eaque Græcorum, ut iis ponatur, de quo diſputent quamvis ſubito. Magnum opus eſt, egetque exercitatione non parva. Quamobrem quæ diſputari de amicitia poſſunt, ab eis cenſeo petatis, qui iſta profitentur. ego vos hortari tantum poſſum, UT AMICITIAM omnibus rebus humanis anteponatis, nihil eſt enim tam naturæ aptum, tam conveniens ad res vel ſecundas, vel adverſas. Sed hoc primùm ſentio, *niſi in bonis amicitiam eſſe non poſſe:* neque id ad vivum reſeco, ut illi, qui ſubtiliùs diſſerunt, fortaſſe verè, ſed ad communem utilitatem parum. negant enim, quemquam virum bonum eſſe, niſi ſapientem. Sit ita ſanè. ſed eam ſapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo eſt conſecutus. nos autem ea, quæ ſunt in uſu, vitaque communi, non ea, quæ finguntur, aut optantur, ſpectare debemus. numquam ego dicam, C. Fabricium, M. Curium, T. Coruncanium, quos ſapienteis noſtri majores judicabant, ad iſtorum normam fuiſſe ſapienteis. Quare ſibi habeant ſapientiæ nomen & invidioſum, & obſcurum: concedantque, ut hi boni viri fuerint. Ne id quidem facient. negabunt, id, niſi ſapienti, poſſe concedi. Agamus igitur pingui Minerva, ut ajunt. QUI ITA ſe gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, [10] integritas, æqualitas, liberalitas: nec ſit in illis ulla cupiditas, vel libido, vel audacia: ſintque magna conſtantia, ut ii fuerunt, modò quos nominavi: hos viros bonos, ut habiti ſunt, ſic etiam appellandos putemus. [11] quia ſequantur (quantum homines poſſunt) naturam, optimam bene vivendi ducem. ſic enim mihi perſpicere videor, ITA NATOS eſſe nos, ut inter omneis eſſet ſocietas quædam: major autem, [12] ut quiſque proximè accederet. itaque cives, potiores, quam peregrini; & propinqui, quam alieni. cum his enim amicitiam natura ipſa peperit: ſed ea non ſatis habet firmitatis. namque hoc præſtat amicitia propinquitati, quod *ex propinquitate benivolentia tolli poteſt, ex amicitia non poteſt.* ſublata enim benivolentia, amicitiæ nomen tollitur, propinquitatis manet. Quanta autem vis amicitiæ ſit, ex hoc intelligi maximè poteſt: quod ex infinita ſocietate generis humani, quam conci-

1. *Senatu dimiſſo.*] Gulielmius Langii & Giſanii libros ſecutus, ſcripſerat *Senato.* antiquè. idemque reddebat Livio lib. III. *Ut ſi quis memorem libertatis vocem, aut in Senato aut in populo miſiſſet.* ita, inquit, legi in optimo & vetuſtiſſimo fragmento Colonienſi.

2. *Ad ſuperos videatur Deos potius, &c.*] Vocem *Deos* reſtitui, jubentibus omnibus ferè omnium mſſ. certè Pall. ſex. neque quemquam ſpero inventum iri qui carpat; cui modò ei venerit in mentem illud Horatii I. Od. 10. de Mercurio: *Superis Deorum Gratus & imis.*

3. *Nuper diſſerere.*] Urſini liber *aſſerere*, quod placet Gulielmio. ſed ſic nulli noſtrorum, aut Aldi Nepotis.

4. *Sed idem dicebat ſemper.*] Illud *dicebat* ſcripti pauci habent, imò ne quidem publicatus Victorio. itaque Gulielmius ambigebat, num ſupra reponendum foret, *cui non tum, &c.* ut omnia referrentur ad illud quod ſequitur, *videbatur.*

5. *Qui idem quaſi.*] Sic plerique Pall. nam quidam, *quique idem*, quod placebat Gulielmio. vulgati, *qui quidem.*

6. *Mecum veniſſes.*] Retinet hanc lectionem & Aldus Nepos & Gulielmius, tanquam omnium ferè librorum; neque aliter Pall. nam Langiani, *me conveniſſes.*

7. *Sin autem illa veriora.*] Malui iſtud Aldi Manutii, quam vulgatum *vereor*, licet repertum quoque in Pall. Gulielmius quod eſſet in Celberdenſi, *ſin autem haud illa vereor*, tres voces poſtremas parentheſi includi poſſe putabat. Palmerius verò omnino ibat deletum.

8. *Non tam iſta me ſapientiæ, &c.*] Emendarat Gulielmius è Celberdenſi ſuo, *ſapientium*; hac ſententiâ. non delectari ſe iſta commemoratione ſapientium, utpote qui nuſquam ſint, ſi audiamus Philoſophos, falſoque ita à vulgo nominentur; ſed illud ſperare in amicorum paribus ſe futurum cum Scipione. ſic ille; ſed minimè placet; reſpicit potius ad vulgi opinionem, qua *ſapiens* dicebatur; eamque per modeſtiam elevat.

9. *Nominantur paria amicorum.*] Sic & Pall. o. neque video cauſam, cur Lambinus ſuppoſuerit *numerantur*, invitis omnibus, uti ipſemet prodit, mſſ. idem repetitur verbum ſub finem capitis ſexti. & *nomen* ſæpe gloriam, famam celebritatemque notat.

10. *Integritas, æqualitas.*] Lambinus oggeſſit *æquitas*, ſed contra vetuſta exemplaria: & ſanè *æqualitas*, Euripidi ἰσότης, maximè in amicitiis requiritur. *Gulielmius.*

11. *Quia ſequantur.*] Ita duo mſſ. Gulielmii. rectè. ex hac depravata eſt vulgata *qui aſſequuntur*; aut *qui aſſequantur.*

12. *Ut quiſque proximè accederet.*] Palatin. prim. & quart. *adhæreret*, ita tamen ut quart. utrumque præferret, hoc modo: *adhæreret vel accederet*, quod & in duobus Aldinis. de quo dijudicet Senatus Criticus: mihi enim non diſplicet. Palat. ſecund. habet *proximè.*

conciliavit ipſa natura, ita contracta res eſt, & adducta in anguſtum, ut OMNIS caritas aut inter duos, aut inter paucos jungeretur. Eſt autem AMICITIA nihil aliud
6 niſi omnium divinarum, humanarumque rerum cum benivolentia, & caritate ſumma conſenſio: qua quidem haud ſcio, an, excepta ſapientia, quicquam melius homini ſit à diis immortalibus datum. divitias alii præponunt, bonam alii valitudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates. beluarum hoc quidem extremum eſt: illa autem ſuperiora, caduca, & incerta, poſita non tam in noſtris conſiliis, quàm in fortunæ temeritate. Qui autem in virtute ſummum bonum ponunt, præclare illi quidem: ſed hæc ipſa VIRTUS amicitiam & gignit, & continet: nec ſine virtute amicitia eſſe ullo pacto poteſt. Jam virtutem ex conſuetudine vitæ, ſermoniſque noſtri interpretemur: nec eam, [1] ut quidam docti, verborum magnificentia metiamur: viroſque bonos eos, qui habentur, numeremus, Paullos, Catones, Gallos, Scipiones, Philos. his communis vita contenta eſt. eos autem omittamus, qui omnino nuſquam reperiuntur. Taleis igitur inter viros, amicitia tantas oportunitates habet, quantas vix queo dicere. Principiò, [2] *qui poteſt eſſe vita vitalis*, ut ait Ennius, *qui non in amici mutua benevolentia conquieſcat?* Quid dulcius, quam habere, qui cum omnia audeas ſic loqui, ut tecum? Quis eſſet tantus fructus in proſperis rebus, niſi haberes, qui illis æquè, ac tu ipſe, gauderet? adverſas verò ferre difficile eſſet ſine eo, qui illas graviùs etiam, quàm tu, ferret. denique CETERÆ RES, quæ expetuntur, opportunæ ſunt ſingulæ rebus ferè ſingulis: [3] divitiæ, ut utare: opes, ut colare: honores, ut laudere: voluptates, ut gaudeas: valitudo, ut dolore careas, & muneribus fungare corporis: amicitia res plurimas continet: quoquò te verteris, præſtò eſt: nullo loco excluditur: numquam intempeſtiva, numquam moleſta eſt. Itaque NON AQUA, non igni, ut ajunt, pluribus locis utimur, quàm amicitia, neque ego nunc de vulgari, aut de mediocri (quæ tamen ipſa & delectat, & prodeſt) ſed de vera, & perfecta loquor, qualis eorum, qui pauci nominantur, fuit. nam & ſecundas res, ſplendidiores facit amicitia, & adverſas
7 [4] patiens, communicanſque leviores. Cumque PLURIMAS, & maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum PRÆSTAT OMNIBUS, quòd [5] bona ſpe prælucet in poſterum: nec debilitari animos, aut cadere patitur. [6] VERUM etiam amicum qui intuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur ſui. quocircà & abſentes adſunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, &, quod difficilius dictu eſt, mortui vivunt: tantus eos honos, memoria, deſiderium proſequitur amicorum. ex quo illorum beata mors videtur: horum vita laudabilis. quod ſi exemeris ex natura rerum benivolentiæ vinctionem; NEC domus ulla, nec urbs ſtare poterit: ne agri quidem cultus permanebit. [7] id ſi minùs intelligitur, quanta vis amicitiæ, concordiæque ſit: ex diſſenſionibus, atque diſcordiis percipi poteſt. quæ enim domus tam ſtabilis, quæ tam firma civitas eſt, quæ [8] non odiis, atque diſcidiis funditus poſſit everti? ex quo, quantum boni ſit in amicitia, judicari poteſt. Agrigentinum quidem, doctum quendam virum, carminibus Græcis vaticinatum ferunt: *quæ in rerum natura, totoque mundo conſtarent, quæque moverentur, ea contrahere amicitiam, diſſipare diſcordiam.* atque hoc quidem omnes mortales & intelligunt, & re probant. Itaque, ſi quando aliquod officium exſtitit amici in periculis aut adeundis, aut communicandis, quis eſt, qui id non maximis efferat laudibus? qui clamores tota cavea nuper in hoſpitis, & amici mei M. Pacuvii, nova fabula: cùm, ignorante rege, uter eorum eſſet Oreſtes, Pylades Oreſtem ſe eſſe diceret, ut pro illo necaretur: Oreſtes autem, ita ut erat, Oreſtem ſe eſſe perſeveraret? ſtantes plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera fuiſſe facturos? facilè indicabat ipſa natura vim ſuam: cùm HOMINES, quod facere ipſi non poſſent, id rectè fieri in altero judicarent. Hactenus mihi videor, de amicitia quid ſentirem, [9] potiſſime dixiſſe. ſiqua præterea ſunt (credo autem eſſe multa) ab iis ſi videbitur, qui iſta diſputant quæritote. FANN. Nos autem à te potius: quamquam etiam ab iſtis ſæpè quæſivi, & audivi, non invitus equidem: ſed aliud [10] quoddam filum orationis tuæ. SCÆ. Tum magis id diceres, Fanni, ſi nuper in hortis Scipionis cùm eſt de Republica diſputatum, affuiſſes, qualis tum patronus juſtitiæ fuit contra accuratam orationem Phili! FANN. Facile id quidem fuit, juſtitiam juſtiſſimo viro defendere. SCÆ. quid amicitiam? nonne facile ei, qui ob eam ſumma fide, conſtantia, juſtitiaque ſervatam, maximam gloriam ceperit? LÆL. Vim hoc quidem eſt afferre. 8
quid enim refert, qua me rogatione cogatis? cogitis certè. STUDIIS enim generorum, præſertim in re bona, cùm difficile eſt, tum ne æquum quidem, obſiſtere. Sæpiſſimè igitur mihi de amicitia cogitanti, maximè illud conſiderandum videri ſolet, num propter imbecillitatem, atque inopiam, deſiderata ſit amicitia: ut dandis, recipiendiſque meritis, [11] quod quiſque minùs per ſe ipſe poſſet, id acciperet ab alio, viciſſimque redderet: an eſſet hoc quidem proprium amicitiæ; ſed antiquior, & pulchrior, & magis à natura ipſa perfecta alia cauſa. amor enim (ex quo amicitia nominata,) princeps eſt ad benivolentiam conjungendam. nam

1. *Ut quidam docti.*] Sic Pall. omnes quod ad verba attinet, quatuor verò quod ad poſitionem. editi quippe fere, *nec metiamur eam ut quidam indocti, verborum magnificentia.* ſed ſic nulli codices ſcripti; rejectumque Victorio aliiſque.

2. *Quis poteſt eſſe vita vitalis, qui, &c.*] Non auſus ſum recedere à Palatin. meis quatuor. nam ſolus ſec. habebat utrobique illud Lambinianum, *quæ* ceteri, alterum *qui* planè retinebant. neque viſus abhorrere ab iſta lectione Gulielmius, producto Plauti Perſa: *Faciam ut mei memineris dum vita vivas.* ſic & Curculione: *Hoc quidem non multo poſt luce lucebit.* nam Lambinus, *vitam vivas* repoſuit, ex mſſ. ut ait. pro nobis quoque facit Aldus Nepos. Victorii editio, *cui poteſt, &c.*

3. *Divitiæ, ut utare, &c.*] Nimirum ut ſuſtineas impendia, ut ſufficias ſumptibus, ut habeas in ſumptum. *Gronov.* quem vide pag. 230. de Seſtertiis.

4. *Partiens communicanſque leviores.*] Ita editio princeps, neque aliter Langiani, & quos excuſſit Gulielmius. at Palatin. unus tantum accedit illi ſcripturæ. quatuor obtinent *patiens* cui & ſuus ſenſus, neque is ineptus.

5. *Bona ſpe prælucet.*] Eſt quidem etiam in tribus Pal. & duobus Gulielmii illud Lambini & Giſanii, *bonam ſpem*; ſed & alterum conſpicitur in reliquis codicibus; firmaturque editionibus primis.

6. *Verum etiam amicum.*] Malebat Gulielmius ex Urſiniano & Celberdenſi, *etenim*; tanquam ratio redderetur cur amicitia præſidio ſit. ſed ego prius genuinum magis arbitror; utpote qui enumeratis amici commodis, iſtud præterea innuat accedere, ut ſit velut exemplar ſui. ſic & cap. x. *Magna etiam diſſidia, &c.*

7. *Id ſi minus intelligitur.*] Mallem ferè abjici ſyllabam primam; aut habuerim fere pro ſuſpectis ſequentia omnia, *quanta vis amicitiæ concordiæque ſit*; tanquam gloſſematium: à quo etiam vix recedit illud quod inferius ſequitur, *ex quo quantum boni ſit in amicitia, judicari poteſt.* quis enim iſtud requiſiverit, ſi abfuerit?

8. *Non odiis atque diſcidiis.*] Admiſi Gulielmianum, ejecto *diſſidiis*, quamvis parum faciat ad rem; quod affirmaret ſic paſſim fuiſſe in libris mſſ. & ille quidem cum nonnullis criticis omnino vult *diſcidium* ſcribendum, cùm ſermo eſt de amicitia quaſi diſcidendâ; *diſſidium* verò, cùm diſſidemus, id eſt, locorum duntaxat intercapedine disjungimur? Propertius: *Quantum Hypanis Veneto diſſidet Eridano.*

9. *Potiſſimè dixiſſe.*] Ita editio princeps, ac ſequentes. nam mſſ. omnes ad unum, certè Pall. *potuiſſe dicere*, quod & ſecutus Victorius, Lambinus, aliique; neque alia fuit ſententia Gulielmius. ego iſthanc tueor lectionem donec doceor à Lambinianis eam perſpicuè mendoſam eſſe; ut ipſe voluit.

10 *Quoddam filum orationis tuæ*] Libuit ſequi editionem Victorii, quamvis Pall. noſtri aliique mſſ prætermitterent, vel, *expetimus*, vel, *expectamus*, vel denique *petimus*. ea enim varietas, ſatis arguit non eſſe ab auctore, ſed librario. interim mentitur clare nota marginalis addita Lambinianis, quæ aſſeverat, verbum *expetimus*, nullis in codicibus vett. reperiri.

11. *Quod quiſque.*] Ita ex Gulielmianis tres, ex Pall. duo. vulgati *quod*, æquè bonum: ſed pudebat toties recedere à ſententia Gulielmiana.

1. Non

NAM UTILITATES quidem etiam ab iis percipiuntur ſæpè, qui ſimulatione amicitiæ coluntur, & obſervantur cauſa temporis. IN AMICITIA autem nihil fictum, nihil ſimulatum; &, quidquid in ea eſt, id eſt verum, & voluntarium. Quapropter à natura mihi videtur potiùs, quam ab indigentia, orta amicitia, & applicatione magis animi cum quodam ſenſu amandi, quam cogitatione, quantum illa res utilitatis eſſet habitura. Quod quidem quale ſit, etiam in beſtiis quibuſdam animadverti poteſt: quæ ex ſe natos ita amant ad quoddam tempus, & ab eis ita amantur, ut facile earum ſenſus appareat. quod in homine multo eſt evidentius. Primùm ex ea caritate, quæ eſt inter natos, & parenteis: quæ DIRIMI, niſi deteſtabili ſcelere, non poteſt. Deinde, cùm ſimilis ſenſus exſtitit amoris, ſi aliquem nacti ſumus, cujus cum moribus, & natura congruamus, quod in eo quaſi lumen aliquod probitatis & virtutis perſpicere videamur. NIHIL eſt enim amabilius virtute: nihil, quod magis alliciat ad diligendum: quippe cum propter virtutem & probitatem eos etiam, quos numquam vidimus, quodam modo diligamus. Quis eſt, qui C. Fabricii, M. Curii [1] non cum caritate aliqua & benivolentia memoriam uſurpet, quos numquam viderit? quis autem eſt, qui Tarquinium Superbum, qui Sp. Caſſium, Sp. Mælium non oderit? Cùm duobus ducibus de imperio in Italia decertatum, Pyrrho, & Hannibale. ab altero, propter probitatem ejus, non nimis alienos animos habemus: alterum propter crudelitatem ſemper hæc civitas oderit.

9 Quod ſi tanta vis probitatis eſt, ut eam vel in eis, quos numquam vidimus, vel, quod majus eſt, *in hoſte etiam diligamus*: quid mirum, ſi animi hominum moveantur: cùm eorum, quibuſcum uſu conjuncti eſſe poſſunt, virtutem, & bonitatem perſpicere videantur? Quamquam confirmatur amor & beneficio accepto, & ſtudio perſpecto, & conſuetudine adjuncta: quibus rebus ad illum primum motum animi, & amoris adhibitis, admirabilis quædam exardeſcit benivolentiæ magnitudo: quam ſi qui putant *ab imbecillitate proficiſci*, ut ſit, per quem quiſque aſſequatur, quod deſideret: humilem ſanè relinquunt, & minimè generoſum, ut ita dicam, ortum amicitiæ: quam ex inopia, atque indigentia natam volunt. quod ſi ita eſſet, ut quiſque minimum in ſe eſſe arbitraretur, ita ad amicitiam eſſet aptiſſimus. quod longè ſecus eſt. UT ENIM quiſque ſibi plurimum confidit, & ut quiſque maximè virtute, & ſapientia ſic munitus eſt, ut nullo egeat, ſuaque omnia in ſe ipſo poſita judicet: ita in amicitiis expetendis, colendiſque maximè excellit. Quid enim Africanus indigens mei? Minimè herclè: ac ne ego quidem illius: ſed ego admiratione quadam virtutis ejus: ille viciſſim opinione fortaſſe nonnulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit: AUXIT benivolentiam conſuetudo. Sed quamquam utilitates multæ, & magnæ conſecutæ ſunt, non ſunt tamen ab earum ſpe cauſæ diligendi profectæ. Ut enim benefici, liberaleſque ſumus, non ut exigamus gratiam ([2] NEQUE enim beneficium fœneramur) ſed natura propenſi ad liberalitatem ſumus: ſic AMICITIAM non ſpe mercedis adducti, ſed quod omnis ejus fructus in ipſo amore ineſt, expetendam putamus. Ab iis, qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, [3] longè diſſentiunt; nec mirum. nihil enim altum, nihil magnificum, ac divinum ſuſpicere poſſunt, qui ſuas omneis cogitationes abjecerunt in rem tam humilem, tamq; contemtam. quamobrem hos quidem ab hoc ſermone removeamus: ipſi autem intelligamus, *natura gigni ſenſum diligendi*, & benivolentiæ caritatem, facta ſignificatione probitatis. quam qui appetiverunt, applicant ſeſe, & propiùs admovent, ut & uſu ejus, quem diligere cœperunt, fruantur, & moribus; ſintque pares in amore, & æquales: propenſioreſque [4] ad bene merendum, quàm ad repoſcendum. Atque hæc inter eos ſit honeſta certatio. ſic & utilitates ex amicitia maximæ capientur: & erit ejus ortus à natura, quam ab imbecillitate, & gravior & verior. nam si UTILITAS amicitias conglutinaret, eadem commutata diſſolveret. ſed quia natura mutari non poteſt, idcircò veræ amicitiæ ſempiternæ ſunt. Ortum quidem amicitiæ videtis, niſi quid ad hæc fortè vultis. [5] FAN. Tu verò perge, Læli. pro hoc enim, qui minor eſt natu, meo jure reſpondeo. SCÆ. Rectè tu quidem. quamobrem audiamus.

LÆL. Audite ergo, optimi viri, ea quæ ſæpiſſimè inter me, & Scipionem de amicitia differebantur. quamquam ille quidem *nihil difficilius eſſe* dicebat, *quàm amicitiam uſque ad extremum vitæ diem permanere*. nam, vel ut non idem [6] expediret utrique, incidere ſæpe: vel ut de rep. non idem ſentirent: mutari etiam mores [7] hominum ſæpe dicebat, aliâs adverſis rebus, aliâs [8] ætate ingraveſcente. atque earum rerum exemplum ex ſimilitudine capiebat ineuntis ætatis, quod ſummi puerorum amores ſæpe [9] unà cum prætexta ponerentur. ſin autem ad adoleſcentiam perduxiſſent; dirimi tamen interdum [10] contentione, vel uxoriæ conditionis, vel commodi alicujus, quod idem adipiſci uterque non poſſet. quod ſi qui longiùs

1. *Non cum caritate aliqua & benevolentia memoriam uſurpet.*] Sic diſpoſuerunt voces, omnes mſſ. noſtri. legebat præterea cum duobus ſuis mſſ. Gulielmius, *cum caritate benevola.* tertius, qui Metelli fuit, *caritate aliqua benevolentiæ.* & ſic quidem loquitur paullo poſt; *natura gigni ſenſum diligendi, & benevolentiæ caritatem.* ſed nihil loco movi, quod non diſſentirent Pall. niſi quatenus ſec. tolleret copulam *&*, primus verò præferret *benevolentiaque*; quo ipſo tamen apparet non convenitſe primi quaſi commatis exemplaria.

2. *Neque enim beneficium feneramur.*] Pal. ſec. *neque beneficium feneremur*; ut pendeat à prioribus, quod & invenit in ſuis Aldus Nepos. forſan rectius.

3. *Longe diſſentiunt.*] Sic Gulielmius emendabat è duobus mſſ. neque aliud S. Victoris liber. illis, inquit auctor, quæ de origine amicitiæ diſſerui, longe diſſentiunt Epicurei. ii enim utilitatis cauſa amicitias colendas aſſeverant. At ego doleo nec Suffridum, nec Aldum heic proferre variantes membranarum ſuarum lectiones. Palatinæ profectò mire diſſentiunt. primus quidem liber, item tert. & quintus habent uſitatam lectionem, *diſſentimus*: at in ſecundo viſitur, *diſſentitum*. in quarto eſt *diſſentientes*, quod & in ſexto; habuerimque pro genuino, tali interpunctione: *putamus; ab iis, &c. deſſentientes.*

4. *Ad bene merendum.*] *Ad promerendum* fuiſſe in ſcripto Pomponii Læti prodidit Fulvius Urſinus, placuitque Gulielmio. & verò *ad bene promerendum* ſcriptum in tribus Aldini Nepotis: Sed cùm cetera exemplaria faveant vulgato, cur eis temerè moveamus controverſiam ſtatus?

5. FANN. *Tu verò perge.*] Tranſpoſui perſonas volente ipſo Cicerone in Bruto, ubi ait Scævolam minorem natu Fannio; & faventibus Pall. duobus, quibus tantum perſonæ interponebantur. & ſic etiam faciendum ex binis mſſ. ſuis, dudum monuit Rogerius, ſecutuſque ſolummodò Aldus Nepos. vulgati alii, heic collocant *Scævolam*; infraque *Fannium*.

6. *Expediret utrique.*] Vox poſtrema non viſitur in editione Victoriana, non magis quàm in Pal. ſec. tert. quart. ſed quod hactenus recepta, neque quid aut Aldus aut Gulielmius annotaverint de varietate ſuorum, nihil volui mutare: quemadmodum neque in proximè ſeqq. *non idem ſentirent*; quamvis Pall. omn. item tres Gulielmiani, nec non Rogeriani, *non idem ſentiretur*, quod item in editis à Victorio.

7. *Hominum ſæpe dicebat.*] Dictiones duas poſtremas habuerim pro ſuppoſititiis.

8. *Ætate ingraveſcente.*] Gulielmius repoſuerat *ingraveſcentes*, ex Car. Mart. & Celb. ut mores *ingraveſcant*, eodem modo quo morbus. non auſus ſum ſequi, aliis heic tacentibus quibus membranarum erat copia.

9. *Unà cum prætexta ponerentur.*] Ita ſcripſi cum Gulielmio, fide membranarum Metelli, cui adſtruebant auctoritatem & Pal. ſecund. & Mauricianus, in quibus, *unà cum prætexta vel toga ponerentur.* vulgati hactenus, *prætexta & toga deponerentur*; quod ferri non poteſt, niſi explicetur ac ſi ſcriptum eſſet, *toga prætexta*, quomodo exſtat in Victoriana. ſed certe *prætexta* heic ſolummodò requiritur.

10. *Contentione vel uxoriæ conditionis.*] Non piguit ſequi nos conjecturam eruditiſſimi Turnebi libro XIII. Adverſar. cap. 7. quam & ſibi arrogat Lambinus: præſertim cùm eodem ducerent libri vett. Pal. tert. Celberd. & Carthuſ. in quibus, *vel luxuriæ conditionis.* quam autem ſæpe literæ ita geminarint perperam; aut mutarit o in u, qui neſcit, in his literis nihil ſcit. acerrima inimicitiarum cauſa in adoleſcentibus rivalitas. teſtimonio ſunt Comœdiæ. in re autem uxoria, proprium verbum *conditio*.

longiùs in amicitia provecti eſſent, tamen ſæpe labefactari, ſi in honoris contentionem incidiſſent: PESTEM enim majorem eſſe nullam in amicitiis, quàm in pleriſque pecuniæ cupiditatem: in optimis quibuſque honoris certamen, & gloriæ: ex quo inimicitias maximas ſæpe inter amiciſſimos exſtitiſſe. magna enim diſcidia, & plerumque juſta naſci, cùm aliquid ab amicis, quod rectum non eſſet, poſtularetur: ut aut libidinis miniſtri, aut adjutores eſſent ad injuriam. quod qui recuſarent, *quamvis honeſtè id facerent*, jus tamen amicitiæ deſerere arguerentur ab iis, quibus obſequi nollent: illos autem, qui quidvis ab amico auderent poſtulare, poſtulatione ipſa profiteri, omnia ſe amici cauſa eſſe facturos. eorum [1] querela inveterata non modò familiaritates exſtingui ſolere, ſed etiam [2] odia gigni ſempiterna. Hæc ita multa, quaſi fata, impendêre amicitiis, ut omnia ſubterfugere non modò ſapientiæ, ſed etiam felici-
11 tatis diceret ſibi videri. Quamobrem id primum videamus, ſi placet, *quatenus* [3] *amor in amicitia progredi debeat*. num ſi Coriolanus habuit amicos, ferre contra patriam arma illi cum Coriolano debuere? num Viſcellinum amici regnum appetentem, num Sp. Mælium debuerunt juvare? Ti. quidem Gracchum remp. vexantem, à Qu. Tuberone, æqualibuſque amicis derelictum videbamus. At C. Bloſſius, Cumanus, hoſpes familiæ veſtræ, Scævola, cùm ad me, qui aderam Lænati & Rupilio conſulibus in conſilio, deprecatum veniſſet, hanc, ut ſibi ignoſcerem, cauſam afferebat, *quod tanti Ti. Gracchum feciſſet, ut, quidquid ille vellet, ſibi faciendum putaret*. Tum ego, *Etiamne, ſi te in Capitolium faces ferre vellet? Numquam*, inquit, *voluiſſet id quidem.* [4] *Sed, ſi voluiſſet? Paruiſſem.* Videtis, quàm nefaria vox. & hercle ita fecit, vel plus etiam quàm dixit. non enim paruit ille Ti. Gracchi temeritati, ſed præfuit: [5] nec ſe comitem illius furoris, ſed ducem præbuit. Itaque hac amentia, quæſtione nova perterritus, in Aſiam profugit, ad hoſtes ſe contulit, pœnas reip. graveis, juſtaſque perſolvit. NULLA EST igitur excuſatio peccati, ſi amici cauſa peccaveris. nam, cùm conciliatrix amicitiæ, virtutis opinio fuerit, difficile eſt amicitiam manere, ſi à virtute defeceris. Quod ſi rectum ſtatuerimus, vel concedere amicis, quidquid velint, vel impetrare ab iis quidquid velimus, [6] perfecta quidem ſapientia ſumus, ſi nihil habeat res vitii: ſed loquimur de iis amicis, qui ante oculos ſunt, quos videmus, aut de quibus memoriam accepimus, aut quos novit vita communis. ex hoc numero nobis exempla ſumenda ſunt: & eorum quidem maximè, qui ad ſapientiam proximè accedunt. 7 Videmus Papum Æmilium C. Luſcino familiarem fuiſſe (ſic à patribus accepimus) bis unà conſules, & collegas in cenſura: [8] tum & cum iis, & inter ſe conjunctiſſimos fuiſſe, M. Curium, & T. Coruncanium, memoriæ proditum eſt. igitur ne ſuſpicari quidem poſſumus, quemquam horum ab amico quippiam contendiſſe, quod contra fidem, contra jusjurandum, contra remp. eſſet. nam hoc quidem in talibus viris quid attinet dicere? *ſi contendiſſet, ſcio imperaturum non fuiſſe*; cùm illi ſanctiſſimi viri fuerint: ÆQUE autem nefas ſit, tale aliquid & facere rogatum, & rogare. At verò Ti. Gracchum ſequebantur C. Carbo, C. Cato, [9] & minimus tum quidem Cajus frater nunc idem acerrimus. Hæc igitur lex in amicitia ſanciatur, 12
ut neque rogemus res turpeis, nec faciamus rogati. TURPIS enim excuſatio eſt, & minimè accipienda, cùm in ceteris peccatis, tum ſi quis contra rempub. ſe amici cauſa feciſſe fateatur. Etenim eo loco, Fanni, & Scævola, locati ſumus, ut nos longè proſpicere oporteat futuros caſus reip. DEFLEXIT enim jam aliquantulum de ſpatio, curriculoque conſuetudo majorum. T. Gracchus regnum occupare conatus eſt, vel regnavit is quidem paucos menſes. Num quid ſimile pop. R. audierat, aut viderat: Hunc etiam poſt mortem ſecuti amici, & propinqui, quid in P. Scipionem effecerint, ſine lachrymis non queo dicere. nam Carbonem quoquo modo potuimus, propter recentem pœnam T. Gracchi, ſuſtinuimus. De C. Gracchi autem tribunatu, quid exſpectem, non libet augurari. *ſerpit* deinde res: quæ proclivius ad perniciem, cùm ſemel cœpit, labitur. Videtis in tabella jam antè quanta ſit facta labes, primò Gabinia lege, biennio autem pòſt, Caſſia. VIDERE *jam videor* [10] *populum à ſenatu disjunctum, multitudiniſque arbitrio res maximas agi. plures enim diſcent, quemadmodum hæc fiant, quam quemadmodum his reſiſtatur.* Quorſum hæc? quia *ſine ſociis* nemo quidquam tale conatur. Præcipiendum eſt igitur bonis, ut, ſi in ejuſmodi amicitias ignari caſu aliquo inciderint, *ne exiſtiment, ita ſe alligatos, ut ab amicis*, [11] *in magnam aliquam rem peccantibus, non diſcedant*: improbis autem pœna ſtatuenda eſt: nec verò minor iis, qui ſequuti erunt alterum, quam iis, qui ipſi fuerint *impietatis duces*. Quis clarior in Græcia Themiſtocle? quis potentior? qui cùm imperator bello Perſico ſervitute Græciam liberaſſet, propterque invidiam in exſilium miſſus eſſet, ingratæ patriæ injuriam non tulit, *quam ferre debuit*: [12] fecit idem quod XX. annis antè apud nos fecerat Coriolanus. HIS ADJUTOR contra patriam inventus eſt nemo. itaque mortem ſibi uterque conſcivit. Quare talis *improborum conſenſio*, non modo excuſatione amicitiæ tegenda non eſt, ſed potiùs omni

1. *Querela inveterata, non modo familiaritates exſtingui.*] Non diſplicet Pal. ſec. *inveteratas non modo fani, &c.*

2. *Odia gigni ſempiterna.*] Sic Pall. ſex. ſic viginti aliquot Aldi Nepotis, ſic edd. avorum, uſque ad Camerarianam, quæ admiſit præterea, *gigni maxima atque ſempiterna.* reperiunturque quidem in aliquot mſſ. ſed male, meo quidem judicio, quamvis neque diſplicerent Gulielmio.

3. *Amor in amicitia progredi.*] Pall. prim. ſecund. quint. *amicitiam.*

4. *Sed ſi voluiſſet? Paruiſſem.*] Immiſi interrogationem, ut priora ſint Lælii, ultima Bloſſii, quemadmodum fuit in aliquot mſſ. Aldi Nepotis. & veroſimile fit, ultro tale nihil extuliſſe, ſed interrogatione coactum.

5. *Nec ſe comitem furoris illius.*] Non abſurde prorſus Pal. ſec. *illius furori.*

6. *Perfecta quidem ſapientia ſumus, ſi nihil habeat res vitii.*] Canterus lib. VII. Novar. lect. cap. 14. legit valde probabiliter, *ſi ſimus, nihil habeat.* idque ſecuti ſunt Suffridus ac Lambinus; arridebatque Gulielmio, ſed contra omnes mſſ. tamen; quos propugnat Aldus Nepos.

7. *Videmus Papum Æmilium.*] Rogerius malebat iſtud *Videmus*, idque ſtatim arripuit Lambinus, neque ab eo abhorrebat Gulielmius, quamvis contrairent omn. libri; in quibus *Vidimus.* requiri alterum bene oſtendit Rogerius, non uno Ciceronis loco.

8. *Tum & cum his.*] Sic omnes Gulielmii codd. neque diſſentit ullus Palatinorum. prius impreſſi, *tum etiam cum his.* quod eodem quidem redit. ſed cur feramus aliquid auctoribus addi non ſuum?

9. *Et minimus tum quidem C. frater, nunc idem acerrimus.*] Vulgati prius, *minimè, item acerrimus hoſtis*: Verùm Mauriciana iſthæc lectio perſpicue eſt vera, ſi quid judicio, poſt cædem fratris agrariam legem jactaſſe C. Gracchum, locuples auctor Appianus lib. I. bell. civilium: nec diffitetur Langius; quem tamen non juvat, quod non perſeveravit. hoc enim eſt cur Lælius cum dicat minimum eorum qui Gracchum ſecuti ſunt, hoc eſt, leniſſimum, minimè vehementem: & poteſt ad ætatem reſpexiſſe. verùm illud magis probat, quod adjicit, *nunc idem acerrimus.* Langii lectio erat, *& minimè tunc quidem*; quam & ipſe in duobus libris reperi: ſed minus probo, ut hiſtoricæ veritati repugnantem. hæc Gulielmius, cujus voluntati heic obſecutus ſum, retinendo illud *minimus*; cùm alioquin inter omnes criticos conſtaret, locum hunc minimè ſanum. & in reliquis conveniret ei cum Pall. ceterorumque ſcriptis.

10. *Populum à Senatu disjunctum.*] Sic noſtri mſſ. expreſſeratque prius editio Victorii. Palatinus ſolum ſec. habet *divulſum*, vocem profectò minimè ineptam huic loco.

11. *In magnam aliquam rem peccantibus.*] Ita omnino legendum cum Victoriana ed aut *in rem publicam peccantibus*; quomodo eſt, in Pal. ſec. ac quart. nam quatuor ceteri, *in magnam aliquam rempubl. pecc.* Vulgati adhuc amplius, *in magna aliqua re in rempubl. peccantibus.*

12. *Fecit idem quod* XX. *annis antè apud nos fecerat Coriolanus.*] Verbum *fecerat*, videtur delendum; certè non eſt in Pal. pr. ſed nec *idem* comparet in Pal. tert. poteratque etiam abeſſe. Infra quoque legitur in duobus S. Victoris mſſ. *futura, quàm qualis hodie ſit*, non video cur id non recipiamus.

1. *Ami-*

omni ſupplicio vindicanda : ut ne quis ſibi conceſſum putet [1] amicum, vel bellum patriæ inferentem, ſequi. quod quidem, ut res cœpit ire, haud ſcio, an aliquando futurum ſit. MIHI autem non minori curæ eſt, qualis reſpub. poſt mortem meam futura ſit, quàm qualis hodie ſit.

13 [2] Hæc igitur prima lex amicitiæ ſanciatur, UT AB *amicis honeſta petamus*, *amicorum cauſa honeſta faciamus* : nec exſpectemus quidem, dum rogemur : ſtudium ſemper adſit, cunctatio abſit : [3] conſilium verò dare gaudeamus liberè : plurimùm in amicitia amicorum bene ſuadentium valeat auctoritas : eaque & adhibeatur ad monendum non modò apertè, ſed etiam acriter, ſi res poſtulabit : & adhibitæ pareatur. Nam quibuſdam, quos audio ſapienteis habitos in Græcia, placuiſſe opinor mirabilia quædam. ſed nihil eſt, quod illi non perſequantur ſuis argutiis : partim *fugiendas eſſe nimias amicitias*, ne neceſſe ſit unum ſollicitum eſſe pro pluribus : ſatis, ſuperque eſſe [4] ſibi ſuarum cuique rerum : alienis nimis implicari moleſtum eſſe : commodiſſimum eſſe, quàm laxiſſimas habenas habere amicitiæ; quas vel adducas, cùm velis, vel remittas. caput enim eſſe ad beatè vivendum, SECURITATEM ; qua frui non poſſit animus, ſi tamquam parturiat unus pro pluribus. Alios autem dicere ajunt multo etiam inhumaniùs, (quem locum breviter perſtrinxi paullo ante) *præſidii, adjumentique cauſa*, non benivolentiæ, neque caritatis, *amicitias eſſe expetendas*. itaque ut quiſque minimum firmitatis habeat, minimùmque virium, ita amicitias appetere maximè. ex eo fieri ut mulierculæ magis amicitiarum præſidia quærant, quam viri : & inopes, quam opulenti : & calamitioſi, quàm ii, qui putentur beati. O præclaram ſapientiam ! SOLEM enim è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vita tollunt: qua à diis immortalibus nihil melius habemus, nihil jucundius. quæ eſt enim iſta ſecuritas ? ſpecie quidem blanda, ſed reapſe multis locis repudianda. NEQUE enim eſt conſentaneum, ullam honeſtam rem, actionemve, ne ſollicitus ſis, aut non ſuſcipere, aut ſuſceptam deponere. quòd ſi curam fugimus, virtus fugienda eſt ; quæ neceſſe eſt, cum aliqua cura res ſibi contrarias aſpernetur, atque oderit ; ut bonitas malitiam, temperantia libidinem, ignaviam fortitudo. Itaque videas rebus injuſtis juſtos maximè dolere, imbecillibus forteis, flagitioſis modeſtos. Ergo hoc PROPRIUM eſt animi bene conſtituti, & lætari bonis rebus, & dolere contrariis. Quamobrem ſi cadit in ſapientem [5] animi dolor (*qui profectò cadit, niſi ex ejus animo exſtirpatam humanitatem arbitremur*) quæ cauſa eſt, cur amicitiam funditus tollamus è vita, ne aliquas propter eam ſuſcipiamus moleſtias ? Quid enim intereſt, motu animi ſublato, non dico inter hominem & pecudem : ſed inter hominem, & ſaxum, aut truncum, aut quidvis generis ejuſdem? neque enim ſunt iſti audiendi, qui virtutem duram, & quaſi [6] ferream eſſe volunt : quæ quidem eſt cùm multis in rebus, tum in amicitia, tenera, atque tractabilis : ut & bonis amici [7] quaſi diffundantur, & incommodis contrahantur. Quamobrem angor iſte, qui pro amico ſæpe capiundus eſt, non tantùm valet, ut tollat è vita amicitiam : non plus, quàm ut virtutes, quia nonnullas curas, & moleſtias afferunt, repudientur. Cùm autem contrahat amicitiam (ut ſu- 14
pra dixi) ſi qua ſignificatio virtutis eluceat, ad quam ſe ſimilis animus applicet, & adjungat ; id cùm contingit, amor exoriatur neceſſe eſt. quid enim tam abſurdum, quàm delectari multis inanibus rebus, ut honore, ut gloria, ut ædificio, ut veſtitu, cultuque corporis : animo autem virtute prædito, eo, qui vel amare, vel (ut ita dicam) redamare poſſit, non admodum delectari ? NIHIL eſt enim remuneratione benivolentiæ, nihil viciſſitudine ſtudiorum officiorumque jucundius. Quod ſi etiam illud addimus, quod rectè addi poteſt, nihil eſſe, quod ad ſe rem ullam [8] tam illiciat, & tam attrahat, quam ad amicitiam *ſimilitudo* : concedetur profectò verum eſſe, ut bonos boni diligant, adſciſcantque ſibi quaſi propinquitate conjunctos, atque natura. NIHIL eſt enim appetentius ſimilium ſui, nihil rapacius, quàm natura. Quamobrem hoc quidem, Fanni, & Scævola, conſtat, (ut opinor) *bonis inter bonos quaſi neceſſariam benivolentiam eſſe* : qui eſt amicitiæ fons à natura conſtitutus. ſed eadem bonitas etiam ad multitudinem pertinet. non eſt enim inhumana virtus, [9] neque immunis, neque ſuperba : quæ etiam populos univerſos tueri, eiſque optimè conſulere ſoleat : quod non faceret profectò, ſi à caritate vulgi abhorreret. Atque etiam mihi quidem videntur, QUI UTILITATIS cauſa fingunt amicitias, amabiliſſimum nodum amicitiæ tollere. non enim tam utilitas parta per amicum, quàm amici amor ipſe delectat : tumque illud fit, quod ab amico eſt profectum, jucundum, [10] ſi cum ſtudio eſt profectum : TANTUMQUE abeſt, ut amicitiæ propter indigentiam colantur, ut ii, qui opibus, & copiis, [11] maximeque virtute (in qua plurimum eſt præſidii) minimè alterius indigeant, liberaliſſimi ſint, & beneficentiſſimi. Atque haud ſcio, an ne opus ſit quidem, nihil umquam omnino deeſſe amicis. Ubi enim ſtudia noſtra viguiſſent, [12] ſi numquam conſilio, numquam opera noſtra nec domi, nec militiæ Scipio eguiſſet ? non igitur utilitatem amicitia, ſed utilitas amicitiam conſecuta
eſt. Non ergo erunt homines [13] deliciis diffluentes audien- 15
di, ſi quando de amicitia, quam nec uſu, nec ratione habent cognitam, diſputabunt. NAM QUIS eſt, pro deûm fidem, atque hominum, qui velit, ut neque diligat quemquam,

nec

---

1. *Amicum, vel bellum patriæ inferentem.*] Particulam, *vel* è Celberdenſi & Cartuſiano adjecit Gulielmius, eratque etiam in Pal. ſec. heicque pulcrè auget. ut de legibus : *iſto modo vel conſulatus vituperabilis.*

2. *Hæc igitur prima lex amicitiæ ſanciatur.*] Cùm in Pal. ſec. non habeatur illud *ſanciatur*, ſed ejus loco *ſit* : ſuſpicor utramque tollendam. pulcre enim tale quid ſubaudiatur : utque cum ſupra initio capituli XII. extet ; *heicque ita loquatur tanquam lege ea rogata, impetrataque.*

3. *Conſilium verò dare gaudeamus.*] Admiſi *verò*, ſuaſu Pal. tertii ac quarti, item Victoris libro uno, nam non video quomodo heic locum habeat *verum*, quod paſſim vulgatur.

4. *Sibi ſuarum cuique rerum.*] Editi adjecere, *curam*, ſed ſic nullus è ſex Pall. unus tantum ejus loco habet *ſtudium*, quo ipſo arguit & alterum, tanquam ſuppoſitum.

5. *Animi dolor.*] Qui heic delent illud *animi*, repugnantibus libris, parum ab animo valent. opponitur enim dolori corporis. Gulielmius.

6. *Ferream eſſe quandam.*] ὡς σιδηρᾶν τινα. à vulgatis recentioribus abeſt *quandam*, quod ſcripti omnes agnoſcunt, imo & patrum ætate cuſi, nedum [illegible]orum.

7. *Diffundantur, &c. contrahantur.*] Revocavi exoletam lectionem, firmatam pluribus mſſ. Rogerii, Aldi Nep. Gulielmii. Palatinis. Vict. ceterique invexerant *diffundatur, &c. contrahatur.*

8. *Tam illiciat, & tam attrahat.*] Sic ſcripti e Pal. ſec. & tribus mſſ. Gulielm. vulgati *alliciat*. minus bene. ita propè Plautus Aularia : *Deus impulſor fuit : is me ad illam illexit.* ceterùm cum Pal. quintus non habeat illud *tam illiciat &*, fere ſuſpicor illud *& tam attrahat*, eſſe ab interprete. abeſſe uno libro ſuo indicat Aldus Nepos.

9. *Neque immunis.*] Quidam *immanis*. Aldus verò pater utramque dictionem editione ſua excluſerat : ſed extare priorem in omnibus membranis, prodidit Nepos ejus ; neque aliter primitus cuſi aut Pal. aut Guliel. ut mirer pro altera lectione ſtare Lambinum ac Suffridum. quid ea vox ſibi velit ; liquet ex Douſa noſtro ad Plautum ; imo e Turnebo lib. XIII. cap. 7.

10. *Si cum ſtudio eſt profectum.*] Victorius aliique addunt *ſi cum amore & ſtudio, &c.* ſed ſic fere nulli mſſ. nulla editio antiquior.

11. *Maximeque virtute, (in qua, &c.*] Sic plerique mſ. certe quindecim Aldi Nep. Gul. omnes ac Pal. tres, ut pendeant ab *indigeant*, quod ſequitur. vulgati interſeruerant, *virtute præditi in qua, &c.*

12. *Si nunquam conſilio.*] Recentius editi, *ſi nunquam ſtudio, nunquam conſilio.* quod non reperitur in vetuſte cuſis aut libris ſcriptis, & ſuperfluum eſt. ineſt enim ſtudium in utroque eorum quæ ponit. quare induxi. *Gulielm.*

13. *Deliciis diffluentes.*] Maurician. *defluentes* ; ut & aliquot Aldi Nepotis. neque eo dubito fuiſſe *diffluentes*, quod & Lambinus reperiſſe dicit in ſuis ; *non affluentes.* notat enim Epicureos *Gulielm.* & vero ne quis ne extat in editione Petri Victorii. ſuperiore ævo impreſſi *divitiis affluentes.*

1. *Poteſt*

nec ipſe ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis, atque in omnium rerum abundantia vivere? hæc enim eſt tyrannorum vita; in qua nimirum nulla fides, nulla caritas, nulla ſtabilis benivolentiæ [1] poteſt eſſe fiducia: omnia ſemper ſuſpecta, atque ſollicita: nullus locus amicitiæ. *quis enim aut eum diligat, quem metuit: aut eum, à quo ſe metui putat?* Coluntur tamen ſimulatione duntaxat ad tempus. quòd ſi fortè *ut fit plerumque)* ceciderint: tum intelligitur, quàm fuerint inopes amicorum. quod Tarquinium dixiſſe ferunt tum exſulantem, ſe intellexiſſe: *quos fidos amicos habuiſſet, quos infidos, cùm jam neutris gratiam referre poſſet.* quamquam miror illa ſuperbia, & importunitate, ſi quemquam habere potuit. Atque ut hujus quem dixi, mores, veros amicos parare non potuere; ſic multorum opes præpotentium excludunt amicitias fideleis. NON enim ſolùm ipſa fortuna cæca eſt, ſed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos complexa eſt. [2] Itaque efferuntur illi ferè faſtidio, & contumacia: *neque quidquam inſipiente fortunato intolerabilius* fieri poteſt. Atque hoc quidem videre licet, eos, qui antea commodis fuerunt moribus: imperio, poteſtate, proſperis rebus immutari, ſpernique ab iis veteres amicitias, indulgere novis. Quid autem ſtultius, quàm, cùm plurimum copiis, facultatibus, opibus poſſint, cetera parare, [3] quæ parant; pecuniam, equos, famulos, veſtem egregiam, vaſa pretioſa: amicos non parare, *optimam & pulcherrimam vitæ*, ut ita dicam, *ſuppellectilem?* etenim CETERA cum parant, cui parent, neſciunt, nec cujus cauſa laborent. ejus enim eſt iſtorum quidque, qui vincit viribus: amicitiarum ſua cuique permanet ſtabilis, & certa poſſeſſio: ut, etiam ſi illa maneant, quæ ſunt quaſi dona fortunæ, *tamen vita inculta, & deſerta*
16 *ab amicis, non poſſit eſſe jucunda.* Sed hæc hactenus. Conſtituendi autem ſunt, qui ſint in amicitia fines, & [4] quaſi termini deligendi: de quibus treis video ſententias ferri; quarum nullam probo: unam, ut eodem modo erga amicum affecti ſimus, quo erga noſmetipſos: alteram, ut noſtra in amicos benivolentia, illorum erga nos benivolentiæ pariter, æqualiterque reſpondeat: tertiam, ut, quanti quiſque ſeipſe facit, tanti fiat ab amicis. Harum trium ſententiarum nulli prorſus aſſentior. nec enim illa prima vera eſt, ut, quemadmodum in ſe quiſque, ſic in amicum ſit animatus. quam multa enim, quæ noſtra cauſa numquam faceremus, facimus cauſa amicorum? precari ab indigno, ſupplicare; tum acerbiùs in aliquem invehi, inſectarique vehementiùs: QUÆ IN noſtris rebus non ſatis honeſte, in amicorum fiunt honeſtiſſime: MULTÆQUE res ſunt, in quibus de ſuis commodis viri boni multa detrahunt, detrahique patiuntur, ut iis amici potiùs, quàm ipſi, fruantur. Altera ſententia eſt, quæ definit amicitiam paribus officiis, ac voluntatibus. hoc quidem eſt nimis exiguè, & exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par ſit ratio acceptorum, & datorum. Ditior mihi, & affluentior videtur eſſe vera amicitia: nec obſervare reſtrictè, ne plus reddat, quàm acceperit. neque enim verendum eſt, ne quid excidat, [5] aut ne quid in terram defluat, aut ne plus æquo quid in amicitiam congeratur. Tertius verò ille finis deterrimus, ut, quanti quiſque ſe ipſe faciat, tanti fiat ab amicis. ſæpe enim in quibuſdam aut animus abjectior eſt, aut ſpes amplificandæ fortunæ fractior. non eſt igitur amici, talem eſſe in eum, qualis ille in ſe eſt: ſed potiùs eniti, & efficere, ut amici jacentem animum excitet, inducatque ſpem, cogitationemque meliorem. Alius igitur finis veræ amicitiæ conſtituendus eſt, ſi priùs, quid maximè reprehendere Scipio ſolitus ſit, edixero. Negabat ullam vocem inimiciorem amicitiæ potuiſſe reperiri, quàm ejus, qui dixiſſet, ITA AMARE OPORTERE, UT SI ALIQUANDO ESSET OSURUS. nec verò ſe adduci poſſe, ut hoc, quemadmodum putaretur, à Biante eſſe dictum crederet, qui ſapiens habitus eſſet unus è ſeptem, ſed impuri cujuſdam, aut ambitioſi, aut omnia ad ſuam potentiam revocantis eſſe ſententiam. QUONAM enim modo quiſquam amicus eſſe poterit, cui ſe putabit inimicum eſſe poſſe? quinetiam neceſſe erit cupere & optare, ut quàm ſæpiſſimè peccet amicus, quò plureis det ſibi tamquam anſas ad reprehendendum: rurſum autem rectè factis, commodiſque amicorum neceſſe erit angi, dolere, invidere. quare hoc quidem [6] præceptum, cujuſcumque eſt, ad tollendam amicitiam valet. Illud potiùs præcipiendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitiis comparandis, ut NEQUANDO amare inciperemus eum, quem aliquando odiſſe poſſemus. quinetiam ſi minùs felices in deligendo fuiſſemus, *ferendum* id Scipio potiùs, quam inimicitiarum tempus cogitandum, putabat. 17
His igitur finibus utendum arbitror, ut, cùm *emendati mores* amicorum ſint, tum fit inter eos omnium rerum, conſiliorum, voluntatum, ſine ulla exceptione communitas: ut etiam ſi qua fortuna acciderit, ut minùs juſtæ amicorum voluntates adjuvandæ ſint, in quibus eorum aut caput agatur, aut fama, DECLINANDUM SIT DE VIA, modò ne ſumma turpitudo ſequatur. eſt enim quatenus amicitiæ dari venia poſſit. nec verò negligenda eſt fama, nec mediocre *telum ad res gerendas exiſtimare oportet benivolentiam civium:* quam [7] blanditiis, & aſſectando colligere turpe eſt. virtus, quam ſequitur caritas, minimè repudianda eſt. Sed ſæpe (etenim redeo ad Scipionem, cujus omnis ſermo erat de amicitia) querebatur, quod omnibus in rebus homines diligentiores eſſent; ut *capras, & oveis quot quiſque haberet, dicere poſſet: amicos quot haberet, non poſſet dicere:* & in illis quidem parandis adhibere curam, in amicis eligendis negligenteis eſſe: nec habere quaſi ſigna quædam, & notas, quibus eos, qui ad amicitiam eſſent idonei, judicarent. SUNT igitur firmi, & ſtabiles, & conſtantes eligendi: cujus generis eſt magna pænuria: & judicare difficile eſt, ſanè, niſi expertum. experiendum autem eſt in ipſa amicitia. ita præcurrit amicitia judicium, tollitque experiendi poteſtatem. Eſt igitur prudentis, ſuſtinere, ut currum, ſic impetum benivolentiæ: quo utamur [8] quaſi equis temperatis, ſic amicitiis, aliqua parte periclitatis moribus amicorum. Quidam ſæpe in parva pe-

---

1. *Poteſt eſſe fiducia.*] Vix mihi eripi poteſt, voces duas a principio, non eſſe gloſſatoris alicujus.

2. *Itaque efferuntur illi ferè faſtidio, &c.*] Sic mſſ. & olim publicati. *efferri faſtidio*, jactare ſe & inculcare opes, ac præ ſe contemnere ceteros. *faſtidium* enim ſuperbia & contemptus aliorum eſt. à faſtu. Gloſſæ, *Faſtidioſus* ὑπερόπτης σικχός. Plautus Bacchidibus: *Sed diveſne eſt iſthic Theotimus?* CH. *etiam rogas? qui ſoccis habeat auro ſuppactum ſolum.* NIC. *Cur ita faſtidit? tantas divitias habet. Neſcit auro quid faciat.* conſideraſſet hoc Langius, non mutaſſet in *efferantur*; quod crudelitatis eſt & ſævitiæ, de qua hîc non agit. *Gulielmius.*

3. *Quæ parantur, pecuniam.*] Reduxi priſcam lectionem in qua nihil vitii. haud damno tamen quarundam membranarum *quæ parantur pecunia.* omninò tamen diſplicet Aldi Nepotis ſententia, autumantis vocem *pecuniam* eſſe gloſſam; certè non adſcribendam ſupellectili recentior editio, *quæ parant pecuniam.*

4. *Quaſi termini diligendi.*] Id eſt *deligendi.* ita enim veteres ſcribebant. ita infra, *amicos, tanquam pecudes, eos potiſſimum diligunt.* hic tranſlatione à re pecuaria, *dilegere* pro amare. pecudem enim *ſelectam* plerunque paſtor peculiarem habet, & amat. *Gulielmius* contra Eraſmum qui malebat *dirigendi.* & ferò infra fine iſtius capitis, ubi vulgatur, *felices in deligendo*, Pal. o. & Guliel. habent *diligendo.*

5. *Aut ne quid in terram defluat.*] Videri poſſent hæc omnia interpretamentum ejus quod præceſſit, *ne quid excidat.*

6. *Præceptum cujuſcumque eſt.*] Dictiuncula ultima, non eſt in Pal. quarto niſi a manu ſecunda, alioque vultu, nempe ſit, quod & in contextu pr. unde ſuſpicor, & hoc & illud expungi poſſe, tanquam ſpurium.

7. *Blanditiis & aſſectando.*] Ita Celberdenſis, alluduntque Pal. quinque in quibus *aſſendando.* nempe auctor duo poſuit quibus homines nobis demeremur, adulatione verborum, & obſervantia familiari. hoc fit re, illud verbis. *adſectari* forenſe verbum de clientibus qui patronos ubique comitabantur, inde *aſſecla* verbum quam efficaciſſimum. videatur modò Nizolius.

8. *Quaſi aquis tentatis.*] Nolui abire à. P. Victorii exemplaribus fidei probatiſſimæ. nam Pal. quinque, *quaſi aquis tempeſtatis*; ut & habet editio prima. ſolum in Pal. ſexto, inveni illud *equis tempe-*

va pecunia perſpiciuntur, quàm ſint leves: quidam, quos parva movere non potuit, cognoſcuntur in magna. ſin verò erunt aliqui reperti, qui pecuniam præferre amicitiæ, ſordidum exiſtiment: UBI EOS INVENIEMUS, qui honores, magiſtratus, imperia, poteſtates, opes amicitiæ non anteponent? ut, cùm ex altera parte propoſita hæc ſint, [1] ex altera jus amicitiæ, non multo illa malint? IMBECILLA enim natura eſt ad contemnendam potentiam: quam etiam ſi neglectâ amicitia conſecuti ſunt, [2] obſcuratum iri ſe arbitrantur, quia non ſine magna cauſa ſit neglecta amicitia. Itaque *veræ amicitiæ difficillimè reperiuntur in iis, qui in honoribus, reque publica verſantur.* [3] Ubi enim iſtum invenias, qui honorem amici anteponat ſuo? Quid? hæc ut omittam, quàm graves, quam difficiles pleriſque videntur calamitatum ſocietates? ad quas non eſt facilè inventu, qui deſcendat. Quamquam Ennius rectè:

Amicus certus in re incerta cernitur:

tamen hæc duo levitatis, & infirmitatis pleroſque convincunt; aut ſi in bonis rebus contemnunt, aut in malis deſerunt.
18 Qui igitur utraque in re gravem, conſtantem, ſtabilem ſe in amicitia præſtiterit, hunc ex maximè raro hominum genere judicare debemus, & pænè divino. Firmamentum autem ſtabilitatis, conſtantiæque ejus, quam in amicitia quærimus, fides eſt. NIHIL enim ſtabile eſt, quod infidum eſt. Simplicem præterea, & communem, & conſentientem, qui rebus iiſdem moveatur, eligi par eſt: quæ omnia pertinent ad fidelitatem. NEQUE enim fidum poteſt eſſe multiplex ingenium, & tortuoſum. neque verò, qui non iiſdem rebus movetur, & natura conſentit, aut fidus, aut ſtabilis poteſt eſſe. Addendum eodem eſt, ut *ne criminibus, aut inferendis delectetur, aut credat oblatis:* quæ omnia pertinent ad eam, quam jamdudum tracto, conſtantiam: Ita fit verum illud, quod initio dixi, *Amicitiam, niſi inter bonos eſſe non poſſe.* eſt enim boni viri (quem eundem ſapientem licet dicere) hæc duo tenere in amicitia: primum, nequid fictum ſit, neve ſimulatum: apertè enim vel odiſſe, magis ingenui eſt, quàm fronte occultare ſententiam. deinde, non ſolùm ab aliquo allatas criminationes repellere, ſed ne ipſum quidem eſſe ſuſpicioſum, ſemper aliquid exiſtimantem ab amico eſſe violatum. Accedat huc *ſuavitas* quædam oportet *ſermonum, atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiæ.* Triſtitia autem, & in omni re [4] ſeveritas, habet illa quidem gravitatem: ſed amicitia remiſſior eſſe debet, & liberior, & dulcior, & [5] ad omnem comitatem, facilitatemque proclivior.
19 Exſiſtit autem hoc loco quædam quæſtio ſubdifficilis: *numquando amici novi, digni amicitia, veteribus ſint anteponendi,* ut equis vetulis teneros anteponere ſolemus. Indigna homine dubitatio. non enim amicitiarum eſſe debent, ſicut aliarum rerum, ſatietates. Veterrima quæque (ut ea vina, quæ vetuſtatem ferunt) eſſe debent ſuaviſſima: verumque illud eſt, quod dicitur, *multos modios ſalis ſimul edendos eſſe,* ut amicitiæ munus expletum ſit. novitates autem, ſi ſpem afferunt, ut, tamquam in herbis non fallacibus, fructus appareat, non ſunt illæ quidem repudiandæ: *vetuſtas tamen ſuo loco conſervanda eſt.* maxima eſt enim vis vetuſtatis, & conſuetudinis; [6] atqui in ipſo equo, cujus modo mentionem feci, ſi nulla res impediat, nemo eſt, qui non eo, quo conſuevit, libentiùs utatur, quàm intractato, & novo: nec modò in hoc, quod eſt animal, ſed in iis etiam, quæ ſunt inanimata, conſuetudo valet: cùm locis etiam ipſis montuoſis delectemur & ſilveſtribus, in quibus diutiùs commorati ſumus. Sed maximum eſt in amicitia, *ſuperiorem* parem eſſe inferiori. ſæpe enim excellentiæ quædam ſunt: qualis erat Scipionis in noſtro, ut ita dicam grege. Numquam ſe ille Philo, numquam Rupilio, numquam Mummio antepoſuit, numquam inferioris ordinis amicis. Q. verò Maximum fratrem, egregium virum, omnino ſibi nequaquam parem, quod is anteibat ætate, tamquam ſuperiorem colebat, ſuoſque omneis, [7] per ſe poſſe eſſe ampliores volebat. Quod faciendum, imitandumque eſt omnibus: ut, ſi quam præſtantiam virtutis, ingenii, fortunæ conſecuti ſunt, [8] impertiant ea ſuis, communicentque proximis: ut, ſi parentibus nati ſint humilibus, ſi propinquos habeant imbecilliores vel animo, vel fortuna, eorum augeant opes, eiſque honori ſint, & dignitati: ut in fabulis, qui aliquandiu propter ignorationem ſtirpis, & generis in famulatu fuerint, [9] cùm cogniti ſunt, & aut deorum, aut regum filii inventi, retinent tamen caritatem in paſtores, [10] quos patres multos annos eſſe duxerunt. Quod quidem eſt multo profectò magis in veris patribus, certiſque faciendum. FRUCTUS enim ingenii, & virtutis, omniſque præſtantiæ, tum maximus capitur, cùm in proximum quemque confertur.
Ut igitur ii, qui ſunt in amicitiæ, conjunctioniſque neceſſitudine ſuperiores, exæquare ſe cum inferioribus debent: 20
ſic inferiores non dolere, ſe à ſuis aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate ſuperari. quorum plerique aut queruntur ſemper aliquid, aut etiam exprobrant: eoque magis, [11] ſi habere ſe putant, quod officioſè, & amicè, & cum

---

temperatis. Explicat hanc ſuam lectionem idem Victorius lib. XXIV. Var. Lect. cap. 20. At Fr. Hotomano libri V. obſervat. cap. 24. emendandum videtur: *ut curſum equi quo utamur, aquis tentatis: ſic ineptum benevolentiæ in amicicia, periclitatis, &c.* vultque ſimilitudinem ſumptam ab agitatoribus, qui (ut aliquoties vidit) in extremo curriculo, ubi equos ad curſum incitant, defoſſum habent lacum; ut ſi freno ſuſtinere currentis equi impetum non poſſint; tamen equus ſe ſua ſponte tentatis in eo lacu aquis, & earum altitudinem formidans, ſiſtat. Gulielmius ad hunc locum ita annotarat: legendum omnino, *quaſi equis temperatis*, volentibus libris; ut & paullò ante *currum.* ut auriga, inquit, tempeſtivè equis temperat, ne ferantur effuſi; ita & nos ardori primo in amicitia temperabimus, donec periclitati ſimus amici mores. non improbo.

1. *Ex altero jus amicitiæ.*] Quidam ſcripti, editioque vetus, *vis.* quod probare videtur id quod paullo poſt ſequitur: *Nam cum amicitiæ vis ſit in eo, ut unus quaſi animus fiat è pluribus.* Guliel.

2. *Obſcuratum iri ſe arbitrantur.*] Eſt à libris Gulielmii, neque aliter publicarat Langius. primitus editi, *excuſatum iri arb.* Victorius *excuſatum iri ſe arbitr.* Palatinus pr. & tert. tantum habet, *excuſari arbitr.* quartus accedit avorum ævo vulgatis. habet verò ſec. *obſcurari arbitrantur*, in eoque præterea, *Imbecilla eſt enim hominum natura.* quintus exhibet *oſculari arb.* ſext. *obſcuratum iri arbitrantur.* aliud quid latet abſtruſioris vocis. nam non fuit, *obſecundari arbitrantur*, quod veniebat mihi ſub acumen ſtyli.

3. *Ubi enim iſtum invenias?*] Pal ſec. non habet *iſtum*, neque eo erat opus.

4. *Severitas, habet.*] Vulgati amplius, *ſeveritas abſit. habet.* ſed ita pauci mſſ. abjecitque Victorius.

5. *Ad omnem comitatem.*] Pal. tres *communitatem.* quint. præterea legit, *liberalior & dulcior ad omnem commoditatem facilitatemque*, ſine voce *proclivior.* quæ tamen extat in ſexto, præter ceteras voces.

6. *Atqui in ipſo equo.*] Ita ſolum duo è ſex Palatinis. ceteri; *ut in ipſo equo*, quod malim. reperitque in ſex mſſ. ſuis Aldus Nepos.

7. *Per ſe poſſe eſſe ampliores volebat.*] Sic mſſ. noſtri, nam antiquitus impreſſi, *eſſe poſſe.* Victorius omiſit illud *poſſe.* Camerarii editio ſex iſtas voces omiſit. Gulielmius annotat, in Mauric. legi, *præ ſe.* fortè benè, ut dicat Scipionem voluiſſe ſuos vel ampliores ſe eſſe. ita alibi *præ nobis beatus.* idem alibi adſcripſit oræ, legere ſe è veſtigiis librorum, *præ ſe poſſe, eſſeque ampliores.*

8. *Impertiant ea ſuis.*] Vulgo *eam*, contra omnes libros, inquit Gulielmius. & verò id item extat in duobus Pal. ſed iidem præterea ſcriptum habent, *impertiantur.*

9. *Cùm cogniti ſunt.*] Pal. quatuor, *ſint.* itaque cùm Victorino codici abſit, *cùm*; ſuſpicari quis poſſit, ſolum *cogniti*, auctoris eſſe legitimum.

10. *Quos patres multos annos eſſe duxerunt.*] Duo libri *dixerunt*, quod verius eſt, ſi omittas iſtud *eſſe*, recenti manu adjectum Carthuſiano. Ita loquuntur, cùm contra atque eſt, rem arbitrantur. Terentius Heauton: *Si nullum unquam tempus fuit mater, cùm ego voluptati tibi fuerim dictus filius tuus, &c.* Apud eundem Thais: *Primum quod ſoror eſt dicta.* Livius lib. III. *ut ſi falsò pater dictus ſum, æquiore animo hinc diſcedam.* ita Gulielmius; acutius fortè quàm verius, quamvis & ea lectio in uno Palatinorum. nam & alii duo *differunt.* ſextus verò, *ore dixerunt.*

11. *Si habere ſe putant, quod officioſè & amicè, &c.*] Sic Palatini ferè, niſi quod ſec. *officioſè amico.* quart. *officioſè in amico, &c.* ut ſuſpicer illud *& amicè* promanaſſe à gloſſa. vetuſtè publicati, *ſi aliquid habere ſe putant, quod officioſè aut amicè, &c.*

cum labore aliquo ſuo factum queant dicere. Odioſum ſanè genus hominum, officia exprobrantium: *quæ meminiſſe debet is, in quem collata ſunt, non commemorare, qui contulit.* Quamobrem ut ii, qui ſuperiores ſunt, ſummittere ſe debent in amicitia: ſic quodam modo inferiores extollere. [1] ſunt enim quidam, qui moleſtas amicitias faciunt, cùm ipſi ſe contemni putant: quod non ferè contingit, niſi iis, qui etiam contemnendos ſe arbitrantur: qui hac opinione non modò verbis, ſed etiam opere levandi ſunt. Tantum autem cuique tribuendum, primùm, quantum ipſe efficere poſſis: deinde etiam, quantum ille, quem diligis, [2] atque adjuves, ſuſtinere. [3] non enim tu poſſis, quantumvis licet excellas, omneis tuos ad honores ampliſſimos perducere: ut Scipio P. Rutilium potuit conſulem efficere, fratrem ejus Lucium non potuit. quòd ſi etiam poſſis quidvis deferre ad alterum, *videndum eſt tamen, quid ille poſſit ſuſtinere.* Omnino amicitiæ, corroboratis jam, confirmatiſque & ingeniis, & ætatibus, judicandæ ſunt: nec, ſi qui ineunte ætate venandi, aut pilæ ſtudioſi fuerint, [4] eos habere neceſſarios oportet, quos tum eodem ſtudio præditos dilexerunt. iſto enim modo nutrices, & prædagogi jure vetuſtatis plurimum benivolentiæ poſtulabunt: qui negligendi quidem non ſunt, [5] ſed alio quodam modo colendi. aliter amicitiæ ſtabiles permanere non poſſunt. DISPARES enim mores, diſparia ſtudia ſequuntur, quorum diſſimilitudo diſſociat amicitias: nec ob aliam cauſam ullam boni, improbis; improbi, bonis amici eſſe non poſſunt, niſi quòd tanta eſt inter eos, quanta maxima poteſt eſſe, morum, ſtudiorumque diſtantia. Rectè etiam præcipi poteſt in amicitiis, *ne intemperata quadam benivolentia* (quod perſæpe fit) *impediat magnas utilitates amicorum.* nec enim (ut ad fabulas redeam) Trojam Neoptolemus capere potuiſſet, ſi Lycomedem, apud quem erat educatus, multis cum lacrymis iter ſuum impedientem, audire voluiſſet. & ſæpe incidunt magnæ res, ut diſcedendum ſit ab amicis: quas qui impedire vult, quòd deſiderium non facilè ferat, is & infirmus eſt, molliſque natura, & ob eam ipſam cauſam in amicitia parum juſtus. Atque IN OMNI RE conſiderandum eſt, & quid poſtules ab amico, & quid patiare à
21 te impetrari. Eſt etiam quaſi quædam calamitas in amicitiis dimittendis nonnumquam neceſſaria: jam enim à ſapientium familiaritatibus ad vulgareis amicitias oratio noſtra delabitur: ERUMPUNT ſæpe vitia amicorum cùm in ipſos amicos, tum in alienos; quorum tamen ad amicos redundet infamia. tales igitur amicitiæ ſunt [6] remiſſione uſus eluendæ, & (ut Catonem dicere audivi) [7] *diſſuendæ magis, quam diſcindendæ.* niſi quædam admodum intolerabilis injuria exarſerit, ut neque rectum, neque honeſtum ſit, neque fieri poſſit, ut non ſtatim alienatio, disjunctioque facienda ſit. ſin autem morum, aut ſtudiorum commutatio quædam (ut fieri ſolet) facta erit, aut in reip. partibus diſſenſio interceſſerit (loquor enim jam, ut paullo antè dixi, non de ſapientium, ſed de communibus amicitiis) cavendum erit, ne non ſolùm amicitiæ depoſitæ, ſed inimicitiæ etiam ſuſceptæ videantur. NIHIL enim eſt turpius, quàm cùm eo bellum gerere, qui cum familiariter vixeris. Ab amicitia Q. Pompeii meo nomine ſe removerat (ut ſcitis) Scipio: propter diſſenſionem autem, quæ erat in repub. alienatus eſt à collega noſtro Metello. utrumque egit graviter, auctoritate & offenſione animi non acerba. Quamobrem primùm danda opera eſt, ne qua amicorum diſcidia fiant: ſin tale aliquid evenerit, ut exſtinctæ potiùs amicitiæ, quàm oppreſſæ eſſe videantur. [8] Cavendum verò eſt, ne etiam in graveis inimicitias convertant ſe amicitiæ: è quibus jurgia, maledicta, contumeliæ gignuntur. quæ tamen ſi tolerabiles erunt, ferendæ ſunt: *& hic honos veteri amicitiæ tribuendus eſt, ut is in culpa ſit, qui faciat, non qui patiatur injuriam.* Omnino omnium horum vitiorum, atque incommodorum una cautio eſt, atque una proviſio, ut ne nimis citò diligere incipiamus, neve indignos. [9] Digni autem ſunt amicitia, quibus in ipſis ineſt cauſa, cur diligantur. Rarum genus (& quidem OMNIA PRÆCLARA RARA) nec quidquam difficilius, quàm reperire, quod ſit omni ex parte in ſuo genere perfectum. ſed plerique neque in rebus humanis quidquam bonum norunt, niſi quod fructuoſum ſit: & amicos, tamquam pecudes, eos potiſſimùm diligunt, ex quibus ſperant ſe maximum fructum eſſe capturos. ita pulcherrima illa, & maximè naturali carent amicitia, per ſe, & propter ſe expetenda: nec ipſi ſibi exemplo ſunt, hæc vis amicitiæ, qualis, & quanta ſit. IPSE enim ſe quiſque diligit, non ut aliquam à ſe ipſe mercedem exigat caritatis ſuæ, ſed quòd per ſe ſibi quiſque carus eſt. quod niſi idem in amicitiam transferatur, verus amicus numquam reperietur. [10] EST ENIM IS QUIDEM TAMQUAM ALTER IDEM. Quòd ſi hoc appàret in beſtiis, volucribus, nantibus, agreſtibus, cicuribus, feris, primùm ut ſe ipſæ diligant: (id enim pariter cum omni animante naſcitur) deinde, [11] ut requirant, atque appetant, ad quas ſe applicent, ejuſdem generis animanteis: idque faciunt cum deſiderio, & cum quadam ſimilitudine amoris humani: quanto id magis [12] in hominis ſit natura, qui & ſe ipſe diligit, & alterum anquirit, cujus animum ita cum
ſuo commiſceat, ut efficiat pænè unum ex duobus? Sed 22
plerique perversè, ne dicam impudenter, *amicum habere talem volunt, quales ipſi eſſe non poſſunt:* quæque ipſi non tribuunt amicis, hæc ab iis deſiderant. PAR eſt autem, primùm ipſum eſſe virum bonum, tum alterum ſimilem ſui quærere. in talibus ea quam jam dudum tractamus, ſtabilitas amicitiæ, confirmari poteſt: cùm homines benivolentia conjuncti, primùm cupiditatibus

1. *Sunt enim quidam qui moleſtas.*] Reſpexit niſi fallor, ad locum Terentii Adelphis Scæna: *Ego in hac re.*

2. *Atque adjuves ſuſtinere.*] Sic Pal. duo, ſic omnes quibus uſus eſt Gulielmius. vulgati, *atque adjuves poſſit ſuſtinere.* ex ſuperfluo.

3. *Non enim tu poſſis, quantumvis licet excellas.*] Vox *licet* non eſt ullo Gulielmianorum, legebatque idem cum Langianis, *excelleas*, & verò recepta lectio in ſolo eſt Pal. tertio. ceteri etiam illud *licet* excludunt; ſed mire variant. nam pr. *non enim neque tu poſſis, quamvis excellas.* ſec. *non enim neque tu quamtumvis poſſis vel quamvis excellas.* quint. *non enim tu neque poſſis quamvis excellas.* ſext. *non enim tu poſſis quamvis excellas, &c*

4. *Eos habere neceſſarios oportet.*] Vox *oportet*, non viſitur in tribus Pal. duoque eam habent non iſto loco ſed ſupra: *Nec oportet, ſi qui.* Gulielmius annotavit, varie locum ſcribi, ac reſtare in Carthuſiano, *eos habuere.* non malè.

5. *Sed alio quodam modo colendi.*] Sic duo Pal. alter *amandi.* alius *diligendi.* quæ diverſitas falſitatem ſcripturæ prodit. & verò in Pal. tert. ac ſexto reſtat, *modo eſt*, quod & in duobus ſuis invenit Gulielmius; fuitque in Langianis, inquit omnibus, dictum putat ut illud Terentii: *Alia res eſt.* Aldus dicere videtur, novem ſuorum habere tantum, *ſed alio quodam modo.* hocque probat.

6. *Remiſſione uſus eluendæ.*] Haud aliter libri Gulielmii, item unus Palatinorum; ceteri enim favent vulgatis, habentque *elevandæ.* ſolum ſextus, *evellendæ*, Giſanio placebat *deluendæ.* mihi non diſpliceret *eludendæ.* nec abhorrerem ab illo *remiſſiore uſu*, ſi reperiretur in mſſ. ut innuere videtur Lambinus.

7. *Diſſuendæ magis quam diſcindendæ.*] Ita laudat hunc locum D. Hieronymus Epiſtola ad Niceam. reſpicitque ad iſtud Catonis Tullius libro 1. de Offic. cap. 33.

8. *Cavendum verò eſt, ne etiam.*] Tantam invenio varietatem in meis, ut putem ſcripſiſſe ſolummodo auctorem, *Cavendum etiam ne*; aliis rejectis. paullò etiam poſt, Pal. ſec. pro *gignuntur*, retinet, *generentur*, quod probo.

9. *Digni autem ſunt amicitia.*] Poterant tolli *ſunt*, item *amicitia*, ſententia ſalva.

10. *Eſt enim is quidem, tanquam.*] Ita è Metelli libro Gulielmius, firmantque Pal. fere omnes. vulgati; *Eſt enim is amicus quidem, qui eſt tanquam alter idem.* ſed noſtræ lectioni accedunt membranacei tredecim quos excuſſit Aldus Nepos.

11. *Ut requirant atque appetant.*] Gulielmius, quod reperiſſet in Metelli libro *acquirant*, reſcripſit *anquirant.* ſed enim cùm eadem formâ mox ſequatur, retinuerim vulgatum, nullo meor. diſcrepante.

12. *In hominis ſit natura.*] Perſpicua ſcriptura libri Mauriciani. Vulgò *in homine ſit natura.*

bus iis, quibus ceteri ſerviunt, imperabunt: deinde æquitate, juſtitiaque gaudebunt, omniaque alter pro altero ſuſcipiet: neque quidquam umquam niſi honeſtum, & rectum alter ab altero poſtulabit: neque ſolùm colent inter ſe, ac diligent, ſed etiam verebuntur. nam *maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam.* Itaque in iis pernicioſus eſt error, qui exiſtimant, libidinum, peccatorumque omnium patêre in amicitia licentiam. VIRTUTUM amicitia adjutrix à natura data eſt, non vitiorum comes: ut, quoniam ſolitaria non poſſet virtus ad ea, quæ ſumma ſunt, pervenire, conjuncta, & conſociata cum altera perveniret: quæ ſi quos inter ſocietas aut eſt, aut fuit, aut futura eſt, eorum eſt habendus ad ſummum naturæ bonum optimus, beatiſſimuſque comitatus. Hæc eſt, inquam, ſocietas, *in qua omnia inſunt*, quæ putant homines expetenda, honeſtas, gloria, tranquillitas animi, atque jucunditas: ut, cùm hæc adſint, *beata vita ſit*, & ſine his eſſe non poſſit. Quod cùm optimum, maximumque ſit, ſi id volumus adipiſci, virtuti opera danda eſt: ſine qua neque amicitiam, [1] neque ullam rem expetendam conſequi poſſumus. ea verò neglecta, qui ſe amicos habere arbitrantur, tum ſe denique erraſſe ſentiunt, cùm eos gravis aliquis caſus experiri cogit. Quocirca (dicendum eſt enim ſæpius) CUM JUDICAVERIS, DILIGERE OPORTET: NON CUM DILEXERIS, JUDICARE. ſed cum multis in rebus negligentia plectimur: tum maximè in amicis & deligendis, & colendis. præpoſteris enim utimur conſiliis, & acta agimus, quod vetamur veteri proverbio. Nam implicati uſiò, & citiò vel uſu diuturno, vel etiam officiis, repentè in medio curſu amicitias, exorta aliqua
23 offenſione, dirumpimus. Quo etiam magis vituperanda eſt rei maximè neceſſariæ tanta incuria. UNA eſt enim amicitia in rebus humanis, de cujus utilitate omnes uno ore conſentiunt. quamquam à multis ipſa virtus contemnitur, [2] & venditatio quædam, atque oſtentatio eſſe dicitur. multi divitias deſpiciunt, quos parvo contentos tenuis victus, cultuſque delectat: honores verò, quorum cupiditate quidam inflammantur, quàm multi ita contemnunt, ut nihil inanius, nihil levius eſſe exiſtiment. itemque cetera, quæ quibuſdam admirabilia videntur, permulti ſunt, qui pro nihilo putent. *de amicitia omnes ad unum idem ſentiunt*, & ii, qui ad rempub. ſe contulerunt, & ii, qui rerum cognitione, doctrinaque delectantur: & ii, qui [3] ſuum negotium gerunt otioſi: poſtremò ii, qui ſe totos tradiderunt voluptatibus, [4] ſine amicitia vitam eſſe nullam ſentiunt, ſi modò velint aliqua ex parte liberaliter vivere. SERPIT enim neſcio quomodo per omnium vitas amicitia: nec ullam ætatis degendæ rationem patitur eſſe expertem ſui. Quinetiam ſi quis ea aſperitate eſt, & immanitate naturæ, congreſſus ut hominum fugiat, atque oderit, qualem fuiſſe Athenis Timonem neſcio quem accepimus: tamen is pati non poſſit, ut non acquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis ſuæ. Atque hoc maximè judicaretur, [5] ſi quid tale poſſet contingere, ut aliquis nos deus ex hac hominum frequentia tolleret, & in ſolitudine uſpiam collocaret, atque ibi ſuppeditans omnium rerum, quas natura deſiderat, abundantiam, & copiam, hominis omnino adipiſcendi poteſtatem eriperet. QUIS tam eſſet ferreus, qui eam vitam ferre poſſet, cuique non auferret fructum voluptatum omnium ſolitudo? Verum ergo illud eſt, quod à Tarentino Archyta, ut opinor, dici ſolitum, noſtros ſenes commemorare audivi, ab aliis ſenibus auditum: *Si quis in cælum aſcendiſſet, naturamque mundi, & pulchritudinem ſiderum perſpexiſſet, inſuavem illam admirationem ei fore; quæ jucundiſſima fuiſſet*, [6] *ſi aliquem cui narraret, habuiſſet.* Sic natura ſolitarium nihil amat, ſemperque ad aliquod tamquam adminiculum annititur: quod in amiciſſimo quoque dulciſſimum eſt. Sed cum tot ſignis eadem natura declaret, quid velit, anquirat, ac deſideret: obſurdeſcimus 24
tamen neſcio quomodo; nec ea, quæ ab ea monemur, audimus. eſt enim varius & multiplex uſus amicitiæ, multæque cauſæ ſuſpicionum, offenſionumque dantur: quas tum evitare, [7] tum elevare, tum ferre, ſapientis eſt. una illa ſublevanda offenſio eſt, [8] *ut & utilitas in amicitia, & fides retineatur.* nam & monendi amici ſæpe ſunt, & objurgandi: & hæc accipienda amicè, cùm benivolè fiunt. Sed neſcio quomodo verum eſt, [9] quod in Andria familiaris meus dicit:

Obſequium amicos, veritas odium parit.

Moleſta veritas, ſi quidem ex ea naſcitur *odium*; *(quod eſt venenum amicitiæ)* ſed obſequium multo moleſtius, quod peccatis indulgens, præcipitem amicum ferri ſinit. maxima autem culpa in eo eſt, qui & veritatem aſpernatur, & in fraudem obſequio impellitur. [10] Omni igitur hac in re habenda ratio, & diligentia eſt: primùm, ut monitio acerbitate, deinde objurgatio contumelia careat: in obſequio autem (quoniam Terentiano verbo lubenter utimur) comitas adſit: *aſſentatio, vitiorum adjutrix, procul amoveatur*: quæ non modò amico, ſed ne libero quidem digna eſt, aliter enim cum tyranno, aliter cum amico vivitur: CUJUS autem aures veritati clauſæ ſunt, ut ab amico verum audire nequeat, hujus ſalus deſperanda eſt. ſcitum eſt enim illud Catonis, ut multa; *Melius de quibuſdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: illos verum ſæpe dicere, hos numquam.* Atque illud abſurdum eſt, quod ii, qui monentur, eam moleſtiam, quam debent capere, non capiunt: eam capiunt, qua debent vacare. peccaſſe enim ſe non anguntur, objurgari moleſtè ferunt: quod contra oportebat, *delicto dolere*, [11] *correctione gaudere.* Ut igitur & monere, & moneri, proprium eſt veræ amicitiæ: & alterum liberè facere, non aſperè: alterum patienter accipere, non repugnanter: ſic habendum eſt, ***nullam in amicitiis peſtem eſſe majorem, quam adulationem, blanditiam, aſſenta-***

---

1. *Neque ullam rem expetendam conſequi poſſumus.*] Mauricianus *enſequi*, antiqua & venuſta formula, inquit Gulielmius.

2. *Et venditatio quædam atque oſtentatio eſſe dicitur.*] Gulielmius repoſitum cupiebat Langianum *conceditur.* contra mſſ. noſtros & ſuos. mallim ego potius abjectis vocibus ultimis, *ut venditatio quædam atque oſtentatio:* etſi tamen omninò non excluſerim omnium membranarum ſcripturam *vendicatio.*

3. *Suum negotium gerunt otioſi.*] Ita omnes libri ſcripti. rectè. *otioſi* Latinè qui à re publica ſe removerunt. exempla in promptu ſunt. Gulielmius. ſicque antea Victorii ac Manutii Nepotis editio. antiquiores *otioſè.*

4. *Sine amicitia vitam eſſe nullam ſentiunt.*] Gulielmius ſequi volebat eos qui tollunt vocem *ſentiunt*, quæ tamen erat in mſſ. ejus, habentque Pal. quinque nam unus eorum *dicunt.* & certe odioſe admodum ſine verbo claudatur ea periodus.

5. *Si quid tale poſſit contingere, ut aliquis nos Deus.*] Vix mihi eripi poteſt, non legendum, *ſi aliquis nos Deus*, rejectis intermediis.

6. *Si aliquem cui narraret habuiſſet.*] Perſpicua ſententia; quam tamen deformabit negatio, quam in uno ſuo invenit Fulvius Urſinus, exſtatque in nonnullis aliorum. Gulielm.

7. *Tum elevare.*] Gulielmius ſubſtituerat ex Mauriciano, *eluere.* ſic ſupra inquit; *amicitiæ ſunt remiſſione uſus eluendæ.*

8. *Ut & utilitas in amicitia.*] Haud ſecus editiones omnes ante Lambinum, qui invitis libris ſubſtituerat *veritas.* non recte. ceteræ, ait, offenſiones vitandæ: una retinenda quæ ex monitionibus ſuſpicienda erit, ne fides & utilitas, quæ maxime hac in re conſiſtunt, ab amicitia exſulent. ea tamen ſublevanda eſt, hoc eſt, mitiganda, & quod poteſt lenienda comitate quadam. hæc hujus loci ſententia. Gulielmius.

9. *Quod in Andria familiaris meus dicit.*] Ita etiam ferè Pal. aliorumque mſſ. vulgati; *meus Terentius dixit.* mihi adhuc aliena heic videtur vocula *dicit.* cumque oſtenderim in Pal. ſec. *meus ſe dicit*, videtur prius fuiſſe, *ſc. dicit*, hoc eſt, *ſcilicet dicit*, gloſſatoris nimirum adnotamentum.

10. *Omni igitur hac in re.*] Sic à libris; neque aliter Victoriana editio. aliæ. *Omnis igitur.*

11. *Correctione gaudere.*] Omnes libri, etiam vetuſtius editi; niſi quod ii *correptione.* recentiores *objurgatione.* non recte. objurgari ſe nemo gaudet, ſi nihil aliud inſit; at hoc modo corrigi, & errantem quaſi in ſemitam reduci, gaudere debet.

aſſentatorem. [1] quamvis enim multis nominibus eſt hoc vitium notandum, levium hominum atque fallacium, ad voluptatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Cùm autem OMNIUM rerum ſimulatio eſt vitioſa (*tollit enim judicium veri, idque adulterat*) tum amicitiæ repugnat maximè, delet enim veritatem, ſine qua nomen amicitiæ valere non poteſt. nam cùm amicitiæ vis ſit in eo, ut unus quaſi animus fiat ex pluribus: qui id fieri poterit, ſi ne in uno quidem quoque unus animus erit, idemque ſemper; ſed varius, commutabilis, multiplex? Quid enim poteſt eſſe tam flexibile, tam devium, quàm animus ejus, qui ad alterius non modò ſenſum, ac voluntatem, ſed etiam vultum, atque nutum convertitur?

Negat quis? nego: ait? aio poſtremò imperavi egomet mihi,
Omnia aſſentari,

ut ait idem Terentius: ſed ille ſub Gnathonis perſona: quod amici genus adhibere, omnino levitatis eſt. Multi autem Gnathonum ſimiles cùm ſint, *loco, fortuna, fama ſuperiores:* horum eſt aſſentatio moleſta, cum ad vanitatem acceſſit auctoritas. SECERNI autem blandus amicus à vero, & internoſci, tam poteſt, adhibita diligentia, quam omnia fucata, & ſimulata à ſinceris, atque veris. Concio, quæ ex imperitiſſimis conſtat, tamen judicare ſolet, quid interſit inter popularem, id eſt, aſſentatorem, & levem civem, & inter conſtantem, ſeverum, & gravem. Quibus *blanditiis* C. Papirius nuper influebat in aureis concionis, cùm ferret legem de tribunis pleb. reficiendis? Diſſuaſimus nos. Sed nihil de me: de Scipione dicam libentius. Quanta illa, dii immortales! fuit gravitas, quanta in oratione majeſtas! ut facilè ducem pop. Rom. non comitem diceres. ſed affuiſtis: & eſt in manibus oratio. itaque *lex popularis, ſuffragiis populi repudiata eſt.* Atque, ut ad me redeam; meminiſtis, Q. Maximo, fratre Scipionis, & L. Mancino conſulibus, quàm popularis lex de ſacerdotiis C. Licinii [2] Craſſi videbatur? cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Atque is primum inſtituit in forum verſus, agere cum populo. tamen illius vendibilem orationem *religio deorum* immortalium, [3] nobis defendentibus, facile vincebat. atque id actum eſt prætore me, quinquennio antè, quàm conſul ſum factus. itaque re magis, [4] quàm auctoritate cauſa illa defenſa eſt.

26 Quòd [5] ſi in ſcena, id eſt, in concione, in qua rebus fictis, & adumbratis loci plurimum eſt, tamen verum valet (ſi modò id patefactum, & illuſtratum eſt) quid in amicitia fieri oportet, quæ tota veritate perpenditur? in qua niſi (ut dicitur) [6] APERTUM PECTUS VIDEAS, TUUMQUE OSTENDAS, nihil fidum, nihil exploratum habeas: [7] ne amare quidem, aut amari; cùm id, quàm verè fiat, ignores. [8] Quamquam iſta aſſentatio, quamvis pernicioſa ſit, nocere tamen nemini poteſt, niſi ei, qui eam recipit, atque ea delectatur. ita fit, ut is *aſſentatoribus patefaciat aureis ſuas maximè, qui ipſe ſibi aſſentetur*, & ſe maximè ipſe delectet. Omnino eſt amans ſui virtus. optimè enim ſe ipſa novit, quamque amabilis ſit, intelligit. ego autem non de virtute nunc loquor, ſed de virtutis opinione. VIRTUTE enim ipſa non tam multi præditi eſſe, quàm videri volunt. Hos delectat aſſentatio: his fictus ad ipſorum voluptatem ſermo cùm adhibetur; *orationem illam vanam, teſtimonium eſſe laudum ſuarum putant.* nulla eſt igitur hæc amicitia, cùm alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus eſt. Nec paraſitorum in comœdiis aſſentatio nobis faceta videretur, niſi eſſent milites glorioſi.

Magnas verò agere gratias Thais mihi?

Satis erat reſpondere, *Magnas: ingenteis*, inquit. SEMPER auget aſſentator id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult eſſe magnum. Quamobrem, quamvis blanda iſta vanitas apud eos valeat, qui ipſi illam allectant, & invitant: tamen etiam graviores conſtantioreſque admonendi ſunt, [9] ut animadvertant, ne callida aſſentatione capiantur. APERTE enim adulantem nemo non videt, niſi qui admodum eſt excors. callidus ille, & occultus ne ſe inſinuet, ſtudioſè cavendum eſt. nec enim facillimè agnoſcitur, quippe qui etiam *adverſando ſæpe aſſentetur:* & litigare ſe ſimulans, blandiatur, atque ad extremum det manus, vincique ſe patiatur: ut is, qui illuſus ſit, [10] plus vidiſſe videatur. quid autem turpius quàm illudi? Quod ne accidat, magis cavendum eſt, ut in Epiclero:

Hodie me ante omneis [11] comicos ſtultos ſenes
Verſaris, atque luſeris lautiſſimè.

Hæc enim etiam in fabulis ſtultiſſima perſona eſt improvidorum, & credulorum ſenum. Sed neſcio quo pacto ab amicitiis perfectorum hominum, id eſt, ſapientium (de hac dico ſapientia, quæ videtur in hominem cadere poſſe) ad leveis amicitias deflexit oratio. Quamobrem ad illa prima redeamus, eaque ipſa concludamus aliquando. [12] VIR- 27
TUS, virtus inquam, C. Fanni, & tu, Q. Muci, & conciliat amicitias, & conſervat. in ea eſt enim convenientia rerum,

1. *Quamvis enim multis nominibus.*] Gulielmius ex Mauriciano ſuo, item Urſiniano, emendaverat, *quam enim multis.* addiderat tamen; videndum anne alterum eleganter poneretur pro *admodum multis.* & verò illud *quàm* exſtat in aliquot libris Aldi Nepotis, ſed non eſt, cur ideo ei cedat *quamvis*, quod in totidem quoque invenit mſſ. idem Manutius.

2. *Craſſi jubebatur.*] Pighius præferebat, *videbatur:* promulgata enim lex, non perlata.

3. *Nobis defendentibus.*] Sic mſſ. Pal. omnes, & viginti aliquot Aldi Nep. probaveratque aliquando etiam ipſe Gulielmius tali notatione: Diſſuaſerat Lælius, & morem majorum in ſacerdotibus creandis defenderat. Langius ex duobus libris mavult, *deferentibus*, quod minus probo, hoc quidem loco. ita ille noſter. ſed poſtea eadem omnia cancellavit. nobis non datum fuit videre Langiana, rationeſque ejus examinare. vulgata tamen nihil videtur habere cur repudietur. adeantur interim amici noſtri Pighii Faſtorum libri ad annum Urbis DCVIII.

4. *Quàm ſumma auctoritate.*] Gulielmius adjecit vocem *ſumma*, è mſſ. ejus, quibus accedunt Pal. omnes, & plerique Aldi auctoritate defendebatur cauſa, prætoria ſcilicet; ſumma non defendebatur, quæ erat Conſularis.

5. *In ſcena, id eſt in concione.*] Propendet Turnebus in ſcripturam quam nonnulli prodiderant ſine ulla varietate legi in obſoletis libris, viſiturque in Pal. ſexto, *in ſcamma*, eum vide lib. XIII. cap. 7. Gulielmius tuetur vulgatum, adducto Ciceronis loco ad Brutum Epiſt. 9. circa med. idem poſtea malebat legi cum codice S. Victoris, *in ſcena vel in concione:* ut reſpiciatur ad ea quæ præceſſerunt: nam de ſcena prius, & poſterius de concione dixiſſe Tullium. Si ſtandum non eſt omnino ſcripturæ priori, quæ in pleriſque Pal. tunc putarim reſcribi poſſe, *in ſcena, in concione.* aut ſanè *in ſcena, item in concione*, modo ferè Pal. ſec. & unus Aldi, in quibus, *idem*, unde naſci potuit aliorum *id eſt.*

6. *Apertum pectus videas.*] Ejeci *amici* vocem, quæ comparet quidem in poſterioribus edd. ſed non in prioribus, aut adeo mſſ. Pal. aliorumve.

7. *Ne amare quidem aut amari.*] Addunt alii *poſſunt*, ſed quampluribus mſſ. Aldi ea vox abeſt, aliorumque omnibus. falſitatem autem ejus deprehendamus, ex Pal. quinto; in quo, *nec ſcis amare quidem nec amari.*

8. *Quanquam iſta aſſentatio quamvis, &c.*] Sic plerique libri; editioque Victorii & Lambini. Mallem tamen abeſſe dictionem primam *Quamquam.* certè non comparet in Pal. ſec. at ſextus non agnoſcit *quamvis.*

9. *Ut animadvertant.*] Pal. ſec. *ut animum avertant*, non prorſus inepte; quamvis & vulgato ſua venuſtas.

10. *Plus vidiſſe videatur.*] Eſt à Gulielmio ejuſque libris, neque aliter Lambinus. primæ edd. *viciſſe.* Victoriana *illuſiſſe.*

11. *Comicos ſenes.*] Videtur propendere in *coamicos* Gulielmius, quod ita omnes ſcripti ejus: adducitque Plauti Perſam: *Mi Jupiter terreſtris te coëpulonus ſalutat.* Idem etiam Quæſtionibus Plautinis cap. 4. in eundem Perſam adhæret libris in quibus eſt; *Verſaris, atque ut juſſeris lautiſſimè.* ut prius verbum ſit domini, cetera ſervi. mihi non videtur cadere tanta reſponſi impudentia in mancipium adverſus herum. potius legerim; *Verſaris atque incluſeris lautiſſimè*, ut eſt in Pal. ſec. niſi malimus cum pr. *atque unxeris lautiſſ.* Præterea aliquot Pal. innuunt primo verſu fuiſſe fere: *Sic me hodie, &c.* Videatur Gifanius in *collectus*, Victorius lib. VIII. Var. lect. cap. 12.

12. *Virtus, virtus, inquam, C. Fanni, &c.* Geminata eſt vox præeuntibus quatuor mſſ. Gulielmii, & Langii tribus.

1 *Utrum-*

rerum, in ea ſtabilitas, in ea conſtantia: quæ cùm ſe extulit, & oſtendit lumen ſuum, & idem aſpexit, agnovitque in alio; ad id ſe admovet, viciſſimque accipit illud, quod in altero eſt: ex quo eorum exardeſcit ſive amor, ſive amicitia, [1] utrumque enim dictum eſt ab amando. AMARE AUTEM NIHIL ALIUD EST, niſi eum ipſum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate quæſita. *quæ tamen ipſa effloreſcit ex amicitia*, etiam ſi tu eam minùs ſequutus ſis. hac nos adoleſcentes benivolentia ſenes illos L. Paullum, M. Catonem, C. Gallum, P. Naſicam, T. Gracchum, Scipionis noſtri ſocerum, dileximus. hæc etiam magis elucet inter æqualeis, ut inter me, & Scipionem, L. Furium, P. Rupilium, Sp. Mummium. viciſſim autem ſenes in adoleſcentium caritate acquieſcimus; ut in veſtra, ut in Q. Tuberonis: equidem etiam admodum adoleſcentis, [2] P. Rutilii, A. Virginii familiaritate delector. Quoniamque ita ratio comparata eſt vitæ, naturæque noſtræ, ut alia ætas oriatur; MAXIME quidem optandum eſt, ut cum æqualibus poſſis, quibus-cum tamquam è carceribus emiſſus ſis, cum iiſdem ad calcem, ut dicitur, pervenire. Sed quoniam res humanæ fragiles, caducæque ſunt, ſemper aliqui anquirendi ſunt, quos diligamus, & à quibus diligamur. CARITATE enim, benivolentiaque ſublata omnis eſt è vita ſublata jucunditas. Mihi quidem Scipio, quamquam eſt ſubitò ereptus, vivit tamen, ſemperque vivet: virtutem enim amavi illius viri, quæ exſtincta non eſt. nec mihi ſoli verſatur ante oculos, qui illam ſemper in manibus habui, ſed etiam poſteris erit clara, & inſignis. NEMO umquam animo, aut ſpe maiora ſuſcipiet, qui ſibi non illius *memoriam, atque imaginem* proponendam putet. Equidem ex omnibus rebus, quas mihi aut fortuna, aut natura tribuit, nihil habeo, quod cum amicitia Scipionis poſſim comparare. In hac mihi de repub conſenſus, in hac rerum privatarum conſilium, in eadem requies plena oblectationis fuit. numquam illum *re minima quidem re offendi*, quod quidem ſenſerim: nihil audivi ex eo ipſe, quod nollem. una domus erat, idem victus, iſque communis: neque ſolùm militia, ſed etiam peregrinationes, ruſticationeſque communes. Nam quid ego de ſtudiis dicam cognoſcendi ſemper aliquid, atque diſcendi? in quibus remoti ab oculis populi, [3] omne otioſum tempus contrivimus? Quarum rerum recordatio, & memoria, ſi una cum illo occidiſſet, deſiderium conjunctiſſimi atque amantiſſimi viri ferre nullo modo poſſem. ſed NEC ILLA EXSTINCTA SUNT, aluntur que potiùs, & augentur cogitatione, & memoria: & ſi illis planè orbatus eſſem; magnum tamen afferret mihi ætas ipſa ſolatium: diutiùs enim jam in hoc deſiderio eſſe non poſſum. *Omnia autem brevia, tolerabilia eſſe debent, etiam ſi magna ſint.* Hæc habui de amicitia quæ dicerem. Vos autem hortor, ut ita virtutem locetis, ſine qua amicitia eſſe non poteſt, ut ea excepta, nihil amicitia præſtabilius putetis.

1. *Utrumque enim dictum ab amando.*] Celberdenſis *ductum.*

2. *P. Rutilii, A. Virginii.*] Verum arbitror quod reperit Fulvius, *P. Rutilii Virginiani*; ut hic Publius adoptione Rutilius ſit ex Virginio. ſed quærendum. nam de *Virginio*, qui quidem clarus poſtea fuerit, nihil horum temporum hiſtoriæ. editio vetus *Anni Virginii.* Vetuſtiſſima, *P. Rutilii Virginii.* & ſanè genus ſermonis indicat de uno loqui hæc. *Gulielmius.* Pighius in Faſtis ad annum DCXXXIV. refert in vetuſtiſſimo exemplari fuiſſe, *P. Rutili Virginis Augulini.* ipſe vero concinnat, *P. Virginii Rutili A F. familiariter, &c.*

3. *Omne otioſum tempus.*] A reipubl. videlicet negotiis. ſic ſupra, *qui ſuum negotium gerunt otioſi* porro ſic omnes libri ſcripti. *Gulielm.* neque aliter Pall. ſex. ſecutuſque fuit in editione ſua Petrus Victorius examinator codicum plutealiorum moroſiſſimus. vulgati, *omne otium tempuſque*; haud abſurda lectione, ac quam ferè præpoſuerim alteri.

M. TULLII CICERONIS
PARADOXA,
AD
MARCUM BRUTUM.

1 ANIMADVERTI, Brute, ſæpe Catonem, avunculum tuum, cùm in ſenatu ſententiam diceret, locos graveis ex philoſophia tractare, abhorrenteis ab hoc uſu forenſi, & publico: ſed dicendo conſequi tamen, ut illa etiam populo probabilia viderentur. quod eo majus eſt illi, quàm aut tibi, aut nobis: quia nos ea philoſophia plus utimur, quæ peperit dicendi copiam, & in qua dicuntur ea, quæ non multum diſcrepant ab opinione populari. Cato autem perfectus (mea ſententia) Stoicus, & ea ſentit, [1] quæ non ſanè probantur in vulgus: & in ea eſt hæreſi, quæ nullum ſequitur florem orationis, neque dilatat argumentum: [2] minutis interrogatiunculis, & quaſi punctis, [3] quod propoſuit, efficit. Sed nihil eſt tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile: nihil tam horridum, tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione, & tamquam excolatur. quod cùm ita putarem, feci etiam audaciùs, quàm ille ipſe, de quo loquor. Cato enim duntaxat de magnitudine animi, de continentia, de morte, de omni laude virtutis, de diis immortalibus, de caritate patriæ, Stoicè ſolet, [4] oratoriis ornamentis adhibitis, dicere. Ego vero illa ipſa, quæ vix in gymnaſiis, & in otio Stoici probant, ludens conjeci in communeis locos. quæ quia ſunt admirabilia, contraque opinionem omnium ab ipſis etiam παράδοξα appellantur: tentare volui, poſſentne proferri in lucem, id eſt, in forum, & ita dici, ut probarentur: an alia quædam eſſet erudita, alia popularis oratio: eoque ſcripſi libentiùs, quod mihi iſta παράδοξα quæ appellant, maximè videntur eſſe Socratica, longeque veriſſima. Accipies igitur hoc parvum opuſculum, lucubratum his jam contractioribus noctibus: quoniam illud majorum vigiliarum munus in tuo nomine apparuit. & deguſtabis genus hoc exercitationum earum, quibus uti conſuevi, cùm ea, quæ dicuntur in ſcholis

[1] θετι-

1. *QUæ non ſanè probantur in vulgus.*] Aldini decem codd. Palat. prim. & Mauricianus, *non rectè.* fortè verum putat Gulielmius, *ne rectè.*

2. *Minutis interrogationibus.*] Sic Palat. ſecund. tert. Vict. & Aldi Nepotis mſſ. novem. vulgati præpoſuerant, *ſed.* quo nihil erat opus.

3. *Quod propoſuit.*] Maur. *quod poſſint.* Gulielmio certum eſt Ciceronem ſcripſiſſe *quod poſuit.*

4. *Oratoriis ornamentis adhibitis.*] Plerique cuſi præmittebant *nullis*, quod non viſitur in melioribus membranis, miror que agnoſcere pro genuino auctoris Lambinum; cum id ipſum ſpernat ratio; & dicendi artem tribuat Catoni. Tullius in Bruto cap. 31. fine, ut adnotaverat Gulielmius: qui cùm eſſet in Maur. *hortatoriis.* id heic locum habere poſſe putabat.

1. Θετι-

[1] θετικὰ, ad noſtrum hoc oratorium transfero dicendi genus. Hoc tamen opus [2] in acceptum ut referas, nihil poſtulo, [3] non eſt enim, ut in arce poni poſſit, quaſi illa Minerva Phidiæ: ſed tamen, ut ex eadem officina exiſſe appareat.

PARADOXON I.

Ὅτι μόνον ἀγαθὸν, τὸ καλὸν.

Quod honeſtum ſit, id ſolum bonum eſſe.

2 [4] VEREOR, ne cui veſtrûm ex Stoicorum hominum diſputationibus, [5] non ex meo ſenſu depromta hæc videatur oratio: dicam tamen quod ſentio: & dicam breviùs, quàm res tanta [6] dici poſcit. Numquam mehercule ego neque pecunias iſtorum, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas, quibus maximè adſtricti ſunt, voluptates in bonis rebus aut expetendis eſſe duxi: quippe cùm viderem, REBUS his [7] circumfluenteis, ea tamen [8] deſiderare maximè, quibus abundaret: neque enim expletur umquam, nec ſatiatur cupiditatis ſitis: neque ſolùm ea qui habent, libidine augendi cruciantur, ſed etiam amittendi metu. in quo equidem continentiſſimorum hominum, majorum noſtrorum, ſæpe requiro prudentiam, qui hæc imbecilla, & commutabilia pecuniæ membra, verbo BONA putaverunt appellanda, cùm re, ac factis longè aliter judicaviſſent. Poteſtne bonum cuiquam malo eſſe? aut poteſt quiſquam in abundantia bonorum ipſe eſſe non bonus? Atqui iſta omnia, talia videmus, *ut etiam improbi habeant, & obſint probis.* Quamobrem licet irrideat, ſi quis vult: plus apud me tamen vera ratio valebit, quàm vulgi opinio. NEQUE EGO umquam bona perdidiſſe dicam, ſi quis pecus, aut ſupellectilem amiſerit: neque non ſæpe laudabo ſapientem illum, Biantem, ut opinor, qui enumeratur in ſeptem: cujus cùm patriam Prienen cepiſſet hoſtis, ceterique ita fugerent, ut multa de ſuis rebus ſecum aſportarent: cùm eſſet admonitus à quodam, ut idem ipſe faceret: EGO *vero*, inquit, *facio. nam omnia mea porto mecum*; ille hæc ludibria fortunæ, ne ſua quidem putavit, quæ nos appellamus etiam bona. Quid eſt igitur, quæret aliquis, bonum? ſi quid rectè fit, & honeſtè, & cum virtute, id bene fieri, verè dicitur: &, quod rectum, & honeſtum, & cum virtute eſt, id ſolum opinor Bonum. Sed hæc videri poſſunt [9] obſcuriora, cùm lentiùs diſputantur. vita, atque factis illuſtranda ſunt ſummorum virorum hæc, quæ verbis ſubtiliùs, quàm ſatis eſt, diſputari videntur. Quæro enim à vobis, NUM ULLAM COGITATIONEM habuiſſe videantur ii, qui hanc remp. tam præclarè fundatam nobis reliquerunt, [10] aut auri, aut argenti ad avaritiam, aut amœnitatum ad delectationem, aut ſupellectilis ad dilicias, aut epularum ad voluptates? Ponite ante oculos unumquemque regum. [11] Vultis incipiam à Romulo? vultis poſt liberam civitatem, ab iis ipſis, qui liberaverunt eam? Quibus tandem gradibus *Romulus* aſcendit in cœlum? iiſne, quæ iſti bona appellant? an rebus geſtis, atque virtutibus? [12] Quid? à *Numa Pompilio*, minuſne gratas diis immortalibus capedines, ac fictileis urnulas fuiſſe, quàm [13] filicatas aliorum pateras arbitramur? Omitto reliquos: ſunt enim omnes pares inter ſe, præter Superbum. *Brutum* ſi qui roget, quid egerit in patria liberanda: ſi quis item reliquos ejuſdem conſilii ſocios, quid ſpectaverint, quid ſecuti ſint: num quis exſiſtet, cui voluptas, cui divitiæ, cui denique præter officium fortis, & magni viri, quidquam aliud propoſitum fuiſſe videatur? Quæ res ad necem Porſennæ [14] *C. Mucium* impulit, ſine ulla ſpe ſalutis ſuæ? Quæ vis *Coclitem* contra omneis hoſtium copias tenuit in ponte ſolum? quæ patrem *Decium*, qui filium [15] devotavit, atque immiſit in armatas hoſtium copias? Quid continentia *C. Fabricii*, quid tenuitas victus *M. Curii* ſequebatur? Quid duo propugnacula belli Punici, *Cn. & P. Scipiones*, qui Karthaginienſium adventum corporibus ſuis intercludendum putaverunt? quid *Africanus major?* quid *minor?* quid inter horum ætates interjectus *Cato?* quid innumerabiles alii (nam domeſticis exemplis [16] abundamus) cogitaſſe quidquam in vita ſibi expetendum, niſi quod laudabile eſſe, & præclarum videretur? Veniant igitur iſti irri- 4
ſores hujus orationis, ac ſententiæ: & jam vel ipſi judicent, utrùm ſe horum alicujus, qui marmoreis tectis, ebore, & auro fulgentibus, qui ſignis, qui tabulis, qui cælato auro, & argento, qui Corinthiis operibus abundant, an C. Fabricii, qui nihil eorum habuit, nihil habere voluit, ſimileis eſſe malint? Atque hæc quidem, *quæ modò huc, modò illuc*

1. *θετικὰ.*] In Mauriciano θετικῶς.

2. *In acceptum ut referas.*] Lambinus ſic protulit è mſſ. ſuis; inventumque idem Gulielmio in Maur. ac Fabr. item Metellano. vulgati prius, *in apertum ut proferas*, quod etiam damnabat codex ſcriptus quem contulit Giſanius; ut indicat ipſe in Obſervationibus ſuis linguæ Latinæ, hærentibus paſſim in manibus ſtudioſæ juventutis, quarumque copiam mihi fecit noſtrarum artium vir primarius Mich. Piccartus.

3. *Non eſt enim ut, &c.*] Vocem *tale* interpoſitam paſſim delevit Gulielmius e libri Mauriciani fide: tanquam abundaret, & venuſtius ſubintelligeretur.

4. *Vereor ne cui.*] Liber Metelli, & Pal. pr. *Vereor tamen ne cui*, quod non diſplicet Gulielmio: tanquam abruptè uſque heic incipiat. Mox in eodem adnotatum erat, *alias exoticorum*, quod idem reperit in ſuo Suffridus, probatque item Gulielmius; quoniam ita omnes peregrini nominarentur Romanis.

5. *Non ex meo ſenſu deprompta.*] Pal. ſec. *diſputata.* quæ ſcripturæ varietas facit ut putem ferè utramque vocem inſititiam, neque auctoris. certè non deſiderari, quivis videt.

6. *Dici poſcit.*] Ita Camerarii editio. Victorii & antiquæ, *poteſt.* ſed enim cum in Pal. ſec. aliiſque reſtet *poſſit*, viam nobis oſtendit ad ſcripturam alteram.

7. *Circumfluenteis, ea tamen deſiderare.*] Gulielmius malebat, *circumfluentibus ea tamen eos maximè*; ex Mauriciano. & verò illud *circumfluentibus* exſtat & in primis edd. & Victoriana: ceteræ accedunt noſtris; ſed ita tamen ut ſupra habeant *homines rebus his*, ubi nos illud *homines* expunximus ſuaſu omnium fere membranarum.

8. *Deſiderare maxime, quibus abundarent.*] Verba duo poſtrema non requiras ſi abſint.

9. *Obſcuriora, cùm lentius diſputantur. vita atque factis illuſtranda ſunt.*] Gulielmius malebat *odioſiora*, ex duobus ſuis; item mox *illuſtrata.* ego acquieſco lectioni exemplari vulgatæ antiquitatis. nam recentius cuſi interjecere: *obſcur. cùm ſine appoſitione exemplorum lentius diſputant.* inepte. imò, ne quid diſſimulem, ſuſpicor illud, *ſed hæc videri poſſunt obſcuriora, cum lentius diſputantur*, totum eſſe à gloſſa; aut verò ſubſequens illud *hæc quæ verbis ſubtilius quam ſatis eſt, diſputari videntur.* ſed prius magis membrum reſecandum quam ſecundum; tuncque legendum omnino *illuſtrata*; hoc modo: *opinor Bonum. Vita atque factis illuſtrata ſunt ſummorum virorum hæc, quæ verbis ſubtilius quàm ſatis eſt diſputari videntur.*

10. *Aut auri, aut argenti.*] Illud *aut auri*, non eſt in Maur. & Met. ſed nec videtur in Pal. ſecund. aut tert. ac forſan omnino reponendum quod extat in pr. *auri*, *argenti*, ejectis ſyllabis aliis duabus.

11. *Vultis incipiam à Romulo?*] Vox *incipiam* non eſt in Pal. ſec. tert. ſexto. imo ne quidem in F. aut M. & verò editione ſua excludit Victorius. V. & Pal. pr. ejus loco habent *incipere.*

12. *Quid? à Numa Pompilio.*] Non diſplicuit hæc ſcriptura inventa in Palat. duobus & S. Victoris membranis; tanto quidem minus quod eam repræſentarit Victorius, probaritque Hier. Wolfius, ut Græca imitatione prolatam, τὰς παρὰ τοῦ Νυμᾶ ὑδρίας. Alii, *Quid autem Numa Pompilius?* Sunt qui etiam malint: *Quid? Numæ Pompilii minus, &c.* ſed ſic nulli mſſ. noſtri, nulli Aldi Nepotis.

13. *Filicatas aliorum pateras.*] Abripuit me auctoritas librorum Petri Victorii; neque aliter Pal. ſextus ceteri enim noſtri ferè *delicatas.* Maur. tamen habebat *felices.* F. verò ac V. *felicatas.*

14. *C. Mucium impulit.*] Scripſit *C. Mutium* Gulielmius, quod ſic nominaretur à Livio, à Plutarcho: neque aliter ſane editio prima, membranæque M. ac V. poſterius vulgati, *Quintum* maluere; quod demiratur viros doctos non examinaſſe.

15. *Devotavit.*] Invenit iſtud in ſuis Langius; neque aliter M. F. V. imò ſic quoque editio princeps. ſequentes, *devovit.*

16. *Abundamus cogitaſſe quidquam in vita, &c.*] Sic Palatinus ſecundus. neque receſſit editio Victorii, quàm quod ſine parentheſi expreſſerit, *abundamus. an cogitaſſe, &c.* aliæ introtruſere, *abundamus. An putamus quemquam horum cogitaſſe quidquam in vita, &c.*

illuc transferuntur, *faciliè adduci ſolent*, *ut in rebus bonis eſſe negent:* illud tamen arctè tenent, accurateque defendunt, *voluptatem eſſe ſummum bonum.* quæ quidem mihi vox *pecudum videtur eſſe*, *non hominum.* Tu, cùm tibi ſive deus, ſive mater (ut ita dicam) rerum omnium natura, dederit animum, quo nihil eſt præſtantius, neque divinius: ſic te ipſe abjicies, atque proſternes, ut [1] nihil inter te, atque quadrupedem aliquam putes intereſſe? QUIDQUAM bonum eſt, quod non eum, qui id poſſidet, meliorem facit? Ut enim quiſque eſt maximè boni particeps, ita & laudabilis maximè: *neque eſt ullum bonum*, *de quo non is*, *qui id habeat*, *honeſtè poſſit gloriari.* quid autem eſt horum in voluptate? Melioremne efficit, aut laudabiliorem virum? an quiſquam in potiundis voluptatibus gloria ſeſe, & prædicatione effert? Atquì ſi voluptas, quæ plurimorum patrociniis defenditur, in rebus bonis habenda non eſt: eaque, *quo eſt major*, *eo magis mentem è ſua ſede*, *& ſtatu dimovet:* profectò nihil eſt aliud bene, & beatè vivere, niſi honeſtè, & rectè vivere.

PARADOXON II.

Ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν.

In quo virtus ſit, *ei nihil deeſſe ad beatè vivendum.*

1 NEC verò ego M. Regulum, ærumnoſum, nec infelicem, nec miſerum, umquam putavi. non enim [2] magnitudo animi ejus excruciabatur à Pœnis, non gravitas, non fides, non conſtantia, non ulla virtus, non denique animus ipſe: qui tot virtutum præſidio, tantoque comitatu, CUM CORPUS ejus caperetur, capi certè ipſe non potuit. Cajum verò Marium vidimus, qui mihi ſecundis in rebus unus ex fortunatis hominibus: in adverſis, unus ex ſummis viris videbatur, quo beatius eſſe mortali nihil poteſt. Neſcis, inſane, neſcis, quantas vireis virtus habeat, nomen tantum virtutis uſurpas: quid ipſa valeat, ignoras. NEMO poteſt non beatiſſimus eſſe, qui eſt totus aptus ex ſeſe, quique in ſe uno ſua ponit omnia. cui ſpes omnis, & ratio, & cogitatio pendet ex fortuna; huic nihil poteſt eſſe certi; [3] nihil quo exploratum habeat, permanſurum ſibi unum diem. Eum tu hominem terreto, ſi quem eris nactus, iſtis mortis, aut exſilii minis. mihi verò quidquid accidere in tam ingrata civitate, ne recuſanti quidem evenerit, non modò non repugnanti. Quid enim ego laboravi, aut quid egi, aut in quo evigilaverunt curæ, & cogitationes meæ, ſi quidem nihil peperi tale, nihil conſecutus ſum, ut eo ſtatu eſſem, quem neque fortunæ temeritas, neque inimicorum labefactaret injuria? Mortemne mihi minitaris, ut omnino ab hominibus an exilium, ut ab improbis demigrandum ſit? MORS terribilis eſt iis, quorum cum vita omnia exſtinguuntur: non iis, quorum laus emori non poteſt: exſilium autem illis, quibus quaſi circumſcriptus eſt habitandi locus: non iis, qui omnem orbem terrarum, unam urbem eſſe ducunt. Te miſeriæ, te ærumnæ [4] premunt, qui te beatum, qui florentem putas: tuæ libidines te torquent: tu dies, nocteiſque cruciaris; cui nec ſat eſt, quod eſt, [5] & idipſum, ne non ſit diuturnum, te conſcientiæ ſtimulant maleficiorum tuorum: te metus exanimant judiciorum, atque legum, quocumque adſpexiſti, ut furiæ, ſic tuæ tibi occurrunt injuriæ, quæ te reſpirare non ſinunt. Quamobrem UT IMPROBO, & ſtulto, & inerti nemini bene eſſe poteſt: ſic bonus vir, & fortis, & ſapiens, miſer eſſe non poteſt. *Nec verò, cujus virtus*, *moreſque laudandi ſunt*, *ejus non laudanda vita eſt:* neque porrò fugienda vita, quæ laudanda eſt. eſſet autem fugienda, ſi eſſet miſera. Quamobrem quidquid eſt laudabile, idem & beatum, & florens, & expetendum [6] videri decet.

PARADOXON III.

Ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα καὶ τὰ κατορθώματα.

Æqualia eſſe peccata, *& rectè facta.*

[7] PARVA, inquis, res eſt: at magna culpa. nec enim I
peccata, rerum eventu, ſed vitiis hominum metienda ſunt. In quo peccatur, id poteſt aliud alio majus eſſe, aut minus: ipſum quidem illud peccare, quoquò verteris, unum eſt. Auri navem evertat gubernator, an paleæ; in re aliquantulum, in gubernatoris inſcitia nihil intereſt. Lapſa eſt libido in muliere ignota: dolor ad pauciores pertinet, quàm ſi petulans fuiſſet in aliqua generoſa, ac nobili virgine: peccavit verò nihilominus, ſi quidem *eſt peccare*, *tamquam tranſilire lineas:* quod cùm feceris, culpa commiſſa eſt: quàm longè progrediare, cùm ſemel tranſieris, [8] ad augendam tranſeundi culpam nihil pertinet. Peccare certè licet nemini. Quod autem non licet, id hoc uno tenetur, ſi arguitur non licere. Id ſi nec majus, nec minus umquam fieri poteſt (quoniam in eo eſt peccatum, ſi non licuit; quod ſemper unum, & idem eſt) quæ ex eo peccata naſcuntur, æqualia ſint oportet. QUOD SI virtutes pares ſunt inter ſe: paria eſſe etiam vitia neceſſe eſt. Atqui pares eſſe virtutes, nec bono viro meliorem, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem, nec ſapiente ſapientiorem poſſe fieri, facillimè poteſt perſpici. An virum bonum dices, qui depoſitum nullo teſte, cùm lucrari impunè poſſet, auri pondo decem, reddiderit ſi idem in decem millibus pondo non idem fecerit? aut temperantem eum, qui ſe in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? UNA VIRTUS eſt conſentiens cum ratione, & perpetua conſtantia. nihil huic addi poteſt, quo magis virtus ſit: nihil demi, ut virtutis nomen relinquatur. etenim ſi benefacta, rectè facta ſunt; & nihil recto rectius: certè ne bono quidem melius quidquam inveniri poteſt. Sequitur igitur, ut etiam vitia ſint paria: ſiquidem *pravitates animi rectè vitia dicuntur.* Atqui quoniam pares virtutes ſunt: rectè facta, quando à virtutibus proficiſcuntur, paria eſſe debent: itemque peccata, quoniam ex vitiis manant, ſint æqualia neceſſe eſt. A philoſophis, inquis, iſta ſumis. Metuebam, ne à lenonibus diceres. Socrates diſputabat iſto modo. Bene hercle narras. nam iſtum doctum, & ſapientem virum fuiſſe, memoriæ traditum eſt. Sed tamen quæro ex te (quando verbis inter nos contendimus, non pugnis) [9] utrùm bonis eſt quærendum, quid bajuli, atque operarii, an quid homines doctiſſimi ſenſerint? præſertim cùm hac ſententia non modò verior, ſed ne utilior quidem homi-

---

1. *Nihil inter te atque quadrupedem aliquam putes intereſſe.*] Nolui abire à Palatinis præſertim cùm ſic quoque ediderit Victorius, niſi quod repetierit; *inter*, nimis odioſe, cùm ſtatim ſequeretur *intereſſe.* vulgati: *atque inter quadrupedem aliquid putes.* Gulielmius voluit exprimi, *inter quadrupedem dicas intereſſe*, fide cod. Mauriciani; quod non ſic putarent tantum ſed dicerent, cùm voluptatem arctè defenderent.

2. *Magnitudo animi excruciabatur.*] Ita maluit ex codice Metelli Gulielmii. vulgo *cruciabatur.*

3. *Nihil quo exploratum habeat permanſurum ſibi unum diem.*] Eſt à duobus Pall. ſententia tam expedita, ut de ejus veritate verbum facere, ſupervacuum ſit. Editi, *nihilque quod exploratum habeat permanſurum ſibi ne unum quidem diem.*

4. *Premunt qui te beatum qui florentem putas.*] Sic Pal. omnes, niſi quod ſecundus, *te fortem*, *qui te florentem.* non male. Editi *premunt omnes qui te beatum qui te flor. putas.*

5. *Et id ipſum*, *ne non ſit diuturnum times.*] Eſt à Pal. ſec. cui & accedit tert. item M. F. V. niſi quod ii verbo auctiores, *diuturnum futurum times.* Vulgati: *& id ipſum quod habes*, *ne non ſit diuturnum futurum times.*

6. *Videri decet.*] Ita major pars librorum pluteariorum; ſecutuſque fuit Victorius. alii *debet.*

7. *Parva*, *inquis*, *res eſt: at magna culpa:*] Palatini noſtri codicibus eis accedunt, in quibus hæret: *Parva*, *inquit*, *eſt ut magna culpa.*

8. *Ad augendam tranſeundi culpam.*] Vox *tranſeundi* non eſt in Pal. ſec. & eſt alioquin otioſa.

9. *Utrum bonis eſt quærendum.*] Haud aliter publicatus à Victorio, acceditque Pal. ſecund. item Maur. F. V. Alii, *utrum potius de bonis*, *&c.* quod loco non movebat Gulielmius, quamvis probaret alterum.

1. Quæ

hominum vitæ reperiri ulla poſſit. Quæ vis enim eſt, quæ magis arceat homines ab improbitate omni, quàm ſi ſenſerint, nullum in delictis eſſe diſcrimen? æque peccare ſe, ſi privatis, ac ſi magiſtratibus manus adferant: quamcumque in domum ſtuprum intulerint, eandem eſſe labem libidinis? Nihilne igitur intereſt (nam hoc dicet aliquis) patrem quis enecet, an ſervum? Nuda iſta ſi ponas, judicari qualia ſint, non facilè poſſunt. patrem vita privare, ſi per ſe ſcelus eſt: Saguntini, qui parenteis ſuos, liberos emori, quàm ſervos vivere maluerunt, parricidæ fuerunt. ergo *& parenti nonnumquam adimi vita ſine ſcelere poteſt: & ſervo ſæpe ſine injuria non poteſt.* Cauſa igitur hæc, non natura diſtinguit: [1] quæ quoniam utro acceſſit, id fit propenſius; ſi utroque adjuncta ſit, paria fiant, neceſſe eſt. illud tamen intereſt, quod *in ſervo necando*, ſi adſit injuria, ſemel peccatur. [2] in *patris vita violanda*, multa peccantur. violatur is, qui procreavit: is, qui aluit: is, qui erudivit: is, qui in ſede, ac domo, atque in rep. collocavit. multitudine peccatorum præſtat, eoque pœna majore dignus eſt. Sed nos in vita, non quæ cuique peccato pœna ſit, ſed quantum cuique liceat, ſpectare debemus. *quidquid non oportet, ſcelus eſſe: quidquid non licet, nefas putare debemus.* Etiamne in minimis rebus? etiam: ſi quidem rerum modum fingere non poſſumus, animorum modum tenere poſſumus. Hiſtrio ſi paullum ſe movit extra numerum, aut ſi verſus pronuntiatus eſt ſyllaba una brevior, aut longior, exſibilatur, & exploditur: [3] in vita tu, qui omni geſtu moderatior, omni verſu aptior eſſe debes, ut in ſyllaba te peccare dices? poëtam non audio in nugis: in vitæ ſocietate audiam civem digitis peccata dimetientem ſua? quæ *ſi viſa ſunt breviora, leviora qui poſſint videri*, cùm quidquid peccatur, perturbatione peccetur rationis, atque ordinis? perturbata autem ſemel ratione, & ordine, nihil poſſit addi, quo magis peccari poſſe videatur.

PARADOXON IV.

Ὅτι πάντες οἱ μωροὶ μαίνονται.

Omnes ſtultos inſanire.

1 Ego verò te non ſtultum, ut ſæpe, non improbum, ut ſemper, ſed dementem, & inſanum [4] rebus addicam neceſſariis. Sapientis animus magnitudine conſilii, tolerantia rerum humanarum, contemtione fortunæ, virtutibus denique omnibus, ut mœnibus ſæptus, vincetur, & expugnabitur, qui ne civitate quidem pelli poteſt? quæ eſt enim *civitas*? Omniſne conventus [5] etiam furum & immanium? omniſne etiam fugitivorum, ac latronum, congregata unum in locum multitudo? certe negabis. Non igitur erat illa tum civitas, cùm leges in ea nihil valebant: cum judicia jacebant: cùm mos patrius occiderat: cùm ferro pulſis magiſtratibus, ſenatus nomen in rep. non erat. Prædonum ille concurſus, & te duce latrocinium in foro conſtitutum, & reliquiæ conjurationis à Catilinæ furiis ad tuum ſcelus, furoremque converſæ, non civitas erat? Itaque pulſus ego civitate non ſum, quæ nulla erat. accerſitus in civitatem ſum, cùm eſſet in rep. conſul, qui tum nullus fuerat: eſſet ſenatus, qui tum occiderat: eſſet conſenſus populi liber: eſſet juris, & æquitatis, *(quæ vincla ſunt civitatis)* repetita memoria. At vide, quam iſta tui latrocinii tela contemſerim. jactam, & immiſſam à te nefariam in me injuriam ſemper duxi. [6] perveniſſe ad me numquam putavi: niſi fortè, cùm parietes diſturbabas, aut cùm tectis ſceleratas faceis inferebas, meorum aliquid ruere, aut deflagrare arbitrabare. Nihil neque meum eſt, neque cujuſquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti poteſt. Si mihi eripuiſſes divinam animi mei conſtantiam, meas curas, vigilias, conſilia, [7] quibus reſpublica te invitiſſimo ſtat; ſi hujus æterni beneficii immortalem memoriam deleviſſes: multo etiam magis ſi illam mentem unde hæc conſilia manarunt, mihi eripuiſſes: tum ego accepiſſe me confiterer injuriam. Sed ſi hæc nec feciſti, nec facere potuiſti: reditum mihi glorioſum injuria tua dedit, non exitum calamitoſum: Ergò ego ſemper civis; & tum maximè, cùm meam ſalutem ſenatus exteris nationibus, ut civis optimi, commendabat; tu, [8] ne nunc quidem: *niſi forte idem eſſe hoſtis, & civis poteſt.* An tu civem ab hoſte *natura, ac loco*, non *animo, factiſque* diſtinguis? Cædem in foro feciſti: armatis latronibus templa tenuiſti: privatorum domos, ædeis ſacras incendiſti. Cur hoſtis Spartacus, ſi tu civis? potes autem eſſe tu civis, propter quem aliquando civitas non fuit? [9] & me tuo nomine appellas, cùm omnes *meo diſceſſu exſulaſſe rempublicam* putent? Nunquamne, homo amentiſſime, te circumſpicies? nunquàm nec quid facias conſiderabis, nec quid loquare? neſcis, exsilium scelerum esse poenam? meum illud iter ob præclariſſimas res à me geſtas eſſe ſuſceptum? Omnes ſcelerati, atque impii, quorum tu te ducem eſſe profiteris, quos leges exſilio affici volunt, exſules ſunt, etiam ſi ſolum non mutarunt. an cùm omnes leges te exſulem eſſe jubeant, non eris tu exſul? [10] Num appellatur inimicus, *qui cum telo fuerit?* ante ſenatum tua ſica deprehenſa eſt. *qui hominem occiderit?* tu plurimos occidiſti. *qui incendium fecerit?* ædes Nympharum manu tua deflagrarunt. *qui templa occupaverit?* in foro caſtra poſuiſti. Sed quid ego communeis leges profero, quibus omnibus es exſul? Familiariſſimus tuus de te privilegium tulit, *ut, ſi in opertum Bonæ Deæ acceſſiſſes, exſulares.* At te id feciſſe, etiam gloriari ſoles. Quomodo igitur tot legibus in exſilium ejectus, nomen exſulis non perhorreſcis? Romæ ſum, inquis. & quidem in operto fuiſti. *Non igitur ubi quiſque erit, ejus loci jus tenebit: ſi ibi eum legibus eſſe non oportebit.*

PARA-

1. *Quæ quoniam utro acceſſit.*] Eſt à Victoriana ed. cui accedunt membranæ S. Victoris & Met. nam reliquæ *ultrò*. vulgò; *quæ quoniam alteri acceſſit, &c.*

2. *In patris vita violanda.*] Dictio *violanda*, abeſſe poterat ſententia ſalva, & ingrata eſt heic auribus, cùm ſtatim iterum ſequatur.

3. *In vita tu, qui omni geſtu moderatior, omni verſu aptior eſſe debes, ut in Syllaba, &c.*] Sic quatuordecim exemplaria ſcripta Aldi Nepotis, neque aliter Pal. prim. & Mauricianus, niſi quod deſtitueretur particula *ut*, quam ceteris ſuis mſſ. non adeſſe, adnotavit Gulielmius, probavitque. vulgati, *in vita, quæ, &c. debet, ut, &c.*

4. *Rebus adducam neceſſariis.*] Sic Palatini. Giſanius prodidit in mſ. ſuo, fuiſſe, *advincam*. videantur Victorii, Lambini, Suffridi, Aldique Nepotis notæ, lectionum diverſitatibus mirè ſcatentes.

5. *Etiam furum.*] Ita Pal. pr. ac. tert. idem Mauric. V. Fab. quorum ultimus *etiam furium*, quod Gulielmio aptius viſum, ad illud quod mox infert, *fugitivorum*. Vulgati, *Omnis ne conventus ferorum*. Victoriani, *o. c. etiam ferorum*.

6. *Perveniſſe ad me nunquam putavi.*] Sic Pal. & Gul. ſine *tamen*, quod in vulgatis. Pal. tert. præterea excluſit, *ad me*; *licetque per me.* cui tamen minus placet quod præceſſit, *nefariam in me injuriam*: non placet, inquam, dictio *injuriam*. ſed quid ejus loco ſubſtituam non reperio.

7. *Quibus reſpublica te invitiſſima ſtat.*] Eſt Lambini, ſed mutuò fere ſumptum à Victoriana, quæ mirè tamen diſcedit à vulgatis. Pal. horum nihil omnino habent; expreſſere enim ferè, *vigilias, conſilia in rempubl.*; *ſi hujus, &c.* quomodo ferè in editione prima; nempe, *conſilia ſi remp. ſi hujus.* Gulielmius promſit ex Metelli libro, *ſi modò inventa in rep.* unde, ſi auſit, libens fecerit, *ſi monumenta in rep.* verum deſperatis potius abſtineamus.

8. *Ne nunc quidem: niſi fortè, &c.*] Vulgati, *quidem es civis*; ſed delevi ſuaſu Pal. tertii, S. Victoris item auctoritate editionis Victorinæ.

9. *Et me tuo nomine appellas.*] Ita in Lambini mſſ. quatuor tribus Pal. & totidem Gul. interjecerant magiſtelli, *exſulem*.

10. *Num appelletur inimicus, &c.*] Vitioſiſſima hoc loco Victorii editio: ceteræ tolerabiliores. itaque ſecutus ſum retrò vulgatos, niſi quod ex veteribus noſtris membranis pinxi *appelletur* pro *appellatur*, atque auctoritate Palat. tertii ac ſexti, *Non* reſinxerim in *Num*: argumentatur quippe à minori ad majus. Si inimicus eſt, qui deprenſus alicubi cum telo: quid tu, cujus ſica penetravit in ſanctiſſimum Urbis locum curiam? ſi inimicus, qui unicum occidit; quid tu, qui plurimos? ſi inimicus, qui incendio graſſatur, &c. ſunt enim liquidiora, quam ut debeam inculcare.

1. Illud

PARADOXON V.

Ὅτι πάντες οἱ σοφοὶ, ἐλεύθεροι, πάντες δὲ μωροὶ, δοῦλοι.

Omneis ſapienteis liberos eſſe, & ſtultos omneis, ſervos.

1 LAUDETUR verò hîc imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur. quo modo, aut cui tandem hic libero imperabit, qui non poteſt cupiditatibus ſuis imperare? Refrenet primùm libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat avaritiam, ceteras animi labes repellat: TUM INCIPIAT aliis imperare, cùm ipſe *improbiſſimis dominis*, dedecori, ac turpitudini parêre deſierit. dum quidem his obediet, non modò imperator, ſed liber habendus omninò non erit. præclarè enim eſt hoc uſurpatum à doctiſſimis, quorum auctoritate non uterer, ſi mihi apud aliquos agreſteis hæc habenda eſſet oratio. cùm verò apud prudentiſſimos loquar, quibus hæc inaudita non ſunt: cur ego ſimulem, me, ſi quid in his ſtudiis operæ poſuerim, perdidiſſe? Dictum eſt igitur ab eruditiſſimis viris, NISI SAPIENTEM, LIBERUM ESSE NEMINEM. Quid eſt enim *libertas? poteſtas vivendi, ut velis.* Quis igitur vivit, ut vult, niſi qui recta ſequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via conſiderata, atque proviſa eſt? qui *legibus quidem non propter metum paret, ſed eas ſequitur, atque colit, quia id ſalutare maximè eſſe judicat:* qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, niſi libenter, ac liberè: cujus omnia conſilia, reſque omnes, quas gerit, ab ipſo proficiſcuntur, eodemque feruntur: nec eſt ulla res, quæ plus apud eum polleat, quàm ipſius voluntas, atque judicium: cui quidem etiam (quæ vim habere maximam dicitur) Fortuna ipſa cedit: ſicut ſapiens poëta dixit; *Suis ea cuique fingitur moribus.* Soli igitur hoc contingit ſapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. quod etſi ita eſſe, pluribus verbis diſſerendum eſt: [1] illud tamen & breve & confitendum eſt, niſi qui ita ſit affectus, eſſe liberum neminem. [2] Igitur omnes improbi, ſervi. nec hoc tam re eſt, quàm dictu inopinatum, atque mirabile. non enim ita dicunt, eos eſſe ſervos, ut mancipia, quæ ſunt dominorum facta nexu, aut aliquo jure civili: ſed, ſi *ſervitus* ſit, ſicut eſt, *obedientia fracti animi, & abjecti & arbitrio carentis ſuo*, quis neget, omneis leveis, omneis cupi-
2 dos, omneis denique [3] improbos, eſſe ſervos? An ille mihi liber, cui mulier imperat? cui leges imponit, præſcribit, jubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare, [4] nihil recuſare audet? poſcit? dandum eſt: vocat? veniendum? ejicit? abeundum. minatur? extimeſcendum. Ego verò iſtum NON MODO ſervum, ſed nequiſſimum ſervum, etiam ſi in ampliſſima familia natus ſit, appellandum puto. [5] Atque ut in magna ſtultorum familia ſunt alii lautiores (ut ſibi videntur) ſervi, ſed tamen ſervi, atrienſes ac topiarii ſtultitiæ ſuæ: quos ſigna, quos tabulæ, quos cœlatum argentum, quos Corinthia opera, quos ædificia magnifica nimio opere delectant. *Et ſumus*, inquiunt, *civitatis principes.* Vos verò ne conſervorum quidem veſtrorum principes eſtis. Sed ut in familia, qui tractant iſta, qui tergunt, qui ungunt, qui verrunt, qui ſpargunt, non honeſtiſſimum locum ſervitutis tenent: ſic in civitate, qui ſe iſtarum rerum cupiditatibus dediderunt, ipſius civitatis locum pænè infimum obtinent. *Magna*, inquis, *bella geſſi: magnis imperiis, & provinciis præfui.* Gere igitur animum laude dignum. Echionis tabula te ſtupidum detinet, aut ſignum aliquod Polycleti. Omitto, unde ſuſtuleris, & quomodo habeas. intuentem te, admirantem, clamores tollentem cùm video, ſervum te eſſe ineptiarum omnium judico. *Nonne igitur ſunt iſta feſtiva?* Sunt. nam nos quoque oculos eruditos habemus. [6] ſed obſecro te, ita venuſta habeantur iſta, [7] non ut vincula virorum ſint, ſed ut oblectamenta puerorum. Quid enim cenſes? ſi L. Mummius aliquem iſtorum videret matellionem Corinthium cupidiſſimè tractantem, cùm ipſe totam Corinthum contempſiſſet: UTRUM illum civem excellentem, an atrienſem diligentem putaret? Reviviſcat M. Curius, aut eorum aliquis, quorum in villa, ac domo nihil ſplendidum, nihil ornatum fuit, præter ipſos; & videat aliquem ſummis populi beneficiis uſum, barbatulos mullos [8] exceptantem de piſcina, & pertractantem, & murænarum copia gloriantem: nonne hunc hominem ita ſervum judicet, ut ne in familia quidem dignum majore aliquo negotio putet? AN EORUM ſervitus dubia eſt, qui cupiditate peculii nullam conditionem recuſant duriſſimæ ſervitutis? HEREDITATIS ſpes quid iniquitatis in ſerviendo non ſuſcipit? quem nutum locupletis orbi ſenis non obſervat? loquitur ad voluntatem: quidquid denuntiatum ſit, facit: aſſectatur, aſſidet, muneratur. quid horum eſt liberi? quid denique ſervi non inertis? Quid? jam illa *cupiditas* (quæ videtur 3
eſſe liberalior) *honoris, imperii, provinciarum, quam dura eſt domina!* quàm imperioſa! quàm vehemens! Cethego homini non probatiſſimo, ſervire coëgit eos, qui ſibi eſſe ampliſſimi videbantur; munera mittere, noctu venire domum ad eum, precari, denique ſupplicare. quæ ſervitus eſt, ſi hæc libertas exiſtimari poteſt? Quid? cùm cupiditatum dominatus exceſſit, & alius eſt dominus exortus ex conſcientia peccatorum, timor? quàm eſt illa miſera, quàm dura ſervitus! adoleſcentibus paullo loquacioribus eſt ſerviendum: omnes, qui aliquid ſcire videntur, tamquam domini, timentur. [9] Judex verò quantum habet dominatum? quo timore nocenteis afficit? an non eſt *omnis metus, ſervitus?* Quid valet igitur illa eloquentiſſimi viri, L. Craſſi, copioſa magis, quàm ſapiens oratio? ERIPITE NOS EX SERVITUTE. quæ eſt iſta ſervitus, tam claro homini, tamque nobili? Omnis animi debilitati, & humilis, & fracti timiditas, ſervitus eſt. NOLITE *ſinere nos cuiquam ſervire.* In libertatem vindicari vult? minimè. Quid enim adjungit? NISI *vobis univerſis.* Dominum mutare, non liber eſſe vult. QUIBUS *& poſſumus & debemus.* Nos verò, ſiquidem animo excelſo, & alto, & virtutibus exagge-

---

1. *Illud tamen & breve, & confitendum eſt.*] Sic Maur. & Pal. tert. & duæ edd. vett. imò ipſamet Victoriana. Vulgata, *illud tamen brevi conficiendum eſt.*

2. *Servi igitur omnes improbi.*] Sic Pall. omn. & Gul. ſecundus, præterea noſter geminat vocabulum *ſervi*, non ſine venere. *Servi igitur omnes improbi ſervi.*

3. *Improbos eſſe ſervos.*] Gulielmius edi voluit ex Mauric. *improbos, & ſervos eſſe.* & enim pro *etiam* familiare eſſe Ciceroni.

4. *Nihil recuſanti audet.*] Verbum *recuſare* non conſpicitur in Mauric. habetque pro pædagogi adjectione Gulielmius. & verò id quoque editione ſua ejecit Aldus Nepos, ſed ſine ſuffragiis librorum ſuorum.

5. *Atque ut in magna ſtultorum familia, &c.*] Locus vexatiſſimus ſi quiſquam in Cicerone. nos repræſentavimus editionem Victorii, proximè accedentem ad exemplaria calamo exarata; cui & acquieſcebat Gulielmius. Aldus Nepos pedibus ibat in conjecturam Giſanii, quam expreſſit in Notis ſuis Suffridus, quæ videantur. Ego poſt tot ariolos capillum non dimitto.

6. *Sed obſecro te, ita venuſta habeantur iſta, non ut vincla virorum ſint, ſed ut oblectamenta puerorum.*] Jubet enim ut tabulæ & ſigna artificum ſint oblectamenta noſtra, non vero vincula, quæ totos nos teneant, ac poſſideant. *Vincla* tamen hic non patitur & *jocula* reponit *Iſ. Voſſius.*

7. *Non ut vincula virorum, &c.*] Legendum cenſet Salmaſius: *non ut jocula virorum ſint, ſed ut oblectamenta puerorum*, ὡς μὲν ἀντὶ ἀνδρῶν παίγνια, ἀλλὰ παιδαρίων παιγνίδια. Hodie *jocalia* vocamus ſupellectilem omnem gemmariam, qua mulieres oblectantur. Latini veteres *joculum* dixere id omne, ex quo aliquis voluptatem caperet, & in quo maximè adquieſceret, Græci παίγνιον. Vide *Salmaſ. Plin.*

8. *Exceptantem de piſcina.*] Non carpo; ſed tamen communicanda videtur publico ſcriptura Pal. ſec. quæ, *excitantem*; ut innuat multos iſtos ad domini vocem ultrò acceſſiſſe ad ejus manum.

9. *Judex verò quantum habet dominatum.*] Sic & mſſ. noſtri neque inclinandum in Lambini *index.* neque enim index timetur: jam enim accuſavit ſuum reum, ſimulatque indicis nomen accepit. ceterùm digna videtur notatione ſcriptura Pal. tertii, *quantum habet.*

exaggerato ſumus, nec debemus, nec poſſumus. Tu poſſe te dicito, quoniam quidem potes: debere ne dixeris: [1] quoniam *nihil quiſquam debet, niſi quod eſt turpe non reddere*. Sed hæc hactenus. Ille videat, quomodo imperator eſſe poſſit: cùm eum ne liberum quidem eſſe ratio, & veritas ipſa convincat.

PARADOXON VI.

Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος.

Solum ſapientem eſſe divitem.

1 Quæ eſt iſta in commemoranda pecunia tua tam inſolens oſtentatio? ſolusne tu dives? Prò dii immortales. egone me audiviſſe aliquid, & didiciſſe, non gaudeam? Solusne dives? Quid ſi ne dives quidem? quid ſi pauper etiam? Quem enim intelligimus *divitem*? aut, hoc verbum, in quo homine ponimus? opinor in eo cui tanta poſſeſſio eſt, ut ad liberaliter vivendum facilè contentus ſit: qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet ampliùs. Animus oportet tuus, ſe judicet divitem, non hominum ſermo, neque poſſeſſiones [2] tuæ: nihil ſibi deeſſe putet, nihil curet ampliùs. ſatiatus eſt, aut contentus etiam pecunia? concedo, dives es. ſin autem propter aviditatem pecuniæ nullum quæſtum turpem putas, cùm iſti ordini *ne honeſtus quidem poſſit eſſe ullus*: ſi quotidiè fraudas, decipis, poſcis, paciſceris, aufers, eripis: ſi ſocios ſpolias, ærarium expilas: ſi teſtamenta amicorum exſpectas, aut ne exſpectas quidem, atque ipſe ſupponis: hæc utrùm abundantis, an egentis ſigna ſunt? *Animus hominis, dives, non arca appellari ſolet.* quamvis illa ſit plena, dum te inanem videbo, divitem non putabo. etenim ex eo, quantum cuique ſatis eſt, metiuntur homines divitiarum modum. Filiam quis habet? pecunia eſt opus. duas? majore. plureis? majore etiam. & ſi, ut ajunt Danai, quinquaginta ſint filiæ: tot dotes magnam quærunt pecuniam. Quantum enim cuique opus eſt, ad id accommodatur, ut antè dixi, divitiarum modus. qui igitur non filias plureis, ſed innumerabileis cupiditates habet, quæ brevi tempore maximas copias exhaurire poſſint; hunc quo modo ego appellabo divitem, cùm ipſe etiam egere ſe ſentiat? multi ex te audierunt, cùm diceres, *neminem eſſe divitem, niſi qui exercitum alere poſſet ſuis fructibus*: [3] quod populus Romanus tantis vectigalibus jampridem vix poteſt. ergo hoc propoſito, numquam eris dives antè, quàm tibi ex tuis poſſeſſionibus tantum reficiatur, ut ex eo tueri ſex legiones, & magna equitum, ac peditum auxilia poſſis. Jam fateris igitur non eſſe te divitem, cui tantum deſit, ut expleas id, quod exoptas. itaque iſtam *paupertatem*, vel potiùs *egeſtatem*, ac *mendicitatem*
2 tuam numquam obſcurè tuliſti. Nam ut iis, qui honeſtè rem quærunt mercaturis faciendis, operis dandis, publicis ſumendis, intelligimus opus eſſe quæſito: ſic, qui videt domi tuæ pariter accuſatorum, atque indicum conſociatos greges; qui nocenteis & pecunioſos reos eodem te auctore corruptelam judicii molienteis, qui tuas mercedum pactiones in patrociniis interciſas, pecuniarum in coitionibus candidatorum, dimiſſiones libertorum [4] ad deſænerandas, diripiendaſque provincias: qui expulſiones vicinorum, qui latrocinia in agris, qui cum ſervis, cum libertis, cum clientibus ſocietates, qui poſſeſſiones vacuas, qui proſcriptiones locupletium, qui cædes municipiorum, qui illam Sullani temporis meſſem recordetur, qui teſtamenta ſubjecta, qui ſublatos tot homines; qui denique *omnia venalia*, dilectum, [5] decretum, alienam, ſuam ſententiam, forum, domum, vocem, ſilentium: quis hunc non putet confiteri, ſibi quæſito opus eſſe? Cui autem quæſito opus ſit, quis umquam hunc verè dixerit divitem? eſt enim *divitiarum fructus in copia*: copiam autem declarat ſatietas rerum, atque abundantia: quam tu quoniam numquam aſſequêre, numquam omninò es futurus dives. Meam autem quoniam pecuniam contemnis, & rectè (eſt enim ad vulgi opinionem mediocris; ad tuam, nulla; ad meam, modica) de me ſilebo: de te loquar. Si cenſenda nobis, atque æſtimanda res ſit, utrùm tandem pluris æſtimemus pecuniam Pyrrhi, quam Fabricio dabat, an continentiam Fabricii, [6] qui illam pecuniam repudiabat? utrùm aurum Samnitum, an reſponſum M. Curii? hereditatem L. Paulli, an liberalitatem Africani, qui ejus hereditatis Q. Maximo fratri partem ſuam conceſſit? *Hæc profectò, quæ ſunt ſummarum virtutum, pluris æſtimanda ſunt, quàm illa, quæ ſunt pecuniæ.* Quis igitur (ſi quidem, ut quiſque, quod plurimi ſit, poſſideat, ita ditiſſimus habendus ſit) dubitet, quin in virtute divitiæ ſint? quoniam nulla poſſeſſio, nulla vis auri, &
argenti, pluris, quàm virtus, æſtimanda eſt. O dii immor- 3
tales: non intelligunt homines, quàm *magnum vectigal ſit parſimonia!* venio enim jam ad ſumptuoſos: relinquo iſtum quæſtuoſum. Capit ille ex ſuis prædiis [7] ſexcenta ſeſtertia: ego centena ex meis: illi aurata tecta in villis, & ſola marmorea facienti, & ſigna, tabulas, ſuppellectilem, [8] & veſtem infinitè concupiſcenti, [9] non modò ad fructum ille eſt ſumptus, ſed etiam ad fænus, exiguus. ex meo tenui vectigali, detractis ſumtibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit. Uter igitur eſt ditior, cui deeſt, an cui ſuperat? qui eget, an qui abundat? cujus poſſeſſio quo eſt major, eo plus requirit ad ſe tuendam: an quæ ſuis ſe viribus ſuſtinet? Sed quid ego de me loquor, qui morum, ac temporum vitio aliquantum etiam ipſe fortaſſe in hujus ſæculi errore verſer? M. Manilius patrum noſtrorum memoria (ne ſemper Curios, & Luſcinos loquamur) pauper tandem fuit. habuit enim ædiculas in Carinis, & fundum in Labicano. [10] nos igitur divitiores, qui plura habemus? utinam quidem. ſed non æstimatione census, verùm victu, atque cultu terminatur pecuniæ modus. non eſſe cupidum, pecunia eſt: non eſſe emacem, vectigal eſt. contentum verò ſuis rebus eſſe, maximæ ſunt, certiſſimæque divitiæ. Etenim ſi iſti callidi rerum æſtimatores, prata, & areas quaſdam magno æſtimant, quòd ei generi poſſeſſionum [11] minimè quaſi noceri poteſt: quanti eſt æſti-

1. *Quoniam nihil quiſquam debet.*] Vox initialis videtur ſupervacua. ſanè cùm linea præcedenti habeatur *quoniam quidem*, addicentibus omnibus fere mſſ. odiosè heic quoque repetatur.

2. *Tuæ: niſi ſibi deeſſe putet, nihil curet amplius, ſatiatus eſt, aut, &c.*] Ita mſſ. Pal. & quos conſuluit Gulielmius. prius editi: *tuæ. qui ſi tibi nihil deeſſe putas, nihil curas amplius, ſatiatus es, aut, &c.* noſtræ ſcripturæ acceſſit editio Victorii, niſi quod ea, *putat* item *curat*.

3. *Populus Rom. tantis vectigalibus.*] Particulam *ex* abjeci ut non neceſſariam ex fide librorum ſcriptorum, & ex impreſſis vetuſtiſſimi cujuſque. neque aliter Victorius.

4. *Ad deſænerandas, &c.*] Liber ſcriptus Gulielmii, *deferendas* unde ipſe putabat aliquando legendum *differendas*.

5. *Dilectum, decretum.*] Paullus Manutius conjiciebat, *decretum*. Guliel. *edictum*. Pal. tert. habet *delicium*. Mihi vulgata lectio ſatisfacit; ut dicat ad militiam adſcitos vel non adſcitos prout demeruerant vel non demeruerant præſidem pecunia doniſque. Wolfius accommodat venditioni functionum earum quæ lucroſæ erant.

6. *Qui illam pecuniam repudiabat.*] Dictio *pecuniam* non eſt in Pal. tert. & poterat abeſſe ſalva ſententia.

7. *Sexcenta ſeſtertia.*] Locum hunc pro vitioſo habet Budæus libro de Aſſe ſecundo.

8. *Et veſtem infinitè concupiſcenti.*] Pal. ſec. habet, & *veſtem voſtrate*; aut certè *roſtratè concup.* quæ quid ſibi velit examinabunt curioſiores.

9. *Non modò ad fructum ille eſt ſumptus, &c.*] Sic editi antiquitus, ſic mſſ. noſtri aliorumque. voluit tamen Lambinus, *non modò ad ſumptum ille fructus*; arripuitque Aldus Nepos, quaſi inventum in unis membranis, cum tamen viginti & amplius tuerentur ſcripturam priorem. quæ hoc vult, tantum abeſſe ut ſexcenta illa ſufficiant ad ſumtus domeſticos, ut ne quidem ſatis ſint ad diſſolvendum fænus.

10. *Nos igitur divitiores qui plura habemus? utinam quidam.*] Ita primæ edd. & mſſ. noſtri omnes. ſubſequentes enim, *ditiores ſumus qui plura habemus? utinam quidem eſſemus.* ſupervacaneè.

11. *Minimè quaſi noceri poſſit.*] Gulielmius conjiciebat, *caſu noceri*. neſcio an verè. *quaſi* enim notat etiam ferè, ut multis oſtendit Manutius Nepos.

1. Nʃt

æſtimanda *virtus: quæ nec eripi, nec ſurripi poteſt umquam: neque naufragio, neque incendio amittitur:* [1] *nec tempeſtatum, nec temporum permutatione mutatur?* qua præditi qui ſunt, ſoli ſunt divites. Soli enim poſſident res & fructuoſas, & ſempiternas: ſolique (quod eſt proprium divitiarum) contenti ſunt rebus ſuis. ſatis eſſe putant, quod eſt: nihil appetunt, nulla re egent, nihil ſibi deeſſe ſentiunt, nihil requirunt. Improbi autem, & avari, quoniam incertas, [2] atque in caſu poſitas habent, & plus ſemper appetunt, *nec eorum quiſquam adhuc inventus eſt, cui, quod haberet, eſſet ſatis;* non modò non copioſi ac divites, ſed etiam inopes ac pauperes exiſtimandi ſunt.

1. *Nec tempeſtatum nec temporum perturbatione mutatur.*] Haud ſecus olim editi: & ſic Pall. omnes, item plerique Aldi Nepotis codices. Gulielmio probabatur veteris editionis lectio, *perturbatione movetur.* in Palatin. prim. exſtat, *nec vi tempeſtatum,* quod & in uno Manutiano.

2. *Atque in caſu poſitas.*] Gulielmii Maur. *in uſu.* quo ei non diſplicet; quia, inquit, utuntur, opus habent quæſito, ut ſumptus reficiatur.

Q. CICERO
DE
PETITIONE CONSULATUS,
AD
M. TULLIUM FRATREM.

1 ETsi tibi omnia ſuppetunt, quæ conſequi ingenio, [1] aut uſu homines, aut diligentia poſſunt: [2] tamen amore noſtro non ſum arbitratus alienum, ad te perſcribere ea, quæ mihi veniebant in mentem, dies ac nocteis de petitione tua cogitanti. non ut aliquid ex iis novi adjicerem: ſed ut ea, quæ in re diſperſa, atque infinita viderentur eſſe, ratione, & diſtributione ſub uno adſpectu ponerentur. [3] Quamquam *plurimum natura valet*, tamen videtur in paucorum menſium negotio poſſe *ſimulatio naturam vincere.* Civitas quæ ſit, cogita, quid petas, qui ſis. Propè quotidiè ad forum tibi deſcendenti [4] meditatum hoc ſit, NOVUUS SUM, CONSULATUM PETO, ROMA EST. Nominis novitatem dicendi gloria maximè ſublevabis. Semper ea res plurimum dignitatis habuit. Non poteſt, qui dignus habetur patronus conſularium, indignus conſulatu putari. Quamobrem, quoniam ab hàc laude proficiſceris, & quicquid es, ex hoc es: ita paratus ad dicendum venito, quaſi in ſingulis cauſis judicium de omni ingenio futurum ſit. Ejus facultatis adjumenta, quæ tibi ſcio eſſe ſepoſita, *ut parata ac prompta ſint, cura*; & ſæpe, quæ de Demoſthenis ſtudio & exercitatione ſcripſit Demetrius, recordare. Deinde & AMICORUM multitudo, genera appareant: habes enim ea, [5] quæ novi habuerunt; omneis publicanos, totum ferè equeſtrem ordinem, [6] multa præterea mancipia, multos abs te defenſos cujuſque ordinis, aliquot collegia: præterea *ſtudio dicendi conciliatos* plurimos adoleſcentulos, quotidianam amicorum aſſiduitatem & frequentiam. Hæc cura ut teneas commendando, & rogando, & omni ratione efficiendo, ut intelligant, & qui debent tua cauſa, referendæ gratiæ; & qui volunt obligandi tui tempus ſibi aliud nullum fore. Etiam hoc multum videtur adjuvare poſſe *novum hominem*, hominum nobilium voluntas, & maximè conſularium. PRODEST quorum in locum ac numerum pervenire velis, ab his ipſis loco, ac numero dignum putari. Hi rogandi omnes ſunt diligenter, & ad eos [7] allegandum; perſuadendumque eſt iis, nos ſemper cum optimatibus de rep. *ſenſiſſe*, minimè populares fuiſſe. ſi quid *locuti* populariter, id nos eo conſilio feciſſe, ut nobis Cn. Pompejum adjungeremus, ut eum, qui plurimùm poſſet, aut amicum in noſtra petitione haberemus, aut certè non adverſarium. Præterea adoleſcenteis nobileis elabora, ut habeas, vel ut teneas, ſtudioſos tui quos habes. Multum dignitatis afferent. Plurimos habes: perfice ut ſciant, quantum in his putes eſſe. [8] ſi adduxeris, ut ii, qui non nolunt, cupiant, plurimum proderunt. Ac multum etiam novitatem tuam 2
adjuvat, quòd ejuſmodi nobiles tecum petunt, ut nemo ſit, qui audeat dicere, plus illis NOBILITATEM, quàm tibi VIRTUTEM prodeſſe oportere. [9] Jam P. Galbam, & L. Caſſium, ſummo loco natos, quis eſt, qui petere conſulatum putet? vides igitur ampliſſimis ex familiis homines, [10] quod ſine nervis ſint, tibi pares non eſſe. At Antonius & Catilina moleſti ſunt. Immo [11] homini novo, induſtrio, innocenti, diſerto, gratioſo apud eos, qui res judicant, *optandi competitores*: ambo à pueritia ſicarii, ambo libidinoſi, ambo egentes. Eorum alterius bona proſcripta vidimus, vocem denique audivimus jurantis, *ſe Romæ judicio æquo cum homine Græco certare non poſſe:* & ex ſenatu ejectum ſcimus. Optima verò cenſorum exiſtimatione in prætura competitorem habuimus, amico Sabidio, & Panthera, cùm ad tabulam quos poneret, non habebat. quo tamen *in magiſtratu amicam*, quam palàm domi haberet, [12] de machinis emit. In petitione autem conſulatus [13] caupones omneis compilare

1. A *Ut uſu homines.*] Muretus autumat vocem *homines* temerè additam, & prius *conſequi* παθητικῶς poſitum, lib. VII. Var. lect. cap. IX. reſtat tamen in mſſ. noſtris.

2. *Tamen amore noſtro.*] Sic membranæ, non noſtræ ſolùm, ſed Valerii Palermi. vulgati, *tamen ab am.*

3. *Quamquam igitur, &c. vincere.*] Monuit Puteanus totam hanc periodum non inveniri in libro veteri.

4. *Meditatum hoc ſit.*] Ita Palermi editio, aliæ *meditandum*, quomodo & exemplaria ejus ſcripta, & noſtra.

5. *Quæ novi habuerunt; omnes.*] Sic Victorius. nam Lambinus *quæ novi non habuerunt.* contra mſſ. noſtros, qui tamen, *omnibus.* Muretus d. l. arbitratur *habuerunt* eſſe à gloſſa, & *novi* legendum priore Syllaba longa, tanquam verbum præteritum.

6. *Multa præterea municipia.*] Cùm paullò poſt repetatur vox *præterea*, non abhorreo ab, *multa propria mun.* ut eſt in Pal. & M.

7. *Allegandum perſuadendumque eſt iis.*] Vox poſtrema, non eſt in Pal. neque admodum requiritur.

8. *Si adduxeris, ut ii qui non nolunt, cupiant.*] Eſt à Palatino noſtro, neque aliter eruit è ſuo Turnebus lib. XXV. cap. 3. Adverſ. vulgati, *Quod ſi adduxeris ut ii qui non volunt cupiant*, neque aliter Victorius. at poſteriores, *Quod ſi add. ut ii qui nolunt, ut cupiant.* minus rectè. ii enim non nolunt, qui frigidè volunt.

9. *Jam P. Galbam, &c.*] Muretus d. cap. putat legendum *Nam.* ſed contra mſſ. eum tamen ſecutus Lamb.

10. *Quod ſine nervis ſint.*] Eſt à noſtris libris & Turnebi. publicati, *qui ſine nervis ſint.*

11. *Homini novo, induſtrio, &c.*] Malebat Claud. Puteanus, *navo.*

12. *De machinis emit.*] Male mediam vocem cupit mutatam Palermus, tuentem ſe omnium ſcriptorum auctoritate.

13. *Caupones omnes compilare.*] Editiones præcedentes interpoſitum habebant, *caup. o. hic compilare:* quæ ſyllaba non erat in mſ. Pal. aut M. & vidit turbando loco eſſe Palermus.

lare per turpiſſimam legationem maluit, quàm adeſſe, & pop'lo Rom. ſupplicare. Alter verò, dii boni, quo ſplendore eſt? primum nobilitate eadem: [1] num majore? non, ſed virtute; quamobrem, quod inanius, umbram ſuam metuit: hic *ne leges quidem*, natus in patris egeſtate, educatus in ſororis ſtupris, *corroboratus* in cæde civium: cujus primus ad rempub. aditus in equitibus Rom. occidendis fuit. Nam illis, quos meminimus, Gallis, [2] qui tum Titiniorum ac Tanuſiorum capita demebant, Sulla unum Catilinam præfecerat, in quibus ille hominem optimum Q. Cæcilium, ſororis ſuæ virum, equitem R. nullarum partium, cùm ſemper natura, tum etiam *ætate jam quietum*,
3 ſuis manibus occidit. Quid ego nunc dicam [3] petere eum conſulatum, qui hominem cariſſimum populo, Rom. M. Marium, inſpectante populo R. [4] vitibus per totam urbem ceciderit? ad buſtum egerit? ibi omni [5] *cruciatu vivum lacerarit*? ſtanti collum gladio ſua dextera ſecuerit, cùm ſiniſtra capillum ejus à vertice teneret? caput ſua manu tulerit, cùm inter digitos ejus rivi ſanguinis fluerent? qui poſtea cum hiſtrionibus, & cum gladiatoribus ita vixit, ut alteros libidinis, alteros facinoris adjutores haberet? qui nullum in locum tam ſanctum, ac tam religioſum acceſſit, in quo non, etſi in aliis culpa non eſſet, tamen ex ſua nequitia *dedecoris ſuſpicionem* relinqueret? qui ex curia Curios, & Annios, ab atriis [6] Sapalas, & Carvilios, ex equeſtri ordine [7] Pompilios, & Vettios ſibi amiciſſimos compararit? qui tantum habet audaciæ, tantum nequitiæ, tantum denique in libidine *artis & efficacitatis*, ut propè in parentum gremiis prætextatos liberos conſtupraric? Quid ego nunc tibi de Africa, quid de teſtium dictis ſcribam? nota ſunt: & ea tu ſæpius legito. Sed tamen hoc mihi non prætermittendum videtur, quòd primùm ex eo judicio tam *egens* diſceſſit, quàm quidam judices ejus [8] ante illud judicium fuerunt: deinde tam *invidioſus*, ut aliud in eum judicium quotidie flagitetur. Hic ſe ſic habet, ut magis timeat, etiam ſi quierit, quàm ut contemnat, ſi quid commoverit. Quanto melior tibi fortuna petitionis data eſt, quàm nuper homini novo C. Cœlio? ille cum duobus hominibus ita *nobiliſſimis* petebat, ut tamen in iis omnia pluris eſſent, quàm ipſa nobilitas: ſumma ingenia, ſummus pudor, plurima beneficia, ſumma ratio, ac diligentia petendi. [9] Tamen eorum alterum Cœlius, etiam cùm multo eſſet inferior genere, ſuperior nulla re, pænè ſuperavit. Quare ſi facies ea, quæ tibi natura, & ſtudia, quibus ſemper uſus es, largiuntur, quæ temporis tui ratio deſiderat, quæ *potes*, quæ *debes*; non erit difficile certamen cum iis competitoribus, qui nequaquam ſunt tam *genere inſignes*, quàm *vitiis nobiles*. QUIS ENIM reperiri poteſt tam improbus civis, qui velit uno ſuffragio duas in remp. ſicas diſtringere? Quoniam 4
quæ ſubſidia novitatis haberes, & habere poſſes, expoſui: nunc de magnitudine petitionis dicendum videtur. Conſulatum petis: quo honore nemo eſt, [10] quin te *dignum* arbitretur: ſed multi, *qui invideant*. Petis enim homo ex equeſtri loco ſummum locum civitatis. atque ita ſummum, ut forti viro, diſerto, innocenti, multo ille idem honos plus amplitudinis, quàm ceteris afferat. Noli putare, eos, qui ſunt eo *honore uſi*, non videre, tu cùm idem ſis adeptus, quid dignitatis habiturus ſis. Eos verò, qui conſularibus familiis nati *locum majorum* conſecuti non ſunt, [11] ſuſpicor tibi, niſi qui admodum te amant, invidere. Etiam *novos homines prætorios* exiſtimo, niſi qui [12] tuo beneficio vincti ſunt, nolle abs te ſe honore ſuperari. Jam in *populo* quàm multi invidi ſint, quàm multi conſuetudine horum annorum ab hominibus novis alienati, venire tibi in mentem certò ſcio. eſſe etiam nonnullos tibi iratos *ex iis cauſis*, quas egiſti, neceſſe eſt. Jam illud tute circumſpicito, quòd ad Cn. Pompeji gloriam augendam tanto ſtudio te dediſti, num quos tibi putes ob [13] eam cauſam eſſe amicos. Quamobrem cùm & ſummum locum civitatis petas: & videas eſſe ſtudia, quæ tibi adverſentur: adhibeas neceſſe eſt omnem rationem, & curam, & laborem, & diligentiam. Et petitio magiſtratuum diviſa eſt in duarum 5
rationum diligentiam: quarum altera in *amicorum ſtudiis*, altera in *populari voluntate* ponenda eſt. Amicorum ſtudia beneficiis, & officiis, & vetuſtate, & facilitate, ac jucunditate naturæ parta eſſe oportet. Sed hoc nomen AMICORUM in petitione latiùs patet, quàm in cetera vita. Quiſquis eſt enim, qui oſtendat aliquid in te voluntatis, qui colat, qui domum ventitet, is in amicorum numero eſt habendus. Sed tamen, qui ſunt amici ex *cauſa honeſtiore*, cognitionis, aut affinitatis, aut ſodalitatis, aut alicujus neceſſitudinis, his carum & jucundum eſſe maximè prodeſt. [14] Deinde ut quiſque eſt intimus, ac maximè domeſticus, ut is amet, & quàm ampliſſimum eſſe te cupiat, valde elaborandum eſt: tum ut tribules, ut vicini, ut clientes, ut denique liberti, [15] poſtremò etiam ſervi tui: nam ferè OMNIS SERMO ad forenſem famam à domeſticis emanat auctoribus. [16] Denique inſtituendi ſunt cujuſque generis amici:

1. *Num majore? non; ſed virtute. quamobrem, quod inanius, umbram, &c.*] Secutus ſum fidem Palatini, corroboratam membranis Turnebi; neque divertebat M. niſi quod is *manius*. Victorii ceterorumque editio heic vitioſiſſima eſt: Lambini verò licentioſiſſima. interim non diſplicet mihi conjectura Palermi, *num majore re? non. &c.* Puteanus totum locum ſic legendum putabat: *Alter verò, Dii boni! quo ſplendore eſt! pr. nob. eadem, num majore virtute? non: ſed audacia. quamobrem? quia C. Antonius umbram ſuam metuit. hic ne leges quidem; natus in patr. eg. educ. in ſor. ſt. corroboratus in cæde civ. &c. Gallis, qui tum Cæciliorum, ac Volumniorum ac Tantaſiorum capita, &c.*

2. *Qui tum Titiniorum ac Nanniorum ac Tanuſiorum capita.*] Revocavi ſcripturam Victorianæ editionis, præterquam quod loco *tantum* ſuppoſuerim *tum* jubente mſſ. Turnebi & noſtris duobus, qui præterea nullo apice diſſentiebant ab nominum horum ſcriptione. Lambinus conjecturas aliorum nobis obtruſerat, non ineptas eas quidem, ſed tamen conjecturas: tanquam nullos alios occidere potuiſſet Catilina, quam nominatos ab Aſconio.

3. *Petere eum conſulatum.*] Ejeci *tecum* gloſſographi pannum, quod erat in edd. prioribus, volentibus authenticis noſtris.

4. *Viribus per totam urbem.*] Non auſus fui excludere lectionem à Turnebo repertam in veteri ſuo, ſtabilitamque M. ac Pal. præcipue cum & aliorum exemplaria ſcripta præferrent *viribus*. vulgati *virgis*; ignoratione antiquitatis.

5. *Cruciatu vivum lacerarit? ſtanti collum, &c.*] Omnia benè haberent, niſi & noſtri diſcederent à vulgato. nam M. *cruciatu vivo lac.* at Pal. *cruc. lac. vivo ſtanti, &c.* videantur aliæ lectiones apud Turnebum. Volateranus legit, *vivo ſtatim*: minus rectè. nam ſumma eſt in eo immanitas, quod ſic ſtanti caput amputat, non ſedenti, non in genua flexo. Put. legendum arbitrabatur *ſpiranti*.

6. *Sapalas.*] Idem Puteanus reponebat *Scapulas*.

7. *Pompilios & Vettios.*] Ita proximè liber Turnebi & Palatinus, nempe *Vectios*. in M. erat *Vittias*. vulgati, *& Gnæos*.

8. *Ante illud judicium fuerunt.*] Vox *fuerunt* non eſt in Maur. & poterat tolli.

9. *Tamen eorum alterum Cælius.*] Publicati interjecerant, cùm deeſſet *alter Cælius*, quorum verborum nihil eſt in Turnebianis, in Palat. in Maur. interpretis proculdubio fuit. ſic & mox ſuſpecta mihi admodum, *etiam cum multo eſſet*, tanquam gloſſæ. & verò illud *etiam* non apparet in mſſ. noſtris aut Turnebi.

10. *Quin te dignum arb.*] Eſt a Turnebi mſ. cui accedit Maur. & Pal. hactenus cuſi, *qui te non dignum*.

11. *Suſpicor tibi, niſi qui adm. amant invidere.*] Pal. *niſi ſi qui*. quomodo & claſſici ſæpe locuti & iſte noſter. porrò adſentior penè Lambino, detrahendum hinc *ſuſpicor*, ceu ſpurium; at etiam legendum, *tibi non invidere*. omnino negem: mox quoque deleri poterat *exiſtimo*; ut omnia adhuc pendeant ab *putare* illo ſuperiori.

12. *Tuo beneficio vincti.*] Maur. *juncti*. malim *victi*, quod & Palermo in mentem venit.

13. *Eam cauſam eſſe amicos.*] Lambini editio, *eſſe non amicos*, quomodo conjecerat Turnebus. ſed ſic nulli mſſ. itaque *amicos* interpretabimur locutione figuratâ. videatur Palermus.

14. *Deinde ut quiſque intimus.*] Sic non modò Turnebi ac Puteani codex, ſed & Palatinus; ut omittam eos, quos laudat Lambinus. ineptè antea, *quiſque optimus*.

15. *Poſtremo etiam ſervi tui*] Ita emendare ſe autumat Muretus lib. VII. Var. lect. cap. 12. cùm tamen ita quoque inveniatur in Victoriana, aliiſque edd. legerat ipſe, *ſervitus*.

16. *Denique inſtituendi ſunt, &c.*] Secutus ſum interpunctionem à Mureto proditam d. cap. 12. nam ex retrò vulgata nulla extundi queat

amici : ad ſpeciem , homines illuſtres honore ac nomine ;
qui etiam ſi ſuffragandi ſtudia non navant, tamen afferunt
petitori aliquid *dignitatis* ad jus obtinendum magiſtra-
tus ; ex quibus maximè conſules , deinde tribuni plebis ad
conficiendas centurias , homines excellenti gratia. [1] Qui
abs te , tribum , aut centuriam , aut aliquod beneficium,
aut habeant,aut ut habeant ſperent; eos prorſus magnopere,
& compara, & confirma. nam per hos annos homines *am-
bitioſi* vehementer [2] omni ſtudio,atque opere laborarunt,ut
poſſent à tribulibus ſuis ea,quæ peterent, impetrare. Hos tu
homines , [3] quibuſcumque rationibus, ut ex animo , atque
ex illa ſumma voluntate tui ſtudioſi ſint,elaborato Quòd ſi
ſatis grati homines eſſent , hæc omnia tibi parata eſſe debe-
bant, ſicut [4] parata eſſe confido : nam hoc biennio quattuor
ſodalitates civium ad ambitionem gratioſiſſimorum tibi
obligaſti, M.Fundanii, Q.Gallii, C.Cornelii, [5] C Orcinini :
horum in cauſis ad te deferundis quidnam eorum ſodales
tibi receperint & confirmarint , ſcio. nam interfui. Quare
hoc tibi faciendum eſt, ut hoc, tempore ab iis, quod debent,
exigas ſæpè commonendo, rogando , confirmando , curan-
do: ut intelligant, nullum ſe umquam aliud tempus habitu-
ros referendæ gratiæ. profectò homines & ſpe reliquorum
tuorum officiorum etiam recentibus beneficiis[6]ad ſtudium
navandum excitabantur. Et omnino quoniam eo genere
amicitiarum [7] petitio tua maximè munita eſt , quod cauſa-
rum defenſionibus adeptus es : fac ut planè iis omnibus,
quos devinctos tenes , deſcriptum ac diſpoſitum ſuum cui-
que munus ſit. & quemadmodum nemini illorum mole-
ſtus nulla in re umquam fuiſti ; ſic cura ut intelligant,
6 omnia, te , quæ ab illis tibi deberi putaris, *ad hoc tempus re-
ſervaſſe.* Sed quoniam tribus rebus homines maximè ad be-
nivolentiam, atque ad hæc ſuffragandi ſtudia ducuntur, be-
neficio , ſpe , adjunctione animi , vel voluntate : animad-
vertendum eſt,quemadmodum cuique horum generi ſit in-
ſerviendum. MINIMIS BENEFICIIS homines adducuntur,
[8] ut ſatis cauſæ putent eſſe ad ſtudium ſuffragationis ; ne-
dum ii , quibus ſaluti fuiſti , quos tu habes plurimos , non
intelligant , ſi *hoc tuo tempore* tibi non ſatisfecerint, ſe pro-
batos nemini unquam fore. quod cùm ita ſit,tamen rogandi
ſunt , atque etiam in hanc opinionem adducendi , ut , qui
nobis adhuc obligati fuerint , iis viciſſim nos obligari poſſe
videamur. Qui autem SPE tenentur, quod genus hominum
multo etiam eſt diligentius, atque officioſius: iis fac ut pro-
poſitum, ac paratum auxilium tuum eſſe videatur : denique
ut ſpectatorem te ſuorum officiorum eſſe intelligant dili-
gentem : ut videre te planè atque animadvertere , quantum
à quoque proficiſcatur , appareat. Tertium illud genus eſt
STUDIORUM VOLUNTARIUM, quod agendis gratiis, accom-
modandis ſermonibus ad eas rationes,propter quas quiſque
ſtudioſus eſſe tui videbitur , ſignificanda erga illos pari vo-
luntate , adducenda amicitia in ſpem familiaritatis, &
conſuetudinis confirmari oportebit. Atque in iis omnibus
generibus judicato & perpendito , *quantum quiſque poſſit*;
ut ſcias & quemadmodum cuique inſervias, & quid à quo-
que exſpectes, & poſtules. Sunt enim quidam homines in
ſuis vicinitatibus , & municipiis *gratioſi* ; ſunt *diligentes*
& copioſi ; qui etiam ſi antea non ſtuduerunt huic gratiæ,
tamen ex tempore elaborare ejus cauſa , cui debent aut
volunt , facilè poſſunt. his hominum generibus ſic inſer-
viendum eſt, ut ipſi intelligant, te videre quid à quoque
exſpectes , ſentire quid accipias , meminiſſe quid acceperis.
Sunt autem alii , qui aut *nihil poſſunt* , aut etiam *odio ſunt*
tribulibus ſuis : nec habent tantum animi, aut facultatis,
ut enitantur ex tempore. hos *internoſcas* videto ; ne , ſpe
in aliquo majore poſita , præſidii parum comparetur. Et 7
quamquam partis & fundatis amicitiis fretum ac munitum
eſſe oportet , tamen in ipſa petitione , amicitiæ permultæ,
ac perutiles comparantur. nam in ceteris moleſtiis habet
hoc tamen [9] petitio commodi , ut poſſis *honeſtè* , quod in
cetera vita non queas , quoſcumque velis , adjungere ad
amicitiam: quibuſcum ſi alio tempore agas, [10]ut te utantur,
abſurdè facere videare : in petitione autem niſi id agas , &
cum multis , & diligenter , [11] nullus petitor eſſe videare.
Ego autem tibi hoc confirmo , eſſe NEMINEM (niſi aliqua
neceſſitudine competitorum alicui tuorum ſit adjunctus)
à quo non facilè , ſi contenderis , impetrare poſſis , ut ſuo
beneficio promereatur , ſe ut ames, & ſibi ut debeas : modò
ut intelligat , te magni æſtimare , ex animo agere , benè ſe
ponere , fore ex eo non brevem & *ſuffragatoriam* , ſed fir-
mam & perpetuam *amicitiam.* Nemo erit, mihi crede, [12] in
quo modò aliquid *virtutis* ſit, qui hoc tempus ſibi oblatum
amicitiæ tecum conſtituendæ prætermittat : præſertim cùm
tibi hoc caſus afferat , ut ii tecum petant , quorum amicitia
aut contemnenda , aut fugienda ſit , & qui hoc, quod ego te
hortor, [13] non modò non aſſequi, ſed ne incipere quidem
poſſint. Nam quid incipiat Antonius homines adjungere,
atque invitare ad amicitiam, quos per ſe ſuo nomine ap-
pellare non poſſit ? mihi quidem STULTIUS nihil videtur,
quàm exiſtimare eum ſtudioſum tui, quem non noris.
EXIMIAM quandam gloriam , & dignitatem , ac rerum ge-
ſtarum magnitudinem eſſe oportet in eo , quem homines
ignoti , [14] nullis ſuffragantibus meritis , honore afficiant.
[15] ut quidem homo iners, ſine officio , ſine ingenio , cum
infamia , [16] nullis amicis ſæptus , hominem plurimorum
ſtudio , atque omnium bona exiſtimatione munitum præ-
currat, ſine magna *culpa negligentiæ* fieri non poteſt. Quam- 8
obrem

queat ſenior ſententia. ceterum admiſi, *ad jus obtinendum* , perſua-
ſus à Gulielmio ; tanto quidem facilius quod ſic etiam extaret in
Palatino ; perplaceretque Turnebo , annotaſſentque nonnulli, id
quoque hærere in libris ſuis pluteariis.

1. *Qui abs te tribum aut centuriam , aut aliquod.*] Sic rurſus Pal. quomodo & Turnebi liber vetus. primitus impreſſi *qui tribuent centuriam, ut aliquod, &c.* ubi Puteanus putabat delenda tria verba priora.

2. *Omni ſtudio atque opere.*] Lambinus repoſuit , *opera* , ſecutus, inquit , conjecturam Turnebi. at alterum æquè Latinum , licet non æquè uſitatum.

3. *Quibuſcunque rationibus , ut ex animo.*] Addiderant librarii de ſuo, *rationibus tibi adjungere poteris, ut ex animo* ; quæ abſcidi auctoritate Maur. præſertim cùm & Pal. & Victoriana non agnoſcerent, *tibi adjungere.*

4. *Parata eſſe confido.*] Editi ferè *concerno* , ſed contra Turnebianum exemplar, & Palatinum.

5. *C. Orcinini.*] Ita Turnebi liber , neque abibant noſtri niſi quod Pal. *Corchivii.* M. verò *Chocivii.* vulgati *L. Corvini.* at *Orcinini* mentio eſt in Cluentiana.

6. *Ad ſtudium navandum.*] Haud aliter Palat. noſter , ne putemur tantum tribuere uni Turnebiano. vulgati *ſervandum.*

7. *Petitio munita eſt.*] Aliæ edd. *initiata eſt.* Muretus inde fingebat *innixa eſt* ; ſed primum ſervatur a mſſ. pleriſque.

8. *Ut ſatis cauſæ putent eſſe ad ſtudium ſuffragationis.*] Iſtud concinnius multo quàm vulgatum , *putent te ſibi ad ſtudium ſuff. dediſſe.* cujus nihil exſtat in mſſ. Turn. M. Palat. qui tres libri in proxime ſequentibus ubique conſpirant. quare quidquid nobis emendatum eſt, iiſdem auctoribus factum eſſe, norit lector.

9. *Petitio commodi , ut poſſit honeſtè.*] M. *notitio commodi potes hon.* Pal. *notitia commodi poteſt hon.* Iidem libri ſtatim habent *inimicitiam*, loco *amicitiam.*

10. *Ut te utentur.*] Triga hæc verborum non comparet in exemplaribus noſtris , neque videtur neceſſaria. haud auſus tamen tollere, quod taceret heic Turnebus ; & duobus teſtibus ſemper credi non debeat.

11. *Nullus petitor.*] Palatinus , *nullius* , neque aliter ferè fuiſſe videtur in M. & placet, ut ſubinteligatur *rei* , aut ſimile quid. niſi malimus indicare eum qui parvi ſit pretii.

12. *In quo modò aliquid ſit virtutis.*] Pal. ac M. non habent vocem virtutis. & poterat abeſſe. quid quod & Lambinus prodit deletam in Turnebiano.

13. *Non modo non aſſequi.*] Negativum ſecundo loco poſitum non eſt in Pal. aut M. & per me licet.

14. *Nullis ſuffragantibus meritis.*] Dictio *meritis* non eſt in noſtris, ut nec in Turnebi vetere. Pal. præterea tantum habet *nulli.*

15. *Ut quidem homo iners.*] Ita codex Turnebi ; neque recedit Pal. aut M. quàm quod hic addat, *hominem quam iners* : ille, *homine quam iners.* ex quo Gulielmius legebat , *ut quidem homo nequam, iners, &c.* rectiſſimè.

16. *Nullus amicis ſeptus.*] Verbum *ſeptus*, non eſt in Pal. aut duobus Lamb.& poterat expungi tanquam interpretis additamentum;

obrem omneis centurias multis & variis amicitiis cura ut confirmatas habeas: & primùm, id, quod ante oculos eſt, ſenatores, equiteſque R. ceterorum ordinum navos homines & gratioſos complectere. multi homines urbani induſtrii, multi libertini in foro gratioſi, navique verſantur, quos *per te, quos* [1] *per communes amicos* poteris ſumere. cura ut tui cupidi ſint: elaborato, appetito, allegato, ſummo beneficio te affici oſtendito. [2] deinde habeto rationem Urbis totius, collegiorum omnium, pagorum, vicinitatum. ex iis *principes*, ad amicitiam tuam ſi adjunxeris, per eos reliquam multitudinem facilè tenebis. poſtea totam Italiam fac ut in *animo ac memoria* tributim deſcriptam, comprehenſamque habeas: ne quod municipium, coloniam, præfecturam; locum denique Italiæ ne quem eſſe patiare, in quo non habeas *firmamenti* quod ſatis eſſe poſſit. perquiras etiam & inveſtiges homines ex omni regione, eoſque cognoſcas, appetas, confirmes; cures ut in ſuis vicinitatibus tibi petant, & tua cauſa quaſi candidati ſint. VOLENT te amicum ſi ſuam à te amicitiam expeti videbunt. id ut intelligant, oratione, [3] quæ ad eam rationem pertinet, conſequere. HOMINES municipales, ac ruſticani, ſi nomine nobis noti ſunt, in amicitia ſe eſſe arbitrantur. [4] ſi verò etiam præſidii ſe aliquid ſibi conſtituere putant, non amittunt occaſionem promerendi. hos cæteri, & maximè tui competitores ne norunt quidem: tu & noſti, & facilè *cognoſces: ſine quo amicitia eſſe non poteſt.* neque id tamen ſatis eſt, tametſi magnum eſt, [5] ſi non conſequatur ſpes utilitatis atque amicitiæ, ne nomenclator ſolùm, ſed amicus etiam bonus eſſe videare. ita cùm & hos ipſos, propter ſuam ambitionem, qui apud tribuleis ſuos plurimùm gratia poſſunt, tui ſtudioſos in centuriis habebis: & ceteros, qui apud aliquam partem tribulium propter municipii, [6] aut civitatis, aut collegii rationem valent, cupidos tui conſtitueris, in optima ſpe eſſe debebis. Jam equitum centuriæ multo faciliùs mihi diligentia poſſe teneri videntur. [7] primùm cognoſcendi ſunt equites; pauci enim ſunt: deinde adipiſcendi: multo enim FACILIÙS illa adoleſcentulorum ætas ad amicitiam adjungitur. deinde habebis tecum ex juventute optimum quemque, & ſtudioſiſſimum humanitatis: [8] tum autem quòd equeſter ordo tuus eſt, ſequentur illi auctoritatem ordinis, ſi abs te adhibebitur ea diligentia, [9] ut non ordinis ſolùm voluntate, ſed etiam ſingulorum amicitiis eas centurias confirmatas habeas. Jam ſtudia adoleſcentulorum in ſuffragando, in obeundo, in nuntiando, in affectando mirificè & magna, & honeſta

9 ſunt. Et quoniam ASSECTATIONIS mentio facta eſt, id quoque curandum eſt, ut quotidiana cujuſque generis, & ordinis, & ætatis utare. nam ex ea ipſa copia conjectura fieri poterit, quantum ſis in ipſo campo virium ac facultatis habiturus. Hujus autem rei tres partes ſunt. una ſalutatorum, quum domum veniunt: altera deductorum: tertia aſſectatorum. In *ſalutatoribus*, qui magis vulgares ſunt, & hac conſuetudine, quæ nunc eſt, plures veniunt, hoc efficiendum eſt, ut hoc ipſum minimum officium eorum, tibi gratiſſimum eſſe videatur. Qui domum tuam veniunt, iis ſignificato, te animadvertere, & eorum amicis, qui illis renuntient, oſtendito, ſæpe ipſis dicito. ſic homines ſæpe, quum obeunt plureis competitores, & vident unum eſſe aliquem, qui hæc officia maximè animadvertat, ei ſe dedunt, deſerunt ceteros, minutatim ex communibus proprii, ex *fucoſis* firmi ſuffragatores evadunt. Jam illud teneto diligenter, ſi eum, qui tibi promiſerit, [10] fucum (ut dicitur) facere audieris, aut ſenſeris; ut te id audiſſe, aut ſcire diſſimules: ſi quis tibi ſe purgare volet, quod ſuſpectum eſſe arbitretur, affirmes te de illius voluntate numquam dubitaſſe, nec debere dubitare. *is enim, qui ſe non putat ſatisfacere, amicus eſſe nullo modo poteſt.* Scire autem oportet, quo quiſque animo ſit, ut & quantum cuique confidas, conſtituere poſſis. Jam *deductorum* officium, quo majus eſt, quàm ſalutatorum, hoc gratius tibi eſſe ſignificato atque oſtendito, &, quoad ejus fieri poterit, certis temporibus deſcendito. MAGNAM affert opinionem, magnam dignitatem quotidiana in deducendo frequentia. Tertia eſt ex hoc genere aſſidua *affectatorum* copia. in ea quos voluntarios habebis, cura, ut intelligant, te ſibi in perpetuum ſummo beneficio obligari. qui autem tibi debent, ab iis planè hoc munus exige: qui per ætatem ac negotium poterunt, ipſi tecum ut aſſidui ſint. [11] qui ipſi ſectari non poterunt, neceſſarios ſuos in hoc munere conſtituant. valde ego te volo, & ad rem pertinere arbitror, *ſemper cum multitudine eſſe.* præterea magnam affert laudem, & ſummam dignitatem, ſi ii tecum erunt, qui à te defenſi, & qui per te ſervati, ac judiciis liberati ſunt. [12] Hæc tu planè ab iis poſtulato, ut quoniam nulla impenſa per te [13] alii rem, alii honeſtatem, alii ſalutem ac fortunas omneis obtinuerunt, nec aliud ullum tempus futurum ſit, ubi tibi referre gratiam poſſint, hoc te officio remunerent.

Et quoniam in amicorum ſtudiis hæc omnis ratio verſatur: 10
qui locus in hoc genere cavendus ſit, prætermittendum non videtur. FRAUDIS *atque inſidiarum, & perfidiæ plena ſunt omnia.* non eſt hujus temporis perpetua illa de hoc genere diſputatio, quibus rebus benivolus, & ſimulator dijudicari poſſit. [14] tantum eſt hujus temporis admonere. *Summa tua virtus eoſdem homines* ſimulare tibi ſe eſſe amicos, & invidere coëgit. Quamobrem Ἐπιχαρμῆον illud teneto, NERVOS *atque artus eſſe ſapientiæ non temere credere.* Et cùm tuorum amicorum ſtudia conſtitueris, tùm etiam obtrectatorum, atque adverſariorum rationes, & genera cognoſcito,

---

1. *Per communes amicos. poteris ſumere cura, &c.*] Pal. *poteris ſumma cura, &c.* quomodo & editio Victorii. Maur. *poteris ſamma.* forte fuit: *poteris. Summa; cura ut tui, &c.* pro quo paſſim, *In ſumma*, vel, *Ad ſummam.*

2. *Deinde habeto rationem urbis totius, collegiorum, &c.*] Sic chirographi libri noſtri, ſic Turnebi. ineptè prius, *habe oratores urbis totius, collegium omnium pagorum.*

3. *Quæ ad eam rationem pertinet, conſequere.*] Quod eſt in Turnebi libro, reperitur & in noſtris, *pertinet, habenda conſeq.* videtur tamen librarii potius quàm auctoris.

4. *Si vero etiam, præſidii ſe aliquid ſibi conſtituere putant.*] Accedunt proximè ad hanc ſcripturam membranacei noſtri, expreſſitque Victorius. malè recentiores, *Sin verò etiam præſidii in ſe aliquid tibi conſtitutum eſſe putant.* & quænam illæ ſunt intemperiæ ſic interpolandi auctorem notæ melioris?

5. *Si non conſequatur ſpes.*] Eſt à Turnebi codice; rectè: dummodò dematur ſyllaba *con*, fide Palatin. ſine ullo idoneo ſenſu retrò impreſſi, *ſed ut conſequatur.*

6. *Aut civitatis, aut collegii.*] Turnebus lib. XXV. cap. 3. malit *vicinitatis*, idemque adnotarat Puteanus.

7. *Primum cognoſcendi ſunt equites; pauci enim ſunt: deinde adipiſcendi.*] Retinui ſcripturam a Victorio publicatam. Lambinus enim excluſerat, *pauci enim ſunt*, quod tamen in noſtris & Turnebi veteribus; qui interim in ceteris diſcrepant. nam Turn. habet: *Primùm cognoſcis equires, pauci enim ſunt, deinde adepti.* Pal. *Primum cognoſci equites. pauci enim ſunt: deinde appeti.* neque aliter Maur. niſi quod is, *apeti.*

8. *Tum autem quod equeſter ordo tuus eſt, ſequentur illi auctoritatem ordinis.*] Sic fere reſtituendum putabat Sebaſt. Corradus: nequè aliter omnino Pal. Maur. Turn. Supra quoque in locum ſuum reduximus periodum integram, petulanter ter nimis trajectam à Lambino, contra codices authenticos. at hoc loco, editio Victorii mendoſiſſima eſt.

9. *Ut non ordinis ſolùm voluntate, &c.*] Puteanus delet, *ſolùm voluntate.*

10. *Fucum facere audieris.*] Editi interponunt; *facere velle aud.* ſed contra Maur. ac Pal.

11. *Qui ipſi ſectari.*] Ita noſtri: editi amplius, *qui ſi ipſi adſectari.*

12. *Hæc tu planè ab illis, &c.*] Egregiè Puteanus, *Heic tu planè.*

13. *Alii rem, alii honeſtatem.*] Sic ſcribendum fuit ex Puteani libro, item Turneb. ac Palat. ad quam lectionem acceſſit quoque utcumque Muretus lib. VII. cap. 13. niſi quod non repetat vocem *alii.*

14. *Tantum eſt hujus temporis admonere.*] Illa *hujus temporis*, videntur magiſtelli alicujus, non Tullii.

gnoſcito,[1] hæc tria ſunt: unum ex iis, quos læſiſti: alterum, qui ſine cauſa non amant: tertium, qui competitorum valde amici ſunt. Quos *læſiſti*, cùm contra eos pro amico diceres, his te planè purgato: neceſſitudines commemorato: in ſpem adducito; te in eorum rebus, ſi ſe in amicitiam contulerint, pari ſtudio, atque[2] officio futurum: ſpondeto. Qui *ſine cauſa non amant*, eos aut beneficio, aut ſpe, aut ſignificando[3] tua erga illos ſtudia futura, delinito, dans operam, ut de illa animi pravitate deducas. Quorum *voluntas* erit abs te propter competitorum amicitias *alienior*, his quoque eadem inſervi oratione, qua ſuperioribus: &, ſi probare poteris, te in eos ipſos competitores
11 tuos benivolo eſſe animo oſtendito. Quoniam de amicitiis conſtituendis ſatis dictum eſt, dicendum de illa altera parte petitionis, quæ in populari ratione verſatur. Ea deſiderat nomenclationem, blanditiam, aſſiduitatem, benignitatem, rumorem, ſpem in repub. Primùm id, quod facis, ut *homines noris*, ſignifica, ut appareat: & auge, ut quotidie melius fiat. nihil mihi tam populare, neque tam gratum videtur. Deinde id, quod natura non habes, induc in animum *ita ſimulandum* eſſe, ut natura facere videare.[4] nam comitas P. tibi non deeſt, ea, quæ bono ac ſuavi homine digna eſt. ſed opus eſt magnopere *blanditia:* quæ etiam ſi vitioſa eſt, & turpis in cetera vita, tamen in petitione eſt neceſſaria. tunc enim CUM DETERIOREM aliquem aſſentando facit, improba eſt: cùm amiciorem, non tam vituperanda. petitori verò neceſſaria eſt, cujus & frons, & vultus, & ſermo ad eorum, quoſcumque convenerit, ſenſum, & voluntatem[5] commutandus eſt. Jam *aſſiduitatis* nullum eſt præceptum: verbumque ipſum docet, quæ res ſit. prodeſt quidem vehementer[6] nuſquam deeſſe: ſed tamen hic fructus eſt aſſiduitatis, non ſolùm eſſe Romæ, atque in foro, ſed aſſiduè petere, ſæpe eoſdem appellare: non committere ut quiſquam[7] poſſit dicere, quod ejus ſit, conſequi poſſis, ſi abs te non ſit rogatum, & valde ac diligenter rogatum. *Benignitas* autem latè patet: & eſt in re familiari; quæ quamquam ad multitudinem pervenire non poteſt, tamen ab amicis laudatur, & multitudini grata eſt: eſt in conviviis,[8] quæ facito & abs te, & ab amicis tuis concelebrentur & paſſim, & tributim: eſt etiam in opera; quam pervulga & communica: curaque ut aditus ad te diurni, nocturnique pateant, neque foribus ſolùm ædium tuarum, ſed etiam vultu ac *fronte*, *qua eſt animi janua.* quæ ſi ſignificant voluntatem abditam eſſe ac retruſam, parvi refert patêre oſtium. homines enim non modò promitti ſibi, præſertim quæ à candidato petant, ſed etiam[9] largè atque honorificè promitti volunt. quare hoc quidem facilè præceptum eſt, ut, QUOD ACTURUS SIS, id ſignifices te ſtudioſè ac libenter eſſe facturum. illud difficilius, & magis *ad tempus*, quàm ad naturam accommodatum tuam: quod facere non poſſis[10] ut id *aut jucundè promittas*, aut *ingenuè neges.* quorum alterum eſt boni viri, alterum boni petitoris. Nam cùm id petitur, quòd honeſtè, aut ſine detrimento noſtro promittere non poſſumus (quo modo ſi qui roget, ut[11] contra amicum aliquem cauſam recipiamus) bellè negandum eſt, ut oſtendas neceſſitudinem, demonſtres quàm moleſtè feras, aliis te id rebus
[12] exſarturum eſſe perſuadeas. Audivi hoc dicere quendam 12
de quibuſdam oratoribus, ad quos cauſam ſuam detuliſſet, *gratiorem ſibi orationem fuiſſe*, *qui negaſſet*, *quàm illius*, *qui recepiſſet.* ſic homines FRONTE & oratione magis, quàm ipſo beneficio reque capiuntur. Verùm hoc probabile eſt: illud alterum ſubdurum tibi[13] homini Platonico ſuadere: ſed tamen tempori tuo conſulam. quibus enim te propter aliquod officium neceſſitudinis affuturum negaris, tamen ii poſſunt abs te placati, æquique diſcedere. quibus autem idcircò negaris, quòd te impeditum eſſe dixeris aut amicorum negotiis, aut gravioribus cauſis, antè ſuſceptis: inimici diſcedunt, omneſque hoc animo ſunt, ut *ſibi te mentiri malint*, *quàm negare.* C Cotta in ambitione artifex dicere ſolebat, SE OPERAM SUAM, quoad non contra officium rogaretur, polliceri ſolere omnibus, impertire iis, apud quos optimè poni arbitraretur: ideò ſe nemini negare, quòd ſæpe accideret,[14] ut is, cui pollicitus eſſet, non uteretur: ſæpè ut ipſe magis eſſet vacuus, quàm putaſſet: neque poſſe domum ejus compleri, qui tantummodò reciperet, quantum videret ſe obire poſſe: caſu fieri, ut agantur ea, quæ non putaris: illa, quæ credideris in manibus eſſe ut aliqua de cauſa non agantur: deinde eſſe extremum, ut iraſcatur is, cui mendacium dixeris. id ſi promittas, & incertum eſt, & in diem, & in paucioribus.[15] ſin autem id neges, & certè abalienes, & ſtatim, & plureis: PLURES ENIM multo ſunt qui rogant, ut uti liceat opera alterius, quàm qui utantur. Quare ſatius eſt, ex iis aliquos aliquando tibi in foro iraſci, quàm omneis continuò domi: præſertim cùm multò magis iraſcantur ei, qui neget, quàm ei, quem videant juſta cauſa impeditum; ut facere, quod promiſit, cupiat, ſi ullo modo poſſit. Ac ne videar aberraſſe, à diſtributione mea, qui hæc in hac populari parte petitionis diſputem: hoc ſequor; hæc omnia non tam ad *amicorum ſtudia*, quàm ad *popularem famam* pertinere.[16] etſi enim ineſt aliquid ductum ex illo genere, benignè reſpondere, ſtudioſè inſervire negotiis, ac periculis amicorum: tamen hoc loco ea dico, quibus multitudinem capere poſſis, ut de nocte domus compleatur, ut multi ſpe tui præſidii teneantur, ut amiciores abs te diſcedant, quàm acceſſerint, ut

1. *Hac tria ſunt: unum ex iis, quos læſiſti.*] Amplector quod eſt in Pal. *unum, quos læſiſti.* Maur. adhuc aberat vox *unum.*

2. *Officio futurum: ſpondeto.*] Vox ultima non eſt in libro Puteani, Turnebi, aut Palatino noſtro; neque deſideraverim.

3. *Tua erga illos ſtudia, dato operam.*] Tranſcripſi quod erat in exemplari Turnebiano, tanto quidem confidentius, quod ei accederet Puteani codex, & librorum noſtrorum biga, niſi quod ipſa, *tuo ſtudio.* vulgati immiſcent, *ſtudia futura, delinito, dans operam, &c.*

4. *Nam comitas tibi non deeſt ea, quæ, &c.*] Ita nullo apice minus Turneb. Pal. Maur. quare ejeci publicatum illud hactenus: *Non committas tibi neceſſe eſt, quæ bono ac ſuavi homine digna ſunt.* quo nihilo melius Lambiniana editio: *non comitas tibi nec ea quæ, &c. ſunt.* undenam? Puteanus putabat ſic locum totum legendum: *ut natura facere videare. Quamquam plurimum natura valet, tamen videtur in paucorum menſium negotio poſſe ſimulatio naturam vincere. nam comitas tibi non deeſt ea quæ bona ac ſuavi, &c.*

5. *Commutandus eſt.*] Pal. & Maur. interponunt, *commutandus & accommodandus eſt.* Forſan rectè.

6. *Nuſquam deeſſe.*] Eædem membranæ, *nuſquam diſcedere*, neque admodum diſplicet.

7. *Poſſit dicere quod ejus ſit, conſequi poſſis, ſi abs te non ſit rogatum, &c.*] Intricata lectio; juvabunt forſan libri noſtri. Palat. enim, *poſſit dicere, Quoad ejus conſequi poſſis, ſi abs te non ſit rogatum.* neque aliter Maur. niſi quod is, *quod* loco *quoad.* Lambinus publicavit, *poſſit dicere, quod ejus ſit, conſequi poſſis, ſe abs te non eſſe rogatum.* Palermus adnotavit, libros ſcriptos deſtitui negatione *non*; quibus contradicunt noſtri.

8. *Quæ facito & abs te, &c.*] Pal. & Maur. *facetè abs te.* Victorius edidit, *quæ facere te oportet & amicis tuis.* minus rectè.

9. *Largè atque honorificè.*] Pal. & Maur. *longè.* quod eſſet non nutu aut verbo uno alterove, ſed prolixa verborum ſerie. an ei ſcripturæ acquieſcendum ſit, neſcio.

10. *Ut id aut jucundè promittas, aut ingenuè neges.*] Manavit ab Lambini conjectura, nam veteres editiones, *ut id jucundè neges* omiſſis ceteris. Palatinus accedit membranis Turnebi, *ut id aut jucundè neges*, quod ipſe mutat in, *haud jucundè.* Maur. habuit, *ut id jucundè ingenuè neges.*

11. *Contra amicum aliquem cauſam.*] Eſt à noſtris libris. hactenus enim cuſi, *aliquam.*

12. *Exſarturum eſſe.*] Eſt à Lambino, probatque Muretus. nam lectio recepta *exacturum.* non diſplicet tamen Turnebiani codicis *exaucturum*, quam & exhibet Palatinus.

13. *Homini Platonico ſuadere.*] Eſt ab editione Victorii, neque aliter Palat. aut M. aliæ; *homini planè perito*, minus rectè. Puteani mſ. habebat item illud *Platonico*, idemque non agnoſcebat *Illud*, quod & abeſſe poterat.

14. *Ut is qui, &c. quàm putaret.*] Legit Puteanus ex vet. libro, *cur is qui, &c. quàm putaſſet.*

15. *Sin autem id neges, certè alienes & ſtatim, &c.*] Idem Puteanus monuit reſcribendum, *ſin autem neges, abs te alienes, &c.*

16. *Etſi enim ineſt aliquid ductum ex illo genere.*] Pal. ac Maur. non agnoſcunt *enim*, aut *ductum.*

1. Bene

ut quàm plurimorum aureis optimo ſermone compleantur.
13 Sequitur, ut de *rumore* dicendum ſit: cui maximè ſerviendum eſt. ſed quæ dicta ſunt omni ſuperiori oratione, eadem ad celebrandum rumorem valent, dicendi laus, ſtudia publicanorum, & equeſtris ordinis, hominum nobilium voluntas, adoleſcentulorum frequentia, eorum, qui abs te defenſi ſunt, aſſiduitas, ex municipiis multitudo eorum, quos tua cauſa veniſſe appareat. [1] bene ut homines noſſe, comiter appellare, aſſiduè ac diligenter petere, benignum ac liberalem eſſe, loquantur & exiſtiment; domus ut multa nocte compleatur, omnium generum frequentia adſit, *ſatis fiat oratione omnibus; re, operaque multis:* perficiatur id, quod fieri poteſt labore, & arte, ac diligentia; non ut ad populum ab iis omnibus fama perveniat, ſed ut in his ſtudiis populus ipſe verſetur. Jam urbanam illam multitudinem, & eorum ſtudia, qui conciones tenent, [2] quæ adeptus es in Pompejo ornando, Manilii cauſa recipienda, Cornelio defendendo, excitanda nobis ſunt: quæ adhuc habuit nemo, quin idem ſplendorem omnium, voluntateſque haberet. Efficiendum etiam illud, ut ſciant omnes, Cn. Pompeji ſummam erga te eſſe voluntatem, & vehementer ad illius rationes, te id aſſequi, quod petis, pertinere. Poſtremò tota petitio cura ut *pompæ plena* ſit, ut illuſtris, ut ſplendida, ut popularis, ut habeat ſummam ſpeciem, ac dignitatem [3] ut, etiam ſi quid poſſit, nec competitoribus tuis exſiſtat aut ſceleris, aut libidinis, aut largitionis accommodata ad eorum mores infamia. Atque etiam in hac petitione maximè videndum eſt, ut *ſpes Reipubl. bona de te ſit*, & honeſta opinio. nec tamen in petendo reſp. capeſſenda eſt, neque in ſenatu, neque in concione: ſed hæc tibi ſunt retinenda; ut ſenatus te exiſtimet ex eo, quòd ita vixeris, defenſorem auctoritatis ſuæ fore: equites Rom. & viri boni, & locupletes, ex vita acta te ſtudioſum otii ac rerum tranquillarum: multitudo, ex eo duntaxat, quòd oratione in concione ac judicio popularis
14 fuiſti, te à ſuis commodis alienum non futurum. Hæc mihi veniebant in mentem de duabus [4] illis commonitionibus matutinis, [5] quod tibi quotidie ad forum deſcendenti meditandum eſſe dixeramus: *Novus ſum, conſulatum peto.* Tertium reſtat, *Roma eſt*, civitas ex nationum conventu conſtituta: in qua multæ inſidiæ, multa fallacia, multa in omni genere vitia verſantur: multorum arrogantia, multorum contumacia, multorum malevolentia, multorum ſuperbia, multorum odium ac moleſtia perferenda eſt. VIDEO ESSE magni conſilii, atque artis, in tot hominum cujuſque modi vitiis, tantiſque verſantem vitare offenſionem, vitare fabulam, vitare inſidias; eſſe unum hominem accommodatum ad tantam morum, ac ſermonum, ac voluntatum varietatem. Quare etiam atque etiam perge tenere iſtam [6] viam, quam inſtituiſti: excelle dicendo: hoc & tenentur Romæ homines, & alliciuntur, & ab impediendo, ac lædendo repelluntur. Et quoniam in hoc vel *maximè vitioſa eſt civitas, quod, largitione interpoſita, virtutis, ac dignitatis oblivisci ſolet*; in hoc FAC UT TE BENE NORIS, id eſt, ut intelligas, eum eſſe te, qui judicii ac periculi metum maximum competitoribus afferre poſſis. Fac ut ſe abs te cuſtodiri, atque obſervari ſciant. cùm diligentiam tuam, cùm auctoritatem, vimque dicendi, tum profectò equeſtris ordinis [7] erga te ſtudium pertimeſcant. Atque hæc ita te volo illis proponere, non ut videare jam accuſationem meditari, ſed ut hoc terrore facilius hoc ipſum, quod agis, conſequare. & planè ſic contende omnibus nervis, ac facultatibus, ut adipiſcamur quod petimus. Video NULLA ESSE comitia tam inquinata largitione, quibus non gratis aliquæ centuriæ renuntient ſuos, maximè neceſſarios. Quare ſi *advigilamus* pro rei dignitate, & ſi noſtros ad ſummum ſtudium benivolos excitamus; & ſi hominibus ſtudioſis gratioſiſque noſtri ſuum cuique, [8] munus deſcribimus, & ſi competitoribus judicia proponimus; ſequeſtribus metum injicimus; diviſores ratione aliqua coërcemus: perfici poteſt, ut largitio aut nulla fiat, aut *nihil valeat.* Hæc ſunt, quæ putavi non melius ſcire me, quàm te, ſed faciliùs his tuis occupationibus colligere unum in locum poſſe, & ad te perſcripta mittere. quæ tametſi ita ſcripta ſunt, ut non ad omneis, qui honores petent, ſed ad te propriè, & ad hanc tuam petitionem valeant. tamen tu ſi quid mutandum eſſe videbitur, aut omnino tollendum, aut ſi quid erit præteritum; velim hoc mihi dicas: volo enim hoc commentariolum petitionis haberi omni ratione perfectum.

1. *Bene ut homines noſſe, &c. benignum ac liberalem eſſe, loquantur & exiſtiment.*] Reduxi quatuor autographorum ſcripturam, Turn. Put. Pal. Maur. editio publica, *bene homines noſſe, &c. benignum ac liberalem eſſe, bene loqui exiſtimare.* Lambinus licenter nimis omnia permutavit.

2. *Quæ adeptus eſt.*] Maur. non admiſit pronomen, *quæ.* in aliis conſentit plane cum Palat. ac vulgatis, retenta ſpecie ſolæciſmi; circa quem miſere ſe cruciat Corradus.

3. *Ut, etiam ſi quid poſſit, nec competitoribus, &c.*] Scriptus noſter uterque, *ut etiam, ſi quæ poſcit ne comp.* Gulielm. conjiciebat, *ſi cui poſſit è competitoribus.* Palermus, *ut etiam ſi qua poſſit, in competitoribus.*

4. *Illis commonitionibus matutinis.*] Sic Corradus legit è ſuis; item Turnebus. antea vulgati, *commotionibus*, quod & in noſtris duobus Palermus maluiſſet *commentationibus.*

5. *Quod tibi quotidie ad forum deſc. med. eſſe dixeramus.*] Pal. & M. *quo*, quomodo & Victoriana aliæque. iidem noſtri, *dixeram.*

6. *Viam quam inſtituiſti.*] Forſan non deterius foret *inſtitiſti.*

7. *Erga te ſtudium pertimeſcant.*] Sic malui cum codice Palatino; tanto quidem magis, quod ſic quoque ſervarent membranæ Turnebi.

8. *Munus deſcribimus.*] Non rejicio; tantùm moneo legi in Palatino, *munus diſtribuimus.*

M. TULLII CICERONIS, SI DEO PLACET, CONSOLATIO.

QUAMQUAM recentibus morbis medicinam, adhibere vetant ſapientes, nihilque adverſi hominibus accidere ſolet in vita, quod aut improviſum, aut inexſpectatum videatur: conemur tamen, ſi qua ratione poſſumus, medere nobiſmetipſis, & domeſticæ ſubvenire calamitati. Si enim quoties uſuvenit, conſuluimus ceteris, cur non aliquando nobis ipſis? & ſi mala, quæ nec vitari, nec averti humanis viribus poſſunt, pertulimus toleranter, cur non ea, ſi poſſumus, ratione leviora faciamus? præſertim cùm ad ægritudines, & moleſtias depellendas, eo acriùs incumbere homines debeant, quo melius eſt, ſine cura vivere, quàm curis, & angoribus oppreſſum, ac circumventum, humanam conditionem, ſatis per ſe miſeram, aliis etiam incommodis efficere miſeriorem. quid porrò præſtantius, quid utilius eſt, quam, cùm corpore valeas, curare ut etiam animo valere poſſis? ſiquidem corpus animi gubernaculo, animus autem miniſterio corporis indiget. at neque animus æger bene gubernabit, nec affectum corpus animi rectè parebit imperio. Quamobrem prudenter à doctis & ſapientibus viris & cogitatum, & factum eſt, qui de luctu minuendo ante nos ſcripſerunt: quorum

quorum exſtant ſatis multa, ſane ſapienter litteris mandata, in primiſque à Theophraſto, Xenocrate, & Crantore: quorum libros cùm ſæpe animi cauſa ſumſerimus in manus, admirati eorum ſaluberrimis præceptis refertam, & conditam eloquentiam, tum proximè legimus neceſſariò. caſus enim ereptæ nobis filiæ, quam in oculis ferebamus, eximiis & virtutis, & prudentiæ laudibus præſtantem, ita nos vel perculit, vel afflixit: ut ab iis opem ad leniendum, & mitigandum dolorem petere coacti ſimus, quorum maximè doctrina, atque auctoritate antea movebamur. Itaque multa, quæ ab illis vel acutè cogitata, vel eleganter enuntiata ſunt, ad dolorem noſtrum abſtergendum colligemus: ut, ſi minus ceteros in tanto mœrore delectare poterimus, quod alias & dicendo, & ſcribendo efficere conati ſumus, & fortaſſe interdum præſtitimus, ſaltem nobis ipſis medeamur. Sed nos etiam in hoc fortiores erimus, quàm ceteri, quibus difficile non fuit, cùm doloris expertes ipſi eſſent: alios conſolari, & à mœrore abducere: nos autem dolore afflicti, conſolationem à nobis petentes, noſmetipſos in dolore vincemus, ac naturæ quamdam quaſi vim afferemus. quæ utinam tanti ſit, ut ceteros quoque in pari fortuna doceat adverſos caſus patienter ferre: qui quo ſæpius contingunt, eo propiores hominibus putandi ſunt, quaſique in ipſa humana natura innati atque inſiti, ideoque levius ferendi. qui enim hominem ſe eſſe agnoſcit, hominiſque nomen ſibi vindicat, cur ea, quæ hominis maximè propria ſunt, recuſare, ac rejicere audeat? quod ſimul ut feciſſet, & imprudens, & injuſtus meritò haberetur. Atque hic locus à Theophraſto egregiè tractatus, & perpolitus eſt: itemque à Xenocrate: quorum uterque eos, qui communes caſus recuſant, imprudentiæ, atque injuſtitiæ condemnat: alter etiam diis ipſis adverſos non dubitat appellare. quod etiam gravius crimen eſt, ac vix in homine tolerabile: qui, cùm omnia diis immortalibus accepta referre debeat, quorum ope vivit, intelligit, agit: ſi eorum voluntati repugnet, cum diis, gigantum more, bellare videbitur. Hæc autem peritè, ut dixi, à multis tractata ſunt. ſed ego Crantorem ſequor: cujus legi brevem illum quidem, ſed verè aureum, &, ut Panætio placuit, ad verbum ediſcendum de luctu librum, quo acutè univerſam doloris medicinam complexus eſt. ſed humanæ naturæ incommoda ita diligenter, & accuratè expreſſit, ut quaſi luendorum ſcelerum cauſa naſci homines, & in hanc lucem ingredi, poſſis agnoſcere. Fac enim naſci hominem, & in lucem edi. continuo ſenties, non rerum humanarum dominum, & gubernatorem exortum, ſed veriùs miſeriarum ſervum, atque incommodorum. nam infantiam, & pueritiam vagitus, lacrymæ, imbecillitas, nullus nec rationis, nec corporis uſus, dolores, moleſtiæque quamplurimæ amplectuntur. Adoleſcentiam ardor quidam excipit ætatis, nec prudentiæ, nec judicii compos rerum utilium, ac laudabilium contemtio: voluptatis, & ſæpe turpitudinis appetitio: veri boni ignoratio: in pares ferocia, in ſuperiores ſuperbia, in infimos arrogantia. ex his contentiones, rixæ, contumeliæ, aſſiduus denique moleſtiarum concurſus exſiſtit: ex rebus honeſtis contemtis infelicitas, & infamia: ex turpibus curioſè arreptis, & conquiſitis, luctus, morbi, perpetuum denique ſui ipſius odium, ex cognita rerum turpium mercede conflatum. Adde inſanas pecuniarum largitiones, nullam futuri temporis curam, non inopiæ, non liberorum, non uxoris, non poſterorum, non familiæ. quæ ſiquis ætatis potiùs vitia, quàm naturæ miſerias, velit appellare: quamquam nominis quæſtionem inducat, non tamen ipſas ab homine miſerias, atque incommoda removebit. Nec verò audiendus erit qui hæc ab humanæ naturæ miſeriis ſeparanda putet, quòd non in natura inſita ſint, ſed unius, vel aliquorum hominum errores videantur: totius autem naturæ illa eſſe affirmet, quæ à nullo prorſus homine ſejungi poſſint. quaſi verò humanum non ſit iraſci, quòd multi non iraſcantur, aut non humanum loqui, & ſocietatem coire, quòd multi reperiantur, qui nihil difficilius faciant, quàm cum hominibus congredi, aut ſermonem cum aliquo conferre. verè autem humanæ miſeriæ ſunt, quòd & ſi non omnes in uno, certè omnes in omnibus, & aliqua in multis, & multæ ſæpe in uno agnoſcuntur. Jam, conſtantis ætatis quot, quantæque miſeriæ ſint, non difficile eſt intelligere, at difficillimum enumerare. hæc enim ex omnibus hominis ætatibus in perturbationes animi, in pericula capitis, famæ, fortunarum una maximè incurrit. ſicut enim ceterarum omnium ætatum, ad res, negotiaque tum privata, tum publica peragenda aptiſſima eſt, maximeque idonea: ita etiam una, præ ceteris omnibus, difficultatum, miſeriarumque omnium, quæ ex publica, privataque adminiſtratione oriuntur, particeps, & ſocia eſt. hæc privata amicorum negotia procurat, hæc publica ſuſtinet munera: hæc gloriam, & commodum ex rebus feliciter evenientibus, hæc ærumnas, & moleſtias ex adverſis experitur. huic bonorum civium propugnatio, huic malorum accuſatio propoſita eſt: huic invidia, & æmulatio à bonis imminent, à malis pericula & inſidiæ intenduntur: ætas numquam ſibi ipſi non infeſta, numquam pacata: ſemper laborioſa, ſemper anxia, & ſollicita. quæ ſi non aliquos interdum vel utilitatis, vel voluptatis fructus ex aſſiduo labore perciperet, ſe ipſam profectò regere, ac tueri non poſſet. Sed miſeriarum numerus multo major eſt: magnitudo autem tanta, ut neminem à publicis procurationibus non avertere, ac deterrere poſſit. illuſtre præbuit exemplum univerſæ civitati calamitas noſtra, quam ex parta civium ſalute, ex defenſis aris, ac focis, ex proditoribus à reipublicæ, ac populi R. cervicibus depulſis contraximus. Sed noſtra fuerit ærumna: civibus contigerit ſalus & quies: quam etiam, vita ipſa profundenda, ſi opus fuiſſet, libentiſſimè redemiſſemus. Nihil neceſſe eſt mihi de me ipſo prædicare. Sed tamen veriſſimè affirmare poſſum, eos demum annos me verè vixiſſe, quos in præclaro aliquo patriæ vel commodo, vel ornamento conſumſi. ac, ſi longiùs mihi vitam producere liceret, non me alia cauſa ad diutius vivendum, quàm publicæ utilitatis ſtudium, curaque adduceret: quæ una cogitatio in homine glorioſa, & laudabilis eſt maximè. Nunc, quæ extrema de ætatibus ſupereſt, quid ego de ſenectutis incommodis, ac miſeriis loquar? quas plurimas eſſe, & graviſſimas, & nomen ipſum, languoris, calamitatiſque pleniſſimum, indicat, & adſpectus ipſe ſenum hominum patefacit. quid eſt enim aliud, ſenem videre trementem, incurvum, canum, imbecillum, infirmum, quàm cernere morientem vivum, aut viventem mortuum? Ac, ſi nonnullis viſum eſt, magnam eſſe ſenilis ætatis conſolationem, prudentiam, uſu rerum quæſitam, quæ illius ætatis propria: eoſdem illos fateri oportet, ex eo ipſo fonte manare etiam ad ſenes non minimum doloris, atque moleſtiæ. qui enim ſe prudentem, rerumque agendarum peritum agnoſcit, cur non doleat, quæ optimè intelligit, præ ætatis vitio, optimè etiam perficere non poſſe? &, ſi patriam diligit, cur non angatur, quòd, quam conſilio juvat, opera etiam juvare non poſſit? eoque major prudentium dolor eſt, quòd optimorum conſiliorum fructum nulla alia ratione percipi poſſe, quàm ſi optimè ad exitum perducantur, intelligunt: quòd, niſi vir optimus, patriæque amantiſſimus ad agendum accedat, prorſus inania ſint futura. De ætatibus ſatis mihi videor dixiſſe. quid jam de generibus hominum loquar? aut numquid principes viros, & medios, & infimos æquè miſeros eſſe negare poſſum? Reges ipſi quàm miſeri ſint, quantoque opere ſollicitudini, timori, atque inſidiis propoſiti, ſatis oſtendit Dionyſius, cùm imminente capiti gladio Damoclem fortunæ ſuæ felicitatem voluit experiri. nec mirum: cùm iis bellorum calamitates, agrorum vaſtationes, populorum cædes, urbium exitia immineant. quæ cùm eveniunt, qui victoria potitur, aliquid & ad gloriam, & ad imperium ſemper acquirit: ſed tanta præterea rerum amiſſio, tantuſque ſumtus conſequitur, ut magni conſtet victoria, ac plerumque præſtiterit, numquam arma ſumſiſſe.

ſiſſe. ſin profligatio exercitus, aut clades aliqua contingit, nihil eo ſtatu miſerius ne cogitari quidem poteſt. ſiquidem captivitati, inopiæ, luctui, contemtui conjunctus eſt. Sed fac Regem eſſe à bellorum impetu, & à caſtrorum pulvere remotum: ſua pacatè poſſidentem, nulla hoſtium incurſione vexatum: num iccirco tutior, à miſeriis ſecurior? quin immò, ut otium humana natura non fert, ipſe ſibi moleſtiam, ac ſollicitudinem exhibebit. nam aut de augendis vectigalibus, aut de producendis finibus, deque urbibus ad imperium acquirendis, aut de jungendis cum potentioribus propinquitatibus, atque amicitiis cogitabit. quæ qui animo agitat, nec à moleſtia liber eſt, nec alios ſecuros, ac quietos eſſe ſinit. De Avaritia verò, maxima animorum peſte, nolim hoc loco pluribus diſputare. quæ in deſide, atque otioſa mente quàm maximè exoritur. eaque erectiores animos, & altiores dignitatis gradus maximè ſollicitat. Huic generi infimum hominum genus opponitur: quod, ut nomine abjectiſſimum, ſic re quoque omnibus calamitatibus, atque angoribus eſt propoſitum. Huic inopia, fames, contumelia, injuriæ, tributorum ſolutio, militiæ incommoda, miſera denique omnia perferenda ſunt: eoque miſerius eſt, quòd ceteris omnibus, cùm adverſa fortuna premuntur, permulta tamen ſuppetunt, è quibus conſolationem, doloriſque levationem petunt. at infimam plebem natura ipſa fatali quadam neceſſitate tam abjecto, tamque imo loco collocavit, ut omnibus ærumnis ſubjecta, nulla propemodum ratione erigi, aut ſublevari poſſit. Ne mediocris quidem hominum conditio miſeriarum expers eſſe cognoſcitur. nam inter ſummum, & infimum interjecta, alteri paret, alterum patitur. cui ſi imperare poſſet, certè longiùs à miſeria diſtaret. Sed quia neque dignitate præſtat, nec ſummos viribus adæquat, ſuo ſtatu contenta eſſe cogitur. Itaque multis in civitate perfungitur incommodis, non illis quidem parum Reipublicæ fructuoſis, aut valde ad ferendum gravibus, atque aſperis: ſed quæ tamen animum ſollicitent, & humanas miſerias augeant. hæc longiori oratione perſequi, non eſt præſentis inſtituti: ante oculos omnia ſunt, & nobis præcipuè re ipſa perſpecta & cognita. Nec verò alia eſt fæminarum conditio. aut enim iiſdem, aut parum certè diverſis & moleſtiis, & angoribus vexantur. nam & iiſdem morbis, quibus viri, & iiſdem animi perturbationibus, mentiſque erroribus objiciuntur. eoque miſerior illorum ſtatus eſt, quo mollior natura, & ad propulſanda incommoda, calamitateſque perferendas infirmior. eaſdem, quas viri, ex parentum, fratrum, ſororum, affinium interitu moleſtias, & dolores hauriunt: maritos ſæpe fatuos, parum de re domeſtica ſollicitos, pecuniam profundentes nanciſcuntur. ex quo paupertas, & luctus. quibus malis eo premuntur gravius, quòd non, ut homines, indagare poſſunt, qua maximè ratione medeantur incommodis, rebuſque ſuis conſulant. Quantum Tullia mea ex patris exſilio doloris, quantum ex maritorum ærumnis, & difficultatibus luctus, moleſtiæque percepit? & quamvis optanda etiam minimè pauca in vita viderit: malorum tamen paucorum ſenſus, vel doctiſſimis hominibus judicantibus, ita acerbus eſt, ut bonis vel plurimis, & maximis æquetur, interdum etiam præferatur. Permulta præterea in hoc genere ſunt, quæ reticere præſtat, quàm edere. ſed magna certè, vel hoc uno nomine, fæminarum miſeria eſt, quòd, quamdiu vivunt, parêre ſemper coguntur. aut enim innuptæ parentibus, & affinibus: aut nuptæ, maritis parent, & ſerviunt. ſic, quo minùs liberæ, eo magis miſeræ, nec umquam liberæ, niſi è vita profectæ. ergo mortuæ beatæ cenſendæ erunt. Nec ſanè video, quid aptiùs dici poſſit. ſed, ut ad nos ipſos redeamus: cui uxor contingit, is præter communes omnium calamitates præcipuo etiam miſeriæ genere premitur, quòd non ſolùm ſuis, ſed etiam domeſticis uxoris, & familiæ moleſtiis, curiſque vexatur. neque enim ab ea, qui cum arctiſſimo matrimonii vinculo conglutinatus eſt, aut mente, aut cogitatione ſejunctus eſſe poteſt. Itaque tot vexatus calamitatibus, tantiſque miſeriis circumcluſus hominis animus, quid egregium, aut eximium ſuſcipere, aut cogitare poteſt? mirum, ni ſeſe abjiciat, ac veluti deſperatione perculſus humi jaceat. Redeo igitur ad illud, quod initio dixi neminem eſſe, qui ſpiritum ducat, non miſerum, neminem verè felicem. parumque ſapiunt ii, qui hominem luendorum ſcelerum cauſa natum, felicem, aut beatum audent nominare. noſtra enim, quæ dicitur vita, mors eſt: nec umquam vivit animus, niſi compage ſolutus corporis, liber æternitate potiatur. itaque mortem in beneficii loco tributam à Diis immortalibus iis, quos maximè dilexerunt, traditum eſt: ut, cùm Herodoto auctore, Argia ſacerdos, quod optimum filiis eſſet, à Dea precata, eos reperit mortuos. mortem autem, tamquam optimam, illis eſſe conceſſam. credamus ſanè Apollini Delphico, qui exoratus à Trophonio, & Agamede, à quibus templum magnificè Apollini exædificatum Delphis erat, ut, quod eſſet optimum homini, tribueret: poſt diem tertium exanimes ſunt inventi. quo munere judicavit Deus, & Deus is, cui divinationis partes à reliquis diis ſunt relictæ, mortem homini omnium rerum eſſe optimam: itaque excutiatur jam, & evellatur funditus falſa illa multorum opinio, malam eſſe mortem: quandoquidem, vel deorum judicio, non modo mala non eſt, ſed omnium rerum optima, & omnium munerum, quæ humano generi dari poſſunt, præſtantiſſima. præclare: nam & miſeriarum omnium, quas viventes pertulimus, finis eſt in morte, & vitatio futurarum, in quas progredientes in vita incurrunt. docemur enim exemplis, à propagatione vitæ, permultos optimos, & fortiſſimos cives incredibiles hauſiſſe calamitates. immerentes dixerit aliquis: ergo non ſunt in miſeriis ponendæ. nihil enim miſerum, quod non culpa contractum. de hoc aliâs viderimus: ſed calamitates certè fuerunt: quarum etiam unica cogitatio, quæ prætervolat, & effugit, non modò ſenſus, qui corpori firmius inhæret, acerbitatis habet plurimum. ex quo verè colligi poteſt, ſapienter feciſſe Thraces, qui, ſi Herodoto credimus, naſcentibus liberis lugere, morientibus lætari ſolebant. exitum videlicet vitæ, ut miſeriarum finem, & quietis portum, probabant: vitæ initium, ut ingreſſum ad moleſtias & dolores, inviti videbant. Si ergo naſcimur miſeri, morimur beati: quis in hanc lucem edi velit, ut miſeriis opprimatur? quis non potiùs mori, ut beatam vitam acquirat? &, ſi hoc nobiſmetipſis, ut optimum, vellemus: cur liberis & affinibus, diverſum? an melius nobis, quàm iis, quos ſummè diligimus, eſſe velimus; aut potiùs beatè nobis, miſerè ipſis, & infeliciter? hoc certè nullo modo. quamobrem amanda mors ſemper omnibus, cariſſimis etiam optanda. Ac, ſi quibus mori præſtat, quam vivere, iis præcipuè, quos & acta cum virtute vita claros effecit, & mors, ſatis diuturna vita perfunctos, moleſtia afficere non poteſt. Naſci verò non intelligo, quibus expediat. nam in ærumnas, miſeriaſque ingredientes quid gratum, quid hilare aſpicimus? qua re potius non offendimur? quod primus ille naſcentium infantium vagitus, & ejulatus ſatis declarat. tributus enim eſt ab optima parente natura, quæ nihil inane ſolet efferre, ac potius iis rebus, quas efficit, admiranda ſemper edit vel pietatis, vel juſtitiæ, vel prudentiæ documenta. Ex quo intelligi licet, non naſci longè optimum eſſe, nec in hos ſcopulos incidere vitæ. proximum autem, ſi natus ſis, quàm primùm mori, & tamquam ex incendio effugere fortunæ. Sileni quæ fertur fabula, ſi gravioribus ludicra interdum admiſcere liceat, idem certè confirmat. qui captus à Mida, miſſionem doctrina redemit. docuit autem Regem, numquam naſci optimum eſſe, ſed celeritatem mortis proximè accedere. idemque Euripidis teſtimonio, poëtæ ſapientiſſimi comprobatur. Sed Crantor noſter patri, filii mortem ægerrime ferenti, reſponſum ait datum eſſe in Pſychomantio, filio ſuo bene beateque eſſe, utiliuſque futurum fuiſſe, ſi etiam pater pari ratione

ſatis

fatis conceſſiſſet. Quamobrem, ſi dolorum finem mors affert, ſi ſecurioris & melioris initium vitæ: ſi futura mala avertit: ſi medetur præſentibus: ſi nos ex plurimis vel morborum, vel moleſtiarum, vel acerbitatum periculis educit, cur eam tantopere accuſare, aut dolorem ex ea derivare velimus, ex qua potius conſolationem, ac lætitiam haurire fas eſſet? Niſi ſi, quod mortem ſubſequitur, nos fortaſſe ſollicitos habet. de quo libet pauca dicere, ne hic unus ad moleſtiam, doloremque alendum angulus relinquatur. qui profectò inſipientibus objiciendus non eſt, nec in tanto argumentorum acervo, quibus mortem ipſam nobis obſtringere conamur, committendum, ut hoc uno nomine minùs nobis debere videatur. & quamquam hæc futuri poſt mortem temporis cura hominis propria non ſit, ſed diis immortalibus, potius reliquenda, quorum nos vel liberalitati, vel ſapientiæ permittere fas, piumque eſſet: qui enim naſcentium curam ſuſcipiunt, qui viventes protegunt, alunt, tuentur, fovent, cur morientes deſerant? tamen aliquid etiam modeſtè de iis exquirere, nón eſt inutile. Neceſſe eſt autem, ſit alterum de duobus, ut aut ſenſus penitus omnes mors auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. quòd ſi morte ſenſus exſtinguitur, obituſque noſter ei ſomno ſimilis eſt, qui nonnumquam etiam, ſine viſis ſomniorum, placatiſſimam quietem affert, quid lucri eſt emori? aut quod omnino tempus reperiri poteſt, quod ei tempori anteponatur, cui ſimilis futura eſt perpetuitas omnis conſequentis ætatis? Sin migrationem malimus eſſe mortem in eas oras, quas è vita profecti incolunt: quid optabilius, quàm ad eos proficiſci, quos mortuos, vivens dilexeris: & cum iis perpetua vita perfrui, qui, ut nos in laude viveremus, & libenter moreremur, ſuis & præceptis, & exemplis tantopere laborarunt? mihi certè nihil videtur evenire poſſe gratius, quàm, ſi mors aditum ad alia loca patefaciat, ad eos venire, & cum iis eſſe, quos & maximè dilexi, & numquam non diligere, ac laudare poſſum. Ad meos autem & affines, & amicos ut pervenero, quantopere lætabor? quæ jucundior collocutio, qui ſuavior vel congreſſus, vel complexus? O vitam verè vitalem, ut ait Ennius, omnibus bonis, ac gaudiis circumfluentem: ſed beatam etiam mortem, quæ ad beatiſſimam vitam aditum aperiat. Me quidem, etſi dolore vehementer perculſum & afflictum, his tamen monitis, & præceptis non mediocriter allevari ſentio: itaque neminem puto fore, quem non rationes, à nobis tam ſtudioſè è ſapientum libris collectæ, juvent, ac delectent. eoque magis, quo leviores erunt aliorum dolores, quàm hic, quo nos tantopere vexati ſumus. nam ſi amor, ſi pietas filiæ, ſi virtus, ſi gravitas, ſi conſtantia, ſi cetera, quæ vix in fœminis ſpectari, nedum requiri ſolent, conſideranda ſint: tanta facta jactura, graviſſimè dolere debuimus. ſed vincat dolorem conſolatio: nec jam, quid amiſerimus, ſed, quatenus mortalem filiam lugere deceat, cogitemus. Hoc nos in mœrore noſtro, quod certè fortis eſt ægroti, non ſolum accipere, ſed etiam exquirere medicinam. At, ſi quis erit, quem dolor à ratione averterit, cui non ſatis firma videantur ea, quæ jam dicta ſunt: is ſe hominem eſſe meminerit: nihil autem humanius eſſe morte, ut, ſi mors ab ipſo divelli, atque auferri poſſet, diis propior habendus eſſet, quàm hominibus, nec omni ex parte hominis nomen ipſi congrueret, quia communi, & præcipua hominis conditione non uteretur. præterea lacrymis nihil profici, quæ ſi quid adjumenti afferre poſſent, non ſolùm effundendæ, ſed ſtudioſè conquirendæ viderentur. Denique, non ſolùm injuſtè, ſed etiam turpiſſime agere qui immodice doleat. turpitudo enim pejor eſt dolore: ſiquidem dolor homini à natura inſitus eſt, nihilque habet infamiæ. turpitudo autem iccirco vituperanda, quod aliquid ſemper indecorum continet, culpa contractum. at omnis immodicus dolor turpis eſt, & à viro alienus: quandoquidem, ut immodicè, præterque rationem doleas, ſponte efficis. ex quo culpa exoritur: quæ homini maxime fugienda, vitandaque eſt, ne cogitationibus molliſſimis, quales interdum perditè amantes ſuſcipere ſolent, nimiùm perturbemur, & effæminemur. quin potiùs nos ad Homerica præcepta referamus:

Corde age ſis firmo, nec te ſubmitte dolori:
Namque aliquid gravius, pejuſque aliquando tuliſti.

Nemo videlicet ſuorum funera experitur, cui non adverſa multa antea contigerint: ita variis omni ex parte incommodis humana natura concluditur. cur igitur graviora, vel certè æquè gravia fortiter paſſus, cùm maximè occalluiſſe, & ad dolorem novum obduruiſſe deberet, deſpondeat animum, ſeque mœrori tradat? quod etiam injuſtum eſſe, paullo antè dicebamus. natura enim uſuram nobis vitæ dedit, tamquam pecuniæ, nulla præfinita die. quòd ſi, cùm libet, ſua repetit, ea conditione commodata, ut reſtituenda ſint, cur accuſatur? aut cur non potius naturæ gratias agis, quòd, cùm citiùs potuiſſet, tardiùs repetierit, quàm, quod aliquando repetierit, injuſta querela inſequeris? certum eſt enim, non habitandi locum, ſed commorandi diverſorium, nobis eſſe conceſſum: è quo cùm migramus, alacres, tamquam ex hoſpitio miſeriarum, atque incommodorum pleniſſimo, egredi debemus, ac lætiſſimo animo ad futuram vitam, tamquam ad patriam, evolare. quod ſapientes re ipſa præſtitiſſe memorantur. profectò enim, ſi quid eſt, quod morientes perturbet, aut morientium affines habeat ſollicitos, id totum aut ex falſa quadam opinione oritur, quòd vitæ hujus uſum nimis utilem, ac jucundum arbitremur, aut ex nimio in noſmetipſos amore, caritateque provenit. Sed opinionem illam, quam rationes adeò firmæ convellunt, libenter deponere debemus: ab hoc verò amore nimio tanto libentius abhorrere, quanto indecentius eſt, vitæ munere perfunctos velle etiam in vita, diis invitis, commorari: communemque omnium, qui ante nos è vita diſceſſerunt, conditionem recuſare: demum, tanta eſſe mollitie, tantaque impudentia, ut ne in morte quidem confirmemur, ac reſipiſcamus. Quòd ſi noſtrorum mortem dolemus, cogitemus aliquando moriendum ipſis fuiſſe: mortem autem incertam eſſe, nec in hominis arbitrio poſitam, ſed è deorum voluntate pendêre: quos verò lugemus, eos quoque ſuorum mortem vidiſſe, patienterque tuliſſe: ideoque ſuo exemplo, quid nos facere velint, præcipere: denique, id quod ad conſolandum maximum, ac firmiſſimum eſt, non eos nobis penitus ereptos eſſe, nec prorſus amiſſos, ſed ad præfinitum tempus à noſtris oculis, noſtraque conſuetudine remotos. itaque, cùm ad eum vitæ terminum, quem natura præſcripſit, nos quoque pervenerimus, ſtatim eorum conſuetudinem reguſtabimus, & ad ſuaviſſimam vel conſuetudinem, vel convictum redibimus. Mortem ſuis acerbam, amaramque in moriendo eſſe, nonnulli exiſtimant, atque ideo fortaſſe perturbantur, quod me quidem, ſublatis gravioribus dolendi cauſis, quas jam ſuperiori diſputatione rejecimus, minimè angit. ipſe enim diceſſus animi à corpore vel cum nullo, vel certè cum modico dolore fit, & interdum ſine ſenſu: nonnumquam etiam, ſi rectè ſapimus, cum voluptate. Sed quidquid ſit, totum hoc ita leve eſt, qualia ſunt ea, quæ puncto temporis fiunt. nec, ſi mors paullo longior alicui contingat, deſperandum eſt de deorum, naturæque benignitate, quin eo quoque tempore properantem è vita diſcedere foveant, atque allevent. cujus rei in morientibus ſæpiſſimè ſigna minimè dubia cernuntur: cùm velut è ſomno exciti, quo tempore extremum ſpiritum edituri ſunt, ita gaudentes & alacres aſpiciunt, ut libentiſſimè judices è vita proficiſci. quamobrem ne hæc quidem ullam æquam doloris afferre cauſam poſſunt, qui certè comprimendus ac minuendus eſt, quòd, etiam ſi nolis, tempore tamen ipſo extenuatur, & evaneſcit: non, quod minuendi doloris vis in ipſa die poſita ſit, ſed quod uſus ipſe, cogitatioque diuturni temporis doceat, nihil eſſe in morte mali, ideoque leviter, & patienter ferendam.

Sed turpe, ſtultumque eſt homini, tanta, tamque varia rerum cognitione inſtructo, non à ſe ipſo potius maturè, quàm ſero ab uſu, & cogitatione doloris remedia exſpectare: quæ tam firma ſunt, ut neminem fore putem, quem non vehementer non juvent ſolùm, ſed etiam permoveant. mihi vero eo magis neceſſaria fuerunt, quo turpius viſum eſſet: me, qui ceteros conſtantiſſimè conſolatus eſſem, in meo dolore jacere. voxque illa exaudiri, & fortaſſe non immeritò, potuiſſet, *Hiccine ille Cicero, cujus ob os Graii ora obvertebant ſua?* Sed nos Philoſophia adverſus omnes vel temporum, vel fortunæ, vel naturæ inſidias munivit: quæ ita fortis eſt, ut nullius injuriæ impetum extimeſcat: ita lenis & ſuavis, ut omnes acerbitates facilè mitiget ac molliat: ita demum utilis, & fructuoſa, ut totam ſe ad humanas utilitates liberaliſſime porrigat atque explicet. nec verò ſecus debet. quæ enim humanarum miſeriarum cumulum optimè norit, & acutiſſimè perſpiciat, ſi eas patiatur manare longius, neque homini mœrore confecto, conſilio, præſidioque ſuo præſtò ſit: quid illo miſerius? quid vita noſtra laborioſius, aut tetrius? aut quid prodeſſet, adſpectum à natura ad ſupera erectum accepiſſe, ut cœlum contemplari, ut deorum majeſtatem cogitare, aut à diis immortalibus mentem & rationem, ut utilia cognoſcere, honeſta à turpibus ſecernere, æqua amplecti, ab iniquis abſtinere poſſemus, voce denique ipſa, & oratione frui, quæ nullis animantibus conceſſa eſt, quaque ceteris omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, viventium naturis antecellimus? inania hæc videri poſſent, ſi tam multis ex adverſo miſeriis oppreſſa hominis natura, neque ſe ad cœleſtia erigere, nec tantis bonis, quibus majora nulla eſſe potuerunt, uti poſſet. ſed profectò, ut contra ſerpentium virus pharmacorum genera multa, contra inopiæ calamitatem ſolertia & induſtria, contra turpitudinis voluptatem pudor & verecundia, ſic contra doloris morſum philoſophia nobis data eſt deorum immortalium conceſſu atque munere. quam ut nemo ſatis pro dignitate laudare queat, ſic quàm plurimi mentis tranquillitatem, animi moderationem, in voluptates imperium, in acerba omnia ſummam quandam vim ac fortitudinem illi uni acceptam referant neceſſe eſt. Neque nos aut in exſilio patientes, aut in honorum curſu temperantes fuiſſemus, aut nunc in tanto mœrore ſapienter & fortiter verſaremur, niſi tuo, philoſophia optima rerum humanarum moderatrix, beneficio. Tu verò felix & beata, Tullia mea, ſi quis tibi in morte ſenſus eſt, quæ tot, tantiſque miſeriis, quibus propoſita fuiſſes in vita, una morte perfuncta es: à præſentibus malis expedita, ab impendentibus erepta, & in tuto ac tranquillo quietis portu collocata. meritò tibi mortem jucundam fuiſſe putem, cùm vel ea bona, quibus viventi frui licuit, animo reputas, vel mala, quæ moriens vitaſti, mente, ac cogitatione compleceris. Ego autem, cùm te felicem judicem, ac, ſi dicere liceat, pænè oculis cernam, cur tua morte excrucier? potiùs lætabor, ac tibi, tamquam de re optatiſſima, gratulabor. cui niſi moleſtum eſt, me jam ætate confectum in tam perturbata republica, tamque miſero vitæ genere reliquiſſe, quid jam grave aut acerbum eſſe poſſit? Sed hoc quoque ratione ipſa levius aliquanto efficitur: neque tu nunc, quid me perferre neceſſe ſit, ſed, quàm non multo pòſt tecum iiſdem bonis uſurus ſim, debes cogitare. nihil enim accidere valde grave poteſt iis, qui ſpe jam propinqua futuri boni recreantur, & aluntur. Sed neſcio qui nos teneat error, aut miſerabilis ignoratio veri. non enim tantopere bonis delectamur, quàm malis affligimur: ex quo fit, ut hæc etiam nolentes augeamus: bona autem, quæ fruendo, cogitando, gaudendo majora efficere expediret, etiam deteramus. quod certè minimè oporteret. nam, ſi feriò diſputare volumus, cur dolores, reſque adverſas refugiamus, quæ fortitudinem in nobis gignunt, & efficiunt? quæ ſi nulla eſſent, nulla profectò fortitudo agnoſceretur. cur mortem horreamus, quæ aſſidua ſui memoria, nos ut meliores ſimus, admonet? nec patitur, ad ea nos animum adjungere, quæ aliquam nomini noſtro vel intemperantiæ, vel injuſtitiæ notam poſſint inurere. Bona verò, & ea, quæ probantur in vulgus, cur tantopere appetamus? quæ conſecuti, molliores plerumque, ac deteriores evadimus. itaque his voluptatum lenociniis obruimur, ut diſceſſum ex hac vita impendêre, vix aliquando recordemur. Sapienter philoſophorum princeps, & magiſter Plato: quæ ſenſus appetit, aut timet, nihil aliud eſſe, quam ſomnia. itaque penitus contemnenda eſſe. mala verò ut vitentur, ad æterna properandum: quò niſi confugias, vitari numquam poſſe. at ad æterna ne properari quidem poteſt, niſi morte janitore, ac duce. Quorſum hæc? ut intelligamus, non modo à dolore vacuam, quietam, oportunam, bonam denique eſſe mortem, ſed etiam ſummorum atque immortalium bonorum liberalem, ac beneficam miniſtram. itaque Cato ſic è vita diſceſſit, ut lætaretur, cauſam ſe nactum eſſe moriendi. Jam nemini dubium eſſe poteſt, quin vir prudentiſſimus, ſi ſua morte lætabatur, mortem etiam optimam eſſe agnoſceret. Certè enim in re ſua, quæ præſertim ſenſu percipiatur, nemo fallitur. quod comprobare poſſum Artabani Xerxis patrui, viri ſapientiſſimi, teſtimonio. de quo eſt apud Herodotum, cùm Xerxes exercitus ſui copias pænè innumerabiles, ante ſe in aciem inſtructas intuens collacrymatus eſſet, neminem ex tot millibus ad centum annos ſuperſtitem futurum, illum Xerxi reſpondiſſe: at tam multa ſunt, tamque miſera, quæ viventes perferunt, ut nemo ſit, quin mori ſæpiſſimè cupiat: cum incidentes calamitates, & morbi vitam adeo perturbent, ſollicitamque habeant, ut longiſſima videatur. itaque mortem perfugium eſſe ærumnoſæ vitæ, dubitare nemo poteſt. nec his contentus addidit etiam illud: deos immortales, cum hominum vitam quæ adeò miſera ſit, multis bonorum integumentis velarunt & operuerunt, feciſſe quodammodo invidentiùs, ne mortis ſuavitatem, quanta eſt, omni ex parte deguſtaremus. Amphiaraum fabulæ narrant, Jovi, atque Apollini fuiſſe cariſſimum, neque tamen illum ſenium attigiſſe. ex quo quid aliud conjici poteſt, quàm mortis celeritatem divinum munus, & lucrum eſſe maximum? itaque ſcitum eſt illud comicum:

Nam quem tuetur, atque diligit deus,
Juvenis ſupremum mortis intrat limitem.

Neminem enim, quem dilexerint dii, patiuntur eſſe miſerum. quare vitam eis, miſeriarum plenam, adimant neceſſe eſt. quid autem contingere homini tam gratum poteſt, quod eum magnopere in vita retineat? voluptas, credo, quam ex alicujus ſive artis, ſive doctrinæ tractatione percipit. at doctrina æmulationem, omnium rerum moleſtiſſimam, ſi quæris, etiam dolorem parit. non tam enim delectamur, aliquid diſcentes, quàm angimur, multo plura, ac majora, quæ ſcire vellemus, penitus ignorantes. Artes verò, quas tenuiores tractant, quid habent voluptatis, aut quid non potius moleſtiarum, & mœroris? quanta inter eos, qui illas exercent, perfidia? quantum odium? quanta invidia? aut quis eſt ſua ſorte contentus, & non alienæ ſive induſtriæ, ſive fortunæ, æmulator, oſor, detractor? Sin civilem vitam quiſquam appetit, & in Reipublicæ luce vivere pulchrum putat, is ſe exigua, ac pænè nulla honoris ſpecie magnas comparare calamitates certò ſciat, quotus enim quiſque eſt, cui non publica adminiſtratio vel mœroris, vel jacturæ tantum attulerit, quantum verbis explicare vix queat? ac, ſi de toto vitæ curſu judicare verè volumus, exitum videamus. Ubi optimi reipublicæ adminiſtratores, ſeu veriùs parentes, Miltiades, Ephialtes, Cimo, Themiſtocles, Ariſtides? quantum illis fides, caritas, integritas, conſtantia peperit miſeriæ? ut non modò honoribus, dignitate, auctoritate ſpoliarit, ſed etiam in exſilium miſerit. quod contra oportebat: viros optimos, patriæque amantiſſimos honore affici, in oculis ferri. Scipio Africanus apud noſtros optimam cauſam amplexus, paucorum immoderatæ libidini repugnans, manè mortuus in lecto eſt inventus. nec abſuit ſuſpicio, quin ab uxore,

quæ

quæ Gracchorum ſoror fuit, interfectores eſſent immiſſi. Metello autem Numidico, homine omnium clariſſimo, ac præſtantiſſimo, quid miſerius? qui, ne in legem perniciofam juraret, in exſilium abire ſit coactus. fateor profectò, inter omnia exſilii genera, atque omnes miſeriarum cauſas maximè honeſtam Numidici fuiſſe conditionem: cui probitas, integritas, in patriam caritas, calamitatis cauſam attulerit: ſed tamen fatendum eſt, graviſſimam fuiſſe calamitatem, pelli patria, avelli à ſuis, bonorum direptionem, liberorum ſive mœſtitiam, ſive ærumnam videre: M. Regulum, C. Marium, L. Brutum, ob liberandam patriam interfectum, prætereo. nolim, in iis commemorandis nimius videri, quorum exitus nemo eſt, quin ex libris, imaginibus, fama denique vulgari jam didicerit. quæ cùm multa, maximeque gravia ſint, graviſſimum tamen illud debet videri, quòd homine ambitionis vinculis irretito, quique è popularibus ſuffragiis totus pendeat, nihil uſquam infelicius reperiri poteſt. quantus in eo timor, quanta dubitatio; quantus conatus, quanta ſollicitudo? ut nullam illi à moleſtia vacuam eſſe horam, non immeritò ſuſpicari poſſimus. nam ſi ſervientis ea eſt conditio, ut ex ejus, cui ſervit, moribus, voluntate, ingenio propriam ſibi fortunam fingat: qui populo ſerviet, avido, invido, ignaro, ad mutationem proclivi, &c, quod caput eſt, ingrato, num aliquando beatus eſſe poterit? an potius, quoties de ejus natura cogitabit, toties ſuam ipſe calamitatem, ac fortunam conquereretur? præclarè vetus Poëta:

Æterno mixtam luctu mortalibus vitam
Olim conſtituit divûm pater, atque hominum Rex.

Itaque quamdiu hac luce utimur, vivere quidem videmur, ſed veriùs aſſiduè morimur, aut ſaltem vitam verbo retinemus, re ipſa amiſimus. Equidem non video, quid in hominis vita valde optandum, aut felix eſſe poſſit. multos potius, ne in majora, quàm quæ humana conſuetudo quotidie fert, mala inciderent, mortem ſibi dedita opera conſciviſſe ſcio. quod tamen non iccirco dictum velim, quia probandum putem: ſed, ut ex eo appareat, humana vita quàm multis undique prematur difficultatibus. Cleomenes Lacedæmoniorum Rex, ejuſque filius, morte ultro appetita: præterea Theagenes Numantinus, qui, ne in hoſtium manus veniret, primùm ſuis, deinde ſibi ipſi mortem attulit, quantopere vita fugienda ſit, ſatis videntur apertè declaraſſe. Ac niſi turpe videatur, homines à mulierculis, multo certè imbecillioribus, fortitudinis exempla petere, repetamus ex hiſtoriis Aſdrubalis uxorem illam, quæ, Carthagine in hoſtium poteſtatem redacta, ſe ipſam cum tribus filiis in conflagrantis patriæ incendium immiſit. Sed præter hæc, quæ jam teſtata ſunt, & illuſtria, fateamur ſanè ingenuè, tantam eſſe humanæ naturæ miſeriam, ut neque genus ipſum hominum, nec è toto genere ſinguli miſeriarum expertes eſſe poſſint. quod eo magis mirandum eſt, quòd non iis ſolum malis, quibus hominis natura aſſiduè affligitur, mala noſtra præſcripta ſunt: ſed ipſi nos, quantum in nobis eſt, miſeriores quotidie reddere conamur. nullum enim aliud in toto terrarum orbe genus animantium reperias, præter unum hominem, quod in proprium genus, atque in ſe ipſum ſævitiam exerceat ſuam. meritoque Dicæarchus in eo libro, quem de hominis interitu luculentum, & eruditum conſcripſit, nihil habere dubitationis putavit, quin multo plures exſtincti ſint homines ipſa hominum ſævitia, & acerbitate, quàm omni reliquo genere calamitatis. tanta eſt enim in permultis avaritia, tantum ambitionis, imperii, divitiarum ſtudium, ut explendæ cupiditatis gratia nihil ſibi non licere putent. atque hoc malum non jam anguſtis finibus compreſſum videmus, ſed ſuperioribus ſeculis erupiſſe vehementer, & manaſſe latius. non enim certum aliquem hominum numerum, ſed regna ipſa, & totas perſæpe funditus ſuſtulit civitates. At, ſi ad ſingulos homines, quæ proxima ratio eſt, mentem, cogitationemque converteris, ne in iis quidem quidquam reperies, quod valde appetere, aut approbare poſſis. finge enim animo quidquid homini felix, aut beatum ex opinione vulgari poſſit in vita contingere. congerantur divitiæ, bona valitudo, honores, potentia. etiam voluptates accedant. cùm hæc omnia in hominem contuleris, nihil tamen tribueris ſtabile, aut firmum, nihil, quod non repentinam, & aſſiduam pati mutationem poſſit. caduca enim, & incerta ſunt omnia, non in humanis conſiliis, aut viribus poſita, ſed in fortunæ temeritate, ac temporum viciſſitudine conſtituta. quid autem homini turpius, quàm è temporis, ac fortunæ mutatione pendère, & ſecundo illius flatu ſublevari; reflatu deprimi, & affligi? aut lætis rerum eventis gloriari, adverſis lugere, nec lacrymis temperare poſſe? quid jam intereſt inter hominem, mutamque pecudem, ſi nos perinde atque illa, quibus rationem natura denegavit, extrinſecus toti pendeamus, in nobis ipſis nihil fortitudinis, nihil firmitatis, nihil habeamus conſtantiæ? quamvis enim homini non mater, ſed veriùs noverca natura corpus fragile, infirmumque tradiderit, animum autem & in moleſtiis anxium, & in timore humilem, & ad labores mollem: plurimos tamen inſevit divinos ingenii, judiciique igniculos, quorum auxilio & cum dolore luctari, & timori obſiſtere, labores verò omnes nullo negotio vincere, ac perferre poſſemus. itaque tributum divinitus mentis ignem, & prudentiæ, non exſtinguere, ſed ſopitum fovere, atque augere debemus. Mors autem, progreſſis in vita longiùs ſi immineat, nihil eſt, cur magnopere commoveamur: quæ præſertim aut meliorem, quàm quo viventes fruimur, aut certè non deteriorem vitæ ſtatum ſit allatura. quis enim negabit, ſi animus omnino intereat, exſtincto ſenſu nihil eſſe mali, proptereaque nullam juſtam doloris cauſam exſiſtere: at, ſi vigeat, corpore ſolutus ac liber, quid jam illa vita beatius, quid divinius? ex quo maxima, & veriſſima lætitiæ, ac voluptatis exoritur occaſio. Itaque nihil jam reſtat, quo minùs, optimam eſſe mortem, verè affirmare poſſimus, tantumque abeſſe, ut, cùm adeſt, dolenda ſit, ut numquam fugienda, ſæpe etiam optanda videatur. atque eo magis, quo diutius in vita homo permanſerit. nam, cùm iis bonis, quæ afferre vita poteſt, ſatiari cœperit, tum ab humanis moleſtiis ſecedens, in beatiſſimam vitam commigrabit. non enim is ego ſum, qui animum ſimul cum homine interire putem, tantumque mentis lumen, è divina natura delibatam, poſſe exſtingui, ſed potiùs certo tempore emenſo, ad immortalitatem redire. quid autem hominem magis deceat, quàm tam multis, tamque firmis rationibus nixum, virilem animum retinere, fæmineam mollitiem exſuere? qui verò mortuos nimis lugent, nec humanam conditionem magno, elatoque animo deſpicere poſſunt, in eos illud probri plenum verè dicetur:

Vos etenim juvenes animum geritis muliebrem:
Illaque virago viri.

Multæ enim repertæ fæminæ ſunt, quæ in domeſtico luctu ſingularem animi præſentiam, ac magnitudinem præſtiterunt. Sed virilis fortitudo, ut libidini, ſic dolori, non aliter, quàm ſervo domina, imperare debet, eamque coërcere, ac frangere, tamquam vitioſam, & imbecillam animi partem. quam ſi emergere patiatur, ſeque paullo altiùs efferre, non modò rationi præcurret, ſed etiam victrix in animo exſultabit. quo nihil homini turpius, aut pernicioſius nè excogitari quidem poſſit. Gorgias orator, jam ætate confectus, ac morti proximus, rogatus, num libenter moreretur: Maximè verò, inquit. nam tamquam ex putri, miſeraque domo lætus egredior. O virum egregium, dignumque, cujus vigeat in omnium ore, ac mente ſententia! quid enim potuit præclarius dicere? cùm mala, quæ viventem pati neceſſe eſt, cogitaret, miſeriarum finem, quas moriens relinquebat, adeſſe lætaretur? ſic par eſt loqui hominem, qui non libidine vexetur, non voluptatis illecebris irretiatur, nulli denique pareat cupiditati. quæ ſumma eſt ratio & ſapientia, humanæ neceſſitati imperare, non dolori cedere, non deſiderio angi, nihil denique huma-

 num

num extimeſcere. Angamur liberorum, aut affinium interitu? quid ita? ut ſtultos imitemur, qui, quæ mutari non poſſunt, quæque vel nolentes opprimunt, perferre nequeunt: ſaniores, quorum tam multa exſtant ad æternitatem illuſtria ſive exempla, ſive teſtimonia, negligamus? quid eſt aliud, cæcorum more ambulare, &, cùm in celebritate verſari, ac Solis lumine uti poſſis, ſolitudinem tamen, ac tenebras quærere? jam enim ad eos, quos æmulari ſatiùs eſt, quoſque nobis imitandos propoſuit antiquitas, noſtra delabatur oratio. Mortem igitur in malis nullo modo eſſe ponendam, ſed in præcipuis bonis numerandam, dubitaturum puto neminem. ſi enim à miſeriis abſtrahit, ſi in meliorem vitam inducit, ſi neque miſera ipſa eſt, nec ullius particeps miſeriæ, cur mala cenſeatur? ſin hoc largitur, ut ſempiternis bonis potiamur, vitamque, quam mortalem habuimus, æternam adipiſcamur, quid morte beatius eſſe poſſit? itaque ſapientiſſimos homines accepimus non modò ſuorum morte non perculſos, neque dolore ullo affectos, ſed etiam ſæpiſſimè lætatos eſſe. Anaxagoræ, inter familiares ſuos de natura rerum diſſerenti, filii mortem nuntiatam tradunt: nihilque aliud ab eo reſponſum, niſi, ſe illum genuiſſe mortalem, præclara verò vox, & verè digna, quæ à tanto viro emitteretur. non enim ſanè video, quid ſapientiùs, aut conſtantiùs dici poſſet. an adoleſcentem illum eſſe mortuum? fracti hoc animi, nec in rebus adverſis admodum firmi ſignum fuiſſet. an angi ſeſe non ſua, ſed filii cauſa? num igitur ignorare ſe fateretur, quantis è malis elapſus eſſet filius? an ſe quidem dolere, ſed tamen humanum caſum agnoſcere? ubi ergo hominis gravitas, judicium, ſapientia? aut quid ab imperitorum turba diſtabit? è quibus tamen ſæpe multi nec iis rebus anguntur, quæ neceſſariò eveniunt, nec, quo minùs eveniant, cùm communes omnibus ſint, laborandum ullo pacto cenſent. Ille verò ſapiens, & verè philoſophus: quem neque improviſus nuntius perculit, nec à diſputatione abduxit, ſed potius vocem expreſſit, ſummæ indicem fortitudinis, ac ſapientiæ. vellem & hoc ipſum de pluribus ex noſtris dicere liceret: quos ſi qua interdum fortunæ oppreſſit injuria, nihil aliud judices, quàm proſtratos illos, ac penitus abjectos eſſe. quaſi verò aliquid acciderit, quod vel ante ipſos nemini, aut, quod ipſis, ſi minus hoc tempore, ſaltem paucis pòſt annis non eventurum fuerit. ac, cùm maximè animo vigere deberent, tum præcipuè non ſolùm præteritæ, patriæque virtutis, ſed etiam humanæ legis, ac pænè obliviſcuntur ſui. tantum in eorum animis mollities poteſt, ac ſervitus quædam doloris, atque triſtitiæ. An ego illum judicare liberum poſſim, cui dolor imperat? quem repentinus caſus perturbat, impellit, evertit? qui nihil præ doloris magnitudine, cogitare, nihil meditari queat? qui nihil in ſe ipſo: in temporibus, atque in fortuna, quæ ſtabilitatis nihil habet, ſua ponat omnia? ego verò iſtam non modo ſervitutem, ſed pænè captivitatem, & quidem miſerrimam, cenſuerim. quid enim intereſt inter eum, qui vinctus ab hoſtibus, & carceribus concluſus, obſideatur, & eum, qui dolore captus, ſuo prorſus careat arbitrio? at ille quidem, etſi corpore ſerviat, animo tamen liber eſt, nec dubitat aliquando fore, ut libertatem aſſequatur: qui verò dolori paret, nec valet corpore, & animo quàm maximè laborat. non enim amicis frui, non Reipublicæ prodeſſe, non privatas res curare, non publicis conſulere poteſt. ita in otio, & quidem moleſtiſſimo, nec cuiquam paret, & tamen ſibi non imperat. qui cùm aſſiduis, & maximis prematur anguſtiis, alterum eſſe neceſſe eſt, ut quamdiu in dolore verſatur, ſemper miſer ſit: alterum fieri nullo modo poteſt, ut niſi dolere deſinat à miſeriis eximatur. Quanto ſapientiùs Xenophon, qui, cùm ſacra ſolemnia perageret, majoremque natu filium in prælio apud Mantineam cecidiſſe audiret, coronam tantùm è capite depoſuit, ſed in ſacris peragendis conſtanter perſtitit. ubi verò cognovit, fortiter pugnantem occidiſſe, coronam rurſus capiti impoſuit, deoſque ipſos, quibus litabatur, teſtatus eſt, majorem ſe ex filii virtute voluptatem, quàm ex obitu moleſtiam cepiſſe. huic ego non dubitarim, quin omnia, quæcumque accidere poſſent in vita, nullam eſſent perturbationem allatura. qui enim uſque eò in deorum cultu conſtans, & firmus eſſet, ut neque filii morte nuntiata, ab iis avocari poſſet, cur eum credam filii morte lugenda à deorum voluntate diſſenſurum fuiſſe? aut qui virtutem, filii vitæ anteferret, non jure credi poſſit, illum & virtutis ſtudio incenſum, & patriæ caritate impulſum, omnes moleſtias, omneſque calamitates libentiſſimè fuiſſe ſubiturum? ſed quo rariores, qui hoc modo animati ſint, hoc præclariores viri. nihil enim ad laudem illuſtrius, quàm in æternam gloriam, aut in patriæ utilitatem intuentem, aut ſaltem fortiter dolores perferentem, & cum fortuna luctantem, negligere humana. quæ qui nimium curant, ii laudis ſtudium, civium commoda, denique omnia quæ laudabilia putantur, prorſus è mente, ac cogitatione ejiciant, neceſſe eſt. neque enim humanis curis implicitus toto animo de patriæ ſalute, atque utilitate cogitare, aut laudem ſibi præclaris actionibus comparare, vel egregii quidquam ſuſcipere, ac ſuſtinere queat. ſuis autem commodis, ac rationibus proſpiciens, & conſulens, cetera omittet, de ſe ipſo dies, nocteſque cogitabit. ita nec boni civis, nec boni viri fungetur officio. bonum enim virum decet, de ceterorum commodis æquè laborare, ac de ſuis: bonum verò civem, ſua omnia poſteriora habere, patriæ commoda prima, & maxima ducere. à quibus neque dolore, neque ulla omnino humana avelli perturbatione debemus. Periclem narrant hiſtoriæ intra quatriduum duobus filiis, eximiæ indolis adoleſcentibus, eſſe orbatum. qui uſque eò fortis, ac conſtans in luctu fuit, ut nihil prorſus de priſtino habitu, cultuque deminuerit, ſed eundem, quem antea, in concionibus habendis morem, ritumque ſervarit: nec umquam coronam è capite depoſuerit. de quo traditum eſt, nihil eum putaviſſe indignius futurum, quam ſi aliquod fracti animi ſignum mœroris cauſa muliebri more edidiſſet. fortem ſane hominem, & magna laude, æternaque memoria digniſſimum: quem neque naturæ vis, ad nimium ſæpe amorem trahens, potuerit de ſtatu dimovere, & ad dolorem abducere, nec liberorum deſiderium, quos tamen ſummè dilexiſſe dicitur, ulla ratione perturbarit. nec mirum. vera enim fortitudo inanes ſollicitudines ejicit, ac depellit: opprimit cupiditates: imperat timori: nihil autem appetit, forti viro indignum: nec ab ulla re vel metu, vel inconſtantia repellitur. & quamvis excelſam, elatamque naturam ratio ipſa, doctrinæ præceptis imbuta, confirmet: quod Pericli, doctiſſimo homini, maximoque ingenio prædito ſine ulla dubitatione contigiſſe, prorſus mihi perſuadeo: ipſæ tamen fortitudinis radices in animo præcipuè inſident. qui cùm humana deſpicit, nec ad humilia, quaſi humi depreſſus, ullo pacto adhæreſcit: facile fit, ut uberiores, & maturiores fructus ferat, cùm ad eum veluti ad agrum optimum, cultura, ratio etiam acceſſerit, conformatioque doctrinæ. non enim, ſenſu omni doloris caruiſſe ſummos viros, credendum eſt. qualis enim nihil ſentientis animi, ſenſuque prorſus carentis eſſe fortitudo potuiſſet? Sed dolorem ſentientes, ad eum opprimendum, ac vincendum ſummam animi contentionem adhibebant, tantumque nitebantur, ut è pugna diſcederent ſuperiores. verum enim illud eſt, nullam animo majorem peſtem, una remiſſione, poſſe contingere. qui ſi intentus eſt, ſeque ad reſiſtendum parat, omnia ſuſtinet pondera, omnia vel firmiſſima tormenta facile diſcutit, ac depellit: at remiſſione enervatus, & effæminatus, ita deprimitur, & urgetur, ut ſe ad æquitatem nequeat extollere. Nec verò quiſquam doloris impetum excipere, ac fortiter perpeti poſſet, niſi ſe priùs ad obſiſtendum comparaſſet: aut fortitudinem acquirere, niſi priùs doloribus multis acerrimè, ac fortiſſime reſtitiſſet. ex quo conſuetudo fit, quæ callum obducit animo, noſque contra omnes vel naturæ, vel fortunæ im-

petus armat. An cenſemus, Harpagum Medum tantum fortitudinis exemplum, quantum ab Herodoto memoriæ mandatum eſt, edere potuiſſe, niſi prius in patientiæ ac fortitudinis exercitatione ſæpiſſimè verſatus eſſet? nec ſine maximo fructu, magnaque potius cum nominis ſui gloria. tantum enim fortitudine, ac prudentia præſtitit, ut acerbiſſimam injuriam ſine ullo planè doloris ſenſu pertulerit, & ſeſe cumulatè contra Regis immanitatem ulciſci potuerit. nam, cùm ejus filium Rex Aſtyages interfectum ad epulandum apponi juſſiſſet, caputque ei poſt cenam allatum oſtendiſſet, rogans, cujus feræ viſcera in menſa comediſſet: ille verò nihil perterritus, nec animo ullam in partem dejecto, agnoſco, inquit, quid ſit actum, ac quidquid Regi placuit, mihi quoque placere pronuntio. hoc autem immaniſſimum genus injuriæ tam diſſimulavit, quoad Cyrum ex Perſia in Mediam evocare potuit: quo adveniente, cùm exercitus Imperator contra eum à Rege miſſus eſſet, & Regnum, & Regem illi tradidit. itaque Aſtyages in Cyri poteſtatem, impietatis ſuæ pœnas daturus, redactus eſt. O factum omnium gentium, ac ſæculorum memoria digniſſimum! ex quo non modò qui dolori cedunt, ad patientiam, ac fortitudinem excitentur; ſed etiam Reges, quique hominibus imperant, ne quid impium, aut indecens audeant, erudiantur. nam adverſus injuſtitiam, atque impietatem tantum eſt odium, tanta invidia, ut ne ipſum quidem cœlum, aut ſidera, etiam ſi homines velint, hujuſmodi ſcelera pati, ac diſſimulare poſſint. ac, ſi ſera deorum vindicta ſit, noluerunt tamen impios ipſo in facinore adeo exſultare, ut non angore conſcientiæ, fraudiſque cruciatu, tamquam domeſticis furiis, aſſiduè vexentur. tantumque poteſt impietatis odium, ut Tyrannum exſtinctum, ac ſæviſſimè excruciatum nemo miſereatur, nemo doleat. nam adverſus hoc hominum genus, nec in ullo præterea, omnem prorſus vim, omneſque ſtimulos amittit dolor. qui ſi ratione comprimendus eſt, quod ſuprà diximus, multo etiam magis conſuetudine vincetur: cujus tantæ ſunt vires, ut non modò perturbationes animi ſedare, ſed etiam naturæ vim afferre, eamque ſæpiſſime immutare, ac penitus aliam poſſit efficere. cujus auxilio non modò doloris aculei, ſed etiam fortunæ fulmina depelli, ac contemni facilè poterunt. Meditemur igitur, & omnino ſtatuamus, nihil prorſus humanum eſſe dolendum: non mortem, quam jam optimam eſſe cognovimus: non egeſtatem quæ ſæpiſſime maximi boni cauſa à diis immortalibus tribuatur: non exſilium, cùm orbis terrarum omnibus pateat: non cetera generis ejuſdem, quæ vulgi opinione graviſſimis in malis numerantur. nullum enim tam grave malum apparebit, quin ex eo bonum aliquod multo majus, multoque optabilius magno deorum beneficio aliquando colligatur. Pleni ſunt libri philoſophorum, refertæ argumentis, ac rationibus paginæ ferè omnes: tanta autem exemplorum copia, ut nihil poſſit eſſe cumulatius. quæ cùm ita ſint, qua jam re terreamur, aut cui dolori cedamus? Dion certè, qui è Platonis ſchola defluxit, cùm ejus filius in atrium è tecto delapſus interiiſſet, non modò non doluit, ſed etiam in eo, quod tum fortè agebat, conſtanter perſtitit. quo facto judicavit & vir ſapiens, & Platonis diſcipulus, quid ceteros, qui ſapientes haberi volunt, facere oporteat. At Trabeaſpas multo fortiùs. ſiquidem filii morientis, cùm ferro trajiceretur, ſine ullo prorſus dolore ſpectator fuit. Cambyſes enim iratus, & ebrius cùm filium ſagittis peteret, jamque pectus recluſum appareret, patrem juſſit inſpicere, num cor percuſſum eſſet. cui cùm pater reſpondiſſet, jam cordi ſagittam eſſe infixam: tum Cambyſes, numquid certam, inquit, habeo manum? at pater, nullo doloris ſigno dato, nec uſquam converſa, aut commota facie: ne Apollinem quidem, inquit, certiores ſagittas emiſſurum crediderim. Quid hunc patrem putemus facturum fuiſſe, ſi filius in pugna fortiter dimicans occubuiſſet, qui nullius culpæ conſcium filium crudeliſſimè trucidari non doluerit? num credamus, filii mortem honeſtam, pro patria ſuſceptam, tali patri futuram fuiſſe jucundiſſimam? Nec tamen dubito permultos fore, qui impium illum, ac pænè viſcerum ſuorum carnificem vocent. Sed faciant ſanè, ut lubet: dum hoc mihi concedant, exemplum hoc fortitudinis, ac devicti doloris eſſe præclariſſimum. Quod ſi ita eſt, ut infirmos animos ſpectata ceterorum virtus erigat, & confirmet, quem cenſeamus jam dolori conceſſurum, cùm tam multos audiat, qui ſeipſos in dolore ſuperarint. quocirca, tam multa veterum exempla colligere vereor, ne ſupervacaneum, aut fortaſſe putidum videatur. quòd ſi ceteris tantum, & non nobiſmetipſis, ſcriberemus. fortaſſe breviores in ſcribendo, in exemplis autem recenſendis etiam priores eſſemus. ſed fit neſcio quomodo, ut ex aliorum caſibus ad mala noſtra ſananda medicinam colligamus. nobis quidem ita videtur: & cùm noſtro vulneri medeamur, mirari non debebunt qui hæc in manus ſument, ſiquid fortaſſe paullo expreſſum uberiùs invenerint. illud certè propoſitum habemus, ut omnibus nobiſcum prodeſſe, omniumque dolori, quàm accuratiſſimè fieri poſſit, conſolationem afferre poſſimus. quamobrem his enumerandis noſtram valde imminui, atque allevari moleſtiam experimur: ceteris idem optamus, ac, ſi dicere liceat, etiam ſperamus. nam in tanta vel argumentorum, vel exemplorum copia, quibus ſe legentes pænè obrui ſentient, ecquis ſe immobilem, aut in dolore inexorabilem præbeat?

Deſunt nonnulla.

Nec verò ignoro nonnulla interdum accidere, quibus ita perturbetur, & opprimatur animus, ut à medicina refugiat, idque ſi ullo in caſu contingit, certè, cùm dolore affligimur, maximè ſolet evenire. quod ex eo fit, quòd erepti vel amici, vel affinis, vel filii cogitatio adeo nobis grata eſt, quòd illum pænè ante oculos conſtituere videatur, ut, etiam ſi dolorem refricet, & lacrymas eliciat, tamen eam deponere nolimus. ac, ſi ad conſolandum remedia ſuppetant, tamen nihil minus, quàm conſolantium verba, audiamus. falluntur ſanè graviter qui ita agunt: ſed hunc errorem, quo magnopere delectantur, ſibi extorqueri nolunt. Quare ſuum unicuique ſtudium, ſuaque omnibus delectatio relinquatur. non enim vereor, quin, ſi minus in ipſo doloris æſtu remediis utendum homines cenſeant, certè, cùm modicè dolor reſederit, ac ſe paullùm quaſi remittere cœperit, ad exſtinguendas doloris reliquias monita, præceptaque noſtra adhibeantur. nihil autem utilius eſt, quàm hæc eadem in voluptate, ac lætitia pertractare, atque in manibus habere. ſic enim & legi, atque ad verbum ediſci, & penitus memoriæ mandari poſſunt, ut, cùm in animum penitus influxerint, tum exhauriri ac prorſus elabi, non facilè queant. ita fit, ut, cùm repentè dolor invaſit, tum iis utamur: quæ, niſi antè percepta, & cognita ſint, impetu ipſo doloris incurrente, planè depelli, atque excludi ſolent. ſenſimus hoc in nobis ipſis: nec parum nobis obfuit, hanc univerſam adverſus dolorem commentationem non multo antè animo, ac mente percurriſſe. quamvis enim permultos philoſophorum libros vel de luctu, vel de morte ſatis accuratè legiſſemus, ut Theophraſti, Xenocratis, aliorum, quos commemorare nihil attinet: tamen hoc non ideo feceramus, quòd eventurum putaremus, ut iis ipſis in noſtro mœrore uteremur. itaque neque lectionem, quantum oportuiſſet, accuratam, nec memoriam ſatis intentam adhibuimus. caſu autem repentino oppreſſi, non priùs ad libros confugere potuimus, quin antè acerbitatis vi proſterneremur. quamquam poſtea tempore ipſo factum eſt, ut dolor nec, ut antea, acrior, & mens ipſa paullo eſſet ſedatior, & ad medicinam accipiendam magis idonea. Sed pergamus ad reliqua, quæ nec multa reſtant, & ſcitu, ac cognitione digniſſima: fructu autem ipſo, quem præcipuè quærimus, gratiora fortaſſe, & uberiora. Quid eſt ergo, quod aliquam nobis afferre dubi-

tationem poſſit, cur nihil omnino noſtrorum morte dolere debeamus? credo, ſi quando nobis in mentem venit, magnam nos ex eorum, quos amiſimus, opera, ac ſtudio utilitatem percepturos fuiſſe. at hoc non ad amicos, aut affines, quorum dolere videmur interitu, ſed ad noſmetipſos pertinebit. mercenarius igitur dolor fuerit, quique non ex affinitate, aut benivolentia, ſed ex una proveniat utilitate. quid autem flagitioſius & indignius, quam eum, qui ſic doleat, fateri oportere, cùm tantopere alicujus morte crucietur, quòd aliqua utilitate privatus ſit, ſi nihil ex ejus vita beneficii ac commodi ſe conſecuturum ſperaviſſet, nihil ſibi omnino dolendum fuiſſe? At videamus, non Perſas, aut Scythas, ſed è media civitate noſtra clariſſimos, & præſtantiſſimos viros, ac cives, qui non modò amicorum, cum quibus conjunctiſſimè vixerant, ſed etiam liberorum, & quidem cariſſimorum, interitum ita fortiter, & conſtanter tulerunt, ut cauſæ nihil ſit, quin eos ſuperioribus Græcis comparare, atque etiam anteferre debeamus. atque hoc multo magis in illis mirandum fuerit, quòd in eorum obitu ſe fortiſſimos & conſtantiſſimos præbuerunt, qui non modò ipſis utiliſſimi, ſi vixiſſent, ſed pænè ſoli utiles, ac jucundi eſſe potuiſſent. quid enim utilius filio? quid jucundius unico? at filium, & unicum Q. Fabius; præterea Conſularem, qui jam magnas res geſſerat, & majores cogitabat, amiſit. neque ſolum non doluit, quod fortiſſimi animi fuit: ſed etiam mortuo laudationem in foro dixit: quo nihil fortius, aut laudabilius ne ex omni quidem antiquitate recenſeri poteſt. cujus orationem quis non admiretur, inſignem ingenii, judicii, ordinis præſtantia? quo modo ille vel ea, quæ dixit, ſine luctu dicere, aut, quæ ſcripſit, ſine dolore cogitare potuit? cum præſertim hoc in illa laudatione & admirari, & obſtupeſcere ſoleamus, quòd non ut alii, de ceterorum fortitudine diſputat, ut ſuum ipſe dolorem aliorum exemplo minuat, ſed, in filio hærens, illius maximè virtutes, propriaſque laudes, quæ vel acerbiorem efficere doloris ſenſum poterant, longiſſimo ſermone perſequitur. quod ſingularis virtutis exemplum fortaſſe Horatii Pulvilli laudem magna ex parte deminuere videatur: quem tamen ſummum virum ſilentio præterire nefas ducimus, cùm in eo ipſo, quòd filii mortem æquiſſimo, ac fortiſſimo animo tulit, etiam Jovi Opt. Max. cujus ædem dedicabat, gratiſſimum feciſſe videatur. nam Pontifex, inter ſollemnium verborum nuncupationem, poſtem tenens, ut filium mortuum audivit, neque manum à poſte removit, ne ſacra dirimeret, nec vultum à populo avertit, ne ſuum potius dolorem, quàm populi utilitatem, ac ſalutem, cogitare videretur. Jam, quid L. Paullo inſignius, quid illuſtrius? qui filios pauciſſimis diebus duos ita perdidit, ut nullum pænè doloris paullo acrius indicium ediderit. ac potius in ea concione, quam de rebus à ſe geſtis ad populum habuit, lætatus eſt, quidquid populo Rom. immineret adverſi, totum id in ſe ipſum à diis immortalibus eſſe converſum. Cum Sulpicio verò Gallo quis neget actum eſſe præclariſſimè? cujus innocentiam, ſapientiam, militarem virtutem, etiam inſignis in obitu filii fortitudo illuſtraverit. quem ut numquam lubens tacitum dimiſerim, ſic ad Catonem properans exſultare videtur animus, & quaſi in portum ex horrida tempeſtate delatus, in ſapientiſſimi viri nomine, atque exemplo conquieſcere. neque enim majori mihi admirationi eſſe ſolent clariſſimi hominis res geſtæ, ac virtus, non ſolùm in luce patriæ, ſed etiam in congreſſu hoſtium cognita, quàm fuit illa in filii morte, prætoris deſignati, in oculis omnium civium fortitudo declarata. Atque horum egregia in domeſticis miſeriis, atque ærumnis facinora qui fortiter in civitate noſtra imitati ſint, caſusque fortunæ graviſſimos patientiſſimè tulerint, non difficile fuerit oratione complecti. nam & Q. Martius rex, cùm unicum ſummæ pietatis, ſummæque virtutis filium amiſiſſet, dolorem prudentia pervicit, & eo ipſo die, quo filii rogum ſpectarat, curiam ingreſſus eſt: ſenatumque juſſit convenire.

Craſſus verò, in eo prælio, quod cum Parthis commiſit, occiſo filio, tantum abfuit ut doleret, ut etiam exercitum increpaverit, quòd unius militis jactura tantopere commoveretur, hortatuſque ſit, ut patriæ virtutis memores, pro republ. fortiter dimicarent, filii mortui ultionem ſibi uni relinquerent. Sed antiquior P. Craſſus, vir clarus, & conſularis, P. Craſſi filii mortem & vidit, & moderatiſſimè tulit. Nec ab ejus laude abfuit, ac fortaſſe Craſſo præſtitit, Cn. Cæpio, qui Cæpionem filium naufragio abſumtum ita non doluit, ut eum ne leviter quidem è vultu, aut ulla corporis parte commotum è familiaribus quiſquam ullo pacto ſenſerit. Jam quid Piſones, Scævolas, Brutos, Marcellos, Metellos, Lepidos, Aufidios enumerem? quorum ſinguli pluribus amiſſis filiis, vel uxoribus, vel parentibus, nec lugendum exiſtimarunt, & ſuam in illorum funeribus, virtutem, atque conſtantiam non ſibi ſolùm, ſed etiam generi, nominique Romano glorioſam fore putaverunt. Pudet in virorum graviſſimis caſibus repetendis longiori uti oratione, cùm virorum maximè peculiaris virtus ſit, & in viris effloreſcat, ac vigeat maximè. quamobrem de fæminis potius dicendum eſt, ut, cùm eas fortiſſimas fuiſſe cognitum ſit, tum pudeat viros, à mulierculis virtutis exempla petere, & ab iis ea virtute, quæ ipſorum propria eſſe debeat, videri aliquando ſuperatos. nam, ſi verum eſt, quod à Theophraſto alicubi proditum memoriæ mandavimus, orbem terrarum theatrum quoddam eſſe magnum, divina mente repletum: & cæleſtis indicandæ ſapientiæ gratia tam multis undique collucentibus ornamentis illuſtratum ac depictum: in eo autem medio collocatos eſſe homines à deo, ut cum fortuna, dolore, morbis, egeſtate, caſibuſque permultis aſſiduè luctentur: deum verò ipſum, quantum quiſque pugnando valeat, quàmque viriliter fortitudine divinitus accepta utatur, deſuper aſpectare: hoc, inquam, ſi verum eſt, dubitari profectò non poteſt, quin, quemadmodum populus Rom. in muneribus publicis inviſos habet gladiatores, qui omni modo vitam impetrare cupiunt, favet iis, qui contemtum ejus præ ſe ferunt: itidem dii immortales, ſi quos ex hominibus nimis anxiè de vita ſollicitos, ejuſque exitum detrectantes aſpiciant, iis aliquo modo ſuccenſeant: eos verò & caros habeant, & muneribus proſequantur, qui ſi è vita revocentur ipſi, vel ſuos revocari videant, alacres, lætique deo pareant, nihilque propterea mali ſibi accidiſſe judicent. quod ſi fæminas præſtitiſſe intelligimus: cur iis imbecilliores, atque infirmiores videri velint viri? neque ſolùm unam aliquam è multis fæminam, ſed totam gentem, ac nationem, ut marium virtute, ſic fæminarum eximia quadam magnitudine animi præſtitiſſe accepimus. Lacænas enim matronas traditum eſt, occiſis filiis vulnera inſpicere conſueviſſe. ac, ſi adverſos vulneratos eſſe comperiſſent, lætabundas funus ducere, eoſque in avita ſepulcra inferre ſolitas eſſe: contrà verò, quos adverſis vulneribus conciſos agnoſcebant, ab iis refugientes, clàm ſepeliendos curabant, nec ullo prorſus honore funeris proſequendos ſtatuebant. tantum in fæmineis quoque animis decus poterat, & ſtudium gloriæ. qua ex gente etiam illud ad nos præclarum dimanavit, matrem quandam filium, ſenis confoſſum vulneribus, intuentem nec ingemere voluiſſe, nec coronam è capite deponere, ſed ad comites converſam, ita locutam: Quanto pulchrius & optabilius eſt, in acie victorem animam efflare, quàm in Olympio certamine parta victoria vivere? at alia filium in prælio interfectum audiens, iccirco, inquit, genueram, ut mortem pro patria fortiter occumbere non dubitaret. Quid his fæminis facias, aut quo non honore, ac gratulatione dignas putes, quæ de patriæ dignitate, deque gloria ſollicitæ, honeſtam mortem cuivis ſaluti, ac lucro anteponerent! Age verò, num Lacænis Romanarum virtus inferior? par fortaſſe, niſi malis etiam ſuperiorem appellare. quàm fortis enim, & quam magnifica illa Corneliæ vox, quæ duodecimo jam fætu amiſſo, cùm Tiberium & Cajum filios interfectos ſpectaviſſet, nullo timore perculſa,

perculſa, nulloque dolore confecta: Numquam inquit, ego me non felicem dixerim, quæ Gracchos pepererim. fortem verò fæminam, & cuivis ex veteribus mentis præſtantia, ac magnitudine animi conferendam. non enim dolori conceſſit; ſed potius, cùm virtute viciſſet, victrix de dolore triumphum egit. Nihil jam Rutiliam miremur, quæ C. Cottam filium in exſilium ſecuta, cùm poſtea reverſum in patriam amiſiſſet, nemo eam lacrymantem poſt elatum funus vidit. parique fato Clodia uſa eſt, quæ D. Brutum filium, conſularem, mortuum ſuperſtes vidit, neque tamen ejus obitum non fortiter, & patienti animo tulit. quæ virtutis non vulgaria in fæminis exempla mirari aliquis poſſit, qui ſexus imbecillitatem, ac mollitiem cogitet. at verò, qui fortiſſimis genitas parentibus, & fortibus etiam avis, majoribuſque prognatas recordatus fuerit, nihilo ab eis minorem vel prudentiam, vel animi magnitudinem requirat. Eſt ergo ulla res tanti, aut commodum ullum tam expetendum, ut, illo amiſſo, ne prudentiam quidem retineamus? quæ ſi ulla in nobis reſidet, nos profectò vel avitæ, vel patriæ virtutis admonet, nec de Piſonibus, Fabiis, Brutis, Marcellis cogitantes, quos imitemur & à quibus ortum ducamus, immemores eſſe patitur. Horum enim armis imperii fines producti ſunt: horum ſanguine parta, ac ſtabilita libertas: horum denique labore, ac ſtudio reſp. ad tantam pervênit ſive bellicæ laudis, ſive domeſticæ virtutis gloriam. quorum in veſtigia pedem ponere oportet, qui laudabiliter vivere, quique honeſtis in actionibus exerceri volunt, nec ullo mentis errore ad nimium dolorem, atque inſaniam traduci. Nominavimus externos magnos, claroſque viros: collegimus de noſtris plurimos, quibus mortis ſenſus non modò ingratus, ſed etiam optatus, & jucundus accidit. Addatur, ſi placet, etiam Theramenes, qui veneno epoto, maxima æquitate animi, ludens in morte, quod erat in poculo reliquum, Critiæ propinavit. Ergo ille in ſua morte vir clarus, & ſapiens ludebat: nos in filiorum, aut affinium morte lugebimus? & veterum dicta quotidie legentes atque addiſcentes, præclara ducemus, exempla repudiabimus? aut eam vitam, quæ mortem hanc conſecutura eſt, immortalem, beatam, à miſeriis omnibus vacuam, negligemus? quamvis enim nudum corpus, & exanime diſcedens relinquat animus, nec ampliùs liceat homini, qui è vita diſcedat, ſuis opibus, bonis, divitiis perfrui:

Aſtante, ut ille ait, *ope Barbarica,*
Tectis cælatis, laqueatis.

Tamen multò majoribus & bonis, & opibus, quæ nulla vetuſtas abſumet, nulla vis eripiet, piorum mentes aſſiduè potiuntur. Sed dimittamus & exempla clarorum hominum, & illorum virtutis impreſſam hiſtoriis memoriam: veniamus ad id, quod unuſquiſque ſenſu percipit, quantumque ex morte conſequamur emolumenti, ac commodi, re ipſa, factiſque probemus. ex qua docendi, ac diſputandi ratione perſpicuè veritas elucеſcit, quidque hoc modo ſe habeat, vel illo, facilè poteſt perſpici. Si quiſquam eſt, qui ſecundos in omni vita rerum exitus adipiſci, & conſequi poſſit, nihilque timeat adverſi, hunc nemo infitiari poterit, jure dicturum ſi vitam ſibi morte multis partibus meliorem affirmet. atqui nemo, eſt, qui non modò miſerias, atque ærumnas ab humana vita ſegregare, ſed ne ſemihoram quidem felicem ſibi, ac beatam polliceri poſſit. Metelli ſibi fortunam ſperant omnes: Priami ſobolem, ac regnum exoptant alii: quaſi non & Metellus tam multos nactus filios, ac nepotes, cùm maximè beatus eſſe poſſet, invitus obierit, & Priamum non omni orbatum progenie, ſummoque dolore confectum, hoſtilis manus interemerit. His vitam ſi mors aliquot antè annis ademiſſet, è multis eos miſeriis, ac luctibus ſimul eripuiſſet. quos iccirco experti ſunt, quia vitam diutius, quàm ipſorum requirebat felicitas, produxerunt. hinc illa miſerabiliter decantata:

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam auferri,
Jovis aram ſanguine turpari.

Quæ non modò viſu, ſed etiam auditu acerbiſſima ſunt quid putamus miſero Regi, qui omnia & videre, & audire & experiri coactus eſt? num ei multo melius eveniſſet, ſi vitam omnino multis antè annis, quàm hæc acciderent, amiſiſſet? Forſitan quiſpiam dixerit: multa, quæ vivens nactus eſt, bona, citò decedens penitus reliquiſſet. ſed à malis etiam multo gravioribus, qualia multa ſæcula non viderunt, feliciſſimè liberatus eſſet. Ex quibus omnibus, multiſque aliis perſpicuum eſt, pervertere homines ea, quæ ſunt humanæ fundamenta felicitatis, cùm utilitatem à morte ſejungunt, aut cùm miſeriam cum morte connectunt. L. Craſſum, ex noſtra civitate clariſſimum, & eloquentiſſimum virum, matura mors, quantis è moleſtiis, quantiſque incommodis eripuit? nam, qua in patriam pietate fuit, ex iis malis, quæ mortem ejus conſecuta ſunt, incredibilem, ſi vixiſſet, dolorem accepiſſet. flagravit enim bello Italia, exarſit ſenatus invidia, nihil denique in civitate fuit, quod non ejus temporis calamitatem, luctumque perſenſerit. Nam quid fugam Marii, quid cetera, quæ in illius diſceſſu acciderunt, maximè luctuoſa, ſummeque miſeranda commemorem? quid reditum illum ſanguinarium, cujus ex recordatione nemo eſt, qui non intimis ſenſibus exhorreſcat. tenemus enim memoria, aut ſaltem ex patrum ſcriptis accepimus, crudeliſſimam omnium cædem illo tempore eſſe factam, trucidatos bonos viros, & cives, inciſas eorum cervices, in Roſtriſque poſitas, qui multorum civium ſalutem, ac dignitatem eloquentia peperiſſent. quàm multos ex illa reipub. tempeſtate commemorare poſſumus, innocentiſſimos homines, atque optimos, ut acerbiſſimam calamitatem effugerent, libertatem morte quæſiſſe. O acerbum ac nemini non pœnitendum Reip. ſtatum, conditionemque vivendi! cùm eos ipſos, qui Remp. ſuo labore, ſuoque ſanguine auxerint, juvarint, ſervarint, nuſquam tuto nihilque magis, quàm propinquorum manus, ac gladios timentes, horreſcenteſque videas: illorum autem, quorum ope, atque auxilio ſervatus ſis, cùm horribiles, miſeroſque caſus ſpectes, nulla tamen ratione opitulari, nihilque afferre adjumenti queas. quis neget iis ipſis, qui hæc intueri cogantur, mortem eſſe non modò detrectandam, ſed etiam optandam? qui autem ne in horum temporum flammam incidant, mortis beneficio conſecuti ſint, eos verò beatiſſimos jure omnes exiſtimabunt, qualem fuiſſe L. Craſſum niſi res ipſa probaviſſet, nihil eſſet, cur oratione perſuadendum videretur. Sed hæc paullo antiquiora, quàm ut omnibus in memoriam redigi, ac cogitatione comprehendi poſſint. Pompeji autem, noſtri familiaris, caſu, quid in civitate notius, quid illuſtrius? aut quid omnium oculis, ac mentibus perſpectius, & clarius? hunc ſi maturè exſtinctus eſſet, nihil doloris, nihil invaſiſſet mali. quòd tam diu in vita manſit, iccirco factum eſt, ut ſingularis calamitatis exemplum omnibus præbuerit. cui eo luctuoſior fortunæ acerbitas viſa eſt, quo feliciore, ac ſecundiore fortuna in omni vita uſus erat. quis enim univerſis civibus aliquando clarior? quis in toga vel rebus geſtis, vel honoribus extra ordinem delatis, clarior? quis opibus, propinquitatibus, amicitiis florentior? cui nihil prorſus ad ſummam, abſolutamque felicitatem, præter honeſtum, ac jucundum vitæ exitum, deeſſet. Sed videamus, quantum in rebus humanis fortunæ poſſit injuria. niſi malimus ad propriam mortalis vitæ nimis aſperam, miſeramque conditionem omnia mala revocare. qui enim ampliſſimis fortunis uſus erat: nihil, niſi ſublime, ac beatum nec cogitare, nec optare conſueverat: cui omnia vel ad uſum, vel ad voluptatem ſupererant, bellum cum ſocero ſuſcepit: deſeruit domum, profugit ex Italia: & cùm antea nihil in ceteris bellis, niſi ſummo conſilio, prudentiaque geſſiſſet, cùm vel maximè ingenio, judicioque excellere debuiſſet, ſui pænè oblitus eſt. itaque imbelles, & infirmas copias, tirones, collectitioſque milites cum robuſtiſſimis legionibus conferre non dubitavit:

& amiſſo exercitu, ereptiſque caſtris turpiſſimè victus, in ſervorum manus vir ſummus, & clariſſimus incidit. vita verò ut miſerabiliter privatus ſit commemorare nihil eſt neceſſe: cùm eo ipſo, quòd, in tam miſeram fortunam delapſus, vitam citò amiſerit, minus fortaſſe miſer cenſeri poſſit. beatiſſimus autem obiiſſet, ſi, cùm in Repub. florebat, cùm valebat auctoritate, & gratia, cùm copiis, opibuſque affluebat, è vita deceſſiſſet. cujus propagatio quantum illi mœroris, ac luctus attulerit, non modò ſcribendo, ſed vix etiam cogitando conſequi quiſquam poſſit. itaque hoc ſtabilito, & fixo, mortem ſæpiſſime beatam homini contingere, non ſolùm, quòd nos in beatam vitam inducat, ſed etiam, quòd multarum, magnarumque miſeriarum ſenſu liberet, & à futuris vel calamitatibus, vel doloribus abſtrahat, quid jam relinquetur, cur non morte lætari, ac clarorum hominum virtutem, qui nullius interitu perturbati ſunt, imitari debeamus? An non optimam, beatamque mortem judicabat L. Brutus, cùm Tyrannum arcens, quem expulerat, vitam pro nihilo ducebat? item Decii, quo tempore cum Latinis pro patria dimicantes, ſeſe hoſtium telis objiciebant? præterea Scipio, Paullus, Marcellus, Albinus, quos vitam in acie juvandæ patriæ cauſa fortiſſimè profudiſſe memoriæ proditum legimus. Et verò nihil fuit, quamobrem elato, excelſoque animo homines vitam non deſpicerent, ut ſempiternam gloriam conſequi poſſent. nam cum nullo, vel certè minimo doloris ſenſu, quem morientes perferunt, infinitam laudem commutabant. hunc enim locum de exiguo, vel nullo potius dolore mortis, quem ſuprà perſtrinximus, paullo uberius percurramus. Neque enim abſurdè dixiſſe mihi videtur is, qui morientium, mortuorumque hominum ſtatum, & conditionem duabus potiſſimum ex rebus percipi, atque intelligi poſſe affirmavit: quarum unam ſomnum ſtatuit, alteram verò tempus illud, quod noſtrum cujuſque ortum anteceſſit. & ſanè ita eſt, ut ex omnibus opinionibus, quarum errore duci vulgus ſolet, cùm de morte loquitur, nulla planè ad veritatem videatur eſſe propenſior. ita enim multi vivunt, ut præſentibus bonis fruantur: nec ſanè cogitent, quid paucis pòſt annis vel ipſis, vel ceteris boni, aut mali poſſit evenire. Itaque ſæpe non opinatis morbis, perturbationibus, angoribus vexantur. mortis verò, de qua potiſſimum cogitare debuerant, ita non reminiſcuntur, ut ad ſe minimùm illam pertinere, nec ſua quidquam intereſſe exiſtiment. qui, ut Panætius Africanum dicere ſolitum tradit, ferociores equos domitoribus tradendos eſſe, ut paullatim parêre, ſeque mitiores, ac molliores præbere incipiant: ſic ipſi in gyrum fortitudinis ac patientiæ reducendi ſunt, ne, ſi mors imprudentes oppreſſerit, perterreantur, planeque concidant. Sed neſcio quo modo voluptate, luxuque delinita hominum conſuetudo de recta majorum vita deflexit, eoque ſenſim delata eſt, ut nihil minus, quàm verum, agnoſcat, nec, cùm aliquid agitur, rectum id, necne ſit magnopere cogitet. qua nulla major peſtis, ac pernicies humanis rebus, valde jam labefactatis, potuit afferri. atqui, ſi in ullo homine, certè in his ipſis vulgare dictum & verum, & acutè cogitatum eſſe deprehenditur. quid enim iſti aliud agunt, niſi totos dies per inertiam perdunt, atque ita vivunt, ut ſtertere potiùs quàm ullo pacto vivere videantur? dormiens autem ut nihil ſentit, nihil agit, nihil curat: ſic mortuus quid agere, quid curare, aut ſentire poſſit, haud ſanè intelligas. itaque in fabulis, quos dii maximè adamarunt, eos, ne imminentem aliquam calamitatem ſentire cogerentur, ſi vigilaſſent, à diis immortalibus conſopitos eſſe accepimus. mortem igitur, ſiquidem ſomno ſimilis eſt, ſingulis noctibus induimus, &, cùm in ſomno ſenſus ſit planè nullus, nullum etiam in morte futurum eſſe ſenſum, veriſſime ſtatuere debemus. quod ut ſenſu ipſo planè percipitur, ſic ne de altero quidem dubitari ullo pacto poteſt, quin, quales antè, quàm oriremur, fuimus, tales etiam mortui futuri ſimus. mors enim quemadmodum ad eum, qui nondum ortus eſt, nihil pertinuit, ſic ne ad eum quidem, qui mortuus eſt, ulla ratione pertinebit. ad morientem verò vel nihil, vel parum certè pertinet. ſiquidem tam anguſto ſpatio, tamque brevi curriculo coërcetur, ut nec ſi velit quidem, vires ſuas nimium porrigere, aut explicare poſſit. Quæ eſt igitur eorum oratio, qui tantum in morte dolorem ſe timere, atque expaveſcere dictitant? quamquam non ſanè video, quo modo aliter facere poſſint. qui enim mortem numquam experti ſint, quam ſemel homo ſubiturus eſt, quo modo, bona, malane ſit, verè ſentire, ac dijudicare poſſunt? Morientes ajunt cruciari, angi, diſtorqueri. quod in nonnullis fortaſſe animadverti, atque obſervari potuit. in quo tum iſti aliquid dixiſſe videri poſſent, ſi hoc ex ipſo mortis ſenſu penderet. nam, ſi mors ipſa dolore ſuo corpus uſque eò cruciaret, atque angeret, ut hæc doloris edere indicia cogeretur: negari profectò non poſſet, quin dolorem non leviſſimum mors ipſa eſſet allatura. Cùm verò hujuſmodi cruciatus pauciſſimos angat, & eos maximè, qui intemperanter, flagitioſè, nefariè vixerint, nunc dubitari non poteſt, quin tales homines non mors, ſed amiſſorum ſcelerum conſcientia vexet, habeatque ſollicitos. qui enim ſe morituros numquam crediderint, ac ne cogitarint quidem, cùm ad ipſam mortem pervenerint, anguntur, non dolore moriendi, ſed quòd è vita inviti diſcedunt. in qua cùm omnia ſecunda, feliciaque experirentur, ne ſecus mortuis accidat, valde vereri, ac dubitare coguntur. At bonis, qui mortem ſemper, tamquam præſentis tempeſtatis portum, in ore, ac ſermone habuerint, quique ex hujus vitæ procellis, mortis beneficio, aliquando egredi, ſæpiſſimè concupiverint, nihil libentius, ac jucundius, mentione ac nomine mortis accidit. Atque in iis etiam præſtans, planeque admirandum deorum munus agnoſcitur. bonos enim, & quidem plurimos, non modò cum exiguo dolore, ut optare homines vulgò ſolent, ſed omnis planè doloris expertes ex hac vita egreſſos, ſine ulla dubitatione reperias. ex quibus Q. Fabius Conſulatum adeptus, cùm in Curia prætereuntes ſalutaret, nihil dolens, nihil moleſti ſentiens, immò planè gaudens, è vita diſceſſit. atque idem contigit A. Pompejo, cùm in æde Jovis Capitolini ſacra feciſſet, itemque Thalnæ Conſuli, Diis immortalibus ſupplicanti. quid hos in ipſo mortis articulo doloris expertes exiſtimes, qui paullo antè læti vivebant, & in eo, quo moriebantur, puncto temporis, nihil lugubre teſtati ſint, nihil flebile dixerint? Morte, inquies, oppreſſi ſunt. at ſapientiſſimi, & optimi viri: quibus mortem, tamquam beatæ vitæ initium, dii immortales largiri voluerunt. quam eo fortaſſe jucundiorem ipſis fore videbant, quo minus eo tempore tantum boni exſpectaverant, ac ne ſperare quidem poterant. nam cùm mors è divina voluntate tota pendeat, haud ſanè in hominis poteſtate eſſe poſſit, quo potiſſimum die, quaque conditione mori velit. Nec verum eſt quod dicitur à quibuſdam, mortis eundem omnibus hominibus diem, ac terminum divinitus eſſe conſtitutum: ut autem vel citiùs, vel ſeriùs moriamur, ſingulorum hominum vel intemperantia, vel negligentia contingere. nam, ut illud veriſſimum eſt, præfinitum eſſe vitæ terminum à Deo, quem præterire, aut ex quo egredi nemini liceat: ſic illud affirmare nemo poſſit, eundem omnibus, eademque hora vitæ finem impendêre. quod ſi agnoſceremus, nihil ſanè eſſet, cur homini prudentiam, temperantiam, pietatem, tribueremus. quæ omnes planè virtutes, ſi hoc conſequeretur, non modò inutiles, ſed penitus inanes viderentur. cur enim prudentia uteretur homo, cur abſtinentia, cur temperantia, ſi eodem, quo reliqui omnes, temporis ſpatio vitam eſſet terminaturus? Ut diutiùs, inquis, vitam producere liceret. at, ſi vitæ terminus fatalis eſt, nec immutari quidem poſſe neceſſe eſt. Sin voluntarius, & in hominis arbitrio poſitus, nihil eſt, cur, eundem omnibus a Deo conſtitutum eſſe, quiſquam affirmet. Sed de his ſtatuat unuſquiſque ut libet. quid autem verius ſit, Deus ipſe viderit;

viderit: hominem quidem ſcire arbitror neminem. ſtet modò nobis illud, doloris eſſe nihil in morte: boni autem tantum ex ea ad homines permanare, quantum ſperare multi poſſint, cogitatione quidem aſſequatur nemo. itaque hoc divinitus hominibus datum eſt, ut quoties moleſti aliquid experiantur, tum mortem exoptent, ac votis etiam conceptis ſæpe implorent. quid ita? quia bonam, utilemque eſſe mortem, coguntur agnoſcere: malam autem, aut acerbam eſſe numquam poſſe, homini à natura inſitum eſt. itaque dolore perculſi mortem imploramus, eamque unam ut miſeriarum, malorumque terminum exoptamus. Admonet me locus, ut, cùm neminem ipſa morte magnopere commoveri debere probatum ſit, iis præcipuè dolendum nihil eſſe contendam, quos mors cum laude oppetita conſolari poteſt. ſatis enim diu vixiſſe putandi ſunt, qui vitam honeſtè clauſerunt eoſdemque è vita abeuntes non modò laus, ſed etiam perpetua voluptas, delectatioque proſequitur. quæ ſanè eo major in animo exoriri, ac vigere ſolet, quo latior alicujus in colendo officio, vitaque honeſtè ducenda manavit induſtria. certè enim, cum ad rectè agendum natus homo ſit, ideoque mentis, & rationis munere, præ ceteris animantibus ornatus, atque inſtructus, unde potius laudem, ac voluptatem, quàm ab honeſtis actionibus, petat? An, unde ortum duxerit, obliviſcatur? ille verò nec ſui oblitus eſt, qui rectè vixit, nec iniquo animo mori poteſt, cùm multos relinquat ſuæ teſtes, memoreſque virtutis. quanto autem gaudio exſultare credendus eſt illorum animus, qui corporis admiſtione ſolutus, in cœleſtes ignes, ſempiternaſque domos, unde exierat, revertit? profectò enim ex divina mente delibatos habemus animos, qui hac mole incluſi tamquam terræ gravitate, ſic ipſi nimio pondere corporis opprimuntur. ubi autem ſoluti corporibus ad proprias ſedes evolaverunt, tum verè vivunt, nec libidini, voluptati, dolori ſerviunt: ſed ſui compotes, nulla re anguntur, nihil requirunt, omnibus imperant. Rectè igitur dictum eſt, corpus terram eſſe, mentem autem, ignem de cœlo ſumtum. id quod clarorum virorum acta cum virtute vita, præclaræque actiones facile teſtantur. quo modo enim aut omnia humanæ vitæ commoda contemneret, aut voluptates cunctas pro nihilo duceret; aut vitam ipſam laudis, honeſtatiſque gratia profunderet, qui nihil quidquam ad ſe, præter hæc ipſa mortalia, quæ manibus contrectat, quæ terit pedibus, pertinere cogitaret? verùm hæc non ita ſe habent. corpus enim è terra concretum, tamdiu terreſtrium rerum amore ducitur, quoad in terram ipſam, unde ortum duxit, revertatur. animus verò, qui è cœlo ſumtus eſt, ſempiternum quiddam, & cæleſte appetit, nec iiſdem, quibus corpus, finibus, cogitationes coërcet ſuas. itaque numquam quieſcere, nec verè vivere putandus eſt, quamdiu corpore concluſus, invitus propemodum mortali labe, terreniſque vinculis cohibetur. At illa quanti ſunt, graviſſimis vitæ laboribus liberari, in mediis doloribus, & ærumnis obdormiſcere, & quaſi emiſſos è moleſtiſſima vitæ cuſtodia, in jucundiſſimam, ſuaviſſimamque domum remigrare? huc enim pertinent quæ de piorum quiete, deque voluptate illa, quâ egreſſi è vita perfrui dicuntur, diſputari à ſapientibus ſolent. qui cum intelligerent, non fortuitò, aut temerè ſatos, & creatos homines eſſe: nec eadem mereri bonos, qui multis exantlatis laboribus vitam in medio dolore amiſiſſent, & improbos, quorum in patrandis flagitiis ſemper eſt animus, cogitatioque defixa: iccirco non eundem probis, & improbis vitæ terminum, nec eadem mortuis præmia ſtatuerunt. Qua nos recordatione potiſſimum refici, ac recreari decet, qui cariſſimam filiam, optimeque de nobis meritam ita vixiſſe ſcimus, ut ad optimos mores, ſummamque prudentiam nihil poſſet accedere: & ita mortuam, ut in dolore, quem ex partu contraxerat, ſummam animi magnitudinem, ſummamque conſtantiam præſtiterit. cujus mentio nobis, dolore jam, ſi non penitus exſtincto, certè magnopere levato, non ſolùm acerba, ſed etiam jucunda accidit. qui enim aliter debet? cùm nec ipſi quidquam accideret mali, nec ego ulla re, quæ tantopere cum natura congruat, & cum omnibus hominibus communicet, angi, aut perturbari debeam. Quid ergo mihi reſtat? nihil ſanè, niſi, cùm ea divino potiſſimum beneficio vitæ munere perfuncta ſit, ut ad eam maximè vivendi conditionem cogitationem meam, mentemque referam, qua nunc ipſam perfrui credimus, ac ſi, quod æquum eſt, fateri velimus, etiam intelligimus. qua ex meditatione eo majorem voluptatem percepturus ſum, quo meliore illa nunc ſtatu, quàm quem vivens experta eſt, ſine ulla dubitatione perfruitur. quid enim boni non merita eſt, quæ nihil umquam egit, ac ne cogitavit quidem mali, & iis angoribus, ac malis, quæ viventi objecta ſunt, ita patienter perfuncta ſit, ut non ſecus de adverſis, quam de ſecundis rebus, diis immortalibus gratulari, gratiaſque agere ſoleret? &, cum nihil, niſi rectum, honeſtumque cogitaret, tamen una conſcientia contenta, nec ſua benefacta in luce collocari, nec ſibi quidquam propterea laudis, aut gloriæ deberi arbitraretur. Quæ ergo ita animata fuerit, ut de ſe quidem minimum, de recta mente, ac de æquitate plurimùm laboraret, an non diis ipſis cenſemus maximè gratam, & probatam fuiſſe? in qua non ficta, & adumbrata, ut in multis, ſed maximè ſolida, & expreſſa virtutis elucebat effigies. nam, cùm eam talem natura genuiſſet, ut, quod pulchrum, rectumque agnoſcebat, ſua ſponte ſequeretur: tamen eo non contenta, ſumma vi rationis, prudentiæque perfecerat, ut nulla re minus, quàm natura duce, egere videretur. itaque qui ejus inſtituta, & mores paullo diligentiùs inſpexiſſet, qui regundæ familiæ ſollertiam, qui ſummum in cunctis rebus ingenium, ſingularemque doctrinam advertiſſet: haud fuiſſet ſanè, quod aut virilem in intelligendis, judicandiſque rebus prudentiam, aut exquiſitam patrisfamiliâs ſollertiam requireret. itaque quibus maximè rebus egere ſæpe homines ſolemus, fortitudo, & prudentia, hæ ita in muliere abundabant, ut ſui mœroris medicinam non peteret foris, ſed in ſe ipſam ſpectans, ex ſua ſemper virtute penderet. Quanto autem graviores, ac difficiliores animi morbi ſunt, quàm corporis, eo magis mirandum eſt, talem exſtitiſſe illam, cujus fortitudini corporis mala parêrent, prudentiæ vero omnes animi morbi facilè cederent. itaque quamquam ex calamitate, temporibuſque noſtris moleſtiæ plurimum traxerit, numquam tamen animo perculſam, aut dejectam ſenſimus. angebatur patris exſilio, totiuſque familiæ luctum, bonorumque direptionem invita videbat: ſed matri tamen conſilio, prudentiaque aderat, & rebus in magnum ſæpe diſcrimen adductis, reditus ſpem nobis afferre numquam dubitavit. ita, quantum ex calamitate doloris, tantundem ex filiæ ſuavitate, ac pietate ſolatii capiebamus. quod ut eſſet diuturnius, ſi commodum noſtrum, aut eam, quæ omnibus antiquiſſima eſt, liberorum charitatem cogitaremus, magnopere optare debuimus. at, cùm illam corporis vinculis ſolutam, omnibus exſutam miſeriis, & immortalitatis compotem factam, animo reputamus, non modo in dolore conquieſcimus, ſed etiam præcipuè lætamur. quid enim mihi accidere lætius poteſt, quàm de immortalitate animorum cogitanti, de filiæ ſimul æterna, beataque vita confidere? animos enim eſſe immortales, ne dubitandum mihi quidem videtur. faciam autem non invitus, ut ſapientiſſimorum hominum percurram hac de re ſententiam, quando me in hunc locum deduxit oratio. Neque verò hæc ita diſputanda cenſeo, ut animos iccirco non interire probari poſſit, quòd mortuorum corporibus vis quædam ineſſe veneratione digna putetur, quæ ſignificare debeat non deleri morte animos, ſed immortalium animorum, veluti ſepulcra quædam, mortalia corpora fuiſſe. quaſi non & majora, & firmiora multa ſuppetant, quibus planum fieri poſſit, qui animos ſimul cum corporibus interire contendat, eum contra rationem, nulla nixum ratione, pugnare. quòd ſi auctoritas quærenda ſit, quem graviorem no-

minare auctorem poſſum, quàm eum, quem Apollo ipſe ſapientiſſimum omnium pronuntiavit? cujus teſtimonium tale fuit, ut divinos eſſe hominum animos, & eos, corpore ſolutos, in cælum remigrare, unde priùs veniſſent, in omni ſermone aſſeveraret. in quo cum Philoſophis illis conſenſit, quos quondam Italicos nominavit antiquitas, maximeque nobiles judicavit. quorum ſemper conſtans fuit opinio, demitti animos è cælo, divinæque mentis eos eſſe non ſolùm munus, ſed etiam partem præcipuam, ac propriam. quod ſi ſecus eſſe quiſquam putet, haud ſane facilè, quid multis, & firmiſſimis in hanc ſententiam argumentis reſpondere poſſit, inveniet. Sic enim planè cognoſci, ac ſenſu ipſo dijudicari poteſt: ſummam eſſe pæneque incredibilem in animis celeritatem, ac feſtinationem, cujus ope, quæ corpus non modò certo menſium, ſed vix etiam annorum ſpatio perficere, atque exſequi poſſet, ea ipſi non modò ſemel puncto temporis percurrere, ſed etiam ſæpiùs excogitare, & repetere facillimè queant. quod ſi mirum videtur, cur non admirabilius cenſeatur, meminiſſe animum tam multa, innumerabilibus antè ſæculis geſta: quæ futura ſunt, cogitando proſpicere, ac non modò præſentia, ſed etiam præterita, & futura, veluti deum, omnia complecti, ac ſub oculos ſubjicere conari? quis dubitet, cùm hæc intelligat, eademque in ſe ipſo agnoſcat, divinum eſſe animum, nec, ſi divina æterna ſunt, ipſum eſſe mortalem? cùm præſertim, duabus ex rebus, quæ præcipuæ in animo ſunt, illius æterna natura facile intelligi, ac deprehendi poſſit. hæc autem ſunt, motus, qui in eo præcipuus eſt, principium, ac perpetuitas. cùm enim ex ſeipſo moveatur, nec aliunde, ut cetera, principium motus mutuetur: ſumma autem in eo, quamdiu in corpore eſt, perpetuitas motus appareat, quippe quæ etiam in dormientibus agnoſcatur, & vigeat: idcirco dubitari nullo modo poteſt, quin divinus ſit, & ſempiternus futurus. & ſane ita eſſe ratio vincit, & rerum probat exitus. Dei enim imago quædam animus eſt, ex ipſo Deo delibata, ac profecta. quòd ſi Deus immortalitate fruitur, cur eam partem, quam ex ſeipſo ſumſit, mortalem eſſe velit? quin hoc ipſo ſingularem, & eximiam divinam eſſe vim indicandum putavit, quòd non ſolùm ipſe immortalis ſit, ſed etiam, quos velit, ſuæ naturæ compotes, & plane immortales efficiat. Corpus autem voluit eſſe mortale. nec immeritò. cùm è terra, cujus mutationi ſubjecta natura eſt, initium duxerit, & in eam ipſam, vitæ curſu confecto, abire debeat. Sed animus, profectus à Deo, cælum ipſum appetit: nam in eum locum, unde diſceſſit, ſemper optat redire. terra autem, ſi cui appetenda, corpori ſoli eſt. at verò animis æterna cæli ſedes quærenda, eaque propria illorum patria: ſiquidem animorum nulla in terris origo inveniri poteſt. nihil enim eſt in animis mixtum, atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum eſſe videatur. nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. his enim in naturis nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat: quod & præterita teneat, & futura prævideat, & complecti poſſit præſentia. quæ ſola divina ſunt, nec invenietur umquam, unde ad hominem venire poſſint, niſi à Deo. ſingularis eſt igitur quædam natura, atque vis animi, ſejuncta ab his uſitatis, notiſque naturis. Ita quidquid eſt illud, quod ſapit, quod vult, quod viget, cœleſte & divinum eſt, ob eamque rem æternum ſit, neceſſe eſt. nec verò Deus ipſe, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam, & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, & movens, ipſaque prædita motu ſempiterno. itaque eandem æternitatem animis quoque noſtris, ex ſe ipſa exortis impartivit. quorum ex cogitationibus atque operibus nihil aliud, niſi divinos eſſe illos, & ſempiternos, colligere poſſumus. nam ſi ædificiorum magnitudinem, atque ornatum, ſi monumenta litterarum, ſi pecuniæ vim infinitam in res maximè ſtabileis, & admirandas effuſam, ſi plurimarum, maximarumque rerum adeptionem cogitare voluerimus, profectò intelligemus, hæc numquam facturum fuiſſe hominem, niſi diuturnitatem temporis, ipſamque æternitatem plurimùm ad ſe pertinere exiſtimaret. Jam ipſa gloriæ cupiditas, honorum ſitis, opum, ac divitiarum aſſidua procuratio, quid aliud indicat, niſi cogitare hominem in poſterum, nec eodem veſcendi, vivendique ſtudio, quo ceteras animantes duci videmus, humanum animum detineri. Sed hæc abjectiora, atque humiliora, nec ullis, niſi ſanè anguſtis naturæ terminis, circumſcripta. Quid illa in primis gravia, atque præſtantia, nec ulli plane in terris degenti, niſi ſoli homini tributa? contemplatorem eſſe ipſum cœli, rerumque cœleſtium: frui magnarum, obſcuriſſimarumque rerum ſcientia, quæ vel ad excolendos ad integritatem, atque innocentiam mores, vel ad comparandam Solis, aſtrorumque cognitionem, vel ad exercendam in abditis, obſcuriſque rebus memoriam, mentemque pertineant. nonne hæc ipſa tanta, ac talia, divinum eſſe animum oſtendunt, nec illius naturam aliunde, quàm è cœlo, delibatam ac deductam? An cenſemus, ſi unà cum corporibus animi interirent, aut ſapientiſſimos homines tam æquo animo mori poſſe, aut tam iniquo, planèque invito ſtultos, & fatuos? Socratem ferunt, morti proximum, de piorum immortalitate, beataque vita, quæ mortem conſequitur, diſputaviſſe, itaque læto, ac libenti animo letale illud poculum hauſiſſe, quaſi non ad mortem, ſed ad regnum, atque imperium vocaretur. At verò, quorum animus in terra defixus hæret: qui nihil, niſi mortale, terrenumque, cogitant, eos planè repugnantes, atque invitos è vita diſcedere videmus. nec immerito. cùm animorum æternitatem propiùs jam intuentes, crucientur mirum in modum, quaſi flagitioſè actam vitam pœna etiam ſit immortalis conſecutura. Atque illud etiam (ô ſtultum hominem, dixerit aliquis, & naturæ ſuæ penitus ignarum!) nemini obſcurum eſſe poteſt, ex ipſis etiam ſacris, cæremoniiſque majorum æternam hominis vitam facilè cognoſci, atque intelligi poſſe. neque enim illi aut mortuos tanto honore coluiſſent, aut tam multas, tamque varias ſepulchrorum cæremonias poſteris tradidiſſent, niſi cognitum, perſpectumque habuiſſent, vigere animum in morte, nec, quamquam corpus occidat, hominem ipſum penitus evaneſcere. itaque ſtatuiſſe videntur, mortem ipſam non eſſe humanæ vitæ confectricem, nec ex ea ſequi interitum: ſed potiùs ad aliam multo feliciorem vitam iis, qui rectè vixiſſent, ducem optimam ſolere exiſtere. quicumque enim convenienter naturæ vixerint, nec illam ſecuti ſint malæ conſuetudinis corruptelam, quæ divinitus datos igniculos exſtinguit, vitiaque gignit, & confirmat omnia, eos & viventes gloria, & è vita excedentes præmiis proſequi oportet. id enim non ſolùm rationi conſentaneum, ſed etiam veriſſimum, atque æquiſſimum eſt. cui autem æquitatis antiquior cura, quàm Deo? itaque, cùm homo ſolus ex omni propemodum genere nactus ſit aliquam notitiam Dei, niſi vitæ iniquitate Deo iniquus, atque inviſus evaſerit, ad Deum certè evolabit. idque æternitatis humanæ vel maximum, ac firmiſſimum argumentum eſt, ſolum hominem divinæ voluntatis participem, conſciumque exiſtere: ut, quamquam agreſtibus, ſilveſtribuſque in locis natus ſit, tamen, ipſa docente natura, & eſſe Deum, & colendum ac verendum eſſe, dubitare non poſſit. O rem dignam, in qua non modò homines, ſed ipſas etiam pecudes obſtupeſcere, ac, ſi fieri poſſit, etiam erubeſcere oporteat! cognatum eſſe hominem Deo: nullum aliud in terris animal, niſi hominem ſolum, Dei cognitione imbutum eſſe: nec quidquam eſſe aliud quod animo, è divina mente hauſto, præditum ſit: tantamque ineſſe homini cæcitatem atque ſocordiam, ut divinæ cognationis immemor, averſetur migrationem ad Deum? nec enim aliud eſſe mors, quàm migratio ad cœleſtes, ſuperaſque ſedes, exiſtimanda eſt. nec id ſolùm ratione quadam æquitati, veritatique conſentanea, ſed etiam ſapientiſſimorum hominum maximè firmo, ſtabilique conſenſu. Atqui eum, qui hoc pacto

vivere, ac pœnè à ſeipſo diſſentire velit, meminiſſe certè oportuit, terram ipſam, omniaque quæ ſub cœlo ſunt, divina voluntate regi, propterea que quiddam nobis, quod obſervandum, & addiſcendum videatur, præſcribere. quis ergo terram ipſam, aut quotannis feracem, aut ſemper optimas fruges, & numquam malas, inutileſque herbas edentem, efferentemque vidit? quis animalia ſemper uberes fœtus edidiſſe, numquam ſterilitatem paſſa eſſe, recordabitur? quod ſi hæc ipſa ſecus ſe habent, nihilque in rebus humanis perpetuò firmum, ejuſdemque naturæ optare licet: cur, quam in omnibus & rebus, & animantibus viciſſitudinem cernimus, eam ab homine ſejungamus? qui ſi multos annos feliciter vixerit, ſi ſobolem, honores, opes aſſequutus, diu tantis bonis frui potuerit: præclarè ſecum eſſe actum verè dixerit. Sed adverſi tamen aliquid ſubeundum, perferendumque relinquetur: demum oppetenda mors erit, quæ eo levior eſſe debet, quod omnibus communis eſt, nec cuiquam ſingularis, aut præcipua. Sed hoc quoque gratior, quòd nos à multis erroribus abſtrahit, quibus, quoad vivimus, in tanta opinionum varietate, aſſiduaque veri inquiſitione perturbari ſæpe ſolemus, & ad ipſam cernendam, fruendamque veritatem jucundè traducit. quo nihil beatius homini poſſe contingere, ſatis, ut arbitror, ex eo ſuſpicari poſſumus, quòd innata eſt homini cupiditas ſcientiæ: ejus autem præſtantia non ſanè video, qua alia in re, niſi in perfecta veritatis cognitione poſita ſit. ex quo fit, ut veritatis cognitionem aſſecuti, perfecta, abſolutaque ſcientia potiamur. vereque dici poteſt, qui veritatem intueatur, ſenſuque percipiat, eum voti ſui compotem, vereque beatum eſſe. quòd ſi beata vita quærenda nobis eſt, nec quidquam fugiendum magis, quàm ne miſeriarum gravitate premamur: quid illo homine ſtultius, aut ſtolidius reperiri poteſt, qui ceterorum morte ita angitur, ut beatæ vitæ oblitus, miſeram, atque infelicem conſectetur? profectò enim ita ſe res habet, ut, niſi mortis, dolorisque timore liberatus ſit, etiam ſi multas cognitas, perceptaſque virtutes habeat, rectumque, & æquum omni planè utilitati anteponat, beatus tamen eſſe nemo poſſit. quid enim aliud dolor eſt, niſi cruciatus animi, iſque perpetuus? quid aliud timor, niſi aſſiduus inviſarum ac moleſtarum rerum metus? at quo modo felix, aut beatus eſſe poterit, qui aſſiduo cruciatu, metuque urgebitur? Quin eo miſerior, atque infelicior exiſtimari debet, quòd non ſolum ſibi ipſi moleſtiam, miſeriamque comparabit, ſed in ceterorum etiam ſermonem, ac vituperationem incurret. nihil enim nimio dolore deformius, nihil à viro alienius. &, ſi corporis pravitatibus, vituperatio propoſita eſt, vitiis ipſis, quibus laborat animus, nihil turpitudinis, nihil inuretur infamiæ? Illa verò & graviora ſunt, & majori animadverſione vindicanda, quo nobiliorem, quàm corpus eſt, ſedem, nempè animum ipſum, occupaverunt. quòd ſi turpis dolor nimius, & vituperatione dignus, certè illud conſequetur, ut, qui nimio dolori ſeipſum tradat, ne laude quidem ulla dignus cenſeatur. eſt enim ſeries quædam maximè veritati conſentanea, ut ſententiarum, ſic rerum: & quemadmodum in ſermone, diſputationeque noſtra nectitur aliud ex alio, ita qui ſe una aliqua vel deformitate, vel turpitudine implicari patitur, multis ſtatim miſeriis, ac deformitatibus opprimetur. Nec verò credi velim, me, quia dolori nimio repugnem, iccirco dolorem omni ex parte improbare, omneſque illius ex animo fibras evellendas exiſtimare. eſt enim, quatenus homo doleat, &, (quod prudenter à Crantore dictum eſt,) ſive ſecetur pars aliqua corporis, ſive avellatur, ſenſus tamen adeſſe debet. iſtuc enim nihil dolere, fieri non poteſt, quin, quemadmodum feritatem corporis quandam, ſic animi ſtuporem maximum indicet. Sed nimirum illud eſt, quod improbamus, dolori nos ipſos ita tradere, ut in aliam fortaſſe graviorem ex alia parte vituperationem incidamus. nam quemadmodum qui nihil prorſus doleat, deſciſcere videatur ab hominis natura, quæ morte perculſa, dolorem, ac luctum aliquo modo indicare cogitur: ita, qui dolori nimis indulgeat, humanæ naturæ penitus oblivisci, communemque omnium conditionem recuſare judicabitur. quibus rebus intelligitur, graviter peccare homines, cùm vel ea, quæ omnibus perferenda, ſubeundaque ſunt, detrectare audent, vel, quid ipſos in vita deceat, quæque ſequi, aut refugere debeant, non cernunt ſatis. quod proprium prudentiæ munus eſt: quam humanarum actionum moderatricem à diis immortalibus eſſe conſtitutam, inficiari nemo poteſt. atqui huic tam præclaro, divinoque muneri planè obſiſtit, qui nimio dolore ducitur. non modò enim ſe ipſum, ſine ullo fructu lacrymis, ac triſtitiæ tradit, ſed etiam omni planè conſilio, ac judicio vacat. ubi enim ratio, ſi ſe dolore auferri ſinat? ubi conſtantia, ſi ſibi ipſe repugnet, & in mœrore jaceat? ubi denique humanitas, ſi ſe hominem eſſe oblitus, nihil ſibi cum morte commune eſſe contendat? Jam verò illud ſtultiſſimum, exiſtimare, quæ ceteri homines libenti animo ſubeant, iis ſe non eſſe obſtrictum. quid enim? an ignorare quiſquam poteſt, quanta inter homines cognatio ſit, quantaque ſimilitudo? etenim, niſi hoc verum fateremur, cauſæ nihil eſſet, cur homo hominem conſilio, re, gratia juvaret: ab hoſtium impetu, ac læſione defenderet. quod contra videmus accidere: ut, qui ab his actionibus avertat animum, non modò in vulgus improbetur, ſed etiam inhumanitatis, ac feritatis accuſetur. certè enim non è marmore ſculpti, aut è robore dolati ſumus: eſt in nobis quiddam, quod pietate, miſericordiaque moveatur, nec exſtingui ſinat illam, qua Diis proximi ſumus, juvandi, ac benefaciendi voluntatem. itaque inſitum homini, atque innatum videtur, ut, quoties alium hominem, quamvis alienum, premi calamitate, atque ærumna videat, crucietur animo, nec, ſi facultas ſuppetat, dimittendam putet illius ſublevandi occaſionem. quam enim ipſe, ſi eo loco eſſet, benignitatem ſibi impartiri optaret, ea ut in alium utatur, natura tacita quadam voce monere, ac præcipere videtur. quæ igitur ſibi evenire poſſe dubitet ea, ſi contingant, cur angi, ac perturbari velit? aut, cur non potius humana illa eſſe, & omnibus hominibus proclivia, fateatur? quanto rectiùs ille, qui hominem ſe agnoſcit, nihilque humani à ſe alienum putat? itaque cùm hanc ex animis noſtris opinionem, mala omnia non eſſe humana, veluti immitem quandam, & immanem belluam extraxerimus, profectò minùs miſere, minuſque ſollicite vivemus. relinquetur enim illa cogitatio, quæcumque accidant, fortiter ferenda eſſe, nihilque poſſe homini evenire, quo funditus proſternatur. idque ita erit, ſi nobiſmetipſis non aſſentabimur, ſed veritatem, qua nihil præclarius, præſtabilius, uberius eſſe poteſt, toto pectore amplectemur. hæc enim illa eſt, quam aſſecuti, meliores multò efficimur, & ad perferenda incommoda, præclaraque peragenda alacriores. cùm nihil, niſi quod rectum, & æquum eſt, laudabile arbitramur, nihilque aliud, niſi egregia illa, ex quibus vera gloria naſcitur, expetimus. Ac mihi videor nimis etiam nunc anguſte, atque exiliter agere. qui enim latior objici campus queat, in quo fidentiùs atque alacrius exſultare poſſit oratio? ſed faciam impudenter, ſi medicinam deferens animorum, quam ex omnibus maximè utilem eſſe intelligo, ad meam unius delectationem ſermonem omnem mentemque convertam. Dolorem igitur nimis acrem, ac diuturnum fugiendum diximus. & quidem probabiliter: cùm ex eo mala multa, maximeque gravia ſoleant exoriri: contra verò nihil boni. neque enim dolor ex illis rebus eſt, in quibus vel ad probandum, vel ad vituperandum, multa, & magna contrariarum rationum paria momenta agnoſcantur. hoc enim ſi acciderit, agerem verecundiùs, neque me in eum locum demitterem, unde nullum planè exitum viderem. Sed, quoniam hæc ita ſe habent, contendo, vincendum eſſe animum, dolorique acriter obſiſtendum. ſive enim noſmetipſos, ſive vulgi opinionem cogitemus, id nobis ſine ulla dubitatione faciendum eſt. at, ſi ad mor-

 tuos

tuos ipſos animum traducamus, qui poſſumus exiſtimare, gratum illis fore, quòd nimio dolore cruciemur? præſertim cùm ex eo nihil ad illos utilitatis, ſed permultum ad nos dedecoris, atque incommodi permanet. Quid igitur eos ipſos à nobis optare, atque expetere arbitremur? nihil ſane, niſi ut eos illuſtri memoria, ac recordatione decoremus.

Nemo me lachrymis decoret, ait Ennius:

cur? quia volito vivus per ora virûm.

quid igitur eſt cauſæ, cur fletum, lachrymaſque recuſet? nimirum ea gloria, quam ſe adhuc viventem aſſecutum eſſe confidebat. eandem igitur ob cauſam noſtrum quoque luctum mortuis ingratum, moleſtumque fore ſuſpicemur, nec aliud eos à nobis quidquam flagitare credamus, quàm, ut id ipſum illis, quo maxime delectamur, tribuamus. hæc autem gloria eſt, & aſſidua illorum virtutis recordatio. quam ſi ſermone, laudationeque noſtra immortalem efficere liceat, hoc uno de mortuis nos vel optimè meritos exiſtimare poſſemus. Quid, quòd eum, qui ſic doleat, ut recreari, confirmarique non poſſit, ne divinum quidem numen horrere, ſapientiſſimi homines prodiderunt? impium autem eſt, quibus debemus omnia, iis peſſimam referre gratiam. contrà verò, qui Deorum voluntati paruerunt, nihilque ſe, quod ab illis ultrò daretur, moleſtè ferre declaraverunt, eos non ſolùm viventes præcipua laude ornavit antiquitas, ſed etiam è vita egreſſos perpetuo coluit honore. idque eò ſtudioſius, ac libentius, ſi quos intellexit cum Deorum cultu exercitationem virtutis, & præcipuam in mortales beneficentiam, conjunxiſſe. ſcitè profectò, ut cetera fermè omnia. quid enim majori laude dignum, ex omnibus rebus humanis commemorare poſſimus, quàm eum, qui vitam ducat cum virtute conjunctam, ad Deorum cultum, atque honorem, perpetuum in homines ſtudium, ac pietatem aggregare? nec quidquam tantulum modò in ejus animo exiſtere, quod non vel pietati, vel humanitati, vel denique virtuti ſit conſentaneum? Nec aliam ſanè ob cauſam perturbari omnem vitam errore, inſcitiaque videmus, niſi quòd, quæ in hominis vita præcipua eſſe deberent, pietas erga Deos, in homines beneficentia, virtus in ingeniis, ac moribus, ea ferè omnia negliguntur. eademque ratione quæ maximè vitare deberemus, ea ſtudioſè expetimus, cæcoque impetu ferimur ad illa, quibus vita noſtra planè fera, atque immanis efficitur. ex hoc fonte cupiditates inſatiabiles exoriuntur, quibus non modo ſingulos homines, ſed totas familias, & univerſas funditus everſas civitates videmus: præterea ſeditiones, inſidiæ, diſcordiæ, rerumque, & hominum clades, & interitus, ex his etiam incredibiles dolores emanant, quibus perturbari vitam, neque ſolùm inſuavem, ſed acerbiſſimam effici neceſſe eſt. quod contrà probis, virtutemque amantibus accidit. nam divinæ voluntati obtemperantes, nihil in ſe ipſis, ſed in ea ſe ipſos, ac ſua ponunt, & locant omnia: neminem lædunt: omnes liberalitate, benignitate, charitate amplectuntur: nulla re cruciantur: nihil appetunt, omnium vitiorum fracto impetu, cupiditatumque radicibus ex animo penitus evulſis. Nempe igitur eos, qui ita vixerunt, ut ſibi jucundi, diis grati, hominibus fructuoſiſſimi exſtiterint, divinis honoribus jure dignos majores noſtri cenſuerunt: eoſque cum diis immortalibus ævum agere ſapientiſſimus poëta non immeritò cecinit. Nec tamen iccirco, quòd eorum corpora in cælum perlata credere ſapienter quiſquam poſſit: quod quia natura non patitur, ut, quod è terra eſt, alibi, quàm in terra maneat, ne credi quidem debeat, neceſſe eſt: ſed quòd eorum animi, tamquam hominum de diis immortalibus, humanoque genere optimè meritorum, in cælum putentur elati. quod de Romulo, Urbis noſtræ conditore, memoriæ proditum accepimus: quem ſingulare in genus hominum collatum munus tam præclaræ urbis condendæ, in Deorum numero collocavit. idque eo tempore, quo litteris, & doctrinis homines exculti facilè fictum à germano, verum à falſo ſecernebant: ut credi non poſſit, quidquam illis perſuaderi potuiſſe, quod ullam ficti, aut falſi imaginem præ ſe ferret. ſed, quod ille mortalis, eximia virtutis, ac beneficentiæ gloria, conſecutus eſt, ut non ſolùm immortalis, ſed Deus judicaretur: id ipſum aliis etiam tributum eſſe, ut inter Deos recepti putarentur, cum exceſſiſſent è vita, annales veterum loquuntur. quod & apud Græcos prius contigit, & inde fortaſſe ad noſtros permanavit. nam & Hercules, & Liber, fratres Tyndaridæ, & fæminæ plurimæ, quibus nunc inter deos locus eſſe præcipuus creditur, & hominibus nati, & homines fuerunt. Sed, quòd virtute præſtiterunt, &, ut ceteris ad rectè vivendum, beneque merendum prælucerent, laboraverunt, ideo eos hominum fama, beneficiorum memor, in conſeſſu, concilioque cæleſtium collocavit. atque ipſos, quos vocamus majorum gentium Deos, alioſque quamplurimos, quos in Deorum numerum retulimus, hinc à nobis egreſſos & in cælum profectos, facillimum erit agnoſcere. Maximum verò argumentum eſt, quod de illis credimus, id eſſe veriſſimum, quòd & tantus tot ſæculorum, doctiſſimorumque hominum conſenſus, veritatis vox ipſa eſſe videtur, & quòd tantæ, tamque præclaræ virtuti, quem alium verè congruentem locum tribuere oporteat, non ſanè reperies. quis eſt autem tam demens, ut, quos innocentia, liberalitate, & ſingulari quadam ac præcipua virtute diis proximos intelligat, iis ſejunctum à Diis tribuendum locum cenſeat? &, cùm hominis animus terrena reſpuat, ad ſupera ſemper feratur: qui non ſolùm tacito naturæ impulſu, ſed voluntate, reque ipſa, ut quàm maximè cæleſtibus ſimiles eſſent, præſtiterunt, eos licebitne cælo eſſe privatos? Mihi verò eo juſtiùs in cælo collocati videntur, quo clarior eorum inter homines vel eluxit liberalitas, vel virtus nituit. quis enim Hercule fortior? quis prudentior? quis ab omni cupiditate remotior? quos ille labores, ut fortiter ageret, & hominibus prodeſſet, ſuſcepit, & pertulit? aut quid non doloris, & calamitatis, exhauſit? quis ergo hunc cælo excludi patiatur, cùm ejus virtuti ſempiterna gloria, & laudis patuerit immortalitas? eademque ceterorum conditio eſt: quorum alius alio genere virtutis, omnes ſummis, & ſingularibus vel in ipſos deos, vel in homines meritis præſtiterunt. itaque tam egregiis, eximiiſque factis non infixas plumbo ſtatuas, non areſcentes triumphorum coronas ſatis diuturna perſolvere poſſe præmia judicatum eſt, ſed florentiora, ſtabilioraque munera quæſita ſunt, quibus ornarentur ii, qui virtutem, honeſtatem, gloriam, otio, libidini, voluptati, vitæ denique prætuliſſent. tamque id æquum eſt, quam illud decorum, maximeque probandum, non eaſdem improbis ſedes, quas bonis, atque integris, poſt mortem eſſe propoſitas. intellexerunt enim ex majoribus noſtris complures, qui ſapientia præſtiterunt, cum in diis æquitas præcipuè vigeat, eaque in eorum gubernatione appareat maximè, fieri non poſſe, quin nequitiam, ſceleraque averſentur, quique ea in vita exercuerunt, eos à ſe ipſis longiſſimè ſejungant. quod in vulgus edi, verumque exiſtimari, non modò rationi conveniens, ſed utile quoque in primis eſt futurum. nam, ſi quid in hominum animis pietatis, ſi quid religionis inerit, certè ob hanc potiſſimum cauſam ſe à flagitiis, ac facinoribus abſtinebunt, quòd impios, ac nefarios homines à Deorum concilio, ac ſocietate arceri judicabunt. Nec enim omnibus iidem illi ſapientes arbitrati ſunt eundem curſum in cælum patêre. nam vitiis, & ſceleribus contaminatos, deprimi in tenebras, atque in cæno jacere docuerunt. caſtos autem animos, puros, integros, incorruptos, bonis etiam ſtudiis, atque artibus expolitos, leni quodam, ac facili lapſu ad Deos, id eſt, ad naturam ſui ſimilem, pervolare. quod ſi ita eſt, certè nobis, quantum conniti animo poſſumus, quantum diligentia conſequi, contendendum, atque elaborandum eſt, ut ne ab iis ſegregemur, quorum eſt proprium vita frui ſempiterna, ac beata. quod efficere qui voluerit (omnes autem velle debebunt,

bunt, qui ſe ipſos diligere, convenienterque naturæ volent vivere) numquam committet, ut, quæ ceteris exitioſa fore crediderit, ea ipſe perſequatur. neque enim in ſpem venire poterit, aut ignoraturos eſſe Deos, quæ ipſe agat, cùm divinam naturam nihil præterire credibile ſit, aut illa probaturos, à quibus non modò dii, ſed etiam ſani homines abhorreant. quid enim turpius libidine? quid tætrius avaritia? quid deteſtabilius crudelitate? quæ quamvis in hominibus aliquando exſiſtant, tamen ab hominis natura tam aliena ſunt, quàm humanum illud erit, ſi omnia nobis bona, omniaque commoda expetamus. atque in hoc comprimendæ ſunt cupiditates, quibus trahimur perſæpe ad ea, quæ virtuti adverſantur. quod facillimè perficiet, qui tam glorioſi facinoris exitum ſecum ipſe aſſiduè cogitabit. tantaque eſt hujus cogitationis ſuavitas, ut, quòd libenter, alacriterque agimus, etiam ſine labore peragamus. idque in præſtantibus, laudiſque appetentibus hominibus facilè cernitur. quorum tanta eſſe ſolet vel in obeundis præliis, vel in agendis cauſis, vel in contentionibus pro republ. ſuſcipiendis alacritas, tantaque virtus, ut quod in iis rebus periculi, aut laboris eſt, aut non ſentiant, aut pro nihilo ducant. magnum enim eſt contendentis, & ad gloriam anhelantis animi fomentum, magnum ſolatium, ſpes futuræ, ac propinquæ ſive utilitatis, ſive gloriæ. neque id ſolum in magnis, ſed, etiam in levioribus laboribus, ac ſtudiis. quos enim curſus, quos venatio delectat, eos quamvis de via feſſos, ac pænè exanimes videas, numquam tamen minus alacres, minuſque concitatos animadvertas. Jam, honorum cupiditas, quid non in noſtra civitate laboris, quid non ſollicitudinis, negotiique faceſſit? quotus tamen quiſque eſt, qui ſe vel labore defatigatum, vel prenſationis moleſtia, curaque confectum audeat dicere? ſic, quorum oculos virtutis ſplendor occupavit, gloriæque ſtudium animos delenivit, ii nec laborem ſentiunt, &, ſi tantus eſt, ut aliquando erumpat, eo tamen non magnopere moventur. toti enim in eo ſunt, ut proſint patriæ, immortalemque ſibi nominis memoriam comparent. nam ſi quis negligendam ducat, omnemque hominis felicitatem rectè factorum conſcientia metiri velit, is certè divinos honores, qui claris viris tribui conſueverunt, numquam negliget. etenim de Diis ipſis, qui eoſdem ſibi honores aſciverunt, peſſimè judicaſſe videretur. tanta autem eorum, qui hujuſmodi conſuetudine delectati ſunt, & ſapientia, & æquitas agnoſcitur, ut dubitari non poſſit, quin, ipſi quod egerûnt, à certa ratione proficiſcatur. quales numerare Lacedæmonas poſſumus, clariſſimos, & fortiſſimos viros, qui cives ſuos, mortem pro patria obeuntes, divinis honoribus afficere ſolebant. Quid verò illæ, omnis planè doctrinæ, omniſque ſapientiæ parentes Athenæ? nonne Codrum regem ſuum, ob pietatem in patriam, meritaque illa, quibus excelluit, magno conſenſu in Deos retulerunt? Atque haud ſcio an rectè ſenſerint viri doctiſſimi, quorum ea fuit opinio, viros claros, & fortes iccirco deorum immortalium honore conſecratos, ut incitaretur virtus acriùs, & acuerentur vehementiùs ad obeunda pericula qui patriæ amore, ſtudioque tenebantur: vera enim virtutis merces gloria eſt: nec quidquam eſt aliud, quo magis ad rectè, honeſteque agendum præſtantis animi homines incendantur. quod optime agnovit, ac diutiſſime retinuit, omnium litterarum præclara cuſtos, & altrix Græcia: quæ multos habet virtutis gratia factos ex hominibus Deos, quorum alios fatentur novos: alios multis jam ſeculis receptos in cælum, conſecratoſque contendunt, quàm multi autem ſint, qui reconditas eorum ſcrutantur litteras, noſſe fortaſſe poſſunt. Neque verò hæc à me ideo copioſiùs diſputantur, quòd eos temere, neque ſatis conſiderate tam multos conſecratos eſſe credi velim: cùm eos ipſe quoque venerer, deorumque loco habendos putem: ſed potius, cùm tot apud omnes pæne gentes immortalitate, diviniſque honoribus affecti reperiantur, ut exacuam bonorum mentes ad ea promerenda, quæ ſapientium judicio ducuntur ampliſſima. nihil enim præſtantius, aut beatius accidere homini poteſt, quàm eo loco donari, in quem ut aſcenderent Urbis noſtræ conditores, nullum periculum, nullum laborem, nullum denique certamen prætermiſerunt. ac, ſi privatæ utilitatis, & commodi habenda ratio eſt, nullam aliam expetere, aut optare vir ſapiens, & eruditus, præter hanc unam, debet. Templa verò publice vota, & dedicata: quantum in vulgus dignitatis, quantum habent gloriæ? cùm omnes, qui Deos illos, quibus templa voventur, publice colunt, fateri cogantur, & fuiſſe homines, & ad Deos, divinoſque honores, una virtute fretos, aſcendiſſe. Nec mirandum eſt, Deos illos publice coli, eorumque delubra, & templa auguſte, ſancteque exornari, qui vel patribus nati ſunt diis, vel matribus. nam, quemadmodum eorum cultus & ſanctus, & religioſus eſt, maximeque pietati, atque æquitati conſentaneus: ſic admirationis, aut dubitationis nihil habet. totus enim ex natura oritur: ut jure ipſo naturæ, qui Deo ſatus, vel Dea editus, procreatuſque ſit, deus eſſe debeat. at verò, qui homine patre, vel mortali matre natus eſt, hunc eſſe Deum, & magnum quiddam videri poteſt, & dubitandi occaſionem, nec fortaſſe ineptam, multis afferre ſolet. non enim, ſi eximius talium virorum virtuti tribuatur honos, quin id jure fiat, (aut dubitare, aut negare quiſquam poteſt: ſed, quòd tantam virtutis eſſe vim velimus, ut vel natura ipſa ejus unius ope immutetur, hoc illud eſt, de quo quærere doctiores viri non immerito ſoleant. quibus ita reſponſum eſt, non immutari virtute naturam: nec enim id, ſine prioris naturæ corruptione, poſſe evenire: ſed, eadem in illis manente natura, evolare animum ad deos, & in eorum adſcribi concilium, cùm immortalis ſit, & immortalitatis divinæ particeps. corpus autem, ſuapte natura mortale, manere in terra, quodque terrenum eſt, nullo pacto ſuam exſuere poſſe naturam, ut alienam induat. quamvis enim hæc ipſa quæſtio perobſcura videri ſoleat, nec omnino proclives, aut faciles habeat explicatus: tamen, niſi auctoritatibus contra rationem pugnetur, non incommode, opinor, à nobis expoſita cenſeri poteſt. Et quoniam, quæ in hoc genere præcipua, cognituque digna ſunt, perſequimur omnia, (volumus quidem certe) prætereundum non eſt, quales, quamque multæ virtutes erudiendorum hominum gratia, ſiht honore deorum immortalium conſecratæ. cujus rei finis eſt, publica utilitas: ut, quo honore virtutes ipſas decoratas videant, eundem ſe conſecuturos eſſe homines ſperent, ſi iiſdem virtutibus excellant. quo in genere multum boni eſt in imitatione. libenter enim ea imitantur, & perſequuntur multi, ex quibus alios illa eadem, quæ ipſi appetunt, conſecutos vident. atque ex eo plerumque accidit, ut multis in rebus, quas antea ne cogitaverant quidem, cùm ad clarorum virorum imitationem ſe contulerint, multorum vigeat induſtria. quæ cùm paullo manavit latiùs, quantos progreſſus, quantaque acquirat incrementa, nihil neceſſe arbitror commemorare. conſtat enim inter omnes, quæ præclara ducuntur, ea ferè omnia à tenuibus initiis ſumſiſſe exordium. quod paullatim, imitatione progrediente confirmatum, ita increbruit, ut ne augeri quidem, aut exaggerari magis poſſet. quod ſi ulla in re gratum nobis, atque optatum eſſe debet, certè in complectendis, provehendiſque virtutibus non video, quid eſſe poſſit optatius. ſiquidem ex his informatio pendet, educatioque vitæ: quæ cùm rectè inſtituitur, atque excolitur, incredibile dictu eſt, quantos, quamque uberes juſtitiæ, integritatis, omniſque ampliſſimæ laudis fructus afferat. Sed, cùm virtutes multæ meritò colantur, quòd & ipſæ cultu dignæ ſint, & multæ ab iis ad univerſum genus hominum utilitates proveniant: quid ſit, cur beſtiæ quoque ipſæ ab Ægyptiis ferme omnes conſecratæ ſint, ſcire ſane velim. ſit piſcis in cultu, ac Deorum opinione apud Syros, homines nec tanta ingenii acie præditos, nec tantis doctrinarum præſidiis inſtructos, ut hæc inepta, ridiculaque eſſe, poſſint agnoſcere. Ægyptii verò, omnibus affluentes erudi-

eruditionis, & ſcientiæ laudibus, quo modo in tam inanem, tamque abſurdam delabi opinionem potuerint, equidem intelligere vix poſſum. quid enim? an boves, canes, lupos, feles, piſces in Deorum numero habebimus? & quas nobis natura præſidii, auxiliique cauſa animantes genuit, eas per inſcitiam Deos judicabimus? quibus nihil fœdius, obſcænius, lutulentius ne natura quidem ipſa viderit. Etiamne animalium monſtra illa, à quibus hominum generi præcipua incommoda inferuntur, crocodilos, aſpidas, ſerpentes, ceteras feras, & immanes beluas, in Deorum numerum referemus? quid erit aliud, naturam invertere, & ima ſummis, ſumma infimis commutare? &, cùm tantam in his imperitiam, barbariamque agnoſcamus, tamenne iſta penitus inania pertinaciter defendemus? Eademque inſcitia cœpas, allia, fructus ceteros, qui oriuntur è terra, in Deorum numero repoſuit Ægyptus. quæ haud ſcio cur longiori oratione refellere ſit neceſſe. incredibilis eſt enim eorum abſurditas, ut nulla eſſe poſſit aut pertinacia, aut imperitia tanta, quæ non iſta aſpernetur, atque refugiat. Imbres autem, nimbi, procellæ, ſi à noſtris conſecratæ ſunt, id antiquiſſimis Populi Romani ritibus ac cæremoniis receptum, & confirmatum eſt. quæ tolli, aut perturbari, cùm & ſatis firma ratione nitantur, & uſu jam ipſo confirmata, & approbata ſint, ſine nefario ſcelere non poſſunt. Græciam verò, quam paullo ante laudibus ornavimus, hoc loco non ſanè laudare poſſumus, quæ Cupidines, & Amores ſatis audacter, & temerè in Gymnaſiis, ædibuſque publicis conſecrarit. Quid enim Cupidini, aut amoribus cum Gymnaſiis? aut, quid ea conſecratio vel ad conſiderandum, vel ad imitandum afferre potuit honeſtatis, aut boni? nihil enim temerarium, nihil inſipiens in Deorum conſecratione eſſe debet, nec, quod ullam vel leviſſimam aut turpitudinis, aut ullius omnino imprudentiæ ſuſpicionem afferat. quales videri poſſunt eorum conſecrationes, quorum in rebus probitati, pudorique contrariis numen eſſe, potentiaque creditur. Qui ergo ad hominum vitam vel adjuvandam, vel excolendam, atque exornandam aliquid attulerunt, quiq; virtutibus, rerumque geſtarum gloria præſtiterunt, eos nemo dubitet, jure deos habitos, divinoq; cultu affectos eſſe. Neque ego ullo pacto auderem hoc primus prodere. non enim tam ſtudioſè, quæ laudari poſſunt, appeto, quàm reformidare ea ſoleo, ex quibus poſſit aliquid vel levioris culpæ redundare. Cùm verò & mares, & fæminas complureis in Deorum numero eſſe videamus, & eorum in urbibus, atque agris auguſtiſſima templa veneremur: aſſentiamur eorum ſapientiæ, quorum ingeniis, & inventis omnem vitam legibus, & inſtitutis excultam, conſtitutamque habemus. tantis enim ducibus aberrare non poſſumus: nec à nobis, ſed ab illis ipſis, quos ſequimur, rei tam juſtæ, ac debitæ ratio repoſcetur. jure enim feciſſe putandi ſunt, qui, ne quem virum, aut fæminam præclarè meritam debito honore ſpoliarent, eorum memoriam ſanctam, venerandamque eſſe voluerunt. nos autem injuſte ageremus, ſi, quos pari cultu, venerationeque dignos cognovimus, eos pateremur ſilentio præteriri. Neque hoc de te una, mea Tullia, dictum volumus, cujus exſtabunt virtutis, prudentiæ, doctrinæ, continentiæ, ad omnem æternitatem impreſſa veſtigia; ſed de iis omnibus, quos tali honore dignos aut ipſi vidimus, aut futuro tempore poſteritas intuebitur. Nunc autem de te loquar, quam non ego amiſſam, aut mihi penitus ademtam, velim dicere, cùm illuceſcat menti meæ quotidie magis præclariſſima nominis tui, tuarumque virtutum gloria. vigebis autem memoria quamdiu monumenta exſtabunt illa, quibus eximia conſignata ſunt tam excelſæ laudis teſtimonia: quæ ſempiterna fore, cùm præſtantiſſima ſint, planè confidere debemus. Tibi igitur numquam me debitum perſolviſſe officium putabo, niſi de me optimè meritam, quem eximiè coluiſti, ac de patria, quam ſemper ornaſti, ſupremo honore decoravero. Id autem facilè conſequar, cùm is locus, quem tibi delegi, ſempiternam habiturus ſit religionem. noſtra verò ſi qua erit ex ea re conſolatio, quæ magna certè erit: aut, ſi qua laus ex paterna pietate: mihi certè jucundiſſima acciderit. nihil enim aliud vel audire, vel memoria repetere libentiùs poſſum, quàm me in eam, quam ſummè dilexerim, ſummeque diligendam merito ſuo cenſuerim, quàm maximè pium, gratumque eſſe. cùm præſertim in alienos, quia de ſe optimè erant meriti, tam prolixos, liberaleſque ſeſe, & majores noſtri, & exteri præbuerint. Quod ſi ullum umquam animal conſecrandum fuit, qualia multa conſecraverunt Ægyptii, quod nullum profectò fuit: ſi Cadmi, aut Amphitryonis progenies, aut Tyndari in cælum tollenda fama fuit: huic idem honos certe dicandus eſt. quod quidem faciam, teque omnium optimam, doctiſſimamque, approbantibus diis immortalibus ipſis, in eorum cœtu locatam, ad opinionem omnium mortalium conſecrabo. Tu ergo in eo ipſo fano, quod ad nominis tui memoriam, ac cultum, votum, dedicatumque eſt, & laudari te, & coli ſenties. maximè autem lætaberis in eo, quòd & eum tibi, quem maximè debui, honorem perſolverim, & me ſimul iniquiſſimo fortunæ imperio penitus exſolverim. noſti enim, quàm ſemper alacri, fortique animo cunctis caſibus reſtiterim: ut ne me quidem, pulſum patria, omnique planè dignitate ſpoliatum, tam acri impetu frangere, ac dejicere fortuna potuerit. Cum inimicis autem quanta contentione decertaverim, quæque mea fuerit in iis refutandis, frangendiſque virtus, & conſtantia, norunt omnes, qui varios civitatis noſtræ caſus curioſè notaverunt. Cùm verò, Tullia, te mihi extremo loco fortuna ademiſſet, tum equidem intellexi, quantum illa in rebus poſſet humanis, quantaque adverſus me ipſum vi, ac poteſtate niteretur. itaque nihil habui, quod dicerem, niſi, cedo, & manum tollo, cùm tam gravi accepto vulnere, planè dolore perculſus, atque afflictus eſſem. Nunc autem & præceptis ſapientiæ adverſus omnem fortunæ vim confirmatus, &, te conſecrata, in cælumque recepta, tanta affectus voluptate, ac lætitia, quantam animo capere maximam poſſum: exſultare planè videor, victorque de fortuna, ac de omni prorſus dolore triumpho. Tu ergo, quando me inſigni, & excellenti tuarum laude, memoriaque virtutum, tam præclare juviſti, nunc ab hominibus ſejuncta, non me deferens, ſed aliquando reſpectans, perduc eo, ubi tua tandem collocutione conſpectuque fruar: ut & parenti tui amantiſſimo, quam potiſſimum optare debes, gratiam referas, & ego multo mihi gratiorem, multoque jucundiorem congreſſum noſtrum futurum intelligam, quàm inſuavis, & acerbus digreſſus fuit.

INDEX ORATIONUM, M. TULLII CICERONIS, Quarum deinceps ſubſequuntur FRAGMENTA.

Pro M. Tullio.
L. Vareno.
P. Oppio.
M. Fundanio.
C. Cornelio. I.
C. Cornelio. II.
In competitores.
Pro Q. Gallio.
De proſcriptorum liberis.
Contra Q. Metelli concionem.
De conſulatu ſuo.
In Clodium, & Curionem.
De rege Ptolemæo.
Pro M. Æmilio Scauro.
Pro A. Gabinio.
Præterea fragmenta orationum.
Pro P. Quinctio.
Pro M. Fonteio.
De lege Agraria.
In L. Piſonem.
Præterea ex commentariis cauſarum.

AUCTORES, *ex quibus omnia Fragmenta librorum Ciceronis, Poëmatum, orationum, &c. à Rob. Stephano, Carolo Sigonio, Andrea Patricio, &c. collecta ſunt.*

Aquila.
Aſconius.
D. Auguſtinus.
Boëthus.
Cariſius.
Ipſe Cicero.
Columella.
Diomedes.
Donatus.
Feſtus.
Fortunatianus.
Gellius.
D. Hieronymus.
Iſidorus.
Lactantius.
Macrobius.
Marcellinus.
Nonius Marcellus.
Plinius.
Priſcianus.
Quintilianus.
Seneca.
Servius.
Suetonius.
Valerius.
Ulpianus.

EX ORATIONE PRO M. TULLIO I.

Deeſt principium.

PRISCIANUS.] Hoc judicium ſic exſpectatur, ut non unæ rei ſtatui, ſed omnibus conſtitui putetur.

QUINT. *libro* 4. *capite* 2.] Fundum habet in agro Tigurino M. Tullius paternum.

QUINT. *libro* 5. *c. de refutatione.*] Quis hoc ſtatuit umquam, aut cui concedi ſine ſummo omnium periculo poteſt, ut eum jure potuerit occidere, à quo metuiſſe ſe dicat, ne ipſe poſterius occideretur?

QUINT.] Si quis furem occiderit, injuria occiderit. quamobrem? quia jus conſtitutum nullum eſt. qui ſi ſe telo defenderit? haud injuria. quid ita? quia conſtitutum eſt.

Cetera deſunt.

Pro L. Vareno.

Deeſt principium.

PRIS.] C. Ancharius Rufus è municipio Fulginate.

PRISC.] In præfectura Fulginate.

QUINT. *lib.* 5. *cap.* 13.] Cùm iter per agros, & loca ſola faceret, cum Populeno, in familiam Ancharianam incidiſſe dixerunt: deinde Populenum occiſum eſſe: illico Varenum vinctum, adſervatum, dum hic oſtenderet, quid de eo fieri vellet.

QUINT. *lib.* 7. *cap.* 1.] In legem de ſicariis commiſit L. Varenus. Nam C. Varenum occidendo, & Cnæum vulnerando, & Salarium item occidendo, cadit.

QUINT. *lib.* 7. *cap* 1.] Tum C. Varenus is, qui à familia Anchariana occiſus eſt: (Hoc, quæſo, judices, diligenter attendite.)

PRIS. *lib.* 3. *&* QUINT. *lib.* 8. *cap.* 3.] L. ille Septimius diceret. etenim eſt ad L. Craſſi eloquentiam gravis, & vehemens, & volubilis. Erucius hic noſter, Antoniaſter eſt.

PRISC. *lib.* 12.] Ea cædes ſi potiſſimum crimini datur, detur ei, cuia interfuit, non ei, cuia nihil interfuit.

QUINT. *lib.* 5. *cap.* 10.] Optio vobis datur, utrùm velitis, caſu illo itinere Varenum eſſe uſum, an hujus perſuaſu, & inductu.

PRISC.] Deûm fidem.

 Deſunt

Deſunt reliqua.

Pro P. Oppio. III.

Deeſt principium.

QUINT. *lib. 5. cap. 10.*] Utrum cùm Cottam appetiſſet, an cùm ipſe ſeſe conaretur occidere, telum ei è manibus ereptum eſt?

QUINT. *ibid.*] Quos educere invitos in provinciam non potuit, eos invitos retinere qui potuit?

QUINT. *lib. 11. cap. 1.*] At enim veriſimile non eſt, tantum ſcelus M. Cottam eſſe commentum. quid? hoc veriſimile eſt, tantum ſcelus Oppium eſſe conatum?

MARCEL.] Etenim multum poſſe ad ſalutem alterius, honori multis parum potuiſſe ad exitium, probro nemini fuit.

QUINT.] O amorem mirum! ô benivolentiam ſingularem!

Cetera deſiderantur.

Pro M. Fundanio. IIII.

Deeſt principium.

PRIS. *lib. 7.*] Non modò hoc a Julio Annale, ſed vix mehercule à Q. Mutone factum probari poteſt.

PRIS. *lib. 16.*] Eſſetne id, quod Meno nuntiaſſet.

Plurima deſunt.

Pro C. Cornelio. I.

PRISC. *lib. 6.*] Ut ab Jove optimo maximo, ceteriſque diis, deabuſque omnibus opem, & auxilium petamus.

PRIS. *lib. 2.*] Ex promulgatione trinundinum dies ad ferendum, poteſtaſque veniſſet.

SERVIUS.] Arcades ſe proſelenos eſſe aſſeverant.

ASC.] *Verſu à primo circiter* CLXI.

Poſtulatur apud me prætorem primum de pecuniis repetundis. proſpectat videlicet Cominius, quid agatur: videlicet homines fœneos, in medium ad tentandum periculum projectos.

ASC.] Quid? Metellus ſumma nobilitate, ac virtute, cùm bis juraſſet, ſemel privatim à patre; iterum publicè, à lege coactus, deſtitit accuſatione, an vi, an veritate? In quo ſuſpicionem omnem tollit C. Curionis virtus ac dignitas, & Q. Metelli adoleſcentia, ad ſummam laudem omnibus rebus ornata.

ASC.] Legem, inquit, de libertinorum ſuffragiis Cornelius cum Manilio dedit. quid eſt hoc? dedit, an tulit, an rogavit, an hortatus eſt? nam tuliſſe ridiculum eſt. quaſi legem aliquam aut ad ſcribendum difficilem, aut ad excogitandum reconditam; quæ lex paucis his annis non modò ſcripta, ſed etiam lata eſſet.

ASC.] In quo cùm multa reprehenſa ſint, tum in primis celeritas actionis.

ASC.] Petivit tamen à me prætore maxima conteſtatione, ut cauſam Manilii defenderem.

Verſu à primo DCCCCL.

ASC.] Nam cùm is tribunus pleb. duas leges tuliſſet in eo magiſtratu, unam pernicioſam, alteram egregiam: quod ſummam remp. læſit, id ab ipſo tribuno abjectum eſt. bonum autem, in ſumma rep. manet.

ASC.] Aliis ille in illum furorem magnis hominibus auctoribus impulſus eſt, qui aliquod inſtitui exemplum diſturbandorum judiciorum pernicioſiſſimum, temporibus ſuis accommodatiſſimum, meis alieniſſimum rationibus, cupierunt.

ASC.] Poſſum dicere, hominem ſumma prudentia clarum, C. Cottam, de legibus abrogandis ipſum ad ſenatum retuliſſe. poſſum & M. Cottæ legem de judiciis privatis, anno pòſt quàm lata ſit, à fratre ejus abrogatam. legem Liciniam & Muciam de civibus regundis, video conſtare inter omneis, quam duo conſules omnium, quos vidimus, ſapientiſſimi tuliſſent; non modo inutilem, ſed pernicioſam reip. fuiſſe.

ASC.] Quattuor omnino genera ſunt, judices, in quibus per ſenatum, more majorum, ſtatuatur aliquid de legibus. unum eſt ejuſmodi, placeret legem abrogari, ut Q. Cæcilio, M. Junio coſs. quæ leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur. alterum, quæ lex lata eſſe dicatur, ea non videri populum teneri, ut L. Marcio, Sex. Julio coſs. de legibus Liviis. tertium eſt de legum derogationibus, quo de genere perſæpe S. C. fiunt, ut nuper de ipſa lege Calpurnia, cui derogaretur.

ASC.] P. Africanus ille ſuperior, ut dicitur, non ſolùm à ſapientiſſimis hominibus, qui tum erant, verùm etiam à ſe ipſo ſæpe accuſatus eſt, quòd cùm conſul eſſet cum Ti. Longo, paſſus eſſet tum primùm à populari conſeſſu ſenatoria ſubſellia ſeparari.

Circa medium.

ASC.] Eſt utique jus vetandi cùm ea feratur, quamdiu non perfertur: quamdiu qui ſuffragii ferundi cauſa conveniunt, huc & illuc transferuntur: dum privati dicunt: dum tabellæ diribentur: dum ſitella defertur, dum æquantur ſortes, dum ſortitio fit, & ſi qua ſunt hujus generis alia.

paullo poſt.

ASC.] Unum tamen, quod hoc ipſo tribuno pleb. factum eſt, prætermittendum non videtur. neque enim majus eſt legere codicem, cùm intercedatur, quàm ſitellam ipſam cum ipſo interceſſore deferre: nec gravius, incipere ferre, quam perferre: nec vehementius, oſtendere ſe laturum, invito collega, quàm ipſi collegæ magiſtratum abrogare: nec criminoſius, tribus ad legem accipiendam, quàm ad collegam reddendum privatum, introvocare. quæ vir fortis, hujus collega, A. Gabinius in re optima fecit omnia, neque, cùm ſalutem populo R. atque omnibus gentibus finem diuturnæ captivitatis, turpitudinis, & ſervitutis afferret, paſſus eſt, plus unius collegæ ſui, quàm univerſæ civitatis vocem valere, & voluntatem.

QUINT.] Codicem attigit

ASC.] At enim de corrigenda lege retulerunt.

ASC.] Idem, niſi hæc ipſa lex, quam C. Cornelius tulit, obſtitiſſet, decreviſſem id, quod palàm jam iſti defenſores judiciorum pugnaverunt, ſenatui non placere, id judicium de Sullæ bonis fieri. quam ego cauſam longe aliter prætor in concione defendi, cùm id dicerem, quod iidem judices poſtea ſtatuerunt, judicium æquiore tempore fieri oportere. antea verò quàm multarum rerum judicia ſublata ſint, & quia ſcitis, prætereo, & ne quem in judicium oratio mea revocare videatur.

paullo poſt.

ASC.] Non Cn. Dolabella C. Volcatium, honeſtiſſimum virum, communi & quotidiano jure privaſſet: non denique homo illorum & vita, & prudentia longè diſſimilis, ſed tamen nimis in gratificando jure liber, L. Siſenna, bonorum Cn. Cornelii poſſeſſionem ex edicto ſuo P. Scipioni adoleſcenti ſumma nobilitate, eximia virtute prædito, dediſſet. Quare, cùm ambitum populus Rom. videret, & cùm à tribunis pl. doceretur, niſi pœna acceſſiſſet in diviſores, exſtingui nullo modo poſſe: legem hanc Cornelii flagitabat: illam, quæ ex S. C. ferebatur, repudiabat.

paullo poſt.

ASC.] Ut ſpectaculum illud duorum deſignatorum conſulum, calamitate, re, & tempore ſalubre, ac neceſſarium: genere, & exemplo miſerum, ac funeſtum videremus.

ASC.] Quid ego nunc argumentis tibi reſpondeam, poſſe fieri, ut alius aliquis Cornelius ſit, qui habeat Philerotem? res nota eſt, vulgare nomen eſt Philerotis: Cornelios verò ita multos, ut jam etiam collegium conſtitutum ſit?

ASC.] At enim extremi, ac difficillimi temporis vocem illam, C. Corneli, conſulem mittere coëgiſti, qui remp. ſalvam eſſe vellent, ut ad legem accipiendam adeſſent.

ASC.] Plebem ex Maniliana offenſione victam & domitam eſſe dicit. ante veſtros annos propter illius tribuni pl. temeritatem poſſe adduci, ut omnino ne illius poteſtate abalienemur. Qui reſtituerunt eam poteſtatem, alterum nihil unum poſſe contra multos, alterum longè abeſſe.

ASC. & PRISC. *lib. 6.*] Tanta igitur in illis virtus fuit, ut anno XVI. poſt reges exactos, propter nimiam dominationem

nem

nem potentium ſecederent, leges ſacratas ipſi ſibi reſtituerent, duos tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons Sacer nominatur, in quo armati conſederant, æternæ memoriæ cauſa conſecrarent. itaque auſpicatò, poſtero anno, X. tribuni pl. comitiis curiatis creati ſunt.

Asc.] Tum, interpoſita fide per treis legatos, ampliſſimos viros, Romam armati reverterunt. in Aventino conſederunt, inde armati in Capitolium venerunt. decem tribunos pl. per pontificem, quòd magiſtratus nullus erat, creaverunt. Etiam hæc recentiora prætereo: ponam principium juſtiſſimæ libertatis Caſſiam, qua lege ſuffragiorum jus, poteſtaſque convaluit: alteram Caſſiam, quæ populi judicia firmavit.

Asc.] Qui non modò cùm Sulla, verùm etiam, illo mortuo, ſemper hoc per ſe ſummis opibus retinendum putaverunt, inimiciſſimi C. Cottæ fuerunt, quòd is conſul paullum tribunis pl. non poteſtatis, ſed dignitatis addidit.

Asc.] Quamdiu quidem hoc animo erga nos illa plebs erit, quo ſe oſtendit eſſe, cùm legem Aureliam, cùm Roſciam non modo accepit, ſed etiam efflagitavit.

Asc.] Memoria teneo, cùm primùm ſenatores cum equitibus Romanis lege Plotia judicarent, hominem iis, ac nobilitati perinviſum, Cn. Pompejum, cauſam lege Varia de majeſtate dixiſſe.

Prisc. *libr* 8.] Quæ intermiſſa complureis annos.

Pris. *ibid.*] Num alicui gratificabantur aut homini, aut ordini?

Pris. *lib.* 10.] Cœptum igitur per eos, qui agi volebant, deſitum eſt per hunc, qui deceſſit.

Pris. *lib.* 8.] Circuitis roſtris ejicerentur lapidibus homines.

Prisc.] Qui eloquentia ceteris antecellit.

Aquila.] Refertum tribunitiis legibus, exhauſtum à quibus ſit, ipſi ſciunt.

Cetera deſunt.

Pro C. Cornelio. II.

Deeſt initium.

Asc. & Fortunatianus *lib* 3. *Rhet.*] Pugnem apertè contra nobiliſſimorum hominum voluntates, ſtudia, conſilia, cogitationeſque eorum aperiam?

Cicero oratore perf.] O callidos homines, ô rem excogitatam, ô ingenia metuenda! teſteis dare volumus. quem, quæſo, noſtrûm fefellit, ita vos eſſe facturos?

Asc.] Num in eo, qui ſint hi teſtes, hæſitatis? ego vobis edam duos. reliqui ſunt de conſularibus inimici tribunitiæ poteſtatis: pauci præterea aſſentatores eorum, atque aſſeclæ ſubſequuntur.

Asc.] Sed ſi familiariter ex Q. Catulo, ſapientiſſimo viro atque humaniſſimo, velim quærere, utrius tandem tibi tribunatus minùs probari poteſt, C. Cornelii, an, non dicam P. Sulpicii, non L. Saturnini, non C. Gracchi, non Tiberii: neminem, quem iſti ſeditioſum exiſtimant, nominabo: ſed avunculi tui, Q. Catule, clariſſimi, patriæque amantiſſimi viri, quid mihi tandem reſponſurum putatis?

poſt xx. verſus à præcedenti.

Asc.] Quid? avunculus tuus, clariſſimus vir, clariſſimo patre, avo, majoribus, non ſilentio, favente nobilitate, nullo interceſſore comparato, populo R. dedit, & potentiſſimorum hominum collegiis eripuit cooptandorum ſacerdotum poteſtatem? Quid? idem Domitius M. Silanum, conſularem hominem, quemadmodum tribunus pl. vexavit?

Asc.] Hæc eſt controverſia ejuſmodi, ut mihi tribuni pl. Cn. Domitius, Catulo * M. Terpolius contemtiſſimum nomen ejectum eſſe ex iis qui tribuni pl. fuerunt.

Cic. *Orat. perf.* & Quint. *lib* 9. *c.* 4.] Nam neque me divitiæ movent, quibus omnes Africanos, & Lælios multi venalitiarii, mercatoreſque ſuperarunt, neque veſtis, aut cælatum aurum, & argentum, quo noſtros veteres Marcellos, Maximoſque multi eunuchi è Syria, Ægyptoque vicerunt. neque verò movent me ornamenta iſta villarum, quibus L. Paullum, & Mummium, qui rebus his urbem, Italiamque omnem referſerunt, ab aliquo video perfacilè Deliaco, aut Syro potuiſſe ſuperari.

Pris. *lib.* 18.] Quis tam abundans copiis.

Extrema deſunt.

CONTRA C. ANTONIUM, ET L. CATILINAM, Competitores in toga candida.

Deeſt principium.

Omnia *ex Aſconio.*] Dico, P. C. ſuperiore nocte, cujuſdam hominis nobilis, & valde in hoc largitionis quæſtu noti, & cogniti, domum Catilinam & Antonium cum ſequeſtribus ſuis conveniſſe.

Quem enim aut amicum habere poteſt is, qui tot civeis trucidavit, aut clientem, qui in ſua civitate cum peregrino negavit ſe judicio æquo certare poſſe?

Nec ſe jam tum reſpexit, cùm graviſſimis veſtris decretis abſens notatus eſt.

In judiciis quanta vis eſſet, didicit. cum eſt abſolutus ſi aut illud judicium, aut illa abſolutio nominanda eſt.

Populum verò, cùm inſpectante populo, collum ſecuit hominis maximè popularis, quanti faceret, oſtendit.

Me, qua amentia inductus ſit, ut contemneret, conſtituere non poſſum. utrùm æquo animo laturum putavit? an in ſuo familiariſſimo non viderat, me ne aliorum quidem injurias mediocriter poſſe ferre?

Alter pecore omni vendito, & ſaltibus probe addictis, paſtores retinet, ex quibus, ait, ſe, cùm velit, ſubitò fugitivorum bellum excitaturum. alter induxit eum, quem potuit, ut repentè gladiatores, populo non debitos, polliceretur, quos ipſe conſularis candidatus perſpexit, & legit, & emit. præſente populo R. factum eſt.

Quamobrem augere etiam mercedes ſi vultis Q. Mucium conantem legem impedire, ut cœpit ſenatus, COS. prohibere. ſed ego ea lege contentus ſum, qua duos conſules deſignatos uno tempore damnari vidimus.

Te tamen, Q. Muci, tam malè de rep. exiſtimare, moleſtè fero, qui heſterno die me eſſe dignum conſulatu negabas. quid? populus Romanus minus diligenter ſcit ſibi conſtituere defenſorem, quàm tu tibi? qui, cùm te furti L. Calenus argueret, me potiſſimùm fortunarum tuarum patronum eſſe voluiſti. & cujus tu conſilium in tua turpiſſima cauſa delegiſti, hunc honeſtiſſimarum rerum defenſorem populus R. auctore te, repudiare poteſt? niſi fortè hoc dicturus es, quo tempore à L. Caleno furti delatus ſis, te eo tempore in me tibi parum auxilii eſſe vidiſſe.

Atque, ut iſtum omittam in exercitu Sullano prædonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium.

Te verò, Catilina, conſulatum ſperare, aut cogitare, non prodigium, atque portentum eſt? à quibus enim petis? a principibus civitatis? qui tibi, cùm L. Volcatius conſul in conſilio fuiſſet, ne petendi quidem poteſtatem eſſe voluerunt? à ſenatoribus? qui de auctoritate ſua ſpoliatum ornamentis omnibus, vinctum pæne Africanis oratoribus tradiderunt? ab equeſtri ordine? quem trucidaſti? à plebe? cui ſpectaculum ejuſmodi tua crudelitas præbuit, ut nemo ſine luctu adſpicere, ſine gemitu recordari poſſet?

Ascon.] Quod caput etiam tum plenum animæ & ſpiritus, ad Sullam uſque ab Janiculo ad ædem Apollinis, manibus ipſe ſuis detulit.

Quis? tu potes in defenſione tua dicere, quod illi ne dixerunt quidem? tibi dicere non licebit.

Denique illi negare potuerunt, & negaverunt. tu tibi ne inficiandi quidem impudentiæ locum reliquiſti. quare præclara dicentur judicia tuliſſe, ſi qui infitiantem Luſcium condemnarunt, Catilinam abſolverint confitentem.

Is ergo negat ſe ignarum eſſe, cùm etiam illi, imperitos

ſe homines eſſe, &, ſi quem etiam interfeciſſent, imperatori ac dictatori paruiſſe dicerent, ac negare quoque poſſe: Catilinam verò infitiari non poſſe.

Hanc tu habes dignitatem, qua fretus me contemnis, & deſpicis? an eam, quam reliqua vita es conſecutus, cùm ita vixiſti, ut non eſſet locus tam ſanctus, quò non adventus tuus, etiam cùm culpa nulla ſubeſſet, crimen afferret?

Cùm deprehendebare in adulteriis, cùm deprehendebas adulteros ipſe, cùm ex eodem ſtupro tibi, & uxorem & filiam inveniſti.

* ſtupris ſe omnibus, ac flagitiis contaminavit, cæde, nefaria cruentavit, diripuit ſocios, leges, quæſtiones, judicia violavit.

Quid ego, ut violaveris provinciam, prædicem, cuncto populo R. clamante, ac reſiſtente? nam ut te illic geſſeris, non audeo dicere, quoniam abſolutus es. mentitos eſſe equites R. falſas fuiſſe tabellas honeſtiſſimæ civitatis exiſtimo: Q. Metellum Pium, mentitam Africam: vidiſſe puto neſcio quid illos judices, qui te innocentem judicarunt. O miſer, qui non ſentias, illo judicio te non abſolutum, verùm ad aliquod ſeverius judicium, ac majus ſupplicium reſervatum!

Prætereo illum nefarium conatum tuum, & pænè acerbum, & luctuoſum populo Rom. diem, cùm Cn. Piſone ſocio, neque alio nemine, cædem optimatium facere voluiſti.

An oblîtus es, te ex me, cùm præturam peteremus, petiſſe, ut tibi primum locum concederem? quod cùm ſæpius ageres, & impudentiùs à me contenderes, meminiſti, me tibi reſpondere, impudenter te facere, qui id à me peteres, quod avunculus numquam impetraſſet? Neſcis, me prætorem primum eſſe factum, te conceſſione competitorum, & collatione centuriarum, & meo maximè beneficio, è poſtremo in tertium locum eſſe ſublectum?

Qui poſteaquam illo, ut conati erant, Hiſpanienſi pugiunculo nervos incidere civium Rom. non potuerunt, duas uno tempore conantur in remp. ſicas diſtringere.

Hunc vos ſcitote Licinium gladiatorem jam emiſiſſe, cupidum Catilinæ, judices, Quintumque Curium, hominem quæſtorium.

Extremum deeſt.

Pro Q. Gallio.

Deeſt principium.

AQUIL. & QUINT. *lib.8. cap.3.*] * ut clamor, convicium, ut ſymphoniæ cantus. videbar mihi videre alios intranteis, alios autem exeunteis, partim ex vino vacillanteis, partim heſterna potatione oſcitanteis, verſabatur inter hos Gallius, unguentis oblitus, redimitus coronis. humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis, & ſpinis cooperta piſcium.

B. HIER. *vit. cleric.*] Loquor enim quæ ſum ipſe nuper expertus unus. Quidam poëta nominatus, homo perlitteratus, cujus ſunt illa colloquia poëtarum, ac philoſophorum, cùm facit Euripidem & Menandrum inter ſe, & in alio loco Socratem atque Epicurum differenteis, quorum ætates non annis, ſed ſæculis ſcimus eſſe disjunctas, quantos is plauſus, & clamores movet? multos enim condiſcipulos habet in theatro, qui ſimul litteras non didicerunt.

QUINT.] An iſta, ſi vera eſſent, ſic à te dicerentur?

CIC. *Bruto.*] Tu iſtuc, M. Callidi, niſi fingeres. ſic ageres? præſertim cùm iſta eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrimè ſoleas, tuum negligeres? ubi dolor? ubi ardor animi? qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces, & querelas ſolet. nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percuſſa, non femur, pedis (quod minimum eſt) nulla ſupploſio. itaque (tantum afuit, ut inflammares noſtros animos) ſomnum iſto loco vix tenebamus.

NON. *logi.*] Ego certò ſcio, omneis logos, qui ludis dicti ſunt, animadvertiſſe.

CARIS.] * poëmatorum.

Cetera deſunt.

De proſcriptorum liberis. I X.

Deſunt cetera, præter fragmentum, quod ſequitur.

QUINT. *lib.11. cap.1.*] Quid enim crudelius, quàm homines honeſtis parentibus, ac majoribus natos, à rep. ſubmoveri? ſed ita legibus Sullæ continetur ſtatus civitatis, ut his ſolutis, ſtare ipſa non poſſit.

Contra concionem Q. Metelli.

Deeſt principium.

FORTUN.] Sic enim, ut opinor, inſequar fugientem, quoniam congredi non licet cum reſiſtente.

PRIS. *lib. 9.*] * permulſa, atque recreata eſt.

PRIS. *lib. 18.*] * niſi eorum exitio, non requieturam.

GELL. *lib.18. cap.7.*] Adſcendi in concionem: concurſus eſt populi factus.

QUINT. *lib.9. cap. 3.*] Qui judicabantur, eos vocari, cuſtodiri, ad ſenatum adduci juſſi: in ſenatu ſunt poſiti.

Reliqua deſunt.

De conſulatu ſuo.

NONIUS.] Quorum luxuries, fortunata cenſa peperit.

In Clodium, & Curionem.

Deſunt multa, nec, quæ reſtant, digeri poſſunt in ullum ordinem.

NON.] Tu verò feſtivus, tu elegans, tu ſolus urbanus, quem decet muliebris ornatus, quem inceſſus pſaltriæ, qui lævare vultum, mollire vocem potes.

NON. *Longus. Speculum.*] Sed, credo, poſtquàm tibi ſpeculum allatum eſt, longè te à pulchris abeſſe ſenſiſti.

NON.] Ac vide, an facilè tu fieri potueris, cùm is factus non ſit, cui tu conceſſiſti.

NON. *Calantica.*] Tunc cùm vincirentur pedes faſciis, cùm calanticam capiti accommodares, cùm ſtrophio accuratè præcingerêre.

QUINT. *lib.8. c.6.*] Integritas tua te purgavit, mihi crede, pudor eripuit, vita anteacta ſervavit.

QUINT. *lib.9. c.2.*] * Quibus iſte, qui omnia ſacrificia noſſet, facilè à ſe deos placari poſſe arbitrabatur.

QUINT.] Quo ex judicio, velut ex incendio, nudus effugit.

CICERO. *ad Attic.*] Erras, Clodi: non te judices urbi, ſed carceri reſervarunt: neque te retinere in civitate, ſed exſulio privare voluerunt. Quamobrem, Patres conſcripti, erigite animos, retinete veſtram dignitatem: manet illa in rep. bonorum conſenſio, dolor acceſſit bonis viris, virtus non eſt imminuta: nihil eſt damni factum novi: quod erat, inventum eſt. in unius hominis perditi judicio plures ſimiles reperti ſunt.

De rege Ptolemæo.

Niſi unicum hoc fragmentum eſſet, vix ipſam orationis inſcriptionem teneremus.

AQU. & FORTUN.] Difficilis ratio belli gerendi: at plena fidei, plena pietatis.

Pro M. Æmilio Scauro.

FORTUN. *Auguſt. in Rhet.*] Maximè fuit optandum M. Scauro, judices, ut nullo ſuſcepto cujuſquam odio, ſine offenſione ac moleſtia.

ASC.] *circa verſum à primo XL.*

Subiit etiam populi judicium, inquirente Cn. Domitio, tribuno pl. Reus factus eſt à Q. Servilio Cæpione, lege Servilia, cùm judicia penes equeſtrem ordinem eſſent, & P. Rutilio damnato, nemo tam innocens videretur, ut non timeret illa. Ab eodem etiam lege Varia cuſtos ille reip. proditionis eſt in crimen vocatus: vexatus à Q. Vario tribuno pl. eſt, non multo antè.

ASC.] Non enim tantum admiratus ſum ego illum virum, ſicut omnes, ſed etiam præcipuè dilexi. primus enim me flagrantem ſtudio laudis, in ſpem impulit, poſſe virtutem ſine præſidio fortunæ, quò contendiſſet, labore & conſtantia pervenire.

ASC.] Sine

Asc.] Sine me hercle, judices, pro L. Tubulo dicerem, quem unum ex omni memoria ſceleratiſſimum & audaciſſimum fuiſſe accepimus, tamen non timerem, venenum hoſpiti, aut convivæ ſi diceretur cenanti ab illo datum, cui neque heres, neque iratus fuiſſet.

Asc.] *circa tertiam partem à primo.*

Sic, inquam, ſe, judices, res habet, neque hoc à me novum diſputatur, ſed quæſitum ab aliis eſt.

Asc.] Illa audivimus: hoc verò meminimus, ac pænè vidimus, ejuſdem ſtirpis & nominis P. Craſſum, ne in manibus incideret inimicorum, ſe ipſum interemiſſe. Ac neque illius Craſſi factum ſuperioris, iiſdem honoribus uſus, qui fortiſſimus in bellis fuiſſet, M. Aquillius potuit imitari.

paullo poſt.

Asc.] Quid verò alterum Craſſum temporibus eiſdem, num aut clariſſimi viri, Julii, aut ſummo ingenio præditus M. Antonius potuit imitari?

Prisc. *lib.6.*] Cùm dare nollet Aris, clàm ex Sardinia eſt fugere coactus.

Pris.] Arinis uxorem pellicatus dolore concitatam.

Circa medium.

Asc.] Neque verò hæc ipſa quotidiana res App. Claudium, illa humanitate, & ſapientia præditum, per ſe ipſa moviſſet, niſi hunc Claudii fratris ſui competitorem fore putaſſet, qui ſive patricius, ſive plebejus eſſet (nondum enim certum conſtitutum erat) cum illo ſibi contentionem fore putabat.

Isid. *lib.* 19. *c.* 3.] Quem purpura regalis non commovit, eum Sardorum maſtruca tentavit?

Marcell.] Vos quoque de familia nobili cum auctoritate orbis terrarum ſentire debetis.

Asc.] *poſt duas parteis orationis.*

Nam cùm ex multis unus ei reſtaret Dolabella paternus inimicus, qui cum Q. Cæpione, propinquo ſuo, contra Scaurum, patrem ſuum, obſignaverat ſtateras, eas ſibi inimicitias non ſuſceptas, ſed relatas.

Asc.] poſt treis partes orationis.

Præſertim cum propinquitas, & celebritas loci ſuſpicionem deſidiæ tollat, aut cupiditatis.

Asc.] Ego porrò, qui Albanas habeo columnas, clitellis eas apportavi.

Quint. *lib.* 5. *cap.* 13.] Domus tibi deerat? at habebas. pecunia ſuperabat? at egebas. Incurriſti amens in columnas, in alienos inſanus inſaniſti. depreſſam, cæcam, jacentem domum pluris, quàm te, quàm fortunas tuas æſtimaſti.

Serv. 1-*Georgic.*] * redimunt ſe ea parte corporis, propter quam maximè expetuntur.

* ab ipſa ſtiva mecum homines loquebantur.

Asc.] Hæc cùm tu effugere non potuiſſes, contendes tamen, & poſtulabis, ut M. Æmilius cum ſua dignitate omni, cum patris memoria, cum avi gloria ſordidiſſimæ, leviſſimæ, vaniſſimæ genti, ac prope dicam pellitis teſtibus condonetur?

verſu à noviſſimo CLX.

Asc.] Undique mihi ſuppeditat, quod pro M. Scauro dicam, quocumque non modo mens, verùm etiam oculi inciderint. curia illa de graviſſimo principatu patris, fortiſſimoque teſtatur. L. ipſe Metellus, avus hujus, ſanctiſſimos deos illo conſtituiſſe in templo videtur, in veſtro conſpectu, judices, ut ſalutem à vobis nepotis ſui deprecarentur.

Carisius] * universè.

Lamb. *addit hoc, ex* Quint.] Libertus patronum non occidit, ſed duobus digitulis gulam oblinit.

Extremum deeſt.

Pro A. Gabinio. XV.

Deſunt cetera præter hoc.

Hier. *Apol. adverſus Rufinum*] Ego cùm omneis amicitias tuendas ſemper putavi ſumma religione, & fide, tum eas maxime, quæ eſſent ex inimicitiis revocatæ in gratiam: proterea quòd integris amicitiis officium prætermiſſum, imprudentiæ, vel (ut graviùs interpretemur) negligentiæ excuſatione defenditur: poſt reditum in gratiam ſi quid eſt commiſſum, id non neglectum, ſed violatum putatur, nec imprudentiæ, ſed perfidiæ aſſignari ſolet.

Pro P. Quintio.

Ulpian.] Turpis occultatio ſui.

Pro M. Fonteio.

Marcel. *lib.* 15.] Galli poſthac dilutius potabunt, quod illi venenum eſſe arbitrabuntur.

Quint. *lib. c.* 4.] Mater tua, dum vixit, ludum, poſtquàm mortua eſt, magiſtros habuit.

Aquila.] Frumenti maximus numerus è Gallia, peditatus ampliſſimæ copiæ è Gallia, equites numero plurimi e Gallia.

Cetera in ea, quæ inter reliquas orationes exſtat.

De lege Agraria Kal. Jan.

Deeſt principium.

Gell. *lib.* 13. *cap.* 24.] Prædam, manubias, ſectionem, caſtra denique Cn. Pompeii, ſedente imperatore, X. viri vendent.

Gell. *ibid.*] * ex præda, ex manubiis, ex auro coronario.

Aqu.] Veniet igitur ſub præcone tota Propontis, atque Helleſpontus: addicetur communis ora Lyciorum, atque Cilicum: Myſia & Phrygia item conditioni legique parebunt.

Caris.] * imberba juventute.

Cetera in ea, quæ exſtat, in ſenatu habita.

In L. Piſonem.

Quint. *lib.* 9. *c.* 4. *Diom. lib.* 2.] Proh, dii immortales: qui hic illuxit dies?

Servius.] Quæ te beluam ex utero, non hominem fudit.

Ascon.] Inſuper quidam fuit, id eſt, mercator, & præco. is cùm Romam cum filia veniſſet, adoleſcentem nobilem Cæſonium, hominis fortiſſimi filium, auſus eſt appellare. filiam collocavit.

Quint. *lib.* 8. *c.* 3.] * Cùm tibi tota cognatio in ſerraco advehatur.

* *circa verſum à primo.*

Ascon.] * quod minimum in te ſpecimen ingenii: ingenii autem? immo ingenui hominis, ac liberi, qui colore ipſo patriam aſpernaris, oratione genus, moribus nomen?

Asc.] *circa verſum à primo LXXX.*

Hoc non ad contemnendam Placentiam pertinet, unde ſe is ortum gloriari ſolet: neque enim hæc mea natura fert, nec municipii, præſertim de me optimè meriti, dignitas patitur.

Prisc.] Hic cum ad Padum Placentiæ fortè conſediſſet, paucis poſt annis in eam civitatem (nam tum erat civitas) adſcendit. priùs enim Gallus, dein Gallicanus, extremò Semiplacentinus haberi eſt cœptus.

Asc.] * *circa verſum à primo.*

Lautiorem pater tuus ſocerum, quàm C. Piſo in illo luctu. non ei filiam meam collocavi, quem ego, poteſtas cùm omnium fuiſſet, unum potiſſimùm delegiſſem.

Diomed.] Proximè Pompejum ſedebam.

Lamb. *addit ex* Quint.] Caput opponis, cum eo coniſcans.

Ex commentariis lib. XIII.

Diomed.] * te vendita, iterum empta.

INDEX EPISTOLARUM M. TULLII CICERONIS, Quarum deinceps ſubſequuntur FRAGMENTA.

INDEX FRAGMENTORUM EX EPISTOLIS.

Ad M. Titinium.		Ad M. Brutum.	Li. VIII.
Ad Cornel. Nepotem.	Lib. III.	Ad M. Filium.	Lib. II.
Ad C. Cæſarem.	Lib. II.	Ad M. Licinium Calvum.	
Ad Cæſarem juniorem.	Lib. III.	Ad Q. Axium.	
Ad C. Panſam.	Lib. III.	Ad Catonem.	
Ad A. Hirtium.	Lib. IX.	Ad Cerelliam.	
		Ad L. Plancum.	

INCERTARUM EPISTOLARUM ex M. T. Ciceronis ad M. Titinium epiſt.

SUET. *cl. Rhet.*] Equidem memoria teneo, pueris nobis primùm Latinè docere cœpiſſe L. Plautium quendam, ad quem cùm fieret concurſus, quòd ſtudioſiſſimus quiſque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. continebar autem doctiſſimorum hominum auctoritate, qui exiſtimabant, Græcis exercitationibus ali meliùs ingenia poſſe.

Ad Cornelium Nepotem epiſt. lib. II.

MACR. *lib. 2. cap. 1. Satur.*] Itaque noſtri cùm omnia, quæ dixiſſemus, dicta eſſent. quæ facetè, & breviter, & acute locuti eſſemus, ea proprio nomine appellari dicteria voluerunt.

Ad eundem ex libro incerto.

PRISC. *lib.* 8.] Hoc reſtiterat etiam, ut à te fictis aggrederer donis.

PRISC. *ibid.*] Qui habet, ultrò appetitur, qui eſt pauper, aſpernatur.

SUET. *in Jul. Cæſ.*] Quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? quis ſententiis aut acutior, aut crebrior? quis verbis aut ornatior, aut elegantior?

MARCEL.] Neque enim quidquam aliud eſt felicitas, niſi honeſtarum rerum proſperitas vel, ut alio modo definiam, Felicitas eſt fortuna, adjutrix conſiliorum bonorum: quibus qui non utitur, felix nullo pacto eſſe poteſt. Ergo in perditis, impiiſque conſiliis, quibus Cæſar uſus erat, nulla potuit eſſe felicitas. feliciorque meo judicio Camillus exſulans, quàm temporibus iiſdem Manlius, etiamſi, id quod cupierat, regnare potuiſſet.

Ad C. Cæſarem epiſt. lib. I.
M. Cicero C. Cæſari S.

NON. *Dicare.*] Balbum quanti faciam, quamque ei me totum dicaverim, ex ipſo ſcies.

NON. *Conſequi Honor.*] Tum cùm ea, quæ es ab ſenatu ſummo cum honore conſecutus.

NON. *Improbum.*] Debes odiſſe improbitatem ejus, quia impudentiſſimum nomen delegerit.

NON. *Tueri.*] Ut ſciret, majore cura tuenda eſſe, quæ parta ſunt.

Ad eundem epiſt. lib. II.

NON. *Locare.*] Vel quòd locatio ipſa pretioſa.

NON. *Putare.*] Quod ſapientes homines, ac boni putant.

CARIS. *Lib. I.*] Neque pro cauto, ac diligente ſe caſtris continuit.

NON. *Monumentum.*] Sed ego quæ monumenti ratio ſit, nomine ipſo admoneor ad memoriam magis ſpectare debet poſteritatis, quam ad præſentis temporis gratiam.

Ad eundem epiſt. lib. III.

NON. *Dimittere.*] Quæ ſi videres, non de exercitu retinendo tueri, ſed eo tradito, aut dimiſſo.

NON. *Contemno.*] * Amici nonnulli à te contemni, ac deſpici, ac pro nihilo haberi ſenatum velint.

Ad eundem ex lib. incerto.

NON. *Levare.*] Jam amplitudinem, gloriamque tuam magno mihi ornamento fore exiſtimo, quod me levas cura.

NON. *Conſequi.*] Extrema verò nec quanta, nec qualia ſint, verbis conſequi poſſum.

Ad Cæſ. Juniorem epiſt. lib. I.
Cicero Cæſari juniori S.

OMNIA *ex Nonio, Sagum.*] Pridie nonas Feb. cùm ad te litteras mane dediſſem, deſcendi ad forum togatus, cùm reliqui conſulares ſagati vellent deſcendere.

ADITUS.] * & aut ad conſules, aut ad te, aut ad Brutum adiſſent, his fraudi ne eſſet, quòd cum Antonio fuiſſent.

RELATUM.] Sed hæc viderimus, cùm legati reſponſa retulerint.

VINDICARE.] Quaſi ſi me ad id beneficium arceſſeres, quo per te me una cum repub. in libertatem vindicaſſem.

ACCIPERE. *Rogare.*] Roga ipſum, quemadmodum ego eum Arimini acceperim.

CUNCTARI.] Sed citò pœnituit, domum rediit, ceteri cunctabantur.

OPINIO.] Erat opinio bona de Planco, bona de Lepido.

COMPARARE.] * neminem tibi profectò hominem ex omnibus aut antepoſuiſſem umquam, aut etiam comparaſſem.

EXPEDIRE.] Ex ceteris autem generibus tunc pecunia expedietur, cum legionibus victricibus erunt, quæ ſpopondimus, perſolvenda.

CONFECTUM.] In ſingulas tegulas impoſitis ſexcentis, ſexcenties confici poſſe.

DUCERE.] Ne res duceretur, fecimus ut Hercules Antianus in alium locum transferretur.

INVOLVERE.] Sed quòd videret nomine pacis bellum involutum fore.

IGNOSCERE, *ac concedere.*] Quod mihi & Philippo vacationem das, bis gaudeo. nam & prætéritis ignoſcis, & concedis futura.

FEROX.] Itaque vereor, ne ferociorem eum faciant tua tam præclara de eo judicia.

Ad eundem epiſt. lib. II.

OMNIA *ex Nonio.* INSULSUM.] Sed ita locutus inſulsè eſt, ut mirum ſenatus convicium exceperit.

In

In quo tua me provocavit oratio, mea conſecuta eſt ſignis.

CONFECTUM.] Bellum, ut opinio mea fert, ex conſenſu civitatis confectum jam haberemus.

CONSTAT.] * cùm conſtet, Cæſarem Lupercis id vectigal dediſſe, qui ante poterat id conſtare?

DEJICERE.] Adeſt Albæ neſcio quis Claudius, quem cùm reſtitui juſſiſſet, Ancone cum eo dejectus eſt ex ſenatuſconſulto.

INSOLENS.] * inſolens, arrogans, jactans.

SECUNDUM.] Scriptum erat equeſtre prœlium valde ſecundum, quin potiùs adverſum.

MERET.] Quem periſſe ita de rep. merentem conſulem, vehementer doleo.

PRÆSTARE.] Tu ſi meam fidem præſtiteris, quod confido te eſſe facturum.

SPURCUS.] Cùm iter facerem Claternam tempeſtate ſpurciſſima.

LOCUPLES.] Nihil omnino certi, nec locupletem ad hoc auctorem habebamus.

PALUDATUS.] Antonius demens ante lucem paludatus.

Ad eundem epiſtola lib. III.

NON. *Invehi.*] Itaque in eum palàm vehementer eſt invectus.

NON. *Antiquus*] Ego autem antiquiſſimum Scythis oriundum, quibus antiquior lætitia eſt, quàm lucrum.

Ad eundem ex lib. incerto.

NON. *Opinio.*] Poſthac quod voles à me fieri, ſcribito. vincam opinionem tuam.

NON. *Promittere.*] Promiſſa tua memoria teneas.

Ad C. Panſam epiſt. lib. I.

M. Cicero C. Panſæ S. D.

NON. *Humaniter.* & PRIS. *lib.* 15.] De Antiocho feciſti humaniter. quem quidem ego ſemper dilexi, meque ab eo diligi ſenſi.

NON. *Inaudire.*] * quorum erupit illa vox, de qua ex te primùm quiddam inaudieram.

Ad eundem epiſt. lib. III.

NON. *Concalfacere.*] Non Ventidianis rumoribus concalfecimus.

Ad A. Hirtium epiſt. lib. II.

NON. Error.] Qua in re ſi mediocriter lapſus ſum, defendas velim tolerabile erratum.

Ad eundem epiſt. lib. V.

NON. *Impertio.*] Et quoniam, ut hoc tempus eſt, nihil habeo, patriæ quod impertiam.

Ad eundem epiſt. lib. IX.

NON. *Interfici.*] Dices, quid quæſo, iſtuc intererat? neſcio, niſi tamen erat mihi verendum ſæpius, ne qui caſus perimeret ſuperiora.

Ad eundem ex lib. incerto.

NON. *Vetuſtiſcere ac veteraſcere.*] Cùm enim nobilitas ſit nihil aliud, quam cognita virtus, quis in eo, quem veteraſcentem videt ad gloriam, generis antiquitatem deſideret?

NON. *Lutum.*] * luta & limum aggerebant.

Ad M. Brutum epiſt. lib. VII.

NON. *Experiri.*] His contraria, atque parata, ut eſſe ſolent, expertus ſum.

Ad eundem epiſt. lib. 8.

NON. *doct. indag.*] Et quòd te tantum amat, ut vel me audeat provocare.

NON. *Amare & diligere, & contentus.*] Sic igitur facies, & me aut amabis, aut, quo contentus ſum, diliges.

QUINT. *lib.* 5. *cap.* 10.] Veritus fortaſſe, ne nos in Catonem noſtrum transferamus illinc mali aliquid: etſi argumentum ſimile non erat.

QUINT. *lib.* 8. *cap.* 3.] Nam eloquentiam, quæ admirationem non habet, nullam judico.

QUINT. *ibid.*] * & eum amorem, & eum, ut hoc verbo utar, favorem in conſilium advocabo.

QUINT. *lib.* 9. *cap.* 3.] Ego cùm in gratiam redierim cum Ap. Claudio, & redierim per Cn. Pompejum: ego ergo cùm redierim.

QUINT. *ibid.*] Sermo nullus, ſc. niſi de te. quid enim potius? Tum Flavius, Erras, inquit, tabellarie, & ego ibidem orans inter cenam exoravi.

QUINT. *ibid.*] Præſtat enim nemini imperare, quàm alicui ſervire. ſine illo enim vivere honeſtè licet, cum hoc vivendi nulla conditio eſt.

QUINT. *lib.* 3. *cap.* 10.] Simne bonus vir, ſi hoc ſuadeam? minimè. Suaſoris enim eſt finis, utilitas, ejus, cui quiſque ſuadet. At recta ſunt. quis negat? ſed non eſt ſemper rectis in ſuadendo locus.

QUINT. *lib.* 8. *cap.* 6.] Populo impoſuimus, & oratores viri ſumus.

QUINT. *lib.* 6. *cap.* 4.] Res mihi inviſæ viſæ ſunt, Brute.

Ad M. filium lib. I.

PRIS. *lib.* 8. & *lib.* 10.] Quare effice, & elabora ut excellas.

Ad eundem lib. II.

NON. *Commodare.*] Cui ego, quibuſcumque rebus potero, libentiſſime commodabo.

Ad eundem ex lib. incerto.

DIOM. *lib.* 1.] Ceris deletis.

LACT. *l.* 4. *c.* 14.] Philoſophiæ quidem præcepta noſcenda, vivendum autem civiliter.

Ad Licinium Calvum. lib. I.

PRIS. *l.* 9.] Tuli moleſte, quòd litteræ delitæ ſunt mihi à te redditæ.

NON. *Auguro.*] Præſentit animus, atque augurat quodammodo, quæ futura ſit ſuavitas.

M. Tullii C. ad Q. Axium epiſt. lib. I.

FRONTO.] Ad M. Bibulum adierunt.

FRONTO.] Si tu nos aliquid adjutare potes.

SUET. *in Jul. Cæſ.*] Cæſar in conſulatu confirmavit regnum, de quo ædilis cogitarat.

Ad Catonem epiſtola.

NON. *Plus & multum.*] Nec idcirco mihi deſiderandam eſſe dignitatem meam, quòd eam multi impugnarint, ſed eo magis recolendam, quòd plus deſiderarint.

Ad Cerelliam epiſtola.

QUINT. *l.* 6. *c.* 4.] Hæc aut animo Catonis ferenda ſunt, aut Ciceronis ſtomacho.

Ad L. Plancum.

GELL. *lib.* 1. *cap.* 21.] Nam neque deeſſe reipublicæ volo, nequeevereſſe.

Ex epiſtola incerta.

QUINT. *lib.* 9. *cap.* 3.] Data Lupercalibus, quo die Antonius Cæſari.

QUINT. *lib.* 6. *cap.* 4.] * Ne ulli ſunt pedes faceti, ac deliciis ingredienti mollius.

INDEX

INDEX LIBRORUM PHILOSOPHICORUM, M. Tullii Ciceronis,

Quorum deinceps ſubſequuntur Fragmenta.

Oeconomica è Xenophonte, libri III.
Protagoras, ex Platone.
De repub. lib. VI. in quorum ultimo ineſt Somnium Scipionis.
De jure civili liber.
De auguriis lib.
Hortenſius, vel, de Philoſophia.
M. Cato, ſeu, Laus M. Catonis.
De gloria lib. II.
De conſolatione.
De ſuis conſiliis.
De virtutibus.
De notis.
Chorographia.
Præterea fragmenta nonnulla librorum Academicorum.
De natura Deorum.
De divinatione.
De legibus.
De fato.
Timæi, ex Platone.

M. Tullii Ciceronis OECONOMICORUM ex XENOPHONTE LIBER PRIMUS.

Prisc. *lib.* 8.] Homo ex eo numero hominum, qui apud nos hoc nomine dignantur.

Colum. *lib.* 12. *cap.* 1.] Maritale conjugium, ſic comparatum eſt natura, ut non ſolùm jucundiſſima, verùm etiam utiliſſima vitæ ſocietas iniretur, & ne genus humanum temporis longinquitate occideret. propter hoc mas cum fæmina eſt conjunctus: deinde ut ex hac eadem ſocietate mortalibus adjutoria ſenectutis, nec minus propugnacula præparentur: tum etiam, cùm victus & cultus humanus non, uti feris, in propatulo, ac ſilveſtribus locis, ſed domi ſub tecto accurandus eſſet, neceſſarium fuit, alterutrum foris ſub dio eſſe, qui labore, & induſtria compararet: intus, qui tectis reconderet, atque cuſtodiret: ſi quidem vel ruſticari, vel navigare, vel etiam alio genere negotiari neceſſe erat, ut aliquas facultates acquireremus. Cùm verò paratæ res ſub tectum eſſent congeſtæ, alium eſſe oportuit, qui & illatas cuſtodiret, & cetera conficeret opera, quæ domi deberent adminiſtrari. nam & fruges, & cetera alimenta terreſtria indigebant tecto: & ovium, ceterarumque pecudum fætus, atque fructus clauſtro cuſtodienda erant, nec minùs reliqua utenſilia, quibus aut alitur hominum genus, aut etiam excolitur. Quare cùm & operam, & diligentiam ea, quæ propoſuimus, deſiderarent, nec exigua cura foris acquirerentur, quæ domi cuſtodiri oporteret: jure, ut dixi, à natura comparata eſt opera mulieris ad domeſticam diligentiam, viri autem ad exercitationem forenſem, & extraneam. itaque viro calores, & frigora perpetienda, tum etiam itinera, & labores pacis ac belli, id eſt, ruſticationis, & militarium ſtipendiorum, diſtribuit: mulieri deinceps, quòd omnibus his rebus fecerat inhabilem, domeſtica negotia curanda tradidit. Et quoniam hunc ſexum cuſtodiæ & diligentiæ aſſignaverat, idcirco timidiorem reddidit, quàm virilem. nam metus plurimum confert ad diligentiam cuſtodiendi. Quòd autem neceſſe erat foris, & in aperto victum quærentibus nonnumquam injuriam propulſare, idcirco virum, quàm mulierem fecit audaciorem. Quia verò partis opibus æquè fuit opus memoria, & diligentia: non minorem fæminæ, quàm viro, earum rerum tribuit poſſeſſionem. Tum etiam, quòd ſimplex natura non omneis res commodas amplecti volebat, idcirco alterum alterius indigere voluit: quoniam, quod alteri deeſt, præſtò plerumque eſt alteri.

Colum. *lib.* 12. *c.* 2.] Nam vetus eſt proverbium *paupertatem certiſſimam eſſe, cum alicujus indigeas*, uti eo non poſſe, quia ignoretur, ubi projectum jaceat quod deſideretur. itaque in re familiari laborioſior eſt negligentia quam diligentia. Quis enim dubitet, nihil eſſe pulchrius in omni ratione vitæ, diſpoſitione, atque ordine? quod etiam ludicris ſpectaculis licet ſæpe cognoſcere. Nam ubi chorus canentium, non certis modis, neque numeris præeuntis magiſtri conſenſit, diſſonum quiddam, ac tumultuoſum audientibus canere videtur. At ubi certis numeris, ac pedibus, velut facta conſpiratione conſenſit, atque concinuit: ex ejuſmodi vocum concordia, non ſolum ipſis canentibus, amicum quiddam & dulce reſonat, verùm etiam ſpectantes, audienteſque lætiſſima voluptate permulcentur.

Donat. *in Ter.*] Quid igitur, prô deûm immortalium, primùm eam docebas? quæſo.

Colum.] Præparatis idoneis locis, inſtrumentum & ſupellectilem diſtribuere cœpimus, ac primùm ea ſecrevimus, quibus ad res divinas uti ſolemus: poſtea mundum muliebrem, qui ad dies feſtos comparatur: deinde virilem, item dierum ſollemnium ornatum, nec minus calceamenta utrique ſexui convenientia: tum jam ſeorſum arma, ac tela ſeponebantur, & in altera parte inſtrumenta, quibus ad lanificia utuntur: poſt quæ ad cibum conficiendum vaſa (ut aſſolent) conſtituebantur: inde, quæ ad lavationem, quæ ad exornationem, quæ ad menſam quotidianam, atque epulationem pertinerent, exponebantur: poſtea ex iis, quibus quotidie utimur, quod menſtruum eſſet, ſepoſuimus: quod annuum quoque in duas parteis diviſimus. nam ſic minùs fallit, qui exitus futurus ſit. Hæc poſtquàm omnia ſecrevimus, tum ſuo quæque loco diſpoſuimus: deinde quibus quotidie ſervuli utuntur, quæ ad lanificia, quæ ad cibaria coquenda & conficienda pertinent, hæc ipſa iis, qui uti ſolent, tradidimus, & ubi ea ponerent, demonſtravimus, & ut ſalva eſſent, præcepimus. Quibus autem ad dies feſtos, & ad hoſpitum adventum utimur, hæc primo tradidimus, & loca ſingula demonſtravimus, & cuique ſua annumeravimus, atque annumerata ipſi exſcripſimus,

mus, eamque admonuimus, ut quodcumque opus eſſet, ſciret unde daret: & meminiſſet atque adnotaret, quid, & quando, & cui dediſſet, & cùm recepiſſet, ut quidque ſuo loco reponeret.

M. TULLII CICERONIS
OECONOMICORUM EX XENOPHONTE
LIBER II.

COLUM. *lib.* 2. *cap.* 1.] Utrùmne Iſchomache, inquam, ſi res familiaris deſideraſſet, mercari villicum tanquam fabrum, an ipſe inſtituere conſuevisti? Ego verò ipſe inſtituo. Etenim qui me abſente in meum locum ſubſtituitur, & vicarius meæ diligentiæ ſuccedit, is ea quæ ego ſcire debet.

EJUSDEM
OECONOMICORUM EX XENOPHONTE,
LIBER III.

NONIUS. *Interfici.*] Nullo modo facilius arbitror poſſe neque herbas areſcere, & interfici: neque terram ab ſole percoqui.

QUINT. *l.* 12. *c.* 5. NON. *profligare.*] Cùm verò affecta jam propè æſtate, uvas à ſole miteſcere tempus eſt.

MACR. *lib.* 3. *cap.* 10.] Qui neque ſerit vitem, neque quæ ſata eſt, diligenter colit: oleum, ficus, poma non habet.

CARIS. *lib.* 1.] apes in alvearium conceſſerunt.

CICERO *de ſenectute.*] Cùm ad Cyrum minorem regem Perſarum, præſtantem ingenio, atque imperii gloria Lyſander Lacedæmonius, vir ſummæ virtutis, veniſſet Sardis eique dona à ſociis attuliſſet: & ceteris in rebus comis erga Lyſandrum atque humanus rex fuit, & ei quendam conſæptum agrum, diligenter conſitum, oſtendit. Cùm autem admiraretur Lyſander & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam, atque puram, & ſuavitatem odorum, qui afflarentur è floribus, tum dixit, Mirari ſe non modò diligentiam, ſed etiam ſollertiam ejus, à quo eſſent illa dimenſa, atque deſcripta. & Cyrus reſpondit: Atqui ego iſta ſum omnia dimenſus, mei ſunt ordines, mea deſcriptio: multæ etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſatæ. Tum Lyſander, intuens ejus purpuram, & nitorem corporis, ornatumque Perſicum, multo auro, multisque gemmis, dixit: Rectè verò, te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta eſt.

SERVIUS *in* 2. *Georg.*] * Scrobes.

M. TULLII CICERONIS
PROTAGORAS EX PLATONE.

PRISC. *lib.* 6.] Quid tu? unde tandem appares, ô Socrate? an id quidem dubium non eſt, quin ab Alcibiade?

PRISC. *libr.* 8.] Nunc à vobis, Protagora, & Socrate, poſtulo, concedatis alter alteri, & inter vos de hujuſmodi rebus controverſemini, non concertetis.

PRISC. *lib.* 6.] Quæ igitur poteſt eſſe indignitas voluptatis ad moleſtiam, niſi in magnitudine, aut longitudine alteriusutrius poſita?

DONATUS *in* PHORMION.] Confirmandi genera compluria.

FRUSTA, SEU FRAGMENTA
M. T. CICERONIS
LIBRORUM SEX DE REPUB.

EX
M. TULLII CICERONIS
DE REPUBL.
LIBER I.

FRONTO] Nuntiatum eſt, venire Lælium, domoque jam exiſſe.

NON. *Propter.*] Eum quoque ut ſalutavit, propter Tuberonem juſſit aſſidere.

FRONTO] Negotii publici expers.

NON. *Cituma.*] Quare ſi placet, deduc orationem tuam de cælo ad hæc cituma.

DIOMED.] Quaſi alius aſſimulare remp. aut melius non poſſit, aut omnino non poſſit.

NON. *Accommodatum.*] * expoſitamque ad exemplum noſtræ reip. accommodabo ad eam, ſi potero, omnem illam orationem, quæ eſt mihi habenda de optimo civitatis ſtatu.

NON. *Vrbs à civitate.*] Quam cùm locis, manuque ſæpſiſſent, ejuſmodi conjunctionem tectorum, oppidum, vel urbem appellarunt, delubris diſtinctam, ſpatiisque communibus. omnis ergo populus, qui eſt talis cœtus multitudinis, qualem expoſui, civitas eſt: 1. omnis civitas, quæ eſt conſtitutio populi, reſp.

D. AUGUST. *epiſt.* 5.] * brevi multitudo diverſa atque vaga, concordia civitas facta erat.

NON. *Cognoſcere.*] Cognoſcere mehercule, inquit, conſuetudinem iſtam, & ſtudium, ſermonemque

SENECA *lib.* 19. *epiſt.*] * duos Romanos reges eſſe, quorum alter patrem non habet, alter matrem. Nam de Servii matre dubitatur. 2 Ancii Marcii pater quoque ignoratur. tantùm hic Marcius, Numæ nepos dicitur.

NON. *Dimittere.*] Tum inſtituti annui conſules, tum dimiſſi populo faſces.

SENECA *l.* 19. *epiſt.*] * provocationem ad populum etiam à regibus fuiſſe.

NON. *horrendum ab horrido.*] Horum enim ſeveritatem dicitur inhorruiſſe primùm civitas.

SENECA *lib.* 19. *epiſt.*] Quem nos dictatorem dicimus, & in hiſtoria ita nominari legimus, apud antiquos magiſter populi vocatus eſt, quòd qui ab illo nominatur, magiſter equitum eſt.

CIC. 6. *Atticum* 9.] * Cn. Flavius faſtos protulit.

FRONTO.] ipſa cognitio nos delectavit.

NON. *Æmulus.*] Quomodo enim judicatur iſte optimas, aut optimatium æmulus doctrina, artibus, ſtudiis, audio, quando?

NON.] 3. Sed audiſſe te credo, tum verò Platonem, Socrate mortuo, primùm in Ægyptum diſcendi cauſa, pòſt in Italiam contendiſſe.

NON. *Anima*] Tum virtute, labore, induſtria quæreret ſummi viri indolem, niſi nimis animosè ferax natura illum neſcio quo pacto.

NON. *conſitura.*] Quæ videlicet ille non ex agri conſitura, quam cernebat, ſed ex doctrinæ indiciis interpretabatur.

NON. *Antiquus Antiquior.*] Sed quoniam plurima beneficia continet patria, & eſt antiquior parens, quàm is, qui, ut ajunt, creaverit, major ei profectò, quàm parenti, debetur gratia,

NON. *Pignerari.*] Sed ut plurimas, & maximas noſtri animi, ingenii, conſilii prima ipſa ſibi ad utilitatem pigneraretur.

NON. *Conducere.*] Facillimam autem in ea rep. eſſe poſſe concordiam, in qua idem conducat omnibus.

NON. *Firmitudo.*] Habent æquabilitatem quandam, qua carere diutius vix poſſunt liberi, deinde firmitudinem.

NON. *lib. de doct. indagine.*] Nec tantum Karthago habuiſſet opum ſexcentos ferè annos ſine conſiliis, & diſciplina.

NON. *Dominatus.*] Quid? tunc, cùm es iratus, permittis illi iracundiæ dominatum animi tui?

NON. *Anima.*] Ergo non probares conſilio pulſo libidines, quæ ſunt innumerabiles, iracundias, 4. quæ terrent omnia. Ego verò nihil iſto animo, nihil ita animato homine miſerius ducerem.

NON. *Invitare.*] Denique ipſa natura non invitaret ſolùm, ſed etiam cogeret.

FRONTO.] Populo gratificans & aliena, & ſua.

FRONTO.] Nec verò jam meo nomine abſtinet.

NON. *Horrendum ab horrido.*] Sed ut ille, qui navigat, cùm ſubitò mare cœpit horreſcere.

MACR. *lib. de different. & ſocietatibus Græci Latinique verbi.*] Libenter tibi, Læli, uti eum deſideras, equidem conceſſero.

EX M. TULLII CICERONIS DE REPUBL. LIBER II.

NON. *Exſultare.*] Eſt igitur quiddam turbulentum in hominibus ſingulis, quod vel exſultat voluptate, vel moleſtia frangitur.

NON. *Volutabundus.*] Cupido autem, & expetenti, & libidinoſo, & volutabundo in voluptatibus.

NONIUS. *Anxitudo.*] Quantaque anxitudo prona ad luctum, & mœrens, ſemperque ipſa ſe ſollicitans.

NON. *Timor, & timiditas.*] 1. Eſſe autem angores, eſſe miſeria afflictas, atque abjectas timiditate, & ignavia.

NON. *Elidere.*] 2. Ut auriga indoctus è curru trahitur, operitur, eliditur, laniatur.

NON. *Offendere.*] Sed imitor Architam Tarentinum, qui cùm ad villam veniſſet, & omnia aliter offendiſſet.

NON. *Urbs à civitate.*] * quo auctore, & principe vocitatur civitas.

NON. *Modicum.*] Statuo eſſe optimè conſtitutam rempubl. quæ ex tribus generibus illis, 3. regali, optimo, & populari confuſa modicè, nec puniendo irritet animum immanem ac ferum, nec omnia prætermittendo, licentia civeis deteriores reddat.

D. AUG. *lib. 2. cap. 21. Civit.*] Ut in fidibus, ac tibiis, atque cantu ipſo, ac vocibus concentus eſt quidam tenendus ex diſtinctis ſonis, quem immutatum, ac diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt, iſque concentus ex diſſimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur & congruens: ſic ex ſummis & infimis, & mediis interjectis ordinibus, ut ſonis, moderata ratione civitas conſenſu diſſimillimorum concinit, & quæ harmonia à muſicis dicitur in cantu, ea eſt in civitate concordia, arctiſſimum atque optimum omni in repub. vinculum incolumitatis: quæ ſine juſtitia nullo pacto eſſe poteſt.

NON. *Projectum.*] Juſtitia foras ſpectat, & projecta tota eſt, atque eminet.

NON. *Explicare.*] Quæ virtus præter ceteras totam ſe ad alienas utilitates porrigit, atque explicat.

NON. *Exſultare.*] * quæ ſanguine alitur, atque in omni crudelitate ſic exſultat, ut vix hominum acerbis funeribus ſatietur.

NON. *lib. de doct. indagine.*] Itaque præclara illa inſtitutio Romuli cùm ducentos annos & triginta ferè firma manſiſſet.

NON. *Viritim.*] Ac primus agros, quos bello Romulus ceperat, diviſit viritim civibus.

FRONTO.] Cùm aliud nihil domum ſuam deportaviſſet.

NON. *Pecunioſus.*] * multaque ditione ovium, & boum, quòd tunc erat res in pecore, & in locorum poſſeſſionibus, ex quo pecunioſi, & locupletes vocabantur.

NON. *Calumnia.*] * ut Carneadi reſpondeatis, qui ſæpe optimas cauſas ingenii calumnia ludificari ſolebat.

FRONTO.] Neque enim ad mare admovit, quod ei fuit facillimum.

D. AUG. *lib. 2. cap. 21. Civit.*] Nihil eſt quod adhuc de repub. putem dictum, & quo poſſim longiùs progredi, niſi ſit confirmatum, non modo falſum eſſe illud, ſine injuria non poſſe, ſed hoc veriſſimum, ſine ſumma juſtitia remp. regi non poſſe.

EX M. TULLII CICERONIS DE REPUBL. LIBER III.

D. AUG. *lib. 4. contra Pelagium.*] Homo non ut à matre, ſed ut à noverca natura editus eſt in vitam corpore nudo, & fragili, & infirmo. animo autem anxio ad moleſtias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen ineſt tanquam obrutus quidam divinus ignis ingenii, & mentis.

SENECA *lib. 19. epiſt.*] Quoniam ſumus ab ipſa calce ejus interpellatione revocati.

LACT. *epitome cap. 1.*] Nullum eſt jus naturale. itaque omnes animantes ipſa ducente natura commoda ſua defendunt: & ideo juſtitia, ſi alienis utilitatibus conſulat, ſuas negligat, ſtultitia eſt dicenda. Quòd ſi omnes populi, penes quos ſit imperium, ipſique Romani, qui orbem totum poſſedêre, juſtitiam ſequi velint, ac ſuum cuique reſtituere, quod vi & armis occupaverunt, ad caſas, & egeſtatem revertentur. quod ſi fecerint, juſtos dicemus quidem, ſed tamen ſtultos judicare neceſſe eſt, qui, ut aliis proſint, ſibi nocere contendunt.

LACT. *l. 5. c. 16. Epit. c. 1.*] Bonus vir ſi habeat ſervum fugitivum, vel domum inſalubrem, ac peſtilentem, quæ vitia ſolus ſciat, & ideo proſcribat, ut vendat: utrumne profitebitur, fugitivum ſervum ac peſtilentem domum ſe vendere, an celabit emtorem? ſi profitebitur emtori, fugitivum eſſe: bonus quidem, quia non fallet, ſed tamen ſtultus judicabitur, quia vel parvo vendet, vel omnino non vendet. ſi celaverit, erit quidem ſapiens, quia rei conſulet: ſed idem malus, quia fallet. Deinde, ſi reperiat hominem, qui aut aurum pro orichalco, aut argentum pro plumbo vendat per errorem: atque id emere neceſſitas cogat: utrùm diſſimulabit, & emet parvo, an potiùs indicabit? juſtus utique dicetur, quia non fefellit, ſed idem ſtultus, qui alteri fecerit lucrum, ſibi damnum. ſed facilè de damno eſt: 1. qui ſi vita ejus in periculum veniet, ut eum aliquando neceſſe ſit, aut occupare, aut mori, quid faciet? Poteſt hoc evenire, ut naufragio facto inveniat aliquem imbecillum, tabulæ inhærentem: aut victo exercitu, fugiens reperiat aliquem vulneratum, equo inſidentem: utrumne aut illum tabula, aut hunc equo deturbabit, ut ipſe poſſit evadere? ſi volet juſtus eſſe, non faciet. ſed idem ſtultus judicabitur, qui dum alterius vitæ parcit, ſuam perdet. ſi faciet, ſapiens quidem videbitur, quia ſibi conſulit: ſed & idem malus, quia nocebit.

LACT. *lib. 5. cap. 12.*] Quæro, ſi duo ſint, quorum alter optimus vir, æquiſſimus, ſumma juſtitia, ſingulari fide: alter inſigni ſcelere & audacia exiſtimetur: & ſi in eo ſit errore civitas, ut bonum illum virum, ſceleratum, facinoroſum, nefarium putet: contrà autem, qui ſit improbiſſimus, ſumma eſſe probitate, ac fide exiſtimet, proque hac opinione omnium civium, bonus ille vir vexetur, rapiatur, manus ei denique afferantur, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, uratur, exterminetur, egeat: poſtremo jure etiam optimo omnibus miſerrimus eſſe videatur: contra autem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur, omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes denique copiæ conferantur: vir denique optimus omnium exiſtimatione, & digniſſimus omni fortuna judicetur: quis tandem erit tam demens, qui dubitet, utrum ſe eſſe malit?

NON. *Famulatur.*] Eſt enim genus injuſtæ ſervitutis, cùm

cùm ii ſunt alterius, qui ſui poſſunt eſſe. cùm autem hi famulantur.

NON. *Infeſtum mare. Myoparo.*] Nam cùm quæreretur ex eo, quo ſcelere compulſus mare haberet infeſtum uno myoparone: Eodem, inquit, quo tu orbem terræ.

GELL. *lib.* I. *cap.* 22.] Non gravarer, Læli, niſi & hos velle putarem, & ipſe cuperem te quoque aliquam partem hujus noſtri ſermonis attingere: præſertim cùm heri dixeris, te nobis etiam ſuperfuturum. verùm, ſi id quidem fieri non poteſt: ne deſis, omnes te rogamus.

LACT. *lib.* 6 *cap.* 8.] 2. Eſt quidem verò lex, recta ratio, naturæ congruens, diffuſa in omneis, conſtans, ſempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat, quæ tamen neque probos fruſtra jubet, aut vetat, nec improbos jubendo, aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas eſt, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari poteſt. Nec verò aut per ſenatum, aut per populum ſolvi hac lege poſſumus. Neque eſt quærendus explanator, aut interpres ejus alius: nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia poſthac; ſed & omneis genteis, & omni tempore una lex, & ſempiterna, & immortalis continebit; unuſque erit communis quaſi magiſter, & imperator omnium Deus ille, legis hujus inventor, diſceptator, lator: cui qui non parebit, ipſe ſe fugiet, ac naturam hominis aſpernabitur, atque hoc ipſo luet maximas pœnas, etiamſi cetera ſupplicia, quæ putantur, effugerit.

LACT. *lib.* 5. *cap.* 19.] Huic tu viro quas divitias objicies? quæ imperia? quæ regna? qui iſta omnia putat humana, ſua bona divina judicat.

PRISC. *lib.* 8.] * quibus aſſentior, ſollicitam & periculoſam juſtitiam non eſſe ſapientis.

NON. *Ubi Genit. pro ablativo.*] Noſter autem populus, ſociis defendendis, terrarum jam omnium potitus eſt.

NON. *Largitas.*] * 3. Pyrrhi ridetur largitas à coſ. aut Samnitium copiæ Curio defuerunt.

NON. *Apud.*] Cujus etiam focum Cato ille noſter, cùm venerat ad ſe in Sabinos, ut ex ipſo audiebamus, viſere ſolebat, apud quem ſedens Samnitium quondam hoſtium, tum jam clientium ſuorum dona repudiaverat.

A. AUG. *lib.* 22. *cap.* 6.] Nullum bellum ſuſcipitur à civitate optima, niſi aut pro fide, aut pro ſalute.

D. AUG. *lib.* 22. *cap.* 4. *Civit.*] * quorum non corpora ſunt in cælum elata: neque enim natura pateretur, ut id, quod eſſet de terra, niſi in terra maneret.

D. AUG. *lib.* 22. *cap.* 6. *Civit.*] Magis eſt in Romulo admirandum, quòd ceteri, qui dii ex hominibus facti eſſe dicuntur, minùs eruditis hominum ſeculis fuerunt, ut fingendi proclivior eſſet ratio, cùm imperiti facilè ad credendum impellerentur. Romuli autem ætatem minùs his ſexcentis annis, jam inveteratis litteris, atque doctrinis, omnique illo antiquo ex inculta hominum vita errore ſublato, fuiſſe cernimus.

D. AUG. *ibidem.*] Ex quo intelligi poteſt, permultis annis ante Homerum fuiſſe, quam Romulum: ut jam doctis hominibus, ac temporibus ipſis eruditis ad fingendum vix quicquam eſſet loci. antiquitas enim recipit fabulas, fictas etiam nonnumquam inconditè. Hæc ætas autem, jam exculta præſertim, & erudita, omne quod fieri non poteſt, reſpuit.

LACTAN. *lib.* 5. *c.* 19. SENECA *lib.* 19. *epiſt.*] Apud Ennium ſic loquitur Africanus,

4 *Si fas endo plagas cœleſtum aſcendere cuiquam eſt,*
Mi ſoli cœli Maxima porta patet.

Eſt verò, inquit, Africane. nam & Herculi eadem ipſa porta patuit.

SENECA. *ibid.*] *Hic eſt ille ſitus, cui nemo civis, neque hoſtis.*
Quivit pro factis reddere opra pretium.

D. AUG. *lib.* 3. *c.* 15. *Civit.*] * tantum eſt conſecutus, ut, cùm ſubitò ſole obſcurato, non comparuiſſet, deorum in numero collocatus putaretur: quam opinionem nemo umquam mortalis aſſequi potuit ſine eximia virtutis gloria.

D. AUG. *lib.* 22. *c.* 6.] Propterea & iſtum non creditum inter Deos receptum tali morte, quia fortaſſe quod erat in Romulo probatum, Romani vulgari noluerunt, ſi hoc & alteri tribueretur.

LACT. *lib.* 5. *c.* 19.] Vult planè virtus honorem: nec eſt virtutis ulla alia merces, quam tamen illa accipit facilè, exigit non acerbè. ſed ſi aut ingrati univerſi, aut invidi multi, aut inimici potentes ſuis virtutem præmiis ſpoliunt, næ illa ſe tamen multis ſolatiis oblectat, maximeque ſuo decore ſe ipſam ſuſtentat.

D. AUG. *lib.* 22. *c.* 6. *Civit.*] Sed his pœnis, quas etiam ſtultiſſimi ſentiunt, egeſtate, exſulio, vinculis, verberibus elabuntur ſæpè privati, oblata mortis celeritate. Civitatibus autem mors ipſa pœna eſt: quæ videtur à pœna ſingulos vindicare. debet enim conſtituta ſic eſſe civitas, ut æterna ſit. Itaque nullus interitus eſt reip. naturalis, ut hominis, in quo mors non modò neceſſaria eſt, verùm etiam optanda perſæpe. Civitas autem cum tollitur, deletur, exſtinguitur, ſimile eſt quodammodo, ut magnis parva conferamus, ac ſi omnis hic mundus intereat ac concidat.

D. AUGUST. *lib.* 2. *cap.* 21 *Civit.*] Reſp. eſt res populi. Populus autem non omnis cœtus multitudinis, ſed cœtus juris conſenſu, & utilitatis communione ſociatus.

D. AUG. *ibidem.*] Reſp. res eſt populi, cùm bene ac juſtè geritur, ſive ab uno rege, ſive à paucis optimatibus, ſive ab univerſo populo. cùm verò injuſtus eſt rex, quem tyrannum voco: aut injuſti optimates, quorum conſenſus factio eſt: aut injuſtus ipſe populus, cui nomen uſitatum nullum reperio, niſi ut etiam ipſum tyrannum appellem: non jam vitioſa, ſed omnino nulla reſp. eſt, quoniam non eſt res populi, cùm tyrannus eam, factiove capeſſat: nec ipſe populus eſt, ſi ſit injuſtus, quoniam non eſt multitudo juris conſenſu, & utilitatis communione ſociata.

D. AUG. *lib.* 22. *c.* 21. *Civit.*] Ubi verò juſtitia non eſt, nec jus poteſt eſſe. quod enim jure ſit, profectò juſtè ſit: quod autem ſit injuſtè, nec jure fieri poteſt. non enim jura dicenda ſunt, vel putanda, iniqua hominum conſtituta, cùm illud etiam ipſi jus eſſe dicant, quod de juſtitiæ fonte manaverit: falſumque ſit, quòd à quibuſdam non rectè ſentientibus dici ſolet, id jus eſſe, quod ei, qui plus poteſt, utile eſt.

D. AUG. *lib.* 4. *contra Pelagium.*] An non cernimus, optimo cuique dominatum ab ipſa natura, cum ſumma utilitate infirmorum datum: Cur igitur deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini, iracundiæque, & ceteris vitioſis ejuſdem animi partibus?

A. AUG. *ibidem.*] Sed & imperandi, & ſerviendi ſunt diſſimilitudines cognoſcendæ. Nam, ut animus corpori dicitur imperare, dicitur etiam libidini: ſed corpori, ut rex civibus ſuis, aut parens liberis: libidini autem, ut ſervis dominus, quòd eam coërcet, & frangit: ſic regum, ſic imperatorum, ſic magiſtratuum, ſic patrum, ſic populorum imperia civibus, ſociiſque præſunt, ut corporibus animus. domini autem ſervos ita fatigant, ut optima pars animi, id eſt, ſapientia, ejuſdem animi vitioſas, imbecillaſque parteis, ut libidines, ut iracundias, & perturbationes ceteras.

NON. *Mercatura.*] Phœnices primi mercaturis, & mercibus ſuis avaritiam, & magnificentiam, & inexplebileis cupiditates omnium rerum ſupportaverunt in Græciam.

NON. *Confidentia.*] * duas ſibi res, quo minùs in vulgus, & in foro diceret, confidentiam & vocem defuiſſe.

NON. *Proferre.*] Sapientia jubet proferre opes, amplificare divitias.

NON. *Periclum.* * ſed ut ipſi ſeu animum periclitentur, ſeu videant, quid ſe putent eſſe facturos.

NON. *Impigritas.*] Numquam viri fortiſſimi fortitudinis, impigritatis, patientiæ.

PRIS. *lib.* 6.] Quid ergo illa ſibi vult abſurda exceptio, niſi

niſi quis Athonem pro monumento vult, funditus efficere? quis enim eſt Atho, aut Olympus tantus?

NON. *Vafrum.*] Non ſunt in diſputando vafri, non veteratores, non malitioſi.

EX
M. TULLII CICERONIS
DE REPUBL.
LIBER IV.

NON. *Ubi accuſativus pro genitivo.*] Atque ipſa mens, quæ futura videt, præterita meminit.

NON. *Mitis.*] Cùmque autumno terras ad concipiendas fruges patefecerit, hieme ad conficiendas compreſſerit, vere ad effundendas relaxarit, æſtate ac maturitate alias mitigaverit, alias torruerit.

NON. *Aptam.*] * eademque ſoli objecta umbram, noctemque efficiat, cùm ad numerum dierum aptam, tum ad laborum quietem.

LACT. *de opif. Dei.*] nec voluntatem mihi defuiſſe, nec curam.

D. AUG. *lib.9. Cap.9. Civit.*] Numquam comœdiæ, niſi conſuetudo vitæ pateretur, probare ſua theatris flagitia potuiſſent.

D. AUG. *ibidem.*] Quem illa non attigit, vel potiùs quem non vexavit? cui pepercit? eſto: populareis homines, improbos in remp. ſeditioſos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum læſit. patiamur: etſi hujuſmodi civeis à cenſore melius eſt, quam à poëta notari. Sed Periclem, cùm jam ſuæ civitati maxima auctoritate plurimos annos domi & belli præfuiſſet, violari verſibus, & eos agi in ſcena, non plus decuit, quàm ſi Plautus noſter voluiſſet, aut Nævius, P. & Cn. Scipioni, aut Cæcilius M. Catoni maledicere.

D. AUG.6.] Noſtræ contra XII. tabulæ cùm perpaucas res capite ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putaverunt, ſi quis actitaviſſet, ſive carmen condidiſſet, quod infamiam afferret, flagitiumve alteri: præclare. judiciis enim, ac magiſtratuum diſceptationibus legitimis propoſitam vitam, non poëtarum ingeniis habere debemus, nec probrum audire, niſi ea lege, ut reſpondere liceat,& judicio defendere.

D. AUG. *lib.2. c.10. Civit.*] Æſchines Athenienſis, vir eloquentiſſimus, cùm adoloſcens tragœdias actitaviſſet, remp. capeſſivit, & Ariſtodemum tragicum item actorem, maximis de rebus pacis, ac belli legatum ad Philippum Athenienſes ſæpe miſerunt.

D. AUG. *lib.2. cap.12. Civit.*] * Probris & injuriis poëtarum ſubjectam vitam famamque habere noluerunt,capite etiam puniri ſancientes,tale carmen condere ſi quis auderet.

D. AUG. *lib.2. cap.13. Civit.*] * Cùm artem ludicram, ſcenamque totam in probro ducerent, genus id hominum non modò honore civium reliquorum carere, ſed etiam tribu moveri notatione cenſoria voluerunt.

D. AUGUST. *lib.2. cap.14. Civit.*] Ad quos cum acceſſiſſet clamor, & approbatio populi, quaſi magni cujuſdam, & ſapientis magiſtri, quas illi obducunt tenebras? quos invehunt metus? quas inflammant cupiditates?

NON. *Fingere.*] Ego verò eodem, quo ille Homerum redimitum coronis, & delibutum unguentis, emittit ex ea urbe, quam ipſe ſibi fingit.

MARCEL. *lib.3.*] Cumque nihil tam incorruptum eſſe debeat in repub. quàm ſententia: non intelligo, cur, qui ea pecunia corruperit, pœna dignus ſit, qui eloquentia, laudem etiam ferat. Mihi quidem hoc plus mali facere videtur, qui oratione, quam qui pretio judicem corrumpit, quòd pecunia corrumpere prudentem nemo poteſt, dicendo poteſt.

NON. *Impurus & immanis.*] * Sed juventuti noſtræ minimè audiendus. Quippe ſi ita ſenſit, ut loquitur, eſt homo impurus: ſin aliter, quod malo, oratio eſt tamen immanis.

NON. *Ignominia.*] Cenſoris judicium nihil ferè damnato affert, niſi ruborem. Itaque quia omnis ea judicatio verſatur tantummodo in nomine, animadverſio illa ignominia dicta eſt.

NON. *Ubi dativus pro accuſativo.*] Nec verò mulieribus præfectus præponatur, qui apud Græcos creari ſolet, ſed ſit cenſor, qui viros doceat moderari uxoribus.

NON *Temulenta.*] Magnam habet vim diſciplina verecundiæ. carent temeto omnes mulieres.

NON. *Fama.*] * atque etiam ſiqua erat famoſa, ei cognati oſculum non ferebant.

NON. *Clepere.*] Non modò ut Spartæ, rapere ubi pueri, & clepere diſcunt.

SERV.] Apud Græcos opprobrio fuit adoleſcentibus, ſi amatores non haberent.

NON. *Jurgium à lite.*] * dm iror, nec rerum ſolùm, ſed verborum etiam elegantiam, SI JURGANT (inquit) benevolorum concertatio, non lis inimicorum, jurgium dicitur.

NON. *Ibid.*] Jurgare igitur lex putat inter ſe vicinos, non litigare:

NON. *Petulantia, Procacitas.*] Itaque à petendo petulantia, à procando, id eſt, poſcendo, procacitas nominata eſt.

NON. *Fides.*] Fides enim nomen ipſum mihi videtur habere, cùm ſit, quod dicitur.

NON. *Blandimentum.*] In cive excelſo, atque homine nobili, blanditiam, oſtentationem, ambitionem, notam eſſe levitatis.

NON. *Portitor.*] Nolo enim eundem populum, imperatorem & portitorem eſſe terrarum: optimum autem & in privatis familiis, & in rep. vectigal duco eſſe parſimoniam.

NON. *Pecuda.*] * cùm adhibent in pecuda paſtores.

NON. *Excipere.*] * quos inſepultos reliquiſſent, eos, quos ex mari, propter vim tempeſtatis, excipere non potuiſſent, innocenteis necaverint.

NON. *Proprium.*] Et noſter Plato magis etiam, quàm Lycurgus, omnia prorſus jubet eſſe communia, nequis civis propriam, aut ſuam rem ullam queat dicere.

NON. *de doctr. ind.*] Nec in hac diſſenſione ſuſcepi populi cauſam, ſed bonorum.

NON. *Auguro.*] Cui quidem utinam verè auguraverim.

NON. *Sanctitudo.*] * eoſdem terminos hominum curæ, atque vitæ: ſic pontificio jure ſanctitudo ſepulturæ.

PRIS. *lib.16.*] Non enim facilè valenti populo reſiſtitur, ſi aut nihil impertias juris, aut parum.

PRIS. *Carm.*] Brachialia.

PRIS.) armentum habeo.

EX
M. TULLII CICERONIS
DE REPUBL.
LIBR. V.

D. AUG. *lib.2. c.21. Civit.* & NON. *quendam locum qui eſt in hoc frag. profert in vanum)* Enn.

Moribus antiquis res ſtat Romana, viriſque.

Quem quidem ille verſum, vel brevitate, vel veritate, tamquam ex oraculo mihi quodam eſſe effatus videtur. nam neque viri, niſi ita morata civitas fuiſſet,neque mores, niſi hi viri præfuiſſent, aut fundare, aut tamdiu tenere potuiſſent tantam, & tam longè, lateque imperantem rempublicam. Itaque ante noſtram memoriam & mos ipſe patrius præſtanteis viros adhibebat, & veterum morem, ac majorum inſtituta retinebant excellentes viri, noſtra verò ætas cùm rempub. ſicut picturam accepiſſet egregiam, ſed jam evaneſcentem vetuſtate, non modò eam coloribus iiſdem, quibus fuerat, renovare neglexit, ſed ne id quidem curavit, ut formam ſaltem ejus, & extrema tamquam lineamenta ſervaret. quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit rem ſtare Romanam: quos ita oblivione obſoletos videmus, ut non modò non colantur, ſed etiam ignorentur. Nam de viris quid dicam? mores enim ipſi interierunt virorum penuria. cujus tanti mali non modò reddenda ratio nobis, ſed etiam tamquam reis capitis quodammodo

dammodo dicenda cauſa eſt. noſtris enim vitiis, non caſu aliquo, rempub. verbo retinemus: reapſe verò jampridem amiſimus.

CIC. *lib.* 8. *epiſt. ad Atticum.*] Ut enim gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori victoria: ſic huic moderatori reipub. beata civium vita propoſita eſt, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit. hujus enim operis maximi inter homines, atque optimi, illum eſſe effectorem volo.

DIOMED. *lib.* 1.] Excellunt.

NON. *Contemtio*] Quæ virtus fortitudo vocatur, in qua eſt magnitudo animi, mortis, dolorisque magna contemtio.

NON. *Lentum.*] Marcellus, ut acer & pugnax. Maximus, ut conſideratus, & lentus.

NON. *ubi nominativus, vel.*] Sed tamen ut bono patrifamiliâs colendi, ædificandi, ratiocinandi quidam uſus, opus eſt.

GEL. *lib.* 12. *c.* 2.] Menelao Laconi quædam fuit ſuaviloquens jucunditas.

Idem, ib.] Breviloquentiam in dicendo colat.

NON. *Imbuere.*] Quæ cùm Scipio dixiſſet, admodum probans: nimio enim erat odio rhetorum imbutus.

NON *Ferocia.*] Qui comperit ejus vim, & effrenatam illam ferociam.

CARIS. *l.* 1. *orbi.*] orbi terrarum comprehenſos.

NON. *Impertire.*] quòd moleſtias ſenectutis ſuæ veſtris familiis impertire poſſet.

NONIUS.] Quod non modò ſingulis hominibus ſed potentiſſimis populis ſæpe contingit.

M. T. CICERONIS
DE REPUBL.
LIBER VI.

NON. *Prudentia.*] TOTAM igitur exſpectas prudentiam hujus rectoris, quæ ipſum nomen hoc nacta eſt ex providendo.

NON. *Triſtis.*] Qui numeros optimatum, & principum obtulit his vocibus, & gravitatis ſuæ liquit illum triſtem, & plenum dignitatis ſonum.

NON. *Expleri atque ſatiari.*] Graves enim dominæ cogitationum libidines, infinita quædam cogunt, atque imperant: quæ quia expleri, atque ſatiari nullo modo poſſunt, ad omne facinus impellunt eos, qui illecebris ſuis incenduntur.

NON. *Samium.*] Oratio exſtat, Læli, quam omnes habemus in manibus, 1. quàm ſimpinia pontificum diis immortalibus grata ſint, Samiæque ut hic ſcribit, capedines.

NON. *Firmiter.* & PRIS.] Firmiter enim majores noſtri ſtabilita matrimonia eſſe voluerunt.

NON. *Comparare.*] Quamobrem ſe comparet hic civis ita neceſſe eſt, ut ſit contra hæc, quæ civitatis ſtatum pervertunt, ſemper armatus.

NON. *Seditio.*] Eaque diſſenſio civium, quòd ſeorſum eunt alii ad alios, ſeditio dicitur.

NON. *de doctr. ind.*] Et verò in diſſenſione civili, cum boni plus, quàm multi valent, expendendos ab his, non numerandos puto.

GEL. *lib.* 6. *c.* 16. & NON. *Deprecari.*] Quod equidem eo fuit majus, quia cùm in cauſa pari collegæ eſſent, non modò invidia pari non erant, ſed etiam Claudii invidiam Gracchi caritas deprecabatur.

NON. *Mactare.*] Ferunt hos laudibus, mactant honoribus.

D. AUGUST. *lib.* 5. *c.* 13. *Civit.*] Alendus hic eſt gloria.

NON. *Deſubitò*] * in his, ut meminiſtis, concurſu leviſſimæ multitudinis ære congeſto funus deſubitò eſſet ornatum.

NON. *ubi genitivus pro nominativo.*] 4. quemadmodum ſcribit ille, quotidiano in forum mille hominum cum palliis conchylio tinctis deſcenderent.

MACR *lib.* 1. *Somn.*] Sed quamquam ſapientibus conſcientia ipſa factorum egregiorum ampliſſimum virtutis præmium, eſt, tamen illa divina virtus, non ſtatuas plumbo inhærenteis, nec triumphos areſcentibus laureis, ſed ſtabiliora quædam & viridiora præmiorum genera deſiderat. Quæ tandem iſta ſunt? inquit Lælius. Tum Scipio, patimini me (inquit) quoniam tertium diem feriati ſumus.

M. TULLII CICERONIS
SOMNIUM SCIPIONIS.
SCIPIO LOQUITUR.

CUM in Africam veniſſem, M. Manilio conſuli ad quartam legionem tribunus (ut ſcitis) militum; nihil mihi potius fuit, quàm ut Maſiniſſam convenirem, regem familiæ noſtræ juſtis de cauſis amiciſſimum. Ad quem ut veni, complexus me ſenex collacrimavit, aliquantoque poſt ſuſpexit in cælum: & GRATEIS, inquit, tibi ago, ſumme Sol, vobiſque reliqui cæliltes, quòd antè quam ex hac vita migro, conſpicio in meo regno, & his tectis P. Cornelium Scipionem, cujus ego *nomine ipſo recreor:* ita numquam ex animo meo deſcendit illius optimi, atque invictiſſimi viri memoria. Deinde ego illum de ſuo regno: ille me de noſtra rep. percontatus eſt. multisque verbis ultro, citroque habitis, ille nobis conſumtus eſt dies. pòſt autem regio apparatu accepti, ſermonem in multam noctem produximus, cùm ſenex nihil niſi de Africano loqueretur, omniaque ejus non facta ſolum, ſed *etiam dicta meminiſſet.* deinde, ut cubitum diſceſſimus, 1 me & de via, & qui ad multam noctem vigilaſſem, *arctior*, quàm ſolebat, *ſomnus complexus eſt.* Hîc mihi (credo equidem ex hoc, quod eramus locuti: fit enim ferè, UT COGITATIONES, ſermonesque noſtri pariant aliquid in ſomno tale, quale de Homero ſcribit Ennius, de quo videlicet ſæpiſſime vigilans ſolebat cogitare, & loqui) Africanus ſe oſtendit illa forma, quæ mihi ex imagine ejus, quàm ex ipſo, erat notior. quem ut agnovi, equidem cohorrui. ſed ille, Ades, inquit, animo, & omitte timorem, Scipio, & quæ dicam, trade memoriæ. Videſne illam urbem, quæ parêre populo R. coacta per me, renovat priſtina bella, nec poteſt quieſcere? (oſtendebat autem Karthaginem de excelſo, & pleno ſtellarum, illuſtri, & claro quodam loco) ad quam tu oppugnandam nunc venis pænè miles? hanc hoc biennio conſul evertes, eritque cognomen id tibi *per te partum* quod habes adhuc

1. M*E & de via, & qui.*] Auſus ſum exprimere quod ajunt à Langio productum, quoniam ſic quoque extaret in Palatino pr. vulgati amplius, *me & feſſum de via*; quomodo & Ciceronem locutum ſcio prima Academica: ſed haud id etiam inveniſſe in membranis ſuis Theodorum Gazam, prodit loci illius verſio.

adhuc à nobis hereditarium. Cùm autem Karthaginem deleveris, triumphum egeris, cenſorque fueris, & obieris legatus Ægyptum, Syriam, Aſiam, Græciam, deligêre iterum cos. abſens, bellumque maximum conficies, Numantiam exſcindes. Sed cùm eris curru Capitolium invectus, offendes *remp. perturbatam conſiliis nepotis mei*. Hic tu, Africane, oſtendas oportebit patriæ, lumen animi, ingenii, conſiliique tui. Sed ejus temporis ancipitem video quaſi fatorum viam. nam cùm ætas tua ſeptenos octies ſolis anfractus, reditusque converterit, duoque hi numeri, quorum uterque plenus, alter altera de cauſa, habetur, circuitu naturali ſummam tibi fatalem confecerint: in te unum, atque in tuum nomen, ſe tota convertet civitas: te ſenatus, te omnes boni, te ſocii, te Latini intuebuntur: tu eris UNUS, IN QUO NITATUR CIVITATIS SALUS, ac ne multa, dictator remp. conſtituas oportet, ſi impias propinquorum manus effugeris. Hic cùm exclamaſſet Lælius, ingemuiſſentque ceteri vehementiùs: leniter arridens Scipio, Quæſo, inquit, ne me è ſomno excitetis, & pax

3 ſit rebus: audite cetera. Sed quò ſis, Africane, alacrior ad

tutandum remp. ſic habeto. OMNIBUS, qui patriam conſervarint, adjuverint, auxerint, certum eſſe in cælo ac definitum locum, ubi beati ævo ſempiterno fruantur. nihil eſt enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quàm concilia, cœtuſque hominum, jure ſociati, quæ *civitates* appellantur: *harum rectores, & conſervatores hinc profecti, huc revertuntur.* Hic ego, etſi eram perterritus, non tam metu mortis, quàm inſidiarum à meis, quæſivi tamen, viveretne ipſe & Paullus pater, & alii, quos nos *exſtinctos* arbitraremur. Immò verò, inquit, II VIVUNT, [1] qui ex corporum vinculis, tamquam è carcere, evolaverunt: veſtra verò, quæ dicitur vita, MORS eſt. quin tu aſpicias ad te venientem Paullum patrem. Quem ut vidi, equidem vim lacrimarum profudi: Ille autem me complexus, atque oſculans flere prohibebat. Atque ego ut primùm, fletu repreſſo, loqui poſſe cœpi, Quæſo, inquam, pater ſanctiſſime, atque optime, quoniam hæc eſt vita, (ut Africanum audio dicere) quid moror in terris, quin huc ad vos venire propero? Non eſt ita, inquit ille. NISI DEUS IS, cujus hoc templum eſt omne, quod conſpicis, iſtis te corporis cuſtodiis liberaverit, huc tibi aditus patêre non poteſt. homines enim ſunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quæ *terra* dicitur: hiſque animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſidera, & ſtellas vocatis: quæ globoſæ, & rotundæ, divinis animatæ mentibus, circulos ſuos, orbeiſque conficiunt celeritate mirabili. Quare & tibi, Publi, & piis omnibus retinendus eſt animus in cuſtodia corporis: nec injuſſu ejus, à quo ille eſt vobis datus, ex hominum vita migrandum eſt, *ne munus humanum* [2] *aſſignatum à Deo defugiſſe videamini.* Sed ſic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, JUSTITIAM cole, & pietatem: quæ, cùm ſit magna in parentibus, & propinquis, tum in patria maxima eſt: *ea vita, via eſt in cælum*, & in hunc cœtum eorum, qui jam vixerunt, & corpore laxati, illum incolunt locum, quem vides: erat autem is ſplendidiſſimo candore inter flammas [3] circus elucens, quem vos, ut à Graiis accepiſtis, *orbem lacteum* nuncupatis: ex quo omnia mihi contemplanti præclara cetera, & mirabilia videbantur. erant autem eæ ſtellæ, quas numquam ex hoc loco vidimus: & eæ magnitudines omnium, quas eſſe numquam ſuſpicati ſumus: ex quibus erat illa minima, quæ ultima cælo, citima terris: luce lucebat aliena. ſtellarum autem globi terræ magnitudinem facilè vincebant. Jam ipſa terra ita mihi *parva viſa eſt*, ut me imperii noſtri, quo quaſi *punctum* ejus attingimus, pœniteret.

Quam cum magis intuerer, Quæſo, inquit Africanus, quouſque humi defixa tua mens erit? non- 4

ne adſpicis, quæ in templa veneris? novem tibi orbibus, vel potiùs globis, [4] connexa ſunt omnia: quorum unus eſt cæleſtis, extimus, qui reliquos omneis complectitur, ſummus ipſe Deus, *arcens, & continens ceteros:* in quo infixi ſunt illi, qui volvuntur, ſtellarum curſus ſempiterni: cui ſubjecti ſunt ſeptem, qui verſantur retrò, contrario motu, atque cælum, ex quibus unum globum poſſidet illa, quam in terris *Saturniam* nominant. deinde eſt hominum generi [5] proſperus & ſalutaris ille fulgor, qui dicitur *Jovis:* tum rutilus, horribiliſque terris, [6] quem *Martium* dicitis: deinde ſubter mediam ferè regionem *Sol* obtinet, dux & princeps, & moderator luminum reliquorum, mens mundi, & temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta ſua luce illuſtret, & compleat. hunc ut comites conſequuntur, alter *Veneris*, alter *Mercurii* curſus: in infimoque orbe *Luna*, radiis ſolis accenſa, convertitur. infrà autem jam nihil eſt, niſi mortale & caducum, præter animos generi hominum, munere deorum datos. ſuprà lunam ſunt æterna omnia. nam ea, quæ eſt media, & nona tellus, neque movetur & infima eſt, & in eam feruntur omnia ſuo nutu pon-

dera. Quæ cùm intuerer ſtupens, ut me recepi, [7] Quid? 5

hic, inquam, quis eſt, qui complet aureis meas tantus, & tam *dulcis ſonus?* Hic eſt, inquit ille, qui intervallis conjunctus imparibus, ſed tamen pro rata portione diſtinctis, impulſu, & motu ipſorum orbium conficitur: qui acuta cum gravibus temperans, varios æquabiliter concentus efficit. nec enim ſilentio tanti motus incitari poſſunt, & natura fert, *ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acutè ſonent.* Quam ob cauſam ſummus ille [8] cœli ſtellifer curſus, cujus converſio eſt concitatior, acuto, & excitato movetur ſono: graviſſimo autem hic lunaris, atque infimus. nam terra, nona, immobilis manens, ima ſede ſemper hæret, complexa medium mundi locum. illi autem octo curſus, in quibus eadem vis eſt [9] duorum, Mercurii, & Veneris, SEPTEM efficiunt diſtinctos intervallis ſonos: qui numerus rerum omnium ferè modus eſt. quod *docti homines nervis imitati*, atque cantibus, aperuere ſibi reditum in hunc locum: ſicut alii, qui præſtantibus ingeniis in vita humana *divina ſtudia* coluerunt. Hoc ſonitu oppletæ aures hominum obſurduerunt: nec eſt ullus hebetior ſenſus in vobis: ſicut ubi Nilus ad illa, quæ Catadupa nominantur, præcipitat ex altiſſimis montibus, ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem ſonitus, ſenſu audiendi caret. Hic verò tantus eſt totius mundi incitatiſſima converſione ſonitus, ut eum aures hominum capere non poſſint: ſicut intueri ſolem adverſum nequitis, ejuſque radiis acies veſtra, ſenſuſque vincitur. Hæc ego admirans, referebam tamen oculos ad terram

identidem. Tum Africanus, Sentio, inquit, te ſedem 6

etiam nunc hominum ac domum contemplari: quæ ſi tibi *parva*

1. *Qui ex corporum vinclis, &c.*] Palatino ſec. non adeſt vocula *ex*, paulloque poſt illud *e* additum ipſi à manu poſteriore.

2. *Aſſignatum à Deo, defugiſſe.*] Palat. *Deo, ipſi defugiſſe.*

3. *Circus elucens.*] Sic & noſtri mſſ. & admiſit in contextum P. Victorius. vulgg. *elucens circulus.*

4. *Convexa ſunt omnia.*] Sic Palat. pr. & aliorum aliquot membranæ, nec ab eo abhorrebat Aldus Nepos.

5. *Proſperus & ſalutaris.*] Ita & Pal. ſec. non *proſper.*

6. *Quem Martium dicitis.*] Haud aliter è ſuis Gulielmius, quomodo & Pall. quippe vulgati, *Martem*

7. *Quid? hic inquam quis eſt, &c.*] Ita è noſtris, libri quinque, invenitque item in ſuis Manutius Nepos. Vulgati, *Quis hic, inquam, quis, &c.*

8. *Cœli ſtellifer curſus.*] Mſſ. noſtri omnes habent *ſtellifer*; ut & teſtatus eſt Aldus de ſuis tribus; aſſeritque item legi in Boëthii membranis Suffridus Petri. publicati *ſtelliferi*, minus lepide.

9. *Duorum Mercurii & Veneris, ſeptem.*] Obſecutus ſum Palatino primo ſic habenti, ejiciunt alii *Mercurii & Veneris*, quæ & aliquot mſſ. noſtris abſunt. ſed non video cur haberi debeant pro gloſſa. ſine eis enim locus omnibus eſt obſcuriſſimus, niſi aſtronomis. recentius vulgati præferunt, *duorum Mercurii & Veneris modorum*; ſed ea poſtrema vox abeſt & noſtris & Gulielmianis omnibus.

1. *Par-*

parva (ut eſt) ita videtur, hæc CÆLESTIA SEMPER SPECTATO: ILLA HUMANA CONTEMNITO. Tu enim quam celebritatem ſermonis hominum, aut quam expetendam gloriam conſequi potes? vides habitari in terra raris, & anguſtis in locis: & in ipſis quaſi maculis, ubi habitatur, vaſtas ſolitudines interjectas: hoſque qui incolunt terram, non modo interruptos ita eſſe, ut nihil inter ipſos ab aliis ad alios manare poſſit: ſed partim obliquos, [1] partim averſos, partim, etiam adverſos ſtare vobis: à quibus [2] *exſpectare gloriam certè nullam poteſtis.* Cernis autem eandem terram, quaſi quibuſdam redimitam, & circumdatam cingulis: è quibus duos maximè inter ſe diverſos, & cœli verticibus ipſis ex utraque parte ſubnixos, *obriguiſſe pruina* vides, medium autem illum, & maximum, *ſolis ardore torreri.* duo ſunt habitabiles: quorum auſtralis ille, in quo qui inſiſtunt, adverſa vobis urgent veſtigia, nihil ad veſtrum genus: hic autem alter ſubjectus aquiloni, quem incolitis, cerne, quàm tenui vos parte contingat. omnis enim terra, quæ colitur à vobis, anguſta verticibus, lateribus latior, *parva quædam inſula eſt*, circumfuſa illo mari, quod Atlanticum, quod Magnum, quod Oceanum appellatis in terris: qui tamen tanto nomine, quàm ſit parvus, vides. Ex his ipſis cultis, notiſque terris, num aut tuum aut cujuſquam noſtrûm nomen, vel Caucaſum hunc, quem cernis, tranſcendere potuit, vel illum Gangem transnatare? quis in reliquis Orientis, aut abeuntis ſolis ultimis aut aquilonis, auſtrive partibus tuum nomen audiet? quibus amputatis, cernis profectò, quantis IN ANGUSTIIS VESTRA GLORIA ſe dilatari velit. Ipſi autem, qui
7 de vobis loquuntur, *quam diu loquentur*? Quin etiam, ſi cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes uniuſcujuſque noſtrûm à patribus acceptas poſteris prodere, tamen propter eluviones, exuſtioneſque terrarum, quas accidere tempore certo neceſſe eſt, non modò *æternam*, ſed ne *diuturnam* quidem gloriam aſſequi poſſumus. QUID AUTEM INTEREST, ab iis, qui poſtea naſcentur, ſermonem fore de te, cùm ab iis nullus fuerit. qui antè nati ſint? qui nec pauciores, & certè meliores fuerunt viri: cùm præſertim apud eos ipſos, à quibus audiri nomen noſtrum poteſt, nemo unius anni memoriam conſequi poſſit: homines enim [3] populariter *annum* tantummodò ſolis, id eſt, unius aſtri reditu metiuntur: [4] cùm autem ad idem, unde ſemel profecta ſunt, [5] cuncta aſtra redierint, eandemque totius anni deſcriptionem longis intervallis retulerint, tum ille verè *vertens annus* appellari poteſt: in quo vix dicere audeo, quàm multa ſæcula hominum teneantur. namque ut olim deficere ſol hominibus, exſtinguique viſus eſt, cùm Romuli animus hæc ipſa in templa penetravit: ita quandoque eadem parte ſol, eodemque tempore iterum defecerit, tum ſignis omnibus ad idem principium, ſtelliſque revocatis, expletum annum habeto. hujus quidem anni nondum viceſimam partem ſcito eſſe converſam. Quocirca ſi reditum [6] in hunc locum deſperaveris, *in quo omnia ſunt magnis, & præſtantibus viris:* quanti tandem eſt iſta hominum gloria, quæ pertinere vix ad unius anni partem exiguam poteſt? Igitur altè ſpectare ſi voles, atque hanc ſedem, & æternam domum contueri: NEQUE TE SERMONIBUS VULGI DEDERIS, nec in præmiis humanis ſpem poſueris rerum tuarum: ſuis te oportet *illecebris ipſa virtus* trahat ad verum decus. quid de te alii, loquantur, ipſi videant: ſed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille, & anguſtiis cingitur iis regionum, quas vides; nec umquam de ullo perennis fuit; & obruitur hominum interitu; & oblivione poſteritatis exſtinguitur. Quæ cùm dixiſſet, Ego verò inquam, ô Africane, 8
ſi quidem bene meritus de patria quaſi limes ad cœli aditum patet, quamquam à pueritia veſtigiis ingreſſus patriis, & tuis, decori veſtro non defui: nunc tamen [7] tanto præmio propoſito, enitar multò vigilantiùs. & ille, Tu verò enitere, & ſic habeto, NON ESSE TE MORTALEM, SED CORPUS HOC. nec enim is, quem forma iſta declarat: ſed mens cujuſque, is eſt quiſque: non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt. Deum te igitur ſcito eſſe: ſiquidem Deus eſt, qui viget, qui ſentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit, & moderatur, & movet id corpus, cui præpoſitus eſt, quàm hunc mundum ille princeps Deus: & ut mundum ex quadam parte mortalem ipſe Deus æternus, ſic fragile corpus *animus ſempiternus* movet. Nam *quod ſemper movetur, æternum eſt:* quod autem motum affert alicui, quodque agitatur aliunde; quando finem habet motus, vivendi finem habeat neceſſe eſt. ſolum igitur, quod ſeſe movet, quia nunquam deſeritur à ſe; numquam ne moveri quidem deſinit: quin etiam ceteris, quæ moventur, hic fons, hoc principium eſt movendi. principio autem nulla eſt origo. nam *ex principio oriuntur omnia:* ipſum autem [8] nulla ex re alia naſci poteſt: nec enim eſſet principium, quod gigneretur aliunde: quòd ſi numquam oritur, ne occidit quidem umquam. nam principium exſtinctum, nec ipſum ab alio renaſcetur, nec ex ſe aliud creabit: ſiquidem neceſſe eſt à principio oriri omnia. Ita fit, ut motus principium ex eo ſit, quod ipſum à ſe movetur: id autem nec naſci poteſt, nec mori: vel *concidat omne cœlum*, omniſque natura conſiſtat neceſſe eſt, nec vim ullam nanciſcatur, quæ à primo impulſu moveatur. Cùm pateat igitur æternum id 9
eſſe, quod à ſe ipſo moveatur, quis eſt, qui hanc naturam animis eſſe tributam neget? inanimum eſt enim omne, quod pulſu agitatur externo: quod autem animal eſt, id motu cietur interiore, & ſuo. nam hæc eſt natura propria animæ, atque vis. Quæ ſi eſt una ex omnibus, quæ ſeſe moveat: neque nata eſt certè, & æterna eſt. *hanc tu exerce in optimis rebus.* ſunt autem optimæ curæ, de ſalute patriæ, quibus agitatus, & exercitatus animus, velocius in hanc ſedem, & domum ſuam pervolabit: idque ocyus faciet, ſi jam tum, cùm erit incluſus in corpore, eminebit foras, & ea, quæ extrà erunt, contemplans, quàm maximè ſe à corpore abſtrahet. Nam EORUM ANIMI, qui ſe corporis voluptatibus dediderunt, earumque ſe quaſi miniſtros præbuerunt, impulſuque libidinum voluptatibus obedientium, Deorum, & hominum jura violaverunt: corporibus elapſi circum terram ipſam volutantur: nec hunc in locum, niſi multis exagitati ſeculis, revertuntur. Ille diſceſſit: ego ſomno ſolutus ſum.

---

1. *Partim averſos, partim etiam adverſos.*] Pal. pr. non agnoſcit duas voces primas. Victorius aliique expreſſere, *partim verſos.* ſunt qui habent *tranſverſos*; à quibus ſtant codices Petri Danielis & Pavilionis, & Pal. ſec. & placuit Gulielmio.

2. *Exſpectare gloriam.*] Noſtri mſſ. fere omnes *ſpectare*, nec improbem. pro eodem enim uſurpaſſe utrumque auctores claſſicos, indicio eſt conſenſus in his vocibus membranarum veterum. & verò *ſpectare* admiſit editio accuratiſſimi Italorum Petri Victorii; pro quo alii ſuppoſuere, *ſperare*.

3. *Populariter annum &c.*] Sic & noſtri manuſcripti. conjecit Turnebus *jocilariter*, ſecutus veſtigia fugientium Chirographorum, in quibus *loquelariter:* quod vocabulum quamvis flocci putet, haud temere ſpreverim; cum extet item in Dan. & Pavil. mſſ. affirmetque Scaliger ad Feſtum, ita legi etiam in membranis aliis, certe Langianis, videturque fuiſſe primitus in Pal. ſecundo.

4. *Cùm autem ad idem.*] Præmiſit Lambinus *reapſe autem cum, &c.* cujus vocis nullum veſtigium in mſſ. ipſeque alioqui de ea tacet in Notis ſuis. ſi non eſt e libris Langii, confidens ſane temeritas, addere demere claſſico auctori quidlibet pro libidine, nedum Ciceroni.

5. *Cuncta aſtra redierint eandemque.*] Annotavit Guliel. legi in Panil. adhuc *red. eademque* forte, inquit, *vi.*

6. *In hunc locum deſperaveris.*] Recentiores *ſperaveris*, contra codices calamo depictos, editioneſque priſcas.

7. *Tanto præmio propoſito.*] Pall. & Danielis, *expoſito*; quomodo & tres Aldini. adeo ut videndum veniat, ſitne genuinum auctoris.

8. *Nulla ex re alia naſci poteſt.*] Eſt à libro Danielis & Pal. firmatque editio Victorii. publicati: *nulla ex re fieri poteſt* quomodo nulli Manutiani.

TESTI-

TESTIMONIA QUÆDAM, *ex ipſius Ciceronis ſcriptis, in quibus ſuorum de rep. librorum mentionem facit.*

1. Quòd quæris, quid in illis libris fecerim, quos, cum eſſem in Cumano, ſcribere inſtitui, non ceſſavi, neque ceſſo: ſed ſæpe jam ſcribendi totum conſilium, rationemque mutavi. Nam jam duobus factis libris, in quibus Novendialibus iis feriis, quæ fuerunt Tuditano & Aquillio coss. ſermo eſt à me inſtitutus Africani paullo ante mortem, & Lælii, Phili, Maniliique, & Lælii, generorum Fannii, & Scævolæ. Sermo autem in novem & dies, & libros diſtributus de optimo ſtatu civitatis, & de optimo cive. Sanè texebatur opus luculentè hominumque dignitas aliquantum orationi ponderis afferebat. Hi libri cùm in Tuſculano mihi legerentur, audiente Salluſtio, admonitus ſum ab illo, multò majore auctoritate illis de rebus dici poſſe, ſi ipſe loquerer de repub. præſertim cum eſſem non Heraclides Ponticus, ſed conſularis, & is, qui in maximis verſatus in rep. rebus eſſem: quæ tam antiquis hominibus attribuerem, ea viſum iri ficta eſſe. Oratorum ſermonem in illis noſtris libris, quòd eſſet de ratione dicendi, bellè à me removiſſe: ad eos tamen retuliſſe, quos ipſe vidiſſem. Ariſtotelem denique, quæ de repub. & præſtante viro ſcribat, ipſum loqui. Commovit me, & eo magis, quòd maximos motus noſtræ civitatis attingere non poteram, quòd erant inferiores, quàm illorum ætas, qui loquebantur. Ego autem id ipſum tum eram ſecutus, ne in noſtra tempora incurrens, offenderem quempiam. Nunc & id vitabo, & loquar ipſe tecum, & tamen illa, quæ inſtitueram ad te, ſi Romam venero, mittam. Puto enim te exiſtimaturum, à me illos libros non ſine aliquo meo ſtomacho eſſe relictos.

2. Varro, de quo ad me ſcribis, includetur in aliquem locum, ſi modo erit locus. ſed noſti genus dialogorum meorum, ut in Oratoriis, quos tu in cœlum fers, non potuit mentio fieri cujuſquam ab iis, qui diſputant, niſi ejus, qui illis notus, aut auditus eſſet. Hanc ego de rep. quam inſtitui diſputationem, in Africani perſonam, & Phili, & Pæti Manilii contuli: adjunxi adoleſcenteis, Q. Tuberonem P. Rutilium, duos Lælii generos, & Scævolam & Fannium. Itaque cogitabam, quoniam in ſingulis libris utor procœmiis; ut Ἀριστοτέλης in iis quos ἐξωτερικὸς vocat, aliquid vocat, aliquid efficere, ut non ſine cauſa iſtum appellarem. Id quod intelligo tibi placere: utinam modò conata efficere poſſim, rem enim (quod te non fugit) magnam complexus ſum, & gravem, & plurimi otii, quo ego maximè egeo.

3. Si Cottam, & Varronem feciſſem inter ſe diſputanteis, ut à te proximis litteris admoneor, meum κωφὸν πρόσωπον eſſet. hoc in antiquis perſonis ſuaviter fit, ut & Heraclides in multis, & nos in ſex de rep. libris fecimus.

4. Qui Apollinis oraculo ſapientiſſimus eſt judicatus, qui non tum hoc, tum illud, (ut in pleriſque) ſed idem ſemper, animos hominum eſſe divinos, iiſque, cùm è corporibus exceſſiſſent, reditum in cælum patere, optimoque & juſtiſſimo cuique expeditiſſimum: quod idem Scipioni videbatur. Qui quidem, quaſi præſagiret, perpaucis ante mortem diebus, cùm & Philus, & Manilius adeſſent, & alii plures, tuque etiam Scævola mecum veniſſes, triduum diſſeruit de rep. cujus diſputationis fuit extremum ferè de immortalitate animorum: quæ ſe in quiete per viſum ex Africano audiſſe dicebat.

5. Atque his libris annumerandi ſunt ſex de R. P. quos tunc ſcripſimus, quum gubernacula reipub. tenebamus: magnus locus, philoſophiæque proprius, à Platone, Ariſtotele, Theophraſto, totaque Peripateticorum familia tractatus uberrime.

6. Quum à primo urbis ortu regiis inſtitutis, partim etiam legibus, auſpicia, cærimoniæ, comitia, provocationes, patrum conſilium, equitum, peditumque deſcriptio, tota res militaris divinitus eſſet, conſtituta: tum progreſſio admirabilis, incredibiliſque curſus ad omnem excellentiam factus eſt, dominatu regio republica liberata. Nec verò hic locus eſt, ut de moribus, inſtitutiſque majorum, & diſciplina, ac temperatione civitatis loquamur: aliis locis ſatis accuratè à nobis dicta ſunt, maximeque in iis ſex libris, quos de republica ſcripſimus.

7. Quòd ſi iſta nobis cogitatio de triumpho injecta non eſſet, quam tu quoque approbas, næ tu haud multum requireres illum virum, qui in ſexto libro informatus eſt. Quid enim tibi faciam, qui illos libros devoraſti? qui nunc ipſum non dubitabo rem tantam abjicere; ſi id erit rectius: utrumque verò ſimul agi non poteſt, & ne dubitaris, quin quod honeſtius, id mihi futurum ſit antiquius.

8. An cenſes, quum in illis de R. P. libris perſuadere videatur Africanus, omnium publicarum noſtram veterem illam fuiſſe optimam, non neceſſe eſſe optimæ reipub. leges dare conſentaneas? A. Immò prorſus ita cenſeo. M. Ergo adeò exſpectare leges, quæ genus illud optimum reip. contineant.

9. Quoniam igitur ejus reip. quam optimam eſſe docuit in illis ſex libris Scipio, tenendus eſt nobis, & ſervandus ſtatus: omneſque leges accommodandæ ad illud civitatis genus, ſerendi etiam mores, nec ſcriptis omnia ſancienda: repetam ſtirpem juris à natura.

10. Quàm brevi frater in conſpectu poſita eſt à te omnium magiſtratuum deſcriptio, & ea pænè noſtræ civitatis? etſi à te paullum allatum eſt novi. M. Rectiſſimè, Quinte, animadvertis. Hæc eſt enim quam Scipio laudat in ſex libris, & quam maximè probat temperationem reip. quam effici non potuiſſet, niſi tali deſcriptione magiſtratuum: Nam ſic habetote, magiſtratibus, iiſque, qui præſunt, contineri remp. & ex eorum compoſitione quod cujuſque reipub. genus ſit, intelligi. Quæ res quum ſapientiſſimè, moderatiſſimeque conſtituta eſſet à majoribus noſtris, nihil habui, ſanè non multum, quod putarem novandum in legibus.

11. Iraſcatur qui volet, patiar. τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ præſertim cùm ſex libris, tanquam prædibus, me ipſum obſtrinxerim, quos tibi tam valde probari gaudeo. E quibus unum ἱστορικὸν requiris de Cn. Flavio, Annii F. Ille verò ante Decemviros non fuit, quippe qui ædilis curulis fuerit, qui magiſtratus multis annis poſt Decemviros inſtitutus eſt. Quid ergo profecit, quòd protulit faſtos? Occultatam putant quodam tempore iſtam tabulam, ut dies agendi peterentur à paucis. Nec verò pauci ſunt auctores, Cn. Flavium ſcribam faſtos protuliſſe, actioneſque compoſuiſſe, ne me hoc, vel potiùs Africanum (is enim loquitur) commentum putes.

12. Ain' tandem, Attice, laudator integritatis & elegantiæ noſtræ? auſus es hoc ex ore tuo, inquit Ennius, ut equites Scaptio ad pecuniam cogendam darem, me rogare? an tu, ſi mecum eſſes (qui ſcribis morderi te interdum, quòd non ſimul ſis) paterere me id facere, ſi vellem? *Et poſt aliquot verſus.*

13. Sed jam quid opus eſt equitatu? ſolvunt enim Salaminii? niſi fortè id volumus armis efficere, ut fænus quaternis centeſimis ducant. Et ego audebo legere umquam, aut attingere eos libros, quos tu dilaudas, ſi tale quid fecero?

14. Et, ſi (ut nos à te admonemur) rectè in illis libris dixi-

diximus, nihil eſſe bonum, niſi quod honeſtum: nihil malum, niſi quod turpe ſit: certè uterque iſtorum eſt miſerrimus, quorum utrique ſemper patriæ ſalus, & dignitas poſterior ſua dominatione, & domeſticis commodis fuit.

15. Filiola tua te delectari lætor, & probari tibi στοργὴν φυσικὴν eſſe τὴν πρὸς τὰ τέκνα. Etenim, ſi hæc non eſt, nulla poteſt homini eſſe ad hominem naturæ adjunctio: qua ſublata, vitæ ſocietas tollitur. Bene eveniat, inquit Carneades. Spurcè: ſed tamen prudentiùs, quam Lucius noſter, & Patro, qui cùm omnia ad ſe referant, quidquam alterius cauſa fieri putent: cùm ea re bonum virum oportere eſſe dicant. ne malum habeat, non quo id natura rectum ſit: non intelligunt, ſed de callido homine loqui, non de bono viro. Sed hæc, opinor, ſunt in iis libis, quos dilaudando, animos mihi addidiſti.

16. Quoniam ſcriptum eſt à te de optimo reipub ſtatu, conſequens eſſe videtur, ut ſcribas tu idem de legibus. Sic enim feciſſe video Platonem illum tuum.

17. Quoniam leges damus liberis populis, quæque de optima rep. ſentiremus, in ſex libris antè diximus, accommodabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus, civitatis ſtatum.

18. A te peto (inquit Pomponius) ut ſcribas aliquid. jampridem enim conticuerunt litteræ tuæ. Nam ut illos de rep. libros edidiſti, nihil à te ſanè poſtea accepimus, eiſque noſmetipſi ad rerum naturalium memoriam comprehendendam impulſi, atque incenſi ſumus. Sed illa cùm poteris, atque ut poſſis, rogo.

19. Quòd in civitatibus ratione quadam, de qua dicetur idoneo loco, agnationibus familiarum diſtinguuntur ſtatus, id in rerum natura tanto eſt magnificentius, tantoque præclarius, ut homines deorum agnatione, & gente teneantur.

20. Sed heus tu, πυρὸς εἰς δῆμον Athenis. placet hoc tibi? Etſi non impediebant mei certè libri. non enim iſta largitio fuit in civeis, ſed in hoſpites liberalitas.

21. Sed de hoc genere toto in iis libris, quos de repub. ſcripſi, diligenter eſt diſputatum.

22. Ut cupiditatibus principum, & vitiis infici ſolet tota civitas, ſic emendari & corrigi continentia. *Poſt, aliquot interpoſitis verſibus.*

23. Sed hæc & nunc ſatis, & in illis libris tractata ſunt diligentius.

24. Non quòd hoc populo obtineri poſſit, ſed quid optimum ſit, tibi dicendum puto. Nam Caſſiæ legis culpam Scipio tuus ſuſtinet, quo auctore lata eſſe dicitur. M. Vos demum, ut video, legem antiquaſtis ſine tabella. ſed ego, etſi ſatis dixit pro ſe in illis libris Scipio, tamen libertatem iſtam largior populo, ut & auctoritate valeant, & utantur bonis. ſic enim à me recitata lex eſt de ſuffragiis: Optimatibus nota, plebi libera ſunto.

MARCI TULLII CICERONIS DE JURE CIVILI.

CARIS.] Aliquo excellente, ac nobili viro.

GEL. *lib. 7. cap. 22.*] Nec verò ſcientia juris majoribus ſuis Q. Ælius Tubero defuit, doctrina etiam ſuperfuit.

MARCI TULLII CICERONIS DE AUGURIIS.

OMNIA *Ex Cariſio.*] Oſcen.

Avi incerta.

Oſcinis.

MARCI TULLII CICERONIS DE PHILOSOPHIA, SIVE HORTENSIUS.

NON. *Occupare.*] * Et Paullum Marcelli occupaviſſe.

NON. *Annuere.*] Quod cùm uterque noſtrûm annuiſſet, omneſque ad id tempus, quod erat dictum, poſtero die veniſſemus.

FRONTO.] Lucullo quidem noſter adventus & gratus & jucundus fuiſſe.

Idem.] Hic primùm Catulus delectatur ipſo loco.

NON. *Inanima.*] Nam cùm omnis ſollertia admiranda eſt, tum ea, quæ efficit, ut inanima quæ ſunt, vivere & ſpirare videantur.

NON. *Effero.*] * præter ceteras noſtra extulit civitas.

NON. *Lentus.*] * hunc Craſſum, qui lentus (ut ſcitis) dicere ſolebat, ad imitationem, quaſi noſtri generis contendiſſe.

NON. *Imbuere, ſufficere.*] Ut ii, qui combibi purpuram volunt, ſufficiunt priùs lanam medicamentis quibuſdam, ſic litteris, talibuſque doctrinis antè excoli animos, & ad ſapientiam concipiendam imbui, & præparari decet.

NON. *Subigere ſegetes.*] Ut enim ſegetes agricolæ ſubigunt aratris multo antè quàm ſerant.

NON. *Grave, Acre, Mite.*] Quid enim aut Herodoto dulcius, aut Thucydide gravius, aut Philiſto brevius, aut Theopompo acrius, aut Theophraſto mitius inveniri poteſt?

NON. *Cognoſcere, Grave.*] Unde autem faciliùs quàm ex annalium monumentis, aut res bellica, aut omnis reip. diſciplina cognoſcitur? unde ad agendum, aut dicendum copia depromi major graviſſimorum exemplorum, quaſi incorruptorum teſtimoniorum poteſt?

NON. *Exorſum.*] Perge, quæſo, nec enim imperitè exorſus es.

NON. *Contendere.*] Magna etiam animi contentio adhibenda eſt in explicando Ariſtot. ſi legeris.

NON. *Comeſt.*] Se ad extremum pollicetur prolaturum, quæ ſeipſa comeſt. quod efficit dialecticorum ratio.

NON. *Relaxo. Remitto.*] Quæro enim, non quibus intendam rebus animum, ſed quibus relaxem, & remittam.

LACT. *lib. 3. cap. 15.*] Quando philoſophi eſſe cœperunt? Thales, ut opinor, primus. recens hæc quidem ætas.

D. AUG. *lib. 3. contra Acad.*] Id enim eſt ſapientis providere: ex quo ſapientia eſt appellata, prudentia.

SERVIUS.] Epicurei plureis volunt eſſe cælos.

NON. *Urgeo.*] Itaque tunc Democriti manus urgebatur. eſt enim non magna.

SERVIUS *in 1. & 2. Æneid.*] * annum magnum eſſe voluerunt omnibus planetis in eundem recurrentibus locum, quod fit poſt XII. millia nongentos quinquaginta quattuor annos.

D. AUGUST. *lib. 12. cap. 4. Trin.*] Beati certè omnes eſſe volumus.

NON. *Differre.*] Quantum inter ſe homines ſtudiis, moribus, & omni vitæ ratione differant.

NON. *Præfractum.*] Huic contrarius Ariſto Chius, præfractus, ferreus, nihil bonum, niſi quod rectum & honeſtum eſt.

D. AUG. *lib. 13. cap. 5. Trin.*] Ecce autem non philoſophi illi quidem, ſed prompti tamen ad diſputandum homines, omnes ajunt eſſe beatos, qui vivant, ut ipſi velint. Falſum id quidem. Velle enim quod non deceat, id ipſum miſerrimum eſt: nec tam miſerum eſt, non adipiſci quod velis, quàm adipiſci velle quod non oporteat.

LACT. *lib. 1. cap. 7.*] Si Deus unus eſt, quis beatus eſſe in ſolitudine queat?

NON. *Præcipere.*] Præcipiunt hoc iſti, & facit nemo.

LACT. *lib. 3. cap. 16.*] Profectò omnis iſtorum diſputatio, quamquam uberrimos fonteis virtutis, & ſcientiæ contineat, tamen, collata cum horum actis, perfectiſque rebus, vereor ne tantùm videatur attuliſſe negotiis hominum quandam oblectationem otii.

NON. *Lautum.*] Quæ eſt igitur philoſophia, Socrates? nec dubito, quin, quæcumque ſit, lautum victum & elegantem, magnificè, neque minùs quàm deceret, colere inſtituiſſet.

NON. *de doct. ind.*] Vidi in dolore podagræ vel omnium maximum Stoicorum Poſſidonium, nihilo ipſum, quàm Nicomachum Tyrium, hoſpitem meum, fortiorem.

NON. *Sublatum.*] * eloquentiam tueri, quam tu in cœlum, Hortenſi, credo, ut ipſe cum ea ſimul adſcenderes, ſuſtuliſſes.

NON. *Eventus.*] Tu me & alias nonnumquam, & paullò antè adhortatus es, ut aliorum facta, & eventa conquiram.

FRONTO.] Qui cùm hodie bellum cum mortuo gerant.

NON. *Sumo.*] Quare velim dari mihi, Luculle, jubeas indicem tragicorum, ut ſumam, ſi qui fortè mihi deſunt.

NON. Faceſſo.] Faceſſant igitur omnes, qui docere nihil poſſunt, quo meliùs, ſapientiùſque vivamus.

D. AUGUST. *lib.* 4. *cap.* 2. *Trin.*] Prudentiæ partes ſunt, memoria, intelligentia, providentia.

D. AUG. *ibid.*] Si nobis, cùm ex hac vita migravimus, in beatorum inſulis, immortale ævum, ut fabulæ ferunt, degere liceret, quid opus eſſet eloquentia? cùm judicia nulla fierent: aut ipſis etiam virtutibus? nec enim fortitudinis indigeremus, nullo propoſito aut labore, aut periculo: nec juſtitia, cùm eſſet nihil, quod appeteretur alieni: nec temperantia, quæ regeret eas, quæ nullæ eſſent, libidines: ne prudentia quidem egeremus, nullo delectu propoſito bonorum & malorum. Una igitur eſſemus beati cognitione naturæ, & ſcientia, quæ ſola etiam deorum eſt vita laudanda. ex quo intelligi poteſt, cetera neceſſitatis eſſe: unum hoc, voluptatis.

NON. *Capere.*] * deinde boni mores, & modeſtiores, ad capienda præcepta molliores.

NON. *Aptum.*] Altera eſt nexa cum ſuperiore, & inde, apteque pendens.

NON. *ſpectare.*] * Cæli ſignorum admirabilem ordinem, inſatiabilemque pulchritudinem magis ſpectant.

D. AUG *lib.* 4. *c.* 15 *Civit.*] * Ut eaſdem tenebras efficiat, quas effecit in interitu Romuli: qui in obſcuratione ſolis factus eſt.

NON. *increpo.*] Tune pſeudomenon, & ſoritem, & totam dialecticam aut illudis, aut increpas?

NON. *Preſſum.*] Quis te aut eſt, aut fuit umquam in pariundis rebus, in definiendis, in explanandis preſſior?

LACT. *lib* 6. *c.* 2] Malo vel unum parvum de officio libellum, quàm longam orationem pro ſeditioſo homine Cornelio.

NON. *Convenire.*] Nam quod vereris, ne non conveniat noſtris ætatibus iſta oratio, quæ ſpectat ad hortandum.

NON. *Cadere.*] Aut tibi id ipſum pervertendum fuit, quod tu ne attigiſti quidem: aut ejus partes, quaſi membra quædam, cædendæ.

NON. *æra.*] Quid tu, inquam? ſoles, cùm rationem à diſpenſatore accipis, ſi æra ſingula probaſti, ſummam quæ ex his confecta ſit, non probare?

NON. *Scripta*] Itaque tibi concedo, quod in duodecim ſcriptis ſolemus, ut calculum reducas, ſi te alicujus dati pœnitet.

NON. *Gratificari.*] Quare egredere, quæſo, & gratificare reip.

Idem Tollere] * nihil tamen eſſe, in quo ſe animus excellens tollat.

Idem capere.] Captum me fortaſſe, inquit, tu putas, & id quod nollem, confiteri coactum.

Id. ſubducere.] An cùm videat me, & meos comites, fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam, conſtantiam, gravitatem, fidem, ipſa ſe ſubducat?

PRISC *lib.* 6] * ut ait Ennius: Refugiat timido ſanguen, atque exalbeſcat metu.

NON. *Præſtare.*] Itaque nec in philoſophia cuiquam ceſſit, & vitæ gravitate præſtitit.

Idem. Contemtus.] * magnitudo animi, patientia laborum, mortis denique contemtio.

Idem. detrahere.] * ut ea ſibi ratio vera reſtituat, quæ conſuetudo vitioſa detraxerit.

Idem, Deſpicere.] Conſolabitur eum magnitudo animi, & humanarum opinionum alta quædam deſpectio.

Idem, Deductum.] Habet enim ipſa certam & definitam viam, ſed ex ea multis vitiis, & erroribus depravata deducitur.

Idem, Vindicare.] * deinde imitator, ut ſibi quidem videtur, naturæ mos vindicat.

Idem, Exſultare.] Imbecillus autem eſt pudoris magiſter timor, qui ſi quando paullulum aberraverit, ſtatim ſpe impunitatis exſultat.

SERVIUS *lib.* 9. *Æn.*] ſufficit ad gloriam benefacti conſcientia.

NON. *redundo.*] Tum intelligas, quàm illud non ſit neceſſarium, quod redundat.

Idem, Gliſco.] ad juvenilem libidinem, copia voluptatum gliſcit illa, ut ignis oleo.

Idem, Verecundantur.] Hi noſtri amici verecundantur, capti ſplendore virtutis.

D. AUGUST. *Vita Beata.*] Oratæ, homini ditiſſimo, amœniſſimo, delicatiſſimo, neque ad voluptatem quidquam defuit, neque ad gratiam, neque ad bonam integramque valetudinem. Nam & prædiis quæſtuoſiſſimis, amicis jucundiſſimis, quantum libuit, & abundavit, & illis omnibus aptiſſimè ad ſalutem corporis uſus eſt: ejuſque (ut breviter totum explicem) omne inſtitutum, voluntatemque omnem ſucceſſio proſpera conſecuta eſt.

NON. *Balneæ.*] Primus balneolas ſuſpendit, incluſit piſceis.

PRISC. *lib.* 10.] * & amœnitate ſumma perfructus eſt.

NON. *Oſtrea.*] * ſollertiamque eam, quæ poſſet vel in tegulis proſeminare oſtreas.

Idem, Summus.] Vixit ad ſummam ſenectutem valitudine optima.

Idem, Invitare.] Voluptates autem nulla ad res neceſſarias invitamenta afferunt ſenibus.

D. AUGUST. *lib.* 4. *contra Pelagium.* NON. *Conficere.*] An verò voluptates corporis expetendæ, quæ vere & graviter à Platone dictæ ſunt illecebræ, atque eſcæ malorum? quæ enim confectio eſt valitudinis, quæ deformatio coloris, & corporis, quod turpe damnum, quod dedecus, quod non evocetur, atque eliciatur voluptate? cujus motus ut quiſque eſt maximus, ita eſt inimiciſſimus philoſophiæ. congruere enim cum cogitatione magna voluptas corporis non poteſt. quis enim cum utatur voluptate ea, qua nulla poſſit major eſſe, attendere animum, inire rationem, cogitare omnino quidquam poteſt? quis autem tantus eſt gurges, qui dies & nocteis ſine ulla minimi temporis intermiſſione velit ita moveri ſuos ſenſus, ut moventur in ſummis voluptatibus? quis autem bona mente præditus non mallet nullas omnino nobis à natura voluptates datas?

D. AUGUST. *contra Pelag. lib.* 5. *cap.* 5.] * tunc obſequatur naturæ, cùm ſine magiſtro ſenſerit, quid natura deſideret.

NON. *Ubi genitivus pro ablativo.*] Et qui exſpectat, pendet animi, quia ſemper, quid futurum ſit, incertum eſt.

NON. *Noxia à noxa.*] Et ceteris quidem in rebus, in quibus peccata non maxima inſunt, noxias tamen inferunt.

NON. *Equuleus.*] Ut igitur domitores equorum non verbera ſolùm adhibent ad domandum, ſed cibum etiam ſubtrahunt, ut fame debilitetur equuleorum nimis effrenata vis.

NON. *Lentum.*] Qui cùm publicas injurias lentè tuliſſet, ſuam non tulit.

NON. *Continens.*] In continentibus quidem terris veſtrum nomen dilatari poteſt.

NON. *Conficere.*] Ea facultas noſtris majoribus erat, qui confectis ſenatuſconſultis.

NON. *Acre.*] * quod alterius ingenium ſic dulce, ut acetum Ægyptium: alterius ſic acre, ut mel Hymettium dicimus.

NON. *Fides.*] Ponendæ ſunt fides, & tibiæ.

NON. *Severum.*] Aliud ex ſilvis ſeverum, & triſte.

NON. *Tenue.*] Eundem enim non modò ex mediocri pecunia, ſed etiam ex tenui percipere poſſum.

NON. *Priores à Primores.*[Qui iidem neſcio quid, quod in primoribus habent, ut ajunt, labris.

NON.

NON. *Subducere.*] * non & ſine cogitatione ineundis, ſubducendiſque rationibus.

D. AUG. *lib.* 4. *contra Pelagium.*] Ex quibus humanæ vitæ erroribus, & ærumnis fit, ut interdum veteres illi ſive vates, ſive in ſacris, initiiſque tradendis divinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua ſcelera ſuſcepta in vita ſuperiore, pœnarum luendarum cauſa natos eſſe dixerunt, aliquid vidiſſe videantur, verumque ſit illud, quod eſt apud Ariſtotelem, ſimili nos affectos eſſe ſupplicio, atque eos, qui quondam, quum in prædonum Etruſcorum manus incidiſſent, crudelitate excogitata necabantur: quorum corpora viva cum mortuis, adverſa adverſis accommodata, quam aptiſſimè colligabantur: ita noſtros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis eſſe conjunctos.

NON. *Appendix.*] Vidit enim, quod videndum fuit, appendicem animi eſſe corpus, nihilque in eo eſſe magnum.

D. AUGUST. *lib.* 14. *cap. ult. Trin.*] Quæ nobis dies, noctеiſque conſiderantibus, acuentibuſque intelligentiam, quæ eſt mentis acies, caventibuſque, ne quando illa hebeſcat, magna ſpes eſt, aut ſi hoc, quod ſentimus & ſapimus, mortale & caducum eſt, jucundum nobis, perfunctis muneribus humanis, occaſum, neque moleſtam exſtinctionem, & quaſi quietem vitæ fore: aut ſi, ut antiquis philoſophis, hiſque maximis, longeque clariſſ. placuit, æternos animos, ac divinos habemus: ſic exiſtimandum eſt, quo magis hi fuerint ſemper in curſu, id eſt, in ratione & inveſtigandi cupiditate, & quo minus ſe admiſcuerint, atque implicuerint hominum vitiis, atque erroribus, hoc illis faciliorem adſcenſum, & reditum in cælum fore. Quapropter, ut aliquando terminetur oratio, ſi aut exſtingui tranquille volumus, cùm in his artibus vixerimus, aut ſi ex hac in aliam haud paullo meliorem domum ſine mora demigrare, in his ſtudiis nobis omnis opera, & cura ponenda eſt.

M. TULLII CICERONIS,
M. CATO, SEU, LAUS M. CATONIS.

GELL. *lib.* 13. *cap.* 18.] Pronepos M. Catonis cenſorii.

MACR. *lib.* 6. *cap.* 2.] Contingebat in eo, quod pleriſque contrà ſolet, ut majora omnia re, quàm fama viderentur, id quod non ſæpe evenit, ut exſpectatione, aures ab oculis vincerentur.

M. TULLII CICERONIS,
DE GLORIA, LIB. I.

CARIS.] In Tuſculanum mihi nuntiabantur gladiatorii ſibili.

FESTUS *lib.* 13.] Oppidorum appellationem uſurpatione appellatam eſſe exiſtimo, quòd opem darent.

M. TULLII CICERONIS,
DE GLORIA, LIB. II.

GEL. *lib.* 15. *cap.* 6.] Apud eundem poëtam Aiax cum Hectore congrediens depugnandi cauſa agit, ut ſepeliatur, ſi ſit fortè victus, declaratque ſe velle, ut ſuum tumulum multis etiam pòſt ſeculis prætereuntes, ſic loquantur:

Hic ſitus eſt vitæ jampridem lumina linquens,
Qui quondam Hectoreo percuſſus concidit enſe.
Fabitur hoc aliquis, mea ſemper gloria vivet.

CARISIUS.] Quo ſtante, & incolumi.

M. TULLII CICERONIS
DE CONSOLATIONE LIBER

PLIN. *præfatione*] Crantorem ſequor.

LACTANT. *lib.* 3. *cap.* 18.] Idcirco nati ſumus, ut ſcelerum pœnas lueremus.

LACT. *lib.* 2. *cap.* 19.] Non naſci, longè optimum, nec in hos ſcopulos incidere vitæ: proximum autem, ſi natus ſis, quamprimum mori, & tanquam ex incendio effugere fortunæ.

LACT. *lib.* 3. *cap.* 14.] Sed neſcio qui nos teneat error, aut miſerabilis ignoratio veri.

CIC. *Tuſc.* 1. LACT. *ira cap.* 10. *lib.* 1. *cap.* 5. *Inſtit.*] Animorum nulla in terris origo inveniri poteſt. Nihil enim eſt animis mixtum, atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum eſſe videatur, nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. his enim in naturis nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat: quod & præterita teneat, & futura provideat, & complecti poſſit præſentia, quæ ſola divina ſunt. Nec invenietur umquam, unde ad hominem venire poſſint, niſi à Deo. Singularis eſt igitur quædam natura, atque vis animi, ſejuncta ab his uſitatis, notiſque naturis. Ita quidquid eſt illud, quod ſapit, quod vult, quod viget, cæleſte & divinum eſt: ob eamque rem æternum ſit neceſſe eſt. nec verò Deus ipſe, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam, & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, & movens, ipſaque prædita motu ſempiterno.

LACT. *lib.* 1. *cap.* 15.] Cùm verò & mares, & fæminas complureis ex hominibus in deorum numero eſſe videamus, & eorum in urbibus, atque agris auguſtiſſima templa veneremur: aſſentiamur eorum ſapientiæ, quorum ingeniis, & inventis omnem vitam legibus, & inſtitutis excultam, conſtitutamque habemus. Quòd ſi ullum umquam animal conſecrandum fuit, illud profectò fuit. ſi Cadmi, aut Amphionis progenies, aut Tyndari, in cælum tollenda fama fuit, huic idem honos certè dicandus eſt. quod quidem faciam, teque omnium optimam, doctiſſimamque, approbantibus diis immortalibus ipſis, in eorum cœtu locatam, ad opinionem omnium mortalium conſecrabo.

LACT. *lib.* 3. *cap.* 19.] Nec enim omnibus iidem illi ſapientes arbitrati ſunt eundem curſum in cælum patêre. nam vitiis & ſceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in cœno jacere docuerunt: caſtos autem, puros, integros, incorruptos, bonis etiam ſtudiis atque artibus expolitos, levi quodam ac facili lapſu ad deos, id eſt, ad naturam ſui ſimilem pervolare.

LACT. *lib.* 3. *cap.* 28.] Cedo, & manum tollo.

M. TULLII CICERONIS
LIBER DE SUIS CONSILIIS,
VEL
EXPOSITIO SUORUM CONSILIORUM.

BOETH. *lib.* 1. *Muſ.*] Sed ut aliqua ſimilitudine adductus, maximis minima conferam, ut cùm vinolenti adoleſcentes, tibiarum etiam cantu, ut fit, inſtincti, mulieris pudicæ fores frangerent, admonuiſſe tibicinam, ut ſpondeum caneret, Pythagoras dicitur. quod cum illa feciſſet, tarditate modorum, & gravitate cantus, illorum furentem petulantiam reſediſſe.

M. T. Ciceronis de virtutibus liber.

CARIS. *lib.* 2.] Illud neutiquam probares.

M. T. Ciceronis de notis liber.

Adprobat.	modeſtus.	epiſtola.
comprobat.	immodeſtus.	littera.
improbus.	modicus.	litteræ.
probus.	immodicus,	ſyllaba.
probitas.	commodus.	tempus.
improbitas.	incommodus.	per tempus.
probabilis.	accommodat.	per idem tempus.
reprobat.	in modum.	temporalis.
modus.	admodum.	extemporalis.
modulus.	quemadmodum.	homo.

M. T. Ciceronis Chorographia.

PRISC. *lib.* 6.] Ibi quercorum rami ad terram jacent, ut ſues, quaſi capræ ex ramis glande paſcantur.

Ex M. Tullii Ciceronis, ad Varronem Academicorum lib. 1.

NON. *Digladiari.*] Quid autem ſtomachetur Mneſarchus, quid Antipater digladietur cum Carneade tot voluminibus?

Ex lib. II. Academicorum, ad Varronem.

NON. *Adhamare.*] Qui enim ſeriùs honores adhamaverunt, vix admittuntur ad eos, nec ſatis commendati multitudini poſſunt eſſe.

NON. *Exponere.*] Frangere avaritiam, ſcelera ponere, vitam ſuam exponere ad imitandum juventuti.

NON. *Hebes.*] Quid? lunæ quæ lineamenta ſint, poteſne dicere? cur ejus naſcentis aliàs hebetiora, aliàs acutiora videantur cornua?

NON. *Purpuraſcit.*] Quid? mare nonne cæruleum? at ejus unda, cum eſt pulſa remis, purpuraſcit: & quidem aqua tinctum quodammodo, & infectum.

NON. *Æquor.*] Quid tam planum videtur, quàm mare? ex quo etiam æquor illud poëtæ vocant.

NON. *Alabaſter.*] Quibus etiam Alabaſter plenus unguenti putere videatur.

NON. *Siccum.*] Alius adultis, alius ſenibus: alius ægris, alius ſanis: alius ſiccis, alius vinolentis.

NON. *Urinari.*] Si quando enim nos demerſimus, ut qui urinantur, aut nihil ſuperum, aut obſcurè admodum cernimus.

NON. *Perpendiculum.*] Atqui, ſi id crederemus, non egeremus perpendiculis, non armis, non regulis.

NON. *Gallina.*] Cùm ovum inſpexerant, quæ gallina peperiſſet, dicere ſolebant.

DIOMED.] Opera affixa.

Ex lib. III. Academicorum, ad Varronem.

NON. *Ingenerari.*] In tanta animalium varietate homini ut ſoli cupiditas ingeneraretur cognitionis, & ſcientiæ.

NON. *Vindico.*] aliqua poteſtas ſi ſit, vindicet ſe in libertatem.

NON. *Digladiari.*] Digladiari autem ſemper, depugnare cum facinoroſis, & audacibus, quis non cùm miſerrimum, tum etiam ſtultiſſimum dixerit?

NON. *Exſulto.*] Et ut nos nunc ſedemus ad Lucrinum, piſciculoſque exſultantes videmus.

LACT. *lib.6. c.24.*] Quod ſi liceret, ut iis, qui in itinere deerraviſſent, ſic vitam deviam ſecutis, corrigere errorem pœnitendo, facilior eſſet emendatio temeritatis.

Ex lib. incerto Academicorum, ad Varronem.

LACT. *lib.3. cap.15.*] Mihi autem non modò ad ſapientiam cæci videmur, ſed ad ea ipſa, quæ aliqua ex parte cerni videantur, hebetes & obtuſi.

MARCIAN. *l.5.* FORTUN. *lib.3.*] Latent iſta omnia, Varro, magnis obſcurata, & circumfuſa tenebris.

D. AUG. *lib.3. contra Acad.*] Academico ſapienti ab omnibus ceterarum ſectarum, qui ſibi ſapientes viderentur, ſecundæ partes dantur, cùm primas ſibi quemque vendicare neceſſe ſit: ex quo poteſt probabiliter confici, eum rectè primum eſſe judicio ſuo, qui omnium ceterorum judicio ſit ſecundus. Fac enim, verbi cauſa, Stoicum adeſſe ſapientem. nam contra eos potiſſimum Academicorum exarſit ingenium. Ergo Zeno, vel Chryſippus ſi interrogentur, quid ſit ſapiens, reſpondebit, eum eſſe, quem ipſe deſcripſerit. Contrà Epicurus, vel quis alius adverſariorum negabit, ſuumque potius peritiſſimum voluptatum aucupem, ſapientem eſſe contendet. Inde ad jurgium. Clamat Zeno, & tota illa porticus tumultuatur, hominem natum ad nihil aliud quàm honeſtatem: ipſam ſuo ſplendore in ſe animos ducere, nullo prorſus commodo extrinſecus poſito, & quaſi lenocinante mercede: voluptatemque illam Epicuri ſolis inter ſe pecoribus eſſe communem, in quorum ſocietatem & hominem, & ſapientem trudere nefas eſſe. Contrà ille, convocata de hortulis in auxilium quaſi libera turba temulentorum, quærentium tantùm, quem incomtis unguibus bacchantes, aſperoſque ore diſcerpant, voluptatis nomen, ſuavitatem, quietem teſte populo exaggerans, inſtat acriter, ut ſine ea, beatus nemo eſſe poſſe videatur. In quorum rixam ſi Academicus incurrerit, utroſque audiet trahenteis ſe ad ſuas parteis. ſed ſi in illos, aut in iſtos conceſſerit, ab eis, quos deſerit, inſanus, imperitus, temerariuſque clamabitur. Itaque cum & huc, & illuc aurem diligenter admoverit, interrogatus quid ei videatur, dubitare ſe dicet: Roga nunc Stoicum, quis ſit melior, Epicuruſne, qui delirare illum clamat: an Academicus, qui ſibi adhuc de re tanta deliberandum eſſe pronuntiat. nemo dubitat Academicum prælatum iri. Rurſus te ad illum converte, & quære, quem magis amet, Zenonem, à quo beſtia nominatur, an Arceſilam, à quo audit, tu fortaſſe verum dicis, ſed requiram diligentiùs: nonne apertum eſt totam illam porticum, inſanam, Academicos autem præ illis modeſtos, cautoſque homines viſum iri Epicuro?

D. AUG. *lib.2. contra Acad.*] Talia mihi videntur omnia, quæ probabilia, vel veriſimilia putavi nominanda: quæ tu ſi alio nomine vis vocare, nihil repugno: ſatis enim mihi eſt, te jam bene accepiſſe, quid dicam: id eſt, quibus rebus hæc nomina imponam. non enim vocabulorum opificem, ſed rerum inquiſitorem decet eſſe ſapientem.

D. AUG. *l.3. cont. Acad.*] Mos fuit Academicis occultandi ſententiam ſuam, nec eam cuiquam, niſi qui ſecum ad ſenectutem uſque vixiſſent, aperiendi.

Ex lib. de natura Deorum, III.

LACT. *lib 2. c.9.*] Primùm igitur non eſt probabile, eam materiam rerum, unde orta ſunt omnia, eſſe divina providentia effectam, ſed habere & habuiſſe vim, & naturam ſuam. Ut igitur faber, cùm quid ædificaturus eſt, non ipſe facit materiam, ſed ea utitur, quæ ſit parata: fictorque item è cera: ſic iſti providentiæ divinæ materiam præſtò eſſe oportuit, non quam ipſa faceret, ſed quam haberet paratam: quod ſi non eſt à Deo materia facta, ne terra quidem, & aqua, & aër, & ignis à Deo factus eſt.

LACT. *lib.2. cap.3.*] Non ſunt iſta vulgò diſputanda, ne ſuſceptas publicè religiones diſputatio talis exſtinguat.

Ex lib. I. de Divinatione.

DIOMED. *lib.1.*] Præterea ſimiliter cohortatione circum conciliabula antecellunt.

Ex lib. I. de legibus.

LACT. *lib.5. c.8.*] Sicut una, eademque natura mundus omnibus partibus inter ſe congruentibus cohæret, ac nititur, ſic omnes homines inter ſe natura confuſi, pravitate diſſentiunt, nec ſe intelligunt eſſe conſanguineos, & ſubjectos omneis ſub unam, eandemque tutelam: quod ſi teneretur, deorum profectò vitam omnes viverent.

Ex lib. II. De legibus.

LACT *lib.1.20.*] Magnum, audaxque conſilium Græcia ſuſcepit, quòd Cupidinum, & Amorum ſimulacra in gymnaſiis conſecravit.

Ex lib. V. de legibus.

MACR. *lib. 6.*] Viſne igitur, quoniam Sol paullulum à meridie jam devexus videtur, neque dum ſatis ab his novellis arboribus omnis hic locus opacatur, deſcendamus ad Lirim, eaque, quæ reſtant, in illis alnorum umbraculis perſequamur?

Ex libro incerto de legibus.

LACT. *lib.3. cap.19.*] Gratulemurque nobis, quoniam mors aut meliorem, quàm qui eſt in vita, aut certè non deteriorem eſt allatura ſtatum. nam ſine corpore, animo vigente, divina eſt vita: ſenſu carenti nihil profectò eſt mali.

AUGUST. *lib.21. Civit.*] Octo pœnarum genera in legibus continentur, damnum, vincula, verbera, talio, ignominia, exſulium, mors, ſervitus.

Ex lib. De fato.

GELL. *lib. 5. c. 3.*] Chryſippus æſtuans, laboranſque quonam pacto explicet, & fato omnia fieri, & eſſe, aliquid in nobis intricatur hoc modo.

MACR. *lib.3.*] Nam cùm eſſet apud ſe ad Lavernium Scipio, unaque Pontius: allatus eſt fortè Scipioni acipenſer, qui admodum raró capitur, ſed eſt piſcis, ut ferunt, in primis nobilis. Cùm autem Scipio unum & alterum ex iis, qui eum ſalutatum venerant, invitaſſet, plureiſque etiam invitaturus videretur: in aurem Pontius, Scipio, inquit, vide quid agas. acipenſer iſte paucorum hominum eſt.

Ex Timæo, ſeu de univerſo, ex Platone.

NON. *Curriculum.*] Ratione igitur, & mente divina ad originem temporis curriculum inventum eſt ſolis, & lunæ.

PRISC. *lib.1. part.* * Defenſtrix.

M. TULLII CICERONIS
TIMÆUS,
SEU,
DE UNIVERSO, FRAGMENTUM.

1 MULTA ſunt à nobis & in Academicis conſcripta contra phyſicos, & ſæpe cum P. Nigidio, Carneadeo more & modo diſputata. fuit enim vir ille cùm ceteris artibus, quæ quidem dignæ libero eſſent, ornatus omnibus: tum acer inveſtigator, & diligens earum rerum, quæ à natura *involutæ* videntur. Denique ſic judico, poſt illos nobileis Pythagoreos, quorum diſciplina exſtincta eſt quodammodo, cùm aliquot ſæcula in Italia, Siciliaque viguiſſent; hunc exſtitiſſe, qui illam renovaret. Qui cùm me in Ciliciam proficiſcentem, Epheſi exſpectaviſſet, Romam ex legatione ipſe decedens: veniſſetque eodem Mitylenis mei ſalutandi, & viſendi cauſa Cratippus, Peripateticorum omnium, quos quidem ego audiverim, meo judicio facilè princeps: perlibenter & Nigidium vidi, & Cratippum cognovi. Ac primum quidem tempus ſalutationibus, reliquum percunctatione conſumſimus.

Deſunt multa.

2 Quid eſt, quod ſemper ſit, neque ullum habet ortum, & quod gignatur, nec umquam ſit? Quorum alterum intelligentia, & ratione comprehenditur: quod unum ſemper, atque idem eſt: alterum, quod affert opinionem per ſenſus, rationis expers: quod totum opinabile eſt, id gignitur, & interit, nec umquam eſſe verè poteſt. Omne autem quod gignitur, ex aliqua cauſa gigni neceſſe eſt. nullius enim rei, cauſa remota, reperiri origo poteſt. Quocirca ſi is, qui aliquod munus efficere molitur, eam ſpeciem, quæ ſemper eſt eadem, intuebitur, atque eam ſibi proponet exemplar, præclarum opus efficiat neceſſe eſt. ſin autem illam, quæ gignitur: numquam illam, quam expetet, pulchritudinem conſequetur. Omne igitur cœlum, ſive mundus, ſive quovis alio vocabulo gaudet, hoc à nobis nuncupatus ſit. De quo id primùm conſideremus, quod principio eſt in omni quæſtione conſiderandum, ſemperne fuerit, nullo generatus ortu: an ortus ſit, an ab aliquo temporis principatu ortus eſt, quandoquidem cernitur, & tangitur, & eſt undique corporatus. Omnia autem talia ſenſum movent: ſenſuſque moventia quæ ſunt, eadem in opinione conſidunt, quæ ortum habere, gignique diximus: nihil autem gigni poſſe ſine cauſis. Atque illum quidem quaſi parentem hujus univerſitatis invenire, difficile: & cùm jam inveneris, indicare in vulgus, nefas. Rurſus igitur videndum, ille fabricator tanti operis utrùm ſit imitatus exemplar, idne, quod ſemper unum & idem, & ſui ſimile: an id, quod generatum, ortumque dicimus. Atqui ſi pulcher eſt hic mundus, ſi probus ejus artifex: profectò ſpeciem æternitatis imitari maluit: ſin ſecus, quod ne dictu quidem fas eſt: generatum exemplum eſt pro æterno ſecutus. Non igitur dubium, quin æternitatem maluerit exſequi, quandoquidem neque mundo quidquam pulchrius, neque ejus ædificatore præſtantius. Si ergo generatus, ad id eſt effectus, quod ratione, ſapientiaque comprehenditur, atque immutabili æternitate continetur. Ex quo efficitur, ut ſit neceſſe, hunc, quem cernimus, mundum, ſimulacrum, æternum eſſe alicujus æterni. Difficillimum autem eſt in omni conquiſitione rationis, exordium. De iis igitur, quæ diximus, hæc ſit prima diſtinctio. In omni ratione cum iis rebus, de quibus explicandum videtur, eſſe cognitio. Itaque cùm de re ſtabili, & immutabili diſputatur: oratio 3
talis ſit, qualis ſit illa, quæ neque redargui, neque convinci poteſt. Cùm autem ingreſſa eſt imitata, & efficta ſimulacra: bene agi putat, ſi ſimilitudinem veri conſequatur. Quantum enim ad id, quod ortum eſt, æternitas valet: tantum ad fidem veritas. Quocirca ſi forte de deorum natura, ortuque mundi differentes, minùs id, quod habemus, animo conſequimur, ut tota dilucidè, & planè exornata oratio ſibi conſtet, & ex omni parte ſecum ipſa conſentiat: haud ſanè erit mirum: contentique eſſe debebitis, ſi probabilia dicentur. æquum eſt enim meminiſſe, & me, qui diſſeram, hominem eſſe: & vos, qui judicatis: ut ſi probabilia dicentur, nil ultrà requiratis. Quæramus igitur cauſam, quæ eum impulerit, qui hæc machinatus ſit, ut originem rerum, & molitionem novam quæreret. Probitate videlicet præſtabat: PROBUS AUTEM INVIDET NEMINI. itaque omnia ſui ſimilia generavit. Hæc nimirum gignendi mundi cauſa juſtiſſima. Nam cùm conſtituiſſet Deus bonis omnibus explere mundum, mali nihil admiſcere, quoad natura pateretur: quidquid erat, quod in cernendi ſenſum caderet, id ſibi aſſumſit, non tranquillum, & quietum, ſed immoderatè agitatum, & fluctuans: idque ex inordinato in ordinem adduxit. hoc enim judicabat eſſe præſtantius. FAS AUTEM nec eſt, nec umquam fuit, quidquam niſi pulcherrimum facere eum, qui eſſet optimus. Cùm rationem igitur habuiſſet, reperiebat nihil eſſe eorum, quæ natura cernerentur, non intelligens, intelligente, in toto genere præſtantius: intelligentiam autem ulli rei adjunctam eſſe, ſine animo nefas eſſe. Quocirca intelligentiam in animo, animum concluſit in corpore. Sic ratus eſt opus illud effectum eſſe pulcherrimum. Quam ob cauſam non eſt cunctandum profiteri, ſi modò inveſtigari aliquid conjectura poteſt, *hunc mundum animal eſſe, idque intelligens, & divina providentia conſtitutum.* Hoc poſito; quod ſequitur, videndum eſt, cujuſnam animantium Deus in fingendo 4
mundo ſimilitudinem ſecutus ſit. Nullius profectò, eorum quidem, quæ ſunt nobis nota animantia. ſunt enim omnia in quædam genera partita, aut inchoata, nulla ex parte perfecta. imperfecto autem, nec abſoluto ſimile, pulchrum eſſe nihil poteſt. cujus ergo omne animal quaſi particula quædam eſt, ſive in ſingulis, ſive in diverſo genere cernatur, ejus ſimilem mundum eſſe dicamus. Omnes igitur, qui animo cernuntur, & ratione intelliguntur animantes, complexu rationis, & intelligentiæ, ſicut homines, hoc mundo, & pecudes, & omnia, quæ ſub adſpectum cadunt, comprehenduntur. quod enim pulcherrimum in rerum natura intelligi poteſt, & quod ex omni parte abſolutiſſimum eſt, cùm Deus ſimilem mundum efficere vellet, animal unum, adſpectabile, in quo omnia animalia continerentur, effecit. Rectene igitur unum mundum dixerimus, an ſint plures, an innumerabiles, dictu verius, & melius. Unus profectò, ſiquidem factus eſt ad exemplum. quod enim omneis animanteis eos, qui ratione intelliguntur, complectitur, id non poteſt eſſe cum altero. Rurſus enim alius animans, qui eum contineat, ſit neceſſe eſt, cujus partes ſint, animantes ſuperiores, cœlumque hoc, ſimulacrum illius ultimi ſit, non proximi. Quorum nequid.

quid accideret, atque ut hic mundus eſſet animanti abſoluto ſimillimus, hoc ipſo, quòd ſolus, atque unus eſſet, idcirco ſingularem Deus hunc mundum, atque unigenam procreavit. CORPOREUM autem, & adſpectabile, itemque tractabile omne neceſſe eſt eſſe, quod natum eſt. Nihil porrò, igni vacuum, videri poteſt: nec verò tangi, quod careat ſolido: ſolidum autem nihil, quod terræ ſit expers. Quamobrem mundum efficere moliens Deus, terram primùm, ignemque jungebat. Omnia autem duo ad cohærendum, tertium aliquid requirunt, & quaſi nodum, vinculumque deſiderant. Sed vinculorum id eſt aptiſſimum, atque pulcherrimum, quod ex ſe, atque de his, quæ adſtringit, quàm maximè unum efficit. Id optimè aſſequitur quæ Græcè ἀναλογία, Latinè (*audendum* eſt enim quoniam hæc primùm à nobis novantur) comparatio, proportiove dici po-
5 teſt. Quando enim trium vel numerorum, vel figurarum, vel quorumcumque generum contingit, ut quod medium ſit, uti primum proportione, ita id poſtremo comparetur, viciſſimque ut extremum cum medio, ſic medium cum primo conferatur; id quod medium eſt, tum primum ſit, tum poſtrema verò, & prima media fiunt, ita neceſſitas cogit, ut eadem ſint ea, quæ dejuncta fuerunt. eadem autem cùm facta ſint, efficitur, ut omnia ſint unum. Quòd ſi univerſitatis corpus, planum, & æquabile explicaretur, neque in eo quidquam eſſet requiſitum: unum interjectum medium, & ſe ipſum, & ea, quibus eſſet interpoſitum, colligaret. Sed cùm ſoliditas mundo quæreretur: *ſolida autem omnia uno medio numquam duobus ſemper copulentur:* ita contigit, ut inter ignem & terram, aquam Deus, animamque poneret, eaque inter ſe compararet, & proportione conjungeret, ut quemadmodum ignis, animæ: ſic anima aquæ: quodque anima, aquæ: id aqua, terræ proportione redderet. Qua ex conjunctione cœlum ita aptum eſt, ut ſub adſpectum & tactum cadat. Itaque & ob eam cauſam, & ab iis rebus numero quattuor mundi eſt corpus effectum, ea conſtructum proportione, qua dixi: ex quo ipſe ſe concordi quadam amicitia, & caritate complectitur: atque ita aptè cohæret, ut diſſolvi nullo modo queat, niſi ab eodem, à quo eſt colligatus. Earum autem quattuor rerum, quas ſuprà dixi, ſic in omni mundo omnes partes collocatæ ſunt, ut nulla pars hujuſce generis excederet extrà, atque in hoc univerſa. Id ob eas cauſas, primùm ut mundus animans, poſſit ex perfectis partibus eſſe perfectus: deinde ut unus eſſet, nulla parte, unde alter gigneretur, relicta: poſtremò ne quis morbus eum poſſit, aut ſenectus affligere. OMNIS ENIM COAGMENTATIO corporis, vel calore, vel frigore, vel aliqua impulſione vehementi labefactatur, & frangitur; & ad morbos, ſenectutemque compellitur. Hanc igitur habuit rationem effector mundi, molitorque Deus, ut unum opus totum, atque perfectum ex omnibus totis, atque perfectis abſolveretur;
6 quod omni morbo, ſeniove careret. Formam autem & maximè ſibi cognatam, & decoram dedit. A quo enim animante omneis reliquos contineri vellet animanteis, hunc ea forma figuravit, qua una omnes reliquæ formæ concluduntur: & *globoſus* eſt fabricatus quod σφαιροειδὴς Græci vocant. cujus omnis extremitas paribus à medio radiis attingitur, idque ita tornavit, ut nihil effici poſſit rotundius, nihil ut aſperitatis haberet, nihil offenſionis, nihil inciſum angulis, nihil amfractibus, nihil eminens, nihil lacunoſum: omneſque partes ſimillimæ omnium, quoad ejus præſtabat judicio diſſimilitudini ſimilitudo. Omni autem totam figuram mundi lævitate circumdedit. nec enim oculis egebat, quia nihil extrà, quod cerni poſſet, relictum erat: nec auribus, quia ne quod audiretur quidem: neque erant anima circumfuſa extrema mundi, ut reſpirationem requireret: nec verò deſiderabat aut alimenta corporis, aut detractionem confecti, & conſumti cibi. neque enim ulla deceſſio fieri poterat, neque acceſſio: neque verò erat unde. ita ſe ipſe conſumptione, & ſenio alebat ſui, cùm ipſe per ſe, & à ſe & pateretur, & faceret omnia. ſic enim ratus eſt ille, qui iſta junxit, & condidit, IPSUM SE CONTENTUM ESSE MUNDUM, NEQUE EGERE ALTERO. Itaque nec ei manus affinxit, quia nec capiendum quidquam erat, nec repellendum: nec pedes, nec alia membra, quibus ingreſſus corpore ſuſtineret. motum enim dedit cœlo eum, qui figuræ ejus ſit aptiſſimus, qui unus ex ſeptem motibus mentem, atque intelligentiam cohiberet maximè. Itaque una converſione, atque eadem ipſe circum ſe torquetur, & vertitur. Sex autem reliquos motus ab eo ſeparavit. itaque eum ab omni erratione liberavit. Ad hanc igitur converſionem, quæ pedibus, & gradu non egeret, ingrediendi membra non dedit. Hæc Deus is, qui erat, de aliquando Deo futuro cogitans, lævem eum effecit & undique æquabilem, & à medio ad ſummum parem, & perfectum atque abſolutum ex abſolutis, atque perfectis. Animum autem ut in ejus medio collocavit, ita per totum tetendit: deinde eum circumdedit corpore, & veſtivit extrinſecus: cœloque ſolivago, & volubili, & in orbem incitato complexus eſt, quod ſecum ipſum propter virtutem facilè eſſe poſſet, nec deſideraret alterum; ſatis ſibi ipſum notum & familiare. Sic Deus ille æternus hunc perfectè beatum Deum procreavit. ſed animum haud ita, ut modò locuti ſumus, tum denique, cùm corpus ei effeciſſet, inchoavit. *neque enim eſſet rectum, minori parère majorem.* Sed 7
nos multa conſideratè, ac temerè dicimus. Deus autem & ortu, & virtute antiquiorem genuit animum, eumque ut dominum, atque imperantem, obedienti præfecit corpori: idque molitus tali quodam eſt modo. Ex materia, quæ individua eſt, & quæ ſemper unius modi, ſuique ſimilis, & ex ea, quæ corporibus dividua gignitur, tertium materiæ genus ex duobus in medium admiſcuit, quod eſſet ejuſdem naturæ: & quod alterius: idque interjecit individuum, atque id, quod dividuum eſſet in corpore. Ea cum tria ſumſiſſet, unam in ſpeciem temperavit: naturamque illam, quam alterius diximus, vel cum eadem conjunxit, fugientem, & ejus copulationis alienam, permiſcens cum materia, cùm ex tribus effeciſſet unum, id ipſum in ea, quæ decuit, membra partitus eſt. Jam parteis ſingulas ex eodem, & altero, & ex materia temperavit. Fuit autem talis illa partitio. Unam principio partem detraxit ex toto. ſecundam autem primæ partis duplam: deinde tertiam, quæ eſſent ſecundæ ſeſquialtera, primæ tripla: deinde quartam, quæ ſecundæ dupla eſſet: quintam inde, quæ tertiæ tripla: tum ſextam octuplam primæ: poſtremò ſeptimam, quæ ſeptem, & viginti partibus antecederet primæ. Deinde inſtituit dupla, & tripla intervalla explere, parteis rurſus ex toto deſecans: quas intervallis ita locabat, ut in ſingulis eſſent bina media: vix enim audeo dicere *medietates.* quas Græci μεσότητας appellant: ſed quaſi ita dixerim, intelligatur: erit enim planius: earum alteram, eadem parte præſtantem extremis, eademque ſuperatam: alteram pari numero præſtantem extremis, parique numero ſuperatam. Seſquialteris autem intervallis, & ſeſquitertiis, & ſeſquioctavis ſumtis ex his colligationibus in primis intervallis, ſeſquioctavo intervallo, ſeſquitertia omnia explebat, cùm particulam ſingulorum relinqueret. Ejus autem particulæ intervallo habebat numerus ad numerum eandem proportionem, comparationemque in extremis, quam habent CCLVI. cum CCXLIII. atque ita permiſtum illud, ex quo hæc ſecuit, jam omne conſumſerat. Hanc igitur omnem conjunctionem, duplicem in longitudinem diffidit: mediæque accommodans mediam, quaſi decuſſavit: deinde in orbem torſit, ut & ipſæ ſecum, & inter ſe, ex commiſſura, quæ è regione eſſet, jungerentur: eoque motu, cujus orbis ſemper in eodem erat, eodemque modo ciebatur, undique eſt eas circumplexus. Atque ita cùm alterum eſſet exteriorem amplexus orbem: illum, ejuſdem naturæ: hunc, alterius nominavit: eamque, quæ erat ejuſdem, detorſit à latere in dextram partem: hanc autem citimam, à media linea direxit ad lævam: ſed principatum dedit ſuperiori, quam ſolam individuam reliquit. Inte-

riorem

riorem autem cùm in ſex parteis diviſiſſet, ſeptem orbeis diſpares, duplo, & triplo intervallo moveri juſſit, contrariis inter ſe curſibus. eorum autem trium fecit pareis celeritates: ſed quattuor, & inter ſe diſpareis, & diſſimileis
8 trium reliquorum. Animum igitur cùm ille procreator mundi Deus ex ſua mente, & divinitate genuiſſet; tum denique omne, quod erat concretum, atque corporeum, ſubſternebat animo, interiuſque faciebat; atque ita medio medium accommodans copulabat. Sic animus à medio protectus, extremitatem cœli à ſuprema regione rotundo ambitu circumjecit, ſeſeque ipſe verſans, *divinæ*, *ſempiternæ*, *ſapientiſque vitæ induxit exordium*. Et corpus quidem cœli ſpectabile effectum eſt, animus autem oculorum effugit obtutum. Eſt autem animus ex omnibus, rationis, contentionis (ἁρμονία Græcè) ſempiternarum rerum, & ſub intelligentiam cadentium compos, & particeps; quo NIHIL AB OPTIMO, & præſtantiſſimo genitore melius procreatum. quippe qui ex eadem vinctus, alteraque natura, adjuncta materia, temperatione trium partium: proportione compacta, ſe ipſe converſans, cùm materiam mutabilem arripuiſſet, & cùm rurſus individuam, atque ſimplicem, per quam omnis movetur, diſcernitque, quid ſit ejuſdem generis, & alterius, & cetera dijudicat, quid cuique rei ſit maximè aptum, quid quoque loco, aut modo, aut tempore contingat: quæque diſtinctio ſit inter ea, quæ gignantur, & ea, quæ ſint ſemper eadem. Ratio autem vera, quæ verſatur in iis, quæ ſunt ſemper eadem, & in iis, quæ mutantur, cum in eodem; & in altero movetur ipſa per ſe ſine voce, & ſine ullo ſono, cùm eandem partem attingit, qua ſenſus cieri poteſt: orbis illius generis alterius immutatus, & rectus omnia animo, mentique denuntiat: tum opiniones, adſcenſioneſque firmæ, veræque gignuntur. Cum autem in illis rebus vertitur, quæ manentes ſemper eædem, non ſenſu, ſed intelligentia continentur; tum intelligentia ſcientiaque neceſſario efficitur.

Deſunt multa.

9 Ratione igitur & mente divina, *ad originem temporis*, curriculum inventum eſt ſolis & lunæ, **** Corpora autem eorum ſingulorum cùm effeciſſet deus, ea ad eas converſiones collocavit, quas alterius circuitus conficiebat, quæ ſunt ſeptem, ut & illa ſeptem: ita vim ſuam natura convertit, ut terram lunæ curſus proximè ambiret, eique ſupra terram proxima ſolis circumvectio eſſet. Lucifer deinde, & ſancta Mercurii ſtella curſum habent ſolis celeritati parem, ſed vim quandam contrariam: eaque converſione, quam inter ſe habent Lucifer, Mercurius, Sol, alii alios vincunt, viciſſimque vincuntur. Reliquorum ſiderum quæ cauſa collocandi fuerit, quæque eorum ſit collocatio, in ſermonem alium differendum eſt, ne in eo, quod attingendum fuit, quàm in eo, cujus cauſa id attigimus, longior ponatur oratio. Quando igitur unumquodque eorum ſiderum curſum decorum eſt adeptum, è quibus erat *motus temporis* conſignandus: colligatiſque corporibus vinculis animalibus, tum animantia orta ſunt: eaque imperio parêre didicerunt: tunc ex alterius naturæ motione tranſverſa, in ejuſdem naturæ motum incurrentia, in eoque hærentia, atque impedita, cùm alia majorem luſtrarent orbem, alia minorem, tardiuſque majorem, celeriuſque minorem, motu verò unius, ejuſdemque naturæ: quæ velociſſimè movebantur, ea celeritate vinci à tardioribus, & cùm ſuperabant, ſuperari videbantur. omnis enim orbis eorum quaſi facilitatis inflexione vertebatur: quam bifariam contrariè ſimul procedentia efficiebat, ut quod eſſet tardiſſimum, id proximum fieret celerrimo. At ut eſſet menſura quædam evidens, quæ in iſtis octo curſibus celeritates, tarditateſque declaret: Deus ipſe ſolem, quaſi lumen, accendit ad ſecundum ſupra terram ambitum, ut quam maximè cælum omnibus collucerer, animanteſque, quibus jus eſſet doceri, ab ejuſdem motu, & ab eo, quod ſimile eſſet, numerorum naturam, vimque cognoſcerent.

Nox igitur, & DIES ad hunc modum, & ob has generata cauſas, unum circuitum orbis efficit ſapientiſſimum, atque optimum; menſis autem, quando luna luſtrato ſuo curſu ſolem conſecuta eſt: annus, ubi ſol ſuum totum confecit, & peragravit orbem. Ceterorum autem ſiderum ambitus ignorantes homines, præter admodum paucos, neque nomen appellant, neque inter ſe numero commetiuntur. itaque neſciunt, hos ſiderum errores, id ipſum eſſe, quod ritè, dicitur tempus, multitudine infinita, varietate admirabili præditos. Attamen illud perſpici, & intelligi poteſt, abſoluto, perfectoque numero temporis, abſolutum, perfectumque annum, tunc compleri denique, cùm ſe octo ambitus, confectis ſuis curſibus, ad idem caput retulerunt, cumque eos permenſus eſt idem, & ſemper ſui ſimilis orbis. Has igitur ob cauſas nata ASTRA ſunt, quæ per cælum penetrantia ſolſtitiali ſe, & brumali revocatione converterent: ut hoc omne animal, quod videmus, eſſet illi animali, quod ſentimus, ad æternitatis imitationem ſimillimum.
Et cetera quidem uſque ad temporis ortum 10
impreſſa ab illis, quæ imitabatur, effinxerat: ſed quia nondum omne animal in mundo intus incluſerat, ex ea parte deficiebat ad propoſitum exemplar imaginis ſimilitudo. Quot igitur, & qualeis animalium formas mens, in ſpeciem rerum intuens, poterat cernere, totidem, & taleis in hoc mundo ſecum cogitavit effingere. Erant autem *animantium genera quattuor*: quorum unum divinum, atque cœleſte: alterum pennigerum, & aërium: tertium aquatile: terreſtre, quartum. Divinæ animationis maximè ſpeciem faciebat ex igne, ita ut ſplendidiſſimus eſſet, & adſpectu pulcherrimus. cumque ſimilem univerſitatis naturæ efficere vellet, ad volubilitatem rotundavit, comiteque eum ſapientia quàm optimæ mentis effecit, circumque cœlum æqualiter diſtribuit, ut hunc hac varietate diſtinctum benè Græci κόσμον, nos *lucentem mundum* nominaremus. Dedit autem divinis duo genera motus: unum, quod ſemper eſſet in eodem æquè, & idem in omnibus, atque uno modo celeraret: alterum, quod in anticam partem à converſione ejuſdem, & ſimilis pelleretur. Quinque autem reliquis motibus orbem eum eſſe voluit expertem, immobilem, & ſtantem. Ex quo genere ea ſunt ſidera, quæ infixa cœlo non moventur loco: quæ ſunt animantia: eaque divina, ob eamque cauſam ſuis ſedibus inhærent, & perpetuò manent. Quæ autem vaga, & mutabili ratione labuntur, ita generata ſunt, ut ſuprà diximus. Jam verò *terram*, *altricem noſtram*, quæ trajecto axe ſuſtinetur, diei, noctiſque effectricem, eamdemque cuſtodem, antiquiſſimam deorum voluit eſſe eorum, qui intra cœlum gignerentur. Flexiones autem deorum, & inter ipſos deos concurſiones, quæque in orbibus eorum converſiones, anteceſſioneſque eveniant, cumque inter ſe pænè contingant, eos, qui propè copulentur contraria regione, & pone quos, aut ante labantur, quibuſque temporibus à noſtro adſpectu obliteſcant, rurſuſque emerſi errorem incutiant rationis expertibus, ſi verbis explicare conemur, nullo poſito ſub oculis ſimulacro, earum rerum fruſtra ſuſcipiatur labor. Sed hæc ſatis ſint dicta nobis. quæ de deorum, qui cernuntur, quique orti ſunt, natura præfati ſumus, habeant hunc terminum.
Reliquorum autem, quos Græci δαίμονας appellant, 11
noſtri (opinor) *Lares*, ſi modò hoc rectè converſum videri poteſt, & noſſe, & nuntiare ortum eorum, majus eſt, quam ut profiteri ſcribere nos audeamus. Credendum nimirum eſt veteribus & priſcis, ut ajunt viris, *qui ſe progeniem deorum eſſe dicebant*. itaque eorum vocabulo nobis prodiderunt. noſſe autem generatores ſuos optimè poterant: ac *difficile factu eſt*, *a diis ortis*, *fidem non habere*; quamquam nec argumentis, nec rationibus certis eorum oratio confirmatur: ſed quia de ſuis rebus notis videntur loqui, VETERI LEGI, MORIQUE PARENDUM EST. Sic igitur, ut ab his eſt traditum, horum deorum ortus habeatur, atque dicatur, ut Oceanum, Salaciamque Cæli ſatu, Terræque conceptu generatos, editoſque memoremus: ex his

Pnor-

Phorcyn, Saturnum, & Opem: deinceps Jovem, atque Junonem, reliquos, quos fratres inter ſe, agnatoſque uſurpare, atque appellare videmus, & eorum, ut utamur veteri verbo, *proſapiam.* Quando igitur omnes, & qui, moventur, palamque oſtenduntur, & qui eatenus nobis declarantur, quo ipſi volunt, creati ſunt: tum ad eos is Deus, qui omnia genuit, fatur. HÆC vos, qui deorum ſatu orti eſtis, attendite: quorum operum ego parens, effectorque ſum, quæ per me facta, non ſunt diſſoluta, me invito: quamquam omne colligatum ſolvi poteſt: ſed *haud quaquam boni eſt, ratione vinctum velle diſſolvere.* Sed quoniam orti eſtis, immortales vos quidem eſſe, & indiſſolubiles non poteſtis: neutiquam tamen diſſolvemini, nec vos ulla mortis fata periment, *nec fraus valentior, quam conſilium meum,* quod majus eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram, quàm illa, quibus eſtis tum, cùm gignebamini, colligati. Quid ſentiam igitur, cognoſcite. Tria nobis genera reliqua ſunt, eaque mortalia: quibus prætermiſſis, cæli abſolutio perfecta non erit. omnia enim genera, animalium complexu non tenebit: teneat autem oportebit, ut eodem ne quid abſit, quæ à me ipſo effecta ſint, quod deorum vitam poſſit adæquare. Ut igitur mortali generentur conditione, vos ſuſcipite, ut illa gignatis, imiteminique vim meam, qua in veſtro ortu me uſum eſſe meminiſtis: in quibus qui tales creantur, ut deorum immortalium quaſi gentiles eſſe debeant, divini generis appellentur, teneantque omnium animantium principatum vobiſque jure & lege *volentes pareant:* quorum vobis initium, ſtatuſque traditur à me: vos autem ad id, quod erit immortale, partem attexitote mortalem. Ita orientur animantes, quos & vivos alatis & con-
12 ſumtos ſinu recipiatis. Hæc ille dixit. Deinde ad temperationem ſuperiorem revertit: in qua omnem animum univerſæ naturæ temperans permiſcebat, ſuperiorique permixtionis reliquias fundens æquabat, eodem modo fermè, niſi quòd non ita incorruptas, ut ea, quæ ſemper idem. ſed à diis ſecundum ſumebat, atque tertium. Toto igitur omnino conſtituto, ſideribus parem numerum diſtribuit animorum, & ſingulos adjunxit ad ſingula, atque ita quaſi IN CURRUM UNIVERSITATIS impoſuit, commonſtravitque *leges fataleis,* ac neceſſarias, & oſtendit primum ortum unum fore omnibus, eumque moderatum, atque conſtantem, nec ab ullo imminutum: ſatis autem, & quaſi ſparſis animis, fore uti certis temporum intervallis oriretur animal, quod eſſet *ad cultum Deorum aptiſſimum.* Sed cum duplex eſſet natura generis humani, ſic ſe res habebant, ut præſtantius genus eſſet eorum, qui eſſent futuri *viri.* Cùm autem animis corpora cum neceſſitate inſeviſſet, cùmque ad corpora neceſſitate tum acceſſio fieret, tum abſceſſio, neceſſe erat, ſenſum exſiſtere unum, communemque omnium vehementiore motu excitato, conjunctioque naturæ: deinde voluptate, & moleſtia mixtum amorem: pòſt iram, & metum, & reliquos motus animi, comites ſuperiorum, & his etiam contrarios diſſidenteis: quos qui ratione rexerit, juſtè vixerit: qui autem his ſe dediderit, injuſtè. Atque ille, qui rectè, & honeſtè curriculum vivendi à natura datum confecerit ad illud aſtrum, quo cum aptus fuerit, revertetur. qui autem immoderatè & intemperatè vixerit, eum ſecundus ortus in *figuram muliebrem* transferet. & ſi ne tum quidem finem vitiorum faciet: gravius etiam jactabitur, & in ſuis moribus ſimillimas figuras pecudum, & ferarum transferetur: neque malorum terminum prius adſpiciet, quàm illam ſequi cœperit converſionem, quam habebat in ſe ipſe, ejuſdem, & unius, ſimul innatam, & inſitam. Quod tum eveniet, cùm illa, quæ ex igne, aëre, aqua, atque terra, turbulenta, & rationis expertia inſederint, denique ratione depulerint, & ad pri-
13 mam, atque optimam affectionem animi pervenerint. Quæ cùm ita deſignaſſet, ſeſeque, *ſi quid poſtea fraudis, aut vitii eveniſſet, extra omnem culpam, cauſamque poſuiſſet:* alios in terra, alios in luna, alios in reliquas mundi parteis, quæ ſunt ad ſpatiorum temporis ſignificationem notæ conſtitutæ, ſpargens quaſi ſerebat. Poſt autem ſationem eam *diis,* ut ita dicam, *junioribus* permiſit, ut corpora mortalia effingerent, quantumque eſſet reliquum ex humano animo, quod deberet accedere, id omne, & quæ ſequentia eſſent, perpolirent, & abſolverent: deinde ut huic animanti principem ſe, ducemque præberet, vitamque ejus pulcherrimè regeret, & gubernaret: niſi quatenus ipſe benefactus ſua culpa ſibi aliquid miſeriæ quæreret. Atque is quidem, qui cuncta compoſuit, *conſtanter in ſuo manebat ſtatu.* qui autem erant ab eo creati, cùm parentis ordinem cognoviſſent, hunc ſequebantur. Itaque cùm accepiſſent immortale principium mortalis animantis, *imitantes genitorem,* & effectorem ſui, particulas ignis, & terræ, & aquæ, & aëris à mundo, quas rurſus redderent, mutuabantur, eaſque inter ſe copulabant, haud iiſdem vinculis, quibus ipſi erant colligati, ſed talibus, quæ cerni non poſſent propter parvitatem, crebris quaſi cuneolis injectis unum efficiebant ex omnibus corpus: itemque in eo influente atque effluente animo divino ambitus illigabant. Itaque illi in flumen immerſi, neque tenebant, neque tenebantur. ſed vi magna tum ferebant, tum ferebantur. Ita totum animal movebatur illud quidem, ſed immoderate, & fortuitu, ut ſex motibus veheretur. nam & antè, & ponè, ad levam, & ad dextram, & ſurſum, & deorſum, modò huc, modò illuc.

ſex oras, regioneſque verſus errans procedebat,

Deſunt nonnulla.

Jam verò earum imaginum, quæ finguntur, & redduntur in ſpeculis, eorumque, quæ ſplendida, & lævia ſunt, rationem perſpicere, haud difficile eſt. Nam ex ignis utriuſque externi, atque interni communione inter ipſos, cùm unus per ſingulas parteis effectus, & multis modis concors & aptus redditus in lævore conſedit.

Sed ſi in ſplendore conſedit: tum vel eadem ſpecies, vel 14
interdum immutata redditur.

omniaque hujuſmodi neceſſariò in ſpeculo referuntur,

cùm ignis oculorum cùm eo igne, qui eſt ob os offuſus.

in re levi, & ſplendida,

ſe confudit, & contulit. Dextra autem videntur, quæ læva ſunt, quia contrariis partibus oculorum, contrarias parteis attingunt.

præter morem uſitatum adjectionis, & commiſſuræ.

Reſpondent autem dextra dextris, læva lævis converſione luminum, cùm ea inter ſe non cohæreſcunt. Id fit, cùm ſpeculorum lævitas hinc, illincque altitudinem aſſumſit, & ita dextra detruſit in lævam partem oculorum, lævaque in dextram. Supina etiam ora cernuntur depulſione luminum: quæ convertens inferiora reddit, quæ ſunt ſuperiora. Atqui hæc omnia ex eo genere ſunt, quæ rerum adjuvant cauſas. Quibus utitur miniſteriis Deus, cùm optimi ſpeciem, quoad fieri poteſt, efficit. Sed exiſtimant plerique non hæc adjuvantia cauſarum, ſed has ipſas eſſe omnium cauſas, quæ vim habeant frigoris, & caloris: concretionis, & liquoris: careant autem omni intelligentia, atque ratione, quæ, niſi in animo nulla alia in natura reperiantur. Animus autem ſenſum omnem effugit oculorum. At ignis, & aqua, & terra, & aër, corpora ſunt, eaque cernuntur. Illum autem, qui intelligentiæ, ſapientiæque ſe amatorem profitetur, neceſſe eſt, intelligentis, ſapientiſque naturæ

primas

primas cauſas conquirere? deinde ſecundas cauſas rerum earum, quæ neceſſariò movent alias, cùm ipſæ ab aliis moventur. Quocirca nobis ſic cerno eſſe faciendum, ut de utroque nos quidem dicamus genere cauſarum, ſeparatim autem de iis, quæ cùm intelligentia ſunt efficientes pulcherrimarum rerum, atque optimarum: & de iis, quæ vacantes prudentia, inconſtantia, perturbataque efficiunt. Ac de oculorum quidem cauſis, ut haberent eam vim, quam nunc habent, ſatis fermè eſſe dictum puto. Maxima autem eorum utilitas donata humano generi deorum munere deinceps explicetur. *Rerum enim optimarum cognitiones nobis oculi attulerunt.* Nam hæc, quæ eſt habita de Univerſitate oratio à nobis, haud umquam eſſet inventa, ſi neque ſidera, neque ſol, neque cælum ſub oculorum adſpectum cadere potuiſſent. Nunc verò dies, noctesque oculis cognitæ, tum menſium, annorumque converſiones ad numerum machinatæ ſunt, & ſpatium temporis demenſæ ſunt, & ad quæſtionem totius naturæ impulerunt. quibus ex rebus *philoſophiam* adepti ſumus: quo bono nullum optabilius, nullum præſtantius, neque datum eſt mortalium generi deorum conceſſu, atque munere, neque dabitur.

Multa deſiderantur.

M. TULLII CICERONIS PHÆNOMENΩN EX ARATO, FRAGMENTA.

CIC. 2. leg.] *Ab JOVE muſarum primordia.*
LACT.] *Malebant tenui contenti vivere cultu.*
LACT.] *Et Jovis in regno, cæliqne in parte reſedit.*
CIC. 2. Nat. Deor.] *Cetera labuntur celeri caleſtia motu.*
Cum cæloque ſimul noctesque dieſque feruntur.
Extremuſque adeò duplici de cardine vertex
Dicitur eſſe Polus. *
Ex his altera apud Graios Cynoſura vocatur,
Altera dicitur eſſe Helice. *
Quas noſtri Septem ſoliti vocitare triones.
Hac fidunt duce nocturna Phœnices in alto.
Sed prior illa magis ſtellis diſtincta refulget,
Et latè prima confeſtim à nocte videtur.
Hæc verò parva eſt, ſed nautis uſus in hac eſt.
Nam curſu interiore brevi convertitur orbe.
Has inter, veluti rapido cum gurgite flumen,
Torvu' Draco ſerpit [1] *ſubter, ſupraque revolvens*
Seſe, conficienſque ſinus è corpore flexos.
Huic non una modo caput ornans ſtella relucet,
Verùm tempora ſunt duplici fulgore notata,
E trucibuſque oculis duo fervida lumina flagrant,
Atque uno mentum radianti ſidere lucet:
[2] *Obſtipum caput & tereti cervice reflexum.*
[3] *Obtutum in cauda majoris figere dicas.*
Quod caput hic paullum ſeſe, ſubitoque recondit,
[4] *Ortus ubi atque obitus partem admiſcentur in unam.*
Id autem caput *
[5] *Attingens defeſſa velut mœrentis imago*
Vertitur. * quam quidem Græci
E'γγόνασιν vocitant, genibus quòd nixa feratur.
Hic illa eximio poſita eſt fulgore corona.
propter, caput Anguitenentis,
Quem claro perhibent ὀφιοῦχον nomine Graii.
Huic ſupera duplices humeros affixa videtur.
Stella micans, tali ſpecie, talique nitore.
Hic preſſu duplici palmarum continet Anguem,
Ejus & ipſe manet religatus corpore toto.
Namque virum medium Serpens ſub pectora cingit,
Ille tamen nitens graviter veſtigia ponit,
Atque oculos urget pedibus, pectuſque Nepai.
Septemtriones ſequitur
Arctophylax vulgò qui dicitur eſſe Bootes.
Quòd quaſi temone adjunctam præ ſe quatit Arcton.
Huic Booti
* *ſubter præcordia fixa tenetur*
Stella micans radiis, Arcturus nomine claro.
* cui ſubjecta fertur
Spicum illuſtre tenens ſplendenti corpore Virgo.
Ferrea tum verò proles exorta repentè eſt:
[6] *Auſaque funeſtum prima' ſt fabricarier enſem,*

Et

1. *Subter ſupraque revolvens.*] Priſcianus, ut notat, quoque Hugo Grotius, *retorquens.*

2. *Obſtipum caput.*] Confuſum in hac voce cenſet Feſtum CL. Grotius; ſed quid eſſet *Obſtipum* ipſe parùm enucleatè tradit. Non enim *Obſtipum ſimpliciter* λοξὸν eſt, aut *Obſtipum caput in* alterum humerum reclinatum. Dupliciter invenio *Obſtipum* uſurpari & quidem contrario modo. Obſtipi ſunt ἐπικεκυφότες, quales deſcribit Perſius Satyra IV. verſ. 18.

Non ego curo
Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſique Solones
Obſtipo capite & figentes lumine terram,
Murmura cum ſecum & rabioſa ſilentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantes verba labello.

Et Plautus Bacchid. Act. IV. ſc. 4.

Num qui nummi exciderunt, here tibi, quod ſic terram
Obtuêre?

Et Lucianus Timone: Καρύκης τὸ γένειον ἀνάπλεως, κυνυδὸν ἐμφορούμενος, ἐπικεκυφὼς καθάπερ ἐν τοῖς λοπάσι τὴν ἀρετὴν εὑρήσειν προσδοκῶν. Nam ibi alludit ad meditationes Philoſophorum vultus in terram dejicientium. Sic Horatius ſervum Comicum vult Obſtipum, hoc eſt, ἐπικεκυφότα & dolos Sycophantiaſque quaſi è terræ obtutu colligentem:

Sis Davus Comicus, atque
Stes capite obſtipo. Ad ſuperiora verba Perſii illuſtranda pertinet locus Luciani Timone: ubi amaro ſale Philoſophos lamberat: Ἐκπετάσας γοῦν τὸν πώγωνα, καὶ τὰς ὀφρῦς ἀνατείνας, καὶ βρενθυόμενός τι πρὸς αὐτὸν, τιτανῶδες βλέπων, ἀνασεσοβημένος τὴν ἐπὶ τῷ μετώπῳ. Idem Lucianus de obſtipo Philoſophorum obtutu ἐπινεύειν dixit Hermotimo, qui videatur. Jam notum eſt quid ſit *obſtipum caput.* Sed Cicero *obſtipum* videtur accepiſſe ἀνακεκυφότα, retrò flexum, non ut volunt, in alterum humerum inclinatum, ſicut & Licinius Imbrex, quem laudat Grotius ex Feſto.

Reſupinæ obſtipo capitulo ſibi ventum fecere caniculæ.

3. *Obtutum in caudâ majoris figere dicas.*] Grotius mavult, *in caudam*, quia apud Aratum ἄκρην εἰς ἑλίκης οὐρὴν: ſequentem verò verſum ita conſtituit,

Hoc caput hoc paullum ſeſe ſubito æquore condit.

Ex conjecturâ pateret aliâ; ſed quorſum hæc argutandi mihi ineptia?

4. *Ortus ubi atque obitus partim admiſcentur in unam.*] Apud Hyginum, ut notat quoque Grotius, paullò aliter leguntur: *parte admiſcentur in una.* alii item, *partem miſcentur in unam.*

5. *Attingens defeſſa.*] CL. Grotius quò cohærent Ciceroniani interpolationi ſuæ, repoſuit *quod tangens*: quod permitti illi neceſſitati poteſt. Nos & hîc & poſtea, ut à Cicerone ipſo ſervati ſunt, diſceſſuri non ſumus.

6. *Auſaque funeſtum prima' ſt fabricarier enſem.*] Grotius notat *Funeſtum enſem* dictum à Cicerone μάχαιραν κακόεργον καὶ δεινοεῖην: quemadmodum Aratus extulit. Sed *funeſtus enſis* ſicut *funeſtum*

bellum

Et guſtare manu victum, domitumque juvencum.
Et natos geminos inviſes ſub caput arcti.
Subjectus media eſt Cancer : pedibuſque tenetur
Magnu' leo tremulam quatiens è corpore flammam.
Hoc motu radiantis Eteſiæ in vada Ponti,
Navibus aſſumtis fluitantia quærere pluſtra.
auriga
Sub læva geminorum obductus parte feretur.
7 *Adverſum caput huic Helice truculenta tuetur.*
At Capra lævum humerum clara obtinet. *
Verum hæc eſt magno atque illuſtri prædita ſigno.
Contrà, hædi exiguum jaciunt mortalibus ignem.
cujus ſub pedibus *

Corniger eſt valido connixus corpore Taurus,
Has Græci ſtellas ὑάδας *vocitare ſuerunt.*
Namque ipſum ad tergum Cynoſuræ vertitur arcti.
* hunc antecedit
Obſcura ſpecie ſtellarum Caſſiepeia.
Hanc autem illuſtri verſatur corpore propter
Andromeda, aufugiens adſpectum mœſta parentis.
Huic equus ille jubam quatiens fulgore micanti
Summa contingit caput alvo ſtellaque jungens
Una tenet duplices communi lumine formas,
8 *Æternum ex aſtris cupiens connectere nodum.*

Exin contortis Aries cum cornibus hæret.

---

bellum, funeſtus Mars βρωτολοιγὸς, hoc eſt, ἀνθρωποφθορὴς, ἀνθρωποκτόνος, αἱμαλοιχὸς. Ad hunc modum Scholiaſtes Sophoclis ad Electram dixit ξίφος τὸ ἠκονημένον εἰς αἷμα καὶ φόνον. Fabius Quintilianus lib. III. cap. 2. *Niſi quis dicit etiam gladium fabricatum ab eo prius qui ferrum in tutelam, quàm qui in perniciem alterius comparavit.* Hæc obiter.

7. *Adverſum caput huic Helice truculenta tuetur.*] Grotius contra codices pertendit *Huic Helicæ.* Verſu proximo : quia alii agnoſcunt *humero* non *humerum*, illi legendum videtur : *At capra lævo humero clara obnitet.* præclarè.

2. *Æternum ex aſtris.*] Ita omnes codices atteſtante Grotio: malit tamen ille, *Ætherium ex aſtris cupiens connectere nodum.* Quia alibi,

Quam veteres ſoliti cæleſtem dicere nodum.

ARATI PHÆNOMENA,
A M. TULLIO CICERONE ADOLESCENTE LATINA FACTA.

1 *E quibus hinc ſubter poſſis cognoſcere fultum,*
2 *Jam cæli mediam partem terit, ut prius illa*
Chelæ, quum pectus quod cernitur Orionis.
Et propè conſpicies parvum 3 *ſub pectore claro*
Andromedæ ſignum, Deltôton dicere Graii
Quod ſoliti ſimili quia forma littora claret :
Huic ſpatio ductum ſimili latus exſtat utrumque.
At non tertia pars lateris : 4 *nam non minor illis,*
Sed ſtellis longè denſis præclara relucet.
Inferior paullo poſt Aries, & flamen ad Auſtri
Inclinatior, atque etiam vehementius illo
Piſces, quorum alter paullo prælabitur antè,
Et magis horriſonis Aquilonis tangitur auris.

Atque horum è caudis duplices velut eſſe catenæ
5 *Dicuntur, ſua diverſæ per lumina ſerpunt :*
Atque una tandem in ſtella communiter hærent,
Quam veteres ſoliti cæleſtem dicere Nodum.
Andromedæ 6 *lævo ex humero ſi quærere perges,*
Appoſitum poteris ſuprà cognoſcere Piſcem.
7 *E pedibus vatum ſummo natus Jove Perſeus,*
Quos humeris retinet defixo corpore Perſeus :
Quem ſumma ab regione Aquilonis flamina pulſant.
Hic dextram ad ſedes intendit Caſſiepeæ,
Diverſoſque pedes vinctos talaribus aptis
8 *Pulverulentus uti de terra lapſu' repentè*
In cælum victor magnum ſub culmine portat.

At

---

1. E *Quibus hinc ſubter poſſis cognoſcere fultum.*] Grotius mavult, *E quibus hunc* ; teſtatur alias editum eſſe *huic* : Turnebus lib. VIII. cap. 17. Adverſ. emendat.

Cominus hanc ſubter, ut intelligatur eſſe ſub Andromedæ Zonâ. Nam *fultum* poſitum dixit, Græce eſt ἐρείδω. Hæc ille. Sed vulgatam lectionem tuetur in editione ſuâ Petrus Victorius.

2. *Jam cæli mediam.*] Contra codices legit Hugo Grotius, *nam cæli*, & ſequentia ita legit :

Ut prius illæ
Chelæ, tum pectus quoque cernitur Orionis.

Sed Turnebus legit, *quà cernitur.* obſervatque ab Cicerone eleganter Ζώνην *pectus* converti. Vulgo & in Victorii eſt editione, *quum pectus.*

3. *Sub pectore claro Andromedæ.*] V. c. *claræ.*

4. *Namque eſt minor illis.*] Sic vetus codex, Turnebus, Grotius. cum ſcribat Aratus, ἠδ᾽ ἔτι τόσον. Victorii & vulgatæ editiones : *nam non minor illis.*

5. *Dicuntur ſua diverſa per lum. ſerp.*] CL. Puteanus Senator Regius notat in hoc verſu diſcrepare vulgatos libros à vetuſtis, qui tamen nec ipſi inter ſe conſentiunt. Unum verò habere, *diſceſſuque diu verſæ* : alterum, *Dices quæ diu diverſæ per lumina.* Producit deinde impreſſionis primæ lectionem, *dices aut diverſæ.* Ex quibus putat vulgatam ſubdititiam eſſe, neque tamen habet quod reponat. Viderint ocioſi & curioſi. Mihi neque opera eſt, neque hæc vel tanti ſunt.

6. *Lævo ex humero ſi quæſere perges.*] Ita alii ediderunt ἀρχαϊκῶς ; quod non valde probat Grotius. Aldina editio, quemadmodum & Victorii, *ſi quà exere*, unde Lambinus in ſua editione *ſi quærere perges*, quod præfert idem Grotius. Hic locus me admonet Propertii mei, qui ob idem verbum obtorto collo in dubii aleam à Criticis noſtris raptatus eſt lib. 1. Eleg. 17.

Quàm ſic ignotis circumdata litora ſilvis
Cernere & optatos quærere Tyndaridas.

Vir Magnus contra Douſam *quærere* hic capit pro *requirere & inveſtigare oculis* ex illo Albinovani in Mœcenatis obitum. *quærebat amatæ Conjugis amplexus.* Sed ego malim cum Douſâ *quærere* pro *quæſere.* Quæruntur Dii, cum invocantur & opes illorum advocantur. Notus eſt ex ſacris idiotiſmus Hebræorum, *quærere Dominum* ſeu *Jehovam.* Sumpſit hoc obſtruſum loquendi ornamentum ex Græciâ. Sic invenio apud Pindarum μαστεύειν pro αἰτεῖν Pyth. III. elegantiſſimo & ſaluberrimo monito :

Χρὴ τὰ ἐοικότα πὰρ
Δαιμόνων μαστευέμεν θνυταῖς φρεσὶ,
Γνόντας τὸ πὰρ ποδὸς, οἵας εἰμὲν αἴσας.

Ubi quoque aptiſſimè interpres μαστευέμεν enucleat αἰτεῖν. *Optati* verò *Tyndaridæ*, vel εὐκταῖοι ſunt, vel ἄξιοι εὐχῆς. Gloſſ. εὐκταῖος, *optatus, votivus.* Sic Euripidi Λήθη εὐκταῖος θεὸς τοῖς δυστυχοῦσιν appellatur. convenit cum τῷ *quærere optatus*, hoc eſt, in auxilium vocatus, imploratus votis. Plaut. Aulular. act. 3. ſc. 1. *optati cives.*

7. *E pedibus vatum ſummo natus Jove Perſeus.*] Hæc eſt lectio Victoriana, quam ſecutus quoque Lambinus eſt. Aldina editio, notante Grotio :

E pedibus vatum ſummo Jove Perſeus es.

veram judicat hanc : *E pedibus natum ſummo Jove Perſea viſes*, quam ex vetere codice nos quoque admiſimus. Turnebus legendum cenſet, *E pedibus varum*, quòd non tàm legiſſe videtur Cicero γαμψοῦ quàm σκαμβοῦ.

8. *Pulverulentus uti de terrâ lapſu' videtur.*] Turnebus hos verſus ita legendos & diſtinguendos arbitratur.

Diverſoſque pedes vinctos talaribus aptis
Pulverulentus uti, de terrâ lapſu' repente

In

At propter lævum genus omni ex parte locatas
Parvas Vergiliai tenui cum luce videbis.
Hæ ſeptem vulgo perhibentur more vetuſto
Stellæ, cernuntur verò ſex undique parvæ.
At non interiiſſe putari convenit unam:
Sed fruſtrà temere à vulgo ratione ſine ulla
Septem dicier, ut veteres ſtatuêre poetæ,
Æterno cunctas ævo qui nomine dignant,
Alcyone, Meropeque, Celæno, Taygeteque,
Electra, Steropeque ſimul ſanctiſſima Maia.
Hæ tenues parvo labentes lumine lucent:
At magnum nomen ſigni, clarumque vocatur,
[1] Propterea quòd & æſtatis primordia claret,
Et poſt hiberni præpandens temporis ortus
Admonet ut mandent mortales ſemina terris.
[2] Inde Fides leviter poſita & convexa videtur,
Mercurius [3] parvus manibus quam dicitur olim
Infirmus fabricatus in alta ſede locaſſe.
Quæ genus ad lævum Nixi delapſa reſedit,
Atque inter flexum genus, & caput Alitis hæſit.
Namque eſt Ales avis lato ſub tegmine cæli
Quæ volat, & ſerpens geminis ſecat aëra pennis.
Altera pars huic obſcura eſt, & luminis expers:
Altera nec parvis, nec claris lucibus ardet,
Sed mediocre jacit quatiens è corpore lumen.
Hæc dextram Cephei dextro pede pellere palmam
Geſtit: jam verò clinata eſt ungula vehemens
Fortis equi propter pennati corporis alam.
[4] Ipſe autem labens multis equus ille tenetur
Piſcibus: huic cervix dextra mulcetur Aquari.
[5] Serius hæc obitus terrai juſſit equinis,
Quàm gelidum valido de corpore frigus anhelans
Corpore ſemifero magno Capricornus in orbe:
Quem quum perpetuo veſtivit lumine Titan,
[6] Brumali flectens contorquet tempore curſum.
Hoc cave te Ponto ſtudeas committere menſe:
Nam non longinquum ſpacium labêre diurnum:
Non hiberna cito volvetur curriculo nox:
Humida non ſeſe veſtris aurora querelis
Ocyus oſtendet, clari prænuntia ſolis:
At validis æquor pulſabit viribus Auſter:
[7] Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus.
[8] Sed tamen anni jam labuntur tempore toto,
Nec cui ſignorum cedunt, neque flamina vitant,
Nec metuunt canos minitanti murmure fluctus.
[9] Atque etiam ſupero navi pelagoque vagato

Menſe,

In cælum victor, magno ſub culmine portat.

Ac propter lævum genus.

Genus pro *genu*, ut veteres dixerunt, quod Priſcianus lib. VI. notat. Sic infra legendum, *Quæ genus ad lævum.* Rurſum, *atque inter flexus genus.* Aldina editio, ex qua reliquas architectati ſunt, refert:

Pulverulentus uti de terræ lapſus repente
In cælum Victor magnum ſub culmine portat.

ex quâ Grotius aliis lectionibus omiſſis effingit,

Diverſoſque pedes vinctos talaribus aptis,
Pulverulentus uti de terrâ elapſu' repente
In cælum vector magno ſub culmine portat.

Ea, inquit porrò, quæ occidunt rerum Aſtronomicarum auctores in terram ruere dicunt, ut contrà orientia ex terris in cœlum redire. Id in Germanico Avienoque videre ſæpe eſt. Hac ratione Cicero putavit Arato Perſea orientem deſcribi, ideoque κεκονισμένον appellari. Eum locum alii quomodo explicent alibi oſtendimus. Hæc Tullii erat mens. *De terrâ elapſus* dicit, pro *de terrâ aſcendens*, eadem ratione quâ alii cœlum profundum dicunt, & mare altum. *Vector* legendum non *victor* ut hactenus apud omnes. *magno ſub culmine* ἀρχαϊκῶς dictum eſt pro *magnum ſub culmen.* Nam veteres illas (ut vocant) præpoſitiones *in*, *ſub*, *ſuper* nullo omninò diſcrimine cum accuſandi & auferendi caſu extulerunt. Simile eſt illud Maronis: *pulchro veniens in corpore virtus.* Hæc ille.

1. *Propterea quòd & æſtatis primordia clarat.*] Secutus ſum conſenſum Turnebi ac Grotii hanc lectionem adſerentium. Victorius edidit, *propterea quod ad æſtatis primordia clarent.* Sed notat Turnebus *clarare* pro *declarare* antiquis uſitatum. Item Grotius *clarare* Horatium dixiſſe λαμπρύνειν. Et hîc diverticulum me avocat, ut obiter lucem inferam Heliodoro, divino ſanè ſcriptori, quem non cepit interpres l. II. ταύτης εἰς τὴν ἑτέρων λῆξιν ἀναλυθείσης, χρόνον μέν τινα δλίγον ἀπαθὴς κακῶν, ἐπὶ παισὶ δύο τοῖς ἐξ αὐτῆς ἀβρυνόμενος. reddit ille: *in duobus filiis ex eâ ſuſceptis me oblectans.* Ἀβρυνόμενος ἐπὶ παισὶν eſt quod Latini dicunt, *liberis honoratus*, ſeu *laudatus.* Martialis:

Præmia laudato tribuit mihi Cæſar uterque,
Natorumque dedit jura paterna trium.

Explicant hæc omnia plenius verba Valerii Maximi lib. IV. c. 4. *Maxima ornamenta eſſe matronis liberos, apud Pomponium Rufum Collectorum libro ſic invenimus: Cornelia Gracchorum mater, cùm Campana matrona apud illam hoſpita, ornamenta ſua illo ſeculo pulcerrima oſtenderet: traxit eam ſermone, quouſque è ſcholâ redirent liberi: Et hæc, inquit, ornamenta mea ſunt.* Papinius l. III. verſ. 155.

Voſne illa potentia matris
Vos uteri fortuna mei, quâ tangere divos
Rebar, & Ogygias titulis anteire parentes.

Idem l. IV. verſ. 125.

Quatuor hos unâ decus & ſolatia Patris
In gremio licet amplexu lacrimiſque morentur)
Tranſadigam ferro.

Heſychius; Ἀβρυνόμενοι; σεμνυνόμενοι. λαμπρυνόμενοι.

2. *Inde Fides leviter poſita & convexa videtur.*] Turnebus exiſtimat legendum, *levis adpoſita & connexa.* Grotio videtur Cicero ſcripſiſſe, *convecta* συγκομισθεῖσα. addit præterea: hoc dubium eſſe non debet, licet pugnent codices.

3. *Parvis manibus quam dicitur olim In cunis fabricatus.*] Præeunte ac poſtulante ſenſu nefas duxi parvi ducere auctoritatem ſic reponentis, cui adſtipulatur Grotius, additque: *In cunis* ut Aratus παρὰ λίκνῳ. Lucianus ἐν τοῖς σπαργάνοις. Theon. ἐν τῷ λικνίῳ. Hæc ille.

4. *Ipſe autem labens multis equus ille tenetur piſcibus.*] Morelius edidit, notante Lambino & probante *geminis*, tanquam magis exprimens Arati verba, τόνδε μετὰ σκαιρόντος δύ' ἰχθύες ἀμφινέμονται ἵππων, *&c.* Sed τὸ *geminis*, aut, quod alii architectati ſunt, *binis*, nimis licentioſum reprehendit Grotius, vergens ad emendationem Turnebi *mutis*. Muti enim piſces, qui & ex eo ἔλλοπες à Poëtis Græcis vocantur. addit Grotius. *Mutos Piſces* poſt Tullium dixit Romanæ fidicen lyræ, & fortè legendum apud Germanicum:

Procul à mutis quà Piſcibus unus.
Vincula connectit nodus

Hodie *amotis* legitur: Eſſet itaque *à piſcibus* dictum pro *nodus piſcium*, ut *fulgor ab auro.* quod ſupra notavimus. Sed ſi recedendum foret ab Aldina lectione, legere non immeritò poſſis, *utriſque equus ille tenetur.* Nam vox illa *que* ob primæ ſyllabæ ſequentis dictionis inverſæ ſimilitudinem omiſſa poſſit videri. Hyginus, ſummus Ciceronis imitator, de Equo ait, *& utriſque piſcibus clauſus.* Hactenus præſtantiſſimus Batavorum.

5. *Serius hæc obitus terrai juſſit equinis.*] Grotius legendum ait, *Serius hæc obitus terrai viſit equinis.* Turnebus verò, *viſit equi vis*, id eſt, equus, genere loquendi poëtis utriuſque linguæ uſitato. Sic Grotius paullò poſt citat, & videtur omninò vera eſſe lectio. Multis de mente Arati, quæ à diverſis diverſimodè accepta ſit, Cl. Grotius; quæ apud auctorem requirantur. non eſt noſtrum omnia cum pulviſculo auferre hucque ingerere.

6. *Brumali flectens contorquet tempore curſum.*] Turnebus lib. VIII. cap. 17. Adverſ. legebat, *cùm torquet*, quod damnat Grotius, legitque pro τῷ *curſum*, *currum*: nam & alibi, *Curriculum nunquam defeſſo corpore ſedans.*

7. *Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus.*] V. c. *fiſſum.* legendum exiſtimat Grotius: *Tunc feſſum tremulo.*

8. *Sed tamen anni jam labuntur tempore toto.*] Aldina editio refert, *ſed tamen jam anni*; immutatis paullulum & repetitis vocis præcedentis litteris. Unde Grotius legere malebat repetitâ ſyllaba ἡμίζειας præcedenti hoc pacto,

Sed tamen en anni labuntur tempore toto.

Anni eſt gignendi caſus, non rectus pluralis. Deinde *labuntur* refertur ad nautas ſubaudito nominativo, ut & apud Aratum. *Labuntur* dixit, ut ante:

Nam non longinquum ſpatium labêre diurnum.

9. *Atque etiam ſupero navi pelagoque vagato.*] Claud. Puteanus ex V. C. probat: *Supero navi pelagoque vagantur.* Turnebus deinde, *haud ſupero navi pelagoque vagator.* Sed contra Lambinus *vagato* pro *vagator* accipit, ut apud Lucretium alioſque. Grotius locum alium in Arateis depravatiorem ſe ſcire negat. ergo ſic ibat reſtitutum:

Atque

Menſe, Sagittipotens ſolis cùm ſuſtinet orbem.
Nam jam cùm minus exiguo lux tempore præſto eſt,
Hoc ſignum veniens poterunt prænoſcere nautæ:
Jam propè præcipiti antè licebit viſere nocti
Ut ſeſe oſtendens emergit Scorpius altè,
Poſteriore trahens flexum vi corporis arcum:
Jam ſupera cernes Arcti caput eſſe minoris,
Et magis erectum ad ſummum verſarier orbem.
Tum ſeſe Orion toto jam corpore condit
Extrema propè nocte, & Cepheus conditur antè,
[1] *Lumborum tenus à prima depulſus ad undas.*
[2] *Hic miſſo revocans fulgens jacet una ſagitta,*
Quam propter nitens penna convolvitur Ales:
Et c inata magis paullo eſt Aquilonis ad auras.
At propter ſe Aquila ardenti cum corpore portat
Igniferum mulcens tremebundis æthera pennis,
[3] *Non minus ingenti cum corpore, ſed grave mœſtis*
Oſtendit nautis perturbans æquora ſignum.
Tum magni curvus Capricorni corpora propter
Delphinus jacet haud nimio luſtratu' nitore,
Præter quadruplices ſtellas in fronte locatas,
Quas intervallum binas diſterminat unum.
[4] *Cetera pars læta tenui cùm lumine ſerpit.*
Illæ quæ fulgent luces ex ore coruſco,
[5] *Sunt inter partes gelidas Aquilone locatæ,*
Atque inter ſpatium, & læti veſtigia ſolis.
At pars inferior Delphini fuſca videtur
Inter ſolis iter, ſimul inter flamina venti,
Viribus erumpit quà ſummi ſpiritus Auſtri.
Exinde Orion obliquo corpore nitens
Inferiora tenet truculenti corpora Tauri:
[6] *Quem qui ſuſpiciet in cœlum nocte ſerena*
Latè diſperſum non viderit, abdita verò
Cetera ſe ſperet cognoſcere ſigna poteſſe.
Namque pedes ſubter rutilo cum lumine claret
Fervidus ille Canis ſtellarum luce refulgens.
[7] *Hunc tegit obſcurus ſubter præcordia veſper:*
Ver toto ſpirans rabido de corpore flammam
Æſtiferos validis erumpit flatibus ignes:
Totus ab ore micans jacitur mortalibus ardor.
Hic ubi ſe pariter [8] *cum ſole in lumina cæli*
Extulit, haud patitur foliorum tegmine fruſtrà
Suſpenſos animos arbuſta ornata tenere.
Nam quorum ſtirpes tellus amplexa prehendit,
Hæc augens anima vitali flumine mulcet:
At quorum nequeunt radices findere terras,
Denudat foliis ramos & cortice truncos.
[9] *Hunc propter ſubterque pedes quos diximus antè,*
Oriona, jacet levipes Lepus. hic fugit ictus
Horrificos metuens roſtri tremebundus acuti.
Nam canis infeſto ſequitur veſtigia curſu
[10] *Præcipitantem agitans, oriens jam denique paullo*
Curri-

Atque etiam ſupero, endo mari pelagoque vagatus
Menſe, ſagittipotens Solis cùm ſuſtinet orbem.
* * * *
Nam jam tùm minus exiguo lux tempore præſto eſt.
Hoc ſignum veniens poterunt prænoſcere nautæ.
Jam propè præcipitante licebit viſere nocte,
Ut ſeſe emergens oſtendat Scorpius alto,
Poſteriore trahens flexus vi corporis arcum.

Supero menſe dixit pro ſuperiore, ἐπὶ προτέρῳ Arato. Ita infra, *ſuperis præſtare duobus Dicitur.* ubi malè legitur *ſupereſt*: Ita & Avienus locutus eſt, & Capella *poſteram* dixit pro *poſteriori*. Ait præterea verſum unum aut alterum deeſſe. verſu 74. *tum* ſubſtituit pro *cum*, ſicut & Turnebus, qui tamen malebat, *Nam jam tum nimis exiguo, &c.* notatque emendare nonnullos, *Nam jam comminus.* Claudius Puteanus hoc quoque in V. C. reperit. in altero verò exemplari *tum minus*, quod item Andreæ Patritio in mentem venerat, ipſique probatur magis, tali ſententiâ exeunte: hodie navigatur toto anno, neque ſolum quo menſe Sol eſt in Capricorno, id eſt, Januario: verùm etiam cum Sol eſt in Sagittario, quod eſt, Decembri menſe Jam tum enim dies breviores ſunt. punctum denique adſcribi jubet pòſt, *præſto eſt.* Poſteà verſ. 76. Grotius pro *Jam* legit *Nam*: & pro *præcipiti ante* ſubſtituit *præcipitante* pro *nocti nocte.* Deinde verſ. 77. legit *emergens oſtendat.* quod ita citet Cicero, neque ulla ſit immutandi cauſa. Ordo eſt, ut Scorpius emergens alto ſeſe oſtendat. Sed quia hoc non intellexerunt exſcriptores, mutarunt. Pro *alto* quoque in omnibus codicibus *altè* legitur. Cicero τόξον apud Aratum non bene *Arcum* interpretatur, quamlibet aſſentatur Germanicus; melius Feſtus *telum*. Nam telum ſagittarii aculeo Scorpii eſt proximum: itaque ſimul oritur, ut Theon docet. omnia hæc ſunt Cl. Grotii.

1. *Lumborum tenus à prima depulſus ad undas.*] Hæc eſt Aldinæ editionis, Victorianæ, imò & omnium vetuſtiorum codicum, teſtante Grotio, lectio. Morellius edidit *à palma.* dixitque Aratus ἀπὸ χειρὸς ἐπ' ἰξύν. Poſſit legi eleganti cum metaphorâ auctore Grotio, *à ripa depulſus ad undas.* nam *umbras* quod hîc quidam habent codices non probo. verſu 82. quoque malit pro *conditur ante*, legi *altè* vel etiam *conditus alto.* At Puteanus ex veteribus libris producit *alte* & exponit à ſummâ parte; idque ait mox declarari, *Lumborum tenus à palmâ depulſus ad undas.* ubi probat Morellii emendationem *à palma*, pro quo vulgò *à primâ.* ceterùm idem teſtatur haberi in iiſdem libris *ad umbras* eodem ſenſu: quoniam hoc & illo modo Cicero paſſim in hoc poëmate ſignorum occaſum ſignificat. Exempla denique addit eſſe in promptu.

2. *Hic miſſore vacans fulgens jacet una ſagitta.*] Ita legendum ex emendatione Morellii, approbatoribus Turnebo, Lambino, ac denique Grotio, qui addit & locum Avieni, *Inſcia nam Domini eſt.* Aliàs erat: *Hic miſſo revocans.*

3. *Non nimis ingenti cum corpore.*] Hanc lectionem imperat recipiendam Puteanus ex vetere codice, & ex Arato Grotius, ὁ τόσος μέγεθι. Vulgò: *Non minus ingenti.* Verſu præcedenti edidit Victorius, *Igniferum mulgens tremebundis æthera pennis.* quod ridiculum pronunciat Grotius: nam ſupra quoque erat:

Huic cervix dextrâ mulcetur AquarI.

ſed hunc verſum omninò à V. C. abeſſe notat Puteanus, neque Græcum eſſe cui reſpondeat.

4. *Cetera pars læta tenui.*] Rectè, ut puto, legendum videtur Grotio, *latè tenui.*

5. *Sunt inter partes gelidas Aquilonis locatæ*] Sic vetus codex; & Grotio vera lectio judicatur. Vulgò, *Aquilone locatæ.* verſu quoque 99. *fuſa* ex vet. codice & judicio Grotii repoſui, expulſo τῷ *fuſca*, vulgarium editionum, quia & Aratus κέχυται: Probat hoc quoque Puteanus ex vetuſtis libris. quia tamen reperit *fulſa* conjecit *fulta.*

6. *Quem qui ſuſpiciens in cœlum nocte ſerenâ*
Latè diſpenſum non viderit, haud ita verò
Cætera ſe ſperet cognoſcere ſigna poteſſe]

Hunc quoque locum ex arbitrio ac mente Cl. Grotii edidi, in partem præeunte Turnebo ac vetere cod. Aratea ſunt:

---- Μὴ κεῖνον ὅτις καθαρῇ ἐπὶ νυκτὶ
Ὑψοῦ πεπτηῶτα παρέρχεται, ἀλλὰ πεποίθοι
Οὐρανὸν εἰσανιδὼν προφερέστερα θηήσασθαι.

Sed Tullius legit ἄλλα, & ὅτις interpretatus eſt ὅστις, ut alibi monuimus. πεπτηῶτα *diſpenſum* tranſtulit, non *diſperſum*, quod pertinaciter referunt omnes codices. Nos etiam alibi πεπτηῶτα in hac ſignificatione ſumi notavimus. Hæc Grotius. Turneb. præterea malebat *cetera ne ſperet.* vulgò: *Quem qui ſuſpiciet in c. n. ſ. Late diſperſum n. v. abdita verò.*

7. *Hunc tegit obſcurus ſubter præcordia Venter Nec toto.*] Sic hunc locum reſtituit Turnebus, cui aſſentitur Grotius, niſi quod putat τὸ *tegit* locum habere non poſſe; reponi ergo vult *tenet* aut *gerit.* Aratus, κατ' αὐτὴν γαστέρα κυανέος, vulgò, ut & Aldina editio; *Hunc tegit obſcurus ſubter præcordia Veſper: Ver toto.* Scriptum fuit abbreviatè VER pro *Venter.* Deinde *Ver toto* pro *Nec toto*: nam R. pro T. error eſt frequentiſſimus, V. pro N. in hoc fragmento non rarus. ita pro *vi corporis*, antiqui libri habent *ne corporis*, pro *Equivis*, *Equinis* & ſimilia alia. Exprimit hic Arateum illud Ἀλλ' ὁ παντὸς πεφασμένος. Itidem Grotius.

8. *Cum ſole in culmina cæli.*] Sic vetus codex, quod melius putat Grotius, quam vulgatum, *lumina.*

9. *Hunc propter ſubterque pedes, quos diximus ante Orioni jacet.*] Et hæc vet. cod. lectio eſt, approbante Grotio. Turnebus corrigebat, *quem diximus ante.* quod non acceptat Grotius, & addit, *Ante* non eſt πρόθεσις ſed ἐπίρρημα. Benè, *quos diximus ante.* nam ſupra habuimus, *Namque pedes ſubter, &c.* Cùm dicit *levipes lepus* conjunxit ἐτυμολογίαν cum nomine. Nam L. Ælius ſcripſit *Leporem* dictum, quod ſit *levipes*, quod à Varrone ſæpe reprehenditur, & ab Iſidoro refertur. Sed Græci ii qui in Siciliâ erant λέποριν dicebant: itaque inde potius deſcendit vocabuli origo. vulgò, *Oriona jacet.*

10. *Præcipitantem agitans, oriens jam denique paullo.*] Turnebus corri-

Curriculum numquam defeſſo corpore ſedans.
At canis ad caudam [1] ſerpens prælabitur Argo,
Converſam præ ſe portans cum lumine puppim:
Non, [2] aliæ naves ut in alto pondere proras
Antè ſolent roſtro Neptunia prata ſecantes,
Sed converſa [3] retrò cæli ſemper loca portat:
Sicut quum cœptant [4] tutos conſtringere portus,
Obvertunt navem magno cum pondere nautæ,
[5] Adverſamque trahunt optata ad littora puppim.
Sic converſa vetus ſuper æthera vertitur Argo,
Atque uſque à prora [6] ad cælum ſine lumine malum,
A malo ad puppim cum lumine clara videtur,
Inde gubernaclum diſperſo lumine fulgens,
Clari poſteriora [7] Canis veſtigia condit.
Exin ſemotam procul, in tutoque locatam
Andromedam tamen explorans fera quærere Piſtrix
Pergit, [8] & uſque ſitam validas Aquilonis ad auras
Cærula veſtigat finita in partibus auſtri.
Hanc Aries tegit, & [9] ſquammoſi corpore Piſces
[10] Fluminis illuſtri tangentem corpore ripas.
Namque etiam Eridanum cernes in parte locatum
Cæli funeſtum magnis cum viribus amnem,
Quem lacrymis mœſtæ Phaëtontis ſæpe ſorores
Sparſerunt, letum mærenti voce canentes.
Hunc Orionis ſub læva cernere planta
Serpentem poteris, proceraque vincla videbis,
Quæ retinent Piſces, caudarum parte locata,
Flumine mixta retro ad Piſtricis terga reverti.
[11] Hic una ſtellæ vertuntur, quam jacit ex ſe
[12] Piſtricis ſpina valida cum luce refulgens.
Exinde exiguæ tenui cum lumine multæ
Inter Piſtricem fuſæ ſparſæque videntur,
Ante gubernaclum ſtellæ, quas contegit omnis
Formidans acrem morſum Lepus: his neque nomen,
Nec formam veteres certam ſtatuiſſe videntur.
[13] Nam quæ ſideribus claris natura polivit,
Et vario pinxit diſtinguens lumine formas,
Hæc ille Aſtrorum cuſtos ratione notavit,
Signaque ſignavit cæleſtia nomine vero:
Has autem, quæ ſunt [14] parvo ſub culmine fuſæ
Conſimili ſpecie ſtellas, parilique nitore,
Non potuit nobis [15] nota clarare figura.
Exinde auſtralem ſoliti quem dicere Piſcem,
Volvitur inferior Capricorno verſus ad Auſtrum,
Piſtricem obſervans, procul illis Piſcibus hærens.
At prope conſpicies expertes nominis omnes
Inter Piſtricem & Piſcem quem diximus Auſtri
Stellans [16] ſub pedibus ſtratas radiantis Aquari.
Propter Aquarius obſcurum dextra rigat amnem,
Exiguo qui ſtellarum candore niteſcit.
E multis tamen his duo latè lumina fulgent.
Unum ſub magnis pedibus cernetur Aquari.
Quod ſupereſt gelido delapſum flumine fontis
Spiniferam ſubter caudam Piſtricis adhæſit:
[17] Et tenues ſtellæ perhibentur nomine Aquari.
Hic aliæ volitant parvo cum lumine claræ,
Atque priora pedum ſubeunt veſtigia magni
Arcitenentis, & [18] obſcuræ ſine nomine condunt.
Inde Nepæ cernes propter fulgentis acumen
Aram, quam flatu permulcet ſpiritus Auſtri,
Exiguo ſuperùm [19] quæ lumina tempore tranat:
[20] Nam procul Arcturo eſt adverſa parte locata.
Arcturo magnum ſpatio ſuperà dedit orbem
Jupiter: hunc parvum inferiore in parte locavit.
Hic tamen æterno inviſens loca curriculo nox,
Signa dedit nautis, cuncti quæ noſcere poſſent,
Commiſerans hominum metuendos undique caſus.
Nam quum fulgentem cernes ſine nubibus atris
Aram ſub media cæli regione locatam,
A ſumma parte obſcura caligine tectam,
Tum validis fugito devitans viribus Auſtrum:
Quem ſi proſpiciens vitaveris, omnia cautè
Armamenta locans, tutò labêre per undas.
Sin gravis inciderit vehementi flamine ventus,

Per-

corrigebat, *orientem denique.* Quia alii plerique codices *paullum*; dubitabat Grotius an legendum ſit,

Præcipitantem agitans, orientem paullum.

Addit porrò, *Denique, ſimul, tum*, ſimileſque particulas pro copulâ uſurpat Cicero. Senſus itaque eſt: Canis leporem inſequitur occidentem agitans, & paullum jam ortum. Ita conveniet Arato: alias ipſe ſenſus non conſtabit.

1. *Serpens prælabitur Argo.*] Turnebus vel *perlabitur* vel potius *prolabitur* emendabat; quod poſterius Grotius quoque amplectitur.

2. *Aliæ naves ut in alto pondere proras.*] Vera eſt lectio, etiam Grotio judice, *ut in alto ponere proras. Ante ſolent.* hærebatque in margine editionis Lambinianæ a Commelino iteratæ & interpolatæ.

3. *Retrò cæli ſe per loca portat.*] Turnebus ſic emendarat, recipitque Grotius. vulgò malè: *cæli ſemper loca portat.* Alibi: *At propter ſe Aquila ardenti cum corpore portat.*

4. *Tutos contingere portus.*] Introduxit rectè hanc lectionem Lambinus. Nam cum Aratus dicat, ἔρμον ἐσερχόμενοι, &c. *contingere portus* valde his verbis reſpondet. *conſtringere* quod eſt in lib. vulgatis, nullo modo. Probat hoc Grotius, & addit; Hyginus citat *contingere.* Et ita plurimi codices. Aratus: καθαπτόμενοι ἠπείροιο.

5. *Averſamque trahunt.*] Ita Grotius. Germanicus, *Averſamque ratem votis damnatus ad oram Perligat.* Vulgò, *Adverſamque trahunt.*

6. *Ad celſum ſine lumine malum.*] Benè hunc ad modum hic medicinam ab ingenio præſtitit Turnebus. nam quod *ſe* & *ne* pro *ſine* & *cælum* pro *celſum* legitur, nullius precii eſſe Grotio quoque videtur.

7. *Canis veſtigia condit.*] Turnebus ait, ſi Arati ſententiam ſequaris, legendum videtur, *condunt.* Sed Grotius cum Hygino, *veſtigia tangit.*

8. *Et uſque ſitam.*] Aldina *in ſitam*, unde Grotio niſi placeat vulgata, *initam* poſſe effici videtur. *Inire*, eſt, inſequi.

9. *Squammoſo corpore piſces.*] Turneb. quod eodem recidit, *ſcammoſo.* vulgò *ſquammoſi.* ſed, ut prius poſui, citat ipſe Cicero lib. II. de Natura Deorum.

10. *Fluminis illuſtris tangentem corpore ripas.*] Non *illuſtri*, melius alii habent. *Fluminis illuſtris* ποταμοῦ ἀστερόεντος Arat.

11. *Hic unâ ſtellâ nectuntur, quam jacit, &c.*] Et hunc locum emendavit ad priſtinum ſuum nitorem Turnebus. Malè alii *Hæc* vel *hanc* pro *hic*: & *vertuntur* pro *nectuntur*, & pro *jacit, jacet.*

12. *Piſtricis ſpinæ validâ cum luce refulgens.*] Alii ex hac lectione elicuêrunt *Piſtrix è ſpina.* quod Grotius nullius ſenſus eſſe putat: conjicitque ipſe: *quam jacit ex ſe,*

Piſtricis ſpina, evalidâ cum luce refulgens.

nam *evalidum* dicere, non minus licet, quam *evalere* & *evaleſcere* ſimili ſignificatu cum voce primigenia.

13. *Nam quas ſideribus.*] Sic vet. cod. probatque Grotius ſicut verſ. 163. *Has ille aſtrorum.* Formas enim nominat. Editiones *quæ* & *hæc.*

14. *Parvo cum lumine fuſæ.*] Ita cum antiquis codicibus legit Grotius. Editi; *parvo ſub culmine fuſæ.* addit Grotius: Vox illa *ſub* ſpuria eſt, duæque illæ dictiones *cum lumine* coaluerunt.

15. *Notâ clarare figurâ.*] Turnebo ſic placuit. Vulgò *clarere.*

16. *Sub pedibus ſtratas.*] Alii *ſparſas.* Ita ſupra, *fuſæ ſparſæque videntur.*

17. *Hæ tenues ſtellæ perhibentur nomine Aquari.*] Secutus ſum vet. codicem. putatque hanc lectionem veriſſimam CL. Grotius. Vel quia Aldina: *Etenus, Et tenues*, κατὰ συναίρεσιν. Pro *Aquarii* alii melius habent *Aquai.* Aratus: τῆς παιδὸς καλέουσιν ὕδωρ. Sed tamen & hæc lectio ſuſtineri poteſt. Nam & aqua a nonnullis Aquarium ſeu κάλπη vocatur. Hæc Grot.

18. *Obſcuræ ſine nomine cedunt.*] Vet. cod. & iſtud habet. vulgò *condunt.*

19. *Quæ lumina tempore tranat.*] Turnebus malit *limina.*

20. *Nam procul Arcturo eſt adverſâ parte locata. Arcturo magnum, &c.*] Turnebus legit: *Spatio ſuperà dedit orbem Juppiter, huic parvum.* Grotius verò contra codices legebat ac diſtinguebat: *Arcturo magnum ſpatium ſuperà dedit orbem Juppiter huic parvum inferiore in parte locavit. Spatium* & *orbem* vocat arcum illum qui ab orientali Finitoris ſigno ad occidentale per datum ſignum ducitur. *Metas* vocat Cæſar.

1. Subi-

Perfringet celsos defixo robore malos:
Ut res nulla feras possit mulcere procellas,
Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem
Cœperit, & [1] subitis auris diduxerit Ara.
Sin humeros medio in cœlo Centaurus habebit,
Ipseque cærulea contectus nube feretur,
[2] Atque Aram tenui caligans vestiet umbra,
Ad signorum obitum vis est metuenda Favoni.
Ille autem Centaurus in alta sede locatus
[3] Quà sese claro collucens Scorpius infert,
Hæc subter partem præportans ipse virilem
Cedit, [4] equi partes properans conjungere Chelis.
[5] Hic dextram porgens quadrupes qua vasta tenetur,
Quam nemo certo donavit nomine Graiûm,
Tendit, & illustrem truculentus cedit ad Aram.
Hic sese infernis de partibus erigit Hydra
Præcipiti lapsu flexo cum corpore serpens.
Hæc caput atque oculos torquens ad terga Nepai,
Convexoque sinu subiens inferna Leonis,
Centaurum leni contingit lubrica cauda:
In medioque sinu fulgens cratera relucet.
Extremum nitens plumato corpore Corvus
Rostro tundit, & hic Geminis est ille sub ipsis
[6] Ante Canem, Graio Procyon qui nomine fertur.
Hæc sunt quæ visens nocturno tempore signa,
[7] Æternumque volens mundi pernoscere motum,
Legitimo cernes cœli lustrantia cursu.
Nam quæ per bis sex signorum labier orbes
Quinque solent stellæ, simili ratione notari
Non possunt: [8] quia quæ faciunt vestigia cursu,
Non eodem semper spatio [9] portata feruntur,
Sic malunt errare vagæ per nubila cœli,
Atque suos vario motu metirier orbes.
Hæc faciunt magnos longinqui temporis annos,
Quum redeunt ad idem cœli sub tegmine signum.
[10] Quare ego nunc nequeo [11] totos evolvere cursus.
Verùm hæc quæ semper certo volvuntur in orbe
*[12] Fixa simul magnos edem * gentibus orbes.*
Quattuor æterno lustrantes lumine mundum,
Orbes stelligeri portantes signa feruntur,
[13] Amplexi terra cœli sub tegmine fulti.
E quibus annorum volitantia lumina noſces,
Quæ densis distincta licebit cernere signis.
Tum multos orbes magno cum lumine latos,
Vinctos inter se, & nodis cælestibus aptos,
Atque pari spatio duo cernes esse duobus.
[14] Nec sic nocturno cognoscens tempore cælum,
Quum neque caligans detersit sidera nubes,
Nec pleno stellas [15] superavit lumine Luna,
Vidisti magnum candentem serpere circum,
[16] Lacteus hic nimio fulgens candore notatur.
Hic non perpetuum detexens conficit orbem,
Sed spatio multum superis præstare duobus
Dicitur, & latè cœli lustrare cavernas.
Quorum alter tangens Aquilonis vertitur auras,
Ora petens geminorum, [17] illustratum genus ardens
In sese retinens Aurigæ portat utrumque.
Hunc sura læva Perseus, humeroque sinistro
Tangit: [18] ad Andromedam hic dextra de parte tenetur,
Imponitque pedes duplices Equus: & simul Ales
Ponit avis caput, & clinato corpore tergum,
Anguitenens [19] humeris connititur: illa recedens
Austrum consequitur devitans corpore Virgo.
At verò [20] totum spatium convestit & orbis
Magnu' Leo, & claro collucens lumine Cancer,
In quo consistens convertit curriculum sol
Æstivus,

---

1. *Subitis auris diduxerit Ara.*] Neſcio (inquit Grotius) an ſcripſerit Cicero:

Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem
Cœperit, & ſubitas auras diduxerit aura.

Sanè non ineleganter ita potuiſſet ſcribere, hoc ſenſu: Nil eſt, quod illas tempeſtates demulceat, niſi aura ſuperveniens ſubitas illas auras diduxerit, Borealis videlicet Auſtrales. Confer cum Arato: videbis eam eſſe ſententiam. Sed tamen Cicero tam in ſequentibus quàm præcedentibus eadem quidem dicit quæ Aratus, ſed aliquantò parcius.

2. *Atque aram tenui caligans veſtiet umbra.*] Alii *tenuis*. Grotius legendum cenſet, *Atque Aram tenui caligo veſtiat umbrâ*. Caligo eſt νὺξ Arato.

3. *Quà ſeſe claro.*] Ita Aldina. Et tolerari hoc poteſt, judice Grotio, ut ipſe Centaurus hoc epitheto ornetur. Alii *clarè*: alii *clarum* habent.

4. *Equi partes properans conjungere Chelis.*] Citat ipſe Cicero (ut notat Grotius) lib. II. De Naturâ Deorum *ſubmergere*. Sed & hîc & illic libri ſunt corrupti, legit itaque iis poſtpoſitis ex lectionum miſtura, *cedit*, *Equi partes properans ſubjungere chelis*. Eleganter Aratus: ὑπὲρ ἵππῳ δ' ὑποσφίσι χηλαὶ ἔχουσιν.

5. *Hic dextram porgens.*] Transſcribam verba Grotii: *Porgam* pro *Porrigam* veteres dixiſſe Feſtus teſtatur, ut *ſurgo* pro *ſurrigo*. Sed Aldina editio non habet *porgens* ſed *pergens*: Id ego non improbo, nam ſimili modo & alibi *labens* & *ſerpens* & *ſe portans* dicit. Sed dices unde regitur τὸ *Dextram*: nimirum à ſequentibus *Tendit* & *cedit*. Nam *cedere dextram* eleganter dicimus, unde celebre illud & in fabulis *cedo manum*. Poſſis tamen *cædit* legere κατὰ δίφθογγον ut ad Feram referatur, quæ *hoſtia* dicitur Hygino. Et hoc veriſimile eſt, licet pugnent codices, quia addit *truculentus*, hoc eſt, στυγνὸς, ab eo fonte, à quo & *trucidare dicimus*.

6. *Antecanis Grajo Procyon qui nomine fertur.*] Sic emendavit Galliæ ornamentum perpetuum Turnebus, cumque illo Hugo Grotius. Scaliger ἀρχαϊκῶς malebat *Antecanes* quod mihi probatur. Reddidit Cicero Græcorum προκύων.

7. *Æternumque volens mundi pranoſcere motum.*] Grotius hoc modo tranſponebat:

Hæc ſunt quà viſens nocturno tempore ſigna,
Æternumque volens mundi cognoſcere motum,
Legitimo cernes cœlum luſtrantia curſu.

Vulgò pro *cœlum* male eſt *cœli*. Verſu deinde ſequenti rectè Turn. emendavit *orbem*, quòd Zodiacum intelligat. Vulgò *orbes*.

8. *Quia quo faciunt veſtigia curſu.*] Ita emendavit quoque Turnebus. vulgò, *quæ faciunt*.

9. *Portata feruntur.*] V. cod. *protrita feruntur*. Conjicit Grotius *portata feruntur*.

10. *Quarum ego nunc nequeo.*] Non poſſum pugnare CL. Grotio hanc lectionem rectiſſime ab ipſo eſſe conſtitutam. Aldina editio habet, *quare ego*. Scriptum erat. *Quar. ego.* pro *Quarum.* ſtellas nominavit paullò antè.

11. *Totos evolvere curſus.*] Alii *tortos*.

12. *Fixa ſimul magnos edem * gentibus orbes.*] Hiulcus locus, quem pro ſuâ parte ſanare conatus Turnebus legendo: *magnos edicam gentibus orbes* vel pro *gentibus cantibus*. Aldina editio, monente Grotio, habet: *Fixa ſimul magno ſedem gentibus orbes*. Addit præterea idem: clarum eſt eſſe ſyllabæ defectum, ſed ſcriptum fuerat, *magnos edemus*. nam uſitata eſt ex ſcriptoribus iſthæc abbreviatio. Legendum itaque:

Verùm hæc quæ ſemper certo evolvuntur in orbe
Fixa, ſimul magnos edemus gentibus orbes.

Nota eſt Poëtarum phraſis, *edere populis* & *vulgare gentibus*. *Simul* ut alibi monuimus copulæ eſt loco. Neque te moveat quod hîc in numero loquatur plurali, cùm ſupra in ſingulari dixerit, *quarum ego nunc nequeo*. Nam hîc novum eſt κῶλον, & ſi hoc non ſufficit Avienum vide qui in eodem hoc loco numeros confundit.

13. *Amplexi terras.*] Vet. cod. quod approbat Grotius. Vulg. *terrâ*.

14. *Nec ſic nocturno.*] Vet. cod. *At ſi*. alii repoſuerunt *Nam ſi*. Grotius putat non malè legi poſſe omiſſis ultimis litteris: *En ſi nocturno*. Suam etiam conjecturam juvari ait, quod codex quidam vetus, *& ſi* habet. Deinde ex v. c. *convisens* legendum pertendit: quia *viſere* & *conviſere* ſunt verba Poëtica Ciceroniana.

15. *Superavit lumine Luna.*] Turneb. *ſuperarit*.

16. *Lacteus hic nimio fulgens candore notatur.*] Idem lib. VIII. cap. 17. leg. *vocatur*. Grotius, *rotatur*.

17. *Illuſtria, tùm genus ardens.*] Auctor ac perſuaſor Grotio hujus lectionis eſt Turnebus. vulgò: *Illuſtratum genus ard.*

18. *At Andromedæ.*] Ita quoque Turnebus. Sed Grotius malit: *At Andromeda hìc dextra de parte tenetur*. Vulgatum eſt: *ad Andromedam hìc dextrâ*.

19. *Humeris connititur.*] Turnebus propius ad Arati ſententiam accedere autumat, ſi legatur: *convertitur*. at Grotius quia & aliis in locis ſic legitur, nihil opus eſſe ait mutatione: nam & alias legi poſſe, *connectitur*.

20. *Totum ſpacium conveſtit & orbis.*] Grotius citat *convertit & orbis*, additque codices ſic habere ſine ſenſu. Ergo ſe malle: *ſpacium conveſtiet orbis*.

1. *Hic*

Æſtivus, medio diſtinguens corpore curſus.
[1] *Hic totus medius circo dujungitur ipſo:*
Pectoribus validus, atque alvo poſſidet orbem.
Hunc octo in partes diviſum noſcere circum
Si potes, invenies ſupero convertier orbe.
Quinque pari ſpatio, partes tres eſſe relictas,
Tempore nocturno quas vis inferna frequentet.
[2] *Alter ab infernis Auſtri convertitur auris:*
Diſtribuens medium ſubterſecat hic Capricornum,
Atque pedes gelidum rivum fundentis Aquari,
[3] *Cæruleæque feram caudam Piſtricis, & illum*
Fugentem Leporem inde pedes Canis, & ſimul amplam
Argolicam retinet [4] *crebro cum lumine Navem:*
Tergaque Centauri atque Nepai portat acumen:
Inde Sagittari defixum poſſidet arcum.
Hunc à clariſonis auris Aquilonis ad Auſtrum,
[5] *Condens poſtremum tangit rota fervida ſolis:*
Exinde in ſuperas [6] *brumali tempore flexu*
Se recipit ſedes: huic orbi quinque tributæ
Nocturnæ partes, ſupera tres luce dicantur.
[7] *Haſce inter mediam in partem retinere videtur*
Tantus quantus erit collucens Lacteus orbis.
In quo autumnali, atque iterum ſol lumine verno
Exæquat ſpatium lucis cum tempore noctis.
Hunc retinens Aries ſublucet corpore totus,
Atque genu flexo Taurus connititur ingens:
Orion claro contingens corpore fertur:
[8] *Hydra tenet flexu Crateram, Corvus adhæret:*
Et paucæ Chelis ſtellæ; ſimul Anguitenentis
Sunt genua, & ſummi Jovis Ales nuntius inſtat:
Propter equus capite & cervicum lumine tangit.
Hoſce [9] *æquo ſpatio devinctos ſuſtinet axis,*
Per medios ſummo cæli de vertice tranans.
Ille autem claro quartus cum lumine circus,
Partibus extremis extremos continet orbes,
Et ſimul à medio media de parte ſecatur,
Atque obliquus in his nitens cum lumine fertur:
Ut nemo, cui ſancta manu doctiſſima Pallas
Sollertem ipſa dedit fabricæ rationibus artem,
Tam tornare catè contortos poſſiet orbes,
Quam ſunt in cælo [10] *divino lumine flexi,*
Terram cingentes, ornantes lumine mundum.
Culmine tranſverſo retinentes ſidera fulta.
[11] *Quattuor hi motu cuncti volvuntur eodem.*
Sed tantum ſupera terras ſemper tenet ille
Curriculum, obliquè inflexus tribus orbibus unus.
Quanto eſt diviſus Cancer ſpatio à Capricorno,
Ac ſubter terras ſpatium par eſſe neceſſe eſt:
Et quantos radios jacimus de lumine noſtro,
[12] *Queis lunæ convexum oculis contingimus orbem,*
Sex tantæ poterunt ſub eum ſuccedere partes,
Bina pari ſpatio cæleſtia ſigna tenentes.
Zodiacum hunc Græci vocitant, noſtrique Latini
Orbem ſigniferum perhibebunt nomine vero:
Nam gerit hic volvens bis ſex ardentia ſigna.
Æſtifer eſt pandens ferventia ſidera Cancer.
Hunc ſubter fulgens cedit vis torva Leonis,
Quem rutilo ſequitur collucens corpore Virgo.
Exin projectæ claro cum lumine Chelæ,
Ipſaque conſequitur lucens vis magna Nepai:
Inde Sagittipotens dextra flexum tenet arcum:
Poſt hunc ore fero Capricornus vadere pergit:
Humidus inde loci collucet Aquarius orbi.
[13] *Exin ſquammigeri ſerpentes ludere piſces:*
Queis comes eſt Aries obſcuro lumine labens,
Inflexoque genu projecto corpore Taurus,
Et Gemini clarum jactantes lucibus ignem.
Hæc ſol æterna conveſtit lumine luſtrans,
Annua conficiens [14] *vertentia tempora curſus*
Hic quantus terris [15] *confectus pellitur orbis,*
Tantundem ille patens ſupera mortalibus edit.
Sex omni ſemper cedunt labentia nocte,
[16] *Tot cælum juſſu fugientia ſigna reviſunt.*
Hoc ſpatium tranans cæcis nox conficit umbris,
Quod ſupera terras prima de nocte relictum eſt
[17] *Signifero ex orbe & ſignorum ordine fultum.*
Quod ſi ſolis aves certos cognoſcere curſus,
Ortus ſignorum nocturno tempore viſes:
Nam ſemper ſignum exoriens Titan trahit unum.
Sin autem officiens ſignis mons obſtruet altus,
Aut adiment lucem cæca caligine nubes:
Certas ipſe notas [18] *cæli de tegmine ſumens,*
Ortus atque obitus omnes cognoſcere poſſis.
Quæ ſimul exſiſtant cernes, quæ tempore eodem
Præcipitent obitum nocturno tempore noſces.
[19] *Jam ſimul ut ſupera ſe toto lumine Cancer*

Extulit,

1. *Hic totus medio*] Docti viri hæc mutila exiſtimaverunt. Grotio verò videtur nihil deeſſe ſi legatur hoc pacto, quod vero eſt ſimilè:

Hic totus medius circo disjungitur: iſte
Pectoribus validis, atque alvo poſſidet orbem.

2. *Alter ab infernis.*] Sic edidit Aldus; alii omnes, *Alter ab infernis Cancro connectitur auris.* unde Grotius conjicit duos verſus in unum coaluiſſe: itaque reſtituit ex conjectura:

Ille quidem à Boreæ Cancro connectitur auris,
Alter ab infernis contrà connititur Auſtris.

3. *Cæruleæque feram.*] Alii *feræ.* Unde Cl. Grot. *Cæruleamque feræ caudam Piſtricis.*

4. *Claro cum lumine Navem.*] Ita v. c. nam editum eſt *crebro.* Sed illud quoque *Argolicam* Grotio non placet: legit ergo: *Argoam retinet claro cum lumine Navem.*

5. *Cedens poſtremum.*] Turnebi emendatio eſt, quam ſecutus quoque eſt Grotius. alias *condens.*

6. *Brumali tempore flexu.*] Contra codices putat Grotius, *flexus.* Ut *pulſus* Sol dicitur τροπικὸς ἢ τετραμμένος apud Avienum.

7. *Hoſce inter mediam partem.*] Vulgo, *Hanc ce.*

8. *Hydra tenet flexu; Cratera & corvus adhæret.*] Ante L. quaſi annos reſtituit hunc locum Turnebus. Circumfertur in publicatis libris, *Crateram corvus adhæret.* Ita quoque verſu ſequenti emendavit, *Et paucæ è Chelis:* Utrumque Grotio quoque in mentem fuit. aliàs præpoſitio omiſſa eſt.

9. *Æquo ſpatio devinctos.*] Turnebus, *dejunctos;* quod non videtur diſplicere Grotio.

10. *Divino numine flexi.*] Beneficio Turnebi & hic locus reſtitutus eſt: intelligit ex more ac diſciplinâ Stoicorum προνοίαν Cicero. alii temere mutarunt, *lumine.*

11. *Quattuor hi motu cuncti volvuntur eodem.*] Aldina editio: *in motus.* Unde Grotius legi poſſe putat: *Quattuor in motus cuncti volvuntur eoſdem.* Sed verum cenſet: *Quatuor ii motu.*

12. *Queis lunæ convexum.*] Turnebus: *Queis lunæ convexum oculis.* Alii habent: *Queis lunæ convexum cæli tangimus orbem.* Poſſit, judice Grotio, tranſpoſitis vocibus legi: *Queis lunæ cæli convexum tangimus orbis.* Sed verum cenſet,

Queis hunc convexum cæli contingimus orbem.

quod in textum quoque receptandum eſt.

13. *Exin ſquammiferi ſerpentes ludere Piſces.*] Locum depravatum eſſe pronunciat Grotius, & quia nulla a libris medela, putat legendum: *Exin ſquammifero ſerpentes ſudere Piſces.* *Sudere* veteres ſcribebant pro *ſedere.* Poſſit tamen *ſquammiferi* retineri. Sed alterum eſt intolerabile. Hæc ille.

14. *Vertentia tempora curſus.*] Ita Aldina. alii *vertentia tempora curſu:* Legit Grotius: *vertentis tempora curſus,* Παντ' ἐνιαυτὸν ἄγων Aratus. Poſſis etiam: *vertenti tempora curſu.*

15. *Connexus pellitur orbis.*] Hanc veram lectionem putat eſſe Grotius. aliàs *confectus.* verſu deinde ſequenti legit, *Tantumdem ille patens ſupra mortalibus exit.* Alii; *Tantumdem pandens.* Turnebus, *Tantumdem parens:* pro apparens ut in actionum formulis *ſi paret.* vulgò *edit.* pro quo alii *extat.*

16. *Tot cælum rurſus.*] Veteris codicis lectionem probat hanc Grotius. Turnebus putabat: *Tot cælum juxta.* Alias *juſſus* vel *juſſu.*

17. *Signifero orbis.*] Judicium Turnebi locum hunc reſtituit, quem ſic quoque concepit Aldus. Alii in editionibus *Signifer ex orbe ſignorum.*

18. *Cæli de tegmine ſumens.*] Turneb. vulgò *ſumes.*

19. *Jam ſimul ut ſupera.*] Alii: *Nam ſimul ac primum ſupero ſe lumine Cancer.* Quia ea lectio non eſt antiqua, reponit Grotius: *Nam ſimul ut ſupero ſe totum lumine Cancer.* Turnebus pro *ſupero* ſcribit *ſupera.* quod pro *ſupra* veteres dicebant.

Extulit, extemplò cedit delapſa Corona,
Et loca conviſit cauda tenus infera Piſcis.
Dimidiam retinens ſtellis diſtincta Corona
Partem etiam ſupera, atque alia de parte repulſa eſt:
Quum tamen inſequitur Piſcis, nec totus ad umbras
Tractus, ſed ſupero contectus corpore cedit,
Atque humeros uſque à genibus, [1] clarumque recondit
Anguitenens validis magnum à cervicibus Anguem.
Jam verò Arctophylax non æqua parte ſecatur.
Nam brevior clara cæli de parte videtur,
Amplior infernas depulſus poſſidet umbras.
Quattuor hic obiens ſecum deducere ſigna
Signifero ſolet ex orbi, tum ſerius ille
Quum ſupera ſeſe ſatiavit luce, recedit,
Poſt mediam labens claro cum corpore noctem.
Hæc obſcura tenens conveſtit ſidera tellus:
At parte ex alia claris cum lucibus errat
Orion, humeris & lato pectore fulgens,
Et dextra retinens non caſſum luminis enſem.
Sed quum de terris vis eſt patefacta Leonis,
Omnia, quæ Cancer præclaro detulit ortu,
Cedunt obſcurata, [2] ſimul vis major Aquari
Pellitur, ac [3] flexo confidens corpore Nixus
Jam ſupero fermè depulſus lumine cedit:
Sed lævum genus atque illuſtrem linquit in altum
Plantam. tum contrà exoritur clarum caput Hydræ,
Et Lepus, & Procyon, qui ſeſe fervidus infert
Ante Canem: inde Canis veſtigia prima videntur.
Non pauca è cælo depellens ſigna repente
Exoritur [4] candens illuſtria lumina Virgo.
Cedit clara Fides Cyllenia, mergitur unda
Delphinus, ſimul obtegitur depulſa Sagitta,
Atque Avis ad ſummam caudam, primaſque recedit
Pinnas, & magnus pariter delabitur Amnis.
Hic equus à capite & longa cervice lateſcit:
Longius exoritur jam claro corpore Serpens,
Crateraque tenus lucet mortalibus Hydra.
Inde pedes Canis oſtendit jam poſteriores,
Et poſt ipſe trahit claro cum lumine Puppim:
Inſequitur labens [5] per cæli lumina Navis,
Et jamjam toto proceſſit corpore Virgo:
Hæc medium oſtendit radiato ſtipite malum.
At quum procedunt obſcuro corpore Chelæ,
Exſiſtit pariter larga cum luce Bootes,
Cujus in adverſum eſt Arcturus corpore fixus,
Totaque jam ſuperà fulgens prolabitur Argo:
Hydraque quòd latè cælo diſperſa tenetur,
[6] Nondum tota latet, non caudam contegit umbra.
Jam dextrum genus, & decoratam lumine ſuram
Erigit, [7] ille vagans vulgato nomine Nixus,
Quem nocte exſtinctum, atque exortum vidimus unà,
Perſæpe ut parvum tranans geminaverit orbem.
Hîc genus & ſuram cum Chelis erigit altè:
Ipſe autem præceps obſcura nocte tenetur,
Dum Nepa & Arcitenens inviſant lumina cæli,
Non ſe cum medium pandet Nepa, tollere verò
In cælum totum exoriens conabitur arcus.
Hic tribus elatum cum ſignis corpore toto
Lucet; at exoritur media de parte Corona,
Caudaque Centauri extremo candore refulget.
Hic ſe jam totum cæcas Equus abdit in umbras,
Quem rutila fulgens pluma prætervolat Ales.
Occidit Andromedæ clarum caput, & fera Piſtrix
Labitur, horribiles epulas funeſta requirens,
Hanc contra Cepheus non ceſſat tendere palmas,
Illa uſque ad ſpinam mergens ſe cærula condit.
At Cepheus caput atque humeros palmaſque reclinat.
Quum verò vis eſt vehemens exorta Nepai,
[8] *Latè fuſa volat.* in terras labitur unda,
Orionque metu perculſus conditur unà.
Pace hujus liceat cauſam explicuiſſe timoris,
Virgo, tua: mihi quæſo veni placata Diana.
Hæc fama eſt hominum, *hæc per terras fama vagatur*
[9] Ut quondam Orion manibus violaſſe Dianam
Dicitur, excelſis errans in collibus amens,
Quos tenet Ægæo defixa [10] in gurgite Echineis,
[11] Brachia quam viridi conveſtit tegmine vitis.
Ille feras vecors amenti corde necabat
OEnopionis avens [12] epulas cenare nitentes.
At verò pedibus ſubitò perculſa Dianæ
Inſula diſceſſit, dejectaque ſaxa revellens
Perculit, & cæcas luſtravit luce lacunas,
E quibus ingenti exſtitit cum corpore præ ſe
Scorpius, infeſtus præportans flebile acumen.
Hic valido cupidè venantem perculit ictu,
Mortiferum in venas figens per vulnera virus:
Ille gravi moriens conſtravit corpore terram.
Quare cùm magnis ſeſe Nepa lucibus effert,
Orion fugiens commendat corpora terris.
Tum verò fugit Andromeda, & Neptunia Piſtrix.
Tota latet, cedit converſo corpore Cepheus
Extremas medio contingens corpore terras.
Hic caput, & ſuperas potis eſt demergere partes:
Infera lumborum numquam conveſtiet umbra.
Nam retinent [13] Arcti luſtrantes lumine ſuras.
Labitur illa ſimul gnatam lacrymoſa requirens
Caſſiopea, neque ex cælo depulſa decorè
Fertur: nam verſo contingens vertice primùm
Terras [14] poſt humeros everſa ſede refertur.
Hanc illi tribuunt pœnam Nereides almæ,
Cum quibus (ut perhibent) auſa eſt contendere forma.
Hæc obit inclinata: at pars exorta Coronæ eſt
Altera, cum caudaque omnis jam panditur Hydra.
At caput, & totum ſeſe Centaurus opacis
Eripit è tenebris, linquens veſtigia parva
Antè pedum contecta, ſimul [15] cum lumine pandit:
Ipſe feram dextra retinet, perlabitur inde
Anguitenens capite & manibus profert ſimul Anguis
Jam caput, & ſummum flexo de corpore lumen.
Hic ille exoritur converſo corpore Nixus,

Alvum,

1. *Clarumque recondit.*] Conjectat Grotius: *camurumque.* Camurum veteribus Latinis, licet propriè de cornibus dicatur, eſt τὸ ἐπικαμπὲς, tortum, quod anguium eſt proprium.

2. *Simul vis magna Aquilai.*] Ita hunc locum emendavit Turnebus, arripiente eundem Grotio. Vulgò ineptè. *Vis major AquarI.* Vide hîc Grotium & Turneb. lib. VIII. cap. 17.

3. *Flexo confidens corpore.*] Recte omninò Turnebus, *conſidens.*

4. *Candens illuſtri lumine Virgo.*] Monuerunt alii ſic legendum; monuit & Grotius. in publicatis libris conviſitur: *illuſtria lumina Virgo.*

5. *Per cæli lumina.*] Mihi placet Turnebianum *limina.* ſicut verſu proximo, *Et cum jam toto.*

6. *Nondum tota patet: nam caudam contegit umbrâ.*] Sic legebat Turnebus non adverſante Grotio. Editum aliàs erat: *Nondum tota latet: non caudam.*

7. *Ille vagans.*] Male alii, judice Grotio, *vagans.* ſicut & verſu 409. *Non ſecum.* cùm ſit legendum: *Nam ſecum.*

8. *Latè fuſa volat.*] Legit Grotius: *Latè fuſa volans in terras labitur unda.*

9. *Ut quondam Orion.*] Grotius, *Vi quondam.*

10. *In gurgite Chius.*] Hanc lectionem ſanam pronuntiat ac præſtat Grotius. conjectat idem tamen *Echinas*, etſi non ſatisfaciat. Vulgo, *Echineis.* Ald. *Echinus.*

11. *Brachia quà viridi.*] Ita emendavit Grotius. Aldina editio: *Brachia quam viridi.* alii ſubſtituerunt: *Brachia cui viridi.* Turnebus emendarat: *Bacchus quam virid.* vel: *Bacchica quam viridi.*

12. *Epulas ornare.*] Male alii, *cænare.*

13. *Arcti.*] Aldina *Arcto.* unde Grotius rectè: *arctoe.* Et ita ſemper ſcribi in Cæſaris Germanici libro, antiquiſſimâ manu exarato, teſtatur.

14. *Poſt humeris everſa.*] Rectè ſic Turnebus, quod laudat quoque Grotius. Alias *humeros.*

15. *Cum lumine pandit.*] Alii *cum lumina.* Legit Grotius: *ſimul tum lumina pandit.*

1. *Inſti-*

Alvum, crura, humeros, ſimul & præcordia luſtrans,
Et dextra radios læto cum lumine jactans.
Inde Sagittipotens ſuperas conviſere luces
[3] Inſtitit & mergit Nixi caput, & ſimul effert
Seſe clara Fides, & promit corpore Cepheus,
Fervidus ille Canis toto cum corpore cedit,
Abditur Orion, obit & Lepus abditus umbra,
Inferiora cadunt Aurigæ lumina lapſu.
Inde obiens Capricornus ab alto lumine pellit
Aurigam, inſtantemque Capram parvos ſimul Hædos,
Et magnam antiquo depellit nomine Navem.
Obruitur Procyon, [4] emergunt Alite lapſum,
Et terris volucris exiſtit clara Sagitta.
Crus, dextrumque pedem linquens obit infera Perſeus
In loca, tum cedens à puppi linquitur Argo:

PRIS. lib. 8.] *Sub pedibus profert finita Booti.*

PRIS. lib. 6.] *Tertia ſub caudam ad genus ipſum lumina pandit.*

PRIS. lib. 10.] *Quem neque tempeſtas perimet, neque longa vetuſtas.*
Interimet, ſtinguens præclara inſignia cæli.

PROGNOSTICA.

PRIS. lib. 10.] *Ut cùm luna means Hyperionis officit orbi.*
Stinguuntur radii cæca caligine tecti.

PRIS. lib. 16.] *Aſt autem tenui quæ candent lumine Phatnæ.*

CIC. 1. Divin.] *Atque etiam ventos præmonſtrat ſæpe futuros*
Inflatum mare, cùm ſubito penituſque tumeſcit,
Saxaque cana ſalis niveo ſpumata liquore,
Triſtificas certant Neptuno reddere voces:
Aut denſus ſtridor cùm celſo e vertice montis
Ortus adaugeſcit ſcopulorum ſæpe repulſu.
Cana fulix itidem fugiens è gurgite ponti
Nuntiat horribiles clamans inſtare procellas,
Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.

Vos quoque ſigna videtis aquaï dulcis alumnæ,
Cùm clamore paratis inaneis fundere voces,
Abſurdoque ſono fonteis & ſtagna cietis.

Quis eſt qui ranunculos hoc videre ſuſpicari poſſit?

Sæpe etiam pertriſte canit de pectore carmen,
Et matutinis acredula vocibus inſtat,
Vocibus inſtat, & aſſiduas jacit ore querelas,
Cùm primum gelidos rores aurora remittit.
Fuſcaque nonnumquam curſans per littora cornix,
Demerſit caput & fluctum cervice recepit.
Mollipedeſque boves ſpectantes lumina cæli
Naribus humiferum duxere ex aere ſuccum,
Jam verò ſemper viridis ſemperque gravata,
Lentiſcus triplici ſolita grandeſcere fætu,
Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.

PRIS. lib. 6.] *Caprigeni pecoris cuſtos de gurgite vaſto.*

CETERA DESIDERANTUR.

M. TULLII CICERONIS ALCYONES.

NON.] *Alcyonem genuit claris delapſus ab aſtris*
Prævius auroræ ſolis, noctiſque ſatelles.

M. T. CICERONIS LIMON.

CIC.] *Tu quoque qui ſolus lecto ſermone, Terenti,*
Converſum, expreſſumque Latina voce Menandrum
In medio populi ſedatis vocibus effers,
Quidquid come loquens, atque omnia dulcia linquens.

M. T. CICERONIS MARIUS.

CIC.] *Nuntia fulva Jovis, miranda viſa figura.*

CIC.] *Hic Jovis altiſoni ſubito pinnata ſatelles,*
Arboris è trunco ſerpentis ſaucia morſu,
Ipſa feris ſubigit transfigens unguibus anguem
Semianimum, & varia graviter cervice micantem,
Quem ſe intorquentem lanians, roſtroque cruentans,
Jam ſatiata animum, jam duros ulta dolores,
Abjicit efflantem, & laceratum affligit in undas,
Seque obitu à ſolis nitidos convertit ad ortus.
Hanc ubi præpetibus pinnis, lapſuque volantem
Conſpexit, Marius divini numinis augur,
Fauſtaque ſigna ſuæ laudis, redituſque notavit:
Partibus intonuit cæli pater ipſe ſiniſtris.
Sic aquilæ clarum firmavit Jupiter omen.

M. T. CICERONIS
DE SUO CONSULATU,
LIBER II.

CIC. 1. Divin.] *Principio æthierio flammatus Jupiter igni*
Vertitur, & totum colluſtrat lumine mundum,
Menteque divina cælum, terraſque petiſſit:
Quæ penitus ſenſus hominum, vitaſque retentat,
Ætheris æterni ſæpta, atque incluſa cavernis.
Et ſi ſtellarum motus curſuſque vaganteis
Noſſe velis, quæ ſint ſignorum in ſede locatæ,
Quæ verbo, & falſis Grajorum vocibus errant,
Re vera certo lapſu ſpatioque feruntur:
Omnia jam cernes divina mente notata.
Nam primùm aſtrorum volucreis te Conſule motus,
Concurſuſque graveis ſtellarum ardore micanteis,
Tu quoque, cum tumulos Albano in monte nivaleis
Luſtraſti, & læto mactaſti lacte Latinas,
Vidiſti & claro tremulos ardore cometas,
Multaque miſceri nocturna ſtrage putaſti,
Quod fermè dirum in tempus cecinere Latinæ,
Cum claram ſpeciem concreto lumine luna
Abdidit, & ſubito ſtellanti nocte peremta eſt.

Quid verò Phœbi fax triſtis nuntia belli,
Quæ magnum ad culmen flammato ardore volabat.
Præcipiteis cæli parteis, obituſque petiſſet:
Aut cùm terribili perculſus fulmine civis
Luce ſerenanti vitai lumina liquit:
Aut cùm ſe gravido tremefecit corpore tellus.
Jam verò variæ nocturno tempore viſa
Terribiles formæ bellum, motuſque monebant:
Multaque per terras vates oracla furenti
Pectore fundebant triſteis minitantia caſus.
Atque ea, quæ lapſu tandem cecidere vetuſto,
Hæc fore perpetuis ſignis, clariſque frequentans
Ipſe Deûm genitor cælo, terriſque canebat.
Nunc ea, Torquato quæ quondam, & conſule Cottæ.
Lydius ediderat Tyrrhenæ gentis haruſpex,
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonas ſtellanti nixus Olympo.
Ipſe ſuos quondam tumulos ac templa petivit,
Et Capitolinis injecit ſedibus igneis,
Tum ſpecies ex ære vetus generoſaque Nattæ
Concidit, elapſæque vetuſto numine leges:
Et divûm ſimulacra peremit fulminis ardor.
Hic ſilveſtris erat Romani nominis altrix
Martia, quæ parvos Mavortis ſemine natos
Uberibus gravidis vitali rore rigabat:
Quæ tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit, atque avulſa pedum veſtigia liquit.
Tum quis non artis ſcripta ac monumenta volutans,
Voces triſtificas chartis promebat Etruſcis?
Omnes civilis generoſam ſtirpe profectam
Vitare ingentem cladem, peſtemque monebant:
Vel legum exitium conſtanti voce ferebant,
Templa deumque adeo flammis, urbeiſque jubebant
Eripere, & ſtragem horribilem, cædemque vereri:

3. *Inſtitit, emergit.*] Hanc veram lectionem prædicat eſſe Grotius. Turnebus tamen *inſtat & emergit*. Alias parvo diſcrimine, *Inſtitit & mergit*.

4. *Emergunt alite lapſum.*] Turnebus rectiſſimè: *Emergunt alite lapſu E terris volucres*. Vitioſiſſimè editum fuerat: *Emergunt alites una*.

Atque hæc fixa gravi fato, ac fundata teneri,
Ni poſt exciſum ac columen formata decorè
Sancta Jovis ſpecies claros ſpectaret in ortus:
Tum fore, ut occultos populus, ſanctuſque ſenatus
Cernere conatus poſſet, ſi ſolis ad ortum
Converſa, inde patrum ſedes, populique videret.
Hæc tardata diu ſpecies, multumque morata,
Conſule te tandem celſa eſt in ſede locata:
Atque una fixi ac ſignati temporis hora
Jupiter excelſa clarabat ſceptra columna:
Ac clades patriæ flamma ferroque parata
Vocibus Allobrogum patribus populoque patebat.
Ritè igitur veteres, quorum monumenta tenetis,
Qui populos, urbeiſque modo ac virtute regebant:
Rite etiam veſtri, quorum pietaſque fideſque
Præſtitit, ac longè vicit ſapientia cunctos,
Præcipuè ingenti coluerunt numine divos,
Hæc adeò penitus cura videre ſagaci,
Otia qui ſtudiis læti tenuere decoris,
Inque Academia umbrifera, nitidoque Lyceo
Fuderunt claras fæcundi pectoris arteis.
E quibus ereptum primo jam à flore juventæ,
Te patria in media virtutum mole locavit.
Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas,
Quòd patriæ voces, ſtudiis nobiſque ſacraſti.

NON.] *Atque animo pendens noctis eventa timebat.*

M. T. CICERONIS
DE SUO CONSULATU,
LIBER III.

CIC. ATT.] *Interea curſus, quos prima à parte juventæ,*
Quoſque adeo conſul virtute, animoque petiſti,
Hos retine, atque auge famam, laudemque bonorum.

M. T. CICERONIS
DE SUIS TEMPORIBUS.

QUINT.] *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.*

QUINT.] *O fortunatam natam me Conſule Romam.*

M. TULLII CICERONIS
ELEGIA TAMELASTIS.

SERVIUS in Æneid.] *Jam mare Tyrrhenum longè penituſque palumbes Relliquit.*

AUG. l.5. c.8. Civit.] *Tales ſunt hominum mentes, qualis pater ipſe*
Jupiter auctiferas luſtravit lumine terras.

M. TULLII CICERONIS
JOCULARIS LIBELLUS.

QUINT.] *Fundum Varro vocat, quem poſſim mittere funda,*
Ni tamen exciderit, quà cava funda patet.

M. TULLII CICERONIS
FRAGMENTA
LIBRORUM INCERTORUM.

LACT. *lib.* 3. *cap.* 16.] Recteque Tullius civileis viros, qui rempub. gubernant, qui urbeis aut novas conſtituant, aut conſtitutas æquitate tueantur, qui ſalutem & libertatem civium, vel bonis legibus, vel ſalubribus conſiliis, vel judiciis gravibus conſervent, philoſophiæ doctoribus præfert.

D. AUG. *lib.* 4. *contra Pelagium.*] Eorum quippe opinioni convenienter ait quodam loco Tullius, ſe non putare idem eſſe arietis, & P. Africani bonum.

D. AUG. *Vita beata*] An verò, quod ait Tullius multorum in terris prædiorum dominos divites appellamus, omnium virtutum poſſeſſores pauperes nominabimus?

D. AUG. *epiſt.* 1.] * nullum umquam verbum, quod revocare vellet, emiſit.

QUINT. *lib.* 11. *cap.* 1.] * non ſe id egiſſe, ut ita diceret, quo modo ſe quilibet poſſe conſideret, ſed quo modo nemo.

HIER. *ſuper obitu Paullinæ.*] Cæſar cùm quoſdam ornare voluit, non illos honeſtavit, ſed ornamenta ipſa turpavit.

LACT. *lib.* 5. *cap.* 11.] Etenim ſi nemo eſt, qui non mori malit, quàm converti in aliquam figuram beſtiæ, quamvis mentem hominis habiturus, quanto eſt miſerius, in hominis figura animo eſſe efferato? mihi quidem tanto videtur, quanto eſt præſtabilior animus corpore.

LACT. *lib.* 7. *cap.* 11.] Nihil eſſe, quod ſit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur, vel injuria hominum, vel ipſa confectrice omnium vetuſtate.

QUINT. *lib.* 8. *cap.* 6.] Hoc miror enim, queror que, hominem ita peſſundare verbis alterum velle, ut etiam navem perforet, in qua ipſe naviget.

PLIN. *lib.* 3. *cap.* 2] Fæminas omneis viſu nocere, quæ dupliceis pupillas habent.

PLIN. *lib.* 7. *cap.* 5. & *lib.* 13. *cap.* 3.] Meliora ungenta ſunt, quæ terram, quàm quæ crocum ſapiunt.

IDEM *lib.* 17. *cap* 21.] In nuce incluſam Iliada Homeri carmen in membrana ſcriptum.

IBIDEM.] Fuiſſe qui prævideret CXXXV. M. paſſuum.

SENEC. I. *Tranquil.*] Gladiatores inviſos habemus, ſi omni modo vitam impetrare cupiunt; favemus, ſi contemtum ejus præ ſe ferunt.

IDEM *in epiſt.*] Si mihi vitæ ſpatium duplicetur, vel iis tantummodo, poëtis percurrendis, qui λυρικοὶ a Græcis vocantur, non eſſe ſuffecturum.

MARCEL. *lib.* 15] Et quamquam optatiſſimum eſt, perpetuò fortunam quàm florentiſſimam permanere: ita tamen æquabilitas vitæ non tantum habet ſenſum, quantum cum ex adverſis, & perditis rebus ad meliorem ſtatum fortuna revocatur.

PLIN.] In libris de rep. Platonis me comitem profiteor; in conſolatione filiæ, Crantorem ſequor, item Panætium de officiis.

D. AUGUST.] * Omnium pectora ſic attingit ut cogat in gemitum.

O miſerum cui peccare licebat.

D. AUG.] Nullæ ſunt occultiores inſidiæ, quàm quæ latent in ſimulatione officii, aut in aliquo neceſſitudinis nomine.

Philoſophiam dii paucis quibuſdam veram dederunt.

NON.] * arcera.

NON.] Exiſtimavi honeſtiſſimè moleſtias poſſe deponi, ſi me ad philoſophiam retuliſſem.

FORTUN.] * forem.

SERVIUS.] Ad militiam euntibus dari ſolebant cuſtodes, quibus primo anno regerentur.

IDEM 3. *Georg.*] De accuſatore lege quinta dicta.

IDEM 6. *Æneid.*] Eſt autem cauſa difficilis, laudare puerum: non enim res laudanda, ſed ſpes eſt.

D. AUG.] Hippocrates nobiliſſimus medicus ſcriptum reliquit, quoſdam fratres, cùm ſimul ægrotare cœpiſſent, & eorum morbus eodem tempore ingraveſceret, & eodem levaretur, geminos eſſe ſuſpicatum.

MARCEL.]

Marcel.] * cùm parcere, vel lædere potuiſſem, ignoſcendi quærebam cauſas, non puniendi occaſiones, quod judicis lenti & conſiderati eſt proprium.

Marcel. *lib.* 26.] Infelices eſſe, qui omnia ſibi licere exiſtimarent.

Idem. *lib.* 31.] Erythræo oppido ſuperpoſitum montem Mimanta.

D. Aug.] * de plebeia fæce ſellulariorum.

Diomed.] Qui fuit locus religioſiſſimus, is erit deſertiſſimus, & cuſtodia caſtrorum non honoris, ſed oneris exiſtimatur.

Lact.] Lex Dei præclara & divina ſemper, quæ recta & honeſta jubet, vetat prava & turpia: cui parentem ſanctiſſimæ ac certiſſimæ Legi, juſtè ac legitimè neceſſe eſt vivere.

Lact.] Atque adeò in pleriſque civitatibus intelligi poteſt acuendæ virtutis gratia, aut quo libentiùs reip. cauſa periculum adiret optimus quiſque virorum fortium memoriam honore deorum immortalium conſecratam.

Festus.] * ructaretur.

Idem.] Teſqua.

Quint.] Dic mihi quæſo Xenophontis uxor ſi vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, utrumne illius, an tuum malis? illius, inquit. Quid? ſi veſtem & ceterum ornatum muliebrem pretii majoris habeat, quàm tu habes, tuumne, an illius malis? illius verò, reſpondit. Ageſis inquit, ſi virum illa meliorem habeat, quàm tu habes, utrumne tuum virum malis, an illius? Hìc mulier erubuit, & meritò. male enim reſponderat ſe malle alienum aurum, quàm ſuum. nam eſt id improbum. At ſi reſpondiſſet, ſe malle aurum ſuum tale eſſe, quale illud eſſet: potuiſſet pudice reſpondere, malle ſe virum ſuum talem eſſe, qualis melior eſſet.

Ex Auſonio de Monoſyllabis.

Seps.

Ex Cariſio.] Plure venit.

Colum. *l.*3.*c.*8.] Romanum fuiſſe civem Nævium Pollionem, pede longiorem, quàm quemquam longiſſimum.

Donatus in vita Terentii.

Comœdia.] Eſt imitatio vitæ, ſpeculum conſuetudinis, imago veritatis.

In Andr.

Non ſolùm videam, ſed etiam audiam, pleneque ſentiat.

Gell. *lib.* 10. *cap.* 18.] Mauſolus rex terræ Cariæ.

Isid. *lib.* 19. *cap.* 1.] *Tunc ſe fluctigero tradit, mandatque paroni.*

Lact. *lib.* 7. *cap.* 8.] Quoniam utraque earum ſententiarum doctiſſimos habuit auctores, nec quid certi ſit, divinari poteſt.

Plin. *lib.* 7. *cap.* 43.] P. Ventidium mulionem caſtrenſem ſuffarraneum fuiſſe.

Idem *lib.* 29. *cap.* 4.] * formicas ſolivagas.

Ibid.] Muſtela catulos ſuos quotidie transfert, mutatque ſedem.

Idem *lib.* 30. *cap.* 5.] Animalia byturos vocari, qui viteis in Campania erodant.

Idem *lib.* 31. *cap.* 2.] Cicero in admirandis poſuit, Reatinis tantum paludibus ungulas jumentorum indurari.

Idem *lib.* 31. *cap.* 4.] Quædam terræ imbribus ſicciores fiunt, veluti in Narnienſi agro, quod admirandis ſuis inſeruit M. Cicero. ſiccitate lutum fieri prodens, imbre pulverem.

Solin. *cap.* 2.] Romam conditam olympiadis ſextæ anno tertio.

INDEX OPERUM
M. TULLII CICERONIS
GRÆCO-LATINUS,
CONTINENS
GRÆCAS DICTIONES PASSIM OCCURRENTES,
Et earum
INTERPRETATIONES.

A.

Ἀβδηριτικὸν, Abdereticum, ſtultum. 835.a
Ἀβλάβειαν, abſtinentiam, innocentiam, frugalitatem. 1077.a
Ἀγέλαστος, expers riſus. 1050.b
Ἀγοητεύτως, ſincere, ſine præſtigiis & fuco. 884.a
Ἄγραφον, non ſcriptum 824.b
Ἀγὼν, certamen, contentio, 909.a
Ἀγῶνα, certamen. 778.b
Ἀδέσποτοι, ſine auctore. 765.b
Ἀδεῶς, fidenter, ſine ullo periculi metu aut ſuſpicione. 907.a
Ἄδηλα, incerta. 984.a
Ἀδημονῶν, mœrens, ſollicitudinis plenus. 860.b
Ἀδιαφορία, in neutram partem inclinatio. 790.b 994.a
Ἀδιάφορον, indifferens. 1027.a
Ἀδικαίαρχοι, injuſti magiſtratus. 789.a
Ἀδιόρθωτα, incorrecta, inchoata. 899.b
Ἀδόλεσχος, loquax. 929.a
Ἀδύνατον, quod fieri non poteſt. 772.a
Ἀδωροδόκητον, integrum & incorruptum largitione. 820.a
Ἀζηλοτύπητον, ſine invidia. 898.b
Ἀθέτησις, improbatio. 830.b
Ἀθηναίων, Athenienſium. 785.a
Ἄθυρα, partes ædium cæcæ, carentes feneſtris & luminibus 923.a
Αἱ γὰρ τῶν τυράννων δεήσεις inquit, Πλάτων, οἶσθ' ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις: tyrannorum preces, inquit Plato, permiſtæ ſunt, ut ſcis, neceſſitatibus. 860.b
Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρωάδας. *Vereor Trojanos & Trojanas.* 837.b. 851.b 900.b
Αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι: veriti ſunt quidem recuſare, timuerunt autem accipere. 825.a. 929.b
Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων, ſemper fortiter agere, & aliis præſtare. 746.b. 941.a
Αἴκε δύνηαι, ſi modò poſſis. 897.b
Αἵρεσις, ſecta. 765.b
Αἰσχρὸν σιωπᾶν: *integer ſenarius ſic habet:* αἰσχρὸν σιωπᾶν ἰσοκράτην δ' ἐᾶν λέγειν: Turpe eſt tacere, & ſinere, ut Iſocrates loquatur. 829.b
Αἰσχρᾶς φαντασία turpitudinis imago. 854.b
Ἀκαδημικὴν, Academicam. 897.b
Ἄκαιρος intempeſtivus. 853.b
Ἀκακίαν, animum terrore liberum. 1050.a
Ἀκατάληπτον, quod comprehendi non poteſt, incomprehenſibile. 979.b
Ἀκαταληψίαν, opinionem eorum, qui nihil comprehendi poſſe dicunt. 898.b
Ἀκενόσπουδος, abhorrens à ſtudio rerum inanium. 765.b
Ἀκεραίως, ſincerè. 922.a
Ἀκηδεία, contemtu, quod curæ & ſtudio nemini eſſet. 812.b
Ἀκηδία, torpedo cum mœſtitia. 893.b
Ἀκίνδυνα, periculo carentia. 898.b
Ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ, periculi quidem expertia ſive tuta, ſed diuturniora. 768.a
Ἀκκιζόμεθα, inviti diſſimulamus. 791.b
Ἀκοινώνητον, alienum à familiari conſuetudine. 827.a
Ἀκοινωνήτως, rigidè, & minimè familiariter. 823.b
Ἀκολακεύτως, citra aſſentationem, ſimulationem. 906.b
Ἀκολασίαν, intemperantiam. 910.a
Ἄκουσμα, auditio. 884 b
Ἀκραιφνὲς, liquidum, non perturbatum. 874.b
Ἀκρόαμα, recitationem. 966.b
Ἀκροστιχίς, genus verſus Sibyllini. 1176.b
Ἀκροτελεύτιον, clauſulam. 820.b
Ἀκρωτηρίων οὖρα, ſigna ſecundæ tempeſtatis ex vexillis navium & domorum. 816.b
Ἀκύθηρον, invenuſtum. 698.b
Ἄκυρον, ineptum. 770 a
Ἄλη, anxietas & ſollicitudo animi nuſquam conquieſcentis. 864.b
Ἀλίμενα, loca portu carentia, loca importuoſa. 860 b
Ἄλις δρυὸς, *Satis glandium*] Epiſt. ad Attic. lib III. Epiſt 19 *Dices fortaſſe dignitatis* ἅλις, *tanquam* δρυός. 791.a

Ἄλις

Α'λις σπȣδῆς, ſatis ſtudii eſt & operæ. 785. a

Α'λιτενεῖ, humili. 910. b

Α'λκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων, εὖ εἴπῃ, ſtrenuus eſto, quo te & poſterorum, vel qui ſero naſcentur, aliquis laudet. 746. a

Α'λλ' ἄγε, πῶς μέμονας; ȣ̓ δεῖγε καὶ ἀκλειῶς ἀπολέσθαι, ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι. Verum age, quo pacto cunctaris? non decet ſanè ingloriuni perire: Sed magnum quid cum fecero, quod vel à poſteris audiatur. ibid. b

Α'λλ' αἰεί τινα φῶτα μέγαν, ſed ſemper virum ingentem. 937. b

Α'λλ' ἐμὸν ȣ̓́ποτε θυμὸν ἐνὶ ςήθεσσιν ἔπειθεν, Ω'ς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα. Sed meum numquam animum in pectore inflexit, nubes enim tegebat atra 746. a

Α'λλ' ἐμὸν ȣ̓́ποτε θυμὸν ἐνὶ ςήθεσσιν ἔπειθες Παλλάδ@, ſupple ex Homero: ὡς ȣ̓δὲν γλύκιον ἧς: ſed mihi numquam perſuaſiſti patria quidquam illi ſua dulcius eſſe 831. a

Α'λλ' οἰμωζέτω, ſed ploret, malè ipſi ſit. 952. b

Α'λλ' ȣ̓ δαιτὸς ἐπηρέατȣ ἔργα μέμηλεν, ἀλλὰ λίην μέγα πῆμα, διοτρεφὲς, εἰσορόωντες Δείδιμεν. ἐν δοιῇ ἢ σαωσέμεν, ἢ ἀπολέσθαι. Sed nobis curæ non eſt convivio & compotationi operam dare. Verùm magnam cladem à Jove immiſſam intuentes Extimeſcimus. incertumque eſt ſalvine futuri, an interituri ſimus 910. b

Α'λλὰ μὲν αὐτὸς, ut ait ille. ἀλλὰ δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται: alia quidem ipſe, alia autem vel Deus ſuggeret. 861. b

Α'λλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ: ſed hæc quidem quæ ante acta ſunt, omittemus, licet cum mœrore. 831. b. 872. a

Α'λληγορία, figura tranſlationis. 159. a

Α'λληγορίαις, verbis alium ſenſum, quàm quem vulgò præ ſe ferunt, indicantibus. 792. a

Α'λλο πρόβλημα, alia quæſtio. 828. b

Α'λλοις ἐν ἐσθλοῖς τὸ δ' ἀπωθεῖται ψόγον, aliis in bonis dedecus hoc detrudunt à ſe. 915. b

Α'λογηθῇ, negligatur. 884. a

Α'λογίςως, inconſideratè, ſtultè. 858. a

Α'λόγως, ſine ratione, temere. 891. a. 906. a

Α'μα πρόσσω, καὶ ὀπίσσω, ſimul à fronte & à tergo 746. b

Α'μαλθεία, Amalthea. 779. b

Α'μαλθεῖον, Amalthæum. 779. b

Α'μάρα, alveus aquæ, canalis. 930. b

Α'μβροτος, immortalis, divinus. 927. a

Α'μεμπτος, non accuſanda. 831. b

Α'μεταμέλητος, quem non pœnitet. 907. a

Α'μεταμέλητος, non pœnitenda. 833. a

Α'μηχανία, inopia conſilii. 923. b

Α'μορφον, ἀντιπολιτευομένȣ χρεοφειλέτην, deforme & turpe eſt, ejus, qui contrariæ ſit in republica factionis, debitorem eſſe 836. a

Α'μπνευμα σεμνὸν Α'λφειȣ, reſpirationem venerandam Alphei. 884. b

Α'μφιβολία, ambigua oratio. 698. b

Α'μφιλαφία, anceps anſa. 943. a. 946. a

Α'μύμων, reprehenſionis expers. 927. a

Α'ναθεώρησιν, animadverſionem. 912. a

Α'ναθεώρησις, ſpeculatio, conſideratio. 863. a

Α'ναλογία, comparatio, proportiove. 826. a. 1326. a

Α'ναντιφωνησία, taciturnitas in reſpondendo. 919. b

Α'ναντιφώνητον, ſine reſponſione. 825. a

Α'ναπάντητον, remotum ab omni occurſu. 852. a

Α'ναπολόγητον, quod nulla ratione defendi poteſt, quod defenſione caret. 928. a

Α'ναφαίνεσθαι, apparere, in publicum prodire. 788. b

Α'νέκδοτα, qualia nondum edita. 787. a

Α'νέκδοτον, nondum editum. 912. b

Α'νεκτότερα, tolerabiliora. 893. b

Α'νεμέσητα, nulli reprehenſioni obnoxia, nemini ſtomachum moventia. 927. b

Α'νεμέσητον γδ. caret enim invidia. 886. a

Α'νεμοφόρητα, levia ac ventis diſſipata. 903. b

Α'νεξίαν, tolerantiam. 816. a

Α'νθη, flores. 929. a

Α'νθηρογραφεῖσθαι, floridè ſcribi, ornari. 786. b

Α'νηθοποίητον, alienum à recta morum conformatione, in quo mores conformari & effingi nequeant 871. a

Α'νιστορησίαν, inſcitiam hiſtoriarum. 824. b

Α'νοικεῖον, alienum. 929. b

Α'ντα. ſupplendum ςῆναι aut ἐλθεῖν: contrà ſtare, contrà progredi. 788. a

Α'ντίσπαστον, oppoſitam & objectam voluntati meæ. 944. b

Α'ντίθετα, contraria oppoſita contrariis. 165. a

Α'ντίχθονα, terram oppoſitam pedibus noſtris. 1009. b

Α'ντιμυκτηρίσαι, viciſſim deridere. 766. a

Α'ντιόχεια, Antiochi ſententiam continentia. 897. b. 898. a

Α'νυςὸν, quod perfici poſſit. 921. b

Α'νω κάτω, ſurſum deorſum. 815. b

Α'νω ποταμῶν, ſupple ex Euripide verſum: ἱερῶν χωρȣ̃σι παγαὶ, ſurſum verſus ſacrorum fluminum feruntur fontes. 916. a

Α'ξίαν, pondus dignum æſtimatione. 1023. a. 1024. b

Α'ξιοπίςως, fide dignum. 903. b

Α'ξίωμα, enuntiatum, effatum, enuntiatio. 989. b. 1053. a 1182. b

Α'παθῆ, quæ non ſentiuntur. 994. b

Α'παιδευσία, ignorantia. 898. a

Α'πάλαιςοι: ſive potius ἀπάλαιςροι, à πάλαιςρα, palæſtræ imperiti. 169. b

Α'πάντησις, occurſus, obviam itio. 851. b. 855. a

Α'παξ θανεῖν, ſemel mori. 938. b

Α'παῤῥησίαςον, minimè liberam, impeditam, & reprehendendi licentia carentem. 852. b

Α'πειρίαν, infinitionem. 999. b

Α'πόγραφα, deſcripta ex aliorum libris. 894. b

Α'πόδειξις, argumenti concluſio. 980. b

Α'ποδυτηρίῳ, loco, ubi lavaturi veſtimenta deponebant. 948. a

Α'ποθέωσιν, conſecrationem. 779. b. 886. a. 891. a

Α'πὸ ἡγησιοτέρων, Hegeſiæ libri ita dictus. 1061. b

Α'πολιτικώτατον, civilis gubernationis maximè expertem. 851. b

Α'πολογισμὸν συντάξομαι, defenſionem componam. 928. *a*

Α'πορία, dubitatio. 928. *b*. 840. *b*. 916. *b*

Α'πορίαν, dubitationem. 837. *b*

Α'ποπεπηγμένον, rejectum. 709. *b*. 1026. *b*

Α'πορῶ, dubito. 837. *a*. 858. *b*. 897. *b*

Α'ποσπασμάτια, fragmenta. 784. *a*

Α'πότευγμα, aberratio, ſpei fruſtratio, infelix ſucceſſus. 714. *a*. 901. *a*. 949. *b*

Α'ποτόμως, rigidè, aſperè. 871. *b*

Α'πότεριψαι, abſtergito, conterito. 834. *b*

Α'ποφατικά, negantia contraria ajentibus. 174. *a*

Α'ποφθέγματα, facete dicta. 1222. *b*

Α'ποφθεγμάτων, ſententiarum brevium & acutarum 712. *b*

Α'πρακτότατος, rebus agendis ineptiſſimus. 777. *a*

Α'προσδιόνυσον, abſurdum, ineptum. 930. *a*

Α'πρόσιτον, non facilem aditu: minimè affabilem. 820 *a*

Α'προσφωνήτους, inſalutatos. 845. *b*

Α'ργὸς λόγος, ignava ratio. 1183. *b*

Α'ρειος πάγος, Areopagus. 777. *a*

Α'ρετὴ, non eſt διδακτὸν, virtus non eſt res diſciplinabilis, vel quæ tradi & doceri poſſit. 872. *b*

Α'ρη πνέων, Martem ſpirans. 941. *a*. 951 *a*

Α'ριστείαν, præclarum facinus. 912. *a*. 928. *b*

Α'ριστοκρατικῶς, accommodatè ad ſtatum optimatum. 786 *a*

Α'ριστοτέλειον, Ariſtotelicum. 898. *b*

Α'ριστοτέλης, Ariſtoteles. 809. *b*

Α'ριστοτέλους ἐξωτερικοὶ, Ariſtotelis libri ita dicti. 1320. *a*

Α'ριστοτέλους & Θεοπόμπου πρὸς Α'λέξανδρον, Ariſtotelis & Theopompi ad Alexandrum. 892. *a*

Α'ρκαδίαν: *Hexameter integer ſic ſe habet:* Α'ρκαδίαν μ' αἰτεῖς, μέγα μ' αἰτῆς, οὔτοι δώσω, Arcadiam ne poſcis, rem magnam poſcis, nequidquam dabo. 867 *a*

Α'ρκτοι duæ: Urſa major & minor. 1133. *a*

Α'ρμονίη, conſenſus. 1327. *a*

Α'ρρωστήματα, ægrotationes. 1089. *a*

Α'ρχέτυπα, exemplaria primigenia, veteres tabulæ. 885. *a*

Α'ρχέτυπον, archetypum, exemplar. 925. *b*

Α'ρχὴ, initium. 870. *b*

Α'σαφέστερος, obſcurior. 900. *b*

Α'σελγεῖς, laſcivi, delicati. 789. *a*

Α'σμενέστατα, libentiſſimè. 899. *b*

Α'σμένιστον, gratiſſimum, libentiſſimum. 853. *a*. 858. *b*

Α'σπονδον, irreconciliabile. 858. *a*

Α'στρατήγητος, ignarus artis imperatoriæ. 838. *a*

Α'στρατηγικώτατον, artis imperatoriæ maxime ignarum. 851. *b*

Α'σφαλὲς, tutum. 927. *a*

Α'σφάλειαν, ſecuritatem, tutum præſidium adverſus vitæ pericula. 791. *b*. 928 *b*

Α'σώματον, ſine corpore, corporis expertem. 1114. *a*

Α'ταραξίαν, ſtatum mentis perturbatione vacuum. 766. *a*

Α'τεχνους, artis expertes. 172. *a*

Α'τησία, defectu ſolutionis. 913. *b*

Α'τοπώτατον, abſurdiſſimum, alieniſſimo loco poſitum. 923. *a*

Α'τεχνία, ruditas. 898. *a*

Α'τυφον, ſine ambitione, ſine faſtu. 836. *b*

Α'ττικισμὸς, Atticiſmus, ſive orationis lepos. 811. *b*

Α'ττικώτατα, quæ maximè ſunt Attica. 916 *a*

Α'ττικώτερα, magis Attica. 776. *b*

Αὐθεντικῶς, cum auctoritate, certo auctore. 861. *a*. 869. *b*

Αὐθωρεὶ, illa ipſa hora. 789 *a*

Αὔξησις, auctio, amplificatio. 161. *b*

Αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα μεθ' Ε'κτορα πότμος ἑτοῖμος, ſtatim enim tibi deinde poſt Hectorem mors parata. 854. *a*

Αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ κτεινομένῳ ἐπαμῦναι: Utinam ſtatim moriar, poſteaquam non eram ſocio, cum interficeretur, opem laturus. 854. *a*

Αὐτονομίαν, facultatem ſuis utendi legibus. 824. *b*. 826. *a*

Αὐτόχθων, nativa & indigena. 832. *a*

Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, eadem menſura, & melius. 897. *b*

Α'φατα, ἀδιήγητα, non dicenda, non narranda. 896. *b*

Α'φατα, non dicenda. 921 *b*

Α'φελέστατος, ſimpliciſſimus. 780. *b*

Α'φελῶς, ſimpliciter. 823. *b*. 829. *b* 937 *b*

Α'φίδρυμα, fanum. 901 *b*

Α'φιλόδοξον, ambitione vacans. 790. *b*

Α'φρακτα, naves non tectæ ſed apertæ. 816 *a*, *b*

Α'φράκτῳ, navigio aperto. 871. *b*

Α'φωμίλησα, me à colloquio ſeparavi. 770. *a*

Α'χαριστίας, ingrati animi. 855. *a*

B.

BΑθότης, taciturnitas. 805. *b*

Βαθύτητα, taciturnitatem, patientiam. 815. *b*. 822. *a*

Βεβίωται, vita feliciter acta eſt. 884. *a*. 914. *b*

Βλάμματα, detrimenta. 1028. *b*

Βλάσφημα, quæ mali ſunt ominis. 919. *a*

Βούλησιν, voluntatem. 1088. *a*

Βουλυτοὶ, veſpera, tempore quo boves ab aratro ſolent ſolvi. 923. *b*

Βοῶπις, Bubulis oculis prædita: Junonis epitheton Homericum. 788. *a*

Βοώπιδος. 789. *a*. 793. *a*

Βοῶπιν. 793. *a*

Γ.

ΓΑυριῶ, glorior. 927. *a*

Γέλωτα σαρδόνιον, Sardonium riſum. 697. *a*

Γενικῶς generaliter. 776 *b*

Γενικώτερον, generalius. 858. *b*

Γεροντικώτερον ſenilius. 858 *b*. 883. *b*

Γεωγραφικὰ, Commentarios de terræ deſcriptione. 786. *b*

Γεωμετρικῶς, rationibus geometricis. 885. *a*

Γῆν πρὸ γῆς, longè lateque terrarum. 909. *b*

Γλαυκ'

Γλαυκ' εἰς Ἀθήνας, noctuam Athenas, (ſc. porto vel mitto) 6.3 b. 708. b. 937. a. 947. a
Γλισχρῶς, parcè, tenuiter, minutatim. 925. a
Γλυκύπικρον, dulce amarum. 820. b
Γναφεύς, ἀνθρακεύς: tullo eſt carbonarius. 917 a
Γνῶθι, πῶς ἄλλῳ κέχρηται, noſce quemadmodum alio uſus fuerit. 949. b
Γνῶθι σεαυτόν, noſce teipſum. 941. b. 951 b
Γοητείαν, præſtigias, malitioſas blanditias. 860. b
Γόνυ κνήμης, genu tibia, ſc. propius eſt. 771. a
Γοργεῖα γυμνά, larvæ nudæ. 810. a
Γυμνασιώδη, apta gymnaſio. 774. a, b

Δ.

ΔΑίμονες. Lares. 1327. b
Δεῖ τιθήνης ἔτι, nutrice adhuc opus eſt. 871. a
Δειλοί. ignavi. 872. a
Δεινὸς ἀνήρ, τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο, acer vir, & qui forte vel inſontem accuſet. 900. b
Δέρρεις. pelles. 811. b
Δεύτεραι φροντίδες, poſteriores cogitationes. 949 a
Δημήτηρ, Ceres, nominata, quaſi Γημήτηρ, terra mater. 1129. b
Δημοσθένους, Demoſthenis. 916. a
Δήμους, vicos. 834. a
Διαθεσιν, ſenſum, cogitationem. 928. a
Διαλεκτική Dialectica. 97. a
Διάλογον, dialogum, colloquium. 919 b
Διαλόγους, colloquia. 814. a
Διαίρεσιν, diviſionem. 824. a
Διανοητικὰς φαντασίας, in intelligentia poſitas viſiones 765. a
Διαῤῥήδην, apertè diſertè. 770. b
Διάῤῥοια, alvi profluvium. 697. a
Διὰ σημείων, per notas. 902. b
Διατρεπτὴν, infamiam. 860. b
Διαφάσεις, tranſpectus. 785. b
Διαφόρησιν, animi relaxationem. 770. a
Δίβαφα, bis madefacta purpura. 788. a
Διδασκαλίαν, doctrinam. 701. a
Διδακτὸν, quod doceri poteſt. 872 b
Διδήχθαι, morſum eſſe. 899. a
Διευκρινήσεις πρόβλημα πολιτικὸν, explicabis quæſtionem ad Reip. ſtatum pertinentem. 8.6 a
Διοίκησιν, juriſdictionem vel provinciæ adminiſtrationem. 752 a
Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ, Dionyſius Corinthi eſt. *Proverb.* 856. b
Διόσκουροι. 1144. b
Διπλῆ, dupla, (ſpecies erat notæ duplici linea formatæ.) 843. a
Διφθερίαι, pelliti, libri qui membranis & pellibus conteguntur. 900. b
Δίχα μοι νόος, ἀτρέκειαν εἰπεῖν, ambigit animus ad verum dicendum. 904. a
Διψῶσαν κρήνην, aridum vel ſiticuloſum fontem. 884. b
Δόγματα, decreta philoſophica. 980. b
Δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες, longam navigationem molientes. 927. a, 930. a
Δρομάθεν, ex curſu 876. b
Δυσδιάγνωστον difficile dijudicatu. 814. a
Δυσεντερίαν, inteſtinorum morbum. 697. a
Δυσεξίτηλα, quæ vix è profundo educi poſſunt. 815. b
Δυσουρία. urinæ difficultas. 870. b
Δυσουρικὰ, καὶ δυσεντερικὰ πάθη, Urinæ & inteſtinorum difficultates. 697. a, b
Δύσχρηστα, incommoda. 834. b
Δυσχρηστήματα, incommoda. 1028 b
Δυσχρησία, difficultas verſuræ faciendæ, ſeu mutuò ſumendæ pecuniæ. 928. a
Δυσωπία, verecundia. 902. b. 930. b

E.

EΆν διαμένῃ. ſi permanſerit. 919. b
Ἔα πάσας, mitte vel ſine omnes. 944. b
Ἐατέον, relinquere oportet. 779 b
Ἑαυτὸν τιμωρούμενος, ſeipſum puniens. 1083. b
Ἐβδελυττόμην. abominabar. 924. b
Ἐγγήραμα, ſenectutis requies, delectatio, occupatio. 889. b. 890. a
Ἐγκελεύσματα. hortationes. 823. b
Ἐγκωμιαστικά, ad res laudandas comparata. 782. b
Ἐδικαιώθησαν, ſupplicio affecti ac necati ſunt. 325. a
Εἰ δ' ἐν αἴᾳ ἔζησας, ſi verò in terra vixiſſes. 944. b
Εἰ δὲ μή. ſin, ſi non. 790. b
Εἴδωλα, ſpectra, imagines. 765. a. 785. b
Εἴδωλον, ſpectrum. 765. a
Εἰδὼς σοι λέγω, ſciens tibi dico. 855. a
Εἴη μισητὸς φίλος οἶκος, odio fuerit familiaris domus. 806. a
Εἰλικρινές. ſincerum, integrum. 944. a
Εἱμαρμένην, fatalem neceſſitatem, fatum. 1116. b 1164. a
Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ, &c. an manendum in patria tyrannide oppreſſa: ea verò tyrannide oppreſſa an quovis modo tyrannidis everſio molienda eſt, etiamſi civitas propter id de ſumma rerum periculum ſubitura ſit. Utrum cavendum ſit, ne qui tyrannidem evertit, ipſe evehatur. An tentandum ſit opem ferre patriæ tyrannide oppreſſæ verbis & rei opportunitate, potius quàm bello. An viri reipub. dediti ſit, ſecedentem aliquò. quieſcere, oppreſſa à tyranno patria, an quodcumque ſubeundum diſcrimen pro libertate An bellum inferendum regioni, eaque ſit obſidenda, ſi à tyranno opprimatur. An etiam is, qui non probet, ut bello tyrannis evertatur, tamen nomen ſuum profiteri cum fortiſſimis viris debeat. An cum benè meritis & amicis una ſubeunda ſint pericula in rebus, quæ pertinent ad remp. etiamſi illi minus rectè de ſumma rerum conſuluiſſe videantur. Utrum de patria benè meritus, ob eamque cauſam graviſſima quæque paſſus, & invidia oppreſſus, ultrò pro patria diſcrimen ſubire debeat, an permittendum ei, ut ſui ipſius interdum & cariſſimarum perſonarum rationem habeat, dimiſſis adverſus potentes concertationibus pro republica. 853. b

Εἰρων,

Εἴρων, ſimulator, diſſimulator. 105. a. 150. a 1223. b
Εἰρωνεία, diſſimulatio. 929. a. 979. a
Εἰρωνεύεσθαι, diſſimulare, diſſimulanter loqui. 666. b
Εἰρωνευόμενος, diſſimulans. ibid b
Εἰς ἀποθέωσιν, ad conſecrationem. 891 b
Εἷς ἐμοὶ μύριοι, unus mihi decem millia, unus mihi inſtar multorum millium. 929 a
Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης, unum augurium optimum pugnare pro patria. 786. a
Ἐκβολὴ λόγου, egreſſio orationis. 831. b
Ἐκμαγεῖον, ſignum, expreſſum ſimulacrum. 864. b
Ἐκτενέστερον, prolixius & largius in officiis promittendis. 896. b
Ἐκτένειαν, prolixam & largam ſtudii & voluntatis declarationem. 874. a
Ἐκτρόπιμον, remota à via. 886. a
Ἐκφώνησις, ὑπέρευ, exclamatio, ſupra quam dici poſſit, rectè, egregie. 864. b
Ἔκχυσις, effuſio. 785 b
Ἐλάπιζεν, falsò oſtentabat, inſolentius jactabat. 860. b
Ἐλάχιστον, minimum. 1182. b
Ἑλικτὰ κ' οὐδὲν, *Euripidis Andromacha ſic habet integrum locum:* Ἑλικτὰ κ' οὐδὲν ὑγιὲς, ἀλλὰ πᾶν πέριξ φρονοῦντες, quorum mens eſt involucris circumtecta, quique minimè ſincero & candido eſtis animo, ſed verſutè omnia cogitatis 794. b
Ἐμβόλιον, partem quandam ab argumento propoſito ſejunctam, inſertum quoddam. 949. b
Ἐμετικῷ, curationem per vomitum. 907. a
Ἐμπολιτεύομαί σοι, tecum ago de Republica. 835. b
Ἐμφατικώτερον, luculentius, cum majori ſignificatione. 953 a
Ἐμφιλοσοφῆσαι, philoſophari. 810. b
Ἐν αἰνιγμοῖς, obſcurè dictis. 791. b. 829. b
Ἐνγόνασιν, genibus nixa. 1329. b
Ἐνδόμυχον, arcanum de re domeſtica. 817. b
Ἐνδομύχῳ, ſecreto rei domeſticæ. 822 a
Ἐν δυνάμει, cum vi & efficacia. 854. b
Ἐνεπερπερευσάμην, venditavi me. 777. a
Ἐν ἐπιτομῇ, ſummatim. 819. a
Ἐνέργεια, perſpicuitas, evidentia. 979. b
Ἐνερευθέστερον, rubicundiorem. 884. a
Ἐνθουσιασμός, afflatus divinus. 950. b
Ἐν κενῷ, fruſtra, in caſſum. 921 b
Ἔννοια, notio, intelligentia. 173. a. 1023. a
Ἐννοίας, notitias rerum. 990. a. 1058. a
Ἐν ὁμοπλοίᾳ, in ſocietate navigandi. 924. b
Ἐν παρέργῳ, obiter. 952. b
Ἐν παρόδῳ, in tranſitu, obiter. 820 a
Ἐν πολιτικῷ, in eo genere, quod ad reipublicæ moderationem ſpectat. 931. a
Ἐνσχολάζω σοι, otium conſumo in opera tibi navanda. 837. a
Ἐντάφιον, ſepulcrum. 890. a
Ἐντελεχία, continua & perennis motio. 1054. a
Ἔντεχνα, artificialia. 698. b
Ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς, in rebus amatoriis. 857. b
Ἐν τοῖς πολιτικοῖς, in rebus civilibus, vel quæ ſpectant ad rempublicam. 776. b
Ἐντυραννεῖσθαι, ſub tyranno eſſe. 789. b
Ἐξαιρέσιμοι, dies Græcorum ac Siculorum: dies unus aut ſummum erant duo, qui modo ex menſe uno eximebantur, modò addebantur. 259. b
Ἐξακριβάζειν, perſcrutari, ſubtiliter indagare. 829 a
Ἐξ ἄστεως ἑπταλόφου τειχῶν παρέδωκεν, &c. Ex urbis ſepticollis mœnibus (libertus uxoris meæ) edidit Camillo rationes vicenarum quaternarum, & quadragenarum octonarum minarum æris alieni; ſeque debere vicenas & quaternas minas ex bonis Crotonia[illegible]cis, & quadragenas octonas ex iis, quæ ſunt in Cherſoneſo: & quamvis ex hereditatibus quas adivit, redegerit minas ſexies centenas & quadragenas, & ſexies centenas, & quadragenas, ſe tamen æris illius alieni ne obolum quidem diſſolviſſe, cùm omnia hæc debeantur jam inde à Kalendis ſecundi menſis: libertum autem ipſius, eum qui Cononis patri cognominis eſt, nihil plane curaſſe. Primum igitur hoc; omnia ut ſerventur; deinde ut ne uſuras quidem negligas eas, quæ debentur ex die ſuprà appoſita. Per eos dies, quibus illum pertuli, valde magno in timore ſui venerat. Etenim ad nos exploraturus, & aliquid pænè ſperarat; ſed ſpe fruſtratus temerè receſſit, ſic fatus; concedo: turpe quidem manere diu. 828 b
Ἐξ ἀφαιρέσεως, per diminutionem. 822. a
Ἐξοχή, excellentia 809. a
Ἐξωτερικὸν, populariter ſcriptum. 1040. b
Ἐξωτερικοὺς, populares. 809. b
Ἐπαγγέλλομαι ἀνδρὶ ἀπαμύνεσθαι ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ, denuntio meum virum ulturum, quicunque prior moleſtus mihi fuerit. 788. a
Ἐπεὶ οὐχ ἱερήϊον, οὐδὲ βοείην, quia non victimam, neque tergus bibulum, (ſc. capto.) 773. a
Ἐπεῖχον ἀεὶ, retinebam identidem. 816. a
Ἐπέχειν, aſſenſum ſuſtinere, dubitare, hæſitare. 829. a 830. b
Ἐπιγεννηματικὸν, poſterum & conſequens. 1024. b
Ἐπιδεικτικὸν, demonſtrativum dicendi genus, quaſi delectationis cauſa comparatum. 155 b. 160. a
Ἐπιδήμιον, contagioſum, peſtilens 8[illegible]6. a
Ἐπικεφάλαια, tributa in ſingula capita imperata. 818. a
Ἐπικούρειον, Epicureum. 661. b
Ἐπίλογοι, concluſiones 13. b
Ἐπισημασίαν, animi ſignificationem ex geſtu. 908. a
Ἐπισημασίας, ſigna quibus animus & voluntas populi declaratur: plauſus. 779. a
Ἐπίσκοπον, ſpeculatorem, cuſtodem. 837. a
Ἐπισταθμίαν, hoſpitii procurationem. 907. b
Ἐπὶ σχολῆς, in otio. 786. b
Ἐπιτεύγματα, expetitæ rei adeptio, proſper ſucceſſus. 901. a
Ἐπίτηκτα, fluxa, non diuturna, quæ facilè exſtinguuntur. 831. a

Ἐπιφω-

Ἐπιφωνήματα, acclamationes. 782. b
Ἐπιχάρμειον, Epicharmi ſcitum. 1286. b
Ἐπιχειρήματα, argumentationes. 6. a
Ἐπιχρονία ἐποχὴ, diuturna dubitatio. 830. b
Ἔπος, carmen heroïcum. 952. b
Ἐποχὴ, aſſenſionis retentio. 830. b. 984. b. 996. b
Ἐποχῇ, aſſenſionis retentione. 899. a
Ἐποχὴν, retentionem aſſenſionis. 922. a
Ἐποχῆς, dubitationis. 829. a
Ἑπταμηνιαῖον, ſeptimeſtrem. 874. b
Ἔρανον, mandatum, munus. 884 b
Ἔργον, opus. 900. b
Ἐργῶδες, laborioſum. 921. b
Ἔρδοι τις, *Senarius integer ſic apud Ariſtophanem exſtat:* ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην, quam quiſque norit artem in hac ſe exerceat. 815. a
Ἕρμαιον, lucrum inſperatum. 898. b
Ἐσοφίζετο, cavillabatur, malitioſè cogitabat. 790 a
Ἑστία, Veſta. 1129. b
Ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι, ὅπως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε, præite nunc mihi Muſæ quo modo ignis primum illapſus eſt. 778. a
Ἔστω ὄψις μὲν, η, α: τὸ δὲ ὁρώμενον, β. γ. ἀκτῖνες δὲ δ καὶ ε. ſit viſus a. quod autem videtur b, g. radii verò d & e. 785. b
Ἑταίρῳ, ſodali. 854. a
Ἔτι ἐσμὲν, adhuc ne finimus. 924. a
Ἐτυμολογία, veriloquium. 173. a
Εὐαγώγως, ut, quo velis, facile perducas. 900. a
Εὐαγγέλια, boni ſeu læti nuntii. 785. b. 788. b. 1304 b
Εὐανατρέπτους, quæ facilè poſſunt everti. 789. b
Εὐγένεια, generis præſtantia ſeu bonitas. 660. a
Εὐγενέστερος, nobilior. 899. b
Εὐγενῆ, generoſa, nobilia. 846. a
Εὐδαίμονα, felicem. 859. a
Εὐδοξία, bona fama, gloria. 1027. a
Εὐελπιστία, bona ſpes. 790. b
Εὐεργέτῃ, benefactori, benemerito. 854. a
Εὐθανασίαν, facilem mortem. 927. b
Εὐθυμία, animi tranquillitas, ſecuritas, animus terrore liber. 1042. a. 1050 a
Εὐήθειαν, fatuam ſimplicitatem. 827. a
Εὐημερήματα, proſpero ſucceſſu. 820. a
Εὐημερίαν, proſperitatem, felicem ſucceſſum. 860 a
Εὐθυρρημονέστερος, liberior ſive apertior in loquendo. 749. b
Εὐκαιρίαν, occaſionem, opportunitatem, tempus actionis opportunum. 928. b. 1026. a
Εὐκαιρότερον, opportunius. 805. b
Εὐκαίρως, opportunè. 896. b. 942. b
Εὐκόλως, facilè. 899. b
Εὐλογίαν, probabilem convenientiam. 900. a
Εὔλογον, conſentaneum, probabile. 896. a. 903. a. 915. a
Εὐλογώτατον, maximè conſentaneum. 896. a
Εὐμένεια, benivolentia. 929. a
Εὐμολπιδῶν πάτρια, Eumolpidarum ritus patrios. 774. b
Εὐπινὴς, venuſtè redolens ſquallorem & ſitum vetuſtatis. 885. a
Εὐπινῶς, ſtudioſè expreſſa veterum loquendi forma. 921. a
Εὔπιστον, hominem exploratæ fidei, cui tutò credi poteſt. 853. b
Εὔπολιν τὸν τῆς ἀρχαίας, Eupolim illum veteris (*ſcil. comœdiæ poetam*) 824. b
Εὐπόριστον, parabilem. 831. b
Εὐριπίδης: μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. Euripidis: ſapientem odi, qui ſibi ipſe non ſapit. 746. b
Εὐρίπιστα, mobilia tanquam Euripus. 908. b
Εὐστομάχως, bono ſtomacho, fortiter. 853. b
Εὐταξία, ordinis conſervatio. 1228. a
Εὐτραπελία, feſtivitas. 698 b
Εὐχρηστήματα, commoda. 1028. b
Ἔφοδος, Inſinuatio. 2. a
Ἕωλα, obſoleta. 899. b
Ἕωλος, obſoleta, non recens. 708. a

Z.

Ζηλοτυπεῖ, invidè fert. 898. a
Ζηλοτυπεῖν, invide ferre, invidere à me loquentem induci. 898. a
Ζηλοτυπεῖσθαι, invideri, quod in meis libris loquens inducatur. 897. b
Ζηλοτυπία, obtrectatione, dolore ex alterius conſortio in amore. 869. b
Ζήτημα, quæſtionem. 716. a. 834. a
Ζωδιακὸς, orbis ſignifer. 1174. a
Ζώσης φωνῆς: *integer locus ita concipiendus:* ζώσης φωνῆς μεῖζον ἐνέργεια ἐστὶν ἢ ἀφώνων διδασκάλων, vivæ vocis major eſt vis & efficatas quam mutorum doctorum. 789. a

H.

Ἡγεμονικὸν, principatus. 1125. b
Ἣν δεῦρ' ὁδὸν στείχεις νῦν θεοπρόπε, iter huc ſuſceptum cui tibi uſui nunc eſt, age dic tu qui oraculum conſulis. 919. a. 927. a
Ἡδονὴν, voluptatem, item lætitiam quaſi geſtientis animi elationem voluptariam. 766. a. 1006. b. 1024. b
Ἠθικὸν, ad mores accommodatum. 161. b
Ἦθος, mos, conſuetudo. 1180. a
Ἦθος διδαχῇ ἁλωτὸν, ingenium quod diſciplina ſubigi & domari poſſit. 872. b
Ἤθους ἐπιμελητέον, moribus adhibenda eſt diligentia. 871. a
Ἡλίῳ ἀνάθεμα, ſolis donum. 773. a
Ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ Ζεὺς, ὅτε δή γ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας, ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες, die autumnali cum abundantiſſimam effundit aquam Jupiter, cum jam hominibus iratus ſuccenſet. Qui per vim in foro obliquas exiſtimaverunt leges, Juſtitiam autem expellant, Deorum vitam non curantes. 951. b

Ἡμερολεγδὸν, ut quæque ſingulis diebus acciderunt. 808. *b*
Ἠπόρησας dubitaſti. 824. *b*
Ἡρακλείδειον, iis ſimile, quæ Heraclides Ponticus ſcripſit: præclarum aliquid quod quaſi Heraclidis opus videatur. 917. *a*. 919. *b*. 923. *a*. 925. *b*
Ἥρωα, Heroëm. 837. *b*
Ἡρώδης, Herodes, Philoſophus Athenienſis. 785. *a*
Ἥρωες, heroës. 908. *a*. 919. *b*
Ἠσίτησας, à cibo te abſtinuiſti. 908. *a*
Ἢ σκολιαῖς ἀπάταις, ſupple ex Platone: τεῖχος ἀναβὰς: an obliquæ & verſutæ fraudis conſcenſo muro. 904. *a*
Ἡσυχάζειν, quieſcere. 989. *a*
Ηὐτόκησεν, feliciter peperit. 874. *b*

Θ.

Θεῖοι, patrui. 785. *a*
Θεοφάνης, Theophanes. 786. *a*
Θεοφράστου περὶ φιλοτιμίας, Theophraſti ſcriptum de ſtudio honorum. 786. *a*
Θέρμον, lupinum. 772. *a*
Θέσεις, propoſitiones, quæſtiones univerſales, conſultationes. 853. *a*. 856. *b*
Θέσις, Univerſi generis quæſtio: Infinita quæſtio: propoſitum. 161. *b*. 176. *a*
Θετικά, quæſtionibus philoſophicis referta, apta. 1278. *a*
Θετικώτερον, philoſophicis quæſtionibus magis refertum, aptum. 950. *a*
Θεωρήματα, percepta. 1181. *b*
Θεωρίαν, ſpeculationem, 885. *a*
Θορυβοποιεῖ, tumultum excitat. 771. *a*
Θυμικώτερον, ſtomachoſius, iracundius. 871. *b*
Θύμωσις, excandeſcentia. 1089. *a*

I.

Ἰδέαι, formæ. 172. *b*
Ἰλιὰς, Ilias. 847. *a*. 916. *b*
Ἰσοδυναμοῦσαν, idem valentem, ejuſdem vis, æquivalentem. 824. *a*
Ἰσονομίαν, æquabilem tributionem, æquilibritatem. 1116. *a*. 1121. *b*
Ἱστορικά, rebus verè narrandis accommodata, hiſtorica. 782. *b*
Ἱστορικὸν, hiſtoricum. 823. *b*
Ἱστορικώτατος, hiſtoricorum peritiſſimus. 826. *b*
Ἴτιον, eundum. 915. *a*
Ἴυγξ, illecebra, deſiderium, pellacia. 836. *a*

K.

Καθῆκον, officium. 929. *b*. 930. *b*. 1023. *a*. 1211. *a*
Καθολικὸν θεώρημα, perceptum artis, quod in omnes conveniat, regulam generalem. 914 *a*
Καὶ Κικέρων ὁ φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν Τίτον ἀσπάζεται, & Cicero Philoſophus Titum reipublicæ deditum ſalutat. 789. *a*
Καὶ μάλα κατηφὴς, admodum triſtis. 904. *b*
Καὶ μάλα σεμνὸς, & valde gravis. 919. *a*
Καὶ συναποθανεῖν, & commori. 840. *b*
Καὶ τόδε Φωκυλίδου, & hoc Phocylidis. 807. *a*
Κακία vitium, vitioſitas. 1025. *a*, *b*. 1090. *b*
Κακοστόμαχος, imbecillum ſtomachum ſeu ventriculum habens. 767. *b*
Καλλιππίδης, Callipides. 897. *b*
Κἂν ὑπὸ στέγῃ. Πυκνᾶς ἀκούειν ψεκάδος εὑδούσῃ φρενί. Et utique ſub tecto confertim labentem audire pluviam ſopito & quieto animo. 787. *b*
Κανὼν, regula, norma. 770. *a*
Κατ' εἰδώλων ἐμπτώσεις, per ſimulacrorum incidentias. 785. *b*
Κατ' εἰδώλων φαντασίας, ſecundum ſpectrorum viſiones. 765. *a*
Κατ' ὀπώραν τρὺξ, per Autumnum fex. 789. *a*
Καταβάσεως, de deſcenſu in antrum Trophonium. 902. *a*, *b*
Καταβίωσιν, vitæ ad exitum perductionem. 895. *a*
Κατὰ Διόδωρον κρίνειν, ſecundum Diodorum, vel, ex Diodori ſententia judicare. 708. *b*
Κατακλεὶς, clauſula. 863. *a*
Κατὰ λεπτὸν, minutatim. 791. *a*
Καταληπτὸν, comprehenſibile. 975. *b*. 979. *b*
Κατάληψιν, comprehenſionem, cognitionem, perceptionem. 979. *a*. 996. *a*. 1022. *b*
Κατὰ μίτον, ſingula quæque tanquam telæ licia percurrendo. 912. *a*
Κατάτασις, contentio. 786. *a*
Κατὰ τὸ πρακτικὸν, ut agendi ratio conſtet. 787. *b*
Κατὰ τὸ κηδεμονικὸν, cum accuratione & ſedulitate. 790. *b*
Κατάχρησις, abuſio. 159. *a*
Κατὰ Χρύσιππον δυνατὸν, ſecundum Chryſippum fieri poteſt. 708. *b*
Κατηγορήματα, quæ dicuntur de quodam. 1089. *a*
Κατηχήσει, inſtitutioni. 919. *b*
Κατορθώματα, recta, recte facta. 1023. *b*. 1026. *a*. 1211. *a*
Κατόρθωσις, recta effectio. 1026. *a*
Καύσῳ, æſtuante febri, ardente febri. 916. *a*
Καχέκτης, habitu vitiorum depravatus, malivolus. 777. *a*
Κεκύβικα, in cubi & teſſeræ modum me conformavi, firmiſſimè ſto. 902. *a*
Κέλευσιν, juſſum. 793. *b*
Κέλητα ἄοκνον, veredum impigrum. 872. *b*
Κενὸν, vacuum, inanem. 830. *b*
Κενόσπουδα, inanis ſtudii plena. 852. *a*
Κέντρον, punctum medium circuli. 1056. *a*
Κεπφοῦμαι, animo ſuſpenſo huc illuc impellor. 904. *b*
Κέρας, cornu. 821. *a*. 824. *a*
Κεφάλαια, capita. 929 *b*
Κεφάλαιον, caput. 818. *b*
Κικέρων ἀριστοκρατικώτατος παῖς, Cicero ſtatus optimatium ſtudioſiſſimus puer. 7[illegible]0. *a*

Κικέρων ὁ μικρὸς ἀσπάζε) Τίτον Ἀθηναῖον, Cicero parvulus ſalutat Titum Athenienſem. 788. *b*
Κινδυνωδῶς, periculosè. 862. *b*
Κλέος, laudem, gloriam. 951. *b*
Κοινότερα, communiora. 897. *a*
Κολακεία, aſſentatio. 901. *a*. 902. *a*
Κόμματα, inciſa orationis. 168. *b*
Κορινθίων, Corinthiorum. 785. *a*
Κόσμος, lucens mundus. 1327. *b*
Κοχώνην, corporis partem cui adſita ſunt pudenda. 918. *a*
Κρήνην, fontem. 884. *b*
Κρινόμενον, Judicatio ſive judicii quæſtio: in quo quaſi certamen eſt controverſiæ. 5. *b*. 161. *b*. 177. *a*
Κρίσις χρυσιππεία, judicium ex Chryſippi ſententia. 708. *b*
Κρόνος, Saturnus dictus quaſi χρόνος. 1129. *a*
Κτύπω, plauſui. 884. *a*
Κύκλος, circulus, orbis. 1127. *b*
Κυρίας δόξας, maxime ratas ſententias. 1008. *b* 1119. *a*
Κῦρος, δ. ε. Cyrus quarti & quinti tomi Antiſthenis. 892. *a*
Κύρου παιδείαν, Cyri inſtitutionem. 785. *b*
Κῶλα, membra orationis. 139. *b*. 168. *b*
Κωμικὸς μάρτυς, Comicus teſtis, id eſt, non verus. 653. *b*
Κωρυκαῖοι, Corcyræi. 874. *b*
Κωφὸν πρόσωπον, muta perſona. 898. *b*. 1320. *a*

Λ.

Λακωνισμὸν, Laconicam brevitatem. 732. *a*
Λαλαγεῦσαν, *ſupple* ὄρνιθα, *ſive* χελιδόνα, garrientem avem ſive hirundinem. 863. *a*. 865. *a*
Λαμπρὰ, ſplendida. 819. *b*
Λάπισμα, falſa quædam oſtentatio. 860. *b*
Λαχεῖν, nanciſci, ſorte adipiſci. 918. *a*
Λεληθότως, ſenſim, latenter, clam. 708. *a*. 828. *b*
Λέσχη, confabulatio. 883. *b*
Ληκύθους, ampullas, pigmenta, quibus ornatior & grandior fit oratio. 777. *a*
Λήμματα, Sumtiones Dialecticorum. 1176. *a*
Λῆρος πολὺς, nugæ multæ. 914. *b*. 924. *b*
Λῆψις, correptio (*ſcilicet quartanæ*) impetus. 835. *a*
Λιτότητα, frugalitatem. 697. *a*
Λογικὴ, philoſophiæ pars quærendi ac diſſerendi. 999. *b*
Λογικώτερα, eruditiora. 898. *b*
Λόγοισιν Ἑρμόδωρος: *ad ſupplendum integrum ſenarium adde*: ἐμπορεύε), libris Hermodorus mercaturam facit. 899. *b*
Λογοδαίδαλοι, artificioſi ſermonum fabricatores. 155. *b*
Λόχον, globum ſedecim gladiatorum ſive militum. 804. *b*
Λύπη, ægritudo, quaſi ſolutio totius hominis. 1083. *a*
Λυρικοὶ, Poëtæ qui ad lyræ cantum poëmata ſua recitabant. 166. *b*. 1338. *b*

M.

Μακάρων νῆσοι, beatorum inſulæ. 884. *a*
Μακροψυχίαν, affectionem animi longinqua ſpectantis. 859. *a*
Μάλ᾽ ἀριστοκρατικῶς, valde ut optimatem decet. 776. *b*
Μανίαν, inſaniam. 1076. *b*
Μαντικὴ, divinatio. 1116. *b*. 1150. *a*. 1198. *b*
Μάντις δ᾽ ἄριστος: *ſupplendum ut ſenarius integer habeatur*, ὅς τις εἰκάζοι καλῶς: vates is optimus fuerit, qui bene conjecerit. 838. *a*
Μεθαρμόζομαι, commuto, ad alias perſonas transfero. 886. *a*
Μείλιγμα, lenimentum. 901. *a*
Μελαγχολίαν, furorem. 1076. *b*
Μελήσει, curæ erit. 884. *a*. 912. *b*. 917. *a*
Μελέτη, meditatio, cura. 815. *b*
Μέμψιν ἀναφέρει, accuſationem intendit. 897. *b*. 906. *a*
Μέμψιν, accuſationem, reprehenſionem. 897. *b*
Μέντορ πῶς τ᾽ ἄρ᾽ ἴω, πῶς τ᾽ ἄρ προσπτύξομαι αὐτόν; Mentor quonam modo adeam, & quonam modo amplexabor ipſum? 855. *b*
Μεσοποταμίαν, Meſopotamiam. 859. *a*
Μεσότητες, medietates. 1326. *b*
Μετ᾽ ἀμύμονα, poſt expertem culpæ. 927. *a*
Μετέωρος, incerti & dubii animi: ancipitis curæ. 816. *a*. 920. *b*
Μετεωρότερον, ſuſpenſiore animo. 926. *b*
Μὴ γὰρ αὐτοῖς, neque enim ipſis (*ſcil. credo.*) 899. *a*
Μηδὲ σωθείην ὑπό γε τούτου, ne ſalvus quidem fiam ab hoc. 931. *a*
Μηδὲ δίκην, *ſupplementum hoc integrum verſum exhibebit*: δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς: neque cauſam judicaris prius, quam quid uterque dicat audieris. 840. *a*
Μηδὲν αὐτοῖς, *ſupplendum*: μέλει: nihil ipſis curæ eſt. 824. *b*
Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην, ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι: ne ignaviter & ingloriè peream: ſed magno aliquo facinore edito, quod audiatur à poſteris. 746. *b*. 864. *a*
Μή μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου, ne mihi Gorgoneum caput horrendi & gravis monſtri. 855. *a*
Μὴ πολιτεύεσθαι, abſtinendum adminiſtratione reipublicæ. 914. *b*
Μήπω μέγαν εἴπῃς, πρὶν τελευτήσαντ᾽ ἴδῃς; neminem magnum dixeris, prius quàm mortuum videris. 806. *a*
Μίασ, piaculum. 874. *b*
Μίας Κόρδου, piaculum Cordi Scævolæ. 905. *a*
Μισάνθρωπος, oſor generis humani. 1089. *b*
Μισογυνεία, odium mulierum. 189. *b*
Μνημονικὰ, Memorativa. 19. *a*

Μνημονικὸν ἁμάρτημα, lapſus memoriæ. 905. a. 908. a
Μουσοπάταχτος, à muſis percuſſus. 944. a
Μυροθήκιον, unguenti, & pigmentorum arculam 783. b
Μυστικώτερα, ſecretiora. 803. b
Μυστικώτερον, ſecretius. 828. a

N.

Νεκρομαντία, mortuorum divinationes. 1055. b
Νεκύιαν, turbam mortuorum. 858. b. 859. a. 862. b. 1055. b
Νεόκτιστα, nuper condita. 826. a
Νεωτερισμοῦ, rerum novarum. 908. b
Νῆφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν, vigilans ſis & memineris non facile credere; hi ſunt nervi ſapientiæ. 782. b
Νίκωνος περὶ πολυφαγίας, Niconis de edacitate. 696. a
Νομαδανδρείαν, ignaviam & inertiam in præfecturis: vacationes. 816. a
Νομοφύλακες, legum cuſtodes. 1209. b
Νοσήματα, morbi. 1089. a

Ξ.

Ξεστῷ, polito. 893. b
Ξυνὸς ἐνυάλιος, communis mars. 836. a

O.

Ὀβελίζει, veru notat. 710. b
Ὁ γναφεὺς ἀνθρακεύς, fullo eſt carbonarius 917. a
Ὁ δὲ μαίνεται οὐκ ἔτ' ἀνεκτῶς, hic autem inſanit ſic, ut ferri amplius non poſſit. 952. b
Ὁ δὲ οὐκ ἐμπάζετο μύθων, hic vero non curabat, quæ dicebantur. 806. a
Ὁδοῦ πάρεργον, præter propoſitum, obiter 821. b 831. a
Οἵα γ' ἡ δέσποινα *hoc proverbium ſic ex Platone poteſt concipi integrum*: οἵα γε ἡ δέσποινα, τοία δὲ καὶ ἡ κύων: qualis hera, talis & canis 816. a
Οἰκεῖον, proprium, accommodatum ad naturam 774. b. 982. a
Οἰκοδεσποτικά, patrisfamilias officio convenientia. 893. a
Οἰκονομίαν, diſpoſitionem, ordinem, 822. a. 824 a
Οἶκος φίλος: *ſupple.* οἶκος ἄριστος, domus cara eſt optima. 920. b
Οἱ μὲν παρ' οὐδὲν εἰσιν, οἷς δὲ οὐδὲν μέλει, alii quidem prope nihil ſunt; aliis autem nihil curæ eſt. 783. a
Οἱ περὶ αὐτόν, qui circa ipſum erant, ipſius familiares. 907. b
Οἴχεται, ratio quidem hercle apparet, argentum οἴχεται, diſparet evaneſcit. 544. a. 822. a
Ὁμοειδής, ejuſdem generis & formæ. 786. b
Ὁμολογίαν, convenientiam. 1023. a
Ὁμολογουμένως τυραννίδα συσκευάζεται, proculdubio Tyrannidem affectat. 790 b
Ὁμοπλοΐα, ſocietate navigandi. 926. b
Ὀξύπεινος, famelicus, avidus cibi, avidiſſimus, ut fame percitus. 789. a. 807. b
Ὀπαδοί, aſſeclas aliorum in militia. 885. b
Ὁ πλοῦς ὡραῖος, navigatio tempeſtiva. 855. b
Ὀπούντιοι, Σιπούντιοι, Opuntii, Sipuntii. 826. a
Ὄργανον, inſtrumentum. 730. b
Ὀρθὴν τὴν ναῦν, rectam navim. 938. b
Ὁρίζοντες, finientes. 1174. b
Ὁρμή, impetus: *Item appetitio: appetitus.* 837. a. 1023. b. 1041. a. 1128. b. 1233. a
Ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν: in quo virtus ſit, ei nihil deeſſe ad beatè vivendum. 1279. a
Ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, καὶ τὰ κατορθώματα: æqualia eſſe peccata & rectè facta. 1279. b
Ὅτι μόνον ἀγαθὸν, τὸ καλόν: Quod honeſtum ſit, id ſolum bonum eſſe. 1278. a
Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος, ſolum ſapientem eſſe divitem. 1282. a
Ὅτι πάντες οἱ μωροὶ, μαίνονται, omnes ſtultos inſanire. 1280. a
Ὅτι πάντες οἱ σοφοὶ, ἐλεύθεροι, πάντες δὲ μωροὶ, δοῦλοι: omneis ſapientes liberos eſſe; & ſtultos omneis, ſervos. 1281. a
Οὐ γὰρ ἂν τόδε μεῖζον ἔπι κακόν, neque enim hoc majus eſt malum. 835. a
Οὐδέ μοι ἦτορ Ἔμπεδον, ἀλλ' ἀλαλύκτημαι, Neque mihi pectus Firmum, ſed conſternato ſum animo. 854. b
Οὐδὲν γλυκύτερον, ἢ πάντ' εἰδέναι, nihil dulcius, quam omnia noſſe. 807. b
Οὐδὲν ὑγιές, nihil ſincerum. 915. b
Οὐκ ἔλαθε σε, non te latuit. 823 b
Οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος, non eſt verus ſermo. 860. a
Οὐκ ἔστιν ἡδέως ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως ζῆν, non licet jucunde vivere niſi honeſte & jucunde vivatur. 766. a
Οὐκ ἐπέστησεν, non advertit. 904. a
Οὐ πειρᾷ τοῦτον, non ſollicitat eum, non interpellat. 924. b
Οὐ σ' οἶδ' ἄρης ἅμα παφίῃ, nonne ſcio te, ô Mars, eſſe conſueſſe cum Paphia ſive Venere. 811. a
Οὐ ταὐτὸ ἐκ τοῦ αὐτοῦ, non idem ex eodem. 915. b.
Οὐ ταυτὸν εἶδος, *ſupplendum ex Euripidis Ione*: φαίνεται τῶν πραγμάτων πρόσωθεν ὄντων, ἐγγύθεν θ' ὁρωμένων: non eadem facies apparet, cùm res procul ſunt, & cum propè cernuntur. 897. a
Οὕτω που τῶν πρόσθεν ἐπευθόμεθα κλέα ἀνδρῶν, ſanè eorum qui ante nos vixerunt virorum audiebamus laudes. 837. a
Οὐχ' ὁσίη φθιμένοισιν, *hexameter integer ſic habet*: οὐχ' ὁσίη φθιμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι, fas non eſt viris mortuis inſultare. 806. a
Ὀφιοῦχον, anguitenentem. 1329. b
Ὀψιμαθεῖς, ſero diſcentes. 714. a

Π.

ΠΆθει, affectu. 884. *a*
Πάθη, perturbationes, motus animi turbati. 1024. *b*. 1057. *b*. 1233. *a*
Παθητικὸν, ad perturbationes animi accommodatum. 161. *b*. 1076. *a*
Πάθος, perturbatio. 1024. *b*. 1088. *b*
Παῖδες παίδων, nati natorum, poſteri. 929. *a*
Παιδείαν κύρου, inſtitutionem Cyri. 715. *b*
Παλιγγενεσίαν, regenerationem, ſtatus noſtri inſtaurationem. 829. *a*
Παλινῳδίαν, cantum contrarium, retractationem. 788. *a*. 804. *b*. 835. *a*
Πάλτῳ, Palto, Syriæ oppido. 737. *a*
Παναιτίου περὶ προνοίας, Panætii de providentia. 896. *b*
Πανήγυρις, conventus. 776. *b*
Πανικά, panicos ſive ſubitos terrores. 819. *b*
Πανικὸν, inanem terrorem. 908. *a*. 924. *b*
Πανικοῖς, repentinis terroribus. 771. *a*
Πάντα περὶ πάντων, omnia de omnibus. 740. *b*. 765. *b*
Πάντα φιλόδημον, omnem popularem. 885. *a*
Παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο, omnis virtutis reminiſcere. 777. *a*
Πάνυ φιλοστόργως, valde amanter. 923. *b*
Παράγγελμα ἐνιαύσιον, mandatum annuum. 817. *a*
Παράγραμμα, inverſio litterarum. 698. *b*
Παραγωγή, inductio. 173. *b*
Παράδοξα, mirabilia, admirabilia, quæque ſunt contra opinionem omnium. 995. *a*. 1038. *b*. 1277. *b*
Παρακινδυνεύειν, ſe temere periculo objicere. 901. *a*
Παρὰ λέξιν, contra proprie loquendi rationem. 926. *a*
Παρανομασία, parva verbi immutatio in littera poſita. 104. *a*
Παρὰ προσδοκίαν, præter exſpectationem. 698. *b*
Παρὰ τὴν ἱστορίαν, præter hiſtoriam, contra veritatem. 897. *a*
Παρὰ τὸ πρέπον, præter decorum. 858. *a*
Παραφύλαξον τὴν τοῦ φυρατοῦ Φυλοτιμίαν αὐτόπτης, obſerva conturbatoris Phylotimi actionem quàm maximè. 830. *a*
Παρεγχείρησις, molitio in alieno opere. 917. *a*
Παρεμβεβλημένοι, inſerti, ſubdititii, interjecti. 710. *b*
Παρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι, οἵ κέ με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς, apud me ſane & alii ſunt, qui me honorabunt, maxime autem conſiliarius, ſeu conſilio valens Jupiter. 660. *a*
Παρ' ἠνεμόεντα μίμαντα, Νήσου ἔπι ψυρίης, appiam ἐπ' ἀριστερ' ἔχοντα, ad ventoſum Mimantem in inſula Pſyria, Appiam ſiniſtra habentem. 930. *a*
Παριστορῆσαι, obiter ſcire. 825. *b*
Παρθενικῶς, inſolenter, contumelioſè. 870. *b*
Παρονομασία, verbi parva immutatio in litterâ poſita. 104. *a*
Παῤῥησίαν, loquendi libertatem. 778. *b*
Πάρωρα οἰστέον, tempeſtates ferre oportet: Tempora parum idonea præferenda. 871. *b*
Πάσχω τι, patior aliquid, angor. 922. *a*
Πατρίδα ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν, patriam meam magis amans. 738. *a*
Πειθανάγκην, ſuaſionem violentam. 860. *b*
Πειθώ, ſuada Dea. 132. *b*
Πειράζεσθαι παραλύσει, tentari paralyſi, infeſtari ſideratione, ſeu reſolutione nervorum. 928. *a*, *b*
Πειρήνην, Pirenen, ſive fontem uberrimum, qualis fuit Pirene. 884. *b*
Πελληναίων, Pellenæorum, Dicæarchi lib. de populis Pellenæis. 785. *a*
Πεντέλοιπον, qui quinis ſupereſt, hoc eſt, ſextum. 914. *b*. 916. *a*
Πεπινωμένα, ſitu veteris eloquentiæ venuſtæ obſitæ. 908. *b*
Πεπινωμένως, expreſſo veteris ſermonis ſqualore. 920. *b*
Πεπλογραφίαν, Pepli deſcriptionem. 929. *a*
Πεπολιτεύμεθα, rempublicam geſſimus. 908. *b*
Περὶ δυνατῶν, de iis quæ fieri poſſunt. 708. *b*. 1182. *a*
Περὶ κοιλιολυσίαν γίνεσθαι, in alvo ſolvenda occupatum eſſe. 872. *b*
Περὶ μικρὰ σπουδάζειν, in parvis rebus multum laborare. 899. *b*
Περίοδοι ἢ καμπαὶ, ἐνθυμήματα, ἢ κατασκευαὶ, ambitus verborum aut flexus clauſularum, aut argumenta rhetorum, aut confirmationes. 777. *a*
Περίοδος, ambitus, circuitus, comprehenſio, continuatio, circumſcriptio orationis. 168. *a*
Περὶ ὁμονοίας, de concordia. 847. *a*
Περιοχὰς verborũ complexiones, periodos. 901. *a*
Περιπατητικά, peripatetica, partes peripateticorum. 898. *b*
Περίστασις, ſtatus & conditio. 806. *b*
Περὶ τελῶν σύνταξιν, de finibus opus. 897. *b*. 898. *b*
Περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος, de officio cui quædam adjecta eſt circumſtantia. 929. *b*
Περὶ τῶν ὅλων, de ſumma rerum. 790. *b*
Περὶ ψυχῆς, de animo. 902. *b*
Περσεφόνη, Proſerpina. 1129. *b*
Πεφυσίωμαι, intumeſco, ſuperbia efferor. 819. *b*
Πέψιν. ἀποκόπτιαν, περίπατον, σύμμετρον, τέρψιν, διάλυσιαν κοιλίας, concoctionem, vitationem laſſitudinis, ambulationem moderatam, delectationem, ſolutionem alvi. 770. *a*
Πιθανά, apta ad perſuadendum, probabilia. 898. *b*
Πίνος, ſqualor veteris ſermonis. 908. *b*
Πλουδοκῶν, navigationem commodam exſpectans. 869. *a*
Πλοῦς, navigatio. 922. *b*
Πλούτων, Dives, Dis. 1129. *b*
Ποῖ ταῦτ' ἄρ' ἀποσκήψει, quonam hæc utique erumpent? 884. *b*
Ποιητικά, efficientia. 1027. *a*
Ποιότητα, qualitatem. 974. *a*. 1132. *a*
Ποιητοῦ, poetæ. 710. *b*
Πολίπορθον, urbium everſorem, ſive vaſtatorem. 720. *b*

Πολιτεία, in libris de republica. 809. *b*
Πολιτεία, reſpublica. 784. *b*
Πολιτείαν, rempublicam. 785. *b*
Πολιτείας, civitatum gubernandarum rationes. 708. *a*
Πολιτεύεσθαι, adminiſtrare rempublicam, verſari in republica. 694. *b*. 908. *b*
Πολίτευμα, factum in republica, actionem publicam. 824. *a*. 855. *a*
Πολιτεύομαι, reipublicæ operam navo. 787. *a*
Πολιτευτέον, reipub. danda opera: verſandum in repub. 787. *a*. 864 *b*
Πολιτικά, de republica. 945. *a*
Πολιτικήν, de civium officio in rempub. 863. *a*
Πολιτικοὶ, reipublicæ moderatores, reipub. dediti. 888. *b* 894. *b*
Πολιτικόν, reipublicæ deditum: quod eſt ex uſu reipub. 858. *a*. 859. *a*
Πολιτικὸν σκέμμα, conſideratio ad ſtatum reipub. pertinens. 835. *b*
Πολιτικὸν σύλλογον, conventum virorum reipublicæ gerendæ peritorum. 902. *a*
Πολιτικός, civilis. reipublicæ deditus. 805. *a*
Πολιτικὸς ἀνὴρ οὐδ᾽ ὄναρ, reipublicæ deditus vir ne inſomnio quidem. 781. *b*
Πολιτικῶς, ut virum reipub deditum decet, convenienter ſtatui reip. 806. *b*. 836. *a*. 838. *a*
Πολιτικώτερα, ad reipublicæ adminiſtrationem magis pertinentia. 897. *b*. 908. *a*. 911. *b*
Πολιτικώτερον, reip. peritiorem. 816. *b*
Πολιτικώτερον, accommodatius ad rationem reipublicæ adminiſtrandæ. 652. *a*
Πολλὰ δ᾽ ἐν μεταιχμίῳ Νότος κυλίνδει κύματ᾽ εὐρείης ἁλός: Multos autem in intermedio Auſter volvit fluctus lati maris. 827. *a*
Πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ, multam ſalutem honeſto. 845. *b*
Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων, multi diſcipuli præſtantiores magiſtris. 709. *b*
Πολλοῦ γε καὶ δεῖ, multum quidem abeſt. 825. *a*
Πολυγραφώτατος, qui plurima ſcripſit. 898. *a*
Πολυδάμας μοὶ πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει, Polydamas mihi primus probrum objiciet. 786. *b*. 831. *a*
Πολυδεύκους, Pollucis ædem. 824. *b*
Πομπεύσαι καὶ τοῖς προσώποις, ex perſonarum dignitate quaſi triumphum agere. 902. *b*
Πονοῦμαι, labore & moleſtia conficior. 930. *a*
Πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον, *ſupplendum ex Platone,* qui hæc itidem refert, ἀναβάς, utrum exſcenſo alto muro juſtitiæ. 904. *a*
Ποῦ σκάφος τὸ τῶν Ἀτρειδῶν, ubi navigium Atridarum. 833. *b*
Πραγματικοὶ, miniſtri oratorum apud Græcos, mercedula adducti. 80. *b*
Πραγματικῶς, aptè ad rem gerendam. 946. *a*
Πρᾶξιν, factum. 913. *b*. 914. *a*
Πρᾶξιν πολιτικοῦ, factum civi dignum reipub. dedito. 872. *b*
Πρᾳότατα, leniſſimè. 880. *b*
Πρέπον, decorum. 157. *b*. 1221. *b*
Πρόβλημα ἀρχιμήδειον, Quæſtio Archimedea. 884. *a*. 901. *b*
Πρόβλημα, quæſtionem. 831. *a*. 884. *a*
Προβολήν, ſtatum jamjam dimicaturi, geſtum pugilis in pugna, cum feriendi cauſa brachia protendit. 899. *a*
Προθεσπίζω, præſagio. 847. *a*
Προηγμένον, productum, promotum, remotum, præpoſitum, præcipuum. 1026. *b*. 1038. *a*
Προκοπήν, progreſſum in litteris. 920. *b*
Προλεγομένας, quæ præfari ſolemus, antequam diſputationem aliquam explicandam ſuſcipimus. 713. *b*
Προλήψεις, notitiæ rerum. 981. *a*
Πρόληψις, notio: anticipatio: antecepta animo rei quædam informatio: prænotio; præſumtio. 173. *a*. 1115. *b*
Πρόνοια, providentia. 1128. *b*. 1130. *a*
Προοικονομησάμην, procuravi, providi. 942. *b*
Προοίμιον, principium. 2. *a*
Πρόπλασμα, præfigmentum, periculum elaborati operis, rudis informatio exacti operis. 892. *b*
Προπύλαιον, veſtibulum. 825. *b*
Προπύλῳ, veſtibulo. 829. *a*
Προσανατεθραμμένην, recreatam. 822. *a*
Πρόσθε λέων ὄπιθεν δὲ: *Homericus verſus integer ſic habet:* πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα: ante Leo, à tergoque Draco, media ipſa Capella. 790. *b*
Πρὸς ἴσον, ὅμοιονque, ad æqualem ſimilemque. 906. *b*
Πρόσνευσιν, aſſenſum. 814. *a*
Πρὸς τὸ ἀσφαλὲς, ad id, quod tutum ſit. 838. *a*
Πρὸς τὸ πρότερον, ad prius. 778. *a*
Πρὸς τοῦθ᾽ ὅ, τι χρή, καὶ παλαμάσθων, καὶ πάντ᾽ ἐπ᾽ ἐμοὶ τεκταινέσθων. τὸ γὰρ εὖ μετ᾽ ἐμοῦ: adverſus hoc quod opus eſt facto, & machinentur & fabricent quidvis in me: quod enim rectum eſt, à me ſtat. 845. *a*
Προσφώνησιν, nuncupationem. 897. *b*
Προσφωνοῦμεν, nuncupamus, dicimus. 920 *a*
Προσφωνῶ, nuncupo, dico, 929. *b*
Πρόσωπον πόλεως, faciem civitatis. 765. *b*
Πτῶσις, prolapſio, caſus. 790. *b*
Πυρόεις, Mars. 1128. *a*
Πυροὺς εἰς δῆμον, frumenta in populum. 829. *a*

P.

Ῥᾳθυμότερα, ſegniora. 947. *b*
Ῥητορεύουσιν, declamitant, quaſi rhetorum more. 921. *a*
Ῥήτωρ, eloquens dictus Græce ab eloquendo. 157. *a*
Ῥίψαι, Πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμήναντα, Cum fureret multa fruſtra cornibus in aërem proruiſſe. 844. *b*
Ῥοιζόθεμιν, litem & cauſam tumultuoſam. 909. *b*
Ῥοπή, momentum, inclinatio. 927. *a*
Ῥυθμός, numerus oratorius. 157. *b*

Τοπογραφία: deſcriptio, pictura cum virgultorum & plantarum ibi virentium repræſentatione. 920. *b*

Σ.

Σεμνότερός τις, καὶ πολιτικώτερος, gravior auctoritateque pollentior, & rebus civilibus tractandis accommodatior. 784. *a*
Σῆμα δέ τοι ἐρέω, ſignum autem tibi dicam. 808. *b*
Σηστοδέστερον, magis Seſtiane. 839. *b*
Σκάφος, navigium. 833. *b*
Σκέμμα, conſideratio. 840. *b*
Σκέψαι, conſidera. 884. *a*
Σκήπτομαι, tergiverſor, cauſas necto. 928. *b*
Σκήψεις atque ἀναβολαὶ, excuſationes atque dilationes. 775. *b*
Σκιαμαχίαι, umbratiles pugnæ, ſimulacra pugnarum. 730. *b*
Σκολιά, obliqua, tortuoſa. 904. *a*
Σκολιαῖς ἀπάταις, verſutæ fraudis: *ſupple*, murum aſcenſurum. 904. *b*
Σκόπος, ſcopus, ultimum, finis. 791. *a*
Σκοτεινὸς, tenebricoſus, tenebroſus. 1007. *b*
Σκυλμὸν, vexationem, moleſtiam. 807. *b*
Σκυτάλην Λακωνικὴν, Scytalen Laconicam (brevem Epiſtolam, quales occultis gravibuſque de rebus Lacedæmonii ad Imperatores ſuos in loris ſcriptas, mittere ſolebant.) 870. *b*
Σόλοικα, olentia ſolœciſmum. 782. *b*
Σολοικὸν, abſurdum. 908. *b*
Σοφία, ſapientia. 1229. *b*
Σοφοί, ſapientes. 1098. *a*
Σοφιστεύειν, Rei oratoriæ operam dare: cauſas actitare. 788. *a*
Σοφιστεύω, declamo, fictas cauſas ago. 856. *b*
Σοφὸς εὖ θυρρήμων ἔσῃ, ſapiens rectè loqueris. 715. *a*
Σπάρτην, Spartam. 783 *a*
Σπάρτην ἔλαχες, ταύτην κόσμει, Spartam ſortitus es, hanc orna. 805. *b*
Σπείσασθαι, inducias facere, paciſci. 924. *a*
Σπονδειάζοντα, quinta ſede Spondæum habentem. 831. *b*
Σπουδάζειν, ſerio agere. 765. *b*
Σπουδαῖον οὐδὲν, ſerium nihil. 907. *b*
Σπουδαιότερον, gravius & magis ſerium. 813. *b*
Σπουδὴ, ſtudium, propenſa voluntas. 770 *b*. 901. *a*
Στάσις, ſtatus. 177. *a*
Στερέμνια, ſolida, firma. 1116. *a*
Στερκτέον, probandum, æqui bonique conſulendum. 858. *b*
Στερητικά, privantia. 174. *a*
Στίλβων, Mercurius. 1128. *a*
Στοργὴ, amor & pietas inter parentes & liberos. 869. *a*
Στοργὴν φυσικὴν eſſe τὴν πρὸς τὰ τέκνα, naturalem caritatem eſſe in liberos. 1321. *a*
Στρατήγημα, conſilium Imperatorium. 1141 *a*
Στρατύλλαξ, imperatorculus. 931. *a*
Σύγγραμμα, conſcriptio, opus quod ſcripto conſtat. 927. *b*
Συγκατάθεσιν, aſſenſionem, approbationem. 782. *a*
Συγκύρημα, caſum. 788. *b*
Σύγχυσιν, confuſionem. 830. *a*. 836. *a*
Σύγχυσιν τῆς πολιτείας, confuſionem reipublicæ. 830. *a*
Σὺ δὲ δή τί σιωπᾷς; tu verò quid cogitabundus? 904. *b*
Συζητήσει, mutua quæſtione. 770. *b*
Συζυγία, conjugatio. 171. *b*. 173. *b*
Σύκῳ μὰ τὴν Δήμητρα σύκον οὐδὲν Οὕτω ὅμοιον γέγονεν, Ficui per Cererem ficus nulla unquam tam ſimilis fuit. 806. *b*
Συλλάβους, indices. 804. *b*
Σύλλογον, conventum. 902. *b*
Συμβιωτὴς, convictus. 900. *a*
Συμβιωτὴν, convictorem, convivam. 710. *b*
Σύμβολον, nota. 173. *a*
Συμβουλευτικὸν, conſilii plenum, ad deliberationem aptum. 892. *b*
Συμπάθεια, conſenſus naturæ, convenientia & conjunctio naturæ. 811. *b*. 1142. *a*
Συμπάθειαν, animi commotionem ex commiſeratione, doloris conſenſum. 808. *a*. 818. *b*. 869. *a*. 1177. *b*
Συμπαθῶς, cum animi commoti ſignificatione. 816. *a*. 893. *b*
Συμπάσχω, una afficior. 886. *a*
Συμπόσια, compotationes. 715. *b*
Συμπόσιον, compotatio. 789. *a*
Συμφιλοδοξοῦσιν, ſimul gloriæ meæ ſerviunt. 818. *a*
Συμφιλολογεῖν, de litteris diſputare. 771. *a*
Συναγωγὴ, collectio, volumen. 860. *a*. 927. *a*
Συνδεῖπνα, concenationes. 715. *b*
Συνδείπνους Σοφοκλέους, concænatores Sophoclis. 946. *b*
Συνδιημερεύομεν, ſimul diem conterimus. 846. *a*
Σὺν θεῷ τοι λέγω, Diis juvantibus dico. 870. *b*
Συνηγωνίων, cum illo mœrebam, condolebam. 816. *b*
Συγκατάθεσιν, aſſenſionem, approbationem. 982. *a*
Συνναὸν, contubernalem. 893. *b*
Συνοδία, colloquium converſatio. 867. *b*
Σύνταγμα, opus, compoſitio. 700. *b*. 925. *b*
Συντάγματα, opera. 893. *b*
Σύνταξιν, opus. 898. *a*
Συντάξεις, compoſitiones librorum. 920. *b*
Σύν τε δύ' ἐρχομένω, *complendum ex Homeri Iliad. κ.* καί τε πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν ὅππως Κέρδος ἔῃ, duobuſque ſimul euntibus, alter alterum prævertiſſet cogitando, quod è re foret. 709. *b*. 854. *b*
Σύντηξις, arcta animorum conjunctio, & conglutinatio. 869. *a*
Σύντομα, compendioſè, paucis. 833. *b*
Σφαῖρα, globus. 1127. *b*
Σφαιροειδὲς, globoſum. 1326. *a*
Σφάλμα, erratum, lapſus. 872. *a*
Σχεδιάζοντα, ſcribentem, quod ſubitò in mentem venit. 824. *a*
Σχεδίασμα, ſubitum & tumultuarium conſilium. 921. *b*
Σχήματα, ſententiarum orationiſque formæ, ſive verbo-

verborum & ſententiarum lumina, ornamenta. 133. *a* 138. *a*
Σχόλιον, explicationem. 927. *b*
Σχολίῳ, explicatione. 928. *a*
Σωκρατικῶς εἰς ἑκάτερον, Socraticorum more in utramque partem (*ſcilicet diſputare.*) 785. *b*
Σῶμα, corpus. 784. *a*
Σώφρονα, temperantem. 1077. *a*
Σωφροσύνη, temperantia. *ibid.*

T.

Ταγοὶ, duces. 805. *b*
Τὰ κατὰ μέρος, particularia, ſingula quæ particulatim. 899. *b*
Τὰ κενὰ τοῦ πολέμου, inanes terrores belli. 819. *b*
Τὰ κεφάλαια, capita. 929. *a*
Τὰ μὲ διδόμενα, *proverbium hoc ita explicari poteſt ex ſcriptis Platonis*: τὰ μὲ διδόμενα ἀνάγκη δέχεσθαι, quæ dantur neceſſe eſt accipere. 828. *b*. 921. *a*
Τὰ μὲ οὖν καθ' ἡμᾶς τάδε, quæ igitur ad nos pertinent, hæc ſunt. 770. *b*
Ταξιάρχης, ordinis ductor, centurio. 929. *b*
Τὰ ὅλα, tota, univerſa. 904. *b*
Τὰ ὄνεια, ea quæ ſunt ex uſu. 874. *b*
Τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος, quæ de officio ſunt, libros de officiis. 920. *a* 929. *a*
Τὰς τῶν κρατούντων: *Euripidis integer verſus ſic habet*: τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών, dominantium ſtultitias ferre oportet. 794. *b*
Τὰ τῶν φίλων κοινὰ, καὶ φιλίαν ἰσότητα, amicorum communia omnia: & amicitiam eſſe æqualitatem. 1189. *b*
Ταὐτόματον ἡμῶν, *verſus integer habet*: ταὐτόματον ἡμῶν καλλίω βουλεύεται, caſus melius quàm nos conſulit. 775. *b*
Τέθριππα, quadrigas æneas aut marmoreas. 821. *a*
Τεκμηριώδης, ſignum ejuſmodi, ut dubitari non poſſit. 834. *b*
Τέκνον ἐμὸν, οὔ τοι δέδοται πολεμήϊα ἔργα, Ἀλλὰ σύ γ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο. Non tibi, nata mea, data ſunt opera bellica, Verùm tu placida perſequere munera eloquentiæ. 910. *b*
Τελικὰ, ad ultimum pertinentia. 1027. *a*
Τέλος, ſumma rerum, finis: quod ad nullam aliam rem, omnia autem ad id referuntur. 885. *a*. 1002. *a*. 1023. *b*
Τέμπη amœniſſima loca. 808. *b*
Τεινασμὸς, morbi genus in corporis partibus poſterioribus. 967 *b*
Τέρας, monſtrum, prodigium. 846 *b*
Τεχνολογίαν, tractationem artis, diſputationem de præceptis artis. 809. *b*
Τέτλα, κύντερον, *ſupplendum ex Homero* ἔτλης: perfer, gravius tuliſti. 861. *b*
Τετυφῶσθαι, timefactum eſſe, inflatum inſaniſſe. 889. *a*
Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην, magnam urbem Læſtrigoniam. 789. *a*
Τὴν ἀρέσκουσαν, ſententiam quæ placeat. 785. *b*
Τὴν ἔσω γραμμὴν, interiorem lineam. 806. *b*
Τὴν θεῶν μεγίστην ὥς τ' ἔχειν τυραννίδα; ut tyrannide potiatur, quæ inter Deos dea eſt maxima. 837. *a*
Τὴν παροῦσαν κατάστασιν τυπωδῶς, præſentem ſtatum reipubl. ſubjecta rudi ejus forma. 808. *a*
Τῆς δάμαρτός μου ὁ ἀπελεύθερος (οἶσθα ὃν λέγω,) &c. uxoris meæ libertus (noſti quem dico) viſus eſt mihi dudum è verbis, quæ inconſideratè effutiebat, turbâſſe calculos. ex coëmtione bonorum Crotoniatæ tyrannicidæ. timeo, ne id adhuc non intellexeris. Unus nimirum hoc ubi conſideraveris, reliqua in tuto pone. 828. *a*
Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν Ἀθάνατοι, ante virtutem ſudorem poſuerunt Dii immortales. 689. *a*
Τῆς ξυνεύνου τῆς ἐμῆς ὁ ἐξελεύθερος, &c. uxoris meæ libertus viſus eſt mihi ſæpè garriens. & hæſitans in conciliabulis & circulis quodammodo conturbâſſe rationes in bonis Crotoniatæ. 828. *b*
Τί γὰρ αὐτῷ μέλει; quid enim illi curæ eſt? 884. *a*
Τί λοιπόν? quid reliquum? 825. *a*
Τιμὴν, honorem 886. *a*
Τίς δ' ἐστὶ δοῦλος, τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν; quiſnam eſt ſervus, de morte ſecurus qui ſit? 853. *a*
Τίς πατέρ' αἰνήσει: *integer verſus ſic ſe habet*: τίς πατέρ' αἰνήσει εἰ μὴ κακοδαίμονες υἱοί, quis patrem laudabit, niſi infelices filii. 782 *b*
Τὸ ἄμεινον, καὶ τὸ χεῖρον ἐν ἀφανεῖ ἔτι προεώρα μάλιστα, quid melius & deterius, in obſcuro adhuc providebat maxime. 869. *a*
Τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ, quod enim rectum eſt, a me ſtat. 823. *b*
Τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, in lente unguentum. 781. *b*
Τοιαῦτα ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται, talia ærumnoſum bellum efficit. 946 *a*
Τοῖς ἀπαντῶσιν, obviam prodeuntibus. 834 *b*
Τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετὸν, honeſtum propter ſeipſum expetendum. 765. *b* 766 *a*
Τὸ καλὸν, honeſtum. 845. *b*
Τὸ μέλλον καραδοκήσεις, quod futurum eſt, exſpectabis. 858. *b*
Τὸν θεωρητικὸν, quæ in rerum contemplatione occupatur. 790. *a*
Τὸ νεμεσᾷν intereſt τοῦ φθονεῖν, indignatio differt ab invidia. 819. *a*
Τὸν πρακτικὸν βίον, vitam quæ in rebus agendis verſatur. 790. *a*
Τὸν τῦφον μου πρὸς θεῶν τροποφόρησον, inſolenti & vanæ ambitioni meæ, per Deos, indulge 901. *b*
Τὸ παραδοξότατον, inopinatiſſimum. 824. *b*
Τοποθεσίαν, loci deſcriptionem. 776 *b*
Τοποθεσίᾳ, loci deſcriptione. 779. *b*
Τὸ συνεχὲς, quod conjunctum eſt, proximum. 855 *a*
Τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών, tunc tellus mihi lata dehiſcat. 857. *a*. 952. *a*
Τοῦ καλοῦ honeſti. 836 *b*
Τοὐμὸν ὄνειρον ἐμοὶ, *ſupple.* λέγεις: *Eſtque proverbium*: meum ſomnium mihi narras. 830. *b*
Τοῦτο δὲ μυῖα ὅση; hoc vero quantula muſca? 894. *b*

Τρεῖς διοικήσεις, tres provinciales adminiſtrationes. 753. *b*

Τρηχεῖ, ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος. οὔτι ἔγωγε ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἰδέσθαι, Aſpera ſed bona puerorum nutrix, nequaquam ego Hac terra poſſum dulcius quidquam aſpicere. 788. *b*

Τριπολιτικὸν, librum inſcriptum, Tripoliticus. 902. *b*

Τρισαρεοπαγίτας, eximios Areopagitas. 808. *b*

Τροπαί, verborum immutationes. 133. *a*

Τυραννοκτόνοι, Tyrannicidæ. 740. *b*

Τυραννοκτόνους, tyrannicidas. 908. *b*

Τυφλώττω, cæcutio. 791. *a*

Τῶν ἀδυνάτων, earum rerum, quæ fieri non poſſunt. 708. *b*

Τῶν δ' αἰτίαν τῶν Βρούτων τίς ἔχει; horum culpam quis Brutorum ſuſtinet? quis Brutorum harum rerum auctor fuit? 919. *a*

Τῶν μὲν παρόντων δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, τῶν δὲ μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής: Rerum quidem præſentium inito brevi & extemporali conſilio optimus index: Futurarum autem, magna ex parte ejus quod eventurum erat, certiſſimus conjector. 868. *b*

Τῶν νεωτέρων, juniorum. 831. *b*

Τῶν πολιτικωτάτων σκεμμάτων, conſiderationum maximè ad rempub pertinentium. 864. *b*

Τῶν πρόεργου τι, eorum quæ ſunt ex re aliquid. 853. *b*

Τῷ καλῷ, honeſto. 766. *a*

Τῷ καλῷ προσπέπονθα, erga honeſtum ſum affectus. 79. *a*

Τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ, navium enumeratione. 826. *a*

Υ.

Υἁδας, hyades. 1133. *b* 1330. *b*

Ὑγιὲς, ſincerum, ſanum. 872. *a*. 915. *b*

Ὕειν, pluere. 1133. *b*

Ὕθλῳ, nugis, garrulitate. 929. *a*

Ὑλλῶ, celebro, pervulgo. 902. *a*

Ὑπεκθέμενος, cum clam ſubduxero & exportaro. 839. *b*

Ὑπεραττικὸς, plus quàm Atticus. 916. *a*

Ὑπερβολὴ, ſermonis exſuperantia. 698. *b*

Ὑπερβολικῶς, ſupra veritatem, ſupra modum. 821. *a*. 826. *a*. 946. *b*

Ὑπηνέμιος, inanis & futilis, ſub vento expoſita. 909. *b*

Ὑπηρεσίαν, miniſterium, officiorum præſtationem. 860. *b*

Ὑποθέσει, argumento. 805. *a*

Ὑποθέσεις, poſitiones, argumenta. 915. *b*. 951. *a*

Ὑπόθεσις, cauſa, quæſtio definita. 176. *b*

Ὑπόθεσις, materia, argumentum. 777. *a*. 893. *b*. 914. *b*. 947. *a*

Ὑποθήκας, documenta, præcepta. 790. *b*

Ὑποθήκας, pignora. 752. *b*

Ὑποκορίζῃ, leni vocabulo appellas. 858. *a*

Ὑπομεμψιμοίρους, ſubquerulas. 822. *a*

Ὑπόμνημα, commentarium. 784. *a*. 922. *b*. 930. *b*

Ὑπομνηματισμὸν, decretum, vel, ad rei memoriam litteris mandatum. 743. *b*. 816. *a*

Ὑπόσολοικα, ſubabſurda. 914. *b*

Ὑποσόλοικον, ſubabſurdum. 788. *b*

Ὑπόστασιν, fundamentum, & inceptionem. 785. *b*

Ὑπὸ τὴν διάληψιν, ſub ipſam acceſſionem febris. 852. *b*

Ὑπὸ τὴν λῆψιν, ſub acceſſionem febris. 858. *b*

Ὕπουλον, ſubdolum. 871. *a*

Ὑπώπιον, macula, infamia. 783. *b*

Ὕστερον πρότερον, Ὁμηρικῶς, ordine præpoſtero, cùm primo loco quod poſterius eſt, ſecundo quod prius effertur, Homericè. 777. *b*

Φ.

Φαέθων, Jupiter. 1128. *a*

Φαίδρου περιττῶν, & ἑλλάδος, de iis quæ redundant in Phædro Platonis, & de Græciæ vita. 904. *b*

Φαινοπροσωπεῖν, vultum oſtendere, faciem aperire. 840. *b*

Φαινοπροσωπητέον, retecto vultu & aperta facie procedendum. 915. *a*

Φαίνων, Saturnus. 1128. *a*

Φαλάκρωμα, tranquillitatem & otium. 907. *b*

Φαλαρισμὸν, Phalaridis imitationem, ſævitiam. 837. *a*

Φαντασία, viſum. 975. *b*. 979. *b*

Φιλαίτιον συμφορά, querula res, calamitas. 892. *b*

Φιλαίτιος, accuſandi ſeu criminandi cupidus. 660. *a*. 899. *a*

Φιλαλήθως, ingenuè, liberè, 947. *b*

Φιλαυτία, amor ſui ipſius. 897. *b*

Φιλέλληνες, Græcorum amantes. 777. *b*

Φιλένδοξος, ambitioſus, amator illuſtrium virorum. 898. *b*

Φιλήδονοι, amatores voluptatis. 766. *a*

Φιλιππίζειν, cum Philippo facere. 1177. *a*

Φιλογυνεία, mulieroſitas. 1089. *b*

Φιλοθέωρον, ſpectandi cupidum. 694. *b*

Φιλόκαλοι, καὶ φιλοδίκαιοι, amatores honeſti & ſtudioſi juſti. 766. *a*

Φιλόλογα, erudita. 907. *b*. 920. *b*

Φιλολογώτερα, eruditiora. 897. *a*

Φιλόπολις, patriæ amans. 784. *a*

Φιλόπολιν. 858. *a*

Φιλοπροσηνέστατα, ſtudio benigniſſimo & ſuaviſſimo. 814. *b*. 815. *b*

Φιλορήτορα, ſtudioſum artis dicendi. 776. *b*

Φιλοσοφεῖν, philoſophari. 786. *b*

Φιλοσοφητέον, philoſophandum. 779. *b*

Φιλοσοφία. 68. *a*

Φιλοσοφούμεθα, philoſophamur. 920. *a*

Φιλοσοφούμενα, quæ à Philoſophis tractantur, libros Philoſophicos. 732. *b*

Φιλοσοφῶμεν, philoſophemur. 789. *a*

Φιλοσόφως, philoſophicè. 899. *a*

Φιλοσοφώτερον διευκρινήσομεν, magis philoſophicè examinabimus & diſcutiemus. 835. *b*

Φιλοστοργότερον, amantius. 896. *b*
Φιλοστόργως, peramanter. 921. *a*
Φιλοτέχνημα, opus ſtudioſè elaboratum. 904. *b*
Φιλοτιμία, *hoc loco*, philotimi actio. 830. *b*
Φιλοφρόνως, humaniter, amanter. 920. *b*
Φλιοῦς, ὀποῦς, σιποῦς, Phlius, Opus, Sipus. 826. *a*
Φλυαρὸν, garrulum. 765. *b*
Φοβερὸν ἦν, formidabile erat. 903. *b*
Φρόνησις, prudentia. 1229. *b*
Φυράτης, conturbator. 831. *b*
Φυρμὸς πολὺς, conturbatio multa, tumultus ingens. 908. *a*
Φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι, ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι φορβειᾶς ἄτερ: Spirat enim non jam exilibus tibiolis, Sed immanibus follibus ſine ligula. 790. *a*
Φυσικοὶ, Phyſici. 82. *a*
Φυσικὴν τὴν πρὸς τὰ τέκνα, naturalem amorem in liberos. 832. *a*
Φώσφορος, Lucifer, Venus. 1128. *a*

X.

XAῖρε, ſalve. 998. *a*
Χαρακτὴρ, forma, rei deſcriptio. 155. *a*. 176. *b*
Χαρακτὴρ, ſtilus, nota. 947. *b*
Χολὴν ἄκρατον, bilem puram. 758. *a*
Χρεῶν ἀποκοπὰς, φυγάδων καθόδους, tabulas novas, exſulum reditus. 837. *a*
Χρήσει μὲν tuus: κτήσει δὲ, Attici noſtri: uſu quidem tuus, poſſeſſione vero Attici. 697. *b*
Χρησίμους, frugi homines. 1077. *a*
Χρησμὸς, oraculum. 858. *a*
Χρηστομαθῆ, quæ ſunt ex uſu diſcentum. 774. *a*
Χρύσεα χαλκείων, aurea pro æneis. 825. *a*
Χρόνος, ſpatium temporis. 1129. *a*

Ψ.

ΨΕυδέγγραφω, falsè perſcripto. 923. *a*
Ψευδησιόδειον, quod falsò Heſiodo aſſcribitur. 840. *a*
Ψευδόμενον, mentientem. 1166. *a*
Ψιλῶς, nudè, tenuiter. 884. *b*
Ψῦχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον, frigus autem tenui cuti inimiciſſimum. 768. *a*

Ω.

Ὦ ἀπεραντολογίας ἀηδοῦς, ô loquacitatem inſuavem. 885. *b*
Ω πραγμάτων ἀσυγκλώστων: ô res, quæ contexi non poſſunt: ô perturbatum rerum ordinem. 824. *b*
Ὦ πράξεως, καλῆς μὲν, ἀτελοῦς δὲ, ô factum pulcrum quidem, ſed imperfectum. 910. *a*
Ὦ πολλῆς ἀγεννείας, ô multam animi ignaviam. 873. *b*
Ὠνὰς, venditiones. 818. *a*
Ὠφέλημα, quod prodeſt. 1024. *b*. 1028. *b*

INDEX

INDEX
RERUM, VERBORUM,
ET PHRASIUM
MAXIME MEMORABILIUM,
QUÆ
In Operibus M. TULLII CICERONIS *occurrunt.*

Litera, *a*, primam columnam, *b*, ſecundam denotat.

A.

AB, præpoſit. in compoſ. ſæpe mutatur. 164.a
Abalienationis definitio. 172.b
Abdera: Hic Abdera non tacente me. proverb. 810.a
Abſoluta Juridicialis conſtitutio quid ſit? 4.b. & 37.b
Abſyrtus, Medeæ frater, idem qui Ægialus. 1144.a
Abuſio, figura exornationis verbor. 28.b. *Græcis* κατάχρησις. 159.a
Academiæ mos patrius adverſari omnibus in diſputando. 73.a
Academiæ recentioris autor Arceſilas. 116.b.972.a.973.a.976.b
Academia vetus. 986.a. 972.a. *honeſtè vivere cum naturâ ſtatuit finem bonorum.* 994.b
Academici negant quidquam ſciri. 70.b *à rebus incertis aſſenſionem cohibuerunt.* 1111.a
Academicorum veterum ſententia de ſummo bono. 1010.a
Academicorum & Peripateticorum ratio in dicendo qualis? 137.a
Academicorum Philoſophorum nomen unum, ſententiæ duæ. 116.b
Academicorum parens Xenocrates. 116.a
Accenſi. 284.b
T. Accius Piſaurenſis, orator. 147.b
Accuſatoris officium. 29.a. 221.a. *loci in conſtitutione conjecturali, ex impulſione.* 52.a. *ex ratiocinatione.* ibid. *ex attributis.* 53.a. *in definitiva cauſæ conſtitutione.* 55.a
Accuſatores multos eſſe in civitate utile eſt. 205.a. *eorum comparatio cum anſeribus & canibus Capitolinis.* 205.a
Acheron, fl. infernalis. 1052. b. 1143.b
Achilles Hectorem ad currum religatum trahit. 1064. a. *ab Aſtypalenſibus religioſè cultus.* 1143.b
Acilius Græcus ſcriptor Hiſtoriæ Rom. 1253.a
Acroaſis. 921.a
Acredulæ cantus matutinus tempeſtatem præſagit. 1151.b
Acriculus. 1080.b
Acta agere, proverb. 1275.a
Actio, Oratoris lumen eſt. 187.a. 179.a. *in dicendo una dominatur.* 127. a. 128.a. *eſt quaſi corporis quædam eloquentia.* 156.b
Actionum humanarum genera plura. 1046.b
Actuariolum, parvi navigii genus. 926.a. 927.a
C. Aculeo, eq. Rom. juris peritiſs. 80.a
Acuſilas. 89.b
Acutulus. 1141
Adhamare. 1323.b
Adjunctio, figura exornationis verborum. 27.b
Admirabile cauſæ genus. 38.b
Admirabile quidquid eſt, delectat. 179.a
Adoleſcentem maximè commendat ſermonis modeſtia & gravitas. 1236.b
Adoleſcentes magno ingenio potius à gloria refrenandi quàm incitandi. 523.b. *eorum officia.* 1236.a,b
Adoleſcentia eſt flos ætatis. 173.a
Adverſaria & Codex quid differant. 214.a
Adverſarius quomodo ab Oratore in odium & invidiam rapiendus? 2. b. *in contemtionem adducendus.* ibid.
Aëe, Sole & Perſeide nata, Dearum numero habita. 1144.a
Ædes Honoris. 1202.a. *Opis.* 582.b.588.a
Æëtæ querela. 1078 b
Ægritudo eſt opinio magni mali præſentis. 1078.b.1084.a.1088.a.1089.b. *non conſiſtit in natura, ſed in opinione.* 1084.b. *an in ſapientem cadat?* 1077.a. 1086.a
Ægrotatio in corpore, ægritudo in animo. 1078.a .1089.b
Ægrotantium comparatio cum avaris & libidinoſis. 590.a.
Ægroto dum anima eſt, ſpes eſt. 858.a
Ægyptii aſtrologi. 1160.b. *divinandi artem longinquitate temporum conſecuti ſunt.* 1150.a. *canes, feles, lupos, &c. in Deorum numerum redigerunt.* 1303. b. 1304. a. *belluas propter beneficia conſecrarunt.* 1120,b.1143.a. *mortuos condiunt & eos domi ſervant.* 1064.b. *quamvis potius carnificinam ſubierint, quam Ibim, aſpidem, felem, canem, aut crocodilum violent.* 1105.b.1106.a.
L. Ælius, diſertus. 142.b
Sex. Ælius Orator. 133.b.134.a
Q. Ælius Tubero, orator. 136.b
M. Æmilius Lepidus Porcina, ſummus orator. 135.a
M. Æmilius Porcina, eloquens. 70.a
Æmilii Scauri acutum dictum in P. Rutilium. 106.a
Æmulatio duplex: alia virtutis, alia vitii. 1088.b
Æneæ ſomnium. 1155.a
Æqualia eſſe peccata & rectè facta. Paradox. Tull. III. 1279.b
Æqui libritas. 1121.b
Æquimelium locus Romæ, ubi domus Melii ſolo æquata fuit. 468.a.1199.a
Æquitatis vis duplex. 186.a
Aër natura maximè frigidus, minimè eſt expers caloris. 1125.b. *nomen Græcum, ſed perceptum jam uſu, tritum eſt pro Latino.* 1131.b. *locus.* ibid. & 1132.b
Aëtion, pictor præſtantiſs. 133.b
Ærumnæ à veteribus nominati labores non fugiendi. 1020.b.1088.b
Æſchines Græcus Orator. 70.b. 92.b. 188.a. *ſonorus.* 114.a. 131.a. *ejus oratio in Cteſiphontem contra Demoſthenem* 127.a. *hujus judicium de actione Oratoria.* ibid. *in Demoſthenem invehitur minus diu mortem filiæ lugentem.* 1083. b. *quid in oratione Demoſthenis pro Cteſiphonte reprehendat.* 154. b. *Demoſthenem belluam appellat.* ibid.
Æſchines Mileſius, Orator, Ciceronis æqualis. 152.a
Æſchylus Gnidius. 151.a.152.a
Æſchylus poeta, & Pythagoreus. 1069.a

Promethei ad Caucaſum religati dolores venuſtè deſcribit. 1069.b
Æſculapii tres eorumque genus. 1145.a
Æſtimabile quid ſit? 1023.a
Æſtus maritimi accedentes & recedentes. 1135.b
Ætas conſularis apud Rom. 601.a
Ætatulæ. 1046.a
Æternum quod ſemper movetur. 1057.b
Æther gignit innumerabiles flammas ſiderum. 1131.b.1132
Ætnæorum ignium eruptio quantis tenebris finitimas regiones obſcuraverit. 1132.a
Affictio, perſonarum attributum. 41.b
Affectio, quid? 66.b
Afflictatio eſt ægritudo cum vexatione corporis. 1088.b
T. Afranius, poëta. 140.a
P. Africanus qualis orator. 96.b.140.a
Agamemnon à Clytæmneſtra occiſus. 3.b. *depingitur ab Homero & Accio capillos evellens.* 1083.a. *filiam Iphigeniam immolavit.* 1251.a
Agathocles Hiſtoricus de ſomnio Hamilcaris Syracuſis cænaturi. 1156.a
Ageſilaus Rex Spartiates, neque fictam neque pictam imaginem ſuam paſſus eſt eſſe. 676.b.121.b
Agis Lacedæmoniorum rex ob injurias privatorum poſſeſſionibus illatas necatus. 1240.a
Aglaophon, pictor præſtantiſſimus. 113.b
Agonidis Lilybætanæ, Veneris libertæ, hiſtoria. 223.a
Agricultio. 1261.b
Agriculturæ præſtantia. 1229.a. *laudes.* 1260.b.1261.a,b
Agrigentinorum duo genera. 259.a
Agripetæ. 924.b.926.b
Ajax ſe ipſum occidit. 4.a. *ejus pugna cum Hectore.* 1092.a
Ajus Locutius, Deus, ejuſque ara. 1172.a
Alabandus Alabandenſium deus. 1143.a
Albani lacus inundatio bellum cum Vejentibus portendit. 1161.b.1172.a
A. Albini prætoris jocus ad Carneadem philoſophum. 995.a
A. Albinus Orator. 134.a. *cum L. Lucullo Coſ. fuit.* ibid. *diſertus.* 138.a
Sp. Albinus, Orator. 135.a
T. Albutius Orator. 137.b. *animo æquiſſimo Athenis exul philoſophatus eſt.* 1109.a
Alcæus de amore juvenum ſcripſit. 1095.a
Alcibiades, Græcus Orator. 92.b.121.b. 130.b. *navigans in Siciliam Eupolin cur in mare dejecerit.* 824.b. *ſomniavit paullo ante interitum ſe amicæ amictu eſſe amictum.* 1179.b
Alcidamus, rhetor antiquus, ſcripſit laudationem mortis. 1065.b
Alcmæo Crotoniates Soli, Lunæ, reliquiſque ſideribus divinitatem attribuit. 1114.a
Alexander Magnus rerum ſuarum ſcriptores multos ſecum habuit. 447.b. *Achillem felicem prædicavit, quod Homerum virtutis ſuæ præconem habuerit.* ibid. XXXIII. *anno moritur.* 6?1.a *cur ab Apelle pingi & à Lyſippo potiſſimum fingi voluerit.* 676.b. *Clytum ſuum familiarem per iram interemit.* 1096. a. *Babylone mortuus, cum paucis diebus ante Calanus Indus moriturus id ei denuntiaſſet.* 1156. a. *quo tempore natus.* ibid. *ejus ſomnium de radiculâ medente vulneratis per tela venenata.* 1178.b
Alexander Pheræus Theſſaliæ tyrannus à Thebe uxore propter pellicatus ſuſpicionem occiſus. 64.a.1234.a
Alexandria, cunctaque Ægyptus, morte Regis Alexandri, populi Rom. facta. 381.b
Alexandrinum bellum. 765.a
Allegoria, figura tranſlationis. 159.a
Alſum, comparat. alſius, ab algeo. 806.a. 928.a
Alveolus: Alveolum poſcere. 1046.a
Alvi in homine ſitus & uſus. 1136.a
C. Amafinius primus libros in Philoſophia Latine edidit. 1087.a
Amanus mons Syriam à Cilicia imo aquarum divortio dividit. 761.b. 819.a,b
Amara propriè quid? 1015.b. 1277.a
Amator & amans differunt. 1089.b
Ambigui controverſia in conſtitutione cauſæ legitimâ. 4.a.8.b
Ambiguorum genera plurima. 94.a
Amici quales eligendi. 1272.b
Amicitior. 657.a.696.a
Amicitia, quid? 66.a. *cur expetenda.* ibid. 1191.b. 1268.a
in Amicitia aſſentatio vitanda. 1276.a,b
Amicitiæ comparatio cum certamine currendi. 32.a
Amicitiæ diſſuendæ magis quàm diſcindendæ. 1274.a
Amicitiæ nomen ab amando ductum. 1268.b
Amicitia omnibus rebus humanis anteponenda. 1267. b. *non poteſt eſſe niſi inter bonos.* ib. *quantum præſtet propinquitati.* ib. *ejus vis.* ib. *lex prima, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati:* 481. b. 1270. b. 1271. a. *fines & termini.* 1272. a,b *uſus multiplex & varius.* 1275.b
Amicitiam quæ præcipuè dirimant. 1270.a
Amicitiâ quinam digni. 1274.b
Amicorum omnia communia, Græcor. proverb. 1216.b
Amicus certus in re incerta cernitur. 1273.a
Amicus, optima & pulcherrima vitæ ſuppellex. 1272.a
Amicus verus. 1268. a. *ejus officium.* ibid.b
Amor in amicitiâ quatenus progredi debeat. 1270.a
Amoris Venerei, ſive libidinoſi deſcriptio Cæciliana. 1095. a. *contra hunc remedia.* ibid.b
Amphiaraus. 685. a. 1144. a. *augur.* 1160.a. *ab ejus ſolo in quo humatus eſt, oracula petebant Græci.* ibid. b. *Jovi atque Apollini cariſſimus ſenium non attigit.* 1292.b
Amphiboliarum tractatio ad Dialecticos pertinet. 8.a
Amphilochus, Argivorum rex & augur. 1160.a
Ampliare aliquem. 29.b
Amplificatio concluſionis. 13.b. *orationis.* 179.b. *verborum.* 181.a. *rerum.* ibid.
Amplificatio quid ſit? 17.b. *dividitur in cohortationem, & conqueſtionem.* 18.a
Amplitudo, quid? 66.a
Ampſancti terra in Hirpinis mortifera. 1159.b
Anacharſis Scythes pecuniam pro nihilo duxit. 1107. a. *ejus epiſtola reſpuentis munera ad Hannonem.* ibid.
Anacreontis tota poëſis amatoria eſt. 1095.a
Anapæſtus Ariſtophaneus. 167.a
Anapæſtus pes. 125.a
Anaticulæ. 1044.b
Anatociæ & Anatociſmus. 821.b
Anaxarchus Democritius cum Cyprii tyranni manus Nicocreontis regis incidiſſet, nullum genus ſupplicii deprecatus eſt. 1073.a
Anaxagoras Clazomenius. 121.b
Anaxagoras phyſicus Periclis præceptor. 131.b. *ejus Lampſaci morientis præclarum reſponſum de via ad inferos.* 1064. a. *nivem nigram eſſe dicebat.* 986.b. 990.b *materiam omnium rerum dixit eſſe infinitam.* 992. b. 1113. b. *ejus nuntiata morte filii, dictum: Sciebam me genuiſſe mortalem.* 1079.a. 1294.a
Anaximander infinitatem naturæ dixit eſſe è qua gignerentur omnia. 992.b. *Lacedæmoniis terræ motum denunciat.* 1162.b. *ſtatuit nativos eſſe deos, eoſq; innumerabiles eſſe mundos.* 1113.b
Anaximenes Anaximandri auditor. 992. b. *aëra deum ſtatuit, eumque gigni, eſſeque immenſum & infinitum.* ibid. & 1113.b
Anceps cauſæ genus. 38.b
Ancillari alicui. 633.a
Andabatam defraudare, proverb. 693.b
Androgyni ortus, fatale monſtrum. 1161.a
Andromeda, ſidus cæleſte. 1133.b
Angor, eſt ægritudo premens. 1088.b

Anguiculæ. 1044.b
Anguitenens, ſive Ophiuchus, ejuſque deſcriptio Aratea. 1133.a
Animi neque nata eſt & æterna eſt. 1058.a
Animam agere. 1054.a. *efflare.* ibid.
Animal omne, ſimul ut ortum eſt, & ſeipſum & omnes ſuas parteis diligit, duas inprimis animum & corpus. 1010.a.
Animal omne mortale. 1142.a
inter Animal & inanimum quid interſit? 982.a
Animi motus quales eſſe debeant in Oratore. 127.a
Animi à labore ſe recreantis comparatio cum volucribus modò nidificantibus, modò volatu ſe reficientibus. 87.b
Animi varios motus concipientis comparatio cum ſono nervorum in fidibus. 142.a
ANIMI *ingenui eſt, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere.* 651.a
Animi bona. 1031.b *natura & vis.* 1058.a. *virtutes.* 1043.b. *munus, ratione bene uti.* 1077.a. *diviſio in duas parteis, alteram rationis participem, alteram expertem.* 1072.a. 1087.b. *ſanitas.* 1090.a. *pulcritudo.* ibid. *morbi, qui?* 1004.a
Animi bene conſtituti proprium eſt, lætari bonis rebus, & dolere contrariis. 1271.a
Animi à ſeipſo diſſidentis comparatio cum civitate in ſeditione civium. 1004.a
Animi voluptas major quam corporis. 1019.a
Animorum nulla in terris origo. 1059.a
Animulæ quiddam reſtillare. 855.a
Animus erat in curſu. 919.a
Animi cum agro comparatio. 1067.b
Animus humanus decerptus ex mente divinâ. 1101.a. *nulla, niſi nova aut admirabili re commovetur.* 20.a. *differt ab animâ.* 1142.a. *nonnullis cor* 1054.a. *ab anima dictus.* ib. *ex inflammata anima conſtat* .1056.b. *nihil eo velocius.* ibid. *divinus.* 1058.b. 1059.a. *Euripidi deus.* ibid.
Animus æger. 1075.b. 1076.a. *iratus.* 1077.b
Animus dives, non arca hominis appellari ſolet. 1282.a
Annales maximi. 89.b
Anniceríi philoſophi. 1253.a
T. Annius Luſcus, diſertus. 134.a
T. Annius Vellina, orator. 140.b
Annominatio, figura exornationis verborum. 25.b
Annus magnus Mathematicus, 1128.a. *vertens.* 1319.a
Anquirere. 1092.a
Anſeres & canes Romani publico ſumtu in Capitolio alebant. 205.a
Antecedentium locus argument. 174.a
Antelucanæ cenæ. 402.a
Anteros ex Marte & Venere natus, qui & Cupido tertius dicitur. 1144.b
Antigenidæ tibicinis dictum ad diſcipulum, Mihi cane & Muſis. 141.b
Antimachi poëtæ, derelicti ab omnibus auditoribus, excepto Platone, dictum: Plato unus eſt mihi inſtar omnium millium. 141.b
Antipater Sidonius. 83.b. *ejus mira facilitas in hexametris verſibus.* 125.b. 995.b
Antipatri Cyrenaici reſponſum ad mulieres ipſius cæcitatem lamentantes. 1109.b. 1150.b
Antipodes. 993.a
Antipho Rhamuſius. 131.b
Ἀντίθετα, *quæ ſint, eorumque, uſus & exempla.* 165.a
Antiochus rex à L. Scipione devictus. 235.b. *à Romanis intra Taurum montem regnare juſſus.* 500.a. 574.b
Antiochus philoſophus. 151.a. 977.b. 978.a. 1041.a. *Philoſophus beatam, ſed non beatiſſimam vitam in virtute poſitam eſſe dixit.* 994.b
Antiqui contrahebant ſine vocalibus brevitatis cauſa. 163.b. 164.a. *nuſquam, niſi in vocali, adſpiratione utebantur.* 165.b
Antiquitati non omnia concedenda. 21.a. *Antiquitas in exemplis, in ætatibus ſenectus auctoritatem habet.* 165.a. *proximè accedit ad deos.* 1197.b
Antoniaſter. 1305.b
M. Antonii & L. Craſſi, Oratorum laus. 112.b. 113.a. 114.a. 138.a,b. *dicendi genus quale.* ibid.
M. Antonius Orat. Diſertos, ſe vidiſſe multos ait, eloquentem neminem. 154.a
M. Antonius nullam orationem, quam habuit, nunquam ſcripſit, & cur? 367.a. *ſuſtulit Dictaturam.* 575.b. *ejus caput in Roſtris poſitum.* 112.b
Antiſthenes proſeminator Cynicorum & Stoicorum philoſoph. 116.a. *ejus liber* Phyſicus *inſcriptus.* 1114.b. *opinio de diis.* ibid.
P. Antiſtius, orator. 141.a. *rabula probabilis.* 141.a
Anxietas differt ab angore. 1089.b
Apelles pictor præſtantiſſ. 113.b. 133.b. *in eo peccare pictores dicebat, quod non ſentirent quid eſſet ſatis.* 158.a. *Veneris caput, & ſumma pectoris politiſſima arte perfecit & reliqua omnia imperfecta reliquit.* 646.b
Aphractus, ἄφρακτος, *genus navigii Rhodii.* 829.b
Apis ſanctus Ægyptiorum deus. 1118.b
Apiſci laudem. 668.a 850.b
Appetitio animi, Græcis ὁρμή. 1023.b
Appetitus obtemperet rationi. 1228.a
Appii νεκυομαντεῖα. 1055.b
Appius Claudius cæcus ſenatum jamjam inclinatum à Pyrrhi pace revocavit. 132.a,b. *orator qualis?* 136.a. *eloquens.* 147.b. *ejus carmen à Panætio laudatum.* 1087.a. *cæcus nulli nec privato nec publico muneri deſuit.* 1109.b. *ejus vegeta ſenectus.* 1259.a
Appius major ſe ſivè Lucullum in Senatu defendit. 106.a
Approbatio in cauſa conjecturali. 7.b. *hujus loci duplices: proprii & communes.* ibid.
Apodyterium. 947.a
Apollines quatuor, & ſingulorum genus. 1145.a
Apollinis ædes 942.a. *nomen eſt Græcum, quem Solem eſſe dicunt.* 1129.b
Apollinis Delphici oracula. 1176.b. 1177.a. *præceptum: Noſce te ipſum.* 1057.b. *imberbis.* 1119.a. *Pythius.* 1044.b. 1154.b *ejus dictum apud Ennium.* 80.b. *oraculum, Spartam nulla re aliâ, niſi avaritiâ perituram.* 1240.a
Apollo Cumis ſudavit. 1161.a
Apollo ac Diana in urbe Delo è Latona nati. 234.b
Apollonii Alabandenſis conſuetudo in probandis diſcipulis ſuis. 75
Apollonius Rhodius artis Oratoriæ ſummus doctor. 72.b
Apricatio. 837.a
Q. Apronius Decumanorum princeps à Verre conſtitutus. 269.b
L. Apulejus Saturninus, orator. 144.a.
Aqua hæret, proverb. 944.a. 1253.b
Aquæ caldæ. 779.a
Aquarius, ſidus cæleſte. 1133.b
C. Aquillius Gallus, eloquens. 139.a
M. Aquilii cauſa. 99.b.
Aquula. 97.a
Ara Aio loquenti deo quare conſecrata. 1172.a
Ara Alexandri. 761.b
Arabes, Phryges, Cilices, Piſidæ, Umbri, auſpiciis dediti; & unde. 1161.a
Aratus Sycionius Nicocle tyranno oppreſſo Remp. liberavit. 1240.b. *quo pacto reductis exſulibus ob poſſeſſiones ereptas ſatisfieri curaverit.* 1240.b
Aratus Aſtrologiæ ignarus optimis verſibus de cœlo & ſtellis dixit. 72.a. *ejus Phænomena à Tullio Latina facta.* 1330.a
Arbiter poſt judicem eligendus. 214.b
Arbitrii & judicii differentia. 214.b
Arcadis cujuſdam ſomnium de comite itineris per cauponem occiſo. 1157.a
Arceſilas Polemonis auditor. 110.b. *ejus variæ opiniones.* ibid. *recentioris Academiæ autor.* ibid. *negavit quidquam eſſe quod ſciri poſſet.* 979.a. *ejus ſententia de vi maximæ ſapientis.* 985.b. *elegans dictum ad Carnea-*

dem. 1050.b
Archelaus, Perdiccæ F. Perſarum rex fortunatiſſimus. 1101.a
Archelaus aſtrologus. 1174.a
Archidemus. 995.b
Archilochia edicta. 792.b
Archilochus. 1020. a *quando floruerit.* 1051.b
Archimedes geometriam docuit. 121.a. *rationes deſcripſit quibus efficitur, quod Sol multis partibus major ſit quàm terra.* 992. a, b. *ardor tantus in ſtudiis, ut ne patriam captam ſentiret.* 1045. b. *lunæ, ſolis, quinque errantium ſtellarum motus in ſphæram illigavit.* 1058.b. 1131.b
Architæ irati dictum ad Villicum. 1096.a. 1104.a
Architæ Tarentini oratio præclara contra voluptatem. 1259. a *ſcitum de vitâ ſolitaria.* 1275.b
Architectari. 1012.a
Ἄρκτοι *duæ circa polum Septemtrionalem, nunquam occidentes, Cynoſura & Helice.* 1133.a
Arctophylax, ſive Boötes, ejuſque deſcriptio Aratea. 1133.a
Arcturus, ſidus cœleſte. 1133.a
Arethuſa, fons. 316.b
Arganthonius Tarteſſiorum rex LXXX. *annos regnavit, &* CXX. *vixit.* 1263.a
Argia ſacerdos quod eſſet optimum filiis à Diis precata, eos invenit mortuos. 1290.b
Argo navis. 11.b. 1057.a
Argonautæ. 1057.a
Argumentandi genera duo & quæ? 180.b
Argumentatio quomodo ornatè & abſolutè ab Oratore tractanda ejuſque exemplum. 10. b. *in quinque partes diſtributa.* ibid.
Argumentatio ampliſſima quæ. 11. a. *mediocris.* ibid. *breviſſima.* ibid.
Argumentatio omnis aut per inductionem tractanda, aut per ratiocinationem. 43. a. *per inductionem, triplex.* ib. b. *per ratiocinationem quotuplex.* 44. a
Argumentatio probabilis. 42. b. *falſa.* 47.b. *communis.* ibid. *vulgaris.* ibid. *levis.* ibid. *remota.* ibid. *controverſa.* 48.a. *perſpicua.* ibid. *non conceſſa.* ibid. *turpis.* ibid. *offenſa.* ibid. *contraria.* ibid. *inconſtans.* ibid. *adverſa.* ibid. *neceſſaria quotuplex.* 42. b. *quomodo & quando reprehendenda.* 46. b. 47.a.
Argumentationes ἄτεχνοι. 172.a
Argumentationum partes quædam quatenus omittendæ. 11.a
Argumentationum vitioſarum duo genera. 11.a
Argumentum, eſt ratio dubiæ rei faciens fidem. 171.b
Argumentum in cauſa conjecturali quid ſit. 7.a. *dividitur in tria tempora: præteritum, inſtans, conſequens.* ibid. *quomodo quodque ſigillatim conſiderandum.* ibid.a,b.
Argumentum quid? 3.a. 40.a. 178. a. *duplicia, inſita & remota.* ibid. *remota ſive aſſumpta, quæ?* 180.b
Aries, ſidus cœleſte. 1133.b
Ariobarzanes, rex Cappadociæ. 760.a *regno expulſus.* 345.a
Arion Methymnæus à prædonibus navi ejectus à Delphine exceptus eſt. 1074.b
Ariopagitarum decretum ὑπομνηματισμὸς *dictum.* 743.b
Ariſtæus, Apollinis fil. olivæ inventor. 1143.b
Ariſtarchus Homeri verſum negavit, quem non probavit. 664.a. 710.b
Ariſtides, quòd præter modum juſtus eſſet, patria expulſus eſt. 1108.b
Ariſtippus pecuniam in mare dejecit. 66.b. *Cyrenaïcæ philoſophiæ autor.* 116.a. 994.b. *Socratis auditor.* ibid. *voluptatem finem bonorum ſtatuit.* ibid. 1010. a. *ſtatuit dolorem ſummum malum eſſe.* 1068. a. *quam voluptatem intelligat, eam ſummum bonum dicens.* 1008. a. *ejus dictum, habeo Laida non habeor à Laide.* 716.b
Ariſto, Zenonis auditor, ſtatuit nihil eſſe bonum, niſi virtutem: neque malum, niſi quod virtuti eſſet contrarium. 994.a. 1041.a. *in diis ſenſum eſſe negat.* 1115.a
Ariſtonis opinio de ſummo bono. 1035.b 1048. a. *nihil differre dixit aliud ab alio præter virtutes & vitia, eaque ſententia exploſa.* 1035.b
Ariſtophanes litteras docuit. 121. a. 1045.b
Ariſtoteles officium rhetoris in tribus generibus verſari putavit, demonſtrativo, deliberativo, juridiciali. 36.b. *diligentia præ ceteris in conſcribenda arte Oratoria.* 51.a. *plurima præ ceteris de arte dicendi ſcripſit.* 70. b. 71.a. *ad Judiciale & Deliberativum cauſarum genus addidit tertium Demonſtrativum.* 89.a. *argumentorum locos oratorios philoſophicos propoſuit.* 96.b *ejus Rhetorica.* 97.a. *jambum & trochæum frequentem ſegregat ab Oratore.* 124. b. *Pæona Oratori maxime commendat.* ibid. & 125.b. *quos pedes Oratori, & quibus in orationis partibus præſcribat* ibid. *ejus eloquentia nervoſiſſima.* 137.a. *quomodo adoleſcentes exercuerit in ſtudio dicendi.* 156.a. *Iſocratem dicendo laceſſivit.* 157.a. 159. a. *ejus opinio de numero, qui orationi maxime conveniat.* 165. b. 167. a. *judicandi & inveniendi princeps.* 171. a. *ejus Topica quid contineant?* 171. a. σύμβολον *appellat, quod Latine eſt nota.* 173.a *virtutis uſum cum vitæ perfectæ proſperitate conjunxit.* 1008. a. 1031.a 1052. a. *veterum Peripateticorum princeps.* 1040.a. 116.a,b. *de omnium animantium ortu, victus, &c. ſcripſit.* ibid. b. *mentem hominis è quintâ quadam naturâ ortam eſſe ſtatuit.* 1054. a. *eam* ἐντελέχειαν *appellat quaſi perennem quandam notionem.* ibid. *ſtatuit mundum eſſe æternum, vel ſemper fuiſſe.* 1059. a. 992. b. *ait omnes ingenioſos eſſe melancholicos.* 1061. a. *veteres philoſophos accuſavit, exiſtimantes ſuis ingeniis philoſophiam eſſe perfectam.* 1084.a. *opinio de diis.* 1114. b. *Orpheum nunquam fuiſſe docet.* 1121. a. *ſtatuit Sidera in æthere gigni.* 1127. a. *iis ineſſe ſenſum & intelligentiam ac proinde deos.* ibidem. *quæ de ſomnio Eudemi Cyprii & ejus eventu ſcribat.* 1156.b
Ariſtoxenus Muſicam docuit. 121. a. 1045. b. *dixit animum eſſe corporis intentionem quandam ſive harmoniam.* 1054.a. 1056.b. *nullum ſtatuit eſſe animum.* 1057.b
Ariſtus. 152.b
Arma ſunt membra militis. 1070.b *parvi ſunt foris, niſi eſt conſilium domi.* 1220.a
Armati proprie qui? 339.a
Q. Arrius, orator. 145.b
Ars quid? 1154.a. *eſt philoſophia vitæ.* 1021.a. *eſt dux certior, quàm natura* 1031.a. *earum rerum eſt, quæ ſciuntur.* 88. a. *cum à natura profecta ſit, niſi natura moveat ac delectet, nihil egiſſe videtur.* 125.b
Ars difficilis rectè Remp. regere. 841.b
Ars dicendi, quid ſit? 1. b. *an ulla?* 74.b. *in dicendo occultanda.* 22.a,b
Ars omnis ex multis animi perceptionibus conſtat. 980.a
Artabani reſponſum datum Xerxi, exercitus ſui intuitu collachrymanti. 1292.b
Artemiſia, Cariæ regis uxor, ob amiſſum maritum Mauſolum, luctu contabuit. 1085.a. *nobile illud Halicarnaſſi ſepulcrum ipſi fecit.* ibid.
Artes duæ quæ poſſunt homines locare in ſummo gradu dignitatis; una imperatoris, altera boni oratoris. 414.b
Artes liberales & illiberales. 1229.a. *miniſtræ voluptatum quæ?* ibid.
Articulus orationis, quid ſit; & ut differat à membro orationis. 25.b
Artificium eſt, in arte ſua poſſe alienis exemplis uti. 21.a
Artolagani. 714.a
Artuaſdes, Rex Armenius. 760. a. 819.a

Aſclepia-

Aſclepiades medicus. 71.b
Aſclepiades, Eretricus philoſophus, rogatus quid ei cæcitas attuliſſet, quid reſponderit? 1109.b
Aſdrubalis uxor Carthagine capta ſe cum tribus filiis in conflagrantis patriæ incendium immiſit. 1293.a
Aſia conſtat ex Phrygia, Myſia, Caria, Lydia. 429.b
Aſiaticæ dictionis genera duo. 152.a
Aſinus germanus. 805.a
Aſoti. 1008.b. *benè quidem, beatè nunquam.* 1009.a
Aſpaſiæ colloquium cum Xenophontis uxore, & cum ipſo Xenophonte apud Socraticum Æſchinem. 42.a,b
Aſpendius Cithariſta omnia intus cecinit. 235.a
Aſpendum oppid. nobile in Pamphilia. 235.a
Aſpera arteria ejuſque uſus in homine. 1136.a
Aſſentatio vitiorum adjutrix. 1275.b. *procul amoveatur ab amicitia.* ibid.
Aſſentatorum mores. 1276.a,b
Aſſumtiva Juridicialis conſtitutio. 4.b. & 37.b
Aſſyrii primi ex ſtellarum motibus divinarunt. 1150.a
Aſtarte dea. 1145.b. *eadem quæ Venus.* ibid.
Aſtrologorum præceptum: Si quis oriente Canicula natus eſt, is in mari non morietur. 1181.b
Aſtu, antiquum nomen Græcum pro parte urbis Athenarum. 1194.a
A teneris unguiculis. 641.a
Athenæ, domicilium ſtudiorum. 114.b. *omnium doctrinarum inventrices.* 68.b
Athenarum laudes. 815.b
Athenagoras Cymæus virgis cæſus, quod in fame frumentum exportare auſus erat. 424.b
Athenienſes Æginetis pollices præciderunt. 1246.a. *Themiſtoclis conſilium de claſſe Lacedæmoniorum clàm incendenda tanquam inhoneſtum repudiarunt.* ibid.
Athenienſium mos laudari eos quotannis in concione qui in prælio interfecti ſunt. 163.b. *mos circa damnatos.* 83.a. *tres philoſophos, Carneadem, Critolaum & Diogenem, legatos Romam miſerunt.* 96.b
Athenienſis Academia ſub quibus floruerit? 70.b
Athenis optimus quiſque in exilium pellebatur. 9[illegible].a
Athenis Oratores primum ſe extulerunt. 130.b
C. Atilius orator, Coſ. deſignatus. 2[illegible].b
Atilii Calatini auctoritas & elogium. 1262.a
Atlas cur cœlum ſuſtinere tradatur. 1[illegible]98.a
Atomi. 972.a
Atramento ſutorio abſolutus. 714.b
Atrei præceptum: Ita ſe parent in vita, ut vinci neſciant. 1102.b
Atreus. 1095.b
Atria Licinia. 193.a
Atriolum. 947.a
Attii error in deſcribenda ætate Livii, Ennii, &c. 133.b
Atticè dicere. 187.b
Attici oratores. 149.a
Atticorum ſuavitas in dicendo. 114.b
Attilius, ferreus ſcriptor, Sophoclis Electram malè vertit. 997.b
M. Attilius Regulus maluit Karthaginem ad ſupplicium redire, quàm Romæ ſine captivis Karthaginienſibus manere. 507.b. *reſectis palpebris, illigatus in machina, vigilando à Karthaginienſibus necatus.* 1013.b. & ſeq. *ejus encomium factique magnifica commendatio.* 1014.a. 1049.a. 1215.b. 1251.a
Attius Navius augur cotem novacula diſcidit. 1154.a. *ejus lituus quoad inveſtigandam ſuem regiones vineæ terminavit.* ibid. & 1123.b. 1140.b
Avaritia. 1213.a. *eâ nullum vitium tetrius.* 1240.a. *maxima animorum peſtis.* 1290.a
Avaritiæ ſuſpicio vitanda. 1238.a
Audaciter. 209.a
Auditor ſi ab adverſario perſuaſus ſit, quibus rebus orator ſe inſinuare poterit ad cauſam. 2.b.39.b
Auditores audiendo defeſſi ab adverſario quali exordio recreandi? 2.b.39.b *quomodo dociles fiant?* 2.a.39.a. *attenti, quomodo?* ib. *benivolos quatuor modis facere poſſumus; & quibus?* ibid.
Auditus ſenſus. 1137.a
Averni lacus. 1055.b
Cn. Aufidius. 1046.a. *cæcus Græcam ſcripſit hiſtoriam.* 1109.a,b
T. Aufidius, orator. 141.a
Augurare. 1311.b
Auguria, eorumque diverſitas. 1173.b. *exempla.* 1161.b
Augurum jus præſtantiſſimum in republ. Rom. 1198.a
Avis alba, adag. 679.b
Avium utilitas. 1138 b.
Aulœdi ſunt qui citharœdi fieri non poſſunt. 414.b
L. & C. Aurelii Oreſtæ, oratores. 135.a
M. Aurelius Scaurus, eloquens. 138.a
Aures cur in altis corporis partibus collocatæ. 1136.b.1137.a
Aures, vel animus aurium nuntio naturalem quandam in ſe continet vocum menſionem. 166.a
Aures ſitientes. 789.b
Auriculâ infimâ mollior, proverb. 9[illegible]6.a
Aurium judicium ſuperbiſſimum. 163.b
Auſpices nuptiarum. 1153.b
Auſpicia. 1172.a. *nulla, & contraria.* 1173.b
Auſpicium ex acuminibus erat militare. 1173.a
Authepſa. 211.b
P. Autronius, orator. 145.b
Axilla, contractum *in ala.* 163.b.

B.

B*Abylonii aſtrologi.* 1160.b. CCCCLXX. *millia annorum monumentis ſuis comprehendi jactitarunt.* 1154.b
Bacchanalia. 1199.a
Bacilli comparatio cum ferâ. 1010.a
Bacis Bœotius per furorem vaticinatus eſt. 1154.a
Baleares. 884.a
Balineum. 920.a
Ballio, leno. 215.b.218.a
Balneæ Palatinæ. 202.a
Barbariſmus, quid ſit? 23.b
Bargulus Illyrius latro. 1235.b
Baro. 1015.b.716.b
Batuit. 715.a
Bauli (oppidum Campaniæ.) 978.a
Beatus quis dicatur. 1101.a,b
Bella quas ob cauſas ſuſcipienda. 1214.b
Bellerophon apud Homerum. 1083.b
Belli æquitas. 1215.a
Belli exitus incerti, Marſque communis. 613.a
Bellificatus. 704.b
Bellorum civilium exitus qui? 740.a
Bellum quomodo ſuſcipiendum. 1220.a
Bellum & tumultus ut differant. 606.a,b
Bellum cum Antiocho. 616.a. *Cretenſe.* 955.a. *Fugitivorum in Italia.* 310.b. *Italicum.* 1240.a. *Latinum.* 1156.b. *Marſicum.* 1161.a. 1170.b. *Mithridaticum.* 415.a. 976.a. *Octavianum.* 1150.b. *Parthicum.* 655.b. 702.b. 824.a. *Peloponneſiacum.* 1220.b. *cum Rege Perſe.* 1161.b. *Punicum primum.* 132. 1167.a. 1215.b. *ſecundum.* 133.b. 599.b. 1167.a. 1215.b. 1240.a. *tertium* 1220 a. *Sertorianum.* 616.a. *cum Vejentibus.* 1161.b. *Volſcorum cum Romanis & Athenienſium cum Perſis eodem fere tempore fuit.* 131.b
Belus, quintus Hercules, in Indiâ cultus. 1143.b
Bene dicere, quid? 86.b
Bene qui conjiciet, vatem hunc perhibebo optimum. 1166,b
Beneficentia, benignitas, liberalitas eadem ſunt. 1212.b
in Beneficentia quænam obſervanda & vitanda. 1215.b. 1216.a. *ne ſit major quam facultates* ibid.
Beneficiorum conſ[illegible] præmiorum petitione. 61.a
Benevolentia quomodo conciliunda ab Oratoris perſona? 2.a. & 3[illegible].a. *ab* [illegible] *verſa.*

adverſariorum perſonâ quomodo? 2.b. ab auditorum perſonâ quomodo colligenda? ib. à rebus ipſis quomodo? ib.
Benignitas. 1238.b
L. Beſtia, diſertus. 137.b. triſteis exitus conſulatus habuit. ibid.
Beſtiarum varia genera. 1101.a. 1121.a 1134.b. iis ſenſus à natura datus. ib. amor in partum. 1106.a. 1135.b. quædam igne naſcuntur, apparentque volitantes in ardentibus fornacibus. ibid. libertatis amantes. 1046.a. ſpecula naturæ. 1010.a. hominum gratiâ generatæ. 1137.b. 1138.a, b. earum labor in educandis fœtibus. 1028.a. nullum eſt judicium. 1010.a quæque ſecundum appetitum ſuum moventur. 1044.b. omnibus natura ſua eſt dux ad vivendum. ibid.
à Beta & malva decipi, proverb. 697.a
T. Betucius Barrus Aſculanus, orator. 140.a.
Biantis ſcitum, Omnia mea mecum porto. 1278.a
M. Bibulus, eloquens. 147.b
Bidis Siciliæ oppidum. 252.a
C. Bilienus. 140.b
Bimaritus, pro adultero. 484.b
Bionis dictum facetum in Agamemnonem in luctu capillos ſuos evellentem. 1083.b
Bis ad eundem, proverb. 721.b
Blandenona. 946.a
Bojuſcus Sicyonius curſor in ſtadio. 21.a
Bona Dea. 477.b. 557.b. 646.b. ejus ſacra & ſacerdos. 786.a
Bona valetudo jucundior eſt iis qui è gravi morbo recreati ſunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt. 449.a
Bonam copiam ejurare. 713.a
Boni definitio. 1024.b
Bonorum tria genera. 1106.b
Bonum ſummum, jucundè vivere. 1002.a in quo conſiſtat. ibid.
Bonum omne laudabile. 1102.a
Boves aërem è ſublimi haurientes pluvias præſagiunt. 1151.b
Boum utilitas. 1138.b
Brennus ductor copiarum Gallicarum fano Apollinis Delphici bellum intulit. 1159.b. ad eum vox à Pythia facta. ibid.
Breve tempus longum eſt imparatis. 591.a
Brevitas figura exornationis, ſententiarum. 34.a
D. Brutus, homo doctus Græcis & Latinis litteris. 140.b
D. Brutus M. F. eloquens. 136.a
D. Bruti laus. 600.a
L. Brutus & Arruns ictu cominus ceciderunt contrario. 1092.a
L. Brutus arcens reditu tyrannum quem expulerat in prælio cecidit. 1062.a regum exactionem mente non lingua perfecit. 70.a. pop. Rom. dominatu regio liberavit. 102.a. 576.b. orator ejuſque laus & res geſtæ. 132.a
M. Brutus accuſator vehemens. 137.b 102.a. 140.b
Bucca: garrire quidquid in buccam venit. proverb. 883.b. 909.a.
Bucca: quod in buccam venerit. proverb. 776 a.
M. Bucculeii cum L. Fufio cauſa. 79.a.
Buleuterium, curia Syracuſanorum. 251.b

C.

Cachinnatio vitanda. 1094.b
Cæcilia, Balearici Filia, miſericordia in S. Roſc. Fil. 202.b. & 212.b. Somnium de reficiendo templo Junonis Soſpitæ. 1150.b
Cæcilia Metelli omen nuptiale. 1161.b. 1173.b
Cæcilius poëta Comicus. 187.a. malè locutus. 146.b. ejus Synephebi. 997.b.
Q. Cælius Verris in Sicilia quæſtor. 219.a. Verri ob multa crimina ſocius. 221.a, b. Adonidi Lilybætanæ & fortunas & libertatem per injuriam eripuit. 223.a
Cæcitas vitam beatam non impedit. 1109.a, b
C. Cælius eloquens. 75.a. 89.b. 140.a
L. Cælius Antipater ſcriptor qualis? 135.b
M. Cælius, orator. 148.a
C. & L. Cæpaſii fratres oratores. 145.b
Cæpiones duo diſerti. 135 b
Cn. Cæpionis fortitudo in ferenda filii morte naufragio abſumpti. 1296.b
Q. Cæpioni fortuna belli criminis, invidia populi calamitati fuit. 138.a
Cærulæ miniatulæ. 929.a
C. Cæſaris laus ob eloquentiam. 146.b Commentarii, eorumque commendatio. 147.a. 114.a. paullò ante interitum immolavit opimum bovem, corde & capite carentem. 1163.b. temeritas in appetendo principatu. 1213 b
L. Cæſulenus, accuſator de plebe. 137.b
Calamides ſtatuarius. 133.a
Calamitatis patriæ comparatio cum naufragio. 31.b
Calantica. 1308.b
Calanus Indus ſua voluntate vivus combuſtus. 1156.a. ejus in rogum adſcendentis præclara vox de morte. ibid. denunciatio mortis Alexandro facta. ibid. & 1073.a.
Calatini elogium. 1020.a. ſepulchrum extra portam Capenam. 1053.a
à Calce ad carceres revocare. 1264.b
Calcei Sicyonii. 83 a
Chalcas augur. 1160.a. ex paſſerum numero belli Troj. annos auguratus eſt. 1158.b. 1171.b
Calfacere aliquem. 770.a
M. Calidius, orator. 148.a
Callicratidas Lacedæmoniorum dux. 1220.b
Callidi qui dicantur & quomodo differant à verſutis. 1141.b
Callimachus litteras docuit. 121.a. ejus epigramma in Ambraciotam Cleombrotum, ſe, lecto Platonis libro de animo in mare præcipitantis. 1061.b. multo ſæpius lacrymaſſe ait Priamum, quàm Trojam. 1062.b
Calliphon philoſophus cenſuit voluptatem & honeſtatem finem eſſe bonorum. 994.b. 1008.a 148.a. 1010.a
Calliſthenes hiſtoricus. 90.a. ab Alexandro M. necatus. 561.b
Calvinus Glaucia. 103.b
M. Camillus. 1062.b
Campani ſuperbi. 387.b
Campus Martius. 811.a
Canachus ſtatuarius. 133.a
Cancer ſidus cœleſte. 1133.b
Candidati inquiſitio, prænuncia repulſæ. 416.b
Canephoræ. 293.a
Canis ſidus cœleſte. 1133.b
Cannenſis pugna. 207.b
Cantherium comedere. 714.a
Canum fida cuſtodia & adulatio erga dominos. 1138.b. ſagacitas. 1137.b. vomitione ſe purgant. 1135.a
P. Cnutius homo diſertiſſimus. 142.b
Cœlus pater Saturni. 1143.b
Cœli à Saturno filio exſecti, & Saturni à Jovis filio vincti fabula, phyſicè quid ſignificet? 1129.a
Capedines. 1278.b
Capedunculæ. 1143.b
Capito, appellativè. 1118.b
Capra, ſidus cœleſte. 1133.b
Capræ feræ Cretenſes dictamno utuntur contra venenatas ſagittas. 1135.a
Capſa. 223.a
Capſis, tria verba. 163.b
Capua. 386.b. domicilium luxuriæ & ſuperbiæ. 387.b
Caput artis eſt, Decere. 76.a
Caput exercitationis, quàm plurimum ſcribere. 77.a
Cn. Carbo, eloquens. 70.a
C. Carbo, orator præſtantiſſimus. 112.b. 135.b. morte voluntaria ſe à ſeveritate judicum vindicat. ibid. 144.a. Opimii cauſam defendit. 93.b
Carbunculos arrogare à vicinis. 22.a
è Carceribus ad calcem pervenire. 1277.a
in Care faciendum, proverb. 430.a
Carere propriè quid, & ut differat ab egere. 1062.b
Caria, Phrygia, Myſia, diverſum planè à Rhodiis, Græcis, Athenienſibus dictionis genus adſciverunt. 154.b
Carmadas ob memoriam celebris. 111.a 1058.b
Carneades philoſophus. 70.b. 979.a. 116.b. ejus ſententia de viro Oratore. 73.a. vis incredibilis dicendi. 97.a divina memoria. 111.a. ſcitum: Clitomachum eadem dicere; Charmidam eodem modo. 156.b. ſententia de vi

de vi ſapientis. 985.b. duo ſtatuit viſorum genera. 990.a. ſummum bonum eſſe, frui iis rebus, quas primas natura conciliaſſet. 994.b. 1010.a 1041.a

Sp. Carvilio ob claudicationem in publicum prodire verecundanti mater quid dixerit? 103.b

Carum, eſt verbum amoris. 1122.b

Caſci Ennio qui appellati. 1054.a

Caſſander aſtrologus. 1174.a

Caſſandra furens futura proſpexit. 1160.a.

Caßiani judices. 207.b. 283.b.

Caßii tam ſunt jam quam Bruti ferendi. (Dicitur de libertatis patriæ aſſertoribus) 914.a

Caßiopea, ſidus cœleſte. 1133.b

L. Caßius, eloquens. 135.a

Sp. Caßius propter regni appetendi ſuſpicionem necatus. 590.a

Caſtoris equi ungulæ veſtigium in ſilice. 1140.b

Caſtoris & Pollucis ædes. 598.b

Caſtor & Pollux bello Latinorum in acie Rom. ex equis pugnare viſi. 1123.b. Perſen regem victum nuntiaverunt. ib.

Caſus, Perſonarum attributum. 41.b

Catachreſis, abuſio. 159.a

Catadupa, loca Nili. 1318.b

Catiana ſpectra. 766 a

Catilina homo nequam. 398.a

Catius Inſuber, Epicureus. 766.a

C. Cato, Africani ſororis F. orator. 136.a

M. Cato, eloquens. 78.b. quando mortuus. 132.b. litteras Græcas in ſenectute didicit. 977.b. in eo inexhauſta aviditas legendi fuit. 1021.b. ejus mors glorioſa. 1060.a. ejus dictum: ſe mirari, quod non rideret Haruſpex, haruſpicem cùm videret. 1170.a

Catonis ſenectus laudabilis & vires. 1258.a. mortuo filio, prætore deſignato luctu ſe abſtinuit. 1296.a. annos LXXXV. natus è vita exceßit. 134.a. laus. 121.a. 149.b. 133.a. ſcripſit libros de Originibus. 1051.b. 82.b. 1087.a. Marco Nobiliori ut probrum objecit, quòd is in provinciam poëtas duxiſſet. ibid. Siciliam cellam penariam & nutricem pl. R. vocavit. 246.b. ejus dictum, Clarorum virorum non minus otii, quàm negotii rationem extare oportere. 481.b. Orationes horridulæ. 163.b. ſcitum de amicis dulcibus & inimicis acerbis. 1275.b. de utilitatum inter ſe comparatione. 1241.b. aliud, fænerari idem eſſe quod hominem occidere. ibid. perfectus Stoicus. 1277.a.

Catonis ſenioris ἀποφθέγματα. 1222.b

Q. Catulus orator. 114.a. 137.b. epigramma in Roſcii, quem dilexit, pulcritudinem. 1118.b. vir præſtantiß. coactus ſemet vita privavit. 112.b

Cauda antiquis penis. 714.b

Cauneæ caricæ. 1173.b

Cauſa ambigui. 93.b. criminis plerumque infitiatione defenditur. ibid.

Cauſa belli gerendi nulla juſtior quàm ſervitutis depulſio 607.b

Cauſa conjuncta ex pluribus quæſtionibus. 38.a. ex comparatione. ibid.

Cauſæ diviſio in ſimplicem & conjunctam. 38.a

Cauſa turpis quale exordium requirat? 2.b.

Cauſa, ὑπόθεσις. 176.a

Cauſæ genus dubium, quod ſit? 2.a. honeſtum quod? 2.a. 38.b. humile. 2.a. turpe quod ſit? ibid.

Cauſarum cognitio, cognitionem eventorum facit. 175 a

Cauſarum diviſio in duas partes diſtributa. 3.b. genera quinque, honeſtum, admirabile, humile, anceps, obſcurum. 38.a. conſtitutiones quot? 4.a

Cauſarum, quæ recipere debet Orator, tria genera: Demonſtrativum, Deliberativum, Judiciale. 1.a,b

Cauſarum omnium aliæ conſtantes, aliæ inconſtantes. 175.a

Cauſarum inconſtantium, aliæ perſpicuæ aliæ latentes. 175.a.

Cautio eſt declinatio mali cum ratione. 1088.a

Cei ortum Caniculæ ad prædicendam anni qualitatem quotannis obſervabant. 1164.b

Celeripes. 855.a

Cenſoria locatio. 268.b

C. Cenſorinus, orator. 145.a

Centaurus, ſidus cœleſte. 1134.a

Centuriare. 928.b

Cepheus, ſidus cœleſte. 1133.b

Cepheus cum uxore, genero, filia, ſtellatus traditur ob divinam cæleſtium cognitionem. 1098.a

Cera infamis. 221.a. legitima. ibid.

Cerberus triceps. 1052.b. 1143.b

Ceres, Proſerpinæ mater. 1129.b. quaſi geres à gerendis frugibus dicta. ibid. Græcis Δημήτηρ quaſi γημήτηρ nominata. ibid. & 1146.a

Ceres pro terra. 1130.a

Cereris Sacrarium. 304.b 305.a

Cerialia. 789.a

Cernere hæreditatem. 879.a. 823.b

Cervæ paulò ante partum perpurgant ſe herbula quadam, quæ Seſelis dicitur. 1135.a

M. Cethegus ab Ennio Suadæ medulla dictus. 1260.b. orator. 140.b

Chaldæi aſtrologi. 1150.a. 1160.b. dierum explicatores. 414.a

Character, forma, rei deſcriptio. 155.a

Chares ſtatuarius præſtantiß. 22.a

Chariſius & Demochares Attici oratores diſsimiles. 149.a

Charon. 1143.b

Charondæ leges. 1195.b. 1204.b

Charta dentata rem agere. 946.a

Chimæra nunquam fuit. 1123.b

Choragium fragile falſæ gloriæ comparare. 33.a

Choreus, pes. 167.a

Chremes Terentianus. 1214.a

Chryſas, amnis & Deus. 304.a

Chryſippus in dicendo jejunus. 71.a. tres reliquit ſententias de finibus bonorum & malorum. 995.a. ſtatua Athenis in Ceramico ſedentis, manu exporrecta. 1001. ejus explicatio. ibid. opinio de bona fama. 1027.a. dictum præclarum de humana ſocietate. 1028.b. Dialectica. 160.b. Rhetorica. 1030.a quas differentias animalium conſtituerit. 1033.a. ægritudinem Græcis λύπην, quaſi ſolutionem totius corporis appellatam putat. 1083.a. quomodo mærentes conſolatus ſit. 1085.a. Stoicorum ſomniorum vaferrimus interpres. 1115 a. magnam turbam ignotorum deorum congregat. ibid.

Cicero, vide Tullius.

M. Ciceronis patris dictum. 105.a

Cilicum & Piſidarum gens, & his finitima Pamphilia, auguriis ſtuduerunt. 1150.a

Cimbri & Celtiberi in præliis exſultant, in morbo lamentantur. 1074.b

Cimmeriæ tenebræ. 985.a

M. Cincii, feſtivum dictum ad C. Centonem. 106.a

Cincinnatus ab aratro ad dictaturam vocatus. 1007.a

Cinna quater conſul. 1103.a. ejus crudelitas in Cn. Octavium, & quoſdam alios. ibid.

Circe, Sole & Perſeide nata, Dearum numero habita. 1144.a. à Circenſibus religioſè culta. ibid.

Circuitio, figura exornationis verborum. 28.b

Circulus aut orbis, Græcè κύκλος. 1127.b

Circus Flaminius. 776.b

Ciſta. 202.a

Ciſium. 586.b

Citiæi è Phœnicia profecti. 1036.a

Civitas propriè quæ dicatur. 1313.a

Civitatis ſine lege, & corporis ſine mente comparatio. 368.a

T. Clælius Tarracinenſis cubans propter duos filios noctu occiſus. 205.b. hujus filii parricidii ſuſpicione abſoluti: 206.a

Clarare, pro declarare. 1331 a

P. Claudius augur bellum domeſticum denuntiavit. 1162.a. temeritas auſpiciis neglectis, pullos qui eſſe nolebant, in aquam mergentis. 1123.b

P. Claudius, L. Porcius Coſſ. 132.b

Claudus pilam, proverb. 545.a

Clauſulæ oratori diligenter ſervandæ. 168.b

Clavum anni movere. 817 b

Clavum clavo ejicere. 1095.b

Cleanthes, Zenonis auditor, Solem dominari & rerum potiri putat. 993.b. *quomodo voluptatem depingere ſolitus.* 1014.b. *opinio de ſiderum naturâ ignea.* 1126.b. *ſtatuit Solem eſſe igneum Oceanique ali humoribus.* ibid. *quatuor de cauſis dixit in animis hominum informatas eſſe deorum notiones* 1124.a. *Rhetorica.* 1030.a. *inconſtans in opinione de diis.* 1115.a
Clementia, quid. 65.b
Cleobis & Biton matrem Argiam ſacerdotem curru ad fanum adduxerunt. 1065.a. *manè inventi mortui pietatis præmium à Diis conſecuti ſunt.* ibid
Cleombrotus Ambraciota, lecto Platonis libro de animo, è muro ſe in mare præcipitavit. 1061.b
Cleomenes Lacedæmonior. Rex, ejuſque filii ſibi mortem conſcivere. 1293.a
Cleon, civis turbulentus, at eloquens. 130.b
Clepere. 1316 b
Clepſiſſe. 1069.a
Clepſydra. 1074 b
Clivus Capitolinus. 784.b
Cliſthenes Orator Græcus. 130.b
Clitarchi & Stratoclis opinio de morte Themiſtoclis. 131.b
Clitellæ bovi, proverb. 817.b
Clitomachus. 70.b. 990.a. *librum ſcripſit conſolandi cauſa ad captivos cives ſuos everſa Karthagine.* 1082.a
Clodiæ fortitudo in ferendo obitu D. Bruti filii. 1297.a
C. Clodius orator. 140.a
C. Clodius Cæci F. & M. Tuditanus Coſs. 133.b
P. Clodii libido. 474.a
Clypei Lanuvii à muribus corroſi quid portenderint. 1161.b
Coacti qui, & cogere quis propriè dicatur. 339.a
Cochleæ ſive teſtudinis diſcriptiones poëticæ. 1178.b
Cocytus, fl. infernalis. 1143.b. 1052.b
Codrus Athenarum conſervator. 1047.a. *in medios hoſtes ſe immiſit veſte famulari, ut victrices eſſent Athenæ.* 1065.b
Cognatio nulla propior quàm Patriæ. 597.a
Cognitionis modi tres & qui? 119.b
Cœlibatus publicis Cenſorum legibus prohibitus. 1204 b
Cœli & cœleſtium corporum motus ordinatus & conſtans. 1128.a
Collatio in cauſa conjecturali. 7.a. *in negotio quid?* 43 a
Collectam à convivis exigere. 102.b
Collocatio verborum in oratione. 123.b. 124.a
Colonens locus Athenis, habitatio Sophoclis. 1039.b
Colubus. 885.a
Columna Mænia. 223.a
Comedim. 714.a
Comes qui dicantur? 534.a
Cometæ, ſtellæ cincinnatæ. 1124.b. *bello Octaviano viſæ.* ibid.
Comitiales dies, quibus Senatus non habebatur. 941.b
Comitiorum popularium cum freto & euripo comparatio. 415.b. *cum cœli tempeſtatibus.* ibid.b. & 416.a
Commentarioli. 1030.b
P. Comminius Spoletinus, eq. R. orator. 147.b
Commiſeratio in Oratione debet eſſe brevis. 14.b
Commodius tardè navigare, quam omnino non navigare. 926.b
Commoratio, figuratio exornationis ſententiarum. 31.b
Commoris, vicus in monte Amano. 761.b
Commoſſet, pro *commoviſſet.* 272 a
Commotiunculæ. 886.a
Commutatio, figura exornationis verborum. 27.b
Commutatio rerum tripliciter fit, verbis, pronuntiando, tractando. 31.a
Comnus nobiliſſimus fidicen Socratem fidibus docuit. 715.a
Compar, figura exornationis verborum. 25.b
Comparabile in negotio quid ſit, idque triplex. 43.a. *quomodo infirmetur.* 46.b
Comparatio quomodo tractanda in Juridiciali cauſæ conſtitutione. 9.b. 57.a
Comparatio criminis in conſtitutione Juridiciali. 5.a.37.b
Comparatio Oratoris cum eo qui pila ludit, aut pingit. 72.a
Comparationis modi duo. 120.a
Comparatorum tria genera. 175.a,b
Comperendinari & Comperendinatus. 232.a,b
Compitaliorum dies. 538.a. 835.a
Complexio pars argumentationis. 10.b. *quando eâ ſuperſedendum.* 11.a
Complexio figura exornationis verborum. 24.a
Complexio verborum longiſſima, quæ? 124.b. *vitioſa, quæ?* 13.b
Compoſitio elocutionis quid ſit & quomodo conſervetur. 23.b.24.a
Concalefacere. 108.a
Concaſtigare. 11.b
Conceſſio criminis, pars Aſſumtivæ Juridicialis conſtitutionis. 4 b.37.b. *dividitur in purgationem & deprecationem.* 4.b. 5.a. 10.a. 37.b. 59.a. *ejus partes duæ, Purgatio & Deprecatio.* ibid.
Concordiæ ædes. 598.b. 1128.b.
Concluſio orationis quid? 2.a. 28.a. *ejus partes tres.* 42.b, 48.b
Concluſiones, Græcis Ἐπίλογοι, *ſunt tripertitæ.* 13.b. *in quibus locis iis uti poſſimus.* 13.b
Concluſionibus quibus utendum in genere Deliberativo. 15.b. *in Demonſtrativo genere.* 16.b
Condiſcipulatus. 965.a
Condocefacere. 1107.a
Conduplicatio, figura exornationis verborum. 27.b
Confatalia quæ dicantur. 1183.b
Confidens quis dicatur? 1077.a
Confirmatio omnis petitur aut à perſonis, aut à negotiis. 41.a
Confirmatio orationis, quid? 2 a. 41.a. 12.a. *quæ in ea obſervanda & conſideranda.* 12.a. *vitioſæ confirmationis exempla.* ibid.a,b. & ſeq.
Confirmationis & Confutationis loci in genere Deliberativo. 15.b.97.b.98.a
Conformatio verborum & ſententiarum in Oratione, ut differant? 126.a
Conformatio, figura exornationis ſententiar. 33.b.34.a
Confutatio in oratione quid? 2.a
Congiarium. 928.b
Conjunctio, figura exornationis verborum. 27.b
Conjectura, eaque in IV. *genera diſpertita.* 119.b
Conjectura omnis capienda ex cauſa, perſona, vel facto ipſo. 52.a
Conjecturalis cauſæ conſtitutio, ejuſque exemplum. 4.a. *hæc cauſa prima & difficillima.* 6.a.37.a. 51.b
Conjugatio, συζυγία. 173.a
Conqueſtio in concluſione quomodo & per quos locos tractanda. 49.b.50.a,b
Conſcientiæ rectæ voluntatis, maxima conſolatio rerum incommodarum. 683.b
Conſcientiæ magna vis. 554.b
Conſecutio in cauſa conjecturali, quid ſit? 7.b. *qualiter ea utatur accuſator, qualiterque defenſor.* ibid.
Conſecutio, negotiorum attributum. 54.a. 119.b
Conſequentium locus argumentationis. 174.a
Conſilium, perſonarum attributum. 41.b. 53.a
Conſilium fidele deliberanti dare. 1217.a
Conſilium Themiſtocleum. 868.a
Conſolabilis: Conſolabilis dolor. 666.a
Conſolationum medicina triplex. 1085.b
Conſolantium officia. 1085.a
Conſortio, 3. declin. 1244.a
Conſul eſt, qui conſulit patriæ. 97.b
Conſulis boni officium. 411.b
Conſtitutio cauſæ quid? 4.a. 37.a. *eſt triplex, conjecturalis, legitima, juridicialis.* ibid.
Conſtitutionis Conjecturalis ratio in ſex partes eſt diſtributa. 6.b.
Conſuetudinis magna vis. 1071.a
Conſuetudo mala & impia contra deos diſputandi, ſive ex animo id ſit, ſive ſimulatè. 1139.b
Conſum-

Conſummare nonnihil induſtriæ in aliqua re. 16.b
Contentio quid ſit? 17.b. dividitur in continuationem & diſtributionem. 18.a. 24.b. 31.b.
Contentio tam diu ſapiens eſt, quàm diu proficit aliquid, aut ſi non proficit, non obeſt civitati. 536.b
Continentia quid? 65.b
Continuatio, figura exornat. verbor. 25.b 123.b
Contortulus: contortulæ concluſiunculæ 1071 b
Contractiuncula. 1086.a
Contraria contrariis oppoſita neceſſitate ipſa numerum oratorium efficiunt. 165.a
Contrariorum genera plura. 173.b
Contrarium, figura exornationis verborum. 25.a
Controverſia ex contrariis legibus in legitimâ cauſæ conſtitutione. 4 a. 63.b ex ambiguo. 4. a 61.a. ex definitione 4.a.64.b. ex ſcripto & ſententia. 4.a. 62.a. 76.b. ex tranſlatione. 4. b. ex ratiocinatione. 4 b.64.a
Controverſia nominis 37.a. generis ibid.
Contumeliæ fanum apud Athenienſes. 1197.b
Conturbatio eſt metus excutiens cogitata. 1088.b
Convenienter naturæ vivere, quid? 1034. b.
Converſio, figura exornationis verborum. 24.a
Convivium Lapitharum & Centaurorum. 540.a
Convivium quare Latinis ſic dictum. 1260. a. Græcis ineptè Compotatio & Concenatio dicitur. ibid.
Coptolæ. 730.a
Coponii & Curii cauſa. 95.b
Corax & Tiſias Oratoriæ artis inventores & principes. 73.b. primi artem dicendi Siculis tradidere. 131 b
Corcyra (inſula maris Ionii.) 768.a
Coria, Arcadum dea, quadrigarum inventrix. 1145. b. eadem quæ Minerva. ibid.
Corinthi deſcriptio. 386.b
Corinthus urbs pulcherrima à L. Mummio ſublata. 235.b.
Coriolanus Româ ingrati populi injuria pulſus ad hoſteis ſe contulit. 131. b. impiè à Volſcis auxilium contra patriam petit. 857.b
Corneliæ Gracchorum matris fortitudo in ferendâ XIV. liberorum morte. 1296.b. ejus Epiſtolæ. 143.a
C. Cornelius, Q. Minucius Coſſ. 133.b
M. Cornelius Cethegus eloquens. 132 b. cum P. Tuditano Coſ. fuit. ibid.
Cornicum oculos configere, proverb. 414.a
Cornici oculum, proverb. 427.b
Corpora noſtra terreno principiorum genere confecta, concaleſcunt animi ardore. 1056.b
Corpore nihil niſi præſens & quod adeſt, ſentire poſſumus: animo autem & præterita & futura. 1003.b
Corporis humani cum Reip. corpore comparatio. 607.b
Corporis humani conſtitutio & partes. 1043. a,b. actio. ibid.b. pulchritudo in quo conſiſtat. 1090.a
Corporis partes, per quas ſentimus, ſunt animi feneſtræ. 1057.a
Corpus virorum fortium mortale, animi motus & virtutis gloria ſempiterna. 509.b
Corpus quaſi vas aut aliquod receptaculum animi eſt. 1057.b
Corpus omne aut aqua, aut aër, aut ignis, aut terra eſt, aut aliquid concretum ex his. 1142. a. cur nullum immortale. ibid.
Correctio, figura exornationis verborum. 27.a
Corvus, ſidus cœleſte. 1134.a
Cos novacula diſciſſa per Attium Navium augurem inſpectante Rege Priſco Tarquinio. 1154.a. 1173.b
C. Coſconius Calidianus, orator. 145.b
C. Cotta, orator. 136.b. 114.a,b. 142.b. 141. a. per invidiam tribunatu depulſus, deinde civitate ejectus. 112.b
L. Cotta, mediocris orator. 138.a. veterator habitus. 134.a. 99.b.
Crantor Xenocratis diſcipulus. 116. b. 1076. b. ſcripſit de Conſolatione. 1065. b. ejus liber de luctu. 995.a. 1289.a.
L. Craſſus, & Q. Scævola, Coſſ. 144.b
L. Craſſi Oratoris, & Q. Scævolæ JC. comparatio. 138.b
L. Craſſus eloquentium juris peritiſſimus. 136. b. 138.b. & ſeq. lateris dolore conſumtus. 112. a, b. cycnea vox. ibid. qui caſus hujus mortem ſecuti ſint. ibid.
P. Craſſus junior bellum cum Parthis geſſit. 1296. b. in prælio cum illis commiſſo filium amiſit, & quàm moderatè ejus mortem tulerit. ibid.
M. Craſſus ſenior ſimel in vita riſit, hinc ἀγέλαστος vocatus. 1050. b. 1079.b
M. Craſſus, orator. 145.a.
M. Craſſus ſuidaſter. 1110.a
M. Craſſi facetum dictum in Silum. 106. a. ſcitum de pecuniæ cupiditate. 1213 b
P. Craſſus, M. F. eruditus. 148 b
P. Craſſus orator. 133.b 135.b. ſuapte manu interfectus. 112.b.
M. Craſſus Dives. 78. b. 789. a. 1029.b
Crater, ſidus cœleſte. 1133.b
Cratippus, Philoſophus Athenienſis. 1210.a
Credibile in negotio quid ſit? 43. a quomodo infirmetur. 46.b
Credulitas error eſt magis, quam culpa. 22.b
Cretum leges vel Jupiter ſanxit, vel Minos de Jovis ſententia. 1070.b. juventutem laboribus erudiunt, &c. ibid.
Creticus pes. 124.b. 168 b.
Criſpiſulcans igneum fulmen. 174.b.
Critias, Græcus Orator. 92. b. 130.b. 121.b
Critolaus Peripateticus. 70.b. 1041.a. ejus libra de bonis animi & corporis. 1102.b. Corinthum evertit. 1149.a
Crocodilorum ova in terram edita, terraque obruta, ipſa per ſeſe naſcuntur & educantur. 1135.b
Crocota. 478.b
Crœſus opulentiſſ. Rex Aſiæ, monitus à Solone neminem beatum eſſe ante mortem. 1029.b. ejus filius infans locutus eſt, quo oſtento regnum patris & domus funditus concidit. 1163 b
Crommyn-acris, Cypri promontorium. 737.b
Crotoniatæ Heracleotam Zeuxin ad templum Junonis picturis exornandum conduxerunt. 50.a. omnibus corporum viribus & dignitatibus anteſtetterunt. ibid.
Cuicuimodi. 800 a. 887.a
Cujuſvis hominis eſt errare, nullius niſi inſipientis in errore perſeverare. 618.b
C. Culleoli furibundæ prædictiones bello Octaviano. 1150.b
Cupidinis vocabulum conſecratum. 1128.b
Cupidines tres diverſi. 1145.b
Cupiditas cæca ac temeraria animi dominatrix. 35.a. inſatiabilis. 1002.a
Cura rerum alienarum difficilis. 1214.a
Curio Orator. 93 a. 137.a. 141.a. 143. a,b. 148.b
M. Curius Orator. 132.a. 136.a. de Rege Pyrrho triumphavit. 1261.b. ejus tenuitas victus. ibid. ſcitum, auri magnum pondus à Samnitibus oblatum, repudiantis. ibid.
Cur plures in omnibus rebus, quam in dicendo, admirabiles exſtiterint. 68.a,b
Currentem incitare. 592.b. 765.a. 905.b. 937.a
Cybiratici canes. 298.a
Cybiſtra, oppidum Cappadociæ ad montem Taurum. 818.b. 760.a
Cygni Apollini dicati. 1060.a. cum cantu & voluptate dicuntur mori. ib.
Cyllones. 633.b
Cyneas, legatus Pyrrhi ob memoriam celebris. 1058.b
Cynicorum & Stoïcorum proſeminator Xenocrates. 116 a
Cynicorum ineptæ diſputationes contra verecundiam. 1226.a
Cynocephalus. 825.a

Cynoſura, ejuſque deſcriptio Aratea. 1133.a
Cypſelum regnaturum Corinthi milleſimo antè anno oraculo Apollinis editum eſt. 1182.a
Cyrenaicæ Philoſophiæ autor Ariſtippus. 116.a
Cyrenaici præter permotiones intimas nihil putant eſſe judicii. 995.b. finem bonorum ſtatuerunt voluptatem. 994.b eorum opinio de ſenſu tactus. 980.a. de auditu. 987.a. de ægritudine. 1082.a
Cyrrheſtria, Syriæ pars proxima Ciliciæ. 818.b
Cyrſilus ab Athenienſibus lapidibus obrutus, quòd Xerxen recipiendum ſuaderet. 1246.a
Cyrus apud Xenophontem negat, ſe umquam ſenſiſſe, ſenectutem ſuam imbecilliorem factam, quàm adoleſcentia fuiſſet. 1257.b. ejus ſomnium de Sole ſub pedibus, qui ter manibus appetitus, elapſus ſit & abierit. 1155.b. ejus interpretatio. 1156.a. morituri oratio ad filios de immortalitate animæ apud Xenophontem. 1264.a,b
Cyrus minor Rex Perſarum. 1262.a. oſtendit Lyſandro hortum conſeptum, diligenter ſua manu conſitum. ibid.

D.

DActylus pes. 166.b.167.a
Damocles aſſentator Dionyſii tyranni felicitatem quomodo expertus ſit. 1289 b
Damnum quæſtuoſum. 909.a
Damon Muſicam docuit. 121.a
Damon & Phintias par amicorum. 1246.a
Danai quinquaginta filiæ. 1282.a
Daphitæ fatum de equo cadere & ſic perire. 1180.a
Dardanus philoſophus Stoïcus. 986.a
Darius rex in fugâ aquam turbidam bibens, affirmavit nunquam ſe bibiſſe jucundius. 1108.a
Debitio. 488.b
Decemviri duodecim tabulas perſcripſerunt. 71.b
Decere, quaſi aptum eſſe conſentaneumque tempori, & perſonæ, &c. 158.a
Decertandi genera duo, unum hominis proprium, aliud beluarum. 1214.b
Deceſſe, pro deceſſiſſe. 690.b
P. Decius pater decertans cum Latinis; cum Etruſcis filius; cum Pyrrho nepos pro patria ceciderunt. 31.b. 1062.a. 1013.b
P. Decii, Q. filii, contra Samnites præliantis ſomnium. 1156.a,b
P. Decius, ut ratione, ſic vita turbulentus. 136.a
Decorum oratorium. 157.b
Decorum, Græcis πρέπον, quid? 1221.b. 1222.a
Decretorum proditio. 980.b
Decuriare. 486.a
Decus verum in virtute poſitum. 720.a
Defenſoris officium. 29.a. loci in Conſtitutione conjecturali ex impulſione. 52.b. ex ratiocinatione. ibid. ex attributis. 53.a,b
Defenſoris loci in definitiva cauſæ conſtitutione. 55.b
Definitio quid? 27.a. 80.a. 93.b. 119.b. 160.b. 172.b. in omni doctrinæ genere primum explicanda. ibid.
Definitio vitioſa, ſive mala, quæ? 48.a
Definitio evolvit involutum id, de quo quæritur. 171.b
Definitiones aliæ partitionum, aliæ diviſionum. 172.b
Definitiones falſæ, quæ? 12.b. Vulgares. ibid.
Definitionis tractatio in legitima cauſæ conſtitutione. 4.a. 9.b
Definitionis controverſia. 64.b
Definitionum duo genera prima. 172.b
Definitiva cauſæ conſtitutio. 37.a. 55.a. ejus exemplum & quomodo tractanda. ibid.b
Defœdus. 858.a
Dejanira Herculi tunicam, ſanguine Centauri tinctam induit. 1146.b
Dejotarus à Cæſare defenſus. 571.a. nihil umquam niſi auſpicato geſſit. 1153.a. per aquilam ab inſtituto itinere revocatur. ibid.
Delectatio eſt voluptas ſuavitate auditus animum deleniens. 1089.a
Deli Apollinis fanum religioſiſſ. 234.b. hîc Apollinem Dianamque è Latonâ natos credidit antiquitas. ibid.
Delii ova gallinarum internoſcebant. 984.b
Deliberatio & Demonſtratio non poſſunt rectè partes alicujus generis cauſæ putari. 37.b
Deliberationes quomodo tractandæ Oratori. 93 b
Deliberationum varia genera. 14.a,b
Deliberationum civilium finis utilitas, eaque duplex, honeſta & tuta. 14.b
Deliberativi generis finis Ariſtoteli utilitas, Ciceroni honeſtas & utilitas. 65.a
Deliberativum cauſæ genus. 1.b.36.b
Delphini ſe in portum conjicientes tempeſtatem marinam ſignificant. 1197.b
Demades. 159.a
Damaratus Tarquinii regis pater. 1109.a
Demetrius Phalereus verè orator Atticus. 93.a. 131.a. 149.a. 159.a. allegoriis plurimum utitur. ibid. 561.b. patriâ pulſus, ad Ptolemæum regem ſe contulit. 1046.a. multa præclara in illo calamitoſo otio ſcripſit. ibid. diſputator ſubtilis, orator parum vehemens, dulcis tamen. 1210.b
Demetrius Syrus. 151.a
Deminutio, figura exornationis ſententiarum. 30.a
Demochares orator. 93.a
Democritici Philoſophi. 70.b
Democritus ornatè locutus eſt. 71.a. dixit plenum & inane eſſe materiam mundi. 992.b. ſtatuit nihil cognoſci, nihil percipi, nihil ſciri poſſe, & veritatem in profundo abſtruſam. 979.a. 981.b. innumerabiles eſſe mundos. 984.a. dixit omnia ex atomis conſtare. 999.b. homo eruditus & in geometria perfectus. ibid. ejus ſententia de mente humanâ. 1054.a,b. opinio de Diis. 1114.a. cæcus quomodo philoſophatus ſit. 1109.b. ſententia de extis hoſtiarum inſpiciendis. 1168.a. inconſtans in opinione de diis. 1122.b
Demonſtratio, figura exornationis ſententiarum. 34.a
Demonſtrativi generis cauſæ quomodo tractandæ. 1.a. 16.a. 36.b. qua diviſione in eo utendum. ibid. & 15.b
Demonſtrativi generis finis honeſtas. 65.a
Demoſthenes perfectus & perpolitus in dicendo. 71.b. 154.b. Orator præſtantiſſimus. 131.a. 153.a. 188.a. quomodo balbutiem & ſpiritus anguſtiam emendarit. 85.b. rogatus quid eſſet in dicendo primum, quid reſponderit? 127.a. cur à Doctis Oratorum princeps ſit judicatus. 138.b. ejus oratio pro Cteſiphonte. 154.b. jocoſa excuſatio ad reprehenſionem Æſchinis. ibid. judicium de actione oratoria. 138.b. 136.b. eloquentia cur maximè laudabilis? 162 a. crebram vocalium concurſionem ut vitioſam fugit. 163.b. muros Athenienſes ſua pecunia refecit. 188.b. cum dicturus eſſet, concurſus ex tota Græcia fiebat. 149.a. frequens Platonis auditor. 154.a. ad fluctum declamare ſolebat, ut fremitum aſſueſceret voce vincere. 1040.a. ejus vigiliæ. 1091.b. leviculus ob nimium ſtudium famæ ſive ſuſurri popularis. 1108.b. cum RHO dicere nequiret, exercitatione fecit, ut planiſſimè diceret. 1174.b. trecentis ferè annis ante Tullium fuit. 1177.a. dixit Pythiam φιλιππίζειν, h.e. à Philippo corruptam eſſe. ibid.
Denicales dies quæ & unde ſic dictæ? 1201.b
Denominatio, figura exornationis verborum. 28.b
Dentium diviſio eorumque uſus. 1136.a. 1137.b
Deorum bella & pugnæ. 1130.a. cultus optimus, ſanctiſſimus, & caſtiſſimus. ibid.
Deorum mentes pietate & religione, non ſuperſtitione placantur. 373 a

Deorum multitudo hominum vitam omni ſuperſtitione referſit. 1129.a

Deos eſſe omnibus innatum eſt & quaſi in animo inſculptum. 1124.a.1127.a. 1059.a,b

Depaciſci cum aliquo partem. 209 b

Depeciſci. 855.a

Deprecatio criminis, pars Aſſumtivæ Juridicialis conſtitutionis. 5.a. 37.b. 60.a. *quid ſit?* ibid. *quomodo tractanda.* ibid. 10.a. *quando ea utendum.* 10.a

Depſit. 715.a

Des, id feras, proverb. 842.b.843.a

Deſcriptio, figura exornationis ſententiarum. 30.a

Deſiderium eſt libido ejus qui nondum adſit videndi. 1089.a

Deſperatio quid? 1088.b

Deverſari. 236.b

Devortere. 795.a

Deus in aliqua re. 98.a

Deus in dicendo. 74.b

Deus Platonicus. 1113.a

Deus ſempiternus. 1113.b

Deus animans. 1127.a. *mundus.* ibid.

Dextella. 914.b

Diæta curari. 803.b

Diagondas Thebanus nocturna ſacra perpetua lege in Græcia ſuſtulit. 1199.a

Diagoras Melius nullos eſſe Deos ſtatuit. 1111.a. 1117.a. 1122.a. *dictus atheos.* ibid. & 1149.a. *ejus ſcita duo de navigantibus.* ibid.

Dialectica, qualis ars? 97.a. 989.a. *quid contineat?* 1008.a. *eſt quaſi contracta & adſtricta eloquentia.* 1005.b

Dialectica pugno, Eloquentia palmæ ſimilis ſecundum Zenonem. 160.b

Dialectici ſpinoſiora multa pepererunt. 160.b

Diana & Luna eadem. 1129.b. *dicta quia noctu quaſi diem efficiat.* ibid.

Diana Lucifera apud Græcos à parientibus invocata. 1129.b. *Omnivaga, non à venando, ſed à vagando dicta.* ibid.

Dianæ tres earumque genus. 1145.a

Dianæ Epheſiæ templum eâ nocte deflagravit, quâ natus Alexander. 1129.b

Dianæ fanum Pergæ. 235.a

Dianium in Hiſpania. 239 a

Dicæarchus animum nullum eſſe ſtatuit. 993.b. 1054.a. 1056.a. 1057.b. *ejus opinio de divinationum generibus.* 1150.b. *liber de interitu hominum.* 1233 a. 1293. a. *tres libri, Leſbiaci dicti, de mortalitate animarum.* 1060.b

Dicendi genera tria. 154.a

Dicendi omnis ratio in quo verſitur. 68 a.94.a

Dicendi opus elaboratum è quinque partibus conſtat. 143.b

Dicendi domina natura. 103.b

Dicendi facultas & dignitas. 413.b

Dicendi omnis doctrina in tres partes diſtribuenda, & in quas? 177.b

Dicendi virtus, niſi ei, qui dicit, ea de quibus dicit, percepta ſint, exſtare non poteſt. 71.a

Dicere Atticè quid ſit? 154.b

Dicere perversè homines, perversè dicendo facillimè conſequuntur. 77.a

Dichoreus pes. 168.b

Dicis cauſa. 299.a.781.b.965.b

Dicrota. 926.b

Dictamnus herba qualis. 1135.a

Dictatura. 575.b

T. Didius. 99.b

Dieculam ducere. 821.b

Diem dicere. 2 3.a

Dies ἐξαιρέσιμοι. 259.b

Difficillimum in omni re eſt, formam optimi exponere. 155.a

Digito cœlum attingere, proverb. 784.b

Digitis extremis attingere, proverb. 518.a

Digitum ad fontes intendere. 81.a

Digitum nuſquam, proverb. 834.a

Digitum transverſum non diſcedere. 984.b

Dignitas elocutionis quid ſit. 24.a. *hæc dividitur in exornationem verborum & ſententiarum.* ibid.

Dignitas, quid? 66.a

Dignus qui-cum in tenebris mices, proverb. 1249.a

Dii beati ſunt & immortales. 1115.b *magna curant, parva negligunt.* 1139.b

Dii monogrammi & nihil agentes, Epicuri. 1128.b

Dii, ſecundum Epicurum, nulli propitii neque irati. 543.b

Diligentia in cauſis defendendis plurimum valet. 96.a

Dinarchus Orator Græcus. 92.b.131.a

Diodorus philoſophus Peripateticus finem bonorum ſtatuit vacare omni moleſtia cum honeſtate. 70.b. 994.b. 1008.a. 1010.a. 1041.a. 1048.a. *Critolai auditor.* 1041.a

Diodotus Stoicus. 150.b. 992.a. *cæcus philoſophatus eſt & geometriam docuit.* 1109 b

Diogenes Apolloniates deum aëra eſſe cenſuit. 1114.a

Diogenes Babylonius. 1150.b. *Stoicus.* 1246.b. *liber de Minerva.* 1115.a

Diogenis Cynici dictum: Harpali prædonis felicitate Deorum vim ac poteſtatem redargui. 1148.a. *Dialecticam tradidit.* 97.a. *Stoicus.* ibid. *mortuum ſe projici juſſit inhumatum, & bacillum propè poni.* 1064.a. *Alexandro roganti, ſi quid opus eſſet, reſpondit: Nunc quidem paullulum à ſole.* 1107.b. *ejus diſputatio quanto regem Perſarum vitâ fortunaque ſuperaret.* ibid. *ejus ſententia de divitiis.* 1026.b. *de bona fama.* 1027.a

Dion Syracuſius, Platonis diſcipulus. 121.b. *ejus admirabilis fortitudo in luctuoſo filii obitu.* 1295.a

Dionyſi quinque diverſi. 1145.a,b

Dionyſius Heracleotes. 1073.b. *propter dolorem oculorum à Zenone magiſtro degeneravit.* 1050.b.1073.b. 986.a. 1077.b

Dionyſius Magnes. 151 a

Dionyſii mater gravida ſomniavit ſe peperiſſe Satyriſcum. 1154.b

Dionyſii Syracuſanarum tyranni vita & hiſtoria eleganter deſcripta. 1103. a,b. & ſeqq. *ne collum tonſori committeret, tondere filias ſuas docuit.* 1103.b. *duas uxores habuit, Ariſtomachen & Doridem.* ib. *foſſam latam cubiculari lecto circumdedit.* ibid. *quomodo Damocli aſſentatori fortunæ ſuæ felicitatem oſtenderit.* ibid. *ejus colloquium cum coquo Lacedæmoniorum.* 1108.a. *jocus de felici ſua navigatione, cum fanum Proſerpinæ Locris expilaviſſet.* 1148.a. *alius jocus de aureo Jovis amiculo in Peloponneſi fano ipſi ſublato.* ibid. *alius de Æſculapio, cujus auream barbam Epidauri demi juſſit.* ibid. *alius de argenteis menſis BONORUM DEORUM quas ſuſtulit.* ibid. *alius de porrectis manibus ſimulacrorum.* ibid. *regnum quid ei portenderit.* 1159.a. *crudelitas.* 1234.a. *Syracuſis expulſus, Corinthi ludum aperuit.* 713.b. 1078.b

Diophanes Mitylenæus, T. Gracchi magiſter. 135.b

Διόσκουροι tres diverſi & eorum nomina. 1143.b

Diphilus Craſſi ſcriptor & lector. 76.a

Diphilus Diphilo tardior, proverb. 947.a

Diploma. 687.b

Diræ, ſicut cætera auſpicia, non cauſas adferunt, cur quid eveniat, ſed nuntiant ventura, niſi provideris. 1153.b

Diriberi. 546.b.1306.b

Dis dictus Dives, Græcè Πλούτων, *quia & recidunt omnia in terras & oriuntur è terris.* 1129.b. *Proſerpinam rapuit.* ibid. *hujus raptus fabula.* ibid.

Diſceptatio eſt aut ſimplex, aut ex comparatione. 119 b. 120.a

Diſciplina alia intelligendi, alia dicendi. 154 a. *hinc eſt ut veram & abſolutam eloquentiam nemo conſequatur.* ibid.

Diſcordia quid, ejuſque definitio. 1089.a

Diſerti à doctis per Socratem diſſociati. 117.a

Diſertus & eloquens ut differant? 73.b

Disjunctio figura exornationis verborum. 27.b

Diſpoſitio Oratoris quid? 11.b. 36.b

Diſpoſitionis locorum, cum inſtructione militum comparatio. 17.a

Diſpoſitionum duo genera; unum ab inſtitutio-

ſtitutione artis profectum, alterum ad caſum temporis accommodatum. 16.b. 17.a
Diſſuaviari. 771.b
Diſſerendi omnis ratio partes duas habet, unam inveniendi, alteram judicandi. 171.a
Diſſimilis debitio pecuniæ & gratiæ. 488.b
Diſſolutio, figura exornationis verbor. 28.a
Diſtributio, figura exornationis ſententiarum. 29.a,b
Diſtributione quando utendum? 3.b. *ea dividitur in enumerationem & expoſitionem.* ibid.
Diverſoriolum. 740.a
Dives propriè quis? 1282.a
Divinandi duo genera, artificioſum & naturale. 1151.a,b.1154.a 1167.b
Divinatio artificioſa. 1164.a
Divinatio, Græcè μαντική, *eſt præſenſio & ſcientia rerum futurarum.* 1150.a. *Latinè dicta à divis, Græcè à furore ſecundum Platonem.* ibidem.
Divinationis definitio. 1166.b
Divinationem quomodo definierit Chryſippus. 1178.a
Diviſio vitioſa, quæ? 1009.a
Diviſio orationis quid ſit? 2.a
Diviſio figura exornationis ſententiarum. 30.b. *quî differat ab eâ, quæ eſt tertia pars orationis.* ibid.
Divitiarum cupiditas unde oriatur. 1213.a
Diœcetes quis? 562.a
Dochmius pes. 169.a
Docilis, quis? 2.a
Dolor eſt ægritudo crucians. 1070.b. 1088.b. *ſenſim & pedetentim progrediens extenuatur.* 1082.b. *homini à naturâ inſitus.* 1291.a. *omnis immodicus turpis eſt & à viro alienus.* ibid.
Dolus malus eſt cum aliud agitur, aliud ſimulatur. 1247.a
Cn. Domitius, eloquens. 140.a,b
L. Domitius, prætor Siciliæ, paſtorem ob aprum interfectum in crucem ſuſtulit. 311.a
L. Domitius, orator. 147.b
Domuitionem parare. 19.b
Domus ædificatio ne extra modum ſumtu & magnificentia prodeat. 1227.b
Domus honorati & principis viri qualis eſſe debeat. 1227.b
Dormire quid ſecundum Zenonem. 1177.a
Doryphori ſtatua Polycleti. 150.a.153.a
Draconis leges. 80.b
Draco, ſidus cœleſte, ejuſque deſcriptio Aratea. 1133.a.
Druidæ in Gallia Phyſiologiæ & auguriis ſtudebant. 1160.b
G. Druſus cæcus conſulebat aliis. 1109.b
M. Druſus, orator. 141.a. 141.a.
Dubitatio, figura exornationis verborum. 27.b.
Duellum, contractum in bellum: Duis, in bis: Duellius in Bellius. 163.b
Dulce eſt nomen pacis. 622.a
Dulciculus: dulcicula potio. 1081.b
Dulcitudo. 118.b
Duo parietes de eadem fidelia dealbare, proverb. 698.a
Duodecim Tabb. liber omnes bibliothecas omnium Philoſophorum ſuperare videtur. 80.b. *Uſucapionem inter quinque pedes eſſe voluerunt.* 1192.b. *de mortuis in urbe non ſepeliendis caverunt.* 1202.a. *de carminibus infamibus.* 1087.a
Duris Samius homo in hiſtoriis diligens. 824.b

E.

EBlandiri. 932.a
Ebrietas & ebrioſitas differunt. 1089.b
Ecdici. 752.b
Echionis Tabula. 1281.b
Edolare. 906.a
Effatum, Græcis ἀξίωμα, *quid?* 989.b
Effictio, figura exornationis ſententiar. 32.b
Effligere aliquem. 863.b
Egredi è portu ſine gubernaculis, proverb. 838.a.
Eleatici philoſophi à quo denominati. 994.a
Elegantes ab eligendo dicti. 1130.a
Elegantia elocutionis quæ ſit, eaque diſtributa in Latinitatem & explanationem. 23.b
Elegantia loquendi augetur legendis oratoribus & poëtis. 114.b
Elementa. 974.b
Elephanto belluarum nulla prudentior. 1120.b
Elephantorum acutiſſimi ſenſus. 1137.b
Elephantis à naturâ manus datæ ad paſtum. 1134.b
Eleuſina ſancta & auguſta ubi initiantur gentes orarum ultimæ. 1122.a
Elis, urbs Peloponneſi. 1160.b
Elocutio dividitur in tria genera, ſive figuras, gravem, mediocrem, & attenuatam. 22.b. *gravis quæ ejuſque exemplum.* ibid. *mediocris exemplum.* 23.a. *attenuatæ exemplum* ibid. *figuræ gravi finitima ſufflata.* ibid. a,b. *mediocri propinquum genus fluctuans & diſſolutum.* ibid.b. *attenuato generi finitimum id quod dicitur exile.* ibid. b.
Elocutionis præceptio bipertita. 22.b
Elocutio commoda & perfecta tria deſiderat, Elegantiam, compoſitionem, dignitatem. 23.b
Elocutio Oratoris, quid? 1.b.36.b
Eloquens perfectè quis ſit? 157.b. 159.b. & 160.b
Eloquens ſine Philoſophia nemo efficitur. 154.a
Eloquens, ſit temporum perſonarumque moderator. 161.a
Eloquentia Athenis nata & alta. 131.a *huic honos habitus Troïcis temporibus.* ibid.
Eloquentia non ex artificio, ſed artificium ex eloquentia natum. 76.b
Eloquentia una quædam de ſummis virtutibus. 115.b. *pacis eſt comes, otii ſocia, &c.* 131.b. *Principibus maximo ornamento.* 1037.a. *domina rerum.* 1137.b. 1236.b. 1239.a. *ex quibus rebus conſtet?* 187.a. *unde odium & invidiam contraxerit?* 35.b.36.a. *utrum prudentiſſimorum hominum artibus contineatur, an in quodam ingenii atque exercitationis genere ponenda?* 67.a
Eloquentia una, ſed materia multiplex. 113.b. *ut differat à Dialectica.* 160.b.
Eloquentiæ forenſis ſpreta à Philoſophis. 153.b. *Eloquentiæ ſumma laus, amplificare rem ornando.* 119.a
Eloquentiæ ſtudium, bonine an mali plus attulerit civitatibus. 35.a. *ex honeſtiſſimis cauſis natum.* ibid.
Eloquentiæ ſtudium non erat commune Græciæ, ſed proprium Athenarum. 132.a
Eloquentiæ ſtudio præmia apud Rom. propoſita. 68.b. *ejus difficultas, & quæ ad hoc ſtudium excolendum deſiderentur.* ibid.
Eloquentiæ cur ſtudendum. 36.a
Eloquentiæ definitio. 182.b. *abuſus.* 35.b. *laus & præſtantia.* 69.b. *hæc homines diſperſos unum in locum congregavit.* ibid. *civitates conſtituit.* 70.a
Elucubrari epiſtolam. 840.a
Emblema vermiculatum. 123.b. 163.b. 148.a.
Embœneticam facere. 700.a.
Empedocles phyſicus egregium poëma fecit. 82.a. *ſtatuit nihil cognoſci poſſe, nihil percipi, nihil ſciri, & omnia eſſe abſtruſa.* 979.a. *ſtatuit nota quatuor elementa eſſe materiam mundi.* 992.b. *quatuor naturas, ex quibus omnia conſtare vult, cenſet eſſe divinas.* 1114.a. *cenſuit animum eſſe cordi ſuffuſum ſanguinem.* 1054.a
Endymionis ſomnus. 1046.a
Endymion in monte Latmo conſopitus à luna ut eum oſcularetur. 1062.b
Engonaſin, Sidus cœleſte, ejuſque deſcriptio Aratea. 1133.a
Enna Cereris natali celebris. 305.a,b
Ennius Poëta epicus. 187.a
Ennius M. Cethegum Suadæ medullam vocat. 132.b

Ennius

Ennius quando natus. 133. b. 1051. b. *ſcripſit bellum Punicum.* ibidem. *Thyeſten fabulam docuit.* 134. a. *Burrum, pro Pyrrhum; Bruges, pro Phryges dixit.* 164. b. *P. Scipioni Africano carus fuit.* 447. a. *ejus ſomnium de Homero.* 983. b. 988. a, b. *Medea.* 997. b. *ſe mortuum lugeri vetat.* 1065. b. 1302. a. *quoto ætatis anno mortuus ſit.* 1256. a. *paupertatem & ſenectutem ita tulit ut iis delectari videretur.* ibid.

Enthymema, quid ſit? 174 a

Enumeratio. 3. b. *ea quando utendum, & qualis debeat eſſe.* ibid.

Enumeratio quomodo tractanda? 181. b

Enumeratio concluſionis qualis debeat eſſe. 13. b. 48. b. *quæ ejus vitia.* ibid.

Enumeratio quid ſit in argumentatione neceſſaria. 42. b

Enumeratio partium quomodo tractanda. 171. b

Enumeratio vitioſa, quæ? 47. a

Enumerationis commune præceptum. 49. a

Enumerationis falſæ exemplum in expoſitione oratoria. 11. a, b

Epaminondas Thebanorum Imperator. 121. b. 132. a. 1013. b. *fidibus præclarè cecinit.* 1052. a. 1055. b. 1065. b. *mors glorioſa.* 1073. b. *apud Mantineam moriens de clypeo fuit ſollicitus.* 1018. a

Ephori Lacedæmonii à Theopompo regibus oppoſiti. 1206. a

Ephorus Iſocratis diſcipulus. 90. a. *qualis orator.* 167. a

Epicharmi præceptum: γνῶθι πῶς ἄλλῳ κέχρηται. 949. b

Epicharmi ſententia de morte. 1053. b

Epicurei omnes res, quæ ſunt hominis expetendæ, voluptate metiebantur. 545. a. 1107. b

Epicurus Voluptatem ſtatuit eſſe finem bonorum, ſive ſummum bonum. 994. b. 1000. b. *& quomodo id confirmet.* ibid. *dixit ſapientis eſſe, opinionem à perſpicuitate ſejungere.* 983. a. *ſtatuit ſi unus ſenſus ſemel in vitâ mentitus, nulli unquam eſſe credendum.* 987. a, b. *totam Dialecticam. contemnit & irridet.* 989. b. 1008. a. *ut & Logicam.* 999. b. *ejus ſententia de magnitudine Solis.* 987. b. *omne judicium in ſenſibus, & in rerum notitiis & in voluptate conſtituit.* 995. b. *ſtatuit nihil medium eſſe inter dolorem & voluptatem.* 1001. b. *partitur cupiditates in naturales & neceſſarias: naturales & non neceſſarias: non naturales & non neceſſarias.* 1002. a. *ſtatuit non poſſe jucundè vivi, niſi ſapienter, honeſtè juſteque vivatur.* 1003. b. *ſententia de ſummo bono.* 1004. b. *de fortuna ſapientia.* 1004. b. 1017. a *de amicitia.* 1004. b. *ei beſtiæ ſunt ſpecula naturæ.* 1010. a. *non minorem voluptatem dixit percipi ex vitiſſimis rebus, quàm ex pretioſiſſimis.* 1017. a. *ejus morientis verba & epiſtola ad Hermachum.* 1017. b. *amicitiam laudibus in cælum effert.* 1016. a. *eam à voluptate non poſſe divelli ſtatuit.* ibidem. *ejus teſtamentum.* 1018. a, b. *ſententia de morte.* ib. *ſtatuit dolorem ſummum malum eſſe.* 1068. a. *dixit ſapientem eſſe ſemper beatum.* 1049. a. *Epicuri ſententia de præmeditatione futurorum.* 1079. b. *tenuem victum antefert copioſo.* 1081. b. *ſolus vidit primum eſſe deos, quod eorum notionem in animis impreſſiſſet natura.* 1115. b. *verbis reliquit deos, re ſuſtulit.* 1119. a. 1122. b. *ejus* κυρίαι δόξαι. ibid. & 1008. b. *dixit ſe ne intelligere quidem ullum bonum, quod ſit ſejunctum à delicatis, & obſcenis voluptatibus.* 1121. b. *Deos monogrammos & nihil agentes commentus eſt.* 1128. b. *irridet prædictionem rerum futurarum.* 1138. b. *perlucidos & perflabiles deos induxit jocandi cauſa.* 1169. a

Epimenides Cres per furorem vaticinatus eſt. 1154. a

Epiphanea, urbs Ciliciæ. 761. b

Epiſtola non erubeſcit. 676. a

Epiſtolarum genera multa. 650. a

Epulari Saliarem in modum. 815. a

Equi indomiti comparatio cum homine indocto. 32. a

Equiria (feſtum in Campo Martio à curſu equorum ſic dictum.) 925. a

Erana, Amani montis caput. 761. b

Erctum citeri. 83. b

Erechthei regis Athenienſ. filiæ mortem pro patria contemnentes. 498. b. 1047. a. 1065. b

Erechthei delubrum apud Athenienſes. 1144 a

Eretriaci Philoſophi à quo denominati. 116. a. 994. a. *omne bonum in mente & mentis acie ponebant.* ibid.

Eriphylæ fabula. 297. a

Eriphyle viri vitam auro vendidit. 48. a

Eros hiſtrio. 216. b

Eſſe pro edere. 27. b

Eteſiæ, venti Septentrionales. 763. b. 829. b. 1135. b

Etruſci de cælo tacta ſcientiſſime obſervabant. 1160. b. *cælum in XVI. partes dividebant.* 1169. a

Etymologia, verborum explicatio. 975. a

Euclides Megareus, Socratis diſcipulus. 994. a

Euclides geometriam docuit. 121. a

Eudemi Cyprii ægrotantis ſomnium de ſe convaleſcente, & de Alexandro tyranno interituro. 1156. b

Eudoxus, Platonis auditor, Chaldæus in prædictione & notatione vitæ ex natali die minimè vult eſſe credendum. 1174. a

Euhemerus deorum mortes & ſepulturas demonſtravit. 1122. a

Eumenides deæ, earumque fanum apud Athenienſes. 1144. a

Euphrates fl. Meſopotamiam fertilem efficit. 1135. b

Eupolis judicium de Pericle. 131. a. *ſuadam deam in Periclis labris ſeſſitaviſſe ſcripſit.* 132. b

Euripi Chalcidici motus reciprocus & conſtans. 1141. b

Euripides auditor Anaxagoræ. 1079. a

Euripidis fabulæ. 997. b

Euripidi animus eſt Deus. 1059. a

Eurypylus. 1071. a

Eurotas, fluvius. 59. b

Eventa. 1151. b

Eventum, ſecundæ declinat. 796. a. 1267. a

Eventus cauſarum quomodo conſiderentur. 185. a

Eventus, quid? 54. a. *quando fallat.* 52. a

Ex, & è, præpoſitiones, earumque uſus. 163. a

Ἐξαιρέσιμαι, *dies Siculorum, cæterorumque Græcorum, quales?* 259 b

Examplexari aliquem. 33. b

Exanclare. 991. a. 1066. a.

Exanimatio quid, ejuſque definitio. 1088. b

Exartuatus. 832. b

Ex ante diem. 798. b

Excandeſcentia eſt ira naſcens & modo exiſtens. 1089. a. *Græcè* θύμωσις *dicitur.* ibid.

Exclamatio, figura exornationis verborum. 24. b

Excors. 1052. b

Exempla teſtimoniorum locum obtinent. 21. a, b

Exemplis probatiſſimis utendum. 21. b

Exemplum, figura exornationis ſententiar. 32. b

Exemplum in negotio quid? 43. a

Exemplum & Teſtimonium, ut differant? 21. b

Exemplum vitioſum quid ſit. 13. b

Exercitatio Oratoria, quid ſit? 1. b. 76. b. 77. a

Exercitatio domeſtica & umbratilis. 77 b

Exercitus unde dictus? 1070. b

Exhedra. 1112. b. 1039 b

Exhedria. 696. b

Eximius unus. 223. a

Exlibratus. 832. b

Exordiorum duo ſunt genera: Principium & Inſinuatio. 2. a. 38. b

Exordiorum ſit ſermo lenis, & uſitata verborum conſuetudo. 3. a. 39. b

Exordium vulgare vitioſum, & quod ſit? 3. a. 39. b. *commune vitioſum, & quid ſit?* ibid. *affectatum, vitioſum.* ibid. *nimis longum, vitioſum.* ibid. *ſeparatum, vitioſum; in quo etiam*

etiam includitur tranſlatum. ibid.
commutabile vitioſum. 39.b
Exordium quale debeat eſſe in dubio cauſæ genere? 2.a. 38 b. *in humili.* ibid. *in turpi.* ibid. *in honeſto.* ibid. *in admirabili.* 38. b. *in obſcuro.* 39. a. 108.a,b
Exordium orationis quid? 1.b.38.b
Exornatio duplex, verborum & ſententiarum. 24.
Exornatio pars argumentationis. 10. b. *quando ea prætermittenda.* 11.a
Exornatio orationis in quibus conſiſtat, & quæ ſint ejus vitia. 13.b.
Exornationes ſententiarum, quæ ſint, earumque enumeratio: Diſtributio. 29.a. *Licentia.* ibid. b. *Deminutio.* 30. a. *Deſcriptio.* ibid. *Diviſio.* ibid.b. *Frequentatio.* ibid. *Expolitio.* 30.b. 31. a. *Commoratio.* 31.b. *Contentio.* ibid. *Similitudo.* ibid. *Exemplum.* 32. b. *Imago.* ibid. *Effictio.* ibid. *Notatio.* 33. a. *Conformatio.* 33.b. *Sermocinatio.* ibid. *Significatio.* 34.a. *Brevitas.* ib. *Demonſtratio.* ibid.
Exornationes verborum decem, quæ ab uſitata verborum poteſtate recedunt, 24.a. 28.a.
Exoſtra. 526.a
Expeditio, figura exornationis verborum. 28.a
Explanatio elocutionis. 23. b. *quomodo comparetur.* 23.b
Expolitio, figura exornationis ſententiarum. 30.b. 31.a *ea dupliciter fit.* ibid. *ejus inſignis uſus per totam orationem.* 31.b
Expoſitio Oratoris vitioſa, ejuſque varia exempla. 11.a,b
Expoſitio rerum, de quibus dicendum. 3.b
Exputare, proputare. 723.b
Exſilium, non ſupplicium, ſed effugium portuſque ſupplicii. 332. b. *demptâ nominis ignominiâ, à perpetuâ peregrinatione nihil differt.* 1109.a
Exſuſcitatio, genus commutationis. 31.a
Exules qui appellentur? 13.a
Ex vultu, & oculis, & fronte amorem alicujus perſpicere. 911.a

F.

F*Aba imûm,* proverb. 779.b
Q. Fabius Labeo arbiter malitioſus, inter Nolanos & Neapolitanos. 1214.b
Q. Fabii in unici ſui Conſularis filii morte conſtantia. 1296.a
Q. Fabius Maximus cur cunctator dictus. 1220.b
Ser. Fabius Pictor, Orator. 134.a.1052.a
C. Fabricius ad Pyrrhum miſſus orator. 132.a
L. Fabricius perfugam promittentem veneno ſe Pyrrhum necaturum, Pyrrho tradidit. 1250.a
Fabula, quid? 3.a.40.a.
Faces dicendi. 100.b
Facetiarum duo genera, dicacitas & cavillatio. 101.b. *alterum re, alterum dicto tractatur.* 103.a,b. 104 a. *multum aliquando in dicendo juvant.* 101.b. *arte tradi non poſſunt,* ibid. *quomodo & quatenus ab Oratore tractandæ.* 102 a,b. 103.a.
Facetiæ ubi maximè proſint. 109.b
Facile fieri, quid dicatur? 66.a. *difficile quid?* ibid.
Facilius eſt currentem incitare, quàm commovere languentem. 98.b
Facilius apta diſſolvere, quàm diſſipata connectere. 170.b
Facta, perſonarum attributum. 41.b
Facultas & vis omnis Oratoris in quinque partes diſtributa. 76.b
Facultates negotiorum. 42.a
Facultatum conſideratio in præmiorum petitione. 61.a
Fallaciloquentia. 1038.a
C. & M. Fannii, oratores. 135.b
Fannii Annales. 134,a
Fannius in Annalibus Africanum Æmilianum εἴρωνα appellat. 105.a
C. Fannius, C. F. & Domitius Coſſ. 135.b
Faſces ſubmittere alicui. 130.b
Fato fieri quomodo omnia dicantur. 1181.a,b.1184.b
Fatum ex quo genere cauſarum à Stoicis nectatur. 174.b
Fatum quid? 1164.a. *Græcis* εἱμαρμένη. ibid.
Fatum eſt quod ſemper ex omni æternitate verum eſt. 1140.b
Fauni in præliis auditi. 1161.b. 1123.b
Febris ara. 1197.b. *fanum in Palatio.* 1146.a
Felicitas ejuſque definitio. 1310.a
Feralia. 850.a
Feriarum feſtorumque dierum ratio habenda in hominibus & liberis, & ſervis. 1198.a
Ferre aliquem in oculis. 948 a
Fibrenus, fluv. 1193.a. 1194.b.
Fidelis, de agro, domo, arte, doctrina. 770.a
Fidentia, quid? 65.b
Fidens quis dicatur? 1077.a
Fides in Capitolio dedicata. 1128.b
Fides unde ſic dicta. 1213.a. *eſt fundamentum juſtitiæ.* ibid. *eſt firma opinio.* 178. a. *ex fortuna non ponderanda.* 185.a.
C. Fimbria, Orator qualis? 137.b.145.a. *homo audaciſſimus.* 203.a
Finis alicujus facultatis quid ſit? 36.a
Finis in deliberando utilitas. 183.a
Firmamentum quid? 36.b
Firmamenta orationis. 109.a
Fiſcina ficorum. 427.a
Fiſſum jecoris. 1168.a
Flaccus, appellativè. 1118.b
Flagitium rei militaris à multis commiſſum, ſortitione in quoſdam tantum animadvertebatur. 366.a
C. Flaminius remp. malè geſſit. 55. a. *trib. pleb. aliquot annis ante ſecundum bellum Punicum legem agrariam tulit invito ſenatu.* ibid. & 978.b. *bis conſul fuit.* ibid. *regem Philippum & Macedoniam ſubegit.* 235.b. *neglexit tria oſtenta magna cum clade Reip.* 1159. a. *apud Traſimenum interfectus.* 132.b. & 1123.b. *fuit eloquens.* ibid. & 133 b.
L. Flamininus per M. Catonem è ſenatu ejectus ob libidinem. 1259.b
T. Flamininus. 136.a
T. Flamininus & Q. Metellus, Coſſ. 147.a.
Flammam in ipſam venire. 931.b
Flocci: Non flocci ἐκατέον. 779.b.
Fluctus numerare. 786.b
Fluctus in ſimpulo excitare. 1208.b
Fœcunditas verborum in Oratore adoleſcenti ſe ſe efferat. 92.a
Fœminarum miſeriæ. 1290.a
Fœnum eſſe. 102.b
Fontes ipſi jam ſitiunt. 948.b
Fontis delubrum Maſo ex Corſica dedicavit. 1144.b
Forma, ſive ſpecies quid ſit? 172.b.
Forma à genere, quoad ſuum nomen retinet, nunquam ſejungitur. 171.b
Formæ dignitas aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate exſtinguitur. 27.b
Formæ & σχήματα quaſi lumina orationis ſunt. 166 b
Formido eſt metus permanens. 1088.b
Formula in arbitrio rei uxoriæ, QUID AEQVIVS, MELIVS. 175.a. 1247.b. *judiciorum:* EX FIDE BONA. ibid. *fiduciæ:* VT INTER BONOS BENE AGIER. ibid. & 694.a. 1247. b. *poſſeſſoria:* QVONIAM EIVS, EX EDICTO PRAETORIS, BONA DIES XXX. POSSESSA SINT. 193. b. *judiciorum:* EX FIDE *bona agitur.* 1247.b. *ſponſionis:* NI BONVS VIR ESSET. 1248. b. *ſatiſdationis:* Amplius eo nomine non peti. 748.b.
Fornix Fabianus. 226.b
Fors ſit Domina campi. 537.b
Fors viderit. 910.b.
Forteis fortuna adjuvat. proverb. 1067.b. 1022.b
Fortes & magnanimi qui habendi. 1218.b
Forticulus. 1072.a
Fortitudo, quid? 15.a. 65.b. 182.b. 1047.b. 1092.b *hujus partibus quando utendum in dicendo.* 15.a
Fortitudinis definitio ſecundum Stoicos. 1218.a
Fortuitu. 611.b

Fortuna,

Fortuna, perſonarum attributum. 41.b. 1145.b
Fortunæ bona quæ ſint? 89.a
Fortuna viderit. 828.a. 910.a
Fortunæ malæ ara. 1146.a
Fortunæ varia cognomina: Hujuſcedici, Reſpiciens, Fors, Primigenia. 1198.a
Forum Appii. 788. b. *Julii.* 720. b. 721. a. *Voconii.* 721. a. *Gallorum.* 725. a. *Vocontium.* 726.b.
Frenum mordere. 732.a
Fremitus è cœlo auditus. 1161.a
Frequentatio, figura exornationis ſententiarum. 30.b
Frons animi janua. 1287.a
Fronto, appellativè. 1118.b
Frugalitas virtus qualis, & unde dicta. 1077. b. *treis virtutes, fortitudinem juſtitiam, prudentiam complectitur.* ibid.
L. Fufius, orator. 136.b. 141.a. 144.a
Fulgurum obſervatio qualis fuerit. 1169 a
Fulicum ex mari continentem petentium clamor ventos prænuntiat. 1151.b
Fulmen ſiniſtrum omnibus rebus, præter comitia, optimum habitum auſpicium. 1169.a. 1172.b
Fulminum, tonitruum, ac fulgurum cauſa & materia ſecundum Stoicos. 1169.a,b
Fulviniaſter. 893.b
M. Fulvius Flaccus orator. 136.a
Ser. Fulvius Orator. 134.a
Furentibus arma dare. 115.b
Furiæ deæ, vindices facinorum. 1144.a
Furinæ lucus. 1144.a
L. Furius Philus, eloquens. 136.a
L. Furii laus. 96.b
Furor divinus. 1176.a
Furoris definitio. 1076.b

G.

C. Galba, Orator. 137.b
Ser. Galba, divinus homo in dicendo. 70.a. 71.b. 114.a. *Orator præſtantiſſimus.* 134.a
Galeotæ, interpretes Sicilienſes. 1154.b
Gallicæ. 586.b
Galli cur ante lucem cantent. 1170.b
Gallinarius Deliacus ova ab ovis internoſcens. 988.a
Gallonii cœna. 1009.a
Ganymedes. 1095.a
Gladiatorum tolerantia. 1071. b. *ſpectaculum crudele & inhumanum.* ibid.
Gaudium, quid? 1088.a. *differt à lætitia.* 1094.b
L. Gellius, orator. 140.b
Gemini, ſidus cæleſte. 1133.a
Genera cauſarum quatuor, Honeſtum, turpe, dubium, humile. 2.a
Genera dicendi tot, quot officia oratoris. 157.b
Genera tria quæ in diſceptationem & controverſiam cadere poſſunt. 94.a
Generalis cauſæ conſtitutio quid ſit? 37.a. 56.a. *habet partes duas, juridicialem & negotialem.* ibid. b
Gentiles quomodo definiantur. 172.b
Genus, progenu. 1331.a
Genus quid ſit? 40.b. 80.a. 172.b
Geometræ profitentur ſe non perſuadere, ſed cogere. 992.b
Germaniſſimus. 994.b
Geſtus Oratoris qualis eſſe debeat? 127 b
M. Glabrio. 145.b
Glauciæ jocus in Metellum. 104.b
Globus eſt rotundum ſolidum, Græcis σφαῖρα. 1127.b
Gloria, quid? 66.a. 566.b
Gloria, ampliſſimum præmium. 558.b
Gloria perfecta, quæ? 1234. a. *vera.* ibid. & 1236. a. *ficta.* ibid. *vana.* 1075.a
Gloria virtutem tanquam umbra ſequitur. 1064.b
Gnatho Terentianus. 1276.a
Gorgias Leontinus, rhetor antiquiſſ. omnibus de rebus Oratorem optimè poſſe dicere exiſtimavit. 36.b. *ſe ad omnia, de quibus quiſque vellet audire, paratum eſſe dicere denuntiavit.* 74. a. 120. b. 1005. a. *huic aurea ſtatua Delphis poſita.* 120. b. *dicendi magiſter.* 130. b. *laudum ac vituperationum locos conſcripſit.* 131. b. *princeps in concinna verborum terminatione.* 165. a. *ἀντίθετα primus invenit.* 166.a. *ejus ſenectus placidiſſima, de qua ea reſponſum præclarum.* 1255.b. *ad mortem prompti ſcitum.* 1293.b
C. Gorgonius. 141.a
C. Gracchus Orator eloquentiſſimus. 136. a. 137. a. *ejus actio in dicendo.* 127. a. *in vocis moderamine ſolitus adhibere ſervum fiſtulatorem.* 128.a
C. Gracchus ærarium largitionibus effundens, verbis ærarium defendit. 1081.b
C. Gracchi ſomnium de Ti. Graccho fratre lethi genus ipſi prædicente. 1157.a
T. Gracchus orator præſtantiſſimus. 134.a. 135.b. *cur interfectus.* ibid. *religione neglecta Coſſ. inauſpicato creavit.* 1124. a. *ei auguri duo angues comprehenſi domi quid portenderint?* 1154.b
Gradatio, figura exornationis verborum. 26.b
Græca lingua frequentior Tullii temporibus, quàm Latina. 447.a
Græci inanis arrogantiæ cauſa artem dicendi difficilem reddiderunt. 1. a. *qua artium partitione uſi fuerint in eloquentiæ ſtudio.* 69.a
Græcorum doctorum eloquentiæ arrogantia, profitentium, quemadmodum cauſa inferior dicendo fieri poſſet ſuperior. 130.b
Græci Oratores multi inepti. 87.b
Græci qui de memoria ſcripſerunt, reprehenduntur. 20.a
Græci divinos honores tribuebant iis qui tyrannos occiderant. 556. b. *multos homines, pro diis coluere.* 1143. a. *ſummam eruditionem cenſebant ſitam in nervorum vocumque cantibus.* 1052. a. *geometria apud illos in ſummo honore.* ibid. *morbos tolerantur ferebant, hoſtem adſpicere non poterant.* 1074.b
Græcis jusjurandum jocus eſt, teſtimonium, ludus. 424.a.
Græcorum genera tria, Athenienſes, Æoles, Dores. 429.b
Græcorum levitas. 1016. a. *lex in conviviis: Aut bibat, aut abeat.* 1110.b. *libri de ridiculis.* 101.b
Græcorum Oratorum diligentia in ſcribenda hiſtoria. 89.b. 90.a. *Oratorum catalogus.* 130.b
Græcia eloquentiæ ſtudio ſemper floruit. 68.b. 130.b. *licentiâ concionum concidit.* 424.b. *verborum inops.* 1070.b
Græco more bibere. 236.b
Græcoſtaſis. 941.b
Græculi contentionis cupidiores quàm veritatis. 70.b
Græculus otioſus & loquax. 74.a
Grandiloquus. 1107.a
Granii feſtivum conſilium patrono malè datum de mulſo frigido bibendo. 106.b
Gratia, quid? 56.b. 65.b
M. Gratidius factus ad dicendum. 140.a
Gratitudo omnium virtutum mater. 490.a
Gravedinoſus. 1089.b
Gravius ſpoliari fortunis, quàm non augeri dignitate. 483.b
Gruum admirandus volatus formâ triangulari. 1135.a
Gurguſtium. 538 b. 1113.b
Guſtatus ſenſus. 1136.b. 1137.a
Gygis Lydi Fabuloſa hiſtoria, ejuſque annuli interpretatio. 1245.a,b
Gymnaſiorum inventio. 87.b
Gymnaſium Ptolomaium. 1039.a
Gypſatus: manus gypſatiſſima. 692.b

H.

Habet magnum dolorem, unde cum honore deceſſeris, eodem cum ignominia reverti. 422.b
Habitus animi duplices. 182.b
Habitus, perſonarum attributum. 41.b
Hadrianus prætor improbus ob avaritiam Uticæ domi ſuæ vivus exuſtus. 237.a.
Halethes, amnis. 696.a
Hamilcar ſomniavit poſtridie ſe Syracuſis cænaturum. 1156.a,b. *eventus hujus ſomnii.* ibid.
Hannibal Carthagine expulſus Epheſum ad An-

ad Antiochum venit. 91.b. *Phormionem Peripateticum ſuſius de re militari diſſerentem irriſit.* ibid. *ejus ſomnium de Junone, oculi amiſſionem ipſi minitante ob violatam columnam auream.* 1156.a. *aliud ſomnium de concilio deorum, & vaſtanda Italia.* ibid.
Harmodius. 1065.b
Harpagi Medi fortitudo in cæde filii ab Aſtyage occiſi, & in epulis appoſiti. 1295.a
Haruſpex haruſpicem videns ridet. 1117.b
Haruſpicina. 1168.a
Haruſpicum ars divina. 1124.a
Haſtæ amentatæ. 84.a. 147.b.
Havere, pro deſiderare. 803.b.910.a
Hecate dea matre Aſteriâ nata. 1144.a
Hecatonis Rhodii philoſophi libri de Officiis. 1247.b.1250.a
Hector moriens Achilli propinquam mortem denuntiat. 1158.a.
Hector Marianus. 677.a
Hecubæ, Priami uxoris, gravidæ ſomnium de ardente face quam peperiſſet. 1155.a. *hujus interpretatio.* ibid. *cur in canem converſa fingatur.* 1083.b
Hedrychus. 1081.a,b
Hegeſiæ Cyrenaici diſputationes de morte à Ptolemæo regem ſcholis prohibitæ. 1061.b. *liber* ἀπὸ καρτερῶν. 1061.b.
Heletes fluvius. 928.a
Helice, ſtella. 1133.a
Heliopolis. 1144.b
Hellanicus. 89.b
Helmius Mancia. 105.a
L. Helvius Lamia. 104.b
Hemicillus. 906.b
Heraclea pocula. 297.a
Heraclidis Pontici opinio de Deo & mundo. 1114.b.1098.a
Heraclii Syracuſani à Verre hæreditate defraudati hiſtoria. 250.a
Heraclitus Tyrius philoſophus. 978. *cognomento* σκοτεινὸς *dictus, quod de naturâ nimis obſcurè memoraret.* 1007.b. *dixit ignem eſſe materiam mundi.* 992.b. *ſcitum de Epheſiis Hermodorum urbe expellentibus.* 1108.b
Herbarum & ſtirpium quarundam utilitates. 1138.b
Hercules & Liber ad ſervandum genus humanum opes ſuas contulerunt. 1028.b
Hercules ſex diverſi, eorumque genealogia. 1143.a,b. *quintus qui Belus dicitur in Indiâ cultus.* ibid.
Hercules Deus. 1055.a
Herculis ærumnæ. 1020.b. *fortitudo.* 1092.a. *furentis homicidia apud Euripidem.* 988.b
Hercules in bivio. 1224.b
Hercules in monte Oeta magnitudine dolorum ejulans. 1068.b
Hercules Xenophontius voluptatis contemptor. 676.a
Herculeus nodus. 845.a
Herculis Indicis fanum unde appellatum. 1156.b. *templum & ſimulachrum apud Agrigentinos.* 303.b
Here, pro heri. 915.b
Hereditas quomodo verè definiatur. 172.b.
Hereditas optima quænam relinquatur liberis à patribus. 1225.a
M. Herennius, orator. 140.a
Herillii, philoſophi. 116.a
Herillus, Zenonis auditor, ſummum bonum in ſcientia & cognitione ponit. 994.a. 1034.a. 1048.a. 1011.a
Hermæ ſepulcris imponebantur. 1203.a
Hermagores Oratoris materiam in Cauſam & Quæſtionem diviſit. 36.b. *hæc opinio improbatur.* ibid. *Generis controverſiam in* IV. *partes diviſit.* 37.a. *reprehenditur hæc opinio.* ibid. *tranſlativam conſtitutionem inveniſſe exiſtimatur.* 38.a. *digreſſionem partem Orationis ſtatuit.* 48.b
Hermetes treis cauſarum conſtitutiones fecit, alii quatuor. 4.a. *Tullii doctor in arte oratoria.* ibid.
Hermodorus. 71.b
Herodoti & Thucydidis diverſa ſcribendi genera & qualia? 155.b
Herodoti hiſtorici laus. 90.a. *oratio numero caruit.* 166.b
Heſiodi præceptum de reddendis majore menſura iis, quæ utenda accepimus. 130.a. *Theogonia.* 1114.b. *quando floruerit.* 1051.b
Hierocles Alabandæus, Meneclis frater, orator Græcus. 93.a. 152.a
Hierocles & Menecles Aſiaticorum Rhetorum principes. 170.a
Hieronymi Rhodii ſententia de ſummo bono. 1006.b. 1007.b. *de voluptate.* ibid.
Hieronymus, Peripateticus, in primis nobilis. 167.a. *ſtatuit finem bonorum eſſe, vacare omni moleſtia.* 994.b. 1010.b. 1048.a. 1068.a
Hilare. 647.b
Hilarulus. 930.a
Hilarus. 819.b.1050.b
Himera Siciliæ oppidum, a Carthaginienſ. deletur. 255.a. *ejus ſtatua in muliebrem figuram habitumque efformata.* ibid.b
Hippias Eleus gloriatus in ludis Olympiis, nihil eſſe in ulla arte omnium rerum, quod ipſe neſciret. 120.b. *dicendi magiſter.* 130.b
Hippias Piſiſtrati filius, arma contra patriam ferens, in pugna Marathoniaca cæditur. 857.b
Hippocentaurus (nunquam fuit) 1062.b 1123.b
Hippocrates Cous, medicus. 121.a. *deſperatis vetat adhibere medicinam.* 931.a
Hannibal Carthagine expulſus Epheſum
Hippolytus mulierum oſor. 1089.b
Hipponactei verſus. 167.a
Hirudo ærarii. 779.a
Hirundinum comparatio cum falſis amicis. 32.b
Hiſtoria, quid? 3.a. 40.a. *nihil aliud, niſi Annalium confectio.* 89.b. *eſt teſtis temporum, lux veritatis, &c.* 88.b
in Hiſtoria nihil dulcius purâ & illuſtri brevitate. 147.a
Hiſtoriæ leges & fundamenta. 90.b
Hiſtoriæ ſcriptio quæ deſideret. 1187.a
Hiſtoriarum cognitio ad eloquentiam comparandam neceſſaria. 68.b
Hiſtoriarum ſcriptori ſatis eſt, non eſſe mendacem. 89.b
Hiſtorica narratio ut differat ab oratione. 157.b
Hiſtoricorum Græcorum eloquentiſſimorum catalogus. 90.a
Homeri delubrum apud Smyrnæos. 447.a. *præco virtutum Achillis.* ibid.b. *tempora etſi incerta, fuit tamen multis annis ante Romulum.* 131.b. 1020.a. *ante Romam conditam floruit.* 1051.b. *ejus venia.* 1055.b. *cur principibus Heroum certos deos diſcriminum comites adjunxerit.* 1139.a,b. *cæcus fuit.* 1109.b. *ejus fabula de raptu Ganymedis.* 1059.a
Homines ad virtutes apti nati. 1030.a. *ad agendum nati.* 1046.b. *ad deos nulla re propius accedunt quàm ſalutem hominibus dando.* 571.b
Homines hominum cauſa generati. 1213.a
Homines fanci. 1306.a
Homines mala magis fugiunt, quàm ſequuntur bona. 183.b. *olim paſſim in agris beſtiarum more vagabantur.* 35.a. *deinde ex feris manſueti redditi.* ibid.b. *qua re beſtiis maxime præſtent.* 36.a. *multò plura judicant odio, aut amore, aut cupiditate, &c quàm juris norma, aut veritate.* 98.a
Homini naturâ ingenita cupiditas veri inveniendi. 1011.b. *nihil horribile accidere poteſt præter culpam & peccatum.* 681.b
Hominis admiranda fabrica ſecundum partes deſcripta. 1136.a.
Hominum genera duo, agreſte & politum. 183.b
Hominum cauſa, omnia quæ in mundo ſunt, facta. 1137.b. 1138.a. *præſtantia præ beſtiis.* 1138.a. 1188.b. 1189.a
Hominum ingenia cur hebetiora in unâ quàm aliâ regione. 1124.b.1127.a
Homo frugi omnia rectè facit. proverb. 1091.a
in Homine alia optanda, alia laudanda. 110.a

Hom.

Homo luteus. 271.a
Homo ad duas res natus, intelligendum & agendum. 1010. b. *eſt quaſi mortalis deus.* ibid. *in quibus differat à beſtiis.* 1011.b. *corpore & animo conſtat.* 1043. a. *in quibus ceteris animantibus præſtet.* 1019. b. *ortus ad mundum contemplandum.* 1136.b. *in quo maxime à bellua differat.* 1211.b
Homuncio. 1053.b
Homunculus. 1104.a.1147.b
Honeſta nomina turpiſſimis rebus imponere, quid? 261.a
Honeſta propriè quæ dicantur? 1046.b
Honeſtas omnis à quatuor partibus manat, & quænam illæ partes. 1229. a,b
Honeſti & decori differentia. 1221. b 1222.a
Honeſtum cauſæ genus. 38.b
Honeſtum quid? 65. a. *eſt ſimplex & cum utilitate junctum.* ibid. a, b. 1011.b. 1012.a
Honeſtus, quis? 148.b
Honor, præmium virtutis. 148.b
Honoris templum. 1128.b
Honorum gradus ſummis & infimis hominibus ſunt pares, gloriæ diſpares. 487.b
Honos verè qui? 715.a
Honos ubi publicè non eſt, gloriæ cupiditas eſſe non poteſt. 387.a
Honos alit artes, &c. 1052 a
Horatii Coclitis Fortitudo in ponte hoſtibus reſiſtentis, à tergoque pontem interſcindi jubentis. 1195. a. 1278.b
Horatii Pulvilli fortitudo in ferenda filii morte. 1296.a
Horatius ſororem Curiatii ſponſi mortem moleſtè ferentem occidit. 57.b
Horridulus. 783.a
Q. Hortenſius, orator. 144.b. 150.a,b. & ſeqq. *ejus mors deplorata.* 129.a. *celebris ob memoriam.* 1058. b. *cur in dicendo adoleſcens magis floruerit, quàm ſenior.* 152.a
Hortum agricolæ ſuccidiam alteram *appellant.* 1261.b
Hoſpitalitas à Theophraſt. laudata. 1238.b
Hoſtia maxima parentabatur. 1201.b
Hoſtilia Curia. 1039.a
Hoſtis Tullii temporibus appellabatur perduellis, olim peregrinus. 1215.a
Humana ſocietas. 1047.a,b
Humari dictum, quod humo tegantur corpora. 1055.b
Humile cauſæ genus. 38 b
Hyades ſtellæ unde ſic dictæ. 1133. b. *Latinis ſuculæ.* ibid.
Hydrus, untis, (oppidum agri Salentini) 922 a
Hypallage Rhetorum. 159 a
Hypanis fluvius. 1062. b. *apud hunc beſtiolæ naſcuntur, quæ tantum unum diem vivunt.* ibid.
Hyperbole, quid? 173.b
Hyperboli Athenienſis improbitas veteribus Atticorum comœdiis notata. 144.a
Hyperides Orator acutus & ſubtilis. 92. b. 114. a. 131.a. 133.a. 159.a. *perfectus & perpolitus in dicendo.* 71.b. 131.a.
Hypotheſis quid? 176.b.
Hyrcani canes nobiles. 1063.b
Hyrcani alunt canes, à quibus mortui laniantur. 1064.b
Hypſeus. 78.a

I.

JActatio eſt voluptas geſtiens & ſe efferens inſolentius. 1089.a
Ialyſi Rhodii pulcritudo. 153.a
Iambus, pes. 166.b. 167.a
Ianus princeps in ſacrificando. 1129.b. *dictus ab eundo, quòd tranſitiones perviæ dicantur* Jani *& fores ædium* Januæ. ibid.
Ibes aves quales. 1120.b. *cur ab Ægyptiis cultæ.* ibid.
Ibici Regini amor libidinoſus. 1095.a
Idæa ſacra. 1047.a
Ideæ Platonis. 153.b.974.b.
Id ipſum eſt ſummi oratoris, ſummum oratorem populo videri. 141.b
Id maxime quemque decet, quod eſt cujuſque ſuum maximè. 1224.a
Iecur, ejuſque portæ ac munus in homine. 1136.b
Iecuſculum. 1168.a
Igniculi viriles. 923.a
Igniculi virtutum. 1041.b
Ignis noſter eſt conſumtor omnium, & qui differat ab igne cœleſti ſive æthereo. 1126.b
Ignis nullus ſine paſtu aliquo poteſt permanere. 1126.b
Ilias malorum. 847.a
Illexe, pro illexiſſe. 1146.b
Illim. 881.a
Imago, figura exornationis ſententiarum. 32.b. *hæc ſumitur aut laudis aut vituperationis cauſa.* ibid.
Imago in negotio quid? 43.a
Imagines artificioſæ memoriæ. 19. a. *duplices, rerum & verborum.* ibid. b *quales eæ debeant eſſe, qualiterque diſpoſitæ.* ibid. & 20.a
Imbecillus. 1012.b
Imbres lapidei. 1161. a. *lactis.* ibid. *terræ.* ibid. *ſanguinis.* ibid.
Imitatio Oratoria, quid ſit? 1.b
Imperator, eſt belli gerendi adminiſtrator. 81.b
Imperatoris comparatio cum palæſtrita. 32.a
Imperii nomen grave. 382.a
Impetratum eſt à conſuetudine, ut peccare ſuavitatis cauſa liceret. 163.a
Impetrire. 1168.b
Impetritum. 826.a
Impigritas. 1315.b
Improbi qui pecunias contra leges cogunt, ſtulti, qui, quod licere judicatum eſt, prætermittunt. 291.b
Impudentiæ fanum apud Athenienſes. 1197.b
Impulſio, quid? 52.a
Inanimum eſt, quod pulſu agitatur externo. 1057.b
Inæſtimabile quid ſit? 1023.a
Inapparatio. 7.a
Inaudire. 923.a
Incolumitas, quid? 66.a
Incudem eandem diem noctemque tundere, proverb. 97.a
Incurſare. 892.b
Incurviſcere. 1059.b
Indiæ mulieres uni viro nubunt plures, quarum ea, quæ virum plurimum dilexit, defuncti rogo, viva lætaque imponitur. 1105.b
Indiæ ſapientes nudi ætatem agunt & hyemalem vim perferunt ſine dolore, & flammam ſine gemitu. 1105.b
Indigentia eſt libido inexplebilis. 1089.a
Indignatio in concluſione quomodo tractanda. 49.a. *hujus* xv. *loci.* ibid.
Indiligentia. 938.a
Inductio, Græcè ἐπαγωγὴ, *quid ſit?* 43.a. 44.a. 173. b. *Socrati ejuſque aſſeclis familiaris.* ibid.
Indus fluminum omnium maximus. 1135.b
In eadem navi eſſe, proverb. 650.b
Ineptiarum Oratoriarum quæ maxima. 87.b
Ineptus, nomen unde ducatur? 87.a,b. *hoc verbum Græci non exprimunt.* ibid.
Inermus. 726.b
Inertes qui dicantur? 1020.a
In exordienda cauſa quid ſervandum? 3.a
Infantiſſimus. 8.b
Infantius, comparat. ab infans. 950.b
Ingenii acuti & hebetis differentia. 1090.a,b. *Ingenii humani acies nulla tanta quæ penetrare in cœlum, terram intrare poſſit.* 993.a
Ingenii magni eſt revocare mentem à ſenſibus, & cogitationem à conſuetudine abducere. 1056.a
Ingenii nomine quæ comprehendantur. 1043.b
Ingeniis nihil feracius, præſertim iis, quæ diſciplinis exculta ſunt. 156.a
Ingenioſi propriè qui dicantur. 1043.b
Inhoſpitalitas quid? 1089.b
Injuſſu. 1060.a
Injuſtitiæ genera duo. 1213 a
Injuſtiſſimum eſt injuſtitiæ mercedem quærere. 1191.b
Inimicitia eſt ira ulciſcendi tempus obſervans.

obſervari. 1089.a

Inimicitiæ tacitæ & occultæ magis timendæ, quam indictæ & apertæ. 326.b.

Inimicitius. 661.a

In morbis corporis, ut quiſque eſt difficillimus, ita optimus Medicus quæritur: in periculis capitis, ut quæque cauſa difficillima eſt, ita deterrimus patronus quæritur. 358.a

Innocentia, affectio animi quæ noceat nemini. 1077.a

Ino, Cadmi filia, Græcis Leucothea, Romanis Matuta dicta. 1055.a.1144.a

In, præpoſitio, privat verbum eâ vi, quam haberet, ſi IN præpoſitum non fuiſſet. 174.a

In omni arte, cujus uſus non vulgaris, multa ſemper novitas nominum. 1021.a

In omni diſciplina infirma eſt artis præceptio, ſine exercitationis aſſiduitate. 20.b

In omnibus rebus eſt aliquid optimum etiamſi lateat. 155.b

In præſtantibus rebus magna ſunt ea quæ ſunt optimis proxima. 153.a

In quo virtus ſit, ei nihil deeſſe ad beatè vivendum. paradox. Tull. II. 1279.a

Inſania quid ſignificet? 1076.a

Inſanitas. 1076.a

Inſidiæ nullæ ſunt occultiores, quàm eæ quæ latent in ſimulatione officii, aut in aliquo neceſſitudinis nomine. 234.a

Inſinuatio genus Exordiorum alterum. 2. a. *quando eâ utendum?* ibid. *&* 38.b. 39.a

Inſinuatio & Principium ut differant? 3.a

Inſipientia, animi inſanitas. 1076.a. *maximum malum.* 1084.a

In ſolum venire: quodcunque in ſolum venit, ut dicitur. proverb. 1117.a

Intellectio, figura exornationis verbor. 28.b

Intelligens imperito quî præſtet? 142.a

Intelligentia quid? 65.a

Intemperantia eſt omnium perturbationum fons. 1089 a

Interareſcere. 1101.b

Inter cæſa & porrecta, proverb. (Dicitur de ipſo temporis articulo, 818.b

Intermundia. 1015.a

Interpretatio, figura exornationis verborum. 24.b. 27.b

Interrogatiunculæ. 1030.b

Inventio Oratoris quid ſit? 1.b. 36.b. 37. a. *in ſex partes orationis conſumitur, & in quas.* ibid. *prima & difficillima eſt.* 6.a

Invidentia. 1077. b. *&* 1078. b. 1088.b. *ut differat ab invidia.* 1077.b

Invidia virtutis comes. 27.a

Invita Minerva aliquid facere, proverb. 657.a. 1223.b

Iocandi genus duplex. 1222.b

Iocus. vide facetiæ.

Iove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas. 1169.a

Iovem Lapidem jurare. 694.a

Ioves plures diverſi fuerunt. 1143. a,b. *tres præcipui à Theologis nominantur.* 1144.b

Iovis Capitolini alia ſpecies, alia Ammonis Afris. 1119.a

Iovis Olympii ſimulacrum. 153.a

Iovis ſtella, Græcis φαέθων. 1128.a

Iovis Urii fanum. 546.b

Iphigenia Aulide immolata, ut ejus ſanguine hoſtium ſanguis eliceretur. 1065.b

Ira, ejuſque definitio. 1089. b. *eſt initium inſaniæ.* 1092.b

Iracundia & ira differunt. 1089.b

Iracundiæ definitio. 1076.b. *cum maximè animum movet, tum diligentiſſimè lingua continenda.* 936.b *eſt quaſi cos fortitudinis ſecundum Peripateticos.* 995 a

Iris dea, Thaumante nata. 1144.b

Ironia quatenus ab Oratore uſurpanda. 105.a

Irrauſerit. 85.b

Iſara flumen. 720.b

Iſis. 1144.a

Iſocrates Ariſtotelis contemporaneus. 51.a. *pudore à dicendo & ingenua timiditate refugit.* 86.b.87.a. *magiſter omnium Oratorum, è cujus ludo, tanquam ex equo Trojano, meri principes exierunt.* 92. b. *Orator ſuavis.* 114.a. 116. a. *in Theopompo ſe frenos, in Ephoro calcaria adhibere dixit.* 114.b. 142.b. 824.a. *primus orationem in verſus diſtinxit.* 124.a. 165.b *ejus domus cunctæ Græciæ quaſi ludus quidam & officina dicendi patuit.* 131.a.155.b. *aliis orationes ſcripſit, quibus in judiciis uterentur.* 132.a. *ejus Panegyricus.* 155.b. *librum ad Philippum Macedonem ſcripſit.* 166.a. 188.a. *Panathenaicum ſcripſit* XCIV. *anno ætatis, vixitque quinquennio poſtea.* 155.b.1255.b.

Iſtim. 843.a

Italia quondam referta erat Pythagoreis. 96.b

Ithaca, aſperrimis ſaxulis, tanquam nidulis, affixa. 80.b

Iucundi acti labores. 1019.a

Iudex bonus nemo eſſe poteſt, qui ſuſpicione certa non movetur. 317.a

in Iudice quænam ſpectanda? 577.a

Iudicatio quid? 38.a

Iudicatum quid in Iuridiciali cauſæ conſtitutione. 9.a.56.b.65.b

Iudicatum in negotio quid ſit, idque triplex. 43.a. *quomodo infirmandum.* 46.b.

Iudicia omnia aut diſtrahendarum Controverſiarum aut maleficiorum puniendorum cauſa reperta. 334.a

Iudiciale cauſæ genus. 1. b. *multo difficillimum.* 6 a

Iudiciale cauſæ genus. 36. b 184. a,b. & ſeqq.

Iudicialis generis finis æquitas. 65.a

Iudicii & Arbitrii diſcrimen. 214.b

Iudicii quæſtio, ſive Iudicatio, unde naſcatur & conſtituatur in juridiciali conſtitutione. 5.b

Iudicis ſapientis officium. 369.b.1237.a

Iudicium veri, & finis bonorum, duo maxima in Philoſophia. 981.a

Iugulare civem, ne jure quidem quiſquam bonus vult. 195.b

Iugulare plumbeo gladio, proverb. 778.a

C. Iulius, L. F. orator. 140.b

C. Iulii & L. Iulii fratrum, capita in Roſtris poſita. 112.b

T. Iunius, L. F. orator. 141.a.

Iuno unde ſic dicta? 1129. a. *eſt Iovis conjux & ſoror.* ibid. *Stoicis eſt aër interjectus inter mare & cælum.* ibid.

Iuno Lucina curà parientibus invocata. 1129.b

Iuno Moneta unde ſic dicta. 1161.b

Iunonis Samiæ fanum. 235. a. 304. b.

Iuno Soſpita. 422. b. 1118. b. *ejus templum reſtitutum, Ceciliæ, Balearici filiæ, ſomnio.* 1161.a

Iunonius puer. 963.a

Iupiter, id eſt juvans pater, à juvando ſic dictus. 1129. a. *Euripidi eſt æther.* ibid.

Iupiter barbatus. 1119. a. *Feretrius.* 967. b. *Hoſpitalis.* 572. b. 945. a. *Mitianus.* 713.a. *Olympius.* 1071.a. *Optimus Maximus, & cur ita dictus?* 1028. b. 1129. a. *Stator.* 396. a. 585.b.635.b

Iurare morbum. 772.a

Iurans tenebatur, ſi ſciens falleret. 996.b

Iure facta quomodo ab Oratore defendantur. 93.b

Iurgare. 1316.b

Iuri nihil tam inimicum quàm vis. 336.b

Iuridicialis conſtitutio. 4. b. *&* 37. b. *hujus partes duæ, una abſoluta, altera aſſumtiva.* ibid. *abſolutæ exemplum.* ibid. *Aſſumtivæ partes quattuor: conceſſio, remotio criminis, tranſlatio & comparatio.* ibid.

Iuridicialis cauſæ conſtitutio bipertita. 4.b. 56. b *abſoluta, quæ?* ibid. *aſſumtiva, quæ, ejuſque partes quatuor.* 57.a 60.b.

Iuridicialis cauſæ conſtitutio abſoluta quomodo tractanda. 9.a.

Iuris civilis finis. 80. a. *mira delectatio & ſuavitas.* 80.a.

Iuris interpretatio, ſenectuti glorioſa. 80.b.

Iuriſconſulti domus, oraculum totius civitatis. 80.b

Iuriſconſultus quis verè nominandus. 81.b

Ius

Ius applicationis. 79.a
Ius ex quibus partibus conſtet. 9.a.
Ius naturâ, quid? 9.a. 56.b. lege. ibid. conſuetudine. ibid. judicato. ibid. æquo & bono. ibid.b. ex pacto. ibid.
Ius Civile, quid? 340.b. eſt æquitas conſtituta iis, qui ejuſdem civitatis ſunt, ad res ſuas obtinendas. 171.b
Iusjurandum religioſè à Romanis obſervatum. 1252.b
Iuſtitia & Verecundia ut differant. 1222.b
Iuſtitia, quid? 15.a.65.a.182.b. hujus partibus quando utemur in dicendo. ibid.
Iuſtitia, quid? 182.b. 1002.b. 1003.a. 1143.a. 1191.b. 1212.b. 1235.b. 1047.b. non poteſt ſervari niſi à forti & ſapiente viro. 1047.b
Iuſtitium. 812.b
Iuventas Diis pocula miniſtrat. 1059.a
T. Iuventius, orator. 140.b

K.

KArthaginis deſcriptio. 386.b
Karthagenienſes fraudulenti & mendaces. 387.b
Karthago filia Herculis, ex Iove & Aſteria nati. 1143.b

L.

LAbare. 1029.b. 1036.a. 1060.b.
Labor ejuſque definitio. 1070.b
Laborare & dolere, ut differant. 1070.b
Laborioſa non ſtatim præclara. 21.b
Lacænarum matronarum fortitudo & conſuetudo vulnera filiorum in prælio cæſorum inſpiciendi. 1296.b
Lacænæ virgines variis laboribus aſſuefactæ. 1070.b
Lacedæmones juſſerunt nervos, quòd plures quàm ſeptem haberet, in Timothei fidibus demi 1199.b
Lacedæmone honeſtiſſ. domicilium ſenectutis. 162.b.
Lacedæmonii cujuſdam ad mortem ducti ſcitum de mortis contemtu. 1063.b. alterius reſponſum gloriabundo hoſti Perſadatum. ibid.
Lacedæmonii in Thermopylis occiſi. 1063.b. DCC. annos unis moribus & nunquam mutatis legibus vixerunt. 429.b. regibus ſuis in publico conſilio augurem aſſeſſorem dederunt. 1161.a
Lacedæmoniis armorum ſonitus in Herculis fano, &c. Leutricam calamitatem portendit. 1159.a
Lacedæmoniorum adoleſcentium incredibilis contentio certandi. 1105.b
Lacedæmoniorum reſponſum ad minas regis Philippi. 1101.b
Lacenæ dictum de filio in prælio occiſo. 163.b
Lacerat lacertum Largii mordax Memmius. 102.a
Lachryma nihil citius areſcit. 50.b. cujus dictum. ibid.
Lachryma cito areſcit, præſertim in alienis malis. 181.a
Laconis vox ad Diagoram Rhodium, Nobilem Olympionicem. 1065.a. dictum ad mercatorem de multis navibus gloriantem. 1102.b
Lacydes philoſophus Arceſilæ diſcipulus. 979.a
Ladas curſor præſtantiſſimus. 21.a
C. Lælii & Scipionis collatio. 134.a,b. eorum memorabilis amicitia. 1265.b. 1267.b. otium quale? 87.b
C. Lælius dicendi gloria præſtitit. 71.b. 72.a. 96.b. 114.a. ejus facetum dictum. 106.a. eloquentia. 134.a. augur. 1140.a. cur ſapiens dictus. 1009.a. ei idem ſemper vultus, eademque frons. 1221.b
C. Lælius & Q. Cæpio, Coſſ. 139.b
Lætiſcere. 1059.b
Lætitia, quid, ejuſque definitio. 1078.a,b. 1088.a. ut differat à gaudio. ibid.
Lætitia eſt præſentium bonorum, libido futurorum. 1088.a
Laius apud Euripidem. 1095.a
Lamentatio eſt ægritudo cum ejulatu. 1088.b
Lampſacum oppidum in Helleſponto. 236.a
Lampſacenorum laus. ibid.
Lanuvium, oppidum Italiæ. 921.a
Laodicea, urbs. 737.a
Largitio fundum non habet, proverb. 1237.b.
Largitio eſt corruptela. 1237.a. ejus incommoda. ibid.
Largitionem ſequuntur rapinæ. 1237.b
Largorum genera duo, alteri prodigi, alteri liberales. 1237.b
Lartes Tolumnius, Rex Vejentum, IV. legat. Rom. Fidenis interemit. 609.b
Laternarius. 539.b
Latiar. 943.a
Latine dicendi prima maturitas in qua ætate exſtiterit. 139.b
Latinè ſcire, non tam præclarè, quàm turpe neſcire. 138.a
Latinitas elocutionis quid ſit? 23.b. hujus vitia Solæciſmus & barbariſmus. ibid.
Latmus mons Cariæ. 1062.b
Latona dea. 1144.a. in urbe Delo Apollinem ac Dianam peperit. 234.b.
Laudabile quid ſit? 15.b. cur à Recto ſeparatum ſit. ibid.
Laudanda omnia quæ cum virtute conjuncta ſunt, quæ vero cum vitiis vituperanda. 182.a
Laudandi & vituperandi loci quomodo tractandi. 110.b. 182.a. & ſeqq.
Laudes clarorum virorum carminibus decantatæ in epulis à ſingulis convivis. 1087.a
Laureolam in muſtaceo quærere. 819.b
Laus poteſt eſſe rerum externarum, & corporis & animi. 15.b. Rerum externarum quæ. ibid. corporis quæ? ibid. animi quæ? 16.a
Laus vera uni virtuti debetur. 110.a
Laus ea jucundiſſima, quæ ab iis proficiſcitur, qui ipſi in laude vixerunt. 762.b
Laus & charitas, vitæ ſine metu degendæ præſidia firmiſſima. 1001.a,b
Lautumiæ, carcer Syracuſanus. 231.b. 317.a. 324.b
Legati nomen ejuſmodi eſſe debet, quod non modo inter ſociorum jura, ſed etiam inter hoſtium tela incolume ſit. 239.a
Legatio votiva. 803.a
Leges annales. 601.a
Leges cur inventæ & conſtitutæ. 1235.b 1236.a
Leges XII. tabull. furioſum rerum ſuarum dominum eſſe prohibuerunt. 1076.b
Leges duæ ſi inter ſe diſcrepent, quid agendum? 8.b
Leges frumentariæ. 791.b. viæ. 1198 b. Tabellariæ quatuor. 1208.a
Legum civilium enumeratio. 1204.a,b
Legum comparatio cum Medicina. 15 a. omnes ſcriptæ Reip. cauſa. ibid b
Legum contrariarum in legitima cauſæ conſtitutione controverſia. 4.a
Legum pontificiarum ſive religioſarum catalogus. 1196.a,b
Legitima cauſæ conſtitutio. 4.a. 8.a,b. dividitur in ſex partes. 4.a
Legio Martia. 601.a. Quarta. ibid.
Lentiſcus triplici flore tria arandi tempora monſtrat. 1151.b
Lentitudo. 1091.b
Lenocinari. 222.b
C. Lentulus Marcellinus, diſertus. 146.a
Cn. Lentulus & L. Gellius Coſſ. 256.a
Cn. Lentulus, orator. 145.a
L. Lentulus & C. Figulus Coſſ. 134.a
L. & P. Lentuli, oratores. 147.b
L. Lentulus eloquens. 134.a
P. Lentulus diſertus. 133.b. 136.a. 138.a. 145.a
Leo, ſidus cæleſte. 1133.b
Leocorion delubrum apud Athenienſes. 1144.a
Leonidæ ducis animoſa oratio ad milites, ſe apud inferos fortè cœnaturos. 1063.b. fortitudo. 1013.b. 1018.a. 1065.b
Leontium meretricula contra Theophraſtum ſcribere auſa. 1120.a
M. Lepidus & L. Oreſtes, Coſſ. 136.a
Lepidus & Mancinus Coſſ. 136.a
M. Lepidi lepidum optatum. 106.a. reſponſum. ibid.b
M. Lepidi laus. 600.b
Lepus, ſidus cæleſte. 1133.b
Leſſus, lugubris. 1202.b
Leucas (quondam Neritus, urbs Leucadiæ peninſulæ.) 7[illegible].a

Leucippus philoſophus dixit plenum & inane eſſe materiam mundi. 992.b
Leucopetra, promontorium. 576.a
Leucothea, ſive Ino, ejuſque filius Palæmon. 1143.a
Leuctrica calamitas. 1234.a
Leuctricæ pugnæ gloria ſempiterna. 1064.b
Levi brachio aliquid agere. proverb. 810.a
Leviculus. 1108.b
Lex, ejuſque definitio. 1188.a. Græcis à ſuum cuique tribuendo, noſtris à legendo dicta. ibid.
Lex de furioſo 4.b. 64.a. de parricida. 4.b. de legato patris familiâs. ibid. & 64.a. de hereditate patris familiâs qui inteſtatus moritur. ibid. de eo qui tyrannum occiderit. 63.b. de tyranni occiſi quinque cognatione proximis occidendis. 64.a. de naufrago. ibid. b. de pecuniis repetundis. 220.b. 228.b. 289.a. 1240.a.
Lex Æbutia. 379.b. Acilia. 229.b. 232.b. Ælia & Fufia. 512.b. 779.a. Ælia Sentia. 171.b. Agraria. 55.a. 374. & ſeqq. 781.b. 782.a. Alimentaria. 702.a,b. ambitus. 417.a. 514.b. Annalis. 104.b. Apuleia. 93.b. 100.a. Aquilia. 137.b. Atinia. 241.a. Aurelia. 940.a. 1307.a. Cæcilia & Didia. 461.b. 462.b. Calpurnia. 417.a. 1306.b. Campana. 791.a.
Lex Caſſia. 1270.a. 1307.a. Centuriata. 380.a. Cincia de donis & muneribus. 1255.a. Coctia. 811.a. Cornelia Majeſtatis. 542.b. 659.a. 241.a. Curiata. 380.a. 648.b. 787.a. 812.a. 950.a. 954.b. Fabia de Sectatoribus. 420.a. Fabia. 392.a. Fufia de religione. 777.b. 809.b. de Teſtamentis. 532.a. Gabinia. 821.b. 1270.b. Hieronica Siculorum. 249.b. 268.a. 281.a. Iudiciaria. 598.a. Iulia de pecuniis repetundis. 542.b. 560.b. 919.a. Iulia de civitate Latinis danda. 532.a. 820.b. 655.b. 954.b. Iunia. 809.b. Latoria. 1147.a. 1247.b. Licinia & Iunia. 514.a. Licinia & Mucia. 133.a. 1306.a. Licinia. 379.b. 700.a. 809.b. Manilia. 137.b. 1192 b. Nummaria. 241.a. Papia. 535.b. 811.a. Papiria. 470.b. L. Piſonis de pecuniis repetundis. 136.a. Plotia. 1307.a. Pompeia 151.b. 906.a. Porcia. 392.a. Pupia. 640.b. 945.b. Remmia. 205.a. Roſcia. 791.b. Rupulia Siculorum. 255.b. 250. a,b. Scantinia. 705.b. Sempronia frumentaria. 141.a. 380.b. 459.b. 1081.b. Servilia. 102.a. 139.b. 1308.b. Silvani & Carbonis. 445.b. Sullæ. 342.b. Sumtuaria. 712.a. Syracuſanorum de Religione. 259. Tabellaria L. Caſſii. 505.a. Terentia & Caſſia frumentaria. 283.b. Teſtamentaria. 241.a. Tetia. 1198.b. Titia. 413.a. Toria. 106.a. Valeria & Cornelia de proſcriptione. 210.b. 389.b. Varia. 150.a. 702.a. 1073.a. 1308.a. Voconia de mulierum hereditatibus. 532.a. 241.a. 1012.b. 1256.a.
Libare laudem nomini ſuo ex alienis laboribus. 21.b
Liber non eſt, qui non aliquando nihil agit. 88.b
Liber, Deus, Semele natus. 1055.a,
Liber & Libera Cerere nati, unde ſic dicti? 1128.b.
Liberale nihil eſt, quod non ſit juſtum. 1216.a
Liberales qui dicantur? 1237.b
Liberalia, ſacra. 741. 824.a. 857.b. 911.b.
Liberalitatis genera duo. 1216.b
Libertas quid? 378.a. 1281.a.
Libertatis ædes. 1128.b.
Libertatis recuperatio ita præclara ut ne mors in illa repetenda ſit fugienda. 613.b.
Libido quid, & ejus definitio. 1088.a. 1078.b
T. Libo, Orator. 135.a
Librariolus. 531.b. 911.a.
Licentia, figura exornationis ſententiarum. 29.b. ea duplex. ibid.
Licentiæ templum. 1199.b
Licere dicimus id quod cuique conceditur. 1103.a
C. Licinius Calvus, orator. 148.b
C. Licinius Nerva diſertus. 137.b
L. Licinius, Q. Mutius Coſſ. 259.a
P. Licinius Varus. 103.b
Ligures, montani & duri. 387.b
Ligurino μώμῳ ſatisfacere. 819.b
Ligurrire, pro vehementer appetere. 462.a.
Lingua Latina locupletior, quàm Græca. 998.a
Lingua ejuſque uſus in homine. 1136.a. 1137.b.
Liſis fluv. 1194.b. frigidiſſimus. ibid.
Litus propriè quid? 173.a
Litteræ multijuges. 909.a
Litteras vorare. 807.b
Litterulæ. 830.a. 916.b.
Lituus, auguratus inſigne. 1153.b
Livius quando primo fabulam docuerit? 133.b. 1051.b
Loci qui? 178.a
Loci argumentorum duplices & qui? 171.b
Loci artificioſæ memoriæ. 18.b. quomodo comparandi & diſponendi. 19.a
Loci circumſtantiæ quæ in negotiorum geſtione conſiderantur. 41.b
Loci communes unde dicti. 119.a
Loci communes in amplificatione concluſionis. 13.b. 14.a. in cauſa conjecturali. 7.b. quotuplices & quomodo ſigillatim tractandi. ibid. & 8.a. in legitima cauſæ conſtitutione quomodo tractandi. 8.b
Loci communes raro Orationi inducendi. 54.b. qui incidere ſoleant in conjecturalem conſtitutionem. ibid.
Locorum ac rerum ordo & collocatio. 107.b. hujus ratio duplex. ibid.
Locorum communium duo genera. 56.b.
Locrenſis pugna cum Crotoniatis ad Sagram fl. eo ipſo die ludis Olympiæ audita eſt. 1123.b
Locus argumenti ſedes. 171.b
Locus proprius accuſatoris in cauſa conjecturali. 7.b. defenſoris. ibid.
Logica. 999.b. 1180.a
Loligines exultantes tempeſtatem marinam ſignificant. 1179.b
Lomentum aut nitrum; proverb. 706.a
Longi ſubſellii judicatio. 661.b
Longi verſus Ennio qui dicantur. 1203.b
Longinus. 85.a
Longulus: longulum iter. 930.a
Lotum habere. 696.a
C. Lucilius. 72.a
C. Lucilius, homo doctus. 88.a. hujus dictum facetum de ſcriptis ſuis. ibid.
L. Lucilius Balbus, eruditus. 139.a
Luciſcere. 761.b. 810.b
L. Lucius Cæſar, & C. Marcius Figulus Coſſ. 773.b
Lucretiæ ſtupratæ & ſeipſum interimentis hiſtoria. 1014.a
Lucretii poëmata lita ſunt multis ingenii luminibus, multæ tamen artis. 944.b
Q. Lucretius Viſpillo, orator. 140.b
Luctus, ejuſque definitio. 1088.b
Luculli laus inſignis. 976.a. 977.a.
Ludi Apollinares. 926.a. Circenſes. 795.b Gymnici. 1073.b. Iuventatis. 133.b. Matris magnæ, qui & Megaleſia dicti. 475.b. 476.a. Oſci. 690.b. publici quales erant eorumque leges. 1199.a. Victoriæ. 227.b. Pompeji, votivi. ibid. plebeji. ibid.
Ludo & joco utendum ſicut ſomno & quietibus cæteris. 1122.b
Luna, Græcis Diana. 1144.b. à lucendo nominata 1129.b. eadem cum Lucina. ibid. major quàm dimidia pars terræ. 1132.b. Solis annuos curſus menſtruis ſpatiis conſequitur. 1127.b. ejus proximus acceſſus ad Solem tenuiſſimum lumen efficit, longiſſimus digreſſus pleniſſimum. ibid.
Lunæ tres viſæ. 1161.a.
Lunæ eclipſis quomodo fiat. 1132.b
Lunæ eclipſis in Leone Dario interitum, Alexandro autem victoriam portendit. 1163.b.
Luperci, Lupercalia. 518.a. 587.b. 623.b. 945.
Lupus in fabula. 903 a
Lupus ovium cuſtos, proverb. 593.b
Lychnuchus. 951.b

Lyconis conſolatio in malis. 1085.b
Lycurgus & Solon in numero eloquentium reponendi. 71.b.92.b. 131.a
Lycurgus (ſuperior) *Lacedæmoniorum diſciplinam legibus adſtrixit.* 131.b
Lycurgus leges ſuas auctoritate Apollinis Delphici confirmavit. 80.b. 1161.a
Lynceus. 708.a
Lyrici poëtæ. 166.b
Lyſander Ephorus ob injurias privatorum poſſeſſionibus illatas à Lacedæmoniis expulſus. 1240.a
Lyſias, Græcus Orator. 92. b. 114. a. 131.a.133.a.159.a.187.b.
Lyſias philoſophus peripateticus. 1041.a
Lyſippus, ſtatuarius præſtantiſſ. 113.b. 988.a.

M.

C. MAcer, orator. 145.a
Macrocolum. 925.b
Macte virtute. 924 a
Magi genus ſapientum in Perſis. 1160.b. *non humabant corpora, niſi à feris antè eſſent laniata.* 1064.b
Magiſtratibus imperandi, civibus obtemperandi modus praſcribendus eſt. 1204.b
Magiſtratus officium. 29.a
Magiſtratus eſt lex loquens; lex autem, magiſtratus mutus. 1204.a
P. Magius, orator. 141.a
Magna eſt laus ſi ſuperiores conſilio viciſti, poſterioribus exemplum atque auctoritatem reliquiſti. 271.b
Magna laus & grata hominibus, unum hominem elaborare in ea ſcientia qua ſit profutura multis. 413.a
Magna vis eſt, magnum nomen, unum & idem ſentientis ſenatus. 594.a
Magnam vim, magnam neceſſitatem, magnam religionem poſſidet paternus maternuſque ſanguis. 206 a
Magnes ferrum ad ſe allicit. 1160.a
Magnificentia, quid? 65 b
Magni intereſt quos quiſque audiat quotidie domi, quibus cum loquatur à puero. 143.a
Magonis Carthaginienſis libri de re Ruſtica. 84.
Magorum portenta de diis. 1115.b
Majeſtatem minuere, quid? 9.a.55.a,b
Majeſtas reipublicæ quid ſit? 27.a
Majeſtas, quid? & majeſtatem minuere quis dicatur? 97.b.184.b
Major eſt virtutis victoriæque jucunditas, quam iſta voluptas quæ percipitur ex libidine & voluptate. 235.b
Majores omnes mulieres voluerunt eſſe in tutorum poteſtate propter infirmitatem conſilii. 414. a. *in dominum de ſervo quæri noluerunt.* 554.b
Malæ fortunæ ara. 1197.b
Male parta, male dilabuntur. 585.b
Malitia, & vitioſitas quomodo differant. 1090.b
Malitia quid? 1147.a
Malleolus parricidii damnatus. 4.b
Malo emere, quam rogare, prov. *unde dictum?* 294.a
Mammarum multitudo & paucitas in diverſis animantibus unde ſit? 1135.b
C. Mancini cauſa. 173.a. *propter invidiam fœderis ſine auctoritate Senatus facti Numantinis deditur.* 79. b. 83.b. 95.b. 1252.b
Mandatarii malitioſi & negligentis crimen magnum, cujuſque pœna. 209.b
Manilianæ venalium vendendorum leges. 84.b
M. Manilius. 136.a
Manium jura quæ apud Roman. & quando iis parentaretur. 1201.b
M. Manlius ab adſcenſu Capitoli Gallos repulit. 468. a. *necatus propter ſuſpicionem regni appetendi.* 590.a
Mantes, ſacerdotes apud Athenienſes. 1161.a
Manum de tabula, proverb. 697.a
Manuum compoſitio & utilitas. 1137.b
M. Marcelli prælium ad Nolam. 129. b. *Syracuſas ſumma cum moderatione cepit.* 235.a. *ejus ſtatua Syracuſis.* 251.b.
M. Marcellus ædilis curulis. 71.b
M. Marcellus quantus orator. 146.a
L. Marcius, M. Manilius Coſſ. 132.b
Q. Marcius, Cn. Servilius Coſſ. 134.a
Mare Atlanticum. 1319. a. *Magnum.* ibid.
Maria ventis agitata tepeſcunt. 1125.b
Maris & pop. Rom. comparatio. 367.a
Maris murmur ventos prænuntiat. 1151.b
Maris pulcritudo. 1132.b
C. Marius in bello civili crudelis in Q. Catulum. 1103. a. *hujus interitu vi. ſuos Conſulatus obruit.* ibid. *ejus in Minturnenſium paludibus delitefcentis hiſtoria.* 499. a. 1019.a. *ejus reliquiæ à Sulla victore diſſipatæ.* 1201. b. *augurium de reditu ſuo in patriam.* 1162.a.1279.a
Marius Gratidianus Aurata ædes vendidit, mancipium reticens, &c. 79.a
Marius & Flaccus Coſſ. 144.a
Q. Martii Regis fortitudo in ferenda filii morte. 1296.a
Marte noſtro, proverb. 1244.b
Martem ſpirare. 918.b
Martiales, Martis miniſtri. 356.b
Martis ſtella, Græcis πυρόεις. 1128.a
Maſiniſſæ Regis ſenectus viridis & vegeta. 1258.b
Maſtruca. 1309.a
Maſtrucatus. 526.a
Matellio Corinthius. 1281.b
Materia alicujus facultatis quid ſit? 63.a
Mathematici ſtudii difficultas. 68.a
Mathematicorum opinio de terra in medio mundi ſita. 1056.a.
Matuta Cadmi filia, Græcis Leucothea, quæ & Ino. 1143.a
Mavors. 1146. a. *ſic dictus qui magna verteret.* 1129.b
Maxima illecebra peccandi impunitatis ſpes. 553.a
Q. Maximus. 133.b
Maximus in Rep. nodus eſt inopia rei pecuniariæ. 960.b
Medeæ excuſatio apud matronas Corinthi de ſuo diſceſſu. 692.b
Medea, pro dea habita. 1144.a
Medeæ fabula. 346.a
Medici finis, officium & materia. 36.a
Medici cum Oratore comparatio. 98.b
Medimnus Atticus vi. modios Romanos complectebatur. 964.b
Megarici philoſophi. 116.a. *à quo ſic dicti.* 994. a. *id bonum ſolum eſſe dicebant, quod eſſet unum & ſimile, & idem ſemper.* 994.a
Melanthius Rhodius philoſophus Academicus ſuavis. 979.b
Meliſſus philoſophus mundum dixit eſſe infinitum & immutabilem & fuiſſe ſemper & fore. 992.b
Melita, inſula. 304.b
Sp. Melius propter regni appetendi ſuſpicionem necatus. 590.a
Membra orationis, κῶλα. 139.b
Membrorum in corpore humano uſus. 1028.a.
Membrum orationis quid ſit? 25.a
C. & L. Memmii, oratores mediocres, accuſatores acres. 138 a
C. Memmius, L. F. orator. 146.a
C. Memmii dictum facetum in Scaurum. 106.a
Memoria Oratoris quid ſit? 1.b.36.b. 65.a.179.a.
Memoria Oratoris fundamentum. 187.a
Memoria theſaurus inventorum, atque omnium partium Rhetoricæ cuſtos. 18. b. *eſt duplex, naturalis & artificioſa.* ibid. *naturalis quæ?* ibid. *artificioſa quæ?* ibid. *conſtat ex locis & imaginibus.* ibid.b
Memoriæ artificioſæ utilitas, loci, & quomodo conciliandа. 110. b. *Rerum & Verborum.* ibid. & 111.a
Memoria jucunda præteritorum malorum. 1018 b
Memoria omnium rerum theſaurus. 68. b. *ſine hac omnia in Oratore pereunt.* ibid.
Memoria Platoni eſt recordatio ſuperioris vitæ. 1058.a,b.
Memoriæ beneficium. 980.a
Memoriola vacillare. 883.b
Menander, poëta Græcus. 997.b
Menecles Alabandenſis, orator Græcus. 93.a. 152.a
Menedemi ſententia de bono Oratore. 73. a,b. *diſputabat, nullam artem eſſe dicendi.* ibid.

Mene-

Menedemus Eretrias philoſophis Eretriacis nomen dedit. 994. a. *omne bonum in mente & mentis acie poſuit.* ibid.
Menippus Stratonienſis. 151.a
Menœceus, oraculo edito, largitus eſt patriæ ſuum ſanguinem. 1065.b
Mens, Fides, Virtus, Concordia, cur publicè conſecratæ & dedicatæ fuerint? 1130.a
Mens in Capitolio dedicata. 1128.b
Mens humana. 1059. b. *movetur ipſa per ſe.* 983. a. *Platoni idea nominata.* 974.b.
Mens ſenſuum fons eſt. 981.a
Mentis humanæ præſtantia. 1043.b
Menſes Seculorum & Græcorum. 259.b
Menſes unde ſic dicti. 1129.b
Mercatura quatenus ingenua & laudabilis. 1229.a
Mercedula. 80.b
Mercurius Argum dicitur interemiſſe, ob eamque cauſam ad Ægyptios profugus leges & literas iis tradidiſſe. 1145.a. *dicitur Ægyptiis Thoth, & ex eo primus eorum menſis appellatus.* ibid.
Mercurii quinque hoc nomine, eorumque genus. 1145.a
Mercurii ſtella Græcis στίλβων. 1128.a
M. Meſſalla, orator. 146.a
M. Meſſalla, & M. Piſo Coſſ. 776.b
Meſſana, urbs. 293.a
Metapontus Pythagoræ ſedes. 1039.b
Metelli, Celer & Nepos, eloquentes. 146.a
Q. Metelli & Priami fortuna inter ſe comparata. 1061.b
Q. Metellus & L. Veturius Philo Coſſ. 132.b
Q. Metellus Orator. 134. a. *hujus quatuor filii conſulares.* ibid.
Q. Metelli felicitas in liberis. 1049.a. 1061.b
Q. Metellus Numidicus diſertus. 138.a
Metellorum ſepulcrum extra portam Capenam. 1053.a
Metonymia Grammaticorum. 159.a
Metrodorus Chius librum ſcripſit de Natura. 986. b. *Timocratem fratrem ſuum accuſat quod dubitet, omnia, quæ ad beatam vitam pertinent, ventre metiri.* 1121.b
Metrodori Sceptii divina memoria. 111.a
Metrodorus Stratonice philoſophus. 979.b
Metrodori ſententia de vita beata. 1017.a. 1068.a. *dictum in fortunam.* 1100.a.
Metus quid, ejus definitio. 1094.a. 1088.a. 1078.b.
Mida Phrygio, cum puer eſſet, formicæ dormientis in os tritici grana ingeſſerunt. 1159.b. *quid portenderit.* ibid.
Militia Romana laborioſa. 1070.b
Milo Crotoniates bovem vivum ferens per ſtadium ingreſſus eſt. 1258. a. *ejus ſenis querela de virium ſuarum defectu.* 1257.b
Milvo eſt quaſi naturale quoddam bellum cum corvo. 1135.a
Mimorum ethologorum eſt nimia imitatio. 103.a
Mina Dialecticorum merces. 990.a
Minerva cuſtos urbis R. 741. a. *princeps & inventrix belli.* 1144. b. 1146. a. *ſic dicta quod vel minueret vel minaretur.* 1129.b
Minerva pingui aliquid agere. 1267.b
Minervæ cæſii oculi. 1119.a
Minervæ quinque, earumque genealogia. 1145.b
Minime ſibi quiſque notus eſt. 114.a
Minos & Rhadamanthus, inferorum judices. 1052.b
Minus ſtultus eſt is, cui nihil in mentem venit, quàm ille, qui, quod ſtultè alteri venit in mentem, comprobat. 361.b
Mirabile eſt, cum plurimum in faciendo interſit inter doctum & rudem, quam non multum differat in judicando. 125.b.
Miſericordia auditores quibus modis commovenda. 14.a,b
Miſericordia quid, ejuſque definitio. 1078.a. 1088.b.
Mithridates Aſiam occupans Mucia non ſuſtulit. 251.b
Mneſarchus Panætii auditor. 70. b. *oratores forenſes dicebat eſſe operarios lingua celeri & exercitata.* 72. b. *philoſophus Stoicus.* 986. a
Modeſtia, quid? 15. a. 65. b. 1228. a. 1103. a. *modeſtiæ partibus quando utendum in dicendo.* ibid.
Modus negotii geſti, ejuſque partes, prudentia & imprudentia. 42.a
Mœror, eſt ægritudo flebilis. 1088.b
Modus puniendi & ulciſcendi. 1214.b
Moleſtia eſt ægritudo permanens. 1088.b
Molo Rhodius, dicendi magiſter. 145.b. 150.b.
Monere & moneri, proprium eſt veræ amicitiæ. 1275.b
Moneta dea unde ſic dicta. 1144. a. 1172.a.
Monſtra unde ſic dicta? 1161.a
Mons Sacer. 132.a
Mopſus, Argivorum rex & augur. 1160.a
Moralis, ἦθος, *pars philoſophiæ quæ de moribus tractat.* 1180.a
Morbi animi plures & pernicioſiores quàm corporis. 1075.b
Morborum animi ſanatio. 1096.b
Morbus, ægrotatio, vitium animi & corporis quomodo inter ſe differant. 1090.a
Mores ex quibus rebus hominibus ingenerentur. 387.b
Morientium animus multò eſt divinior. 1157.b
Mortui moderatè lugendi. 1291.b
Mors turpis viro forti non poteſt accidere, neque immatura conſulari nec miſera ſapienti. 407. a. *eam ſapientes nunquam inviti, fortes etiam ſæpe libenter oppetiverunt.* 408.a.
Mors in fuga, fœda eſt; in victoria, glorioſa. 630.a
Mors non miſeranda quæ ob Remp. capitur. 635.b
Mors propriè quid? 1053. b. 1054. b. 1055. a. *à malis abducit, non à bonis.* 1061. b. *omni ætati communis.* 1263. a. *quibus maxime terribilis?* 1279. a. *malorum terminus.* 1290. b. *omnibus amanda, cariſſimis etiam optanda.* ibid. *incerta, è Deorum voluntate pendet.* 1291. b. *in præcipuis bonis numeranda.* 1294. a.
Mors honeſta ſæpe vitam turpem exornat. 195.b
Mos hominum ut nolint eundem pluribus rebus excellere. 134.a
Motus corporis in oratore, in quas partes diſtributus ſit? 18. a,b. *in ſermonis dignitate qualis debeat eſſe.* ibid. b. *in ſermone demonſtrationis qualis.* ibid. *in narrationis ſermone.* ibid. *in jocationis ſermone.* ibid. *in ſermone contentionis.* ibid. *in diſtributionis & amplificationis ſermone.* ibid. *in conqueſtione.* ibid.
Motus, eſt animi incitatio ad aliquid, &c. 178.a
Motus animorum duplices. 1226.b
P. Mucius. 82.a.
Q. Mucius Scævola juris civilis intelligentia præſtitit. 80.b. 78.a. 135.b
Muginari. 930.a
Mulæ partus. 1170.a
Mulieres cur facilius incorruptam linguæ antiquitatem conſervent? 115.a. *apud Græcos in virorum convivio non accumbebant.* 236.b
Mulieres bene olent, cùm nihil olent. 783.b
Mulieroſitas, Græcè φιλογυνία. 1089.b
Mulli barbatuli. 1281.b.
Mulorum & aſinorum utilitas. 1138. b
Multitudo quod probat, hoc idem probandum doctis. 141.b
L. & Sp. Mummii, fratres, oratores. 135.a
L. Mummius Corinthum ſuſtulit. 235.b 374.b
Mundi totius ſtatus, eſt incolumitatis humanæ cauſa. 124.a
Mundi fabrica eleganter deſcripta. 1059. a,b. 1113. a. *forma rotunda & globoſa.* ibid.
Mundum deorum providentia adminiſtrari, &c. 1130. a,b. *eo nil majus, nec melius.* ibid. b. *omnium rerum, quæ naturâ adminiſtrantur, ſator & altor.* 1131.a
Mundo nihil perfectius. 1126.b
Mundus ex quibus effictus. 974.b
Mundus nonnullis philoſophis Deus. 1113.b.

1113.b. ſapiens, animans. ibid.
Mundus omnis cur ad extremum igneſcet. 1134.a
Mundus eſt quaſi communis deorum atque hominum domus, aut urbs. 1138.a
Munuſculum levidenſe. 711.a
P. Murena, orator. 145.a
Muſæ triplices diverſæ, earumque genus ac nomina. 1144.b
Muſici quondam iidem erant qui poëtæ. 124.a
Myoparo, navig. gen. 239.a.1315.a
Myro, ſtatuarius præſtantiſſ. 22.a. 113.b. 133.b
Myrmecides Deus minutorum opuſculorum fabricator. 993.a
Myſorum ultimus, proverb. 430.a
Myſtagogi, qui? 308.a

N.

NÆniæ, cantus funebres. 1203.a
Nævius poëta plenus facetiarum. 106.a. bellum Punicum deſcripſit. 1260.b. quando vixerit? 133.b. quando mortuus. 132.b
Nævus quid? 1118.b
Narbo Marcius, colonia Rom. 330.a
Narium uſus, ſitus & ſtructura. 1136.b
Nares earumque uſus in homine. 1137.a,b
Narratio duplex, negotiorum & perſonarum. 3.a. 39.b. Negotiorum tripertita, Fabulæ, Hiſtoriæ, Argumenti. 3.a. 40.a. Perſonarum narratio qualis debeat eſſe. ibid.
Narratio eſt præteritarum rerum aut præſentium. 178.b
Narratio accuſatoris in cauſa conjecturali qualis debeat eſſe. 6.b. 185.b. defenſoris qualis. ibid. in deliberativo genere qualis. 15.b. qualis in demonſtrativo. 16.b
Narratio quando obſit & quando proſit. 40.b.
Narratio ſit brevis, dilucida, veriſimilis. 3.a. 40.a. narrationis brevis exemplum. ibid. dilucida qualis debeat eſſe. 3.b. 40.a. veriſimilis ſive probabilis qualis. ibid.
Narratio orationis. 109.a. 179.b. aperta & perſpicua ibid. quando narratione utendum. ibid. omnis orationis reliqua fons. ibid.
Narrationes orationis quales debeant eſſe. 2.a.161.b
Narrationum tria genera. 3.a.& 39.b
Naſi ſitus & uſus in homine. 1137.a
Naſica cognomen P. Scipionis, iſque dictus corculum ob prudentiam. 1054.a
Naſicæ jocus ad Ennium. 105.b
Natio dea, unde ſic dicta & à quibus culta. 1144.a
Natura & Ingenium maximam vim ad dicendum afferunt. 57.a
Natura quid ſit. 1130.b. blanda conciliatrix & quaſi ſui lena. 1118.a. communis omnium parens. 1101.a
Natura omnis eſt conſervatrix ſui. 1042.a. ab interitu abhorret. 1031.b. 1033.b. 1043.a.
Natura exiguum vitæ curriculum circumſcripſit nobis, immenſum gloriæ. 394.b. nobis uſuram vitæ dedit, tamquam pecuniæ. 1291.b. ipſa de immortalitate tacitè judicat. 1055.a paucis eget. 1108.b
Naturæ conſideratio & contemplatio eſt quoddam quaſi pabulum animorum & ingeniorum. 994.a
Naturæ definitio ſecundum Zenonem. 1128.a.
Naturæ dona, animi & ingenii celeres motus. 75.a
Naturæ humanæ depravatio. 1075.a
Naturæ vis in beſtiis. 1028.a
Naturabilis. 1076.b
Naucrates Iſocratis diſcipulus. 124.a
Navigiola. 738.b
Naxa. 922.a
Ne ad ſolarium quidem idoneus. prover. 23.a.
Neceſſe eſſe quid dicatur. 183.a
Neceſſitatis inventa antiquiora ſunt, quam voluptatis. 166.b
Neceſſitudo ſive neceſſitas quid ſit? 66.a. eſt duplex, cum adjunctione, & abſoluta. ibid.
Nec ſibi, nec alteri, proverb. 1235.a
Negantia, ἀποφατικά. 174.a
Negligentia diligens. 158.a
Negotialis cauſæ conſtitutio. 37.b. 56.a
Negotiatores putant eſſe turpe, id forum ſibi iniquum ejurare, ubi negotientur. 282.b.
Negotiorum attributa, quæ? 41.b. 42.a. 53.b. adjuncta, & quæ ea ſint. 42.b. de iis ſigillatim. ibid. 53.b
Negotium ſalſum. 930.a
Negotiolum. 930.a.951.a
Nemo alterius, qui ſuæ confidit virtuti invidet. 611.a
Nemo eſt tam agreſtis, quem non, ſi ipſa minus honeſtas, contumelia tamen, & dedecus magnopere moveat. 183.b
Nemo ſaltat ſobrius. 412.b
Nemo unquam poëta, neque orator fuit, qui quenquam meliorem quàm ſe arbitraretur. 914.a
Nemo unquam ſine magna ſpe immortalitatis ſe pro patria offeret. 1055.b
Neoptolemus paucis philoſophatur apud Ennium. 97.a.1066.a
Neoptolemi vita militaris atque occupata. 1066.a
Neptuni cærulei oculi. 1119.a. ejus promiſſum Theſeo tria optanti factum de interitu filii Hippolyti. 1214.a
Neptunus, Jovis frater, maris dominus. 1129.b. à nando ſic dictus. ibid. 1146.a
Neptunus pro mari. 1130.a
Neronianum ridiculum in furace ſervo. 103.b
Nervorum mirabilis implicatio in homine. 1136.b
Nequitia unde dicta? 1077.b
Neſcire, dulcius quam non ſcire. 164.a
Neſcire, quid antea, quam natus ſis, acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum. 161.a
Neſtoris longævitas. 1258.a
Neſtor ſapiens. 1098.a
Nex. 26.a. 549.b
Nibe, pro Nive. 339.b
Nicander Colophonius, ab agro remotiſſimus, de re ruſtica, poëtica facultate ſcripſit. 72.a
Nicetæ Syracuſii opinio, cœlum ſtare, terram moveri. 993.a
Nicomachi, Ariſtotelis filii, libri de moribus. 1040.b
Nicomachus, pictor præſtantiſſ. 133.b
Nicomedes rex Aſiæ. 236.a
Nihil eſt præcipue cuiquam dolendum in eo, quod accidit univerſis. 683.a
Nihil eſt profectò homini prudentia dulcius, quam ut cætera auferat, affert certè ſenectus. 1062.b
Nihil eſt tam informe, quàm ad ſummum imperium etiam acerbitatem naturæ adjungere. 936.b
Nihil eſt tam miſerabile, quam ex beato miſer. 181.a
Nihil eſt tam populare quàm bonitas. 571.b
Nihil eſt quod minus ferendum ſit, quàm rationem ab altero vitæ repoſcere eum, qui non poſſit ſuæ reddere. 221.a
Nihil eſt quod tam miſeros faciat quàm ſcelus & impietas. 1037.b. nihil eſt virtute formoſius, nihil pulcrius, nihil amabilius. 711.b
Nihil incertius vulgo, nihil obſcurius hominum voluntate. 415.b
Nihil mali eſt, Canes ibi quam plurimos eſſe, ubi multi obſervandi, multaque ſervanda. 208.a
Nihil præſtantius quàm de republ. bene mereri. 717.b
Nihil ſemper floret, ætas ſuccedit ætati. 618.b
Nihil in vita magnopere expetendum, niſi laus & honeſtas. 446.a
Nihil tam ſanctum, quod non aliquando audacia violet. 206.a
Nihil lacryma citius areſcit. 14.b
Nilus Ægyptum irrigat & fertilem efficit. 1135.b

Nimium offendit magis, quàm parum. 166.a.

Nioba cur lapidea fingatur? 1083.b

Q. Nobilior, eloquens. 134.a

Noctuabundus. 883.b.

Nocturnæ pervigilationes in colendis diis à Ariſtophane vexatæ. 1199.a

Nomen, attributum perſonarum. 41.a

Nominatio, figura exornationis verborum. 28.a

Nomio Arcadum deus. 1145.a. *idem qui Apollo.* ibid.

Non aqua, non igni, pluribus locis utimur, quam amicitia. 1268.a

Non omnibus dormio, proverb 696.b

Non oportet quemque traverſum unguem à recta conſcientia diſcedere. 899.a

Non poteſt in accuſando ſocios vere deſendere is, qui cum reo criminum ſocietate conjunctus eſt. 231.b

Non prohibere aquam profluentem, proverb. 1217.a

Non is ſolum gratus debet eſſe qui accepit beneficium, verum etiam is cui poteſtas accipiendi fuit. 529.a

Non ſolum nobis nati ſumus, ortuſque noſtri partem patria vindicat, partem amici, Plato. 1213.a

C. Norbanus. 99.a.100.b

Noſſe ſeipſum, cur Deo aſsignatum. 1044.b

Noſſe mores civitatis, caput eſt ad dicendum probabiliter. 109 b

Noſſe rempubl. caput eſt ad conſilium de rep. dandum. ibid.

Notatio quid ſit? 173.a

Notatio, figura exornationis ſententiar. 33.a

Notio quid? 172.b

Nulla eſt laus, ibi eſſe integrum, ubi nemo eſt, qui aut poſsit, aut conetur corrumpere. 229.a

Nulla minantis auctoritas apud liberos eſt. 728.a

Nulla remedia, quæ vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quàm quæ ſunt ſalutaria. 962.b

Nullus dolor eſt, quem non longinquitas temporis minuat. 668.a

Numa Pompilius, qui multis annis ante Pythagoram vixit, Pythagoreus fuit. 96.b. *ejus ſapientia.* 70. a. *epularum ſolennium fides ac tibias, Saliorumque verſus inſtituit.* 125. b. *cum Egeria dea collocutus eſt.* 1186.a

Numerius Suffucius Praneſtinus ſortium inventor. 1173.b

Numerus Oratorius quid ſit? 124. a. 165.b.166.a. 197.b.

Numerus & numeroſum differunt. 168.a.169.a

Nundinari Senatorium nomen. 259.a

O.

OBiratio, ab adject. *obiratus*, quo Livius lib. I utitur. 127.b

Obruſſam adhibere. 147.a

Obſcurum cauſæ genus. 38.b

Obſervantia, quid? 56.b.65 b

Obſequium amicos, veritas odium parit. 1275.b

Obtrectatio quid, ejuſque definitio. 1088.b

Occaſio, quid ſit? 42. a. *& quomodo à tempore differat.* ibid. *diſtribuitur in III. genera, publicum, commune, ſingulare.* ibid. *Græcè* εὐκαιρία. 1228.a

Occatio. 1261. a. *unde dicta?* ibid.

Occidione occidi. 761.b

Occupatio, figura exornationis verborum, 27.a

Cn. Octavius, conſularis. 78.a. 140.b. *legatus Laodiceæ à Leptinio occiſus.* 610.a

L. Octavius, & C. Aurelius, Coſs. 243.b

L. Octavius Reatinus, orator. 145.b

M. Octavius, eloquens. 135.a

M. Octavius, Cn. F. Legem Semproniam frumentariam abrogavit. 144.a

Oculi ſeu ſpeculatores in ſublimi collocati. 1136.b. *ſunt animi indices.* 127.b. *ad motus animorum declarandos à natura dati.* 128.a

Oculorum ſtructura mirifica. 1137. a. *acies, pupula.* ibid. *palpebræ, tegumenta.* ibid.

Odire. 626.b

Odium eſt ira inveterata. 1089.a

Oedipus Sophoclis. 1039.b

Officia bellica. 1214.b. 1215.a,b

Officia Magiſtratuum. 1225. b. *privatorum & civium.* ibid. *peregrinorum.* ibid.

Officii definitio. 1211.a,b

Officium alicujus facultatis quid ſit, & ut à fine differat? 36.a

Officium, Græcè καθῆκον. 930. b. 1023.a. 1211.a,b

Officium eſt, quod ita factum eſt, ut ejus facti probabilis ratio reddi poſsit. 1027.b

Officium nullum tam ſanctum, &c. quòd non avaritia comminuere aut violare ſoleat. 193.a

Oileus apud Sophoclem mortem filii deplorans. 1084.b

Oleum & opera: De eodem oleo & opera exarare aliquid: proverb. 904.a

Olluſcula. 824.a

Olympus, urbs, à P. Servilio capta. 235.b

Omen, quid? 1161.b

Omnium bonorum variæ voces & obſervationes pro negotiorum varietate. 1161.b

Omne malum naſcens facile opprimitur, &c. 599.b

Omneis ſapienteis liberos eſſe, & ſtultos omneis, ſervos. Paradox. Tull. V. 1281.a

Omnes ſtultos inſanire. Paradox. Tull. IV. 1280.a

Omnia ferè quæ nunc concluſa ſunt artibus, quondam diſperſa & diſsipata fuerunt. 80.a

Omnia humana tolerabilia ducenda. 886.a

Omnibus qui alterum in judicium Reip. cauſâ vocant, quid providendum? 267.a

Omnibus vel us is, qui princeps in agendo eſt, ornatiſsimus & paratiſsimus eſſe debet. 222.b

Omnis inſtitutio, quæ à ratione ſuſcipitur debetà definitione proficiſci. 1211.a

Omnium bonarum artium, ſicut arborum, altitudo nos delectat, radices ſtirpeſque non item. 163.a

Omnium rerum principia parva ſunt 1040.b

Omnium eſt communis inimicus, qui fuit hoſtis ſuorum. 234.a

Operam & oleum perdere. 691.a

L. Opimius Gracchi interfector. 137.b. *laus & innocentia.* 509.b

Q. Opimii jocus ad Egilium. 105.b

Opinioſiſsimus. 995.b

Opinio, quid? 1088. b. *dupliciter fallit hominem.* 52.a

Opinionum commenta delet dies: naturæ judicia confirmat. 1123 b

Opis ædes (in qua pecunia publica cum tabulis cuſtodiebatur.) 824. b. 911.b. 1128.b

Oportere, perfectionem officii declarat. 158.a

Opportuna quæcunque dicuntur, habent ſuum modum. 1025.a

Optimum unum eſt, & proximum ei ſimillimum. 187.a

Optimum id quod rectiſsimum. 509.b

Optimus eſt portus pœnitenti mutatio conſilii. 619.a

Optimus quiſque maximè poſteritati ſervit. 1055.b.

Oracula. 1154.a. *unde dicta.* 176.a

Oracula Apollinis Delphici. 1176. b. *ambiguum Craſo datum.* ibid. *aliud Pyrrho.* 1177.a

Oratio quomodo formanda? 68. b. 125.a. *quomodo varianda.* 46.a. *quomodo maximè diſtinguatur & illuſtretur.* 54. b. 179. a. *multitudinis auribus eſt accommodanda, &c.* 97.a

Oratio ſuavis. 179. a. *temperatiſsima quæ ſit?* 101.a. *ornata quæ?* 118.b. 120.a

Oratio in animis commovendis regnat. 161. b. *voluptati aurium morigerari debet.* 194. b. *debet numeris eſſe adſtricta, & carere verſibus.* 166.b.

Oratio numeroſa an omninò ſit ulla? 166.a. *et quando adhibenda.* 168.a

Oratio, ſimplex & gravis, ſententiis debet

debet ornatior eſſe quàm verbis. 184.a. eſt conciliatrix humanæ ſocietatis. 1189.a. interpres mentis. ibid.b. flexanima atque omnium rerum regina. 99 b

Oratio omnis Accuſatoris in duas partes diviſa. 352.a

Orationem quæ ornent imprimis. 104.b. eam condiunt verborum numerorumque jucunditas. 166.b

Orationes, perſonarum attributum. 41.b

Orationis clauſulæ & interpuncta cur inventa? 124. a. habitus & color in tribus conſiſtit. 126. a. varia lumina ſententiarum & verborum, eorumque enumeratio. 126.a,b. 62.a.

Orationis amplificatio. 119 a. ornamenta. 76.b. partes IV. 178.a. vis magna, eaque duplex: altera contentionis, altera ſermonis. 1226.b

Oratiuncula. 1143.b

Oratoria an ſit ars? 74. b. in quibus rebus verſetur. 73.b. 158.b.

Oratoriæ facultatis rationes tres. 95. a.

Oratoria tria ad inveniendum neceſſaria, acumen, ratio & diligentia. 96.a.

Orator Atticus quomodo informandus. 158.a

Orator ab eloquendo, & Græcè ῥήτωρ, & Latine eloquens dicitur. 157.a

Orator plenus & perfectus quis? 71.b. 11.b. 84.b. 85.b. 117.b. tertia philoſophiæ pars, de vita & moribus, Oratori perdiſcenda. 72. a. cauſas quas acturus eſt, penitus cognoſcat. 93. omni laude cumulatus quis habendus. 69.a. 187. a. ſine multitudine audientie eloquens eſſe non poteſt. 109. b. quanta memoriæ utilitas oratori. 110.b. quomodo Latinè loquatur. 114. b. non modo Dialecticus ſit inſtructus, ſed habeat omnes philoſophiæ notos & tractatos locos. 161. a. Phyſicorum ne ſit ignarus. ibid. jus civile teneat. ibid. hiſtorias cognoſcat. ibid. tranſlationibus utatur, &c. 162.a. qualis eſſe debeat? 92.a. quomodo facetias tractare debeat. 102. b. ſcurrilis dicacitas oratori fugienda. 103. b. quomodo inventa tractare debeat? 98.a. quomodo verba componere debeat. 163.a. eligat bene ſonantia. 164.b. quomodo concinnè verba finire debeat. 165. a. an in omnis ſermonis diſputatione copioſiſſime poſſit verſari. 70. a,b. in eo duæ ſummæ laudes; una ſubtiliter diſputandi ad docendum; altera, graviter agendi, &c. 134.b

in Oratore oportet eſſe, inventionem, diſpoſitionem, elocutionem, memoriam, & pronunciationem. 1. b. hæc omnia tribus rebus aſſequi poterimus, arte, imitatione, exercitatione. ibid.

Oratore perfecto nihil præclarius. 88.b

Oratorem à ſcurra quid diſtinguat? 103.b

Oratorem iraſci minimè decet, ſimulare non dedecet. 1093.a

Oratorem maximè ornant σχήματα. 138.b

Oratores Aſiatici quales? 132. a. Rhodii. ibid. Attici. 148.a. inter ſe diſſimiles. ibid. grandiloqui. 154. a. tenues. ibid. mediocres. ibid.

Oratores quot, totidem pene genera dicendi. 114.a

Oratores ſtatarii. 136.b

Oratores ſummi cur ſæpe in dicendo commoveantur, cauſæ duæ? 75.b

Oratores veteres ante Iſocratem omnium rerum cognitionem cum dicendi ratione jungebant. 116.b

Oratori duplex materies ad probandum ſubjecta. 94 a

Oratori fidem abrogat ſuſpicio meditationis & artificii. 3.b. 97.a

Oratori futuro quæ ſcitu neceſſaria. 77. b. 115. b. memoria exercenda. ibid. Poetæ legendi, hiſtoria cognoſcenda, &c. ibid. & 81.a. 90.a

Oratori quid deceat videndum, non in ſententiis ſolum, ſed etiam in verbis. 157.b

Oratori quid diligenter providendum? 75.a. 107. a. quid in perfecto requiratur. ibid. b. quid præſtandum, in judiciis, concionibus, &c. 70. b. quid ſcitu neceſſarium. ib. & 71. a. ridiculis quatenus utendum? 159.a. tria hæc neceſſaria; docere, delectare, movere. 141. a. 148. a. tria videnda; quid dicat, & quo quidque loco, & quomodo. 156. a. noverit argumentorum & rationum locos. ibid.

Oratoris adoleſcentis comparatio cum vitibus luxuriantibus. 92.b. cum gladiatore & palæſtrita. 126. a. cum tibicine. 109.b

Oratoris caput quid? 73.a

Oratoris eſt movere riſum. 102.b

Oratoris eſt primum invenire. 178.a

Oratoris laus maxima, audientium animos inflammare & flectere. 148.b

Oratoris mali comparatio cum Corace, ſive corvo. 117.b

Oratoris mores effingit oratio. 98.b

Oratoris officium. 1.a. 3.b. 76.b.

Oratoris omnis actio opinionibus, non ſcientia continetur. 88.a. opus maximum ut faveat is qui audiet. 98.a. in oratore multum adjuvant lenitas vocis, vultus, &c. ibid.b.

Oratoris perfecti ſpecies. 157.a

Oratoris vis maxima in quo conſiſtat. 69 a. 71,a,b. 94.b 177.b. quid Oratori proprium. ibid.

Oratoris vis in contentionibus ab imperitis plerumque exitu & victoria judicatur. 91.a

Oratoris vox, vultus & geſtus quales eſſe debeant? 127.a.137.a

Oratorum bonorum duo genera, unum attenuatè preſſeque; alterum, ſublatè ampleque dicentium. 142.b

Oratorum eloquentiæ moderatrix auditorum prudentia. 154.b

Oratorum Philoſophorum ratio dicendi palæſtræ magis & olei eſt, quàm civilis turbæ ac fori. 72.b

Oratorum Romanorum catalogus & encomia. 132.a

Orbis lacteus. 1318.a

P. Orbius, orator. 140.b

Orbonæ fanum ad Ædem Larum. 1146.a

Orcus, Jovis & Neptuni frater. 1143.b

Ordinis definitio ſecundum Stoicos. 1228.a

Oreſtes & Pylades par amicorum. 1016.a,b. 1268.b. 1004.b.

Oreſtes matrem interfecit. 3.b. quomodo cædem à ſe factam defendat. 5.a,b.

Orion, ſidus cœleſte. 1133.b

Orithyia per Aquilonem in cœlum ſublata. 1186.a

Ornatus Oratorii comparatio cum picturarum coloribus. 127.a

Orpheus & Rheſus Muſa matre nati. 1143.b

Orpheum nunquam fuiſſe docet Ariſtoteles. 1121.a

Oſaces dux Parthorum à Caſſio caſus. 819.b

Oſſium in homine mirabilis compages. 1136.b

Oſtenta dicuntur, quia res futuras oſtendunt. 1161.a. 1170.b

Oſtrea & conchylia cum Luna creſcunt & decreſcunt. 1168.b

Otii fructus quis? 87.b

Otio litterato nihil dulcius. 1108.b

Otiolum. 700.b

Otium. 378. a. ſubſidium belliſſimum ſenectuti. 83.a

Ova ovorum & apes apium ſimillima. 984.a

Ovium utilitas. 1138.b

P.

PAcorus, Orodis regis Parthorum filius. 818.b

Pactum, quid ſit? 56.b. 65.b

Pactum in juridiciali cauſa conſtitutione. 9.b

Pacuvius poëta Tragicus. 187. a. malè locutus. 146.b. ejus Antiopa. 997.b. Teucer. 84.b.

Pæon pes oratorius, duplex. 124. b. 166.b. 167.a. 169.a

Paginula. 806.b

Palimpſeſtus. 695.b

Palmari. 726.a

Palpebræ, tegumenta oculorum. 1137.a

Palamedem multitudo ſuſpicionum proditionis oppreſſit. 76.a

Pammenes orator Athenienſis. 160. a. *vir longè eloquentiſſimus Græciæ.* 152.b
Pamphilus Platonis auditor. 1117.b
Panætius Athenienſis. 70.b.72.b
Panætius Stoicorum Princeps. 991. a. *ſcripſit de dolore patiendo.* 1032.b. *de officiis.* 1242.a. *mortalitatem animæ duabus rationibus probare conatur.* 1060. b
Panchreſton medicamentum. 284.a
Pantheræ remedium habent contra venenatam carnem quâ capi ſolent. 1135.a
Papius apud Rom. peregrinos urbe prohibuit. 1246.a
L. Papirius Fregellanus, orator. 140.a
Paradoxa Tulliana maximè Stoica & Socratica. 1277.a.b
Paragoge inductio. 173.b
Paranomaſia, quid? 104.a
Par quid ſit? 56.b.65.b
Par eſt omneis omnia experiri, qui res magnas, & magno opere expetendas concupiverunt. 153.a
Parcat juventus pudicitiæ ſuæ, ne ſpoliet alienam. 520.a
Pares cum paribus facillimè congregantur, proverb. 1254 b
Pariare. 879.b.
Parietinæ reipubl. 666.a. 1082.b.
Parilia. 911.b
Parion, urbs Helleſponti: quæ etiam dicitur Pariana civitas. 752.a
Parmenides. 986 b. *Megaricorum diſciplinæ philoſophus.* 994. a. *ignem eſſe dixit, qui moveat terram, quæ ab eo formetur.* 992. b. *Deum appellavit Stephanem, continentem ardore lucis orbem, qui cingit cœlum.* 1114.a
Parricidarum ſupplicium, inſui culleo, &c. 203.a.206.a
Pars quid ſit? 40.b.80.a
Partes Orationis ſex. 38.b
Partitio & diviſio ut differant. 172. b. 173.a.
Partitio rectè habita in cauſa illuſtrem & perſpicuam efficit totam orationem. 40. b. *hujus partes duæ.* ibid.
Partitionis brevitas. 40.b.41.a. *abſolutio.* ibid. *paucitas* ibid. *quid vitandum in Partitione.* 41.a
Partus ancillæ ſitne in fructu habendus. 998.b
Partus mulæ, incredibilis partus malorum. 1154.b
Paſiphaë Sole & Perſeide nata, dearum numero habita. 1144. a. *ejus fanum.* 1161. a. *celebre propter vera ſomnia quæ in hoc fiebant.* ibid.
Paſtoris, apud Attium poëtam, qui navem nunquam ante viderat, admiratio. 1131.b
Pateræ filicatæ. 1278.b
Pati ab igne ignem capere ſi quis velit. 1217.a
Patientia quid? 65.b. 182.b
Patræ, urbs. 746.b
Patria communis omnium parens. 397.a
Patriæ caritas eſt omnino maxima. 717.b 1062.b. *dulcedo & amor.* 80.b
Paucis pannoſis linea laterna, proverb. 804.a
L. Paulus, & C. Marcellus, Coſſ. 144.b.
L. Paulus, Africani pater, eloquens. 134. a. *cecidit in Cannenſi pugna cum exercitu.* 1062.a
L. Paulli contra regem Perſen profecturi omen victoriæ è voce filiolæ Tertiæ. 1161.b. 1173.b. *regem Perſen vi & virtute ſuperavit.* 235. b. 374. b. *Perſæ deprecanti ne in triumpho duceretur, quid reſponderit.* 1110. a. 1048. a. *ejus fortitudo in amiſſione duorum filiorum.* 1296.a
Pavire. 1172.b
Pavor eſt metus mentem loco movens. 1088.b
Pax. 378.a
Peccatus, ûs, maſc. gen. 266.b
Pecua, plur. n. 29.a
Pecunia ſemper ab ampliſſimo quoque contemta. 578.a
Pedarii ſenatores. 782.a.783.b.
Pedibus compenſari pecuniam, Catonis dictum. 430.b
Pelias recoctus. 1264.b
Pelopidæ: Ubi nec Pelopidarum, proverb. 697.b. 698.a.
Pelopis Neptunii equi per undas currus ſuſpenſos rapuiſſe dicuntur. 1074.b.
Penates dii unde ſic dicti. 1129.b. *hinc penetrales.* ibid.
Pendere animi. 878.b. 906.b.
Penelopæ telam texere. 989.b
Penicillus à pene dictus. 714.b
Pennus apud Romanos peregrinos urbe prohibuit. 1246.a
Penus, omne id quo veſcuntur homines. 1129.b
Cn. Pompeii laus. 347.a.348.a,b
Sex. Pompejus, eruditus in Philoſophia. 72.a
Perbacchari. 633.a
Perbenivolus. 757.b
Percepſet pro percepiſſet 1251.a
Perduint. 917.a
Perfuga, qui Pyrrhum veneno necare pollicitus erat, à Romanis Pyrrho redditus. 1215.b
Pergæ fanum antiquiſſimum Dianæ. 235.a
Pericles, Græcus Orator. 92.b. *eloquentiſſimus Athenis.* 82.a. 154.b. 116.a. *in labris ejus Leporem habitaſſe dixere veteres.* 121.a. 130.b. *de hoc Eupolis judicium.* 131. a,b. *ejus ſepulcrum.* 1040. a. *intra quatriduum duobus filiis orbatus mirificam conſtantiam & fortitudinem oſtendit.* 1294.b
Periculoſum provinciis, genus injuriæ confirmari judicio. 292.a
Peripatetici philoſophi qui & unde ſic dicti? 70. b. 973.b. 991.b. 992.a. 1040. b. *ſtatuunt permotiones animis noſtris utiliter datas.* 995.a
Peripatetici & Academici nomine differentes, re congruebant. 973.b 974.a
Peripateticorum parens Ariſtoteles. 116.a,b.
Peripateticorum & Stoicorum diſcrepantia de ſummo bono. 973.b.974.a. 1010.a. 1025.b
Peripateticorum error de perturbationibus animi. 1091. a, b. *iracundiam laudantes eam cotem fortitudinis eſſe dicunt.* ibid.b
Periodus orationis eſt ambitus & comprehenſio verborum. 139.b
Permiſſio, figura exornationis verborum. 27.b.
Permutatio figura exornationis verbor. 92.a. *ea dividitur in tres partes.* ibid.
Perniciii cauſa. 211.a
Peroratio. 177.b
Perorationis partes duæ, amplificatio & enumeratio. 181.a
Perſæ toti Græciæ bellum inferentes & mille navibus Delum appellentes, Apollinis fanum violare noluerunt. 234. b. *eorum Reges multas uxores habebant, quarum ſingula ornamenta ſingulis civitatibus imperabantur.* 276. a. *mortuos cera circumlitos condunt, ut quam maximè permaneant diuturna.* 1064. b. *naſturtio veſci ſoliti.* 1017. a. *eorum victus frugalis.* 1108.a
Perſes rex à L. Paullo devictus. 235.b
Perſeus, ſidus cœleſte. 1133.b
Perſeus Philoſophus, Zenonis auditor. 1115.a. *ejus opinio de diis.* ibid.
Perſeverantia, quid? 65.b
Perſius. 88.a
Perſonarum attributa quæ? 41.a
Perterricrepus. 165.a
Perturbationes Græcis πάθη, *inconvenienter morbi appellantur.* 1087.b.
Perturbationes animi præcipuæ quatuor: Lætitia, libido: metus, ægritudo. 1024.b. 1078.a,b.
Perturbationis definitio. 1088.a
Pervelle. 772.b
Perveſperi. 708.a
Peteſſere. 1074.a.1152.a
Petiturire. 777.b
Petulantia unde dicta? 1316.b
Phœnix cur Achilli juveni à Peleo patre comes datus ad bellum. 1115.b
Phaëthontis à Sole patre in currum ſublati fabula. 1250.b
Phalaridis matris ſomnium, ejuſque interpretatio. 1155.b
Phalaris tyrannus. 1234.a. *ejus tyranni taurus æneus.* 301.a. 1105.b
Phalericus locus Athenis, ubi Demoſthenes ad fluctum declamare ſolebat. 1040.a.
Pherecydes, Pythagoræ magiſter, hau-

ſtam

ſtam aquam de jugi puteo videns, terræ motus prædixit. 89.b. 1162.b. 1168.a

Pherecydes Syrus primum dixit animos hominum ſempiternos eſſe. 1056.a

Phidias ſtatuarius. 91.a.996.a.1033.b. *ejus ſimulacris nihil perfectius.* 153.b. *ſui ſimilem ſpeciem incluſit in clypeo Minervæ.* 1055.b

L. Philippus homo diſertus atque eruditus. 108.a. 140.a

Philippus Macedonum Rex. 1221.b. *quem doctorem Alexandro filio acciverit?* 121.b. *ejus epiſtola ad Alexandrum filium.* 1237.a. *omnia caſtella expugnari poſſe dicebat, in quæ modo aſellus onuſtus auro adſcendere poſſet.* 779.a. *à Flaminino ſubactus.* 235.b

Philiſtus hiſtoricus Græcus. 90.a

Philo architectus. 71.b

Philo philoſophus. 119.b

Philo princeps Academiæ Athenis, Romam fugiens, ibi Philoſophiam docuit. 150.b. *Antiochi magiſter.* 973.a. 979.b

Philoctetæ ejulatus & gemitus. 478.a. 1017 b. 1068.b. *dolores non ferendi.* 1043.b

Philoctetæ turpe fuit tacere cum barbaris. 121.b

Philodamus Lampſacenus ejuſque filius, innocentes Verris impulſu ſecuri percuſſit. 237.b

Philolaus, Architæ Tarentini diſcipulus. 121.b

Philoſophia in treis partes diſtributa. 72.a. *omnium laudatarum artium quaſi procreatrix & parens.* 68. a,b. 1059.a. *præpotens & glorioſa.* 80.a. *virtutis, officii & bene vivendi diſciplinam continet.* 545.a. *ſecundum Platonem donum Deorum.* 1059.a. *eſt cultura animi.* 1067.b. *magiſtra vitæ.* 1068.a. *vitæ dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, &c.* 1097.b. *Maximum munus humano generi à diis datum.* 762.b. *nullum majus aut melius officium à Deo datum.* 972. a,b. 981.a

Philoſophiæ encomium. 1029.b.1193.a *præſtantia.* 1292.a

Philoſophi Academici & Peripatetici cur à Græcis politici philoſophi *appellati.* 119.b

Philoſophi plerique natura duce deos eſſe ſtatuerunt. 1111.a

Philoſophi veteres omnia variè diſſipata in ſuas artes collegerunt. 80.a

Philoſophorum oratio mollis & umbratilis, &c. 157.a

Philoſophorum Socraticorum diſcidium & familiæ diſſentientes. 116.a

Philoſophorum tota vita eſt commentatio mortis. 1060.a

Philoſophum pictum nunquam vidiſſe, proverb. 1049.a

Philoſophus quis vere dicatur? 81.b

Phormionis Peripatetici Oratio de Re Militari ad Hannibalem. 91.b

Phryges ſero ſapiunt. 694.b

Phyſica laus. 1029.a

Phryx plagis fit melior, proverb. 429.b

Pictores quidam non plus quam quatuor coloribus uſi. 133 b

Pictoris illius decorum, qui cum immolanda eſſet Iphigenia, Agamemnoni caput obvolvendum putabat, quod ſummum dolorem penicillo adumbrare non poſſet. 158.a

Pietas quid? 56.b.65.b.490.a

Pierides. 1144.b

Pigritia eſt metus conſequentis laboris. 1088.b

Pilus: ne pilo quidem minus. 820. a. 947.b

Pina conchæ. 1028.a

Pinoteres à conchæ cuſtodia dictus. 1028.a

Pinæ cum parva ſquilla ſollers ſocietas comparandi cibi. 1144.b

Pindarus. 1020.a

Pindeniſſum munitiſſimum oppidum Eleutherocilicum. 652.b.819.b.761.b

Piræeum ſing. & *Piræea*, plurale, (oppidum ac portus propè Athenas.) 650.b

Piſces ſidus cœleſte. 1133.b

Piſcium multitudo & ſuavitas. 1138.b

Piſiſtratus Homeri libros antea confuſos ſic diſpoſuit ut nunc habemus. 121.a. 130.b.131.b

C. Piſo, orator. 89.b.145.b.148.a

L. Piſo trib. pleb. primus legem de pecuniis repetundis tulit. 136.a. 289.a. 299.a.332.b.

L. Piſo Frugi. 299. a. *contra legem frumentariam dixit.* 1081.b

M. Piſo, orator. 145.a

Pittacus Athenis omnino accedere quemquam vetuit ad funus aliorum. 1203.b

Placentia (civitas Liguriæ.) 946.a

Plangunculæ. 825.b

Plataleæ avis admirabilis natura in quærendo cibo. 1134. b. 1135.a.

Plato in dicendo graviſſimus & eloquentiſſimus. 137. a. 70. b. 153.b. 157.a. *in Gorgia oratores irridet.* ibid. *divinitus locutus eſt.* 71.a.82.b. *hujus Ideæ.* 153. b. 974. b. *commentitiam finxit civitatem.* ibid. 83.a. *Jovem, ajunt Philoſophi, ſi Græcè loquatur ſic loqui?* 137. a. *vocalium concurſionem in oratione non vitavit.* 163.b. *unus totius Græciæ doctiſſimus.* 561. b. *à Tullio appellatur:* Deus ille noſter. 809.b. *varius, multiplex & copioſus.* 973. a. *animi tres partes eſſe ſtatuit, rationem, iram, cupiditatem.* 993.b. *cenſet, mundum eſſe factum à deo ſempiternum, ex materia omnia in ſe recipiente.* 992. b. *omne judicium veritatis menti tribuit.* 995.b. *eum beatum dixit, cui etiam in ſenectute contigerit, ut ſapientiam veraſque opiniones aſſequi poſſit.* 1046. b. *dixit Philoſophiam donum Deorum eſſe.* 1059.a. *Ægyptum peragravit, ut à ſacerdotibus barbaris numeros & cœleſtia reciperet, &c.* 1049.b. *poëtas è civitate, quam finxit, eduxit.* 1069.b. *triplicem finxit animam.* 1054.a. *iram in pectore, cupiditatem ſubter præcordia locavit.* ibid. *mundi formam ſtatuit eſſe rotundam & quare?* 1113.b. *deus philoſophorum.* 1126. a. 1292. b. *motum ſtatuit duplicem, alterum ſuum, alterum externum.* ibid. *voluptatem eſcam malorum vocabat.* 1260.a. LXXXI. *ætatis anno mortuus eſt.* 1255.b

Platoni in cunis parvulo dormienti apes in labellis conſederunt. 1159. b. *quid portenderit.* ibid.

Platonis & Ariſtotelis ut & Stoicorum præcepta inter ſe comparata. 419.a

Platonis & Democriti locutio qualis ſit? 157.b

Platonis liber Menon dictus. 1058. a. *ſtatuit animum, antequam in corpus intret, rerum cognitione vigere.* ibid.

Platonis deus in Timæo mundum ædificans. 1058. a. 1113. a. *epiſtola ad Dionis propinquos.* 1108.a. *liber de animo.* 1054. a. *locus de ſapientiâ.* 1012.a

Platonis Phædrus. 154.a. 1006.a. *opinio de diis.* 1114. a. *ſententia de artium ingenuarum mutua connexione.* 113.b. *Timæus.* 1007.b

Plautus quando vixerit? 133.b. *quando mortuus.* 132 b

Plauti Truculentus, Pſeudolus. 1260.b

Plebes. 835.b

Plebei gignendi caſu. 720.b.697.b

Plumbeus in phyſicis, &c. 1059.b

Plutonia terra in Aſiâ mortifera. 1159.b

Pluvias metuo; ranæ enim ῥητορεύουσιν. 920.b. 921.a

Poëta finitimus Oratori. 72.a

Poëta bonus nemo ſine inflammatione animorum & afflatu quaſi furoris. 99.b

Poëtæ Cordubæ nati pingue quiddam & peregrinum ſonant. 447.b

Poëtæ boni pauci ſemper, ſed pauciores boni Oratores. 68. a. *quam diſſimiles omnes inter ſeſe.* 113. b. *ante Homerum fuerunt.* 133.b. *in quo ab Oratoribus differant?* 157. b. *ſancti ab Ennio appellati.* 446.b

Poëtarum encomium. 446. b. & ſeqq. *abſurda figmenta de diis.* 1115.a,b

Poëtis proxima cognatio cum Oratoribus. 113.b

Poëtica & verſus terminatione aurium, obſervatione prudentium inventa. 166.a

Poëticam ſerius Romani acceperunt. 1051.b

Pœni fœdifragi. 1215.a
Polemo Philoſophus. 994.b. 1030.a. *ſtatuit ſummum bonum, ſecundum naturam vivere.* 1031.b. *Xenocratis diſcipulus.* 116.b
Polyænus Mathematicus. 991.a
Polybius bonus auctor. 1252.b
Polycrates Samius felix appellatus. 1050.b. *annulum in mare projectum in præcordiis piſcis invenit.* ibid. *tyrannus.* ibid. *ab Oroete prætore Darii in crucem actus.* ibid.
Polycletus ſtatuarius. 22.a. 113.b. 133.b. 996.a. 1020.a. *Herculem finxit.* 91.a
Polygnotus pictor præſtantiſſ. 133.b
Polyphemus apud Homerum de cæcitate ſuâ conquerens ad arietem. 1110.a
Pomeridianæ quadrigæ. 164.a
Cn. Pompeji ludi votivi. 227.b
Cn. Pompejus, eloquens. 140.b. 145.b. *cum ſocero (Cæſare) bellum gerit.* 1061.b. *ejus calamitates & infelix tandem exitus.* ibid. *quale elogium Tullio obſervatam ab eo Remp. tribuerit.* 1220.a
Q. Pompejus, præt. urb. 78.b
Q. Pompejus Orator. 135.a
Q. Pompejus, A. F. Bithynicus, orator. 145.b
Pompilius imperator Catonis filium ſecundo militiæ ſacramento obligavit. 1215.a
Cn. Pomponius, orator. 141.a. & ſeqq.
Ponti anguſtiæ. 1057.a
M. Pontidius, orator. 146.a
Pontifices veteres propter ſacrorum multitudinem tres viros epulones conſtituerunt. 117.a
Pontifex maximus Annales conficiebat. 89.b.
C. Pontii Samnitis votum, ut Romani dona acciperent. 1240.a
Popilia publicè primum laudata. 89.a
P. Popilius, & C. filius, diſerti. 135.a
C. Popillius à Gallis obſeſſus, exercitum eduxit impedimentis relictis. 5.a
C. Popillius legatus Antiochum regem virgulâ circumſcribit. 608.a
M. Popillius ſeditionem populi ſedat. 132.a,b. *flamen Carmentalis.* ibid.
Populi officium. 29.a
Porca in fœdere faciendo cœnebatur. 59.a
Porgens, pro porrigens. 1334.a
Porta Capena. 1053.a. *Eſquilina.* 105.b
Portenta, unde ſic dicta? 1161.a
Portenta nulla. 1171.a
Porticus Neptuni. 987.b
Poſidonii conſtantia in morbo. 1073.b. *ſcripſit de natura deorum.* 1122.b. *Sphæram mobilem, cœleſtium corporum motus repræſentantem effecit.* 1131.b
Poſtliminii ἐτυμολογία. 173.a
Poſtliminio redire quid ſit? ibid.
Poſtliminium quibus negaretur? 79.b
A. Poſtumius Caſtorem & Pollucem in acie ſua contra hoſtes vidit præliantes. 1140.b. *iis ædem in foro dedicavit.* ibid.
Polentia, quid? 66.a
Præcertatio quid? 28.a
Præciſio, figura exornationis verbor. 28.a
Præclaræ mortes ſunt imperatoriæ. 1018.a
Præmeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum. 1079.a
Præmia non ſunt in ejus facto qui adeptus eſt, ſed in ejus qui dedit. 530.b
Præmii petitio in Juridiciali cauſæ conſtitutione quomodo inſtituenda. 60.b
Præmii ratio in quatuor partes diſtributa: in beneficia, hominem, præmii genus, & facultates. 61.a
Præneſtinæ ſortes. 1174.a
Præpoſita Græcis προηγμένα. 1038.a
Præſagire & præſagitio, quid? 1158.a
Prætoris edictum, lex annua. 241.a
Pragmatici juriſconſulti. 85.a
Πραγματικοὶ, miniſtri in judiciis Oratorum apud Græcos. 80.b
Praxiteles ſtatuarius. 22.a
Prenſare. 772.a
Priamus quinquaginta genuit liberos. 1061.b. *ad aram confugiens interemtus eſt.* ibid. *ejus ærumnæ.* 1297.a
Prima ſequentem, honeſtum eſt in ſecundis tertiiſque conſiſtere. 153.a
Primis labris guſtare. 1113.a
Principatus quidam eſt in omnibus compoſitis quod Græci ἡγεμονικὸν appellant. 1125.b
Principem octavum ducere. 955.a
Principes mali in quo maximè peccent. 1208.a
Principium orationis, ejuſque uſus. 2.a. 38.b. *tria ſunt tempora, quibus principio uti non poſſumus.* 2.b
Principia orationis qualia debeant eſſe. 161.b
Principia dicendi qualia debeant eſſe. 108.a,b. 184.a. *unde ducenda.* ibid.
Principii nulla eſt origo. 1057.b
Principiis cognitis multò facilius extrema intelliguntur. 353.b
Privantia, στερητικά. 174.a
Privata nulla ſunt naturâ. 1213.a. *quot modis fiant.* ibid.
Proagorus, ſummus magiſtratus. 298.b
Probabile, quid, & quotuplex. 42.b. 43.a
Probabile in cauſa conjecturali, ejuſque diviſio in cauſam & vitam. 6.b
Procacitas unde dicta. 1316.b
Proclus & Euryſthenes Lacedæmoniorum reges, fratres. 1174.a. *diſpares vita & rerum geſtarum gloria.* ibid.
Procyon, ſidus cœleſte. 1134.a
Prodicus C. ejus dicendi magiſter. 130.b. 120.b. *ea, quæ prodeſſent hominum vita, in deorum numero habita eſſe dixit.* 1122.a
Prodigi qui dicantur? 1237.b
Prodigia, unde ſic dicta? 1161.a
Promethei ad Caucaſum religati fabula. 1069.a. 1098.a. *ignem mortalibus diviſit.* 22.a
Promiſſa quibus caſibus non ſint ſervanda. 1214.a
Pronœa, providentia, anus fatidica Stoicorum. 1113.a. 1130.a
Pronominatio, figura exornationis verborum. 28.a
Pronuntiatio Oratoris quid ſit? 1.b. 36.b
Pronuntiatio Oratori maximè utilis. 17.a. *dividitur in vocis figuram, & corporis motum.* ibid.
Pronuntiationem bonam quid perficiat? 18.b
Propoſitio pars argumentationis. 10.b
Propoſitiones quædam indigent approbatione, quædam non. 44.b
Propoſitum, θέσις. 176.a
Prora & puppis, proverb. 771.b
Proſcriptionis formula. 461.b
Proſerpina, eadem quæ Libera. 305.a. *ejus raptus.* ibid. *περσεφόνη dicta Græcis.* 1129.b. *filia Cereris, frugum ſemen.* ibid.
Protagoras Abderites, dicendi magiſter. 120.b. 130.b. *putavit id cuique verum eſſe, quod cuique videatur.* 995.b. *deos eſſe dubitavit, ſint, non ſint.* 1111.a. 1114.a. & 1122.a. *eâ de cauſa ab Athenienſibus urbe & agro, exterminatus, ejuſque libri combuſti.* 1117.a. *rerum illuſtrium locos communes ſcripſit.* 131.b
Protogenes, pictor. 133.b
Providentia, quid? 65.a
Providentiâ deorum mundum adminiſtrari, &c. 1130.a,b
Provincia locatoria. 918.a
Provocatio patrona civitatis ac vindex libertatis. 100.a
Prudentia, quid? 15.a. 65.a. *quando hujus partibus utendum in dicendo.* ibid. *Græcis φρόνησις.* 1229.b. *eſt vivendi ars.* 1041.a. 1047.b. *à providentia dicta.* 1163.a
Pruſias, Rex Bythiniæ. 1170.a
Pſephiſma. 424.b
Pſeudothyrus. 251.b
Pſychomantium. 1065.b
Ptolemæus rex Cypri cum omnibus à Piſone Cos. publicatus. 500.a
Ptolomæo regi, panem cibarium in caſa comedenti, jucundius eo nihil viſum eſt. 1108.a
Puella nata biceps ſeditionem in populo, corruptelam & adulterium domi ſignificavit. 1163.b.
Pugio plumbeus. 1035.b
Pugna Cannenſis. 207.b. *ad Thraſymenum lacum.* 208.a. *ad Servilium lacum.* ibid.

Pugna Marathonia. 857.b
Pulcritudinis genera duo & quæ? 1226.a
Pulegio ad rutam uti, proverb. 771.a
Pullarii qui & unde dicti. 1159.a. 1172.b
Pullus Numitor, proditor Fregellanus. 1047.a
Pulmonum natura & uſus in homine. 1136.a
Pupula, acies oculi. 1137.a
Purgatio criminis, ejuſque diviſio in fortunam, imprudentiam, neceſſitatem. 5.a. 37.b. *quomodo ſingulæ tractandæ.* 59.a,b
Putiſcere. 1044.a
Pylades & Oreſtes par amicorum. 1015.b
Pyrrhi præclarum reſponſum de captivis gratis reddendis. 1215.a,b
Pyrrhonei, philoſophi. 116.a
Pyrrho, philoſophus. 994.b. *ejus opinio de ſummo bono.* 1034.b
Pyriphlegethon, fluv. infernalis. 1143.b
Pythagoras diſcipulus Pherecidæ Syri. 1056.a. *ſtatuit animum hominis ſempiternum.* ibid. 1045.b. 1091.b. *vir præſtanti ſapientia & nobilitate.* 1086.b. *cenſuit Deum eſſe animum per naturam rerum omnem commeantem.* 1114.a. *cum in Geometriâ aliquid novi inveniſſet, bovem Muſis immolaſſe dicitur.* 1148.b. *vult in amicitiâ ut unus fiat ex pluribus.* 1217.b
Pythagoræ colloquium cum Leonte Phliaſiorum Principe. 1098 a. *vitam hominis cum mercatu in ludis Olympicis contulit.* ibid.
Pythagorei. 70. *cantu fidibuſque mentes ſuas à cogitationibus ad tranquillitatem traducebant.* 1087.a. *volunt omnia proficiſci ex numeris & mathematicorum initiis.* 992.b
Pythagoreorum reſponſum, IPSE DIXIT, *improbatur.* 1112.a
Pythagoricis cur interdictum ne faba veſcerentur. 1157.b. 1177.b.
Pythii argentarii aſtuta vanitas in vendendo horto. 1247.a
Pythiæ Delphicæ mens divino afflatu è terra concitata. 1154.b. 1159.b

Q.

Quadrantariæ. 522.a
Quadruplatores. 221.a
Quadrigæ Poëticæ. 946.a
Quales in Rep. Principes, tales ſolent eſſe cives. 646.a
Quæ vindicaris in altero, tibi ipſi vehementer fugienda ſunt. 267.b
Quæque res, ut eſt turpiſſima, ita maturiſſimè judicanda. 334.a
Quæſiteris officium. 29.a
Quæſticulus, pro lucello. 713.a. 1168.b
Quæſtio de diis in quatuor partes diviſa. 1123.a
Quæſtio quot partes habeat? 178.a
Quæſtiones cognitionis tripertitæ. an ſit, quid ſit, quale ſit? 181.b.176.a
Quæſtionum alia diviſio in cognitionem & actionem. 181.b
Quæſtionum, in quibus eloquentia verſatur, genera duo, Infinitum & Certum. 89.a. 176. a. 181.b.
Quæſtus genera duo, liberale & ſordidum. 1229.a
Qualitates Græcis ποιότητες. 974. a. 1123.b. *aliæ principes, ſive ſimplices: aër, ignis, aqua, terra.* ibid.b. *aliæ ex his ortæ.* ibid.
Quam quiſque norit artem, in hac ſe exerceat. 1056.b
Quaſilla. 592.a
Quatefacere. 956.a
Quercus Dodonæa. 786 a
Quercus Mariana Romæ. 1185.b. 1186.a
Quicum in tenebris, proverb. 1012.a
Qui ipſe ſibi ſapiens prodeſſe non quit, nequidquam ſapit. 693.a.
Qui jus civile contemnit, is vincula judiciorum, utilitatis, vitaque communis revellit. 340.a
Qui pro capite dicebat, poſteriore loco dicebat. 193.b
Qui ſemel à veritate deflexit, ſic non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perduci conſuevit. 217.b
Quinquatrus, pl. n. fæm. gen. 653.a
L. Quintio Cincinnato oranti nuntiatum eſt, eum dictatorem eſſe factum. 1261.b
Quintus Fabius Labeo, Orator. 134.a
Quintus Maximus Verrucoſſus Orator. 132.b
Quirinalia. 945.b
QVOD BONVM FAVSTVM, FELIX, FORTVNATVMQVE SIT, *ominum voces.* 1161.b
Quod fore paratum eſt, id ſummum exſuperat Jovem. 1167.b
Quod honeſtum ſit, id ſolum bonum eſſe, Paradox. I. Tull. 1278.a
Quotus, pro cujus. 699.a. 705.b
Quo minus certa eſt hominum, ac minus diuturna vita, hoc magis Reſp. fui debet ſummi hominis vita, atque virtute. 350.b
Quo quiſque eſt ſolertior, & ingenioſior, hoc docet iracundius & laborioſius. 216.b
Quot homines, tot ſententiæ. 998.b
Quouſque, vocabuli, vis & ſignificatio. 489.b

R.

Rabere. 1158.a
Rabula. 141.a
Ranarum marinarum admiranda natura in capiendis piſcibus. 1135.a
Ranarum querela pluviarum prognoſtica. 1151.b
Ratio quid? 38.a. *pars argumentationis.* 10.b
Ratio conſtitutione reperta ſtatim quærenda. 5.a. *cauſam facit & continet defenſionem.* ibid.
Ratio expoſitionis vitioſa duplex, & utriuſque exempla. 11.b.12.a
Ratio, domina & regina omnium. 1072.b
Rationis confirmatio. 10.b
Rationis firmamentum, quando quærendum, & quo modo conſtituatur. 5.b.
Ratione nihil divinius. 1188.b. *hæc cum adoleverit & perfecta eſt ſapientia dicitur.* ibid.
Ratiocinatio, quid? 52.a
Ratiocinatio, figura exornationis verborum. 24.b
Ratiocinationis controverſia in legitima cauſæ conſtitutione. 4.b.9.a
Ratiocinatio in argumentatione, quid? 44.a. *an tripertita, an quinquepertita.* ibid. *quinquepertita cur placeat Tullio.* ibid.
Rauduſculum. 806.a. 129.b. 911.b. 686.b. 734.b. 755.b
Recordatio communis quaſi legis & humanæ conditionis levat dolorem. 685.b
Rectoris Reipubl. officium. 1239.b
Rectum quid: ejus diviſio in prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, modeſtiam. 15.a
Reduvia reduviam curare. 211.a
Refractariolus. 784.b
Regiæ laudes. 573.b
Regnum eſt dicere in quem velis, ac defendere quem velis. 439.b
Regum afflictæ fortunæ facilè multarum opes ad miſericordiam alliciunt. 346.b
Regum apud omnes gentes conſtituendorum cauſa fuit juſtitiæ deſiderium. 1235.b
M. Regulus, vide M. *Attilius Regulus.*
Rei, quorum res agitur. 108.b
Rei, non ii modo qui arguuntur, ſed omnes quorum de re diſceptatur. 98.b
Rei militaris virtus & præſtantia. 413.b
Reipublicæ præfuturis duo Platonis præcepta obſervanda. 1221.a
Reipublicæ rector & conſilii publici autor quis habendus? 81.b
Reipubl. ſalus non ſæpius periclitanda in uno homine. 396.a
Relatio criminis in juridiciali cauſæ conſtitutione. 37.b. 57.b. *quomodo tractanda.* ibid. & 58.a
Religio, quid? 56.b.65.b
Religio populi Rom. diviſa in ſacra, auſpicia, & monita. 1140.a
Religioſi unde ſic dicti. 1130.a
Remedia contra amorem. 1095.b

Remigis cujuſdam Rhodii in claſſe Coponii vaticinium de clade Pharſalica. 1158.a,b.
Remotio criminis in conſtitutione Juridiciali aſſumtiva. 5. a. 37. b. 58. b quomodo tractanda. 10.a,b
Repetitio, figura exornationis verborum. 242
Reprehenſio, quid? 46.a
Repugnantium locus argumentationis. 174 a
Repueraſcere. 87.b
Requies, etis. 1046.a
Rerum bonarum & malarum genera tria. 65.a,b.180.a
Rerum copia verborum copiam gignit. 120.b
Rerum publicarum naturales quædam converſiones. 1165.b
Rerum, verborumque judicium, prudentiæ eſt: vocum & numerorum aures judices ſunt. 164.b
Res, aut de vero, aut de recto, aut de nomine. 161.a
Res eadem quomodo alii ſit genus, alii pars. 37.a.40.b
Res familiaris unde quærenda & quo pacto ſervanda. 1241.a
Res judicata quando vitioſè proferatur. 13.b.
Res ruſticæ incertiſſimæ, non ratione aut labore, ſed ventis & tempeſtatibus moderantur. 292.b
Reſpublica quomodo debeat eſſe conſtituta. 285.a,b
Res quædam ex tempore & ex conſilio, non ex ſua natura conſiderandæ. 66.b
Res ſuilla. 889.a
Rhetorica eſt artificioſa eloquentia. 36.a. officium ejus facultatis. ibid. finis. ibid. eſt civilis ſcientiæ pars. ibid.b. materia. ibid. b. partes. ibid. ſine aſſiduitate dicendi non multum juvat. 1.a.6.a
Rhetoribus ementiri in hiſtoriis cur conceſſum? 131.b
Rhodiorum bellum cum Rege Mithridate. 263. a. ſtatuam ejus inviolatam ſervant. ibid.
Rhodiis quidam moriens ſex æqualibus ſuis mortem illis inſtantem denuntiat. 1157.b.1158.a
Rhythmus numerus oratorius. 157.b
Ridicula omnia non ſunt faceta. 104 a.
Ridicula ambigua ſunt in primis acuta. ibid.
Ridiculis facetè verſus aliquando interponitur. ibid.b
Ridiculorum Genera Oratore indigna quatuor. 104.a
Riſus quid ſit, & unde ſit? 102.b. materies. 103.a
Rivalitas. 1093.a
Romæ ſemper eloquentia primas, juris ſcientia ſecundas tenuit. 162.b
Romani imperio in omnes gentes conſtituto, incredibili dicendi ſtudio flagraverunt. 68.b. præ ceteris gentibus ingenio valuerunt. ibid. Græcis in omni ſtudiorum ac virtutum genere ſuperiores. 80.b. 1051.a. in conviviis canebant ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus. 1051. b. nihil in bello ſine extis, domi ſine auſpiciis agebant. 1161.a. Oratoriam artem celeriter complexi ſunt. 1052.a
Romanorum ſuavitas in Latino ſermone. 114.b
Romanorum veterum continentia. 204.b. ex tenuiſſimâ florentiſſ. Remp. reliquerunt. ibid. plus quàm cæteræ nationes, non modò armis, verum etiam conſilio ſapientiaque valuere. 206.a
Romanorum lenitas in hoſtes. 213.b
Romuli fæx. 784.b
Romuli lituus. 1153. b. in Saliorum curia ſitus, cum ea deflagraſſet, integer inventus eſt. ibid. & 1173.a
Romuli ſapientia in condenda Rep. Rom. 70.a
Romulus idem qui Quirinus. 1129. a. urbis Romæ conditor ad Deos relatus. 403.a. 533.a. optimus augur. 1162.a. auſpicatò urbem condidit. 1150. a. 1162.a. poſt exceſſum ſuum Proculo Julio dixit ſe deum eſſe & Quirinum vocari, templumque ſibi dedicari in eo loco juſſit. 1186.a
Romulus auſpiciis, & Numa ſacris conſtitutis fundamenta jecere urbis Romæ. 1140.a
Romulus in cœlo cum diis agit ævum. 1055.a
Romulus lactens fulmine ictus. 1169.a
Roſcius in ſcena, proverb. 149.b
Roſcius hiſtrio. 76. a. hoc conſecutus, ut in quo quiſque artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur. ibid. ſolebat dicere, ſe quo plus ſibi ætatis accederet, eo tardiores tibicinis modos, &c. facturum. 85.a
Roſcius puer dormiens ſerpentis amplexu circumplicatus. 1159.b. inde haruſpices ei ſummam claritatem prædixerunt. ibid.
S. Roſcius pater, municeps Amerinus. 201. b. ad balneas Palatinas occiſus. 202.a
Sex. Roſcius filius, à Tullio contra Chryſogonum in judicio & oratione defenſus. 200.
Q. Roſcius à Tullio contra C. Fannium Chæream, &c. defenſus. 213.
Q. Roſcii laus. 446.b
Rubores elicere alicui. 23.a
Q. Rubrius Varro, vehemens accuſator. 140.a
Rumoribus credi non oportet. 7.a
Rumuſculi. 6 .b
Ruſca legem Annalem tulit. 104 b
C. Ruſticellus Bononienſis orator. 140.a
Ruſtici cujuſdam Romani ſomnium de præſule Ludorum. 1156.b.1157.a
Ruta & cæſa. 102.a,b. 177.b.184.b
Rutiliæ fortitudo inferendo filii C. Cottæ exilio & obitu. 1297.a
P. Rutilius Rufus, homo doctus. 82.b
P. Rutilius Rufus. 136.a,b. nimia animi ægritudine ob fratris, conſulatum petentis, repulſam mortuus eſt. 1091.a

S.

Sabazia ſacra. 1145.b
Sabazius deus. 1199.a
Sacerdotis publici munus. 1199.a
Sacra anniverſaria juventutis. 781.[illegible]
Sacra Cereris. 536.a
Sacra nocturna mulierum. 1199.a
Sacroſanctum nihil eſſe poteſt, niſi quod per populum plebemve ſancitum eſt. 534.a
Sacrum legere. 14.a
Sadala rex Aſiæ. 236.a
Sagra: Certiora quàm illa quæ apud Sagram. proverb. 1140.b
Sagire, quid? 1158. a. hinc ſagæ anus, & ſagaces canes dicti. ibid.
Saguntini parenteis ſuos liberos emori, quàm ſervos vivere maluerunt. 1280.a
Salacon. 797.a
Salamii tropæi memoria ſempiterna. 1064.b.
Salamis teſtis Themiſtoclis victoriæ. 1219.b
Sales in dicendo multum valent. 159.a. eorum genera duo. ibid.
Salinator Senenſi prælio ludos Juventutis vovet. 133.b
Salis multi modii ſimul edendi ſunt, ut amicitiæ munus expletum ſit. 1273.b
Salis ſatis eſt, Sannionum parum, proverb. 713.b
Salmacida ſpolia. 1218.a
Salus univerſæ Reip. moderatione & ſapientia perfecti Oratoris maxime continetur. 69.b.
Salutis ædes. 1128.b
Sami Junonis Samia fanum. 235.a
Sanguen. 1043.a
Sanctio plus valet permiſſione. 8.b
Sanctitas eſt ſcientia colendorum deorum. 1122.a
Sani qui propriè dicantur. 1076.b
Sanitas corporis. 1090. a. animi. ibid.
Sannio. 104.a
Sapiens quis? 1091. a. an unquam iraſcatur? 1077. b. fortis in perferendo dolore. 1068.a
Sapiens nullus mori miſerum dixit, ne beato quidem. 683. a. ſemper beatus. 1102.b. an etiam in tormentis. 1105. a,b. 1106. a. dicitur Rex, Dictator, dives, pulcher, &c. ſolus ſcit uti omnibus. 1029.b
Sapiens ſi algebis tremes. proverb. 1106.a
Sapientes ſeptem Græciæ. 121.a. 1098.a

Sapientia

Sapientia, ejuſque definitio. 1093.a. 980.b
Sapientia quæ Græcis dicta ſit? 115.b
Sapientia, animi ſanitas. 1076.a
Sapientia re & nomine antiqua. 1098.a
Sapientia eloquentiæ, ſicut reliquarum rerum, fundamentum eſt. 157.b
Sapientia in ſe tota converſa eſt. 1023.b *quid complectatur.* ibid. *in tres partes diſtributa.* 992.a. *mater omnium bonarum artium.* 1192.b. *hominem à natura inchoatum perficit.* 1033.b
Sapientia ſine eloquentia parum prodeſt civitatibus, eloquentia verò ſine ſapientia obeſt plerumque. 35.a
Sapientiæ artus atque nervi, non temere credere. 1286.b
Sapientiæ comparatio cum arte medendi & gubernandi. 1002.a
Sapientiæ laudes. 1002.a. 1231.b. *præſtantia.* 1079.a.
Sapientis eſt, conſilium ſuum explicare de maximis rebus. 109.a. *tempori cedere.* 609.b
Sapientis eſt quidquid homini accidere poſſit, id præmeditari ferendum modice ſi advenerit. 615 a.
Sapientiſſimus eſt is, cui quod opus ſit, ipſi veniat in mentem. 361.b
Sapientium vetera præcepta: TEMPORI PARERE, SEQVI DEVM, SE NOSCERE, & NIHIL NIMIS. 1029.a
Sardanapali, Syriæ regis, buſto epigramma inciſum. 1108.b. *de hoc Ariſtotelis judicium.* ibid. 1019.a
Sardi venaleis. proverb. 697.a
Sarta tecta tueri. 240 b. 243.a. 745.a
Sartum tectum conſervare, de homine dictum. 635.a. 751.b
Satiſdare. 193.b
Satis accipere. 195.a
Saturnalia. 819.b
Saturnus Latinis ſic dictus quod ſaturetur annis. 1129.a. *converſionem temporum continet: inde* Κρόνος *Græcè dictus à* χρόνος. ibid. *ex ſe natos comeſſe fingitur, quia conſumit ætas temporum ſpatia.* ibid. *cur à Jove vinctus.* ibid.
Saturni ſtella, Græcis φαίνων. 1128.a
L. Saturnini & Cæpionis controverſia de lege frumentaria. 4.a
Saturninus, trib. pl. publicè interfectus. 144.a. 1143.b. 1145.b
Suaſionum & laudationum pleraque communia præcepta. 109.a
Scabilla. 522.b
P. Scævola, orator. 136.a
Q. Scævola juriſperitorum eloquentiſſimus. 79.a. 138.b. *vir ſanctiſſ.* 203.a. *pontif. max. ante Veſtæ ſimulacrum trucidatus.* 1147.b
Scalmus. 142.a
Scammonea radix valet ad purgandum. 1152.a
M. Scaurus, orator. 136.a,b
M. Scaurus, vir regendæ reip. ſcientiſſimus. 81.b
Scelerum promiſſio & iis qui expectant pernicioſa, & iis qui promittunt. 607.a
Sceptius Metrodorus ob memoriam celebris. 1058.b
Schemata ſententiarum orationiſque formæ, ſive verborum ſententiarumque lumina, & ornamenta. 133.a
Scientia ſola virtutum. 980.a
Scientiſſimè. 1032.a
Scintillulæ virtutum. 1044.b
L. Scipio eloquens. 140. b. *Antiochum regem devicit.* 235.b
P. Scipio pater, unde Africanus cognominatus. 209. a. *Annibalem vicit.* 1012.b. 1048.a
P. Scipio Africanus (filius) eloquens. 133.b. 134.a. 137.b. *Carthaginem Numantiamque delevit.* 301.a. 302. a,b. 374.b. 418.b. 1048.a. *Corinthiis ſtatuam eis pollicentibus, quid reſponderit?* 104.b. 824.b. *facetum dictum in M. Flaccum.* 106. a. *ejus ſcitum de otio ſuo & ſolitudine.* 1241.a
P. Scipio Naſica, Corculum *appellatus.* 134.a. 143.a
Cn. & P. Scipiones in Hiſpaniis uno bello ceciderunt. 1062.a
Scipionum ſepulcrum extra portam Capenam. 1053.a.
Scopas diſſolvere. 170.b. 838.a
Scorpius, ſidus cœleſte. 1133.b
Scribere ex arte quid? 21.b
Scripti & ſententiæ controverſia in legitimâ cauſæ conſtitutione. 4.a. 6.a. *quomodo Oratori tractanda.* 63.a, b. 93.b. 94.a. 38.a. *hujus controverſiæ loci communes.* 63.a,b.
Scriptum ambiguum quod ſit. 8.b
Scripulus. 811.a
Scrupulum abeunti, proverb. 1039.b
Scurra facilius poteſt fieri dives, quàm paterfamilias 196.a
Scylax Halicarnaſſæus, excellens in Aſtrologia, prædictiones ex natali die rejecit. 1174.a
Scyron. 991.a
Secum eſſe, ſecumque vivere, proverb. 1260.b
Securitas eſt vacuitas ægritudinis. 1101.b
Sedecula. 807.b
Seditio unde ſic dicta. 1317.b
Segeſta, oppid. ab Ænea conditum. 301.a
in Seleucia angues ad focum nundinantur. 1171.b
Semiſomnus. 690.a
Ti. & C. Sempronii eloquentiſſimi. 70.a
Sempronius nutu atque verbo libertinos in urbanas tribus tranſtulit. 70.a
Senariolus. 1104.a
Senatuſconſultum. 652.a
Senatus ſenati, gignendi caſu. 220. b. 953.b
Senatus dictus à ſenibus. 1256.a
Senatus officium. 29.a
Senatuſconſultorum formulæ aliquot. 703.a,b
Senectus eſt vitæ occaſus. 173.a. *cur miſera videatur.* 1256. a. *jucunda, ſtipata ſtudiis juventutis.* 1257. b. *naturâ loquacior.* 1261.b
Senectutis apex eſt auctoritas. 1262.a. *fructus quis?* 1263.a
Senectutis arma quæ? 1255.a
Senex maturè fias, ſi diu velis eſſe ſenex, proverb. 1253.a
Senibus valitudinis ratio habenda. 1258.b
Senum officia. 1225.b
Senſus interpretes ac nuntii rerum. 1136. b. *in capite, tanquam in arce collocati.* ibid.
Senſus videndi acerrimus ex noſtris ſenſibus. 111.a
Senſuum judicia vera. 980.a
Sententia, figura exornationis verborum. 25.a
Sepeliendi ritus antiquiſſimus. 1201.b. 1203.a
Sepulcra legens vereor ne memoriam perdam, proverb. 1257.a
Sepulcra vetuſtate fiunt ſanctiora. 610.b
Sepulcrorum religio. 1201.b
Serapis. 1144.a
Seriphus inſula. 1119.b
Sermo quid ſit? 17. b. *dividitur in quattuor partes, dignitatem, demonſtrationem, narrationem, jocationem.* 18.a. *de his partibus ſigillatim.* ibid.
Sermocinatio, genus commutationis. 31.a *figura exornationis ſententiar.* 33.b
Sermunculus. 897.a
Serpens, ſidus cœleſte. 1133.b
Serperaſtri. 833.b
Q. Sertorius. 141.a
Servilii gemini ſibi ſimiles. 984.b
Serviliorum ſepulcrum extra portam Capenam. 1053.a
C. Servilius Glaucia, orator improbiſſimus. 144.a
P. Servilius Olympum urbem cepit. 235.b
Servus à pedibus. 845.a
Severitas ſalutaris vincit inanem ſpeciem clementiæ. 953.b
Seſelis herba qualis. 1135.a
Sextia tabula. 193.a
C. Sextius Calvinus Orator. 137.b
Sibylla Erythræa per furorem vaticinata eſt. 1154.a
Sibyllæ verſus. 1176.a
Sicilia prima omnium provincia fuit appellata. 246.a. *ejus dignitas vetuſtas, &c.* ib. *cella penaria Reip. & nutrix pleb. R. dicta.* ibid. b. *à Verre prætore per triennium miſerè vexata.* 219.a. *Cereri & Liberæ cur ſacra.* 305.a
Cn. Sicinius peſſimus orator. 143. b. 147.a
Siculi, Rhodii, Byzantii & præter cæteros

Attici in ridiculis & facetiis excelluerunt. 10.b
Siculi cujuſdam ſalſum dictum de ficu. 1[illegible]5. b. *aliud ad Scipionem prætorem.* 106.a
Siculi ſeſtertiûm millies ob illatas injurias à Verre repetunt. 220.b
Siculorum cæterorumque Græcorum menſes. 259.b
Sicut plenum eſt, ſit *imminutum.* 1[illegible].a
Significatio, figura exornationis ſententiar. 34. a. *quotupliciter ea fiat.* ibid.
Signum in cauſa conjecturali. 7. a. *dividitur in* VI. *partes, locum, tempus, ſpatium, occaſionem, ſpem perficiendi, & ſpem celandi.* ibid. *quomodo ſingulæ partes conſiderandæ.* ibid.
Signum in negotio quid ſit? 43.a. *quomodo infirmetur.* 46.b
Sila ſilva. 134.b
D. Silanus, orator. 145.b
M. Silanus diſertus. 138.a
Silentium in auſpiciis quid? 1172.b
Silenus Hiſtoriam Græcam de Hannibalis rebus geſtis ſcripſit. 1156.a
Sileni à Mida capti fabula. 1290. b. *mum eſſe: proximum quàm primum mori.* ibid. & 1065.a
Sileni à Mida capti fabella. 1065.a
Silent leges inter arma. 549.b
Silus. 1118.b
Simia quam ſimilis, turpiſſima beſtia, nobis. *Ennius.* 1120.a
Simile vitioſum, quid ſit. 13.b
Similiter cadens, figura exornationis verbor. 25.b
Similitudo, figura exornationis ſententiarum. 31.b
Similitudo ſatietatis mater. 46.a
Similium locus Dialecticus. 173.b
Simonides Cejus artem memoriæ protuliſſe fertur. 110. b. *ejus Crannone in Theſſalia apud Scopam cenantis hiſtoria.* ibid. *ob memoriam celebris.* 1058.b. *ejus diſtichon de Lacedæmoniis ad Thermopylas caſis.* 1063.b. *reſponſum ad Hieronem tyrannum quærentem, quid aut quale eſſet deus.* 1116.b. *ſomnium, quo ob naufragium imminens, vetitus eſt navigare.* 1157.a
Sine Cerere & Libero friget Venus. 1128.b
Sinope inſula. 239.a.
Sirenes Ulyſſem invitantes apud Homerum. 1045.b
L. Siſenna, vir doctus. 144.a
Sis, pro ſi vis. 163.b
Siſyphi tabula. 1052.b
Sitella: Sitellam deferre. 1121.a
Siti qui dicantur. 1202.a
Sitire honores. 951.a
Sittybæ librorum, pro ſcorteis librorum integumentis. 806.a
Societas conjugalis. 1217.a. *principium urbis & ſeminarium reipublicæ.* ibid. *præſtantiſſima quæ?* ibid.
Societas humani generis à quo initio profecta? 1028.a. 1047.b
Socrates fons & caput Philoſophiæ. 70.b 1005. a. *ejus dictum*, omneis in eo quod ſcirent, ſatis eſſe eloquenteis, *improbatur.* 71. b. *ejus dictum, de ſtudio cognoſcendæ virtutis.* 81.a
Socratis Ironia, quâ in Platonis, Xenophontis, & Æſchinis libris uſus, faceta & elegans. 49. b. 105.a. *augurium de Iſocrate adoleſcente.* 155. b. 156. a. *ſæpe inductionibus uſus.* 43.b. 44. b. *quomodo in judicio capitis pro ſe ipſo dixerit?* 83. a. *oratione à Lyſia oblata ad defenſionem ſui uti recuſavit, &c.* ibid. *in omnibus fere Platonis libris exprimitur.* 113. a. *ejus encomium.* 116.a. *ipſe nullam litteram ſermonum ſuorum reliquit.* ibid. *in Gorgia oratores irridet.* 120.a. *Græcis Oratoriæ doctoribus ſe oppoſuit.* 130. b. *Periclem cæteris præſtitiſſe oratoribus dicit, quod Anaxagoræ auditor fuerit.* 154 a. *quos oratores in Phædro Platonis* λογοδαιδάλους *vocet.* 155. b. *primus philoſophiam ad vitam communem adduxit.* 973. a. *ab Apolline omnium ſapientiſſimus dictus, & quare.* ibid. *id unum ſcivit, nihil ſe ſcire.* ibid. & 986.b. *ejus dictum: cibi condimentum eſſe famem, potionis ſitim.* 1017. a. *ratio diſſerendi.* 1052. b. *ſtatuit diſcere nihil aliud eſſe quàm recordari.* 1058. *ejus conſtantia & animi magnitudo in judicio capitis.* 1059. b. 1060. a. *morientis verba.* ibid. *ejus liber in quo moritur.* 1064.a. *reſponſum de ſui ſepultura ad Critonem.* ibid. *quomodo Alcibiadem conſolatus ſit.* 1085. b. *primus Philoſophiam devocavit è cœlo & in urbibus collocavit.* 1098. b. *reſponſum apud Platonem in Gorgia de Archelao annecum beatum putaret.* 1101.a. *argumentatio elegans de virtute.* 1102.a. *dictum, cum videret in pompâ magnam vim auri & argenti ferri.* 1107. a. *rogatus cur uſque ad veſperum contentius ambularet, quid reſponderit.* 1108. a. *roganti cujatem ſe eſſe diceret mundanum reſpondit.* 1109. a. *ſomnium de die quo moreretur.* 1156. b. *cauſas tam falſorum quàm veracium ſomniorum affert ex Platonis politiâ.* 1157.b
Socratis dæmonium. 1163. b. *Xenophonti quærenti ſequereturne Cyrum, quid reſponderit?* ibid. *exſecrari eum ſolebat qui primus utilitatem à naturâ ſejunxiſſet.* 1189.b
Socrati ſemper idem vultus eademque frons. 1221.b. *quam viam proximam & compendiariam ad gloriam eſſe dixerit.* 1236.a. *ſapientiſſimus Apollinis oraculo judicatur.* 1264. a. *ejus jam venenum bibituri ſermo egregius de animi immortalitate.* 1300.b
Sodes, pro ſi audes. 163.b
Sol aſſus, quem cœna non ſequitur. 885.a
Sol aſtrorum obtinens principatum diem noctemque efficit. 1127.b. *ut & quatuor temporum mutationes.* ibid.
Sol è mundo excidiſſe videtur. 858.a
Sol Græcis Apollo. 1144.b
Sol igneus & Oceani alitur humoribus. 1126.b
Sol nitidus & unctus, quem cœna ſequitur. 885.a
Sol nocte viſus. 1161.a
Soles quinque diverſi. 1144.b
Soles duo viſi. 1161.a
Solis magnitudo ſecundum Mathematicos. 987.b. 1131.b. 1132.b
Sol unde ſic dictus. 1129.b
Solœciſmus, quid? 23.b
Sollicitudo eſt ægritudo cum cogitatione. 1088.b
Solon & Piſiſtratus quando floruerint? 131.a
Solon Athenienſium legiſlator. 206. a. *interrogatus, cur nullum ſupplicium in parricidam ſtatuiſſet, quid reſponderit?* ibid.a. *mortuum ſelugeri poſtulat.* 1065.b. *cur furere ſe ſimulaverit.* 1223. b. *quid reſponderit interrogatus, quâ ſpe fretus Piſiſtrato tyranno tam audaciter reſiſteret.* 1263.b
Solonis leges. 80.b. *dictum, Rempubl. duabus rebus contineri, præmio & pœna.* 957. b. *præceptum Crœſo datum de beata vita.* 1016. b. *lex de ſumptu in funeribus minuendo.* 1203.a. *gloria in conſtituendo Areopago.* 1219. b. *dictum ſe quotidie aliquid addiſcentem ſenem fieri.* 1257.b
in Solum & gemitum, proverb. 716.b
Solum ſapientem eſſe divitem, Paradox. Tull. VI. 1282.a
Somnia quomodo fiant, eorumque ratio explicata. 1177.a,b. *auctoritas inanis.* ibid. & 1179.b. 1180.a. *falſa quomodo fiant.* 1178.a
Somniantium divinationes quomodo fiant. 1163.a
Somniorum tam falſorum quam veracium cauſæ. 1157.b
Somnium de ovo pendente ex faſcia lecti cubicularis theſaurum defoſſum ſignificavit. 1178.b
Somnus imago mortis. 1062.b
Sonivia. 685.a
Sopatri Halicienſis innocenter à Verre damnati hiſtoria. 253.b
Sophiſtæ ab Oratoribus ut differant? 157.a

Sophiſ-

Sophiſmata. 986.b
Sophocles Periclis in Prætura collega. 1228. a. à Pericle reprehenſus quod aliena ſuo officio diceret. ibid. ad ſummam ſenectutem tragœdias fecit, ideoque, quod negligeret iſto ſtudio rem familiarem, à filiis in judicium vocatus fuit. 1257. a. quomodo à filiorum accuſatione abſolutus ſit. ibid. jam ſenex rogatus num adhuc rebus Venereis uteretur, quid reſponderit? 1260. a. ejus Electra. 997. b. ſomnium de patera aurea ex æde Herculis ſurrepta. 1156.b
Sordes, ſing. num. 779.a
Sorites. 1166. a. Latinè acervalis. ibid. captioſum & vitioſum genus interrogationis. 983. b. unde nominatum. 989.a. 1035.b.
Sortes. 1154.a
Sortium tota ratio explicata. 1173. b. fallaciis plenæ. ibid. origo inventarumque locus. ibid.
Soter, qui ſalutem dedit. 262.a
Spartacus (qui bellum ſervile excitavit.) 593.a
Spartiatæ pueri ad aram verberibus excipiebantur ad dolorem à teneris tolerandum. 1070.b. 1105.b
Spes tota vincendi, ratioque perſuadendi poſita eſt in confirmatione & confutatione. 3.b
Speuſippus Platonis ſororis filius. 116. b. 1030. a. ejus opinio de diis. 1114.b
Spinæ diſſerendi. 1039.b
Spondæus pes. 167.a
Sportellæ. 714.a
Spurinna haruſpex Cæſaris mortem prædicit. 1163.b
Sputatilica crimina. 147.a
C. Stajenus, orator. 145. in manifeſto facinore deprehenſus pœnas legibus & judicio dedit. 145. b. maleficium ipſe ſuum prodidit. 176.b
Staſeas Neapolitanus, nobilis Peripateticus. 74.b. 1048.b.
Stat aſſare. 1197.b
Statii jocus. 104.b
Statii locus in Synephebis de arboribus poſteritati ſerendis. 1055.a
Statuæ turmales. 104.b
Status, ϛάσις. 177.a
Stellæ inerrantes. 1128. a. earum multitudo & deſcriptio. 1132. & ſeqq.
Stellæ naturâ flammeæ. 1134. a. vaporibus aquarum aluntur. ibid.
Stellæ vagæ, ſive errantes. 1132.b
Steſichori Poetæ ſtatua apud Thermitanos. 255.b
Sthenii Thermitani à Verre ſpoliati & innocenter damnati hiſtoria. 255.a
Stilus optimus & præſtantiſſimus dicendi effector ac magiſter. 77. a. 85. a,b
Stilpo Megaricus philoſophus mulieroſus & ebrioſus. 1181. b. vitioſam naturam doctrina edomuit & compeſcuit. ibid.
Stipendiarium vectigal. 268.b
Stoici, eorumque laquei. 70. b. Dialecticâ contenti, Topicen totam reliquere. 171. a,b. ſuo quamque rem nomine appellant. 714. b. nihil obſcœnum, nihil turpe dictu credunt. 715. b. haruſpicum, augurum auſpicia, oracula, ſomnia, vaticinationes defenderunt. 991. a. dicunt ſenſus ipſos aſſenſus eſſe. ibid. ſtatuunt omnia peccata eſſe paria. 994. b. 1038. b. voluptatem definiunt: Sublationem animi ſine ratione, opinantis ſe magno bono frui. 1007.a
Stoici in quibus differant à Peripateticis. 1014. a. ſtatuunt divina mente atque natura mundum adminiſtrari. 1031. a. diu manſuros ajunt animos, ſemper negant. 1060. b. quomodo voluntatem definierint. 1088. a. omnes inſipientes inſanos eſſe ſtatuunt. 1092.b
Stoicorum dumeta. 991. b. ὁμολογία. 1023. a. conſectaria brevia & acuta. ibid. oratio qualis? 137. a. ſententia de amore. 1095. a. opinio de mundo. 992. b. opinio de ſummo bono, nihil eſſe id, præter virtutem ſive honeſtum. 1004. a. 1010. a. 1242. b. affirmant nullum eſſe pilum omnibus rebus talem qualis alius pilus, nec granum grano in omnibus ſimile. 988.a
Stomachari aliquid. 914.b
Stomachi fabricatio & uſus. 1136.a
Stomachioſiores litteræ. 664.a
in Stomacho ridere. 655.a
Strabo, appellative. 1118.b
Stratonici facetum dictum, de Alabando & Hercule. 1144.b
Stratonis philoſophi opinio de mundi ortu. 993. a. opinio de deo. 1114.b
Studium, quid? 53.a
Studium, perſonarum attributum. 41.b
Stultè bis terque. 952.a
Stulti malorum memoria torquentur. 1003. a. omnes miſeri & nulli beati. 1004.a,b.
Stultitia excuſationem non habet. 75.b
Stultitiâ nihil miſerius. 1113.b
Stultitiæ definitio. 1076.b
Stultitiæ proprium eſt, aliena vitia cernere, ſuorum oblviſci. 1085.a
Sua quemque fraus, ſuum facinus, ſuum ſcelus, de ſanitate ac mente deturbat. 542.b.
Suada dea. 132.b. 891.a
Suæ quemque fortunæ pœnitet. 682.a
Suaſio, eſt futurarum rerum. 178.b
Subaccuſare. 905.b
Subactio, quid? 95.a
Subabſurdum tempus. 926.a
Subarroganter. 992.a
Subciſiva operæ. 111.b
Subcontumelioſè. 787.a
Subdebilitare. 876.a
Subdiffidere. 921.b
Subdubitare. 912.a
Subgrandis. 947.a
Subjectio, figura exornationis verborum. 26.b
Subinſulſus. 187.b
Subiraſci. 1007.a
Subturpiculus. 804.b
Sueſti pro ſueriſti. 763.b
Suffragia optimatibus ſint nota, populo libera. 1208.a,b
Sui anima data pro ſale ne putiſceret. 1041.a. 1138.b
Sui cuique mores fortunam fingunt. 966.a
Suis utilitas & fœcunditas. 1138.b
Sulla dictator, avaritiæ, luxuriæ, crudelitatis magiſter. 1029.b. 1234.a
Sullaturire. 858.b
Sulpicius qualis Orator. 114. b. ei ferro vita erepta. 112.b
C. Sulpicius Gallus Orator. 134. a. ejus inſignis fortitudo in ferenda filii morte. 1296.a
P. Sulpicius, orator. 141.a 142.b
Ser. Sulpicius orator laudatur. 132. a. 610.b
Summanus in faſtigio Jovis opt. max. fictilis fulmine dejectus. 1152. a. ejus ſimulacri caput in Tiberi haruſpicibus monſtrantibus inventum. ibid.
Summœnius (quaſi ſummœnianus, pro publico proſtibulo. Mœri enim antique ſunt mœnia: quod meretrices ad mœniorum fornices proſtabant.) 804.b
Summum jus, ſumma injuria, proverb. 1214.b
Superbiloquentia. 1090.b
Superlatio, figura exornationis verborum. 28.b
Superſtitione qui imbutus eſt, quietus nunquam eſſe poteſt. 1004.a
Superſtitionis ſtirpes omnes ejiciendæ. 1180.a
Superſtitioſi qui appellati. 1130.a
Suppedere. 715.a
Suppœnitet. 838.b
Suppudire. 765.a
Surditate beatam vitam non impediri. 1110.a
Sus docet, proverb. 102.b
Sus Minervam, proverb. 713. b. 973.b
Suſpiciones quales ſeparatim ex facto & negotio ducantur. 53. b. communiter quales. 54.a
Suſpiratus, 4. decl. 781.a
Suſque deque habere. 908.b
Syracuſæ, urbs munitiſſima. 246. b. à M. Marcello captæ. ibid. & 306. a. harum ſitus & deſcriptio. ibid.
Syri piſcem venerantur. 1143.a

T.

TAbernaculum vitæ ſuæ in una Philoſophia collocare. 117.a
Taciturnitas confeſſionem imitatur. 43.b
Tactus ſenſus. 980.a. 1137.a
Tagax. 827.a
Tagis, è ſulco terræ altius impreſſo, exiſtentis hiſtoria. 1170.a. ab hoc Haruſpicina ortum ſuum ducit. ibid.
Tanagræa meretrix, cujus ſimulacrum P. Clodius Libertatis ſignum eſſe voluit. 469.a
Tantali pœna apud inferos. 1090.b. fabula. 1052.b
Tarcondimotus. 759.a
Tardi ingenii eſt rivulos conſectari, fontes rerum non videre. 94.a
Tarquinii Superbi ſomnium ejuſque interpretatio. 1155.a,b. ei apex ab Aquila impoſitus. 1186.a. ſtuprum Lucretiæ illatum. 1195.a. nec ſe, nec ſuos regere potuit. 1029 b. cur regno expulſus. 590.a.591.b. Porſenam & Octavium Mamilium contra patriam excitavit. 857. b. cum in regnum reſtitui non poſſet, Cumis ſenio & ægritudine confectus eſt. 1078.b
Tarſus, urbs Ciliciæ. 819.a
L. Tarutius Firmanus in primis Chaldaicis rationibus eruditus. 1175 a. Romam dixit eſſe natam in jugo cum eſſet Luna, ejuſque fata cecinit. ibid.
Tauri pylæ. 819.a
Taurus, mons. 654.b
Taurus qui Europam vexit. 1118 b
Taurus, ſidus cœleſte. 1133.b
Telamo pulſus patriâ, exulans & egens. 1080.b. nullam colligit eſſe providentiam, & unde? 1147.b
Telluris armamentarium. 477.a
Telluris Ædes. 575.a.948.b
Temperantia, quid; ejuſque partes. 65.b. 182.b
Temperantiæ definitio. 1002.b.1013.a. 1047.b. 1077.a. 1089.a. 1143.a.
Temperius. 713 a
Templum Concordiæ. 458. a. Honoris-Virtutis. 506.b
Tempora vim habent maximam. 183.a
Tempus pro Temporibus in capite. 34.b
Temporis circumſtantiæ quæ conſiderandæ in negotiorum geſtione. 42.a. 53.b
Tempus, quid ſit? 41.b
Tenaſmus, morbus inteſtinorum. 967.b
Tenedia ſecuris. 944.b
Tenedus urbs, à Tene conditore ſic dicta. 235.a
Tenes apud Tenedios ſanctiſſimus deus habitus. 235.a.1143.a
Terentii Andria. 997.b. loca de præmeditatione futurorum malorum. 1079. a,b
Terinæus Eliſius de filii morte conqueſtus, à Pſychomantio cauſam ejus quæſivit. 1065.b. quale reſponſum tulerit, ibid.
Terminalia. 620.b
Terræ filius. 776.b
Terræ fœcunditas. 1138.a
Terra, mater omnium. 373.a
Terræ maximæ regiones inhabitabiles. 1113.b
Terræ-motus maximi. 1159.b
Terræ ſitus, figura, ornatus, divitiæ, eleganter depicta. 1132.b. ejus & maris concinna compoſitio. ibid.
Terrarum varia genera. 1159.b
Terripavium. 1172.b. poſt terripudium dictum eſt. ibid.
Terror quid, ejuſque definitio. 1088.b
Teſtamenta & commendationes morientium unde oriantur? 1028.a
Teſtimonia duplicia, humana & divina. 176.a. 178.a
Teſtimoniorum locus argumentandi. 175.a
Teſtis officium. 29.a
Teſtudinum ova in terram edita, terraque obruta, ipſa per ſeſe naſcuntur & educantur. 1135 b
Teucri dictum: Patria eſt, ubicunque benè eſt. 1109.a
Thales Mileſius. 121.a. aquam ſtatuit initium eſſe omnium rerum, & deum eam mentem quæ ex aquâ cuncta fingeret. 992.b. 1113.b. omnem oleam, antequam florere cœpiſſet, in agro Mileſio coëmit, ob ubertatem quam proſpexit. 1162. b. primus defectionem Solis quæ Aſtyage regnante facta eſt, prædixit. ibid. ejus ſcitum: homines exiſtimare oportere, omnia quæ cernerentur, deorum eſſe plena. 1197.b
Theagenes Numantinus ſibi ſuiſque mortem attulit, ne in hoſtium poteſtatem venirent. 1293.a
Theatra tota reclamant. 125.b.165 b
Thelmeſſus Cariæ urbs, haruſpicum diſciplina excellens. 1160.b
Themiſta. 544.a
Themiſtocles. 116. a. Orator Græcus. 130.b. hujus & Coriolani eadem ferè ætas & fortuna. 131.b. imperator bello Perſico ſervitute Græciam liberavit. 1270.b. cum in epulis recuſaſſet lyram habitus eſt indoctior. 1052. a. noctu in publico ambulans quærentibus quid reſponderit. 1091.b
Themiſtoclis gratiſſimum acroama virtutis ſuæ prædicatio. 447. a. laus. 409.b
Themiſtoclis liberi eguerunt. 958.a
Themiſtoclis memoria admirabilis. 1257.a. ſcitum: Malo virum qui pecuniâ egeat, quàm pecuniam quæ viro. 1239.b. reſponſum Seriphio gloriæ ipſius detrectanti datum. 1255.a. reſponſum ad Simonidem ipſum artem memoriæ docturum. 107.a. 110.b. 1018.b
Thenſæ. 268.a
Theodectes Ariſtotelis auditor. 165.b. ob memoriam celebris. 1058.b
Theodorus Byzantius Orator qualis? 131.b. 132.a
Theodorus Cyrenæus Lyſimacho regi crucem minitanti quid reſponderit. 1110. a. 1063. b. nullos deos eſſe cenſuit. 1111. a. 1117.a. 1122.a
Theopompus & Ephorus Iſocratis diſcipuli. 90.a
Theopompus orator. 133.a. vocales in collocatione verborum magno opere fugiens reprehenditur. 163 b
Theophraſtus plurima de arte dicendi ſcripſit. 70.b. 71.a. Demetrii Phalerei præceptor. 131.a. dixit Tauriſcum quendam actorem averſum ſolitum eſſe dicere. 127.b. 157.a.994 b.1030.a. Athenis hoſpes ab anicula ſalutatus ob ſonum vocis minus Atticum. 149. b. quid de laudibus orationis ſcripſerit? 158.b. ſcripſit de ſtirpibus & terrâ naſcentibus. 1040.b. moriens naturam accuſavit, quod cervis & cornicibus diuturnam, hominibus exiguam vitam dediſſet. 1084.a. elegantiſſimus omnium Philoſophorum. 1100.a. librum de vita beata ſcripſit. ibid. & 1040.b. 1049.a. inconſtans in opinione de Deo. 1114.b.
Theophraſti laus. 275. a. dulcis eloquentia. 137.a. liber de divitiis. 1237.b. opinio de numeroſa Oratione. 125.a. ſententia de verbi fidelis ſignificationibus. 770.a
Theramenes, Græcus Orator. 92.b.116.a. 130.b. juſſu xxx. tyrannorum venenum exhauriens, Critiæ reſiduum propinarit. 1063.a.1297.a. ei per hoc mortem auguratus quæ brevi conſecuta eſt. ibid.
Theſei præmeditatio futurarum miſeriarum apud Euripidem. 1079. a. pugna cum tauro Marathonio. 1092.a
Theſeus Neptuni filius. 1143.b. 1147.b. à Patre ter optandi poteſtatem habuit. ibid. Hippolytum filium ſuum perdidit. ibid. Atticos ex agris migrare, & in Aſtu ſe conferre juſſit. 1194.a
Theſis oratoria. 156.a
Theſis quid? 161.b
Theſpiæ Cupidinis ſimulachro nobiles. 293.a
L. Thorius Lanuvinus, voluptatibus mirificè abundans. 1013.b. in acie ob rempubl. interfectus. ibid. in roſa potat. 1014.a
Thraces naſcentibus liberis gemebant, morientibus lætabantur. 1290.b
Thraſymachus Chalcedonius 120. b. 116 a. orator numeroſus. 165.b
Thucydides orator. 92.b. 130.b. 155.b. 188.a. ejus laus. 90. 149.a. orationes quales fuerint? 155. a. ſententia de morte

de morte Themiſtoclis. 131.b
Thyeſtea exſecratio. 1064.a
Thyeſtis furor & impietas. 1095.b. 1096.a
Timæus hiſtoricus eruditiſſimus. 90.a. 152.a. *ejus dictum facetum de conflagratione templi Dianæ Epheſiæ.* 1129.b
Timagoræ Epicurei ſententia de viſione. 987.b
Timantes pictor. 133.b
Timon μισάνθρωπος, generis humani oſor. 1089.b. 1275.a
Timor eſt metus mali appropinquantis. 1088.b
Timotheus, Cononis imperatoris fil. Socratis diſcipulus. 121.b
Timothei, principis civitatis Athenienſis dictum de cœna Platonis. 1108.a
T. Tinca Placentinus. 140.b
Tireſias augur cæcus. 1110.a. 1160.a. 1165.b
Titi Pomponii Attici vita. 964.a
C. Titius, eq. Rom. orator. 140.a
Sex. Titius orator. 144.a. *ab hujus geſtu in dicendo ſaltatio quædam* Titius *nominata.* 144.a
Titus Poſtumius, orator. 147.b
Toculliones (ſic dicti qui uſuram exercebant.) 785.b
Toga pacis & otii inſigne. 545.b
Topice, inveniendi ars. 171.b
Sp. Torius popularis orator. 138.a
Torminoſus. 1089.b
L. Torquatus, orator eloquentiſſ. 145.b. *& quidem* πολιτικός. 147.b. *omni doctrina eruditus.* 998.b. *à torque hoſti detracto ſic cognominatus.* 999.b. 1015.a. 1092.a. *ejus ſeveritas in filium apud ſe per Macedonum legatos accuſatum.* ibid.
Toto corpore, atque omnibus ungulis, proverb. 1073.a
Traductio, figura exornationis verborum. 24.a
Trabeaſpa fortitudo in ferendâ cæde filii, à Cambyſe ebrio ſagitta transfixi. 1295.a
Trahimur omnes laudis ſtudio & optimus quiſque maximè gloria ducitur. 447.b
Tramittere. 850.a
per Transennam adſpicere. 77.b
Transgreſſio, figura exornationis verborum. 28.b
Tranſitare. 820.b
Tranſitio, figura exornationis verborum. 27.a
Tranſlatio, figura exornationis verbor. 29.a
Tranſlatio criminis in Juridiciali conſtitutione quomodo tractanda. 5.a.9.b
Tranſlationis controverſia in legitima cauſæ conſtitutione. 4.b.9.a
Tranſlationes verborum. 122.b. 123.a. 158.b
Tranſlativa cauſæ conſtitutio. 37.a.38.a. *hujus inventor Hermagoras exiſtimatur.* 38.a.55.b. *ejus uſus.* ibid. *exemplum.* ibid.
Trapezophoron. 696.b
Traſymachus Chalcedonius, dicendi magiſter. 130.b.155.b
Triarius, orator. 147.b. 998.b
Tribuni plebis ob quam cauſam creati. 228.b. *Conſulibus apud Romanos oppoſiti, & quam ob cauſam.* 1206.a
Tribunitia poteſtas. 1206.b.1207.a
Tributa ornamenta pacis ac belli ſubſidia. 344.a. *quatenus civibus imperanda.* 1239.b
Tricari cum aliquo. 913.b.920.a
Triptolemus ſemen hominibus largitus eſt. 22.a
Tripudia ſoliſtima. 685.a. 1167.a. 1172.b
Tripudium. 1153.b
Tris tabernæ. 788.b
Tris, pro tres. 639.b.659.a
Triſtitiam temporum hilaritate condire. 892.b
Triton maritimus quomodo pingatur. 1118.b
Triumphus juſtus ac verus quis? 628.b
Trochæus pes. 167.a. *eodem ſpatio quo choreus, cordax ab Ariſtot. dictus.* ibid. *temporibus & intervallis par eſt Jambo.* ibid.
Troglodytæ. 1174.a
Trophonius & Agamedes Delphicum templum extruxerunt. 1065.a.1290.b *iis pro mercede, quod eſſet optimum, ab Apolline petentibus, poſt triduum data mors fuit.* ibid.
Trophonius. 1144.a
L. Tubulus ob rem judicandam pecunias cepit. 1012.b. *inſtitutâ quæſtione ob eam rem in exilium proficiſcitur.* ibid. & 1047.a
C. Tuditanus, orator. 135.a
M. Tullius & Servius Sulpicius Coſſ. 133.a
Tullius Moloni Rhodio operam dedit. 150.b. *ut & Diodoto Stoico.* ibid. *primam cauſam pro Sex. Roſcio dixit.* 151.a. *adoleſcens ſumma gracilitate & infirmitate corporis erat.* ib. *Athenis Antiochum philoſophum audivit.* ibid. *apud quos oratores ſe in Aſia exercuerit.* ibid. *cum Hortenſio oratore erat familiaris.* ibid. *ſexto anno poſt Hortenſium Coſ. factus.* ibid.b. *poſt Hortenſii mortem orbæ eloquentiæ quaſi tutor relictus.* 152.b. *qualiter cauſam pro Cæcina tractaverit.* 159.b. *in oratione pro lege Manilia quid egerit.* ibid. *pro Roſcio.* 160.a. *quam admirabilis fuerit in animis concitandis.* 161.b. *concinnæ terminationis verborum exemplum affert ex ſua Miloniana.* 165.a. *quædam* ἀντίθετα *ex* IV. *Verrin. recenſet.* ibid. *Topica ſua in ipſa navigatione conſcripſit.* 171.a. *quæſtor in Sicilia fuit.* 219.a. *in Divinatione agit in Q. Cæcilium de accuſatore in Verrem conſtituendo.* 220.a. *ſupplicia impiorum apud inferos fabuloſa putat.* 370.b. *ejus orationes, Philippicæ nominatæ, quid contineant.* 784.a. *quos libros ſcripſerit.* 1165.a,b. *ejus dictum:* Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ. 1220.a
Ser. Tulli Sapientia in conſtituenda Rep. 70.a
Ser. Tullo dormienti caput arſiſſe viſum. 1163.b
L. Turius, orator. 145.a
Turpis fuga mortis, omni morte turpior. 609.a
Turpitudo cur vituperanda. 1291.a
Turpius eſt privatim cadere, quam publicè. 931.b
Tyba, locus cis Euphratem in Syria. 759.a
Tycha, Fortunæ fanum. 306.b
Tymbon, quid? 1203.a
Tyndaridæ fratres. 1055.a
Tyrannoctoni. 912.a
Tyrannorum liberi eodem ſupplicio, quo parentes, apud Græcos afficiebantur. 959.a
Tyrotarichum, genus edulii vilioris. 912.a

V.

Vada, locus inter Apenninum & Alpes. 730.a
Vada Volaterrana. 193.a
Vadari. 193.a. 197.a. 271.b
Vadimonium differre. 193.a. *ſiſtere.* ibid.b. *deſerere.* 195.b. *ad vadimonium venire.* 196.a
Vadimonium promittere. 271.a
M. Valerius dictator plebis diſcordias dicendo ſedavit, & ob eam rem Maximus eſt appellatus. 132.a
P. Valerius exactis regibus primo anno conſul fuit. 978.b
Q. & D. Valerii Sorani, docti Græcis & Latinis litteris. 140.a
Q. Valerius Soranus litteratiſſimus togatorum. 1115.a
Valitudo quomodo ſuſtentetur. 1241.a
Vaporarium. 947.a
Vargula. 103.b
Varietas propriè quid? 1006.b
A. Varii, judicis durioris, ſcitum de teſtium multitudine. 1013.b
Q. Varius, orator. 75.a. 141.a. 144.a. 150.b. *Druſum ferro, Metellum veneno ſuſtulit.* 1148.a
C. Varro. 133.b. *diligentiſſimus antiquitatis inveſtigator.* 132.b. *ejus ſententia de morte Nævii poëtæ.* ibid. 142.b
Varronis theſauri. 729.b

Vaſa Roſiaca. 824.a
Vaticinationes. 1163.a
Vatieno Caſtor & Pollux Perſen victum eſt nuntiaverunt. 1140.b
Vectigal ſtipendiarium. 268.b
Vectigalia ſunt nervi Reip. 345.b
Velis, remiſque, proverb. 1078.b
Velificari honori ſuo. 376.b
Vena cava in homine. 1136.b
Veneres quatuor diverſæ. 1145.b
Veneris ſtella, Græcis φώσφορος dicitur. 1128.a. Lucifer Latinè dicitur, cum antegreditur ſolem: cùm ſubſequitur, Heſperus. ibid.
Venus dea. 1129.b. ſic dicta quod ad omnes veniret. ibid.
Veneris ſervi. 272.b
Veneris Cnidiæ pulcritudo. 1153.a
Veneris Coæ pulcritudo. 153.a.1153.a
Veneris Lubentinæ vocabulum conſecratum. 1128.b
Venereus jactus quatuor talorum. 1153.a 1170.a
Ventorum materia & cauſa ſecundum Stoicos. 1169.a
Ventriculus cordis ejuſque uſus in homine. 1136.b
Venus Coa. 1118.a
Venus. 1146.a
Venuſtas unde dicta. 1129.b
Q. Vettius Vettianus, orator. 140.a
Verba alia ſimplicia, alia conjuncta. 178.b. ſimplicia partim nativa, partim reperta. ibid.
Verba ſunt aut propria, aut tranſlata, aut novata. 122.a,b. 167.b. inuſitata quæ? ibid. b. tranſlatis quando & quomodo utendum? ibid. & 123. a,b
Verba aut de ambiguo, aut de contrario. 161.a
Verba uſitata, quæ? 23.b. propria quæ. ibid.
Verbi nulla vis ſine re. 158.a
Verborum delectus, origo eloquentiæ. 146.b
Verborum ornatus duplex, unus ſimplicium, alter collocatorum. 158.b
Verborum delectus, origo eloquentiæ. 146.b
Verborum ornatus duplex, unus ſimplicium, alter collocatorum. 158 b
Verborum ornatus neque poteſt inveniri non partitis expreſſiſque ſententiis, neque eſt ulla ſententia illuſtris ſine luce verborum. 113.b
Verborum ſimplicium conjunctorumque lumina communia, & quæ? 179.a
Verecundiæ definitio? 182.b
Verecundia & Juſtitia ut differant? 1222.b
Vergiliæ, ſidus cœleſte. 1133.b
Veriſimilia quatenus probent? 180.a
Veritas, quid? 56.b.65.b. in omni re vincit imitationem. 127.a. ejus luce nihil dulcius. 981.a
Verrea feſta. 262.a
C. Verres ſimulacra ſanctiſſima ex delubris religioſiſſimis ſuſtulit. 219.a. depeculator ærarii, vexator Aſiæ, atque Pamphiliæ, prædo juris urbani, &c. 225. a. Quæſtor Cn. Carbonis proditor. ibid. multa libidinoſè, multa crudeliter in civeis R. atque in ſocios, multa in Deos hominéſque nefariè fecit, &c. 229.b. non fur, ſed ereptor: non adulter, ſed expugnator pudicitiæ: non ſacrilegus, ſed hoſtis ſacrorum, religionumque: non ſicarius, ſed crudeliſſimus carnifex civium, &c. 231.a. monumenta M. Marcelli, & P. Africani abſtulit. ibid. Sicyone Achaiæ hominem ingenuum pecunias denegantem excruciavit fumo. 234. b. Athenis ædem Minervæ ſpoliavit. ibid. & Deli fanum Apollinis. ibid. imagines Deorum abſtulit Chio, Erythris, Halicarnaſſo, Tenedo. 235.a. Samo. ibid. Aſpendo. ibid. Pergæ. ibid. ſcortator impuriſſimus. 236.a. Philodami Lampſaceni filiæ vim afferre conatus. ib.b. tutor Malleoli pupilli iniquiſſimus. 239.b. præturam emit. 240.a. teſtamentum P. Annii Aſelli reſcidit; filiæque ejus hereditatem eripiens, alteri addixit. 240. b. qualis judex fuerit circa hereditates ab inteſtato adjudicandas. 242.a. ad Chelidonis meretricis voluntatem edicta compoſuit. 242.b.244.a. plebem Rom. virgis concidit. ibid. qualis in pupillum P. Iunii. 243. b. Heio Mamertino ſacra Deoſque penates cum bonis eripuit. 247.b. nomine Veneris Ericynæ Q. Dioni hæreditatem eripuit. 248. a,b. Soſippo item & Epicrati Agyrinenſibus. ibid.b. ut & Heraclio Syracuſano. 250.a. Marcellea Syracuſis ſuſtulit. 251. b. Verrea ſubſtituit. 252. b. Sopatrum innocentem condemnat. 253.b.254.b. de Sthenii bonis argenteum Cupidinem in monte Eryco poſuit. 258. a. ſe Sotera Patronumque Syracuſanorum inſcribi voluit 262.a. Nymphodorum ſuſpendi jubet. 273.b. Antiocho regi candelabrum Iovi dedicatum aufert. 301.a
Verſura aliquid ſolvere. 817.b
Verſuram facere. 265.b.821.b
Verſus verborum in oratione. 124.a
Verſus ſenarii. 166.b
Verſuti qui dicantur? 1141.b. ut differant à callidis. ibid
Verſutiloquus. 165.a
Vertumni ſignum. 245.b
Veſpæ Terentii jocus in Titium. 104.a
Veſta Dea, cuſtos rerum intimarum. 1129.b. Græcis ἑστία. ibid.
Veſtæ ſacris cur virgines attributæ. 1198.a. ignis perpetuus. 410.a
Veſtalis cujuſdam ſomnium ab Ennio deſcriptum. 1155.a
Via compendiaria ac proxima ad gloriam quæ? 1236.a
Via Sacra. 803.b. Vitularia. 947.b
Viatores dicti, qui ſenatores à villa in ſenatum accerſebant. 1261.b
Victoriæ ædes. 1128.b
Victoriolæ. 1148.a
Victus, perſonarum attributum. 41.b
Vicepota. 1197.b
Vigilandum eſt ſemper, multæ inſidiæ ſunt bonis. 487.b
Vindemiolæ. 775.a
Vindicatio, quid? 56.b.65.b
Vinulam rem habes, proverb. 810.a
Vivorum memini, proverb. 1039.b.
Vinum Falernum. 149.a
Vir bonus. 1249.a,b
Vir fortis. 1071. b. ejus munera duo maxima, mortis doloriſque contemtio. ibid. & 1218.a. 1220.a
Viri militaris officium. 1220.b
Vir quis verè putandus. 557.a
M. Virgilius orator. 141.a
L. Virginius propriâ manu filiam ſuam occidit, ne Appii Claudii libidini dederetur. 1014.a
Virgo, ſidus cœleſte. 1133.a
Virgulâ divinâ ſuppeditare, proverb. 1230.a
Viriatus Luſitanus latro. 1235.b
Viridicatus: ſilva viridicata. 947.b
Viris equiſque, proverb. 1253.a
Viro bono & quieto civi nihil magis convenit, quàm abeſſe à civilibus controverſiis. 869.b
Virorum bonorum mentes divinæ. 394.b
Virtus, ejuſque definitio. 1090. b 1044.a. ejus quatuor partes. 65.a. altiſſimum locum in homine & maximè excellentem tenet. 1034.a. amicitiam gignit & continet. 1268. a. ad beatè vivendum ſe ipſa eſt contenta. 1097. a,b.1098.b. in ſæva tempeſtate tranquilla eſt, in tenebris lucet, &c. 500.a. nihil aliud quam in ſe perfecta, & ad ſummum perducta natura. 1188. b. non poteſt ſervire, ſemper & ſola libera. 82.b
Virtus omnis eſt mediocritas. 138.b
Virtute nihil formoſius, nihil pulcrius, nihil amabilius. 913.a
Virtutes Imperatoriæ. 347.a.348.a
Virtutes rerum omnium dominæ. 1010.b
Virtutis curſus celerior quam ætatis. 601.a. laus omnis in actione conſiſtit. 1212. b. opinio in homine plurimum valet. 176. a. præſtantia. 1283. a. pulchritudo in hoſte poſita etiam delectat. 546.a
Virtutis vis duplex, alia ſcientiæ, alia actionis. 182.b
Virtutis templum. 1128.b
Virtutum diviſio. 110. a. omnium cognitio Oratori neceſſaria. ibid.
Virtutes in animo duplices, voluntariæ

tariæ & involuntariæ. 1043.b
C. Viſellius Varro, vir doctus. 147.a
Vita beata. 1102.b. etiam in tormentis. 1106.a
Vita hominis quomodo excutienda ab accuſatore. 6. b. quomodo defendenda à defenſore. ibid.
Vita hominum maximè vexatur ignoratione rerum bonarum & malarum. 1002.a
Vita à natura nobis brevis data eſt; at memoria bene redditæ vitæ ſempiterna. 630.a
Vita, quæ dicitur noſtra, mors eſt. 1060.b
Vita vitalis. 1268.a. 1291.a
Vitæ brevis curſus, gloriæ ſempiternus. 498.b
Vitæ humanæ comparatio cum actione hiſtrionica. 1023.b
Vitæ ruſticæ laus. 206.b
Vites à caulibus braſſicisque refugere dicuntur, nec eos ulla ex parte contingere. 1134.b
Vitia quæ quas virtutes videantur imitari. 182.b
Vitioſitas quid? 1090.a,b
Vitis natura, generatio & cultura. 1044. 1261.a. gemma. ibid.
Vitium maximum in dicendo quid? 68.a
Vitium dictum quod ſit vituperabile. 1025.b
Vituperandi verbum dictum à vitio. 1025.b
Ulyſſes inſaniæ ſimulatione militiam ſubterfugit. 1251. a. ſapiens. 1098.a. ex Ajacis occiſi corpore telum educit. 4. a. Ithacam patriam ſuam immortalitati antepoſuit. 1194.a
Vlyſſis ſauciati lamentatio. 1072.b
Vmbra terræ ſoli officiens, noctem efficit. 1127.b
Vnis & alteris litteris. 651. b. 733. b. 913.a.
Vnde, utrumque declarat: & ex quo loco, & à quo loco. 341.b
Vnguem traverſum diſcedere. 899.a
Vnguem tranſverſum à ſtilo, proverb. 697.a
Vnus non poteſt in omnibus elocutionis partibus enitere. 22.a
Vocalium crebra concurſio in oratione vitanda. 163.b
Vocem ſuam in quæſtum conferre. 192.a
Vocis figura quid ſit? 17.a. dividitur in treis parteis, magnitudinem, firmitudinem, mollitudinem. ibid. b. magnitudo quomodo comparetur. ibid. firmitudo quomodo comparetur, adaugeatur & conſervetur. ibid. mollitudo diviſa in ſermonem, contentionem, amplificationem. ibid.
Vocis figura in dignitate ſermonis qualis debeat eſſe. 18. a. in demonſtratione. ibid. in narratione. ibid. in jocatione. ibid. in contentione. ibid. in continuatione & diſtributione. ibid. in amplificationibus, cùm cohortatione utemur, qualis. ibid. cùm conqueſtione. ibid.
Vocis & orationis inſtrumenta in homine. 1137.b
Vocis mutationes totidem, quot animorum. 156.b. mira natura. 157.a
Vox Oratoris ſedata ſit in principio. 17. a. qualis per totam orationem eſſe debeat. ibid.
Volaterræ. 202.a. 209.a.
Voluntas, Græcis βούλησις. 1088.a. quomodo eam definiant Stoici. ibid.
Voluptas eſca malorum. 1260. a. imitatrix boni, malorum autem mater omnium. 1191.a. non explet bona naturæ. 1045. a. tollenda & extrahenda radicitus. 1009.a
Voluptates, blandiſſimæ dominæ. 1235.a
Voluptatis definitio. 1006.b. varia quæ dicatur. ibid. Græcis ἡδονή. 1007.a
Voluptatis partes, earumque deſcriptio. 1088.b. & ſeqq.
Voluptatis vocabulum conſecratum. 1128.b.
Voluptati duo ſubjiciuntur: lætitia in animo; commotio ſuavis in corpore. 1007.a
Voluptatibus maximis omnibus in rebus faſtidium eſt finitimum. 118.b
Vox Oratoris qualis eſſe debeat? 127.a,b. 128.a
Vpis dea. 1145. a. eadem quæ Diana. ibid.
Vrion Græcis Jupiter. 307.b
Vtentior. 1239.b
Vtile nihil eſt, quod eſt injuſtum. 1232.a
Vtilitas in civili conſultatione bipertita, honeſta & tuta. 14. b. tuta diſtribuitur, in vim & dolum. ibid. honeſta, in rectum & laudabile. ibid.
Vtilitatis partes duæ, Incolumitas & Potentia. 66.a
Vt ſementem feceris, ita metes. 104.b
Vulcaniæ inſulæ. 1145.a
Vulcani quatuor diverſi. 1145.a
Vulcanus claudus. 1119.a
Vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa æſtimat. 216.a
Vulticulus. 914.b
Vulturii paludati. 501.b
Vultu ſæpe læditur pietas. 203.b.
Vultus animi eſt imago, indices oculi. 127. b. 157. a. 96. a. indicat mores. 1189.a. ejus vim Græci norunt, nomen omnino non habent. ibid.

X.

Xantippe Socratis uxor. 1079.b. vultum mariti ſui ſemper vidit eundem. ibid.
Xenocles Adramitenus. 151.a
Xenocrates Academicorum partus. 116.a. 1117.b. 1030. dixit animum mentem eſſe nullo corpore. 993.b. ejus libri de ratione loquendi. 995.b. dixit animum numerum eſſe, cujus vis maxima in natura eſſet. 1054.a. graviſſimus philoſophorum. 1102.b. quinquaginta talenta ab Alexandro miſſa contemnens. 1107.a,b. ejus libri de natura deorum. 1114. b. deos octo eſſe ſtatuit, & quos. ibid.
Xenophanes. 986. b. unum eſſe omnia dixit, neque id eſſe mutabile, & id eſſe deum. 992.b. princeps diſciplinæ Megaricorum. 994.a. omne infinitum deum eſſe ſtatuit. 1114. a. ejus portenta de Lunâ, eam habitari & eſſe terram multarum urbium & montium. 993.a
Xenophanes Colophonius divinationem funditus ſuſtulit. 1150.b
Xenophon Socraticus Hiſtoricus. 90. a. ejus ſermo melle dulcior, ſed à forenſi ſtrepitu remotus. 155. a. qualem ſe geſſerit in ſacris ſolemnibus nuntiatâ filii morte apud Mantineam. 1294.a
Xenophontis voce Muſas quaſi locutas ferunt. 157.a
Xenophontis libellus de rege Ageſilao. 676.b. opinio de diis. 1114.a,b.
Xenophontis Socratici cum Cyro minore militantis ſomnia. 1156. b. liber Oeconomicus inſcriptus. 1241. b. à Tullio è Græco in Latinum converſus. ibid.
Xerxes invenienti novam voluptatem præmium propoſuit. 1099. b. deorum immortalium aras & templa evertit. 1122. a. omnia templa Græciæ inflammavit, & qua de cauſa. 1197.b. ejus expeditio in Græciam. 1019.b

Z.

Zaleucus leges Locris ſcripſit. 824.b. 1195.b
Zeno auctor diſciplinæ Stoicorum. 160.b. 418. b. 1021. a. dialecticam pugno, eloquentiam palmæ comparavit. ibid. & 1008. a. Socratem ſcurram Atticum fuiſſe dicebat. 1120. a. Chryſippum nunquam niſi Cheſippum vocabat. ibid. quomodo naturam definierit. 1128.a. ſtatuit ſolum finem bonorum eſſe honeſtum, quod ducitur à conciliatione naturæ. 994.b. 1031.b. quid vocaverit προηγμένον, quid ἀποπροηγμένον. 1026. b. geſtus triplex, quo viſum, aſſenſum, & comprehenſionem ſignificabat. 996. a. geſtus quo ſcientiam innuebat. ib. quid per recens malum intelligat. 1085. a. quomodo perturbationem definierit. 1088. a. philoſophiam in treis parteis diviſit. 1030. a. ignem dixit eſſe quintam naturam. 1031. a. in una virtute poſitam beatam vitam putat. 994.b
Zenonis opinio de deo. 1114.b. de ſummo bono. 1010.a. dictum magnificum:

VIRTVS

VIRTUS *ad beatè vivendum ſe ipſa contenta eſt.* 1049.a

Zenoni & reliquis ferè Stoicis æther videtur ſummus Deus, mente præditus, cuncta regens. 993. b. 1054.a

Zeno Eleates omnia perpeſſus eſt potius, quam conſcios delendæ tyrannidis indicaret. 1072. b. 1073. a. 1148. a. *Epicureorum coryphæus.* 1115.b

Zethi & Amphionis diſputatio de Muſica apud Pacuvium. 13.a

Zethus Pacuvianus philoſophiæ bellum indixerat. 97.a

Zeugma, tis, (inſula in Euphrate.) 945.a.

Zeuxis Heracleotes pictor præſtantiſſimus. 50.a. 113. b. 133.b. 1020.a. 996. a. *Helenæ ſimulacrum quomodo depinxerit.* ibid.

Zopyrus phyſiognomon. 1181. b. *ejus judicium de Socratis vitiis.* ibid. & 1096. a,b

Zoſter (locus maritimus Græciæ.) 816.b

F I N I S.

Not so the Roman; As the gentle Nile,
Rolls smoothly on within his banks awhile;
Slow, gradual, rising, then oerſpreads the plain,
And adds all Egypt to the watery main;
So Syren Tully onward gently rolls,
Enchants, enraptures, and ſubdues our ſouls.

5/19/36

John Adams Library,

IN THE CUSTODY OF THE
BOSTON PUBLIC LIBRARY.

SHELF Nº
* ADAMS
160.10

5